LEXICON TOTIUS LATINITATIS: A - CYTONIUM

Egidio Forcellini, Fr Corradinus

LEXICON TOTIUS LATINITATIS

J. FACCIOLATI, ÆG. FORCELLINI ET J. FURLANETTI

SEMINARII PATAVINI ALUMNORUM

CURA, OPERA ET STUDIO LUCUBRATUM

NUNC DEMUM

JUXTA OPERA R. KLOTZ, G. FREUND, L. DÖDERLEIN

ALIORUMQUE RECENTIORUM

AUCTIUS, EMENDATIUS MELIOREMQUE IN FORMAM REDACTUM

CURANTE

DOCT. FRANCISCO CORRADINI

EJUSDEM SEMINARII ALUMNO

TOM. I.

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCLXIV

QUID PRÆSTABITUR

IN HAC NOVA

FORCELLINIANI LEXICI EDITIONE

ORATIO

PUBLICE HABITA PRID. NON. AUG. ANNO MDCCCLIV.

A

FRANCISCO CORRADINI

SEMINARII PATAVINI ALUMNO, PROFESSORE AC TUNC STUDIORUM PRÆFECTO

QUÆ PRÆFATIONIS LOCO PROPONITUR

Egregie profecto Cajus Cornelius Tacitus, aut quicumque ille fuerit auctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ (c. 37.): « Crescit cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit ». Hæc una sapientissimi viri sententia mihi hodierna die coram vobis verba facturo nonnihil animi addidit. Quippe me nunc primo in publicam hanc arenam ex majorum instituto descendere jussum terrebat virium mearum infirmitas, quæ quam exiguæ sint, neque ad tantum pondus excipiendum accommodatæ, planissime sentio; vehementer angebat hic ipse ornatissimus dicendi locus, in quo præteritis annis viri cum plurimi, tum ingenii vi, eruditionis copia et eloquentiæ flumine præstantissimi sibi ipsi pepererunt famam nominis immortalem; timore præsertim summo afficiebat hæc litteratorum hominum celebritas tanta, quibus nihil afferri decet, nisi quod fuerit industria elaboratum, artificio politum, numeris denique omnibus absolutum. Nihilo tamen secius tanta me trepidatione dejectum erexit et recreavit aliquantulum, quod præ manibus est, argumentum; adeo vastum, ut mihi quidem verba deesse possint, res profecto non possit; adeo insigne, ut sine ullo etiam oratorio fuco et ornatu ipsum sua stet ac fulgeat præstantia, magnitudine, gravitate. Agitur enim perantiquum et maximum Italiæ decus, quantum in nobis est, conservandum; agitur explenda justissimi, quo docti viri jamdiu laborant, desiderii expectatio; agitur præclarissima hujusce nostri Seminarii gloria ab obtrectatorum criminationibus si non in pristinam splendoris amplitudinem vindicanda, at saltem pro virili parte tuenda; uno verbo agitur nova Forcelliniani Lexici editio. Siquidem, Auditores, quo tempore in Britannia et Gallia ac præcipue in Germania philologiæ studium summo est in honore, omnium pectora inflammat, exercet ingenia, perque operosas præstantium virorum lucubrationes non modo in dies amplificatur, verum etiam ad ipsum propemodum perfectionis fastigium evehitur; quo tot ac tanta quotidie typis eduntur accurate ac diligenter expensa, emendata, illustrata, unde antiquitas ipsa nova quadam luce ac majestate præfulget omniumque oculos in se convertit; quo denique, ut latina propius attingamus, per alios Grammatici vel nonnulli vel omnes, per alios Oratorum vel Historicorum fragmenta, Fabula togata, Synonyma, multaque præterea classicorum auctorum opera mira ingenii sagacitate diuturnisque vigiliis elaborata, maximo cum rei litterariæ emolumento, denuo prodie-

runt [1]: eo sane tempore dedeceret, Italiam hanc nostram, qua magistra ac duce in latinis præcipue litteris ediscendis nationes ceteræ per tot sæcula usæ sunt, ab iisdem nunc studiis abhorrere eaque per summam ignaviam aut contemptum negligere; præsertim cum omnia nuper commemorata in causa sint, cur litterati homines, qui recte sentiunt, vehementer ac merito id latinum Lexicon jamdudum efflagitent, quod cum tempori, tum firmiori artium disciplinarumque profectui apte conveniat ac satisfaciat. Quod si res ita se habet, cujus erit, quæso, onus tam grave atque arduum subire? Id certe jure suo sibi vindicat Seminarium hoc nostrum, in quo latina lingua duobus abhinc sæculis a majoribus nostris non modo culta, sed habita in deliciis ac posterorum fidei religiose commissa, in regno veluti suo dominatur; in quo prima hujusmodi Lexici jacta sunt fundamenta, quæ in mirabilem nunc et pæne dixerim immensam ædificii molem assurgunt; in quo demum, ut ceteros mittam, tria illa eminuerunt præclarissima latinitatis lumina, Facciolati, Forcellini et Furlanetto, de quibus nulla unquam ætas conticescet. Neminem igitur nobis refragaturum esse arbitror, si Forcellinianum Lexicon auctius et emendatius edendum nunc denuo curamus; quippe quos impellit atque urget non vana aliqua jactantia, sed illustre majorum exemplum; non audacia, sed officium; non privatum nostrum, sed publicum hujus loci decus et nomen: paucis, hoc opus jubemur, eoque libentius aggredimur, quod, etiamsi deterreamur ingenii nostri conscientia, tamen in ipsa virium infirmitate et velle et conari grandia gloriosum est.

Quo vero longa hæc via tutior nobis muniatur, et quibus undique scatet difficultatibus pateat expedita, optimum factu duximus, Auditores, hodierna luce vestris oculis brevi diligenterque subjicere quid in toto primum Lexico conficiendo, quid deinde in singulis ejusdem partibus seu vocabulis exhibendis præstabimus; eo sane consilio, ut qua valetis plurimum sapientia nobis opitulari, si qua fuerint, et erunt fortasse multa, addenda, aut detrahenda, aut in melius quomodocumque mutanda pro vestra nos humanitate docere, atque ita cum de nobis, tum de latinis præcipue litteris bene mereri velitis [2]. Quapropter hac in re pertractanda illud etiam nos juvat, quod tali pacto consultum est et vestræ, Auditores humanissimi, dignitati, quos tantæ causæ judices constituimus; et commissæ nobis juventutis emolumento, quæ romanarum aliarumque rerum studiis tunc se majori dabit alacritate, cum videat per quos ipsa litteris ac disciplinis imbuitur, eos labori parcere nulli et libris diu noctuque inhærere.

Si res quæcumque, non ex specie et magnitudine, sed ex fine adeoque usu judicandæ sunt, atque hinc pateat oportet, qua ratione tractandæ sint ac perficiendæ; id profecto di-

(1) Quæ hic singillatim memorantur, hæc sunt: M. Terenti Varronis de Lingua Latina librorum quæ supersunt emendata et annotata a Carolo Odofredo Müllero a. 1833. Gottingæ. — Sexti Pompei Festi de verborum significatione quæ supersunt cum Pauli epitome emendata et annotata a Carolo Odofredo Müllero 1839. Gottingæ. — Corpus Grammaticorum Latinorum veterum collegit, auxit, recensuit ac potiorem lectionis varietatem adjecit Fridericus Lindemannus Sociorum opera adjutus. Lipsiæ 1831. et seqq. Hoc vero Grammaticorum Corpus est imperfectum; continet enim Donatum, Probum, Eutychium, Arusianum Messium, Maximum Victorinum, Asperum, Phocam, Pauli Diaconi excerpta, Sext. Pompeii Festi fragmenta, Isidorum et Charisium: ceteri desiderantur. Idem tamen Lindemannus multo ante Nonium et Prisciani opera minora ediderat. Omnia hæc a Guilielmo Freund plurimi habentur; tametsi mendis non careant et nimio fortasse studio novitatis laborent. — Oratorum Romanorum Fragmenta ab Appio inde Cæco usque ad Q. Aurelium Symmachum collegit atque illustravit Henr. Meyerus. Editio Parisina auctior et emendatior curis Friderici Dübner. 1837. — Vitæ et fragmenta veterum Historicorum Romanorum. Composuit Augustus Krause. Berolini 1833. — De Fabula Togata Romanorum. Accedunt Fabularum Togatarum reliquiæ. Scripsit et edidit Joannes Henricus Neukirk. Lipsiæ 1833. — Lateinische Synonyme und Etymologieen von Ludwig Döderlein. 7. Th. Leipzig 1826-39. — Singula vero classicorum auctorum opera quæ denuo prodierunt videsis in *Indice Scriptorum Latinorum*, qui Præfationes excipit. Hoc loco unum illud adjicimus, anno tantum proxime elapso nobis innotuisse *Inscriptiones Regni Neapolitani Latinæ*, quas edidit *Theodorus Mommsen* Lipsiæ 1852., et *Inscriptionum Latinarum selectarum* Volumen Tertium, *Collectionis Orellianæ* supplementa emendationesque exhibens, quod edidit *Guilielmus Henzen* Turici 1856; ex quibus jam inde ab initio nonnulla in Lexicon inseruimus.

(2) Quæ ab Auditoribus, eadem et a Lectoribus enixe postulabamus cum primum anno 1854. hæc oratio typis commissa et pervulgata est. « Pergratum sane nobis fecerit (hæc ipsa verba tunc protulimus) quicumque singulari humanitate præditus ad tantum hoc opus perficiendum consilio nos aut opera juverit, ejusdemque mentio in ipsa Lexici Præfatione pro meritis habebitur ». Maximæ itaque gratiæ a nobis et aguntur et habentur cum cl. viro Joseph Trivellato in Seminario Patavino Professori emerito, de quo et infra pag. XII.; tum Cæs. Reg. reipublicæ litterariæ in Austriaco Imperio Præfectis (italice *Ecc. I. R. Ministero della Pubblica Istruzione*), qui cl. Vindobonensem Professorem (quantum conjectura assequi potui) hac de re sententiam rogaverunt eamque manu scriptam ac summo studio elaboratam 7. Cal. Januar. anni 1857. summa benignitate mihi tradendam curarunt.

ligentius considerandum putamus, cum quæstio est de litterario negotio, in hac tanta præsertim, non dicam copia, sed importuna librorum undique ingruentium colluvie. Quibus igitur usui esse debet omnigenum illud ac prope infinitum totius latinitatis Lexicon? Haud sane adolescentibus: etenim si recte humanas vires æstimare velimus, nec nimio plus postulare audeamus, quam quod ætas et ingenium per se ferre possunt; ac proinde præ oculis habeamus imitandam sapientissimi patrisfamilias prudentiam, qui mensas apparatissimas struere, non eumdem tamen pueris cibum ac viris præbere curat: facile intelligemus opus hoc tantum officere potius, quam prodesse adolescentibus, qui nimirum in ipso latinæ linguæ limine constituti, accuratissimo quidem Lexico, quod adhuc in votis est, veluti duce ac præsidio maxime indigent, brevi tamen, ne ingenti rerum mole proposita vel suapte natura laboris impatientes a studiis multo magis deterreantur, vel mente et ratione adhuc impares omnia turbent, pervertant, et plurima persecuti nihil admodum teneant. Illis itaque hujusmodi Lexicon est comparandum, qui liberalium disciplinarum cursu confecto adultoque ingenio pollentes, pro suscepto vitæ instituto, vel etiam quo impotenti abripiuntur animi studio oceanum ipsum tentare cupiunt ac latissimæ romanarum litterarum provinciæ velificari; eamque non peragrare tantummodo, verum etiam potiri vehementer exoptant. Quibus idcirco omnis apparatus ornatusque, instrumenta præsidiaque omnia suppeditanda sunt, quæ tanto huic proposito quomodocumque conducant; et si quid forte peccandum, id copiâ potius quam inopiâ, ne qui tam multa et magna constanter audent, aliorum incuria prohibeantur, quominus exoptatam regionem obtineant atque uberrimos tot laborum fructus tandem aliquando percipiant.

Quî vero poterunt vel eruditi hujusmodi homines absolutam romanarum litterarum scientiam acquirere, immo ipsos, quod caput est, ætatis aureæ scriptores penitus intelligere, et quanti quisque sit habendus acri judicio perpendere, nisi latinam linguam ab infantia repetentes ad summam usque senectutem sedulo prosequantur? clarissimorum enim, qui Augusti ævo floruerunt, auctorum præstantia, aureaque illa sermonis elegantia, gravitas, pulcritudo tunc tantummodo plena in luce collocabitur, cum hinc innotescet qualis fuerit horrida atque inculta, etsi robusta, superiorum antiquitas, et quænam inde in posterum excerpta, quænam expolita, quænam omnino rejecta, quænam denique nova prolata; illinc vero patebit quam longe posteriora sæcula quibusque de causis aberraverint, quamvis eo pervenerint aliquando, ut mirabili quadam ingeniorum vi ac rerum dignitate sermonis damna compensarent. Hæc sane in causa fuerunt, cur jamdudum inter eruditos plane convenerit, totius latinitatis Lexicon nihil aliud esse, nisi omnium ad unam earum vocum historiam, quas exhibent scripta, quæ adhuc supersunt, romanæ litteraturæ monumenta. Ex qua definitione colligitis, tria nobis potissimum esse inquirenda, quibus veluti cardinibus totum vertitur Lexicon: ac primo quidem rectene historia vocum appelletur et sit; deinde quo temporis orbe concludantur monumenta seu scriptores, quorum auctoritate consistit; denique utrum omnes omnino voces, quæ in ipsis occurrunt, complectatur oporteat: paucis, quanam sit indole seu natura, quibus innitatur fundamentis, quibusque partibus constet.

Jam vero Lexicon suapte natura esse vocum historiam quisque sibi facile persuadeat, cum hoc aliaque historiæ genera inter se vel obiter conferat. Nonne sermo ipse ceteris alicujus populi eventis per se adnumerandus? Nonne cum natione ipsa tam arcto conjungitur vinculo, ut una simul adolescat, vigeat, intereat, cumque moribus, institutis, imperio, religione immutetur? Nonne voces, æque ac res gestæ, ad trutinam revocandæ sunt et criticæ artis ope diligenter excutiendæ, ut certæ secernantur a dubiis, et omnes quidem recenseantur, sed illæ velut ingenuæ ac civitate donatæ, hae vero tamquam libertinæ vel exteræ sua nota insignes; illa denique verborum monstra, quæ librariorum inscitiâ in classica scripta, proinde quasi maculæ in solem, irrepserunt, argumentis refutata firmissimis longe ablegentur? Historiæ profecto est enarrare, quibus ab exordio populis regnum aliquod coleretur,

quibus teneretur legibus, quibus initiis profectum excresceret; qua fines suos modo victoriis latius protulerit, hostium modo incursionibus brevius præciderit; quantum apud exteras nationes gratia et auctoritate valuerit, aut contemptui fortasse habitum sit; quomodo justitia, sapientia bonisque moribus floruerit, ac deinde in ambitionem, avaritiam libidinemque cum degenerasset, senio tandem confectum suo ipsum vitio perierit: — Lexici vero est edocere, undenam voces originem duxerint, quam ad legem formentur, quibus a se progenitis linguam ditaverint; utrum proprio tantummodo sensu, angustis quasi limitibus, se ipsæ contineant, an per metaphoras novis quasi armis instructæ, novo corporis habitu novaque specie decoræ longe lateque vagentur imperiumque propagent; qua ætate maximo essent in honore, aut contra oblivione obrutæ in tenebris delitescerent; quibus de causis nativam oris honestatem sonique dulcedinem ita paullatim efferarent, ut languore tandem fastidioque laborantes penitus interierint, quemadmodum perbelle Horatius (1):

Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
.... mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

Quæ cum ita sint, quid dubitamus de scriptorum ætate definienda? Namque si Lexicon historiæ indolem rationemque præsefert; si quamlibet historiam, ne quis in dubium vocet aut respuat omnino, testimonia confirment necesse est cum plura, tum digna quibus fides ab omnibus habeatur; si denique penes usum arbitrium et jus et norma loquendi: ea sane lex est, ut ad nostrum Lexicon conficiendum monumenta adeunda sint atque investiganda usui tantum æqualia, quæ scilicet ab ipsis latinæ linguæ incunabulis ad sæculum usque sextum post Christum natum conscripta sunt, quo tempore cum jam Romanorum in Occidente imperium funditus eversum esset, lingua etiam interiit, seu vulgari civitatis aut populi sermone haud amplius est usurpata. Quicumque igitur fuerint scriptores, nullo gentis, populi, natalis loci, aut religionis discrimine, dummodo latina lingua usi sint et in memorata superius tempora inciderint, eorum omnium opera tamquam propria jure sibi vindicat atque addicit romana litteratura; eademque propterea inter documenta recenset, quibus rite perpensis ac pro cujusque auctoris ætate, ingenio, doctrina, re qua de agitur scribendique ratione merito æstimatis tota sermonis historia innititur et consistit. Ceteri omnes latinæ linguæ vel ortum prægressi, vel interitum subsecuti omnino rejiciendi. Nam quæ ante urbem conditam in Latio finitimisque regionibus usuvenere dialecti, ac plurimi velut rivi in unum regale flumen collati, ipsæ quoque variæ ac dissimiles, inter se paullatim commixtæ in illum tandem coaluere sermonem, qui vi et magniloquentia sua romani imperii dignitatem amplitudinemque exæquaret, quamvis abditas nonnullarum vocum notiones extricare fortasse valeant et aliqua interdum luce perfundere, tamen non modo nobis perpauca sui reliquerunt et sæpius obscura vestigia, sed etiam haud prorsus latina (2). Qui vero sæculo septimo post Christum natum ac deinde in posterum scriptores extiterunt, etsi multa

(1) Art. Poet. v. 60-72.

(2) Ita ex. gr. latinis quidem cognata, nec tamen prorsus latina sunt umbrica vocabula *sif* sues, *fetu* facito, *seritu* servato, *nomneper* pronomine etc.; aut osca *kuaisstur* quæstor, *aikdafed* ædificavit, *fefacust* fecerit, *nep* neque etc.; aut etrusca *etera* altera, *phuius* filius, *avils* ætatis etc.; Harum tamen dialectorum cognitionem latinæ linguæ studiosis et jucundam et utilem esse arbitramur; ac proinde bene de ipsis meretur *Ariodantes Fabretti*, qui *Lanzii*, *Gorii*, *Amaduttii*, *Guarinii*, *Mommsenii* aliorumque de vetustissimis Italorum Inscriptionibus opera collegit, in alphabeticum ordinem redegit composuitque *Glossarium Italicum, in quo omnia vocabula continentur ex umbricis, sabinis, oscis, volscis, etruscis ceterisque monumentis quæ supersunt collecta et cum interpretationibus variorum explicantur.*

nobis latine prodiderint, sermonem tamen usurparunt, non patrium et suum, sed alienum, non ex ipso matris ore et quotidiano vitæ commercio expressum arreptumque, sed ex grammaticorum ludis per vim et veterum libris multo sudore comparatum; eorumque proinde auctoritas in antiquis vocabulis, quæ sunt a classicis mutuati, est supervacanea, in novis, quæ per se ipsi finxerunt, admodum nulla: nisi forte quis eorum, quemadmodum Paulus Diaconus et plerique Glossarum auctores, ex germano aliquo latinitatis fonte, qui eidem præsto erat, neque ad nos usque malo quodam fato pervenit, latices, aliquando fortasse turbidos, semet haurire testetur (1). — Quod si quispiam a nobis quærat, cur ejusmodi scriptorum tempora ad finem sexti sæculi producamus, cum Romanorum in Occidente imperium per Odoacrem multo ante, anno scilicet a Christi nativitate quadringentesimo septuagesimo sexto, labefactatum corruerit; id a nobis jure fieri fatebitur, dummodo animadvertat sæculi sexti scriptores Romulo Augustulo, Julio Nepote, Leone Thrace aliisque novissimis imperatoribus saltem adolescentiam egisse, atque idcirco jam inde a pueritia latina lingua non institutos modo, sed imbutos fuisse. — Hæc, Auditores, de scriptorum ætate definienda ipsi sentimus; hæc rei natura, ni fallimur, postulat; hæc sapientissimi viri, quorum vestigiis insistimus, jamdiu nos docuerunt et gravissima sanxerunt auctoritate: quamobrem nobiscum merito gratulamur, certis hisce terminis cautum esse, ne quid utrimque peccetur: Ægidius enim Forcellini, vir si quis alius optime de litteraria republica meritus, cum ingens illud opus elaboraret non iis tantum qui latina intelligere, sed et qui latine scribere vellent, in Augusti ætate quamplurimum immoratus tantoque illectus nitore tamque nativa elegantia quodammodo irretitus, nedum a serioris ævi scriptoribus, ab Ennio, Pacuvio, Lucilio aliisque vetustissimis (quod non sine maxima verecundia proferre ausim) nimium parcus abstinuit; et contra Jacobus Baileyus, vir ceteroquin doctissimus, præpostera augendi Lexici libidine abreptus, eo nonnunquam processit, ut e Litholexico Campolongi, Guilielmo Britone aliisque id genus, absonas, abnormes barbarasque voces excerpserit, aureamque latinitatem squalore ac sordibus contemerarit.

Neque nos latet, in iis etiam auctoribus, qui a nobis citandi præscripti sunt, verba interdum occurrere a Tulliana venustate abhorrentia et inconditum quiddam barbarumque sonantia: an vero hæc quoque ex honestissimo ceterorum numero sunt exturbanda? Minime gentium, Auditores: omnes enim omnino voces (quod postremum nobis est inquirendum) Lexicon complectatur oportet, quas monumenta exhibent superius probata; secus mancum esset ac mutilum, nec linguæ historiam absolveret.

Sed quoniam hujusmodi causa non hac tantum continetur quæstione, quam paucis modo præcidimus, quin alias et gravissimas gignit; ut tota prorsus et recte admodum agi possit, in vocibus Lexico inserendis cum notionis, tum originis ratio, quæso, habeatur.

Ac primo quidem voces omnes, si notio eisdem subjecta inspiciatur, in duo summa genera facile partiri possumus; quippe aliæ sunt peculiaria deorum, hominum locorumque nomina, quæ propria vocantur; aliæ vero res qualitatesque indicant: omnes profecto latinæ linguæ studiosis perutiles, immo necessariæ sunt, sed tamen inter se maxime differunt; illæ namque singulæ singulis, hæ singulæ pluribus conveniunt; illæ suapte natura ad historiam pertinent, hæ vero ad philologiam; illæ denique in unum congestae atque in ordinem distributæ Onomasticon, hæ Lexicon proprie constituunt. — Ergone Onomasticon a Lexico sejungetur? ergone fabulosa illa flumina, montes campique tot carminibus celebrati, nobilissimæ urbes, heroes ac viri domi bellique clarissimi, vividæ ipsæ, venustæ atque Homero Virgilioque dignissimæ deorum imagines, e sede illa sua, quam duobus abhinc sæculis obtinent, nullo timore, nulla verecundia, religione nulla dejicientur, exterminabuntur? Absit, ut tantum hoc litterarium scelus in nos admittamus: non sumus e vana stultissimorum homi-

(1) Quapropter in hac nova editione ex Latinorum Scriptorum Indice expuncti sunt Alcuinus, Aldhelmus sive Adelhelmus, Eros, Strabus Gallus et quidam alii, qui post sextum a Chr. nativitate sæculum floruerunt.

num turba, qui tunc se magnifice jactant, cum in avos majoresque convicia temere fundunt eorumque facinora spernunt; et nihil novi moliuntur, nisi prius vetusta omnia e fundamentis convulsa prostraverint; et coagmentant quidem, sed tantum ruinas: — præsertim cum (idque recte callemus) nullo resistente connexa dissolvere, extructa diruere, e plurimis aliqua demere, multa omittere nihilque addere facile factu sit, joculare, puerile; at vero fracta debilitataque recreare, prægrandia incepta perficere, quædam addere eaque aptare prioribus, nova proferre, magnorum virorum parva menda non depravare, sed sapienter corrigere, hoc sane arduum, laboriosum, virile. — Sed tamen, Auditores, quæ dicam, diligenter attendite. Fatemur equidem Onomasticon æque ac Lexicon ad latina penitus intelligenda mirum quantum conferre, altera enim alterius poscit opem res et conjurat amice: verum cum inter se, ut supra diximus, plurimum discrepent, haud plane abhorret aut absurdum est, seorsum per se utrumque consistere. Quid quod recentiores omnes interpretes, viri singulari sapientia præditi, ex quibus satis erit nostrates commemorare Joannem Casparem Orellium et Angelum Maium, propriorum nominum indicem a verborum indice secreverunt? Quid quod nedum germanica, anglica, hispanica etc., sed ipsa italica Lexica a mythis et a geographicis historicisque vocabulis prorsus abstinuerunt, quamvis nemo possit hisce destitutus præsidiis ne ad poetarum quidem principem Dantem Aligherium accedere? Quid quod latinum Lexicon nimia laboraret mole, cum bene multa nec sibi semper consentanea de diis commenta exhibere, totam ferme hebraicam, græcam romanamque historiam contexere, totum antiquum orbem describere cogeretur; ut silentio præteream cum patronymica, tum pæne innumera quæ inde formantur adjectiva præsertim geographica, quorum pauca tantum Ægidius Forcellini persecutus: « Cetera, inquit, si requiratis, vos remitto ad geographos, quorum res si meo » operi inseruissem, crevisset profecto in duplum, et sua mole ab utendo deterruisset » (1). — Sed Lexico ingerantur saltem præcipua, ita enim nonnulli autumant. At, quæso, si aliqua, cur non omnia? Quænam deinde præcipua ducentur? Anne inter nomina propria, quæ in iisdem classicorum scriptis occurrunt, alia utpote præclara longà interpretatione et Lexici ope illustrentur necesse est, alia vero utpote obscura omnino prætereunda? et quæ fama jamdiu pervulgata, aliunde quisque sibi facile comparet, immo a pueritia plerumque accepit, eadem a Lexico fuse tractentur; omittentur vero, quæ per se ignobilia quamplurimos latent, ac majus propterea legentibus negotium facessunt? aut quibus patricium genus, fortuna, divitiæ, potentia vivis obtigerunt, laudes honestumque locum etiam mortuis tribuemus; quos vero ex infima plebe homines adversæ res, inopia ærumnæque oppresserunt et una fortasse virtus erexit, hos etiam post funus per summam injuriam oblivioni mandabimus? Licet per nos memorari Cajum Julium Cæsarem, ob cujus effrenatam imperii cupiditatem totus pæne terrarum orbis civili sanguine redundavit; licet Claudium Neronem, teterrimum crudelitatis omnisque turpitudinis monstrum: modo ne sileatur de Lucio Fabio et Marco Petrejo in Cæsaris exercitu centurionibus, qui virtute incredibili per hostes et vulnera gloriosam mortem oppetivere suisque saluti fuerunt; neque de Lucio Arruntio Stella, in quo virtus ipsa a Nerone excisa est. — Id itaque consilii cepimus, Auditores, ut in fine Lexici Onomasticon adjiciamus, breve quidem, sed opportunum, emendatius et auctius; cunctisque a nobis tali pacto consultum iri confidimus, quibus etiam arridet gravissima Bartholomæi Borghesii et Josephi Furlanetti sententia, qui affirmant, romana cognomina linguæ historiam absolvere; quippe aliquam semper habent significationem, atque interdum singularia ac nova vocabula latine scribentibus suppeditant, quædam vero aliis dubiæ aut significationis aut lectionis confirmandis valde inserviunt; quibus illud etiam accedit, quod plura vocabula, quæ nunc ab Italis usurpantur, nec in veterum auctorum scriptis leguntur, ope cognominum apud Romanos a primis usque reipublicæ temporibus jam usitata fuisse compertum est (2). — Utinam vero aut nobis, primo

(1) In totius latinitatis Lex. Præf. ed. Patav. ann. MDCCCXXVII. p. XLVI. n. VI.

(2) Barth. Borghesius in Dec. 8. obs. 4. p. 13; — Jos. Furlanetto in totius latinitatis Lex. Præf. ed. Patav. ann. MDCCCXXVII. p. VII. n. XIII.

hoc labore haud improspere exanclato, aut aliis in posterum hujusce loci alumnis, quibus provinciam cessuri sumus, Onomasticon liceat lucubrare, quod numeris omnibus absolutum nostra hæc tempora deceat tantamque artium disciplinarumque amplitudinem: liceat nempe omnia denuo classica Romanorum opera excutere quæque superiores fugerunt lexicographos diligenter arripere, omnia græca cum latinis conferre, omnes inscriptiones lapidesque consulere, omnes rei numariæ scriptores pervolvere omnia tandem exsculpta signa marmorea, ænea, fictilia, pictas tabulas, vasa, instrumenta et cetera id genus, quæ aut multis abhinc annis eruta sunt, aut a Pompejorum Herculaneique ruinis totâque Italiâ, quasi quodam vastissimo antiquitatis monumentorumque sepulcro, quotidie nova excitantur, inquirere, interpretari, colligere: ut nomina propria indeque derivata adjectiva omnia ad unum per ordinem digesta exhibeantur; ac non solum mythi, sed latens innotescat mythorum sensus, hoc est cuncta veterum sapientia mirificis exornata coloribus; non solum numina eorumque dotes, sed innumera etiam numinum symbola; non dii generatim, sed in quo a græcis latini differant, non eadem enim Athenis quæ Romæ Juno colebatur; historica insuper facta puris fontibus exhauriantur, absonæ quoque seque inter pugnantes proferantur auctorum sententiæ; antiquus cum novo componatur orbe; falsa rejiciantur, confirmentur dubia, vera illustrentur, plurimæ quoque tabulæ, geographicæ præsertim et chronicæ ad utilitatem adjiciantur; atque ita cum maxima in latinas litteras redundent emolumenta, tum ad veterem nominis famam nostro huic Seminario gloriæ cumulus accedat. — Quod si quis ecclesiasticæ adscriptus militiæ aliam sibi quærat laudis materiem ac segetem, is latinum Lexicon illis vocibus conficere aggrediatur, quæ apud scriptores christianos christiana significatione usurpantur; præter enim quam quod seriori præsertim ævo ad novæ religionis dogmata efferenda recteque tradenda nova in romanam linguam invecta sunt vocabula, ea ipsa, quæ jampridem usuvenerant, ad aliam atque antea significationem plus minusve detorta sunt, ut omnia in unum congesta totum plane theologicarum disciplinarum orbem concludant; quæ a nobis propterea, maxima qua possumus parsimonia, tractanda esse censemus (1).

Hucusque, Auditores, de vocibus, et nimis fortasse multa, disseruimus ratione habita notionis iisdem subjectæ: restat, ut ad earum originem animum advertentes pauca dicamus. Nemo erit profecto tam ignarus tamque injustus rerum omnium æstimator, qui affirmet cuncta e Lexico amandanda esse vocabula ab externis nationibus mutuata. Namque ut omittam quæ Horatius ipse docuerat (2):

. . . . Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant;

ut silentio illud etiam prætercam, quod plurimi faciendum est, ejusmodi voces patrii sermonis egestatem rerumque novitatem patefacere, atque idcirco historicas et linguæ et populi notas præseferre: certum exploratumque est, cum penes usum sit arbitrium loquendi, hæc eadem vocabula, etiamsi aliunde originem duxerint, exotica nequaquam haberi posse, dummodo usu sancta ac civitate donata fuerint. — Jam vero quæ a celtico, gallico, hebraico, persico etc., sermone in latinum inducta sint, brevi adnotabimus, propriis quoque litteris exhibituri, quandocumque copia nobis erit, persæpe namque vetustarum linguarum litteræ vel nos latent omnino, vel quæ fuerint ambigitur. — Quæ autem a græco fonte derivata sunt

(1) *Verba partim græca, partim barbara* etc., quæ vulgo *Expulsa* dicuntur, et quorum Index, mancus plane ac mutilus, in ceteris editionibus Forcelliniano Lexico subjicitur, consulto a nobis præterita sunt silentio; in hac enim editione omittuntur, quippe quæ ad mediæ et infimæ latinitatis Lexica pertinent. (2) Art. Poet. v. 48-53.

vocabula, trifariam partimur (1). Primum genus est eorum, quæ utrique linguæ, græcæ et latinæ, jam inde ab initio communia fuerunt, priusquam scilicet altera ab altera sejungeretur, germanæ tamquam sorores ex una eademque paterna domo nubendi causa diversæ abeuntes: hisce græca opponemus, exempli gratia *ager*, *patior*, *spelunca*, ἀγρός, παθέω, σπήλαιον, ut facile cuique pateat, utraque inter se arctissimo cognationis vinculo colligari. — Alterum genus eorum est, quæ a græcis hausta latino sermoni adjecta sunt, postquam ipsi sua facies erat suusque habitus valde dissimilis; quæque utrum græca meracissima sint et latinis tantum litteris reddita, non secus atque *ægoceros*, *chelys* etc.; an parce detorta latinum quiddam præseferant, sicut *apologatio* ab ἀπόλογος; vel, ita enim a grammaticis nuncupantur, hybrida sint, quemadmodum *chamætortus*, monere curabimus. Sed postquam « Græcia capta ferum victo» rem cepit et artes Intulit agresti Latio » (2), et Corinthus deinde Athenæque subactæ omnium in se Latinorum oculos converterunt scientiarum luce perculsos, factum est, ut a victa debellataque provincia populus romanus gentium dominus plerasque technicas voces accipere non recusarit, quæ a vetustis codicibus modo græcis, latinis modo litteris exhibentur. Qui paucis abhinc annis classicorum opera typis committere inque vulgus edere studuerunt, ea se lege obstrinxere, ut quæ technicæ voces in antiquis scriptoribus Cicerone, Varrone, Quintiliano, Celso etc., præter unum Plinium, occurrunt, græcis litteris proferrentur; latinis vero quæ in Gellio, Prisciano, Isidoro aliisque recentioribus, etiamsi præposita interdum verba *Græci vocant* maximam injiciant dubitationem. Eadem ferme lex et nobis rogatur; quamquam semperne sit religiose servanda, repugnante aliquando codicum auctoritate, certant eruditi et adhuc sub judice lis est. — Tertium denique vocabulorum genus est, de quibus nulla in græcis Lexicis mentio, veluti exempli gratia *borsycites*, *cæsapon* etc., tametsi nemo infitias eat, hæc eadem græca esse, et perantiqui forsitan sermonis vestigia putanda; quæ propterea dum a græcis lexicographis injuriâ neglecta esse dolemus, nos peculiari nota instruemus.

Ne quis vero putet hisce tantummodo finibus nostrum qualecumque fuerit opus circumscribi; etenim, præter ea de quibus infra dicturi sumus, plures insuper falsæ lectiones, quæ adhuc in Forcelliniano Lexico prostant, extrudentur; multa inserentur omissa verborum participia; obscura quædam illustrabuntur, auferentur dubia; qui in auctorum locis citandis irrepserunt errores tollentur; romanæ antiquitates et emendatius agentur et fusius; novi demum significatus, nova prorsus vocabula adjicientur. Ex his quædam nobis insigne munus afferent sapientissimi aliqui viri, quos ego præsentes intueor, quorumque gratia et consuetudine magnopere glorior: addet multa præclarissimus hujusce loci professor, qui multos jam annos in latinas litteras totus incubuit, et cum studiosæ juventutis utilitati, tum suo etiam nomini editis operibus jampridem consuluit (3); nonnulla et ipsi dabimus, qui pro suscepto vitæ instituto eorum in primis amore jamdiu delectamur.

Sed quid ego ista commemoro? Sunt, sunt nobis, Auditores, immanes præclarissimi ædificii moles, prægrandia elementa, est infinitus propemodum latinitatis thesaurus, quem per summum dedecus apud exteram nationem Parisiis imprimendum, nunc demum, Superis vobisque faventibus, Patavii in lucem edi gaudemus. O sapientissimum virum atque omni eruditionis genere præstantissimum, Joseph Furlanetto, quibus te nunc laudibus efferam? quo animi studio complectar? qua prosequar verecundia? Tu postquam per tot annos omnem curam omnemque operam in latinum Lexicon augendum et emendandum contuleris, nullique labori, sumptui nulli peperceris vel in pretiosissimis tibi libris comparandis vel in itineribus ad cultum doctrinamque suscipiendis, ac de re litteraria optime meritus obtrectatorum conviciis invictum pectus objeceris; tandem invidia major, corpore fortasse, non animo fractus,

(1) Confer Wörterbuch der lateinischen Sprache von doct. Wilhelm Freund, Leipzig 1834. Erst. Band. Vorrede.

(2) Horat. Ep. lib. II. ep. IV. 156-157.

(3) Cl. Professor *Joseph Trivellato*, qui typis edidit *Carmina Jacobi Vittorelli in latinum versa*, necnon nuperrime plura *Carmina cum latina, tum itala* summo studio, mira sagacitate atque augusteo linguæ nitore elaborata; quique et pridem Joseph Furlanetto et nunc mihi multa ex classicis auctoribus in Lexicon inserenda perhumaniter tradidit. Hinc dignis a Furlanetto laudibus effertur (*V. infra VII.* n. 14).

neque senectute ipsa deterritus, opus aggredi ausus es difficillimum ac pæne immensum, quod universam concluderet latinitatem: sed repentino letalique morbo correptus, cum tanta hæc imperfecta vehementer doleres, ad nostrum hoc Seminarium, patriam veluti domum, morientes oculos pia grataque recordatione convertisti, ipsumque scripsisti rerum omnium vere tuarum heredem, ea nimirum spe recreatus, fore ut locus hic semper latinis litteris domicilium præbiturus et sedem, nunquam pateretur te tuaque inhonesta oblivione deleri (1). Ecquis vero unquam putasset, cum me, paucis abhinc annis, summa benevolentia complexus vehementi animi ardore hæc ipsa docebas, cupiebasque tantorum tibi laborum imparem socium adjungere; ecquis, inquam, putasset, tanto nunc civitatis lumine exstincto tantoque duce prærepto, mihimetipsi illa tua pervolvenda esse Lexici volumina, in quibus nulla sane pagina litura, adjectione, mutatione caret, nulla non exhibet quatuor vel quinque loca nova, illustrata, emendata; illas inquirendas epistolas, quas tibi Angelus Maius, Bartholomæus Borghesius, Joannes Labusius aliique præstantissimi viri dederunt omnium doctrinarum copia, quam quæ maxime, plenas; illa tua denique incepta præclarissima perficienda? Perficiemus autem, Auditores, infirmi licet viribus, iniquo tempore, fortunarum periculo: ne per nostrum scelus litteraria respublica tanto diutius careat beneficio, aut ne saltem ingrati animi nota huic nostro Seminario inuratur.

Quapropter alacriores ad alteram orationis partem gradum facimus, quid in singulis vocibus a nobis præstandum sit indicaturi.

Cum totum generatim Lexicon natura sua nihil aliud esse, nisi sermonis historiam jam inde ab initio defenderim; singula profecto membra sive articuli quibus Lexicon ipsum contexitur, uniuscujusque vocis quasi quamdam historiam legentium oculis repræsentet necesse est, quæ mutuato ab herbaria scientia vocabulo monographia posset nuncupari. Quoniam vero in unaquaque voce duo sunt consideranda, sonus et res, ex altero enim ipsius vocis materies conflatur, ex altera notio subjicitur; ille autem grammaticis coercetur legibus, hæc intellectu et ratione percipitur: ita omnia Lexici membra sive articuli duabus necessario partibus constant, grammatica nempe et philosophica.

Grammaticæ artis est syllabarum quantitatem definire, verbi notationem inquirere, omnigenam positionem declinandique rationem docere, indolem naturamque tradere, sensum denique lingua reddere, quam lectores probe noscant et calleant; hoc est vocis prosodiam, etymon, formas, syntaxim versionemque proponere: philosophici autem muneris est multiplices vocabulorum significationes recte admodum interpretari atque in ordinem apte disponere, quo tempore, a quibus, quoties usurpatæ sint voces, in quo demum a similibus differant demonstrare; scilicet exegesim, chronologiam, rhetoricam, eam quam italice *statistica* vocamus, ac tandem homonyma extundere, perpendere, summaque sollertia præ oculis exhibere. Singula paucis, ne vos, Auditores, quos magna tantum decet et cogitare et facere, tamquam e gradu dejectos, in confusam ineptiarum nugarumque farraginem per vim obtrudamus, aut patientia vestra, qua tamdiu hæc sustinuistis, videamur abuti.

De prosodia non est cur tantopere laboremus; namque syllabarum quantitatem, qua vocum pronuntiationi carminibusque condendis consulitur, omnem sibi indicandam improbo ac pertinaci labore Josephus Furlanetto proposuit; idque ita est assecutus, ut non modo Lexicon loco sit illius libri, qui *Gradus ad Parnassum* vulgo appellatur, verum etiam, præter pauca quæ vel abdita vocum etymologia nullaque apud latinos poetas auctoritate omissa sunt, vel forte typothetarum incuriâ falsa irrepserunt, nihil omnino desideretur.

Majus profecto negotium nobis facessit etymon: quemadmodum enim chymicæ artis cultores ignis ope omnigenisque canaliculis instructi, corpora sagaci artificio scrutantur, mira

(1) Extant hæc manu scripta, cuicumque tamen adeunda, in Bibliotheca Seminarii Patavini, ac propterea nonnunquam a nobis in hac editione citantur.

inter se componunt varietate, novas induere formas cogunt, in suasque ipsa partes omnino dissolvunt; sed cum ad prima ventum est elementa, quamvis ingenio plura fortasse ulterius jaculantes, humano tamen limite repulsi, a quacumque investigatione prohibentur, eaque simplicium nomine cum donaverint, inaccessa naturæ arcana verecundo prosequuntur silentio: ita ferme lexicographi in vocum etymis inquirendis. Facillima sane nobis res est cum derivatis, quibus satis erit uncis inclusum vocabulum illud subjicere, quod primum et perinde quasi truncus habetur, unde cetera omnia tamquam rami tenduntur viridantibus foliis surculisque pubescentibus exornati, non aliter exempli gratia ac si vocibus *innotesco*, *nominatim*, *nominare*, *nomen* etc. verbum *nosco* adjiciatur. Verum cum ipsa linguæ principia scrutari conamur, etiamsi præclarissimi viri, quorum familiam ducit Vossius, latinis etymis extricandis omnes industriæ nervos intenderint viamque nobis munierint, sæpius tamen hæremus ac summis urgemur difficultatibus; eoque magis, quod nostris hisce temporibus litterati homines in contrarias omnino distrahuntur sententias. Namque ut illos etiam omittamus qui romanarum vocum causas, similitudinem et originem ab antiquo petunt Celtarum sermone, cujus aut nulla omnino supersunt, aut si qua proferuntur vestigia, utpote admodum incerta obvolutaque tenebris, tamquam pura puta grammaticorum deliramenta sanus quisque rejiciet: hinc magna eruditorum cohorte premimur, qui a græco fonte omnia cadere majorum auctoritate freti contendunt; illinc vero in aciem prodeunt recentiores pro vetustissima Indorum lingua (sanscritam vocant) pugnaturi, a qua cum græca, tum latina veluti germanæ originem duxerint, altera quidem suavior et cultior, asperior altera et horridior, ambæ tamen nescio quid magnificum et imperiosum præseferentes. Nos vero pacati homines, quippe qui delectati litterarum otio in umbratili tantum palæstra exercemur, dimicantium animos componere rati, utrique parti consulendum censemus, præsertim cum multa utrimque vis multaque argumentorum præsidia: — itaque una cum sanscritis græca indicabimus, dummodo pro re nata ultro se obtulerint, neque nimis longe petita sint: exempli gratia *nosco*, confer sanscritum *gnà*, *gnarus noscere*, *nàhma nomen* et græca γνόω γνῶμι *nosco*, νόος *mens*, ὄνομα *nomen* et sic porro; quo sane pacto et recentiorum linguarum, quæ ferme omnes nedum italica ipsa a sanscrita derivari putantur, et doctorum quoque ratio a nobis habebitur, cum nemo unquam fuerit aut esse possit, qui græca studia in homine latino non probet.

Etymon vero excipient vocis natura, formæ, syntaxis; ita ut brevi tradatur, quæ sit orationis pars, quænam apud veteres vel etiam apud poetas peculiares occurrant positiones, quibus gradibus, participiis, casibus vocabulum gaudeat, etc. etc.; non solum enim rei natura postulat, ut hæc aliaque id genus a vocis notione sejungantur, verum etiam legentium imperat expectatio, quos ad novum paragraphum, uti vocant, accedentes in aliam atque antea vocabuli significationem se offendere ratos, istiusmodi argutiæ admodum frustrarentur. — Grammaticæ rei finem imponet italica, germanica, gallica, anglica et hispanica versio (1); quæ tamen propriam tantummodo verborum notionem reddat, vel si qua fuerit abstrusior, expediat; translatas enim per se quisque facile arripiet.

Parvi tamen interest hæc agi, si cum ceteris conferantur, quæ facem præbente philosophia consequantur oportet. Vetus querela est, inquit Furlanetto, in Lexicis plerumque primas vocabulorum notiones minime suo loco positas fuisse, nec proprias inde derivatas significationes, nec proxime translatas eis esse subjunctas (2). Undenam vero, quæso, hæc lex, quæ a ratione ipsa lata est omniumque princeps lexicographos urget, tamdiu neglecta jacuit, nisi ex latini nitoris immodico studio? quo sane factum est, ut quidquid operæ et laboris subeundum videbatur, totum ætatis aureæ scriptoribus insumeretur; qui vero præcesserant qui-

(1) Germanicam versionem mutuabimus a Guil. Freund (Wörterbuch der lateinischen Sprache. Leipzig 1831), gallicam a M. Theil (Dictionnaire Latin-Français rédigé d'après les meilleurs travaux allemands et principalment d'après le grand ouvrage de Freund. Paris 1853), anglicam a Jac. Baileyo (Totius latinitatis Lexicon.... edidit, anglicam interpretationem in locum italicæ substituit etc. Jacobus Bailey, Londini 1826), hispanicam denique ab A. Berbrugger (Nouveau Dictionnaire Français-Espagnol. Paris 1845).

(2) In totius latinitatis Lex. Præf. ed. Patav. ann. MDCCCXXVII. p. V. n. VII.

busque tamquam parentibus honor maximus erat deferendus, ii ferme omnes levi quadam manu excussi essent, vel prorsus inexplorati. Hanc sibi muneris partem susceperat Furlanetto, sed nuperrime vir, si quis alius sagacissimus, Guilielmus Freund [1], quem ductorem hac in re, quantum sollertia possumus, prope sequemur, non modo sibi depoposcit, verum ita egit luculenter, ut leges cum regiæ, tum duodecim Tabularum, columnæ rostratæ Scipionumque inscriptiones, senatusconsultum de Bacchanalibus, fragmenta Ennii, Pacuvii aliorumque ad Accium usque et Sisennam, nec non ipsa Plauti, Terentii, Lucretii et Varronis opera diligentissime inquisita acriterque perpensa in Lexicon inferrentur, indeque deprompta exempla principe loco, ut decebat, donarentur. Quæ porro ex vetustissimis hisce fontibus nunc demum erumpentibus in latinas litteras emolumenta redundant! Hinc linguæ historia, quoad longissime potest mens nostra respicere spatium præteriti temporis, ab ipsa saltem pueritia repeti; hinc primæ vocabulorum notiones, quæ hactenus latuerunt, e tenebris erui; hinc plures auctorum sententiæ, quæ lucem desiderabant, perspicue innotescere; hinc denique, ut alia mittam, rectius de posterioribus sæculis deque Augusti ætate præsertim judicium ferri, multa enim, quorum repertores Virgilius, Ovidius aliique vulgo habebantur summisque propterea laudibus ornabantur, nunc demum ab Ennio, Nævio, Lucilio ceterisque superiorum temporum scriptoribus adumbrata esse intelligimus.

Neque vero hoc pacto exegeseos munere nobis perfuncti videmur, aut servum pecus utemur aliorum tantummodo industria, quin et de nostro addendum aliquid cogitaremus, nec, si recte sentio, importune. Si populi enim humanitas, et artium disciplinarumque cultura, nec non rerum notio sive indoles tunc solummodo plena collocantur in luce, cum dotes, quæ rebus ipsis vel natura conveniunt, vel falso etiam ab hominibus affictæ sunt, omnes omnino ante oculos nobis versentur; vocis quoque notio absoluta patebit, cum omnia prorsus epitheta nominibus attributa, omnia nomina verbis connexa, quæ apud optimos minimum auctores occurrunt, ex ordine proponantur; quod scilicet, quantum in nobis est, præstare statuimus. Tametsi enim una eademque sit vox ejusque notio, non modo scire juvat quam longe lateque fuerit dominata, verum etiam quot ex varia junctura et collocatione colores traxerit quamque diversos; quoties namque cum aliis connectitur, toties ferme peculiarem quamdam speciem oris dissimilemque habitum induit: non aliter atque lux, quæ corpora non solum septemplici radio depingit, sed et uno eodemque colore mira cum varietate distinguit, semperque eadem est et diversa tamen, sive rubra veris decus puellarumque delicium rosas exornet, sive rutila papaverum splendore prata lætificet micantibusve galeæ cristis bellatorem honestet, vel punicea in occulto tyrii muricis gremio purpuram regibus elaboret, vel denique fulva leonis jubam terrore ac majestate circumdet [2].

Quod vero ad ceteras attinet philosophici muneris partes, chronologiam scilicet, rhetoricam, eam quæ italice *statistica* nuncupatur, et denique homonyma, quoniam exegeseos est, ut vidimus, vocum notiones, non quidem per tempora, sed ex diversa earumdem significatione apte disponere, et idoneis auctorum allatis locis, non tamen omnibus, confirmare; ita quicumque Lexico manus admoveat, conjectura per se profecto nequit arguere, qua ætate vocabulum usuvenerit, qua contra obsoleverit; utrum ligatam numeris, vel etiam solutam deceat orationem, soccone an cothurno gaudeat, oratorio eoque sublimi dicendi generi an humili et presso epistolarum stilo conveniat; cui arti potius arriserit atque in deliciis habitum sit; semelne, raro admodum, vel frequenter et passim occurrat: quæ omnia et si qua sunt

(1) In opere superius commemorato, cui titulus: Würtebuch der lateinischen Sprache.

(2) Illud etiam optimum factu esse duximus, ut plantarum herbarumque nominibus synonyma non modo ex græcis Theophrasto, Dioscoride, Hippocrate aliisque, verum etiam ex Linneo et recentioribus excerpta adderemus: cujus rei cl. in Cæs. R. Patavina Universitate rei herbariæ Professor *Robertus De-Visiani* auctor nobis potissimum fuit, immo et instrumenta suppeditavit, inter quæ egregium sane opus, cui titulus: *Commentaires sur la Botanique et la Matière Médicale de Pline composés pour le Pline de la Collection Panckoucke par A. L. A. Fée Professeur d'Histoire Naturelle et de Botanique. Édition en trois Tom., tirée à cinquante exemplaires seulement. Paris* 1833. Atque utinam aliquis eadem sollertia in latinos scriptores incumberet atque animalium synonyma pari diligentia edenda curaret!

alia, maxima qua possumus diligentia et cura, monere studebimus; — quo magis denique vocabulum legentibus innotescat, sub articuli finem quamplurima recensemus homonyma, quod a nemine in Lexico perfectum adhuc reperimus, et in quo quæque differant, duce præsertim Döderlinio (1), demonstrandum scriptorumque auctoritate illustrandum suscipimus.

Hæc, Auditores, sicut exposui, in proxima Forcelliniani Lexici editione, pro virili parte, præstanda conabimur; ex quibus profecto intelligitis, æquales tantum latino sermoni scriptores in romanam a nobis recipi civitatem, locupletius emendatiusque Onomasticon sub finem adjici, nonnulla verborum monstra rejici et amandari, illustrari plurima, nova quædam vocabula inseri, etyma nunc primum sanscrita, græca sæpe fusius proponi, exegeseos præsertim munera rectius absolvi, synonyma pertractari, cuncta denique ordinis et collocationis vim præseferre, cuncta operose ad logicæ artis regulas exigi, ut totius latinitatis Lexicon, quantum humana patitur conditio, suo non impar nomini exhibeatur (2).

Quid itaque nunc mihi restat, Auditores, nisi ut unde exorsa est, eodem terminetur oratio, vosque orem atque obtester, ne vestram fidem implorantibus consilio nobis deesse velitis; et quæ supervacanea, falsa, aut manca visa fuerint, ut ea pro vestra humanitate ac sapientia æquo animo doceatis ac libere fateamini? In mala enim tempora incidimus, Auditores, quibus nullus propemodum latinis litteris honor vulgo defertur; quibus muta saxa, bruta animantia atque aridæ mathematicorum notæ mentes adolescentium distinent, ac Tullianam magniloquentiam et suavissima Virgilii carmina pæne in oblivionem adducunt; quibus denique Seminaria una cum alumnorum educatione conviciis passim petuntur. Nostris ipsi auribus non raro accepimus, nostrisque oculis in pervulgata quadam ephemeride legimus, quæ quamque importuna homines, non dicam inimici, sed rerum ignari per contemptum effutiant; nos nimirum vetusta majorum nostrorum gloria beatos otio desidiaque torpere, perinde quasi nihil reliquum sit aut intentatum, quod operam et industriam efflagitet; nos angustis profecto scientiarum limitibus contineri, vetera leviter attigisse, nova prorsus ignorare, ac nedum græce, (quod ecclesiasticos viros pudeat) latine quoque nescire. Nos vero jurgiis opprobriisque silentium, verbis facta opponenda censuimus.

Majorem itaque sustinemus expectationem, gravius periculum et discrimen nobis manet subeundum, hoc præsertim sæculo, quo scilicet homines tot tantisque artium miraculis assueti, quippe qui viderint oceano pontes imponi, vias ferreas non modo sterni et muniri, sed montium quoque viscera audacter perrumpere ipsoque in aere tuborum ope suspensas tot hominum simul peregrinantium millia incredibili celeritate comportare, ac demum per immensa camporum marisque spatia tenui filo deducto disjunctissimas quasque gentes uno ictu uniusque cogitationis momento inter se colloqui commerciaque agere: id sane ingenii opus exposcunt, quod in tanta scientiarum luce nihil offendat, nusquam incurrat, displiceat nemini. Quamobrem etsi nos impellant et urgeant latinarum litterarum amor, majorum exempla, hujusce loci decus et nomen, gratique animi officium; arduum tamen onus deprecabimur, nisi vos, Auditores sapientissimi, præsto sitis, vestraque benevolentia et gratia nobis ad bene sperandum quasi signum aliquod extollatis.

(1) Lateinische Synonyme und Etymologieen von Ludwig Döderlein, Leipzig 1826-39.

(2) Maximo in hac nova editione (fatear enim quod sentio) mihi fuit adjumento Latinum Lexicon, cui titulus: *Handwörterbuch der lateinischen Sprache. Unter Mitwirkung von D.r Lübker, Gymnasialdirector zu Parchim und D.r Hudemann zu Kiel herausgegeben von D.r Reinhold Klotz ordentlichem Professor der classischen Philologie an der Universität zu Leipzig. Braunschweig* 1853. Hoc sane opus, quod sero nimium, anno scilicet 1856., ad me pervenisse doleo, præter brevitatem quam ipse titulus postulat et plura typothetarum menda, numeris fere omnibus est absolutum ac summis propterea laudibus exornandum. Doctissimus itaque ejusdem Auctor publicum hoc mei erga se grati animi testimonium, quæso, libenter excipiat. — Nonnulla debemus etiam libello, qui inscribitur: *Nachträge zu Forcellini's latein. Lexicon, mit einem grammatischen Excurse, von D.r C. Kärcher. Karlsruhe* 1854.

NB. Quæ superioribus Editionibus præmissa fuerunt, omnia subjicere censuimus, cum quia hoc in more positum semper fuit, tum quia illa partim editionum historiæ (1) maxime inserviunt, partim vero sunt admodum necessaria, ut, puta, Index Scriptorum Latinorum qui hoc in Lexico adducuntur. Horum autem summa hæc est:

I. Em. ac Rev. Antonio Marino Cardinali Priolo Episcopo Patavino Seminarium.
II. Cajetani Cognolati in Seminario Patavino Studiorum Præfecti Præfatio.
III. Clericis Seminarii Patavini latinæ consuetudinis assequendæ cupidis Ægidius Forcellinus.
IV. Epistola, quam Jacobus Facciolatus Josepho Lastæ Id. Januar. ann. MDCCLVI. dederat.
V. Nonnulla ex autographo ipsius Forcellini.
VI. Lectori benigno Josephus Furlanetto. Præfatio in Lexici editionem ann. 1827.
VII. Lectori benignò Josephus Furlanetto. Præfatio in Appendices.
VIII. Index Scriptorum Latinorum eorumdemque operum, quorum auctoritate vocabula eorumque significationes in hoc Lexico adducuntur et explicantur.

I.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

ANTONIO MARINO CARDINALI PRIOLO

EPISCOPO PATAVINO

SEMINARIUM

Opus hoc, Princeps eminentissime, jussu olim avunculi tui Georgii Cardinalis Cornelii civitatis hujus episcopi designatum atque susceptum, te vero ad eamdem sedem rerumque nostrarum regimen evecto typis postea commissum, te demum auspice ac patrono feliciter evulgamus. Ac si quis rei hujus amplitudinem animo complecti potest, et hæc volumina non tam oculis quam ingenio metiri, is certe eximiam quamdam mentis animique magnitudinem in eo mirabitur, qui de hoc opere primum cogitans præsidia maxima ad illud contexendum liberaliter comparavit; eum vero, quo potissimum auctore e tenebris est erutum, et cum eruditis viris opinione citius communicatum, de latinis litteris optime meritum profecto existimabit. Nos vero, qui eam tibi rem nuncupamus, quæ tuorum voluntate incepta est, tuis in ædibus lucubrata, tuo demum jussu atque opera per typographum absoluta, nemini certe officiose facere videri possumus, nec veterem consuetudinem sequi, ut magnis voluminibus magna nomina præponantur. Sed quamvis non aliis auspiciis quam tuis ornari ac muniri hujusmodi opus a nobis poterat, muneris tamen loco Ægidii Forcellini recordationem accipies; cum et hominem probe noveris, et multas magnasque ejus animi dotes plurimi semper feceris, et apertum simplexque optimi senis ingenium præ ceteris adamaveris. Quamquam ea ipsa, quæ libris hisce continentur, quæque latinæ linguæ usibus, dignitati ac splendori maxime inserviunt, ad te afferri, tibique nuncupari ita debuerant, ut, quamvis aliter facere ne liberum quidem nobis fuerit, ratione tamen atque consilio id omnino fecisse existimemus. Latina lingua Religionis ipsius veluti administra, ejus sacra ac cæremonias complexa, latius ab ea, quam ab ipsa olim principe terrarum gente propagata, Romanæ Ecclesiæ gravissima nuncia, ejusque nota quædam, qua mores ritusque a ceteris discerni possint, hæc, inquam, lingua in eorum tutela esse profecto debet, quibus amplissima munera, ac splendidissimæ dignitates Religionis, et Ecclesiæ præsidia quælibet ac decora sanctissime commendata esse testantur. Superi faxint, ut, quemadmodum hæc urbs latinarum litterarum domicilium semper olim est habita, ac nostris etiam temporibus apud Italas exterasque gentes haberi solet, ita nos ad verissimam existimationem alendam atque corroborandam, tum labore ac sollertia nostra, tum hoc ipso opere a nobis edito contulisse aliquid videamur.

(1) Editiones Seminarii Patavini typis impressæ jam inde ab initio hæ sunt: *Calepinus Septem Linguarum cura Jac. Sartori*, qui et *Supplementum* addidit, a. 1708. — *Calepinus septem Linguarum cura Jac. Facciolati* primum editus est a. 1718.; deinde annis 1726., 1731., 1736., 1741., 1747., 1752., 1758., 1772. et 1779. Quæ prima editio extat in Bibliotheca Seminarii Patavini, cum Ægidius Forcellini plurimis notis atque adjectionibus manu propria exaratis instruxit, iisque posteriorem editionem a. 1772. locupletavit. — *Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura Jac. Facciolati, opera et studio Ægidii Forcellini Seminarii Patavini alumni lucubratum* typis committi cœptum est a. 1771., tametsi multo post in lucem prodierit. Altera editio facta est a. 1805.; tertia aucta et emendata a Josepho Furlanetto a. 1827.

II.

CAJETANI COGNOLATI

IN SEMINARIO PATAVINO STUDIORUM PRÆFECTI

PRÆFATIO

PRIMÆ HUJUS LEXICI EDITIONI, ANN. MDCCLXXI. EVULGATÆ, PRÆPOSITA,
ET AB AUCTORE IN SECUNDA EDITIONE, ANN. MDCCCV., RECOGNITA

I. Qui olim, florentibus Romanorum opibus, bene loquendi laude celebrabantur, ii non jam populi consuetudine, sed multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis, sunt hoc assequuti; fuitque scientiæ cujusdam ac rationis ea oratio, quæ non modo a pervagato sermone longe dissonaret, sed elegans quoque esset ac splendida, majestatem quamdam haberet et imperium consulare. Nos vero, qui eam linguam, quæ Romanorum fuit, neque a nutrice hausimus, neque a populi consuetudine arripuimus, illam tamen vel in veterum libris omnino agnoscere, vel puram ac sinceram in nostra ipsi scripta transferre contendimus, summo studio ac labore niti necesse est; cumque plurimi ad hæc studia sese conferant, paucos tamen esse scimus rerum harum intelligentes ac doctos, paucissimos vero, qui germanam latinitatem optima imitatione assequantur, et ornatæ factæque orationis laude commendentur. Cum vero plurima parare sibi adjumenta debeant latinæ consuetudinis assequendæ cupidi, tum illud in primis, ut uberem ac dissipatam verborum copiam complectantur, ut nitidissima quæque internoscant, ut propriam nativamque singulorum significationem maxime intelligant: hoc enim totius rei veluti solum et fundamentum; his veluti ex radicibus optimus sermo coalescit; et ipse C. Julius Cæsar, cum de ratione latine loquendi ad Ciceronem accuratissime scriberet, *verborum delectum originem* dixit *esse eloquentiæ* [a]. Quemadmodum enim jurisperiti, quos interpretandi studium atque necessitas in illa veterum vocum investigatione detinuit, priscam verborum proprietatem dignitatemque retinuerunt, optimumque loquendi morem cultu hoc atque delectu corroborarunt; ita illud inclinatæ jam latinitatis argumentum semper fuit, cum ipsa verba a nativa significatione prava loquentium consuetudine detorquerentur. *Animadvertere est,* inquit A. Gellius [1], qui post Hadriani tempora florere cœpit, *pleraque verborum latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse vel in aliam longe, vel in proximam; eamque decessionem factam esse consuetudine et inscitia temere dicentium, quæ cuimodi sint, non didicerint.* Quare vix quisquam est romanæ linguæ et eloquentiæ studiosus, qui carere Lexicis sine sua fraude possit; est enim percommodum optimas quasque totius Latii veluti exsuvias aliorum labore ac studio collectas explicatasque intueri. Atque hactenus quidem hisce præsidiis non omnino caruimus; erat tamen adhuc locus aliquis iis omnibus, de quibus olim in suo *De Lexicorum Latinorum jejunitate* libello Olaus Borrichius querebatur. Hac vero ætate, qua optimi quique latinæ linguæ auctores pristinæ integritati criticorum opera sunt restituti, eosque docti homines commentariis ornarunt, laboriosis vero verborum indicibus locupletarunt; qua plurima romanarum antiquitatum monumenta in lucem edita, explicata, illustrata; collecti inscripti lapides; numismata demum, ac litterata quæque rudera ab eruditissimis viris ad omnem usum congesta: hujusmodi certe opus conscribi poterat, in quo, non dicam jam studiosorum vota ac posteritatis judicia conquiescerent, sed eorum saltem, qui in hoc ipso rerum genere antea laborarunt, diligentia ac laus vinceretur. Quare cum vetus illud Ambrosii Calepini Lexicon scholas teneret, essetque illud, ut de eo loquitur Morhofius [2], *sacra studiorum anchora, ad quam confugiebant qui in latina lingua se exercere volebant,* idem tamen, quamvis expurgatum, auctum, perpolitum, ad explicandam comparandamque latinitatem minime satis esse iis ipsis videretur, qui in eo interpolando sæpius laboraverant, de novo condendo cogitari cœptum est: quod jam olim inchoatum, paucis demum abhinc annis absolutum atque descriptum, nunc jam, quod bene vertat, per typographum evulgamus. Ac profecto si quis rei hujus amplitudinem animo complecti potest, et quam difficile latini sermonis regulæ atque præsidia constituantur, intelligit; si quis cetera hujusmodi syntagmata per doctissimos viros toties edita cum nostris hisce conferre voluerit, is de Ægidio Forcellino optime judicabit, qui per annos ferme quadraginta idem saxum volvens, opus hoc, in quo latinæ voces omnes, ac multiplices earum significationes atque usus continentur, lucubravit. Fuit in illo ingenium, litteræ, cura, cogitatio, diligentia; erat ille romanarum rerum scientissimus, et earum artium, quæ Latinis olim placuerant, rudimenta attigerat; Græce doctus; in veterum Latinorum libris versatus, volutatus. Illum ego cum vivum colerem, tum etiam nuper exstinctum maxime dolui; neque unquam ejus hominis memoriam dimittam, qui cum litterarum studiis eos mores conjunxit, ad quos formandos litteræ ipsæ sunt inventæ. Atque ipse quidem in eo sermone, qui nostrum hunc proxime sequetur, operi suo præfabitur; ego interim ea persequar, quæ de se ipse poterat verissime dicere, sed ab omni specie ac pompa remotissimus omnino reliquit.

(a) Hæc nempe verba ex ejus lib. I. *de Analogia* affert *Cic. ad Brut. c.* 72.
(1) Noct. Att. lib. XIII. cap. 29. De auctoris hujus ætate vide Fabricii Biblioth. Lat. l. 3. c. 1. ab Ernesti auctam
(2) Polyhist. Litterar. Tom. I. lib. IV. cap. IX. § 9.

II. Id igitur ipse præstitit, quod sane in hoc opere potissimum est, ut in afferendis scriptorum locis, quæ exemplo et auctoritati esse debent, ea non jam e suis sedibus avulsa ac solitaria spectaret, ut fere solent alienarum rerum descriptores, sed in ipso contextu et continuatione sermonis apud auctores legeret, et ipsa loci comprehensione verissimum sensum interpretando extunderet; quod quidem, præsertim si quid rarius atque insolens in verborum significatione occurreret, esse maxime necessarium existimavit. Eum itaque, qui ætatum omnium scriptores tractare debeat, et in opus transferre, in eas etiam artes, quæ minus liberales habentur, invadere necesse est; resque variis conjecturis implicatas, et abditum plurimorum verborum sensum explicare; antiquis rebus, ac jam deperditis, afferre lucem; historiam omnem, eruditionemque complecti. *Quot sunt*, inquit Carolus Du Fresne (3), *in mechanicis artibus, quæ latine reddi non possunt, cum et forte non noverit Latium ipsum, vel, si novit, ad nos vocabula ista non pervenerint; aut certe si alicubi exstant, horum vim non omnino percipiamus; quod in unica Vitruviana architectura licet observare, in cujus vocabulorum notionibus investigandis insudarunt tot viri eruditi; adeo ut de unica* Scamillus *voce integri exstent commentarii?* Hæc omnia feliciter evolvit Forcellinus; iisque, uti debuerant, explicatis, copiam commendationemque Lexico suo comparavit: qui etiam cum in ea incideret, quæ, ut recte exponantur, penitioris cujusdam scientiæ aut artis præsidia postulant, ea, ne sibi a viris, in sua quibusque re, doctissimis unquam deessent, diligentissime cavit. Nam et ex Julio Pontedera, totius antiquitatis et eruditionis peritissimo, multa quæsivit; et de Frontino, Vegetio, Vitruvio sæpe est cum celeberrimo Joanne Poleno colloquutus; et Joannis Baptistæ Morgagni uti voluntatem ac studium, ita ingenium quoque ac doctrinam suis usibus paratam habuit. Hunc enim virum non ipsa tantum anatomica studia commendant, in quibus plane regnat, et artis ipsius prope nomen est; sed ipsa quoque critice principem habet, ac jactat: qui et multa in A. Cornelio Celso emendavit; scripsitque plurima sane doctissima (4) in eos auctores, qui rustica præcepta, et rem veterinariam latina consuetudine tradiderunt; pulcherrimis demum epistolis Æmiliam suam illustravit (b). Atque ille quidem postremis hisce mensibus multa mihi de hoc opere, multa de Forcellino commemoravit; illud magnis laudibus, hunc vero lacrimis prosequutus. Virum egregium, sibique multorum consiliorum societate conjunctissimum exstinctum doluit; triste sibi magnarum virtutum desiderium relictum dixit; alterum ab altero adjutum sæpe communicando, et monendo. Quem ille sermonem cum mecum habuisset, ejus voce post semper carui; carebo etiam quamdiu ero: hujus quippe anni exitus fuit huic Gymnasio, huic Urbi, Italiæ toti ex ejus morte luctuosissimus. Sed nostra jam persequamur.

III. Hæc igitur in hoc Forcellini Lexico, quæ certe nusquam alibi; uti etiam illa exemplorum copia, quam in unius vocis, aut ejusdem sententiæ explicatione ubique affectavit; quam quidem cum multis ipse rationibus excuset (c), ego multis commendandam existimo. Pluribus enim scriptorum locis in unam vocem sententiamque congestis, varios ejusdem vocis veluti nexus, ac multiplices, quas veluti explet, commissuras facile animadvertimus; ex quo verbi ipsius potestas, sensus, usus, explicatio magis elucescit. Habet præterea unaquæque verborum significatio suos veluti gradus, quasique vanescentia discrimina ex varia cum aliis vocibus compositione nata; quæ profecto imperceptа lateant necesse est, si illa desit exemplorum copia: hæc autem qui non animadvertat, aut sibi negligenda esse ducat, is certe de latina lingua existimare aut leviter, aut nihil potest. Hanc demum exemplorum varietatem si quis attendat, is etiam duarum vocum, quarum tanta videtur esse similitudo, ut eumdem præstare usum ubique possint, varios veluti significationis gradus ac differentiam facile intelliget. Duæ enim voces, in quibus est significationis communio, tunc solummodo indistincte atque promiscue adhiberi possunt, cum generalem quamdam rei ipsius notionem explicamus; at, si quos habet res ipsa gradus, exponendi sint, tunc illa significationis communio evanescit, et ad alias voces confugiendum est, quibus isti veluti gradus exprimantur. Magna profecto esset ejus sermonis egestas, ac magna in eo elegantiæ inopia, in quo verbum verbo supponi ubique posset; tunc enim generalem tantummodo sensum, nunquam vero illos, de quibus ajebam, unius ejusdemque rei multiplices gradus loquendo scribendoque significaremus (5). Hæc itaque ex ipsa exemplorum copia unusquisque intelliget, ac verissimam Latini sermonis indolem, copiam, elegantiam assequetur; nisi forte pollutas lue quadam aures habet, ac nondum ex grammaticorum fæce enatavit.

IV. Variæ porro, et quadam sæpe similitudine inter se conjunctæ, aliquando etiam sibi dissidentes unius ejusdemque vocis significationes sedibus et explicatione in hoc Lexico distinguuntur; aliquibus passim adjectis, atque idoneis testibus comprobatis, quæ in aliis id genus operibus non apparent. Atque illud quidem rerum harum scriptoribus commune est, ut proprium ac nativum verbi sensum primo exponant, deinde figuratas significationes subjiciant; at non eam ubique rationem tenent, quæ in hac significationum serie maxime esset, ut quidam ajunt, adhibenda. Qui enim sensus a primo illo ac naturali

(3) In Præfatione ad Glossarium Mediæ et Infimæ Latinitatis § XIV.

(4) Vide Epistolam Julii Pontederæ ad hunc ipsum Morgagnum in Scriptoribus Rei Rusticæ editis a Jo. Matthia Gesnero Lipsiæ an. 1735. pag. 1195.

(b) Nempe iis XIV. epistolis, quæ inter ejus opera editæ, Æmilianæ appellantur.

(c) Vide ejus epistolam Clericis Seminarii Patavini huic præfationi subjunctam § IV.

(5) D'Alembert, Mélanges etc. Tom. IV. pag. 149. Nullam esse vocem alteri omnino geminam definitionibus et exemplis demonstratum est a *Girard* in ea lingua, qua nunc utuntur Galli. Multo rectius et uberius id ipsum præstitit *Stosch* in lingua Germanorum, tribus editis voluminibus ann. 1770., 1772., 1773. Horum tamen aliorumque industriam vicit nuper Gallus alter *Roubaud* quatuor voluminibus, quæ Parisiis prodierunt ann. 1786. sub titulo: *Nouveaux Synonymes* etc. (* Utriusque Galli scriptoris *Girard*, et *Roubaud* elucubrationes, novis additis exemplis ex *Beauzée*, *d'Alembert*, *Diderot*, *Marmontel* etc., melius digestæ, et tribus voluminibus comprehensæ editæ postea sunt Burdigalæ ann. 1802. in 12.°) Quod igitur in vernacula lingua scriptores isti sunt executi, id in latina tentatum est a *J. B. Gardin Dumesnil* singulari volumine Parisiis edito ann. 1777. in 12.°, quod ann. 1788. in 8.° recognitum et amplificatum rursus edidit sub titulo: *Synonymes Latins et leurs différentes significations* etc. (* Tertiam vero hujus operis editionem iterum recognitam, emendatam et auctam curavit *Jannet* Parisiis ann. 1813. in 8.°)

minus deflectit, is, ex illorum sententia, proximum tenere locum debet, qui vero magis, is minus proximum; ceteri vero qui ab illo descendunt, et figurati dicuntur, per deductos originis veluti gradus exponendi. Quod quidem præstare optime posset et probe expensa linguæ ipsius progressio, et idearum sese ordine in humana mente evolventium certissima scientia, et rerum, quæ alieno verbo ponuntur, probe intellecta ac per gradus notata similitudo; atque ii primum transferendi modi explicandi essent, quos necessitas genuit inopia coacta et angustiis; illi deinde, qui, confirmata jam ac celebrata lingua, ideo sunt adhibiti, ut orationi splendoris aliquid accesserent. Hunc itaque exponendarum significationum ordinem nonnulli docent; qui tamen a philosophis potius, quam a grammaticis est expetendus; quique etiam in hujusmodi operibus constanter adhibitus, et res aliquando perturbaret, et arbitrio plus æquo tribueret. Ego satis illustri ordine ea prosequutum Forcellinum existimo, ex quibus omnis exsistit singulorum verborum virtus atque laus.

V. Jam illud sequitur, ex quo maxima fieri debet huic operi commendationis accessio; plura enim in eo, quam in ceteris, vocabula; nonnullis enim vocibus romanæ civitatis possessionem Forcellinus vindicavit. Idonei rei hujus testes fuerunt grammatici veteres, scriptoresque latini non pauci, quos, cum verborum indicibus carerent, diligenter ille percurrit: ac præterea numismata vetera, ac tandem litterati lapides. Horum ille collectiones omnes in oculis habuit; vidit æneas tabulas Heracleenses (6); eos etiam vidit, quos in *Antiquitatibus Beneventanis* (7) vel emendavit, vel protulit omnium primus *Joannes De Vita;* fecitque magna, quæ in eo erat, antiquitatis notitia, diuturna in latinis rebus exercitatio, collecta et expleta undique eruditio, ut iis, qui probæ notæ essent, utendum sibi existimaret. Gavisus ille vehementer esset, si ex clarissimi viri Scipionis Maffeji *Arte Critica Lapidaria* proficere potuisset; at editum est postumum illud opus anno tantum MDCCLXV. (8), quo tempore a nobis Forcellinus discesserat, domique vivens et immortalitati jam proximus, æterna solummodo cogitabat. Eo in opere Maffejus inscriptiones ab eruditorum ferme consensu ad hanc diem receptas, et commenticias tamen, sedulo perquirit, inque redintegratum judicium, novis tabulis, novisque testibus adhibitis, pertrahit (9); et cum infinito pæne hostilium lapidum numero bellum sibi gerendum suscipit; ut disjecta attritaque ubique gentium ficticia marmora jaceant, informibusque et vulgaribus saxis, ut antequam inscriberentur, rursus tandem accenseantur (10). Multa quippe ex simulatis istis antiquitatis exsuviis rebus omnibus illata damna; perturbata temporum ratio, imminuta litterarum dignitas, inusta historiæ labes, populorum ac gentium jura temerata; verba demum, quæ toto Latio exsulare debuerant, minime idoneis testibus in Latium invecta. *In grammaticis itidem*, inquit Maffejus (11), *et in rhetoricis, ut minora quoque attingamus, qui titulis acquiescet omnibus, fallacias hauriet quamplurimas: hinc verba videas tamquam latina et prisca a Lexicis etiam quandoque recensita, quæ romana frui civitate minime possunt, quippe quæ iniquis tabulis, hoc est captione inscriptionis fide adscita.* Hinc Lexicon Patavinum sæpe nominat, vetus illud nostrum Ambrosii Calepini; ac nimium eorum fidem reprehendit, qui quædam illi vocabula ex falsa lapidum auctoritate adjecerunt. Quare cum Forcellinus ipsas illas voces a Maffejo in veteri Calepini Lexico notatas in suum transtulerit, iisdemque lapideis testibus firmaverit; fuit certe nobis in hoc sermone de *Arte Critica Lapidaria* dicendum, ne viri antiquitatum omnium peritissimi sententiam atque judicium aut ignorasse, aut neglexisse videremur. Ac de toto quidem Maffeji opere videant eruditi; ex quibus ille qui nuper Venetiis obiit, quique alias cum Maffejo certaverat (12), Michael Lazari, plura in scriptis reliquit, quæ *Artem* illam *Criticam Lapidariam* impugnant; multarum vero rerum scriptor Franciscus Antonius Zacharias jam illud existimavit, futurum profecto, ut multa Maffejus in eo opere aut immutaret, aut lenius ageret, si post editum Museum Veronense manum illi rursus admovisset (13). Eas ego tantum collegi voces, quas Cl. Maffejus vel dubias habet, vel omnino rejicit, prout illi lapides ipsi, ex quibus desumptæ sunt,

(6) Alex. Symmachi Mazochii Commentariorum in Regii Herculanensis Musei Æneas Tabulas Heracleenses Pars I. et II. Neapoli 1754. fol

(7) Thesaurus Antiquitatum Beneventanarum. Romæ 1754. fol.

(8) Cl. viri Scipionis Maffeji Marchionis Artis Criticæ Lapidariæ Quæ extant . . . . edita a Sebastiano Donato. Opus postumum. Lucæ 1765. ex Typographia Leonardi Venturini, fol. Præmittitur hoc opus Tomo I. supplementi ad Novum Thesaurum Veterum Inscriptionum cl viri Lud. Ant. Muratorii.

(9) Artis Criticæ Lapidariæ lib. III. cap. III. col. 188.

(10) Ibid. col. 189. (11) Ibid. col. 158. (12) De Equestri Ordine Constantiniano Inquisitio in Epistolam Scip. Maffeji etc. Venetiis 1725. 4.°

(13) Pag. 490. *Istituzione Antiquario-Lapidaria ossia Introduzione allo studio delle antiche Latine Iscrizioni in tre libri proposta.* In Roma 1770. 8.°

Questo troppo rigido scrittore (Maffei) *ha sparso il Pirronismo sopra troppe Iscrizioni, onde ha meritato, che il poco fa defunto chiarissimo letterato Veneziano* Michele Lazari *distendesse contro il medesimo varie Dissertazioni, le quali sono tuttavia inedite ; e che a pag.* 490., *il predetto nostro Autore* (P. Zaccaria) *si dichiari di credere, che s'egli alla sua opera avesse rimesse le mani dopo la pubblicazione del* Museo Veronese, *avrebbe molti suoi giudizj ritrattati, o mitigati.* Novelle Letterarie pubblicate in Firenze l'anno MDCCLXX. col. 616.

Citari etiam debet eruditissima *Joann. Amadutii ad Janum Plancum* (Bianchi) *archiatrum Ariminensem epistola, in qua Inscriptiones nonnullæ Ariminenses a falsitatis nota, quam Scipio Maffejus inusserat, vindicantur.* Lucæ 1767. 12.°

Exstat itidem egregium opus Petri Laurentii *Del Signore*, cui titulus, *I Marmi Riccardiani difesi dalle censure del Marchese Maffei.* Firenze 1781. 4.°

[* Tandem *Jo. Casp. Orellius* in opere, cui titulus: *Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio. Turici* 1828. 8.° ad pag. 55. hæc habentur: « Maffeji Scipionis utilissima sane est ad ingenium acuendum, multasque obscuriores sæpe fraudes detegendas ejus *Ars critica lapidaria.* Sed a tumultuaria ejus iniquiore censura permultos lapides jam vindicarunt *Zaccharia, Del Signore, Marinius* (Fratelli Arvali), et *Vermigliolius* (Iscrizioni antiche Perugine): idemque non frequenter per totum hunc librum fecimus, etsi omnes, quorum fides ab eo præcipitanter impugnata est, data opera defendere nostri officii minime duximus. Nam ut in quarta circiter parte eorum, quos in suspicionem vocat, verum fortasse viderit, longe tamen plurimi manent inconcussi, ut viderunt jam imperfecti operis editor *Seb. Donatus*, et *Klotzius* in *Actis litterar.* vol. 4. p. 405. egregie hac de re disputans. V. ibid. quæ sequuntur.]

aut dubiæ aut damnatæ fidei videntur esse; FORCELLINUS vero et Latii jure carere minime putat, et ea litterata marmora idoneos rei hujus testes existimat. Has ego nunc ob oculos ponam, remque omnem fideliter peragam; ipsas plerumque tabulas in conspectum adducam, ut ipsæ quodammodo pro se loquantur; dicam ego aliquid aliquando, verecunde tamen ac dubitanter. Quamquam id maxime animos addit, quod est a doctissimis viris Joanne Francisco Seguierio, et Sebastiano Donato (quorum alter Maffeji opus exscripsit, alter edidit et illustravit) de eodem opere judicatum. *Equidem nos,* inquit Donatus (14), *non omnia epigrammata, quæ in* Arte Critica Lapidaria *censoria virgula notantur, rejicienda esse putamus. Nam neque ipse Cl. auctor ea omnia rejecit, et ad spuria et supposititicia amandavit. De nonnullis enim titulis subdubitat, alios ad examen revocandos vult, alios interpolatos, non paucos quadratariorum vel exscriptorum oscitantia vitiatos credit, (vel ita monstrosi et exesi sunt, ut sensus percipi non possit), nonnullos obiter attigit, alios in* Museo Veronensi *pro genuinis evulgare minime dubitavit, (ut aliquando in nostris adnotationibus ad hoc opus observabis), plerosque eruditorum judicio reliquit, de aliis vero cur dubitet, rationem non adfert. Nam istiusmodi disputatio ob mortem ejusdem auctoris infecta remansit.* Et revera multa quidem (*ut ad me scripsit Cl. Seguierius immortalis nostri Maffeji laborum, studiorum, et itinerum tot annos comes, amicus in paucis, et contubernalis*) erat retractaturus, si operi ultimam manum adhibuisset. *Nam cum anno* 1749. Museum Veronense *edidisset, videtur quasi animum retraxisse ab* Artis Criticæ Lapidariæ *evulgatione* (15). . . . . . *Quis credat* (16) *in absolutissimum* Gruterianum *Corpus, in* Reinesianum *Syntagma, in* Sponii *Miscellanea, in* Fabretti *Collectionem tot lapides spurios irrepsisse? Quot obelo notavit noster auctor, cum eos pro sinceris admiserint hi celeberrimi collectores? Esto, aliquando peccaverint; an fieri potest, ut in plerisque marmoribus emendentur?*

VI. Ac mihi quidem earum vocum, quas modo proferam, ac FORCELLINI ipsius, qui Latii jura iisdem tribuit, facilis et in medio posita defensio esset, si quos lapides Maffejus minime probat, nihilque habere ait antiquæ majestatis et elegantiæ, eos tunc temporis inscriptos putaret, atque etiam ad fallendum propositos, cum veteris libertatis obliti demisere animum Romani, ac fortunæ suæ similia facere atque scribere cœperunt; iis, inquam, temporibus, quibus nobilissima eorum lingua una cum imperio ad senium properabat. In hoc enim opere iis quoque auctoribus locum aliquando esse voluit FORCELLINUS, qui ferream ac luteam etiam latinæ linguæ ætatem attigerunt; quod eos in optimis Lexicis admissos receptosque viderit; quodque verborum quorumdam, quibus utuntur, explicatio, sin minus latine scribere, latina saltem intelligere cupientibus maxime sit opportuna. Quare inscriptiones etiam, in quibus aut insolens verbum est, aut inurbana dictio, aut sermo non omnino purus ac nitidus, in Lexicis stare possunt, et ad illa cadentis latinitatis tempora referri; nisi cetera rei falsitatem prodant, vulgares indoctasque manus, ac posteriorum ætatum sive stilum, sive scalprum. At rei lapidariæ detrimenti aliquid Maffejus timuit, si ita sensisset; ideoque inscriptiones plurimas novitiis marmoribus vetusta specie affictas esse arbitratur; cumque *his vetustatis spoliis* (17) *jam a decimosexto ineunte sæculo atria, horti, villæ in Italia exornari cœpissent, videreturque non omnibus elegantiæ et magnificentiæ numeris satisfecisse, qui istiusmodi cimeliis careret,* fuisse tunc, *qui, cum sincera non essent ad manus, eorum imitatione spuria confingi paterentur, vel saltem ad loculos omnes venuste complendos ficticia cum legitimis admisceri.* Hinc ad res patrias illustrandas, ad civitatum et municipiorum tuenda jura, ad rerum antiquarum, latinitatis doctrinæque laudem ostentandam, ad augenda splendideque ornanda volumina, ad explendum denique fallendi, mentiendi novandique studium vetera monumenta plurima recentiorum hominum sive scalpro, sive calamo simulata fuisse arbitratur; idque per ea tempora, quibus latinæ litteræ ab Italis excitatæ ad auream illam Augusti ætatem proxime tandem accesserunt. Ego vero, et quosdam esse lapides, quorum fides ex toto non constat, alios etiam, quos corrigi et emendari oporteat, nonnullos demum, quos docti viri probare minime debeant, omnino existimo; at vix crediderim, per ea sæcula, quæ proxime sunt elapsa, ita rem lapidariam dolo malo vitiatam fuisse, ut pæne singula suspicionem movere debeant, plurima vero negligi omnino atque damnari. Ex illis potius litteratorum marmorum fodinis, quæ Romæ sunt, rerum harum supellex aucta est. *Innumera monumenta,* inquit Cl. Muratorius (18), *ex pomœrio Urbis, præcipueque ex suburbanis cryptis et locis, per tria proxime præterita sæcula in lucem prodiere. Neque facile enumeres tot alia, quæ ante paucos annos, et nuper etiam ibi eruderata fuerunt.* Quis Cyriaci Anconitani egregium opus ineunte sæculo quintodecimo susceptum ignorat? Quis Fratris Joannis Jucundi Veronensis vetustas inscriptiones eodem labente sæculo collectas non audivit? Utinam eruditissimis viris, qui in hoc rerum genere postea laborarunt, ipsa marmora licuisset inspicere! Emendassent illi plurima, ac rei lapidariæ melius consuluissent. *At indocti homines* (19) *nihili facientes veneranda antiquitatis frusta, aut a majoribus suis collecta, aut in effossionibus sibi oblata, nullo negotio ipsa distrahunt, dilacerant, atque in omnem usum, præcipue ædificiorum, sine ullo discrimine disperdunt. Alia deferuntur ad marmorarios atque statuarios, inhumanos videlicet antiquitatis lanios, qui, expunctis omnibus vetustatis notis, eadem ad nova quæque opera, prout utilitas poscit, reformant, seu potius deformant. Denique non levis eorum pars ad calcarias translata, atque igne soluta, calcem marmorariis et cæmentariis artificibus utilem præbet.* Quoniam igitur primo illo indiciorum genere, quod ex ipsis inspectis lapidibus peti debet, uti plerumque criticæ artis periti minime possunt, ad alterum confugiunt, quod ex ipsa verborum consideratione haberi solet: atque hoc nimirum in iis, quæ modo exponam, fere semper Maffejus adhibuit.

(14) Monitum editoris *Artis Criticæ Lapidariæ* pag. IV.
(15) Vide Museum Veronense pag. CLXXV. (16) Pag. V. citati Moniti.
(17) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. II. col. 158.
(18) In Præfatione ad Thesaurum Novum Veterum Inscriptionum. Mediolani 1739.
(19) Cl. Muratorius in eadem Præfatione.

VII. Per usitatam litterarum seriem eas, de quibus ajebam, voces enumerantibus occurrit primum verbum *Æedituo*, de quo ita in *Arte Critica Lapidaria* (20). *Inauditum verbum* Æedituare *recens Glossarii Calepiniani editio recensuit et recepit, Lucretium memorans, qui* æedituentes *dixit*, non æedituantes; *sed vere a duobus hisce epigrammatis decepta* (21), *quibus inanius nihil. Ligorii munere utrumque habemus, quem et alia duo a Grutero descripta effudisse non dubito, eadem prorsus forma,* Vixit Annos *totidem,* Æedituavit Annos *totidem.* Ac Lucretii quidem locus lib. VI. de Rer. nat. v. 1273. ita allatus est in nostro illo Calepini Lexico:

Hospitibus loca, quæ complerant æedituentes;

ita nimirum ut Maffejus legendum putat; at cum ibi verbum *Æedituo* duplici efferatur modo, legaturque *Æedituo, as* et *is*, idcirco post citata Reinesii epigrammata, in quibus est *Æedituavit*, Lucretii versus citatus est, ut alterius quoque modi, quo verbum hoc inflecti potest, exemplum esset. Forcellinus vero et *Æedituens* posuit, et *Æedituo, as;* ac primæ quidem voci Lucretii auctoritatem apposuit; alteram vero duabus illis, quæ sunt apud Reinesium, inscriptionibus, ea etiam quæ est apud Gruterum pag. MLXXXVIII. num. 5. confirmavit. Hanc ego proponam: C · CICVRINO · ASIA | TICO · AEDITVO · SVL (*) | VANI · LITTORALIS | PARENTI . SANCTISS | T · CICVRINVS · DIMA | RVS · POSVIT | AEDITVAVIT . ANN | XVI · VIX · LXX | MENS · IX · D · VII. Duos Reinesii lapides Maffejus rejicit; erratumque esse ait in *Æedituo Sepulcri*, in *Sacerdote Sergiæ Familiæ* et in clausula *Fecit Sibi, Et Suis Amicis*, quæ ridicule, inquit, excogitata sunt et inepte. Duo vero, quos affert Gruterus, quorum primus habetur pag. CCCXII. n. 5., alter vero a Forcellino citatus est, a nobis descriptus, ideo tantum suspicionem Maffejo movent, quod eos ex Ligorii fodinis erutos putet; huic enim sponsori non ita facile credendum esse doctissimi viri jamdudum monuerunt (22). Verum apud Gruterum nihil omnino de Ligorio. Primum quippe lapidem (quod a Sebastiano Donato notatum est, et in postrema Gruteri editione, qua nos utimur, quæque Amstelædami prodiit an. MDCCVII., legi potest) primum, inquam, lapidem ponit *In villa Julia extra Portam Flumentanam, ad viam Flam. ara marm. grandis: litera bona, sed incorrecta*, eidemque lapidi subscriptum est, *Exscripsit Smetius; vidit Pighius, et habet Boiss. VI. antiq.* 59. Alterum vero, qui certe latine loquitur, et est a Forcellino adhibitus, *Romæ* esse ait *ad horrea Diocletiani;* legiturque post ipsum, *Grutero Boissardus T. VI.* 126. Ne igitur de duobus illis Reinesii epigrammatis longo sermone disseramus, hoc unum dicimus, voci *Æedituare* satis jam consultum esse in hoc Lexico eo Gruteri lapide, qui citatus est. Vidi ego hujus C. Cicurini Asiatici magnæ formæ monumentum ære expressum apud Cel. Montfauconium, a quo ita describitur, quique de eo ita loquitur (23): *De Silvano litorali egimus Tomo primo: quid autem esset æedituus, secundo Tomo diximus. In supremo lapide repræsentantur Cicurini pater atque filius: in laterali autem facie arbor atque delphinus: arbor meo judicio Silvanum subindicat, qui semper cum arbore conspicitur; delphinus vero Silvanum litoralem, qui, ut ipsum nomen sonat, in litore maris colebatur.* Huic scilicet monumento vox *Æedituavit* inscripta est. Meminerit Maffejus id se docuisse (24): *Inter veritatis argumenta, id præcipue computo, cum ingentibus lapidibus insculptæ occurrunt epigraphæ; animadverti scilicet, noluisse ut plurimum epigrammatum adulteratores multo impendio nænias suas proferre: difficilius etiam, ubi multæ molis saxa fuissent incidenda, clam, et in abdito peragi opus potuisset: eapropter sumptuosas arcas, et magnas istas quadratasque bases, priscas et genuinas deprehendi fere semper.* Vox illa tandem et nitida est, et nihil omnino a latina consuetudine abhorret. *Æedituor* enim Nonii testimonium habet, qui c. 2. n. 52. Pomponii verba referens apud Gellium lib. 12. c. 10., *Qui postquam tibi appareo, atque æeditumor in templo tuo*, legit *æedituor;* utramque vero terminationem huic verbo factam esse, omnino dicendum est.

VIII. Eum quoque lapidem Maffejus subruit, qui est apud Reinesium Cl. I. p. 8. n. 2., cujus auctoritate tres illæ voces *Arithmeticus, Fistularius, Imaginarius* a Lexicorum scriptoribus allatæ sunt et explicatæ. Ecce lapidem ex eodem Reinesio: DIIS OMNIBVS COELESTIBVS | P · GAISIDIO (**) Q · F · SABINIANO | FISTVLARIO · CANTORI · IMAGI | NARIO . ARITHMETR (***) · VIXIT · A · XLIII (****) | M · X · D · III · IN · FR · P · XXX · RETRO | XL · CVIVS INGENIVM ELOQVI NEMO | C · TIPHERNIVS C · F · SACERDOS. *Latinarum prima*, inquit Maffejus (25), *quam Fabrettus quoque ex aliis sibi schedis adoptavit*, Diis omnibus Cœlestibus *insueta formula inscribitur, et nunquam auditis gentibus* Gaisidia ac Tiphernia *insignitur: in ea orationis elegantiam et connexionem observes velim.* In Fronte Pedes XXX. Retro XL. (*****) Cujus Ingenium Eloqui Nemo: *sed magis quæ per se fallaciam satis indicat, votivæ et sepulcralis formæ commixtionem, depravationemque. Ex hac tamen tabula tria ab eruditis viris et a quibusdam quoque Lexicographis arrepta vocabula, et latinitatis jure sine alia auctoritate ulla donata videas;* Imaginarius *pro pictore*, Fistularius *pro fistulatore*, Arithmeticus *pro calculatore.* Monuerat jam Reinesius ipse (26) ab hoc sepulcrali cippo separanda esse quæ præscripta sunt, *Diis Omnibus Cœlestibus*, et esse illa loco non suo; atque ita Maffejo *insuetam formulam, et sepulcralis formæ commixtionem, depravationemque* objicienti jamdudum satisfactum est. Sed illud ego etiam animadvertam, Cœlestes quoque Deos sepulcrorum patronos a veteribus fuisse habitos, Inferosque cum Superis in sepulcrorum titulis aliquando commixtos. Multa de re hac apud

(20) Lib. III. cap. IV. col. 410.
(21) Syntagma Inscriptionum antiquarum Reinesii. Lipsiæ et Francofurti 1682. pag. 388. n. 53. et 54. e MSS. Antiq. Ligorii Langermanus.
(*) Apud Montfauconium SYL. (22) Vide Muratorium in Præfatione al. citata; sed præcipue pag. I. et II. Novi Thesauri.
(23) Antiquitas explanatione et schematibus illustrata. Gallice et Lat. Parisiis 1722. T. V. P. I. Lib. II. cap. VIII. pag. 66.
(24) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. II. col. 161. 162. (**) Apud Fabrettum Q. GEISIDIO.
(***) Apud eumdem ARITHMETR. (****) Apud eumdem XLIV. (25) Ibid. cap. IV. col. 391. 392
(*****) Apud Maffejum LX. (26) In Nota, seu Comment. ad hunc lapidem.

celeberrimum Montfauconium (27). Urnam ille commemorat, quam Parisiensi Litteratorum Academiæ miserat P. de la Chaize; ejus inscriptio insolens visa est: D. M. | SVLPICIO | NOTO ADESTE | SVPERI. *Invocari videntur Dii illi Cœlestes pro* Sulpicio Noto, *qui, cum sit defunctus, ideoque sub ditione Inferorum Deorum, ex cœlesti providentia nihil sperare poterat.* Id scilicet Academicis explicandum erat; explicarunt autem alii aliter. Eorum opiniones (quas omnes Maffejus et rejecit et irrisit Artis Crit. Lap. l. 3. c. 4. col. 477. 478.) Montfauconius recenset; hæc demum ipse (28). *Deos cœli precatur* (Sulpicius Notus), *ut urnam suam tutam præstent ab injuriis, quæ inferri poterant; verbi caussa, ossa cineresque ejiciendo, id quod tunc magnum scelus existimabatur, ingensque defunctis infortunium . . . . . Etsi vero defunctorum anima sub potestate esset Deorum Inferorum, urna et ossa, quæ in terra erant, sub potestate et jurisdictione Cœlestium, atque etiam sub ditione Inferorum Deorum esse arbitrabantur, ob affinitatem animæ et corporis.* Vide cetera apud eumdem. Vidit hujus urnæ titulum etiam Muratorius; a Maffejo enim acceperat (29). Atque hæc quidem, quæ modo diximus, ab eo quod agimus, omnino aliena iis videri debent, qui illud potius a *Sulpicio Noto* peti arbitrantur, ut quod vitam in terris adhuc degunt, ii sibi faveant, tumulum suum tueantur, cineres et ossa ne inquietent: ajunt enim, et exemplis probant *Superos*, ex latina consuetudine, ab iis, qui infra nos sunt, eos recte vocari qui adhuc vivunt. Horum ego opinionem commemoro, et in medio relinquo. Venio nunc ad gentem Gaisidiam, atque Tipherniam, quas nunquam Maffejus audiit. De P. Gaisidio, quem Fabrettus (30) Q. Grisidium esse voluit, multa docuit idem Reinesius, eumque Cæsidium fuisse probat, et a gente Cæsia profectum; idemque Tiferniam gentem eam esse dicit, quæ a Cicerone (31) Titurnia dicitur, primo illo nomine ex quodam Umbriæ oppido appellatam. Ego certe C. Tifernium apud Gruterum invenio pag. CXXXIV. n. 12. Lapis esse dicitur Tiferni in Umbria; *in Città di Castello*. C. Tifernius est etiam apud Muratorium pag. CHLXXXIV. n. 7. in eo epigrammate, quod perperam Donius alterius cujusdam marmoris partem fecerat. Ea porro, de qua loquimur, inscriptio pedes primum habet *in Fronte* et *Retro* assignatos; tum ad P. Gaisidium redit verbis illis, *Cujus Ingenium Eloqui Nemo*. Nullus hic verborum nexus. Sed in hoc quadratarios vel descriptores accuso. De hoc enim lapide illud etiam habet Reinesius (32): *In uno hoc marmore duas vel etiam tres epigraphas a descriptoribus, qui chartæ parcerent, et disjunctas junctim exhiberent, deformatas una esse, non vana suspicio est.* Maffejus ipse plures lapides ita a descriptoribus aliquando consutos fuisse in *Arte Critica Lapidaria* animadvertit. Quæ igitur in eo lapide, de quo hactenus diximus, habentur verba, ab iis notari possunt, qui Lexicon scribunt, et non aurum modo argentumque, sed ferrum etiam lutumque tractant; neque lapides tantum, sed litterata etiam rudera in opus congerunt. Nihil de voce *Arithmeticus* in Calepino; admisit illam operis hujusce scriptor, explicuitque *qui arithmetica callet*, testimonio usus ejus lapidis, de quo dictum est. Recte hoc: quis enim et grammaticum et mathematicum a Latinis non audivit? Vocem vero *Imaginarius, ii*, quæ in veteri Lexico legebatur, in suum quoque transtulit; pictoremque esse dixit, vel statuarium, qui imagines facit; ex eodem Reinesii lapide, et ejusdem Reinesii explicatione. Voci tandem *Fistularius* in utroque Lexico locus est; is esse dicitur, qui fistula canit; citata est Fabretti inscriptio; illa scilicet, quam dederat Reinesius (d).

IX. *Celtis*, teste Plinio lib. XIII. H. N. cap. XVII., arbor est de genere lotorum, in Africa. Hac voce genus quoque scalpri, quo lapides inciduntur, significari nonnulli existimarunt. Citatus a Vossio (33) Gruteri lapis (34), et Vossium ipsum et ceteros fefellit, FORCELLINUM quoque. Est in eo lapide, lin. 23. *Malleolo et celte litteratus silex.* At inscriptio tota *fabulosa est, et ridicula*, ut inquit Antonius Augustinius (35). Ridiculam esse, qui eam legerit, fateri debet; fabulosam esse ex Maffejo scimus; neque eam certe pro antiqua haberi quisquam voluit. *Prolixam*, inquit (36), *Gruteri paginam Sergii, e Pola Istriæ civitate histrionis, epitaphium implet. Pro antiquo acceperunt multi, et ob ea verba* malleolo et celte litteratus silex *in gravissima de versiculo Job* (37) *legendo atque explicando quæstione attulerunt: utitur eo testimonio Vossius quoque in Grammaticis, nec de auctoritate quidquam ambigit: contra explodunt alii tamquam commenticium, quibus Antonius Augustinius olim se ducem præbuit. At lepida illa inscriptio nec inter antiquas, nec inter spurias recenseri debet: composita enim et incisa fuit XV. sæculo, Veneti præfecti, festivo ingenio viri, jussu, neque Deorum Manium præmisso nomine, neque clausula ulla adjecta, quæ vetusta tempora mentiretur. Rem didici a Feliciano Veronensi, qui in MS. Collectione, de qua suo loco verba feci, eam inscriptionem in lapide vidisse narrat, quam* Jacobus Baduarius Sergio Polensi parasito, et histrioni posuit. Hæc Maffejus. Lepidum sane errorem! Parasitus hic veluti a gente Sergia profectus FORCELLINUM quoque decepit, et in ejus Lexico, tamquam in cœna lautissima, locum sibi esse voluit. Queror de Grutero, qui hanc umbram adduxit. Nullum est igitur probati lapidis, aut idonei scriptoris testimonium, ex quo *Celtis* scalpri genus significet (e).

(27) Supplément au Livre de l'Antiquité expliquée. Tom. V. livr. III. chap. III. pag. 72. Parisiis 1724. Gallice et Latine.
(28) Pag. 74. (29) Novus Thesaurus Veterum Inscriptionum, pag. MDCCL. n. 4.
(30) Inscriptionum Antiquarum cap. IX. pag. 625. n. 218. Romæ 1699. (31) Epist. Famil. lib. XIII. epist. XXIX.
(32) In nota citata.
(d) Licet de hoc lapide *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat.* n. 2613. dixerit, *suspectissimum est hoc epigramma*, tamen in V. IMAGINARIUS §. 3. ejusdem lapidis interpretationem non improbandam mihi videor attulisse, quam tu confirmare aliquantisper possis ex loco *Gellii* in SUBITARIUS *in fin.*, et alio *Sidonii* in V. TUMULTUARIUS §. 2. *in fin.*
(33) Lib. I. de Arte Grammatica cap. XXXV. (34) Apud Gruterum pag. CCCXXIX. (35) Dialogo XI.
(36) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. II. col. 185. et seq.
(37) Job c. XIX. v. 23. 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Neque ignoro in multis etiam MSStis legi *certe*: item in Complutensibus, Stephanicis, Regiis, et Hentenianis seu Lovaniensibus. Verum non dubium, quin *celte* scripserit interpres. Vossius in A. G. lib. I. cap. XXXV.
(e) Hanc vocem ut spuriam ex verbis hic a *Cognolato* allatis e Lexico expungendam curavi. V. CELTIS §. 2.

X. Vocem *Contiro* et veteri Calepini Lexico Forcellinus addidit, et in suo quoque esse voluit. Sic illam explicuit, *simul tiro, ut commilito, simul miles.* Habet hanc vocem inscriptus lapis apud Reinesium Cl. VIII. pag. 517. n. 19. Est idem lapis apud Fabrettum pag. 138. n. 131.; extare dicitur, *Via Nomentana prope Templ. D. Agnetis in pariete.* Est etiam apud Muratorium pag. DCCCV. n. 4.; Romæ ponitur in Museo Albano. Lapidem hunc esse notæ satis bonæ existimat Forcellinus (38). Maffejum audiamus. *Inauditam* (39) *vocem* Contiro *in latinitatis sacrarium invexit recens Lexicon Patavinum ex titulo hic recensito* (40), *qui mihi nequaquam probatur; nam isthuc nominis* Cladi, *sive* Claud. Caro *quid est? et quomodo inter tirones adhuc censebatur, qui annos XXXVII. exegerat, et stipendia jam confecerat VII., imo ex Fabretto XVII? nec placet monumentum ab* Heredibus *positum* et Contironibus: *comperendinare attamen oportet usque dum lapidem visam, quem exstare affirmat Fabrettus; eoque magis, quo vocem* Contiro *nequaquam improbo, qui* Concivem *in Museo videam* (f). Addam ego vocem quoque *Commanipulo*, et *Commanipulus*, h. e. simul miles in eodem manipulo, a veteribus usurpatam; qua certe longe nitidior *Contiro*; cui illa opponitur, quæ est apud Gruterum pag. DCXXIIII. n. 7., *Conveteranus*. Gratum igitur fecisset Maffejus, si lapidem quoque ipsum non improbasset. Ego illum ex Muratorio describam: D· M· | CLAVDIO CARO | MIL· COH· VIII (*) | PR· STIP· XVII· | VIXIT ANNIS | XXXVII | HEREDES ET | CONTIRONES | BENEMERENTI | FECERVNT. Quærit Maffejus, quid isthuc nominis sit *Cladi*, sive *Claud. Caro?* nomen militis, inquam ego, qui magnis rebus non claruerat, cujus quoque patriam ignoramus, quamvis patriæ nomen raro omittatur in iis inscriptionibus quæ ad milites pertinent, quod hi non modo ex omni Italia, sed etiam ex provinciis legerentur, nec eorum nomina illustria essent, populisque nota. Mirum fortasse hoc, et insuetum; at docuit ipse *Artis Criticæ Lapidariæ* auctor celeberrimus, *ubi de nominibus agitur* (41), *mira quæque et insueta occurrere aliquando posse. Plura certe semel, aut bis deprehendas prænominum vice fungentia vocabula, quæ vix alias videris: Nero et Paullus modo cognomenti loco, modo prænominis cui non occurrerunt* (g)? etc. At quomodo inter tirones censebatur adhuc miles annorum triginta septem, qui stipendia septem promeruerat, h. e. totidem annos in armis exegerat? quia nondum veteranus, non evocatus, non centurio, non tribunus, non alarum aut cohortium præfectus, non alio in castris honestiore loco. Verum si annos decem supra septem inter milites fuit, ut ex Fabretto et Muratorio, adhuc ne inter tirones? adhuc certe. Eorum enim, qui communi militum nomine censebantur, duo fuerunt veluti genera; tirones, et veterani; horum alterum semper alteri opponitur; qui non veteranus, is, etsi miles non novus, tiro. Erat autem veteranus, qui legitima stipendia vel omnia, vel certe plurima confecerat (42): stipendia hæc, stante republica, fuere viginti quinque. Servius ad illud Virgilii Æneid. l. II. v. 157. *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura*, hæc habet. *Plerumque dicuntur sacramento rogati qui post electionem in rempublicam jurant: et hi sunt, qui habent plenam militiam; nam et viginti quinque annis tenentur.* Fuere postea viginti; eaque contraxit Augustus. Hoc docet Suidas: Βετερᾶνος παρὰ Ῥωμαίοις, ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας. ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ οὗτοι ἐδούλευον h. e. *Veteranus apud Romanos vocatur, qui militia liberatus est: hi autem ad annos viginti militabant.* Hæc demum de veteranis in Romanis legibus (43): *qui in legione, vel vexillatione militantes, post vicesima stipendia honestam vel causariam missionem consecuti erant.* Novi equidem *veteranos milites in exercitu, veteranorum legiones* sæpe a scriptoribus nominari; at qui honestam vel causariam missionem consecuti erant, militiæ aliquando rursus nomen dabant, rursus legionibus adscribebantur. Vide cetera apud Eq. Sertorium Ursatum (44) Romanæ antiquitatis peritissimum; et in hoc ipso Lexico vocem EVOCATUS § 2. Jam ad id redeo, cujus causa tam multa disserui. Nondum ergo e tironibus excesserat Claudius Carus, qui vicesimum militiæ annum nondum expleverat, qui nondum erat veteranus. Quare, conspirantibus animis, ære conlato, heredes et contirones monumentum illi posuerunt; in quo sane quid tandem est, quod jure displiceat? Sed illud fortasse de re hac tota dici tandem potest; Claudium Carum, qui tot stipendia promeruerat, e tironibus tunc jam excessisse, monumentum tamen illi positum ab iis, qui erant in octava illa cohorte contirones. Atque hæc quidem de voce *Contiro* (h). Ea, uti vidimus, non omnino Maffejo displicet, quod vocem *Concivis* in Museo Veronensi observaverit. Inscriptio est ejusdem Musei pag. LXXXVII. n. 5., ac de ea ita ibi Maffejus. *Dolendum quidem, non inscriptionem, sed miserabile fragmen heic ostendi; magnifaciendum tamen, quod Augusteis litteris* concivis *vocem nobis servarit, qua ante hoc marmor visum aureæ latinitatis cultores uti horruissent.* Hanc tamen vocem *minus latinam* ait esse Forcellinus (45), qui et lapidem vidit (i), et cetera, quæ ad hanc vocem spectant, diligenter collegit. Lapidem hunc, et hanc vocem Latio movit Comes Rezzonico in *Plinianis Disquisitionibus* Parmæ editis ann. 1763. P. I. pag. 208. Est ea vox in hoc ipso Lexici hujus volumine primo. Qui eam legerit, is certe animadvertet, inscriptorum lapidum fidem a Forcellino exploratam fuisse; nihilque ab eo omissum, quo illorum auctoritas aut minui posset, aut confirmari. De-

(38) Vid. voc. CONTIRO. (39) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. IV. col. 415.

(40) Apud Reinesium citata pag. 517. Cl. VIII. n. 19. (f) V. infra adnotata in nota (i).

(*) Sic etiam apud Fabrettum; sed apud Reinesium VII. (41) Lib. III. cap. IV. col. 441.

(g) Vide tamen quæ hac de re dixi in Lexico ad NERO §. 2. et ad PAULUS §. 4.

(42) Sigonius de Antiq. Jure Civil. Rom. lib. I. cap. XV. Vide Sertorium Ursatum in Comment. de Notis Romanorum pag. 339. Patavii 1672. fol.

(43) Cod. lib. VII. Tit. 64. leg. 9.

(44) *Discorso sopra una Stanza Sepolcrale* etc. in opere postumo cui titulus, *Marmi Eruditi* etc. Patavii apud J. Cominum 1719. pag. 305. et seqq. 4.

(h) Hanc eamdem inscriptionem attulit etiam *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat.* n. 3559., et vocem *Contiro* probavit ex comparatione cum similibus *commanipularis*, *contubernalis*, et *convicanus*.

(45) V. CONCIVIS. (i) At non vidisse arguunt ea, quæ de hoc lapide dixi in V. CONCIVIS.

lectum quoque prudensque judicium ea indicant, quæ sunt in voce *Patraster*. Vocem hanc latinis Lexicis addendam esse monuerat Maffejus ex quodam lapide (46), quem ipse exscripserat prope Perusiam, ex quo etiam male compositum eum fuisse dicit, quem dederat Muratorius in Novo Thesauro pag. MDCXXXII. n. 9. At ea vox ex duabus aliis apud eumdem Muratorium inscriptionibus sese antea latinis oculis ostenderat, neque Maffeji lapidem expectabat. Vidit hæc omnia Forcellinus (47); vocem tamen ipsam *minus latinam* esse putat; et eas inscriptiones omnes ad cadentis latinitatis tempora referendas.

XI. Jam ad illud antiquitatis monumentum accedimus, quod omnium primus Eq. Sertorius Ursatus, postea Fabrettus illustravit. Res ipsa, in qua modo versamur, et criticæ Maffeji animadversiones nos etiam huc vocant; idque eo libentius agendum nobis esse ducimus, quod est monumentum ipsum Patavinum. Fuit illud in hac Urbe, in domo Bernardini Scardeonii rerum nostrarum historici, a quo primum est editum (48); illudque Gruterus ex eodem Scardeonio descripsit, ceterisque inseruit (49). Dedit illud Ursatus postea, sed paullo aliter, in *Monumentis Patavinis* (50), et Vicetiam asportatum esse dixit ab Hieronymo Gualdo, et in ea urbe apud eam gentem, una cum aliis antiquitatis exsuviis, in domestico Museo æternitati dicatum. Hæc Ursatus anno MDCLII., eo scilicet, quo *Monumenta Patavina* evulgavit. Anno vero MDCLXIX. eamdem inscriptionem ex litterato saxo fideliter exscriptam, atque eam omnino, quæ est apud Scardeonium, Vicetia accepit idem Ursatus, rursusque dedit, et eruditissima epistola illustravit (51). Per ea tempora saxum hoc cuidam Dianæ signo basis erat. Dixit etiam de hoc lapide Raphael Fabrettus, neque ea probans quæ Ursatus attulerat, nova addidit, ut in eo quædam explicaret (52). Hæc vero a P. Montfauconio commemorata postea sunt (53). Muratorius demum monumentum attulit (54) ex Ursato in *Monumentis Patavinis;* nihil adnotavit. Vides testium nubem; judicium tamen hic lapis non evasit, et Maffeji sententia damnatus est. Liceat judicium ipsum redintegrare. Lapidem igitur sistimus, uti est a Scardeonio, et in ea epistola ab Ursato descriptus: D. M. | T. CAPELLI . T. F. | VINDICIS | IN . F . P . XXXVII | A . T . COX. S. P. XXVII | INTRA COX. P. XXXVII. Ita vero legendum esse Ursatus docuit: *Dis Manibus Titi Capelli Titi Filii Vindicis In Fronte Pedes Triginta Septem A Tergo Coxæ Selpucrum Pedes Viginti Septem Intra Coxam Pedes Triginta Septem*. Nihil ex hac lectione a Fabretto mutatum: Montfauconius, notam S quæ est in pænultimo lapidis versu, non *Sepulcrum,* sed *Supra* significare existimavit (55). Monumentum hoc ob inusitatam vocem *Coxa,* quæ in eo est, novumque sepulcrorum spatia designandi modum ab ea inductum, Ursati ac Fabretti labores postulavit. *Sed operam perdidere viri docti,* inquit Maffejus (56); *commentationes enim suas in fallaci ædificarunt solo. Ea tabula pusilla est, cujusmodi funebres hic loci non occurrunt, nisi e subterraneis Romæ monumentis arcessitæ sint, quas e tam longinquo in has regiones ante me nemo merces advexit: petræ color et facies vetustum ævum non redolent; puncta ad imum literarum, non ad medium. Singularia S in quinto versu importune posita quid sibi velit, nemo dixit.* T *pro tergo in lapide quis viderat?* Hæc Maffejus, qui lapidem ipsum antea proposuerat, designatis pedibus in quarto versu XXXVI. tantummodo, in quinto solum XXII. Ego vero ea omnia mihi animadvertenda existimo, quæ ad hunc lapidem illustrandum Ursatus attulit, et ex iis de hoc monumento judicandum. Eum ergo lapidem Patavii inscriptum, Patavii positum Ursatus existimat: duos ex gente Capellia, Grutero teste, commemorat, eosque ex tribu Sucusana, sive Suburana, proindeque cives Romanos; eam gentem Patavium migrasse putat, ex quo Romani rempublicam cum Patavinis communicarunt (57); Titum Capellium, de quo in eo monumento, sub C. Julio Vindice fuisse eo tempore, quo prætor hic sub ipsum finem imperii Neronis, has etiam regiones, quæ communi tunc Transpadanæ Galliæ nomine censebantur, armato milite excurrit, motus excitavit, interfectus tandem est, vel ipse sibi necem intulit; hinc T. Capellio, ut aliis etiam prætoris hujus militibus, cognomen Vindicis; vixisse illum Patavii cum gente sua, neque ideo civium Romanorum jura amisisse. Fuit sane monumentum illud longissimo tempore in domo Scardeonii; cui etiam rerum harum non ignaro petræ color ac facies vetusta visa est duobus abhinc sæculis. Quis porro neget in his quoque regionibus, in quibus multa erant ex romana consuetudine, eas etiam tabulas fuisse, quæ veterum monumenta e subterraneis Romæ locis postea sæpe eruta imitentur? Lapides porro eruditæ ætatis puncta quidem habent non ad litteræ basim, sed ad latus, medioque fere in spatio, quod vocabula discriminat, insculpta; at quis verissimæ antiquitatis lapides aliquando non vidit, in quibus puncta ad imum pæne essent litterarum? Ex iis, qui veteres inscriptos lapides collegerunt, quique sunt a nobis in hoc sermone commemorati, unus fuit Raphael Fabrettus, qui, dum suos ederet, puncta, quæ versuum verba, sive litteras, quibus verba contrahuntur, distinguunt, altiora esse et in medio spatio posita voluerit, et hoc et certum antiquitatis indicium esse, et ad omnium temporum antiquitatem omnino pertinere visus sit existimare. Notam S in quinto monumenti hujusce nostri versu positam ab Ursato explicatam esse Maffejus non animadvertit. Singulare monumentum est; potest ergo solitaria littera T verbo *tergo* expli-

(46) Musei Veronensis pag. CCCLX. n. 7. (47) Vide in V. PATRASTER, i. e. vitricus, *patrigno.*

(48) Bernardini Scardeonii Canonici Patavini De Antiquitate Urbis Patavii, pag. 76. Basileæ 1560. fol.

(49) Pag. DCCCCV. n. 11. (50) Monument. Patav. pag. 276. 277. Patavii 1652. in fol.

(51) Undecima et ultima est ejus Operis, cui titulus: *Li Marmi Eruditi, ovvero Lettere sopra alcune antiche Iscrizioni* etc. Padova 1669. 4.° (52) Pag. 180. n. 377.

(53) L'Antiquité expliquée etc. Paris 1722. Tome V. P. I. liv. III. chapit. VI. pag. 112.

(54) In Nov. Thes. Veterum Inscript. pag. MDCLI. n. 14. (55) Cit. loco et pag. 112.

(56) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. III. col. 200.

(57) Cicero Philippica XII. cap. IV. *Et ut omittam reliquas partes Galliæ,* (*nam sunt omnes pares*), *Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt, missos ab Antonio: pecunia, militibus, et, quod maxime deerat, armis nostros duces adjuverunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant, et propter multorum annorum injurias alienati a senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata cum his republica, fideles esse, qui etiam experies ejus, fidem suam semper præstiterunt.*

cari; res ipsa postulat, postulare videtur certe, ut ita explicetur. Licuit Maffejo antiquariis oculis saxum istud inspicere, nobis videre nostris non licuit; sed cum Vicetiæ adhuc sit, omnia per litteras de eo cognovimus, de quo quidem dicemus postea. Licuit interim nobis ita agere, uti agendum esse Maffejus ipse docuit; qui multa præcipiens in eo lapidum examine, quod oculorum opera peragitur, nihil eorum certum omnino et ubique esse voluit, sed omnia prudenti inquisitioni temperanda aut excipienda commisit. Sunt hæc in ejus Arte Critica (58): *Nec monere prætermittamus, quadratarios veteres puncta intermedia non inferius ad literarum pedem, ut nunc mos est, sed paulo superius, et ad mediam altitudinis literarum imprimere consuevisse, quod multi ex veteratoribus nostris non animadverterunt, neque imitati sunt . . . . . At illa nunquam nobis excidat consideratio, has observationes omnes, tamquam certos et indubitatos canones, minime usurpandas, sed cum moderamine inculpatæ prudentiæ adhibendas, et cum quibusque discussionibus ceteris conjungendas*. Id certe optime est a Maffejo in Arte Critica constitutum. Quid enim est in re lapidaria tam certum, cui certissimum aliquod exemplum exceptionem non faciat? *Interpungebatur*, inquit idem Maffejus (59), *ut plurimum verbis singulis in latinis marmoribus: at cum ea puncta dictionibus tantummodo distinguendis inservirent, non solebant ad finem versuum incidi, ubi finis ipse distinguebat*. Quis hoc neget? At marmor Musei Taurinensis puncta habet in fine versuum. Hoc ipse Maffejus voluit animadverti. *In hoc*, inquit (60), *pyramidato marmore puncta, ut vides, extremis versibus adjiciuntur*. Sed jam ea, quorum causa de hoc T. Capellii monumento dicere instituimus, persequamur. Aliqua tamen præmittenda, quæ ad veterum sepulcrorum ritus spectant; in iis non evagabor intemperanter.

XII. Ea fuit lex in XII. Tabulis: *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito*. Qui post hanc legem in Urbe sepulti sunt, fuerunt aut ii, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuderto, quod eorum posteri jure tenuerunt; aut ii, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt. Hæc Cicero lib. II. de Legibus c. XXIII. Imperatorum quoque leges in Urbe sepeliri sæpe vetarunt (61). Extra Urbem igitur, prope illam tamen, sepulcris locus erat. Horti, agri, ossa ac cineres excipiebant:

Ante Urbem exsequiæ, tumulique, ignesque, rogique (62).

Suo quisque in agro partem aliquam sepulturæ destinabat. Qui fundum viæ publicæ proximum haberet, in ea parte, quæ viam spectabat, sepulcrum condere jubebatur, ut viatores mortalitatis admonerentur. Est hoc in lege Sempronia: *Sepulcra extremis finibus circa decumanos et cardines, qui vicem itineris publici teneant, collocantor:* hoc vero in lege Julia, quæ est de Agrorum divisione: *Monumenta, sepulcrave, quæ post hæc in agris hac lege divisis assignatis constituentur, juxta decumanos et cardines qui centurias terminabunt, vicemque viæ publicæ obtinent, collocantor*. Hinc Appia, Aurelia, Flaminia sepulcris celebres; hinc sæpe viatores in hisce inscriptis lapidibus appellati. Hæc quidem de honestis ac locupletibus viris: pauperes enim, quibus nulla agri pars, proindeque nullum proprium privatumque monumentum, neque satis pecuniæ ad illud comparandum, communi et publico loco sepeliebantur:

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum (63).

Quæ terræ pars sepultum, aut humatum acceperat, ea multa religiosa jura complectebatur; ea erat omnino sacra; non eo falx, non arater ibat; non verti, non subigi, non coli poterat. Ne igitur sepulcrorum magnificentia, ne religio totum solum, in quo monumentum erat, occuparet; ne terram, quæ viventibus fruges suppeditare potest, mortui minuerent (64); ne quis demum alterius sepulturæ partem usurparet, definiri plerumque solebat spatium, quod sepulcro destinatum erat, spatium scilicet loci religiosi; ut sua Manibus, Gentibus, Familiis, exstinctis hominibus jura intemerata essent; ut etiam sciretur, quid puri loci, h. e. neque sacri, neque religiosi, relinqueretur. Excitatus et impositus lapis, cippus, columella, cui mortui nomen ac laus incisa erat, solemnes idcirco formulas habebat verbis sive notis expressas, *In Fronte Pedes* . . . . *In Agro Pedes* . . . . quibus latitudinem longitudinemque soli ad sepulcrum spectantis veteres significabant. Latitudo enim, quæ pars anterior erat, et viam plerumque respiciebat, verbis illis, *In Fronte*, designabatur; longitudo vero, quæ posterior erat, et in campos excurrebat, illis, *In Agro*, sive *Retro*. Plena exemplorum vetustas. Neque tamen *Frontis* nomine latitudinem semper veteres significabant, spatiumque viæ conterminum; neque longitudo ea semper apud eos pars erat, quæ in agro spectabatur. *Aliquando enim*, inquit Cl. Montfauconius (65), *occurrunt sepulturæ loca, ubi longitudo illa facies esse intelligitur, quæ viam respicit; sic quippe legitur*, in agro pedes sex, in longo pedes octo; *alibi vero sic*, in fronte pedes sexdecim, introsus pedes decem, *ubi* introsus *pro* introrsus *legitur, significatque intra agrum;* optimeque animadversum est a P. Joanne Antonio Ursato (66), majorem spatii partem, sive anterior esset, sive posterior, pro longitudine assignatam fuisse, minorem vero pro latitudine. *Aliqua autem*, pergit idem Montfauconius, *inscriptio frontis spatium limitesque denotat, per monumenta hinc et inde a lateribus secus viam posita*: In Fronte Inter Monumentum Titi Rustici, et Lucii Gellii, In Agro Pedes Duodecim. *Hic, qua viam respicit, locus qua sit mensura non notatur, quia sufficiebat hinc et inde terminos adscribere*. Hic igitur veterum mos in designandis sepulcrorum limitibus.

Quid igitur in nostro hoc Titi Capellii monumento, post designatos in fronte pedes, nomen *Coxæ, Pedes a Tergo Coxæ, Pedes intra Coxam?* Dum Romæ esset Montfauconius anno MDCXCIX., familiæ Cæsenniæ amplissimum monumentum in

(58) Lib. III. cap. II. col. 176. (59) Artis Crit. Lapid. col. 176. (60) In Museo Veronensi pag. CCXXI. n. 4.
(61) Vid. Samuelem Pitiscum in Lex. Rom. Antiq. V. *Sepulcrum*. (62) Ovidius Metam. lib. XIII. v. 688.
(63) Horatius lib. I. Serm. VIII. v. 10. (64) Cicero ex Platone lib. II. de Legibus cap. XXVII.
(65) Citati Operis pag. 114. T. V. P. I.
(66) Adnotatione c in Epist. XIII. Eq. Sertorii Ursati *Marmi eruditi. Opera Postuma*. Padova 1719. 4.°

Portu Romano detectum est. Miræ antiquitatis exsuviæ jussu atque opera Cardinalis de Bouillon luci redditæ. Ad Cæsenniam gentem inscriptiones omnes spectabant. Harum maxima totum loci sepulturæ spatium ostendebat: en postremi versus, qui nobis describendi sunt, ut, quæ ex Montfauconio subjiciemus, optime intelligantur: SEPVLCRVM · MACEREIS . CIRCVMCLVSVM | IN · F · P · CCC · IN · AGRO · P · XCVI | Q · F · IVG. *In Fronte pedes trecentos, in agro pedes nonaginta sex, qui faciunt jugerum* (67). Est hoc maximum totius antiquitatis sepulcrum. Eas inter inscriptiones una fuit, cujus occasione nostram hanc T. Capellii Montfauconius citavit; et alteram altera illustravit. Ea fuit in urna marmorea; ecce illam: D · M · | L · FABRICI · L · F · PAL | CAESENNI · GALLI · EQ · ROM· | PONTIF · L · L · SCRIB · AEDILIC | OMNIBVS · HONOR · IN · COST · F· — ITALICVS · P · DIGNISSIMO. Hæc ita legitur, inquit Montfauconius: *Dis Manibus Lucii Fabricii Lucii Filii Palatina* (tribu) *Cæsennii Galli Equitis Romani, Pontificis, Lucii liberti, Scribæ Ædilicii, Omnibus Honorati: In Costa Fecit Italicus Patri dignissimo. Videmus hic*, pergit ille (68), *libertum equitem Romanum, eumdemque pontificem, et scribam ædilicium; nescio an uspiam alibi libertus reperiatur tot tantisque honoribus insignitus.* Hæc tandem addit. *Vox* In Costa Fecit *significat, ut quidem verisimile est, Italicum hunc sarcophagum posuisse ad latus illius magni loci macereis circumclusi, qui ad gentem Cæsenniam pertinebat:* ejus scilicet loci, cujus inscriptionis postrema verba paullo antea descripsimus. Titi Capellii monumentum hic affert Montfauconius, et Fabretti in vocem *Coxa* interpretationem, de qua nobis postea dicendum erit; ac rursus ad *Costam* redit, et hæc scribit (69). *Vox* in Costa *significat, ut quidem videtur, alterum ex duobus angustioribus lateribus, quæ pedum nonaginta sex erant.* Sed quæ spes ex hoc Montfauconii monumento exorta erat, ut illi etiam, de quo nos agimus, auctoritas aliqua accederet, et opportuna explicatio per quamdam similitudinem adhiberi posset, ea omnis evanuit. Eam enim inscriptionem aliter omnino legendam esse verissime docuit Cl. Muratorius (70); ita scilicet: *Lucii Fabricii Lucii filii Palatina* (tribu) *Cæsennii Galli, Equitis Romani, Pontificis Laurentis Lavinatis, Scribæ Ædilicii, Omnibus Honoribus In Colonia Ostia Functi: Italicus* (Libertus) *Patrono Dignissimo.* Cui lectioni hæc addit: *Jam alibi monui, quum* Laurens Lavinas *occurrit, respicere hoc nomen pontificem, aut sacerdotem, templo celeberrimo addictum, quod in oppido ejus nominis situm describit Virgilius Lib. 7. Æneidos. Denique pro* IN COST. *lego* IN C. OST. *idest* in colonia Ostia, *quæ est in aliis saxis, atque a Plinio* colonia *nuncupatur, eratque oppido Laurento contermina.* Eumdem lapidem antea dederat idem Muratorius (71), et hæc adnotaverat: *Idest* Pontifici Laurentum Lavinatium. *Pro* IN COST. *legendum suspicor* In Colonia Functi. Sed posteriores cogitationes sapientiores habuit. Jam igitur de Patavino Titi Capellii monumento, quod prorsus singulare est, Ursati sententia afferenda. Is in ea Epistola, quam alias citavimus, voce *Coxæ* aliquid significari, quod ad agrorum limites pertineret, optime existimavit; cumque limites isti apud veteres, *rivis, fossis, arboribus antemissis, tumore terræ, collectione petrarum, naturalibus, et signatis lapidibus, viis, sepulcris, arboribus peregrinis, et aliis signis* (72) constituerentur, elatam terram, aggerem, *Coxæ* nomine indicari ex quadam Hadriani Turnebi interpretatione opinari se dixit. Verbum enim *Cossigerare*, quod apud Accium est, explicuit Turnebus, *in Coxam aggerare et attollere. Cossigerare*, inquit (73), *dicit Accius pro in coxam aggerare et attollere; nam cossam etiam pro coxa dicebant; testimonio est cossim pro coxim: Verba Accii; Bene proscissas cossigerare ordine porcas, bidenti ferro rectas* (*) *deruere.* Hæc ex Turnebo Ursatus, qui cetera deinde persequitur, quibus notatæ in eo monumento dimensiones explicentur. Aggerem hunc *planæ, atque uniusmodi superficiei mensuræ veluti per machinam dureque admodum accommodari*, dixit Fabrettus (74); cujus interpretationem antequam demus, in eam, quam Ursatus attulit, aliquid animadvertimus. Verba Accii, *bene proscissas cossigerare ordine porcas*, sunt apud Nonium Marcellum c. 1. n. 305. in voce *Porcæ*. At lectio est valde dubia; nam manu exarati Codices habent *Possigerare;* alii ita legunt, *prosit aggerare;* alii etiam *Cossimgirare* (75). Vocem *cossigerare* recensuit Forcellinus, ac Turnebi interpretationem adjecit; de lectionis tamen varietate monuit. At, sit certa lectio *cossigerare;* certa ne Turnebi interpretatio? Vereor equidem: in agro enim *porca* est quod in arando exstat, seu terra elata inter duos sulcos, ut ex Varrone et Columella didicimus (76), cujus postremi auctoris hæc verba damus ex lib. II. c. IV. *Liras rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat.* Cum igitur terræ elatio, terræ cumulus *porcæ* nomine denotetur, vix crediderim vocem aliam fuisse in eo Accii loco, quæ idem omnino significaret; iisque libenter accederem, qui ibi legunt *prosit aggerare;* hoc enim verbo satis monemur, ut porcæ bene attollantur; vocem demum illam *Cossigerare* ex hoc ipso Lexico expungerem. Sed illud etiam est, quod apud *Varios Auctores de Limitibus*, quos Wilelmus Goesius edidit et illustravit, in hanc rem legimus. Faustus et Valerius VV. PP. per Gallias, et per Africam limites assignarunt; hoc inter cetera se fecisse dicunt: *Trifinium* (77) *quam maxime aliquando constituimus cum signis, id est cineribus aut carbonibus, et calce ibidem construximus, et superduximus, et super* Coxam *monticellum constituimus.* Hinc scilicet suspicio oritur, elatam terram, aggerem, *Coxæ* nomine minime significari; non enim agger aggeri ab iis, qui limites constituerunt, fuit imponendus. His moveor, ut de Ursati aggere vehementer dubitem; quem ille ejusmodi fuisse in ea Epistola conjecit, ut non modo T. Capellii sepulcrum clauderet ac tueretur, sed a conterminis etiam agris immoderatam aquarum violentiam prohiberet. Sed jam ad alteram Fabretti interpreta-

(67) V. Montfauconium in toto Capite VI. lib. III. Primæ partis ejus voluminis atque operis, quod alias citavimus.
(68) Pag. 112. (69) Pag. 114. (70) In Novo Thesauro pag. DCXCIX. n. 8.
(71) Pag. CLIV. n. 4. (72) Var. Auct. de Limitibus Agrorum. (73) Adversariorum Turnebi lib. XXIX. c. XIX.
(*) Aliis *tecta*. (74) Pag. 180.
(75) Vide Notas in Nonium pag. 1840. Auctorum Latinæ Linguæ cum notis Gothofredi. Coloniæ Allobrogum 1622.
(76) Vide in hoc Lexico V. PORCA §. 6., et V. LIRA §. 1.
(77) Rei Agrariæ Auctores Legesque Variæ cura Wilelmi Goesii. Amstelredami 1674. 4.° pag. 306.

tionem accedimus. *Ipse*, inquit (78), *Siculus Flaccus . . . . . haud obscure quid* Coxa *sit in agrorum mensura docet, et ad inscriptionem* (Titi Capellii) *simplici facilique via enucleandam conducit. Coxa igitur quemadmodum in humano corpore est os femoris ossi sacro per vertebram adstrictum, angulum internum in sui flexura constituens, ita in agris angulum internum signat; unde per Siculum angulo opponitur pag.* 6. possessorum termini, qui omnibus angulis coxisque positi esse debent. *Qua etiam naturali similitudine retenta, externus angulus Coxam claudens* cubitus *vocatur ab incerto inter* Var. Auctor. de Limit. pag. 266. Pentagonum, quod interpretatur cubitos quinque. Hæc Fabrettus, qui etiam adjecto schemate tres illas dimensiones *In Fronte, A Tergo Coxæ, Intra Coxam,* nullo aggere inducto, explicat atque designat. Fabrettum secuti sunt, qui vetus Calepini Lexicon interpolarunt: hæc enim in eo legimus (79): *Quemadmodum in corpore humano coxa ossi sacro adjuncta angulum internum facit; ita in agris angulum limitaneum notat*: citatur locus, quem ex Siculo Flacco Fabrettus attulit; exemplum additur ex hac Titi Capellii inscriptione; in qua tamen bis typographus peccavit. Pedes enim A Tergo Coxæ ponuntur LXVII.; additur postea Infra Coxam. Eamdem interpretationem secutus est Forcellinus, eadem auctoritate usus, eodemque exemplo. Sed quæ sunt ex anatome, ea melius intellexit; dixit enim: *Quemadmodum in corpore humano femur coxæ adjunctum, angulum internum facit; ita in agris* coxa *angulum internum limitaneum notat*: in rotundos enim sinus, sive acetabula ejus ossis, quod Coxa dicitur, capita ossis femorum hinc et inde conjiciuntur. Titi Capellii inscriptionem fideliter Forcellinus descripsit; Fabrettum et Ursatum de ea locutos indicavit. *Eradatur*, inquit Maffejus (80), *ficticius hic titulus ab eximia, quæ paucis abhinc annis Patavii adornata est, latini Lexici editione, simul cum doctrina de voce* Coxæ *angulum agrorum* internum *significante*. Lapidem igitur, quem ipsis oculis falsum deprehenderat, ex iis etiam quæ continet, omnino damnat. *Sed falsitas*, inquit (81), *præcipue patet ex inauditis ipsis dimensionibus* Intra Coxam, *et* A Tergo Coxæ. *Id cogitavit qui confixit; ubi formulam nunquam visam minime intelligere faterentur omnes, proditurum ipsum, et Siculi (Siculii, vel Seculei enuntiandum opinor) auctoris parum triti loco, ut arbitror, unico in medium producto, non sine populi acclamatione explicaturum. At* Coxam, *Siculius dixit,* Intra Coxam, et A Tergo Coxæ *non dixit. Is de agrorum terminis sermonem habens,* omnibus angulis coxisque *positos esse debere monet: Fabrettus, coxam* in agris angulum internum signare *tradit,* et ea similitudine *externum angulum vocari* cubitum *notat. Ego, quid interni et externi anguli sint, ubi de agris agitur, vix intelligo; multo minus, quid anguli tergum. Externum angulum mathematici vocant, quem trianguli latus efficit, si producatur: constat ex Euclidis Propos.* XXXII. *Lib. primi, qua docet omnis trianguli* μιᾶς τῶν πλευρῶν προσεκβληθείσης uno laterum producto, τὴν ἐκτὸς γωνίαν externum angulum, *hoc est, qui extra triangulum fit, duobus internis æqualem esse; at in re limitanea, qui extra agrum anguli concipi possint, nemo considerat, et internos ab externis distinguit nemo.* Coxa *flexus seu flexura est, cum scilicet campus rectis lineis non circumscribitur, sed flexuosis: tunc enim necesse est, non extremos angulos tantum, sed locos etiam, ubi inflectitur fundus, et procurrit, terminis designare:* versuras *itidem Flaccus appellat, et ubi habet* in flexis versuris, *putavit Rigaltius (nulla tamen necessitate)* in coxis *legendum esse;* nam, *inquit,* in arte ista mensoria, Coxæ dicuntur flexus et versuræ terminorum. *Poterat eapropter, et in sepulcri area, ac religioso loco Coxa fortasse memorari; at vocabuli vim non intellexit, qui* Pedes intra coxam, *et* a tergo coxæ *commentus est.* Hæc ex Maffejo continenter descripsimus; ea modo afferemus, quæ nobis videntur probabilia. Ac primo quidem illud monemus, ne de Siculi Flacci auctoritate quis dubitet. *Auctor,* inquit Maffejus, *parum tritus;* scilicet, ut ii omnes qui penitiorem agrariarum antiquitatum notitiam continent. Sed vetus auctor; sed is, qui consulendus omnino est, cum de agrorum conditione, ac limitibus agitur. *Auctorem esse,* inquit Nicolaus Rigaltius (82), *inter veteres censendum, ex Boethiano agrimensorum catalogo satis constat. Sed nec ante Domitiani ævum, neque item post Nervæ tempora vixisse, ex eo fit verisimile, quod Domitiani de subsecivis edictum laudaverit, non item Nervæ: quem tamen etiam de subsecivis aliquid edixisse, notavimus.* Ad postrema igitur latinitatis tempora referendum est opus Siculi Flacci *De Conditione Agrorum:* ejusque testimoniis in latino Lexico locus esse debet. Illud deinde animadvertimus, vocem *Coxa* bis apud Siculum Flaccum occurrere; semel apud alios Rei Agrariæ Auctores. Primus locus in Siculo Flacco is est, quem Fabrettus citavit: *Ergo* (83) *convenientia, ut supra diximus, possessorum terminos consecrat, qui, ut ante dixeramus, omnibus angulis* coxisque *positi esse debent.* Alter vero apud eumdem Flaccum sic est: *Nam* (84) *et in ipsis generibus sicubi* coxæ *sunt, terminos invenimus frequenter. Sed et petras naturales, quæ in finibus incedunt, sæpe notatas invenimus.* Tertium locum ex Fausto et Valerio ipsi nos jam adduximus; hoc etiam ibi legitur: *Super* Coxam *monticellum constituimus.* Illud igitur certum jam est, esse in hac voce sensum quemdam alium omnino ab eo, quem omnes vident; vocem hanc ad agrariam antiquitatem pertinere; habere demum significationem, quæ ad agrorum limites spectat. Verum, angulum ne internum limitaneum notat? Hoc vero ne ipse quidem probo; in hoc ego quoque a Fabretto ceterisque dissentio. Et ne geometras hue vocem, quod sibi Maffejus faciendum esse duxit, unum hoc animadverto, ideo hanc explicationem Fabretto placuisse, quod apud Siculum Flaccum ea legerit, *possessorum termini, qui omnibus angulis coxisque positi esse debent;* ideoque *coxas* angulis opponi, et hos quidem externos esse, illas vero internos angulos existimaverit. Hoc vero ex illis Flacci verbis, quomodo deduci possit, certe non video: diversi enim limites, et ad diversam agrorum figuram pertinentes ibi certe a Siculo Flacco, qui generatim loquitur, significantur. *Coxam* ergo, ut Maffejus quoque ait, flexuram esse, versuram omnino existimo; cum scilicet ager recturam, ut Frontinus

(78) Alias cit. pag. 180. (79) V. *Coxa*.
(80) Artis Crit. Lapid. lib. III. cap. III. col. 202. (81) Col. 200.
(82) In Observationibus et Notis in Rei Agrariæ Auctores editos a Goesio, ann. 1674. pag. 210, secundæ numerationis.
(83) Pag. 6. apud Goesium. (84) Pag. 13.

loquitur, non servat, sed flexis lineis circumscribitur. In versuris enim termini ponebantur. Figura Græcæ litteræ Γ versuram exhibet. *Hinc illa*, inquit Rigaltius (85), *apud hosce scriptores* (Rei Agrariæ) *terminus in Gamma jacet. Et termini transversi Gammam faciunt; et similia.* Coxam vero flexam versuram esse idem Rigaltius existimat, et in iis ejusdem Flacci verbis, *Alii* (86) *tantummodo inflexis versuris* etc. legi vult ac retineri, *Coxis* (87). Id quidem *nulla necessitate* ab eo factum esse dicit Maffejus; at fecit id Rigaltius auctoritate pervetusti codicis Joannis Arcerii; ex quo codice Josephus Scaliger libellum Siculi Flacci *De Conditionibus Agrorum* describi antea curaverat. Nicolai Rigaltii adnotationem integram subjicio. In Flexis Versuris) *Liber Arc. In coxis vel in riviis. Omnino retinenda vox, coxis. Quod autem sequitur, vel in riviis, irrepsit in aurem describentis, pro, versuris, quod est glossema præcedentis vocabuli, coxis. Nam in arte ista mensoria Coxæ dicuntur flexus et versuræ terminorum: quando scilicet rigores sive recturas et rectos linearum cursus non servant.* Hujus vero significationis prompta et aperta ratio est. Rotundi enim coxæ sinus, quibus capita ossis femorum inserta sunt, totius humani corporis flexionibus et conversionibus inserviunt (88). Ita ergo in hoc Lexico ad hujus vocis significationem scribendum esset: « Quemadmodum circa coxas præcipuæ humani corporis flexiones conversionesque fiunt, ita in re Agraria flexus et versuræ camporum dicuntur *Coxæ* ». Redeo jam ad Patavinum Titi Capellii monumentum. Si quid ego possem conjicere, si quid ex Ursati lectione mutare, quintum ejus Tituli versum ita legerem, *A Termino Coxæ Sepulcrum Pedes XXVII.* In versuris enim, quod jam vidimus, termini ponebantur, ideoque et in coxis; *necesse* enim *est*, ut ajebat Maffejus, *non extremos angulos tantum, sed locos etiam, ubi inflectitur fundus et procurrit, terminis designare.* Voluit ergo Titus Capellius sepulcri sui latitudinem esse pedum triginta septem, qui in anteriore parte per solemnia verba *In Fronte* designatur. Antequam vero religiosi loci longitudinem præscriberet, notari voluit distantiam a termino coxæ, pedes nimirum viginti septem, quos puros reliquit, post quos religiosi loci sive sepulcri longitudinem voluit incipere; quam demum longitudinem esse jussit pedum triginta septem intra coxam, hoc est citra coxam. Distantiam vero a termino coxæ ideo definitam fuisse existimo, ut extra fundi flexionem atque versuram commodius designari posset sepulcri longitudo, quæ et æquabiliter excurreret, et ad pedes septem supra triginta sese extenderet. Hæc certe probabiliter admodum videntur dici; in quibus tamen afferendis et explicandis adjutum me fateor ab iis, quæ Ursatus scripsit in postrema ejus Epistolæ parte, qua monumentum hoc illustravit. Aliam quoque explicationem subjiciam, neque illi deerit auctoritas. Dicam igitur, Titi Capellii fundum in trifinio fuisse, hoc est, in loco quem tres possessores attingebant (89); solitariam litteram T fuisse litteram limitaneam; per eam litteram trifinium significari consuevisse. Quintus igitur Tituli hujusce versus ita fortasse legendus; *A Trifinio Coxæ Sepulcrum Pedes viginti septem.* Apud *Varios Auctores de Limitibus* a Goesio collectos pag. 269. est grandissima littera T, in cujus capite notatum est τ *sola*: pagina vero 272. ita explicatur; T. *si in termino inveneris, trifinium ostendit.* Hanc quoque lectionem subjeci, quam si quis probat, explicationem quinti ejus versus eamdem esse sciat, quam antea dedi. Quæ spectant ad agros eorumque limites, varia fuerunt apud veteres ac diversis in locis omnino diversa; ac si quid insolens hac in re occurrit, quod tamen idoneo antiquitatis testimonio comprobetur, suspicionem movere criticis minime debet. Quare, si *coxa* legitima rei agrariæ vox est; si in *coxis* fuere limites, cur non dici potuit, *A Tergo, a Termino, a Trifinio Coxæ, et intra Coxam?* Dixi igitur de iis, ex quibus præcipue monumenti hujus falsitatem probare Cl. Maffejus conatus est. Hoc unum de hujus sepulcri titulo jure dici potest; singularem illum esse, et quamdam habere veluti Patavinitatem. Ego ejus exemplar postremis hisce diebus Vicetia accepi; ac de eo, ut dixi, omnia per litteras cognovi. Saxum hoc dominum, non locum, mutavit. In horto conspicitur ad ædem D. Francisci; isque locus ad Gualdios primum, tum ad Zoppios pertinuit; nunc honesti cujusdam viri possessio est. Cæmentis ac lateribus adjunctis, signum sustinet ex Etrusco marmore; signum est nudi juvenis, cujus dextera leonis, ut videtur, caput habet; læva, uvæ racemo innititur. Exurgit lapis ad duos pedes et plusquam tertiam pedis partem, ejus latitudo vix ab unius pedis mensura deficit; crassitudo, semissis est. Veteris monumenti formam possis agnoscere. Lapidis genus certe non durissimum; at molliores quoque lapides, in hisce nostris præsertim regionibus, adhibitos a veteribus omnino scimus; duos certe, quos nos vulgo dicimus *di Nanto*, paucis abhinc annis in agro Patavino repertos testari possum: habent ambo sepulcrorum titulos: spectant ambo ad gentem Liviam. De hoc saxo, ita, ut vidimus, Maffejus; *Petræ color et facies vetustum ævum non redolent.* Petræ color, inquam ego, plumbum refert; qui certe color in lapide non durissimo, utrum vetustatis larva, an vetustatis indicium sit, non ita facile dici potest. De punctis ad litterarum pedes notatis jam diximus. Puncta quæ verba litterasque distinguunt, non ita quidem in Romanis inscriptionibus notabantur; erant tamen aliquando modo in imo pæne spatii loco, modo etiam in eo, in quo a nobis poni solent. Dicam demum, in secundo inscriptionis hujusce versu duas illas notas T. F. amplius non extare, et *Capelli* inscriptum esse, non *Capeli*, ut edidit Maffejus; in quarto versu pedes esse XXXVII., a quibus unum idem Maffejus detraxit; in quinto demum, pedes modo legi XXII., ut descripsit Maffejus, sed alteram denarii numeri notam vix conspici, primosque tantum duarum unitatum ductus apparere, qui profecto vestigia sunt notæ numeri quinarii, cum Scardeonii et Ursati temporibus pedes essent in hoc versu XXVII. Hæc ego dubitanter respondi viro celeberrimo; cujus tamen non modo ingenio, sed oculis etiam *insculptis antiquo scalpro litteris diutissime assuetis* permitto omnia atque concedo. Scripseram hæc et jam seposueram, cum *Specimen* quoddam allatum est *Observationum in Insulam Crexæ et Auxeri.* Recens opus cum evolverem, quasdam etiam inscriptiones animadverti, quarum undecima atque postrema hæc est: SEX. IVLIVS . C. F. NIGER. | AED . IIVIR . V. F. SIBI· | ET . IVL . . . . . . ET. FR. | IN . FR. . . . . A. | TERGO . . . . M. Sepulcri titulum habet, et in parva quadam Adriatici maris insula, cui nomen

(85) Pag. 216. secundæ numerationis apud Goesium. (86) Pag. 4. Goesii. (87) Cit. pag. 216. secundæ numerationis.
(88) Heisterus in Compendio Anatomico, n. 164. (89) Siculus Flaccus pag. 6. apud Goesium.

Sansego, detecta est (90). In quarto versu religiosi loci dimensiones notari incipiunt; legitur enim *In Fronte;* quæ igitur sequuntur, ad easdem dimensiones spectant. Omnia fere evanuerunt; relicta est integra vox *Tergo,* quæ certe videtur a postrema quarti versus littera pendere. Verba igitur *A Tergo* ad sepulcri spatium designandum adhibentur. Quænam vox in quinto hujusce tituli versu vocem *Tergo* sequeretur, ne divinando quidem dicere possumus; sed jam est aliquid in hoc lapide, quod ejus, de quo antea diximus, novitatem et insolentiam minuit; aliquid etiam, quod Ursato, qui notam T. in Capellii monumento pro *Tergo* explicuit, fortasse favet. Hic demum consistimus (k).

XIII. Rem aliam aggredimur ab eruditis viris varie jactatam. Spectat illa ad vocem *Iduaria.* Est apud Gruterum (91) inscriptus lapis, quem Forcellinus in V. CALENDARIS §. 2. descripsit. Hunc ego primum legentium oculis subjiciam; ea deinceps addam, quæ de illo sunt apud Maffejum; dicam demum ipse aliquid, remque edisseram, ut potero. Ecce lapidem Æsonæ in Catalaunia: L · VAL · L · FIL · | GAL · FAVENTINO | II · VIRALI | QVI · ANNONA | FRVMENTARIA | EMPTA · PLEBEM | ADIVVIT · ET · OB | ALIA · MERITA · EIVS | COLLEGIA · KA | LENDARIVM · ET · IDVARIA · DVO | CIVI · GRATISSIMO | POSVERVNT. Prima lapidis hujusce verba ita legenda: *Lucio Valerio Lucii Filio Galeria* (tribu) *Faventino Duoviroli* etc. *Faventiam* hanc ad citeriorem Hispaniam pertinere, ac *Barcinonem* coloniam fuisse *juris Italici*, dictamque esse *coloniam Barcinonem Faventiam* egregie (l) probat Ursatus (92). Nobis alia sunt modo agenda. Quoniam igitur Calendis cujusque mensis pecunia fenebris apud Romanos collocari solebat, et Calendis itidem ejus usura solvi, idcirco eum librum, in quo feneratores eorum nomina perscribebant, quibus pecuniam fenori dabant, ac solvendæ etiam pensionis quantitatem, Calendarium dicebant: *Libro de' crediti, Registro de' censi.* Id jam antiquæ leges, Latini auctores non pauci, lapides etiam testantur (93). Qui has tabulas servabat, is dicebatur *Calendaris Curator,* vel *Curator Calendarii.* Horum curatorum collegia etiam fuisse ex descripti lapidis auctoritate existimat Forcellinus. At quod Calendis cujusque mensis fieri solebat, id quoque Idibus factum esse, nonnulli existimant; ut nempe is quoque dies pro usurarum solutione definiretur: hinc eas tabulas, in quibus fenori locatas pecunias et Idibus receptas vel recipiendas Romani perscribebant, vel in quibus apochæ receptæ pecuniæ condebantur, *Iduarias* dictas fuisse; qui eas scribebant, *Iduarios.* Rem probant eodem Gruteri lapide, ejusque testimonio eam vocem Latinitate donant (94). Hanc itaque sententiam, hanc vocem, hunc lapidem damnat Maffejus. Ecce illum (95). *In hac charta est, quæ sic loquitur.* Collegia Kalendarium Et Iduaria Duo Civi Gratissimo posuerunt: *in* Iduariis *explicandis viri docti disputant, et ex hoc titulo Lexicographi vocem recensent: at civitatum* Kalendaria *cum marmora, tum antiquæ leges nobis ostendunt,* Iduaria *monumento comprobantur nullo.* Kalendarium *quid esset, facile intelligimus, tabulæ scilicet rationum publicarum et proventuum ex pecunia fenori data, cujus usuræ cum antiquitus singulis mensibus penderentur, et quidem ineuntibus,*

quum tristes misero venere Kalendæ (96),

Kalendarii *nomen ejusmodi codicibus inditum: at* Iduarium *quid esset, non intelligimus; neque enim* Idibus usuræ colligebantur, *ut Pithœus cogitavit* (97) *neque ex Horatii joco* (98),

Omnem relegit Idibus pecuniam:
Quærit Kalendis ponere

Iduaria *confestim eruuntur. Anxium feneratorem eo loco a poeta vellicari puto, quod ante diem exigere conaretur, et rursus statim collocare; ceteroquin ipsis tantum Kalendis* Mercedem, aut nummos unde unde *extricasse æris debitores ipsemet Horatius docet loco citato* (99), *itemque Ovidius* (100).

(90) *Saggio d'Osservazioni sopra l' Isola di Cherso ed Ossero d'Alberto Fortis* etc. *Venezia* 1771. Pag. 242.

Pag. 121. Sansego *è un' isoletta lontana da Lossin picciolo sette in otto miglia all' Ovest, quindici da Ossero, trentacinque da Cherso, e poco più dalle foci dell' Arsia, alle quali giace dirimpetto.*

Pag. 122. *Quest' isola, a cui non trovo che alcuno scrittore abbia determinato un particolar nome antico, fu però anticamente abitata da gente riguardevole, e forse fu luogo di delizia di qualche ricco Romano stabilitosi nelle colonie del continente e dell' isole vicine. Alcune tavole di marmo Greco, e qualche lavoro di scalpello non affatto rude vi si vedono ancora. L'iscrizione accennata più sopra* (pag. 121.) *e che sarà riferita più sotto* (pag. 242), *appartiene a non del tutto ignobile famiglia; e sarebbe una stravaganza il credere, che d'altronde vi fosse stata portata. Quel povero contadino che ha fabbricata la capanna, in cui ella si ritrova, l'ha scoperta nello scavare il terreno per prepararlo ad uso di meschina abitazione; e non si è nemmeno dato il pensiere di disotterrarla del tutto.*

(k) Post tot *Cognolati* verba de hoc lapide, qui olim Patavii, nunc Vicetiæ adhuc extat in domo *Com. Tornieri*, non incongruum videtur illum iterum adamussim lectorum oculis repræsentare, qualis reapse nunc ibidem legitur: D . M . | T . Capelli | Vindicis | In . F . P . xxxvii | A . T . Cox . S . P . xxi | Intra . Cox . P . xxxvii. In secundo itaque versu nunc non apparent vestigia litterarum T. et F., sed spatium tamen iisdem continendis remanet; in quinto nec XXII, nec XXVII, sed XXI tantummodo, quin immo ibique, lapide attentius inspecto, nullum aliud notarum vestigium apparet, quibus ob lapidis angustiam spatium præterea deest. Illud denique notandum etiam est, litteras initiales aliis longiores esse, nempe T., Capelli, Vindicis, In, F., P., A., T., Cox., S., P., Intra, Cox., P., quod quidem fraudis alicujus suspicionem inducit. Quidquid tamen sit, *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat.* n. 4564. hunc lapidem partim ex *Grutero*, partim ex *Fabretto*, partim etiam ex *Ursato* retulit, et *Scip. Maffeji* opinionem secutus est, qui spurium et ad eludendos viros doctos confictum pronunciat, cui quidem sententiæ me quoque subscripturum esse, ingenue fateor. (91) Pag. CCCCLXXVIII. n. 9.

(l) Immo perperam; nam Barcino quidem etiam Faventia colonia dicta fuit, ut habet *Plin.* 3 3. 4., minime vero absolute Faventia appellatur: adde quod Æsonenses, qui hunc lapidem posuerunt, civem suum gratissimum vocant ob ejus merita, ita ut vel ex ipso lapide manifestum sit, illum non Barcinonensem fuisse, sed Æsonensem civem: restat igitur, ut *Faventino* cognomen sit L. Valerii, cum certissime constet, sæpe veteres Latinos cognomina sibi adscivisse ex urbibus, aut provinciis, unde iidem, vel eorumdem progenitores oriundi fuerant. V. CALENUS §. 6., COLLATINUS §. 3., ROMANUS § 7., SABINUS § 2. (*In hac edit. omnia in* ONOM.). (92) Epistola VII. pag. 135. *Marmi Eruditi.* Padova 1669.

(93) Vid. VV. CALENDÆ, CALENDARIS, CALENDARIUM in hoc Lexico. (94) Vid. V. IDUARIUS.

(95) Artis Crit. Lapid. lib. III. cap. IV. col. 342. et seq. (96) Horatius Serm. lib. I. Sat. III. v. 87.

(97) Advers. II. 4. (98) Epod. II. v. 67. (99) Serm. lib. I. Sat. III. v. 87. (100) De Remed. Amor. v. 561.

Qui puteal, Janumque timet, celeresque Kalendas.

Scaliger Curatorem Iduarii *excudit ex* G. ID. *in* Laziana (101) *nullius frugis, quæ ubi primum affertur* (102), *habet* IV. *Verum fuerint* Iduaria: *posuerunt* Collegia: *quænam? Apianus, et ex eo in Hispanicarum collectione Occo, ut aliquid dicere viderentur,* Collegia Kalendariorum *scripsere. Quid autem* Posuerunt Civi Gratissimo? Kalendarium Et Iduaria Duo: *mirum plane est, ex novo hujusmodi honorificentiæ genere commentum quibuscumque non patefactum. Kalendarias siquidem et Iduarias tabulas honesto probatoque civi tradi par erat quidem, ut eas diligenter curaret atque integre; at in ejus honorem tamquam marmorea signa, vel monumentum perpetuum quoddam, publice statui certe illæ non poterant.* Ego vero exigendarum usurarum duo maxime fuisse tempora, Calendas et Idus, prout in contractu convenisset, omnino existimo; et quæ de Alphio feneratore a Maffejo dicuntur, certe non probo. Hæc enim apud Ciceronem lego Orat. I. in Catilinam c. VI. *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties:* neque unquam existimaverim, hæc ideo a Cicerone dicta, quod Catilina, qui multa tam multis debebat, ita cum singulis simili prorsus ratione privatim convenisset, ut dies pecuniæ et usuræ essent Idus. Hæc etiam apud eumdem Ciceronem lib. XIV. Epist. ad Atticum ep. XX. *Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus.* Hisce testibus rem agit Forcellinus (103): huc certe spectat Horatii jocus, ita eum locum probatissimi interpretes acceperunt: neque profecto is esset in jocando lepos, qui in Horatio esse solet, si Calendæ atque Idus communem feneratorum consuetudinem statim non objicerent. Hisce vero testimoniis Ciceronis locum Epist. ad Attic. lib. X. ep. V. addiderunt nonnulli: *Rogavi, ut, si quid posset, ex ea summa detraheret: promisit: ad me nuper, H-S XXX emisse: ut scriberem, cui vellem addici: diem pecuniæ Id. Novemb. esse.* Sed alienum hoc ab eo quod agitur. Cicero de emptione loquitur diversorii cujusdam; nihil de usuris. Iis porro qui ære alieno premebantur, tristes fuisse Calendas alibi ait Horatius, celeres vero Ovidius; at quod Calendas nominent, de Idibus vero taceant, has quoque tristes celeresque non fuisse pecuniam soluturis dicendum est? Quare, si Calendis cujusque mensis accipi pecunia fenebris, Calendis vero atque Idibus usuræ solvi solebant, quemadmodum libri erant, qui ad Calendas spectabant, ita etiam fuisse tabulas, quæ ad Idus pertinerent, *Calendaria* scilicet et *Iduaria*, eruditi viri opinati sunt; et quemadmodum curatores Calendares, seu Calendariorum curatores fuisse certum est, ita Iduarios quoque, seu curatores Iduarii aut Iduariorum fuisse existimarunt. In iis quæ Lazius habet libro 12. capite 9., quæ sunt apud Gruterum p. DXVII. n. 1. v. 6., DEC. G. ID. COLONIAE. | AQVILEIENSIS, Scaliger legit *Curator Iduarii;* id quidem ex conjecturis, sed quæ probari possint: nam ubi apud eumdem Gruterum pag. scilicet CCCXLV. n. 10. v. 6. ejusdem lapidis verba ita sunt, DECC. IV, leguntur que, *Decurionibus Junioribus,* magis certe arbitrium valuit, quam ratio. Scaligeri explicationem attulit etiam rerum harum doctissimus Eq. Ursatus in suo *de Notis Romanorum* Commentario; illudque addidit; *erant namque* Iduarii, *ut ex Bulengero, in sua Amalthea Onomastica observat Laurentius, qui pecuniam fenebrem* Idibus *relegebant.* In *Breviario* vero et *Mantissa* ejusdem Commentarii notam ID. Idibus. Iduariis. Idus. explicuit. Porro cum harum tabularum curatores publico munere fungerentur, idque agerent in coloniis etiam et municipiis, et proquæstoribus coloniarum fortasse successerint; cum de his titulus extet in Codice Theodosiano; cum demum inter Officia Domus Augustæ censerentur, quis unquam horum curatorum collegia fuisse negaverit? *Jus nomenque collegii,* inquit Joannes de Vita (104), *in omni personarum statu, omnique de re, qua Resp. privatim publiceque componebatur, olim obtinuit.* Lege cetera apud eumdem in ea de veteribus collegiis Beneventanorum Dissertatione; aut saltem quæstorum collegia a Suetonio (105) commemorata animadverte. Hinc quemadmodum Calendarium curatorum collegia apud veteres, ita etiam collegia Iduariorum sive Iduaria; et hoc demum responderi Maffejo potest a nobis sciscitanti, Quodnam hoc tandem honoris genus? Kalendarium et Iduaria Duo Civi Gratissimo posita? hæc ne marmorea signa? hæc ne monumenta? Iratus equidem huic lapidi vehementer essem, si ejus verba hoc modo composita vellem interpretari. Ita potius; Collegia Calendarium, curatorum scilicet, et Collegia Iduaria Duo L. Valerio Faventino Posuerunt. Ita lapidis hujusce fides ex toto constat; optimeque factum video, ut collegia eorum, qui publicas rationes, coloniarum et municipiorum expensas reditusque in tabulis descriptos custodiebant, titulum Faventino posuerint, qui annona frumentaria empta plebem adjuverat. Vide enim quæ de curatoribus Calendarii sunt apud Norisium in Cenotaph. Pisanis Dissert. I. c. III., apud Gruterum pag. CCCCXLIV. n. 5. et alibi; et hujusmodi curatorum officium valde simile, idem etiam fortasse, ut ait Forcellinus (106), fuisse invenies cum officio proquæstorum coloniarum. Ubi vero Calendarium curatorum collegia fuerunt, ibi Iduariorum quoque fuisse, *Collegia* scilicet *Iduaria,* sive unum, sive uno plura, ex iis quæ hactenus disseruimus, unusquisque conjiciet. Samuel Pitiscus in suo Antiquitatum Romanarum Lexico in V. *Collegium* citat hunc lapidem, et in eo mutat aliquid: *Collegia Calendariorum, et Iduaria suo Civi Gratissimo Posuerunt*: hoc ne recte, alii dixerint; explicationem ibi allatam ego certe rejicio. Idem tamen eruditissimus auctor in V. *Idus* eumdem lapidem rursus describit, neque a Grutero quidquam discedit: hæc tandem addit: *Quæ sunt duo collegia Iduaria, nec ipse intelligo. Quod si suspicioni locus sit in re obscura, quia laudatur Faventinus præsertim, quod annona frumentaria plebem adjuvit, forsan videri possint ea collegia esse eorum, qui in municipio habebant curam pecuniæ alimentorum infirmæ ætatis ex plebe, aut annonæ populo præbitæ: quorum munerum meminit inscriptio apud Gruterum* pag. 386. n. 4. . . . . *Illa tamen collegia* Iduaria *dici non liquet:* neque vero possunt, inquam ego. Nos igitur probabilia secuti sumus; Forcellinum certe defendimus, qui diem quoque Iduum exigendis usuris communi Romanorum more statutam fuisse dixit; qui primum hoc lapide est usus, ut curatorum Calendarium, seu Calendarii, collegia fuisse ostenderet; tum ejus testimonium voci *Iduarius, a, um,* apposuit; in eaque expli-

(101) Gruterus pag. DXVII. n. 1. (102) Apud eumdem pag. CCCXLV. n. 10. v. 6. (103) Vid. V. IDUS.
(104) Dissert. V. in Thesauro Antiquit. Benevent. pag. 159. (105) In Claudio cap. XXIV. (106) In V. CALENDARIUM.

cuit quid *Iduaria* fuisse putentur, quid *Iduarii, orum*. Verbum igitur *Iduaria* ad *Collegia* referri ipse etiam existimavit (m). Nova itaque collegia in Romanam antiquitatem induximus; idque unius lapidis testimonio, cui tamen si satis fidei per ea quæ diximus, conciliavimus, severe nimium is aget, qui de re ipsa dubitet, et lapidem e chartaceis fodinis erutum putet. Plura quidem antiquitatis exempla rem hanc testari nobis deberent; at, quod unum superest, quod unum proferri potest, ideo ne legitimum illud esse quisquam negabit? Templorum omnium, Deorum, Dearumque omnium sacerdotes in antiquis monumentis sæpissime memorantur; fuisse vero *sacerdotes justitiæ* ex uno quidem, sed tamen verissimæ antiquitatis lapide cognoscimus. Dedit illum Muratorius (107), et hæc adnotavit, quæ libenter transcribimus. *Rara Inscriptio, utpote quæ nobis exhibet nusquam antea visum* sacerdotem justitiæ, *sive Astreæ. Si hanc protulisset Ligorius, eam protinus rigidus quisquam censor ad imposturas amandasset. Atqui marmor antiquum, vividum, Romæ apud clarissimum Ficoronium adhuc spectandum se præbet* (n). Sed jam ad alia properamus.

XIV. Marmoream tabulam in agro Puteolano repertam, quæque Neapoli esse dicitur a Grutero (108) *in domo Hadriani Guilielmi;* quæ legem continet *parieti faciundo* a II. Viris Puteolanæ coloniæ latam; quam Morillonius et Pighius, aliique non pauci oculata manu exscripserunt, Capaccius vero, Fabricius, Smetius, Brissonius, Scaliger (109), Salmasius, Gudius probarunt; hanc, *inquam*, tabulam antiquitatis consultissimus Maffejus, antiquitati abjudicat, valde certe suspectam habet (110). Aeneis quippe tabulis leges et acta consignari solebant; hanc vero marmoream videt; hinc illi primum suspicio. Ego vero cupreas laminas egregie perscriptas, aptissima litterarum figuratione, lato profundoque vestigio, certum fere antiquitatis argumentum esse, in iisque acta et minantia legum verba exarari et ligari consuevisse, jamdudum didici, et ab ipso Maffejo (111) intellexi; at vero numquam in provinciis marmoreas tabulas fuisse adhibitas ad eas præsertim leges, quæ neque agrariæ essent, neque finium regundorum, sed minorum veluti operum, hoc, inquam, nemo certe me docuit. Quamquam in ea tabula legis nomine, conditionem, pactum, normam, regulam significari libentius dixerim. Continet enim descriptionem faciendi operis; est, ut ipse Maffejus ait, instrumentum pacta, quibus standum erat, constituens. Ita *Lex dedicationis aræ* est in quodam lapide, quem refert Ursatus in *Monumentis Patavinis* pag. 222. Ea enim marmorea tabula Salonæ in Dalmatia inventa fuit, Patavium postea asportata, ibique sita *in pariete fornicis prope pontem Divi Benedicti*. Ejus pars plus quam dimidia recens lucubratio est; Maffejus tamen optime editam ab Ursato fatetur (112), qui nova a veteribus sejunxit. Hoc in ea et certum et vetus: *Cn. Domitius Valens II. Vir. I. D.* (*coloniæ Martiæ Juliæ Salonæ*) *Legem Dixit In Ea Verba* etc. Decreti etiam ab Æsculapii Hygiæque sodalibus olim lati initium hoc est, (113) *Lex Collegi Æsculapi et Hygiæ*. Multarum rerum series *Lex* appellatur, quod has sibi partes collegium imponeret, ne quid in posterum negligeretur.

Sed cetera jam de hac tabula Puteolana dicamus. Auget enim Maffejo suspicionem *epocha quæ præfigitur omnino insueta* Ab Colonia Deducta Anno XC (114). *Nihil frequentius canerent monumenta municipalia, ubi deductis coloniis epochas condendi mos in Italia viguisset. Alia etiam quæ superadditur temporis nota mire prolata, nempe a Romanis consulibus, simulque a duoviris municipalibus, et his quidem primo loco positis.* At vero cum natales coloniarum dies celebrari antiquitus consueverint, quod certe de Brundusina colonia apud Ciceronem legimus (115); cumque natalis sui diem publicis etiam monumentis coloniæ inscriberent, quod certe antiquus lapis Beneventanus testari potest (116), nemo unquam mirari debet, si quando in ipsis publicis tabulis annos ab colonia deducta numerarent. Duumviri porro Romanorum consulum imaginem præ se ferebant; eligebantur ex decurionum ordine; bini ad consulum exemplum creabantur; summus utrisque magistratus erat; ipsi quoque ad annum plerumque illum obtinebant, iisdemque fere insignibus, quibus Romani consules, utebantur, toga prætexta (117), bacillis primum, tum fascibus, licet non eodem numero, lictoribus, virgarum jure (118). Magna horum magistratuum in coloniis municipiisque arrogantia fuit atque superbia, non semel ab urbe principe castigata, quam tamen fere numquam abjecerunt: efferebantur enim coloni, ubi paullum assumpserant vetustatis ac roboris. Vide quæ sunt apud Ciceronem Orat. II. de Lege Agraria cap. XXXIV. ac passim alibi. Hinc factum arbitror, ut consulum etiam nominibus in publicis monumentis aliquando signatis, duumvirum nomina illis præscriberentur. Duumviri enim consulum quoque nomen

(m) Vide, quæ ipse in V. IDUARIUS de hujus vocabuli interpretatione attuli; ex quibus patet, eam Hispaniæ urbem, cui olim *Æsona* fuit, nunc *Isona* nomen est, opulentam fuisse, et negotiationi apprime deditam, utpote quæ duo habuisset collegia feneratorum, unum Calendis, alterum Idibus fenebrem pecuniam exercere solitum. *Iduarius* autem vox Latina fuisse etiam arguitur ex cognomine Romano in veteri inscriptione, quæ in eadem voce citatur ex collectione *Seb. Donati*, quamque ipse ex Museo *Bened. Passionei* transcripsit. Hæc omnia si animadvertisset *Jo. Casp. Orellius*, fortasse in sua *Collect. Inscr. Lat.* n. 4053. pro sincero antiquitatis monumento eam inscriptionem habuisset, et *Maffejo*, qui eam primus improbavit, minime obsecutus esset.

(107) Pag. CLIV. n. 1.

(n) Hunc eumdem lapidem, qui talis est: P · AELIO · TIMAEO — SACERDOTI · IVSTITIAE — P · AELIVS · STRATONICVS — PATER · DVLCISS attulit etiam *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat.* n. 2164., nihilque ibi adnotavit, quo ejusdem fidem et auctoritatem infirmaret.

(108) Pag. CCVII. *in tres paginas divisa, littera satis bona, sed alicubi incorrecta.*

(109) Vide Notas apud Gruterum. (110) Artis Crit. Lapid. lib. III. cap. IV. col. 304.

(111) Artis Crit. Lapid. col. 159. et Tomo V. *Osservazioni Letterarie* pag. 333. *Mi persuadeva bensì da una parte, che fosser vere* (Tabulæ Eugubinæ) *il non aver mai trovato iscrizioni false di metallo se non in pezzi piccioli* etc., et in Museo Veronensi pag. CLXXV. *ementitas aeneas non reperisse me aliquando dixi, sed addidi*, nisi exiguis tabulis: vide Oss. Lett. t. 5. pag. 333.; *quod si alicubi non addidi, incaute egi.*

(112) Col. 208. Artis Criticæ Lapidariæ. *Morcellus De stilo Inscript. Latin. pag.* 46. 47. (in edit. Patav. T. 1. pag. 62.-64.) integram tabulam describit, ac per singulas ejus partes optime explicat.

(113) Apud Fabrettum *Inscript.* pag. 724. n. 443. (114) In tab. cit. v. 1. (115) Epist. ad Attic. l. IV. ep. I.

(116) Apud Joannem De Vita Dissert. I. pag. 31. (117) Livius lib. XXXIV. c. VII.

(118) Vide notam *a* apud Joannem de Vita Dissert. IV. pag. 129. Norisium in Cenotaph. Pisanis Dissert. I. c. III. pag. 67.

affectarunt (119); quod jam Cicero, in ea, quam citavimus, oratione, de Capuæ duumviris loquens, fore aliquando prædixerat. *Nonne arbitramini paucis annis fuisse nomen consulis appetituros* (o)? At quæ nobis supersunt antiquarum legum actorumque veluti ex naufragio tabulæ, non omnia nos docere possunt; ac si quid insolens in earum aliqua occurrit, cum in tanta monumentorum paucitate conferri cum aliis non possit, non idcirco antiquitati abjudicanda; sed ea potius, quæ peculiaria habet, diligentius animadvertenda. Neque hoc exemplis indiget atque testibus. Suspiciones ceteras demum congerit Maffejus. Tabulam hanc Rutilio et Mallio Coss. inscriptam, anno scilicet ab U. C. DCXLIX., diversam esse ait ab iis, quas paullo ante ex Sigonio Gruterus (120) attulit; alium in ea esse loquendi scribendique modum, qui certe florentissimis illis Romanorum temporibus nequaquam respondet. At nemo unquam in tanta Romanarum provinciarum diversitate parem ubique loquendi scribendique modum quæsivit; nemo in antiquis ejusdem temporis monumentis diversum aliquid non animadvertit. Sunt in ea tabula rata verba, solemnes formulæ; est Romanæ consuetudinis, legumque vox: qui eam legerit, hunc aliæ, quas prætereo, Maffeji suspiciones nequaquam movebunt. Serapi, inquit ille (121), *in lapidibus pro* Serapidi *est, numquam pro* Serapidis: Duovirates *quis unquam audiit? non magis certe quam verbum* inasserare, *quod ab hoc titulo recens Calepini editio sibi sumpsit.* Verba legis hæc sunt. *Lex . Parieti . Faciundo . In . Area . Quæ . Est . Ante . Aedem . Serapi . Trans . Viam* . etc. Lege *Serapidi*, si placet; intellige dicatam; eam intellige, cui titulus inscriptus, *Serapidi*. Quamquam, quid vetat per contractam vocem *Serapi* significari *Serapidis?* Tria sunt quatuorve marmora, in quibus est pro *Serapidi*; in hoc vero pro *Serapidis*. *Duovirates* quis unquam audiit? In ea vero tabula pag. 3. v. 8. alii duoviralium legunt, alii duoviratium a recto *duovirates*. Forcellinus (122) duoviralium retinuit; de lectionis tamen varietate monuit. Est in antiquis monumentis et duovir et duoviri pro duumvir et duumviri; vide exempla neque pauca, neque dubia in hoc ipso Lexico (123): quis non igitur et duoviralis probet pro duumviralis (p)? Id scilicet tabulæ hujusce testimonio probavit Forcellinus; eodemque vocem etiam *inassero* (124) Latinitate donavit, quod et in veteri Calepino factum erat; explicuit demum quid in ea tabula significet *antas projicere* (125); et alia etiam quæ in ea sunt, quæque certe Latii jure carere minime debent. Quod vero in aversa marmoreæ hujusce tabulæ parte legebatur (126), *de M. Conjuncto, qui Iter Texit Et Tectum, id*, inquit Maffejus, *meras nugas agi confirmat* (127); mihi vero indicio est, aut eam tabulam primo adhibitam ut aliquid aliud inscriberetur, quod minime perfectum est; aut postquam illa inscripta jam fuit, scalpro aliquando lusisse rerum harum artifices, litteris verbisque ex arbitrio compositis (q). Quæ in altera marmoris hujusce parte leguntur, ea non omnia Maffejus retulit: sunt enim hæc: M · AVIANVS · M · F· | CONIVNCTVS · II· | VIR · ITER · TE | XIT · ET · TECTVM (*dedit*) S · P · (r).

XV. Vocem *Officialis* absolute positam, ut grammatici ajunt, pro ministro magistratus vetus Calepini Lexicon explicuit. Exemplum dedit Gruteri lapis (128), qui ita allatus est; *Officiales Ejus* (consulis) *Provinciæ Aquitaniæ*. Male hunc lapidem explicatum esse animadvertit Maffejus (129): *Index* Gruterianus (130), *et ex eo recens Calepini editio* Officiales Consulis *memorant, sed inscriptione male accepta, quam non consulis, sed* Provinciæ Præsidis Officiales *ponunt*. Vidi ego optimæ notæ lapidem apud Gruterum; erratumque esse fateor in Indice ejusdem Gruteri, in quo *Officiales Consulis Provinciæ Aquitaniæ* memorantur; erratum etiam in nostro Calepini Lexico, erratum demum in hoc a Forcellino: Officiales enim præsidis provinciæ, non consulis, titulum posuerunt (s). Quæ huc spectant, ex eo epigrammate attulit Sebastianus Donatus in adnotationibus: sunt autem hæc: L · IVLIO · etc. | v. 10. PRO · PR · PROVINCI | AE · AQVITANIAE · CON | SVLI · OFFICIALES | EIVS · PROVINCIAE · AQVITA | NIAE · OPTIMO · PRAESIDI | HOMINI · BONO Ceterum in ipsa vocis significatione nihil erratum est; magistratus enim ministri officiales dicebantur. Ulpianus Dig. lib. 36. tit. 4. leg. 5. *Aut per viatorem, aut per Officialem præfecti introducendus est in possessionem* (131). Neque hoc sane Maffejus improbat:

(119) Rei hujus exempla plurima ex antiquis lapidibus ac scriptoribus desumpta vide in opere per hos dies edito, cui titulus: *Discorso Accademico sopra un'antica iscrizione trovata nell'antico Teatro della Città di Catania, recitato dal Principe di Bischari* etc. *In Catania* 1771. *fol.*

(o) Ita quidem olim putarunt viri ceteroquin doctissimi, at *Cajet. Marinus* in *Frat. Arv.* p. 278. et 430. probavit, eos, qui in antiquis monumentis consulum nomine appellantur, non duumviros coloniarum, sed reapse Romæ consules fuisse, eosque præterea suffectos, quorum quia ignotus quondam fuerat viris eruditis consulatus annus, ideo eos consules appellatos esse pro duumviris iidem arbitrabantur.

(120) Pag. CCII. CCIII. (121) Col. 305. Art. Crit. Lap. (122) In V. DUUMVIRALIS.

(123) In V. DUUMVIR.

(p) At cum lapidem hunc *R. Guarinius* et *J. B. Zannonius* attente inspexerint, diligenter transcripserint, et alter Neapoli ann. 1824., alter Florentiæ ann. 1826. editis opusculis docte illustraverint, *duoviratium*, minime vero *duoviralium* ibidem legendum esse perspexere, quos ego secutus novam vocem *duovirates* Lexico addendam putavi.

(124) Est in pag. 2. v. 1. hujus tabulæ. (125) Vid. V. ANTÆ. (126) In notis ad hanc tabulam apud Gruterum loc. cit.

(127) Col. 305.

(q) De hoc eximio lapide Puteolano, præter *R. Guarinium* et *J. B. Zannonium*, de quibus dixi in nota præcedenti (q), etiam *Hieron. Amatius* accurate postea disseruit in *Giorn. Arcad. T.* 33. p. 323-343, ubi nonnulla addidit, quibus ejus monumenti αὐθεντίαν evinceret, et quædam ejusdem verba recte interpretatus est. Hoc cum faceret, licet in quibusdam cum *Cognolato* sentiat, illius tamen sententiam in aliis improbavit, his enim durinsculis quidem usus est verbis *p.* 341. *Il Cognolato, che ammise in questa lapida ed altre non sostenibili supposizioni, preconizza e contesta esuberantemente la sua non intelligenza in queste cose.*

(r) Hanc inscriptionem olim in aversa lapidis parte extitisse, idem *J. B. Zannonius* autumat, cum vestigia serræ, quæ eamdem secuerit, aperte appareant, *Hier.* vero *Amatius* putat, pro *Avianus* in lapide insculptum fuisse *Avianius*, altius nempe producta litteræ N postrema linea, ut sæpe in antiquis monumentis factitatum fuisse, norunt eruditi; etenim apud *Mazochium* in *Tab. Heracl.* p. 259. habetur inscriptio prope Neapolin reperta his verbis: *D. Avianius Sp. F. Rufus*; unde patet, gentem *Avianiam* ibidem natales sedesque suas habuisse.

(128) Pag. CCCCXXII. n. 7. (129) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. IV. col. 412. 413. (130) Pag. XX.

(s) Cum *Maffeji* correctionem, utpote non improbabilem, admiserit *Cognolatus*, ideo in V. OFFICIALIS, ubi citatur eadem inscriptio, locum ita interpunxi, ut nihil futuris criticis emendandum hic reliquerim.

(131) Vid. V. OFFICIALIS in hoc Lexico.

Officiales enim, inquit, *pro apparitoribus habeo* (132): quo certe nomine ii omnes significabantur, qui alicui magistratui apparere ejusque imperio præsto esse apud Romanos solebant. *Apparitores* dicebantur etiam *viatores*. Lapis est apud Muratorium pag. DCC. n. 2. *Prosdecio Viatori Qui Cos. Et Prætoribus Apparuit* etc., quem ita illustrat idem Muratorius. *Quamquam* Viatores *et* Apparitores *diversa fuisse officia credantur, ex ista inscriptione tamen deduci posse videtur, unum idemque sub duobus nominibus fuisse. Tam isti, quam illi magistratibus præsto erant ad eorum officia exequenda. Adhibebantur etiam ad reos capiendos et in custodiam mittendos.* Prosdecius *iste eo nomine* Officialis *et minister fuit consulum et prætorum Urbis*. Hæc iis addenda esse ducimus, quæ docte admodum scripsit Forcellinus in V. VIATOR. Qui ea legerit, hæc quoque non importune a nobis addita existimabit.

XVI. Duo sunt apud Gruterum litterata marmora, in quibus insolens quædam occurrit vox, qua sepulcrum, in quo vita functi quiescunt, significatur. Ea est *Quietorium*. Recensuit hanc vocem vetus Calepini Lexicon: citati ab eo testes duo, scilicet inscripti lapides; at cujus notæ essent, minime animadversum. Forcellinus vocem non omisit; easdem inscriptiones adhibuit; esse illas *notæ non quidem optimæ, sed probabilis* admonuit. Ecce primam (133). M · AVRELIVS · MVTIVS · NOLANVS | ANN · NAT · LXVI · FATVM | COMMVNE | PRAEVENIENS · QVIETORI | VM · HOC · SIBI · VIVENS · PA | RAVIT · etc. Alteram, quæ lato lapide quadratæ formæ continetur, integram dabo (134). D · M · | QVIETORIVM | CLYMENES | ET | LIBERTORVM | ET | RAPHIS De his vero ita Cl. Maffejus (135): *Vocabulo* Quietorium *Christianismum sonanti civitatem dedit recens Calepini editio ex duum Gruterianorum lapidum auctoritate, quæ apud me nulla est; nam utrumque Boissardus protulit, et priorem* Mutii *cognomentum*, Nolani *additio, annorum profitendorum modus, locutio nequaquam lapidaria* Fatum Commune Præveniens, *accusant; posteriorem incongrua forma et servili capiti liberti attributi dehonestant*. Neutrum Boissardus protulit, neutrum scilicet dedit omnium primus: alterum enim ex inscriptionibus sumpsit Julii Roscii (136); alterum Romæ fuisse scimus *in vinea Cæsarini* (137). Sepulcri hujus, seu potius urnæ optimam formam ære expressam vide apud Montfauconium, qui eam ita describit (138). *Quæ hunc excipit urna*, quietorium Clymenes et libertorum et Raphis *appellatur. Clymene in latere urnæ stat, manumque capiti imponit, quod est securitatis signum, ut diximus Tomo primo, et hic cum illa voce* quietorium *consentit. In latere opposito est Genius facem contra terram extinguens, symbolum frequentissimum in urnis sepulcralibus.* Satis hæc contra Maffejum, cujus verba, *posteriorem incongrua forma et servili capiti liberti attributi dehonestant*, etiamsi vellem reprehendere, certe non possem; vix enim intelligo. Sed Raphin servi fortasse nomen existimat; ac turpe esse ait, servum cum domino ejusque libertis fuisse compositum. At liberti, quos patronus testamento honoraverat, eo inferebantur, quo idem patronus; servi etiam aliquando quo dominus ejusque liberti. Docuit hoc ipse etiam Maffejus (139). Quæ vero de primo illo lapide ab eo dicuntur, ea probant, optimis R. reipublicæ temporibus inscriptum illum non fuisse; pertinere illum ad posteriora tempora, ad ea scilicet, quibus divina Christi religio sese extulerat, quibus tamen Latina lingua non interierat. Veteres quidem dixere aliquando eos, qui jam obiissent, *quiescere*: sunt illa apud Ciceronem (140) ex veteri quodam poeta:

Neque sepulcrum, quo recipiat, habeat, portum corporis:
Ubi, remissa humana vita, corpus requiescat malis:

Vides, inquit ille, qui apud Ciceronem loquitur, *quanto hæc in errore versentur. Portum esse corporis, et requiescere in sepulcro putat mortuum. Magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium, nec docuerit, quatenus esset quidque curandum*: Veteres, inquam, dixere hoc aliquando; Christiani vero sublimioribus eruditi principiis *quietis* vocem, ubi de mortuis ageretur, frequentissime usurparunt. Dicuntur illi a Christianis scriptoribus modo *Quieti*, modo *Quiescentes; Sacra Defunctorum Quies* sæpe commemoratur. Vide Carolum Du Fresne in Glossario Mediæ et Infimæ Latinitatis V. *Quietorium;* Samuelem Pitiscum in Lexico Romanarum Antiquitatum V. *Requietorium*. Per ea igitur tempora vocem *Quietorium* in Latium adscitam existimo; et ex iis, quæ antea dixi, fluxisse postea solemnia verba sepulcrorum titulis inscripta, *Heic adquiescit*. Recte demum de duabus hisce inscriptionibus judicatum est a Forcellino, qui eas esse dixit notæ non optimæ quidem, sed probabilis. Est apud Gruterum pag. CMLIV. n. 1., et pag. MXXX. n. 8. vox *Requietorium;* his tamen lapidibus, et huic voci Maffejus pepercit.

XVII. Græcam vocem Σωτῆρα uno Latino verbo exprimi non posse ipse Cicero docuit (141); vertit itaque, *qui salutem dedit*. Probati Latini scriptores voce *Salvator* numquam usi sunt. Id in postremis Calepiniani Lexici editionibus notatum est. Quæ septima fuit anno MDCCLII., id certe habet: ea utimur, dum hæc scribimus. Antiquiorem profecto adhibuit Maffejus, cum illa scripsit (142): *cujus novitatem vincit Lazius* Quirino Salvatori *aliam dedicans* (143): *hanc vocem hujus tabulæ fide recenset inter Romanas Patavina Calepini editio, et adsciscit; sed quæ Lazius mittit, non id habent auctoritatis epigrammata*. In adnotationibus Sebastiani Donati editionem anni 1736 citatam video: sola fortasse ejus epigrammatis auctoritas voci *Salvator* tunc apponebatur. Ea igitur vox a probatis Latinæ linguæ auctoribus non usurpata, adhiberi postea cœpit a Christianis scriptoribus; a quibus eam sibi fortasse sumpsit, qui lapidi inscripsit, *Quirino Salvatori:* is quippe titulus pro

(132) Col. cit. (133) Apud Gruterum pag. DCCCX. n. 2. (134) Pag. MCXXXI. n. 11.
(135) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. IV. col. 367. (136) In nota apud Gruterum.
(137) V. Gruterum pag. ad hunc Lap. citata.
(138) Antiquitas explanatione et schematibus illustrata. Tom. V. P. I. lib. II. c. IX. pag. 67.
(139) Art. Crit. Lap. col. 218. Vide infra quæ a nobis dicuntur ad V. *Tabernaclarius*.
(140) Tuscul. QQ. lib. I. c. XLIV. (141) Verr. IV. c. LXIII. (142) Artis Crit. Lap. lib. III. c. IV. col. 273.
(143) Est apud Gruterum pag. XIX. n. 5.

salute Cæsaris Nervæ Trajani Aug. est positus; neque est sane probabilis. Plura dabit de hac voce Forcellinus; remque omnem satis illustrant, quæ ipse affert ex D. Augustino lib. XIII. de Trinit. c. X. sub fin. *Qui Hebraice Iesus, Græce Σωτήρ, nostra autem locutione* Salvator. *Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat; sicut potuit, quando voluit.* De duabus vero vocibus *Servator* et *Salvator* docte admodum et erudite disserit V. C. Joannes Lamius in libro *De eruditione Apostolorum pag.* 101. et seq. editionis anni 1766., qui locus omnino consulendus.

XVIII. Vox etiam *Sodalitiarius* vel *Sodaliciarius* visa est Forcellino ex illo barbararum vocum sodalitio posse emergere, nixa lapide, quem Sponius (144) ac Fabretius (145) attulerunt. Id illi visum cum vetus Calepini Lexicon interpolaret, visum etiam cum suum contexeret. Inscriptionem primum dabo: IVLIVS · BALERIANVS | QVI · VIXIT · ANNIS · N · XX | NATALI · SVO · D | SODALICIARIVS | BONVS · AMORATVS | FILETIVS · VSQVE · AT FOTSA Ea nunc subjiciam quæ de illa sunt apud Cl. Maffejum (146), qui eamdem Florentiam apud Riccardios per somnium transtulit. *Vocabulum* Sodalitiarius *nulli aut scriptori, aut veteri monumento adhibitum recens et accurata Calepini editio consecravit Fabrettianæ inscriptionis testimonio, quæ itidem apud Sponium est . . . . .* Ipsum lapidem postea describit; hæc tandem addit. *Summam mihi admirationem incuteret, viros doctissimos id genus nugas amplecti potuisse, nisi jam omnino comperissem, et in dies ulterius comperirem, in re lapidaria fascino, ut ita dicam, et incantatione quadam rempublicam litterariam universam alligatam hactenus et detentam. Ut fidem liberem, en tibi* Balerianus *ab eodem scalpro, quod* Bolumnius, Seberus, Flabio, Bela, Inbielo *in his lapidibus protulit: en* Annis Numero XX. *ab eadem manu, quæ nuper* Vela Numero IIII. *et* Cippos Numero IIII. *edidit: en* FOTSA *ab eodem stylo, quo antea* COHTBERTO *et* CARISSTMO. *Eumdem ænigmaticum Genium adhuc certius ea demonstrant,* Amoratus Filetius Usque At Fotsa, *ex quibus tantumdem significationis eruas, quantum ex illis,* QVINQVE PEROVATVOR ETSICINT, *et ex* Aria Farascinta. Amoratus *cum* Filetio (*inscite pro* Philætio) *jocose junctus, ut e contraria significatione mirum quid eliceretur, et cum Latina perverterentur verba, tum Græca ex eadem cognatione judico, qua* Latterninus, Minna, Italicenes, Buccio, Suffenatia Sancta *a Fabretto* (147) *perhumaniter excepta, aliaque plura ejusdem novitatis nomina in hæc saxa prodiere. Quovis pignore contenderem,* Amoratus usque ad fossam *ex vernaculo* fino alle ceneri *prodiisse. Illa,* Die natali suo decessit *e genuina alia decerpta sunt, sed perperam expressa; neque enim* D *pro* decessit *Romana est nota. Ipsissimum denique auctorem singularis vox* Sodaliciarius *prodit, de qua sermo erat, et quam alibi nequaquam reperias.* Vidi ego inscriptos lapides, quos antea Maffejus rejecerat, et quibuscum eum contulit, quem ego antea descripsi; me quoque ejus suspiciones nonnihil movent; nihil modo habeo, quo huic lapidi succurram; Œdipum conjectorem expecto, qui postremum ejus versum mihi ceterisque explicet: erratum in eo fortasse a quadratariis ac lapidariis; verum de integro esset, conjecturis adhibitis, reficiendus: divinandi artem aliis relinquo. Quare donec litterato huic saxo melius beneficio temporis doctorumque hominum labore consulatur, vocem *Sodaliciarius* inter dubias rejicio. Videant eruditi viri, quid lapidis hujus interpolatoribus tribuere possint. Eam certe, inter ceteras, artis criticæ legem Maffejus dedit (148): *Quid de interpolationibus dicam? quanto nobis studio ab ea fraude prospiciendum est, qua, legitimæ quidem, sed, versu, verbo, numero, intruso, dempto, vitiato, productæ sunt inscriptiones haud infrequenter!* Sed ex ea etiam marmorea tabula, quæ olim Romæ erat apud Colotios, postea vero Florentiam deportata est, spes aliqua voci *Sodaliciarius* potest esse, fore ut inter Latinas aliquando recenseatur. Legitur ea tabula apud Gruterum pag. DCII. n. 5. Extat Florentiæ apud Riccardios. Ejus auctoritate minime est usus Forcellinus, quod aut non viderit, aut Fabretti lapidem maluerit. Vidit illam Smetius, edidit Mazochius, emendavit Gudius. Sed quædam adhuc in eo marmore corrigenda, illustranda omnia, ea demum refellenda, quæ Maffejus objecit. Neque hic fortasse labor inanis esset; quem ideo nos non suscipimus, quod in Forcellini Lexico tabulæ hujus testimonium minime legimus. Tabulam tamen ipsam, et Maffeji animadversiones describemus; sunt enim ex arte critica: C · F | D ꝯ M | C · VERGILIVS · MARTA | NVS · COLONVS · AGRI · CAE- | LI · AENEI · (†) ANVLENAE · CER | TAE · COLONAE · AGRI · SS · ANO | RVM · XXII · COIVGI · COIVGALI · | CASTAE · CARAE · BONE · PIAE · | FIDELI · DVLCI · CARE · AMAN | TISSIMAE · DESIDERATISSIME | SODALICIARIA · CONSILI · BONI · B · M · | C · F Ad eam ita Maffejus (149). C. Vergilium Martanum *ducentis abhinc annis Mazochius edidit, comprobavit exinde Smetius. Ab inspectione non arguitur, sed a conceptis verbis.* C. F. *præfiguntur, hoc est* Cajus Fecit; *nove et inconsiderate; nam recepta formula,* Vivens Fecit. *Miri nominis* Ager Caeli Aenci *fuerit, quem Martanus coleret; idcircone conjux ejusdem agri* Colona *diceretur? nostratis linguæ mos apud Latinos non obtinebat, ut fabri conjux fabra, et coloni colona vocaretur. Ecquid sibi vult* cojugi cojugali? *hæccine vetus locutio? Nænia sequitur inficeta,* Castæ Caræ Bone Piæ Fideli Dulci Care Amantissimæ Desideratissime; *at non ita ineptiunt prisci lapides, neque ita desipiunt. Post undecies dandi casu enunciatam,* Colona *nostra casu recto* Sodaliciaria *prædicatur, et additur eodem lepore* Consili Boni. Addam ego, illud etiam ab Eduardo Holtheno (150) observatum esse, postremam epigrammatis hujusce lineam ita esse in Codice Palatino; CONSILI · BONVM, cetera desiderari. Vox igitur *Sodaliciaria* non legitur in eo Codice. Multa igitur apud Romanos sodalitatum et sodalitii genera animadverti, multa sodalium nomina, collegia multa; at, qui ejusdem collegii erant, ii sodales dicebantur, qui in aliquo sodalitio, ii etiam sodales: ii demum sodales, qui imperatoribus in Divos relatis sacra

(144) Miscellan. Erud. Antiquit. pag. 296. (145) Pag. 329. n. 481.
(146) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. III. col. 242. et seqq. (147) Pag. 649. n. 422.
(148) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. II. col. 182.
(†) Pro CAELI legendum videtur C. AELI, ita ut C. Vergilius Martanus colonus fuerit agri C. Ælii Ænei.
(149) Col. 242. (150) Variorum Corrigenda et Animadvertenda, pag. CCCXLI. P. II. T. II. ejusdem Gruteri.

faciebant. Ne ego quidem vocem *Sodaliciarius* unquam offendi: Romana nota est SOD., ea sodalis explicatur; uti illa SOD. HADRIA. Sodalis Hadrianalis. Vide Ursatum in Notis Romanorum (*).

XIX. *Bononiæ*, inquit Maffejus (151), *quæ multis veteribus laudibus Marsilianum Institutum in summum scientiarum bonum nuper adjecit, apocryphas inscriptiones nequaquam offendi: sed in eximia Marchionum Becilaquarum, tertio ab ea urbe lapide, Tusculana Villa plures inspexi nitidissimas, quarum, etiamsi in Felsineis* (152) *valde ostententur et probentur communiter, paucis admodum fidendum arbitror.* Ex his ea mihi seligenda est, quam Gruterus (153) exhibuit, et ipse etiam Felsineorum marmorum descriptor dedit (154). Ea parva tabella est: EX · DOMO · CAESARVM | LIBERTOR · ET · SERVOR | QVOD · EST · COLLEG | TABERNACLARIORVM. Vocem *Tabernaclarius* hinc sibi sumpsit Calepini Lexicon; significari dixit eum qui tabernas conficit. Maffejus hæc contra (155). *Collegium nugatorium et imaginarium; quis enim* Tabernaclarios *audivit? pro iis, qui tabernas conficiebant, doctus ac recens Calepiniani Lexici editor accipit, qui hujus lapidis testimonio eam vocem Romana civitate donat: ego potius pro artificibus tabernaculorum acciperem, quam artem D. Paulus* σκηνοποιὸς *nobilitat*, etc. At si fabros a tabernaculis ea voce intelligi Maffejus velit, dicat oportet contractam eam esse a voce *tabernacularius*, aut legat in eo lapide *tabernaculariorum*. Neque lectio auctoritate caret. Nam apud Gruterum eadem tabella eodem in loco est aliter a Pighio citata atque descripta: ita scilicet: EX · DOMO · CAESARVM · | LIBERTORVM · ET · | SERVORVM · COT · (*sic*) EST · | COLLEGI · | TABERNACVLARIORVM. Hujus lectionis varietas omissa est in veteri Calepini Lexico; de ea monuit Forcellinus, qui tamen vocem *Tabernaclarius* ejusque explicationem ex Calepino retinuit. Ego igitur *Tabernaculariorum* legi malim; vocem *Tabernaclarius* ab hoc lapide minime accipio. Tabernarios (cujus quidem vocis alia est significatio) legi aliquando apud principes Latinæ linguæ auctores; vidi etiam in quodam lapide apud Muratorium pag. CMLXV. n. 7., *Tabernaclarios* vero ne ipse quidem unquam audivi. Collegia quidem *Tabernaculariorum* a viris Romanarum antiquitatum eruditis memorantur. Samuel Pitiscus in V. *Collegium*, *Passim*, inquit, *in antiquis lapidibus leguntur* collegia *fabrorum ferrariorum, tignariorum, dendrophororum, centonariorum, sagariorum, tabernaculariorum, tabulariorum, fœnariorum.* In ea vero, de qua agimus, tabella, ita omnino videtur legendum. Nam inter Officia Domus Augustæ fabros a tabernaculis invenio, a tabernis numquam. Montfauconius (156) enim columbaria duo Romæ ad Portam Capenam reperta exhibet atque describit. Plerique eorum, quorum nomina cinerariis illis ollis inscripta sunt, Augustales artifices atque ministri videntur esse; *unus venator Cæsaris esse dicitur; alius tonsor, qui comæ ejus curam haberet, alius unctor, qui corpus ejus ungeret. Hic duo oculares medici occurrunt, quorum alter* medicus ocularis, *alter* medicus ab oculis *esse dicitur. C. Julius Phronimus custos bibliothecæ Græcæ vocatur* a bibliotheca Græca. *Est quidam scriba* ab epistulis Latinis; *alter* ab epistulis Græcis . . . . . *Alius dicitur esse Augusti* faber a tabernaculis, *qui scilicet tabernacula, sive tentoria ejus fabricaret.* Ecce titulum ex ære ejusdem Montfauconii (157). *Ti. Claudius . Amianthus . Aug. Faber . A . Tabernac.* Hunc ipsum ceterosque titulos vide etiam apud Cl. Muratorium pag. CMXXVI. n. 15. Utrum vero *Tabernacularii* eam omnino artem exercuerint, quam D. Paulus nobilitavit, id ex ipsius vocis σκηνοποιὸς (158), quæ habetur in Actis Apostolorum cap. XVIII. v. 3., explicatione peti debet. Ego interpretem optimum D. Joannem Chrysostomum existimo. *At*, inquit (159), *tabernaculorum texendorum artifex hic* (D. Paulus) *non Siciliam modo atque Italiam, verum universum terrarum orbem verbum Dei prædicans peragravit, cum interim artem non intermitteret, sed vel tum quoque* pelles consueret, *officinæque suæ præesset.* Ego vero quæcumque subitaria tecta sive ex pellibus, sive ex stragulis, sive etiam ex frondibus, sive ex velis modo in castris, modo in via, modo in domesticis hortis, modo alibi excitabantur, ea ad artem *tabernaculariorum* apud veteres Romanos pertinuisse dixerim; quicumque vero ea parabant, ex quibus fieri tabernacula consueverant, eos fuisse fabros a tabernaculis. Horum collegia certe Romæ fuerunt; fuerunt enim artium pæne omnium quæ manu exercentur; *tabernacularii* vero eam profitebantur, quæ et antiquissima erat, et insignes habebat usus. Veteres enim et voluptatis causa in tabernaculis sæpe habitabant, et iis in itinere utebantur, ut, ubi diversorium non esset, aut urbs attingi non posset, in illis noctu manerent. *Multis locis ne tectum quidem accipio, et in tabernaculo maneo plerumque* (160). Dabantur publice tabernacula legatis ac magistratibus in provincias ituris, imperatoribus etiam ad castra proficiscentibus: ipso demum comitiorum die, is qui comitiis præerat, tabernaculum extra Urbem rite capiebat. Ego igitur a *tabernaculariis* non discedo; lapidem illum, de quo agimus, ita lego, uti est a Pighio citatus; lectionemque hanc ipsius etiam Maffeji explicatio probat. Lapides præterea quos in ea villa, quæ prope Bononiam est, Maffejus vidit (quos inter is etiam est, quem nos primo loco descripsimus) *negotium illi facessere cœperunt statim ac tam bene sibi invicem respondere vidit, et idem ferme petræ genus, coronas, seu parerga propemodum eadem, litteras eadem mensura, verbaque in variis uniformiter exarata, ut ab eodem marmorario videri possint; eamdem denique ubique fere incorruptionem atque elegantiam, qua renident candidi isti lapides usquequaque* (161). Quare, si qua illi ex ea re suspicio fuit, ac de tam pulcris ve-

(*) Nimis liberaliter hic *Maffejo* concessisse videtur *Cognolatus*, ut nihili facienda sit auctoritas utriusque hujus lapidis, in quo *sodaliciaria* et *sodaliciarius* legitur, quasi vero istud a Latina lingua adjectivum repudiandum esset omnino; nam utrumque lapidem in suam *Collect. Inscr. Lat. n.* 4644. et 4791. nuper recepit *Jo. Casp. Orellius*, cum ipse viderit a *Petr. Laur. Del-Signore* in *Marmi Riccardiani* p. 268-280. satis superque utrumque lapidem a censura Maffejana vindicatum fuisse.

(151) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. III. col. 216.

(152) Vid. Malvasiam *Marmora Felsinea* etc. Bononiæ 1690. 4.° (153) Pag. DCXLII. n. 8. (154) Malvasia, pag. 616.

(155) Col. 217. (156) In Opere al. citato Tom. V. P. I. lib. II. c. V. pag. 54. 55.

(157) Tome V. P. I. Planche XVII. à la pag. 51. (158) In Vulgata. *Scenofactoriæ artis.* (159) In Epist. ad Rom. Hom. II.

(160) Cic. lib. V. ad Attic. epist. XVI. (161) Loc. cit. in Art. Crit. Lapid. col. 216.

lustatis exsuviis dubitavit, tabellam hanc ita legere Maffejus debuerat, non ut est apud Gruterum primo loco descripta, non ut in Bononiensi villa inscripta est; sed ut est a Pighio citata, allata vero apud Gruterum secundo loco. Utramque ejus formam nos attulimus; dedimus illam utroque modo: tam varie a Pighio citata est, ut certe ab ea, quæ prope Bononiam nunc legitur, descripta minime videatur. Sed jam tabellam hanc totam, quocumque demum legatur modo, Maffejus damnat. Quare nec *tabernaclariis*, neque *tabernaculariis*, quos ego malo, ullus per Maffejum in Latina civitate locus. Fabretto irascitur quodammodo Maffejus, quod hanc inter ceteras e Grutero inscriptionem protulerit, ut probaret servilia capita dominorum sepulcris aliquando illata (162). Hanc ego causam minime attingo, quam jamdudum viri antiquitatum peritissimi ex Fabretti sententia judicarunt (163): ipse demum Maffejus, quod jam diximus, comprobavit. Lapidem ipsum defendo. *Idne sibi persuaderi* (inquit Maffejus) (164) *vir doctus* (Fabrettus) *potuit, antiquum titulum fuisse, cujus sententia nulla? . . . Quod si etiam verba coalescerent, qui fieri poterat, ut monumentum libertorum et servorum Cæsareæ domus externo item collegio pateret?* Mihi vero ejus tituli verba ita videntur explicanda: *Ex domo Cæsarum Libertorum Et Servorum Quod Est Collegii Tabernaculariorum*, h. e. ex numero libertorum ac servorum Cæsareæ domus, ii, qui sunt ex collegio *tabernaculariorum*, qui spectant ad illud collegium, qui collegium illud constituunt: quæ quidem explicatio et Latinæ consuetudini, et veterum lapidum stilo optime nobis videtur convenire. Non unus aut alter ex libertis ac servis fuit in Cæsarea domo faber a tabernaculis; plures certe huic muneri atque artificio addictos fuisse omnino dicendum est: ii corpus, collegium quoddam, ex eorum quæ in Urbe fuisse diximus similitudine, constituebant. Servus aliquis a lectica, quoniam plures erant, qui hoc servitii genus præstabant, dicebatur ex corpore lecticariorum, quorum decurio legitur apud Gruterum pag. DC. n. 1. Pulcherrimæ antiquitatis lapis apud eumdem Gruterum (165): DIS · M | TI · CLAVDIO | AVG · LIB | TIGRANO | EX · CORPORE | LECTICARIORVM | CAESARIS | VIXIT · ANNIS | LXXXV etc. | Cum vero lecticarii vilissimum essent hominum genus, in Cæsarea tamen domo libertos etiam a lectica fuisse ex hoc monumento intelligimus; quod tamen illi domui peculiare minime fuit: verum hoc ideo animadvertimus, ne quis umquam miretur, ejus domus libertos fuisse etiam tabernaculorum artifices. Cum vero plures ex libertis ac servis Augustanæ domus idem munus atque artificium exercerent, unus erat qui ceteris præesset; is dicebatur *præfectus*, sive, ut alii malunt, *præpositus*: ex quo sane corporis seu privati collegii formam agnoscis. Collegia hæc in decurias dividebantur; ac *Magister in Familia* (fabrorum) *Præfectus Decuriæ* occurrit in quodam lapide Musei Kirkeriani (166). Est etiam apud Suetonium in Domit. cap. XVII. *Decurio cubiculariorum;* sed ecce tibi aliam ex Grutero tabulam (167): D · M | TI · CL · | THALLVS | PRAEPOSITVS · VELARIORVM | DOMVS · AVGVSTANAE (168) etc. | Cubiculariorum etiam collegium videtur fuisse in domo Cæsarea. Apud Gruterum enim titulum legimus (169): D . | ZMARAGDI | L . DOMITIA · POLLIN | CVBICVLAR | EX · COLLEG | CVRANTE · NICOSTRATO | AMICO | B ∍ M | . Sed rem hanc turbat Index Gruterianus, qui ad vocem *Cubicular. ex colleg.* Fabrettum citat pag. 184. in Columna Trajana; addam ego antiquas ejusdem Fabretti inscriptiones pag. 440., ex quibus locis intelligimus, collegium Concordiæ, cui servilis turba Augustanæ domus adscripta erat, in eo lapide, quem modo descripsimus, posse significari. *Collegium Quod Est In Domu Sergiæ Paullinæ* legitur in Museo Veronensi pag. CCLVI. 4. Verum hoc prætermitto; ad Maffejum redeo; cujus mihi suspiciones omnes evellendæ sunt. Illud igitur *Tabernaculariorum* collegium eorum erat solummodo, qui in domo Cæsarum fabri erant a tabernaculis: non ergo monumentum *Externo Collegio* patebat; neque tam multi in illud inferebantur, ut non jam *parva tabella*, sed *magnus lapis*, quod Maffejus ait, ejus titulum præ se ferre debuerit. Alia est inscriptio apud Gruterum (170), quæ ad nostram hanc proxime accedit: *Ex Domo Cæsarum Et Liviæ Libertorum Et Servorum;* sed ne hæc quidem Maffejo placet. Ego id primum animadverto, ex ipsa linearum positione atque figura suspicionem facile oriri posse, verba quædam in hoc lapide desiderari. Vacua linearum spatia nullis quidem apud Gruterum punctis notantur; lineæ tamen ita exhibentur, uti certe in integro lapide, quamvis parva tabella fuerit et oblonga, minime esse debuerunt. Ecce illas, uti sunt apud Gruterum; nam Fabrettus (171), qui lapidem certe non vidit, sed ex eodem Grutero descripsit, eas quidem retinuit, sed ex arbitrario melius concinnavit. EX · DOMO | CAESARVM ET | LIVIAE | LIBERTORVM ET SERVORVM | Ceteris deinde respondeo quæ Maffejus objecit, quæ sunt utrique harum inscriptionum communia. *Quænam*, inquit (172), *hæc obscura et detruncata funerarii tituli formula? . . . . . . Dis Manibus non prælaudatis, nec ullo nomine, quo sententia constet, et verba regantur, proposito?* Ego Deos Manes, ac solemnes notas, quibus illi significabantur, in sepulcrorum titulis neque vidi, neque legi aliquando; idque etiam testari poterit quicumque veterum monumenta sive inquirit, sive tractat. Ludet operam quisquis exemplis uti voluerit (173). Neque vero præponi quidpiam duobus hisce titulis necesse erat quo sententia constaret, ac verba regerentur: cum enim tituli eo modo inscribuntur, duo illa verba *Locus Monumenti*, seu *Locus Sepulturæ*, *Monimentum*, *Memoriæ*, *Bonæ memoriæ*, adesse semper intelligimus. Inscriptionem hanc dedit etiam Gorius; attulit, probavit, explicuit, integram existimavit Morcellus *de Stilo Lat. Inscript. pag.* 125. Ita denique Maffejus: Servos ex domo *audivimus, non ita* libertos ex domo: *formula, qua servis et libertis monumentum parabatur, hæc est:* Libertorum Et Familiæ, *domini et pa-*

(162) Vid. Fabretti Inscriptiones, pag. 42. n. 231. (163) Vid. Montfauconium T. V. P. I. Antiq. explan. et schem. illustratæ, pag. 55.
(164) Artis Crit. Lapid. col. 217. (165) Pag. DXCIX. n. 11. (166) Apud Murator. pag. CMXXXVI. n. 9.
(167) Pag. DXCIX. n. 7. (168) Varior. Lectiones vide in notis apud eumdem Gruterum.
(169) Pag. DLXXVI. n. 5. Variorum Corrigenda et Animadvertenda, quæ collegit Eduardus Holthenus pag. CCCXL. Part. II. Tom. II. ejusdem Gruteri. *Videtur ead. Inscript. quæ sic mutila aut decurtata apud Pier. Valer. in notis ad Virg. Æneid. lib. VII. pag.* 137. DIS · MANIBVS · OSSVIS · ZMARAGDI. (170) Pag. CMXXXIV. n. 12. (171) Pag. 42. n. 232. (172) Col. 217. 218.
(173) *Forse alcune iscrizioni, che pur cominciano dal nome del defunto in genitivo, ne sono senza, perchè quando furono ricopiate, la cornice, ove quelle sigle* (D. M) *erano incise, trovavasi rotta e mancante.* P. Zaccaria, Instituzione Antiquario-lapidaria, pag. 249.

troni nomine statim adjecto. Ego hæc contra: Qui *libertos ex domo* numquam audivit, audiat primum ex hisce, de quibus agimus, inscriptis titulis: nihil enim audiet, quod Latinæ aures fastidiant. Illud etiam rei insolentiam minuet, quod liberti servis adjungantur, qui certe *ex domo* dici solent. Libertis quidem ac servis ita monumentum inscribebatur, *Libertorum et Familiæ* (174); at rata verba solemnesque formulæ in omni ferme monumentorum genere varietatem aliquam exceptionemque habuerunt; ac si lapidem proferre licet, qui ad sepulcrales minime spectat, ipsos tum libertos, tum servos communi familiæ nomine comprehensos intelligemus. Dedit illum ex Donio Muratorius (175). A · OSTIENSIS | ASCLEPIADES | AEDITVS · CAPITOLI | SIGNVM MARTIS | CORPORI FAMILIAE | PVBLICE LIBERTORVM | ET SERVORVM | D · D | Quicumque in veteris eruditionis linguarumque studio versamur, non id semper aut emendandum aut rejiciendum esse credimus, quod in aliquo monumento, sive scriptoris loco occurrit, et insolens est. Quantas id clades ederet! Diligentius illud animadvertimus, nova extundimus, multa illustramus; seponimus illud aliquando, lucem ac testes expectamus. *Tam rara est,* inquit Cl. Muratorius (176), *apud Latinos prærogativa* Sacerdotum Coronatorum, *ut hoc unum exemplum hactenus emerserit;* lapidis scilicet, quem illi integrum emendatumque misit Vir Cl. Apostolus Zeno; quem postea dedit etiam Maffejus in Museo Veronensi pag. CCXLVIII. Eadem tamen vox est etiam in Hispellate marmore (177), quod sane legitimum est; at cum illud protulisset Fabrettus (178), miratus fortasse vocis insolentiam, vitiatumque nomen suspicatus, pro *Coronato* posuit *Correctori*. *Attamen certum certissimumque deinceps futurum est,* inquit rursus Muratorius (179), *in Hispellate marmore, quod sine dubitatione legitimum est, scriptum fuisse* Coronatus; *uti præter exemplum accuratissimi Abbatis Ferdinandi Passerini Hispellatis ad me missum, monuit me Cl. Vir Hyacinthus Vinciolus, qui inscriptionem hanc ex autographo describendam, me rogante, curavit. Itaque* Coronatus, *tum* Daciæ, *ut supra vidimus* (180), *tum hic* Tusciæ *et* Umbriæ, *nihil aliud mihi creditur fuisse, nisi* Stephanephorus *Græcorum, in eorum monumentis sæpe recurrens. Non ii vulgares sacerdotes, neque in uno templo conclusa eorum auctoritas, sed per universam provinciam extendebatur. Non in sacrificiis tantum sacrisque ædibus coronam deferebant (quod cuncti, aut plerique sacerdotes facere consueverunt), sed etiam extra templa, et in reliquis publicis actibus. Eorum quoque, ut opinor, fuit, solemnibus provinciæ ludis præesse. Eorumdem ludorum mentionem habes in hac ipsa inscriptione*. Hæc itaque attulimus, non ideo tantum, ut ejus veluti criticæ legis, quam antea proposuimus, exemplum esset, verum ut idem animadverteremus, quod de *Sacerdotibus Coronatis* Maffejus dixit (181), et ex Maffejo in hoc ipso Lexico Forcellinus (182); intelligi scilicet sacerdotes quosdam *sacrorum privatorum,* quibus mos esset coronatos incedere; Græce dictos στεφανηφόρους. Ego Muratorii explicationem potiorem habeo, neque *Coronatos* privatorum sacrorum sacerdotes fuisse umquam existimaverim: qui enim coronati ubique incedebant, ac totius provinciæ, uti vidimus, sacerdotes dicebantur, ii privata tantummodo sacra facere et curare minime debuerunt. Sed in Museo Veronensi, ea lapidis verba, *Ter coronatus Daciæ* explicuit Maffejus, *hoc est, præcipuo sacerdotio ter in Dacia functus* (*x*). Non hæc sane iis respondent, quæ in Epistola ad Cardinalem de Polignac (183) Parisiensem anaglypticam tabulam illustrans ex Dionysio Halicarnasseo docuerat, quæque nos antea exposuimus. In aliam ergo opinionem postea venit, ac Muratorio accessit. Rem tandem rursus turbavit Musei Veronensis pag. CCCCXXI.; eamdem enim Parisiensem tabulam exhibens, coronas communia sacerdotum insignia visus est existimare: *Tres,* inquit, *togatos vides* coronam sacerdotalem *gestantes; Deorum enim* ministri et sacerdotes coronantur, *inquit Tertullianus,* De Cor. Milit. c. 10. Nimis multa jam diximus, neque ea sane omnia, ut uni voculæ *tabernacularius* consuleremus. *Tabernaclarius* id ipsum fortasse est quod *Tabernacularius;* quemadmodum servus a cubiculo *Cubicularius* absolute dicebatur, apud Donium vero Class. VII. n. 119. legitur per syncopen in quodam lapide *Cubiclarius;* et *Vascularius* apud Reinesium et Gruterum, *Vasclarius* est apud Muratorium pag. DCCCXIV. Numquam tamen ea vox illum significat, qui tabernas conficit; explicationem ipsi dedimus. Neque id probo, quod a Carolo Du Fresne dictum est (184), *tabernacularios* eos fuisse *qui tabernacula curabant in castris: Gall. fourriers.* Exemplum attulit ex Epist. XIV. Petri Blesensis; scripsit ille sæculo a Christo nato undecimo. *Curritur ad meretrices et tabernacularios curiales, ut inquiratur ab eis, quo princeps profecturus sit.* Ego eos ipsos intelligi puto, qui principi tabernacula conficiebant, et excitabant, sive in castris, sive in litore, sive in agro, sive alio demum quocumque in loco; neque eos esse existimo, quos Galli dicunt *fourriers,* sed quos ego Italice, si liceret, libenter dicerem *padiglionieri.*

XX. Licet jam e sepulcris, in quibus hactenus commorati sumus, efferre pedem, ac lucem aspicere. Quin immo, cum eorum quæ in hoc opere Forcellinus præstitit, multa a nobis sermonis hujus initio dicta sint, cetera vero sit ipse dicturus in suo, licet etiam præfandi finem aliquando facere. Huic igitur operi in lucem prodeunti felicia omnia tanta nunc voluntate precamur, quanto olim studio ejus auctorem coluimus, quanta ille benevolentia nos ipsos est prosecutus. Eos omnes appello, in quibus est Latinarum litterarum amor, qui Romanæ linguæ et eloquentiæ ingenium intelligunt, qui ejus difficultates legendo scribendoque experti sunt, qui non modo optimorum temporum, sed mediæ quoque et infimæ Latinitatis auctores tractant: nemo certe Lexici hujus volumina tamquam frigida adjumenta contemnet, nemo sibi aliquando saltem consulenda esse non existimabit. *Ita* enim *sumus omnes,* ajebat olim Muretus (185), *etiam qui paullo melius Latine loqui putamur, quam*

(174) Vid. Fabrettum p. 42. 43. (175) Pag. CLXXVII. n. 7. (176) In Novo Thes. Veterum Inscript. pag. CLV. n. 2.
(177) Apud eumdem Muratorium pag. eadem n. 3. (178) Pag. 105. n. 250. (179) In nota ad hoc marmor, pag. cit. CLV. n. 3.
(180) In Lapide, de quo diximus, quemque Muratorio misit Apostolus Zeno. (181) *Osservazioni Letterarie* Tom. I. Artic. IX. pag. 233.
(182) In *V.* CORONATUS. (*x*) Immo potius *in tribus Daciis præcipuo sacerdotio functus.* V. DACIA in ONOM.
(183) Citato Artic. *Osservazioni Letterarie.* (184) In Gloss. Mediæ et Infimæ Latinitatis. *V.* TABERNACULARII.
(185) Lib. II. Epist. XXXVI.

vulgus solet. Dum confidimus, nos jam eam facultatem consecutos, ut vel aliud agentes emendate loquamur, multa inepta, et ne in pueris quidem ferenda, effundimus. Isti præcipue delicati, qui omnia sibi præter Ciceronem putere ajunt; qui, si sine Nizolio possint unam aut alteram epistolam scribere, germanos se esse Cicerones putant; qui Senecam contemnunt, Plinium irrident, Tacitum damnant, ad inferiorum vero temporum scriptores etiam nauseant; qui me aut mirantur, aut miserantur, aut irrident, quod ex Apulejo ipso aut Sidonio quædam petenda esse dicam ad usum Latini sermonis: illi igitur ipsi sæpe ita et loquuntur, et scribunt, ut non eos modo, quos ipsi tantopere abjiciunt, quos præ se contemnunt, sed eorum pistores ac coquos multo Latinius locutos fuisse constet. Quandoquidem vero nullum opus est, cui melius beneficio temporis consuli ab hominibus non possit, et hæc ipsa verborum cura numquam fortasse ita erit consummata, ut nihil sit reliquum; ideo nos, de hoc Lexico in posterum etiam cogitantes, ea seponemus, quibus aut ipsum ditescere, aut ejus pars aliqua emendari possit; neque eorum, ad quos volumina ista pervenient, monitiones effugiemus, modo ne sapientia careant atque benevolentia. Atque hanc quidem ab honestis viris facile nobis pollicemur, minimeque ab iis fuisse præstitam, qui leve aliquid, neque ad Latina pertinens, in veteri Calepini Lexico notarunt, jure conquerimur: nisi forte liberaliter nobiscum egisse sibi videntur, cum opus illud octies tantum ad hæc usque tempora nobis editum, tricies vulgatum fuisse crediderunt. Æquiores illi nobiscum erunt, dum ea ipsa quæ tam severe sunt in veteri Lexico animadversa, expulsa modo et emendata a FORCELLINO intelligent; nos vero nemini umquam molesti erimus, quod Lucani versum, qui est libro tertio Pharsaliæ (v. 190), in quintum transtulerit. Si quis vero Latinæ linguæ fatum nostris hisce temporibus animo volvens, opus hoc, quod nunc ratione et consilio vulgamus, serius quam oporteat, in lucem prodire existimaverit, hujus ego vocibus tantum profecto tribuam, quantum illis tribuendum est, qui ea tantummodo Latina studia attigerunt, quæ prima illa puerili institutione continentur. Eos porro ex nostris Italis qui vernaculam linguam unice amant et colunt, Latinam vero in hoc solo natam, et commune olim nationum vinculum, nostrorum hominum ingeniis excitatam postea et excultam, vel intermittendam vel ablegandam esse putant, eos, inquam, admoneo, ne ita popularis sermonis amore ac studio detineri velint, ut eum negligant, sine quo Italica lingua retineri, augeri, ornari, restitui numquam potuisset. Iis tandem, qui fasces jamdiu Transalpinis hominibus submittendos esse ajunt, et quemdam ex eorum linguis eruditionis universæ campum aperire existimant, multa quidem responderem, si, quam facile error ipse ostendi posset, possent etiam judicia hominum ad nova sæculi exempla in omnibus viventium Latinis verbis emendari. Verum, non præfabor rursus; præfandi potius, ut antea ajebam, finem faciam, auctoremque hujus operis prodire sinam. Ipsam igitur optimi senis modestiæ plenissimam vocem excipite.

III.

CLERICIS

SEMINARII PATAVINI

LATINÆ CONSUETUDINIS ADSEQUENDÆ CUPIDIS

ÆGIDIUS FORCELLINUS

I. Jacobus Facciolatus magister meus, in litteraria republica illustre nomen, cum studiis vestris in hoc Seminario præesset, et, ut quam rectissime procederent, sedula cogitatione atque ope niteretur, inter alia, quæ utiliter suscepit, Latinum et Græcum Λεξικὸν in manus sumpsit, et de utroque purgando et amplificando deliberavit. Et Græcum quidem, aliqua mea opera usus, plurima vero aliorum, quos longe major doctrina commendabat, ita auxit et adornavit, ut quanto vobis adjumento sit, qui in ejus linguæ studio versamini, testes locupletissimi esse possitis. Latinum vero, quod majore cura indigere videbatur, uni mihi reficiendum imposuit, non quidem id secutus, quod satis in me ingenii esse putaret (novit enim ipse, et ego plane sentio, esse perexiguum), sed quod videret satis firmam meam valetudinem, et longissimi laboris patientem arbitraretur. Itaque me præbente manum, illo consilium atque opem, tandem post annos prope quadraginta, finis operi pæne immenso impositus est. Nunc restat, ut doceamini, quid illo duce et auctore præstiterim, et quam rationem novi Latini *Dictionarii* conficiendi, post tot hujusmodi syntagmata toties edita, secutus sim.

II. Prima cura fuit omnes Latinas voces diligenter describere, et exacte disponere per usitatam litterarum seriem, ut quærentibus facile occurrerent. Nec satis habui descriptas ab aliis sumere, quin auctores Latinos non paucos, qui indicibus verborum carebant, attente percurri, et præterea veteres grammaticos, et sex aut septem inscriptorum lapidum collectiones, et numismata vetera, ex quibus plura decerpsi vocabula, quæ in aliis Λεξικοῖς non habentur. Orthographiæ accuratam rationem habui, secutus auctores probatissimos, qui de ea professi scripserunt, et probæ notæ lapides, et numismata: et quotiescumque ea duplex esset, priore loco proposita est, quæ probatior videbatur: et causas, cur ita videretur, in fine cujusque vocis semper adjunxi. Subjeci fere omnibus tum Græcam, tum Italicam interpretationem: alias enim linguas, quæ hucusque addi consueverunt, ut speciosus titulus *Septem linguarum* inscriberetur, omnino neglexi. Notationem vocis, seu etymologiam non omisi, modo esset probabilis, et nimis longe petita non videretur: qua in re sæpe Varronem ipsum peccasse, jampridem eruditi animadverterunt. Quod ad Italicas voces attinet, nulla mihi religio fuit iis etiam uti, quæ ab Etruscis non probantur, id unice spectans, ut Latinam sententiam nostris luculenter exprimerent.

III. Sequebatur potissima cura et maxime necessarius labor illa duo persequendi, quorum causa hujus generis libri sumuntur in manus, Latinarum vocum vim, et usum. Cum enim duo sint studiosorum genera, qui hoc opere indigent, et qui Latina intelligere, et qui Latine scribere volunt; illis satisfit, cum apte et plane sensus verbi exponitur tum proprius, et, ut ita dicam, nativus, tum figuratus, qui ab illo descendit. Ego id fere semper servavi, ut primo loco indicarem, quæ sententia cuique vocabulo proprie accepto subesset: cui rei maxime servit notatio, cum aperta et conveniens est: deinde figuratas significationes subjeci tum solutæ, tum ligatæ orationis, quod sufficere existimavi intelligere cupientibus: neque tamen omisi singularia multa edisserere, quæ peculiarem animadversionem requirere visa sunt. Habenda fuit etiam ratio quantitatis syllabarum, quam prosodiam dicitis; ne qui legunt, aut recitant, voces perperam enuntient, et dum in eo peccant, ne intelligere quidem videantur. Hac de causa, ubicumque licuit, et opus fuit, versum aliquem Latini Poetæ inserere optimum duxi, et initio vocum accentus notam appingere. Multo plura postulant ii, qui scribendo verba componere et sensa sua Latine explicare aggrediuntur. Docendi sunt enim, cuique voci quis sit locus in prorsa aut vorsa oratione, ut Apuleji verbis utar: qua ratione unumquodque verbum aut nomen inflectatur; quæ antiqua vel obsoleta sint, quæ usitata; quæ nomina aut verba plena sint, quæ deficientia; qui casus verbis tribuendi sint, quæ nominibus genera. Ut prisca ab usitatis discernere per se quivis vestrum possit, consulat seriem scriptorum, quam a magistro meo mox dabo (a).

IV. Confirmanda erant hæc omnia afferendis scriptorum locis, quæ exemplo et auctoritati essent lucubrantibus: qua in re præstanda nimius fortasse alicui videbor, et multa in eamdem sententiam congesta omittere potuisse. Sed non una me ratio movit, ut copiam affectarem. Quidam enim dicendi modi rariores non unius auctoritate contenti sunt, ut libere adhibeantur: quædam obscura, pluribus firmata exemplis planiora fiunt: quædam vulgo male accepta, pluribus indigent, ut de vera ipsorum sententia, qui prave acceperant, persuadeantur. Illud vero me maxime impulit, ut copiosus essem, quod vobis adolescentibus laborabam, qui cum in scribendo sæpe inopiam queramini, nihil impensius quæritis, quam abundantiam. Itaque in animo habui tale vobis opus conficere, quo in uno haberetis quæ in Calepino, Doleto, Nizolio, Scoto, Manutio, aliisque multis phrasium atque elegantiarum collectoribus continentur. Utinam vero faxit Deus, ut, si in hac re peccavi, nihil aliud præterea mihi objicere possint docti homines: unum hoc libenter agnovero, si in aliis longe gravioribus mihi parsum iri confidam.

V. In laudandis designandisque auctorum locis hanc legem mihi imposui, ut nullum admodum afferrem testimonium, quod non prius ipse meis oculis in ipso auctore vidissem: ac si fragmenta veterum afferenda essent, quorum libri perierunt, indicarem sollicite, unde hausissem; appellaremque fideliter veteres grammaticos, qui ea nobis servata tradiderunt. Eaque lege adeo me obstrinxisse profiteor, ut maluerim omittere exemplum aliquod, etsi maxime ad rem faceret, quam incerta pro certis venditare. Indicavi autem per libros, capita, sectiones, et in poetis per poematum et versuum numerum; in quibusdam etiam per paginas, ut in Arnobio, Apulejo, Grammaticis Eliæ Putschii, Capella, et Inscriptionum collectoribus. Sed quia non omnes editiones iisdem divisionibus scriptorum opera secuerunt, post seriem scriptorum, de qua supra dixi, habebitis catalogum editionum, quibus usus sum (b): ut non statim mihi culpæ vertatis, si quis locus in libro dissimili, quem vos versatis, indicationi meæ non responderit. Non idcirco tamen in designando non erravi, cum longa experientia didicerim, sæpe in opere longo menti somnum obrepere, et manum aliud scribere, aliud in cogitatione fuisse.

VI. Id etiam fere semper custodivi, ut primo loco auctores afferrem aureæ, aut argenteæ ætatis: antiquiores quoque adderem, qui ostenderent, vocem illam de qua agitur, jamdiu esse in possessione civitatis Romanæ: post hos ad ferreos descenderem, quando meliores non occurrebant. Fateor equidem quosdam citasse, qui ad luteam ætatem pertinent et cadente Latinitate vixerunt: sed hoc ideo feci, quod factitatum videram a doctissimis illis viris, qui in Germania in Thesauro Basilii Fabri summa cum laude laborarunt. Movit me horum auctoritas: movit etiam illa ratio, ne in meo opere deesset aliquid, quod in editis aliorum hoc genus operibus legeretur. Neque tamen hoc vobis, puram atque emendatam orationem sectantibus, officere quidquam poterit, qui et auctoris ætatem ac stilum indidem (hoc est ex hoc ipso opere) cognoscere potestis; et verbum, quod usurpare vultis, ipsum per sese prodet, qua nota sit, et sæpe etiam me monente innotescet. Hoc idem eo facilius assequemini, quo libentius habitabitis in lectione optimorum scriptorum, Cæsaris, Ciceronis, Nepotis, Livii, Virgilii, Horatii, Phædri, Ovidii, qui in scholis nostris ponuntur: quorum nitor loquendi ac puritas aures vestras ita imbuet, ut insolens verbum et inurbanam dictionem, nullo monstrante, deprehendatis. Quæretis ex me fortasse, cur geographica vocabula urbium, fluminum, montium, aliorumque locorum magnam partem omiserim. Ego vero admisi ea omnia, ex quibus adjectiva formantur, ut *Tiburtinus, Brixianus, Fertinus, Ætnæus, Erymanthæus, Pactolis, Padanus,* et sexcenta hujusmodi, quæ non intelligerentur non explicatis iis vocibus, unde ducuntur. Cetera si requiratis, vos remitto ad geographos, quorum res si

(a) *Forcellinus* post hanc epistolam, et sequentem ipsius adnotationem de suscepti perfectique operis sui tempore, addiderat *Indicem scriptorum Latinorum per ætates, ex commentario Jac. Facciolati de ortu, interitu et instauratione linguæ Latinæ*, quod una cum oratione habita in Semin. Patav. pro studiorum instauratione editum Patavii fuit ann. MDCCXIII. Sed cum ille Index vix quartam scriptorum partem contineret, quorum auctoritate prius *Forcellinus*, deinceps ego usi fuerimus in Latinis vocibus confirmandis, ideo alium, illo prætermisso, et pleniorem meliorique ordine digestum subjungendum putavi.

(b) Hunc editionum catalogum ideo omisi, quia post FORCELLINI a Seminario Patavino discessionem, ejusdemque obitum, *Facciolatus* et *Cognolatus* plura Lexico, quod ineditum per plures annos in bibliotheca ejusdem Seminarii jacuit, addiderant scriptorum loca ex recentissimis editionibus quas FORCELLINUS nec viderat, nec consuluerat, qua de re V. *Leon. Targæ* verba in adnot. 2. pag. 80. ad Cornelii Celsi editionem Veronensem ann. MDCCCX. ab eodem curatam. Attamen præcipuam editionem, qua FORCELLINUS, aut ego usi sumus, post brevissimam auctoris vitam in Indice auctorum eorumque operum citandam curavi, ut varietatis lectionum diversæque capitum divisionis ratio lectoribus constaret.

meo operi inseruissem, crevisset profecto in duplum, et sua mole ab utendo deterruisset. Vidi ego, et quis non? Græca Λεξικά, Etrusca, Gallica, Hispanica, etc., in quibus aut prorsus nulla, aut permodica geographiæ ratio habita est. Latina sum persecutus quanta maxima diligentia potui: in hoc unum industriam, vires, tempus collocavi: adolescens manum admovi, senex, dum perficerem, factus sum, ut videtis. Utrum nihil aliud, quam ab aliis descripserim, conferendo cum aliis intelligetis. Macti igitur animis, studiosi Clerici: Romanam eloquentiam amate, quæ vobis olim sanctæ Ecclesiæ inservientibus magnopere est futura: et præter assiduam curam, qua bene merentur de studiis vestris magistri seduli, hæc etiam a me subsidia habete.

IV.

EPISTOLA EDITA

VENETIIS ANNO MDCCLVI.

INTER MENSTRUAS HISTORIÆ LITTERARIÆ MEMORIAS

APUD PETRUM VALVASENSEM T. VII. P. II. ARTIC. X.

JACOBUS FACCIOLATUS

JOSEPHO LASTÆ

VENETÆ PISANORUM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO

S. D.

Quid ais, o bone? Me ne Calepini Lexicum fecisse? Ego vero nec feci, nec fecisse velim. Hujus libri auctor Fr. Ambrosius est, patria Calepinus, instituto cœnobita Eremitanus; qui tantum operæ in eum contulit, quantum industrii cœnobitæ vires et tempora patiebantur. Laudandus hominis conatus, qui omnium ante se famam obscuravit, solusque grammaticas scholas diutissime tenuit. Auctus subinde a multis est, iterumque ac sæpius editus; jamque ita creverat, præsertim Passeratii sive opera, sive nomine, ut vix quippiam ad hoc studii genus addi posse videretur. Itaque cum ego Patavini Seminarii scholis præfectus excutere illum cœpi, et palam profiteri, velle me millia multa expellere, quæ barbara essent, atque alia sufficere, crabrones excitavi, a quorum aculeis vix me servavit Apollo: Georgium dico Card. Cornelium, Episcopum Patavinum, qui mihi uni credere maluit, totiusque rei arbitrium concessit. Illud quoque permisit, ut unum aliquem ex meis discipulis (nam eodem tempore Academiæ scholam regebam) deligerem ingenio moribusque spectatum, isque Ægidius Forcellinus fuit, qui zothecula mea inclusus mihi uni auscultaret, operamque fideliter præberet. Sed cui hæc? Tu ipse circa tempora illa alumnus Seminarii eras, et omnia recte nosti. Quatuor admodum annis expurgatus, auctus et perpolitus liber est, non quidem ut debuit, sed ut potuit, urgente quotidie typographo. Placuit Latinitatis studiosis, et invidiam extinxit. Hinc crevit audacia, et majus aliquid cogitare cœpi. Scilicet ne ipse quidem mihi Caroli Stephani Thesaurus probabatur. Quid quæris? Novum concedere Latinæ linguæ Lexicum aggressus sum, quod voces omnes, variosque earum usus complecteretur, ejusdem adhibita Forcellini opera, huic studiorum generi jam assueti planeque dicati. Vix se volumina apud me scripserat, cum Card. Cornelius fato cessit, percussoque pastore dispersæ sunt oves usque ad annum sæculi tricesimum. Tunc ego Seminarii curam denuo suscipere jussus, quantum publicæ Universitatis ratio pateretur, pristini operis cogitationem revocavi, eumdemque adjutorem accivi, qui jam satis superque instructus, ipse per se, acceptis præsidiis, lucubraret. Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est, vixque ego in plerasque litteras quippiam contuli præter consilium. Princeps hujus operis conditor atque adeo unus Forcellinus est (1).

Jam habes de toto Calepini negotio, quo pertinet pars litterarum tuarum prima, etc.

Patavio Idib. Januar. ann. MDCCLVI.

(1) Edidit iterum hanc epistolam Facciolatus an. MDCCLIX. in calce libri, cui titulus: *Animadversiones Criticæ in magnum Petri Danetii Dictionarium.* Locum hunc ita mutavit: *Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est; vixque ego in plerasque voces quippiam contuli præter consilium, in multas autem ne consilium quidem. Jam habes de toto Calepini negotio* etc. Eamdem epistolam tertio edidit, anno scilicet MDCCLXV., et est CLXX. inter ejus Epistolas Latinas (pag. 296). Locum hunc ita mutavit: *Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est; nondum tamen ad typographum, qui latet in fatis. Jam habes de toto Calepini negotio* etc. Erat ille adhuc in vivis, cum typographus in hoc opere laborare jam cœperat. Hæc itaque in scriptis reliquit, quæ huic epistolæ post ea verba, *latet in fatis*, adderentur. *Tandem fata cessere Marino Card. Priolo Episcopo Patavino, qui pro animi sui magnitudine et litterarum amore diutius ferre non potuit scholarum Latinarum voces jure querentium deesse sibi adhuc satis copiosum Latinitatis Lexicum. Superi faxint, ut omnia illi bene vertant, quæ ad typographiæ hujus totiusque Seminarii felicitatem summo consilio et providentia jam instituit.*

V.

IX. CAL. MART. ANN. MDCCLIII.

ÆGIDIUS FORCELLINUS

BERNARDINI FILIUS

SEMINARII ALUMNUS ET SACERDOS

ANNOS NATUS LXIV. M. V. D. XXVI.

Phœbus utrumque polum decies quater axe revisit,
Hoc nostra immensum dum manus urget opus.

Veteri Calepino interpolando manus admovi ann. MDCCXV. prid. Id. April. Quæ interpolatio et quatuor fere annos absumpsit; et illud simul docuit, tot ac tanta esse in toto illo opere corrigenda, mutanda et addenda, ut nihil probabile emitti posset, nisi de integro recuderetur. Itaque sub finem ann. MDCCXVIII. jussu Card. Cornelii Episc. Pat., et ductu Jacobi Facciolati Studiorum Præfecti animose aggressus tam vastum opus, tres annos cum dimidio in prima A littera insumpsi. Dumque pergerem alacriter, accidit ut a. MDCCXXIV. Seminarium relinquere cogerer, et opus omnino intermittere. Sed revocatus post annos fere septem illud resumpsi Idib. April. ann. MDCCXXXI. strenue progrediens usque ad ann. MDCCXLII. Quo anno cum esset novum mihi onus impositum Confessarii Clericorum, lente admodum necesse fuit progredi, cum fere quotidie ab opere ad alia agenda avocarer. Novem ferme annos, quasi claudus, et subinde insistens, processi: tandemque ann. MDCCLI. gravissimo illo munere liberatus, jubente Card. Rezzonico Episc. Pat., ad qualemcumque finem, Deo favente, perveni IX. Cal. Mart. ann. MDCCLIII. Reliquum est, ut relegam, si vita suppetet, et alia manu describendum tradam.

Relegere incœpi prid. Non. Junii ann. MDCCLIII.: finem imposui V. Id. April. Ann. MDCCLV.

Descriptio inchoata est III. Non. Decembr. ejusdem anni MDCCLIII. a Ludovico Violato: confecta Idib. Novembr. ann. MDCCLXI.

Hæc ex autographo ipsius Forcellini; *qui tandem obiit Prid. Non. April. ann.* MDCCLXVIII. *Eritque bonis doctisque viris illustre nomen.*

Eidem autographo hæc manu propria ipse Forcellinus *præmiserat*, quæ nunc primum adduntur:

Hæc collegi quomodo scivi, quomodo potui. Nemo enim omnia potest scire, inquit *Varr. lib. 2. R. R. cap. 1*

Id viro bono satis est, docuisse quod scierit. *Quintil. lib. 12. c. ult.*

Non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus: ideoque paullo pluribus verbis debet haberi venia. *Idem lib. 11. cap. 1.*

Nemini umquam contigit non errare: et majus est quam ut convenire in humanam infirmitatem possit. *Dacer. in præfat. Festi.*

Omnium habere memoriam et penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis est. *Imp. Justinian. ad senat. et omn. populos initio Digestor.*

Χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα.— Γαλην. περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους, βιβλ. β. κεφ. α. περὶ τῶν ὑπ' Ἀρχιγένους γεγραμμένων.

Jos. Scaliger.

Si quem dura manet sententia judicis olim,
Damnatum ærumnis suppliciumque caput;
Hunc neque fabrili lassent ergastula massa,
Nec rigidas vexent fossa metalla manus.
Lexica contexat: nam cetera quid moror? omnes
Pœnarum facies hic labor unus habet.

Omnes ego, qui magnum aliquid memorandumque fecerunt, non modo venia, verum etiam laude dignissimos judico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur, victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur. *Plin. lib. 9. epist. 19.*

Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. *Idem lib. 3. epist. 7.*

Nihil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum quo se probet diu vixisse, præter ætatem. *Seneca de Tranquill. cap. 3.*

VI.
LECTORI BENIGNO
JOSEPHUS FURLANETTUS
S. (1)

Alius alio plura invenire potest, nemo omnia.
Ausonius.

1. Cum Appendicem ad hoc Lexicon, typis hujus Seminarii ann. MDCCCXVI. evulgarem, in fine ejusdem præfationis pollicitus sum, si liberum mihi fuisset et vacuum tempus, multa alia me imposterum adjecturum fore novæ hujus Lexici editioni, quæ quidem præstare me posse sperabam et citius et cumulatius, quam modo concessum tandem mihi est. Sed tum gravissima onera mihi imposita, tum minime quæsiti honores attributi, tum frequentes invaletudines in causa fuerunt, cur vel invitus ab hujusmodi studiis avocarer. Unusquisque porro per se videt, tantum laboris exantlandum illi esse, qui totius Latinæ linguæ Lexici corrigendi augendique curam susceperit, ut, nisi is pluribus auxiliis fretus, virorum principum hortamentis incitatus, et spe præmiorum illectus fuerit, nihil, aut parum admodum in re tam ardua sibi proficiendum esse speret. Hæc cum mihi defuerint, iis, quæ unius ingenii mei, quod quam debile et infirmum sit optime sentio, vires suppeditarunt, contentus ut sis, benigne Lector, oro obtestorque. Quare illud nunc tantummodo manifestandum tibi censeo, quid præstitum a me fuerit in hac tertia Lexici editione, ut eadem, licet adhuc imperfecta, saltem duabus prioribus aliquantisper emendatior et locupletior prodiret.

2. Novi enimvero, quid in tanta sæculi nostri luce, tamque propagato antiquitatum Latinarum studio, tum ab Italis, tum ab exteris eruditissimis viris harum disciplinarum cultoribus actum fuerit. Veterum nempe auctorum opera, quæ jam edita fuerant, accuratiore interpretandi ratione illustrata sunt; alia etiam eorumdem scripta, quæ præcipue in palimpsestis codicibus obsita et prorsus incognita jacebant, opes artis chemicæ, et industria doctissimi cujusdam viri (2), e tenebris emersere; veneranda denique Romanæ vetustatis monumenta marmore exarata, metallisque flata vel insculpta, quæ negligentius, quam oportebat, vulgata fuerant, iterum fidelioribus oculis subjecta sunt, quæque ex terræ visceribus recens effossa bonus eventus in dias luminis oras emiserat, doctis commentariis instructa scriptorum veterum locis explicandis mirificam lucem attulerunt. Hæc omnia, quantum homini privato, et necessariis auxiliis opibusque destituto licuit, mihi comparavi, ex iisque vel nova vocabula improbo labore excerpta, Lexico addenda, vel, quæ ab aliis fuerant jam recensita, dubiæ tamen adhuc significationis, confirmanda curavi.

3. Nolim tamen, quemquam arbitrari, me ideo nimis confidenter affirmasse, ea omnia, quibus emendandum augendumve Lexicon esset, mihi explorata, collecta atque in ordinem digesta suis quæque locis reposita fuisse. Quod ut omnibus magis innotescat, inquirendum mihi esse existimo, quænam Lexicographi officia sint, ut Latinæ linguæ Lexicon omni ex parte perfectum, quantum quidem humana patitur conditio, exornet, eumque orbe erudito communicet.

4. *Primum* itaque Lexicographi officium est, omnes voces, quæ apud quoscumque scriptores, et in omnigenis monumentis, a pueritia Latinæ linguæ ad ultimam ejusdem senectutem, reperiuntur, colligere; *deinde* earum originem, sive etymologiam vel ab eadem lingua, vel ab aliis quibuscumque derivandam ostendere; *tertio* denique earumdem notiones, non quidem per tempora, sed ex diversa significatione, quæ vel propria et primaria, vel translata et derivata esse solet, ita apte disponere, et idoneis auctorum locis allatis confirmare, ut uniuscujusque vocabuli quasi quædam historia legentium oculis repræsentetur. Omnes vero voces cum dico, ea etiam nomina intelligo tum propria virorum feminarumque, et geographica urbium, fluminum, montium hisque similia, tum ab utrisque derivata adjectiva, quæ in veterum auctorum operibus plurima quidem extant, et negotium sæpe facessunt lectoribus, nisi breviter quidem, sed uno tenore explicata reperiantur in Lexico, quin iidem ad historicos vel geographos, qui nullibi opportune eadem nomina quærentibus occurrunt, frustra amandentur. Minus autem recte asserit *Forcellinus* in sua præfatione § IV., se ea omnia geographica vocabula urbium, fluminum, montium, aliorumque locorum admisisse, ex quibus adjectiva formantur, ut *Tiburtinus, Brixianus,* et sexcenta hujusmodi, quæ non intelligerentur non explicatis iis vocibus, unde ducuntur; experientia enim didici, non modo pleraque ex propriis, sed etiam sexcenta ex adjectivis inde formata illum omisisse, quorum maximum numerum de industria a me adjectum fuisse, passim reperies.

5. Quæ vero tria proxime proposui, an in *Forcellini* Lexico reapse extent, quærendum in præsentia mihi est. Quoad primum, tam procul a vero est, quod *Cognolatus* in sua præfatione § I. affirmat, illum « id operis, in quo Latinæ voces

(1) Hæc Præfatio pertinet ad tertiam Forcellinianì Lexici editionem a. 1827.

(2) Scilicet *A. Maii*, philologi eximii, et ad prolatandas totius antiquitatis litteras tum Græcas, tum Latinas apprime nati, cujus quidem insigni fortunæ et strenuæ sedulitati gratuletur tota eruditorum natio, necesse est. Tot enim ille novis operibus ex Ambrosianæ, Vaticanæ, Neapolitanæ et Veronensis Canonicorum bibliothecæ codicibus ipsius opera editis hactenus orbi litterato inclaruit, ut vix ullus ad illius gloriam cumulus accedere queat. Ejus itaque mentio plurima est in novis vocabulis huic Lexico insertis, et in Indice alphabetico scriptorum Latinorum, quem alteri a *Forcellino* per ætates digesto præmisimus.

» omnes, ac multiplices earum significationes atque usus continentur, lucubrasse », ut arbitrer, perperam omnino præmissum eidem fuisse hujusmodi titulum, *Lexicon totius Latinitatis;* cum plures auctores Latini levi quadam manu fuerint hactenus expensi, quidam alii inexplorati omnino sint, nec ii tantum ex infima, sed ex aurea et argentea Latinitate; ita ut quædam vocabula ex *Plauto, Terentio, Cicerone, Varrone,* aliisque hujus ætatis scriptoribus a me fuerint in civitatem Romanam primum recepta, nonnulla etiam supersint, quæ *Appendici* propediem evulgandæ inserenda esse profiteor. Adde, ex scriptoribus inferioris Latinitatis adeo multa prætermissa esse vocabula, ut pro certo affirmare minime dubitem, si omnes omnino scriptores ab ortu Latinæ linguæ ad finem sæculi octavi a Christi nativitate, quos *Forcellinus* se admisisse in suo *Indice auctorum per ætates digesto* confessus est, iterum attenteque a perito aliquo lectore percurrantur, decem et amplius vocabulorum millia, præter nomina propria ad geographiam et historiam pertinentia, et adjectiva inde derivata, hactenus non recensita repertum. Quod ne jactantius æquo quibusdam dictum esse videatur, testor, decies circiter centenas novas voces suis quasque locis in meo exemplari hujusce editionis marginibus adscriptas a me jam extare, quæ ideo in Lexico omissæ sunt, quia aliis incompertæ, et mihi veterum auctorum opera pervolventi sero nimis et extra alphabeti ordinem fortuito occurrerunt.

6. Quoad vero etymologiam, perfunctorie quidem *Forcellinus* illi operam suam adhibuit, et magnam vocabulorum partem hoc adminiculo destitutam reliquit, suosque lectores ad etymologos sæpenumero remisit; aut, quemadmodum *E. Kærcherus* (1) affirmat: «Sic cl. *Forcellinus*, qui vir, Herculis instar, laborem vere stupendum adiit, in eruendo singularum vocum » ἔτυμον præter Græcam linguam, raro quidquam curavit; nisi quod miros Varronum, Festorum et aliorum errores nobis justo » sæpius obtrudit ». Ego equidem cum id ipsum factitatum a nostro Lexicographo viderem, sæpe novas vel ex Latina, vel ex Græca, vel pauculas quasdam etiam ex Hebraica et Syriaca et Arabica lingua petitas iis vocibus adjeci etymologias, quæ iisdem carebant, plures adjecturus, si ob causas initio statim hujus præfationis a me expositas id mihi perficere licuisset.

7. Quod autem ad postremam muneris partem a Lexicographo præstandam pertinet, jam vetus querela est, in Lexicis plerumque primas vocabulorum notiones minime suo loco positas fuisse, nec proprias inde derivatas significationes, nec proxime translatas eis esse subjunctas, et scriptorum multis quidem, sed non semper necessariis aut idoneis auctoritatibus confirmatas. Videtur enim, mathematicorum more nihil, quod præponendum fuerat, posterius adducendum, omnesque vocum notiones ita secum invicem conjungendæ, ut nihil admittant, nisi quod certum et rationum legibus confirmatum antea fuerit. Quapropter ut quid adhuc hac super re in Lexico Latino perficiendum supersit, probe noscas, benigne Lector, quid sentiat jam supra citatus auctor, ipsissimis ejus verbis hic tibi legendum propono (2).

8. Donec igitur omnia veterum Latinorum auctorum scripta iterum perlecta et excussa, atque inde reperta vocabula in ordinem digesta atque illustrata non fuerint, mancum et imperfectum sit Latinum Lexicon, necesse est: sed hoc opus, hic labor est, quem unus homo, licet hujusmodi studiis idoneus assiduam operam dederit, perficere plene ac cumulate numquam per se poterit. Quæ cum ita sint, quæso, benigne Lector, ne mihi culpæ vertas, si plura et meliora iis, quæ tibi nunc offero, præstare minime potui. Restat igitur, ut, qua cura collegerim, et qua ratione digesserim ea, quæ huic Lexico opportuna mihi videbantur, nunc breviter tibi ob oculos ponam.

9. Cum veterum Latinorum scriptorum opera hactenus inedita, et eruditorum virorum cura publici juris facta mihi undecumque comparavissem, ac sedulo perlegissem; aliaque etiam plurimorum auctorum scripta jam edita attentis oculis perlustrassem, nova inde mihi inventa vocabula, quæ *Forcellini* diligentiam effugerant, suis quæque locis, hoc signo * præposito, collocavi: sæpius etiam accidit, ut novi vocabulorum significatus mihi legenti sese offerrent, quos item suis locis inserendos curavi, nullo tamen signo prænotato.

10. Quoniam vero exploratum inter eruditos tandem est, Italam linguam, qua modo nos utimur, derivandam maxima ex parte esse a vulgari sermone, quem olim Romani passim vulgo usurpabant, nemo eat infitias, homini Italo non modo eas Latinas voces, quæ aureæ et argenteæ dicuntur ætatis, sed ferreæ etiam atque luteæ esse plurimi habendas, ut nempe recentioris Italici idiomatis originem et vim probe noscat et calleat. Hinc nulla mihi fuit religio, ea etiam vocabula recensere, quibus labentis Latinitatis tempore auctores in scriptis suis usi sunt, præcipue cum multa eorum, quæ aut nullius aut obscuræ antiquitatis ab eruditis diu habita, quæque infirmæ et barbaræ ætati adscripta fuerant, diligenti inquisitione in antiquissimorum libris semel atque iterum inventa sint.

11. Sed cum *Forcellinus* in præfatione sua § III. professus fuerit, se duobus studiosorum generibus satisfecisse, Latine scilicet et intelligere, et scribere volentibus; ego autem satisfaciendum esse ratus etiam Latinorum scripta in Italicam linguam vertere cupientibus, sæpissime Italicam vocibus Latinis interpretationem, quoties hæc deesset, adjeci, aut, si ea mihi præsto non fuerat, saltem vernaculam nostratium indicavi, quo facilius quispiam me doctior Italicam aliquando posset extundere. Cumque itidem ille, ubi sæpe vernaculam aliquam vocem recentiorum Venetorum retulisset, quos minus recte aliquoties meo quidem judicio Langobardos vocat, minime curasset admonere, num ea ab Etruscis, hoc est ab omnibus recentiori-

(1) *In opusculo cui titulus:* De optima Latini Lexici conficiendi ratione disputat E. KÆRCHER Badensis, Lycei Carolsruhensis professor. Carolsruhæ, typis Müllerianis, MDCCCXXVI. 8.° pag. 6.

(2) *In opusc. superius citato pag.* 32. (*not.*) 44. Novissimo tempore a *Furlanetto* Lexicon *Forcellini* denuo edendum curari, comperimus. Cui idem præsertim agendum erit, non ut novam et phrasium et animadversionum vim undique congestam in istum librum inferciat, sed ut et etymologiæ, sæpius quam par est, jacenti medeatur, et in adumbrandis singularum vocum notionibus veras vel logices, vel omnino linguæ leges religiosius observet, quam *Forcellinus*, qui nonnumquam, tamquam alter Typhœus, ingenti mole oppressus fuisse videtur.

bus Italis jure communi usurpetur, an vernacula tantummodo Venetorum esset; ipse e contrario, quoties id mihi distinguendum fuerat, curavi addendum, illam quidem ab Italis, hanc a nostratibus vulgo adhiberi.

12. Plurima etiam 1.° auctorum testimonia perperam citata, quo reapse loco essent quærenda, indicavi; 2.° Verborum participia tum activæ, tum passivæ significationis atque formæ, et gradus tum nominum, tum adverbiorum sæpissime adjunxi, et in calce vocabuli, lectorum commodo consulens, iterum indicandos putavi, propterea quod experientia cognoveram, eos, qui apud nos Latine scribunt, ab iis participiis, et gradibus nominum atque adverbiorum cauto abstinere, quorum nulla apud idoneum scriptorem ipsis suppetit auctoritas; quamvis nemo non putet, cuilibet usitato verbo sua participia, cuilibet nomini et adverbio suos gradus minime denegandos esse, præcipuæ cum non omnia omnium Latinorum scriptorum vocabula, ut antea dixi, conquisita hactenus et in censu habita fuerint. 3.° Eadem de causa quoties vocabulorum exempla tum ex soluta, tum ex ligata numeris oratione deessent, toties addere non dubitavi, ubi eorum reperiendorum occasio se mihi obtulisset. 4.° Incertæ auctoritatis voces notavi, ut ab iis usurpandis, qui vellet Latine scribere, caveret; atque contra nonnullas, quas *Forcellinus* aut dubiæ aut nullius esse affirmaverat auctoritatis, cum nova mihi occurrerent loca, ipsi minus cognita, nullamque dubitationem admittentia, his adductis; earum αὐθεντίαν probavi: ita sæpe accidit, ut ea vocabula, quæ ille inter barbara amandaverat, ego inter Latina recensuerim; aliaque non pauca ab eodem et in barbaris, simulque in Lexico inserta, ex barbarorum numero eximenda curaverim. 5.° Ejus quantitatis syllabarum ratio, qua tantummodo vocum pronunciationi consulitur, a *Forcellino* habita fuerat; ego vero non modo pænultimæ aut antepænultimæ, a quibus apud Latinos pendet vocum pronunciatio, sed omnium omnino syllabarum quantitatem mihi indicandam improbo ac pertinaci labore proposui; ita ut, usitato quantitatis vel longæ, vel brevis, vel ancipitis apice vocabulis quibusque superposito, Lexicon nostrum esset loco etiam libri illius, qui in scholis *Gradus ad Parnassum*, vel *Regia Parnassi* vulgo appellatur. Fateor tamen, in quibusdam vocabulis non omnium syllabarum quantitatem mihi innotuisse, cum eorum plura aut a poetis Latinis non fuerint usurpata, aut eorumdem etymon incognitum adhuc sit, aut eadem a Græca lingua, in qua quædam vocales ancipiti gaudent quantitate, deriventur: quoties id mihi contigit, toties vocales sine apice reliqui, ut alius me experientior, qua tandem quantitate eædem notandæ sint, nobis imposterum ostendat.

13. Cognominum etiam rationem sæpissime habui, ea nimirum de causa, quod vidissem, *Forcellinum* quidem eorum nonnulla sigillatim memorasse, quoties illorum vocabulorum nulla alia apud Latinos auctores illi suppeteret auctoritas; alia vero plura, quæ sunt nomina jam usitata vel substantiva, vel adjectiva, in fine eorum nominum subjungenda curasse. Sed cum ille eorum pleraque omisisset, quæ quidem apud Romanos vel a dote quapiam, vel ab aliquo vitio animi corporisve, vel a cujusque patria et natione, vel ab arte præcipue rustica, vel a bestiis plerisque, vel a devictis gentibus et urbibus, vel denique a fortuitis quibuscumque causis derivantur, quæque aliquam semper habent significationem, atque interdum singularia ac nova vocabula Latine scribentibus suppeditant, quædam vero aliis dubiæ aut significationis aut lectionis confirmandis valde inserviunt; quanta potui diligentia colligenda ea esse putavi, præcipue cum modo eruditæ antiquitatis cultores maximam in iisdem interpretandis curam ponere perviderem, quia nimirum plura vocabula, quæ nunc ab Italis usurpantur, nec in veterum auctorum scriptis leguntur, ope cognominum apud Romanos a primis usque reipublicæ temporibus jam usitata fuisse tandem cognoverint.

14. In his porro colligendis aut interpretandis, et in aliis etiam vocabulis aut novis huic Lexico addendis, aut jam editis, dubiis tamen, confirmandis, vel obscuris accuratius illustrandis sæpissime usus sum opera et consilio viri præclarissimi, mihique amicissimi, *Barpt. Borghesii,* cujus doctrinam et eruditionem, an urbanitatem et unius veritatis cognoscendæ amorem magis suspiciam, prorsus ignoro. Etiam *Jo. Labusius,* cujus familiaritate a plurimis annis utor plenissima, multa mecum communicasset pro sua, qua pollet in veterum monumentis explicandis, vi mentis et ingenii acumine, maximi facienda, nisi pluribus distentus litterariis occupationibus id reliquum mihi fere tantum fecerit, ut tot ab eodem editis operibus, ad Romanam antiquitatem penitus illustrandam opportunis, uterer in locis quamplurimis; cujus etiam in quibusdam auctoritatem mihi citandam putavi. Sunt quoque non pauca, quæ *Jos. Trivellati* diligentiæ me debere profiteor, qui, cum in hoc Seminario adolescentes sublimioris Latinæ eruditionis studiis deditos doceat, et ideo Latinos præcipue poetas diurna nocturnaque manu verset, horum quædam loca immerito antea omissa, vel quorumdam verborum et locutionum vim solertius explicandam mihi perhumaniter indicavit.

15. Curavi denique, ut Lexicon, quam fieri posset, emendatissimum prodiret, ac propterea molestum sane ac prope illiberalem plagulas a typothetarum erroribus corrigendi laborem ultro suscepi. Qui autem eo usuri sunt, si alicujus per me utilitatis adjectione gavisi fuerint, amplissimum me multi sudoris fructum retulisse gloriabor. Nihil enim optabilius homini duco, quam ut ingenii, si quas habet, et industriæ suæ vires ad aliorum commoda convertat.

16. Nunc restat, ut quid scriptor quidam Florentiæ paucis abhinc annis a me peragendum postulaverit, ex ipsius verbis infra afferendis (1), benigne Lector, cognoscas; cur vero ejusdem postulatibus minime satisfecerim, ex iis, quæ supe-

(1) *Ex* Antologia, Giornale di Firenze, ann. 1831, Gennajo p. 57.-69.

« Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura *Jacobi Facciolati*, opera et studio *Ægidii Forcellini* Semin. Patav. alumni lucubratum, in » hac tertia editione auctum et emendatum a *Josepho Furlanetto* alumno ejusd. Seminarii. Patavii 1831, 4.° »

Nelle più felici e sudate, nelle più belle e mirabili opere dell' ingegno, basta volersi attaccare a' difetti, e i pregi tacere, per toglier loro ogni lode, per ricoprirle di derisione e di dispregio nell' opinione degl' inconsiderati e degl' inesperti: molto più ove si tratti di dizionarj e di simili opere filologiche, dove le omissioni o le superfluità, gli sbagli di dichiarazione o di citazione, i falli d'ordine e di metodo sono inevitabili alla più solida scienza, alla diligenza più sollecita e più sofferente. Ma e ne' dizionarj e in tutte le opere dell' ingegno e della mano il men falla-

rius dixi de difficultatibus, quibus obluctandum mihi fuit, cuilibet perspicuum esse existimo. Quæ autem satis acerbe mihi exprobrarunt nuperi editores Germani, hic itidem inferius (1) relata habeas, velim. Hi siquidem verbis homine liberaliter educato plane indignis, quibusque uti solent ii tantummodo qui causse suæ viribus diffisi, adversarii, nomine tantum sibi cogniti, existimationem elevare student, contumeliis me lacessivere, quasi vero ego omnia, quæ huic Lexico deerant, addere, et emendanda corrigere pollicitus essem, et promissis non steterim. Sed ut tibi, benigne Lector, constet, ipsos maria et montes promittendo, solito editorum more emptorem suum magnificis verbis invitasse, non eos quidem mordicus reprehendam; mortalium enim nemo irreprehensus vivit: sed quædam tantummodo, quæ illi censores hac illac peccaverint, paucis habeto.

17. Quid *Forcellinus*, quid *Jac. Baileyus* (2), quid ego, quid ipsi tandem, ab eruditorum cohorte adjuti, in Lexico augendo et emendando præstiterint, quibusdam signis aut initialibus litteris distinguendum sibi proposuerunt: quam vero oscitanter id illi fecerint, paucis contentus exemplis ex innumeris, quæ tibi possem exhibere, hæc sunto. Verbo CATOMIDIO, cujus interpretatio a me allata ab ea, quam dederat *Forcellinus*, toto cælo distat, et multis præterea auctorum locis, ab eodem omissis, et a me adductis, est confirmata, cum nullum Germani editores signum apposuerint, in eum errorem lectores suos inducunt, ut credant, ita illud extare etiam in priore *Forcellini* editione. Cum in V. CLARUS ego § 3. 4. et 5., in PUTEUS § 2. et 3. addiderim, cum voces IDUARIUS, et PYCTA, et RUDUS aliasque permultas novis significationibus, novisque exemplis ampliaverim, nihil hujusmodi indicarunt illi Aristarchi. Hinc factum est, ut lectores, quid cuique tribuendum sit, minime dignoscant, et unius esse existiment, quod alterius reapse labor exsudaverat.

18. Duo tamen præcipue sunt, quæ ego a Germanis editoribus expostulem, necesse est: *primum* nempe, cur, in toto

ce criterio a misurarne l'intrinseco pregio consiste nel porre in bilancia le bellezze e le utilità dall'una parte, dall'altra i danni e i difetti. Se quelle prevalgono, la questione è decisa. Sarà lecito sempre, anzi dovere, notar nel lavoro le parti manchevoli e additare il rimedio; ma ciò senza spregio, senz'ira, con riverenza e con gratitudine. E infatti perchè mai dovrò io inalberarmi, irritarmi contro chi mi porge un bel dono per la sola ragione ch'egli potea porgermelo ancora più ricco? Questa pretensione tiranna basterebbe a togliere ogni riconoscenza, ogni vincolo d'obbligazione dal mondo.

Con questa norma considerato il lavoro del sig. *Furlanetto* non può meritare che i ringraziamenti e le lodi de' dotti e degli eruditi. In questa terza edizione del lessico Forcelliniano egli ci porge un'aggiunta di 5000 vocaboli nuovi, e di 10000 correzioni almeno: e il valore di questa novella ricchezza non è punto scemata da quante rimangono ancora cose da aggiungere e da emendare. *Omissis.*

E perciò ci fa maraviglia insieme e dispiacere il sentire i nuovi editori del lessico latino in Germania, con sì dure parole avvilire e l'opera del buon Padovano, e le giunte di cui l'ha arricchito il ch. *Furlanetto*. (*V. infra adnotationem sequentem*).

Per criticare il miglior dizionario che cura umana dar possa, basta volerlo. Potevano que' dotti Tedeschi compiere l'uffizio loro con dignità, senz'abbassare l'opera altrui: potevan anco notare i difetti dell'Italiano lavoro, ma con parole men dure.

Innanzi di finire rendiamo al sig. *Furlanetto* sincere le lodi e i ringraziamenti che merita il suo bel dono. Ma non tacciamo, che un mezzo facile a lui rimaneva di grandemente arricchire il suo Forcellini, approfittando dell'opera non solo di que' tanti maestri del Seminario, dov'egli vive, molti de' quali d'altro non s'occupano se non di Latino, ma e de' più maturi ed intelligenti tra gli alunni, i quali, o con lievissima ricompensa, o pel solo premio dell'onore, o meglio per esercizio scolastico potevano essere chiamati a parte degli spogli de' classici, e potevano, quanto a frasi degli aurei, porgere una serie incredibile di belle ed utili giunte. Che se i lavori di codesti giovani fossero riusciti troppo meccanici, e bisognosi di correzioni e di ordinazione migliore, tali difetti potevano poi facilmente, raccolti i materiali, essere dall'editore medesimo riparati. Bastava dare agli alunni un libro intero da spogliare, da notar tutto quello che mancava nel Forcellini; le aggiunte inutili era ben facile dipoi rigettarle. Ordinar poi questi spogli, scegliere, dichiarare, mostrare il vincolo delle idee, e la relazione delle idee colle voci, è opera propria solo d'un lessicista filosofo, o d'uomo almeno dalla natura dotato di più che mediocre accorgimento e criterio.

(1) *Ex programmate* « Aug. Voigtlænderi et Godofr. Hertelii de Lexico totius Latinitatis Ægidii Forcellini secundum tertiam editionem, « cujus curam gessit Jos. Furlanettus, correcto et aucto labore variorum. Schneebergæ 1831. et seqq. T. 4. fol. »

Interim cupide expectamus tertiam editionem Patavinam, curæ *Furlanetti* mandatam, quam locupletissimam fore expectare et debebamus et jubebamur. Affertur tandem libri particula prima; inspicimus, legimus, relegimus, singula accurate consideramus; quid putas, nihil usquam reperimus, quo nostra inutilis reddatur opera: verba quidem videmus addita permulta, maximam partem non nimis bonæ notæ, locos scriptorum additos paucos, nonnulla suo loco mota, correcta pauca. Quod maxime quærendum esse putaveramus, ut quæ de verborum significationibus non semper accurate, sæpius minus dilucide, sæpe sine ullo ordine *Forcellinus* tradidisset, quas verborum significationes omisisset, quos insignes locos neglexisset, quos minus recte intellexisset, aut ubi minus rectam scripturam secutus esset, quæ in particularum maxime doctrina confuse atque adeo inepte fere ubique proposuisset, ea auctiora, accuratiora, clariora, emendatiora prodirent, in his tantum abest, ut ad spem nostram accesserit Italus editor, ut gravissimam et difficillimam operis partem intactam, et rem integram esse facile intelligeremus. Verum hæc non ita dixi, ac si aut ille nihil, quod frugi esset, attulisset (neque enim aliorum bonis spernendis gloriam quærimus), aut nos omnes illas officii partes expleturos, omnibusque satisfacturos putarem, quod scio quam sit difficile et arduum; sed tamen speramus, fore, ut æqui judices de iis, quæ supersunt in hoc opere addenda et elimanda, assentiantur, nostramque in hac re industriam non defuisse, concedant. *Omissis.*

Non incongruum videtur, his subjungere, quæ eisdem adversari maxime videntur, quæque leguntur in Bibliothèque universelle des sciences, belles lettres et arts redigée à Genève. Novembr. 1833. *p.* 248.

C'est ce lexicon de *Forcellini*, dont on publie actuellement deux nouvelles éditions, l'une en Italie, sous la direction et avec les additions et les corrections de M. Joseph Furlanetto; l'autre en Allemagne par les soins de MM. Woigtlænder et Hertel, et avec des additions nombreuses, empruntées aux commentaires les plus estimables des auteurs classiques latins, ou fournies par les philologues, qui s'intéressent à cette entreprise. Nous n'avons eu sous les yeux, que quelques livraisons de l'édition Italienne, et elles nous ont pleinement satisfait par la netteté de l'impression, l'heureuse disposition des matériaux, et la facilité des recherches. Quant à la seconde, nous ne la connaissons que par les critiques qui en ont été faites dans quelques journaux, et desquelles il résulte, que les matériaux recueillis n'ont pas toujours été choisis avec soin, ni coordonnés entre eux de manière à concourir au même but dans les questions controversées, et qu'on pourrait désirer une correction plus complète des passages qui font autorité: toutefois on rend justice à l'utilité de l'entreprise, aux peines que prennent les éditeurs pour mettre ce lexicon à la hauteur de la science en Allemagne, et aux efforts qu'ils ont dejà faits pour éviter quelques-uns des ecueils qu'on leur a signalé.

(2) *En titulus novæ editionis Londinensis:* Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura *Jacobi Facciolati*, opera et studio *Ægidii Forcellini* alumni Seminarii Patavini lucubratum edidit, Anglicam interpretationem in locum Italicæ substituit, Appendicem Patavinam Lexico passim intertexuit, pauca de suo, distinctione per obelos facta, huc atque illuc sparsit, Auctarium denique adjecit *Jacobus Bailey* A. M. Regiæ societatis litterarum socius. Londini, 1826. T. 2. 4.°

Lexico omiserint in vocabulorum paraprahis, uti vocant grammatici, numeros apponere, quod et *Jo. Matth. Gesnerus* in suo *Thesauro linguæ et eruditionis Romanæ* fecerat, et *Emm. Jo. Schellerus* in *Lateinisch-Deutsch Lexico* retinuerat (1), quodque ad varias vocabulorum significationes distinguendas et facillime quærentibus inveniendas multum prodesse, ego equidem, cui sæpissime hujusmodi paragraphi in prioribus *Forcellini* editionibus maximo cum labore temporisque dispendio quærendi fuerunt, experientia doctus didiceram: ideoque in tertia hac editione admittendum existimavi. Hoc enimvero mihi videtur esse, *inventis frugibus, glande vesci*, quod veteri proverbio usurpatum fuit. *Alterum* est, cur, cum præcipua quædam præsto sit utilitas *Forcellini* Lexico utentibus, ut non modo cuilibet pæne vocabulo, sed cujuscumque fere locutioni imprimis notandæ, Italicam ipse brevem quidem, propriam tamen, interpretationem adjecerit, quod *Jac. Baileyus* adeo probavit, ut non modo omnibus Italicis *Forcellini* interpretationibus Anglicas ipse suffecerit, sed longe etiam plures de proprio addiderit, quo nempe Anglis suis, ut Italis *Forcellinus*, inserviret; e contrario Germani editores, ne gravem quidem illam ferrent molestiam, quæ toleranda est cuicumque propriam suæ gentis interpretationem Latinis vocibus apponere conanti, quod ipse quoque sexcenties verum esse comperi, in re perdifficili more Alexandri M., qui Gordii nodum cum solvere nequiverit, illum gladio incidisse perhibetur, Italicas quidem interpretationes veluti Germanis inutiles omittere, Germanicas vero nullas addere, suis viribus parum fortasse confisi, satius esse existimarint: qua quidem in re cum triplex dos sit, ut vidimus, Lexicorum, ut ea aliquam veterem linguam intelligere, et scribere, et in propriam vertere cupientibus opem ferant, hanc postremam, nec facile cuivis contemnendam, iidem ipsi omnino neglexerunt.

19. Sunt tamen, ingenue fateor, quædam ex iis, quæ Germani editores hac illac Lexico adjecerunt, non vulgaria, et alicujus etiam momenti habenda, non vero tanti, quanti ex ipsorum programmate eruditis fuerant expectanda. Hinc illud quoque tibi, benigne Lector, fatear, necesse est, cum Germanorum editorum programma perlegissem, mecum reputasse, millies me in Lexico ab iisdem edendo objurgandum esse in iis, quæ ego addideram aut emendaveram, eisque me propterea gratias acturum habiturumque fore, ubi tot me tantisque lapsum erroribus iidem liberassent; sed Germanica Lexici Latini editione attentius perlustrata, ne millesimam quidem mearum additionum aut emendationum partem in dubium revocatam ab iis fuisse cognovi: ita ut, cum toties ipsissimis quidem verbis iidem, quæ ego edideram, retulerint, laudatorum potius mei, quam censorum personam egisse existimandi sint.

20. Liceat itaque mihi nostro Seminario atque adeo huic urbi, et Italiæ vehementer gratulari quod, licet modo Latinarum disciplinarum studia, et Romanæ eruditionis monumenta apud Transalpinos homines tanto sint in honore, ut infinita propemodum opera huc spectantia in Germaniæ finibus elaborentur, et typis assidue edantur, optimum tamen Latini Lexici conficiendi exemplum a nostro *Forcellino* mutuati fuerint paucis abhinc annis et *Ruhnkenius* apud Batavos (2), et *Schellerus* apud Germanos (3), et nuperrime *Baileyus* apud Anglos, atque iterum apud Germanos *Aug. Voigtlænderus et Godofr. Hertelius*, qui idem ipsum a me novissime auctum emendatumque edendum curarunt. Sed potissimum laudes maximæ sint, et grates immortales habeantur *Gregorio Barbadico* S. R. E. Cardinali, Episcopo olim Patavino, et munificentissimo hujusce Seminarii Institutori ac Patri, qui præter assiduum litterarum scientiarumque omnium studium Latinam præcipue linguam ab alumnis excoli voluit, ut inde ejusdem cognitio et usus latissime propagaretur. Votis tanti Viri res optime cessit. Inter plures enim germanæ Latinitatis cultores scriptoresque elegantes *Ægidius Forcellinus*, duce *Facciolato*, illud tam laboriosum, tam difficile, tam utile opus confecit, cujus laudem neque injuria temporum, neque invidorum obtrectatio umquam imminuet.

VII.

LECTORI BENIGNO

JOSEPHUS FURLANETTUS

S.

PRÆFATIO IN APPENDICES (4).

Octo circiter abhinc annis in præfatione tertiæ editionis *Lexici totius Latinitatis* ab *Ægidio Forcellino* elucubrati, et a me aucti et emendati, pollicitus sum, me propediem *Appendicem* hujus Lexici evulgaturum esse, quæ mille et amplius novarum

(1) Imm. Joh. G. Scheller's ausführliches und möglichst vollständiges Lateinisch-Deutsches Lexicon oder Wörterbuch zum Behufe der Erklärung der Alten und Uebung in der Lateinischen Sprache, in fünf Bänden; dritte von neuem verbesserte und sehr vermehrte Auflage. (*h. e.* Schelleri copiosum et in quantum fieri potuit plenissimum Latino-Germanicum Lexicon, explicandis veteribus auctoribus, et exercitationibus Latinæ Linguæ inserviens: tertia emendatior multoque auctior editio) Lipsiæ 1804. T. 5. 8.°

Is Totius Latinitatis Lexicon *Ægidii Forcellini* adhibuit quidem in suos usus, quamquam nuspiam laudatum, verum non ita, quin multa omiserit ex eo utiliter repetenda.

Ita legitur in Act. Semin. et Soc. philolog. Lipsiensis. T. 1. p. 173.

(2) Lexicon Latinum auctorum classicorum, curante *D. Ruhnkenio*, Lugd. Bat. 1799. T. 2. 4.°

(3) *V. supra* in hac eadem pag. adnotat. (1).

(4) *Duæ Lexici Appendices ab Jos. Furlanetto* elaboratæ in lucem prodierunt *Patavii ex Officina Sociorum titulo Minerva* a. MDCCCXLI., et in textum hujus Editionis receptæ sunt.

vocum contineret. Sed anno MDCCCXXXVII cum typographo opus tradere incepissem, et fere ex parte dimidia typis impressum fuisset, inopina mors viri mihi amicissimi, qui totum editionis negotium in se receperat, impedimento fuit, quominus eidem finis tunc imponeretur. Hinc factum est, ut, dum dies de die differtur, et Latinorum auctorum scripta assidua cura, ut meus est mos, versarer, nova itidem vocabula, aliasque plures additiones et emendationes colligerem, quæ partim priori, partim etiam alteri *Appendici*, inserendæ essent, earumque omnium numerus triplo major, quam antea erat, fieret.

Plurimas vero voces ex labentis etiam Latinitatis Scriptoribus hinc inde collectas, et a me nunc primum Romana civitate donatas, *Lexico totius Latinitatis* addendas curavi, ut huic titulo opus ipsum magis responderet; et non modo classicorum, hoc est primi ordinis, sed cujuscumque etiam ætatis auctorum vocabula comprehendenda esse putavi, præcipue cum viderem, Lexicographos immerito ea plerumque omisisse, quæ ad scientias pertinent, iisque fere colligendis sedulam operam dedisse, quæ ad artem oratoriam, historiam ac poesin spectant. Hinc *Cœlii Aureliani* opera medica, et *Anicii Boethii* philosophica compilare aggressus sum, cum deprehenderem illius quidem paucas tantummodo voces, hujus autem eas solum, quæ in opere *De consolatione philosophiæ* habentur, Latino Lexico additas fuisse. Versio quoque *Vet. Testamenti* ex textu Hebraico, et Novi ex Græco, quæ *Vulgata* nuncupatur, quæque partim ex pervetusta versione Italica, partim ex interpretatione *D. Hieronymi* est concinnata, minime negligenda mihi visa est; ideoque ex ea aliquot vocabula Lexico adjeci. Fateor equidem, quæ a *Cœlio Aureliano*, ab *Anicio Boethio*, et a *Vulgato interprete* usurpata sunt, ad sequiorem Latinitatem pertinere; sed quis poterit certo affirmare, quæ in posterioribus scriptis reperiuntur, adhibita non fuisse etiam in vetustioribus? Satis itaque fuerit, adnotasse vocabulorum auctorem, cujus ætas et ratio scribendi jam innotescit, ut cuicumque liberum sit eadem omittere, si meliora occurrant.

Quamvis autem sextum et sexagesimum ætatis annum pæne compleverim, nec firma sim valetudine præditus, tanta adhuc mihi est animi vis et alacritas, ut ab incepto labore, dum vita suppetat, numquam desistam; nunc vero tranquillo quasi in portu collocatus, et beneficio FERDINANDI I Augustissimi Imperatoris nostri, inexspectato decoratus honore, ac etiam pensione auctus, non abjiciam spem elucubrandi aliquid, quod nec mihi dedecori, et aliis utilitati esse possit. Huic itaque *Appendici* non ita multo post tempore duo alia maxime profutura a me esse adjicienda profiteor. Horum alterum est *Index etymologicus* secundum radices digestus Latinorum omnium vocabulorum, quæ alphabetico ordine in Lexico Latino exposita sunt. Index hic illo valde locupletior erit, qui in *Jo. Matthiæ Gesneri Thesauro linguæ et eruditionis Romanæ*, edito Lipsiæ anno MDCCXLIX., a *Jo. Casim. Happachio*, industrio et erudito adolescente confectus habetur, quia non solum vocabula omnia complectetur, quæ Latinæ sunt originis, quorum tamen plurima in illo desiderantur, sed ea insuper, quæ a Græca atque ab Orientalibus linguis derivantur, ab eodem Happachio consulto prætermissa. Alterum vero est *Elenchus alphabeticus* terminationum verborum, nominum, adverbiorum etc., in quo indicabitur eorum origo num Græca, num Latina, num Orientalis, vel incerta ea sit, eorumque significatio propria et primitiva exponetur. Hinc, quemadmodum alphabetica methodus in Latinis Lexicis usurpata uniuscujusque vocabuli initium reperiendi facilem cuilibet modum sufficit; ita *Elenchus* noster, terminatione jam cognita, ad integras Latinas voces non multo labore deprehendendas valde conducet. Quod quidem percommodum erit tum ad vocabula illa supplenda, quæ aut injuria temporum, aut hominum incuria in lapidibus, æneis tabulis, numismatibus, palimpsestis aliisque antiquis monumentis detrita aut mutila sunt, tum ad veram ac propriam eorum significationem ex ipsis terminationibus, facta harum comparatione, internoscendam.

Quod pro viribus ingenii dare potui, boni consulas, rogo, Lector benigne; quæque me daturum fore spero, paullisper expecta. Vale.

VIII.

INDEX
SCRIPTORUM LATINORUM
EORUMDEMQUE OPERUM

QUORUM AUCTORITATE VOCABULA EORUMQUE SIGNIFICATIONES IN HOC LEXICO ADDUCUNTUR ET EXPLICANTUR (1).

A

ACCIUS (L. Accius *sive* Attius) Pisaurensis, historicus, poeta tragicus, L. Accii hominis libertini et poetæ comici filius, Ciceroni adolescenti jam senior notus et familiaris. Natus est ann. U. C. 584., mortuus ann. 671 (2). Illum animosi oris *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 19., *Horat.* vero 2. *Ep.* 1. 56. altum appellat. Scripsit versibus hexametris Annales, quorum fragmenta referunt *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *extr.*, *Priscian.* 5. *p.* 692. *Putsch.* et 6. *p.* 709. (*corrige* 710.) *et* 718. et *Festus* in *Metelli* (3). Alia etiam scripsit, ejus enim *Parergorum librum I.* citat *Non.* 1. 305. (4). *V.* ACCIUS in ONOM.

Plerumque utimur editione *Frid. Henr. Bothii*, qui omnium accuratissime edidit *Poetarum Latii scenicorum fragmenta*, nempe *tragicorum* et *comicorum*, Halberstadii ann. 1823. et 1824. T. 2. 8.°, et docte admodum ea est interpretatus.

Tragœdiarum ejus fragmenta passim citantur a *Cic.*, *Gell.*, *Non.*, *Macrob.* aliisque, quarum hi sunt tituli:

1. Achilles,
2. Ægisthus,
3. Æneadæ *seu* Decius (5),
4. Agamemnonidæ,
5. Alcestis,
6. Alcmæon,
7. Alphesibœa,
8. Amphitruo,
9. Andromacha,
10. Andromeda,
11. Antenoridæ,
12. Antigona,
13. Argonautæ *seu* Medea,
14. Armorum judicium,
15. Astyanax,
16. Athamas,
17. Atreus,
18. Autonedia,
19. Bacchæ,
20. Brutus (6),
21. Chrysippus,
22. Clytæmnestra,
(Decius *V.* Æneadæ.)
23. Deiphobus,
24. Diomedes,
25. Electra,
26. Epigoni,
27. Epinausimache,
28. Erigona,
29. Eriphyla,
30. Eurysaces,
(Fidicinæ *rectius* Phinidæ.)
31. Hecuba,
32. Hellenes,
33. Iliona,
34. Io *seu* Minotaurus,
(Medea *V.* Argonautæ.)
35. Melanippa *seu* Menalippus,
36. Meleager,
(Menalippus *V.* Melanippa.)
(Minotaurus *V.* Io.)
37. Myrmidones,
38. Neoptolemus,
39. Nyctegresia (*corrige* Nyctegersia),
40. Œnomaus,
41. Paris,
42. Pelopidæ,
43. Persidæ,
44. Philoctetes,
45. Phinidæ *seu* Fidicinæ,
46. Phœnissæ,
47. Prometheus,
(Stasiastæ *V.* Tropæum.)
48. Telephus,
49. Tereus,
50. Thebais,
51. Trachiniæ,
52. Troades,
53. Tropæum *seu* Stasiastæ (7).

ACRON (Helenius Acron *seu* Acro) scholiastes Horatii, Porphyrione antiquior, et Servio recentior. Nihil præterea certi de ejus patria, ætate et conditione statui potest (8). *V.* ACRON in ONOM.

Extant ejus

1. Scholia in Horatii opera.

ÆDITUUS. *V.* VAL. ÆDIT.

ÆLIUS (Q.) TUBERO (9).

ÆMIL. MACER *V.* MACER JCtus, *vel* medicus.

ÆMILIUS PAULLUS (Lucius Æmilius Paullus) (10).

AFRAN. (L. Afranius) poeta comicus, togatarum fabularum scriptor, Menandri, Græci poetæ, præcipuus imitator (11), iisdem ferme temporibus Romæ floruit, quibus Terentius et Statius Cæcilius in senium vergebant, nempe circa ann. U. C. 660. Is a *Cic. Brut.* 45. 167. dicitur homo perargutus, et in fabulis etiam disertus. *V.* AFRANIUS in ONOM.

Fragmenta ejus plura extant, quæ collegit et illustravit *Frid. Henr. Bothius*, cujus editionem vide supra in ACCIUS (12).

Comœdiarum ejus fragmenta passim citantur a *Gell.*, *Non.*, *Macrob.* aliisque, quarum hi sunt tituli:

1. Abducta,
2. Æquales,
3. Auctio,
4. Augur *seu* Augures,
5. Brundusina *seu* Brundusini,
6. Bucco adoptatus,
7. Cinerarium *seu* Cinerarius,
8. Compitalia,
9. Consobrini,
10. Crimen,
11. Deditio,
12. Depositum,
13. Divortium,
14. Emancipatus,
15. Epistola,
16. Exceptus,
17. Fratres,
18. Fratriæ,
(Homo *V.* Omen.)
19. Ida,
20. Ima *seu* Imi,
21. Incendium,
22. Inimici,
23. Libertus,
24. Mariti,
25. Matertera *seu* Materteræ,
26. Megalensia,
(Neæra *V.* Omen.)
27. Omen, *al.* Homo, *al.* Neæra,
28. Pantaleus,
29. Patella,
30. Pompa,
31. Privignus,
32. Prodigus,
33. Proditus,
34. Promus,
35. Prosa, *al.* Rosa,
36. Purgamentum,
37. Repudiatus,
(Rosa *V.* Prosa.)
38. Sella,
39. Simulans,
40. Sorores,
41. Suspecta,
42. Talio,
43. Temerarius,
44. Thais,
45. Titulus,
46. Virgo,
47. Vopiscus.

AFRICAN. (Sex. Cæcilius Africanus) JCtus, sub Hadriano et Antonino Augg., qui ab ann. a Chr. n. 117. ad ann. 161. imperarunt, vixit. *V.* AFRICANUS in ONOM.

(1) Hunc Indicem ex Patavina editione a. 1831. hic integrum exhibemus cum suis etiam adnotationibus, quas tamen, uncis inclusas aliisque litteris distinctas, suis quasque locis in textum inseruimus: in fine vero cujusque paginæ ea tantum adnotavimus, quæ in hac nova editione nobis visa sunt aut addenda aut corrigenda. — Ne de singulis vero idem a nobis dicatur, hic satis est admonere, ex omnibus ferme Scriptoribus, qui hoc in Indice recensentur, nova plura cum vocabula, tum præcipue loca excerpta fuisse atque huic additæ editioni.

(2) Aut certe vixit adhuc anno 667.

(3) Hæc Annalium fragmenta collegit *Augustus Krause* in opere, cui titulus: *Vitæ et Fragmenta veterum Historicorum Romanorum*, *Berolini* 1833. 8.°, *p.* 174-178.

(4) Scripsit et opus, quod *Praxidicum* dicitur a *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 25. (200)., et *Praxidica* a *Gell.* 20. 3.

(5) Hujusce fabulæ, itemque alius, cui titulus *Brutus* (*V.* infra n. 20.), reliquias collegit atque illustravit etiam *Jo. Henr. Neukirch* in opere, quod inscribitur *De Fabula Togata Romanorum. Accedunt Fabularum Togatarum reliquiæ. Lipsiæ* 1833. 8.° *p.* 74.-88.

(6) Vide quæ dicta sunt in nota n. 5.

(7) Apud *Non.* 2. 498. *edit. vet.* in v. *Latibulet* ejusdem *Accii* citatur etiam fabula, cui titulus *Putatores*.

(8) Illud tamen certi statui potest, Acronem sub finem sæculi a Christo tertii vixisse, Græca fuisse origine et Græcis potissimum hominibus Latinas litteras discere cupientibus commentarium suum destinasse.

(9) Q. Ælius Tubero doctissimus jurisconsultus et antiquitatis peritissimus, præter *incerti argumenti librum ad C. Oppium*, qui Cassii, Scipionis Africani, Marii, Pompeji et Cæsaris vitas composuit; ac præter *librum super officio judicis*, cujus meminit *Gell.* 14. 2., *historiam* quoque sermone antiquo usus conscripsit. Hunc Dionysius, Livius aliique diligentissimum doctissimumque scriptorem consultarunt, nec videtur leve præstantiæ argumentum, quod Livius, cum antiquiores potissimum sequi soleat, hunc quoque æqualem ferme consulendum duxit. Hujusce historiæ fragmenta referunt *Non.* in v. *Protinus* et *Luxuriabat*, *Charis* 2. *p.* 188. *Putsch.*, *Gell.* 6. 4. et alii; eademque collegit *Augustus Krause* in opere, cui titulus: *Vitæ et Fragmenta veterum Historicorum Romanorum*, *Berolini* 1833. 8.° p. 324.-330., ubi plura de Tuberone videsis. *V.* TUBERO et in ONOM.

(10) L. Æmilius Paullus, Africani pater, cos. a. U. C. 571. et 585., censor 589., personam principis civis facile dicendo tuebatur, ut ait *Cic. Brut.* 20. 80. Ejusdem fragmentum ex *Val. Max.* 5. 10. 2. refert *Henr. Meyerus* in opere, cui titulus. *Oratorum Romanorum Fragmenta ab Appio inde Cæco usque ad Q. Aurelium Symmachum*, edit. Parisin. 1837. *p.* 204.

(11) Natus circa ann. 150. ante Chr.

(12) Pluribus de Afranio disseruit, ejusque fragmenta collegit atque illustravit etiam *Jo. Henr. Neukirch* in opere, de quo vide supra in nota n. 5., *p.* 163.-279.

Fragmenta ejus operum in Digestis habentur, quorum hi sunt tituli:

1. Quaestionum libri IX., 2. Epistolarum libri XX.

AGGEN. URB. (Aggenus Urbicus) scriptor rei agrariae, incertae admodum aetatis. Ejus opera habentur inter *Auctores rei agrariae a Guil. Goesio.* Amstel. 1674. 4.° editos, quae tamen editio omnium licet accuratissima hactenus habeatur, ejusque in Lexico passim fiat mentio, novum expectat accuratioremque editorem. *V.* **AGGENUS URBICUS in ONOM.**

Extant ejus

1. In Julium Frontinum commentariorum lib. II. (*quorum posterior diazographus inscribitur, quia constat variis figuris in aes incisis.*),
2. De controversiis agrorum partes II.

AGROET. (Agroetius seu Agraetius) grammaticus, floruit medio circiter saeculo quinto a Chr. n. in Gallia, siquidem is videtur esse, quem nominat *Sidon. 7. Ep.* 5. (13).

Extat ejus opus priori loco citatum inter *Grammaticos veteres ab Helia Putschio* editos Hanoviae 1605. 4.° p. 2266.-2275., quam editionem sequimur: alterum vero inter *Auctores Latinae linguae* editos a *Dionys. Gothofredo* Coloniae Allobrogum ann. 1622. 4.° p. 1346.-1352.

1. De orthographia et proprietate et differentia sermonis libellus.
2. Excerpta de iisdem.

ALBINOV. (C. Albinovanus Pedo) poeta heroicus, et, ut quibusdam videtur, elegiacus, vixit sub Augusto et Tiberio, notus fuit M. Senecae rhetori, et L. Senecae philosopho familiaris. Eidem tribuitur elegia ad Liviam de morte Drusi, licet aliis eadem Ovidio tribuenda satis probabiliter esse videatur, ideoque inter hujus opera saepe edita est. Alteram vero, tertiamque elegiam, multo minore, quam primam, jure *Jos. Scaliger* Pedoni Albinovano asserere conatur, cum in iisdem nihil Augustei aevi poeta, multoque minus sidereo illo et sublimi Pedone dignum reperiatur. Illi potius tribuendum est fragmentum heroico carmine scriptum, et a M. Seneca *Suasor.* 1. *ad fin.* nobis servatum, quo navigatio Germanici, Drusi filii, describitur, quam tertio Tiberii anno cum legionibus classi impositis tentavit per flumen Amisium, nunc *Ems*, in oceanum septentrionalem, quamque describit *Tacit. 2. Ann.* 23. Pedonis autem facetum dicterium refert *Quintil.* 6. 3. *a med.*, ejusque meminit *Id.* 10. 1. *a med.* Illius denique narrationem de Sp. Papinio, ob singularem vivendi rationem lychnobio appellato, profert *L. Senec. Ep.* 122. *ad fin. V.* **ALBINOVANUS in ONOM.** In *Consolatione ad Liv.* sequimur editionem *Chr. Dan. Beckii* Lips. ann. 1783. 8.°, in reliquis carminibus edit. *Jo. Chr. Wernsdorfii*, qui inter *Poetas Lat. min.* Altenburgi ann. 1782. T. 3. p. 155.-182. et T. 4. p. 229.-235. edidit et illustravit. Albinovani itaque sunt:

1. Consolatio (*seu elegia*) ad Liviam Augustam de morte Drusi Neronis,
2. Elegia in obitum Maecenatis,
3. Elegia de Maecenate moribundo,
4. Fragmentum de navigatione Germanici per oceanum septentrionalem.

ALBINUS (Postumius Albinus) (14).

ALBINUS POSTUM. (Spurius Postumius Albinus) (15).

ALBRIC. (Albricus seu Alfricus) Londinensis, mythologus, vixit circa ann. 1217., qui ideo inter classicos auctores a *Munckero*, et *Augusto van Staveren* editus est, quia Fulgentium Planciadem compilasse dicitur. Hujus scriptoris editio Lugd. Bat. 1742. 4.° omnium optima habetur. Illius tamen auctoritatis ratio nulla hactenus, quod sciam, habita in Lexico est.

Extat ejus

1. De deorum imaginibus libellus.

ALCIM. (Alcimus Ecdicius Avitus) Viennensis episcopus, et versificator, floruit circa ann. a Chr. n. 490., obiit ann. 523. Inter ejus temporis poetas doctissimus est habitus. *V.* **ALCIMUS in ONOM.**

Extant ejus versibus hexametris scripti libri sequentes:

1. De Mosaicae historiae gestis libri V. *seu*
   1. De mundi origine,
   2. — origine peccatorum,
   3. — potentia Dei,
   4. De diluvio,
   5. — transitu maris rubri.
2. — consolatoria castitatis laude ad Fuscinam sororem liber (*qui interdum liber VI. dicitur.*)

ALCUINUS (Flaccus Albinus Alcuinus) Anglus, a Carolo M. ann. 790. ad studia instauranda in Galliam evocatus. *V.* **ALCUINUS in ONOM.** Multa scripsit, quae ad grammaticam pertinent (16).

Extant ejus

1. Grammatica (*inter Grammaticos veteres a Putschio editos p.* 2075.-2143.)
2. Dialogus de rhetorica cum Carolo M. (*inter Antiquos rhetores a Claud. Capperonerio Argentorati editos ann.* 1756. 4.° p. 390.-409.)

ALDHELMUS sive **ADELHELMUS**, Anglus, episcopus Shirburnensis, obiit ann. a Chr. n. 709. Plura scripsit, quae *Jo. Alb. Fabricius* in *Biblioth. Lat. med. et inf. aet.* recenset; et ejus opere *de virginitate* unicum, quod sciam, locum citat *Forcellinus* in V. AURORESCO. Multo tamen plura nova vocabula futuris Lexicographis colligenda extant in iis ejusdem operibus, quae nuper Romae edidit ex MSS. Vatic. *A. Majus* in *Classic. Auct.* T. 5. p. 387.-390. et p. 501.-599. (17).

ALFENUS (P. Alfenus Varus) JCtus, Cremonensis, vixit imperante Augusto, et consul fuit ann. U. C. 755. *V.* **ALFENUS in ONOM.**

Extant ejus fragmenta passim in Digestis (*Saepe is Alfenus appellatur in Digestis, aliquando et Varus, ut Dig.* 39. 3. 2. § 5.) ex

1. Digestorum libris XL.

ALF. (Alfius Flavus) orator, M. Senecae rhetoris aequalis, cujus fragmenta ille 1. *Controv.* 1. *ad fin.* refert.

AMBROS. (Ambrosius) Romanis parentibus natus est in Gallia ann. a Chr. n. 334., episcopus Mediolanensis electus ann. 374., obiit ann. 397. *V.* **AMBROSIUS in ONOM.** Plura scripsit, quae edita sunt studio et labore monachor. Ordinis S. Benedicti Parisiis ann. 1686.-1690. T. 2. fol., quam editionem sequimur.

Extant ejus

1. Hexaemeron libri VI.,
2. De Paradiso,
3. — Cain et Abel libri II.,
4. — Noe et arca,
5. — Abraham libri II.,
6. — Isaac et anima,
7. — bono mortis,
8. — fuga saeculi,
9. — Jacob et vita beata libri II.,
10. — Joseph patriarcha,
11. — Elia et jejunio,
12. — Nabuthe Iezraelita,
13. — Tobia,
14. — Interpellatione Job et David libri IV.,
15. Apologia prophetae David,
16. ——— altera ejusdem,
17. Enarrationes in psalmos XII.,
18. Expositio in psalmum CXVIII.,
19. ——— Evangelii secundum Lucam libris X. comprehensa,
20. De officiis ministrorum libri III.,
21. De virginibus ad Marcellinam libri III.,
22. — viduis,
23. — virginitate,
24. — institutione virginis,
25. Exhortatio virginitatis,
26. De lapsu virginis consecratae,
27. — mysteriis,
28. — sacramentis libri VI.,
29. — poenitentia libri II.,
30. — fide libri V.,
31. — Spiritu Sancto libri III.,
32. — incarnationis dominicae sacramento,
33. Epistolae XCI.,
34. De excessu fratris sui Satyri libri II.,
35. — obitu Valentiniani II. Aug. consolatio,
36. ——— Theodosii I. Aug. oratio.
37. Hymni XII.

AMMIAN. (Ammianus Marcellinus) Antiochiae natus fuisse videtur; floruit circa ann. a Chr. n. 380. *V.* **AMMIANUS in ONOM.**

Extant ejus

1. Rerum gestarum libri XXXI. (*quorum XIII. priores perierunt, alii ab XIV. ad XXXI. continent res gestas ab ann. a Chr. n.* 352. *ad* 378.)
2. Excerpta de Constantio Chloro, Constantino M., aliisque Imperatoribus. (*Haec ejusdem operi subjungi solent, sed sunt auctoris ignoti.*)

AMPEL. (L. Ampelius) floruit circa ann. a Chr. n. 370. Imitatus est Cornelium Nepotem, et in pluribus locis Florum sequitur. *V.* **AMPELIUS in ONOM.**

Extat ejus

1. Liber memorialis.

ANDRONIC. *V.* **LIV. ANDRONICUS.**

ANNIUS LUSCUS (Titus Annius Luscus) (18).

ANTIAS. *V.* **VAL. ANTIAS.**

ANTONIN. ITINER. (Antonini Augusti Itinerarium) Hoc nomine appellatur opus, quod accuratissime editum est Amstelodami ann. 1735. 4.° a *Petr. Wesslingio*, una cum *Itinerario Hierosolymitano*, in quo descriptae sunt locorum distantiae totius orbis, Romanis tunc cogniti, quodque, licet Antonini nomen praeferat, fortasse sub primis Caesaribus conscriptum, postea ducum militarium commentariis et cursuum publicorum viis locupletatum ad nos pervenit. Alterum vero itinerarium, quod Hierosolymitanum nuncupetur, exaratum est quarto Christi saeculo ab homine Christiano, qui Burdigala discedens Hierosolymam profectus est, eoque consilio id digestum fuisse videtur, ut urbem Hierosolymam visere cupientibus fax itineris quodammodo praeferretur, viaque demonstraretur (19). *V.* **ITINERARIUM in ONOM.**

(13) V. *Funccius* T. 4. p. 341., *Auct. Lat. Ling.* a *Gothofred.* ed. p. 1348., et *Putsch* p. 2263.

(14) Postumi Albini fragmentum ex Annal. 1. refert *Macrob.* 2. *Saturn.* 16.; sed nihil certi de ipso statui potest. Cf. *Augustus Krause*, *Vitae et Fragmenta veterum Historicorum Romanorum*, Berolini 1833. 8.°, p. 113.-131.

(15) Sp. Post. Albini, qui aedilitatem ann. U. C. 596., consulatum ann. 606. cepit, multae fuerunt orationes teste Cic. *Brut.* 25. 94; ejusque fragmentum ex *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 1. (13) refert *Henr. Meyerus* in opere super. cit. in nota 10.

(16) At nulla Alcuini habenda est ratio in hoc Lexico; quippe is post sextum a Chr. nat. saeculum floruit. V. quae hac de re disputata sunt in *Praefatione hujus editionis.*

(17) Quae de Alcuino diximus in praeced. nota n. 16., eadem prorsus de Aldhelmo dicenda.

(18) T. Annius Luscus consul fuit ann. U. C. 601. cum Q. Fulvio Nobiliore, quem non indisertum dicunt fuisse teste Cic. *Brut.* 20. 79. Ejus fragmentum ex *Festo* refert *Henr. Meyerus* in opere super. cit. in nota n. 10.

(19) Mense Januario anni 1852. in fundo *Vicarello* ad lacum Sabatinum sito, ubi veterum Aquas Apollinares fuisse jam maxime probabile est, cum fontis salutiferi antiquum instauraretur receptaculum, in ipsa aqua, praeter alia vetusta, vasa nonnulla aerea et argentea reperta sunt, quorum plura Apollini, Nymphis, Silvano dicata erant, tria vero argentea in formam milliarii redacta tria *Itineraria a Gadibus Romam usque* inscripta exhibent. Haec asservantur nunc in Museo Kircheriano Collegii Romani: accuratissime vero edita sunt in opere, cui titulus: *Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio ad illustrandam Romanae antiquitatis disciplinam accommodata. Volumen tertium Collectionis Orellianae supplementa emendationesque exhibens edidit Gulielmus Henzen. Turici* 1856. 8.° maj. p. 23.-33. Porro de his *Itinerariis* ita doctissimus *Henzen* (*ibid. p.* 24.): « Quae (*Itineraria*) cum diversis temporibus concepta haud paucis et numeris et mansionum nominibus inter se differant, ita ea hic proponenda esse censui, ut commode inter se comparari possint. Collato autem cum iis *Itinerario Antonini*, id, quod tertio loco proponemus, cum hoc magis ceteris conspirare patet; illud contra, quod primo loco legitur, haud paucas mansiones exhibere, quae in Antoniniano jam non reperiuntur. Itinerarium denique secundo loco prolatum pluribus quidem et numeris et nominibus cum tertio convenit, sed nonnullae mansiones in primo obviae in eo quoque extant, licet in tertio desiderentur. Quae cum ita sint, facile apparet, antiquissimum certe esse Itinerarium primum, novissimum tertium, secundum autem ante tertium et post primum exaratum esse. » Hucusque cl. *Henzen.* Ex his autem quisque facile intelliget, quantum ad quaedam geographica detrimenta conferant haec tria Itineraria prae ipso Antonini Itinerario.

ANTONINUS PHILOS. (Marcus Antoninus Philosophus) (20).

ANTONINUS PIUS, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 138. ad ann. 161., cujus extant epistolæ II. inter opera *Frontonis* ab *A. Majo* iterum edita Romæ ann. 1823. 8.° p. 253. et 258., cujusque auctoritate utimur in *V.* STATIO in Lexico.

ANTON. (M. Antonius) Hic M. Antonii Cretici filius, M. Antonii oratoris nepos, Cæsaris partes in bello civili secutus est, ideoque Ciceroni inimicus, post varias vicissitudines triumvir reipublicæ constituendæ una cum Octaviano Augusto et M. Lepido renunciatus, Ciceronem inter proscriptos censendum curavit. *V.* ANTONIUS in ONOM.

Extant ejus tres epistolæ, quarum prima inter *Ciceronis* 10. *Att.* 8., alia 14. *Att.* 13., tertia vero, quam ipse *Cic.* 13. *Phil.* 10. 21. per partes recitat, et interpretatur.

APIC. (Cælius Apicius) Cum plures fuerint Apicii voraci ingluvie famosi, difficile admodum videtur statuere, quisnam fuerit, et quo vixerit tempore is, cui adscribi solet sequens opus. Stilus ejus pæne vulgaris et abjectus cadentem arguit Latinitatem (21). *V.* APICIUS in ONOM. Omnium optima habetur *Jo. Mich. Bernholdii* editio ann. 1787. 8.° Marcobreitæ, quam nos sequimur.

Extant sub ejus nomine

1. De opsoniis et condimentis, *sive* arte culinaria libri X., quorum tituli sunt,

1. Epimeles,	6. Aeropetes,
2. Sarcoptes,	7. Polyteles,
3. Cepuros,	8. Tetrapus,
4. Pandecter,	9. Thalassa,
5. Osprios,	10. Halieus.

APUL. (L. Apulejus seu Appulejus) Madaurensis in Africa, illustri genere natus, vixit imperantibus Antonino Pio et M. Aurelio, philosophus Platonicus, et orator sui temporis clarus. Tumidus quandoque, ut Afri fere omnes, sæpe prolixus in narrationibus, et casco elegantiæ affectator, totusque plautinus: ita ut præsertim in Metamorphoseon libris, seu Asino aureo, nostrorum scriptorum, qui *novellieri* Italice dicuntur, stilum præseferat (22). *V.* APULEJUS in ONOM. Omnium ejus operum editio optima habetur, quam *Franc. Oudendorpius*, quo defuncto *Jo. Bosscha* curarunt Lugd. Batav. 1786. 1823. T. 3. 4.°, quamque ipsi sæpissime sequimur, præterquam in Trismegisto, quem librum alii potius, quam Apulejo tribuendum ratus, in sua editione omisit *Jo. Bosscha*: ceterum versio illa ex Græca lingua antiquior est Augustino, quippe qui ex eodem loca quædam in *lib.* 8. *de Civ. D. c.* 23. 24. et 26, et alibi etiam referat. Liber *de herbis*, *sive de nominibus et virtutibus herbarum*, sive *herbarium* nuncupatus, a plerisque eidem Apulejo adjudicatur, a nonnullis opus ex variis auctoribus consarcinatum, et mutilum ad nos pervenisse videtur ex indice eidem præmisso in Cod. MS. Colbertino: hujus editionem, quibusdam tamen hac illac emendatis, citavimus, quæ excusa est Lugduni ann. 1614. T. 2. 8.°

Extant ejus

1. Metamorphoseon sive Asini aurei libri XI.,
2. Apologia *sive* de magia liber (*Utriusque operis citantur paginæ ex editione Elmenhorstii ann.* 1621. *Francofurti* 8.°),
3. Floridorum libri IV. (*qui in numeros* 24. *distributi sunt, quos citavimus*),
4. De Deo Socratis,
5. — dogmate Platonis libri III. (*quorum primus etiam* de philosophia naturali, *alter* de philosophia morali, *tertius* de philosophia rationali *sive* περὶ ἑρμηνείας, *sive* de syllogismo categorico *inscribuntur*),
6. — mundo,
7. Fragmenta, (*ex variis ejus operibus a* Non., Charis., Prisciano *aliisque citata*),
8. Ἀνεχόμενος ex Menandro (*Ita inscribitur hoc poemation tribus et viginti versibus iambicis constans, quod licet alii lepidissimum dictitent, tamen obscenissimum recte voces, quodque cum* Elmenhorstio *et* Burmanno *aliisque ab Italo quodam sub initium renascentium litterarum confictum arbitreris, necesse est*),
9. Trismegistus (*qui et* Hermetis Trismegisti Asclepius, *et* de natura deorum dialogus, *et* de natura deorum ad Asclepium allocuta *inscribitur*),
10. Herbarium (*quod et* liber de herbis, *sive* de nominibus ac virtutibus herbarum *inscribitur*).

APUL. DE ORTHOGR. (L. Cæcilius Minutianus Apulejus) grammaticus incertæ ætatis, cujus fragmenta edidit *A. Majus* Romæ ann. 1823. 8.° (23); ex iisdem pauculæ quædam voces citantur in Lexico.

Extant ejus

1. De orthographia (*trium librorum fragmenta.*)

APUL. *De not. Aspir.* (24).

AQUILA (Aquila Romanus) rhetor, qui vixit ante Constantinum M., et ex Græco opusculo *de figuris* Alexandri Numenii excerpsit, et usi suo accommodavit, ac Latinorum scriptorum locis instruxit tres sequentes libros, qui a *Claudio Capperonerio* inter *Antiquos rhetores Latinos*, Argentorati an. 1756. 4.° editi sunt, cujusque editionem sequimur.

Extant ejus

1. De figuris sententiarum et elocutionis,
2. De schematis lexeos (*Hæc duo opuscula perperam vulgo* Julio Rufiniano *tribuuntur.*) (25),
3. De schematis dianœas.

ARATOR, cognominatus subdiaconus, Ligur seu potius Mediolanensis, ex comite domesticorum et privatorum, postea subdiaconus Romanus seu Romanæ Ecclesiæ cardinalis obiit ann. 556. Versibus hexametris ex Actibus Apostolorum historiam conscripsit, cui præmisit duas breves elegias, ad Florianum unam, alteram ad Virgilium Papam: epistolam vero ad Parthenium versibus itidem elegiacis exaratam misit. *V.* ARATOR in ONOM.

Extant ejus

1. Historiæ Apostolicæ libri II., 2. Epistola ad Parthenium.

ARCAD. CHARIS. *V.* AUREL. ARCAD. CHARIS.

ARNOB. (Arnobius) Afer, Siccæ rhetoricam docuit sub Diocletiano, et apologeticum suum ann. 306. scripsisse videtur. *V.* ARNOBIUS in ONOM. Editionem omnium optimam secuti sumus *Jo. Conr. Orelli*, Lips. 1816. 8.°; in citandis vero locis paginam editionis Lugd. Batav. ann. 1651. 4.° numeravimus (26).

Extant ejus

1. Disputationum adversus gentes libri VII.

ARR. MENAND. (Arrius Menander) JCtus, sub Septimio Sev. et Caracalla, qui ab ann. a Chr. n. 193. ad ann. 217. imperarunt, vixit.

Extant ejus in Digestis

1. Fragmenta de re militari Lib. IV.

ARUSIANUS MESSUS (27).

ASCON. (Q. Asconius Pedianus) Patavinus, grammaticus et rhetor, Romæ vixit. *V.* ASCONIUS in ONOM.

Extant ejus

1. Commentationes in M. Tull. Cic. tres Verrinas et quartæ initium,
2. — — — — — — — — — — — — orat. pro C. Cornelio,
3. — — — — — — — — — — — — contra C. Antonium et L. Catilinam,
4. — — — — — — — — — — — — contra L. Pisonem,
5. — — — — — — — — — — — — pro Scauro,
6. — — — — — — — — — — — — pro Milone (28).

ASELLIO. *V.* SEMPRON. ASELLIO.

ASIN. (C. Asinius Pollio) natus Romæ ann. U. C. 678., oriundus ex Teate Marrucinorum, orator, historicus et poeta tragicus.

Extant ejus pauca quædam

1. Fragmenta apud veteres auctores (29),
2. Epistolæ III. inter *Cic.* 10. *Fam.* 31., 32. et 33.

ASPER, grammaticus Hieronymo et Augustino antiquior. Virgilium et Sallustium commentatus est. Ejus fragmenta in Virgilium collegit et edidit *A. Majus* in *Virgilii interpret. vet.* Mediolani ann. 1818. 8.° Extat præterea ejus

1. Ars *scil.* grammatica (*apud* Putsch. p. 1725.-1736.).

ATIL. FORTUNATIAN. (Atilius Fortunatianus) grammaticus, videtur fuisse coævus Cassiodoro.

Extat ejus

1. Ars et de metris Horatianis (*apud* Putsch. p. 2681.-2706.)

ATTA (C. *vel* T. Quinctius Atta) comœdiarum togatarum scriptor, obiit, ut quidam putant, ann. U. C. 678. (30).

Comœdiarum ejus fragmenta passim citantur a *Non.*, *Diomede*, *Gell.*, aliisque, quarum hi sunt tituli:

1. Ædilicia,	4. Epigrammata,
2. Aquæ caldæ,	5. Lucubratio,
3. Conciliatrix,	6. Matertera,

(20) Hic accepit regnum ann. U. C. 914., post Chr. n. 161. Paucula orationum ejus fragmenta collegit et illustravit *Henr. Meyerus* in opere super. cit. (V. notam n. 10.) p. 277.-280.

(21) V. *Funccius de inerti, Lat. ling. senect. T.* 4. *p.* 479.-485.

(22) Ejus vitam habes apud *Visconti*, *Iconogr. Rom. p.* 480.-482.

(23) Atque iterum emendatiora ann. 1831. in *T.* 5. *Scriptor. vet. N. Collect. P.* IV. *p.* 18.

(24) Apulejus, cujus mutilus *de nota aspirationis* libellus editus est ab Osanno ann. 1826, aut unus idemque est cum superiore, aut certe inter seriores ævi grammaticos recensendus.

(25) Plerique tamen ex recentioribus philologis hæc duo *Julio Rufiniano*, neque immerito, adjudicant; eidemque nos ipsi tribuimus *Frotscheri* editionem secuti.

(26) In hac tamen Lexici editione paginas editionis Lugd. Batav. ann. 1651. omisimus, et capita juxta *Orellianam* editionem Lips. 1816. citanda putavimus.

(27) Arusiani Messi, qui vixit circa ann. 450. post Chr. n. et rhetoricen professus est, extant *Exempla locutionum ex Virg., Sall., Terent., Cic. per litteras digesta*, quæ nuper edidit *Lindemannus* in opere, cui titulus *Corpus Grammaticorum latinorum veterum; collegit Lindemannus, Lipsiæ* 1831 *in* 4.° *Tom.* 1.

(28) De Q. Asconio Pediano pluribus disserit *Jo. Georgius Baiterus* in opere, cui titulus *M. Tullii Ciceronis opera quæ supersunt omnia ac deperditorum Fragmenta, Turici* 1833. *edente Jo. Casp. Orellio, vol.* 5. *p.* I.-XVI.; *atque ibid. a pag.* 1. *ad pag.* 313. *Asconii et Pseudo-Asconii* commentationes hoc ordine editas illustravit:

Q. ASCONIUS PEDIANUS

1. In M. Tullii Cic. orat. in senatu in L. Pisonem,
2. — — — — — — pro M. Scauro,
3. — — — — — — pro Milone,
4. — — — — — — pro C. Cornelio de majestate,
5. — — — — — — in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam.

PSEUDO-ASCONIUS

1. In M. Tullii Cic. orat. in Q. Cæcilium, quæ Divinatio dicitur,
2. — — — — — Prœmium primæ Actionis in C. Verrem,
3. — — — — — Actionis secundæ in C. Verrem librum primum,
4. — — — — — — — — — — — — — — — — secundum.

In hac vero Lexici editione *Baiteri* sententiam, ordinem editionemque secuti sumus.

(29) Asinii Pollionis orationum Fragmenta collegit et illustravit *Henr. Meyerus* in opere super. cit. (V. notam n. 10) p. 129-135.

(30) Probabilius videtur, Attam obiisse ann. U. C. 676. juxta *Jo. Henr. Neukirch*, qui in opere super. cit. (V. notam n. 9.) plura de Atta scripsit ejusque fragmenta collegit p. 153.-164.; in eo tamen differt a *Bothio*, quod fabulæ, cui titulus *Epigrammata*, ne ullam quidem mentionem fecit, aliamque addidit quæ inscribitur *Gratulatio*, tametsi una eademque esse videatur cum *Lucubratione*, quod et *Stravius* suspicatus est (V. *opus cit. p.* 159).

7. Megalensia seu Megarensia,
8. Socrus,
9. Supplicatio,
10. Tiro proficiscens.

AUCT. AD HERENN. Rhetoricorum ad C. Herennium libri quatuor, qui plerumque cum operibus M. Tullii Ciceronis edi solent, quem habeant auctorem, incertum adhuc est. Alii enim ipsi Ciceroni, alii L. Cornificio seniori, alii M. Gallioni eos tribuunt; at *Chr. God. Schützius* probabili conjectura contendit, auctorem horum librorum esse M. Antonium Gniphonem, cujus vitam habes apud *Sueton. Gramm.* 7., qui Ciceroni paullo antiquior fuit, cujusque hic libros præ manibus habuit, cum suos de inventione rhetorica libros juvenili admodum ætate conscriberet (31).

— B. AFRIC. *h. e.* belli Africani,
— B. ALEX. ——— Alexandrini,
— B. HISPAN. ——— Hispaniensis,
— LIB. 8. B. GALL. *h. e.* libri octavi belli Gallici.

Hæc habet *Sueton. Cæs.* 56. Belli Alexandrini, Africani et Hispaniensis (*librorum*) incertus auctor est: alii Oppium putant, alii Hirtium; qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit.

— CARM. seu PANEG. AD PIS. *V.* SALEJUS.

— AD MESSAL. (carmen seu elegia ad M. Val. Corvinum Messalam). (*Scriptum fuisse videtur ann. U. C.* 725. *ab ignoto auctore, quem Virgilium fuisse nonnulli putant: editum vero fuit a multis, sed præcipue a* P. Burmanno *in* Anthol. Lat. T. 1. p. 292., *ab* Heynio *inter* Catalecta Virgilii n. 11., *a* Wernsdorfio *inter* Poet. Lat. min. T. 3. p. 147., *et a* G. Phil. Ed. Wagnero, *qui Lipsiæ ann.* 1816. 8.° *idem edidit et perpetuo commentario illustravit. In citandis in Lexico locis usi sumus editione* Heynii. *V.* AGLAIA *et* ELELEIDES).

— DE CRUCE
— — GENESI
— — SODOMA
— AD SENATOR.
} Cypriano vulgo tribuuntur.

— DE PHILOMELA. (*Hæc elegia incerti auctoris est, sed Christiani, et sequioris ævi. Præter alios eam ediderunt et illustrarunt* P. Burmannus *in* Anthol. Lat. T. 2. p. 423. *et* Wernsdorfius *in* Poet. Lat. min. T. 6. p. 2. p. 388., *quos sequimur.*).

— COLLAT. LEG. MOSAIC. ET ROM. (collationis legum Mosaicarum et Romanarum). (*Auctor hujus collationis Christianus fuit, at post Codicem Theodosianum editum et ante Justiniani ætatem scripsit, qui leges Romanas ex integris* Papiniani seu Papiani, Pauli, Domitii, *aliorumque juris auctorum libris, item ex Cod. Theodosiano desumptas, et in XVI. titulos tributas cum legibus Mosaicis contulit. Editionem sequimur Lipsiensem* A. Schultingii *ann.* 1737. *p.* 719.-800.) (32).

— DIAL. DE ORAT. (dialogus de oratoribus). (*Hujus auctorem plerique critici statuunt esse* Cornelium Tacitum, *qui illum ann. a Chr. n.* 75. *scripsit. V.* Spaldingium *ad* Quintilianum T. 2. p. 41. *et* 424.) (33).

— EPIST. AD OCTAV. (*V. quæ adnotavimus ad* CIC. epistolar. ad Brutum.).

— EPIT. ILIAD. HOMER. *V.* PSEUDO-PINDARUS.

— EPITHAL. LAUR. ET MAR. (epithalamii Laurentii et Mariæ). (*Hujus auctor antiquus quidem, sed inferioris Latinitatis tempore vixisse videtur, ex quo tamen plura nova vocabula in Lexico admisimus: illud editum et illustratum fuit a* P. Burmanno *in* opere cit. T. 2. p. 633. *et a* Vernsdorfio op. cit. T. 4. p. 488., *quos sequimur.*).

— INCERT. DE RR AGRAR., quorum hi sunt tituli:

1. Ordines finitionum,
2. De locis suburbanis vel diversis itineribus pergentium in suas regiones,
3. Excerpta ex libris Magonis, Vegojæ et Aruntis Vertumni,
4. De terminis et de lineis partium orientalium,
5. Excerpta ex Vitali, Fausto et Valerio,
6. Ratio limitum regundorum,
7. Expositiones, sive lapidum finalium per diversas provincias positorum figuræ,
8. Expositio de marginibus terræ, operibus cæsis, et de vallibus,
9. Varatio fluminis ex M. Junio Nypso,
10. Excerpta ex variis auctoribus. (*Hi omnes editi sunt a* Goesio *Amstelodami ann.* 1674. 4.°, *quam editionem sequimur.*).

— ORBIS DESCRIPT. (34).

— PANEG. AD CONSTANTIN.

— ITINER. ALEX. M. (itinerarii Alexandri Magni). (*Hoc opus ex Cod. bibliothecæ Ambros. primus edidit* A. Maius *Mediolani ann.* 1817. 8.°: *ejus auctorem, licet anonymum, scripsisse constat ann. a Chr. n.* 340., *ut idem* Maius *arguit ex cap.* 4. *et* 8.)

— LIBRI DE NOMINIB. ROM. (*Hic liber vulgo tribuitur* Valerio Maximo, *et hujus operibus subjungi solet.*)

— PERVIGIL. VENER. *V.* PERVIGIL. VENER.

— PRIAPEJ. *V.* PRIAPEJ.

AUGUSTIN. (Aurelius Augustinus) Tagastæ in Numidia natus ann. a Chr. n. 354., defunctus ann. 430.: Tagastæ primum, mox Carthagine, Romæ ac Mediolani rhetoricen docuit: tandem apud Hipponenses munus presbyteri, deinde episcopi obtinuit. Multa præditus fuit facundia, acumine ingenii et doctrinarum copia: dictio ejus neque pura, neque elegans est.

Extant ejus

1. Retractationum libri II.,
2. Confessionum libri XIII.,
3. Contra Academicos libri II.
4. De beata vita,
5. — ordine libri II.,
6. Soliloquiorum libri II.,
7. De immortalitate animæ,
8. — quantitate animæ,
9. — musica libri VI.,
10. — magistro,
11. — libero arbitrio libri III.,
12. — Genesi contra Manichæos libri II.,
13. — moribus Ecclesiæ catholicæ, et de moribus Manichæorum libri II.,
14. — vera religione,
15. Regula ad servos Dei,
16. De doctrina Christiana libri IV.,
17. — Genesi ad litteram imperfectus liber I.,
18. — Genesi libri XII.,
19. Locutionum libri VII.,
20. Quæstionum in Heptateuchum libri VII.,
21. Annotationum in Job liber,
22. Speculum,
23. De consensu Evangelistarum libri IV.,
24. — sermone Domini in monte libri II.
25. Quæstionum Evangeliorum libri II.
26. ——————— XVII. in Evang. secundum Matthæum liber,
27. In Joannis Evangelium tractatus CXXIV.,
28. — Epist. Joann. ad Parthos tractatus X.,
29. Expositio quarumdam propositionum ex Epist. ad Romanos,
30. Epistolæ ad Romanos inchoata expositio,
31. Expositio Epistolæ ad Galatas,
32. Enarrationes in Psalm. CL.
33. Sermones CCCXCIII.,
34. De diversis quæstion. LXXXIII. liber,
35. De diversis quæstionibus ad Simplicianum libri II.,
36. De octo Dulcitii quæstionibus,
37. — fide rerum, quæ non videntur,
38. — — et symbolo,
39. — — et operibus,
40. Enchiridion de fide, spe, et caritate,
41. De agone Christiano,
42. — catechizandis rudibus,
43. — continentia,
44. — bono conjugali,
45. — sancta virginitate,
46. — bono viduitatis,
47. — conjugiis adulterinis libri II.,
48. — mendacio,
49. Contra mendacium,
50. De opere monachorum,
51. — divinatione dæmonum,
52. — cura pro mortuis gerenda,
53. — patientia,
54. — Symbolo ad catechumenos tractatus IV.,
55. De disciplina Christiana,
56. — cantico novo,
57. — quarta feria,
58. — tempore barbarico,
59. — utilitate jejunii,
60. — Urbis excidio,
61. — civitate Dei libri XXII.,
62. — hæresibus,
63. Tractatus adversus Judæos,
64. De utilitatibus credendi,
65. — duabus animabus,
66. Acta seu disputatio contra Fortunatum Manichæum,
67. Contra Adimantum Manichæi discipulum,
68. —— epistolam Manichæi,
69. —— Faustum Manichæum libri XXXIII.,
70. De actis cum Felice Manichæo libri II.,
71. — natura boni contra Manichæos.
72. Contra Secundinum Manichæum.
73. —— adversarium Legis et prophetarum libri II.,
74. Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas,
75. Sermo Arianorum,
76. Contra sermonem eorumdem,
77. Collatio cum Maximino Arianorum episcopo,
78. Contra eumdem Maximinum libri II.,
79. De Trinitate libri XV.,
80. Contra Parmenianum libri III.,
81. De baptismo contra Donatistas libri VII.,
82. Contra litteras Petiliani libri III.,
83. Epistola ad Catholicos contra Donatistas,
84. Contra Cresconium libri IV.,
85. De unico baptismo contra Petilianum,
86. Breviculus collationis cum Donatistis,
87. Post collationem ad Donatistas,
88. Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem Emerito præsente dictus,
89. De gestis cum Emerito,
90. Contra Gaudentium libri II.,
91. Sermo de Rusticiano subdiacono.
92. De peccatorum meritis et remissione libri III.,
93. — spiritu et littera,
94. — natura et gratia,
95. — perfectione justitiæ hominis,
96. — gestis Pelagii,
97. — gratia Christi, et peccato originali,
98. — nuptiis, et concupiscentia libri II.,
99. — anima, et ejusdem origine libri IV.,
100. Contra duas epistolas Pelagianorum libri VI.,
101. —— Julianum libri IV.,
102. De gratia et libero arbitrio.
103. — correptione et gratia,
104. — prædestinatione sanctorum,
105. — dono perseverantiæ,
106. Contra secundam Juliani responsionem libri VI. (35).

Sunt alii libri *Augustino* passim tributi, et ex quibus loca quædam citantur a *Forcellino* in Lexico: sed eos ideo omittimus, quia a Maurinis monachis, quorum editionem Parisiis ann. 1679.-1701, T. 11. fol. sequimur, inter opera apocrypha rejecti sunt.

AUGUSTUS (C. Julius Cæsar Octavianus Augustus) natus Velitris ann. U. C. 691., obiit ann. 767., a Chr. n. 14. (36).

Extant ejus

1. Fragmenta tum ligata, tum soluta oratione, quæ collegit *Albert. Fabricius* Hamburgi 1727. 4.°

(31) In hac tamen Lexici editione *Orellianam* recensionem secuti hoc opus *Ciceronis* nomine inscripsimus, ac juxta *Orellium*, præter numeros librorum et capitum, paragraphorum quoque numeros lectorum commodo attulimus. V. quæ ad CICER. adnotavimus.

(32) Nos vero accuratiorem emendatioremque editionem sæpe consuluimus, quam nuper curarunt *E. Bockingius, A. Bethmann, Hollwegius et dum in vivis erat Puggæus*, cui præfatus est *Eduardus Bockingius*, quæque inscribitur: *Corpus Juris Romani antejustiniani consilio professorum Bonnensium. Bonnæ* 1841 in 4.°

(33) In hac Lexici editione hic dialogus *Corn. Taciti* nomine inscribendus nobis visus fuit clarissimorum inter recentiores philologos sententiam secutis.

(34) Editionem sequimur ab *A. Mai* curatam in *Class. Auct. T.* 3. p. 387.-409.

(35) Addendi sunt et ejus *Commentarii seu Tractatus super Psalmos*, et *Epistolæ* numero plurimæ, quarum loca in Lexicon ab ipso *Forcellino* relata fuerunt.

(36) Oratoria Cæs. Octav. Augusti fragmenta collegit et illustravit *Henr. Meyerus* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 241-245.

AVIAN. (Flavius Avianus) ex quorumdam sententia floruit circa ann. a Chr. n. 160., sed Rufo Avieno suppar fuisse videtur.
Extant ejus
1. Fabulæ XLII. versu elegiaco exaratæ.

AVIEN. (Rufus Festus Avienus) natus Volsiniis in Etruria, floruit circa ann. a Chr. n. 410.
Extant ejus
1. Phænomena, et
2. Prognostica ex Arato poeta Græco in Latinam linguam versibus hexametris versa,
3. Periegesis, *seu* Descriptio orbis terræ versibus hexametris ex Dionysio poeta Græco liberius interpretata,
4. Ora maritima (h. e. *descriptio oræ maris mediterranei cum Ponto Euxino, et Mæotide, usque ad mare Scythicum: sed hujus operis, iambicis carminibus exarati, fragmentum nunc extat, quod a freto Herculeo ad Massiliam tantummodo procedit.*),
5. Carmen de malis Punicis (*In* Antholog. Lat. T. 1. p. 494. Burm.)
6. ——— ad Sirenum allegoria (ibid. p. 113.),
7. ——— amicos de agro (ibid. p. 496.).

AUREL. ANTONIN. (Aurelius Antoninus) (37).

AURELIUS ARCADIUS CHARISIUS JCtus, qui imperante Diocletiano præses fuit Syriæ, scripsit sub Constantino M.
Extant in Digestis ejus fragmenta ex
1. libro singulari de muneribus civilibus,
2. ——— officio præfecti prætorio,
3. ——— testibus.

AUR. VICTOR (Sex. Aurelius Victor) major, historicus, Africanus Juliano Aug. ann. 360. amice cognitus, præfectus Urbi ann. 388. Ejus mentionem facit *Ammian.* 21. 10. § 6.
Extant ejus
1. Origo gentis Romanæ,
2. De viris illustribus urbis Romæ (38),
3. De Cæsaribus historia (ab Imp. Aug. usque ad Constantium Constantini M. filium) (39).

AUR. VICTOR (Sex. Aurelius Victor) minor, historicus, qui diversus a superiore est, et ætate posterior.
Extat ejus
1. Epitome de Cæsaribus (ab Imp. Augusto usque ad obitum Theodosii I.).

AUSON. (Decimus Magnus Ausonius) Burdigalæ in Gallia natus ann. a Chr. n. 309. obiit ann. 394. Grammaticus, rhetor, et poeta ingeniosus. *V.* AUSONIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Epigrammata CXLVI.,
2. ——— alia IV. (*quibus Fastorum a se digestorum meminit.*),
3. Ephemeris (id est totius diei negotium),
4. Parentalia XXX. (*quibus carorum suorum obitus commemorat.*),
5. Professores Burdigalenses XXVI.,
6. Epitaphia heroum, qui bello Troico interfuerunt XXVI.,
7. ——— aliorum XII.,
8. XII. Cæsares per Suetonium Tranquillum scripti,
9. Tetrasticha, a Julio Cæsare usque ad tempora sua, XXIV.,
10. Claræ urbes, *sive* ordo nobilium urbium XIV.,
11. Ludus septem sapientum,
12. Eorumdem sententiæ septenis versibus explicatæ,
13. Eidyllia XX. (*ex quibus X. Mosella, XII. Technopægia inscribitur.*),
14. Eclogarium,
15. Epistolæ XXV.,
16. Ad Gratianum Imp. discipulum gratiarum actio pro consulatu.
17. Periochæ in Homeri Iliadem et Odysseam,
18. Præfatiunculæ III.

B

BARO (M. Baro *seu* Varro)
Extat ejus
1. Liber de geometria (*inter* Auct. de re agraria a Goesio, p. 235.)

BEDA, presbyter et monachus, natus ann. a Chr. n. 672. in agro Dunelmensi in Britania (nunc *Durham* in *Northumberland*), obiit ann. 735. (40). Plurima scripsit ad grammaticam, ad mathesin, ad historiam et ad poeticen pertinentia, inter quæ
Extant ejus
1. De orthographia (*inter* Grammaticæ Latinæ Auctores antiq. a Putschio, p. 2327.-2349.),
2. De arte metrica (ibid. p. 2240.-2246.),
3. De figuris et tropis Ss. Scripturæ liber (*inter* Antiq. Rhetor. Latinos editos a Capperonerio *Argentorati ann.* 1756. 4.° p. 375.-386.),
4. Cuculus (*ecloga constans LV. versibus hexametris in* Anthol. Lat. T. 2. p. 356. Burm.),
5. Compositio horologii, (*carmen LXXXVII. versibus hexametris constans* ibid. p. 397.).

BIBACULUS (M. Furius Bibaculus) Cremonensis, poeta satyricus, vixit post obitum Lucilii poetæ. *V.* BIBACULUS in ONOM. Extat ejus versus hexameter apud *Horat.* 2. *Sat.* 5. 41. et *Quintil.* 8. 6. 17., et carminum hendecasyllaborum minime spernenda fragmenta II. apud *Sueton. Gramm.* 11. (41).

BITHYNICUS. *V.* POMPEJUS BITHYNICUS.

BOETH. (Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius) Romanus patricius, natus creditur ann. a Chr. n. 455., obiit Ticinii ann. 526. jussu Theodorici Gothorum regis interfectus. *V.* BOETHIUS in ONOM. Plurima scripsit, inter quæ eminent
1. De consolatione Philosophiæ libri V. (*In his citandis sequimur editionem Patavinam* Jos. Comini *ann.* 1721. 8.°) (42).

BRUT. (D. Junius Brutus). Hic, cum adoptatus fuisset ab A. Postumio Albino, Brutus Albini F. est cognominatus in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 229. A C. Julio Cæsare in secundis heredibus nominatus, ipsum tamen in senatu pugione petiit, et ab eodem in ann. U. C. 711. consul designatus, mox, eo occiso, Galliæ citerioris proconsul a M. Antonio Mutinæ obsessus, ab Octaviano una cum Hirtio et Pansa consulibus liberatus, tandem a triumviris hostis reipublicæ judicatus, cum in Macedoniam fugere pararet, occisus est.
Extant ejus
1. Epistolæ X. (*inter* Cic. 11. Fam. 1., 4., 9., 10., 11., 13., 19., 20., 23. et 26.).

BRUT. (M. Junius Brutus), qui adoptatus a Q. Servilio Cæpione avunculo ejus, dictus est Q. Cæpio Brutus, natus ann. U. C. 669., in prœlio Pharsalico pro Pompejo pugnavit ann. 706., C. Julium Cæsarem in senatu pugione ferit ann. 710., mox in Macedoniam proconsul profectus, in prœlio Philippensi a M. Antonio et Octaviano victus, sibi mortem conscivit ann. 712.
Extant ejus
1. Epistolæ XI. (*quarum II. Bruti et Cassii nomine inter* Cic. 11. Fam. 2. et 3., *aliæ VII. inter* Cic. 1. ad Brut. 4., 6., 7., 11., 13., 16. et 17., *aliæ II. inter* Cic. 2. ad Brut. 3. et 5.) (43).

C

CÆCIL. (SEX. Cæcilius Africanus) JCtus, vixit sub Antonino Pio.
Extant ejus in Digestis, ubi *Africanus* tantummodo appellatur, fragmenta ex
1. Quæstionum libris IX.,
2. Epistolarum libris XX.

CÆCIL. (Cæcilius Statius) poeta comicus, Gallus Insuber, obiit ann. U. C. 586. *V.* CÆCILIUS in ONOM.
Comœdiarum ejus fragmenta passim citantur a *Festo*, *Nonio*, *Prisciano*, aliisque, et a *Frid. Henr. Bothio* collecta (*V.* supra in ACCIUS), quarum hi sunt tituli:
1. Æschinus *sive* Æschines hypobolimæus,
2. Æschrio *sive* Æthrio,
3. Anagorizomene,
4. Andria,
5. Androgynus *sive* Andronicus,
6. Asotus,
7. Calci *sive* Calchi,
8. Charinus,
9. Chrysius,
10. Dardanus,
11. Davus,
12. Demandati,
13. Emporus,
14. Ephesio,
15. Epiclerus,
16. Epistathmenos,
17. Epistola,
18. Eratosthenes,
19. Exsul,
20. Fallacia,
21. Fenerator *sive* Obolostates,
22. Gamos,
23. Harpazomeni,
24. Hymnis,
25. Hypobolimæa rastraria,
26. Hypobolimæus *sive* Subditivus.
27. Hypobolimæus Chærestratus,
28. Meretrix,
29. Nauclerus,
30. Nothus Nicasio.
Obolostates, *V.* Fenerator,
31. Pausimachus,
32. Philumena,
33. Plocium,
34. Polumeni,
35. Portitor,
36. Pugil,
37. Symbolum,
38. Synaristosæ,
39. Synephebi,
40. Syracusii,
41. Titthe,
42. Triumphus,
43. Venator,
44. Umbri *sive* Umbræ.

CÆCINA. (A. Licinius Cæcina) ex Etruria, scripsit de Etrusca disciplina: bello civili, cum a Pompeji partibus staret, Cæsaris existimationem criminosissimo libello laceravit, ut docet *Suet. Cæs.* 75., deinde post pugnam Pharsalicam excusandi sui causa edidit *librum querelarum*, quo errorem suum Cæsari excusaret. Is putatur idem, quem Cicero oratione pro *A. Cæcina* defendit. *V.* CÆCINA in ONOM.
Extat ejus
1. Epistola inter *Cic.* 6. *Fam.* 7.

CÆS. (C. Julius Cæsar) natus ann. U. C. 654. IV. Id. Quint., et ann. 710. Idib. Mart. Romæ in curia tribus et viginti vulneribus confossus periit. Domi militiæque immortalem nominis gloriam est consecutus. Causarum primum patronus, mox, post varias dignitates, superatis omnibus inimicis, et deleta Romanorum libertate, dictator perpetuus et imperator fuit. *V.* CÆSAR in ONOM.
Extant ejus
1. De bello Gallico libri VII. (*Liber VIII. A. Hirtio vulgo tribuitur.*)

(37) Imperator Antoninus Augustus, ante excessum d. Severi patris sui orationem habuit in senatu, ann. U. C. 930., *de confirmandis orationibus*, cujus fragmenta ex *Digest.* refert *Henr. Meyerus* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 381.

(38) V. *Annali dell' Instit. Archeol. T.* 9. *p.* 81.

(39) Hæc historia spuria videtur *Victori Le Clerc* in *Journaux des Romains p.* 43.

(40) Hinc nulla ejus habenda est ratio in hoc Lexico: V. quæ diximus in *Præfatione hujus editionis.*

(41) De Marco Furio Bibaculo poeta, qui natus est ann. U. C. 651., a. Chr. n. 103., pluribus disseruit *M. Augustus Weichert* in opere, cui titulus: *Poetarum Latinorum Hostii, Lævii, C. Licinii Calvi, C. Helvii Cinnæ, C. Valgii Rufi, Domitii, Marsi aliorumque vitæ et carminum reliquiæ. Lipsiæ* 1830. 4.°, *p.* 331.-364., ubi ejusdem quoque fragmenta exhibentur atque illustrantur.

(42) Ex aliis Boethii operibus plurima vocabula clarissimus *Furlanetto* inseruit in *Appendice*, editione usus, quæ *Basileæ* facta est ann. 1546 per *Henricum Petrum*.

(43) Ejusdem extant etiam paucula orationum fragmenta, quæ collegit atque illustravit *Henr. Meyerus* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 333.-385.

(44) T. Cassius Severus, juxta Eusebium, orator egregius xxv exilii sui anno summa inopia mortuus est anno Domini 34., h. e. anno U. [illegible]. Vide plura apud *Henr. Meyer* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* [illegible], ubi et ejusdem fragmenta invenies.

(45) M. Cato, M. F. M. Nepos, teste *Gell.* 13. 19., satis vehemens orator fuit, multasque orationes ad avi exemplum scriptas reliquit, et consul cum Q. Marcio Rege (a. U. 636) fuit, inque eo consulatu in Africam profectus in ea provincia mortem obiit. Ejus fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10) *p.* [illegible].

(46) De M. Porcio Catone cens. pluribus egit ejusque Originum fragmenta collegit atque illustravit *Augustus Krause* in opere sup. cit. (*V.* notam. n. 3.) *p.* [illegible].

(47) Hæc Orationum fragmenta, quæ non solum apud *Gell.*, sed etiam apud plures alios Latinos scriptores occurrunt, collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in opere sup. cit. (*V.* notam n. 10) *p.* [illegible]. Orationum autem hi sunt tituli:

1. Oratio de lege Oppia,
2. — quam dixit Numantiæ apud equites,
3. Cato ad populum de triumpho,
4. Oratio apud Athenienses,
5. — contra Thermum de decem hominibus,
6. — de falsis pugnis contra Thermum,
7-10. — adversus M. Acilium quarta,
11. — de pecunia regis Antiochi,
12. — in M. Fulvium Nobiliorem,
13. — de conjuratione,
14. — in L. Quintium Flaminium,
15. — in Manilium,
16. — in Nævium,
17. — in L. Scipionem,
18. — in L. Veturium de sacrilicio commisso cum ei equum censor adimeret,
19. 20. Orationes de mulcta contra L. Furium,
21. Oratio de moribus Claudii Neronis,
22. — contra Annium,
23. — adversus Quintum Minucium Thermum,
24. — ad litis censorias,
25. — de signis et tabulis,
26. — de vestitu et vehiculis,
27. — uti præda in publicum referatur,
28. — de præda militibus dividunda,
29. — uti basilica ædificetur,
30. — de aqua musta pascenda,
31. — de fundo oleario,
32. — de ædilibus vitio creatis,
33. Oratio de lustri sui felicitate,
34. — in legem Orchiam,
35. — ne legi Orchiæ derogaretur,
36. — de censura M. Fulvii Nobilioris,
37. — in P. Furium Philum vel pro Lusitanis Hispanis,
38. — pro lege Voconia,
39. — de Macedonia liberanda,
40. — pro Rhodiensibus,
41. — de Ptolemæo minore contra Thermum,
42. — de ambitu,
43. — pro se contra C. Cassium,
44. — de Achæis,
45. — ne quis bis consul fiat,
46. — de bello Carthaginiensi,
47. Cato in dissuasione de rege Attalo et vectigalibus Asiæ,
48. Oratio in Servium Galbam pro Lusitanis,
49. Oratio qua usus est ad milites contra Galbam,
50. — ad litem,
51. Cato in dissuasione de feneratione legis Juniæ,
52. Oratio de re Floria,
53. Cato in dissuasione, ne lex Bæbia derogaretur,
54. — in suasione in legem populi,
55. — in Pausam,
56. — in Serria,
57. — de tribunis militum,
58. — de suis virtutibus contra Thermum,
59. Oratio de bonis Duloniæ,
60. — qua tribuno diem dixit,

CATO (M. Porcius Cato) superioris pronepos, trib. pleb., mox prætor. In bello civili Pompeji partes secutus, post pugnam Pharsalicam in Africam profectus, et post Scipionem apud Thapsum a Cæsare devictum, Uticæ ferro se ipse interemit ann. U. C. 708., ideoque et Uticensis cognominatus postea est. *V.* CATO in ONOM.

Extat ejus

1. Epistola ad *Cic.* 15. *Fam.* 5.

CATO (Valerius Cato) grammaticus et poeta, libertus Bursani cujusdam ex Gallia, qui tempore belli Sullani villa sua Tusculana cedere propter egestatem coactus est, floruit circa ann. U. C. 690. Illius meminere *Catull.* 56., *Horat.* 1. *Sat.* 10. 1., *Ovid.* 2. *Trist.* 436. et *Sueton Gramm.* 11., ubi hic ejus vitam nobis reliquit. Varia opera scripsit, quæ periere; extat autem carmen satyricum, sive *exsecratorium*, ut in quibusdam editionibus nuncupatur, cui titulus est

1. Diræ ad Battarum. (*Optima utimur editione* Jo. Chr. Wernsdorfii, *qui hoc carmen inter* Poet. Latin. min. T. 3. p. 1.-23. *edidit Altenburgi ann.* 1782. 8.°).

CATO DIONYS. (Cato Dionysius) videtur vixisse sub M. Aurelio Antonino. Ejus extat carmen morale hexametris constans, in quatuor libros divisum, cui titulus est

1. Disticha de moribus. (*Ita appellantur, quod unaquæque sententia duobus hexametris continetur*).

CATULL. (C. Valerius Catullus) Veronensis, natus ann. U. C. 667., obiit post ann. 707., quo consul fuit Vatinius, cujusque ipse meminit *carm.* 52. *V.* CATULLUS in ONOM.

Extant ejus

1. Carmina CXV. (*quæ partim lyrica, partim elegiaca, partim epigrammatica, quædam etiam epica sunt*).

CATULUS. *V.* LUTAT.

CELS. (A. Cornelius Celsus) medicinæ auctor celeberrimus. Ejus loca plerumque citavimus ex editione Veronensi *Leon. Targæ* ann. 1810. 4.° *V.* CELSUS in ONOM.

Extant ejus

1. De medicina libri VIII.

CELSUS (P. Juventius Celsus) JCtus, vixit et consulatum bis gessit imperante Hadriano.

Extant in Digestis ejus fragmenta

1. libror. XXXIX. digestorum,
2. —— VII. commentariorum,
3. libror. XI. epistolarum,
4. —— XII. quæstionum.

CENSORIN. (Censorinus) grammaticus Romanus: quo nomine gentilicio, quo prænomine fuerit, quibus parentibus, quo loco natus sit, incompertum hactenus est. In citandis utriusque operis locis utimur optima editione *Jo. Sigism. Gruberi* Norimbergæ ann. 1805. 8.°

Anno a Chr. n. 238. aureolum scripsit, qui nunc extat, libellum

1. De die natali.
2. Fragmentum incerti auctoris, (*quod capitibus XV. constans, Censorino subjungi solet, de physica, de geometria, de poetica agit.*)

CERVID. SCÆV. *V.* SCÆVOLA.

CESTIUS (Cestius Pius) rhetor, Ciceroni coævus.

Ejus apud *Senec.* in *Suasoriis* passim citantur

1. Fragmenta.

CHALCIDIUS, Platonis Timæum Latine interpretatus est, et commentariis illustravit. Vixit circa ann. a Chr. n. 330.

CHARIS. (Flavius Sosipater Charisius) natione Campanus, religione Christianus, professione grammaticus, vixit circa initium sæculi quinti a Chr. n.

Extant, apud *Putsch* p. 2.-266., ejus

1. Institutionum grammaticarum libri V. (48).

CIC. (M. Tullius Cicero) orator omnium maximus, natus in villa Arpinati, ex ordine equestri, III. Non. Jan. ann. ab U. C. 648., patre M. Tullio Cicerone ex tribu Cornelia, et matre Helvia: occisus est, in triumvirali proscriptione, VI. Id. Decemb. ann. 711. (49).

Extant ejus

Opera rhetorica, et oratoria:

1. De inventione rhetorica libri II.,
2. — oratore libri III.,
3. Brutus sive de claris oratoribus liber,
4. Orator,
5. Topica,
6. Partitiones oratoriæ,
7. De optimo genere oratorum fragmentum.

Orationes:

1. pro P. Quinctio,
2. — Sex. Roscio Amerino,
3. — Q. Roscio Comœdo,
4. Divinatio in Q. Cæcilium,
5. Actio I. in C. Cornelium Verrem,
6. Actionis II. liber I. in eumdem,
7. ———— II. in eumdem,
8. ———— III. in eumdem,
9. ———— IV. in eumdem,
10. ———— V. in eumdem: (*Orationes in Verrem a veteribus grammaticis dicuntur etiam* Verrinæ, *atque ita numerantur, ut divinatio appelletur* prima in Verrem seu Verrinarum, *actio prima* secunda in Verrem seu Verrinarum, *actionis secundæ liber primus* tertia in Verrem seu Verrinarum, *et sic deinceps, ita ut actionis secundæ liber quintus nuncupetur* septima in Verrem seu Verrinarum, *quemadmodum citantur a* Forcellino, *præeunte* Nizolio: *hanc porro appellationem sequitur etiam* Priscian. 7. p. 742. Putsch. *et* 18. p. 1195. *et alibi.*) (50),
11. oratio pro M. Fontejo, (*cujus supplementum* B. G. Niebuhrius *primus Romæ ann.* 1820., *mox* A. Maius in Classic. auct. T. 2. p. 370. *edidere.*),
12. oratio pro A. Cæcina,
13. ———— lege Manilia,
14. ———— A. Cluentio Avito,
15. 16. 17. de lege agraria libri III.,
18. oratio pro C. Rabirio perduellionis reo, (*Hujus orationis fragmentum, quo ejusdem postrema lacuna præcipue suppletur, edidere iidem* Niebuhrius, *et* Maius *loc. cit.*),
19. — 22. orationes IV. in Catilinam,
23. oratio pro L. Muræna,
24. ———— L. Flacco,
25. ———— P. Sulla,
26. ———— A. Licinio Archia,
27. oratio post reditum ad Quirites (51),
28. —— post reditum in Senatu,
29. —— pro domo sua,
30. —— de haruspicum responsis,
31. —— pro Cn. Plancio,
32. ———— P. Sextio,
33. —— in Vatinium,
34. —— pro M. Cœlio Rufo,
35. —— de provinciis consularibus,
36. —— pro L. Cornelio Balbo,
37. —— in L. Calpurnium Pisonem,
38. —— pro T. Annio Milone, (*Hujus itidem lacuna, quam nemo unquam suspicatus fuerat, suppleta est, in cap.* 3., *fragmento inedito, quod ex Cod. palimpsesto Taurinensi in lucem protulit* Amed. Peyronius, *quodque repetiit* A. Maius in Classic. auct. T. 2. p. 362. *ann.* 1831.),
39. —— pro C. Rabirio Postumo,
40. ———— M. Claudio Marcello,
41. ———— Q. Ligario,
42. ———— rege Dejotaro,
43. — 58. orationes Philippicæ sive Antonianæ, in M. Antonium, XIV. (52).

Fragmenta orationum (53):

59. pro L. Vareno,
60. in P. Clodium et Curionem,
61. de ære alieno Milonis,
62. pro rege Alexandrino,
63. — M. Æmilio Scauro,
64. — M. Tullio, (*Fragmenta orationum, quæ numeris* 60.-64. *indicantur, primus edidit* A. Maius *ex Cod. Ambros. palimpsesto bis Mediolani, deinde Romæ ann.* 1828. *inter* Classic. auct. T. 2. p. 215.-228. *Quædam etiam fragmenta orationum sub n.* 63. *et* 64. *indicatarum ex Cod. palimpsesto Taurinensi ediderat* Amed. Peyronius *Stuttgardiæ ann.* 1824. 4.°, *quæ ab* A. Maio *iterum edita sunt in* Classic. auct. T. 2. p. 278. *et* 328.),
65. contra concionem Metelli,
66. pro P. Oppio,
67. — C. Manilio,
68. — C. Cornelio I.,
69. ———— II.,
70. in toga candida,
71. pro Q. Gallio,
72. — L. Roscio Othone,
73. — P. Vatinio.

61. Oratio contra Cornelium apud populum,
62. — de sumptu suo,
63. — adversus Lepidum,
64. — si se Cœlius tribunus pl. appellasset,
65. — de dote,
66. — cum in Hispaniam consul proficisceretur,
67. Cato dierum dictarum de consulatu suo,
68. Oratio in C. Sulpicium Galbam,
69. — quæ de auguribus inscribitur,
70. — de re Histriæ militari,
71. Cato contra Oppium,
72. Oratio de spoliis, ne figerentur nisi de hoste capta,
73. — in ea, quam scripsit, ædilis plebis sacrosanctos esse,
74. De re A. Atili,
75. Cato pro L. Cæsetio,
76. Oratio contra Tiberium exulem,
77. — apud censores in Lentulum,
78. — ne imperium sit veteri, ubi novus venerit,
79. — pro L. Turio contra Cn. Gellium,
80. — pro L. Autronio,
81. — qua suasit in senatu, ut plura æra equestria fierent,
82. Cato in legis Mæviæ suasione,
83. — contra C. Pisonem,
84. — pro L. Cæsare ad populum,
85. — in dissuadendo legem, quæ postea relicta est,
86. Oratio, quam habuit de indigitibus,
87. Cato de habitu,
88. — de abrogandis legibus,
89. Oratio de Lætorio.

His denique accedunt incerta orationum fragmenta.

(48) Has nuperrime edidit *Lindmann.* in opere, cui titulus: *Corpus Grammaticorum Latinorum veterum, Lipsiæ* 1855. in 4.° *T.* 1.; quam editionem consuluimus et aliquando citavimus.

(49) In hoc novo Lexico, quod attinet ad M. Tullii Ciceronis opera, omnium optimam *Jo. Casp. Orellii* et *Baiter* editionem secuti sumus, quæ curata est *Turici* a. 1826. et seqq.; ex eaque paragraphorum seu sectionum numeros lectorum commodo addidimus. Itaque ipsos *Rhetoricorum libros ad Herennium* Ciceroni tribuimus (*V.* AUCT. AD HERENN. in hoc Indice).

(50) In *Verrinis* citandis ab *Orellii* appellatione discessimus, *Nizolium* ac *Forcellinum* secuti, h. e. *Priscianum* et ipsum *Capell.* 3. *p.* 143.

(51) Hæc oratio, æque atque aliæ *post reditum in Senatu, pro domo sua ad pontifices, de haruspicum responsis* et *pro M. Marcello* inter scripta dubia et supposititia ab *Orellio T.* 4. recensentur; iisque adduntur *Epistolarum ad Brutum lib. II., Sallustii in Ciceronem oratio, Ciceronis in Sallustium responsio, Ciceronis* denique oratio *ad populum et equites Rom ante quam iret in exilium.* Nos vero priores omnes orationes, necnon *Epistolarum ad Brutum libros II.* Ciceroni semper cum plerisque tribuimus.

(52) Has omnes Ciceronis orationes paullo aliter in ordinem redegit *Orellius T.* 2.

(53) Orationum fragmenta ex *Orellii* recensione *T.* 4. ita inscribuntur et in ordinem perhibentur:

1. Orat. pro P. Quinctio,
2. — — R. Comœdo,
3. — — M. Fontejo,
4. — de lege Agraria,
5. — pro Flacco,
6. — pro M. Tullio, quæ omnia hucusque cit. *T.* 2. continentur,
7. — pro L. Vareno,
8. — cum quæstor Lilybæo decederet,
9. — pro P. Oppio,
10. — — C. Manilio,
11. — — M. Fundanio,
12. — — C. Cornelio I.,
13. — — C. Cornelio II.,
14. — — in toga candida (et hæc continetur *T.* 2.),
15. Orat. pro Q. Gallio,
16. — — de L. Othone,
17. — de proscriptorum liberis,
18. — contra concionem Q. Metelli,
19. — de consulatu suo,
20. — in Clodium et Curionem (quæ *T.* 2. continetur),
21. — de ære alieno Milonis,
22. — de rege Alexandrino,
23. — pro P. Vatinio,
24. — pro M. Æmilio Scauro,
25. — in A. Gabinium,
26. — pro T. Annio Milone,

Hæc excipiunt Tituli Orationum deperditarum, et ex Commentariis Causarum Fragmenta.

(54) Hanc appellationem et nos retinuimus, uncis tamen Orellianam inclusimus, juxta quam 1. *Acad.* est *Academ. posteriorum l.* 1., et 4. *Acad.* est *Academ. posteriorum l.* 4.

(55) Operum philosophicorum fragmenta hoc ordine ab Orellio exhibentur:

Fragmenta librorum philosophicorum magnam partem superstitum.

1. Ex Academicorum ad Varronem libro I.,
2. — — — — — — — — II.,
3. — — — — — — — — III.,
4. — — — — — — — — incerto,
5. Ex lib. III. de Natura deorum,
6. — — I. de Divinatione,
7. Ex libris de Legibus,
8. Ex libro de Fato.

Fragmenta deperditorum librorum philosophicorum.

1. Œconomica ex Xenophonte,
2. Protagoras ex Platone,
3. De jure civili,
4. — auguriis,
5. — philosophia sive Hortensius,
6. M. Cato seu laus M. Catonis,
7. De gloria,
8. De consolatione seu de luctu minuendo,
9. Liber de suis consiliis, sive expositio suorum consiliorum,
10. Commentarius de virtutibus,
11. De notis liber,
12. Chorographia,
13. Ex admirandorum libro,
14. Timæus seu de universo.

His accedunt tituli librorum deperditorum varii argumenti, qui sunt: Liber de laude Cæsaris; De ordinanda republica; Laus Porciæ; Commentarii consulatus sui; Edictum L. Racilii trib. pl.; Oratio pro adolescentulis Siculis; Oratio contra T. Munatium Plancum; Communes loci; Orationes aliis scriptæ

(56) In Orelliana editione his, quæ citantur, accedunt fragmenta: Epist. Cæsaris ad Cicer.; Epist. Brut. ad Cicer.; ex Epistolis incertis.

(57) Denique in Orelliana editione hoc ordine exhibentur, quæ in hoc Indice omissa fuerunt,

Fragmenta Poematum

1. Versus Homerici a Cicer. in Latinum conversi,
2. Arati Phænomena — — — — — —,
3. — Prognostica — — — — — —,
4. Alcyones,
5. Uxorius et } quorum, præter titulos, nihil superest,
6. Nilus }
7. Limon,
8. Marius,
9. De suo consulatu,
10. De suis temporibus,
11. Elegia Tamelastis,
12. Libellus jocularis,
13. Pontius Glaucus,
14. Epigramma in Tironem.

His aliisque accedunt fragmenta librorum incertorum.

(58) Hi versus habentur etiam *T.* 4. *p.* 574-75. inter *M. T. Ciceronis opera omnia ab Orellio* edita; eisque accedit ejusdem Quinti aut anus Epigramma de amore feminarum.

(59) De L. Cincio Alimento pluribus disserit ejusque fragmenta collegit *Aug. Krause* in opere sup. cit. (*V.* notam n. 5.) *p.* 63.-82.

(60) De C. Helvio Cinna pluribus disserit ejusdemque reliquias collectas illustrat *M. Aug. Weichert* in opere super. cit. (*V.* notam n. 44.) *p.* 147-181.

(61) Huic adde *De statu animæ libr. III.*, qui sæpius citantur.

(62) De Claud. Quadrigario pluribus disserit ejusque fragmenta collegit *A. Krause* in opere sup. cit (*V.* notam n. 5.) *p.* 153-166

CLODIUS (63).

COD. JUSTINIAN. (Codex Justinianeus) a Justiniano I. Aug. ita appellatus in libros XII. ejus jussu digestus, et ann. a Chr. n. 529. editus, mox emendatus, iterumque evulgatus ann. 534., qui repetitæ lectionis dicitur. Is porro continet constitutiones principum ab Hadriano ad ipsum Justinianum.

COD. THEOD. (Codex Theodosianus) a Theodosio II. Aug. ita appellatus, in libros XVI. ejus jussu digestus et editus ann. a Chr. n. 438. Fragmenta hujus codicis ex membranis Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis edidit *Walt. Frid. Clossius* Tubingæ ann. 1824. 8.° Alia ex Cod. palimpsesto Bibliothecæ R. Taurinensis protulit atque illustravit *Amed. Peyronius* Augustæ Taurinorum ann. 1824. 4.° Utraque vero fragmenta recognovit et junctim edidit, notisque criticis et eruditis instruxit *Car. Frid. Christ. Wenckius* Lipsiæ ann. 1825. 8.° Loca quædam ex his fragmentis novas voces continentia in Lexico hac illac adduximus (64).

COEL. ANTIPATER (65).

COEL. AUREL. (Cœlius Aurelianus) medicus, Siccæ in Numidia natus, vixisse videtur sæculo tertio: stilus ejus barbariem sapit; res autem, de quibus ipse agit, a medicis valde laudantur. Optimam ejus operum editionem Amstel. ann. 1722. 4.° in locis citandis sequimur. *V.* COELIUS in ONOM.

Extant ejus

1. Tardarum seu chronicarum passionum libri V.,
2. Acutarum seu celerum passionum libri III.,
3. Isagoge in artem medendi. (*Hæc a plerisque, perperam, ut videtur, Sorano tribuitur*).

COEL. RUF. (M. Cœlius Rufus) Puteolis natus, ex ordine equestri, quæstor fuit ann. U. C. 697., trib. pleb. ann. 702., ædil. cur. ann. 705., et ann. 706. prætor peregrinus. In bello civili Cæsarem secutus, Thurii est interemptus ab equitibus, qui eo præsidii causa missi fuerant, teste *Cæs.* 3. *B. C.* 20.-22. Eloquentiæ imprimis operam dedit, illius enim orationes citantur a pluribus, et unius fragmentum affertur a *Quintil.* 11. 1. § 51. Eum defendit accusatum de vi *Cicero* oratione, quæ *pro M. Cœlio* inscribitur (66).

Extant ejus

1. Epistolæ XVII. inter *Cic.* 8. *Fam.* 1., 2., 3., 4., 5., 6., 7., 8., 9., 10., 11., 12., 13., 14., 15. et 17., item post 10. *Att.* 9.

COLUM. (L. Junius Moderatus Columella) Gadibus in Hispania natus, sub Tiberio et Claudio imperantibus Romæ vixit. Plerumque sequimur editionem *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiæ ann. 1794. 8.° curatam. Consule tamen præfationem et auctoris vitam præmissam editioni nostræ Patavinæ ann. 1816. 12.° *V.* et COLUMELLA in ONOM.

Extant ejus

1. De re rustica libri XII. (*quorum decimus versibus hexametris constat.*),
2. De arboribus liber.

COMMODIAN. (Commodianus) Afer natione, scripsit stilo horrido: vixisse videtur circa ann. a Chr. n. 270. *V.* COMMODIANUS in ONOM.

Extant ejus

1. Instructiones LXXX. adversus paganos. (*Hæ ita scriptæ sunt, ut singulæ per primas versuum litteras vocabula referant, quæ pro lemmatibus cuilibet instructioni præmittuntur: porro in iisdem numerus quidem hexametri servatur, neglecta tamen omnino syllabarum quantitate.*) (67).

CONSENT. (P. Consentius) grammaticus Constantinopolitanus, vixit circa ann. a Chr. n. 450.

Extant ejus

1. Ars Consentii de duabus orationis partibus, nomine et verbo (*apud* Putsch. *p.* 2018.-2075.),
2. ———— de barbarismis et metaplasmis. (*Opus hujusmodi editum primo est ab* A. G. Cramero *et* Phil. Buttmanno *e veteri Cod. Berolini ann.* 1817. 8.°, *quam editionem sequimur*).

CORIPP. (Flavius Cresconius Corippus) Afer natione, poeta et grammaticus, floruit sub Justiniano I. et Justino II., qui illi successit ann. a Chr. n. 565.: hujus vero laudes cecinit. *V.* CORIPPUS in ONOM.

Extant ejus

1. De laudibus Justini Aug. minoris libri IV.,
2. Fragmentum panegyrici in laudem ejusdem,
3. Panegyricum in laudem Anastasii quæstoris et magistri,
4. Johannis seu de bellis Libycis libri VII. (*editi primum a* P. Mazzuchellio *ex Cod. Trivult. Mediolani ann.* 1820. 4.° doctisque illustrati ab eodem adnotationibus).

CORNEL. NEP. *V.* NEP.

CORNEL. FRONT. *V.* FRONT.

CORNIFICIUS (68).

COTTA (69).

CURIUS (M. Curius) Ciceronis et Attici familiarissimus, qui Patris negotiabatur; ad eum scripsit *Cic.* 7. *Fam.* 28., 30. et 31.

Extat ejus

1. Epistola ad *Cic.* 7. *Fam.* 29.

CUR. FORTUNATIAN. (Curius Fortunatianus) rhetor, qui sæculo a Chr. n. tertio, vel quarto vixisse creditur.

Extant ejus

1. Artis rhetoricæ scholicæ (*al.* scholasticæ) libri III. (*inter rhetores editos a* Franc. Pithæo *Parisiis ann.* 1599. 4.° *et a* Claud. Capperonerio *Argentorati ann.* 1756. 4.°, *cujus editionem potissime sequimur*).

CURT. (Q. Curtius Rufus) historicus Alexandri M. Is a quibusdam ad Augusti ætatem, ab aliis ad Tiberii, a nonnullis ad Vespasiani, vel etiam Trajani, immo ad Theodosii vel ad Constantini, sed probabilius ad Claudii referendus esse putatur. *V.* CURTIUS in ONOM.

Extant ejus

1. De rebus gestis Alexandri M. libri X. (*quorum duo priores injuria temporum perierunt, atque etiam pars quædam decimi*).

CYPRIAN. (Thascius Cæcilius Cyprianus) Afer, episcopus Carthaginiensis, obiit martyrio coronatus ann. a Chr. n. 258. In locis citandis sequimur editionem Venetam ann. 1728. fol. *V.* CYPRIANUS in ONOM.

Extant ejus

1. Epistolæ LXXXIII.,
2. Liber de habitu virginum,
3. ———— lapsis,
4. ———— unitate Ecclesiæ,
5. ———— oratione dominica,
6. ———— ad Demetrianum,
7. ———— idolorum vanitate,
8. ———— mortalitate,
9. ———— opera et eleemosyna,
10. ———— bono patientiæ,
11. ———— zelo et livore,
12. Epistola ad Fortunatum de exhortatione martyrii,
13. Testimoniorum adversus Judæos libri III.,
14. Sententiæ episcoporum LXXXVII. de hæreticis baptizandis,
15. Liber de spectaculis,
16. ———— laude martyrii,
17. Carmen de Genesi,
18. ———— de Sodoma,
19. ———— ad senatorem apostatam. (*Hæc tria carmina illi tribuuntur, sed spuria esse videntur*).

D

DAMAS. (Damasus) Romanus pontifex, obiit ann. a Chr. n. 385.

Extant ejus

1. Carmina XLII.

DARES PHRYG. (Dares Phrygius). *V.* DARES in ONOM.

Extat ejus

1. De excidio Trojæ historia. (*Hanc historiam ab ignoto quodam homine ex opere poetico Josephi Devonii, seu Iscani, Angli, ad finem sæculi XII. a Chr. n. consarcinatam esse opinantur plerique eruditi; ideoque nullius in Latina lingua auctoritatis, licet vulgo editam inter opera Cornelii Nepotis, cujus epistola ad Sallustium Crispum legitur eidem operi præmissa*) (70).

DICTYS CRET. (Dictys Cretensis). *V.* DICTYS in ONOM.

Extant ejus

1. De bello Trojano libri VI. (*Hoc opus Græce exaratum, quod Nerone imperante inventum a quodam Praxide seu Eupraxida fingitur, et a Q. Septimio, qui tertio seu quarto a Ch. n. sæculo vixisse videtur, in Latinum sermonem translatum, Græco autographo deperdito, reliquum nobis est. In citandis locis hujus*, et *superioris operis usus est* Forcellinus *editione Amstelod. ann.* 1702. 4.°).

DIGEST. (Digestorum libri L.). Ita porro hi libri sunt appellati, quia continent totum jus Romanum sententiis sive opinionibus prudentium, hoc est veterum jurisconsultorum comprehensum et explicatum, atque in libros, titulos, legesque digestum. Hæc itaque collectio facta est jussu Justiniani I. Aug., qui XVIII. K. Januar. ann. 530. eam digerendam imperavit, et XVII. K. Januar. ann. 533. jam a Triboniano JCto perfectam confirmavit, publiceque proposuit. *V.* DIGESTUS in Lexico.

DIOMED. (Diomedes) grammaticus, Rufino et Prisciano, qui sæpius illius mentionem in commentariis suis fecerunt, antiquior.

Extant, apud *Putsch.* p. 271.-528., ejus

1. De oratione, et partibus orationis, et vario metrorum genere libri III.

DOMITIANUS (71).

DOMITIUS AFER (72).

(63) Plures fuisse videntur Clodii, qui rerum Romanarum historiam vel commentarios confecerunt, de quibus consule *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 213.-216., ubi et quæ supersunt fragmenta invenies.

(64) Nos vero accuratiorem emendatioremque editionem sæpe consuluimus, de qua *V.* notam n. 58.

(65) L. Cœlius Antipater procul dubio homo Romanus habendus est, ex libertino fortasse genere oriundus, Gracchorum æqualis, multorumque, ut familiaris L. Crassi (nati a. U. 613.), magister fuit, utpote qui et orator et juris valde peritus. Condidit Latine Annales, in quibus descripsit bella Punica, videturque septem libris, tot enim laudantur, ad Gracchorum, hoc est ad sua tempora historiam deduxisse. Vide plura apud *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.), ubi et plurima ejusdem fragmenta exhibentur *p.* 182.-201.

(66) Cœlii Rufi oratoria fragmenta collegit *H. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 344.-346. Orationum vero tituli sunt:

1. Oratio pro se de vi,
2. —— in Antonium,
3. Concio de equis.

(67) In citandis *Commodiani* locis utimur editione Ven. a. 1765. in *Bibliotheca Patrum, T.* 3. *p.* 621.-631.

(68) De Cornificio poeta, cui vulgo *Diræ* etiam tribuuntur, cujusque fragmenta extant apud *Macrobium*, disseruerunt *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. Min. T.* 3. *p.* 46. et seq. et *Weichert* in opere super. cit. (*V.* notam n. 44.) *p.* 408. in nota.

(69) C. Aurelius Cotta consul a. U. C. 301., orator suo tempore præclarissimus, diserte laudatur a *Cic. Brut.* 55. 202. et *Orat.* 38. 132. Ejus fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 270.-280.

(70) At *A. Dederich* ad *Dyct. Introduct. p.* XXI. arbitratur Daretis interpretem scripsisse quinto, sexto, vel nescio quo posteriore sæculo.

(71) Domitiani imperatoris, cujus vitam nobis reliquit *Suetonius*, oratoria fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 570.-572.

(72) Domitius Afer, Nemausensis, recens prætura, qua Tiberio imperante a. U. 777. functus erat, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, ut ait *Tac.* 4. *Ann.* 52., Agrippinæ (immo Claudiæ Pulchræ, quæ erat Agrippinæ sobrina) accusatione a. U. 779. primoribus oratorum addi cœpit: obiit autem, teste eodem *Tac.* 14. *Ann.* 19., Nerone imperante a U. 812. vel 813. Vide plura apud *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 547.-549., ubi et ejusdem fragmenta exhibentur. Cf. et *Weichert* in opere super. cit. (*V.* notam n. 44.) *p.* 246. et seqq.

(73) Annalium ab Ennio conscriptorum, quæ supersunt, fragmenta collegit *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 34.-38.

(74) Huic addenda sunt et alia Ennodii opera, scilicet
2. Epistolarum lib. IX.
3. Opuscula miscella IX.,
4. Dictiones XXVIIII.
5. Carminum lib. II.

(75) De L. Cornelio Epicado historico, qui L. Cornelii Sullæ dictatoris libertus fuit calatorque in sacerdotio augurali, vide *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 296.-297., ubi paucula ejusdem fragmenta exhibentur.

(76) Fabius Maximus Cunctator (Q.) juxta *Meyer* scripsit *Laudationem Marci filii*, cujus fragmentum habetur in opere ejusdem *Meyer* (*V.* notam n. 10.) p. 406.-407., quod tamen *Augustus Krause* in opere, cui titulus *Vitæ et fragmenta veterum historicorum Romanorum* (*V.* notam n. 3.) Q. Fabio Maximo Serviliano tribuit.

(77) Q. Fabius Maximus Æmilianus, filius L. Æmilii Pauli, frater P. Scipionis Africani minoris Æmiliani qui consulatum gessit a. ab U. C. 609., laudationem P. Africani minoris recitavit, cujus fragmentum exhibetur a *Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) p. 230.

(78) *V.* et quæ dicta sunt in super. nota n. 76.

(79) De Fabio Pictore pluribus disseruit ejusque historica fragmenta collegit *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 36.-63.

(80) De C. Fannio disseruit ejusque fragmenta collegit *Aug. Krause* in opere sup. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 144.-178.

(81) De C. Fannio, C. F., qui teste *Cic. Brut.* 26. 99. inter oratores habitus est, vide *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.), qui p. 220.-221. ejusdem fragmenta exhibet.

(82) De M. Favonio oratore, qui *Favorinus* dicitur apud *Gell.* 15. 8., pluribus disserit ejusque fragmentum exhibet *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10). p. 400.-401.

1. De verborum significatione libri XX. (83).

FIRMIC. (Julius Firmicus Maternus) Siculus, vixit circa medium a Chr. n. sæculum quartum: dubitant eruditi, num duo vixerint iisdem nominibus præditi, alter Ethnicus, alter Christianus auctor; alii tamen unum eumdemque fuisse autumant. *V.* FIRMICUS in ONOM.

Extant ejus
1. Matheseos seu astronomicorum libri VIII.,
2. De errore profanarum religionum liber.

FLORENTIN. (Florentinus), cujus prænomen nomenque ignorantur, Jctus, vixisse videtur sub Alex. Severo, qui ab ann. a Chr. n. 222. ad ann. 235. imperavit.

Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Institutionum libris XII.

FLOR. (L. Annæus Florus) historicus. *V.* FLORUS in ONOM.

Extat ejus
1. Epitome de gestis Romanorum (in IV. libros digesta).

FORTUNATIAN. *V.* CUR. FORTUNATIAN.

FRAGM. COD. THEODOS. *V.* COD. THEODOS.

FRAGM. JUR. CIV. ANTEJUSTIN. *h. e.* Juris civilis antejustinianei reliquiæ ineditæ ex Cod. rescripto biblioth. pontif. Vaticanæ, curante *A. Maio*, biblioth. ejusdem præfecto. Romæ ann. 1823. 8.° (84).

Paucula quædam nova vocabula ex his fragmentis in Lexicon admissa sunt.

FRONT. (M. Cornelius Fronto) orator sui temporis princeps. *V.* FRONTO in ONOM.

Extant ejus opera ab *A. Maio* iterum edita Romæ ann. 1823. 8.°, cujus editionem sequimur (85):
1. Ad M. Cæsarem (*epistolar.*) libri V.,
2. Ad Antoninum imp. (*epistolar.*) libri II.,
3. Ad Verum (*epistolar.*) liber,
4. ——— imp. (*epistolar.*) liber,
5. De bello Parthico (ad M. Aurelium epistola),
6. De feriis Alsiensibus (*epistolæ IV.*),
7. De nepote amisso (*epistolæ II.*),
8. Arion,
9. De eloquentia,
10. De orationibus (*epistolæ III.*),
11. Ad Antoninum Pium (*epistolæ IX.*),
12. Ad amicos epistolarum libri II.,
13. Principia historiæ,
14. Laudes fumi et pulveris,
15. —— negligentiæ,
16. Gratiarum actionis pro Carthaginiensibus fragmentum,
17. Fragmenta apud plures auctores (86),
18. Disputationes grammaticæ apud *Gell.* 2. 26., 13. 28., 17. 8., 19. 10. et 13.,
19. De differentiis vocabulorum (87),
20. Exempla elocutionum (88).

FRONTIN. (Sex. Julius Frontinus), qui, si *A. Mai.* in *Script. vet. N. Coll. T.* 2. *p.* 692. *not.* 2. sequimur, Thyrrenus sive Etruscus fuit, Romæ sub Domitiano, Nerva et Trajano floruit, et tertium consul ordinarius fuit cum hoc postremo ann. a Chr. n. 100. *V.* FRONTINUS in ONOM.

Extant ejus
1. Strategematicon libri IV.,
2. De aquæductibus urbis Romæ commentarius.

FRONTIN. (Julius Frontinus) alius e superiore Frontino, fuit hic scriptor de re agraria, et quidem tempore posterior, cujus opera edita sunt inter *Agrariæ rei auctores a Goesio* Amstelod. an. 1674. 4.°, quam editionem sequimur. *V.* FRONTINUS in ONOM.

Extant ejus
1. De agrorum qualitate liber,
2. — limitibus agrorum,
3. De Coloniis.

FULGENTIUS (89).

FURIUS AUL. ANTIAS (90).

FURIUS (P. Furius Anthianus) JCtus, vixisse videtur sub Septim. Severo et Caracalla, qui ab ann. a Chr. n. 193. ad 217. imperium habuere.

Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Libris IV. ad edictum.

G

GALERIUS TRACHALUS (91).

GALLIEN. (P. Licinius Gallienus), qui imperium arripuit ann. a Chr. n. 253., obiit interfectus ann. 268. natus annos quinquaginta.

Extat ejus carmen in *Antholog. Lat. T.* 1. *p.* 684. *Burm.*

GALLIO (92).

GALLUS (C. Aelius Gallus) JCtus, M. Tullii Ciceronis temporibus. Ejus extant fragmenta apud *Gell.* 16. 5., *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. et *Festum* in *Postliminium*, *Reus*, *Saltum*, *Sacer*, *Torrens*, et in *Digest.* 22. 1. 19. et 50. 16. 77. et 159. ex illius
1. Libris II. de verborum significatione.

GARGIL. (Gargilius Martialis) georgicus, et historicus, floruit sub Alex. Severo, qui ab ann. a Chr. n. 222. ad ann. 235. imperavit. *V.* GARGILIUS in ONOM.

Extant ejus fragmenta
1. De cura boum,
2. — re hortensi sive de arboribus pomiferis. (*Hoc opus priori titul. edidit* A. A. Scottius, *ut diximus in Lexico; altero autem* A. Maius *iterum vulgavit Romæ ann.* 1828. *in* Classic. auct. T. 1. p. 391.-413., *qui et capitum ipsorum ordinem immutavit, iisque adnotationibus textum operis locupletavit, quæ a viro totius antiquæ eruditionis peritissimo fieri decuerant. In Lexico tamen ubique primæ editionis Neapolitanæ ratio habita a nobis est in hujus auctoris locis citandis.*),
3. De pomis sive medicina de pomis. (*Tertium hoc non parvi momenti fragmentum primus e duobus Codicib. Vaticanis edidit* A. Maius *Romæ ann.* 1831. *in* Classic. auct. T. 3. p. 418.-420., *unde futuris Lexicographis paucula quædam nova adhuc vocabula erunt colligenda. Ex ejusdem porro cum primo* de cura boum *comparatione mira quædam stili similitudo, earumdemque dictionum usus deprehenditur, ita ut tollendæ* omni Jul. Pontederæ (*Ep.* LIII. p. 466.) *dubitationi de illius primi fragmenti, plurimis quidem mendis adhuc inquinati, αὐθεντίᾳ, peridonea sit hujus tertii fragmenti commoditas*).

GELL. (A. Gellius) philologus clarissimus, qui scripsit post ann. a Chr. n. 143., et ante ann. 180., quo imperare cœpit Commodus Aug., obiit. *V.* GELLIUS in ONOM. Libri octavi, in capita XV. distributi, sola supersunt summaria seu lemmata capitum; textus totius libri jamdiu periit. Hujus tamen libri summaria, ut et reliquorum, *Gellii* ipsius manu scripta fuisse constat tum ex ipsius præfatione, in cujus fine hæc habet: « Capita rerum, quæ cuique commentario insunt, exposuimus hic universa, ut jam statim declaretur, quid quoque in libro quæri invenirique possit.» tum quia *A. Maius* ad *Cic.* 3. *de rep.* 21. fatetur, in Cod. palimpsesto Vatic. eximiæ vetustatis litteris majoribus fragmenta *Noctium Atticarum* ex libris I.-IV. se reperisse, ibidemque occurrere illa librorum Gellianorum summaria, quæ utrum habeant aliquam in lingua Latina auctoritatem immerito dubitat *Forcellinus* ad voc. CASCE, IGNOMINIATUS, SIMULAMENTUM.

In omnibus porro editionibus liber sextus ἀκέφαλος erat, nunc vero ope Codicis antiquissimi suppletum est ejus initium ab Anglo *Belœ*, et in editione sua Gottingensi ann. 1824. T. 2. 8.°, quam editionem plerumque sequimur, iterum vulgavit *Alb. Lion*, quod hic repetere operæ pretium existimamus. « Quibus non videtur mundus dei et hominum causa institutus, neque res humanæ providentia gubernari, gravi se argumento uti putant, cum ita dicunt: Si esset providentia, nulla essent mala. Nihil enim minus ajunt providentiæ congruere, quam in eo mundo, quem propter homines fecisse dicatur » *etc.*

GELL. (Aulus Gellius) historicus (93).

GELL. (Cn. Gellius) historicus vixit circa postrema reipublicæ Romanæ tempora. *V.* GELLIUS in ONOM.

Extant ejus apud plures antiquos scriptores
1. Fragmenta ex annalium libris XCVII. (94).

GELL. (Sex. Gellius) historicus circa eadem tempora. *V.* GELLIUS in ONOM.

Extat apud *Aurel. Victorem de Orig. gent. R. c.* 15. ejus
1. Fragmentum originis gentis Romanæ (95).

GENNAD. (Gennadius) presbyter Massiliensis, vixit circa finem sæculi a Chr. n. quinti.

Extat ejus
1. De viris illustribus liber. (*Est continuatio operis ab* Hieronymo *sub eodem titulo scripti, quæ centum capitibus constat, quibus totidem virorum illustrium vitæ breviter describuntur.*)

GERMANIC. (Cæsar Germanicus) Drusi senioris et Antoniæ filius, ab Tiberio adoptatus jussu Augusti ann. a Chr. n. 4., cum esset annorum octodecim, obiit prope Antiochiam ann. a Chr. n. 19., a Cn. Pisone Syriæ proconsule veneno sublatus, jussu Tiberii. Ejus vitam habes apud *Sueton. Cal.* 1.-7. *V.* GERMANICUS in ONOM.

Extat ejus
1. Phænomena Aratea, sive ex Arato,
2. Prognosticorum fragmentum (*editum in* Antholog. Lat. T. 2. p. 338. Burm.),
3. Epigramma ad Hectoris tumulum (*editum* ibid. T. 1. p. 80.),

(83) *Festi* fragmenta cum *Pauli* epitome emendata et annotata, summa eruditione et diligentia edidit *Carolus Odofredus Müllerus*, Lipsiæ a. 1839., qui in ejus operis præfatione plura de *Festo* et *Paulo* scitu digna protulit, quemque in hoc Lexici editione secuti sumus.

(84) Nos vero accuratiorem emendatioremque editionem secuti sumus, quam citavimus in nota n. 52.

(85) Aliquando tamen et *Niebuhrii* editionem citavimus.

(86) Oratoria Frontonis fragmenta collegit etiam *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam. n. 10.) *p.* 324.-377.

(87) Hoc opusculum Frontonis nomine inscriptum extat etiam inter Grammaticos *Putschii p.* 2161.-2204.

(88) Hæc locutionum exempla *Lindemannus* cum aliis *Frontoni* abjudicat, et *Arusiano Messo* tribuit: *V.* ARUSIANUS MESSUS in hoc Indice.

(89) Fabius Fulgentius Placiades seu Planciades, natione Afer, floruit circa seculum sextum. Ejus sunt de *Mythologia* tres libri; item de *Continentia Virgilii* liber unus, et de *Expositione prisci sermonis*: sed omnia duriore stylo scripta sunt ac semibarbaro, non tamen inerudito.

(90) Furius Aulus, Antias cognomine quod Antii natus, familiaris L. Lutatii Catuli, qui consul fuit a. U. 652, poeta, ejusdem Catuli res per consulatum gestas XII. Annalium libris conclusisse videtur, quorum fragmenta ex *Macrobio* collegit atque illustravit *M. Aug. Weichert* in opere super. cit. (*V.* notam n. 41.) *p.* 331. et seqq.

(91) Galerii Trachali oratoris, qui consul fuit a. U. 820., unicum quod superest fragmentum habes apud *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 565.

(92) L. Junius Gallio pater, rhetor, amicus fuit Senecæ rhetoris, cujus filium, philosophi fratrem natu maximum adoptavit. Ejus fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) p. 563.-564.

(93) De Aulo Gellio historico, qui a Nonio tantum et Vopisco diserte laudatur, vide *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 211.-212.

(94) De hoc numero dubitat *Aug. Krause*, qui in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 202.-207. *Cn. Gellii* vitam et fragmenta exhibet.

(95) De hoc quoque *Gellio* disseruit et fragmentum exhibet *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 208.-211.

4. Epigramma de puero Thrace (editum in Collect. Pisaur. omn. poet. Lat. T. 4. p. 67.).

GRACCHUS (96).

GRAN. LICINIAN. (97).

GRAT. (Gratius Faliscus) poeta didascalicus, Ovidio coætaneus. *V.* GRATIUS in ONOM.

Extat ejus

1. Cynegeticon. (*Omnium accuratissime hoc poema edidit Altenburgi* Jo. Chr. Wernsdorfius *inter* Poet. Lat. min. T. 1. p. 25.-82., *quam editionem sequimur).*

H

HADRIAN. (P. Aelius Hadrianus) natus ann. a Chr. n. 76., a Trajano Aug. adoptatus, eidem successit ann. 117., obiit vero ann. 138. Ejus vitam habet *Spartian.*, qui de eodem hæc ait *c.* 15.: Quamvis esset oratione et versu promptissimus, et in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper, ut doctior, risit, contempsit, obtrivit.

Extant ejus

1. Epigrammata II. (*ab eod.* Spartian. *in* Hadrian. 15. *et* 24. *relata, ex quibus quædam vocabula in Lexico recensentur.*) (98).

HEMINA (99).

HERENN. MODEST. *V.* MODESTIN.

HERMOGENIAN. (Claudius Hermogenianus) JCtus, vixit sub Constantino M. seu potius sub ejus filiis, videtur Christianus fuisse, et auctor Codicis, qui ab eodem nomen accepit. *V.* HERMOGENIANUS in ONOM.

Extant ejus passim in Digestis fragmenta ex

1. Juris epitomarum libris VI.,
2. Fideicommissorum libris IV.

HIERONYM. (Sophronius Eusebius Hieronymus) Stridone oppido in Dalmatiæ Pannoniæque confinio natus ann. a Chr. n. 331. secundum plerosque, secundum vero alios ann. 346.; obiit prid. Kal. Sept. ann. 420. Cum Latinorum scriptorum lector et imitator elegantissimus fuerit Hieronymus, plurima nova ex ejus operibus vocabula, præter ea, quæ *Forcellinus* admiserat, in Lexicon recepimus, multa tamen adhuc remanent futuro Lexicographo colligenda. *V.* HIERONYMUS in ONOM. Plerumque in ejus locis citandis utimur editione Veronensi *Domin. Vallarsii* ann. 1734.-1742. T. XI. fol.

Extant ejus

1. Epistolæ CL.,
2. Vita s. Pauli primi eremitæ,
3. —— Hilarionis eremitæ,
4. —— Malchi monachi,
5. Regula s. Pacomii e Græco Latine reddita,
6. Epistolæ et verba mystica ejusdem, et s. Theodorici,
7. Liber Didymi de Spiritu S. ex Græco Latine conversus,
8. Altercatio Luciferiani et Orthodoxi,
9. Adversus Helvidium liber,
10. —— Jovinianum libri II.,
11. —— Vigilantium liber,
12. —— Joann. Jerosolymitanum liber,
13. —— Rufinum libri III.,
14. —— Pelagianos libri III.,
15. De viris illustribus liber,
16. — nominib. Hebraicis,
17. — situ et nominib. locor. Hebraicorum,
18. Quæstionum Hebraicar. liber in Genesim,
19. Commentarius in Ecclesiasten,
20. Homiliæ II. Origenis in Canticum canticor. Latine redditæ,
21. Commentarior. in Isaiam libri XVIII.,
22. Commentarior. in Jeremiam libri VI.,
23. —————— in Ezechielem libri XVI.,
24. Explanatio in Danielem,
25. Homiliæ XXVIII. in Jeremiam et Ezechielem e Græco Origenis Latine redditæ,
26. In Osee libri III.,
27. — Joelem liber,
28. — Amos libri III.,
29. — Abdiam liber,
30. — Micheam libri II.,
31. — Naum liber,
32. — Abacuc libri II.,
33. — Sophoniam liber,
34. — Aggæum liber,
35. — Zachariam libri III.,
36. — Malachiam liber,
37. — Matthæum libri IV.,
38. — Lucam homiliæ XXXIX. e Græco Origenis Latine conversæ.
39. In epistolam ad Galatas libri III.,
40. —————— Ephesios libri III.,
41. —————— Titum liber,
42. —————— Philemonem liber,
43. Chronicon Eusebii e Græco Latine redditum et continuatum ab ann. a Chr. n. 330. ad ann. 380.

Plura alia sunt opera, quæ Hieronymo perperam tribuuntur, quæque propterea ab editore Veronensi aut in Appendices primorum tomor. X., aut in tom. XI. rejecta sunt.

HIRT. (A. Hirtius) consul fuit ann. U. C. 711., eodemque obiit ex vulneribus in prœlio Mutinensi acceptis. *V.* HIRTIUS in ONOM.

Extant ejus

1. de bello Gallico liber VIII.,
2. ——— Alexandrino liber,
3. ——— Africano liber,
4. ——— Hispaniensi liber,

} qui cum C. Julii Cæsaris operibus edi solent, de quibus vide a nobis allatam *Suetonii* auctoritatem ad AUCT.

5. Epistola ad *Cic.* post hujus epist. 6. lib. 15. *ad Att.*

HORAT. (Q. Horatius Flaccus) Venusiæ natus VI. Id. Dec. ann. U. C. 689., obiit V. Kal. Dec. ann. 746. Exquiliis. *V.* HORATIUS in ONOM.

Extant ejus

1. Odarum libri IV.,
2. Epodon liber,
3. Carmen sæculare,
4. Satyrarum libri II.,
5. Epistolarum libri II.,
6. De arte poetica epistola.

HOSID. (Hosidius Geta) poeta, cujus cento, *Medea* inscriptus, et versibus 461. constans ex Virgilio desumptis tragœdiam continet, cujus meminit *Tertull. de præscript.* 39., quique fortasse eadem cognomine fuit. Hujusmodi carmen integrum primus protulit *P. Burmannus* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 149.-186. et adnotationibus illustravit.

HORTENSIUS (100).

HOSTIUS, poeta epicus Virgilio antiquior, cujus meminere *Macrobius* et *Servius*, cujusque versus attulere ex lib. I. et II. belli Histrici (101). *V.* loca ab his citata in ARQUITENENS, LIQUATUS, PICATUS et PILO in Lexico (102).

HYGIN. (C. Julius Hyginus) grammaticus, Augusti libertus, et Ovidio familiaris. Omnia ejus scripta periere; quæ nunc supersunt sub ejus nomine, videntur esse epitome ex ampliore illo et vetustiore mythographo, primis ævi Christiani sæculis consarcinata a recentiore aliquo grammatico. *V.* HYGINUS in ONOM.

Extant ejus

1. Fabulæ CCLXXVII. (*Alias alterius* C. Hygini *fabulas CCXXXV. ex Cod. Vaticano edidit* A. Maius in Classic. auct. T. 3. p. 1.-82., *quarum auctorem idem editor in quinto Christi sæculo collocandum jure meritoque putat. Ex ejus porro fabulis nova quædam sunt vocabula futuro Lexicographo colligenda, et in usus Latine scribentium evulganda.*),
2. Poeticon astronomicon libri IV.

HYGIN. GROMAT. (Hyginus) gromaticus, seu agrimensor publicus, vixit sub Trajano Aug., qui imperavit ab ann. a Chr. n. 98. ad ann. 117. *V.* HYGINUS in ONOM.

Extant ejus

1. De limitibus,
2. ————— constituendis,
3. — conditionibus agrorum,
4. Fragmentum agrarium de limitibus. (*Hæc quatuor opuscula edidit* Goesius in Auct. de re agrar. p. 150.-216.)
5. De castrorum metatione liber. (*Hoc opus, licet mutilum ad nos pervenerit, maximi tamen habendum est, tum quia rationem ponendorum castrorum, qua Romani uti soliti fuerant, valde illustrat, tum quia plura nova vocabula ad Lexicon locupletandum nobis suppeditavit, ex quibus nonnulla erunt adhuc colligenda futuro Lexicographo, quoniam sero nimis animadvertimus, nullum operis hujus usum fuisse* Forcellino. *Porro in locis citandis utimur editione* Rath. Herm. Schelii, *qui Amstelodami ann.* 1660. 4.° *illud edidit, doctisque commentariis illustravit).*

I

JAVOLEN. (Javolenus, *seu* Jabolenus Priscus) JCtus, vixit sub Trajano Aug. *V.* JABOLENUS in ONOM.

Extant ejus fragmenta passim in Digestis ex

1. Libris XV. ex Cassio,
2. —— XIV. epistolarum,
3. —— V. ad Plautium,
4. Libris X. ex posterioribus Labeonis.

INNOCENT. (Innocentius) agrimensor, cujus utpote sub Constantio Aug. viventis meminit *Ammian.* 19. 11.; at excerpta infra memorata ab imperito quodam consarcinata ex illius libro duodecimo videntur.

(96) C. Gracchus, Tiberii frater, quæstor fuit a. U. 627. et tribunus plebis a. 630. Eloquentia insignis fuit; his enim eum laudat *Cic. Brut.* 33. 126.: Eloquentia quidem nescio an habuisset C. Gracchus parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus ejus, præclare inchoata multa, perfecta non plane. *V.* plura in ONOM. Plures habuit orationes, quarum fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 223.-260. Earum, quæ supersunt, hi sunt tituli:

1. Uti lex Papiria accipiatur,
2. Oratio de lege Penni et Peregrinis,
3. Contio ad populum,
4. Oratio apud censores,
5. 6. Orationes in P. Popillium Lænatem,
7. Oratio in Q. Ælium Tuberonem.
8. — qua legem Aufejam dissuasit,
9. — de legibus a se promulgatis,
10. — de lege Minucia,
11. Oratio in L. Metellum,
12. — in L. Pisonem,
13. — adversus Furium,
14. — in rogatione Cn. Marcii Censorini.
15. — in Mævium,
16. — pro se.
17. — in Plautium

Accedunt incerta orationum fragmenta.

(97) *Gai Granii Liciniani Annalium quæ supersunt ex Codice ter scripto Musei Britannici Londinensis nunc primum edidit Karolus Aug. Frid. Pertz Phil. doct.*, Berolini 1857. Horum Annalium, quorum libri XXXVI. ex fragmentis recensentur, auctorem fuisse G. Granium Licinianum satis validis argumentis confirmat idem clarissimus vir *Kar. A. Fr. Pertz*; eosdem vero Annales post Sallustii opus editos fuisse constat; neque vero recentiores esse, quam Titus Livius, statuendi sunt. Illud unum maxime optandum, ut his pauculis, quæ nunc supersunt, fragmentis, cetera quæ desiderantur in posterum accedant.

(98) Extant ejus et oratoria fragmenta, quæ collegit *Hen. Meyer.* in opere super cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 518.-523.

(99) L. Cassius Hemina, nobilissimus vir, Censorino teste vixit ludis sæcularibus quartis Cn. Cornelio Lentulo et L. Mummio coss. a. U. 608., quo tempore Carthago et Corinthus deletæ sunt. Confecit Latine annales (hos alii dixerunt etiam historias), quibus res Romanas inde ab Urbis primordio usque ad sua tempora executus est. Vide plura apud *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.), ubi et ejus fragmenta exhibentur *p.* 159.-166.

(100) Q. Hortensius natus a. U. 640., primum in foro dixit a. U. 659. novemdecim annos natus; diem obiit a. U. 703. Cum M. Tullio Cicerone eloquentia certavit; ideoque debemus sane dolere interitum orationum ejus, quarum nulla particula, præter pauculas voces apud *Charis.*, *Quintil.* et *Priscian.*, extat. Vide plura apud *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 344.-356., ubi et fragmenta exhibentur.

(101) quod patratum fuit a. U. C. 576. a C. Claudio Pulcro cos., ut narrat *Liv.* 41. 1.

(102) De Hostio pluribus disseruit ejusque fragmenta collegit atque illustravit *M. Aug. Weichert* in opere super. cit. (*V.* notam n. 44.) *p.* 1.-15.

Extant ejus

1. Excerpta ex libro XII. de litteris, quibus signatæ casæ (*inter Auctores rei agrariæ a Goesio editos p.* 230.).

INSCRIPT. (103).

IORNANDES, Gothus natione, episcopus Ravennæ, scripsit ann. a Chr. n. 552.

Extant ejus

1. De rebus Geticis,
2. — regnor. ac temporum successione.

ISID. (Isidorus) episcopus Hispalensis in Hispania, natus ann. a Chr. n. 560. circiter, obiit vero ann. 636., grammaticus et theologus, antiquitatis et Latinæ linguæ studiosis maxime commendandus. Ejus operum editionem secuti sumus, quam *Faustin. Arevalus* Romæ ann. 1797.-1803. *T.* 7. 4.° omnium accuratissimam curavit. Inter opera *Isidori* præstant *Originum* seu *Etymologiarum* libri XX., quos sæpe *Forcellinus*, sæpissime nos ipsi citavimus in Lexico (104).

Extant ejus

1. Originum seu Etymologiarum libri XX.,
2. De differentiis verborum,
3. ——— rerum,
4. Allegoriæ ex Vet. et N. Testamento,
5. De ortu et obitu patrum, qui in Scriptura laudibus efferuntur,
6. Prœmia in Vet. et N. Testamentum,
7. De numeris, qui in ss. Scripturis occurrunt,
8. Quæstiones de Vet. et N. Testamento,
9. Expositiones mysticorum sacramentorum in Pentateuchum, in Josue, in librum Judicum, in libros IV. Regum, in Esdram, de Machabæis,
10. De fide Catholica ex Vet. et N. Testam. contra Judæos libri II.,
11. Sententiarum libri III.,
12. De ecclesiasticis officiis,
13. — origine ministrorum,
14. Synonymorum de lamentatione animæ peccatricis libri II.,
15. Regula monachorum,
16. Epistolæ XIII.,
17. De natura rerum,
18. Chronicon,
19. Historia de regibus Gothorum, Wandalorum, et Suevorum,
20. De viris illustribus liber,
21. Glossæ.

JULIAN. (Salvius Julianus) JCTUS, ordinator edicti perpetui, Insuber Mediolanensis, patruus M. Didii Severi Juliani Aug., floruit sub Hadriano, Antonino Pio, et M. Aurelio, consul ann. a Chr. n. 148., obiit circa ann. 167.

Extant ejus plurima in Digestis fragmenta ex

1. Libro singulari de ambiguitatibus,
2. —— ad edictum,
3. Libris XCIV. Digestorum,
4. —— VI. ad Minicium.

JUL. AFRICAN. (105).

JUL. AQUILA, JCtus incertæ ætatis.

Extant ejus in Digestis fragmenta ex

1. Libro responsorum.

JUL. CÆS. (C. Julius L. F. Cæsar Strabo, qui et Vopiscus et Sesquiculus) poeta tragicus, (106) Q. Catuli frater uterinus, a *Cic. Brut.* 48. laudatus.

Extant ejus fragmenta a *Festo* in *Prophetæ*, et ab *Isid.* 4. *Orig.* 12. allata.

JUL. EXSUPER. (Julius Exsuperantius) vixisse creditur ineunte quinto Christi sæculo, Claudio Rutilio Numatiano propinqua cognatione conjunctus, et Arelate, cum præses esset Galliarum, ann. a Chr. n. 424. tumultu militari interfectus. *V. Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 5. *P.* 1. p. 546. et seqq. Habetur etiam auctor opusculi sequentis ex Sallustii historiis nunc deperditis contracti.

Extat ejus

1. Opusculum de Marii, Lepidi, ac Sertorii bellis civilibus.

JUL. OBSEQ. (Julius Obsequens) incertæ ætatis auctor est, alii enim ad quartum Christi sæculum eum referunt, alii ad initium secundi, alii denique sub Vespasiano eum vixisse autumant, quod quidem ejus dictio sæpe elegans et Livium plerumque imitata comprobare videtur. Editionem sequimur *Franc. Oudendorpii* Lugd. Bat. ann. 1720. 8.°

Extat ejus

1. Prodigiorum libellus (*qui mutilus ad nos pervenit, priora enim LIV. capita sunt supplementa* Conr. Lycosthenis, *reliqua LXXVIII. sunt genuina, suppleta tamen hac illac ab eodem* Lycosthene: *in locis ejus citandis omnium capitum CXXXII. ratio habetur*).

JUL. RUFINIAN. (Julius Rufinianus) rhetor vixisse videtur sæculo Christi quarto sub Constantino M. Editionem sequimur *Claud. Capperonerii*, qui Argentorati ann. 1756. 4.° *Antiquos rhetores Lat.* edidit.

Extat ejus

(103) Inter doctissimos viros, qui plures *Inscriptiones* collegerunt atque illustrarunt, quique propterea in hoc Lexico sæpius citantur, sunt

Avellino, Osservazioni sopra un'epigrafe del R. Museo Borbonico etc., Napoli 1851.,
— , — sopra alcune iscrizioni e disegni graffiti sulle mura di Pompei, Napoli 1841.,
— , Opuscoli diversi, Napoli T. 1. 1826., T. 2. 1833.; T. 3. 1836.; quibus adde plures dissertationes in *Bollettino Napolitano* et in *Bollettino dell'Istituto Archeologico*.
Borghesi Bart., Nuovi frammenti dei Fasti Consolari Capitolini, Milano 1818.
— — Adde innumeras pæne dissertationes, quæ continentur in *Atti dell'Accademia Pontificia Archeologica*, *Memorie dell'Accademia di Torino*, *Antologia Italiana*, *Annali dell'Istituto Archeologico*, *Saggiatore*, *Archivio storico italiano*, *Giornale Arcadico*, *Bollettino Archeologico*, *Bollettino Napolitano* etc; denique plures ejusdem epistolas ad cl. v. J. Furlanetto missas, quæ mss. extant in Bibliotheca Seminarii Patavini.
Cardinali Cl., Iscrizioni antiche Veliterne illustrate, Roma 1823.,
— —, Trecento Iscrizioni illustrate, Bologna 1893.,
— —, Diplomi imperiali di privilegi accordati a militari, Velletri 1835.: quibus adde multas dissertationes in *Atti dell'Accademia Pontificia d'Archeologia* et in *Memorie d'antichità e di belle arti giornale di Roma*.
Cavedoni, Dichiarazione degli antichi marmi Modenesi, Modena 1828.,
— , Notizie e dichiarazione di un diploma militare, Modena 1832.,
— , Indicazione antiquaria del R. Museo Estense del Catajo, Modena 1844.; quibus adde alia multa ejusdem scripta, quæ in ephemeridibus extant.
Donii Jo. Bapt., Inscriptiones antiquæ cum notis ed. A. F. Gorius, Florentiæ 1731.
Fabretti Raph., Inscript. antiquarum, quæ in ædibus paternis asservantur, explicatio, Romæ 1702.
Fea, Miscellanea philologica, critica et antiquaria, Romæ 1790.
— , Frammenti di fasti consolari, Roma 1820.: alia ejusdem scripta continent *Bollettino dell'Istituto Archeologico* et *Atti dell'Accademia Pontificia d'Archeologia*.
Furlanetto G., Le antiche lapidi del Museo d'Este, Padova 1837.,
— —, Le antiche lapidi Patavine, Padova 1847.
Garrucci P. Raf., Antichità de'Liguri Bebiani, Napoli 1846.,
— — —, Monumenta reipubl. Ligurum Bæbianorum, Romæ 1848.,
— — —, Intorno ad alcune antiche iscrizioni di Salerno, Napoli 1851.,
— — —, Piombi antichi raccolti dal Card. Altieri etc., Roma 1850.,
— — —, Classis prætoriæ Misenensis etc. monumenta, Neapoli 1852.,
— — —, Tre sepolcri con pitture ed iscrizioni etc. Napoli 1852.; præterea passim in *Bollettino Napolitano*.
Gorii Ant. Franc., Inscriptiones antiquæ in Etruriæ urbibus extantes, Florentiæ 1726.,
— — —, Descriptio columbarii libertorum et servorum Liviæ Aug. etc. in *Poleni* Thes. Antiqq.
— — —, Symbolæ litterariæ. Decas Florentina et Decas Romana, Florentiæ 1748.,
— — —, Lettere critiche sopra l'osservazioni del Lami, Lucca 1748.,
— — —, Xenia epigraphica ed. Walch. Jenæ 1755.
Gruteri Jani, Thesaurus inscriptionum ed. I. G. Grævio, Amstel. 1707.
Gudii Marq., Antiquæ inscriptiones etc., Leovardiæ 1731.
Henzen, V. infra *Orell.*
Kandler P., L'Istria, Trieste 1846.-51.
Labus Gio., Intorno alcuni monumenti epigrafici cristiani scoperti in Milano etc., Milano 1814.,
— —, Intorno due antichi epitaffj acquistati dall'ab. Seb. Ciampi, Milano 1827.,
— —, Lettera a d. Pietro de Luma intorno a due iscrizioni Vellejate, ivi 1820.,
— —, Notizie intorno alla vita e agli scritti del P. G. M. Ragagni, ivi 1822.,
— —, Intorno varii antichi monumenti scoperti in Brescia, Brescia 1823.,
— —, Di un'epigrafe latina scoperta in Egitto dal Belzoni etc., Milano 1826.,
— —, Lettera sopra una colonna letterata di Maguffano, Brescia 1812.,
— —, Epigrafe antica nuovamente scoperta in Padova, Milano 1819.,
— —, Ara antica scoperta in Haimburgo, Milano 1820.,
— —, Dissertazione epistolare intorno l'antico marmo di C. Giulio Ingenuo, Milano 1827.,
— —, Museo della R. Accademia di Mantova descritto ed illustrato, Mantova 1822.,
— —, Museo Bresciano illustrato, T. 1. 1838.,
— —, Marmi antichi Bresciani, cujus operis minorem edidit partem morte abreptus: alia ejusdem opuscula extant in *Memorie e giornale dell'I. R. Istituto Lombardo*.
Lanza Fr., Antiche lapidi Salernitane, Spalato 1848 e Zara 1850.
Maffei Scip., Museum Veronense, Veronæ 1749.,
— —, Verona illustrata, Verona 1731.
— —, Artis criticæ lapidariæ quæ extant, reperiuntur in *Donati* Supplemento ad Thesaur. *Murat.* T. 1.
— —, Galliæ antiquitates quædam selectæ, Veronæ 1734.,
— —, Osservazioni letterarie, Verona 1737.,
— —, Dittico Quiriniano, Verona 1738.,
— —, Tre lettere, Verona 1748.
Marini Gaet., Iscrizioni antiche delle ville e de' palazzi Albani, Roma 1785.,
— —, Atti o monumenti de' fratelli Arvali, Roma 1795.
Mommsen Th., Inscriptiones regni Neapolitani Latinæ, Lipsiæ 1852.
Morcelli Steph. A., Operum epigraphicorum volumina quinque, Patavii 1819.,
— — —, Africa Christiana, Brixiæ 1817.,
— — —, Sull'Agone Capitolino, Milano 1816.
Muratorii Lud. Ant., Novus Thesaurus veterum inscriptionum, Mediolani 1739.
Norisii Henr., Cenotaphia Pisana, in Grævii Thesauro.
Oliverii Hann. de Abb., Marmora Pisaurensia notis illustrata, Pisauri 1738.
Orell. Jo. Casp., Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio etc. Turici 1828. vol. 2. — Volumen tertium Collectionis Orellianæ Supplementa Emendationesque exhibens edidit *Guilielmus Henzen*, Turici 1856.
Reinesii Th., Syntagma Inscriptionum antiquarum, Lipsiæ 1682.
Renier L., Inscriptions romaines de l'Algérie, Paris 1855. et seq.
Sponii Jac., Miscellanea eruditæ antiquitatis, Lugduni 1685.,
— —, Recherches d'Antiquité, Lyon 1683.,
— —, Recherches des Antiquites de Lyon, Lyon 1673.,
— —, Voyage d'Italie etc., Lyon 1678.,
— —, Histoire de Genève, Genève 1730.
Turre Phil., Monumenta veteris Antii etc., Romæ 1700.
Vermiglioli Gio. B., Le antiche iscrizioni Perugine, Perugia 1805.
Visconti Enn. Quir., Il Museo Pio Clementino illustrato. Milano 1822.,
— — —, Iconografia Romana e Greca, Milano 1819.,
— — —, Monumento degli Scipioni, Roma 1785.,
— — —, Monumenti Gabini della villa Pinciana, Roma 1797.

(104) *Etymologiarum libros* ab Isidoro conscriptos nuper edidit *Lindemannus* in opere super. cit. (*V.* notam n. 97.), quam editionem ipsi secuti sumus.

(105) Julii Africani oratoris, qui filius fuit Julii Africani e Santonis Gallica civitate, a Tiberio damnati, ut *Tac.* 6. *Ann.* 7. narrat, unicum fragmentum habes apud *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 561.

(106) et orator, cujus fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 80. De ipso consule, si vis, *Annali dell'Istituto Archeologico T.* 40. *p.* 251.; de poeticis vero ejusdem fragmentis V. *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 512. not. 1. et *Annali* mox cit. *ibid.* in nota 5.

(107) Addenda sunt. 2. De schematis lexeos, et 3. De schematis dianœas.

(108) Junii Gracchani, qui Gracchorum temporibus vixit atque a C. Gracchi amicitia Gracchanus dictus est, historica fragmenta collegit *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 5.) *p.* 221.-222.

(109) *V.* notam n. 93.

(110) Vixit sub M. Aurelio, cui opus suum dicavit, ut probat *S. Croix Histoire Alex. p.* 113.

(111) De T. Labieno oratore vide *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 40.) *p.* 338.-340., ubi et fragmenta exhibentur.

(112) C. Lælius, in tribunatu *Sapiens* appellatus, P. Cornelii Scipionis Africani minoris familiaris admodum atque amicus, cujus nomine inscribitur *Ciceronis* liber *De amicitia*, consul fuit a. ab U. C. 614. Oratoria ejusdem fragmenta collegit *Meyer.* in opere sup. cit. (*V.* notam n. 40.) p. 204.-209.; atque hi sunt orationum tituli:

1. Oratio pro se apud populum,
2. — de collegiis,
3. Actiones pro publicanis,
4. Dissuasio legis Papiriæ,
5. Laudatio P. Africani minoris, Q. Tuberoni scripta,
6. Laudatio P. Africani minoris, Q. Fabio Maximo scripta.

(113) De Lævio poeta, qui ante Augusti principatum floruit, et Erotopægniam pluresque comœdias et tragœdias scripsit, disseruit ejusque fragmenta collegit atque illustravit *M. Aug. Weichert.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 41.) *p.* 19.-30.

LEG. XII. TAB. (Leges XII. tabularum). Regibus Roma pulsis ann. U. C. 244., Romanæ reipublicæ concordia minime diuturna fuit, cum inter patres plebemque ob legum instabilitatem frequentes seditiones essent. Itaque ann. 300., ut finis tandem certaminum fieret, placuit, ut tres legati Athenas mitterentur, qui inclytas Solonis leges describerent, aliarumque etiam Græciæ civitatum instituta, mores ac jura cognoscerent. Biennio post Romam cum Atticis legibus reversi sunt, et anno insequenti decemviri novis legibus scribendis creantur, translato a consulibus ad decemviros, ut antea a regibus ad consules, imperio. Tum legibus condendis opera datur, eodemque anno scriptæ decem tabularum leges, et in publicum propositæ sunt, ac prius coacto senatu, nemine patrum eas leges reprehendente, senatusconsultum de illis factum est, mox populo ad comitia centuriata convocato leges unanimi consensu comprobatæ, quæ deinceps plebiscito sancitæ, æreisque tabulis decem incisæ in fori loco maxime conspicuo dispositæ fuerunt. Vulgatus deinde rumor, quædam alicujus momenti in illis adhuc deesse, decemvirum iterum creandorum fecit desiderium. Sic ergo centuriatis comitiis decemviri in alterum annum confirmati reliquas leges, quæ videbantur omissæ, aeneis duabus tabulis scriptæ sunt, et juxta priores decem pro curia affixæ, ut absolutissimum populo Romano juris corpus exhiberent, quæ *leges XII. tabularum* appellantur.

E veteribus JCtis plures scripserunt ad has leges interpretandas, inter quos Sex. Ælius, L. Acilius, Ser. Sulpicius, Antistius Labeo; e recentioribus sat numero multi fuerunt, qui illorum fragmentis colligendis et illustrandis sedulam dederunt operam, quos inter eminet *Jac. Gothofredus*; ac deinceps *Io. Nic. Funccius*, qui Rintelii ann. 1744. 4.° edidit *leges XII. tabular.* suis, quotquot reperiri potuerunt, fragmentis restitutas et observationibus illustratas, quam editionem nos ipsi sequimur (114).

LENTUL. (P. Cornelius Lentulus Spinther) P. Cornelii Lentuli Spintheris consulis ann. U. C. 697. filius, augur, proquæstor Trebonii proconsulis in Asia, cujus post mortem ipse proprætoris nomen assumpsit.

Extant ejus

1. Epistolæ 11. ad *Cic.* 12. *Fam.* 14. et 15.

LEPIDUS PORCINA (115).

LICENT. (Licentius) Tagastæ natus, et Augustini municeps, ejus amicitiam coluit, et doctrinam est admiratus. Multa scripsit, quæ perierunt.

Extat tantum ejus

1. Carmen ad Augustinum (*versibus hexametris constans, et anno a Chr. n. 395. exaratum; editum vero est a* Wernsdorf. *in* Poet. Lat. min. T. 4. p. 516.-544. *et adnotationibus locupletatum, ex quo quædam nova vocabula in Lexicon adduximus*).

LICIN. CALV. (116).

LICINIUS CRASSUS (117).

LICIN. MACER. (C. Licinius Macer) historicus Ciceroni coævus. Ejus fragmenta extant apud *Liv.*, *Macrob.*, *Priscian.* aliosque, atque inter *Historicorum fragmenta*, quæ Sallustii operibus subjunguntur, edi solent (118).

LIV. (T. Livius) Patavinus, historicus omnium clarissimus, natus ann. U. C. 695., mortuus, ut probabilius videtur, ann. 772. post Chr. n. 19. imperante Tiberio. *V.* LIVIUS in ONOM. Ejus historiarum libri integri habebantur ad initium sæculi a Chr. n. quinti, etenim *Symmachus*, qui vixit ultra ann. 401., ita scribit 4. *Ep.* 17. «Priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas; revolve Patavini scriptoris extrema, quibus res C. Cæsaris explicantur»: immo et *Sidonii Apollinaris* tempore, qui obiit circa ann. 484., ita enim ille 9. *Ep.* 14. «Si omittantur, quæ de titulis dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus, etc.» In citandis *Livii* locis sæpissime utimur editione Bipontina ann. 1784.-1786. T. 11. 8.°

Extant ejus

1. Historiarum libri XXXV. (*Ex his XXXV. libris extant decem primi, qui origines Urbis historiarumque ad ann. U. C. 460. complectuntur: decem posteriores deperditi sunt: extant vero reliqui usque ad XLV., quibus historia ab initio belli Punici secundi, quod ann. 536. cœpit, ad ann. 588. perducitur.*),
2. Fragmentum libri XCI. (*Hujusmodi fragmentum ex Cod. palimpsesto Vaticano primus edidit* Paul. Jac. Brunsius *Hamburgi ann.* 1773. *fol., eodemque anno* Franc. Cancellerius *cum* Vit. M. Giovenazzii *scholiis Romæ* 4.°, *nuper vero* B. G. Niebuhrius *eund. Cod. retractans, ope artis chemicæ fragmentum illud plenius integriusque relegens Romæ iterum vulgavit ann.* 1820. 8.°, *et nonnullis etiam adnotationibus locupletavit*).

LIV. ANDRONIC. (Livius Andronicus) poeta tragicus et comicus, Tarenti natus. *V.* ANDRONICUS in ONOM. Utimur editione *Frid. Henr. Bothii*, inter *Poet. Lat. min.* Halberstadii ann. 1823.-1824. T. 2. 8.°

Extant fragmenta tragœdiarum ejus, quarum hi sunt tituli:

1. Achilles,	11. Ino,
2. Adonis,	12. Laodamia,
3. Ægistus,	13. Protesilaus,
4. Ajax,	14. Tereus,
5. Andromeda,	15. Teucer.
6. Antiopa,	Comœdiarum vero hi:
7. Centauri,	1. Gladiolus,
8. Equus Trojanus,	2. Lydius,
9. Helena,	3. Virgo.
10. Hermiona,	

LUCAN. (M. Annæus Lucanus) poeta epicus, nepos ex fratre L. Senecæ philosophi, natus Cordubæ in Hispania ann. a Chr. n. 38., ex ordine equestri, obiit ann. 65. *V.* LUCANUS in ONOM. Editionem plerumque sequimur *Fr. Oudendorpii* Lugd. Batt. ann. 1728. 4.° et quandoque *Car. Frid. Weberi* Lipsiæ ann. 1821. T. 2. 8.°

Extant ejus

1. Pharsaliæ libri X. (119).

LONGUS (Velius Longus) grammaticus, a *Servio*, *Macrobio* et *Charisio* citatur; ejus commentarium de usu antiquæ locutionis commemorat *Gell.* 18. 9.: alium libellum *Charis.* apud *Putsch.* p. 73,: ex eodem apud *eumd.* p. 187. videtur in Lucretium quoque commentatus esse. Illius fragmenta commentarii in *Virgil. Æneid.* affert *A. Maius* in *Virgilii interpr. vet.* Mediolani ann. 1818. 8.°

Extat ejus

1. De orthographia liber, (*apud* Putsch. p. 2213.-2239., *unde etiam* Cassiodorius *sumpsit suum cap.* 2. *de orthographia*).

LUCCEJ. (L. Lucceius Q. F.) historicus sui temporis clarissimus, ad quem *Cic.* 5. *Fam.* 12. scripsit rogans, ut de rebus suis in consulatu gestis et de exsilio reditque singularem conficiat libellum.

Extat ejus

1. Epistola ad *Cic.* 5. *Fam.* 14. (120).

LUCIL. (C. Lucilius) poeta satyricus, natus Suessæ ann. U. C. 606., obiit ann. 650. *V.* LUCILIUS in ONOM.

Extant ejus satyrarum

1. Fragmenta librorum XXX. (*a* Franc. Dousa *collecta et edita Amstel. ann.* 1661. 8.°, *quam editionem sequimur*).

LUCRET. (T. Lucretius Carus) poeta didacticus, natus videtur ann. U. C. 659. *V.* LUCRETIUS in ONOM. Editionem sequimur *Dan. Parei* Francof. ann. 1631. 8.°

Extant ejus

1. De rerum natura libri VI.

LUSCUS T. ANNIUS (121).

LUTAT. (Q. Lutatius Catulus) poeta, Ciceroni coævus, cujus epigramma ipse refert 1. *Nat. D.* 28., aliud vero *Gell.* 19. 9.: utrumque autem edidit et illustravit *P. Burmannus* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 160.-170. (122).

LUTATIUS Q. (123).

LUXOR. (Luxorius) poeta, vixit in Africa sub Thrasimundo Vandalorum rege, qui regnavit ab ann. a Chr. n. 496. ad ann. 523.

Extant ejus

1. Epigrammata LXXXIV. (*Edita sunt in* Anthol. Lat. T. 2. p. 579.-628. Burm.: *aliud præterea ejusdem habetur ibid.* T. 2. p. 479.).

---

(114) Nos vero accuratiorem emendatioremque editionem secuti sumus a *Guil. Freund* curatam, quam addidit operi, cui titulus: *Wörterbuch der lateinischen Sprache*, Leipzig 1834.; de quo vide plura in præfatione hujus editionis.

(115) M. Æmilius Lepidus Porcina, consul a. U. C. 616., iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paullo minor natu, et summus orator est habitus et fuit. Ejusdem fragmentum ex *Priscian.* affertur ab *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 40.) *p.* 218.

(116) C. Licinius Calvus patre C. Licinio Macro natus a. U. 672., ultra quæsturam, quam Pighius in annum 697. ponit, non progressus est, ac prematura morte abreptus videtur. Inter oratores recensetur a *Cic. Brut.* 82. 283. et *Quintil* 10. 1. 115. *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 40.) p. 219.-220. ejusdem exhibet, quæ supersunt, orationum fragmenta, quarum hi sunt tituli:

1. Orationes in Vatinium,	4. Oratio pro C. Catone,
2. Oratio in Asitium,	5. — in Drusum.
3. — pro Messio,	

Idem condidit et carmina amatoria, quarum reliquias collegit atque illustravit *M. Aug. Weichert*, qui et ejus vitam scripsit in opere super. cit. (*V.* notam n. 41.) *p.* 89.-146.

(117) L. Licinius Crassus natus a. U. 614., mortuus a. 663., præturam gessit a 654., consulatum vero a. 658. *V.* plura in ONOM. Diserte inter oratores laudatur a *Cic. Brut.* 38. et 44. Ejus orationum fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 40.) p. 260.-272., quarum hi sunt tituli:

1. Oratio in C. Carbonem,	9. Oratio in M. Coponium de hereditate Curii vel pro M. Curio,
2. — pro Licinia virgine,	
3. — de colonia Narbonensi,	10. — pro Cn. Planco contra M. Brutum,
4. Suasio legis Serviliæ,	
5. Oratio pro Q. Cæpione,	11. — pro Pisone,
6. — censoria contra Cn. Domitium,	12. — pro C. Aculeone,
7. Concio in Memmium,	13. et 14. pro Sergio Orata.
8. Oratio in L. Marcium Philippum,	Accedit incertum fragmentum.

(118) De C. Licinio Macro pluribus disseruit ejusque fragmenta omnia collegit *Aug. Krause* in opere super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 234.-245. Consule, si vis, et *M. Aug. Weichert* in opere super. cit. (*V.* notam n. 41.) *p.* 92. et seqq.

(119) Lucani aliquot versus ex libro VI. leguntur in Cod. palimpsesto Neapolitano. *V. Scotti, Memoria sopra Gargilio Marziale p.* 19.

(120) De L. Lucceio oratore agit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 40.) *p.* 104.

(121) T. Annius Luscus, ann. 600. consul cum Q. Fulvio Nobiliore et censor cum eodem a. U. 615., non indisertus fuisse dicitur. Breve hujus fragmentum exhibet *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 40.) *p.* 207.

(122) De Q. Lutatio Catulo, qui consulatum petens anno 646. bis repulsus est, postea autem a. 652. cum C. Mario quartum hunc magistratum obtinuit, agit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 232-234.; quippe hic Lutatius, teste *Cic. Brut.* 35., librum de consulatu et de rebus gestis suis, conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium poetam, familiarem suum. Conscripsit etiam orationes, teste *Cic. l. c.*, a quo 2. *Orat.* 11. 44. memoratur præcipue *laudatio matris Popiliæ*; ideoque ejusdem Lutatii mentio fit etiam ab *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 40.) *p.* 246.-249. Denique ejus carminum fragmenta collegit etiam *Aug. Weichert.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 41.) *p.* 137. et seq.

(123) A superiore Q. Lutatio Catulo diversus, immo ejusdem pater putatur Q. Lutatius, quem *Varro* 5. *L. L.* 150. *Müll.* Gajo Ælio subjungit, cujusque historias laudant *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 710. et *Probus* ad *Virg.* 3. *G.* 280. Hujus fragmenta collegit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 246.-250.

M

MACER (Æmilius Macer) medicus. *V.* ÆMILIUS MACER in ONOM.
Extat ejus
1. De virtutibus herbarum liber.

MACER (Æmilius Macer) JCtus, vixit sub Alex. Severo, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 222. ad ann. 235.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris II. de appellationibus,
2. ——— re militari,
3. ——— officio præsidis,
4. libris II. de publicis judiciis,
5. ——— ad legem vicesimam hereditatium.

MACER historicus. *V.* LICIN. MACER.

MACROB. (Aurelius Macrobius Ambrosius Theodosius) floruit sub Theodosio II., qui imperavit ab ann. a Chr. n. 408. ad ann. 450. *V.* MACROBIUS in ONOM. (124).
Extant ejus
1. In Scipionis somnium a Cicerone descriptum commentarior. libri II.,
2. Saturnaliorum libri VII.,
3. De differentiis et societatibus Græci Latinique verbi.

MÆCEN. (C. Cilnius Mæcenas) amicus et consiliarius Augusti. *V.* MÆCENAS in ONOM. Præter ejus dicteria ibi citata, habes etiam epigrammata in *Anthol. Lat. T.* 1. *Burm.* p. 29., 412. et 596. et apud *Sueton.* in *Vit. Horatii* (125).

MÆCIAN. (L. Volusius Mæcianus) JCtus, floruit sub Antonino Pio, et M. Aurelio, qui imperarunt ab ann. a Chr. n. 138. ad ann. 180.
Extant ejus
1. De assis distributione libellus,
2. Fragmenta in Dig. ex libris XVI. fideicommissorum,
3. ——— lege Rhodia,
4. ——— libris XIV. publicorum,
5. ——— libro quæstionum.

MAL. THEOD. (Flavius Mallius Theodorus) consul fuit ann. a Chr. n. 399.
Extat ejus
1. De metris libellus, (*editus Lugd. Bat. ann.* 1766. 8.°, *ex quo paucula quædam vocabula in Lexicon admisimus.*)

MAMERTIN. (Claudius Mamertinus) major, orator, natione Gallus.
Extant ejus
1. Panegiricus Maximiano Aug. (*Treviris dictus XII. Kal. Maj. ann. a Chr. n.* 292.)
2. ——— Genethliacus eidem. (*Videtur hic tempore præcedere superiorem, quia in eo Galerii et Constantii Cæsarum, qui hoc ann. 292. Cæsares sunt appellati, nulla fit mentio*).

MAMERTIN. (Claudius Mamertinus) junior videtur fuisse superioris filius, consul fuit ann. a Chr. n. 364. *V.* MAMERTINUS in ONOM.
Extat ejus
1. Panegyricus *seu* Gratiarum actio pro consulatu Juliano Aug.

MANIL. (M. Manilius) poeta et astrologus, Augusto imperante vixisse videtur. *V.* MANILIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Astronomicon libri V.

MANILIUS T. (126).

MARCELL. (M. Claudius Marcellus) consul fuit ann. U. C. 703., inimicus Cæsari dictatori, qui tamen in senatu rogatus ei veniam dedit; hinc Cicero ex tempore eidem Cæsari, senatus nomine, gratias egit ea oratione, quæ *pro Marcello* dicitur: de quo beneficio *Marcellus* Ciceroni gratias agit in epist. ad *Cic.* 4. *Fam.* 11. Is autem, dum Romam rediret, a P. Magio Cilone familiari ejus pugione percussus paullo post obiit ex vulneribus, ut narrat *Ser. Sulpicius Rufus* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12.
Extat ejus
1. Epistola ad *Cic.* 4. *Fam.* 11. (de qua supra diximus).

MARCELL. EMPIR. (Marcellus Empiricus) medicus Burdigalensis, archiater Theodosii I., vixit circa ann. a Chr. n. 380.
Extat ejus
1. De medicaminibus empiricis, physicis et rationalibus liber.

MARCELL. (Ulpius Marcellus) JCtus, floruit sub Antonino Pio, M. Aurelio, et Commodo, scilicet ab ann. a Chr. n. 138. ad ann. 192.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XXXIX. digestorum,
2. —— VI. ad leges *seu* legem Juliam et Papiam,
3. libro de officio præsidis,
4. libris II. publicorum,
5. libro responsorum,
6. libris V. de officio consulis,
7. notis ad libros XLII. digestorum Juliani,
8. notis ad Pomponii librum regularum.

MARCIANUS (Ælius Marcianus) JCtus, floruit sub Caracalla, qui imperavit ab. ann. a Chr. n. 211. ad ann. 217.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris II. de appellationibus,
2. —— XVI. institutionum,
3. —— V. regularum,
4. —— II. publicorum,
5. libro de delatoribus,
6. libro ad hypothecariam formulam,
7. —— ad SCtum. Turpillianum,
8. libris VII. digestorum,
9. notis ad librum II. de adulteriis Papiniani.

M. AUREL. (M. Aurelius Antoninus Aug.) natus Romæ ann. a Chr. n. 121. patre Annio Vero, adoptatus a T. Aurelio Antonino Pio ann. 138., cui defuncto successit ann. 161., obiit Vindobonæ ann. 180. Ejus vitam habes apud *Capitolinum*; plures vero epistolas ad M. Cornelium Frontonem magistrum suum puro quidem stilo, et sæpe Plautinis vocabulis ac humanitatis sale conditas edidit primus *A. Maius* inter opera *Frontonis* Mediolani primum ann. 1815., deinde numero auctas Romæ ann. 1823. 8.°, quas ibidem reperias insertas in *lib.* 1. *ad M. Cæs.* 1. 3. 5. 9. 10., *lib.* 2. ad *eumd.* 5. 6. 7. 9. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18., *lib.* 3. ad *eumd.* 2. 5. 7. 9. 12. 14. 17. 18. 19. 21., *lib.* 4. ad *eumd.* 2. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 13., *lib.* 5. ad *eumd* 2. 4. 5. 7. 8. 11. 13. 15. 16. 18. 21. 23. 24. 26. 28. 31. 32. 35. 36. 39. 41. 43. 45. 47. 49. 51. 53. 56. 57. 59., *lib.* 1. *ad. Antonin. Imp.* 1. 4., *lib.* 2. ad *eumd.* 1. 3. 4. 7. 11. 13., *ad. Verum* 2., *de fer. Alsiens.* 1. 4., *de nep. amisso* 1.

MAR. PLOT. (Marius Plotius) grammaticus, Romæ docuit quinto fortasse Christi sæculo.
Extat, apud *Putsch.* p. 2623.-2664., ejus
1. De metris liber.

MARSUS (Domitius Marsus) floruit sub Augusto, epigrammatum scriptor est habitus imprimis nobilis atque excellens. Extant ejus duo epigrammata, unum in fine carminum *Tibulli*, alterum a *Philargyrio* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 90. allatum, utrumque autem legitur cum adnotationibus *P. Burmanni in Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 416. et 436.: cetera periere, quorum tamen fragmenta collegit *Broukhusius* ad fin. carmin. *Tibulli. V.* MARSUS in ONOM. et *Charis.* 1. p. 55. *Putsch.*

MARTIAL. (M. Valerius Martialis) poeta epigrammaticus, Hispanus ex urbe Bilbili, nunc *Bilbao*, natus ann. a Chr. n. 40. circiter, Romæ vixit annis quinque et triginta, ut patet ex ejus *epigr.* 31. *lib.* 12.: unde in patriam reversus ann. 100., inde illuc misit suum duodecimum epigrammaton librum, et ann. 104. obiit. *V.* MARTIALIS in ONOM. In citandis auctoris locis utimur editione Bipontina ann. 1784. 8.° et quandoque etiam Parisiaca ann. 1825. T. 3. 8.°
Extant ejus
1. Epigrammaton libri XIV., (*quorum penultimo* xeniorum, *ultimo* apophoreton *titulum ipse auctor inscripsit*),
2. De spectaculis liber. (*Hic liber ex probabili conjectura videtur esse collectio carminum non ab uno* Martiale, *sed a variis poetis conscriptorum in spectacula a Tito et Domitiano edita*).

MASURIUS. *V.* SABINUS JCtus.

MATIUS (C. Matius) eques R., C. Julii Cæsaris et Augusti amicus. *V.* MATIANUS in ONOM.
Extat ejus
1. Epistola ad *Cic.* 11. *Fam.* 28.

MATTIUS (Cn. Mattius) poeta mimiambus, qui plerisque idem videtur esse ac superior.
Extant ejus fragmenta apud *Gell.* et *Macrob.*, quæ in unum collecta edidit *P. Burmannus* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 630. quæque quater citantur in Lexico.

MAURICIAN. (Junius Mauricianus) JCtus, floruit sub M. Aurelio Aug., qui imperavit ab ann. a Chr. n. 161. ad ann. 180.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Libris VI. ad leges *seu* legem Juliam et Papiam,
2. libro II. de pœnis,
3. notis apud Julianum.

MAXIMIAN. (Cornelius Maximianus Gallus Etruscus) poeta elegiacus, qui perperam cum C. Cornelio Gallo a quibusdam confunditur, floruit circa finem quinti a Chr. n. sæculi, cujusque vitam habes apud *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 6. p. 207.-247. *V.* GALLUS in ONOM.
Extant ejus
1. Elegiæ VI., (*quæ a* Wernsdorf. loc. cit. p. 269.-379. *editæ sunt et adnotationibus illustratæ, cujus editionem sequimur*).

MAXIMUS (Rutilius Maximus) JCtus, incertæ ætatis.
Extat in *Dig.* 30. 1. 125. unicum ejus fragmentum ex *lib.* ad legem Falcidiam.

MELA (Pomponius Mela) geographus. *V.* MELA in ONOM.
Extant ejus
1. De situ orbis libri III., (*quorum editionem Lipsiensem ann.* 1806.-1807. *T.* 4. 8.° *a* Car. Heur. Tzschuckio *curatam, et amplissimis commentariis locupletatam sequimur*).

MEMMIUS (127).

MENANDER (Arrius Menander) JCtus, Septimii Severi, et Caracallæ, qui imperarunt ab ann. a Chr. n. 193. ad ann. 217., consiliarius.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris IV. de re militari.

MESSALA CORVIN. (M. Valerius Messala Corvinus) natus a. U. C. 695., consul ann. 723., obiit ann. 757. Multa scripsit, quæ periere; eorumdem tamen fragmenta afferuntur a *Plin.*, *Sueton.*, *Gell.* aliisque (128). Extat vero sub

(124) Verum *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 1. *p.* VI. affirmat, illum Honorio imperante clarum fuisse.

(125) De *Mæcenate* inter recentiores disserit *Aug. Weichert* in op. super. cit. (*V.* notam n. 41.) *p.* 446.-458. Ex Mæcenatis fabula prætextata, cui titulus *Octavia*, fragmenta exhibet *Jo. H. Neukirch.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 4.) *p.* 90.-94. Mæcenatiana autem omnia nuper edidit Lion Albertus Gottingæ Typ. ex Huth 1846 in 8.°

(126) Titus Manlius, qui a *Cic. pro Rosc. com.* 14. et 15. commemoratur ætate grandis natu, natura sanctus et religiosus, copiis rei familiaris locuples et pecuniosus, inter historicos a *Vossio* recensetur; sed fragmentorum ratio talis est, ut non tam ad annales, quam ad librum antiquarium pertinere videantur. — Hæc collegit et illustravit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 293.-296.

(127) C. Memmius, quæstor a. U. 681., tribunus plebis a. 649, occisus est a. 655. consulatum petens. Orator fuit mediocris, accusator vero acer atque acerbus, teste *Cic. Brut.* 36. 136. Ejus fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in op super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 252-255. — Porro hic idem C. Memmius pater fuit Lucii Memmii, cujus filius Cajus memoratur a *Cic. Brut.* 70. 247. Oratoria hujus fragmenta exhibet id. *Henr. Meyer.* p. 293.-294.

(128) Oratoria Messalæ fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 316.-326.

ejus nomine unicus libellus, de quo mox mentio erit, qui sæpe editus est, sed communi eruditorum sententia est plane opus supposititium, et barbaræ Latinitatis tempore conscriptum. Plura tamen ex eodem loca attulit *Forcellinus* in Lexico, nempe in ALTILOQUIUM, CARCERO, COHABITO, COSMOGRAPHUS, EXSULATUS, GENEALOGIA, IMPETUOSE, PACIFICE, TRIFARIE, licet in ABSENTO dixerit, illum libellum esse auctoritatis omnino incertæ. Ipse etiam ejus deceptus exemplo alium locum citavi in *V.* BRENTESIA. Caveat igitur futurus Lexicographus, ne iis locis literum adducendis fucum faciat Latine scribentibus. *Forcellinus* porro in locis citandis sequitur editionem Oxoniensem ann. 1703. 8.°: ipse vero secutus sum Bipontinam ann. 1789. 8.°, in qua legitur inter *Historiæ Rom. scriptores minores*.

Extat ejus
1. Ad Octavianum Augustum de progenie sua libellus.

METELLUS NUMIDICUS (129).

MINUC. (M. Minucius Felix) *V.* MINUCIUS in ONOM. Quamquam eruditorum plerique putent, hujus auctoris ætatem pertinere ad medium circiter Christi sæculum, tamen *Jac. Dan. van Hoven* in *Epist. hist. crit. de vera ætate* etc. *M. Minucii Felicis*, Campis edita ann. 1762. 4.°, illum M. Aurelio coævum fuisse conatur ostendere, ejusdemque est fere sententiæ *A. Maius* ad *Fronton. p.* XXXIII. not. (1) edit. Rom., ibi enim ait, Minucium Frontoni prope fuisse coætaneum, V. *eumd. ibid.* ad *p.* 86. not. (2).

Extat ejus dialogus, cui titulus est
1. Octavius.

MODESTIN. (Herennius Modestinus) JCtus. *V.* MODESTINUS in ONOM.

Extant plura ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris IX. differentiarum,
2. —— VI. excusationum,
3. —— X. regularum,
4. —— XIX. responsorum,
5. —— XII. pandectarum,
6. —— IV. de pœnis,
7. libro de differentia dotis,
8. ——— enucleatis casibus,
9. libro de eurematicis,
10. ——— inofficioso testamento,
11. ——— legatis et fideicommissis,
12. ——— manumissionibus,
13. ——— præscriptionibus,
14. ——— ritu nuptiarum,
15. libris XXXI. ad Q. Mucium.

MODEST. (Modestus) vixit sub Tacito Aug., qui imperavit ann. a Chr. n. 275., cujus jussu scripsit, qui extat, librum
1. De vocabulis rei militaris, (*qui nullius esse debet in lingua Latina auctoritatis, cum putide scriptus sit, ideoque spurius habendus*) (130).

MONUMENT. ANCYR. (Monumentum Ancyranum) *V.* ANCYRANUS in ONOM. Porro hujusmodi monumentum, cujus aliquoties auctoritatem adduxit *Forcellinus*, ceteris accuratius a se inspectum, cum editis exemplis collatum et suppletum edidit *Ed. Chishullus* Britannus, notisque instruxit eruditis in *Antiquit. Asiat. p.* 170. et seqq., unde *Jer. Jac. Oberlinus* suæ adjecit *Taciti* editioni Lips. ann. 1801. 8.°, suisque etiam illustravit adnotationibus.

MUC. *V.* SCÆVOLA n. 2.

MUSA (Antonius Musa) medicus, qui sub Augusto vixit.

Extant ejus
1. De tuenda valetudine ad Mæcenatem libellus,
2. Compositiones medicæ. (*Hæc duo opuscula illi, licet perperam, tribuuntur, quæ edita sunt hoc titulo. « Antonii Musæ, qui Augusti Cæsaris medicus fuit, fragmenta quæ extant collegit* Florian. Caldani. *Bassani ann.* 1800. 8.°»).

MYTHOGRAPHI (131).

N

NÆVIUS (Cn. Nævius) poeta tragicus et comicus. *V.* NÆVIUS in ONOM. Plerumque utimur tam in fragmentis tragœdiarum, quam comœdiarum editione *Frid. Henr. Bothii*, de qua *V.* in ACCIUS (132).

Extant ejus apud *Gell., Non., Priscian.* aliosque veteres auctores tragœdiarum fragmenta, quarum hi sunt tituli:
1. Alcestis,
2. Danae,
3. Equus Trojanus,
4. Hector,
5. Hesiona,
6. Iphigenia,
7. Licurgus,
8. Phœnissæ,
9. Protesilaus *seu* Laodamia.

Comœdiarum autem hi sunt tituli:
1. Acontizomenos,
2. Agido *seu rectius* Agaso,
3. Agitatoria,
4. Agryptiuntes,
5. Apella,
6. Assitogiola,
7. Carbonaria,
8. Clastidium (133),
9. Colax,
10. Corollaria,
11. Cosmetria,
12. Dementes,
13. Demetrius,
14. Diobolaria,
15. Erularia,
16. Figulus,
17. Glaucoma,
18. Gymnasticus,
19. Hariolus,
20. Lampadio,
21. Lupus,
22. Nautæ,
23. Pacilius,
24. Pellex,
25. Philemporos,
26. Projectus,
27. Pulli,
28. Quadrigemini,
29. Sanniones,
30. Stalagmus,
31. Stigmatias,
32. Tarentilla,
33. Testicularia,
34. Thermus,
35. Triphallus,
36. Tunicularia (134).

NAZAR. (Nazarius) Burdigalensis professor, ut patet ex *Auson. Profess.* 14. 9., qui ann. a Chr. n. 321. Romam missus, ut Constantino M. ob victoriam de Maxentio relatam gratularetur, ibidem orationem recitavit, quæ extat, cujusque titulus est
1. Panegyricus Constantino Aug.

NEMESIAN. (M. Aurelius Olympius Nemesianus) Carthaginiensis, poeta didacticus. *V.* NEMESIANUS in ONOM.

Quod *P. Burmannus* fecerat, ut dubitanter *Calpurnio* tribueret quatuor eclogas, quæ *Nemesiani* nomine habebantur, *Jo. Chr. Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 2. confidenter omnino præstitit: etenim, cum pluribus argumentis sententiam suam confirmasset, *Nemesiani* eclogas quatuor subjunxit illis *Calpurnii* eclogis septem, ut uno tenore eas numeraret. Hac itaque de controversia illum ibidem consulas, oportet. Quam porro *Forcellinus* divisionem secutus est, nobis retinendam proposuimus; at in hujus poetæ locis citandis ultimur editione *Wernsdorfii*, qui eclogas in *T.* 2. *p.* 174.-214. et in *T.* 1. *p.* 81. 131., Cynegeticon, et duo fragmenta de aucupio suis adnotationibus illustrata edidit Altenburgi ann. 1780. 8.°

Extant itaque ejus
1. Eclogæ IV.,
2. Cynegeticon,
3. Fragmenta II. de aucupio.

NEP. (C. Cornelius Nepos) Hostiliæ, nunc *Ostiglia*, ad Padi ripas natus; Ciceronis, Catulli, et Attici amicus. *V.* NEPOS in ONOM. Editionem sequimur Lipsiensem *Boecleri*. ann. 1662. 12. et itidem Lipsiensem *Io. Chr. Frid. Wetzelii* ann. 1822. T. 2. 8.°

Extant ejus
1. Vitæ excellentium (*Græciæ*) imperatorum XX. *h. e.*
   1. Miltiadis Atheniensis,
   2. Themistoclis Athen.,
   3. Aristidis Athen.,
   4. Pausaniæ Lacedæmonis,
   5. Cimonis Athen.,
   6. Lysandri Lacedæm.,
   7. Alcibiadis Athen.,
   8. Thrasybuli Athen.,
   9. Cononis Athen.,
   10. Dionis Syracusani,
   11. Iphicratis Athen.,
   12. Chabriæ Athen.,
   13. Timothei Athen.,
   14. Datamis Caris,
   15. Epaminondæ Thebani,
   16. Pelopidæ Theb.,
   17. Agesilai Lacedæm.,
   18. Eumenis Macedonis,
   19. Phocionis Athen.,
   20. Timoleontis Corinthii.
2. Vitæ regum *h. e.* Cyri, Darii, Xerxis, utriusque Artaxerxis Persarum; Philippi et Alexandri Macedonum; Pyrrhi Epirensium; Dionysii Siculorum; Antigoni, Demetrii, Lysimachi, Seleuci Ptolemæi ex Alexandri M. amicis,
3. —— Hamilcaris, et Hannibalis Carthaginensium ducum,
4. Vita M. Porcii Catonis senioris,
5. —— T. Pomponii Attici,
6. Fragmenta.

NERAT. (Neratius Priscus) JCtus, consul suffectus, Trajano et Hadriano Augg. carus, qui imperarunt ab ann. a. Chr. n. 98. ad an. 138. *V.* NERATIUS in ONOM.

Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Membranarum libris VII.,
2. Regularum libris XV.,
3. Responsorum libris III.,
4. Libris ex Plautio,
5. Epistolarum libro IV.

NIGID. (P. Nigidius Figulus) philosophus Pythagoricus. *V.* NIGIDIUS in ONOM.

Extant ejus
1. Fragmenta apud *Gell.*, et *Macrob.*

NON. (Nonius Marcellus) grammaticus. *V.* NONIUS in ONOM. (135).

Extant ejus
1. De proprietate sermonis Latini capita XIX.

NOVATIANUS (136).

NOV. (Q. Novius) poeta comicus. *V.* NOVIUS in ONOM.

Extant ejus comœdiarum fragmenta, quarum hi sunt tituli:
1. Agricola,
2. Andromacha,
3. Asinius,
4. Bubulcus cerdo,
5. Bucculo,
6. Colax,
7. Decuma *seu* Decumæ,
8. Depatici *forte* Hepatici,

(129) Q. Metellus Numidicus, L. Calvi F., consul a. U. 644., inter oratores recensetur a Cic. *Brut.* 35. 135. Ejus fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 249.-252.: orationum autem quæ supersunt tituli sunt hi:
1. Accusatio adversus Valerium Messalam,
2. Oratio ad populum contra C. Mamilium trib. pl.,
3. Oratio de triumpho suo,
4. —— ad populum de ducendis uxoribus.

(130) *Amedeus Peyron.* in *Notitia libror. a Valperga biblioth. Taurinens. donator.* Lipsiæ 1820 *p.* 53. putat, hujus operis auctorem esse Pomponium Lætum.

(131) Mythographi ab *A. Mai.* editi *V.* LACTANTIUS PLACIDIUS.

(132) Cn. Nævius, Campanus, Ennio antiquior, mortuus anno 549., bellum Punicum primum, in quo stipendia fecerat, Saturniis versibus cecinit, teste *Gell* 17. 21. Horum carminum fragmenta exhibet *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 8.) *p.* 14.-56. Præterea Nævii fragmenta una cum Ennii Annalibus nuper edita fuerant Lipsiæ a. 1836.

(133) Ex hac togatâ tabernariâ fragmenta exhibet etiam *Jo. H. Neukirch.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 6.) *p.* 90.

(134) Ex *Romulo*, fabula togata prætextata, quæ in hoc Indice omissa fuerat, quæque Cn. Nævio tribuitur, paucula fragmenta exhibet *Jo. H. Neukirch.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 6.) *p.* 71-72.

(135) *V.* etiam *Orell.* ad *Cicer. opera T.* 4. *P.* II. *p.* 441.

(136) Novatianus, qui floruit medio circiter tertio sæculo, quique interdum citatur in Lexico, ut in v. MENSURNUS aliisque, editus est Venetiis a. 1767. in *Biblioth. Patrum T.* 3. *p.* 287.-323.

Extant ejus
1. De Trinitate liber,
2. De cibis Judaicis ep. ad Cyprianum

9. Dotata,
10. Duo Dosseni,
11. Eculeus,
12. Erisaces *al.* Eurysaces,
13. Exodium,
14. Filonicus *seu* Philonicus,
15. Fullones feriati,
16. Funus,
17. Gallinaria,
18. Gemini,
19. Hetæra,
20. Lignaria,
21. Macci,
22. Maccus caupo *seu* copo,
23. Maccus exsul,
24. Malevolus,
25. Mania medica,
26. Milites Pometinenses,
27. Mortis et vitæ judicium,
28. Optio,
29. Pappus præteritus,
30. Parcus,
31. Paulus,
32. Pædium,
33. Phœnissæ,
34. Picus,
35. Præco posterior,
36. Quæstio,
37. Surdus,
38. Tabellaria,
39. Togularia,
40. Tripertita,
41. Vindemiatores,
42. Virgo prægnans,
43. Zona.

NOVELL. (Novellæ Constitutiones), quas Justinianus I. Augustus post Institutiones, Digesta et Codicem variis temporibus promulgavit, sunt numero CLXVIII.; his deinde accesserunt aliæ Justini II., Tiberii II., Leonis philosophi aliorumque.

O

OBSEQUENS. *V.* JUL. OBSEQUENS.
OPPIUS (C. Oppius) *V.* HIRT.
OPTATIAN. (Optatianus Porphyrius) poeta Christianus, qui ad Constantinum M. vicennalia ann. a Chr. n. 326. celebrantem misit panegyricum carmine constantem varii generis per acrostichides et similes litterarum lusus minio distinctos. Cum eumdem scriberet, exsul erat; sed hoc opus conciliavit auctori suo revocationem ab exsilio.
Extat ejus
1. Panegyricus dictus Constantino Aug. (constans capitib. XXVI.).
OPTATUS Milevitanus episcopus in Numidia, imperantibus Valentiniano I. et Valente, insignis fuit auctoritate et fama, sed ejus stilus minime purus, ut Afrorum esse solet. *Forcellinus* in Indice auctorum usum se ait editione Parisiensi *Ellies Du Pin* ann. 1700. fol. Sed nusquam, quod sciam, in Lexico loca ejusdem citavit.
Extat ejus
1. De schismate Donatistarum libri IV.
OROS. (Paulus Orosius) Hispanus, Tarraconensis presbyter, historicus. *V.* OROSIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Historiarum libri VII. (*ab orbe condito ad ann. a Chr. n.* 417.),
2. Apologeticon de arbitrii libertate,
3. Commonitorium ad Augustinum.
OVID. (P. Ovidius Naso) poeta celeberrimus. *V.* OVIDIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Heroides, *h. e.* epist. XXI. *scil.*
1. Penelope Ulixi,
2. Phyllis Demophoonti,
3. Briseis Achilli,
4. Phædra Hippolyto,
5. Œnone Paridi,
6. Hypsipyle Iasoni,
7. Dido Æneæ,
8. Hermione Orestæ,
9. Deianira Herculi,
10. Ariadne Theseo,
11. Canace Macareo,
12. Medea Iasoni,
13. Laodamia Protesilao,
14. Hypermnestra Lynceo,
15. Sappho Phaoni,
16. Paris Helenæ,
17. Helena Paridi,
18. Leander Heroni,
19. Hero Leandro,
20. Acontius Cydippæ,
21. Cydippe Acontio.
2. Amorum libri III.,
3. Artis amatoriæ libri III.,
4. Remedia amoris,
5. Medicamina faciei,
6. Halieuticon (Wernsdorfius *in opere sæpius citato* T. 1. p. 141.-147. *multis argumentis istud carmen* Ovidio *abjudicat, illudque potius Veidio alicui, P. Veidii Pollionis liberto, tribuit. Idemque* ibid. p. 147. *alterum* Halieuticon, *quod* Hier. Columna *primus edidit ad* Ennii fragmenta p. 153., *supposititium omnino esse arbitratur*),
7. Nux,
8. Metamorphoseon libri XV.,
9. Fastorum libri VI.,
10. Tristium libri V.,
11. Epistolarum ex Ponto libri IV.,
12. Ibis,
13. Fragmenta ex *Quintil., Martial., Priscian.* aliisque.

P

PACAT. (Latinus Drepanius Pacatus) Gallus natione, ex Agiuno, nunc *Agen*, ut habet *Sidon.* 8. *Ep.* 11., professor Burdigalensis, et amicus Ausonii: ann. 391. Romæ Theodosio I. gratulationem habuit ob Magnum Maximum ab eo Kal. Sept. ann. 388. devictum apud Aquilejam, et interfectum.
Extat ejus
1. Panegyricus Theodosio Aug. dictus.
PACUV. (M. Pacuvius) Brundusinus, poeta tragicus et comicus celeberrimus. *V.* PACUVIUS in ONOM.
Extant ejus tragœdiarum et comœdiarum fragmenta apud *Cic., Non., Charis.* aliosque. Tragœdiarum hi sunt tituli:
1. Anchises,
2. Antiopa,
3. Armorum judicium,
4. Atalanta,
5. Chryses,
6. Dulorestes,
7. Hermiona,
8. Iliona,
9. Medus *al. Medea* (137),
10. Niptra,
11. Paulus (138),
12. Periboea,
13. Pseudo,
14. Tantalus,
15. Tarentilla,
16. Teucer,
17. Thyestes.
Comœdiarum vero hi:
1. Mercator,
2. Tunicularia.
PALLAD. (Palladius Rutilius Taurus Æmilianus) vixit circa finem sæculi a Chr. n. quarti (139). *V.* PALLADIUS in ONOM.
Extant ejus
1. De re rustica libri XIIII.,
2. — insitione liber (*elegiaco carmine scriptus*).
PAPINIAN. (L. Æmilius Paulus Papinianus) JCtus illustris, ex Phœnicia, nobili genere natus, obiit a Caracalla ann. a Chr. n. 212. securi percussus, quia ejus fratricidium apud senatum populumque excusare noluerat. *V.* PAPINIANUS in ONOM.
Extant ejus in Digestis plurima fragmenta ex
1. libro singulari de adulteriis,
2. libris II. de adulteriis,
3. *μονοβίβλου*,
4. libris II. definitionum,
5. —— XXXVII. quæstionum,
6. —— XIX. responsorum.
PAPIRIUS (Papirius Justus) JCtus, floruit post M. Aurelium Antoninum Aug.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XX. constitutionum.
PAULIN. NOLAN. (Meropius Pontius Anicius Paulinus) Ebromagi, nunc *Embraus*, prope Burdigalam in Aquitania circa ann. a Chr. n. 353. natus ex gente patricia, consul fuit suffectus, deinde consularis Campaniæ, ann. 409. electus Nolæ episcopus, et ann. 431. ibidem obiit. *V.* PAULINUS in ONOM.
Extant ejus
1. Epistolæ XXXI.,
2. Poemata XL. (*Ex his priora XXXVIII. præter alios edidit* Muratorius *Veronæ ann.* 1736., *et* Pasqu. Amatius *in* Collect. Pisaur. T. 5. p. 258.-330., *quibus inserendi sunt versus quinquaginta duo vulgati a* Jo. Aloys. Mingarellio *in Anecdotor. fascic. Romæ ann.* 1756.: *duo vero postrema ex Cod. Vaticano iterum edidit* A. Majus in Classic. Auct. T. 5. p. 369., *cujus præfationem* ibid. *p. XLI. et seqq. consulas, oportet*).
PAULIN. PELL. (Paulinus Pellæus) Burdigalensis, sed Pellæ natus, ubi pater ejus præfecti vice fungebatur, Ausonii poetæ nepos, scripsit sequens carmen ann. a Chr. n. 456.
Extat ejus
1. Eucharisticon.
PAULIN. PETROCOR. (Benedictus Paulinus) ex Petrocorio, nunc *Perigueux*, in Gallia Aquitanica, et Petrocoriensis episcopus. *V.* PAULINUS in ONOM.
Extant ejus
1. De vita S. Martini libri VI.,
2. — visitatione nepotis sui,
3. Epigramma basilicæ S. Martini apud Turones inscriptum (*Hæc edidit* Pasqu. Amatius *in* Collect. Pisaur. T. 6. p. 6.-34., *cujus editionem sequimur*).
PAULUS (Julius Paulus) JCtus clarissimus, Tyrius ne patria fuerit, an Patavinus, an Romanus, incertum est. Vixit sub Septimio Severo, ejusque filio Caracalla, et Elagabalo, a quo in exilium missus, ab Alexandro Severo revocatus et præfectus prætorio nominatus fuit. *V.* PAULUS in ONOM.
Extant ejus
1. Receptarum sententiarum libri V.,
2. Fragmenta in Digestis plurima ex
1. libris III. de adulteriis,
2. —— XXIII. brevium,
3. —— II. de censibus,
4. —— III. de decretorum,
5. —— LXXX. ad edictum prætoris,
6. —— II. ad edictum ædilium curulium,
7. —— V. epitomarum,
8. —— III. fideicommissorum,
9. —— II. institutionum,
10. —— II. de jure fisci,
11. —— III. ad legem Æliam Sentiam,
12. —— II. ad legem Juniam,

(137) V. *Cic.* 2. *de republ.* 9. ibique *Mai.* adnotat., et *Müller.* ad *Varron. L. L. p.* 93.

(138) Ex *Pauli* fabulà prætextatà fragmenta exhibet etiam *Jo. H. Neukirch.* in opere super. cit. (*V.* notam n. 1.) *p.* 73.-79.

(139) Palladius Rutilius Taurus videtur Romanus fuisse, cujus, sub nomine Æmiliani, meminere *Cassiod. Divin. lect.* 28. et *Isid.* 17. *Orig.* 1. 1. et 10. 8. *Barpt.* vero *Borghesi* in *Dichiaraz. d' una lap. Gruter. p.* 32 putat, eumdem esse ac Taurum, qui a. post Chr. n. 354. quæstor fuit, et a Constantio in Armeniam missus est (*Ammian.* 14. 11. 14.); a. 355. fuit præf. prætorio in Italia, ut patet ex plurimis legibus in *Cod. Theod.* et *Justin.*; deinde a. 361. fuit consul ordinarius cum Flav. Florentio; qui quidem ambo, adventante ad Italiam Juliano, fugam capessivere (*Ammian.* 22. 3. 4.). Hinc factum est, ut Taurus Vercellis exsularerit, ubi opus de re rustica scripsit. Item librum *de insitione* misit Pasiphilo cuidam, qui el viro *Borghesi* videtur fuisse Fab. Fel. Pasiphilus Paulinus præf. Urbis a. 355. a mense majo (*Inscript.* apud *Gruter. p.* 286. n. 2.) ad mensem octobr. (*Ammian.* 16. 2. 12.); qui Pasiphilus fuit frater Fabiæ quæ nupsit Acunio Catulino cos. a. 349. Hæc omnia ingeniose admodum a *Borghesi* allata sunt: sed tamen in *Fastis consular.* Taurus semper *Flavius* nominatur, quod nomen *Palladio* numquam tribuitur. — Ceterum in citandis *Palladii* locis usi sumus editione omnium diligentissima, quam curavit *Schneider*. Augustæ Taurinorum a. 1829. et seqq.

13. libris X. ad legem Juliam et Papiam,
14. —— III. manualium,
15. —— IV. ad Neratium,
16. —— II. de officio proconsulis,
17. —— XVIII. ad Plautium,
18. —— XXVI. quæstionum,
19. —— VII. regularum,
20. libro singulari regularum,
21. libris XXIII. responsorum,
22. —— XVI. ad Sabinum,
23. —— V. sententiarum,
24. —— IV. ad Vitellium Sabinum,
25. libro de actionibus,
26. ——— concurrentibus actionibus,
27. ——— adulteriis,
28. ——— appellationibus,
29. ——— articulis liberalis causæ,
30. ——— assignatione libertorum,
31. libris II. de censibus,
32. libro de cognitionibus,
33. ——— conceptione formularum,
34. ——— dotis repetitione,
35. ——— excusationib. tutelarum,
36. ——— tacito fideicommisso,
37. ——— forma testamenti,
38. ——— inofficioso testamento,
39. ——— instructo et instrumento,
40. ——— intercessionib. feminarum,
41. ——— publicis judiciis,
42. ——— septemviralib. judiciis,
43. ——— jure codicillorum,
44. ————— fisci,
45. ————— libellorum,
46. ————— patronatus,
47. ————— singulari,
48. ——— juris et facti ignorantia,
49. ——— ad legem Cinciam,
50. ——————— Falcidiam,
51. ——————— Fusiam Caninam,
52. —— de legitimis hæreditatibus,
53. ——— liberali causa,
54. ——— libertatibus dandis,
55. ——— officio adsessorum,
56. —————— consulis,
57. —————— præfecti vigilum,
58. ——————— Urbi,
59. —— ad orationem D. Antonini et Commodi,
60. ——————— D. Severi,
61. ——————— D. Severi et Commodi,
62. —— de pœnis militum,
63. —————— omnium legum,
64. —————— paganorum,
65. ——— portionib., quæ liberis damnator. conceduntur,
66. —— ad regulam Catonianam,
67. —— de secundis tabulis,
68. ——— senatusconsultis,
69. —— ad S. C. Libonianum seu Claudianum,
70. —————— Orfitianum,
71. —————— Silanianum,
72. —————— Tertullianum,
73. —————— Turpilianum,
74. ——— Vellejanum,
75. —— de variis lectionibus,
76. ——— usuris,
77. notis ad librum IV. digestorum Juliani,
78. —————— VIII. digestor. ejusdem,
79. ——— Julianum,
80. ——— librum X. quæstionum Papiniani,
81. —————— XXXI. earumdem,
82. —————— V. responsorum ejusdem,
83. ——— Scævolam.

PAUL. DIAC. (Paulus Warnefridi F.) Aquilejensis diaconus. *V.* PAULUS in ONOM.
Extant ejus
1. Historiæ miscellæ libri XXII.,
2. De gestis Langobardorum libri VI. (140).

PAULUS L. ÆMILIUS (141).

PELAGON. (Pelagonius) scriptor veterinarius, vixit sæculo Christi quarto, atque ætate anterior est *Vegetio*, qui in suo *De re veterinaria* opere illius verba sæpe protulit, modo expresso, modo suppresso auctoris nomine.

Hujus scriptoris opus edidit primus ex Codice Richardensi *Cajetanus Cionius* Florentiæ ann. 1826. 8.° cum *Josephi Sarchiani* versione Italica: cujus αὐθεντίαν infirmare aggressus est *Hieronym. Molinus* eo libro, cui titulus: *Sopra la veterinaria di Pelagonio pubblicata in Firenze nel* 1826. *qual opera originalmente Latina*, *Padova* 1828. 8.°, in quo multis quidem et satis eruditis argumentis ostendere conatus est, opus illud Græce primum ab auctore suo scriptum, recentioribus deinde sæculis, post renovatum in Italia litterarum studium, ab ignoto quodam homine in Latinam linguam versum fuisse. Huic sententiæ refragatus est idem *Cajet. Cionius* duabus epistolis, in *Antolog. di Firenze n.* 78. *Giugno* 1827., et ibidem *n.* 93. *Settembre* 1828. editis. Cum itaque ea, quæ de hac controversia, utrum scilicet quæ extat *Pelagonii Veterinaria* Latina civitate donanda sit, nec ne, serius quidem quam opus fuerat, adversa valetudine impeditus attente perlegissem, tum demum propter fragmenta quædam *Pelagonii* in vetustissimo Cod. palimpsesto Bobiensi, qui nunc extat in bibliotheca Vindobonensi, reperta et edita, tum quia ipsa indoles elocutionis Latinæ, et quædam etiam voces Latinam probe, minime vero Græcanicam originationem ostentant, in eam sum deductus sententiam, ut *Pelagonii* opus genuinum Latinæ linguæ monumentum esse arbitrarer. Hinc ejusdem operis plurima loca, quæ nova Latina vocabula continebant, quæque alia itidem antea dubiæ auctoritatis confirmare possent, in posteriorem Lexici partem admisi. Quare arbitror, futuro Lexicographo confidenter omnino colligenda esse, interpretanda, et suis quæque locis Lexico Latino inserenda ea etiam vocabula a *Pelagonio* usurpata, et a me in prioribus alphabeti litteris prætermissa.
Extat ejus
1. Veterinaria.

PENUS M. JUNIUS (142).

PERS. (A. Persius Flaccus) Volaterranus, natus ann. a Chr. n. 34., defunctus ann. 62. *V.* PERSIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Satyræ VI. (*hexametris versibus exaratæ, ut aliorum quoque poetarum satyricorum, quibus præmittitur prologus versibus XIV. Hipponacteis seu scazontibus constans*).

PERVIGIL. VEN. (Pervigilium Veneris) vetus poema, de quo *V.* PERVIGILIUM in ONOM.

PETRON. (T. Petronius Arbiter) vixit, scripsitque sub Claudio et Nerone, quod, præter *Cat. Jannellium in Dissert. III.* ad *Perottin. Cod.*, novis argumentis probat *Jo. Casp. Orellius* in *Collect. Inscript. Latin. n.* 1175. *V.* PETRONIUS in ONOM. In citandis hujus scriptoris locis utimur editione *P. Burmanni* Amstelodami ann. 1743. T. 2. 4.°
Extat ejus
1. Satyricon,
2. Fragmenta (*quæ in plerisque editionibus* Petronii Satyrico *subjungi solent*).

PHÆDR. (Phæder seu Phædrus) poeta elegantissimus. *V.* PHÆDRUS in ONOM.
Extant ejus
1. Fabularum libri V.

PHILARGYR. (Junius Philargyrius) scholiastes Virgilii, qui haud longe abfuisse videtur a *Servii* ætate.
Extant ejus
1. Scholia in bucolica et georgica Virgilii.

PHOCAS, grammaticus urbis Romæ, *Prisciano* et *Cassiodoro* antiquior.
Extant ejus
1. Ars seu de nomine et verbo (*apud* Putsch. p. 1683.-1687.),
2. De aspiratione (*apud* eumd. p. 1688.-1724.),
3. Epigramma (*in* Anthol. Lat. T. 1. p. 352. Burm).
4. Vita Virgilii (*versibus hexametris CVII. constans, quibus præmittitur prologus seu præfatio ex XXIV. sapphicis hendecasyllabis*: ibid. p. 361.

PISO FRUGI (143).

PLAUT. (M. Accius Plautus) poeta comicus, Sarsinas in Umbria natus ann. U. C. 527., obiit ann. 570. *V.* PLAUTUS in ONOM.
Extant ejus comœdiæ, quarum hi sunt tituli:
1. Amphitruo,
2. Asinaria,
3. Aulularia,
4. Bacchides,
5. Captivi,
6. Casina,
7. Cistellaria,
8. Curculio,
9. Epidicus,
10. Menæchmi,
11. Mercator,
12. Miles gloriosus,

(140) His addendi sunt libri XIX., quibus *Paulus Diaconus* in compendium redegit opus *Sexti Pompei Festi*, cui titulus *De verborum significatione*. *Forcellinus* veteres editiones secutus hæc omnia tribuit *Festo*; nos vero sua cuique, *Festo* scilicet et *Paulo*, tribuimus omnium optimam editionem secuti, quam curavit *Carolus Odofredus Müller*, Lipsiæ a. 1839. Aliquando et *Lindemanni* editionem consuluimus, quam continet Corpus Grammaticorum, de quo V. notam n. 68.

(141) L. Æmilius Paulus, Africani pater, cos. a. U. C. 571. et 585., et censor a. 589., teste Cic. *Brut.* 20. 80., personam principis civis facile dicendo tuebatur. Paucula hujus oratoris fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (V. notam n. 3.) p. 161.-162.

(142) M. Junius Pennus, de quo agit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (V. notam n. 10) p. 211.-216., potius quam inter oratores, referendus est inter historicos. De ipso disserit ejusque fragmenta exhibet *Aug. Krause* in op. super. cit. (V. notam n. 3.) p. 221. et seqq.

(143) L. Calpurnius L. F. C. N. Piso Frugi, tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio coss. tulit a. U. C. 605., administravit singulari fide rem monetariam, tenuit præturam, deinde consulatum cum P. Mucio Scævola a. 621.; censor fuit cum Q. Cæcilio Metello Balearico; homo antiquæ severitatis, summaque vitæ integritate atque innocentia, unde et cognomen Frugi retulit; causas egit, et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit, atque et orationes reliquit (quæ jam evanuerunt: V. *Henr. Meyer.* in op. super. cit. in nota n. 10. p. 115.) et annales sane exiliter scriptos, teste Cic. *Brut.* 27. Horum fragmenta collegit atque illustravit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 139.-142., atque ibidem de hoc atque aliis Pisonibus disserit.

13. Mostellaria,
14. Persa,
15. Pœnulus,
16. Pseudolus,
17. Rudens,
18. Stichus,
19. Trinummus,
20. Truculentus.

Fragmenta deperditarum, quarum hi:

1. Ἄχαρι studium (144),
2. Agroicus,
3. Additus,
4. Artamon,
5. Astraba seu Clitellaria,
6. Baccharia,
7. Bis compressa seu Bœotia,
8. Calceolus,
9. Carbonaria,
10. Cæcus seu Prædones,
11. Colax,
12. Condalium,
13. Commorientes,
14. Cornicularia,
15. Dyscolus,
16. Feneratrix,
17. Fretum,
18. Frivolaria,
19. Fugitivi,
20. Gastron,
21. Hortulus,
22. Lenones sive Gemini,
23. Medicus,
24. Nervolaria,
25. Parasitus piger sive Lipargus,
26. Phagon,
27. Plocion,
28. Scytha liturgus (145),
29. Syrus,
30. Trigemini,
31. Vidularia.

Item alia fragmenta inedita tum earum, quæ extant, tum deperditarum edidit *A. Majus* ex Cod. palimpsesto bibliothecæ Ambros. Mediolani ann. 1815. 8.°; quæ novis curis illustrata iterum vulgavit *Frid. Osannus* Berolini ann. 1816. 8.° in *Analect. crit. p.* 205.-228. Horum fragmentorum aliquot in Lexico citantur.

PLIN. (C. Plinius Secundus) Comensis, natus ann. a Chr. n. 23. obiit ann. 79. *V.* PLINIUS in ONOM. In ejus locis citandis utimur editione *Jo. Harduini* Parisiis ann. 1723. T. 3. fol. (146).

Extant ejus

1. Historiæ naturalis libri XXXVII. (*quorum primus continet præfationem ad T. Vespasianum Cæsarem, et elenchon librorum sequentium*).

PLIN. (C. Plinius Cæcilius Secundus) Comi natus ann. a Chr. 62. obiit fortasse ann. 110. *V.* PLINIUS in ONOM. In ejus locis citandis utimur plerumque editione *Cortii* et *Longolii* Amstel. ann. 1734. 4.°

Extant ejus

1. Epistolarum libri X.,
2. Panegyricus Trajano Aug. dictus (147).

PLIN. VALERIAN. (148).

POLEM. (Polemius Silvius) episcopus Octodurensis, vixit sæculo Christi quinto (149).

Extat ejus

1. Kalendarium seu Laterculus (*qui singulis mensibus Christianorum et Gentilium dies festos commemorat. Hujus aliqua habita fuit in Lexico ratio*).

POLLIO. *V.* ASIN.

POMPEJUS grammaticus incertæ ætatis. Illius opera primus edidit *Frid. Lindemannus* Lipsiæ ann. 1820. 8.°, qua editione utimur in citandis in Lexico nonnullis novis vocabulis, ut in INCONSONANS.

Extant ejus

1. Commentum artis Donati,
2. Commentariolum in librum ejusdem de barbarismis et metaplasmis.

POMPEJUS (A. Pompejus Bithynicus) prætor Siciliæ, cum Cæsar in senatu trucidatus est Idib. Mart. ann. U. C. 710.

Extat ejus

1. Epistola ad *Cic.* 6. *Fam.* 16.

POMPEJUS (Cn. Pompejus Magnus) celeberrimus belli dux, post pugnam Pharsalicam a C. Julio Cæsare devictam in Ægyptum ad Ptolemæum regem confugiens, ejusdem jussu est interfectus ann. U. C. 704.

Extant ejus

1. Epistolæ VII. (*inter Epist.* Cic. 8. Att. 6. *una, binæ* ibid. 11., *quatuor* ibid. 12.) (150).

POMPEJUS Q. NEPOS (151).

POMPONIUS (L. Pomponius) Bononiensis, comœdiarum Atellanarum scriptor, natus ann. U. C. 664. *V.* POMPONIUS in ONOM.

Extant ejus comœdiarum fragmenta, quarum hi sunt tituli:

1. Adelphi,
2. Æditumus,
3. Agamemnon suppositus,
4. Alcones,
5. Annulus posterior,
6. Asina seu Asinaria,
7. Atreus,
8. Auctoratus,
9. Augur,
10. Bucco adoptatus,
11. Calendæ Martiæ,
12. Campani,
13. Capella,
14. Citharista,
15. Collegium,
16. Concha,
17. Conditiones,
18. Cretula seu Petitor,
19. Decuma fullonis,
20. Dives,
21. Dotata,
22. Ergastulum,
23. Fullo,
24. Haruspex seu Præco rusticus,
25. Heres petitor,
26. Hirnea Pappi,
27. Lar familiaris,
28. Leno,
29. Macci gemini,
30. Maccus,
31. Maccus miles,
32. Maccus sequester,
33. Mævia,
 Marsupium *V.* Vacca,
34. Medicus,
35. Munda,
36. Nuptiæ,
37. Pannuceati,
38. Pappus agricola,
39. Pappus præteritus,
40. Patruus,
 Petitor. *V.* Cretula,
41. Philosophia,
42. Pictores,
43. Piscatores,
44. Pistor,
45. Placenta,
46. Porcus,
 Præco rusticus. *V.* Haruspex,
47. Præco posterior,
48. Præfectus morum,
49. Prostibulum,
50. Pytho Gorgonius,
51. Quinquatria,
52. Rusticus,
53. Sarcularia,
54. Sponsa Pappi,
55. Togati,
56. Vacca seu Marsupium,
57. Verniones,
58. Verres ægrotus.

POMPONIUS (Sex. Pomponius) JCtus. *V.* POMPONIUS in ONOM.

Extant ejus in Digestis fragmenta ex

1. libris II. enchiridii,
2. —— XX. epistolarum,
3. —— V. fideicommissorum,
4. —— IL. lectionum ad Q. Mucium,
5. —— VII. ad Plautium,
6. libro regularum,
7. libris XXXVI. ad Sabinum,
8. —— V. senatus consultorum,
9. —— XLI. variarum lectionum,
10. —— V. digestorum,
11. —— LXXIX. ad edictum,
12. —— VIII. de stipulationibus.

PORCIUS (M. Porcius Latro) declamator, obiit ann. U. C. 750.

Extant ejus

1. Declamatio in L. Sergium Catilinam,
2. ———— M. Tullium Ciceronem (*quæ falso a quibusdam Sallustio tribuitur*),
3. ———— C. Sallustium Crispum (*quæ itidem falso a nonnullis Ciceroni adjudicatur*).

PORPHYRIO (Pomponius Porphyrio) scholiastes Horatii, incertæ admodum ætatis (152).

Extant ejus

1. Scholia in Horatium.

PORPHYR. OPTAT. *V.* OPTATIAN.

POSTUMIUS (A. Postumius Albinus) historicus, qui consul fuit ann. U. C. 603. (153).

Extant ejus, apud *Gell.* 11. 8., *Macrob.* 2. *Saturn.* 16., et *Servium ad Virg.* 9. *Æn.* 710., fragmenta

1. Historiarum libri I.
2. De adventu Æneæ libri.

PRIAPEJ. (Priapeja) seu diversorum poetarum veterum in Priapum lusus. Hujusmodi vocatur collectio epigrammatum LXXXVII., quæ, ut censent plerique eruditi, *Catullo, Tibullo, Ovidio, Martiali, Petronio* aliisque etiam poetis sequioris ætatis tribuenda sunt. In citandis locis utimur editione *P. Burmanni*, qui ea epigrammata edidit et illustravit in *Anthol. Lat. T.* 2. Amstelod. ann. 1773. 4.° p. 478.-573.

PRISCIAN. (Priscianus) patria Romanus a plerisque habetur, sed quia Cæsareæ Palæstinæ litteris est institutus, et diutissime versatus est, Cæsareensis dicitur. Ceterum Justiniani I. Aug., qui ab ann. a Chr. n. 527. ad ann. 565. imperavit, temporibus vixisse, testis est *Cassiodorius*, qui in inscriptione *Orthogr. c.* 12. illum suo tempore Constantinopoli grammaticæ doctorem fuisse affirmat. Docuit enim ibidem in aula imperatoris publico stipendio conductus. *V.* PRISCIANUS in ONOM.

Extant ejus

1. Commentariorum grammaticorum libri XVIII.,
2. De XII. versibus Æneidis principalibus liber,
3. — accentibus,
4. — figuris numerorum, et de nummis, vel ponderibus,
5. — metris comicis, seu Terentii, aliorumque comicorum,
6. — præexercitamentis rhetoricæ ex Hermogene,
7. — declinatione nominum. (*Hæc opera grammaticalia edita sunt a Putschio inter* Grammaticos veteres *sæpius citatos, cujus editionem sequimur*),

(144) Vel *Acharistio*, ut habet *Non. p.* 151. *Merc.*

(145) Corrige *Sitellitergus.*

(146) Nos vero secuti sumus omnium optimam *Plinii* editionem, quam curavit *Julius Sillig* Gothæ 1833., ex eaque non modo librorum, capitum et sectionum, verum etiam paragraphorum numeros lectorum commoditati citavimus. In ea accedunt etiam plurium librorum fragmenta e palimpsesto Veronensi nuperrime in lucem prolata.

(147) Causas quoque plures egit, ut probavit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (V. notam n. 10.) p. 104.-211.

(148) Plinius Valerianus, medicus empiricus, scripsit libros quinque de re medica, quos quidam olim Plinio Secundo perperam tribuerunt. Floruisse eum ante Constantini Magni tempora sunt qui putant; sed *Jo. Hadr. Saxius* rectius censet, ignotum hujus operis auctorem multo posterius eam doctrinarum medicarum farraginem a *Plinio* majore et a pluribus infimæ ætatis scriptoribus consarcinasse. *Forcellinus* usus fuisse videtur editione Aldina a. 1547. Ceterum V. *Justum Gothofr. Günz de auctore operis de re medica vulgo* Plinio Valeriano *adscripti*, Lipsiæ 1836., et *Rezzonico Disq. Plin. T.* 1. *p.* 93.

(149) Hoc est a. 448. V. *Morcell. Kalendar. Constantin. p.* 3. *not.* 3.

(150) De Cn. Pompeji Magni oratoriis fragmentis agit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (V. notam n. 10.) p. 303.-306.

(151) Q. Pompejus Nepos, consul a. U. 613., non contemptus orator fuit temporibus suis, qui summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione majorum est adeptus. Ejus fragmentum extat apud *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (V. notam n. 10.) p. 210.

(152) *Scholia Horatiana quæ feruntur Acronis et Porphyrionis post Georgium Fabricium nunc primum emendatiora edidit Franciscus Pauly Phil. Doct. Gymnasii Acad. Pragensis Professor.* Pragæ a. 1858.

(153) De A. Postumio Albino pluribus disserit, ejusque fragmenta collegit atque illustravit *Aug. Krause* in op. super. cit. (V. notam n. 8.) p. 127.-130.

8. Periegesis ex Dionysio,
9. De ponderibus et mensuris (quod opus alii *Rhemn. Palæmoni* tribuunt),
10. Phænomena sive de sideribus. (*Hæc tria carmina hexametris versibus exarata omnium accuratissime edidit* Jo. Chr. Wernsdorfius *in* Poet. Lat. min. T. 5. P. 1. p. 202.-523. *Ceterum carmen* de ponderibus et mensuris *plerique* Q. Rhemnio Fannio Palæmoni, ut diximus, *tribuunt, quos contra disputat idem* Wernsdorfius ibid. p. 235.-238.).

PRISCIAN. THEOD. (Priscianus Theodorus), qui perperam *Q. Octavius Horatianus* a quibusdam est appellatus, et hoc nomine aliquoties in Lexico citatus, medicus archiater, floruit sub Gratiano et Valentiniano II., quorum ille ann. a Chr. n. 367., hic ann. 375. imperare cœpit. In locis citandis ex libris *de medicina* utimur editione Aldina Venetiis ann. 1547. fol.; in libro vero *de diæta*, qua usus fuerit *Forcellinus* editione, prorsus ignoro. *V.* PRISCIANUS in ONOM.
Extant ejus
1. De medicina libri IV.,
2. — diæta seu de rebus salubribus liber.

PROBUS ÆMIL. *V.* ÆMILIUS PROBUS.

PROBUS (M. Valerius Probus) grammaticus. Plures fuerunt hoc nomine grammatici, quorum mentio est apud *Suelon. Gramm.* 24., *Gell.* 1. 15. et alibi, et *Macrob.* 5. *Saturn.* 22., quique variis temporibus vixerunt (154); unus ex his fuit ille, cujus
Extant, apud *Putsch. p.* 1383.-1543.,
1. Grammaticarum institutionum libri II.,
2. De notis Romanorum interpretandis libellus. (*Hæc duo opera edita sunt a* Putsch. p. cit.),
3. Commentaria in Virgilii Bucolica et Georgica. (*Hæc autem in pluribus Virgilii editionibus leguntur*).

PROCULUS JCTUS. Alii putant, fuisse illum *Licinium Proculum*, qui præfectus prætorio fuit sub Othone Aug., alii *Sempronium Proculum*, qui posteriore tempore vixit. Illud certissimum est, tantæ illum fuisse auctoritatis, ut Labeonis primum assectæ, deinde Proculi ab eodem Proculejanorum nomen sibi adsciverint, *V.* PROCULUS in ONOM.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Libris XI. epistolarum,
2. —— III. ex posterioribus Labeonis,
3. Notis apud Labeonem.

PROPERT. (Sex. Aurelius Propertius) satis probabiliter natus fuisse videtur ann. U. C. 702. Mevaniæ, seu, secundum alios, Hispelli in Umbria, Italiæ regione, obiisse autem creditur ann. 743. *V.* PROPERTIUS in ONOM. In citandis hujus poetæ locis utimur editione, qua usus est etiam *Forcellinus*, nempe Amstelodamensi ann. 1727. 4.° a *Jan. Broukhusio* curata, quam secuti sunt *Burmannus* et Bipontini editores. In hac porro ordo elegiarum alius omnino est ab eo, quem secuti sunt *Barthius*, et *Chr. Theoph. Kuinoelus* in sua editione Lipsiensi ann. 1805. T. 2. 8.°, cujus tamen lectiones et interpretationes nonnumquam sequimur, quoties scilicet rectius, quam alii editores et interpretes, textum constituisse et explicasse nobis visus est.
Extant ejus
1. Elegiarum libri IV.

PROSPER AQUIT. (Prosper Tiro) Aquitanicus, floruit circa ann. a Chr. n. 440., et ann. 463. obiisse videtur.
Extant ejus
1. Epigrammata CVI. ex sententiis D. Augustini,
2. ———— II. in obtrectatorem ejusdem,
3. Carmen de ingratis contra Pelagianos,
4. ——— ad uxorem,
5. Epitaphium Nestorianæ et Pelagianæ hæreseos. (*In citandis aliquot hujus scriptoris locis sequimur editionem* Pasqu. Amatii, *qui ea poemata vulgavit in sua* Collectione Pisaur. omn. Poet. Latin. T. 5. p. 363.-388.).

PRUDENT. (M. Aurelius Clemens Prudentius) qui Calagurritanus fuisse videtur, natus est ann. a Chr. n. 348.; quo vero anno et ubinam obierit, incertum. *V.* PRUDENTIUS in ONOM. In ejus locis citandis utimur omnium optima editione *Faustini Arevalo* Romæ ann. 1788. 1789. T. 2. 4.°
Extant ejus
1. Cathemerinon liber XII. hymnis constans,
2. Apotheosis,
3. Hamartigenia,
4. Psychomachia,
5. Diptychon libri II.,
6. Adversus Symmachum libri II.,
7. De coronis seu περὶ στεφάνων, hymni XIV.
   1. in honorem Ss. Hermetis et Celedonii,
   2. ———— S. Laurentii,
   3. ———— S. Eulaliæ,
   4. ———— XVIII. martyrum Cæsaraugustanorum,
   5. ———— S. Vincentii,
   6. ———— Ss. Fructuosi, Augurii et Eulogii,
   7. ———— S. Quirini,
   8. de loco, in quo martyres passi sunt, nunc baptisterium est,
   9. passio S. Cassiani,
   10. —— S. Romani,
   11. —— S. Hyppoliti,
   12. passio Ss. apostolorum Petri et Pauli,
   13. —— S. Cypriani,
   14. —— S. Agnetis.
   Epilogus.

PSEUDO-ASCON. *V.* ASCONIUS.

PSEUDO-PINDARUS. Hoc nomine videtur appellandus auctor carminis, quod in editionibus modo *Homerus de bello Trojano*, modo *Homeri opus per Pindarum Thebanum*, modo *Epitome Iliados Homeri Pindaro Thebano auctore* dicitur. Constat millibus septuaginta quinque versibus hexametris, non inelegantibus, et in quibus quædam sunt nova vocabula futuro Lexicographo colligenda atque interpretanda. Illius auctor ignotus quidem est, sed *Wernsdorfius*, qui illud edidit et illustravit in *Poet. Lat. min. T.* 4. p. 617.-752., haud improbabili conjectura putat, tribuendum esse *Rufo Festo Avieno*, qui aliis jam editis operibus inclaruit: ipse tamen editor huic carmini titulum fecit: *Incerti auctoris Epitome Iliados Homeri*; cujus operis auctor non Iliados quidem Græcæ textum, quod contraheret, respexit; sed antiquiorem ejus versionem Latinam, neque eam sinceram, neque Homericis ubique respondentem, sed interpolatam sententiis et fabulis aliorum poetarum, et præcipue ad Virgilii imitationem accommodatis, ante oculos habuisse putandus est.

P. SYR. Publius mimographus, Syrus natione. *V.* PUBLIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Mimi seu sententiæ. (*In hujus auctoris locis citandis utimur omnium optima editione Lipsiæ ann.* 1822. 8.° *a* Jo. Conr. Orellio *curata, qui ibidem ann.* 1824. 8.° *edidit* Supplementum editionis Lipsiensis novissimæ sententiarum Publii Syri et D. Laberii.).

Q

QUADRIGAR. *V.* CLAUD. QUADRIGAR.

QUINTIL. (M. Fabius Quintilianus) rhetor clarissimus, qui primus Romæ publice docuit (155): consul fuit suffectus sub Domitiano, natus ann. a Chr. n. 42., vixit ad multam ætatem, mortuus enim est post ann. a Chr. n. 118. *V.* QUINTILIANUS in ONOM. In locis citandis usus est *Forcellinus* editione *P. Burmanni* Lugd. Bat. ann. 1720. T. 4. 4.°, nos vero in multis editionem consuluimus *G. Lud. Spaldingii* Lips. ann. 1798.-1816. T. 4. 8.°
Extant ejus
1. De institutione oratoria libri XII. (156),
2. Declamationes majores XIX.,
3. Excerpta ex declamationibus XV.,
4. Declamationes minores CXLV. (*De declamationibus majoribus earumdemque excerptis, atque item de minoribus V.* QUINTILIANUS *in* ONOM. *In his citandis habita est ratio declamation.* CCCLXXXVIII., *quarum tamen priores* CCXLIII. *periere.*).
5. Declamatio pro tribuno Mariano contra militem. (*Hæc declamatio, ex qua aliquot loca citat in* Lexico Forcellinus, *merito spuria illi videtur, aliisque item criticis, et a rhetore quopiam infimæ Latinitatis tempore conscripta.*).

R

RABIR. (C. Rabirius) poeta epicus, cujus meminere *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 5., *Vellej.* 2. 36., *Quintil.* 10. 1. § 90. et *Fulgent. de prisc. serm. n.* 58. Illius poema de bello Actiaco Octaviani adversus Antonium videtur laudare *Senec.* 6. *Benef.* 3., cujus etiam hemistichium affert. Ad eumdem vero pertinere putant plerique recentiores eruditi fragmentum LXII. hexametris constans, in *Papyris Herculanensibus T.* 2. editum Neapoli primum ann. 1809. et a *Nic. Ciampittio* suppletum et illustratum; tum iterum editum novisque conjecturis integritati suæ restitutum a *Jo. Theoph. Kreyssigio* Schneebergæ ann. 1814. 4.° Quamvis nullum ex hoc fragmento novum vocabulum Lexico addere liceat, ultimus tamen ejus versus propter sententiæ gravitatem et dictionis elegantiam mihi videtur hic adducendus:

Consiliis nox apta ducum, lux aptior armis (157).

REPOSIAN. (Reposianus) poeta non optimæ quidem, sed sequioris et ignotæ ætatis, cujus exstat *Epithalamium* inscriptum *Concubitus Martis et Veneris* CLXXXII. hexametris constans, ac sententiis amœnioribus et poetico colore pulcre satis exornatum. Ejus loca aliquot in Lexico adduximus ex editione *Jo. Christ. Wernsdorfii*, qui in *Poet. Lat. min. T.* 4. p. 319.-345. illud ann. 1785. Altemburgi edidit atque illustravit.

RHEMN. PALÆM. (Q. Remnius Palæmon, Vicetinus, grammaticus). *V.* PALÆMON in ONOM. Ejus vitam habes apud *Sueton. Gramm.* 23., atque eidem tribuuntur opera, de quibus mox.
Extant ejus
1. Ars grammatica. (*apud* Putsch. p. 1365.-1386.).
2. Carmen de ponderibus et mensuris. (*quod plerique rectius* Prisciano *adscribendum putant* (158).

RUFINIAN. *V.* AQUILA, et notam n. 25.

RUFIN. (Licinius Rufinus) JCtus, qui *Paulo* et *Ulpiano* coævus fuit.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XII. regularum.

(154) *Lobus ad Morcelli, Sullo scrivere degli ant. Romani p.* 11. putat, hunc Probum Neronis temporibus vixisse. Ceterum *Probi* opus sub nomine *Grammatici Vaticani* editum est ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 153.-358., deque ipso agitur *ibid. p.* XXXIV.-XLI. *V.* et opus *Probi De nominibus impositivis* in *Auct. Lat. Ling.* ed. *Gothofrid. p.* 1398.

(155) Causas etiam tractavit, ut habetur apud *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 40.) p. 346.

(156) Superrime ex *Spaldingiana* editione librorum et capitum numeris paragraphorum quoque numeros lectorum commoditati addidimus.

(157) Cf. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Galliæ civitates nocturna in locis desertis concilia habebant. — Ceterum de *Rabirio* V. *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 3. *p.* XIX. et seq., et *Epicuri fragm.* a *Jo. Casp. Orell.* edita a. 1818.

(158) Vide hujus carminis editionem ab *Aloys. Angeloni* curatam Paris. 1814., et consule *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 1. *p.* 410. edit. Paris.

(159) Rutilius Rufus, Sp. F., Sisennæ æqualis, patre prætorio, quæstor fuit a. 633., tribunus plebis cum C. Flavio Fimbria a. 639, prætor a. 643, consul cum C. Mallio Maximo a. 649. Notus est autem vitæ probitate et calamitate animique constantia et magnitudine, quam præ ceteris prædicat *Seneca*. Scripsit plures libros de vita sua et historias, quorum operum fragmenta, præmissa dissertatione, collegit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3) p. 277.-281. Teste *Cic. Brut.* 30. 114. scripsit etiam orationes, at jejunas, quarum fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10) p. 143.-146.; quarumque superstites tituli sunt:
1. Oratio de modo ædificiorum,
2. Oratio pro L. Cæsucio ad populum,
3. Actiones contra M. Æmilium Scaurum,
4. Pro se contra publicanos.

(160) C. *Barpt. Borghesi Dec.* num. 9. oss. 10. p. 44. pro a. 719. habet a. 718.

(161) M. Æmilius Scaurus, quæstor a. 627., ædilis a. 634., prætor a. 636., consul a. 639. cum M. Cæcilio Q. f. Metello iterumque consul suffectus L. Cassio Longino a. 647., Galliam provinciam rexit, domuit Ligures et Santiscos de iisque triumphavit. A *Cic. Muren.* 17. dicitur homo gravissimus, civis egregius, fortissimusque senator. Scripsit, quod sciamus, primus omnium de vita sua tres libros, eosque misit ad L. Fufidium veteris frugalitatis hominem: horum fragmenta, præmissa dissertatione, collegit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 133.-183. Scripsit et orationes, quarum fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) p. 140.-143., quarumque superstites tituli sunt:
1. Actiones contra Q. Cæpionem,
2. De pecuniis repetundis contra M. Brutum,
3. Pro se contra Q. Varium trib. pl.

(162) P. Cornelius Scipio Africanus minor, Lælii Sapientis familiaris, orationes reliquit, quarum fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) p. 110.-146.; et quarum hi sunt tituli:
1. Orationes contra Ti. Claudium Asellum,
2. Oratio ad populum de moribus,
3. —— adversus Sulpicium Gallum,
4. —— de imperio D. Bruti,
5. —— postquam ex Asia rediit,
6. Oratio pro æde Castoris,
7. —— contra legem (*agrariam* C.) Gracchi,
8. Dissuasio legis Papiriæ,
9. Oratio in L. Cottam.

SCRIBONIUS CURIO (163).

SCRIBON. (Scribonius Largus Designatianus) medicus, sub Tiberio et Claudio, stilo tamen horrido scripsit. In citandis ejus locis utitur *Forcellinus* editione *Jo. Rhodii* Patavinæ ann. 1655. 4.° *V.* SCRIBONIUS in ONOM.

Extant ejus

1. De compositione medicamentorum libellus,
2. Fragmenta de simplicibus.

SEDUL. (Cœlius Sedulius) poeta Christianus, presbyter, et ex sententia quorumdam eruditorum episcopus in Achaia, ubi carmina sua scripsit inter ann. a Chr. n. 424. ad 450., atque ubi paullo post obiit. *V.* SEDULIUS in ONOM. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Christoph. Cellarii* Halæ Magdeburg. ann. 1704. 8.°, nos in quibusdam omnium optima *Faustini Arevali* Romæ ann. 1794. 4.°

Extant ejus

1. Carmen Paschale, seu mirabilium divinorum libri V.,
2. Elegia. (*Hæc in quibusdam editionib. vocatur hymnus* I., *qui ex reciproco carmine constat.*).
3. Hymnus. (*Abecedario carmine iambico dimetro conscriptus. V.* XEROMYRRHA in Lexico.).
4. Epigramma.

SEMPRON. ASELLIO (P. Sempronius Asellio) historicus, tribunus militum fuit in bello Numantino, quod ab ann. V. C. 614. ad ann. 621. gestum est. Historiam rerum, quibus ipse interfuit, conscripsit, teste *Gell.* 2. 13. In Lexico quandoque *Asellio* tantum nuncupatur.

Extant ejus fragmenta

1. librorum XIV. historiarum. (164).

SEMPRON. TUDITANUS (165).

SCTUM DE BACCHAN. (Senatusconsultum de baccanalibus) quo ann. U. C. 568., ante Chr. n. 186. sancitum est, ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia essent: compertum enim fuerat, in iisdem stupra promiscua ingenuorum feminarumque esse, falsos etiam testes, falsa signa, venena iisdem, intestinasque cædes, quorum multa dolo, multa per vim fieri. Hæc fuse persequitur *Liv.* 39. 8.-18. Hujusmodi monumentum ære insculptum exstat nunc Vindobonæ, editum vero est a *Fabrett. Inscript.* p. 427., accuratius a *Matth. Ægiptio* Neapoli ann. 1729., ex quo plura vocabula *Forcellinus*, quædam alia nos ipsi Lexico adjecimus.

SENEC. (M. Annæus Seneca) rhetor celebris, ordinis equestris, pater L. Annæi Senecæ philosophi, Cordubæ in Hispania Bætica natus ann. 58. ante Chr. n., obiit ann. circiter 32. a Chr. n. *V.* SENECA in ONOM. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Lipsii* et *Gronovii* Amstelodami ann. 1672. 8. T. 2., in quibusdam nos sequimur editionem Bipontinam ann. 1783. 8.°

Extant ejus

1. Suasoriæ VIII. (*quæ a quibusdam suasoria septima dicitur, ab aliis* historicorum de Cicerone elogia *inscribitur*, *hisque suasoria octava est septima.*),
2. Controversiarum libri V. (*Ex decem controversiarum libris supersunt* primus, secundus, septimus, nonus *et* decimus, *ne hi quidem integri, sed mutili passim corruptique; tres tamen postremi nunc vulgo appellantur* tertius, quartus, *et* quintus, *atque ita citantur in Lexico.*),
3. Excerpta ex controversiarum libris X.,
4. Fragmentum ex controversiis deperditis apud Quintil. 9. 2. § 42.

SENEC. (L. Annæus Seneca) philosophus, superioris filius, natus Cordubæ ann. a Chr. n. 3., obiit ann. 65. *V.* SENECA in ONOM. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Lipsii* et *Gronovii* Amstelodami ann. 1672. 8.° T. 3., nos aliquando sequimur editionem Lipsiensem *Frid. Ern. Ruhkopfii* ann. 1807.-1811. T. 5. 8.°

Extant ejus

1. Consolatio ad Helviam,
2. ——— Marciam,
3. ——— Polybium,
4. De beneficiis libri VII.,
5. De brevitate vitæ,
6. — clementia libri II.,
7. — constantia sapientis,
8. — ira libri III.,
9. — otio seu secessu sapientis,
10. — providentia,
11. — tranquillitate animi,
12. — vita beata,
13. Apocolocynthosis seu de morte Claudii Cæsaris,
14. Epigrammata IX.,
15. Epistolæ CXXIV.,
16. Quæstionum naturalium libri VII.,
17. Excerpta e libris Senecæ,
18. Fragmenta. (*Præter jam edita ab aliis*, B. G. Niebuhrius *e Cod. palimpsesto Vaticano edidit Romæ ann.* 1820. 8.°, *una cum* Ciceronis *et* Livii, *etiam* L. Senecæ *novum fragmentum*: A. vero Maius ad Frontonis *opera Romæ ann.* 1823. 8.° *edita* p. 331. *subdubitare videtur, num hoc fragmentum, cujus in Codice titulus est:* Annæi Senecæ quemadmodum amicitia continenda sit, *L. Annæo philosopho, an M. Annæo rhetori tribuendum sit* (166).

SENEC. (L. Annæus Seneca) poeta tragicus, de quo *V.* SENECA in ONOM. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Jo. Casp. Schrœderi* Delphis ann. 1728. T. 2. 4.°, in quibusdam nos *Torkilli Badeni* Lipsiæ ann. 1821. T. 2. 8.°

Extant ejus tragœdiæ X., quarum hi sunt tituli:

1. Agamemnon,
2. Hercules furens,
3. ——— Œtæus,
4. Hippolytus,
5. Medea,
6. Octavia,
7. Œdipus,
8. Phœnissæ sive Thebais,
9. Thyestes,
10. Troades.

SENT. AUGURIN. (Sentius Augurinus) poeta, laudatus a *Plin.* 4. *Ep.* 27. et 9. *Ep.* 8., cujusque poemation priore *loc. cit.* profert minime quidem dignum iis laudibus, quibus illud ibidem extulit.

SEREN. (A. Septimius Serenus) Afer natione, sed admodum puer in Italiam adductus, ibique educatus foro et eloquentiæ operam dedit, sed præcipue rura coluit, et lyrica poesi delectatus est: vixit sub Flaviis Romæ imperantibus: multa scripsit Falisco carmine. Eidem vero tribuit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 254.-260. duo poematia, quæ *Moretum* et *Copa* appellantur, quæque plerique *Virgilio* adjudicant.

Extant ejus fragmenta

1. Opusculorum ruralium. (*Plura hæc fragmenta a veteribus grammaticis* Terentiano, Nonio, Diomede *aliisque nobis servata, et in Lexico sæpe citata sub nomine hujus auctoris, qui modo* Septim., *modo* Septim. Ser., *modo tantummodo* Serenus *appellatur, collegit et adnotationibus illustravit* Wernsdorfius *loc. cit.* p. 279.-292.).

SEREN. SAMMONIC. (Serenus Sammonicus) medicus. *V.* SERENUS, *4*, in ONOM. In locis citandis utitur *Forcellinus* editione *P. Burmanni* inter *Poet. Lat. min.* Leidæ ann. 1731. et *Jo. Bapt. Morgagni* Patavii ann. 1750. 8.° una cum *A. Cornelio Celso* (167).

Extant ejus

1. De medicina liber. (*In citandis hujus libri locis et capitum, quæ sunt* LXVI., *et versuum his capitibus comprehensorum, qui sunt* MCXVI., *ratio habetur.*).
2. Fragmenta 1. ex libro V. rerum reconditarum. (*Hos libros citat* Macrob. 5. Saturn. 9., *ibique duo affert evocationis carmina a quodam Furio excerpta.*).
   2. ex ejus epistola. (apud eumd. 2. ibid. 12.).
   3. de lege Fannia. (apud eumd. 2. ibid. 13.).

SERG. (Marius Sergius) grammaticus, incertæ ætatis, sed *Servio* posterior.

Extant ejus

1. In primam Donati editionem commentarius,
2. — secundam ejusdem etc. (apud Putsch. p. 1825.-1856.).

SERVILIUS CŒPIO (168).

SERV. (Maurus Servius Honoratus) grammaticus et scholiastes *Virgilii* celeberrimus, vixit exeunte sæculo Christi quarto sub Valentiniano II. Aug., qui imperavit ab ann. 375. ad 391. Ejus opera a posterioribus grammaticis interpolata sunt; maximi tamen habenda, quippe quæ mythologiam, historiam et antiquam eruditionem summopere illustrant. *V.* SERVIUS in ONOM. In citandis ejus locis *Forcellinus* utitur editione *Pancr. Masvicii* in *Virgilio* ann. 1717. Leovardiæ T. 2. 4.° edito, nos sæpe consuluimus editionem *P. Burmanni* junioris Amstel. ann. 1746. T. 4. 4.°, atque etiam *Commentariorum Servianorum* editionem Gottingensem ann. 1826. T. 2. 8.° ab *A. Alberto Lion* curatam.

Extant ejus

1. Commentarius in Virgilii Bucolica, Georgica et Æneidem,
2. In secundam Donati editionem interpretatio,
3. De ratione ultimarum syllabarum liber,
4. Ars de centum metris seu centimetrum (*Hæc tria postrema opera edidit* Putsch. p. 1799.-1816.),
5. Ars grammatica. (*Hæc primum edita est ex Cod. MS. Berolinensi a* Frider. Lindemannio *Lipsiæ ann.* 1820. 8.° *una cum* Pompeji *grammatici operibus* (169).

SEVERUS CASSIUS (170).

SEVER. (Cornelius Severus) poeta temporis Augustei, cui vulgo adscribitur *carmen de Ætna*, quodque sæpius citatur in Lexico. Verum *Jo. Chr. Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 4. p. 3.-24. multis quidem firmisque argumentis probat, illi abjudicandum, ac potius *Lucilio Juniori* tribuendum esse. Idem tamen *ibid.* p. 25.-27. attribuendum censet *Cornelio Severo* tum *fragmentum de morte Ciceronis*, tum alia quædam, quæ a grammaticis et scholiastis antiquis afferuntur, quæque ipse *ibid.* p. 217.-228. collegit et commentatus est. *V.* SEVERUS in ONOM.

Extant ejus

1. Carmen de Ætna,
2. Fragmenta.

SEVERUS D. (171).

(163) C. Scribonius Curio, consul a. U. 678., mortuus a. 700., inter oratores recensetur a *Cic. Brut.* 58. 210. Ejus fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 250.-255. De alio Scribonio Curione *V.* eumd. *Meyer. p.* 337.-338.

(164) De P. Sempronio Asellione pluribus disserit, ejusque fragmenta collegit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 210.-221.

(165) Cajus Sempronius Tuditanus, qui sæpius confunditur cum Publio Sempronio Asellione, consul fuit cum M. Aquillio a. U. C. 625., rebusque adversus Illyrios Japides gestis triumphum meritus est. Scripsit res Romanas inde ab Urbe condita, deduxitque, nisi fallimur, historiam ad suam ferme ætatem. *V.* plura apud *Aug. Krause*, qui ejus fragmenta collegit in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 178.-181.

(166) His addendus 19. *Liber contra superstitiones*, quem citat ex eoque plura loca affert *Augustin.* 6. *Civ. Dei* 10. Meminit etiam *Tertull. Apolog.* 12. et *Lactant.* 2. 2. Orationes quoque scripsit, quarum fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 552.-553.

(167) In locis citandis utimur editione *Jo. Chr. Gottl. Ackermann.* Lipsiæ 1786.

(168) C. Servilius Cœpio, consul a. U. 647., vir acer et fortis, a *Cic. Brut.* 35. 93. laudatur, quippe qui multam clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevavit. Paucula hujus fragmenta collegit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 245.-246.

(169) His addatur liber *De accentibus*, qui editus primo fuit in *Analect. grammat.* Vindobonæ a. 1837. *p.* 523.-533.

(170) T. Cassius Severus, qui, teste Eusebio in Chron., mortuus a. U. 786., inter oratores multis laudibus recensetur a *Seneca Excerpt. Controv.* 3. *præfat. p.* 392. ed. *Bip.*, aliisque. Ejus fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 563.-567.

(171) Divi Severi imperatoris oratoria, quæ supersunt fragmenta ex *Dig.* 50. 9. 1. et ex *Juris Civilis Antejustinian. Vatic. fragm. p.* 42. ed. *Mai* collegit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 580.-581.

SEVER. SANCT. (Severus Sanctus) Burdigalensis poeta bucolicus, cognatus et affinis *Ausonii* poetæ, ethnicus primum, mox Christianus, scripsit circa ann. a Chr. n. 410: ejus vitam habes apud *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 2. *p.* 53.-60.

Extat ejus
1. Carmen bucolicum seu de mortibus boum. (*Quod a multis ac præcipue editum et illustratum est a* Wernsdorfio *loc. cit.* p. 217.-229. *Ejus mentio est in* ONOM. *in V.* JUNIX.).

SEX. RUF. (Sex. Rufus) historicus, qui ann. a Chr. n. 369. scripsit stilo elatiore, nec satis puro.

Extant ejus
1. Breviarium rerum gestarum populi Romani. (*In ejus locis citandis* Forcellinus *utitur editione* Christ. Cellarii *Halæ Magdeburg. ann.* 1698. 8.°, *nos in quibusdam editione* Guil. Münnichii *Hannoveræ ann.* 1815. 8.°).
2. De regionibus urbis Romæ. (*In hujus vero loc. citandis* Forcellinus *utitur* Grævii *in* T. 3. Antiquit. Rom., *nos aliquoties eamdem, quam supra citavimus, editionem consuluimus.*).

SICUL. FLACC. (Siculus (172) Flaccus) agrimensor, vixit sub Domitiano.

Extant ejus
1. De conditionibus agrorum liber,
2. Nomina agrorum et limitum. (*Inter* Auctores rei agrariæ, Goesii p. 1.-20.).

SIDON. (C. Sollius Apollinaris Modestus Sidonius) Lugdunensis, natus circa ann. a Chr. n. 430., obiit ann. 484. episcopus Claromontanus Arvernorum, nunc *Clermont d'Auvergne. V.* SIDONIUS in ONOM. In citandis ejus locis utimur editione *Jac. Sirmondi* Parisiensi ann. 1614. 4.°

Extant ejus
1. Epistolarum libri IX.,
2. Carmina XXIV.

SIL. (C. Silius Italicus) poeta epicus, natus circa ann. a Chr. n. 25., obiit ann. 100. *V.* SILIUS in ONOM. In ejus locis citandis utitur *Forcellinus* editione *Arn. Drakenborchii* Traject. ad Rhenum ann. 1717. 4.°, item *Christ. Cellarii* Lipsiæ ann. 1695. 8.°, nos vero in multis *G. Alex. Ruperti* Gottingæ ann. 1795. T. 2. 8.°

Extant ejus
1. Punicorum libri XVII.

SIMPLICIUS, incertus auctor, de quo consule *Fabricii Biblioth. Lat.* l. 4. c. 7. n. 4. a *Jo. Aug. Ernesti* auctam. Extat inter *Auctores rei agrariæ*, Goesii *p.* 70.

SISEBUTUS, (Flavius Sisebutus) Visigothorum rex, poeta, regnavit in Hispania ab ann. a Chr. n. 612. ad ann. 621., quo mortuus est *V.* LEGICREPA, ROBIFLUUS et ROTO in Lexico.

Extat ejus
1. Carmen de defectu lunæ. (Hucusque cl. *Furlanetto.* At ratione habita ætatis, qua Sisebutus vixit, nulla ejus habenda est ratio in hoc Lexico. *V.* quæ hac de re disputata sunt in *Præfatione hujus editionis.*

SISENNA (L. Cornelius Sisenna) historicus, paullo antiquior Cicerone, scripsit historiam ab Urbe a Gallis capta ad *Sullæ* bella (173). *V.* SISENNA in ONOM.

Extant ejus fragmenta plura apud *Ciceronem, Gellium, Nonium, Priscianum* aliosque ex
1. Historiarum libris XIV.,
2. Milesiarum libris II.,
3. Commentario in Plautum.

SOLIN. (C. Julius Solinus) geographus. *V.* SOLINUS in ONOM. In locis citandis utitur *Forcellinus* editione *Claud. Salmasii* Parisiensi ann. 1629. fol., cujus capitum sectiones in Lexico indicantur.

Extant ejus
1. Polyhistor *sive* Collectanea rerum memorabilium,
2. Ponticon fragmentum.

SORANUS (Q. Soranus) medicus M. Antonii triumviri.

Extat ejus
1. Isagoge in artem medendi ad Mæcenatem. (*Hæc edita sæpe est sub* Sorani *nomine inter* Medicos veteres: *sed plerique critici eam* Sorano *abjudicant, et* Cælio Aureliano *tribuunt.*).

SPARTIAN. (Ælius Spartianus) historiæ Augustæ scriptor, vixit sub Diocletiano, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 284. ad ann. 305. Vide, quæ diximus supra in LAMPRID.

Extant ejus
1. Vita P. Ælii Hadriani,
2. — L. Ælii Veri,
3. — M. Didii Juliani,
4. — L. Septimii Severi,
5. Vita C. Pescennii Nigri,
6. — M. Aurelii Antonini seu Caracallæ,
7. — L. Septimii Getæ.

STAT. (P. Papinius Statius) (174) poeta epicus et lyricus. *V.* STATIUS in ONOM.

Extant ejus
1. Thebaidos libri XII.,
2. Achilleidos libri II.,
3. Silvarum libri V.

STRABO. *V.* JUL. CÆS. supra. (175).

STRABUS GALLUS, auctor incertæ quidem ætatis, sed tamen post Caroli M. tempora scripsit.

Extat ejus
1. Hortulus. (*Est carmen hexametro versu scriptum, quo herbarum virtutes celebrantur, et inter* Medicos veteres *editum est, ex quo tum* Forcellinus, *tum nos ipsi quædam verba in Lexicon admisimus.*).

SUETON. (C. Suetonius Tranquillus) historicus, rhetor et grammaticus, natus imperante Nerone; quo anno obierit, ignoratur. *V.* SUETONIUS in ONOM. In locis ejus citandis usus est *Forcellinus* editione *Aug. Badeloni* Parisiensi ann. 1684. 4.°, nos autem fere in omnibus sequimur optimam editionem *Dell. Car. Guil. Baumgarten-Crusii* Lipsiæ ann. 1816.-1818. T. 3. 8.°

Extant ejus
1. Vita C. Julii Cæsaris,
2. — Octaviani Augusti,
3. — Tiberii,
4. — Caligulæ,
5. — Claudii,
6. — Neronis,
7. — Galbæ,
8. — Othonis,
9. — Vitellii,
10. — Vespasiani,
11. — Titi,
12. — Domitiani,
13. De illustribus grammaticis liber, *h. e.*
    1. Ennio,
    2. Cratete Mallote,
    3. L. Ælio Præconino Stilone,
    4. Sævio Nicanore,
    5. Aurelio Opilio,
    6. M. Antonio Gniphone,
    7. M. Pompilio Andronico,
    8. Orbilio Pupillo,
    9. Atteio Philologo,
    10. Valerio Catone,
    11. Cornelio Epicado,
    12. Staberio Erote,
    13. Curtio Nicia,
    14. Cn. Pompejo Lenæo,
    15. Q. Cæcilio Epirota,
    16. C. Verrio Flacco,
    17. L. Crassitio Pasicle, qui et Pansa.
    18. Scribonio Aphrodisio,
    19. C. Julio Hygino,
    20. C. Melisso,
    21. M. Pomponio Marcello,
    22. Q. Rhemnio Palæmone,
    23. M. Valerio Probo.
14. De claris rhetoribus liber, *h. e.*
    1. L. Plotio Gallo,
    2. L. Otacilio Pilito,
    3. Epidio,
    4. Sex. Clodio,
    5. C. Albutio Silo.
15. Vita P. Terentii,
16. — Q. Horatii Flacci,
17. — M. Annæi Lucani.
18. — C. Plinii Secundi senioris,
19. — D. Junii Juvenalis,
20. — A. Persii Flacci.
21. Fragmenta ex variis ejus operibus deperditis apud *Auson., Priscian., Gellium* aliosque; inter quos *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 627. citat ejus librum de vitiis corporalibus.

SUEVIUS, vetus poeta, cujus meminere *Nonius* et *Macrobius*, incertæ tamen ætatis. *V.* SUEVIUS in ONOM.

Extat ejus fragmentum idyllii a *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. allatum. Illius vero loca habes in DEGULO, DISSERO, is, evi, et REVENTUS, us, in Lexico. *V.* et MOLLUSCA nux.

SULLA L. CORNELIUS (176).

SULPICIA, Romana, poetria. *V.* SULPICIA in ONOM. In locis ejus citandis sequimur editionem *Wernsdorfii* in *Poet. Lat. min. T.* 3. *p.* 83.-96.

Extant ejus
1. Satyra,
2. Fragmenta.

SULPIC. APOLLINAR. (177).

SULPIC. LUPERC. (Sulpicius Lupercus Servastus) grammaticus et poeta, vixit cadentis Latinitatis tempore. De illius vita disserit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. 142. Duo hujus auctoris loca citantur in Lexico in *V.* JURIDICUS et SIMATUS.

Extant ejus
1. De cupiditate (elegia). (*In* Antholog. Lat. T. 1. p. 513. Burm., *et apud* Wernsdorf. *in* Poet. Lat. min. T. 3. p. 235.).
2. — vetustate (ode). (*In* Antholog. ibid. p. 551., *et apud* Wernsdorf. ibid. p. 408. *Eidem poetæ tribuuntur carmina, quæ habentur in* Antholog. ibid. lib. 3. n. 65. 67. et 70.; *sed* Wernsdorfius p. 142. *illa eidem abjudicat.*).

(172) *Maff.* in *Art. crit. lapid. p.* 307. recte putat scribendum *Siculius Flaccus*, ut *Cassiodorius* pro *Cassiodorus*, ex more scilicet Romanorum, qui in genitivis secundæ declinationis unico semper *i* utebantur.

(173) De L. Cornelio Sisenna pluribus disseruit ejusque historica fragmenta collegit atque illustravit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 299.-319. Inter oratores etiam recensetur a *Cic. Brut.* 64. 228. et 74. 260.; ejusque oratoria fragmenta exhibet *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 185.-284.

(174) Neapolitanus, patre autem Veliensi, natus a. U. C. 814., mortuus a. 849., Thebaidem scribendam suscepit nondum annos XX. natus et post a. XII. perfecit.

(175) C. Julius Strabo, qui et Vopiscus, fuit etiam orator (quod suo loco omisimus) minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior, teste *Cic. Brut.* 48. 177. Ejusdem orationum fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10) *p.* 213-222., et qui supersunt tituli sunt hi:
1. Oratio qua Sulpicio respondit,
2. Oratio pro Sardis,
3. Oratio apud Censores.

(176) L. Cornelius Sulla res gestas suas Latine scripsit libris viginti duobus, unde fragmenta pauca apud Ciceronem, Gellium et Priscianum extant, quæ collegit atque illustravit *Aug. Krause* in op. super. cit. (V. notam n. 3.) p. 290.-298.

(177) C Sulpicius Apollinaris, grammaticus Carthaginiensis, vixit sub Antoninis. Extant ejus Epigrammata in *Anthol. Lat. Burmann. T.* 1. *p.* 332, et Periochæ in Terentii Comœd *V. Donat. Vit. Virg* § 37

SULPIC. RUF. (Ser. Sulpicius Q. F. Rufus) JCtus (178). Ciceronis amicus, qui in legatione ad M. Antonium diem obiit, scriptor elegantissimus.
Extant ejus
1. Epistolæ II. ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. et 12. (*In quarum prima eumdem consolatur de morte Tulliæ filiæ ejus: in altera eum monet de nece M. Claudii Marcelli.*).

SULPIC. SEV. (Sulpicius Severus) Tolosæ natus aut proxime hanc urbem fuisse, minime vero Nitiobrix, ut multi putant, videtur *Hieronymo de Prato*, qui ejus vitam scripsit; quo vero anno, non constat: defunctus est aliquot annis post ann. a Chr. n. 406. *V.* SULPICIUS in ONOM. In ejus locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Vorstii* et *Clerici* Lips. ann. 1709. T. 2. 8.°, nos sæpissime *Hier. de Prato* Veron. ann. 1741.-1754. T. 2. 4.°
Extant ejus
1. Epistola ad Desiderium de libro vitæ B. Martini,
2. De vita B. Martini Turonensis episcopi,
3. Epistola ad Eusebium presbyterum (*contra æmulos virtutum B. Martini*),
4. ——— Aurelium diaconum (*de obitu et apparitione ejusdem*),
5. ——— Bassulam socrum (*quomodo ex hac vita ad immortalitatem idem transierit*),
6. Dialogi III. (*de miraculis B. Martini*),
7. Historiæ sacræ libri II. (*ab orbe condito ad ann. Christi* 400).

SULPIC. VICT. (Sulpicius Victor) rhetor, incertæ ætatis.
Extant ejus
1. Institutiones oratoriæ. (*Inter* Antiquos rhetores Latinos *a* Claud. Capperonerio *Argentorati ann.* 1756. 4.° *editus* p. 255.-298.).

SYMMACH. (L. Aurelius Symmachus) orator sui temporis clarissimus. *V.* SYMMACHUS in ONOM. In locis ejus citandis ex epistolis sequimur editionem *Franc. Jureti* Parisiens. ann. 1580. 4.°, item Lugd. Bat. ann. 1653. 12.°, quæ plures novas continet epistolas: utriusque editionis numerus citatur. In iis vero, quæ *A. Majus* primus edidit, sequimur illius editionem Romanam ann. 1823. 8.°
Extant ejus
1. Epistolarum libri X.,
2. Laudes in Valentinian. Aug.,
3. ——— eumdem,
4. ——— Gratianum Aug.,
5. ——— patrem,
6. Oratio pro patre,
7. Oratio pro Trygetio,
8. ——— Synesio,
9. ——— Flavio Severo,
10. ——— Valerio Fortunato,
11. Fragmentum orationis (*auctoris tamen incerti*) (179).

SYMPOS. (Cœlius Firmianus Symposius) videtur vixisse extremo Christi sæculo quarto. De auctoris vero ætate, conditione et præstantia docte disserit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 6. *p.* 410.-472., qui ejus quoque carmina *ibid. p.* 473.-580. edidit et illustravit, quemque nos in locis citandis secuti sumus.
Extant ejus
1. Ænigmata C.,
2. Carmen de Fortuna,
3. Carmen de livore.

SYRUS. *V.* P. SYRUS.

T

TABULA PEUTINGERIANA. Vindobonæ 1753. V. *Vermigioli*, *Cento lettere p.* 41.

TABULAR. XII. FRAGMENTA. *V.* XII. TAB.

TACIT. (C. Cornelius Tacitus) Interamnas Nar, natus ann. a Chr. n. 60., ann. 88. prætor, deinde XV. vir sacrorum, ann. 78. uxorem duxit Juliam, Cn. Julii Agricolæ filiam, consul suffectus ann. 97.; quo autem anno obierit, ignoratur (180). *V.* TACITUS in ONOM. In citandis ejus locis *Forcellinus* utitur editione *Jac. Gronovii* Traject. ad Rhenum ann. 1721. T. 2. 4.°, nos in quibusdam *Jac. Oberlini* Lipsiæ ann. 1801. T. 2. 8.°
Extant ejus
1. Annalium libri XVI. (*ab Augusti obitu ad Neronis mortem: ex his libris VII., VIII., IX. et X. perierunt.*).
2. Historiarum libri V. (*ab obitu Neronis ad imperium Nervæ: horum librorum postremus mutilus ad nos pervenit.*).
3. De situ, moribus et populis Germaniæ liber,
4. — vita et moribus Julii Agricolæ liber,
5. — oratoribus *sive de* causis corruptæ eloquentiæ, dialogus. (*De hujus dialogi auctore vide dicta supra in not.* (33).

TARRUNTENUS (D. Tarruntenus Paternus) JCtus, Commodo imperante fuit præfectus prætorio, cujus etiam jussu interemptus est.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris IV. de re militari. (*quos laudat etiam* Veget. 1. Milit. 8.).

TERENTIAN. (Terentianus Maurus) grammaticus et poeta didacticus, *V.* TERENTIANUS in ONOM.
Extat ejus
1. De litteris, syllabis, pedibus et metris tractatus. (*inter* Grammaticos veteres *a* Putschio *editos* p. 2383.-2450., *quam editionem sequimur.*).

TERENT. (P. Terentius) poeta comicus, natus fuisse videtur ann. U. C. 562., defunctus ann. 595. *V.* TERENTIUS in ONOM. In locis ejus citandis *Forcellinus* utitur editione *M. Hugenii* Amstelod. ann. 1710. 8.°, nos sæpe *M. Jo. Car. Zeunii* Lipsiensi ann. 1774. T. 2. 8.°
Extant ejus comœdiæ, quarum hi sunt tituli:
1. Adelphi,
2. Andria,
3. Eunuchus,
4. Heautontimorumenos,
5. Hecyra,
6. Phormio.

TERENT. CLEM. (Terentius Clemens) JCtus, floruit sub Septimio Severo, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 193. ad ann. 211.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XX. ad legem Juliam et Papiam.

TERTULL. (Q. Septimius Florens Tertullianus) JCtus, qui vixit sub Septimio Severo, et Alex. Severo. *V.* TERTULLIANUS in ONOM.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris VIII. quæstionum,
2. libro de castrensi peculio.

TERTULL. (Q. Septimius Florens Tertullianus) scriptor ecclesiasticus, Carthaginiensis, videtur obiisse jam grandis natu ann. a Chr. n. 245., ut putat *Ant. Morcellus* in *Africa Christ. T.* 2. p. 103., qui ejus scripta, dum adhuc Catholicus esset, p. 66. § 3. enumerat; quæ vero post ejus defectionem, p. 99. § 2. *V.* TERTULLIANUS in ONOM. In locis ejus citandis *Forcellinus* utitur editione Franekeræ ann. 1597. fol. cum notis *Rhenani* et *Junii*, et *Rigaltii* Lutet. Paris. ann. 1675. fol.; nos vero sæpissime, non sine magna utilitate, editionem sequimur *Jo. Sal. Semleri* Halæ ad Salam ann. 1769.-1776. 8.°
Extant ejus
1. Apologeticus,
2. Ad nationes libri II.,
3. — martyres,
4. — ad uxorem libri II.,
5. — præscriptione hæreticorum,
6. — spectaculis,
7. — habitu muliebri,
8. — cultu feminarum,
9. — oratione,
10. — pœnitentia,
11. — patientia,
12. — baptismo,
13. — testimonio animæ,
14. Adversus Gnosticos seu Scorpiace,
15. ——— Judæos,
16. Exhortatio castitatis. (*Hæc scripsit auctor, dum adhuc esset Catholicus: quæ vero sequuntur, dum Montanistarum errorem amplexus fuerat.*).
17. Ad Scapulam,
18. Adversus Hermogenem,
19. Adversus Valentinianos,
20. ——— Marcion. libri V.,
21. ——— Praxeam,
22. — anima,
23. — carne Christi,
24. — resurrectione carnis,
25. — pallio,
26. — monogamia,
27. — jejunio seu adversus Psychicos,
28. — pudicitia,
29. — virginibus velandis,
30. — idololatria,
31. — fuga in persecutione,
32. — corona militis.

Scripta poetica. (*Poemata ejus quæ feruntur, ejusdem nomen ementiri putantur.*).
1. Adversus Marcionem libri V.
2. De judicio Domini.

THEOD. PRISCIAN. *V.* PRISCIAN. THEOD.

TIBERIUS NERO (181).

TIBULL. (Albius Tibullus) poeta elegiacus, natus fuisse videtur ann. U. C. 690. aut 695., obiit ann. 735. *V.* TIBULLUS in ONOM. In locis ejus citandis utitur *Forcellinus* editione *Jani Broukhusii* Amstelod. ann. 1708. 4.°, in qua elegiarum et versuum ordo a *Jos. Scaligero* perperam antea inductus, servatus est. Nos quidem præposterum illum elegiarum et versuum ordinem minime mutandum censuimus, lectionum tamen varietatem doctasque interpretationes *Chr. G. Heynii* in editione ejus tertia Lipsiensi ann. 1798. 8.° sæpissime secuti sumus.
Extant ejus
1. Elegiarum libri III.,
2. Carminum liber IV. (*Hic liber constat ex carmine hexametris versibus exarato, quod* Tibullus *ad* Messalam *scripsit, cujus et panegyricus dicitur: item ex quatuordecim elegidiis* Sulpiciæ, *aliorumque, de quibus quid statuendum sit, docte agit* Chr. G. Heynius *in adnotatione iisdem præmissa.*).

TIR. (NOT. TIR.) (Notæ Tironis) M. Tullius M. L. Tiro fuit antea servus, mox libertus M. Tullii Ciceronis, ad quem plures sunt epistolæ inter Ciceronianas. Idem autem, teste *Isid.* 1. *Orig.* 22., auctor fuit notarum, quæ ideo *Notæ Tironis* seu *Tironianæ* dicuntur, de quibus *V.* NOTA in Lexico et TIRO in ONOM. Porro, quamvis *Forcellinus* his notis parce admodum fuerit usus, tamen ipse longe plura ex iisdem nova vocabula in Lexicon admisi, vel dubia confirmavi, in id potissime inductus auctoritate *Cajet. Marinii*, qui in *Frat. Arv. p.* 379. 533. et 612. easdem a Lexicographis nihili habitas fuisse dolet. Hucusque cl. *Furlanetto*. At potior fuit *Forcellini* sententia; nunc enim inter eruditos plane constat, *Notas*, quæ *Tironis* nomine vulgantur, Tironi M. T. Ciceronis liberto esse abjudicandas: quod etiamsi alia plura non declararent argumenta, quæ brevitatis causa silentio prætermittimus; confirmant sane monstruosa illa, quibus hæ *Notæ* scatent, vocabula, quæ infimam profecto sapiunt Latinitatem.

TITIN. (Vettius Titinius) poeta comicus, togatarum fabularum scriptor *Varrone* antiquior. *V.* TITINIUS in ONOM.
Extant ejus fragmenta (*a* Frid. Henr. Bothio *collecta* V. *in* AFRANIUS (182).) comœdiarum, quarum hi sunt tituli:

(178) Fragmenta librorum Sulpicii de jure civili supersunt apud A. Gellium aliosque auctores; oratoria vero collegit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 190.-193.
(179) Oratoria Symmachi fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 581.-585.
(180) Consule *G. Boettigher.* in *Lexic. Tacit. p.* II. de ejus vita.
(181) Tiberius Cæsar, qui obtinuit imperium a. U. 766., post Ch. n. 14., plures habuit orationes ad senatum, quarum paucula quæ supersunt fragmenta exhibet *Henr. Meyer* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) *p.* 550.-551.
(182) De Titinio multis disseruit ejusque fragmenta collegit atque illustravit etiam *Jo. H. Neukirch* in opere super. cit. (*V.* notam n. 6.) *p.* 97.-132, qui *p.* 131. allatis titulis alium addit, scilicet *Pyrrhia.*

1. Barbatus *rectius quam* Barathrum,
2. Cæcus,
3. Ferentinas,
4. Fullones *sive* Fullonia,
5. Gemina,
6. Hortensius,
7. Barabra (*lege* Illecebra),
8. Jurisperita,
9. Prælia,
10. Privigna,
11. Psaltria,
12. Quintus,
13. Setina,
14. Tibicina,
15. Varus,
16. Veliterna.

TITIUS (183).
TRABEA (Q. Trabea) poeta comicus, natus fuisse videtur circa ann. ab U. C. 622. Ejus fragmenta collegit *Frid. Henr. Bothius* in *Poet. scæn. T.* 2. *p.* 29. *V.* TRABEA in ONOM.
TRAJANUS IMP. (184).
TREBELL. (Trebellius Pollio) scriptor historiæ Augustæ. *V.* TREBELLIUS in ONOM.
Extant ejus
1. Vita P. Licinii Valeriani senioris,
2. ——— Valeriani junioris,
3. ——— Gallieni,
4. — Q. Julii Gallieni Salonini,
5. — M. Claudii Gothici,
6. — XXX. tyrannorum, *h. e.*
 1. Cyriadis,
 2. Posthumi senioris,
 3. ——— junioris,
 4. Lolliani,
 5. Victorini senioris,
 6. ——— junioris,
 7. Marii,
 8. Ingenui,
 9. Regilliani,
 10. Aureoli,
 11. Macriani senioris,
 12. ——— junioris,
 13. Quieti,
 14. Odenati,
 15. Herodis,
 16. Mæonii,
 17. Balistæ,
 18. Valentis,
 19. ——— superioris,
 20. Pisonis,
 21. Æmiliani,
 22. Saturnini,
 23. Tetrici senioris,
 24. ——— junioris,
 25. Trebelliani,
 26. Herenniani,
 27. Timolai,
 28. Celsi,
 29. Zenobiæ,
 30. Victoriæ,
 31. Titi,
 32. Censorini.

TREBON. (C. Trebonius) quæstor urbanus Romæ, trib. pleb. ann. U. C. 699., prætor urbanus ann. 705., Hispaniæ proprætor, consul suffectus ann. 709., M. Antonium ante ostium curiæ detinet, dum Cæsar in eadem interficitur, Smyrnæ autem trucidatur a P. Dolabella, dum proconsul Asiæ esset.
Extat ejus
1. Epistola ad *Cic.* 12. *Fam.* 16.
TROGUS (Trogus Pompejus) historicus. *V.* TROGUS POMPEJUS in ONOM. Ejus deperditorum librorum fragmenta aliquot collegit *Jacob. Bongarsius*, et *Justini* operibus præmisit.
TROTULA. *V.* EROS suo loco.
TRYPHONIN. (Claudius Tryphoninus) JCtus, vixit sub Septimio Severo et Caracalla.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XXI. disputationum,
2. notis ex libris XXI. Digestorum Scævolæ.
TUBERO Q. ÆL. (185).
TURNUS, poeta Satyricus, vixit sub Nerone, et Flaviis Augustis; ejus meminit *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 1. *Sat.* 20., *Martial.* 11. 10., *Rutil. Numatianus* 1. *Itiner.* 600., et *Sidon. carm.* 9. 267. Eidem *Satyræ fragmentum in Neronem* tribuit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. LVII.-LX., et illud edidit et illustravit *ibid. p.* 77.-82.
TURPIL. (Sex. Turpilius) poeta comicus, senex obiit ann. U. C. 653. *V.* TURPILIUS in ONOM.
Extant ejus plura fragmenta comœdiarum, quarum hi sunt tituli (*In citandis ejus locis sequimur editionem* Frid. Henr. Bothii *V. supra in* AFRAN.):
1. Acta,
2. Bœthuntes,
3. Canephoros,
4. Demetrius,
5. Demiurgus,
6. Epiclerus,
7. Hetæra,
8. Lemnii,
9. Leucadia,
10. Lindia,
11. Paraterusa,
12. Prædium,
13. Philopator,
14. Thrasyleon.

(183) C. Titius, eques Romanus, æqualis Herennii, qui consul fuit a. U. 660. « eo pervenisse videtur (ut ait *Cic. Brut.* 45. 167.), quo potuit fere Latinus orator « sine Græcis litteris et sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutia- « rum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pæne Attico stilo scriptæ « esse videantur. Easdem argutias in tragœdias, satis ille quidem acute, sed parum « tragice transtulit. » Ejus fragmenta collegit atque illustravit *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 10.) p. 278-271.
(184) Trajanus imperator scripsit historiam belli Dacici, si credimus *Prisciano* 6. p. 682. *Putsch*, qui ejusdem historiæ fragmentum affert.
(185) L. Ælius Tubero, Q. f., cujus filius Q. Ælius Tubero consul fuit cum P. Fabio Maximo a. U. C. [illegible], antiquo more et sermone etiam antiquo usus, historiam ab Urbis primordio inceptam ad sua usque tempora perduxit; et alia conscripsit ad jus pertinentia. Hujus fragmenta, præmissa dissertatione, exhibet *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) *p.* 321-329.

U

ULP. (Domitius Ulpianus) JCtus, de quo *V.* ULPIANUS in ONOM.
Extant ejus in Digestis plurima fragmenta ex
1. libris V. de adulteriis,
2. ——— IV. de appellationibus,
3. ——— VI. de censibus,
4. ——— XLVIII. digestorum,
5. ——— X. disputationum,
6. ——— LXXXIII. ad edictum prætoris,
7. ——— II. ad edictum ædilium curulium,
8. ——— VI. fideicommissorum,
9. ——— II. institutionum,
10. ——— IV. ad legem Æliam Sentiam,
11. ——— ——— Juliam de adulteriis,
12. ——————— et Papiam,
13. ——— III. de officio consulis,
14. ——— X. de officio proconsulis,
15. ——— II. de officio quæstoris,
16. ——— VI. opinionum,
17. ——— VII. regularum. (*Tituli* XXIX. *ex hoc corpore regularum exstant a pluribus, et præsertim ab* Ant. Schultingio *editi in sua* Jurisprudentia ante-Justinianea p. 537.-660., *et in Lexico separatim etiam citati.*),
18. ——— II. responsorum,
19. ——— LI. ad Masurium Sabinum,
20. ——— X. de omnibus tribunalibus,
21. libro singulari excusationum,
22. ——————— de officio consularium,
23. ——————— ——— curatorum reipublicæ,
24. ——————— ——— præfecti vigilum,
25. ——————— ——— ——— Urbi,
26. ——————— ——— prætoris tutelaris,
27. ——————— ——— quæstoris,
28. ——————— pandectarum,
29. ——————— regularum,
30. ——————— de sponsalibus,
31. ——— ex notis ad Aristonem,
32. ——————— Marcellum,
33. ——————— Papinianum.

V

VALENS (Aburnius Valens) JCtus, vixit sub Trajano et Hadriano.
Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris VII. fideicommissorum.
VAL. ÆDIT. (Valerius Æditus) poeta epigrammaticus, *M. Tullio Cicerone* antiquior.
Extant ejus
1. Epigrammata II. (*Hæc a* Gell. 19. 9. *servata nobis sunt, quorum prius affertur etiam in V.* SUBIDUS *in Lexico.*).
VAL. ANTIAS (Q. Valerius Antias) historicus, vixit circa ann. a Chr. n. 670., sæpe *Antias* tantummodo a scriptoribus appellatur.
Extant ejus plura, apud *Livium, Gellium, Macrobium*, fragmenta ex
1. Annalium libris LXXV. (186).
VAL. FLACC. (C. Valerius Flaccus Setinus Balbus) poeta epicus. *V.* VALERIUS in ONOM. In citandis ejus locis utitur *Forcellinus* editione *P. Burmanni* Leidæ ann. 1724. 4.°, nos quandoque consuluimus editionem *Christ. Harlesii* Altenburgi ann. 1781. 8.° Futuro Lexicographo consulenda est *Dissert. Aug. Weichertii* Misnæ ann. 1818. 8.° editam, in qua de versibus aliquot *C. Val. Flacci* injuria suspectis agit, ejusdemque etiam hujus poetæ editionem, quam si reapse perfecerit, nondum nobis scire licuit.
Extant ejus
1. Argonauticon libri VIII.
VAL. MAX. (M. Valerius Maximus) historiarum, tum externarum, tum Romanarum narrator haud contemnendus: ejus meminit *Gell.* 12. 7. *V.* VALERIUS in ONOM. In locis ejus citandis utimur editione *Petr. Jos. Cantelii* Parisiis ann. 1679. 4.°
Extant ejus
1. Factorum dictorumque memorabilium libri IX.
VALGIUS (T. Valgius Rufus) poeta epicus et elegiacus, coævus *Horatio* et *Tibullo*; laudatur ab illo 1. *Sat.* 10. 82., qui eum Homero proximum facit 2. *Od.* 9. Etiam bucolica scripsisse constat ex *Porphyrione* ad *Virg.* 3. *G.* 177. *V.* MULCTRALE et SINUM in Lexico (187).
VARIUS (L. Varius) poeta tragicus et epicus, laudatus ab *Horat.* 1. *Sat.* 10.
Extant ejus
1. Fragmenta ex Thyeste tragœdia (*apud* Quintil. 3. 8. *et* Mar. Victorin. 1. Art. grammat. p. 2503 Putsch.),
2. ——— de morte (*apud* Macrob. 6. Saturn. 1. et 2.).
VARRO (M. Terentius Varro) poeta satyricus et epigrammaticus, historicus, grammaticus, scriptor agrarius: natus ann. U. C. 638., obiit ann. 727. *V.* VARRO in ONOM. In citandis ejus locis *de re rustica* plerumque sequi-

(186) De Q. Valerio Antiate pluribus disserit, ejusque fragmenta collegit atque illustravit *Aug. Krause* in op. super. cit. (*V.* notam n. 3.) p. 261-289.
(187) De T. Valgio Rufo pluribus disserit ejusque fragmenta exhibet *Aug. Weichert.* in op. super. cit. (*V.* notam n. 41.) p. 223-240.

mur editionem *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiæ ann. 1794. 8.°, in iis *de lingua Latina*, et in *fragmentis* editionem Bipontinam ann. 1788. 8.° (188).

Extant ejus

1. De re rustica libri III.,
2. — lingua Latina libri XXIV. (*Ex his libris tres primi, et tresdecim postremi periere, ex quibus fragmenta tantum supersunt*) (189).

Fragmenta ex

1. libris I.-III. et X.-XXIV. de lingua Latina,
2. —— IV. de utilitate sermonis,
3. —— II. de similitudine verborum,
4. —— III. de poematis,
5. libro de compositione satyrarum,
6. ——— proprietate scriptorum,
7. ——— comœdiis Plautinis,
8. libris II. Plautinarum quæstionum,
9. —— VI. epistolicarum quæstionum,
10. —— VII. epistolarum,
11. epistola ad Jul. Cæsarem,
12. ———— Fabium,
13. ———— Fufium,
14. ———— Marullum,
15. ———— Neronem,
16. ———— Ser. Sulpicium,
17. libro de gradibus,
18. libris III. περὶ χαρακτηρῶν,
19. —— VI. Complexionum,
20. —— VIII. disciplinarum,
21. libro de grammatica,
22. ——— astrologia,
23. ——— arithmetica,
24. ——— geometria,
25. ——— musica,
26. libris XXV. antiquitatum rerum humanarum,
27. —— XVI. antiquitatum rerum divinarum,
28. libro de cultu deorum,
29. libris augurum,
30. libro de initiis urbis Romæ,
31. libris III. de gente populi R.,
32. —— IV. de vita populi R.,
33. —— III. de rebus urbanis,
34. —— III. de scænicis originibus,
35. —— V. de actionibus scænicis,
36. libris theatralibus,
37. libro I. de familiis Trojanis,
38. annalibus,
39. ephemeri,
40. libro I. ad Libonem,
41. mensuralibus,
42. Gallo Fundanio de miris seu admirandis,
43. Ætiis,
44. libro de litoralibus,
45. libris IX. hebdomadum seu de imaginibus,
46. libro de poetis,
47. libris II. de bibliotheca,
48. libro de vita sua,
49. logistorico,
50. Attico de numeris,
51. Laterensi,
52. Mario de fortuna,
53. Messala de valetudine,
54. libro de moribus,
55. ——— natura rerum,
56. Nepote,
57. Oreste de insania,
58. Pappo de indigamentis,
59. Pio *sive* de pace,
60. Sisenna de historia,
61. Scauro,
62. libris II. περίπλου φιλοσοφίας,
63. —— II. Promethei,
64. —— II. de forma philosophiæ,
65. libro de philosophia (190).

Fragmenta ex satyris Menippeis (191) quarum hi sunt tituli:

1. Aborigenes, περὶ ἀνθρώπων φύσεως,
2. Agatho,
3. Age modo,
4. Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς,
5. Andabatæ,
6. Ammon μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας,
7. Ἀνθρωπουργία περὶ γενεθλιακῶν,
8. Armorum judicium,
9. Bajæ,
10. Bimargus περὶ τρόπου,
11. Caprinum prœlium περὶ ἡδονῆς,
12. Cave canem,
13. Columna Herculis, περὶ δόξης,
14. Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου,
15. Cras credo, hodie nihil.
16. Cygnus, περὶ ταφῆς,
17. Cynicus,
18. Synistor,
19. Desultorius, περὶ τρυφῆς σὺν ἄλλοις,
20. De salute,
21. — officio mariti,
22. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες,
23. Dolium seu Seria,
24. Endymion,
25. Ἐπιταφιῶν,
26. Ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐτελείας,
27. Est modus matulæ, περὶ μέθης,
28. Εὕρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ τῶν γαμητῶν καθηκόντων,
29. Eumenides,
30. Ἔχω σε, περὶ τύχης,
31. Eudemetricus,
32. Ἕως ποτέ, περὶ ὡρῶν,
33. Flexibula, περὶ ἐπαρχιῶν,
34. Gemini,
35. Gerontodidascalus,
36. Γνῶθι σεαυτόν,
37. Hecatombe, περὶ θυσιῶν,
38. Hercules, tuam fidem,
39. Hercules Socraticus,
40. Hyppocyon,
41. Idem Atti, quod Titi,
42. Ithiphallus, περὶ ἀρρενότητος,
43. Κυνοδοξία, περὶ φθόνου,
44. Lex Mænia,
45. Logomachia,
46. Longe fugit, qui suos fugit,
47. Magnum talentum,
48. Manius,
49. Marcipor,
50. Mæonius Automedus.
51. Margopolis, περὶ ἀρχῆς,
52. Meleager,
53. Modius,
54. Mutuum muli scabunt,
55. Mystagogi,
56. Mysteria,
57. Nescis, quid vesper serus vehat,
58. Octogesis, περὶ νομισμάτων,
59. Œdipothyestes,
60. Ὄνος λύρας,
61. Πάππας Πάππος, περὶ ἐγκωμίων,
62. Parmenio.
63. Περὶ αἱρέσεων, sive αἰεὶ Λιβύη,
64. Περὶ ἐδεσμάτων,
65. Περὶ ἐξαγωγῆς,
66. Περὶ κεραυνοῦ,
67. Plutorine,
68. Pransus paratus,
69. Pseudolus Apollo,
70. Pseudæneas,
71. Quinquatria,
72. Sardi, venales,
73. Σκιομαχία seu Κριομαχία,
74. Serranus,
75. Sesquiulysses,
76. Sexagesis,
77. Synistor,
78. Synephebus, περὶ ἐμμονῆς,
79. Tanaquil.
80. Ταφὴ Μενίππου,
81. Testamentum, περὶ διαθηκῶν μετὰ φιλοφθονίας,
82. Tithonus, περὶ γήρως,
83. Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας,
84. Τριοδῖτι τριφαλλος seu τρίφαλλος, περὶ ἀρετῆς καὶ φύσεως,
85. Væ victis, περὶ φιλονεικίας.
86. Vinalia, περὶ ἀφροδισίων,
87. Virgula divina,
88. Ὑδρόχοος.

VARRO ATAC. (P. Terentius Varro Atacinus) M. Terentio Varroni fere coævus fuit hic poeta, de cujus vita et scriptis accurate egit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 5. p. 1385.-1397., tum veterum testimonia de eodem,

(188) Nos vero in libris de *Lingua Latina ad Ciceronem* missis secuti sumus editionem omnium optimam, quam curavit *Car. Odofr. Muller.* Lipsiæ a. 1833.

(189) In editione vero *Mülleri* quatuor priores libri desiderantur, habentur fere integri libri V., VI., VII., VIII., IX. et X., ac demum fragmenta exhibentur sequentium librorum usque ad XXIV.

(190) His addenda sunt fragmenta ex *Tricipitina*, h. e. in III. viros Cæsarem, Pompejum et Crassum, quæ de re consule *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 1. *p.* 4.; necnon *Rhetoricorum libr.* XX., qui laudantur a *Non.* c. 229. edit. veter. Denique addantur *Sententiæ* LV. maxima ex parte ineditæ, quas ex Cod. Seminarii Patavini typis mandandas curavit *Vincent. Devit* a. 1843.

(191) Satyrarum vel Saturarum Menipp. reliquias nuperrime edidit *Fr. Oehler.*

et operum fragmenta collegit et illustravit *ibid.* p. 1398.-1418. *V.* et ATACINUS in ONOM.

Extant ejus
1. Epigramma (*in* Antholog. Lat. T. 1. p. 203. Burm.).
2. Fragmenta ex
   1. Chorographia,
   2. libris navalibus,
   3. —— IV. Argonauticorum. (*Fragmentis hujus operis a* Wernsdorfio *collectis addendum est aliud, quod e Cod. Veronensi palimpsesto edidit* A. Maius *in* Virgilii interpret. vet. *Mediolani* ann. 1818. p. 26.),
   4. libro II. de bello Sequanico.

VATIN. (P. Vatinius) quæstor fuit Romæ ann. U. C. 691., trib. pleb. ann. 695. (a quo lata est Vatinia lex de repetundis, tum altera de Gallia citeriore cum Illyrico tribuenda C. Julio Cæsari, tum tertia rogata tantum, non perlata, de L. Vettio Pompeji inimico), ædilitatis repulsam tulit ann. 698., prætor ann. 699., legatus Cæsaris in Gallia, in bello civili præfuit classi, consul suffectus ann. 707. Illyricum proconsul obtinuit ann. 709., post Cæsaris necem ann. 710. M. Bruto Dyrrachii portas aperuit, et ann. 712. triumphum de Illyrico consecutus est. Hic cum *Cicerone* maximum odium exercuit, postea eidem reconciliatus est.

Extant ejus
1. Epistolæ II. ad *Cic.* 5. *Fam.* 3. et 10.

VEGET. (Flavius Vegetius Renatus) scripsit sub Valentiniano II., qui imperavit ab ann. 379. ad 391. *V.* VEGETIUS in ONOM. In ejus locis citandis *Forcellinus* secutus est editionem Vesaliæ Civorum ann. 1670. 8.°, nos in quibusdam utimur editione *Nic. Schwebelii* Argentorati ann. 1806. 8.°

Extant ejus
1. De re militari libri V.

VEGET. (P. Vegetius Renatus) fuit superiore longe posterior. *V.* VEGETIUS in ONOM. In locis ejus citandis usus est *Forcellinus* editione *Jo. Matth. Gesneri* Lipsiæ ann. 1735. 4.°, nos in quibusdam sequimur editionem *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiæ ann. 1796. 8.° Librorum autem et capitum rationem *Gesneri* ejusdem servavimus.

Extant ejus
1. Artis veterinariæ libri IV.

VEL. LONG. (Velius Longus) grammaticus *Charisio*, qui eum laudat p. 73. et 187. apud *Putsch.*, antiquior, et *Cassiodorio*, qui ejus alterum de orthographia caput ab eodem mutuari non est veritus.

Extat ejus
1. De orthographia liber (*apud* Putsch. p. 2213.-2238.).

VELLEJ. (C. Vellejus Paterculus) natus ann. U. C. 735., occisus videtur, propter Sejani amicitiam, a Tiberio Aug. ann. 784., Christi 31., ætatis suæ circiter 50. Ejus patria fuit Æclanum in Hirpinis, ibi enim repertus est lapis inscriptus, in quo mentio est de M. Magio Syro IIII. viro, filio Magii Minatii, qui atavus maternus fuit *Velleji*, ut ipse affirmat *l.* 2. *c.* 16. Inscriptio vero legitur apud *R. Guarinium* in *Ricerche di Eclano* p. 93. *V.* VELLEJUS in ONOM. In locis ejus citandis utitur *Forcellinus* editione *Rob. Riguezzi* Paris. 1675. 4.°, nos quandoque utimur editione Bipontina ann. 1780. 8.°

Extant ejus
1. Historiarum Romanarum libri II. (*Horum primus initio mancus est, mox aliam lacunam exhibet sexcentorum ferme annorum; alter res Romanorum enarrat ad ann. U. C.* 783., *quo consul processit ille M. Vinicius, cui* Vellejus *historiam suam dicavit.*).

VENANT. (Venantius Honorius Clementianus Fortunatus) poeta, Christianus, natus ann. circiter 530. a Chr. n., in Galliam profectus ann. 565., ibique mortuus post ann. 600. *V.* VENANTIUS in ONOM. In locis ejus citandis utimur editione *Mich. Ang. Luchii* Romæ ann. 1786. 4.°

Extant ejus
1. Carminum libri XI.,
2. De vita S. Martini libri IV.,
3. Libelli singulares III. (*Libri hactenus recensiti versibus variis generis sunt exarati; opera quæ sequuntur, prosa oratione sunt scripta.*).
4. Vita S. Hilarii episcopi Pictaviensis, (*Hæc constat duobus libellis, seu duabus partibus, in quorum primo de actionibus S. Hilarii, in altero de ejusdem prodigiis agitur.*),
5. — S. Germani episc. Parisiensis,
6. — S. Albini episc. Andegavensis,
7. — S. Paterni episc. Abrincensis,
8. — S. Radegundis reginæ,
9. — S. Amantii episc. Rutenensis,
10. — S. Remigii episc. Remensis,
11. — S. Medardi episc. Noviomensis,
12. — S. Marcelli episc. Parisiensis,
13. — S. Leobini episc. Carnotensis,
14. — S. Maurilii episc. Andegavensis,
15. Acta passionis SS. Dionysii episcopi, Rustici et Eleutherii.

VENULEJUS (Q. Claudius Venulejus Saturninus) JCtus, vixit sub Alex. Severo, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 222. ad 235. *V.* VENULEJUS in ONOM.

Extant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris X. actionum.
2. libro VII. disputationum,
3. libris VI. interdictorum,
4. —— IV. de officio proconsulis,
5. libro de pœnis paganorum,
6. libris III. publicorum,
7. —— XIX. stipulationum.

VERR. FLACC. (M. Verrius Flaccus) grammaticus celeberrimus, cujus vitam habes apud *Sueton. Gramm.* 17. *V.* VERRIUS FLACCUS in ONOM.

Extant ejus
1. Fragmenta Kalendarii Prænestini.
2. —— alia (*collecta ab eodem* Foggiaio, *de quo in* ONOM. *actum est*). (192).

VERUS (L. Verus Aug.) filius L. Ælii Cæsaris, natus ann. a Chr. n. 130., adoptatus ab Antonino Pio ann. 138., ad imperii societatem admissus a M. Aurelio ann. 161. appellatur L. Ælius Aurelius Verus, obiit Altini ann. 169. *V.* VERUS in ONOM. (193).

Extant ejus
1. Epistolæ VI. (*editæ inter opera* Frontonis *ab* A. Maio Romæ *ann.* 1823. 8.° ad Verum Imp. 2. 3. 5. 10. 11. 12.).

VESP. JUDIC. (Vespæ judicium coci et pistoris, judice Vulcano) ita appellatur carmen ludicrum, sex et nonaginta hexametris constans, cujus auctor vel cognomine *Vespa* fuit, vel sub eodem ficticio latitat. Illud edidit et illustravit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 2. *p.* 220.-239., nihil autem statuit de tempore, quo scriptum fuerit, in *præf.* de eodem *ibid.* p. 61.-64., sed non contemnendum putat Latinæ linguæ studiosis; ideoque nos quædam ex eodem nova vocabula Lexico addidimus.

VIB. SEQUESTER (Vibius Sequester) ubinam ortus fuerit, nemo facile dixerit. Quidam circa ann. a Chr. n. 390., alii quinto aut sexto Christi sæculo eum natum suspicantur. Ejus tamen opus ad antiquitatem, et poeticam geographiam cognoscendam haud omnino inutile est. In ejus locis citandis *Forcellinus* editione utitur *Fr. Hesselii* Roterodami ann. 1711. 12.°; nos sæpe consuluimus editionem Societ. Bipontinæ Argentorati ann. 1809. 8.°, in qua una cum *Pomponio Mela* editum est illius opus.

Extat ejus
1. De fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus, quorum apud poetas mentio fit, libellus.

VICTOR. (Claudius Marius Victor seu Victorinus) Massiliensis, orator et poeta non ignobilis, obiit post ann. a Chr. n. 450. Pluries edita sunt ejus carmina: nos præ manibus habuimus editionem *Pasq. Amatii*, qui in *Collect. Pisaur. T.* 5. p. 317.-382. duo priora opera inferius citata edidit.

Extant ejus
1. Commentariorum in Genesin libri III.,
2. De perversis suæ ætatis moribus epistola,
3. — nativitate, vita, passione, et resurrectione Domini carmen. (*Huic Victorino tribuendum putat* A. Maius *istud carmen, quod sub Victorini nomine is reperit in pervetusto Cod. Vaticano, edidítque in* Classic. Auct. T. 5. p. 382. *et seqq.*).

VICTOR (P. Victor) geographus, videtur vixisse circa postremos sæculi Christiani quarti annos.

Extat ejus
1. De regionibus urbis Romæ libellus.

VICTOR. *V.* JUL. VICT.

VICTORIN. (C. Marius Victorinus) grammaticus, rhetor et poeta, Afer natione, qui diu docuit Romæ rhetoricen, et obiit ann. a Chr. n. 370.

Extant ejus
1. De orthographia et ratione metrorum, *seu* artis grammaticæ liber I.,
2. — didascalicis metris, *seu* artis grammaticæ liber II.,
3. — conjunctis inter se et mixtis metris pragmaticis, *seu* artis grammaticæ liber III.,
4. — connexis inter se atque inconnexis, quæ Græci ἀσυνάρτητα vocant, *seu* artis grammaticæ liber IV.,
5. — metris Horatianis. (*Hæc omnia opera apud* Putsch. p. 2449.-2622.),
6. Expositio in I. et II. rhetoricorum librum Ciceronis. (*Inter* Antiquos rhetor. Lat. *a* Claud. Capperonerio *editos Argentorati ann.* 1756. 4.° p. 102.-255. (194),
7. De fratribus Machabæis ab Antiocho Epiphane interfectis carmen,
8. Hymnus de Homousio,
9. —— de Jesu Christo Deo et homine,
10. —— de cruce. (*Hæc quatuor postrema opera poetica edita sunt a* Pasq. Amatio in Collect. Pisaurensi omn. poet. T. 5. p. 63.-88.).

VICTORIN. (Maximus Victorinus) grammaticus incertæ ætatis.

Extant, apud *Putsch.* p. 1967.-1974., ejus
1. De re grammatica liber,
2. — carmine heroico,
3. — ratione metrorum.

VINDICIAN. (Vindicianus) comes archiatrorum, vixit sub Valentiniano I. Aug. circa ann. a Chr. n. 370.

Extat ejus
1. Epistola præmissa libro *Marcelli Empirici*.

VIRGIL. (P. Virgilius Maro) poeta epicus celeberrimus. *V.* VIRGILIUS in ONOM. In locis ejus citandis *Forcellinus* utitur editione *Pancr. Masvicii* Leovardiæ ann. 1717. T. 2. 4.°; nos vero sæpissime consuluimus editionem *Chr. G. Heynii* Lipsiæ ann. 1803. T. 4. 8.°

Extant ejus
1. Eclogæ X.,
2. Georgicorum libri IV.,

(192) Verrii Flacci fragmenta quædam edidit etiam *Lindemannus* in opere, cui titulus: *Corpus Grammaticorum*, de quo *V.* notam n. 37.

(193) De orationibus hujus imperatoris V. *Henr. Meyer.* in op. super. cit. (V. notam n. 40.) *p.* 377.

(194) Hanc *M. Victorini expositionem* a plurimis vitiis emendarunt atque inter Ciceronis Scholiastas ediderunt *Jo. Casp. Orellius* et *Jo. Georgius Baiterus*, Turici 1833.

3. Æneidos libri XII.

Eidem etiam tribuuntur

1. Culex,
2. Ciris,
3. Moretum,
4. Copa,
5. Catalecta. (*Priora hæc quatuor poematia, et epigrammata* XIV. *sub* Catalectorum *nomine* Virgilio *passim tribuuntur: vide tamen quæ de singulis his disputat* Chr. Gottl. Heynius *in calce suæ editionis Virgilianæ, quæque de* Moreto *et* Copa *habet* Jo. Christ. Wernsdorfius in Poet. Lat. min. T. 2. p. 253. *et seqq.*, *ubi hæc duo poematia* A. Septimio Severo *tribuenda censet, ut diximus supra ad* SEVER.).

VITRUV. (M. Vitruvius Pollio) artis architectonicæ scriptor opus suum vulgasse videtur post ann. U. C. 727., obiit vero ann. 743. *V.* VITRUVIUS in ONOM. Usus est *Forcellinus* editione *Jo. de Laet.* Amstelod. ann. 1649. fol., nos sæpissime utimur editione *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiæ ann. 1807.-1808. T. 3. 8.°

Extant ejus

1. De architectura libri X.

VOPISC. (Flavius Vopiscus) Syracusanus, scriptor historiæ Augustæ, circa ann. a Chr. n. 290.

Extant ejus

1. Vita L. Domitii Aureliani Aug.,
2. — M. Claudii Taciti Aug.,
3. — M. Annii Floriani Aug.,
4. — M. Aurelii Probi Aug.,
5. — Firmi, Saturnini, Proculi et Bonosi tyrannorum,
6. — Cari, Numeriani et Carini Augg.

VULCAT. GALLIC. (Vulcatius, *seu* Volcatius, Gallicanus) scriptor historiæ Augustæ, ignoti nominis homo. *V.* VOLCATIUS in ONOM.

Extat ejus

1. Vita Avidii Cassii tyranni.

VULCAT. SEDIG. (C. Vulcatius, *seu* Volcatius, Sedigitus) poeta epigrammaticus, *Plinio* seniori antiquior. *V.* VOLCATIUS et SEDIGITUS in ONOM.

LEXICON

TOTIUS LATINITATIS

A, vel **a**, littera prima est alphabeti latini, quemadmodum et omnium ferme linguarum. Natura sua proxime accedit vocalibus *e* et *i*, in quas sæpe mutatur; longius abest ab *o*, *u* et *y*. — Æque ac ceteræ vocales, *a* quantitate brevis est, aut longa: longa vero apud Oscos et veteres Latinos per duplicem *a* scribebatur, cujus tamen sonus ab *a* longa ne tantillum quidem differebat. *Inscr.* apud *Orell.* 1287. VEDIOVEI PATREI GENTEILES IVLIEI LEEGE ALBAANA DICATA. (Cf. et *B. G. Niebhur, Röm. Gesch. vol.* 1.). — In diphthongis *a* semper præponitur et tamquam subjunctivis vocalibus gaudet *e* sive apud veteres *i* et *u*; unde diphthongi *ae* vel *ai*, et *au*, quæ *V.* suis locis.

II.) A. est etiam una ex notis vel siglis, et plura significat, quorum præcipua hæc sunt. ¶ 1. A. nomine proprio præposita est prænomen pro *Aulus*, ut *A. Cæcina*, *Aulus Cæcina*. ¶ 2. A. in Ciceronis *Disp. Tusc.* aliisque dialogis occurrit pro *Auditor* (Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 9 et alibi), minime vero pro *Atticus*, quemadmodum male interpretatus est *Lactant.* 1. *Divin. Inst.* 15. 26. ¶ 3. A. in judicum tabulis insculpta usurpabatur pro *Absolvo*. Itaque *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 1. *Verr.* 7. 24. In causis majoribus, *inquit*, universi judices in cistam tabulas conjiciebant suas, casque insculptas litteras habentes A. *Absolutionis*, C. *Condemnationis*, N. L. *Ampliationis* (*h. e.* non liquet); qua de re latius *Brissonius de formul. l.* 5. c. 214. Hinc a *Cicerone Mil.* 6. 15. A. dicitur *littera salutaris*, C. vero *tristis*. ¶ 4. In Comitiis autem legum, in quibus suæ cuique de populo tabellæ tradebantur, insculptas litteras habentes A. et U. R., A. Antiquo, h. e. *respuo*, *abrogo*; U. R. Uti rogas, h. e. *consentio*, *approbo*, significabant. ¶ 5. In annorum computatione A. significabat *Annus* et sæpius *Anno*, ut A. V. Anno Urbis, A. V. C. Anno Urbis conditæ, A. AB V. C. Anno ab Urbe condita; quod postremum frequentius occurrit. ¶ 6. A. D. in Inscriptionibus et *a. d.* in Editionibus significant *ante diem*, ut *Inscript.* apud *Orell.* 619. C. ASINIVS EX PARTHINIS A. D. VIII. KAL. NOV. TRIVMPHAVIT. *h. e.* ante diem VIII. kalendas Novembres. ¶ 7. Ut littera numeralis A. quingenta, Ā. vero, recta linea superaddita, quinque millia significasse videtur. Cf. antiquum codicem de *Notis numerorum* adjectum *Probo* p. 1684. et 1685. *Putsch.* ¶ 8. A. A. A. si vocabulo IIIVIR adjiciantur significant Auro, Argento, Æri vel Ære. *Inscr.* apud *Orell.* 569. III. VIR A. A. A. F. F. *h. e.* Triumvir Auro Argento Æri Flando Feriundo. ¶ 9. A. D. A. I., si vocabulo IIIVIR vel XVIR adjiciantur, significant Agris dandis assignandis judicandis. *Inscr.* apud *Orell.* 570. P. LICINIVS AP. CLAVDIVS C. GRACCHVS III. VIR. A. D. A. I. STATVERVNT. ¶ 10. A. significatur Augustus, AA. Augusti duo. *V. Inscr.* apud *Orell.* 4310. et 3181.

A interjectio scribitur pro AH, quam *V.*

Ā, ĂB, ABS, præpositiones, quæ cum sexto casu adhibentur (Cf. ἀπό, et sanscr. *apa*). (It. *da*; Fr. *de*, *hors de*; Hisp. *de*; Germ. *von*; Angl. *from*). Significatione nihil differunt, differunt autem solummodo in modo adjiciendi. — *Ab* fuit prima hujusce præpos. forma, et præponebatur non modo vocibus a vocali et *h* quoque incipientibus, verum etiam a consonante; hinc occurrunt *ab latere*, *ab legionibus*, *ab Lysone*, *ab se*, *ab senatu*, *ab spe*, *ab subselliis*; et apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 38. ab consuetudine, *Cic.* 3. *de re publ.* 8. 12. *Mai.* ab natura, ab Chrysippo, *Cæs.* 6. *B. G.* 18. 1. ab Dite, ab Druidibus, et 4. *ibid.* 6. ab nonnullis, et 4. *ibid.* 22. 5. ab quibus, et 4. *ibid.* 6. ab Rheno, et 3. *B. C.* 80., *Sallust. Jug.* 50. et *Liv.* 24. 47. 2. ab tergo. Verumtamen *ab* iis vocibus, quæ incipiunt a vocali, plerumque adjicitur. — *A* vero, quæ expuncta *b* per compensationem producitur, iis tantum vocibus adjicitur, quæ a consonante ac propterea etiam a *j* consonante incipiunt. — *Abs*, quam *Paul. Diac.* p. 22. 19. *Müll.* a græco ἄψ videtur deducere, quamquam priscis fortasse temporibus propter quamdam majorem soni vim sæpius fuerit usurpata, prima tamen Ciceronis ætate occurrit solummodo in locutione *abs te*; ac deinde ita in desuetudinem abiit, ut ipse Cicero in iis, quæ scripsit ætate provectus, *a te* (nunquam vero *ab te*) prætulerit. — *Af* denique, de qua *V. Priscian.* 1. p. 43. *Krel.*, est unum idemque cum *ab*, nisi quod consona mitis mutata est in adspiratam, et juxta *Ciceronem Orat.* 47. 258. et *Velium Long.* p. 2224. *Putsch.* apud veteres in accepti et expensi tabulis locum habuit: nunc autem occurrit tantummodo in Inscriptionibus (Cf. *Inscr.* apud *Orell.* 3114. et 3308., necnon *Morcelli de Stylo Inscr.* p. 378.) et apud Grammaticos (Cf. *Paul. Diac.* p. 26. 1. *Müll.* et *not.*)

Illud etiam præmonendum putamus, præpositionem *ab* non semper ablativo suo proxime accedere, sed aliquando inter præpositionem et ablativum nonnulla interseri verba, quæ tamen cum ablativo ipso unum idemque quodammodo faciant ejusdemque compleant significationem. *Cic. Arch.* 6. 12. A nullius unquam me tempore. *Liv.* 1. 6. 4. A satis miti principio. *Cic.* 1. *Leg.* 6. 19. Eamque rem illi Græco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam.

I.) Præpositio *ab*, æque ac ceteræ, a verbis pendet; vel interdum etiam a substantivis, adjectivis et adverbiis, quæ eamdem, ac verba, vim et significationem aut habent aut ex ipsa vocabulorum collocatione et ambitu nanciscuntur. Proprie autem est præpositio localis, quæ nimirum significat locum a quo, sive *a*) spatii terminum, *b*) personam, *c*) rem, a quibus abitur, disceditur. — *a*) Significat terminum a quo abitur, sive pendeat a verbo, sive a substantivo, sive adhibeatur absolute per ellipsim. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 107. Dum herus adveniat a foro, opperiar domi. *Cic. Sen.* 16. 56. A villa in senatum arcessebatur Curius. *Id.* 8. *Att.* 3. 3. Quid perturbatius hoc ab Urbe discessu, sive potius turpissima fuga? *Id.* 5. *Tusc.* 32. 92. Diogenes Alexandro: Nunc quidem paullulum, inquit, a sole (*subaudi*: abeas). Obfecerat videlicet apricanti. *NB.* Si agitur de propriis urbium, oppidorum vicorumque nominibus, præpositio *ab* generatim omittitur. Sed tamen adjicitur quoties agitur de provincia, regno et imperio, vel de urbium, oppidorum vicorumque proximitate, vel denique de civibus eorumque partibus potius quam de urbe oppidove. *Auct. Bell. Afr.* 24. Neque ab Sicilia, neque ab Sardinia commeatus supportatus est. *Sueton. Tib.* 20. A Germania in Urbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit. *Cæs.* 3. *B. G.* 43. 2. Eo partem navium longarum convenire, frumentum commeatumque ab Asia atque omnibus regionibus, quas tenebat, comportari imperat. *Cic.* 12. *Phil.* 5. 11. Denuntiatum est, ne Brutum obsideret: a Mutina discederet. *Liv.* 21. 9. 3. Interim ab Roma legatos venisse nuntiatum est. *h. e.* qui a Romanis missi eorum partes agerent. — *b*) Significat personam, a qua disceditur; atque exinde, ampliata significatione, ipsius personæ ædes. *Plaut. Asin.* 3. 3. 13. Ne iste hercle ab ista non pedem discedat, si licessit, qui nunc festinat atque ab hac minatur sese abire. *Cic. Cæl.* 4. 10. Si a me discessit unquam. *Ter. Phorm.* 5. 1. 5. A fratre quæ egressa est meo. *h. e.* a fratris mei ædibus. *Id. Heaut.* 3. 2. 50. Quisnam a nobis egreditur foras? *Cic.* 4. *Att.* 9. 1. Venit etiam (*Pompejus*) ad me in Cumanum a se. — *c*) Significat res, a quibus abitur. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 33. Pueri Sisennæ — oculos de isto nunquam dejicere, neque ab argento digitum discedere. *Id. Sen.* 13. 44. C. Duilium — redeuntem a cœna senem sæpe videbam puer.

Hinc præpositione *ab* gaudent omnia verba, substantiva, adjectiva et adverbia, quæ non modo *profectionem* ab aliquo loco proprie significant, cujusmodi sunt *proficisci*, *escendere*, *escensio*, *delabi*, *profugus* etc.; sed illa etiam quæ latissimo sensu *loci terminum, a quo aliquid movetur*, significant sive *proprie*, sive *translate*: scilicet ¶ 1. Quæ *amotionem*, *divisionem*, *abstinentiam*, *cessationem* significant, quorum præcipua per indicem alphabeticum hic, ut infra, exhibemus, auctoris tantum nomine adjecto, ut quisquis uno omnia intuitu percipiat, et deinde singula, si lubet, suis in vocibus animadvertat. Abalienare a se judices *Cic.* Abdere res ab se *Lucret.* Abducere aliquem a consuetudine *Cic.* Aberrat longius oratio ab eo, quod propositum est *Cic.* Abhorrere a studio *Cic.* Abigere advenientem ab ædibus *Plaut.* Abjugare bovem ab stabulis *Pacuv.* Abjungere se ab aliqua re *Cic.* Abit res ab Apronio *Cic.* Ablegare pecus a prato *Varr.* Abripere aliquem a complexu patris *Liv.* Abrumpere aliquid ab aliquo *Liv.* Abscindere tunicam a pectore *Cic.* Abstergere lacrimas a læva *Lucil.* Abstinere aliquem a pecuniis *Cic.* Abstinere cupiditatem ab argento *Cic.* Abstrahere aliquem ab aliquo *Ter.*, a rebus gerendis *Cic.* Alienare bonos a se *Cic.* Alieno animo esse ab aliquo *Cic.* Aliter multo a ceteris agunt *Pomp. Mela.* Amandare rem procul a sensu *Cic.* Amittere aliquem a se *Ter.* Amoliri aliquem ab oculis *Curt.* Amovere virgas a corpore alicujus *Cic.* Arcere homines ab injuria *Cic.* Aspellere aliquem a leto *Cic.* Aspernari furorem a templis *Cic.* Avellere aliquem a patria *Plaut.* Avertere aliquid ab oculis *Cic.* Avocare aliquem ab aliqua re *Cic.* Carpere flores ab arbore *Ovid.* Cessare a prœliis *Liv.* Ciere aliquem a subsidiis *Liv.* Coercere aliquem a studio *Liv.* Cohibere hostem a licentia *Liv.* Commovere aliquem a loco *Cic.* Conquiescere ab armis *Cic.* Continere suos a prœlio *Cæs.* Convellere aliquid ab humo *Virg.* Convertere aliquem a vitæ pravitate ad etc. *Cic.* Custodire templum ab aliquo *Nep.* Decidere a spe *Liv.* Declinare a religione officii *Cic.* Deducere aliquem ab accusatione *Cic.* Defendere ignem a tecto *Ovid.* Deficere a senatu *Cic.* Deflectere a veritate *Cic.* Degenerare a virtute majorum *Cic.* Dehortari aliquem ab aliquo *Sallust.* Dejicere jugum a cervicibus *Cic.* Demittere aliquem ab alto *Virg.* Demovere labem a republica *Cic.* Depellere aliquem a loco *Cic.*, flammam ab aris *Cic.* Desciscere a populo *Cic.* Desistere a defensione *Cæs.* Deterrere aliquem a dimicatione *Cic.* Detorquere aliquem a latere *Cic.* Dignoscere rem a re *Plin.* Digredi a causa *Cic.* Dijudicare vera a falsis *Cic.* Dimittere aliquem a se *Cic.* Dimovere aera ab astris *Virg.* Dirimere agrum ab agro *Plin.* Discedere a dignitate sapientis *Cic.* Discernere stultum a sapiente *Cic.* Discludere Arvernos ab Helviis *Cæs.* Disjungere aliquem a familiaritate *Cic.* Dispellere caliginem ab animo *Cic.* Dispescere Africam ab Æthiopia *Plin.* Dissociare tironem a veterano *Tac.* Disterminare Armeniam a Neocæsarea *Plin.* Distinguere civem ab hoste *Cic.* Distrahere aliquem ab aliquo *Cic.* Divellere aliquem a voluptate *Cic.* Dividere Gallos ab Aquitanis *Cæs.* Educere exercitum ab urbe *Liv.* Ejicere aliquem a suis penatibus *Cic.* Emunire vitem ab injuriis pecoris *Colum.* Evocare exercitum ab oppido *Cæs.* Excludere aliquem ab hereditate *Cic.* Excire consulem ab urbe *Liv.* Excitare aliquem ab inferis *Cic.* Exigere pecus a grege *Varr.* Expellere ab littore naves *Liv.* Exterminare cives a suis dis penatibus *Cic.* Extrahere aliquem ab sede *Seneca.* Extrudere aliquem a lateribus suis *Tac.* Flectere aliquem a proposito *Liv.* Fluere a luna *Cic.* Fugare flammas a classe *Ovid.* Fundere Gallos a delubris *Liv.* Impedire aliquem a vero *Sallust.* Intercludere aliquem ab aliqua re *Cæs.* Internoscere vera a falsis *Cic.* Intersepire urbem ab arce *Liv.* Labi a vera ratione *Lucret.* Longe a domo *Cic.* Longinque a domo bellum gerere *Enn.* Manare a luna *Cic.* Migravit ab aure voluptas *Horat.* Morari aliquem ab aliqua re *Cæs.* Movere se a gremio alicujus *Catull.* Munire latus ab hoste *Curt.* Mutare aliquem Scythico ab arcu *Ovid.*

Mutatio a vulgari specie *Quintil.* Nubere a liberis *Dig.* Occultare se a conspectu alicujus *Plaut.* Otium sibi sumere a reip. muneribus *Cic.* Pellere invidiam a se *Cic.* Percellere aliquem ab aliquo *Cic.* Præmittere aliquem a portu *Plaut.* Præstare tibi nihil possum a vi *Cic.* Procul a castris; Procul esse a conspectu etc. *Cæs.* Prohibere vim hostium ab oppidis *Cæs.* Projicere aliquem ab urbe *Ovid.* Promovere gradum a loco *Stat.* Propellere periculum ab aliquo *Liv.* Propulsare a se omnem suspicionem *Cic.* Protegere naves a ventis *Cæs.* Proterrere aliquem ab ædibus *Cic.* Recipere se a cœtu hominum *Cic.* Reducem facere ab Orco mortuum *Ter.* Reducere suos ab oppugnatione *Cæs.* Refrenare aliquem a gloria *Cic.* Rejicere aliquid ab se *Cic.* Relegare aliquem ab hominibus *Cic.* Remittere aliquem a legione domum *Plaut.* Removere aliquid ab oculis *Cic.* Repellere aliquem a ponte *Cæs.* Reprehendere aliquem ab exitio *Lucret.* Reprimere aliquid ab aliqua re *Cic.* Repudiare consilium senatus a republ. *Cic.* Resolvere manum a corpore *Seneca.* Restituere aliquem a limine mortis *Catull.* Retardare aliquem a scribendo *Cic.* Retinere aliquem a fuga *Liv.* Retorquere vela ab aquis *Ovid.* Retrahere consules a republ. *Cic.* Revocare aliquem a consilio *Cic.* Secare urbem procul a mari *Plin.* Secernere se a bonis *Cic.* Secludere flumen a monte *Cæs.* Secubare ab aliquo *Catull.* Seducere aliquem a peste *Cic.* Segregare aliquem a numero civium *Cic.* Sejugata animi pars ab actione corporis *Cic.* Sejungere se ab aliquo *Cic.* Semovere aliquem a liberis *Cic.* Seorsum a patre habitare *Dig.* Seorsus a collega puto mihi omnia paranda *Cic.* Separare suum consilium ab reliquis *Cæs.* Separatim eos ab illis consulturos *Liv.* Seponere aliquem a domo sua *Tac.* Sevocare mentem a sensibus *Cic.* Subducere se a custodibus *Nep.* Submovere hostes a porta *Cæs.* Subtrahere se a curia *Cic.* Suscitare testem ab subselliis *Cic.* Sustinere se a lapsu *Liv.* Tardare aliquem a laude *Cic.* Tegere portum ab Africo *Cæs.* Tempus datur a negotiis *Cic.* Temperare sibi a mendacio *Cic.* Tenere manus ab aliquo *Ovid.* Tollere se altius a terra *Cic.* Torquere aurem a sermonibus *Horat.* Traducere animum a servitute *Cic.* Trahere aliquem ab incepto *Sallust.* Tueri domum a furibus *Phædr.* Tutari aliquid a frigoribus *Plin.* Vellere postes a cardine *Virg.* ¶ 2. Quæ *distantiam* et *discrepantiam* significant. Ad distantiam vero quod attinet, solita sunt usurpari verba *abesse*, *distare*, *esse*, aut ipsa præpositio *ab* absolute, aut denique verba quæ ad castra locanda pertinent. *Cic.* 10 *Fam.* 17. 1. Ventidius bidui spatio abest ab eo. Lepidus ad Forum Voconii castra habet, qui locus a Foro Julii quatuor et viginti millia passuum abest. *Cæs.* 1. *B. C.* 16. Cohortes quinque — pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter triginta. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 12. 13. (32). Distat a continente passibus M. *Id.* 5. *ibid.* 31. 38. (138). Clara vero in alto Teos cum oppido, a Chio LXXI. M. D. passuum, tantumdem ab Erythris. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Positis castris a millibus pass. XV. auxilia Germanorum exspectare constituunt. — Discrepantiam generatim significant: Abhorret res ab usu forensi *Cic.* Abludit non multum imago a te *Horat.* (Non) Absurda ab initio causisque talium facinorum repetiero *Tac.* Discordat vox ab oratione *Quintil.* Discrepare ab opinione alicujus *Cic.* Differre ab aliqua re *Plaut.* Dissidere ab aliquo *Cic.* Dissimilitudinem habere a rebus *Cic.* Dissentire ab aliquo *Cic.* Distat argumentatio a veritate *Cic.* Diversus a ratione proposita *Cic.* — Hinc eleganter dicitur *ab re*, *h. e.* ab ipsius rei natura; et e contra dicitur *non ab re*, scilicet non est, non abest, non discrepat a re proposita. *Plaut. Trin.* 2. 1. 12. Eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur, ab re consulit blandiloquentulus. *Id. Capt.* 2. 2. 88. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. *Liv.* 35. 32. 6. Tamen non ab re esse Quinctio visum est sociorum aliquos legatos interesse ei consilio. ¶ 3. Quæ *solutionem*, *privationem*, *vacuitatem* significant. Abdicere vindicias ab aliquo *Dig.* Abjudicare agrum a populo *Cic.* Absolvere se a judicio *Cic.* Allevare animum a mœrore *Curt.* Asserere aliquam a lenone *Plaut.* Calva erit a vite si vinea *Cato.* Casta a cruore civili res familiaris *Cic.* Conservare aliquem pudice a populo *Catull.* Depurgare terram ab herba *Cato.* Expedire se ab omni occupatione *Cic.* Expiare forum a sceleris vestigiis *Cic.* Explicare se a lanis *Plin.* Firmus a gravi valetudine *Sueton.* Immunes a dolore dentes fiunt *Plin.* Impunitas a judicio et a sermone *Cic.* Inops ego eram ab amicis *Cic.* Integræ ab labore cohortes *Cæs.* Intermittere tempus a labore *Cæs.* Lavare animos a contentione *Cic.* Liberare se a Venere *Cic.* Liber a delictis *Cic.* Mutum a litteris tempus *Cic.* Nuda a magistratibus respubl. *Cic.* Orba ab optimatibus concio *Cic.* Pudica a me est mulier *Plaut.* Pudicus ab omni facto et opprobrio turpi *Horat.* Purgare oleam a foliis *Cato.* Purificare se ab aliqua re *Sueton.* Puri aliquid ab humano cultu *Liv.* Quies datur ab armis. *Liv.* Recipere animum a pavore *Liv.* Reficere milites a laboribus *Hirt.* Relaxare se a nimia necessitate numerorum *Cic.* Remittere animum ab aliqua re *Liv.* Respirare a metu *Cic.* Securus a metu somnus *Plin.* Servare aliquem tutum a periculis *Cic.* Solitudo quædam erat ab oratoribus in foro *Cic.* Solvi ab amplexu *Ovid.* Solutus a cupiditatibus animus *Cic.* Sterilis est amator a datis *Plaut.* Tempus datur ab aliqua re *Cic.* Ulcisci se ab aliquo *Cic.* Vacabant loca a custodiis classium *Cæs.* Vacationem dari a causis *Cic.* Vacuitas ab angoribus *Cic.* Vacua atque pura domus ab ista suspicione *Cic.* Vacuum a defensoribus oppidum *Cæs.* Vasta a defensoribus urbe *Sallust.* Viduæ et vastæ abs te virgines *Enn.* Vindicare aliquem a labore *Cic.* ¶ 4. Quæ *exceptionem*, *ablationem*, *acquisitionem*, *electionem*, *postulationem* significant. Abradere aliquid ab aliquo *Cic.* Acceptare mercedem a discipulis *Quintil.* Accipere litteras ab aliquo *Cic.* Adipisci honores a populo *Cic.* Adoptare aliquem ab aliquo *Cic.* Adsciscere sacra a Græcis *Cic.* Afferre litteras ab aliquo *Cic.* Animadvertere sues a facie *Varr.* Aucupari similitudinem ab aliqua re *Cic.* Audire aliquid a comitiis *Cic.* Auferre responsum ab aliquo *Cic.*, statuas ab Syracusanis *Cic.* Capere aliquid ab aliquo *Cic.* Cogere pecuniam a civitatibus *Cic.* Cognoscere aliquid ab aliquo *Cæs.* Colligere stipem a tyrannis *Liv.* Comparare alicui aliquid ab aliquo *Cic.* Compilare sapientiam ab aliquo *Cic.* Conciliare sibi amorem ab omnibus *Cic.* Conducere domum ab aliquo *Seneca.* Consequi aliquid ab aliquo *Cic.* Contendere aliquid ab aliquo *Cic.* Dare argentum a se *Plaut.* Delibare aliquid ab aliquo *Lucret.* Deligere in consilium a populo *Cic.* Deposcere sibi aliquid ab aliquo *Cic.* Deprecari aliquid ab aliquo *Cic.* Depromere juris utilitatem a peritis *Cic.* Detestari aliquid ab aliquo *Cic.* Desiderare aliquid ab aliquo *Cic.* Discere dialecticam ab aliquo *Cic.* Ebibere? mores a parentibus *Cic.* Eligere aliquid a multis *Cic.* Emere libros ab aliquo *Seneca.* Eripere aliquid ab aliquo *Ter.* Exorare aliquid ab aliquo *Cic.* Expectare aliquid ab aliquo *Cic.* Expetere auxilium ab aliquo *Cic.* Exposcere victoriam ab dis *Cæs.* Exprimere aliquid nummulorum ab aliquo *Cic.* Extorquere aliquid ab aliquo *Cic.* Flagitare aliquid ab aliquo *Cic.* Frui aliqua re ab aliquo *Dig.* Furari aliquid ab aliquo *Cic.* Habere aliquid ab aliquo *Cic.* Impetrare aliquid ab aliquo *Cic.* Inire gratiam ab aliquo *Nep.* Intercipere agrum ab aliquo *Liv.* Invenire aliquid ab aliquo *Cic.* Legare aliquid ab secundo herede *Cic.* Legere aliquid ab aliquo *Plaut.* Mercari aliquid ab aliquo *Cic.* Mereri aliquid ab aliquo *Dig.* Mutuari a Germanis auxilia *Hirt.* Nancisci aliquid ab aliquo *Cic.* Nundinari jus ab aliquo *Cic.* Numerare alicui aliquid ab ærario *Cic.*, a quæstore *Cic.* Obsecrare ab aliquo *Plaut.* Obtinere aliquid ab aliquo *Justin.* Optare præmium ab aliquo *Ter.* Orare aliquid ab aliquo *Plaut.* Percipere civitatem ab aliquo *Justin.* Petere aliquid ab aliquo *Cic.* Persolvere alicui ab aliquo *Cic.* Possidere ædes ab aliquo *Cic.* Postulare aliquid ab aliquo *Cic.* Præcipere aliquid ab aliquo *Cæs.* Prædam facere ab aliquo *Nep.* Quærere defensionem a jure *Cic.* Rapere aliquid ab ara *Phædr.* Recuperare villam suam ab aliquo *Cic.* Reddere litteras ab aliquo *Liv.* Redimere captos a prædonibus *Cic.* Reperire ab aliis eadem esse vera *Cæs.* Repetere aliquid ab aliquo *Cic.* Reportare laudem a sociis *Cic.* Reposcere rationem ab aliquo *Cic.* Repræsentare pecuniam ab aliquo *Cic.* Requirere litteras proprias ab aliquo *Cic.* Rogare aliquid ab aliquo *Sempr. Asell.* Solvere aliquid ab aliquo, a se *Cic.* Sperare aliquid boni ab aliquo *Cic.* Sumere litteras ab aliquo ad aliquem *Cic.* Suppeditare sumptum a sociis *Cic.* Surripere aliquid ab aliquo *Cic.* Tangere agrum ab invito *Cic.* Trahere nomen ab aliqua re *Ovid.* Uti itinere ab aliquo *Dig.* ¶ 5. Quæ *initium* et *appellationem* significant. Amare a lenone *Plaut.* Appellare assiduus ab ære dando *Liv.* Auspicari vitam a suppliciis *Plin.* Bibere fontem ab origine *Nemes.* Cœpisse ab Homero *Quintil.* Cognominare gentes a mari *Flor.* Denominare aliquid a re aliqua *Cic.* Dicere aliquid ab aliqua re *Plin.* Enumerare a Thalete philosophorum sententias *Cic.* Exordiri bellum a causa nefanda *Liv.* Exordium scribendi capere a temporibus *Cic.*, ducere ab aliqua re *Cic.* Haurire aliquid a fontibus *Cic.* Imponere vocabulum a re *Plin.* Inchoare facinus ab aliqua re *Curt.* Incipere ab Jove *Quintil.* Incipere bellum ab Ægypto *Justin.* Initium capere a flumine *Cæs.*, ducere a fame *Cic.*, facere ab aliquo *Cic.*, sumere ab aliqua re *Varr.* Nomen dare ab aliqua re *Plin.* Nominare aliquid ab aliquo *Cic.* Numerare signa a principibus *Varr.* Ordiri causam ab eo *Cic.* Oriri ab extremis Galliæ finibus *Cæs.* Primordia agendi capere ab dis *Cic.* Principia rerum ducenda ab dis *Cic.* Vocare aliquid a re aliqua *Plin.* — Hinc illa *Ab initio* Quintil., *A primo (sc. tempore)* Ter., *A principio* Cic., *A primordio* Quintil., *Ab integro* Cic. 2. *Verr.* 56. Unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide redivivo. Et apud *Orell. Inscr.* 1064. TEMPLVM A VETVST. CONLABSVM — A NOVO RESTITVI FECIT. — Hinc etiam *Ordinalia* gaudent pr. *ab*; subaudiri enim potest *incipiendo*, *enumerando*. *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 12. 46. Qui quartus ab Arcesila fuit. *Liv.* 7. 1. 10. Dignus habitus, quem secundum a Romulo conditorem urbis Romanæ ferrent. *Auct. B. H.* 66. Potentia secundus a rege. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 193. Heros ab Achille secundus. *Virg.* 5. *Ecl.* 49. Alter ab illo. — Pariter subaudiri potest *incipiendo* in elegantibus illis locutionibus *A vertice ad talos* etc. *Cic. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Plaut. Epid.* 5. 1. 17. Usque ab unguiculo ad capillum est festivissima. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 4. Candidus et talos a vertice pulcher ad imos. ¶ 6. Denique præpositio *ab* jungitur verbo *esse* præsertim cum agitur de servis ad eorumdem dominum significandum; vel etiam absolute usurpatur quoties facile subaudiri possunt hæc verba: *oriundus*, *profectus*, *missus* aliave similia. *Plaut. Curcul.* 4. 1. 6. Hæc cistella numnam hinc a nobis domo est? *Ter. Andr.* 4. 4. 15. DAV. Unde est (*hic puer*)? dic clare. MY. A nobis. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 22. Esne tu an non es ab illo milite Macedonio, servus ejus etc.? *Ter. Andr.* 4. 4. 17. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo. *Liv.* 32. 1. 9. Legati ab Ardea. *Id.* 37. 45. 4. Sub idem fere tempus caduceator ab Antiocho per P. Scipionem a consule petiit etc. *Varr.* 2. *R. R.* 2. 1. Pastores ab Pergamide Maledove. *Liv.* 1. 50. Turnus Herdonius ab Aricia. *Id.* 31. 22. 7. Prædones a Chalcide. *Martial. Spect.* 18. Tigris ab Hyrcano gloria clara jugo. — Hinc illa, in quibus veteres præpositione *ab* videntur usi, cum vellent circumloqui ablativa, et in quibus proprius esset casus genitivus. *Virg.* 2. *G.* 243. Dulcesque a fontibus undæ. *Lucret.* 2. 50. Neque fulgorem reverentur ab auro (Cf. τὸν ἐξ ὀφθαλμοῦ).

II.) Præpositio *ab* significat etiam satis amplum spatii partem, a qua aliquid fit vel est. ¶ 1. Jungitur verbis quoties denotatur a qua parte actio fiat. *Cic.* 12. *Fam.* 5. 3. Nunc autem opto, ut ab istis Orientis partibus virtutis tuæ lumen eluceat. *Virg.* 9. *Æn.* 375. Conclamat ab agmine Volscens. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Foriculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat. *Virg.* 7. *Æn.* 106. Gramineo ripæ religavit ab aggere classem. — Hinc illa *a*) *Ab ostio*, *A janua*, *A postibus*, *A limine*, *A limite* etc. *Plaut. Mercat.* 2. 4. 9. Omnia ego istæc auscultavi ab ostio. *Cic.* 2. *Orat.* 68. 276. Cum ad Nasicam venisset Ennius et cum a janua quæreret etc. — *b*) *A tergo*, *A fronte*, *A latere*, *A lateribus*, *A sinistra*, *A læva*, *A dextra*, *A capite*, *A vertice*, *Ab aure*, *Ab ore*, *A vultu*, *A pectore*, *A ventre*, *A pedibus*, et de brutis *A cauda*, et apud milites *A cornibus*, *A cornu dextro* etc. *Cic.* 3. *Phil.* 13. 22. A tergo, a fronte, a lateribus tenebitur. *Liv.* 27. 48. 15. Ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo trucidantur Hispani. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. 12. Requirens Jupiterne cornicem a læva, corvum a dextra canere jussisset. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 16. 18. (38). Is tradit noctuam — cornicem a cauda de ovo exire. *Liv.* 1. 37. 3. Utrimque ab cornibus positos — ita incurrisse a lateribus ferunt etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Cum hostium acies a sinistro cornu pulsa atque in fugam conversa esset, a dextro cornu — nostram aciem premebant. — *c*) *Ab oriente*, *Ab ortu*, *Ab occasu*, *Ab occidente*, *A meridie*, *A septemtrione* vel *septemtrionibus*;

necnon *A sole, A luna, A vento, A mari, A porta, A castris* etc., *A populo* aliquo. *Vitruv.* 1. 4. 2. In cellis enim vinariis tectis lumina nemo cupit a meridie nec ab occidente, sed a septemtrione. *Varr.* 1. *R. R.* 7. 2. Minus officit aliud alii ab sole ac luna et vento. *Cæs.* 3. *B. G.* 25. Non eadem esse diligentia ab decumana porta castra munita. *Id.* 1. *B. G.* 1. Attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum. — d) *A summo bibere, dare*, aut *A summo, Ab infimo* etc. *Plaut. Asin.* 5. 2. 41. Da, puere, ab summo: age tu interibi ab infimo da suavium (*V.* ACCUMBO). *Cic. Sen.* 14. 46. Is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis. *Id.* 1. *Divinat.* 17. 30. Incurvum et leviter a summo inflexum bacillum. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. 6. Stipites demissi et ab infimo revincti. — e) *A stirpe, A radice, A radicibus, A fundamento, A fundamentis* etc. *Sallust. Cat.* 10. Karthago æmula imperii Romani ab stirpe interiit. *Phædr.* 3. 10. 59. A radicibus non evertisset scelere funesto domum. *Liv.* 26. 13. 16. Urbem a fundamentis proruere. – Hinc *A parte, A partibus, Ab aliqua parte, Ab omni parte, Ab omnibus partibus; A sinistra, altera, superiore, exteriore, interiore* etc. *parte. Cic.* 2. *Herenn.* 20. 31. Ut adversariorum argumentationes – ab aliqua parte labefactare possimus. *Ovid. Heroid.* 15. 45. Hæc quoque laudabas, omnique a parte placebam. — f) Hinc denique apud Comicos *ab* cum personarum nomine significat quod fit apud ipsas personas vel personarum ædes. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 76. Sed foris concrepuit hinc a vicino sene. *Ter. Adelph.* 5. 3. 2. Quisnam a me pepulit tam graviter fores? ¶ 2. *Ab* cum personarum nominibus significat sæpe *ab earumdem parte. Ter. Hec.* 4. 4. 45. Neutra in re vobis difficultas a me erit. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 47. A nobilitate igitur periculum. *Liv.* 21. 13. 4. Nec a Romanis vobis ulla spes est. — Hinc a) *Metuere, timere, desperare ab aliquo* sæpius occurrunt. *Cic.* 9. *Att.* 7. 4. Sed cum eadem metuam ab hac parte, – rectius putem quidvis domi perpeti. *Id.* 2. *Phil.* 45. 116. Quæ est autem vita dies et noctes timere a suis? *Cic. Pison.* 6. 12. Spem habere a tribuno plebis, – a senatu quidem desperasse. *Liv.* 33. 32. 10. Dempto metu a Philippo omni. — b) *Stare, facere, agere, sentire, dicere, tractare aliquid ab aliquo*, aut aliquando *ab aliqua re* est illius partibus favere, studere. *Cic. Brut.* 79. 273. Ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit. *Id.* 1. *Invent.* 3. 4. Cum sæpe a mendacio contra verum stare homines consuescerent etc. — c) Hisce locutionibus proxime accedit alia, nempe *esse ab aliquo*, vel absolute *ab aliquo*, cum de philosophorum sectis agitur. *Cic.* 4. *Fam.* 3. 7. Zeno et qui ab eo sunt. *Id.* 2. *Tusc.* 3. 7. Ii, qui sunt ab ea disciplina. *Id. Muren.* 30. 63. Nostri illi a Platone et Aristotele moderati homines et temperati ajunt (Cf. οἱ ἀπὸ Πλάτωνος). *NB.* Nonnulli, ex quibus Klotz. ex *Cic.* 3. *Leg.* 6. 14., 5. *Tusc.* 41. 119. et ex *Quintil.* 4. 2. 31. in hac dicendi ratione subaudiunt *profecti.* — d) Hinc *a re aliqua* idem est atque *a parte rei*, sive *quod attinet ad*. *Plaut. Trucul.* 1. 1. 26. Bis periit amator ab re atque ab animo simul. *Id. Aulul.* 2. 2. 9. ME. Ain' tute valere? EV. Pol ego a pecunia perbene. *Cic.* 7. *Att.* 15. 3. Sumus enim flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia. — e) Præcedentibus nominibus *servus, libertus, verna* etc., *faber* quoque et *medicus*, interdum et *officium*; aut nominibus propriis, servorum præcipue vel libertorum, præpositio *ab* ministerium aut artem denotat: quod raro ante Imperatores, sæpissime post ipsos occurrit propter servorum numerum in immensum propemodum adauctum. Apud *Cicer.* primo et semel tantum locutio hæc occurrit in 8. *Att.* 5. 1. Nec ullam aliam ob causam Pollicem servum a pedibus meum (*Editt.* meis, *recte meum restituit Klotz*) Romam misi. *h. e.* is cui cura erat calceorum servandorum, quos cœnaturi domini deponebant. *Sueton. Cæs.* 74. Philemonem, a manu servum, – non gravius quam simplici morte punivit. *Id. Domit.* 14. Epaphroditum a libellis capitali pœna condemnavit. *Id. Tiber.* 42. Novum denique officium instituit a voluptatibus, præposito equite Romano, T. Cæsonio Prisco. — Hæc et similia usurpantur fere cum Genitivo; reperitur tamen etiam Dativus. *Inscript.* apud *Grut.* 584. 2. ALEXIO CÆSARIS AVGVSTI A BIBLIOTHECA. Adde 578. 1. et 61. 4. *Seneca Apocoloc.* 15. (*Lud. extr.*) Is Menandro liberto suo tradidit, ut a cognitionibus ei esset. *Vopisc. Carin.* 18. Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistolis fuit. Apud *Sueton., Tacit., Lamprid., Vopisc.*, et in Inscriptionibus apud *Orell., Reines. Murat.* et *Gruter.* passim reperitur *Servus ab hortulis, a veste castrensi; Serva a sandalis; Libertus a studiis, ab epistolis, a memoria, ab codicillis, a commentariis equorum, a cubiculo Augustæ, a cura amicorum; Liberta a manu; Libertinus a pugione; Verna a rationibus voluptatum; Puer a pedibus; Proximus a memoria, a studiis, a libellis; Adjutor a commentariis ornamentorum; Præpositus ab auro escario, a veste matutina, ab argento potorio, a fiblis, a crystallinis; Procurator ab ephemeride, a mandatis, a veredis, a pinacothecis; Publicus* vel *Servus publicus a censu, a bibliotheca græca; Scriba ab epistolis latinis; Ædituus a Vesta; Faber a Corinthiis; Figulus ab imbricibus; Medicus ab oculis.*

III.) Quoniam spatium et motum metimur per tempus, et viceversa; præpositio *ab* significat etiam *temporis terminum*, a quo aliquid est vel fit; idque a) per facta vel phænomena, b) per adjectiva vel adverbia temporalia, c) per nomina temporis definita, cujusmodi sunt *annus, mensis, dies* etc. — a) Temporis terminus est actio vel phænomenon. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 4. Atque eadem mulieres ab re divina credo apparebunt domi. *Cic.* 2. *Phil.* 40. 103. Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis – fundum Casinatem. — b) Præpositio *ab* adjicitur adjectivis vel adverbiis temporalibus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 5. 11. Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit. *Virg.* 6. *Aen.* 450. Recens a vulnere Dido. *Cic.* 1. *Att.* 5. 4. Ut primum a tuo digressu Romam veni. *Liv.* 30. 36. 1. Confestim a prœlio. *Sueton. Cæs.* 85. Statim a funere. *Vellej.* 2. 104. 3. Protinus ab adoptione. *Flor.* 4. 2. 67. Ejus elephanti, bellorum rudes et nuper a silva, consternati subito clangore. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 9. Verum suburbanis locis, ubi a matre pulli non exiguis pretiis veneunt, probanda est æstiva educatio. *h. e.* recentes a matre. *Lucret.* 4. 1164. Ceres est ipsa ab Iaccho. *h. e.* recens a partu Iacchi. — c) Additur definitis temporis nominibus. *Cic.* 3. *Orat.* 2. 7. Qui annus ei primus ab honorum perfunctione aditum – ad summam auctoritatem dabat. *Liv.* 1. 40. Regnatum Romæ ab condita Urbe ad liberatam annos CCXLIV. *Cic. Milon.* 35. 98. Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodii. *Id.* 2. *Phil.* 41. Ab hora tertia bibebatur.

Hinc ¶ 1. Locutiones consuetæ *Ab adolescentia* Cic. 2. de rep. 1. 1. *A prima adolescentia* Id. 1. Fam. 9. 23. *Ab ineunte ætate* Id. 2. Off. 13. 44. *Jam inde ab incunabulis* Liv. 4. 36. 5. *A pueritia* Cic. 2. Tusc. 11. 27. *A teneris unguiculis* Id. 1. Fam. 6. 2. *A toga pura* Id. 7. Att. 8. 5; et juxta Latinam loquendi rationem *Ab adolescentulo* Cic. Quinct. 3. 12. *A pueris* Id. 1. Tusc. 24. 57.; necnon *A parvo* Liv. 1. 39. 6. *A parvis* Cic. 2. Leg. 4. 9. et alia sexcenta: quibus proxime accedunt *Ab aurora* Plaut. Pœn. 1. 2. 6. *A prima luce* Cæs. 1. B. G. 81. etc. — ¶ 2. Quoniam in superioribus locutionibus præp. *ab* fere semper significat *post*, ita apud recentiores eadem significatione usurpata est in rebus quoque ordinandis, et aliquando etiam cum Comparativis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (52). Proximum deinde caprarum est, ab hoc ovium, deinde boum, novissimum jumentorum. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 22. Ab his leguminibus ratio est habenda naporum raporumque. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. 61. Major ab intemporali somno vigiliarum est vexatio. — Et 2. *Acut.* 1. 2 (*Lethargus*) est comparatione gravior phrenitide, non aliter quam negatus in toto visus ab ex parte impeditus, vel silentium ab impedita locutione etc. *Hieron. ep.* 21. *n.* 41. Qui prima hora conductus est plus meretur ab eo, qui hora tertia missus est ad vineam. *In quibus ab pro præ usurpatur.*

IV.) Præpositio *ab* etiam *causam* significat, per quam, aut propter quam aliquid efficitur vel est. ¶ 1. Præpos. *ab* significat causam *per quam* vel *a qua* aliquid efficitur vel est: jungitur vero a) cum verbis *activis*, in locutionibus *facere, instituere* etc. *a se*; cum verbo *esse*; et cum adjectivis præsertim apud Poetas. *Cic. Tim.* 6. Ita se ipse (*mundus*) consumptione et senio alebat sui, cum ipse per se et a se et pateretur et faceret omnia. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 5. Ischomachus -rogatus- utrumne- mercari villicum tamquam fabrum, an a se instituere consueverit: Ego vero, inquit, ipse instituo. *Plaut. Rud.* 2. 5. 21. Nam hæc litterata est, ab se cantat, cuja sit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Si est calor a sole. *Id.* 9. *Fam.* 16. 7. Hæc levior est plaga ab amico, quam a debitore. — *Ovid. Heroid.* 10. 16. Utque erat a somno turbida, rapta coma est. *Sallust. Fragm. p.* 934. *Cort.* Quæ a paludibus invia fuit. — b) Jungitur etiam cum verbis neutris, quæ tamen per se passionem significant, cujusmodi sunt præcipue *dolere, interire, perire, cadere, venire, vapulare, salvere* et e contra cum deponentibus *nasci, oriri*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 10. (15). Cupressi folia imponuntur capiti cum polenta, si a sole doleat. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 7. 20. Quæ (*ratio*) sit eadem sempiterna; nihil enim valentius esse, a quo intereat. *Ovid.* 13. *Met.* 597. Occidit a forte-Achille. *Cic.* 12. *Phil.* 5. 13. Immunitates ab eo, civitates, sacerdotia, regna venierunt. *Quintil.* 9. 2. 12. Testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset. *Cic.* 6. *Att.* 2. 10. Salvebis a meo Cicerone. *Id. post Red. ad Quir.* 2. 5. A parentibus – parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis. *Id. Top.* 6. 29. Qui ab ingenuis oriundi sunt. — c) Jungitur cum verbis passivis quoties agitur de persona, etiam collectivo nomine significata, vel agitur de abstractis per prosopopœiam exhibitis; quamquam aliquando usurpetur *ab* etiam cum agitur de rebus physicis, præsertim apud Poetas. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 7. Alexander ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat. *Id. Amic.* 16. 56. Ut quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. *Id. pro leg. Man.* 8. 20. In quo maxime laborandum est, ne forte a vobis, quæ diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. *Cic. Sen.* 5. 13. Ut bella a se gesta, ut triumphos recordetur. *Id.* 3. *Fam.* 11. 2. Quæ a cuncto populo, a senatu, a judicibus ingenio, industriæ, virtuti tribuuntur, – mihi quoque ipsi tribui puto. *Liv.* 30. 1. 13. Editi a collegio pontificum di, quibus sacrificaretur. *Cic.* 1. *Off.* 20. 68. Non est consentaneum – qui invictum se a labore præstiterit, vinci a voluptate. *Id.* 1. *Leg.* 12. 33. Tantam esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 134. Ab his (*dentibus*) extenuatur et molitur cibus. *Ovid.* 5. *Fast.* 709. Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense. *Id.* 14. *Met.* 345. Pœniceam fulvo chlamydem compressus ab auro. ¶ 2. Præpos. *ab* significat etiam causam, *propter quam* aliquid efficitur vel est. *Liv.* 3. 61. 13. Feroces ab re priore anno bene gesta. *Id.* 36. 24. 7. Oppidum victores permissu consulum diripiunt, non tam ab ira, nec ab odio, quam ut miles – aliquo tandem loco fructum victoriæ sentiret. *Id.* 8. 16. 6. Hostes ab superioris etiam certaminis memoria pavidos. Et *Id.* alibi sæpius. *Tac.* 4. *Hist.* 72. Cerialis a metu infamiæ pressit iras. — Eadem significatione, a Poetis præsertim, præpos. *ab* jungitur cum arte vel modo, quo aliquid fit, ita ut abundare videatur. *Ovid.* 2. *Trist.* 461. Docetque Qua nuptæ possint fallere ab arte viros. *Tibull.* 1. 5. 3. Turben, Quem celer assueta versat ab arte puer.

In compositione *Ab* significat separationem, retractionem in partem posteriorem, aut privationem: nec unquam cum alpha privativo Græcorum est confundenda. Cum omnibus prorsus vocalibus et cum plerisque consonantibus connectitur *Ab*, ut *Abactor, Aberro, Abire, Aborior, Abundo, Abduco, Abjuro, Ablego, Abnuo, Abrogo, Absimilis*: cum *M* et *V* connectitur *A*, ut *Amoveo, Amens, Avello*; cum verbo *fui, futurus, fore, Ab*, vel *A*: cum *C, T* et *Q* connectitur *Abs*, ut *Abscondo, Abstineo, Absque*; cum verbis *pello, porto* et *spernor* a *sperno* eadem *Abs*, extrita tamen *b* euphoniæ causa, unde *Aspello, Asporto, Aspernor*: duo vero sunt ex *Ab* præpos. composita, quæ euphoniæ gratia *B* mutant in *U*, *Aufero* videlicet et *Aufugio*, de quibus Cf. *Cic. Orat.* 47. 158., *Quintil.* 1. 5. 69. et *Gell.* 15. 3. — *Ab* præponitur aliquando etiam adverbiis, quæ proinde tamquam substantiva habenda sunt: hoc autem jam inde a priscis temporibus, sed vulgari tantum licentia, usuvenisse putandum est, qua deinde cadentis latinitatis auctores abusi esse videntur. *Vitruv.* 5. 6. 8. *Schneider.* Versuræ – quæ efficiunt, una a foro, altera a peregre, aditus in scænam. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (227). A foris. *Aggen. Urb. de limit. agr.* A foras. *Interpr. Vulg. sæpius*: A longe, A modo vel Amodo. Sic etiam *Abante, Abinvicem* et *Abhinc*, quæ *V.* suis locis. — Præpositioni *ab* præponuntur ali-

quando *inde* et *usque*; interdum occurrit etiam *ab-usque*: quæ pariter *V.* suis locis.

Homonym. Præpositiones *ab*, *de* et *ex* inter se differunt: *ab* enim nobis repræsentat rem *apud* aliquem locum; *de* vero *super* aliquem locum; *ex* deinque *intus* in aliquo loco. *Cic. Cæc.* 30. 87. Si qui meam familiam de meo fundo dejecerit, ex eo me loco dejecerit; si qui mihi præsto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum et me introire prohibuerit, non ex eo loco, sed ab eo loco me dejecerit etc. — Hinc præpositioni *ab* respondet præpositio *ad*; præpositioni *de* præpositio *in*, ita tamen ut *sursum* significet; præpositioni *ex* præpositio *in*, quæ *intus* significet. *Varr.* 2. *R. R.* 1. 4. Tertio denique gradu a vita pastorali ad agri culturam descenderunt. *Et paullo post*: Ex hac vita in secundam descendisse pastoriciam. (Adde *Cic.* 2. *de republ.* 19. 34. Influxit enim non tenuis quidam e Græcia rivulus in hanc urbem). *Id. in Vatin.* 11. 26. Cum Vettius perorasset-descendissetque de Rostris. *Et e contra Liv.* 34. 54. Consul ex auctoritate patrum in Rostra ascendit.

AB, *V.* **A, AB, ABS.**

ĂBĂBUS idem atque Abavus, mutata littera *V* in *B*, de qua mutatione, haud infrequenti in Inscriptionibus, *V.* infra litt. B et V. *Reines. synt. Inscr. Lat. cl.* 6. n. 71. MVNATIO PLANCO PAVLINO V. C. — CREPEREIVS AMANTIVS ABABO SVO.

ĂBACTĬA JUMENTA legimus in *Inscr.* apud *Murat.* 606. EO QVOD IN TRANSITV IVMENTA ET PASTORES QVOS CONDVCTORES HABENT, DICENTES STATIONARII FVGITIVOS ESSE ET IVMENTA ABACTIA HABERE etc., ubi vocabulum *abactia* significaret *per vim aut furto ablata*, et revocandum esset ad adjectivum *Abactius, a, um*; nisi forte lapicidæ mendum fuerit, et potius legendum sit ABACTA vel ABACTICIA vel etiam ABACTIVA eadem tamen significatione.

ĂBACTOR, ōris, m. 3. (abigo) proprie qui a loco in locum agit sive pellit; sed tamen peculiari tantum significatione occurrit, et est qui jumenta et pecora furatur (It. *ladro di bestiami*; Fr. *ravisseur de troupeaux*; Hisp. *abigeo*; Germ. *Viehdieb*; Angl. *stealer, or driver away of cattle*), quique apud JCtos fere semper dicitur *abigeus* vel *abigeator*, quæ videsis. — *a*) Absolute. *Apul.* 7. *Met.* 26. Abactorem indubitatum cruentumque percussorem criminantes. *Paul. Sent.* 5. 18. 1. Abactores sunt, qui unum equum, duas equas, totidemque boves, vel capras decem, aut porcos quinque abegerint. *Servius* in *Virg.* 3. *G.* 407. Iberos, abactores. Fere enim Hispani omnes acerrimi abactores sunt. *Isid.* 10. *Orig.* 14. Abactor est fur jumentorum et pecorum, quem vulgo abigeum vocant, scilicet ab abigendo. — *b*) Cum Genitivo. *Firmic.* 6. *Mathes.* 31. Pecorum abactores. *Minuc. Fel. Octav.* 5. Boum abactores.

ĂBACTUS, a, um. *V.* **ABIGO.**

ĂBACTUS, us, m. 4. (abigo) actus abigendi, prædandi aut furandi, præcipue pecora, naves, vasa aliaque hujusmodi (It. *saccheggio o furto, specialmente di bestiame, navi ec.*; Fr. *déprédation ou vol, surtout de troupeaux, navires etc.*; Hisp. *abigeato y pillage de nave etc.*; Germ. *Veraubung, namentl. an Vieh, Schiff etc.*; Angl. *driving away, by theft or by force, of cattle, ship etc.*). *Plin. Paneg.* 20. Quam dissimilis nunc alterius principis transitus, (si tamen transitus ille, non populatio fuit) cum abactus hospitum exerceret, omniaque dextra lævaque perusta. *Al.* exerceretur.

ĂBĂCŬLUS, i, m. 2. (*demin.* abaci 1. et 4.; Cf. ἀβακίσκος) tesselllæ vitreæ versicoloræ, ex quibus opera musiva fiebant (It. *piccoli pezzi di vetro a varii colori onde si facevano i mosaici*; Fr. *petite tablette en verre coloré, employée dans les ouvrages en mosaique*; Hisp. *pequennas tablas de vidrio colorado para las obras mosaicas*; Germ. *aus bunten Glas gefertige Musivstücke*; Angl. *Small pieces of coloured glass formerly amployed for making mosaick work*). *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (199). Veluti cum calculi fiunt, quos quidam abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis versicolores. *Harduinus* minus recte lusorios, alii numerarios calculos fuisse putarunt, cum certo constet, his lapidibus pavimenta præsertim ornare veteres valde delectatos fuisse. Hinc *Athen. Deipnos.* 5. 10. *de nave Hieronis*: Ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων. V. *Eustath.* ad *Homer. Odyss. l.* 22. p. 786.

ĂBĂCUS, i, m. 2. (ἄβαξ, ακος; unde heteroclitum *abax, acis*, quod notat *Priscian.* 1. p. 319. *et seq. Krel.* et p. 752. *Putsch.*) est vocabulum compositum a tribus prioribus alphabeti litteris Α, Β, Γ: in gemma enim, quam *F. Orioli* docte admodum est interpretatus in opere, cui titulus: *Spiegazione di una gemma etrusca del Museo R. di Parigi. Bologna* 1825, videre est calculatorem cum tabella sive abaco, in qua numerorum notæ sunt, supra autem litteris Etruscis insculptum est ABCAD, *h. e. abacad*, nempe *abecedarius*, seu qui abaco utitur; littera vero P est loco litteræ B, qua carebant Etrusci. Male itaque nonnulli vocem deducunt ab ἄβαξ, *h. e.* sine basi (V. *Etymolog. M.* hac voce), et falso affirmant ineptum etymon laudari a *Capell.* 6. p. 190., cujus verba *V.* infra. Abacus itaque ab origine prima fuit tabula litteris ΑΒΓ insculpta multasque in partes vel areas divisa, seu tabula plana ligneo quodam seplmento altius conclusa, cujus plures fuerunt usus. ¶ 1. Ac primo quidem hujusmodi tabula tamquam calculatoria utebantur arithmetici et geometræ, eamque pulvisculo crystallino viridi conspergebant, quo facilius numeros et figuras notarent, delerentque si opus esset (It. *abbaco, tavoletta per conteggiare*; Fr. *abaque, comptoir*; Hisp. *abaco, tabla para calcular*; Germ. *Rechentafel*; Angl. *writing-table*). *Pers.* 1. 131. *et seq.* Nec qui abaco numeros et secto pulvere metas Scit risisse vafer. *Apul. Mag.* 16. Si non modo campo et glebis, verum etiam abaco et pulvisculo te dedisses. *h. e.* geometriæ studio. *Capell.* 7. *init.* Sic abacum perstare jubet (*arithmetica*), sic tegmine glauco Pandere pulvereum formarum ductibus æquor. *Et id.* 6. *p.* 190. Abacus nuncupatur res depingendis designandisque opportuna formis: quippe ibi vel lineares ductus, vel circumflexus, vel triangulares arraduntur (*al.* abr.) anfractus. Cf. *Papiæ Gloss.* in V. *Abax* et *Abacus.* ¶ 2. Tabula de qua supra, erat etiam alveolus lusorius (It. *scacchiere*; Fr. *damier, échiquier*; Hisp. *tablero*; Germ. *Spieltisch*; Angl. *dice-board, chess-board*). *Sueton. Ner.* 22. Cum inter initia imperii eburneis quadrigis in abaco luderet. *h. e.* parvis quadrigis ex ebore factis in alveolo lusorio circensia certamina ludendo repræsentaret. *Macrob.* 1. *Saturn.* 5. Vultisne diem sequentem, quem omnes plerique abaco et latrunculis conterunt, nos istis sobriis fabulis — exigamus? ¶ 3. Abacus erat etiam mensa vel tabula multis areis lisque excavatis distincta, in quibus urceoli immittebantur et exponebantur oleo aut vino referti Cf. *Sidon. Apoll.* infra (It. *credenza*; Fr. *buffet, crédence*; Hisp. *credencia*; Germ. *Schenktisch*; Angl. *bench, counter, dresser*). Primo quidem rudis adhuc inserviebat usui domestico et rustico (V. *Cat.* infra): postquam vero anno ab U. C. 565. per Cn. Manlium Vulsonem domitis in Asia Gallis seu Galatis Asiatica magnificentia Romanis innotuit, abaci exquisita elegantia facti, ærati ornatique sunt, in iisque exponebantur vasa aurea, argentea pretiosaque alia præsertim ad pompam conviviorum (Cf. *Liv.* et *Plin.* infra, necnon *Dion. Cass. fr.* 71.). *Cat.* 10. *R. R.* 4. inter alia, quibus oletum agri jugerum CCXL. instruatur oportet, recenset abacum I.; *et* 11. 3. iterum abacum I. inter ea, quibus vineam jugerum C. instruere oportet. *Cic.* 6. *Verr.* 16. 35. Ab hoc abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. *Id. ibid.* 25. 57. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea etc. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 61. Abacos complures ornavit argento auroque cælato. *Varr.* 9. *L. L.* 46. *Mull.* Itaque sicut abacum argento ornari, ut alia paria sint, alia disparia, sic orationem. *Liv.* 39. 6. 7. Ii primum — quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 8. (14). Nam triclinia ærata abacosque et monopodia Cn. Manlium primum invexisse triumpho suo — L. Piso auctor est. *Juvenal.* 3. 203. Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci. *Sidon. Apoll.* 17. 7. Nec per multiplices abaco splendente cavernas Argenti nigri pocula defodiam. *Inscr.* apud. *Orell.* 4517. ABACVS CVM BASI. ¶ 4. A similitudine ligneorum abacorum, abaci dictæ sunt crustæ, tabulæve quadratæ e marmore, vitro, aut simili materia, quæ multicoloræ et imagines aliquas repræsentantes parietum ornamenta erant, iis tectorii vice insertæ (*V.* **ABACULUS**). *Vitruv.* 7. 4. 3. Itaque veteribus parietibus nonnulli crustas excidentes, pro abacis utuntur. Adde *ibid.* 4. 4. *Plin.* 33. *hist. nat.* 12. 56. (159). Attico ad lumina utuntur, ad abacos non nisi marmoroso, quoniam marmor in eo resistit amaritudini calcis. Adde *ibid.* 35. 1. 1. (2). et 6. 13. (32). ¶ 5. Denique abacus in architectura est quadrata planities in summis Corinthiarum columnarum capitulis (It. *abbaco, tagliere, dado*; Fr. *tailloir*; Hisp. *neto*; Germ. *die oberste Platte auf dem Saulencapitale*; Angl. *a square table, cube, or stone on the capiter of pillars*). *Vitruv.* 4. 1. 11. Abaci latitudo ita habeat rationem, ut etc.

ĂBĂDIR, seu Abaddir, seu Abdir, nomen m. indecl. (juxta nonnullos tamen gen. *iris*, Cf. *Priscian.* 1. p. 313. *Krel.*) ab Hebr. אב pater, et אדיר magnificus; de quo *Priscian.* 5. p. 647. *Putsch.* Abadir Deus est (*V.* ONOM.): dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Græci βαίτυλον vocant. Adde *Myth. L. Fab.* 2. 104. *Mai.*

ABÆSTIMO. Efficta vocabuli forma, quam vide in *V.* **ABNUMERO.**

ĂBÆSTUO, as, n. 1. (ab *et* æstuo) deorsum æstuo et ferveo, quod maris est proprium. Occurrit tantum translate de vite, quæ cum racemis abundet, in iis effundendis et maturandis æstuat quodammodo et fervet. *Tertull. carm. de Judicio Dom.* 21. Quid faciat, lætis ut vitis abæstuet uvis.

ABAGIO. Non est verum vocabulum, sed quædam tantummodo vocabuli forma, quam ad etymon vocis *adagio* declarandum effinxit *Varr.* 7. *L. L.* 31. *Mull.* Adagio, et littera commutata abagio, dicta ab eo, quod ambit orationem.

ĂBAGMENTUM, i, n. 2. (abigo) remedium abigens. A nonnullis affertur hæc vox ex *Theod. Priscian.* 2. 31., *ubi hæc habentur*: Curantur autem hæc omnia contrariis suis, ut quod forte et sensu et tactu calidum commotum fuerit, frigidis interim adjutoriis ab augmentis prohibeantur. *Sic rectius, quam abagmentis, legendum.*

ABALIĔNĀTIO, ōnis, f. 3. (abalieno I. 2.; Cf. ἀπαλλοτρίωσις) actus abalienandi, quo sc. rem nostram, præsertim quæ mancipi est, alienam facimus (It. *alienazione, vendita, cessione*; Fr. *aliénation, vente ou cession légale d'une propriété*; Hisp. *enagenacion, o cesion legal*; Germ. *Entäusserung, besonders die förmliche einer res mancipi*; Angl. *an alienating, making over to another by sale, cession, or contract*). *Cic. Top.* 5. 28. Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt. *h. e.* abalienatio est ejus rei, quæ in nostra est potestate, traditio alteri, addita obligatione ipsam rem præstandi, aut in jure cessio.

ABALIĔNO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* alieno; Cf. ἀπαλλοτριόω) Part. *Abalienatus* I. 1. 2., *Abalienandus* I. 2. Proprie est alienum reddere seu removere et sejungere, ut ait *Paul. Diac.* p. 25. 9. *Mull.* Abalienatus dicitur, quem quis a se removerit; alienatus, qui alienus est factus (It. *rimuovere, allontanare, alienare*; Fr. *éloigner, séparer, aliéner*; Hisp. *apartar, alejar, enagenar*; Germ. *fremd machen, entfremdem, veräussern*; Angl. *estrange, remove, alienate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est physice vel externe removere et disjungere. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 11. Istuc crucior, a viro me tali abalienarier. *Id. Curc.* 1. 3. 18. Nisi mors meum animum abs te abalienaverit. *Quintil.* 8. 3. 75. Ut medici abalienata morbis membra præcidant, ita turpes ac perniciosos, etiam si nobis sanguine cohæreant, amputandos. *h. e.* membra quæ morbo corrupta a corpore aliena facta sunt, neque amplius cum ipso vitaliter cohærent. *Scribon. Comp.* 227. Movere abalienatam partem oportet (Cf. **ALIENO** 1.). ¶ 2. Est etiam ita removere, ut quod in nostra potestate est, alienum fiat, vendere et alteri tradere: quo sensu *a*) *abalienare* est vetus verbum Civilis Juris, *h. e.* Civium Rom. proprium, peregrinis hominibus non commune, quo perfecta rei alicujus alienatio significabatur, hoc est rei, quæ mancipi esset, alteri traditio, aut in jure cessio, ut in voc. **ABALIENATIO** dictum est; quamquam *b*) ponatur etiam pro quacumque ratione vendere et alteri tradere. — *a*) *Paul. Dig.* 10. 3. 14. Igitur etsi abalienavero prædium, danda mihi erit negotiorum gestorum actio. *Fragm. legis Thoriæ* in edit. *Goesiana Scriptor. rei Agrar.* p. 329. QVOD EIVS AGRI NON ABALIENATVM ERIT. *Plebisc. de Thermens.* apud *Orell. Inscr.* 3673. QVOD EIVS IPSEI SVA VOLVNTATE

AB SE NON ABALIENARVNT. — b) *Plaut. Asin.* 4. 1. 18. Et si qua inutilis pictura sit, eam vendat; ni in quatriduo abalienavit, quo ex argentum acceperit, tuus arbitratus sit, comburas, si velis. *Id. Trin.* 2. 4. 112. Nostram ne te nutricem, here, quæ nos educat, abalienare a nobis? *Cic.* 2. *Agr.* 21. 64. Ut idem judicaret et venderet, – idemque agros vectigales populi Rom. abalienaret, etc. *Id. ibid.* 27. 72. Vectigalibus abalienatis, sociis vexatis, regibus atque omnibus gentibus exinanitis. *Val. Max.* 4. 4. 3. Papus quoque satis animose, qui cum hereditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non putavit.

II.) Translate. ¶ 1. Est removere, disjungere, avertere nos ab aliquo aut aliqua re, quibuscum amicitiæ, benevolentiæ, societatis sive alio vinculo jungebamur, vel nulla nobis erat inimicitia. — a) Aliquem, vel alicujus voluntatem ab aliquo cum Abl. et pr. *ab*, aut absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 92. Profecto nullo pacto possum vivere, si illa a me abalienatur atque abducitur. *Cic.* 1. *Orat.* 43. 182. Eaque omnia – valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus hæc non sunt. *Id. ibid.* 75. 304. Quid? si in homines caros judicibusque jucundos – invehare, nonne a te judices abalienes? *Id.* 3. *ibid.* 25. 98. Cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime abalienemur. *Liv.* 26. 38. 4. Indigna patientium abalienabantur animi. Adde 45. 6. 1. *Cic.* 1. *Att.* 3. 3. Sed mirandum in modum est animo abalienato. *Id.* 2. *Phil.* 15. 38. At vero Cn. Pompeji voluntatem abalienabat a me oratio mea. — Peculiariter autem cum de re publica seu politica ageretur. *Nep. Hamilc.* 2. 2. Hi totam Africam abalienarunt, ipsam Karthaginem oppugnarunt. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 60. Abalienati scelere istius a nobis omnes reges amicissimi nationesque. *Liv.* 8. 2. 13. Timebantque, ne (*Campanos*) arguendo abalienarent. Adde *ibid.* 3. 1. — Sæpius vero cum de politicis inter duos privatos cives rationibus agitur. *Cic.* 1. *Fam.* 8. 5. Qui a senatu et ordinem conjunctissimum et hominem clarissimum abalienarunt. *Id. ibid.* 7. 7. Qui nos, quos favendo in communi causa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt. *Et ibid. paullo ante* 3. Virum excellentem, nonnihil suspicantem te ab se abalienatum, illa epistola retinuisti. — b) Aliquem aliqua re. *Nep. Ag.* 2. 5. Quod Tissaphernes perjurio suo et homines suis rebus abalienaret et deos sibi iratos redderet. *Cic.* 2. *Orat.* 48. 199. Animos equitum Rom., apud quos tum causa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, quo erant ipsi propter judicia abalienati, renovabam (*sic edidit Ellendt vol.* 2. *p.* 266., *al.* a quo). *Liv.* 22. 60. 15. Deminuti capite, abalienati jure civium, servi Karthaginensium facti. *h. e.* jure civium privati. ¶ 2. Item apud Medicos est sensuum vires removere, adimere, soporare. *Scribon. Comp.* 180. Opium sensus abalienat. *Id. ibid.* 192. Ixia mentem abalienat.

ĂBAMBŬLANTES abscedentes *Paul. Diac.* p. 26. 10. *Müll.* Tamquam a verbo *abambulare*. *Gloss. Lat. Gr.* Abambulo (*al.* ambamb.), κατ' ἰδίαν περιπατῶ.

ĂBĂMĬTA, æ, f. 1. (avus *et* amita, *h. e.* avi amita) soror abavi mei ex parte paterna, quæ et *amita maxima* dicitur (It. *sorella di mio arcavolo, cioè del mio terzo nonno*; Fr. *sœur du trisaïeul paternel, grand' tante*; Hisp. *hermana del tercero abuelo paterno*; Germ. *des Urgrossvaters Schwester*; Angl. *the sister of one's great grandfather's*). *Paul. Sent.* 4. 11. 6. *Corp. Jur. Rom. Ante Just.* Sexto gradu veniunt supra tritavus, tritavia: infra trinepos, trineptis: ex obliquo fratris et sororis abnepos, abneptis; fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, consobrinæ nepos, neptis; patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis –: quibus a latere accrescunt propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius, filia; abpatruus, abamita, hi sunt abavi paterni frater et soror; abavunculus, abmatertera, hi sunt abaviæ paternæ maternæque frater et soror, abavique materni. Adde *Cai. Dig.* 38. 10. 3., *Paul. ibid. l.* 10. § 17.

ĂBANTE, (ab *et* ante) ferme idem quod ante, unde italicum *avante*, *avanti*. Est præpositio et adverbium. — Si præpositio a) Cum Acc. *Vulg. Ital. ed. Mai. Naum.* 1. 3. Petræ confractæ sunt abante eum. b) Cum Abl. *Inscr.* apud *Grut.* 717. 11. NVNC ABANTE OCVLIS PARENTIS RAPVERVNT NYMPHÆ IN GVRGITE. — Si adverbium, absolute ponitur. *Inscr.* apud *Orell.* 4396. PETIMVS NE QVIS NOS INQVIETET EX ARCA NOSTRA NEQVE AB. ANTE. ALIAM PONAT. Adde aliam Aquilæ apud Alexandros, et in *T.* 2. *dissertat. Cortonens.*; *V.* et *Mazochi de Ascia* p. 119. Cf. et in hoc Lex. A, AB, ABS in fin. de *Compositione*.

ĂBARCET, prohibet *Paul. Diac.* p. 15. 13. *Müll. Gloss. Lat. Græc.* Abarceo, ἀπείργω. *V.* ABERCET.

ĂBĂTON, i, n. 2. ἄβατον, ædificium erectum a Rhodiis ad tegendum Artemisiæ tropæum, quod religione impediti diruere non poterant. *Vitruv.* 2. 8. 15. Sed rectius Græcis litteris nunc scribitur.

ĂBĂVĬA, æ, f. 1. (avus *et* avia, *h. e.* avi avia) mater proavi, vel proaviæ tam ex parte paterna, quam materna (It. *arcavola, cioè terza nonna*; Fr. *trisaïeule, mère du bisaïeul*; Hisp. *tercera abuela*; Germ. *Mutter des Urgrossvaters oder der Urgrossmutter*; Angl. *a great grandfather's, or great grandmother's mother*). *Cai. Instit.* 3. 6. 4., *Cai. Dig.* 38. 10. 3., *Paul. ibid. l.* 10. § 17. *V.* et ABAMITA.

ĂBĂVUNCŬLUS, i, m. 2. (avus et avunculus, *h. e.* avi avunculus) frater abaviæ ex parte materna, qui et *avunculus maximus* appellatur (It. *fratello di mia arcavola, cioè della mia terza nonna*; Fr. *grand oncle maternel*; Hisp. *hermano de la mia tercera abuela*; Germ. *Ungrossoheim*; Angl. *the brother of a third grandmother, by the mother's side*). *Cai. Instit.* 3. 6. 4., *Cai. Dig.* 38. 10. 3., *Paul. ibid. l.* 10. § 17. *V.* et ABAMITA.

ĂBĂVUS, i, m. 2. (comp. ex *ab* h. e. *avi* et *avus*. *Paul. Diac.* p. 13. 17. *Müll.*: Abavus dicitur, quia abest ab avo et est avus avi; Cf. supr. ABABUS). Proavi paterni aut materni, et proaviæ paternæ, aut maternæ pater (It. *padre del bisavolo o della bisavola, arcavolo, trisavolo, terzo nonno*; Fr. *trisaïeul*; Hisp. *tercero abuelo*; Germ. *Urgrossvater*; Angl. *a great grandfather's, or great grandmother's father, a third grandfather, by either side*). *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 25. Pater, avus, proavus, abavus. *Id. Pers.* 1. 2. 5. Hinc abavus a *Virg.* 10. *Æn.* 619. *quartus pater* dicitur. *Cic. Brut.* 58. 213. Duorum abavorum illustre nomen. *Cai. Instit.* 3. 6. 4., *Paul. Dig.* 38. 10. 10. *V.* et ABAMITA. ¶ 2. Sæpius tamen abavus significat aliquem generatim ex majoribus, ita ut aliquando dubii hæreamus, utrum auctor vocem hanc proprie usurpaverit necne, quemadmodum in *Cic. de Harusp. resp.* 11. 22. et 18. 38., ubi Appius Claudius Cæcus appellatur abavus P. Clodii: dum e contra pro aliquo generatim ex majoribus respe sumitur apud *Plin.* 18. *hist. nat.* 6. 8. (39). Sed defendi æquum est abavos, qui præceptis suis prospexere vitæ. Et apud *Senec. de Clem.* 1. 10. Cf. *Borghesi, Dec. num.* XIV. *oss.* 9.

ĂBAX, ăcis, f. 3. (ἄβαξ) recentiori forma idem quod abacus, seu potius fulcrum ad vasa collocanda; quales sunt orbiculi illi, in quibus vasa in mensa collocantur, ne mantelia inquinentur. *Jabolen. Dig.* 32. 100. § 3. Cui Corinthia vasa legata essent, huic abaces quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi Trebatius respondit: Labeo autem id non probat, si eas abaces vasorum numero testator habuit: Proculus vero recte ait, si æneæ quidem sint abaces, non autem Corinthiæ, non deberi. In edit. *Torrentini* pro *abaces* ubique legitur βάσεις; in quibusdam aliis etiam Latine *bases*; *Haloander* in sua *abaces* edidit. Certior est auctoritas *Priscian.*, quam *V.* in ABACUS.

ABBA, idem ac pater. Est autem vox Hebraica אַבָּא et Syra ܐܰܒܳܐ, quæ Latinis litteris, addita tamen interpretatione, occurrit apud *Vulg. Interpr. Paul. ad Rom.* 8. 15. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Adde *Galat.* 4. 6. et *Marc.* 14. 36. Et *Hieron. in Ep. ad Gal.* 4. 6. Abba Hebraicum est, id ipsum significans quod et Pater. *Et paullo post*: Cum autem Abba Pater Hebræo Syroque sermone dicatur, etc. Adde *Isid.* 7. *Orig.* 6. — *NB.* Abba est etiam urbs Africæ, de qua *V.* ONOM.

ABBAS, ătis, m. 3. (abba) moderator et rector collegii et societatis sacræ, monachorum primus et antistes (It. *abbate*; Fr. *abbé*; Hisp. *abad*; Germ. *Abt*; Angl. *an abbot*). *Sidon. Apoll.* 16. 114. Urbem tu cujus, monachosque antistes et abbas Bis successor agis. *Inscr.* apud *Mommsen.* 3485. (quæ pertinere videtur ad annum 468. post Chr. n.) HIC REQVIESCIT IN PA. SANCTVS ABBAS HABET DEVS POSITVS VII. ID. MAIAS ANTHEMIO III. COS. Seculo vero suo vocabulum hoc usuvenisse testatur *Hieron. l. c.* in *V.* ABBA; *ait enim*: Cum autem Abba Pater Hebræo Syroque sermone dicatur; et Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum patrem vocandum nisi Deum: nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus.

ABBĂTISSA, æ, f. 1. (abbas) moderatrix et rectrix societatis sanctimonialium (It. *abbadessa*; Fr. *abbesse*; Hisp. *abadesa*; Germ. *Aebtissin*; Angl. *abbess*). *Inscr.* apud *Mommsen.* 3896. (quæ pertinet ad annum post Chr. n. 570.) HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS IVSTINA FVNDATRIX SANCTI LOCI HVIVS QVÆ VIXIT PLVS MINVS ANNOS LXXXV. DEPOSITA SVB DIE KALRVM NOVEMBRIVM IMP DN N IVSTINO PP (*perpetuo*) AVG. ANN. IIII. PC. (*post consulatum*) EIVSDEM INDICTIONE TERTIA.

ABBĪRE idem atque *abire* aut *adire*, prout compositum est ex præp. *ab* aut ex præp. *ad*, et verbo obsoleto *bire* vel *bere*, quod significabat *ire* (Cf. BO, ABITO, PERBITO et ARBITER). *Lucil.* apud *Vel. Long.* p. 2225. *Putsch.* Abbire multum est D sive, an B habeat. *Vel. Longus* haud recte locum interpretatus videtur, qui ait: *Abbire* etiam quidam, geminata B, maluerunt et dicere et scribere, ut intermissa D; et in hoc nullam (*corr. cum Dousa* non nullam) differentiam putat esse Lucilius. *Paul. Diac.* p. 26. 9. *Müll.* A b i s s e pro a d i s s e dicebant, *ubi aliquot Codd., signo addito emendatæ lectionis, legunt* obiisse. *Placidi Glossæ ed. Mai.* (*Class. Auct. Tom. III.*) allatam a *Lucilio* differentiam confirmant in frequentativo; namque *pag.* 433. hæc habentur: A b b i t e r e s (ita corrigendum puto τὸ *abstiterea*) abires: bitere enim ambulare significat. *Et pag.* 432. A d b i t e r e t adveniret.

ABBĪTO, *V.* ABITO.

ABBLANDĬOR, iris, dep. 4. (ad *et* blandior) idem fere atque eblandior. *Incert. Auct. de Fortun. Viciss.* Ut facili amissos abblandiar ore favores, Tura ferens dignis, carmina læta, deis. *Burmann. leg.* eblandiar.

ABBRĔVĬĀTĬO, ōnis, f. 3. (abbrevio) actus abbreviandi, seu potius compendium, in quod redactum est aliquid (It. *abbreviazione, accorciamento*; Fr. *abréviation*; Hisp. *abreviacion*; Germ. *Abkürzung*; Angl. *abbreviation*). *Vulg. Interpr. Isaj.* 10. 23. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Adde *ibid.* 28. 22.

ABBRĔVĬO, as, avi, atum, are, a. 1. Part. *Abbrevians, Abbreviatus* et *Abbreviaturus* (ad *et* brevio) in compendium redigo, rem aliquam breviorem reddo (It. *abbreviare, accorciare*; Fr. *abréger, raccourcir*; Hisp. *abreviar*; Germ. *abkürzen*; Angl. *to shorten, abridge*). *Veget. prol.* 3. *de re mil.* Quæ me per diversos auctores librosque dispersa, Imperator invicte, abbreviare jussisti. *Hieron. in Isaj.* 9. 28. 22. Ultimum judicii diem abbreviaturus est. *Vulg. Interpr. Isaj.* 10. 22. Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Adde *ibid.* 50. 2., 59. 1. Et *Dan.* 9. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam. Et *Rom.* 9. 28. Verbum enim consummans et abbrevians in æquitate.

ABCĪDO, *V.* ABSCIDO.

ABCĪSE, *V.* ABSCISE.

ABCĪSĬO, *V.* ABSCISIO.

ABDĒRA, æ, f. 1. et Abdera, orum, n. 2. urbs est Thraciæ (de qua *V.* ONOM.). *Vervecum patriam* eam appellat *Juvenal.* 10. 50. propter Thraces incolas rudes, stultos et stupidos (Cf. etiam *Vitruv.* 7. 5. 6., *Arnob.* 5. 12.); hinc translate per proverbium apud *Cic.* 4. *Att.* 16. 6. Consules rem ad senatum detulerunt: hic Abdera, non tacente me. *h. e.* nos sumus Abderis, sive Romæ quoque summa stupiditas. *V.* et voc. seqq.

ABDĒRĪTĀNUS, a, um, adject. ad Abderitas pertinens; sed translata significatione, qua superius Abdera, stultus, stupidus. *Martial.* 10. 25. Abderitanæ pectora plebis habes. *h. e.* stultus est.

ABDĒRĪTĬCUS, a, um, adject. idem atque Abderitanus translata significatione. *Cic.* 7. *Att.* 7. 4. Audio constitutum esse Pompejo in Siciliam me mittere, quod imperium habeam: id est Abderiticum: nec enim senatus decrevit, nec populus jussit, me imperium in Sicilia habere. *h. e.* id est ineptum ac stul-

tum. *Veteres editiones Latinis litteris exhibent; recentiores vero rectius* Ἀποκηρυκτικόν.

ABDICĀTIO, ōnis, f. 3. (abdico) generatim est recusatio et rejectio rei alicujus, sed præsertim formalis recusatio rei, in quam legitimum jus est (It. *rinunzia, abdicazione*; Fr. *renoncement, abdication*; Hisp. *renuncia, abdicacion*; Germ. *die förmliche Lossagung von etwas*; Angl. *a renouncing*). — *a*) Generatim (*V.* ABDICARE *B.* 1.). *Cod. Just.* 6. 31. 6. Hereditatis abdicationem revocare. — *b*) Peculiariter est alicujus magistratus dimissio, quæ ante præfinitum a lege tempus fiebat (*V.* ABDICARE *B.* 2.). *Liv.* 6. 16. 8. Amotus abdicatione dictaturæ terror et linguam et animos liberaverat hominum. — *c*) Item peculiariter est filii, sive natura sive adoptione filius esset, ejectio e paterna familia et domo (*V.* ABDICARE *B.* 3.), quin tamen in filium abdicatum aliquid damni ex jure consequeretur (Cf. *H. E. Dirksen, Versuche zur Kritik und Auslg. der Quellen des Röm. Rechts.* Leipzig 1823. in 8.°). *Val. Max.* 6. 9. *ext.* 2. Abdicationis notam injungere. *Senec. Rhet. Controv.* 2. 9. Abdicatio loquax est. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (150). Abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem. *h. e.* ab Augusto factam (Cf. *Sueton. August.* 65.). *Quintil.* 7. 4. 27. Abdicationum formæ sunt duæ: altera criminis perfecti, ut si abdicetur raptor, adulter; altera velut pendentis, et adhuc in conditione positi, quales sunt, in quibus abdicatur filius, quia non pareat patri: illa semper asperam abdicantis actionem habet, (immutabile est enim, quod factum est); hæc ex parte blandam et suadenti similem. Adde *Quintil.* 3. 6. 77. et 7. 4. 10., et *Senec. Rhet. Controv.* 1. 1., 3. 18. et alibi sæpissime; abdicationes enim plurimam et satis bellam Rhetorum exercitationibus materiam suppeditarunt.

ABDĬCĀTĪVĒ, adverb. (abdicativus) negative (It. *negativamente*; Fr. *négativement*; Hisp. *negativamente*; Germ. *absagend, verneinend*; Angl. *negatively*). *Marc. Capell.* 4. p. 128. Abdicative concludere.

ABDĬCĀTĪVUS, a, um, verbal. (abdico) negativus (It. *negativo*; Fr. *negatif*; Hisp. *negativo*; Germ. *absagend, verneinend*; Angl. *negative*). *Abdicativa propositio* eadem est antiquis philosophis, ac ea, quæ a recentibus negativa appellatur: ipsi opponitur *dedicativa*. *Pseudo-Apul.* 3. *dogm. Platon.* Quamlibet multis dedicativis (*propositionibus*) si utravis abdicativa jungatur, non dedicativam, sed abdicativam fieri illationem. Et *ibid. passim.* Adde *Marc. Capell.* 4. p. 95. et 121.

ABDĬCĀTRIX, īcis, f. 3. (abdico), quæ abdicat (It. *colei che rinunzia, che rigetta*; Fr. *celle qui renonce*; Hisp. *renunciante*; Germ. *die sich von etwas lossagt*; Angl. *recusing*). *Salvian. adv. avarit.* 11. p. 76. Abdicatrix misericordiæ inhumanitas.

ABDĬCO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* dico) Part. *Abdicans B.* 3.; *Abdicatus B.* 1. 2. 3.; *Abdicaturus C.* 1.; *Abdicandus B.* 2. Proprie est solemnibus verbis publicoque in conventu abjicere, recusare, rejicere; ac proinde generatim negare et respuere (It. *negare, ricusare, abdicare solennemente*; Fr. *renoncer, renier formalment*; Hisp. *renunciar, renegar formalmente*; Germ. *absagen, etwas förmlich verwerfen, gänzlich abschaffen*; Angl. *to deny, refuse, reject, throw off*). Hæc autem propria verbi significatio semper eadem perseverat, quamquam verbum ipsum multis nominibus iisque diversis jungatur, necnon multis variisque rationibus, quas recensemus.

A) Cum Infinito. *Pacuv.* apud *Non.* 6. 14. Mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam esse abdicant. *h. e.* solemniter negant. *Pseudo-Apul.* 3. *de dogm. Plat. sub init.* Abdicat enim, voluptati inesse bonitatem.

B) Cum Accusat. dicimus abdicare 1. aliquid, 2. magistratum, 3. aliquem. ¶ 1. Abdicare aliquid occurrit sæpe præsertim apud *Plinium majorem* de rebus physicis, quæ alia naturæ suæ minime convenientia respuunt. *Cic.* 2. *Orat.* 25. 102. Ubi plus mali, quam boni esse reperio, id totum abdico atque rejicio. *Al.* abjudico. *Novell.* 63. Alienationes abdicavimus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (116). Te (*Cicerone*) dicente legem agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverunt tribus. *Id.* 13. 22. 43. (124). Nec corticem abdicant (*medici*). *Id.* 25. 13. 94. (147). Aliqui et mandragora utebantur: postea abdicatus (*succus*) est in hac curatione. *Id.* 10. 3. 9. (19). Democritus in totum ea (*rapa*) abdicavit in cibis. *Id.* 33. 1. 3. (6). Utinamque posset e vita in totum abdicari (*aurum*)! *h. e.* tolli et usu humanæ vitæ. *Id.* 5. 17. 15. (73). Gens sola sine ulla femina, omni Venere abdicata. *Id.* 4. 8. 15. (31). Accipit (*Peneus*) amnem Orcon nec recipit, sed olei modo supernatantem — brevi spatio portatum abdicat. *h. e.* a se rejicit et alio impellit. *Id.* 15. 30. 40. (135). Laurus abdicat ignes. *Id.* 16. 43. 83. (226). Et glutinum abdicant quædam, et inter se et cum aliis insociabilia glutino, ut robur etc. — Cum Dat. pro Abl. *Prudent.* περὶ στεφ. 13. 59. Antra Conscia tartareæ caliginis, abdicata soli. *h. e.* veluti a sole abdicata, ut quæ ab eo nunquam illustrentur. ¶ 2. Abdicare magistratum est solemniter et sponte magistratu abire ante definitum a lege tempus: moris enim erat, ut quibus imperium certa de causa abrogandum erat, hi dignitati et existimationi suæ consulentes, per se et quasi sua sponte magistratum deponerent, seseque privatos redderent: differunt itaque inter se *abdicare magistratum* et *deponere*, abdicabant enim magistratum qui ante tempus et quasi sponte ipso abibant, deponebant qui confecto legitimo tempore cum populo Romano tradebant. Hic autem dicendi modus *abdicare magistratum* frequentissimus est apud Historicos, brevitatemque præsefert, plenior enim modus est *abdicare se magistratu*, quem *V.* sub *C. Sall. Cat.* 47. 3. Senatus decernit, ut abdicato magistratu Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. *Liv.* 2. 28. 9. Abdicare consulatum jubentes. *Id.* 5. 49. 9. Eaque causa fuit non abdicandæ post triumphum dictaturæ. *Id.* 6. 18. 4. Abdicando dictaturam. ¶ 3. *Abdicare aliquem* dicitur, sc. liberos, filium, patrem; præcipue tamen usurpatur de formali filiorum ejectione e paterna familia et domo, quemadmodum dictum est in *V.* ABDICATIO. *Quintil.* 3. 6. 77. Abdicatus ne quid de bonis patris capiat. *Et mox*: Quæretur an possit esse heres abdicatus. *Id.* 7. 4. 11. Quæ in scholis abdicatorum, hæc in foro exheredatorum a parentibus, et bona apud Centumviros repetentium ratio est. *Et ibid.* Illa forma asperam abdicantis actionem habet. Adde apud *eumd. Decl.* 17. 260. 279. *Ovid. Her.* 4. 128. Quem fugit et factis abdicat ille (*pater*) suis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (90). Eligi regem liberos non habentem; et, si postea gignat, abdicari, ne fiat hereditarium regnum. *Hinc sumpta metaphora* apud *eumd.* 2. 63. 63. (154). Novissime (*terra*) complexa gremio suo a reliqua natura abdicatos (*homines*), tum maxime, ut mater, operiens. *Huc referendum et illud* apud *Curt.* 4. 10. *de Alexandro, qui Philippi se filium esse nolebat*: Fastidio esse patriam, abdicari Philippum patrem. *Et illud de affinitate nondum contracta* apud *Sulpic. Apoll. Per.* in *Andr. Ter.* v. 10. Recusat nuptias, generum abdicat. Cf. *Cod. Theod.* 6. 22. 1. Rejectus in plebem abdicetur.

C) *Abdicare se aliqua re*, ac præsertim magistratu inito, procuratione suscepta, negotio cui quis se dederit, vitæ genere in quo quis versetur, tribus modis occurrit 1. sæpius cum Abl. rei sine præpos. 2. sine Abl. rei, 3. absolute. ¶ 1. Sæpius cum Abl. rei sine præp. *Piso Annal.* apud *Gell.* 6. 9. Cn. Flavius dicitur tabulas posuisse, scriptu se se abdicasse. *Cic.* 1. *Att.* 6. 14. Itaque tutela me abdicare cogito. Adde *Ulpian.* 11. 17. *Cic.* 3. *Phil.* 5. 12. Eo die se non modo consulatu, sed etiam libertate abdicavit. *Id.* 2. *Divinat.* 35. 74., 2. *Leg.* 12. 31. et *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 24. abdicare se magistratu. *Cæs.* 3. *B. C.* 2., *Liv.* 2. 31. 10., 9. 26. 18. et 9. 34. 14. dictatura. *Liv.* 2. 2. 10. et *Vellej.* 2. 22. 2. consulatu. *Cic.* 4. *Catil.* 6. 14. et *Sueton. Claud.* 29. prætura. *Liv.* 39. 39. Ubi designatus prætor esset, extemplo ædilitate se abdicaturum. *Cod. Theod.* 10. 21. 2. Quisquis vetito se et indebito non abdicavit indutu. *Cod. Just.* indumento. *Modest. Dig.* 1. 5. 21. Abdicat se statu suo homo liber, qui seipsum vendit. ¶ 2. Sine Abl. rei. *Papin. Dig.* 1. 18. 20. Legatus Cæsaris — abdicando se non amittit imperium. ¶ 3. Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 11. Augures rem ad senatum: senatus, ut abdicarent consules: abdicaverunt.

ABDĪCO, is, xi, ctum, cere, a. 3. (ab *et* dico) proprie est abnegare, recusare, rejicere (It. *negare, ricusare*; Fr. *renier, refuser*; Hisp. *renegar, rehusar*; Germ. *absagen, absprechen*; Angl. *to deny, refuse*). Invenitur autem usurpatum solummodo *a*) in judiciis et *b*) in scientia augurali. — *a*) In judiciis *abdicere vindicias alicujus rei ab aliquo* est negare alicui jus repetendi aliquid tamquam suum. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 24. Virginius cum animadvertisset, Appium Claudium contra jus vindicias filiæ suæ a se abdixisse, et secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse etc. ubi *abdicere vindicias* abjudicare significat (ut notat *Brisson.*), vel decreto recusare ac denegare (ut notat *Hotom.*). Cui ibidem opponitur *dicere vindicias*, seu, ut *Liv.* 3. 56. loquitur, *dare vindicias*. Cum enim olim tribus verbis in decretis suis magistratus uterentur, *Do, Dico, Addico* aut *Abdico*; sicubi secundum aliquem vindiciæ dicerentur, ab altero *abdici* dicebantur. Sicut dicere, dare, decernere vindicias secundum aliquem a *Pomponio l. cit.* et *Livio* dicitur magistratus, qui cuipiam litis vindiciarum victoriam decernit: sic abdicere vindicias ab aliquo *Pomponius* dixit pro abnegare et recusare. Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 3. 47. 5. — *b*) In auguriis *abdicere aliquid* (sive etiam non addicere Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 27. 16.) est non convenire: ac proinde *abdixisse aliquid aves* dicebantur, quæ tristis et sinistri eventus significationem aliquam dederant; ut ex contrario *addixisse* vel *admisisse*, cum lætum et prosperum aliquid portenderant. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 31. Cumque in quatuor partes vineam divisisset, tresque partes aves abdixissent, quarta parte — invenit. *Aves* igitur in auguriis *abdicere regionem* dicuntur, quam improbant, ut notat *Hotom.*

ABDĬTĒ, adverb. (abditus) occulte, secreto (It. *nascostamente, secretamente*; Fr. *en cachette, secrètement*; Hisp. *escondidamente, secretamente*; Germ. *versteckt, heimlich*; Angl. *secretly, privately*). *Cic.* 4. *Verr.* 73. 181. Ita omnia condita fuisse, atque ita abdite latuisse etc. *Al.* abdita.

ABDĬTĪVUS, a, um, verbal. (abditus), qui per vim latuit, qui abductus amotusque fuit (It. *nascosto, rimosso*; Fr. *qui a été éloigné, separé*; Hisp. *alejado, separado*; Germ. *entfernt*; Angl. *hidden*). *Plaut. Pœn. prol.* 65. Illi seni filius unicus qui fuerat, olim abditivus a patre, puer septuennis surripitur Karthagine. ¶ 2. *Paul. Diac.* p. 21. 16. *Müll.* abditivos exponit *abortivos*; sed nullo id exemplo confirmat.

ABDĬTUM, i et **ABDĬTUS**, a, um, *V.* voc. seq. in fin.

ABDO, dis, didi, ditum, dĕre, a. 3. (ab *et* do) Part. *Abditus* sub *A. B. C.* et in fin.; *Abdendus* sub *D.* Est proprie seponere, sive amovere, removere, auferre alioque transferre animo celandi et occultandi; hinc etiam celare, occultare: atque ita occultandi significatio, plus minusve lata, semper tamen huic verbo inest (It. *rimuovere, occultare*; Fr. *dérober à la vue, éloigner, cacher*; Hisp. *sustraer, alejar, esconder*; Germ. *wegthun, fortthun, entfernen, verstecken*; Angl. *to remove, take away, hide*). Est amovere celandi causa, celare. Id autem multis rationibus, scilicet

A) Definito loco aut homine, a quo aliquid amovetur: tunc vero præstat amovendi significatio. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 5. Ex conspectu heri si sui se abdiderunt etc. *Lucret.* 4. 470. (467). Res dubias animus ab se protinus abdit. *Cæs.* 7. *B. G.* 79. 2. Pedestresque copias paullum ab eo loco abditas in locis superioribus constituunt. *Liv.* 10. 14. 14. Ascensu abdito a conspectu. *Virg.* 3. *G.* 95. *de equo*: Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis Deficit, abde domo. *Nemesian. Cyneg.* 140. Sin vero hæc cura est, melior ne forte nocetur, Abditurque domo, catulosque probare voluntas. *Tibull.* 2. 1. 82. Et procul ardentes hinc, precor, abde faces. (Hinc in *Cod. Theod.* 13. 1. 14. Oppida abdita. *h. e.* remota).

B) Definito loco, in quem res occultanda amovetur: qua ratione sæpius dicitur *abdere se aliquo* 1. cum Acc. et præpos. *in, sub, inter*, vel *intra*, seu cum nominibus *domum, rus etc.*, seu cum Dativo; 2. etiam translate: et amovendi significatio una cum occultandi significatione conjungitur. — Cum præp. *in*. *Cic.* 13. *Fam.* 29. 4. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longissime a castris. *Id. Mur.* 41. 89. An se in contrariam partem terrarum abdet. *Id. Milon.* 15. 40. Cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset. *Id.* 2. *Divinat.* 23. 51. Cur se contra naturam in terram abdiderit. *Dolabella* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. 2. Si jam ille evitaverit hoc periculum et se abdiderit in classem. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. 3. Reliqui fugæ sese mandarunt atque in proximas silvas abdiderunt. *Id.* 7. *ibid.* 30. 1. Se in occultum abdiderat. *Id.* 6. *ibid.* 5. 5. Ne desperata salute se jam in Menapios abderet. *Id.* 5. *ibid.* 3. 4.

Iisque – in silvam Arduennam abditis. *Virg.* 11. *Æn.* 810. Continuo in montes sese avius abdidit altos. *Nep. Alcib.* 9. *V.* Homonym. in fine. *Tacit.* 2. *Ann.* 85. Eaque in insulam Seriphon abdita est. *Id.* 4. *ibid.* 67. Capreas se in insulam abdidit. *Vellej.* 2. 110. 3. Abdito in interiora exercitu. — Cum præp. *sub. Cic.* 2. *Tusc.* 25. 60. ex *Poeta.* Audisne hæc, Amphiarae sub terram abdite? *Lucret.* 4. 420. (418). Corpora mirande sub terras abdita cœlo. — Cum præp. *inter* vel *intra. Sueton. Claud.* 10. Prorepsit ad solarium proximum, interque prætexta foribus vela se abdidit. *Liv.* 2. 12. 5. Abdito intra vestem ferro proficiscitur. *Id.* 4. 56. 5. Abditi intra muros. *Id.* 38. 21. Introrsus abditus. — Cum nom. *domum, rus,* etc. *Ter. Hec.* 1. 2. 99. Nam senex rus abdidit se. *Cic. Pis.* 38. 92. Domum se abdidit. *Id.* 9. *Att.* 6. 1. Neque me Arpinum hoc tempore abdam. — Cum Dativo: qui certus est in exemplis mox citandis; incertus vero in iis quæ infra sub *C.* 2. afferuntur. *Virg.* 2. *Æn.* 553. Lateri capulo tenus abdidit ensem. *Seneca Troad.* 48. Alto necandum vulneri ferrum abdidit. *Fronto* 1. 9. *p.* 20. *Mai.* Abde aliquo (*pro* aliquoi) ac recondе. *Vellej.* 2. 91. Abditus carceri.

¶ 2. Translate *abdere se in litteras,* vel *litteris* (Dativ.) est removere se ab hominum societate ac totum se litteris dare. *Cic.* 7. *Fam.* 33. 2. Mihi enim judicatum est – me totum in litteras abdere. *Id. Arch.* 6. 12. Si qui ita se litteris abdiderunt. Cf. *Cic.* 7. *Fam.* 28. 2. Abdo me in bibliothecam.

C) Definito loco, in quo res abditur; ac proinde amovendi significatio ferme omnino abest, significatio vero celandi et occultandi manifeste patet. Hac autem significatione 1. cum Abl. et præp. *in* vel *sub* occurrit participium præteritum apud antiquos optimosque Scriptores, omnia verbi tempora apud recentiores; 2. cum Dat. vel Abl. sine præp., qui fortasse in prioribus exemplis est Dativus. ¶ 1. Cum Abl. et præp. *in* vel *sub. Lucret.* 6. 1035. (1036). Penitus qui in ferro est abditus aer. *Cic.* 1. *Invent.* 2. 2. Qui dispersos homines in agris et in tectis silvestribus abditos – compulit unum in locum. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut etc. *Id.* 2. *ibid.* 19. 6. Ab iis, qui in silvis abditi latebant. *Ovid.* 4. *Met.* 719. Dextroque frementis in armo Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo. *Curt.* 8. 2. 37. Saltum, in quo se barbari abdiderant. *Flor.* 4. 12. 16. Consulis corpus, quod pietas militum humi abdiderat. — *Liv.* 1. 58. 11. Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit. *Ovid.* 10. *Met.* 715. Totosque sub inguine dentes Abdidit. ¶ 2. Cum Dat. vel Abl. sine præp. *Virg.* 1. *Æn.* 60. Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 5. Latet abditus agro. *Sueton. Tib.* 12. Mediterraneis agris abditus. *Id. Vit.* 7. Meritorio cœnaculo abditus. *Ovid.* 8. *Met.* 458. Ille diu fuerat penetralibus abditus imis. *Seneca Agam.* 728. Æther abditus tenebris latet. *Id. Herc. Fur.* 639. Ut jura abdita Et operta terris, liceat impune eloqui. *Fronto de Laud. Negl. p.* 329. *Mai.* Abietes – caput – nubibus abdere. — *Ovid.* 8. *Met.* 25. Seu caput abdiderat cristata casside pennis. *Phædr.* 2. 6. 6. Abdere cornea corpus domo. *Tac.* 5. *Ann.* 7. Gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. *Scribon. Comp.* 112. Acetum – vesica abditum.

D) Denique abdere manifesta celandi et occultandi significatione ponitur etiam absolute, nullo definito loco aut modo, sive 1. agatur de rebus physicis, sive 2. de abstractis. ¶ 1. De rebus physicis. *Cic.* 1. *Off.* 35. 126. Quæ partes corporis – aspectum essent deformem habituræ atque turpem, eas contexit atque abdidit. *Id. Pis.* 17. 30. An amici tabellas abdiderint. *Virg.* 2. *Æn.* 571. Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros Permetuens – Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat. *Plin.* 9. *Hist. Nat.* 8. 7. (22). *de delphinis:* Abduntur tricenis diebus circa Canis ortum occultanturque incognito modo. *Plin.* 3. *Ep.* 16. Abdere lacrimas, operire luctum. ¶ 2. De abstractis. *Liv.* 2. 45. Retro revocanda et abdenda cupiditas erat. *Ovid.* 3. *Fast.* 337. Ambage abdere verum. *Tacit.* 1. *Hist.* 88. *V.* Homonym. in fine. *Absolute pariter eodemque discrimine usurpatur Part. præt. pass.*

Abditus, a, um, est etiam adject., unde Comp. *Abditior,* et Sup. *Abditissimus. Cic. de harusp. resp.* 27. Abditi ac penetrales foci. *Id.* 15. *Att.* 16. Loca venusta, abdita certe et ab arbitris libera. *Id.* 2. *Off.* 3. 13. Aurum penitus abditum. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Auri venæ penitus abditæ. *Id.* 1. *ibid.* 18. 49. Res occultæ et penitus abditæ. *Hor.* 2. *Od.* 2. 1. Nullus argento color est avaris Abdito terris. *Sall. Cat.* 20. Abdita pars ædium. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 3. (25). Quamvis occultus atque abditus (*delphinus*), ex imo advolabat. *Cic. pet. cons.* 11. 44. Voluntas abdita et retrusa. *Liv.* 40. 21., *Tacit.* 6. *Ann.* 8. 6. *et alibi sæpe,* et *Seneca Hipp.* 8. 12. Abditi sensus. *Val. Flacc.* 4. *Arg.* 479. Consilia abdita. *Tacit.* 6. *Ann.* 46. Macroni non abdita ambage. — Comp. *Abditior* apud *Augustin.* 5. *Confess.* 5.; Sup. *Abditissimus* apud *eumd. Enchir.* 16.

Abditum, i, n. substantivorum more. *a*) Num. plur. *Lucret.* 6. 809. (808). Terrai penitus scrutantes abdita ferro. *Horat. Art. P.* 47. Indiciis monstrare recentibus abdita rerum. *b*) Num. sing. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (13). Elephanti – nunquam nisi in abdito coeunt. *Seneca* 1. *de Ira* 1. Cetera (*vitia*) licet abscondere, et in abdito alere; ira se profert. *Cod. Theod.* 14. 3. 1. Rebus in abdito collocatis.

Homonym. Verba *celare, occulere* et *occultare* differunt a verbis *abdere, condere* et *abscondere.* Ac primo quidem quæ *celantur etc.* a loco, in quo latent, minime removentur, sed ibidem permanent, neque sub hominum oculos cadunt, quippe pariete, stragulis, vel alia ratione teguntur; quæ vero *abduntur* etc. a loco, in quo sunt, amoventur hominumque ab oculis auferuntur: quapropter verbis *celare* etc. respondet neutrum *latere* (*Cic. Rab. Post.* 17. 45. Occultat pecuniam Postumus, latent regiæ divitiæ.); verbis *abdere* etc. respondet *abesse*; quæ celantur latent, quæ abduntur absunt. Præterea occultandi significatio in v. *celare* etc. est propria ac prima; in v. *abdere* etc. est tantummodo derivata. *Tacit.* 1. *Hist.* 88. Occultare et abdere pavorem nitebantur. *h. e.* occultare in animo in quo pavor latebat, et abdere quoque ex hominum conspectu. *Nep. Alcib.* 9. Penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime fortunam suam occuli posse. *Cic. Rab. Perd.* 7. 21. Abditum latere in occulto. – Differunt etiam inter se *abdere, condere* et *abscondere.* Quæ *abduntur,* a loco in quo sunt atque ab hominum oculis amoventur, et in locum haud suum transferuntur: quæ vero *conduntur,* postquam usui vel commodo inservierunt, in locum suum reponuntur, ut ibi asserventur, ac propterea etiam sub hominum oculis esse possunt: porro *abduntur* tumultuose et permixte; *conduntur* vero tranquille atque ordinate; *absconduntur* denique cum tranquille atque ordinate occuluntur. *Plaut. Merc.* 2. 3. 25. Nequidquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam.

ABDŌMEN, inis, *n.* 3. (græce λαπάρα juxta *Charis. p.* 21. *Putsch.* Juxta nonnullos quasi *adipomen* per syncopen ex v. *adeps, adipis*; juxta alios quasi ex *ab* et v. gr. δημός *pinguedo*; denique juxta alios ex v. *abdere* quod abdi et tegi soleat, aut quod alimenta in eo abdantur, aut intestina ibi sint abdita). Est extima pars imi ventris, natura mollis et pinguedine obducta, quæ a coxis et pube usque ad diaphragma pervenit (It. *addomine, grasso del basso ventre;* Fr. *la partie inférieure et grasse du ventre, abdomen;* Hisp. *abdómen;* Germ. *Wanst, Schmeerbauch;* Angl. *the abdomen, the fat of the lower part of the belly*). ¶ 1. Proprie usurpatur cum de hominibus, tum de ceteris animalibus. *Cels.* 4. 1. Ipsa autem illa inter coxas et pubem imo ventre posita sunt, a quibus ac pube abdomen sursum versus ad præcordia pervenit, ab exteriori parte evidenti cute, ab interiori levi membrana inclusum, quæ omento jungitur; περιτόναιος a Græcis appellatur. *Juvenal.* 4. 117. *de hominibus:* Montani quoque venter adest, abdomine tardus. *Et Auson.* pariter *Idyll.* 10. 104. Cui prodiga nutat Alvus, opimatoque fluens abdomine venter. *Lucil.* apud *Gell.* 10. 20. *de ceteris animalibus:* Abdomina thynni Advenientibus priva dabo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (48). Illi (*thynni*) membratim cæsi cervice et abdomine commendantur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 44. Perna, abdomen, sumen suis, glandium. *Juvenal.* 2. 18. Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ Et magno cratere Deam. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). Hinc Censoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina, ut tamen Publii mimorum poetæ cœna, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito. Placuere autem et feri sues. Jam Catonis Censoris orationes aprugnum exprobrant callum. Et *Id.* 11. *ibid.* 37. 84. (211). Porcæ sumen optimum, si modo fetus non hauserit: antiqui abdomen vocabant. *V.* integrum cap. Cf. et *Apic.* 7. 4. et 1., 5. 3. *Val. Max.* 3. 5. 3. Abdomine (*suillo*) avide devorato, (*Pulcher*) fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit. ¶ 2. Cum vero abdomen, ut patet ex allatis exemplis, summis in deliciis apud Romanos haberetur, ita positum invenitur pro gula et ventris ingluvie, necnon generatim pro corporis voluptatibus. *Cic. Sext.* 51. 110. Libelli etiam pro vino oppignorebantur; manebat insaturabile abdomen, copiæ deficiebant. *Ter. Eun.* 3. 2. 7. Abdomini hunc natum dicas. *Cic. Pis.* 17. 41. Ille gurges atque heluo natus abdomini suo, non laudi et gloriæ. *Id. ibid.* 27. 66. Solet in disputationibus suis oculorum et aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. *h. e.,* ut ait *Gellius* 19. 2., comedendi et coeundi voluptates. *Trebell. Gallien.* 17. Gallienus natus abdomini et voluptatibus dies ac noctes vino et stupris perdidit. ¶ 3. Etiam pro pudendis virilibus. *Plaut. Mil.* 5. 5. Quin jam dudum gestit (*culter*) mœcho hoc abdomen adimere, ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia. *V.* integr. loc.

Homonym. *Venter, alvus, uterus* et *abdomen* simul sumpta totam medii corporis partem constituunt: ita tamen ut si ventrem dicamus, ad stomachum; si alvum, ad intestinorum meatum; si uterum, ad matricem; si abdomen, ad extimam tantum imi ventris partem respiciamus.

ABDŪCO, cis, xi, ctum, cere, *a.* 3. (*ab et duco*). *Abduxti* pro *Abduxisti* apud *Plaut. Curc.* 5. 2. 16.; *Abduce* pro *Abduc* apud *Plaut. Curc.* 5. 2. 15. et *Bacch.* 4. 9. 108., apud *Ter. Adelph.* 3. 4. 36. et *Phorm.* 2. 3. 63. — Part. *Abducens* I. *A.* 6.; *Abductus* I. *A.* 1. 4. 5.; *Abducturus* I. *A.* 5.; *Abducendus* I. *B.* et II. 2. — Generatim est a loco ducere, abstrahere et in alium locum ducere; et dicitur præsertim de animalibus (It. *condur via;* Fr. *enlever d'un lieu;* Hisp. *retraer, retirar;* Germ. *abführen, fortführen;* Angl. *to take away, remove from any place*).

I.) Proprie; et quidem aut *A*) de animalibus, aut *B*) de rebus inanimis. Quoties autem de loco agitur a quo, gaudet præpositionibus *a, de, ex, extra;* quibus, si agatur de loco ad quem, respondent præpositiones *ad* et *in* cum Acc., vel nomina *rus, domum* etc., vel aliquando apud Poetas aliud etiam nomen sine præpos.

A) Propria et generalis verbi significatio peculiariter variat pro rationum, de quibus agitur, varietate. Est igitur 1. a loco in locum ducere aliquem absolute, nulla nempe significata ratione, 2. aliquem comissationis causa, 3. hinc, quod non longe abest a comissationibus, aliquem aliquo ducere libidinis causa, 4. exinde feminam quoque per raptum aut divortium, 5. unde, assumpta significatione vis, est aliquem abstrahere proprietatis aut custodiæ jure, et etiam 6. pecudes abigere et furari. ¶ 1. Absolute. *Monum. Scip.* apud *Orell. Inscr.* 550. SVBIGIT OMNE LOVCANA. OBSIDESQVE ABDOVCIT. *Plaut. Cas.* 1. 1. 21. Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero. *Ter. Adelph.* 3. 3. 5. Credo abductum in ganeum aliquo. *Cic.* 5. *Verr.* 23. 57. Instrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus abegit. *Edict. præt.* apud *Cic. Quint.* 27. 84. QVOD NON POTERVNT (CVSTODIRE), ID AVFERRE ET ABDVCERE LICEBIT. ubi *auferre* ad res inanimas, *abducere* ad servos et pecudes refertur; sed duo verba conjuncta sunt, ut plena esset juris formula (Cf. *Dig.* 21. 2. 57. *pr.* et § 1.). *Liv.* 2. 56. 15. Consularibus negotio dato, ut collegam per vim, si aliter non possent, de foro abducerent. *Id.* 1. 26. Exercitus inde domos abducti. *Id.* 30. 14. Abductum in secretum sic alloquitur. *Virg.* 3. *Æn.* 601. Me quascumque abducite terras. Et *Plin.* etiam de avibus 10. *Hist. nat.* 35. 51. (103). Donec avem in diversum abducat a nidis. ¶ 2. Aliquem ad comissationem. *Ter. Heaut.* 1. 2. 9. Aliquem ad cœnam. *Id. Eun.* 3. 1. 17. Tum me convivam solum abducebat sibi. ¶ 3. Aliquem libidinis causa. *Plaut. Most.* 4. 2. 7. Aliquem in cubiculum. *Sueton. Aug.* 6. 9. Feminam a triclinio in cubiculum abductam. *Ter. Adelph.* 3. 3. 4. aliquem ad nequitiam. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 33. Renovabitur prima illa militia, cum iste e foro abduci, non, ut ipse prædicat, perduci solebat. ¶ 4. Abstrahere mulierem per raptum aut divortium: apud recentiores cum Dat. *Cic.* 5. *Verr.* 34. 78. Ad quem iste deduxerat

Tertiam Isidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio tibicine. Cf. 7. *ibid.* 31. 81. *Virg.* 10. *Æn.* 79. Gremiis abducere pactas. — *Sueton. Oth.* 3. Poppæam Sabinam abductam marito – nuptiarum specie recepit. Cf. *Dig.* 47. 10. 1. § 2., et *fr.* 15. § 15. *Sueton. Aug.* 62. Liviam matrimonio Ti. Neronis – abduxit. (*De quo Dat.* Cf. *Petron.* 114. Tryphænam fidelissimi rapuerunt servi scaphæque impositam – abduxere certissimæ morti). ¶ 5. Aliquem aliquo abstrahere proprietatis aut custodiæ jure. *Plaut. Merc.* 3. 4. 31. CH. Cui est empta? XV. Nescio: jam addicta atque abducta erat, cum ad portum venio. *Id. Pseud.* 1. 1. 80. Ille abducturus est mulierem cras. Adde *Pœn.* 3. 4. 10. *Id. Capt.* 3. 5. 93., Abductus recta in phylacam. *h. e.* in custodiam. *Ter. Adelph.* 3. 4. 36. Hunc abduce, vinci. *quod est* vinculis constringe. *Cic.* 7. *Verr.* 56. 146. Eos in lautumias abduci imperabat. *Seneca* 4. *Controv.* 25. Servum si verberare voluisses, extra convivium abduxisses. — *Inscr.* apud *Gruter.* 765. p. 1. M. CÆCILIVS PRIMIGENIVS. CVM COSINIA A. F. DAPHNE VXORE SVA QVAM ABDVXIT DIE VIII. *h. e.* funere extulit, sepelivit. ¶ 6. Pecudes abigere, furari. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 21. 36. (120). In hac (*Erythia*) Geryones habitasse a quibusdam existimatur, cujus armenta Hercules abduxerit. *Ovid. Her.* 16. 357. (loquitur Paris): Pæne puer cæsis abducta armenta recepi Hostibus, et causam nominis inde tuli. *Ulp. de Off. Procons.* 8. 1. 1. *de Abig.* 1. 9. § 4. Abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes.

B) Abducere usurpatur etiam de rebus inanimis, quæ tamen aliqua mobilitate præditæ sint. *Plaut.* jocatur per similitudinem *Cas.* 5. 2. 8. Ubi intro hanc novam nuptam deduxi via recta, clavem abduxi. *Virg.* 5. *Æn.* 428. Abduxere retro longe capita ardua ab ictu. *Quintil.* 11. 3. 145. Togam a faucibus ac summo pectore abducere. Notandum et illud *Ovid.*, quamquam allatis differat propter somni prosopopœiam, 5. *Fast.* 477. Ut secum fugiens somnos abduxit imago. *Val. Flacc.* 5. 160. Vincula prensa manu satis abduxerat imis. *Id.* 4. 677. Cœperat incedens abductis montibus unda Ferre ratem. *h. e.* Symplegadum montibus recedentibus; qua sign. sæpe apud eumd. *Sil. It.* 10. 18. Abducere gradus in terga relatos. *h. e.* fugæ se dare. *Dig.* 39. 2. 26. Aquam alicui abducere. *h. e.* auferre. *Scribon. Comp.* 122. Potio datur abducenda. *h. e.* sumenda.

II.) Translate aliquem ab aliquo aut ab aliqua re abducere est alicujus animum avertere, abalienare, avocare; raro cum Dat., sæpissime cum Abl. et præp. *ab*, cui præp. *ad* respondet. Triplici autem ratione ponitur: 1. est avertere et abalienare aliquem alicui vel ab aliquo; 2. abstrahere et avocare aliquem a re in qua versatur; 3. aliquem a bona in malam partem quasi per vim abstrahere. ¶ 1. Avertere et abalienare aliquem alicui vel ab aliquo. *Plaut. Merc.* 5. 4. 33. Sive adeo joculo dixisset mihi se illam amare; nunquam facerem, ut illam amanti abducerem. Adde *Ter. Phorm.* 5. 3. 6. pariter de amantibus. *Cic.* 2. *Orat.* 10. 40. Hoc mihi proposueram, ut – hos abs te discipulos abducerem. Adde *eumd.* 5. *Fin.* 28. 86. et 32. 95. *Id. Dejot.* 11. 31. Abducere servum ab avo. *Id.* 11. *Phil.* 12. 27. equitatum a consule. Et *ibid.* equitatum Dolabellæ ad se. *Id.* 10. *Phil.* 3. 6. legiones a Bruto. *Quintil.* 2. 1. 12. puerum a Grammaticis. ¶ 2. Abstrahere et avocare aliquem a re, in qua versatur. *Plaut. Rud.* 1. 2. 1. a negotiis. *Ter. Hec. prol. alt.* 11. et *Cic.* 4. *Fam.* 4. 5. a studio. *Cic. de Amic.* 2. 8. Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi cum valerem, abduci incommodo meo debui. *Id.* 3. *Q. fr.* 5. 4. Abduco equidem me ab omni reipublicæ cura dedoque litteris. *Id.* 4. *Verr.* 6. 12. Abducuntur homines nonnunquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniæ. *Id.* 1. *Off.* 6. 19. Veri studio a rebus gerendis abduci contra officium est. *Id.* 2. *Phil.* 18. 44. a meretricio quæstu. *Id.* 5. *Fam.* 13. 4. se ab omnibus molestiis et angoribus. *Id.* 4. *Fam.* 3. 4. animum a sollicitudine. *Id.* 2. *Orat.* 72. 293. animos a contraria defensione, et ad nostram traducere. *Id.* 1. *Tusc.* 31. 75. animum a corpore. *Id. ibid.* 16. 38. Magni est ingenii sevocare mentem a sensibus, et cogitationem ab consuetudine abducere. *Id.* 2. *Nat. D.* 17. 45. Nihil est difficilius quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (146). Sic magna cogitatio obcæcat, abducto intus visu. *h. e.* visu ab oculis ad animum traducto. *Quintil.* 6. 2. 5. Ab ipsa veri contemplatione abducenda mens. ¶ 3. Aliquem a bona in malam partem quasi per vim abstrahere. *Cic.* 5. *Verr.* 90. 210. Ab illis hominibus, qui tum versati sunt in republica, ad hanc hominum licentiam atque libidinem me abducis? *Id.* 1. *Divinat.* 41. 92. Ne ars tanta (*haruspicina*), propter tenuitatem hominum, a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum. — Hinc brevius, omissa mala parte, quæ, utpote bonæ opposita, facile subauditur. *Cic. Flacc.* 33. 83. Abducere aliquem a fide. *h. e.* a fide servanda. *Quintil.* 12. 9. 1. Ne ab utilitate causæ eum præsentis cupido laudis abducat. *Val. Max.* 3. 4. *ext.* 1. Abductus ab his erroribus animus.

ABDUCTĬO, ōnis, f. 3. (abduco) proprie abducendi actus (It. *il condur via*; Fr. *action d'emmener*; Hisp. *el acto de llevar*; Germ. *Abführung*; Angl. *a taking away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est recessus, solitudo, in quam quis ab hominum societate se abduxit (*V.* ABDUCO I. *A.* 1.). *Vulgat. Interpr. Eccli.* 38. 20. In abductione permanet tristitia. ¶ 2. De mulieribus per vim abstractis (*V.* ABDUCO I. *A.* 4.). *Dar. Phryg. Interpr.* 4. Cum graves sibi injurias ab his, qui cum exercitu venerant, factas in Laomedontis patris nece et in abductione Hesionæ pertulisset; omnia tamen æquo se animo passurum, si Hesiona ei redderetur. ¶ 3. De servis per vim abreptis (*V.* ABDUCO I. *A.* 5.). *Cod. Theod.* 4. 8. 5. Injustum est autem, alienum ad servum recepisse, et alterius servi abductione condemnatur. *Et ibid.* 11. 10. 1. Melius est enim, ut otiosorum sit ista sedulitas, quam ipsas quoque perdat urbes tristis abductio rusticorum.

II.) Translate abductio apud *Cæl. Aurel.* est nervorum contractio, quæ ab ipso vocatur etiam *raptus* vel spasmus (2. *Acut.* 10. et 3. *Tard.* 6. et 7.), quæque dicitur It. *crampo*; Fr. *crampe*; Hisp. *calambre*; Germ. *krampf*; Angl. *cramp.* 5. *Tard.* 1. Generantur istæ passiones (*ischiadica* et *psoadica*) nunc ex manifestis, nunc ex occultis causis, ut – vehemens abductio, vel raptus in exercitio factus. *Nisi forte legendum sit* adductio.

ABECEDĀRĬUS, a, um, adject. (a b c d) vox composita ex nominibus quatuor priorum litterarum. *Augustin.* 1. *Retract.* 20. scribit, *Abecedarios Psalmos* dici, in quibus versus signati sunt, vel incipiunt secundum alphabeti litteras. — Hinc *Abecedaria*, æ (subaudi *ars*) est, quæ primas litteras docet. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 15. In omnibus artibus sunt primæ, sunt secundæ: ut in puerilibus litteris prima Abecedaria, secunda Notaria. — *Abecedarium*, ii, n. ordo litterarum, quem pueri primo condiscunt: ita *Augustinus*, si *Cælio Rhod.* credimus *l.* 26. (*al.* 14.) *c.* 28. — *Abecedarius*, ii, m. dicitur ab *Hieronymo*, teste *Cælio Rhod. loc. cit.*, puer qui prima litterarum elementa discit.

ĂBEMĬTO significat demito vel auferto. Emere enim antiqui dicebant pro accipere. *Paul. Diac.* p. 4. 18. *Müll.*

ĂBEO, is, ivi *et de more* ii, itum, ire, n. 4. (ab *et* eo; Cf. ἄπειμι). Præterita *abiisti*, *abiisse*, et *abiit* interdum metri causa alterum *i* abjiciunt: *Ovid.* 2. *Heroid.* 99. Expectem, qui me nunquam visurus abisti? *Claudian.* 2. *in Eutrop. proœm.* 4. In dominos vanas luget abisse minas (Cf. *Servium* in *Virg.* 2. *Æn.* 25.). *Martial.* 1. 63. 5. Juvenemque secuta, relicto Conjuge, Penelope venit, abit Helene (Cf. *G. Hermanni Elem. doctr. metr.* p. 153.). — *Abin'* pro *abisne* est in *Plaut. Amph.* 2. 2. 227. et in *Ter. Andr.* 2. 1. 17. — Part. *Abiens*, euntis I. *A.* 5. et *B.* 1., et alibi; *Abiturus* I. *A.* 4., et alibi. — Pass. impersonaliter *abitur* apud *Plaut. Merc.* 4. 4. 36. Nempe me hinc abire vis. L. Volo inquam. C. abibitur. *Id. Cist.* 1. 1. 35.; et sæpius, præsertim in locutionibus *ab emptione, ab incepto* etc., de quibus Vide infra I. *A.* 5.

Abire est a loco ire, discedere (It. *andar via, partire, andare*; Fr. *s'en aller, partir*; Hisp. *irse, andar, partir*; Germ. *ab–, fort–, weggehen*; Angl. *to go away, depart, go*): cui opponitur *venire*, quemadmodum apud *Ter. Andr.* 1. 1. 57. Observabam mane eorum servolos venientes aut abeuntes; et apud *Plin.* 2. *Ep.* 3. Gaditanum quemdam ad eum visendum venisse, statimque, ut viderat, abisse. — Hoc verbum proprie usurpatur de animalibus vel se moventibus, et præcipue de hominibus. *Cic. Cæc.* 16. 45. Qui abierit facilius sibi vim factam probabit, quam qui effugerit. — Peculiariter sæpe definitur aut per Adverbia (*Ter. Adelph.* 5. 5. 1. Rogat frater, ne abeas longius. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). Abeunte illo peregre); – aut per Adjectiva (*Liv.* 1. 16. *ext.* Hæc, inquit, locutus, sublimis abiit. *Virg.* 1. *Æn.* 415. Ipsa Paphum sublimis abit. *Sall. Cat.* 25. Sempronia luxuria atque inopia præceps abierat. *Liv.* 2. 46. 4. Telo extracto præceps Fabius in vulnus abiit. *Virg.* 5. *Æn.* 166. Quo diversus abis? Adde 11. *Æn.* 855.); – aut denique per Nomina (*Virg.* 4. *Æn.* 281. Ardet abire fuga. *Martial.* 8. 56. 9. Paupertatemque malignam Repulit, et celeri jussit abire fuga. Adde 8. 32. 1.).

Quod ad syntaxin attinet, abire aut usurpatur absolute (*Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. Abiit – excessit, evasit, erupit.); – aut si agitur de loco a quo, gaudet Ablat. cum præpos. *ab, de, ex* (*Plaut. Men.* 5. 2. 83. Sed non abire possum ab his regionibus. *Cic.* 4. *Verr.* 22. 55. Commodissimum putavit esse de provincia clam abire. *Sall. Jug.* 35. Qui – profugus ex Africa abierat.); – vel Adverb. *hinc, inde, unde* etc. (*Plaut. Rud.* 4. 3. 88. Sine me hinc abire.), – vel Ablat. sine præp. (*Plaut. Merc.* 3. 4. 69. Cedo, si hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas? *Ter. Eun.* 4. 3. 19. Etiam hoc misera suspicor, aliquid domo abeuntem abstulisse. *Plaut. Amph.* 1. 1. 53. Abituros agro Argivos. *Virg.* 7. *Ecl.* 56. At, si formosus Alexis Montibus his abeat, videas et flumina sicca. *Tac.* 2. *Ann.* 19. Qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant. *Liv.* 24. 19. Tenuit ne incepto abiretur. *Et sic etiam* magistratu, consulatu, tutela etc., quæ V. infra I. *A.* 4.) — Si vero agitur de loco ad quem, gaudet Accus. cum præp. *ad, in, sub, trans* (*Liv.* 2. 15. 17. Tarquinius exsulatum ad generum Mamilium Octavium Tusculum abiit. *Ter. Adelph.* 5. 2. 10. Interea in angulum aliquo abeam. *Virg.* 9. *Æn.* 700. Stomachoque infixa sub altum Pectus abit. *Liv.* 39. 2. Trans Apenninum abierunt.); – vel Adverbiis *foras, aliquo, intro, nusquam, retro* etc. (*Plin.* 3. *Ep.* 19. Ut reditus agrorum, sic etiam pretium retro abiit. *h. e.* minutum est.); – vel Accusativis *domum* (plur. num. apud *Liv.* 2. 7. suas quisque domos abierunt), *rus*, *Paphum*, *Romam*, *Locros*, (et apud *Virg.* 6. *Æn.* 375. Ripamve injussus abibis?); – vel Supinis *Plaut. Trucul.* 1. 1. 15. Quando abiit rete pessum. *Id. Merc.* 3. 4. 6. exsulatum. *V.* superius *Liv.* 2. 15. 17. *Ter. Heaut.* 3. 1. 26. deambulatum. *Id. ibid.* 1. 1. 65. In Asiam ad regem militatum abiit.). Animadvertenda denique illa *Plaut.*, quæ per verborum ellipsim prolata sunt: *Cistell.* 2. 1. 26. Abi quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidii. Et *Rud.* 4. 3. 88. Sine me hinc abire: tu abi tacitus tuam viam. — Plurimi hujusce verbi usus, qui tamen omnes unam abeundi significationem præseferunt, ad tria præcipue capita revocantur: nimirum abire est I. a loco ire, discedere; II. effluere, evanescere, desinere; III. transire, mutari, converti.

I.) Abire est a loco ire, discedere, recedere cum *A*) de hominibus, tum *B*) de rebus inanimis. *A*) De hominibus. ¶ 1. Proprie et generatim. *Ter. Hecut.* 1. 1. 50. In Asiam hinc abii propter pauperiem. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 147. Antequam verbum facerem, (prætor) de sella surrexit atque abiit. *Liv.* 3. 29. 6. in exsilium. *Plaut. Trin.* 4. 2. 147. ab oculis. *Liv.* 25. 10. ex oculis. *Plaut. Amph.* 1. 3. 20. et *Sall. Jug.* 68. e conspectu. *Curt.* 8. 3. 5. Abire conspectu jubet. ¶ 2. Peculiariter imperativum *abi* est a se removentis blandis verbis et ludibus, aut a se abjicientis per contemptum et indignationem. *Plaut. Most.* 5. 1. 32. Abi, ludis me, credo. *Ter. Adelph.* 4. 2. 25. Laudo, Ctesipho: patrissas: abi: virum te judico. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 20. Abi modo. *Ter. Adelph.* 4. 4. 10. Abi, abi jam Æschine, satis diu verba dedisti nobis. *Id. ibid.* 2. 2. 12. Abi, nescis inescare homines. *Plaut. Men.* 5. 7. 40. Abito quo voles. *Plaut. Pers.* 2. 4. 17. Abi in malam rem. *Ter. Andr.* 2. 1. 17. Quin tu abis in malam pestem malumque cruciatum. Adde *Cic.* 13. *Phil.* 21. 48. iisdem verbis. ¶ 3. Item peculiariter, cum adjectivis, de iis qui donati ab aliquo discedunt; de copiis quæ a castris, a prælio etc.; de actoribus aut reis qui a judicio, a foro quorumque modo afferti discedunt. *Ter. Hec.* 5. 4. 13. Egon – sinam sine munere a me abire? *Virg.* 3. *Æn.* 305. Nemo – non donatus abibit. *Id.* 7. *ibid.* 733. per similitudinem: Nec tu carminibus nostris indictus abibis. — *Liv.* 2. 7. 1. Ita certe inde abiere Romani, ut victores, Etrusci pro victis. *Sall. Jug.* 60. Pauci integri, magna pars vulneribus con-

flecti abeunt. Adde 53. 3. Ovid. 12. Met. 270. Hector abit violatus vulnere nullo. — Cic. Rosc. com. 14. 41. Nam quid causæ est quin ab judicio abeas turpissime victus? ¶ 4. Item peculiariter sejungi, decedere præsertim a vita, ac propterea mori. Libenter autem pro mori veteres usurpabant etiam abire vitandæ δυσφημίας causa ominoso moriendi verbo abstinendo (V. VIVO.). Lucil. apud. Non. 35. 9. Merc. Insperato abiit, quem una angina abstulit hora. Cic. 1. Tusc. 30. 74. Cato autem sic abiit e vita. Ter. Phorm. 5. 8. 30. Ea mortem obiit, e medio abiit. Plaut. Cas. prol. 18. Ea tempestate flos poetarum fuit, Qui nunc abierunt hinc in communem locum. Phædr. 4. 19. 16. Abiturus illuc, quo priores abierunt. Plin. 2. Ep. 1. Et ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus. ¶ 5. Sejungi, excedere, decedere a magistratu, sacerdotio etc., hoc est ipsum deponere aut abdicare. Cic. Pis. 3. 6. Ego cum in concione, abiens magistratu, dicere a Tribuno plebis prohiberer, quæ constitueram. Adde 5. Fam. 2. 7., et Liv. 2. 31., et Tac. 5. Ann. 11. Cic. 1. Att. 16. 5. consulatu. Liv. 26. 23. 8., et Val. Max. 1. 1. 4. flaminio. Gell. 6. 7. sacerdotio. Suelon. Aug. 26. honore. Dig. 26. 4. 3. § 8. tutela. Ibid. tit. 10. fr. 3. § 18. fr. 4. pr. tutela vel cura. ¶ 6. A re aliqua recedere vel desistere; et præsertim ab emptione vel societate, cum quis emptionis vel societatis contractum irritum vult. Ter. Phorm. 3. 3. 9. Etiam tu hinc abis? h. e. etiam tu ab hoc incepto desistis? Cic. 3. Verr. 44. 114. Pater de suis bonis ita dat filiæ, ut ab jure non abeat. Liv. 24. 19. Tenuit ne irrito incepto abiretur. — Dig. 2. 14. 7. § 6. Posse abiri ab emptione. Ibid. § 3. Abibitur a priore emptione. Ibid. 18. 5. 1. Ut abeatur ab ea venditione. Ibid. 17. 2. 14. Ne societate abeatur. Ibid. 17. 2. 18. haud impersonaliter, quod raro: Si jubeatur a domino servus abire a societate. ¶ 7. A proposito in dicendo recedere, deflectere, aberrare. Horat. 1. Sat. 1. 108. Illuc, unde abii, redeo. Tac. 6. Ann. 22. Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim. Cic. Rosc. Am. 16. 47. Ne longius abeam. Plin. 17. Hist. nat. 25. 36. (243). Ne in infinitum abeamus. Quintil. 9. 2. 55. Abit enim causa in laudes Cn. Pompeji.

B) De rebus inanimis. ¶ 1. Proprie et generatim a loco ire, discedere. Plaut. Merc. 3. 2. 32. Sol abit. Horat. 3. Od. 6. 41. Sol ubi montium Mutaret umbras, et juga demeret Bobus fatigatis, amicum Tempus agens abeunte curru. Ovid. Her. 5. 55. Prosequor infelix oculis abeuntia vela Qua licet. ¶ 2. Metaphorice de quacumque re, quæ aliquo procurrit, ex. gr. de montibus, littoribus etc. Sil. It. 3. 493. Abeunt in nubila montes. Val. Flacc. 4. 202. Instar scopuli, qui montibus altis Summus abit. Pomp. Mela 2. 2. 11. Pallene – tota in altum abit. Et id. 3. 1. 6. Lusitania – ingenti impetu in altum abit. ¶ 3. In auctionibus res abire ab eo dicitur, qui a plus licitantibus vincitur, quæ nimirum nobis eripitur, elabitur e manibus. Cic. 3. Verr. 54. 141. Si res abiret ab eo mancipe, quem ipse opposuisset. Et 5. Verr. 64. 148. Ne res abiret ab Apronio. Dig. 18. 2. 1. Quo res a domino abeat. Ibid. 50. 17. 205. Ea quæ a nobis abire possint.

II.) Abire est præterire, effluere, evanescere, desinere. ¶ 1. Hoc autem sensu usurpatur a) De tempore, quod præterit. Ter. Eun. 2. 3. 49. Dum hæc dicit, abiit hora. Id. Adelph. 4. 5. 57. Hæc dum dubitas, menses abierunt decem. Cic. Mur. 3. 7. Abiit illud tempus. Id. Sext. 33. 71. Abiit ille annus. Hor. 1. Sat. 5. 14. Tota abit hora. b) De morbis. Cic. 14. Fam. 1. 3. Nunc quidem jam abiit pestilentia. Id. 14. Att. 10. 2. Nausea jamne plane abiit? c) De ceteris rerum conditionibus, ac præsertim de animi affectionibus. Ter. Phorm. 5. 3. 16. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit. Cic. 9. Fam. 20. 1. Illa mea, quæ solebas antea laudare: o hominem facilem! o hospitem non gravem! abierunt. Liv. 3. 10. fides. Id. 2. 4. Quorum, vetustate, memoria abiit. Id. 2. 2. Cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum. Lucan. 3. 509. et Ov. 7. Met. 565. Spes abit. Et 7. Met. 290. pallor situsque. Liv. 2. 52. timor. ¶ 2. Successum vel impunitatem significat. Ter. Andr. 1. 2. 4. Mirabar hoc si sic abiret. Cic. 14. Att. 1. 1. Ad summam non posse istæc sic abire. Catull. 14. 16. Non, non hoc tibi, salse, sic abibit. Seneca ep. 3. 2. Hoc abierit.

III.) Abire est transire, mutari, converti. ¶ 1. A loco in locum, a re in rem, ab homine ad hominem transire proprie et generatim. Cic. 1. Tusc. 14. 32. Abiit ad deos Hercules: nunquam abisset, nisi eam sibi viam munivisset. Id. Sen. 22. 80. Abeant illuc omnia, unde orta sunt. Nep. Thras. 2. 4. In prœlii concursu abit res a consilio ad vires. Horat. 2. Sat. 3. 218. Interdicto huic omne adimat jus Prætor, et ad sanos abeat (scil. ab eo) tutela propinquos. Cic. Rosc. Am. 16. 47. Quid ad istas ineptias abis? Id. 4. Acad. (2. pr.) 28. 90. Sed abeo a sensibus: quid est quod ratione percipi possit? Ovid. 15. Met. 111. Longius inde nefas abiit. h. e. etiam alio transiit. Huc referendum etiam illud Liv. 2. 36. Ne in ora hominum pro ludibrio abiret. ¶ 2. Transire, insumi. Cat. R. R. 135. In commissura abibunt pedes tres. h. e. insumuntur, ac propterea non sunt computandi. Cic. 11. Att. 2. 2. In quos enim sumptus abeunt fructus prædiorum. Cat. R. R. 61. 1. In radices vires oleæ abibunt. Plin. 15. Hist. nat. 3. 3. (10). Cum succus omnis in corpus abeat. Id. 21. ibid. 12. 23. (60). Si prohibeatur in semen abire: et alibi sæpius. (Cf. Auct. Priap. 78. 16. alio sensu.). Seneca ep. 94. 17. Alioquin abibunt in vanum monentium verba. Ovid. 1. Trist. 8. 35. Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos? Caj. Inst. 2. 103. abire in desuetudinem. ¶ 3. Transire in rem aliquam, rem aliquam sibi assumere. Liv. 1. 32. Facta spes in avi mores atque instituta regem abire. Lucret. 3. 1080. (1079). Aut abit in somnum gravis. Dig. 14. 6. 3. § 3. Abire in creditum alicui est mutuum dare aliquid alicui. V. CREDITUM. Ovid. Her. 15. 83. Sive abeunt studia in mores artesque magistræ. ¶ 4. Transire, mutari, converti. Lucil. apud Varr. 5. L. L. 24. Müll. Terra abit in nimbos imbremque. Varr. 5. L. L. 91. Müll. E in U abiit. Ovid. 1. Met. 236. In villos abeunt vestes, in crura lacerti. Id. 4. ibid. 656. Jam barba comæque In silvas abeunt. et alibi sæpe. Plin. 3. Hist. nat. 5. 9. (70). Oppidum delevit, quod nunc in villam abiit. Id. 31. ibid. 7. 39. (73). Totum stagnum abiit in salem.

Homonym. Proprie abire et discedere differunt: abimus enim a loco, in quo moramur; discedimus ab homine, quo familiariter aut sæpe utimur. Plaut. Asin. 2. 1. 3. Jam diu est factum cum discessi ab hero, atque abiisti ad forum. Sueton. Oth. 11. Ut eos, qui discedere et abire cœptabant, corripi quasi desertores detinerique sensit, etc.

ĂBEQUĬTO, as, avi, atum, are, n. 1. (ab et equito: Cf. ἀφιππάζω) equo abeo vel aufugio. Liv. 24. 31. 10. Ut prætores inter tumultum pavidi abequitaverint Syracusas. Al. adequitaverint; al. obequitaverint.

ĂBERCET prohibet. Paul. Diac. p. 25. 16. Müll. V. ABARCET.

ĂBERRĀTĬO, ōnis, f. 3. (aberro) proprie est actus aberrandi, a via deflectendi (It. il deviare, disviamento; Fr. égarement; Hisp. descarriamiento, extravio; Germ. das Abirren; Angl. a wandering or straying away from). Invenitur autem tantummodo translate, et significat animi avocamentum a re molesta. Cic. 12. Att. 38. 3. Sive hanc aberrationem a dolore delegerim. Id. 15. Fam. 18. 1. Verumtamen aliam aberrationem a molestiis nullam habemus. V. ABERRO II. B. 2.

ĂBERRO, as, avi, atum, are, n. 1. (ab et erro). Part. Aberrans I. et II. A. 2. Proprie est a via recta per errorem digredi, deflectere (It. deviare, disviarsi; Fr. s'écarter du chemin, s'égarer; Hisp. descarriar, extraviar; Germ. abirren, sich verirren von etwas weg; Angl. to stray from, deviate).

I.) Proprie. Plaut. Men. prol. 31. Puer aberravit inter homines a patre. Liv. 41. 13. 2. Taurus, qui pecore aberrasset. Petron. Sat. 57. Puer in balneo paulo ante aberravit: si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille. Cf. Dig. 41. 2. 3. § 13. Ovid. per prosopopœiam Rem. Am. 662. Admonitu liber aberrat amor.

II.) Translate A) a re aliqua digredi, et quidem ¶ 1. a re, qua de agitur in oratione. Cic. Cæcin. 19. 55. Ne ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio. Id. 1. Tusc. 33. 83. Dicentem aberrare a proposito facile patiebar. al. minus recte proposito. Id. 5. Tusc. 23. 66. Sed redeat, unde aberravit oratio. Id. cum Accus. rei, ad quam digreditur. 1. Off. 37. 135. Ut etiam si aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio. ¶ 2. A quocumque alio proposito fine digredi et divertere, cum absolute, tum sæpius cum Abl. et præp. ab. Varr. 5. L. L. 13. Müll. Qua re non – si ab agro ad agrosum hominem, ad agricolam venero, aberraro. h. e. proposito mihi fini deero. Cic. Har. resp. 11. 23. Si ædilis verbo, aut simpulo aberravit. h. e. erraverit in verbo proferendo, aut in simpulo tractando. Id. 14. Att. 27. 1. Quamquam vereor ne nihil conjectura aberrem. h. e. ne me mea fallat conjectura; si tamen sana est lectio. Id. 1. Nat. D. 36. 100. Etiam si aberrant a conjectura, video, quid sequantur. Id. 4. Acad. (2. pr.) 46. 140. Aberrare a regula et præscriptione naturæ. Id. 7. Phil. 1. 1. a sententia. Id. Ligar. 6. 19. Partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. ¶ 3. A re proposita ita discedere, ut discrepantia oriatur; ac proinde differre. Cic. 4. Fin. 15. 40. Non multum ab Herilli levitate aberrabimus. Gell. 12. 14. Videntur verba ista a significatione voculæ hujus non aberrare. Plin. 4. Ep. 28. Rogo, ut artificem (pictorem) quem elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare. h. e. ne permittas eum a prototypo discedere, etiam si quid melius pingere possit. — B) Aberrare usurpatur etiam de animo, qui ab aliqua re avocatur. ¶ 1. Generatim et absolute. August. apud Sueton. Claud. 4. Ubi non aberravit ejus animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια. h. e. nisi fuerit mentis impos. Huc referri potest et illud Claudian. Nupt. Hon. et Mar. 6. Mens omnis aberrat In vulnus, quod fixit amor. h. e. tota est extra se, et a ceteris omnibus avocata quasi non compos sui nihil cogitat nisi amores suos. ¶ 2. Peculiariter est animum a re molesta avocare, dolorem devitare aliud cogitando. Cic. 12. Att. 45. 1. Ego hic duo magna συντάγματα absolvi, nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. Id. ibid. 38. 1. At ego hic scribendo dies totos, nihil equidem levor, sed tamen aberro. Cf. V. ABERRATIO.

ABESUS, a, um. Falsa lectio. V. ADEDO.

ABFŌRE
ABFŌREM } V. ABSUM.
ABFUTŪRUS

ABGRĔGĀRE est ab grege ducere; adgregare ad gregem ducere; segregare ex pluribus gregibus partes seducere etc. Paul. Diac. p. 28. 7. Müll.

ĂBHIĔMĂT, abat, n. 1. (ab et hiemo) idem quod hiemat. Plin. 18. Hist. nat. 35. 81. (354). Cum sereno cœlo fulgetræ erunt et tonitrua, abhiemabit. Ita legit Harduinus ex MSS.: sed composita hujusce verbi forma et cum Latinæ linguæ analogia pugnat, et Græco verbo ἀποχειμάζει adversatur, quod est hiems abit. Hinc l. cit. Plin. rectius legit Sillig.: Cum sereno cœlo fulget, pluviæ erunt et tonitrua et hiemabit.

ĂBHINC (ab et hinc; Cf. ἀπὸ τοῦδε) est adverbium quod significat ab vel ex hoc loco (It. da qui; Fr. d'ici; Hisp. de acà; Germ. von hier ab; Angl. from hence).

I.) Proprie usurpatur de loco et significat ex hoc loco, quemadmodum usurpari videtur apud Lucret. 3. 968. (967). Aufer abhinc lacrumas, barathre, et compesce querelas. (Cf. Plaut. Pers. 5. 2. 19. Jurgium hinc auferas).

II.) Translatum est etiam ad tempus et respicit a) tempus præteritum sæpius et apud optimæ notæ scriptores, b) tempus quoque futurum, sed raro et apud inferioris notæ scriptores. — a) Cum respicit tempus præteritum conjungitur fere semper cum nominibus numeralibus, et gaudet vel Ablativo, vel Accusativo, quamvis, ut ait Caper apud Charis. 2. p. 175. Putsch., nonnulli Ablativum, tamquam vulgarem et sordidum, improbent. Plaut. Most. 2. 2. 63. Qui abhinc quadraginta annis occisus foret. Cic. 4. Verr. 52. 130. Comitiis jam abhinc triginta diebus factis. h. e. habitis. Gell. 1. 10. Sermone abhinc multis jam annis desito. — Plaut. Cas. prol. 39. Sed abhinc annos factum est sexdecim. Ter. Andr. 1. 1. 42. Abhinc triennium. Cic. Balb. 6. 16. Si Cn. Pompejus abhinc annos quingentos fuisset, etc. et alibi sæpe, etiam Rosc. Com. 13. 37. Repromittis tu abhinc triennium Roscio, narratur enim res jam præterita, atque ideo illud repromittis idem est ac repromisisti. Id. 12. Att. 17. Abhinc amplius annis XXV., ubi amplius est Accusativus. Apul. de Mag. 55. Abhinc ferme triennium est, cum etc. — b) Respicit etiam tempus futurum. Pacuv. apud Charis. 2. p. 175. Putsch. Seque ad ludos jam inde abhinc exercerent. Pallad. 4. 13. 9. Septimo anno omnes dentes ejus (equi) explentur: latent abhinc ætatis notæ. Symmach. ep. 4. 59. Nec pretium proxima abhinc ætate mittemus.

ĂBHORRĔO, es, ui, ere, 2. (ab et horreo). Part. *Abhorrens* II. 1. et 2. Proprie est præ horrore retro abire, horrenti animo refugere, abominari (It. *aborrire, abominare*; Fr. *s'éloigner en frissonant, avoir horreur*; Hisp. *haber horror*; Germ. *zurückschaudern, schaudernd zurücktreten, verabscheuen*; Angl. *to abhor, dread*).

I.) Proprie, cum Accus., raro et apud inferioris notæ scriptores cum Infinito, raro etiam cum Ablat. præced. præp. *ab*. *Cic. Cluent.* 14. 41. Nemo illud adito, nemo congressione – dignum judicabat: omnes aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemque fugiebant. *Titinn.* apud *Non.* 157. 15. *Merc.* Postquam factus (es) maritus, hanc domum abhorres. *Sueton. Aug.* 83. Pumilos atque distortos, ut ludibria naturæ, malique ominis abhorruit. Adde *Galb.* 4. et *Vitell.* 10. *Plaut.* per prosopopœiam *Cist.* 1. 1. 56. Quid, cedo, te obsecro, tam abhorret hilaritudo? — *Phorphyr.* in *Horat.* 1. *Od.* 3. 17. et 1. *ibid.* 1. 17. cum *Infinito* navigare. — *Lucret.* 1. 934. (935). Quoniam hæc ratio (*philosophandi*) plerumque videtur Tristior esse, retroque Volgus abhorret ab hac. *Id.* 4. 20. (19). ipsissimis verbis.

II.) Translate ad duas præcipue significationes revocari potest: 1. esse animo alieno ab aliqua re, eam aversari; 2. remotum esse, discrepare, dissidere. Occurrit autem sæpe in prosa oratione apud optimos scriptores, in elegantiori vero carmine nunquam; si enim Comicos excipias, invenitur tantummodo apud *Catull.* in jocoso epigrammate, ut infra. ¶ 1. Esse animo alieno ab aliqua re, eam aversari; et gaudet Ablat. præced. præp. *ab*. *Ter. Andr.* 5. 1. 10. Adolescentulo abhorrenti ab re uxoria. *Cic. Cluent.* 9. 27. Quod haberet tres ille filios, idcirco se ab his nuptiis abhorrere. *Id.* 14. *Att.* 13. 5. A ducenda autem uxore sic abhorret, ut etc. Adde 2. *Fam.* 16. 3. *Nep. Milt.* 3. 5. Itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut etc. — *Dicitur etiam* abhorrere animo, animus *aut* voluntas abhorret. *Cic.* 7. *Phil.* 2. 4. Ex quo intelligi potest, animo illos abhorruisse semper ab optimo civitatis statu. *Id. Sext.* 33. 71. Animum Cæsaris a causa non abhorrere. *Id.* 2. *Att.* 6. 1. A scribendo prorsus abhorret animus. Cf. *Curt.* omissa præp. 6. 7. 11. Versabat animum tanto facinore procul abhorrentem. *Cic.* 2. *Fam.* 17. 6. Certiorem me nunquam fecisti, quam valde Bibuli voluntas a me sine causa abhorreret. Adde 4. *Verr.* 4. 10. A quo meo longissima ratio et voluntas abhorrebat. ¶ 2. Remotum esse, discrepare, dissidere: *a*) gaudet autem Ablat. præced. præp. *ab*; *b*) usurpatur etiam absolute; vel *c*) apud recentiores cum Ablat. sine præp. vel etiam Dat., ideoque aliquando dubitandum, Dativusne sit an Ablativus; *d*) vel impersonaliter. — *a*) Cum Ablat. et præp. *ab*. *Cic. Rosc. Am.* 24. 68. Temeritas tanta, ut non procul abhorreat ab insania. *Id.* 1. *de re publ.* 15. 24. Oratio abhorrens a persona hominis gravissimi. *Id. Sext.* 41. 86. Nec ab utilitate eorum, qui audient, nec ab officio vestro, nec ab ipsa causa P. Sextii abhorrebit oratio mea. *Id.* 1. *Orat.* 52. 224. Usque eo illa, quæ dicenda de justitia putabat, a vitæ consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant. *Id.* 3. *ibid.* 18. 66. Genus orationis – abhorrens ab auribus vulgi. *Id. Cluent.* 60. 167. Quid unquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? Et *Cœl.* 4. 10. Longe ab ista suspicione abhorrere debet. *Liv.* 4. 41. Ab suspicione – parum abhorrens. *Id.* 22. 13. Punicum abhorrens os ab Latinorum nominum prolatione. *Nep. Att.* 14. 1. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. *Liv.* 38. 56. 8. Nec inter scriptores rerum discrepat solum, sed orationes quoque – P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se. *Catull.* 22. 11. Tantum abhorret ac mutat, *h. e.* tam longe est. — *b*) Absolute dicitur de eo, qui a re aliqua ita remotus est et discrepat, ut ad eam faciendam minime sit aptus vel idoneus. *Cic.* 2. *Orat.* 20. 85. Sin plane abhorrebit et erit absurdus, ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admoneko. Hinc *Liv.* 30. 44. 6. Vestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lacrimæ, *h. e.* haud opportunæ atque inutiles. — *c*) Cum Abl. sine præp. sive Dat. *Cic. Fat.* 4. 8. Ut – alii talibus vitiis abhorreant, *sed lectio dubia est*. *Curt.* 7. 8. 11. Quæ locutos esse apud regem memoriæ proditum est, abhorrent moribus nostris. *Id.* 8. 6. 2. Ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia. Adde 6. 4. 5. *Flor.* 1. 7. 3. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia. *Liv.* 2. 14. Huic tam paratæ profectioni ab Urbe regis Etrusci abhorrens mos traditus ab antiquis. *Tac.* 5. *Hist.* 24. Neque abhorret vero (*Cic.* tamen *Dejot.* 6. a veritate). — *d*) Impersonaliter. *Sueton. Cal.* 12. Nec abhorret a veritate – ipsum postea – de cogitato quondam parricidio professum. Et *Tib.* 62. Quod nisi eum mors prævenisset, – plures aliquanto necaturus creditur. – Nec abhorret a vero: namque etc.

ĂBHORRESCO, is, ere, n. 3. inchoativum a v. *abhorreo*. Verbum hoc, quod dubia prorsus auctoritate affert Forcellinus, confirmat *Vulgat. Interpr.* 2. *Mach.* 6. 12. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus.

ĂBHORRĬDĒ, adverb. (abhorreo) absurde, insuaviter, eo scil. sono, qui a Latinæ linguæ natura discrepat (Cf. ABHORREO II. 1.); namque hac tantum translata significatione occurrit apud *Charis.* 1. p. 41. *Putsch.* Canitia, an canities dicendum sit, quæritur. Canitia nec irrationabiliter, nec abhorride dicitur.

ABJECTĀCŬLUM, i, n. 2. id quod abjicitur, vel abjiciendum est: ab inusit. *objecto*, ut *spectaculum* a *specto*, derivatur. *Plaut. Truc.* 2. 7. 38. Usque abjectaculum jussit ali. *h. e.* jussit ali puerum abjiciendum potius, quam alendum. Ita edidit et interpretatus est *Bothius*; alii leg.: Usque ad jentaculum. MS. habet *adectaculum*, unde facili negotio deducitur *abjectaculum*. — Hæc autem *Bothii* et *Furlanetti* conjectura minime probanda videtur.

ABJECTĒ, adverb. (abjectus) Comp. *Abjectius* 2. Proprie est modo abjecto, modo scilicet quo quis aliquid a se abjicit: hinc translate ¶ 1. Humiliter, humili genere (Cf. ABJICIO I. 2.). (It. *abbiettamente, di bassa condizione*; Fr. *bassement, humblement*; Hisp. *bajamente*; Germ. *niedrig*; Angl. *lowly, abjectly*). *Tac. Dial. de orat.* 8. Quo sordidius et abjectius nati sunt. ¶ 2. Negligenter (Cf. ABJICIO I. 3.). *Gell.* 2. 6. Nonnulli – reprehendunt quasi incuriose et abjecte verbum positum in his versibus: – *Dulichias vexasse rates* (*Virg.* 6. *Ecl.* 76.). *Vexasse* enim putant verbum esse leve, et tenuis ac parvi incommodi; nec tantæ atrocitati congruere. ¶ 3. Transfertur etiam ad animum, et est animo pusillo (Cf. ABJICIO II. 2.). *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 55. Hoc in dolore maxime est providendum, ne quid abjecte, ne quid timide – faciamus. *Id.* 3. *Phil.* 11. 28. Nec abjecte, nec sine aliqua dignitate casum illum – tuli.

ABJECTĬO, ōnis, f. 3. (abjicio) proprie est abjiciendi actus (It. *il gettar via*; Fr. *action de rejeter, rejet*; Hisp. *el echar fuera*; Germ. *die Ab – Wegwerfung*; Angl. *a throwing away*.). ¶ 1. Proprie. *Quintil.* 9. 3. 18. Figurarum additio et abjectio. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Manuum neglecta atque distenta abjectio. — Hinc Grammaticis abjectio est alicujus litteræ elisio. *Priscian. de metr. Com.* p. 1321. *Putsch.* Omnes quidem crebris synalœphis et episynalœphis et collisionibus et abjectionibus s litteræ sunt usi, scandendo versus suos. ¶ 2. Translate de animo, est demissio. *Cic. Pison.* 36. 88. Quid debilitatio et abjectio animi tui – cum exsanguis et mortuus concidisti?

ABJECTUS, a, um. *V.* ABJICIO.

ABIEGINEUS. *V.* voc. seq.

ĂBIĔGNEUS, a, um, adject. idem ac *abiegnus*, quod *V.* In vet. marmore Neapolitano apud *Grut.* p. 207. legitur *abiegneis sectilibus*, *opercula abiegnea, antepagmenta abiegnea*. Hinc paullo superius in eodem marmore legendum est *abiegneas trabeculas*; namque *abiegineas*, quam vocem nonnulli defenderunt, etiam si reapse ibi occurrat, lapicidæ mendum putandum est.

ĂBIĔGNUS, a, um, adject. (quasi *abiegenitus*, compos. ex voc. *abies* et etymo *geno*, unde *gigno*; qua de compositione Cf. *privignus* et similia, necnon νεογνός). Dictio est quadrisyllaba, sed interdum apud Poetas trisyllaba *abjegnus* (*V.* infra *Propertii* loc. et Cf. ABIES). Abiegnus dicitur qui est ex abiete (It. *di abete*; Fr. *de sapin, fait en bois de sapin*; Hisp. *de abeto*; Germ. *von Tannenholz*; Angl. *made of fir, belonging to fir-wood, of deal.*). *Enn.* apud *Cic. Fat.* 15. 35., 3. *Nat. D.* 30. 75. et *Top.* 16. 61., necnon apud *Varr.* 7. *L. L.* 33. *Müll.* Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes. *Enn.* 1. *Ann.* 86. *ed. Spang.* stipites. *Plaut. Cas.* 2. 6. 32. sors. *Vitruv.* 2. 9. 14. rates. *Liv.* 21. 8. 10. hastile. *Catull.* 74. 7. palmæ. *h. e.* remi. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 4. scobis. *Prop.* 3. 17. 12. Induit abjegnæ cornua falsa bovis. *Id.* 4. 1. 42. abiegnus equus. *h. e.* Trojanus equus.

ĂBĬES, ĕtis, f. 3. (de genere femin. Cf. *Phocæ Art.* p. 1697. *Putsch.*). Arborem hanc ita appellatam esse ait *Isid.* 17. *Orig.* 7. 32., quod præ ceteris arboribus longe eat et in excelsum promineat (a verbo *abeo* quasi ἄπειμι); neque aliter *Passow.* Græcam vocem ἐλάτη, quæ Latinæ *abies* respondet, a verbo ἐλαύνω, *h. e.* impello cum impetu, proveho, derivatam contendit. Poetæ in obliquis casibus *abietis*, *abiete*, *abietibus* duas vocales *i* et *e* in unam contrahunt, primamque syllabam producunt metri causa: *Enn.* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. *V.* infra; *Virg.* 2. *Æn.* 16. Ædificant, sectaque intexunt abjete costas. Adde 8. *Æn.* 599. et 11. *ibid.* 667. Et 9. *ibid.* 674. Abjetibus juvenes patriis, et montibus æquos. (It. *abete*; Fr. *sapin*; Hisp. *abeto*; Germ. *Tanne*; Angl. *fir-tree*).

I.) Abies est arbor altissima rectissimaque (unde *longa* dicitur a *Juven.* 3. 254.); cujus pars inferior enodis *sapinus* vocatur, superior vero nodosa duriorque *fusterna*, ut *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (196). docet: quod tamen intelligendum de materie jam cæsa, non de ipsa viva arbore. Duo autem sunt ejus genera: alterum femina, quæ proceritate dignoscitur, qua alterum, quod mas vocant, longe superat: quod idem *Plin.* 16. 10. 19. (48). tradit. Est præterea aliud discrimen, quod in femina nucamenta, seu nuces deorsum pendent; in mare vero sursum tendunt. Ceterum de abiete *V.* totum cit. *Plinii* cap. 16., in quo varia ejusdem genera, singulares radices, multiplicem corticem, insecta et pungentia et quæ non decidant folia notat atque animadvertit; eamque circa solstitium florere, pluribus aptam usibus, sed præcipue navigiis expetitam ait. Cf. et *Pallad.* 12. 15. 1. et *Vitruv.* 2. 9. et 10. *Crispa* abies appellatur ab *Ennio* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. propter crispantes venarum flexus; *nigra* a *Virg.* 8. *Æn.* 599. ob densitatem foliorum, quibus umbrosissima est: hinc *late umbrosa* a *Claudian.* 9. *de raptu Proserp.* 107.; *enodis* ab *Ovid.* 10. *Met.* 94.; *audax* a *Stat.* 6. *Theb.* 104. propter navium, quæ ex ipsa fiunt, audaciam. Abies autem dicitur et arbor ipsa et quæ ex eadem habentur ligna. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Sat.* 2. Abies consternitur alta. *Id.* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Tosti alti stant parietes, deformati atque abjete crispa. *Ovid. Herod.* 5. 41. Cæsa abies, sectæque trabes, et classe parata.

II.) Quia vero aptissima navigiis est (V. *loc. superius citt.*), hinc a poetis per metonymiam sæpe pro navi ponitur; et per eamdem metonymiam ponitur etiam pro alia quapiam re ex abiete facta. *Virg.* 8. *Æn.* 91. Labitur uncta vadis abies. Adde 2. *G.* 68. — *Id.* 11. *Æn.* 667. Longa transverberat abjete pectus. *h. e.* hasta abiegna. *Sil. It.* 4. 255. Fata extrema ferens abies. *Plaut. Pers.* 2. 2. 66. obsignata abies. *h. e.* tabellæ abiegnæ perscriptæ. *Martial.* 14. 84. Ne toga barbatos faciat vel penula libros, Hæc abies chartis tempora longa dabit. *h. e.* tabellæ abiegnæ, quibus tegebatur liber. *Quintil.* 8. 6. 20., ubi de tropis, quæ in prosa admitti possunt, aut in versu, inquit: Prosa ut *mucronem pro gladio*, et *tectum pro domo* recipiet; ita non *puppim* pro navi, nec *abietem* pro *tabellis*.

ĂBIĔTĀRĬUS, a, um, adject. (abies) qui in abiegnis lignis occupatur. *Paul. Diac.* p. 27. 11. *Müll.* Abietaria negotia dicebantur, quam materiariam nunc dicimus, videlicet ab abietibus coemendis. — Hinc *Abietarius*, ii, m. 2. est lignarius. *Vulgat. Interpr. Exod.* 35. 35. Opera abietarii. *h. e.* mensarum fabricatoris.

ĂBIĔTĪNUS, a, um, adject. (abies) idem atque abiegnus. *Apul. Herb.* 29. Abietinum vas. Rectius tamen *Humelbergius* legit *argenteum*.

ĂBĪGA, æ, f. 1. (abigo) alio nomine chamæpitys, herba est, quæ vim partus abigendi habet. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 20. (29). Chamæpitys Latine abiga vocatur propter abortus. *NB.* Dicitur et *ajuga*, quam vocem *V.*

ABĬGEĀTOR, ōris, m. 3. (abigeus) idem quod abigeus et abactor. *Mos. et Roman. LL. Collat. tit.* 11. c. 2. Paulus libro Sententiarum V. sub titulo de abigeatoribus etc. In *Pauli* tamen *Sententiis* invenitur *abigeus* vel *abactor*, nunquam vero *abigeator*: quamquam *Schult.* ad h. cit. contendat *abigeum*, *abactorem* et *abigeatorem* promiscue usurpari.

ĂBIGEĀTUS, us, m. 4. (abigeus) ipsum abigei crimen (It. *rubamento di bestiami*; Fr. *vol de bestiaux, abigeat*; Hisp. *abigeato*; Germ. *Viehraub, Viehdiebstahl*; Angl. *a driving away, or thieving of cattle*). *Macer Dig.* 47. 14. 1. Abigeatus crimen publici judicii non est. Adde *Arr. Menand. Dig.* 49. 16. 5., et *Ulpian. Dig.* 47. 14. 1. § 4.

ĂBIGEUS, i, m. 2. (abigo I. 2.) idem atque abactor, quam v. *V.*, *h. e.* qui pecora de pascuis, vel armentis subtrahit et deprædatur (It. *ladro di bestiami*; Fr. *ravisseur de troupeaux*; Hisp. *abigeo*; Germ. *Viehdieb*; Angl. *stealer, or driver away of cattle*). *Ulp. Dig.* 47. 14. 1. Abigei proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, et quodammodo deprædantur, et abigendi studium quasi artem exercent. *Claud. Saturn. Dig.* 48. 19. 16. § 7. Quantitas discernit furem ab abigeo: nam qui unum suem subripuerit, ut fur coercebitur; qui gregem, ut abigeus. Adde *Moss. et Romm. LL. Collat.* tit. 11., ubi hæc vox pluries occurrit.

ĂBIGO, igis, ēgi, actum, igere, a. 3. (ab et ago) Part. *Abigens* I. 1.; *Abactus* I. et II.; *Abigendus* I. 1. Est pellere, expellere (It. *cacciar via*; Fr. *chasser*; Hisp. *echar fuera*; Germ. *weg-oder fort-treiben*; Angl. *to drive away, to drive*).

I.) Proprie: et quidem 1. generatim expellere homines et cetera animalia, 2. peculiariter est pecudes furari easdem a pascuis vel armentis abducendo, 3. est medicamentis aliquid expellere. Quibus autem casibus et præpositionibus gaudeat, ex locis quæ afferuntur, unusquisque facile colliget. ¶ 1. Proprie et generatim expellere præsertim homines et cetera animalia; usurpatur tamen et de rebus inanimis. *Plaut. Amph. prol.* 150. Abigam advenientem ab ædibus. *Ibid.* 3. 3. 24. ex ædibus. *Id. Curc.* 1. 3. 30. a cibo. *Id. Truc.* 2. 1. 41. anseres de frumento. *Ter. Adelph.* 3. 3. 47. Abigam hunc rus. *Varr.* 2. *R. R.* 1. 16. Greges ovium longe abiguntur ab Apulia in Samnium æstivatum. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 247. Puer, abige muscas. *Id.* 1. *Tusc.* 43. 104. volucres et feras. *Ovid.* 3. *Fast.* 344. O vir colloquio non abigende meo. *Martial.* 10. 5. noxias aves. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (9). Aquila ictu abigente alæ. *Id.* 2. *ibid.* 47. 48. (126). Hi (*venti*) – nubes abigunt. *Propert.* 3. 13. 30. Stabulis mater abacta suis. *h. e.* prohibita, non admissa. *Stat.* 3. *Theb.* 47. Cujus herile pecus silvis inopinus abegit Imber. ¶ 2. Peculiariter est pecudes furari easdem a pascuis vel armentis abducendo, idque præsertim apud JCtos; unde *abactor*, *abigeus*, *abigeatus*, quæ *V. Cic. Pison.* 34. 84. Familias abripuerunt, pecus abegerunt. *Id.* 4. *Verr.* 7. 20. Greges nobilissimarum equarum abacti. *Et alibi sæpe in Verrinis. Liv.* 4. 21. Prædæ abactæ hominum pecorumque. *Callistrat. Dig.* 47. 14. 3. A stabulo abigere domitum pecus. *Id. ibid.* Qui sæpius abegerunt, licet semper unum vel alterum pecus subripuerint, tamen abigei sunt. *Et alibi in Dig. sæpissime.* ¶ 3. Item peculiariter medicamentis aliquid expellere, et præsertim immaturum fetum ejicere. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 59. (106). Hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare. Adde 30. *ibid.* 11. 30. (101). *Id.* 29. *ibid.* 5. 19. (38). (*Inula*) venenatorum morsus abigit. — *Cic. Cluent.* 11. 32. Abigere sibi partum medicamentis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (116). partum vino. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 63. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 11. fetum. *Sueton. Dom.* 22. conceptum a se. *Paul. Sent.* 4. 9. 6. Abactus venter.

II.) Translate est amovere 1. animi molestias, 2. peculiariter alia plura. ¶ 1. Amovere animi molestias. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. abigere pestem. *Plaut. Merc.* 1. 2. 3. lassitudinem a se. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 40. (80). fastidium. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 19. curas. *Id. Epod.* 5. 29. Abacta nulla Veja conscientia. *h. e.* non deterrita. ¶ 2. Amovere alia plura. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 44. Nec dum omnis abacta Pauperies epulis regum. *Virg.* 8. *Æn.* 407. Medio jam noctis abactæ Curriculo. *h. e.* exactæ. Cf. *Stat.* 1. *Theb.* 231. Et *Id.* 1. *Theb.* 104. *de Tisiphone:* Sedet intus abactis Ferrea lux oculis. *h. e.* enectis et intus recedentibus. *Paul. Diac. p.* 23. 3. *Müll.* Abacti magistratus qui coacti deposuerant imperium. *Sueton. Tib.* 7. abigere uxorem. *h. e.* divortium ab ipsa facere.

ABJĬCIO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (ab et jacio). Prima syllaba longa est propter duplex i: *Horat.* 1. *Ep.* 13. 7. Abjicito potius, quam quo proferre juberis. Interdum tamen corripitur, altero i poetica licentia extrito. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 37. Turpe putas abici, quia sit miserandus, amicum. *Heinsius* minus recte legit *abigi*. *Juvenal.* 15. 17. in mare nemo Hunc abicit sæva dignum veraque Charybdi. Quamquam etiam in prosa oratione optima MSS. persæpe exhibeant *abicio* (Cf. *Editt. Mai., Madvig., Ellendt.* aliorumque, necnon cetera a *jacio* composita, *conjicio*, *objicio*, *subjicio* etc.). Part. *Abjiciens* III. 2.; *Abjectus* I. II. et III.; *Abjecturus* I. *A.*; *Abjiciendus* III. 2. et 3. Proprie est jacere aliquid procul a se, vel de loco superiori in inferiorem (It. *gittar via*, *gittare*; Fr. *jeter loin de soi*, *rejeter*; Hisp. *echar de si*; Germ. *abwerfen, von sich werfen, herab-oder hinabwerfen*; Angl. *to throw, to throw away*). — Plures autem hujusce verbi significationes ad tres præcipue revocari possunt, quarum unaquæque suas passa est metaphoras: abjicere enim est I. jacere aliquid procul a se, vel de loco superiori in inferiorem; unde II. sternere, ad terram prosternere; ac propterea etiam III. in humilem locum dejicere, demittere.

I.) Abjicere est *A*) Proprie jacere aliquid procul a se, vel de loco superiori in inferiorem. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. et 15. *Att.* 29. 1. Abjicere scutum. *Id.* 4. *Tusc.* 2. 4. togam. *Id.* 10. *Att.* 8. 4. Arma Pompejum abjecturum putas. Adde 6. *Fam.* 2. 2. *Id. Sext.* 27. 58. Insigne regium de suo capite abjecerat. *Id.* 1. *Tusc.* 34. 84. Se e muro in mare. *Varr.* 5. *L. L.* 23. *Müll.* In sepulcrum ejus abjecta gleba non est. *Cæs.* 5. *B. G.* 48. Tragulam intra munitiones castrorum abjicere. *Tac.* 1. *Ann.* 29. 6. Abjecta extra vallum corpora ostentui. *Flor.* 1. 1. 1. Abjectus in profluentem. *Cic.* 4. *Att.* 2. Abjicere se ad pedes alicujus. *Id.* 8. *ibid.* 9. se ad pedes alicui. *Id. Milon.* 36. 100. se supplicem alicui pro aliquo. *Id. Sext.* 34. 74. Socer ad pedes abjectus. *NB.* Præpositionem *in* non semper excipit Accusativus, sed interdum Ablativus, quoties scilicet auctor præ oculis habuit locum, in quo abjiciendi actio perficitur, potius quam spatii terminum, in quem res abjecta incideret. *Cic.* 1. *Orat.* 7. 28. Ut se abjiceret in herba (*Editt.* in herbam). *Id.* 5. *Fin.* 30. 92. Nisi quod – annulum in mari abjecerat. *h. e.* cum esset in mari. *Ovid. Heroid.* 7. 1. olor udis abjectus in herbis. *Tac.* 1. *Ann.* 22. Ubi cadaver abjeceris. *Sueton. Ner.* 48. Odore abjecti in via cadaveris. *Id. Galb.* 20. Redemptum (*caput*) eo loco abjecit. *Nep. Hann.* 9. 3. Statuas æneas – in propatulo domi abjecerat. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 13. 44. (75). Se humi abjicere. *Curt.* 10. 5. 19. Corpus humi abjic. — *B*) Translate est ¶ 1. Deponere, rejicere quæ prius mente agitabamus, aut studio complectebamur. *Cic.* 13. *Fam.* 1. 3. Abjicere ædificationem. *Id.* 5. *Att.* 11. 6. consilium ædificandi. *Id.* 2. *Cat.* 7. 14. consilium belli faciundi. *Id.* 9. *Fam.* 20. 1. de re publica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententiam, commentationem causarum. *Ibid.* 24. 4. curam reipublicæ. *Id.* 4. *Fam.* 7. 2. cupiditatem certandi. *Cæl.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 1. triumphi postulationem. *Plaut. Merc.* 2. 10. superbiam. *Cic.* 3. *Tusc.* 27. 66. dolorem. *Id.* 1. *Phil.* 12. 30. memoriam doloris. *Id.* 8. *ibid.* 11. 32. memoriam beneficiorum. *Id. Ligar.* 5. 16. humanitatem. *Id.* 1. *Off.* 29. 102. obedientiam. *Id.* 11. *Fam.* 21. 4. timorem. *Id.* 2. *Orat.* 33. 142. voluntatem discendi cum spe perdiscendi. *Id.* 3. *Tusc.* 13. 27. Hanc (*ægritudinem*) nisi sic exuimus, ut abjiciamus, miseria carere non possumus. *Id.* 1. *Off.* 21. 72. Abjecta omni cunctatione. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 141. Abjectis nugis. *Enn.* alia significatione 6. *Ann.* 22. Ut primum tenebris abjectis inalbabat dies. Cf. *Apul.* 7. *Met.* 1. ¶ 2. Quoniam abjiciuntur quæ minimi vel nihili habentur, ita abjicere est etiam contemnere. *Cic. Planc.* 33. 79. Abjicere salutem pro aliquo. *Id.* 3. *Att.* 19. 1. Abjicere vitam. *h. e.* quasi per contemptum. Apud *Plin. Paneg.* 65. Abjicere magistratum *opponitur* τῷ ponere magistratus. *NB.* Hac contemptus significatione occurrit sæpius Part. pass. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 66. Cum ipsi inter nos abjecti neglectique simus. *Id.* 5. *ibid.* 22. 57. Nihil abjectum, nihil humile cogitare. *Id. Dejot.* 11. 30. Familia abjecta atque obscura. ¶ 3. Est etiam negligere. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 102. Versum abjicere, non agere. *h. e.* submisse et minime actuose pronuntiare. *Id. Orat.* 59. 199. Ponendus est enim ille ambitus, non abjiciendus. *Id. Orat.* 55. 84. Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit. *h. e.* sine studio et arte conferti; Italice *gettati là*. *Seneca Ep.* 75. 1. Sensus nec exornare, nec abjicere. *Cic. Orat.* 57. 193. Neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat.

II.) Abjicere est etiam ¶ 1. Sternere, ad terram prosternere. *Cic. vertens carmina Sophoclis in Trachiniis* 2. *Tusc.* 9. 22. Erymanthiam hæc (*dextera*) vastificam abjecit beluam. *Id.* 7. *Verr.* 54. 140. C. Servilium – ad tribunal ante pedes tuos ad terram virgis et verberibus abjectum. *Seneca* 5. *Benef.* 3. Luctator ter abjectus perdidit palmam. *Val. Max.* 3. 2. *ext.* 5. Fortis et animosa civitas Spartana jacet armis nostris abjecta. *Cic. Milon.* 21. 56. Mars communis sæpe spoliantem jam et exsultantem evertit et perculit ab abjecto. ¶ 2. Hinc translate. *Cic. Mur.* 28. 58. Noluerunt ita quempiam cadere in judicio, ut nimis adversarii viribus abjectus videretur. *Id.* 10. *Fam.* 12. 4. Magna contentione intercessorem abjicere. *h. e.* oratione percellere. *Id.* 1. *Att.* 18. 3. Hic annus senatus auctoritatem abjecit. *Id.* 1. *ibid.* 16. 8. Excitare abjectum senatum. *Nep. Att.* 8. 6. Abjectus Brutus. *Cic.* 1. *Parad.* 3. 14. Abjicere se. *h. e.* animo cadere. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 54. Se abjicere atque prosternere. *Quintil.* 1. 3. 16. Pudor refringit animum, et abjicit. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 2. Animo perculso et abjecto. *Id.* 4. *ibid.* 2. 3. Exanimata uxor, abjecta metu filia.

III.) Abjicere denique est ¶ 1. In humilem locum dejicere, demittere. *Cic.* 1. *Leg.* 9. 26. Natura cum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit. ¶ 2. Hinc translate, de iis præsertim quæ verbis extenuantur. *Cic. Amic.* 9. 32. Qui suas omnes cogitationes abjecerant in rem tam humilem tamque contemptam. *Id.* 3. *Orat.* 26. 104. Quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abjiciendum. *Id.* 5. *Tusc.* 18. 51. Quid prohibet, Xenocratem extenuantem cetera et abjicientem in virtute beatissimam vitam ponere? *Catull.* 24. 9. Abjicere atque elevare aliquid. ¶ 3. Item translate de rerum pretio est aliquid parvo aut vilissimo pretio vendere. *Plaut. Mostell.* 3. 3. 3. Nunquam edepol me scio vidisse usquam abjectas ædes, nisi modo hasce. *Phædr.* 4. 5. 41. Deformis cultum vendet, ut vinum paret; Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret. Huc referri potest et illud *Ter. Adelph.* 4. 7. 26. Quæ (*psaltria*), quantum potest, aliquo abjicienda est, si non pretio, gratis.

Abjectus, a, um, est etiam adjectivum, ut ex allatis patet exemplis; unde Comp. *Abjectior* et Superl. *Abjectissimus*. *Cic. Amic.* 16. 59. In quibusdam animus abjectior est. *Id.* 1. *Fam.* 9. 16. Abjectiore animo esse. (Cf. II. 2.). — *Val. Max.* 3. 7. *ext.* 5. Abjectissimum negotium. *Id.* 9. 2. 2. Abjectissimus homo. *Quintil.* 11. 1. 13. Abjectissimus animus. (Cf. I. *B.* 2.).

ĂBINVĬCEM, vel *ab invicem* divisim, occurrit apud *Cyprian. ep.* 3. *n.* 9. et apud *Hieron. ep.* 18.; a nonnullis legitur etiam apud *Apul. Herb.* 112., ubi alii aliter. *V.* A, AB, ABS in fin. de compositione.

ĂBĬTĬO, ōnis, f. 3. (abeo) proprie est discessio (It. *dipartita*, *partenza*; Fr. *départ*; Hisp. *partida*; Germ. *das Fortgehen, der Aufbruch*; Angl. *a going away, departing*). ¶ 1. Pro discessione subita et tumultuosa occurrit in *Plaut. Rud.* 2. 6. 19. Hinc abitio. Et in *Ter. Heaut.* 1. 2. 16. Eam misere amat: propter eam hæc turba atque abitio evenit. ¶ 2. Abitionem antiqui dicebant mortem. *Gloss.* post *Fest. p.* 380. 9. *Müll. V.* ABEO I. 4.

ĂBĪTO, is, ere, n. 3. (ab et beto, quod est frequentativum ex obsoleto *bire* vel *bere*; Cf. ABBIRE) significat a loco itare. *Plaut. Rud.*, si sana est lectio, 3. 4. 72. Hunc quoque asserva ipsum, ne quo abitat. *Titinn.* apud *Non.* v. *Delicere. Fragm. Both. T.* 2. p. 67. 4. Quod eâ parasitus abitat, qui illum sciat Delicere, et noctem facere possit de die. *ubi Both.* abbitat; *Neukirck vero, fortasse rectius*, habeat. *Velius* tamen *Long.* aliam hujusce verbi formam proponit p. 2246. 5. *Putsch.* Frequentativa verba sunt: Cœnito, – ito, Abitoque. *unde Infinit.* abitare.

ĂBĬTUS, us, m. 4. (abeo) est discessus, non tamen ipse abeundi actus, verum discessus, ut ita dicam, perseverans sive absentia (It. *dipartita*, *assenza*; Fr. *départ*, *absence*; Hisp. *partida*, *ausencia*; Germ. *Weg-oder Fortgang*; Angl. *departing, absence*). ¶ 1. Proprie. *Ter. Heaut.* 3. 1. 4. Cum videam hunc tam excruciarier ejus abitu. Cf. *ibid.* 4. 4. 24. *Lucret.* 1. 457. (458). quorum Adventu manet incolumis natura abituque. Cf. *ibid.* 677. (678). *Cic.*

5. *Verr.* 54. 125. Ne post abitum quidem hujus importunissimæ pestis. *Catull.* 64. 279. Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii Advenit Chiron. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (311). Abitus hirundinum. *Sil. It.* 7. 136. Assimulare abitum retro. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 63. Abitusque morabitur arctis Nexibus. ¶ 2. Interdum significat locum per quem abire possumus. *Virg.* 9. *Æn.* 380. Omnemque abitum custode coronant. *Tac.* 14. *Ann.* 31. Ceteri terga præbuere difficili effugio, quia circumjecta vehicula sepserant abitus. — *NB.* Abitus est etiam cogn. Rom. *V.* ONOM.

ABJŪDĬCĀTĪVUS, a, um, adject. (abjudico) idem ac negativus vel abdicativus (It. *negativo*; Fr. *négatif*; Hisp. *negativo*; Germ. *absprechend*; Angl. *negative*). *Pseudo-Apul.* 3. *dogm. Plat. sub init.* Solum autem abjudicativum (*Stoici*) vocant, cui negativa particula præponitur. *Pseudo-Apul.* autem hic loquitur de propositionibus logicis.

ABJŪDĬCO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* judico). Part. *Abjudicatus* 1. Proprie significat judicio negare, auferre, ideoque per sententiam alteri addicere; cui opponitur *adjudicare*: gaudet autem Abl. cum præp. *ab*, raro Dat.; interdum absolute invenitur. (It. *togliere per via di giudizio, giudizialmente negare*; Fr. *déclarer par jugement qu'une chose n'appartient pas à quelqu'un*; Hisp. *judicialmente rehusar*; Germ. *durch Urtheilspruch entziehen, aberkennen*; Angl. *to take away by sentence*. ¶ 1. Proprie, per publicam judicis sententiam. *Plaut. Rud.* 5. 1. 3. Abjudicata a me modo est Palæstra. *Cic.* 2. *Agr.* 16. 43. Rullus (*judicabit*) Alexandriam regis esse; a populo Romano abjudicabit. *Id.* 2. *Verr.* 5. 13. Nulla res cujusquam tam patria atque avita fuit, quæ non ab eo imperio istius abjudicaretur. *Liv.* 4. 1. Ardeatium populum ob injuriam agri abjudicati descisse. Adde *Ulp.* in *Dig.* 30. 1. 50. § 2. ¶ 2. Ampliata significatione ad privatorum quoque sententiam transfertur. *Plaut. Rud.* 4. 3. 100. Nunquam hercle hodie (*herus*) abjudicabit ab suo (*servo*) triobulum. *Cic. Cæcin.* 34. 99. Eum qui, cum liber esset, censeri noluerit, populus judicat ipsum sibi libertatem abjudicasse. *Id.* 3. *Verr.* 2. 4. Nec tanta fortunis omnium pernicies potest accedere, quam opinione populi Romani rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine (*senatorio*) abjudicare. *Hinc singulare illud Plaut. Asin.* 3. 3. 17. Equidem me a vita abjudicabo. *h. e.* vita me privabo. *V.* ABDICO.

ABJŪGO, as, a. 1. (ab et jugo, Cf. ἀποζεύγνυμι) proprie est a jugo removere, solvere: occurrit vero tantum translate et significat amovere. *Pacuv.* apud *Non.* 73. 21. *Merc.* Quæ res te ab stabulis abjugat.

ABJUNGO, jungis, junxi, junctum, jungere, a. 3. (ab *et* jungo; Cf. ἀποζεύγνυμι) Part. *Abjungens* 1.; *Abjunctus* 1. et 2. Proprie est jumentum curru solvere, jugum auferre (It. *sciorre dal giogo o dal carro*; Fr. *dételer*; Hisp. *desuncir*; Germ. *abspannen*; Angl. *to loose from the yoke, unyoke*). ¶ 1. Proprie. *Virg.* 3. *G.* 518. It tristis arator Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum. *Propert.* 2. 14. 12. Quam prius abjunctos sedula lavit equos. ¶ 2. Translate est separare, removere; qua significatione a recentioribus præsertim Part. perf. pass. sæpe usurpatum fuit. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. Tum maxime quod abjuncto Labieno atque iis legionibus, quas una miserat, vehementer timebat. *Catull.* 66. 51. Abjunctæ paulo ante comæ mea fata sorores Lugebant. *Cic.* 2. *Att.* 1. 3. Quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerit. — *Prudent. Perist.* 2. 441. Abjunctæ plagæ. *Id. adv. Symm.* 2. 816. Quadrupes abjuncta est bipedi. *Arnob.* 3. 10. Ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas.

ABJŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (abjuro) rei creditæ abnegatio cum perjurio (It. *il negare con giuramento una cosa consegnata*; Fr. *action de nier un dépôt avec parjure*; Hisp. *abjuracion*; Germ. *das Abschwören*; Angl. *a false denial upon oath of any thing in one's possession*). ¶ 1. Proprie. *Isid.* 5. *Orig.* 26. 20. Inficiatio est negatio debitæ rei, cum a creditore deposcitur. Idem et abjuratio, id est rei creditæ abnegatio. ¶ 2. Hinc rei debitæ vel officii aperta abnegatio. *Inc. Auct. Itin. Alex. Magn.* 40. *Mai. Callisthenes admonet Alexandrum, qui se adoratum volebat more deorum*: Eo quoque addito, quod quam justum sit infestari eum, qui insignia regni, quæ sua non sunt, usurpavit; tam a diis posse puniri abjurationis qui sibi adeo faveat honore jactantiæ.

ABJŪRĀTOR, ōris, m. 3. (abjuro) qui abjurat (It. *colui che niega con giuramento, lo spergiuro*; Fr. *parjure*; Hisp. *perjuro*; Germ. *Abschwörer*; Angl. *perjured*). ¶ 1. Proprie. *Cassiod.* 11. *Variar. ad fin.* Non sum callidus abjurator. *al. legunt* adjurator, *al.* arbitrator. ¶ 2. Ampliata significatione est qui rem aliquam a se abdicat et respuit. *Ennod. Dict.* 18. *a med.* Si te circa cives alicujus supercilii tumor elevasset, privatæ abjuratorem dulcedinis te immoderata nunciaret erectio.

ABJURGO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* jurgo) est jurgio seu litigio rem aliquam alicui abjudicare. *Hygin. Fab.* 107. Ajax postulavit a Danais, ut arma sibi Achillis darent: quæ ei ira Minervæ abjurgata sunt ab Agamemnone et Menelao, et Ulyssi data. *Puto rectius legendum* abjurata.

ABJŪRO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* juro). Part. *Abjuratus* et *Abjurandus*. Significat perjurio negare, præsertim rem sibi creditam vel quocumque modo a se debitam; conjungitur etiam verbis *in jure* (It. *negare con giuramento*; Fr. *nier avec serment, se parjurer*; Hisp. *negar con juramento, perjurarse*; Germ. *abschwören, eidlich abläugnen*; Angl. *to deny falsely upon oath*). *Plaut. Pers.* 4. 3. 9. Nec metuo quibus credidi hodie, ne quis mihi in jure abjurassit. ἀρχαϊκῶς pro *abjuraverit*. *Id. Rud. prol.* 14. Quique in jure abjurant pecuniam. *Tab. Heracl. Vers.* 39. *Ær. Neap.* QVIVE IN IVRE ABIVRAVERIT. *Plaut. Curc.* 4. 2. 10. Abjurant, si quid creditum est. *Sall. Cat.* 25. 4. Creditum abjuraverat. *Virg.* 8. *Æn.* 263. Abstractæque boves, abjurataeque rapinæ Cœlo ostenduntur. *h. e.* rapinæ perjurio negatæ, ut recte interpretatus est *Heyne*, male autem *Servius* ad *l. cit.* *Quintil. in declam.*, cui titulus *Trib. Marian.* 7. Abjurandus est non esse sanguis tuus. *Stat.* 6. *Theb.* 150. En! quam ferale putemus Abjurasse sacrum. *Claudian.* VI. *Cons. Hon.* 110. Abjurata palam Lybiæ possederat arva. *Cic.* per jocum 1. *Att.* 8. 3. Mi autem abjurare certius est, quam dependere.

ABLACTĀTĬO, ōnis, f. 3. (ablacto; Cf. ἀπογαλακτισμός) ablactandi actus (It. *spoppamento*; Fr. *sevrage*; Hisp. *el destetar*; Germ. *die Entwöhnung des Säuglings*; Angl. *a weaning*). *Vulgat. Interpr. Genes.* 21. 8. In die ablactationis ejus.

ABLACTO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* lacto; Cf. ἀπογαλακτίζω). Part. *Ablactatus*. Significat depellere a lacte, ab ubere matris (It. *slattare*; Fr. *sevrer*; Hisp. *destetar*; Germ. *einen Säugling entwöhnen*; Angl. *to wean, to ablactate*). *Hieronym. Ep.* 27. *ad Eustoch. epitaph. Paulæ a med.* In tribulationibus et angustiis Esaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate. *Et mox.* Ablactatorum esse, eorum scilicet, etc. *Vulgat. Interpr.* 1. *Reg.* 1. 22. Donec ablactetur infans. *et* 23. Donec ablactes eum. Adde *Gen.* 21. 8., 1. *Reg.* 1. 24., *Psalm.* 130. 2., *Isai.* 11. 8. et 28. 9., *Ose.* 1. 8. Adde et *Isid.* 10. *Orig.* 11.

ABLĂQUEĀTĬO, ōnis, f. 3. (ablaqueo) in eo consistit, ut circum arborum imum truncum terra effodiatur, inutiles radices amputentur; item latusculi circa radices excaventur, ut solis teporibus, imbribus et immisso stercore lætius proveniant. Occurrit hæc vox apud *Colum.* 4. *R. R.* 4. 2., 4. 8. 2., 4. 9. 1. et alibi; item *de arbor.* 5. 3. et 4.; apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 33. (66), 17. 26. 39. (246), et alibi. Sed cum in antiquis Editt. et MSS. habeatur *oblaqueatio*, et in *Kalend. rust. Farnes.* in *Orell. Inscr.* vol. II. p. 381. legatur ARBORVM OBLAQVEATIO: ita philologi criticæ artis peritissimi et doctrina præstantissimi postremam hanc scribendi rationem anteposuerunt. *V.* igitur OBLAQUEATIO.

ABLĂQUEO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* lacus). Hoc verbum occurrit apud *Cat. R. R.*, *Colum. R. R.*, *Plin. Hist. nat.*, *Gargil. Mart. de pers.* et *Pallad.*: nunc vero, ut superius diximus in *V.* ABLAQUEATIO, præfertur OBLAQUEARE, quod *V.*

ABLĀTĬO, ōnis, f. 3. (*V.* aufero) auferendi actus (It. *il togliere*; Fr. *enlèvement*; Hisp. *el acto de llevar*; Germ. *die Wegnahme*; Angl. *a taking away*). *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Humoris interjecti ablatione permissa. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 19. Quoquo tamen nomine comminatur ablationem. Adde *Hieronym.* 2. *in Jovinian.* 11.

ABLĀTĪVUS, a, um, adject. (aufero). Ablativum proprie est id quod ad auferendum quoquo modo pertinet: peculiariter autem ablativus casus Grammaticis dicitur, qui sextus est apud Latinos, et alio nomine, teste *Prisciano* 5. p. 671. *Putsch.*, comparativus appellatur, eo quod per eum non minus comparatio, quam ablatio significetur. Servit enim comparationi, ut *fortior Hectore*: ablationi vero, ut cum dicimus *aufero ab Hectore*. *Quintil.* 1. 5. 59. Ablativus casus, quem illi (*Græci*) non habent. Adde 1. 7. 3. Et absolute *Id.* 7. 9. 10. Accusativi geminatione facta amphibolia solvitur ablativo. Adde *eumd.* 1. 4. 26., *Charis.* 1. p. 120. *Putsch.*, *Consent.* p. 2033. *ibid.*, et alios. Hinc *ablativæ præpositiones* dicuntur, quæ ablativum casum regunt. *Capell.* 3. p. 70. Ablativæ præpositiones omnes corripiuntur, exceptis monosyllabis, quæ vel ex vocalibus constant, vel vocalibus terminantur, ut *e* et *de*. Adde *Isid.* 1. *Orig.* 12. et *Pompej. Comment. art. Donat. sect.* 29. n. 3.

ABLĀTOR, ōris, m. 3. (aufero) qui aufert (It. *colui che toglie o porta via*; Fr. *ravisseur*; Hisp. *raptor*; Germ. *der wegnimmt*; Angl. *robber, ravisher*). *Sedul.* 5. *de Resurrect. hist.* 344. Beati corporis ablator. *Augustin.* 19. *de Civ. Dei* 13. Bonorum ablator.

ABLĀTUS, a, um. *V.* AUFERO.

ABLECTUS, a, um. Est vox a Latino Lexico expungenda: in *Plaut.* enim *Most.* 3. 3. 3. loco *ablectas* recte jamdiu restitutum est *abjectas*: *ablecti* autem *equites* et *pedites* in Latium quodammodo irrepserunt ex erronea *Polyb.* 6. 28. versione, quam *Lipsius de mil. Rom.* 5. *dial.* 3. exhibuit; hi enim Latine *delecti* vocantur, ut apud *Liv.* 42. 58. 13. Cf. *Turneb.* 16. *Adversar.* 10., *Lamb.*, *Gronov.*, et *R. Klotz Handwörterbuch der Lateinischen Sprache, Braunschweig* 1853, qui *Pauly Real-Encyclop.* I. p. 5. et seqq. emendavit.

ABLĒGĀTĬO, ōnis, f. 3. (ablego) missio in alium locum (It. *il mandar via*; Fr. *l'action d'envoyer au loin*; Hisp. *el acto de enviar*; Germ. *die Wegsendung*; Angl. *a sending away, removing*). *Liv.* 6. 39. Ablegatio juventutis ad Veliternum bellum. — *Ablegatio* est etiam mollius verbum ad exsilium significandum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (149). Pudenda Agrippæ ablegatio. *V.* ABLEGO *in fin.*

ABLEGMĬNA partes extorum, quæ diis immolantur. *Paul. Diac.* p. 21. 7. *Müll.* (Cf. ἀπόλεγμαι, vel potius ἀπολεγμένα part. ab ἀπολέγω deligo, decerpo; aut ἀπολαγχάνειν infinit. ab ἀπολαγχάνω sortior). Dicebantur etiam *prosiciæ* et *prosecta*, tamquam separata et resecta a reliqua visceratione: id enim, inquit *Scalig.*, est *ablegere*, imitatione Græcorum qui dicunt ἀπολέγειν. De his intelligendus *Tertull. Apolog.* 13. Cum de opimis et integris supervacua quæque truncatis, capitula et ungulas, quæ domi pueris, vel canibus quoque destinassetis. *Gloss. Isid.* Ablegmina partes extorum, quæ prosegmina dicuntur.

ABLĒGO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* lego) Part. *Ablegatus* et *Ablegandus*. Proprie est amandare, alio mittere, amovere; et ponitur tantum de hominibus et ceteris animalibus (It. *mandar via*; Fr. *envoyer loin, éloigner*; Hisp. *enviar, alejar*; Germ. *wegsenden, fortsenden, entfernen*; Angl. *to send away, to remove out of the way*). *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 54. Hunc subcustodem suum foras ablegavit. *Id. Cas. prol.* 62. Hinc adolescentem peregre ablegavit pater. *Ter. Hec.* 3. 3. 54. Aliquo mihi est hinc ablegandus. *Cic.* 2. *Verr.* 32. 79. Honestos homines, qui causam norint, ableget a consilioque dimittat. Et *ibid.* 30. 73. Dimisso atque ablegato consilio. Et *id.* per verborum jocum 2. *Att.* 18. 3. Sed hæc (*legatio*) — a fratris adventu me ablegat. *h. e.* impedit, quominus advenienti fratri adsim. *Liv.* 1. 35. 2. Pueros venatum ablegavit. *Varr.* 1. *R. R.* 47. Pecus a prato ablegandum. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 2. Ablegare greges. *Flor.* 4. 2. 82. Itaque ablegato equo, similis furenti primam in aciem procurrit. *Stat.* 5. *Theb.* 63. Idalias procul ablegasse volucres Fertur. — *Ablegare* est etiam mollius verbum ad exsilii pœnam significandam. *Liv.* 7. 13. 8. Nos — a penatibus nostris ablegatos tenet. Adde 7. 39. 2. et 39. 14. 1. *Justin.* 1. 5. Ablegatus in Persas ab avo. Hinc *Cod. Theod.* 16. 5. 57. In exsilium ablegare. Cf. v. ABLEGATIO.

ABLEPSĬA, æ, f. 3. (ἀβλεψία) animi cæcitas. *Serv.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 647. Nam ablepsiam nefas est dicere. *Sueton. Claud.* 39. Græcis litteris eamdem vocem scribit.

ABLEVO, as, are, a. 1. idem ac sublevo, *scil.* laborem, mœstitiam. *Ambros.* hoc verbo sæpius utitur; nisi forte mendum sit pro *allevo*.

ABLĬGŪRĬO *vel* abligurrio, is, ivi, itum, ire, a. 4. (ab *et* ligurio). ¶ 1. Proprie est lingere aliquid ab aliquo loco (It. *leccar via*; Fr. *lécher*; Hisp. *lamer*; Germ. *belecken*, *ablecken*; Angl. *to lick*, *lap*). *Arnob.* 7. 3. Aut animalis est hostia, et ab canibus abliguritur sanguis. *Sueton de illustr. Grammat.* 23. *obsceno sensu.* ¶ 2. Translate liguriendo absumere (It. *consumare mangiando*, *divorare*; Fr. *consumer*, *manger*, *devorer*; Hisp. *consumir*, *devorar*; Germ. *verschlemmen*, *verprassen*; Angl. *to spend riotously in eating and drinking*, *to waste*, *consume*). *Ennius* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 25. Abligurire bona alterius, *ubi antiqq. Editt.* bona patria. *Ter. Eun.* 2. 2. 4. Patria abligurierat bona. *Apul. de mag.* 50. p. 321. *Hildebr. min.* Patrimonium omne jampridem abligurivit. — Hujusmodi vocabulum, utpote vulgare nimis ac sordidum, a *Cicer.* (2. *Cat.* 5. 10.), manuscriptis quoque freti, rectissime abjudicarunt recentiores philologi; *Forcellinus* ibi legebat *obligurio*.

ABLĬGŪRĪTĬO, ōnis, f. 3. (abligurio) abligurriendi actus seu vitium (It. *ghiottoneria*; Fr. *gourmandise*; Hisp. *golosina*; Germ. *das Verprassen*; Angl. *gluttony*, *gormandinz*). *Capitolin. Macrin.* 5. Heliogabalus imperium dedecoravit vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abliguritione, etc.

ABLĬGŪRĪTOR, ōris, m. 3. (abligurio) qui abligurit vel abliguriendi vitio turpis est (It. *ghiottone*; Fr. *gourmand*; Hisp. *goloso*; Germ. *der Verprasser*; Angl. *glutton*, *gormandizer*). *Ambros. ep.* 42. *ad Sab.* Unusquisque se eviscerat luxuriosius, beluo interneeat, abliguritor perimit.

ABLŎCO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* loco) alteri loco v. gr. domum, quam ipse habitabam; agrum, quem ipse colebam, desero et alteri locando concedo (It. *dare ad affitto*, *affittare*; Fr. *donner à loyer*, *louer*; Hisp. *alabar*; Germ. *vermiethen*; Angl. *to let out forhire*, *to let*). *Sueton. Vitell.* 7. Tanta egestate rei familiaris, ut uxore, et liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret.

ABLŪDO, dis, si, sum, dere, n. 3. (ab *et* ludo) proprie est discordi ratione ludere, cui opponitur *alludere*: translata autem significatione, qua tantum occurrit, absimilem et absonum esse (It. *essere dissimile*; Fr. *être différent*, *différer*; Hisp. *estar diferente*, *diferir*; Germ. *unahnlich sein*; Angl. *to be different*, *to be unlike*). *Horat.* 2. *Sat.* 3. 320. Hæc a te non multum abludit imago.

ABLŬO, uis, ui, (ultum, *V.* abluiturus), ūtum, uere, a. 3. (ab *et* luo; Cf. ἀπολούω). Part. *Abluens* I. 1.; *Ablutus* I. 1., II. 1. et III.; *Abluiturus* apud *Augustin.* 6. *Confess.* 16.; *Abluendus* I. 1. Proprie est lavando purgo (It. *nettare lavando*; Fr. *enlever en lavant*, *laver*; Hisp. *lavar*; Germ. *abwachsen*; Angl. *to wash*, *to wash off*, *to make clean*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est lavando purgare et gaudet Accusativo cui dantur res quæ purgantur, ex. gr. pedes, *manus* etc., vel sordes ipsæ quæ lavando abstergentur, ex. gr. *maculæ* etc. *Cic.* 5. *Tusc.* 16. 46. Ulyssi pedes abluens. *Varr.* 3. *R. R.* 9. 12. Ova perfricant sale minuto, eaque abluta condunt in furfures. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (45). nardum vino. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (110). Capillus abluendus. *Curt.* 4. 1. 22. corpus. *Id.* 3. 5. 5. corpus aqua. *Virg.* 2. *Æn.* 719. Donec me flumine vivo Abluero. *Juven.* 6. 523. Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis Vorticibus timidum caput abluet. — *Pacuv.* apud *Gell.* 2. 26. squalorem alicui. *Val. Max.* 1. 8. 1. sudorem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (84). maculas e veste. *Tac.* 3. *Hist.* 32. cruorem. ¶ 2. Quemadmodum abluendo sordes auferuntur, ita abluere dicitur etiam aqua terram aliave secum trahens. *Varr.* 1. *R. R.* 35. 1. Irrigationes et pluviæ tempestates pulvinos abluunt, et agrum faciunt macriorem. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 27. Torrens abluit villas et intermixtos ovium greges devehit. *Tibull.* 2. 5. 60. Solis anhelantes abluit amnis (*Oceanus*) equos.

II.) Translate. ¶ 1. Quoniam putabant Veteres externa corporis ablutione, quæ viva præsertim aqua fieret, etiam admissa scelera expiari; ex significatione § I. n. 1. *abluere* generatim ponitur pro purgare, expiare. *Virg.* 9. *Æn.* 818. Abluta cæde. Cf. 2. 719. supr. *Ovid.* 5. *Fast.* 680. Ablue præteriti perjuria temporis, inquit: Ablue præterita perfida verba fide. *Catull.* 88. 5. Quantum (*sceleris*) non ultima Tethys, Non genitor Nympharum abluit Oceanus. — Hinc peculiariter animi vitia purgare, non aqua, sed contrariis virtutibus. *Cic.* 4. *Tusc.* 28. 60. Sed omnis ejusmodi perturbatio animi placatione abluatur. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Maculam veteris industriæ laudabili otio abluerat. ¶ 2. Quod aqua sordes, terram et cetera aufert (§ I.), *abluere sitim* pro exstinguere dictum est a *Lucret.* 4. 874. (879); et *abluere sibi umbras* pro auferre, se ab umbris expedire, *ibid.* 378. (379).

III.) Apud Scriptores Ecclesiasticos abluere est etiam baptizare, in quo utraque significatio, propria et translata, reapse conjungitur. *Cod. Theod.* 16. 6. 4. Homines semel, ut traditum est, munere divinitatis ablutos, contagione profanæ repetitionis (*Donatistæ*) infecerint.

ABLŪTĬO, ōnis, f. 3. (abluo) abluendi actus (It. *lavamento*, *abluzione*; Fr. *lavage*; Hisp. *lavadura*; Germ. *das Abwachsen*; Angl. *a washing*, *washing off*). Proprie (*V.* ABLUO I. 1.) *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (74). *de charta*: Hieratica appellabatur antiquitus, quæ ablutione Augusti nomen accepit. *h. e.* diligenter abluta et candidior facta. Ita recte *Harduinus* ex MSS. et *Turneb.* 7. 2.; al. *ab adulatione*. Et *Macrob.* 3. *Saturn.* 7. Constat, diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari (Cf. ABLUO II. 1.).

ABLŪTOR, ōris, m. 3. (abluo) proprie est qui abluit; sed occurrit tantummodo apud Scriptores Eccles. et est qui baptizat. *Tertull. carm.* 3. *advers. Marcion.* 221. Ablutor carnis, Domini præcursor apertus, Ablutor Christi, etc.

ABLŪVĬUM, ii, n. 2. (abluo) est diluvium, universalis inundatio: quam tamen *Laberii* vocem improbat *Gell.* 16. 7. Laberius in Mimis, quos scriptitavit, oppido quam verba finxit prælicenter. Nam et – *abluvium* pro *diluvio*. — Hinc corrigendus *Aggenus Urbic. de Controv. agror.* p. 69. *Goes.*, ubi pro *abluvio* rectius legendum *alluvione*.

ABMĀTERTĔRA, æ, f. 1. (avus *et* matertera, *h. e.* avi matertera). Abaviæ soror ex parte materna, quæ et matertera maxima appellatur (It. *sorella dell'arcavola*; Fr. *sœur de la trisaïeule*; Hisp. *hermana de la tercera abuela*; Germ. *Urgrosstante*, *oder Schwester der Ururgrossmutter*; Angl. *the sister of a great grandmother's grandmother*). *Caj. Dig.* 38. 10. 3. et *Paul. ibid. l.* 10. *V.* et ABAMITA.

ABNĀTO, as, are, n. 1. (ab *et* nato; Cf. ἀπονήχομαι) alicunde natando recedo (It. *nuotare indietro*; Fr. *s'éloigner en nageant*; Hisp. *nadar atrás*; Germ. *fortschwimmen*; Angl. *to swim away*). *Stat.* 1. *Achill.* 383. Tunc excepta freto, longe cervice reflexa Abnatat.

ABNĔGĀTĬO, ōnis, f. 3. (abnego) negatio (It. *negazione*; Fr. *dénégation*, *négation*; Hisp. *denegacion*, *negacion*; Germ. *das Ablaugnen*; Angl. *a denying*). *Arnob.* 1. 22. Cum in eadem culpa sit et assertio talis rei, et abnegatio refutatoris increduli. *Priscian.* 14. p. 986. *Putsch.* *Per* abnegationem quoque significat in compositione, ut *perfidus*, *perjurus*. Adde *Isid.* 5. *Orig.* 26. 20. In *V.* ABJURATIO I.

ABNĔGĀTĪVUS, a, um, adject. (abnego) negativus (It. *negativo*; Fr. *négatif*; Hisp. *negativo*; Germ. *verneinend*; Angl. *negative*). *Priscian.* 15. p. 1020. *Putsch.* Abnegativum (*adverbium*) est, ut *non*, *haud*, *nequaquam*. *Id.* 14. p. 1002. Abnegativa præpositio, ut *securus*. *Id.* 16. p. 1031. Abnegativæ (*conjunctiones*) sunt apud Græcos etc.

ABNĔGĀTOR, ōris, m. 3. (abnego) qui abnegat (It. *colui che nega*; Fr. *celui qui nie*; Hisp. *negador*; Germ. *der Ablaugner*; Angl. *one who denies*). *Tertull. de fuga in persec.* 12. Quis talem abnegatorem spernat? *Est qui leg.* obnegatorem.

ABNĔGO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* nego). Part. *Abnegatus*. Est abnuere (It. *negare*, *ricusare*, *non volere*; Fr. *dénier*, *refuser*; Hisp. *denegar*, *rehusar*; Germ. *verweigern*; Angl. *to deny*, *refuse*). Aureo latinitatis tempore hoc verbum usurpatum est tantummodo a Poetis, cum Infinit., cum Accusat. rei, et etiam absolute. *Virg.* 3. *G.* 456. Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor Abnegat. *Id.* 2. *Æn.* 637. Abnegat excisa vitam producere Troja. *Id.* 7. *ibid.* 423. Rex tibi conjugium, et quæsitas sanguine dotes Abnegat. *Colum.* 10. 51. Si Jupiter abnegat imbrem. *Horat.* 1. *Od.* 35. 22. Te Spes et albo rara Fides colit Velata panno: nec comitem abnegat. (Cf. *Sil. It.* 3. 110.). *Virg.* 2. *Æn.* 654. Abnegat, inceptoque et sedibus hæret in isdem. — A recentioribus in prosa quoque oratione receptum est verbum, cum de homine ageretur, qui rem sibi traditam creditori reddere nollet. *Plin.* 10. *Ep.* 97. Ne depositum appellati abnegarent. *Quintil.* 11. 2. 11. Abnegatam ei pecuniæ (*paciæ*) partem. Adde *Dig.* 16. 3. 11. et 47. 2. 1. § 2. *Cod. Theod.* 11. 1. 32. et alibi sæpe.

ABNĔPOS, ōtis, m. 3. (avus *et* nepos) filius pronepotis vel proneptis; et refertur ad abavum (It. *terzo nipote*, *figliuolo del pronipote*; Fr. *arrière petit-fils du fils ou de fille*; Hisp. *biznieto*; Germ. *Ururenkel*; Angl. *a great – grandchild's son*, *a third grandson*). *Sueton. Tib.* 3. Ejus abnepos patronus senatus dictus. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 148. Natis longior abnepotibusque, Annos perpetua geres juventa etc. Adde *Sueton. Claud.* 3., *Dig.* 38. 10. 1., *Paul. ibid. l.* 10., et *V.* ABAMITA et ADNEPOS.

ABNEPTIS, is, f. 3. (abnepos) filia pronepotis vel proneptis (It. *terza nipote*, *figliuola del pronipote*; Fr. *arrière petite-fille*; Hisp. *biznieta*; Germ. *Ururenkelin*; Angl. *a great-grandchild's daughter*). *Sueton. Ner.* 35. Messalinam Tauri bis consulis abneptem. Adde *Dig.* 38. 10. 1., et *V.* ABAMITA.

ABNĪTOR, niteris, nisus sum, niti. Cum *Gesnero* totus in id incumbit *Döderlein* (*Lat. Syn.* vol. 2. p. 127.), ut hoc verbum vindicet *Arnobio* 2. 78. ubi hæc habentur: Dum ipsi nobis argumenta conquirimus, quibus esse videatur falsum id, quod esse nolumus, atque abnitimur verum. *Ubi Forcellinus V.* ABNUTO *leg.* abnutemus; *alii* abnutamus; *Furlanetto cum Orellio* adnitimur; *Klotz* (*Handwörterbuch Lat. Sprache*) *ex conjectura proponit* abnuimus.

ABNOCTO, as, avi, atum, are, n. 1. (ab *et* nox; Cf. ἀπονυκτερεύω) Part. *Abnoctans*. Est foris pernoctare, nocte domo abesse. (It. *dormire o pernottare fuori di casa*; Fr. *découcher*, *passer la nuit hors de chez soi*; Hisp. *dormir fuera de casa*; Germ. *auswärts übernachten*; Angl. *to sleep*, *or spend the night out of doors*). *Seneca Vit. beat.* 26. *de Jove*: Alius adulterum illum induxit et abnoctantem. *Gell.* 13. 12. *extr.* Tribunis pleb. jus abnoctandi ademptum. *Martian. Dig.* 4. 18. 15. Dum tamen abnoctare ei non liceat. *Tertull.* 2. *ad uxor.* 4. Quis solemnibus Paschæ abnoctantem (*uxorem*) securus sustinebit?

ABNŌDO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* nodus) Part. *Abnodatus*. In re agraria et peculiariter hortensi est arborum et vitium nodos, qui resectis ramis vel brachiis e trunco eminent, parcius detondere et aliquando vehementius etiam amputare, ut truncus deinde, cicatrice obducta, corroboretur et lætior procedat. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 10. Hunc ergo (*focaneum palmitem*) tamquam æmulum diligenter iidem amputant et abnodant, priusquam corroboretur. *Id.* 4. *ibid.* 22. Pampinus non abnodatus. *Hoc idem verbum bis occurrit apud eumd. Colum.* etiam 4. 24. § 18. — *Schneiderus* in sua edit. et *Benedictus Del Bene* in sua Columellæ versione male hoc verbum a Latina lingua amandandum putarunt et in allatis locis legerunt *adnodare*.

ABNORMIS, e, adject. (ab *et* norma) sine norma, aut lege (It. *irregolare*, *senza regola*; Fr. *qui est sans regle*, *singulier*; Hisp. *irregular*, *singular*; Germ. *nicht regelrecht*; Angl. *irregular*, *without rule*, *singular*). *Horat.* 2. *Sat.* 2. 3. Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva. *h. e.* sapiens ille quidem, sed non alicui sapientum, seu philosophorum sectæ addictus; qui per se ipse quæ vera sunt investigat, αὐτοδίδακτος; *non ad normam aliorum sapiens*, ut loquitur *Cic. Amic.* 5. 18. — Legitur et *anormis*, sed minus recte; sapit enim Græcam compositionem.

ABNŬEO, es, a. 2. est obsoleta verbi *abnuo* forma, quam Veteres usurpasse annotavit *Diomedes* 1. p. 378. *Putsch.*, et affert *Ennii* versum 8. *Ann.* Certare abnueo, metuo legionibu' labem. *item Ennii in Telamone*: Ex eo futurum abnueant.

ABNŪĪTĬO, ōnis, f. 3. (abnuo) negatio (It. *negazione*; Fr. *negation*; Hisp. *negacion*; Germ. *die Verneinung*; Angl. *a denying*. *Paul. Diac.* p. 108. 7. *Müll.* *In* non semper abnuitionem significat, sed interdum etiam pro adnuendo ponitur.

ABNŪMĔRO, as, a. 1. Hoc verbum, quod *totum numero* significare videtur, occurrit tantummodo apud *Gell.* 15. 3. Invenimus autem in Commentario Nigidiano, verbum *autumo* compositum ex *ab* præpositione et verbo *æstimo* (*a qua Nigidii sententia Gellius postea discedit*); dictumque intercise *autumo*, quasi *abæstimo*, quod significaret *totum æstimo*, tamquam *abnumero*. — Hoc autem *abnumero*,

nisi mea me fallit opinio, non est vere vocabulum, sed tantummodo vocabuli forma, quam Nigidius aut Gellius effinxit, ut effictam pariter verbi *abæstimo* formam declararet.

ABNŬO, uis, ui, uitum *vel* ūtum, uere, a. 3. (ab *et obsoleto* νυω, quod Cf. cum νεύω, cujus thema esset νυ, unde ἀνανεύω). Part. *Abnuens*, *Abnuiturus* et *Abnuendus* II. 1. (Vetus forma ABNUEO, quam *V.*). Abnuo idem est ac capite, oculis, vel manu significo me nolle, aut non assentiri (It. *far cenno di no*; Fr. *refuser par un signe de tête, ou yeux, ou mains négatif*; Hisp. *rehusar por signo negativo de cabeza, ojos, ó mano*; Germ. *durch ein ablehnendes Zeichen mit dem Kopfe, den Augen oder der Hand zu verstehen geben, dass man etwas nicht wolle*; Angl. *to deny or refuse by countenance or gesture*).

I.) Proprie. *Nigid.* apud *Gell.* 10. 4. Cum adnuimus et abnuimus, motus quidam ille vel capitis, vel oculorum, a natura rei, quam significat, non abhorret. *Liv.* 36. 34. 6. Manu tamen abnuit, quidquam opis in se esse.

II.) Hinc ampliata significatione generatim est nolle, recusare, detrectare, impedire, non sinere; et usurpatur 1. de hominibus; 2. apud recentiores etiam de rebus inanimis. ¶ 1. De hominibus, et multiplici quidem ratione, nempe *a*) absolute, *b*) cum Infinito, *c*) cum Accus. rei, cui aliquando Dativus quoque personæ additur, *d*) raro cum Subjunct. et part. *quin*, *e*) raro cum Abl. et præp. *de*, *f*) raro passive Imperson. — *a*) Absolute. *Plaut. Truc. prol.* 6. Quid si de vestro quidpiam orem? abnuunt. Adde *Capt.* 3. 1. 21. *Cic. Mil.* 36. 100. Non recuso, non abnuo. *Sall. Ep. Mithr.* 13. Abnuente Tigrane, – rursus tamen bellum cepi. *Liv.* 21. 12. Has pacis leges, abnuente Alcone, accepturos. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 52. Abnuere, et tabulas a te removere memento. *Tacit.* 11. *Ann.* 12. Certo, si abnueret, exitio. Adde *Agr.* 4. *Flor.* 3. 16. 2. Ut senatum quoque cogeret in verba jurare; cum abnuentibus aqua et igni interdicturum se minaretur. — *b*) Cum Infinito. *Lucret.* 3. 641. (642). Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse. *Cic.* 1. *Leg.* 14. 40. Abnuit a se commissum esse facinus. *Liv.* 23. 37. Quæ ne accipere abnuant, – se orare. *Id.* 22. 13. Nec abnuebant, quod unum vinculum fidei est, melioribus parere. *Quintil.* 5. 8. 3. Nec abnuerim esse aliquid in delectatione. *Curt.* 6. 7. 7. Abnuit constanter se dedisse fidem. *Virg.* 10. *Æn.* 8. Abnueram bello Italiam concurrere Teucris. *Sil. It.* 14. 509. Descendere fauces Abnuerant siccæ jussorum alimenta ciborum. — *c*) Cum Accus. rei, cui Dat. personæ aliquando additur. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 3. Intelligas, quid quisquam concedat, quid abnuat. *Id. Fat.* 2. 3. Nihil enim unquam abnuit studio meo voluntas tua. *Sall. Jug.* 47. Regi pacem – neque abnuere, neque polliceri. *Virg.* 5. *Æn.* 531. omen. *Tibull.* 4. 1. 25. Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit ultra, etc. *Liv.* 3. 10. Abnuente jam plebe imperium. *Id.* 28. 27. imperium auspiciumque. *Id.* 30. 23. Censebat, nullius consilio accipiendam abnuendamque pacem esse. *Sall. in Fragm. Hist. l.* 1. Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros. *Tac.* 4. *Ann.* 26. Dolabellæ petenti abnuit triumphalia. *Id.* 2. *Ann.* 78. Quamquam suscipiendum bellum abnuisset. *Id.* 14. *Ann.* 37. jussa ducis. *Id.* 1. *Ann.* 23. cædem. *Id.* 6. *Ann.* 8. crimen. *Id.* 3. *Hist.* 52. adversa. *Id. Agr.* 21. linguam Romanam. *Colum. proœm. l.* 6. 1. curam pecoris. *Quintil.* 1. 6. 33. rationem tegulæ regulæque. *Sil. It.* 2. 110. se comitem inceptis abnuere (Cf. ABNEGO). — *d*) Cum Subjunct. et part. *quin*. *Tac.* 13. *Ann.* 14. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent. — *e*) Raro cum Abl. et præp. *de*. *Sall. Jug.* 84. Neque illi senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat. — *f*) Pass. Impers. *Liv.* 3. 72. Nec abnuitur ita fuisse. ¶ 2. Apud recentiores ponitur etiam de rebus inanimis, et significat impedire, non sinere, obstare. *Tac.* 14. *Ann.* 37. Hanc adversus urbem Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (145). Arabica (*gemma*) ebori simillima est; et hoc videretur, nisi abnueret duritia. *Apul.* 6. *Met.* 6. Terrenis remediis inquisitionis abnuens cælum.

ABNŬTĪVUS, a, um, adject. (abnuo) qui negandi vim habet (It. *negativo*; Fr. *négatif*; Hisp. *negativo*; Germ. *verneinend*; Angl. *negative*). Hinc *Abnutivum*, i, substantivorum more. *Paul. Dig.* 45. 1. 83. Qui spondet dolum malum abesse, abfuturumve esse, non simplex abnutivum spondet, sed curaturum se, ut dolus malus absit. *Gloss. Lat. Gr.* Abnutivum, ἀποφατικόν.

ABNŬTO, as, avi, atum, are, a. 1. (*frequentativum ab* abnuo) sæpe abnuere, ut ait *Paul. Diac.* p. 27. 18. *Mull.*, seu magna vi abnuere. *Enn.* apud *Cic.* 3. *Orat.* 40. Quidnam est, obsecro, quod te adiri abnutas? *Ubi Cicero*: Melius esset, *inquit*, vetas, prohibes, absterres. *Plaut. Capt.* 3. 4. 79. AR. Quid mi abnutas? TY. Tibi ego abnuto? *V.* ABNITOR.

ABO, as, etc. Hoc verbi monstrum affertur ex *Auson. Ep.* 1. *ad patrem* 13. nam supparis ævi Sum tibi ego, et possum fratris abare vicem. *h. e.* possum tecum nomen fratris usurpare, ut interpretatur *Scalig.* 1. *lection. in Auson. c.* 29., qui hanc lectionem nimis ingeniose tuetur. Editi libri recte habent *fratris habere vice*, vel *habere vicem*.

ĂBŎLEFĂCIO, facis, fēci, factum, făcere, a. 3. (aboleo et facio). Part. *Abolefactus*. Est ferme idem quod aboleo, *h. e.* deleo, destruo (It. *distruggere*; Fr. *anéantir, abolir*; Hisp. *abolir*; Germ. *vernichten, aufheben*; Angl. *to destroy, undo, ruin*). *Tertull. de Habit. mul.* 3. Scriptura abolefacta violentia cataclysmi. *Id. Exhortat. castit.* 6. Utique continentiam indicens, et compescens concubitum abolefacit illud: Crescite et multiplicamini. *Editt. male* absolescit. *Id. Apolog.* 35. Civitatem tabernæ habitu abolefacere. *h. e.* ita deformare et dehonestare, ut ipsa civitatis vestigia deleantur.

ĂBŎLĔO, es, ēvi, ĭtum, ere, a. 2. (Cf. futurum ἀπολέσω, cujus præs. est ἀπόλλυμι compositum ex præp. ἀπό et ὄλλυμι *perdo, vasto*). Præteritum *abolui* pro *abolevi* affert *Priscian.* p. 873. *Putsch.*, sed nullo auctore confirmat: *Abolesset* pro *abolevisset* habet *Flor.* 4. 9. 1. — Part. *Abolens* 2.; *Abolitus* 2.; *Abolĭturus* 1.; *Abolendus* 1. Est delere, de medio tollere, ad nihilum redigere, ita ut ea quoque omnia complectatur, quæ abolitionem consequuntur (It. *annullare, distruggere, cancellare*; Fr. *anéantir, abolir, détruire*; Hisp. *anonadar, abolir, destruir*; Germ. *vernichten, aufheben*; Angl. *to disannul, abolish, destroy*). Nunquam mutata significatione usurpatur 1. præsertim de abstractis, *V.* infra Homonym., 2. sed tamen etiam de rebus physicis. ¶ 1. Præsertim de abstractis. *Virg.* 4. *Æn.* 497. Abolere nefandi Cuncta viri monimenta jubet. *Id.* 11. *ibid.* 789. aboleri armis dedecus. *Liv.* 25. 6. Ne qua occasio abolendæ ignominiæ – sit. *Id.* 3. 38. Tentationemque eam fore abolendi sibi magistratus. *Id.* 25. 1. 7. Nec jam in secreto modo atque intra parietes abolebantur Romani ritus. *Quintil.* 1. 5. 29. Si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur. *Tac.* 4. *Hist.* 39. Abolere vires. *Id.* 1. *Hist.* 81. memoriam. *Id. ibid.* 47. convicia et probra. *Id.* 3. *Hist.* 24. labem ignominiæ. *Id.* 2. *Hist.* 5. Prava certamina communi utilitate abolere. *Vellej.* 2. 58. 2. Cum Cassius censuisset abolendum Cæsaris testamentum. *Sueton. Cal.* 34. Juris consultorum omnem usum abolĭturus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 91. (159). abolere tristitiam. *Sueton. Aug.* 32. nomina (*nempe accusatorum, quod sæpius in Dig.*). *Plin.* 7. *Ep.* 6. accusationem (*quod sæpius in Dig.*). *Dig.* 48. 6. 2. crimen. *V.* ABOLITIO. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 4. sterilitatem feminarum. *et sic sæpius de medicamentis. Id. proœm. l.* 7. Multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocissime aboleri. *h. e.* mori. ¶ 2. De iis quæ sub sensus cadunt. *Virg.* 3. *G.* 559. Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam Aut undis abolere potest, nec vincere flamma. *h. e.* ex tabidis animalium visceribus, i. e. carnibus, nemo sive elixando (*undis*), sive torrendo (*flamma*) potest omnia contagii semina ablegare, ut ipsa caro tali pacto innocua usui inserviat. *Tac.* 4. *Ann.* 35. Abolere imagines. *Cod. Theod.* 9. 40. 17. Omnes statuas, omnia simulacra – præcipimus aboleri. *Tac.* 2. *Ann.* 49. Deûm ædes vetustate aut igni abolitæ. *Id.* 16. *Ann.* 6. Abolitum est corpus igni. *Incert. Auct. Itiner. Alex. M.* 32. *Mai.* Id omne corrumpens abolensque incendio. *Plin.* 7. *Ep.* 19. Libri aboliti. *Sueton. Cal.* 34. abolere tragœdiam, Homeri carmina. *Pallad.* 2. 13. Abolitæ radices prioris vineæ. *In numm. Hadrian.* apud *Eckel. D. N. V. T.* 6. p. 478. Reliqua vetera ns novies mill. (*h. e.* millies) abolita.

Homonym. *Abolere* significat ad nihilum redigere atque e medio ita tollere, ut nullum, si fieri potest, abolitæ rei vestigium supersit: *delere* vero est diruere et vi atque impetu ad terram prosternere, ut ruinæ postea supersint. Præterea ratione habita rerum, *abolentur* potius ea, quæ intellectu concipiuntur, neque sub sensus cadunt: *delentur* vero ea, quæ sub sensus cadunt: unde *leges abolentur*, *urbes delentur*.

ĂBŎLESCO, escis, ēvi, escere, n. 3. (*inchoativum ab* aboleo) est paullatim evanescere, perire, ad nihilum redigi. Æque atque *aboleo* usurpatur ¶ 1. De abstractis. *Virg.* 7. *Æn.* 232. nec tanti abolescet gratia facti. *Liv.* 1. 23. 3. Cum re nomen quoque vetustate abolevit. *Id.* 9. 36. Aliis omnibus cladis Caudinæ nondum memoria aboleverat. Adde 3. 55. *Gell.* 20. 1. Si non illa etiam ex duodecim tabulis de testimoniis falsis pœna abolevisset. ¶ 2. De iis quæ sub sensus cadunt. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 4. Vinea siccitatibus non abolescit. — *V.* ABORISCOR.

ĂBŎLĬTIO, ōnis, f. 3. (aboleo) est actus abolendi, quo nimirum aliquid omnino deletur et ad nihilum redigitur (It. *annullamento, abolizione*; Fr. *abolition, suppression*; Hisp. *abolicion, supresion*; Germ. *Vernichtung, Aufhebung*; Angl. *an abolishing, annulling*). Occurrit de abstractis tantummodo. *Sueton. Aug.* 34. Postulare pertinaciter abolitionem legis. *Tac.* 13. *Ann.* 5. Abolitio tributorum. *Id.* 6. *Ann.* 2. Abolitio sententiæ. *Sueton. Tib.* 4. facti. *Flor.* 4. 7. 15. animarum. *h. e.* mors. *Quintil.* 9. 2. 97. Tyrannus, qui sub pacto abolitionis dominationem deposuerat. *h. e.* ἀμνηστίας. Adde *Senecam exc. Controv.* 5. 8. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 7. *Mai.* Abolitio injuriæ. — In Jure *abolitio* est criminis, aut accusationis institutæ extinctio, qua reorum numero reus eximitur, res præteritæ oblivioni mandantur, accusatio omittitur, accusandi necessitas accusatori remittitur, etc. Qua de re multa *Dig.* 48. *toto titulo* 16., qui est *ad S. C. Turpil. et de abolitionibus criminum*, et alibi: hinc sæpe *abolitio criminis*, *accusationis*, *reorum* etc. *V.* ABOLEO 1.

ĂBŎLĬTOR, ōris, m. 3. (aboleo) qui abolet (It. *distruggitore, annullatore*; Fr. *qui détruit, qui efface*; Hisp. *aniquilador, destruidor*; Germ. *der hinwegnimmt, aufhebt*; Angl. *a destroyer*). Occurrit tantum de abstractis (*V.* ABOLEO 1.). *Tertull. Habit. mul.* 3. Cataclysmus omnium rerum abolitor. *Auson. Grat. act.* 2. Somnus omnium abolitor.

ĂBOLLA, æ, f. 1. (Cf. ἀβόλλης *chlamys* apud Arrian.; et ἀβόλλας, quo nomine a Siculis vocabantur περιβόλαια teste Hesych.). ¶ 1. Est genus pallii duplici panno consuti, quo Romani summa hieme utebantur laborantes, iter habentes etc. *Serv.* 3. *Æn.* 121. *duplicem ex humeris dejecit amictum*. duplicem, *inquit*, amictum, idest abollam, quæ duplex est, sicut chlamys. *Varr.* apud *Non.* 538. 16. *Merc.* Toga detracta est, et abolla data ad turbam mihi, fera militiai munera belli ut præstarem. *Sueton. Cal.* 35. *de Ptol. rege.* Convertit hominum oculos fulgore purpureæ abollæ. *Martial.* 8. 48. Tyria abolla. *h. e.* purpurea. *Juvenal.* 4. 76. rapta properabat abolla Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi. *abollam* itaque Pegaso Præfecto Urbis tribuit Urbe proficiscenti Albam: ex quo quidam putarunt, abollam fuisse etiam vestem senatoriam; quam opinionem probe refellit *Ferrar. de re vestiar. part.* 1. *l.* 2. *c.* 12. *Prudent.* 1. *advers. Symm.* 557. Palmata insignis abolla. *Martial.* 4. 53. Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati. *ceream* vocat quia valde trita erat, et præterea sudore et collectis sordibus quasi cera infecta: *uxorem*, quia simul cum ea etiam in lecto cubabat, et pro lodice adhibebat. ¶ 2. Per metonymiam abollæ nomine hominem significat *Juvenal.* 3. 114. Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ. Stoicus occidit Barcam. *Proverbium*, inquit vetus Scholiastes ad h. l., *quasi majoris togæ, id est, sceleris potioris*. Ex hoc autem *Juvenalis* loco et ex loco etiam *Martialis*, quem § 1. postremum attulimus, nonnulli, inter quos et Forcellinus, putarunt abollam fuisse pallii genus, quo etiam philosophi, præsertim Cynici, usi fuerint: quam sententiam rejiciendam esse multis argumentis contendit *Madvig. Opusc. Acad. pr.* p. 41. Veruntamen *Martianus Capella*, erronea fortasse opinione imbutus, *abollam* metonymice pro *philosophia* dixit *lib.* 7. p. 269. Aut rite in veterem cultum replicantur abollæ.

ĂBŌMĬNĀBĬLIS, e, adject. (abominor) abominatione dignus (It. *abominevole*; Fr. *abominable*; Hisp. *abominable*; Germ. *abscheuungswerth*; Angl. *abominable*). Vox est *Hieronymi in Jerem.* 22. 30. Legitur etiam in *Declam.* quæ inscribitur *Tribunus Marianus* 4., quam plures tribuunt *Quintiliano.* Occurrit autem sæpe in *Vulgat. Interpr.*, ut *Levit.* 11. 10., *Deut.* 22. 5., *Job.* 15. 16. etc.

ĂBŌMĬNĀMENTUM, i, n. 2. (abominor) res abominanda (It. *oggetto abominevole*; Fr. *abomination, chose abominable*; Hisp. *abominacion, cosa abominable*; Germ. *abscheulicher Gegenstand*; Angl. *any thing abominable*). *Tertull. advers. Jud.* 13. Projecit homo abominamenta sua aurea et argentea.

ĂBŌMĬNANTER, adverb. (abominor) abominandum in modum (It. *abominevolmente*; Fr. *d'une manière abominable*; Hisp. *abominablemente*; Germ. *auf eine verabscheuungswerthe Weise*; Angl. *abominably*). *Impp. Constantin.* et *Constans Cod. Theod.* 3. 12. 1. Si quis filiam fratris faciendam crediderit abominanter uxorem. *Cassiod.* 3. *Ep.* 23. Consuetudines abominanter inditæ.

ĂBŌMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (abominor) actus abominandi (It. *abominazione*; Fr. *abomination*; Hisp. *abominacion*; Germ. *Verabscheuung, Abscheu*; Angl. *an abominating, abomination*). *Lactant.* 1. 17. *ext.* Quid sibi vult equorum tam pertinax abominatio? ¶ 2. Item res abominanda. *Tertull. advers. Jud.* 5. *ex Isaj.* 1. 13. Incensum abominatio est mihi. Adde *Vulgat. Interpr. Prov.* 15. 9., 20. 23. *et alibi sæpissime.*

ĂBŌMĬNĀTUS, a, um. *V.* ABOMINOR.

ĂBŌMĬNO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab et omen) aliquid deprecari, abhorrere (It. *abominare*; Fr. *repousser de ses vœux*; Hisp. *abominar*; Germ. *etwas wegwünschen*; Angl. *to abominate*). *Plaut. Trin.* 3. 2. 82. Mulctam abomino! *Verrius* apud *Priscian.* 8. *p.* 791. *Putsch.* Sævitiaque eorum abominaretur ab omnibus. *Vulgat. Ital. ed. Mai. Deut.* 7. 26. Odio odietis et abominatione abominabitis illa, quia anathema est. *Ibid. Isaj.* 30. 22. Abominabis simulacra inargentata et inaurata. *Ibid. Mich.* 3. 9. Domus Israel, qui abominatis æquitatem.

ĂBŌMĬNOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (ab et omen). Part. *Abominans* 1.; *Abominatus* 1. et in fine; *Abominandus* 1. et 2. Proprie est malum omen abjicio, averto, deprecor (It. *abominare, scacciare o divertire il cattivo augurio*; Fr. *repousser comme de sinistre augure*; Hisp. *abominar*; Germ. *etwas Ungünstiges, ein unheildrohendes Wahrzeichen und von sich hinwegwünschen*; Angl. *to deprecate as ominous or unlucky*). ¶ 1. Proprie, et usurpatur absolute et etiam cum Accusativo. *Liv.* 30. 25. Cum dixisset, sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus, prætervehi jusso gubernatore, ad Leptim appulit classem. *Id.* 6. 18. Bene facitis, quod abominamini. *Quintil.* 11. 3. 86. Abominamur manibus. Et *ibid.* 114. aversis in sinistrum palmis. *Sueton. Claud.* 46. Pro tribunali, accessisse se ad finem mortalitatis, quamquam abominantibus qui audiebant, semel atque iterum pronuntiavit. — *Liv.* 6. 40. Hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti – quod abominaris, videas? *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (26). Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensas profusis, abominamur. *Liv.* 28. 28. Atrium Umbrum, semilixam, nominis etiam abominandi ducem – sequuti sunt. — Hinc formula illa *quod abominor* (*h. e.* quod Deus avertat), quæ eleganter sermoni interseritur. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 104. Si mea mors redimenda tua (quod abominor) esset. Adde 9. *Met.* 676. *Plin.* 6. *Ep.* 22. Scias, si quis forte, quod abominor, fallat, paratam ultionem. *Curt.* 7. 4. 12. Hoc aut moderate perferendum est, aut, quod abominor, in te ruet. ¶ 2. Generatim accipitur pro detestari, exsecrari, seu cupere ut aliquid a nobis removeatur; cui opponitur *optare*: usurpatur autem cum Accus., interdum etiam cum Infinit. *Liv.* 30. 30. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur. *Colum.* 6. *R. R.* in *præf.* 1. Ideoque arator abominetur, at contra pastor optet herbarum proventum. *Quintil.* 4. 1. 33. Faciunt favorem et illa pæne communia – optare, abominari, etc. *Id.* 9. 2. 80. Abominanda crimina. *Id.* 8. 6. 40. Scelus abominandum. *Id.* 12. 5. 1. Abominanda sunt vitia. *et alibi sæpe idem Particip.*, quibus adde *Seneca Benef.* 1. 9. — *Seneca Benef.* 7. 8. *ed. Fich.* Hæc universa habere, de quibus loqueris, abominabitur. *Prudent.* περὶ στεφ. 2. *de S. Vincent.* 179. Pulvinar ut nostrum manu Abomineris tangere.

Abominatus, *a*, *um*, usurpatur *a*) Passive. *Horat. Epod.* 16. 8. Parentibusque abominatus Hannibal. *Liv.* 31. 12. Abominati semimares, jussique in mare deportari. — *b*) Active, et quidem absolute a *Liv.* 30. 25. vide supra § 1. Cum Accus. *Liv.* 40. 4. Abominatus mentionem facinoris.

Homonym. *Abominari*, *exsecrari* et *detestari* inter se differunt. Latini enim *abominabantur*, seu verbis aliisque signis a se avertebant quæ portendebantur *adversa*, quo pacto nunc apud Christi fideles dicitur *se cruce signare*; *exsecrabantur* hominem *scelestum*, qui propterea diris devotus *sacer*, *h. e.* maledictus diisque addictus erat; *detestabantur* autem, sive desiderio avertebant cum *adversa*, tum *scelera*. Sed tamen *abominans* per se ipse tantum agebat; dum e contra *detestans* deorum quoque opem poscebat: *exsecratio* fiebat certo ritu, coram populo et solemnibus verbis; *detestatio* fiebat a privato homine, data occasione, ex abrupto. Denique eo tendebat *abominatio*, ut quæ portendebantur adversa nullo modo nocerent, ab iisque tutus esset qui abominabatur; *detestatio*, ut adversa, etiam futura, procul amoverentur; *exsecratio*, ut sontes punirentur.

ĂBŌMĬNŌSUS, a, um, adject. (abominor) male ominosus, mali ominis plenus. *Solin.* 1. 40. Propter pares dies Februarius, quasi abominosus, diis inferis deputatur. *Salmasius* legit *ominosus* ex quibusdam probatis Editt. *Diomed.* 3. *p.* 472. *Putsch.* In templis hoc pede (*spondeo*) quædam carmina componebantur, scilicet ut libantes sonum vocis abominosæ audire non possent.

ĂBŎRĬOR, orĕris, ortus sum, oriri, dep. 3. (ab *et* orior) idem est ac pereo, morior, deficio; cui opponitur *orior* (It. *perire, mancare*; Fr. *périr, mourir*; Hisp. *perecer, morir*; Germ. *vergehen, untergehen*; Angl. *to perish, die*). *Varr.* 5. *L. L.* 5. 67. *Müll.* Idem hic Diespiter dicitur, infimus aer, qui est conjunctus terræ, ubi omnia ut oriuntur, ita aboriuntur. *Lucret.* 3. 155. pallorem existere toto Corpore, et infringi linguam vocemque aboriri, *h. e.* interludi, deficere; quod in magnis timoribus evenire solet. — Peculiariter fetus aboriuntur, cum ante tempus mortui emittuntur. *Gell.* 12. 1. Ut fetus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur. ¶ 2. Aboriri est etiam abortum facere. *Varro* apud *Non.* 71. 25. *Merc.* Vinum, quod ibi natum sit, si prægnans biberit, fieri ut aboriatur, *h. e.* fieri ut prægnans abortum faciat: ita enim interpretatur et *Nonius*; *Forcellinus* vero subaudit *fetus*, atque ita sensus erit ut *fetus aboriatur* sive pereat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (205). (*Sues*) implentur uno coitu, qui et geminatur propter facilitatem aboriendi. *Harduin.* ita legit, tueturque consensu MSS.; veteres Editt. exhibent *abortiendi.* (Cf. *Schneider.* ad *Varr.* 2. *R. R.* 4. 14.). *Arnob.* 3. 10. Fastidiosos ducere atque habere conceptus, aboriri, perferre, et præpropero partu septimanas edere aliquando feturas.

ĂBŎRISCŎR, isceris, isci, dep. 3. (aborior) idem quod aborior, pereo. *Lucret.* 5. 732. Inque dies privos aborisci quæque creata. Ita leg. quidam cum plerisque Codd. et cum *Pareo*; alii *aboriri*; alii *abolescere.*

ĂBORSĪVUS pro *abortivus* legitur a quibusdam apud *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 8.

ĂBORSUS, a, um. Aborsus venter dicitur a *Paulo Sentent.* 4. 9. 6. cum fetus venenis et medicamentis ejectus est. Aborsus, inquit, vel abactus venter partum efficere non videtur.

ĂBORSUS, us, m. 4. (aborior) idem fere quod abortus; quam vocem *V.* Differt tamen, quia aborsus est in primis mensibus, cum conceptui exordium factum est; abortus prope tempus pariendi, tunc enim moritur quod nascitur. Hæc *Nonius* homo grammaticus 448. 3. *Merc. Tertull. de fug.* 3. *ad fin.* Nolite in lectulis, nec in aborsibus et febribus mollibus optare exire.

ĂBORTĪO, is, ivi, itum, ire, n. 4. (abortus) abortum facere (It. *abortire, disperdere*; Fr. *avorter*; Hisp. *abortar*; Germ. *eine Fehlgeburt haben*; Angl. *to miscarry*). *Non.* 71. 25. *Merc.* Aboriatur pro abortiat. *Vulgat. Interpr. Job.* 21. 10. Bos eorum concepit, et non abortivit. *Plinio* quoque male tribuitur: *V.* ABORIOR 2.

ĂBORTĬO, ōnis, f. 3. (abortus) actus aboriendi, seu emittendi fetum mortuum ante tempus (It. *l'abortire, lo sconciarsi*; Fr. *avortement*; Hisp. *aborto*; Germ. *die Erwirkung einer Fehlgeburt*; Angl. *abortion, a miscarrying*). *Plaut. Truc.* 1. 2. 98. Ut abortioni operam daret, puerumque ut enecaret. *Cic. Cluent.* 12. 34. Si hæc solutio legatorum, et non merces abortionis appellanda est. *Paul. Dig.* 48. 19. 38. § 5. Abortionis, aut amatorium poculum dare. *Gell.* 3. 16. Cum abortio quibusdam, non partus, videretur mensis octavi intempestivitas.

ĂBORTĬUM, ii, n. 2. (abortus) idem atque abortus vel abortio. *Hieronym. Ep.* 66. *ad Pammach. de obitu Paulinæ n.* 3. Dum crebris abortiis et experta fecunditate conceptuum non desperat liberos. Adde *eumd. Ep.* 22. *ad Eustoch. c.* 5.

ĂBORTĪVUS, a, um, adject. (abortus) qui ad abortum pertinet (It. *abortivo*; Fr. *relatif à l'avortement*; Hisp. *abortivo*; Germ. *zur Fehlgeburt gehörig*; Angl. *abortive*). *Solin.* 37. Abortivus fluxus. *Martial.* 6. 93. Pullus abortivus nec cum putrescit in ovo. *ovum abortivum* dixit, in quo pullus ante tempus formatus, atque adeo ibi corruptus est. ¶ 2. Abortivus est fetus, qui imperfectus ante legitimum tempus natus est. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 46. ut abortivus fuit olim Sisyphus. *Juvenal.* 2. 32. Cum tot abortivis fecundam Julia vulvam Solveret. Sunt qui putant hic *abortivis* sumendum esse pro medicamentis, quæ abortum faciunt: quod quidem rectius est; constat enim ex *Plin.* 4. *Ep.* 11. viduam abortu, ita volente Domitiano, periisse. *V.* et *Sueton. Dom.* 22. ¶ 3. Abortum faciendi vim habens. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (226). Abortivas esse (*malvas*) cum capite anseris. *Id.* 24. *ibid.* 5. 11. (18). Tradunt (*cedri succum*) abortivum fieri in Venere. *Id.* 7. *ibid.* 6. 5. (42). Sternuisse a coitu abortivum. — Hinc *abortivum*, *i*, *sc.* medicamentum. *Juvenal.* 6. 367. Et quod abortivo non est opus, *h. e.* medicamento abortum faciente. *Theod. Priscian.* 3. 6. Abortivum dare nulli umquam fas est. ¶ 4. *Abortivum*, *i*, est etiam abortus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (46). Est et aliud avenæ vitium, – cum granum – a flatu noxio cassum et inane in spica evanescit quodam abortivo. *Vulgat. Interpr. Exod.* 21. 22. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit etc. Adde *ibid. Job.* 3. 16., 1. *Cor.* 15. 8. *et alibi.*

ĂBORTO, as, avi, atum, are, n. aut a. 1. (abortus) abortum facere (It. *abortire*; Fr. *avorter*; Hisp. *abortar*; Germ. *eine Fehlgeburt haben*; Angl. *to miscarry*). *Varro* 2. *R. R.* 4. 14. Haram facere oportet ea altitudine abs terra, ne dum exilire velit (*sus*) prægnans, abortet. *Schneiderus* legendum putat *aboriatur. Firmicus* 3. *Mathes.* 7. 6. Aut abortabit frequenter, aut difficilem edet partum. *Id.* 6. 31. *extr.* (cum Acc.) Abortare filios.

ĂBORTUM, i, n. 2. (abortus) idem quod abortus, nempe fetus immature editus et mortuus. *Ulp. Dig.* 29. 2. 30. Mox abortum factum est. *Paul. Diac.* p. 20. 15. *Müll.* Abortum gravidæ mulieris dicitur, quod non sit tempestive ortum. *Gloss. Labb.* Abortum, ἔκτρωμα, ἐκβόλιον, ἔκτρωσις.

ĂBORTUS, a, um. Male legunt nonnulli pro *obortus* apud *Stat.* 8. *Theb.* 32., apud *Liv.* 1. 58. et 40. 8. *ext.*, et apud *Ovid.* 1. *Met.* 350. Hujusce vocis lectionem tamquam certam contendit *Furlanetto* (*App.* I.) apud *Isid.* 9. *Orig.* 5. De geminis, uno aborto, alter, qui legitime natus fuerit, vopiscus nominatur. *Aborto* vero nequit hoc loco significare *exortum, natum*; sed aut retinendum *aborto* cum quibusdam Codd. pro *abortivo*, aut rectius cum *Lindemanno* legendum *abortivo*, ut hujusce vocis significatio cum vopisci significatione cohæreat. *V.* VOPISCUS.

ĂBORTUS, us, m. 4. (aborior) proprie esset defectus, mors; sed peculiari tantum usuvenit significatione et est fetus immature editus et mortuus (It. *aborto, sconciatura*; Fr. *avortement*; Hisp. *aborto*; Germ. *Fehlgeburt*; Angl. *abortion, miscarriage*). ¶ 1. Usurpatur de hominibus, de brutis, et aliquando etiam de arboribus, in quibus postremis abortus dicitur cum a prima origine degenerant, et infeliciter, nec justa mensura proveniunt. *Ter. Hec.* 3. 3. 37. Sed si fieri id non potest, quin sentiant, dicam abortum esse. *Cic.* 14. *Att.* 20. 3. Tertullæ nollem abortum. *Cels.* 2. 1. 8. Si – ver autem frigidum et siccum est, gravidæ quidem feminæ quibus tum adest partus, abortu periclitantur. *Quintil.* 8. 4. 11. Pro abortu pecuniam accepisse. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69.

(116). Feminis quidem abortus facere non dubitat. *h. e.* inferre. Adde 14. *ibid.* 18. 22. (118). *Id.* 8. *ibid.* 47. 72. (188). et 24. 16. 92. (143). Abortum inferre. *Plin.* 8. *Ep.* 10. Audies neptem tuam abortum fecisse. *h. e.* passam esse. *Plin. Hist. nat. præf.* 28. Abortum pati. — *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (50). Hic est abortus apium. *Id.* 9. *ibid.* 35. 54. (108). Abortus concharum. — *Id.* 12. *ibid.* 2. 6. (13). Namque et chamæplatani vocantur coactæ brevitatis quoniam arborum etiam abortus invenimus. ¶ 2. Translate de ingenii operibus. *Plin. proœm.* 1. *Hist. nat.* 28. Quoniam audio et Stoicos, et Dialecticos, Epicureos quoque parturire adversus libellos, quos de Grammatica edidi, et subinde abortus facere. *h. e.* libros edere imperfectos.

ĂBŌSUS, a, um, adject. (ab *et* osus *voce et significatione passiva*) idem atque odiosus (It. *odioso*; Fr. *odieux*; Hisp. *odioso*; Germ. *gehässig*; Angl. *odious*). *Commodian.* 71. 7. (si salva est lectio). Vel si pigeret ire ad pauperem semper abosum, Mitte nummos, et unde se reficere possit. *quod hausisse videtur ex Proverb.* 14. 20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit.

ABPĀTRUUS, i, m. 2. (avi *et* patruus) frater abavi mei ex parte paterna, qui et *patruus maximus* dicitur (It. *fratello di mio bisnonno*; Fr. *frère du bisaïeul*; Hisp. *hermano de el bisabuelo*; Germ. *Bruder des Urgrossvaters*; Angl. *the brother of one's great grandfather*). *Cajus Dig.* 38. 10. 3. *Paul. ibid. l.* 10. et *Sent.* 4. 11. 6. *V.* et **ABAMITA.**

ABRA, æ, f. 1. est Græca vox ἅβρα, ας, *h. e.* ancilla. Occurrit in *Vulgat. Interpr.* tantum *Judith* 16. 28. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimisit abram suam liberam. Adde *ibid.* 8. 32., et 10. 2., 5. et 10. — Rectius tamen scriberetur *habra.*

ABRACADABRA, monstrum verbi, quod hemitritæo depellendo chartæ inscriptum, ita ut ordine retrogrado littera deficiat, et lino inclusum collo suspendere jubet *Seren. Sammon.* 52. 941. Inscribis chartæ quod dicitur Abracadabra, Sæpius et subter repetis, sed detrahe summæ, Et magis atque magis desint elementa figuris Singula, quæ semper rapies, et cetera figes, Donec in angustum redigatur littera conum: His lino nexis collum redimire memento. *Harduin.* interpretatur hoc monstrum ad *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. ed. *Franz.* p. 130., *T.* 8. p. 21. ed. *Lemaire.*

ABRĀDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (ab *et* rado) Part. *Abrasus* 1. Proprie est aliquid auferre, vel purgare radendo (It. *toglier via radendo, rader via*; Fr. *râcler, raser*; Hisp. *rasar, rasurar*; Germ. *ab-oder weg-kratzen, abscheeren*; Angl. *to scrape, or shave off*). ¶ 1. Proprie. *Colum. de arb.* 10. 3. Arida et vetera (*in arbore*) falce quæ amputari non possunt, acuta dolabra abradito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (82). Est innoxium abradi partes (*radicum*), quæ se nudaverint. *Lucret.* 4. 1096. (1097). Nec manibus quidquam teneris abradere membris Possunt. Adde *ibid.* 1104. *Cic. Rosc. Com.* 7. 21. Supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamitare calliditatem videntur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (162). Abradere barbam. *Stat.* 2. *Silv.* 7. 105. Sic fata est, leviterque decidentes Abrasit lacrimas nitente plectro. *h. e.* abstersit. *Lucan.* 6. 115. Abrasæ fauces. *h. e.* esculentorum asperitate exulceratæ. *Scribon. Comp.* 215. Abrasa corpora. *quæ græce* ἀποσύρματα. ¶ 2. Translate abradere aliquid ab aliquo est difficulter, aut per vim et quasi radendo auferre, demere. *Ter. Phorm.* 2. 2. 19. Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest. *Cic. Cæcin.* 7. 19. Posteaquam videt, nihil se ab Cæcina posse litium terrore abradere. *Plin. Paneg.* 37. Destringi aliquid, et abradi bonis, quæ sanguine meruissent.

ABRĀSOR. *V.* **ARROSOR.**

ABRELĔGO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* relego) procul ab aliquo amando, pello (It. *scacciare*; Fr. *chasser*; Hisp. *echar fuera*; Germ. *fortreiben*; Angl. *to drive away*). *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 2. 17. *ed. Mai.* Tum Alcibiadem, legationes vestras naviter apud Tyrum et efficaciter prosequutum, curiæ vestræ consortio abrelegastis.

ABRĔLICTUS, a, um, partic. ab inusit. *abrelinquo*, nempe derelictus (It. *abbandonato*; Fr. *abandonné*; Hisp. *abandonado*; Germ. *verlassen*; Angl. *abandoned*). *Tertull. advers. Jud.* 1. Populus Judæorum divinitate abrelicta simulacris fuit deditus, *Vulgat. Ital. ed. Mai.* 2. *Petr.* 2. 14. Cupidi et maledicti filii abrelicti, qui a via veritatis exerraverunt.

ABRENUNTĬO, as, avi, atum, are, n. 1. idem fere ac renuntio (It. *rinunziare*; Fr. *renoncer*; Hisp. *renunciar*; Germ. *entsagen*; Angl. *to renounce*). *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 11. *ante med.* Scribit, (*monachos*) inchoantes philosophiam, cedere omnibus sibi competentibus rebus, cunctisque abrenuntiare permixtionibus, et extra muros in solitariis agris et hortis inhabitare. *Id.* 6. *ibid.* 2. Ut studeret abrenuntiare ecclesiasticæ confessioni. *Salvian l.* 6. p. 208. in formula baptismi, et *Ambros. de Sacram. l.* 1. c. 2. tom. 4. p. 354. *in exorcismo:* Abrenuntio diabolo, pompis, spectaculis, et operibus ejus. *Jul. epit. nov.* c. 34. § 121. Abrenuntiare probationibus.

ABREPTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ABRĬPĬO, ripis, ripui, reptum, ripere, a. 3. (ab *et* rapio, Cf. ἀφαρπάζω). Part. *Abreptus* I. *a. b. c.* Proprie est ab aliquo loco rapere, vi trahere, abstrahere aliquem aut aliquam rem (It. *rapire, condur via per forza*; Fr. *emmener de force, arracher*; Hisp. *arrancar, robar*; Germ. *wegraufen, wegrauben, wegnehmen*; Angl. *to take away, carry off, drag away by force*).

I.) Proprie usurpatur *a*) absolute, *b*) adjectis nominibus *vi, tempestate*, *c*) adjectis locis, unde et quo aliquis vel res aliqua abstrahitur, d) cum Ablat. sine præp., *e*) in locutione *abripere se.* — *a*) Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 50. 111. Non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. *Nep. Milt.* 4. 2. Omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. *Tac.* 15. *Ann.* 35. Intimus quisque vincti abreptique. *Ter. Phorm.* 1. 1. 11. Quod ille compersit miser, id illa universum abripiet. *Nep. Datam.* 4. 2. Finitimas regiones vexabat et, quæ regi portarentur, abripiebat. *Tac.* 3. *Hist.* 22. Occisi centuriones, abrepta signa. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (20). Abrepta scuta jaciens in sublime. *Propert.* 4. 8. 5. Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu. *h. e.* in abruptum desinit, patet in præceps. — *b*) Apud JCtos *vi abripere* erat *per vim rapere* et ponebatur peculiariter de rapina (Cf. *Dirksen Manual.*): hinc *Pompon. Mela* 3. 5. 8. *C. Nepotis verba referens:* Vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (170). Qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. *Quintil.* 2. 17. 24. Si tempestate abreptus fuerit. *Virg.* 1. *Æn.* 108. Tres (*naves*) Notus abreptas in saxa latentia torquet. *Cic.* per tempestatis metaphoram *Ligar.* 12. 34. Voluntate omnes tecum fuerunt, tempestate abreptus est unus. — *c*) Adjectis locis, unde et quo aliquis aut res aliqua abstrahitur. *Plaut. Most.* 2. 1. 38. Abripito hunc intro actutum inter manus. *Ter. Adelph.* 2. 1. 27. Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris. *Id. Eun.* 1. 2. 30. Puella ex Attica hinc abrepta. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse. *Ter. Andr.* 4. 4. 47. hinc in cruciatum. *Cic.* 6. *Verr.* 10. 24. aliquem de convivio in vincula. *Id. Cluent.* 33. 89. ad quæstionem. *Id.* 3. *Verr.* 3. 7. E complexu parentum abreptos filios ad necem ducere. *Liv.* 3. 57. Virgo e complexu patris abrepta. *Hirt. B. Afr.* 26. Abripi in servitutem. *Propert.* 1. 13. 2. *per figuram:* Quod abrepto solus amore vacem. — *d*) Cum Ablat. sine præp. *Sueton. Aug.* 17. Antonium juvenem simulacro D. Julii abreptum interemit. *Plin.* 8. *Ep.* 20. Pecora littore abrepta. *Stat.* 1. *Theb.* 602. animasque a stirpe recentes Abripere altricum gremiis. — *e*) Abripere se est se subducere, fugere. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 21. Ita abripuit repente sese subito. *Id. Curc.* 5. 1. 8. Vix foras me abripui atque effugi. *Sueton. Tib.* 45. Abripere se domum.

II.) Translate, præsertim de agendi temeritate. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. Ut eum (*filium*) etiamsi natura a parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen patri similem esse cogeret. *h. e.* etiamsi patri absimilem vellet. *Id.* 3. *Orat.* 36. 145. Repente te (*verba facientem*) quidam quasi æstus ingenii tui procul a terra abripuit. *Val. Max.* 3. 8. *ext.* 3. Abripi impetu invidiæ. *Sil. It.* 5. 229. Abreptus pulcro cædum Laterânus amore, Dum sequitur dextram, in medios penetraverat hostes. *Id.* 6. 332. Abripuit traxitque virum fax mentis honestæ Gloria, et incerti fallax fiducia Martis.

ABRŌDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (ab *et* rodo). Part. *Abrodens* et *Abrosus.* Est rodendo abscindo (It. *roder via*; Fr. *détacher, couper en rongeant*; Hisp. *roer*; Germ. *abnagen*; Angl. *to gnaw off*). *Varr.* 2. *R. R.* 9. 13. *de canibus:* Quæ vincla si abrodere conantur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 62. 82. (169). Viperæ mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. *Id.* 37. *ibid.* 6. 21. (82). Abrosas partes corporis feræ relinquunt. *alii aliter leg., sed tamen omnes Part.* abrosus *retinent. Pers.* 5. 162. Crudum Chærestratus unguem Abrodens.

ABRŎGANS, antis. Humilis. *Gloss. Isid.* q. d. qui sibi adeo non arrogat quidquam, ut potius abroget.

ABRŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. (abrogo) actus abrogandi, ad quem perficiendum populus rogabatur. (It. *cassazione, annullazione*; Fr. *abrogation*; Hisp. *abrogacion*; Germ. *abschaffung*; Angl. *abrogation*). *Cic.* 3. *Att.* 23. 2. Neque enim ulla est lex, quæ non se sepiat difficultate abrogationis. *Val. Max.* 9. 1. 3. Qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quam feminæ tolli cupiebant.

ABRŎGĀTOR, ōris, m. 3. (abrogo) qui abrogat (It. *annullatore*; Fr. *celui qui abroge, destructeur*; Hisp. *destruidor*; Germ. *der etwas abschafft*; Angl. *one who annulleth, repealeth*). *Arnob.* 1. 50. Cum videret (*Deus*) futuros vos esse gestarum ab se rerum divinique operis abrogatores etc.

ABRŎGO, as, avi, atum, are, a. 1. (ab *et* rogo). Part. *Abrogans* I. 1. *Abrogatus* I. 1. *Abrogandus* I. 2. Proprie est rogatum tollo, sive per populi rogationem, quod jure sanctum fuerat, id rescindo, infirmo, irritum facio: hinc *Fronto differ.* p. 2195. *Putsch.* cum verbum hoc ad leges tantum referret, abrogare, inquit, est *rogando legem tollere* (It. *abrogare, annullare*; Fr. *abroger, casser, annuler*; Hisp. *abrogar, suprimir, anular*; Germ. *abschaffen, aufheben*; Angl. *to annul, abolish, abrogate*).

I.) Proprie occurrit 1. de legibus, 2. de magistratu. ¶ 1. Abrogare legem est legem tollere per populi rogationem (*Fronto differ.* p. 2195. *Putsch.* Abrogantem et adrogantem. Adrogat aliquid sibi etiamsi non meruit: abrogat, qui alii aufert, vel qui legem tollit): usurpatur autem sæpius cum Accus., interdum absolute, aliquando cum Dativo. *Cic.* 3. *Att.* 23. 3. *antiquam legum formulam referens:* SI QVID IN HAC ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES PLEBISVE SCITA S. F. SVA NON LICEAT etc. Et mox: QVODVE EI QVI PROMVLGAVIT, ABROGAVIT, DEROGAVIT, OBROGAVIT etc. (*V.* horum v. discrimen in fin.). *Id. de re publ.* 3. 22. 33. Huic legi neque obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. *Id. ibid.* 2. 37. 63. Quæ (*lex*) postea plebiscito abrogata est. *Varr.* 9. *L. L.* 20. *Mull.* An non sæpe veteres leges abrogatæ novis cedunt? Adde *Cic.* 2. *Leg.* 6. 14. et 3. *Phil.* 6. 16., necnon *Liv.* 9. 34. et 22. 30. *et alibi sæpe cum Accusativo.* — *Cic.* 3. *Att.* 23. 4. et alibi, *absolute:* In abrogando. *Quintil.* 7. 7. 2. Si diversum jus esset, alterum altero abrogaretur. — *Dig.* 50. 16. 102. *cum Dativ.* Derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur. Adde *Coll. LL. Mos.* 4. 2. Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 9. 34. 7., ubi recte Acc. restituit. ¶ 2. Abrogare magistratum alicui, vel alicujus, est eum publica auctoritate magistratu privare: occurrit autem sæpius cum Dativo personæ, cum Genitivo autem si gerundivi forma exhibeatur. *Cic.* 4. *Verr.* 56. 140. Si tibi magistratum abrogasset. Adde *Mil.* 27. 72. et *Nep. Alcib.* 7. 3. *Cic.* 3. *Off.* 10. 40. imperium Tarquinio. Adde *Dom.* 31. 83., *Nep. Epam.* 7. 3., *Liv.* 1. 59. 11. et 33. 16. 5., *Flor.* 1. 7. 10. *Cic.* 3. *Leg.* 10. 24. Potestatem intercedendi collegæ abrogare. *Val. Max.* 7. 7. 6. jurisdictionem. *Tac.* 4. *Hist.* 46. consulatum. *Flor.* 1. 9. 3. fasces. — *Cic.* 2. *Q. fr.* 3. 1. C. Cato legem tulit de imperio Lentuli abrogando. *Liv.* 22. 25. 10. de abrogando Q. Fabii imperio. *Id.* 27. 20. 11. de imperio abrogando ejus. *Et mox* 12. de imperio ejus abrogando. Adde 29. 19. 6. *Liv.* 38. 34. Lycurgi leges moresque abrogaterent.

II.) Generatim abrogare ponitur pro auferre, detrahere formali modo. *Plaut. Trin.* 4. 3. 41. Male fidem servando, illis quoque abrogant fidem, qui nihil meriti. *Cic.* 1. *Herenn.* 10. 17. Quæ res fidem abrogat oratori. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 23. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (18)., et *Sueton. Tib.* 61. et *alibi sæpe. Cic. Rosc. Com.* 15. 44. Abrogare fidem jurisjurandi testibus. *Ovid.* 2. *Trist.* 278. Et nimium scriptis abrogat ille meis. *h. e.* nimium detrahit. *Seneca Herc. Œt.* 898. Pœnas sibi abrogare. *al.* irrogare.

Plin. 2. *Hist. nat.* 53. 54. (141). Abrogare vires beneficiis. *et alibi sæpe. Quintil.* 1. 6. 20. Abolita atque abrogata retinere. Hinc *Paul. Diac.* p. 12. 14. *Müll.* Abrogare infirmare. — *Abrogare aliquem Italia* a quibusdam adducitur ex *Aur. Vict. de Vir. illustr.* 77., sed ibi legendum *fugare* ex MSS.

Homonym. Verba superius ex *Cicerone* allata I. 1. declaranda putamus. *Rogare* legem est legem ferre, rogata, *h. e.* interrogata plebe an velit aliquid ratum habere. Unde *abrogatur legi*, cum lex prorsus tollitur: *derogatur* autem *legi*, vel *exrogatur*, cum pars detrahitur: *subrogatur legi*, cum aliquid adjicitur; *obrogatur*, cum alia lex fertur prioris infirmandæ causa. — *Abrogare* differt etiam ab *antiquare*: *antiquabatur* enim lex, quæ rogata non perferebatur, sive non recipiebatur; *abrogabatur* vero ea, quæ postquam perlata erat, retractabatur. Utrumque tamen late et oratorio more conjungit *Liv.* 22. 30. Plebiscitum, quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo abrogoque.

ABRŌSUS, a, um. *V.* ABRODO.

ABROTANUM legitur in quibusdam Codd. et Editt. pro ABROTONUM, quod *V.*

ABRŎTŎNĪTES, æ, (abrotonum) est gen. m. et 1. decl., sed figurate neutro generi jungitur, et dicitur *vinum abrotonites*: eaque a quibusdam recentioribus Grammaticis *appositio* dicitur; Græce est ἐπεξήγησις et πρόσθεσις, ut docet *Voss.* 7. *de Arte Gramm. c.* 2. Est autem a Græco ἀβροτονίτης, ου, ὁ: estque substantivum adjectivi vim habens, et jungitur cum altero substantivo *vinum* ea ratione, qua dicimus *urbs Philippi, urbs Athenæ, urbs Lugdunum* etc. Sic *vinum myrtites, absinthites, scillites*, et alia quamplurima, quæ Genitivum habent in *æ*, Accusativum in *en*. Quod si malis, hujusmodi voces *abrotonites, scillites*, etc. esse adjectiva, dicendum erit Latinos scriptores Latine hæc vertendo Græcam loquendi rationem omnino retinuisse: Græce autem ἀβροτονίτης οἶνος dicitur cum οἶνος sit masculinum. *Abrotonites* autem est vinum abrotono herba conditum: ejus meminit *Colum.* 12. *R. R.* 35. Eadem ratione *Mareotis lacus* dicitur a *Plin.* 5. *Hist. nat.* 10. 11. (62). qui Græce Μαρεῶτις λίμνη.

ABRŎTŎNUM, i, n. 2. et Abrotonus, i, m. 2. (in nonnullis Codd. et Editt. leg. *Abrotanum*) Gr. ἀβρότονον, herba est odoris jucunde gravis, flore aurei coloris, semine calidæ virtutis. Duo ejus genera a Latinis commemorantur, campestre, quod mas dicitur (Artemisia abrotonum, *L.*); et montanum, quod femina esse creditur, et Siculum etiam vocatur. Mas quoque est campestre, quod sponte sua provenit, et cacumine suo se propagat; et hortense. Quod femineo adscribitur generi, vulgo cupressus dicitur (Santolina Chamæcyparissus, *L.*). Varios habet in medicina usus, quos recenset *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 92. (160). Cf. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 21. et *Æmil. Mac. de herb.* 2. Abrotono vinum quoque condiebatur, qua de re *Plin.* 14. 16. 19. (105), et *V.* ABROTONITES. (It. *abruotino*; Fr. *aurone*; Hisp. *abrótano*; Germ. *Stabwurz*; Angl. *the herb lad's-love*). — *a*) Neutr. gen. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 114. abrotonum ægro Non audet, nisi qui didicit, dare. *Colum.* 6. *R. R.* 7. 3. Sunt qui et abrotonum erraticum pari portione deterant cum aquæ calidæ duobus sextariis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 34. (60). Abrotonum odore jucunde gravi floret æstate. Adde *Scribon. Comp.* 7., 8., 167. et *Veget.* 4. 3. 10. — *b*) Masc. gen. *Lucret.* 4. 124. Abrotonique graves. *Lucan.* 9. 920. fumoque gravem serpentibus urunt Abrotonum. — NB. *Abrotonum* est etiam oppidum Africæ. *V.* ONOM.

ABRUMPO, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, a. 3. (ab et rumpo; Cf. ἀποῤῥήγνυμι). Part. *Abrumpens* I. 1. et II.; *Abruptus* I. 1. 2., II. et in fin.; *Abrupturus* I. 2.; *Abrumpendus* I. 2. Proprie est per vim rumpere, frangere, et rumpendo aliquid avellere ab aliqua re, cui id arte adhæreat. (It. *rompere, staccare rompendo*; Fr. *briser, rompre*; Hisp. *romper*; Germ. *ab- oder zerbrechen, los- oder zerreissen*; Angl. *to break, to break off, to burst asunder*). Hoc verbum Augusti ætate Poetis familiare, a prosa oratione pæne ablegatum fuisse videtur; post Augustum vero etiam ab Historicis et Oratoribus usurpatum occurrit.

I.) Per vim rumpere, frangere; idque aut proprie, aut translate. ¶ 1. Proprie per vim rumpere, frangere. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. Vincla abrumpit equus (Cf. *Homer. Il.* 6. 507. δεσμὸν ἀποῤῥήξας). *Virg.* 9. *Æn.* 118. Continuo puppes abrumpunt vincula ripis. *Horat.* 4. *Od.* 7. 27. Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro Vincula Pirithoo. *Ovid.* 2. *Met.* 315. lora. *Liv.* 6. 6. Fuga abrumpentium vincula jumentorum. *Tacit.* 1. *Ann.* 66. Equus abruptis vinculis vagus. *Plin.* 2. *Ep.* 7. Nunquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? *Ovid.* 2. *Met.* 350. Et teneros manibus ramos abrumpere (*tentat*). *Tacit.* 15. *Ann.* 63. Crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Et *ibid.* 59. Abruptis brachiorum venis. Adde 16. *ibid.* 9. *Varro* 3. *R. R.* 10. 5. (*Anseres*) si radicem prenderunt, quam educere velint e terra, abrumpunt collum. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 8. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 59. 79. (163). Iisdem ferme verbis. *Seneca Herc. Fur.* 237. Abrupto objice. *Lucret.* 2. 214. Abrupti nubibus ignes. *h. e.* se abrumpentes. *Virg.* 3. *Æn.* 199. Ingeminant abruptis nubibus ignes. *Ovid.* 2. *Fast.* 495. Hinc missis abrumpitur ignibus æther. *Sil. It.* 6. 608. Abrupto fregit cælo super agmina nubem. *Virg.* 12. *Æn.* 451. ubi ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium. *h. e.* effusa tempestate. *Id.* 3. *G.* 259. Nempe abruptis turbata procellis Nocte natat cæca serus freta. *h. e.* effusis et cum impetu ruentibus. Hinc *Apul. de Mundo prope fin.* Abrupti imbres. *Flor.* 4. 12. 6. Torrentes abrupti. — Hinc *locus abruptus* est præruptus, atque adeo præceps et invius. V. *Abruptus* in fine. ¶ 2. Translate est per vim atque ex improviso turbare, interrumpere et finire, ea præsertim, quæ natura sua perdurare debuissent. *Virg.* 3. *Æn.* 55. Abrumpere fas. *h. e.* violare. *Pedo Albinov.* 3. 4. et *Tacit.* 4. *Hist.* 60. fidem. *Sil. Ital.* 1. 296. fœdus. *Sueton. Aug.* 17. societatem. *Virg.* 8. *Æn.* 579. et 9. 497. vitam. *Id.* 4. 631. lucem. *Seneca Herc. OEt.* 893. fata sua. *Id. Troad.* 939. ense lucis invisæ moras. *Lucan.* 6. 610. herbis medios abrumpimus annos. *Plin.* 1. *Ep.* 12. retinacula vitæ. *Tacit.* 2. *Hist.* 53. vitæ blandimenta. *Virg.* 4. *Æn.* 388. Medium sermonem abrumpere. Adde *Tacit.* 4. *Ann.* 60., *Quintil.* 4. 3. 13. et *Sueton. Tib.* 21. sermones. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Admiratus reticuit: ubi silentium factum est, repetiit quod abruperat. *Stat.* 6. *Theb.* 184. querelas. *Sil. It.* 2. 328. vocem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (267). Sibilus serpentibus longus, testudini abruptus. *h. e.* interruptus. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Inchoatum aliquid abrumpere (*in oratione*). *Virg.* 3. *G.* 530., *Ovid.* 2. *Am.* 10. 19. et *Sil. It.* 15. 48., *Martial.* 12. 26. 7. somnos. *Sil. It.* 7. 156. abrupta vigil iret ad arma quiete. *Claudian.* 1. *Rufin.* 212. Herba Sollicitum curis non abruptura soporem. *Ovid. Rem.* 295. curas medias. *Lucan.* 5. 659. ingentes actus abrumpere. *Plin.* 2. *Ep.* 11. actionem. *Curt.* 5. 5. 1. iter. *Catull.* 69. 84. conjugium (*V.* ABRUPTIO *b.*). *Curt.* 10. 8. 17. spem. *Tacit.* 4. *Ann.* 50. Abrumpendas pariter spes ac metus, clamitans. *Id.* 11. *Ann.* 26. dissimulationem abrumpere. *Id.* 12. *ibid.* 50. patientiam. *Id.* 4. *ibid.* 64. voluptates. *Quintil.* 6. *proœm.* 14. studia. *Ovid. Rem. Am.* 495. flammas (*amoris*). *Plin.* 7. *Ep.* 3. Otium non abrumpere, sed intermittere. *Stat.* 1. *Theb.* 325. Et caligantes abrupto sole Mycenas. *h. e.* cum sol ad cœnam Thyestis radios lumenque condidit, et diem velut interrupit.

II.) Abrumpere sæpius ponitur pro dividere et per vim a reliquo separare, idque aut proprie, aut translate. ¶ 1. Proprie: et occurrit absolute, cum Abl. et præp. *a* et interdum *ex*, cum Abl. sine præp., aut cum Dat. *Tacit.* 3. *Hist.* 25. Abrumpuntur laxati ordines; nec restitui quivere. — *Curt.* 4. 15. 22. Abrupta a ceteris agmina. *Id.* 10. 7. 21. Equites abrumpere a cetero exercitu. *Id.* 3. 11. 18. Græci abrupti a ceteris. *Liv.* 3. 19. Plebs velut abrupta a cetero populo. *Quintil.* 9. 4. 123. Membrum est sensus – a toto corpore abruptus. *Liv.* 40. 2. Fastigia aliquot templorum a culminibus abrupta. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 92. 94. (206). Ex insula Cea amplius triginta millia passuum abrupta. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 74. abrumpi pars corpore visa suo est. — *Cic.* 14. *Phil.* 12. 31. Hæc (*legio Martia*) se prima latrocinio abrupit Antonii (*unicum hujus verbi exemplum apud Ciceronem*) *h. e.* ab Antonii latronibus se prima segregavit. *Ovid.* 4. *Met.* 495. Inde duos mediis abrumpit crinibus angues. — *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 40. (141). Donec mare Asiam abrumpat Europæ. *Curt.* 6. 9. 19. Abrumpere sibi partem viscerum suorum. ¶ 2. Translate. *Tacit.* 16. *Ann.* 28. Abrumpere vitam ab aliqua civitate. *Val. Max.* 7. 7. 7. Abrumpere se ab omni honesto vitæ genere. *Id.* 1. 8. 10. se a concordia. *Dig.* 44. 5. 1. § 4. Lucrum ex re patroni abruptum.

Abruptus, *a*, um est etiam Adject., unde Comp. *Abruptior*, Sup. *Abruptissimus*: iisdem autem significationibus usurpatur, quibus v. *abrumpo*. — *a*) Proprie (*V.* ABRUMPO I. 1.). *Liv.* 21. 36. Locus jam ante præceps, recenti lapsu terræ in pedum mille – altitudinem abruptus erat. *Catull.* 69. 108. barathrum. *Curt.* 7. 11. 2. Petra undique abscisa et abrupta. *Id.* 8. 11. 3. Undique præceps et abrupta rupes. *Tacit.* 2. *Ann.* 23. Saxa abrupta. *Sil. It.* 7. 420. antrum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (67). montes. *Id.* 11. *ibid.* 37. 51. (138). Nihil altius abruptiusque invenitur in corpore. *Tertull. advers. Marc.* 1. 1. Abruptior Caucaso. *Plin.* 9. *Ep.* 39. Abruptissimæ ripæ. — *b*) Translate. *Sil. It.* 7. 219. Abruptum ingenium. *h. e.* præceps, temerarium, præproperum. *Tacit.* 4. *Ann.* 20. Abrupta contumacia. *h. e.* præceps et extrema. *Tertull. Cor. mil.* 1. Abruptus homo. *h. e.* præceps, intractabilis, præfractus. *Quintil.* 4. 2. 45. Sallustiana brevitas et abruptum sermonis genus. *h. e.* concisum, truncatum, vel non cohærens et veluti interruptum. *Id.* 3. 8. 58. Abrupta initia. *h. e.* orationes abrupte inceptæ. *Macrob.* 4. *Saturn.* 2. Oratio pathetica necesse est initium abruptum habeat. *h. e.* sine exordio. *Quintil.* 10. 2. 19. Ne, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta. *Plin.* 9. *Ep.* 26. *per metaphoram de poetarum ingenio*: Plerumque altis et excelsis adjacent abrupta.

Abruptum, *i*, n. more substantivorum: iisdem significationibus, quibus *abruptus*. — *a*) Proprie. *Virg.* 3. *Æn.* 422. Sorbet in abruptum fluctus. *h. e.* in sinum profundum. Et 12. 687. Fertur in abruptum magno mons improbus actu. Adde *Claudian.* 20. 424. *Stat.* 10. *Theb.* 523. (*equi*) immane paventes Abruptum mirantur agi. Adde 2. *Silv.* 3. 69. *Veget. Mil.* 3. 9. *sub init.* Omnia ante cogitanda sunt, ante tentanda, ante facienda, quam ad ultimum veniatur abruptum. *Stat.* 3. *Theb.* 202. Jamque iter extremum cælique abrupta tenebat. *h. e.* altissimas cœli partes. *Lucan.* 10. 317. abrupta viarum. *Plin.* 8. *Ep.* 4. Montium abrupta. *h. e.* quæ invia sunt et in præceps ruentia. *Flor.* 2. 12. 4. Positis per abrupta castris. *Frontin. Strateg.* 1. 4. 7. Abruptiora tranare. — *b*) Translate. *Tac.* 1. *Hist.* 48. Mox Galbæ amicitia in abruptum tractus. *h. e.* in præceps. *Id. Agric.* 42. Plerique per abrupta – ambitiosa morte inclaruerunt. *h. e.* per ardua et admodum difficilia pericula. *Quintil. Declam.* 4. 5. In novissimo fati stamus abrupto. *Ammian.* 16. 8. In abrupto necessitatis.

ABRUPTĒ, adverb. (abruptus). Comp. *Abruptius*. Proprie est abrupto modo, eo nimirum quo aliquid generatim rumpitur et frangitur. Hinc — *a*) Proprie parum admodum in usu fuisse videtur; occurrit enim tantummodo pro interrupte pluribus in locis; Cf. ABRUMPO II. (It. *interrottamente*; Fr. *d'une manière coupée*; Hisp. *con interrupcion*; Germ. *abgerissen, daher an einzelnen Puncten*; Angl. *interruptedly*). *Ammian.* 17. 7. 8. Palantes abrupte flammarum ardores. — *b*) Translate. *Justin.* 2. 15. 4. Abrupte agere. *h. e.* temere, præcipitanter, sine prævia consultatione. *Ammian.* 20. 5. 11. Velut incitatos torrentes, hostes abruptius inundantes. *h. e.* liberius et effusius, sive majori cum impetu et præcipitantia. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 19. *circa med.* Non abrupte *medium solem*, sed *fere medium* dixit. *h. e.* non lato modo et præcipitanter. *Quintil.* 3. 8. 6. Nec abrupte, nec unde libuit incipiendum. *h. e.* sine exordio, aut insinuatione. *Id.* 4. 1. 79. Abrupte cadere in narrationem, cui *opponitur* obscure transcendere.

ABRUPTĬO, ōnis, f. 3. (abrumpo; Cf. ἀπόῤῥηξις) actus abrumpendi (It. *rompimento*; Fr. *action de rompre, rupture*; Hisp. *rompimiento*; Germ. *das Absprengen*; Angl. *a breaking, a breaking off or asunder*). — *a*) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 40. 84. Pedis offensio nobis, et abruptio corrigiæ, et sternutamenta erunt observanda. *Theod. Priscian.* 4. 2. *init.* Abruptio corporum hoc testatur, quam Græci anatomen vocant. *V.* ABRUMPO I. 1. ubi apud *Tac.* abrumpere venas. — *b*) Translate. *Paul. Diac.* p. 271. 7. *Müll.* Rumentum abruptio. *h. e.* Rumentum in auguralibus significare videtur interruptio abruptiove, ut ex *Fest. Fragm.* p. 270. 31. *Müll.* colligimus. *Cic.* 11. *Att.* 3. Ista, quam scribis, abruptio. *h. e.* divortium, ut recte exponit *Manut.*, sed tamen *Cic.* cum ita locutus sit, non suo, sed alieno

verbo usus est, idque minime probare videtur; vide tamen ABRUMPO II.

ABS, præp. ablativa. *V.* A, AB, ABS.

ABSCĒDENS, entis. *V.* vocem seq.

ABSCĒDO, ēdis, essi, essum, ēdere, n. 3. (abs et cedo). *Abscessem* pro *abscessissem* apud *Sil. It.* 8. 109. nec abscessem thalamo, ni magna minatus. Part. *Abscedens* I. 4. 5. 6. et II. 3.; *Abscessurus* I. 2. Proprie est ab homine vel loco aliquo cedere vel retro cedere, discedere, recedere (It. *partire*, *ritirarsi*; Fr. *s'en aller*, *se retirer*; Hisp. *ir*, *andar*, *retirarse*; Germ. *weichen*, *entweichen*, *zurükweichen*; Angl. *to depart*, *retire*, *go away from*).

I.) Proprie usurpatur cum de hominibus, tum de rebus inanimis. ¶ 1. De hominibus proprie et generatim occurrit aut absolute, aut adjecto loco a quo, aut raro admodum loco ad quem absceditur. *Ter. Heaut.* 4. 2. 5. Si licet latere tecto abscedere. — *Plaut. Pœn.* 1. 2. 162. Abscede hinc, sis. *Id. Cas.* 3. 5. 5. Abscede ab ista, obsecro. *Id. Capt.* 2. 3. 74. Abscedere extemplo e conspectu. *Ovid.* 6. *Met.* 362. Procul abscedere. *Liv.* 27. 50. Numquam senator a curia abscessit, aut populus e foro. *Tacit.* 1. *Ann.* 7. Abscedere a corpore (*mortui*). *Sueton. Claud.* 33. triclinio. *Sil. It.* 10. 17. retro. — *Tacit.* 1. *Ann.* 53. Causa, cur Rhodum abscederet. Adde *Plaut. Rud. prol.* 66. Illorum navis longe in altum abscesserat. ¶ 2. Item proprie de hominibus, sed peculiariter significat exercitus recessionem; præsertim impersonaliter. *Nep. Iphicr.* 2. Thebani Sparta abscessissent. *Liv.* 3. 8. Abscedere ab urbe hostium. *Id.* 25. 11. Dixit, extemplo aut abscessuros, aut dedituros se hostes. *Id.* 44. 19. 11. Abscedere a mœnibus. — *Id.* 27. 4. *impersonaliter:* Negantis e re publica esse vestigium abscedi ab Hannibale. *Id.* 29. 2. 16. Nec ante abscessum est, quam castris quoque exuerunt hostem. *Id.* 45. 11. 7. Postquam a mœnibus abscessum est. *Tacit.* 1. *Ann.* 63. Manibus æquis abscessum est. h. e. æquo Marte. ¶ 3. Item peculiariter de iis, qui nobiscum arte conjuncti nos deserunt ac derelinquunt. *Ovid.* 5. *Met.* 375. Pallada nonne vides jaculatricemque Dianam Abscessisse mihi? Confer *Liv.* 38. 38. Earum urbium cives, quæ regno abscedunt. ¶ 4. Abscedere usurpatur etiam de rebus inanimis; et quidem peculiariter de progrediente astrorum motu, numquam vero de eorumdem occasu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (72). Cur Veneris stella numquam longius XLVI partibus, Mercurius viginti tribus a sole abscedant. *Id. ibid.* 99. 102. (221). Quod Luna accedens corpora impleat, abscedens inaniat. Adde 18. 28. 68. (277). et Cf. ABSCESSUS 1. ¶ 5. A Medicis abscedere dicuntur humores, qui in aliqua corporis parte collecti corrumpuntur, et in ulcus eunt. *Cels.* 7. 12. 5. Sub lingua quoque interdum aliquid abscedit. *Id.* 5. 18. 21. Satisque omnia abscedentia digerit murex combustus (Græce ἀποστήματα). Cf. ABSCESSUS 3. ¶ 6. In picturis *abscedentia* dicuntur, quæ colorum temperamento remotiora repræsentantur, sicut *prominentia*, quæ spectanti propius extare videntur. *Vitruv. præf. l.* 7. 11. Et quæ in planis frontibus sunt figurata, alia abscedentia, alia prominentia esse videantur. *Id.* 1. 2. 2. Scenographia est frontis et laterum abscedentium adumbratio etc. — Hinc de mare, quod a nautarum oculis removeri videtur, *Liv.* 27. 47. 11. Quantum mare abscedebat (*si salva est lectio*). ¶ 7. Item peculiariter abscedere est amitti, evanescere. *Cic.* 2. *Divinat.* 16. Cor est in extis: jam abscedet, simul ac molam insperseris; deus id eripiet, vis aliqua conficiet aut exedet. *Sil. It.* 12. 560. credens abscedere vitæ, Quod sopor eripiat, tempus. *Sueton. Ner.* 34. Suppresso testamento, ne quid abscederet. *subaudi* de hereditate. *Dig.* 7. 1. 3. § 2. Semper abscedente usufructu.

II.) Translate occurrit pariter de hominibus et de rebus, præsertim vero de abstractis. ¶ 1. Est abire a magistratu, ab incepto etc. *Liv.* 26. 7. Abscedere incepto irrito. *Id.* 9. 13. Civilibus muneribus abscedere. *Tacit.* 2. *Ann.* 34. ab accusatione (*quemadmodum acute restituit Ernestus*. Vulg. Edd. *abstitit.*). ¶ 2. Est mori. *Inscript.* apud *Orell.* 794. Abscessit. h. e. mortuus est. ¶ 3. Est præterire, effugere, elabi; et occurrit præsertim de corporis vel animi affectione. *Ovid.* 3. *Fast.* 307. Somnus ut abscessit; tentando vincula pugnant Rumpere. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Interdiu quoque, quamquam abscesserat imago (*senis*), memoria imaginis oculis inerrabat. *Plaut. Merc.* 1. 2. 29. Ægritudo abscesserit. *Id. Epid.* 2. 2. 102. Et reperi, hæc te qui abscedat suspicio. h. e. a te. *Ter. Hec.* 5. 2. 15. Cito ab eo hæc ira abscedet. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. At si dolor vaporationibus minime fuerit mitigatus, vel abscessus, non oportet plurimo tempore in hac perseverare curatione. h. e. amotus (illud *abscessus* passive usurpatum est omnino singulare, ac propterea dubium). *Sil. It.* 7. 209. Auster – abscedens reddit mare. ¶ 4. Est etiam deserere, derelinquere (Cf. superius I. 3.). *Cato* apud *Gell.* 16. 1. Labor a vobis recedet; benefactum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Et *Plaut.* per jocum *Pers.* 4. 4. 120. Abscedent enim (*minæ*), non accedent.

Homonym. *Abire* et *abscedere* differunt. Generatim enim *abimus* sponte, *abscedimus* coacti; *abimus* reversuri, *abscedimus* non reversuri.

ABSCESSĬO, ōnis, f. 3. (abscedo) actus recedendi, sive retro cedendi (It. *allontanamento*, *partenza*; Fr. *éloignement*, *retraite*; Hisp. *alejamiento*, *retirada*; Germ. *das Zurückweichen*; Angl. *a departing from*, *a retiring*). *Cic. Tim.* 12. Cum ad corpora necessitate accessio fieret, tum abscessio. *Dictys B. Tr.* 1. 5. Alexander abreptis quæ cupierat, abscessionem properabat.

ABSCESSUS, us, m. 4. (abscedo) abscessio, abitus, recessus (It. Fr. etc. *V.* ABSCESSIO). *Virg.* 10. *Æn.* 445. Rutulum abscessu. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Quod pars terræ appulsu solis exarserit, pars obriguerit longinquo solis abscessu (Cf. ABSCEDO I. 4.). *Tacit.* 6. *Ann.* 38. Continuo abscessu velut exsilium. h. e. secessu et absentia. *Id.* eadem significatione 4. *ibid.* 57. Causam abscessus (*Tiberii*) – ad Sejani artes retuli. ¶ 2. Interdum significat locum, per quem abscedere possumus (Cf. ABITUS 2.). *Tacit.* 12. *Ann.* 33. Sumpto ad prœlium loco, ut aditus, abscessus cuncta nobis importuna, et suis in melius essent. ¶ 3. Peculiariter a Medicis dicitur concursus mali humoris in aliquam corporis partem, ex quo suppuratio et ulcus fit (*Græce* ἀπόστημα; Cf. ABSCEDO I. 5.). *Cels.* 5. 18. 2. Si materia extrahenda est, ut in incipiente abscessu, in suppuratione, etc. Et *ibid.* n. 5. Prodest impositum minutis, majoribusque abscessibus. — NB. *Abscessum* pro *incrementum* male legit *Salmasius* apud *Solin.* 32. 12.

ABSCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (ab et cædo). Multi Codices *abcido*, quemadmodum *abcise* et *abcisio*, pro *abscido*, *abscise* et *abscisio* exhibent; sed minus recte: vocabulis enim a c littera incipientibus connectitur *abs*. — Verba *abscidere* et *abscindere*, ratione habita formæ, differunt in quantitate præteriti, quæ brevis est in penultima ab *abscindo*, longa ab *abscido*; necnon in participio præterito passivo, quod *abscissus* ab *abscindo*, *abscisus* vero ab *abscido*. Hinc duo hæc verba, præsertim in præterito Indicativi et in participio præter. pass., a Codicibus, Editionibus et Lexicis ita confuse et permixte exhibita sunt, ut nihil inde certi erui possit. *B. Zumptius* (*Latein. Gramm.* § 189. p. 196.) putavit part. præterit. *abscisus* et *abscissus* unum idemque fuisse; sed *abscisus* in vulgari sermone usuvenisse, *abscissus* autem a Scriptoribus fuisse receptum. Nobis vero visum est analogiæ fundamento insistere, ducibus præsertim *Forcellino*, *Freund* et *Klotz* Lexicis suis, *Drakenb.* ad *Liv.* 31. 34., et *F. Haase* (*Reisig's Vorlesungen* p. 253.) — Part. *Abscisus* I. 1., II. 2. et in fin.; *Abscisurus* II. 2.; *Abscidendus* I. 1. — Abscidere proprie est aliquid ab aliquo corpore, acuto instrumento, per vim detruncare (It. *recidere*, *troncare*, *tagliar via*; Fr. *couper*, *séparer en coupant.*; Hisp. *trinchar*, *cortar*; Germ. *abhauen*, *abschneiden*; Angl. *to cut*, *to cut off*).

I.) Proprie ¶ 1. occurrit de humani corporis et arborum partibus. *Lucret.* 3. 655. (654). Et caput abscisum calido viventeque trunco. Adde *Cic.* 11. *Phil.* 2. 5., *Virg.* 12. *Æn.* 511., *Liv.* 4. 19. (et *id. Liv.* 24. 15. Abscidendo capite tempus terebat), *Curt.* 8. 3. 9., *Valer. Max.* 9. 4. 3., *Vellej.* 2. 27. 3., *Tacit.* 3. *Hist.* 74. *Lucret.* 3. 643. (642). Falciferos memorant currus abscidere membra. *Liv.* 4. 28. 8. Abscidere brachium. *Auct. B. Hisp.* 20. 5. cervices. *Sil. It.* 15. 473. collum. *Martial.* 3. 66. 2. Abscidit vultus. *Sueton. Cæs.* 68. dextram. *Ammian.* 30. 5. 19. Dexteram – militis jussit abscidi. *Valer. Max.* 1. 1. 18. et *Sueton. Calig.* 32. manus. *Sueton. Calig.* 27. linguam. *Petron.* 108. virilia. (Hinc puer *abscisus* apud *Arnob.* 5. 31. et 42. est eviratus). *Lucan.* 6. 568. comas alicui. — *Cæs.* 7. *B. G.* 73. 2. Abscidere truncos arborum et ramos. *Curt.* 9. 5. 22. lignum. *Pallad.* 4. 10. 16. Nisi quæ arida sunt, rarissime debemus abscidere. Adde 6. 4. 1. *Id.* 7. 2. Mense postremo – tritici messis absciditur.

II.) Translate. ¶ 1. Est ab incepto ita desistere, ut ad finem non perducatur. *Cic.* 2. *Att.* 7. 1. Quarum (*orationum*) alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram (*hæc tamen lectio dubia est*). *Quintil.* 8. 3. 85. In voce aut omnino suppressa, aut etiam abscisa. *V.* ABSCISIO II. 3. et in fin. *abscisus.* ¶ 2. Cum Dativo personæ est removere, ac propterea auferre; cui opponitur *adjicere*. *Quintil.* 12. 1. 20. Quamquam enim stetisse ipsum (*Ciceronem*) in fastigio eloquentiæ fateor, ac vix, quid adjici potuerit, invenio, fortasse inventurus, quod adhuc abscisurum putem fuisse etc. *Id.* 8. 3. 23. Cum hæc exercitatio – sibi magnam partem sermonis absciderit. *Liv.* 9. 23. Nos omnium rerum respectum, præterquam victoriæ, nobis abscidamus. *Id.* 45. 37. Abscidere orationem alicui. *Id.* 41. 11. aquam. *Id.* 45. 25. alicui spem. *Id.* 4. 10., 24. 30., 35. 45. *et alibi* spes abscisa, et spes undique abscisa. *Id.* 35. 32. Res abscisa. *Tacit.* 3. *Hist.* 78. Abscisis omnibus præsidiis. *Lucan.* 4. 503. Abscidit nostræ multum sors invida laudi. *Seneca Phœn.* 194. Projecit atque abscidit (*bona*). *Valer. Max.* 8. 2. 3. Hereditas una feminæ actione abscisa non esset.

Abscisus, *a*, *um*, est etiam Adject., unde Comp. *Abscisior.*, et præter omnes verbi significationes, peculiares quasdam exhibet animadvertendas. — a) Proprie est acute præfractus. *Liv.* 25. 36. Neque quidquam satis arduum atque abscisum erat, quod hosti ascensum difficilem præberet. *Id.* 38. 4. Saxum undique abscisum. *Id.* 32. 5. et *Curt.* 5. 3. abscisa rupes. *Curt.* 7. 11. abscisa undique petra. — b) Translate est truncus, mancus, et vehemens, atque ideo durus rigidusque; et occurrit præsertim de oratione. *Quintil.* 9. 4. 118. Cur alia (*pronuntiandi spatia*) paucioribus verbis satis plena vel nimium, alia pluribus brevia et abscisa sunt? *Plin.* 1. *Ep.* 20. Non enim amputata oratio et abscisa, sed lata et magnifica et excelsa tonat, fulgurat etc. *Valer. Max.* 2. 7. 14. Asperum et abscisum castigationis genus. *Id.* 3. 8. 3. Abscisum responsum. *Id.* 6. 3. 10. Abscisa sententia. *Id.* 6. 4. 3. abscisa sermonis gravitas. *Id.* 6. 5. *ext.* 4. Præfractior atque abscisior justitia.

ABSCINDO, indis, idi, issum, indere, a. 3. (ab et scindo). Part. *Abscindens* I. 1.; *Abscissus* I. 2. 3.; *Abscindendus* II. Proprie est aliquid per vim attrahendo et lacerando auferre; hinc differt ab ABSCIDO quod *V.* (It. *toglier via tirando*, *strappare lacerando*; Fr. *arracher et déchirer*; Hisp. *arrancar y desgarrar*; Germ. *abreissen*, *losreissen*; Angl. *to tear off*, *rend away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est per vim attrahendo et lacerando auferre. *Cic.* 7. *Verr.* 1. 3. Tunicam ejus a pectore abscidit. *Virg.* 5. *Æn.* 685. humeris abscindere vestem. *Id.* 2. *G.* 23. Plantas abscindens de corpore matrum. *Lucan.* 3. 471. rupem vertice montis. ¶ 2. Est etiam recidere, amputare. *Plaut. Amph.* 2. 1. 7. Abscindere linguam alicui. *Dig.* 21. 1. 10. Si homini digitus sit abscissus etc. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 303. Caput abscissum. *Ovid.* 12. *Met.* 363. Abscindit jugulo pectusque humerumque sinistrum. *Seneca Thyest.* 1038. Abscissa cerno capita et avulsas manus. *Flor.* 1. 18. 9. Abscindere proboscidem elephanti. *Tacit.* 15. *Ann.* 69. et 16. 11. venas (*V.* ABRUMPO I. 1.). *Cæs.* 3. *B. G.* 14. 7. funes. *Stat. Theb.* 10. 883. nervos. *Val. Flacc.* 1. 4. 80. retinacula. *Virg.* 4. *Æn.* 590. Flaventes abscissa comas. ¶ 3. Est per vim dividere et separare. *Virg.* 3. *Æn.* 418. Pontus Hesperium Siculo latus abscidit. *Ovid.* 1. *Met.* 22. Et cœlo terras et terris abscidit undas. *Horat.* 1. *Od.* 3. 21. Nequidquam Deus abscidit – Oceano dissociabili terras. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 10. 17. (37). Montem Athon Xerxes continenti abscidit. *Id.* 4. *ibid.* 1. 2. (5). Peninsula – opere accolarum abscissa a continenti. *Flor.* 2. 8. 7. Eubœam insulam – Euripus abscidit. *Id.* 2. 2. 2. Opulentissimam in proximo prædam (*Siciliam*) – Italiæ suæ abscissam et quasi revulsam. — Hinc etiam de exercitu. *Cæs.* 3. *B. C.* 72. Abscissus in duas partes exercitus. *Liv.* 8. 25. Hostium pars parti abscissa erat. *Valer. Max.* per metaphoram 2. 8. 5. Karthaginis imperio abrupta Hispania et Siciliæ caput abscissum Syracusæ.

II.) Translate de variis occurrit, et est ¶ 1. Ab-

rumpere, interrumpere, violare. *Horat.* 16. *Epod.* 35. Abscindere reditus dulces. *h. e.* intercludere, impedire. *Val. Flacc.* 2. 160. Abscindere querelas alicujus. *Incert. Auct. Itiner. Alex. M.* 29. *ed. Mai.* Ad pretium moræ abscindendæ. *Dig.* 28. 2. 9. § 2. Abscindere jus. ¶ 2. Est etiam separare. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 111. inane abscindere soldo.

ABSCĪSĒ, adverb. (abscisus) breviter, concise, velut abscidendo superflua: occurrit enim translate de sermone tantum (V. *Abscisus* in v. ABSCIDO *b*). (It. *in ristretto*; Fr. *d'une manière coupée, tronquée*; Hisp. *brevemente, sumariamente*; Germ. *abgeschnitten, und daher bündig*; Angl. *briefly, concisely*). *Val. Max.* 3. 7. *ext.* 6. Si verba numeres, breviter et abscise: si sensum æstimes, copiose et valenter. *Callistrat. Dig.* 50. 6. 5. § 2. Demonstratur varie, nec abscise.

ABSCĪSĬO, ōnis, f. 3. (abscido) proprie est actus abscidendi (It. *taglio, troncamento*; Fr. *action de couper, retranchement*; Hisp. *corte*; Germ. *das Abschneiden*; Angl. *a cutting, cutting off*).

I.) Proprie. *Theod. Priscian.* 3. 6. Sicut arboribus arescentium ramorum accommodatur salutaris abscisio.

II.) Translate occurrit etiam apud optimos, et est ¶ 1. Figura rhetorica, quæ Græce ἀποσιώπησις, et fit cum inchoatam sententiam repente præcidimus, ut clarius docet *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 67. Significatio est, quæ plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione: ea fit per exsuperationem, ambiguum, consequentiam, abscisionem, similitudinem. *Ibid.* 54. 67. Per abscisionem, si, cum incipimus aliquid dicere, præcidimus; et ex eo, quod jam diximus, satis relinquitur suspicionis, sic: Qui ista forma et ætate nuper alienæ domui .... nolo plura dicere. ¶ 2. Hinc abscisio est idem quod apocopa in vocabulo, sive alicujus litteræ abjectio apud *Priscian.* 1. p. 548. *Putsch.* Quæritur cur in *vah, ah*, post vocales ponitur aspiratio, et dicimus quod apocopa facta est extremæ vocalis. – Ideo autem abscisione facta extremæ vocalis etc. ¶ 3. Qua significatione *Quintil.* abscissa vox *dixit* (*V.* ABSCIDO II. 1.). *Scribon. Compos.* 100. Facit bene hæc compositio ad suspirium et ad vocis abscisionem.

ABSCĪSUS, a, um. *V.* ABSCIDO.

ABSCISSUS, a, um. *V.* ABSCINDO.

ABSCONDĬTĒ, adverb. (absconditus) proprie est latenter (It. *nascostamente*; Fr. *en cachette*; Hisp. *á escondidas*; Germ. *auf versteckte Art*; Angl. *hiddenly*). ¶ 1. Proprie occurrit tantum apud *Vulgat. Interpr. Judic.* 4. 21., *Ruth.* 3. 7., 2. *Reg.* 12. 12. et *Jerem.* 37. 16. ¶ 2. Translate de oratione: et quidem — *a*) ponitur pro obscure. *Cic.* 2. *Invent.* 23. 69. Non implicite et abscondite, sed patentius et expeditius. — *b*) Cum magna et penitus reposita rerum scientia. *Cic.* 3. *Fin.* 1. 2. Abscondite disserere.

ABSCONDĬTOR, ōris, m. 3. (abscondo) qui abscondit (It. *nasconditore*; Fr. *celui qui cache*; Hisp. *el que esconde*; Germ. *Verhehler*; Angl. *one who hides or conceals*). *Firmic.* 5. *Mathes.* 15. Rerum humanarum absconditores. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 25. Qui absconditor non fuit.

ABSCONDĬTUS, a, um. *V.* ABSCONDO.

ABSCONDO, condis, condi (*raro* condidi), conditum (*parum usitatum consum*), condere, a. 3. (abs *et* condo). Perfectum *abscondidi* nusquam a Cicerone usurpatur, sed occurrit tantum in *Plaut. Merc.* 2. 3. 25., in eodem *Plaut.* apud *Priscian.* p. 890. *Putsch.*, et apud *Sil. It.* 8. 192. E contra *abscondi* et *absconderam* occurrunt in *Curt.* 6. 6. 30., *Seneca Ep.* 70. 1., *Plin.* 6. *Ep.* 20., *Tac.* 3. *Hist.* 68., *Gell.* 17. 9., *Cæcil.* et *Pompon.* apud *Non.* p. 75., *Sil. It.* 15. 600. et alibi sæpe. Part. *absconsus*, quod *Diomed.* p. 372. *Putsch.* rejecit, ab inferioris notæ scriptoribus usurpatum est, ut a *Quintil. Declam.* 17. 15., *Fulgent.* 1. *Myth.* 21., *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. et *Vulgata Interpr.* — Part. *Abscondens* I. 2.; *Absconditus* I. 1. et in fin., *Absconsus* in fin. — Abscondere proprie est rem aliquam aliquo in loco seponere, ut celetur et occultetur, ac proinde est celare. Simplicius verbum *abdere* eo tendit, ut res ab aliquo loco amoveatur et asportetur; eo vero tendit *abscondere*, ut res ordinate in occulto reponatur; hinc *abscondere* nunquam jungitur cum loco, a quo res amovetur, quemadmodum sæpius *abdere*; sed frequenter cum loco jungitur, in quo res seponitur et occultatur. (It. *nascondere*; Fr. *cacher*; Hisp. *esconder*; Germ. *verbergen*; Angl. *to hide*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abscondere est rem aliquam aliquo in loco seponere, ut celetur: usurpatur autem aut absolute; aut adjecto loco, in quem res seponitur, et tunc celandi significationem clarius præsefert, et gaudet vel Accus. cum aliqua præp., vel Ablat. cum præp. *in*, vel apud Poetas Ablat. sine præp. *Cic.* 2. *Phil.* 42. 82. Absconditi gladii. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 88. (364). Seguiterque et contra industriam suam apes absconditæ. *Gell.* 17. 9. Legebamus – virum quempiam illustrem – epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse. — *Colum. de arb.* 7. 3. Abscondi in terram. *Flor.* 4. 2. 87. Sextum fortuna in Celtiberiam abscondit. *Pompon.* apud *Non.* p. 75. 27. *Merc.* Numquid abscondisti inter nates. *Plaut.* apud *Priscian.* 10. p. 890. *Putsch.* Secundum aram aurum abscondidi. — *Cæcil.* apud *Non. l. c.* Hic in tenebris intus sese abscondit. *Curt.* 6. 7. 23. Absconditus in armamentario. *Id.* 7. 1. 37. Abscondi in domo matris. *Seneca Thyest.* 721. In vulnere ensem abscondere. *Sil. It.* 1. 317. Permissum ventis abscondit in aere telum. — *Horat.* 2. *Sat.* 3. 173. Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem. *Virg.* 3. *G.* 558. Donec humo tegere et foveis abscondere discunt. *Sil. It.* 8. 190. Numicius illam Suscepit gremio vitreisque abscondidit antris. *Id.* 14. 635. tenuata jacendo Et macie, galeis abscondunt ora. ¶ 2. Est etiam ita tegere, ut quod tectum est celetur. *Curt.* 7. 4. 24. Siros vocabant barbari: quos ita solerter abscondunt, ut, nisi qui defoderunt, invenire non possint. *Id.* 6. 6. 30. Fumus ingens velut quadam nube absconderat cælum. *Id.* 7. 4. 29. Nitor siderum caligine absconditur. *Plin.* 6. *Ep.* 20. (*Nubes*) Cinxerat Capreas et absconderat. *Tibull.* 4. 1. 154. tellus absconditur umbra. *Sil. It.* 17. 49. Abscondit late propulsis puppibus æquor. *Id.* 11. 519. Hic fluvium et campos abscondit cæde virorum. *Juvenal.* 6. 120. Et nigrum flavo crinem abscondente galero. ¶ 3. *Abscondi* dicuntur sidera, quæ occidunt et a nobis non conspiciuntur. *Virg.* 1. *G.* 221. Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur. ¶ 4. Abscondere locum aliquem dicuntur, qui recedendo ejus conspectum amittunt. *Virg.* 3. *Æn.* 291. Protinus aerias Phæacum abscondimus arces. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 140. Sicaniam quærit, cum necdum absconderit Iden.

II.) Translate. ¶ 1. Est celare, occultare ea quoque quæ abstracta sunt, metaphora sumpta a n. I. 1. *Cic. Rosc. Am.* 41. 121. Est quiddam quod occultatur. Quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet. *Plaut. Cist.* 1. 1. 65. Abscondere stultitiam in latebras pectoris. *Virg.* 4. *Æn.* 337. fugam furto. *h. e.* furtim fugere. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat. *Catull.* 61. 204. Quod cupis, capis, et bonum Non abscondis amorem. *Curt.* 4. 14. 14. paucitatem militum. *Id.* 5. 5. 11. miserias. *Seneca Hipp.* 5. 2. crimen. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (50). turpitudinem. *Sil. It.* 15. 597. Secretis ruris tristes absconderat annos. ¶ 2. Sumpta metaphora a n. I. 4. abscondere ætatem est eam transigere. *Seneca Ep.* 70. 1. Prænavigavimus – vitam, et quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noster, *terræque urbesque recedunt*, sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam etc.

Absconditus, a, um, et *Absconsus, a, um* apud serioris ævi scriptores, cum proprie, tum translate. *Lucret.* 1. 902. (903). Silvis abscondita flamma. *Cic.* 4. *Herenn.* 6. 9. Fontes penitus absconditi. *Cic.* 3. *Catil.* 1. 3. Insidiæ absconditæ. *Id. Dom.* 54. 138. Absconditum jus pontificum. *Quintil. Declam.* 17. 15. Venenum invenisse absconsum. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 21. Negotium absconsum. *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. Absconsæ artes.

Absconditum, i, n. substantivorum more occurrit tantum apud *Vulgat. Interpr.* 1. *Cor.* 4. 5. Quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum etc. *Ibid. Ezech.* 8. 12. Quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui. *et alibi sæpissime.*

Homonym. *V.* ABDO.

ABSCONSĒ, adverb. (absconsus) clam (It. *nascostamente*; Fr. *secrètement*; Hisp. *secretamente*; Germ. *heimlich*; Angl. *secretly*). *Hygin. fab.* 184. Filium infantem mater absconse ad hospitem mandavit. *Firmic.* 2. *Mathes.* 2. Vides quam apte, quam absconse. *Vulgat. Interpr. Sap.* 18. 9. Absconse enim sacrificabant.

ABSCONSĬO, ōnis, f. 3. (abscondo) proprie esse abscondendi actus. Translate occurrit apud *Vulgat. Interpr. Isai.* 4. 6. Tabernaculum erit in absconsionem a turbine et a pluvia. — A quibusdam Lexicographis affertur etiam ex *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (50); sed ibi recte legitur *abscondente* pro *absconsione*.

ABSCONSOR, ōris, m. 3. (abscondo) qui abscondit (It. *nasconditore*; Fr. *celui qui cache*; Hisp. *el que esconde*; Germ. *der Verbirgt*; Angl. *one who hides or secretes*). *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. et 11. Absconsores auri et divitiarum faciet.

ABSCONSUS, a, um. *V.* ABSCONDO.

ABSECTUS, a, um, particip. ab inus. *abseco* (ab *et* seco) resectus, in partes dissectus (It. *tagliato via*; Fr. *coupé*; Hisp. *cortado*; Germ. *abgeschnitten*; Angl. *cut, cut off*). *Imp. Justinian. Cod.* 12. 34. 5. His, quibus indultum, quo pluribus mereantur cingulis, non conjunctis ex prisca consuetudine, sed absectis atque discrepantibus, detur electio, etc. *Alii leg.* abjectis: *anne* assectis *vel* adsectis *legendum?* *V.* ASSECTUS. *Absectus*, nulla tamen auctoritate confirmatum vocabulum, sed tantum exempli gratia, affertur etiam a *Priscian.* 1. p. 558. *Putsch.*

ABSEGMEN, inis, n. 3. (ab *et* seco) frustum ab aliqua re desectum (It. *pezzo, frusto*; Fr. *morceau*; Hisp. *pedazo*; Germ. *ein Abschnitt*; Angl. *a piece, morsel*). *Fest.* p. 242. 25. *Müll.* Penitam offam Nævius appellat absegmen carnis cum coda.

ABSENS, entis. *V.* ABSUM.

ABSENTĬA, æ, f. 1. (absens) perpetuus abscessus (It. *assenza*; Fr. *absence*; Hisp. *ausencia*; Germ. *die Abwesenheit*; Angl. *absence*). *Cic. Pison.* 16. 37. Confer nunc absentiam tuam cum mea. Adde *Anton.* apud *Cic.* 14. *Att.* 13. *Quintil.* 4. 2. 70. Absentia custodum. *Tac.* 4. *Ann.* 64. Feralemque annum ferebant, et ominibus adversis susceptum Principi consilium absentiæ. *Plin.* 6. *Ep.* 4. Nunc vero me cum absentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio – exterret. Adde 6. 7. et 7. 3. *Sueton. Cæs.* 23. Propugnatores absentiam suam. *Id. Tib.* 10. Ut auctoritatem absentia tueretur (*ubi absentiæ opponitur assiduitas*). *Quintil.* 5. 7. 1. Pro diffidentia premitur absentia (*testimoniorum*).

ABSENTĪVUS, a, um, verbal. (absento 2.) diu absens. *Petron. Satyr.* 33. Ne absentivus moræ vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. *Alii tamen aliter legunt. Cf. Salmas. Script. Aug.* p. 522. *Schrev.*

ABSENTO, as, avi, atum, are, 1. (absens) Part. *Absentans* 2. ¶ 1. Active est aliquem absentem facere, amandare. *Cod. Theod.* 12. 1. 84. Quos aut obtentus debilitatis alienat, – aut crimen desertionis absentat. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 213. vetitamque Dearum Colloquio patriis procul absentaverit astris. *Alii leg.* patriisque procul mandaverit: *alii* patriis procul amandaverit. Afferri solet etiam locus *Petronii Satyr.*, sed dubia est ibi lectio. ¶ 2. Neutrali significatione est diu abesse. *Interpr. ad Paul. Sent.* 1. 7. § 1. *et seq.* Si qui per necessitatem longinquæ peregrinationis absentant. *Sidon.* 9. 13. *extr.* Pari tempore absentans Ulysses. *Alcim. Ep.* 67. Optabilis absentandi causa. *Id. Ep.* 72. Cum peculiarium vernularum absentando suspenditis vota. Adde *Ep.* 63.

ABSĪDA, æ, f. 1. idem ac absis (quam vocem vide). Occurrit autem tantum apud Scriptores Eccles. pro interiori sacrarum ædium parte. *Paulin. Nolan. Ep.* 12. ad *Sever.* n. 17. Sed de hac absida, an absidem dicere magis debuerim, tu videris. Ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. *Isid.* 15. *Orig.* 8. 7. Absida Græco sermone, Latine interpretatur lucida, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat. Sed utrum absidem an absidam dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam doctorum existimant. *Falsa tamen est* Isidori *etymologia: fortasse ab ἅπτω accendo vox derivatur.*

ABSĪDĀTUS, a, um, adject. (absis) curvatus in absidem, fornicatus (It. *terminato in abside, fatto a volta*; Fr. *voûté, arqué*; Hisp. *abovedado, arqueado*; Germ. *gewölbt*; Angl. *arched, or vaulted over*). *P. Victor. de region. U. Rom. reg.* 4. Absidata porticus. *Cassiod.* 4. *Variar.* 51. Caveas illas (*theatri*) saxis pendentibus absidatas crederes cryptas excelsi montis.

ABSĪLĬO, is, ire, 4. (ab *et* salio). ¶ 1. Absolute neutrorum more est saltu aufugere, et de rebus inanimis disrumpi (It. *saltar via*; Fr. *fuir en sautant*,

s'élancer de; Hisp. *huir saltando, abalanzarse*; Germ. *ab-fortspringen*; Angl. *to leap, or spring away from*). *Lucret.* 6. 1214. (1212). alituum genus atque ferarum Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem etc. *Stat.* 10. *Theb.* 878. Molibus obstantes cuneos tabulataque sævus Destruit: absiliunt pontes. ¶ 2. Active est aliquid saliendo derelinquere. *Stat.* 6. *Theb.* 97. fugere feræ, nidosque tepentes Absiliunt (metus urget) aves.

ABSIMILIS, e, adject. (ab *et* similis) non similis, dissimilis. (It. *dissimile*; Fr. *différent*, *dissemblable*; Hisp. *diferente*, *desemejable*; Germ. *unähnlich*; Angl. *unlike*, *dissimilar*). Fere usurpatur præcedente negativa particula; occurrit autem interdum cum Genitivo, sæpius cum Dativo. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. 5. Falces – non absimili forma muralium falcium. — *Colum.* 6. *R. R.* 17. 2. Odoris gravis, neque absimilis bitumini. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). Rostrum haud absimile suillo. Adde 8. 48. 75. (199); 16. 7. 10. (28) et alibi. *Sueton. Oth.* 1. Non absimilis facie Tiberio principi fuit. Adde eumd. *Domit.* 10. et *posteriores* sæpe.

ABSINTHIĂCUS, a, um, adject. (absinthium) qui est absinthii, vel ex absinthio (It. *d'assenzio*; Fr. *d'absinthe*; Hisp. *d'ajenjo*; Germ. *von Wermuth*; Angl. *from wormwood*). *Theod. Priscian.* 2. 2. 16. Ergo stomachicos, quos post ægritudinem prolixam stomachi defectus tenet, et quos leves adhuc febriculæ infestant, oleo absinthiaco calido fomentamus, aut nardino, aut sicyonio, aut œnanthino, aut lentiscino cum vino mixto. In *Aldina* perperam legitur *et quod leve est, adhuc febriculæ infestæ*: correxi ex comparatione cum *Frobeniana*.

ABSINTHIĀTUS, a, um, (absinthium) absinthio conditus (It. *condito d'assenzio*, *assenziato*; Fr. *mêlé d'absinthe*; Hisp. *mezclado d'ajenjo*; Germ. *mit Wermuth versetzt*; Angl. *seasoned with wormwood*). *Seneca Suasor.* 6. p. 40. *Bip.* Decipere vos cogar, veluti salutarem pueris daturus potionem absinthiati poculi. — Hinc

Absinthiatum, i, n. 2. est vinum absinthii succo conditum quod et *absinthites* dicitur, quam vocem *V. Pallad.* 3. 32. Conditum vel absinthiatum, vel rosatum, vel violatum procedere sponte fertur ex vitibus, si etc. *Veget. Vet.* 6. 8. 6. Post cursum adjicies rosati, vel absinthiati tantumdem. *Apic.* 1. 3. Absinthiatum Romanum sic facies. Condito Camerino, recepto utique pro absinthiato, cessante, in ejus vicem etc. *Lamprid. Heliog.* 21. Rosato, et absinthiato vulgus ad bibendum invitavit. — NB. *Salmasius* in optimo quodam Codice legisse se ait *absentato*: additque, circa Heliogabali tempora Latinos et *absentum* pro *absinthium*, et *absentatum* pro *absinthiatum* usurpasse, idque ex recentiorum Græcorum consuetudine, qui ἀψένζατον scribant. *V.* RECENTARIUS, ubi *Alexander Trallian.*, qui vixit sexto a Chr. n. sæculo, ita vocat Græce hujusmodi vinum, quemadmodum et ῥόσατον pro ῥοδίτην, ut scilicet Romanorum ita loquentium consuetudinem sequeretur.

ABSINTHĪTES, æ, m. 1. (ἀψινθίτης sc. οἶνος; absinthium). De hujus vocabuli forma *V.* ABROTONITES. Absinthites autem est vinum absinthio conditum, quod a *Scribon. Compos.* 192. dicitur absinthium potum cum vino (It. *vino condito con assenzio*; Fr. *vin d'absinthe*; Hisp. *vino de ajenjo*; Germ. *mit Wermuth versetzter Wein*; Angl. *wormwood-wine*). *Colum.* 12. *R. R.* 35. Vinum absinthiten – sic condire oportet. Adde *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (109), ubi, æque ac *Colum. l. c.*, ejus conficiendi rationem docet; qua de re Cf. etiam *Pallad.* 11. 14. 17. et *Apic.* 1. 3.

ABSINTHIUM *vel* Apsinthium, ii, n. 2., necnon *Absinthius* vel *Apsinthius*, ii, m. 2. (ἀψίνθιον et ἄψινθος, quod videtur ab α privat. et ψίνθος *delectatio* teste Hesych., quippe quod ob amaritudinem minime delectet). De scribendi ratione *V.* ABSIS. Absinthium autem (It. *assenzio*; Fr. *absinthe*; Hisp. *ajenjo*; Germ. *Wermuth*; Angl. *the herb wormwood*) est herba notissima, foliis incanis (unde *cana* absinthia dicuntur ab *Ovid.* v. infra), multipliciter fissis, insigni amaritie prædita (unde *tætra* a *Lucret.* et *Quintil.*, *tristia* ab *Ovid.* vocantur, ut infra), odore gravi (v. infra *Varr.* apud *Non.*). Ejus plura genera recenset *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. et *seqq.* (45. et *seqq.*). Cf. et *Apul. de herb.* 101. Santonicum appellatum a Galliæ civitate; Ponticum a Ponto, omnium præstantissimum. Multi fuit usus in Medicina: quod pluribus persequitur *Id. ibid.* et *Æmil. Macer.* 2. Dari autem præcipue solebat pueris, qui vermibus infestarentur; et ne propter amaritiem respuerent, folia ejus dabantur fico latentia, aut succus poculo melle illito; quam rem præter *Plin. l. c.* docet etiam *Lucret.* locis infra citatis. Est etiam absinthium marinum, quod et Seriphium dicitur, angustius priore, minusque amarum (Cf. *Apul. l. c.*): cujus ramum Isiaci sacerdotes præferunt in sacris. *Plin. l. c.* — *NB.* Absinthium Santonicum *Plin. l. c.*, et Santonica herba quæ dicitur absinthium *Marc. Empir.* 28. et *Scribon.* 141. est Artemisia Santonica *L.*: Absinthium ponticum *Plin. l. c.* est Artemisia pontica *L.*: Absinthium *Varron.* apud *Non.* (v. infra) est Artemisia italica *Plin. l. c.* et Artemisia Absinthium *L.*: Absinthium marinum sive seriphium *Plin. l. c.* est Artemisia maritima *L.* V. et ABROTONUM.

I.) Proprie. *a*) De absinthio generatim. *Plin.* et *Apul. de herb. l. c. Cato R. R.* 160. (159). Absinthii Pontici surculum sub anulo habeto. *Plaut. Trin.* 4. 2. 89. CH. Eho! an etiam Arabia'st in Ponto? SY. Est; non illæc, ubi thus gignitur, sed ubi absinthium fit. *Ovid.* 3. *Pont.* 8. 15. Tristia deformes pariunt absinthia campi, Terraque (*Pontica*) de fructu quam sit amara docet. *Id.* 5. *Trist.* 13. 21. Cana prius gelido desint absinthia Ponto. — *b*) De absinthio ad frumenti grana servanda *Varr.* 1. *R. R.* 57. — *c*) Absinthii succum apud Romanos usuvenisse testatur hisce verbis *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (45). De usu ejus (*absinthii*) convenit, herbæ facillimæ atque inter paucas utilissimæ, præterea sacris populi Romani celebratæ peculiariter: siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio victorque absinthium bibit, credo, sanitatem in præmio dari honorifice arbitratis majoribus. *Æmil. Macer. l. c.* eamdem rem ex *Plin.* exceptam versibus persequitur. — *d*) De absinthio ad vinum condiendum apud Romanos usitatum *V.* ABSINTHITES et ABSINTHIATUS. — *e*) De ejusdem usibus in Medicina, præter *Plin.*, *Apul.* et *Macr. ll. cc.*, V. *Cels.* 3. 21. *et alibi*. *Varro* apud *Non.* p. 190. 22. et 314. 12. *Merc. gen. masc.* Quid medico mihi est opus, absinthium ut bibam gravem? *Lucret.* 2. 400. At contra tætra absinthi natura, ferique Centauri fœdo pertorquent ora sapore. *Id.* 1. 934. Sed veluti pueris absinthia tætra medentes Cum dare conantur, prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore, Ut puerorum ætas improvida ludificetur Labrorum tenus; interea perpotet amarum Absinthi laticem, deceptaque non capiatur etc. Adde 4. 11. *iisdem verbis*. Cf. *Quintil.* 3. 1. 4.

II.) Translate exinde ponitur pro re molesta quidem, sed tamen salutari. *Quintil.* 3. 1. 5. Sed nos veremur, ne parum hic liber mellis, et absinthii multum habere videatur, sitque salubrior studiis, quam dulcior.

ABSIS, *vel* Apsis, ĭdis, f. 3. (Græca vox ἀψίς et ἁψίς, ῖδος, ἡ, ab ἅπτω *necto*, *connecto*; Cf. ἅπτομαι *tango* et ἁφάς, ῆος *tactus*: quarum omnium vocum radix est απ, quod conferendum est cum sanscr. *ap arripere*). Latine scribitur sine *h*, quia nec Græce semper adspiratio adhibetur: rectius etiam scribitur cum *b*, nam Græcum ψ in *bs* verti consuevit, ut ἀψίνθιον *absinthium*; quamquam nonnulli optimi Codices exhibent *apsis*, *apsinthium* etc. — In penultimis, cum a Græcis circumflectatur (V. *Homer. Iliad.* ε. 488.), Latine producitur. — Græce primo significat connexionem; deinde curvaturam rotæ, *h. e.* ligneum illum circulum, quo infiguntur radii: sed harum notionum apud Græcos tantum adhuc exempla vidimus. Apud Latinos autem

¶ 1. Absis interdum accipitur pro curvatura fornicis, seu arcu, aut camera; quia hujusmodi substructio unam cum altera partem connectit et ligat (It. *volta*; Fr. *voûte*; Hisp. *bóveda*; Germ. *die Rundung*, *Wölbung*; Angl. *the curvature or bend of an arch*, *an arched ceiling*, *a vault*). *Plin.* 2. *Ep.* 17. Adnectitur angulo cubiculum in absida curvatum, quod ambitum solis fenestris omnibus sequitur. *Absida* accusativus est Græcæ positionis pro *absidem*. Nonnulli male legunt *in aspida curvatum*, *h. e.* in formam aspidis circum actum. *Veget.* 4. *Milit.* 15. Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis (*alii leg.* cassidis) contexuntur e vimine etc. ¶ 2. Præterea absis interdum ponitur a Scriptoribus Eccles. pro interiori sacrarum ædium parte, quæ plerumque arcuato opere superius construi solet (It. *il coro*; Fr. *chœur*, *abside*; Hisp. *coro*, *sanctuario*; Germ. *das Rundtheil oder der Chor*; Angl. *the sanctuary vaulted*, *the quire*); hac autem significatione dicebatur etiam *absida*, æ. In hujusmodi cellis SS. Martyrum reliquiæ condebantur: earum figuram conatur verbis describere *Salmasius* in *Solin.* 55. Absidum sacrarum mentio fit apud *Augustin. Ep.* 203., *Paulin. Nolan. Ep.* 12. *ad Sever.* 17. et *Isid.* 15. *Orig.* 8. 7. *V.* ABSIDA. ¶ 3. *Absis stellarum* dicebatur ab Astrologis curvatura circuli, quem stella motu suo proprio describit; quæ Arabico vocabulo in Scholis usitato *aux* dicitur. Est autem duplex: nam quæ altior est et a terra remotior, dicitur *summa absis*; quæ inferius posita et terræ propior, *ima absis*. Hoc sensu sæpe apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 13. (63). et *seqq.* occurrunt *absides summæ*, *altissimæ*, *humillimæ*; necnon *conversæ*, *interiores*, *exsurgentes*; ac præterea *absidum curvatura*. Denique *id. Plin.* 2. *ibid.* 18. 16. (79). *commissuras absidum* vocat, quas Astrologi *nodos*, ubi scilicet unius sideris orbita alterius orbitam intersecat. ¶ 4. *Absides* sunt etiam lances escariæ rotundæ et concavæ instar arcuati operis. *Ulp. Dig.* 34. 2. 19. § 6. Sed nec aurea emblemata, quæ in absidibus argenteis essent.

ABSISTO, sistis, stiti, sistere, n. 3. (ab *et* sisto; Cf. ἀφίσταμαι). *Abstit* pro *abstitit* putat *Priscian.* 9. p. 862. *Putsch.* usurpatum fuisse ab *Ovid.* 11. *Met.* 173. et quæ pars admonet, abstit. Ubi tamen alii passim leg. *obstit.* — Part. *Absistens* 1. et 2. Proprie est recedere, discedere (It. *star lontano*, *ritirarsi*; Fr. *s'éloigner*, *se retirer*; Hisp. *retirarse*; Germ. *ab-zurücktreten*; Angl. *to stand off or aloof from*, *depart or retire from*).

I.) Proprie; et occurrit modo absolute, modo cum Ablat. et præp. *a*, modo cum Ablat. sine præp. *Plaut. Truc.* 2. 6. 32. Ubi illa est, quæ me hic reliquit atque abstitit? Adde *Mil. glor.* 2. 2. 46. *Grat. Cyneg.* 352. licet alti vulneris oræ Abstiterint, *h. e.* a se invicem abstiterint. *Sil. It.* 2. 568. Mens horret, nec adhuc oculis absistit imago. *Tac.* 2. *Ann.* 31. Cæde visa miles absistit. — *Cæs.* 5. *B. G.* 17. Ab signis legionibusque absistere. *Liv.* 27. 43. 11. (*Milites*) nihil morari, nec ab signis absistere cibum capientes. *Virg.* 12. *Æn.* 101. totoque ardentis ab ore Scintillæ absistunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (38). de *stellis*: Ab sole numquam absistens partibus XLVI longius. — *Virg.* 6. *Æn.* 259. totoque absistite luco. *Id.* 7. *ibid.* 610. nec custos absistit limine Janus. *Liv.* 27. 42. Nunquam Nero vestigiis hostis absisterat. *et alibi sæpe.*

II.) Translate est desistere ab incepto, vel a re, quam molimur incipere: hac autem significatione occurrit absolute, sæpius cum Ablat. rei quæ relinquitur, etiam impersonaliter, interdum cum Gerundio, sæpe cum Infinito, cum Ablat. vero et præp. *a* tantummodo in *Cod. Theod.* (v. infra). *Virg.* 1. *Æn.* 192. Nec prius absistit, quam septem ingentia victor Corpora fundat humi. Adde 9. *ibid.* 355. *Liv.* 44. 39. Neque prius, quam debellavero, absistam. *Curt.* 8. 11. 2. Hanc (*petram Aornon*) ab Hercule frustra obsessam esse, terræque motu coactum absistere, fama vulgaverat. — *Horat.* 1. *Sat.* 3. 104. absistere bello. Adde *Liv.* 21. 6. 8., *Curt.* 10. 7. 18., *Tac.* 4. *Hist.* 32. et alibi. *Liv.* 32. 4. incepto. *Id.* 9. 15. et *Curt.* 8. 11. 2. obsidione. *Liv.* 24. 34. et 36. 25. oppugnatione. *Id.* 9. 34. magistratu. *Id.* 24. 20. Spe tale (actandæ fidei haud absistens. *Sil. It.* 2. 371. absistere ponto. *Id.* 13. 512. cura. — *Liv.* 37. 17. 7. Ut oppugnatione absisteretur. *Id.* 21. 6. Si non absisteretur bello. — *Id.* 29. 33. Verminam prope vestigiis instantem, absistere sequendo coegit. — *Virg.* 6. *Æn.* 399. Absiste moveri. *Id.* 8. *ibid.* 403. absiste precando Viribus indubitare tuis. *Id.* 12. *ibid.* 676. absiste morari. *Ovid.* 12. *Met.* 534. Nec prius abstitimus ferrum exercere cruore, Quam etc. *Id.* 11. *ibid.* 531. Absistit oppugnare carinam. *Phædr.* 3. 2. 18. vos timere absistite. *Sil. It.* 6. 448. Patrios damnare penates Absiste. *Liv.* 36. 35. Ne ingratis quidem benefacere absistam (V. *Drakenbork.* ad *Liv.* 32. 37. 7.). *Colum.* 12. *R. R.* 19. 4. Nec absistat id facere, donec etc. — *Cod. Theod.* 3. 5. 6. § 1. a fide absistens.

ABSĪTUS, a, um, adject. (ab *et* situs) longe situs, dissitus. *Paulin. Nolan. in Nat.* XIII. *S. Fel. edit. Muratori.* 352. alio procul absitus orbe.

ABSOCER, eri, m. 2. (ab *et* socer, *h. e.* avi socer) uxoris meæ, vel viri mei proavus, *h. e.* pater avi uxo-

ris meæ, vel viri mei. Socer enim est pater viri vel uxoris, prosocer avus, absocer proavus (It. *bisavolo di mia moglie, o di mio marito*; Fr. *bisaieul de la femme ou du mari*; Hisp. *bisabuelo de la muger ó de el marido*; Germ. *Urgrossschwiegervater*; Angl. *a husband's or wife's great greatgrandfather*). *Capitolin. Gordian.* 2. Socero, prosocero, et duobus absoceris consulibus ipse consul.

ABSOLESCO. *V.* **ABOLEFACIO.**

ABSŎLŪTĒ, adverb. (absolutus). Comp. *Absolutius*; Superl. *Absolutissime*. Modo definito, eo scilicet qui omnia complectatur, cui nihil desit (It. *perfettamente, compitamente*; Fr. *parfaitement*; Hisp. *perfectamente*; Germ. *auf vollkommene Art, auf bestimmte, in sich abgeschlossene Weise*; Angl. *absolutely, perfectly, completely*). ¶ 1. *Cic.* 5. *Tusc.* 18. 53. Omnia profluenter, absolute, prospere. *Id.* 3. *Fin.* 7. 26. Necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere. *Id.* 1. *Herenn.* 10. 17. Cum adjumenta nostra exposuerimus, contrariaque dissolverimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus. *Id.* 2. *ibid.* 18. 28. Hisce igitur quinque partibus ut absolutissime utamur, hoc modo tractabimus etc. *Seneca Ep.* 52. Fluctuamus inter varia consilia: nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. *Cic. Top.* 8. 34. In oratoriis artibus, quæstionis genere proposito, quod sint ejus formæ, subjungitur absolute. *Scævola Dig.* 33. 1. 13. *ad fin.* Respondit, non posse absolute responderi, cum multa oriri possint etc. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 15. Ut absolutius liqueat. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 38. His autem (*perturbationibus*) vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.). 17. 58. Et quidem sic quosdam (*mundos*) inter sese non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus intersit. *Sueton. de illustr. Gramm.* 4. Ut illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. ¶ 2. Apud recentiores hoc adverbium usurpatur etiam de sermone, et significat definite, clare, haud ambigue. *Auson. Ep.* 16. *ad Prob.* 7. Possum absolute dicere, sed dulcius circumloquar. *Ammian.* 23. 6. Utque absolute dicatur, (*Media*) uberrimum est habitaculum regum. ¶ 3. Absolute proferre, seu construere verbum aliquod, est illud usurpare sine casu. *Priscian.* 18. p. 1160. *Putsch.* et 8. p. 795.

ABSŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. (absolvo; Cf. ἀπόλυσις) proprie esset solutio a re quæ constringit et ligat, puta a vinculis; sed occurrit tantum translate: et quidem ¶ 1. Est liberatio a re, qua obligamur; et peculiariter in jure significat liberationem, quam creditor consequitur cum debitum solvit; necnon liberationem a crimine, cum reus judicum sententiis criminis expers declaratur. (It. *assoluzione*; Fr. *absolution*; Hisp. *absolucion*; Germ. *die Los- und Freimachung von etwas*; Angl. *an absolving, acquitting*). *Modestin. Dig.* 46. 4. 1. Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 8. Qui agrum colit, gravem tributis creditorem patitur, cui sine spe absolutionis adstrictus est. Adde *Dig.* 38. 1. 37. § 5. *et seqq.* Cf. *Dict. Cret.* 3. *B. T.* 24. Mox que Polyxena, ingresso Achille, obvoluta genibus ejus sponte servitium sui pro absolutione cadaveris pollicetur. *h. e.* redditione. — *Cic. Cluent.* 27. 74. Sententiis decem et sex absolutio confici poterat. *Id.* 3. *Catil.* 4. 9. Absolutio virginum. *Id.* 3. *Fam.* 11. Absolutio majestatis. *et alibi sæpe. Quintil.* 7. 4. 31. Domestica disceptatio, in qua et semel peccasse — absolutioni sufficit. Adde 11. 1. 9. *Sueton. Vesp.* 16. Reis absolutiones venditare. *Tac.* 3. *Ann.* 13. Quod nec convictum noxæ reo, si recentia purgaret; neque defensum absolutioni erat, si teneretur majoribus flagitiis. *Justin.* 9. 4. Absolutionem dare. *et alibi sæpissime, præsertim apud JCtos.* ¶ 2. Est etiam abstracta rerum qualitas, quæ res ipsas completas, sive ad finem perductas esse significat. *Cic.* 1. *Orat.* 28. 130. Hanc absolutionem perfectionemque in oratore desiderans (*De discrimine quod inter absolutionem et perfectionem interest V.* Homonym. in fine verbi ABSOLVO). *Id. Brut.* 36. 137. Quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, ex eo, quod dicam, existimari potest. *Id.* 2. *Invent.* 9. 30. Habitus in perfecta et constanti animi aut corporis absolutione consistit. — Peculiariter, sed tamen eadem significatione, absolutio pertinet etiam ad rem oratoriam, et significat orationem ita completam, ut omnia prorsus complectatur. *Cic.* 1. *Invent.* 22. 32. Partitio — habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem. — Absolutio est, per quam omnia, quæ incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur. In qua partitione videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut sero extra partitionem — inferatur. — Hinc quoniam *absolutæ* appellantur a Grammaticis eæ orationis partes, quæ alia nulla indigent, aut aliquid in se perfectum significant; ita abstracte *absolutio* dicitur eadem significatione. *Charis.* 1. p. 90. *Putsch.* Nec ut solemus dicere magis doctus et valde doctus, ita etiam dicimus magis et valde doctior. — Illud enim in absolutionem solet adjici de iis qui aliis sunt doctiores etc. *Et etiam paullo post* ubi *absolutio* est gradus adjectivorum positivus. Cf. *Absolutus* apud *Quintil.* 9. 3. 19.

ABSŎLŪTĪVĒ, adverb. (absolutivus) idem atque absolute § 3. *h. e.* translate; occurrit autem de simplici seu positiva adjectivorum forma. *Charis.* 1. 20. p. 65. *ed. Lindemann.* Hæ partiones trifariam declinantur, id est absolutive, comparative et superlative. *Putsch.* vero p. 89. habet *absolute.* Sed tamen *absolutive* iterum occurrit apud *Charis.* 3. 8. p. 155., ubi edit. *Lindemannus* testatur, se idem adverbium legisse in suis Codd. etiam apud *Diomed.*

ABSŎLŪTĪVUS, a, um, adject. (absolvo). Apud Rhetores *absolutivus status* idem est ac *absolutus* vel *absoluta constitutio*; absoluta *autem* juridiciali constitutione utemur, *ait Cicero* (2. *Herenn.* 13. 19.), cum ipsam rem, quam nos fecisse confitemur, jure factam dicemus, sine ulla assumptione extrariæ defensionis. *Servius* in *Virg.* 10. *Æn.* 18. Titianus et Calvus — in exemplo controversiarum has duas posuerunt allocutiones (*Veneris et Junonis*), dicentes Venerem agere statu absolutivo. ¶ 2. *Absolutiva* a nonnullis Grammaticis appellata sunt quædam verba neutra, de quibus hæc *Diomed.* 1. p. 327. *Putsch.* Ex hac quoque forma sunt et illa verba, in quibus nec agentis, nec patientis significatio plene dinoscitur, nec effectus ostenditur, ut sedeo, sudo, dormio, jaceo, sto, algeo, sitio, esurio. Nescis enim, agat quis, an patiatur. Quæ quidam supina dixerunt, alii absolutiva appellant, nonnulli depositiva nominant.

ABSŎLŪTOR, ōris, m. 3. (absolvo) qui absolvit (It. *colui che assolve*; Fr. *qui absout*; Hisp. *absolvedor*; Germ. *der Freisprecher*; Angl. *a looser*). Occurrit tantum translate, et est qui crimine liberat. *Cassiod.* 11. *Variar. præf.* Facile absolutor est alieni conscius sui: neque in illis semper valemus, quæ interdum posse judicamur.

ABSŎLŪTŌRĬUS, a, um, adject. (absolvo) proprie ad solvendum pertinens. Sed occurrit tantum translate. ¶ 1. Est ad absolvendum a crimine et ad liberandum pertinens (It. *attenente ad assoluzione*; Fr. *absolutoire*; Hisp. *absolutorio*; Germ. *zur Freisprechung gehörig*; Angl. *absolutory, appertaining to acquittal*). *Ascon.* in *Cic. or. pro Mil.* p. 55., 7. et 12. *ed. Bait.* Absolutoriæ sententiæ. *Senec. Rhet. excerpt.* 6. *contror.* 5. Judices tulerunt palam absolutorias (*sententias*), ut gratiam duci suo referrent. *Sueton. Aug.* 33. Duas tabellas, damnatoriam, et absolutoriam cognoscentibus dedit. *Cajus Institut.* 4. 114. Absolutoria judicia. ¶ 2. *Absolutorium*, ii, neutrorum more, remedium dicitur quod a morbo liberat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 17. (63). Clavum ferreum defigere, in quo loco primum caput defixerit corruens morbo comitiali, absolutorium ejus mali dicitur.

ABSOLVO, solvis, solvi, sŏlūtum, solvere, a. 3. (ab et solvo; Cf. ἀπολύω). Part. *Absolvens* II. *A.* 3.; *Absolutus* I., II. *B.* 1. et in fin.; *Absolvendus* II. *A.* 3. Proprie est rem aliquam solvere ab alia, qua constringitur, puta a vinculis (It. *slegare, sciorre*; Fr. *délier, détacher*; Hisp. *desligar, desatar*; Germ. *ablösen, losmachen*; Angl. *to loose, unloose, untie*).

I.) Proprie. Absolvere propria significatione nunquam occurrit apud Augusteæ ætatis Scriptores, raro etiam apud posteriores. *Apul.* 1. *Met.* 15. Heus tu, ubi es? inquam: valvas stabuli absolve. *h. e.* pessulorum sublatis retinaculis resera. *Id.* 6. *ibid.* 27. Et alacri statim nisu lorum, quo fueram destinatus, abrumpo, meque quadrupedi cursu proripio. — Ubi (*anus*) me (*asinum*) conspexit absolutum, etc. Adde 9. *ibid.* 30. *Ammian.* 29. 3. Adultus quidam — ad observandam venaticiam prædam Spartanum canem retinere dispositus, ante prædictum tempus absolvit. *Pallad.* 12. *R. R.* 17. 2. Sales deinde ac nitrum jubent novo oleo misceri, ut hæc res spissitudinem ejus absolvat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (172). Ranis prima (*lingua*) cohæret, intima absoluta a gutture. *Id.* 36. *ibid.* 22. 45. (161). *de lapide speculari*: Sed majori parte fossili natura, absolutus segmenti modo. *h. e.* divisus, separatus. *Martial.* 1. 82. Hæc, quæ pulvere dissipata multo Longas porticus explicat ruinas, En quanto jacet absoluta casu! *Prudent.* in *Romano* 1110. Absolutus vinculis.

II.) Translate dicitur absolvere *A*) aliquem, et *B*) rem aliquam: et varia quidem ratione ac significatione.

A) Aliquem absolvere ¶ 1. Est dimittere, expedire; peculiariter autem usurpatur de iis qui dimittuntur narrationem paucis concludendo, et de mercenariis qui dimittuntur pecunia soluta. *Plaut. Aul.* 3. 5. 45. Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur æs. Jam hosce absolutos censeas. *Id. Most.* 3. 2. 153. Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio hic avem. *Id. Pseud.* 4. 7. 133. Hodie ego peregrinos absolvam, cras agam cum civibus. Adde *Amph.* 5. 1. 45. et *Curc.* 3. 84. — *Id. Epid.* 3. 4. 30. Te absolvam brevi. *h. e.* breviter rem tibi narrando. *Pacuv.* apud *Diomed.* 1. p. 395. *Putsch.* Paucis absolvit, ne moraret diutius. — *Plaut. Most.* 3. 1. 120. Absolve hunc quæso vomitum, ne hic nos enecet. Quatuor quadraginta illi debentur minæ, et sors, et fœnus. *Id. Epid.* 5. 1. 25. Age, age! absolve me atque argentum numera, ne comites morer. *Ter. Adelph.* 2. 4. 13. Ad forum ibo, ut hunc absolvam. *Ulp. Dig.* 22. 1. 37. Si mutuatus sim pecuniam, ut creditorem tuum absolvam. *et alibi apud JCtos.* ¶ 2. Est liberare ab aliquo, vel ab aliqua re, quibus premimur atque angimur: occurrit autem cum Ablativo sine præp., interdum cum Genitivo. *Plaut. Men.* 5. 2. 30. Hoc primum te absolvo, pater. *h. e.* libero te ab hac re, quæ te angit. *Cic. Rosc. Com.* 12. 36. Cur tam imperite facit, ut nec Roscium stipulatione alliget, neque a Fannio judicio se absolvat? *h. e.* ex parte Fannii se liberet a litibus. *Liv.* 2. 8. Latæ deinde leges, quæ regni suspicione consulem absolverent. *Sallust.* in *orat. Licinii Macri* p. 173. 4. *ed. Orell.* Sic nec absolvit cura familiari tam parva res. *Tac.* 4. *Ann.* 23. Is annus populum Romanum longo bello absolvit. *Id. Germ.* 31. absolvere se cæde. *Dig.* 4. 2. 14. § 5. officio judicis. *Et ibid.* 4. 8. 3. *cum Genit.* tutelæ. ¶ 3. In re judiciali est innocentem declarare, crimine liberare: occurrit autem vel absolute; vel cum nomine Ablat. *judicio*; vel generatim cum Genit. rei, a qua quis liberatur; interdum etiam cum Ablat. et præp. *de*. *Cic.* 6. *Verr.* 45. Servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur. *Id. Pis.* 39. 95. Bis Catilina absolutus. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Qui capitali supplicio afficiendos putabant, discederent a relegante, nec interim contra absolventes mox dissensuri congregarentur. *Et paullo post*: Horum uni placuisse, perire libertos; alteri, relegari; tertio absolvi. *Id. ibid. in fin.* Ne, si dividerentur sententiæ — eo, quæ absolvendos esse censebat, numero prævaleret. — *Nep. Iphicr.* 3. 3. Causam capitis semel dixit, bello sociali, — eoque judicio est absolutus. Adde *Dig.* 20. 6. 13. — *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 19. Cœlius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucilium poetam læserat. *Id.* 3. *Verr.* 28. 72. Absolvere aliquem improbitatis. *Cajus Inst.* 4. 166. sponsionis, stipulationis. *Nep. Milt.* 7. 6. capitis. *Ovid.* 15. *Met.* 303. culpæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (89). cædis. *Tac.* 3. *Ann.* 38. adulterii. — *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. 3. Drusus erat de prævaricatione a tribunis ærariis absolutus. — Singulare est illud *Cic.* 4. *Verr.* 8. 22. Hic hominem Veneri absolvit, sibi condemnat. *h. e.* ab eo quod debebat Veneri. Apud *Tac.* 2. *Hist.* 60. fidem absolvere est absolvere aliquem de fide.

B) Rem aliquam absolvere ¶ 1. Est rem liberare ab iis generatim, quibus tamquam vinculis, impeditur. *Pallad.* 4. *R. R.* 12. 2. Tunc eligis absolutam tempestatibus et impedimentis omnibus diem. *Id.* 1. *ibid.* 3. Aeris igitur salubritatem declarant loca ab infimis vallibus libera et nebularum noctibus absoluta. *Pseudo-Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Anima cum corpore fuerit absoluta. *Prudent.* 12. *Cath.* 146. Quo non liceret matribus Cum pondus alvi absolverent. ¶ 2. Est rem liberare a juridico, quo tenetur, vinculo; aut etiam moralem vel juridicam obligationem exstinguere. *Modestin. Dig.* 34. 3. 20. Absolvere domum et possessionem ex pignoribus. *h. e.* solutis pignoribus li-

beram reddere. *Paul. Sent.* 2. 5. pignus. *Varr.* 2. *R. R.* 11. 1. promissum. *Cod. Theod.* 3. 15. 1. promissiones. ¶ 3. Est etiam rem vel opus ad exitum perducere, complere: hac autem significatione verbum *absolvere* conjungitur sæpe cum verbo *perficere*, a quo tamen differt (*V.* Homonym. in fine); et Part. perf. pass. *absolutus* sæpissime occurrit (*V.* infra). *Cic.* 2. *Nat. D.* 13. 35. Ut pictura et fabrica ceteræque artes habent quemdam absoluti operis effectum: sic in omni natura ac multo etiam magis necesse est absolvi aliquid et perfici. *Id.* 2. *ibid.* 14. 38. Quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. Adde 3. *Off.* 3. 14., 4. *Fin.* 13. 35. *Varr.* 2. *R. R.* 8. 1. Absoluta sunt liba. *V.* Homonym. in fine. *Cic.* 3. *Off.* 2. 10. Ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret. *Id.* 1. *Leg.* 3. 9. Neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 14. tectum. Adde 13. *Att.* 19. *Et apud alios cujusque ætatis scriptores sæpissime.* — Hinc *Liv.* 2. 2. absolvere beneficium suum. *h. e.* ut ei ad perfectionem nihil desit. — Hinc *absolvere diem* apud *Avien. Perieg.* 544. est vitam finire. Et *absolvere litem* apud *Terentian. de Metr.* p. 2422. *Putsch.* est litem dirimere, seu liti finem imponere. — Hinc etiam sæpius dicitur narrationem vel rem narrandam *absolvere*, *h. e.* concludere et complere, modo cum Accusat. rei, modo cum Ablat. et præp. *de*, interdum absolute. *Sallust. Jug.* 19. (17. 2.). Cetera quam paucissimis absolvam. *Id. Cat.* 4. 2. De Catilinæ conjuratione paucis absolvam. *Plaut. Rud.* 3. 2. 39. Uno verbo absolvam. — Hinc absolvere est narrare apud *Solin.* 2. Bacchus absolvit, Gallorum veterum propaginem Umbros esse.

Absolutus, *a*, *um*, unde Comp. *Absolutior*, Sup. *Absolutissimus*, omnibus, quibus verbum, significationibus, occurrit: sæpissime tamen pro completus, ad finem perductus usurpatur a Cicerone in Philosophicis et Rhetoricis, necnon a posterioris ævi scriptoribus, præsertim in didactico dicendi genere. *Cic.* 4. *Fin.* 7. 18. His initiis, ut ante dixi – omnis honestas perfecte absoluta est. *Id.* 2. *Herenn.* 18. 28. Absolutissima et perfectissima argumentatio est ea, quæ in quinque partes est distributa. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 4. 3. (9). Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellavere, eum et nos perfecta absolutaque elegantia mundum. *Plin.* 9. *Ep.* 38. Legi librum numeris omnibus absolutum. Adde *Quintil.* 10. 1. 70. *Cic.* 2. *Invent.* 57. 171. Hoc mihi videor videre, esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (74). Pinxit et Heroa absolutissimi operis. *Id.* 9. *ibid.* 5. 4. (10). Absoluta similitudo. *Id.* 2. *ibid.* 65. 65. (163). Absoluta rotunditas. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Interim, quæ absolutiora mihi videbantur, non fuit alienum judicio tuo tradi. (NB. *Compar.* præterea occurrit in *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55), *Quintil.* 1. 1. 37., *Plin.* 3. *Ep.* 40. — *Superl.* vero in *Cic.* 4. *ad Herenn.* 19. 26., *Tac. Dial. de orat.* 5., *Plin.* 6. *Ep.* 17. et 8. *Ep.* 3., *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 11. *extr.*). Hinc absoluta constitutio apud *Cic.* 1. *Herenn.* 14. 24. est, cum ad ipsum, quod factum est, ut aliud nihil foris assumatur, recte factum esse dicemus. Adde 2. *ibid.* 13. *V.* ABSOLUTIVUS. *Quintil.* 7. 4. 4. *absolutam defensionem* hanc vocat. *Cic.* 3. *Orat.* 49. 190. Efficiendum est illud modo nobis, – ut (*oratio*) membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. *Id. Part.* 26. 94. Conficiens causa alia est absoluta et perfecta per se: alia aliquid adjuvans et efficiendi socia quædam. *h. e.* causa conficiens absoluta est quæ per se effectum gignit. — Hinc a Grammaticis *absolutæ* appellantur eæ orationis partes, quæ aut in se ita completæ sunt, ut alia nulla egeant parte, quacum jungantur, aut aliquid in se perfectum et absolutum significant. Itaque absolutum *verbum* dicitur a *Priscian.* 8. p. 795. *Putsch.*, quod per se profertur et sine casu; absoluta *adjectiva* a *Quintil.* 9. 3. 19., quæ a Grammaticis etiam positiva dicuntur; absoluta *nomina* a *Priscian.* 2. p. 581. *Putsch.* et 17. *p.* 1062., quæ per se aliquid absoluti et perfecti significant, nec egent alterius nominis conjunctione, ut *Deus, ratio*; absoluta *verba* a *Diomed.* 1. *p.* 333. *Putsch.*, quæ perfectæ actionis significationem habent, ut *caleo*, *horreo*, quemadmodum *inchoativa*, quæ imperfectum aliquid significant, ut *calesco*, *horresco*.

Homonym. *Absolvere* et *perficere*, ac proinde *absolutio* et *perfectio* differunt. Verbum enim *absolvere* ad agentem, *perficere* ad opus refertur; illud, ut ajunt in scholis, est subjectivum, hoc vero objectivum. Itaque opus *absolvere* dicitur *ille*, qui omnes prorsus ejusdem partes ita elaboravit et composuit, ut ab eodem opere omnino cesset, neque amplius manus illi admovendas esse censeat: *perfectum* vero dicitur *opus*, quod omnes in se numeros habet, ita ut sit pulcherrimum, optimum etc. Hinc opus potest esse *absolutum*, nec tamen *perfectum*; et e contra esse potest opus *minime absolutum*, cujus tamen partes *perfectæ* sint. Huc adde, quod dicimus *rem paucis absolvam*, nunquam vero *perficiam*. Quoniam autem *absolutio*, ratione habita *temporis*, *perfectionem* subsequitur, ita aliquando in verborum dispositione secundum obtinet locum; verum si *perfectio* a nobis *pluris habeatur quam absolutio*, vocabulum *absolutio* priorem tenet locum. Denique verbo *absolvere* respondet verbum *inchoare*; verbo *perficere* verbum *conari*. *Cic. Brut.* 36. 137. In omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio. *Id.* 1. *Orat.* 28. 130. Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans. *Id.* 4. *Fin.* 13. 35. Qualem igitur natura hominem inchoavit? et quod est munus, quod opus sapientiæ? quid est, quod ab ea absolvi et perfici debeat? *Plin.* 9. *Ep.* 1. Hoc perfice, quod nobis, qui legimus olim, absolutum videtur. *Id.* 2. *Ep.* 5. Nec alia ex causa principia librorum circumferuntur, quam quia existimatur pars aliqua etiam sine ceteris esse perfecta. *Cic.* 4. *Fin.* 13. 34. Phidias potest a primo instituere signum idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere idque absolvere. *Id. Orat.* 29. 103. Aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. *Id. ibid.* 30. 105. Vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle. — *Absolvere* differt etiam a *conficere*: *conficere* enim est rem ad finem quoquo modo perducere; *absolvere* est ita rei finem imponere, nihil ut desit. *Cic.* 2. *Fin.* 27. 87. Neque appellatur vita beata, nisi confecta et absoluta. *Id.* 13. *Att.* 19. Dialogos confeci et absolvi. — *Conficere* quoque et *perficere* differunt. *Conficitur* enim id, in quo *corporis viribus* elaborandum; *perficitur* vero id, in quo *ingenii, artis atque industriæ viribus* annitendum. Hinc *itinera, mandata* aliaque hujusmodi *conficiuntur, non perficiuntur, nec absolvuntur*: hinc etiam gladiatorium illud confice (Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 29.) *h. e.* me pluribus confossum vulneribus atque animam jam agentem, enecа tandem et de medio tolle. — In quo *absolvere* et *perficere* differant a *finire V.* FINIO.

ABSONĒ, adverb. (absonus) absona voce, sono insuavi et pravo (It. *con voce stonante, con suono falso*; Fr. *avec un son discordant, désagréable*; Hisp. *con son discordant*; Germ. *mit falschem Tone*; Angl. *with discordant sound, gratingly, inharmoniously*). *Apul. de mag.* 5. Versus absone et indocte pronuntiare. *Gell.* 15. 25. Cn. Matius – in mimiambis suis non absurde, neque absone finxit *recentatur* pro eo quod Græci dicunt [illegible]. ¶ 2. Translate est ratione disconvenienti, aliena, non apta. *Arnob.* 2. 14. Non est absone suspicatus.

ABSŎNO, as, are, n. 1. (ab *et* sono) proprie est dissonare, sono dissidere, discordi modo sonare (It. *dissonare*; Fr. *être dissonant, sonner mal*; Hisp. *disonar*; Germ. *nicht übereinstimmend tönen*; Angl. *to be dissonant, discordant*). *Terentian. Maur. de Metris* 4. v. 2024. *p.* 92. *ed. Lennep.* Cernis, pariter quatuor absonare longas. *Santenius* hanc lectionem tuetur præsertim posteriore *Terentiani* versu 2032.: Namque efficit, ut, quæ modo sola dissidebant etc. *Putsch.* vero p. 2428. *legit* adsonare. ¶ 2. Translate part. *Absonans* certa lectione occurrit, et est abhorrens, disconveniens, alienus. *Justinian. Institut.* 2. 23. Nec absonans a juris ratione codicillorum usus esset.

ABSŎNUS, a, um, adject. (ab *et* sonus) proprie a recto sono alienus, discrepans (Cf. gr. ἀπῳδός.) (It. *stonante, dissonante, discordante*; Fr. *qui s'éloigne du ton véritable, discordant*; Hisp. *disono, disonante*; Germ. *abtönend, von dem richtigen Tone abweichend, misstönend*; Angl. *dissonant, discordant, harsh in sound*). *Cic.* 1. *de Orat.* 25. 115. Sunt quidam aut ita lingua hæsitantes, aut ita voce absoni. *Non.* p. 72. 4. *Merc.* hoc l. absonum male interpretatur *sine sono*. *Cic.* 3. *ibid.* 11. 41. Vox extra modum absona atque absurda. Adde *Quintil.* 12. 10. 32. ¶ 2. Translate est disconveniens, alienus: occurrit autem cum Dativo, cum Ablativo et præp. *ab*, interdum etiam absolute. *Horat. Art. P.* 112. Si dicentis erunt fortunis absona dicta. *Liv.* 1. 15. Hæc ferme, Romulo regnante, domi militiæque gesta; quorum nihil absonum fidei divinæ originis fuit. — *Id.* 7. 2. Nec absoni a voce motus erant. — *Lucret.* 4. 518. (520). Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta. *h. e.* non respondentia ceteris ædium partibus. *Quintil.* 6. 3. 107. Nihil absonum, nihil agreste.

ABSORBEO, bes, bui *et* psi, ptum, bere, a. 2. (ab *et* sorbeo). Perfectum *Absorpsi* apud *Lucan.* 4. 100. (v. infra), quod *Caper* p. 2240. *Putsch.* improbat; *Velius* quoque *Longus* p. 2233. 2234. *Putsch.* dicendum putat *absorbui* potius quam *absorpsi*. — Part. *Absorbens* II. 2.; *Absorbendus* I. 1.; *Absorptus* vero tantum in *Vulgat. Interpr.* occurrit *Num.* 11. 2., *Isai.* 28. 7. et 1. *Cor.* 15. 54., et apud Scriptores Eccles., ut apud *Cassiod.* 8. *Hist. Eccl.* 2. — Proprie absorbere de rebus liquidis dicitur, et est easdem a patina vel vase aliquo sorbendo absumere (It. *assorbire, sorbire, inghiottire*; Fr. *absorber, avaler, engloutir*; Hisp. *absorver, tragar*; Germ. *ab-oder wegschlürfen, schlürfend hinwegnehmen, verzehren*; Angl. *to absorb, to sup or suck in, to swallow*).

I.) Significatione propria, aut propriæ proxime accedente. ¶ 1. Proprie raro occurrit. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 239. Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ, Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto Diluit insignem baccam. *h. e.* unionem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (121). *de Cleopatra*: Detractum alterum (*unionem*) mersit ac liquefactum absorbuit. *Id.* 9. *ibid.* 35. 59. (122). Singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit. Adde *Macrob.* 2. *Sat.* 13. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 24. Absorbere placentas. *ubi tamen plures Codd. habent* obsorbere. ¶ 2. Dicitur etiam de rebus solidis, quæ humores imbibunt. *Curt.* 7. 5. 5. Omnem naturalem absorbet humorem siccitas. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 70. (142). Lens optima, – quæ maxime aquam absorbet. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Sed ubi aquæ plurimæ, palus nulla, quia devexa terra, quidquid liquoris accepit, nec absorbuit, effundit in Tiberim. *Lucan.* 3. 261. Tigrim – tellus absorbet hiatu. *Sil. It.* 6. 685. Flamma vorax imo penitus de gurgite tractos Absorbet latices. ¶ 3. Sæpissime dicitur de aquarum mole, et præsertim de mari procelloso, quod in se aliquid recipit voratque. *Lucan.* 4. 100. Absorpsit penitus rupes. *h. e.* undis contexit, demersit. *Curt.* 4. 2. 19. Quidquid ingerebatur, præaltum absorbebat mare. *Nævius Bell. Pun.* 4. 5. *p.* 69. *Klussm.* Inhospitalis victrices absorbet unda Latium legiones hemonum. *Juvenal.* 6. 126. obsceno sensu dixit absorbere ictus. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 67. Oceanus vix videtur tot res – tam cito absorbere potuisse.

II.) Translate. ¶ 1. Est aliquid in se ad victum recipere (Cf. I. 2.). *Cic.* 2. *de re publ.* 5. 10. *de Roma*. Eodemque ut flumine (*Tiberi*) res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari (*Urbs*) absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terris. — Eadem similitudine, ad orationem tamen translata, *Cic. Sest.* 6. 13. Ad tribunatum, quia ipse ad sese jamdudum vocat et quodammodo absorbet orationem meam, – veniamus. ¶ 2. Metaphora sumpta a maris æstu (Cf. I. 3.) dicitur de iis omnibus, quæ animum totum in se vertunt ac per vim abripiunt. *Catull.* 68. 107. (69. 67). Tanto te absorbens vortice (*Editt. recentiores* vertice) amoris Æstus, in abruptum detulerat barathrum. *Cic. Brut.* 81. 282. Sed hunc quoque absorbuit æstus quidam insolitæ adolescentibus gloriæ. *Id.* 2. *Leg.* 4. 9. Ne æstus nos consuetudinis absorbeat, et ad sermonis morem usitati trahat. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 67. Quæ (*mulier*) acerrime atque æstuose absorbet, ubi quemque attigit.

ABSORPTĬO, ōnis, f. 3. (absorbeo) sorbitio (It. *bevanda da sorbirsi, sorbetto*; Fr. *breuvage, potion*; Hisp. *bebida, pocion*; Germ. *ein Trank zum Schlürfen*; Angl. *a beverage, drink*). *Sueton. Ner.* 27. Quorum uni mellita quadragies ns constitit, alteri pluris aliquanto absorptio rosaria. *Ita legitur in quibusdam Codicibus, in aliis omnino aliter*: est enim locus non unis interpretum conjecturis valde vexatus. Cf. *Lamprid. Heliog.* 19.

ABSPELLO. *V.* ASPELLO.

ABSPORTO, etc. *V.* **ASPORTO**, etc.

ABSQUE, adverbium et præpositio ablativa: ex *abs* et *que* adjectione syllabica, ut *Priscian.* 14. *p.* 990. et 996. *Putsch.* docet; aut est pro *ab'sque* per syncopen pro *abusque.* — De postremæ syllabæ quantitate veteres quoque Grammatici varias proferunt sententias: *Probus* enim 1. *p.* 1429. et 1425. *Putsch.* brevem esse affirmat; *Servius* vero in *Virg.* 3. *Æn.* 91. ancipitem esse contendit, quocum sentiunt recentiores Grammatici ferme omnes. — Proprie absque significat procul, longe ab homine aut a re aliqua, quemadmodum aperte patet ex *Apul. de mag.* 55. *p.* 318. *Hild. min.* Scitis quæ domi conditum celetis et absque omnibus profanatis tacite veneremini. Cf. *Hand. Tursell.* 1. *p.* 60. (It. *lungi da*; Fr. *loin de*; Hisp. *lejos de*; Germ. *immerhin weg, oder fern von*; Angl. *far, far off*). Hinc

I.) Præsertim a Comicis usurpata illa dicendi ratio *absque me*, *absque te*, *absque illo esset*, hoc est *sine me, sine opera mea*, seu potius *nisi ego essem, nisi ego hæc fecissem* etc.: interdum autem præpositioni *absque* præmittitur *quod*; interdum *me*, *te* etc. verbo postponuntur. *Plaut. Men.* 5. 7. 33. Nam absque te esset, hodie nunquam ad occasum viverem. *Id. Bacch.* 3. 3. 8. Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum. Adde *Trin.* 5. 2. 9. *Id. Pers.* 2. 2. 55. Nam hercle absque me foret et meo præsidio, hic faceret te prostibilem propediem. *Ter. Phorm.* 1. 4. 11. Nam absque eo esset, recte mihi vidissem. *Id. Hec.* 4. 2. 25. Quam fortunatus sum ceteris rebus, absque una hac foret. *ubi tamen MSS. exhibent* absque una hæc foret; *et ipse Donatus h. l.* absque *adverbium esse affirmat; ita enim et a Græcis* χωρὶς *adhibetur tamquam præpositio cum Genitivo et tamquam adverbium cum Nominativo.* (*V.* infra 2.). *Gell.* 2. 26. Absque te, inquit, uno forsitan lingua profecto Græca longe anteisset. — *Plaut. Capt.* 3. 5. 96. Quod absque hoc esset – usque offrenatum suis me ductarent dolis. — *Id. Trin.* 4. 1. 13. Nam absque foret te, sat scio, in alto distraxissent.

II.) Absque ponitur etiam pro *præter* (It. *eccetto*; Fr. *à l'exception, excepté*; Hisp. *excepto, fuera de*; Germ. *ausser, ausgenommen*; Angl. *except, bating, all but*). Hac autem significatione *a*) est præpositio ablativa; aut *b*) adverbium. — *a*) Cum Ablat. utpote præp. *Gell.* 13. 18. Apud Æschilum et Euripidem – eumdem esse versum absque paucis syllabis. *Symm. Ep.* 2. 36. Consulti pontifices, – absque paucis, qui me secuti sunt, – annuerunt. *Claud. Mamertin. in Genethl. Maximian.* 8. 3. Absque paucissimis ceteri homines fortasse crediderint. *Veget. Veter.* 1. 22. 2. Rectius est minoris ætatis animalibus et bene valentibus ex nulla parte corporis sanguinem detrahi absque palato. *Solin.* 33. *n.* 11. (46). *de Phœnice.* Postera parte purpureus absque cauda. *Priscian.* 1. *p.* 540. *Putsch.* Semivocales vero ab *e* incipientes et in se terminantes, absque *x*. quæ sola ab *i* incipit etc. *Cod. Theod.* 11. 16. 17. Fundus enim – absque his, quæ divali lege præcepta sunt, ad alia jubemus onera non vocari. Adde *Pseudo-Apul.* 2. *dogm. Plat.* 23. — *b*) Adverbium est in *Ammian.* 23. 5. Venire permisit intrepidam, et visam opertamque, absque labra ipsa, atro velamine – benignius confirmavit. *h. e.* præterquam, *ut jamdiu* Reinesius *apud* Wagner vol. 2. p. 325. *recte interpretatus est.* Adde *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 18. *Mai.* Ergo doctus evidentibus monitis non absque illud numen curam esse sui etc. *Etiam particula cum sequente. Capell.* 3. *p.* 7. Absque cum *e* terminatur. *h. e.* excipe si desinat in *e*. Huc referri potest locus *Ter. Hec.* 4. 2. 25. superius cit. § 1., dummodo legatur *absque una hæc foret.* h. e. excipe, nisi hæc una foret.

III.) Absque tamquam præpositio ablativa pro *sine* jam inde ab antiquissimis temporibus vulgo usuvenisse putanda est; occurrit tamen sæpius apud recentiores, præsertim Grammaticos et JurisCtos, necnon in Inscriptionibus (It. *senza*; Fr. *sans*; Hisp. *sin*; Germ. *sonder, ohne*; Angl. *without*). *Cic.* 1. *Att.* 19. 1. Quod nullam a me epistolam ad te sine absque argumento ac sententia pervenire. *quæ lectio contra Codicum fidem non est mutanda. Priscæ Editt. exhibent* absque *etiam* in Plaut. Most. 3. 2. 78. *et in* Cic. 1. Invent. 36. 62: *recentiores Edd. mutarunt. Quintil.* 7. 2. 44. An, etiam si nulla ratione ductus est, impetu raptus sit et absque sententia –, an etiam consuetudine peccandi sit affectus. *h. e.* quin vellet. *Gell.* 2. 2. Absque præjudicio, inquit Taurus, tu interea sede. *Ammian.* 23. 5. Absque omni prærogativa principum – rationem me recte consultorum vel secus, si quis exegerit, redditurum. *Cod. Theod.* 6. 13. 1. Sin absque honore comitivæ – regimen fuerint nacti etc. *Ibid.* 11. 28. 3. Absque ulla – fraude. *Ibid.* 11. 30. 40. Absque documento et recitatione. *Ibid.* 13. 5. 38. Absque ulla observatione. *Inscript.* apud *Orell.* 131. ABSQVE IIBIP. ET PAGANOR. IMPENSA. *Ibid.* 4040. ABSQVE CENSV.

NB. *Absque* est etiam vox composita ex præpositione *abs* et particula conjunctiva *que*, h. e. *et*; occurrit autem solummodo in quadam antiquissima evocationis formula apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 9. Loca, templa, sacra urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis.

ABSTABULA. Apud *Non. p.* 490. 15. *Merc.* legitur hic locus *Pacuvii*: *Delphos venum pecus ecunde abstabula, ac itiner contuli.* Sed est plane corruptus, et ita corrigendus videtur: *Delphos venum pecus egi, unde ad stabula, ac itiner contuli.* Ita *Gothofredus.*

ABSTANTĬA, æ, f. 1. (absto) idem est ac distantia (It. *distanza*; Fr. *distance*; Hisp. *distancia*; Germ. *der Abstand*; Angl. *distance*). *Vitruv.* 9. 4. (1). 11. Sol cum longius abait abstantia quadam.

ABSTĒMĬUS, a, um, adject. *Rabirius in Satyr.* apud *Fulgent. p.* 567. 10. *Merc. in versu*: Abstemium merulenta fugit Methenia nomen, *juxta nonnullos corripuit secundam syllabam* te; *sed potius legendum* abstemjus, *ut* abjete: *quamquam quis fuerit hic Rabirius et quo tempore vixerit incertum est, et ipsa lectio est omnino dubia.* — Vox autem *abstemius* composita est ex præp. *abs* et radice TEMVM, unde *tēmētum*, *tēmŭlentus* etc., quemadmodum docent *Quintil.* 1. 7. 9., *Gell.* 10. 23., *Isid.* 10. *Orig.* 11. Abstemius igitur est, qui vinum non bibit, vel ex disciplinæ quadam lege, vel quod natura, aut ex morbi vitio a vino abhorret (It. *astemio*; Fr. *qui s'abstient de boire des liqueurs enivrantes*; Hisp. *abstemio*, Germ. *sich berauschender Getränke enthaltend, nüchtern*; Angl. *not addicted to wine, abstemious*).

¶ 1. Proprie et quidem absolute, usurpatur de homine, cui mos est a vino abstinendi. *Lucilius sat.* VI. apud *Non. p.* 68. 20. *Merc.* Mulier sicca atque abstemia. *Varro de vita pop. Rom.* apud *Non. l. c.* Mulieres abstemias esse. *Ovid.* 15. *Met.* 323. Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis. *Myth.* I. *Fab.* 2. 123. *ed. Mai.* Lycurgus rex Thraciæ fuit, qui, ut fabula habet, dum contemnens Liberum, ejus amputat vites, crura sua incidit. Re autem vera abstemius fuit, quos constat acrioris esse naturæ, quod etiam a Demosthene dictum est. *Servius* in *Virg.* 3. *Æn.* 14. hæc eadem narrat atque ipsissimis verbis concludit, a quo sumpsisse videtur *cit. Myth.* — Hinc *prandium abstemium* dixit *Gell.* 13. 30., in quo nihil vini, vel alius inebriantis liquoris potatur. Quo pertinet illud *Plaut. Aulul.* 2. 6. 5. Cererin', Strobile, has facturi nuptias? quia temeti nihil allatum intellego. ¶ 2. Generatim est qui a re quacumque abstinet; et occurrit cum Genitivo rei, quæ tamen semper ad cibum, vel potum pertinet. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 7. Si forte in medio positorum abstemius herbis Vivis et urtica etc. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 54. (115). Mulieres vini abstemiæ. *Auson. Profess. de Attio Pat.* 20. (4. 19). Vini cibique abstemius. ¶ 3. Apud inferioris notæ scriptores dicitur etiam de eo, qui non ex consuetudine, sed semel tantum *h. e.* eo die, quo de agitur, a potu, vel cibo abstinuit. *Apul. de mag.* 58. Dicitur ante horam diei secundam jejunus adhuc et abstemius testimonium vendidisse. *Auson. præfat. Idyll.* 11. *qui est Griphus.* Comparet occupatum cum otioso, pransum cum abstemio. Adde *Paulin. Nol. Ep.* 7.

ABSTENTĬO, ōnis, f. 3. (abstineo) cohibitio (It. *impedimento*; Fr. *répression*; Hisp. *represa*; Germ. *die Zurückhaltung*; Angl. *restraint*). *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. *sub init.* Difficilis urinæ egestio, ita ut plerumque stercorum abstentio fiat. *Id. ibid.* 11. Officii ventris abstentio. *Id.* 4. *Tard.* 3. Hinc enim perfecta passionis fiet abstentio. *V.* **ABSTINEO** I. *A. a.*

ABSTENTUS, a, um. *V.* **ABSTINEO.**

ABSTERGEO, ges, si, sum, gere, a. 2. (abs *et* tergeo). *Abstersti* syncope pro *abstersisti* usus est juxta mel. Editt. *Catull.* 97. (99). *ad Juvent.* 8.; sed aliæ habent *abstersisti*, neque minus recte constat versus: *Guttis abstersisti omnibus articulis.* — Part. *Abstergens* II.; *Abstersus* I.; *Abstergendus* I. et II. — Abstergere autem est siccare, sive aliquid, præsertim humidum, a re aliqua auferre, purgare (It. *asciugare, nettare*; Fr. *essuyer, nettoyer*; Hisp. *enjugar, limpiar*; Germ. *abwischen, abtrocknen*; Angl. *to wipe, wipe off, clean*).

I.) Proprie occurrit cum Accusativo rei, a qua aliquid abstergendo removemus, aut cum Accusativo rei, quam abstergendo removemus. *Plaut. Asin.* 4. 1. 52. Tu labellum abstergeas. *Catull. loco superius cit.* labella. *Ter. Eun.* 4. 7. 9. Abstergere vulnera. *Curt.* 6. 9. 33. oculos amiculo. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). dolia. — *Plaut. Pœn.* 5. 2. 10. Abstergere sorditudinem alicui. *Id. Merc.* 2. 1. 17. sudorem sibi. *Titinnius* apud *Non.* p. 192. 11. et p. 420. 7. *Merc.* Everrite ædes, abstergete araneas. *Lucilius* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 2. 68. lacrimas a læva. *Curt.* 5. 5. 8. Abstersis, quas profuderat, lacrimis. *Cic.* 2. *Phil.* 36. 91. Fuligine abstersa. *Liv.* 1. 41. Abstergere cruorem. *Id.* 3. 26. sudorem et pulverem. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (73). succum barbarum villo. *Id.* 17. *ibid.* 27. 43. (253). Si circumfosso stipite defluens pituita abstergeatur. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (125). Penicilli abstergendæ lippitudini utilissimi. *et alii.* — Hinc est etiam, quasi abradendo, aliquid a navibus abstrahere et avellere; qua significatione *abstergere* et *detergere* videntur fuisse vocabula nautis usitatissima (*V.* **DETERGEO** et Cf. etiam *Heyn.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 104.). *Curt.* 9. 9. 16. Ergo collidi inter se naves, abstergerique invicem remi – cœperunt. *h. e.* avelli, ita ut naves remis destituerentur. *Forcellinus* vero interpretatur *frangi.*

II.) Translate est quasi tergendo auferre, et ponitur de iis præsertim quæ animum dolore afficiunt. *Cic.* 14. *Phil.* 13. 34. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus. *Id. Top.* 22. 86. Oratio ægritudinem abstergens. *Id.* 9. *Fam.* 16. 9. metum. *Id.* 11. *ibid.* 24. 1. alicui omnem metum. *Id.* 2. *ad Q. Fr.* 10. 4. Consulabor te, et omnem abstergebo dolorem. *Id.* 3. *Tusc.* 18. 43. luctum. *Id. Senect.* 1. 2. Ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut omnes absterserit senectutis molestias. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 17. (34). fastidium. *Id.* 26. *ibid.* 7. 25. (41). fastidia cruditatesque. *Ammian.* 14. 11. Abstergendæ causa suspicionis. — *NB.* Apud *Lucretium* hoc verbum in vett. Editt. legebatur *lib.* 4. *v.* 1057. et *v.* 1227., necnon *lib.* 5. *v.* 844. (ubi *abstergunt*); sed juxta optimos Codd. recentiores Editt. in his omnibus locis exhibent *absterreo*, quod vide.

ABSTERGO, gis, si, sum, gĕre, 3. Hanc vocabuli formam nonnulli afferunt ex *Titinnio* apud *Non. loc. cit.* in v. **ABSTERGEO** I., ubi metri causa legendum *abstergete*: ex *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 25. (41)., ubi nonnulli tamen pro *abstergunt* legunt *abstergent*: et ex *Pseudo-Apul.* 1. *de dogm. Platon.* 15., ubi recentiores Editt. pro *abstergant* legunt *abstergeant*. Apud *Plin.* autem 5. *Ep.* 6. In proximo puteus, ex quo possis rursus abstergi. *rectius legitur* adstringi. Futurum tamen *absterget* certa lectione occurrit apud *Vulgat. Interpr. Prov.* 20. 30., et *Apoc.* 7. 17. et 21. 4.

ABSTERRĔO, es, ui, ĭtum, ere, a. 2. (abs *et* terreo). Part. *Absterritus.* Proprie est timore injecto aliquem ab aliquo loco repello, removeo, averto (It. *scacciare, distogliere spaventando*; Fr. *éloigner, détourner par la crainte*; Hisp. *apartar, alejar, desviar por el temor*; Germ. *weg-oder fortscheuchen durch Furcht und Schreck*; Angl. *to frighten away, terrify, alarm, deter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit cum Ablativo et præp. *de* vel *a*, absolute, aut cum Ablativo sine præp. *Plaut. Truc.* 2. 1. 41. Ubi quamque nostrarum videt prope ædes, – item ut de frumento anseres, clamore absterret, abigit. *Id. Men.* 5. 2. 79. Ego me assimulem insanire, ut illos a me absterream. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 83. Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto. — *Liv.* 27. 28. Alii e turri ejus portæ murisque saxis, sudibus, pilis absterrent hostes. *Tac.* 13. *Ann.* 44. Occurrentem ancillam vulnere absterrent. — *Titinnius* apud *Non. p.* 95. 1. *Merc.* Parasitos amovi, lenonem ædibus absterrui. ¶ 2. Lata autem significatione est etiam prohibere, abnuere. *Cic.* 3. *Orat.* 41. 164. Quidnam obscœnum est: *Quid te adiri abnutas?* Melius esset vetas,

prohibes, absterres. *Id. Planc.* 27. 66. Neminem a congressu meo neque janitor meus, neque somnus absterruit. *Lucret.* 4. 1057. sibi pabula amoris. *Id. ibid.* 1227. satum genitale quoiquam. *Id.* 5. 844. auctum. V. *Abstergeo.*

II.) Translate est timore injecto aliquem cohibere ab incepto aliquo, aut a scelere patrando: occurrit autem absolute, cum Ablativo et præp. *ab*, aut cum Ablat. sine præp., interdum etiam cum Subjunctivo et partic. *quin*. *Plaut. Most.* 2. 1. 74. Jussit maxumo opere curare, ut patrem aliquo absterreres modo, Ne introiret. *Ter. Andr.* 3. 1. 14. Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant. *Liv.* 5. 41. (*Milites*) ipsa solitudine absterriti. *Sueton. Cæs.* 20. Contradicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. *Id. Ner.* 43. Absterritus non tam pœnitentia, quam perficiendi desperatione. — *Cic.* 4. *Verr.* 58. 142. A pecuniis capiundis homines absterrere. *ubi optimi Codd. legunt* abstinere. *Liv.* 23. 1. 10. Ab urbe oppugnanda Pœnum absterruere conspecta mœnia, haudquaquam prompta oppugnanti. *Sed hæc quoque lectio incerta est.* *Sueton. Cæs.* 59. ab incepto. *Val. Max.* 2. 10. 6. a conservando Mario. *Id.* 1. 1. 15. a cultu. — *Horat.* 1. *Sat.* 4. 128. Sic teneros animos aliena opprobria sæpe Absterrent vitiis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 18. (47). Quia ceteri metu pœnæ similis absterrentur eidem noxā. *Tac.* 12. *Ann.* 45. Nisi Pharasmanem bello absterruisset. — *Val. Max.* 4. 5. 6. Ne tribus quidem et viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit.

ABSTERRĬTUS, a, um. *V.* **ABSTERREO.**

ABSTERSUS, a, um. *V.* **ABSTERGEO.**

ABSTĬNAX, ācis, adject. (abstineo) idem quod abstinens (It. *astinente*; Fr. *qui s'abstient*; Hisp. *abstinente*; Germ. *enthaltsam*; Angl. *abstinent*). *Petron. Sat. fragm. Tragur.* 42. *Burmann.* Et quid, si non abstinax fuisset? *h. e.* cibi abstinens. Adde *Symmach. Ep.* 1. 47.

ABSTĬNENS, entis. *V.* **ABSTINEO** præsertim in fine.

ABSTĬNENTER, adverb. (abstineo). Comp. *Abstinentius*. — *a*) Cum abstinentia (quam vocem *V.*), *h. e.* ab alienis temperando (It. *con moderazione*; Fr. *modérément*; Hisp. *moderadamente*; Germ. *auf enthaltsame Weise*; Angl. *with moderation*). *Cic. Sest.* 16. 37. Saturninus tribunus plebis, vigilans homo, et in causa populari, si non moderate, at certe populariter abstinenterque versatus. *Orat. in Sallust. Ciceroni tributa* 7. Postquam prætor est factus, modeste se gessit et abstinenter. — *b*) De cibi autem abstinentia *Augustin.* 2. *de morib. Manich.* 13. Abstinentius vitam ducere.

ABSTĬNENTĬA, æ, f. 1. (abstineo) absolute apud Augusteæ ætatis Scriptores est virtus, qua ab externis illis rebus, quæ perperam appetuntur, scilicet a sceleribus temperamus, et præsertim ab alieno: quapropter differt a continentia (*V.* Homonym. in fin.) (It. *disinteresse, integrità*; Fr. *désintéressement, respect de la propriété d'autrui*; Hisp. *desinterés*; Germ. *die Enthaltsamkeit, Uneigennützigkeit*; Angl. *an abstaining from, abstinence*). ¶ 1. Absolute et superius allata significatione conjungitur cum *continentia* et *moderatione*, et occurrit præsertim de magistratibus qui manus a privatis et publicis bonis abstinebant. *Cic.* 2. *Off.* 22. 77. *V.* infra in Homonym. *Quintil.* 5. 10. 73. et 89. Si continentia virtus, utique et abstinentia. *Sueton. Oth.* 3. Provinciam administravit – moderatione atque abstinentia singulari. Adde *eumd. Domit.* 23. *Cic.* 5. *Att.* 17. 2. Sic in provincia nos gerimus quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam. *Id. Sest.* 3. 7. Possum multa dicere de provinciali in eo magistratu abstinentia. *Sallust. Catil.* 3. 3. Pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, avaritia, largitio vigebant. *Nep. Epam.* 4. Tentata ejus est abstinentia a Diomedonte: namque is Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. *Sueton. Cæs.* 54. et alii. ¶ 2. Aurea nunquam ætate, sed tamen argentea, occurrit cum Genitivo, aut cum Ablativo, et præp. *ab*, ejus rei a qua temperamus: tunc autem abstinendi actum, aut habitum significat. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 5. 24. (59). Corpus præparandum cibis acribus, abstinentia vini, pridie cœnæ abstinentia. *Quintil.* 1. 7. 9. Abstinentia temeti. *Id.* 11. 3. 19. Veneris. *Seneca* 2. *Controv.* 9. *a med.* (p. 147. *Bip.*). Qui sibi abstinentiam conviviorum imperaverunt. *alii* conviciorum. *Justin.* 2. 2. 11. Utinam reliquis mortalibus similis moderatio et abstinentia alieni foret. — *Scribon. Compos.* 52. Abstinentia ab omni re. *Id.* 105. ab aqua. *Augustin.* 2. *de morib. Manich.* 13. a vino et carnibus. ¶ 3. Peculiariter et quidem absolute est temperantia in cibo et potu. *Quintil.* 2. 17. 9. Febrem quiete et abstinentia mitigavit. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Hunc (*pedum dolorem*) abstinentia, sanctitate, quoad viridis ætas, vicit et fregit. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 55. (80). Radix ejus post unius diei abstinentiam bibitur. *Cels.* 2. 16. Abstinentiæ duo genera sunt: alterum, ubi nihil assumit æger; alterum, ubi non nisi quod oportet. ¶ 4. Hinc ponitur etiam pro inedia. *Tac.* 4. *Ann.* 35. Egressus senatu vitam abstinentia finivit. *Seneca* 2. *de Ira* 27. 4. Scalpellum, abstinentia, et alia, quæ profutura torquent. ¶ 5. Interdum abstinentia idem est atque abstentio, et dicitur, non de animo, sed de corpore quod a suis cessat officiis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 11. Cataplasma mediis adhibemus partibus et clunibus ob abstinentiam urinæ solvendam. *Id.* 2. *Acut.* 37. Si post sudoris abstinentiam febrium fuerint accessiones subsecutæ etc. *V.* **ABSTINEO** I. *A. a.*

Homonym. *Abstinentia* a *continentia* differt. *Continentia* enim interna est; *abstinentia* vero externa: *continens* est qui purus est a flagitiis; *abstinens* qui purus est a sceleribus: *continens* non modo externis actibus, verum etiam interna cogitatione atque appetitione nihil in se contra legem moralem admittit: *abstinens* potest esse non continens, potest enim interne mala appetere, et tamen externe a malis ipsis temperare: *continentia* igitur (absit injuria verbis) est moralitas; *abstinentia* est, uti ajunt, legalitas, sive negativa *justitiæ* officia complectitur, quæ in eo consistunt ut nemo lædatur, unde *Nep. Arist.* 1. Adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus – cognomine Justus sit appellatus. Hinc recte *Cic.* 2. *Off.* 22. 77. Nulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui reipublicæ præsunt, quam abstinentia et continentia. *Sall. Catil.* 54. (*Cato*) cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 11. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coercere, – præclarum magis est quam difficile. — *Abstinentia* igitur virtutem quoque temperandi ab alieno necessario complectitur; qua peculiari significatione sæpius occurrit et *avaritiæ* opponitur, quemadmodum loca superius allata § 1. aperte declarant. — *Continentia* vero, ut ex iis quæ diximus patet, latissimo sensu *abstinentiam* quoque complectitur; quapropter nihil mirum, si quis continentiam pro abstinentia posuit, quemadmodum *Val. Max.* 4. 3. 6. et 7. et 14., aliique.

ABSTĬNEO, tines, tinui, tentum, tinere, 2. (abs et teneo). Part. *Abstinens* in fine; *Abstentus* I. *A. a.*, *B. a.*; *Abstinendus* I. *A. a.*, *B. a.* Proprie est cohibere, continere, temperare (It. *astenere, tener lontano*; Fr. *tenir éloigné, écarter, retenir*; Hisp. *retener, abstenerse*; Germ. *ab- zurück- fernhalten*; Angl. *to abstain from, keep from, or out of the way of, keep aloof from*). Est autem verbum aut I. activum, aut II. neutrum.

I.) Active dicitur abstinere, *h. e.* cohibere, coercere, *A*) rem aliquam, aut *B*) aliquem hominem aut aliquam belluam.

A) Abstinere rem aliquam occurrit aut *a*) absolute, aut de more *b*) cum Ablativo ipsius rei, a qua temperamus, præcedente præp. *de*, aut etiam sine præp.; *c*) sæpius cum Ablativo et præp. *ab*; *d*) interdum et cum Accusativo *se*. — *a*) Absolute occurrit tantummodo in certis quibusdam formulis. *Ter. Heaut.* 3. 3. 4. Facis ideo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum. *Id. Adelph.* 5. 2. 6. Non manum abstines, mastigia? *Liv.* 29. 18. 16. Noctu audita ex delubro vox est: «abstinerent manus: deam sua templa defensuram». *Tibull.* 1. 3. 4. Abstineas avidas, mors, precor, atra, manus. *Plaut. Men.* 5. 6. 20. Metum comitem mihi adhibeam, culpam ut abstineam. *Id. Trin.* 2. 1. 30. Amor procul adhibendus est atque abstinendus. *Ter. Heaut.* 2. 3. 131. Inversa verba, eversas cervices tuas, gemitus, screatus, tussis, risus abstine. *Cod. Theod.* 6. 30. 22. § 1. Abstinere hereditatem. *quod clare patet, quia præcedit* respuere hereditatem. *Cato apud Festum p.* 281. 22. *Müll.* Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque in industria omnem meam adolescentiam abstinui agro colendo etc. *h. e.* adolescens nunquam a salebrosa virtutis via deflexi ut laxis habenis in vitia præceps ruerem, sed ab his me abstinui agro colendo etc.; itaque perperam *Ursin.* et *Müll.* hoc loco malunt legere *obstinui*, quod inusitatum. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 12. Ejus (*sanguinis*) fluor abstineri difficile potest. *Id.* 1. *ibid.* 15. Ait – vinum in cauteris similitudinem abstinere sudorem. *Id.* 2. *ibid.* 16. Hinc denique, quoties tumore densatur (*membrana*), ossibus vicinantibus abstenta ire latius prohibetur. *Id.* 2. *ibid.* 5. Abstentæ egestiones, *quibus ibid.* largius effluentes *opponuntur*. — *b*) De more occurrit cum Ablativo rei, a qua temperamus, præcedente præp. *de*, aut sine præp. *Plaut. Most.* 4. 2. 17. Abstine jam sermonem de rebus istis. *quamquam abstinere sermonem absolute dici potuit.* *Cato* 5. *R. R.* 1. Alieno manum abstineat: sua servet diligenter. *Plaut. Rud.* 2. 4. 11. Potin' ut me abstineas manum? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 202. abstinere vim uxore et gnato. *Liv.* 8. 19. vim finibus. *Id.* 1. 1. Duobus Ænea Antenoreque omne jus belli Achivos abstinuisse. *Ovid.* 8. *Met.* 752. ferrum quercu. *Catull.* 19. 19. hinc malas rapinas. — *c*) Sæpius cum Ablativo et præp. *ab*. *Lucilius apud Non. p.* 325. 32. *Merc.* Abstinere manus a muliere. *Cic. Vat.* 4. 10. ab aliquo. *Id.* 6. *Verr.* 32. 71. a Capitolio. *Id.* 3. *Verr.* 37. 93. a tutela, a pupillo, a sodalis filio. *Id.* 7. *Verr.* 2. 4. ab alienis pecuniis. *Id.* 12. *Phil.* 12. 26. sacrilegas manus atque impias ab aliquo. *Id.* 1. *Orat.* 43. 194. ab alienis mentes, oculos, manus. *Id.* 1. *Verr.* 12. 36. manus animosque a scelere. *Id.* 6. *Verr.* 15. 34. cupiditatem aut manum ab argento. *Id.* 4. *Tusc.* 37. 79. et 3. *Att.* 7. manus a se abstinere. *h. e.* a suo nece. *Liv.* 8. 19. bellum ab aliquo. *Id.* 3. 16. jus belli ab obsidibus. *Id.* 42. 26. injuriam ab sociis. *Id.* ignem ab æde Matris Matutæ. — *d*) Cum Accus. se. *Pallad.* 2. *R. R.* 24. 5. Rigetur, si se imber abstineat. *h. e.* nisi pluat.

B) Abstinere hominem, aut belluam occurrit pariter *a*) absolute; *b*) cum Ablativo rei, a qua quis removetur, sine præp.; *c*) cum Ablativo et præp. *ab*; *d*) cum Accusativo *se*. — *a*) Absolute abstinere hominem, aut belluam plures easque varias habet significationes, quæ tantummodo ex orationis contextu erui possunt. *Liv.* 40. 14. 4. Non milites abstinuissem meus? *quorum sententia ex præcedentibus patet verbis*; non temperassem vino in unum diem? — *Scævola Dig.* 12. 6. 61. Tutores pupillum abstinuerunt. *h. e.* hereditate. *Id. Dig.* 26. 8. 21. Curator dixit: abstine pupillum. procurator dixit: responsum habes; scis quid agere debeas. quæsitum est, an secundum hæc acta adolescens bonis patris abstentus sit? respondi, proponi abstentum. Adde *Ulp. Dig.* 36. 4. 1. § 4., *Paul.* 26. 7. 46. et *Ulp.* 2. 11. 15. — Ubi sermo est præsertim de ægrotis, abstinere est cohibere a cibo potuque. *Seneca Ep.* 75. Urendus, secandus, abstinendus sum. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 17. Nam nisi vacua est ingluvies, (*pulli*) cruditatem significant abstinerique debent, dum concoquant. *Martial.* 9. 86. Languidior noster si quando est Paulus, Atili, Non se, convivas abstinet ille suos. — Apud Scriptores Eccles. *abstinere aliquem* est ab Ecclesia separare, excommunicare; *abstentus* autem est excommunicatus. V. *Cypriani Ep.* 38., 39. et alibi sæpe. — *b*) Cum Ablativo sine præp. *Liv.* 8. 24. 18. Quamquam Romano bello fortuna eum abstinuit. *Id.* 38. 32. 2. Abstinere milites direptione prædaque. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 15. pullos cibo et aqua. *Id.* 7. *ibid.* 10. 5. gregem potione et pabulo. *Id.* 6. *ibid.* 7. 2. bovem cibo. *Id.* 8. *ibid.* 5. 23. aves cibis. *et alibi sæpe.* *Papinian. Dig.* 27. 3. 18. Cum tutor pupillum paterna hereditate abstineat. — *c*) Cum Ablativo et præp. *ab*. *Cic.* 4. *Verr.* 58. 142. Abstinere aliquem a pecuniis capiundis. *ubi alii* absterrere, *quod vide.* *Liv.* 2. 22. 4. Recens ad Regillum lacum accepta clades Latinos ne ab legatis quidem violandis abstinuit. *Id.* 4. 59. 8. militem a præda. *Colum.* 6. *R. R.* 26. 3. vitulum ab humore. *Pallad.* 6. *R. R.* 7. 3. a potu. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. ægrotum a cibo, *quod sæpissime apud Medicos.* — *d*) *Abstinere se* dicitur aut absolute, quod raro, aut sæpius cum Ablativo sine præp., aut cum Ablativo et præp. *ab*. Quoties vero absolute ponitur, sensus ex orationis contextu innotescit. *Dig.* 11. 7. 6. Abstinere se. *h. e.* hereditate. *Martial.* 9. 86. *superius cit. B. a.* *Liv.* 3. 11. 5. Multum et consules se abstinebant, ne cui – majestatem suam contumeliæ offerrent. — *Plaut. Curc.* 1. 1. 37. sese abstinere nupta, vidua,

virgine. *Ter. Hec.* 1. 2. 64. Sese illi abstinere ut potuerit? *Plaut. Cas.* 1. 1. 13. se rebus urbanis. *Cic.* 7. *Fam.* 26. Qui me ostreis et murænis facile abstinebam. *Id.* 3. *Fin.* 11. 38. Quo minus homines nullo dedecore se abstineant. *Id.* 2. *Phil.* 4. 5. nefario scelere. *Id.* 1. *Brut.* 17. maledictis. *Id.* 1. *Divinat.* 45. 102. litibus et jurgiis. *Cæs.* 8. *B. G.* 44. sese cibo. *Nep. Att.* 22. 3. se cibo. *Liv.* 8. 2. armis. *et alibi sæpe.* — *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 17. 55. A quibus ne tu quidem jam te abstines. *Tac. Dial. de orat.* 40. Cum plurimi ne a P. quidem Scipione, aut Sulla abstinuerint. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 55. 76. (155). Abstinere se a cantu.

II.) Neutraliter abstinere est sibi temperare ab aliqua re; et occurrit apud omnium ætatum scriptores *a*) raro absolute; *b*) sæpissime cum Ablativo sine præp., etiam passive impersonaliter; *c*) cum Ablativo et præp. *ab*, etiam pass. impers.; *d*) semel cum Genitivo; *e*) raro admodum cum Infinito, aut cum particulis negativis *quin*, vel *quo minus*. — *a*) Raro absolute, sensus autem ab orationis contextu eruendus. *Plaut. Aulul.* 2. 5. 19. Te scio facile abstinere posse, si nihil obviam est. *Virg.* 2. *Æn.* 534. Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur, Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit. *Cels.* 2. 12. *a med.* Pridie abstinere (*alii* abstineri) debet æger, ut aptus tali curationi sit. *h. e.* a cibo potuque. — *b*) Cum Ablativo sine præp., etiam impersonaliter. *Plaut. Men.* 5. 2. 18. Illi quoque haud abstinent sæpe culpa. *Id. Aul.* 4. 1. 15. Qui ea curabit, abstinebit censione bubula. *Cic.* 2. *Off.* 17. 72. Abstinere injuria. *Id.* 5. *Verr.* 2. 4. vitiis. *Id.* 2. *Divinat.* 58. 119. faba. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. 5. mulieribus atque infantibus. *Id.* 1. *ibid.* 22. 3. prœlio. *Liv.* 2. 45. pugna. *Id.* 1. 15. urbe valida. *Virg.* 7. *Æn.* 618. tactu. *Horat. Art.* 6. 379. armis. *Id. ibid.* 414. Venere et vino. *Tac.* 3. *Ann.* 3. et *Sueton. Claud.* 36. publico. *Cels.* 3. 22. et *Sueton. Tib.* 50. negotiis. *Sueton. Cæs.* 14. curia. *Id. de illustr. Gramm.* 9. insectatione. *et passim apud omnes Scriptores.* — *Liv.* 3. 16. Ut seditionibus abstineretur. *Id.* 5. 50. Ut sacro auro abstineretur. *Id.* 40. 7. 3. Ut ne ipsis quidem ducibus abstineretur. *Curt.* 5. 1. Jussit abstineri cædibus. Adde 3. 8. — *c*) Cum Ablativo et præp. *ab*, etiam impersonaliter. *Lucan.* 4. 242. A trepido vix abstinet ira magistro. Adde *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 26. *ambiguo verborum joco. Liv.* 5. 21. Ut ab inermi abstineretur. — *d*) Cum Genitivo apud *Horat.* tantum 3. *Od.* 27. 69. Abstineto — irarum calidæque rixæ (*ita Græce* ἀπέχου τῆς ὀργῆς. *Cf.* Desine querelarum, apud eumd. 2. *Od.* 9. 17. *V. infra abstinens*). — *e*) Raro admodum cum Infinito, aut cum particulis negativis *quin* vel *quo minus*. *Plaut. Curc.* 1. 3. 24. Dum mihi abstineant invidere. *Sueton. Tib.* 23. Quando ita præfari non abstinuerit. — *Liv.* 2. 45. Ægre abstinent, quin castra oppugnent. *Sueton. de illustr. Gramm.* 3. Ut ne clarissimi quidem abstinuerint, quo minus et ipsi aliquid scriberent. *De particula ne V. superius* I. *B. a.*

Abstinens, entis. Part. præs. act., est etiam adject., unde Comp. *Abstinentior*, Sup. *Abstinentissimus*: ut adjectivus autem iisdem usurpatur significationibus, quibus nomen *abstinentia*, quod *V.*: occurrit sæpius absolute, raro cum Ablativo, interdum cum Genitivo. *Cic.* 5. *Att.* 21. Homo mirifice abstinens. *Id.* 1. *Q. Fr.* 1. 11. Esse abstinentem, continere omnes cupiditates, præclarum est. *Id.* 1. *Off.* 40. 144. Prætorem decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. *Quintil.* 12. 2. 3. Abstinens erit, qui id ipsum, quid sit abstinentia, ignoret? *Auson. Gratiar. act.* 28. In cibis autem cujus sacerdotis abstinentior cæremonia? *Senat. Cons.* apud *Plin.* 8. *Ep.* 6. ABSTINENTISSIMI FIDELISSIMIQVE CVSTODIS PRINCIPALIVM OPVM FACVLTATES. — *Colum.* 12. *R. R.* 4. 3. Nisi ab impubi, aut certe abstinentissimo rebus venereis. — *Horat.* 4. *Od.* 9. 37. abstinens Ducentis ad se cuncta pecuniæ. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 13. Somni et vini sit abstinentissimus. *Plin.* 6. *Ep.* 8. Homo est alieni abstinentissimus.

ABSTO, stas, stiti, stare, n. 1. (ab et sto; *Cf.* ἀφίσταμαι) sto procul, disto (It. *stare distante*; Fr. *être ou se tenir éloigné de*; Hisp. *distar*; Germ. *abstehen*; Angl. *to stand afar off, at a distance, aloof from*). *Horat. Art. P.* 361. Ut pictura, poesis; erit quæ, si propius stes, Te capiat magis, et quædam, si longius abstes. *Id.* 1. *Ep.* 18. 58. Ne te retrahas et inexcusabilis abstes.

ABSTRACTĬO, ōnis, f. 3. (abstraho) proprie est actus abducendi per vim; hinc raptus (It. *ratto*; Fr. *rapt, enlèvement*; Hisp. *rapto*; Germ. *das Ab-oder Entziehen*; Angl. *a drawing or pulling of*). *Dictys B. Tr.* 1. 4. Menelaus, etsi abstractio conjugis (*Helenæ*) animum permoverat, etc.

ABSTRACTUS, a, um. *V.* ABSTRAHO.

ABSTRĂHO, his, xi, ctum, ere, a. 3. (abs et traho). *Abstraxe* pro *abstraxisse* dixit *Lucret.* 3. 651. (650). Part. *Abstrahens* I. *a.*; *Abstractus* I. *a. c.*, II. 2. 3., et in fin.; *Abstracturus* I. *a.* — Abstrahere est per vim abducere, avellere (It. *condur via per forza, svellere*; Fr. *arracher, emmener par violence*; Hisp. *arrancar, abstraer*; Germ. *abziehen, mit Gewalt weg-oder fortreissen, fort-oder wegschlepper*; Angl. *to draw or pull off or away, to take away by force*).

I.) Proprie et generatim occurrit sæpe apud omnes cujusque ætatis Scriptores *a*) aut absolute; *b*) aut adjecto loco, ad quem quis abstrahitur; *c*) aut adjecto loco, a quo quis abstrahitur. — *a*) Absolute. *Lucret.* 3. 650. (649). Nec tenet amissam lævam cum tegmine sæpe Inter equos abstraxe rotas falcesque rapaces. *Virg.* 8. *Æn.* 263. Abstractæque boves abjuratæque rapinæ Cælo ostenduntur. *Ovid.* 3. *Met.* 694. Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acœtes Clauditur in tectis. *Liv.* 3. 44. Sequi se jubebat cunctantem vi abstracturus. Adde 6. 48. et 40. 10. *Curt.* 8. 1. 40. Atque illum cunctantem — qui proximi ei cubuerant, injectis manibus — conabantur abducere. Clitus, cum abstraheretur etc. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 69. (194). Spongiæ ubi avulsorem sensere, contractæ multo difficilius abstrahuntur. — *b*) Adjecto loco, ad quem quis abstrahitur, per Adverbia, per Accusativum cum præp. *in*, *ad*, vel per Accusativum sine præp. *Cic.* 2. *Tusc.* 9. 20. *ex Sophocle.* Huc adripe ad me manibus abstractam piis. *Plaut. Men. prol.* 66. *de torrente qui hominem abripuerat.* Rapidus raptori subduxit pedes abstraxitque hominem in maximam malam crucem. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 145. Abstrahere aliquem — in altum. *Liv.* 29. 6. Rhegium. *Ter. Adelph.* 5. 3. 57. Istam psaltriam una illuc mecum hinc abstraham. *Sueton. Cæs.* 71. Abstrahentibus statim eripuit (*eum*). — *c*) Adjecto loco, a quo quis abstrahitur, per Adverbia localia, vel per Ablativum cum præp. *ab*, *de*, *e*, vel raro per Ablativum sine præp. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Accedebat, quod suos ab se liberos abstractos obsidum nomine dolebant. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 145. Abstrahere aliquem a conspectu omnium. *Liv.* 42. 56. Ratus ad juvandas sociorum urbes longius ab castris abstractos deprehendi Romanos posse. *Cic. Font.* 17. 36. de matris complexu aliquem avellere et abstrahere. *Ovid.* 16. *Heroid.* 154. Quam tu de thalamis abstraherere meis. *Cic. Cæl.* 24. 59. Cum Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriæ. *Ovid.* 13. *Met.* 658. gremio genitoris. *Cic. Sull.* 3. 9. ex comitatu. *Liv.* 39. 49. 12. ex oculis hominum. *Id.* 37. 27. 6. e portu naves. *alii* a portu. *Cæs.* 3. *B. C.* 78. frumento ac commeatu. — Hinc dicitur etiam *se abstrahere* h. e. recedere. *Ter. Hec.* 3. 1. 17. Vix me hinc abstraxi. *Cic.* 6. *de re publ.* 26. 29. Tum (*animus*) — maxime se a corpore abstrahet.

II.) Translate peculiares et varias habet significationes; gaudet autem sæpissime præp. *ab* cum Ablativo rei, a qua quis abstrahitur; aliquando etiam præp. *ad* vel *in*, si ea jungantur ad quæ abstrahimur; raro admodum ponitur cum Ablativo sine præp., aut absolute. ¶ 1. Abstrahere aliquem ab aliquo est eum avocare ab alicujus benevolentia vel partibus. *Ter. Andr.* 1. 5. 8. Ut me a Glycerio miserum abstrahat. *Id. ibid.* 3. 2. 30. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? *Cic.* 10. *Fam.* 18. 3. Magnam perditi hostes accessionem sibi fecissent, si quas copias a Lepido abstraxissent. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret. *Sall. Jug.* 41. Ita omnia in duas partes abstracta sunt. ¶ 2. Abstrahere aliquem a re aliqua est eum impedire, quo minus id agat. *Cic. Senect.* 6. 15. A rebus gerendis abstrahit senectus. *Id. Arch.* 6. 12. Ut a nullius unquam me — commodo otium meum abstraxerit. *Id.* 3. *Phil.* 12. 31. Ab impetu abstractus consilio et copiis Cæsaris. *Liv.* 38. 27. Qui ingressos in castra ab direptione abstrahere non poterat. *Cic.* 1. *Orat.* 18. 81. Deinde etiam illud verendum est, ne abstrahamur ab hac exercitatione et consuetudine dicendi populari et forensi. *Nep. Dat.* 4. Datames, etsi a majore re abstrahebatur, tamen morem gerendum putavit. *Lucan.* 6. 80. Major cura ducem miscendis abstrahit armis. *h. e.* removet a pugna. *Lucret.* 3. 260. *absolute*: Rationem reddere aventem Abstrahit invitum patrii sermonis egestas. ¶ 3. Abstrahere a re aliqua est etiam amovere, sejungere. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 84. Si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis abstraxisset. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. 9. Neque desistam abstrahere a servitio civitatem nostram. *Id. Dejot.* 74. 259. abstrahere se a sollicitudine. *Id.* 1. *Divinat.* 31. 66. Cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. *Id.* 6. *de republ.* 26. 29. Tum (*animus*) — maxime se a corpore abstrahet. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 38. Animus concitatus et abstractus ab integra certaque ratione. *h. e.* amotus, qui nimirum a recta ratione procul aberret. ¶ 4. Demum abstrahere aliquem est etiam a re in rem quasi per vim adducere, præsertim a bonis in mala. *Sall. Jug.* 29. Abstrahere aliquem a bono honestoque in pravum. *Cæs.* 7. *B. G.* 41., 14. 10. et 42. 3. in servitutem. *Liv.* 38. 43. 5. in servitium. *Curt.* 3. 2. 17. ad capitale supplicium. *Tac.* 4. *Ann.* 13. *absolute.* Ni Ælius Lamia et L. Apronius — insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus. *h. e.* in summa mala. *Cic.* 68. *Brut.* 239. *etiam a re bona in aliam bonam*: Nisi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset.

Abstractus, a, um, præterquam part. præter. pass. iisdem, quibus verbum, significationibus, est etiam adjectivum, quod opponitur *concreto*, ut *Abstracta quantitas* apud *Isid.* 2. *Orig.* 24. 14. 2., quam scilicet intellectus ut a materia separatam considerat: quæ loquendi ratio cadente latinitate scholis philosophorum familiaris esse cœpit.

ABSTRICTUS, a, um: utpote participium ab inusit. *abstringo* quidam afferunt ex *Liv.* 24. 7. Tamquam laxaret elatum pedem abstricto nodo. *Sed rectius leg. alii* ab stricto nodo.

ABSTRĪTUS, a, um, participium ab inusit. *abstero* (abs et tero), idem ac detritus. *Hieronym. ep.* 22. *Eustoch.* n. 29. Viduæ otiosæ et curiosæ, quæ robore frontis abstrito, parasitos vincunt mimorum. *h. e.* perfricta fronte. *Alii leg.* attrito.

ABSTRŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (abs et trudo). Part. *Abstrusus* I. et II. et in fine. — Proprie est expellere, procul ab aliquo loco pellere, per vim amovere: sed tamen derivata tantum occurrit significatione, et est abscondere, intus abdere, celare (It. *ascondere, celare*; Fr. *cacher*; Hisp. *esconder*; Germ. *verstecken*; Angl. *to hide*).

I.) Propria abscondendi significatione occurrit aut adjecto loco versus quem, aut adjecto loco in quo quis abstruditur, aut absolute. *Cic.* 12. *Att.* 15. Cum mane me in silvam abstrusi densam et asperam. *Id.* 1. *Leg. agr.* 4. 11. Abstrusus usquam. *Tac.* 4. *Ann.* 69. Tectum inter et laquearia tres senatores — sese abstrudunt. *Apul.* 3. *Met.* 20. Propter invidos mores in solitudinem semper abstruso. — *Plaut. Aul.* 3. 6. 46. Ibi (*aurum*) abstrudam probe. *Id. ibid.* 4. 5. 3. hic. *Id. ibid.* 4. 6. 13. Aurum ubi abstrudat senex. *Id. Curc.* 5. 2. 8. Sub gemma abstrusum habere. *Virg.* 6. *Æn.* 7. semina flammæ Abstrusa in silicis venis. *Id.* 1. *G.* 135. Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem. *Sueton. Vitell.* 16. Abstrusus gestatoria sella. *Vellej.* 2. 129. 3. Serpens abstrusa terræ. — *Plaut. Rud.* 4. 3. 68. *joculariter per imaginem*: Jam in cerebro colaphos abstrudam tuo. *h. e.* infigam.

II.) Translate de abstractis. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 10. 32. Naturam accusa, quæ in profundo penitus veritatem abstruserit. *Tac.* 3. *Ann.* 6. Abstrudere tristitiam. *Id.* 15. *ibid.* 5. metum. *Plin. Paneg.* 45. Boni otio aut situ abstrusi. — Particip. Præter. pass.

Abstrusus, a, um est etiam adject., unde Comp. *Abstrusior*, iisdem significationibus quibus verbum. — *a*) Proprie. *Accius* apud *Non.* p. 308. 9. *Merc.* Abstrusum flumen. Adde *Ovid. Heroid.* 7. 147. *Plin. Paneg.* 63. 5. Terra abstrusus atque abditus. *Vellej.* 2. 130. 4. Abstrusum incendium. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 18. 49. Penitus abstrusas insidias alicui ponere. — *b*) Translate. *Cic. Dom.* 10. 25. Reconditus et penitus abstrusus animi dolor. *Tac.* 1. *Ann.* 24. Abstrusus et occultissima quæque maxime dissimulans Tiberius. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 10. 30. Disputatio copiosa illa quidem, sed paulo abstrusior.

Abstrusum, i, neutrorum more. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 129. Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est. *Ammian.* 17. 7. In abstruso esse *h. e.* ignotum esse.

ABSTRŪO, is, xi, ctum, ere. Affertur ex *Tertull. 4. advers. Marcion.* 27. Negat lucernam abstruendam, sed confirmat super candelabrum proponendam. Et ex eodem *de Præscript. advers. hær.* 26. Ipse docebat lucernam non sub modio abstrui solere, sed in candelabrum constitui. *Quibus in locis falsa est lectio, et illud* abstruo *aut in* obstruo *ut alii, aut rectius in* abstrudo *ut* Klotz *putat, mutandum est.*

ABSTRŪSĒ, adverb. (abstrusus) idem atque abdite, cujus tamen solummodo Comparat. *Abstrusius* occurrit apud *Ammian.* 28. 1. *prope fin.* Inter reos recepti, vocatique edictis, semet abstrusius amandarunt.

ABSTRŪSIO, ōnis, f. 3. (abstrudo I.) occultatio (It. *nascondimento;* Fr. *action de cacher;* Hisp. *escondimento;* Germ. *die Bergung;* Angl. *a hiding*). *Arnob.* 5. 37. Seminis abstrusio. *Theod. Priscian.* 4. 9. *p.* 317. Item aliam abstrusionem spiritus generari. *si tamen salva est lectio: videtur enim legendum esse* obstrusionem, *quæ vox in* Theod. Priscian. *sæpissime occurrit.*

ABSTRŪSUS, a, um. *V.* **ABSTRUDO.**

ABSTŬLO, is, ere, pro *aufero*, compos. ex præp. *abs* et obsoleto TVLO (Cf. FERO indeque composita, et Græc. τλάω *perfero, patior*, et sanscr. *tul* extollere, sustinere, sibi imponere, ferre). *Diomed.* 1. *p.* 376. *Putsch.* Plautus compositum efficit in Rudente: *aulas abstulas*, ut sit instans *abstulo.*

ABSUĒTŪDO, inis, f. 3. (ab *et* suesco) idem quod desuetudo, affertur ex *Apul. de mag.* 69. Mulier sancte pudica, absuetudine conjugis torpens. ubi *recentiores Editt., rectius fortasse, legunt* assuetudine.

ABSUM, ābes, abfŭi, *vel* āfŭi, abesse, anom. (ab *et* sum, Cf. ἄπειμι). Quod ad scribendi rationem attinet, animadvertendum est, scribi posse *abfui* et *afui*, *abfuturus* et *afuturus*, *abfore* et *afore*; utraque enim ratio ex probatis Codicibus et Inscriptionibus confirmatur. *Abfuat* pro *absit* legitur apud *Frontonem* (*V.* II. *B.* 6.), si tamen salva est lectio. Cf. *Fuam* in voce SUM. — Part. *Absens* in fine; *Abfuturus* II. *A.* 1.; Infinit. Fut. *Abfore* II. *A.* 4. — Absum proprie est remotus sum, non sum hic, non sum præsens (It. *essere assente, essere lontano;* Fr. *être absent, être éloigné;* Hisp. *estar ausente, estar lejano;* Germ. *abwesend sein, nicht da, nicht zugegen sein;* Angl. *to be absent, or out of the way, to be distant*). Hinc *abesse* opponitur *adesse*; participio vero præsenti *absens* opponitur *præsens.*

I.) Proprie abesse est ¶ 1. Non sum præsens, non sum hic, remotus sum: occurrit autem *a*) absolute; *b*) adjecto loco, re, aut persona, a quibus absumus; *c*) adjecto loco, in quo absumus. — *a*) Absolute, et ponitur etiam de absentia a patria sive de exilio. *Ter. Eun.* 3. 5. 52. Ita ut fit, domini ubi absunt. *Id. ibid.* 5. 8. 20. Postulo, ut tua mihi domus te præsente absente pateat. *Id. Heaut.* 1. 1. 66. Menses tris abest. *Cic.* 4. *Fam.* 3. 1. Etsi enim afui magnam partem tui consulatus, tamen et absens cognoscebam — et ipse affui primis temporibus tui consulatus. *Id. Sext.* 34. 73. Qui nulla lege abessem. *h. e.* exul essem. — Apud JCtos *abesse* dicebatur tantummodo is, qui rei publicæ causa aberat sive ab Urbe peregre profectus erat, quique ne reus ageretur, sanctum fuerat duodecim Tabulis et denuo lege Memmia. V. *Sueton. Cæs.* 23. ibique Interpp. — *b*) Adjecto loco, re, aut persona, a quibus absumus cum Ablativo et præp. *ab*, interdum *ex*; aut cum Ablativo sine præp., aut cum Ablativo et præp. *in* tunc solummodo, cum sermo est de rerum eventu, cui non interfuimus. *Plaut. Epid.* 5. 2. 16. Num te fugi? num ab domo absum? *Ter. Heaut.* 2. 4. 19. Dum abs te absum. *Cic.* 2. *Fam.* 1. 2. Ego te afuisse tamdiu a nobis — dolui. *Id.* 6. *Verr.* 18. 39. abesse a domo. *Id.* 6. *Fam.* 2. 1. ab urbe. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 1. 3. ab oculis et fori et curiæ. *Plin.* 10. *Ep.* 33. Curandum, ne milites a signis absint. — *Cic. Planc.* 27. 67. Nunquam ex urbe is afuit. — *Id.* 4. *Fam.* 6. 2. Itaque et domo absum et foro. *Nep. Chabr.* 3. 4. Neque vero solus ille aberat Athenis libenter. *Ovid. Rem. Am.* 773. Ibas sine conjuge Creten, Et poteras nupta lentus abesse tua. — *Cic.* 4. *Att.* 13. 1. Ego — afuisse me in altercationibus, quas in senatu factas audio, fero non moleste. — *c*) Adjecto loco, in quo absumus, (raro tamen, et quasi per pleonasmum) cum Ablativo et præp. *in*; aut cum Accusativo et præp. *in* ita tamen, ut *abesse* idem sit ac *abisse.* *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 21. Scythiaque in finibus Istri Ille pharetrati lusor amoris abest. *Sueton. Tib.* 38. Sequenti tempore, præterquam in propinqua oppida et, quam longissime, Antio tenus, nusquam afuit. ¶ 2. Abesse est etiam distare significata spatii mensura *a*) aut per Accusativum, *b*) aut per Ablativum, *c*) aut per Genitivum, *d*) aut per Adverbia. — *a*) Cum Accusativo distantiæ, præsertim si agitur de fundis, oppidis, castris etc. *Cic. Planc.* 41. 98. Cum tamen (*homines nefarii*) abessent aliquot dierum viam. *Id.* 1. *Acad.* (*post.* 1.) 1. 1. Paullumque cum ejus villa abessemus. *Id. Sext.* 12. 29. L. Lamiam — relegavit edixitque, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta. — *Id. Cæcin.* 10. 28. Ut non auderet — dicere, quot millia fundus suus abesset ab urbe: nam cum dixisset minus abesse LIII, populus cum risu acclamavit ipsa esse. *Nep. Hann.* 6. 3. Adrumetum pervenit, quod abest a Zama circiter millia passuum trecenta. *Liv.* 30. 29. Zama quinque dierum iter ab Kartagine abest. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. Cujus hiberna aberant ab eo millia passuum XXV. *et sæpe apud omnes scriptores.* — *b*) Cum Ablativo distantiæ. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 17. 1. Ventidius bidui spatio abest ab eo. *Virg.* 11. *Æn.* 907. Nec longis inter se passibus absunt. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 16. 30. (104). Timæus historicus a Britannia introrsus sex dierum navigatione abesse dicit insulam Mictim. — *c*) Cum Genitivo distantiæ, sed per ellipsim, quæ supplenda est Accusativo vel Ablativo, puta *spatium, iter, via.* *Cic.* 5. *Att.* 17. 1. Cum in castra proficiscerer, a quibus aberam bidui. *Id. ibid.* 16. 4. Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui. — *d*) Cum Adverbiis *longe, prope, procul, alte etc.* *Plaut. Amph.* 1. 1. 165. Atque haud longe abesse oportet, verum longe hinc abfuit. *Cic.* 6. *Att.* 3. 1. Res enim est in manibus, tu autem abes longe gentium. *Id. Planc.* 7. 17. longissime abesse. *Id.* 8. *Att.* 14. 1. Nec in his locis, quæ a Brundisio absunt propius quam tu biduum aut triduum. *Id.* 3. *Fam.* 5. 4. Procul enim aberam ab re ipsa et a locis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (70). Quoniam altissime absunt (*stellæ*) et minimo feruntur motu.

II.) Translate quamplures habet significationes, quæ tamen ad duo summa capita redigi possunt: *A*) aut enim significatio nihil differt a propria absentiæ significatione translate sumpta; *B*) aut cum propria absentiæ significatione, quæ immutabilis perseverat, alia quoque significatio conjungitur, quæ ipsius absentiæ consequentia denotat.

A) Prima absentiæ significatione translate sumpta. ¶ 1. Abesse conjungitur sæpe cum abstractis. *Cæcil.* apud *Non. p.* 430. 17. *Merc.* Facile ærumnam ferre possum, si inde abest injuria. *Cic.* 12. *Fam.* 22. 2. Quidquid accideret, a quo mea culpa abest, animo forti feram. *Ter. Heaut.* 4. 2. 1. Nisi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium. *Cic.* 1. *Q. Fr.* 1. 11. Nullam a se calamitatem afuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. *Id. Sen.* 19. 66. Appropinquatio mortis, quæ certe a senectute non potest longe abesse. *Id. ibid.* 5. 15. Quod (*senectus*) haud procul absit a morte. — *Hinc illa Jurisconsultorum formula* apud *Dig.* 45. 1. 38. § 13. (*et etiam alibi*). Ut dolus malus absit. *Inscript.* apud *Orell.* 4358. DOLVMQVE MALVM HVIC REI ABESSE AFVTVRVMQVE. ¶ 2. Hinc *absit* verbum est desiderantis, sive rejiciendi et abominandi; et sæpissime occurrit, præsertim in locutione *absit invidia*, absolute interdum etiam sequente *ut*, interdum cum Infinito. *Cic. Rab. perd.* 5. 16. Carnufex vero et obductio capitis et nomen ipsum crucis absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Cf. *Virg.* 3. *G.* 383. primum aspera silva Lappæque tribulique absint. Adde 4. *ibid.* 13. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 199. Pauperies immunda — procul absit. *Tibull.* 4. 13. 7. Nil opus invidia: procul absit gloria vulgi. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 33. tu sordida tecta jugumque Servitii vulgare feres? procul absit. *Liv.* 21. 10. Absit publica fraus. *Id.* 22. 39. Absit tibi ominis causa memoria Flaminii. *Quintil.* 6. 3. 28. Longeque absit propositum illud. Adde *Plin.* 8. *Ep.* 24. — *Liv.* 9. 19., 28. 39., 36. 7. Absit invidia verbo. *Curt.* 10. 2. 24. Absit invidia. Adde 10. 9. 6. — *Apul.* 2. *Met.* 3. Absit — ut Milonem hospitem sine ulla querela deseram. *Id.* 8. *ibid.* 12. Absit, ut coæqueris. Et *ibid.* Absit, ut velim. — *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 2. Absit te ista quærere. ¶ 3. Hinc frequentissima illa loquendi formula. *Tantum abest, ut — ut —*, qua significatur rei eventus tam remotus esse, et non solum fieri nequeat, verum etiam res contraria prorsus et opposita eveniat. Pluribus autem modis occurrit, quos singillatim notandos censemus. — *Tantum abest, ut — ut* sine ulla adjectione. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 2. Ac philosophia quidem tantum abest, ut proinde ac de hominum est vita merita, laudetur, ut, a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. *Id.* 11. *Phil.* 14. 36. Ego vero istos otii, — libertatis inimicos tantum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos — oderim. — Interdum in secundo orationis membro *etiam*, *quoque*, aut *contra* adjicitur. *Cic.* 12. *Fam.* 15. 2. Tantum afuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam a Rhodiis urbe, portu, statione — prohiberentur nostri milites. Adde *Sueton. Tib.* 50. et *Liv.* 6. 30. — Sæpe dicitur *tantum abest ab eo etc.*, quæ formula maximam præ ceteris præsefert vim. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 76. Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, — ut verear etc. *Liv.* 25. 6. Tamen tantum afuit ab eo, ut ulla ignominia iis exercitibus quæreretur, ut et urbs Roma — reciperaretur. — Aliquando in secundo orationis membro pro particula *ut* cum Conjunctivo, sequitur vi quadam sua Indicativus. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 57. Qua in vita tantum abest, ut voluptates consectentur, etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt. *Id.* 13. *Att.* 21. 5. Tantum porro aberat, ut binos scriberent, vix singulos confecerant. — Interdum *tantum abest, ut* in secundo orationis membro, quasi per epiphonema collocatur, ita ut antecedentem compleat affirmationem. *Cic.* 6. *Att.* 2. 1. Dixerim me vel plurima vincula tecum summæ conjunctionis optare, etsi sunt amoris artissima: tantum abest, ut ego ex eo, quo adstricti sumus, laxari aliquid velim. — Interdum etiam personaliter occurrit, quod a Latinæ linguæ analogia minime abhorret. *Auctor B. Alex.* 22. Hoc detrimento milites nostri tantum abfuerunt, ut perturbarentur, ut incensi potius atque incitati magnas accessiones fecerint in operibus hostium expugnandis. *Nep. Ages.* 5. 2. Tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut commiseratus sit fortunam Græciæ. *Id. Tim.* 1. 3. Tantum abfuit a societate sceleris, ut antetulerit etc. ¶ 4. Hinc denique simillimæ prorsus formulæ *non aut neque multum, non aut neque procul, longe, paullum, minimum, nihil abest*, aut etiam *abesse non potest*, quæ omnes post se habent particulam *quin.* *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Neque multum abfuit, quin etiam castris expellerentur. *Id.* 5. *ibid.* 2. Paullumque abfuit, quin Varum interficeret. *Cic.* 9. *Att.* 9. 3. Aberit non longe, quin hoc a me decerni velit. *Liv.* 5. 4. Legatos nostros haud procul abfuit, quin violarent. *Id.* 8. 4. Quid abest, quin — Samnitium quoque dicto pareamus? *Sueton. Calig.* 34. Sed et Virgilii ac T. Livii scripta — paullum afuit, quin ex omnibus bibliothecis amoveret. *Id. Aug.* 14. Minimum afuit quin periret. *Virg.* 8 *Æn.* 147. nihil abfore credunt, Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant. *Cajus Gracchus* apud *Cic. Orat.* 70. 233. Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet. Similem *Gracchi* locum refert *Gell.* 11. 13.

B) Abesse plurima eaque varia significat, quæ totidem absentiæ consequentia sunt. ¶ 1. Absum idem est ac non sum particeps. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. 7. Ab hoc concilio Remi, Lingones, Treviri afuerunt. *Et paullo post:* Quæ fuit causa, quare toto abessent bello et neutris auxilia mitterent. *Liv.* 26. 41. 11. Omnibus aut ipse adfui cladibus, aut, quibus afui, maxime unus omnium eas sensi. V. *Cic. Planc.* 25. 62., *Liv.* 26. 13. 1., *Sallust. Cat.* 6. 3. *et alios sæpe.* ¶ 2. Abesse est etiam non adjuvare, non esse auxilio; et occurrit aut cum Dativo personæ, aut absolute. *Cic. Sull.* 5. 14. Ut mirari Torquatus desinat, me, qui Autronio afuerim, Sullam defendere. *Virg.* 7. *Æn.* 498. nec dextræ erranti deus afuit. *Ovid.* 4. *Met.* 649. Ne longe tibi Jupiter absit. V. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. et *Stat.* 3. *Theb.* 666. — *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 11. 36. Facile, etiam absentibus nobis, veritas se ipsa defendet. *Virg.* 2. *Æn.* 620. Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam. ¶ 3. Abesse est etiam deesse (quamvis inter hæc duo discrimen intersit. *V.* Homonym. in fine): occurrit autem interdum cum Ablat. et præp. *ab*, interdum absolute; sæpius cum Dativo. *Plaut. Epid.* 1. 1. 25. Unum a tua prætura abest. *Sallust. Cat.* 20. 16. Neque animus, neque corpus a vobis aberit. — *Cic. Brut.* 80. 276. Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos. *Liv.* 22. 60. 23. Cum omnia subsidia vitæ abessent. — *Pacuv.* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. 31. Feræ, quibus abest ad præcavendum astutia. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 281. Quid huic abest, nisi res et virtus? *Id.* 1. *Leg.* 2. 5. Abest enim

historia litteris nostris. *Varro* 2. *R. R.* 2. 5. Si mi dentes absunt. *Liv.* 7. 37. Quibus ceterorum jumentorum calonumque turba abesset. *Horat.* 3. *Od.* 24. 64. Tamen Curtæ nescio quid semper abest rei. ¶ 4. Abesse a re mala vel tristi est liberum esse. *Cic.* 6. *Fam.* 2. 3. Intelliges – ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit a culpa. *Id.* 1. *Fin.* 19. 62. a vitiis abesse plurimum. *Id.* 3. *Att.* 15. 2. a scelere. *Nep. Att.* 12. 2. a cupiditate pecuniæ. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 1. a reprehensione temeritatis. *Cic.* 4. *ibid.* 3. 2. a multis et magnis molestiis. *Cod. Theod.* 9. 17. 2. a pœna. ¶ 5. Est etiam abhorrere, alienum esse. *Nep. Epam.* 1. 2. Scimus enim musicen nostris moribus abesse a principis persona. *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. Hæc etsi ficta sunt a poeta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. *Brutus* et *Cassius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 2. 2. Quod (*fallere*) certe abest ab tua virtute et fide. ¶ 6. Est etiam differre, et sæpe jungitur abstractis. *Cic.* 1. *Off.* 16. 50. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum etc. *Quintil.* 11. 3. 89. Abesse plurimum a saltatore debet orator. *Fronto* 1. *ad Am.* 17. *p.* 289. *Mai.* Non ut par pari compares, sed ut æstimes nostrum mediocre ingenium quantum ab illo eximiæ eloquentiæ viro abfuat. *Cic.* 1. *Off.* 11. 36. Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. *Id.* 13. *Att.* 30. 2. Iste autem κολακίαι non longe absunt a scelere. *Quintil.* 9. 2. 20. A quo schemate non procul abest illa quæ dicitur communicatio. ¶ 7. Item est inferiorem esse. *Horat. Art. P.* 370. Consultus juris abest virtute diserti Messalæ, nec scit quantum Cascellius Aulus. *Cic.* apud *Non. p.* 339. 23. *Merc.* Postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti. *Id. Brut.* 62. 222. Multum ab his aberat L. Fufius. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (111). Multum a Zeuxide et Apelle abest Apellis discipulus Perseus. *Quintil.* 10. 1. 113. A nitore et jucunditate Ciceronis longe abest (*Asinius Pollio*). ¶ 8. Apud JCtos res abesse dicuntur, quarum corpus manet, forma mutata est; et ideo si corruptæ redditæ sint, vel transfiguratæ, quoniam plerumque plus est in manus pretio, quam in re: item si dominus rem, quæ furto sibi aberat, ignorans emerit; recte dicitur res ei abesse, etiam si postea id ita esse scierit: abest et ea res, quæ in rebus humanis non est. V. *Dig.* 50. 16. 13. *et* 14.

Absens, *entis*, cujus genit. plur. apud *Plaut. Stich.* 1. 1. 5. est *absentum* pro *absentium*, est Part. præs., de quo peculiaria quædam sunt animadvertenda. — *a)* Quamvis de personis proprie usurpetur, tamen de rebus etiam interdum occurrit præsertim apud Poetas. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 28. Romæ rus optas, absentem rusticus urbem Tollis ad astra levis. *Id.* 1. *Ep.* 11. 21. Romæ laudetur Samos et Chios et Rhodus absens. *Martial.* 9. 78. Absens rogus. *Stat.* 5. *Theb.* 87. Ventis absentibus. *Quintil.* 6. 2. 29. Imagines rerum absentium. *Gell.* 20. 10. Hos versus ex octavo Annali absentes dixi. *h. e.* memoriter recitavi cum liber abesset. Apud *Tibull.* 1. 6. 35. Te tenet, absentes alios suspirat amores. *mens ad personas revocatur.* — *b)* *Absente* pro *absentibus* ἀρχαϊσμός est, seu antiqua loquendi ratio, qua Comici præsertim usi sunt. *Ter. Eun.* 4. 3. 7. Nescio quid profecto absente nobis turbatumst domi. *Afranius* apud *Non. p.* 76. 19. *Merc.* Si hic absente nobis venierit puer. V. PRÆSENS. — *c)* Cum de magistratibus creandis agebatur, *absens* dicebatur, qui Romæ quidem erat, sed tamen comitiis in campo Martio minime intererat, nec munus ambiebat. V. *Drakenbork.* ad *Liv.* 4. 42. 1. et 10. 22. 9.; ratione autem habita juris V. *Dig.* 50. 16. 199. *Cic.* 6. *de re publ.* 11. Deligère (*Scipio*) iterum consul absens. — *d)* Absentes interdum dicebant mortuos, leniori vocabulo ominosam rem significantes. *Plaut. Cas. prol.* 20. Qui nunc abierunt hinc in communem locum, sed absentes tamen prosunt præsentibus. *Vitruv. Præf.* 7. 8. Ptolemæus – cum animadvertisset poetarum parentem (*Homerum*) – absentem vexari. *ubi non modo mortuum significat, sed talem etiam, cui defensionis copia non esset.* — *e)* *Præsens absens*, παρὼν ἀποδημεῖ, proverbium de iis, qui cum præsentes corpore sint, non tamen advertunt ad ea, quæ dicuntur aut fiunt, cogitatione alio distracta: quod clarius innotescit ex *Plaut. Amph.* 3. 3. 22. Audis quæ dico, tametsi præsens non ades. *Ter. Eun.* 1. 2. 112. Cum milite isto præsens absens ut sies. *Augustin.* eodem sensu 4. *Confess.* 4. Baptismum acceperat mente atque sensu absentissimus. — Hinc *Martial.* 9. 38. Fiant absentes et tibi, Galle, comæ. *h. e.* fictitiæ, comæ non tuæ, sed quæ tuos capillos imitentur.

Homonym. Quamvis *abesse* interdum significet etiam *deesse* (II. *B.* 3.); est tamen aliquod discrimen inter *abesse* et *deesse*. Verbo enim *abesse* opponitur *adesse*; verbo *deesse* opponitur *esse*. *Abest* igitur id, quod *non est hic*, ac propterea *abesse* significat absentiam a loco: *deest* vero id, quod alicui rei non est, quamvis esse debeat, ac propterea *deesse* ad rei integritatem refertur; ex. gr. humanum corpus non esset integrum, si amputatum brachium ipsi deesset. Hinc *abesse* dicuntur ea, quæ parum aut nihil interest habere: *deesse*, quæ habere oportet: sive, aliis verbis, inter *abesse* et *deesse* eadem intercedit ratio, quæ inter *carere* et *egere* vel *indigere*. *Cic. Brut.* 80. 276. *de Calidio summo oratore:* Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit: si opus erat, defuit. — Quæ itaque desunt, cupide appetuntur; non item quæ absunt: quin imo sæpius abesse dicuntur ea, quæ nobis ingrata sunt. *Horat.* 1. *Od.* 9. 17. Donec virenti canities abest Morosa. *Ovid.* 14. *Met.* 371. abest custodia regi. *Quintil.* 1. 12. 10. Quia pondus illis (*infantibus*) abest, ne se ipsi gravent. Cf. II. *A.* 1.

ABSŪMĒDO, ĭnis, f. 3. (absumo) absumendi actus (It. *consumamento*, Fr. *consommation*; Hisp. *consumicion*; Germ. *das Aufzehren*; Angl. *consumption*). *Plaut.* per verborum jocum *Capt.* 4. 3. 3. Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido, quanta sumini absumedo!

ABSŪMO, sūmis, sumpsi *vel* sumsi, sumptum *vel* sumtum, sumere, a. 3. (ab *et* sumo). Part. *Absumens* II. *b.*; *Absumptus* I., II. *a.* et *d.*, et III. 4.; *Absumpturus* II. *a.*; *Absumendus* II. *a.*

I.) Proprie est sumere aliquid ab aliquo loco, ac proinde auferre, amovere; qua tamen significatione raro admodum occurrit (It. *prender via*, *rimuovere*, *togliere*; Fr. *éloigner*, *ravir*; Hisp. *alejar*, *arrebatar*; Germ. *hinwegnehmen*, *entfernen*; Angl. *to remove*, *to take or bear away*). *Plin.* 2. *Hist. nat.* 73. 76. (184). Rursus in Meroe – bis anno absumi umbras, sole duodevicesimam Tauri partem – obtinente. Adde 5. *ibid.* 9. 10. (56)., quibus in locis *absumi umbræ solis* dicuntur, cum sol ita alicui regioni ad perpendiculum imminet, ut nullas umbras faciat. Ita enim *clarius Ammian.* 22. 15. Dein Syene, in qua solstitii tempore, quo sol æstivum cursum extendit, recta omnia ambientes radii excedere ipsis corporibus umbras non sinunt. Inde si stipitem quisquam fixerit rectum, vel hominem aut arborem viderit stantem, circa liniamentorum ipsas extremitates contemplabitur umbras absumi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (169). Absumpta hac observatione. *h. e.* sublata, cum nulla hujus observationis copia sit. *Virg.* 1. *Æn.* 559. Sin absumpta salus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (128). Qui putant eos (*dentes*) in cornua absumi, facile coarguuntur etc. *h. e.* dentium materiam exuere dentium formam et cornuum formam assumere.

II.) Derivata significatione est minuere, consumere, abolere sumendo vel auferendo aliquid ab aliquo loco (It. *consumare*, *distruggere*; Fr. *consommer*, *dépenser*, *anéantir*; Hisp. *consumar*, *gastar*, *aniquilar*; Germ. *vermindern*, *aufzehren*, *vernichten*; Angl. *to consume*, *destroy*, *make an end of*). Occurrit autem de pluribus ac diversis, quæ separatim notanda censemus. — *a)* De rebus physicis, et præsertim de re familiari et pecunia, ac de iis quæ potui ciboque inserviunt. *Plaut. Curc.* 5. 2. 2. Magna res est. PH. Nulla est mihi: nam quam habui, absumpsi celeriter. *Mostell.* 1. 3. 78. Jam ista quidem absumpta res erit: diesque noctesque estur, bibitur etc. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 26. rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis. *Plaut. Mostell.* 5. 2. 19. Fœnori argentum sumpsisse, id esse absumptum, prædico. *Ovid.* 1. *Fast.* 213. Quærere ut absumant, absumpta requirere certant. *P. Africanus minor* apud *Gell.* 7. 11. Sed tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quantum etc. *Val. Max.* 8. 6. 1. Hereditatem absumere. *Curt.* 6. 2. 10. E quis duodecim millia in congiarium militum absumpta sunt. *Ascon. p.* 18. 9. *Bait.* Opes suas absumere in impensas ædilitatis. *Sueton. Aug.* 38. Non alio datam summam quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturus. *Id. ibid.* 101. in rem publicam. *Id. Ner.* 30. *absolute:* Nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. — *Ter. Heaut.* 3. 1. 48. Pitissando modo mihi quid vini absumpsit! *Horat.* 2. *Od.* 14. 25. Absumet heres Cæcuba dignior. *Virg.* 3. *Æn.* 257. malis absumere mensas. *Varro* 3. *R. R.* 176. Pisciculos minutos aggerebant, – ut a majoribus absumerentur. *Sueton. Ner.* 37. Polyphago – vivos homines laniandos absumendosque objicere. *Virg.* 3. *G.* 268. absumpsere malis membra. — *b)* De corporis viribus, quæ paullatim minuuntur et ad nihilum rediguntur. *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. *e Sophocle.* Sic corpus clade horribili absumptum extabuit. *Lucret.* 4. 1114. (1117). absumere vires (*Editt. recentiores* nervos). *Catull.* 63. (64). 243. Anxia in assiduos absumens lumina fletus. *Ovid.* 1. *Met.* 543. et 15. 353. absumere vires. *Id.* 1. *ibid.* 742. ungula absumitur. *Seneca Troad.* 1179. artus. — *c)* De animantium morte, sive ipsa paullatim extabescant et occidant, sive de repente exanimentur, adjectis interdum nominibus *morte*, *morbo*, *fato* etc., interdum etiam absolute. *Ter. Phorm.* 2. 2. 20. Cum ille et cura et sumptu absumitur. *Ovid.* 5. *Met.* 427. lacrimis absumitur. — *Virg.* 3. *Æn.* 654. animam absumere leto. *Id.* 9. *ibid.* 494. me primam absumite ferro. *Liv.* 5. 7. Multi mortales – ferro ignique absumpti sunt. *Id.* 9. 32. Prœlium multos utrimque absumpsit. *Val. Max.* 2. 7. 15. Quos arma punica in Hispania absumpserant. *Liv.* 21. 56. Gurgitibus absumi. *Id.* 23. 30. Nisi mors eum absumpsisset. *Id.* 37. 25. Nisi eum suus furor, deinde fraus Ætolorum absumpsisset. *Id.* 40. 40. Quos pestilentia absumpsit. *Id.* 2. 119. 3. Acies absumpsit maximam partem. *Justin.* 2. 6. 12. Aquarum illuvies majorem partem populorum Græciæ absumpsit. *Liv.* 8. 18. Absumi veneno. *Id.* 4. 30. Scabie absumpta pecora. *Sallust. Jug.* 5. Fratres morbo absumpti. Adde *Tac.* 6. *Ann.* 33. *Valer. Max.* 4. 6. 5. Novo genere absumptus mortis. *Id. ibid. extr.* 1. fato. *Tacit.* 2. *Ann.* 4. morte fortuita. *Id.* 2. *ibid.* 24. fame. *Ammian.* 14. 11. vi febrium repentina. *Liv.* 9. 17. *absolute:* Ubi avunculus ejus nuper Epiri rex Alexander absumptus erat. *Val. Max. item absolute* 4. 7. 4. Neque enim absumpto illo superesse debeo. *Id.* 6. 2. *ext.* 2. Ne, si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat. — *d)* De iis etiam, quæ igne delentur. *Liv.* 30. 7. Absumere urbem flammis. *Vellej.* 2. 130. 1. Pompeji munera absumpta igni restituit. *Plin.* 10. *Ep.* 42. Incendium multas domos absumpsit. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 28. et *Dig.* 18. 1. 58. *Sueton.* similiter *Cæs.* 25. Classe vi tempestatis prope absumpta.

III.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta ab iis, quæ vescendo consumuntur (Cf. II. *a.*). *Ter. Phorm.* 5. 5. 6. Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere. *h. e.* totam amoris voluptatem quasi abligurriendo frui. ¶ 2. Quemadmodum de corporis viribus quæ imminuuntur (Cf. II. *b.*), absumere usurpatur etiam de abstractorum nominum viribus. *Ovid.* 3. *Met.* 693. Ut ira mora vires absumere posset. *Virg.* 7. *Æn.* 301. Absumptæ in Teucros vires cælique marisque. *Val. Max.* 8. 11. *ext.* 5. Sed omni impetu cogitationis in superiori opere absumpto, posteriores ejus conatus assurgere, quo tendebant, nequiverunt. ¶ 3. Metaphora sumpta a mortis significatione (Cf. II. *c.*), apud Comicos absolute *absumptus sum*, vel *pæne absumptus sum* significat *nulla mihi est salus*, *ad mala extrema deveni*. *Plaut. Epid.* 1. 1. 76. Nisi quid tibi in tete auxilii est, absumptus es. *Id. Mostell.* 2. 1. 18. Absumpti sumus: pater tuus venit. *Id. Mil. glor.* 2. 4. 55. Dum te fidelem facere hero voluisti, absumptus es pæne. ¶ 4. Translate absumere dicitur etiam de tempore, quod teritur. *Cic. Quinct.* 10. 34. A me postulat, ne dicendo tempus absumam. *Liv.* 2. 4. 3. Absumere tempus consultando. *Id.* 27. 13. priorem æstatem vincendo. *Id.* 45. 37. quatuor horas dicendo. *et alibi sæpe.* *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 70. Absumptum male tempus. *Id.* 4. *Trist.* 10. 114. Sic tamen absumo decipioque diem. *Curt.* 6. 5. 32. XIII. dies in obsequium desiderii ejus absumpti sunt. *Id.* 8. 6. 11. Itaque in permutandis stationum vicibus – XXXII dies absumpti sunt. *Id.* 3. 6. 8. Inter has cogitationes biduo assumpto. *Plin.* 1. *Ep.* 9. Quot dies frigidis rebus absumpsi. *Val. Max.* 7. 7. 1. Florem juventæ pro republica absumpserat. Et apud *Auct. B. Alex.* 7. 2. Multa frustra absumeretur oratio.

ABSUMPTĬO, ōnis, f. 3. (absumo) absumendi actus (It. *consumamento*; Fr. *consommation*; Hisp. *consumacion*; Germ. *die Aufzehrung*; Angl. *a consuming*). *Ulp. Dig.* 5. 5. 7. § 4. Res, quæ in absumptione sunt.

ABSURDĒ, adverb. (absurdus). Comp. *Absurdius*; Sup. *Absurdissime.* Est idem atque absone, ratione,

quæ a recta musices ratione quam maxime abhorret (It. *con falso tuono, in modo stuonato*; Fr. *d'une manière discordante, qui blesse l'oreille*; Hisp. *con son discordant*; Germ. *mit falschem Tone*; Angl. *vith discordant sound, inharmoniously*). ¶ 1. Proprie. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 12. Si absurde canat is, qui se haberi velit musicus. *Ammian.* 21. 1. Et grammaticus locutus interdum est barbare, et absurde cecinit musicus, et ignoravit remedium medicus. ¶ 2. Translate est inepte, stulte, ab re. *Plaut. Epid.* 3. 1. 9. Absurde facis, qui angas te animi. *Cic.* 2. *de re publ.* 15. 28. Neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum. *Id.* 5. *Att.* 1. 4. Absurde et aspere respondere. Adde *Liv.* 35. 50. *Plaut. Capt.* 1. 1. 3. Scio absurde dictum hoc derisores dicere; at ego ajo recte. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 219. Absurde dicere. *Vellej.* 2. 77. 1. Haud absurde. *Tac.* 13. *Ann.* 14. Non absurde. *Cic.* 8. *Phil.* 1. 4. Quo quid absurdius dici aut existimari potest? *Julian. Dig.* 9. 2. 51. § 2. Longe absurdius constituere. *Augustin.* 4. *de Trinit. extr.* Absurdissime dicere.

ABSURDĬTAS, ātis, f. 3. (absurdus). *a*) Proprie est abstracta qualitas, qua sonus inconditus est atque a musices arte abhorrens (It. *dissonanza, cattivo suono*; Fr. *dissonance*; Hisp. *disonancia*; Germ. *Missklang*; Angl. *discordant sound*). *Priscian. Partit. vers. Virg.* p. 1260. *Putsch.* Cum enim *nutritor* sit masculinum, debuit femininum *nutritrix* esse, sed absurditas soni minuit syllabam. *h. e.* pro *nutritrix* dixerunt *nutrix*. — *b*) Translate est stultitia, quæ cum recta ratione pugnat (It. *inconvenienza, assurdità*; Fr. *absurdité*; Hisp. *absurdidad*; Germ. *die Ungereimtheit*; Angl. *absurdity*). *Claud. Mamert.* 3. *de statu anim.* 11. Hanc absurditatem sententia sana respuit.

ABSŬRDUS, a, um, adject. (ab *et* surdus). Comp. *Absurdior* I. et II., Sup. *Absurdissimus* II. Proprie dicitur de sono vel voce incondita, absona, prorsus abhorrente a musices arte (It. *dissono, stonante*; Fr. *discordant, mal sonnant*; Hisp. *disonante, discordante*; Germ. *ab- und falschtönend, missklingend*; Angl. *dissonant, discordant*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 9. 15. *ex poeta de ranis:* Absurdoque sono fontes et stagna cietis. *Id.* 3. *Orat.* 11. 41. Vox – quasi extra modum absona atque absurda. *Charis.* 2. p. 165. *Putsch.* Consuetudine quidem obtinuit, ut *fortasse* libenter diceretur, quam *fortassis*, quoniam *fortassis* auribus nostris absurdius videtur.

II.) Translate. ¶ 1. Si de re sermo est, absurda res est stulta, inepta, inconveniens: occurrit autem cum Ablativo adjecta præsertim præp. *ab*, sæpe absolute et generatim, interdum cum Dativo. *Cic. Rosc. com.* 7. 19. Est hoc quidem auribus animisque hominum absurdum. *Tac.* 4. *Hist.* 48. Si pauca supra repetiero ab initio causisque talium facinorum non absurda. *Ter. Adelph.* 5. 8. 21. Etsi hoc pravum, ineptum, absurdum atque alienum a vita mea videtur. — *Ter. ibid.* 3. 3. 22. Ratio inepta atque absurda. *Cic. Sulla* 20. 57. Jam vero illud quam incredibile, quam absurdum! *Id.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 43. 132. Ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat. *Id. Balb.* 16. 37. Absurda res est, caveri fœdere, ut etc. *Id. Prov. Cons.* 15. 37. Non sortiri absurdum est. *Id.* 1. *Nat. D.* 16. 42. Multo absurdiora sunt ea, quæ etc. *Id.* 2. *Fin.* 13. 40. Quo nihil mihi videtur absurdius. *Id.* 7. *Att.* 13. Absurdissima mandata. *Liv.* 30. 44. 6. Lacrimæ absurdæ atque abhorrentes. *Tac.* 3. *Ann.* 47. Adulatio absurda. *Sallust. Catil.* 3. Pulchrum est bene facere reipublicæ, etiam bene dicere haud absurdum. Adde *Vellej.* 2. 38. 1. — *Tac.* 12. *Ann.* 9. Ætati utriusque non absurdum. *Id.* 6. *ibid.* 28. Cognitu non absurda. ¶ 2. Si de homine agitur, absurdus est ad aliquam artem ineptus. *Cic.* 2. *Orat.* 20. 85. Si videbitur ad mediocres oratores esse venturus, permittam ipsi quid velit: sin plane abhorrebit et erit absurdus, ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. *Sallust. Catil.* 25. Verum ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli etc. *Tac.* 13. *Ann.* 45. Sermo comis, nec absurdum ingenium. *Id.* 3. *Hist.* 62. Procax moribus Valens, nec absurdus ingenio.

ABSYCTOS, *vel* Apsyctos, *vel* Absyctus, i, f. 2. (ἄψυκτος) gemma, de qua hæc *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (148). Absyctos septenis diebus calorem tenet excalfacta igni, nigra ac ponderosa, distinguentibus eam venis rubentibus; putant prodesse contra frigora. *Inde nomen etiam accepit ab α privativo et ψύχω frigefacio; ἄψυκτος itaque qui refrigerari nequit. Isid.* 16. *Orig.* 11. 2. iisdem ferme, ac Plinius, verbis.

ABTŎRQUEO, ēre. Affertur ex *Accio* apud *Non.* 3. 66. (p. 200. 33. *Merc.*). Abtorque proram, *ubi corrigendum* obtorque proram. Cf. *Stat.* 5. *Theb.* 414. et *V.* OBTORQUEO.

ABVECTUS, ABVEHO, ABVERTO nonnulli Codd. exhibent: sed rectius legendum AVECTUS, AVEHO, AVERTO, quæ Vide.

ĂBUNDANS, antis. *V.* ABUNDO.

ĂBUNDANTER, adverb. (abundans) Comp. *Abundantius*; Sup. *Abundantissime*. Proprie est abundanti modo, quo scilicet aquæ, aut humores large aut nimis superfluunt. Occurrit tamen tantum translate, et est copiose, large (It. *abbondantemente, copiosamente*; Fr. *abondamment, richement*; Hisp. *abundantemente, ricamente*; Germ. *reichlich, in Fülle und Ueberfluss*; Angl. *abundantly, copiously, largely*). — *a*) De rebus physicis. *Sil. It.* 5. 453. abundanter defusus sanguis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 42. (69). Abundanter fructum ferre. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 11. Abundantius alere. *Cod. Theod.* 14. 15. 4. Abundantius annonas præbere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (168). Abundantius crescere. *Id.* 5. *ibid.* 9. 10. (57). Abundantissime crescere. *Sueton. Aug.* 74. Abundantissime cœnam præbere. — *b*) De oratione. *Cic.* 2. *Orat.* 35. 151. Copiose et abundanter loqui. *Id.* 3. *ibid.* 14. 53. Abundanter dicere. *Quintil.* 8. 3. 40. Abundanter dicere. *cui ibidem opponitur* presse. *Cic.* 3. *Herenn.* 1. 1. Satis abundanter demonstrare. *Id. Top.* 10. 41. Aliis disputationibus (loci) abundantius occurrunt, aliis angustius.

ĂBUNDANTĬA, æ, f. 1. (abundo) proprie est ratio aquæ aut cujuslibet humoris, qui copia superfluit (It. *abbondanza, ribocco*; Fr. *abondance, regorgement*; Hisp. *abundancia, regolfo*; Germ. *das Ab- oder Ueberströmen, Ab- oder Ueberfliessen einer Flüssigkeit*; Angl. *abundance, an overflowing*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 5. 9. 6. Abundantia palustris. *h. e.* copia aquæ palustris. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 15. (32). Abundantia sanguinis ex vulneribus. *Plin. Paneg.* 30. Abundantia Nili. Et de nimio menstruorum effluvio *Plin.* 3. *Hist. nat.* 7. 71. (138). Abundantia mensium. *Id.* 24. 9. 42. (72). mulierum. *Id.* 24. 11. 55. (93). feminarum. Adde 27. 12. 79. (104).

II.) Translata significatione occurrit aut *A*) cum Genitivo rei, quæ abundat; aut *B*) absolute.

A) Cum Genitivo rei, quæ abundat, usurpatur de qualibet affluentia, magna copia, ubertate, et quidem ¶ 1. De rebus physicis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 18. 104. (168). Abundantia lactis. *Id.* 20. *ibid.* 23. 96. (257). genituræ. *h. e.* seminis virilis. *Id.* 33. *ibid.* 10. 48. (138). pecuniæ. *Tac. Agric.* 33. commeatuum. *Flor.* 3. 12. 10. familiarum. *h. e.* servorum. *Cic. Amic.* 23. 87. Omnium rerum, quas natura desiderat, abundantia et copia. *Id. ibid.* 15. 52. Circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere. *Id.* 1. *Leg. agr.* 6. 18. Propter ubertatem agrorum abundantiamque rerum omnium. ¶ 2. De abstractis. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 6. Non otii abundantia, sed amoris erga te. *Id.* 1. *Fam.* 9. 1. Abundantia amoris erga me tui. *Id.* 3. *Fin.* 20. 65. voluptatum. *Quintil.* 10. 1. 94. Nam eruditio in eo mira et libertas, atque inde acerbitas et abundantia salis. *ita legendum est ex optimis Codicibus atque orationis contextu; quamvis Editt. legant* abunde salis. *Val. Max.* 8. 7. *ext.* 3. Plato – ingenii quoque divina instructus abundantia.

B) Absolute plura eaque diversa significat: scilicet ¶ 1. Copiam generatim et affluentiam. *Seneca* 1. *de ira* 16. 23. *de corporis tumore:* Nec corporibus copia vitiosi humoris intensis morbus incrementum est, sed pestilens abundantia. ¶ 2. Item est divitiarum copia. *Tac.* 2. *Hist.* 94. Tanquam in summa abundantia, pecuniæ illudere. *Id. Agric.* 6. Ludos, et inania honoris, moderationis atque abundantiæ duxit. ¶ 3. Significat etiam uberes agrorum reditus, ac proinde uberem annonam. *Plin.* 4. *Ep.* 6. Tusci grandine excussi: in regione Transpadana summa abundantia, sed par vilitas nuntiatur. Adde 6. *ibid.* 4. — *Inscript.* apud *Gruter.* 439. 6. QVO (*tempore*) ETIAM MVNATII CONCESSIANI FILII SVI DEMARCHIA GVMVLATIONE SVMPTV LIBERALITATIS ABVNDANTIAM VNIVERSIS EXHIBVIT CIVIBVS *etc.* Hinc Florentiæ nunc *abbondanza* dicitur quæ et *grascia*; et *abbondanziere* appellatur præfectus annonæ. Huc referri potest etiam illud *Sueton. Claud.* 40. Descripsit abundantiam veterum tabernarum. *h. e.* ciborum, quibus tabernæ abundabant, copiam. ¶ 4. Item est sumptorum ciborum redundantia et repletio in corpore humano. *Sueton. Claud.* 44. Ut quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subveniretur. ¶ 5. Denique dicitur de nimia orationis copia. *Quintil.* 12. 1. 20. Ipse se multa ex juvenili abundantia coercuisse testatur.

ĂBUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. (abundo) aquæ abundantia seu potius exundatio (It. *ribocco d'acque*; Fr. *débordement*; Hisp. *regolfo, inundacion*; Germ. *das Ab- oder Ueberströmen*; Angl. *an overflowing of water*). *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (121). Omnia (*flumina*) ex Philistinæ fossæ abundatione nascentia.

ĂBUNDĒ, adverb. ab adject. *abundus*, ex quo intelligitur ultimam vocalem in versu producendam esse (ita etiam docet *Charis.* 2. p. 190. *Putsch. Priscianus* vero 15. p. 1008. *Putsch.* ultimam vocalem corripiendam esse affirmat, si tamen sana est lectio; quocum sentit *Hand. Tursell.* 1. p. 72). — Abunde translata significatione, qua tantum occurrit, est copiose, affatim, large (It. *abbondantemente, assai*; Fr. *abondamment, amplement*; Hisp. *abundantemente, ampliamente*; Germ. *in überflüssingem, reichlichem Maasse*; Angl. *abundantly, amply, enough*). ¶ 1. Utpote adverbium jungitur *a*) verbis, *b*) aliis adverbiis, et *c*) etiam adjectivis. — *a*) Cum verbis. *Sisenna* apud *Non.* p. 516. 31. *Merc.* Perfuse atque abunde uti. *Cic.* 2. *Divinat.* 1. 3. Erit abunde satisfactum toti huic quæstioni. *Ovid.* 15. *Met.* 758. Humano generi, Superi, cavistis abunde. *Vellej.* 2. 17. 1. abunde vituperare. *Id.* 2. 103. 4. persequi. *Id.* 1. 16. 2. et 2. 116. 4. mirari. *Sallust. Catil.* 21. Quibus mala abunde omnia erant. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 10. Gratia, fama, valetudo contingat abunde. *Liv.* 4. 22. 3. Frumentum non necessitati modo satis, sed copiæ quoque abunde ex ante convecto sufficiebat. *Plin.* 1. *Ep.* 24. Scholasticis porro dominis – sufficit abunde tantum soli, ut relevare caput – possint. Adde 4. *ibid.* 12. et *Paneg.* 88. *Sallust. Jug.* 90. Abunde dictum puto. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (141). Abunde tractata est ratio. *Plin.* 10. *Ep.* 18. Abunde instructus. *Id.* 2. *ibid.* 17. Abunde viret. *Val. Max.* 1. 6. 12. Abunde monere aliquem. — *b*) Cum aliis adverbiis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 59. an tibi abunde Personam satis est – evitare? *Quintil.* 12. 11. 19. Abunde bene. Et 12. 9. 7. Abunde dixit bene, quisquis rei satis fecit. — *c*) Cum adjectivis. *Sallust. Jug.* 14. 18. Abunde magna præsidia. *Liv.* 8. 29. Abunde par. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 37. Gratus abunde. *Curt.* 6. 7. 13. Abunde constans. *Plin. Hist. nat. proœm.* 15. Abunde pulcrum atque magnificum. *Quintil.* 10. 1. 25. Abunde similis. *Id.* 11. 1. 36. Narrator abunde disertus. *Id.* 10. 1. 104. Elatus abunde. *Id.* 12. 11. 13. Annos abunde multos. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Abunde capax. *Id. Paneg.* 38. Abunde miser. ¶ 2. Verbo *esse*, et aliquando etiam verbis *habere* et *reri*, *abunde* jungitur tamquam adjectivum, quo pacto dicitur *bene est* etc.; significat autem satis superque. *Cels.* 1. 3. Huic abunde est, demittere se in aquam calidam. *Colum.* 4. *R. R.* 19. 1. Hoc dixisse abunde est. Adde 5. 3. 9. et 12. 55. 1. *Plin.* 4. *Ep.* 30. Mihi abunde est, si satis expressi, quod efficitur. *Id.* 5. *ibid.* 8. Utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. Adde 7. 2. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 21. Arboribus altitudo quatuor pedum abunde est. *Val. Max.* 6. 2. 7. E quorum turba duos retulisse abunde erit. Adde 4. 3. 14. *Sallust. Jug.* 102. Parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. *Id. Fragm.* 3. p. 79. *Haverc.* Abunde libertatem rati. *Tac.* 2. *Hist.* 95. Abunde ratus, si etc. ¶ 3. Non aliter ac *satis*, construitur etiam cum Genitivo. *Virg.* 7. *Æn.* 552. Terrorum et fraudis abunde est. *Sueton. Cæs.* 86. Se jam pridem potentiæ gloriæque abunde adeptum. *Fronto* apud *Charis.* p. 177. 34. *Putsch.* Mihi satis abundeque honorum est.

ĂBUNDO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ab *et* undo). Part. *Abundans* II. *B.* 1., III. *a.*, et in fine; *Abundaturus* II. *B.* 2. — Proprie dicitur de aquis, torrentibus, fluminibus, rivis etc., quæ nimia copia superfluentes ripas excedunt (It. *soprabbondare, traboccare, straripare*; Fr. *déborder*; Hisp. *rebosar, inundar*; Germ. *überwallen, überwoll sein, überfluthen*; Angl. *to abound, to be overstocked, overflow*).

I.) Proprie. ¶ 1. De aquis copia superfluentibus aut absolute, aut cum Ablativo. *Accius* apud *Non.*

p. 192. 4. *Merc.* Apud abundantem antiquam amnem et rapidas undas Inachi. Cf. *Cic.* 2. *de republ.* 19. 34. Abundantissimus amnis. *Virg.* 1. *G.* 115. Incertis si mensibus amnis abundans Exit. Adde 11. *Æn.* 547. *Lucret.* 1. 282. (276). Flumine abundanti, quod largis imbribus auget etc. *Id.* 6. 266. (267). Flumina abundare ut facerent camposque natare. *Id.* 5. 266. (265). Ut nihil humor abundet. *Virg.* 3. *G.* 484. Rursus abundabat fluidus liquor. *Liv.* 5. 15. 11. Quando aqua Albana abundasset. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 22. 51. (188). Ternis fere millibus passuum in omnem partem fons abundat. — *Lucret.* 5. 263. (261). Humore novo mare, flumina, fontes Semper abundare et latices manare perennes. *Tibull.* 1. 8. 21. Qualis est, arentes cum findit Sirius agros, Fertilis æstiva Nilus abundat aqua. ¶ 2. De locis quæ aquis affluunt, cum Ablativo. *Cic.* 2. *de republ.* 6. 11. Locumque delegit – fontibus abundantem. *Vitruv.* 5. 9. 6. Ex humidis et abundantibus (*locis*) excitat humorem. *Sueton. Calig.* 57. Cruore scena abundavit. ¶ 3. Raro admodum absolute de quocumque humore simpliciter fluente. *Frontin. Aquæd.* 94. Quæ ex lacu abundavit, eam (*aquam*) nos caducam vocamus. *Scribon. Comp.* 47. Cum per utrasque nares sanguis abundavit. *Colum. de Arb.* 8. 3. Ut ex his potius plagis humor defluat, quam ex insitione ipsa abundet. *Veget. a. v.* 3. 4. Si parum sanguinis abundaverit (*ex renibus*).

II.) Translate occurrit *A*) aut de iis quæ exundantium aquarum similitudinem præseferunt, *B*) aut de maxima rerum copia et affluentia.

A) Abundare est exundantium et superfluentium aquarum imaginem referre. *Plaut. Stich.* 2. 1. 6. Ripas superat mihi atque abundat pectus lætitia. *Nerat. Dig.* 17. 1. 35. *cum Accusativo.* Sic et tua pars coartabitur, ut non abundet mandati quantitatem. *h. e.* non superet, non excedat. *Apul.* 7. *Met.* 8. Veste muliebri florida in sinus – abundante. *h. e.* undarum modo fluitante ac sinuosa. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. (*Ann.* 17. 21). Semper abundantes hastas frangitque quatitque. *h. e.* quæ hastæ aquarum exundantium more et copia jaciebantur. *Lucret.* 5. 918. (917). quæ de terris nunc quoque abundant Herbarum genera ac fruges arbustaque læta. *h. e.* erumpunt, enascuntur, et veluti exundantes aquæ e terra exiliunt. *Id.* 6. 660. Ignis abundare Ætnæus. *Seneca* 2. *Nat. Q.* 30. Ætna aliquando multo igne abundavit. *Jul. Obs.* 82. (21). Mons Ætna ignibus abundavit. Cf. *Virg.* 4. *G.* 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam.

B) Abundare sæpissime usurpatur de maxima rerum copia et affluentia, et quidem tribus modis. ¶ 1. Cum Ablativo rei, cujus est copia, et interdum etiam cum Genitivo, est maximam copiam habere: dicimus autem homines et res abundare rebus, homines abundare abstractis, aut etiam abstracta abundare abstractis. — *a*) De hominibus, qui rebus abundant. *Ter. Heaut.* 3. 2. 17. et *Flor.* 3. 9. 2. Abundare divitiis. *Plin.* 7. *Ep.* 22. facultatibus. *Cic.* 5. *Verr.* 4. 9. rebus omnibus. *Id.* 2. *Off.* 3. 13. Earum rerum, quibus abundaremus, exportatio. *Lucil. Sat.* 6. apud *Non.* p. 498. 8. *Merc. cum Genitivo:* Quarum et abundemus rerum, et quarum indigeamus. *Nep. Eum.* 5. 2. Abundare omni genere copiarum. *Cæs.* 8. *B. G.* 40. copia frumenti. *Curt.* 4. 10. 13. copia rerum. *Virg.* 4. *G.* 139. apibus. *Flor.* 4. 2. 47. equitum copia. *et sic sæpissime apud omnes.* — *b*) De rebus, quæ aliis rebus abundant. *Cic. Sen.* 16. 56. Abundat (*villa*) porco, hædo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. *Ovid.* 2. *Met.* 764. Caligine semper abundet (*domus*). *Curt.* 6. 4. 21. Quorum (*commeatuum*) tum copia regio abundabat. *Id.* 10. 1. 11. Insulam – auro abundare. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Mare non sane pretiosis piscibus abundat. *Curt.* 9. 2. 10. Abundantes omni copia rerum urbes agrique. *Id.* 9. 6. 3. Regio frumento et pecoribus abundans. *V. in fine* Part. — *c*) De hominibus, qui abundant abstractis. *Ter. Phorm.* 1. 3. 11. Abundare amore. *Accius* apud *Non.* p. 305. 7. *Merc.* fortunis. *Cic. Cluent.* 65. 184. audacia. *Id.* 10. *Fam.* 16. 2. consilio. *Id.* 10. *Fam.* 10. 2. amplissimis honoribus. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. præceptis institutisque philosophiæ. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 58. æqualium familiaritatibus et consuetudine propinquorum. *Id.* 1. *Orat.* 6. 22. Græcos homines non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes. *Id.* 1. *Off.* 22. 78. Vir abundans bellicis laudibus. *V. in fine* Part. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 56. (154). abundare Venere. *Quintil.* 5. 7. 23. numero testium. *Id.* 6. 1. 50. fortuna. *Plin.* 1. *Ep.* 17. virtutibus. *et alibi sæpe.* — *d*) De abstractis, quæ abundant abstractis. *Cic. Balb.* 7. 17. Cujus oratio omnibus ornamentis abundavit. *Ovid.* 2. *Art. A.* 552. Barbarie noster abundat amor. *Quintil.* 9. 3. 50. Schema, quod conjunctionibus abundat. *Id.* 10. 1. 129. Pleraque (*in Seneca*) – abundant dulcibus vitiis. *Plin.* 3. *Ep.* 12. Socraticis tantum sermonibus abundet cœna. *et alibi sæpe.* ¶ 2. Absolute abundare est *a*) maximam copiam habere; *b*) significat etiam peculiariter divitem esse; unde *c*) tertia ducta metaphora esse felicem. — *a*) Est maximam copiam habere. *Quintil.* 10. 5. 12. Utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit (*orator*). — *b*) Est etiam divitiis affluere. *Cic.* 5. *Verr.* 4. 9. Istum, rebus omnibus undique ereptis, impune eludentem circumfluere atque abundare. *Id.* 7. *Amic.* 23. Quocirca et absentes adsunt et egentes abundant. *Id.* 1. *Att.* 4. 3. Cajetam, si quando abundare cœpero, ornabo. *Id.* 15. *ibid.* 15. 3. Cum ex reliquis – vel abundare debeam, cogor mutuari. *Sueton. Claud.* 28. Ut, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum: abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur. — *c*) Significat felicem esse, qua de re Cf. *beatus*, *μακάριος* et similia. *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 1. 3. 11. Abundare dicitur, qui successu prospero affluit. *Lucil.* apud *Donatum l. c.* Ille alter abundans Cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se. ¶ 3. Item absolute abundare significat *a*) copiosum esse, præsertim in Part. præs.; *b*) supervacaneum esse. — *a*) Significat copiosum esse. *Cic.* 1. *Divinat.* 29. 61. Sive deest naturæ quippiam, sive abundat atque affluit. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 89. Neu desis operæ, neve immoderatus abundes. h. e. nimius sis. *Cic. Quinct.* 12. 40. Non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia. *Liv.* 5. 34. Ut abundans multitudo vix regi videretur posse. *Plin.* 14. *Hist. nat. procem.* 4. Quare abundabant et præmia et opera vitæ. *Quintil.* 7. *procem.* 1. Abundans rerum copia. *Val. Max.* 6. 4. 1. Quod magis desiderio, quam satietati abundet, hauriamus. *Sueton. Aug.* 2. Abundante patrimonio. Adde *Dig.* 7. 8. 12. § 1. — *b*) Apud recentiores significat etiam supernumerarium esse (*V. Dig.* 50. 17. 94.), et supervacaneum esse præsertim apud Grammaticos de syllabis aut verbis in oratione. *Priscian. Part. vers.* p. 1216. *Putsch.* (*op. min.* p. 6. *Lind.*). Dicuntur hypercatalectici, quibus abundat una vel duæ syllabæ. *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 44. 114. (*p.* 190. 9. *Bait.*). *Hoc populus Rom. non manu vindicasset.* Confusa locutio: abundare enim videtur *non.*

Abundans, antis est Part. præs., et occurrit etiam tamquam adject., unde Comp. *Abundantior*, Sup. *Abundantissimus*, iisdem prorsus significationibus quibus verbum. — *a*) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (227). Fluvius abundantior æstate. *Cic.* 2. *de republ.* 19. 34. Amnis abundantissimus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 71. (147). per similitudinem *abundantes menses* vocat mulierum menstrua large profluentia (*V.* ABUNDANTIA I.). — *b*) Translate est præsertim 1.) valde copiosus cum Ablativo, aut cum Genitivo, aut etiam absolute. *Cic. Pison.* 26. 62. Tu abundantior consilio, ingenio, sapientia (prudentia), quam Crassus. *Id.* 2. *Orat.* 14. 58. (*Timæus*) et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus. *Nep. Eum.* 8. 5. Sed erat copiosa (*via*) omniumque rerum abundans. *Virg.* 2. *Ecl.* 20. Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans. *Sueton. Ner.* 42. Abundantissima cœna. *Id. Calig.* 17. Abundantissimum epulum. — 2.) Item absolute est dives. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 66. Multa et lauta supellex, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. *Id.* 6. *Parad.* 1. 43. Hæc utrum abundantis, an egentis signa sunt? — 3.) Peculiariter de copiosa oratione sive in bonam, sive in malam partem. *Cic. Brut.* 67. 238. Non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio. *Quintil.* 2. 4. 7. Abundantior atque ultra quam oportet fusa materia. *Id.* 9. 3. 46. Abundans super necessitatem oratio. *h. e.* πλεονασμός. *Id.* 5. 6. 2. Neque Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes. *Id.* 8. 3. 56. Tumida, exilia, prædulcia, abundantia, arcessita, exultantia.

Abundans, antis, neutrorum more, occurrit tantum in formula adverbiali *ex abundanti*, h. e. supra id quod necesse est. *Quintil.* 4. 5. 15. Egregie vero Cicero pro Milone, insidiatorem primo Clodium ostendit; tum addit ex abundanti, etiamsi id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris necari potuisse. Adde 5. 6. 2. Et 8. 3. 88. Cumulus ex abundanti. *Apud JCtos* hæc formula sæpissime occurrit. *V. Dig.* 33. 7. 12. § 46. et *ibid.* 10. 9., et 40. 1. 20.

ĂBUNDUS, a, um, adject. (abundo) valde copiosus, abundans (It. *abbondante*; Fr. *abondant*; Hisp. *abundante*; Germ. *bis zum Ueberflusse voll, reichlich*; Angl. *abundant*). *Gell.* 1. 2. Lavacris nitidis et abundis et collucentibus. *ubi tamen dubia est lectio. Paulin. Nolan. in Nat.* XIII. *S. Fel.* ed. *Murat.* 731. Fluxit abunda tuis aqua potibus atque lavacris. *Nonnulli legunt etiam in* Accio *apud* Non. 4. 192. abundis fortunis, *ubi rectius nunc legitur* abundans. *V.* ABUNDO II. *B.* 1. *c.*

ABVŎLO. *V.* AVOLO.

ĂBŪRO. Nonnulli legunt apud *Prudent. Hamartig.* 787. agrestis aburitur æstu. *ubi rectius legendum* agresti amburitur æstu.

ĂBŪSĬO, ōnis, f. 3. (abutor). Translate tantum occurrit, et quidem ¶ 1. Hoc nomine designatur figura rhetorica, quam Græce κατάχρησιν vocatam ita describit *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 45. Abusio est, quæ verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur, hoc modo: Vires hominis breves sunt, aut Parva statura, aut Longum in homine consilium etc. *Id. Orat.* 27. 94. Abusio, quam κατάχρησιν vocant, ut cum minutum dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet. *Quintil.* 10. 1. 12. Per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiserint. Adde eumd. *Quintil.* 8. 2. 5., 8. 6. 34., 3. 3. 9.; *Dig.* 36. 16. 8. *et alibi sæpe.* ¶ 2. Abusio pro malo usu raro admodum invenitur. *Salvian.* 8. *Gubern. Dei post init.* Deum inertiæ, et abusionis, et iniquitatis accusant. ¶ 3. Quoniam vero ea, quibus abutimur, aut reapse contemnimus, aut contemnere videmur; abusio est etiam contemptus. *Vulgat. Interpr. Ps.* 30. 19. Muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 46. *p.* 53. *Mai.* Si superna cælitum vis, adversus abusionem hujusmodi in ultionem contumeliæ suæ facile consurgat.

ĂBŪSĪVĒ, adverb. (abusivus) per figuram abusionis (*V.* ABUSIO), improprie, καταχρηστικῶς (It. *abusivamente, impropriamente*; Fr. *par abus, improprement*; Hisp. *abusivamente, impropiamente*; Germ. *mittelst uneigentlichen Gebrauches*; Angl. *in a sense, or meaning, different from the natural and accepted one*). *Quintil.* 8. 6. 35. Poetæ solent abusive etiam in his rebus, quibus nomina sua sunt, vicinis potius uti: quod rarum in prosa est. Adde 9. 2. 35. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Omne, quod incultum fuerit, abusive agreste vocamus. *Ulp. Dig.* 29. 3. 2. § 1. Testamentum proprie illud dicitur, quod jure perfectum est: sed abusive ea quoque testamenta appellamus, quæ falsa sunt vel injusta. *Id.* 47. 10. 15. § 40. Verberasse dicitur abusive et qui pugnis ceciderit. Adde *ibid.* 50. 1. 1. § 1., *Acron.* in *Horat.* 1. *Od.* 1. 13., *Priscian.* 1. *p.* 539. *Putsch.*, et *Isid.* 9. *Orig.* 5. 12. ¶ 2. Sumitur etiam pro perfunctorie, ad speciem, dicis causa. *Ammian.* 24. 4. 19. Cum enim discessuræ partes levius concertarent, abusive incusso ariete, sternitur omnibus altior turris.

ĂBŪSĪVUS, a, um, adject. (abusio) per abusionem dictus, καταχρηστικός (It. *detto abusivamente, improprio*; Fr. *abusif, impropre*; Hisp. *abusivo, impropio*; Germ. *uneigentlich*; Angl. *contrary to proper use*). *Cæl. Aurel.* 1. *Acut. præf.* Oportebat enim definitive loquentem propriis uti sermonibus, et non abusivis. *Auct. Paneg. ad Constantin.* 4. Nomen ipsum abusiva appellatione mutilatum. Adde *P. Consent.* p. 2021. *Putsch.*

ĂBŪSOR, ōris, m. 3. (abutor III. 2.) qui rebus suis male utitur (It. *che fa cattivo uso*; Fr. *qui abuse*; Hisp. *desperdiciador*; Germ. *der falschen Gebrauch von etwas macht*; Angl. *an abuser*). *Salvian.* 8. *Gubern. Dei* 298. Perditorum hoc adolescentum speciale convicium est, ut abusores scilicet et incuriosi ac negligentes rerum suarum esse dicantur.

ĂBUSQUE (ab *et* usque). De postremæ syllabæ quantitate, quæ brevis apud *Virg.* loco infra cit., eadem Grammatici affirmant, quæ de præp. ABSQUE, quam vocem *V.* — Abusque autem est præpositio Ablativum casum regens, quæ magnam ab aliquo termino distantiam significat (It. *sino da*; Fr. *de, depuis*; Hisp. *desde*; Germ. *von einem Puncte weg*;

Angl. *from as far as*). Occurrit autem — *a)* De loco. *Virg.* 7. *Æn.* 288. classemque ex æthere longo Dardaniam Siculo prospexit abusque Pachyno. *Ubi Servius: Abusque et adusque usurpative dicimus:* præpositio enim nec adverbio jungitur, nec præpositioni. Cf. *Donatum p.* 1767. *Putsch. Tac.* 15. *Ann.* 37. *nomini postponit:* Volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. — *NB.* Ceterum, præter duo allata, nulla sunt hujus vocabuli exempla apud optimæ notæ Scriptores; quin imo pauca etiam apud recentiores, quemadmodum apud *Apul. Mag.* 57. Abusque Œensium finibus. Adde *Avien. Arat.* 169., *Ammian.* 19. 4. et 22. 7. et *Solin.* 1. — *b)* De tempore, tantummodo apud *Plautum* occurrit, et dubia quidem lectione, *Amph.* 1. 1. 97. Hæc illic pugnata est pugna abusque mane ad vesperum. *veteres Edd.* usque a mane.

ĂBŪSUS, a, um, particip. passivæ significationis. *V.* ABUTOR.

ĂBŪSUS, us, m. 4. (abutor I.) absumptio, quæ utendo fit (It. *il consumare, consumamento*; Fr. *gaspillage*; Hisp. *desperdicio*; Germ. *das Auf- oder Verbrauchen*; Angl. *a consuming by unlawful use*). *Cic. Top.* 3. 17. Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere: usus enim, non abusus legatus est. *V. Interpretes et* Boeth. p. 301. Bait. in voc. ABUTOR I. Hinc a JCtis *res esse in abusu* dicuntur, quæ usu omnino consumuntur et pereunt. *Ulp. Dig.* 7. 5. 5. Quæ in usufructu pecuniæ diximus, vel ceterarum rerum, quæ sunt in abusu, eadem et in usu dicenda sunt. *Id. ibid.* 7. 5. 7. Idem de ceteris rebus, quæ abusu continentur, intelligimus. Adde *ibid.* 7. 8. 12. § 1., et 12. 2. 11. § 2.

ĂBŪTOR, ūtĕris, ūsus sum, ūti, dep. 3. (ab et utor). Part. *Abutens* II. et III. 3.; *Abusus* pass. I. *b.*; *Abutendus* pass. III. 2. *b.* — Abuti proprie est rem aliquam utendo absumere, consumere (It. *consumare*; Fr. *épuiser par l'usage, consumer*; Hisp. *consumir*; Germ. *abnutzen, aufbrachen, durch Benutzung aufzehren*; Angl. *to use up, consume by using, waste*).

I.) Proprie est rem aliquam utendo absumere, consumere. *Boeth.* enim in *Cic. Top.* 3. 17. *p.* 301. *Bait.* Utimur his, *inquit*, quæ nobis utentibus permanent: his vero abutimur, quæ nobis utentibus pereunt. Et *Donat.* ad *Ter. Andr. prol.* 5. Utimur, *ait*, fructibus rei, quæ salvo usu nobis subministratur: abutimur, quando deperdimus et rem, et fructum. nam usui est ager, domus: abusui vinum, oleum, et cetera hujusmodi. — Hac autem significatione occurrit apud antiquos cujuscumque generis Scriptores *a)* de more cum Accusativo, *b)* interdum etiam passive. — *a)* Cum Accusativo. *Cato R. R.* 76. 4. Item linito usque adeo, donec omne caseum cum melle abusus eris. *ubi recentiores Edd. male legunt* adusus eris. *Plaut. Trin.* 3. 2. 56. Me, qui abusus sum tantam rem patriam. *Sallust. Catil.* 13. 3. Quippe quas (*divitias*) honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. *Plaut. Pers.* 2. 3. 10. Nam hoc argentum alibi abutar. *Ter. Andr. prol.* 5. Nam in prologis scribundis operam abutitur. *Lucret.* 5. 1032. Sentit enim vim quisque suam, quam posset abuti. — *b)* Passive. *Plaut. Asin.* 1. 3. 44. AR. Ubi illæc, quæ dedi ante. LE. Abusa. nam si ea durarent mihi etc. Cf. *Non. p.* 76. 29. *Merc. Varro* apud *Priscian.* 8. *p.* 702. *Putsch.* Utile utamur potius, quam ab rege abutamur. *Q. Hortensius* apud *Priscian. ibid.* Abusis jam ab omnibus locis. καταχρησθέντων.

II.) Hinc est etiam large et plene uti; et sæpissime occurrit cum Ablativo apud optimos in prosa oratione. *Cic.* 3. *Verr.* 9. 23. Nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero. *Id.* 1. *de republ.* 9. 14. Abuti otio. *Vellej.* 2. 105. Virum navum, agilem, providum, sed eumdem, ubi negotia fecissent locum, otio liberaliter abutentem. *Cic.* 16. *Att.* 6. 4. Qui non meminissem, me abusum illo procemio. *Id.* 12. *ibid.* 6. 2. Abuti sole. *Id.* 9. *Fam.* 6. 5. Quæ igitur studiis, magnorum hominum sententia, vacationem habent etiam publici muneris; iis, concedente republica, cur non abutamur? *Liv.* 35. 12. Abuti libero mendacio. *Colum.* 7. *R. R.* 9. Rimari paludes, ut porci aquis abuti possint. *Plin.* 7. *Ep.* 30. Accedunt querelæ rusticorum, qui auribus meis post longum tempus suo jure abutuntur. *et sæpe apud alios.*

III.) Item est re aliqua uti ad aliam assequendam, rei alicujus usum ad proprium finem convertere; quo sensu *abuti* non est simpliciter *uti*, sed præp. *ab* servat vim suam amovendi, avertendi ad alium locum aut finem. Hac autem significatione abuti occurrit 1. in bonam; 2. in malam partem; 3. apud Rhetores et Grammaticos pro improprie uti vocabulis. ¶ 1. Abuti cum Ablativo est aliqua re ad alium, sed bonum, finem uti, vel rem aliquam ad propriam utilitatem honeste convertere; interdum etiam absolute. *Cic. Lig.* 1. 1. Paratus – veneram, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. *Id. Mil.* 2. 6. T. Annii tribunatu – ad hujus criminis defensionem non abutemur. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur. *Liv.* 27. 46. *absolute.* Abuti errore hostium absentium præsentiumque. ¶ 2. Sæpius est re aliqua uti in malam partem, alicujus rei usum ad pravum finem convertere (It. *abusare*; Fr. *employer mal, abuser*; Hisp. *abusar*; Germ. *missbrauchen*; Angl. *to abuse*). Usurpatur autem *a)* Adjecto fine, ad quem re aliqua abutimur; qui ponitur in Accusativo cum præp. *ad* et interdum *in*, aut in Ablativo cum præp. *pro*. *Cic. Rosc. Am.* 19. 54. Judicio ac legibus ac majestate abuti ad quæstum et libidinem. *Id.* 4. *Verr.* 25. 61. Abuti alieno nomine ad suos quæstus. *Id.* 1. *Nat. D.* 23. 64. Ad omnia atomorum regno et licentia abuti. *Catull.* 76. (77). 3. Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo Divum ad fallendos numine abusum homines. *Quintil.* 1. 3. 17. In quæ probra – isto cædendi jure abutantur. *Curt.* 10. 9. 21. Cum ejus nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos, confugit in templum. *Cic. Rosc. Am.* 21. 59. Ut vestro consessu et hoc conventu pro summa solitudine abuteretur. *Id.* 7. *Att.* 13. 6. Qui tantis de rebus huic mandata dederit; nisi forte non dedit, et hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. — *b)* Omisso fine, ad quem aliqua re abutimur, occurrit aliquando cum Accusativo apud veteres, sæpius cum Ablativo, nec raro ab adverbio quod jungitur majorem nanciscitur vim. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 27. Jam diu edepol sapientiam tuam abusa est hæc quidem. Et *Sueton. Galb.* 14. *passive:* His – adeo se abutendum permisit et tradidit, ut vix sibi ipse constaret. *Cic.* 1. *Catil.* 1. 1. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Adde *Quintil.* 9. 2. 8. *Cic.* 7. *Verr.* 43. 113. Libertate, quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimæ servitutis abusus est. *Sueton. Ner.* 42. Cuidam scenico placenti nuncium misit, abuti eum occupationibus suis. *h. e.* male uti tempore, quo ipse negotiis detineatur, ad favorem populi captandum. *et apud alios etiam sæpissime.* *Cic.* 1. *Invent.* 4. 5. Ea (*eloquentia*) quidam et privatim et publice perverse abutuntur. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 6. Intemperanter abuti otio et litteris. *Id. Orat.* 52. 176. Iis festivitatibus – insolentius abutitur. *Id.* 12. *Fam.* 1. 2. Sed immoderate quidam et ingrate nostra facilitate abutuntur. ¶ 3. Apud Rhetores et Grammaticos *abuti verbo* dicitur, qui verbo simili et propinquo pro certo et proprio utitur (unde ABŪSIO, ABŪSIVE, ABŪSIVUS, quæ *V.*). *Cic.* 3. *Orat.* 43. 169. Abutimur sæpe etiam verbo non tam eleganter, quam in transferendo: – ut cum *grandem orationem* pro longa, *minutum animum* pro parvo dicimus. *V.* alia *Ciceronis* loca in voce ABŪSIO. *Quintil.* 5. 10. 6. Potest videri hoc nomine recte abusus. *Sueton. Tib.* 43. *de verborum lusu:* Nomine insulæ abutentes.

ĂBYSSUS, i, f. 2. (ἄβυσσος). Abyssus, inquit *Isid.* 13. *Orig.* 20., est profunditas aquarum impenetrabilium, sive speluncæ aquarum latentium, de quibus fontes et flumina procedunt, vel quæ occulte subter eunt: a Græco α intensivo, et βυσσός, Jonice pro βυθός, profunditas. *Alcim. Avit.* 4. 534. Quæque prius vomuit letali ex ore fluenta, Objicibus propriis constricta resorbet abyssus. *Vulgat. Interpr. Gen.* 7. 11., 8. 2. et alibi sæpius. ¶ 2. Translate ab Ecclesiasticis Scriptoribus sumitur etiam pro loco inferorum. *Prudent. Hamartig.* 835. Mersandam penitus puteo ferventis abyssi. Adde *Vulgat. Interpr. Rom.* 10. 7. et alibi. ¶ 3. Item translate apud Eccles. Scriptores est etiam profunditas impenetrabilis. *Vulgat. Interpr. Ps.* 35. 7. Judicia tua abyssus multa. *Commodian.* 27. 19. *masculino genere:* Sic habet abyssus noster de Dei secreto.

AC

AC, conjunctio vel particula copulativa, de qua *V.* in voce ATQUE.

ĂCĂCIA, æ, f. 1. (ἀκακία ab ἀκάζω acuo) est frutex spinosus, qui albus et niger, item viridis in Ægypto, tenerrimus et spinosior in Galatia fit, semine lenticulæ simili, minore tantum et grano et folliculo: pluribus describitur a *Plin.* 24. *Hist. nat.* 12. 67. (109). et seqq.: paucis est *Mimosa Nilotica* Linn., *Mimosa Leguminosa* Juss., *Acacia vera* seu *Arabica* Wild., ex qua diffluit *Gummi Arabicum Offic.*, κόμμι ἀκακίας ἀκάνθης Dioscoridis; hinc genere omnino diversa ab arbore illa, quæ vulgo *Acacia* seu *Robinia pseudo-acacia* dicitur (It. *acacia*; Fr. et Hisp. *acacia*; Germ. *die Acazie*; Angl. *a kind of thorny shrub, from which gum-arabic is produced*). Porro ex Ægyptiaca veteres succum eodem nomine exprimebant, cujus varios in medicina usus recensent *Plin. l. c.*, necnon 20. 21. 85. (233). et 30. 7. 19. (56).; *Cels.* 4. 18., 5. 1., 5. 7., 6. 6. et alibi; *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18.; *Scribon. Comp.* 23. Acaciæ succo præterea utebantur veteres etiam pro fuco. *Petron. Satyr.* 23. Perfluebant per frontem sudantis acaciæ rivi, et inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare. *h. e.* qua capillos tinxerat, nam *Plinius* quoque *l. c.* ait acacia capillos tingere solitos esse veteres. ¶ 2. *Acacia* a Græcis dicebatur, teste *Isid.* 17. *Orig.* 7. 29., succus expressus ex arboris pomo, quam Græci xylizyron, Latini corrupte siliquam vocarunt.

ĂCĂLANTHIS, idis, f. 3. (ἀκαλανθίς) avis minima, colore viridi obscuro, eadem quæ ACANTHIS, quam vocem V. *Virg.* 3. *G.* 338. Littoraque halcyonem resonant, acalanthida dumi. *acalanthida* Accusativus est Græcæ positionis pro *acalanthidem*; *alii leg.* et acanthida dumi; sed vulgatam lectionem, præter vetusta exemplaria, tuentur *Pierius*, *Heyn.*, et ipse *Servius* in *Virg. l. c.*, qui ait: Per dumos vero acalanthis, quam alii lusciniam esse volunt, alii vero carduelem, quæ spinis et carduis pascitur: ut inde etiam apud Græcos ἀκαλανθίς dicta sit ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, i. e. spinis quibus pascitur.

ĂCĂLĒPHĒ, es, f. 1. (ἀκαλήφη) Græca vox, quæ Latine urtica redditur. *Æm. Macer de herb. virt.* 4. Græcus acalephen, nos urticam vocitamus.

ĂCĂNOS, i, m. 2. (ἄκανος) est herba (*Onopordum acaulon* Linn.), cui nomen a spinis (*V.* ACACIA), de qua ita *Plin.* 22. *Hist. nat.* 9. 10. (23). Sunt qui et acanon eryngio adscribant, spinosam brevemque et latam herbam spinisque latioribus; hanc impositam sanguinem mire sistere (It. *una specie di cardo*; Fr. *chardon aux anes, onoporde*; Hisp. *especie de cardo*; Germ. *Krebsdistel*; Angl. *sort of thistle*).

ĂCANTHĂ, æ. *V.* ACANTHUS.

ĂCANTHICĒ MASTICHĒ vocabula Græcis litteris scribenda ἀκανθικὴ μαστίχη, *h. e.* spinosa resina; peculiariter autem est lacrima helxines fruticis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 56. (96.). Helxines hujus vertex summus lacrimam continet jucundi saporis, acanthicen mastichen appellatam.

ĂCANTHILLIS, idis, f. 3. herba, Latine asparagus agrestis appellata apud *Apul. Herb.* 84.: sed *acanthyllis* profecto scribendum est (It. *sparagio selvatico*; Fr. *asperge sauvage*; Hisp. *esparrago salvage*; Germ. *wilder Spargel*; Angl. *the herb wild asparagus*).

ĂCANTHĪNUS, a, um, adject. (acanthion) qui est acanthii, vel ex acanthio, quam vocem *V.* infra. *Varro* apud *Serv.* in *Virg.* 1. *Æn.* 649. Ctesias ait in India esse arbores, quæ lanam ferant, item Epicadus in Sicilia; quarum floribus cum dempti sunt aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem. Hinc vestimenta acanthina appellata. *h. e.* texta ex lanugine, qua acanthii folia sunt obducta. Idem affirmat *Plinius*. *V.* ACANTHION. ¶ 2. Acanthinus est etiam acanthi similitudinem referens. *V.* ACANTHUS 1. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 4. Caules acanthini. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 38. 78. Euphorbia specie thyrsi, foliis acanthinis. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 21. In cujus (*acanthi*) imitationem (*ita legendum puto*; Lind. *edidit* imitatione) arte vestis ornatur, quæ acanthina dicitur. *h. e.* textile opus quod acanthi ramos cum floribus foliisque referret. *Serv. l. c.* idem affirmat ipsissimis verbis: et *Schol.* in *Serv.* 2. *G.* 119. *Acan-*

thi, de quo Gulfo scripsit, quod in ejus flore texta (*edit.* tincta) vestis *acanthia* (fortasse *acanthina*) dicitur. Ita, ratione habita etymologiæ, *Isidori* locum a *Varronis* loco distinguendum putavi.

ACANTHION, ii, n. 2. (ἀκάνθιον) Græca vox, Græcisque litteris certe scribenda, quæ spinosum fruticem significat, de quo hæc *Plin.* 24. *Hist. nat.* 12. 66. (108). Huic (*spinæ albæ*) similis est spina illa, quam Græci acanthion vocant, minoribus multo foliis, aculeatis per extremitates, et araneosa lanugine obductis; qua collecta etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in Oriente. Ipsa folia vel radices ad remedia opisthotoni bibuntur. *V.* ACANTHINUS 1. Cf. et *Dioscor.* 3. 18. Est autem Acanthion *Plin. l. c.* Onopordum Acanthium *L.*

ACANTHIS, idis, f. 3. (ἀκανθίς) est avis minima stridulo cantu, colore viridi obscuro, quæ inter spinas et carduos degit; unde et nomen traxit, nam ἄκανθα Græce spinam significat. Perpetuas cum asinis inimicitias gerere dicitur spinarum flores devorantibus. Uno partu duodenos parit. Hæc enim *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (175). de ipsa narrat. Alio Græco vocabulo dicitur et *acalanthis*, quam vocem vide ibique *Serv.*; Latine vero *carduelis* a carduis, inter quos degit et pascitur: est *Fringilla carduelis* Linn. (It. *cardellino*; Fr. *chardonneret*; Hisp. *jilguero, cardoncillo*; Germ. *Distelfink oder Stieglitz*; Angl. *a linnet, or a goldfinch*). *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (205). Et acanthis in spinis vivit. *Calpurn.* 6. 6. Credibile est, ut vincat acanthida cornix. *acanthida* Accusativus est Græcæ positionis pro *acanthidem*. ¶ 2. Est etiam nomen herbæ, quæ alio Græco nomine Erigeron, Latino autem *senecio* appellatur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 106. (168).

ACANTHICUS, a, um. *V.* ACANTHINUS 2. et ONOM.

ACANTHUS, i, gen. m. et fem., et acanthus, a, um, adject. (ἄκανθος). ¶ 1. (It. *brancorsina*; Fr. *acanthe ou branche ursine*; Hisp. *acanto*; Germ. *ächter Bärenklau*; Angl. *the herb branchhircin, or brank-ursin, bear's-foot*). Generatim est commune nomen cujuscumque plantæ spinosæ: peculiariter est herba folio, quam lactucæ, latiore multo, et longiore erucæ modo incisuris divisa, et laciniosa, in hortis nascens et locis humentibus. Ejus duo sunt genera. Alterum silvestre, aculeatum et crispum, quod brevius et carduo simile; cui proprie hoc nomen convenit, scil. ab ἄκανθα *spina*, quia spinosum est (Acanthus aculeatus et crispus *Plin. l.* infra *cit.*, Acanthus spinosus *L.*). Alterum genus, sativum, leve et glabrum, quod est Acanthus mollis *Linn.* et A. pæderos seu melamphyllum *Plin. l.* infra *cit.*, et de quo intelligendi sunt omnes, qui hac paragr. memorantur Scriptores. Hujusmodi acanthum *Virg.* et *Plin.* locis infra citatis *flexum*, *flexuosum*, *lubricum*, *liquidum* et *mollem* appellant: *Virgilius* autem etiam *ridentem* dicit, ut 4. *Ecl.* 20. Hujus varios in medicina usus refert *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 34. (76)., qui secundum hoc genus urbanum appellat, et topiarium, quia scilicet satu et cultu lætatur, et præterea topiariis operibus aptissimum est: habet enim caulem binum fere cubitorum altitudine, crassitudine digiti, maxime sequacem. In deliciis fuit apud veteres: hinc ejus formam jam inde a Callimacho in columnarum capitulis ordinis Corinthii insculpserunt, teste *Vitruv.* 4. 1. 9. — Ejusdem formam in cælatis quoque vasis insculpere soliti erant. *Virg.* 3. *Ecl.* 44. duo pocula fecit, Et molli circum est ansas amplexus acantho. *Ovid.* 13. *Met.* 701. Summus inaurato crater erat asper acantho. *Propert.* 3. 7. 14. At Myos exiguum flectit acanthus iter. *h. e.* Myos cælatura flexuoso opere in acanthi formam elaborata. — Item ejusdem formam in vestibus acu pingebant. *Virg.* 1. *Æn.* 649. Et circumtextum croceo velamen acantho. *Id. ibid.* 711. pictum croceo velamen acantho. *V.* et ACANTHINUS 2. — Denique hac herba hortos et xystos ornabant. *Virg.* 4. *G.* 123. flexi tacuissem vimen acanthi. *Colum.* 10. *R. R.* 241. Pallida (*cinara*) nonnunquam tortos imitatur acanthos. *Plin.* 5. *Ep.* 6. 36. Post has (*platanos*) acanthus lubricus et flexuosus. Et *ibid.* 16. Acanthus in plano mollis et, pæne dixerim, liquidus. ¶ 2. Est præterea *acanthus* arbor quædam, semper frondens, nobis incognita, quam *Virgilius l.* infra *cit.* inter arbores numerat, quæ balsama et baccas ferunt: *Forcellino*, *Heynio*, *Salmasio* aliisque videbatur esse spina Ægyptia, sed minus recte: putatur autem gen. fem., quia subauditur *arbor*. *Virg.* 2. *G.* 119. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi? Ubi *Servius* eadem abundare etiam Circinam insulam affirmat. *Vellej.* 2. 56. 2. ubi quinque Julii Cæsaris triumphos refert, eorum apparatus, *h. e.* statuas et imagines cæsorum imperatorum, urbium captarum, fluminum, montium, regionum, in quibus pugnatum erat, ex variis materiis fuisse narrat, ut in Gallico triumpho omnia ex citro, in Pontico omnia ex acantho, in Alexandrino ex testudine, in Africo ex ebore, in Hispaniensi ex argento. Ex quo satis liquet, acanthum etiam inter arbores esse numerandam. In quo *Vellej.* loco *acanthum* gen. neutr. putandum est, quia subauditur *lignum*. ¶ 3. *Acantha* denique occurrit apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Acantha Ægyptia, quam nos Latine spinam Ægyptiam dicere poterimus. — *NB.* Acanthus est etiam nomen proprium, de quo *V.* ONOM.

ACANTHYLLIS, idis, f. 3. avis parva, ἀκανθυλλίς ab *Aristotele* 9. *Hist. anim.* 14. appellata, ex quo hæc mutuatus est *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (96). In genere vitiparrarum est, cui nidus ex musco arido ita absoluta perficitur pila, ut inveniri non possit aditus. Acanthyllis appellatur eadem figura ex lino intexens.

ACAPNOS, on, adject. (ἄκαπνος) Græca vox, Græcaque positione efferenda, ab α privativo, et καπνός *fumus*, *h. e.* sine fumo (It. *senza fumo*; Fr. *sans fumée*; Hisp. *sin humo*; Germ. *rauchlos*; Angl. *that doth not emit smoke*). Apud *Martial. lib.* 13. in titulo *Epigramm.* 15. *ligna acapna* sunt ea, quæ vel cocta sunt, vel adeo sicca, ut ardendo fumum non emittant. — A *Colum.* 6. *R. R.* 33. 2. et a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (45). *acapnon mel* dicitur, quod a favis citra fumum eximitur: nam in castrandis favis fumum, seu suffitum ad apes abigendas adhiberi solet, quo nonnihil mel vitiatur. — *Acapnon pulejum* apud *Pelagon.* 21. *ante med.*, quod in *Hippiat.* γλήχων καθαρός appellatur.

ACARNE. *V.* ACHARNE.

ACASIGNETE. *V.* CASIGNETE.

ACATALECTICUS et

ACATALECTUS, a, um, adject. (ἀκατάληκτος) Græca vox composita ab α privativo, et v. καταλήγω *desino*; et proprie acatalecticus est cui nihil deest. Occurrit autem tantum de versu, qui a Grammaticis acatalecticus dicitur, si nulla ipsi deest syllaba: cui opponitur *catalecticus*, qui est una syllaba brevior. *Diomed.* 3. p. 501. *Putsch.* Acatalecta, est integer versus singulorum metrorum. *Acatalectus* occurrit etiam in *Mar. Victor. art. gramm.* 2. p. 2525. *Putsch.* (2. 4. 5); sed 1. p. 2503. 2504. 2505. *Putsch.* (1. 17). modo *acatalectus*, modo *acatalecticus* legitur. *Priscian. Partit. vers. Virg.* p. 1216. *Putsch.* Catalecticos dicunt, quibus deest in fine aliquid: Acatalecticos, quibus nihil deest. Adde *Mar. Serv. Hon. Cent.* p. 1817. *Putsch.*, sive *Marium Plotium* 2. 10.

ACATIUM, ii, n. 2. (ἀκάτιον) Græca vox, deminutiva, ut videtur, ab ἄκατος (quod fortasse ab ἀκάζω *acuo*), qua significatur parva navis, velis instructa et cursu celerrima: idem est ac *scapha*, *Sueton.* enim *Cæs.* 64. narrat, eumdem Cæsarem Alexandriæ subita hostium eruptione compulsum fuisse in scapham, sed pluribus eodem præcipitantibus desiluisse in mare, tandem nando evasisse ad proximam navim; et *Plutarchus* in *Cæs.* idem narrans, navigium illud ἀκάτιον vocat (It. *barchetta*, *battello*, *schifo*; Fr. *esquif*, *nacelle*; Hisp. *esquife*, *barquilla*; Germ. *kleines schnellsegelndes Schiff*; Angl. *a pinnace*, *barge*, *skiff*). *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 49. (94). Prodidit Mucianus concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata. *Gell.* 10. 25. acatium inter naviziorum genera enumerat; ubi tamen *acatiæ* fem. gen. legitur sed mendose, *acatia* enim recte legendum. *Alii aliter.* ¶ 2. Acatium esse maximum in navi velum affirmat *Isid.* 19. *Orig.* 3. 2. Genera velorum acathium, epidromos, dolon, artemon, supparum, mendicum. Ex quibus acatium velum maximum, et in media nave constitutum. *Festus* p. 340, 20. *Müll.* Supparum appellant dolonem, velum minus in navi, ut acation, majus. *Pollux* quoque *lib.* 1. c. 9. tria in navi memorat vela, minimum δόλωνα, majus ἀκάτιον (masculino tamen genere), maximum ἐπίδρομον. Memoratur etiam a *Xenophonte* 6. *Hell.* 2. 27., ubi videsis *Schneider. Addit.*; et ab *Hesychio*, sed neutro tantum genere, ut apud *Xenoph. l. c.*

ACATUS, i, f. 2. (ἄκατος) fere idem quod acatium, hoc est genus parvæ navis, velis instructæ et cursu celerrimæ. *Auson. Ep.* 22. 31. Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate Tarnim et Garumnam permeat. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 1. Quamobrem, Pontice nauclere, si nunquam furtivas merces in acatos tuas recepisti etc. *Not. Tir.* p. 178. Myoparon, agatus. *lege* acatus.

ACAUNUMARGA, æ, f. 1. vox composita a Celtico vocabulo agaunum *petra*, et marga, *h. e.* terra petrosa, sive genus terræ arenosæ, coloris rufi, intermixto lapide terræ minutæ. Ejus meminit *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (44)., ubi alii aliter legunt, sed minus recte.

ACAUSTUS, um, adject. (ἄκαυστος) Græca vox ab α privativo et καίω *uro*, *h. e.* ignem non sentiens, sive qui non comburitur (It. *che non s'abbrucia*; Fr. et Hisp. *incombustible*; Germ. *unverbrennlich*; Angl. *incombustible*). *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (92). Principatum habent carbunculi a similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, a quibusdam ob hoc acausti appellati. *Cod. Bamb.* acaustoe. *In aliis Codd.* apyroti; quæ vox idem significat, ab α privativo et πυρόω *uro*, *inflammo*.

ACCANO *vel* adcano, is, ere, 3. (ad *et* cano) idem quod accino. *Varro* 6. *L. L.* 75. p. 103. *Müll.* Canere et accanit et succanit, ut canto et cantatio, ex Camena permutato pro m n.

ACCANTO *vel* adcanto, as, avi, atum, are, n. 1. (ad *et* canto) juxta cano (It. *cantare appresso*; Fr. *chanter auprès*; Hisp. *cantar junto*; Germ. *bei etwas singen*; Angl. *to sing to, or by the side of*). *Stat.* 4. *Silv.* 4. 55. Maroneique sedens in margine templi Sumo animum, et magni tumulis accanto magistri.

ACCANTUS (accanto) est vocabuli forma, quam ad etymon vocis *accentus* declarandum effinxit *Capell.* 3. p. 60. Accentus quasi accantus dictus est. Cf. si vis *Bed. de metris* p. 2358. *Putsch.*

ACCEDENTER *vel* adcedenter (accedo). Comp. *Accedentius.* Affertur ex *Cassiodoro* in optimis Lexicis *Freund* et *Klotz*, loco tamen non memorato, quem nondum inveni.

ACCEDO *vel* adcedo, edis, essi, essum, edere, n. 3. (ad *et* cedo). *Accestis* per syncopen pro *accessistis* occurrit apud *Virg.* 1. *Æn.* 201. *V.* infra I. 1. b. — Part. *Accedens* II. *A.* 2. et *B.* 1.; *Accessurus* II. *A.* 3. b. et *B.* 3. — Accedo proprie est appropinquo, proximus fio, advenio (It. *accostarsi*, *avvicinarsi*, *andare*; Fr. *approcher de*, *aller à*; Hisp. *acercar*, *ir ó andar*; Germ. *heran-oder hinangehen an etwas*, *hinzugehen*, *herbeikommen zu etwas*; Angl. *to draw near or nigh to*, *to approach*, *accost*, *arrive at*).

I.) Proprie ponitur de homine, qui a loco profectus alium locum versus appropinquans contendit, et interdum etiam de rebus, quæ tamen ab hominibus aut per se moveantur. Occurrit autem aut *a*) absolute; aut adjecto homine aut loco, ad quem acceditur *b*) cum Accus. et præp. *ad*, *c*) cum Accus. et præp. *in*, et aliquando *inter*, *d*) cum Accus. sine præp., *e*) cum Dat., *f*) cum Adverbiis localibus; aut raro admodum *g*) cum Infinito. — *a*) Absolute, adjectis interdum Adverbiis quæ accessionem clarius definiant, etiam impersonaliter. *Plaut. Amph.* 1. 3. 17. Accedam atque hanc appellabo. *Ter. Eun.* 4. 7. 21. Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior. *Id. Andr.* 1. 1. 49. Postquam amans accessit pretium pollicens etc. *Cic. Cæcin.* 13. 36. Dejici porro nullo modo potuisse, qui non accesserit. *Plin. Paneg.* 24. Hæret lateri tuo, quisquis accessit. *Cels.* 3. 1. Si inter initia medicus accessisset. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Cum procul aspiciunt hostes accedere ventis Navibu' velivolis. — *Plaut. Rud.* 3. 4. 3. Jube modo accedat prope. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Tamen accessit propius. — *Id. ibid.* 8. 21. *impersonaliter*: Quod eó proxime accedi poterat. — Sæpius occurrit adjecto homine aut loco, ad quem acceditur: — *b*) Cum Accus. et præp. *ad* sæpissime, etiam impersonaliter. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 14. Accedam ad hominem. *Id. Amph.* 1. 1. 108. ad ædes. *Ter. Phorm.* 5. 6. 24. intro ad heram. *Id. Adelph.* 4. 4. 23. ad fores. *Id. Andr.* 1. 1. 103. ad flammam imprudentius. *Cic. Pis.* 27. 65. ad ludos. *Id. Cæcin.* 8. 22. *impersonaliter*: Ad eas (*oleas*) cum accederetur. *Id.* 4. *Fam.* 4. 3. Cum senatus ad Cæsarem supplex accederet. *Id.* 2. *Att.* 2. 2. Accedere ad aliquem comminus. *Id.* 3. *ad Q. fr.*

2. 2. ad corpus alicujus. *Id.* 5. *Verr.* 58. 133. alicui ad aures. *Apud inferioris ævi Scriptores* accedere ad manum *est* adorandi gratia ad manum osculandam accedere. *Capitolin. Maximin.* 5. Nunquam ad manum ejus accessit, nunquam illum salutavit. *Vopisc. Aurelian.* 14. Post hæc Aurelianus surrexit, atque ad manus accessit, agens gratias. *Alia prorsus significatione* accedere ad manus *occurrit apud optimos Scriptores: namque est* committendi prælii copiam habere *apud Nep. Eum.* 5. 2. Neque unquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus pauci multis possent resistere. *Alio sensu apud Cic.* 2. *Att.* 1. 7. Digito se cœlum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. *h. e.* ita ut capi possint. *Cn. Pompejus apud Cic.* 8. *Att.* 12. *A.* 3. Ut ad has cohortes, quas dubio animo habeo, hostis accedere – possit. *Cic.* 8. *Att.* 3. 6. Armatum ad patriæ mœnia accedere. Adde *Liv.* 24. 20. — *Præpositio* ad *jungitur etiam nominibus propriis provinciarum, regnorum etc., necnon urbium, si tamen agitur de accessione tantum ad urbem. Nep. Milt.* 4. 2. Inde ad Atticam accesserunt. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 106. Cum inde Roma proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit – magna sane multitudo. *Id.* 7. *Verr.* 36. 95. Prædones – accedere incipiunt ad Syracusas. *præp.* ad *in nonnullis Codd. desideratur, sed mendose, omissa enim præpositione verbum* accedere *significaret* ingredi in urbem, *ut patet ex Cic.* 4. *Verr.* 49. 109. Qui accessistis Hennam, vidistis simulacrum Cereris e marmore etc., *necnon ex* 12. *Phil.* 9. 23. Poterone Ariminum tuto accedere? — *c*) Cum Accus. et præp. *in*, et aliquando *inter. Cic. Cæcin.* 13. 36. Accedere in ædes. *Id.* 6. *Verr.* 23. 51. in oppidum. *Id.* 5. *Att.* 16. 4. in provinciam suam. *Id. Pis.* 21. 50. in regnum. *Id.* 1. *Fam.* 10. in Appuliam. *Id.* 10. *Phil.* 6. 13. in Macedoniam. *Id.* 7. *Att.* 4. 2. in senatum. *Id.* 2. *Leg.* 26. 66. in funus aliorum. *et alibi sæpe.* Accedere in aliquem *raro admodum occurrit et significat* invadere. *Val. Flacc.* 3. 186. Accessere (nefas!) tenebris fallacibus acti Tyndaridæ in se se. *Cum præp.* inter *Liv.* 29. 25. 2. Naves – inter Albingaunos Ligures Genuamque accesserunt. — *d*) Cum Accus. sine præp., præsertim si agitur de regione aut provincia aliqua: interdum etiam cum Accus. personæ. *Nep. Hann.* 8. 1. Hannibal cum quinque navibus Africam accessit. *Id. Milt.* 1. 4. Accedere Lemnum. *Lucilius apud Gell.* 16. 9. Setinum finem. *Lucret.* 1. 925. (926). et 4. 2. juvat integros accedere fontes Atque haurire. *Virg.* 1. *Æn.* 200. Scyllæam rabiem propius penitusque sonantes Accestis scopulos. *Sil. It.* 6. 601. Tarpejum collem. *Id.* 14. 3. Sicanios portus. *Ennius apud Gell.* 10. 29. et apud *Non.* p. 530. 3. *Merc.* Atque atque accedit muros Romana juventus. *Nep. Milt.* 7. 2. Deinde vineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit. *Nep. Them.* 4. 1. Protinus accessit astu. *Sall. Jug.* 20. 3. Accedere loca hostiliter. *Tac.* 12. *Ann.* 33. *passive:* Accedi clementer loca poterant. *Id.* 2. *ibid.* 58. ripam accedere. *Cum Accus. personæ* accedere *est* adire aliquem colloquendi gratia. *Sall. Jug.* 62. 1. Is, ubi primum opportunum, Jugurtham anxium – accedit: monet atque lacrumans obtestatur etc. *Id. ibid.* 71. 5. Jugurtham placandi gratia accedit. *Tac.* 3. *Hist.* 24. Hæc, ut quosque accesserat: plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens. — *e*) Cum Dat. præsertim apud Poetas. *Ovid.* 15. *Met.* 745. Hic tamen accessit delubris advena nostris. *Id. ibid.* 818. Ut Deus accedat cœlo templisque locetur. *Sil. It.* 15. 571. silvis accedere nostris. *et apud alios sæpissime cum Dat., præsertim translate. V.* infra II. *Plaut. Trin.* 5. 12. 14. Accedere alicui obviam. — *f*) Cum Adverbiis localibus *eo, eodem, illuc, illo, huc* etc., quæ a Dat. originem duxerunt. *Plaut. Curc.* 5. 2. 28. Accedo huc. Adde *Ter. Eun.* 3. 2. 19. *Ter. Hec. pr. alt.* 26. eodem. *Cic. Cæc.* 16. 46. illo. *Sall. Jug.* 14. 17. Quo accedam, aut quos appellem? *Nep. præf.* 7. In interiore parte ædium – quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus. *Scribon. Comp.* 13. Quo neque Sol, neque Luna accedit. *Quintil.* 3. 6. 79. Accedere illuc. *V.* et infra II. — *g*) Cum Infinito. *Apul.* 4. *Met.* 3. Dum cunctanter accedo decerpere (*rosas*).

II.) Translate accedere ponitur *A*) cum de hominibus, *B*) tum de rebus ac præsertim abstractis; et multiplici quidem significatione.

A) De hominibus. ¶ 1. *Accedere ad aliquem*, aut *ad alicujus amicitiam, societatem etc.*, est ejus partibus favere, ab ipso stare, cum ipso amicitiam, societatem etc. inire. Occurrit autem cum Accus. et præp. *ad*., interdum etiam cum Dat. *Ter. Phorm. prol.* 29. Voluntas vestra si ad poetam accesserit. *h. e.* si plaudendo faveritis. *Cœlius apud Cic.* 8. *Fam.* 16. 2. Ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summæ stultitiæ est. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Neque civitates, quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum supportare. *Nep. Eum.* 1. 4. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi. *Cic.* 5. *Verr.* 29. 69. Condemnari – malebant, quam ad ejus conditiones pactionesque accedere. — *Tac.* 12. *Ann.* 31. Iceni, valida gens, nec prœliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. — *Sueton. Galb.* 12. Civitates, quæ cunctantius sibi accesserant, punilt. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 72. Illis Accedas socius. *Tac.* 1. *Hist.* 70. Accipit, alam Silanam, circa Padum agentem, sacramento Vitellii accessisse. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Si denique precibus meis tu potissimum adjutor accesseris. ¶ 2. Est etiam assentiri, et usurpatur cum Dat. *alicui* aut *alicujus sententiæ*, aliquando etiam cum Accus. et præp. *ad* vel *in sententiam. Vellej.* 1. 8. 5. Libenter enim iis, qui ita prodiderunt, accesserim. *Quintil.* 9. 4. 2. Accedam in plerisque Ciceroni. *Id.* 9. 2. 24. Illis non accedo. *Id.* 9. 2. 102. Celsus, videlicet Rutilio accedens. et *Id. alibi sæpissime. Plin.* 1. *Ep.* 20. Si mihi accederes. *Tac.* 1. *Hist.* 34. Galba speciosiora suadentibus accessit. *Quintil.* 1. 5. 37. Opinioni accedere. *Id.* 2. 15. 1., *Plin.* 4. *Ep.* 10. et 8. *ibid.* 14., et *Dig.* 36. 2. 12. § 6. sententiæ. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 2. 43. Voto ejus et precibus accessi. *Id. ibid.* 3. 32. Quod si tu quoque tam justæ indignationi nostræ accesseris etc. *Plaut. Aul.* 2. 8. 13. Accessit animus ad meam sententiam. *Dig.* 42. 1. 4. § 3. Ex magna tamen et idonea causa accedendum erit ad Labeonis sententiam. et *ibid. alibi sæpe. Nep. Milt.* 3. Ad hoc consilium cum plerique accederent. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 21. Quamvis Cleomenes – et Dinocrates – in eam sententiam non accederent, etc. ¶ 3. *Accedere ad aliquam rem*, aut *in aliquam rem*, aut interdum *aliquam rem* vel *alicui rei*, etiam aliquando cum gerundio, est in re ipsa occupari, rei alicui se dare. Peculiariter autem — *a*) dicitur de iis, qui in auctionibus licentur, aut publica redimunt. *Nep. Att.* 6. 3. Ad hastam publicam nunquam accessit. *Liv.* 43. 16. Ne quis eorum ad hastam suam accederet. *Cic.* 2. *Phil.* 26. 64. Exspectantibus omnibus quisnam esset tam impius – qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium, præsertim cum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. *Id.* 5. *Verr.* 38. 86. Cur hoc auctore non Romæ quoque servi publici ad vectigalia accedant? *Seneca Ep.* 101. 4. Ille qui et terra et mari pecuniam agitabat; qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat etc. Hinc *Cic. Rosc. Am.* 37. 107. Ipsos certo scio non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. *h. e.* accessit, ut in eorumdem possessione se poneret. — *b*) Item de iis, qui ad magistratus capessendos et rempublicam gerendam, aut ad alicujus causam agendam se conferebant. *Cic.* 1. *Off.* 9. 28. Itaque eos (*sapientes*) ne ad rempublicam quidem accessuros putat, nisi coactos. *Id. Rosc. Am.* 1. 3. Propterea quod nondum ad rempublicam accessi. *Nep. Con.* 1. 1. Ad magistratus remque publicam accedere. *Quintil.* 3. 5. 6. An accedendum ad rempublicam administrandam. *Brut. apud Cic.* 11. *Fam.* 10. 5. ad rempubl. liberandam. *Cato apud Quintil.* 8. 2. 9. ad rempubl. evertendam. Adde *Sueton. Cæs.* 53. *Cic.* 1. *Verr.* 3. 9. Fateor me – ad eam partem accessisse rei publicæ sublevandæ, quæ maxime laboraret. — *Id. ibid.* 4. 12. Hoc dices, me non Siculorum rogatu ad causam accedere. Adde *ibid.* 5. 20., 19. 63., 4. *Verr.* 38. 94., 1. *Orat.* 38. 175. et alibi sæpe. *Cic.* 3. *Verr.* 1. 2. Huic ego causæ, judices, cum summa voluntate et expectatione populi R. actor accessi. — *c*) Dicitur denique de aliis rebus, quibus nos ipsos damus, aut quas in nos recipimus. *Quintil.* 4. 1. 7. Accedere ad agendum. *Id.* 10. 3. 15. ad scribendum. *Virg.* 2. *G.* 483. has ne possim naturæ accedere partes. *h. e.* ad eas investigandas et cognoscendas. *Cic.* 3. *Verr.* 2. 5. ad invidiam levandam vituperationemque tollendam. *Id. Balb.* 10. 26. Ad nostrorum bellorum pericula accedere. *Id.* 1. *Verr.* 19. 63. Pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere. *Plaut. Epid.* 1. 2. 46. cum *Accus. sine præp.*: Ego istuc accedam periculum atque audaciam. *Id. Trin.* 1. 2. 84. cum *Accus. et præp.* in: Non ut in eamdem tute accederes infamiam. *h. e.* non ut eadem te obrueres infamia. ¶ 4. *Accedere ad aliquem*, aut *alicui*, etiam *rei* sæpissime est similem esse ipsis, haud multum ab ipsis differre: hac autem significatione jungitur sæpe adverbiis *prope, propius, proxime*; et dicitur etiam de abstractis. *Cic. Ligar.* 12. 38. Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Adde *Quintil.* 12. 2. 2. *Cic. Mil.* 22. 59. Proxime deos accessit Clodius, propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat. *Id. Brut.* 47. 173. Duobus igitur summis Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. et *Id. alibi sæpe. Quintil.* 12. 10. 9. Ad veritatem Lysippum ac Praxitelem optime accessisse. *Id.* 10. 1. 68. In sermone magis accedit oratorio generi (*Euripides*). *Cic.* 7. *Att.* 2. 3. Nam Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuæ litteræ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (204). Cytisus, quæ proxime accedere ebenum videtur. *Sil. It.* 14. 26. (*Solum Siciliæ*) Nectare Cecropias Hyblæo accedere ceras. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (14). Innumeros quidem credere (*deos*) – majorem ad socordiam accedit. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Debet enim orator erigi, attolli – sæpe accedere ad præceps. *h. e.* ad audaciam.

B) Accedere translate occurrit etiam de rebus, ac præsertim de abstractis, varia significatione. ¶ 1. Accedere, fere semper absolute, de rebus inanimis est pervenire, venire; et occurrit, præsertim apud Medicos, de iis corporis affectionibus, quibus homo modo corripitur, modo solvitur. *Ter. Hec.* 3. 5. 32. Haud invito ad aures sermo mi accessit tuus. *Apul.* 5. *Met.* 4. Clemens quidam sonus aures ejus accedit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 84. Ubi accedent anni. *Id.* 2. *Ep.* 211. et melior fis accedente senecta. *Cic.* 7. *Att.* 2. 2. Etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse et alteram leviorem accedere etc. *Nep. Att.* 21. 4. Postquam – febrem accessisse sensit. *Cels.* 2. 3. Cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt. Adde *ibid.* 4. et alibi sæpe, et *V.* ACCESSIO. II. 1. *Id.* 3. 18. Si sic somnus non accessit. *Scribon. Comp.* 162. Ad utramlibet podagram torpedinem – cum accesserit dolor. ¶ 2. Accedere, fere semper cum Dativo, est etiam sorte evenire, accidere; et usurpatur præsertim de animi affectionibus. *Ter. Hec.* 3. 5. 56. Quia paullulum vobis accessit pecuniæ, animi sublati sunt. *Plaut. Amph.* 2. 2. 77. Nam tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia. *Sil. It.* 16. 13. At juvenis, cui telum ingens accesserat ira etc. *Plin. Paneg.* 11. Num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiæ accessit? *Dig.* 26. 1. 3. *pr.* Si furor eis accesserit. *Cic.* 1. *Att.* 16. 9. Dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta. *Plin.* 1. *Ep.* 20. Nam plerisque (*rebus*) longiore tractu vis quædam et pondus accedit. *Id. Paneg.* 19. Quia etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. ¶ 3. Item accedere est crescere, augeri: peculiariter autem occurrit in locutionibus *accedere animum*, et *accedere pretium*, quamvis et de aliis occurrat. *Cic.* 5. *Att.* 20. 3. Rumore adventus nostri et Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, et Parthis timor injectus est. *Nep. Milt.* 4. 5. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, et hostes fore tardiores. *Liv.* 4. 18. Dictatori ac Romanis, quod detrectasset pugnam hostis, animi accessere. Adde 24. 27. *Id.* 40. 39. Scelus et perfidiam illis, non virtutem nec animum accessisse. *Sall. Jug.* 44. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii aut bonæ spei accedebat. *Liv.* 44. 36. *absolute*: Lassitudo et sitis jam sentiebatur, et, meridie instante, magis accessurum utrumque apparebat. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 13. Per gradus accedente vindemia. — *Plin.* 5. *Ep.* 8. Scisne tu accessisse pretium agnis, præcipue urbanis? *Colum.* 3. *R. R.* 21. 6. Cum plurimum pretio accedat, si venditio – differri possit. ¶ 4. Accedere sæpissime significat adjungi, addi, adjici; et multiplici quidem ratione occurrit: scilicet *a*) cum Accus. et præp. *ad*; *b*) cum Dat., præsertim apud JCtos; *c*) sæpe absolute; *d*) de pretio et computandis rationibus; *e*) in principiis periodorum et orationi connectendæ inservit. — *a*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Ter. Andr.* 1. 3. 10. Ad hæc mala hoc mi accedit etiam. *Cic.* 4. *Fin.* 24. 67. Ad virtutis summam accedere nihil potest. *Id.* 7. *Att.* 3. 5. Quibus nihil aut non multum ad dignitatem possit ac-

cedere. *Id. Cluent.* 60. 167. An ut de causa ejus periculi nihil decederet, ad causam novum crimen accederet? *Id.* 13. *Fam.* 21. 1. Nam ad amorem quidem nihil poterat accedere. *Id.* 12. *ibid.* 26. 2. Quare a te peto, ut ad eam liberalitatem, qua sine meis litteris usus es, quam maximus his litteris cumulus accedat. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. 1. Cum ad has suspiciones certissimæ res accederent. *Quintil.* 3. 8. 49. In quibus ad reliquum suasoriæ laborem accedit etiam personæ difficultas. *et apud alios sæpe.* — *b*) Cum Dat., præsertim apud JCtos. *Cic.* 1. *Q. fr.* 1. 1. Non dubitabam, quin – auditurus esses annum tertium accessisse desiderio nostro et labori tuo. *Plin. Hist. nat. præf.* § 12. Meæ temeritati accessit hoc quoque, quod levioris operæ hos tibi dedicavi libros. *Julian. Dig.* 6. 1. 34. Si per alluvionem pars fundo accesserit. *Paul. Dig.* 23. 3. 4. Si proprietati nudæ ususfructus accesserit. *Ulp. Dig.* 42. 1. 4. Cum accesserit aliquid rei judicatæ. *Cajus Dig.* 21. 1. 32. Si omnia mancipia accedant venditioni. — *c*) Absolute. *Lucret.* 2. 1127. (1129). Sed plura accedere debent, Donec alescundi summum tetigere cacumen. *Cic. Quinct.* 1. 3. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Junius – hoc tempore abest. *Id.* 1. *Fin.* 18. 60. Accedit mors, quæ quasi saxum Tantalo semper impendet. *Id. Arch.* 6. 14. Quæ jacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. *ubi male quidam accenderet. Sall. Jug.* 82. Quoniam is novus hostis accesserat. — Huc referenda sunt etiam illa, in quibus additur aut *insuper*, aut Accus. cum præp. *in*, aut *super*. *Quintil. proœm.* 4. 1. Nova diligentiæ causa et altior cura insuper mihi accessit. *Liv.* 26. 50. Super dotem – hæc tibi a me dotalia dona accedent. *Id.* 2. 18. Supra belli Latini metum id quoque accesserat, quod etc. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 23. 62. Accesserint in cumulum manubiæ vestrorum imperatorum. *Quintil.* 2. 3. 6. Illa, quæ in ornamentum operis ejus accedunt. *Ovid.* 3. *Fast.* 165. in lustrum accedere debet, Quæ consummatur partibus, una dies. — *d*) Accedere hac significatione occurrit etiam de iis quæ rerum pretio, aut in rationibus computandis summæ adduntur. *Plaut. Pers.* 4. 4. 119. SA. Heus tu, etiam pro vestimentis huc decem accedant minæ. TO. Abscedent enim: non accedent. *Ter. Adelph.* 5. 3. 30. De summa nil decedet: quod hinc accesserit, id de lucro putato esse omne. *Cic.* 5. *Verr.* 49. 116. Hoc minimum ut sequamur, quoniam XC medimnûm millia duximus, accedant eo – HS XC millia. Adde *Cat. R. R.* 144. 145., et V. ACCESSIO II. 3. *d. Hygin. Gromat. de castr. met.* Sic tractabimus numerum equitum, fit centum viginti: ducemus quinquies, fiunt sexcenti: accedunt ex eadem cohorte milliaria, detractis equitibus, reliqui pedites septingenti sexaginta; fit cum superiori mille trecenti sexaginta. — *e*) Denique accedere eleganter ponitur in principiis periodorum et connectendæ orationi inservit; pluribus autem modis: scilicet præcedentibus Adverbiis *huc, eo, eodem* et sequente Nominativo. *Cic.* 1. *Phil.* 15. 38. Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis reique publicæ accesserit. *Id.* 1. *Att.* 11. 1. Eo accedebat hortator assiduus Sallustius. *Id.* 4. *Fam.* 13. 5. Accedit eodem vulgi voluntas vel potius consensus omnium. — Præcedentibus iisdem Adverbiis et sequentibus particulis *quod* aut *ut*; *quod* quoties significatur ipsa res, quæ ceteris additur; *ut* vero quoties alia efficiens additur causa, cur res evenerit. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 2. 1. Accessit huc, quod postridie ejus absolutionem in theatrum Curionis Hortensius introiit. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. 3. Accedebat huc, ut nunquam conferti – prœliarentur. *Lucret.* 1. 192. (193). Huc accedit, uti sine certis imbribus anni Lætificos nequeat fetus summittere tellus. — Omissis Adverbiis, sed sequentibus partic. *quod* aut *ut* eodem discrimine. *Cic.* 13. *Att.* 21. 7. Accedit enim, quod patrem - amo. *Plin.* 8. *Ep.* 24. Accedit, quod tibi certamen est tecum. *Id.* 5. *Fam.* 12. 8. Accedit etiam, ut minor sit fides. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. 8. Accedebat, ut – et tempestatem ferrent facilius. — Interdum Adverbiorum loco res ipsa significatur, cui alia additur. *Cic. Sen.* 6. 16. Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset. *Cæs.* 3. *B. C.* 24. 4. Ad hoc detrimentum accessit, ut – aquari prohiberentur. — Raro absolute usurpatur, *h. e.* res ipsa quæ additur, alia prorsus constructione profertur. *Ter. Andr.* 1. 3. 10. Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria – gravida e Pamphilo est. *Cic.* 8. *Att.* 3. 1. Accedit illud: si maneo, – cadendum est in unius potestatem.

ACCELEBRO, as, a. 1. idem quod accelero. Legebatur in *Accio* apud *Serv.* ad 4. *Æn.* 641. Celeri gradu gressum accelebrare decet. *ubi nunc rectius legitur* celebri – accelerasse. *V.* ACCELERO 1. Afferebatur quoque ex *Capell.* 9. p. 304. Neque defugiam vestrum crebrius accelebrare consilium. *ubi quoque alii, inter quos* Kopp., *leg.* accelerare.

ACCELERĀTĬO *vel* adceleratio, ōnis, f. 3. (accelero) festinatio, properatio (It. *acceleramento*; Fr. *accélération*; Hisp. *aceleracion*; Germ. *die Beschleunigung*; Angl. *an accelerating*). *Cic.* 3. *Herenn.* 13. 23. Continuatio est orationis enuntiandæ acceleratio clamosa.

ACCĔLĔRO *vel* adcelero, as, āvi, ātum, are, 1. (ad et celero). Est autem verbum 1. activum, 2. neutrum. ¶ 1. Active. Part. *Accelerans*, *Acceleratus*, et *Accelerandus*. Est maturare, niti ut aliquid celerius et citius ad finem perducatur. (It. *affrettare, accelerare*; Fr. *accélérer, hâter*; Hisp. *acelerar, apresurar*; Germ. *etwas beschleunigen*; Angl. *to accelerate*). *Accius* apud *Serv.* in *Virg.* 4. *Æn.* 641. et apud *Non.* p. 89. 25. *Merc.* Celebri gradu gressum accelerasse decet. *V.* ACCELEBRO. *Liv.* 2. 43. Accelerare gradum. *Cæs.* 2. *B. C.* 39. 6. et *Liv.* 31. 29. iter. *Val. Flacc.* 8. 265. viam. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (64). Naturales motus accelerare tardareve. *Lucret.* 6. 772. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (159). mortem. *Plin. Paneg.* 26. occasum reipublicæ. *Nep. Att.* 22. 2. Id, quod natura cogeret, sibi accelerare. *Sil. It.* 7. 565. opem. *Stat.* 2. *Theb.* 242. Mirum opus accelerante manu. *Tac.* 12. *Ann.* 46. oppugnationem. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 268. decimum mensem partu. *Tac.* 3. *Ann.* 75. consulatum alicui. *Claud. rapt. Proserp.* 1. 229. præcepta. *h. e.* mandata celeriter exequi. — Passive. *Quintil.* 1. 1. 31. In lectione non properare ad continuandam eam, vel accelerandam. *Tac.* 2. *Hist.* 85. Accelerata interim cœpta. *Id. Agr.* 43. accelerari cetera. *Cod. Theod.* 13. 5. 38. cognitionem. *Ibid.* 11. 28. 3. solutionem. ¶ 2. Neutraliter, etiam impersonaliter, est properare. (It. *affrettarsi*; Fr. *se hâter, se presser*; Hisp. *apresurarse*; Germ. *eilen, sich dazuhalten*; Angl. *to hasten, be quick*). *Cic.* 2. *Cat.* 4. 6. Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperam consequentur. *Liv.* 3. 27. Accelera, signifer, propera, miles. Adde 23. 28., 37. 20. *Virg.* 5. *Æn.* 675. Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrum. Adde 9. *ibid.* 221. et 505. *Tac.* 2. *Hist.* 100. *cum Accus. loci, ad quem ire contendimus:* Accelerare legiones Cremonam jussæ. Pariter *Liv.* 27. 47. Accelerare ad aliquem opprimendum. *Liv.* 3. 46. *impersonaliter:* Quantum accelerari posset.

ACCENDĬUM *vel* adcendium, ii, n. 2. (accendo) incendium (It. *incendio*; Fr. *embrasement*; Hisp. *quema, incendio*; Germ. *die Inbrandsteckung*; Angl. *a burning*). *Solin.* 5. *extr. ad fin.* Sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt, et ab - ipso Numine fit accendium. *Salmasius* monet, male a quibusdam editum esse *incendium*.

ACCENDO *vel* adcendo, dis, di, sum, dere, a. 3. (*ex præp.* ad *et obsoleto* CANDO, *unde usitatum* candeo). *Accendier* paragoge pro *accendi* apud *Lucret.* 6. 901. (900). Nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante etc. — Part. *Accendens* III. 2. *b.*; *Accensus* I., II., III.; *Accendendus* III. 2. *b.* — Accendere autem est facere, ut res quæ natura sua ardere et comburi potest, flammam concipiat (It. *accendere*, Fr. *embraser, allumer*; Hisp. *encender, pegar fuego á alguna cosa combustible*; Germ. *etwas Brennbares anzünden, so dass es Feuer fängt*; Angl. *to set on fire, to set fire to, to light up*).

I.) Proprie dicitur *a*) de rebus ipsis, quæ flammam concipiunt et comburuntur; *b*) de locis, in quibus res comburendæ positæ sunt; *c*) denique de ipso igne. — *a*) De rebus ipsis, quæ flammam concipiunt et comburuntur. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 15. 51. Homo, qui erranti comiter monstrat viam, quasi lumen de suo lumine accendat, facit: nihilo minus ipsi luceat, cum illi accenderit. *Livius Andronicus* apud *Non.* p. 512. 31. *Merc.* Pergama accensa. *Horat. Epod.* 14. 14. Ignis accendit obsessam Ilion. *Cic. Tim.* 9. Deus ipse solem quasi lumen accendit. *Lucret.* 1. 1109. (1101). ita res accendant lumina rebus. *Virg.* 1. *Æn.* 251. Illic sera rubens accendit lumina Vesper. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (65). et *Auct. B. Afr.* 56. 4. luminibus accensis. *Lucret.* 6. 881. (890). Tæda accensa. Adde *Ovid.* 4. *Fast.* 411. *Cic. Pis.* 2. 5. Accensæ faces. *Phædr.* 3. 19. 4. accendere lucernam. *Id.* 4. 10. 1. lucernam ex ara Jovis. *Id.* 4. 10. 13. Ita hodie nec lucernam de flamma deum, Nec de lucerna fas est accendi sacrum. *Lucret.* 6. 901. (900). lychnum. *Id.* 6. 222. (221). tecta. *Ovid.* 15. *Met.* 3. lignum. *Virg.* 11. *Æn.* 188. rogos. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 4. 9. (20). Accendi (*ebenum*) Fabianus negat. *h. e.* flammam concipere et ardere. *Lucret.* 5. 608. accendi aera ex fulgure. — *b*) Dicitur et de locis, in quibus res comburendæ positæ sunt. *Ovid.* 3. *Met.* 691. accendere aras. Adde *Quintil.* 6. 3. 79. *Liv.* 2. 12. 13. foculum. *Ovid.* 1. *Fast.* 76. focum. *Sil. It.* 3. 641. scopulum. *h. e.* silvæ arbores, quæ in monte seu scopulis erant. *Id.* 7. 333. armenta. *h. e.* sarmenta taurorum cornibus alligata. — *c*) De igne quoque, qui accendendo fit. *Virg.* 5. *Æn.* 4. quæ tantum accenderit ignem Causa latet. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 12. Et *Id.* 10. *Met.* 279. accendere flammam.

II.) Derivata significatione. ¶ 1. Accendere de rebus, quæ natura sua ardere et comburi nequeunt, est inflammare, candefacere, calefacere, fervefacere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (60). Primum autem bonitatis argumentum est, quam difficillime accendi (*aurum*). *Id.* 34. *ibid.* 15. 43. (149). Ferrum accensum igni. *Id.* 36. *ibid.* 23. 53. (174). *de calce:* Mirum aliquid, postquam arserit, accendi aquis. *Seneca Med.* 666. Ustus accenso Pelias aheno. *Sil. It.* 5. 605. Ut multo accensis fervore exuberat undis, Clausus ubi exusto liquor indignatur aheno. *Virg.* 4. *G.* 401. medios cum sol accenderit æstus. *Curt.* 3. 5. 1. Tunc æstas erat, cujus calor non aliam magis quam Ciliciæ oram vapore solis accendit. *Id.* 7. 5. 3. Arenas vapor æstivi solis accendit. *Colum.* 9. *R. R.* 6. 2. Deterrima est conditio fictilium (*alvearium*), quæ et accenduntur æstatis vaporibus et gelantur hiemis frigoribus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 68. (270). (*Canis ortus*) accendit solem. *Id.* 14. *ibid.* 5. 7. (58). Vino natura est hausto accendendi calore viscera intus, foris infuso refrigerandi. *Id.* 25. *ibid.* 8. 53. (93). Dictamnum enim minima potione accendit os. Adde 23. *ibid.* 1. 27. (57). — Hinc est etiam concoquere, ad maturitatem adducere. *Grat. Cyneg.* 57. *neutrorum more:* linorum tangere messes Ante vetant, quam maturis accenderit annus Ignibus. *Ita edit. Taurin.* ¶ 2. Accendere est etiam illuminare, luce ac splendore perfundere. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Luna radiis solis accensa. *Sil. It.* 3. 671. medius cum sol accendit Olympum. *Val. Flacc.* 5. 369. sævo cum nox accenditur auro (*sideris*). *Id.* 3. 411. ubi puniceas Oriens accenderit undas. *Sil. It.* 11. 514. et late fulgentibus armis Accendunt ultro lucem surgentis Eoi. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 51. vestis roseos accendere vultus Apta.

III.) Translate. ¶ 1. Sumpta metaphora a n. I. accendere est excitare, ac veluti extinctum aut latentem ignem exsuscitare: occurrit autem præsertim de certamine, invidia, dissensione atque hujusmodi animi vitiis. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 65. Molle, cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat. Cum tamen hoc essem, minimoque accenderer igni etc. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 114. Præclare res se habet, si hæc (*animi atque ingenii celeres motus*) accendi aut commoveri arte possunt. *Id.* 5. *Fin.* 15. 43. In pueris virtutem quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet. *Lucret.* 1. 473. (467). Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens Clara accendisset sævi certamina belli. *Flor.* 3. 14. 1. Primam certaminum facem Ti. Gracchus accendit. *Liv.* 1. 57. 35. certamen accendere. *Id.* 2. 23. invidiam. *Id.* 2. 29. accendere magis discordiam, quam sedare. *Id.* 25. 13. prœlium. *Vellej.* 2. 121. 1. dissensionem plebis. *Sall. Jug.* 6. Studia in Jugurtham accensa. *Tac.* 3. *Ann.* 4. Studia hominum accensa in Agrippinam. *Liv.* 29. 19. Studia pro Scipione et adversus Scipionem accensa. *Id.* 23. 46. accendere ardorem pugnæ. *Virg.* 6. *Æn.* 165. Martem cantu. *Vellej.* 1. 17. 6. Accendit imitationem æmulatio. ¶ 2. Sumpta metaphora a n. II. § 2. accendere aliquem, animum, affectus etc. est incitare, exstimulare, irritare: sæpissime autem hoc sensu occurrit *a*) aut significato affectu quo incitamur, *b*) aut absolute, *c*) aut significata persona aut re in quam incitamur cum Accus. et præp. *contra*, *ad* vel *in*, et interdum etiam cum Dat. — *a*) Significato affectu quo incitamur. *Virg.* 8. *Æn.* 500. quos justus in hostem Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira. *Id.* 7. *ibid.* 550. Accendamque animos insani Martis amore. *Liv.* 4. 9. Accensus injuria. *Id.* 29. 9. ira. *Id.* 32. 40. odio. — *b*) Absolute. *Accius* apud *Non.*

p. 514. 22. *Merc.* Placare hostem ferocem inimiciterque accensum. *Lucret.* 2. 941. et 3. 337. Accensi sensus, *h. e.* excitati, vivi, sentientes. *Virg.* 10. *Æn.* 368. Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris. *Id.* 4. *ibid.* 364. totumque pererrat Luminibus tacitis, et sic accensa profatur. *Tac.* 12. *Ann.* 4. Accensi hostes stimulante ignominia, ne feminæ imperio subderentur. *Id.* 3. *Hist.* 24. Omnes spe promissisque accendens. *Id.* 2. *Ann.* 57. Amici accendendis offensionibus callidi. *Sall. Jug.* 102. ingenium vehementius accensum. *Id. ibid.* 8. Accendere animum Jugurthæ pollicitando. *Id. Cat.* 20. Mihi in dies magis accenditur animus. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Accendere judicum consessum. *Quintil.* 11. 3. 166. judicem. *Liv.* 25. 13. Quæ (*fames*) mutas accenderet bestias. — *c*) Significata persona aut re in quam incitamur cum Accus. et præp. *contra*, *ad*, *in*, et interdum etiam cum Dat. *Sall. Jug.* 68. Quæ res Marium contra Metellum vehementer accenderat. *Tac.* 1. *Ann.* 53. Accendere uxorem in maritum. *Sall. Jug.* 31. Ad dominationem accensi. *Liv.* 8. 28. Accendere animum ad lubidinem et contumeliam. *Vellej.* 1. 17. Ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur. *Quintil.* 5. 11. 10. ad fortiter agendum. *Tac.* 2. *Hist.* 68. ad certamen. *Liv.* 29. 9. In multo impotentiorem subito rabiem accensi. *Flor.* 3. 18. Eadem fax – socios in arma et oppugnationem Urbis accendit. *Vellej.* 2. 98. 1. Nationes in arma accensæ. *Sil. It.* 4. 169. mentes in prœlia. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (109). Accenso in pœnam tyranno. *Tac.* 1. *Hist.* 83. affectus in amorem alicujus. *Virg.* 7. *Æn.* 481. cum *Dat.* quæ prima laborum Causa fuit, belloque animos accendit agrestes. ¶ 3. Quoniam animi affectus accensus, hoc est exstimulatus atque irritatus augetur, accendere est etiam augere; et interdum dicitur etiam de morbis ac de pretio. *Virg.* 5. *Æn.* 183. Hic læta extremis spes est accensa duobus. Adde *Liv.* 26. 4. et *Tac.* 12. *Ann.* 34. *Ovid. Rem. amor.* 133. Quin etiam accendas vitia irritesque vetando. *Curt.* 4. 2. 10. accendere fiduciam. *Id. ibid.* § 20. alacritatem. *Tac.* 13. *Ann.* 1. dolorem. *Id.* 4. *Hist.* 56. pertinaciam. *Liv.* 28. 46. curam ingentem alicui. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (58). desiderium. *Curt.* 7. 5. 3. sitim. — *Cels.* 3. 6. Accendere febrem. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 12. Siquidem laxamentum passio deposcat, quam necessario accendit thapsia. *Seneca* 7. *Benef.* 9. 3. Crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (225). Nubilo occasu pluviosam hiemem denuntiat (*vergiliarum sidus*), statimque augent lacernarum pretia, sereno asperam, et reliquarum vestium accendunt. *Incendo* quoque hoc sensu usurpatur. ¶ 4. Metaphora sumpta a. n. II. § 2. accendere est splendidis ornamentis vestem insignire. *Stat.* 15. *Silv.* 681. Et gemmis galeam clipeumque accenderat auro. *Claudian.* 1. *rapt. Proserp.* 253. stellas accendit in auro, *h. e.* in opere textili aurato. *Id.* 6. *Cons. Honor.* 166. Intextus Phaeton glaucos accendit amictus.

ACCENDŌNES, id est instigatores (accendo). *Salmas.* in *Tertull. de Pall.* 6. ex veter. lib. restituit, pro quo vulgo est *cerdones*. Is autem *lanistas* ibi intelligit, qui gladiatores ad pugnam excitant: fortasse iidem sunt ac provocatores. Sed ex hoc *Tertulliani* loco, ait clar. *Furlanetto* in suis MSS. (quæ extant in Bibliotheca Seminarii Patavini), patet accendones non fuisse gladiatores, quia eos quoque postea sic nominat: *Plane post Romanos equites, verum et accendones, et omnis gladiatorum ignominia togata producitur*: itaque potius *cerdones* legerem, nam lanistas toga usos fuisse, haud facile quispiam mihi persuaserit.

ACCENSEO *vel* adcenseo, ses, sui, situm *vel* sum, sere, a. 2. (ad et censeo). Part. *Accensus* et *Accensitus.* Proprie est adscribere, adnumerare (It. *ascrivere, annumerare*; Fr. *recenser parmi*, *compter avec*; Hisp. *contar, numerar entre*; Germ. *dazu rechnen, beizahlen oder beigeben*; Angl. *to add to, or to the number of, to reckon among the list of*). *Ovid.* 15. *Met.* 546. Nomine sub dominæ lateo atque accenseor illi. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* 3. p. 97. *Mai.* Tot exemplis unum atque idem verbum syllabæ atque litteræ commutatione in varium modum accensum usurpatur. *Non. p.* 520. 7. *Merc.* Accensi, qui his accensebantur, id est attribuebantur. *Varro* apud *Non. p.* 59. 2. *Merc.* Accensi dicti, quod ad necessarias res sæpius acciantur, velut accensiti. *ubi tamen* Merc. *leg.* accersiti; *quod ibi sane rectius. Lactant.* 5. 2. Religionis, cui fuerat accensus, proditor factus est. *alii* ascensus. *Seneca Ep.* 90. Lycurgum si eadem ætas tulisset, sacro illi numero accensuisset octavum. *alii* accessisset octavus. *V.* infra ACCENSUS, a, um, secundo loco.

ACCENSĬBĬLIS, e, adject. (accendo) qui accendi potest: sed, quo uno occurrit loco, est comburens, seu potius aptus ad comburendum: ita enim Græcum καιόμενος versum est in *Vulgat. Interpr. Paul. ad Hebr.* 13. 18. Non accessistis ad accensibilem ignem.

ACCENSĪTUS, a, um. *V.* ACCENSEO.

ACCENSOR, ōris, m. 3. idem quod accensus, hoc est magistratus alicujus minister. *Val. Max.* 5. 7. 1. Nec accensor gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est. *Ita quidam legunt ex conjectura; sed alii* accessor, *rectius tamen plerique* accessio.

ACCENSUS, a, um. Part. præt. perf. a v. ACCENDO, quod *V.*

ACCENSUS, a, um, est etiam Part. præter. perf. a v. ACCENSEO, quod *V.* Etiam *Adcensus* scriptum est in multis vet. Lapidib. apud *Gruter.* 69. 3., 403. 5., 446. 4., 435. 5. et alibi; quamvis aliter sentiat *Manut. in Orthogr.*: immo in *Inscript.* apud *Mommsen.* 3610. legimus disjunctim: IVCVNDIANO PRAIF. FABRVM AD. CENSO. VELATO. — Accensus autem proprie est qui alicui est attributus vel addictus: unde peculiariter

I.) *Accensus*, *i*, m. 2. erat minister publicus eorum magistratuum, qui vocationis jus habebant, quique erant Consules, Decemviri per eos annos quibus Consulum muneribus functi sunt (V. *Liv.* 3. 33.) et Prætores in Urbe, extra Urbem Proconsules et Prætores. — Accensorum autem erat *a*) eos præcedere magistratus, qui fasces non haberent. *Sueton. Cæs.* 20. Antiquum etiam retulit morem, ut, quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. Cf. *Liv.* 3. 33. — *b*) Accensi munus erat etiam vocare populum ad concionem, ad delectum, in jus etc.: eamque vocandi formulam tradit *Varro* 6. *L. L.* 88. 89. *p.* 109. et seq. *Müll.* ex antiquis Commentariis Consularibus, cujus particulam hic ponimus: *Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc: Calpurni, voca inlicium omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites, inlicium visite huc ad Judices. C. Calpurni, Cos. dicit, voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites, ite ad conventionem huc ad Judices* etc. Hinc idem *Varro l. cit.* § 89. eos ab *acciendo*, hoc est vocando dictos fuisse scribit; alii vero rectius a *censendo* vel *accensendo*: quæ posterior etymologia ad rationem nominis propius accedit; prior autem ad rationem officii. — *c*) Præterea ad accensum pertinebat, jussu prætoris, consulis *etc.* inclamare horam esse tertiam, nonam, meridiem esse etc.; quæ inclamatio ante publica horologia Romæ statuta, eorum locum tenuisse videtur. *Varro loco superius cit.* Et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212). Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominantur, post aliquot annos adjectus est et meridies, accenso consulum id pronuntiante, cum a Curia inter Rostra et Græcostasim prospexisset solem; a columna Mænia ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiavit, sed hoc serenis tantum diebus usque ad primum Punicum bellum. — *d*) Huc adde, quod accensi non solum fuit vocare jussu magistratus; sed etiam obstrepentibus et importune clamantibus, aut diutius, quam oporteret, coram magistratu agentibus, silentium indicere: paucis, ordini et quieti providere quamdiu magistratus, cui accensus fuerat attributus, munera sua publice impleret. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. 21. His rebus nuper Cn. Octavius jucundissimus fuit; apud quem primus lictor quievit; tacuit accensus; quoties quisque voluit, dixit et quam voluit diu. — *e*) Accensus dignitate lictores antecessisse videtur: *Cicero* enim 1. *ad Q. fr.* 1. 4. 13. cum fratri loquatur de necessariis apparitionibus, primo loco accensum, secundo lictorem memorat. *Id.* 2. *Leg.* 24. 61. Utatur accenso atque lictoribus. *Inscript.* apud *Orell.* 3197. SECVRITATI COGNATIONIS SVAE FORTVNATVS AVG. LIB. VERNA PATERNVS AB EPISTVLIS ACCENSVS PATRON. DIVO AVG. VESPASIANO LICTOR. CVRIAT. VIAT. HONOR. DEC. COS. ET PR. ET SIBI ET EPAPHRODITO AVG. L. AB EPISTVLIS FRATRI SVO. Accensus præconi dignitate proximus accedebat, cujus vices in aliquot rebus gerebat. *Varro* 6. *L. L.* 89. p. 110. *Müll.*, necnon *ibid.* 86. 88. p. 108. 109. — *f*) Magistratus, cui accensorum habendorum jus erat, accensos sibi creabat libertos aut suos, aut suorum familiarum. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. 13. Accensus sit eo numero, quo eum majores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant. *Id.* 4. *Verr.* 28. 69. Interea istius (*Verris*) libertus et accensus Timarchides. *V. Inscript.* apud *Orell.* superius allatam. *Cic.* 3. *Fam.* 7. 4. A Pausania, Lentuli liberto, accenso meo audivi etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 598. 8. M. LIVIVS AVG. L. SECVNDIO ACCENSVS DRVSI CÆSARIS. — *g*) Cum exprimitur nomen magistratus, cujus aliquis est accensus, eleganter in Dativo ponitur; interdum etiam in Genitivo. *Cic.* 3. *Verr.* 28. 71. Homo – sui ordinis frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius etc. *Inscript.* apud *Mommsen.* 2532. SEX. PVBLICIVS BATHYLLVS ACCENSVS CONSVLI. *Inscript.* apud *Henzen.* 6341. C. IVLIVS AVG. L. SAMIUS PROC. ACCENSVS DIVI CLAVDII ET NERONIS AVGVSTI PATRONORVM. Adde cum Genit. et *Inscrip.* apud *Gruter.* supr. — *h*) In more fuit, ut privati quoque cives accenso uterentur, saltem in funeribus. *Cic.* 2. *Leg.* 24. 61. Dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus.

II.) *Accensi*, *orum*, erant militum manus, quæ legionibus præter statum numerum adjiciebantur: hi propterea *adscriptivi* appellantur a *Plaut.* 1. 3. 2. et a *Varr.* 7. *L. L.* 56. *p.* 142. *Müll.* et apud *Non.* p. 520. 8. *Merc.*; *adscripticii* a *Paul. Diac.* p. 14. 13. *Müll.*; *supernumerarii* a *Veget.* 2. *de re Milit.* 19. *V.* infra. — *a*) Hujusmodi accensi a quinta civium classe legebantur, et in quindecim vexilla distributi atque in postremam aciem rejecti, tamquam subsidia legiones sequebantur, in morientium locum subrogandi. *Liv.* 1. 43. Quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ: fundas lapidesque missiles hi secum gerebant: in his accensi, cornicines, tibicinesque, in tres centurias distributi. *Al.* his accensi. Cf. *Cic.* 2. *de republ.* 22. 40. *Liv.* 8. 8. 10. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum rorarios, minus roboris ætate factisque: tertium accensos, minimæ fiduciæ manum; eo et in postremam aciem rejiciebantur. *Varro* 7. *L. L.* 56. *p.* 142. *Müll.* Adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, armatis militibus qui succederent, si quis eorum deperisset. *Paul. Diac.* p. 14. 13. *Müll.* Adscripticii veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et accensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti. *Id.* p. 18. 6. *Müll.* Accensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum subito subrogabantur, dicti ita, quia ad censum adjiciebantur. Ex *Liv.* tamen *l. cit.* 8. 8. 10. patet, accensos in locum mortuorum militum haud semper subrogari, sed interdum tamquam agmen a ceteris distinctum habitos esse ac pugnasse. — *b*) Quamdiu dictator erat, accensi in magistri equitum potestatem cessisse videntur. *Varro* 5. *L. L.* 82. p. 32. *Müll.* Magister equitum, quod summa potestas hujus in equites et accensos. — *c*) Ex accensorum numero nonnulli seligebantur, qui decurionibus, centurionibus, aliisque in militari dignitate constitutis deputabantur ut ministrarent; qui propterea progressu temporis etiam *deputati* vocati sunt. *Varro* 7. *L. L.* 58. p. 143. *Müll.* Accensos ministratores Cato esse scribit. *Veget.* 2. *de re Milit.* 19. Ad obsequia judicum, vel tribunorum, necnon etiam principalium deputabantur milites, qui vocantur accensi, hoc est postea additi, quam fuisset legio completa; quos nunc supernumerarios vocant. *Non.* p. 58. 33. et p. 59. 4. *Merc.* Accensi genus militiæ est administrantibus proximum – quos nunc dicimus deputati. *Id.* p. 520. 4. *Merc.* Decuriones et Centuriones, a numero, cui in militia præerant, dicebantur. Accensi, qui his accensebantur, id est attribuebantur. Varro de vita pop. Rom. lib. III.: Quid ea scripti vis (*lege* qui et adscriptivi), cum erant attributi decurionibus et centurionibus; qui eorum habent numerum, accensi vocabantur.

III.) *Accensi velati* artissimo cum accensis vinculo conjunguntur: *velati* autem dicti sunt fortasse pro *vexillati*, haud aliter atque *ala* pro *axilla* teste Cicerone. *V.* ALA et VELATUS. Illud autem præmonendum putamus accensos velatos proprie fuisse accensos *et* velatos; sed conjunctionem *et* omissam fuisse, quia apud priscos Romanos id in more positum fuit, ut duo nomina, etiam sibi invicem opposita, nulla conjunctione proferrentur, dummodo significationis vi necessario inter se connecterentur, cujusmodi sunt *empti venditi*, *locati conducti*, *Socii Latini*,

Prisci Latini, Patres conscripti. V. *Niebhur, Röm. Gesch. vol.* 1. *p.* 470. *ed.* 4. — a) Accensi velati una cum accensis duas centurias a ceteris distinctas constituebant, legionum subsidia, quemadmodum conjectura assequi possumus ex *Cic.* 2. *de republ.* 22. 40. et ex *Paul. Diac. p.* 369. 4. *Müll.*: quo factum est, ut nonnulli, ex quibus *Paul. Diac. p.* 14. 14. *Müll.*, accensos velatos ab accensis minime differre arbitrarentur: neque injuria, progressu enim temporis accensi velati et accensi in unam tantummodo centuriam coaluisse videntur, quemadmodum colligere possumus ex *Fragm. Vatic.* in *Cic. de republ. l. c.* § 138. *p.* 121. *ed. Buchholtz*: Qui in centuria accensorum velatorum sunt, habent immunitatem a tutelis et curis. *Hinc etiam eorumdem patent immunitates.* — b) Posterioribus vero Rom. Imperii temporibus, ordinibus militum omnino mutatis, accensi velati haud amplius legionibus adjiciebantur, sed a militia immunes, sacerdotes fuerunt, ut contendit *Fabrettus Inscript. c.* 6. *p.* 433.: id autem usuvenisse *Niebhurius l. cit.* ex eo putat, quod accensi velati, non modo, æque ac accensi (*V.* supra II. *b.*), centurionibus et decurionibus, verum etiam sacerdotibus sacra peragentibus in castris ministraverint. Hinc *Borghesius, Giornale Arcadico T.* 22. *p.* 64. putat accensos velatos collegium fuisse sacerdotale, cujus tamen officia ignota sibi esse fatetur; eadem ferme habet et *Visc., Mon. Gab. p.* 124. Porro *Nicolaus Ratti, Atti dell'Academia Romana Archeologica T.* 4. *p.* 255-282. in Inscriptione Ficulensi, quæ est apud *Orell.* 111., accensum velatum esse flaminem minorem arbitratur; quam sententiam confirmat *Inscriptione* apud *Murator. p.* 1067. 4. ACCENS. VEL. FLAM. DIVI MAGN. ANTON.; quæ tamen verba mihi videntur duo diversa officia significare, namque nulla est causa cur in Inscriptione, quæ brevitate præsertim se debet commendare, hæc omnia congererentur. Aliter omnino sentit clar. vir *Mommsenius, Annali dell'Istituto Archeologico* 1849. *p.* 209. et seq., qui accensorum velatorum officium ad tutelam viarum refert. Inter tot clarissimorum virorum sententias hæc tantum a nobis notanda videntur: accensus velatus singulari numero occurrit hac solummodo significatione et in Inscriptionibus tantum, ejusque officium magni certe habitum fuit; eo namque functos esse patet viros summis muneribus præditos. *Inscript.* apud *Mommsen.* 4092. (apud *Orell.* est 3884). L. VARRONIO. L. F. PAL. CAPITONI SCRIBÆ AEDILIC. ACCENSO VELATO II VIRO QVINQVEN. CVRATORI AQVARVM PATRONO COLONIAE ORDO REGALIVM. QVORVM HONORE CONTENTVS SVA PECVN. POSVIT. L. D. D. D. *V. Inscript.* apud *eumd. Mommsen.* 3610. (quæ apud *Orell.* est 3814.); apud *Orell.* 1368., 2153., 2182., 2461., 3198., 3884., 4252.; et apud *Henzen.* 6535. Denique hujusmodi accensos velatos quasdam habuisse immunitates testantur *Inscript.* apud *Orell.* 111. M. CONSIVS M. L. CERINTHVS ACCENSVS VELATVS IMMVNIS CVM SIM EX VOLVNTATE MEA ET IMPENSA MEA STRAVI LAPIDEM CLIVOM STRAVI LAPIDE AB IMO SVRVM etc. Immunis autem, ait cl. *Furlanettus* in *I. Lexici Append.*, dicitur etiam is, qui a muneribus municipalibus, ut viis sternendis aut reparandis, liber erat: sic autem sæpe vocatur is, qui aliquo sacerdotio insignitus est (V. *Jo. Labus.* in *Mus. Mant. T.* 2. *p.* 308.; et hac peculiari de re V. *Cod. Theod.* 10. 25. 2.). Nisi forte hæc ipsa Inscriptio *Mommsenii* sententiæ superius allatæ suffragetur.

ACCENSUS *vel* adcensus, us, m. 4. (accendo) accendendi actus (It. *accendimento*; Fr. *action d'allumer*; Hisp. *encendimiento*; Germ. *das Anzünden*; Angl. *a kindling, or lighting up*). *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 29. (103). Lychnis appellata a lucernarum accensu, tum præcipue gratiæ. *Ita cum* Harduin. *recent. Editt.*; *al. male* lucernarum accensarum. *Symmach.* 3. *Ep.* 48. Accensu luminum claritudinem diei adjuvare. *Al. leg.* accessu.

ACCENTIUNCULA *vel* adcentiuncula, æ, f. 1. (accentus, *demin.*) idem quod accentus; ita enim nonnulli veteres Latine reddiderunt Græcum vocabulum προσῳδία teste *Gell.* 13. 6. Quas Græci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant. Cf. *ibid.* 25. et *V.* ACCENTUS 2.

ACCENTOR *vel* adcentor, ōris, m. 3. (accino, *sive* ad et cantor) qui ad alium, seu cum alio canit: qui et concentor dicitur ab *Isid.* 7. *Orig.* 12. 28., quia cum alio canendo consonat. Erat autem quoddam Clericorum in choro divinas laudes canentium officium. *Id.* 6. *ibid.* 19. 13. Tres autem gradus sunt in cantando: primus succentoris, secundus incentoris, tertius accentoris.

ACCENTUS *vel* adcentus, us, m. 4. (accino; Cf. προσῳδία). Proprie est cantus vel sonus ad aliquos aut aliquid, unde *Capell.* 3. *p.* 60. Accentus quasi accantus dictus est (It. *canto, suono, tuono*; Fr. *son, ton*; Hisp. *son, sonido, tono*; Germ. *das Antönen bei etwas, der Ton*; Angl. *song, tone*). ¶ 1. Proprie. *Ammian.* 16. 12. 36. Dato senatorum accentu solemniter signo ad pugnandum. Adde 24. 4. 22. *Sed utroque* Ammiani *loco alii legunt* occentu. *Solin.* 5. *ad fin.* Tibiæ milvinæ, quæ in accentus exeunt acutissimos. ¶ 2. Grammaticis accentus, ut ait *Diomed.* 2. *p.* 425. *Putsch.*, est acutæ vel gravis vel inflexæ orationis elatio vocisve intentio vel inclinatio, acuto aut inflexo sono regens verba. Nam ut nulla vox sine vocali, ita sine accentu nulla est. Et est accentus, ut quidam recte putaverunt, velut anima vocis (It. *accento*; Fr. *accent*; Hisp. *accento*; Germ. *die Betonung eines Wortes, der Accent*; Angl. *accent*). *Cic. Orat.* 17. 57. accentum appellat *sonum*, et *ibid.* 18. 58. etiam *vocem*. Alii dixere *tenorem*, et *tonum*, et *fastigium* et *acumen* teste *Diomed. l. cit.* Antiqui etiam *tonorem* a τόνος, ut ait *Quintil.* mox citandus. *V.* alias appellationes in ACCENTIUNCULA. Dictus est ab accinendo, quod sit quasi quidam cujusque syllabæ cantus, ut ait *Diomed. ibid.* et *Capell.* superius citatus. Est autem triplex: acutus, qui acuit seu erigit syllabam; gravis, qui deprimit; et circumflexus, qui ex acuto et gravi constat. *Quintil.* 1. 5. 22. Adhuc difficilior est observatio per tenores (quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Græcis verbo, qui τόνους dicunt), vel accentus, quos Græci προσῳδίας vocant, cum acuta et gravis alia pro alia ponitur etc. Adde *eumd.* 12. 10. 33., *Diomed.* et *Capell. ll. cit.*, *Donat. p.* 1740. *Putsch.*, *Victor. p.* 1942. *Putsch.*, et *Prisciani De Accentibus libr. p.* 1285. et seqq. *Putsch.* et *p.* 157. *Lind. op. min.* De accentu in antepenultimis syllabis V. *Gell.* 7. 7. ¶ 3. Hinc abusive, seu lata significatione *Priscianus p.* 1287. *Putsch.* et *p.* 160. *Lind.* nomine accentus complectitur non modo accentuum notas vel figuras (Cf. *Diomed.* 2. *p.* 426. *Putsch.* et *Capell. p.* 62.), verum etiam ceteras scribendi notas, quæ sunt longa linea, brevis virgula, hyphen, diastole, apostrophos, dasia et psile, quæque cum acuto, gravi et circumflexo, accentus numero decem constituunt. — Frequentissimi autem sunt hujusmodi accentus, præsertim acuti, in Inscriptionibus a temporibus inde Augusti usque ad Trajanum. V. *Orell. vol.* II. *p.* 325. *Inscript.* 4686., ubi *Vossii* sententiam refellit, qui in *Art. gramm.* 2. 8. ait: Recens consuetudo apponendi accentus; et lapides quo vetustiores, eo magis accentiunculis carent. ¶ 4. Translate est etiam augmentum et maxima intensio. *Sidon.* 4. *Ep.* 6. Atque hoc in maximo hiemis accentu, summisque cumulis nivium, crustisque glacierum. Sic *Marcell. Empir.* c. 36. dixit *accentum doloris*, cui *declinatio* opponitur.

ACCEPSO antiqui dixerunt pro *accepero*. *V.* ACCIPIO in princ.

ACCEPTA, æ, f. 1. (accipio) proprie et adjectivum, subauditur enim *pars*, et significat agri portionem, quæ alicui assignatione, aut sortito data est. *Sicul. Flacc.* de *Condit. agror. p.* 22. *Goes.* Sæpe unius ejusdemque hominis duo domini acceptam sibi defendunt. Adde *ibid. p.* 17. *Var. Auct.* (*Hygin.*) *de Limit. const. p.* 190. *Goes.* Modus jugerationum secundum acceptam uniuscujusque separetur. — *NB. M. Theil., Dictionnaire Latin-Français* etc. *Paris* 1853. affirmat *acceptam* esse quamdam etiam navis speciem apud *Isid.*, certe ex *Gloss.*, ex quibus etiam in *Expulsis* habetur. — Accepta est etiam nomen mul. *V.* ONOM.

ACCEPTABILIS *vel* adceptabilis, e, adject. (accipio, accepto) accipi dignus, unde translate gratus (It. *accettabile, grato*; Fr. *acceptable, agréable*; Hisp. *aceptable, agradable*; Germ. *annehmbar, annehmlich*; Angl. *acceptable, pleasing*). *Tertull. de Orat.* 7. Pœnitentia acceptabilis Deo. *Lactant. Epit.* 58. Hæc acceptabilis victima est, quam de se ipso animus immolat. Adde *Novell.* 36. et 37., et *Vulgat. Interpr. Levit.* 1. 4., 22. 20. et alibi sæpe.

ACCEPTABULUM. Falsa lectio. *V.* ACETABULUM.

ACCEPTATIO. Falsa lectio. *V.* ACCEPTIO.

ACCEPTATOR *vel* adceptator, ōris, m. 3. (accipio, accepto) proprie qui acceptat; unde translate qui aliquid ut sibi gratum accipit (It. *accettatore*; Fr. *celui qui accepte, agrée*; Hisp. *aceptador*; Germ. *der etwas auf-oder annimmt*; Angl. *one that receiveth*). *Tertull. de Pœnit.* 2. Quorum cum auctor et defensor sit, necesse est proinde et acceptator: si acceptator, etiam remunerator. Adde *advers. Psych.* 11. ¶ 2. Significat etiam aditum, sed occurrit tantum in *Inscript.* apud *Fea, Relazione d'un viaggio ad Ostia p.* 53. (hæc *Inscript.* apud *Henzen.* est 6589.). PRO *salute imperatoris* CAES. AVG. NOSTRI L. SEPTIMI SEVERI PERTINACIS HERCVLI NVMINI SANCTO CVM BASI MARMORATA ACCEPTATORIBVS ET TERRARIIS C. SENTIVS FORTESIS S. P. D. D. (*sua pecunia dedicavit*). *Acceptatores* sunt aditus, per quos populus intus accipiebatur, seu in aream, quæ circa monumentum erat, ingrediebatur quæque *acceptator* dicta est ab *accipiendo* populo, quo modo theatri *vomitoria* a *vomendo*: *terrarium* autem est agger, qui vice locum tenet. Hanc autem sententiam exhibuit cl. *Borghesius* in sua *Lettera al Prof. G. Furlanetto* 9 *Gennajo* 1822., quæ ms. extat in Bibliotheca Seminarii Patavini. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 896. 14. VT HABEAT EX AREA ET A TERGO ET A LATERE ACCESSVM SVVM. Et *ibid.* 1130. 12. FECIT MEMORIAM CVM DVOBVS INTROITIS. *V.* et ACCESSUS.

ACCEPTILATIO *vel etiam disjunctim* accepti latio, ōnis, f. 3. nomen ex *accipio* et supino *latum* compositum, proprie est ipsa relatio in acceptum, qua propterea debitum solvitur. Apud JCtos est ficta veluti et imaginaria solutio et liberatio, ut docet *Cajus Comment.* 3. 169. 170. *Corp. Jur. Rom. Antejust. p.* 99. Item per acceptilationem tollitur obligatio. Acceptilatio autem est veluti imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione tibi debeam, id si velis mihi remittere, poterit sic fieri, ut patiaris hæc verba me dicere: *Quod ego tibi promisi, habesne acceptum?* et tu respondeas: *Habeo.* Quo genere, ut diximus, *tantum hæ obligationes solvuntur, quæ ex verbis consistunt*, non etiam ceteræ: consentaneum enim est, verbis factam obligationem posse aliis verbis dissolvi. Sed et id, quod ex alia causa debeatur, potest in stipulationem deduci et per acceptilationem *dissolvi*. Adde *Dig.* 46. 4. *pluries per totum tit. Ibid.* 23. 3. 41. Accepti quoque latione dos constituitur, cum debitori marito acceptum feratur dotis constituendæ causa. *ubi al.* Acceptilatione quoque.

ACCEPTIO *vel* adceptio, ōnis, f. 3. (accipio) proprie est accipiendi actio (It. *accettazione, ricevimento*; Fr. *acceptation, action de recevoir*; Hisp. *aceptacion, ó acepcion*; Germ. *der Empfang*; Angl. *an accepting, or receiving*).

I.) Proprie. *Cic. Top.* 8. 37. Neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi posse. *Paul. Sent.* 5. 34. 1. Litteræ dimissoriæ diriguntur, quæ vulgo apostoli appellantur; quorum postulatio et acceptio intra quintum diem ex officio facienda est. *Sall. Jug.* 29. 4. Cujus rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat. — *Theod. Priscian.* 1. 32. Juvantur lactis acceptione quam maxime. *Editio Aldina* acceptatione; *Febroniana vero* acceptione, *quam lectionem retinendam putavi, quia eadem vox* acceptio *eodem sensu pluries occurrit apud* Theod. Priscian., ut 2. 1. 5. Jejunos recentis butyri frequenter acceptione juvamus. — Item *acceptio* absolute est pro acceptione baptismi in christiana *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 563. n. XXXIX. EX DIE ACCEPTIONIS SVAE VIXIT DIES LVII. Cf. *Inscript.* apud *Cavedon., Età delle nozze p.* 15. ACCEPIT KAL. IVL., et apud *Fabrett. l. cit.* n. LXX. PERCEPIT XI. KAL. MAIAS. Id autem factum a primis Christianis ob arcanam baptismatis taciturnitatem.

II.) Translate. ¶ 1. A posteriorum temporum philosophis acceptio vocatur propositio, quæ conceditur a respondente, ut si quis ita proponat: *Estne omne honestum bonum?* propositio est; et, si assentire se dicet, fit acceptio, remota interrogatione. — Huic junge alteram acceptionem similiter propositam et concessam: *Omne bonum utile est.* Ita definit et explicat *Pseudo-Apul.* 3. *de dogm. Plat. p.* 233. *Hildebr. min.*, ubi sæpissime hanc vocem eo sensu usurpat. Quidam substituunt *acceptatio*, sed invitis plerisque optimis Codicibus. ¶ 2. *Acceptio vocis* apud *Sicul. Flacc. de Condit. agror. p.* 18. *Goes.* est ejus interpretatio ex mente ejus, qui eam audit et excipit.

¶ 3. Acceptio est etiam existimatio, approbatio. *Cod. Theod.* 1. 9. 2. Nefas est, a minoribus majora vel posci vel sperari: ideoque nemo a nobis postulet, agentium in rebus aliquem militiæ sociari, nisi quem tua acceptio probari debere significat, ita ut petitorem constet loco esse potiorem. ¶ 4. Hinc *personarum acceptio* est ratio quæ habetur divitiarum, munerum, etc. quibus aliquis pollet, meritorum ratione posthabita. *Vulgat. Interpr.* 2. *Paral.* 19. 7. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Adde *ibid. Eccl.* 20. 24., *Rom.* 2. 11. et alibi sæpe, etiam apud Scriptores Ecclesiasticos. *V.* ACCEPTOR.

ACCEPTĪTO *vel* adceptito, as, āvi, ātum, are, a. 1. est dupliciter frequentativum ab *accipio*, et significat magno animi ardore accipere. *Plaut.* apud *Non. p.* 134. 29. *Merc.* Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti. *h. e.* acceptitavisti.

ACCEPTO *vel* adcepto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (frequentativum ab *accipio*). Part. *Acceptatus* 2. Proprie esset sæpius accipere; sed tamen ejusdem fere significationis est atque accipio (It. *ricevere, accettare*; Fr. *recevoir*; Hisp. *recibir*; Germ. *an- und einnehmen*, Angl. *to receive, to accepte*). ¶ 1. Proprie. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 31. Qui res rationesque heri curo, argentum accepto, expenso, et cui debet, dato. *Quintil.* 12. 7. 9. Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptaverunt. *Dig.* 34. 1. 9. Annuos aureos et menstruum frumentum acceptare. *Ibid.* 2. 14. 10. § 2. Acceptare usuras. *Pomp. Mela* 1. 1. 5. Qua diffunditur (*mare internum*), alia aliis locis cognomina acceptat. *Sil. It.* 7. 41. Vejentum populi violata pace negabant Acceptare jugum. *h. e.* se jugo submittere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 64. (189). Lithostrota acceptavere jam sub Sulla. *al. tamen, inter quos Sillig.*, cœptavere. ¶ 2. Translate apud Scriptores Ecclesiasticos significat tanquam gratum recipere; unde *acceptabilis* et *acceptator*. *Tertull. advers. Psych.* 11. Votum cum a Deo acceptatum est. *Id. de Anim.* 17. Unguentum, quod in sepulturam suam acceptavit.

ACCEPTOR *vel* adceptor, ōris, m. 3. (accipio) proprie qui accipit; verum duabus occurrit præsertim significationibus prorsus diversis.

I.) Cum de homine agitur, est ¶ 1. Qui rem sibi exhibitam accipit (It. *accettatore*; Fr. *celui qui accepte*; Hisp. *aceptador*; Germ. *der etwas annimmt oder empfangt*; Angl. *one who receives*). *Cod. Just.* 8. 56. 10. Acceptor donationis. — Hinc *acceptores* dicti etiam fuerunt quidam homines, qui Ostiæ merces navibus advectas accipiebant et servabant. *Inscript.* quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 197., quæque circa puteal non multis abhinc annis Ostiæ effossum legitur, et edita est a *Fea*, *Framm. di Fasti Consol.* n. 40. NVMINI SANCTISSIMAE CERERIS ET NYMPHARVM HIC PVTEVS FACTVS OMNI SVMPTV C. CAECILI ONESIMI PATR. ET QQ. PP. *Corporis Militum* ADIVTORVM ET L. HORTENSI GALLI QQ. NAVTICARIORVM ET N. TREBONI EVTYCHETIS QQ. II. ACCEPTORVM. DED. X. K. SEPT. LATERANO ET RVFINO COS. — *Acceptores* memorantur etiam in *Inscript.* manca et corrupta apud *Orell.* 3199., qui *Muratorio* videntur tributorum, *Hagenb.* vero votorum decennalium acceptores. ¶ 2. Hinc translate est etiam approbator (Cf. ACCEPTIO II. 3.). *Plaut. Trin.* 1. 2. 167. Qui illorum verbis falsis acceptor fui. ¶ 3. Hinc etiam apud Scriptores Ecclesiasticos *acceptor personæ* est qui rationem minime habet meritorum, sed tantummodo divitiarum, munerum etc. quibus persona pollet. *Vulgat. Interp. Act.* 10. 34. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. Adde *Augustin. Ep.* 7. Cf. ACCEPTIO II. 4.

II.) *Acceptor* pro *accipiter* est *Lucilii* apud *Charis.* 1. p. 76. *Putsch.* Acceptor quoque et accipiter. Virgilius enim accipiter dicit. Lucilius autem: Exta acceptoris et unguis. *Gloss. Lat. Græc.* Acceptor ἱέραξ, ὄρχιλος. *Gloss. Isid.* Pipiunculus, accipiter, acceptor.

ACCEPTŌRĀRIUS *vel* adceptorarius, ii, m. 2. (acceptor, accipiter) qui accipitres alit et instituit (It. *falconiere*; Fr. *fauconnier*; Hisp. *halconero*; Germ. *ein Falconirer*; Angl. *a falconer*). Hæc vox occurrit in titulo epigrammatis a *Luxorio* compositi in *Meyer. Anthol. Lat. epigr. et poemat.* n. 311. (in *Burmanni* edit. ab *Anthol.* diversa n. 13.). Cf. *Fr. Dubner in Zimmermann's Zeitschr. s. die Alterthumsw.* 1837. *Num.* 3. *S.* 25. Accipitrarius *legitur in* Expulsis.

ACCEPTŌRĬUS *vel* adceptorius, a, um, adject. (accipio) qui accipit; sed occurrit tantum de re (It. *che serve a ricevere*; Fr. *qui sert à recevoir*; Hisp. *recibidor*; Germ. *zur Einnahme bestimmt*; Angl. *that receiveth, holdeth*). Acceptorius modulus, qui opponitur erogatorio, occurrit apud *Frontin. Aquæduct.* 34. *Acceptorium* autem vocat, qui aquam haurit; *erogatorium* vero, qui refundit.

ACCEPTRĪCA. *V.* voc. seq.

ACCEPTRIX *vel* adceptrix, īcis, f. 3. (accipio) quæ accipit. *Plaut. Truc.* 2. 7. 18. Nusquam apparet neque datori, neque – acceptrici. *Quædam antiquæ Editt. et MSS. habent* acceptricæ, *ut nominativus sit* acceptrica, *quod minime probandum*: Both. *leg.* captrici.

ACCEPTUM, i, n. } *V.* ACCIPIO in fin.
ACCEPTUS, a, um }

ACCERSĪTĬO, ōnis, f. *V.* ARCESSITIO.

ACCERSĪTOR, ōris, m. *V.* ARCESSITOR.

ACCERSĪTUS, us, m. *V.* ARCESSITUS.

ACCERSO, is, īvi, ītum, ere, 3. *V.* ARCESSO.

ACCESSA *vel* adcessa, æ, f. 1. idem quod maris accessus (*V.* ACCESSUS) apud *Serv.* in *Virg.* 1. *Æn.* 244. Tanta est in illis locis accessa, quæ dicitur maris, ut per ora Timavi, i. e. usque ad initium fontis mare ascendat. – Constat autem et in illo loco, accessam maris usque ad montem pervenire, et per omne littus Venetiarum mare certis horis et accedere per infinitum et recedere. *Lectio tamen est omnino dubia.* Cf. *Salmas.*, *Exercitt. p.* 203. *et seqq.* et *p.* 277. Hinc a *Forcellino* vocabulum hoc inter *Expulsa* enumeratum est.

ACCESSĪBĪLIS *vel* adcessibilis, e, adject. (accedo) ad quem accedi potest (It. *accessibile*; Fr. *accessible*; Hisp. *accesible*; Germ. *zugänglich*; Angl. *accessible*). *Tertull. advers. Prax.* 15. Per accessibilem lucem. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 3. Fit cunctis accessibile sanctuarium.

ACCESSĪBĬLĪTAS *vel* adcessibilitas, ātis, f. 3. (accessibilis) facilitas accedendi (It. *libero accesso*; Fr. *accessibilité*; Hisp. *facilidad d'entrada*; Germ. *die Zugänglichkeit*; Angl. *accessibility*). *Tertull. advers. Prax.* 15. Adscriberemus mortalitatem, accessibilitatem.

ACCESSĪBĬLĪTER *vel* adcessibiliter, adverb. (accedo) translate tantum occurrit, et significat per accidens (It. *accidentalmente*; Fr. *accidentellement*; Hisp. *accidentalmente*; Germ. *durch Zufall*; Angl. *accidentally*). *Claud. Mamert.* 2. *Stat. an.* 3. *sub init.* Quod in Deo virtus est, et in homine virtus est: hoc tantum differens, quod ille substantialiter, heic accessibiliter. Et *ibid. mox.* Quod autem misericordiam atque justitiam et hujusmodi bonas affectiones passibilis dicit esse creaturæ, easdemque in Deo essentialiter, non accessibiliter, haud intendit animo sibi semet adversa proferre, quia affectio accessio est.

ACCESSIO *vel* adcessio, ōnis, f. 3. (accedo) proprie est accedendi actus (It. *accessione, avvicinamento*; Fr. *action d'approcher, approche*; Hisp. *cercania, proximidad*; Germ. *das Herbeikommen zu etwas, das Herankommen an etwas*; Angl. *a going near unto, an approaching*).

I.) Proprie occurrit *a*) active, et *b*) passive. — *a*) Active. *Plaut. Truc.* 2. 2. 3. Quid tibi ad hasce accessio est ædes? *Id. Trin.* 3. 2. 83. Quid tibi interpellatio aut in concilium huc accessio est? *Cic. Tim.* 12. Cumque ad corpora cum accessio fieret, tum abscessio. — *b*) Passive. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 133. Is (*Timarchides*) suo labore suisque accessionibus – consequebatur, ut ad istum (*Verrem*), sine ulla sollicitudine, summa pecunia referretur. *h. e.* Timarchides magnam pecuniæ vim extorquebat, cum vellet omnes ad se frequenter accedere, qui censoris munus summa ambitione contendebant. *Klotz* ita recte h. l. interpretatus est.

II.) Translate usurpatur præsertim de abstractis, et est 1. accessus, adventus, initium; 2. incrementum, augmentum; 3. additio, adjectio. ¶ 1. Accessio est adventus, et occurrit, quamvis raro, de accessu febris, aut alterius morbi. *V.* ACCEDO II. *B.* 1. *Sueton. Vesp.* 23. Prima quoque morbi accessione: *Væ*, inquit, *puto, deus fio.* ¶ 2. Apud Medicos accessio est fere semper morbi incrementum et magna intensio, cui opponitur *decessio* et *remissio*. *V.* ACCEDO II. *B.* 3. *Cels.* 3. 3. Aliæ (*febres*) sic (*desinunt*), ut aliquantum quidem minuatur ex febre; nihilominus tamen quædam reliquiæ remaneant, donec altera accessio accedat. Et *ibid. pluries.* Adde 2. 12. et alibi; *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. 1. *ibid.* 5., 2. *ibid.* 32. et alibi; *Scribon. Comp.* 99. et 170; *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (138)., 23. 1. 25. (50). et alibi. — Hinc *accessiones facere* est *progressus facere* apud *Hirt. B. Alex.* 22. 1. Ut – magnas accessiones fecerint in operibus hostium expugnandis. *Id. ibid.* 48. 1. Accessiones magnas odii sui fecerat. ¶ 3. Accessio est etiam additio, adjectio (*V.* ACCEDO II. *B.* 4.); et occurrit *a*) sæpissime de abstractis, præsertim in dictione *facere accessionem*; *b*) de hominibus et rebus physicis; *c*) peculiariter apud JCtos de iis, quæ adjiciuntur principali; *d*) ac proinde de iis quæ tamquam honoraria ad vectigalia, decumas etc. adjiciuntur; *e*) et seque peculiariter apud JCtos de re aut persona quæ obligationi adjungitur. — *a*) Sæpissime de abstractis; speciatim autem hoc sensu *accessionem facere* dicitur. *Cic.* 3. *Off.* 3. 12. Quæ – huic repugnent –, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem. *Id. Amic.* 3. 11. Paucorum annorum accessio. *Cajus* 4. 151. temporis. *Vellej.* 2. 130. 5. dignitatis. *Cic.* 16. *Att.* 16. 3. Ad paternas necessitudines magnam attulit accessionem voluntas tua. *Id.* 3. *Fin.* 14. 45. Accessio crescendi. *h. e.* accessio, quæ fit crescendo, ut recte *Madvig* interpretatus est. *Cicero* enim paullo ante *ibid. c.* 10. § 34. dixerat: Accessio quæ fit crescendo. — *Facere accessionem* sæpe usurpatur. *Cic.* 2. *Fam.* 1. 2. Quantæcumque tibi accessiones fiant et fortunæ et dignitatis. *Id.* 2. *de republ.* 21. 37. Quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 9. 1. In dies – meritorum meorum fieri accessiones. — *b*) De hominibus et de rebus physicis. *Cic. Pis.* 34. 84. Cum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus ejus comes. *Liv.* 45. 7. 2. Syphax rex – tunc quoque accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (11). Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius. — *Nep. Att.* 14. 2. Cum tanta pecuniæ facta esset accessio. *Cic.* 1. *Off.* 39. 138. Hanc (*domum*) Scaurus demolitus accessionem adjunxit ædibus. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 35. 112. Si enim mihi cum Peripatetico res esset, qui id percipi posse diceret, *quod impressum esset e vero*, neque adhiberet illam magnam accessionem: *quomodo imprimi non posset a falso.* Cf. 2. *Fin.* 13. 42. *Quintil.* 11. 2. 41. Accessio singulorum versuum. *Cic.* 7. *Fam.* 6. 1. In omnibus meis epistolis – legitima quædam est accessio commendationis tuæ. *Plin.* 33. *Hist. nat. proœm.* § 5. Turbâ gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices – et aurum jam accessio est. *Seneca Ep.* 87. 15. Fiscus tanti est, quantum debet; immo in accessionem ejus venit, quod habet. — *c*) Hinc accessio est etiam res secundaria apud JCtos, qui id principium sanxerunt, ut secundariæ res, cujusmodi sunt agrorum fructus, pecorum fetus etc., principale semper sequerentur. *V. Dig.* 34. per totum Titulum 2., ubi § 13. hæc habentur: Perveniamus et ad gemmas inclusas argento auroque (*h. e.* quæritur, si testamento legatæ sint gemmæ, hæque argento vel auro inclusæ sint, utrum argentum quoque vel aurum legato contineatur): et ait Sabinus, auro argentove cedere: ei enim cedit, cujus major est species: quod recte expressum, semper enim cum quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cujus rei ornandæ causa adhibetur, ut accessio cedat principali; cedent igitur gemmæ phialis, vel lancibus, inclusæ auro argentove. Adde *Dig.* 22. 1. *de usur. et fructib. et causis et omnib. accessionib.* *V.* et ACCEDO II. *B.* 4. *b.* Hinc *Gell.* 18. 1. Virtus non accessio, neque supplementum, sed sola ipsa vitæ beatæ instar est. — *d*) Hinc peculiari ratione accessio dicitur de iis, quæ tamquam honoraria adjiciuntur ad vectigalia, decumas, pensiones et similia, quæ vel reipublicæ, vel dominis pensitantur, cui opponitur *decessio*. *Cic. Rab. Post.* 11. 30. Non intelligo, hoc quale sit; utrum accessionem decumæ, ut nostri facere coactores solent centesimæ, an decessionem de summa fecerit. Si accessionem, undecim millia talentum ad Sabinium pervenerunt, etc. *Cato R. R.* 144. Accessiones in m. ∞ cc. accedit oleæ salsæ m. v. etc. *Cic.* 3. *Verr.* 33. 76. Populus publice coactus est ei conferre lucri tritici m. ccIↃↃ ccIↃↃ ∞, et accessionis HS ∞ ∞. De accessione dubito, an Apro-

nio ipsi data sit merces operæ atque impudentiæ. *Id. ibid.* 49. 116. Ad singula medimna multi HS binos, multi HS singulos semis accessionis cogebantur dare. *Et infra.* Jam iste – in vendundis decumis numorum faciebat accessiones ad singulas decumas etc. *quod eadem significatione corollarium numorum etiam dicitur. Colum.* 1. *R. R.* 7. 2. Nec dominus – tenax esse sui juris debet, sicut in diebus pecuniarum, ut lignis et ceteris parvis accessionibus exigendis. — *c*) Denique peculiariter apud JCtos *accessio* in obligatione est, quoties aut res, aut persona adjungitur. Hinc fidejussores, sponsores, adpromissores, et omnes qui obligationi accedunt, *accessiones* dicuntur. *Paul. Dig.* 44. 7. 44. Accessio in obligatione aut personæ, aut rei fit: personæ cum mihi, aut Titio stipulor; rei, cum mihi decem, aut Titio hominem stipulor. *Id. ibid.* 45. 1. 91. § 4. Utique principalis debitor perpetuat obligationem; accessiones autem an perpetuent, dubium est. Adde *Cajum* 3. 26. *Dig.* 44. 1. 32. Commoda fidejussori ceterisque accessionibus competere possunt.

ACCESSĪTO *vel* adcessito, as, āvi, ātum, are, n. 1. (frequentativum ab *accedo*) sæpius accedere. *Cato in Orig.* apud *Gell.* 18. 12. Eodem convenæ complures ex agro accessitavere.

ACCESSO *vel* adcesso, is, īvi, ītum, ere, n. 3. (ad *et* cesso, derivativum a *cedo*). *Eutych.* 2. p. 2184. *Putsch.* et p. 192. *Lind.* Excipitur accerso, accesso, lacesso, cesso, facesso, incesso, capesso etc. (paullo aliter *Lind.*). *Hoc autem verbum analogia quidem innititur, sed hujus tantum Grammatici auctoritate confirmatur: quamquam fortasse fides habenda* Fab. Planciadi Fulgentio expos. serm. p. 561. 25. Merc. in fine edit. Nonii; *ibi enim hæc habentur:* Numa vero Pompilius et ipse de Pontificalibus scribens, tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tutabant, cum ad sacrificium accessent. *ubi legendum puto* accesserent.

ACCESSOR, ōris. *V.* ACCENSOR.

ACCESSUS *vel* adcessus, us, m. 4. (accedo) est appropinquatio, cui opponitur *discessus* et *recessus*; et aliquid plus significat quam *accessio*, quæ est una tantummodo accedendi actio (It. *accostamento, avvicinamento*; Fr. *approche, arrivée*; Hisp. *cercania, llegada*; Germ. *das Nähertreten an etwas*; Angl. *an approaching, or drawing near to, a coming*).

I.) Proprie de pluribus dicitur, scilicet — *a*) Generatim. *Cic. Mil.* 19. 52. Accessus ad Urbem nocturnus (*qui* ibid. § 49. *dicitur* nocturnus ad Urbem adventus). *Id.* 2. *Att.* 1. 11. Id a tuis litteris, quas ad me de accessu tuo miseras, discrepabat. *ubi male Editt.* censu, cessu, accensu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 66. (166). Qua ratione manifestum est, quare tot fluminum accessu maria non crescant. *Quintil.* 12. 10. 37. Illis facilis per quælibet vada accessus. *C. Ælius Gallus* apud *Gell.* 16. 5. Per quem (*locum*) a via aditus accessusque ad ædis est. — *b*) Hinc accessus de personis quæ alios excipiunt, aut de locis, ad quæ perveniri potest, interdum etiam passive. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 41. dare accessum. Adde *Phædr.* 2. 17. 10. *Ovid. Heroid.* 10. 64. negare accessus. *Id.* 14. *Met.* 635. prohibere. *Id.* 1. *Art. am.* 351. mollire. *Stat.* 12. *Theb.* 152. fugare accessus hominum. *Cod. Theod.* 14. 11. 1. arcere accessu urbis. *Ibid.* 7. 16. 1. Ne unquam – ad hanc imperii partem pateret accessus. — Passive. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 8. 18. (33). Cui spina – accessu propter aculeos anxio. *Pomp. Mela* 2. 4. 7. Sinus accessu asper. — *c*) Item de astris. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Solis accessus discessusque. *Id.* 2. *ibid.* 19. 49. Solis cum accessus modici, tum recessus et frigoris et caloris modum temperant. *Id.* 3. *Orat.* 45. 178. Accessus et recessus Lunæ. *Id.* 2. *Divinat.* 42. 89. stellarum. — *d*) De maris æstu. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 347. Quid de marinis æstibus dicam? quorum accessus et recessus Lunæ motu gubernantur. *Pompon. Mela* 3. 6. 8. Alterni accessus recursusque pelagi. Adde 3. 1. 1., 3. 2. 5. — *e*) De ventis et aere. *Virg.* 3. *Æn.* 570. Portus ab accessu ventorum immotus. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Adjungitur – purgatior aer ingrediens locum, qui sua novitate ac multi accessu reficiat ægrotantem.

II.) Translate. ¶ 1. Accessus dicitur de morbo, qui hominem corripit. *Gell.* 4. 2. Quod vitium perpetuum, morbus cum accessu decessuque sit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 11. (46). Accessus febrium. ¶ 2. Interdum accessus sumitur pro loco, per quem aliquo acceditur. *Sueton. Cæs.* 58. Explorare accessum ad insulam. *Virg.* 8. *Æn.* 229. omnem accessum lustrare. Adde *Flor.* 1. 17. 4. et 2. 12. 5. *Auct. B. Afr.* 5. difficilis ad oppugnandum. *Hirtius B. Alex.* 26. 2. maritimus, pedester. Adde *Inscr.* apud *Gruter.* 896. 14. in v. ACCEPTATOR. *Liv.* 29. 27. Dare vela, et alium infra navibus accessum petere jubet. Apud *Vitruv.* 10. 19. (13). 8. pro *accessu* nunc recte legitur *ascensu*, q. v. *V.* ¶ 3. Item est actio, qua nos alicui rei damus, ut aut fructum inde capiamus, aut rem ipsam in melius promoveamus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 12. 34. Bestiis autem (*natura*) – dedit – accessum ad res salutares, a pestiferis recessum. *Id.* 14. *Att.* 17. A. § 7. Ita pedetentim cum accessus a te ad causam facti, tum recessus. ¶ 4. Est etiam augmentum. *Cod. Theod.* 6. 35. 7. Cum pro merito probitatis et fidei accessu istius fuerint splendoris ornati etc. — Hinc de morbi augmento. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Cum in accessu tumor major fuerit excitatus etc.

ACCĬDENS *vel* adcidens, entis, n. 3. (accido). Part. præs. verbi ACCĬDO, quod *V.* — Usurpatur etiam substantivorum more: sed translate tantum. ¶ 1. Est circumstantia, quæ rei accidit, hoc est extrinsecus advenit: *Cicero* adjunctum vocat. Græci τὸ συμβεβηκός, cui opponitur οὐσία, *h. e.* substantia. *V.* ACCĬDO II. *B.* 1. (It. *accidente*; Fr. *accident*; Hisp. *accidente*; Germ. *das Zufällige, Aeussere an einer Sache*; Angl. *accident*). *Quintil.* 3. 6. 36. Theodorus, qui de eo *An sit*, et *de accidentibus* ei, quod esse constat, id est περὶ οὐσίας καὶ συμβεβηκότων, existimat quæri. *Id.* 4. 2. 130. Personæ cum suis accidentibus ponendæ. *Id.* 5. 10. 23. Causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus, cetera, rerum sunt accidentia. *Id.* 3. 6. 36. Hermagoras quatuor putat (*status*), conjecturam, proprietatem, translationem, qualitatem, quam per accidentia, id est κατὰ συμβεβηκότα vocat. Adde *Senecam de Const. sap.* 9., *Priscian.* 2. p. 507. *Putsch.*, *Tertull. advers. Prax.* 26. et alios. *Quintil.* 8. 3. 70. Contingit eadem claritas et ex accidentibus. *h. e.* epithetis. Hinc apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. *accidens* ponitur pro nomine adjectivo, sicut *positivum* pro substantivo. — Hinc a Medicis morbi symptomata vocantur accidentia. *Cœl. Aurel.* 4. *Acut.* 10. Timendum enim hoc sæpe est accidens, quod Græci σύμπτωμα vocant. Adde 2. *Acut.* 6. et alibi sæpius. *Id.* 2. *Acut.* 33. Soranus ait aliud esse signum, aliud accidens. Nam signum neque recedit, et semper significato conjunctum est. Accidens autem, quod Græci symptoma vocant, nunc advenit, nunc recedit: ex quibus (*h. e.* ex quorum numero) esse intelligimus singula, quæ febricitantium accidentia dixerunt, ut corporis difficilem motum, gravedinem, tensionem præcordiorum etc. ¶ 2. Accidens est etiam fortuna, casus, quod necopinantibus accidit. *Firmic.* 5. *Mathes.* 4. Erunt etiam duorum patrum, aut duarum matrum filii, unius scilicet per naturam, alterius vero per accidens. *Cajus* 3. *Comm.* 146. Idque ex accidentibus apparet. *h. e.* ex iis quæ accidunt. *Julian. Dig.* 35. 2. 51. Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidente postea in eum casum pervenerit. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. Sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt, et ita ex accidente appellatæ sunt leges duodecim tabularum. ¶ 3. Ponitur et pro re adversa, quæ necopinantibus accidit. *Auctor. Declam.* 5., *cui titulus est* Æger redemptus, *quæ Quintiliano tribuitur:* Quamvis, judices, in tanta malorum continuatione jam poteram nihil ex accidentium meorum novitate mirari. *Et paullo post:* Non molliri prosperis facile, non accidentibus frangi.

ACCĬDENTĀLĬTER, adverb. (accidens) per accidens: quod translatum est. V. ACCĬDO II. *B.* 1. (It. *accidentalmente*; Fr. *accidentellement*; Hisp. *accidentalmente*; Germ. *durch Zufall*; Angl. *accidentally*). *Boeth. in Porphyr.* 2. p. 58. Omne quod nascitur et fit, in loco ac tempore est; et quidquid loco vel tempore natum factumve fuerit, eum locum vel id tempus accidentaliter dicitur habere principium. *Id. ibid.* 3. p. 67. Hæc enim species et ab hac diversa est, quæ uniuscujusque corpori accidentaliter insita est.

ACCĬDENTER, adverb. (accidens) idem ac accidentaliter. *Boeth. in Categor. Aristot.* 2. p. 162. Quod ait accidentia, non quod homo sit accidens, aut bipes, differentia hominis accidenter insit, sed interdum consuetudinis Aristotelicæ est, quæ secundo loco et extrinsecus prædicantur, dicere secundum accidens prædicari. *Id. in Aristot. lib. de interpr. ed. sec.* p. 460. Quod bonum est, per naturam bonum est; quod vero malum non est, accidit ei secundo loco et quasi accidenter est.

ACCĬDENTĬA *vel* adcidentia, æ, f. 1. (accidens). ¶ 1. Est idem atque ACCIDENS (*V.* § 1.), scil. circumstantia quæ rei accidit, hoc est extrinsecus advenit. *Claud. Mamert.* 1. *St. an.* 3. Justitiam et misericordiam, quia in homine accidentiæ sunt, affectus esse dixisti. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Quidam nostræ sectæ principes – hoc accidentiæ genus stomachicam synanchen vocaverunt. Adde *Tertull. de anim.* 11. et 21. ¶ 2. Est etiam id quod accidit: quod æque translatum est. V. ACCĬDO II. *B.* 3. (It. *accidente, avvenimento*; Fr. *ce qui arrive, événement*; Hisp. *acaecimiento, contingencia*; Germ. *der Zufall*; Angl. *accident, event*). *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 9. (19). Esse vero illam naturæ accidentiam – etiam in locis quibusdam, apposito occurret exemplo. *h. e.* illud autem in rerum natura evenire etc. *al. minus recte* accedentiam.

ACCĪDO *vel* adcido, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (ad *et* cædo). Part. *Accisus.* Proprie idem est ac cædo quin tamen sternam, ac deinde ampliata significatione cædo et sterno. (It. *tagliare*; Fr. *couper*; Hisp. *tajar, cortar*; Germ. *anhauen, anschneiden*; Angl. *to cut, to cut off, to fell*).

I.) Proprie. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Accidunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur. *Virg.* 2. *Æn.* 626. Ornus accisa ferro. *h. e.* cæsa et ad terram prostrata. *Liv.* 26. 41. 22. *per figuram:* Favete – soboli imperatorum vestrorum, velut accisis recrescendi stirpibus. *Tac. Germ.* 19. 2. Accisis crinibus nudatam expellit domo maritus. *Arnob.* 1. 3. Ab locustis genus omne acciditur atque adroditur frugum. *Virg.* 7. *Æn.* 125. fames Accisis coget dapibus consumere mensas. *h. e.* consumptis.

II.) Translate est omnino concidere, evertere, prorsus extenuare: qua significatione occurrit sæpius Part. præt. pass. *Liv.* 8. 29. 12. Hostes in aciem invitos extraxit; et ita prælio uno accidit Vestinorum res. *Cic. Prov. cons.* 14. 34. Accisæ res. Adde *Cæs.* 8. *B. G.* 31., *Liv.* 3. 10. 8., 6. 5. 2., 8. 11. 12. et alibi sæpe. *Liv.* 8. 11. 8. Accisæ Latinorum copiæ. *Id.* 7. 29. robur juventutis. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 113. Integris opibus novi non latius usum, Quam nunc accisis. *Sil. It.* 8. 590. Accisæ gentes. *Id.* 2. 392. populi. *Tac.* 1. *Ann.* 61. reliquiæ hostium.

ACCĬDO *vel* adcido, cĭdis, cĭdi, cĭdere, n. 1. (ad *et* cado). Part. *Accidens* I. et II. *A.* 2. Proprie est cadere super, vel juxta rem aliquam (It. *cadere sopra, appresso*; Fr. *tomber sur, ou près de*; Hisp. *caer sobre, ó cerca*; Germ. *anfallen, an-oder auffallen auf etwas*; Angl. *to fall down at or before*).

I.) Proprie occurrit *a*) cum Accus. et præp. *ad*, *b*) cum Accus. et præp. *in*, *c*) cum Dat. vel Adverb. *quo*, *d*) absolute, *e*) denique de iis qui aliquid orantes ad alicujus pedes se prosternunt. — *a*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 75. Securibus cæsa accidisset abiegna ad terram trabes. *Plaut. Pœn.* 2. 38. Tam crebri ad terram accidebant, quam pira. — *b*) Cum Accus. et præp. *in*. *Varro* apud *Non.* p. 494. 33. *Merc.* Alia trabs pronis in humum accidens proximæ frangit ramos cadens. *Ovid.* 5. *Fast.* 360. Accidere in mensas ut rosa missa solet. — *c*) Cum Dat. vel Adverb. *quo*. *Livius Andron.* apud *Fest.* p. 310. 34. *Müll.* Quo Castalia per struices saxeas lapsu accidit. *Seneca Hipp.* 588. Terræ repente corpus exanimum accidit. — *d*) Absolute. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Ut (*tela*) missa a Gallis gravius acciderent. *Id. ibid.* 25. Cum – tela ex superiore loco missa non frustra acciderent. *Liv.* 2. 50. 7. Tela ab omni parte accidebant. — *e*) De iis qui aliquid orant. *Ennius* apud *Non.* 517. 15. *Merc.* et *Ter. Hec.* 3. 3. 18. Accidere ad genua. *Cic.* 1. *Att.* 14. 5. Ad pedes omnium accidente Clodio. *Sueton. Cæs.* 20. ad genua alicui. *Liv.* 44. 31. genibus alicujus. *Tac.* 15. *Ann.* 53. Deprecabundus et genibus principis accidens. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Quo accidam? quo applicem? *Sall. Jug.* 14. 17. Quo (*Donatus* quos) accidam, aut quos appellem? *sed plerique melius* accedam. *V.* ACCEDO.

II.) Translate duas generatim præsefert significationes; aut enim *A*) ponitur de iis quæ animum et præcipue sensus percellunt; aut *B*) de iis quæ casu quomodocumque eveniunt.

A) Ponitur speciatim ¶ 1. Sæpe de sonis, quæ ad aures perveniunt: raro et de aliis quæ sub sensus cadunt; *a*) cum Accus. sine præp.; *b*) cum Accus. et præp. *ad*, *c*) cum Dat., *d*) significato loco, a quo so-

nus proficiscitur, e) interdum absolute. — a) Cum Accus. sine præp. Plaut. Stich. 1. 2. 31. Mihi paternæ vocis sonitus aures accidit. Val. Flacc. 2. 452. Vox accidit aures. — b) Cum Accus. et præp. ad. Accius apud Non. 39. 5. Merc. Simul ac nota vox ad aures accidit. Lucret. 2. 1022. Nam tibi vehementer nova res molitur ad aures Accidere. Cic. Vatin. 2. 4. Non putas fas esse verbum ex ore exire cujusquam, quod non jucundum et honorificum ad aures tuas accidat. Id. Sext. 50. 107. Nihil ut unquam videretur tam populare ad populi Romani aures accidisse. Liv. 26. 40. clamor – ad aures. Cic. 3. Att. 20. 3. Accidit vox – ad hostes. Lucret. 4. 235. de visu: in luci quæ poterit res Accidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago? Fronto 4. Ep. 12. p. 111. Mai. Nunquam tua imago tam dissimilis ad oculos meos in itinere accidit, ut non etc. Cf. Cic. 6. Verr. 1. 2. § 3. — c) Cum Dat. Liv. 24. 46. Imber – lentior deinde æqualiorque accidens auribus. Quintil. 12. 10. 75. Ubi – quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum. Plin. Paneg. 92. Major auribus nostris accidat clamor. — d) Significato loco, a quo sonus proficiscitur. Liv. 10. 5. 2. Concitatior accidens clamor ab increscente certamine. Id. 27. 15. 16. Unde maxime terribilis accidebat sonus. — e) Absolute. Liv. 27. 29. Quia fama repente accidit, classem Punicam adventare. Id. 28. 7. Cum fama accidisset. Adde 32. 30. et 45. 29. ¶ 2. Item peculiariter accidere ponitur etiam de animo, et est in animum cadere, pervenire, iisdem ferme modis: scilicet — a) Cum Accus. sine præp. Gell. 19. 10. Res animum accidens. — b) Cum Accus. et præp. ad. Cic. 3. Att. 20. 3. Quod me vetas quidquam suspicari accidisse ad animum tuum. — c) Sæpius cum Dat. Ter. Phorm. 2. 1. 20. Horum nihil quidquam accidet animo novum. Lucret. 4. 879. (882). Dico animo nostro primum simulacra meandi Accidere, atque animum pulsare. Id. 5. 98. (97). Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti Accidat. ¶ 3. Hinc accidere est etiam percellere, et dicitur de iis quæ hominum animos aut oculos in se convertunt. Cic. 6. Verr. 1. 2. Denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati, neque publici – tota in Sicilia reliquisse. Cæs. 6. B. G. 8. Ne majoris multitudinis species accidere hostibus posset. ¶ 4. Hinc etiam cum Accus. et præp. in, pro quadrare, convenire, posuit Ter. Andr. 5. 3. 14. Eodem die istuc verbum vere in te accidit.

B) Accidere ponitur etiam sæpe de iis generatim, quæ casu quomodocumque eveniunt: peculiariter autem ¶ 1. Ponitur de speciebus, quæ substantiæ inhærent. Quintil. 5. 10. 58. Proprium autem est, aut quod soli accidit, ut homini sermo, risus; aut quod utique accidit, sed non soli, ut igni calefacere. Id. 5. 13. 10. Cetera, quæ huic generi accidunt. et alibi sæpe. Charis. 2. p. 126. Putsch. Nomini accidunt qualitas, genus, figura, numerus, casus. Adde ibid. p. 131., p. 138. et alibi sæpe. Donat. p. 1743. Putsch. Nomini accidunt sex: qualitas etc. Adde ibid. p. 1752., p. 1754. et alibi. Cf. ACCIDENS 1., ACCIDENTIA 2., necnon adverb. ACCIDENTALITER et ACCIDENTER. ¶ 2. Accidere significat etiam consilii aut rei exitum: quo sensu Italice dicitur riuscire, Germanice ausfallen. Plaut. Pseud. 2. 3. 15. Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum eum declaramus: stultum autem illum, cui vortit male. Ter. Andr. 1. 5. 29. Misera timeo incertum hoc quorsum accidat. Pseudo-Sallust. ep. 11. ad Cæs. p. 200. 7. Orell. Stultissimi mortales, quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se victi recipiunt. Cæs. 1. B. G. 31. 10. Pejus victoribus Sequanis, quam Æduis victis, accidisse. Adde 3. ibid. 9. 6. Cic. hoc sensu 3. Att. 24. 1. utitur verbo cadere, et Rosc. com. 15. 43. verbo recidere. ¶ 3. Sæpissime autem accidere est fortuito et improviso evenire, contingere, locum habere (quamvis accidere differat a verbis evenire et contingere. V. Homonym. in fin.): qua significatione accidere occurrit a) cum de secundis, tum de adversis; b) sæpius tamen de adversis; unde usitatissimæ illæ formulæ si quid alicui accidat, si quid humanitus accidat; c) sæpius etiam absolute occurrit accidit aliquid; d) denique sæpissime usurpatur accidit impersonaliter. — a) Occurrit cum de secundis, tum de adversis cum Dat. personæ. Cic. 1. Att. 5. 1. Nam mihi omnia, quæ jucunda ex humanitate alterius et moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Id. Rosc. Am. 7. 16. Magis ut exsultare victoria nobilitatis videretur, quam timere ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. Id. 6. Fam. 7. 3. Nescio an tibi gratius opportuniusque acciderit. Adde 3. ibid. 10. 4., 11. ibid. 15. 1., Pis. 20. 46. et Planc. 24. 58. Cæs. 4. B. G. 22. Hoc sibi satis opportune Cæsar accidisse arbitratus. Virg. 12. Æn. 593. Accidit hæc fortuna Latinis. — b) Quoniam vero, quæ fortuito et præter expectationem accidunt nobis, utpote minime optata, sæpe ingrata sunt; ita accidere sæpius occurrit de adversis pariter cum Dat. personæ. Cic. 5. Verr. 55. 127. Quibus si qua calamitas propter istum – accidisset. Id. 4. Acad. (pr. 2.) 38. 121. Si quid adversi acciderit (quod cui non accidit?) extimescere ne id jure eveniat. Id. Amic. 3. 10. Nihil mali accidisse Scipioni puto; mihi accidit, si quid accidit. — Hinc absoluta illa dicendi formula apud omnes ferme scriptores si quid alicui accidat, qua generatim aliquid adversi significatur: unde peculiariter hæc eadem formula et alia si quid humanitus accidat; quibus significatur futura mors alicujus, quemadmodum aperte patet ex Digesti loco infra cit.: illis autem libenter utebantur Veteres præcipue in testamentis, ut mortis vocabulo, aut alio ominoso verbo abstinerent. Cæs. 1. B. G. 18. 9. Si quid accidat Romanis. h. e. si victi cedant. Cic. Mil. 22. 58. Si quid ipsi accidat. h. e. si condemnetur. Planc. apud Cic. 10. Fam. 23. 1. Nunquam – me pœnitebit maxima pericula pro patria subire, dum, si quid acciderit mihi, a reprehensione temeritatis absim. h. e. si adversitate et miseria premar. Mors autem significatur seqq. Seneca 2. Controv. 10. 2. Nempe si quid acciderit viro, peritura est et, si bene filiam meam novi, peritura est, si quid genero meo acciderit – adjiciam, quod sit indignum, si quid filiæ meæ acciderit, vir ejus victurus est. Cic. 2. Invent. 21. 64. Cujus heres non in testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset. Id. 1. Phil. 4. 10. Si quid mihi humanitus accidisset. Inscript. apud Orell. 4354. SI CVI QVID VESTRVM HVMANITVS ACCIDERIT. Cic. 1. Tusc. 43. 104. absolute sine Dat. Velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, auferri. Vellej. 2. 32. 1. Si quid huic acciderit. Adde eund. 2. 93. 2., et Sueton. Aug. 101. et Calig. 3. Id. Sueton. Calig. 23. Si quid sibi per tempestates accideret. Pompon. Dig. 50. 16. 163. Si quis ita in testamento scripserit: si quid filio meo acciderit, Dama servus meus liber esto, mortuo filio Dama liber erit: licet enim aliqua accidant et viris, sed tamen vulgi sermone etiam mors significatur. Contingo et evenio eadem ratione usurpantur. — c) Sæpe dicitur etiam accidit aliquid absolute; interdum tamen adjicitur unde res accidat. Ter. Andr. 2. 3. 24. Interea aliquid acciderit boni. Cic. 3. Fam. 10. 2. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses etc. Id. 3. Off. 4. 18. Cedo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur. Et 1. ibid. 10. 32. Potest enim accidere promissum aliquod et conventum. Id. Cæcin. 5. 13. Ut negotia mulieris, si qua acciderent, – susciperet. Id. 3. Fam. 10. 1. Quod nihil tam præter opinionem accidere potuit. Adde alia exempla in Homonym. allata. — Quintil. 1. 1. 13. Hinc enim accidunt et oris plurima vitia – et sermonis. Id. 8. 6. 67. Ex confusis quæ vitia accidunt. Id. 1. 5. 38. Per quot species solœcismus accidat. et al. sæpe. Cic. 1. Att. 16. 1. Quæris a me, quid acciderit de judicio, quod etc. — d) Sæpissime accidit impersonaliter occurrit, majori cum vi si nomen casu adjiciatur; frequenter sequente particula ut præsertim absolute, et interdum etiam tempore præsenti; raro sequente partic. quod, vel Infinito, vel partic. ne. Cic. Rosc. Am. 34. 96. An – casu accidit, ut id, quod Romæ audierat, primus nuntiaret? Nep. Hann. 12. 1. Quæ dum in Asia geruntur, accidit casu, ut legati – cœnarent. Adde Ovid. Heroid. 21. 49., Sallust. Jug. 79., Quintil. 2. 17. 31. et alios. — Cic. 1. Nat. D. 21. 59. Sed quod in illo mihi usu sæpe venit, idem modo – accidebat, ut moleste ferrem. Id. 15. Fam. 10. 1. Quoniam ergo ita accidit, ut omnium vestrum studio tuus consulatus satisfacere posset. Id. 2. ibid. 10. 1. Putaresne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent? Nep. Con. 5. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, quam in adversa fortuna esset. Cic. 3. Verr. 24. 63. Accidit, cum iste a Cn. Dolabella efflagitasset, ut se ad regem Nicomedem – mitteret, ut illo itinere veniret Lampsacum. Nep. Milt. 1. 1. Accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. Adde Alcib. 3. 2., Timoth. 3. 3., Att. 20. 3. Plin. Paneg. 61. temp. præsenti: Accidit quidem, ut corpora – decrescant. — Cic. 1. Att. 17. 2. seq. partic. quod: Sed accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. Plin. 9. Ep. 13. Accidit fortuitum – quod – morbo implicitus decessit. Cic. 6. Fam. 11. 1. cum Infin.: Obligatus ei nihil eram, – nec enim acciderat mihi opus esse. Id. 2. Divinat. 8. 21. Nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat.

Homonym. Verba homonyma plura sunt, scil. accidere, evenire, contingere, obvenire et obtingere. Accidere autem et evenire de re quacumque usurpantur sive secunda sive adversa; e contra contingere, obvenire, et obtingere potius de secundis (unde Fl. Caper. p. 2242. Putsch. Accidere adversi aliquid dicito: Contingere aliquid pulchrum est). Res accidunt præter expectationem; eveniunt optatæ atque expectatæ: accidunt casu, quin aliquid faciamus, ut accidant; eveniunt si ea facimus, ex quibus eveniant opus est; contingunt veluti fortunæ ludus; obtingunt et obveniunt veluti sortis donum. Cic. 6. Fam. 21. 1. Timebam, ne evenirent, quæ acciderunt: ipse nempe Cicero providebat ea evenire, quæ minime optata acciderunt. Pariter Id. 1. Divinat. 28. 58. Mihique a peritis – prædictum est fore eos eventus rerum, qui acciderunt. Id. Planc. 6. 15. Nihil, ut plerumque evenit, præter opinionem accidet. Tac. 4. Hist. 10. Cuncta quæ acciderant aut metuebantur, non inertia militis neque hostium vi, sed fraude ducum evenire. Seneca Ep. 110. 3. Adhibe diligentiam tuam et intuere, quid sint res nostræ, non quid vocentur: et scies plura mala contingere nobis, quam accidere. Quoties enim felicitatis et causa et initium fuit, quod calamitas vocabatur?

ACCĬDŬUS, a, um, adject. (accido) qui accidit, accidens. Paulin. Nol. carm. 26. 136. neque quisquam erat index Accidui. h. e. ejus rei quæ acciderat.

ACCĬEO vel adcieo, es, ere, a. 2. (ad et cieo) idem quod accio, sed minus usitatum (It. chiamare, o mandar a chiamare, far venire; Fr. faire venir, mander; Hisp. apelar; Germ. herbeirufen, holen; Angl. to call, to summon, to send for). Plaut. Mil. glor. 3. 3. 60. Ego illum jam probe oneratum huc acciebo. Ita legendum est ex vett. quibusdam Codd., et quod ratio carminis ita legi postulat; quamquam plerique alii legant accibo, quod erit futurum anomalum ab Accio, is, quemadmodum ab Audio olim dictum est audibo. Quidquid tamen sit de Plauti loco, hoc certe verbum ponitur a Diomed. 1. p. 363. Putsch. in secunda conjugatione.

ACCINCTUS vel adcinctus, a, um. V. ACCINGO.

ACCINGO vel adcingo, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (ad et cingo). Accingier paragoge pro accingi apud Virg. 4. Æn. 493. v. infra. — Part. Accinctus omnibus par., et in fine; Accingendum neutr. II. 1. c. Proprie est cingo, præcingo (It. cingere; Fr. ceindre; Hisp. ceñir; Germ. angürten, umgürten; Angl. to gird, to begird, to gird on).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est cingere; et dicitur etiam passive accingi aliqua re. Virg. 11. Æn. 489. laterique accinxerat ensem. Stat. 1. Theb. 428. Forsan et accinctos lateri, sic ira ferebat, Nudassent enses. Virg. 7. Æn. 640. Loricam induitur, fidoque accingitur ense. Liv. 40. 13. gladiis accincti. Tac. 6. Ann. 2. Accinctus ferro. Id. 11. ibid. 18. pugione. Id. 11. ibid. 31. Feminæ pellibus accinctæ assultabant. Hinc ¶ 2. Accinctus miles absolute idem est ac armatus atque ad prœlium promptus. Tac. 11. Ann. 18. Ferunt, militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitus. Id. 2. Hist. 88. An accincti forent, rogitantes. Et ibid. 89. Ipse Vitellius – insigni equo, paludatus accinctusque. ¶ 3. Latius etiam sumitur pro instruere, ornare. Virg. 6. Æn. 184. paribusque accingitur armis. Id. ibid. 570. Tisiphone accincta flagello. Id. 9. ibid. 74. Atque omnis facibus pubes accingitur atris. Valer. Flacc. 5. 514. accinctus gemmis fulgentibus ensis. Eumen. Paneg. ad Constant. 11. Britannia tot vectigalibus quæstuosa, tot accincta portubus. Id. Paneg. ad Constantin. 19. Massilia munitissimo accincta portu.

II.) Translate. ¶ 1. Est parare, instruere: ducta est autem translatio ex eo, quod qui aliquid facere aggreditur, alte cingi solet, quo habilior expeditiorque sit; aut etiam fortasse ex eo, quod miles armis accingitur, cum ad pugnam paratur. Cf. I. 1. et 2. Hac autem significatione occurrit accingere aliquem:

sed sæpius *accingi*, *se accingere*, aut raro *accingere* neutrorum more, et occurrit *a*) absolute; *b*) cum Infinito; *c*) sæpe cum Accus. et præp. *ad* etiam impersonaliter; *d*) cum Accus. et præp. *in*; *e*) cum Accus. sine præp.; *f*) cum Dat. — Active. *Valer. Flacc.* 4. 593. atque animos accinge futuris. *Tac.* 6. *Ann.* 32. Ornat Phrahaten, accingitque paternum ad fastigium. — *Accingi*, *se accingere*, aut *accingere* *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 5. 8. 30. Accingar. *Id. Phorm.* 2. 2. 4. Tibi omne est exedendum: accingere. *Lucret.* 2. 1041. (1043). si falsa est, accingere contra. *Ovid.* 7. *Met.* 47. accingere et omnem Pelle moram. *Liv.* 1. 47. Quin accingeris? *Tac.* 4. *Hist.* 68. Simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo etc. — *b*) Cum Infin. *Virg.* 3. *G.* 46. Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas Cæsaris. *Tac.* 15. *Ann.* 51. Accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes etc. — *c*) Cum Accus. et præp. *ad* sæpius. *Liv.* 4. 2. Accingi ad consulatum. *Id.* 6. 35. impersonaliter: Accingendum ad eam cogitationem esse. *Quintil.* 1. 12. 16. Accingi ad vilem usum. *Id.* 12. 1. 15. Id, ad quod (*mens*) accingitur. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Ad majorem opem accingi. *Id.* 4. *Hist.* 79. ad opem vel ad ultionem. *Id.* 12. *Ann.* 31. Turmas quoque (*equitum*) peditum ad munia accingit. *Pomponius* apud *Non.* p. 460. 28. *Merc.* neutr.: Dum ego revortor, age, – accinge ad molas. — *d*) Cum Accus. et præp. *in*. *Liv.* 2. 12. In discrimen accingi. *Tac.* 3. *Hist.* 66. Desperatione saltem in audaciam accingeretur. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 48. magnos accinctus in usus Fert animus quascumque vices. *Plin. Paneg.* 30. In omnia intenta bonitas et accincta. — *e*) Cum Accus. sine præpositione, quæ inest in ipso verbo. *Virg.* 4. *Æn.* 492. testor – deos – magicas invitam accingier artes. — *f*) Cum Dat. *Virg.* 1. *Æn.* 214. Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris. *Id.* 11. *ibid.* 707. pugnæque accinge pedestri. *Tibull.* 4. 1. 179. Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus, Valgius. *Virg.* 2. *Æn.* 235. neutr.: Accingunt omnes operi. *In hoc autem, et similibus exemplis semper subintelligitur Accusativus* te, *aut* se. ¶ 2. Est etiam munire, fortem reddere, metaphora sumpta a n. II. 3. *Tac.* 12. *Ann.* 25. Se quoque accingeret juvene, partem curarum capessituro. *Id. ibid.* 44. Juvenis potentiæ promptæ, et studio popularium accinctus. *Ammian.* 18. 4. Ferarum gentium adjumentis accinctus. *Id.* 17. 5. Accinctus totis viribus.

Accinctus, *a*, *um*, præterquam Part. perf. pass. quod omnes verbi significationes præsefert (v. supr.), est etiam Adject., unde Comp. *Accinctior*: de cujus sensu ita *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 210. *Accinctos* enim industrios dicimus, sicut contra *distinctos* negligentes. Hinc — *a*) Expeditus, promptus. *Auson. Grat. act.* 27. Cujus aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior? — *b*) Non negligens, sed attentus. *Plin. Paneg.* 20. Comitatus accinctus et parcus.

ACCĬNO, is, ere, n. 3. (ad et cano) idem quod accanto. Verbum est perrari usus. *Diomed.* 2. *p.* 425. *Putsch.* Accentus dictus est ab accinendo, quod sit quasi quidam cujusque syllabæ cantus. *V.* ODICUS, et EPODOS. *Quidam afferunt etiam ex* Sedulio *versum, quem nos in toto ejus opere non invenimus.*

ACCĬO vel adcio, cis, civi et cii, citum, cire, a. 4. (ad et cio vel cieo). *Accisse* syncope pro *accivisse* apud *Fronton.* *V.* infra I. c. De futuro *accibo* *V.* ACCIEO. — Part. *Accitus* I. et II.; *Acciturus* et *Acciendus* I. Proprie est evoco, advoco, arcesso (It. *mandar a chiamare, far venire, chiamare*; Fr. *appeler, faire venir, mander*; Hisp. *apelar*; Germ. *herbeiziehen, herkommen lassen, herbeirufen*; Anglic. *to send for, call, call in, summon, desire to come*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Accius* apud *Non.* p. 484. 7. *Merc.* Cujus vos tumulti causa acciverim. *Cic.* 5. *Att.* 1. 3. Tu invita mulieres, ego accivero pueros. *ubi quidam ex vet. quibusdam libris male leg.* arcivero. *Id.* 13. *ibid.* 48. 1. Is igitur si acciverit, accurram. *Lucret.* 5. 994. horriferis accibant vocibus Orcum. — Sæpe ponitur de copiis, quæ imperatoris jussu evocantur. *Sall. Jug.* 102. 3. Acciti ibant. *Liv.* 10. 19. Orare, ne collegæ auxilium, quod acciendum ultro fuerit, – sperneretur. *Virg.* 11. *Æn.* 235. imperio acciti. *Id.* 9. *ibid.* 192. Acciri Ænean exposcunt. *Tac.* 4. *Hist.* 72. Convertit animos accitarum legionum miserabilis aspectus. *et alibi et apud alios sæpe.* *V.* infra sub *c*. — *b*) Interdum dicitur *accire aliquem alicui*. *Cic.* 3. *Orat.* 35. 141. Qui hunc Alexandro filio doctorem acciverit. — *c*) Sæpius adjecto loco a quo, aut ad quem, aut etiam quem ad finem. *Cic.* 1. *de re publ.* 13. 25. Accire aliquem ad regnandum Romam Curibus. *Id. Harusp. resp.* 12. 25. Haruspices acciendos ex Hetruria putaremus. *Liv.* 1. 35. Accire ex Hetruria equos pugilesque. *Sall. Jug.* 84. 2. ex Latio fortissimum quemque. *Liv.* 3. 46. e castris Virginium. *Curt.* 4. 1. 36. Classis Macedonum ex Græcia accita. *Liv.* 24. 19. Se T. Gracchum proconsulem a Benevento acciturum. *Fronto Princ. hist.* p. 322. *Mai.* Histriones ex Urbe in Suriam accisse. *Liv.* 2. 6. Accire aliquem peregre in regnum. *Id.* 9. 3. aliquem in consilium. *Vellej.* 2. 20. 3. ingentem totius Italiæ frequentiam in Urbem. *Tac.* 2. *Hist.* 1. aliquem in adoptionem.

II.) Translate. *Vellej.* 2. 38. 6. Regis morte, quam ille conscientia acciverat. *h. e.* sibi attulerat. *Flor.* 4. 2. 70. Mortem etiam lætus accivit. *Tac.* 2. *Hist.* 3. Sed scientiam artemque haruspicum accitam. *Id.* 14. *Ann.* 20. Funditus everti (*mores patrios*) per accitam lasciviam. *Id.* 3. *ibid.* 27. Accitis (*in leges* XII. *Tabul.*) quæ usquam egregia. *Cic.* 5. *Fin.* 31. 93. Qui se fatentur virtutis causa, nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse. *de qua tamen lectione vehementer dubitat, et justa quidem de causa,* Madvigius, *qui potius legeret* adferret, pareret, *cum Codex omnium antiquissimus exhibeat* voluptatem aceret: Klotz *proponit etiam* haberet, aut faceret.

ACCĬPĬO vel adcipio, cipis, cēpi, ceptum, cĭpere, a. 3. (ad et capio). *Accepso* pro *accepero* usus est *Pacuvius* apud *Non.* p. 74. 31. *Merc.* Haud sinam quidquam profari, priusquam accepso quod peto. *Quidam in Ennio apud* Cic. 1. Off. 12. 38. *affirmabant legendum* accipite *quasi* acpite; *sed recentiores Editt. juxta MSS.* accipe *restituerunt.* — Part. *Accipiens* I. 1. *a*; et II. *B.* 1.) 2.; *Acceptus* I. 1. *a.*, et in fine; *Accepturus* II. *B.* 1.) 4.; *Accipiendus* I. 1. *a.* — Proprie est capere, sumere; ea præsertim quæ dantur (It. *ricevere, pigliare*; Fr. *prendre, recevoir*; Hisp. *tomar, coger, recibir*; Germ. *auf-und annehmen, vernehmen, empfangen, erhalten*; Angl. *to receive, take*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur cum de hominibus, tum de ceteris animantibus ac de rebus inanimis, et quidem *a*) absolute; *b*) adjecto interdum homine, a quo aliquid accipitur; *c*) adjecto loco, in quem aliquis aut aliquid accipitur; *d*) adjecto modo, quo accipitur. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Non.* p. 85. 1. *Merc.* Cette (*h. e.* date) manus vestras measque accipite. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 2. Quod dat accipimus. *Id.* 1. *Att.* 14. 4. Ab illo – quidquid est datum, lubenter accepi. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Quorum (*boum*) ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata. *Id. ibid.* 54. 136. (*Alvus*) omne, quod accipit, cogit et confundit. *Virg.* 1. *Æn.* 122. omnes (*naves*) Accipiunt inimicum imbrem. *Id.* 1. *G.* 216. tum te quoque (*medica*) putres Accipiunt sulci. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 2. In tabulatum, quod fumum accipit, reponunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 39. (98). Cadus ponitur sub tegulis totius diei solem accipientibus. *Id.* 36. *ibid.* 15. 23. (99). Eadem in urbe – turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant. *et alibi sæpe.* — *b*) Adjecto interdum homine, a quo aliquid accipitur. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 52. Tu epistolam hanc a me accipe, atque illi dato. *Id. Amph.* 2. 2. 132. Ex tua accepi manu pateram. — *c*) Adjecto loco, in quem aliquis aut aliquid accipitur. *Cato* apud *Non.* p. 200. 23. *Merc.* Accipite, si voltis, hoc onus in vestros collos. *Justin.* 1. 4. Accipere in manus puerum. *Liv.* 4. 12. 6. in cervices aliquid. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 51. ad se hominem et aurum. *Liv.* 1. 11. armatos in arcem. *Id.* 9. 16. præsidium in urbem. *Id.* 31. 7. hostem in Italiam. *Id.* 30. 13. matronam domum. Cf. II. *A.* 3. — *d*) Adjecto modo, quo aliquis aut aliquid accipitur. *Cic. Harusp. resp.* 11. 22. Cujus abavi manibus esset accepta (*mater Idæa*). *Virg.* 1. *Æn.* 685. Accipere aliquem gremio. *Liv.* 9. 7. milites urbe tectisve. *Virg.* 8. *Æn.* 449. ventosis follibus auras Accipiunt redduntque. Adde 4. *G.* 171. *Ovid.* 7. *Met.* 287. succos ore aut vulnere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 33. (69). aquam ore. *Sil. It.* 7. 626. ferrum lateri. *Id.* 10. 7. ferrum pectoribus. *Id.* 11. 386. accepit tellus ossa sepulcro. *Virg.* 4. *G.* 361. illum unda accepit sinu vasto. ¶ 2. Peculiariter accipere ponitur de regionibus et locis, quæ aliquem aut aliquid in se recipiunt. *Virg.* 3. *Æn.* 78. hæc (*tellus*) fessos placidissima portu Accipit. *Id.* 3. *ibid.* 208. Servatum ex undis Strophadum me littora primum Accipiunt. Adde 2. *ibid.* 69. et *Ovid.* 6. *Met.* 334. *Liv.* 1. 60. Liberatorem urbis læta castra accepere. *Id.* 29. 32. 8. Amnis ingens fugientes accepit. *Id.* 38. 21. 15. Romanos victores deserti fuga hostium acceperunt tumuli. *Curt.* 5. 3. 2. Accipiunt deinde eum (*fluvium*) campi. *Plin. Paneg.* 16. Accipiet – Capitolium non mimicos currus etc. *et sæpius præsertim apud recentiores.* ¶ 3. Item peculiariter *accipere aliquem hospitio* occurrit apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 8., *Varr.* 3. *R. R.* 2. 14., *Cic.* 2. *Att.* 16. 4., *Liv.* 29. 22. et apud alios sæpissime. Cf. II. *A.* 1.

II.) Translate occurrit *A*) accipere aliquem, et *B*) accipere aliquid, aut etiam abstracta.

A) Accipere aliquem ¶ 1. De convivio præsertim ceterisque ponitur, quibus benevolentiam, honorem etc. amicis nostra in domo receptis significamus; sæpissime adjecto etiam modo. *Plaut. Cist.* 1. 1. 12. Accipere in prandio aliquem lepide nitideque apud se. *Id. Pseud.* 1. 2. 34. *Id. ibid.* 5. 10. aliquem festive in loco festivo. *Ter. Eun.* 5. 8. 52. Accipit homo nemo melius prorsum neque prolixius. *h. e.* cœnam dat, convivio excipit. *Cic.* 13. *Att.* 52. 2. Præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτόν valde copiose. Libertis minus lautis servisque nihil defuit. Nam lautiores eleganter accepti. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 67. ut ego accipiar laute. *Cic.* 6. *de republ.* 10. Accipere aliquem regio apparatu. *Ovid.* 2. *Fast.* 725. socios dapibusque meroque. *Liv.* 23. 4. apparatis epulis. *Curt.* 8. 4. 22. regem convivio. *Fronto ad Verum Ep.* 1. p. 172. *Mai.* Ut si ab hospite, qui te Falerno accipiat, quod rure ejus natum etc. *Arnob.* 7. 29. Frequentissimo irrigant accipiuntque se vino. *Virg.* 3. *Æn.* 353. Illos porticibus rex accipiebat in amplis. ubi Servius: *Pascebat.* ¶ 2. Accipere aliquem sæpe significat tractare sive bene, sive male, prout patet ex adjectis adverbiis, aut ex orationis contextu: occurrit autem etiam de copiis ab hoste afflictis. *Cic.* 4. *Verr.* 40. 86. Leniter hominem clementerque accipit. *Liv.* 27. 15. 2. Clementerque a consule, cum verborum tantum castigatione ob errorem præteritum, accepti. *Inscript.* apud *Gruter.* 48. 5., et emendatior apud *Romanelli Topogr. Nap. T.* 3. *p.* 391. *in cantharo marmoreo,* quæ pertinet ad a. 184. post Chr. n. HERCVLI SANCTO SAC. P. POMPONIVS NORTVS VOTVM SOL. AMICOS ACC. (*h. e.* accepit) BENE. L. EGGIO MARVLLO ET CN. PAPIRIO AELIANO COS. L. D. D. D. KAL. IVL. *Marcus Cæs. ad Front.* 4. *Ep.* 13. *p.* 112. *Mai.* Aristonis libri me hac tempestate bene accipiunt, –: cum docent meliora, tum scilicet bene accipiunt. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 3. Te miseris jam accipiam modis. *Id. Amph.* 1. 1. 120. Ego pol te istis tuis pródictis et malefactis, furcifer, accipiam. *Ter. Adelph.* 2. 1. 12. Indignis cum egomet sim acceptus modis. *Id.* 10. *Att.* 7. 2. Quintum puerum accepi vehementer. *Id.* apud *Non.* p. 239. 22. Roga ipsum, quemadmodum eum ego Arimini acceperim. *Id.* 3. *Verr.* 54. 140. Accipere aliquem male verbis. *Id.* 1. *Tusc.* 14. 34. aliquem verberibus ad necem. *Id.* 4. *ibid.* 36. 78. Illud laudatur Archytæ: Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? *Id.* 8. *Fam.* 11. 3. Accipitur satis male a Curione. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. 2. *Copiolæ meæ* sunt extenuatissimæ, et inopia omnium rerum pessime acceptæ. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. 4. Exclusus enim ab Antiochea Dolabella et in oppugnando male acceptus etc. *Nep. Eum.* 8. 1. Hic in Parætacis cum Antigono conflixit, – eumque male acceptum in Mediam hyematum coegit redire. *Fortasse* eodem sensu et *Lucilius* apud *Non.* p. 240. 8. *Merc.* Sic inquam veteratorem illum vetulum lupum Hannibalem acceptum. ubi Non. accipere *interpretatur* decipere. ¶ 3. Accipere aliquem cum abstractis et præp. *in* cum Accus. sæpissime occurrit, sumpta metaphora a n. I. 1. c. *Liv.* 4. 3. 14. Claudiam gentem – ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum. *Id.* 6. 4. 4. Accipere aliquem in civitatem. *et alibi sæpissime.* Adde *Cic.* 1. *Off.* 11. 35. *Cic.* 2. *Att.* 22. 7., et *Liv.* 7. 30. in amicitiam. *Cic. Arch.* 12. 31. in fidem. *Id. ibid.* 26. 32. in fidem clientelamque. *Cæs.* 2. *B. G.* 13., *Liv.* 7. 16. et *Curt.* 7. 6. in deditionem. *Liv.* 9. 15. in societatem. *Id.* 4. 3. 12. in societatem regni. *Sallust. Jug.* 10. in regnum. *Tac.* 2. *Ann.* 4. profu-

gum Venonem in regnum accipiunt. *h. e.* in regem. *Sueton. Ner.* 35., *Tac.* 12. *Ann.* 58. et *Justin.* 28. 3. in matrimonium. *Tac.* 1. *Ann.* 1. cuncta sub imperium.

B) Translate Accipere aliquam rem, aut etiam abstracta, ad duas præcipue revocari potest significationes, quarum utraque in plures alias dividitur: est enim aut 1.) audire et intelligere, scilicet gradu facto a sensuum perceptione ad intellectum; aut 2.) est rem oblatam approbare, suscipere, consequi, sumpta metaphora ex iis quæ in manus traduntur.

1.) Generatim est audire et intelligere: peculiariter autem accipere rem aliquam ¶ 1. Est rem sensibus aut animo percipere, audire: *a)* sæpe adjectis nominibus *sensu*, *oculis*, *animo* etc.; *b)* etiam absolute; *c)* iisdem modis, quibus verbum *audire*. — *a)* Adjectis nominibus *sensu*, *oculis*, *animo* etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 9. Ad nullam igitur earum rerum, quæ sensu accipiuntur, divinatio adhibetur. *Ter. Hec.* 3. 3. 3., *Lucret.* 4. 979. (983)., *Cic.* 1. *Orat.* 50. 218., *Nep. Timol.* 2. 2., *Liv.* 45. 27. et alii: Accipere aliquid auribus. *Cic.* 4. *Verr.* 9. 24. Nunc primum aures tuæ hoc crimen accipiunt? *Id.* 3. *ibid.* 18. 46. Quem ipse accepi oculis animoque sensum, hunc vere apud vos – exponam. *Virg.* 10. *Æn.* 104. Accipite ergo animis. *Liv.* 40. 5. Accipere aliquid animo magis quam vultu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. fama atque eruditione. *Cato* apud *Gell.* 14. 2. Atque ego a majoribus memoriâ sic accepi. *Memoriâ accipere* autem aperte innotescit per aliam dictionem huic respondentem *tradere memoriæ*. — *b)* Absolute, præsertim in modo Imperativo *accipe* et *accipite*, quibus respondent *da* et *date*. *Lucret.* 6. 169. sic fulgorem quoque cernimus ante, Quam tonitrum accipimus. *Virg.* 2. *Æn.* 308. Accipiens sonitum saxi de vertice pastor. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Et hoc simul accipe dictum. *Pacuvius* apud *Non. p.* 126. 22. *Merc.* Quod ego inaudivi, accipite. *Lucilius* apud *Non. p.* 240. 1. *Merc.* Hoc etiam accipe, quod dico: nam pertinet ad rem. *Id.* apud *Acron. ad Horat.* 1. *Sat.* 4. 87. nostram nunc accipe mentem. *Cic. Senect.* 12. 39. Accipite – veterem orationem Archytæ Tarentini. *Id.* 4. *Verr.* 9. 25. Accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam. *Virg.* 2. *Æn.* 65. Accipe nunc Danaum insidias. — *c)* Hinc occurrit iisdem modis, quibus verbum *audire*, etiam cum Infinito, præsertim apud Historicos. *Cic.* 1. *Fam.* 6. 1. Quæ gerantur, accipies ex Pollione. *Id.* 3. *Fin.* 20. 66. Ut de Hercule et de Libero accepimus. *Ter. Andr.* 2. 2. 20. Si te æquo animo ferre accipiet. *Cic.* 1. *Verr.* 19. 61. Sic enim a majoribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere. *Id. Harusp. resp.* 11. 24. Hanc matrem magnam – accepimus agros et nemora peragrare. *Liv.* 6. 39. Id ægre patres passos accipio. *Id.* 3. 70. Triumphum nec ipsos postulasse, nec delatum iis ab senatu, accipio. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (195). Trabeis usos accipio reges. *Sallust. Catil.* 6. 1. Urbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani. *et alii sæpe.* ¶ 2. Hinc accipere est etiam discere, cui propterea opponitur *tradere*. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 114. Et si quis est, qui hæc putet arte accipi posse. *Nep. Att.* 1. 3. Ut – celeriter acciperet, quæ tradebantur. *quidam* arriperet. *Quintil.* 1. 3. 3. Hic meus (*puer*), quæ tradentur, non difficulter accipiet. *Id.* 2. 9. 3. Eloquentia coalescere nequit, nisi sociatâ tradentis accipientisque concordiâ. ¶ 3. Unde accipere est etiam intelligere, cognoscere. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 114. Accepto causæ genere et cognito. *Plaut. Cas.* 1. 3. 18. Haud satis meo corde accepi querelas tuas. *Cic.* 3. *Nat. D.* 1. 4. Respondere mihi – de singulis rebus quærenti et te, quæ parum accepi. *Cels.* 8. 1. Superest ea pars, quæ ad ossa pertinet. Quæ quo facilius accipi possit, prius positus figurasque eorum indicabo. *Pompon. Mela* 1. proœm. 2. Id quo facilius sciri possit atque accipi, paullo altius summa repetetur. ¶ 4. Eadem metaphora, qua dicimus *accipere hominem bene aut male* (*V.* supr. II. *A.* 2.), occurrit etiam accipere rem. *Lucret.* 3. 312. Quin proclivius hic iras decurrat ad acres: Ille metu citius paullo tentetur; at ille Tertius accipiat quædam clementius æquo. *Cic.* 11. *Att.* 1. 4. Durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem et quam homines belli solent. *Id.* 15. *Fam.* 16. 3. Tento enim te, quo animo accipias. *Id.* 6. *Verr.* 30. 68. Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras – putasti? *Id.* 7. *Phil.* 3. 8. Periculose dico: quemadmodum accepturi, P. C., sitis, horreo; sed accipiatis sine offensione, quod dixero. *Id.* 15. *Att.* 26. 1. Quemadmodum accipiantur ii ludi. *Id.* 15. *ibid.* 20. 2. Accipere aliquid fortiter. *Id. Amic.* 25. 91. admonitionem patienter, non repugnanter. *Id. Cæl.* 22. 54. facinus in alienum hominem intentum severe. *Nep. Alcib.* 6. 3. Ille lacrimans talem benevolentiam civium suorum accipiebat. *Tac.* 4. *Ann.* 34. aliquid truci vultu. *Id.* 3. *ibid.* 68. excusatius. *Id.* 3. *ibid.* 76. civiliter. *et alii.* ¶ 5. Hinc est interpretari, existimare, habere, præsertim *a)* cum Accus. et præp. *in*, vel Ablat. et nomine *loco*; *b)* cum duplici Accus.; *c)* cum Ablat. et præp. *pro*. — *a)* Sæpissime cum Accus. et præp. *in*, interdum etiam cum Ablat. et nomine *loco*. *Ter. Eun.* 1. 2. 1. Vereor ne – aliorsum atque ego feci acceperit. *Id. Heaut.* 2. 3. 23. Aliter tuum amorem atque est accipis. *Id. Andr.* 2. 2. 30. Non recte accipis. *Id. Eun.* 5. 2. 37. Equidem pol in eam partem accipioque et volo. *Id. Adelph.* 4. 3. 15. Ad contumeliam omnia accipiunt magis. *Curt.* 5. 2. 19. et *Sueton. Aug.* 68. in contumeliam. *Cic.* 2. *Herenn.* 26. Quod in aliam partem, ac dictum sit, potest accipi. *Id.* 11. *Att.* 7. 8. Quod rogas, ut in bonam partem accipiam –: ego vero in optimam. *Id. ibid.* 3. 25. Sed bonam in partem accipies. *Phædr.* 2. *prol.* 11. bonas in partes. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 67. Cum verbum pot'st in duas pluresve sententias accipi. *Hac autem significatione sæpissime apud Grammaticos occurrit.* *Liv.* 4. 1. 5. et *Tac.* 1. *Hist.* 52. aliquid in majus accipere. *Liv.* 21. 63. aliquid in omen. *Tac.* 13. *Ann.* 58. Frugum quoque egestas – in prodigium accipiebatur. *Id.* 2. *Hist.* 91. Funesti ominis loco acceptum est. *Id.* 4. *Hist.* 26. Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria. *Id.* 1. *Ann.* 14. Accipere aliquid in deminutionem sui. *Id.* 6. *ibid.* 13. in superbiam. *Seneca* 7. *Benef.* 16. 2. In solutum accipere bonam voluntatem. — *b)* Cum duplici Accus. *Virg.* 1. *G.* 26. te maximus orbis – Auctorem frugum tempestatumque potentem Accipiat. *Cic.* 15. *Att.* 11. 1. Egone ut beneficium accepissem contumeliam? *Tac.* 2. *Hist.* 91. Quæ grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitæ prioris indecora et vilia accipiebantur. *Quintil.* 9. 1. 10. Quid accipere debeamus figuram. — *c)* Cum Ablat. et præp. *pro*. *Quintil.* 1. 5. 57. Gurdos, quos pro stolidis accipit vulgus. *Cic.* sensu proprio 3. *Off.* 23. 91. nummos adulterinos pro bonis. Cf. et *Ovid.* 6. *Met.* 481. Omnia pro stimulis facibusque ciboque furoris Accipit. *Translate autem sæpe apud* Quintil. *et apud alios Grammaticos.*

2.) Generatim est approbare, suscipere, consequi, sumpta metaphora a traditione in manus: peculiariter autem ¶ 1. Accipere ponitur de traditione in manus metaphorice significata. *Ter. Andr.* 1. 5. 62. Hanc mi in manum dat: mors continuo ipsam occupat: accepi, acceptam servabo *C. Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. Ita versatus sum in provincia, ut nemo possit vere dicere assem aut eo plus in muneribus me accepisse. *Cic.* 4. *Verr.* 9. 25. Pecuniam per Volcatium accipit. — Hinc *accipere* opponitur *expendere*; unde *tabulæ accepti et expensi*, *acceptum* et *in acceptum referre* atque alia hujusmodi, quæ Vide infra in *Acceptus, a, um* et *Acceptum, i.* ¶ 2. Inde est etiam suscipere. *Plaut. Mostell.* 5. 2. 23. Accipito hanc ad te litem. *Ter. Hec. prol.* 55. (*prol. alt.* 47). Meâ causa causam accipite. — Huc referri etiam possunt illa ejusdem *Ter. Heaut.* 2. 3. 96. Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mi expediat metum. Et *Eun.* 4. 7. 1. Hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam? ¶ 3. Item admittere, probare, contentum esse. *Plaut. Trin.* 2. 4. 87. conditionem dare atque accipere. *Id. Aulul.* 2. 2. 60., *Ter. Andr.* 1. 1. 52., *Cæs.* 5. *B. G.* 41., *Nep. Dat.* 8. 5. et *Liv.* 29. 1. Accipere conditionem. *Cic.* 16. *Fam.* 12. 3. conditiones. *Id.* 16. *Att.* 1. 6. excusationem alicujus. *Id.* 16. *ibid.* 19. 2. causam. *Liv.* 30. 23. pacem. *ubi verbo accipere opponitur abnuere.* *Cic.* 1. *Att.* 14. 5. rogationem. *Id. Corn.* 14. p. 449. *Orell.* legem. *Id.* 1. *Divinat.* 46. 103. omen. Adde *Liv.* 1. 7. 11. *et alibi sæpius.* *Cic.* 5. *Verr.* 22. 55. judicium, *quod est litigatorum; et fit litis contestatione.* *Liv.* 9. 46. 2. nomen. *h. e.* candidatorum. *Cic. Brut.* 14. 55. de plebe consulem non accipere. *Seneca* 2. *Benef.* 30. beneficium libenter. — Hinc etiam in dialogis. *Ter. Andr.* 5. 4. 47. CH. Dos, Pamphile, est decem talenta. PAM. Accipio. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 58. Prior Sarmentus: Equi te Esse feri similem dico. Ridemus; et ipse Messius: Accipio. *h. e.* ita est, concedo. — Hinc in disputationibus *accipere* dicuntur, qui aliquid tamquam verum admittunt et concedunt. *Gell.* 1. 8. 1. Hoc ubi accepit Stoicus, etc. Hinc *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 33. Nos vero Sorani sequentes judicium, et solutione absoluta fieri febres accipimus. *h. e.* admittimus, statuimus. *Id. ibid.* 38. Contrarius procul dubio clysteris usus accipitur. *h. e.* admittitur, probatur. ¶ 4. Item consequi, obtinere; et ponitur etiam de abstractis, *a)* cum Ablat. personæ aut rei a qua aliquid accipimus, et præp. *ab*, *ex*, *de*, *b)* absolute, *c)* cum Dat. finis, propter quem aliquid accipimus. — *a)* Cum Ablat et præp. *ab*, *ex*, *de*. *Cic.* 1. *Att.* 1. 3. De iis rebus, quos eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. *Id.* 7. *ibid.* 23. 1. litteras ab aliquo. *Id. ad Q. fr.* 14. 1. epistolam ab aliquo. *Id.* 9. *ibid.* 2. A. 2. honorem ab aliquo. *Cæs.* 2. *B. C.* 42. exercitum a Cæsare. *Cic.* 3. *Off.* 10. 44. morem a majoribus. *Id. Cæcin.* 32. 94. rationes a colono. *Justin.* 12. 8. veniam ab aliquo. *Cic. Dom.* 52. 134. salutem ab aliquo. *Liv.* 4. 59. stipendium de publico. *Cic.* 3. *ad. Q. fr.* 8. 3. voluptatem ex epistola alicujus. — *b)* Absolute cum multis variisque nominibus jungitur. *Cic. Brut.* 47. 173. Cum palmam jam primus acceperit. *Virg.* 5. *Æn.* 309. accipient præmia primi. *Justin.* 5. 4. Pacem petierunt, quam ne acciperent, opera eorum effectum est. *Ter. Eun.* 4. 6. 24. Accipere injuriam. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. detrimentum. *Cic. Dom.* 36. 97. dolorem magnum et incredibilem. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 32. Quod dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est. *Id.* 5. *Tusc.* 19. 56. injuriam accipere, quam facere præstat. *Id. Planc.* 31. 51. Accipere offensiunculam. *Varro* 2 *R. R.* 11. 5. Plagam in tonsura accepit ovis. *Cic.* 5. *Att.* 20. 3. Accipere vulnus. *Virg.* 2. *Æn.* 279. Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros Accepit patrios. *Nep. Con.* 1. 3. Accipere calamitatem. *Virg.* 12. *Æn.* 604. cladem. — *c)* Cum Dat. finis, propter quem aliquid accipimus. Sæpissime occurrit *accipere aliquid dono*, *muneri*, *mancipio*, *pignori*: videsis autem singula hæc nomina. — Part. præter. pass.

Acceptus, *a*, *um* est etiam Adject., unde Comp. *Acceptior*, Superl. *Acceptissimus*; ac præter verbi significationes, est etiam 1.) Carus, gratus, jucundus; jungitur autem Dat., interdum tamen Accus. cum præp. *apud* vel *ad*, et occurrit *a)* cum de personis, *b)* tum de rebus. — *a)* De personis. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. 5. (*Dumnorix*) maxime plebi acceptus. *Sall. Jug.* 7. Homo tam acceptus popularibus. *Curt.* 7. 2. 33. Vulgo militum acceptior. *Liv.* 1. 15. Longe ante alios acceptissimus militum animis. *Curt.* 7. 2. 11. Longe acceptissimus Parmenioni. *Juvenal.* 3. 58. divitibus gens acceptissima nostris. *Plaut. Capt.* 35. 56. Essetne apud te servus acceptissimus. *Fronto Princ. hist.* p. 322. *Mai.* Pacis artibus vix quisquam Trajano ad populum – acceptior extitit. — *b)* De rebus. *Macrob.* 3. *Sueton.* 9. in *veteri evocationis formula.* Nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorque sit. *Plaut. Merc.* 3. 4. 70. Si id forte ita sat animo acceptum est. *Cic.* 5. *Tusc.* 15. 45. Quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum. *Nep. Ann.* 7. 3. Munus gratum acceptumque. *Varro* 3. *R. R.* 16. 5. Dis et hominibus est acceptum quod etc. *Cic.* 6. *de republ.* 13. Nihil est deo acceptius, quam cœtus hominum. *Liv.* 3. 69. Acceptior plebi oratio. *Id.* 1. 19. acceptissima dis. *Plin. Paneg.* 3. Acceptius genus gratiarum. *Tac.* 6. *Ann.* 45. Millies sestertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgus, quanto etc. — 2.) Præterea locum habet maxime in rationibus, in quibus *acceptum* dicitur quidquid ab aliis accipimus seu dono, seu mutuo, seu alio quovis modo, ac præsertim ea, quæ a debitoribus traduntur ad debita solvenda; cui opponitur *expensum*. Itaque in rationum libris vel tabulis alterum caput erat *accepti*, alterum *expensi* (Cf. ACCIPIO II. *B.* 2.). 1.; et Vide infra *Acceptum*, *i*). Hinc *pecuniam acceptam referre* (et apud recentiores *acceptam ferre*, atque interdum etiam *acceptam facere* vel *habere*) cum Dat. *alicui* est scribere in tabulis, te accepisse, ab illo cui refers acceptam solutam fuisse: quemadmodum e contra *expensam ferre* (numquam vero *referre*) est scribere te dedisse, vel expendisse. *Cic.* 3. *Verr.* 39. 100. Quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulerit, HS. quingenta triginta quinque millia etc. *Id.* 1. *ibid.* 70. 170. Quas pecunias ferebat iis expensas –,

eas isti ipsi referebat acceptas. *Id. Cæcin.* 6. 17. In quibus (*tabulis*) sibi expensa pecunia lata sit acceptaque relata. *et alibi sæpe. Cajus Instit.* 3. 215. Acceptam pecuniam facere. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Acceptum fieri. *Dig.* 42. 8. 25. *pr.* Acceptum ferre. *Dig.* 46. 4. 9. Ex nummis decem, quos tibi promisi, quinque habesne acceptos? *Et mox.* Quod ego tibi promisi, id pro parte dimidia habesne acceptum? — *NB.* Est vero advertendum has locutiones et alias, quæ infra in V. *Acceptum*, i afferuntur, usurpari a JCtis fere in imaginariis solutionibus, in quibus scilicet, nulla interveniente pecunia, *acceptilationes* peraguntur. — 3.) Hæ locutiones translate etiam accipiuntur. Itaque *acceptum referre*, aut apud recentiores *acceptum ferre* vel *facere aliquid alicui* est fateri, se ei debere; et *a*) cum in bonam, *b*) tum in malam partem sumitur. *a*) In bonam partem. *Cic.* 2. *Phil.* 5. 12. Ut esset nemo, – qui non mihi vitam suam, liberos, rempublicam referret acceptam. *Id. Dejot.* 13. 38. Omnem tranquillitatem et quietem senectutis acceptam refert clementiæ tuæ. *Id.* 11. *Att.* 1. 2. Ut possim – salutem meam benevolentiæ tuæ acceptam referre. *Id.* 3. *Nat. D.* 36. 86. Virtutem – nemo unquam acceptam Deo retulit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 233. Chœrilus, incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos, regale nomisma, Philippos. *Seneca Ep.* 78. 2. Philosophiæ acceptum fero, quod surrexi, quod convalui. *Plin.* 6. *Ep.* 34. Tu tamen meruisti ut acceptum tibi fieret, quod quominus exhiberes, non per te stetit. *Catull.* 36. 16. Acceptum face redditumque votum. *Cic.* 5. *Verr.* 60. 139. Sponsionem acceptam facere. *h. e.* remittere, a sponsione facta discedere. Hoc loco vide, ne te fallat *Manutii* interpretatio. — *b*) In malam partem. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 55. Omnia denique (*mala*), quæ postea vidimus, – uni accepta referemus Antonio. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 30. (138). Quamobrem culpa ejus non naturæ fiat accepta. *Ovid.* 2. *Trist.* 10. Acceptum refero versibus esse nocens.

Acceptum, i et *accepta*, *orum*, n., quibus opponuntur *expensum* et *expensa*, substantivorum more occurrunt sæpe et significant — 1.) Quæcumque in tabulis nos accepisse scribimus (Cf. supr. *Acceptus*, *a*, *um* 2.). *Plaut. Truc.* 4. 2. 36. Ratio accepti. *Cic. Amic.* 16. 58. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. *Id. Rosc. com.* 2. 5. Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit. *Id. ibid.* 1. 2. Si tabulas C. Fannius accepti et expensi profert suas etc. — Hinc locutiones *in acceptum referre*, et apud JCtos *in acceptum ferre* et etiam *accepto ferre*, *facere*, *habere* idem significant. *Cic.* 3. *Verr.* 57. 149. Negabat, opus in acceptum referre posse. *Et mox.* Si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionum habiturum. *Macer Dig.* 48. 11. 7. § 2. Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum. *h. e.* ne scribatur opus perfectum fuisse ea ratione et lege, qua locatum est. *Ulp. Dig.* 30. 6. 30. Licet solvendo non sit debitum, cui accepto latum est. *Id. ibid.* 46. 4. 13. § 2. Qui enim accepto facit, vel totum, vel partem ejus, quod stipulatus est, debet accepto facere. *Paul. Dig.* 46. 4. 9. Pars stipulationis accepto fieri potest, non tantum si etc. — Hinc *acceptum rogare*, vel *accepto rogare* dicitur is, qui a creditore petit, ut acceptum ferat, quod vel a se, vel ab alio debetur. *Ulp.* 46. 4. 8. § 1. Servus communis sicut uni ex dominis stipulari potest, ita etiam acceptum rogare uni ex dominis potest, eumque in solidum liberat. *Et mox* § 4. Propter quod accepto rogare filiusfamilias potest, ut se liberet. — *Accepto liberare* est acceptum rogando liberare debitorem a creditore, quando nimirum creditor interrogatus, an id, quod sibi debebatur, acceperit, respondet se accepisse: *accepto liberari* dicitur debitor, cum ita liberatur, ut creditor confiteatur, se ab eo accepisse. *Ulp. Dig.* 46. 4. 8. § 2. Accepto liberare servus communis alterum ex dominis etiam ab altero domino potest. *Id. ibid. l.* 13. § 11. Heres quoque et liberare et liberari accepto potest. — *NB.* Hæ tamen locutiones usurpantur a JCtis fere in imaginariis solutionibus. V. *Acceptus, a, um* 1.). — 2.) Accepta apud Medicos recentiores sunt etiam quæ ab ægrotis sumpta fuerunt, sive pharmaca ea sint, sive cibus potusque. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Ac si accepta non tenuerint (*ægrotantes*), erunt secundo offerenda. *Id.* 2. *Acut.* 40. Si sanos post cibum vetat motio, non permittens naturæ quandam requie ac tacito motu ad suos effectus accepta perducere; quid sperare de ægris – poterimus? *Id. ibid.* 14. Acceptorum per vomitum recursio. — 3.) Translate quoque occurrunt locutiones *accepto ferre* et *accepto facere*, quas *V.* paullo superius 1.) *Vulgat. Interpr. Paul. ad Rom.* 4. 6. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. *Tertull. de Pudic.* 16. Accepto facere delicta. *h. e.* remittere.

Homonym. *Accipere* et *capere* inter se differunt; illud enim restituendi conditione tenetur, hoc vero absolutum est. *Ulp. Dig.* 50. 16. 71. Aliud est capere, aliud accipere. Capere cum effectu accipitur; accipere, etsi quis non sic accepit, ut habeat, ideoque non videtur quis capere quod est restituturus. Hinc sæpe apud JCtos occurrit *hereditatem capere*; et e contra *pecuniam mutuo accipere*, *aliquid pignori accipere*. — *Accipere* differt etiam ab aliis compositis *excipere* et *recipere*. Generatim enim *accipimus oblata*, *excipimus vagantia*, *recipimus fugientia*. *Cic.* 2. *Fin.* 26. 82. Accipio, quod dant. *Id. Milon.* 38. 105. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! *Ulp. Dig.* 11. 3. 1. § 2. Et est propeie recipere, abscondendi causa refugium servo præstare vel in suo agro, vel in alieno loco ædificiove. Peculiariter autem *accipimus* id quod nobis traditur vel infertur, *excipimus* quod non nobis, sed aliis recta traditur vel infertur: quemadmodum Klotz hisce verbis acute illustravit: Vulnus illud mortiferum non accepit rex, qui petebatur; sed excepit ejus comes. Hinc *Curt.* 9. 5. 4. Clypeo tela, quæ ex adverso ingerebantur, excipiens. Item *recipere* absolutam acceptionem possessionemque significat; *accipere* autem *pignoris* tantummodo, aut *depositi*, ut ita dicam, significationem præsefert. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (31). Accipit (*Peneus*) amnem Orcon, nec recipit, sed olei modo supernatantem – brevi spatio portatum abdicat, pœnales aquas dirisque genitas argenteis suis misceri recusans. — Denique *accipere* differt a *percipere*, quod est penitus et omnino comprehendere. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 20. 66. Visa ista cum acriter mentem sensumque pepulerunt, accipio, iisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen. *h. e.* nec tamen penitus atque omnino intelligo.

ACCĬPĬTER, tris, gen. masc., sed etiam fem. apud *Lucret.* 4. 1003. (1006). Olim a vetustissimis dictum esse *accipiteris* in Genitivo pro *accipitris*, testatur *Priscian.* 6. p. 693. *Putsch.*, sed nullum affert exemplum. Accipitrem ab accipiendis, hoc est, capiendis avibus dictam scribit *Isid.* 12. *Orig.* 7. 55. — Accipiter autem nomen est generale omnium avium rapacium, et aliarum avium præda viventium, et aduncum ad hoc rostrum unguesque habentium (It. *uccello di rapina*; Fr. *oiseau de proie*; Hisp. *ave de rapiña*; Germ. *Habicht*; Angl. *a bird of prey*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est quæcumque avis rapax. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 9. (21). Accipitrum genera sedecim invenimus etc. *NB.* difficile tamen est allata a *Plinio* genera definire: V. *Gesner.* et *Aldovrandum*, qui ingentibus voluminibus de hujusmodi rebus ex professo scripsere. *Budæus* quoque *Annotat. prior. in Pandect.* multa scripsit de accipitribus, professus se adolescentem eo aucupii genere maxime delectatum. Plura autem de accipitribus tradit *Plinius lib. cit.*; eorumque usus in Medicina persequitur 29. 6. 38. (125) et 30. 14. 44. (130). *Lucret.* 4. 1003. (1006). Accipitres somno in leni si prœlia pugnasque Edere sunt persectantes, visæque volantes. Adde *eumd. Lucret.* 5. 1078. et *Cic.* 3. *Nat. D.* 19. 47. ¶ 2. Peculiariter autem est avis quædam rapax, quæ columbas præsertim petit (It. *sparviere*; Fr. *épervier*; Hisp. *gavilan*; Germ. *der gemeine Habicht oder Taubenstösser*; Angl. *a hawk*). *Horat.* 1. *Od.* 37. 16. Cæsar ab Italia volantem Remis adurgens; accipiter velut Molles columbas. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 3. et 4. Ipsæ columbarum cellæ poliri debent albo tectorio. — Et ea (*fenestra*) – habent appositam satis amplam caveam retibus emunitam, quæ excludat accipitres, et recipiat egredientes ab apricatione columbas. Adde 8. 4. 6. *Virg.* 11. *Æn.* 722. accipitrem sacrum vocat, vel quia, ut ait *Servius*, ea avis Marti sacra est; vel quia est ceteris avibus exsecrabilis, ut *Auri sacra fames*; vel quia Græcum nomen expressit, quo accipiter ἱέραξ dicitur, ab ἱερός *sacer*. Sed hæc perperam *Servius*; accipitrem enim sacrum dicebant veteres, quia augurium ex ipso capiebant, ut apud *Homer.* 15. *Odyss.* 524.; unde, teste *Herodot.* 3. 76., Darius prior omen imperii ex accipitribus accepit, ac propterea, auctore *Curt.* 3. 3. 16., palliam accipitribus aureis ornatam voluit: imo *Cicer. loco superius cit.* accipitres inter barbarorum deos refert, eosque *Lucret.* 4. 1003. (1006). *V.* supra, in somno metuere ait homines superstitiosos. ¶ 3. Item peculiariter est alia etiam avis rapax, cujus perutilis est in aucupiis opera, cum facile aucupis pugno sedere, in monstratam prædam ejus nutu involare, et, cum eidem libuerit, ad vincula redire assuescat (It. *falcone*; Fr. *faucon*; Hisp. *halcon gentile*; Germ. *der Edelfalke*, Angl. *falcon*). De hoc accipitre hæc *Martial.* 14. 216. Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis, idem Decipit, et captas non sibi meret aves. *Ovid.* 11. *Met.* 344. Et nunc accipiter nulli satis æquus, in omnes Sævit aves.

II.) Translate. ¶ 1. Sumpta ex accipitrum rapacitate metaphora, accipiter ponitur pro rapaci, fure, aut avido pecuniarum. *Plaut. Pers.* 3. 3. 5. Impure, labes popli, pecuniæ accipiter. — Huc referri possunt et illa per allegoriam dicta apud *Ter. Phorm.* 2. 2. Non recte accipitri tenditur, neque miluo. Et pariter apud *Horat.* 1. *Ep.* 16. 50. Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque Suspectos laqueos. ¶ 2. Sumpta metaphora ex celerrimo accipitrum volatu *Gloss. Placid. p.* 430. *Mai.* Accipitres equos celeres.

ACCĬPĬTRĪNA, æ, f. (accipiter) est quædam silvestris lactucæ species, quam *Apul. de herb.* 30. locis cultis et sabulosis nasci atque ad oculorum caliginem esse perutilem affirmat. Inde autem nomen duxit, quod, eodem *Apul.* teste, dicunt aquilam, cum in altum volare voluerit, hujus herbæ folium evellere, et succo ejus sibi oculos tangere, et maximam inde claritudinem accipere.

ACCĬPĬTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (accipiter) est accipitris modo arripere et laniare. Est autem obsoletum verbum a *Lævio* veteri poeta usurpatum, teste *Gell.* 19. 7. Quodque *accipitret* posuit (*Lævius*) pro *laceret*. Alii leg. *jaceret* a *jacio*, alii *raperet*; sed prius præstat.

ACCĪSUS, a, um. *V.* ACCĪDO.

ACCĪTĬO, ōnis, f. 3. (accio) est actus acciendi, accitus (quam vocem Vide). *Arnob.* 4. Magi in suis accitionibus memorant, antitheos sæpius obrepere pro accitis. *h. e.* in suis deorum evocationibus.

ACCĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Est frequentativum a verbo *accio*, et translate occurrit apud *Macrob. de diff. Gr. Lat. verbi p.* 2757. *Putsch.* Cum vota pro rebus aut præsentibus aut futuris soleant accitari etc. *h. e.* nuncupari. Nonnulli hoc verbum afferunt etiam ex *Lucret.* 5. 945. (943). Clarior accitat etc. *Sed alii rectius leg.* Claricitat *teste* Forcell.: *recentiores vero Editt. emendatius* Claru˙citat. *V.* integr. loc. in v. CLARUS.

ACCĪTUS, a, um. *V.* ACCIO.

ACCĪTUS, us, m. 4. (accio) est evocatio (It. *chiamata*; Fr. *appel*, *ordre de venir*; Hisp. *llamiamento*, *citacion*; Germ. *das Herbeiziehen*, *Herholen oder Herbeirufen*; Angl. *a call*, *calling*, *summons*). In sexto casu singulari. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 68. Magistratus accitu istius evocantur. *Virg.* 1. *Æn.* 677. accitu cari genitoris.

ACCLĀMĀTĬO vel adclamatio, ōnis, f. 3. (acclamo) vocis clamor (It. *grido*, *gridata*; Fr. *cri*, *clameur*; Hisp. *grito*, *clamor*; Germ. *die Handlung des Rufens nach etwas hin*; Angl. *a loud cry or shout*, *clamour*, *noise*). ¶ 1. Proprie et generatim. *Cic.* de ratione declamationis disserens 3. *Herenn.* 12. 21. Et acutas vocis exclamationes vitare debemus: ictus enim fit, et vulnerantur arteriæ acuta atque attenuata nimis acclamatione. *Al.* exclamatione. ¶ 2. Peculiariter ponitur de pastoribus, qui vocis clamore pecoribus imperant. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 26. In cogendis recipiendisque ovibus acclamatione ac baculo minetur. *Id.* 6. *ibid.* 2. 14. Boves verentes plagarum et acclamationum. ¶ 3. Item peculiariter est vox et clamor, quibus populi multitudo aliquem concionantem, aut prodeuntem in publicum excipiebat; *a*) apud veteres autem, aut saltem apud *Ciceronem* acclamatio accipitur in malam partem pro clamore et strepitu adversantium, exsibilantium, maledicentium; *b*) apud recentiores vero in bonam partem accipitur pro clamore multitudinis laudantis, assentientis, probantis. — *a*) De acclamatione in malam partem accipienda. *Cic.* 2. *Orat.* 83. 339. Vitanda est acclamatio adversa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur –, aut hominum offensione vel invidia –, aut si res dis-

plicet, aut si est in aliquo motu suæ cupiditatis aut metus multitudo. Cf. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 2. Dixit Pompejus, sive voluit. Nam ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt; idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur. Cf. 2. *ibid.* 1. 2. et 1. *Att.* 16. 4. *Exemplum adversæ acclamationis habetur apud eumdem Cic. pro Rab. perd.* 6. 18. Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum, hostem populi Romani, interfectum! *Hic acclamatum esse sequentia indicant; nam pergit Tullius:* Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur, cum indicet, esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Nunquam, mihi credite, populus Romanus hic, qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. *Hic iterum acclamatum intelligimus, sed Tullius subjicit:* Quanto jam levior est acclamatio! quin continetis vocem indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis! *Ascon. in Milon.* p. 42. 19. *Bait.* Cicero cum inciperet dicere exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuere. Adde *Quintil.* 12. 5. 1. et *Dig.* 48. 19. 28. § 3. — *b*) De acclamatione in bonam partem accipienda. *Liv.* 31. 15. 2. Acclamationes multitudinis assentatione immodica pudorem onerantis. Adde *Curt.* 7. 2. 7. *Seneca Ep.* 59. 16. Plausus et acclamationis secundæ favor. *Quintil.* 8. 3. 3. Ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur. (*Hoc sensu* itaque acclamatio differt a plausu in eo maxime, quod acclamatio voce, plausus manibus fit). Adde *Plin.* 1. *Ep.* 8. *NB.* Acclamationum usus frequens fuit apud Romanos, in theatro præsertim et in foro principibus viris advenientibus; in scholis et auditoriis recitantibus opera sua; in nuptiis etiam boni ominis causa etc. Sed præcipue obtinuit earum mos Imperatorum temporibus, quibus in Principum laudes et adulationem effusi non vocibus modo singulis, sed longis etiam ominandi formulis, et ad cantum interdum conformatis acclamabant, neque populus tantum in theatro et foro sed et senatus in curia. *Sueton. Oth.* 6. Inter faustas acclamationes. Adde *Cæs.* 79. et *Aug.* 58. *Plin. Paneg.* 73. Comprobasti acclamationum nostrarum fidem lacrimarum nostrarum veritate. Adde *ibid.* 3. Alia hujus rei exempla leguntur apud *Capitolin. in Maximinis* 16. et 25. et in *Gordianis* 11., *Vopisc. in Tac.* 4. 5. et 7., *Vulcat. Gallican. in Avid. Cass.* 13., *Lamprid. in Alex. Sev.* 6. et apud alios *Script. rei August.* Quæ quidem acclamationes in *Acta publica* aliquando relatæ sunt, ut colligitur ex *Lamprid. loc. cit.* et ex *Plin. Paneg.* 75.: ita tamen ut sæpe, Imperatore vita functo, non modo rescinderentur ac delerentur, verum etiam in maledicta et diras converterentur, quemadmodum patet ex *Sueton. Domit.* 23. et ex *Lamprid.* in *Commod.* 18. et 20. Plura hac de re *Lips. Elect. l.* 2. *c.* 10.; *Casaubon.* ad *Vulcat. Gallic. loc. cit.*; *Ferrarius de vett. acclamat. et plausu libri VII.*; *Grævius Thes. Rom. antiq. T. VI.* p. 18. et *seqq.*; *Leclerc Des journaux chez les Romains* p. 192.; *Clossius* ad *Theod. Cod. genuin. fragm.* Tub. 1824.; et *Pauly Real-Encyclop. T.* 1. p. 14. ¶ 4. Denique quæ rhetorica figura a Græcis ἐπιφώνημα dicitur, ea Latine acclamatio vertitur a *Quintil.* 8. 5. 11. Est enim epiphonema rei narratæ vel probatæ summa acclamatio. (*Virg.* 1. *Æn.* 33). Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

ACCLĀMĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. frequentativum ab *acclamo*, est magna voce, aut magno conatu alicui clamare. *Plaut. Amph.* 3. 2. 3. Ea quæ sunt facta, infecta esse acclamitat. *Sed dubia est lectio; uno optimæ Editt. habent* infectad esse occlamitat.

ACCLĀMO *vel* Adclamo, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* clamo). *Acclamassent* syncope pro *acclamavissent* apud Cic. v. infra *a*. Part. *Acclamans a*, et *b*. Est autem idem quod clamo; et dicitur fere de multitudine (It. *gridare, acclamare*; Fr. *crier, pousser des cris*; Hisp. *gritar, echar gritos*; Germ. *zurufen, zuschreien*; Angl. *to cry*). Generatim ponitur de multitudine, quæ vocibus et clamore aliquid, aut aliquem concionantem vel in publicum prodeuntem improbat, aut probat (*V.* supra ACCLAMATIO 3): hinc accipitur *a*) aut in malam, *b*) aut in bonam partem. Utroque autem sensu varie construitur, scilicet cum Accusativo et Infinito, aut cum Dativo rei vel personæ, aut sæpius passive impersonaliter, aut interdum cum particula *ut* et Subjunctivo si desiderium aliquod significetur, aut denique cum Accusativo quoties aliquem malum aut bonum clamoribus declaramus. — *a*) Acclamare in malam partem sæpe est accipiendum. Ponitur autem cum de persona, tum de re quæ improbatur. *Cic. Cæcin.* 10. 28. Cum dixisset minus abesse LIII., populus cum risu acclamavit ipsa esse. *Justin.* 24. 5. Risere Galli, undique acclamantes, brevi sensurum, sibi an illi consulentes pacem obtulerint. *Sueton. Galb.* 20. Hasta suffixum (*caput*) non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem: *Galba cupide fruaris ætate tua. Cic. Muren.* 8. 18. Tu illam (*provinciam habuisti*), cui, cum quæstores sortiuntur, etiam acclamari solet. — Sæpius de oratore, quem adversis acclamationibus multitudo prosequitur. *Cic. Brut.* 73. 256. Non metuo, ne mihi acclametis. *Seneca Ep.* 47. 11. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum. *Plin.* 5. *Ep.* 14. Erat sane — acclamatum exeunti. *Cic.* 4. *Verr.* 20. 48. Homo inimicus iis, qui recitassent; hostis omnibus, qui acclamassent, exarsit iracundia ac stomacho. — *Curt.* 10. 2. 16. Equidem cum alios dimittere in patriam, alios mecum paullo post deportare statuerim, tam illos acclamantes video, qui abituri sunt, quam hos etc. Adde *Vellej.* 2. 4. 4. et alios. *Tac.* 1. *Ann.* 19. Acclamavere, ut filius Blæsi — legatione ea fungeretur. *Id. ibid.* 44. Reus — ostendebatur: si nocentem acclamaverant, præceps datus trucidabatur. — *b*) Acclamare in bonam partem est accipiendum præsertim cum sermo est de Imperatoribus. *Sueton. Claud.* 7. Præseditque (*Claudius*) nonnunquam spectaculis in Caji vicem, acclamante populo *Feliciter* partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri. *Id. Domit.* 13. Acclamari etiam in amphitheatro epuli die libenter audiit: *Domino et Dominæ feliciter!* et alibi sæpe. *Id. Sueton.*, *Cod. Theod.* 7. 20. 2., sæpissime autem *Script. rei August.*, ut *Capitolin. in Maximinis* 16. Lectis litteris, statim senatus acclamavit: *Gordiane Auguste, Dii te servent. Lamprid. in Alex. Sev.* 7. Cum egisset gratias, acclamatum est. *Et* 9. Et cum diceret, acclamatum est. — *Tac.* 1. *Hist.* 78. Populus et miles, tamquam nobilitatem adstruerent, Neroni Othoni acclamavit. *Plin.* 4. *Ep.* 9. 18. Prævaluit sententia Cæpionis: quin imo consurgenti ei ad censendum, acclamatum est. *Liv.* 34. 50. 9. Prosequentibus cunctis, servatorem liberatoremque acclamantibus.

ACCLĀRO *vel* Adclaro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* claro) proprie clarum reddo; sed occurrit tantum translate et significat aperte ostendere (It. *far chiaramente conoscere*; Fr. *manifester, faire connaitre*; Hisp. *manifestar*; Germ. *deutlich erkennen lassen*; Angl. *demonstrate, show*). *Liv.* 1. 18. 9. *referens prisca verba Auguris de cœlo servantis:* Juppiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, uti tu signa nobis adclarassis inter eos fines, quos feci. *adclarassis* antique pro *adclaraveris*. V. ibi Interpp.

ACCLĪNĀTUS *vel* adclinatus, a, um. *V.* ACCLINO.

ACCLĪNIS *vel* adclinis, e, adject. (ad *et obsoletum* CLINO. *V.* ACCLINO) acclinatus (It. *inchinato e appoggiato a qualche cosa*; Fr. *appuyé, adossé à ou contre*; Hisp. *apoyado contra*; Germ. *sich anlehnend, angelehnt*; Angl. *leaning upon on against, resting upon, supported by*). Gaudet autem Dativo.

I.) Proprie. Apud optimos scriptores in carmine tantum occurrit; apud argenteæ ætatis auctores interdum etiam in prosa oratione. *Virg.* 10. *Æn.* 834. corpusque levabat Arboris acclinis trunco. *Ovid.* 15. *Met.* 737. Erigitur serpens, summoque acclinis malo Colla movet. *Lucan.* 2. 356. gradibusque acclinis eburnis Stat torus. *Val. Flacc.* 2. 92. Acclinem scopulo inveniunt. *Stat.* 10. *Theb.* 288. Acclines clipeis alios. Adde *eumd.* 5. *Silv.* 3. 36. et *ibid.* 5. 25. *et recentiores Poetas sæpe.* — *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 16. (39). Achlin — acclinem arbori in somno. *Justin.* 28. 4. Non humi consedit, non armorum pondus deposuit, sed acclinis parieti etc. *Colum.* 12. *R. R.* 15. 1. Crates inter se acclines. *V.* et in fine.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 6. Acclinis falsis animus meliora recusat. *h. e.* addictus, innixus, vel etiam propensus. — *NB.* Porro omnibus hisce exemplis alii codices habent *acclivis*, vel *adclivis*. Verum præterquamquod *acclivis* non ita apte his locis accommodari potest, in quibus omnibus status quidam significatur hominis rei alicui innitentis; textus, qui *acclinis* habent, acriter constanterque tuentur primæ notæ interpretes, et Critici (partim ex MSS. et antiquis libris impressis, partim ex analogia, cum et *reclinis* dicatur eadem forma, et *inclinis*) *Tubern. l.* 3. c. 19., *Pierius*, *Servius* in *Virg.*, *Bernecer.* in *Justin.*, in *Stat. Morell.*, in *Horat. Lambin.*, in omnibus *Pareus* in *Lex. Crit.* Est enim inter alia illud quoque discrimen, quod *acclivis* proprie de rebus inanimis usurpetur, et fere ad situm locorum referatur; *acclinis* vero de animatis, quæque ita moveri possunt, ut acclinentur, sive inclinentur, ut adnotavit *Gifanius* in *Observat. Latin. Ling.*, quod cuique, attente consideratis locis iis, quæ supra adducta sunt, pronum est intelligere. Hoc tamen discrimen non servavit (si constans est lectio) *Ammian.* 29. 5. Municipium — monti acclive. *Et* 14. 8. Libano monti Phœnice.

ACCLĪNO *vel* adclino, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et obsoletum* CLINO; Cf. κλίνω). Part. *Acclinatus* I. et II. 1.; *Acclinaturus* II. 2. Proprie est ad aliquid flecto, inclino (It. *inchinare, piegare*; Fr. *appuyer, adosser a ou contre*; Hisp. *apoyar*; Germ. *anlehnen*; Angl. *to lean or incline towards, to bend forward*). Part. *Acclinatus* jungitur Dativo; cetera verbi tempora modo Accus. cum præp. *in* vel *ad*, modo Dativo.

I.) Proprie ponitur de hominibus. *Ovid.* 5. *Met.* 72. Circumspexit Atyn, seque acclinavit in illum. *Alii leg.* inclinavit ad illum. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 50. gravis Alcides, post horrida jussa reversus, Gaudebat strato latus acclinare leoni. *Petron. Satyr.* 103. Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. *Ovid.* 10. *Met.* 268. acclinataque colla Mollibus in plumis tamquam sensura reponit. In *Cæs.* 6. *B. G.* 27. vulgatæ Editt. leg. *reclinatæ*; nonnulli *acclinatæ*.

II.) Translate. ¶ 1. Per similitudinem dicitur etiam de rebus inanimis. *Liv.* 44. 3. Castra acclinata tumulo. *Stat.* 5. *Silv.* 4. 5. occidit horror Æquoris, et tonis maria acclinata quiescunt. *h. e.* quasi reclinata et jacentia littoribus, atque adeo tranquilla. ¶ 2. Item de animo. *Liv.* 4. 48. Haud gravate acclinaturos se ad causam senatus. *h. e.* fauturos causæ senatus.

ACCLĪVIS *vel* adclivis, e, et **ACCLIVUS**, a, um, adject. (ad *et* clivus) erectus, arduus, ascensum habens erectum, cui contrarium est *declivis* (It. *erto, ripido*; Fr. *qui va en montant, montant*; Hisp. *montante*; Germ. *in schräger Richtung allmälig aufsteigend*; Angl. *steep, up-hill, rising, ascending*). *Lucilius* apud *Non.* p. 4. 11. *Merc.* Stadium acclive. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 4. Ea viæ pars valde acclivis est. *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Una ex parte leniter acclivis aditus. *Ovid.* 5. *Fast.* 153. Templa Patres — Leniter acclivi constituere jugo. *Cæs.* 3. *B. G.* 19. 1. Locus — paullatim ab imo acclivis. *Virg.* 2. *G.* 276. tumulis acclive solum. *Liv.* 38. 20. placide acclives colles. *veteres Editt. legebant* acclivos. *Ovid.* 10. *Met.* 53. Carpitur acclivis per muta silentia trames. *vett. Editt.* acclivus. *Id.* 9. *ibid.* 334. lacus. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 2. loca acclivia. — Certa lectione *acclivus* legitur apud *Ovid.* 2. *Met.* 19. acclivo Clymeneia limite proles Venit. Et apud *Manil.* 1. 232. Utrimque acclivis pariter declivia jungit. — *Vide* dicta superius in ACCLINIS in fine.

ACCLĪVĬTAS *vel* adclivitas, ātis, f. 3. (acclivis) est ascensus terræ erectus (It. *ripidezza, erto*; Fr. *montée, élévation*; Hisp. *montada, elevacion*; Germ. *die schräg aufsteigend Richtung, bergan gehende Erhöhung*; Angl. *a bending upwards, steepness, acclivity*). ¶ 1. Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 10. In arando observandum, ut transversus mons sulcetur: nam hac ratione difficultas acclivitatis infringitur, et labor minuitur. ¶ 2. Improprie est ipse locus acclivis. *Ammian.* 14. 2. 13. Cum neque acclivitas ipsa sine discrimine adiri letali, nec cuniculis quidquam geri posset, etc.

ACCLĪVUS *vel* adclivus, a, um. *V.* ACCLIVIS.

ACCOGNOSCO *vel* adcognosco, noscis, nōvi, nocitum, noscere, a. 3. (ad *et* cognosco) probe cognosco; præp. enim *ad* vim verbo addit (It. *riconoscere*; Fr. *reconnaitre*; Hisp. *reconocer*; Germ. *anerkennen*; Angl. *to know well, to recognize*). *Petron. Fragm. Tragur.* 69. *Burm.* Adcognosco, inquit, Cappadocem. *Tertull. ad Uxor.* 2. 6. Non hinc præjudicium damnationis suæ adcognoscet. In *Senec.* 2. *Benef.* 13. Fickert leg. *adcognoscere*.

ACCŎLA, æ. m. 1. (ad *et* colo) qui juxta vel circa locum aliquem habitat (It. *vicino, abitante*; Fr. qui

habile auprès, voisin; Hisp. limitaneo, vecino; Germ. der Anwohner; Angl. a borderer, a near inhabitant or neighbour). ¶ 1. Proprie ponitur de hominibus, et occurrit a) cum Genitivo, b) interdum cum Dativo, c) sæpe etiam absolute. — a) Cum Genitivo. Virg. 7. Æn. 729. Accola Volturni. Sil. It. 11. 25. Jam vero Eridani tumidissimus accola Celtæ, Incubuere malis Italum. ubi adhibetur in singulari numero de pluribus more nominis collectivi. Plin. 3. Hist. nat. 18. 22. (127). Padi. Curt. 3. 2. 9. maris rubri. Id. 4. 5. 5. Oceani. Martial. 5. 3. nostræ ripæ. Liv. 1. 7. Pastor accola ejus loci nomine Cacus. Curt. 4. 7. 18. sedis. Ammian. 14. 10. plagarum extimarum. Ciceronem quidam putant usurpasse hanc vocem pro cive seu populari, cum accolas Cereris dixit 6. Verr. 50. 111. Sed non est eo loco a propria hujus vocis significatione recedendum. En verba Ciceronis: Habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes; omnes accolæ atque antistites Cereris esse videantur. Sensus est: Ennenses adeo Cereris cultui addictos esse, ut non tam Ennam incolere, sed Cereris templum accolere videantur. Neque aliter intelligendum putamus, si tamen salva est lectio, Jul. Capitolin. in Clod. Albin. 11. Ad eas civitates instaurandas, quas Niger attriverat, pecuniam misit, quo facilius sibi earum accolas conciliaret. — b) Cum Dativo. Sil. It. 1. 414. Tu quoque fatidicis Garamanticus accola lucis. — c) Sæpe etiam absolute. Plaut. Aulul. 3. 1. 1. Cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ. Liv. 37. 53. Nullos accolas, nec finitimos habere, quam vos, malo. Adde 26. 24. et 38. 17. Tac. 2. Ann. 68. Ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes accolæ ruperant. et alibi sæpe. Adde et Plin. 4. Hist. nat. 1. 2. (5). ¶ 2. Per catachresim. Tac. 1. Ann. 79. Quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum fluere. h. e. fluviis in ipsum influentibus.

Homonym. Ut ex locis superius allatis (V. Plaut. l. c.) atque ex ipsa verborum etymologia patet, differunt accola et incola in eo, quod accola, est qui juxta vel circa locum aliquem habitat; hinc dicitur accola fluminis, littoris, montis, etc.: incola est qui in ipso loco habitat, ut incola pagi, urbis, oppidi etc.

ACCŎLO vel adcolo, cŏlis, cŏlui, cultum, cŏlere, a. 1. (ad et colo). Part. Accolens. Est autem juxta vel circa colo sive habito (It. abitar vicino; Fr. habiter près de; Hisp. habitar cerca; Germ. anwohnen, nahe bei etwas wohnen; Angl. to dwell near). Occurrit autem a) active cum Accus., b) passive, c) etiam absolute. — a) Active cum Accus. Nævius apud Cic. Orat. 45. 152. Accolere Histrum fluvium. Accius apud Non. p. 357. 14. Merc. arcem. Cic. 6. de republ. 18. 19. Gens, quæ illum locum accolit, sensu audiendi caret. Virg. 4. G. 287. gens fortunata Canopi Accolit effuso stagnantem flumine Nilum. Ovid. 1. Fast. 390. Et quicumque tuas accolit, Hæme, nives. Liv. 28. 13. Ab sociis, qui accolunt viam, contrahendo auxilia. Id. 39. 46. Macedoniam. Tac. 3. Hist. 47. Pontum. Id. 1. ibid. 51. Rhenum. et alibi sæpe. — b) Passive. Plin. 3. Hist. nat. 1. 3. (9). Bætis — amœno blandus alveo crebris dextrâ lævâque accolitur oppidis. — c) Absolute. Plin. 36. Hist. nat. 12. 17. (77). Quasi silvestre numen accolentium. Plaut. Bacch. 2. 1. 4. Vicine Apollo, qui ædibus propinquus nostris accolis. Quo fortasse Plauti loco in errorem inductus Priscian. 18. p. 1203. Putsch. hoc verbum cum Dativo quoque usurpari affirmavit, quin tamen ullum afferat exemplum. — NB. Apud Catull. 62. 55. Multi illam (vitem) agricolæ, multi accoluere juvenci. dubia est lectio: quidquid tamen sit, a propria hujus vocis significatione minime recedendum; sensus enim est: illi viti proximos habitavisse multos agricolas cum juvencis, qui toti ruri, atque illi præsertim viti diligentem operam navabant.

ACCOMMŎDĀTĒ vel adcommodate, adverb. (accommodatus). Comp. et Sup. V. infra. Est apte, apposite (It. attamente, a proposito; Fr. d'une manière conforme, appropriée à; Hisp. acomodadamente, convenible mente; Germ. gemäss oder auf angemessene Weise; Angl. aptly, fitly). Cic. 1. Orat. 33. 149. Dicere quam maxime ad veritatem accommodate. Id. Orat. 33. 117. Definire uberius et ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatius. Id. 5. Fin. 9. 24. Vivere ad naturam accommodatissime.

ACCOMMŎDĀTĬO vel adcommodatio, ōnis, f. 3. (accommodo) apta dispositio (It. adattamento, assettamento; Fr. appropriation, ajustement; Hisp. acomodamiento, atavio; Germ. die gehörige Einrichtung einer Sache nach etwas; Angl. an adapting, adjusting, accommodating). ¶ 1. Proprie. Cic. 1. Invent. 7. 9. Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. ¶ 2. Translate. Cic. 3. Verr. 82. 189. Ex liberalitate atque accommodatione magistratuum consuetudo æstimationis introducta est. h. e. introducta ex indulgentia magistratuum sese ad aratorum indulgentiam accommodantium.

ACCOMMŎDĀTĪVUS vel adcommodativus, a, um, adject. (accommodatus) proprie qui apte convenit: accommodativæ autem præpositiones eæ appellantur, quæ aptam rerum convenientiam significant. Priscian. 14. p. 986. Putsch. (Præpositio ob), vel loco pro, vel κατὰ Græce, cum accommodativa sunt, intelligitur. Idem poeta in IV. Georg. Haudquaquam ob meritum, id est, pro merito, κατὰ ἀξίαν.

ACCOMMŎDĀTOR vel adcommodator, ōris, m. 3. (accommodo) qui accommodat. Inscript. apud Gruter. 789. 4. D. M. HERMA ACCOMMODATOR VIXIT AN. XLVIII. Hoc loco significari videtur speciale aliquod munus, vel artificium, quod adhuc, quale sit, definire non possumus.

ACCOMMŎDĀTUS vel adcommodatus, a, um. V. ACCOMMODO.

ACCOMMŎDĒ, adverb. Affertur in Lexicis quibusdam superlativum ex Quintil. 4. 1. 76. Cui accommodissime jungi initium sequentium poterit. Sed meliores Editt. habent commodissime.

ACCOMMŎDO vel adcommodo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et commodo). Part. Accommodans I. 2.; Accommodatus I. 3., et in fine; Accommodaturus II. 1.; Accommodandus I. 2. et II. 1. — Accommodare est apta ratione aptoque in loco ponere, ac proinde aptare (It. porre in modo e luogo conveniente, e quindi adattare a, aggiustare; Fr. placer d'une manière conforme et dans un lieu approprié, adapter, ajuster; Hisp. poner una cosa convenible mente en su lugar, acomodar, adaptar; Germ. etwas in einem geeigneten Verhältnisse einrichten, in eine passende Lage zu etwas bringen, anfügen, anlegen, anpassend anbringen an etwas; Angl. to place aptly, to adapt, adjust).

I.) Proprie. ¶ 1. Absolute est apta ratione collocare. Cato R. R. 21. et 22. Accommodare trapetum. Confer ibid. 35. 7. ubi eodem sensu commodare, et 135. 7. ubi concinnare usurpatur. ¶ 2. Sæpius est rem aliquam ratione habita alius rei apte collocare, alii rei aptare: gaudet autem Accus. cum præp. ad, interdum et in, vel Dativo. Plaut. Trin. 2. 3. 93. Accommodare clupeum ad dorsum. Hortensius apud Augustin. contra Julian. Pelag. 4. 15. Corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur. Cic. 2. Orat. 61. 250. Africano coronam sibi in convivio ad caput accommodanti. Accius apud Non. p. 244. 17. Merc. Accommodare exuvias lateri. Lucilius apud Cic. 4. Tusc. 21. 48. gladium dextræ. Virg. 2. Æn. 393. laterique accommodat ensem. Sil. It. 5. 146. dextræ hastam. Cæs. 2. B. G. 21. 5. Ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas — tempus defuerit. Vitruv. 10. 2. 2. Quorum dentes in saxa forata accommodantur. Cels. 8. 10. Deinde membrum eodem modo deligandum ferulæque super accommodandæ sunt. Plin. 36. Hist. nat. 21. 41. (153). Arabus lapis ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus.

II.) Translate. ¶ 1. Jungitur sæpissime nominibus abstractis et significat eadem convenienti vel æqua inter se proportione disponere: construitur autem a) cum Accus. et præp. ad, b) Cum Accus. et præp. in, c) cum Accus. et præp. secundum; d) etiam cum Dativo. — a) Cum Accus. et præp. ad. Cic. 9. Fam. 7. 2. Sed tamen si sciam quid tu constitueris, meum consilium accommodabo potissimum ad tuum. Id. 12. Att. 32. 2. Ut sumptus hujus peregrinationis accommodet ad mercedes Argileti et Aventini. h. e. tantum insumat in peregrinatione, quantum ex Argileto et Aventino percipitur. Id. 2. Off. 17. 68. rationem largitionum accommodare ad facultates. Id. pro leg. Man. 20. 60. Accommodare rationes consiliorum ad casus. Id. 10. Att. 8. 1. Si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus. Liv. 41. 42. Accommodare ad hæc, quæ geruntur, consilia. Cic. 4. Fam. 6. 3. tempus ad voluntatem alicujus. Id. 4. ibid. 15. 1. litteras ad aliquid. Id. Cæl. 7. 17. mendacium ad tempus alicujus. Sueton. Cæs. 40. annum ad solis cursum. — b) Cum Accus. et præp. in. Cic. 2. Divinat. 54. 113. Ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Id. 1. Invent. 18. 26. Vulgare exordium est, quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur. Adde Quintil. 4. 1. 71. — c) Cum Accus. et præp. secundum. Quintil. 3. 8. 61. Secundum conditionem ipsius rei accommodandam rationem. Id. 5. 13. 13. Propositio secundum hanc utilitatem accommodabitur, ut nunc singula ostendamus, nunc complectamur universa. — d) Cum Dativo. Cic. 2. Orat. 38. 159. Hæc nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda. Colum. 11. R. R. 2. 1. Accommodare opera temporibus. Quintil. 2. 11. 4. corporis motum verbis. Id. 9. 4. 139. vocem et gestum naturæ rerum. et alibi sæpe. ¶ 2. Item est apte tribuere, aptare: quo sensu dicimus a) accommodare rem alteram alteri, aut rem absolute; et b) se accommodare. — a) Accommodare rem alteram alteri est aptare, apte tribuere. Curt. 4. 7. 23. Non eandem effigiem habet, quam vulgo dis artifices accommodarunt. Quintil. 9. 4. 86. Cicero, quanquam preces non dat Miloni, accommodavit ei verba, convenientes etiam forti viro conquestiones. Cic. 5. Off. 10. 43. Ut orandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodes. vulg. Editt. minus recte liti. Quintil. 6. 2. 26. Si verba vultumque tantum, non etiam animum accommodarimus. Fronto 4. Ep. 12. 109. Mai. Ego, qui a meo magistro et parente Athenodoto ad exempla et imagines quasdam rerum, quas ille εἰκόνας appellabat, apte animo comprehendendas accommodandasque mediocriter institutus sum, etc. — b) Dicimus etiam se accommodare cum Accus. et præp. ad, aut cum Dat. Cic. Orat. 8. 24. Ad alicujus arbitrium et nutum totum se fingere et accommodare. Id. ibid. 9. 28. Accommodare se ad aures teretes Atticorum. Quintil. 6. 1. 37. se dicenti. Sueton. Tib. 48. Singula millia denariorum prætorianis largitus est, quod Sejano se non accommodassent. h. e. non se fautores præbuissent. Id. Galb. 9. Supervenerunt Vindicis litteræ hortantis, ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret. h. e. se præberet. Cic. 1. Off. 21. 70. Accommodare se ad rem publicam et ad magnas res gerendas. h. e. non conferre se, sed quoquo modo se præbere et aptare, potius quam otio diffluere. Marcus Cæs. apud Front. 4. Ep. 11. p. 108. Mai. Tibi valetudo an pro meo voto se accommodet, fac sciam. ¶ 3. Interdum accommodare usurpatur absolute et neutrorum more, et est commoda alicui præbere, gratum aliquid alicui facere. Cic. 13. Fam. 2. Peto igitur a te in majorem modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes. — NB. Ceterum accommodare nunquam occurrit pro utendum dare; et quæ a Lexicographis in medium afferebantur loca, scilicet Plaut. Asin. 2. 4. 39., Cic. 4. Herenn. 51. 64. et 6. Verr. 57. 126. etc. falsas esse lectiones demonstravit Zumptius in Cic. 6. Verr. l. c. Quam sententiam confirmare videtur Fronto de differ. vocab. p. 2194. Putsch. Commodare et Accommodare. Commodat mutuam pecuniam. Accommodat, aptat. ¶ 4. Denique, præsertim apud argenteæ ætatis scriptores et apud JCtos, accommodare generali quadam significatione est etiam adhibere, ita tamen ut aptandi notio semper retineatur. Cic. 3. Verr. 18. 55. Ut — ubi id interrogando, argumentis atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem. Quintil. 1. 12. 7. Accommodare curam pratis, pecoribus, hortis. Id. 1. 8. 19. operam anilibus fabulis. Cajus Dig. 34. 9. 10. fidem. Ulp. Dig. 26. 8. 1. et 27. 6. 7. auctoritatem. Pompon. Dig. 30. 3. 22. § 1. actionem. hoc autem pertinet ad eas actiones, quas prætor supplendarum legitimarum actionum causa dat.

Accommodatus, a, um, est etiam adject., unde Comp. Accommodatior, et Sup. Accommodatissimus: est autem apte conformatus, aptus, appositus; et gaudet, æque ac verbum, aut Accus. cum præp. ad, vel interdum adversus, aut Dativo. — Cum Accus. et præp. ad, vel adversus. Cæs. 3. B. G. 13. 2. Puppes ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatæ. Cic. 1. (post.) Acad. 8. 32. Oratio ad persuadendum, ad consolandum accommodata. Id. 5. Fam. 16. 1. Minime sum ad te consolandum accommodatus. Cels. 5. 19. Accommodata adversus morsus emplastra. — Cum Dativo. Plin. 10. Hist. nat. 33.

50. (98). In his avibus, quarum digiti non sunt accommodati complectendis transferendisque ovis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 14. Lex vobis accommodata atque utilis. *Id. Senect.* 19. 70. Tempora demetendis frugibus aut percipiendis accommodata. *Quintil.* 6. 3. 110. Asinius Pollio fuit seriis jocisque pariter accommodatus. *Cic. Cluent.* 1. 2. Orationis pars concionibus seditiose concitatis accommodatior. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. 7. Reliqua pro loci natura – illis essent aptiora et accommodatiora. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (92). Accommodatiores glandium generi castaneæ. *h. e.* magis respondentes ac similes. *Cic. Cornel.* 7. Exemplum temporibus suis accommodatissimum. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 7. Terra alendo surculo accommodatissima. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 6. (26). Ægyptus accommodatissima unguentis.

ACCOMMŎDUS *vel* adcommodus, a, um, adject. (accommodo). Primo a Poetis usurpatum pro *accommodatus*, deinde a posterioribus etiam in prosa oratione, idem est atque aptus, idoneus (It. *atto, acconcio*; Fr. *propre à, convenable pour*; Hisp. *propio, convenible*; Germ. *geeignet für etwas, passend zu etwas*; Angl. *apt, suitable, fit, meet*). Occurrit autem cum Dativo. *Virg.* 11. *Æn.* 522. Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi. *Stat.* 10. *Theb.* 186. nox accommoda fraudi. *Id.* 4. *Silv.* 4. 65. sunt membra accommoda bellis. *Veget.* 3. *Veter.* 2. Accommodum labori animal bos. *Pallad.* 8. 8. Acetum saluti et digestioni accommodum. *Cod. Theod.* 15. 1. 41. Si neque usui, neque ornatui civitatis accommodum videtur esse, quod poscitur, etc.

ACCONGĔRO *vel* adcongero, ĕris, essi, estum, ĕrere, a. 3. (ad *et* congero) iterum vel sæpe confero, accumulo (It. *accumulare*; Fr. *accumuler*; Hisp. *acumular*; Germ. *noch dazu bringen*; Angl. *to accumulate*). *Plaut. Truc.* 1. 2. 17. Nam ego huic dona accongessi.

ACCORPŎRO *vel* adcorporo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et corpus) cum corpore arte conjungere (It. *congiungere, incorporare*; Fr. *joindre, incorporer*; Hisp. *juntar, incorporar*; Germ. *enge mit einem Körper vereinigen, ein-verleiben*; Angl. *to fasten, to incorporate*). *Solin.* 37. Carinis ita tenaciter accorporatur (*sagda*), ut nisi abrasa parte ligni, ægre separetur. ¶ 2. Hinc translate de bonis vel fundis. *Ammian.* 16. 8. Ut damnatorum petita bona suis accorporarent. *Cod. Theod.* 16. 5. 30. pr. Accorporare domos privatas fisco.

ACCRĒDO *vel* adcredo, crēdis, crēdĭdi, crēdĭtum, crēdere, a. 3. (ad *et* credo). Part. *Accredens*. Subjunctivum *accreduas* pro *accredas* occurrit apud *Plaut. Asin.* 5. 2. 4. ut infra; et est vetus quædam forma, haud absimilis ab aliis *fuam, fuas, duid, duint* etc.: quapropter verbum *Accreduo* a Lexico expungendum putamus. — Accredere autem proprie est verbis fidem habere (It. *credere*; Fr. *croire, ajouter foi*; Hisp. *creer, dar credito à lo que se nos dice*; Germ. *nachglauben, daher auf's Wort glauben*; Angl. *to credit, give credit to*). Occurrit non modo *a*) cum Accus., verum etiam *b*) absolute. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Asin.* 3. 3. 37. Quisnam istuc accredat tibi? *Id. ibid.* 5. 2. 4. Neque divini, neque mi humani posthac quidquam accreduas, si hujus rei me esse mendacem inveneris. *Lucret.* 3. 870. (868). facile hoc accredere possis. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 1. 4. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 25. tibi nos accredere, par est. — *b*) Absolute. *Cic.* 6. *Att.* 2. 3. Admirabar tamen et, vix accredens, communicavi cum Dionysio. *Nep. Datam.* 3. 4. Fuit nemo non, qui regi nuntiaret. Primo non accredidit.

ACCREDUO. *V.* ACCREDO.

ACCRĒMENTUM *vel* adcrementum, i, n. 2. (accresco) incrementum (It. *accrescimento*; Fr. *accroissement*; Hisp. *aumento*; Germ. das *Anwachsen*; Angl. *an increasing*). *Plin.* 9. *Hist. nat.* 1. 2. (2). Mollique ac fertili accremento. *Ita habetur in vulgatis plerisque, sed rectius* Harduinus *ex MSS. legit* nutrimento. *Furlanetto* vero (II. *Append.*) nutantem *Pliniani loci* auctoritatem obfirmare videbatur locus hic *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 2. *ad fin.* p. 756. Eorum, quæ inveniuntur omnium, quæ quidem ab aliis sumpta sunt, prius elaborata paullatim incrementum sumunt ab illis, qui postmodum accipiunt; quæ autem ab initio comperiuntur, parvum in primis sumere solent incrementum, attamen utilius multo, eo, quod postea ab aliis fit, accremento.

ACCRESCO *vel* adcresco, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. 3. (ad *et* cresco). Part. *Accrescens* I. et 2.; *Accretus* in fine. Proprie dicitur de iis, quæ organis prædita cum paullatim augeantur, ad majorem altitudinem perveniunt (It. *crescere*; Fr. *croître, s'accroître*; Hisp. *crecer, agrandarse*; Germ. *heranwachsen, wachsend oder sich in sich mehrend eine grössere Höhe erreichen*; Angl. *to grow, increase in size*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de rebus physicis, quæ organis præditæ per se augentur. *Quintil.* 1. 2. 1. Sed nobis jam paullatim accrescere puer – incipiat. *Ammian.* 27. 6. Ut accrescentem imperatorem – servetis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 32. 37. (112). Eruca, quæ adjectis diebus accrescit. ¶ 2. Latiori significatione ponitur de iis etiam physicis rebus, quæ per adjectionem vel appositionem augentur. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 97. Flumen subito accrevit, et ea re hostiæ traduci non potuerunt. *Tac.* 2. *Ann.* 8. Nondum accrescente unda. *Id.* 1. *ibid.* 19. Aggerebatur nihilominus cæspes, jamque pectori usque accreverat.

II.) Translate ponitur sæpe de abstractis. *Plaut. Curc.* 2. 1. 4. Valitudo decrescit, accrescit labor. *Ter. Andr.* 3. 3. 7. Amicitia, quæ incepta a parvis cum ætate accrevit simul. *Nep. Att.* 21. 4. Postquam dolores accrescere sensit. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 26. Invidia accrevit. *Seneca* 1. *Benef.* 10. 4. Nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus accrevit.

III.) Derivata significatione est etiam adjungi, addi: quo sensu *a*) dicuntur res accrescere rebus; *b*) aut res accrescere personis; *c*) et est denique consueta apud JCtos dicendi ratio de bonorum augmento, quod fiat quocumque modo. — *a*) Res rebus accrescunt, quæ ipsi adduntur. *Dig.* 19. 1. 13. § 14. Si decem jugera alluvione accreverint. *Plin.* 2. *Ep.* 8. Nam veteribus negotiis nova accrescunt. *Liv.* 1. 51. 2. Cum dictis factisque omnibus vana accresceret fides. — *b*) Item res accrescere, *h. e.* addi personis dicuntur. *Pseudo-Sall. in Cic.* 2. 4. Redde rationem, quantum patrimonii acceperis et quid tibi litibus accreverit. *Plin. Paneg.* 62. Sibi enim accrescere putat, quod cuique adstruatur. — *c*) Hinc consueta apud JCtos locutione *accrescere aliquid alicui* dicitur, quod ei adjungitur, addicitur, seu quod ab eo aliqua ratione acquiritur. *Plaut. Dig.* 43. 3. 2. Si pars legato accreverit. *Ulp. Dig.* 9. 2. 35. Accrevisse dominium ei videtur. *Paul. Dig.* 5. 2. 23. Si cum duo filii exheredati, ambo de inofficioso testamento egerunt, et unus postea constituit non agere, pars ejus alteri accrescit. *Cajus Instit.* 2. 199. In per vindicationem legato deficientis portio collegatario accrescit. — Hinc eæ quoque *personæ accrescere* dicuntur, quibus ipso jure una cum aliis in hereditatem etc. actio competit. *Cajus Instit.* 2. 124. Scriptis heredibus in partem accrescunt (*præteritæ personæ*). Adde *Ulp.* 22. 17. et *Paul. Sent.* 3. 4. B. § 8. Hinc *Cajus loc. cit.* Accrescendo heredem fieri. Hinc *jus accrescendi* est, quo hereditatis, vel rei legatæ pars, quæ in quoplam de heredibus legatariisve deficit, alteri attribuitur. *Cajus Instit.* 2. 126., *Dig.* 37. 1. 3., necnon 7. 2. 1. § 3. et alibi sæpe.

Accretus, a, um, part. præter. pass. raro admodum occurrit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 32. 37. (112). Ad tactum tantum movetur (*eruca*), araneo accreta, quam chrysallidem appellant. *h. e.* crescens araneoso textu involuta. *Sever. Ætn.* 433. Et lapis accretus regerendis ignibus aptus. *Jos. Scalig.* putat *accretum* hic poni pro concreto, seu spisso; cui opponitur spongiosus et pumici similis.

ACCRĒTĬO *vel* adcretio, ōnis, f. 3. (accresco) incrementum, ipse actus accrescendi (It. *accrescimento*; Fr. *accroissement*; Hisp. *acrecentamiento*; Germ. *das Anwachsen, die Zunahme*; Angl. *an increasing*). *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 68. Lunamque accretione et deminutione luminis quasi fastorum notis signantem dies etc.

ACCRĒTUS *vel* adcretus, a, um. *V.* ACCRESCO in fine.

ACCŬBĀTĬO *vel* adcubatio, ōnis f. 3. (accubo, accumbo) actus accumbendi, et usurpatur fere in re tricliniari (de qua *V.* ACCUMBO 4.). *Cic.* 1. *Off.* 35. 128. Status incessus, sessio accubatio, vultus oculi – teneant illud decorum. *Forcellinus* de hac lectione valde dubitat, et *accubitio* legendum esse putat (quam lectionem prætulit etiam *Orellius*), cum propter *Nonii* testimonium in *Cic.* loco de *Senect.* (*V.* infra ACCUBITIO), tum quia huic lectioni analogia refragatur, nam verbale est ab *accubo* vel *accumbo*, quorum utrumque *accubitum* facit in supino, non *accubatum*. Meliores tamen Codices MSS. et numero plures hanc exhibent lectionem, quam præterea confirmat vocabulum *cubatio* apud *Varr.* 8. *L. L.* 54. p. 185. *Müll.* V. et ACCUBITATIO.

ACCŬBĬTĀLĬA *vel* adcubitalia, ium, n. 3. (accubo, accumbo 4.) stragula, quibus accubita, seu stibadia insternebantur. *Trebell. Claud.* 14. Accubitalium Cypriorum paria duo. *V.* ibi *Salmasium.*

ACCŬBĬTĀTĬO *vel* adcubitatio, ōnis, f. 3. (accubo, accumbo 4.) accumbendi locus in triclinio, seu lecti et pulvilli, quibus veteres innixi mensæ accumbebant. *Æl. Spartian. in Vero* 5. Jam illa frequentantur a nonnullis, quod et accubitationes ac mensas de rosis ac liliis fecerit, et quidem purgatis. *h. e.* rosis ac liliis straverit. *Vulg. Editt. contra Codicum fidem legunt* accubitiones *aut* accubationes. *V.* et infra ACCUBITUM.

ACCŬBĬTĬO *vel* adcubitio, ōnis, f. 3. (accubo, accumbo 4.) accumbendi actus. *Cic. Senect.* 13. 45. Bene enim majores nostri accubitionem epularem amicorum – convivium nominarunt. *Ita legunt plerique et emendatiores Codd., ita et* Non. p. 139. 30. Merc.: *alii* accubationem. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio etc. *Al.* accubatio, *quam vocem V.* ¶ 2. Est etiam lectus, in quo veteres mensæ accumbebant. *Lamprid. in Alex. Severo* 34. Publica convivia ea simplicitate egit qua privata, nisi quod numerus accubitionum crescebat et multitudo convivarum. *Ita legit* Salmasius: *Codd. male* accubantium: *vulg. Editt.* accubitorum.

ACCŬBĬTO *vel* adcubito, as, are, n. 1. frequentat. ab *accubo* vel *accumbo*. *Sedul. Carm. Pasch. prol.* 1. Paschales quicumque dapes conviva requiris, Dignatus nostris accubitare toris etc.

ACCŬBĬTŌRĬUM *vel* adcubitorium, ii, n. 2. (accubo, accumbo 4.) idem quod apparatorium, quam vocem V. infra. Ædificium sepulcro junctum ad cœnas ferales paratum. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* 2. p. 516. et apud *Orell.* 4511. C. PLARIVS PRIVATVS SEN. SE VIVO (*h. e.* vivo) CESSIT PLARIAE PRIVATAE LIBERTAE SVAE DE SE BENEMERENTI ADCVMBITORIVM CVM CONDITIBVM etc. *Lege* adcubitorium cum conditivo; *mendum enim lapicidæ putandum est* adcumbitorium, *quod analogiæ refragatur, cum omnia prorsus nomina ab* accumbo *derivata litteram* m *respuant. Ita etiam in eadem* Inscript. AMBITVM HVMANDVM VE SACRIFICANDVM CAVSSA HABERE *mendosa sunt et sic legenda, ut cl.* Klotz. *recte opinatur*: ambitum humandi vel sacrificandi caussa habere.

ACCŬBĬTŌRĬUS *vel* adcubitorius, a, um, adject. (accubo, accumbo 4.) ad accumbendum pertinens, cœnatorius. *Petron. Satyr.* 30. Vestimenta mea accubitoria perdidit. *Alii leg.* cubitoria *eodem sensu*; *sed improbat præter ceteros* Lips. l. 1. Saturn. c. 2.

ACCŬBĬTUM *vel* adcubitum, i, n. 2. (accubo, accumbo 4.) stibadium, sedes cœnatoria triclinio similis, quæ, postquam tricliniares lecti in desuetudinem abierunt, ab accumbendum mensæ adhibita est stragulis et pulvillis instrata, quæ inde *accubitalia* dicta sunt. In eo autem a triclinio differebat, quod erat continuus et perpetuus quasi lectus plures capiens et forma semicirculari; triclinium vero tribus fere constabat lectis inter se divisis (de quibus *V.* infra ACCUMBO). Ita *Casaubon.* et *Salmas.* ad *Lamprid. Heliogab.* 19. docent. *Inscript.* apud *Donat.* 177. 5. PORTICVM CVM ACCVBITO VETVSTATE COLLAPSVM RESTITVIT. *h. e.* porticum cum scamnis, mensis, ut legitur in alia apud *Fabrett.* p. 232. *a.* 611.; illuc enim quandoque cœnaturi conveniebant, ut apud nos usuvenit, æstivo præsertim tempore. *Lamprid. loc. cit.* Nec accubuit in accubitis facile, nisi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum. *Vet. Interpr. Juvenal. Sat.* 5. 17. Apud Veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. *V.* et ACCUBITIO.

ACCŬBĬTUS *vel* adcubitus, us, m. 4. (accubo, accumbo 4.) accumbendi actus, accubitio. *Isid.* 20. *Orig.* 11. 19. Apud veteres Romanos non erat usus accumbendi: postea, ut ait Varro de vita populi Rom., viri discumbere cœperunt, mulieres sedere, quia turpis visus est in muliere accubitus. *Ex quibus verbis colligitur etiam Varronem fortasse hac voce usum fuisse. Stat.* 1. *Achill.* 109. Signa tamen, divumque tori, et quem quisque sacrarat Accubitu, genioque locus, monstrantur. *h. e.* quem locum deus aliquis mensæ accumbendo sacraverat. *Priscian.* 9. *p.* 863.

Putsch. ad *Statii* hunc locum *accubitum* ab *accubo* derivatum affirmat. *Id.* 1. *Theb.* 713. Jejunum Phlegyam subter cava saxa jacentem Æterno premit accubitu. *h. e.* super incumbendo opprimendoque. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Plenisque hominum tricliniis accubitu, iere per lectos. *Rectius ex MSS.* Harduinus *legit*: plenisque homine tricliniis, accubitum iere per lectos (*quod est supin*).

ACCŬBO *vel* adcubo, as, are, n. 1. (ad *et* cubo). Perf. *accubui* et Sup. *accubitum* verbo *accumbo* potius, quam *accubo*, tribuenda sunt. Part. *Accubans* 1. 2. et 3. — Accubo autem est jaceo, juxta cubo, adjaceo (It. *giacere appresso*; Fr. *être couché ou placé près*; Hisp. *estar acostado*; Germ. *aus, an oder bei etwas liegen, dabei oder nahe liegen*; Angl. *to lie, or recline neat to, or by the side of*). Una eademque semper occurrit significatione, quamquam, ratione habita rerum et locorum, varietates præseferat, quas distinctis paragraphis annotatas censemus. ¶ 1. Generatim ponitur de persona aut re, quæ alteri adjacet, sæpe cum Dativo, interdum etiam absolute. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 57. Quoi (*poetæ*) bini custodes semper totis horis accubant. *Virg.* 6. *Æn.* 606. Furiarum maxima juxta Accubat. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 19. (37). Accubantes effodiunt – inter saxa venas scrutantes. *Virg.* 3. *G.* 334. sicubi nigrum Ilicibus crebris sacra nemus accubat umbra. *h. e.* sicubi umbra jaceat sub nigro nemore: et est hypallage. *Horat.* 4. *Od.* 12. 18. Qui (*cadus vini*) nunc Sulpiciis accubat horreis. *h. e.* jacet repositus (Cf. *eumd.* 3. *Od.* 28. 7.) *Sueton. Cæs.* 44. poetica ferme licentia et imaginandi vi: Theatrum Tarpejo monti accubans. ¶ 2. Peculiariter obsceno sensu ponitur etiam de concubitu. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 39. Ubi mi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet. *Id. ibid.* 3. 3. 50. Qui in lupanari accubat. *Sueton. Vesp.* 21. Quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum. ¶ 3. Item peculiariter est tricliniare verbum, et sæpissime ponitur pro ad mensam discumbere: occurrit aut *a*) una cum aliis cœnatoriis verbis; *b*) aut absolute; *c*) aut denique speciatim de occupando triclinii loco. — *a*) Una cum aliis cœnatoriis verbis. *Cic.* 2. *Catil.* 5. 10. Accubantes in conviviis complexi mulieres impudicas, vino languidi. *Nep. Pelop.* 3. 2. Quæ (*epistola*) cum accubanti in convivio esset data. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. Dixit Cato morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam. *Liv.* 41. 2. 12. Regulus accubans epulari cœpit. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 19. Nec nisi sacris diebus accubans cœnet (*villicus*). — *b*) Absolute. *Plaut. Stich.* 2. 3. 52. Accubabo regie. *Ter. Eun.* 4. 5. 2. Ac dum accubabam. *Cic.* 14. *Att.* 12. 3. Hæc conscripsi – accubans apud Vestorium. Adde *Sueton. Cæs.* 49. et *Plin.* 3. *Ep.* 1. et 6. *ibid.* 16. *Liv.* 39. 43. Accubare infra aliquem. *Sueton. Aug.* 98. Contra accubare. *V.* ACCUMBO 4. — *c*) Speciatim, præsertim a *Plauto*, ponitur etiam de occupando triclinii loco; interdum cum Accus. *Plaut. Asin.* 5. 1. 3. Numquidnam tibi molestum est, gnate mi, si hæc mecum una accubat? Cf. *ibid.* v. 5. *Id. Most.* 1. 4. 32. Dii te ament; accuba, Callidamates. *h. e.* mensæ asside. Et *ibid.* v. 29. Quin amabo accubas? *Apul.* 5. *Met.* 6. Maturius lectum accubans.

ACCŪBŬO *vel* adcubuo, adverb. (accubo) accubantium modo. Vocabulum a *Plauto* jlocalariter effictum ad similitudinem adverbii *assiduo*. Verba ejus sunt *Truc.* 1. 4. 07. Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero assiduo. DI. Immo hercle vero accubuo mavelim. *h. e.* malim tibi accubare (Cf. ACCUBO 2.). Simul alludit ad vim vocis *assiduo*, cujus origo est a *sedendo*.

ACCŪDO *vel* adcudo, is, ere, a. 3. (ad *et* cudo) proprie, præter vim additæ præpositionis, idem est quod cudere, hoc est nummos (It. *battere, coniare*; Fr. *battre*; Hisp. *batir, acuñar*; Germ. *dazuprägen*; Angl. *to strike as smiths do, beat*). Propriæ tamen notionis nullum adhuc exemplum vidimus. Translate et per jocum *Plaut. Merc.* 2. 3. 96. Tres minas accudere etiam possum, ut triginta sient. *h. e.* a loculo extractas ceteris adjicere, addere.

ACCUMBANTĬA *vel*

ACCUMBENTĬA, æ, f. 1. idem ac accubatio. *Inscript.* apud *Grut.* 129. 14. L. GALLIVS (*Reines.* Gavius) HELIVS ET CALPVRNIA EX IVSSO HOC LOCVM ACCVMBENTIA FECERVNT. *Lege* hoc locum cum accumbentia. At *Mazoch. Epigr. ant. Urb.* 118., unde hausit *Gruterus*, habet *accumbantia*. — Hæc omnia cl. *Furlanetto* in *I. Append.* Hujusmodi vero vocabula analogiæ profecto refragantur (*V.* supra ACCUBITORIUM): quapropter lapicidæ menda putanda videntur; nisi forte legendum sit *accumbentibus* perinde quasi in marmore sit ACCVMBENTIB.

ACCUMBITORIUM. Falsa lectio. *V.* ACCUBITORIUM.

ACCUMBO *vel* adcumbo, cumbis, cŭbŭi, cŭbitum, cumbere, n. 3. (ad *et inusitato* CVMBO, quod a *cubo* littera *m* interposita, quæ, haud aliter ac *n*, a Græcis pariter et Latinis ad majorem vim simplicibus verbis interseritur). De Perf. et Sup. vide superius ACCUBO. Part. *Accumbens* 4. *c.* — Accumbere autem proprium est hominis aliquo versus inclinati atque aliquo loco innixi (It. *appoggiarsi inclinato verso, a*; Fr. *s'appuyer en penchant à*; Hisp. *apoyarse inclinado sobre*; Germ. *sich wohin oder wo anlegen*; Angl. *to lean, or rest upon, recline upon*). Eadem semper significatione, sed tamen varie usurpatur. ¶ 1. Proprie et generatim raro occurrit, et quid significet, aperte innotescit a *Dig.* 50. 16. 124. Subdisjunctivi genera sunt duo – veluti cum dirimus: *aut sedet, aut ambulat*, nam ut nemo potest utrumque facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. *Ter. Eun.* 3. 3. 9. Ipsa accumbere mecum, mihi sese dare, sermonem quærere. *Manil.* 5. 426. *de natante*: Non onerabit aquas summisque accumbet in undis. *h. e.* super undas stratus jacebit. *Marcus Cæs. ad Fronton.* 5. *Ep.* 7. *p.* 120. *Mai.* Ipse cum cubitum irem, scorpionem in lecto offendi: occupavi tamen eum occidere prius quam supra accumberem. *Plaut. Most.* 1. 4. 13. Cave, ne prius in via accumbas. *h. e.* in via stratus jaceas; quamvis hoc loco *Plautus* mensæ accubitioni alludat. ¶ 2. Peculiariter obsceno sensu ponitur de concubitu, aut cum Dat.; aut cum Accus. sine præp., quæ satis inest in ipso verbo, et rem agi veneream significat. *Tibull.* 1. 9. 75. Huic (*uxori divitis avari*) tamen accubuit noster puer. *Propert.* 3. 15. (4. 14.). 12. Nycteos Antiopen accubuisse Lyco. — *Plaut. Bacch.* 5. 2. 70. Potesque et scortum accumbas. *Id. Men.* 3. 2. 11. Prandi, potavi, scortum accubui. Et *ibid.* 5. 9. 82. Potavi atque accubui scortum. ¶ 3. Item peculiariter, de eo qui in lecto se componit somni causa. *Propert.* 1. 3. 3. Qualis et accubuit primo Cepheia somno – Andromede. *nonnulli tamen aliter interpretantur.* ¶ 4. Item peculiariter, sed sæpissime, accumbere significat eam corporis conformationem, qua Veteres mensæ assidebant cibum capturi: nimirum in lectis tricliniaribus neque sedebant, neque omnino jacebant, sed ita se componebant, ut inferiore corporis parte porrecta ac jacente, superiorem sinistro cubito aliquantum sublevarent, pulvillis suffulcientibus, erecto paullulum capite, et dextera manu libera ad cibum capiendum, sinistra etiam aliquando, cum opus esset, reclinato corpore, exserta. Hoc est *accumbere*, et etiam *accubare*, quam vocem *V.* supra § 3.: qua de re conferendi sunt *Plutarch. Symposiac.* 1. 3., *Sallustius* apud *Servium* in *Virg.* 1. *Æn.* 702., *Horat.* 2. *Sat.* 8. 20. et seqq., *Cic.* 9. *Fam.* 26., *Plaut. Most.* 1. 1. 43. et *Pers.* 5. 1. 15. et *Stich.* 3. 2. 31. et seqq.; fusius autem ii, qui de Triclinio et Conviviis Veterum integris commentariis disseruere *Ciaccon.*, *Fulv. Ursin.*, *Mercurial.*, *Stuck.*, *Manut. de quæst. per epist.*, *Salmas. ad Solin.* p. 886., et inter recentiores *E. F. Wüstemann. zu d. Pal. des Scaurus* p. 265., et *W. A. Becker Gallus* p. 145. et seqq. — Quonam vero tempore id Romæ usuvenerit, nescimus: antiquissimi certe non accumbebant, sed sedebant, ut docet *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 79. et 214. et ad 7. *Æn.* 176.: quem morem, etiam post inductum accubitus usum, retinuere cum villici, quibus nonnisi sacris diebus accumbere licebat teste *Colum.* 11. *R. R.* 1. 19. (*V.* ACCUBO 3. *a.*); tum pudoris etiam causa matronæ teste *Varr.* apud *Isid.*, cujus verba vide in ACCUBITUS. Verum ipsæ quoque procedente luxu aliquando accubuisse leguntur teste *Val. Max.* 2. 1. 2.; quemadmodum prioribus quoque temporibus accubuerunt impudicæ et vanæ feminæ, ut patet ex *Cic.* 7. *Verr.* 31. 81. et 9. *Fam.* 26. 2. — Porro hoc verbum occurrit *a*) una cum aliis cœnatoriis verbis *in convivio, in epulo* etc.; *b*) aut raro cum Accus.; *c*) aut absolute; *d*) aut adjectis sodalibus vel loco, quibuscum vel in quo convivium celebratur; *e*) aut denique notato loco, quem in tricliniari lecto quis occupat. — *a*) Una cum aliis cœnatoriis verbis. *Cic.* 3. *Verr.* 2. 66. Negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. *Id. Mur.* 35. 74. Lacedæmonii – qui quotidianis epulis in robore accumbunt. *Id. Vatin.* 12. 30. Qua mente feceris, ut in epulo Q. Anii – cum toga pulla accumberes. *Virg.* 1. *Æn.* 83. tu das epulis accumbere divum. — *b*) Raro cum Accus. *Accius* apud *Non.* p. 415. 28. *Merc.* Nec cum tyranno quisquam epulandi gratia mensam accumbat. *Lucilius* apud *Non.* p. 511. 17. *Merc.* Nam sumptibus magnis Exstructam ampliter – accumbimus mensam. *Apul.* 2. *Met.* 11. Accumbere mensulam. *Id.* 9. *ibid.* 22. cœnam paratam. — *c*) Absolute. *Cic.* 9. *Fam.* 26. 1. Accubueram hora nona. *Id.* 7. *Verr.* 31. 81. Sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum et prætextatum filium. *Sueton. Vesp.* 5. Cœnante rursus bos arator – triclinium irrupit ac – procidit ad ipsos accumbentis pedes. *Plaut. Men.* 1. 4. 7. Jube ire accubitum. Adde *Pseud.* 3. 2. 101. *Varro* apud *Non.* 106. 12. Ubi lubet, ire licet accubitum. *Plaut. Most.* 1. 3. 150. Age, accumbe igitur. — *d*) Additis sodalibus vel loco quibuscum vel in quo convivium celebratur. *Nep. Ages.* 8. 2. Cum in acta cum suis accubuisset. *Martial.* 8. 50. Accubuit genitor cum plebe deorum. *Plaut. Stich.* 3. 2. 32. In lecto accumbere. *Liv.* 28. 18. Eodem lecto Scipio atque Hasdrubal accubuerunt. *Plaut. Stich.* 5. 5. 9. Accumbere aliquo loco. *Nep. Ages.* 8. 2. Cum – eodemque (*adverb.*) comites omnes accubuissent. — *e*) Notato loco, quem in tricliniari lecto quis occupat; unde locutiones *summum, superius* vel *superiorem, medium, infimum* vel *imum, inferius* vel *inferiorem, supra* vel *super aliquem, infra aliquem accumbere* (apud Græcos ὁ πρῶτος, ὁ μέσος, ὁ τελευταῖος τόπος. Cf. *Plutarch. loc. cit.*); necnon *in summo, medio, imo lecto accumbere*, aut etiam omisso nomine *lecto*. Jam vero *summus accumbere*, et *supra*, vel *superior accumbere* dicebatur, qui primus et ad caput lecti accumbebat, qui post ipsum *medius*, qui tertio loco *infra*. Si quartus conviva adesset, dicebatur *imus*: et quia accumbentes in cubitum sinistrum se reponebant, accumbendi ordo a sinistra parte incipiebatur, ita ut *summus* idem esset, ac sinister, *infra* dexter. Inter tres lectos medius erat honoratior. In eodem lecto si tres essent convivæ, medius locus dignior habebatur, deinde summus: si quatuor, honoratior erat summo proximus, hoc est secundus: si quando accumberent feminæ, *infra* accumbebant, ut in sinu *medii* capite recumberent; atque hoc intelligendum de privatorum conviviis. Quod si consul, aut alius publicus magistratus in convivio esset, ejus locus erat infra, seu ultimus medii lecti (qui propterea dicebatur *locus consularis*, τόπος ὑπατικός) ea præcipue de causa, ne, si aut subscribendum aliquid, aut nuntius admittendus, aut tale quidpiam agendum esset, ipse aut ab alio impediretur, aut alium impediret: quod etiam de domino convivii dicendum videtur, ut ea, quæ ad convivium pertinent, facilius expediret, et cum convivis miscere sermonem posset. Medius enim lectus ita cum tertio cohærebat, ut angularem intercapedinem flexu suo faceret, quo in spatio ultimus medii lecti dextram, et vocem liberam et expeditam habebat, ut ait *Plutarch. loc. cit.* Ut clarius autem hæc innotescant, triclinii schema oculis subjiciendum putamus.

Spatium vacuum ad apponendos cibos



Medius lectus

His rebus facile intelligentur Scriptorum loca, quæ subjicimus, et alia his similia. *Cic.* 9. *Fam.* 26. Accubueram apud Volumnium, et quidem supra me At-

ticus, infra Verrius. *Et paulo post*: Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. Quo in loco cave tibi a *P. Manutio*, qui Atticum putat accubuisse a dextra, Verrium a sinistra. *Plaut. Pers.* 5. 1. 15. Tu Sagaristio, accumbe in summo. *Id. Most.* 1. 4. 42. Superior accumbere. *Huc pertinet et illud Horat.* 2. *Sat.* 8. 20. Summus (κατ᾽ ἐξοχὴν *summus sive primus in summo lecto*) ego, et prope me Viscus Turinus, et infra, Si memini, Varius. *Et* 23. Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra. *Sallust. fragm.* apud *Serv.* ad 1. *Æn.* 702. Igitur discubuere: Sertorius inferior in medio (*lecto*); super eum (*in eodem lecto*) T. Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis: in summo (*lecto*) Antonius, et infra (*in eodem lecto*) scriba Sertorii Versius; et alter scriba Mæcenas in imo (*lecto*) medius inter Tarquitium, et dominum Perpernam. Ubi vides *medium, summum, imum* ad lectum referri, *super*, *infra*, etc. ad locum lecti. Disserit fuse de hoc *Sallustii* loco *Salmas.*

ACCŪMŬLĀTĒ *vel* adcumulate, adverb. (accumulatus). Sup. *Accumulatissime*. Proprie est qua ratione rerum cumulus congeritur: sed occurrit tantum translate et significat copiose (It. *cumulatamente*, *abbondantemente*; Fr. *richement*, *magnifiquement*; Hisp. *abundantemente*, *magnificamente*; Germ. *in reichlichem Maasse*; Angl. *copiously*, *in abundance*). *Cic.* 1. *Herenn.* 17. 27. Ut munus hoc accumulatissime tuæ largiamur voluntati. *Apul.* 10. *Met.* 27. Omnia prolixe accumulateque pollicetur. — Addunt quidam aliud ex *Cic.* exemplum 13. *Fam.* 42. 1.; sed ibi pro *accumulatissime* legitur *cumulatissime* in optimis quibusque libris.

ACCŪMŬLĀTĬO *vel* adcumulatio, ōnis, f. 3. (accumulo). Proprie est accumulandi actus; sed occurrit tantummodo peculiari significatione, et est aggeratio terræ circa arborum radices ad eas tutandas contra aeris injurias (It. *rincalzamento*; Fr. *rechaussement*; Hisp. *el recalzar*; Germ. *die Aufhäufelung um die Wurzeln der Bäume*, *durch Ausschutten von Erde*; Angl. *a heaping together*). *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (246). Communia arborum morbis remedia oblaqueatio, accumulatio, afflari radices, aut cooperiri. *V.* ACCUMULO I. 2.

ACCŪMŬLĀTOR *vel* adcumulator, ōris, m. 3. (accumulo) qui accumulat (It. *accumulatore*; Fr. *qui entasse, accumule*; Hisp. *accumulador*; Germ. *der Anhäufer*; Angl. *one who heaps together, accumulates*). *Tac.* 3. *Ann.* 30. Opum, queis domus illa viguit, primus accumulator.

ACCŪMŬLĀTUS *vel* adcumulatus, a, um. *V.* ACCUMULO.

ACCŪMŬLO *vel* adcumulo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et cumulo). Part. *Accumulans* I. 1.; *Accumulatus* II. 2. Proprie est ad cumulum addo, in modum cumuli congero, coacervo (It. *accumulare*, *ammassare*; Fr. *accumuler*, *amasser*, *amonceler*; Hisp. *acumular*; Germ. *aufhäusen*; Angl. *to accumulate, heap together, amass*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium. *Lucret.* 6. 1260. (1259). quo magis æstu Confertos ita acervatim mors accumulabat. *Prudent. Psychom.* 183. accumulare caput crinibus. *h. e. per hypallagen* crines accumulando et in tutulum componendo caput ornare. ¶ 2. Speciatim est circa arborum radices terram aggerere, et veluti circummunire, quod in æstuosis tantum regionibus usuvenit, æstivo præsertim tempore, ne nimio calore exarescant (Cf. ACCUMULATIO); quod *Cato R. R.* 94. et *Colum.* 5. *R. R.* 11. 8. *adaggerare terram* dicunt; cui contrarium est *oblaqueare*. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 19. 31. (130). Ferventibus locis accumulant æstate radices, ne solis ardor exurat: alibi oblaqueant, perflatusque admittunt. *Id.* 17. 17. 28. (124). Accumuletur germinatio terrā, donec robur planta capiat. *Id.* 18. 29. 71. (295). Arbores circumfodere; ubi æstuosa regio poscat, accumulare. *Id.* 19. 5. 26. (83). Accumulare raphanos. *Id.* 18. 26. 62. (230). vineas.

II.) Translate. ¶ 1. Peculiariter est congerere, et jungitur etiam abstractis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 22. 59. Vix jam videtur locus esse, qui tantos acervos pecuniæ capiat. Auget, addit, accumulat. *Lucret.* 3. 71. cædem cæde accumulare. *Ovid.* 2. *Fast.* 122. alicui honorem. *Id. Heroid.* 15. 70. curas. *Sabin. Ep.* 2. 64. causas. *Virg.* 6. *Æn.* 885. Purpureos spargam flores, animamque nepotis His saltem accumulem donis. *h. e. per hypallagen* hæc dona accumulem animæ nepotis. ¶ 2. Hinc peculiariter est augere. *Monum. Cn. Corn. Scipionis* apud *Orell. Inscript.* 554. VIRTVTES GENERIS MIEIS MORIBVS ACCVMVLAVI. *Inscript.* apud *Gazzera Di un patron.* p. 87. CVM SIT ET DIGNITATE ACCVMVLATVS. *Sil. It.* 11. 254. perge, ac primordia tanta Accumula paribus factis. *Id.* 13. 654. nunc accumula cœpta ardua dextrā. *Id.* 2. 336. tanta accumulat præconia leto Vulneribusque virum, ac tollit sub sidera gentem. *h. e.* mortem et vulnera memorans. *Gell.* 17. 10. Item quod ait *sidera lambit*, vacanter hoc etiam, inquit, accumulavit et inaniter.

ACCŪRĀTĒ *vel* adcurate, adverb. (accuratus). Comp. *Accuratius*, Sup. *Accuratissime*. Est diligenter, magna cura (It. *diligentemente*, *accuratamente*; Fr. *soigneusement*, *avec soin*, *exactement*; Hisp. *accuradamente*, *cuidadosamente*; Germ. *auf eine sorgfältige Weise*; Angl. *diligently*, *accurately*, *attentively*, *exactly*). — *a*) Generatim. *Sallust. Jug.* 16. 3. Accurate recipere aliquem. *Id. ibid.* 103. 5. Accurate ac liberaliter habere aliquem. *Cic. Brut.* 22. 86. Studiose accurateque aliquid facere. *Id.* 16. *Att.* 5. 2. Accurate agere. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. 3. Accuratius ædificare. *Nep. Alcib.* 10. 2. et *Liv.* 42. 45. 2. Accuratius agere cum aliquo. *Cic.* 5. *Fam.* 17. 1. Accuratissime tutari causam. *Sueton. Domit.* 15. Accuratissime sepelire. — *b*) Peculiariter sæpissime de oratione ponitur, et est adamussim, per singula capita, penitus. *Cic. Brut.* 22. 86. Accurate causam dicere. *Id. ibid.* 80. 277. Accurate et exquisite disputare. *Id.* 1. *Parad.* 4. Arte tenere, atque accurate defendere aliquid. *Id. Arch.* 8. 18. 8., *Fam.* 10. 1. et 5. *Att.* 11. Accurate scribere. *Id.* 8. *Att.* 12. 5. Accuratius mihi perscribas velim. *Nep. Lysand.* 4. 1. Accuratissime accusare aliquem. — *NB.* In *Forcelliniano Lexico* affertur etiam locus *Ter. Andr.* 3. 2. 14. Fallere aliquem saltem accurate. *de quo V.* ACCURO in fine.

ACCŪRĀTĬO *vel* adcuratio, ōnis, f. 3. (accuro) cura, diligentia, actus ipse accurandi (It. *accuratezza*, *diligenza*; Fr. *soin*, *exactitude*; Hisp. *cuidado*; Germ. *die sorgfältige Behandlung*, *Sorgfalt*; Angl. *diligence*, *exactness*, *accuracy*). *Cic. Brut.* 67. 238. In inveniendis componendisque rebus mira accuratio. *Veget.* 1. *Veter.* 56. 35. Ad omnem accurationem. *h. e.* accuratissime.

ACCŪRĀTOR *vel* adcurator, ōris, m. 3. (accuro) qui rem aliquam curat. *In Declam.* 377. *ex iis, quæ Quintil. tribuuntur*. Accuratorem ipsum accusatorem dabo: nunquam abdicavit. *Alii rectius leg.* Accusatorem ipsum laudatorem dabo.

ACCŪRĀTUS *vel* adcuratus, a, um. *V.* ACCURO.

ACCŪRO *vel* adcuro, as, āvi, ātum, āre, 1. (ad et curo). *Accurassis* pro *accuraveris* apud *Plaut. Pseud.* 4. 1. 29. Si hanc rem sobrie accurassis. Adde *Pers.* 3. 1. 65. *Accurarier* per paragogen pro *accurari* legitur apud *eumd. Men.* 1. 3. 25. — Part. *Accuratus* a. et in fine; *Accurandus* a. — Accuro est idem quod curo, addita vi aliqua significationi a præpositione *ad*, a qua componitur, sive est diligenter curo, diligentiam adhibeo in re aliqua recte perficienda (It. *fare con accuratezza*, *por cura a qualche cosa*; Fr. *soigner*, *donner ses soin à*, *s'occuper avec sollicitude de*; Hisp. *cuidar*, *servir con cuidado*; Germ. *etwas mit Sorgfalt herbeischaffen oder vollbringen*, *seine Sorgfalt aus etwas richten*, *etwas besorgen*; Angl. *to do with care*, *to take care of*, *attend to any thing*). Hoc verbum sæpe usurpatur a *Plauto* et *Terentio*; semel tantum apud aureos scriptores; raro etiam apud recentiores occurrit: et quidem *a*) aut cum Accusativo; *b*) aut raro absolute; *c*) aut sæpius sequente *ut*. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Men.* 1. 3. 25. Accurare prandium alicui. *Cic.* apud *Colum.* 12. *R. R. præf.* 2 Accurare victum et cultum humanum. *Plaut. Cas.* 3. 3. 30. Quod facto opus est, volo accurare. *Id. Pers.* 4. 1. 1. Accurare aliquam rem sobrie ac frugaliter. Adde *Pseud.* 4. 1. 29. v. supra. *Id. Bacch.* 5. 2. 33. Pensum meum lepide accurabo. *Id. Pers.* 3. 1. 65. aliquid lepide. *Id. Men.* 5. 2. 107. Illud præcavendum atque accurandum est mihi. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 58. Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur. *Apic.* 1. 24. Ante accuratas rapas et compositas perdices myrtæ baccis cum melle et aceto. *h. e.* præparatas et comminutas admiscebis, atque ita ne appareant, abscondes myrtæ baccis. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Ut sunt pulli columbarum, — perdices, attagenes, quorum omnium pectora magis offerenda, et horum interiora (*Edit.* interius) cocta ac tenuiter accurata ex oleo, aqua, anetho et sale. *Lamprid. Heliog.* 31. Accurare barbam. *Plaut. Epid.* 5. 1. 53. *etiam de homine*: Remeabo intro, ut accurentur advenientes hospites. *h. e.* et curam habebo, ut hospites bene tractentur. — *b*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 210. Ergo accurato et properato opus est. *h. e.* diligentia et celeritate. — *c*) Sequente *ut* cum Subjunct. *Plaut. Trin.* 1. 2. 41. Quia omnis bonos bonasque accurare addecet, suspicionem et culpam ut ab se segregent. *Ter. Andr.* 3. 2. 14. Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim. *Donatus* aliique vett. Interpr. perperam adverbium esse hic loci putarunt. Cf. *eumd. Ter. Hec.* 5. 1. 12. Omnes res cautius, ne temere faciam, accuro.

Accuratus, a, um est etiam adject., cujus Comp. *Accuratior*, Sup. *Accuratissimus*; et sæpe occurrit etiam apud aureos Scriptores præsertim de oratione. *Cic. Brut.* 8. 30. Accurata et facta quodammodo oratio. *Id.* 1. *Orat.* 60. 257. Accuratæ et meditatæ commentationes. *Id. Brut.* 95. 326. Accurata et polita oratio. *Quintil.* 4. 1. 57. Sollicitæ et accuratæ actiones. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. orationis copia. *Id.* 2. *ibid.* 57. 233. sermo. *Plin. Paneg.* 3. preces. *Gell.* 1. 5. Cultus corporis nimis accuratus. *Plaut. Truc.* 2. 5. 20. Accurata malitia. *Cic.* 13. *Fam.* 17. 3. commendatio. *Id. Amic.* 7. 25. oratio. *Liv.* 34. 5. 2. longa et accurata oratio. *Cic. Brut.* 82. 283. Accuratius et exquisitius dicendi genus. Adde *Quintil.* 8. 3. 14. *Liv.* 5. 37. Accurationem delectum habere: *Cic.* 13. *Att.* 45. 3. Accuratissimæ litteræ. *Id.* 7. *Att.* 3. Accuratissima litterarum diligentia. *Plin.* 7. *Ep.* 6. Accuratissima oratio.

ACCURRO *vel* Adcurro, curris, cucurri *vel* curri, cursum, currere, n. 3. (ad *et* curro). Part. *Accurrens* I. a. Proprie est ad aliquem locum curro, sollicite curro, celeri gradu appropinquo (It. *accorrere*; Fr. *accourir*, *courir à ou vers*; Hisp. *acudir*, *venir promptamente*; Germ. *hinzu-oder herbeikommen*, *hinzu-oder herbeispringen*; Angl. *to run*, *to run to*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est vero et celeri cursu properare. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Considius equo admisso ad eum accurrit. ¶ 2. Latiori sensu magna sollicitudine magnoque studio ad aliquem ire. Occurrit autem *a*) absolute; *b*) adjecta persona aut loco, ad quem accurrimus; *c*) adjecto fine, propter quem accurrimus. — *a*) Absolute, etiam passive impersonaliter. *Ter. Andr.* 1. 1. 106. Ibi tum exanimatus Pamphilus — accurrit; mediam mulierem complectitur. *Cic.* 13. *Att.* 48. 1. Lepta me rogat, ut si quid sibi opus sit, accurram. — Is igitur si acciderit, accurram. *Tac.* 3. *Hist.* 12. Qui propere accucurrit. *Id.* 13. *Ann.* 44. Accurrentem ancillam vulnere absterret. *Id.* 1. *Ann.* 21. Accurritur ab universis. — *b*) Adjecta persona aut loco, ad quem accurrimus; apud inferioris notæ Scriptores etiam cum Accusativo sine præpositione, quæ inest in ipso verbo. *Ter. Eun.* 2. 3. 44. Continuo accurrit ad me. *Cic.* 9. *Fam.* 4. Tu si minus ad nos, nos accurremus ad te. *et apud alios sæpissime*. *Cic.* 12. *Att.* 18. 4. Propter prædes suos accucurrisse. *Id.* 13. *ibid.* 3. Accurres in Tusculanum, ut scribis. *Id.* 3. *Off.* 31. 112. Accurrisse Romam dicitur. *Ter. Phorm.* 5. 7. 40. huc. *Apul.* 3. *Met.* 21. Percita ac satis trepida me accurrit. *Paulin. Nolan.* in *Natal. S. Fel.* 10. 112. Contiguam paribus votis accurrimus aulam. — *c*) Adjecto fine, propter quem accurrimus modo cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*, modo cum Subjunct. et particulis *ut* aut *ne*. *Cic.* 7. *Verr.* 3. 7. Illum cupide ad prætorem, quasi ad laudem atque ad præmium, accucurrisse. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Sic ad omnes honores meos et secessibus accucurrit. *Sueton. Ner.* 34. Accurrere ad visendum. *Sil. It.* 14. 404. ad opem. *Sueton. Calig.* 58. in auxilium. *Apul.* 9. *Met.* 14. Accurrunt mœsti suppetias. — *Plaut. Amph.* 5. 1. 17. Ocius accurro, ut sciscam quid velit. *Id. Cist.* 4. 2. 44. Accurrimus ad Alcesimarchum, ne suam vitam interimeret.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Divinat.* 67. 138. Istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut, simul atque velimus, accurrant. *h. e.* occurrant animo.

ACCURSO *vel* adcurso, as, are, n. 1. (frequent. ab *accurro*) juxta vel prope curro. Hoc verbum nonnulli exhibent Codices in *Plin. Paneg.* 23., ubi rectius optimæ Editt. legunt *occursare*: hinc fortasse petitum extat in *Expulsis*.

ACCURSORIUS. *V.* ANTECURSORIUS.

ACCURSUS *vel* adcursus, us, m. 4. (accurro) accurrendi actus, incursio (It. *concorso*; Fr. *action d'accourir*; Hisp. *concurso*; Germ. *der Zulauf, Anlauf*; Angl. *a running to, a concourse*). *Val. Max.* 6. 8. 6. Ante oculos ponere subitum militum concursum. *Seneca Hippol.* 894. Civium accursum timens. *Tac.* 4. *Ann.* 41. et *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 43. Accursus populi. *Tac.* 4. *Hist.* 25. Accursus provinciarum. *Sil. It.* 15. 604. Et properi signum accursus. *Stat.* 6. *Theb.* 511. Erigit accursu comitum caput.

ACCŪSĀBĬLIS *vel* adcusabilis, e, adject. (accuso) accusatione dignus (It. *riprensibile, biasimevole*; Fr. *accusable, blamable*; Hisp. *reprehensible*; Germ. *was angeklagt werden kann, werth angeklat zu werden*; Angl. *reprehensible, deserving of censure*). *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 75. Quorum omnium accusabilis est turpitudo. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. In ista ægritudinis qualitate incauta vini dandi consuetudo et protervitas – accusabilis apud inertes – invenitur. *Id.* 3. *ibid.* 4. Sed est etiam hic (*Serapion*) facile accusabilis.

ACCŪSĀTĬO *vel* adcusatio, ōnis, f. 3. (accuso) proprie est actio, qua aliquid alicui tamquam crimen objicimus atque imputamus (It. *imputazione, accusazione, accusa*; Fr. *imputation, accusation*; Hisp. *imputacion, acusacion*; Germ. *die Beschuldigung*; Angl. *to ascribe, impute, an accusation*). ¶ 1. Proprie et lato sensu. *Quintil.* 2. 17. 15. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est. ¶ 2. Speciatim est judiciale verbum, quod actionem significat, qua aliquem in judicio reum facimus, præsertim criminis. *Cic. Cæl.* 3. 6. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam. *unde patet quod intersit discrimen inter accusationem et maledictionem. Id.* 2. *Off.* 14. 49. (*Judiciorum ratio*) ex accusatione et defensione constat. — Hinc, si agitur de lege aut prætore, qui accusandi potestatem alicui concedat, illæ occurrunt locutiones: *Cic. Cluent.* 34. 94. Jus accusationis. *Id.* 1. *Verr.* 19. 62. Accusationem dare et concedere. — Si agitur de accusatore, aut defensore, sequentes usuvenerunt locutiones. *Quintil.* 5. 13. 18. Accusationem petere in aliquem. *Tac.* 6. *Ann.* 7. suscipere. *Cic.* 3. *Verr.* 1. 2. comparare et constituere. *Id. Cluent.* 6. 18. adornare, instruere, comparare. *Tac.* 6. *Ann.* 4. intentare. *Id.* 4. *ibid.* 52. capessere. *Plin.* 7. *Ep.* 33. exsequi. *Id.* 6. *ibid.* 31. peragere. *Quintil.* 11. 1. 57. Ad accusationem descendere. *Cic. Cluent.* 3. 8. Accusationi respondere. *Plin.* 7. *Ep.* 6. Accusationem abolere. *Id.* 6. *ibid.* 31. et 7. 6. omittere. *Cic. Brut.* 34. 130. factitare. *h. e.* se dedere accusationibus. *Tac.* 2. *Hist.* 10. exercere. *Inscript.* quæ pertinet ad ann. 238. post Chr. n. apud *Murat. præfat.* p. 10. EX CONSENSV PROV. ACCVSATIONEM INSTITVERE TENTARVNT etc. *Et paullo post:* NIHIL DE ACCVSATIONE MANDASSET etc. *Et mox:* VT OMNES AB ACCVSATIONE DESISTERENT etc. ¶ 3. Item accusatio est etiam tabula scripta, qua quis in judicio reus fiebat, quæque appellata est etiam *libellus accusationis*, cui plures aliquando nomen subscribebant. Hinc accusatio passive usurpatur a *Liv.* 33. 47. 4. Subscribere odiis accusationibusque Hannibalis. *h. e.* quibus Hannibal accusatur. ¶ 4. Ipsa oratio, qua aliquis accusatur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (110). Æschines – cum accusationem, qua fuerat usus, Rhodiis legisset, legit et defensionem. Hinc *Cic. Orat.* 29. 103. *septem accusationis libros* appellat orationes in Verrem.

ACCŪSĀTĪVUS *vel* adcusativus, a, um, adject. (accuso) ad accusandum pertinens, ut *accusativus casus* apud Grammaticos, qui est quartus in nominum declinatione, quique et *accusativus* absolute dicitur, quia per eum aliquem accusamus, ut *Isid.* 1. *Orig.* 6. 40. *Varro* 8. *L. L.* 67. p. 190. *Müll.* Quom horum casus patricus et accusativus in moltitudine sint disparilis. *Idem* autem *ibid.* 66. eumdem appellat *casum accusandi.* Adde *Quintil.* 7. 9. 10. in voce ABLATIVUS, et ceteros omnes Grammaticos. — Hinc *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 28. præpositiones *accusativas* vocat, quæ accusativum casum regunt, ut *ad, erga, per.* Adde *Isid.* 1. *Orig.* 12. in voce ABLATIVUS.

ACCŪSĀTOR *vel* adcusator, ōris, m. 3. (accuso) proprie est qui aliquid alicui tamquam probrum imputat et arguit (It. *imputatore, accusatore*; Fr. *qui impute, accusateur*; Hisp. *imputador, acusador*; Germ. *der Beschuldiger, Ankläger*; Angl. *an imputer, an accuser*). ¶ 1. Proprie et lato sensu. *Nep. Lysand.* 4. 3. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator. ¶ 2. Speciatim est qui accusat et in judicio agit: *a*) raro generatim qui agit et petit in re civili; *b*) fere semper peculiariter qui reum alicujus criminis in judicio agit; *c*) aliquando etiam est delator; *d*) generali autem sensu occurrit variis rationibus apud cujusque ætatis Scriptores. — *a*) Raro generatim est idem atque actor et petitor in re civili. *Cic. Part. orat.* 32. 110. Sed accusatorem pro omni actore et petitore appello. — *b*) Fere semper qui reum alicujus criminis in judicio agit, quo sensu opponitur *petitori. Cic. Quinct.* 13. 45. Possumus aliquando depositis armis sine periculo fortunarum de re pecuniaria disceptare? possumus ita rem nostram persequi, ut hominis propinqui caput incolume esse patiamur? possumus petitoris personam capere, accusatoris deponere? *V.* loca sub *d.* citata. — *c*) Interdum est etiam delator. *Cic.* 2. *Off.* 14. 50. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam committere, ut accusator nominere. *Sueton. Aug.* 66. Gallo quoque et accusatorum denuntiationibus et Senatusconsultis ad necem compulso etc. *Juvenal.* 1. 161. Cum veniet contra digito compesce labellum; Accusator erit. — *d*) Generali autem sensu variis occurrit rationibus, quæ per exempla facile intelliguntur. *Cic. Rosc. Am.* 20. 55. Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia; verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus. Et *ibid.* § 56. Qua re facile omnes patimur esse quam plurimos accusatores. *Et paullo post* § 57. accusatori *opponitur* defensor. *Quintil.* 6. 3. 31. Nec accusatorem atroci in causa, nec patronum in miserabili jocantem feret quisquam. *Plin.* 4. *Ep.* 9. 9. Cum accusator ex lege sex horas, novem reus accepisset. *Id.* 6. *ibid.* 5. Ut, sicut accusatoribus inquirendi testibusque denuntiandi potestas ex ea lege esset, ita reis quoque fieret. *Id.* 10. *ibid.* 85. Non accusatorem se, sed advocatum esse. *Cic.* 1. *Verr.* 9. 29. Accusatorem firmum verumque esse oportet. *Id. Brut.* 34. 130. Is – fuit accusator vehemens et molestus. *Id. ibid.* 36. 136. Accusatores acres atque acerbi. *Id.* 3. *Leg.* 20. 47. Qui quidem (*accusatores*) graves esse non possunt, nisi sint voluntarii. *Id. Rosc. Am.* 21. 58. Bone accusator. *Id. ibid.* 32. 89. sat bonus. *Tac.* 4. *Ann.* 36. Districtior accusator. *Plin. Paneg.* 42. domesticus. *Cic.* 3. *Verr.* 29. 74. Aliquem accusatorem apponere. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. 3. ponere alicui aliqua lege. *Cic. Cluent.* 67. 191. comparare alicui. *Id. Rosc. Am.* 11. 30. testes in aliquem et accusatorem comparare. *Id. Vatin.* 1. 3. Accusatores instruere et subornare. *Tac.* 12. *Ann.* 22. Crimina et accusatorem moliri. *Id.* 11. *ibid.* 12. Crimina et accusatores struere. *Id.* 4. *ibid.* 59. Accusatorem subdere — Hinc *constituere accusatorem* dicitur magistratus, vel prætor, qui accusandi jus alicui concedit. *Cic.* 1. *Verr.* 3. 10. Nunc dicendum est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore quid sequi possitis habeatis. Cf. *Quintil.* 7. 4. 33., 3. 10. 3., 11. 1. 20.

ACCŪSĀTŌRĬĒ *vel* adcusatorie, adverb. (accusatorius) accusatorio modo (It. *da accusatore*; Fr. *en accusateur*; Hisp. *en acusador*; Germ. *nach Art eines Anklägers*; Angl. *with the design, or mind, of an accuser*). *Cic.* 4. *Verr.* 72. 176. Accusatorie dicere. *Id.* 5. *Verr.* 70. 164. Agere accusatorie cum aliquo. *Liv.* 40. 12. 6. Jam illud quam accusatorie! quod etc.

ACCŪSĀTŌRĬUS *vel* adcusatorius, a, um, adject. (accusator) ad accusatorem, vel ad accusationem pertinens (It. *accusatorio*; Fr. *relatif ou propre à l'accusateur ou à l'accusation*; Hisp. *acusatorio*; Germ. *einem Ankläger geziemend, zu ihm gehörig, ihm angehörend, eines Anklagers*; Angl. *of or belonging to an accuser, or accusation, accusatory*). *Cic. Mur.* 5. 11. Accusatoria lex. *Id. Flacc.* 6. 14. Accusatorio jure et more aliquid facere. *Id. Rosc. Am.* 17. 49. Accusatorium artificium. *Id. Cluent.* 4. 11. Accusatorius animus. *Liv.* 2. 61. Semel Appius causam dixit accusatorio spiritu. *Id.* 45. 10. Vultu truci et accusatoria voce. *Quintil.* 12. 7. 3. Accusatoriam vitam vivere. *h. e.* accusationes factitare. *Id. Declam.* 15. 4. Accusatoria fraus. *Dig.* 48. 5. 17. § 1. *et alibi sæpe.* Accusatorii libelli.

ACCŪSĀTRĪX *vel* adcusatrix, īcis, f. 3. (accusator) quæ objurgat et accusat (It. *accusatrice*; Fr. *accusatrice*; Hisp. *acusadora*; Germ. *die Anschuldigerin*; Angl. *she that accuseth, a female accuser*). ¶ 1. Proprie et latiori sensu est quæ objurgat et reprehendit. *Plaut. Asin.* 3. 1. 10. Ego te volui castigare, tu mi accusatrix ades. ¶ 2. Speciatim quæ aliquem in judicio reum criminis agit. *Plin.* 10. *Ep.* 67. Ut notum accusatrici ejus facerem. *Trajanus* apud *eumd.* 10. *Ep.* 68. Libellos Furiæ Primæ accusatricis legi.

ACCŪSĀTUS *vel* adcusatus, a, um. *V.* ACCUSO.

ACCŪSĪTO *vel* adcusito, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentativum ab* accuso) magno studio magnaque vehementia accuso apud *Plaut. Most.* 3. 2. 23. Si abitus tuus tibi fecerit male, nihil erit, quod deorum ullum accusites; te ipse jure optimo merito incuses licet.

ACCŪSO *vel* adcuso, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et *obsoletum* CAVSO *a causa, unde causor*). Veteres scribebant et *accusso* teste *Cassiod.* p. 2283. *Putsch.*, necnon quibusdam antiquis MSS., qua de re cf. et *Beda de Ortograph.* p. 2327. *Putsch.*, *Pareus* in *Lexic. Crit.* et *Voss.* in *Etymol.* Falso itaque, ut hinc etiam patet, *Priscian.* 10. p. 890. *Putsch.* affirmat hoc verbum deduci a cuso, quod a *cudo.* — Part. *Accusans* et *Accusatus* 1. et 2.; *Accusaturus* et *Accusandus* 1. — Accusare autem proprie et generatim est causam rei, quæ nobis displicet, in personam aut rem aliam refundere, culpam transferre et arguere, queri (It. *incolpare, accusare*; Fr. *reprocher, accuser*; Hisp. *reprochar, acusar*; Germ. *anschuldigen, anklagen*; Angl. *to impeach, arraign, accuse*). ¶ 1. Proprie et generatim occurrit *a*) cum de personis, *b*) tum de rebus ac præsertim de abstractis. — *a*) De personis: et dicimus *accusare aliquem* absolute; *accusare aliquem aliquid*, quod Comicis usitatum, sed cum Pronominibus tantum; aut *accusare aliquem de* vel *in re aliqua*, quod sæpe apud optimos Scriptores occurrit. — *Ter. Hec.* 4. 4. 94. Meretricem hanc – oremus, accusemus gravius, denique minitemur. *Id. Andr. prol.* 18. Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant, quos hic noster auctores habet. *Id. Heaut.* 1. 1. 67. Ambo accusandi (*estis*). Adde *ibid.* 1. 1. 50. *Id. Hec.* 2. 3. 3. Quod me accusat vir nunc, sum extra noxiam. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 2. Pompejum et hortari et orare et jam liberius accusare et monere – non desistimus. *Id.* 15. *Att.* 11. 2. Accusare aliquem graviter. *et alibi sæpe. Liv.* 5. 43. Accusare deos hominesque. — *Plaut. Trin.* 1. 2. 39. Si quid scis me fecisse inscite aut improbe, si id me non accusas, tu ipse objurgandus es. *Id. Asin.* 1. 3. 21. Quid me accusas, si facio officium meum? *Ter. Hec.* 2. 2. 25. Eho, numquidnam accusat virum? *Id. Heaut.* 1. 1. 67. Ne quid accusandus sis, vide. — *Cic.* 1. *Att.* 6. 1. Non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis. *Id.* 1. *ibid.* 3. 3. Hoc ad te scripsi, quod is me accusare de te volebat. *Id.* 3. *Fam.* 11. 4. Te leniter accusans in eo, quod de me cito credidisses. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. 1. Et primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso. *Id. Sull.* 22. 63. Atque in ea re per L. Cæcilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus. — *b*) De rebus, ac præsertim de abstractis fere semper cum Accusativo, interdum sequente *quod. Plaut. Merc.* 2. 3. 85. Accusare fidem alicujus. *Id. ibid.* 3. 1. 25. operam. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 5. Me esse eum, cujus tu desperationem accusare solitus esses. *Id.* 2. *ibid.* 1. 1. Accusare officium. *Liv.* 8. 34. Pravum populi judicium nequidquam posteros accusaturos. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 246. inertiam adolescentium. *Id.* 9. *Att.* 5. Venit ad me Q. Fusius scelus accusans Pompeji. *Id. Cæl.* 12. 79. luxuriem. *Id. Planc.* 4. 9. culpam alicujus. *Nep. Lysand.* 4. 2. avaritiam alicujus perfidiamque. *Sall. Jug.* 73. mollitiem socordiamque. *Id. ibid.* 1. Ubi per socordiam vires defluxere, naturæ infirmitas accusatur. *Liv.* 36. 29. Accusare consilia alicujus. *Id.* 4. 11. negligentiam consulum. *Justin.* 2. 15. tarditatem collegarum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (22). fortunam. *et apud alios sæpe.* — *Sall. Catil.* 41. Accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset. *Cic. pro Cornel. de majest.* apud *Ascon.* p. 68. *Bait.* P. Africanus – dicitur non solum a sapientissimis hominibus, verum etiam a se ipso sæpe accusatus esse, quod – passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari. ¶ 2. Peculiariter est verbum judiciale, quod significat aliquem, præsertim criminis reum

in judicio facere, crimen ipsum exponere, argumentis et testibus probare, etc. Occurrit autem a) absolute; aut cum Accusativo personæ et b) Ablativo legis aut criminis, c) Genitivo criminis per ellipsim, d) Ablativo et præp. de, aut Accus. et præp. inter, e) sequente quod, aut Infinito. — a) Absolute. *Cic. Rosc. Am.* 5. 13. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. *Id. ibid.* 32. Ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. *Quintil.* 5. 13. 3. Tanto est accusare quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera facilius. — Cum Accusativo personæ et b) Ablativo legis aut criminis. *Ascon. ad Milon. p.* 54. *Baft.* Post Milonem eadem lege Pompeja primus est accusatus M. Saufejus. *Quintil.* 3. 6. 19. lege theatrali. *Cic.* 3. *Verr.* 16. 43. Suis eum certis propriisque criminibus accusabo. *Nep. Lysand.* 3. 3. et *Epam.* 8. 1. Accusatus hoc crimine. *Id. Milt.* 8. 1. Pario crimine. *Id. Alcib.* 4. 1. invidiæ crimine. *Val. Max.* 4. 2. 5. incesti crimine. *Liv. epit.* 47. extra. avaritiæ nomine. — c) Cum Genitivo per ellipsim, subaudiendum enim *crimine*. *Plaut. Amph.* 3. 1. 10. Accusare aliquem probri. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 27. et *Nep. Pausan.* 2. 6. capitis. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 68. rei capitalis. *Cluent.* 41. 114. *et alibi:* ambitus. *Nep. Milt.* 7. 5. et *Timoth.* 3. 5. proditionis. *Id. Trasyb.* 3. 2. ante actarum rerum. *Seneca rhet. suas.* 2. *p.* 22. *Bip.* reipublicæ læsæ. *Quintil.* 4. 2. 30. malæ tractationis. *et apud alios sæpe.* — d) Cum Ablat. et præp. *de*, aut cum Accus. et præp. *inter*. *Cic. Cluent.* 41. 114. Accusare aliquem de pecuniis repetundis. *Id. Rosc. Am.* 32. 90. Sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant. — e) Sequente *quod*, aut Infinito. *Nep. Lysand.* 3. 3. Legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset. *Tac.* 14. *Ann.* 18. Motus Senatu et Pedius Blæsus, accusantibus Cyrenensibus, violatum ab eo thesaurum Æsculapii, delectumque militarem pretio et ambitione corruptum. ¶ 3. Item peculiariter *accusandi casus* apud *Varr.* est ACCUSATIVUS, quam vocem vide.

Homonym. *Causari* differt a compositis *accusare* et *incusare*: *causatur* enim qui alium cujuscumque rei vel facti causam appellat; *accusat* et *incusat* qui culpam notat et mores arguit. — Inter *accusare* autem et *incusare* hoc discrimen interesse affirmat *Servius* in *Virg.* 1. *Æn.* 410. Incusare proprie est superiorem arguere; ut in *Terentio* pater ad filium (*Heaut* 2. 7.): Quid me incusas, Clitipho? Accusare vero vel parem, vel inferiorem; ut in eodem ad maritum uxor (*Hecyr.* 2. 18.): Me miseram, quæ nunc quam ob causam accuses nescio. Et hoc proprietatis est, etsi usus corrumpat. Hoc tamen propositum a *Servio* discrimen neque optimi Scriptores servarunt, ut patet ex *Plauti* loco, quem retulimus in v. ACCUSITO, ex *Liv.* 9. 11. 5. aliisque sexcentis: ita ut *accusare* et *incusare*, si propria et latiori significatione accipiantur, inter se minime differant. Hinc recte *Forcellinus*: Inter *accusare* et *incusare* hoc tantum interest, quod *incuso* non solet in judiciis adhiberi, sicut *accuso*: ceterum id omnino significant. — Denique inter *postulo*, *defero* et *accuso* hoc interest, quod *postulare* est petere, ut accusare aliquem liceat; *deferre* est ejus nomen denunciare; *accusare* est crimen exponere et probare, ut dictum est.

ACEDARIA. *V.* ACETARIA.

ĂCĒDĬA, æ. *V.* vocem seq.

ĂCĒDĬOR, āris, ari, dep. 1. (ἀκηδιάω, ab α privativo et κῆδος *cura*; unde ἀκηδία, quæ vox Græcis litteris legitur apud *Cic.* 12. *Att.* 45. 2., ac teste cl. *Maio* in *Glossar. nov. Latinit.* p. 1. Latinis litteris occurrit apud *Hieronym.*, in cujus tamen operibus nondum invenimus; extat in *Expulsis*) ægre fero, morosus sum (It. *sopportare con impazienza, essere disanimato*; Fr. *souffrir impatiemment, être insouciant*; Hisp. *sufrir impacientemente, estar amohinado*; Germ. *mürrisch über etwas sein*; Angl. *to grieve, be afflicted or sad*). *Vulgat. Interpr. Eccli.* 6. 26. Ne acedieris vinculis ejus. *Et ibid.* 22. 16. Non acediaberis in stultitia.

ACEDON. *V.* ACERUS.

ĂCENTĒTUS, a, um, adject. Græca vox ἀκέντητος, hoc est sine punctis, aut puncturis (*V.* IMPUNCTUS), ab α privativo et κεντητός, punctus, seu punctis distinctus. Occurrit tantum de vasis crystallinis, quæ sine centris sint (*V.* CENTRUM; et infra *Plinii* verba): et vulgare fuisse vocabulum confirmant quæ citantur loca. *Fronto de fer. Als.* 3. Calicem vero sine delatoria nota cum dico, sine puncto dico. Neque enim me decet, volgi verbis Falernum vinum aut calicem acentetum appellare. — Hinc etiam absolute *acenteta, orum*, n., *h. e.* vasa. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (28). Infestantur crystalli plurimis vitiis; scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, præduro fragilique centro, item sale appellato. Quæ vero sine vitio sunt, puras esse malunt, acenteta appellantes.

ĂCĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (De etymologia et translatione V. *ācer*). De Perfecto hujus verbi v. *Diomed.* p. 369. *Putsch.* — Acere autem est acidum esse (It. *essere acetoso*; Fr. *aigrir*; Hisp. *avinagrarse*; Germ. *sauer sein*; Angl. *to be tart, sour, or acrid*). ¶ 1. Fere de vino dicitur. *Cato R. R.* 148. Vinum, quod neque aceat, neque muceat. *Ulp. Dig.* 18. 1. 9. Eadem prope causa est, si modo vinum acuit. Ceterum si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit, etc. ¶ 2. Translate est displicere. *Sidon.* 7. *Ep.* 6. *a med.* Tantum ori, tantum pectori suo catholici mentio nominis acet, ut etc.

ĂCĔPHĂLOS vel acephalus, i, adject. (ἀκέφαλος ab α privativo et κεφαλή caput, *h. e.* sine capite). Ponitur fere de versu, cui prima syllaba demitur. *Terent. Maur. p.* 2437. *Putsch.*, *v.* 2419. *Lennep.* Sed et trimetrus, ut quadratus hic potest Acephalos esse, prima quando demitur. Et *paullo post ibid.*, *v.* 2428. *Lennep.* Acephalus ergo, sed trimetrus factus est. Et *p.* 2435. *Putsch.*, *v.* 2438. *Lennep.* Verum a magistris versus iste dicitur Acephalus, item qui trochaicus quoque. Et *p.* 2348. *Putsch.*, *v.* 2459. *Lennep.* Et hic dimetrus non minus Ut ille, acephalus esse, vel claudus potest. — *NB.* Acephali dicti sunt etiam quidam hæretici, de quibus *V.* ONOM.

ĂCER, ĕris, n. 3. *Servius* etiam femin. gen. et secundæ declin. hoc nomen protulit, teste *Priscian.* 6. *p.* 698. *Putsch.* Hæc acer arbor, acri, (*h. e.* Genit.) dicit Servius in commento Virgilii, cum nullum in *er* femininum secundæ inveniatur declinationis. *Hunc tamen Servii locum in vulgatis Editt. nondum invenimus.* Falso affirmat *Freund*, hujus nominis usurpari Nom. et Gen. sing. tantum: *aceri* enim Dat. occurrit apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (69)., et *acere* Abl. *ibid.* 33. 11. 52. (146). — Etymologia nominis est omnino ignota. — Acer autem est arbor ejusdem fere amplitudinis cum tilia, operum elegantia ac subtilitate cedro secunda (It. *acero*; Fr. *érable*; Hisp. *acer*; Germ. *der Ahornbaum*; Angl. *a maple-tree*). Ejus plura genera recenset *Plin.* 16. *Hist. nat.* 15. 26. (66). et *seqq.*; quæ singula tamen nunc nequeunt definiri, quemadmodum ait vir clar. *A. L. A. Fée, Commentaires sur la Botanique et la Matière Médicale de Pline. T.* 1. p. 329. ad h. loc. (Hæc tamen ipse *Fée* conjecturâ proponit: Acer album, quod præcipui candoris vocatur Gallicum *Plin.* est A. pseudo-platanus *L.*, A. montanum candidum *C. Bauhin* cui speciei videtur adscribendum etiam Acer montanum vero crispius duriusque *Plin.*: Acer crassivenium *Plin.* est κλινότροχον *Teoph.* 3. 4., 6. 10.: Acer campestre, candidum quod glinon Græci vocant *Plin.* est A. monspessulanum *et* A. tribolum *L.*: Acer tertium, genus zygia dictum *et* Carpinus acer *Plin.* est Carpinus *Vitruv.* 2. 9. et C. Betulus *L.*). *Plin. l. c.* memorat præterea aliud aceris genus crispo macularum discursu, qui cum excellentior fuit a similitudine caudæ pavonum nomen accepit. Hinc *Ovid.* 10. *Met.* 95. Et platanus genialis, acerque coloribus impar. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 84. (231). Quæ in laminas secantur quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, etc. — Magni autem pretii habita apud Romanos et luxuriæ testimonium fuisse opera acere operta, affirmat *id. Plin.* 33. 11. 52. (146). Fenestella – ait (*triclinia*) ante se autem paullo lignea, rotunda – fuisse, se quidem puero quadrata et compacta aut acere operta aut citro cœpisse. — Denique ex acere scriptoriæ quoque tabellæ conficiebantur, teste *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 28. Veneri fidas sibi Naso ministras Dedicat: at nuper vile fuistis acer.

ĀCER, cris, cre, adject. (Radix est syllaba AC cum apud Græcos, tum apud Latinos, unde ἀκή, ἀκίς, ἄκρος, etc., *acus, acuo, acies, aceo, acidus* et alia quamplurima: cf. et sanscr. aç et *anç* quæ significant *penetrare*). Apud veteres reperitur etiam *acer* masc. et fem., *acre* n.: hinc *Nævius* apud *Priscian.* 5. p. 647. Acer fames. *Ennius* apud eumd. *l. c.* et apud *Servium* ad 6. *Æn.* 685. Acer hiems. Item occurrit *acris* masc. et fem., *acre* n.: ut in *Ennio* apud *Priscian. l. c.* Somnus acris. Denique in vulgari sermone etiam *acer, acra, acrum* usurpabatur, præsertim de liquidis acidis. *Pallad.* 9. 5. 3. Si ex nimis acra dulcem fieri velis. *Plin. Valer.* 2. 45. Teres diligenter cum pipere, ita ut acrum sit. Adde *Veget. Veter.* 2. 7. 1. et 4. 28. 16.; necnon in sublimi etiam stilo *Cn. Matium* apud *Charis.* 1. p. 93. *Putsch.*, qui *acrum* pro *acre* dixit. *Acra* in plurali numero neutro genere putant quidam dixisse *Plaut. Bacch.* 4. 3. 15.; sed ibi *acria* omnino legendum est cum plerisque optimis codicibus. Sic et superlativum *acrissimus* legitur a quibusdam in *Cod. Theod.* 5. 5. 4., ubi tamen alii rectius *acerrimus*: certa tamen lectione occurrit apud *Pelagon. Veter.* 16. 9. Acrissimum acetum. — Comp. *Acrior* et Sup. *Acerrimus* in omnibus ferme paragraphis sub II. — Acer autem proprie de ferro similive instrumento dicitur, quod in acutum desinit, quod aciem habet, pungit, penetrat (It. *acuto, terminato in punta*; Fr. *pointu, aigu*; Hisp. *puntiagudo, agudo*; Germ. *scharf*; Angl. *sharp-edged, pointed*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Lucilius* apud *Non. p.* 261. 6. *Merc.* Acribus inter se cum armis confligere sentit. *Tac. Germ.* 6. Hastas – gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili etc. — Huc referri etiam possunt illa *Horat.* 2. *Sat.* 7. 94. Urget enim dominus mentem non lenis et acres Subjectat lasso stimulos versatque negantem. *Lucan.* 3. 323. Acres irarum movit stimulos. *In quibus tamen potius quam stimulorum acies, eorumdem effectus animo advertendus subjicitur.* Hinc

II.) Translate pungendi ac penetrandi effectum significat, et latissimos habet usus; quos ad summa capita redigendos putamus. Generatim itaque transfertur *A*) ad res præsertim physicas, quæ quocumque modo pungunt, mordent, exstimulant, percellunt sensus, aut etiam animos; *B*) ad hominum facultates, quæ magna perspicacitatis vi præditæ res penitus perspiciunt ac percipiunt; *C*) ad omnia denique præsertim abstracta, quæ maxima fiunt vi atque intentione.

A) Transfertur ad omnia, quæ pungunt, mordent, exstimulant, percellunt: ut sunt ¶ 1. Quinque corporis sensus. — a) De iis, quæ gustum afficiunt. *Vitruv.* 8. 3. 18. Acer et acidus succus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 59. Humores nimis acres. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 117. acetum. *Cels.* 4. 4. 3. Acetum quam acerrimum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (39). Mel ex dulci acre (*V.* MEL.). *Horat.* 2. *Sat.* 8. 7. acria circum Rapula, lactucæ, radices; qualia lassum Pervellunt stomachum. *Varro* apud *Non. p.* 201. 13. *Merc.* Acria, ut est sinapi, cepa, allium. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 7. (22). Acre gustatu – mordensque vehementer et accendens. *Id.* 19. *ibid.* 8. 54. (170). Acerrimum sapore sinapi. *Plin.* 7. *Ep.* 3. Dulcibus ibis acres acutosque miscere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 27. 32. (106). Sapor austerus, acer, acutus, acidus, salsus. *Id.* 27. *ibid.* 13. 100. (133). Acer gustus. *Id.* 19. *ibid.* 5. 26. (85). Raphanos crudos medici suadent ad colligenda acria viscerum. *h. e.* acres humores. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 59. lactuca innatat acri Post vinum stomacho. *h. e.* acoris pleno. — b) De iis quæ olfactum afficiunt. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 99. Unguenta – summa et acerrima suavitate condita. *Lucret.* 6. 791. (792). exstinctum lumen, ubi acri Nidore offendit nares. *Id.* 4. 121. de corpore odorem Exspirant acrem. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 40. (80). Odor acer. Et 15. 28. 33. (110). acerrimus. — c) De iis quæ auditum afficiunt. *Lucret.* 3. 967. (966). voce increpet acri. *Quintil.* 11. 3. 162. Acrior vox. *Virg.* 4. *G.* 409. sonitus. *Sil. It.* 4. 96. hinnitus equorum. *Id.* 9. 362. clamor. *Horat.* 1. *Od.* 12. 1. Acris tibia. Adde *Quintil.* 8. 2. 9. — d) De iis quæ visum afficiunt. *Lucret.* 4. 329. (330). Præterea splendor, quicumque est acer, adurit Sæpe oculos. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 14. Quidam colores ruboris acerrimi, quidam evanidæ ac levis flammæ. — e) De iis quæ tactum afficiunt. *Lucret.* 4. 260. (259). Acre ferit frigus. *Horat.* 1. *Od.* 4. 1. Acris hiems. Cf. *Ennium* super. cit. *Lucret.* 3. 20. nix acri concreta pruina. *Id.* 5. 904. flamma. *Varro* apud *Non.* p. 140. 16. *Merc.* ignis. *Ovid.* 13. *Met.* 867. et *Colum.* 12. *R. R.* 19. Acrior ignis. *Tac.* 2. *Hist.* 86. Acerrima fax. *Lucret.* 6. 850. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 8. 10. (77). sol. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 125. Acrior sol. *Cic.* 2. *Nat. D.* 11. 31. Ardor acerrimus. *Virg.* 1.

G. 93. acrior potentia solis. Rutil. Itin. 1. 483. Phœbus. ¶ 2. Ponitur etiam de medicamentis, quorum acuta est virtus. Scribon. Comp. 20. Collyrium acrius. Id. Comp. 38. Medicamentum acerrimum. Adde Cæl. Aurel. 2. Acut. 29. Lucret. 4. 641. venenum. ¶ 3. Item de corporis affectionibus, quæ pungunt, mordent, pervellunt maxima vi. Nævius l. sup. cit. Fames acer. Tibull. 1. 3. 77. Sitis acris. Ennius l. sup. cit. somnus. Plaut. Men. 5. 2. 121. morbus. Lucret. 6. 659. dolor. Cic. 5. Tusc. 9. 26. Acerrimi dolores. ¶ 4. Item de animi præsertim affectionibus, quæ magnopere angunt. Accius apud Non. p. 2. 22. Merc. Senium multo acerrimum. Horat. 1. Od. 29. 2. Acris militia. Lucret. 6. 1210. (1209). Usque adeo mortis metus his invaserat acer. Varro apud Non. p. 240. 33. Merc. curæ. Horat. 1. Sat. 3. 60. invidia. Tac. 15. Ann. 68. Acris memoria. h. e. propter malorum recordationem.

B) Transfertur ad hominum aut etiam ceterorum animalium facultates, quæ magna agendi vi præditæ sint, ac propterea singulas quoque res penitus perspiciant ac percipiant: et quidem ¶ 1. Peculiariter ponitur a) de visus ac b) de intellectus facultate. — a) De visus facultate. Cic. 2. Orat. 87. 357. Acerrimus sensus videndi. Plin. 8. Hist. nat. 25. 38. (94). Visus acerrimus. Quintil. 11. 2. 34. Acrior est oculorum, quam aurium sensus. Cic. Planc. 27. 66. et Plin. 7. Ep. 21. 4. Oculi acres — atque acuti. Quintil. 2. 10. 6. Acrioribus oculis intueri aliquid. — b) De intellectus facultate, quæ magna polleat perspicacitatis vi. Cic. 3. Orat. 31. 124. Neque tam est acris acies in naturis hominum et ingeniis, ut res tantas quisquam nisi monstratas possit videre. Plin. 3. Ep. 5. Acre ingenium. Cic. 3. Orat. 31. 124. Acri vir ingenio. Id. 2. Nat. D. 6. 16. Acerrimo ingenio vir. Lucret. 1. 69. Acris virtus animi. Tac. 2. Hist. 76. Mens acerrima. Cic. 2. Orat. 87. 357. Acris memoria. h. e. firma, tenax. Id. Flacc. 51. 103. Multo acrior memoria. Id. 3. Orat. 47. 181. Aurium mensura, quod est acrius judicium et certius. h. e. magis acutum. Lucret. 2. 1039. (1041). Sed magis acri judicio perpende. Quintil. 8. 3. 24. Acerrimi judicii (Virgilius). Ovid. 7. Met. 406. naribus acres, — canes. ¶ 2. Sæpissime de homine ponitur, qui magna intellectus vi, cura, diligentia, perspicacitate ac virtute aliquid agit: cui lucem afferunt verba Cic. Orat. 51. 172. Sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior Aristotele fuit? — Interdum tamen occurrit et de ceteris animalibus. Usurpatur a) absolute; b) cum Ablat. et præp. in, aut etiam omissa præp.; c) raro cum Dativo; d) cum Accus. et præp. ad; e) cum Genitivo; f) cum Infinito. — a) Absolute. Plin. 3. Ep. 21. Erat homo ingeniosus, acutus, acer. Quintil. 1. 4. 25. Præceptor acer et subtilis. Cic. 4. Att. 3. 3. Tum — Q. Flaccus eduxit viros acres. Id. 2. Cat. 10. 21. Milites acres. Id. Brut. 35. 135. Q. Cæpio vir acer et fortis. Nep. Alcib. 5. Vir acerrimus investigator alicujus rei. Id. Brut. 72. 252. Acerrimus existimator. Id. 1. Att. 10. Acer amator. Id. 4. Acad. (pr. 2.) 4. 12. Adversarius minus acer. Id. Brut. 36. 136. Accusatores acres atque acerbi. Id. Brut. 5. 18. Flagitator assiduus et acer. Horat. 2. Sat. 8. 30. Acres potores. Tac. 1. Hist. 51. Instigatrix acerrima. Cic. 1. Fam. 1. 2. Acerrimus defensor. Id. 10. Fam. 28. 1. Civis acerrimus. h. e. patriæ amantissimus et actuosus. Plaut. Trin. 3. 2. 97. Fugitor acer. Virg. 2. G. 405. acer curas venientem extendit in annum Rusticus. Id. 8. Æn. 614. Acer Turnus. Liv. 37. 7. Sempronius — longe tum acerrimus juvenis. Virg. 4. Æn. 156. Acer equus. — b) Cum Ablat. et præp. in, aut omissa præp. Cælius apud Cic. 8. Fam. 15. 1. Ecquem (vidisti) Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis? Cic. Brut. 22. 86. In dicendo acrior. Virg. 12. Æn. 938. acer in armis. Virg. 10. Æn. 411. bellis acer Halesus. Vellej. 2. 18. Mithridates bello acerrimus. Virg. 3. G. 8. Acer equis. Id. 9. Æn. 176. Nisus acerrimus armis. — c) Cum Dat. Tac. 4. Hist. 1. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares. — d) Cum Accus. et præp. ad. Cic. 3. Orat. 24. 90. Homo ad perdiscendum acerrimus. — e) Cum Genit. Vellej. 1. 3. Acer belli juvenis. Tac. 2. Hist. 5. Vespasianus acer militiæ. — f) Cum Infin. Sil. It. 3. 338. juga Pyrenes venatibus acer Metiri. ¶ 3. Cum de homine, aut de alio animali ponitur est interdum severus, rigidus. Plaut. Merc. 4. 4. 86. Uxor acerrima. Id. Men. 4. 230. Testes acerrimi. Ter. Phorm. 2. 1. 32. Nunc suà culpà sciat lenem patrem illum factum me esse acerrimum. Lucret. 6. 63. Domini acres. Cic. 1. Off. 46. 146. Acres et diligentes — animadversores vitiorum. Virg. 3. Æn. 14. Lycurgus. Quintil. 11. 3. 178. senex. Horat. 1. Od. 2. 39. Vultus acer in hostem. — Cic. Rosc. Am. 20. 56. Canes acres. Nep. Eum. 11. 1. Acerrimus leo. Horat. Epod. 2. 31. apri.

C) Transfertur denique ad omnia præsertim abstracta, quæ maxima fiunt vehementia atque intentione. Ter. Phorm. 2. 2. 32. Prima coitio est acerrima. Cic. Balb. 6. 14. Bellum acerrimum et maximum. Tac. 12. Ann. 40. Acre prœlium. Id. 4. Hist. 6. Jurgium acre inter Helvidium et Eprium. Lucret. 6. 127. (128). impetus. Ovid. 11. Met. 402. cædes. Cic. Arch. 11. 28. Amor gloriæ nimis acer. Id. 12. Phil. 3. 7. Acerrima et fortissima populi Rom. libertatis recuperandæ cupiditas. Id. 2. Orat. 43. 183. Incitatio acris et vehemens. Id. 3. Orat. 27. 106. incusatio vitiorum. Id. Rosc. Am. 5. 11. Judicia acria et severa. Id. 1. Cat. 1. 3. Acriora supplicia. Tac. 11. Ann. 29. Acriora consilia. quibus opponuntur cauta. Hirtius apud Cic. 15. Att. 6. 3. Acerrima consilia. quibus opponuntur inertissima. Cic. 3. Orat. 48. 184. Acris cura diligentiaque. Id. 1. ibid. 21. 95. Studium acrius. Cic. Sull. 18. 52. Nox conjurationis acerrima atque acerbissima. Id. 3. Orat. 5. 17. Cogitatio acerrima atque attentissima. Lucret. 3. 65. Acris egestas. Id. 6. 71. (72). pœnæ. Virg. 3. G. 141. Acris fuga. Lucret. 3. 312. iræ. Curt. 6. 5. 32. Acrior ad Venerem feminæ cupido, quam regis. Sil. It. 3. 92. Labor acrior. Plin. 18. Hist. nat. 26. 65. (238). Intentio acris. Plin. 2. Ep. 10. Silentium acre et intentum. Tac. 1. Ann. 5. custodiæ. Id. 4. ibid. 6. annona. h. e. auctum frumenti pretium. Id. 11. ibid. 4. favor plebis acrior in Domitium. Id. 2. ibid. 43. Ministerium acerrimum. Id. 3. Hist. 51. Acrior pœnitentia. Id. 6. Ann. 48. Servitium acrius. Id. 3. Ann. 28. Acriora vincula. Virg. 7. Æn. 164. et 9. 665. Arcus acres. h. e. maxime intenti ac propterea magna vi percellentes. Horat. 2. Sat. 6. 69. Acria pocula. h. e. ex quibus plurimum vini hauritur. Cf. 2. Sat. 8. 36. Acres potores.

Acre adverbii more pro *acriter* interdum occurrit. Sallust. apud Non. p. 132. 25. Merc. Omnes, ut in secunda re, pariter acre invadunt. Pers. 4. 34. acre Despuat in mores. Apul. 10. Met. 32. Nunc mite connivere, nunc acre comminari. Capell. 7. p. 236. Et vulsa pellis acre Laceros trahat capillos.

Homonym. *Acer* et *acutus* si proprie accipiantur, inter se minime differre videntur: legitur enim ferrum acre et ferrum acutum eodem sensu. — Si vero de saporibus agitur, *acutus* sapor aut cibus ab *acri* differre in eo videtur, quod *acutus* sit qui facile sentitur et altius palatum afficit, *acer* autem præterea addat salsitudinem quamdam et acorem linguam vellicantem. — In quo autem differant *acer* et *alacer* V. ALACER in fine.

ĂCĔRĀTUS, a, um, Particip. perf. pass. ab obsoleto *acero* (Gloss. Lab. acero ἀχυρόω), quod ab acus, eris; et est paleis mixtus. Paul. Diac. p. 20. 10. Müll. Aceratum lutum cum paleis mixtum (Græce πηλὸς ἠχυρωμένος, de cujus usu V. Müller., Comment. de mnemim. Athen. p. 47.) Paul. Diac. p. 187. 7. Lutum aceratum paleis mixtum. Non. p. 445. 13. Merc. Acerosum et Aceratum, utrumque nove positum, sed distanti proprietate signatum. — Aceratum vero est lutum paleis mixtum, ut laterariis usus est.

ĂCĔRĀTUS, a, um, adject. Hæc occurrunt apud Plin. 30. Hist. nat. 6. 15. (46). Præterea sunt (cochleæ), quæ aceratoe vocantur, latæ, multifariam nascentes etc. Lege aceratæ. Nonnullis sic dictæ videntur, quod lineolis distinctam testam, tamquam paleis habeant (V. supr. ĂCĔRĀTUS); Harduinus ducit a Græco ἀκήρατος, quod est integer, perfectus; Dalechampius ab ἀκέρατος, h. e. cornibus carens, quia nullis seu parvis cornibus præditæ sint, cui recentiores Interpp. assentiuntur.

ĂCERBĀTĬO, ōnis, f. 3. (acerbo) acerbandi actus, quo scilicet aliquis crimen exaggerando amplificandoque gravius et majus facit. V. ACERBO 2. Cyprian. Ep. 42. circa med. Ea quæ ex diverso in librum ad nos transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, respuimus.

ĂCERBĀTUS, a, um. V. ACERBO.

ĂCERBĒ, adverb. (acerbus). Comp. *Acerbius* et Sup. *Acerbissime*. Est autem dure, severe, aspere, violenter, ita ut dolorem afferat (It. *acerbamente*, *aspramente*; Fr. *d'une manière âpre, acerbe, amère*; Hisp. *acerbamente*, *asperamente*; Germ. *auf eine herbe, harte, strenge, Schmerz verursachende Weise*; Angl. *sharply*, *severely*, *bitterly*, *harshly*). Usurpatur a) cum active, b) tum passive. — a) Active. Cic. 3. Off. 31. 112. Acerbe severus in filium. Id. 1. Fam. 5. B. 1. Aspere et acerbe nimium accusare. Id. Amic. 16. 57. Acerbius invehi in aliquem. Tac. 2. Ann. 87. Acerbe increpare aliquem. Cæs. 1. B. C. 2. Acerbissime crudelissimeque dicere. Id. ibid. 5. Gravissime acerbissimeque defendere. Sueton. Cæs. 75. Acerbe loqui. Cic. 2. Nat. D. 33. 82. Acerbe nocere aliquem. Id. 4. Verr. 19. 46. diripere bona. Id. 1. Phil. 5. 11. cogere in senatum. Id. 1. Tusc. 39. 93. aliquid exigere ab aliquo. Sueton. Calig. 43. Delectus acerbissime agere. Id. Domit. 12. Acerbe fiscum agere. Id. Ner. 34. exquirere aliquid. Id. Vitell. 7. Acerbius debitum reposcere. Id. Aug. 27. proscriptionem exercere. Dig. 43. 30. 1. § 5. Acerbe patriam potestatem exercere. Plin. 9. Ep. 12. Acerbius duriusque aliquem tractare. Quintil. 1. 1. 20. instare. Cic. Planc. 35. 86. Vox — acerbissime personabat. — b) Passive est acri cum dolore atque invito animo. Cic. Planc. 1. 1. Acerbe ferre aliquid. Id. 1. Verr. 2. 4. Graviter et acerbe ferre. Auctor B. Hispan. 30. 4. Moleste et acerbe accipere aliquid. Cic. 11. Att. 1. 1. Acerbius afflictari.

ĂCERBĬTAS, ātis, f. 3. (acerbus) proprie est austeritas asperitasque saporis in fructibus immaturis (It. *acerbezza*; Fr. *âpreté*, *verdeur*, *âcreté*; Hisp. *acerbidad*; Germ. *Schärfe*, *Bitterkeit*, *Herbeit einer Sache*; Angl. *sharpness*, *harshness or bitterness of taste*). In quo acerbitas differat ab austeritate et amaritudine V. ACERBUS Homonym. in fine.

I.) Proprie. Cf. ACERBUS I. a. Plin. 15. Hist. nat. 14. 15. (52). de coloneis silvestribus. Peculiare improbatis acerbitatis convicium. Pallad. 2. R. R. 9. 12. de uvis. Nec parvo constabit, si legatur maturitas cum acerbitate. Cic. Planc. 38. 92. Fructus non lætos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem. — A sapore ad odorem transtulit Ammian. 23. 6. Halitus letalis exsurgens — odore gravi — terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecisset.

II.) Translate generatim est molestia, amaritudo, durities et acrimonia cujuscumque rei animum ægre afficientis: peculiariter autem ¶ 1. Est verborum et sententiarum asperitas atque acrimonia. Cf. ACERBUS III. 1. Cic. Amic. 24. 89. Primum ut monitio — acerbitate careat. Id. 1. Off. 25. 87. Illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio. Id. 4. Fin. 28. 127. Nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit. Id. 1. Off. 25. 87. Sine acerbitate dissensio. Id. Rab. perd. 5. 15. Verborum et suppliciorum acerbitates. Liv. 42. 40. Acerbitas orationis. Quintil. 10. 1. 94. de Lucilio: In eo libertas atque inde acerbitas et abundantia salis. Et ibid. § 96. Cujus (jambi) acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio. Et ibid. § 117. Acerbitas mira. h. e. amari satyrarum sales. ¶ 2. Item in hominibus est nimia morum duritia, pertinacia, severitas, quibus opponuntur morum suavitas, lenitas, comitas. Cic. Senect. 18. 65. Ut enim non omne vinum, sic non omnis ætas naturæ vetustate coacescit: severitatem in senectute probo et eam, sicut alia, modicam, acerbitatem nullo modo. 12. Phil. 11. 26. Cujus acerbitas morum immanitasque naturæ ne vino quidem permixta temperari solet. Id. 1. ad Q. fr. 1. 13. § 37. Acerbitas naturæ. Et ibid. mox § 39. Si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas; sin autem exorabiles, summa lenitas; quæ tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda est. Sueton. Tib. 51. Acerbitas et intolerantia morum. Cic. 3. Tusc. 26. 63. Acerbitas animi. ¶ 3. Item peculiariter nimia in aliis tractandis asperitas. Sueton. Cæs. 12. Ut ad populum provocanti nihil æque, ac judicis acerbitas profuerit. Cic. 4. Fam. 4. 3. Accusata acerbitas Marcelli —, laudata æquitas tua. Cæs. 1. B. C. 32. Acerbitas inimicorum. Cic. Cluent. 55. 151. Acerbitas proscriptionis. Nep. Dion. 6. 5. Invidiam non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere. Id. Cim. 2. 4. Acerbitas imperii. Liv. 7. 5. 7. Acerbitas patria (in filium). Sueton. Ner. 44. Aliquid ingenti fastidio et acerbitate exigere. Cod. Theod. 1. 11. 35. Acerbitas exactionis. Tac. 13. Ann. 50. Novæ acerbitates. ¶ 4. Hinc quodammodo passive est etiam irritati animi affectio. Cic. 6. Verr. 30.

68. Odio atque acerbitati alicui esse. *Id. Amic.* 23. 87. Virus acerbitatis suæ apud aliquem evomere. *Sueton. Tib.* 67. Quanta se – acerbitas et infamia maneret. ¶ 5. Est acris dolor, ægritudo, quæ ex adversis oriuntur. *Cic.* 5. *Fam.* 16. 1. Acerbitas luctus summi. *Id. Dom.* 17. 43. Sullani temporis. *Nep. Alcib.* 6. 3. pristini temporis. *Cic. Sext.* 38. 83. mortis. ¶ 6. Absolute denique est etiam calamitas, quia scilicet gravem animo ægritudinem affert. *Cic. Planc.* 42. 101. Lacrimas –, quas tu in meis acerbitatibus effudisti. *Id.* 4. *Catil.* 1. 1. Ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem. *Tac.* 2. *Ann.* 71. Acerbitatibus dilaceratus.

ĂCERBĬTŪDO, inis, f. 3. idem ac acerbitas, sed videtur perrari usus vocabulum. *Gell.* 13. 3. Sicut autem nihil quidquam interest, suavitudo dicas an suavitas, sanctitudo an sanctitas, acerbitudo an acerbitas etc.

ĂCERBO, as, are, a. 1. (acerbus). Præter secundam et tertiam personam præsentis temporis, nullam aliam adhuc invenimus: quod etiam *Servius* adnotavit ad *Virg.* 11. *Æn.* 407., ubi *Pierius* testatur, se in quibusdam codicibus *acervat* legisse, trita mutatione *b* in *v*. Sed tamen Part. *Acerbatus* apud *Tertull.* v. infra 1.; *Acerbans* ibid. — Acerbare est acerbum facere significatione translata (It. *inacerbare, inasprire*; Fr. *rendre âpre, amer, aigrir*; Hisp. *acerbar, exasperar*; Germ. *verbittern, herber, schlimmer oder ärger machen*; Angl. *to embitter, enrage, exasperate*). ¶ 1. Est acerbum reddere, exasperare. *Sil. It.* 6. 117. Cetera acerbantem questu lenire laborans. *Stat.* 12. *Theb.* 75. venientia qui nunc Gaudia et ingratum regni mihi munus acerbas. *Val. Flacc.* 6. 655. mortemque cadentis acerbat. *Claudian.* 1. *Rufin.* 182. stimulando vulnus acerbat. *Tertull. Apolog.* 50. Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata. ¶ 2. Hinc *acerbare crimen* vel *scelus* est exaggerando amplificandoque majus graviusque facere. *Virg.* 11. *Æn.* 407. formidine crimen acerbat. *Stat.* 3. *Theb.* 214. multumque nefas Etheoclis acerbat, Crudelem infandumque vocans. *Claudian.* 2. *Rapt. Proserp.* 208. crimenque feri raptoris acerbat.

ĂCERBUS, a, um, adject., quod ab *ăcer* additâ syllabâ, unde accentu in penultimam translato a brevis prolata est. Comp. *Acerbior* III. 2., Sup. *Acerbissimus* in omnibus ferme paragraphis. — Propria juxta etymon significatione nunquam occurrit, sed tantum translata, quæ tamen perinde ac propria habetur, et generatim est acrimoniam habens, asper, pungens, mordax, pervellens (It. *acerbo, mordace*; Fr. *acerbe, âpre*; Hisp. *acerbo, aspero*; Germ. *herb*; Angl. *harsh, pungent, sour*). Plurimi sunt hujus vocis usus, qui tamen satis commode ad tres præcipue redigi possunt: I. itaque acerbæ res sunt quæ acrimonia præditæ sensus ac præsertim gustum mordent, pungunt, pervellunt; II. quoniam vero gustui acerba sunt quæ immatura, ita acerbus est etiam immaturus, sive quod nondum ad suam perfectionem pervenit; III. quoniam res quomodocumque acerbæ dolore ac molestia sensus afficiunt, ita acerbus est etiam molestus, gravis, durus, asper.

I.) Acerbæ res sunt quæ sensus mordent, pungunt, pervellunt. Peculiariter autem — *a*) Acerbum est quod gustu asperum est, quod sapore vehementer astringente præditum est, linguamque gustatam contrahit et exsiccat. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 27. 32. (106). Interim quæ sunt communia et pomis omnibusque succis, saporum genera XIII reperiuntur: dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus etc. *Lucret.* 2. 471. Neptuni corpus acerbum. *h. e.* maris aqua amara, salsa. *Cato R. R.* 65. Quam acerbissimâ oleâ oleum facies, tam oleum optimum erit. Domino de matura olea oleum fieri maxime expediet. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (21). Oleum quam acerbissima oliva optimum fieri. *Id.* 27. *ibid.* 9. 50. (74). Elatine – acerba gustu. — *b*) De iis, quæ visum afficiunt. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 17. Vultus acerbi. *Cf. in fine* Acerba tuens. — *c*) De iis, quæ auditum afficiunt. *Lucret.* 2. 410. serræ stridentis acerbum Horrorem. *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Vox acerbissima. *Val. Max.* 8. 7. ext. 1. Propter nimiam exilitatem acerba auditu vox. *Seneca Ep.* 56. 5. Audire pausarium voce acerbissima remigibus modos dantem. Et ibid. 6. Sibili et acerbissimæ respirationes. *V.* Homonym. in fine. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 28. (90). Stellio – stridoris acerbi. — *d*) De iis, quæ tactum afficiunt. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 53. Acerbum frigus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (84). Acerbior hujus (*phalangii*), quam vespæ ictus.

II.) Quoniam ea præcipue gustatu acerba quæ immatura, generatim acerbus sumitur pro omni eo, quod est immaturum, aut quod ante tempus contingit, seu quod nondum ad suam perfectionem pervenit. Peculiariter autem ¶ 1. Ponitur de fructibus immaturis. *Cf. Cic. Sen.* 15. 53. Quæ (*uva*) – primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit. *Phædr.* 4. 2. 4. Nondum matura (*uva*) est: nolo acerbam sumere. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 6. Acerbæ uvæ. *Non.* p. 247. 17. *Merc.* Acerbum incoctum, præcoquum; et de pomis frequentius dicitur. ¶ 2. Hinc acerbum dicitur quidquid ad suam perfectionem nondum pervenit, vel ante tempus contingit. *Varro* apud *Non.* p. 247. 19. *Merc.* Majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 647. Et pecus ante diem partus edebat acerbos. *Virg.* 6. *Æn.* 429. et 11. 28. Funus acerbum. ubi *Servius*: Immaturo, translatio a pomis (*Cf.* Θάνατος ἄωρος apud *Euripid. Orest.* 1030.). *Curt.* 9. 6. 19. Sed unicum bonum diuturnam vitam æstimantes sæpe acerba mors occupat. *Plin.* 5. *Ep.* 5. Acerba semper et immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. *Auson. Parent.* 14. 12. Indole maturus, funere acerbus obis. *Cic. Prov. cons.* 14. 34. Impolitæ res et acerbæ (*h. e.* imperfectæ) si erunt relictæ, quamquam sunt accisæ, tamen efferent se aliquando et ad renovandum bellum revirescent.

III.) Quoniam quæ acerba sunt, sensus molestia ac dolore afficiunt, ponitur etiam generatim pro molesto, gravi, duro, aspero, *A*) cum de rebus, *B*) tum de hominibus.

A) De rebus. ¶ 1. Sumpta metaphora a n. I. (Cf. ACERBITAS II. 1.) ponitur de verbis, sententiis etc., quæ in se acrimoniam habent, quo modo dicuntur amari satyrarum sales. *Sueton. Tib.* 57. Pompejo cuidam – dum vincula minatur, affirmavit fore; *ut ex Pompejo Pompejanus fieret*; acerba cavillatione simul hominis nomen incessens, veteremque partium fortunam. *Tac.* 5. *Ann.* 2. Dicax idem (*Fusius*), et Tiberium acerbis facetiis irridere solitus. *Sueton. Claud.* 3. Acerbum et breve scriptum. *Id. Domit.* 23. Acerbissimum acclamationum genus. *Tibull.* 4. 14. 4. Rumor acerbus. ¶ 2. Item eadem metaphora ponitur de iis, quæ animi, ut ita dicam, gustui amara sunt. *Plaut. Pers.* 5. 2. 136. Acerba amatio est. *h. e.* amara. *Id. Epid.* 5. 2. 52. Sed ut acerbum est, pro bene factis cum mali messem metas! *Cic. Quinct.* 31. 95. Acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius a propinquo. *Plin.* 8. *Ep.* 1. Acerbum esse alicui. ¶ 3. Item de iis, quæ austera sunt, sicut poma immatura (Cf. n. II. 1.), ac proinde severa, dura. *Cic. Cluent.* 44. 123. Proscriptio acerbissima. *Id.* 4. *Catil.* 6. 10. supplicium. *Id.* 2. *Leg. agr.* 34. 92. pœnæ impiorum. *Id.* 3. *Fam.* 8. 5. exactio. *Id.* 15. *ibid.* 4. tributa. *Id. Balb.* 5. 11. diligentia. *Liv.* 7. 3. Acerbus delectus. *Id.* 4. 12. Acerba inquisitio frumenti. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 7. § 21. Severitas acerba. *Nep. Eum.* 6. Imperium acerbius. *Cic.* 10. *Att.* 8. Odium acerbissimum. *Lucret.* 5. 1194. iræ. *Propert.* 2. 8. 3. inimicitiæ. ¶ 4. Item de iis quæ acrem afferunt dolorem quia præter expectationem accidunt, et peculiariter de morte, quæ etsi necessaria, tamen semper immatura putatur (Cf. n. II. 2.) ut de Scipione Africano ait *Cic. Milon.* 7. 6. Quis non ingemuit? – quem omnes, si fieri posset, immortalem esse cuperent, ejus ne necessariam quidem expectatam esse mortem. *Liv.* 7. 1. Mors quam matura, tam acerba. *Plaut. Amph.* 1. 1. 35. Funera acerba. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18. Luctus (*est*) ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. *Nep. Cim.* 4. 4. Et vita ejus fuit secura, et mors acerba. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 19. Libitinæ quæstus acerbæ. *Lucret.* 3. 54. in rebus acerbis. *Cic.* 2. *Leg.* 24. 61. et 4. *Herenn.* 8. 12. Incendium acerbum. *Virg.* 5. *Æn.* 700. et *Plin.* 4. *Ep.* 21. Casus acerbi. ¶ 5. Ponitur denique de iis omnibus, quæ vehementer ægritudine afficiunt, sive quæ *acerba sunt ad dolorem*, ut ait *Cic.* 2. *Orat.* 49. 200. Nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui sæpe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 15. et *Cic.* 1. *Orat.* 51. 221. Acerba mala. *Accius* apud *Non.* p. 72. 29. *Merc.* Acerba ibi (*h. e.* in cura et angore) cuncta consiliorum ratio. *Cic. Planc.* 41. 99. Acerba memoria temporis. *Id.* 2. *Leg. agr.* 18. 48. Prædicatio luctuosa et acerba. *Id.* 7. *Verr.* 38. 10. Spectaculum miserum atque acerbum. *Id. ibid.* 47. 157. Ut jam illa vox et imploratio: *Civis Romanus sum*, – mortem illis acerbiorem et supplicium maturius ferret. *Horat. Epod.* 7. 17. Acerba fata. *Tibull.* 2. 6. 41. luctus. *Tac.* 3. *Hist.* 83. captivitas. *Flor.* 2. 12. 5. Acerbi dubiique tumuli. *h. e.* qui superari nonnisi magna molestia et labore possunt.

B) De hominibus ac ¶ 1. De iis, qui acrimoniam et vehementiam in agendo præseferunt: unde *Quintil.* 6. 3. 53. Placidum nomine, quia is acerbus naturâ esset, Acidum (*dictum*). *Cic. Amic.* 24. 90. Acerbus inimicus. *Id.* 4. *Catil.* 6. 13. Hostes acerbissimi. *Id.* 6. *Att.* 1. 6. Acerbissimi feneratores. *Id.* 2. *de republ.* 24. 44. Dominus injustus et acerbus. *Id. Brut.* 36. 136. Accusatores acres atque acerbi. *Id.* 1. *Fam.* 4. 1. Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo justiorem, pæne etiam amicum. *Id. Brut.* 17. 65. Orator acerbior in vituperando. *Tac. Agr.* 22. Acerbior in conviciis. *Accius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. Acerbum cor. ¶ 2. Sæpe significat nimis severum, rigidum, tristem, moribus durum, voluptatibus inimicum. *Sueton. Galb.* 14. Modo acerbior et parcior, modo remissior ac negligentior. *Cic.* 3. *Nat. D.* 31. 77. Posse enim asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 94. pleruMque modestus Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi. *Sueton. Gramm.* 9. Naturæ acerbæ vir. *Ovid.* 2. *Fast.* 624. Mater acerba in suos partus.

Acerbum, i, est *a*) Absolute neutrorum more idem quod acerbitas, sive adversa, calamitates. *Ter. Hec.* 3. 1. 1. Nemini ego plura acerba credo esse ex amore homini unquam oblata, quam mihi. *Sil. It.* 14. 550. fessus acerbis. *Cic.* 4. *Herenn.* 36. 48. Aliquid quotidie acerbi nunciatur. *Virg.* 12. *Æn.* 678. stat, quidquid acerbi est, Morte pati. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 21. multum restabit acerbi. — *b*) *Acerba* Accus. neutr. plur. poetice adverbii more pro *acerbe*. *Lucret.* 5. 34. Asper, acerba tuens, *h. e.* torve, infensis oculis. Adde *Virg.* 9. *Æn.* 794. *Id. Virg.* 3. *G.* 149. Acerba sonans. *Id.* 12. *Æn.* 398. Acerba fremens. *Ovid. Heroid.* 8. 107. Acerba gemens.

Homonym. *Acerbus* differt ab *austero*, ut majus a minore. Nam quæ vehementer astringunt, *acerba* dicuntur; quæ mediocriter, *austera*. — Item *acerbus* differt ab *amaro*: *acerba* enim sunt quæ immatura, *amara* et ea quæ matura; *acerba* semper injucunda sunt ac molesta, *amara* sæpe etiam jucunda et grata; *acerba* astringunt linguamque contrahunt et exsiccant, non item *amara*; *acerbis* opponuntur *mitia*, *amaris* vero *dulcia*. *Quintil.* 11. 3. 169. (*Vox*), cui Græci nomen amaritudinis dederunt, super modum ac pæne naturam vocis humanæ acerba. *Cic.* 3. *de republ.* 8. 13. Jus enim, de quo quærimus, civile est aliquod, naturale nullum: nam si esset, ut calida et frigida, et amara et dulcia, sic essent justa et injusta eadem omnibus. *Seneca* 1. *de Ira* 4. Etiamsi amarum nos acerbum que dicimus, nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum: quæ omnia irarum differentiæ sunt.

ĂCERNĔUS, a, um, adject. (ăcer) idem quod acernus (V. infra). *Inscript.*, quæ pertinet ad Claudii Augusti tempora, apud *Fabrett.* p. 743. n. 513. ET CLYPEA INAVRATA VI. ET CANCELLOS ACERNEOS POD. . . . *Venant.* 1. *Præf.* Acernea pocula.

ACERNĬA, æ, f. 1. nomen piscis cujusdam nobis ignoti. *Cassiod.* 12. *Variar.* 4. Bruttiorum mare dulces mittat acernias.

ĂCERNUS, a, um, adject. (ăcer) qui est ex acere (It. *di acero*; Fr. *d'érable*; Hisp. *de acer*; Germ. *aus Ahornholz*; Angl. *made of maple-wood*). *Virg.* 2. *Æn.* 112. trabibus contextus acernis. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. et *Martial.* 14. 90. Mensa acerna. *Ovid.* 12. *Met.* 254. mensæ. *Id.* 4. *ibid.* 487. fores. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Quorum fluminum ripæ torique passim quernis acernisque nemoribus vestiebantur.

ĂCĔRŌSUS, a, um, adject. (acus, ĕris) aceribus, hoc est paleis plenus. *Lucilius* apud *Non.* p. 445. 18. *Merc.* Far acerosum. *h. e.* minus purgatum, sed paleis aliisque sordibus immixtum. *Paul. Diac.* p. 187. 7. *Müll.* in v. *Obacerare*. Itaque et frumentum et panis non sine paleis acerosus dicitur. *Non. l. cit.* Acerosum – panem farre minus purgato, nec sordibus a candido separato dicendum veteres putaverunt. — *Lucilius* apud *Non. l. cit.* lutum aceratum dixit ace-

rosum cœnum: sed lectio est omnino dubia; immo *aceratum* legendum esse ex præcedentibus *Nonii* verbis putamus. V. ĂCERĀTUS.

ĂCERRA, æ, f. 1. Nonnulli vocem deducunt ab Hebr. קָטַר *incendit*: *Vossius* in *Etymol.* deducit ab *acere*; unde *acerra* sit pro *acerna*, *h. e.* ex acere facta, ut pyxis a πύξος, *h. e.* buxo, nomen accepit. Cf. *Hesych.* ἄγαρος (*lege* ἄγαρρος) σκευοφόρος, *h. e.* qui vasa fert. Ceterum quidquid sit de etymo ¶ 1. Acerra priscis Romæ temporibus erat ara parva, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. *Paul. Diac.* p. 18. 7. *Müll.* Acerra ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant. *Cic.* 2. *Leg.* 24. 60. Cetera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim sustulerunt (intellige *Leg. XII. Tabul.*). – NE SVMPTVOSA RESPERSIO; NE LONGAE CORONAE, NEC ACERRAE prætereantur. *Alii* præferuntor. ¶ 2. Cum vero lege XII. Tabularum funebris acerra esset omnino sublata, acerra appellata est arcula thuraria quadrata, ac de ære plerumque eleganter facta, unde thus promebatur et in ignem injiciebatur; probe distinguenda a thuribulo, in quo thus incendebatur. *Virg.* 5. *Æn.* 744. canæ penetralia Vestæ Farre pio et plena supplex veneratur acerra. *ubi Servius*: *Acerra*; i. e. arca thuralis, id quod continet, pro eo quod continetur. *Horat.* 3. *Od.* 8. 2. Quid velint flores et acerra thuris Plena miraris. *Ovid.* 13. *Met.* 703. Denique sacerdoti, custodem thuris, acerram. *Id.* 8. *ibid.* 266. (*Deos*) Muneribusque datis et acerris thuris honorant. *Id.* 4. *Fast.* 934. Cumque meri patera thuris acerra fuit. Thura focis vinumque dedit. *Id.* 4. *Pont.* 8. 39. de parva pauper libat acerra. Et *Pers.* 2. 5. libat acerra. *Libare* in hisce est de acerra extrahere et effundere. *Martial.* 10. 24. Vestris addimus hanc focis acerram. *Acerræ* mentio fit etiam a *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (70), *Arnob.* 2. 76. et in *Act. Fratr. Arval.* apud *Orell. Inscript. Vol.* 1. p. 391. — Ex allatis autem locis patet acerram fuisse arcam thurariam, quam sententiam confirmat in *Pictura Herculanensi Tom.* 2. *Tab.* 33. mulier quæ conspicitur *acerram*, *h. e.* arcam thuriferam cum lauro gestans. *V.* ibi *Comment.* p. 197., *Visconti Museo Pio-Clementino Tom.* 4. p. 5. et *Museo Borbonico Tom.* 5. *Tav.* 42. p. 2. Sed tamen *acerram* pro thuribulo usurpasse a quibusdam putatur *Capell.* 2. p. 28. Acerra autem, multo aromate gravidata, eademque candenti, manus virginis (*Philologiæ*) onerantur. *quamvis* τὸ candens *possit accipi* candida et splendens. Cf. cetera apud *eumd. Capell.* loca 2. p. 36., *ibid.* p. 41. et præsertim *ibid.* p. 46.

ĂCERSECŌMĒS, æ, m. 1. ἀκερσεκόμης, capillatus, intonsus, ab α privativo, κείρω *tondeo* et κόμη *coma*. Apud Græcos epithetoo est Apollinis et Bacchi. *Juvenalis* pro puero catamito (nam hi intonsi erant) posuit 8. 128. si nemo tribunal Vendit acersecomes.

ĂCĒRUS, a, um, adject. ἄκηρος ab α privativo et κηρός *cera*, *h. e.* sine cera, ac propterea purus. Ita legunt nonnulli apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (38). In omni melle, quod per se fluxit, ut mustum oleumque, appellatur acerum. *Harduinus* vero legit eadem fere sententia *acetum*, ut sit *acetum mel*, ἄκητον μέλ, *h. e.* optimum; ἄκητον enim *Hesychius* interpretatur κράτιστον. Alii *acedon*, ἀκηδόν, hoc est citra hominum operam sponte purgatum, ab α privativo et κῆδος *cura*, *opera* (*V.* ACETARIA). Sed cum emendatiora MSS. exhibeant *acoeton*, rectius legendum est *acœton*, ut sit ἄκοιτον, *h. e.* purum, sine sedimento aut fæce.

ĂCERVĀLIS, e, adject. (acervus) proprie quod ad acervum spectat, quod congerit, vel congeritur in acervum. *Mar. Vict.* 1. p. 2494. *Putsch.* Bioticum metrum est, quod in usu vitæ et humana conversatione taxatur: quod ipsum accipietur modis quatuor. Primo per spatium longitudinis, ut metrum cubitale, pedale, palmale. Secundo per ponderum examen, ut in libra, uncia, scrupulo. Tertio per qualitatem acervalem, ut in modio sextario, hemina. Quarto per qualitatem humidam et fluxam, ut in cyatho, congio. ¶ 2. Translate argumentatio acervalis ea dicitur, qua multa simul argumenta acervantur, quæ Græce σωρείτης appellatur, qua Chrysippus utebatur. *Cic.* 2. *Divinat.* 4. 11. Aut quemadmodum soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare. Cf. *Capell.* 2. p. 30. Soritas cumuli accessibus aggerans. *V.* et infra ACERVUS II. 2.

ĂCERVĀTIM, adverb. (acervus) per acervos, acervando (It. *a mucchii*; Fr. *en tas*, *par tas ou monceaux*; Hisp. *a montones*, *de monton*; Germ. *haufenweise*; Angl. *by heaps*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 1261. Confertos ita acervatim mors accumulabat (*mortuos*). *Varro* 1. *R. R.* 38. 1. Stercus aspergi oportere in agro, non acervatim poni. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 4. Apes sub favis acervatim enectæ reperiuntur. *Auctor B. Alex.* 31. Plerique acervatim se de vallo præcipitaverunt. *Apul.* 4. *Met.* 8. Pulmenta acervatim ingerere.

II.) Translate fere de oratione ponitur, et significat summatim, promiscue. *Cic. Cluent.* 10. 30. Acervatim jam reliqua, judices, dicam, ut ad ea, quæ propiora causæ sunt, perveniam. *Id. Orat.* 25. 85. Nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. *Flor.* 1. 17. 1. Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium, mox acervatim; tamen sic quoque par omnibus fuit.

ĂCERVĀTIO, ōnis, f. 3. (acervo) actus acervandi, accumulatio (It. *ammassamento*, *ammucchiamento*; Fr. *accumulation*, *entassement*; Hisp. *acumulacion*, *amontonamiento*; Germ. *die Anhäufung*; Angl. *a heaping up*, *piling*, *or laying one thing upon another*, *an accumulating*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 117. (282). Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera et condimento perniciosior.

ĂCERVĀTUS, a, um. *V.* ACERVO.

ĂCERVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (acervus). Part. *Acervans* et *Acervatus*. Est autem in acervum congero, accumulo (It. *ammassare*, *accumulare*, *ammucchiare*; Fr. *amasser*, *entasser*, *amonceler*; Hisp. *acumular*, *amontonar*; Germ. *auf einen Haufen zusammenbringen*, *aufhäufen*; Angl. *to heap up*, *to accumulate*).

I.) Proprie. *Liv.* 5. 48. Jam pigritiâ singulos sepeliendi promiscue acervatos cumulos hominum urebant. *Seneca Herc. fur.* 1216. Aggerem acervans. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (95). Acervantur (*myaces*) maricum modo vivuntque in algosis. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (53). Panicum a paniculis dictum, prædensis acervatur granis. *Id.* 21. *ibid.* 17. 68. (109). LXXX simul acervatis sæpe bulbis.

II.) Translate fere de oratione ponitur, in qua res complures summatim colliguntur. *Liv.* 3. 34. In hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo. *Quintil.* 9. 3. 47. Nec verba modo, sed sensus quoque idem facientes acervantur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 10. (21). Plura undique acervabimus.

ĂCERVUS, i, m. 2. Juxta nonnullos ab ἀκίς, *acies*, *cacumen*, ut proprie sit multarum rerum minutarum congeries; in quo consentiunt et qui vocem deducunt ab *acus*, *ĕris*, ratione quoque habita verbi ἀγείρω *gero*, quam notationem confirmat *Hesych.* ἀγορά καί ἀγαρρίς· ἄθροισμα. *h. e.* congeries, globus. — Est autem acervus congeries rerum in unum collectarum atque aliarum super alias promiscue positarum (It. *cumulo*, *mucchio*; Fr. *tas*, *amas*; Hisp. *monton*, *cumulo*; Germ. *eine aufgeschüttete Masse*, *ein Haufen*; Angl. *a heap*, *hoard*, *or pile*).

I.) Proprie et quidem ¶ 1. Stricto sensu occurrit *a*) cum nomine rei acervatæ, *b*) absolute. — *a*) Cum nomine rei acervatæ. *Cic.* 5. *Tusc.* 15. 45. Videamus ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex suis similibus partibus effici debeat. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 55. Acervus frumenti. *Lucret.* 3. 198. papaveris. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 29. 92. tritici. *Virg.* 1. *G.* 185. farris. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 47. æris acervus et auri. *Sueton. Calig.* 42. aureorum. *Virg.* 8. *Æn.* 562. scutorum. *Dig.* 41. 2. 51. lignorum. *Accius* apud *Non.* p. 192. 3. *Merc.* Atque acervos alta in amni corpore expleri hostico. *Cic.* 3. *Catil.* 10. 24. corporum. *h. e.* cadaverum. *Id.* 4. *Catil.* 6. 11. Insepulti acervi civium. *Virg.* 10. *Æn.* 245. Cædis acervi. *Id.* 11. *ibid.* 207. ingens cædis acervus. *Id.* 6. *ibid.* 504. et 11. 384. stragis. — *b*) Absolute, ita tamen ut ex orationis contextu quænam sit res acervata facile intelligatur. *Plaut. Cas.* 1. 1. 37. Acervum comedere. *h. e.* frumenti. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 1. 51. et *Virg.* 1. *G.* 158. *Sil. It.* 5. 177. Accensis acervis. *h. e.* lignorum. *Ovid.* 1. *Met.* 24. Cæcus acervus. *h. e.* Chaos. ¶ 2. Ponitur interdum latiori sensu de ingenti rerum summa. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 22. 59. Acervi pecuniæ. *Sueton. Aug.* 57. nummorum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim sumpta metaphora ex superiori § 2. *Cic. Sull.* 27. 76. Acervi facinorum. *Ovid. Rem. am.* 424. Acervus præceptorum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (27). Magni officiorum negotiorumque acervi. *Ammian.* 4. 1. Malorum acervi. *Id.* 26. 2. curarum. *Id.* 23. 1. ærumnarum. *Quintil.* 8. 4. 47. Etiam si non per gradus ascendant, tamen velut acervo quodam allevantur (*verba*). ¶ 2. Peculiariter acervus est sorites (*V.* ACERVALIS), hoc est genus argumenti constans plurium rationum coacervatarum complexione, et propositionum in infinitum prope abeuntium congerie, quibus facile capiuntur disputantes, quod nesciant in quanam potissimum sistendum sit: ejusdem auctor laudabatur Chrysippus. Hoc tamen sensu plerumque sumitur in partem pejorem pro sophismate: unde *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 16. 49. Captiosissimo genere interrogationis utuntur, quod minime in philosophia probari solet, cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocant, qui acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane et captiosum genus! *Horat.* 2. *Ep.* 1. 47. Dum cadat elusus ratione ruentis acervi. *Pers.* 6. 80. Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi. *Capell.* 4. p. 94. Chrysippus cumulet, proprium consumat acervum. *ubi* Kopp *reponendum fortasse arbitratur* cumulo et.

Homonym. *Acervus*, *cumulus* et *strues* inter se differunt. Tria enim hæc generatim quidem significant plurium rerum congeriem: verum *acervus* est rerum congeries quamcumque præseferat formam; *cumulus* e contra in culmen sive in aciem desinit: *acervus* et *cumulus* sunt diversarum rerum congeries confusa atque inordinata, *strues* est similium rerum congeries in ordinem distributa. Hinc cum ligna cæduntur, hic illic jacent lignorum acervi; qui si altiores exsurgant et in culmen desinant, sunt *cumuli*; eadem denique ligna domum allata atque in ordinem distributa et composita *struem* constituunt. *Cic. Scaur.* 4. *b. T. II. P. II.* p. 250. *Orell.* Quoniam congesta fuit accusatio magis acervo quodam criminum, non distinctione aliqua generum et varietate. *Vitruv.* 2. 8. 4. Ita enim non acervatim, sed ordine structum opus poterit esse sine vitio æternum. *Liv.* 31. 26. Neque enim (*Philippus*) diruere modo ipsa templa, ac simulacra evertere satis habuit, sed lapides quoque, ne integri cumularent ruinas, frangi jussit. *h. e.* ne lapides, si integri in cumulum coacervarentur, magnificentiæ aliquid ruinis adderent. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (101). Universitate vero acervatâ (*scil.* rerum a Romanis gestarum) et in quemdam unum cumulum conjectâ non alia magnitudo exsurget, quam si mundus alius quidam in uno loco narretur. — Hinc *cumulus* est etiam id quod additur mensuræ plenæ, ut ait *Paul. Diac.* p. 14. 17. *Müll.* Auctarium dicebant antiqui, quod super mensuram vel pondus justum adjiciebatur, ut cumulus vocatur in modio. *Cic.* 13. *Fam.* 62. Beneficium cumulo augere. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Hic supremus felicitati ejus cumulus accessit.

ACESCO, is, ere, n. 3. (*V.* ăcer). Perf. *acui* ad verbum *aceo* retulimus, quod vide. Alia etiam occurrit hujusce verbi forma, scil. *acisco* apud *Gargil.* (v. inf.), mutatio enim *e* in *i* frequens est. Part. *Acescens.* Acesso autem est acidus fio, ac fere de liquidis dicitur (It. *inacetire*, *diventar acetoso*; Fr. *devenir aigre*, *s'aigrir*; Hisp. *avinagrarse*; Germ. *sauer werden*; Angl. *to grow tart*, *to tourn sour*, *or eager*). *Horat.* 1. *Ep.* 2. 54. Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit. *Colum.* 12. *R. R.* 26. 1. In quo agro vinum acescere solet, curandum est etc. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). Acescunt musta. *Id.* 11. *ibid.* 35. 41. (118). Acescens natura culices gignit. *Id.* 20. *ibid.* 14. 53. (147). Lac acescit. Adde 23. 2. 28. (59). *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 11. (*Vinum*) hieme dura, sed prima acescit æstate. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 16. Poma quoque succi maligni et facile acescentis esse noscuntur. *Gargil. de pom. ed. Maio* in *Class. Auct. Tom.* 3. p. 419. Persicorum cibus stomacho inutilis, quod cito succus ejus aciscat, et caro ejus indigestionem faciat.

ĂCĒSIS, is, f. 3. (ἄκεσις, quod ab ἀκέομαι *curo*) est genus chrysocollæ aridæ, exsiccandi et contrahendi vim habens; cujus meminit *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 28. (92). (It. *sorta di borrace*, *che s'adopera nei medicamenti*; Fr. *espèce de vert de montagne*, *que on use dans les médicaments*; Hisp. *verdemontaña*, *de que usan los medicos*; Germ. *eine Art Grünerde*, *die zu medizinischem Gebrauche diente*, *Berggrün*; Angl. *a sort of borax used in medicine*).

ĂCĒTĀBŬLUM, i, n. 2. *Acetabulus*, *i*, masc. gen. apud *Apic.* 6. 9. *Acetabula*, *æ*, fem. gen. invenitur apud *Varr.* 3. *R. R.* 5. 15., si Scaligeri emendationem sequimur, qui ita legit: *Ut ad extremum, ubi orbile solet esse, acetabula cavata sit*, etc. Hoc autem loco significare videtur foramen, in quod convenit modius rotæ, de qua ibi sermo est, instar acetabuli ossis coxendicis (V. infra II. 1.). Impressi autem libri habent: *Ut ad extremum, ubi orbile solet esse aculum, tabula cavata sit*, etc. Quæ verba *Turneb.* *l.* 21. *c.* 23. explicare conatur. — Ceterum acetabulum proprie est vas, in quo acetum ponitur, ut docet *Isid.* 20. *Orig.* 4. 12. Est enim ab *aceto* deducta vox, teste *Vossio* in *Etymol.* in V. *Acidus*: quamquam alii ab *accipiendo* derivant, et ob id *acceptabulum* scripsere in *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (86)., cujus verba mox referemus: quæ scriptio reperitur etiam apud *Caton. R. R.* 102. in editione *Nicol. Jenson.* 1472., sed nihilominus contra communiorem usum est. Neque minus est refutandum etymon *Isidori l. cit.* scribentis *acetabulum dici*, quasi *acetaforum*, *quod acetum ferat* (It. *vaso da aceto*; Fr. *vase à mettre le vinaigre*, *vinaigrier*; Hisp. *vinagrera*; Germ. *ein Kleines Gefäss zu Essig*; Angl. *a vessel for holding vinegar, a vinegar-cruet*). Generatim occurrit I. pro certo quodam vase, II. pro quibusdam rebus, quæ ejusdem vasis similitudinem præferunt.

I.) Ponitur pro certo quodam vase; et quidem ¶ 1. Est vas, in quo acetum, ut diximus, ponitur. Hanc acetabuli significationem, præter allatum Isidori locum, probant etiam quæ scripsit *Quintil.* 8. 6. 35. Mille sunt hæc (*quæ dicuntur per κατάχρησιν*), et *acetabula* quidquid habent, et *pyxides*, cujuscumque materiæ sunt etc. Quibus verbis illud aperte innuit, quemadmodum pyxis proprie significat vas e buxo confectum, quæ Græce est πύξος, per catachresim autem de cujuscumque materiæ vase dicitur; ita *acetabulum* proprie notare aceti vas, et per catachresim de quocumque continente vase usurpari. Adde *Apic.* 8. 7. Porro hujus vasis figura fuit rotunda, nulla marginis latitudine paullatim se undique contrahens, calicis instar, usque ad imum: hæc autem ex iis colligimus, quæ *acetabula* per similitudinem appellata sunt, quæque Vide præsertim sub II. ¶ 2. Hinc generatim *acetabuli* nomine omnia significantur vasa domesticis usibus inservientia, etiam quæ ex metallis constant et magni sunt pretii. *Ulpianus* enim *Dig.* 34. 2. 19. § 19. acetabula recenset inter vasa domesticæ supellectilis. ¶ 3. Peculiariter acetabulum est mensura liquidorum, necnon aridorum, quæ heminæ, seu cotylæ quartam partem continet, pondere vero drachmas Atticas quindecim habet; ut docet *Plin.* 21. *Hist. nat.* 34. 109. (185). Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas xv. *h. e.* continebat pollices cubos Parisienses 3, 399961 (V. *Pauly Real-Encyclop. T.* 1. *p.* 16.). *Cato R. R.* 102. Melanthii acetabulum contrito in vini veteris hemina. *Quædam Editt. hoc loco habent* cætabulum, *sed mendum est. Cels.* 5. 24. Acetabulum mellis. *Id.* 5. 18. cumini. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 14. (73). salis. *Apic.* 2. 2. liquaminis. *Id.* 8. 7. olei. *Id.* memorat etiam 6. 9. Acetabulum minus; et 8. 6. majus. ¶ 4. Item peculiariter acetabula sunt vascula, quibus circulatores et præstigiatores, ψηφοπαῖκται, utuntur in ludis, cum pluribus acetabulis inversis in mensa positis calculum, aut globulum subjiciunt, et manuum dexteritate ita tractant, ut cum credis sub uno acetabulo esse, sub alio reperiatur. *Seneca Ep.* 45. 7. Ista sine noxa decipiunt, quomodo præstigiatorum acetabula, et calculi, in quibus fallacia ipsa delectat. ¶ 5. Erant etiam acetabula vasa metallica, quibus batillo pulsatis varius pro metalli cujusque genere sonitus edebatur. *Isid.* 3. *Orig.* 21. 1. Tertia divisio est rythmica, pertinens ad nervos et pulsus, cui dantur species cithararum diversarum, tympanum et cymbalum, sistrum, acetabula ænea vel argentea, vel alia, quæ metallico rigore percussa reddunt cum suavitate tinnitum. Et *ibid.* n. 11. Cymbala et acetabula quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt et faciunt sonum. V. *Calliachii de Lud. Scenic. p.* 88.

II.) Ponitur etiam de quibusdam, quæ acetabuli proprie dicti similitudinem præferunt. ¶ 1. Peculiariter acetabulum dicitur ab Anatomicis cavitas ossis, quæ alterius caput insertum excipit, qualis in osse coxendicis, κοτύλη, κοτυληδών. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. (179). Ossa ex acetabulis pernarum, circa quæ coxendices vertuntur. ¶ 2. Item acetabula dictæ sunt cavitates quædam in polyporum brachiis dispersæ, cavam decrescentis paullatim rotunditatis speciem repræsentantes, quibus veluti hauriunt suguntque ea, quibus adhæserint. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (86). Cetero per brachia velut acetabulis dispersis, haustu quodam adhærescunt. Et *ibid.* 30. 48. (90). L. Lucullus negat ullum esse atrocius animal ad conficiendum hominem. Luctatur enim complexu, et sorbet acetabulis, ac numeroso suctu, dum trahit. *Et mox* (93). Acetabulis, sive caliculis urnalibus, pelvium modo. *Plin.* omnibus hisce loc. de polyporum brachiis loquitur. ¶ 3. Item caliculi seu cavitates in plantarum radicibus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 37. (58). Polipodii radix pilosa, crassitudine digiti minimi, acetabulis cavernosa. ¶ 4. Item caliculi seu cavitates in fici germine et fructu. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (245). Cum folia pauca in cacumine acetabuli modo germinent, tunc serendas ficus. *Id.* 21. *ibid.* 15. 55. (92). Acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus.

ĂCĒTĀRĬA, orum, n. plur. 2. (acetum) olera, quæ cruda ex aceto, oleo et sale eduntur, cujusmodi sunt lactucæ, nasturtium, menta, intubus etc. (It. *erbe da insalata*, *insalata*; Fr. *salade*; Hisp. *ensalada*; Germ. *Salate*; Angl. *a sallad*). *Plin.* 19. *Hist. nat.* 14. 19. (58). Horti maxime placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno, expedita res et parata semper: unde et acetaria appellantur, facilia concoqui, etc. *Id.* 20. *ibid.* 20. 81. (212). Portulaca stomachum in acetariis sumpta corroborat. — Sunt qui priore *Plinii* loco pro *acetaria* substituunt *acedaria* a Græco ἀκηδής, *sine cura* aut *opera*, quia olera nulla, aut certe parva impensa et cura in cibos parantur. Eadem ratione *acedon mel* legunt pro *acetum* aut potius *acæton* apud *eumd.* 11. 15. 15. (38). de quo *V.* supra ACERUS. Subtilis quidem conjectura, sed non temere admittenda contra MSS. et editorum librorum fidem et consensum.

ĂCĒTASCO, ascis, āvi, ascere, n. 3. Sed præferenda videtur alia forma, scilicet

ĂCĒTO, as, āvi, āre, a. 1. (acetum); quia hæc occurrit in *Galen. Comp. lat. ms. cap.* 13. (V. *Glossarium novum Latinit.* ed. *Maio p.* 77.). Succum ptisanæ bene factum, illis maxime, quibus non acetat in stomacho –, optime offerimus. — Est autem idem quod acesco. *Apul. Herb.* 3. Herbæ verbenacæ ramulos ex vino decoctos et contritos, deinde quod acetaverit, plagæ impones, et adaperiet.

ĂCĒTO idem apud Veteres erat ac agito, mutatis *g* in *c* et *i* in *e*, quæ mutationes priscis Latinæ linguæ temporibus admodum usuvenerunt. *Paul. Diac.* p. 23. 10. *Müll.* A c e t a r e dicebant, quod nunc dicimus a g i t a r e. *Al. leg.* acitare.

ĂCĒTUM, n. 2. Negat *Varro* 9. *L. L.* 66. p. 217. *Müll.* aceta dici in plur. num. Acetum autem est proprie participium passivum, cui nomen *vinum* adjiciendum, a verbo *aceo*, ut *deletus* a *deleo*; mox substantivum nomen, quod significat vinum acidum (It. *aceto*; Fr. *vinaigre*; Hisp. *vinagre*; Germ. *Weinessig*, *Essig*; Angl. *vinegar*).

1.) Proprie. — *a*) De aceto, quo olera et alia etiam edulia condiuntur. *Plaut. Rud.* 4. 2. 32. Cum aceto pransurus est et sale. *Cato R. R.* 104. 1., *Horat.* 2. *Sat.* 3. 117., *Colum.* 12. *R. R.* 17. Acetum acre. *Cato l. c.* § 2. acerrimum et pulcherrimum. *Plaut. Truc.* 1. 22. 70. acerbum. *Colum.* 12. *R. R.* 57. album. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 54. (175). asperrimum. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (64). generosum. *Cato R. R.* 116. laserpitiatum. *Pers.* 4. 32. moriens. *Cato R. R.* 157. 6. mulsum, *h. e.* melle temperatum. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 5. piperatum. *Martial.* 11. 57. rubens. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 28. (59). scillinum. *Id.* 32. *ibid.* 10. 47. (135). scillites. *Cels.* 5. 19., et *Colum.* 12. *R. R.* 34. scilliticum. Adde *Plaut.* et *Pers.* infra cit. II. *Martial.* 7. 24. Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti. — *b*) Optimum et laudatissimum acetum a Romanis habebatur Ægyptium, quod acrimoniam quidem habebat multam, sed mixtam tamen dulcedine aliqua, quæ asperitatem tolleret, nec horrorem gustanti injiceret. *Cic.* apud *Non.* p. 240. 31. *Herc.* Quod alterius ingenium sic dulce, ut acetum Ægyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium dicimus. *V.* MEL. Hinc acetum *Pharium* apud *Juvenal.* 13. 85., et *Niliacum* apud *Martial.* 13. 122. — *c*) Aceto non solum ad cibos condiendos, sed etiam ad alia usi sunt Romani. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 240. aceto Diluit insignem baccam. *Liv.* 21. 37. Saxa aceto putrefacere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). Aceti asperitas visque in tabem margaritas resolvit. *Id.* 10. *ibid.* 60. 80. (167). Ova aceto macerata. — *d*) Pro acido generatim humore posuit *Tac.* 5. *Hist.* 6. loquens de lacu Jordanis: Ater suapte natura liquor, et sparso aceto concretus, innatat.

II.) Translate. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 49. PSEUD. Ecquid habet is homo aceti in pectore? CHAR. Atque acidissimi. *ubi* acetum *est* acumen, prudentia. Adde *Bacch.* 3. 3. 1. et *Truc.* 1. 2. 76. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 32. Ast Græcus postquam est Italo perfusus aceto. *h. e.* salibus Romanis mordacibus et conviciis aspersus et lacessitus. *Pers.* 5. 86. Mendose colligis, inquit Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto. *h. e.* acri judicio et ingenii perspicacia in Dialecticis præstans.

ĂCĒTUM mel. *V.* ACERUS.

ĂCHÆMĔNIS, idis, f. 3. (ἀχαιμενίς) herba colore electri, sine folio, in India nascens, cui magicas mirasque virtutes inesse tradidit Democritus apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (161). Achæmenida colore electri sine folio nasci in Tradastilis Indiæ, cujus radice in pastillos digesta in dieque pota in vino noxii per cruciatus nocte confiteantur omnia per varias numinum imaginationes; eamdem hippophobada appellat, quoniam equæ præcipue caveant eam. Adde *eumd.* 26. *ibid.* 4. 9. (18)., et *Apul. Herb.* 56. Cf. *Fée* in *Commentair. sur la Botan. et la Matière Medic. de Plin. T.* 3. *p.* 296. achæmenida hanc herbam vocatam ait ab Achæmene primo Persarum rege, Cyri avo; quænam porro sit, definire nescit; sine dubio tamen aliquam Euphorbiam esse affirmat, quæ *Euphorbiæ antiquorum* proxime accedat, nisi forte inter solana fuerit annumeranda.

ĂCHÆMĔNĬUS, a, um, adject. — *a*) Ab Achæmene, primo Persarum rege (de quo *V.* ONOM.), quem crudelissimum fuisse ferunt, et nonnisi humano sanguine satiabilem. Hinc per abusionem *Sedul.* 1. 184. Achæmenia ira. *h. e.* sævissima et insatiabilis. — *b*) Est etiam ab Achæmenia Persidis regione, et sæpe ponitur pro Persico (*V.* ONOM.): quemadmodum autem Persis est totius Orientis prima et celebratissima regio, ita Achæmenius per catachresim est etiam orientalis. *Avien. Perieg.* 473. Hæc tamquam speculis assurgens plurima trinis Spectat Achæmeniæ lucis jubar. *h. e.* jubar solis orientis. *Id. Or. marit.* 655. Achæmenius ortus. *h. e.* oriens. *V.* ASSYRIUS in Lexico.

ĂCHANTUM, i, n. 2. inter ea quæ necessaria sunt ad quamdam suffimentorum compositionem, qua morbi prohibeantur, memoratur a *Veget. Veter.* 1. 20. Achanti uncias sex. *Quidnam vero sit*, *nequit definiri.* Gesner. *maruli* achatis; Schneider. vero chalcanthi; Furlanett. *in suis MSS.* acantii.

ACHANUM, i, n. 2. est morbi genus in bobus, quem ita describit *Veget. Veter.* 3. (4. *Schneider.*) 2. Equinum genus morbus, qui appellatur malleus, – consumit: boves quoque idem morbus interficit, sed a diversis diverso nomine vocatur, quem plerumque vulgus achanum appellat. Hic morbus boves si quando tentaverit, istis agnoscitur signis: erit pilo horridus, et tristis stupentibus oculis, cervice dejecta, salivis assidue per os fluentibus, incessus pigrior, spina rigidior, fastidium maximum, pauca ruminatio. *Nonnulli* dubitant an sit gen. masc. potius quam neutr. *Gesner.* autem ad hunc locum: Gr. ἀχανής stupidum notat, hiantem sine alio conatu; de oculis etiam dicitur, ut hic *stupentes oculi* commemorantur.

ĂCHĂRIS, e, adject. Græca vox ἄχαρις ingratus. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 20. 21. Homo acharis quasi fabula vana.

ĂCHĂRISTUM, i, n. 2. vel potius Acharistus, a, um, adject. Græca vox ἀχάριστος injucundus; unde collyrii cujusdam nomen, vel epitheton duxit *Marcell. Empir.* 8. *ad fin.* Descriptio acharisti collyrii etc.

ĂCHARNĒ, es, f. 1. Legitur et *acarne*. Est genus piscis marini, qui præstantissimus capitur apud Ænum Thraciæ. *Athenæo l.* 7. ἀχαρνὸς est, et *l.* 8. ἀχαρνεῖν. Ejus meminit *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). Item *Lucil.* apud *Gell.* 10. 20. et *Enn.* apud *Apul. Apolog.* ut quidem legitur a quibusdam. Nam alii aliter. — Eum describit *Rondeletius* ex conjectura, colore albo, squamis argenteis, ore mediocri, rostro aquilino, oculis magnis aureisque; uno verbo pagri, vel erythrini adeo similem, ut pro eis interdum vendatur. V. *Gesner.* et *Aldovrand.* Quidam putant, eumdem esse, qui Venetiis *alboro* dicitur, nimirum a colore albo carnis ejus.

ĂCHĀTĒS, æ, cujus Accus. est *achaten*, gen. fem., quia subauditur *gemma*, interdum etiam masc., ut infra apud *Solin*. (It. *agata*; Fr. *agaté*; Hisp. *agata*; Germ. *der Achatstein*; Angl. *an achat*, or *agate*). Gr. ἀχάτης, ὁ, gemmæ nomen deductum ab Achate Siciliæ fluvio, juxta quem primum reperta est. Ea variis appellationibus nominatur pro varia coloris, aut figuræ differentia, ut *Iaspachates*, quæ iaspidi similis, *Cerachates*, quæ cereum habet colorem, *Hæmachates*, quæ sanguineis rubescit maculis, *Leucachates*, quæ albicat, etc. Vide *Plin*. 37. *Hist. nat*. 10. 54. (139). ubi plura de ea. *Id. ibid*. 1. 3. (5). Pyrrhus (*Epirotarum rex*) habuisse traditur achaten, in qua novem Musæ, et Apollo citharam tenens spectarentur. Hæc eadem narrat *Solin*. 5. *ad fin*. qui masculino genere usurpat, subintellecto nempe *lapide*. — *NB*. De fluvio Achate, et de Achate Æneæ socio *V*. ONOM.

ĂCHĔLŌĬS, idis, f. 3. adject. ad Acheloum pertinens; *V*. ONOM. *Acheloides* dicuntur etiam proprie Nymphæ Acheloi, sed metonymice omnes Najades, seu Nymphæ fontanæ, vel amnicolæ, ut una earum *Achelois* dicitur ab *Auct. Copæ* 15. *Colum*. 10. 263. Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro. *h. e*. Nymphas fontis Hippocrenes, Musarum socias; nam Achelous pro omni aqua accipitur, ut dicitur in *V*. ACHELOUS infra.

ĂCHĔLŌĬUS, a, um, adject. ad Acheloum pertinens; *V*. ONOM. Metonymice *Acheloia pocula* pro quavis aqua posuit *Virg*. 1. *G*. 9. *V*. vocem seq.

ĂCHĔLŌŬS, i, m. 2. (Ἀχελῷος) fluvius Acarnanum a Pindo oriens Ætoliam ab Acarnania dividens, de quo *V*. ONOM. Veteres Acheloum pro omni aqua posuerunt propter antiquitatem fluminis, tota Græcia celeberrimi, ut ait *Servius* in *Virg*. 1. *G*. 9. et 8. *Æn*. 300., et variis allatis Græcorum scriptorum exemplis fusius ostendit *Macrob*. 6. *Saturn*. 18.

ĂCHĔRON, ontis, m. 3. (Ἀχέρων). Plura flumina hoc nomine appellabantur, de quibus *V*. ONOM. Poetis erat fluvius Inferorum; ac proinde metonymice sæpe Acheron ponitur pro ipsis Inferis. *Ennius* apud *Festum* p. 201. 7. *Müll*. Acherontem obibo, ubi mortis thesauri objacent. *Virg*. 7. *Æn*. 312. Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. *Acheronta* Accusativus est Græcæ terminationis, Poetis familiaris, pro *Acherontem*. *Horat*. 1. *Od*. 3. 36. Perrupit Acheronta Herculeus labor. *Cic. post red. in Senat*. 10. 25. Ut haberet et fratrem ab Inferis, et omnes Metellos præstantissimos cives pæne ex Acheronte excitatos. *Nep. Dion*. 16. 3. Ut cum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. *In quibus* Ciceronis *et* Nepotis *locis optima MSS. legunt veteri forma* Acherunte. — Hinc *mittere aliquem Acheruntem* apud *Plaut. Cas*. 2. 8. 10., *Most*. 2. 2. 67. et *Pœn*. 4. 2. 9., vel *ad Acheruntem* apud *eumd. Most*. 2. 2. 77., *Pœn. prol*. 71. et *Trin*. 2. 4. 92. est interficere. — *Acherunti* adverbialiter, seu potius qua forma occurrit et *Kartagini*, vel *Acherunte* ponitur pro in Acherunte, hoc est apud Inferos. *Plaut. Merc*. 3. 4. 21. Si neque hic, neque Acherunti sum, ubi sum? *Id. Capt*. 5. 4. 1. Vidi ego multa picta, quæ Acherunti fierent, cruciamenta. Adde *Capt*. 3. 5. 31. et *Truc*. 4. 2. 36. *Id. Pœn*. 1. 3. 22. Quantum Acherunte'st mortuorum. Adde *Lucret*. 3. 629. (628). — *Acheruntis ostium* per catachresim est locus pestilens; Veteres enim putabant patere Orci ostium in iis locis, in quibus esset pestilentia, vel aer pestilens. *Plaut. Trin*. 2. 4. 124. Acheruntis ostium in nostro est agro. *V*. integrum locum, et Cf. *Vet. Poet*. apud *Cic*. 1. *Tusc*. 16. 37. Aperto ex ostio altæ Acheruntis (adverte fem. gen., de quo in ONOM.). — Hinc etiam *Acheruntis pabulum* a *Plaut. Cas*. 2. 1. 12. dicitur homo flagitiorum architectus, sentina vitiorum, ac proinde dignus, qui sit præda Inferorum. — Denique *Acheruns ulmorum* jiculariter dicitur ab eodem *Plauto Amph*. 4. 2. 10. de servo vapulante virgis ulmeis, scilicet in cujus tergo moriuntur virgæ, ut idem loquitur *Capt*. 3. 4. 117. Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo.

ĂCHĔRUNS, untis. *V*. vocem præced.

ĂCHĔRUNTĬCUS, a, um, adject. ad Acheruntem pertinens. Per catachresim *Plaut. Merc*. 2. 2. 19. Quid tibi ego ætatis videor? LY. Acheruntieus senex, vetus, decrepitus. *h. e*. morti proximus. *Id. Mil. glor*. 3. 1. 33. Ita ne tibi ego videor oppido Acheruntieus, tam capularis, etc.?

ĂCHĔRŬSĬUS, a, um, adject. (Ἀχερούσιος) ad Acherontem pertinens; *V*. ONOM. Hinc translate *Acherusia vita* est tristis, ærumnosa, cruciatibus obnoxia, qui nempe apud Inferos ab impiis perferuntur. *Lucret*. 3. 1037. Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.

ĂCHĔTA, æ, m. 1. (ἠχέτης et Dorice ἀχέτα mutato η in α: ἠχέτα τέττιξ habet *Hesiod. Op. et D*. 543.; unde *achetæ* audiunt cicadæ κατ' ἐξοχήν). Cicada arguta et canora, a verbo ἠχέω, quod est sono et crepito (It. *cicala cantatrice, cicala maschio*; Fr. *la cigale mâle à la voix bruyante*; Hisp. *la cigarra macho, que hace gran ruido*; Germ. *die singende Cicade*; Angl. *singing cicadæ, grass-hoppers*). *Plin*. 11. *Hist. nat*. 26. 32. (92). Cicadarum duo genera: minores, quæ primæ proveniunt, sunt mutæ. Quæ canunt, vocantur achetæ, et quæ minores ex his sunt, tettigoniæ, sed illæ sunt magis canoræ. Mares canunt in utroque genere, feminæ silent. Pectus ipsum fistulosum, hoc canunt achetæ.

ĂCHILLĒA, æ, f. 1. Herba *Plinio* laudata 26. *Hist. nat*. 15. 90. (151). Menses nimios sistit achillea imposita. Videtur fuisse eadem ac Achilleos. *V*. voc. seq. — De Achillea insula *V*. ONOM.

ĂCHILLĒOS, i, f. 2. (ἀχίλλειος), fortasse eadem ac achillea, herba sic appellata, quod eam Achilles invenisse traditur, et adhibuisse in curando vulnere Telephii: memoratur a *Plin*. 25. *Hist. nat*. 5. 19. (42)., ubi ab aliis sideritis et apud Romanos millefolium vocata dicitur. Adde *Apul. Herb*. 88., cujus verba *V*. in STRATIOTICE. Est autem, ut videtur cl. *Fée*, ἀχίλλειος ἄνθος χρυσίζον *Dioscor*. 4. 36.; Achillea tomentosa seu abrotanifolia *L*.

ĂCHILLES, is, m. 3. (Ἀχιλλεύς). Heros Græcus, filius Pelei et Thetidis, de quo *V*. ONOM. Per catachresim interdum dicitur de quocumque homine pulcro, aut forti. *Plaut. Mil. glor*. 4. 2. 63. per ironiam: Age, mi Achilles, fiat quod te oro. *Val. Max*. 3. 2. 24. Q. Cotius, qui propter fortitudinem Achilles cognominatus est. *Gell*. 2. 11. Nomenque ei (*L. Siccio Dentato*) factum ob ingentem fortitudinem appellatumque esse Achillem Romanum.

ĂCHILLĒUM, i, n. 2. (ἀχίλλειον) genus spongiarum tenue densumque, ex quo penicilli fiunt. *Plin*. 9. *Hist. nat*. 45. 69. (148). — De Achilleo urbe *V*. ONOM.

ĂCHILLĒUS, a, um, adject. (Ἀχίλλειος) ad Achillem pertinens; *V*. ONOM. Hinc κατ' ἐξοχήν *Achilleus cothurnus* ponitur de stilo tragico, epico, sublimi. *Propert*. 2. 25. 41. Desine Achilleo componere verba cothurno, Desine, et ad molles verba resolve choros. *Alii tamen, fortasse rectius, leg*. Æschyleo, *quam voc*. V.

ACHLIS, is, f. 3. feræ cujusdam genus in septentrionalibus regionibus, de qua sic *Plin*. 8. *Hist. nat*. 15. 16. (39). Item natam in Scandinavia insula, nec unquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam, achlin, haud dissimilem illi (*alci*), sed nullo suffraginum flexu: ideoque non cubantem, sed acclinem arbori in somno, eaque incisa ad insidias capi: alias velocitatis memoratæ. Labrum ei superius prægrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. Alii leg. *machlin*, sed *achlin* ab *Harduino* defenditur. Recentiores rerum naturalium scriptores errasse putant *Plinium*, dum alcen et achlin diversas esse beluas censuit, cum una eademque sit. *Cæs*. 6. *B. G*. 27. narrat de alce eadem fere, quæ de achli *Plinius*.

ĂCHŎR, ōris, m. 3. (ἀχώρ). In quibusdam Codd. legitur et sine aspiratione. Est ulcus capitis, tenui manans humore, ita dictum ab α privativo et χῶρος *spatium*, quia non amplum occupet locum: pueros autem maxime infestat (It. *tigna, lattime*; Fr. *teigne*; Hisp. *tiña*; Germ. *böser Grind, Schorf*; Angl. *a scurf*). *Theod. Prisc*. 1. 5. Achoras papillas dicimus, quæ per cavernas brevissimas humorem pinguissimum mittunt. Hæ frequenter in capite, vel facie et ceteris membris emergunt. Quibus et ceteræ papillæ sunt similes, quas ceriones appellamus. Sed et distant, quia cerionés plures cavernas egestionis habent, et humorem multo pinguiorem emittunt; achor autem unam cavernam habet, et humorem egerit aquatiorem. Male secundam corripuit *Macer de ruta* 7. 34. Et Græce dictas acoras hoc unguine purgas. Et *de origano* 38. 14. Pruritus, achoras, maculasque cutis fugat omnes. Et *de malva* 62. 25. Sic turpes achoras pelles furfurque nocivum.

ACHRAS, ădos vel ădis, f. 3. (ἀχράς). Est arbor pyri silvestris (It. *pero selvaggio*; Fr. *poirier sauvage*; Hisp. *peral salvage*; Germ. *der wilde Birnbaum*; Angl. *a wild pear-tree*). *Colum*. 7. *R. R*. 9. 6. Cornus, arbutus, prunus, atque achrades pyri. *Id*. 10. *ibid*. 14. 250. Palmitibusque feris lætatur, et aspera silvis Achrados, aut pruni etc.

ACHRESTUS, a, um, adject. Græca vox ἄχρηστος, inutilis. *Cassiod*. 1. *Divinat. lect*. 9.; ubi tamen meliores Edit. hanc vocem Græcis litteris exhibent.

ĂCĬA, æ, f. 1. (cum voc. acus *conjungenda*) est filum in acu ad suendum (It. *accia, filo, refe*; Fr. *fil à coudre*; Hisp. *hilo*; Germ. *der Faden*; Angl. *a needle-full of thread*). *Cels*. 5. 26. n. 23. Utraque (*sutura et fibula*) optima est ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori insidat, utraque nimis rara, neque nimis crebra injicienda est. (Hinc discimus, fuisse genus fibulæ vulnerariæ acia atque acu factæ. *V*. FIBULA). *Marcell. Empir*. 2. *sub fin*. Hedera si in panno rufo, acia rufa, vel lino rufo ligata, capiti alligetur, etc. De Aciæ materia, et forma agit integro volumine *Joann. Rhodius*. — Conjungitur interdum et cum voce *acu*. *Titinnius* apud *Non*. p. 3. 21. *Merc*. Phrygio fui primo beneque id opus scivi: reliqui acus aciasque hero atque heræ nostræ. — Hinc *ab acia et acu omnia exponere* proverb. quod significat vel minutissimas res narrando exponere, totamque alicujus facti seriem alte ductis initiis diligenter nihilque prorsus omittendo explicare. Legitur *in fragm. Tragur. Petron*. 76. *Burmann*.

ĂCĬĀRĬUM, ii, n. 2. (acus) acuum theca. *Gloss. Lat. Græc*. Aciarium, ῥαφιδοθήκη. *Forcellinus* inter *Expulsa* retulit.

ĂCĬCŬLA, æ, f. 1. (acus) acus parva, qua utuntur mulieres ad ornatum (It. *spillo, spilletto*; Fr. *petite épingle pour orner les cheveux etc*.; Hisp. *alfiler*; Germ. *kleine Nadel*; Angl. *a small needle or pin*). *Inscript*. mutila apud *Gruter*. 1004. 5. ACITE CALAMISTRIS VRAS ACICVLIS...... AFFABRE...... COLLVM DISPOS..... ubi fortasse legendum: *Aciculis in capite affabre et circa collum dispositis*. Hinc confirmatur dubia lectio *Cod. Theod*. 3. 16. 1. Oportet eam usque ad aciculam capitis in domo mariti deponere. *Codd. exhibent* acucula, *quam lectionem nonnulli defendunt ut deminutivum ab* acus: *sed et* anus *facit* anicula.

ĂCĬDĒ, adverb. (acidus) cum aciditate: sed occurrit tantum translate, et est ægre, moleste. *Vulgat. Interpr. Eccli*. 4. 9. Non acide feras in animo tuo. *Petron. Sat*. 92. Negat sibi unquam acidius fuisse. *h. e*. nunquam plus sibi molestiarum fuisse.

ĂCĬDĬTAS, ātis, f. 3. (acidus) humor vel sapor acidus (It. *acidità, acidezza*; Fr. *acidité, aigreur*; Hisp. *acedia*; Germ. *die Säure*; Angl. *acidity, sourness*). *Marcell. Empir*. 20. Aqualiculi corrupteias vel aciditates consumit, et stomachum marcentem revocat.

ĂCĬDŬLUS, a, um, adject. (*deminut. ab* acidus) aliquantum acidus, subacidus (It. *acidetto, fortuzzo*; Fr. *un peu aigre ou acide, aigrelet*; Hisp. *agrete*; Germ. *säuerlich*; Angl. *somewath sour or tart, sourhis*). *Plin*. 15. *Hist. nat*. 15. 16. (54). Pyra acidulo sapore jucunda. *Id*. 2. *ibid*. 103. 106. (230). Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. *Ubi sermo est de aquis medicinalibus; quo sensu* Acidula *et* Acidulus *videntur nomina propria apud eumd*. *Plin*. 31. *ibid*. 2. 4. et 5. (8. et 9.). In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum — abolere produntur, in Ænaria insula calculosis mederi, et quæ vocatur Acidula ab Teano Sidicino quatuor millibus passuum —, item in Stabiano quæ dimidia vocatur, et in Venafrano ex fonte Acidulo.

ĂCĬDUS, a, um, adject. (aceo). Comp. *Acidior* et Sup. *Acidissimus* I. Acidus est aceti saporem, vel odorem habens (It. *acido, inagrito*; Fr. *acide, aigre*; Hisp. *acedo*; Germ. *sauer, scharf*; Angl. *sour, acid*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De iis quæ gustum afficiunt. *Plin*. 15. *Hist. nat*. 27. 32. (106). Sapor acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. *Plaut. Pseud*. 2. 4. 49. Acetum acidissimum. *Vitruv*. 3. 3. 17. Acidæ venæ fontium. *Virg*. 3. *G*. 380. sorba. *Horat*. 2. *Sat*. 2. 43. cum rapula plenus, Atque acidas mavult inulas. *Plin*. 28. *ibid*. 9. 36. (135). Oxygala fit acido lacte addito in recens, quod velis inacescere. *Id. ibid*. 9. 34. (132). Acidus caseus. *Id*. 20. *ibid*. 17. 68. (176). Acida ructans stomachus. *Id*. 30. *ibid*. 4. 9.

(27). Acidus halitus. *Martial.* 6. 93. Acida creta. *h. e.* aceto macerata. — *b*) Interdum ponitur et de iis, quæ auditum vehementer afficiunt. *Petron. in fragm. Tragur.* 68. *Burmann.* Nullus sonus unquam acidior percussit aures meas. *Id. Sat.* 31. Acidum canticum.

II.) Translate. ¶ 1. Est molestus, gravis. *Horat.* 3. *Ep.* 2. 64. Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus. *Apul.* 5. *Met.* 30. Acidæ et amaræ nuptiæ. ¶ 2. Est etiam mordax, asper. *Senec.* 5. *Controv.* 34. *ad fin.* Homo acidæ linguæ. *h. e.* dictis asper, maledicus. Cf. *Quintil.* 6. 3. 53. Placidum nomine, quia is acerbus natura esset, Acidum (*dictum*).

ĂCIĔRIS securis ærea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes. *Paul. Diac.* p. 10. 1. *Müll.* Hanc vocem confirmant *Gloss. Philox.*: Acieris ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος. *h. e.* securis sacerdotis, ut Plautus. Sed in *Plauto* non reperi.

ĂCIES, ēi, f. 5. In Genitivo sing. legitur etiam *acii* usurpatum a *Cn. Matio* apud *Gell.* 9. 14. *Altera pars acii vitassent fluminis undas*: ea ratione, qua et *dii* pro *diei*, et *specii* pro *speciei* olim dictum est. Alii reponunt *acie*: nam et *hujus die* et *hujus specie* dicendum putabat *C. Cæsar* 2. *de Analog.* eodem *Gellii* loco; et *Sallustius* 1. *Hist.* apud *Servium* in *Virg.* 1. *G.* 208. et apud *Priscian.* 7. p. 780. *Putsch.* Dubitavit acie pars. — Etymi ratione, hæc vox conjungenda est cum *ācer*, quam Vide, et præsertim cum Gr. ἀκίς. — Proprie autem acies est pars acuta ferri, aut alterius rei, qua secatur, aut pungitur (It. *punta, filo, taglio*; Fr. *pointe, tranchant, fil*; Hisp. *punta, corte, filo*; Germ. *die Schärfe, die schärfe Schneide oder Spitze*; Angl. *the sharp edge, or point, of any thing*).

I.) Proprie, et quidem ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Truc.* 2. 6. 11. Acies gladiorum. *Cic.* 7. *Verr.* 43. 113. Quod jam ante aciem securium tuarum vidisset. Adde *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (192). et *Quintil.* 1. 4. 12. *Virg.* 2. *G.* 365. Acies falcis. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (192). et alibi sæpe. *Id. Plin.* 13. *ibid.* 25. 52. (142). ferri *Ovid.* 3. *Met.* 107. hastæ. *Firmic.* 1. 3. minax mucronis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (193). vitri. *Id.* 11. *ibid.* 37. 68. (180). rostri. *Id.* 8. *ibid.* 16. 17. (43). unguium. *Id.* 17. *ibid.* 10. 11. (64). lateris in amygdalis. *Ammian.* 18. 3. linguæ. — Hinc pro acuere sive acutum reddere ferrum cotis ope legimus apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 47. (165). Aciem trahere. Et 18. *ibid.* 28. 67. (261). Excitare aciem. Quibus opponuntur *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). Aciem ferri præstringere. Et 27. *ibid.* 11. 73. (192). Aciem securium hebetare. Unde etiam *hebescit acies* metaphorice apud *Cic.* 1. *Catil.* 2. 4. At vero nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatusconsultum —, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum. ¶ 2. *Acies mera* significat etiam ferrum purgatius duriusque, quo utimur ad indurandam aciem, et ad densandas incudes, malleorum rostra, scalpellos lapicidarum, etc. (It. *acciajo*; Fr. *acier*; Hisp. *acero*; Germ. *der Sthal*; Angl. *steel*). *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (145). Neque alia genera ferri ex mera acie temperantur. *Id. ibid.* paullo supra (144). *nucleum ferri* appellat.

II.) Translate ponitur generatim *A*) de facultatibus, quibus homo tamquam acuto præditus instrumento in res penetrat, ac præsertim de oculorum visu; unde *B*) ponitur etiam de iis omnibus, quæ a fronte sua rectam lineam oculis subjiciunt.

A) De hominis facultatibus. ¶ 1. De oculis, et varia quidem ratione; scilicet *a*) acies est maxima videndi vis vel actio; *b*) oculorum acies est ipse visus, *c*) idemque significat acies absolute, *d*) acies est etiam ipsa pupula, *e*) significat oculos, et *f*) etiam ipsam videndi actionem, vel scopum quem intuemur. — *a*) Est maxima videndi vis vel actio. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. 1. Sæpenumero se cum iis congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. — *b*) Item oculorum acies est ipse visus seu cernendi potestas. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 4. et *Lucilius* apud *Non.* p. 34. 32. *Merc.* Oculorum aciem præstringere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (97). Ne colorum claritas oculorum aciem offenderet. *Lucret.* 1. 324. (318). (*Ea*) Nulla potest oculorum acies contenta tueri. *Ovid. Heroid.* 18. 32. Lumina — Aut videt, aut acies nostra videre putat. *Cic.* 4. *Fin.* 24. 65. Hebes acies oculorum. *Plin.* 10. *Hist. Nat.* 3. 3. (9). clarissima. *Id.* 20. *ibid.* 4. 13. (28). Excitare oculorum aciem. *Id.* 20. *ibid.* 22. 95. (284). reficere. *Id.* 20. *ibid.* 6. 21. (47). hebetare. *Seneca Herc. Fur.* 1042. et *Quintil.* 11. 2. 10. Acies luminum. — *c*) Etiam absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 50. An tanta sit ejus (*animis*) tenuitas, ut fugiat aciem. *Id.* 5. *Fin.* 28. 84. Bonum incolumis acies, misera cæcitas. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 5. stupet insanis acies fulgoribus. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (10). *Sueton. Dom.* 18. Acie hebetiore esse. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (203). Vespertina acies. *h. e.* quâ nonnulla præsertim animalia inter nocturnas quoque tenebras res vident. — *d*) Item ipsa pupula. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Aciesque ipsa, qua cernimus, quæ pupula vocatur, ita parva est, ut ea, quæ nocere possint, facile vitet. *Lactant. Opif. Dei* 10. Acies enim, id est membrana illa perlucens, quam siccari et obarescere non oportet, nisi humore assiduo tersa pure reniteat, obsolescit. — *e*) Item ipsi oculi. *Lactant. loc. cit.* Ex quorum confinio nasus oriens — utramque aciem simul et discernit et munit. *Et id. ibid.* Visus in duas acies, et odoratio in duas nares divisa est. *Lucret.* 4. 248. (249). Isque (*aer*) ita per nostras acies perlabitur omnis. *Virg.* 6. *Æn.* 789. Huc geminas nunc flecte acies. *Id.* 12. *ibid.* 558. Huc atque huc acies circumtulit, aspicit urbem. *Catull.* 64. 127. Aciem protendere in pelagus. *Ovid.* 2. *Met.* 776. Nusquam recta acies. *Id.* 3. *ibid.* 381. Dimittere aciem in omnes partes. — *f*) Denique est ipsa videndi actio, vel scopus quem intuemur. *Catull.* 61. 56. Cupit ipsa pupula ab se tibi dirigere aciem. *Virg.* 1. *G.* 395. de stellis: Nam neque tum stellis acies obtusa videtur. *Lucret.* 2. 448. Prima acie. *h. e.* primo intuitu. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 37. Ad eam rem habeo omnem aciem. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 38. Atque idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, etc. ¶ 2. Ducta translatione ab acie oculorum, acies ponitur pro ingenii acumine ac perspicacitate. *Cic.* 1. *Leg.* 23. 60. Et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad bona deligenda. *Id.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 39. 122. Nulla acies ingenii tanta, quæ penetrare in cælum, intrare terram possit. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 73. Mentis acies se ipsa intuens nonnunquam hebescit. *Id. Senect.* 23. 83. Cujus (*animi*) obtusior sit acies. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 61. Præstringere aciem mentis. *Id.* 1. *Ep. ad Brut.* 18. 4. Aciem boni ingenii præstringere. *Id.* 12. *Phil.* 2. 3. Præstrinxerat aciem animi D. Bruti salus. *Id.* 2. *Nat. D.* 17. 45. A consuetudine oculorum aciem mentis abducere. *Id.* 1. *Orat.* 33. 73. Omni acie ingenii aliquid contemplari. *Id.* 5. *Tusc.* 13. 39. Si ejus (*animi*) acies ita curata est, ut ne cæcaretur erroribus, fit perfecta mens. *Flor. proœm.* 1. 3. Rerum diversitas aciem intentionis abrumpit. *h. e.* ita hebetat, ut ipsum rerum ordinem persequi nequeat. *Grat. Cyneg.* 97. Mens fuit, in cæcas aciem quæ magna tenebras Egit.

B) Acies ponitur etiam de iis omnibus, quæ a fronte sua rectam lineam oculis exhibent; translatione ducta ab oculorum acie, quæ in res recta fertur. ¶ 1. Generatim. *Cod. Theod.* 15. 1. 50. Opus cœptum exstruatur, et porticus thermas Honorianas præcurrat acie columnarum. *h. e.* recto columnarum ordine. *Ammian.* 14. 7. Gallus ut serpens appetitus telo vel saxo —, districta dentium acie stridens: Adeste, inquit, etc. *Virg.* 2. *Æn.* 333. Acies ferri stricta. ¶ 2. Peculiariter in re militari acies ponitur modo pro parte exercitus instructa, quæ propterea eumdem oculis ordinem a fronte exhibet; occurrit et num. plur. et de equitibus et navibus. *Liv.* 8. 8. 5. Prima acies hastati erant. *Sall. Catil.* 63. In prima acie versari. *Tac.* 3. *Hist.* 21. Primori in acie versari. *ibid.* 10. 2. Ab novissima acie signa procedere. *Id. ibid.* 10. 3. Ad extremam aciem pervenire. *Curt.* 4. 15. 17. ultima. *Liv.* 27. 48. media. *Id.* 27. 45. dextra. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Tertiam aciem laborantibus subsidio mittere. *Id.* 3. *B. C.* 93. quarta. *Id.* 1. *B. G.* 51. Triplici instructa acie. *Id.* 3. *B. C.* 93. Aciem instituere. — *Virg.* 2. *G.* 281. directæ acies. *Id.* 12. *Æn.* 369. conversæ. *et alibi sæpe.* — *Vellej.* 2. 112. 5. Fugata equestris acies, fugatæ alæ. *Liv.* 8. 39. 1. Equitum acies. *Curt.* 3. 9. 4. Pedestris acies. *Nep. Hannib.* 11. 1. Classis ab utrisque in prœlium deducitur: quarum acie constituta. ¶ 3. Hinc ponitur etiam pro integro exercitu instructo et ad prœlium parato. *Cic.* 2. *Catil.* 3. 5. Quibus ego si aciem exercitus nostri ostendero. *Cæs.* 7. *B. G.* 62. Acies hostium. *Cic.* 10. *Fam.* 30. 2. et alibi sæpe, necnon *Nep. Eum.* 8. 1. Aciem instruere. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. instituere. *Tac.* 2. *Hist.* 41. et *Curt.* 4. 12. 5. disponere. *Tac. Germ.* 6. componere. *Curt.* 3. 8. 24. ordinare. *Sall. Jug.* 52. 8. exornare. *Liv.* 4. 27. explicare. *Curt.* 3. 9. 12. extendere. *Liv.* 31. 35. Tota acie dimicare. *Id.* 29. 2. Aciem turbare. *Id.* 1. 12. inclinare. *Id.* 2. 20. Inclinat acies. *Id.* 29. 2. Aciem turbare. *Id. ibid.* restituere. *Tac.* 3. *Hist.* 7. disjicere. *et alia hujusmodi apud omnes.* ¶ 4. Exinde ponitur pro ipso prœlio et conflictu. *Cic.* 1. *Off.* 23. 81. Temere in acie versari. *Tac.* 12. *Ann.* 32. Aciem audere. *Nep. Milt.* 4. 4. Acie decernere. *Tac.* 4. *Hist.* 27. certare. *Liv.* 30. 19. confligere. *Id.* 7. 14. pugnare. *Id.* 7. 29. dimicare. *Sall. Jug.* 58. Non prœliis neque acie, sed alio modo bellum gerere. *Liv.* 31. 34. Copias in aciem educere. *Nep. Milt.* 5. 4. producere in aciem. *Liv.* 24. 8. Descendere in aciem. *Id.* 10. 12. Egredi in aciem. *Id.* 7. 26. Committere se in aciem. *Id.* 31. 17. Excedere acie. *Id.* 29. 2. Cadere in acie. *Ovid.* 7. *Met.* 142. Cadere acie. *Id.* 22. 60. Stare in acie. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. Navali acie decertaturus. *Cic.* 6. *Fam.* 3. 2. Etsi quem exitum acies habitura sit, divinare nemo potest, tamen belli exitum video. *Id. Ligar.* 3. 9. Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? *Tac.* 4. *Hist.* 67. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit. *Id. ibid.* 17. Batavos arma contra dominos cepisse: prima acie fusum fugatumque Romanum. *Vellej.* 1. 11. 2. Immani acie hostem fundere. *Id.* 2. 119. 3. Acies magnam partem militum absumpsit. *Id.* 2. 55. 4. abstulit. *Curt.* 7. 9. 13. Equestris acies. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 4. Ut (*splendor clupei*) oculorum præstringat aciem in acie hostibus. *Pacuvius* apud *Non.* p. 231. 25. *Merc.* In celebri acie. *Accius* apud *eumd.* p. 502. 1. Mea facta in acie obtiti. ¶ 5. Hinc ducta metaphora, ponitur et de calculorum ludo. *Carm. ad Pis.* 185., *quod Salejo Basso tribuitur* (*Poetæ Lat. min. T.* 4. *Wernsdorf.*). ¶ 6. Item ducta translatione ab acie militari, ponitur et pro disputationum contentione. *Plaut. Epid.* 4. 1. 20. Orationis aciem contra conferam. *h. e.* verba tamquam aciem militum contra disponam. *Cic. Orat.* 14. 42. Nos autem jam in aciem dimicationemque veniamus. *Id.* 2. *Tusc.* 25. 60. Ad philosophos me revocas, qui in aciem non sæpe prodeunt. Adde *Quintil.* 2. 10. 8., 2. 4. 17., 10. 1. 29. ¶ 7. Eadem translatione *aciem Vulcaniam* posuit *Virg.* 10. *Æn.* 405. Ac velut, optato ventis æstate coortis, Dispersa immittit silvis incendia pastor; Correptis subito mediis, extenditur una Horrida per latos acies Vulcania campos; Ille sedens victor flammas despectat ovantes: etc. *Forcellinus* aciem Vulcaniam interpretatur ignis vim: nobis vero liceat cum *Heyn.* interpretari igneam aciem; silvæ enim sunt stipulæ agri demessi, quas pastor ad solum recreandum incendit (Cf. 1. *G.* 76. et 152.); ignis autem veluti militum acies repræsentatur, ut patet ex vocabulis *extendere*, *victor* et *flammæ ovantes*.

Homonym. In quo *acies* ab *acumine* differat *V.* ACUMEN in fine.

ĂCĬNA, æ, f. 1. idem quod acinus, quam vocem *V.* infra. Feminino genere occurrit tantum apud *Catull.* 37. 3. (27. 4). Ut lex Postumiæ jubet magistræ, Ebriosa acina ebriosioris. *Gell.* 7. 20. *ad hunc locum*: Cum dicere *ebrioso* posset, et, quod erat usitatius, *acinum* in neutro genere appellare; amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, *ebriosa* dixit propter insequentis *a* litteræ concentum.

ĂCĪNĂCĒS, is, m. 3. (ἀκινάκης) gladius Persarum, sive Medorum, et Scytharum proprius, brevior (ξιφίδιον vocat *Pollux* 1. 10.) et Romanorum pugioni similis, retro tamen aliquantum curvatus, qui aptabatur femori, et fortasse etiam dextero, non sinistro, ut *Lips.* 3. *Dial.* 1. *Analect. ad Milit. Rom.* innuere videtur. Hinc *Val. Flacc.* 6. 701. Insignis manicis, insignis acinace dextro. *Curt.* 3. 3. 18. Vaginam acinacis Persicam mutari jussisse in eam formam, qua Græci uterentur. *Horat.* 1. *Od.* 27. 5. Vino, et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat! ¶ 2. Acinacem coluisse tamquam Deum Scythicas nationes narrat *Arnob.* 6. p. 196.

ĂCĬNĂCEUS. *V.* ACINATICIUS.

ĂCĬNĀRIUS, a, um, adject. ab acino deductum. *Acinaria vasa*, quæ inter instrumenta ad vindemiam, seu vinum pertinentia recenset *Varro* 1. *R. R.* 22. sunt vasa servandis uvis apta, antequam prælo exprimantur. Verba *Varronis* sunt: Habere oportere vasa torcularia trina, dolia cum operculis culleorum octingentorum, acinaria XX. etc.

ĂCĬNĀTĬCĬUS, a, um, adject. Acinaticium vinum ex passis uvæ acinis confectum, pretiosum valde, et in deliciis habitum. Describitur fuse a *Cassiod.* 12. *Variar.* 4., ubi ille: Acinaticium vinum, cui nomen ex acino est. Meminit etiam *Pallad.* 1. 6. 9. his verbis: Nigras vites omnino repudies, nisi in provinciis, in quibus ejus generis, quo acinaticium fieri consuevit. *Cassiod. loc. cit.* Veronensem agrum huic vino aptissimum esse scribit. *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. docet acinaticium plane vini nomine contineri. — Apud *Cassiodor.* quidam legunt *acinacrum*, alii *acinaticum*. *Labus. Mus. Mant. T.* 2. p. 58. hoc vinum vocat *vin santo*: Interpres Italus *Palladii* vocat *vino vermiglio*.

ACINATICUS. *V.* vocem præced.

ĂCĬNOS, i, f. 2. (ἄκινος) Græca terminatione, herba est ocimo silvestri similis, hirsutior tamen ramis ac foliis, et admodum odorata, quam et coronarum causa et ciborum Ægyptii serunt, inquit *Plin.* 21. *Hist. nat.* 27. 101. (174). Juxta cl. *Fée*, Acinos *Plin.* est Ἄκινος *Diosc.* 3. 50.; Ocimum monachorum *Fab. Colum. Phitob.* p. 23.; Thimus Acinos *L. Spec. plant.* 826?

ĂCĬNŌSUS, a, um, adject. (acinus) acino similis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 27. (47). Semen asari acinosum. *Id.* 21. *ibid.* 17. 68. (109). Acinosus caulis, *h. e.* semen ferens acino simile. — Apud *eumd. Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (40). (*Uvæ*) columbinæ acinosissimæ, *hoc esset* acinis quam maxime abundantes. *Harduinus* vero ex MSS. et recentiores Editt. rectius exhibent *e racemosissimis*.

ĂCĬNUM, i, n. 2. et

ĂCĬNUS, i, m. 2.; raro et *Acina*, æ, f. 1., quam voc. *V.* sup. Neutrum *Acinum* in plur. præsertim numero occurrit. A Græco ἄκινος, nempe quod est sapore acri (ab inusit. ἄκω vel ἀκέω *acuo*; V. *ăcer*), est fructus arboris, qui sub tenui pellicula humorem continet, cujus partes sunt folliculus, succus, caro, et granum quod dicitur etiam lignum et nucleus, in uva autem appellatur quoque vinaceus vel vinaceum: acinus enim ponitur non de granis uvæ solum; sed de aliis quoque arborum fructibus (It. *acino, granello*; Fr. *petite baie, grain*; Hisp. *baya, grano*; Germ. *die Fruchtbeere*; Angl. *grain, or grape*). Occurrit autem *a*) speciatim de uva; *b*) generatim de pluribus aliis arborum fructibus. — *a*) Ponitur de uva modo cum Genitivo ipsius uvæ, modo absolute præsertim cum de vino sermo est. *Sueton. Aug.* 76. Panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedit. *Cato R. R.* 112. 2. Et si qua acina corrupta erunt, depurgato. *Id. ibid.* § 3. Tum acina de uvis miscellis decerpito. *Varro* 1. *R. R.* 54. 3. Lota acina. *Et mox*: Expressi acinorum folliculi. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 1. Acina acida et vitiosa. *Id. ibid.* § 2. corrugata. *Id.* 12. *ibid.* 42. 4. rugosa. *Id.* 12. *ibid.* 43. 8. crassa variaque. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (189). Peritiores affirmant, si justo sæpius fodiatur, in tantum tenerescere acinos, ut rumpantur. *Cic. Senect.* 15. 52. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur e terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acini vinaceo, aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreet. *Non.* p. 193. 14. *Merc.* et *Cod. Reg.* hanc lectionem exhibent, quam et *Klotz* tuetur: *vulgatæ Editt.* ex acino vinaceo *leg.*, sed male omnino, acinus enim significaret lignum sive granum uvæ, quam significationem nullum prorsus exemplum confirmat, imo et ipsa *Ciceronis* verba respuunt, necnon *Colum.* 11. *R. R.* 2. 69. Cum expresseris vinacea, quæ acinis celantur. Cf. *Casaubon.* ad *Sueton. loc. cit.* et *Klotz* ad *Cic. loc. cit.* — *b*) Acinus ponitur etiam de pluribus aliis arborum fructibus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 29. (100). Hederæ samburique acini, et figura etiam Punici. *Id.* 25. *ibid.* 9. 68. 116. Acinus cissanthemi. *Id.* 24. *ibid.* 10. 45. (74). ligustri. *Id.* 21. *ibid.* 31. 105. (177). trychni.

Homonym. Differunt *acini*, et *baccæ* in eo, quod *acini* densius nascuntur, et magis conglomerati, ideo vitibus tribuuntur, samburo, hederæ, malis Punicis, et similibus, granorum veluti uvam ferentibus: *baccæ* vero dispersæ, et rariores, ut sunt lauro, olivæ, cornis, myrtis, lentisco. Ita satis intelligitur ex *Plin.* 15. 24., ubi cum acinorum inter se, tum baccarum differentias exponit. Aliquando tamen hæ confunduntur. Nam idem *Plin.* qui hederæ tribuit acinos, cum *loc. cit.* tum 15. 24.; eidem tribuit baccas 24. 10. 47. (77).

ĂCĬPENSER, ĕris, m. 3.; *et etiam* Acipensis, is, apud *Martial loc.* infra *cit.*; et Aquipenser (eodem modo quo *incolo* et *inquilinus*, aliaque hujusmodi) apud *Paul. Diac.* p. 22. 13., ubi hæc *Müller*: Acipenserem ab *acu* et *pesna*, id est *penna*, dictum esse, bene observavit *Salmas. Exerc. Plin.* p. 941. *col.* 2. *a.*, nisi quod penna rectius crista, quam rostrum piscis dici videtur. Certe Græcum ἀκιπήσιος e Latino, non Latinum e Græco ductum est, ipso *Athenæo* 7. p. 294. *f.* teste. Hinc male nonnulli apud *Martial.* leg. *acipensera*, quæ Græca est positio: et qui *accipenser*, vel *accipensis* scripserunt duplici *cc*, male scripserunt. — Est autem piscis nobilissimus apud antiquos, magnoque in pretio et honore habitus, adeo ut a coronatis ministris, tibicine etiam concinente, eum in mensam inferre mos fuerit, ut scribit *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. afferens in testimonium ejus rei verba *Sereni Sammonici*. *Plinii* tamen temporibus nullo in pretio habebatur, quod miratur ipse 9. *Hist. nat.* 17. 27. (60)., et cf. 32. *ibid.* 11. 53. (145). Postea rediit ejus gratia ad epulas quasi postliminio, eodem *Sammonico loc. cit.* teste. *Lucilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit. Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista Consumis squilla atque acipensere cum decumano. *Cic. fragm. de Fato* apud *Macrob. ibid.* Acipenser iste paucorum hominum est. *Id.* 3. *Tusc.* 18. 43. Huic acipenserem potius, quam Socraticum libellum dabis? *Horat.* 2. *Sat.* 2. 47. Haud ita pridem Galloni præcoris erat acipensere mensa Infamis. *Ovid. Halieut.* 132. Tuque peregrinis acipenser nobilis undis. *Martial.* 13. 91. Ad Palatinas acipensem mittite mensas. (*Acipensis* legitur etiam in titulo ejus epigrammatis). — *NB.* Hæc ad usum vocis dicta sint. Quodnam vero piscis genus hoc nomine significetur, nihil certi affirmare possumus. Qui eumdem ac helopem, seu elopem esse putarunt, refelluntur auctoritate *Ovidii Halieut.* ubi alterum ab altero secernit, et *Columellæ*, qui *l.* 8. *c.* 16. scribit, solo Pamphylio mari helopem pasci. *Plin.* 9. 17. 27. (60). hæc ait: Apud antiquos piscium nobilissimum habitus acipenser, unus omnium squamis ad os versis: contra aquam nando meat. *Harduinus* ex MSS. legit *contra quam in nando meant*. hoc est contra quam in natando ceteri pisces omnes meant; nam illi quia squamas habent ad caudam versas, secunda squama nare dicuntur: at adversa acipenser, quia ad os versas squamas habet. *Rondeletius l.* 14. *c. ult.* cum *Scaligero*, et *Aldrovando l.* 4. *c.* 9. arbitratur esse *storione* Italorum, sed hic fluviatilis est etiam, nec solum marinus, nec squamas habet ad os versas. *Salmasius* quoque in *Exercit. Plin.* p. 1316. diserte negat, acipenserem esse *storione*. Alii silurum esse putant, alii tursionem. Viderint Ichthyographi.

ĂCISCO. *V.* ACESCO.

ĂCISCŬLUS, i, m. 2. parva ascia, ut est in *Glossis Isid.* vel potius parvus malleus, cujus et figura, et nomen habetur in veteri nummo apud *Morell. Thesaur. numism. familiar. R. T.* 2. *tab.* 1. in *gent. Valeria*. Habet enim ex altera parte caput mallei, ex altera in cuspidem desinit aliquantum curvatam. Dici autem putant per metathesim pro *asciculus* deminut. ab *ascia*. Cf. et voc. seq. *Acisculum* aliter interpretatur *Cavedon. App. al Sagg.* p. 198. De forma autem acisculi, mallei, etc. V. *Cavedon.* et *Borghes. Bullettino di cose Arch. ann.* 1845. p. 188-192. — Rectius fortasse legendum est *asciculus*: etenim in *Glossis* ed. a cl. *Maio* (*Class. Auct. T.* 8. p. 12.) hæc habentur: Dicitur autem et hic ascis, is, pro securi, qua cæmentarii utuntur; et inde hinc (*lege* hic) asciculus, i. e. diminut. unde Gregorius nazianzenus: scio, inquit, aliud esse altare, super quod asciculus non ascendit. — De Acisculo nom. proprio *V.* ONOM.

ĂCISCŬLĀRĬUS, λατόμος (*h. e.* lapicida). *Gloss. Philox.* *V.* vocem præced.

ACĪTĀRE. *V.* ACETO.

ACLASSIS tunica ab humeris non consuta. *Paul. Diac.* p. 20. 11. *Müll.* Cl. *Furlanetto* in suis MSS. putat hanc vocem fortasse derivari a Græca ἄκλαστος *non fractus*, ab α privativo et κλάω *frango*: nisi forte ab ἀκλείστος *non clausus*. In *Gloss. Labb.* Aclassi λώματα: quæ explicatio parum cum Paulo concinit.

ĂCLIS, ĭdis, f. 3. legitur in quibusdam Editt. et MSS., sed minus recte juxta *Heynium ad Virg.* 7. *Æn.* 730., recte juxta recentiores pro

ĂCLYS, ÿdis, f. 3. (cf. ἀγκύλη *jaculum*) genus antiqui jaculi exigui et teretis, quod flagello seu loro longissime jaciebatur. Earum binas saltem, aut plures etiam ferebant milites in prælio, ut ex *Val. Flacc.* loco colligit *Lips. l.* 4. *Poliorcet. dial.* 4. Addit *Salmas.* ad *Trebellii Claud.* 14. ex *Serv.* ad 7. *Æn.* 730. ita fuisse loro illigatas, ut peracto vulnere ad jacentis manum redirent, cujus quidem rei penes *Servium* sit fides. *Val. Flacc.* 6. 99. albentes gemina ferit aclyde parmas. *Virg.* 7. *Æn.* 730. teretes sunt aclydes illis Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello. *Sil.* 3. 362. movet Arbacus arma, Aclyde, vel tenui pugnax instare veruto. V. *Annali dell'Istit. Archeol. ann.* 1832. p. 76.

ACMŌRRHOEA, æ, f. 1. flos arboris mali granati; ab ἀκμή *apex*, *flos*, et ῥοιά *malum granatum*. *Gargil. de pom.* 24. (edente *A. Maio* in *Class. auct. T.* 3. p. 425.). Flos ejus arboris, qui emnonruas (*ita mendose legitur in Codice*) vocatur, siccatur in umbra. *V.* CYTINUS et AMPULLAGIUM, et præsertim *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 59. et 60., ubi similia narrantur de cytino, qui propterea idem videtur ac acmorhœa. Cl. *Mai.* epistola data die 1. Novembr. a. 1834., quæ ms. extat in Biblioth. Sem. Patav., hanc *Furlanetti* emendationem pluribus laudat.

ACNŪA *vel* Acna, æ, f. 1. modus, seu mensura agrorum, continens pedes CXX. Videtur esse a Græco ἄκαινα, vel ἄκαινα (per syncop.) quæ virgam decempedalem sive agrimensoribus usitatam significant. Est autem vocabulum a rusticis usurpatum pro actu quadrato. *Varr.* 1. *R. R.* 10. 2. Actus quadratus, qui latus est pedes CXX, et longus totidem, is modus acnua Latine appellatur. *Colum.* 5. 1. 5. Actus quadratus undique finitur pedibus CXX, sed hunc actum provinciæ Bæticæ rustici acnuam vocant. Alii leg. *agnam*, alii utroque loco aliter: sed minus recte.

ĂCOETIS, is, f. 3. Est Græcum ἄκοιτις *simul cubans*, *in eodem lecto cubans*, *uxor*, *marita*, ab α quod significat ἅμα sive ὁμοῦ *simul*, et κοίτη *cubile*. Latinis litteris occurrit in *Lucilio* apud *Non.* p. 26. 3. *Merc.* varam fuisse Amphitryonis acœtin Alcmenam. Et *paullo post* iisdem verbis.

ĂCOETON mel. *V.* ACERUS.

ĂCŎLĪTUS } et
ĂCŎLŪTUS }

ĂCŎLŸTHUS, i, m. 2. triplici enim ratione scribi potest in penultima: per *y*, *acolythus*, abjecta priore Græcæ diphthongi vocali *o*: per *u*, *acoluthus* eadem *y* in *u* conversa, quod Latinis familiare est: et per *i*, *acolithus*, nam et hoc Latini solent aliquando, ut in *silva*. — Est autem Græcum ἀκόλουθος ab α conjunctionem significante et κέλευθος, *via*, *h. e.* qui eamdem viam tenet, seu qui comitatur. Nomen est ministerii in Ecclesia, et dicitur de eo, qui subdiacono inservit in sacrosancto Missæ sacrificio. *Isid.* 7. *Orig.* 12. 29. Clericorum gradus, et nomina hæc sunt: Ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, etc. *Augustin. Ep.* 104. Per dilectissimum filium nostrum Albinum acoluthum. *Cyprian. Ep.* 28. 2. De Philumeno et Fortunato hypodiaconis et Favorino acolytho — quid mihi videatur, rescribam. *Inscript.* quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 529. apud *Mommsen.* 1305. B. M. HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS MVRRASIVS ACOLETVS QVI VIXIT ANNVS PL. MS. XXXV. DP. (*h. e.* depositionis) SIVB DIE KL. S. P. FLAVIO DECIO IVNIORE V. CL. CONS.

ĂCŎNÆ, arum, f. 1. Græca vox ἀκόναι, a Nom. sing. ἀκόνη cos (cf. ἀκονάω *acuo*), sunt petræ nudæ atque acutæ. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 3. 2. (10). Nascitur in nudis cautibus, quas acones nominant.

ĂCŎNĪTI ἀκονιτί, adverbium Græcum, quod compositum ab α privat. et κόνις, *pulvis*, significat sine pulvere, et translate sine labore, citra negotium: ducta metaphora vel ab athletis, qui pugnantes corpora pulvere inspergebant: vel ex eo quod qui pugnant, corporis exercitatione et contentione pulverem excitant, eoque respergantur. Quare vincere sine pulvere, est citra laborem vincere: quod *Horat.* 1. *Ep.* 1. 51. *palmam sine pulvere* dixit, et *Gell.* 5. 6. *impulveream incruentamque victoriam*. Adverbio *aconiti* opponitur *coniti*, κονιτί, quod est cum pulvere, contentione et labore. Græcam vocem utramque Latinis litteris scripsit *Plin.* 35. 11. 40. (139). Qui pancratio Olympia citra pulveris tactum, quod vocant aconiti, vicit; coniti Nemea.

ĂCŎNĪTUM, i, n. 2. (ἀκόνιτον) herba venenata foliis cyclaminis, aut cucumeris, non pluribus quatuor, ab radice leniter hirsuta: radice modica, cammaro ma-

rino simili: quare quidam et cammarum appellavere. Radix incurvatur paullum scorpionum modo, ex quo et scorpion dixere quidam. Fuere etiam, qui myoctonon appellare mallent, quoniam odore mures necat, etiam e longinquo. Nascitur in nudis cautibus, quas acones nominant, unde et nomen habet, nullo juxta, ne pulvere quidem nutriente; nempe ab α privativo, et κόνις *pulvis*. Alii ita dictum putant quod eadem vis ei sit ad mortem inferendam, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiatur: cos enim Græce ἀκόνη dicitur: alii rectius ab Acone deducunt, qui locus est circa Heracleam Ponticam, ubi plurimum et præstantissimum nasci dicitur. Hanc descriptionem ex *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (4). et seqq. desumpsimus, collato etiam *lib.* 6. 1. 1. (4): *Plinius* autem unam tantummodo aconitorum speciem sibi cognitam exhibet, *Dioscor.* vero 4. 77. et 78. duas esse constituit et plures alterius varietates designat. Cl. *Fée* hæc synonyma proponenda arbitratur: *Θηλυφόνον vel σκορπίος Teoph. Hist. pl.* 9. 19.; Ἀκόνιτον, οἱ δὲ παρδαλιαγχὲς, οἱ δὲ κάμμαρον, οἱ δὲ θηλυφόνον, οἱ δὲ μυοκτόνον, οἱ δὲ θηριοφόνον *Dioscor.* 4. 7.; Aconitum cyclaminis folio, seu cammaron, seu thelyphonon, seu scorpios, seu myoctonon *Plin. loc. cit.* sunt Doronicum Pardalianches *L. Spec. plant.* 751. Ἀκόνιτον *Theoph. Hist. plant.* 9. 16.; Ἀκόνιτον ἕτερον *Dioscor.* 6. 98.; Aconitum *Virg. loc.* infr. cit. et *Ovid.* 7. *Met.* 418. sunt Aconitum Napellus *L.*, A. Lycoctonum *L.*, A. Cammaron *L.* (It. *aconito*; Fr. *aconit*, *napel*; Hisp. *aconito*; Germ. *Sturmhut*, *Wolfswurz*; Angl. *aconite*, *wolf's bane*, *monk's bane*). — Porro in fabulis est, aconitum natum esse ex spuma canis Cerberi, quo tempore eum ab Inferis Hercules vi extraxit, qua de re V. *Ovid. loc. cit.*, et *Servium* ac *Probum* in *Virg.* 2. *G.* 152.: alii vero dicunt natum esse ex sanguine Promethei in Caucaso monte vincti et a vulture lacerati; unde *Auson. Edyll.* 12. *cap. de hist.* v. 10. Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux, Unde Prometheo de corpore sanguineus ros Aspergit cautes, et dira aconita creat cos. — Ceterum aconitum occurrit semper plur. num.; ponitur autem ¶ 1. Proprie de herba superius descripta. Apud *Plin. loc. sup. cit.* *Virg.* 2. *G.* 152. nec miseros fallunt aconita legentes. *Ovid.* 7. *Met.* 418. Quæ quia nascuntur dura vivacia caute, Agrestes aconita vocant. *Lucan.* 4. 322. Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis Infundas aconita palam (*in fluvios*) etc. ¶ 2. Per catachresim ponitur de quocumque veneno. *Ovid.* 1. *Met.* 147. Lurida terribiles miscent aconita novercæ. *Juvenal.* 10. 25. sed nulla aconita bibuntur Fictilibus. *h. e.* at non pauperibus veneficia sunt timenda. *Id.* 1. 158. Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur Pensilibus plumis? etc.

ĂCONTĬAS, æ, m. 1. Græca vox ἀκοντίας, ὁ, *jaculum*, ac per similitudinem *serpentis genus*. ¶ 1. Acontias inter serpentes, quas alit Ægyptus innumeras sævissimasque, recenset *Ammian.* 22. 15. 27. ¶ 2. Acontiæ cum Græce, tum Latine sunt stellæ crinitæ jaculi modo velocissime volantes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (89). Acontiæ jaculi modo vibrantur ocissimo significatu. *Harduin.* ita legit, et hanc lectionem ipse *Sillig.* ceteris prafert: *alii* ocissime significantes *aut* significantur.

ACONTĪZO, as, are, n. 1. Est Græcum ἀκοντίζω *jaculor*. Sed occurrit tantum translate, et quidem neutrorum more. *Veget.* 1. *Veter.* 26. 4. Ut possit sanguis acontizare per venam. *Id. ibid.* 27. 2. Sagitta percuties venam, ut acontizet sanguis.

ĂCŎPOS, i, f. 2. gemma nitro similis, pumicosa, aureis guttis stellata, ἄκοπος: ab α privativo, et κόπος, *lassitudo*, quia cum ea oleum subfervefactum perunctis lassitudinem (si credamus) solvit, inquit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (143). ¶ 2. Item genus est herbæ, alio nomine anagyros, gravis odore, flore brassicæ, fruticosa, semen in corniculis non brevibus gerens simile renibus, quod sub vindemiæ tempus durescit. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 13. (92). Anagyros sive Acopos *Plin.* est Ἀνάγυρις *Dioscor.* 3. 167.; et Anagyris fœtida *L. Spec. plant.* 534. (It. *fava lupina*; Fr. *le bois puant*; Hisp. *anagiris*; Angl. *lupine*).

ĂCŎPĬCUM medicamentum, idest acopum, legitur a quibusdam apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (92)., ubi *Harduin.* ex MSS. *acopum*.

ĂCŎPUM, i, n. 2. (ἄκοπον) medicamentum ad levandam lassitudinem, reficiendosque nervos laborantes utile: ab α privativo, et κόπος, *lassitudo*. *Cels.* 4. 31. Ut etiam cum acopo, vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 80. (157). Oleum ex Delphica lauro ad cerata, acopumque utile est. *Id.* 29. *ibid.* 6. 37. (115). Murini catuli triti in vino vetere ad crassitudinem acopi. Adde 29. 3. 13. (55). et 31. 7. 42. (92). *Cels.* 5. 24. Acopa quoque utilia nervis sunt. Hoc loco *Celsus* acopi compositiones duas tradit. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 11. Acopis etiam levioribus utentes, quæ mitius nervorum faciant laxamentum. *Id.* 4. *Tard.* 2. Acopa acriora, ut ex euphorbio, et opobalsamo, et simili virtute medentibus confecta. *Veget.* 2. *Veter.* 15. 5. Acopo thermantico renes eorum (*jumentorum*) totumque corpus perunges. Adde *Scribon. Comp.* 208. et seqq.

ĂCOR, ōris, m. 3. (V. *ăcer*) proprie est aceti sapor (It. *acetosità*, *acidezza*; Fr. *aigreur*, *saveur agre*; Hisp. *acedia*; Germ. *die Säure*; Angl. *sharpness*, *sourness*, *acidity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de vino; deinde et de aliis quæ acescunt. *Ulp. Dig.* 18. 6. 4. § 1. Periculum acoris et mucoris vini præstare. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 5. *de vitibus*: Ut serum fructum cum præcoque elevet, quæ res mox acorem facit. *Id.* 7. *ibid.* 8. 1. Lac celeriter acorem concipit. Adde 12. 13. 1. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (239). Mirum, barbaras gentes, quæ lacte vivant, ignorare casei dotem, densantes id (*lac*) alioqui in acorem jucundum, et pingue butyrum etc. *h. e.* in oxygalam, quam voc. V. *Id.* 18. *ibid.* 11. 26. (104). Palam est, naturam acore fermentari. *de fermento panis loquitur.* *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. Mutanda præterea frequentius erunt hæc cataplasmata, ne perseveratione sui corrupta corporis exhalatione in acorem veniant. ¶ 2. Latiori sensu dicitur etiam de sapore acido, qui gustui ingratus non est. *Quintil.* 9. 3. 27. Et habent quamdam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibis interim acor ipse jucundus est. Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* sup. cit.

II.) Translate. *Plin.* 7. *Ep.* 1. Hortor, ut jucundissimum genus vitæ nonnullis interdum quasi acoribus condias.

ĂCOR, plur. *acōres*. *V.* ACHOR.

ĂCORNA, æ, f. 1. (ἄκορνα) genus cardui, colore rufo et succo pingui. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 56. (95). Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 61.) arbitratur, nihil certi de hoc carduo definiri posse. *V.* CNICOS.

ĂCŎRON, i, n. 2. et Acoros, i, m. 2. Græca terminatione, Latina autem Acorum et Acorus, i, (ἄκορον et ἄκορος) herba foliis iridis, angustioribus tamen et longiore pediculo, radice nigra, et minus venosa, gustu acri, odore non ingrata, et ructum facile ciente. Ita eam *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 100. (157). describit. Est eadem, quæ in Officinis calamus aromaticus dicitur, Acorus Calamus *L.* *Apul. Herb.* 6. tradit, acoron ab Italis vocari veneriam, et radicem nauticam, si modo de eadem herba loquitur, de qua *Plinius*. *Cels.* 3. 21. Rosæ folia, acorum, amaræ nuces, etc. Adde 5. 23. et 1. 3. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 5. 15. (28). et *ibid.* 15. 90. (159). Acorum antidotis miscetur. *Veget.* 5. *Veter.* 78. 3. Acori Pontici semuncia trita cum vini veteris sextario. *Apul. loc. cit.* A Græcis dicitur acoros, etc.

ĂCOSMOS, ἄκοσμος, vox Græca, qua utitur *Lucret.* 4. 1153. ubi ait puellas sordidas, immundas, et fœtidas ab amatoribus excusandi causa vocari negligentes in cultu corporis, et ornatus parum studiosas: *Nigra melichrus est; immunda et fœtida acosmos.* Sed recentiores Editt. Græcis litteris rectius exhibent.

ACQUĪESCO *vel* adquiesco, escis, ēvi, ētum, escere, n. 3. (ad et quiesco). Part. *Acquiescens* et *Acquieturus* I. 1. Est idem fere quod quiesco, a negotio cesso et otio fruor, ab itinere cesso, consisto (It. *riposare*, *riposarsi*, *fermarsi*; Fr. *se reposer*, *s'arrêter à*; Hisp. *reposarse*, *quedarse*; Germ. *auf*, *bei oder nach etwas zur Ruhe kommen*, *Ruhe finden*, *der Ruhe geniessen*; Angl. *to repose*, *rest*, *take rest*). Cum vero acquiescamus præsertim postquam celeri cursu aliquo contendimus; et proprie et translate acquiescere sæpe jungitur verbo *respirare*, ut apud *Plaut. Epid.* 2. 2. 20., *Cic.* 1. *Fin.* 16. 53. etc., quæ loca infra citantur.

I.) Proprie generatim dicitur de cessatione a quocumque negotio; peculiariter vero ¶ 1. Ponitur de hominibus, et de ceteris interdum animantibus qui ad vires præsertim resumendas cessant a cursu, ab itinere, aut a quocumque alio negotio, quod corporis lassitudine affligat. *Plaut. Epid.* 2. 2. 20. Sine respirem, quæso. ▬ Immo acquiesce. *Cic.* 1. *Leg.* 5. 15. In cupressetis — et spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum — disputat. *Id.* 13. *Att.* 34. Vitandi — caloris causa Lanuvii III. horas acquieveram. *Id.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Dux ipse (*gruum*) — revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit ex iis, quæ acquierunt, eaque vicissitudo in omni cursu servatur. *Tac.* 3. *Hist.* 22. At Vitellianus exercitus, qui acquiescere Cremonæ et, reciperatis somno ciboque viribus, — hostem postera die profligare etc. *Liv.* 45. 37. 10. Ne victorem quidem te acquiescere passus est: statim ad persequendos hostes duxit. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 290. per metaphoram: Qui hoc diversorio libenter te acquieturum esse dixisti. *Nep. Datam.* 11. 3. Acquiescere a lassitudine. *Vellej.* 2. 99. 2. a continuatione laborum. *Catull.* 36. 10. Desiderato acquiescere lecto. *Curt.* 9. 8. 25. in lecto. *Curt.* 9. 5. 30. somno. *Id.* 6. 10. 12. gravi sopore. *Id.* 8. 6. 3. eodem sensu absolute: Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus ædis, in qua rex acquiescebat. ¶ 2. Eleganter ponitur pro mori, hoc est a laboriosa vita moriendo requiescere, modo una cum nomine *morte*, modo absolute. *Tac.* 14. *Ann.* 64. Ac puella —, præsagio malorum jam vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. *Nep. Hannib.* 13. 1. Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit sexagesimo. *Val. Max.* 9. 12. *ext.* 1. Inter ipsas exterorum manus exoptata morte acquievit. ¶ 3. Item sæpe de sepultis, præsertim in lapidibus. *Inscript.* apud *Spong. Miscell. p.* 171. IVLIA ADEPTA HIC ADQVIESCIT. *Inscript.* apud *Orell.* 2313. GEMINIA II. IVLLA (*Reines.* conj. Titulla) ARAVSIENSIS MATER SACRORVM HIC ADQVIESCIT. Adde *Inscript.* apud eumd. 4081. et 4491. *V.* REQUIESCO. ¶ 4. Ponitur et de rebus inanimis, quæ haud amplius fatigentur. *Cic. Orat.* 59. 199. Cum aures extremum semper expectent in eoque acquiescant. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. A. 5. Erat — summum otium forense, sed senescentis magis civitatis, quam acquiescentis. *Liv.* 5. 23. Ut fessa tam diutino bello acquiesceret civitas. Adde *Curt.* 4. 4. 21. *Colum.* 4. *R. R.* 12. 1. Notatum est a me, plerumque teneram vineam melius adminiculo, quam vehementi palo acquiescere. *Liv.* 4. 60. 2. Rem familiarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipubl. esset. *h. e.* rem familiarem cessare ab impensis. ¶ 5. Item de molesta animi affectione. *Plin.* 5. *Ep.* 16. Dolor — admotis (*consolationibus*) acquiescit. *Id.* 4. *ibid.* 21. Magno tamen fomento dolor meus acquiescit. *Gell.* 19. 9. Ut interea labor hic vigiliarum et inquies suavitate paulisper vocum atque modulorum acquiesceret. *h. e.* cessaret et recrearetur.

II.) Translate. ¶ 1. Significat in re, aut etiam persona aliqua cum animi solatio et quiete consistere: occurrit autem *a*) absolute, *b*) cum Ablativo et præp. *in*, *c*) cum Dativo; *d*) aut etiam cum nomine *solatio* in Ablat. sine præp. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 53. Cujus in animo versatur (*improbitas*), numquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere. *Id.* 7. *Att.* 11. 5. Acquiesco enim et scribens ad te et legens tua. — *b*) Cum Ablat. et præp. *in*. *Cic.* 4. *Fam.* 3. 3. His — temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. *Id. ibid.* 6. 2. Non enim, ut tum me a republ. mœstum domus excipiebat, quæ levaret, sic nunc domo mœrens ad rempubl. confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam. *Id.* 13. *Att.* 13. 3. Sed regusto tuas litteras: in his acquiesco. *Id.* 9. *ibid.* 10. 1. Tecum ut quasi colloquerer, in quo uno acquiesco. *Curt.* 6. 10. 31. Tot modo liberorum parentem in unico filio acquiescentem. *Cic. Dejot.* 2. 5. In tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco. — *c*) Cum Dativo. *Auct. B. Afr.* 10. 5. Huic (*imperatori*) acquiescebant homines et in ejus scientia et consilio omnia sibi proclivia omnes fore sperabant. *Seneca Ep.* 24. 1. Sollicitum te esse scribis — et existimas me suasurum, ut meliora tibi ipse proponas et acquiescas spei blandæ. — *d*) Cum nomine *solatio* in Ablat. *Plin.* 8. *Ep.* 16. Sed quamquam vix solatiis acquiescam. *Sueton. Calig.* 31. Uno solatio acquiescens. ¶ 2. Significat etiam in re, aut persona aliqua cum animi voluptate consistere, quiescendo delectari: et occurrit *a*) modo cum Ablativo et præp. *in*, *b*) modo cum Ablat. sine præp. — *a*) Cum Ablat. et præp. *in*. *Cic.* 4. *Att.* 16. 10. Nulla est respubl., quæ delectet, in qua acquiescam. *Id. Amic.* 27. 101. Vicissim autem senes in adolescentium caritate acquiescimus,

ut in vestra, ut in Q. Tuberonis: equidem etiam admodum adolescentis P. Rutilii, A. Verginii familiaritate delector. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 5. Equidem etiam ex iis fructum capio laboris mei, qui jam ætate provecti in nostris libris acquiescunt. — *b*) Cum Ablat. sine præp., qui potest tamen esse et Dativus, cujus et exemplum in promptu est. (Cf. II. 1. c.). *Cic. Mil.* 37. 102. Ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. *Curt.* 6. 10. 9. Noxius, cum suo supplicio cruciatur, acquiescit alieno. *Sueton. Tib.* 56. Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus vel maxime acquiescebat. *Id. Vesp.* 7. Amicos elegit, quibus etiam post eum principes acquieverunt. *Id. Tib.* 31. *cum Dativo:* Negante eo, destinatos magistratus abesse oportere, ut præsentes honori acquiescerent. *h. e.* se totos honori darent eoque delectarentur; simili enim sensu *Sulp. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 11. posuit *acquiescere alicui* de concubinatu. ¶ 3. Acquiescere est etiam assentiri, fidem habere, præsertim apud recentiores. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 46. 141. Tu, cum es commotus, acquiescis, assentiris, approbas. *Sed dubia est lectio; al. enim asciscis. Sueton. Vitell.* 14. Vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat. *Ulp. Dig.* 38. 1. 7. § 1. Celsus Juv. ait – et ego Celso acquiesco. *Id. ibid.* 27. 4. 1. Sed si reprobata est hæc reputatio, et acquievit. *Dig.* 24. 3. 22. § 6. Patri potius acquiescere prætorem oportere, dareque ei actionem.

ACQUĪRO *vel* adquiro, ris, sivi *et* sii, situm, rere, a. 3. (ad *et* quæro, teste et ipso *Varron.* 6. *L. L.* 79. *p.* 104. *Müll.*). *Pierius* in Comment. ad *Virg.* 4. *Æn.* 175. testatur in omnibus antiquis exemplaribus *adquirit* legi: additque, ita scribi solitum usque ad Antonini Pii tempora, integras fere semper præpositiones in compositis servando: quod aliorum etiam Eruditorum consensu comprobatur. *V.* quæ dicemus in fine *Ad* præpositionis. — In præterito pro *acquisivi*, dicitur etiam *acquisii. Ulp. Dig.* 29. 4. 1. Si non acquisiit hæreditatem. Adde 22. 1. 11. et 23. 3. 5. et 38. 5. 1. In aliis etiam præteritis crebrius leges *acquisieram*, *acquisiero*, *acquisissem*, quam *acquisiverum* etc., licet et hoc recte dicatur. *V.* in verbo *Audio.* — Part. *Acquisitus* 1. et 3.; *Acquisiturus* 1.; *Acquirendus* 1. — Acquirere proprie est aliquid novi sibi comparare idque ceteris jam possessis addere, suas facultates atque opes augere (It. *acquistare, accrescere il proprio;* Fr. *ajouter à ce que l'on a déjà, acquérir;* Hisp. *adquerir, llegar alguna cosa, especialmente bienes raices;* Germ. *dazu erwerben,* d. h. *zu etwas, was schon da ist, etwas Anderes sich verschaffen;* Angl. *to acquire, get*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 109. Nihil – jam acquirebatur: cumulata erant officia vitæ. *Id.* 3. *Catil.* 12. 28. Mihi quidem ipsi quid est quod jam ad vitæ fructum possit acquiri, præsertim cum neque in honore vestro, neque in gloria virtutis, quidquam altius videam, quo mihi lubeat ascendere? *Id.* 3. *Fam.* 7. 5. Postea vero quam ita et cepi et gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem etc. *Id.* 2. *Catil.* 8. 18. Tu dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? — *In superioribus animadvertatur alterum membrum in Accus. cum præp. ad: quod in proxime sequentibus deest. Cic.* 1. *Att.* 1. 4. Vides – quo in cursu simus, et quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putamus. *Sallust. Jug.* 13. 6. Uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos acquirant. *Cic.* 10. *Fam.* 3. 2. Omnia summa consecutus es –. Nunc me – si audies, omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo reipubl. statu acquires. *Id.* 3. *Off.* 5. 32. Nam sibi, ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. *Horat. Art. Poet.* 55. Ego cur, acquirere pauca (*verba*) Si possum, invideor? *Virg.* 4. *Æn.* 175. viresque acquirit eundo (*fama*). Adde *Ovid.* 2. *Art. am.* 343. *Liv.* 1. 45. Ne semper armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est. *Sueton. Cæs.* 60. Nihil se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. *Flor.* 3. 12. 4. Galliam, Thraciam, aliamve provinciam adquirere. *h. e.* in potestatem populi Romani redigere. In nummo Trajani apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 420. ARAB. ADQVIS. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Harduinus* ad *Plin.* 2. 28. *not.* 17. probat ex nummis *acquisitam regionem* non eam esse, quæ armis est occupata, sed quæ fœdere populo Romano juncta est; *receptam* vero dici, quæ armis recuperata. — *Hinc apud JCtos* acquirere *sæpissime ponitur de legitima rei acquisitione. Cajus* 2. *Comment.* 97. Hactenus tantisper admonuisse sufficit, quemadmodum singulæ res nobis acquirantur. Nam legatorum jus, quo et ipso singulas res acquirimus, opportunius alio loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per universitatem res nobis acquirantur. Adde *eumd.* 1. 52. et *Dig.* 1. 7. 15., necnon 20. 1. 15. § 1. et alibi sæpe. ¶ 2. Absolute positum interdum est divitias acquirere. *Juvenal.* 14. 125. Mox acquirendi docet insatiabile votum. *Apul. de mag.* 20. Omnis cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit. ¶ 3. Interdum latiori sensu ponitur pro conciliare apud Poetas optimæ notæ, apud recentiores autem sæpe etiam in prosa oratione. *Phædr.* 1. 14. Acquirere sibi famam. *Quintil.* 3. 8. 7. benevolentiam. *Flor.* 3. 13. 1. dominationem. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 66. reverentiam nomini suo. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 16. 18. (63). odorem vino. *Sueton. Claud.* 36. alicui imperium. *Plin.* 1. *Ep.* 10. alicui plurimum venerationis. *Tac.* 2. *Hist.* 76. summum decus. *Justin.* 36. hostes inimicis suis. *Id. ibid.* 7. Sperantes acquirere se illi posse aut periculum ex invidia, aut ex suspicione proditionis infamiam. — Etiam sine Dativo personæ. *Ovid.* 7. *Met.* 459. vires bello. *Curt.* 9. 2. 10. prædam. *Tac.* 15. *Ann.* 37. fidem. *Quintil.* 3. 11. 25. laudem. *Id.* 9. 3. 74. gratiam. *Plin.* 8. *Ep.* 24. venerationem. *Tac.* 16. *Ann.* 17. pecuniam. *Id.* 1. *Hist.* 17. favorem largitione et ambitu. *Id.* 12. *Ann.* 20. *extr.* triumphos de populis. *Quintil.* 2. 16. 13. Videmus corpora minus egere acquisitæ extrinsecus opis.

ACQUĪSĪTĬO *vel* adquisitio, ōnis, f. 3. (acquiro) actus acquirendi (It. *acquisto;* Fr. *acquisition;* Hisp. *aquisicion;* Germ. *die Erwerbung;* Angl. *the act of acquiring*). ¶ 1. Proprie, *h. e.* abstracte. *Ulp.* tit. 19. De dominiis et acquisitionibus rerum. *Dig.* 44. 4. 4. § 31. Ex quacumque alia causa, quæ prope lucrativam habet acquisitionem, quæsisse quis videatur, etc. *Justinian. Instit.* 2. 10. § 2. Acquisitio, quæ per adrogationem fit. *Tertull. Exhort. ad cast.* 12. Temperantissimus in acquisitionibus. ¶ 2. Sensu, ut vulgo dicimus, concreto est augmentum, et usurpatur de aquarum collectione a *Frontin. Aquæduct.* 10. Adjuvatur fons ex compluribus aliis acquisitionibus. Adde 69., 70. et 77.

ACQUĪSĪTUS *vel* adquisitus, a, um. *V.* ACQUIRO.

ACQUĪSĪTĪVUS *vel* adquisitivus, a, um, adject. (acquisitus). ¶ 1. Acquisitiva dicuntur ea verba, quæ acquisitionem significant. *Priscian.* 18. p. 1158. *Putsch.* Sunt tamen ex his (*verbis*) quædam – quæ cum Accusativo et Dativo adjunguntur, quæ sunt acquisitiva, de quibus mox dicetur, ut do *tibi aurum*, dono *illi servum*. Adde *eumd. ibid.* p. 1161. et 1162. ¶ 2. Est etiam qui acquiritur vel acquisitus est. *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 7. p. 680. Quod natura bonum est, melius est eo, quod non natura; ut justitia justo: illud enim natura, hoc autem acquisitivum.

ACRĂ, orum, n. plur. 2. (τὰ ἄκρα) Græca vox cacumina significans. *Apul. de Mundo proœm.* Nysæ juga et penetralia Corycii et Olympi acra et Ossæ ardua extollunt. *At MSS. et præstantiores Editt. rectius habent* Olympi sacra. — *NB.* Acra est etiam nomen proprium, de quo *V.* ONOM.

ĂCRĀTŎPHŎRUM, i, n. 2. ἀκρατοφόρον, parvum vas ad merum vinum continendum: ab ἄκρατος, *merus*, et φέρω, *fero, contineo.* Meminit *Pollux l.* 6. *c.* 16. et *l.* 10. *c.* 20., additque priore loco fundum habuisse astragali figura. Tametsi vox Græca est, tempore *Ciceronis* in Latinam linguam irrepserat obtinebatque, ut idem aperte indicat 3. *Fin.* 4. 15. *V.* EPHIPPIUM. An vero eumdem apud Latinos usum formamque eamdem habuerit, difficile est definire. *Varro* 1. *R. R.* 8. 5. Ea minus sumptuosa vinea, quæ sine jugo ministrat acratophoro vinum. *h. e.* ea vinea, *h. e.* vitis, minus est sumptuosa, quæ sine jugo tantum vini suppeditat, quantum implendo acratophoro satis est. Alii leg. *ministrat acratophorum vinum.* Priorem tamen lectionem confirmat *Servius* in *Virg.* 7. *Ecl.* 33. Sinus genus est vasis. – Varro de vita populi Romani: *aut lepestam, aut galeolam, aut sinum dicebant.* Tria enim, pro quibus nunc acratophoron dicitur. *Interpretes Virg.* ed. *Mai.* ad *h. l.* iisdem ferme verbis: Varro de vita P. R. lib. 1.: Lepestam vas dicebant, ubi erat vinum in mensa positum, aut galeolam, aut sinum. Tria enim hæc similia sunt, pro quibus nunc acratophoron ponitur. Cf. *Non.* p. 547. 18. et sqq. *Merc.*

ĀCRĒ, adverb. *V.* ĀCER in fine.

ĀCRĒDO, inis, f. 3. (ācer) mordax sapor, acrimonia (It. *agrestezza, sapore acuto e mordace;* Fr. *âcreté;* Hisp. *acrimonia;* Germ. *die Schärfe;* Angl. *sourness*). *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 19. Nuces servantur vel paleis obrutæ, vel arena, vel carpis mixtæ, quibus hanc vicissitudinem reddunt, ut eis acredinem tollant. *Theod. Prisc.* 1. 16. Si vero veluti exanthemata, quas scabies dicimus, in facie vel genis ex humorum acredine vel plenitudine apparuerint, etc.

ĀCRĒDŬLA, æ, f. 1. De hujusce vocis significatione inter se certant Interpretes cum veteres, tum recentiores. Sunt qui putant loquacis et stridulæ ranæ genus esse, quod versum illum *Arati*, Ἠ τρύζει ὄρθριον ἐρημαίη ὀλολυγών, ita vertit *Cicero* 1. *Divinat.* 8. 14. Et matutinis acredula vocibus instat. ὀλολυγών autem inter alia etiam ranam significat, et ranæ cantum. Quam interpretationem confirmare videtur *Isid.* 12. *Orig.* 6. 59. Agredulæ ranæ parvulæ in sicco vel agro morantes, unde et nuncupatæ (*ranæ arboreæ* a nobis dicuntur): adde quod *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (172). ait ranas mares, quæ vocem mittunt, vocari *ololygones.* — E contra sunt qui putant acredulam esse avem quamdam quam alii lusciniam esse arbitrantur, ut *Isid.* 12. *Orig.* 7. 37. hisce verbis: Luscinia avis inde nomen sumpsit, quia cantu suo significare solet surgentis exortum diei, quasi lucinia. Eadem et acredula, de qua Cicero in Prognosticis: *Et matutinos exercet acredula cantus.* Alii vero ululam esse putant (quod maxime *Forcellino* probatur), quam *Theon* avem solitariam esse adnotavit apud *Aratum loc. cit.*: alii alaudam: alii ravarinum. — Certe avis nomen est apud *Auct. carm. de Philom.* 15. Vere calente novos componit acredula cantus, Matutinali tempore tunc mitilans. Hæc autem acredula et syllabarum quantitate (acrēdŭla) et matutino cantu una eademque videtur cum acredula a *Cicerone* memorata apud *Isid. loc. cit.*

ĀCRĒMENTUM, i, n. 2. idem quod acredo. Legitur in quibusdam codicib. apud *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (65). *Acrementum aceti temperantes.* Ubi plerique alii, melioresque habent *ad intinctum aceti temperantes.*

ĀCRĔŎPHĂGĬĂ, æ, f. 1. dapis genus sine carne, cui unus inest seri gustus lacte admixto: ab α privat., κρέας *caro*, et φάγω *comedo. Petron. fragm. Tragur.* 56. *Burm.* Serisapia, et contumelia: acreophagiæ adlatæ sunt, et contus cum malo. Ita legit et interpretatur vocem *Franc. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna T.* 1. p. 114. In cod. *Tragur.* est *aecreophagiæ.*

ĀCRESCO, is, n. 3. acrem acidumque saporem sumere. *Veget.* 4. *Veter.* 8. Ova quoque trita cum hemina vini veteris optimi faucibus infundes, ut per ovi refrigerium vini virtus acrescat. Ita perperam quædam editiones, cum *Gesnerus* et *Schneiderus* ex codd. MSS. legant *accrescat*, quod unice probandum.

ĀCRĬCŬLUS, a, um, adject. (ācer) aliquantum acer et vehemens. Translate *Cic.* 3. *Tusc.* 17. 38. Et hoc ille acriculus, me audiente, Athenis senex Zeno contendere solebat. Ita *Turnebus*, *Gebhardus*, aliique depravatum locum feliciter restituerunt: acriculus autem senex est homuncio querulus et ad iram proclivior.

ĀCRĪDĬĂ, æ, f. 1. *vel* Acridium, ii, n. 2. herba eadem, quæ scammonia, ita dicta fortasse ab acrimonia succi. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 64. Scammonia, quam Latini acridiam vocant. *Alii leg.* acridium; quam lectionem præferunt *Lindemann.* et *Klotz.*

ĀCRĬFŎLĬUM, ii, n. 2. arbor quædam, quam inter infelices enumerat *Tarquitius Priscus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Infelices autem arbores eas dici ait, quæ inferum, deorumque avertentium in tutela sunt. — *NB.* Scribitur et *agrifolium*, et *acrufolium*, et *aquifolium. V.* AQUIFOLIUS. At *acrifolium* legitur in *Not. Tir.* 170.

ĀCRĬFŎLĬUS, a, um, adject. *V.* AQUIFOLIUS.

ĀCRĬMŌNĬĂ, æ, f. 1. (ācer; cf. *Priscian.* 4. p. 621. *Putsch.*) vis acris et mordax saporis, acritas, gustus asperitas (It. *acrimonia, agrestezza;* Fr. *acidité, aigreur;* Hisp. *acedia, agrura;* Germ. *der scharfe pikante Geschmack;* Angl. *acidity, tartness, sourness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de iis quæ gustum acri

sapore afficiunt. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (91). Acrimonia origani. *Id.* 18. *ibid.* 13. 34. (129). sinapis. *Id.* 21. *ibid.* 14. 78. (128). Sarcocolla – dulcis cum quadam acrimonia. ¶ 2. Item de iis quæ olfactum afficiunt. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 109. (133). Odore medicato cum quadam acrimonia jucundo. ¶ 3. Item dicitur etiam de rei alicujus acerbitate mordaci, quæ tactu percipitur. *Cato R. R.* 157. 5. Si ulcus acrimoniam brassicæ ferre non poterit, farinam hordeaceam misceto. ¶ 4. Item de acribus in humano corpore humoribus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 74. (142). Nuclei nucis pineæ sitim sedant, et acrimoniam stomachi rosionesque. *Id.* 22. *ibid.* 25. 76. (159). Folia ex aceto imposita panos per se vel cum melle discutiunt, item furunculos, priusquam capita faciant, omnesque acrimonias. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 10. Aliena, quæ retinebantur, excludentur (*ex intestinis*), et acrimonia, quæ ex ipsis nascens ex alienatione quadam capitis tumentiam asperabat, detrahetur. *h. e.* vapor acer et mordax.

II.) Translate. ¶ 1. Est animi vivacitas, ut *Nonius loc.* infra *cit.* exponit. *Nævius* apud *Non. p.* 73. 19. *Merc.* Ne ille mei feri ingenii atque animi acrem acrimoniam (*sentiet*). *Accius* apud *eumd. loc. cit.* Vim, ferociam, animum, atrocitatem, acrimoniam. ¶ 2. Ponitur etiam pro severitate, acerbitate, vehementia; atque hoc sensu dicitur et de abstractis, præsertim de oratione. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 26. Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam esse. *h. e.* verecundiam una simul cum virili austeritate et gravitate. *Id.* 4. *ibid.* 13. 19. Hæc exornatio cum multum venustatis habet, tum gravitatis et acrimoniæ plurimum. *Id.* 3. *Verr.* 17. 52. Si Glabrionis patris vim et acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis. *Id.* 2. *Invent.* 48. 143. Vis et acrimonia causæ. *Id.* 4. *Herenn.* 37. 49. Ejusmodi licentia, si nimium videbitur acrimoniæ habere, multis mitigationibus lenietur. *Id. ibid.* 42. 54. Pronuntiando commutabimus (*rem, de qua verbis agemus*), si tum in sermone, tum in acrimonia, – eadem verbis immutando, pronuntiationem quoque vehementius immutabimus. *in quibus* acrimonia *est* concitata et vehemens oratio, *cui opponitur* sermo *sive* pacata et tranquilla disputatio.

ĂCRIS, e. *V.* ĂCER.

ĀCRĬTAS, ātis, f. 3. (ācer) idem quod acritudo. *Accius* apud *Non. p.* 493. 14. *Merc.* Vis veritatis atque acritas. *Gell.* 13. 3. Sicuti autem nihil quidquam interest suavitudo dicas an suavitas –, acritudo an, quod Accius in Neoptolemo scripsit, acritas etc.

ĀCRĬTER, adverb. (ācer). Comp. *Acrius* et Sup. *Acerrime* in omnibus ferme paragraphis. Proprie est eo modo, qui pungit, secat, penetrat: sed occurrit tantum translate iisdem ferme rationibus, quibus adjectivum *ācer*: scilicet transfertur ad res præsertim physicas, quæ sensus mordent ac pervellunt, atque ad hominis etiam facultates, quæ maxima vi præditæ agunt (It. *acremente, con veemenza, con vigore*; Fr. *vivement, fortement, avec energie*; Hisp. *acerrimamente, vivamente, fuertemente*; Ger. *auf eine scharfe, schneidende, eindringliche, heftige, empfindliche oder drückende Weise*; Angl. *sharply, vehemently, keenly*). ¶ 1. Ponitur de oculorum acumine ac proinde de ingenii perspicacitate in re aliqua intuenda, contemplanda et perspicienda: et est attente, penitus, magna cum perspicacia. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. Acriter intueri aliquid. *Id.* 1. *Orat.* 25. 116. Acutius atque acrius vitia videre. *Id. Flacc.* 11. 26. Quam maxime intentis oculis acerrime contemplari aliquid. *Tac.* 3. *Hist.* 38. Acriter speculari aliquid. *Cic. Pis.* 28. 68. Adolescens non acriter intelligens. *Plin.* 6. *Ep.* 26. Acrius judicare. *Quintil.* 5. 13. 41. Acriter excogitare aliquid. *Id.* 11. 3. 95. Acrius argumentari. *Liv. proœm.* § 9. Acriter animum intendere. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Acrius attendere. *Id.* 5. *ibid.* 3. Acrius intendere alicui rei. *Quintil.* 1. 1. 5. Acriter se in tenue discrimen intendere. *Plin.* 7. *Ep.* 17. Acerrime emendare aliquid. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 92. Acrius cavere. ¶ 2. Item de vocis sono et de hominum oratione: et est vehementer, rigide, aspere. *Plaut. Cist.* 1. 1. 110. Acriter aliquem condamare. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 18. Acrius elatrare aliquid. *Curt.* 4. 13. 8. Acrius increpare aliquem. *Cic. Flacc.* 10. 21. Acriter et vehementer dicere. Adde *Quintil.* 9. 4. 126., 12. 10. 71. et alibi. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Acrius et instantius – inquit. *Id.* 5. *ibid.* 19. Acriter pronuntiare. *Cic.* 7. *Att.* 3. 4. Acerrime vituperare aliquid. *Plin.* 9. *Ep.* 21. Acrius severiusque corripere aliquem. *Id.* 6. *Ep.* 1. *per metaphoram:* Loca – acrius me tui commonent. ¶ 3. Item de animi motibus; et est vehementer, magno cum ardore. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 30. SI. Quid agitur, Callidore? PS. Amatur atque egetur acriter. *Martial.* 8. 81. Acrius amare. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 10. Acerrime expectare aliquid. *Curt.* 7. 3. 20. Acrius cupere. *Tac.* 2. *Ann.* 82. Acrius dolere. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 354. Acrius exardescere. *Cic. Sull.* 19. 53. *per metaphoram:* Cum arderet acerrime conjuratio. *Lucret.* 6. 782. Acriter infestus. *Tac.* 6. *Ann.* 45. Gratiam Cæsaris acrius fovere. ¶ 4. Item de externis actibus ac præsertim de prœlio: et est magna cum vi magnoque impetu. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 8. Acriter et diu repugnare. *Galba* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. 3. Ita pugnatum est, ut acrius non posset ex utraque parte pugnari. *Liv.* 27. 1. Acriter pugnam inire. *Sall. Jug.* 62. Acerrime rem gerere. *Id. ibid.* 107. Acrius incedere in Romanos. *Id. ibid.* 30. Acriter Numidiam ingredi. *Tac.* 13. *Ann.* 34. Acriter bellum sumere. *Id. ibid.* 25. Acriter repellere. *Cic.* 2. *Orat.* 43. 182. Acrius persequi aliquid. *Id. Milon.* 34. 192. Acriter se morti offerre. *Ter. Hec.* 1. 2. 45. et *Sall. Jug.* 99. Acrius instare. *Sall. Jug.* 26., *Horat.* 1. *Sat.* 2. 15. et *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 17. Acrius urgere. *Quintil.* 6. 4. 11. Acriter propulsare aliquem. *Sall. Jug.* 64. Acriter niti. *Cic.* 11. *Fam.* 28. 2. Acerrime agere aliquid. *Nep. Hann.* 7. 1. Acerrime occupatus. *Ovid. Rem. am.* 651. Flumine perpetuo torrens solet acrius ire. ¶ 5. Hinc est etiam severe, crudeliter. *Cic.* 10. *Att.* 16. 2. Acerrime asservare aliquem. *Id.* 7. *Verr.* 54. 142. Virgis acerrime cædere aliquem. *Sall. Jug.* 19. Acerrime exercere victoriam. *Tac.* 3. *Ann.* 51. Acriter ulcisci injurias.

ĀCRĬTŪDO, inis, f. 3. (ācer; cf. *Gell.* 13. 13.) acrimonia, vis admordendi dissolvendique, qualis in aceto est (It. *acrimonia, agrestezza*; Fr. *acreté, aigreur, acidité*; Hisp. *acedia*; Germ. *die Schärfe*; Angl. *sharpness, acritude, pungency*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 2. 9. 12. *de cupressu et pinu:* Liquor, qui inest, habet amarum saporem, qui propter acritudinem non patitur cariem penetrare. *Id.* 8. 3. 18. Propter acritudinem succi.

II.) Translate. ¶ 1. Est vis et fortitudo in agendo. *Gell.* 10. 27. Par fuit quondam vigor et acritudo amplitudoque R. populi et Pœni. Neque aliter fortasse intelligendus *Accius* apud *Fest. p.* 350. 12. *Müll.* Aut quisquam potis est tolerare acritudinem? ¶ 2. Item rusticitas, cui opponitur urbanitas. *Apul.* 9. *Met.* 17. Acritudo morum.

ĂCRĬZȲMUS, a, um. *V.* ACROZYMUS.

ĂCRO *vel Græca positione* acron, ōnis, m. 3. Græca vox ἄκρον, *h. e.* extremitas membri. ¶ 1. Proprie et stricto sensu de trunculo suis. *Veget. Veter.* 2. 28. 17. *Schneider.* Acronem salsum porci pinguis. *Græce* ἄκρον χοίρειος *dicitur. Id.* 5. 65. 2. De masculo pinguis porcinus acro decoquitur, donec omnis caro solvatur. Adde *eumd.* 6. 8. 1. et *Pelagon. Veter.* 6. *ante med.* ¶ 2. Latiori sensu est plantæ alicujus vertex apud *Apic.* 4. 4. Colas in cacabo supra acronem colocasium. *Apicius* intelligit fortasse summum colocasii caulis verticem, et in eo emergentem multiplicem fabam, quam *ciborium* appellari dicit *Dioscorides.*

ĂCRŎĀMA, ătis, n. 3. In *Inscript.* legitur et *acruama.* Hujusce nominis occurrunt tantummodo Nominativus et Accusativus cum singularis, tum pluralis, et Ablativus plur. *acruamatis* bis in *Inscript.* apud *Orell.* 2530; unde Genitivus plur. videretur esse *acruamatorum.* Denique *acroma* per syncopen metri causa dixit *Prudent. loc.* infra *cit.*; quod etiam extra carmen legisse se in quadam veteri Editione *Lampridii Alex. Sev.* 34. testatur *Salmasius.* — Ceterum acroama Græca vox est, ἀκρόαμα, et quidem apud Græcos variæ significationis. Apud Latinos ¶ 1. Generatim significat quidquid auditu jucundum est. Speciatim vero significat musicam tibicinum symphoniam, quæ olim apud veteres in agendis fabulis adhibebatur, ut non solum histrionum voce et gestu delectarentur spectatores, sed sono etiam immisto musicorum instrumentorum: item in conviviis, præsertim solemnioribus. *Plin.* 6. *Ep.* 31. 13. Græcis litteris vocem exhibet: Interdum ἀκροάματα audiebamus, interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur. *Petron. fragm. Tragur. p.* 297. Trimalchio – novum acroama, cornicines in triclinium jussit adduci; fultusque cervicalibus multis extendit se supra torum extremum: et, Fingite me, inquit, mortuum esse, dicite aliquid belli. *Sueton. Vesp.* 19. Ludis, per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. *Hinc in Glossis Isidori legitur:* Acroama, auditio lyrarum et tibiarum. ¶ 2. Dicitur etiam de ipso tibicine, aut symphoniaco puero, qui ad tibia lyrave canendum adhibetur, metonymice. *Sueton. Aug.* 74. Et aut acroamata, aut histriones, aut etiam triviales ex circo ludios (*conviviis*) interponebat. Cf. *Ernesti Excurs.* ad h. *Sueton.* loc. *Cic. Sext.* 54. 116. Ipse ille maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama. Ubi *Cicero* aperte significat tibicinem, qui histrioni fabulas agenti adstat musico sono. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Delectatus inter cœnam erat symphoniacis Toronii Flacci mangonis, atque eos frumento donaverat, cum in alia acroamata fuisset nummis liberalis. *Lamprid. Alex. Sev.* 34. Nanos, et moriones, et vocales exoletos, et omnia acroamata, et pantomimos populo donavit. Huc et illa pertinent: *Nepos Attic.* 14. 1. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnosten. *Quædam Editiones hoc loco habent* ἀκρόαμα *Græcis litteris. Cic. Arch.* 9. 20. Themistoclem dixisse ajunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret; ejus a quo sua virtus optime prædicaretur. *Inscript.* apud *Passionei* p. 150. 3. DEMETRIAE ACTIS AVG. L. SER. ACROAMAT. GRAECAE. *h. e.* servæ acroamati. Hic *Orelli Coll. Inscript. Lat. n.* 2885. pro *acroamati* legendum putat *acroamaticæ seu acroamatariæ*, ita ut duo hinc nova fingat vocabula, quorum vestigium nullibi extat, nisi in *Not. Tir. V.* ACROATICUS in fin. ¶ 3. Item metonymice pro festivo narratore, aut recitatore jocorum ad risum movendum. Hujusmodi autem homines (quemadmodum et tibicines) in conviviis divitum interesse solebant, ut cœnantes oblectarent: donabanturque munere aliquo post cœnam. *Cic.* 6. *Verr.* 22. 49. Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, ibidem convivis spectantibus emblemata evellenda curavit. *Manut.* hunc locum de tibicine intelligit, sed cum *Cicero* addat festivum, aptius de recitatore exponi videtur. *Prudent.* περὶ στεφ. 3. 323. Ecquid cachinnis venditus Acroma festivum fui? *V.* ACROATICUS in fine.

ĂCRŎĀMĂTĬCUS. *V.* ACROATICUS in fine.

ĂCRŎĀSIS, is, f. 3. ἀκρόασις, vox Græca, quæ auditionem significat, et a Latinis usurpatur pro erudito sermone, seu disputatione, quæ a magistro alicujus artis coram multis audientibus habetur, et (ut vim vocis exprimamus) audiendo percipitur, nam ἀκροάομαι *audire* significat. Hinc et ipsa Latine *auditio* appellatur (It. *discorso letterario, lezione, disputa*; Fr. *exposition, dissertation savante, cours public*; Hisp. *exposicion, disertacion, escuela*; Germ. *das Anhören eines öffentliche Vortrages*; Angl. *a literary discourse, lecture, lesson, dispute on a literary subject*). ¶ 1. Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 248. 10. *Merc.* Diogenem litteras scisse, tum (*corrige cum*) usioni quod satis esset, tum quod etiam acroasi bellorum hominum. *Vitruv.* 10. 22. (16). 3. Eo tempore quidam architectus nomine Callias, Rhodum cum venisset, acroasim fecit, exemplarque protulit muri, et supra id machinam – constituit. *h. e.* disseruit, disputavit, docuit multos audientes. *Sueton. Gramm.* 2. Per omne legationis tempus plurimas acroases subinde fecit, assiduèque disseruit. *Seneca* 4. *excerpt. Controv. in præf.* Acroases suas nunquam populo commisit. In multis cum *Suetonii*, tum *Senecæ* Editionibus ἀκροάσεις legitur Græce scriptum. ¶ 2. Sumi etiam videtur pro ipso loco, in quo disputatur, aut disseritur; seu potius pro publico eruditorum hominum conventu, quemadmodum et *auditio*, et *concio*. *Cic.* 15. *Att.* 17. 2. Et mehercule ipsius litteræ sic et φιλοστόργως et εὐμενῶς scriptæ, ut eas vel in acroasi audeam legere.

ĂCRŎĀTĬCUS, a, um, adject. ἀκροατικός, qui auditur, *h. e.* auscultatorius, vox Græca ab ἀκροάομαι, audio. *Gell.* 20. 5. docet, Aristotelem commentationes suas in duo genera divisisse, alias vocando *acroaticas*, in quibus subtilior remotiorque a vulgi captu philosophia continebatur, ad cujus auditionem eos solos admittebat, quorum antea ingenium et sciendi studium explorasset: alias *exotericas* appellando, in quibus ea, quæ ad rhetoricam pertinent civiliumque rerum notitiam, ad omnium captum accommodata, complexus est: ad quæ audienda omnes vulgo, nullo adhibito delectu, admittebat. Hanc vocem *Gellius* eo

loco modo Græcis litteris scribit, modo Latinis. Ideo autem *Aristoteles* acroamatica, vel acroatica dixit ea, quæ nobiliorem difficilioremque philosophiæ partem continebant, quia ut intelligi possent, necesse erat a viva præceptoris voce audiri et percipi. Exoterica autem ἐξωτερικά, nominavit faciliora, et vulgo exposita, quia veluti extra posita, et sola etiam lectione sine præceptoris adjumento a quolibet intelligebantur. Ceterum vulgatæ editt. in cit. *Gellii* loco exhibent *acroamaticus* vel ἀκροαματικός contra Codicum fidem, in quibus legitur *acroaticus* vel ἀκροατικός; quæ Græca vox certa lectione occurrit apud *Jamblich. Protrept. p.* 310. *Lips.*, dum e contra tantummodo in *Not. Tir. p.* 172. legitur *acromaticus* pro *acroamaticus*, ut supra in *V.* ACROAMA § 3. legitur *acroma.*

ACRŎBĂTĬCUS, a, um, adject. ad ascendendum aptus, scansorius, ἀκροβατικός vox Græca a βατέω *vado*, et ἄκρον *summitas*. Acrobaticæ machinæ, de quibus *Vitruv.* 10. 1., dicuntur, quæ erectis transversisque tignis inter se colligatis præbent ascensum ad altiora: quales sunt, quas fabri murarii in ædificando adhibent, et quas pictores dum in edito pingunt; item pegmata, etc. In multis Vitruvii Editionibus Græce scribitur; et certe rectius.

ĂCRŎCĔRAUNĬA, orum, n. plur. 2. montes altissimi inter Albaniam et Epirum, ita dicti quasi ignitas habentes a fulminibus summitates, quia crebro fulminibus infestantur *V.* ONOM. Hinc translate ponuntur pro quovis loco periculoso. *Ovid. Rem. am.* 739. Hæc tibi sint Syrtes, hæc Acroceraunia vita.

ACRŎCHORDON, ŏnis, f. 3. (It. *sorta di porro che nasce sulla pelle*; Fr. *acrochorde, verrue pediculée, durillon*; Hisp. *verruga*; Germ. *eine Art Warze*; Angl. *a sort of hard protuberance growing under the skin, a wart or wen*), ἀκροχορδών, verrucæ genus, ubi sub cute coit aliquid durius, et interdum paullo asperius, coloris ejusdem, infra tenue, ad cutem latius, idque modicum est quia raro fabæ magnitudinem excedit: vix unum tantum eodem tempore nascitur, sed fere plura, maximeque in pueris: eaque nonnunquam subito desinunt, nonnunquam mediocrem inflammationem excitant: sunt etiam quæ in pus convertuntur. Ita *Celsus* 5. 28. *n.* 14. Dictum autem videtur ab ἄκρον *summitas*, et χορδή *chorda*, quia in summitate simile est chordæ resectæ. Huic contrarium est, quoad figuram, aliud quod dicitur *thymium*, θύμιον, quod super corpus quasi verrucula eminet, ad cutem tenue, supra latius, subdurum, et in summo perasperum, idque summum colorem floris thymi repræsentat: unde ei nomen est. *Cels. loc. cit.* Acrochordon, et thymium sæpe etiam per se finiuntur et quo minora sunt, eo magis. *Et mox.* Acrochordon, si excisa est, nullam radiculam relinquit. *Apul. Herb.* 49. Heliotropii species minor nascitur locis concavis, foliis rotundis, semine pendenti in acrochordonum similitudinem. *Al.* in caudæ scorpionum similitudinem.

ĂCRŎCŎLĒFĬUM, ii, n. 2. est vocabulum compositum, ab ἄκρος *summus* et κώλη *suffrago*, cujus deminutivum est κωλήνιον, et significat partem pedis a suffragine summa; *acrocolia* vero sunt in infimo porci pede. Ita recte *Schneiderus* interpretatus est locum *Veget.* 6. *Veter.* 1. 2. Ab acrocolefio usque ad gambam (ossa) duo; a gamba usque ad cirros tibiales duo etc. *V.* ibid. Interpretes.

ĂCRŎCŌLĬUM, ii, n. 2. ἀκροκώλιον ex ἄκρος *summus* et κῶλον *membrum*, *h. e.* trunculus. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. Crura porcina, quæ Græci acrocolia vocant. Ad *Veget.* 3. *Veter.* 47. 1. *Schneider.*, ubi legitur *acroterio*, nonnulli Codd. exhibent *acrocolio*. *V.* ACRO, a qua hæc composita est vox et ACROCOLEFIUM.

ĂCRŎCŎRĬON *vel Latina positione* acrocorium, ii, n. 2. bulbi species apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (95).: quænam tamen fuerit, nequit definiri (V. *Fée op. cit. T.* 2. p. 317). *Harduinus* conjicit legendum *acroscorodon*, nulla tamen fretus auctoritate: *Sillig.* pro vulgata lectione: *Genera Græci hæc fecere: bulbinen, setanion, pythion, acrocorion, ægilopa, sisyrinchion etc.*, rectius legit ex *Theophr. Hist. plant.* 7. 13. 9. atque ex Codicibus: *Genera Græci hæc fecere: bulbinem, setanion, opitiona, cyica, leucoion, ægilipa, sisyrinchion etc.*

ACRŎLĪTHUS, a, um, adject. ἀκρόλιθος (It. *di pietra*; Fr. *qui est de pierre*; Hisp. *de piedra*; Germ. *von Stein*; Angl. *made of stone*). Si vocis vim spectes, idem est, ac in summitate lapidis positus, vel lapis summus: ab ἄκρον *summitas*, et λίθος *lapis*. Videtur tamen poni etiam pro lapideo. *Trebell. Poll. XXX. Tyrann.* 32. Cujus statuam in templo Veneris adhuc videmus acrolitham, sed auratam. *Salmas.* notat, perperam in quibusdam MSS. legi *acrolicam*: alii vero leg. *Argolicam*, hoc est Argivarum matronarum seu heroinarum habitu vestitam, ut *Casaubon.* exponit. *Vitruv.* quoque vocem *acrolithus* habet 2. 8. 11., sed Græcis litteris scriptam. Doctissimus *Winckelmann. Hist. Art. l.* 1. *c.* 2. § 17. eas statuas *acrolithas* a Græcis appellatas fuisse dicit, quarum extremæ solummodo partes marmoreæ erant, ceteræ ligneæ. Signa enim a Græcis ita facta aliquando scimus, quemadmodum postea ex ebore et auro.

ACRŌMA. *V.* ACROAMA.

ĂCRON, ŏnis. *V.* ACRO. — *NB.* De Acrone nomine proprio *V.* ONOM.

ĂCRŎNYCTUS, a, um, adject. (ἀκρόνυκτος ὁ καὶ ἡ) vespertinus, unde *acronyctæ stellæ*, hoc est vespertinæ dicuntur a *Firmic.* 2. *Mathes.* 8., quæ tunc oriuntur, cum sol occidit: ab ἀκρόνυξ, quod significat vespertinum crepusculum. Alii legunt *Acronychæ*, quæ vox seq.

ĂCRŎNYCHUS, a, um, adject. (ἀκρόνυχος) idem quod acronyctus, *h. e.* vespertinus. *Capell.* 8. *p.* 297. Acronycho ortu hic (*Stilbon*) nunquam poterit elevari. *Vulg. Editt. male leg.* a Chronico *vel* a Cronico: *recte* Kopp. *restituit* acronycho *collatis* eodem *Capell.* 8. *p.* 300., *Nicandro Theriac.* 761. et *Firmic.* loc. cit. in ACRONYCTUS.

ACRŎPŎDĬUM, ii, n. 2. ἀκροπόδιον, basis statuæ: ab ἄκρον *summitas*, et πούς ποδός *pes*, quod summa pedum sustineat (It. *base, piedestallo d'una statua*; Fr. *base, piédestal d'une statue*; Hisp. *basa, pedestal de l'estatua*; Germ. *das Fussgestell*; Angl. *the base, or pedestal of a statue*). *Hygin. fab.* 88. Gladium de vagina ei extraxit Pelopia, et rediens in templum, sub acropodia Minervæ abscondit. *Falsterus* ex conjectura exponit *extremitatem mensæ.*

ACROR, ōris, m. 3. acor, acritas. Translate *Fulgent. Continent. Virg. circa init.* Ego vero Chrysippi hellebori rancidulo acrore postposito cum Musis aliquid blandius fabulabor.

ACROSTĬCHIS, ichidis, f. 3. ἀκροστιχίς, vox Græca Græce scribenda et usurpanda. Est autem genus carminis, in quo primæ singulorum versuum litteræ aut nomen aliquod, aut sententiam exprimunt, si a prima ad ultimam simul compositæ legantur: ab ἄκρον *summitas, caput*, et στίχος *versus*. Talia sunt Argumenta præfixa Plautinis fabulis, quæ plerique *Sidonio* tribuunt, in quibus primæ versuum litteræ nomen ejus fabulæ continent, cujus argumentum enarratur: v. g. argumentum Persæ quinque versibus constat, quorum primus incipit a littera P, secundus ab E, tertius ab R, quartus ab S, quintus ab A, unde *Persa* conficitur. Adde *Inscript.* apud *Fabrett. c.* 9. *n.* 290. Tale aliquid etiam ab *Ennio* fuisse compositum, innuit *Cicero* 2. *Divin.* 54. 111. (ubi hanc vocem Græcis tamen litteris exhibet), et Sibyllinos versus consimili forma exaratos. Huc reducenda sunt etiam ea, in quibus stropharum initia per totum alphabetum discurrunt, quorum exempla dabunt *Sedul.* hymno, qui incipit *A solis ortus cardine*, itemque *Venant.* carm. 16. cujus initium est *Agnoscat omne sæculum*. Verum hæc nimium exquisiti, et inutili cura confecti carminis ratio omnino abjicienda est, tamquam majestate Latinæ poesis prorsus indigna.

ĂCRŌTĒRĬUM, ii, n. 2. ἀκρωτήριον, Græca vox, quæ significat summitatem, extremitatem, verticem cujuscumque rei (It. *sommità, cima, punta*; Fr. *sommet, extrémité*; Hisp. *cima, cumbre, extremidad*; Germ. *das Aeusserste einer Sache*; Angl. *the top, ridge, height, summit of any thing*). Occurrit autem fere semper in num. plur. ¶ 1. Acroteria dicuntur terrarum prominentiæ vel cornua a *Vitruv.* 5. 12. 1. Portus naturaliter si sint positi, habeantque acroteria, sive promontoria procurrentia. ¶ 2. Idem *Vitruvius* 3. 5. 11. et seqq. acroteria enumeravit inter membra ea, seu ornamenta, quæ supra capitula columnarum ponuntur, ut sunt *epistylia, zophori, coronæ, tympana, fastigia, acroteria, etc. Baldus in Lex. Vitruv.* docet, intelligendas esse stylobatas, quæ supra fastigia columnarum ponuntur, et parvas statuas sustinent. Alii intelligunt ipsas parvas statuas, seu sigilla, quæ iisdem fastigiis imponuntur, v. g. capita leonina, aut humana, item integræ imagunculæ, et alia hujusmodi ornatus gratia. *Salmas.* ad *Spartiani Pescenn.* 12. ¶ 3. Eodem loco *Vitruvius* cum *angularia acroteria* dixit, videtur significasse hujusmodi imagunculas, seu ornamenta in angulis fastigii posita, eaque tam alta esse jubet, quantum et tympanum medium, quod Ital. dici putamus *il frontispicio*; Fr. *fronton*; Germ. *Vorsprünge*; Angl. *the frontispiece*: cum vero *mediana* appellavit, notasse creditur ea, quæ in medio ejusdem fastigii sunt collocata, quæque octava parte altiora esse debere ait, quam sunt angularia. ¶ 4. Acroteria sunt acrocolia seu trunculi in infimo pede apud *Veget.* 3. *Veter.* 47. 1. Similis desperatio est, si coxam fregerit (*animal*), aut acroteria, aut supra gambam. *Ita leg.* Schneider.; *al.* acrocolia; *al.* aliter. *Schneideri* lectionem confirmant *Gloss.* ed. a *Mai. Class. Auct. T.* 8. *p.* 53., ubi hæc leguntur: Acroteria, ligamenta articulorum, quæ etiam internodia dicimus.

ACRŌTHȲMĬUM, ii, n. 2. ἀκροθύμιον, verrucæ genus. In quibusdam editionibus legitur hæc vox apud *Cels.* 5. 28. *n.* 14. Sed *Leon. Targa in edit.* 2.ª p. 290. recte contendit *At thymium* legendum, fretus auctoritate codicum. *V.* ACROCHORDON et THYMIUM.

ĂCRŎZȲMUS, a, um, adject. leviter fermentatus, quasi acroazymus, *h. e.* de pane, qui in summo tantum fuit fermento imbutus (ab ἄκρος *summus* et ἄζυμος *sine fermento*). Sunt hæc *Isidori* 20. *Orig.* 2. 15. ed. *Lindemann.*, ubi vulgatæ Editt. minus recte *acrizymus.*

ĂCRUĀMA. *V.* ACROAMA.

ACRUFOLIUS. *V.* AQUIFOLIUS.

ACRUMÆRUMA. Falsa lectio. *V.* ÆRUMA.

ĂCRUS, a, um. *V.* ĂCER.

ACTA, æ, f. 1. ἀκτή, littus maris, vel secessus in littore; vox Græca, sed quam usus in Latinum sermonem invexit (It. *lido o riva del mare*; Fr. *côte, rivage, plage, baie*; Hisp. *costa, la orilla del mar*; Germ. *die Meeresküste*; Angl. *the sea-shore, seacoast, strand*). Apud Latinos autem peculiariter significat littoris secessum amœnum et deliciarum causa excultum, quemadmodum, præter cetera, testantur ipsæ *Gloss. Placidi* ed. *Maio* (*Class. Auctor. T.* 3. p. 428.). ACTA dicuntur loca secreta circa mare, id est, in littore amœna et voluptaria. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 63. In acta cum mulieribus jacebat ebrius. Et *ibid.* 31. 82. Uxorem ejus tot in acta dies secum habere. *Nep. Agesil.* 8. 2. Cum annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum ivisset, et in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto. *Virg.* 5. *Æn.* 613. At procul in sola secretæ Troades acta Amissum Anchisen flebant. *Val. Flacc.* 5. 96. Omina Mopsus Dum stupet, in prima tumulum procul aspicit acta. — Hinc *actæ* vel *in actis esse*, Græce ἀκτάζειν, significant jucundam et voluptariam vitam agere. *Cic.* 14. *Att.* 8. 1. Tu me jam rebare, cum scribebas, in actis esse nostris; at ego accepi XVII. Kal. in diversoriolo Sinuessano tuas litteras. *Cic. Cæl.* 15. 35. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajas, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia jactant. *Id.* 9. *Fam.* 6. 4. Ut ea consideres eaque tractes, quorum et usus et delectatio est omnibus istorum et actis et voluptatibus anteponenda. *Id.* 7. *Verr.* 36. 94. Tum istius actæ commemorabantur, tum flagitiosa illa convivia etc. *ubi MSS. exhibent* acta commemorabantur, *vulgatæ vero Editt. minus recte* acta commemorabatur. V. *Casaubon.* ad *Sueton. Aug.* 72.

ACTA, ōrum, n. plur. *V.* AGO in fine.

ACTÆA, æ, f. 1. herba gravi foliorum odore, caulibus asperis geniculatis, semine nigro ut hederæ, baccis mollibus: nascitur in opacis et asperis aquosisque. Hæc *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 26. (43). Ita appellata fortasse, quod in littore, sive in acta nascebatur, sive in Attica regione. Juxta omnes ferme Interpretes hæc esset *Actæa spicata* L.; cl. vero *Fée* (*op. cit. T.* 3. p. 436.) iis potius assentitur, qui *Actæam* Plin. putant *Sambucum Ebulum* L.; quamquam librarii mendum hic loci fortasse inesse conjicit, et *acte* pro *actæa* legendum esse. *V.* ACTE. — *NB.* De Actæa nom. propr. *V.* ONOM.

ACTÆUS, a, um, adject. ab acta, ἀκτή *littus*, est littoreus (It. *littorale*; Fr. *du rivage de la mer, du littoral*; Hisp. *ribereño*; Germ. *zu dem Küstenlande*; Angl. *relating to the sea-shore*). *Virg.* 2. *Ecl.* 24. Amphion Dircæus in actæo Aracyntho. *Servius* ad hunc locum, Aracynthos, inquit, mons est Thebanus: unde *acteo* littorali debemus accipere: quamquam alii pro Atheniensi accipiant, ut ostendatur rusticæ simplicitatis in Corydone pastore ibi loquente

imperitia. Porro de voce *actæo* pro *littorali* accipienda nullum relinquit dubitandi locum *Avien. Prognost.* 69. Doctus securam subducit ab æquore classem Navita, et actæa retinet statione phaselum. — *NB.* De Actæo pro Atheniensi *V.* ONOM.

ACTĀRĬUS, ii, m. 2. (acta) idem ac actuarius, *h. e.* scriba, notarius, qui acta perscribit. *Velius Longus de Ortogr. p.* 2234. *Putsch.* docet *actarios* dici scriptores actorum. *Inscript.* scripta temporibus M. Aurelii Antonini Pii apud *Gruter.* 260. 1. IN HIS ACTARIVS LEG. VII. GEM. ANT. P. FEL. *h. e.* scriptor actorum militarium. *Inscript.* Romæ reperta, in columbario prope portam D. Sebastiani effosso, apud *Henzen.* 6284. PETRONIA T. L. PRIMA POLLVCIS ACTARII CVM QVO VIX. ANN. XXXI. CANINIA L. L. IVCVNDA POLLVCIS.

ACTĒ, es, f. 1. (ἀκτή) frutex quidam, quem nonnulli ebulum esse putant (*V.* ACTÆA), ebulumque, vel etiam agrian acten (ἀγρίαν ἀκτήν) a quibusdam vocari affirmat *Apul. de Herb.* 92. Ejus radicem in vino maceratam prodesse hydropicis scribit *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 73. (120). — *NB.* De Acte nom. propr. *V.* ONOM.

ACTĪNŎPHŎRUS, a, um, adject. ἀκτινοφόρος, Græca vox ab ἀκτίν, ῖνος radius et φέρω, *h. e.* radios ferens, et juxta *Philox.* ἀκτινοφόρος est *capite radiatus.* Ita vocatur genus conchæ, quod radiata apparet. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (147). Cochleæ, quarum generis pentadactyli, meliceembales, echinophoræ dicuntur. At *Schneiderus*, in Indice *Scriptor. R. R.* ad V. Cochlea, ita legendum probavit: Pentadactyli, item helices, ab aliis actinophoræ dicuntur. Hic enim *Plinius* vertit Græca verba *Xenocratis de alim. ex aquatil. c.* 24. Οἱ δὲ πενταδάκτυλοι, ἕλικες, ἢ ἀκτινοφόροι ἀσαρκότεροι μέν εἰσι παρὰ τοὺς ἄλλους κοχλίας. *Sillig.* Bambergensis Codicis auctoritate fretus eamdem ferme lectionem retinet, scilicet: *Item helices, aliis actinophoroe dicuntur, quibus radii cantant*: et addit, Plinium postremis verbis explicare voluisse, unde *actinophoroe* nomen acceperint, et huc retulisse genus concharum a *Xenocr. loc. cit.* memoratum: Τὸ μὲν ἐκίμηκες, οὕτω (*Coraes* corrigit τούτῳ vel ᾧ vel ὅτῳ) καὶ σάλπιγγες δίκην ἐμφυσῶσι. *Hesychius*: Στρόμβηλος τῷ κόγχῳ, ᾧ ἐσάλπιζον. *Id.* voce κοχλίας. Ταῖς θαλασσίαις (subaudi κοχλίαις) ἐχρῶντο πρὸ τῆς τῶν σαλπίγγων εὑρέσεως. Radiorum igitur ope, quos hæ conchæ ferebant, homines sonos musicos elicuerunt, unde ipsos radios cantare dicit *Plinius.*

ACTĪNŌSUS, a, um, adject. ἀκτινωτός, *h. e.* radiatus, coruscans, ut *Ecclesia actinosa* apud *Ambros. in Psalm.* 41.

ACTĬO, ōnis, f. 3. (ago) proprie est ipse actus agendi, sive huc vel illuc ducendi, quemadmodum et compositum *circumactio*; quo tamen sensu occurrit tantummodo, si tamen salva est lectio, apud *Vitruv.* 3. 5. 6. *Schneider.* Tunc ab summo sub abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eumdem tetrantem, qui est sub abaco, veniat. — Generatim vero actio abusive accipitur pro omni operatione, vel quia actione consilia nostra ad effectum *perducimus*, vel quia in quacumque actione notio motus inest vel cogitatur (It. *azione*, *operazione*; Fr. *action*, *acte*; Hisp. *accion*; Germ. *die Führung*; Angl. *an act*, *action*, *operation*). Occurrit autem aut *A*) generatim, aut *B*) speciatim.

A) Generatim ponitur pro quacumque operatione a) cum Genitivo rei, *b*) absolute et abstracte, c) cum Genitivo agentis, *d*) denique concreto sensu pro eo ipso, quod reapse agitur vel actum est. — *a*) Cum Genitivo rei. *Cic.* 1. *Off.* 43. 153. Etenim cognitio contemplatioque naturæ manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 19. 62. Sublata assensione, omnem et motum animorum et actionem rerum sustulerunt. *Id. ibid.* 38. 108. Quod negatis actionem ullius rei posse in eo esse, qui etc. *Id.* 1. *Off.* 5. 17. Ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitæ continetur. *h. e.* vita, quæ in actione consistit. — b) Absolute et abstracte. *Cic.* 1. *Off.* 6. 19. Virtutis laus omnis in actione consistit. *Id. Partit. orat.* 22. 76. Aut scientiā cernitur virtus, aut actione. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 12. 39. Omnem actionem tollere e vita. *Id.* 1. *Nat. D.* 37. 102. Non modo deos spoliat motu et actione divina, sed etiam homines inertes efficit. *Id.* 2. *ibid.* 16. 44. Actione aliquem privare. — *c*) Cum Genitivo agentis. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 70. Actio corporis. *Cels.* 1. *procem.* Naturales corporis actiones. *Cic.* 1. *Nat. D.* 17. 45. Actio mentis. — d) Concreto sensu pro eo ipso quod agitur vel actum est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 22. 58. Actiones appetitionibus consentaneæ. *Id.* 9. *Fam.* 8. 2. Honestas alicui et curas et actiones dare. *Seneca Ep.* 95. 4. Actiones rectæ. *Id. ibid.* § 6. honestæ. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 34. 108. Maximam actionem puto repugnare visis. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Actiones honestatis. *Id. ibid.* 39. 141. Actionem suscipere. *Id.* 2. *ibid.* 1. 3. Actiones suas scriptis mandare. *Vellej.* 2. 44. 5. Actiones alicujus impedire.

B) Speciatim latissimos habet usus, sed præcipue significat id, quod verbis perficimus. ¶ 1. Hinc gratiarum actio, cum scilicet verbis nos gratos esse erga alios testamur. *Cic.* 11. *Fam.* 19. 1. Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam. *Plin. Paneg.* 4. Privatæ gratiarum actiones. *Quintil.* 11. 3. 153. In laudationibus, nisi si funebres erunt, gratiarum actione, exhortatione, similibus, læta et magnifica et sublimis est actio. *Plin. Paneg.* 90. Gratiarum actio mea. *h. e.* tota ipsa panegyrica oratio, quam habebat. ¶ 2. Est etiam oratorium verbum, et significat vocem et motum corporis arte temperatum ab oratore in dicendo. *Cic. Orat.* 17. 54. Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia, cum constet e voce atque motu. *Quintil.* 11. 3. 1. *Pronuntiatio* a plerisque *actio* dicitur; sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Namque *actionem* Cicero alias quasi *sermonem*, alias eloquentiam quamdam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quæ sunt eædem pronuntiationis, *vocem* atque *motum.* Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. *Id.* 3. *Orat.* 56. 213. Actio – in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias. Adde *Brut.* 38. 141. et 68. 139. *Id. Brut.* 33. 141. Actio in Antonio singularis. *Id.* 2. *Orat.* 17. 73. Accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. *Quintil.* 11. 3. 184. Actio paullo agitatior. *Id.* 10. 1. 17. decora. *et alibi sæpe.* ¶ 3. Hinc latiori sensu actio ponitur non de oratore tantummodo, sed de scenico quoque actore, atque omnes declamationis, uti nos vocamus, partes complectitur et significat. *Cic. Orat.* 25. 86. Accedit actio non tragica, nec scenæ, sed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens: non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntient. *Id.* 3. *Orat.* 26. 102. Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest – sed abjicit prorsus, ut in proximos – admiretur, stupescat. – In quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. *Vitruv.* 5. 7. 2. Ideo quod apud eos (*Græcos*) tragici et comici actores in scena peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestram præstant actiones. ¶ 4. Interdum est legitima ratio, qua emptionis venditionisque contractus faciendus erat. *Varro* 2. *R. R.* 5. 11. Manilii actiones. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 246. *has ipsas vocat* Manilianas venalium vendendorum leges. Adde *eumd. Varr.* 2. *R. R.* 3. 5. ¶ 5. Sæpissime actio est publica de re aliqua propositio et disputatio, ac præsertim rogatio, quæ in foro fiebat a magistratibus, quibus jus erat agendi cum populo (V. *Gell.* 13. 15.), aut etiam ipsorum in curia senatorum sententiæ, qui aliquid novi agendum contendebant. *Liv.* 3. 9. Tribuniciæ actiones. *Vellej.* 2. 45. 3. Actione Antonii Milonis tribuni plebis. *Sall. Jug.* 42. Actiones Gracchorum. *Id. Cat.* 43. Actiones Ciceronis (*consulis*). *Liv.* 5. 24. Movebatur actio transmigrandi Vejos. *Id.* 2. 56. Actioni plebi gratissimæ summa vi resistere. *Id.* 4. 43. Adversus actionem summa ope niti. *Id.* 4. 55. Actionem consularem (*delectum*) impedire. *Cic. Dom.* 13. 34. Videsne me non radicitus evellere omnes actiones tuas? *Id.* 9. *Att.* 9. 2. Discessu enim illorum actio de pace sublata est. *Id.* 14. *ibid.* 20. 4. Dolabellæ et prima illa actio et hæc contra Antonium concio mihi profecisse permultum videtur. *Liv.* 2. 31. Omnium actionum in senatu primam habuit (*dictator*) pro victore populo. *Cic.* 3. *Fam.* 10. 10. Qua humanitate tulit (*Cn. Pompejus*) contentionem meam pro Philone, adversantem interdum actionibus suis? ¶ 6. A JCtis usurpatur pro *jure persequendi in judicio, quod sibi debetur*, ut definit *Celsus Dig.* 44. 7. 50. Hinc *actio injuriarum*, qua quis injurias sibi illatas in judicio persequitur; *actio furti*, qua res furto ablatas judicio repetit; *actio de arboribus succisis* in eum, qui alienas arbores succiderit. Sed innumera sunt actionum genera apud JCtos, quorum est singula hujusmodi complecti et exponere. Vide Lexica *Hotomani*, *Brissonii*, et *Pitisci.* Generatim vero sumitur pro quavis accusatione cum publica vel criminali, tum privata vel civili, sive pro quavis quæstione, lite, vel judicio forensi: et dicitur *actio causæ*, *actio litis*, aut fere semper *actio* absolute. *Cic. Cæcin.* 2. 4. Cum illorum actionem causæ considero. *Id. Dejot.* 2. 7. Quæ quoniam angustiora parietes faciunt, actioque maxime causæ debilitatur loco. *Id.* 9. *Phil.* 5. 11. Neque constituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. *Cic. Mil.* 14. 36. Actionem perduellionis intendere alicui. *Id. Mur.* 9. 22. Actionem instituere. *Id. Rosc. com.* 12. 35. Integram alicui actionem relinquere. *Id.* 2. *Invent.* 19. 57. Actiones excludere. *Id.* 4. *Verr.* 25. 60. Actionem postulare alicujus rei. *h. e.* accusandi jus postulare. *Id. ibid.* 27. 66. Dare alicui actionem alicujus rei. *h. e.* dare alicui potestatem agendi in judicio de re aliqua; quod est prætoris aut judicis. Adde *Cai. Instit.* 3. 122. et *Dig.* 2. 8. 2. § 5. et alibi sæpe. *Dig.* 50. 17. 102. § 1. Actionem alicui denegare. *Cajus Inst.* 4. 72. Accommodare alicui actionem. *Quintil.* 3. 6. 11. Actio competit in aliquem. *h. e.* potest aliquis in judicium vocari. *Paul. Dig.* 15. 1. 32. *in fin.* Inferre actionem cum aliquo. *h. e.* judicio cum aliquo experiri. *Ulp.* 3. 3. 39. Agere actione aliqua. *Sueton. Claud.* 14. Restituere actionem iis, qui formula exciderunt. *Liv.* 39. 18. Multis et actiones et res peribant. *Sallust. fragm.* 2. *Hist.* apud *Arusian.* Actione desistere. ¶ 7. Item si qua causa multa complectebatur, et facta rerum divisione pluries agebatur, singulæ quæque ejusdem partes appellabantur *actiones.* *Cic. Cæcin.* 33. 97. Prima actione judicare. *Id.* 3. *Verr.* 30. 75. Actio altera. *Id. Cæcin.* 1. 3. Hac actione. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Singulæ actiones. Et *haud multo post*: Actio tertia. ¶ 8. Actio ponitur etiam pro formula seu ratione agendi in judicio, seu litis exercendæ. *Cic. Cæcin.* 3. 8. Potuisti enim leviore actione confligere, potuisti ad tuum jus faciliore et commodiore jure pervenire. *Id. ibid.* 14. 32. Cum hoc constet, ego homo imperitus juris – hanc puto me habere actionem, ut per interdictum meum jus teneam atque injuriam tuam persequar. — Semper autem agebatur statutis quibusdam formulis certisque verbis, quæ *legis actiones*, vel *legitimæ actiones*, vel etiam absolute *actiones* dicebantur: has primis Rom. reipubl. temporibus suppeditabant Leges XII. Tabul., necnon JCti patricii; *Cn.* autem *Flavius* primum edidit ac pervulgavit, unde *Jus Flavianum* (Cf. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 186. cujus verba infra citantur, et 6. *Att.* 1. 8.; *Ælium Gallum* apud *Festum* p. 233. 5. *Müll.*, *Caj.* 4. 11., et *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 6.); *Sext. Ælius Pætus* cos. a. ab U. C. 556. collegit, unde *Jus Ælianum* (Cf. *Klotz. Handbuch der latein. Literaturgesch. T.* 1. p. 344. et seqq.); quibus addendæ sunt *Hostilianæ actiones* a *Cic.* 1. *Orat.* 57. 245. memoratæ. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 186. Veteres illi, qui huic scientiæ (*juris*) præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ suæ causa, pervulgari artem suam noluerunt: deinde, postea quam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. *Id. Cæcin.* 19. 54. Actio est in auctorem præsentem his verbis: QVANDOQVE TE IN IVRE CONSPICIO. Hac actione Appius ille Cæcus uti non posset. *Id.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Inde illa actio: OPE CONSILIOQVE TVO FVRTVM AIO FACTVM ESSE. *Id.* 1. *Orat.* 36. 167. Alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod esset in actione. *Varro* 7. *L. L.* 93. p. 156. *Müll.* Ideo in actionibus videmus dici: QVAM REM SIVE MI LITEM DICERE OPORTET. ¶ 9. Denique ponitur pro ipsa oratione scripta, quomodo nunc in titulis *M. T. Ciceronis actio in C. Verrem prima, secunda* etc. *Quintil.* 10. 1. 22. Utrimque habitas legere actiones, ut Demosthenis et Æschinis inter se contrarias. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Actionem a te frequenter efflagitatam et a me sæpe promissam exhibui tibi. *Sueton. Calig.* 53. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere. *h. e.* oratorum orationibus, quibus reum aliquem peragere illis feliciter contigisset, contraria scribere. A *Quintil.* 7. 2. 24. vocatur *causæ actio*; a *Cic. Senect.* 11. 38. *causarum orationes.*

ACTĬŌNĀLIS, e, adject. ad actum pertinens. Actionalia sunt instrumenta et tabulæ ab servis actoribus confectæ, *h. e.* eorum actus. *Ulp. Dig.* 27. 3. 1. § 3. Officio tutoris incumbit etiam rationes actus sui conficere .... nam Divus Severus decrevit, cum neque inventaria, neque actionalia proferentur, remedio eo uti debere, ut rationes a servis, qui rem gesserant, proferantur. Quædam editiones habent perperam *auctionalia*, quibus nullus hic locus; at *Pandectæ Florentinæ* recte nostram lectionem tuentur. *V.* ACTOR § 7.

ACTĬŌSUS, a, um. Videtur esse quædam vocabuli forma, quam *Varro* 7. *L. L.* 66. 15. *Müll.* effinxerit ad etymon vocabuli *axitiosus* declarandum; res tamen in dubio est: en *Varronis* verba: Ab agendo a x i t i o s a s; ut ab una faciendo f a c t i o s æ, sic ab una agendo a c t i o s æ (et a x i t i o s æ) dictæ. *Vocabula uncis inclusa addidit* Müll. *ex conjectura.*

ACTĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (frequentativum ab *ago*, de cujus forma et pronuntiatione V. *Gell.* 6. 9.). Part. *Actitatus*, et *Actitandus*. Est rem aliquam sæpe, aut magna cura diligentiaque agere (It. *trattare spesso*, od *accuratamente*; Fr. *traiter souvent*, ou *avec soin*; Hisp. *tratar frequentamente*, ó *cuidadosamente*; Germ. *mit allem Fleisse etwas ausführen oder verhandeln, öfters und vielbetreiben*; Angl. *to be in the habit of acting*, or *to plead diligently*). ¶ 1. Proprie et generatim. *Cic. Brut.* 70. 246. M. Pontidius municeps noster multas privatas causas actitavit. Adde *Sueton. Galb.* 3. et *Plin.* 3. *Ep.* 5. 7. *Dig.* 22. 4. 3. Cum inter præsentes et convenientes res actitata sit. Adde *Dict. Cret.* 5. 1. *Cod. Theod.* 13. 11. 16. Quod si quis eo tempore, quo peræquator prædium alicui addicit, de suo jure vel per se vel per homines suos non crediderit actitandum, etc. ¶ 2. Peculiariter pertinet ad scænam et est repræsentare. *Cic.* apud *Augustin.* 2. *Civit. Dei* 10. Actitare tragœdias. *Tac.* 3. *Hist.* 62. mimos.

ACTĬUNCŬLA, æ, f. 1. (deminut. ab *actio*) sumitur pro brevi oratione, vel accusatione. *Plin.* 9. *Ep.* 15. Retracto actiunculas quasdam.

ACTĪVĒ, adverb. (activus) activo modo, et dicitur de verbis quæ activo modo usurpantur. *Priscian.* 8. *p.* 794. *Putsch. Promittere*, active dixit. *Id. ibid.* *p.* 799. Active ponere verbum.

ACTĪVUS, a, um, adject. (actus) qui agit seu in actione consistit; et opponitur *contemplativo* ac *spectativo*, qui solam rerum meditationem important sine actione (It. *attivo*, *che opera*, *pratico*; Fr. *actif*, *pratique*, *agissant*; Hisp. *activo*, *práctico*; Germ. *zum Handeln*, *Thun*, *zur Thätigkeit bestimmt und geeignet*; Angl. *active*, *effective*, *practical*). ¶ 1. Est philosophicum vocabulum. *Seneca Ep.* 95. 10. Philosophia autem et contemplativa est, et activa: spectat simulque agit. *Quintil.* 3. 5. 11. Hi thesin a causa sic distinguunt, ut illa sit spectativæ partis, hæc activæ. *Quintil.* hoc ipsum vocabulum de *rhetorice* quoque usurpandum proponit 2. 18. 5. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus ejus usus actu continetur, atque est in eo frequentissima; dicatur *activa*, vel *administrativa*: nam et hoc ejusdem rei nomen est. ¶ 2. Activa verba dicuntur a Grammaticis, quæ actionem important, ut *amo*, *verbero*, *doceo*. *Charis.* 2. *p.* 138. *Putsch.*, *Diomed.* 1. *p.* 320. et *Priscian.* 8. *p.* 786. *Putsch.*

ACTOR, ōris, m. 3. (ago) proprie qui agit, sive ducit (It. *motore*, *conduttore*; Fr. *celui qui met en mouvement*, *qui pousse ou chasse devant soi*; Hisp. *conductor*; Germ. *der etwas treibt oder in Bewegung setzt*; Angl. *one that puts in motion*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Ovid. Heroid.* 1. 95. Actor pecoris. Hæc *Ovidii* lectio olim erat incerta; cujusmodi nunc quoque est alia, quæ a nonnullis affertur ex *eodem* 1. *Fast.* 547. *Stat.* 2. *Achill.* 419. flexæ Balearicus actor habenæ. *h. e.* fundam in gyrum agens, antequam lapidem jaciat.

II.) Translate latissimos habet usus, et est qui aliquid ad effectum perducit, exsequitur, *V.* ACTIO. ¶ 1. Est qui facit. *Cic.* 3. *Orat.* 15. 57. Phœnix, qui se – Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret *oratorem verborum actoremque rerum* (ex *Homer.* 9. *Il.* 443. μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων). *Id. Sext.* 28. 61. Dux et auctor et actor illarum rerum fuit. *Nep. Att.* 3. 2. Hunc in omni procuratione reipubl. actorem auctoremque habebant. Cf. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Auctor atque agens. ¶ 2. Item qui aliquid rogat de eoque disserit (*V.* ACTIO 5.), et generatim qui aliquid repræsentat. *Cic.* 3. *Leg.* 18. 40. Deinde sequitur, quibus jus sit cum populo agendi, aut cum senatu. Gravis et, ut arbitror, præclara lex. — Actor enim moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed pæne vultus eorum, apud quos agit. *Id.* 3. *Orat.* 56. 214. Quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt, imitatores autem veritatis, histriones occupaverunt. ¶ 3. Item qui orationem aliquam recitat (*V.* ACTIO 2.). *Cic.* 3. *Orat.* 56. 213. (*Æschines*) cum suavissima et maxima voce legisset (*orationem a Demosthene pro Ctesiphonte editam*), admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum? Ex quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eamdem aliam fore putaret, actore mutato. *Id. Orat.* 19. 61. Non enim inventor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia. ¶ 4. Hinc latiori significatione sæpe dicitur de eo, qui fabulas agit. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 35. Non herus, sed actor mihi cor odio sauciat. Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo, nullam æque invitus specto, si agit Pollio. Adde *Ter. Heaut. prol.* 12. et 13. et *Phorm. prol.* 10. et 33. *Cic.* 2. *Orat.* 47. 194. Actor alienæ personæ. *Id.* 1. *ibid.* 26. 118. Sicut in foro non bonos oratores, ita in theatro actores malos perpeti. *Id. ibid.* 28. 128. Gestus summorum actorum. *Id.* 1. *Verr.* 15. 48. Actores Græci secundarum aut tertiarum partium. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 16. Actores industrii. *Liv.* 7. 2. 8. Suorum carminum actor. *Id. ibid.* § 12. Actores Atellanarum. *Id.* 24. 24. 2. Actor tragicus. *Sueton. Calig.* 57. Actor mimi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 205. Actor Cum stetit in scæna concurrit dextera lævæ. — In quo differat ab histrione et ludio *V.* HISTRIO in fine. ¶ 5. In jure dicitur de eo, qui alterum ad judicium provocat, et cui competit causæ probandæ onus. *Actor* autem stricto sensu dicebatur qui in personam, *petitor* qui in rem agebat: sed quoniam ipsæ quoque causæ, quæ de re agebantur, in personam aliquam agebantur; *actor* latius patet quam *petitor*, immo *petitorem* ipsum complectitur (V. *Klotz*, *Cicero's Reden T.* 1. *p.* 476. et *W. Rein röm. Privatr.* *p.* 422.). Hoc denique sensu *actor* opponitur *defensori* et occurrit absolute; nonnunquam vero latius patet atque actorem defensoremque simul significat et occurrit cum Genitivo *causæ* vel *causarum*. *Cic. Partit. or.* 32. 110. Sed accusatorem pro omni actore et petitore appello. *Ulp. Dig.* 40. 12. 7. § 5. Si quis ex servitute in libertatem proclamat, petitoris partes sustinet: si vero ex libertate in servitutem petatur, is partes actoris sustinet, qui servum suum dicit: – et si forte apparuerit eum, qui de libertate sua litigat, in libertate sine dolo malo fuisse; is, qui se dominum dicit, actoris partes sustinebit, et necesse habebit servum suum probare. *Cajus Dig.* 5. 1. 13. In tribus istis judiciis, familiæ erciscundæ, communi dividundo et finium regundorum, quæritur, quis actor intelligatur: quia par causa omnium videtur. Sed magis placuit, eum videri actorem, qui ad judicium provocasset. *Cic. Brut.* 89. 307. Moloni Rhodio et actori summo causarum et magistro. *Id.* 1. *Verr.* 16. 54. Actor causæ totius. *Horat. Art. poet.* 369. jurisconsultus et actor Causarum. Adde *Quintil.* 2. 17. 40., 4. 1. 7. et alibi sæpe, necnon *Plin.* 4. *Ep.* 11. — Hinc in publicis causis *actor* est *accusator* stricto sensu (*V.* ACCUSATOR), quemadmodum occurrit apud *Cic.* 1. *Verr.* 1. 1., 2. 4., 3. 10. et sæpissime in posterioribus etiam capitibus. ¶ 6. Item de eo, qui alienas res rationesque curat et administrat. Erat autem hic plerumque e servorum numero, honestiore tamen præ ceteris loco et gradu. *Ulp. Dig.* 30. 37. pr. Qui rescripserunt, homine legato, actorem non posse eligi. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 7. Ita fit, ut et actor et familia peccent, et ager sæpius infametur. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Non minus utile, quam voluptuosum posse utraque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem procuratore, ac pæne iisdem actoribus habere. *Actor* hoc, et *Columellæ* loco pro villico ponitur; tametsi differunt inter se actor et villicus, ut aperte colligitur ex *Scævola Dig.* 33. 7. 20. ubi utrumque inter instructi fundi officia enumerat. Differunt autem in eo, quod *villicus* servis rusticis præest, operasque et alia ad agrum colendum curat: *actor* pecunias maxime et fundi reditus administrat. *Scævola loc. cit.* Prædia, ut instructa sunt, cum dotibus, et reliquis colonorum, et villicorum mancipiis, et pecore omni legavit, et cum peculiis, et actore, etc. *Actor* præterea urbanus etiam est: *villicus* ruri tantum degit, ut *ibid.* paullo post innuitur. *Inscript.* apud *Orell.* 4688. D. M. FLAVIA LVCINA IVNIO ACTORI FIDELISSIMO BENEMERENTI FECIT. *Actores* ruri degentes dicuntur etiam *actores prædiorum*, *et fundorum*. *Scævola Dig.* 34. 4. 31. et sæpius in *Cod. Inscript.* an. post Chr. n. 201. apud *Labus. Ant. Monum. Bresc.* p. 67., quæ apud *Orell.* est 1773. FATIS FATALIBUS DRVINVS M. *Nonii* ARRII MVCIANI COS. ACTOR PRAEDIORVM TVBLINAT. *h. e.* Tublinatium. ¶ 7. *Actor summarum* pecuniam tantum, et ejus rationes tractabat; in quo nihil fortasse a *dispensatore* differt. *Suet. Domit.* 11. Actorem summarum, pridie quam cruci suffigeret, in cubiculum vocavit, etc. ¶ 8. *Actor rerum* rebus omnibus domini curandis præerat. De eo mentio fit a *Paulo Dig.* 1. 18. 21. ¶ 9. *Actor publicus* erat servus, seu libertus publicus, qui rem principis curabat. *Tac.* 2. *Ann.* 30. Novi juris repertor Tiberius, mancipari singulos actori publico jubet. Adde 3. 67. — *Actor publicus* apud *Plin.* 7. *Ep.* 18. erat servus publicus civitatis, qui pecuniarias ejusdem rationes agebat; quique *servus actor reipublicæ* dicitur in *Inscript.* apud *Murat.* p. 975. 2., et *actor alimentorum* in *Inscript.* apud *Gruter.* p. 622. 8. (eidem cum *Inscript.* p. 812. 7. *ibid.*). V. *Ag. Gervasio Sopra un' Iscrizione Sipontina*, *Napoli* 1837., et *Bullett. dell' Istituto Archeol. a.* 1837. *p.* 158. — Hinc fortasse innotescit, quid sit *actor publicus coloniæ* et quidem *ingenuus* in *Inscript.* apud *Henzen.* 6931. COLONIAE ACTORI PVBLICO IIVIRO AB AERARIO ITEM IIVIRO A IVRE DICVNDO FLAMINI AVGVSTALI CVI DIVVS AVREL. ANTONINVS CENTENARIUM PROCVRATION. PRO. HADRIMETINAE DEDIT. Nisi forte hic agatur de syndico, de quo vide infra § 9. — Ceterum *actor* differt a *procuratore*, quod *actor* sine jurisdictione erat, et quod procuratori ipsi subjiciebatur; quamquam hoc discrimen non est perpetuum. *Plin. Paneg.* 36. Dicitur actori, atque adeo procuratori tuo, in jus veni. Adde *eumd.* 3. *Ep.* 19., cujus verba § 6. retulimus. ¶ 10. *Actores* municipiorum, civitatum, collegiorum, et similium corporum erant liberi homines, qui eorum causas, lites movendas excipiendasque suscipiebant. Hi et syndici dicti sunt. *Ulp. Dig.* 37. 1. 3. A municipibus et societatibus, et decuriis, et corporibus bonorum possessio agnosci potest: proinde sive actor eorum nomine admittat, sive quis alius, etc. *Cajus Dig.* 3. 4. 1. Quibus permissum est corpus habere collegii, societatis, sive cujuscumque alterius nomine, eorum proprium est, ad exemplum reipublicæ, habere res communes, arcam communem, et actorem, sive syndicum, per quem tamquam in republicam, quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat. *Ulp. ibid.* 3. 3. 74. Actor civitatis. *Inscript.* quæ pertinet ad an. post Chr. n. 19., apud *Henzen.* 6432. C. HELVIDIVS PRISCVS ARBITER EX CONPROMISSO INTER Q. TILLIVM ERYLLVM PROCVRATOREM TILLI SASSI ET M. PAQVIVM AVLANVM ACTOREM MVNICIPI HISTONIENSIVM *etc.*

ACTŌRĬUS, a, um, adject. (actus) activus, ad agendum aptus (It. *attivo*; Fr. *actif*; Hisp. *activo*; Germ. *zur Thätigkeit bestimmt*; Angl. *active*). *Tertull. Anim.* 14. Non enim membra sunt substantiæ animalis, sed ingenia, ut motorium, ut actorium, ut cogitatorium.

ACTRĪX, īcis, f. 3. (actor) quæ actionem in judicio intendit, vel accusans, vel aliquid postulans (It. *attrice*; Fr. *demanderesse*; Hisp. *demandadora*; Germ. *die Klägerin*; Angl. *a female plaintiff*). *Cod. Theod.* 7. 16. 41. Jubemus, omnes epistolas actricis, quas ad Ælium fecerat, inanes ac vacuas esse. ¶ 2. Actrix est etiam inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Murat.* 913. 6. FRASTINA MAXIMINA ACTRIX C. DOMVS. *h. e.* Cæsareæ domus. *V.* ACTOR II. 6.

ACTŪĀLIS, e, adject. (actus) activus, actuosus (It. *attivo*, *operante*; Fr. *actif*, *pratique*; Hisp. *activo*, *práctico*; Germ. *zur Thätigkeit geeignet*; Angl. *active*, *practical*). *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 17. Hic a feriatis remotus, eminet tamen actualium vigore virtutum. *Actualibus* opponit ibidem *otiosas*, quæ in sola contemplatione versantur. *Isid.* 2. *Orig.* 24. 9. Alii definierunt philosophiæ rationem in duabus consistere partibus, quarum prior inspectiva est, secunda actualis. Actualis dividitur in moralem, dispensativam et divinalem. ¶ 2. *Actualia nomina* dicuntur ab eodem 1. *ibid.* 6. 25. quæ ab actu descendunt, hoc est actum significant, ut *rex*, *dux*, *cursor*, quæ actum notant regendi, ducendi, currendi.

ACTUALITER, adverb. (actualis) per aliquem actum, cui opponitur naturaliter. *Mytogr.* III. 6. 13. ed. *Majo* p. 195. Ingenitam (*Plato*) dixit eam (*animam*) ideo quod lege rerum generatarum non utatur, ut videlicet vel naturaliter, vel actualiter dissolvatur. Omnia enim generata, præter mundum et divina, actualiter dissolvuntur; mundus vero et divina naturaliter.

ACTUARIA, æ. *V.* ACTUARIUS, a, um.

ACTUARIOLUM, i, n. 2. (actuarius) parva navis actuaria, de qua *V.* ACTUARIUS, a, um. *Cic.* 16. *Att.* 3. 6. Hæc ego conscendens e Pompejano tribus actuariolis decem scalmis. Adde 10. *ibid.* 11. 4. et 16. *ibid.* 6. 1.

ACTUARIUM, ii, n. *V.* vocem sequent.

ACTUARIUS, a, um, adject. (actus, ago) agilis, levis, qui facile agi et impelli potest (It. *agile, leggiero*; Fr. *léger, vite, facile à mouvoir*; Hisp. *ligero, agil, veloz*; Germ. *leicht in Bewegung zu setzen, schnell*; Angl. *nimble, light*). ¶ 1. *Velius Longus de Ortogr.* p. 2234. *Putsch.* Actuarii canes. *h. e.* agiles, celeres et venationi apti. ¶ 2. Fere de navibus dicitur. *Actuaria* autem est, quæ mole parva cito agi facile potest: ideoque humilior ceteris est, et velis ac remis instruitur (It. fortasse dici posset *fregata*, aut *brigantino*, aut *galea sottile*; Fr. *bâtiments légers, bons voiliers*; Hisp. *navio legero, velero*; Germ. *Schnellsegler*; Angl. *a frigate, brigantine, a light galley, flyboat, pinnace*). *Isid.* 19. *Orig.* 1. 24. Actuariæ naves sunt, quæ velis simul et remis aguntur. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Has omnes (*naves*) actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multum adjuvat. *Liv.* 25. 30. In hoc tumultu actuariæ naves instructæ jam ante, circumvectæque armatos exponunt. Adde *eumd.* 21. 28. et 38. 38., *Auct. B. Alex.* 44., *Dig.* 49. 15. 2. *pr.* et *Sisennam* apud *Non.* p. 635. 1. *Merc. Cæs.* 1. *B. C.* 27. Actuaria navigia. Adde *Sallust. fragm.* apud *Non.* p. 535. 1. *Merc.* — Dicitur etiam *actuaria* absolute, subaudito nomine *navis*, vel *actuarium*, subaudito *navigium*. *Cic.* 5. *Att.* 9. 1. Actuariis autem minutis Patras accedere sine impedimentis, non satis visum est decorum. *Gell.* 10. 25. Navium autem appellationes hæ sunt, celoces, lembi, actuariæ, etc. ¶ 3. Actuarii limites in re agraria sunt, qui post decumanos et cardines (quæ sunt limitum majorum nomina) maximi sunt, per quos iter populo debetur, sicut per viam publicam. Latitudinem fere habent pedum duodecim: sed si per viam aliquam militarem agantur, latiores etiam esse solent. Dicti esse videntur *actuarii*, vel quia primi post decumanos et cardines acti, seu designati sunt, vel quia per eos non solum iter, sed etiam *actus* est, hoc est via vehiculum capiens. *Hygin. limit. constit.* p. 151. *Goesii.* Actuarius limes est, qui primus actus est, et ab eo quintus quisque, etc. — *Actuariis* limitibus respondent ex altera parte et veluti contrarii sunt *linearii*, vel *lineales*, qui angustiores multo sunt, et mensuræ tantum uniuscujusque agri disterminandæ causa constituti. Hi *subruncivi* etiam appellantur. *Id. ibid.* p. 152.

ACTUARIUS, ii, m. 2. (acta) scriba, notarius, qui acta perscribit. Legitur et *actarius*, quam vocem vide (It. *scrivano, amanuense, notajo*; Fr. *scribe, écrivain sous la dictée*; Hisp. *escribiente, amanuense*; Germ. *ein Schreiber*; Angl. *scribe, notary, register*). Varia sunt actuariorum genera pro varia temporum ratione. ¶ 1. Nam primo actuarii dicti sunt *notarii*, qui brevioribus et compendiariis notis usi citissime verba dictantis aut dicentis excipiebant, Græce ταχυγράφοι. *Sueton. Cæs.* 55. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur, ut pro Q. Metello; quam non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. *Senec. Ep.* 33. 9. Multum viva vox facit: non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, et actuarii vice fungitur. *h. e.* tantummodo ab aliis dicta profert, nihil de suo addit: quemadmodum *actuarius* tantummodo scribit ab aliis dictata, nihilque de suo addit. ¶ 2. *Actuarios* etiam dictos fuisse, qui publica senatus, aut populi *acta* præscriberent, et de his commentarios conficerent, asserunt plerique Eruditi: sed hujus rei Latinus scriptor, qui meminerit, adhuc desideratur; nisi forte de his intelligendum est, quod dicitur in *Cod. Theod.* 12. 50. 7. ubi nominantur *Actuarii urbis Constantinopolitanæ, et aliarum quarumcumque curialium civitatum*, quos tamen rectius ad militiam pertinuisse dicendum est. Fuere enim postea et *militiæ actuarii*, qui acta belli exscribebant, rationesque militum, annonam a susceptoribus accipiebant, iisque pittacia dabant, in quibus continebatur quantum a susceptoribus accepissent, et militibus erogassent, videnturque fuisse ministri Quæstorum militarium. *Aurel. Vict. de Cæsar.* 33. Tantum actuariorum in exercitu factiones vigent: genus hominum, præsertim hac tempestate, nequam, venale, etc. annonæ dominans, prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia, damnoque opes contraxerit. Adde *Ammian.* 20. 5. et in *Cod. Theod.* 12. 38. 5. et 16., et *tit.* 50. *non semel.* ¶ 3. Actuarium, qui acta privati domini, et rationes villaticas perscribit, habes apud *Petron. fragm. Tragur.* 53. *Burm.* Actuarius, qui tamquam Urbis acta recitavit: VII. Kal. Sextiles in prædio Cumano, quod est Trimalchionis, nati sunt pueri xxx. etc.

ACTUM, i. *V.* AGO in fine.

ACTUOSE, adverb. (actuosus) magna animi vi magnoque corporis motu, modo concitato, cui contrarium est *remisse* (It. *con attività, con forza*; Fr. *avec action, avec énergie ou passion*; Hisp. *energicamente*; Germ. *mit vollster Thatigkeit, auf bewegte Weise*; Angl. *actively, vigorously*). *Cic.* 3. *Orat.* 26. 102. Quam leniter! quam remisse! quam non actuose!

ACTUOSUS, a, um, adject. (actus). Comp. *Actuosior.* Proprie est qui totus in actu seu motu corporis versatur: ut ait *Paul. Diac.* p. 17. 14. *Mull.* Actus significant – motum corporis, ut histrionum et saltatorum, qui etiam ex hoc ipso actuosi dicuntur. *Actuosa* etiam *scena* dicta est a *Donato*, in qua histrioni valde est laborandum. — Sed fere de vita dicitur, et est activus, ab agendo non cessans (It. *attivo, attuoso; operoso*; Fr. *actif, plein d'activité*; Hisp. *activo, lleno de actividad*; Germ. *voll der Bewegung und Thatigkeit, thatig*; Angl. *active, busy, effective*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 110. Virtus actuosa, et deus vester nihil agens: expers virtutis igitur. *Id. Orat.* 36. 125. Pars actuosa orationis. *Val. Max.* 8. 8. 1. Ut actuosæ vitæ iter æquali gradu exsequebantur, ita animi quoque remissioni communiter acquiescebant (Cf. ACTUOSE, cui *remisse* opponitur). Adde 2. 1. 10. *Seneca Tranquill.* 3. 12. Optimum miscere otium rebus, quoties actuosa vita impedimentis fortuitis prohibetur. *Id. Ep.* 39. 3. Ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit.

ACTUS, a, um. *V.* AGO.

ACTUS, us, m. 4. (ago) proprie est motus seu ductus alicujus rei, puta equi cursus, impetus, impulsus, cum active, tum passive (It. *il menare, il condurre, il muovere, l'impulso*; Fr. *mouvement imprimé, impulsion*; Hisp. *movimiento, impulsion*; Germ. *das Treiben, die Bewegung, Leitung oder Führung eines Gegenstandes*; Angl. *a moving, movement, impulse*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de iis omnibus, quæ ducuntur et impelluntur, et præcipue de animalibus. *Pacuvius* apud *Non.* p. 506. 17. *Merc.* Linguæ actu. *Lucret.* 3. 194. Mellis pigri latices et cunctantior actus. *Virg.* 12. *Æn.* 687. Fertur in abruptum magno mons improbus actu. *Ovid. Hal.* 72. *de equo victore in certamine*: Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu. *h. e.* incessu. *Lucan.* 9. 471. *de turbine*: Pilaque contorsit violento spiritus actu. *Seneca Agam.* 432. Unda vix actu levi Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 480. aquas, quas hostibus ante Contiguas alio Stilicho deflexerat actu. *Lucan.* 9. 30. Quas ne per littora fusas Colligeret rapido victoria Cæsaris actu. *h. e.* celeri expeditione. *Cic.* 2. *de re public.* 47. 67. Quocumque vult, levi admonitu, non actu, inflectit illam feram. *h. e.* elephantum ducit non impulsu, sed voce. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Hominum, aut animalium actu vehiculum adhibemus, æquali videlicet motu etc. ¶ 2. Hinc actus est spatium quatuor pedum latum inter agros ductum, quo armenta, et vehicula vacua agi, hoc est duci possunt. Est enim et hæc prima et naturalis notio verbi *ago*. Differt ab *itinere* inter agros posito, quia *iter* est, quo quis pedes, vel eques commeare potest: *actus* vero ubi et armenta trajicere, et vehiculum ducere liceat. Ita *Modestin. Dig.* 8. 3. 12. Sed vide quæ dicentur in voc. VIA. *Paul. Diac.* p. 17. 13. *Müll.* Actus modo significant – iter inter vicinos quatuor pedum latum. *Gloss. Placid.* p. 433. *Mai.* Actum iter viciniale quatuor pedes latum, quo jumenta agi possunt. ¶ 3. Accipitur etiam pro jure, quod quis habet vehiculum agendi per vicinos agros: et est genus quoddam servitutis in prædiis rusticis. *Ulp. Dig.* 8. 3. 1. Actus est jus agendi vel jumentum, vel vehiculum: ita qui iter habet, actum non habet: qui actum habet, et iter habet. *Cic. Cæcin.* 26. 74. Aquæ ductus, haustus, iter, actus. Adde *Ulp.* 19. 1., *Paul. Sent.* 1. 17. § 1., *Dig.* 8. 1. 5. *pr.* et 8. 5. 4. § 1. et 43. 19. 1. *pr.*, necnon *Inscript.* apud *Orell.* 4379., 4382. et 4917. ¶ 4. Item *actus* est spatium, seu modus agri: et quidem triplex: minimus, quadratus, et duplicatus. *Actus minimus* continet latitudinis pedes quatuor, longitudinis centum et viginti. *Actus quadratus* centum viginti pedibus quaquaversum protenditur, totusque propterea constat pedibus quadratis 14400. *Actus duplicatus* ducentos quadraginta pedes longitudinis, et centum viginti latitudinis habet: totus itaque constat pedibus quadratis 28800 et jugerum appellatur. Dictus est *actus*, quia, ut ait *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (9), in eo boves aguntur, cum aratur, uno impetu justo. *Varro* 5. *L. L.* 34. 14. *Mull.* et 1. *R. R.* 10. 2., *Plin. loc. cit.*, *Colum.* 5. *R. R.* 1. 5., *Frontin.* p. 30. *Goes.*, *Isid.* 15. *Orig.* 15. 4. et *Paul. Diac. loco superius cit.* ¶ 5. Agrorum in actus divisionem ad alvearia transtulit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (22). Struunt (*apes*) orsæ a concameratione alvi textumque velut a summa tela deducunt, limitibus binis circa singulos actus, ut aliis intrent, aliis exeant. ¶ 6. Apud *Varr.* 8. *L. L.* 56. et seq. p. 226. *Mull.* est actus certus quidam et determinatus progressus ab uno numero ad alium numerum, ut ab uno ad nongenta est unus *actus*, per quem reditur ad unum: a mille ad nongenta millia est alius actus. *V.* integrum locum. Videtur autem aut esse metaphora ab agrorum actibus petita, aut esse significatio ab ipsa prima notione verbi *ago* derivata, perinde ac si *actus* sit numerorum *ductus*, quo modo et verbum *ducere* in computandis rationibus usurpatur.

II.) Transfertur ad corporis motum, et duplici quidem ratione: aut enim *A)* actus est corporis gestus et motus cum recitatione conjunctus; aut *B)* est rerum seu negotiorum perfectio vel exsecutio.

A) De corporis gestu et motu cum recitatione conjunctis. ¶ 1. Ponitur de oratore (*V.* ACTIO *B.* 2.). *Quintil.* 2. 12. 10. In pronuntiando suum cuique eorum, quæ dicet, colori accommodare actum sciat. *Id.* 11. 3. 140. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat. ¶ 2. Latiori significatione ponitur de histrionum, saltatorum etc. in scena agentium spectaculo (*V.* ACTIO *B.* 3. et ACTUOSUS). *Liv.* 7. 2. 4. Carminum actus. *h. e.* recitatio. *Id. ibid.* § 11. Histrionibus fabellarum actu relicto. *Quintil.* 10. 2. 11. Histrionum actus. *Sueton. Ner.* 24. In quodam tragico actu, cum elapsum baculum cito resumpsisset, etc. ¶ 3. Partes quoque majores comœdiæ et tragœdiæ, quæ sunt quinque, actus dicuntur. *Ter. Hec. prol.* 31. Primo actu placeo. *Cic. Senect.* 19. 90. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocumque fuerit actu, probetur. *Horat. Art. Poet.* 189. Neve minor, neu sit quinto productior actu Fabula. Adde *ibid.* 129. et 194. ¶ 4. Hinc translate. *Cic.* 2. *Phil.* 14. 34. Si meus stilus ille fuisset, – non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. *Id.* 5. *Fam.* 12. 6. Habet enim (*hæc quasi fabula rerum eventorumque nostrorum*) varios actus multosque actiones et consiliorum et temporum. *ubi rectissime* Kortius: actus, inquit, sunt partes majores fabularum; actiones, quæ in quovis actu variæ occurrunt pro personarum fato et varia fortuna. *Cic. Senect.* 2. 5. Extremus actus ætatis. *Id.* 3. *Verr.* 12. 32. Primus actus vitæ. *Id.* 4. *ibid.* 6. 18. Quartus actus improbitatis. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 16. Tertius annus imperii, tamquam tertius actus. *Id. Marcell.* 9. 27. Hæc igitur tibi reliqua pars, hic restat actus, ut rempublicam constituas. *Varro* etiam partes disputationis et doctrinæ de re rustica, *actus* vocat 1. *R. R.* 26., 2. 8., 3. 11. et alibi.

B) Actus est rerum exsecutio et perfectio: qua tamen significatione nunquam occurrit in optimis ætatis aureæ Scriptoribus; loca enim, quæ afferebantur ex *Cic. Dom.* 24. 63. et 1. *Leg.* 11. 31., jampridem falsa esse atque aliter legenda comprobarunt Eruditi, inter quos et *Muret. Var. lect.* *l.* 6. *c.* 19.; et parvi pendendus est locus in *responsione in C. Sallust.* ¶. 1. Apud posteriores autem hoc sensu sæpe occurrit, et varia quidem ratione. ¶ 1. Actus abstracte est

rerum executio, negotium, res gerenda, ac præsertim negotia forensia et publica: et fere cum Genitivo rei usurpatur. *Quintil.* 10. 6. 1. Hæc (*cogitatio*) inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec otium patitur. *Plin.* 9. *Ep.* 25. Nunc me rerum actus distringit. *Sueton. Aug.* 32. Ne quod maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit. *h. e.* rebus gerendis, sive judiciis exercendis. Adde *Claud.* 15. et 23. et *Ner.* 17. *Sil. It.* 1. 581. rerum omnes pendent actus. *h. e.* ab obsidione cessatum est. *Quintil.* 11. 1. 47. Ceteri actus vitæ. *Sueton. Aug.* 78. A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat. Ibi, donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat. *Quintil.* 10. 1. 27. Quotidianus actus forensis. ¶ 2. Concreto quoque sensu occurrit, et est idem quod actio. *Justin.* 31. 2. Senatus ad speculandos actus Hannibalis legatum in Africam mittit. *Lucan.* 8. 807. Adde actus tantos monumentaque maxima rerum. *h. e.* tantas res gestas. *Val. Flacc.* 2. 5. Actus placiti dis. *Claudian.* 1. *in Ruf.* 284. Actus Herculei. *Plin. Paneg.* 45. *extr.* Vim – censuræ tui actus obtinebunt. — Hinc *actus* sunt senatus, magistratuum etc. acta in *Cod. Theod.* 14. 13. 1. ¶ 3. Hinc est etiam agendi ratio, quam quis sequitur. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 98. Actum, quem debuisti, – secutus es. ¶ 4. Interdum sumitur pro munere, officio, administratione, dispensatione. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 37. Cum ad pristinum actum reversus fuerit, sufficient ei, etc. *Vopisc. Car.* 6. Felix esset nostra respublica, si qualis est Carus, plures haberem in actibus collocatos. ¶ 5. Et speciatim dicitur de administratione censuum ac rationum (*V.* ACTOR II. 6.). *Martian. Dig.* 30. 4. 16. Actum gerere. *h. e.* actorem esse. *Scævola ibid.* 40. 5. 41. Actum alicujus agere. Sic *Ulp. ibid.* 47. 4. 1. Actum administrare. *Callistrat. ibid.* 50. 6. 5. In actu esse. *Ulp. ibid.* 26. 7. 18. Actus sui rationem reddere. ¶ 6. A JCtis interdum actus in eo sensu usurpatur, quo rem significat, et opponitur verbis, aut voci. *Ulp. Dig.* 49. 1. 12. Si constat nullo actu ex lege habito duumvirum creatum, sed tantum vocibus popularium postulatum. *Paul. Dig.* 46. 8. 5. Non verbis tantum ratum haberi posse, sed etiam actu. ¶ 7. Denique actus absolute est abstracta actuosæ vitæ qualitas, quam philosophi activitatem in scholis vocant. *Seneca Ep.* 8. 1. Ubi illa præcepta vestra, quæ imperant in actu mori? *Id. de otio sap.* 28. Usque ad ultimum vitæ finem in actu erimus. *Quintil.* 2. 18. 4. Cum ab actu, id est opere, recesserunt et contemplatione sui fruuntur. Adde 2. 18. 1.

ACTŪTUM, adverb. temporis. (*Priscian.* 15. p. 1013. *Putsch.*). Actutum derivatum est ab actu, seu celeritate. *Eruditi* tamen de etymologia dubii hærent: V. *Hand. Tursell.* 1. *p.* 73. et seq.). Significat autem confestim, sine dilatione: et occurrit fere semper in dialogis (It. *di subito, incontanente*; Fr. *bientôt, aussitôt*; Hisp. *presto, dentro de poco*; Germ. *augenblicklich, alsbald, sogleich, flugs*; Angl. *forthwith, anon, presently*). *Nævius* apud *Non. p.* 323. 1. *Merc.* Ite actutum in fructiferos lucos. *Plaut. Amph.* 1. 1. 197. Nisi actutum hinc abis. *Id. ibid.* 1. 3. 32. JUP. Tace: ne corrumpe oculos: redibo actutum. ALCUM. Id actutum diu est. *Id. Asin.* 3. 3. 115. Inscende actutum. *Id. Capt.* 3. 5. 75. Abducite istum actutum ad Hippolitum fabrum. *Ter. Adelph.* 4. 4. 26. Aperite aliquis actutum ostium. Adde *Phorm.* 5. 6. 12. *Pacuvius* apud *Non. p.* 237. 11. *Merc.* Aut hic est, aut hic adfore actutum autumo. *Accius* apud *Non. p.* 357. 13. *Merc.* Vos ite actutum. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Ego mortem actutum futuram puto. *Liv.* 29. 14. 5. Quam actutum in Italia fore nuntiaverat. *Virg.* 9. *Æn.* 254. Tum cetera reddet Actutum pius Æneas. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 557., *Quintil.* 4. 3. 13., et sæpius posteriores.

ĂCUA pro *aqua* legitur in quadam *Inscript.* apud *Gruter.* 593. 5., mutata *q* in *c*, quæ mutatio frequens est apud Latinos. Unde

ĂCUĀRIUS pro *aquarius* occurrit in *Inscript.* apud *Mommsen.* 5381., quæ est 4139. apud *Orell.*; qui *Muratorii* auctoritate fretus, haud aliter interpretatur *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 308. et 315. *Fabrettus* e contra *ibid.* putat acuarios esse acuum confectores; alii arbitrantur esse sartores, qui lacera vestimenta resarciunt, vel etiam nova conficiunt.

ĂCUCŬLA. *V.* ACICULA.

ĂCŬLA, æ, f. 1. (acus) parva acus. Sola adhuc nititur auctoritate *Cledon. Gramm. p.* 1896. *Putsch.*

ĂCŪLEĀTUS, a, um, adject. (aculeus) aculeum habens (It. *che ha pungiglione, o ago*; Fr. *armé d'un aiguillon*; Hisp. *armado de aguijon*; Germ. *mit einem Stachel versehen*; Angl. *that hath a sting*).

I.) Proprie dicitur *a*) de apibus, vespis, scorpionibus, et aliis animalibus cauda ferientibus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 91. (247). Utrumque efficax adversus aculeata animalia, ut crabrones, et similia. *Id.* 23. 1. 27. (55). Contra omnium aculeatorum venena. — *b*). De aliis rebus spinas, seu aculeos habentibus. *Plin.* 22. 6. 7. (15). Aculeatæ herbæ. *Id.* 24. 19. 119. (182). Aculeatum gramen. *Id.* 16. 10. 16. (38). Aculeatum mucrone folium — *c*) Aculeati dicuntur quidam pisces, qui rostrum, vel spinas aculeatas habent. *Plin.* 32. 11. 53. (145). Sic *Id.* 10. 32. 47. (91). *de nidis halcyonum.* Nec unde configantur invenitur: putant ex spinis aculeatis: piscibus enim vivunt. *h. e.* ex spinis piscium aculeatis. — *d*) *Aculeatus ictus*, qui aculeo fit. *Plin.* 20. 21. 84. (223). Huic contra omnes aculeatos ictus efficax vis, præcipue scorpionum, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Est acutus, pungens. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 29. Istæc – aculeata sunt, animum fodicant. *Cic.* 14. *Att.* 18. 1. Satis aculeatas ad Dolabellam epistolas dedi: quæ si nihil profecerint, puto fore, ut me præsentem non sustineat. ¶ 2. Item argutus, subtilis in disputatione. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 24. 75. Quorum sunt contorta quædam et aculeata sophismata. Sic enim appellantur fallaces conclusiunculæ.

ĂCŪLEŎLUS, i, m. 2. *Martial.* 8. 71. Nonus aculeolos in cochleare tulit. *h. e.* parvas acus. *Al. leg.* Nonus acu levius vix cochleare tulit. *Alii*: Nonus permodicum vix cochleare tulit. Secunda lectio probabilior videtur.

ĂCŪLEUS, i, m. 2. (ab *acus*, *us*, non tamen deminutivum, ut affirmat *Priscian.* 3. *p.* 618. *Putsch.*, sed denominativum, ut idem ait *ibid.*, quippe derivatum a nomine non habet deminutivam significationem, sed formam tantum). Primam syllabam licenter producit *Capell.* 9. *p.* 301. Nec Stimula incenso allicit aculeo. — Aculeus autem est quodcumque spiculum pungens (It. *pungiglione*; Fr. *aiguillon*; Hisp. *aguijon*; Germ. *der Stachel*; Angl. *a sting*).

I.) Proprie. — *a*) Dicitur de spiculo tenuissimo in caudis apum, scorpionum, vesparum, crabronum et similium. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (52). Non constat inter auctores, rex (*apum*) nullumne solus habeat aculeum majestate tantum armatus, an etc. Et *mox*: Illud constat imperatorem aculeo non uti. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. *de ipsius aculei punctione*: Apis aculeum sine clamore ferre non possumus. 5. *Fin.* 15. 42. Cornibus uti videmus boves, nepas aculeis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 35. 53. (125). Hystrici longiores aculei, et, cum intendit cutem, missiles. *Curt.* 4. 14. 13. Temeritas – ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia emisso aculeo, torpet. — *b*) Dicitur etiam generatim de quocumque spiculo in animalibus, in herbis, in ferramentis, et similibus. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 8. Raroque fecunda (*hæc gallina*), etiam cum incubat, calcis aculeis ova perfringit. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 19. (63). Aculeus spinarum. *Id.* 20. *ibid.* 23. 99. (262). carduorum. *Liv.* 38. 21. et *Justin.* 9. 2. sagittæ. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 5. Mensuræ pedalis robustam tabulam configunt aculeis. *h. e.* acutis parvisque clavis.

II.) Translate, varios elegantesque habet usus. ¶ 1. Sumpta metaphora ab apibus et vespis, quarum relictus in vulnere aculeus inquietat et sollicitos habet eos, quos pupugere: *Cic. Brut.* 9. 38. Ut – (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus (*Eupol.* Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις). *Id.* 3. *Orat.* 34. 138. In mentibus aculeos relinquere. *Plin.* 1. *Ep.* 20. 17. et 18. eadem de Pericle narrat et sic concludit: Relinquere vero aculeum in audientium animis is demum potest, qui non pungit, sed infigit. ¶ 2. Item eadem ferme sumpta metaphora, aculeus ponitur pro acri vi. *Liv.* 23. 42. 3. Glorientur Romani te (*Herculem*) ad unum modo ictum vigentem, velut aculeo emisso, torpere (Cf. *Curt.* 4. 14. superius sub I. *a*.). *Cic. Flacc.* 17. 41. Mortuus est aculeo jam emisso ac dicto testimonio. *Id. ibid.* 34. 86. Eodem etiam M. Lurco – convertit aculeum testimonii sui. *Id. Cluent.* 55. 153. Metu proposito evellere se aculeum severitatis vestræ confidunt. *Id. Cæl.* 12. 29. Nec, quos aculeos habeat severitas gravitasque vestra, – emittere in hominem et in reum. ¶ 3. Interdum est dolor qui animum pungit. *Plaut. Trin.* 4. 2. 158. Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus. *Cic.* 1. *Att.* 18. 2. Domesticarum sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occultabo. ¶ 4. Ponitur sæpe pro subtili acutaque disputandi ratione, ut ait *Cic.* 4. *Fin.* 3. 7. Pungunt enim, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 31. 98. Omnes istos aculeos et totum tortuosum genus disputandi relinquamus. *Id. Orat.* 19. 62. Tamen horum (philosophorum) oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet. *Id. Sull.* 16. 47. Noli aculeos orationis meæ, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. *Plin.* 3. *Ep.* 15. ad judicii facultatem transtulit eodem ferme sensu: Confido tamen, me non sic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei refringantur. Hebetentur fortasse et paullulum retundantur: evelli quidem extorquerique non possunt. ¶ 5. Item pro acuto dicterio in aliquem. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 222. In quo (*dicendi genere*) nulli aculei contumeliarum inerant. *Id. Brut.* 47. 173. In altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium. *Id. Planc.* 24. 58. In quibus ipsi aculei, si quos habuisti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt. ¶ 6. Denique aculeus est quidquid lacessit. *Liv.* 45. 37. 11. Hæc sicut ad militum animos stimulandos aliquem aculeum habent. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Auditorum intentio nullis extrinsecus aut blandimentis capta, aut aculeis excitata. *Id.* 4. *Ep.* 5. Comparationis aculeis excitari.

ĂCŪMEN, inis, n. 3. (acuo) quod acutum est, sive pars summa alicujus rei in acutum desinens, mucro, acies (It. *punta, cima sottile e acuta*; Fr. *pointe*; Hisp. *punta*; Germ. *was geschärft ist, die Spitze*; Angl. *sharpness, the utmost point or extremity of any ting, the tip*).

I.) Proprie. — *a*) Ponitur de pluribus, fere semper cum Genitivo rei. *Ennius* apud *Priscian.* 8. *p.* 838. et 9. *p.* 863. Acumen ferri. *Lucret.* 4. 432. coni. *Id.* 6. 1191. nasi. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 151. stili. *Id. Arat.* 524. nepai. *Id. ibid.* 678. scorpii. *Ovid.* 2. *Met.* 376. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 71. 91. (196). rostri. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 1. Ossa (*persici*) ponantur acumine deorsum verso. *Ovid.* 4. *Met.* 578. commissaque in unum Paullatim tereti sinuantur acumine crura. *Adde* 11. *ibid.* 72. *Id.* 13. *ibid.* 778. Prominet in pontum cuneatus acumine longo Collis. *Servius* in *Virg.* 5. *Æn.* 205. Saxi acumen eminens per tranquillitatem. — *b*) Absolute sæpe ponitur de hastarum, gladiorum et similium acie. *Ovid.* 3. *Met.* 83. furit ille, et inania duro Vulnera dat ferro; frangitque in acumine dentes. *Id.* 8. *ibid.* 353. ferrum Diana volanti Abstulerat jaculo; venit sine acumine lignum. — *c*) Hinc *auspicium ex acuminibus* fuit militare, de quo mentionem facit *Cic.* 2. *Divin.* 36. 77. et 2. *Nat. D.* 3. 9., et videtur fuisse illud, quod captabatur ex acuminibus pilorum, hastarum, aliorumque telorum, si splendide emicarent, si non retusa, non hebetia, si horrorem quemdam videntibus incuterent, etc. *Arnob.* 2. 67. Martium discrimen obeuntes spem prœlii sumitis, et ex acuminibus auspicatis. *Cic. Divin. loc. cit.* Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Hæc ex *Turnebo l.* 23. *c.* 12., cui *Dionys. Halic. l.* 5. adstipulatur, et alii plerique assentiuntur. Hanc sententiam confirmant loca *Livii* 22. 1. Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nunciata: in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem – equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse. Et 43. 13. Non suscepta prodigia sunt: – in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse. Sunt tamen qui aliter conjectant.

II.) Translate plures habet usus. ¶ 1. Ponitur de metaphorico fastigio. *Arnob.* 6. 13. Phryne – cum in acumine ipso esset pulcritudinis, venustatis et floris etc. *Græce* ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκμῆς. *Male itaque nonnulli mutant et leg.* in culmine. ¶ 2. Ponitur et de iis quæ sensus aut animum acriter afficiunt. Hinc *acumen saporis* est sapor acer, et jucundus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (124). Ratio condiendi musta asperu picis, ut odor vino contingat, et saporis quædam acumina. Apud *Diomed.* 2. *p.* 428. *Putsch.* est

acumen acutus accentus. Arnob. 3. 10. Illas – dolorum acuminibus fixas ejulare, tortari. ¶ 3. Sæpe dicitur de ingenii perspicacia et vi, modo cum Genitivo, modo absolute, etiam in plur. num. Cic. Flacc. 4. 9. Sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam. Plin. 2. Hist. nat. 27. 27. (97). Ingenii acumini inservire. Adde Nep. Alcib. 11. 3. — Cic. 1. Tusc. 6. 12. Quem esse negas, eumdem esse dicis: ubi est acumen tuum? Adde 2. Nat. D. 29. 74. Lucceius apud Cic. 5. Fam. 14. 4. Propter acumen occultissima perspicere. Quintil. 5. 7. 28. Acumen naturale. Id. 10. 1. 114. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, etc. Adde Senec. 1. Benef. 2. 8. et Plin. 4. Ep. 19. Colum. 1. R. R. 9. 3. Acuminis strenui minister. h. e. qui omnia per se facile perspicit ac penetrat. Juvenal. 4. 102. quis priscum illud miretur acumen, Brute, tuum? Horat. 2. Ep. 1. 161. Serus enim (Romanus) Græcis admovit acumina chartis. ¶ 4. Item de subtili dicto, invento, aut argumento. Cic. 1. Orat. 28. 128. Acumen dialecticorum, sententiæ philosophorum. Id. 2. Orat. 38. 158. Dialectici ipsi se compungunt suis acuminibus. Id. Orat. 31. 110. Demosthenes nihil cedit argutiis et acumine Hyperidi. Id. 2. Orat. 63. 257. Etiam interpretatio nominis habet acumen, cum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur. Horat. 1. Ep. 17. 55. Meretricis acumina. h. e. acutissimæ et dolosæ meretricum artes. ¶ 5. Usurpatur et pro tenuitate stili. Cic. 2. Orat. 29. 128. et 129. Meæ totius orationis, et istius ipsius in dicendo facultatis tres sunt rationes: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. V. eumd. Orat. 6. 21.

Homonym. Acies et acumen, quamvis ab una eademque radice sint derivata, inter se tamen differunt. Proprie enim acies ponitur præcipue de iis, quæ apta sunt ad secandum, sive ad feriendum cæsim; acumen de iis, quæ apta sunt ad pungendum, sive ad feriendum punctim. Translate autem acies mentis ea dicitur, qua res promiscue confusas distinguimus clareque percipimus; acumen vero mentis id dicitur, quo res abditas invenimus celeriterque arripimus. — Porro acumen differt etiam a mucrone et cuspide. Namque acumen proprie ponitur de iis, quæ a natura ipsa ita constituta sunt ut in acutum desinant, cujusmodi ex. gr. sunt avium rostra; mucro et cuspis e contra ponuntur de iis, quæ, hominum arte atque industria factum est, ut in acutum desinant; hoc tamen discrimine, ut mucro proprie dicatur de gladio, pugione et similibus, cuspis autem de hasta, sagitta et similibus. Confer loca in singulis hisce verbis allata.

ĂCŪMĬNĀRĬUS, a, um, adject. (acumen) ad acuendum aptus. Vet. Interpr. ad Stat. Theb. 3. Mola acuminaria. h. e. armis acuendis apta.

ĂCŪMĬNĀTUS, a, um, quod acumen habet (It. aguzzo; Fr. fait en pointe, pointu; Hisp. puntiagudo; Germ. zugespitz, spitz; Angl. having a sting, prickle, or point). ¶ 1. Proprie. Plin. 18. Hist. nat. 35. 79. (79). Acuminatum cornu Lunæ. Id. 11. ibid. 2. 1. (3). Telum (culicis) fodiendo acuminatum. Id. 11. ibid. 24. 28. (79). Corpus exiguum, varium, acuminatum (phalangiorum). ¶ 2. Translate. Sidon. 8. 1. Linguas cote livoris acuminatas. — Est autem Part. perf. pass. a verbo parum usitato

ĂCŪMĬNO, as, a. 1. (acumen) acutum facio (It. aguzzare; Fr. aiguiser; Hisp. aguzar; Germ. zuspitzen; Angl. to make sharp or pointed, to point). Lactan. Opif. 7. 7. Contextum spinæ a summo capite deductum acuminavit in caudam.

ĂCŬO, ŭis, ŭi, ūtum, ŭere, a. 3. (V. ăcer). Præteritum acui commune est etiam verbo aceo cum positione, tum syllabarum quantitate: V. Diomed. 1. p. 369. Putsch. — Part. Acuens I. et II. 3.; Acutus in fine; Acuendus II. 2. — Acuere est aciem ferri excitare, trahere; et proprie ponitur de falce, cultro, et hujusmodi: cui contrarium est obtundo, hebeto (It. aguzzare, dare il filo, affilare; Fr. rendre aigu, pointu; Hisp. aguzar, afilar; Germ. scharf machen, schärfen, wetzen, spitzen; Angl. to weth, edge, sharpen, point).

I.) Proprie de ferro et similibus, modo absolute, modo addito fine, in quem res acuuntur. Cic. 5. Tusc. 40. 116. Ne stridorem quidem serræ audiunt, cum acuitur. Horat. 2. Od. 8. 15. Semper ardentes acuens sagittas Cote cruentas. Colum. de arbor. 15. Acuere falcem. Id. 11. R. R. 2. 12. palos. Horat. 3. Od. 20. 10. dentes. Tibull. 4. 3. 3. dentes in prœlia. Horat. 1. Od. 2. 21. ferrum. Virg. 8. Æn. 386. ferrum in aliquem. Ovid. 15. Met. 776. ensem. Curt. 6. 9. 20. gladios. Liv. 9. 9. In hæc ferrum, in hæc iras acuunt. Sil. It. 12. 52. Acuebat fraudibus enses. Cæl. Aurel. 2. Acut. 19. Purgativa medicamina – acrimoniæ causa, stomachum tumentem atque ὑπεζωκότα membranam acuunt in tumorem.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Grammaticos acuere syllabam est in acutum accentum appingere. Quintil. 1. 5. 22. Ut in hoc Camillus, si acuitur prima etc. Adde ceteros omnes Grammaticos, et V. infra acutus. B. 4. ¶ 2. Ponitur de hominibus eorumve facultatibus, et est perspicacem reddere: et occurrit modo absolute, modo addito fine cum Dativo vel cum Accus. et præp. ad. Ovid. Rem. am. 801. acuentes lumina rutæ. Cic. 1. Tusc. 33. 80. Multa – e corpore existunt, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant. Id. 2. Phil. 17. 42. Vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamitas. Id. Brut. 33. 126. Non solum acuere, sed etiam alere ingenium. Quintil. 1. 3. 11. et 1. 10. 34. Acuere ingenia. Cic. 1. Orat. 20. 90. prudentiam intelligendi. Id. Brut. 97. 331. linguam exercitatione dicendi. — Horat. 1. Ep. 3. 23. Seu linguam causis acuis, seu civica jura Respondere paras. Cic. 2. Att. 7. 2. Acueram me ad exagitandam hanc legationem. Id. Orat. 41. 142. Acuere juventutem ad dicendum. ¶ 3. Ponitur de hominibus, et interdum etiam de abstractis, et est excitare, incitare; modo absolute, modo addito fine cum Accusativo et præp. ad. Cic. 3. Off. 1. 1. Duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Id. Rosc. Am. 38. 110. Illum acuere, hos – fallere. Curt. 5. 4. 21. Ignaviam quoque necessitas acuit. Virg. 7. Æn. 330. Acuere aliquem verbis. Sil. It. 5. 228. vultu. Virg. 1. G. 123. curis acuens mortalia corda. h. e. exercens et operosos reddens. Liv. 28. 19. pectora virorum fortium. — Cic. Ligar. 4. Acuere aliquem ad crudelitatem. Liv. 7. 7. ad æmulandas virtutes. Plin. 2. Ep. 7. juventutem ad bonas artes, viros ad liberos suscipiendos. Quintil. 12. 1. 8. sine Accusativo: Non præcipue acuit ad cupiditatem litterarum amor laudis. — Ter. Adelph. 5. 3. 49. cum duplici Accusativo: Quod (h. e. ad avaritiam) illos ætas sat acuet. — Virg. 12. Æn. 108. maternis sævus in armis Æneas acuit Martem et se suscitat ira. h. e. acuit se ad vel in Martem. Id. 4. G. 435. Auditisque lupos acuunt balatibus agni. h. e. ad prædam excitant. Val. Max. 2. 2. 3. Acuere studia. h. e. excitare studia litterarum. ¶ 4. Sæpius cum agitur de animi motibus et generatim de abstractis est augere. Cic. 4. Herenn. 2. 2. Acuere industriam. Virg. 7. Æn. 406. Postquam visa satis primos acuisse furores. Id. 12. ibid. 850. acuuntque metum mortalibus ægris. Id. 12. ibid. 590. et Liv. 22. 4. Acuere iras. Liv. 10. 13. studia. h. e. vulgi favorem augere. Id. 8. 6. curam. Id. 10. 45. curam alicui. Val. Flacc. 2. 172. fletus. Plin. 6. Ep. 1. desiderium.

Acutus, a, um, proprie est Part. perf. pass., sed occurrit etiam tamquam adject., unde Comp. Acutior et Sup. Acutissimus in omnibus ferme paragraphis, iisdem ferme significationibus quibus verbum, immo etiam latius (It. aguzzato, acuto, aguzzo, sottile; Fr. aiguisé, affilé, aigu, pointu; Hisp. aguzado, agudo; Germ. geschärft, gespitzt, scharf, schneidend; Angl. sharpened, whetted, sharp-edged, pointed, prickly). Plurimos habet usus, et occurrit I.) proprie de ferro aliave simili re, quæ aciem habet: II.) translate autem A) de iis ponitur, quæ sensus vehementer afficiunt, æque atque ăcer; B) item de attento, perspicaci et astuto hominis ingenio.

I.) Proprie. ¶ 1. De ferro aliave simili re dicitur, quæ aciem habet, pungit, penetrat, aut secat. Plaut. Mil. glor. 5. v. 4. Vide, ut sit acutus culter probe. Cæs. 5. B. G. 18. 3. Acuta sudes. Virg. 5. Æn. 208. acuta cuspide contos. Id. 3. ibid. 46. Acuta jacula. Id. 2. G. 25. acuto robore valli. Id. 3. Ecl. 39. Acutæ spinæ. Horat. Art. Poet. 304. fungar vice cotis, acutum Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi. Id. Epod. 17. 10. tela. Ovid. 3. Art. am. 589. gladii. Id. Rem. am. 27. hasta. Id. Heroid. 14. 45. ter acutum sustulit ensem. Id. 9. Met. 383. Acuta falx. Id. 5. ibid. 381. de mille sagittis Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla, etc. Colum. de arb. 2. 4. et 7. 5. Acutissima falx. Id. ibid. 10. 1. Acutissima ferramenta. Plin. 8. Hist. nat. 26. 40. (96). Acutissimus stirps. Virg. 1. Æn. 45. Acutus scopulus. Id. 8. ibid. 233. silex. Horat. 3. Od. 27. 61. et Ovid. 4. Fast. 237. saxa. Horat. 1. Ep. 19. 46. unguis. Plin. 11. Hist. nat. 37. 60. (159). rostra. Id. 11. ibid. 37. 61. (160). dentes. ¶ 2. De quibuscumque rebus in acumen desinentibus, quin tamen ipsæ pungant, feriant, secent. Plaut. Capt. 3. 4. 114. Acutus nasus. Id. Pseud. 4. 7. 121. Macro capite, acutis oculis, ore rubicundo. ubi non aciem visus, ut quidam putant, sed figuram notat. Lucret. 2. 462. Acuta elementa. h. e. atomi, sive particulæ acuta figura, et quibus constare corpora dicuntur. Cic. apud Non. p. 121. 33. Merc. Cujus (Lunæ) et nascentis et insenescentis alias hebetiora, alias acutiora videntur cornua. Quintil. 7. 2. 6. Luna globosa, an plana, an acuta. Horat. 2. Od. 19. 4. Acutæ aures. h. e. ad audiendum arrectæ. Ovid. 1. Art. Am. 383. cacumina. Cels. 2. 6. nares. Plin. 16. Hist. nat. 6. 8. (21). figura. Id. 12. ibid. 13. 29. (50). anguli.

II.) Translate.

A) Æque atque ăcer, quam vocem V. II. A. 1., ponitur de iis, quæ sensus vehementer afficiunt. ¶ 1. De saporibus. Plin. 15. Hist. nat. 27. 32. (106). Sapor austerus, acer, acutus. Et mox: In vinis et austerus et acutus sapor sentitur. Id. 27. ibid. 12. 97. (122). Acutus gustus. Plin. 7. Ep. 3. Cibos acres acutosque miscere. Cæl. Aurel. 2. Acut. 7. Acutæ potiones. h. e. acria medicamenta. ¶ 2. Item de odoribus. Plin. 15. Hist. nat. 28. 33. (110). et 21. 7. 18. (37). Acutus odor. Id. 13. ibid. 1. 2. (16). Acutiora unguenta fiunt costo, amomo, quæ maxime nares feriunt. ¶ 3. Item de iis, quæ oculos feriunt. Solin. 27. Color non ita acutus. ¶ 4. Item de voce et sono. Ennius apud Paul. Diac. p. 116. 17. Mull. Acutus sonitus. Cic. 3. Herenn. 12. 21. acclamatio. Id. 6. de republ. 18. sonus. Virg. 3. G. 94. hinnitus. Horat. 1. Od. 34. 15. stridor. Id. 1. ibid. 16. 8. Æra acuta. h. e. acute sonantia. — Hinc sonus acutus in musices arte est sonorum summus, cui gravis opponitur. Cic. 1. Orat. 59. 251. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt. Id. 3. ibid. 57. 216. Vox acuta, gravis. Adde Quintil. 11. 3. 41. et 64. — Hinc apud Grammaticos acuta syllaba dicitur quæ accentum acutum habet, in qua scilicet vox acuitur sive attollitur. Quintil. 12. 10. 33. Diomed. 2. p. 425. Putsch. Et acutus accentus dicitur, qui syllabam attollit, et ejus tonum sonantiorem et quodammodo acutiorem reddit; ejus autem nota est lineola oblique ducta super syllabam a dextera ad sinistram partem vergens hoc modo. V. Priscian. de Accent. p. 1287. Putsch. ¶ 5. Item de frigore, aut calore vehementi et penetranti. Horat. 1. Ep. 10. 17. Cum semel accepit solem furibundus acutum. Horat. 1. Od. 9. 4. geluque Flumina constiterint acuto. ¶ 6. Dicitur etiam acutus de febri ac morbis. Cels. 3. 1. Hos autem (morbos) in duas species Græci diviserunt, aliosque ex his acutos, alios longos esse dixerunt. Et mox: Quidam enim breves acutique sunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur: quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est. Id. 2. 4. Acuta febris. Cæl. Aurel. 1. Acut. 5. Siquidem, ut diximus, quidam febribus afficiantur, sed phrenetici acutis vel celeribus, furiosi vero tardis. Plin. 23. Hist. nat. 1. 24. (48). Acuta pericula. h. e. morbi acuti et periculosi. Horat. 2. Sat. 3. 163. Morbus acutus. ¶ 7. Hinc acutus est etiam maximus seu vehementer auctus (V. ACUO II. 4.). Cæl. Aurel. 3. Acut. 16. Cum generaliter hæc passio (hydrophobia) mitigatione indigeat ob acutissimam celeritatem.

B) Item translate acutus ponitur de attento, perspicaci, aut astuto hominis ingenio. ¶ 1. Dicitur de homine. Cic. 4. Tusc. 14. 32. Inter acutos – et inter hebetes interest, quod ingeniosi ut æs Corinthium in æruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocius; hebetes non item. Id. 1. Invent. 21. 35. Acutus an hebetior. Id. 6. Fam. 6. 9. Homo valde est acutus, et multum providens. Id. 12. Att. 38. 4. Homo acutus magis quam eruditus. Id. 1. Divinat. 36. 79. Acuta ingenia. quibus ibid. opponuntur retusa. Id. 2. Nat. D. 16. 42. Acutiora ingenia. Id. 1. Orat. 39. 180. Vir – ingenio prudentiaque acutissimus. Nep. Dion. 8. 1. Callidus et acutus ad fraudem. Horat. 1. Sat. 3. 29. minus aptus acutis Naribus horum hominum. h. e. acribus et sagacibus ad judicandum: cui opponitur obesa naris. Stat. 6. Theb. 792. motu Spartanus acuto Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes. h. e. pleno artis, callido, subdo-

lo. ¶ 2. Ponitur etiam de abstractis, quæ tamen ab acuto hominis ingenio proficiscuntur. *Cic. opt. gen. Orat.* 2. 5. Acutæ sententiæ. *Id. Orat.* 36. 124. Principia – acuta sententiis. *Id.* 1. *Orat.* 25. 113. Motus animorum – ad excogitandum acuti. *Id. Senect.* 14. 50. Acuta studia. *Id.* 1. *Nat. D.* 22. Quia multa venirent in mentem acuta atque subtilia. *Nep. Datam.* 6. 8. Acutius cogitatum. *Quintil.* 2. 20. 5. Acutæ conclusiones. *Id.* 5. 7. 29. interrogatio. *Id.* 6. 3. 45. Acutior brevitas. *Plin.* 4. *Ep.* 27. Quam acuta omnia. ¶ 3. Acutus etiam dicitur, qui subtili ac tenui stilo utitur in dicendo. *Cic. Orat.* 25. 84. Illa – huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, et similiter conclusa, eodemque pacto cadentia: et immutatione litteræ quasi quæsitæ venustates. *V.* ACUMEN II. 2.

Acutum, i, usurpatur etiam — *a*) substantivorum more. *Horat.* 4. *Od.* 4. 76. Acuta belli. *h. e.* belli discrimina, et fortasse etiam στρατηγήματα. Cf. *Plin.* acuta pericula *B.* 6. — *b*) adverbiorum more. *Ennius* apud *Fest.* p. 177. 20. *Müll.* Acuta ululare. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 41. resonare triste et acutum. *Id.* 1. *ibid.* 3. 26. Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

ĂCŪPĔDĬUS dicebatur, cui præcipuum erat in currendo acumen pedum. Hæc habet *Paul. Diac. p.* 9. 13. *Müll. Gloss. Placid.* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 3. *p.* 435. Acu pedum, velocitate pedum. *Ubi fortasse cum* Müllero *legendum*: Acupedium, velocitate pedum insignem. *Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 8. p. 12. Hic acupedius, ii, id est velox, quasi acutis pedibus currens. Et *ibid. p.* 45. Acupedius, cursor, quasi acutis pedibus currens. — Hac voce Latini reddidisse videntur Græcam ὀξύπους. Scribitur et *aquipedius*. *V.* ACIPENSER in hoc Lexico, et *Aquifolium* in *Voss. Etymol.*

ĂCŪPICTUS, a, um, adject. (acus et pictus) acu variegatus. *Isid.* 19. *Orig.* 22. 22. Acupicta vestis acu textilis, vel acu ornata: eadem et Phrygia. Huc pertinet illud *Ovid.* 6. *Met.* 166. Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro. *V.* ACUS, us I. 2.

ACUS, i, *V.* ACUS, us. II. 5.

ĂCUS, acĕris, n. 3. purgamentum tritici, aut alterius frumenti, levius ac tenuius (glumam, aristam, et spicæ scapum complectens) quod e tritis spicis evolat, ἄχυς, ἄχυρον, σκύβαλον (It. *pula*; Fr. *enveloppe du blé*, *balle*; Hisp. *cascarilla*, *granza*; Germ. *die Hülse des Getraides*, *die Spreu*; Angl. *chaff*, *the husks of corn*). *Varr.* 1. *R. R.* 52. 2. Iis tritis, oportet e terra subjactari vallis, aut ventilabris, cum ventus spirat lenis: ita fit, ut quod levissimum est in eo, atque appellatur acus, evannatur foras extra aream, ac frumentum, quod est ponderosum, purum veniat ad corbem. *Id. ibid.* 57. 1. Mixto acere e frumento. *Id.* 3. 9. 8. In cubilibus, cum parturient (*gallinæ*), acus substernendum. *Cato R. R.* 54. Paleas triticeas, et bordeaceas, acus fabaginum, viciam. *Id.* 37. 2. Seminum acus. *Paul. Diac.* p. 9. 6. *Müll.* Paleæ etiam quædam de frumento acus dicuntur.

ĂCUS, us, f. 4. (Græce ἀκέστρα; cf. acies, ἀκή, et V. *ăcer*) proprie est minimum acutissimumque instrumentum, quod constat ex ferro aliove metallo, et pluribus inservit usibus; ita dictum, quia nihil est pæne nisi acumen, ut legitur in *Gloss.* ed. a *Mai. Class. Auct. T.* 8. *p.* 12. (It. *ago*; Fr. *aiguille*; Hisp. *aguja*; Germ. *die Nadel*; Angl. *a needle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de instrumento, quo vestes consuuntur. *Cic. Mil.* 24. 66. Mirabar vulnus, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. *Cels.* 7. 16. In duas acus fila conjicere. *Id. ibid.* c. 17. Immittere lina per acum. *Id. ibid.* c. 16. Pars acuum, quæ acuta est. Et *ibid.* Permutatis inter manus acubus. Et *ibid.* 7. *n.* 8. Acu transuere. Et *ibid.* Acum transmittere. — Hinc *Acu rem tangere* est ipsam rem divinare (It. *indovinare*, *toccare il punto*; Fr. *mettre le doigt dessus*, *deviner*; Hisp. *adivinar*; Germ. *bis auf's Haar getreffen*; Angl. *to touch the thing with a needle*, *to hit the right nail on the head*). *Plaut. Rud.* 5. 2. 17. Num medicus, quæso, es? LA. Immo una littera plus sum quam medicus. GR. Tu mendicus es? LA. Tetigisti acu. — *Si acum, credo, quæreres, acum invenisses* proverbialis locutio apud *eumd. Menech.* 2. 1. 13. de diligenti et prospera inquisitione. ¶ 2. Acu non consuuntur tantum, sed et ornantur vestes et vario opere intexuntur: quod a Phrygibus inventum fuisse *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (195). scribit. Mæonii etiam seu Lydi hujusmodi texendi arte claruere. *Martial.* 8. 28. Babylonica picta superbe Texta Semiramia quæ variantur acu. *Seneca Herc. Æt.* 665. Nec Mæonia distinguit acu, quæ legit Eo is Ser arboribus. *Ovid.* 6. *Met.* 23. Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam. *Virg.* 9. *Æn.* 582. Pictus acu chlamydem. Adde 11. *ibid.* 777. *V.* ACUPICTUS. *Martial.* 9. 14. Quod (*nomen*) Cythereа suo scribere gaudet acu. ¶ 3. Acus dicitur etiam instrumentum illud, quo capilli mulierum discriminantur, vel compti capiti adfiguntur. *Paul. Diac.* p. 9. 6. *Müll.* Acus dicitur, qua sarcinatrix, vel etiam ornatrix utitur. *Apul.* 8. *Met.* 13. Acus crinalis. *Tertull. de pœnit. c.* 10. crinibus distinguendis. *Hieronym. adv. Rufin.* 3. 11. discriminalis. *Petron. Satyr.* 21. comatoria. *Quintil.* 2. 5. 12. Inustas comas acu comere. *Martial.* 2. 66. Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus, incerta non bene fixus acu. *Id.* 14. 24. Tenuia ne madidi violent bombycina crines, Figat acus tortas sustineatque comas. — Acus hujusmodi inter mulierum ornamenta fuisse habitas et margaritis etiam distinctas testatur *Dig.* 34. 2. 25. § 10. Ornamentorum hæc: vittæ, mitræ, semimitræ, calantica, acus cum margarita quam mulieres habere solent. *V.* et CNASONAS.

II.) Translate ponitur de nonnullis, quæ acus similitudinem referunt. ¶ 1. Acus in fibula est pars extrema, tenuis acutaque, qua pars fibulæ una alteri infigitur et adnectitur. *Trebell. Claud.* 14. Fibulam auream cum acu Cypria unam. ¶ 2. Pro calamistro. *Juvenal.* 2. 93. Ille supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu. ¶ 3. Item acus est acumen pastini, seu potius ipsum pastinum, *h. e.* ferramentum bifurcum, quo semina panguntur. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 2. Acus, per quas in pastinis (*h. e.* pastinationibus) sarmenta merguntur. ¶ 4. Item aristarum similiumque spicula, sive ipsum purgamentum tritici, aut alterius frumenti (V. *Acus, ĕris*): occurrit autem tantummodo plur. num. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 14. Durissimæ acus rejectæ separatæque erunt a cudentibus: minutæ vero, quæ de siliquis cum faba resederunt etc. ¶ 5. Acus est etiam genus piscis marini, longi, lævis, longo tenui acutoque rostro instar acus præditi, unde et nomen illi cum a Latinis inditum, tum a Græcis, a quibus vocatur βελόνη *acus*. Hinc a *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). inter pisces *aculeatos* adnumeratur. *Id.* 9. *ibid.* 51. 76. (166). ait acum unum piscium dehiscente propter multitudinem utero parere; a partu vulnus coalescere. *Lexica* hoc nomen proferebant 2. declinat. et gen. masc.; verum optimi *Plinii* Codices ad 4. declinat. et gen. fem. rectius referunt: adde, quod certa lectione occurrit etiam apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Item ex mari (*damus*) mullos, squillas, bancos (*lege* banchos), acus, labraces. Hinc corrigendus etiam *Martial.* 10. 37. Et satius tenues ducere credis acus. ¶ 6. *Paul. Diac.* p. 9. 6. *Müll.* (*Acus dicitur*) exercitus quoque instructio, quod ea pars militum vehementissima est ad hostem vulnerandum acumine telorum. *Müllerus* ad *h. l.*: Hoc omnes clamant falsum esse, ac de acie, non acu dicendum fuisse. At cum incredibile sit, in tantum errorem incidisse vel Paulum, vel Festum; quin statuimus, singulare genus aciei, in cuspidem porrectæ, dictum esse acum? — De Acu Matris Deum *V.* ANCILE.

ĂCŪTĀLIS, e, adject. (acutus) in acumen desinens. *Frontin. Colon.* p. 132. *Goes.* Terminus crassus acutalis.

ĂCŪTĀRĬUS, ii, adject. (acutus) qui ferrea instrumenta acuit. *Inscript.* apud *Henzen.* 7216. FELIX ACVTARVS SISSIMVS TABER (*h. e.* tabernarius) CARITO PLEBEIVS PACATIANVS COCIO. Cl. *Henzen.* novam vocem *acutarus* ab *acuendo* credit, et pro *acutario* dictam. Fortasse est pro *acuarius*, h. e. *aquarius*.

ĂCŪTĀTUS, a, um, part. perf. pass. ab inusit. verbo *acuto*, acutus redditus, in aciem excitatus. *Veget.* 1. *Veter.* 22. 4. Sagittam duri chalybis exiges cotibus bene acutatam.

ĂCŪTĒ, adverb. (acutus) Comp. *Acutius*, Sup. *Acutissime*. Est autem acuto modo (It. *acutamente*; Fr. *d'une manière aiguë*, *perçante*; Hisp. *agudamente*; Germ. *scharf*; Angl. *sharply*, *acutely*). Occurrit tantum translate (V. *Acutus*) et ¶ 1. De iis ponitur, quæ sensibus percipiuntur. *Lucret.* 4. 808. Acute cernere. *Solin.* 19. Cervi rectis auribus acutissime audiunt, submissis nihil. *Cic.* 6. *de republ.* 18. 18. Ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. V. *Acutus B.* 4. ¶ 2. Transfertur etiam ad intellectum, et est ingeniose, subtiliter. *Cic.* 15. *Fam.* 21. 4. Acute moveri. *h. e.* arguta et subtilia proferre, acutis abundare sententiis. *Id. Cæl.* 8. 19. Acute argutеque respondere. *Id. Brut.* 14. 53. Acute arguteque conjicere. *Id.* 1. *Orat.* 21. 94. et *Quintil.* 6. 3. 7. Acute dicere. *Cic.* 1. *Off.* 44. 156. Acutissime cogitare. *Id.* 10. *Att.* 8. 7. Acutissime perspicere aliquid. *Nep.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 1. loqui. *Id.* apud *Sueton. Gramm.* 4. dicere aut scribere. ¶ 3. De tenui et subtili dicendi genere. *Cic.* 2. *Invent.* 16. 51. Illæ tenuius et acutius et subtilius tractantur; hi autem gravius et ornatius.

ĂCŪTĒLA, æ, f. 1. Agnoscitur, nullo tamen producto auctoris loco, a *Priscian.* 4. *p.* 621. *Putsch.* Nomina denominativa formas habent tres *la*, *na*, *ra*: *la* e longa antecedente, *cautus*, *cauti*, *cautela*, *acutus*, *acuti*, *acutela*. Confirmatur a *Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 8. p. 12.

ĂCŪTOR, ōris, m. 3. qui acuit, idem ac samiarius vel samiator. Legitur vox hæc in *Not. Tir.* p. 120. In *Expulsis* legitur *acutiator*. V. et *Acutarius*.

ĂCŪTŬLĒ, adverb. (acutulus) satis ingeniose (*V.* ACUTE 2.). *Augustin.* 3. *Confess.* 7. Quasi acutule movebar.

ĂCŪTŬLUS, a, um, adject. (deminut. ab acutus) translate tantum occurrit et est aliquantum ingeniosus (V. *Acutus C.*). *Cic.* 3. *Nat. D.* 7. 18. Zenonis breves et acutulæ conclusiones. *Gell.* 17. 5. Acutulus et minutus doctor.

ĂCŪTUM, i, et

ĂCŪTUS, a, um. *V.* ACUO in fine.

ĂCȲLOS, ii, f. 2. (ἄκυλος) glans seu fructus ilicis feminæ, ita vocatus ab *Homero Odyss.* 10. 242., et eo nomine a glande distinctus. Ita refert *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (19).

ĂCȲRŎLŎGĬA, æ, f. 1. ἀκυρολογία, impropria dictio: et per se quidem vitium est, sed figuræ rationem induit apud *Virg.* 7. *Ecl.* 7. Vir gregis ipse caper. *Et* 4. *Æn.* 419. Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Eadem ferme est ac abusio, seu catachresis. Est autem Græca vox, ab ἄκυρος, *improprius*, et λόγος, *sermo*. *Servius* ad *Virg. loc. cit.* Sperare pro timere, et est acyrologia. *Isid.* 1. *Orig.* 33. 4. Acyrologia non propria dictio, etc. *Hieronym.* 2. *in Rufin.* 1. Istiusmodi nugis et acyrologiis omnis ejus scatet oratio. — Rectius tamen Græce usurpatur, quemadmodum usurpant *Charis.* 4. *p.* 242. *Putsch.*, *Diomed.* 2. *p.* 444. et *Donat. de Barbarismo* p. 1770. Latine enim *Improprium* dicitur, teste *Quintil.* 8. 2. 3.

AD

AD, præpositio Accusativo serviens, motum ad locum significat (It. *a*, *ad*; Fr. *à*, *vers*; Hisp. *a*, *hácia*; Germ. *zu*, *gegen*; Angl. *to*, *unto*). — Ratione habita etymologiæ una eademque videtur cum præpositione *apud*, a qua derivata sit per syncopen hoc modo: *apud*, *apd* (sive *abd*), *ad*. Et sane, primo nulla alia esse potest causa, cur præpositio *apud* cum Accusativo jungatur, nisi antiquis saltem temporibus motum ad locum significaverit. Deinde in verborum compositione *apud* nunquam invenitur (V. *Priscian.* 14. p. 989. *Putsch.*) sed semper *ad* tamquam brevior forma, etiamsi proximitas in loco significetur, ut in verbis *adjaceo* h. e. *prope jaceo*, *adsideo* h. e. *prope sedeo* etc. Denique plures adhuc extant locutiones, in quibus *apud* pro *ad*, et *ad* pro *apud* usurpatur: namque, ut illa omittamus quæ in dubium vocantur (cujusmodi est locus *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 70. Atque apud hunc eo vicinum): *Lucilius* apud *Charis.* 1. p. 86. *Putsch.* et *Donatus* p. 1760. et 1764. *Putsch.* satis declarant, solitum fuisse vulgus dicere *apud aliquem* eo pro *ad aliquem*; quod confirmat *Inscript.* apud *Gruter.* p. 786. 5. VT ET EGO POSSIM – CELERIUS APVT EVM PERVENIRE; quibus adde illa omnibus notissima quæ cum alterutra præpositione sine ullo discrimine proferri possunt, scilicet *ad judices* vel *apud judices*, *ad forum* vel *apud forum*, *pugna ad Trebiam* vel *apud Trebiam* etc., quæ vide suis locis. — Jam vero *apud* ducitur ab obsoleto verbo *apere*, quod significat connectere, colligare (Cf. ἅπτω *ligo*, et sans. *âp* h. e. *arripere*, *prehendere*): unde ad significandam rerum conjunctionem, ut ait *Paul. Diac.* p. 12. 16. *Müll.*, *apud* et per syncopen *ad*, quemadmodum superius diximus: haud aliter atque ex obsoleta forma *aput* (quæ adhuc extat præser-

tim in *Inscript.* V. supra) facta est *at*; necnon et alia obsoleta forma *apor* (de qua *Paul. Diac.* p. 26. 5. *Müll.*), mutata scilicet *d* in *r* eodem modo quo *meridies* dicitur pro *medidies*, facta est alia forma *ar* pro *ad*, quam exhibent *Cato R. R.* 138. 1. arvehant. *Id. ibid.* 135. 7. arvectum. *Senatuscons. de Bacchan.* ARVEISSE. *Lex Servilia c.* 8. v. 20. ARVORSARIO. *Plaut. Truc.* 2. 2. 17. Ar me advenias. — Quamvis autem ab ipsis Latinæ linguæ incunabulis præpositiones *apud* et *ad* promiscue adhibitæ, ut diximus, putandæ sunt; progressu tamen temporis atque usu factum est, ut *apud* proximitatem vel conjunctionem tantummodo in loco significaret, *ad* vero motum ad locum et aliquando etiam proximitatem in loco, ut ait *Servius* in *Virg.* 1. *Æn.* 24.

Illud etiam præmonendum, præpositionem *ad* non semper accusativo suo proxime accedere, sed aliquando ipsam postponi præsertim pronomini relativo, aut etiam inter præpositionem ipsam et accusativum plura interdum interseri verba, quæ tamen cum accusativo ipso unum idemque quodammodo faciant ejusdemque compleant significationem. *Ter. Phorm.* 3. 2. 38. Tibi quidem est olim dies, quam ad dares, præstituta. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 10. Senatus quos ad soleret referendum censuit. *Id.* 5. *Tusc.* 18. 53. Satis autem virtus ad fortiter vivendum potest, satis ergo etiam ad beate. *Liv.* 1. 56. Ad maxime inclitum in terris oraculum. *Id.* 2. 18. Ut intentiores essent ad dicto parendum. *Tac.* 3. *Ann.* 72. Opes ornatum ad urbis et posterum gloriam. *Id.* 12. *ibid.* 51. Ripam ad Araxis trahit. *Id. ibid.* 8. Augendam ad invidiam. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 150. Jure venit cultos ad sibi quisque deos.

Præpositio *ad*, æque ac ceteræ, a verbis pendet; vel interdum etiam a substantivis et adjectivis, quæ eamdem, ac verba, vim et significationem aut habent aut ex ipsa vocabulorum collocatione et ambitu nanciscuntur. Significat autem proprie aut translate *A*) motum ad locum, *B*) directionem versus aliquem locum, *C*) proximitatem in loco.

A) Significat proprie aut translate motum ad locum, scilicet

1.) Proprie *ad* est præpositio localis, quæ scilicet significat generatim locum ad quem, sive *a*) spatii terminum, *b*) personam, *c*) rem, ad quas ire contendimus. — *a*) Significat terminum ad quem ire contendimus, sive pendeat a verbo, sive a substantivo, sive adhibeatur absolute per ellipsin. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 67. Hæc ubi nunciata sunt filio, statim exanimatus ad ædem contendit, ut — succurreret. Omnes eodem animo Lampsaceni — ad ædes noctu convenerunt. *Id. ibid.* 27. 69. Omnes ad eam domum, in qua iste deversabatur, profecti sunt. *Id. Ligar.* 9. 27. Hinc prohibitus — in Macedoniam ad Cn. Pompeji castra venit. — Nomina *ædes* et *templum* sæpe omittuntur, si deorum nomina sequantur. *Ter. Adelph.* 4. 2. 43. Ubi ad Dianæ veneris, ito ad dexteram. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 35. Ventum erat ad Vestæ (Cf. infra *C.* 1.). *Cic. Mil.* 19. 49. Ad Urbem adventus. *Id. ibid.* § 52. Accessus ad Urbem. *Ter. Andr.* 1. 3. 21. At ego hinc me ad forum (*subaudi* conferam), ut conveniam Pamphilum. — *NB.* Si propriis urbium, oppidorum, vicorum atque insularum quoque et provinciarum regnorumque nominibus præpositio *ad* adjicitur, eorumdem proximitas, aut prope locata castra significantur. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 106. Cum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit — magna multitudo. *Id.* 6. *Verr.* 29. 66. Ait se comperisse ex ejus regno piratas ad Siciliam esse venturos. *h. e.* non qui e navi in Siciliam descenderent, sed circum ejus insulæ littora grassarentur. *Id. Senect.* 4. 10. Cumque eo quartum consule, adolescentulus miles ad Capuam profectus sum, quintoque anno post ad Tarentum. *h. e.* prope quas urbes ipsius castra locata erant. *Id.* 16. *Fam.* 12. 2. Equidem ut veni ad Urbem, non destiti omnia facere et dicere et sentire, quæ ad concordiam pertinerent. *h. e.* utpote imperator in Urbem ingredi minime poterat, ac propterea prope Urbem constiterat. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Cæsar — in Galliam ulteriorem contendit et ad Genevam pervenit. *Sallust. Jug.* 75. Eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. *Et mox:* Deinde postero die — ad Thalam perveniunt. *E contra de Jugurtha ibid.* § 1. Dein Thalam pervenit, in oppidum magnum atque opulentum. *Cic.* 3. *Fam.* 6. 2. Si ad Sidam navigassem. *Id.* 2. *ibid.* 6. 1. Nondum erat auditum te ad Italiam adventare. *h. e.* Italiam versus. *Tac.* 1. *Hist.* 79. Rhoxolani, Sarmatica gens, — magna spe ad Mœsiam irruperant. *h. e.* Mœsiam versus, quin tamen in Mœsiam sint ingressi. Hanc tamen regulam haud religiose servarunt inter recentiores nonnulli, ut *Eutrop.* 2. 25. *de Regulo:* Regressus ad Africam omnibus suppliciis extinctus est. *Capitol. Ant. P.* 7. Ad agros suos profectus est ad Campaniam. *Spartian. Hadrian.* 2. Ad patriam rediit. *in quibus omnibus adhibenda erat præpositio* in. — Nonnunquam tamen propriis etiam urbium, oppidorum vicorumque nominibus præpositio *ad* jungitur, si locum ipsum clarius definire volumus: quemadmodum haud ægre occurrunt hæ locutiones *ad Urbem, ad forum, ad domum, ad villam* pro *in Urbem, in forum* etc. *Cic.* 3. *Verr.* 34. 87. Usque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Synopem, quæ in Ponto est, navigarunt. *Id. Dejot.* 7. 19. Dona usque ad Numantiam misit ex Asia. *et sæpe præcedente* usque ad. *V.* USQUE. *Propert.* 3. 21. 1. Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas. *Sueton. Claud.* 1. Corpus ejus — ad Urbem devectum. *Plaut. Asin.* 2. 2. 100. Nunc tu abi ad forum ad herum. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Jubeo promi utrosque (*scyphos*) — et mecum ad prætoris domum afferri. *Id. ibid.* 3. 6. Qui tamen signa — non — ad villas suas auferebant. — *b*) Significat personam, ad quam ire contendimus, aut etiam collegium, civitatem etc.; atque exinde ampliata significatione, cum pronominibus personalibus ipsius quoque personæ ædes. *Plaut. Stich.* 3. 2. 30. Vin' ad te ad cœnam veniam? *Cic.* 1. *Verr.* 1. 2. Qui nunc populati atque vexati ad me publice sæpe venerunt. *Ter. Andr.* 2. 2. 24. *per ellipsin:* Ego me continuo ad Chremem. *Cic.* 7. *Verr.* 48. 126. Ad senatumne venient? — ad populum Rom. confugient? *Cæs.* 1. *B. G.* 1. 3. Propterea quod — minime ad eos (*Belgas*) mercatores sæpe commeant. *Plaut. Stich.* 5. 5. 34. Vos, spectatores, plaudite, atque ite ad vos comissatum. *h. e.* ad vestras domos. *Ter. Eun.* 3. 5. 64. Eamus ad me: ibi proximumst ubi mutes. *Cic. Mil.* 19. 51. Aricià rediens devortit Clodius ad se in Albanum. — *c*) Significat res, ad quas ire contendimus. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 33. Accessit ad argentum, contemplari unumquidque otiose et considerare cœpit. *Id.* 2. *de republ.* 2. 4. Ut jam a fabulis ad facta veniamus. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 34. Bestiis dedit accessum ad res salutares. *sæpissime autem translate, ut infra dicemus.*

Hinc præpositione *ad* gaudent omnia verba, substantiva et adjectiva quæ latissimo sensu *motum ad locum* seu *terminum ad quem* significant sive proprie, sive *translate:* scilicet ¶ 1. Quæ *itum, accessum, adventum, inclinationem* significant, quamvis ab ipsa præpositione *ad* componantur, quæque ut alias (*V.* A, AB, ABS 1.) per indicem alphabeticum recensemus. Aberrare ad alia etiamsi cœperit oratio *Cic.* Abiit ad deos Hercules *Cic.* Accedere ad aliquem *Plaut.*, ad amicitiam alicujus *Cæs.*, ad causam *Cic.* Accessio ad ædes *Plaut.* Accessus ad Urbem *Cic.* Accelerare ad aliquem opprimendum *Liv.* Accidere ad pedes *Cic.*, ad aures *Cic.* Accurrere ad aliquem *Cic.* Adambulare ad ostium *Plaut.* Adire ad aliquem *Plaut.*, ad fundum *Cic.*, ad rempubl. *Cic.* Admoliri ad nidum hirundinum *Plaut.* Adolescere ad eam ætatem *Plaut.* Advehi ad Urbem *Cic.* Advenire ad aliquem *Cic.* Adventare ad Italiam *Cic.* Adventus repentinus ad meos necessarios *Cic.* Advolare ad Urbem *Cic.* Affectare viam ad aliquem *Ter.* Affluit imaginum species ad deos *Cic.* Aggredi ad aliquem *Plaut.* Allabi ad exta *Liv.* Annare ad urbem *Cic.* Annatare ad aliquem *Plin.* Appellere classem ad Delum *Cic.*, appellere ad insulam *Liv.* Applicare naves ad terram *Cæs.* Approperare ad cogitatum facinus *Cic.* Appropinquare ad summam aquam *Cic.* Ascendere ad oppidum *Liv.*, ad honores *Cic.* Assilire ad aliud genus orationis *Cic.* Assistere ad fores *Cic.* Attinere ad aliquem locum *Curt.*, attinet hoc ad me *Ter.* Aufugere ad aliquem *Apul.* Avolare ad equites *Liv.* Betere *vel* bitere ad aliquem *Plaut.* Cadit spes ad irritum *Liv.* Cedere, Exsul ab Harmonia Pieriaida cessit ad undam *Ovid.* Circumvehi classe ad agrum Romanum *Liv.* Coire ad locum *Ovid.* Commeant crebro illius litteræ ab aliis ad nos *Cic.* Concedere ad januam *Plaut.*, ad dextram *Ter.* Concidere ad terram *Virg.* Concurrere ad curiam *Cic.*, ad arma *Cæs.* Concursus ad aliquem *Cic.* Conferre se ad aliquem *Cic.* Confluebat ad eum magnus numerus *Cæs.* Confugere ad aliquem *Cic.*, ad aram *Cic.*, ad vim, ad manus, ad arma *Cic.* Congregare se ad curiam *Cic.* Consistere ad mensam *Cic.* Consurgere ad æthera *Virg.*, ad bellum *Liv.* Contendere ad ædes *Cic.*, ad salutem *Cæs.* Convenire ad judicium *Cic.* Convertere se ad aliquem *Cæs.* Convolare ad rostra *Cic.* Curritur ad prætorium *Cic.* Cursare ad aliquem *Ter.* Cursitare ad aliquem *Plin.* Decidit ad pedes tunica *Sueton.*, ad eas rei familiaris angustias decidit *Cic.* Declinare ad dexteram *Cic.*, ad aliquem *Liv.* Decurrere ad naves *Cæs.*, ad extrema jura *Cic.* Deferri ad aliquam rem *Cic.* Deflexit oratio ab amicitiis perfectorum hominum ad leves amicitias *Cic.* Defluxit ad terram moribundus Romanus *Liv.*, defluximus a necessariis artificiis ad elegantiora *Cic.* Degredi ad pedes *Liv.* Delabi a majoribus ad minora *Cic.* Demeare ad Tartarum *Apul.* Demigrare ad aliquem *Cic.* Descendere ad ludum adolescentium *Cic.*, ad vim atque arma *Cæs.* Desilire ad pedes *Cæs.* Devehi ad astra *Propert.* Devenire ad urbem *Cic.*, ad juris studium *Cic.* Devertere ad villam suam *Cic.* Deversitare ad verborum venustates *Gell.* Devolare ad florentem amicitiam *Cic.* Devolvi ad spem inanem *Cic.* Diffugere ad naves *Virg.* Digredi ad sua tutanda *Tac.* Dilabi ad arma sumenda *Sueton.* Dimanare ad existimationem hominum *Cic.* Discedere ad urbem *Virg.* Discurrere ad portas *Liv.* Effundere se ad aliquem *Cic.* Egredi ad portam *Liv.* Emanat fere omnis sermo a domesticis auctoribus ad forensem famam *Q. Cic.* Emergere ad summas opes *Lucret.* Erigi ad sidera *Virg.* Erumpere ad aliquem *Sall.* Evadere ad auras superas *Virg.* Excedere ad deos *Curt.* Excurrere ad aliquem *Cic.* Exire ad aliquem *Plaut.*, ad bellum civile *Cic.* Exsilire ad aliquem *Ter.* Ferri ad aliquem *Cæs.* Festinare ad portas *Sall.*, ad singulare Antonii facinus festinat oratio *Cic.* Fluit res ad interregnum *Cic.* Fugere ad tumulum *Tibull.* Gradi ad naves *Virg.*, ad mortem *Cic.* Grassari ad gloriam virtutis via *Sall.* Incedere ad templum *Virg.*, ad inventionem *Cic.* Incidere ad terram *Virg.*, ad aliquid faciendum *Cic.* Inflectitur sinus ab littore ad urbem *Cic.* Influat oportet aliquid ex illa lenitate ad hanc vim acerrimam *Cic.* Insinuare se ad causam *Cic.* Introire ad aliquem *Ter.* Involare ad aliquem *Auct. B. Alex.* Ire ad aliquem *Plaut.*, ad arma *Cic.* Irrepere ad aliquem *Sueton.* Irrumpere ad aliquem *Sall.* Itare ad legiones *Plaut.*, ad cœnas *Cic.* Iter ad aliquem *Cn. Pompejus apud Cic.* Labi ad perniciem *Cic.* Migrare ad aliquem *Cic.* Navigare ad insulam *Cic.* Objicere se ad currum *Virg.* Obrepere ad honorem *Cic.* Occidere ad terram *Plaut.* Occurrere ad vadimonium *Sueton.* Penetrare ad urbes sedesque *Cic.*, ad sensum judicis *Cic.* Percurrere ad forum *Ter.* Perfugere ad aliquem *Cic.* Pergere ad aliquem *Cic.*, ad reliqua *Cic.* Perlabi ad aliquem *Cic.* Permanat succus ad jecur *Cic.* Perrepere ad præsepia *Colum.* Pertinere ad pulmones usque *Cic.* Pervadere ad castra consulis *Liv.* Pervehi ad littora *Sil. It.* Pervenire ad portam *Cic.* Processit ad auras fama *Ovid.* Præcipitare se ad terram *Lucret.*, ad exitium *Cic.* Præcurrere ad aliquem *Liv.* Præcipere se ad aliquem *Dig.* Prævehi ad exercitum *Tac.* Prævertere se ad interna *Tac.* Procedere ad Cassiopem *Cic.*, ad famam alicujus *Propert.* Procidere ad pedes alicujus *Horat.* Procumbere ad pedes *Cæs.* Procurrere ad oras *Lucret.*, ad mortem *Plin.* Prodire ad aliquem *Plaut.*, ad colloquium *Cæs.* Proficisci ad aliquem *Cic.*, ad summum *Cic.* Profluere ad mare *Cic.*, ad hominum famam *Cic.* Profugere ad aliquem *Cic.* Progredi ad reliqua *Cic.* Projicere se ad pedes alicujus *Cic.* Prolabi ad aliquam orationem *Cic.* Pronatare ad cantum *Hygin.* Properare ad unam sedem *Ovid.*, ad exitum *Cic.* Prorepere ad solarium *Sueton.* Prorumpere ad minas *Tac.* Proserpere ad intima *Senec.* Prosilire ad flumen *Sueton.* Provehi ad aliquid *Tac.* Provolare ad aliquem *Liv.* Recellere ad solum *Liv.* Recidere ad ludum et lacrimas *Cic.*, ad nihilum *Cic.* Recipere se ad aliquem *Cic.*, ad signa *Cæs.* Recurrere ad aliquem *Cic.* Redire ad aliquem *Cic.*, ad se *Cic.* Reditus ad aliquem *Cic.* Redundat ad servos aliquantum ex quotidianis sumptibus ac luxurie *Cic.* Redux ad aliquem *Plaut.* Referre se ad aliquid *Horat.* Refugere ad aliquem *Cæs.*, ad urbem *Liv.* Regredi ad aliquem *Quintil.* Regressus ad principem *Tac.* Remeare ad aliquem *Liv.* Remigrare ad justitiam *Cic.* Repedare ad aliquid *Ammian.* Resilire ad manipulos *Liv.* Restillare ad aliquid *Prudent.* Revehi ad prœlium *Liv.*, ad paullo superiorem ætatem *Cic.* Reverti ad aliquem *Plaut.*, ad consuetudinem *Cic.* Reversio ad aliquem *Plaut.* Revolare ad aliquem *Vellej.* Revolvi ad aliquid *Cic.* Ruere ad urbem *Liv.* Scandere ad nidum volucris

Phædr. Secedere ad deliberandum *Liv.* Subire ad portam castrorum *Liv.* Subsequi aliquem ad fores *Plaut.* Subsiliunt ignes ad tecta domorum. *Lucret.* Subvehi ad templum *Virg.* Succedere ad mœnia *Liv.* Surgere ad limina vitæ *Virg.*, ad dicendum *Cic.* Tendere ad limina *Virg.* Tenere ad Mendin *Liv.* Trajicere ad insulam *Liv.* Tranare ad suos *Liv.* Transcendere ab asinis ad boves *Plaut.* Transcurrere ad aliquem *Plaut.*, ad melius *Horat.* Transire ad aliquem *Plaut.*, ad partitionem *Cic.* Transfugere ad aliquem *Liv.* Transfuga ad Græcos *Plin.* Transitus ad alia *Quintil.* Transgredi ad deos *Vellej.*, ab indecoris ad infesta *Tac.* Transilire ad aliquem *Plaut.* Transmeare ad aliquem *Plin.* Transvolare ad hostes *Plaut.* Trepidare ad signa *Liv.* Vadere ad aliquem *Cic.* Vehi ad lævam, ad dexteram *Cic.* Venire ad aliquem *Cic.*, ad extremum *Cic.* Ventitare ad aliquem *Cic.* Vergere ad flumen *Cæs.* Vertere metas ad solstitiales *Lucret.* Volare ad aliquem *Cic.* ¶ 2. Quæ significant *ducere, ferre, mittere, destinare* ab uno ad alium locum. Abducere aliquem ad cœnam *Ter.*, artem ab religionis auctoritate ad mercedem atque quæstum *Cic.* Abjicere se ad pedes alicui *Cic.* Abripere aliquem ad quæstionem *Cic.* Abstrahere aliquem ad bellicas laudes *Cic.* Adducere aliquem ad se domum *Plaut.*, ad fletum *Cic.*, rem ad finem *Nep.*, rem ad interregnum *Cic.* Adhibere cibum, potiones, odores ad deos *Cic.*, manus ad vulnera *Virg.*, aliquem ad leges *Cic.* Adigere vitulos ad matres *Varro*, aliquem ad jusjurandum *Sall.* Adjicere animum ad virginem *Ter.*, oculos ad omnia *Cic.* Adjungere animum ad aliquod studium *Ter.*, suspicionem ad prædam *Cic.* Admovere fasciculum ad nares *Cic.*, curationem ad aliquem *Cic.* Advertere animum ad aliquid *Plaut.* Afferre litteras ad aliquem *Cic.*, animum vacuum ad scribendum *Cic.* Affligere aliquem ad terram *Plaut.* Aggerere bona ad aliquem *Plaut.* Agere cuniculos ad ærarium *Cic.*, se ad auras *Virg.*, aliquem ad fastidium vitæ *Sueton.* Agitare currus ad flumina *Virg.* Allegare aliquem ad aliquem *Cic.*, ad aliquid *Plaut.* Allidere ad scopulos *Cæs.* Amandare aliquem ad aliquem *Cic.* Appellare armentum ad aquam *Varro*, animum ad scribendum *Ter.* Apponere manus ad os *Cælius* apud *Cic.*, notam ad malum versum *Cic.* Apportare et Apportatio ad aliquem *Vitruv.* Asportare aliquid ad aliquem *Liv.* Attendere animum ad aliquid *Cic.* Attollere lumen ad limina *Ovid.*, animos ad consulatus spem *Liv.* Avehere aliquid ad aras *Stat.* Avertere preces ab hominibus ad deos *Liv.* Circumagere se ad dissonos sonos *Liv.* Circumducere alas ad latus Samnitium *Liv.* Circumferre clipeum ad ictus *Curt.* Circumfundere amurcam ad oleam *Cato.* Cogere familiam suam ad judicium *Cæs.* Collineare oculos ad umbram *Apul.* Commendare aliquem ad opinionem et innocentiæ et juris scientiæ *Cic.* Commoliri dolum aut machinam ad aliquem *Cæcilius Stat.* apud *Cic.* Comparare tribunos ad intercessionem *Liv.* Compellere plebem ad deversoria *Sueton.*, aliquem ad virtutem *Plaut.* Condemnare aliquem ad metalla *Sueton.* Conducere milites ad castra *Sisenna* apud *Non.* Conferre rem ad aliquem *Cic.*, bovem ad bovem *Varro.* Congerere penum ad aliquem *Ter.* Congregare aliquem ad aliquem locum *Cic.* Conjectare cupedias ad cœnulam *Gell.* Conscribere ad aliquem cum aliquo *Cic.* Constituere naves ad latus hostium *Cæs.*, grandiorem ætatem ad consulatum *Cic.* Contendere vim suam ad majestatem alicujus *Accius* apud *Non.* Contorquere proras ad undas *Virg.* Contrahere duces ad colloquium *Liv.* Convehere æs ad ærarium *Liv.* Convertere multitudinem ad aliquem *Cæs.*, malum ad salutem *Ter.* Damnare aliquem ad bestias *Dig.* Dare aliquem præcipitem ad terram *Liv.* Dare epistolam ad aliquem *Cic.* Dabo te ad pistores, ut ibi cruciere currens *Plaut.* Dari pauperem in servitutem ad ditem *Ter.* Dare se ad audiendum *Cic.* Dedere se ad Q. Fulvium consulem *Liv.*, aliquem ad supplicium *Liv.* Deditio ad tam infestos *Liv.* Deducere aliquem ad aliquem *Cic.*, rem ad arma *Cæs.*, aliquem ad fletum et misericordiam *Cic.* Deferre aurum ad aliquem *Plaut.*, consilia ad aliquem *Cic.* Deflectere intellectum ab asperioribus ad leniora *Quintil.* Degerere aliquid ad aliquem *Plaut.* Dejicere naves ad inferiorem partem insulæ *Cæs.* Delegare aliquem ad volumen *Nep.*, aliquid ad senatum *Liv.*, decus ad aliquem *Liv.* Demittere aliquem ad imos manes *Virg.*, tunicam ad talos *Varro.* Deportare ossa ad matrem *Nep.*, decumas ad aquam *Cic.* Deprimere supercilium ad mentum *Cic.*, animos ad terram *Lucret.* Destinare aliquem ad mortem *Liv.*, tempus, locum ad certamen *Liv.* Destituere servos ad mensam *Cæcilius* apud *Non.* Detorquere proram ad undas *Virg.*, aliquem ad segnitiem *Plin.* Detrahere naves ad terram *Auct. B. Alex.*, aliquem ad accusationem *Cic.* Detrudere aliquem ad molas *Plaut.*, Stygias ad undas *Virg.* Devehere triticum ad mare *Liv.* Differre aliquem ad finem muneris *Sueton.*, legatos ad novos magistratus *Liv.*, aliquid ad aliud tempus *Cic.* Dimittere nuncios ad Centrones *Cæs.* Dirigere vela ad castra *Cæs.*, cogitationes ad aliquid *Cic.* Dispergere aliquid ad partes corporis *Lucret.* Disponere præsidia ad ripas *Cæs.* Ducere legiones ad hostem *Liv.* Educere aliquem ad consules *Cic.* Efferre aliquid ad aliquem *Plaut.*, aliquem laudibus ad cœlum *Cic.* Ejicere naves ad Chium *Liv.* Emittere ad aliquem, qui obsignent *Cic.* Erigere manus ad tectum *Quintil.*, animos ad audiendum *Cic.* Evehere aliquem ad æthera *Virg.* Exserere manum ad mentum *Liv.* Extendere agmen ad mare *Cæs.*, pugnam ad noctem *Liv.* Extollere aliquem ad cœlum *Cic.* Extrahere certamen usque ad noctem *Liv.* Ferre aliquid ad aliquem *Plaut.*, aliquem ad aliquid *Quintil.* Flectere vultus ad aliquem *Ovid.*, ab omni studio sensuque Pœnorum mentes suas ad Romanorum imperium nomenque *Cic.* Immittere equum ad legionem *Galba* apud *Cic.* Impellere diem ad metas *Sil. It.*, plebem ad furorem *Cæs.* Implicare aliquem ad severitatem *Cic.* Importare aliquid ad aliquem *Cæs.* Inclinare aquas ad littora *Ovid.* Injicere tædas ad fastigia tectorum *Val. Flacc.* Insumere curam ad speculandum *Plin.* Intendere dexteram ad statuam *Cic.* Intentare manus ad sidera *Petron.* Introducere aliquem ad regem *Curt.* Introferre aliquem in urbem ad mulierem *Cic.* Intromittere aliquem ad aliquem *Plaut.* Jacere genu ad aliquem *Plaut.* Legare aliquem ad Apronium *Cic.*, verba ad aliquem *Gell.* Mergere aliquem ad Styga *Seneca.* Mittere legatos ad aliquem *Cic.*, aliquem ad mortem *Cic.*, librum ad aliquem *Cic.*, perfeci sane argutulos libros ad Varronem *Cic.* Obducere exercitum ad oppidum *Plaut.* Objicere clipeos ad tela *Virg.* Offendere caput ad fornicem *Quintil.* Nuntiare aliquid ad aliquem *Plaut.* Pandere pennas ad solem *Virg.* Pellere aliquem ad manes *Sil. It.* Perducere aliquem ad Cæsarem *Cæs.*, rem ad mediam noctem *Cæs.*, aliquem ad honores *Cic.* Perferre aliquid ad aliquem *Cic.* Permittere columbas ad introitum exitumque *Pallad.* Perscribere aliquid ad aliquem *Cic.* Pertrahere ratem ad alteram ripam *Liv.* Pervehere aliquid ad aliquem *Plin.* Ponere aliquem ad scribendum *Cic.* Porrigere manum ad aliquid *Cic.* Portare frumentum ad aliquem *Cic.* Præbere os ad contumeliam *Liv.* Præcipitare homines ad dementiam *Cels.* Præmittere legatum ad flumen *Sall.* Proclinare ad mare *Vitruv.* Prodere aliquem ad mortem *Virg.* Producere aliquem ad necem *Cic.*, aliquem ad dignitatem *Cic.*, convivium ad multam noctem *Cic.* Promittere aliquid ad genua *Colum.* Promovere castra ad Karthaginem *Liv.* Pronare ora ad aliquid *Sidon.* Propagare stirpem ad simile factum *Cic.* Prorumpere ad æthera nubem *Virg.* Protendere manus ad genua *Petron.* Protollere ad lustrum *Lucilius* apud *Non.* Protrahere ad operas mercenarias *Cic.* Provehere aliquem ad honores *Sueton.* Rapere aliquem ad aliquem *Plaut.*, ad supplicium *Cic.* Raptare aliquem ad ostia Ponti *Val. Flacc.* Reddere simulacra ad æquos flexus *Lucret.* Redigere aliquem ad incitas *Plaut.*, aliquem ad inopiam *Ter.*, rem ad pristinam belli rationem *Cæs.* Reducere vitulos ad tecta *Virg.*, aliquem ad officium *Cic.* Referre aliquid ad aliquem *Plaut.*, aliquem ad tribules suos *Cic.*, omnia ad voluptatem *Cic.*, sermones ad aliquem *Cic.*, ad senatum de aliqua re *Cic.* Reflectere cursum ad Trebiam *Val. Max.* Rejectare voces ad sidera *Lucret.* Rejicere manus ad tergum *Asin. Pollio* apud *Cic.*, aliquem ad epistolam *Cic.*, rem ad senatum *Cic.* Relegare ad auctores *Plin.* Remittere rem ad senatum *Tac.* Removere comas a fronte ad aures *Ovid.* Renunciare ad senatum *Cic.* Repellere aliquam ad quæstum *Plaut.* Replicare surculos ad vitis caput *Cato.* Reportare prædam ad decemviros *Cic.*, aliquid ad aures alicujus *Virg.* Rescribere ad aliquem, ad epistolam *Cic.* Reservare testem ad extremum *Cic.* Respondere ad ea, quæ quæsita erant *Cic.* Restituere omnes sospites ad propinquos *Liv.* Restringere manus ad terga *Plin.* Retorquere ora ad os *Ovid.*, oculos ad Urbem *Cic.*, animum ad præterita *Seneca.* Retrahere aliquem ad dicendam majestatis causam *Tac.*, ad cruciatus *Tac.* Revehere tela ad Grajos *Ovid.* Revincire aliquem ad saxa *Ovid.* Ruere nubem ad cœlum *Virg.* Scribere plura ad aliquem *Cic.*, librum ad aliquem *Cic.* Servare se ad tempus *Cic.* Servus ad remum *Liv.* Strati ad pedes *Cic.* Stringere aliquem ad aliquid *Plaut.* Subducere tunicam usque ad inguen *Horat.*, classem ad Gytheum *Cic.* Subigere classem ad mœnia *Sil. It.* Sumere litteras ad aliquem *Cic.* Subministrare tela ad manum *Quintil.* Summittere se ad pedes *Liv.*, aliquid ad tenuiora *Quintil.* Tendere manus ad cœlum *Cæs.* Tenere manus ad aliquem *Cic.* Tollere aliquem laudibus ad cœlum *Cic.* Torquere oculos ad mœnia *Virg.*, tela ad tempora *Virg.* Tradere aliquem ad carnificem *Plaut.* Traducere aliquid ad aliquem *Plaut.*, animos ad hilaritatem *Cic.* Traductor ad plebem *Cic.* Trahere aliquem ad prætorem *Plaut.* Trajicere se ad aliquem *Cæs.* Transferre aliquid ad aliquem *Cæs.*, animum ad accusandum *Cic.* Transfundere omnes laudes suas ad aliquem *Cic.* Trudere aliquem ad mortem *Cic.* Versare mentem suam ad omnem malitiam *Cic.* Vertere aliquid ad speciem *Lucret.* ¶ 3. Quæ *arcessere, admittere* sive *accipere* significant. Accipere ad se hominem et aurum *Plaut.* Accire aliquem ad regnandum *Cic.* Adhibere aliquem ad concilium *Cæs.* Admittere aliquem ad se *Plaut.*, ad consilium *Cic.* Advocare aliquem ad aliquid *Cic.*, animum ad se ipsum *Cic.* Arcessere aliquem ad se *Cic.* Asciscere aliquem ad aliquid *Cæs.* Attrahere tribunos ad se *Liv.* Avocare partem exercitus ad Volscum bellum *Liv.*, animos ad Antiochum *Liv.* Ciere ad arma *Liv.*, ad sese *Catull.* Citare patres ad regem *Liv.* Conciere multitudinem ad se *Liv.*, ad arma *Vellej.* Convocare principes ad se *Cæs.*, præfectos ad concilium *Cæs.* Corrogare pecuniam ad necessarios sumptus *Cæs.* Deligere aliquem ad res conficiendas *Cæs.* Deposcere imperatorem ad bellum *Cic.* Eligere uvam ad edendum *Varro.* Evocare mercatores ad se *Cæs.*, milites ad pugnam *Cæs.* Excire hostem ad dimicandum *Liv.* Introvocare aliquem ad se *Cic.* Provocare aliquem ad aliquem *Phædr.* Quærere aliquid ad aliquam rem *Cic.* Recipere equitatum ad se *Cæs.* Revocare Samnites ad Caudium *Liv.*, se ad pristina studia *Cic.* Sevocare ad se aliquid de communi in privatam domum *Cic.* Vertere aliquid ad se *Cic.* Vocare aliquem ad se *Cæs.*, populum ad arma *Cæs.* ¶ 4. Quæ *hortari, incitare, parare, adjuvare ad agendum* significant. *V.* et infra VII. 1. Accendere aliquem ad aliquid *Sall.*, animum ad lubidinem et contumeliam *Liv.* Accingi ad consulatum *Liv.* Acuere aliquem ad crudelitatem *Cic.*, juventutem ad dicendum *Cic.* Adhortari aliquem ad bellum faciendum *Cic.*, ad C. Rabirium defendendum *Cic.* Adjuvare aliquem ad bellum *Liv.*, ad obtinendum mendacium, ad verum probandum *Cic.* Admonere aliquem ad thesaurum reperiendum *Cic.* Agere mentes ad omne scelus et ad omnem libidinem *Liv.* Allectare aliquem ad agrum fruendum *Cic.* Allicefacere aliquem ad societatem imperii *Sueton.* Allicere hominem ad se *Plaut.*, multorum opes ad misericordiam *Cic.* Armare aliquem ad omnia *Cæcina* apud *Cic.* Arrigere animum ad bellum *Virg.* Cogere aliquem ad pugnandum *Nep.* Cohortari aliquem ad prœlium *Quintil.* Colligere se ad aciem *Auct. B. Afr.* Commovere aliquem ad aliquid *Cic.* Commutare animos ad misericordiam *Liv.*, aliquem ad pœnitentiam *Tac.* Comparare se ad iter *Liv.*, se ad respondendum *Cic.* Compellere aliquem ad bellum *Ovid.*, ad credendum *Cic.* Componere oratorem ad omnia *Quintil.* Conformare aliquem ad majora *Cic.* Concitare aliquem ad studium virtutis *Cic.* Confirmare aliquem ad dimicandum *Cæs.*, ad successionem imperii *Sueton.* Consternare multitudinem ad arma *Liv.* Doctus ad malitiam *Ter.*, ad legem *Cic.* Elicere aliquem ad subeunda pericula *Cic.*, ad colloquium *Liv.* Erigere populos ad cupidinem novæ fortunæ *Liv.* Exacuere mentem ad conamina *Sil. It.*, ingenii aciem ad bona deligenda *Cic.* Excire hostem ad dimicandum *Liv.* Excitare liberos ad laborem, ad laudem *Cic.* Exercere aliquem ad aliquid *Cic.*, ad amentiam *Cic.* Exhortari milites ad ultionem *Plin.* Factus (*homo*) ad istius libidines *Cic.* Fingere aliquem ad honestatem *Cic.* Flammare juvenem ad Mavortia facta *Sil. It.* Hortari aliquem ad laudem *Cic.* Imbuere socios ad leges *Tac.* Impellere aliquem ad injuriam faciendam *Cic.* Incendere aliquem ad studia *Cic.*, juventutem ad facinora *Sall.* Incitare juvenes ad studium, laborem *Cic.* Inducere aliquem ad misericor-

diam *Cic.* Inflammare aliquem ad gloriam *Cic.* Informare aliquem ad humanitatem *Cic.* Instinguere ad aliquid faciendum *Gell.* Instruere aliquem ad usum forensem, ad capessendam rempubl., ad honorem, gloriam, dignitatem *Cic.* Intendere aliquem ad cavendi omnia curam *Liv.* Invitare ad agrum fruendum *Cic.* Irritare ad bellum *Liv.* Lacessere ad pugnam *Liv.* Movere aliquem ad bellum *Liv.* Mutare spes alicujus ad metum *Tac.* Opitulari multum ad dicendum *Cic.* Parare se ad dicendum *Cic.* Pellicere gentem ad deditionem *Tac.* Perducere aliquem ad HS LXXX *Cic.* Præparare animos ad sapientiam concipiendam *Cic.* Producere aliquem ad aliquid *Plin.* Prolectare aliquem ad nuptias *Apul.* Prolicere aliquem ad spem *Tac.* Rapere aliquem ad opes augendas *Cic.* Stimulare aliquem ad alicujus salutem defendendam *Cic.*, ad arma *Liv.* Subigere aliquem ad deditionem *Liv.* Subornare aliquem ad cædem regis *Liv.* Suscitare aliquem ad suum officium *Plaut.* Trahere Lucanos ad defectionem *Liv.* Urgere aliquem ad aliquid *Dig.* ¶ 5. Quæ *tendere, adhærere* aut *deficere, anniti, accommodare, assuescere, adjungere* significant. Accedere ad consilium *Nep.*, ad sententiam alicujus *Plaut.* Acclinare se ad causam senatus *Liv.* Accommodare se ad teretes aures Atticorum *Cic.* Acquirere aliquid ad vitæ fructum *Cic.*, ad honorem *Cic.* Addere laborem ad quotidiana opera *Cæs.* Adhærescere ad aliquam disciplinam *Cic.* Adhibere ad morem doctrinam *Cic.* Adjicere ad belli laudem doctrinæ et ingenii gloriam *Cic.* Adjungere se ad probos *Plaut.*, cruciatum ad malam ætatem *Pacuvius* apud *Non.* Æmulo ad deterrima Ventidio *Tac.* Aggregare se ad alicujus amicitiam *Cæs.* Anniti ad aliquod adminiculum *Cic.*, ad aliquid faciendum *Sall.* Appetere aliquid ad aliquam rem *Cic.* Apponere laborem ad damnum *Plaut.* Ascribere aliquid ad aliquam rem *Cic.* Assuefacere plebem ad supplicia patrum *Liv.* Assuescere ad homines *Cæs.*, ad omnes vis controversiarum *Sall.* Assumere aliquid ad aliquam rem *Cic.* Attribuere miseriam ad amissionem bonorum *Cic.* Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est *Ter.* Avidior est ejus frater aliquantum ad rem *Ter.* Aviditas ad cibos *Plin.* Benignus ad commodandum *Cic.* Certare ad supplenda exercitus damna *Tac.* Conferre se ad unius auctoritatem *Cic.* Conniti ad surgendum *Tac.* Consentire ad benevolentiam erga aliquem *Cic.*, ad rempubl. conservandam *Cic.* Conspirare ad rempubl. liberandam *Cic.*, ad res novas *Sueton.* Consuescere ad verum discrimen aciemque justam *Quintil.* Convertere se ad philosophos *Cic.* Cooriri ad bellum *Liv.* Cupiditatem ad venandum ingeneravit natura *Curt.* Cupido ad Venerem *Curt.* Declinare ad discendum jus *Quintil.* Dedere se ad consules *Liv.* Deficere a patribus ad plebem *Liv.* Desciscere ab Latinis ad Romanos *Liv.* Durare humeros ad vulnera *Virg.* Eniti ad dicendum *Cic.* Inclinare ad pacem fœdusque cum Pyrrho faciendum *Cic.* Facilis feminarum credulitas ad gaudia *Tac.* Inclinatior ad Pœnos plebs *Liv.* Incumbere ad aliquem *Ovid.*, ad ulciscendas reipubl. injurias *Cic.* Insinuare se ad amicam alicujus *Plaut.* Insuescere ad disciplinam *Liv.* Insueta corpora ad onera portanda *Cæs.* Intendere ad nuptias sororis Alexandri Magni *Justin.*, se ad firmitatem *Cic.* Niti ad sidera *Virg.*, ad immortalitatem gloriæ *Cic.* Obdurescere ad aliquid *Cic.* Pertendere ad alteram ripam *Sueton.*, ad explorandas causas *Sueton.* Proclive ab labore ad lubidinem ingenium omnium hominum *Ter.* Propensum esse ad misericordiam *Cic.* Quadrare ad multa *Cic.* Tendere alacri animo ad aliquid *Cic.* Transire ad hostes *Plaut.*, ad adversarios *Cic.* Transilire ad aliquem *Plin.* Voluntatem habent ad hunc opprimendum *Cic.* — *NB.* Animadvertendum etiam putamus, præpositione *ad* gaudere non modo verba quæ per se significant *addere, adjungere*; sed propositiones quoque omnes, quæ contextu suo rerum additionem accumulationemque significant. *Cic. Vat.* 8. 20. Si ad cetera vulnera, quibus putasti rempubl. deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixisses auguratus tui. *Id.* 2. *Leg.* 21. 52. Hoc ego loco – quæro a vobis – quid sit, quod ad jus pontificium civile appetatis? *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Hoc unum ad pristinam fortunam defuit. *Liv.* 24. 45. Ad Faleriorum Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum esset. — Hinc adverbiales illæ locutiones *ad cetera, ad hoc, ad hæc, ad id, ad id quod, ad omnia*; quæ ferme omnes *præterea* aut *præter* significant. *Liv.* 30. 1. 4. Bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea ætate civis instructior habebatur. *Sall. Catil.* 14. Quicumque impudicus, adulter, ganeo, –; quique alienum æs grande conflaverat –; præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi –; ad hoc quos manus atque lingua, perjurio aut sanguine civili alebat: hi Catilinæ proxumi familiaresque erant. *Liv.* 2. 23. Ad hoc, promissa barba et capilli efferaverant speciem oris. *Id.* 28. 14. Cum ternis cohortibus ternisque turmis, ad hoc velitibus. *Id.* 3. 62. Ad id, quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur. *Id.* 44. 37. Consul ad id quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur et locum dedisse hosti, si nocte abire vellet, tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus. Adde 26. 45.

II.) Præpositio *ad* adhibetur etiam ad definitum terminum significandum, in quo primam adhuc notionem servat; scilicet est etiam pro *usque ad* (It. *sino a*; Fr. *jusqu'à*; Hisp. *hasta*; Germ. *zu*, *bis zu*, *bis auf*; Angl. *even to*, *as far as*); quamquam *usque* per se nihil aliud significet, nisi perpetuam extensionem, nulla prorsus ratione habita termini: *V.* USQUE et ADUSQUE. Hoc autem sensu ponitur ¶ 1. De loco seu spatii termino. — *a*) Addito cum præp. *ab* termino a quo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 164. Qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (59). Hoc spatium edidit – Aristocreon ab Elephantide ad mare DCCL M. passuum. — Hinc illa *A vertice ad talos* etc., quæ videsis in A, AB, ABS I. 5. — *b*) Omisso termino a quo. *Ter. Phorm.* 4. 4. 5. Ad restim mi quidem res redit planissume. *Lucret.* 1. 355. (356). rigidum permanat frigus ad ossa. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 10. cum sudor ad imos Manaret talos. Hinc illa trita *Ad vivum resecare* Cic. Amic. 5. 18., *Ad cutem tondere* Cels. 6. 8. — *c*) Præcedentibus nonnullis Adverbiis. *Sall. Jug.* 93. Prope ad summum montis egressus est. *Nævius* apud *Non.* p. 207. 20. *Merc.* Ingurgitavit usque ad imum gutturem. — *d*) Transfertur etiam ad alias rationes. *Varro* 2. *R. R.* 7. 8. Si fastidium saliendi est, scillæ medium conterunt cum aqua ad mellis crassitudinem. *Tac.* 13. *Ann.* 23. Effigiesque in eo Neronis ad informe æs liquefacta. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (95). Harum pulli ad cinerem ambusti. *Pallad.* 1. *R. R.* 13. Poliemus ad summum nitorem. ¶ 2. Ponitur etiam de mensura seu parte. — *a*) Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 2. 26. Quod jubet ranam luridam conjicere in aquam, usque quo ad tertiam partem decoxeris. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 13. (26). Decoquere ad tertias. *Id. ibid.* 3. 8. (14). ad dimidias. *Colum.* 12. *R. R.* 34. ad palmum, id est ad quartas. *Id.* 12. *ibid.* 47. 2. Deinde cum ad fauces usque fuerint composita (*cydonia in lagena*). *Id. de arbor.* 4. 5. Scrobem – ad medium completo. *Liv.* 42. 3. Ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 13. 20. Cortices in vino decocti, mane poti ad ternos cyathos. Hinc *ad plenum*, quod frequens est. *Horat.* 1. *Od.* 17. 15. Hic tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu. *Virg.* 2. *G.* 244. Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undæ Ad plenum calcentur. Adde *Veget.* 3. *de re mil.* 9. et *Eutrop.* 8. 10. — *b*) De numero definito. *Curt.* 7. 11. 12. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta X: uno minus, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines servabitur portio. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 27. Luculli miles collecta viatica – ad assem perdiderat. *Cic.* 5. *Att.* 21. 12. Assident, subducunt: ad nummum convenit. *Id. Rosc. com.* 4. 11. HS 1000 ad libellam sibi deberi. *Id. Amic.* 23. 86. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Naves Rhodias afflixit, ita ut ad unam omnes constratæ – eliderentur. *Cic.* 10. *Fam.* 16. 1. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. *Virg.* 5. *Æn.* 687. si non exosus ad unum Trojanos. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. Qui de servis liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit. — *c*) Sæpissime cum abstractis. *Plaut. Aulul.* 2. 5. 10. Si quid poscam, usque ad ravim poscam. *Cic.* 4. *Verr.* 35. 87. Hæc iste ad insaniam concupierat. *Liv.* 24. 38. Inermes, incautos ad satietatem trucidabis. *Cic. Mil.* 29. 80. Qui tyrannos necaverunt – prope ad immortalitatis et memoriam et religionem consecrantur. *Tac.* 11. *Ann.* 37. Ad miserationem evicta. *Ter. Phorm.* 2. 2. 13. Deverberare usque ad necem. *Id. Adelph.* 1. 2. 9. Omnem familiam mulcavit usque ad mortem. *Cic.* 5. *Verr.* 29. 70. Virgis ad necem cædere. — Hinc adverbiales illæ locutiones *A minumo ad maximum* Plaut. Pseud. 3. 1. 10. *A primo ad extremum.* Cic. 4. Fin. 13. 32. *Ad fatim* (unde Adverbium *Affatim*) Plaut. Pœn. 3. 1. 31. *Ad extremum perditus* (homo) Liv. 23. 2. *Ad infinitum operum pretia creverunt* Plin. 34. Hist. nat. 2. 3. 5. *Ad liquidum veritas explorata est* Liv. 35. 8. *Ad unguem* Horat. 1. Sat. 5. 32. etc. ¶ 3. Ponitur etiam de tempore, et quidem hoc sensu de definito temporis termino ad quem; modo addito, modo omisso termino a quo. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 87. A sæculo ad sæculum vivunt. *Cic.* 7. *Att.* 8. 4. Una Formias venimus et ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus. *Varro* 2. *R. R.* 1. 18. Nunc appello feturam a concepto ad partum. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 6. Usque ab aurora ad hoc quod diei est. — *Id. Most.* 3. 1. 50. Quid, si hic manebo potius ad meridiem. *Cic. Senect.* 7. 22. Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit. *Id. ibid.* 19. 67. Quamquam quis est tam stultus – cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? — Hinc frequentes locutiones illæ vel similes: *Ad illud, Ad hanc ætatem, Ad id tempus, Ad id, Ad hoc, Ad hoc ætatis, Ad hoc diei, Ad eum finem* etc. *Plaut. Most.* 1. 2. 53. Nam ego ad illud frugi usque et probus fui. *Cic.* 1. *Tusc.* 3. 5. Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem. *Cæs.* 1. *B. C.* 24. Quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit. *Liv.* 21. 52. Cum ad id dubios servassent animos. *Id.* 28. 44. Ad hoc nos – milite Romano stetimus. *Cic.* 2. *Nat. D.* Ad eum finem, dum. *Id.* 1. *Catil.* 1. 1. Quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? — Hinc adverbiales locutiones *Ad extremum, Ad postremum, Ad ultimum, Ad summam* etc., quæ ad locum, tempus et pretium referuntur. — *a*) Ad locum. *Liv.* 21. 8. Missile telum hastili abiegno et cetera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exstabat. *Id.* 27. 27. Ut ad locum miles esset paratus. — *b*) Ad tempus. *Cic.* 2. *Att.* 21. 2. Postea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare cœperunt. *Liv.* 30. 15. Ingenti ad postremum edito gemitu. *Id.* 1. 53. Si, qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset. — *c*) Ad pretium refertur locutio *Ad summam* h. e. summatim. *Cic.* 14. *Fam.* 14. 2. His de rebus cum Pompejo, cum Camillo – consideretis: ad summam animo forti sitis. Adde 14. *Att.* 1. 1. et *V.* SUMMA.

III.) Cum de tempore agitur, præpositio *ad*, præter allatam in proxime superiori paragrapho significationem, alias quoque præsefert, in quibus a prima sua notione aliquantum aberrat: scilicet ¶ 1. Tempus designat, *per quod* aliquid fit. *Cic. Senect.* 20. 74. Jam sensus moriendi aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, præsertim seni. *Id. Amic.* 8. 27. Quæ ex se natos ita amant ad quoddam tempus etc. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (120). Ad breve tempus. — Hinc *ad tempus* absolute. *Cic.* 1. *Off.* 8. 27. Quæ (*perturbatio animi*) plerumque brevis est et ad tempus. — Hinc etiam *ad præsens. Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (31). Occidisse ad præsens contenti cibos in victoriam differunt. ¶ 2. Item definitum tempus designat, quo aliquid fieri debet, aut accidere. *Cic. Rosc. Am.* 44. 127. Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant: nimirum ad Kal. Junias. *Id.* 1. *Att.* 3. 2. Nos hic te ad mensem Januarium expectamus. *Id.* 5. *Tusc.* 22. 63. Cum – alter præsto fuisset ad horam mortis destinatam. *Id.* 16. *Fam.* 10. 4. Nostra ad diem dictam fient. *Id. Cæcin.* 11. 32. Cum ad constitutam diem tempusque venisset. — Hinc absolute *ad diem* pro *stata die*, et *ad tempus* pro *opportuno tempore*. Cic. 4. *Verr.* 2. 5. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit. *Cæs.* 2. *B. C.* 19. Nulla fuit civitas, quin ad diem conveniret. *Cic.* 13. *Att.* 45. 2. Ut Puteolos excurrere possem et ad tempus redire. *Liv.* 38. 25. Quo more consul ad tempus cum præsidio D equitum venisset. — Hinc illa *Ad auctumnum* Cato R. R. 69. 3. *Ad æquinoctium* Varro 3. R. R. 5. 7. *Ad lucem* Cic. 1. Divinat. 28. 59. *Ad meridiem* Plaut. Pseud. 4. 7. 77. *Ad vesperam* Cic. 1. Divinat. 46. 103. ¶ 3. Item *ad annum, ad annos*, h. e. intra annum, aut post annos. *Cic.* 5. *Att.* 2. 1. Confirmari ad eam causam etiam Furnium nostrum, quem ad annum tribunum pl. videbam fore. Adde *Julian. Dig.* 40. 4. 18. *Cic.* 12. *Att.* 46. Aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad X annos.

IV.) Præpositio *ad* est etiam pro *præ*, et comparationem importat. *Plaut. Capt.* 2. 2. 25. Nam ad sapientiam hujus ille nimius nugator fuit. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Terram in medio mundo sitam ad uni-

versi cæli complexum quasi puncti instar obtinere. *Ter. Eun.* 2. 3. 70. Est ne ut fertur forma? PA. Sane. CH. At nihil ad nostram hanc. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 25. Quem cognovimus virum bonum et non illitteratum, sed nihil ad Persium. *Quintil.* 5. 11. 34. Ut unum ad decem, sic decem ad centum.

V.) Item pro *quod attinet ad, ratione habita.* — *a*) Raro cum Substantivis. *Ter. Andr.* 2. 3. 4. Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Mentis ad omnia cæcitas. — Hinc apud Grammaticos *nomina ad aliquid*, quæ scilicet ad aliquid referuntur (ὀνόματα πρός τι Aristotelis). *Quintil.* 1. 6. 13. Illud nomen simpliciter positum, hoc ad aliquid esse contendunt. Adde eumd. *Quintil.* 5. 10. 62., *Charis.* 2. p. 129. et *Priscian.* 2. p. 580. *Putsch.* — *b*) Sæpius cum Adjectivis. *Ter. Heaut.* 2. 3. 129. Patrem novisti ad has res quam sit perspicax. *Cic. Front.* 15. 33. Virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum et disciplinam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem. *Id.* 3. *Fam.* 11. 2. Insignibus ad laudem viris. *Liv.* 9. 16. Invictum ad laborem corpus. *Cic.* 3. *Verr.* 21. 58. Ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri. *Id.* 6. *Verr.* 52. 117. Situ præclaro ad aspectum. *Ter. Phorm.* 3. 3. 48. Prior ad dandum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 155. Ad rationem solertiamque præstantior. *Propert.* 2. 22. 20. Nunquam ad formosas cæcus. *Ter. Phorm.* 1. 3. 18. Modestus ad omnia alia. *Liv.* 37. 7. Vir ad cetera egregius. *Id.* 36. 21. Tutus ad ictus. *Id.* 24. 32. Tutiores ad malum. — *c*) Cum Verbis. *Ter. Adelph.* 5. 3. 45. Ad omnia alia ætate sapimus rectius. *Cic. Mur.* 13. 29. Dicendi consuetudo longe et multum isti vestræ exercitationi ad honorem antecellet. *Id.* 3. *Tusc.* 9. 18. Itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quæ – Achilles queritur.

VI.) Item pro *secundum*. *Cic.* 6. *Fam.* 7. Plurima scribere ad alieni sensus conjecturam, non ad suum judicium. *Id.* 1. *Fin.* 9. 30. Necesse est, quid aut ad naturam aut contra sit, a natura ipsa judicari. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus. — Hinc illa in usu frequentissima. *Cic.* 3. *Verr.* 51. 133. Ad perpendiculum. *Id.* 1. *Fin.* 6. 19. Ad lineam. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. Ad certum pondus. *Id. ibid.* 20. Ad numerum. *Id.* 3. *B. C.* 51. Ad præscriptum. *Cic. Amic.* 5. 18. Ad normam. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Ad nutum, ad voluntatem. *Cic. Orat.* 8. 24. Ad arbitrium et nutum. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Ad similitudinem. *Id.* 2. *Tusc.* 4. 10. Ad hunc modum. *Id. Amic.* 4. 16. Quem ad modum. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Ad historiæ fidem, ad effigiem justi imperii. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 9. Si autem itineri meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 4. Tabulas Latinas ad verbum de Græcis expressas. *Quintil.* 9. 1. 25. Locum ad litteram subjeci.

VII.) Denotat etiam usum, finem, vel caussam alicujus rei. Hinc ¶ 1. Præpositione *ad* gaudent omnia substantiva, adjectiva, adverbia, verba, quæ *utilitatem, adjumentum, idoneitatem* significant. — *a*) Substantiva. *Cic. Amic.* 10. 35. Ut aut lubidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam. *Ter. Phorm.* 1. 2. 55. Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem. *Id. ibid.* 2. 3. 76. Præterierat jam ad ducendum ætas. *Id. Andr.* 1. 1. 30. Aut equos alere, aut canes ad venandum. *Cic. Font.* 5. 12. Facultas ad dicendum data. *Id. pro leg. Man.* 2. 4. Occasio ad occupandam Asiam oblata. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Magnæ etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam, aliæ in aliis locis, reperiuntur. *Id.* 4. *Verr.* 5. 10. Temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum et tempestatum vim ac fluminum præclarum hoc sibi remedium compararat. *Liv.* 34. 6. 13. Servos ad remum cum stipendio nostro dabamus. *Liv.* 30. 40. Scipio ad comparanda ea, quæ in rem erant, tempus habuit. *Cic.* 2. *Off.* 6. 19. Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas. — Hinc interdum significat etiam officium, munus, operam. *Cic.* 3. *Orat.* 60. 225. Servus ad manum. *h. e.* amanuensis. *Propert.* 4. 8. 37. Lygdamus ad cyathos. *h. e.* pincerna. *Martial.* 12. 88. Bis Cotta soleas perdidisse se questus. Dum negligentem ducit ad pedes vernam. *h. e.* servum a pedibus, qui soleas cœnantis domini custodire solebat. *Inscript.* apud *Orell.* 2156. ADIVTOR AD CENSVS. Frequentius tamen hujusmodi efferuntur Ablativo et præp. *ab*, ut *a manu, a pedibus* etc. *V.* A, AB, ABS II. 2. in fine. — Hinc quoque, apud Medicos præsertim et apud Plinium seniorem frequentissima est præpositio *ad* pharmacis præposita, quasi per ellipsin pro *remedium ad*. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. 13. Mirari licet, quæ sint animadversa a medicis herbarum genera, quæ radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbus, ad vulnera. — *b*) Adjectiva et Adverbia. *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 8. 32. Accommodata ad persuadendum oratio. *Id.* 1. *Orat.* 33. 149. Accommodate ad veritatem dicere. *Id.* 2. *Nat. D.* 55. 136. Mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima. *Id.* apud *Non.* p. 234. 14. *Merc.* Cum ad numerum dierum apte, tum ad laborum quietem. *Ovid.* 2. *Fast.* 288. ad cursum commoda vestis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 89. (243). Arida farina cum melle ad tussim siccam efficacissima est. *Cic.* 3. *Catil.* 4. 9. Fatalem hunc esse annum ad interitum hujus urbis atque imperii. *Id. Cluent.* 6. 17. Idoneus ad aliquid. *Id. Brut.* 68. 239. Natus ad omnia summa. *Varro* 1. *R. R.* 38. 2. Quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum. — *c*) Verba. *Cic. Lig.* 1. 1. Abuti ignoratione alicujus ad hominis miseri salutem. *Ter. Andr.* 3. 2. 1. Quæ adsolent quæque oportet signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Reliquis rebus, quæ sunt ad incendia. *Cato R. R.* 125. Vinum musteum est ad alvum crudam. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. 46. Facit (*chamæleon*) ad difficultatem urinæ. *Cic.* 1. *Catil.* 10. 25. Ad hanc te amentiam natura peperit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 92. Possit etiam salix decisa – ad vitium ligamina præparari. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 63. (131). Sic prodest (*panicum*) et ad tormina. *Id.* 28. *ibid.* 9. 137. (140). Axungia proficit ad strumas. *Cic.* 1. *Divinat.* 10. 16. Quid scammoneæ radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit – video. *Liv.* 29. 16. Inopi ærario, nec plebe ad tributum sufficiente. *Cic.* 1. *Off.* 4. 12. Parare ea, quæ suppeditent et ad cultum et ad victum. *Liv.* 4. 22. Quibuscumque vires ad arma ferenda suppetebant. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Uti aliquo administro ad aliquam rem. *Id.* 1. *Off.* 30. 107. Alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (105). Fimum – arefactum ad dysentericos valere potum. Adde verba superius exhibita I. 4. ¶ 2. Huc et illa referuntur, in quibus *ad* causam quoquo modo significat, seu causam, ad quam versus actio nostra tendit. *Cic.* 1. *Phil.* 1. 2. Summa cum constantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat. *Sall. Jug.* 111. 1. Ad ea Sulla pro se breviter et modice de pace et de communibus rebus disseruit. *Quintil.* 2. 15. 28. Ad quod ille quidem conticescit. *Liv.* 6. 27. Ad Prænestini famam belli novas legiones scribendas censuerunt. *h. e.* propter famam. Adde 9. 7. 7. et 42. 67. 12. *Id.* 9. 2. 5. Ne Apulia omnis ad crescentem terrorem deficeret. *Tac.* 12. *Ann.* 37. Ad ea Cæsar veniam ipsique et conjugi et fratribus tribuit. *Sueton. Domit.* 7. Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam edixit, ne quis in Italia novellaret. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 61. (150). Ad casum ejus tellure concussa. *Liv.* 36. 12. Ad spem vulgatæ clementiæ defecerunt. *Id.* 1. 7. 7. Inde cum actæ boves quædam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent. ¶ 3. Item denotat finem, quem consequendum nobis proponimus: — *a*) Cum Verbis *Curt.* 4. 15. 10. Victores Persas ad prædam discurrisse. *h. e.* ut prædam facerent. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 2. Exire ad bellum. *Liv.* 44. 39. 2. ad pugnam. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. Ne ad ludos pecuniæ decernerentur. Adde alia permulta Verba superius exhibita I. 1. — *b*) Cum Substantivis. *Ter. Heaut.* 3. 1. 72. Fenestram patefacere ad nequitiem. *Cic. Dom.* 43. 111. Hoc (*signum*) quidam homo nobilis – ad ornatum ædilitatis suæ deportavit. *Cæs.* 3. *B. G.* 11. Mutatis ad celeritatem jumentis. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 28. Delecta ad lubidinem mulier. — Hinc illa *ad id, ad hoc, ad hoc ut.* *Liv.* 37. 27. Levioribus et ad id fabre factis navigiis. *Curt.* 3. 11. 11. In equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur. *Liv.* 45. 30. Ad hoc fecimus consulem, ut bellum – perficeret. *Tac.* 1. *Hist.* 48. Ad hoc tantum majori fratri prælatus est, ut prior occideretur. — *c*) Cum Gerundiis vel Gerundivis. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. Omnibus hæc ad visendum patebant quotidie. *Ter. Andr.* 1. 1. 111. Nec satis ad objurgandum causæ. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. Cum videmus – multitudinem pecudum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda. *Id. ibid.* 14. 32. Qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur.

B) Præpositio *ad* significat etiam *versus*, seu directionem versus aliquem locum. ¶ 1. Ponitur proprie de loci directione. — *a*) Absolute. *Varro* 5. *L. L.* 31. 13. *Müll.* Asia – jacet ad meridiem et austrum, Europa ad septemtriones et aquilonem. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. 5. Eorum una pars – vergit ad septemtriones. *Cic.* 3. *Catil.* 8. 20. Idemque jusserunt simulacrum Jovis – ad orientem convertere. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Alter angulus ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat. Adde *Cic.* 1. *Divinat.* 17. *Virg.* 6. *Æn.* 554. Stat ferrea turris ad auras. — *b*) Cum Adverbiis *versus* aut *versum*, quæ videsis. *Cæs.* 6. *B. G.* 33. Ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci jubet. *Sall. Jug.* 58. Ad se versum. ¶ 2. Ponitur etiam cum proprie, tum translate de actionis directione; et jungitur præsertim sequentibus verbis per ordinem alphabeticum exhibitis, quæ *spectare* et *loqui* significant. Adhinnire ad alicujus orationem *Cic. Pis.* 28. 69. Alludere ad aliquid *Ter. Eun.* 3. 1. 34. Admonere ad aurem *Cic.* 2. *Fin.* 21. 69. Aspicere ad aliquem *Plaut. Capt.* 3. 4. 38. Canere ad auras *Virg.* 1. *Ecl.* 57. Despicere ad aliquem *Plaut. Mil. glor.* 6. 2. 72. Flere ad Superos *Virg.* 1. *Æn.* 481. Fatus ad eos is deus, qui omnia genuit *Cic. Tim.* 11. Gannire ad aurem *Afranius* apud *Non.* p. 450. 11. *Merc.* Hiare ad spem futuri *Seneca Ep.* 72. *ad med.* Insusurrare ad aurem *Cic.* 7. *Verr.* 41. 107. Loqui ad populum *Cic.* 3. *Verr.* 27. 68. Obgannire ad aurem *Ter. Phorm.* 5. 8. 41. Pipilare ad dominam *Catull.* 3. 10. Precari ad aliquem *Liv.* 38. 43. Proludere ad pugnam *Virg.* 3. *G.* 234. Provisere ad aliquem *Ter. Adelph.* 5. 6. 1. Respectare ad tribunal *Liv.* 3. 48. Respectus ad senatum *Cic.* 5. *Phil.* 18. 49. Respicere ad aliquem *Plaut. Curc.* 1. 2. 20. Revidere ad heram *Plaut. Truc.* 2. 4. 65. Revisere ad aliquem *Plaut. Truc.* 2. 4. 79. Ridere dulce ad patrem *Catull.* 61. 219. Spectare ad aliquem *Plaut. Most.* 3. 2. 149. Videre ad aliquem: Nimis bona ratione, nimiumque ad te et tua multum vides *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 125. Vox ad aliquem *Cic. Ligar.* 5. 10. Voce uti ad aliquem *Virg.* 1. *Æn.* 64.

C) Denique præpositio *ad* significat proximitatem in loco. ¶ 1. Proprie ponitur pro *apud* *a*) de loco, *b*) de persona, *c*) de re. — *a*) De loco. *Cic.* 15. *Fam.* 2. 2. Per Cappadociæ partem – iter feci, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi. *Id. Cæl.* 15. 36. Habes hortos ad Tiberim. *Id.* 1. *Ep. ad Brut.* 10. 2. Bellum ad Mutinam gerebatur. *Liv.* 24. 36. 7. Nec diutius Pœni ad Syracusas morati sunt. *Liv.* 23. 11. Nuncius victoriæ ad Cannas Karthaginem venerat Mago. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (76). Prœlium ad Phliuntem. *Cic. Brut.* 14. 54. Cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset. *Nep. Att.* 22. 4. Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem. — Hinc *esse, stare* etc. *ad Urbem* de imperatoribus ponitur, qui cum imperio prope Romam morantur, sed in Urbem ingredi nequaquam possunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. 2. Simul ab Cn. Pompejo pro consule petit, quoniam ipse ad Urbem cum imperio reipubl. causa remaneret, – juberet. Pariter *esse ad portas, ad Patavium* etc. dicitur. *Cic. Sext.* 18. 41. Ipse autem Cæsar – erat ad portas, erat cum imperio. *Id.* 3. *Fam.* 5. 10. Ut circiter Idus Sext. putem me ad Iconium fore. — Item præpositio *ad* pro *in* adhibetur cum Verbis quietem significantibus, præsertim in locutionibus *ad forum, ad portum, ad villam* etc., necnon *ad ædem; ad templum, ad aram* pro *in æde, in templo* etc., quo postremo loco Latini scriptores sæpe utuntur ellipsi, et dicunt *ad Apollinis, ad Opis* etc. *Cic. Cæcin.* 8. 21. Ad omnes introitus – armatos homines opponit. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 135. Si graderere tantum, quantum loquere, jam esses ad forum. *Id. Merc.* 2. 2. 56. Mihi quoque etiam est ad portum negotium. *Cic. Tull.* § 9. Servus respondit dominum esse ad villam. *Varro* 2. *R. R.* 10. 7. Quod vel pascere pecus –, vel ad casas instrumentum servare possunt. *Cic.* 6. *Verr.* 2. 4. Atque ille L. Mummius cum Thespiadas (*vulg. Editt.* Thespiis ea), quæ ad ædem Felicitatis sunt –, tolleret. *Liv.* 30. 40. Senatus ad ædem Bellonæ habitus est. *Cic.* 11. *Fam.* 18. 5. Tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus. *Id.* 3. *Catil.* 10. 23. Ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est. *Id.* 8. *Fam.* 4. 4. Cum senatus habitus esset ad Apollinis *Id.* 1. *Phil.*

7. 17. Pecunia utinam ad Opis maneret. — Hinc denique apud Romanos, quemadmodum nostris etiam temporibus apud omnes ferme nationes, per præpositionem *ad* ædes, alicujus urbis regiones, immo etiam oppida significata sunt ex proximis rebus, aut fortuito aliquo casu. *Sueton. Domit.* 1. Domitianus natus est – regione Urbis sexta, ad malum Punicum, domo, quam postea in templum gentis Flaviæ convertit. *Id. Aug.* 5. Regione Palatii ad capita bubula. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (137). Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminiâ viâ, quæ ob id vocatur *Ad Gallinas*. *Liv.* 6. 28. *Ad Mæcium* is locus dicitur. *Id.* 26. 17. Ad lapides atros. *qui vicus est* in Hispania Bætica. — *b*) De persona. *Plaut. Capt. pr.* 49. Ut in servitute hic ad suum maneat patrem. *Phædr.* 3. 4. 1. Pendere ad lanium quidam vidit simium. *Ter. Heaut.* 3. 3. 43. Eaque est nunc ad uxorem tuam. *Cic.* 10. *Att.* 16. 1. Commodum ad te dederam litteras de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit. *Gell.* 19. 7. Cœnare ad aliquem. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Ad exercitum manere. — Sæpius de negotio quod apud aliquem agitur. *Cic. Ligar.* 10. 30. Ad parentem sic agi solet; ad judices etc. *Id. Rosc. com.* 4. 12. Quis unquam ad arbitrum quantum petiit, abstulit? *Liv.* 6. 34. Ad Q. Fabium Maximum ædilem curulem – professa est. *Id.* 3. 9. Patrum superbiam ad plebem criminari. *Cic. Brut.* 20. 80. Cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset. — Pariter et de animorum affectionibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 60. Magnam tamen hæc res illis offensionem et contemptionem ad omnes attulit. *Liv.* 2. 10. Rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei. *Id.* 7. 7. 4. Neque segnius ad hostes bellum apparatur. *Id.* 10. 35. Ceterum non plus animorum ad hostes erat. — *c*) De rebus, interdum etiam abstractis, apud quas aut quarum vi quibusve comitantibus aliquis est aut aliquid fit. *Cic.* 7. *Verr.* 41. 107. Atque eum vident sedere ad latus prætoris. *Virg.* 10. *Æn.* 253. Bijugique ad frena leones. — Hinc *Ad manum esse*, *Ad manum habere*, h. e. in promptu. *Liv.* 9. 19. Quod Romanis ad manum domi supplementum esset. *Quintil.* 12. 5. 1. Hæc arma habere ad manum, horum scientiâ debet esset succinctus. — Unde *Ad hanc manum*, *Ad dexteram*, *Ad sinistram*, *Ad dextra*, *Ad sinistra* etc. *Ter. Adelph.* 4. 2. 37. Est ad hanc manum sacellum. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit. — Hinc etiam *Ad vinum*, h. e. inter pocula, inter bibendum. *Cic. Cœl.* 28. 67. Quam volent in conviviis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diserti sint. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 4. Dicunt laudes ad tua vina tuas. — Pariter *Ad lychnuchum*, *Ad lucernam*, *Ad lumina lunæ*, *Ad lunam*, *Ad cantum*, *Ad tibiam* etc. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 7. 2. Hæc scripsi ante lucem ad lychnuchum ligneolum. *Flor.* 4. 2. 71. Lecto ad lucernam Platonis libro. *Sueton. Cæs.* 37. Ascenditque Capitolium ad lumina. *Livius Andronicus* apud *Non. p.* 335. 21. *Merc.* Tum lascivum Nerei simum pecus ludens ad cantum classium lustratur. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. Morem – hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam virorum clarorum laudes atque virtutes. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 31. Ad strepitum citharæ cessatum ducere curas. — Denique apud recentiores occurrit Accusativus cum præp. *ad* pro Ablativo instrumenti. *Veget.* 3. *Veter.* 3. 12. Ad acutam cannam exsecare. *Id.* 3. *ibid.* 4. 2. Ad spongiam detergere. *Vopisc. Proc.* 13. Ad latrunculos ludere. *Apic.* 4. 2. Ad ignem lenem vel ad aquam calidam coquere. ¶ 2. Interdum cum de numeris agitur, significat *circiter*; et occurrit *a*) cum Accusativo, *b*) adverbialiter. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos. *Liv.* 9. 20. Puberes ad triginta. *Plaut. Epid.* 2. 2. 111. Ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minas. — *b*) Adverbialiter præsertim apud Historicos. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. Occisis ad hominum millibus quatuor. *Liv.* 10. 17. Ad duo millia et trecenti occisi. *Id.* 27. 12. Cecidere in pugna fugaque ad duo millia et septingenti.

In compositione præpositio *ad* retinet fere semper, quas superius retulimus, significationes: nisi quod interdum vim verbo addit, ut in *adamo*; aut actionis initium significat, ut in *addubito* etc. Si dictiones, quibus componitur, incipiant a litteris *C*, *F*, *G*, *L*, *N*, *P*, *R*, *S*, *T*, sæpe *d* mutatur in litteram sequentem, ut *accurro*, *affero*, *aggero*, *alligo*, *annumero*, *apporto*, *arrogo*, *assumo*, *attineo*: sæpe etiam *d* retinetur. Præterquam quod enim quodam tempore moris fuit in scribendo integras præpositionum litteras in compositionibus servare, ut monet *Pierius ad Virg.* 4. *Æn.* 175., legitur etiam passim in antiquis monumentis *accurro* et *adcurro*, *affero* et *adfero*, *alligo* et *adligo*, *assumo* et *adsumo*, etc. Excipe *agnosco*, in quo *d* vel abjicitur vel in *g* mutatur (quamquam et *adgnosco* interdum legitur); necnon verba incipientia a litteris *sc*, *sp*, *st*, in quibus *d* fere semper abjicitur, ut *ascisco*, *aspicio*, *asto*. Si *ad* jungatur vocibus incipientibus a vocali, vel a consonantibus *B*, *D*, et M, semper integra remanet, ut *adamo*, *adbibo*, *addo*, *adeo*, *adhibeo*, *admitto*, *adoro*, *aduro*, *advoco*. Denique si post *ad* sequatur *Q*, vel *D*, retinetur, vel in *c* vertitur, ut *acquiesco* et *adquiesco*, *acquiro* et *adquiro*. — Præterea præp. *ad* nonnulla quoque Adverbia componit, in quibus cum Dativo olim conjungebatur, quia directionem versus aliquem locum significat (*V.* supra *B.*); unde factum est ut pro *ad eo*, *ad quo*, *ad huic* etc. haberentur Adverbia *adeo*, *adquo* et sæpius *quoad*, *adhuic* et per syncopen *adhuc*, atque alia hujusmodi, quæ singula vide suis locis.

Homonym. *V.* A, AB, ABS in fine, ubi allata demonstrant præpositionem *ad* præpositioni *ab* respondere. *Ad* autem differt a præpositione *in*, quia *ad* proximitatem, *in* vero ingressum significat. *Seneca Ep.* 73. 14. Deus ad homines venit: immo, quod propius est, in homines venit. *Diomed.* 1. *p.* 409. *Putsch.* *Ad* et *In* non unum idemque significant. Quia *in forum ire* est in ipsum forum intrare; *ad forum autem ire*, in locum foro proximum: ut *in tribunal* et *ad tribunal venire*, non unum est, quia ad tribunal venit litigator, in tribunal vero prætor aut judex.

ĂDACTĬO, ōnis, f. 3. (adigo) actus adigendi (It. *l'indurre o lo sforzare*; Fr. *action de contraindre à quelque chose*; Hisp. *constreñimiento*; Germ. *die Hinbringung zu etwas*; Angl. *a forcing, compelling, constraining*). *Liv.* 22. 38. 5. Id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimam jurisjurandi adactionem translatum.

ĂDACTUS, a, um. *V.* ADIGO.

ĂDACTUS, us, m. 4. (adigo) actus adigendi *Lucret.* 5. 1329. feros exibant dentis adactus. *h. e.* morsus.

ĂDÆQUĀTĬO, ōnis, f. 3. (adæquo) actus adæquandi, æquatio (It. *uguagliamento*; Fr. *action d'égaler*; Hisp. *igualacion*; Germ. *die Gleichmachung, das Gleichniss*; Angl. *an equalizing, making equal*). *Tertull.* 1. *ad Nation.* 1. Deficit adæquatio comparationis istius. Adde *ibid.* 15. Affertur etiam locus ex *Solin.* 1. *n.* 42., ubi alii rectius leg. *peræquatio*.

ĂDÆQUĀTUS, a, um. *V.* ADÆQUO.

ĂDÆQUĒ, adverb. (ad et æque) peræque, pariter (It. *egualmente*; Fr. *de même*, *egalement*; Hisp. *igualmente*; Germ. *auf gleiche Weise*; Angl. *equally, the same as, as much as, so much*). Hoc adverbium, vulgo certe usitatum, occurrit apud Plautum tantummodo inter antiquos (apud *Livium* enim 4. 43. rectius legitur *id æque*); et quidem semper cum particulis negativis. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 5. 1. 3. Nunquam ecastor ullo die risi adæque. — *b*) Habet eleganter post se particulas *atque*, *ut*, quæ post *æque* poni solent; aut Ablativum. *Plaut. Capt.* 5. 4. 2. Nulla adæque est Acheruns, atque ubi ego fui. *Id. Cist.* 1. 1. 57. Neque munda adæque es, ut soles. *Id. Cas.* 3. 5. 45. Neque est, neque fuit me senex quisquam amator adæque miser. — *c*) Jungitur etiam Comparativis, sed raro admodum. *Plaut. Capt.* 4. 2. 48. Qui homine hominum adæque nemo vivit fortunatior. — *d*) Apud recentiores occurrit etiam sine particulis negativis. *Apul.* 4. *Met.* 8. Ecce quidam longe plures numero juvenes adveniunt alii, quos incunctanter adæque latrones arbitrarere. Adde 8. *ibid.* 31. et 10. 2., et *Cod. Theod.* 8. 18. 4.

ĂDÆQUO, as, āvi, ātum, are, 1. (ad et æquo) Part. *Adæquatus* I.; *Adæquandus* II. 1. Est autem æquare, æqualem facere (It. *uguagliare*; Fr. *égaler à, mettre de niveau avec quelque chose*; Hisp. *igualar, hacer igual una cosa con otra*; Germ. *gleich oder eben machen*; Angl. *to equalize, make equal*).

I.) Proprie. *Liv.* 1. 29. Omnia tecta solo adæquare. *Et nomine solo etiam per ellipsin omisso. Flor.* 3. 10. 23. Alesiam flammis adæquare. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. His molibus (*oppidi*) mœnibus adæquatis.

II.) Translate. ¶ 1. Est æqualem facere aut rem abstractam rei, aut hominem homini; et occurrit *a*) modo active, *b*) modo neutrorum more. — *a*) Active cum Ablativo et præp. *cum*, aut cum Dativo. *Cic. Arch.* 10. 24. Adæquare virtutem cum fortuna. *Id. ibid.* 11. 29. Admonet commemorationem nominis nostri cum omni posteritate esse adæquandam. *Id. Balb.* 28. 63. In summa amicorum copia cum familiarissimis ejus est adæquatus. — *Liv.* 1. 56. Quibus duobus operibus vix nova hæc magnificentia quidquam adæquare potuit. *Sueton. Aug.* 46. Colonias jure ac dignitate urbi adæquare. *Tac.* 12. *Ann.* 60. Claudius libertos sibi et legibus adæquavit. *Plin.* 2. *Ep.* 7. Adæquare aliquem honore senibus. *Sueton. Domit.* 2. se et operibus et dignitate fratribus. *Tac.* 2. *Ann.* 73. formam, ætatem, genus mortis – Alexandri fatis. — *b*) Neutrorum more occurrit absolute, aut cum Dativo. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. Senatorum urna copiose absolvit, equitum adæquavit, tribuni ærarii condemnarunt. *h. e.* equites numero pari absolverunt et condemnarunt. — *Auctor B. G.* 8. 41. Turris, quæ mœnibus adæquaret. *Cæs.* 2. *B. G.* 16. Virtute se nostris adæquare non posse intelligunt. *Al. tamen* nostros. ¶ 2. Ponitur etiam pro pervenire ad; et occurrit cum de rebus physicis, tum de abstractis. *Cæs.* 2. *B. G.* 32. Ut prope summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adæquarent. *Acro* ad *Horat.* 1. *Od.* 1. 36. Adæquare astra. *Tac.* 15. *Ann.* 9. Sagittarum jactus adæquari. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Adæquare cursum navium. — *Cic. Tim.* 11. Quod deorum vitam possit adæquare. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. Adæquare aliquem gratiâ apud aliquem. *Sall. Jug.* 4. Famam atque gloriam majorum. *Plin. Paneg.* 72. precationes alicujus laudibus. *h. e.* juxta merita laudare.

ĂDÆRĀTĬO, ōnis, f. 3. (adæro) æstimatio alicujus rei ad æs seu pecuniam (It. *il prezzo di qualche cosa ridotto o stimato a contanti*; Fr. *évaluation, estimation en argent*; Hisp. *apreciamento en dinero*; Germ. *die Abschätzung nach Geld*; Angl. *an appraising, rating, or valuing of any thing*). *Cod. Theod.* 12. 40. 4. Militaris adæratio vestis a collatoribus exigatur. *Et ibid.* 38. 13. Si quis adærationes statutas ausus fuerit immutare. *Et ibid.* 7. 4. 32. Adærationis æstimatio. Adde 11. 20. 6. § 1.

ĂDÆRĀTUS, a, um. *V.* ADÆRO.

ĂDÆRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et æs). In quibusdam libris legitur *adero* sine diphthongo; sed ea scriptio temporum est cadentis Latinitatis. Part. *Adæratus* in fine; *Adærandus* 1. Adærare autem est ære, hoc est pecunia æstimare, seu taxare (It. *stimare o tassare in contanti*; Fr. *évaluer en argent, taxer*; Hisp. *apreciar en dinero, acotar*; Germ. *nach Gelde abschätzen oder berechnen*; Angl. *to estimate, value, appraise, rate, tax*). ¶ 1. Proprie. *In epist. Imp. Valeriani* apud *Trebell. Claud.* 14. Jam cetera, quæ propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione præstabis, sed ita ut nihil adæretur. *h. e.* ita ut nihil in pecunia præstetur, sed omnia in specie ea, quæ ibi exprimitur, exhibeantur. *V.* integrum loc. *Ammian.* 31. 14. In adærandis reliquorum debitis non molestus. *h. e.* in taxando ad pecuniam pretio specierum, quæ debebantur. *Impp. Arcad. Honor.* et *Theodos. Cod. Theodos.* 7. 4. 28. Species non aliter adærentur, nisi ut in foro rerum venalium distrahuntur. ¶ 2. Est etiam per æra et calculos summam alicujus rei colligere. *Frontin. fragm. Agrar.* apud *Rigalt.* et *Salmas. in exercitat. Plin. p.* 686. Subjectas deinde extremitatium partes ad rectum angulum, nostra postulatione, podismis suis adæramus. *h. e.* ejus areæ (de qua ibi est sermo) mensuram per æra et calculos colligimus. V. *Salmas. loc. cit.* ubi plura hac de re.

Adæratus, a, um, Part. perf. pass. *Adærata prædia* dicuntur in *Cod.* 10. 28. 1. quæ pensionem aliquam non frumenti, aut vini, aut alterius speciei fructuum, sed æris, hoc est pecuniæ solvere quotannis debent. Alii *adærata* exponunt ad æris, hoc est pecuniæ pretium redacta: quo sensu *adæratæ annonæ* leguntur in *Cod. Theod.* 7. 4. 31. — *Adæratum salarium* apud *Eumen. pro Rest. schol.* 11. est in rationes relatum. Alii tamen rectius leg. *adoratum*.

ĂDÆSTŬO, as, are, n. 1. (ad et æstuo) circa aliquid æstuo. *Stat.* 5. *Theb.* 517. squamisque incisus adæstuat amnis. *h. e.* circum æstuat undis.

ĂDAGGĔRĀTUS, a, um. *V.* ADAGGERO.

ĂDAGGĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et agge-

ro). Part. *Adaggeratus*. Est autem aggerem facio, terram accumulo (It. *ammucchiare*, *accumulare*; Fr. *entasser*, *amonceler*; Hisp. *acumular*, *amontanar*; Germ. *anhäufen*; Angl. *to heap up earth*, *throw up in heaps*). *Cato R. R.* 94. Cum ver adpetet, terram adaggerato bene. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 8. Terram circa arborem adaggerare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15. (77). Pedes terni undique e solido adaggerantur. *h. e.* ulmi ad trium pedum altitudinem terra aggesta operiuntur. *Id.* 13. *ibid.* 11. 21. (69). Ne terra quidem ipsa, quæ nunc Ægyptus intelligitur, postea adaggerata Nilo. *h. e.* Nilo arenam limumque subinde cumulante velut aggere facto e mari emersa, quæ olim tota sub aquis maris fuit. *Id.* 36. *ibid.* 12. 17. (81). Nitro et sale adaggeratis.

ĂDĂGIO, ōnis, f. 3. De vocis etymo, quod exhibet *Varro*, *V.* ABAGIO. Est autem idem quod adagium. *Valerius Soranus* apud *Varr.* 7. *L. L.* 31. *p.* 131. *Müll.* Vetus adagio est, o P. Scipio. Addit *Varro*: hoc verbum usque adeo evanuisse, ut Græcum παροιμία pro eo positum, magis sit apertum. Nihilominus usurpatum est postea ab *Auson. in præf. Monosyll.* Ut quod per adagionem cœpimus, proverbio finiamus. *Gloss. Placid.* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 3. *p.* 443. A d a g i o n e, proverbio.

ĂDĂGĬUM, ii, n. 2. *Adagia*, inquit *Paul. Diac. p.* 12. 12. *Müll.*, *ad agendum apta*. hoc est adagia dicuntur dicta, quibus continetur aliqua sententia, aut præceptum utile ad actiones vitæ recte componendas: *V.* ADAGIO et ABAGIO (It. *proverbio*, *adagio*; Fr. *proverbe*, *adage*; Hisp. *proverbio*, *adagio*; Germ. *das Sprichwort*; Angl. *an adage*, *proverb*). *Plaut. in Suppositis Amph. scæna, quæ incipit*, Dii vostram fidem, *v.* 40. Vetus est adagium; Fames et mora bilem in nasum conciunt. *Gell. in præf. l.* 1. *prope fin.* Vetus adagium est: Nihil cum fidibus graculo.

ĂDAGNĪTĬO, ōnis, f. 3. cognitio. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 28. Dei ignoti adagnitionem intentare.

ĂDALGĬDUS, a, um, adject. (ad *et* algidus) vehementer algidus. *Fronto* 2. *Ep. ad M. Cæs.* 9. *p.* 54. *Mai.* Cælum Neapolitanum plane commodum, sed vehementer varium. – Jam primum media nox tepida, Laurentina: tum autem gallicinium frigidulum, Lanuinum: jam conticinum et matutinum atque diluculum usque ad solis ortum, gelidum, adalgidum maxime: exin ante meridiem apricum, Tusculanum: tum meridies fervida, Puteolana. *Clussmann.* ita legendum putat (*Neue Jahrb. für Philol.* 12. *Suppl.* – *Bd.* 1. *H. p.* 134. *Jahr* 1846.), cui assentitur et *Kärcher* (*Nachträge zu Forcellini's latein. Lexicon p.* 19.): e contra *Mai* in editione sua leg. *gelidum*, *ad Algidum maxime*, quod nobis probandum videtur, omnia enim cum præcedentia, tum subsequentia orationis membra aliquo loci nomine finiuntur; nisi forte quis velit compositum adjectivum ex præp. *ad* et *Algidus*, *a*, *um* h. e. ad Algidum montem pertinens. *Clussmann.* præterea *loc. cit.* eamdem vocem probabiliter legendam arbitratur in loco *Nævii* apud *Cic. Orat.* 45. 152. Vos qui accolitis Histrum fluvium adalgidum. *ubi vulgatæ Editt. exhibent* atque algidum; *Orell.* atque algidam, ita ut *terram*, *oram*, vel quid simile in versu prox. sequeretur.

ĂDALLĬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* alligo). Part. *Adalligatus*. Est autem ad aliquam rem ligo, vincio (It. *legare a qualche cosa*; Fr. *attacher à*; Hisp. *atar*, *enlazar*; Germ. *anbinden*; Angl. *to tie or bind to any thing*). Dicitur ferme de remediis, quæ corpori apposita ligantur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Adalligare uncum ad arborem. *Id.* 20. *ibid.* 21. 84. (225). Radices juxta adalligatæ. *Id.* 27. *ibid.* 10. 38. (89). Vermiculos adalligari brachio, ad eam partem, qua dens doleat. *Id.* 24. *ibid.* 19. 107. (171). Herbæ – adalligatæ gravidis partus accelerant. Adde 21. *ibid.* 20. 84. (147). et alibi, et *V.* AETITES.

ĂDĂMANTĒUS, a, um, adject. (adamas). Quidam scribunt *adamantæus* cum diphthongo ab ἀδαμάντειος, quam Græcam vocem nos in Græcis Lexicis nondum vidimus. Est autem idem atque adamantinus: sed occurrit tantum translate, et est durus, qui frangi non potest. *Manil.* 1. 921. Atque adamanteis Discordia cincta catenis. *Ovid.* 7. *Met.* 104. Ecce adamanteis spirant e naribus ignem.

ĂDĂMANTĪNUS, a, um, adject. (adamas) ἀδαμάντινος, qui est ex adamante vel ad adamantem pertinens (It. *di diamante*, *adamantino*; Fr. *de diamant*; Hisp. *de diamante*; Germ. *zum Diamant gehörig*; Angl. *of adamant*, *adamantine*) ¶ 1. Proprie. *Lucret.* 2. 447. adamantina saxa Prima acie costant, ictus contemnere sueta. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (189). Adamantina duritia. ¶ 2. Translate pro durissimo ponitur, et qui frangi, aut expugnari nullo modo potest. *Horat.* 3. *Od.* 24. 5. Si figit adamantinos Summis verticibus dira Necessitas Clavos. *Id.* 1. *ibid.* 6. 13. Quis Martem tunica tectum adamantina Digne scripserit? *Propert.* 3. 9. 9. Cholchis flagrantes adamantina sub juga tauros Egit.

ĂDĂMANTIS, idis, f. 3. herba quædam prodigiosa, ita dicta, quod nulla vi teri queat: a δαμάζω *domo*, et α privativo. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (162). Tradidere Magi, hac admota resupinari leones cum hiatu laxo. *Apul. de herb.* 4. ait hyoscyamum ab aliis vocari adamantidem. *In Edit. Ald.* male leg. *adamantem*.

ĂDĂMAS, antis, m. 3. *Adamanta* et *adamantas* sunt Accusativi Græcæ positionis, quibus libenter utuntur poetæ. Ἀδάμας, lapis maximi inter gemmas pretii, insignisque supra ceteros duritiæ, quippe qui ferro percussus adeo ictum respuit, ut ferrum utrimque dissultet, incudesque etiam ipsæ interdum dissiliant: simul etiam natura ignium victrice, nunquam incalescens. Is tamen hircorum calido et recenti sanguine perfusus facile frangitur. Hæc ex *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (55). ubi alia plura ad hanc rem. Ab hac duritia nomen est ei, *h. e.* ab α privativo, et δαμάζω *domo*. Cf. *Servium in Virg.* 6. *Æn.* 552. (It. *diamante*; Fr. *diamant*; Hisp. *diamante*; Germ. *Diamant*; Angl. *adamant*). Sex ejus genera enumerat *Plin. ibid.* Ceterum experientia multorum artis conatuum jam compertum est, omnem adamantem ferro frangi, et deteri in scobem: quod et *Lipsius in Senec. de Constant. Sap.* 3. et *Voss. in Etymolog.* ex *Garcia Hispano* adnotarunt.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 20. *procem.* 1. (2). Adamantem, infragilem omni cetera vi, sanguine hircino rumpente. — *Id. Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (55). sex adamantis genera, ut divinus enumerat, inter quæ tamquam gemmæ pretiosæ referendi sunt *Adamas Indicus* ibid. § 56., *Arabicus* (*major*) ibid., et *Cyprius ibid.* § 58. Aliud autem genus est *Adamas siderites*, ferrei coloris, natura etiam ceteris dissimilis; nam est *lapis Magnes*. ¶ 2. Proprie de adamante gemma pretiosa *Augustus ad Mæcenatem* per jocum apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Vale, – laser Aretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum etc. *Martial.* 5. 11. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno etc. Adde *Dig.* 89. 4. 16. § 7. et alibi. ¶ 3. Pro quocumque duro lapide, aut solidissimo metallo, quin tamen aliquid possit definiri, sæpe apud Poetas. *Virg.* 6. *Æn.* 552. Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ. *Propert.* 4. 11. 6. Ut semel infernas intrarunt funera leges, Non exorato stant adamante viæ. *h. e.* viæ clausæ sunt portis nunquam postea aperiendis. *Ovid.* 4. *Met.* 452. Carceris ante fores clausas adamante sedebant. *Id.* 15. *ibid.* 813. Invenies illic inclusa adamante perenni Fata tui generis. *Id.* 7. *ibid.* 412. nexæ adamante catenæ. *Seneca Herc. fur.* 807. adamante texto vincire. *V. Textus* in fin. v. TEXO. *Ovid.* 3. *Fast.* 805. securis ex adamante facta.

II.) Translate ponitur præsertim de homine, qui precibus, lacrimis etc. molliri nescit. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 659. Et lacrimæ prosunt; lacrimis adamanta movebis. *Martial.* 7. 99. Pontice, voce tua posses adamanta movere. *Ovid. Heroid.* 2. 137. Duritia ferrum ut superes, adamantaque, teque etc. Cf. *eumd.* 9. *Met.* 614. Nec rigidas silices solidumve in pectore ferrum Aut adamanta gerit. Et 4. *Trist.* 8. 45. Nil adeo rabidum est, adamas licet alliget illud, Ut maneat rapido firmius igne Jovis. Et *Stat.* 1. *Silv.* 2. 69. duro nec enim ex adamante creati, Sed tua turba sumus.

ĂDĂMĀTOR, ōris, m. 3. (adamo) qui amat. *Tertull. Habit. mul.* 2. Nihil ad castitatem adamatores potuerunt præstare.

ĂDĂMĀTUS, a, um. *V.* ADAMO.

ĂDAMBŬLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* ambulo). Part. *Adambulans*. Est ad, vel juxta aliquem locum aut hominem ambulo (It. *camminare verso o da presso*; Fr. *marcher vers ou auprès*; Hisp. *caminar hácia ó junto*; Germ. *an etwas spazieren oder einhergehen bei etwas*; Angl. *to walk*, *walk up to*, *walk by the side of*). *Plaut. Bacch.* 4. 5. 8. Adambulabo ad ostium. *Apul.* 11. *Met.* 8. Asinus adambulans cuidam seni. *Id.* 3. *ibid.* 26. Adambulabam lateri ejus.

ĂDĂMĔNON: hoc nomine a nonnullis vocatur hyoscyamus juxta *Apul. de herb.* 4.; quod fortasse est Græca vox corrupta ἀδαμνής ὁ, ἡ *fortis*, *robustus*, ab α privativo et δαμάζω *domo*. *V.* ADAMANTIS.

ĂDĂMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* amo). Apud optimos Scriptores et præsertim apud Ciceronem Perfectum et Plusquam perfectum tantummodo occurrunt; Præsens apud *Colum.* 10. *R. R.* 199. et *Quintil.* 2. 5. 22. Part. *Adamatus* 2. Est autem valde amo, deamo (It. *amar molto*, *innamorarsi*; Fr. *s'énamourer*, *s'éprendre*; Hisp. *amar mucho*, *aficionar*; Germ. *eine Person oder Sache liebgewinnen*, *sich in sie verlieben*; Angl. *to love greatly or desperatly*, *to be enamoured of*). ¶ 1. Proprie et generatim ponitur cum de homine, tum a Cicerone præsertim de re. *Seneca Ep.* 71. 5. Si – virtutem adamaveris: amare enim parum est. *Nep. Dion.* 2. 3. Quem (Platonem) Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut se ei totum traderet. *Cic.* 4. *Verr.* 34. 85. Cum signa quædam pulcherrima vidisset, adamavit. Adde 6. *ibid.* 45. 101. *Id. Mil.* 32. 87. Nihil erat, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. *Id.* apud *Non.* p. 69. 6. *Merc.* honores. *Id.* 2. *Fam.* 4. 2. gloriam. *Id. Flacc.* 11. 25. laudem patriæ in libertatem vindicandæ. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 3. 9. sententiam. *Id.* 3. *Orat.* 17. 62. maxime patientiam, et duritiam in sermone. *Id. ibid.* 19. 71. speciem oratoris. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. 5. agros et cultum et copias Gallorum. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 28. Stultus Achilleos non adamasset equos. *Plin.* 3. *Ep.* 7. villas. ¶ 2. Peculiariter de turpi amore. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 109. Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (155). Equus adamatus a Semiramide usque ad coitum. *Sueton. Vesp.* 22. Admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri, Vespasiano, inquit, adamato. *Petron. Satyr.* 110. Multa in muliebrem levitatem cœpit jactare: quam facile adamarent, quam cito etiam obliviscerentur. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (20). et *Quintil. Declam.* 18. 10.

ĂDAMPLĬĀTUS, a, um. *V.* ADAMPLIO.

ĂDAMPLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* amplio). Part. *Adampliatus*. Est autem amplifico, ampliorem facio (It. *ampliare*; Fr. *agrandir*, *élargir*; Hisp. *engrandecer*; Germ. *erweitern*; Angl. *to enlarge*). *Vulgat. Ital.* ed. *Mai. Amos* 8. 5. Faciamus mensuram minorem, et adampliemus pondus, et faciamus stateram iniquam. *Inscript.* apud *Gruter.* 884. 8. ADIECTO PODISMO ET ADAMPLIATO. *Inscript.* quæ pertinet ad a. post Chr. n. 156. apud *eumd.* 128. 5. AEDICVLAM VETVSTATE CORRVPTAM ADAMPLIAVIT. Adde 323. 1.

ĂDĀMUSSIM, *V.* AMUSSIS.

ADANXIUS, a, um, adject. (ad *et* anxius) pro valde anxius legitur in nonnullis Codd. et Editt.; ubi alii Codd. et vulg. Editt. leg. *ad latus*.

ĂDĂPĔRĬO, ēris, ērŭi, ertum, ērire, a. 4. (ad *et* aperio). Part. *Adaperiens* I. 1.; *Adapertus* in omnibus paragr. Est idem quod aperio, vel omnino aperio; *ad* enim auget (It. *aprire*; Fr. *ouvrir*; Hisp. *abrir*; Germ. *eröffnen*; Angl. *to open*, *throw open*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de iis quæ clausa sunt. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (88). Ut adaperientibus fores tonitruum intus terribile existat. *Liv.* 25. 30. Adapertæ fores portæ. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 12. Janua per nostras est adaperta manus. *Id.* 1. *ibid.* 5. 3. Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestræ. *Id.* 5. *Met.* 193. adapertaque velle Ora loqui credas. *Sueton. Aug.* 5. 3. Adaperta sella. *Id. Ner.* 12. Adaperto podio spectare. *Liv.* 5. 21. Adaperire cuniculum. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 8. obsessos naturales exitus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (96). Horum jus traditur alvum exinanire, interanea destringere, omnia adaperire, renes purgare. ¶ 2. Latiori sensu est detegere. *Seneca Ep.* 64. 9. Equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. *Val. Max.* 5. 2. 9. Adaperire caput alicui. *h. e.* ad salutem dicendam. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (130). Discussæ nubes adaperuere cælum. *Liv.* 45. 39. Adapertis forte, quæ velanda erant. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 6. Locis, quibus clementia hiemis permittit, adapertas vites relinquere, et tota hieme oblaqueatas habere conveniet. *Lucret.* 4. 140. Adaperta simulacra rerum. *Colum.* 10. *R. R.* 261. Virgineas adaperta genas rosa præbet honores Cælitibus.

II.) Translate. *Curt.* 9. 7. 24. Aures ad criminationem adapertæ (Cf. sup. § 1.). *Stat.* 1. *Theb.* 396. Adaperta fides. *h. e.* manifesta (Cf. sup. § 2.).

ĂDĂPERTĪLIS, e, adject. (adaperio) qui aperiri potest (It. *che si può aprire*; Fr. *qu'on peut ouvrir*; Hisp. *abridero*; Germ. *zum Eröffnen eingerichtet*; Angl. *that may be opened*). *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 46. Aspicis a dextra latus hoc adapertile tauri? Huc tibi, quem perdes, conjiciendus erit.

ĂDĂPERTĬO, ōnis, f. 3. (adaperio) proprie idem est quod apertio (It. *aprimento*; Fr. *ouverture*; Hisp. *abertura*; Germ. *die Eröffnung*; Angl. *an opening*). *Vulgat. Interpr. Nahum* 3. 13. Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ. ¶ 2. Translate est manifestatio, declaratio. *Augustin. lib.* LXXXIII. QQ. *quæst.* 61. Legis adapertio et disputatio.

ĂDĂPERTUS, a, um. *V.* ADAPERIO.

ĂDAPTĀTUS, a, um. *V.* ADAPTO.

ĂDAPTO, as, āvi, ātum, are a. 1. (ad et apto) apto, accommodo (It. *adattare, aggiustare*; Fr. *adapter, ajuster*; Hisp. *adaptar, acomodar*; Germ. *anfugen*; Angl. *to adapt, fit, adjuste*). *Sueton. Claud.* 33. Solitus etiam in gestatione ludere: ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur. *Id. Oth.* 12. Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo. — Alia duo hujus verbi exempla afferuntur in *Thesauro Fabri* ex *Modestin. Dig.* 27. 1. 10. et 13., sed eo loco *Modestinus* Græce scripsit: Latina autem interpretatio incertæ admodum, atque adeo nullius est in Latina lingua auctoritatis. Superest itaque pro hac voce Part. perf. pass. solummodo, præter unum *Boethii* locum *Aristot. Topic.* 7. p. 715. Non adaptabitur alterius terminus ad alterum.

ĂDĂQUĀTUS, a, um. *V.* ADAQUO.

ĂDĂQUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et aqua). Part. *Adaquatus* 2. Ad litteram est aquam dare, præbere. Hinc ¶ 1. Aqua perfundere, irrigare, quod proprie de plantis ponitur (It. *inaffiare, adacquare*; Fr. *arroser*; Hisp. *regar*; Germ. *benetzen, begiessen*; Angl. *to water, sprinkle with water*). *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (64). Amygdalas mucrone defigi: ternas simul serendas: denis diebus adaquari, donec grandescant. *Pallad.* 3. *R. R.* 33. Vites interjectis ternis diebus adaquare. ¶ 2. Item aquam potum dare jumentis (It. *abbeverare*; Fr. *abreuver*; Hisp. *abrevar*; Germ. *zur Tränke gebracht werden, zur Tränke gehen*; Angl. *to water cattle*). *Sueton. Galb.* 7. Decrevit, ut jumentum ad locum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto. *sunt qui legunt* adaquare. *Hieronym. in Helvid.* n. 14. Rebecca adaquavit oves Laban fratris matris suæ. *Vulgat. Interpr. Genes.* 29. 11. Et adaquato grege, osculatus est eam. Et *ibid.* 24. 46. Adaquavit camelos. Et alibi pluries.

ĂDĂQUOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (adaquo) est militare verbum; et significat idem quod *aquari*, hoc est aquam haurire et ferre ad usum militum (It. *far acqua, provveder d'acqua*; Fr. *faire de l'eau, faire provision d'eau*; Hisp. *hacer agua*; Germ. *zur Tränke gehen, Wasser holen*; Angl. *fetch or get water, provide water*). *Auct. B. Gall.* 8. 41. Cum tela tormentis jacerentur ad fontis aditus, nec sine periculo possint adaquari oppidani. *Cæs.* 1. *B. C.* 66. Adaquandi causa. *ubi tamen æque atque apud* Auct. B. Afr. 24. *alii leg.* aquandi. V. *Drackenborg.* ad *Liv.* 27. 47. 2.

ĂDARCĂ, æ, et Adarcē, es, f. 1. salsilago quædam, seu spuma salsuginosa, concreta, et velut gelata, in locis humidis palustribusque, et circa arundines concrescens: quæ καλαμόχνους Græce vocatur: a κάλαμος, *arundo*, et χνόος, χνοῦς, *spuma, lanugo*. Ipsa autem *adarca* Latina vox esse videtur *Plinio*, licet ἀδάρκης, ὁ, a *Dioscoride lib.* 5. c. 137. et ἀδάρκη, ἡ, ab aliis Græcis Scriptoribus appelletur. *Plinius* vero *Dioscoridis* verba male interpretatus fuisse videtur clarissimo *Fée* (*Op. cit. T.* 2. p. 448.), qui præterea docet, in Europa nihil omnino esse in rerum natura, quod Pliniano adarcæ nomine possit appellari. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 52. (140). Inter aquatilia dici debet et calamochnus, Latine adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues e spuma aquæ dulcis ac marinæ, ubi se miscent. Vim habet causticam: ideo acopis additur contra perfrictionum vitia. Tollit et mulierum lentigines in facie. *Id.* 20. *ibid.* 22. 88. (241). Adarca in cortice calamorum sub ipsa coma nascens. Adde 16. *ibid.* 36. 66. (167). Apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. et 5. *ibid.* 2., necnon apud *Veget.* 3. *Veter.* 48. 2. et 4. *ibid.* 28. 15. Græca positione *adarce*, es legitur.

ĂDĀREO, es, ŭi, ere, n. 2., vel adāresco, escis, ŭi, escere, n. 3. (ad et areo) est idem quod arere (It. *seccarsi*; Fr. *sécher*; Hisp. *secarse*; Germ. *eintroknen*; Angl. *to grow dry, be dry*). *Cato R. R.* 98. Ubi amurca adaruerit, vestimenta condito.

ĂDĀRĬĀRĬUS, a, um, adject. (ad et ara) qui altari vel sacro faciendo inservit. *Inscript.* apud *Burton* (*Rom's Alterth. und Merkwürdigkeiten von Sickler* p. 587.). MAGISTER ADARIARIVS. Verum hanc Inscriptionem, quæ a *Klotz* citatur, cujusque copia mihi non est, puto unam eamdemque esse cum ea, quæ in nota citatur ab *Orell. Inscript.* n. 2422., quæque deinde, a *Fabretto* p. 716. 376. excerpta, exhibetur apud eumd. *Orell.* n. 2634. D. M. CN. VERGILIVS EPAPHRODITVS MAGISTER ODARIARIVS A MINERVA MEDICA VIXIT ANNOS etc. *Odariarius* autem ab *odarion*, cantilena, est lectio, quam cum *Fabrett.*, *Orell.* et *Furlanetto* in suis MSS. præferendam puto.

ĂDĀRO, as, are, a. 1. idem quod aro. *Plin. proœm. l.* 23. *Hist. nat.* 2., *ex persona Pomonæ loquens*: Ex me parata omnia, nec curvo adaranda aratro, nec cura laboranda, sed se porrigentia ultro. Al. leg. *adoranda* minus recte: *Harduinus* ex vet. Exemplarib. *legit*: Ex me parata omnia, nec curvo laboranda, sed se porrigentia etc. *h. e.* nec ab homine curvato aranda. *Sillig.* autem *legit*: Ex me parata omnia, nec cura laboranda sed sese porrigentia ultro.

ADASIA ovis vetula recentis partus *Paul. Diac.* p. 12. 13. *Mull. Recentis partus* videtur significare *recens a partu*. At *Isid. Gloss.* Adasia, ovis major natu. Item *Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 8. p. 52. Adasia, ovis vetula.

ĂDAUCTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentativum ab *adaugeo*, et ejusdem ferme significationis, scilicet totis viribus augere. *Accius* apud *Non.* p. 75. 3. *Merc.* Quibus rem summam et patriam nostram quondam adauctavit pater.

ĂDAUCTOR pro *auctor* legitur a quibusdam apud *Tertull. Test. an.* 2., ubi alii rectius *auctor*.

ĂDAUCTUS, a, um. *V.* ADAUGEO.

ĂDAUCTUS, us, m. 4. (adaugeo) incrementum (It. *accrescimento*; Fr. *augmentation, accroissement*; Hisp. *aumentacion, acrecentamiento*; Germ. *die Zunahme, das Wachsthum*; Angl. *an increasing, increment*). *Lucret.* 2. 1120. quæcumque vides hilari grandescere adauctu. *ubi alii leg.* hilarem grandescere ad auctum. *Solin.* 23. *in fin. de maris æstu*: Adeo ut vicissitudines inter maciem aquarum et plenitudinem respiciant adauctus ejus (*lunæ*) vel eliquia.

ĂDAUGEO, ges, xi, ctum, gere, a. 2. (ad et augeo) Part. *Adauctus* 1. et 2. Est autem addendo augeo, maxime augeo (It. *accrescere assai*; Fr. *augmenter beaucoup*; Hisp. *aumentar mucho*; Germ. *noch dazu vermehren oder vergrössern*; Angl. *to augment, increase*). ¶ 1. Generatim. *Ter. Heaut.* 3. 1. 26. Hoc timet, ne tua duritia adaucta sit. *Cic.* 1. *Acad.* (pr.) 5. 31. Adaugere bonum. *Id. Rosc. Am.* 11. 30. Hæc maleficia aliis nefariis cumulant atque adaugent. *Id.* 2. *Invent.* 18. 55. Facti honestas adaugetur. *Id.* 2. *Herenn.* 25. 39. Nonnihil illiusmodi signa adaugent suspicionem. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 1., *Auct. B. Alex.* 12. et *Auct. B. Afr.* 1. *Plin. Paneg.* 22. Lætitia cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est. *Cels.* 4. 6. *a med.* Adaucta vel levata febris. ¶ 2. Interdum peculiariter adhibetur in sacrificiis, quemadmodum et *augeo*. *Plaut. Stich.* 22. 62. Hercules, decimam esse adauctam tibi quam vovi, gratulor.

ĂDAUGESCO, is, ere, n. 3. (inchoativum ab adaugeo) cresco, adaugeor (It. *crescere, aumentarsi*; Fr. *s'accroître, croître*; Hisp. *aumentarse, crecer*; Germ. *sich vergrössern, noch zunehmen, wachsen*; Angl. *to be increased or enlarged*). *Lucret.* 2. 296. Nam neque adaugescit quidquam, nec deperit inde. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. 13. *ex Arato*: Aut densus stridor cum celso e vertice montis Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.

ĂDAXINT. *V.* ADIGO.

ADBELLARE pro *debellare* quidam leg. apud *Ammian.* 16. 9., ubi alii *advolare*.

ADBĬBO, bibis, bibi, bibitum, bibere, a. 3. (ad et bibo) proprie est ita bibere, ut hilaritate animus afficiatur, bibere præter modum consuetum (It. *bere alquanto più del solito*; Fr. *boire hors de sa coutume*; Hisp. *beber fuera de costumbre*; Germ. *sich etwas antrinken, mehr als gewöhnlich trinken*; Anglic. *to drink much*).

I. Proprie. *Plaut. Stich.* 2. 2. 58. *absolute*: Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus. *Ter. Heaut.* 2. 1. 8. Is mihi, ubi adbibit plus paullo, sua quæ narrat facinora! *Gell.* 2. 22. Rationesque omnium vocabulorum, quoniam plus paullo adbibi, effudissem.

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 10. Postquam adbibere aures meæ tuam moram orationis. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 67. Nunc adbibe puro Pectore verba puer: nunc te melioribus offer.

ADBĪTO, is, ere, n. 3. (ad et beto) juxta, prope eo, accedo (It. *accostarsi*; Fr. *approcher*; Hisp. *acercar*; Germ. *herzu- oder herangehen*; Angl. *to go near, approach*). *Plaut. Capt.* 3. 4. 72. Ædepol si adbites propius, os denasabit tibi. Quidam olim legebant *adites* quod esset ab *adito*, as, frequentativum verbi *adeo*, is, sed profecto sanus est locus. *V.* ABBITO, BETO, PERBITO, PRÆTERBITO, REBITO suis locis.

ADBLĂTĔRO, as, are, a 1. (ad et blatero) valde blatero. Occurrit tantum Part. præs., et dubiæ quidem lectionis apud *Apul.* 9. *Met.* 10. Has et alias similes affanias frustra adblaterantes, eos retrorsum abducunt. *Alii leg.* His et aliis similibus affaniis frustra oblateratis.

ADCANTO et derivata *V.* ACCANTO et derivata. Pariter.

ADCENSEO. *V.* ACCENSEO etc.

ADCERSO. *V.* ARCESSO etc.

ADCĪDO. *V.* ACCIDO etc.

ADCLĀMO. *V.* ACCLAMO etc.

ADCLĀRO. *V.* ACCLARO.

ADCLĪNIS. } *V.* ACCLINIS, ACCLIVIS.
ADCLIVIS. }

ADCOGNOSCO. *V.* ACCOGNOSCO.

ADCONDŪCO, is, a. 3. idem quod conduco. *Plaut. Mil.* 1. 1. 75. Rex Seleucus me opere oravit maxime, ut ei adconducerem latrones, et conscriberem. Ita legit *Servius* ad 12. *Æn.* 7. Alii *ut sibi latrones cogerem, et conscriberem*.

ADCORPŎRO. *V.* ACCORPORO.

ADCRĒDO. *V.* ACCREDO.

ADCRESCO. *V.* ACCRESCO etc.

ADCURRO. *V.* ACCURRO etc.

ADDAX, acis, m. 3. nomen est feræ cujusdam in Africa, erecta cornua habentis, et rugarum ambitu contorta, atque in leve fastigium exacuta, quæ alio nomine strepsiceros dicitur, ἀπὸ τῆς στρέψεως τῶν κεράτων, a contortione cornuum. Ipsa vox *Addax* Africana est teste *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124).

ADDĔCET, ebat, ere, impers. 2. (ad et decet) convenit, decet præp. *ad* nonnihil addente significationi (It. *conviene, è decente*; Fr. *il sied, il convient*; Hisp. *conviene*; Germ. *es ziemt sich, schikt sich*; Angl. *it behoveth, becometh, is fit*). — a) Cum Infinito. *Ennius* apud *Gell.* 7. 17. Sed virum vera virtute vivere animatum addecet. *Plaut. Cas.* 2. 2. 28. Nam peculii probam nihil habere addecet clam virum. *Id. Bacch.* 1. 2. 20. Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet. *Id. Rud.* 1. 2. 27. Impudentem hominem addecet, molestum ultro advenire ad alienam domum. *h. e.* proprium est hominis impudentis. Et *alibi*. — b) Absolute cum Accusativo tantum. *Plaut. Merc.* 2. 3. 80. Ut matrem addecet familias.

ADDĔCIMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et decimo) idem ac decimo, decimam partem detraho (It. *decimare*; Fr. *lever la dîme*; Hisp. *dezmar*; Germ. *mit Zehnten belegen*; Angl. *to decimate*). *Vulgat. Interpr.* 1. *Reg.* 8. 15. Segetes vestras et vinearum reditus addecimabit. et 17. Greges quoque vestros addecimabit.

ADDENSEO, es, ŭi, ere, a. 2. (ad et denseo) densum facio, addenso (It. *spessare, far denso*; Fr. *épaissir, condenser*; Hisp. *espesar, condensar*; Germ. *dicht machen*; Angl. *to thicken, condense*). *Virg.* 10. *Æn.* 432. Extremi addensent acies, nec turba moveri Tela manusque sinit. *V.* DENSEO.

ADDENSO, as, āvi, ātum, are. a. 1. (ad et denso) idem quod addenseo, quam voc. vide. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 81. (230). Mirum, aquam radice ea addita addensari sub dio atque lactescere.

ADDĪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (ad et dico). *Addice* pro *addic* in Imperativo occurrit apud *Plaut.* *V.* infra I. 4. *Addixti* per syncopen pro *addixisti* apud *Martial.* 12. 16. — Part. *Addicens* II. 1.; *Addictus* in omnibus ferme paragr. — Addico autem est verbis adjudico, attribuo, trado alicui quidpiam (It. *aggiudicare, attribuire*; Fr. *adjuger, assigner*;

Hisp. *adjudicar, acordar*; Germ. *zuerkennen, zusprechen*; Angl. *to assign, surrender, adjudge*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est attribuere, adscribere. *Gell.* 3. 3. Fabulæ, quæ scriptæ a Plauto non videntur, et nomini ejus addicuntur. ¶ 2. Peculiariter est judiciale verbum, scilicet — *a)* Unum e tribus solemnibus verbis, quibus universa prætoris potestas judicialis continebatur, *Do, Dico, Addico*: necesse est enim, ut ait *Varro* 6. *L. L.* 30. p. 84. *Müll.*, aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. De his *Ovid.* 1. *Fast.* 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur, etc. Cf. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *Dabat* itaque prætor judicem, recuperatores, arbitros (quod et *addicere* aliquando dicitur), judicia, actiones, possessiones: *Dicebat* vero jus, multam, tutores, viam in vindiciarum litibus: *Addicebat* autem, in bonis controversis, in cessionibus, in vindiciis, cum scilicet statu controversiæ cognito, adjudicabat rem controversam ei, qui meliore jure esset; item quandoque ipsos homines in servitutem creditoribus (*V.* infra *e*). *Plaut. Pœn.* 1. 1. 57. Ubi in jus venerit, addicet prætor familiam totam tibi. Adde *ibid.* 5. 6. 24. *Cic.* 3. *Verr.* 52. 137. bona alicui. Adde *Caj.* 3. 79., *Dig.* 25. 3. 6. § 1. et alibi sæpe. *Dig.* 48. 20. 7. hereditatem alicui. *Cajus* 1. 134. rem alicui. *Ulpian. Dig.* 43. 23. 11. Addictus fundus alicui. *Id. ibid.* 6. 1. 41. Addictum prædium. *Claudian. Consul. Mall.* 131. Addicto censu cumulare æraria. — *b) Addicere aliquid in diem* est ita alteri adjudicare, ut si intra certum tempus melior conditio afferatur, habeatur tamquam non adjudicatum, et tota lis in integrum restituatur. Hac de re multa habentur toto *tit.* 2. *l.* 18. *Dig.* et præterea *Dig.* 6. 1. 41. et 39. 3. 9. — *c) Addicere judicium* apud *Varr.* 6. *L. L.* 61. p. 96. *Müll.* est judicium dare, hoc est litigandi vel apud se, vel apud alium potestatem facere. Quod et *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. usurpavit: quamquam alii ibi *adjicere* reponunt. Eodem modo explicanda videntur verba illa *ex Leg.* XII. *Tab.* apud *Gell.* 17. 2. Post meridiem præsenti stlitem addicito. *h. e.* actionem dato, agendi potestatem facito; tametsi alii ita exponunt: secundum præsentem sententiam fer, et ei rem, de qua lis est, adjudicato. *V.* integrum loc. — *d) Addicere judicem*, vel *arbitrum* dicitur prætor, seu quivis alius jus habens, qui judicem *dat* (*dare* est verbum hujus loci magis proprium) seu destinat causæ cognoscendæ, ex formula, vel ex litigatorum conventione. Legitur in *Dig.* 5. 1. 39., 46. et 80. Itemque hoc eodem sensu *addictus judex* occurrit in *Val. Max.* 8. 2. 2., necnon in *Dig.* 10. 2. 30., 13. 4. 4. et 36. 1. 59. secundum *Florentin.* et alias quasdam Edition., testibus *Hotoman.*, *Brisson.* et *Pareo* in *Lexic. Crit.*, quibus adde *Senec. Ep.* 65. 2.; sed ubique alii minus recte pro *addicere* leg. *addere*, aut *adire*, aut *adjicere*, aut *adigere*. — *e)* Præterea *addictus* dicitur, qui ob æs alienum, cum solvendo non sit, ex prætoris sententia traditur creditori, qui in corpus ejus jus habeat, et tamquam servo utatur, donec solvat. Est autem inter *addictos*, et *servos* multiplex discrimen, ut docet *Quintil.* 7. 3. 27. hisce verbis: *Servus*, cum manumittitur, libertinus; *addictus*, recepta libertate, ingenuus; *servus* invito domino non consequetur (*subaudi* libertatem); ad *servum* nulla lex pertinet; *addictus* legem habet: propria *liberi*, quæ nemo habet, nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum; habet hæc *addictus*. — De jure ac modo addicendi liberos homines creditoribus extat lex XII. Tabularum apud *Quintil.* 3. 6. 25. et *Gell.* 20. 1. ubi additur, si plures fuissent creditores, quibus debitor aliquis addicendus esset, permissum fuisse iis ejus corpus in frusta secare, atque partiri inter se: tametsi ad pœnam tam atrocem nunquam deventum est. Immo in posterum, anno scilicet ab Urbe condita 424. aut 428. *lege Pœtelia* hoc ipsum jus limitibus fuit circumscriptum V. *Liv.* 8. 28., *Varr.* 7. *L. L.* 105. p. 162. *Müll.* et *Klotz zu Cicero's Reden T.* 3. p. 882. et seqq.: verbum tamen seu formula semper in usu fuit. *Plaut.* 3. 4. 10. Abduc intro, addictum tenes. *Id. Bacch.* 5. 2. 87. Ducite nos quo lubet tamquam addictos. *Cic.* 2. *Orat.* 63. 255. Ut apud Novium videtur esse misericors ille, qui judicatum duci videns, percontatur ita: *Quanti addictus? – Mille nummum. – Nihil addo: ducas licet. Liv.* 6. 14. Ne quem vestrum judicatum, addictumque duci patiar. *Cic. Flacc.* 20. 48. Cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est. (*Addictum ducere* in his et aliis exemplis apud *Liv.* 6. 15. et 20. etc., est in servitutem et vincula ducere). *Cic.* 7. *Fam.* 24. Eumque addictum jam tum puto Calvi Licinii Hipponacteo præconio. *h. e.* jam tum venditum fuisse inter Sardos venales famoso Calvi Licinii carmine: quod carmen *præconium* hic dicitur, quia præco servos venales addicebat. Nisi malis *addictum*, hoc est devotum Furiis atque Erebo a Calvo Licinio: quemadmodum Hipponax devovit carminibus suis eos, qui se derisui habuerant. *V.* HIPPONACTEUS in ONOM. — Ceterum *addicere aliquem alicui* interdum erat aliquem debitorem declarare, eumdemque cogere ad solvendum creditorem sive solvendæ pecuniæ damnare. *Paul. Diac.* p. 13. 2. *Müll.* Alias a d d i c e r e damnare est. *Cic. Rosc. Am.* 14. 41. Addictus erat tibi? *Idem* jocatur in orat. *Pis.* 35. 86. Nonne – ultro Fufidium, equitem Rom. – creditorem debitoribus suis addixisti? Et *Id. Quint.* 39. 92. *metaphorice*: An – nuda (*parsimonia*) cupiditati petulantiæque addicatur. ¶ 3. In auctionibus et venditionibus publicis, itemque in locationibus res *alicui addici* dicebatur, quæ plus offerenti attribuebatur: additur hac significatione sæpe Ablativus pretii; verba autem *nummo sestertio* vel *nummo* tantum significant *minimo pretio*, et addebantur tamquam formula ad addictionem fingendam; quod pertinet etiam ad paragraphum sequentem. *Plaut. Merc.* 3. 4. 31. Mulier addicta atque adducta. *h. e.* vendita. *Cic.* 5. *Verr.* 63. 148. Si doceo pluris aliquanto potuisse te vendere, neque his voluisse addicere, qui contra Apronium licerentur. *Id. Rabir. Post.* 17. 45. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit? *Sueton. Cæs.* 50. Cui amplissima prædia in auctionibus hastæ minimo addixit. *Cic.* 3. *Verr.* 55. 144. Addicitur id opus HS. DLX. millibus: cum tutores HS. LXXX millibus id opus ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamarent. *h. e.* locatur. *Id. ibid.* 57. 150. Addictum opus, accepti prædes. *h. e.* locatum. ¶ 4. Est etiam promittere et obligare rem in privatis venditionibus, et eamdem fere habet cum *vendo* significationem: *V.* paragr. antec. *Cic. Dom.* 41. 107. Hominem invenire neminem potuit, cui ædes meas addiceret, traderet, donaret. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 106. huic tu Dic ex parte tua, seu fundi, sive domus sit Emptor, gaudentem nummo te addicere. Et *Julian. Dig.* 41. 4. 7. § 6. Procurator tuus si fundum, quem centum aureis vendere, addixerit triginta aureis, etc. — Hinc *Plaut. Pœn.* *a.* 2. *v.* 50. Addice tuam mihi meretricem. *h. e.* vende, trade. Pariter *Ovid.* 1. *Met.* 617. addicere suos amores. *h. e.* cedere, alteri tradere: ubi alii male legunt *abdicere*. *Cæs.* 2. *B. C.* 18. Addicere bona alicujus in publicum. *h. e.* publicare. *Liv.* 3. 86. Addicere aliquem in servitutem. ¶ 5. Item est obligare seu vendere ea, quæ neque vendi, neque emi debent. *Cic.* 7. *Phil.* 5. 15. Antonius regna addixit pecunia. *Id. Pis.* 24. 56. Cum addiceIas tribuno plebis consulatum tuum. *Id. ibid.* 34. 83. Accepta pecunia a Dyrrachinis ob necem hospitis tui, ejus domum evertisti, cujus sanguinem addixeras. *h. e.* cujus vitam eis dederas vel prodideras. *Id.* 2. *Phil.* 21. 52. Vendita atque addicta sententia. *Id. Mil.* 21. 56. Vitam suam quam maximis præmiis propositam et pæne addictam sciebat. *Id.* 4. *Verr.* 32. 78. Habere fidem et religionem alteri addictam pecunia accepta. — Huc referuntur et illa *Cic.* 5. *Phil.* 12. 33. Addicere aliquem libidini alicujus. *Id. Mil.* 32. 87. servis suis. *Id. Sext.* 17. 38. tribuno pl. *Id.* 4. *Herenn.* 27. 37. Addicere pueritiam suam omni intemperantiæ. *Id. ibid.* 16. 23. corpus suum turpissimæ cupiditati. *Curt.* 7. 7. 8. alicui credulitatem suam. — *Addicere aliquem ad jusjurandum* pro cogere, adigere, legitur a quibusdam apud *Sallust. Catil.* 23., ubi alii rectius *adigere*. Hac tamen cogendi significatione, et cum Infinito, *Imppp. Valens, Gratian. et Valentin. Cod.* 12. 38. 5. Species de propriis facultatibus fiscalibus horreis addicantur inferre. Hucusque *Forcellinus*. Verum in *Cod.* quoque *addicantur*, ut nobis videtur, est *damnentur* (*V.* sup. § 2. in fine), nisi quod cum Infinito conjungitur. *Addictus* etiam apud *Horat.* 1. *Ep.* 1. 14. aliter interpretati sumus (*V.* infr. II. § 3.), ac *Forcellinus*, cui est pro *coactus*.

II.) Translate. ¶ 1. In re augurali addicere dicuntur aves, quæ augurium prosperum faciunt et ratum, et quodammodo adjudicant rem, de qua augurium capitur, ei qui optat: cui opponitur *abdicere*, quam vocem vide. Hoc autem sensu occurrit — *a)* Addicere aliquid alicui, vel aliquid. *Apul. de deo Socrat.* 7. Ut – Attio Nævio auguria miraculum cotis addicant. *Cincius* apud *Fest.* p. 241. 19. *Müll.* Illum, quem aves addixerant. — *b)* Addicere alicui sine Accusativo. *Liv.* 22. 42. 8. Cum ei sua sponte cunctanti pulli quoque auspicio non addixissent. *Id.* 27. 16. 15. Fabio auspicanti – aves semel atque iterum non addixerunt. — *c)* Absolute. *Cincius* apud *Fest.* p. 241. 17. *Müll.* Ubi aves addixissent. *Liv.* 1. 36. 3. Nisi aves addixissent. *Id. ibid.* 55. 3. Cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixerunt. Adde *Senec. de brev. vit.* 14. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Addicentibus auspiciis vocat concionem. ¶ 2. Est etiam damnare, destinare, metaphora sumpta a n. I. § 2. *Cic.* 3. *Off.* 10. 35. Et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies postulavisset. *Id.* 11. *Phil.* 7. 16. Gladiatorio generi mortis addictus. *Horat. Epod.* 17. 11. Addictus feris, alitibus atque canibus. *Cic.* 9. *Att.* 9. *in fin.* Addictus vastitati. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Addicere aliquem perpetuæ servituti. — Juxta *Forcellin.* huc pertinet etiam illud *Cic. Parad.* 4. 27. Ego vero te non stultum, ut sæpe, non improbum, ut semper, sed dementem et insanum rebus addicam necessariis. *h. e.* necessariis argumentis convincam, te esse dementem et insanum. Hoc loco videtur allusisse *Cicero* ad illam legem XII. Tabularum, qua furiosi et dementes addicebantur agnatis et gentilibus, hoc est sub eorum curam potestatemque tradebantur, ut est apud eumdem 2. *Invent.* 50. Ita commodius explicatur hic locus, quam varias variorum lectiones sectando, quorum alii pro *addicam* legunt *adigam*, alii *adducam*, alii novum commenti verbum, *advincam*. Sed locus est certe corruptus, quemadmodum affirmat et *Orellius*, qui legit *rebus vincam necessariis*, quique hæc addit: Collato 1. *Tusc.* 3. 5. videbis, voce insanum nunquam usurum fuisse Tullium, sed potius v. *furiosum*: nec vero *necessariorum* vocabulum satis aptum fuisset pro *agnatis gentilibusque*. ¶ 3. Hinc *addicere se alicui* in bonam partem est perinde ac damnare, hoc est se totum dedere alicui. *Cic. Planc.* 39. 93. Senatus, cui me semper addixi. *Id. Cæl. in fin.* Quem si vobis, si suis, si reipublicæ conservatis, addictum, debitum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis. *Id.* 2. *Invent.* 2. 5. Addicere se uni. *Quintil.* 3. 1. 22. se sectæ alicujus. *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 14. *cum Infinito*: Nullius addictus jurare in verba magistri. *Sueton. Tib.* 69. Mathematicæ addictus. *Petron. Satyr.* 5. Addictus histrioniæ. *Val. Max.* 8. 7. 5. *ext.* Addicere se operibus naturæ. *h. e.* naturalium rerum investigationi et studio. *Seneca* 4. *Rhet. Controv.* 2. Addicere animum alicui. *Sueton. Cal.* 55. Prasinæ factioni addictus et deditus.

ADDICTE. Falsa lectio. *V.* ADDUCTE.

ADDICTĬO, ōnis, f. 3. (addico) actus addicendi (It. *aggiudicazione*; Fr. *adjudication*; Hisp. *adjudicacion*; Germ. *der richterliche Zuspruch, die Zuerkenntniss*; Angl. *an adjudging, assigning by sentence*): hoc est — *a)* Sententia seu decretum, quo prætor rem aliquam alicui addicit et adjudicat (*V.* ADDICO I. 2. *a.*). *Cic.* 2. *Verr.* 4. 12. Cujus prætura urbana ædium sacrarum fuit depopulatio, simul in jure dicundo, bonorum possessionumque, contra omnium instituta, addictio et condonatio. — *b) Addictio judicis* est ejus assignatio ad causam aliquam cognoscendam (*V.* ADDICO I. 2. d.). In *Lege Mamilia de limitib.* apud *Frontin.* p. 340. *Goes.* Judicis datio addictio esto. Adde *Caj.* 3. 180. — *c) Addictio in diem* apud *Paul. Dig.* 18. 2. 1. et *ibid.* 40. 14. 50. quid sit, *V.* ADDICO I. 2. *b.*

ADDICTUS, a, um. *V.* ADDICO.

ADDISCO, discis, didici, discere, a. 3. (ad et disco). Part. *Addiscens* 1. Proprie, si attendere velis vim præpositionis *ad* componentis, est ad ea, quæ didici, aliquid addo (It. *imparare di più*; Fr. *apprendre quelque chose de plus*; Hisp. *aprender de mas á mas*; Germ. *noch dazu lernen*; Angl. *to learn*). ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Senect.* 8. 26. Quid? qui (*senes*) etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri. *Id.* 3. *Orat.* 36. 147. Quæ ego ex te audire volui, non ut desperarem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addiscerem. Adde 5. *Fin.* 29. 87. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 56. Et quiddam visa est addidicisse novi. ¶ 2. Generatim

est idem quod disco. *Cic.* 3. *Orat.* 23. 86. At Q. Velocius puer addidicerat (*artem*). *vulg. Editt.* Atque velocius. *Ovid.* 3. *Met.* 593. Addidici regimen, dextra moderante, carinæ Flectere. *Sueton. Cal.* 47. Addiscere sermonem Germanicum. ¶ 3. Hinc derivata significatione est etiam intelligere, audire. *Justin.* 2. 3. 13. Quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur.

ADDĪTĀMENTUM, ti, n. 2. (addo) accessio, appendix (It. *giunta, aggiunta*; Fr. *addition, augmentation*; Hisp. *adicion, aumentacion*; Germ. *die Zugabe*; Angl. *an addition, increase*). ¶ 1. Proprie. *Apul.* 9. *Met.* 6. Additamentum pretii. *Paul. Dig. l.* 32. *leg.* 80. Ædium additamentum hortus fuit. *Javolen. Dig.* 50. 16. 242. Artemon magis additamentum, quam pars navis est. *Macrob. de diff. Gr. et Lat. Verb. p.* 2755. *Putsch.* Idem sonat et plurale [illegible]; cujus tertia persona rursus cum additamento tertiæ singularis efficitur [illegible]. ¶ 2. Translate. *Cic. Sext.* 31. 68. Intercessit Ligus iste nescio qui, additamentum amicorum meorum. *Seneca Ep.* 17. Sapientia erit ultimum vitæ instrumentum, et, ut ita dicam, additamentum. *Pseudo-Sallust.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* In quibus, sicut in statua, præter nomen nihil est additamenti.

ADDĪTĪCIUS, et Additītius, a, um, adject. qui additur (It. *che s'aggiunge*; Fr. *additionnel*; Hisp. *adicionado*; Germ. *hinzugefügt*; Angl. *additional*). *Cels. Dig.* 50. 16. 98. Cato putat mensem intercalarem additicium esse; omnesque dies ejus pro momento temporis observat. *h. e.* ita inseri et addi ceteris mensibus anni, ut tamen in eorum numero, civili more, non computetur. *Tertull. Resurr. carn.* 52. Additicium corpus.

ADDĪTĬO, ōnis, f. 3. (addo) accessio, adjunctio (It. *aggiunta*; Fr. *addition*; Hisp. *adicion*; Germ. *die Hinzufugung, Zugabe*; Angl. *an adding together, addition*). *Quintil.* 9. 3. 18. Figurarum additio et abjectio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Sic enim corpori fit additio, atque vires resurgunt. *Priscian.* 14. p. 975. et 978. *Putsch.* Absque: additio magis putatur *que*.

ADDĪTĪVUS, a, um, adject. additicius. *Priscian.* 17. *p.* 1095. *Putsch.* pronomen *ipse* vocat *additivum*, quod non solum aliis pronominibus additur, seu apponitur, sed etiam frequentius quam alia. Græce [illegible]. *V.* APPOSITIVUS.

ADDĪTUS, a, um. *V.* ADDO.

ADDĪVĪNO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* divino) idem ferme quod divino (It. *presagire, argomentare*; Fr. *deviner*; Hisp. *adivinar*; Germ. *annähernd schliessen oder weissagen*; Angl. *to divine*). Occurrit tantum participium præsens, et dubia quidem lectione, apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (88). Quemdam ex facie hominum addivinantem, ex his dixisse futuræ mortis annos. *Cod. Bamb. leg.* divinantem.

ADDO, as, pro *do, das*, affertur a nonnullis ex *Plauto Truc. a.* 5. *v.* 19. *Tuó arbitratu, quod jubebis, addabitur*: sed optimæ pleræque editiones *id dabitur.* Verum *Bothius* ex MSS. priorem lectionem retinet ac defendit.

ADDO, dis, didi, dĭtum, dere, a. 3. (ad *et* do). Quemadmodum *duim* ex verbo *dare*, ita apud antiquos usuvenisse *adduim* testis nobis est *Paul. Diac. p.* 27. 14. *Müll.* Adduēs addideris. *Al.* adduis. *V. Interpr.* — Part. *Addens B.* 2. *c.*; *Additurus B.* 1.; *Additus* in omnibus ferme paragr.; *Addendus B.* 2. *b.* — Hoc verbum duas veluti proprias præsefert significationes: scilicet *A*) est dare, indere, injicere, apponere; et *B*) adjicere, adjungere.

A) Addere est dare, indere, injicere, apponere (It. *mettere, apporre*; Fr. *mettre, mettre auprès*; Hisp. *poner, meter junto*; Germ. *etwas zu etwas Anderem oder überhaupt wohin thun, bringen oder legen*. Angl. *to append, give, put*).

I. Proprie. — *a*) Cum Accusativo et præp. in. *Cic.* 12. *Att.* 53. Eas epistolas in eumdem fasciculum velim addas. *Varro* 2. *R. R.* 54. 2. Addere uvam in oleas. *Id.* 3. *ibid.* 15. 2. glandem in dolium. *Liv.* 4. 25. album in vestimentum. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 1. Adde manus in vincla meas. *Id.* 2. *Art. Am.* 627. manus in arma. *Colum.* 12. *R. R.* 22. 1. picem in tabrum, in alveum *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (53). allium in cava dentium. *Id.* 20. *ibid.* 22. 89. (244). succum marrubii in ovum inane. *Cels.* 6. 8. *n.* 2. Interdum polypus inarescit, si addita in narem per linamentum ad penicillum ea compositio sit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (93). Addita in os clava. *Id.* 13. *ibid.* 3. 5. Addere unguenta in potus. *Harduin.* ita rectius; vulg. editt. male in potu. *Id.* 20. *ibid.* 23. 96. (258). in potionem. *Sueton. Cal.* 55. venenum in plagam. *Virg.* 1. *G.* 512. sævit toto Mars impius orbe: Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens Fertur equis auriga, neque audit currus habenas. *vulg. editt.* Addunt se. *Forcellinus* interpretatur: dant se cursui per campos. *h. e.* Mars impius sævit orbe, eo impetu quo carceribus effusæ quadrigæ se conjiciunt in circi spatia, sive circi spatia corripiunt. *Klotz* subaudit *gradum*, ita ut *Addunt gradum* sit pro *maturant, accelerant iter*; *in spatia* autem sit (ut *in dies*) per singula spatia. Alii aliter (*V. Heyn. in loc. cit.*); *Forcellini* vero interpretatio, utpote simplicior, præferenda videtur. *Sil. It.* 16. 373. Jamque fere medium evecti certamine campum In spatia addebant. — *b*) Cum Dativo præsertim apud Poetas. *Virg.* 5. *Æn.* 818. Addere frena equis. *Id.* 1. *G.* 286. licia telæ. *Id.* 3. *Æn.* 336. jugis addidit arcem. *h. e.* imposuit. *Horat. Epod.* 8. 10. femur suris. *Ovid.* 12. *Met.* 45. aditus tectis. *Tibull.* 2. 4. 42. Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam. *Sil. It.* 7. 161. Addunt frugiferis inimica incendia ramis. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Singula medicamina erunt illinienda pellibus teneris, atque ita corpori addenda. *h. e.* imponenda, applicanda. — *Addere aliquid alicui* nonnunquam occurrit. *XII. Tabulæ* apud *Cic.* 2. *Leg.* 24. 60. NEVE AVRVM ADDITO (*mortuo*). *Ter. Phorm.* 2. 1. 46. Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti, aut propter misericordiam addunt pauperi. *Liv.* 26. 16. virgas forti viro. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 217. calcar vatibus. — *c*) Denique occurrit etiam *addere aliquem alicui*; hinc participium *additus* peculiari notione interdum est inimicus: oderunt enim custodes suos vulgo qui custodiuntur; acrius custodiunt et observant inimici; ac proinde de molestis rebus hoc participium adhibetur. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 20. et *Mil. glor.* 2. 6. 69. Addere custodem alicui. *Horat.* 3. *Od.* 4. 79. nequitiæ additus Custos. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 18. *Virg.* 9. *Æn.* 649. Comitem alicui addere. *Lucilius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Si mihi non prætor siet additus atque agitet me. *Virg.* 6. *Æn.* 90. nec Teucris addita Juno Usquam aberit. *h. e.* assidue præsens et veluti adfixa, atque adeo molesta, infesta, inimica.

II.) Translate. — *a*) Cum Dativo, aut interdum absolute, de rebus. *Plaut. Amph.* 2. 2. 179. Addere pudicitiæ vitium. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 50. fletum ingenio muliebri. *Plaut. Cist.* 1. 1. 54. *absolute*: Operam addere. *Virg.* 7. *Æn.* 315. moras rebus. *Sil. It.* 4. 668. modum dextræ. *Id.* 15. 68. finem dictis. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 510. finem litibus. *Virg.* 1. *Æn.* 267. cognomen alicui. *Ovid.* 5. *Met.* 525. et *Plin. Paneg.* 12. nomen alicui. *Tac. Germ.* 2. vocabulum. *Sall. Catil.* 21. nomen gloriamque. — *b*) Sæpius de animi affectionibus pariter cum Dativo. *Ter. Heaut.* 3. 2. 31., *Cic.* 7. *Att.* 2. 4. et *alii*: Addere animum aut animos alicui. *Virg.* 9. *Æn.* 184. ardorem mentibus. *Val. Flacc.* 6. 181. Necdum clara, quibus sese fuga mentibus addat. *h. e.* in quorum mentes et pectora se injiciat metus et fugiendi cupiditas. *Horat.* 3. *Od.* 21. 18. cornua pauperi. *Sall. Jug.* 90. audaciam. *Id. Catil.* 60. virtutem. *Ovid.* 12. *Met.* 532. iram. *Sall. Jug.* 41. formidinem. *Tac.* 1. *Hist.* 62. metum. *Sall. Catil.* 57. dignitatem. *Id. Jug.* 76. favorem. *Virg.* 5. *Æn.* 249. honores. *Liv.* 2. 2. 2. honorem. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 63. aliquem astris. *h. e.* referre inter deos. *Sil. It.* 11. 277. curam alicui. *h. e.* mandare. *Cic.* 16. *Att.* 3. 1. alacritatem scribendi. *sed dubia est lectio.* — *c*) Cum Infinito. *Sil. It.* 8. 549. Hic viris pila et ferro circumdare pectus Addiderat.

B) Addere est etiam adjicere, adjungere ita ut additione res aliqua augeatur; cui opponuntur *demere, detrahere, deducere* (It. *aggiungere*; Fr. *ajouter*; Hisp. *añadir*; Germ. *hinzufügen, hinzuthun, beigeben*; Angl. *to add*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Novius* apud *Cic.* 2. *Orat.* 62. 255. Quanti addictus? — Mille nummum. — Nihil addo, ducas licet. *Plaut. Epid.* 3. 4. 37. Foras educite — fidicinam, atque etiam fides, ei quæ accessere, tibi addam dono gratiis. *Tac.* 2. *Ann.* 87. Binos nummos se additurum. *Cic.* 1. *Off.* 18. 59. *absolute.* Addendo deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat. *Ter. Andr.* 4. 2. 27. Addere dieculam alicui. *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. paucos dies ad dictaturam gerendam. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. Unus annus additus labori tuo. *Seneca Troad.* 422. tempus ærumnæ addidit. — Hinc *addito tempore, addita ætate* est tempore vel ætate procedente. *Tac.* 12. *Ann.* 6. Conjugia sobrinarum diu ignorata, addito tempore percrebuisse. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 48. 108. (260). In infantia scabunt aures posterioribus pedibus; quod addita ætate non queunt. *Cf. infra* 3. d. ¶ 2. Generatim cum proprie, tum translate. — *a*) Cum Accusativo et præp. *ad*. *Cæcilius* apud *Non.* p. 154. 15. *Merc.* Quæso, ne ad malum hoc addas malum. *Cic.* 15. *Fam.* 20. 2. Quoniam ad amorem meum aliquantum addidisti. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Hunc laborem ad quotidiana opera addebant. — *b*) Cum Accusativo et præp. *in*. *Cic.* 1. *Att.* 13. 5. In illam orationem Metellinam addidi quædam. *Nep. Cat.* 2. 3. Multas res novas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur. *Ovid.* 8. *Met.* 484. In scelus addendum scelus est, in funera funus. — *c*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Orat.* 13. 54. Paullulum se erexit et addidit historiæ majorem sonum vocis. *Sall. Jug.* 46. Quorum majores Punico bello multum reipublicæ addiderant. *h. e.* profuerant, adjuverant, auxerant. *Virg.* 8. *Æn.* 411. Noctem addens operi. — *d*) Cum Adverbiis *adhuc, supra, insuper, præterquam, ex abundanti*; interdum *de suo* etc. *Plaut. Truc.* 5. 18. Addam minam adhuc istuc postea. *Nep. Att.* 4. Pronuntiabat Græce sic, ut nihil supra posset addi. *Quintil.* 12. 10. 8. Ut humanæ formæ decorem addiderit supra verum. *Liv.* 2. 2. Addita est alia insuper injuria. *Ter. Eun.* 1. 1. 33. Neque, præterquam quas ipse amor molestias habet, addas. *Quintil.* 4. 5. 15. Addidit ex abundanti. *Cic. Harusp. resp.* 19. 40. Nihil addo de meo. — *e*) Absolute. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 16. 49. Cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. *Id.* 3. *Orat.* 8. 29. Sic judicare soleo, quidquid aut addideris aut mutaveris aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum. *Tac.* 11. *Ann.* 13. Novas litterarum formas addidit vulgavitque. *Plaut. Trin.* 4. 3. 3. Adde gradum, appropera. *Liv.* 3. 27. Adderent gradum: maturato opus esse. *et alibi sæpe.* ¶ 3. Peculiariter et sæpe de oratione, in qua iis quæ prolata sunt, alia adjunguntur. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Rud.* 4. 3. 68. Verbum adde etiam unum. *Ter. Andr.* 5. 2. 19. Verbum si addideris. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 125. verbum non amplius addam. — *b*) Cum Infinito, quod interdum etiam subauditur. *Cic. Dejot.* 8. 24. Addit etiam illud, equos non optimos fuisse. Adde 2. *Fin.* 17. 55. et *Mil.* 35. 96. *Id.* 1. *Off.* 20. 67. Harum rerum omnium splendor omnis et amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore est. — *c*) Hinc formulæ *adde huc, adde quod* etc., quæ transitionibus eleganter inserviunt. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Adde huc, si placet, unguentarios, saltatores etc. *Al.* his. *Liv.* 7. 30. et *Plin.* 9. *Ep.* 40. Addas huc licet ver et auctumnum. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 49. Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores, nec sinit esse feros. — *d*) *Addito* participium absolute positum in Ablativo usurpatur sæpe hoc sensu ab Historicis. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Et vocantur patres, addito, consultandum super re magna et atroci. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (62). Similiter deligi et ex locis siccis et ante perfectam maturitatem, addito, ut luna infra terram sit.

ADDŎCEO, es, ere, a. 2. idem ferme quod doceo, sive plura adhuc doceo (It. *insegnare*; Fr. *enseigner*; Hisp. *enseñar*; Germ. *lehren*; Angl. *to teach*). *Horat.* 1. *Ep.* 5. 18. Sollicitis animis onus eximit, addocet artes. *Al. leg.* ac docet. *Cic. Cluent.* 37. 104. Addocti judices. Ita receperunt *Ernest.* et *Schut.* ex quibusd. MSS., at vulgo *adducti*.

ADDORMĬO, is, n. 4. idem quod dormio, vel dormire incipio (It. *addormentarsi*; Fr. *s'endormir*; Hisp. *adormecerse*; Germ. *anfangen zu schlafen, einschlafen*; Angl. *to sleep, retire to rest*). *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. Rursus addormiunt, atque difficile expergiscuntur.

ADDORMISCO, is, n. 3. dormio, obdormisco, sive brevem levemque somnum capio (It. *dormire un poco*; Fr. *s'assoupir*; Hisp. *adormecer*; Germ. *ein wenig einschlafen*; Angl. *to sleep, fall asleep*). *Sueton. Claud.* 8. Quoties post cibum addormisceret. Alii leg. *obdormisceret*.

ADDUBANUM dubium *Paul. Diac. p.* 21. 14. *Müll.* Hanc lectionem exhibent optimi Codd.; alii aliter legunt, et interpretatio quidem incerta est. *V. Müll. loc. cit.*

ADDŬBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (addubito) dubium,

dubitatio (It. *dubbio, dubitazione*; Fr. *dubitation*; Hisp. *dubio*; Germ. *das Zweifeln oder Ungewisssein*; Angl. *a doubting, uncertainty*). Est figura rhetorica, de qua hæc *Capell.* 5. p. 171. Diaporesis est addubitatio: qua figura utimur cum veluti dubitantes ab ipsis judicibus inchoamenti consilium postulamus, ut pro Cluent. (c. 1.): Equidem quo me vertam, nescio, etc. *Cic.* 3. *Off.* 4. 18. Quid est ergo, quod addubitationem afferre soleat? *Ita quidam libri: sed plerique et meliores* dubitationem.

ADDŬBĬTĀTUS, a, um. *V.* **ADDUBITO.**

ADDŬBĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. (ad et dubito). Part. *Addubitans* 1.; *Addubitatus* 2. Est idem fere quod dubito, sive dubitare incipio, sum animo ad dubium inclinato (It. *inclinare al dubbio*; Fr. *incliner à douter*; Hisp. *inclinar a dudar*; Germ. *in Zweifel gerathen, sich zum Zweifel hinneigen*; Angl. *to doubt a little, be somewhat in doubt*). Occurrit autem 1. neutraliter, aut 2. active. 1.) Neutraliter. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 6. 14. Profecto eos ipsos – addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio. *Liv.* 10. 19. 13. Appium addubitasse ferunt, cernentem – fore collegæ victoriam. *Plin.* 2. *Ep.* 19. 1. Quamvis vehementer addubitem. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 2. ed. *Mai.* Aliis addubitantibus timentibusque. — b) Cum Ablativo et præp. *de* aut *in*, aut cum Dativo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. De quo Panætium addubitare dicebant. *Liv.* 2. 4. 7. *passive impersonaliter*: De legatis paullulum addubitatum est. *Cic.* 3. *Off.* 4. 18. In his addubitare turpissimum est. *Fronto Arion.* p. 263. *Mai.* Rex nemini credere, miraculo addubitare. *Niebh.* homini. — c) Cum Pronom. vel Particulis dubitandi. *Cic. Orat.* 40. 137. Ut addubitet, quid potius aut quo modo dicat. *Cic.* 7. *Fam.* 32. 1. Addubitavi, num a Volumnio senatore esset. *Nep. Con.* 5. 4. Illud addubitat, utrum Teribazo sciente, an imprudente sit factum. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 124. an hoc honestum et inutile factu, Nec ne sit, addubites. *Liv.* 8. 10. 2. Paullisper addubitavit, an consurgendi triariis tempus esset. Adde *Plin.* 10. *Ep.* 119. — d) Cum Infinito *Sil. It.* 14. 358. Nec contra Ausonius tonsis aptare lacertos Addubitat. 2.) Active. *Ascon.* p. 85. 11. *Bait.* Quod ego, ut addubitem, hæc ipsa Ciceronis oratio facit. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 105. Tibi augur nuntiavit, addubitato salutis augurio, bellum domesticum triste fore. *Id.* 1. *Off.* 24. 83. Si plus adipiscare, re explicata, boni, quam addubitata, mali.

ADDŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 1. (ad et duco). *Adduce* in Imperativo pro *adduc* est *Plauti Asin.* 2. 2. 88., *Pœn.* 1. 3. 15., *Stich.* 1. 2. 90., itemque *Ter. Phorm.* 2. 1. 79. *Adduxti* pro *adduxisti* est *Ter. Heaut.* 4. 6. 15. *Adduxe* pro *adduxisse* est *Plaut. Rud.* 4. 4. 3. *Adduciturum* pro *adducturum* quidam legunt apud *Plaut. Truc.* 1. 2. 31., sed varia ibi est lectio. — Part. *Adductus* in omnibus ferme paragraphis et in fine; *Adducturus* II. *B.* 1. — Adduco autem est ad aliquem, vel ad aliquid duco; et proprie de personis ponitur. *V.* **ADIGO** in fine. (It. *condurre, menare*; Fr. *amener, conduire*; Hisp. *traer, llevar, conducir*; Germ. *herbeiführen, herbeibringen*; Angl. *to conduct, bring, fetch*).

I.) Proprie ponitur *A*) de hominibus, et *B*) de rebus inanimis.

A) De hominibus. ¶ 1. Generatim est ducere aliquem ad aliquem hominem aut locum. — a) Pronomine *secum* adjecto. *Ter. Andr.* 4. 2. 1. Jam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo et mecum adductum tuum Pamphilum. Adde *Eun.* 4. 4. 27. *Afranius* apud *Non.* p. 174. 32. *Merc.* Curre, et nuntia venire, et mecum speratum adduce. Adde *Cic.* 16. *Fam.* 21. 5. infra e. — b) Cum Accusativo et præp. *ad* si agitur de persona aut de loci proximitate; aut *in* si de ingressu in locum agitur. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 78. Adducere aliquem domum ad se. *Lucilius* apud *Non.* p. 159. 25. *Merc.* ad cœnam. *Plaut. Asin.* 5. 2. 65. huc ad lenam. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 9. Ad ægros non vates aut hariolos, sed medicos solemus adducere. *Nep. Epam.* 3. 6. Adducebat eum, qui quærebat, ad eos qui conferebant. *Id. Hann.* 2. 4. ad aram. *Cic.* 8. *Att.* 11. 1. gentes armatas in Italiam. *Curt.* 8. 6. 27. Adductū in regiam. *Varro* 2. *R. R. proœm.* 6. Quod te empturientem in campos Macros ad mercatum adducunt crebro pedes. — c) Cum Adverbiis aut similibus locutionibus. *Plaut. Truc.* 1. 2. 31. adducere huc. *Id. Pœn.* 5. 3. 54. intro. *Ter. Andr.* 5. 3. 29. aliquem huc coram. *Id. Eun.* 4. 7. 24. ante oculos coram. — d) Cum Accusativo sine præp. *Ovid.* 3. *Met.* 598. dextris adducor littora remis. — e) Cum Ablativo loci, unde aliquem adducimus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 44. adducere aliquem a foro. *Liv.* 9. 33. supplementum ab Roma. *Cic.* 16. *Fam.* 21. 5. Quos secum Mitylenis Cratippus adduxit. *Id. Quinct.* 6. 24. v. § seq. — f) Interdum etiam de copiis. *Cic.* 7. *Att.* 9. 2. Adducere exercitum. *Ter. Adelph.* 5. 7. 15. turbam domum. *V.* et § seq. ¶ 2. Specialim interdum accipitur pro comparare; unde præcipue obsceno sensu pro conciliare mulierem, vel scortum alicui, quod et *perducere* et *adducere* dicimus. *Ter. Hec.* 3. 1. 43. PA. Quid morbi est? PAR. Nescio. PA. Quid? nemon' medicum adduxit? PAR. Nescio. *Id. Andr.* 5. 3. 21. Adducti, qui illam civem hinc dicant. *Id. Hec.* 5. 2. 4. Adducere puero nutricem. *Cic. Quinct.* 6. 24. Qui ex Gallia pueros venales isti adducebat. *Nep. Eum.* 6. 4. Adducere exercitum subsidio alicui. — *Varro* 7. *L. L.* 84. p. 152. *Müll.* Adducere pro scorto pellicem. *Nep. Dion.* 3. Puero scorta adducebantur. *Ovid.* 3. *Fast.* 483. pellicem. *V.* **ADDUCTOR.** ¶ 3. Item specialim apud JCtos est ducere aliquem ad tribunal. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 36. 99. Adducere aliquem ad populum Rom. *Id.* apud *Quintil.* 9. 3. 50. ad senatum. *Liv.* 33. 42. 10. pecuarios ad populi judicium. *Cic. Rosc. Am.* 10. 28. aliquem in judicium. Cf. infra *B.* 4. *Cic.* 3. *Verr.* 2. 6. *absolute*: Adducere reum. h. e. ad tribunal.

B) De rebus inanimis, quæ tamen mobilitate aliqua præditæ sint, aut facile transferri possint. ¶ 1. De rebus physicis ponitur pro agere, ducere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (121). Aquam cuniculis per montem actis adduxit. Adde *Liv.* 41. 27. 11. *Plin.* 10. *Ep.* 69. Lacum fossā usque ad flumen adducere. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 11. Dicas adductum propius frondere Tarentum. *Quintil.* 11. 3. 56. Pituitam ab imo pulmone trochleis adducere. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. 4. Adducere naves. *Curt.* 8. 10. 32. Adductæ moles. *Liv.* 44. 26. 10. Adducere aurum secum. ¶ 2. Significat præterea ad se trahere, tendere; cui opponitur *remittere*. *Petron. Satyr.* 94. Adducere ostium. h. e. ad se trahendo claudere. *Ovid.* 8. *Met.* 776. adductaque funibus arbor Corruit. *Cic. Amic.* 13. 45. Habenas quam laxissimas habere amicitiæ, quas vel adducas, vel remittas. Adde *Virg.* 9. *Æn.* 587. *Ovid.* 6. *Fast.* 586. Nos tamen adductos intus agemus equos. h. e. habenis adducendis cohibitos. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. et *Lucan.* 3. 700. Adducere funes. *Liv.* 9. 10. Cum apparitor Postumium laxe vinciret, quin tu, inquit, adducis lorum? *Ovid.* 1. *Met.* 455. adducto flectentem cornua nervo. *Virg.* 5. *Æn.* 507. adducto constitit arcu. *Id.* 9. *ibid.* 632. sagitta. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Balistæ eo graviores emissiones, quo sunt contenta atque adducta vehementius. *Id.* 1. *Divinat.* 54. 123. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse. *Priap.* 26. 4. adducta tympana pulsa manu. *Dubia sunt loca Virg.* 9. *Æn.* 402. adducto torquens hastile lacerto. h. e. retracto et postea vibrato brachio. Et *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 5. adducta collum percussa securi Victima. ¶ 3. Est etiam contrahere, et ponitur præsertim de pelle et de corporis membris. *Seneca* 1. *Benef.* 1. 5. Adducere frontem. *Quintil.* 10. 3. 13. Frons tam adducta. *Seneca Ep.* 57. 3. Adducere vultum ad tristitiam. *Sueton. Tib.* 68. Adductus vultus. *qui gravitatis, vel etiam tristitiæ signum est. Virg.* 3. *G.* 483. ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus. h. e. contraxerat, et macie confecerat enecta membra, atque adeo exiliora et quodammodo longiora reddiderat, extenderat. *Ovid.* 3. *Met.* 396. Attenuant vigiles corpus miserabile curæ, Adducitque cutem macies. *Claudian.* 2. *Rufin.* 439. adductis digitos inflectere nervis. *V.* et *Adductus* in fine. ¶ 4. Cum abstractis est afferre, inducere: et occurrit aut absolute, aut cum Accusativo et præp. *in*. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 8. Opella forensis Adducit febres. *Id.* 4. *Od.* 12. 13. Adducere sitim. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 51. (145). Ova noctuæ tædium vini adducunt. *Quintil.* 12. 9. 8. Adducere res extrinsecus. — *Id. ibid.* 2. 9. philosophiam in corpus eloquentiæ. *Id.* 5. 11. 1. quædam extrinsecus in causam. *Cic.* 3. *Off.* 16. 67. et *Cajus* 4. 16. rem in judicium.

II.) Translate ponitur *A*) de rebus, sed sæpius *B*) de personis, et generatim est aliquo perducere, sive in aliqua locare conditione.

A) De rebus, et est res ipsas aliquem in statum perducere, sive ex alia in aliam conditionem transferre. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 3. In eam opinionem rem adduxerat, ut etc. *Id.* 5. *ibid.* 21. 3. Est enim res jam in eum locum adducta, ut etc. *Et paullo ante.* Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. *Id.* 6. *Phil.* 7. 19. Res in extremum est adducta discrimen. *Id.* 7. *Att.* 9. 2. Rem adduci ad interregnum. *Liv.* 35. 8. Adducere regnum ad ultimum discrimen. *Tac.* 14. *Ann.* 61. vitam in extremum. *Cic. Top.* 3. aliquid ex inordinato in ordinem. *Id.* 7. *Fam.* 26. 2. terrā nata in honorem. *Id. Brut.* 18. 70. Signa Myronis satis ad veritatem adducta. h. e. satis exprimentia veritatem. *Id.* 1. *Orat.* 40. 183. Adducere rem in controversiam. *Seneca* 2. *Benef.* 4. 1. beneficia in odium. *Nep. Epam.* 3. 3. sermonem ad finem. *Liv.* 33. 33. aliquid ad effectum. *Horat. Epod.* 14. 8. iambos ad umbilicum.

B) Sæpius de personis: et est ¶ 1. Trajicere aliquem ab alia in aliam conditionem. — a) Cum Accusativo et præp. *ad*. *Cic.* 5. *Fam.* 20. 2. Adducere aliquem ad arbitrium suum. *Id. Dejot.* 10. 29. ad suam auctoritatem. *Nep. Eum.* 12. 1. et *Justin.* 26. 7. 6. ad desperationem. *Liv.* 45. 8. ad ultimum discrimen. *Curt.* 10. 8. 5. ad periculum mortis. *Ter. Adelph.* 3. 3. 4. ad nequitiam. *Liv.* 41. 25. Ætolorum in semetipsos versus furor mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. — b) Cum Accusativo et præp. *in*. *Cic.* 5. *Verr.* 61. 140. Adducere aliquem in sermonem, invidiam, vituperationem. *Id.* 3. *Off.* 20. 79. in invidiam falso crimine. *Id. Mur.* 24. 48. in metum. *Liv.* 11. 8. in suam sententiam. *Id.* 8. 7. in necessitatem. *Id.* 35. 81. in periculum. *Nep. Iphicr.* 2. exercitum in consuetudinem. *Id. Hann.* 2. aliquem in suspicionem alicui. *Seneca* 2. *Benef.* 5. Animus adductus in tædium. ¶ 2. Est etiam movere, impellere, inducere, persuadere: et pluribus occurrit modis, scilicet — a) Cum Accusativo et præp. *ad*. *Ter. Heaut.* 5. 2. 42. Adducere aliquem ad misericordiam. *Id. Hec.* 5. 3. 38. animum ad malas artes. *Cic. Brut.* 93. 322. aliquem ad iracundiam. *Id. Rosc. Am.* 31. 86. ad facinus. *Sall. Catil.* 41. ad consilium. *Cic. Prov. cons.* 16. 39. ad suspicandum. *Nep. Con.* 3. ad credendum. — b) Cum Accusativo et præp. *in*. *Cic. Post red. in sen.* 7. 16. aliquem in cogitationem. *Id.* 1. *Tusc.* 17. 39. in summam exspectationem. *Id.* 2. *Att.* 22. 3. et *Sall. Jug.* 41. in spem. — c) Sæpe absolute, præsertim in Part. perf. pass. *Cic.* 1. *Verr.* 3. 10. Aliqua re adductus. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. 1. His rebus adducti. *Cic. Partit.* 14. 49. Præmio, gratia adductus. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. 8. oratione. *Id. ibid.* 16. 6. precibus. *Id. ibid.* 39. 3. pudore. — d) Sequentibus particulis *ut, quo, quin*, aut Infinito. *Cic.* 1. *Verr.* 2. 5. Adductus sum – officio, fide, misericordia –, ut onus hujus laboris atque officii – mihi suscipiendum putarem. *Id. Senect.* 10. 34. Nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit. *Id.* 6. *Verr.* 7. 14. Neque voluntate, neque difficultate aliqua, neque magnitudine pecuniæ adduci, ut etc. *V.* et § proxime sequentem. *Val. Max.* 2. 9. 6. Neque honorum magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem gereret. *Sueton. Tib.* 21. Adduci nequeo, quin existimem. *Afranius* apud *Non.* p. 514. 20. *Merc.* Facilius adducor ferre humana humanitus. ¶ 3. Locutiones *adducor, ut putem, ut credam*, etc. sæpissime occurrunt (quemadmodum apud *Cic.* 2. *Fam.* 10. 1., *Liv.* 4. 49. et 5. 48.) ea significatione, quam antecedens paragraphus exhibet: ex his autem per ellipsin factum est, ut *adducor* absolute significaret *adducor, ut credam, ut putem*, ac propterea sequente Infinito, aut Subjuntivo cum particula *ut*, quæ tamen minime pendet a verbo *adducor*, sed a toto orationis membro. *Cic. Cluent.* 37. 104. Adducti judices sunt, non modo potuisse honeste ab eo reum condemnari etc. *ubi male nonnulli Codd. leg.* adducti. *Id.* 2. *Leg.* 3. 6. Ut jam videar adduci, hanc quoque – esse patriam tuam. Adde *Curt.* 10. 2. 19. et *Colum.* 2. *R. R.* 1. 4. *Cic.* 4. *Fin.* 19. 55. Veritas clamabat – non posse adduci, ut inter eas res – nihil interesset. *Id.* 1. *ibid.* 5. 14. Nam illud quidem adduci vix possum, ut ea – tibi non vera videantur. h. e. possum adduci ad illud credendum. Adde *Lucret.* 5. 1340.

Adductus, a, um, præterquam Part. perf. pass. iisdem quibus verbum significationibus, est etiam Adject., cujus Comp. *Adductior*, et — 1) Proprie est contractus. *V.* superius I. *B.* 3. *Capitolin. Ver.* 10. Frons in supercilia adductior. h. e. contractam cutem

et rugosam habens versus supercilia. *Pomp. Mela* 1. 4. 1. Africa ex spatio paullatim adductior. *h. e.* cujus spatium paullatim minuitur et contrahitur. — 2) Translate est — *a*) contractus *Tac.* 12. *Ann.* 7. Adductum et quasi virile servitium. *Alii leg.* addictum. *Plin.* 1. *Ep.* 16. In concionibus eadem quæ in orationibus vis est, pressior tamen et circumscriptior et adductior. — *b*) Item rigidus, severus. *Tac.* 14. *Ann.* 4. Modo familiaritate juvenili Nero, et rursus adductus, quasi seria consociaret.

ADDUCTĒ, adverb. cujus comparativi *adductius* adhuc tantummodo exempla vidimus. *Auson. Gratiar. act.* 27. Nemo adductius jacula contorsit, nemo spicula crebrius jecit. *h. e.* magis arcum adducendo, atque adeo majore impetu. Sunt qui legunt *abductius*, sed minus recte. ¶ 2. Translate est severe, cui *remisse* opponitur. *Tac. Germ.* 43. Gotones regnantur paullo jam adductius, quam ceteræ Germanorum gentes; nondum tamen supra libertatem. *Alii perperam leg.* addictius. *Id.* 3. *Hist.* 7. Quia adductius, quam civili bello, imperitabat.

ADDUCTĬO, ōnis, f. 3. (adduco) actus adducendi sive trahendi ad se (*It. l'atto di trarre a se*; Fr. *action de tirer à soi*; Hisp. *el acto de atraer para si*; Germ. *das Ansichziehen*; Angl. *a drawing together*). ¶ 1. Proprie et active est actus attrahendi ad se. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ad med.* Hoc igitur facere tentabimus multis cucurbitis per spinam, recto scilicet ordine post invicem, affigentes, atque sufficiens tempus adductioni largientes; primoque primarum faciemus detractionem, tum sequentium. *h. e.* tantum temporis largientes, quantum satis est, ut cucurbitæ sanguinem ad se adducant eliciantque. ¶ 2. Item passive est ipsa attractio, seu potius distentio. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. In pulmone vero emergente vomica, spirandi plurima difficultas sequitur ægrotantes, – thoracis gravedo, et adductio superiorum ad inferiora. *Id.* 1. *Acut.* 3. Præcordiorum vehemens tensio atque ad superiora adductio. *Id.* 2. *Tard.* 1. *sub initium.* Sequente etiam rugatione cum adductione partium vel extensione. *Id.* 3. *Acut.* 5. *sub initium.* Vultus adductio, ita ut longior nota videatur imago. ¶ 3. Hinc etiam spasmus, quem *Cels.* 2. 1. *ante med.* membrorum distentionem appellat. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Quæ (*partes*) diaphragmati sunt natura connexæ – adductione sui tumores ingenerant vicinarum. *V.* ABDUCTIO. *Theod. Prisc.* 4. 9. p. 316. *bis.* Sequitur ut turbatus (*spiritus*) mentem commoveat, et casum corporis faciat, atque adductiones et raptus diversos.

ADDUCTOR, ōris, m. 3. qui adducit. *Vet. epigramm. Petronii Afranii* in *Anthol. Meyer.* 947. 2. *Vol.* 2. p. 27. Græcule consueta lenandi callidus arte, Cœpisti adductor conjugis esse tuæ. *h. e.* ejus pudicitiæ prostrator, conciliator, perductor. *V.* ADDUCO I. *A.* 2., et LENO, as.

ADDUCTUS, a, um. *V.* ADDUCO.

ADDUES et

ADDUIS. *V.* ADDO.

ADDUPLICO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem ferme quod duplico. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 61. Adduplicabit omne furtum. *Alii tamen rectius leg.* Id dupli abit.

ADĔDO, ēdis, ēdi, ēsum, ĕdere, a. 3. (ad et edo). Ut edo, est dicimus, sic *adest* pro *adedit* usurpavit *Lucan.*, ut infra II. 1. Ceterum, præter Part. perf. pass. *Adesus* (quod invenies in omnibus paragraphis), hujusce verbi occurrunt tantummodo Perf. *adēdi* et Plusquam perf. *adederat.* — Adedo autem proprie esset dentibus edere incipio; sed quoniam quæ eduntur partes, eo ipso tempore consumuntur, adedo est dentibus consumo (It. *mangiare, consumare*; Fr. *ronger, consumer*; Hisp. *roer, consumir*; Germ. *anessen, anfressen, anzehren*; Angl. *to eat, consume*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. *ex Poeta*: Adesum jecur. *Liv.* 1. 7. Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem. *Quintil.* 6. 3. 90. Pisces – ex parte adesi. *Virg.* 4. *G.* 242. sæpe favos ignotus adedit Stellio. *Sisenna* apud *Non.* p. 71. 1. *Merc.* Frumento adeso.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur etiam de iis, quæ non animalium dentibus, sed igne, tempore, undis, aut alia physica vi consumuntur. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 41. cum me supremus adederit ignis. *Alii leg.* adusserit. *Propert.* 4. 7. 9. Et solitum digito beryllon adederat ignis. Adde *Nemes. Ecl.* 4. *Virg.* 9. *Æn.* 537. Adesi postes. *Petron. Satyr.* 109. Vernantesque comas tristis adedit hiems. *Alii leg.* abegit, *alii* ademit. *Lucan.* 6. 263. cum se tollentibus Euris, Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti Montis adest. *Horat.* 3. *Od.* 29. 36. Adesi lapides. *h. e.* vi aquarum corrosi. *Ovid.* 10. *Heroid.* 26. Adesus scopulus. ¶ 2. Metaphora sumpta ab iis quæ dentibus consumuntur, ponitur etiam de fortunis bonisque, atque interdum de ducibus profligatis, sed Participium solummodo perf. pass. *Cic. Quinct.* 12. 40. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia, sic dissolutus fuisset? *Tac.* 13. *Ann.* 21. Adesis fortunis omnibus. *Id.* 1. *Hist.* 4. Bona adesa. *Sil. It.* 13. 680. Adesus cladibus Hasdrubal. *h. e.* fractus, debilitatus.

ĂDEFFICIO, ficis, fēci, fectum, ficere, a. 3. per appositionem efficio, simul efficio. *Festus* p. 293. *col.* 1. 24. *Müll.* in *Solitaurilia.* Quidam dixerunt omnium trium vocabula confixa (*al.* confusa), suis, ovis, tauri, adeffecisse id, quod uno modo appellarentur universæ (*hostiæ*).

ĂDELPHIS, idis, f. 3. ἀδελφίς, Græca vox sororem significans. Hinc genus quoddam palmarum, quod earum nuces sapore ad caryotas maxime accedant, veluti earum sorores, adelphides dictæ sunt, teste *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (45): ubi tamen ad Græcæ linguæ analogiam pro *adelphides* legendum videtur *adelphidæ.* Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 1. p. 79.) ait hujusmodi nuces vocatas fuisse adelphidas, non quia sapore ad caryotas accedant, sed fortasse quia unicuique pediculo binæ adhærent.

ĂDEMPTĬO *vel* ademtio, ōnis, f. 3. (adimo) actus adimendi, ablatio (It. *il togliere*; Fr. *action d'enlever*; Hisp. *el acto de quitar*; Germ. *die Hinwegnehmung oder Entziehung*; Angl. *a taking away, a depriving*). *Cic. Dom.* 30. 78. Non ademptione civitatis, sed tecti et aquæ et ignis interdictione. *Tac.* 2. *Ann.* 76. Ademptione provinciæ satisfactum inimicis. *Id.* 4. *ibid.* 6. Ademptiones bonorum.

ĂDEMPTOR, ōris, m. 3. qui adimit, ablator. *Augustin. Tract.* 116. *in Joann.* Non datorem vitæ, sed ademptorem.

ĂDEMPTUS *vel* ademtus, a, um. *V.* ADIMO.

ĂDEO, adverb. De accentu vide vocem sequentem. Est autem vocabulum compositum ex præpositione *ad* et Dativo *eo* a Nominativo *id*; non quidem secundum rationem, ut ait *Paul. Diac.* 19. 8. *Müll.*, quia *ad* præpositio Accusativis accommodata est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine (*V.* AD in fine In compositione): hinc adeo significat usque eo, ad illum terminum (It. *sin la, fino a quel punto*; Fr. *jusque-là, jusqu'à ce point*; Hisp. *hasta alli*; Germ. *bis dahin*; Angl. *just so far*). Porro significatione est aut *A*) merum adverbium, aut *B*) mera particula.

A) *Adeo* merum adverbium occurrit I.) de loco, II.) de tempore, III.) de gradu.

I.) De loco, seu spatii termino. ¶ 1. Raro admodum occurrit sensu proprio. *Cato R. R.* 40. 13. Ibo artito surculum, quem inserere voles: librum ad librum vorsum facito: artito usque adeo, quo præacueris. *h. e.* surculum arcte immittito atque adigito usque ad eum locum vel terminum, quo antea acuisti. ¶ 2. Sæpius translate, sed tantum in locutione *adeo res redit*, h. e. eo, eo loci pervenit. *Ter. Heaut.* 1. 1. 61. Postremo adeo res rediit: adolescentulus sæpe eadem et graviter audiendo victus est. *Id. Phorm.* 1. 2. 5. Adeo res rediit: si quis quid reddit, magna habenda est gratia. *Id. Heaut.* 5. 2. 27. Adeon' rem rediisse, ut periclum etiam a fame mihi sit, Syre? Adde *Phorm.* 1. 3. 1.

II.) De tempore *adeo*, interdum junctum particulæ *usque*, sequente *dum*, *donec* vel *donicum*, aut *quoad*, significat usque ad illum temporis terminum, tamdiu. *Plaut. Merc.* 3. 4. 71. Quanto te satius est rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere, adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit! Adde *ibid. prol.* 75. *Id. Pseud.* 4. 7. 70. Exploratorem hunc faciamus ludos suppositicium, adeo donicum ipsus sese ludos fieri senserit. *Id. Asin.* 2. 2. 61. Age, age, mansero tuo arbitratu, vel adeo usque, dum peris. Adde *eumd. Amphitr.* 1. 2. 8. et seq. et *Ter. Eun.* 4. 6. 3. et seq. *Plaut. Cist.* 2. 3. 40. Instare usque adeo, donec se adjurat anus eam mihi monstrare. *Ter. Andr.* 4. 1. 36. Nunquam destitit instare –, suadere, orare, usque adeo donec perpulit. *Cato R. R.* 88. 1. Id aliquoties in die facito, usque adeo donec sal desierit tabescere biduum. Adde 88. 2., 67. 2., 76. 4. *Cic. Sext.* 38. 82. Atque hoc scitis omnes usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sextium vivere.

III.) De gradu vel quantitate; et pluribus occurrit rationibus. ¶ 1. Interdum significat æquum gradum, seu *æque atque*, sequente *ut* aut *quam* cum Indicativo; sed tantum apud Veteres in vulgari sermone. *Plaut. Epid.* 4. 1. 38. Ille eam rem adeo sobrie et frugaliter accuravit, ut alias res est impense improbus. *Ter. Andr.* 1. 5. 10. Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum? *Id. Heaut.* 5. 1. 12. Gaudere adeo cœpit, quasi qui cupiunt nuptias. ¶ 2. Sæpissime in altero orationis membro significamus, quo usque gradus processerit, sive gradationis, ut ita dicam, terminum exitumque indicamus: tunc autem *adeo* occurrit, apud omnes cujusque ætatis Scriptores, interdum præcedente particula negativa, semper autem sequente *ut*, aut pronomine relativo, aut particula *quin* cum Conjunctivo. — *a*) Generatim sequente *ut.* *Plaut. Merc. prol.* 35. Quia nullus unquam amator adeo est callide facundus, quæ in rem sint suam ut possit loqui. *Ter. Andr.* 1. 1. 92. Et voltu, Sosia, adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra. *Cic. Flacc.* 20. 47. Neminem tamen adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. *Nep. Milt.* 3. 5. Adeoque perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves petierint. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 39. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit. *Liv.* 22. 32. 2. Adeoque inopia est coactus Hannibal, ut – Galliam repetiturus fuerit. *Quintil.* 9. 1. 3. Quia adeo similitudo manifesta est, ut eam discernere non sit in promptu. — *b*) Sæpe *adeo ut* ita inter se connectuntur, ut unum aliquod efficiant æque atque *ita ut*; interdum et particula *quidem* interseritur. *Plaut. Capt. prol.* 63. Ego faciam, ut pugnam inspectet non bonam, adeo ut spectare postea omnis oderit. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 5. § 15. Rempublicam funditus amisimus, adeo ut Cato – vix vivus effugeret. *Cajus Dig.* 2. 1. 8. Adeo quidem, ut non sufficiat, unum eorum pœnam luere. Adde *ibid.* 41. 1. 7. — *c*) *Adeone* vel *adeo* sequente *ut* sæpissime in interrogatione occurrit. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 49. Adeone me fuisse fungum, ut qui illi crederem? *Ter. Andr.* 4. 4. 18. Adeon' videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis? *Cic. Rab. perd.* 10. 28. Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinæ – nostræ, ut hæc nescias? *Id.* 9. *Fam.* 10. 2. Quid ergo? tu adeo mihi excursam severitatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiæ – appareant? *et alibi.* — *d*) Interdum etiam hoc sensu adverbio *adeo* jungitur particula *usque.* *Plaut. Bacch.* 3. 4. 10. Adeo ego illam cogam usque, ut mendicet meus pater. Adde *Curt.* 10. 1. 42. — *e*) Item præcedente particula negativa: unde apud Scriptores, qui post Ciceronem floruerunt, frequenter legimus *adeo non, ut*, et *adeo nihil, ut*, interdum et *adeo tenus non, ut.* *Ter. Adelph.* 2. 2. 13. Verum ego numquam adeo astutus fui, quin, quidquid possem, mallem auferre potius in præsentia. *Tac.* 1. *Hist.* 3. Non tamen adeo virtutum sterile seculum, ut non et bona exempla prodiderit. *Sueton. Oth.* 9. Ne victis quidem adeo afflictis, ut – non – quidvis discriminis ultro – subirent. *Sall. orat. Lep.* p. 159. 23. *Orell.* Quorum adeo Sullam non pœnitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit. *Liv.* 8. 5. 7. Qui adeo non tenuit iram, ut – gladio cinctum in senatum venturum se esse palam diceret. *Id.* 3. 2. 7. Hæc dicta adeo nihil moverunt quemquam, ut legati prope violati sint. *Id.* 30. 34. 5. Afri et Carthaginienses adeo non sustinebant, ut contra etiam – pedem referrent. Adde *eumd.* 5. 45. 4.; *Colum.* 2. *R. R.* 21. 5., *Curt.* 3. 12. 22., *Vellej.* 2. 60. 4., *Quintil.* 12. 11. 16. aliosque. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. an.* 10 *a med.* Adeo tenus non est corpus anima, ut sit imago divina. *h. e.* adeo usque verum est, non esse corpus animam, ut etc. ¶ 3. Interdum *adeo* cum particula negativa, nulla sequente particula nulloque sequente orationis membro connexo, est *non ita* scilicet significat rem non eo pervenisse, quo ipsi putamus. *Virg.* 2. *Ecl.* 25. Nec sum adeo informis. *Id.* 1. *Æn.* 567. Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni. *Sueton. Aug.* 65. Nam Caii Luciique casu non adeo fractus, de filia absens ac libello per quæstorem recitato, notum senatui fecit. *Id. ibid.* 88. Orthographiam – non adeo custodiit. ¶ 4. Item sine particula *ut* quæ sequatur, *adeo* in principio positum eleganter servit epiphonemati, quod veluti generale rationem exprimit eorum, quæ superius dicta sunt. –

ducitur: hoc autem sensu ante Ciceronem nunquam, in Cicerone semel, post Ciceronem sæpe apud omnes ferme Scriptores occurrit; Cicero vero usus est adverbio *tantum*, potius quam *adeo* (*V.* 3. *Off.* 31. 112.). *Cic.* 1. *Off.* 11. 37. Adeo summa erat observatio in bello movendo. *quæ lectio nonnullis dubia est. Liv.* 2. 43. 10. Nec huic tam pestilenti exemplo remedia ulla ab imperatore quæsita sunt. Adeo excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hostem superent. *Id. ibid.* 47. 11. Omni acto triumpho depositus triumphus clarior fuit. Adeo spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit. Adde *eumd.* 4. 31. 5., 3. 4. 2., 5. 38. 4., 4. 1. 4. et alibi; *Curt.* 10. 2. 11., *Quintil.* 1. 12. 7. aliosque. — Huc illa quoque sunt referenda, in quibus *adeo* pro *etenim*, *nam* positum videtur, quamvis hanc eamdem, de qua diximus, retineat significationem. *Liv.* 21. 11. 1. Cum Hanno perorasset, nemini omnium cum eo certare necesse fuit. Adeo prope omnis senatus Hannibalis fuit. *Id.* 21. 20. 8. Sed ne illi quidem mitem gentem fore (adeo ferocia atque indomita ingenia esse), ni subinde auro – animi concilientur. *Id. præf. lib.* 1. § 11. Nulla unquam respublica nec major –, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit. Adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Adde *eumd.* 9. 26. 17. et *Tac.* 2. *Ann.* 28. ¶ 5. Denique *adeo* ponitur etiam pro *multo magis*, aut pro *multo minus* vel *nedum* si cum particula negativa jungatur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 63. (98). *de satyrio*: Venerem, etiam si omnino manu teneatur radix, stimulari; adeo si bibatur in vino austero. *h. e.* multo magis. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (179). *de vitibus*: Minimum id esse debebit intervallum, ut attingat jugum speretque, non teneat: adeo non recumbat in eo, nec delicate se spargat. *h. e.* multo minus recumbat. *Tac.* 4. *Hist.* 80. Sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatum appetens. *h. e.* nedum. *Id.* 4. *Hist.* 80. Neque Antonium adsciri inter comites passus est, favore militum anxius, et superbia viri æqualium quoque, adeo superiorum intolerantis. Adde *eumd.* 6. *Ann.* 15., *Curt.* 7. 5. 35. et *Vellej.* 2. 67. 1.

B) *Adeo* mera particula pluribus occurrit rationibus, quæ tamen ad duas præcipue redigi possunt: aut enim I.) *adeo* vim aliquam gradus significandi retinere videtur (*V.* supr. III.), aut II.) vocabulo apponitur, in quod præsertim lectores animum attendere volumus.

I.) *Adeo* vim aliquam gradus significandi retinere videtur, quamvis reapse sit mera particula, ¶ 1. Si in principio ponatur, interdum sequente *etiam* aut præcedente *atque*, in quibus significat *quin imo*, *quod plus est. Plaut. Most.* 3. 1. 100. Adeo etiam argenti fenus creditum audio. *h. e.* perinde ac si dicat: eo usque res processit, ut argenti quoque fenus etc. *Id. Aulul.* 3. 2. 27. Adeo (*h. e.* quin imo), ut tu meam sententiam jamjam noscere possis, si ad januam hanc accesseris, nisi jussero, propius, ego te faciam, miserrumus mortalis uti sis. *Id. Stich.* 5. 4. 15. Atque adeo ut tu scire possis, factum ego tecum hoc divido. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 6. ¶ 2. *Atque adeo*, raro etiam *et adeo*, in medio orationis eleganter ponitur pro *imo*, aut *vel potius*; et additioni, aut correctioni servire videtur. *Cic. Planc.* 19. 48. Insector, posco atque adeo flagito crimen. *h. e.* imo, vel potius; perinde quasi dicat: et eo usque progredior, ut flagitem crimen. *Plaut. Truc.* 2. 4. 6. Vapulo hercle ego nunc atque adeo male. *Cic. Rosc. Am.* 10. 29. Hoc consilio atque adeo hac amentia impulsi. *Id.* 5. *Verr.* 50. 118. Quo id jure atque adeo quo id potius more. Adde *eumd. Rosc. Am.* 35. 100. et *Ter. Andr.* 3. 2. 52. aliosque. *Ter. Eun.* 4. 6. 6. Scin tu turbam hanc propter te esse factam et adeo ad te attinere hanc omnem rem. ¶ 3. *Adeo* occurrit etiam præcedentibus particulis *si*, *sive*, *vel*, *aut*; ac pariter *imo* significat. *Ter. Andr.* 2. 6. 7. SIM. Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ? DAV. Nihil hercle, aut, si adeo, bidui est aut tridui hæc sollicitudo. *h. e.* quod si molestæ fuerint; perinde quasi dicat: si eo usque res pervenerit. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 2. Nihili est autem, suum qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus. *Id. Merc.* 5. 4. 33. Si hercle scivissem, sive adeo joculo dixisset mihi. *Cic.* 5. *Verr.* 46. 110. Mihimet – via reperiunda est, qua ad Apronii quæstum, sive adeo, qua ad istius – prædam possim pervenire. *Plaut. Cas. prol.* 76. Pœnus dum judex siet, vel Græcus adeo, vel mea causa Appulus. *Id. Truc.* 4. 3. 1. Egone tibi maledicam, aut tibi adeo male velim? Adde *eumd. Amph. prol.* 71., *Merc.* 5. 4. 57.; *Pacuvium* apud *Non. p.* 521. 10. *Merc.*, *Ter. Heaut.* 4. 1. 9. et *Phorm.* 5. 8. 38.

II.) Sæpissime *adeo* est particula inter encliticas recensenda, quæ non sententiæ, sed uni tantum vocabulo apponitur, in quod præsertim lectores animum attendere volumus; quæque aliquando significat *præcipue, revera, sane*; aliquando vero, utpote enclitica, nullo apud nos vocabulo verti potest, et sono tantum vocis attollitur. Apponitur autem — *a*) Verbis. *Plaut. Rud.* 5. 3. 31. Dandum huic argentum est probum: id ego continuo huic dabo adeo, me ut hic emittat manu. *ubi nonnullæ Editt. male exhibent* dabo, adeo me ut etc. *Ter. Heaut.* 1. 1. 120. Egomet convivas moror. Ibo adeo hinc intro. *Id. Andr.* 4. 4. 20. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua (ubi *adeo* idem est, ut recte monet *Freund*, ac γὲ apud *Soph. Phil.* 1003. ξυλλάβετέ γ' αὐτόν). *Gell.* 10. 3. Legebamus adeo nuper orationem Gracchi. *h. e.* revera legebamus; quod differt ab alio loco *Gell.* 2. 23. Legebamus nuper adeo. *h. e.* nuperrime. — *b*) Substantivis. *Plaut. Stich.* 5. 2. 16. Ubi voster cœnat cum uxore adeo et Antipho. *Id. Merc.* 2. 1. 8. Posterius quam mercatus fueram (*capram*), visus sum in custodiam eam simiæ concredere: ea simia adeo post haud multo ad me venit. Adde *Stich.* 2. 1. 62. et *Cas.* 3. 3. 5. *Ter. Eun.* 1. 2. 123. Nam me ejus spero fratrem prope modum reperisse, adolescentem adeo nobilem. *ubi adeo proprie pertinet ad nomen* adolescentem. *Id. Hec.* 2. 1. 42. Et merito adeo. *Virg.* 2. *G.* 323. Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis. *Val. Flacc.* 4. 63. nullumne malorum Finem adeo pœnæque dabis? *Sil. It.* 11. 226. Necnon et Decio propiora pericula mentem Flammarant, tempusque adeo cernebat adesse, Quo etc. — *c*) Adjectivis et Adverbiis, quæ tamen comparationis gradum naturâ suâ patiuntur; cujus generis sunt *multus*, *magnus*, *totus* etc., numeri ipsi, *quot*, *nullus*, *multo*, *magis* etc. *Virg.* 1. *G.* 287. Multa adeo gelidâ melius se nocte dedere. *Val. Flacc.* 5. 40. Magna adeo comitum numerosaque pubes. *Virg.* 12. *Æn.* 548. Totæ adeo conversæ acies. *Id.* 3. *ibid.* 203. Tres adeo incertos cæcâ caligine soles Erramus. *Id.* 6. *ibid.* 629. Quinque adeo positis incudibus urbes Tela novant. *Plaut. Stich.* 1. 3. 59. Quot adeo cœnæ, quas deflevi, mortuæ! *Ter. Heaut.* 1. 1. 57. Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio. *Plaut. Amph.* 5. 2. 3. Quæ futura et quæ facta eloquar, multo adeo melius quam illi, cum sim Jupiter. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 15. Magis adeo id facilitate, quam aliâ nullâ culpâ meâ contigit. Adde *Plaut. Truc.* 2. 1. 5. *Liv.* 4. 54. 4. Avidissimo adeo populo ostentantes. — *d*) Pronominibus personalibus, possessivis, demonstrativis, præsertim apud Comicos. *Plaut. Truc.* 4. 3. 73. Uxorem, quam primum potes, abduce ex ædibus. Ego adeo jam illi remittam nuncium affini meo. Adde *eumd. Bacch.* 4. 7. 30., *Ter. Eun.* 2. 2. 16., *Virg.* 4. *Æn.* 96. *Plaut. Rud.* 4. 4. 122. Quin te di omnes perdant – meque adeo scelestum. *Virg.* 1. *G.* 24. Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia incertum est etc. *h. e.* et tu præcipue, ut ipse *Servius* interpretatur. Adde *eumd.* 4. *Ecl.* 11. et *Plaut. Pseud.* 1. 2. 80. et *Rud.* 3. 4. 25. *Plaut. Asin.* 2. 3. 23. Atque hercle ipsum adeo contuor. Adde *Ter. Andr.* 2. 5. 4. et *Sil. It.* 14. 487. *Plaut. Stich.* 1. 1. 12. Sed hoc, soror, crucior, patrem tuum meumque adeo – nunc improbi viri officio uti. Adde *Mil. glor.* 5. 2. 28. *Ter. Hec.* 4. 4. 68. Cui tu obsecutus es, facis huic adeo injuriam. *Virg.* 11. *Æn.* 276. Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt. *Cic. Arch.* 6. 13. Atque hoc adeo mihi concedendum est magis etc. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 98., *Ter. Eun.* 2. 2. 2., *Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 16. 3. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 10. Ei adeo obsonii hinc dimidium jussit dari. *Id. Epid.* 2. 1. 2. Is adeo tu es. Adde *Ter. Adelph.* 1. 1. 15. et *Plaut. Bacch.* 4. 9. 44. — Hinc *id adeo* sæpissime occurrit apud optimos Scriptores. *Cic.* 6. *Verr.* 64. 143. Id adeo ex ipso senatusconsulto cognoscite. *Id. Cæc.* 30. 86. Id adeo, si placet, considerate. Adde *Cic. Cluent.* 29. 80., 5. *Verr.* 51. 120., 6. *ibid.* 63. 141., 7. *ibid.* 4. 9.; *Cæs.* 5. *B. G.* 54., *Sall. Cat.* 37. 2. et *Jug.* 65. 3., *Liv.* 2. 29. 9. et 4. 22. aliosque. — Raro tamen occurrit *ille*; sæpe autem pronomen relativum, præsertim si repetatur. *Plaut. Amph.* 1. 2. 6. Ille adeo illum mentiri sibi credet. *Id. Pœn.* 1. 2. 57. Quæ tibi olant stabulum statumque et sellam et sessibulum merum, quas adeo haud quisquam liber unquam tetigit, neque duxit domum. *Id. Amphit.* 2. 2. 44. Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam, quam omnium Thebis vir unam esse optimam dijudicat, quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam. *Cic.* 2. *Fin.* 12. 37. Adjunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti, quarum adeo omnium sententia pronunciabit etc. *Gell.* 7. 17. Quis adeo tam Latinæ linguæ ignarus est, quin sciat etc. — *e*) Nonnullis temporis, loci etc. Adverbiis: quorum præcipue hæc sunt: Hinc adeo *Virg.* 9. *Ecl.* 59. Jam adeo *Virg.* 5. *Æn.* 268. et 11. 487., *Val. Flacc.* 3. 70. et *Sil. It.* 1. 20. Nunc adeo *Plaut. Truc.* 2. 2. 12. et alibi, *Ter. Andr.* 4. 5. 36., *Virg.* 9. *Æn.* 156. Nuper adeo *Gell.* 2. 23. Sic adeo *Virg.* 4. *Æn.* 533. et *Sil. It.* 12. 646. Unquam adeo *Plaut. Cist.* 5. 4. 23. Vix adeo *Virg.* 6. *Æn.* 498. — *Ergo adeo* occurrit apud *Cic.* 2. *Leg.* 10. 33. Ergo adeo exspectate leges etc.

ĂDEO, is, ivi *vel sæpius* ii, itum, ire, 4. (ad et eo, is). Teste *Paul. Diac. p.* 19. 7. *Müll.* in verbo adeo acuta efferebatur syllaba prima, e contra in adverbio *adeo* secunda; quæ sententia haud omnino spernenda, in verbo enim accentus juxta Grammaticorum regulas imponebatur, in adverbio vero particula eo totam ferme vocabuli significationem in se una concludit. — Part. *Adiens, euntis A.* I. 3.; *Aditus B.* I. 3.; *Aditurus B.* I. 4.; *Adeundus B.* II. 1. — Adeo autem est ad aliquem vel ad aliquid accedo aut eo (It. *andare*; Fr. *aller vers, aller à*; Hisp. *ir, andar hácia*; Germ. *heran- oder hinangehen an etwas*; Angl. *to, so far, to such a degree, insomuch*). Est autem *A*) aut verbum neutrum, *B*) aut activum.

A) Ut verbum neutrum.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de motu ad locum alicujus personæ — *a*) Absolute, etiam de hostili accessione. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 54. Adibo atque alloquar. *Liv.* 10. 34. Ad eam partem urbis, qua adierant. *Plaut. Rud.* 1. 4. 22. Accede ad me atque adi contra. *Curt.* 10. 8. 9. Adire propius et colloqui. *Tac.* 4. *Hist.* 65. Coram adire. — *Ter. Phorm.* 1. 4. 32. Nunc prior adito tu; ego in insidiis hic ero. *Cæs.* 7. *B. G.* 83. Adeundi tempus definiunt. *V.* infra *B.* I. 1. — *b*) Addito termino ad quem aditur per Accusativum et præp. *ad* vel *in* (quæ ante propria urbium oppidorumque nomina omittuntur), aut per Adverbia. *Plaut. Curc.* 2. 2. 12., *Ter. Andr.* 4. 1. 15., *Cic.* 3. *Verr.* 47. 123. *et alii.* Adire ad aliquem. *Cic. Flacc.* 21. 49. et 3. *Fam.* 7. *impersonaliter*: Aditur, aditum est ad aliquem. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 24. Adire ad ædes alicujus. *Cic. Cæcin.* 29. 82. Sum ex proximo vicini fundo dejectus, qua adibam ad istum fundum. *Sil. It.* 15. 514. usque ad sidera. — *Cic.* 6. *Verr.* 11. 26. Priusquam Romam, atque in horum (*judicum*) conventum adiretis. *Alii leg.* conspectum. *Sueton. Tib.* 52. Quod Alexandriam se inconsulto adisset. — *Sall. Jug.* 16. An quoquam mihi adire licet? *Plaut. Truc.* 2. 7. 60. Adi huc modo. *Tac.* 1. *Ann.* 43. quoquo. — *c*) Adjecto termino a quo. *Cic.* 6. *Verr.* 11. 26. Vestrane urbs electa est, ad quam cum adirent ex Italia, etc. *Plin.* 6. *Ep.* 16. ex area. *Id.* 4. *ibid.* 16. a tribunali. ¶ 2. Peculiariter *adire ad aliquem* est visere, convenire, ut inde aliquid consequamur, quod vulgo dicimus ad aliquem confugere. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 35. *absolute*: Quanto satius adire blandis verbis atque exquirere etc. *Ter. Phorm.* 1. 2. 9. Adire ad precatorem. *Cic.* 6. *Verr.* 61. 137. Agit mecum et cum fratre meo, ut, si nobis videretur, adiremus ad eorum senatum. *Id. Rosc. Am.* 4. 12. Adire ad arbitrum. *Id. Flacc.* 21. 49. Ad quem adiit causamque ita detulit. *Nep. Them.* 7. 4. Ad magistratum senatumque Lacedæmoniorum adire. *V.* et § seq. ¶ 3. Item peculiariter *adire in jus* est accedere ad causam agendam; quo sensu occurrit etiam impersonaliter. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 147. Cum ad prætorem in jus adissemus. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. Ad Cæsarem in jus adierunt. *Cic.* 11. *Att.* 24. 1. Ibi se cum de suis controversiis in jus adeuntem venisse nuntiant. *Id.* 4. *Verr.* 23. 55. Antequam aditum in jus esset. et *alibi sæpe*, præsertim apud JCtos.

II.) Translate *adire ad aliquam rem* est suscipere, subire. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 25. Nunc eam rem vult, scio, mecum adire ad pactionem. *Cic. Brut.* 90. 311. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire cœpimus. *Id. leg. Manil.* 24. 70. ad rem

publicam. *Cæs.* 3. *B. C.* 7. ad extremum periculum. Cf. infra *B.* II.

B) Ut verbum activum.

I.) Proprie multis et quidem peculiaribus occurrit significationibus. ¶ 1. Est contra ire, aggredi (*V.* supra *A.* I. 1.). *Virg.* 5. *Æn.* 379. Nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum, manibusque inducere cæstus. *Sil. It.* 9. 272. Adire arma. ¶ 2. *Adire manum alicui* dicitur is, qui alterum frustratur et decipit; perinde ac si adversarii manum furtim aggressus arripiat arcteque teneat, ne quid inde capiat detrimenti, atque ita ipsi quasi decepto illudat: ita nonnulli recentiores interpretantur, inter quos et *Klotz* in suo Lexico; aliter *Forcellinus*, qui ait adire manum alicui dici eum, qui alterum frustratur et decipit, velut si aliquid ei ostentet, tamquam daturus, deinde retro trahat et captantem deludat. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 3. Venio ad macellum: rogito pisces; indicant caros, agninam caram, cara omnia: abeo illinc iratus: ita illis impuris omnibus adii manum. *Id. Pœn. a.* 2. *v.* 11. Avaræ Veneri pulcre adii manum. Adde *Cas.* 5. 2. 46. et *Pers.* 5. 2. 18. ¶ 3. Item peculiariter *adire aliquem* est ipsum convenire, visere, ut eidem preces, querelas etc. exhibeamus (Cf. sup. *A.* I. 2.). Hoc autem sensu sæpe occurrit etiam de magistratibus etc. passive. *Ter. Andr.* 3. 3. 2. Aliquot me adierunt, ex te auditum qui ajebant etc. *Cic.* 3. *Fam.* 9. 2. Quod te adeunt fere omnes, si quid velis. *Ter. Hec.* 2. 2. 9. Adii te heri de filia. — *Id. Phorm.* 2. 3. 56. Adire magistratus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 25. § 15. Cum prætores diebus aliquot adiri non possent. *Liv.* 37. 6. Aditus consul idem illud responsum retulit, quo etc. *Seneca Herc. Fur.* 733. Aditur illo Gnossius Minos foro. *Tac.* 4. *Ann.* 36. Ut – Præfectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium. — Sic etiam *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 10. Adire aliquem per epistolam, aut per nuntium. *Tac.* 4. *Ann.* 39. Aliquem scripto. *h. e.* per litteras. *Id.* 1. *Hist.* 9. aliquem legationibus. ¶ 4. Hinc *adire Deos* vel eorum *templa* est orandi causa accedere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 77. Ut essent simulacra, quæ venerantes deos ipsos se adire crederent. *Albinov.* 1. 290. Cur adeo fratres, heu sine fratre! deos? *Tibull.* 1. 5. 39. Num feror incestus sedes adiisse deorum? *Id.* 1. 6. 22. sacra Bonæ Deæ. *Accius* apud *Non.* p. 281. 6. *Merc.* templum. *Cic.* 14. *Phil.* 1. 2. aras. *Alii* ad aras. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 21. Sic flammas aditura pias æterna sacerdos. *Quintil.* 1. 4. 6. interiora sacri hujus. *Lucret.* 5. 1228. divum pacem votis adire. *Ovid.* 15. *Met.* 62. Isque, licet cæli regione remotos, Mente deos adiit. — Pariter *Cic.* 5. *Fin.* 29. 87. Adire magos. *Virg.* 3. *Æn.* 456. vates. *Liv.* 41. 21. et *Tac.* 1. *Ann.* 76. libros Sibyllinos. ¶ 5. Cum de oppidis aut regionibus agitur, est peregre obire, circumire visendi gratia. *Sall. Jug.* 94. Consul oppida castellaque munita adire. *Tac.* 1. *Hist.* 52. Adire hiberna cum cura. *Id.* 3. *Ann.* 45. Inter primores equo insigni adire. *Id.* 2. *ibid.* 13. castrorum vias. *Id.* 2. *ibid.* 39. municipia. *Sueton. Aug.* 47. provincias. *Ovid.* 13. *Met.* 165. Stygios manes. *Id.* 4. *ibid.* 296. Lycias urbes. *Curt.* 4. 6. 30. Ægyptum. *Id.* 5. 2. 16. Persidis finem. *et alibi sæpe. Quintil.* 12. 9. 2. colles. *Plin.* 2. *Ep.* 17. villam.

II.) Translate. ¶ 1. *Adire aliquam rem* est suscipere, subire (Cf. sup. *A.* II.), sed fere semper in malam partem. Huic significationi declarandæ inservit locus *Quintil.* 12. 9. 3. Si juris anfractus, aut eruendæ veritatis latebras adire cogetur. *Ter. Andr.* 1. 1. 53. et *Cic. Rosc. Am.* 38. 110. Adire periculum capitis. *Ter. Andr.* 5. 1. 2. satis pericli. *Nep. Timol.* 5. 2. maximos labores et summa pericula. *Cic.* 1. *Off.* 24. 83. In adeundis periculis. *Virg.* 1. *Æn.* 13. tot adire labores. *Cic. Sext.* 66. 139. inimicitias. *Liv.* 25. 10. omnem fortunam. *Tac.* 1. *Ann.* 39. dedecus. *Id. Germ.* 24. servitutem voluntariam. *Id.* 4. *Ann.* 70. invidiam. *Plin.* 2. *Ep.* 9. sollicitudinem. *Id.* 9. *ibid.* 22. *extr.* discrimen. *Cic.* apud *Arus. Mess.* p. 213. *Lind.* causas oratorum. *Tibull.* 1. 5. 39. gaudia. *Plin. Paneg.* 39. honores. ¶ 2. *Adire hereditatem* est agnoscere tamquam suam et sibi attribuere eaque frui. Notant vero JCti, proprium esse alieni, seu extranei heredis *adire*, cum suus ac necessarius *immiscere* se dicatur. *Ulp. Dig.* 4. 4. 7. Restitutus autem, ut se hereditati misceat, vel ut eam adeat, etc. Adde *eumd.* 42. 4. 3. et 4. Hoc tamen discrimen non servant Latini Scriptores. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 42. Cum ipse hereditatem patris non adisses. Adde *Cic. Arch.* 5. 11., *Sueton. Aug.* 8., et *Plin.* 2. *Ep.* 4. et 10. *ibid.* 79. — Huc pertinet etiam *adire nomen alicujus* apud *Vellej.* 2. 60. 1., quod est suscipere: loquitur autem de Octavio, cui C. Cæsar simul cum bonis nomen suum testamento reliquerat.

ĂDEPS, adipis, gen. comm. 3. decl. (Cf. *Priscian.* 5. p. 657. et 7. p. 732. *Putsch.*). Apud *Plin.*, *Seren.* et *Pallad.* est semper gen. masc.; apud *Cels.* fem., apud *Colum.* comm. Ratione habita etymologiæ vox hæc referenda videtur ad Græcas λίπα *pingue* et ἀλείφω *ungo*, ita ut vetus forma fuerit *aleps*. Est autem adeps pinguedo liquida sine sensu, quæ nequeat facile durari; nam quæ concrescit, sevum dicitur (It. *grasso, lardo, sugna*; Fr. *graisse liquide des animaux*; Hisp. *grasa, gordura*; Germ. *das flüssige Fett oder Schmalz*; Angl. *fat, grease*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 85. (212). Cornigera, inquit, una parte dentata, et quæ in pedibus talos habent, sevo pinguescunt: bisulca, scissisque in digitos pedibus, et non cornigera, adipe. Concretus hic, et cum refrixit, fragilis: semperque in fine carnis, etc. *Id. ibid.* Detracti adipes L. Apronii filio. *Varro* 2. *R. R.* 11. 7. Tonsas recentes (oves) eodem die perungunt vino et oleo: non nemo admixta cera alba et adipe suilla. *Adipes illa* apud *Priscian.* 5. p. 657. *Putsch.* est librarii error pro *adipe suilla*; ac proinde h. l. *Forcellinus* est corrigendus. *Marsus* apud *Priscian. l. cit.* Adeps vetusta. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 7. præsalsa. *Id.* 6. *ibid.* 12. 5. caprina. *Cels.* 3. 7. n. 2. Oryzæ cremor, cum quo recens adeps cocta sit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (135). Adeps suillus. *Id. ibid.* 11. 46. (163). ursinus. *Id. ibid.* 11. 48. (174). anserinus. *Colum.* 8. 14. 11. Quæ res ad creandas adipes multum conferunt. *Id.* 6. 2. *in fin.* Corporatura pecudis adipibus obesa. ¶ 2. Videtur latiori sensu poni etiam pro sevo. *Augustin.* 2. *de morib. Manich.* 16. *ante med.* Quid de adipe respondebitis, qui prope omnes Italas lucernas illuminat?

II.) Translate. ¶ 1. De obeso homine, seu potius stolido et inerti. *Cic.* 3. *Catil.* 7. 16. Non mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipes, nec C. Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. *V.* ADIPATUS, CRASSEDO et CRASSUS. *Quintil.* 2. 10. 6. Dum sciat declamator – sibi quoque tenuandas adipes. ¶ 2. Terræ etiam pars quædam pinguis, quæ a Britannis *marl*, a Gallis *marne*, ab Italis *marna*, ab antiquis Latinis *marga* appellatur, *adeps* dicitur ob similitudinem a *Plin.* 17. *Hist. nat.* 6. 4. (42). ¶ 3. Arboribus quoque tribuitur, estque pars ligni pessima, albo colore, mollior et succo plenior, quæ et *alburnum* dicitur, etiam in robore facile putrescens, teredinique maxime obnoxia. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 72. (182).

ĂDEPTIO, ōnis, f. 3. (adipiscor) acquisitio, consecutio (It. *acquisto, conseguimento*; Fr. *acquisition, obtention*; Hisp. *aquisicion*; Germ. *die Erlangung*; Angl. *a getting, obtaining, acquiring*). *Cic.* 2. *Fin.* 13. 41. Nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni judicemus. Adde *Quintil.* 5. 10. 55. *Cic. Partit.* 32. 113. Adeptio alicujus commodi.

ĂDEPTUS, a, um. *V.* ADIPISCOR.

ĂDEPTUS, us, m. 4. idem quod adeptio. *Paulin. Nolan. Ep.* 32. *ad Sever. sect.* 18. Hæc ædificantes in Domino ex adeptu fidei, ædificamur ipsi a Domino. — Quidam hanc vocem leg. etiam apud *Cic.* 3. *Fin.* 14. 48. *Qui processit aliquantum ad virtutis adeptum*: sed ea lectio uno Eruditorum consensu jam explosa est, restituuntque alii *habitum*, quidam etiam *adytum*, at plerique *aditum*, quod præstat.

ĂDEQUITO, as, āvi, ātum, are. n. 1. (ad et equito). Part. *Adequitans* 1. Juxta varias præpositionis *ad*, a qua componitur, significationes, adequito est ¶ 1. Ad aliquem locum equito, quo sensu est militare vocabulum equitatus proprium, qui currens hostes aggreditur (It. *cavalcare verso o contro*; Fr. *avancer à cheval sur*; Hisp. *cabalgar hácia*; Germ. *heranreiten, ansprengen*; Angl. *to ride up to*). — *a*) Cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*, aut interdum sine præp. quæ inest in ipso verbo. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. 1. Equites propius tumulum accedere, et ad nostros adequitare. *Alii leg.* et nostros. *Curt.* 4. 9. 23. *sine præp.* Perarmatos adequitare cœpit. *Perarmatos* una vox est, et significat *probe* armatos. *Liv.* 24. 31. 10. Adequitare Syracusas. *Alii leg.* abequitare. *Curt.* 7. 4. 33. In primos ordines adequitare. — *b*) Cum Dativo aut cum Adverbio *quo*. *Liv.* 9. 22. 4. Adequitare vallo. *Id.* 23. 42. 5. portis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (76). Portæ Collinæ adequitans Hannibal. *Tac.* 6. *Ann.* 34. Adequitare castris, infensare pabula. *Liv.* 9. 22. 6. Quo tam ferociter adequitasset, inde se fundi fugarique. ¶ 2. Est etiam juxta aliquem equito, nulla etiam militiæ ratione habita. *Sueton. Aug.* 65. Vehiculo anteire, aut circa adequitare. *Id. Calig.* 25. Adequitare juxta aliquem.

ĂDERRO, as, are, n. 1. prope vel versus aliquem locum errando feror. ¶ 1. Proprie. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 119. et blandi scopulis delphines aderrant. ¶ 2. Translate. *Id.* 9. *Theb.* 177. victorque ululatus aderrat Auribus.

ĂDESCĀTUS, a, um, participium perf. pass. ab inusitato verbo *adesco*, et est nutritus, altus, saginatus (It. *impinguato, nutrito*; Fr. *nourri, engraissé*; Hisp. *alimentado, engordado*; Germ. *herangemästet*; Angl. *fed, nourished*). *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *ad fin.* Volantia, sed non pinguia, neque cibis nutribilibus adescata ob acquirendam pinguedinem.

ĂDESDUM, ex *ades*, imperativo verbi *adsum*, et particula *dum*, quæ hoc loco vim quamdam habet excitantis, sicut in *mane dum*, *ehodum*, et similibus. *Ter. Andr.* 1. 1. 2. Sosia, adesdum: paucis te volo.

ĂDESURIO, iris, ivi, ire, n. 4. valde esurio (It. *aver fame di qualche cosa*; Fr. *avoir faim de quelque chose*; Hisp. *hambrear*; Germ. *nach etwas Hunger bekommen*; Angl. *to be very hungry*). *Plaut. Trin.* 1. 2. 132. Adesurivit magis, et inhiavit acrius.

ĂDĒSUS, a, um. *V.* ADEDO.

ĂDEXPETO, is, a. 3. *Senec. Ep.* 117. 4. Coguntur nostri verba torquere, et unam syllabam expetendo interponere, quam sermo noster inseri non sinit. Ego illam, si pateris, adjungam. Expetendum est, inquiunt, quod bonum est: adexpetendum quod bono contingit. *Expetendum*, αἱρετόν: *adexpetendum*, προσαιρετόν, *h. e.* insuper expetendum. Hanc *Mureti* lectionem prætulerunt pleræque Edd., inter quas Bip.; aliæ leg. *expetibile*: sed falsas esse hujusmodi lectiones aperte demonstravit *Fickert* ad *loc. cit.*

ADFATIM } et similia his quamplurima litteris
ADFECTO } ADF incipientia *V.* in AFFATIM, AFFECTO, AFF. etc.

ADGARRIO } et similia litteris ADG incipientia
ADGAUDEO } *V.* in AGGARRIO, AGGAUDEO, AGG. etc.

ĂDHĂBĬTO, as, are, n. 1. Solet afferri exemplum *Plauti* in *Captiv.* 3. 4. 72., sed ibi legendum est *adbites* pro *adhabites*.

ĂDHÆREO, res, si, sum, rere, n. 2. (ad et hæreo). Part. *Adhærens* in omnibus paragr. et in fine. Est autem ad aliquid hæreo (It. *essere attaccato o aderente, attaccarsi*; Fr. *être attaché, adhérent à, s'attacher*; Hisp. *adherir, pegarse á*; Germ. *anhangen, ankleben, an oder auf etwas hangen oder festsitzen*; Angl. *to adhere or stick close to, to grow to or near to*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est cum re aliqua arcte connecti. — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 914. Unus ubi ex uno dependet subter adhærens (*anellus lapidi magneti*). *Id.* 3. 558. connexus corpus adhæret. *Alii leg.* corpore. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (171). Piscibus paullo minus tota adhærens (*lingua*), crocodilis tota. — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 5. 47. Alios – saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos, trucidat. *Virg.* 3. *G.* 443. cum tonsis (*corpus*) illotus adhæsit Sudor. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 80. Sive gravis veteri crateræ limus adhæsit. *Gell.* 20. 1. Adhærere jumento. *h. e.* insidere, vehi. *Tac.* 2. *Ann.* 23. *de navibus*: Adhærere ancoris. — *c*) Cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*. *Cæs.* 5. *B. G.* 48. Tragula casu ad turrim adhæsit. *Cic. Dom.* 24. 63. In me omnia – conjurationis nefaria tela adhæserunt. *Posset tamen esse et Ablativus*, sed *cf.* eumd. Cic. ibid. 5. 13. *V.* ADHÆRESCO I. 1. c. — *d*) Cum Accusativo sine præp. *Tertull. Pall.* 5. Pallium, qua humerum adhærebat. *Alii leg.* in humerum. Sed *V.* infra 2. *a.* — *e*) Cum Ablativo et præp. *in*. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 5. 3. Sane tamquam in quodam incili jam omnia adhæserunt. *Ovid.* 4. *Met.* 693. vinctoque in corpore adhærent. — *f*) Cum Ablativo sine præp. *Ovid.* 5. *Met.* 38. Fronte tamen Rhœti non irrita cuspis adhæsit. ¶ 2. Latiori sensu est adjacere, proximum esse: et occurrit — *a*) de locis absolute, cum Dativo, et cum Accusativo sine præp. aut cum præp. *ad*. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Ad-

hæret dormitorium membrum. *Curt.* 3. 1. 13. Quæ (*terra*) quia continenti adhæret. *Tac.* 2. *Hist.* 25. Vineis modica silva adhærebat. Adde *Ammian.* 18. 2. *Cic. Arat.* 541. Cratera et Corvus adhæsit. *Id. ibid.* 178. Spiniferam subter caudam Pistricis adhæsit. *Ovid.* 11. *Met.* 440. nactusque hoc littus adhæsi. *Plaut. Stich.* 1. 3. 83. Adhæsit homini ad intimum ventrem fames. — *b*) De tempore. *Quintil.* 5. 10. 46. Tempus adhærens. *h. e.* proxime insequens. — *c*) De personis. *Plaut. Asin.* 1. 3. 59. Usque adhærebatis: quod ego jusseram, quod volueram, faciebatis. *h. e.* nunquam a latere meo discedebatis. *Sueton. Galb.* 14. Regebatur trium arbitrio, quos una habitantes, nec unquam non adhærentes etc. Adde *Oth.* 6. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 26. (51). Ita comes perpetuo adhæsisse Lacydi philosopho dicitur, nusquam – ab eo digressus. *Liv.* 39. 25. Lateri adhærere gravem dominum. *h. e.* valde vicinum esse, imminere. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Adhærere castris. *h. e.* in castris semper manere.

II.) Translate ponitur de personis et de rebus. ¶ 1. De personis, et significat persistere, tenacem esse. *Liv.* 41. 20. Nulli fortunæ adhærebat animus. *h. e.* magnâ erat animus levitate. *Ammian.* 19. 3. Obsidioni fortiter adhærentes. ¶ 2. Item de personis, et significat ab aliqua re pendere, ejusdem veluti appendicem sive accessionem esse. *Cic. Vatin.* 5. 11. Quæro abs te, teneasne memoria, cum P. Sextius quæstor sit cunctis suffragiis factus, tum te vix, invitis omnibus, non populi beneficio, sed consulis, extremum adhæsisse? *h. e.* extremo loco quæstorem esse factum veluti consulis appendicem. *Val. Max.* 6. 9. 14. hoc eodem sensu dixit *inhæsit*. *Curt.* 10. 5. 37. Clarissimique sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt. *Seneca* 4. *Reth. Controv.* 28. Non potest filia tam anguste paternis tabulis adhærere. *h. e.* non potest patris testamento omnino acquiescere. ¶ 3. De rebus, etiam abstractis, easque arcte et convenienter conjunctas significat. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 56. Cui Canis ex vero dictum cognomen adhæsit. *Vellej.* 1. 9. Adhæret altissimis invidia.

Adhærentes Dii videntur esse iidem ac Penates, quod proximi et domestici sunt. *Inscript.* apud *Donat. cl.* 1. *n.* 129. DEIS ADHAERENTIBVS SACRVM.

Adhæsus, *a*, *um*. Part. præter. pass. Affertur *Paul.* ex *Festo*. Adhæsum, cohærens fortiter. *quem tamen locum minime inveni*. Affertur et *Lucret.* 4. 1236. (1238). Tenue (*semen*) locis quia non potis est adfigi adhæsum. Sed *Nonius p.* 73. 6. *Merc.* legit *adfigere*; qua ratione *adhæsum* rectius tamquam nomen accipitur. *V.* ADHÆSUS, us.

ADHÆRESCO, scis, scere, n. 3. (inchoat. ab *adhæreo*). Part. *Adhærescens* I. 1. et II. 2. Est autem idem ferme atque adhæreo, *h. e.* adhærere incipio, ad aliquid hæreo (It. *stare attaccato*, *attaccarsi*; Fr. *dévenir adhérent*, *s'attacher*; Hisp. *adherir*, *pegarse*; Germ. *hangen*, *stecken*, *sitzen bleiben oder sich ansetzen an etwas*; Angl. *to grow close to*, *to stick to*, *to adhere to*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Absolute. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 30. (47). Adhærescente roscida lanugine. — *b*) Cum Dativo. *Id.* 34. *ibid.* 13. 34. (130). Evolatque (*spodos*) e fornacibus et tectis adhærescit. *Pallad. Nov.* 7. 6. *de inoculatione*: Adhærescunt persica amygdalis. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. 1. Ne quid emineret, ubi ignis hostium adhæresceret. — *c*) Cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*. *Cic. Sext.* 8. 18. Ne in Scyllæo illo æris alieni, tamquam in freto, ad columnam adhæresceret. *Id.* 5. *Fin.* 18. 49. Ut homines ad eorum saxa discendi cupiditate adhærescerent. *Id. Dom.* 5. 13. Ne in hanc tantam materiam seditionis ista funesta fax adhæresceret. — *d*) Cum Ablativo et præp. *in*. *Cato R. R.* 152. Ne fex in lateribus adhærescat. ¶ 2. Latiori sensu est consistere ac permanere. *Cic.* 4. *Att.* 4. *B.* 2. Fac venias, si potes in his locis adhærescere. *Tac.* 11. *Ann.* 12. Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhærescere; largiri opes etc.

II.) Translate. ¶ 1. Est cum aliqua re arcte conjungi eique inhærere. *Cic.* 1. *Off.* 25. 86. Justitiæ honestatique adhærescere. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 3. 9. Ad quamcumque disciplinam, tamquam ad saxum, adhærescunt. *Id.* 3. *Orat.* 10. 37. Si non omnia, quæ proponerentur a me, ad vestrum studium – adhærescerent. *Id.* 2. *ibid.* 53. 214. Argumentum ratio ipsa confirmat, quæ simul atque emissa est, adhærescit. *h. e.* eo pacto, quo emissa sagitta, corpori adhæret, in quod pervenit. *Id.* 1. *ibid.* 61. 258. Non tam ea, quæ recta essent, probari, quam quæ prava sunt, fastidiis adhærescere. *h. e.* non tam recta hærere animo probanti, quam prava fastidienti. ¶ 2. Est etiam hærere, retardari, cessare, sed occurrit peculiariter de oratione tantum. *Cic. Brut.* 79. 274. Oratio ita libere fluebat, ut nunquam adhæresceret. *Id. ibid.* 93. 320. Hortensius in celeritate et continuatione verborum adhærescens.

ĂDHÆSĒ, adverb. (adhæreo) hæsitando, hærendo (It. *esitando*; Fr. *en hésitant*, *en bégayant*; Hisp. *tartamudeando*; Germ. *stockend*; Angl. *stammeringly*). *Gell.* 5. 9. Oris vinculis solutus – non turbide, neque adhæse locutus est. *h. e.* non impedite.

ĂDHÆSIO, ōnis, f. 3. (adhæreo) actus adhærendi (It. *l'attaccarsi*; Fr. *adhérence*, *juxtaposition*; Hisp. *adherencia*; Germ. *die Anhängung*; Angl. *an adhering together*, *adhesion*). *Cic.* 1. *Fin.* 6. 19. Complexiones, copulationes, et adhæsiones atomorum inter se. *Alii leg.* adhæsitationes *ex multis MSS.*, quod retinendum videtur *Goerenzio*; vide tamen *Madvig.* ad *l. cit.* Adhæsio legitur etiam in *Gloss. Placidi* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 3. *p.* 427.

ĂDHÆSĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. ab inusitato frequentativo *adhæsito*, idem quod *adhæsio*. *V.* ADHÆSIO.

ĂDHÆSUS, a, um. *V.* ADHÆREO.

ĂDHÆSUS, us, m. 4. idem quod adhæsio (It. *adesione*, *l'attaccarsi*; Fr. *adhérence*, *union etroite*; Hisp. *adherencia*; Germ. *das Anhängen*; Angl. *adhesion*). *Lucret.* 3. 383. (382). Neque pulveris interdum sentimus adhæsum. *Id.* 5. 840. Membrorum adhæsu. Adde 6. 471. et 4. 1238. (1236)., de quo postremo loco V. *Adhæsus* in fine v. ADHÆREO.

ADHĀLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* halo) afflo, in seu versus aliquam rem spiritum mitto (It. *soffiare a qualche cosa*; Fr. *toucher de son haleine*; Hisp. *acezar*, *alentar*; Germ. *anhauchen*; Angl. *to breathe upon*). *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (95). Si patescentem (*fungum*) primo (*serpens*) adhalaverit.

ĂDHĀMO, as, āvi, are, a. 1. (ad *et* hamus) hamo captare. Translate afferebatur locus *Cic.* apud *Non.* 2. 5. Qui serius honores adhamaverunt, vix admittuntur ad eos. Ita *Nonius* explicabat et ab *hamo* tractum esse docebat in veteribus Editionibus: in Editione vero *Mercer.* p. 69. 6., nulla addita explicatione, rectius legitur *adamaverunt*, quod et ipse *Forcellinus* verisimilius multo affirmavit, et nos in v. ADAMO propterea retulimus.

ĂDHAURĬO, is, ire, a. 4. (ad *et* haurio). Occurrit tantum translate et est absorbere, vorare (It. *inghiottire*; Fr. *engloutir*; Hisp. *engullir*; Germ. *verschlingen*; Angl. *to absorb*, *devour*). *Ammian.* 25. 8. Imperitiâ nandi gurgite fluminis adhauriebantur. *ubi potius legendum videtur* abhauriebantur, *quod novum æque vocabulum*.

ĂDHĬBEO, es, ŭi, ĭtum, ere, a. 2. (ad *et* habeo). Part. *Adhibens* II. *B.* 4.; *Adhibitus* I., et II. *A.* 1. et *B.* 4.; *Adhibiturus* II. *B.* 3.; *Adhibendus* II. *A.* 1. et *B.* 3. — Adhibere autem ad litteram est habere apud vel juxta se, aut habere aliquo versus; unde proprie est apponere, ferre, vertere aliquo versus, sive idem atque admovere, nisi quod admovere de corporeis, adhibere de incorporeis potius usurpatur, et quidem semper ratione habita finis, quem aliquid admovendo consequimur (It. *dirigere verso*, *applicare*, *avvicinare*; Fr. *appliquer*, *approcher*; Hisp. *aplicar*, *allegar*, *acercar*; Germ. *an oder zu etwas halten*, *bringen*, *heran-oder vohinhalten oder bringen*; Angl. *to lay*, *apply*, *adapt*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusat. et præp. *ad*. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 20. Huc adhibete aures. *Ovid.* 2. *Am.* 13. 15. Huc adhibe vultus, et in una parce duobus. *Id.* 2. *ibid.* 1. 37. Ad me, formosæ, vultus adhibete, puellæ. *Virg.* 3. *G.* 455. Adhibere manus medicas ad vulnera. *Lamprid. Elagab.* 5. Altera manu pudendis adhibita. *Gell.* 15. 17. tibias ad os, et inflare. — *b*) Cum Dativo. *Ovid.* 3. *Fast.* 293. Adhibere vincula captis. *h. e.* injicere. *Id.* 9. *Met.* 216. manus genibus. *Seneca Herc. OEt.* 1078. manus pomis. — *Hinc etiam per metaphoram Cic.* 2. *Leg. Agr.* 18. 46. Adhibere manus vectigalibus. *Quintil.* 7. *præf.* 1. manus artificum disponendis saxis. *Cic. Brut.* 56. 204. alicui calcaria, frenos. *Id.* 4. *Tusc.* 27. 58. Videamus, quanta sint, quæ a philosophia remedia morbis adhibeantur. *Cels.* 8. 11. *extr.* Adhibere frictionem membris. — *Hoc eodem sensu, quamvis translate*, *dicimus* adhibere animum. *Lucret.* 2. 1021. (1023). Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem. *Id.* 1. 44. vacuas aures mihi Memmius, et te Semotum a curis adhibe veram ad rationem. *Cic. Har. resp.* 10. 20. Quare – adhibete animos, et mentes vestras, non solum aures, ad haruspicum vocem admovete. Adde *Virg.* 11. *Æn.* 315. et *Ovid.* 15. *Met.* 238.

II.) Translate ponitur *A*) cum de personis, *B*) tum de rebus.

A) De personis est ¶ 1. Adjungere, advocare, admittere, recipere, et quidem generatim si quis vocetur in auxilium, in consilium, in partem alicujus rei etc. Occurrit autem cum Dativo personæ, cujus commodo aliquis adhibetur, qui tamen Dativus sæpe subintelligitur; cum Accusativo et præp. *ad* aut *in* si de fine agitur, ad quem quis adhibetur. *Ter. Phorm.* 4. 5. 2. Adhibere testes sibi. *Tac.* 15. *Ann.* 14. testes alicui rei. *Cic.* 2. *Fin.* 21. 67. testes, laudatores. *Id.* 3. *Off.* 10. 44. deum testem. *Gell.* 19. 5. 3. alicui auctoritates nobilium medicorum. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 313. patronum. *Id.* 1. *Tusc.* 5. 10. Demosthenem. *Id. Cluent.* 52. 144. aliquem ad leges. *Id. Brut.* 88. 301. aliquem ad majores causas. *Id. Fat.* 12. 29. medicum. *Id. Cluent.* 30. 139. oratorem. *Sueton. de ill. gramm.* 22. grammaticum. *Id. Cæs.* 33. arbitrum. *Curt.* 5. 4. 1. vates. *Liv.* 1. 7. aliquem ad ministerium dapemque. *Gell.* 12. 1. nutrices puero. *Curt.* 8. 12. 9. Adhibito interprete. *Cic.* 2. *Off.* 23. 82. Adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit. Adde *eumd. Cic.* 2. *Fam.* 7. 2., *Plin.* 6. *Ep.* 11. 1. et alibi sæpe. *Hinc etiam Cic.* 6. *Fam.* 1. 2. Non adhibere in consilium cogitationum desperationem aut timorem. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Neque hos habendos civium loco, neque ad consilium adhibendos censeo. *Pro* adhibere aliquem in consilium, *dicitur etiam* adhibere aliquem *absolute*. *Cic.* 4. *Fam.* 7. 6. Consilio, studio Marcello non desumus: a tuis reliquis non adhibemur. *Sall. Jug.* 131. Maurus, adhibitis amicis, ac statim, immutata voluntate, remotis, dicitur etc. Adde *Cic.* 10. *Fam.* 25. 3., 11. *ibid.* 7. 1., 3. *Off.* 20. 80., 5. *Phil.* 9. 23., et *Cæs.* 1. *B. G.* 20., *Sueton. Claud.* 35. aliosque. *Justin.* 3. 6. Adhibere aliquem in auxilium. *Ovid.* 11. *Met.* 447. Nec vult Halcyonem in partem adhibere pericli. *Nep. præfat.* 1. aliquem in convivium. *Sueton. Aug.* 74. Adhibitus cœnæ. Adde *Cæs.* 73. *Virg.* 5. *Æn.* 62. adhibete Penates Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes. *Horat.* 4. *Od.* 5. 31. Hinc ad vina redit lætus, et alteris Te mensis adhibet deum. *Virg.* 8. *Æn.* 56. Castris adhibere socios, et fœdera jungere. *Horat. Art. poet.* 227. Ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros, etc. *h. e.* in scænam. *Inscript.* apud *Marin. Fratr. Arv.* p. 124. IN PRONAO AEDIS CONCORDIAE SACRIFICIVM INDIXIT DEAE DIAE Q. TILLIVS SASSIVS MAGISTER COLLEGII FRATRVM ARVALIVM NOMINE ADHIBITIS Q. VOLVSIO SATVRNINO T. SEXTIO AFRICANO L. SALVIO OTHONE. ¶ 2. Hinc est etiam excipere, tractare. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. § 16. Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque conjungi dico oportere. *Id.* 10. *Att.* 12. 3. Quintum filium severius adhibebo. ¶ 3. *Adhibere se* est se gerere. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. § 22. Permagni est hominis, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus ipse præsit, desideretur. *Confer sup. Lucret.* 1. 44. sub I. in fine.

B) Ponitur etiam de rebus et latissimos habet usus. ¶ 1. Est addere, et occurrit aut cum Accusativo et præp. *ad*, aut cum Dativo. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 99. Quos negat ad panem adhibere quidquam præter nasturtium. *Id.* 3. *de republ.* 3. 5. Ad domesticum morem adventiciam disciplinam adhibere. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 39. Quatuor initiis rerum quintam naturam adhibere. Adde 5. *Fam.* 20. 2. *Liv.* 26. 25. Ut eos uno tumulo contegerent, adhiberentque humatis titulum. *Scævola Dig.* 28. 5. 83. Adhibere heredem fratri. *h. e.* simul cum fratre heredem facere. ¶ 2. Item afferre, exhibere, comparare; cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*, interdum etiam *adversus*, *erga*, aut cum Dativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 113. Adhibere odores ad deos. *Id.* 4. *Tusc.* 28. 60. Illa autem altera ratio et oratio – raro proficit, neque est ad vulgus adhibenda. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 10. 32. Cum adhibemus ad eos orationem hujusmodi: Si ea etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 3. Adhibere cultus, honores, preces dis immortalibus. *Id.* 3. *Orat.* 13. 40. Ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet,

ea obscuritatem afferat. *Id. Mur.* 35. 74. Adhibere alicui voluptates. *Id. Brut.* 96. 330. consolationem alicui. *Id.* 2. *Orat.* 45. 189. Nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse – videbuntur. *h. e.* inferre, incutere. *Id.* 16. *Att.* 15. Adhibere ægroto medicinam. *Id.* 3. *Nat. D.* 27. 69. vinum ægrotis. *Id. Rosc. Am.* 11. 31. alicui vim. *Id. Dom.* 23. 60. crudelitatem in aliquem. *Liv.* 1. 28. alicui disciplinam. *Plaut. Men.* 5. 6. 20. sibi metum. *Quintil.* 1. 3. 15. metum pueris. *Cic.* 1. *Off.* 28. 99. reverentiam adversus homines. *Id.* 13. *Fam.* 6. 2. officium erga aliquem. ¶ 3. Item rem aliquam ad aliquem finem consequendum convertere, applicare; unde re aliqua uti ad finem aliquem vel in re aliqua. Occurrit autem — *a)* Cum Accusativo finis et præp. *ad. Cic.* 16. *Fam.* 9. 3. Adhibere omnem diligentiam ad convalescendum. *Id.* 15. *ibid.* 2. 6. ad se conservandum. *Id.* 12. *Att.* 4. 2. prudentiam ad omnes res. *Id.* 5. *Fin.* 30. 90. delectum ad aliquid. *Id.* 1. *Off.* 6. 18. tempus, diligentiam ad considerandas res. — *b)* Cum Dativo rei. *Cic.* 1. *Att.* 19. 8. Adhibere cautionem rebus suis. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 39. modum vitio. *Id.* 1. *Off.* 5. 17. modum rebus. *Sueton. Ner.* 16. modum sumptibus. *Curt.* 6. 11. 17. Tormentis adhibituri modum. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 122. Si insanorum visis fides non est adhibenda. *Borrich. in Analect.* hanc lectionem tuetur ex multis probatis Codicibus; alii, quos inter *Orellius*, leg. *habenda. Papinian. Dig.* 17. 1. 7. Adhibere fidem placitis. *Ulp. ibid.* 48. 18. 1. fidem quæstioni. *Auson. Ep.* 10. *v.* 1. Si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis. *Cic.* 1. *Off.* 24. 83. Adhibere morbis curationes. Adde *Cels.* 5. 7. *Liv.* 5. 6. Belli necessitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam etc.? *Colum.* 6. *R. R.* 27. 9. Adhibere equum admissuræ. *Id.* 3. *ibid.* 4. diligentiam pastinationi. *Sueton. Domit.* 2. fraudem testamento. — *c)* Cum Ablativo et præp. *in. Cic. Rab. perd.* 2. 5. Adhibere misericordiam in fortunis alicujus, sapientiam in salute reipublicæ. *Id. Orat.* 19. 65. flores in causis. *Id.* 1. *Fin.* 7. 24. severitatem in filio. *Id.* 4. *Fam.* 6. 1. dolorem in aliquo consolando. *Id. Cluent.* 42. 118. fidem in periculis amicorum. *h. e.* integre et fideliter agere. *Id.* 10. *Fam.* 21. 6. celeritatem in aliqua re. *Id. Orat.* 57. 191. numerum iambicum in fabulis. *Id.* 2. *Orat.* 59. 238. in jocando moderationem. *Id.* 1. *Off.* 21. 73. præparationem in rebus. *Id. Senect.* 14. 46. sermonem in poculis. *Nep. Att.* 21. 5. curam diligentiamque in valetudine tuenda. *Cels.* 3. 18. plagas in aliquo. *Cic.* 2. *Fam.* 7. 3. curam de aliqua re. ¶ 4. Est etiam generatim aliqua re uti, nullo addito fine aut re; quamvis hæc per se intelligantur. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 38. Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum? *Id. Most.* 1. 3. 78. Adhibere parsimoniam. *Id. Rud.* 4. 3. 104. Quamquam ad ignotum me appellis, si adhibebis fidem, etsi est ignotus, notus est. *h. e.* si integre ac fideliter aget. *Cic.* 10. *Fam.* 21. 2. Adhibere celeritatem. *Id. Dom.* 14. 36. calumniam, fraudem, dolum. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 38. modum quemdam. *Sueton. Calig.* 2. multum modum *Cic. Arch.* 3. 5. studium atque aures. *Id. Brut.* 75. 201. Cæsar autem rationem adhibens. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 5. Nulla arte adhibita. *Cæs.* 3. *B. C.* 26. Adhibita audacia et virtute. *Id. Senect.* 11. 36. Tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires. *Id.* 1. *Off.* 36. 130. munditiam. *Id.* 2. *Leg.* 8. 19. pietatem. *Cæs.* 2. *B. C.* 8. solertiam. *Tibull.* 3. 4. 75. querelas. *Plin.* 1. *Ep.* 12. solatia. *Nep. Epam.* 7. Nullam adhibuit memoriam contumeliæ. *h. e.* servavit. *Pompon. Dig.* 18. 6. 16. Adhibere moram. *h. e.* differre.

ĀDHĬBĬTĬO, ōnis, *f.* 3. (adhibeo) actus adhibendi. Occurrit autem duabus tantum significationibus: scilicet ¶ 1. Est admissio, receptio; et de personis ponitur (*V.* ADHIBEO. II. *A.* 1.). *Cajus Institut. l.* 1. *tit.* 1. Liberti Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur. *h. e.* si in convivium cum dominis adhibeantur, recipiantur. ¶ 2. Est etiam apud serioris ævi Medicos pharmacorum admotio, sive utendi actus. *Marcell. Empir.* 15. Anginæ prodest sanguinis detractio, cucurbitarum adhibitio etc. *Theod. Priscian.* 1. 5. Certum est namque, feminis cavendam esse aceti adhibitionem. *Capell.* 2. *p.* 40. Pectus medicaminis adhibitione purgare.

ĀDHĬBĬTUS, a, um. *V.* ADHIBEO.

ĀDHINNĬO, is, ivi, itum, ire, *n.* 4. (ad et hinnio) ad aliquem hinnio, et est proprium equi ad alterius equi conspectum hinnientis (It. *annitrire*; Fr. *hennir à*; Hisp. *relinchar*; Germ. *an-oder zuwiehern*; Angl. *to neigh after*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generali sensu. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (95). Namque (*Apelles*) ambitu æmulos prævalere sentiens, singulorum picturas inductis equis ostendit: Apellis tantum equo adhinnivere. ¶ 2. Sæpius equorum est proprium equabus adhinnientium ob coitus desiderium, quin et equæ ipsæ interdum equis adhinniunt. *Ovid. Rem. Am.* 634. Fortis equus visæ semper adhinnit equæ. *Alii leg.* visam – equam. *Apul.* 6. *Met.* 28. Virginis delicatas voculas adhinnire tentabat (*asinus*). *h. e.* hinnitu respondere. *Ovid.* 1. *Art. am.* 280. Femina cornipedi semper adhinnit equo.

II.) Translate occurrit de hominibus ad mulieres equorum more accedentibus. — *a)* Cum Accusat. sine præp. *Augustin.* 2. *Mor. Manich.* 19. Vidimus tres electos tres feminas petulanti gestu adhinnire. — *b)* Cum præp. *in. Arnob.* 4. 14. Mercurius primus, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis. *Id.* 5. 22. Jupiter etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinnivit? — *c)* Cum Dativo. *Plaut. fragm. Cist. ed.* ab *Maio p.* 19. Quamquam vetus cantherius sum, mihi nunc, ut ego opinor, adhinniret (*muliercula*). Equulam possum ego hanc, si detur sola soli. Hinc patet male *Priscian.* 3. *p.* 617. *Putsch.* locum hunc adduxisse, cum dixerit: *Adhinnire equulam possim ego hanc*, etc. *Prudent.* 1. *in Symmach.* 57. Tuscis namque ille (*Saturnus*) puellis Primus adhinnivit simulato numine mœchus. — *d)* Hinc sumpta metaphora epicuream Pisonis libidinem perbelle pingit *Cic. Pison.* 28. 69. Admissarius iste, simul atque audivit a philosopho voluptatem tantopere laudari, sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius orationem adhinnivit, ut etc. *h. e.* sic gavisus est oratione, quæ præsidium libidini suæ præstaret.

ĀDHORRĔO *vel* adhorresco, horrui, *n.* 2. (ad *et* horreo) idem ferme quod horreo. Legebatur olim apud *Albinov.* 1. 221. Ipse pater flavis Tiberinus adhorruit undis. *ubi recentiores Editt. leg.* inhorruit.

ĀDHORTĀMEN, inis, *n.* 3. (adhortor) res vel causæ adhortantes. *Apul. Florid.* (4.) n. 18. Multa mihi apud vos adhortamina suppetunt.

ĀDHORTĀTĬO, ōnis, *f.* 3. (adhortor) hortatio, invitatio (It. *esortazione*; Fr. *exhortation*; Hisp. *exhortacion*; Germ. *die Aufmunterung, Anmahnung zu etwas*; Angl. *an exhortation*). *Cic.* 2. *Orat.* 3. 11. Omissa nostra adhortatione, veniamus ad eorum sermonem. *Liv.* 4. 38. Quum clamore comprobata adhortatio esset. Adde *eumd. Liv.* 9. 13. et alibi. *Curt.* 3. 11. 9. et 7. 9. 9. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (159). Adhortationis intellectum fatentur equi. *Seneca Ep.* 95. 34. His si adjunxerimus præcepta, consolationes, adhortationes, poterunt valere. *Quintil.* 11. 3. 64. (*Vox*) in adhortationibus fortis. Adde *Sueton. Aug.* 94. et alibi.

ĀDHORTĀTĪVUS, a, um, adject. (adhortor) qui adhortationi inservit. *Diomed.* 1. *p.* 328. *Putsch.* Modos quinque esse omnes fere grammatici consentiunt: nam qui sex voluerunt, vario judicio alii promissivum, quidam impersonalem conjungunt: qui septem, utrumque prioribus adjiciunt: qui amplius, percontativum assumunt: qui novem, conjunctivum a subjunctivo separant: qui decem, etiam adhortativum ascribunt.

ADHORTĀTOR, ōris, *m.* 3. (adhortor) qui adhortatur (It. *esortatore*; Fr. *celui qui exhorte*; Hisp. *exhortador*; Germ. *der Aufmunterer, Anmahner*; Angl. *an encourager, one who exhorts*). *Liv.* 32. 25. Adhortator a præfecto regio missus. *Id.* 7. 32. Utrum qui audiendus dumtaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers. *Id.* 9. 13. Suus cuique animus memor ignominiæ adhortator aderat. *Id.* 2. 58. Adhortator operis.

ĀDHORTĀTŌRĬĒ, adverb. (adhortor) cum adhortatione, adhortationis modo. *Alcim. Ep.* 16. *sub init.* Cum adhortatorie potius, quam aspere pro incesti facinore culparetur, etc.

ĀDHORTĀTUS, a, um. *V.* ADHORTOR.

ĀDHORTĀTUS, us, *m.* 4. (adhortor) idem quod adhortatio. *Apul. de mag.* 102. Cum rem familiarem meo adhortatu filiis condonasset.

ĀDHORTO, as, āvi, ātum, are, *a.* 1. *V.* ADORO. et

ADHORTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad *et* hortor). *Adhorto* active, ut simplex *horto* pro *hortor*, occurrit apud *Cic. Arch.* 11. 28. Hunc ad perficiendum adhortavi. Ita legitur in Cod. ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 248., licet in editionibus vulgo *hortatus sum* habeatur. *V.* ipsum *A. Maium* ibidem plura afferentem, et *V.* ADORO. Part. *Adhortans* I.; *Adhortatus* I. et in fine. Adhortor autem est idem quod hortor, nisi quod *ad* vim quamdam addit (It. *esortare, incitare*; Fr. *exhorter, encourager*; Hisp. *exhortar*; Germ. *aufmuntern, anmahnen, antreiben*; Angl. *to exhort, encourage*).

I.) Proprie de personis ponitur. — *a)* Absolute. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 11. Adhortari milites. *Tac.* 1. *Hist.* 38. Nullo adhortante, sibi quisque dux et instigator. Huc referri potest etiam singulare illud *Catull.* 63. 85. *de leone*: Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum. *h. e.* se ipse excitans. — *b)* Cum præp. *ad*, *in*, *de*. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 5. Adhortari aliquem ad certam laudem. *Id.* 15. *ibid.* 21. 4. ad vim. *Curt.* 3. 13. 8. suos ad prœlium. *Sueton. Calig.* 45. loricatos ad discumbendum. *Tac.* 3. *Hist.* 61. Nullo in bellum adhortante. *Sueton. Ner.* 41. Adhortari senatum in ultionem sui. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. 2. Bojos atque Æduos de re frumentaria. — *c)* Sequente Subjunctivo, additis etiam particulis *ut*, *ne*, *quo* cum comparativo. *Ter. Eun.* 3. 5. 35. Adhortor, properent. *Cic.* 1. *Phil.* 9. 22. Adhortari adolescentes, ut turbulenti velint esse. *Liv.* 7. 32. Valerius – signum pugnæ proposuit, paucis suos adhortatus: Ne novum bellum eos, novusque hostis terreret. *Sueton. Cæs.* 81. Tandem Bruto adhortante, ne jam dudum opperientes destitueret, progressus est. *Id. Tib.* 50. Populumque et milites, quo enixius opem ferrent, adhortatam.

II.) Metonymice de rebus quoque ponitur. *Ter. Heaut.* 1. 1. 8. Præterquam res te adhortatur tua. *Cic.* 1. *Off.* 11. 35. Ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. *Id. Rabir. perd.* 1. 2. Nam me meæ vitæ consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata.

Adhortatus, *a*, *um* passive quoque occurrit. *Cassius Hemina* apud *Priscian.* 8. *p.* 791. *Putsch.* Adulatique erant ab amicis et adhortati. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. *metonymice*: Si (*lethargici*) fuerint manu lacessiti, aut punctione aliqua adhortati, vel titillati, non expergiscuntur.

ĀDHOSPĬTO, as, āvi, ātum, are, *a.* 1. (ad *et* hospito) proprie est aliquem hospitio recipere, bene accipere; sed occurrit tantum translate et significat aliquem sibi conciliare, amicum et propitium sibi reddere. *Dictys Cret.* 1. 15. *in fin. extr.* Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi adhospitavere.

ĀDHŪC, adverbium, conflatum ex præpositione *ad* et *huc*, quod contractum est pro *huic* Dativo a Nominativo *hoc* (*V.* AD in fine In compositione, et ADEO); significat autem huc usque. Sed tamen de loco semel tantum occurrit apud *Plaut. Capt.* 2. 3. 25. Ut adhuc locorum feci, faciam sedulo. Hinc translatum est ad tempus, de quo semper usurpatur, et est ad hoc usque tempus, sive ad hoc usque temporis momentum (It. *sino ad ora, fino al presente*; Fr. *jusqu'ici, jusqu'à présent*; Hisp. *hasta aca*; Germ. *bis hierher, bis jetzt*; Angl. *hitherto, thus far, as yet*).

I.) Stricto sensu *adhuc* significat ad hoc usque tempus, ad hoc usque temporis momentum: et — *a)* Jungitur cum Verbis temporis præteriti, etiamsi agatur de toto tempore præterito, ita ut *adhuc* significet *semper ad hoc usque tempus*; imo nonnunquam cum adverbio *semper* conjungitur. *Plaut. Curc.* 1. 2. 9. Sed cum adhuc naso, odos, obsecutus es meo, da vicissim meo gutturi gaudium. *h. e.* semper ad hoc usque tempus. *Ter. Phorm.* 5. 7. 10. Quantacumque hæc mea paupertas est, tamen adhuc (*h. e.* semper ad hoc usque tempus) curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 119. Quod adhuc semper tacui et tacendum putavi. *Lucret.* 5. 378. neque enim mortali corpore quæ sunt Ex infinito jam tempore adhuc potuissent Immensi validas ævi contemnere vires. *Ter. Heaut.* 4. 3. 20. Celabitur itidem, ut celata adhuc est. *Cic.* 6. *Fam.* 14. 3. Pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. — Huc illa quoque pertinent, in quibus nonnulli *adhuc* de loco male sunt interpretati. *Cic.* 4. *Fin.* 16. 44. Atque adhuc ea dixi etc. Adde 3. *ibid.* 4. 12. et 1. *Herenn.* 9. 16. — Huc referenda sunt etiam illa, quæ in Epistolis occurrunt, in quibus Latino more Plusquamperfectum pro Perfecto, Imperfectum autem pro Præ-

senti usurpatur. *Cic.* 7. *Att.* 12. 1. Unam adhuc a te epistolam acceperam. — *b*) Jungitur cum Verbis temporis præsentis, quæ interdum per ellipsim omittuntur. *Plaut. Merc.* 2. 3. 48. Res adhuc quidem hercle in tuto est. *Id. Truc.* 4. 3. 20. Conveniunt adhuc utriusque verba. *Ter. Phorm.* 3. 1. 13. Adhuc tranquilla res est. *Cic.* 5. *Att.* 20. 6. Hæc adhuc. Sed ad præterita revertamur. *Id.* 4. *Fin.* 25. 71. Idem adhuc: audi reliqua. — Raro admodum *adhuc* cum Substantivo jungitur per ellipsim. *Dig.* 27. 3. 16. Si cum adhuc tutore ex stipulatu agatur. *h. e.* cum eo, qui adhuc tutor est. — *c*) Sæpe *adhuc* occurrit particula *usque* præcedente, aut sequente. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 107. Usque adhuc actum est probe. Adde *Bacch.* 4. 9. 18. *Ter. Andr.* 1. 5. 27. Patris pudor, qui me tam leni passus animo est usque adhuc. Adde *Adelph.* 4. 4. 22. et 5. 4. 5., *Hec.* 4. 1. 29. *Cic.* 2. *de republ.* 20. 36. Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus. Adde *Sueton. Dom.* 18. *Gell.* 2. 4. Idcirco quod adhuc usque deest, divinatione supplendum. Adde *Symm.* 4. *Ep.* 54. — *d*) Interdum *adhuc* magis magisque declaratur ac determinatur per integrum orationis membrum, quod subsequitur. *Plaut. Capt.* 5. 1. 4. Quæ adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam. *Cic.* 16. *Fam.* 18. 1. Indulge valetudini tuæ, cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. *Id.* 16. *ibid.* 4. 4. Adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, nunquam te confirmare potuisti. — *e*) *Adhuc*, immutata significatione, jungitur etiam cum negationibus, cujusmodi sunt *nihil, nunquam, neque, non,* etc., quibuscum *adhuc* significat *nondum*. *Plaut. Pers.* 4. 4. 78. Nihil adhuc peccavit etiam. *Id. Capt.* 5. 2. 7. Neque vere, neque recte adhuc fecisti unquam. *Id. Amph.* 1. 1. 92. Nunquam etiam quidquam adhuc verborum est prolocutus perperam. *Ter. Heaut.* 1. 2. 1. Nihil adhuc est, quod vereare. *Cic.* 9. *Fam.* 7. 4. Sed quod quæris, quando, qua, quomodo, nihil adhuc scimus. *Nep. Milt.* 5. 5. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 57. *Cic.* 7. *Verr.* 4. 9. Ego ipse hæc – quæ adhuc nunquam audistis, commemorabo. *Id.* 3. *Att.* 14. Non commovi me adhuc Thessalonica, sed jam extrudimur. *Id.* 4. *Verr.* 27. 65. Cupidissimi veniendi, maximis affecti injuriis, adhuc non venerunt. *Id.* 7. *Fam.* 24. 7. Me adhuc non legisse turpe utrique nostrum est. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. Quæ autem nemo adhuc docuerat, – ea, quantum potui, – feci ut essent nota nostris. *Id. Amic.* 5. 18. Eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. Adde *eumd. Senect.* 10. 32. et 1. *Off.* 1. 3. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. Non modo adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed etc. *Id. Cæl.* 25. 63. Exspectabam, quinam isti viri boni, testes hujus manifesto deprehensi veneni dicerentur. Nulli enim sunt adhuc nominati. Adde *eumd. Ligar.* 2. 6. et 7. *Fam.* 17. 1. — Huc referri possunt illa quoque Poetarum loca, in quibus vocabula *non adhuc* pro *non* tantummodo accipienda esse nonnulli putarunt, ut illud *Virg.* 9. *Ecl.* 35. Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna Digna. — *NB.* In quibusdam Scriptorum locis *adhuc* prima fronte videtur significare *ad id usque tempus*; sed omnibus simul orationis membris perpensis, nullam significationis mutationem accidisse, facile cuique innotescet. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 94. Itaque ego scripsi etiam illud quodam in libello –, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem. *Id.* 5. *Fin.* 6. 16. Ille igitur vidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiæ. *Sueton. Tit.* 11. Senatus – ad curiam concurrit, obseratisque adhuc foribus, deinde apertis tantas mortuo gratias egit. Cf. infra II. 1. *b*.

II.) *Adhuc* alias quoque præseferre videtur significationes, quæ tamen, ut recte monet *Forcellinus*, facile ad primam notionem reduci possunt: certe quidem affines valde sunt, et semper ad tempus referuntur. Scilicet ¶ 1. *Adhuc* sumitur pro *etiam num*, sive significat non modo actionem ad præsens usque tempus protractam esse, verum etiam perseverare, nondum cessare. — *a*) Generatim. *Ter. Andr.* 3. 2. 1. Adhuc quæ adsolent, quæque oportet signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 40. Sed adhuc de consuetudine exercitationis loquor; nondum de ratione et sapientia. *Cels.* 5. 26. n. 34. Gangrænam vero, si nondum plane tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est. *Ovid. Heroid.* 17. 163. Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est. *Virg.* 4. *Æn.* 319. Si quis adhuc precibus locus, exue mentem. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 14. Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures. Adde 2. *ibid.* 2. 111. *Pers.* 3. 58. Stertis adhuc? *Liv.* 22. 49. 10. Privatimque Q. Fabio (*nuncia*), L. Æmilium præceptorum ejus memorem et vixisse, et adhuc mori. *h. e.* etiam nunc mori. *Tac. Germ.* 22. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris licentiâ joci. *h. e.* etiam nunc aperit secreta, aut simplex adhuc aperit secreta, nondum didicit celare. *Cic.* 16. *Fam.* 11. 4. Et ipse Cæsar – minaces ad senatum et acerbas litteras miserat, et erat adhuc impudens, qui exercitum et provinciam invito senatu teneret. *h. e.* (mutatis Verborum temporibus, de Epistola enim agitur, *V.* supr. I. *a.*), neque adhuc ab impudentia desistit, quippe qui exercitum et provinciam invito senatu teneat. *Liv.* 21. 18. 4. Ceterum hæc legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. *h. e.* est semper adhuc: in hoc et in proxime superiori *Ciceronis* loco male nonnulli *adhuc* pro *adeo* acceperunt. Adde *Cic.* 1. *Orat.* 58. 246.; *Tac.* 8. *Ann.* 43., 1. *ibid.* 17. et 11. *ibid.* 23.; *Sueton. Aug.* 69.; *Quintil.* 1. 7. 22., 2. 4. 14. et 2. 17. 2.; *Melam* 3. 6. 7. — *b*) Adjectis Participiis præsertim et Adjectivis. *Liv.* 33. 49. 7. Ephesi regem est consecutus fluctuantem adhuc animo. *Id.* 9. 6. 12. Non hiscere quemquam præ metu potuisse, tamquam ferentibus adhuc cervicibus jugum. *Id.* 21. 43. 14. Cum exercitu – ignoto adhuc duci suo. *Virg.* 7. *Æn.* 137. Telluremque, Nymphasque, et adhuc ignota precatur Flumina. *Sueton. Aug.* 17. Remisit tamen hosti judicato necessitudines amicosque omnes, atque inter alios C. Sosium et Cn. Domitium, tunc adhuc consules. — *c*) Etiam cum Imperfecto, si tamen sermo sit de actione quæ perseveret atque ad aliam aditum quodammodo præbeat. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 41. Hoc eventurum jam tum, carissime, vidi, Ferret adhuc istam cum minor aura ratem. *Curt.* 7. 4. 37. Præcipitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat. *Id.* 8. 6. 18. Jam alii ex cohorte in stationem successerant, ante cubiculi fores excubituri, adhuc tamen conjurati stabant vice officii sui expleta. Adde *Tac. Agric.* 45., 5. *Ann.* 3. et 3. *Hist.* 9., et *Val. Flacc.* 8. 114. et 140. ¶ 2. Aliquando *adhuc* sumitur pro *amplius*, *longius*. *Mart.* 4. 91. Ohe jam satis est, ohe, libelle: Jam pervenimus usque ad umbilicos. Tu procedere adhuc et ire quæris: *Id.* 8. 3. 1. Quinque satis fuerant, nam sex septemve libelli Est nimium: quid adhuc ludere, Musa, juvat? *Plin.* 4. *Ep.* 13. 1. Ipse pauculis adhuc diebus in Tusculano commorabor. *Tac.* 2. *Ann.* 26. Si foret adhuc bellandum. *Curt.* 8. 2. 12. Insatiabilis autem avaritiæ est adhuc implere velle, quod jam circumfluit. Huc pertinet etiam illud *Stat.* 1. *Silv.* 2. 57. An miscere deos, an adhuc vexare Tonantem (*velit*). *ubi nonnulli* adhuc *pro* adeo *acceperunt*. ¶ 3. Item pro *præterea*, *insuper*. *Plaut. Truc.* 5. 18. Addam minam adhuc istic posteа. *sed dubia est lectio*. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 10. (37). Sunt adhuc aliquæ non omittendæ in auro differentiæ. *Seneca* 4. *Nat. Quæst.* 8. Unam rem adhuc adjiciam. Adde *Quintil.* 2. 21. 6., 6. 2. 1., et alibi sæpe. ¶ 4. *Adhuc* jungitur etiam Comparativis, quibus peculiarem quamdam addit vim, et quodammodo significat *semper adhuc plus aut minus*. *Seneca Ep.* 85. 34. Si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illa fieri optimum esset. *Quintil.* 1. 5. 12. Adhuc difficilior observatio est per tenores. *Id.* 2. 15. 18. Tum Callicles adhuc concitatior. Adde eumd. 10. 1. 99., *Curt.* 9. 6. 23., *Sueton. Tib.* 17. et 44., *Mart.* 2. 10. 3., *Tac. Germ.* 19., aliosque.

ADHŪCĪNE, *vel minus recte* adhuccine, pro *adhuc ne* cum interrogatione, quidam legunt apud *Apul.* 9. *Met.* 3. Adhucine miserum istum asinum jugi furore jactari credimus? *Alii leg.* adhucne; *alii vero perperam* at huncine.

ĂDIANTUM, ti, n. et Adiantus, ti, m. 2. ἀδίαντον, herba foliis filicis, semper durantibus, ex quibus inferiora aspera et fusca sunt; radice nulla, seu admodum tenui; ramulis nigro colore nitentibus; duorum generum, candidioris scilicet, et nigri; ita dicta ab α privat., et διαίνομαι *madefio*, quod etiam aqua perfusa, vel mersa sicca similis sit, ut ait *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 30. (62). Eamdem alio nomine *callitrichon* et *polytrichon* vel etiam *trichomanen* vocant, quia ad tingendos, crispandos, densandosque capillos, et eorum defluvium prohibendum apprime utilis censetur, vel quia radicem habet tenuissimam, et capillis, seu fibris similem: nam θρὶξ, τριχὸς, *capillum*, seu *pilum* significat; κάλλος *pulchritudinem*, πολὺς *multum*. Latini *capillum Veneris*, et *capillarem herbam* vocant, ut *Apul. Herb.* 47. et *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. docent (It. *capelvenere*; Fr. *capillaire*; Hisp. *culantrillo de pozo*; Germ. *Venushaar*; Angl. *the herb called maidenhair, or Venus'hair*). Nascitur autem circa umbrosas petras et parietum aspergines, fontium specus et saxa manantia, quamvis aquas non sentiat, ut dictum est. *Plin. loc. cit.* Adiantum perfusum, mersumve, sicco simile est. *Et paullo inf.* In vino decocti (*subaudi* adianti) alvum sistunt. Cf. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 122.) hanc proponit synonymiam: Τριχομανὲς καὶ ἀδίαντον Theophr. Hist plant. 7. 13. et Dioscor. 4. 137.; *Adianton*, *Callitrichon*, *Polytrichon* et *Trichomanes* Græcorum teste Apul. Herb. 47.; *Adiantum* Plin. loc. cit.; *Saxifraga* Latinorum teste Plin. l. cit. sunt *Asplenium Trichomanes* L. Ἀδίαντον vero Hipp. Fist. 888., Theophr. Hist. plant. 7. 13., Nicandr. in Ther. v. 846.; Ἀδίαντον καὶ πολύτριχον Dioscor. 4. 136. sunt *Adiantum Capillus Veneris* L. Hinc *Fée* aliam atque *Forcellinus* exhibet *Plinii* interpretationem, de qua plura disserit *l. cit.*

ADIĀPHŎROS, on, adject. ἀδιάφορος, indifferens: sic enim Græcam hanc vocem vertit *Cic.* 3. *Fin.* 16. 53., hoc est, quod nec bonum, nec malum est: ab α privativo, et διαφέρω *differo*. *Varro* apud *Non.* 92. 14. *Merc.* Nec dolore adiaphoron esse. *Alii leg.* dolorem. Sed *adiaphoros* Græca vox est et Græce scribenda, ut recte exhibetur in *cit. Cic. loc.*

ĂDĪBĬLIS, e, adject. (adire) quo adiri potest, accessibilis (It. *accessibile*; Fr. *accessible*; Hisp. *accesible*; Germ. *zugänglich*; Angl. *accessible*). *Cassiod.* 11. *Hist. Eccl.* 18. Tunc ergo Deus inadibilem terram (*circa Ravennam*) adibilem fecit.

ĂDĬGO, igis, ēgi, actum, igere, a. 3. (ad *et* ago). *Adaxint* pro *adegerint* dixit *Plaut.* l. cit. infr. II. 2. Primam syllabam produxisse dicebatur *Lucret.* 3. 936. Nec desiderium nostri nos adigit ullum. *Sed ibi legendum est* attigit. — Part. *Adigens* II. 3. in fine; *Adactus* in omnibus fermе paragraphis; *Adigendus* I. 2. — Adigo proprie est aliquid aliquo ago, seu vi, ut terrore, flagellis etc., aliquem in locum impello; unde proprie de bestiis ponitur, de hominibus vero *adduco*, *V.* Homonym. in fine. (It. *trarre o cacciare in qualche luogo*; Fr. *amener ou pousser à*; Hisp. *traer*, *pujar*, *apretar*; Germ. *etwas an etwas oder wohin treiben*; Angl. *to drive*, *impel*, *conduct*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de bestiis ponitur. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 3. Quis has huc oves adegit? *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Adigere pecus e longinquioribus vicis. *Sueton. Galb.* 19. equos per publicum. ¶ 2. Latiori sensu ponitur etiam de rebus, quæ tamen maxima sint præditæ mobilitate; scilicet speciatim — *a*) De navibus. *Tac.* 2. *Hist.* 83. Adigere classem e Ponto Byzantium. *Id.* 11. *Ann.* 18. triremes alveo Rheni, ceteras navium per fossas et æstuaria. *Id.* 2. *ibid.* 7. *absolute*. Dum adiguntur naves. *h. e.* in mare impelluntur. *Aurel. Vict. Cæs.* 4. 3. Adactis toto orbe navigiis. — *b*) De instrumentis aliisque hujusmodi, quæ aliquo immittuntur, aut infiguntur. *Liv.* 27. 49. 1. Adigere fabrile scalprum in articulo. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 17. In fissuram cuneum adigito. *Alii perperam* fissuram cuneo adigito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 43. (253). In amygdalis e robore cuneo adacto. *Id.* 25. *ibid.* 2. 5. (14). Adigere cuneum arbori. *Id.* 16. *ibid.* 10. 20. (51). clavum æreum in arborem. *Id.* 16. *ibid.* 40. 79. (219). esculum in terram. *Id.* 17. *ibid.* 17. 27. (123). ficum alte (*in terram*). *Id.* 17. *ibid.* 16. 29. (125). taleam malleo. *Propert.* 3. 21. 14. In faciem proræ pinus adacta novæ. *h. e.* extructa in faciem novæ navis. *Hygin. Fab.* 14. Truncis arborum in cuneum adactis. *h. e.* in formam cunei acuminatis; quamquam alii hoc loco lectionem sollicitant. *Cels.* 8. 5. Linamenta molli pellicula cincta circumsutaque intus adigenda. *E. Targa* ita edidit; *alii minus recte* adjicienda. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 27. (115). Ærugo collyrii modo in fistulas adacta. — *c*) De telis et similibus, quæ jaciuntur. *Lucret.* 3. 171. vis horrida teli (*al.* leti) Ossibus ac nervis disclusis intus adacta. *Cæs.* 3. *B. G.* 51. Adigere telum aliquo. *Id.* 3. *B. C.* 51. Tumulum occupavit, qui tantum aberat a nostro castello, ut telum tormento mis-

sum adigi non posset. *Id.* 3. *B. G.* 43. Flamma tum adacta. *Virg.* 4. *Æn.* 25. Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras. *in quibus persona, tamquam telum, est jacienda.* Pariter *Id.* 6. *ibid.* 594. præcipitemque immani turbine adegit. *Id.* 12. *ibid.* 320. sagittam. *Curt.* 4. 6. 18. Sagittam per loricam adactam evellit. *Virg.* 9. *Æn.* 431. viribus ensis adactus Transabit costas. *Ovid.* 5. *Met.* 70. ensem in pectus. *Id.* 6. *ibid.* 271. ferro per pectus adacto. *Sil. It.* 7. 626. ferrum in viscera. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (21). Pilum sub oculo adactum in vitalia capitis venerat. *Sueton. Ner.* 49. ferrum jugulo. *Id. Calig.* 59. ferrum per obscena. *Tac.* 4. *Hist.* 23. Crates — parantibus adactæ tormentis ardentes hastæ. *Justin.* 1. 9. et *Epit. Liv.* 124. ferrum alicui. — d) Hinc etiam de vulneribus. *Virg.* 10. *Æn.* 850. alte vulnus adactum. *h. e.* impressum. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Adigere vulnus alicui. *Id.* 6. *Ann.* 35. vulnus per galeam. — c) Hinc quoque per metaphoram *adactum tempus* est tempus quod advenit, seu vicinum est. *Lucret.* 5. 1221. (1223). ne quod — Pœnarum grave sit solvendi tempus adactum. *h. e.* adactum ad eos sontes. ¶ 3. *Adigere ad aliquem locum* absolute pro *adigere se, h. e.* impellere se, affluere, occurrit apud *Cæs.* 2. *B. C.* 1. Mare, quod adigit ad ostium Rhodani. *Sed tamen dubia est lectio.*

II.) Translate ponitur de personis. ¶ 1. Est impellere. — a) Raro tamen de loco occurrit. *Ter. Eun.* 2. 1. 13. Mox noctu te adigent horsum insomnia. *Virg.* 11. *Æn.* 260. diversum ad littus adacti. *Id.* 9. *ibid.* 601. *cum Accus. sine præp.* Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit? — b) Sæpius occurrit de persona; et speciatim *adigere aliquem arbitrum* vel *ad arbitrum* (vel fortasse etiam *ad arbitrium*) est aliquem cogere, ut ad arbitrum accedat controversiæ finiendæ causa: estque dictum quasi *ad arbitrum agere, h. e.* adducere, vel adire cogere. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Itaque Calpurnius — arbitrum illum (*Claudium*) adegit: QVIDQVID SIBI DARE, FACERE OPORTERET FIDE BONA. *Id. Rosc. Com.* 9. 25. Cur non arbitrum pro socio adegeris Q. Roscium quæro. *ubi Codd. MSS. legendum exhibent* arbitrium; *utcumque legas, ipsum* adigere *significationem non mutat* (V. *Klotz.* ad l. cit. *zu Cicero's Reden T.* 1. p. 566.). *Id. Top.* 10. 43. Si in urbe de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regundis adigere arbitrum non possis. (De locis *Senecæ Ep.* 65. 2. et *Val. Max.* 8. 2. 1. *V.* ADDICO II. 1.). ¶ 2. De more autem adigere aliquem est eumdem impellere, cogere, invitum conjicere in aliquam conditionem. — a) Cum Accus. et præp. *ad. Plaut. Aulul.* 1. 1. 11. Utinam me divi adaxint ad suspendium potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam. *Ter. Adelph.* 1. 2. 31. Tu homo adigis me ad insaniam. *Tac.* 12. *Ann.* 22. Adigere aliquem ad mortem. *Lactant.* 4. 27. 3. in furorem. — b) Cum Dativo. *Stat.* 1. *Theb.* 19. Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum. *h. e.* leges a Romanis sibi impositas accipere coactum. — c) Absolute adigi est impelli, ferri. *Tac.* 15. *Ann.* 33. Acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. Cf. *eumd. Agr.* 28. et 4. *Hist.* 15. — d) Cum Conjunctivo addita aut omissa particula *ut. Latin. Pacat. paneg. ad Theodos.* 2. Quod ut dicerem, nullus adigebat. *Plaut. Rud.* 3. 3. 19. Quæ vis, vim mihi afferam, ipsa adigit. *Alii tamen aliter leg.* — e) Cum Infinito. *Virg.* 7. *Æn.* 114. vertere morsus Exiguam in Cererem penuria adegit edendi. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 29. Quid? non Alpheon diversis currere terris Virginis Arcadiæ certus adegit amor? *Sil. It.* 2. 472. jejunia ventris Insolitis adigunt vesci. Adde *Stat.* 4. *Theb.* 531. *Id.* 3. *Theb.* 619. tandem Prorumpere adactus. *Tac.* 15. *Ann.* 35. Silanus mori adigitur. *Id.* 11. *ibid.* 10. Adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces. *Id.* 12. *ibid.* 4. Adactus ejurare magistratum. *Id.* 14. *ibid.* 24. Carne pecudum propulsare famem adacti. *Seneca* 2. *de Ira in fin.* Ira adacta opes suas spargere. ¶ 3. Peculiariter *adigere aliquem ad jusjurandum* aut etiam absolute *jusjurandum*, et *adigere aliquem jurejurando* aut *sacramento* est aliquem compellere ad juramentum præstandum. — a) *Adigere aliquem ad jusjurandum. Sall. Catil.* 23. Cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret. *Cæs.* 7. *B. G.* 67. Adactus ad jusjurandum. — b) Sæpius omissa præp., et interdum sequente Infinito (Cf. infr. e) *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Ipse idem jusjurandum adigit Afranium. *Liv.* 43. 15. Censores, cujus nondum justa missio visa esset, ita jusjurandum adigebant: Ex tui animi sententia etc. *Seneca Ep.* 95. 35. Facile cetera exiguntur jusjurandum adactis. *Gell.* 4. 20. Censor adigebat de uxoribus solemne jusjurandum. *Id.* 7. 18. *cum Infinito.* Priusquam proficiscerentur, jusjurandum eos adegit, redituros esse in castra etc. *Sunt tamen qui aliter legunt.* — c) Aliquando additur etiam *in verba. Cæs.* 2. *B. C.* 18. Provinciam omnem in sua et Pompeji verba jusjurandum adigebat. *Quidam minus recte leg.* per jusjurandum. *Cincius* apud *Gell.* 16. 4. Cum — milites scriberentur jusjurandum eos tribunus militaris adigebat in verba hæc etc. *Quædam Editiones et ipse Forcellinus lectionem præferunt* in jusjurandum. — d) Omisso vocabulo *jusjurandum*, brevius dicimus etiam *adigere aliquem in verba alicujus*, quod significat compellere aliquem ad jurandum iis verbis, quæ quis velit. *Liv.* 7. 5. Pavidus tribunus — adjurat, in quæ adactus est verba. *Sueton. Vesp.* 6. Primus in verba Vespasiani legiones adegit. *Tac.* 2. *Hist.* 14. Adactus in verba Vitellii. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 61. et *Plin. Paneg.* 64. — e) Eodem sensu occurrit *adigere jurejurando*, sequente etiam Infinito præsertim apud *Liv.*; et *adigere sacramento* si de militibus agitur, qui fidem suam imperatoribus obligant. *Cæs.* 7. *B. G.* 67. Probatâ re atque omnibus jurejurando adactis. Adde *Liv.* 22. 38. et 24. 16., *Quintil.* 7. 2. 3. aliosque. *Liv.* 2. 1. 9. Populum — jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare. *Id.* 10. 38. Adigere aliquem jurejurando, non enuntiaturum etc. — *Liv.* 4. 5. Tu statim consul sacramento juniores adiges, et in castra educes? Adde 6. 32., 7. 69. et 9. 29. *Tac.* 1. *Hist.* 76. Judaicum exercitum Vespasianus, Syriæ legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Adde 1. *ibid.* 55. *Sueton. Galb.* 16. Adigere aliquem sacramento in nomen senatus. — f) Denique hoc eodem sensu absolute. *Tac.* 4. *Hist.* 16. Magno cum assensu auditus, barbaro ritu et patriis execrationibus universos adigit. *Id. ibid.* 31. Sed adigente Hordeonio Flacco etc.

Homonym. Verba *adducere*, *adigere* et *afferre* proprio sensu accepta inter se differunt. Namque *adducere* est viam iis præmonstrare, qui nisi libenti animo, sponte saltem sequuntur; *adigere* est vi aliqua invitos vel renuentes impellere; *afferre* est manibus, aut loculis, aut alio simili modo gerere, quod alteri demus. Hinc *adducuntur personæ*, *adiguntur* animalia ratione carentia, res *afferuntur*: quibus propterea opponuntur *abducere*, *abigere* et *auferre*. *Varro* 2. *R. R.* 5. 16. Lactentes (*vituli*) cum matribus ne cubent —: ad eas mane adigi oportet. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 21. CALL. Attuli hunc. PSEVD. Quid? attulisti? CALL. Adduxi volui dicere. *Cic.* 5. *Verr.* 23. 57. Familiam abduxit, pecus abegit. *Edict. præt.* apud *Cic. Quint.* 27. 84. Quod non poterunt (*custodire*), id auferre — licebit. — Translate vero *adigere* et *cogere differunt. Cogimur* enim semper inviti, *adigimur* haud semper inviti; *cogimur* vi ac necessitate, *adigimur* precibus, cupiditatibus etc. et causis quoque ratione perpensis; *cogenti* obsistere nequimus, *adigenti* possumus. *Cic. Amic.* 8. 26. Vim quidem hoc est afferre. Quid enim refert, qua me ratione cogatis? Cogitis certe. *Virg.* 6. *Æn.* 695. Tua me, genitor, tua tristis imago Sæpius occurrens hæc limina tendere adegit. *Tac.* 6. *Ann.* 27. Egregium quemque — abnuere id munus; seque (*Tiberium*) ex necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur.

ADIMO, imis, emi, emptum, imere, a. 3. Veteribus Philologis hoc verbum videbatur compositum ex præp. *ad* et *emo*, quod antiqui pro accipere, sumere, teste *Paul. Diac.* p. 4. 18. *Müll.* usurparunt, ita ut *adimo* proprie esset *ad me* vel *mecum sumo*, *accipio* (V. *Forcellin.* in *Lex.*, et *K. L. Schneider latein. Gramm.* I. 2. p. 524.); sed quoniam hujusmodi etymologia nullo prorsus exemplo confirmatur, recentioribus visum est hoc verbum componi ex verbo *emo* et præp. *ab* quæ deinde mutata sit in *ad* euphoniæ causa, quemadmodum ex *μάσταξ* factum est *meditari*, ex *abagio* (*V.* h. v.) teste *Varr.* factum *adagio*; idque affirmarunt teste etiam *Paul. Diac. loc. cit.* Abemito significat demto vel auferto. — *Adempsit* vel *ademsit* pro *ademerit* dictum est a *Plaut.*, ut infra *B.* 1. — Part. *Ademptus* vel *ademtus A.* 2. et *B.* 1.; *Adimendus A.* 2. — Adimo autem est eripio, aufero (It. *torre*, *levare*; Fr. *enlever*, *oter*; Hisp. *alzar*, *quitar*; Germ. *hinwegnehmen*, *entziehen*; Angl. *to take away*, *remove*, *deprive of*, *deny*). Occurrit autem *A*) de rebus, *B*) de personis.

A) De rebus. ¶ 1. Raro admodum de rebus corporeis. *Colum.* 12. *R. R.* 51. 1. Item si qui adhæserunt pediculi, adimuntur, foliaque et surculi, quicumque sunt intermixti eliguntur. ¶ 2. Sæpissime ponitur de incorporeis atque abstractis, haud aliter quam *abolere*; et verbo *adimere* opponuntur *tribuere* aut *dare*, ut apud *Quintil.* 7. 5. 5. Lex omnis aut adimit, aut tribuit. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 20. Aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. (De hujusmodi oppositione cf. si vis *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. 3., *Cic.* 3. *Verr.* 52. 137., *Plaut. Capt.* 5. 4. 30., *Liv.* 30. 26., *Horat.* 2. *Sat.* 3. 288., *Sueton. Aug.* 48. et *Ter. Phorm.* 2. 46., quorum loca nonnulla integra et infra afferuntur). Porro hoc sensu occurrit a) in bonam partem, b) in malam, c) apud Poetas etiam cum Infinito, d) interdum etiam absolute. — a) In bonam partem, haud tamen frequenter. *Plaut. Capt.* 5. 4. 30. Ut istas compedes tibi adimam, huic dem. *Ter. Heaut.* 3. 1. 13. Adimere ægritudinem alicui. *Id. Phorm.* 5. 5, 3. curam alicui. *Id. Andr.* 2. 2. 2. metum. *Id. Hec.* 5. 4. 19. curas. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 288. Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores. — b) Sæpius in malam partem de bonorum vel jurium ablatione. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 137. Adimere animam alicui. *Lucret.* 3. 405. Truncus, adempta anima circum membrisque remotis, etc. *Cic. Planc.* 42. 101. Adimere vitam alicui. *Plaut. Capt.* 2. 3. 57. diem. *Ter. Andr.* 2. 1. 4. et *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. spem. *Ter. Andr.* 5. 1. 18. et *Hec.* 4. 4. 58. causam. *scilicet* accusandi aliquid. *Cic.* 3. *Att.* 7. 3. facultatem. *Id.* 1. *Verr.* 6. 21. potestatem. *Id.* 7. *ibid.* 32. 85. aditum littoris. *Id.* 2. *Orat.* 89. 161. recusationem. *Id. Sext.* 3. 6. nomen, caritatem, benevolentiam. *Id. Rosc. Am.* 26. 71. cælum, solem, aquam, terram. *Id.* 3. *Verr.* 52. 137. possessionem. *Id. Quint.* 15. 49. pecuniam. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 7. 19. *V.* Homonym. *Id.* 1. *Att.* 16. 8. Syriam (*provinciam*). *Liv.* 22. 27. Ademptum imperium. *Tac.* 1. *Hist.* 87. Ademptus tribunatus. *Id.* 14. *Ann.* 48. Censuit adimendam reo præturam. *Id.* 1. *ibid.* 15. Ademptum jus. *Cic. Cæcin.* 34. 99. et *Dom.* 9. 22. libertatem, civitatem. *Sall. Catil.* 12. sociis omnia. *Cic.* 2. *Att.* 16. 1. somnum. *Id. ibid.* 3. 17. mentem. *Liv.* 23. 18. vires. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (53). Multa (*fricatio*) adimit corpus. *Virg.* 3. *Æn.* 658. lumen. *h. e.* oculos. *Horat. Epod.* 17. 44. Adempta lumina. *Ovid.* 14. *Met.* 197. lucem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (80). vocem alicui ad præsens. *Id.* 1. *ibid. præf.* 8. sibi patrocinia. — c) Apud Poetas etiam cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 9. adimam cantare severis. *h. e.* vetabo. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 47. ademit posse reverti. *Sil. It.* 9. 425. si tibi non — esset ademptum Hannibalis cecidisse manu. — d) Absolute. *Ter. Phorm.* 2. 1. 46. Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti, aut propter misericordiam addunt pauperi.

B) De personis. ¶ 1. *Adimere aliquem* generatim est rapere, surripere cum in prosa, tum in ligata numeris oratione. *Plaut. Epid.* 3. 2. 27. Si illam — mihi adempsit Orcus. *Ter. Andr.* 1. 2. 14. Hanc nisi mors mihi adimet nemo. *Cic. Mur.* 37. 80. Nolite (*mihi*) adimere eum, cui rempublicam cupio tradere incolumem. — Hinc absolute *ademptus* est e medio sublatus, mortuus. *Horat.* 2. *Od.* 4. 10. Hector ademptus. *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 41. lacrimas Celso libemus adempto. — Sed *adimere aliquem leto* apud *Horat.* 3. *Od.* 22. 3. est a morte servare. ¶ 2. Translate. *Cic.* 3. *Att.* 5. Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt.

Homonym. Verba *demere*, *adimere*, *eximere* differunt a verbis *auferre*, *eripere*, *surripere*, quia hæc semper vi atque injuria, illa etiam jure fiunt. *Cic. Quint.* 15. 49. Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 7. 19. Hic quod adimi nullo pacto poterat potestate, quadam ratione (*h. e.* vi) eripere conatus — Porro inter tria priora verba illud interest discriminis, quod *demitur* quidlibet et præsertim pars de toto, *adimuntur* bona atque hæc proprie in totum, *eximuntur* mala. *Cic.* 2. *de republ.* 31. 55. Publicola — secures de fascibus demi jussit. *Id.* 3. *Verr.* 52. 137. Mihi det possessionem; mihi ne adimat. *Seneca Ep.* 88. Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat?

ADIMPLĔO, es, ēvi, ētum, ere, a. 2. (ad et impleo). Part. *Adimpletus* I. Significat insuper implere (It. *adempiere, riempire*; Fr. *remplir*; Hisp. *rellenar*; Germ. noch *dazu anfüllen*; Angl. to *fill*). Hoc verbum occurrit tantum apud serioris ævi Scriptores (*V.* infr. II. in fin.).

I.) Proprie. *Apic.* 4. 2. 12. Pulpas piscis assi vel elixi minutatim facies, ita abundanter, ut patinam, qualem voles, adimplere possis. *Firmic. de Err. prof. relig. p.* 10. Adimpleti tibiarum cantu, vocant deam suam. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. Cum neque passionis esse causam sanguinem videamus, neque ex patientibus locis detractio aliquid medeatur, etenim magis patientes adimplet partes etc. *Vulgat. Interpr. Ps.* 16. 14. Adimpletus est venter eorum. *et alibi sæpe.* Adde *Theod. Priscian.* 1. 14. et 3. 19.

II.) Translate significat exsequi, seu præstare id, quod quis debet. *Paul. Dig.* 26. 7. 42. Adimplere id quod promisit. *Id. ibid.* 18. 1. 57. venditionem. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 5. legem. *Justinian. Institut.* 1. 2. 23. fidem. Adde *Vulgat. Interpr. Matth.* 1. 22., *Gal.* 6. 2., *et alibi sæpe.* — *Adimplere vicem* pro implere, seu fungi vice, olim afferebatur ex *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 52. (140).; sed alii passim Codices habent *implere.* Idem esto judicium de loco *Liv.* 38. 7. 13. Cum totum cuniculum adimplesset.

ĂDIMPLĒTĬO, ōnis, f. 3. (adimpleo) impletio, sed occurrit tantum translate (It. *adempimento*; Fr. *accomplissement*; Hisp. *cumplimiento*; Germ. *die Erfüllung*; Angl. *an accomplishing, fulfilling*). *Tertull.* 5. *contr. Marcion.* 17. Temporum adimpletiones. *Et mox:* Dispensatio sine adimpletione. Adde *de Monogam.* 5. *Lactant.* 4. 20. Adimpletio veteris testamenti.

ĂDIMPLĒTOR, ōris, m. 3. qui adimplet. *Augustin. serm.* 144. *de Temp.* 3. Filius Dei adimpletor prophetarum.

ĂDIMPLĒTUS, a, um. *V.* ADIMPLEO.

ĂDINCRESCO, is, ere, n. 3. (ad *et* incresco) valde cresco (It. *crescer di più*; Fr. *croître, augmenter*; Hisp. *crecer, aumentarse*; Germ. *noch anwachsen*; Angl. *to increase*). *Vulgat. Interpr. Eccli.* 23. 2. Ne adincrescant ignorantiæ meæ.

ĂDINDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. (ad *et* indo) insuper immitto, injicio (It. *mettere o ficcar dentro*; Fr. *faire entrer, introduire encore*; Hisp. *introducir*; Germ. *noch hinein thun oder fügen*; Angl. *to put, fix, or thrust in*). *Cato R. R.* 18. 9. Orbem olearium crassum digitos sex facito, subscudes ligneas adindito.

ĂDINFLO, as, are, (ad *et* inflo) valde inflo; verbum inusitatum, cujus tantummodo Part. præs. *Adinflans* occurrit (It. *gonfiare*; Fr. *enfler*; Hisp. *hinchar*; Germ. *aufblasen*; Angl. *to inflate*). *Augustin.* 19. *Civ. D.* 23. Forte magis poteris in aqua scribere, aut adinflans pennas leves per aera, ut avis, volare, quam pollutæ revoces impiæ uxoris sensum.

ĂDINGĔRO, ĕris, essi, estum, ĕrere, a. 3. (ad et ingero) insuper ingero: occurrit autem tantum translate et significat addendo injicere. *Sisenna* 2. *Milesiar.* apud *Serv.*, teste *Falstero* (qui locum *Servii* non designat; nos vero frustra investigavimus). Non dignus in quem debeam satiram valente vi adingerere. *h. e.* satiram in eum scribere.

ĂDINQUĪRO, is, ere, a. 3. (ad *et* inquiro) insuper inquiro (It. *cercare ancora più*; Fr. *s'enquérir plus exactement encore*; Hisp. *inquirir curiosamente*; Germ. *dazu erforschen*; Angl. *to seek for, inquire*). *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* ed. *Mai.* 1. 40. Non ausi eorum ultra aliquid adinquirere.

ĂDINSTAR. *V.* INSTAR.

ĂDINVĔNĬO, vēnis, vēni, ventum, vēnire, a. 4. (ad et invenio). Part. *Adinventus.* Idem quod invenio (It. *trovare, inventare*; Fr. *découvrir, inventer*; Hisp. *descubrir, inventar*; Germ. *noch dazu ausfinden, erfinden*; Angl. to *find*). *Servius* in *Virg.* 6. *Æn.* 603. Adsimilis, valde similis; *ad* enim vacat, et a majoribus ad ornatum adhibebatur. — Ita *adinvenire* pro *invenire* legimus. *Servius* tamen nullum ibi affert exemplum. *Vulgat. Interpr. Exod.* 35. 33. Quidquid fabre adinveniri potest. Adde 2. *Paral.* 2. 14. et *Baruch* 3. 32. et 37. *Cyprian. de habitu Virg.* 16. Ut operiatur illud quod Deus in homine formavit, et conspiciatur illud desuper quod diabolus adinvenit. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. Iis aspersionibus, quæ ob pruritum corporis adinventæ sunt. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Modos adinveniebat abstinentiæ potioris, et quotidie exercitatione crescebat. *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. 203-211. a Chr. nat., apud *Jo. Labus.*, *Epigrafe latina scoperta in Egitto.* QVOD PRIMITER FELICISSIMO SAECVLO DD. NN. INVICTORVM IMPP. SEVERI ET ANTONINI NOVAE LAPICAEDINAE ADINVENTAE TRACTAEQVE SVNT PARASTATICAE ET COLVMNAE GRANDES ET MVLTAE. *Inscript.* apud *Murat.* 794. 1. SI QVIS AINVENTVS (*lege* adinventus) FVERIT HOC FECISSE etc. — Afferuntur etiam loca *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Ex quo intelligitur, adinventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consecutos. *Plerique tamen rectius leg. divisim* ad inventa. Et *Plaut. Curc.* 1. 3. 34. Jam huic voluptati hoc adinventum est odium. *Sed rectius leg.* adjunctum. — Ex Part. autem præter. pass.

Adinventum, i, n. 2. substantivorum more pro adinventione occurrit apud *Tertull. advers. Gnost.* 1. Hæc et si qua alia adinventa hæreticorum venenorum.

ĂDINVENTĬO, ōnis, f. 3. (adinvenio) inventum (It. *ritrovamento, invenzione*; Fr. *invention, découverte*; Hisp. *invencion*; Germ. *die Erfindung*; Angl. *invention*). *Vulgat. Interpr. Sap.* 14. 12. Adinventio illorum (*idolorum*) corruptio vitæ est: neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Adde *Deut.* 28. 20., *Judic.* 2. 19. et alibi sæpe; necnon *Paulin. Nolan. Ep.* 43. *ad Augustin.* — Quem *Forcellinus* locum affert ex *Modestin. Dig.* 27. 1. 6., minime inveni.

ĂDINVENTOR, ōris, m. 3. (adinvenio) qui adinvenit (It. *inventore*; Fr. *inventeur*; Hisp. *inventor*; Germ. *der Erfinder*; Angl. *an inventor*). *Vulgat. Ital. Rom.* 1. 30. apud *Cyprian. Ep.* 68. 10. Adinventores malorum. *Myth. Vatic.* I. ed. *Mai.* 2. 103. Iste Chiron primus adinventor fuit medicinæ, quam postea Æsculapio demonstravit.

ĂDINVESTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* investigo) insuper investigo (It. *investigare*; Fr. *rechercher avec soin*; Hisp. *rebuscar*; Germ. *dazu ausspüren oder erforschen*; Angl. *to investigate*). *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1214. Quorum si medium adinvestigavero, viginti octo fiunt.

ĂDINVĬCEM. *V.* INVICEM.

ĂDINVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. (ad *et* involvo) insuper involvo (It. *involgere*; Fr. *envelopper*; Hisp. *envolver*; Germ. *noch dazu hinein bewegen*; Angl. *to wrap up, involve*). *Liv.* 1. 21. Manuque ad digitos usque adinvoluta. *Ita legit* Alschefskius; *vulgatæ Editt.* involuta.

ĂDĬPĀLIS, e, adject. (adeps) ad adipem pertinens, vel pinguis (It. *grasso o di grasso*; Fr. *gras, relatif à la graisse*; Hisp. *graso*; Germ. *von Fett, fettig*; Angl. *fat, made of fat*). *Arnob.* 3. 25. Nisi postes adipali unguine oblinerentur ab sponsis. — Olim et *Cic. Orat.* 8. 25. (*V.* vocem sequent. II.) et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 23. (45). et *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. pro hac voce afferri solebant; sed ubique modo optimæ quæque Editt. aliter legunt.

ĂDĬPĀTUM, i, *V.* vocem seq.

ĂDĬPĀTUS, a, um, adject. (*tamquam ex adipare, quod ab adipe*) adipe confectus, pinguis (It. *fatto di grasso, pieno di grasso*; Fr. *rempli de graisse, gras*; Hisp. *graso, gordo*; Germ. *mit Fett versetzt, fett*; Angl. *fat, larded with fat*).

I.) Proprie. *Lucilius* apud *Charisium* 1. *p.* 74. *Putsch.* Adipata puls. — Hinc *adipatum, i,* substantivorum more, dicitur opus quodlibet pistorium, quod immisto adipe conficitur. *Juvenal.* 6. 630. Livida materno fervent adipata veneno. *Vespæ Judic. coci et pist.* 47. ed. *Wernsd. Poet. minor. T.* 2. *p.* 234. Nos adipata damus, nos grata Canopica vobis. *Charisio* autem teste *l. cit.* absolute dicebatur etiam *adipatus* et *adipata*; en ejus verba: Similiter et opus pistorium, quod adipe conficitur, omni genere dici potest; et *hic adipatus*, quo intelligitur *panis*, aut aliud aliquid; et *hæc adipata*, hoc est *pars*; et *hoc adipatum, opus* scilicet.

II.) Translate de dicendi genere usus est *Cic. Orat.* 8. 25. Itaque Caria et Phrygia et Mysia, quod minime politæ minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus opimum quoddam et tamquam adipatæ dictionis genus. *h. e.* pingue dicendi genus, tumidum ampullisque redundans. *V.* ADEPS II. *Nonnullæ vett. Editt. leg.* adipale dictionis genus.

ĂDĬPEUS, a, um, adject. (adeps) ex adipe constans, crassus. *Hieronym. Ep.* 147. *n.* 8. Raros in rubenti calvaria digeris capillos, taurina cervix toris adipeis intumescens inclinatur.

ĂDĬPISCOR, ĭpiscĕris, eptus sum, ĭpisci, dep. 3. (ad *et* apiscor). *Adipiscier* pro *adipisci* leg. apud *Ter. Andr.* 2. 1. 32. et *Phorm.* 2. 2. 59. ut infra II. 2. — Part. *Adeptus* I. et *B.*; *Adipiscendus B.* — Adipiscor proprie significat personam aut rem in loco assequi, ad eam pervenire (It. *raggiungere*; Fr. *atteindre*; Hisp. *alcanzar, arribar*; Germ. *eine Person oder Sache im Raume erreichen, sie einholen*; Angl. *to arrive at, come up with, reach, overtake*). Occurrit autem cum *A*) active, tum *B*) passive.

A) Active.

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 1. 1. 13. Nam ut apud portum te conspexi, curriculo occepi sequi: vix adipiscendi potestas fuit. *Liv.* 44. 28. 13. Fugientes Gallos Macedones adepti ceciderunt. *Id.* 2. 64. 4. Quos Servilius — insecutus, ipsum quidem agmen adipisci æquis locis non potuit. *Id.* 2. 36. 14. Adipisci fessos. *Id.* 31. 43. 1. recipientes se. V. *Drakenborg.* ad *Liv.* 2. 30. 14.

II.) Translate. ¶ 1. Ad mentem refertur, et est assequi, intelligere. *Cic. Rosc. Am.* 45. 131. Nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. ¶ 2. Generatim et sæpissime de abstractis ponitur, quæ magni sint momenti et grata, et est consequi, nancisci, obtinere, ad ea possidenda pervenire: cui aliquando *effugere* opponitur. — *a*) Cum Accusativo tantum. *Ter. Andr.* 2. 1. 33. Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier. *Id. Adelph.* 2. 3. 65. Adipisci jus. *Liv.* 1. 32. jus suum. *Ter. Phorm.* 2. 3. 59. De eadem causa bis judicium adipiscier. *h. e.* bis jure experiundi facultatem obtinere. *Cic.* 2. *Invent.* 57. 172. aliquid. *Id. Flacc.* 18. 43. ordinem senatorium. *Sall.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* magistratum malis artibus. *Cic.* 3. *Orat.* 33. 136. honores. *Id.* 10. *Fam.* 6. 2. amplissimos dignitatis gradus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 7. (23). consulatum. *Nep. Eum.* 6. 2. et *Liv.* 1. 18. regnum. *Vellej.* 2. 116. triumphalia. *Cic.* 6. *Att.* 1. 15. αὐτονομίαν. *Id.* 1. *Fin.* 14. 48. voluptatem. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. aliquantum ad dicendum et ad judicandum. *Id.* 1. *ibid.* 19. 62. laudem. *Id.* 2. *Invent.* 58. 174. honestatem. *Cæs.* 5. *B. G.* 28. et *Nep. Chabr.* 1. 3. et *Sueton. Aug.* 16. victoriam. *Nep. Them.* 9. 4. amicitiam alicujus. *Liv.* 2. 1. libertatem, impunitatem. *Seneca Ep.* 95. judicium certum. *Sueton. Domit.* 14. *in fin.* Nero in adipiscenda morte Epaphroditi manu adjutus existimabatur. *h. e.* in morte sibi sciens et prudens consciscenda. *V.* alia sub *B.* infra. — *b*) Interdum additur unde rem adipiscimur. *Cic. Cluent.* 42. 118. Adipisci summos honores a populo Romano. *Id.* 12. *Fam.* 22. 4. maximam laudem ab omnibus. *Nep. Chabr.* 2. 2. Qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. — *c*) Cum Genitivo pro Accusativo, in sequentibus tantum locutionibus, quarum lectio est insuper dubia. *Tac.* 3. *Ann.* 55. Arma, queis Galba rerum adeptus est. *Alii leg.* rem Romanam. *Id.* 6. *Ann.* 45. Dum dominationis adipisceretur. *Alii leg.* apisceretur; *alii* dominationem. ¶ 3. Raro hoc verbum ponitur de rebus aut nullius momenti, aut ingratis. *Ovid.* 8. *Met.* 151. et a tonso est hoc nomen adepta capillo. *Id.* 2. *Trist.* 92. at nullum crimen adeptus eram.

B) Passive. *Plaut. Trin.* 2. 2. 88. Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia. *C. Fannius* apud *Priscian.* 8. *p.* 791. *Putsch.* Hæc adipiscuntur. *Fabius Maximus* apud eumd. *l. cit.* Amitti magis, quam adipisci. Adde *Sueton. Galb.* 15., sed hic alii aliter legunt. *Cic.* 1. *Legg.* 22. 59. Instrumenta habere ad obtinendam adipiscendamque sapientiam. *Id.* 1. *Off.* 21. 72. Abjecta omni cunctatione adipiscendi magistratus sunt et gerenda respublica. *Cajus Institut.* 1. 30. Jus adipiscendæ civitatis. *Cic. Senect.* 2. 4. Senectus, quam ut adipiscantur omnes optant; eamdem accusant adeptam. *Alii leg.* adepti. *Sall. Catil.* 7. 3. Adeptâ libertate. *Id. Jug.* 107. 9. Adeptam victoriam retinere. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 19. palmas inhonestri adeptas. *Tac.* 1. *Ann.* 7. Litteras ad exercitum, tamquam adepto principatu, misit. *Sueton. Tib.* 38. et *Tac.* 1. *Ann.* 9. Adeptum imperium.

Homonym. *Adipisci* et *nancisci* inter se differunt. *Nanciscimur* enim, hoc est ejus rei possessionem inimus, ad quam nullo conatu, et aliquando forte ac præter expectationem pervenimus; *adipiscimur* vero ea, quæ difficultatibus tantum periculisque superatis assequimur: *nanciscimur* rei possessionem

et usum, *adipiscimur* honores et magistratus. *Horat. Art. P.* 299. Nanciscetur enim nomen pretiumque poetæ, Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam Tonsori Licino commiserit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Immanes et feras belluas nanciscimur venando. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. Nos ea quæ consecuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos. *Vide* autem sup. adipisci ordinem senatorium, consulatum, regnum, aliaque hujusmodi.

ADIPSATHEOS, a, um, adject. quod tamquam aspalathi synonimum affertur a *Plin.*, et est extinguens sitim deorum; ab ἄδιψος *sitim extinguens* et θεός *deus*. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 69. (112). Frutex, quem alii erysisceptrum, alii adipsatheon, sive diaxylon vocant.

ADIPSOS proprie est adjectivum, ἄδιψος, et est sine siti, qui sitim sedat, ab *a* privativo et δίψος *sitis*. Hinc — ¶ 1. *Adipsos* f. gen., subauditur enim *palma*, est glans unguentaria e quodam palmæ genere, in Ægypto nascens, similem proximumque usum myrobalano habens in unguentis, colore viridi, odore mali cotonei, nullo intus ligno: colligitur paullo ante quam maturescere incipiat: quod si relinquatur, *phœnicobalanus* vocatur, et nigrescit, vescentesque inebriat. Nomen ex eo accepit, quod sumentibus sitim sedat. Hæc a *Plin.* 12. *Hist. nat.* 22. 47. (103). *Priscian. Perieg.* 248. ed. *Wernsd. Poet. minor. T.* 5. quem (*Nilum*) circum floret mirabilis arbor, Extinguitque sitim pomo, cui nomen adipsos. De synonymia *V.* MYROBALANUS et PHOENICOBALANUS. ¶ 2. Item f. gen. est herba eadem, quæ glycyrrhiza. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 9. 11. (26). Hac diximus sitim famemque sedari: ob id quidam adipson appellavere eam, et hydropicis dedere, ne sitirent. — De Adipso Ægyptia urbe *V.* ONOM.

ADITIALIS, le, adject. (aditus) proprie qui ad aditum pertinet. Hinc *Aditialis cœna*, quæ multa impensa, magnoque exquisiti obsonii apparatu publice indicebatur, cum magistratus aliquis honorem inibat, et præcipue sacerdotes. Unde et *pontificalis* dicta est, quod maxime pontifices eam præbere solebant, cum primum sua sacerdotia ingrediebantur, cujus moris exemplum apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. legitur (ubi male nonnulli leg. *adipalis*). Hinc pontificales, augurales, saliares, diales celebratæ. *Varr.* 3. *R. R.* 6. 6. *Mull.* Primus pavones Q. Hortensius augurali aditiali cœna posuisse dicitur. *Seneca Ep.* 95. 41. Toties – sestertio aditiales cœnæ frugalissimis viris constiterunt. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 14. (58). Aditiales epulæ. *Id.* 10. *ibid.* 20. 23. (45). Aditialis cœna sacerdotii. Adde *Senec. Ep.* 123. 3. — *NB.* Sunt, qui locis supra allatis scribendum putent *adjicialis cœna*, eo quod in ea semper novi aliquid, lauti et peregrini cibi *adjiciebatur*. At *Scalig.* in *Conject.* ad *Varr.* et *Voss.* in *Etymol.* id deducunt ex more loquendi, quo dicebatur *adjicere cœnam*, *h. e.* indicere. *Tacit.* 2. *Ann.* 65. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, fœderi convivium adjicit, tractaque in multam noctem lætitia. Quibus vero *aditialis* magis placet, ab *aditu* derivant, quod præcipue in ipso honoris aditu hujusmodi epulæ celebrarentur, ut dictum est. Ita *Lips. de magnit. Rom. l.* 4. *c.* 9. Sane *Harduinus* in *MSS. Plinii* testatur *aditialis* legi; idque profecto unice probandum existimo.

ADITICULA, æ, f. 1. (aditus) parvus aditus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* ed. *Mai.* 3. 70. Quo spatio una sit aditicula, eaque vix accolis nota. *V.* et vocem seq.

ADITICULUS, i, m. 2. idem ac aditicula. *Paul. Diac. p.* 29. 6. *Mull.* Aditiculum parvum aditum.

ADITIO, ōnis, f. 3. (adire) actus adeundi, aditus (It. *andata*, *accostamento*; Fr. *action d'aller à*; Hisp. *el acto de andar*; Germ. *die Handlung des Heranlretens*; Angl. *a going to or up to, approaching, accosting*). ¶ 1. Est actus adeundi seu visendi aliquem. *Plaut. Truc.* 2. 7. 62. Quid tibi huc ventio est? quid tibi hanc aditio est? *h. e.* itio ad hanc. *Cod. Theod.* 16. 5. 12. Neque publicis, neque privatis aditionibus intra urbium atque agrorum ac villarum loca aut colligendarum congregationum aut constituendarum ecclesiarum copiam præsumat. ¶ 2. Est etiam actus, quo magistratum ad aliquid consequendum invisimus. *Ulp. Dig.* 39. 1. 1. § 2. Nuntiatio ex hoc Edicto non habet necessariam prætoris aditionem; potest enim nuntiare quis, etsi eum non adierit. ¶ 3. *Aditio hereditatis* est cretio, sive actus quo hereditatem capimus. *Julian. Dig.* 29. 2. 45. Aditio hereditatis non est in opera servili. Adde *Pompon. Dig.* 50. 17. 77 — Absolute eodem sensu *Ulp. Dig.* 4. 4. 22. In integrum restitutione postulata adversus aditionem a minore factam. Adde *Tryphon. Dig.* 37. 4. 20.

ADITO, as, āvi ātum, are, n. 1. frequentativum ab *adeo, is*, h. e. sæpe adire (It. *andare spesso*; Fr. *aller fréquemment*; Hisp. *andar frequentemente*; Germ. *wiederholt herangehen*; Angl. *to go frequently to*). *Ennius* apud *Diomed.* 1. *p.* 336. *Putsch.* Ad eum aditavere. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 4. Illustria sint loca, quo commodius aditet aviarius, qui subinde debet speculari aut incubantis, aut parturientis fetus. *Editio Patav.* ann. 1816. et *Schneider.* ita recte reposuerunt, ubi vulg. Editt. male legunt *quo commodius habitent.* avesque *V.* integrum loc. *Plaut. Capt.* 3. 4. 72. Ædepol si adites propius, os denasabit tibi. *Optimæ tamen quæque Editt. hoc loco habent* adbites.

ADITUS, a, um. *V.* ADEO.

ADITUS, us, m. 4. (adire) aditio, accessio, ingressus (It. *accostamento, adito, entrata, ingresso*; Fr. *accès, entrée, abord*; Hisp. *acceso, acercamiento, entrada, llegada*; Germ. *der Zu- oder Hingang*; Angl. *a going to, approach, access, entry*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est accessio ad locum, rem, aut personam; cui opponitur *abitus*. — *a*) Absolute. *Lucret.* 1. 677. (678). Quorum aditu, aut abitu, mutatoque ordine mutant Naturam res. *Cic. pro leg. Manil.* 8. 21. Urbes – permultas uno aditu atque adventu esse captas. *Id. Cæcin.* 13. 39. Qui multitudine coacta non introitu, sed omnino aditu quempiam prohibuerit. *Ovid.* 12. *Met.* 66. prohibent aditus littusque tuentur Troes. — *b*) Addito termino aut homine ad quem aditur, interdum cum Genitivo, sæpius cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*. *Cic.* 7. *Verr.* 32. 85. Illi aditum littoris Syracusanis ademerunt. *Liv.* 42. 6. Decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 123. Elephanti propter magnitudinem corporis difficiles aditus habent ad pastum. *Id.* 15. *Att.* 8. Aditus ad Antonium. *Id.* 4. *Fin.* 9. 21. Quæ (*philosophia*) omnino aditum habere nullum potest in urbem, in forum, in curiam. *Virg.* 4. *G.* 9. Quo neque sit ventis aditus. *Catull.* 61. 41. Ut lubentius audiens Se citarier ad suum Munus, huc aditum ferat Dux bonæ Veneris. *h. e.* huc gradum ferat, accedat. ¶ 2. Est etiam jus ad locum accedendi. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 99. Aditus enim in id sacrarium non est viris. — Hinc apud JCtos, cum de prædiorum servitutibus sermo est, *aditus* significat jus adeundi, seu transeundi ad proprium fundum per fundum alterius. *Ulp. Dig.* 7. 6. 1. Præstare aditum alicui. *Paul. Dig.* 30. 44. § 9. Aditum redimere. — Eadem ratione *aditus ad sepulcrum* (quem *Cic. Rosc. Am.* 9. 24. appellat *iter ad sepulcrum*) est jus accedendi ad sepulcrum etiam per fundum alterius. *Pompon. Dig.* 47. 12. 5. Legibus prædiorum vendendorum cavetur, ut ad sepulcra, quæ in fundis sunt, iter ei, aditus, ambitus funeris faciendi causa sint. *Inscript.* apud *Orell.* 4374. IN HOC MONVMENTO EIVS ADITVS AMBITVS LIBERTIS LIBERTABVSQVE MEIS OMNIB. PATEAT. Et apud *eumd.* 4392. EXTERAE FAMILIAE ADITVS NON DATVR. Adde *Inscript.* apud *eumd.* 1075., 1085., 4373., 4511. aliasque. ¶ 3. De loco, per quem aditur. *Cic.* 4. *Att.* 16. 13. Aditus insulæ muniti mirificis molibus. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. Loca, portus, aditus cognoscere. *Tac.* 13. *Ann.* 38. Sumpto ad prœlium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna. *Curt.* 7. 11. 9. Petra quam videtis, unum aditum habet. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. In ipso aditu atque ore portus. *Id.* 4. *ibid.* 66. 160. In primo aditu vestibuloque templi. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 79. 320. et *Cæcin.* 12. 35. *Id.* 15. *Fam.* 4. 4. Duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria. *Id.* 6. *Verr.* 52. 117. Nam et situ est cum munito, tum ex omni aditu vel terra vel mari præclaro ad adspectum. *Id. pro leg. Manil.* 8. 21. Qui (*Pontus*) antea populo Romano ex omni aditu clausus fuisset. *Liv.* 2. 10. Aditus pontis. *Curt.* 7. 2. 28. nemoris. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (99). valli. *Liv.* 30. 10. Aditus campestris. *Lucret.* 4. 306. (307). flexus. *Virg.* 4. *G.* 35. angustus. *Id.* 6. *Æn.* 4. 3. Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum. *Cic. Dom.* 42. 110. Aditum aperire. *Id.* 1. *Phil.* 10. 25. Omnes aditus claudere. *Id.* 15. *Fam.* 4. 4. intercludere. *Virg.* 6. *Æn.* 424. occupare. *Ovid.* 5. *Met.* 480. obsidere. *Tac.* 1. *Hist.* 32. tenere.

II.) Improprie. ¶ 1. Sæpe refertur ad personam, et significat facultatem conveniendi aliquem, visendi, colloquendi. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 41. Ita faciles aditus ad eum (*Pompejum*) privatorum. *Id.* 6. *Fam.* 13. 3. Magnis occupationibus ejus, a quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt. *Id.* 6. *Att.* 2. 5. Aditus ad me minime provinciales: nihil per cubicularium. *Liv.* 24. 5. Aditus rari. *Id. ibid.* Aditus in domum familiarior. *Rosc. Am.* 38. 110. Omnes aditus ad Sullam intercludere. *Nep. Pausan.* 3. 3. Aditus petentibus conveniendi non dare. *Liv.* 41. 23. Aditum apud regem quærere. *Seneca Herc. Fur.* 164. Superbos aditus regum colere. *Justin.* 21. 6. Obtinere aditum regis. *Ovid.* 1. *Fast.* 173. Ut per me possis aditum, qui limina servo. Ad quoscumque velim prorsus habere Deos. *Val. Max.* 6. 9. 15. C. autem Cæsar, cujus virtutes aditum sibi in cœlum struxerunt, etc. ¶ 2. Translate est accessio ad personam aut rem; occasio, modus, ratio rem aliquam adipiscendi, agendi etc. — *a*) Cum Accusativo et præp. *ad*. *Cic.* 2. *Off.* 9. 31. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, *h. e.* ad multitudinis animos sibi captandos. *Id. Dom.* 4. 3. Aditum ad aures alicujus habere. *Quintil.* 4. 1. 46. Facere sibi aditum ad aures. *Cic. Cæcin.* 25. 72. Non est aditus ad hujusmodi res neque potentiæ, neque gratiæ. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 15. 38. Hunc quasi gradum quemdam atque aditum ad cetera factum *(al. leg. factum esse)* intelligetis. *Id.* 2. *Att.* 17. 1. Comparare sibi aditum ad res pestiferas. *Cæs.* 1. *B. C.* 31. Nactus aditus ad ea consilia. *Caius Institut.* 1. 26. Nec ulla lege, aut senatusconsulto – aditus illis ad civitatem romanam datur. *Cic. Cluent.* 42. 119. Aditus ad honorem. *Id.* 3. *Orat.* 2. 7. Dare alicui aditum ab honorum perfunctione ad summam auctoritatem. *Id. Orat.* 15. 50. Vestibula honesta aditusque ad causam illustres facere. Adde *Sull.* 2. 4. — *b*) Absolute. *Cic. Ligar.* 6. 17. Ac primus aditus et postulatio Tuberonis hæc, ut opinor, fuit: velle se de Q. Ligarii scelere dicere. *h. e.* primus aditus causæ. *Id.* 1. *Orat.* 47. 204. Sic ego intelligo, si in hæc, quæ patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quæ cupitis, perventuros ab hoc aditu januaque patefacta. — *c*) Cum Genitivo. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 98. Alicujus rei aditum patefacere. *Id.* 6. *Fam.* 10. 2. Si qui mihi, erit, aditus de tuis fortunis agendi. *Cæs.* 5. *B. G.* 41. Aliquem sermonis aditum cum aliquo habere. *Id.* 1. *B. C.* 14. Aditus commendationis. *Id.* 1. *B. G.* 43. Aditus et causa postulandi. *Auct. B. Alex.* 30. Aditus oppugnationis. — *d*) Cum Dativo, qui dicitur commodi quoque a verbo pendet. *Liv.* 44. 6. Omnes aditus bello aperire. *Curt.* 8. 9. 3. Præparare aditum nefariæ spei. *Cic. Font.* 5. 10. Relinquere veritati aditum difficilem in animos. Cf. et supra loc. sub *a*.

ADJACEO, ces, cui, cere, n. 2. (ad et jaceo). Part. *Adjacens* 1. 2. et in fine. Adjaceo autem est juxta jaceo, adhæreo (It. *giacere o esser vicino*; Fr. *être couché auprès, être adjacent, confiner*: Hisp. *estar adyacente, vecino, contiguo*; Germ. *anliegen an oder bei etwas*; Angl. *to be contiguous, or border upon, to lie near*). ¶ 1. De personis, occurrit semper cum Dativo. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 10. Adjacere foribus. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. Ne habeamus villicum intra tecta desidem, et complexibus adjacentem feminæ. *Alii minus recte leg.* feminam. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Cum Romani adjacerent vallo. *Id.* 4. *ibid.* 48. Cum pars militum munimentis adjacerent. ¶ 2. De locis, regionibus et populis. — *a*) Cum Accusativo sine præp. *Nep. Timoth.* 2. 1. Gentes, quæ mare illud adjacent. *Liv.* 7. 12. Populabundi Tarquinienses fines Romanos, maxime qua ex parte Etruriam adjacent, peragravere. *Alii minus recte leg.* Etruriæ. *V. Drakenb.* ad h. loc. Adde *Frontin.* 3. 9. 5. — *b*) Cum Accusativo et præp. *ad*. *Mela* 1. 7. 2. Urbes ad Syrtim adjacent. — *c*) Cum Dativo. *Liv.* 2. 49. Tuscus ager Romano adjacet. *Id.* 26. 42. Super portum satis amplum – et nescio an unum in Hispaniæ ora, qua nostro adjacet mari. *Cæs.* 6. *B. G.* 33. Regio, quæ Aduaticis adjacet. *Alii leg.* Aduatucos. *Ovid.* 11. *Met.* 728. Adjacet undis Facta manu moles. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 30. 32. (121). Æolis proxima est, quondam Mysia appellata, et quæ Hellesponto adjacet Troas. — *d*) Absolute. *Quintil.* 1. 6. 22. Recta est hæc via, quis negat? sed adjacet et mollior et magis trita. *Tac.* 2. *Hist.* 93. Adjacentis Tiberis. — Part. præs.

Adjacens, entis est etiam adjectivum. *Tac.* 13. *Ann.* 55. Adjacentes populi. — *Adjacentia*, ium, plur. num. substantivorum more usurpavit *Plin.* 35

Hist. nat. 9. 52. (137). Aliquo vero ante se projecto nitore adjacentia illustrare. *Tac.* 1. *Ann.* 79. Velinum lacum in adjacentia erupturum. *subaudi* loca. *Id.* 5. *ibid.* 14. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis adjacentibus superfunderetur.

ADJACULĀTUS, a, um, particip. passivæ significationis ab inusitato *adjaculare*, et est ejectus, emissus, vibratus (It. *lanciato, vibrato*; Fr. *lancé, dardé*; Hisp. *lanzado, saetado*; Germ. *hingeschleudert oder geworfen*; Angl. *thrown, or darted*). *Capell.* 2. p. 41. Adjaculati fulgoris radios revibrare.

ADJECTĀMENTUM, i, n. 2. (adjicio) adjectio, id quod adjicitur, additamentum, et occurrit tantum translate. (It. *aggiunta*; Fr. *addition*; Hisp. *adicion*; Germ. *die Hinzufügung*; Angl. *an adding, addition*). *Charis.* 2. p. 131. *Putsch. Met* non est pars orationis, sed adjectamentum quoddam accedit, ut *tute, temet, semet*, etc. *Et mox.* Ista omnia, quæ quasi adjectamenta diximus, tam singulari numero, quam plurali accedunt. *Gloss. Placidi* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 3. p. 433. A d d i t a m e n t a (*ubi editio male additmenta*) adjectamenta.

ADJECTĪCIUS, a, um, adject. (adjicio) qui additur, qui insuper adjicitur, adjectivus. *Cassiod.* 11. *Variar.* 8. *circa med.* Non exactor (vos) adjecticiis gravabit incommodis. *Grammat. incert.* p. 78. *Eichenfeld.* Appellationes adjecticiæ, ut *frugi*.

ADJECTĪO, ōnis, f. 3. (adjicio) proprie est actus jaciendi vel jactus ad aliquem locum: sed occurrit tantum translate, et est additio, qua scilicet alia aliis adduntur, ut eorum numerus augeatur, cui opponitur *detractio* (It. *aggiunta, giunta*; Fr. *addition, adjonction*; Hisp. *adicion, adjuncion*; Germ. *die vermehrende Hinzugabe, die Hinzufügung*; Angl. *an adding, addition*). Occurrit autem *A*) cum de rebus corporeis, *B*) tum de incorporeis vel abstractis.

A) De rebus corporeis. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 9. 8. (9). 7. Sin autem cuneorum adjectionibus et detractionibus correptiones dierum aut crescentiæ non probabuntur etc. *V.* et **ADJECTUS** 2. *Seneca Ep.* 100. 8. Calor non adjuvatur adjectione caloris. *Quintil.* 1. 5. 16. Licet litterarum mutationem, detractionem, adjectionem non habeant. Adde 1. 5. 14. et 38. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. Quippe cum quorum adjectio gravat, eorum detractio necessario relevet. ¶ 2. Peculiariter in architectura *adjectio per scamillos impares* apud *Vitruv.* 3. 3. (4). 5. in stylobatis videtur esse numerus ille scamillorum, qui adjiciuntur quadræ figuræ ipsius stylobatæ, quæ si simplex esset, et sine scamillis, facies ejus viderentur alveolatæ, ut *Idem ibid.* habet. — In columnis vero adjectio, quæ Græce ἔντασις, apud *eumd.* 3. 2. (3). 13. est venter in medio columnæ scapo turgescens. ¶ 3. Item peculiariter apud Medicos adjectiones sunt pharmaca refocillantia, quibus detractiones opponuntur. *Vitruv.* 1. 6. 3. Pleuritis, phthisis, sanguinis ejectio et cetera, quæ non detractionibus sed adjectionibus curantur. Hinc *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Hæc enim sensim quodam nutrimento reficiunt ac resumunt, latentem adjectionem corporis facientia. *h. e.* blande refocillantia.

B) De incorporeis vel abstractis. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 1. 30. Romana res adjectione populi Albani aucta. *Tac.* 1. *Hist.* 78. Eadem largitione Hispalensibus et Emeritensibus familiarum adjectiones, Lingonibus civitatem Romanam dedit. *h. e.* cum Hispalis et Emerita coloniæ Romanorum essent, et in colonias certus deduceretur familiarum numerus, quem injussu senatus Romani augeri non licebat, concessum his beneficio singulari, ut adjicerent sibi alios, quo sua civitas frequentior et potentior fieret. ¶ 2. Peculiariter adjectio, præsertim apud JCtos accipitur pro pretii additione, seu augmento, quæ in emptionibus et auctionibus a licitantibus paullatim fit. *Liv.* 38. 14. 14. Paullatim illiberali adjectione ad centum talenta est perductus. *Julian. Dig.* 18. 2. 17. Adjectio facta pretio. *Absolute* quoque *Hermogenian. Dig.* 4. 4. 35. Si in emptionem penes se collocatam minor adjectione ab alio superetur. *Paul. Dig.* 50. 1. 21. Si civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis. ¶ 3. Item peculiariter in oratione adjectio sunt verba, quæ alicui propositioni aut formulæ adduntur. *Quintil.* 7. 9. 9. Adjectio verborum. Adde *ibid.* § 11. *Id.* 6. 3. 71. Sed rem urbanam facit aliqua et nobis adjectio. Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Carpathium Titius Maximus, *An spectasset?* fecit Carpathius dubitationem ejus stultiorem dicendo, *Non, sed in orchestra pila lusi.* Adde *Cajum Comment.* 4. 126. aliosque JCtos. ¶ 4. Hinc adjectio est etiam figura rhetorica eadem ac repetitio apud *Quintil.* 9. 3. 27. et 28.

ADJECTĪVUS, a, um, adject. (adjicio) qui additur, et est vocabulum Grammaticorum tantummodo proprium (It. *aggettivo*; Fr. *adjectif*; Hisp. *adjectivo*; Germ. *das Beiwort, Adjectiv*; Angl. *adjective*). Apud Grammaticos *adjectivum nomen* est, quod positivo seu substantivo adjicitur, et significat vel laudem, vel vituperationem, vel medium, vel accidens, ut *justus, impius, magnus, albus*, ut *Priscian.* 2. p. 578. *Putsch.* definit. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Ut jam non positivum sit, sed adjectivum, quod Græci ἐπίθετον vocant.

ADJECTO, as, are, a. 1. frequentativum ab *adjicio*, quod affertur ex *Apic.* 8. 2. Adjectas caryotam, uvam passam, et oleum. *Sed dubia est lectio, alii enim aliter legunt; præterea locus ipse frequentativum minime postulat: hinc vocabulum hoc a Lexico expungendum videtur.*

ADJECTUS, a, um. *V.* **ADJICIO.**

ADJECTUS, us, m. 4. (adjicio) actus adjiciendi, scilicet ¶ 1. Proprie. Appulsus, appropinquatio (It. *il porre o gettar vicino*; Fr. *action d'approcher, approche*; Hisp. *cercania*; Germ. *das Hinanbringen*; Angl. *an approach, drawing near*). *Lucret.* 4. 677. Quo pacto nares adjectus odoris Tangat. *Id.* 1. 689. (683). vel quæ corpora mittere possit Sensibus, et nostros adjectu tangere tactus. ¶ 2. Improprie est idem quod adjectio, additio; cui *exemptus* opponitur (*V.* **ADJECTIO.** *A.* 1). *Vitruv.* 9. *ult.* (8). 6. Cuneorum adjectus, aut exemptus. *Cod. Theod.* 6. 26. 14. § 2. Quod autem omnibus constat deferri, adjectu alterius dignitatis perire non patimur. *Macrob. de diff. Græc. Lat. verb.* p. 2737. *Putsch.* Nec talis geminatio (*in tempore Perfecto apud Græcos*) præpositionis adjectu impeditur.

ADJICIALIS, e. Falsa lectio. *V.* **ADITIALIS.**

ADJICĬO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (ad *et* jacio). Poetæ alterum *i* sæpe abjiciunt, ut primam syllabam corripiant. *Stat.* 7. *Theb.* 4. proclamatque adici cervicibus Atlas. *h. e.* adjici pondus. *Martial.* 10. 82. Si quid nostra tuis adicit venatio rebus. Adde 4. 54. Neque solum apud Poetas, sed et apud prosæ Scriptores *adicio* legitur unico *i* præsertim in MSS. Codicibus et quidem optimis, quod præter alios testatur *Pareus* in *Lex. Crit.*; quam propterea formam in suis Editt. retinuerunt *Mai.*, *Madvig.* et *Ellendt.* Vide quæ dicta sunt in v. **ABJICIO** et **JACIO.** — Part. *Adjiciens* III. 4.; *Adjectus* in omnibus paragraphis; *Adjecturus* III. 2.; *Adjiciendus* III. 2. — Adjicio autem est ad aliquem locum jacio, juxta jacio (It. *gettare a, presso*; Fr. *jeter à côté*; Hisp. *echar cerca*; Germ. *hinan-oder heran-, hinzuwerfen*; Angl. *to apply to, cast towards*). Hujusce verbi significationes ad tres præcipue redigi possunt: I.) enim significat ad aliquem locum aut juxta jacĕre; II.) ex improviso apponere; III.) aliquid ceteris addere.

I.) Proprie est ad aliquem locum jacio, juxta jacio. ¶ 1. Sensu proprio. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Neque propter altitudinem (*navium*) facile telum adjiciebatur. *Id.* 2. *ibid.* 21. Non longius hostes aberant, quam quo telum adjici possit. *Id.* 4. *ibid.* 23. Ex superioribus locis in littus telum adjici. *Duobus tamen postremis locis al. leg.* adigi. Adde *Auct. B. Afr.* 56. *Tac.* 1. *Hist.* 41. Pleraque vulnera feritate et sævitia trunco jam corpori adjecta. *Curt.* 7. 11. 15. Ut in prærupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi levavere semet, alii adjectis funium laqueis evasere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Extra autem eminent – aures, et tegendi causa factæ tutandique sensus, et ne adjectæ voces laberentur atque errarent. — Huc referendum et *adjicere album calculum alicui rei*, quod translate significat approbare. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Si modo tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris. ¶ 2. Hinc sumpta metaphora est admovere, et dicimus *adjicere oculos, animum, mentem ad aliquid* vel *alicui rei*, h. e. vertere, applicare. *Plaut. Asin.* 4. 1. 24. Ad eorum ne quem oculos adjiciat suos. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 10. 25. Cum ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adjecissent. *Id.* 2. *Legg.* 14. 36. Quo ne imprudentiam quidem oculorum adjici fas fuit. *Id.* 4. *Verr.* 15. 37. Plane videbant, adjectum esse oculum hereditati. *Ter. Eun.* 1. 2. 63. Ego quantum suspicor, ad virginem animum adjecit. *Liv.* 25. 37. Adjecit animum ad consilium specie temerarium, ut etc. *Id.* 28. 33. Novo etiam consilio adjecit animum, equitem nec posse etc. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 34. Adjicere animum militi. *Id. Pœn.* 5. 4. 1. amabilitati. *Ovid.* 14. *Met.* 319. Adjicere mentem dictis. *Vellej.* 2. 100. Parthus adjecit Armeniæ manum. *h. e.* invasit.

II.) Sæpe etiam significat ex improviso juxta ponere, adjungere. ¶ 1. De rebus corporeis, absolute, aut cum Dativo, aut cum Accusativo et præp. in. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 24. 61. ROGVM BVSTVMVE NOVVM vetat PROPIVS LX. PEDES ADICI AEDES ALIENAS. *Curt.* 10. 10. 13. Adjicere capiti insignia fortunæ. *Ovid.* 3. *Art. am.* 7. quid virus in angues Adjicis, et rabidæ tradis ovile lupæ? *Colum.* 12. *R. R.* 16. 4. Adjicere sorba in urceolos. *Id. ibid.* 21. 1. defrutum in sinum. Adde *ibid.* 54. 2. et *V.* **ADDO.** ¶ 2. De abstractis cum Dativo. *Ovid.* 10. *Met.* 656. Adjiciunt animos juveni clamorque favorque. Adde 7. *ibid.* 121. *Id.* 1. *ibid.* 245. stimulos frementi. *Tac.* 15. *Ann.* 55. constantiam dictis. *Quintil.* 1. 1. 22. Incredibile est, quantum moræ lectioni festinatione adjicitur. *Tac. Agric.* 26. Ab universis clamorem adjici jubet. *Quintil.* 4. *proœm.* 5. Ut quantum nobis expectationis adjecit, tantum ingenii aspiret.

III.) Sæpissime significat aliquid ceteris addere. ¶ 1. Generatim de rebus corporeis. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. Testudine facta, et aggere ad munitiones adjecto, locum ceperunt. *Curt.* 4. 3. 8. Adjicere latitudinem aggeri. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 3. sextario aquæ dodrantem mellis. *Id. ibid.* 16. 3. in lixiviæ sextarios x salis III cyathos. et *alibi sæpe*. *Cels.* 4. 2. Adjicitur cibo pisciculus. ¶ 2. Item generatim de incorporeis et præsertim abstractis. — *a*) Nulla re significata, cui quid adjicitur. *Liv.* 10. 7. Pontificalia atque auguralia insignia adjicere. *Tac.* 1. *Ann.* 29. Cum censerent alii, – adjiciendos ex duce metus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 43. Adjecere bonæ paullo plus artis Athenæ. Huc referendum et illud *Virg.* 10. *Æn.* 182. Tercentum adjiciunt, mens omnibus una sequendi, Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis. *h. e.*, ut recte interpretatur *Heynius*, qui sunt Cærete domo seu Cæretani adjiciunt sive addunt viros tercentum. *Burmannus* secundum *Servium* supplet *adjiciunt se*, nec multum recedit *Probus*, qui *adjacent et quasi juxta sunt* interpretatus erat. — *b*) Cum Accusativo rei, cui quid adjicitur, et præp. *ad* aut *super*. *Cic.* 1. *Off.* 32. 116. Ad belli laudem doctrinæ et ingenii gloriam adjicere. *Curt.* 8. 1. 41. ad pristinam violentiam iram. *Liv.* 4. 17. Ad delectum a consulibus habitum centuriones veteres belli periti adjecti. *Id.* 22. 11. Duas se legiones adjecturum ad Servilianum exercitum dixit. *Sueton. Claud.* 6. Senatus ut ad numerum Sodalium Augustalium extra ordinem adjiceretur, censuit. Hinc *Adjectus ad numerum* secundum *Marinium* dicitur is, qui in aliquod collegium supra numerum cooptabatur. *Inscript.* apud *Grut.* 300. 1. ADLECTVS AD NVMERVM EX S. C. ubi ADIECTVS legendum probat *Marin. Frat. Arv.* p. 154. ex allato *Suetonii* loco. Nos vero nihil mutandum putamus. *V.* **ALLECTUS.** *Plin.* 10. *Ep.* 113. Ii, quos indulgentia tua quibusdam civitatibus super legitimum numerum adjicere permisit. — *c*) Sæpius cum Dativo. *Liv.* 44. 33. Aliquantum ea quoque res duci famæ et auctoritatis apud milites adjecit. *Id.* 40. 19. Adjicere prætori quæstionem. *Id.* 21. 35. fessis ingentem terrorem. *Id.* 41. 15. territis curam. *Liv.* 28. 9. Adjicere auctoritatem alicui rei. *Id.* 2. 41. muneri agri aliquantum. *Id.* 1. 30. viribus aliquid ex novo populo. *Vellej.* 2. 36. consulatui decus. *Cels.* 7. *præf.* aliquantum alicui disciplinæ. *Sueton. Oth.* 11. vitæ unam noctem. *Horat.* 3. *Od.* 5. 3. Adjecti Britanni imperio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (18) Adjicere immensum terrarum imperio. *Justin.* 1. 2. provinciam imperio. *Tac.* 2. *Hist.* 65. Cluvius comitatu principis adjectus. *comitatu* dictum est pro *comitatui*: cujus rei exempla non desunt, in nominibus præsertim quartæ declinationis. — *d*) Absolute sine Accusativo. *Curt.* 8. 14. 13. Magnitudini Pori adjicere videbatur bellua. *Cels.* 7. 4. Adjicitur celeritati, sicut tormento quoque, si etc. — *Adjicere modum* est modum addere sive adhibere alicui rei. *Tac.* 3. *Ann.* 6. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adjiceretur. *Ulpian. Dig.* 1. 16. 6. § 3. Non vero in totum xeniis abstinere debebit Proconsul, sed modum adjicere. ¶ 3. Peculiariter apud JCtos *adjicere pretium* et *adjicere* quoque absolute interdum ponitur

pro addere seu augere pretium alicujus rei in auctionibus et emptionibus. *Pompon. Dig.* 18. 2. 19. et 7. *V.* ADJECTIO. *B.* 2. *Cic.* 5. *Verr.* 33. 77. Herbitenses liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur: supra adjecit Æschrio. *recentiores tamen Editt. leg.* supra jecit. ¶ 4. Item peculiariter, si de oratione agitur, *adjicere* est loquendo addere: et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Ovid.* 6. *Met.* 182. Huc natas adjice septem. — *b*) Cum Ablativo et præp. *de*. *Quintil.* 6. 1. 30. *sine Accusativo*: De fortuna quoque adjeci. *Id.* 9. 3. 19. De altera figura pluribus adjiciendum. — *c*) Cum Infinito et Accusativo. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Adjecit, in domo ejus venenum esse. *Id.* 2. *ibid.* 33. Adjecerat Tiberius, non id tempus censuræ. *Curt.* 7. 5. 25. Adjecit, non Dario iniquos fuisse (*deos*). *Vellej.* 2. 27. 2. Adjiciens, nunquam defecturos raptores etc. Adde *Quintil.* 1. 2. 29., 5. 10 95. et 6. 2. 12. — *d*) Etiam absolute. *Tac.* 4. *Ann.* 7. Secutæ insuper litteræ grates agentis, quod hominem infensum reipublicæ punivissent; adjecto, trepidam sibi vitam etc. Adde 4. *ibid.* 70. — *e*) Sequente *quod*. *Quintil.* 2. 17. 40. Adjiciunt his, quod sæpe, quæ in aliis litibus impugnarunt actores causarum, eadem in aliis defendant. Adde *eumd.* 11. 1. 92. et 12. 2. 25.

ADJUBEO, es, ere, a. 2. Idem quod jubeo præter vim præpositionis *ad*: sed est verbum a Lexico expungendum, quippe quod falsis tantum lectionibus innititur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 50. Atque adjubeat ferri in navim si quid imponi velit. *Plerique Codd. et optimæ Editt. recte leg.* Atque ut jubeat. *Catull.* 32. 4. Quod si jusseris, illud adjubeto, ne, etc. *ubi cum plerisque aliis legendum est* adjuvato, *h. e.* da operam, enitere. Sic enim et *Plaut. Pœn. prol. in fin.* Valete atque adjuvate ut vos servet Salus.

ADJŪDICĀTĬO, ōnis, f. 3. (adjudico) actus adjudicandi, attributio, addictio (It. *aggiudicazione*; Fr. *adjudication*; Hisp. *adjudicacion*; Germ. *das gerichtliche Zuerkenntniss*; Angl. *adjudging*). *Ulpian. fragm. tit.* 19. Adjudicatione dominia nanciscimur. *Id. Dig.* 10. 1. 2. Adjudicatione controversiam dirimere. *Et ibid.* 4. Cum fit adjudicatio pluribus. ¶ 2. Pro jure adjudicandi, quod judici competit. *Ulpian. Dig.* 50. 16. 131. § 1. Multam is dicere potest, cui adjudicatio data est. *Alii leg.* judicatio.

ADJŪDICĀTUS, a, um. *V.* ADJUDICO.

ADJŪDĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* judico) Part. *Adjudicatus* et *Adjudicaturus* 1. Proprie verbum judiciale, et est per sententiam, aut judicium aliquid alicui attribuo, addico, assigno: cui contrarium est *abjudico*, ut apud *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 17. 43. (It. *aggiudicare per sentenza, assegnare, attribuire*; Fr. *adjuger par sentence ou par jugement*; Hisp. *adjudicar, señalar*; Germ. *durch richterlichen Ausspruch zuerkennen*; Angl. *to adjuge, assign, give sentence in behalf of, award, attribute*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu in re judiciaria. — *a*) Generatim. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 26. 42. Adjudicare alicui fraterna arma. *Cic.* 2. *Orat.* 29. 129. Adjudicare causam alicui. *h. e.* in favorem alicujus sententiam dare. *Liv.* 3. 72. 5. controversiosam rem. *Quintil.* 5. 14. 16. Propter quod nobis bona adjudicari debeant. *Sueton. Aug.* 32. Adjudicare loca possessoribus. *Cæs.* 7. *B. G.* 37. magistratum alicui. *Cic.* 10. *Phil.* 6. 12. Si ipsa respublica judicaret, Antonio ne, an Bruto legiones populi Romani adjudicaret? *Id.* 4. *Att.* 2. 3. domum. *Id.* 1. *Verr.* 17. 36. Mulierem Veneri in servitutem adjudicat. *Cajus Institut.* 3. 189. (*edente Goeschenio*). Liber verberatus addicebatur, ex lege XII. Tabularum, ei, cui furtum fecerat: utrum autem servus efficeretur ex addictione, an adjudicati loco constitueretur, veteres quærebant. *h. e.* rei adjudicatæ, substantivorum more. — *b*) Sæpe de agrorum possessione. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 17. 43. Qui sunt isti decemviri, quos perspicimus regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adjudicaturos? *Id.* 1. *Off.* 10. 33. In medio quod relictum erat (agri), populo Romano adjudicavit. Adde *Auct. B. Alex.* 66., 71., 78.; et *Val. Max.* 7. 5. 4. Hinc metaphorice *Horat.* 1. *Ep.* 18. 57. Nunc et, si quid abest, Italis adjudicat armis. *h. e.* si qua terra nondum Romanæ ditioni subjecta est, eamdem Romanæ potentiæ parere jubet. ¶ 2. Generatim extra rem judiciariam. *Plaut. Men.* 1. 3. 6. Adjudicato, cum utro istam noctem sies. *h. e.* deliberato. *Cic.* 1. *Att.* 19. 7. Pompejus sæpe hujus mihi salutem imperii atque orbis terrarum adjudicavit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (168). Is primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. *Lactant.* 2. 2. 24. Adjudicare se suamque animam mortuis.

ADJŪERO pro *adjuvero*. *V.* ADJUVO.

ADJŪGĀTUS, a, um. *V.* ADJUGO.

ADJŪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* jugo) Part. *Adjugatus* 1. et 2. Proprie est ad jugum jungere, ut fit, cum duo boves jugo alligantur, sed occurrit tantum translate, et accipitur generatim pro jungere, conjungere (It. *unire insieme, congiungere*; Fr. *joindre, attacher ensemble*; Hisp. *juntar, unir*; Germ. *anschliessen, anfugen oder anreihen*; Angl. *to unite, join, or couple together*). ¶ 1. Peculiariter *adjugare vites* est in jugum disponere, quod et jugare dicitur: jugum autem hoc loco sumitur pro palis transversim colligatis cum pedamentis vitium in modum jugi, cui vitium rami alligantur. *Colum.* 4. *R. R.* 17. 6. Nihil refert jugum in stellam decussari atque diduci, nisi et palmites adjugentur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (175). Satius pampinos adjugatæ detergere, usque quo placeat roborari eam. ¶ 2. Metaphorice. *Pacuvius* apud *Non.* p. 75. 11. *Merc.* Mater est terra, ea parit corpus; animam æther adjugat. *Id. ibid.* Blandam hortatricem adjugat voluptatem. *Lactant. Opif. Dei* 6. de armentis in Venerem coeuntibus: Quatenus adjugatis corporibus elata soboles universas generatim conservaret animantes.

ADJŪGUS, a, um, adject. (ad *et* jugum) proprie ad jugum alligatus; sed occurrit tantum translate apud *Venant. Fortun.* 8. 39. Servitio Domini subdenda est adjuga cervix, Nec grave, sed leve fit, quidquid amore feres. *Cf. Barth. Adv.* 6. 13.

ADJŪMENTUM, i, n. 2. (adjuvo) proprie quidquid adjuvat, auxilium, subsidium, præsidium: cui opponitur *detrimentum* aut *incommodum* (It. *ajuto*; Fr. *aide, secours, assistance*; Hisp. *ayuda, asistencia, auxilio*; Germ. *was zur Hulfe dient, Hulfs oder Beforderungsmittel, Hülfe*; Angl. *help, assistance*). Occurrit autem — *a*) Una cum oppositis. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. Plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adjumenta per homines eloquentissimos importata. *Id.* 2. *ibid.* 24. 102. Hic locus plus habeat adjumenti, quam incommodi. — *b*) Una cum homonymis. *Cic.* 4. *Tusc.* 38. 84. Adjumenta et auxilia bene beateque vivendi. *V.* Hom. — *c*) Una cum Adjectivis et Verbis. *Sall. Jug.* 89. delicatiores cibos *appellat* adjumenta ignaviæ. *Ter. Phorm.* 1. 2. 55. Nihil aderat adjumenti ad pulcritudinem. *Cic.* 1. *Off.* 21. 72. Adjumenta rerum gerendarum a natura habere. *Quintil.* 1. *præf.* 27. Sunt et alia ingenita quædam adjumenta, vox, latus patiens laboris, etc. *Cic.* 5. *Fin.* 21. 59. Uti adjumentis externis et adventiciis. *Id. pro leg. Manil.* 24. 70. Adjumenta honoribus quærere. *Id.* 1. *Ep. ad Brut.* 4. 1. Esse maximo ad victoriam adjumento. *Id. Quint.* 1. 4. Quod mihi consuevit in causis esse adjumento. Adde 1. *Verr.* 2. 4. *Id.* 13. *Fam.* 30. et 3. *Herenn.* 5. 9. Alicui magno adjumento esse. *Id.* 4. *Herenn.* 27. 37. Nihil alicui adjumento esse. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. Magnum adjumentum afferre ad rem. *Id.* 4. *Tusc.* 27. 58. Adjumenta corporum adhibere extrinsecus. *Tac.* 12. *Ann.* 61. Adjumentis nullis extrinsecus rem velare. — *d*) Interdum ponitur etiam de personis. *Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. Num quid (reus) dixerit, num quem habuerit de consciis, de adjutoribus, de adjumentis. *dubia tamen lectio videtur*. *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 31. Esse duos juvenes, firma adjumenta parentis, Qui etc.

Homonym. *Adjumentum, adminiculum, subsidium* et *præsidium* inter se differunt. *Adjumento* enim vires nostræ sive natura insitæ sive arte acquisitæ ita promoventur, ut finem, quem etiam aliter obtinerent, facilius, citius, rectius etc. assequantur; aliquid vero conantes, arduis rerum difficultatibus fracti, tamquam baculo senex, *adminiculo* ne deficiamus innitimur; in periculo reapse versantes et jam jam casuri *subsidio* sustinemur; ne pericula nobis accidant, *præsidium* prohibet. *Cic. Mur.* 18. 38. Num tibi hæc parva videntur adjumenta et subsidia consulatus? *h. e.* adjumenta ad consulatum honorifice gerendum, subsidia ad ipsius consulatus pericula fortiter obeunda. *Tac.* 14. *Ann.* 54. Quomodo in militia, aut via, fessus adminiculum orarem; ita in hoc itinere vitæ, — cum opes meas ultra sustinere non possim, præsidium peto.

ADJUNCTĬO, ōnis, f. 3. (adjungo) proprie adjungendi sive adjugandi actus, sed occurrit tantum translate, et est conjunctio (It. *congiunzione, unione*; Fr. *union, liaison*; Hisp. *union, conjuncion*; Germ. *das Anschliessen, der Anschluss*; Angl. *union, conjunction*). ¶ 1. Est propensio ad aliquem, societas, conjunctio voluntatum. *Cic.* 7. *Att.* 2. 4. Filiola tua te delectari lætor, et probari tibi φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim si hæc non est, nulla potest homini ad hominem naturæ adjunctio. *Q. Cic. Petit. cons.* 6. 21. Tribus rebus homines maxime ad benevolentiam ducuntur, beneficio, spe, adjunctione animi, vel voluntate. ¶ 2. Item additio, accessio alterius rei ad alteram, qua scilicet ambæ inter se conjunguntur. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 39. Omnes simplices sententias eorum, in quibus nulla inest virtutis adjunctio, omnino a philosophia semovendas putamus. *Paul.* 3. *Sent.* 6. 49. Adjunctiones, quas fundo legato testator ex diversis emptionibus applicaverat, legatario cedere placuit. *Cic. Partit. orat.* 5. 16. Nativa (*verba sunt*) ea, quæ significata sunt sensu: reperta, quæ ex his facta sunt, et novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adjunctione verborum. ¶ 3. Hinc apud Rhetores est exceptio, aut conditio adjuncta alicui verbo, aut sententiæ. *Cic.* 2. *Invent.* 57. 171. Videor videre, esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. *Et mox*: Illic, in superiori, adjunctio est hæc: nisi si malunt fame perire. ¶ 4. Item apud Rhetores adjunctio, Græce συνεζευγμένον et ζεῦγμα, est figura sententiarum, qua verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, sed aut primum, aut postremum collocamus: primum hoc pacto: *Deflorescit formæ dignitas aut morbo, aut vetustate*: postremum sic: *Aut morbo, aut vetustate formæ dignitas deflorescit.* Ita *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 38. Addatur id. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206., ubi adjunctionem *Forcellino* visus est accipere pro iteratione ejusdem verbi: aliter vero *Ellendtio* ad h. loc. *vol.* 2. *p.* 455., et nobis. *Cf. Quintil.* 9. 1. 33. et 9. 3. 62.

ADJUNCTĪVUS, a, um, adject. (adjungo) qui adjungitur vel conjungitur. ¶ 1. De provincia, quæ cum alia conjuncta est. *Inscript.* quæ pertinet ad annum a Chr. nato 460., apud *Cotugno, Memor. di Venafro* p. 200. MARCIO FELICIO RECTORI PROVINCIAE SAMNII ADIVNCTIVAE. *h. e.* quæ adjuncta fuit Campaniæ. Cf. ADJUNCTOR, et ADJUNGO II. ¶ 2. Apud Grammaticos *adjunctivus modus* est subjunctivus. *Diomed.* 1. p. 331. *Putsch. Conjunctiones* autem *adjunctivæ* dicuntur a *Prisciano* 16. *pag.* 1028. *Putsch.*, quæ verbis subjunctivis adjunguntur, quales sunt, *ut, si, cum, dum etc.*, ut v. g. *si venias, faciam*: et *ut prosit tibi, facio.*

ADJUNCTOR, ōris, m. 3. (adjungo) qui adjungit. *Cic.* 8. *Att.* 3. 3. Ille Galliæ citerioris adjunctor. *hoc de Pompejo per ludibrium dicitur, qui curavit, ut Cæsari Galliam Cisalpinam regenti Transalpina quoque adjungeretur.*

ADJUNCTA, orum. }
ADJUNCTUM, i. } *V.* ADJUNGO.
ADJUNCTUS, a, um. }

ADJUNGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (ad *et* jungo) Part. *Adjungens* II. *B.* 2; *Adjunctus* in omnibus ferme paragraphis et in fine; *Adjungendus* II. *A.* 3. *c.* — Proprie ponitur de jumentis, tauris etc., et est ad currum sub jugo jungere; jungere enim idem est ac jugare a jugo *V.* JUNGERE: hoc autem sensu verbo *adjungere* opponitur *abjungere* (It. *aggiogare*; Fr. *atteler*; Hisp. *unir, atar al yugo*; Germ. *vom Viehe, das angejocht oder angespannt wird*; Angl. *to join, couple, yoke*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Tibull.* 1. 10. 7. habili tauros adjungit aratro. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 247. plostello adjungere mures. — *b*) Absolute, præsertim in Participio præt. pass. *Lucret.* 2. 604. (605). Adjungere feras. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 110. *ex Arato*: Arctos temone adjuncta. *Ovid. Heroid.* 12. 152. et adjunctos aureus urget equos. *Id.* 1. *Art. am.* 552. Tigribus adjunctis aurea lora dabat. *Id.* 1. *Amor.* 2. 25. Inque dato curru, populo clamante triumphum, Stabis; et adjunctas arte movebis aves. *Gell.* 20. 1. Vectabulum, quod adjunctis pecoribus trahebatur.

II.) Translate generatim significat annectere, conjungere, rem cum re copulare: variis autem rationibus occurrit, quæ ad tres præcipue redigi possunt: adjungere enim est *A*) annectere, *B*) addere, *C*) applicare, dare, tribuere; ita tamen ut conjungendi significatio semper maneat.

A) Adjungere est annectere, et ponitur ¶ 1. De physica rerum aut personarum conjunctione: scilicet

— a) Per similitudinem de vitibus, quæ arboribus aut palis sustinendæ nectuntur; de quibus et *jugum* dicitur *V.* ADJUGO. *Virg.* 1. *G.* 2. ulmis adjungere vites. *Tibull.* 1. 7. 33. Hic docuit teneram palis adjungere vitem. — b) De rebus corporeis generatim. *Cic. Top.* 4. 22. Omnibus est jus parietem directum ad parietem communem adjungere. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Scaurus – accessionem adjunxit ædibus. *Id.* 1. *Nat. D.* 28. 78. Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens belluis adjunctis humano corpori. *Id.* 2. *ibid.* 54. 136. Aspera arteria ostium habet adjunctum linguæ radicibus. *Et paullo ante* § 134. Os –, quod adjunctis naribus spiritu augetur. *Virg.* 9. *Æn.* 69. Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat. *Sil. It.* 11. 4. Adjungere dextras Certavere palam rumpenti fœdera Pœno. *Quintil.* 1. 7. 9. Est etiam in dividendis verbis observatio, mediam litteram consonantem, priori, an sequenti syllabæ adjungas. — c) Peculiariter de regionibus, etiam absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 32. 117. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur Insula, mari disjuncta angusto, ponte rursum adjungitur et continetur. *Id. Cæcin.* 4. 11. Fundo continentia prædia atque adjuncta. *Nep. Dion.* 5. Insula adjuncta oppido. *Curt.* 5. 4. 9. Hinc perpetuum jugum –; illinc mare adjunctum, quod modico tepore terras fovet. *Sil. It.* 8. 642. Adjunctos vigilis sparserunt membra per agros. — d) Item peculiariter de personis. *Liv.* 8. 6. Adjuncto Samnitium exercitu. *Id.* 9. 19. 3. Gallis hostibus adjunctis. *Sil. It.* 4. 699. Hæc, Venere adjuncta, tumulo spectabat ab alto Mulciber. *Cic.* 5. *Fam.* 20. 2. Tu ei Mindium fratrem tuum adjunxisti. *Quintil.* 1. 2. 5. Amicum gravem virum, aut fidelem libertum, lateri filii sui adjungere. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 236. per metaphoram: Juris scientiam eloquentiæ tamquam ancillulam pedisequamque adjunxisti. — e) De temporum conjunctione, aut de rebus gestis quæ inter se tempore connectuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 47. Duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adjunctum est, alterum æstati. *Id. Brut.* 26. 99. Horum ætatibus adjuncti duo C. Fannii et M. filii fuerunt. *Id. ibid.* 28. 109. M. Drusus C. filius vir et oratione gravis et auctoritate; eique proxime adjunctus C. Drusus frater fuit. *Tac.* 13. *Ann.* 60. Proximam necem Plautii Laterani, consulis designati, Nero adjungit. ¶ 2. De rerum conjunctione, quæ intellectu vel mente fit. *Cic.* 1. *Off.* 4. 11. Homo autem – similitudines comparat rebusque præsentibus adjungit atque annectit futuras. *Id.* 5. *Tusc.* 25. 72. Quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfecta concludit – disserendi ratio et scientia. ¶ 3. De animorum voluntatumque inter homines conjunctione, societate, propensione: hinc sæpissime occurrit *adjungere aliquem*, h. e. eum sibi socium aut amicum facere; variis tamen modis, scilicet — a) *Adjungere aliquem alicui* vel *sibi aliquem*, additis interdum nominibus *socium*, *amicum*. *Cic.* 1. *Att.* 14. 4. Hic dies me valde Crasso adjunxit. *Ovid.* 6. *Fast.* 799. Dicite, Pierides, qui vos adjunxerit isti. *Tac.* 1. *Hist.* 70. Adjungere municipia novo principi. *Nep. Hann.* 10. 2. bellicosas nationes alicui. *Cic.* 5. *Fam.* 7. 3. Adjunctum esse alicui. *Id.* 1. *Verr.* 4. 13. nomini alicujus. *Plaut.* 2. *Asin.* 2. 22. Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adjungat sibi. *Cic.* 1. *Fam.* 8. 2. Adjungere sibi aliquem in aliqua re. *Curt.* 5. 4. 20. aliquam sibi matrimonio. *Id.* 4. 5. 1. sibi filiam nuptiis. — *Cic. Quint.* 3. 12. Adjungere aliquem sibi socium. *Nep. Alc.* 9. 5. aliquem sibi amicum. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. 2. per metonymiam: sibi hominum amicitias. — b) Omisso pronomine *sibi*, interdum etiam absolute, sæpius addito Accusativo cum præp. *ad* aut *in*. *Ter. Adelph.* 1. 1. 47. Adjungere aliquem beneficio. *Tac.* 3. *Ann.* 43. aliquem pignore. — *Ter. Adelph.* 5. 8. 3. Quam maxime unam facere nos hanc familiam: colere, adjuvare, adjungere. — *Q. Cic. Petit. cons.* 7. 25. Adjungere aliquem ad amicitiam. *Id. ibid.* 8. 33. adolescentulorum ætatem ad amicitiam. *Cic.* 13. *Fam.* 4. 2. per metonymiam: necessitudines novas. *Nep. Alc.* 5. 6. Urbes adjungere ad amicitiam. *Cic.* 2. *Off.* 5. 17. Homines ad usus suos. *Id.* 1. *Fam.* 9. 14. C. Pompejo præsertim ad causam adjuncto. *Et mox*: Cum Cæsar – ad auctoritatem ejus ordinis (*h. e.* senatus) adjungeretur. *Id.* 13. *Fam.* 29. 8. aliquem ad suam necessitudinem beneficio. *Liv.* 37. 15. urbem in societatem. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 9. aliquem socium. *Virg.* 8. *Æn.* 199. aliquem socium summis rebus. *Nep. Timoth.* 2. 1. Epirotas socios. *Virg.* 7. *Æn.* 57. aliquem generum. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 68. uxorem adjungere. *Stat.* 1. *Theb.* 244. per metonymiam: Adrastus socer, et Superis adjuncta sinistris Connubia. — c) *Adjungere se ad aliquem* vel *alicui*, aut *ad aliquid*. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 59. Adjungere se ad probos propinquitate proxime. *Virg.* 8. *Æn.* 13. se viro. *Cic.* 9. *Att.* 10. 2. se comitem fugæ alicujus. *Id. Amic.* 14. 48. Se ad virtutem applicare atque adjungere. *Id.* 1. *Fam.* 8. 2. Me ad ejus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus esse adjungendum putasti. *Id.* 1. *ibid.* 9. 11. Adjungere se ad causam alicujus. ¶ 4. Hinc *adjungere sibi aliquid* idem est ac comparare. *Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Adjungere sibi auxilium. *Id. Cluent.* 1. 3. diligentiam (*auditorum*). *Quintil.* 3. 6. 87. sibi leges. *Cic. Mur.* 20. 42. Adjungere benevolentiam lenitate audiendi.

B) Adjungere est etiam addere, accessionem facere, seu potius addendo conjungere: de pluribus autem occurrit, scilicet ¶ 1. Ponitur de prædiis et regionibus. Cf. ADJUNCTOR, et ADJUNCTIVUS 1. *Cic.* 1. *Leg. Agr.* 2. 5. Hos (*Attalensium atque Olympenorum agros*) populo Romano P. Servilii victoria adjunxit. *Id. pro leg. Manil.* 12. 35. totam ad imperium populi Romani Ciliciam. *Sall. Jug.* 13. 2. urbes imperio suo. *Cic.* 1. *Leg. Agr.* 4. 13. absolute: Hæc vectigalia, quæ Cn. Pompejus adjunxerit. *subaudi* ad imperium populi Rom. ¶ 2. Sæpe occurrit in oratione de verborum et sententiarum additione. *Cic. Partit. orat.* 6. 20. Verba ad nomen adjuncta. Cf. *Quintil.* 8. 3. 45. et 8. 6. 41. *Cic.* 2. *Invent.* 17. 53. Postea ad id, quod definieris, factum ejus, qui accusabitur, adjungere oportebit. *Id.* 2. *Nat. D.* 14. 38. Similitudines adjungens. *Id. ibid.* 27. 69. Timæus – adjunxit, minime id esse mirandum etc. *Nep. Epam.* 10. 4. Hujus de virtutibus vitaque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat infitias: Thebas – alieno paruisse imperio. *Virg.* 6. *Ecl.* 43. His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum Clamassent. *Quintil.* 5. 14. 9. Adjungit, quid ex his conficiatur. — Hinc adjungere apud Rhetores est etiam sententiæ aliquid addere conditionis, vel exceptionis loco. *V.* ADJUNCTIO 3. et *Adjunctum* in fine. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 30. 95. Rebus sumptis adjungam ex his sequendas esse alias, alias improbandas. ¶ 3. Interdum et de personis occurrit. *Cic.* 13. *Att.* 14. 2. Nam scito te ei dialogo adjunctum esse tertium. *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. 4. Adjungere aliquem ad sermones suos. ¶ 4. Sæpissime ponitur de abstractis, quæ aliis pariter abstractis adduntur. — a) Cum Accusativo et præp. *ad*. *Pacuvius* apud *Non. p.* 2. 1. *Merc.* Parum est, quod te ætas male habet, ni etiam hic ad malam ætatem adjungas cruciatum. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 19. Callipho adjunxit ad honestatem voluptatem, Diodorus ad eamdem honestatem addidit vacuitatem doloris. Adde 2. *ibid.* 13. 42. *Id.* 2. *de republ.* 9. 15. Adjungere auctoritatem optimi cujusque ad vim dominationis. *Id.* 1. *Verr.* 7. 24. metum ad gratiam. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 40. assensionem animorum ad hæc, quæ dicta sunt. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 5. 12. ad suos cœtus occultos noctem et solitudinem. *Id. pro leg. Manil.* 17. 50. ad utilitates opportunitatem. *Id. Brut.* 75. 261. ornamenta dicendi ad elegantiam. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 37. ad summum imperium acerbitatem naturæ. *Sil. It.* 5. 115. ad laudes arma. — b) Cum Dativo. *Plaut. Curc.* 1. 3. 34. Adjungere voluptati odium. *Cic.* 5. *Tusc.* 30. 85. indolentiam honestati. *Id. Orat.* 52. 174. verbis solutis numeros. *Sil. It.* 6. 307. astus ferro.

C) Denique adjungere est applicare, tribuere, dare. ¶ 1. Ponitur de animo, et est animum ad rem aliquam ita intendere, ut cum ipsa quodammodo conjungatur. *Ter. Andr.* 1. 1. 28. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant. *Id. Hec.* 4. 4. 61. Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum. *Alii leg.* adducas. Hinc *Cic. Rosc. Am.* 31. 86. Crimen et suspicionem potius ad prædam adjungere, quam ad egestatem. ¶ 2. Item de abstractis, et est tribuere. *Ennius* apud *Fest. p.* 270. 28. *Müll.* Audi atque auditis hostimentum adjungito. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 113. Auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commenticiis rebus adjungere. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 41. Adjungere fidem visis. *Id. Arch.* 9. 22. honorem populi Rom. rebus. *Id.* 2. *Fam.* 6. 4. tantum decoris, tantum dignitatis alicui. *Id. pro leg. Manil.* 16. 47. Fuit – quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem et gloriam – divinitus adjuncta fortuna. *Ter. Adelph.* 1. 1. 42. Imperium vi, aut amicitia adjungitur. *Lucret.* 5. 1193. O genus infelix humanum, talia divis Cum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas.

Adjunctus, *a*, *um* est etiam adject., ut patet ex superius allatis exemplis, unde Comp. et Superl. *Cic. Cluent.* 11. 30. Ut ad ea, quæ propiora hujus causæ et adjunctiora sunt, perveniam. *Arnob.* 7. 243. Ventum est ad veram et adjunctissimam quæstionem. *h. e.* rei, de qua agimus, maxime convenientem.

Adjunctum, *i*, n. substantivorum more, est quidquid cum alia re arcte connexum cohæret. — a) Generatim. *Horat. Art. P.* 178. Semper in adjunctis ævoque morabimur aptis. *Cic.* 2. *Legg.* 21. 54. cum Genitivo: Hostiâ autem maximâ parentare, pietatis esse adjunctum putabat. *h. e.* quasi additionem, accessionem. — b) Peculiariter apud Dialecticos adjunctum est propositio conditionalis; cum scilicet aliqua sententia adjunctum habet aliquid conditionis, vel exceptionis loco. *Gell.* 16. 8. Sed quod Græci *συνημμένον ἀξίωμα* dicunt, id alii nostrorum *adjunctum*, alii *connexum* dixerunt. *V.* ADJUNGO II. *B.* 2., ADJUNCTIO 3. et Cf. *Connexus*, *a*, *um* in fine v. CONNECTO.

Adjuncta, *orum*, n. pl., dicuntur a Rhetoribus, quæ rem aliquam circumstant, ut locus, tempus, vestitus, comitatus, et ceteræ rei circumstantiæ. *Cic. Top.* 18. 71. Argumentorum inveniendorum præceptio a definitione, a conjugatis, a genere, a contrariis, ab adjunctis, a causis, ab effectis etc.

ADJŪRĀMENTUM, i, n. 2. (adjuro) adjurandi, sive vehementer rogandi et per Deum obtestandi actus *V.* ADJURO 3. et voc. seq. *Vulgat. Interpr. Tob.* 9. 5. Vides, quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum.

ADJŪRĀTIO, ōnis, f. 3. (adjuro) actus adjurandi, obtestatio (It. *scongiurazione*, *scongiuro*; Fr. *action de jurer, ou d'invoquer*; Hisp. *el acto de jurar, de invocar*; Germ. *das Schwören bei etwas*; Angl. *a swearing, adjuring, invoking with an oath*). *Apul.* 2. *Met.* 20. Sed instantia Byrrhænæ, quæ cum adjuratione salutis ingratis cogebat effari, perfecit, ut vellet. *h. e.* adjurando ei per suam salutem. *Lactant.* 2. 17. *sub. fin.* Dæmones adjuratione divini nominis expellere.

ADJŪRĀTOR, ōris, m. 3. (adjuro) qui adjurat, hoc est incantationibus evocat. *Alcim.* 2. 312. Interdum perit incantans, si callida surdus Adjuratoris contempsit murmura serpens. — Hanc eamdem vocem exhibent vulg. Editt. apud *Isid.* 7. *Orig.* 12. 31. Exorcistæ ex Græco in Latinum adjuratores vel increpantes vocantur. *sed rectius ibi cum Lindm. legendum* adjurantes.

ADJŪRĀTŌRIUS, a, um, adject. (adjuro) ad adjurandum, sive jurandum pertinens. *Imp. Anastas. Cod.* 12. 22. 8. Adjuratoria cautio. *h. e.* juramento firmata. Adde *ibid.* 12. 30. 3. §. 3.

ADJŪRĀTUS, a, um. *V.* ADJURO.

ADJURGIUM, ii, n. 2. quidam leg. apud *Plaut. Men.* 5. 2. 21., ubi alii plerique rectius *jurgium*.

ADJURGO, as, a. 1. pro *objurgo* quidam legi ajunt apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 74., sed plerique omnes Codd. habent *objurgare*.

ADJŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et juro). Part. *Adjurans* I. c; *Adjuratus* II. 1. et 2. — Est autem ad ea quæ protuli juramentum adjicio (It. *inoltre giurare*; Fr. *jurer en outre*; Hisp. *jurar, confirmar con juramento*; Germ. *dazu schwören*; Anglic. *to swear*).

I.) Proprie. — a) De jurejurando jurijurando addito. *Liv.* 43. 14. 5. Censores – ita in concione edixerunt, *legem censui censendo dicturos esse, ut præter commune omnium civium jusjurandum hæc adjurarent* etc. — De uno tantum jurejurando, quo prolata a nobis verba confirmamus b) Cum Accusativo rei adjuratæ. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. (et 6.). 6. Crebrius, ut ante ad te scripsi, Romæ est: et qui omnia adjurant, debere tibi valde renuntiant. *Ovid. Heroid.* 20. 159. Promisit pater hanc: hæc adjuravit amanti. *Fronto* 1. *Ep. ad M. Cæs.* 8. Illud adjuravero – non – perisse. Et *Liv.* 7. 5. 6. Adjurat in quæ adactus est verba. — c) Cum Accusativo et Infinito, addito interdum Dativo personæ, cui adjuramus. *Cic.* 2. *Att.* 20. 2. Pompejus affirmat non esse periculum, adjurat, addit etiam se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri. *Id.* 2. *Phil.* 4. 9. Quibus (*litteris*) petis, ut tibi per me liceat, quemdam de exsilio reducere, adjurasque id te invito me non esse facturum.

Id. 9. *Fam.* 19. 1. At ille adjurans, nusquam se unquam libentius. *Stat.* 7. *Theb.* 129. hostesque propinquos Adjurat, turmasque metu consternat inani! *subaudi esse.* — *Plaut. Cist.* 2. 3. 27. Eam suam esse filiam seque eam peperisse, sancte adjurabat mihi. Adde *Ter. Hec.* 2. 2. 26.; *Sueton. Aug.* 31., *Ner.* 24., *Tit.* 9.; *Justin.* 24. 2. — *d)* Addita invocatione alicujus rei sacræ, aut caræ, cum Accusativo et præp. *per*, aut cum Accusat. tantum. *Plaut. Bacch.* 4. 6. 8. Per omnes deos adjuro, ut – tua jam virgis latera lacerentur probe. Adde *Men.* 4. 2. 52. *Ter. Andr.* 4. 2. 11. Per omnes tibi adjuro deos, nunquam eam me deserturum. *Ovid.* 3. *Met.* 659. Per tibi nunc ipsum (*Liberum*) – adjuro, tam me tibi vera referre etc. — *Catull.* 66. 39. Invita, o regina, tuo de vertice cessi, Invita: adjuro teque tuumque caput: Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit. *Virg.* 12. *Æn.* 816. Adjuro Stygii caput implacabile fontis.

II.) Translate. ¶ 1. Apud serioris ævi Scriptores *adjurare aliquem* est vehementer rogare, obtestari, juramento interposito, aut invocatione alicujus rei sacræ, aut caræ (It. *scongiurare*; Fr. *conjurer*; Hisp. *conjurar*; Germ. *beschwören*; Angl. *to conjure*). *Vopisc. Florian.* 1. Adjuratum esse in senatu Tacitum, ut optimum aliquem principem faceret. *Lactant.* 5. 10. Adjuratus per eumdem patrem et spes surgentis Juli nequaquam pepercit. ¶ 2. A Scriptoribus Ecclesiasticis ad exorcismos translatum est. *Cyprian. lib. ad Demetrian.* 15. O si audire eos (*dæmones*) velles, et videre quando a nobis adjurantur, et torquentur spiritalibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur. *Id. lib. de idol. vanit.* 8. Hi (*dæmones*) tamen adjurati per Deum verum a nobis statim cedunt et fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. *Lactant.* 2. 15. Dæmones Dei nomine adjurati de corporibus excedunt. — *NB. Adjurare* nova insolentique significatione, pro jus et succum exprimere, quidam putant usurpatum a *Tertull. Scorpiac.* 1.; sed profecto primariam adjurandi significationem ibi quilibet sanus agnoscat, necesse est.

ADJŪRO *pro* adjuvero. *V.* **ADJUVO.**

ADJŪTĀBĬLIS, e, adject. (adjuvo) auxiliaris (It. *giovevole, d'ajuto*; Fr. *secourable*; Hisp. *socorredor*; Germ. *behülflich, hülfreich*; Angl. *assisting, helping*). *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 8. Vos porro, ut occepistis, date operam adjutabilem. *Est qui legit amicabilem.*

ADJŪTĪVĒ, adverb. (adjuvo) utiliter, cum juvamine. *Boeth. Aristot. Top.* 6. 5. p. 715. Amplius (*videndum est*) si similibus nominis casibus similes orationis casus aptantur: ut si adjutivum est effectivum sanitatis, adjutive est sanitatis effective, et adjuvans efficiens sanitatem.

ADJŪTĪVUS, a, um, adject. (adjuvo) utilis, auxiliaris. *V.* **ADJUTIVE.**

ADJŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentativum ab adjuvo*). Part. *Adjutans a.* Adjutare autem est magno animi conatu magnaque intentione auxiliari, opem ferre (It. *ajutare con grande ardore*; Fr. *aider avec emportement*; Hisp. *ayudar con ardor grande*; Germ. *mit aller Absicht und bestem Willen zu helfen suchen*; Angl. *to help ardently, earnestly*). — *a)* Absolute. *Ter. Heaut.* 3. 2. 25. At te adjutare oportet adolescentuli causa. *Varro* 2. *R. R.* 7. 8. Eo enim adjutante equæ celerius admittuntur. Adde *Plaut. Truc.* 2. 5. 26., *Ter. Phorm. prol.* 34. — *b)* Sæpius cum Accusativo personæ. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 81. Istoccine pacto me adjutas? Adde *Cas.* 3. 3. 17. et *Truc.* 2. 7. 8. *Ter. Andr.* 1. 3. 4. Pamphilum ne adjutem, an auscultem seni. Adde *Heaut.* 3. 1. 7. et *Adelph. prol.* 16. *Lucret.* 1. 811. (812). Adjutamur enim procul dubio atque alimur nos Certis ab rebus. *Ter. Eun.* 1. 2. 70. cum duplici Accusativo: Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius. — *c)* Cum Accusativo rei, addito interdum Dativo personæ. *Ter. Phorm.* 1. 2. 48. Neque notus, neque cognatus – quisquam aderat, qui adjutaret funus. *Grat. Cyneg.* 405. Adjutare cantibus herbas. *Gell.* 1. 3. Ut etiam iniquam voluntatem ejus adjutemus. *Ter. Hec.* 3. 2. 24. Tu pueris curre – obviam atque eis onera adjuta. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 1. Si quid ego adjuto, *sed rectius legendum* adjūro *vel potius* adjuero *per syncopen pro* adjuvero. — *d)* Apud serioris ævi Scriptores cum solo Dativo personæ pro Accusativo. *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Saltem nobis adjutasses, *syncop. pro* adjutavisses. In nummo Heraclii apud *Eckel. D. N. V. T.* 8. p. 223. DEVS ADIVTA ROMANIS. Affertur a *Forcellino* etiam locus *Pacuvii* apud *Donat.* ad *Ter. Adelph. prol.* 16. Adjuta mihi. *sed ibi legendum* adjutamini. *V.* voc. seq.

ADJŪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (adjuto) idem ferme quod adjuto, teste *Capro* apud *Priscian.* 8. p. 796. *Putsch.* — *a)* Absolute. *Pacuvius* apud *Non.* p. 74. 1. *Merc.* Adjutamini et defendite. *Donat.* ad *Ter. Adelph. prol.* 16. hunc eumdem affert locum. *Pacuvius* apud *Non.* p. 477. 26. *Merc.* Illum quæro, qui adjutatur. — *b)* Cum Accusativo personæ. *Afranius* apud *Non.* p. 477. 27. *Merc.* Hoc obsecro igitur agite, et me adjutamini. *Lucilius* apud *Non. l. cit.* Nec si paullo minus usuras et magna adjutatus diu.

ADJŪTOR, ōris, m. 3. (adjuvo) auxiliator, qui scilicet alicujus rei auctori favet, præsto est opemque fert (It. *ajutatore*; Fr. *celui qui aide, aide*; Hisp. *ayuda, ayudador*; Germ. *der Helfer*; Angl. *an aider, helper*). ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cato R. R.* 21. 5. Summa sumpti LXXII. præter adjutores. *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 20. Duc adjutores tecum ad navim qui ferant. *Liv.* 33. 43. Dare cuipiam adjutorem. — *b)* Cum Genitivo personæ. *Ter. Heaut.* 5. 1. 2. Hic adjutor meus et monitor et præmonstrator hoc mihi præstat. *Cic.* 8. *Att.* 3. 3. Ille absentis in omnibus adjutor Bruti. *Vellej.* 2. 63. Plancus nunc adjutor Bruti, nunc proditor. *Id. ibid.* 74. Antonianarum adjutor partium. et apud alios sæpe. — *c)* Cum Dativo personæ. *Ter. Hec.* 4. 4. 99. Et te oro porro in hac re adjutor sis mihi. *Cic.* 1. *Nat. D.* 7. 18. Nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem. *hic loci est agnominatio.* — *d)* Cum Genitivo rei. *Ter. Adelph.* 1. 2. 66. Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 28. Qui non modo adjutores in prœliis victoriæ populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur. *Id. Flacc.* 1. 1. Sperabam honoris potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 5. 12. Auctor et adjutor legis. *Id.* 3. *Off.* 33. 116. Epicurus ejus adjutor auctorque sententiæ. — *e)* Cum præp. *ad, in, contra* et Accusativo aut Ablativo rei pro Genitivo, dummodo habeatur aut ellipsis, aut verbum quod eas postulet præpositiones. *Cic. Amic.* 10. 35. Ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam. *Ter. Phorm.* 3. 3. 26. Sed opus est mi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari. *Cic. Rosc. Am.* 2. 6. Ut ad hanc suam prædam tam nefariam adjutores vos profiteamini. *Id. Dom.* 12. 30. Fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit. Adde 2. *Off.* 15. 53. *Ter. Adelph.* 5. 9. 9. In psaltria ista emunda hic adjutor fuit. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 90. In quo adjutores Stoicos optimos habemus. Adde *Sext.* 17. 40. *Gell.* 13. 9. Tiro Ciceronis adjutor in litteris studiorum ejus. *Cic.* 16. *Fam.* 17. 1. eumdem Tironem vocat scriptorum suorum κανόνα. *Id. Amic.* 12. 42. His adjutor contra patriam inventus est nemo. — His omnibus adde si vis *Cæs.* 1. *B. C.* 7., *Sall. Jug.* 80., *Quintil.* 11. 1. 18., *Plin.* 4. *Ep.* 15. 43. ¶ 2. Peculiariter adjutor est administer alicui subjectus, qui vicariam præbet operam. — *a)* Apud Rhetores erant magistrorum vel doctorum administri in præceptis tradendis. *Quintil.* 2. 5. 3. Scio, id fieri apud Græcos, sed magis per adjutores; quia non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi (*rhetores*) velint. *Sueton. de ill. Gramm.* 10. Attejus – nobilis grammaticus Latinus, declamantium deinde adjutor. *Cic.* 9. *Fam.* 18. 4. eosdem Græco nomine vocat hisce verbis: Sella tibi (*Pæto*) erit in ludo (*rethorico*), tamquam hypodidascalo, proxima. *h. e.* proxima sellæ, in qua ego προσπεδέδασκαλος: hæc autem omnia per jocum narrat. — *b)* Cum de scena sermo est, adjutor est persona secundarum et tertiarum partium. *Phædr.* 5. 5. 13. In scena vero postquam solus constitit, Sine apparatu, nullis adjutoribus, etc. Hinc *Horat.* 1. *Sat.* 9. 45. Haberes Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas. — *c)* Sæpissime autem adjutor occurrit, cum sermo est de reipubl. administratione, de magistratibus, muneribus militaribus etc., præsertim in Inscriptionibus; iisdem autem casibus, de quibus in superiori paragrapho. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. Quos tibi comites et adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica. Cf. *Nep. Con.* 4. et *Chabr.* 4. *Pompon. Dig.* 26. 1. 13. Adjutor tutelæ. *Alii leg.* actor. *Liv.* 33. 43. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur. *Id.* 39. 14. 10. Adjutores triumviris. *Vellej.* 2. 115. et *Sueton. Tib.* 63. Adjutor et legatus. *Sueton. Aug.* 39. Adjutores in equitibus censendis. *Inscript.* apud *Grut.* 387. 4. ADJVTOR IIVIR. *Inscript.* apud *Orell.* 3200. ADJVTOR – PRAEF. ANNONAE. *Ibid.* 2156. ADJVTOR AD CENSVS. *Inscript.* apud *Grut.* 63. 8. ADJVTOR TABVLARII. *Inscript.* apud *Orell.* 3517. ADJVTOR CORNICVLARII. *Inscript.* apud *Murat.* 830. 4. ADJVTOR SIGNORVM. *h. e.* is miles, qui videtur custodi eorumdem præsto esse. *Inscript.* apud *Fabrett.* c. 4. n. 382. (apud *Orell* 2847.). THEOPHILO AVG. ADJVTORI A SACRIS. *Ibid.* c. 5. n. 1. 2. 3. et 4. ADJVTOR AB EPIST., A RATIONIBVS, AB ACTIS. *Inscript.* apud *Orell.* 3201. A COGNITIONIBVS DOMINICIS *et alia ejus generis plura.* — *NB.* Adjutor est etiam nomen proprium et cognomen. *V.* ONOM.

Homonym. *Adjutor* a *ministro* differt: *adjutor* enim aliquem gradu vel dignitate sibi parem, *minister* aliquem semetipso superiorem promovet eique ad agendum confert. *Plin.* 6. *Ep.* 9. Minister, adjutor, particeps ero. *Cic. Cæl.* 21. 52. Huic facinori tanto tua mens liberalis, conscia; tua domus popularis, ministra; tua denique hospitalis illa Venus, adjutrix esse non debuit. — Item *adjutor* et *socius* inter se differunt. *Socium* facit aliqua cum socio communio, ex. gr. juris, fœderis, commercii; quæ in *adjutore* nulla esse potest: *socium* facit idem labor, idem periculum, actio eadem; *adjutor* agenti subvenit atque opitulatur: *socium* facit ejusdem cum socio actionis diuturnitas; *adjutor* tunc tantummodo adit, cum opus est. *Cic.* 9. *Att.* 10. 5. Hujus igitur belli ego particeps et socius et adjutor esse cogor. *h. e.* et partem habebo, et in iisdem versabor periculis, immo bellum ipsum promovebo. *Id. Flacc.* 1. 1. Socio atque adjutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco.

ADJŪTŌRĬUM, ii, n. 2. (adjuvo) auxilium, quodcumque adjuvat (It. *ajuto*; Fr. *aide*; Hisp. *ayuda*; Germ. *die Helfleistung, Unterstützung*; Angl. *help*). Occurrit tantum apud Scriptores argenteæ, aut sequioris ætatis. — *a)* Absolute. *Asin. Pollio* apud *Sueton. de ill. Gramm.* 10. In eam rem adjutorium ei fecit – Attejus. *Alii leg.* fuit. *Ascon. in argumento orat. Scaurianæ p.* 19. 26. *Bait.* Pompejus propensum adjutorium præbuit. *Seneca* 2. *Benef.* 23. 3. Alieno adjutorio consequi. *Quintil.* 1. 1. 28. Neque egebit adjutorio. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. In accessione (*morbi*) simpliciter mitigantibus utimur adjutoriis. *et alibi sæpissime.* — *b)* Cum Genitivo personæ aut rei, quæ adjuvat. *Val. Max.* 2. 7. *ext.* 1. Sine adjutorio deorum immortalium. *Seneca* 3. *Benef.* 35. 4. Nullius adjutorio egere. *Id. Ep.* 52. 2. alius. *Id. Ep.* 88. 27. alicujus. *Id. Ep.* 31. Sine adjutorio ignis nihil calidum est. *Quintil.* 3. 6. 83. Aliquo juris adjutorio elabi ex crimine. *Val. Max.* 2. 8. 1. Adjutorium legis. — *c)* Item cum Genitivo rei, cui opes feruntur. *Vellej.* 2. 112. Magnam Thracum manum in adjutorium belli secum trahebat. *Colum.* 12. *R. R. præf.* 1. Ut ex eadem societate mortalibus adjutoria senectutis præpararentur. *Columella* hoc loco ex *Ciceronis Œcon.* sensa maluit, quam verba referre. *Seneca Ep.* 88. 21. Adjutoria corporis.

ADJŪTRIX, īcis, f. 3. (adjutor) quæ adjuvat (It. *ajutatrice*; Fr. *celle qui aide*; Hisp. *ayudadora*; Germ. *die Helferin, die hilft oder beisteht*; Angl. *a female assistant, helper*). ¶ 1. Generatim modo absolute, modo cum Dativo personæ, modo cum Ablat. et præp. *in* aut Genitivo rei. *Plaut. Trin. prol.* 14. Is rem paternam me adjutrice (*luxuriâ*) perdidit. *Id. Pœn.* 5. 2. 13. Aliqua fortuna fuerit adjutrix tibi. *Ter. Heaut.* 5. 2. 39. Matres filiis in peccato solent adjutrices esse. *Cic. Planc.* 1. 1. Quæ res Plancio in petitione fuisset adjutrix. *Id. Top.* 25. 95. Legem adjutricem adhibere. *Ovid.* 7. *Met.* 195. Adjutrixque venis. *Cic. Amic.* 24. 91. Assentatio vitiorum adjutrix. *Id.* 6. *Verr.* 8. 17. Messana, tuorum adjutrix scelerum. *Id. Dom.* 57. 144. Minerva adjutrix consiliorum meorum. ¶ 2. Adjutrix est epithetum honoris causa sæpe datum legionibus, quarum virtute plurimum res bellica adjuta esset. *Inscriptiones* apud *Grut.* 193. 3., 414. 8., 564. 6., et alibi. Adde *Tacit.* 2. *Hist.* 43. et 3. *ibid.* 44. In plur. numero, *Inscript.* apud *Grut.* 169. 7. SCHOLA SPECVLATORVM LEGIONVM I. ET II. ADJVTRICVM, PIARVM, FIDELIVM. Adjutrices cognominatæ sunt legiones illæ, quæ a proconsulibus ex plebe provinciarum conscriptæ sunt super exercitum veterem, ut ait *Sueton. Galb.* 10. Id certe factum a Galba de leg. I. adjutrice, pro-

bavit *Guarnieri Dissert. Epist.* p. 21., quæ quidem ex Hispanis quasi ex auxiliis conscripta. *Plutarch.* in *Othon. c.* 12. eam Galbæ legionem, quam Scriptores Latini *adjutricem* vocant, βοηθὸν appellat. — Hucusque *Forcellinus.* Recentiores vero Philologi aliter omnino. Et primo, ex legionibus prima et secunda tantummodo *adjutrices* sunt appellatae, ut patet ex *Taciti* locis superius citatis atque ex Inscriptionibus pœne innumeris, quas *Gruter.*, *Murat.*, *Orell.*, *Mommsen* et *Henzen* collegerunt. Deinde prima et secunda legiones adjutrices ex classicis vel classiariis constabant, qui prædictis legionibus veluti subsidia addebantur; quod ex *Tac.* 3. *Hist.* 30., 31., 36., 50. et 55. inferre licet. *Suetonii* denique locus *Galb.* 10. ad rem minime pertinet. V. *Pauly Real-Encyclop.* 7. 4. p. 866.

ADJŪTUS, a, um. *V.* **ADJUVO.**

ADJŪTUS, us, m. 4. (adjuvo) auxilium (It. *ajuto*; Fr. *aide*; Hisp. *ayuda*; Germ. *die Hülfe*; Angl. *help*). In sexto casu singulari. *Macrob.* 7. *Saturn.* 7. Unius adjutu, quasi natura flamınei, cetera flagrabant.

ADJŬVO, jŭvas, jūvi, jūtum (raro jŭvāvi, jŭvātum), jŭvare, a. 1. (ad et juvo). *Adjūero* pro *adjuvero* I. 1. *b.* — Part. *Adjuvans* I. 1. *b.* et in fine; *Adjutus* in omnibus ferme paragraphis; *Adjuturus* I. 1. *b.*, et 2.; *Adjuvaturus* I. 1. *a.*, qua de forma *V.* JUVO; *Adjuvandus* I. 2. — Adjuvo autem est opem fero, auxilior, alicui præsto sum (It. *ajutare*, *giovare*; Fr. *aider*, *seconder*, *favoriser*; Hisp. *ayudar*, *asistir*, *favorecer*; Germ. *helfen*, *unterstützen*; Angl. *to help, aid, assist*). Occurrit *A*) cum generatim, *B*) tum peculiaribus quibusdam rationibus.

A) Generatim usurpatur cum de hominibus, tum de rebus, quibus auxilium fertur. ¶ 1. De hominibus, quibus auxilium fertur: et pluribus occurrit modis, scilicet — *a*) Cum Accusativo personæ tantum. *Ter. Phorm.* 1. 4. 25. Fortes fortuna adjuvat. Adde *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 11. et *Liv.* 34. 37. 4. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 15. 4. Si nos mediocris modo fortuna reipublicæ adjuverit. *Sueton. Tib.* 13. Adjutus casu. *Ter. Phorm.* 3. 3. 4. Qui me dudum, ut dixti, adjuverit comiter. *Pacuvius* apud *Non. p.* 97. 14. *Merc.* Di me ipsam perdunt, tamen esse adjutam expetunt. *Nep. Chabr.* 13. Sua sponte eos adjutum profectus. *Id. Milt.* 7. 1. Ut insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur. *Id. Phoc.* 2. Auctus adjutusque a Demosthene. *Ovid.* 1. *Met.* 540. pennis adjutus amoris. *Petron. Satyr.* 18. Adjuvaturos nos divinam providentiam. *Paul. Dig.* 13. 5. 30. Adjuvari per exceptionem. — *b*) Etiam absolute, ita tamen ut Accusativus ex orationis contextu intelligatur; additur interdum et Accusativus quantitatis. *Ter. Eun.* 2. 3. 72. Faciam sedulo, dabo operam, adjuvabo. *Nep. Alcib.* 9. 6. Cyrum fratrem ei bellum clam parare, Lacedæmoniis adjuvantibus, sciebat. Adde *Paus.* 2. 4. *Liv.* 34. 37. 5. Tyrannus – Antiochum Ætolosque adjuturos pronuntiat. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 1. 1. O Tite, si quid ego adjuero curamve levasso. *Plaut. Pœn.* 4. 3. 60. Si quid tu adjuvas. — *c*) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei quâ adjuvamus. *Plaut. Rud.* 1. 4. 39. Miseras, inopes, ærumnosas aliquo ut auxilio adjuvet. *Id. Cas.* 2. 4. 7. Adjuvare aliquem factis. *Ter. Phorm.* 5. 3. 3. operâ. *Id. Heaut.* 5. 2. 29. consilio. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 6. auxiliis et copiis. *Liv.* 29. 5. auxiliis. *Nep. Att.* 9. 3. Quibus rebus indiguerunt, adjuvit. *Liv.* 21. 36. Seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent. — *d*) Cum Accusat. personæ, et Ablativo rei, in qua adjuvamus, addita præp. *in.* *Ter. Andr.* 3. 3. 10. Me adjuves in hac re. *Cic.* 2. *Off.* 16. 56. Adjuvare aliquem in filiarum collocatione. *Id.* 2. *Fam.* 5. in salute sua. Adde 7. *Att.* 1. 9. *Nep. Eum.* 10. 3. Ab nullo se plus adjuvari posse intelligebat in his rebus, quas etc. *Id. Milt.* 2. 5. Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate adjutus est. *Paul. Dig.* 40. 2. 15. Quod dominum in prœlio adjuvaverit. *Ita Torrentinus: alii* adjuverit. — *e*) Cum Accusativo personæ, et Accusativo rei, in qua adjuvamus, addita præp. *ad* aut *in*; aut Ablativo rei et præp. *de.* *Cic. Arch.* 7. 16. Qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adjuvarentur. *Liv.* 29. 1. Adjuvare aliquem ad bellum. *Quintil.* 2. 8. 3. Ut – in id potissimum ingenia, quo tenderent, adjuvarentur. *Id.* 11. 3. 179. Namque in hæc omnia statura et mira specie adjuvabatur. *Cic.* 4. *Fam.* 9. 3. Nam neque de monumentis meis ab iis adjutus es, a quibus debuisti, neque de vi nefaria etc. — *f*) Cum Conjunctivo et particula *ut* aut *ne*, aut cum Infinito. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. § 43. Quod si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus præter ceteros adjuvisti etc. *Catull.* 32. 4. Illud adjuvato, ne quis liminis obseret tabellam. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 29. (85). Phalangia incubant magnum numerum; qui ut emersit, matrem consumit, sæpe et patrem: adjuvat enim incubare. — *g*) Accusativus quantitatis (*V.* supr. sub *b.*) interdum additur Accusativo personæ. *Ter. Heaut.* 5. 2. 29. (supr. sub c.). Neque me quidquam consilio adjuvas. *V.* infra *B.* 3. ¶ 2. De rebus, quibus auxilium fertur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 160. Jam tu quoque hujus adjuvas insaniam. *Ter. Andr.* 3. 2. 42. Et id spero adjuturos deos. *Cic.* 7. *Att.* 14. 2. Adjuvare delectum. *Id.* 2. *Orat.* 47. 196. mœrorem orationis lacrimis suis. *Id.* 10. *Fam.* 10. 2. omnium gentium consensum et incredibilem conspirationem. *Id.* 12. *Att.* 43. 1. Ferendus error, imo vero etiam adjuvandus. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 134. Quæ confectio etiam a lingua adjuvari videtur. *Liv.* 34. 39. Adjuvare ignem. *Ovid.* 10. *Met.* 641. et quos dedit, adjuvet ignes. *sc.* amoris. *Id.* 4. *Fast.* 302. manus voce. *Id.* 2. *Met.* 732. formam curâ. *Curt.* 3. 6. 13. criminationem. *Id.* 7. 4. 37. ictum hostis. *Id.* 8. 13. 22. effectum consilii. *Id.* 7. 5. 25. victoriam alicujus. *Sil. It.* 4. 291. Tum nodo cursuque levi simul adjuvat hastam. *Id.* 6. 249. Venit in adversam non vano turbine frontem Cuspis, et haud paullum vires adjuta ruentis Contra ardore feræ, capiti tremebunda resedit. *adjuta vires* ἑλληνισμός. *Lucan.* 3. 725. Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum. *Id.* 2. 216. sanguis ruens Tiberina in flumina rivo Hærentes adjuvit aquas. *h. e.* auxit et propulit: ὑπερβολή. Adde *Claudian.* III. *Cons. Honor.* 101. *Sueton. Ner.* 21. Adjuvare preces alicujus. *Plin.* 8. *Ep.* 6. 7. facultates. *Quintil.* 10. 6. 1. cogitationem. *Paul. Dig.* 12. 6. 65. Negotia mea adjuta ab eo putavi. — Cum Dativo personæ. *Gell.* 2. 29. Operam mutuam dent, et messem hanc nobis adjuvent. *V.* ADJUTO sub *c.*

B) Peculiariter. ¶ 1. De rebus physicis, et sæpissime apud Medicos de pharmacis, quæ aliis rebus et saluti inserviunt: tunc adjuvare est reficere, recreare. *Lucret.* 1. 809. (807). nisi nos cibus aridus et tener humor Adjuvet. *Pallad.* 2. *R. R.* 17. 8. Adjuvare salices aquationibus. Adde *ibid.* 19. 4. *Cels.* 2. 10. Si – periturus sit qui laborat, nisi temerariâ quoque viâ fuerit adjutus. *Scribon. Comp.* 185. Adjuvari debent ex vino mero atque plurimo. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (35). Austera (*vina*) vel Falerno utiliora; concoctionem minus adjuvant. Adde 20. *ibid.* 7. 26. (64). *Scribon. Comp.* 198. *absolute:* Adjuvat et nitrum aceto dilutum et datum. Adde 189. — Hinc etiam in malam partem. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 40. Pulsus vero post gestationem erigitur cardiacorum, – ob turbationem corporis motu conceptam, ex qua magis adjuvari passionem dissolutione corporis judicamus. *h. e.* augeri. ¶ 2. Si de animo agitur, est reficere, recreare, confirmare. *Cic. Orat.* 3. 12. Philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est et adjutus. *Id.* 2. *Tusc.* 4. 10. Dici non potest quam sim hesterna disputatione tua delectatus vel potius adjutus. *Liv.* 1. 25. Clamore – Romani adjuvant militem suum. ¶ 3. Præsertim adjuvare significat usui esse, utilitati esse, conferre ad aliquid. — *a*) Cum Accusativo, addito Accusativo etiam quantitatis. *Ter. Hec.* 3. 5. 10. Qui sic sunt, haud multum heredem adjuvant. *Cic.* 3. *Verr.* 33. 83. Jam nihil te judicium Neronis adjuvat. *Cæs.* 1. *B. C.* 69. Multumque eorum opinionem adjuvabat, quod sine jumentis – ad iter profectos videbant. — *b*) Sine suo Accusativo, sed addita præp. *ad* cum Accusativo rei, cui quid est utilitati. *Cic. Quintil.* 23. 75. Ut omnes intelligant non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adjuvare. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Quam ad rem multum humilitas navium adjuvat. *Liv.* 27. 15. Leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam adjuvit. *Quintil.* 5. 14. 35. Multum ad fidem adjuvat audientis voluptas. — *c*) Absolute. *Plaut. Capt.* 2. 1. 8. In re mala animo si bono utare, adjuvat. *Sall.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. in fin.* A me pro virili parte dictum et adjutum fuerit. *Cic.* 12. *Att.* 14. 3. Solitudo aliquid adjuvat. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 73. Adjuvat hoc quoque. *Quintil.* 9. 2. 78. Adjuvat etiam, quod auditor gaudet intelligere.

Adjuvans, antis. Plur. num. *adjuvantia* substantivorum more legimus apud *Cic. Tim.* 14. Existimant plerique, non hæc adjuvantia causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quæ vim habeant frigoris et caloris etc. *h. e.* hæc non esse causas secundas, uti philosophi ajunt, sed primam: *Manut.* tamen legendum suspic. *adjumenta.*

ADLĀBOR } et cetera litteris **ADL** incipientia *V.*
ADLĀBŌRO } **ALLABOR, ALLABORO, ALL.**

ADMANDO, as, are, a. 1. Quidam putant legi eo *Plauti* loco *Pœn. prol.* 80. Si quid admandare vultis, aut curarier. *Alii passim et rectius leg.* mandare. *Not.* etiam *Tir.* p. 51. Mandat, admandat. *nullius ferme sunt auctoritatis.*

ADMĂNEO, es, ere, n. 2. prope maneo. Vocabulum a Lexico expungendum, legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 50.

ADMARTŸRIZO, as, are, n. 1. (ad et martyr) assisto martyribus. *Commodian.* 58. 19. Si refrigerare cupis, admartyriza.

ADMĀTŪRO, as, are, a. 1. (ad et maturo) proprie est celeriter ad maturitatem adducere; sed occurrit tantum translate et significat accelerare. *Cæs.* 7. *B. G.* 54. Horum discessu admaturari defectionem civitatis existimabat.

ADMENSUS, a, um. *V.* **ADMETIOR.**

ADMENTATĬO. Falsa lectio. *V.* **AMENTATĬO.**

ADMEO, as, are, n. 1. (ad et meo) ad aliquem meo, accedo. *Paulin. Nolan.* 17. 119. Læta lascivo procul admeabunt Monstra natatu.

ADMĒTĬOR, ētīris, ensus sum, ētīri, dep. 4. (ad et metior). Part. *Admensus.* Est autem idem ferme quod metior (It. *misurare*; Fr. *mesurer*; Hisp. *medir*; Germ. *zumessen*; Angl. *to calculate, measure*). Occurrit cum active, tum passive. ¶ 1. Proprie. — *a*) Active. *Cato R. R.* 148. 2. Dominus vinum admetietur. *Cajus Dig.* 18. 1. 35. In singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasve admensus eris. *Cic.* 5. *Verr.* 31. 73. Frumentum, quod isti ex arca – admetiri licebat. *Cato R. R.* 154. Vinum emptoribus admetiri. — *b*) Passive. *Cato R. R.* 148. 2. Quod (*vinum*) admensum erit, pro eo dominus resolvito. *Cajus Dig.* 18. 1. 35. Antequam vinum admetiatur. *Id. ibid.* Si pro numero corporum pretium fuerit statutum, tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata, admensa, adpensa sint. *Florentin. Dig.* 19. 2. 36. Si per eum steterit, quominus opus adprobetur, vel admetiatur. ¶ 2. Sæpe aliquid amplius significat, quam metiri, nempe adhibita mensura distribuere, præbere. *Liv.* 35. 49. Videretis regem, nunc mendicantem prope frumentum ab Ætolis, quod militi admetiatur: nunc etc. *Curt* 8. 12. 6. Is benigne exceperat Hephæstionem, gratuitum frumentum copiis ejus admensus. *Sueton. Aug.* 41. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est.

ADMĪGRO, as, are, n. 1. (ad et migro) accedo, adjungor (It. *accostarsi*, *unirsi*; Fr. *venir se joindre*; Hisp. *juntarse*; Germ. *dazuziehen*; Angl. *to approach, become attached to*). *Plaut. Pers.* 3. 1. 19. Si ad paupertatem admigrant infamiæ.

ADMĬNĬCŬLĀBUNDUS, a, um, adject. (adminiculo) adminiculans, seu potius adminicula, quibus adhæreat atque innitatur, quærens. *Auct. Itiner. Alex. M.* 21. *Mai.* Vix tamen profundo sese vultu modo liberi, dexterisque emersissent mutuo adminiculabundi.

ADMĬNĬCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (adminiculo) idem quod adminiculum, sed translate tantum, hoc est id quo quis innititur, fulcitur. *Boeth.* in *Cic. Top.* 5. *p.* 835. Item dividit eam causam, quæ vi sua efficit aliquid in eam, quæ ad efficiendum sibi sufficiat, eamque, quæ extrinsecus adminiculationis indigeat.

ADMĬNĬCŬLĀTOR, ōris, m. 3. (adminiculo) proprie qui vitem adminiculat; sed occurrit tantum translate, et est qui opem fert, adjutor. *Gell.* 7. 3. Tirone Cicero adminiculatore et quasi administro in studiis litterarum usus est.

ADMĬNĬCŬLĀTUS, a, um. *V.* **ADMINICULO.**

ADMĬNĬCŬLO, as, āvi, ātum, are (adminiculum) Part. *Adminiculans* II., *Adminiculatus* I. et II. et in fine; *Adminiculandus* I. — Est autem adminiculis fulcio, munio (It. *sostentare*, *appoggiare*; Fr. *soutenir*, *appuyer*; Hisp. *sostentar*, *apoyar*; Germ. *unterstützen*; Angl. *to prop up, support*).

I.) Proprie occurrit de vitibus, quæ palis seu pedamentis fulciuntur. *Colum. de arbor.* 16. Vitem adminiculato arborique jungito. *Id.* 4. *R. R.* 26. 1. Adminiculandæ jugandæque vitis cura. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (13). Vites adminiculatæ sudibus.

II.) Translate est adjuvare, subsidio munire. *Var-*

ro apud *Non.* p. 77. 16. *Merc.* Quod petisti, ut ejus educationis fierem tibi socius; quoad potui, adminiculavi tuam voluntatem scribendo. *Id. ibid.* p. 232. 3. Ut ejus consilio vigilium adminicularem nostrum. *Id.* apud *Priscian.* 8. p. 791. *Putsch.* Tribunitio auxilio adminiculati. Cf. *ibid.* 11. p. 927. Hinc ab eodem *Varrone* 8. *L. L.* 44. *Müll.* adverbia dicuntur partes *adminiculandi*, quod quodammodo orationem adjuvant, et apposita juxta verba, eorum aptius explicant ampliantque significationem. *Gell.* 2. 30. Id ipsum, quod dicimus, ex illis quoque Homericis versibus adminiculari potest. *h. e.* firmari, confirmari. *Id.* 14. 2. Ex jurisperitorum commentariis commoniti et adminiculati sumus. *Censorin.* 3. Dii vitam hominum adminiculantes. *Augustin. de doctr. Chr.* 1. 3. Ad beatitudinem adjuvari et adminiculari.

Adminiculatus, *a*, *um* est etiam adject., unde Comp. *Gell. præfat.* l. 1. Memoria adminiculatior. (Hæc verba descripsit in suo ad Saturnalia proœmio *Macrobius*).

ADMINICULOR, āris, ātus sum, āri, dep. 1. Hoc verbum inter deponentia recensetur etiam a *Priscian.* 8. p. 791. et 11. p. 927. *Putsch.* Est autem idem quod adminiculo, et proprie tantum occurrit apud *Cic.* 5. *Fin.* 14. 39. Quæ sit scientia et ars agricolarum, quæ circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur; ut quo natura ferat, eo possit ire.

ADMINICULUM, i, n. 2. Est vocabulum compositum a præp. *ad* et nomine *manus*, et significat id quod tamquam manus adjuvat, seu quod manibus nitentes apprehendimus in auxilium; hinc generatim est fulcrum (It. *appoggio*, *sostegno*; Fr. *appui*, *etai*; Hisp. *arrimo*, *apoyo*; Germ. *die Stütze*, *Lehne*, *Stützpunkt*; Angl. *a prop*, *stay*, *or shore*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De palis seu pedamentis ad vites, aliasve fructiferas arbores fulciendas. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 120. Jam vero vites sic claviculis adminicula, tamquam manibus, apprehendunt atque ita se erigunt, ut animantes. *Id. Senect.* 15. 53. Adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio, et propagatio vitium. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 33. 4. et 5. *ibid.* 5. 8. *Seneca* 2. *Clement.* 6. Arboribus adminicula applicare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 36. (215). viti addere. — *b*) De quacumque re, qua corpus sustentamus. *Liv.* 21. 36. Ut, seu manibus in assurgendo, seu genu adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsis iterum corruerent. Adde 5. 22. *Curt.* 7. 3. 17. Jacentes quosdam erigens, et alios, cum ægre sequerentur, adminiculo corporis sui excipiens. *Id.* 8. 2. 39. Arboris stipiti se applicuit: deinde ne illo quidem adminiculo sustinente etc. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (162). Dentes in os vergentes, ne exciderent cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum. — *c*) De quacumque re, qua physice adjuvamur. *Varro* 1. *R. R.* 17. Has res alii dividunt in duas partes, in homines et adminicula hominum, sine quibus rebus colere agros non possunt. *h. e.* boves et instrumenta ruralia. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Adminicula gubernandi (in navi invenit) Typhis, *h. e.* gubernaculum.

II.) Translate est quæcumque res, qua tamquam subsidio, ope, auxilio nitimur et adjuvamur. *Cic. Amic.* 23. 88. Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum adnititur. *Liv.* 6. 1. Quo primum adminiculo erecta erat (urbs), eodem innixa M. Furio principe stetit. *Plaut. Most.* 1. 2. 48. Ad legionem cum itant, adminiculum eis danunt aliquem cognatum. *Liv.* 10. 22. Id senectuti suæ adminiculum fore. *Cic.* 3. *Off.* 7. 34. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. *Tac.* 12. *Ann.* 5. Gravissimos principis labores egere adminiculis. *Quintil.* 2. 6. 5. Sine adminiculo progredi.

H o m o n y m. *V.* ADJUMENTUM.

ADMĬNISTER, tri, m. 3. (ad et minister, *quod a manus*) qui ministrat, qui alicui quodammodo in manibus est, qui alicui manum sive opem præbet (It. *ministro*, *ajutante*, *lavorante*; Fr. *ministre*, *aide*, *ouvrier*; Hisp. *ministro*, *oficial*, *obrero*; Germ. *Diener*, *Handreicher*, *Mitarbeiter*; Angl. *a servant*, *inferior officer*, *manager*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Leg.* 19. 43. Jovi se consiliarium atque administrum datum. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Administris ad ea sacra Druidibus utuntur. *Cic. Rosc. Am.* 28. 77. Unus puer, victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. *Id.* 4. *Verr.* 28. 69. Rerum hujusmodi omnium transactor et administer. *Sall. Jug.* 29. Socius atque administer consiliorum. *Id. ibid.* 77. Cum neque bellum geri sine administris posset. *h. e.* ducibus, administratoribus. *Id. ibid.* 79. Jubet aggerem jacere, et super aggerem impositis turribus, opus et administros tutari. *h. e.* in opere constitutos.

II.) Translate. *Cic. Quint.* 25. 80. Administri et satellites Sex. Nævii. *Id.* 4. *Verr.* 54. 136. Administer istius cupiditatum. *Id.* 1. *Cat.* 3. 4. Satelles atque administer audaciæ.

ADMĬNISTRA, æ, f. 1. (administer) quæ ministrat, aut alicui opem præbet (It. *ministra*, *ancella*; Fr. *servante*, *celle qui aide a quelque chose*; Hisp. *criada*; Germ. *die Dienerin*, *Gehülfin*; Angl. *a female assistant*, *handmaid*). *Varro* 7. *L. L.* 34. *Müll.* Camillam, qui glossemata interpretati, dixerunt administram. *Cic. pro leg. Manil.* 13. 36. Multæ sunt artes eximiæ, hujus administræ comitesque virtutis.

ADMĬNISTRĀTĬO, ōnis, f. 3. (administro) actus ipse administrandi, seu ministerium et operam alicui sive personæ, sive rei adhibendi (It. *ministero*, *ajuto*; Fr. *aide*, *ministere*; Hisp. *ayuda*, *ministerio*; Germ. *die Handreichung*; Angl. *the aid*, *help*, *assistance*). ¶ 1. Accipitur pro simplici ministerio sive personæ, sive rei adhibito. *Cic.* 2. *Off.* 3. 12. Pleraque sunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus, nisi manus et ars accessissent, nec his sine hominum administratione uteremur. *Vitruv.* 9. 8. 10. Administratio aquæ. *h. e.* conveniens distributio. Cf. *ibid.* § 12. ¶ 2. Hinc latiori sensu est rerum curatio, procuratio (It. *amministrazione*, *governo*; Fr. *direction*, *gouvernement*, *administration*; Hisp. *direccion*, *gobierno*; Germ. *die Verwaltung*, *Leitung*, *Besorgung*; Angl. *the management*, *administration*, *dispensation*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. 2. Vacare omni curatione et administratione rerum. Adde 2. *Invent.* 54. 163. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 22. Administratio tempestiva harum rerum. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 2. Florere in omni actione et administratione reipublicæ. *Id.* 2. *Nat. D.* 34. 86. Administratio mundi. *Id.* 15. *Fam.* 1. belli. *Sueton. Domit.* 3. imperii. *Justin.* 41. 2. Administratio gentis, post defectionem Macedonici imperii, sub regibus fuit. *Tac. dial. de orat.* 6. officii. *Id. Agric.* 19. Officia et administrationes. *Cajus Instit.* 1. 53. Administratio bonorum suorum. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. tormentorum. *Liv.* 34. 6. navis. *Cæs.* 1. *B. C.* 25. Exitus administrationesque Brundusini portus impedire instituit. *Forcellinus* h. l. interpretatur simplicem usum, quod ipse *Cæsar* confirmare videtur apud *Cic.* 9. *Att.* 14. 1.; recentiores vero philologi copiarum actionem intelligunt. ¶ 3. Metonymice *administrationes* pro ipsis administratoribus dixit *Spartian. Pescenn.* 7., quemadmodum *dominationem* pro dominis posuit *Flor.* 1. 24.

ADMĬNISTRĀTĪVUS, a, um, adject. (administro) ad administrandum, seu agendum aptus (It. *attivo*, *pratico*; Fr. *actif*, *pratique*; Hisp. *activo*, *practico*; Germ. *zur Verwaltung oder Ausführung einer Sache geeignet*; Angl. *active*). *Quintil.* 2. 18. 5. Quia maximus ejus (*artis*) usus actu continetur, atque in eo est frequentissima, dicatur activa, vel administrativa; nam et hoc ejusdem rei nomen est.

ADMĬNISTRĀTĬUNCULA, æ, f. 1. parva administratio. *Cod. Theod.* 8. 4. 10. Principes seu cornicularios stationes, quæ personis suis merito deferuntur, non aliis vendere, sed ipsos potissimum administratiunculis perfrui jubemus.

ADMĬNISTRĀTOR, ōris, m. 3. (administro) qui administrat, curat, procurat (It. *amministratore*, *governatore*; Fr. *administrateur*, *directeur*; Hisp. *administrador*; Germ. *der Verwalter oder Leiter*; Angl. *a manager*, *administrator*). *Cic.* 1. *Orat.* 48. 210. Administrator belli gerendi. *Paul. Dig.* 3. 4. 10. Administrator rerum civitatis. *Pseudo-Ascon.* in 1. *Verr.* 6. p. 208. *Bait.* Omnis magistratus, qui intramuranus non est nec urbanus, etiamsi administrator ejus (*magistratus*) Romæ est, *ad urbem* dicitur. — Peculiariter *administrator* est qui a *Cic. loc. cit.* in COMPOSITOR dicitur *compositor anni*. *Imp. Constantin. M. Cod.* 3. 12. 4. A nullo judice præsumi debet, ut auctoritate sua ferias condat. Nec enim imperiales ferias vocari oportet, quas administrator edixerit. — Pro ministro et servo nonnulli legunt apud *Cic.* 5. *Tusc.* 21. et apud *Ulpian. Dig.* 50. 16. 203. *extrem.* Utrobique tamen rectius leg. *ministratores*.

ADMĬNISTRĀTŌRIUS, a, um, adject. (administro) qui administrat, famulatur. *Hieronym.* in *Jes.* 13. 46. 11. Angeli, qui sunt administratorii spiritus, et mittuntur ob salutem credentium. *Vulgat. Interpr. ad Hebr.* 1. 14. Nonne omnes (*angeli*) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

ADMĬNISTRĀTUS, a, um. *V.* ADMINISTRO.

ADMĬNISTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (administer). Part. *Administrans* I. 2.; *Administratus* I. 3. *b.*; *Administraturus* I. 1.; *Administrandus* I. 3. *c.* — Proprie et ad litteram administrare est ad manus venire; hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Est ministerium et operam alicui sive personæ, sive rei adhibeo, vel rem aliquam alicujus manibus famulatus appono (It. *ministrare*, *servire*; Fr. *servir*, *administrer*; Hisp. *servir*; Germ. *Jemandem an die Hand gehen*, *oder ihm etwas zur Hand reichen*, *darreichen*; Angl. *to aid*, *do his part*, *minister*, *attend*, *serve*). *Plaut. Epid.* 3. 3. 37. Conductam esse eam, quæ hic administraret ad rem divinam tibi. *Spartian. Carac.* 4. Occisi etiam liberti, qui Getæ administraverant. *Varro* 3. *R. R.* 16. 5. Mel ad principia convivii et in secundam mensam administratur. *Auct. B. Afr.* 74. Se res complures, quæ utiles bello sint, administraturos. Apud *Cic.* 7. *Verr.* 47. 124., ubi *Forcellinus* juxta veteres Editt. *administrare* pro suppeditare legebat, recentiores Editt. legunt *ministrare*. ¶ 2. Absolute administrare sæpe occurrit de militibus, et significat operari, actuosum esse, in re bellica adjuvare. *Cæs.* 3. *B. C.* 26. Illi — administrantibus M. Antonio et Fufio Caleno — naves solvunt. *Id.* 4. *B. G.* 29. Neque ulla nostris facultas aut administrandi, aut auxiliandi dabatur. *Sall. Jug.* 92. Milites neque pro opere consistere, neque inter vineas sine periculo administrare. *Vitruv.* 1. 5. 4. Qui repugnabunt, restinguent (murum); et si celeriter administraverint, non patientur reliquas partes muri hostem penetrare. ¶ 3. *Administrare aliquid* cum Accusativo est curare, procurare, gubernare (It. *amministrare*, *maneggiare*, *governare*; Fr. *administrer*, *soigner*, *diriger*; Hisp. *administrar*, *gobernar*, *disponer*, *cuidar*; Germ. *etwas besorgen*, *verwalten*, *leiten*, *führen*; Angl. *to administer*, *manage*, *conduct*, *direct*, *govern*). Hoc autem sensu occurrit — *a*) Generatim. *Ter. Adelph.* 5. 1. 2. Administrare laute munus suum. *Cic.* 1. *Invent.* 25. 35. rem familiarem. *Quintil.* 4. 2. 73. patrimonium. *Cic.* 13. *Fam.* 11. 2. negotium municipii. *Varro* 1. *R. R.* 17. 2. fœnisicium. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 23. insitionem. *Id.* 2. *ibid.* 22. 4. sementem. *Id.* 11. *ibid.* 2. 64. vindemiam. — *b*) De re publica civili. *Cic.* 1. *Verr.* 21. 68. Administrare leges et judicia. *Justin.* 3. 2. et *Dig.* 27. 3. 13. tutelam. *Cic. Rosc. Am.* 32. 91. summam rerum. *Id.* 1. *Off.* 25. 87., *Nep. Cat.* 2. 2., aliique. rempublicam. *Curt.* 10. 7. 9. rem. *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. 4. et regere mundum. Adde 2. *ibid.* 1. 3. et 29. 73. *Id.* 2. *ibid.* 52. 132. omnia in hoc mundo. *Id.* 1. *Off.* 25. 88. civitatem. *Id.* 6. *Verr.* 64. 144. et *Flacc.* 35. 87. provinciam. *Tac.* 6. *Ann.* 29. Male administrata provincia. *Sall. Jug.* 22. oppida et fines alicujus populi. *Nep. Dion.* 1. illustriores legationes. *Sueton. Cæs.* 76. res urbanas. *Id. Aug.* 3. honores egregie. *Id. ibid.* 27. triumviratum. *Id. Tib.* 8. duplicem curam. — *c*) Sæpe ponitur etiam de re bellica. Quod si agitur de ducibus *administrare bellum* aut aliquid simile est ea, quæ ad bellum gerendum pertinent, disponere et curare. *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 76. Bella a proconsulibus et proprætoribus administrantur. *Id.* 1. *Orat.* 48. 210. Quæ res essent propriæ belli administrandi. Adde eumd. *Cic. pro leg. Manil.* 20. 60., *Cæs.* 1. *B. C.* 25., *Nep. Chabr.* 2. 1., *Liv.* 10. 24., *Vellei.* 2. 61. 4. aliosque et alibi sæpe. *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 76. Administrare rem bellicam. *Liv.* 6. 6. 11. rempublicam exercitu. *Nep. Con.* 1. 2. rem. *Cæs.* 2. *B. G.* 22. imperia. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 58. exercitum. Huc pertinet etiam, nisi fallimur, illud *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Sic milites consolatus (*Cæsar*), eodem die reducit in castra, reliqua, quæ ad oppugnationem oppidi pertinebant, administrare instituit. *Forcellinus* interpretatur suppeditare; sed videtur potius curare, disponere, ut ducem decebat. — Si vero de copiis agitur, *administrare aliquid* est exsequi. *Cæs.* 7. *B. G.* 60. Cohortatus, ut ea, quæ imperasset, diligenter industrieque administrarent. Adde 7. *ibid.* 80. *Auct. B. Hisp.* 36. et 39. Administrare eadem. *Val. Max.* 9. 2. 4. Cives jugulatos maris præcipitavit, liberos trucidavitque omnia Romano jussu, Lusitanis manibus admi-

nistrata sunt. Cæs. 2. B.C. 8. Legionarii, qui dexteram partem operis administrabant. h.e. qui a dextera parte oppidum oppugnabant. Auct. B. Alex. 21. Administrare navigium. Similiter in Inscript. apud Murat. 2012. 3. Administrare horologium.

II.) Translate est adhibere, uti. Cato apud Cic. 15. Fam. 5. 1. Lubenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrari gaudeam. Vulg. Editt. leg. administrare. Huc pertinet etiam Inscript. apud Orell. 3456. QVOD PER GRADVS MILITIAE SVAE TAM INDVSTRIE SE ADMINISTRAVERIT. h. e. gesserit.

ADMĪRĀBĬLIS, e, adject. (admiror). Comp. Admirabilior. Est autem admiratione dignus, qui admirationem infert, cum in bonam, tum in malam partem (It. ammirabile, maraviglioso; Fr. admirable, merveilleux; Hisp. admirable, maravilloso; Germ. bewunderungswerth, wunderbar; Angl. admirable, wonderful, marvellous). — a) In bonam partem. Cic. 1. Orat. 2. 6. Admirabilis in dicendo vir. Phædr. 3. 16. Luscinii cantus cunctis auribus admirabilis. Ovid. 6. Met. 14. Hujus (Arachnes) ut adspicerent opus admirabile, sæpe etc. Cic. 2. Divinat. 28. 60. Res nova et admirabilis. Id. 9. Att. 11. A. § 1. Admirabilis et singularis sapientia. Id. Orat. 35. 122. Admirabilior oratio. Liv. 22. 37. Magnitudo populi Romani admirabilior adversis rebus, quam secundis. Adde Comp. etiam apud eumd. Liv. 42. 50. 10. et Flor. 3. 2. 47. Apud Quintil. vero 8. 3. 24. Magis admirabilis oratio. — b) In malam partem. Cic. 3. Phil. 7. 18. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! Id. Fat. 16. 38. O admirabilem licentiam et miserabilem inscientiam disserendi! — Hinc speciatim admirabile est παράδοξον; sive, ut ait Quintil. 4. 1. 40., Admirabile - vocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. Cic. 4. Fin. 27. 74. Hæc παράδοξα illi; nos admirabilia dicamus. Adde Parad. procem. 4. Juvenal. 13. 53. Improbitas illo fuit admirabilis ævo.

ADMĪRĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (admirabilis) id quod admirationem habet (It. ammirabilità, maravigliosità; Fr. ce qui excite l'admiration, sublimité; Hisp. admiracion, sublimidad; Germ. Bewunderungswürdigkeit; Angl. admirability, admirableness). Cic. 2. Off. 11. 38. Hæc animi despicientia admirabilitatem magnam facit. Id. 2. Nat. D. 36. 90. Quanta sit admirabilitas cælestium rerum atque terrestrium. Id. ibid. 40. 101. Cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt.

ADMĪRĀBĬLĬTER, adverb. (admirabilis) cum admirabilitate seu admiratione, mirandum in modum (It. mirabilmente, maravigliosamente; Fr. admirablement; Hisp. admirablemente; Germ. auf eine bewunderungswürdige Weise; Angl. admirably, wonderfully). Cic. 2. Nat. 53. 132. Omnia in hoc mundo admirabiliter administrari. Id. Opt. gen. Orat. 6. 37. Laudare aliquem admirabiliter. Id. 5. Att. 14. 2. Nos Asia accepit admirabiliter. Quintil. 9. 2. 29. Admirabiliter utriusque partis (Cicero) facit bonam causam.

ADMĪRANDUS, a, um. V. ADMIROR.

ADMĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (admiror) actus admirandi, miratio, stupor (It. ammirazione, maraviglia, grande stima; Fr. admiration, grande estime; Hisp. admiracion, grande estima; Germ. die Wunderung, Bewunderung; Angl. admiration, wonder). ¶ 1. Proprie significat stuporem conjunctum cum summa æstimatione rei, quam admiramur. — a) Cum Genitivo. Cic. 2. Off. 14. 48. Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis. Id. ibid. 20. 71. Admiratio divitiarum. Nep. Iphicr. 3. Fuit et animo magno et corpore, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui. Sueton. Ner. 52. In admiratione sui detinere. Liv. 9. 8. Tanta simul admiratio miseratioque viri incessit homines, ut etc. Curt. 3. 6. 17. Admirationi regis dediti. Id. 8. 14. 46. Admiratio veræ laudis et gloriæ. — b) Cum Verbis. Cic. 2. Off. 10. 37. Admiratione autem afficiuntur ii, qui anteire ceteris virtute putantur. Cic. apud Quintil. 8. 3. 6. Eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico. h. e. excitat. Adde Cic. 4. Fin. 27. 74. et 5. Fam. 12. 5. Plin. 16. Hist. nat. 26. 44. (107). In magna admiratione esse. — c) Etiam plur. num. Cic. 1. Orat. 33. 152. Hæc sunt, quæ admirationes in bonis oratoribus efficiunt. Id. Brut. 84. 290. Crebræ assensiones, multæ admirationes. Adde Vitruv. 7. 13. 1. et Quintil. 4. 2. 107. ¶ 2. Est etiam actus valde mirantis et stupentis. Cic. Dejot. 12. 34. Homines admiratione obstupefacti. Liv. 3. 47. Stupor omnes admiratione tam atrocis rei defixit. Cic. 6. Verr. 12. 27. Risus populi atque admiratio omnium vestrum facta est. Id. 10. Phil. 2. 3. Hoc mihi maximam admirationem movet. Adde 2. Orat. 62. 254. Plin. 7. Hist. nat. 12. 10. (56). Admirationem inferre. Cic. Orat. 3. 11. Reprehensionis aliquid, aut certe admirationis habere. Id. 5. Fam. 12. Viri excellentis varii casus habent admirationem. Liv. 26. 12. Admiratio orta est. Id. 7. 34. Consulem admiratio incessit, quod nec pugnam inirent. Id. 8. 7. Emerso ab admiratione animo. Plin. 16. Hist. nat. 40. 76. (201). Abies admirationis præcipuæ. Id. 19. ibid. 8. 41. (141). Folia usque in admirationem crispa. ¶ 3. Est etiam res admiranda, portentum. Gell. 10. 12. Nisi idcirco plane posui, quod oportuit nos dicere, quid de istiusmodi admirationum fallaci illecebra sentiremus. Et paullo post: His portentis atque præstigiis etc.

ADMĪROR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (ad et miror). Part. Admirans 2.; Admirandus in fine. — Est idem quod miror, valde miror, stupeo (It. ammirare, stupire; Fr. éprouver un sentiment d'admiration ou de surprise; Hisp. admirar, admirarse; Germ. sich wundern bei etwas, etwas gleichsam anwundern; Angl. to wonder greatly, marvel, be surprised). ¶ 1. Est suspicere, magna cum æstimatione animique admiratione considerare. — a) Cum Accusativo rei tantum. Ter. Eun. 2. 2. 19. Eis ultro adrideo et eorum ingenia admiror simul. Cic. 1. Orat. 20. 93. In quibus Charmadas solebat ingenium tuum, Crasse, vehementer admirari, me sibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem in disputando esse visum. Id. ibid. 51. 219. Quorum ego copiam magnitudinemque cognitionis atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror. Id. ibid. 51. 221. Admirari sapientiam oratoris. Id. Brut. 94. 323. res gestas alicujus. — b) Cum Accusativo rei et Ablativo personæ præcedente præp. in. Cic. 2. Orat. 29. 126. Ego vero - in vobis hoc maxime admirari soleo, quod etc. — c) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei præcedente præp. in, qui Ablativus interdum et omittitur. Cic. 1. Orat. 11. 47. Quo in libro in hoc maxime admirabar Platonem, quod etc. Nep. Alcib. 11. 5. Illi ipsi cum in his maxime admirarentur. — Cic. 2. Tusc. 17. 39. Errare - malo cum Platone, quem tu quanti facias scio, et quem ex tuo ore admiror. Virg. 4. G. 215. Ille (apum rex) operum custos; illum admirantur, et omnes Circumstant fremitu denso. — d) Quoniam ea quæ admiramur, facile etiam appetimus, ita admirari sæpe jungitur cum verbis diligere, amare, adamare, optare etc., quin tamen ipsum per se ad appetitum referatur. Cic. 4. Acad. (pr. 2.) 36. 115. Quem admiror et diligo. Nep. Dion. 2. 3. Quem Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut etc. Adde Cic. 6. Att. 9. 1. Id. Cic. 1. Off. 20. 66. Nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere. Adde Quintil. 10. 1. 69. Cic. 1. Fam. 7. 9. Magnitudinem - animi tui semper sum admiratus, semperque amavi. ¶ 2. Item est admiratione seu stupore potius affici propter rei novitatem; quo sensu occurrit præcipue in philosophica sententia nihil admirari, quæ apud Græcos pariter effertur μηδὲν θαυμάζειν (It. fare le maraviglie, stupirsi; Fr. s'étonner, être surpris de; Hisp. espantarse, admirarse; Germ. sich über etwas wundern, verwundern; Angl. to wonder, marvel, be amazed or astonished). — a) Nihil admirari per philosophicam sententiam. Cic. 3. Tusc. 14. 30. Et nimirum hæc est illa præstans et divina sapientia et perceptas penitus et pertractatas res humanas habere: nihil admirari, cum acciderit; nihil, antequam evenerit, non evenire posse arbitrari. Horat. 1. Ep. 6. 1. Nil admirari prope res est una, Numici, Solaque, quæ possit facere et servare beatum. Cf. apud Græcos Epitecti Enchirid. 49. — b) Cum Accusativo rei, aut etiam absolute. Plaut. Amph. prol. 89. Quid admirati estis? Cf. Ter. Heaut. 4. 6. 22. infra g. Cic. 6. Att. 9. 1. Admirari brevitatem epistolæ, συγγνῶν litterularum. Id. 2. Off. 16. 56. effusiones pecuniarum. Id. Prov. cons. 11. 26. Sed quid est, quod in hac causa maxime homines admirentur et reprehendant meum consilium, etc. Adde Quintil. 9. 2. 26. Virg. 6. Æn. 408. Ille admirans venerabile donum Fatalis virgæ. Id. 2. ibid. 796. absolute: Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum Invenio admirans numerum. Propert. 2. 17. 11. Quem modo felicem invidia admirante ferebant. — c) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei præcedente præp. in; aut etiam sine Accusativo. Cic. 2. Orat. 78. 310. In quo admirari soleo, non equidem istos, - sed hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum. Id. 1. Fin. 2. 4. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo. Id. 2. Nat. D. 48. 124. In quo admirandum est congressune aliquo inter se, an jam inde ab ortu naturâ ipsâ congregatæ sint. — d) Sæpe cum Ablativo et præp. de. Cic. 10. Att. 17. 4. De diplomate admiraris, quasi nescio cujus te flagitii insimularim. Id. 9. ibid. 12. 2. De Dionysio sum admiratus, qui etc. Id. Mur. 19. 39. Quid tu admirere de multitudine indocta? — e) Cum Accusativo et Infinito. Cic. 16. Att. 7. 2. Lectis vero his litteris, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse. Id. 2. Phil. 16. 42. Hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere. Nep. Eum. 12. 1. Cum admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium etc. Adde Alcib. 1. 4. — f) Sequente quod, aut cur. Cic. 6. Att. 9. 1. Admiratus sum, quod tua manu scripsisses. Propert. 2. 26. 21. Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella Serviat. Cic. 2. Off. 10. 35. Sed, ne quis sit admiratus, cur etc. — g) Sequente Relativo. Ter. Heaut. 4. 6. 22. Cave quidquam admiratus sis, qua causa id fiat. Cic. 4. Fin. 22. 61. Admirati sumus, quid esset, cur nobis Stoicos anteferres. Adde Liv. 29. 24. Cic. 1. Nat. D. 3. 6. Partim admirantium, unde hoc - studium extitisset. Horat. 1. Sat. 4. 99. Admiror, quo pacto judicium illud fugerit. — NB. Hoc verbum etiam passive occurrit apud Veteres. Canutius apud Priscian. 8. p. 792. Putsch. Turpe est propter venustatem vestimentorum admirari, ut propter turpissime vitam actam contemni. admirari θαυμάζεσθαι. Cassius Hemina apud eumd. 9. p. 868. Putsch. Idque admiratum esse gavisi.

Admirandus, a, um est Gerundium quod sæpissime occurrit, et significat admiratione dignum; immo etiam adjective usurpatur. Cic. 2. Divinat. 72. 148. Esse præstantem aliquam æternamque naturam, et eam suspiciendam (al. suscipiendam) admirandamque hominum generi. Nep. Cat. 3. 4. Exposuit, quæ in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. Id. Epam. 3. 2. Continens, clemens patiensque admirandum in modum. Virg. 4. G. 3. Admiranda tibi levium spectacula rerum etc. Quintil. 3. 11. 22. Hermagoras vir subtilis et in plurimis admirandus. — Sup. Admirandissimus usurpatum est a Salviano Ep. 8. Cf. Barth. Adv. 35. 9.

ADMISCEO, sces, scui, xtum vel stum, scere, a. 2. (ad et misceo). Part. Admiscens II. 1.; Admixtus in omnibus paragr. et in fine; Admiscendus II. 1. — Est autem idem ferme quod misceo, commisceo (It. mescolare, mischiare; Fr. mêler à, mélanger; Hisp. mezclar; Germ. an-oder beimischen, dazu mischen; Angl. to mix or mingle togheter, to blend with).

I.) Proprie ponitur de rebus corporeis. ¶ 1. Est aliquid rei adjungendo miscere. — a) Cum Dativo. Cic. 2. Nat. D. 10. 26. Aquæ admixtus calor. Adde Scribon. Comp. 231. Plin. 36. Hist. nat. 17. 28. (133). Flos lapidis Assii admixtus æri Cyprio. Tac. 1. Hist. 49. caput cremato jam corpori admiscere. — b) Cum Accusativo, aut Ablativo, et præp. in. Plin. 26. Hist. nat. 10. 66. (104). Admixtis in heminam seminis resinæ Colophoniæ cochlearibus duobus. Pallad. 6. R. R. 16. Admiscere in succi rosæ sextariis singulis libras singulas mellis. Adde 8. ibid. 7. — c) Absolute. Cic. 2. Nat. D. 10. 26. Nisi eadem (aqua) se admixto calore liquefacta et dilapsa diffunderet. Adde Scribon. Comp. 217. et 266. ¶ 2. Item est rem cum re commiscere, rem in rem infundere. — a) Cum Ablat. sine præp. Cic. 2. Nat. D. 10. 27. Ille vero (aer) et multo calore admixtus est. Adde ibid. 15. 39. Cæs. 3. B. C. 49. Quod (genus radicis) admixtum lacte multum inopiam levabat. Lucret. 4. 1240. Ægre admiscetur muliebri semine semen. Varro 1. R. R. 9. 3. Cum est admixta (terra) ex his generibus aliqua re. Nemes. Cyneg. 206. Admiscere Bacchi latices olivâ. — b) Interdum cum Ablativo et præp. cum. Colum. 12. R. R. 15. Admiscere torrefacta sesama cum aniso Ægyptio.

II.) Translate. ¶ 1. Est addendo miscere. — *a*) Sæpe absolute. *Cic. Tim.* 3. Bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere. *Liv.* 3. 32. Admiscenturne plebeji? *Virg.* 7. *Æn.* 579. stirpem admisceri Phrygium. *Quintil.* 6. 3. 25. Interim admixta gravitate. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Tusc.* 11. 26. Versus admixti orationi. *Id.* 2. *Orat.* 49. 200. Admiscere huic generi orationis illud alterum cœpi. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 609. Venus admiscenda timori est. *Cæs.* 3. *B. C.* 4. His (*legionibus*) Antonianos milites admiscuerat. *Curt.* 3. 9. 9. funditoribus sagittarios. *Sil. It.* 1. 442. aspera telis Dirta admiscentem. — *c*) Cum Accusativo, aut Ablativo, et præp. *in*. *Lucret.* 1. 705. (706). Nec tamen admiscent in eorum corpus inane. *Quintil.* 3. 1. 3. Admiscere in ceteris aliquid nitoris. ¶ 2. *Admiscere se* vel *admisceri aliqua re* aut *cum aliqua re* in malam partem accipitur, et est se in re mala implicare. *Cicero* apud *Augustin.* 14. *de Trinit.* 19. Quo minus animi se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis atque erroribus. *Id.* 2. *de republ.* 4. 7. Admiscentur enim (*urbes maritimæ*) novis sermonibus ac disciplinis. *Id.* 7. *Att.* 1. 9. Sed hoc tamen quidquid est Precianum cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. ¶ 3. Item *aliquem admiscere* est in re aliqua male implicare. — *a*) Absolute. *Ter. Heaut.* 4. 5. 35. Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas. *Id. ibid.* 5. 2. 22. Ilicet: ne te admisce: nemo accusat, Syre, te. — *b*) Addita re, qua quis admiscetur. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. § 9. Trebatium vero meum quod isto admisceas, nihil est. *h. e.* in isto negotio, in hac re. *Id.* 12. *Phil.* 7. 16. In hac ego legatione sim, aut ad id consilium admiscear?

Admixtus, *a*, *um* est etiam Adject. Absolute est non sincerus, non simplex, non purus. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Dubitare non possumus – quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. *Id. Senect.* 21. 78. Simplex animi natura est, nec habet in se quidquam admixtum.

ADMISSĀRIUS, ii, adjectivum, cujus masculinum tantum genus occurrit (admitto): ad litteram est qui admittitur vel admissioni aptus est; sed ponitur de animalibus, et speciatim occurrit de equis et asinis, qui ad sobolem creandam equabus aliisve jumentis admittuntur (It. *stallone*; Fr. *étalon*, *de monte*; Hisp. *caballo macho para casta*; Germ. zum *Bespringen der Stute bestimmt*, *der Hengst*; Angl. *a stallion*).

I.) Proprie. — *a*) De equo. *Varro* 2. *R. R.* 7. 1. Equos, quos admissarios habeo singulos in feminas denas. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 61. (217). Sanguis equi, præcipue admissarii. — *b*) Omisso nomine equus. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 3. Ut tam feminis, quam admissariis desiderantibus coeundi fiat potestas. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 1. — *c*) De asinis. *Varro* 2. *R. R.* 8. 3. Et asinum admissarium habere volunt. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 14. 3.

II.) Translate de homine valde libidinoso. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 19. Tu quidem ad equas fuisses scitus admissarius. *Cic. Pison.* 28. 69. Admissarius iste simul atque audivit voluptatem tantopere laudari, sic ad illius orationem adhinnilt, ut etc. *Seneca* 1. *Nat. Quæst.* 16. Ut cum virum ipse pateretur, aversus omnes admissarii sui motus in speculo videret.

ADMISSIO, ōnis, f. 3. (admitto) generatim est actus admittendi: speciatim autem ¶ 1. Est actio qua mares gregum admittuntur ad feminas propagandæ sobolis gratia, quo tamen sensu sæpius dicitur admissura, quam vocem vide. *Varro* 2. *R. R.* 1. 18. Primum videndum de admissione, quo quæque tempore ut ineant, facere oporteat. ¶ 2. Item introductio ad aliquem, aditus; et præcipue facultas adeundi principem salutandi, alloquendi gratia, aut petendi (It. *l'ammettere*, *l'introdurre*, *udienza*; Fr. *admission*, *accès*, *audience*; Hisp. *admision*, *audiencia*; Germ. *die Zulassung zu einem Fürsten*, *die Audienz*; Angl. *admission*, *access*, *introduction*, *leave to address*, *salute* etc.). *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (41). Quibus admissionem liberti ejus (*Claudii*) dedissent. *Plin. Paneg.* 47. An quisquam non in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem? — Hinc *officium admissionis* quod pertinebat ad corpus honoratiorum servorum, qui admittendis advenientibus aderant, et admissiones disponebant, qui et *admissionales* (*V.* h. vocem) et *ab admissione* dicti. *Sueton. Vesp.* 14. Quidam ex officio admissionis simul expellum etc. *Servius* in *Virg.* 9. *Æn.* 231. *Admittier orant*: hoc verbo ostendit olim et apud reges admissionum fuisse officium. Adde *Cod. Theod.* 6. 35. 3. *Murat. Inscript.* 916. 6. SER. SVLPICIO AVG. L. FAVSTO AB ADMISSIONE. — His qui præerat *magister admissionum* dicebatur. *Ammian.* 15. 5. Per admissionum magistrum accito eodem. Adde *Vopisc. Aurelian.* 12. et *Cod. Theod.* 11. 18. 1. — *Proximus admissionum* erat, qui secundum post magistrum locum in admissionum officio tenebat. *Ammian.* 22. 7. Manumittendis ex more inductis per admissionum proximum. — *Primæ* et *secundæ admissiones* dicebantur eorum, qui vel primo loco, vel secundo admittebantur; nam honoratiores primi introducebantur, ut hodieque fit. *Seneca* 6. *Benef.* 33. 3. Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. *Id.* 1. *Clement.* 10. 1. Abavus tuus Sallustium et Cocceios et Dellios et totam cohortem primæ admissionis ex adversariorum castris conscripsit. *h. e.* primi loci: honestiores enim amici primi introducebantur. Ita legit et interpretatur *Ruhkopfius*. Cf. *Lips.* ad *Tac.* 6. *Ann.* 9. ¶ 3. Est etiam concessio alicujus rei. *Scribon. Comp.* 67. Ad anginam prodest et sanguinis detractio, cucurbitarum admissio. *Imp. Alexand. Cod.* 6. 15. 5. Certum est, cognationis jure citra admissionem bonorum possessionis neminem posse succedere.

ADMISSIŌNĀLIS, is, m. 3. (admitto 2.) dicitur is, cujus officium est admittere aulicos in cubiculum ad principem salutandum. *Lamprid. Alex. Sev.* 4. Salutaretur quasi unus de senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis. Adde *Cod. Theod.* 6. 35. 7.

ADMISSĪVUS, a, um, adject. (admitto) proprie qui ad admissionem pertinet. *Paul. Diac.* p. 21. 13. *Müll.* Admissivæ aves dicebantur, quæ consulentem juberent. *h. e.* quæ in auguriis faustum præbebant omen, et admittebant (*V.* **ADMITTO II. 3.**); quibus *arculæ* opponebantur.

ADMISSOR, ōris, m. 3. (admitto) generatim qui admittit: speciatim ¶ 1. Qui rem aliquam in se recipit. *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 3. Janus seminis admissor. ¶ 2. Sæpius qui admittit, *h. e.* perpetrat facinus. *Lactant. Epitom.* 63. Eodem facinore spectator obstrictus est, quo et admissor. *Impp. Dioclet. et Maxim.* in *Collat. Mosaic. et Rom. leg. tit.* 6. *c.* 4. Admissores istius criminis.

ADMISSUM, i. *V.* **ADMITTO** in fine.

ADMISSŪRA, æ, f. 1. (admitto) actio qua mares gregum admittuntur ad feminas propagandæ sobolis gratia (It. *copritura*, *monta*; Fr. *monte*, *saillie*; Hisp. *el acto de cubrir los animales*; Germ. *das Zulassen zur Begattung von männlichen Thieren*; Angl. *the putting together of the male and female for the sake of propagating the species*). *Varro* 2. *R. R.* 1. 17. Ante admissuram arietibus ac tauris datur plus cibi, ut vires habeant. *Id.* 2. *ibid.* 4. 8. *de suibus*. Admissuras cum faciunt. *h. e.* mares feminis admittunt. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 1. Prohibere tauros admissura. *Id. ibid.* 27. 9. Adhibere equum trimum admissuræ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (164). Dare equum admissuræ. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 23. *de equo*: cujus de stemmate longo Felix emeritos habet admissura parentes.

ADMISSUS, a, um. *V.* **ADMITTO.**

ADMISSUS, us, m. 4. (admitto) generatim est actus admittendi: speciatim ¶ 1. Idem significat ac admissura. *Veget.* 4. *Veter.* 7. 3. Admissariis eo anno, quo admissum faciunt, non est vena laxanda. ¶ 2. Item actus aditum præbendi. *Pallad.* 6. *R. R.* 2. 2. Hæc res uvas efficit pinguiores, et maturitati contulit solis admissu. Adde 4. *ibid.* 9. 3. ¶ 3. Est etiam idem ac pravum facinus. *Salvian.* 2. *advers. avar.* 1. Tolerans Deus populos peccatorum sordentium luto oblitos, semper malæ conscientiæ admissu reos.

ADMISTUS, a, um. *V.* **ADMIXTUS** in v. **ADMISCEO.**

ADMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (ad et mitto). *Admisse* vel *admise* per syncopen pro *admisisse* occurrit apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 4. *Admittier* pro *admitti* dicitur per paragogen sæpe a Poetis, ut a *Virg.* 9. *Æn.* 231. — Part. *Admittens* II. 1.; *Admissus* in omnibus ferme paragraphis et in fine; *Admissurus* I. 3.; *Admittendus* I. 2. — Proprie est permittere, *h. e.* facere, ut res aliqua in aliquem locum aut adversus aliquem eat, immittere (It. *mandare o spingere verso o contro qualche cosa*; Fr. *lâcher*, *lancer*, *laisser aller librement*; Hisp. *lanzar*, *acañaverar*; Germ. *etwas wohin oder auf etwas losgehen lassen oder machen*, *schicken oder entsenden*; Angl. *to send to or onward*, *to give a loose to*, *push forward*).

I.) Proprie. Speciatim ¶ 1. Est permittere, immittere, incitare in aliquem locum aut hominem; quo sensu præcipue occurrit Part. pært. pass. *Liv.* 2. 19. In Postumium – Tarquinius – equum infestus admisit. *h. e.* immisit et laxatis habenis ad cursum incitavit. *Eutrop.* 7. 4. Admittere sibi aspidem. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 61. Admisso equo in mediam aciem irruere. *Cæs.* 2. *B. C.* 34. Equites impetum hostium non tulerunt, sed admissis equis ad suos refugerunt. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 22., *Auct. B. Afr.* 63., *Ovid. Heroid.* 1. 36. et 2. *Pont.* 6. 38. *Ovid.* 6. *Met.* 237. Ille, ut erat pronus, per colla admissa jubasque Volvitur. *Id.* 2. *Amor.* 16. 49. rapientibus esseda mannis, Ipsa per admissas concute lora jubas. *Id.* 1. *Art. am.* 40. Hæc erit admissa meta terenda rota. *Id.* 1. *Met.* 5. 32. admisso sequitur vestigia passu. *h. e.* celeri. *Id.* 3. *Art. am.* 311. Sirenes erant, quæ voce canora Quamlibet admissas detinuere rates. *Id.* 3. *Amor.* 6. 86. Nec capit admissas alveus altus aquas. *h. e.* ruentes cum impetu. *Tibull.* 1. 4. 43. Quamvis – Venturam admittat imbrifer arcus aquam. *Ovid.* 11. *Met.* 512. Ubi se ventis admiserat unda coortis. — Huc pertinet et illud *Sever. Ætn.* 8. Nec metuunt oculos alieno admittere cælo. *h. e.* conjicere, convertere. *Claudian.* 3. *Rapt. Proserp.* 396. crevitque favillis Ætna novis: strident admisso sulfure rami. ¶ 2. Admittere est etiam — *a*) Marem pecudis feminæ admovere procreandæ sobolis gratia. *Colum.* 7. *R. R.* 2. 4. Arietes ovibus admittere. *Id.* 6. *ibid.* 37. 4. asino et onagro natum equæ. *Id. ibid.* § 1. Admissarius Veneri modestior admittitur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (167). Asinus solstitio admittitur. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (181). Verrem subantis voce audita, nisi admittatur, cibum non capere. *Pallad. Mart.* 11. 6. Vaccis tauros admittere. *Id. ibid.* 13. 1. admissarios equabus. *Justin.* 1. 10. equum equæ. *Ulpian. Dig.* 47. 2. 53. Si quis asinum meum in equas suas τῆς φωνῆς dumtaxat χάριν captum admisisset. — *b*) Dicitur etiam femina pecudis admitti. *Varro* 3. *R. R.* 9. 2. Quemadmodum admittant (*gallinæ*). *Id.* 3. *R. R.* 10. 3. Anseribus admittendis tempus est aptissimum a bruma. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 14. 4. *Varro* 2. *R. R.* 4. 7. Admissæ sues. *Id.* 2. *ibid.* 2. Oves non meliores, quam trimæ admissæ. *Id.* 2. *ibid.* 7. 8. Eo adjutante, equæ celerius admittuntur. *Id.* apud *Non.* p. 69. 85. *Merc.* Si equam emisses, ut meo asino Reatino admitteres. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (179). Equas autem post tertium diem, aut post unum ab enixu utiliter admitti putant. *Varro* 2. *R. R.* 9. 11. Admissæ canes. — *c*) Interdum dicitur etiam pecudis femina admittere. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 8. Admittere ad concubitum dedignatur contumax gallina. — *d*) Hoc sensu ad arborum insitiones transtulit *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (134. 135). Peculiare utique in insitis, cum sit mutua cupiditas utrique coeundi. Qui ver probant, ab æquinoctio statim admittunt, prædicantes germina parturire. *h. e.* surculum adjiciunt, inserunt. ¶ 3. Admittere de personis est etiam recipere, aditum ad se concedere, accessum dare. — *a*) Generatim significat aliquem ad se recipere: et occurrit modo *admittere ad se*, modo absolute, modo cum Accusativo aut Ablativo loci præcedentibus præp. *ad*, *in*, *intra*, aut cum Dativo. *Ter. Eun.* 2. 2. 50. Fac ut admittar ad illam. *Id. Hec.* 2. 1. 41. Eo ad eam; non admissa sum. *Nep. Eumen.* 12. 3. Vetuit ad eum quemquam admitti. — *Ter. Eun.* 4. 1. 4. Militem rogat, ut illum admitti jubeat. *Id. Hec.* 1. 2. 114. Nostra illico it visere ad eam: admisit nemo. *Cic.* 13. *Att.* 52. 1. Ille (*Cæsar*) tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII, nec quemquam admisit. *Nep. Con.* 3. 2. Nemo enim sine hoc (*chiliarcho*) admittitur. *Id. Dat.* 3. 4. Statim admitti jussit. *Curt.* 4. 1. 25. Admitti eum rex protinus jussit. *Id.* 3. 12. 10. Quod irrupisse, non admissos videbatur. *Virg.* 9. *Æn.* 231. Admittier orant. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 13. Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. *Martial.* 1. 26. per metaphoram: Ante fores stantem dubitas admittere famam. *Petron. Sat.* 79. Admittere aliquem per fenestram. *Ovid.* 3. *Art. am.* 605. fenestrâ. *Sueton. Aug.* 79. Per simulationem colloquii propius admitti. — *Nep. Timol.* 1. 5. Neque domum ad se filium admisit. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. Admittere hominum multitudinem in domum. *Id.* 8. *Phil.* 10.

22. legatos in cubiculum. *Curt.* 7. 7. 10. aliquem in tabernaculum. *Quintil.* 5. 13. 31. aliquem in Africam. *Sueton. Tib.* 4. aliquem in conspectum. *Justin.* 13. 15. milites ad conspectum suum. *Sueton. Tib.* 37. aliquem ad lecticam. *Id. Ner.* 13. ad genua. *h. e.* ut ille in genua se demittat. *Quintil. Declam.* 3. ad audientiam. *In fragm. Tragur. Petron. Sat.* 5. *Burmann.* Admissus Cæsarem est. *h. e.* ad Cæsarem, omissa præp. *Ovid.* 13. *Met.* 881. aliquem regnis suis. *Flor.* 1. 1. hostes intra mœnia. *Petron. Sat.* 19. aliquem in deversorio. *Id. ibid.* 127. aliquem inter cultores. — *b*) Item amicæ amasios admittere dicuntur. *Plaut. Asin.* 1. 3. 83. Ne quemquam interea alium admittat prorsus quam me ad se virum. *Propert.* 3. 21. 7. Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negavit. — *c*) Ponitur et de doctoribus, qui auditores recipiunt. *Sueton. Tib.* 32. Diogenes Grammaticus – venientem eum – non admiserat. Cf. *eumd. de ill. Gramm.* 24. — *d*) Sæpius de personis, quæ recipiuntur alicujus rei agendæ gratia, quæ præsertim ad communem utilitatem, ad publicam administrationem etc. pertineat: occurrit autem cum Accusativo et præp. *ad* aut *in*, cum Dativo, aut cum Ablativo et præp. *in*. *Cic.* 1. *Verr.* 16. 51. Quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? *Liv.* 4. 3. 9. Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur, ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt? *Cæs.* 3. *B. C.* 57. Primis diebus – lubenter auditus, reliquis ad colloquium non admittitur. *Cic. Marcell.* 2. 7. Nec ad consilium casus admittitur. *Nep. Eumen.* 1. 5. Admittere aliquem ad officium. *Sueton. Cæs.* 41. ad honores. *Dig.* 48. 16. 1. § 10. ad accusationem. *Sueton. Ner.* 10. plebem ad campestres exercitationes. *Horat. Art. P.* 5. Spectatum admissi risum teneatis amici? *Curt.* 6. 3. 12. aliquem in sedem Cyri. *Sueton. Ner.* 15. in curiam. *h. e.* in senatum. *Quintil.* 5. 13. 21. in equestrem ordinem. *Justin.* 15. 1. Negavit se in ejus belli prœmia socios admissurum. — *Propert.* 2. 34. 16. Te dominum admitto rebus, amice, meis. *Seneca Herc. OEt.* 535. Admittere aliquem arcanis. *Sueton. Aug.* 53. plebem salutationibus. — *Pseudo-Sallust. in M. Cic.* 4. 7. Quem Jupiter in concilio deorum admisit. *Al. leg.* in concilium. *Nep. Lysand.* 1. 5. aliquem in numero hominum. *Al. leg.* in numerum. Cf. *super. a.*

II.) Translate. ¶ 1. Est accessum dare, recipere; et ponitur de rebus. *Liv.* 30. 3. Eas conditiones imperator Romanus vix auribus admisit. *Id.* 34. 49. Pacis mentionem auribus admittere. *Id.* 25. 21. Nihil, quod salutare esset, non modo ad animum, sed ne ad aures quidem admittebant. *Id.* 7. 19. Comitiorum curam ad animum admittere. *Quintil.* 4. 3. 10. Quo facilius aures judicum, quæ post dicturi erimus, admittant. — Hinc absolute. *Liv.* 31. 5. Admittere precationem. *Petron. Sat.* 133. preces. *Sil. It.* 4. 698. voces et vota precantis. *Martial.* 4. 8. jocos. *Plin.* 8. *Ep.* 16. solatia. *Martian. Dig.* 48. 16. 1. excusationem. *Papinian. Dig.* 35. 2. 11. opinionem. *Ulp. Dig.* 37. 1. 1. et 3. bonorum possessionem. *h. e.* agnoscere, ratam habere. *Cels.* 7. 14. medicinam. *Id.* 3. 12. curationes. *Id.* 7. 26. 5. Ut neque frigus ad vesicam admittat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (12). Commendatio arboris ejus non alia major est, quam soles æstate arcere, hieme admittere. *Id.* 37. *ibid.* 5. 16. (63). (*Smaragdi*) visum admittentes. *Martial.* 8. 14. Hibernis objecta Notis specularia puros Admittunt soles et sine fæce diem. *Plin. præf. lib.* 3. (4). Indigenæ columnas ejus dei (*Herculis*) vocant, creduntque perfossas exclusa antea admisisse maria. *Id.* 2. *ibid.* 63. 63. (157). In maria jacitur (*terra*), aut ut freta admittamus effoditur. *Al.* eroditur. ¶ 2. De rebus corporeis est etiam uti. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 44. (113). (*Apium*) ad cibos admittendum. *Id.* 9. *ibid.* 25. 41. (79). Piscis echeneis – in cibos – non admittitur. *Id.* 21. *ibid.* 9. 27. (51). Flos ejus – in coronas admittitur. ¶ 3. Item rem concedere, permittere. — *a*) Est rei quasi accessum dare, eamque minime excludere. *Cic.* 1. *Fin.* 1. 4. Difficilem temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest. *Ter. Adelph.* 5. 7. 15. Sumptum admittere. *h. e.* facere. *hæc quondam incerta lectio, a recentioribus pro certa habetur. Cic.* 2. *Legg.* 15. 37. Admittere religiones. *h. e.* recipere. *Id. Cluent.* 41. 116. Non admittere litem. *Plin.* 6. *Ep.* 16. *ad fin.* Placuit egredi in littus, et e proximo aspicere, ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum et adversum permanebat. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 70. Posteritas admitte fidem. *h. e.* crede. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 191. Tibi hanc admittam noxiam unam: non sum irata. *h. e.* condonabo: sed alii aliter legunt. — *b*) Et generatim. *Ter. Eun.* 4. 6. 23. Sed tu quod cavere possis, stultum admittere est. *h. e.* stultum est permittere, ut id eveniat. *Quintil.* 6. 1. 43. Non admittit hoc idem veritas. *Id.* 6. 1. 10. Inclinatio judicum ad nos petitur initio parcius, cum admitti satis est. *Tac.* 2. *Hist.* 40. sequente *quominus*. Hosti non admissuro, quominus expeditus – aggrederetur. — *c*) Hinc in auguriis *aves admittere* dicuntur, quæ faustum præbent auspicium, et addicunt ratumve faciunt, quod quis cupit. *Plaut. Asin.* 2. 1. 11. Quo hanc velocem conferam? Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. *h. e.* prospera portendunt. *Liv.* 4. 18. 6. Ut ab auguribus, simul aves rite admisissent, tolleretur signum. Adde 1. 36. *Jul. Obseq.* 125. C. Cornelius augur eo die, cum aves admitterent, proclamavit rem geri et vincere Cæsarem. Unde *admissivæ aves*, de quibus *V.* ADMISSIVUS. ¶ 4. Item committere, patrare, cum de pravis facinoribus sermo est: estque ex eo translatum quod qui peccat, scelus in animum recipit seu introducit. Occurrit autem — *a*) Sequentibus verbis *in se*, qui accusativus est, non ablativus. *Plaut. Trin.* 1. 2. 61. Admittere in se culpam castigabilem. Adde *Ter. Phorm.* 2. 1. 40. et *Liv.* 31. 46. 11. *Ter. Adelph.* 4. 5. 48. delictum. *Id. Phorm.* 2. 2. 68. aliquid turpe. *Cic.* 2. *Phil.* 19. 47. Ea in te admisisti, quæ a verecundo inimico audire non posses. Adde *Cluent.* 60. 167. *Id.* 2. *Legg.* 7. 15. Qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 53. Nihil in se admittere. *Cic. Mil.* 37. 103. Quod in me tantum facinus admisi? Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 9. et alios sæpe. — *b*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 4. Verum cum multos multa admisse acceperim. *Ter. Eun.* 5. 2. 14. Admittere noxiam. *Id. Heaut.* 5. 2. 83. tantum sceleris. *Cic.* 9. *Att.* 6. 4. et *Liv.* 4. 2. tantum dedecoris. *Cic.* 3. *Fam.* 10. 7., 2. *Verr.* 17. 51. et *Cæs.* 4. *B. G.* 25. dedecus. *Cic.* 3. *Off.* 25. 95., *Cæs.* 6. *B. G.* 12., *Sall. Jug.* 53., *Liv.* 3. 78., *Quintil.* 4. 2. 13. *et alii.* facinus. *Nep. Epam.* 6. scelus. *Cic. Rabir. perduell.* 9. 26. fraudem capitalem. *Id. Rosc. Am.* 22. 62. maleficium. *Ter. Adelph.* 3. 3. 54. indigna. *Propert.* 2. 22. 38. adulterium. *Quintil.* 12. 6. 1. sacrilegium. *Sueton. Cæs.* 75. perfidiam. *Id. Cal.* 23. incestum cum aliqua. — *c*) Occurrit etiam *admittere aliquid in aliquem*. *Plaut. Men.* 5. 1. 19. Quid tandem admisi in te, ut loqui non audeam? *Curt.* 7. 6. 15. Ne inexpiabile in populares facinus admitterent. *Sueton. Tib.* 2. Multa Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in rempublicam extant. — *d*) Interdum sine Accusativo. *Tibull.* 1. 6. 86. Si tamen admittas. Cf. *Quintil.* 5. 12. 13. — *NB.* Apud *Forcellinum* admittere est etiam in se suscipere, et affertur unicus locus *Nep. Attic.* 15. In nitendo, quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. *Optimæ tamen pleræque editiones rectius legunt* annuisset.

Admissum, i, ex Part. præt. pass., substantivorum more, est scelus admissum, pravum facinus. *Cic. Part. orat.* 35. 120. Quæ (*indicia facti*) etiam nullo admisso consequi possent. *Liv.* 25. 23. Multorum animi suspecti omnium oculos converterant, ne quid falleret tale admissum. *Ovid.* 14. *Met.* 92. Perjuria quondam Cercopum exosus gentisque admissa dolosæ. *Tac.* 11. *Ann.* 4. Cum idem de admissis Poppææ sentiam, quod omnes. *Papinian. Dig.* 48. 3. 95. Quoniam impunita non debent esse admissa.

ADMIXTIO vel admistio, ōnis, f. 3. (admisceo) mistio unius rei cum alia (It. *mescolamento, mistura*; Fr. *mélange*; Hisp. *mezcla*; Germ. *die Beimischung*; Angl. *a mixture*). — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 117. Ardor nulla admixtione concretus. *Varro* 1. *R. R.* 9. 2. Propter admixtiones. — *b*) Cum Genitivo rei quæ admiscetur. *Cic. Senect.* 22. 79. Animus omni admixtione corporis liberatus, purus et integer. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. 1. Macer sabulo sine admixtione terreni. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. Clystere utens, mellis metuit admixtionem. *Id.* 4. *Tard.* 3. Lactis natura vitiatur ob aquæ admixtionem.

ADMIXTUS vel admistus, a, um. *V.* ADMISCEO.

ADMIXTUS vel admistus, us, m. 4. (admisceo) idem quod admixtio, et occurrit in sexto casu singulari apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 1. Nos honorem Dei, cujus hoc festum est, nullo admixtu voluptatis augemus.

ADMŎDĔRĀTĒ, adverb. (admoderor) quo decet modo, congruenter, convenienter (It. *convenientemente*; Fr. *conformément à*; Hisp. *conformemente*; Germ. *auf angemessene, entsprechende Weise*; Angl. *conveniently*). *Lucret.* 2. 169. (168). humanis rationibus admoderate. *Ita rectius legunt recentiores Editt.*; *ubi contra veteres exhibent* ac moderatis.

ADMŎDĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad et moderor) idem ferme quod moderor, tempero (It. *temperare, moderare*; Fr. *modérer*; Hisp. *moderar*; Germ. *im richtigen Maasse halten*; Angl. *to refrain, withhold*). *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 81. Nequeo hercle risu me admoderarier. *per paragogen pro* admoderari.

ADMŎDŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad et modulor) accino, simul modulor. *Claudian. Carm. Fescenn. in nupt. Honor. et Mar.* 11. Athesis strepat choreis, Calamisque flexuosus Leve Mincius susurret, Et Padus electriferis Admoduletur alnis.

ADMŎDUM, adverb. Hanc vocem prima acuta, non media, pronuntiari, atque ita veteres locutos esse pluribus de causis, legimus apud *Gell.* 7. 7. Vox autem composita est ex *ad* et *modum*, ita ut ad litteram sit *ad modum*, hoc est ad mensuram, seu rationem plenam perfectamque ejus rei, de qua est sermo; unde apud veteres legimus etiam *usque admodum*, ut apud *Cat. R. R.* 156. 2. Postea ubi occipiet fervere, paullisper demittito, usque admodum, dum quinquies quinque numeres. (It. *fino alla giusta misura*; Fr. *jusqu'à la mesure*; Hisp. *hasta medida*; Germ. *bis zu dem Maasse*; Angl. *to such a measure*).

I.) Proprie et speciatim est ad mensuram definitam, ad numerum perfectum, plane, omnino, ita ut definitæ mensuræ nihil desit. — *a*) De mensura et numeris. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. Noctu – turres admodum cxx. excitantur incredibili celeritate. *Liv.* 44. 43. 8. Secuti sunt eum admodum quingenti equites. *Liv.* 22. 24. 14. Sex millia hostium cæsa, quinque admodum Romanorum. *Id.* 42. 65. 3. Mille admodum capiuntur. Adde 27. 30. 2. *Curt.* 4. 12. 6. In lævo cornu Bactriani ibant (*equites*) mille admodum, Dahæ totidem. *Id.* 4. 9. 24. Mille admodum equites præmiserat, quorum paucitate etc. *Justin.* 24. 1. Congregati admodum quingenti sparsos hostes consectantur, trucidatisque admodum novem millibus etc. — *b*) De temporis mensura occurrit non modo cum nominibus numeralibus, sed etiam cum adjectivis vel substantivis ætatem significantibus, cujusmodi sunt *puer*, *adolescens* etc., cui respondet Græcum κομιδῆ (V. *Demosth. Mid.* 23.). *Liv.* 43. 11. 9. Legati ex Macedonia exacto admodum mense Februario redierunt. *Justin.* 17. 2. 3. Quippe post menses admodum septem a Ptolemæo occiditur. *Liv. Epit.* 55. Alexandri filius, rex Syriæ, decem annos admodum habens. *Cic. Rab. perd.* 7. 21. Cum hic Q. Catulus, admodum tum adolescens, cum hic Curio – cum consulibus essent etc. Adde *eumd. Amic.* 27. 101. et 2. *Off.* 13. 47., et *Tac.* 1. *Ann.* 3. *Plaut. Trin.* 2. 2. 90., *Nep. Hamilc.* 1. 1. et *Tac.* 4. *Ann.* 44. Admodum adolescentulus. *Liv.* 31. 18. 5. et *Quintil.* 12. 6. 1. Puer admodum. *Curt.* 7. 2. 12., *Tac.* 2. *Hist.* 78. et alibi sæpe: Admodum juvenis vel juvenis admodum. *Tac.* 4. *Ann.* 13. Admodum infans. *Eutrop.* 8. 1. Admodum senex. *Cic. Senect.* 4. 10. Non admodum grandis natu, sed tamen ætate provectus. *Justin.* 17. 3. Admodum parvulus. *Flor.* 2. 6. 10. Prætextatus admodum filius.

II.) Generatim est omnino, plane, absolute, adeo ut vocabuli, ut ita dicam, mensura impleatur (It. *affatto, pienamente, compiutamente*; Fr. *à plein bords, pleinement, tout à fait, complètement*; Hisp. *plenamente, todo, enteramente*; Germ. *in vollem Maasse, in vollem Sinne des Wortes, völlig*; Angl. *of a truth, in good truth, very much*). Occurrit autem — *a*) Cum Adjectivis quantitatem significantibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. In totum corpus distribuitur per venas admodum multas. Adde *Nep. Reg.* 1. 1. *Cic.* 5. *Fin.* 5. 12. In quo multum admodum fortunæ datur. *Colum.* 4. *R. R.* 21. 2. Admodum nimius. *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 69. et *Top.* 1. 3., et *Tac.* 13. *Ann.* 39. et *Germ.* 18. Admodum pauci. *Liv.* 10. 41. et *Quintil.* 6. 3. 2. Pauci admodum. *Colum.* 4. *R. R.* 21. 2. Admodum exiguum pulveris viviradici subjicimus. *Gesnerus* et *Schneiderus* ita legendum probant; alii cum Genitivo, more substantivi: Admo-

dum exigui pulveris. *Quintil.* 10. 7. 24. Paullulum admodum. *Id.* 5. 13. 3. Rara admodum. *Amman.* 21. 14. *cum Superlativo*: Admodum paucissimi. *Liv.* 23. 29. 14. Equestris pugna nulla admodum fuit. *Id.* 40. 50. 2. Armorum hostilium magnam vim transtulit, nullam pecuniam admodum. — *b*) Hinc etiam cum Substantivo *nihil*. *Cic. Brut.* 58. 210. Curio litterarum admodum nihil sciebat. *Plaut. Merc.* 2. 3. 65. Horunc illa nihilum quidquam facere poterit admodum. *Cic. Brut.* 9. 35. Oratorem – plane quidem perfectum, et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. *Id.* 2. *Orat.* 2. 8. Alter non multum, alter nihil admodum scripti reliquit. *Cic.* loquitur de Antonio oratore, qui quamvis reliquisset libellum de ratione dicendi, ut habetur *Brut.* 44. 163., nullam tamen omnino reliquerat orationem, ex qua cognosci ejus eloquentia possit; quod confirmat idem *Cic. Orat.* 38. 132. et *Cluent.* 50. 140. Adde *Quintil.* 9. 2. 44. et *Gell.* 19. 12. aliosque. — *c*) Item cum Adverbiis quantitatem præcipue significantibus. *Cic.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Acipenser admodum raro capitur. *Curt.* 4. 13. 25. Raro admodum. *Liv.* 31. 13. 4. Ubi satis admodum et suorum et hostium animos est expertus etc. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 17. Quæ maxime admodum oratori accommodata est. *Ter. Heaut.* 1. 1. 1. Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum est. *h. e.* nuperrime. *Cic.* apud *Non.* p. 474. 26. *Merc.* Aut nihil, aut obscure admodum cernere. *Vide* in fin. sub. *d* seq. — *d*) Cum Adjectivis qualitatem significantibus, quibus si jungatur, adverbium *admodum* aliquid pluris significat, quam additæ præpositiones *per*, *præ*, quemadmodum apud *Cic. Amic.* 4. 16. Mihi vero pergratum erit, atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit: quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris. *h. e.* mihi gratissimum erit –: utrique nostrum multo gratissimum seu gratum plane feceris, ita ut nihil magis. Hinc *admodum* et *plane* unum idemque ferme significant. ut apud *Cic. Brut.* 85. 294. Significant enim quamdam formam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 74. Admodum amplum et excelsum signum. *Id.* 5. *Phil.* 17. 47. Veteres illi admodum antiqui. *Id. Amic.* 26. 99. Admodum excors. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. 3. Admodum magnus. *Nep. Cim.* 1. 1. Durus admodum. *Liv.* 6. 34. 8. Causa nec satis pia adversus sororem, nec admodum in virum honorifica. *Curt.* 3. 6. 1. Fidus admodum. *Sueton. Cæs.* 1. Admodum dives. *Id. ibid.* 55. Brevis admodum ac simplex. *Mela* 2. 7. 8. Totus admodum. *Id. ibid.* 17. In media admodum (*insula*) ortus (*amnis*). — *NB.* Interdum huic adverbio jungitur particula *quam*, et tunc *admodum quam* idem est ac *perquam* sequente Adjectivo. *Plaut. Amph.* 1. 3. 43. Ex amore hic admodum quam sævus est. *Gell.* 19. 9. Voce admodum quam suavi. — *e*) Item cum Participiis, quæ tamquam Adjectiva usurpantur. *Ter. Adelph.* 3. 3. 49. et *Phorm.* 3. 1. 13. Iratus admodum. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Admodum deditus. *Id.* 5. *ibid.* 8. Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda. *Liv.* 1. 10. Admodum mitigatus. *Tac.* 2. *Ann.* 80. Munitus admodum. — *f*) Cum Verbis. *Plaut. Epid.* 1. 2. 1. Rem tibi eloquutus omnem, Chærebule, atque admodum meorum mœrorum atque amorum summam edictavi tibi. *Id. Most.* 3. 2. 125. Ergo ne lærbiere videare et gestire admodum, noli facere mentionem te emisse. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. *Id.* 7. *Att.* 24. Philotimi litteræ me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. Adde 1. *ibid.* 8. 2. et 5. *Fam.* 19. 2. *Id.* 4. *Fam.* 13. 6. Qui me admodum diligunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 7. (13). Admodum prodesse. *Quintil.* 8. 5. 25. Admodum placere. *Sueton. Tib.* 3. Admodum florere. *Flor.* 3. 1. 13. Marius auctis admodum copiis regem adortus etc. *h. e.* quam maxime potuit. *Salmas.* legit *inmodum* eodem sensu.

III.) Denique *admodum* eleganter usurpatur in responsionibus, præsertim a Comicis, hoc est in familiari sermone; et tunc significat *prorsus ita est*, *recte, certe, utique*. Hinc in dialogis servit transitionibus, quod significet, ut ait *Forcellinus*, satis de re aliqua et admodum disputatum esse, teste *Cic.* 3. *Legg.* 11. 26. Scis solere, frater, in hujusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici *Admodum* aut *Prorsus ita est*. *Plaut. Rud.* 4. 4. 36. Nempe tu hanc dicis, quam esse ajebas dudum popularem meam. TR. Admodum. *h. e.* prorsus ita, certe. *Id. Bacch.* 5. 1. 24. Numquidnam ad filium hæc ægritudo attinet? NI. Admodum. *h. e.* utique, sic est. Adde *Rud.* 1. 5. 10., 1. 2. 55., 3. 6. 2., et *Bacch.* 4. 7. 40. *Id. Pseud.* 4. 7. 34. Admodum, inquam. *Ter. Hec.* 3. 5. 8. LACH. Advenis modo? PA. Admodum. *h. e.* utique, venio modo. Adde *Phorm.* 2. 2. 1.

ADMŒNIO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (*ad et* mœnio) operibus mœnia cingo, obsideo (It. *cinger d'assedio*; Fr. *assiéger*; Hisp. *sitiar*; Germ. *eine Stadt mit Belagerungswerken umgeben*; Angl. *to lay siege to, to invest*). *Plaut. Pseud.* 1. 3. 150. Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur, volo. Adde *ibid.* 2. 1. 11. *Id. Cist.* 2. 2. 5. Quot admœnivi illi fabricas! quot fallacias! *h. e.* quasi ad mœnia admovi: quot machinas adhibui! *Alii tamen rectius leg.* admovi.

ADMŌLIOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (*ad et* molior). — *a*) Activa significatione est admovere, versus aliquem locum movere (It. *muovere, spingere*; Fr. *mettre en mouvement*, *diriger*; Hisp. *mover*, *dirigir*; Germ. *nach etwas hin in Bewegung setzen, hinbewegen*; Angl. *to put near, to lay on any thing*). *Plaut. Asin.* 3. 2. 24. Ubi sacro manus sis admolitus. *Apul.* 6. *Met.* 10. Admoliri manus moli. *Id.* 1. *Flor.* 7. manus imagini. *Id.* 1. *Met.* 6. Dejerantes, sese neque ei manus admolituros, etc. *h. e.* vim illaturos. *Curt.* 8. 10. 24. Urbs, qua spectat orientem, cingitur amne: ad occidentem – velut de industria rupes prealtas admolita natura est. *Forcellinus* h. l. interpretatus est exstruere apud aliquem locum. — *b*) Propria deponentium significatione est magno conatu ac nisu se admovere. *Plaut. Rud.* 3. 1. 6. Ad hirundinum nidum visa est simia, ascensionem ut faceret, admolirier. *paragoge pro* admoliri.

ADMŎNEFACIO, facis, feci, factum, facere, a. 3. eadem forma, qua commonefacio, et idem atque admoneo. *Cic. Planc.* 34. 85. Admonefecisti etiam, quod in Creta fuisses. *Omnes editiones legunt* admonuisti: *primum tamen habet unus* Cod. Ambrosianus *apud* Maium *in Fragm.* Cic. edition. 2. p. 176. Hoc idem verbum occurrit etiam in *Gloss. Gr. Lat.* ὑπομνηματίζω admonefacio.

ADMŎNEO *vel* ammŏneo, es, ui, itum, ere, a. 2. (*ad et* moneo). Part. *Admonens* I. *b.* et *f.*; *Admonitus* I. *a.*, *c.* et in fin.; *Admoniturus* I. *a.*; *Admonendus* I. *e.* — Proprie est in memoriam redigo; idem ac moneo (*V.* infra **H o m o n y m.**) nisi quod præp. *ad* majori quadam vi significat rem, ad quam seu quam versus memoria revocatur (It. *ricordare, ridurre a memoria, ammonire, avvisare*; Fr. *faire souvenir, faire songer, avertir, appeler l'attention*; Hisp. *recordar, traer á la memoria, advertir, avisar*; Germ. *mahnen oder erinnern an etwas, rufen etwas in's Gedächtniss*; Angl. *to remind, put in mind, admonish, advise*).

I.) Proprie pluribus modis occurrit, scilicet — *a*) Cum Accus. personæ et Genit. rei. *Cic. Top.* 1. 5. Admonitus hujus æris alieni, nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. *Sall. Cat.* 22. Admonere alium egestatis, alium cupiditatis suæ. *Liv.* 35. 13. Admonere aliquem fœderis. *Ovid.* 7. *Met.* 480. luctus patrii. *Id.* 10. *Heroid.* 42. Scilicet oblitos admonitura mei. *Curt.* 4. 14. 20. fragilitatis humanæ. *Id.* 6. 7. 21. rei. *Id.* 8. 11. 10. nominis. *Sueton. Tib.* 33. judices legum et religionis. *Id. Domit.* 2. aliquem ætatis et conditionis. — *b*) Cum Genit. rei, omisso Accus. personæ. *Liv.* 5. 51. Adversæ res admonuerunt religionum. *Id.* 5. 46. 6. Locus ipse admonebat Camilli. *Tac.* 3. *Hist.* 24. Veterum recentiumque admonens. *Tibull.* 1. 5. 40. Admonuit dominæ deseruitque Venus. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 543. — *c*) Cum duplici Accus. personæ et rei; præsertim si locum habeant pron. *id, illud, istud* etc.: interdum tamen Accusativus personæ omittitur. *Sall. Jug.* 81. Eam rem nos locus admonuit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 166. Multa præterea ostentis, multa extis admonemur. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 3. — *Ter. Heaut.* 2. 3. 112. Ridiculum est te istuc me admonere. *Cic. Cœl.* 3. 8. Illud tamen te esse admonitum volo. *Id.* 5. *Fam.* 8. 5. Sin autem quippiam – essem admonitus. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 38. Sed te illud admoneo. Adde 9. *Att.* 9. 2. — *Tibull.* 4. 1. 189. Cum memor ante actos semper dolor admonet annos. *Curt.* 4. 3. 24. Ceterum efficacior omni arte necessitas non usitata modo præsidia, sed etiam quædam nova admonuit. *h. e.* docuit. — *d*) Cum Accus. personæ, qui nonnunquam omittitur, et Ablat. rei præcedente præp. *de*: qua constructione apud didascalicos auctores admonere est disserere, verba facere, docere. *Cic. pro leg. Manil.* 15. 45. De quo (*prælio*) vos paullo ante invitus admonui. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 14. Epistola, in qua de æde Telluris et de portico Catuli me admones. *Id. Harusp. resp.* 21. 44. De quibus (*discordiis*) ipsis his prodigiis recentibus a dis immortalibus admonemur. Adde 1. *de republ.* 9. 14. et 7. *Fam.* 13. 2. — *Sall. Cat.* 5. 9. Quoniam de moribus civitatis tempus admonuit. — — *Varro* 6. *L. L.* 40. p. 88. *Müll.* De multitudine, quoniam quod satis esset, admonui, de obscuritate pauca dicam. *Cic.* 1. *Nat. D.* 18. 46. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. — *e*) Cum Accus. personæ tantum, et tunc est hortari admonendo, præcipue a debitore debita in memoriam reducendo reposcere, aut datam fidem in mentem revocare. *Cic.* 1. *Att.* 10. 3. Etenim ibi sedens hæc ad te scribebam, ut me locus ipse admoneret. *Nep. Paus.* 5. 1. Qui (*ephorus*) eum admonere cupiebat. *Cic. Quint.* 12. 42. Cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere appellas. *h. e.* æs reposcendi. Cf. *Top.* 1. 5. sub *a*. *Id.* 1. *Fam.* 9. 24. Eæ tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri, rogari vero sine magno dolore vix possim. *Id.* 9. *ibid.* 8. 1. Tamen ego exspectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. — *f*) Prorsus absolute, et quidem cum aliquo Adverbio, aut sæpius sequente Infinito, aut cum Gerundivis, aut denique sequente relativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 3. 5. Nam qui admonent amice, docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi. Adde 7. *Att.* 26. 2. et *Dom.* 49. 127. *Ter. Andr.* 5. 4. 50., *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. et *Quintil.* 4. 5. 4. Recte admones. — *Liv.* 24. 9. 2. Admonuit eum securibus sibi fasces præferri. *Id.* 28. 19. Et meminerant et admonebant alii alios, supplicium ex se, non periculum peti. Adde *Sueton. Ner.* 23. et *Calig.* 22., necnon *Quintil.* 5. 11. 24. et 7. 2. 19. — *Tac. Agric.* 25. Excedendum potius ignavi admonebant. *Sueton. Vesp.* 22. Admonitus ab eo plaustra potius, quam plostra dicenda. — *Cic.* 5. *Fam.* 2. 10. Mens enim mei sensus, quanta vis sit fraterni amoris admonet. *Sueton. Vesp.* 22. Admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri. — *g*) Denique quoties de rei futuræ eventu agitur, occurrit *admonere* absolute aut etiam cum Accusativo personæ sequentibus part. *ut* vel *ne*, aut Conjunctivo sine particula preced., aut Infinito præcipue apud Poetas, aut Gerundivo præcedente præp. *ad*. *Cic.* 2. *Fin.* 21. 69. Quæ (*ancillulæ*) cum tantum ad aurem admonerent –, ut caveret. *Id.* 2. *Off.* 19. 67. Admonebat me res, ut – intermissionem eloquentiæ – deplorarem. Adde 9. *Fam.* 6. 1. et 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 138. *Tac.* 3. *Ann.* 25. Ea res admonet, ut de principiis juris altius disseram. *Cic.* 9. *Att.* 9. 2. Illud me præclare admones, cum illum videro, ne nimis indulgenter, et cum gravitate potius loquar. — *Nep. Phoc.* 1. 3. Hunc utique admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret. *Tac.* 13. *Ann.* 5. Nisi Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. *Sueton. Tib.* 50. Admonuit, negotiis abstineret. — *Virg.* 4. *G.* 186. eosdem Vesper ubi e pastu tandem decedere campis Admonuit. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 125. Sol acrior ire lavatum Admonuit. *Phædr.* 3. 17. *extr.* Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 601. et 6. *ibid.* 150. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (32). In cujus (*Hecates*) contemplatione admonent æditui parcere oculis. Adde *Tac.* 6. *Ann.* 7. et 15. *ibid.* 67. — *Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. Quam multi inopes nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro hortari, incitare, castigare cum de belluis, tum de hominibus. *Virg.* 10. *Æn.* 586. pendens in verbera telo Admonuit bijugos. V. *Non.* p. 242. 3. *Merc.* *Colum.* 2. *R. R.* 2. 26. Admonere juvencum flagello. *Spartian. Sever.* 11. *in fin.* Equum expavescentem admonere. *Seneca* 1. *Clement.* 14. Admonere liberos verberibus. *Id. Constant. Sap.* 12. *ad fin.* Malo pernaque aliquem admonere et alere. ¶ 2. Apud Medicos ponitur de morbis, in quibus sensus doloris certis temporibus repetitur in ea corporis parte, quæ aliquando laboravit. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Erit arripienda phlebotomiæ commoditas non solum in iis, qui jam sæpe admoniti passione videntur, sed etiam etc. Adde 2. *Acut.* 10. et alibi sæpe, et *V.* ADMONITIO II. 2. *Id.* 2. *Acut.* 22. *absolute*: Cibum – dandum præcauta secunda

die, siquidem alternis admoneantur diebus. *h. e.* ægrotantes febri corripiantur.

Admonitum, *i*, ex Part. perf. pass., substantivorum more pro admonitione occurrit apud *Cic.* 2. *Orat.* 15. 64. Cohortationes, consolationes, præcepta, admonita. *Al. leg.* monita.

Homonym. In quo *admonere* differat a simplici *monere* patet ex *Seneca* 24. *Ep.* 15. Quod facere te moneo, scio certe fecisse: nunc admoneo, ut animum tuum non mergas in istam sollicitudinem. *h. e.* nunc monendo eo specto, ut etc.; minime vero nunc insuper moneo, ut male nonnulli. — Verbo *admonere* opponitur *deterrere* apud *Cic. Dom.* 49. 127. Neque erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere. — Inter *admoneo* et *commoneo* hoc statuit discrimen *Agrætius de Orthogr.* p. 2271. *Putsch.*, ut illud de rebus præsentibus, hoc de præteritis usurpetur. Sed usus loquendi hoc non servat.

ADMŎNĬTĬO, ōnis, f. 3. (admoneo) actus admonendi seu in memoriam revocandi, aut etiam admonendo exhortandi (It. *ricordo*, *avviso*, *ammonizione*; Fr. *action de rappeler à la mémoire*, *avertissement*, *avis*, *admonition*; Hisp. *el acto de traer á la memoria*, *advertimento*, *admonicion*; Germ. *die Erinnerung oder Mahnung an etwas*; Angl. *a reminding*, *recalling to mind*, *admonition*, *exhortation*).

I.) Proprie. — *a*) Est actus in memoriam revocandi. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 2. Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his memoriæ ducta sit disciplina. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Qua admonitione succurrit, quod M. Varro tradit etc. *Quintil.* 11. 2. 19. Unius admonitione verbi. *Id.* 6. 1. 37. Illud ne indignum quidem admonitione, ingens in epilogis – verti discrimen. *h. e.* narratione. — *b*) *Admonitio debitoris* est ejus interpellatio, ut solvat. *V.* ADMONEO I. *e. Ulpian. Dig.* 5. 1. 2. In omnibus causis, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere sine temporali damno creditorum oportet. — *c*) Est etiam idem ferme ac monitum, hortatio. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 282. Admonitio in consilio dando familiaris. *Id.* 1. *Off.* 40. 145. Admonitio et præceptum. *Id.* 1. *Fam.* 1. 2. Nec precibus, nec admonitionibus locum relinquere.

II.) Improprie. ¶ 1. Est objurgatio, castigatio. *Cic.* 10. *Fam.* 4. 2. Si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere; aut si dubitarem, hortatio impellere posset. *Quintil.* 2. 6. 3. Admonitioni irasci. *Sueton. Aug.* 39. Alios pœna, alios ignominia notavit; plures admonitione, sed varia. Lenissimum genus admonitionis fuit etc. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 7. Admonitio fustium. ¶ 2. Apud Medicos *admonitio morbi*, aut *doloris* est sensus doloris certis temporibus repetitus in ea corporis parte, quæ aliquando laboravit. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 101. (158). Admonitionem morbi sentire. *Id.* 25. *ibid.* 8. 40. (89). Si qua admonitio doloris supersit. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. Doloris pubetenus admonitione cessante. *Id.* 5. *ibid.* 2. Dabit enim curatio aliis integram sanitatem, aliis raram doloris admonitionem.

ADMŎNĪTOR, ōris, m. 3. (admoneo) qui admonet seu in memoriam revocat (It. *chi ricorda*, *ammonitore*; Fr. *celui qui fait souvenir*, *qui avertit*; Hisp. *admonitor*; Germ. *der Erinnerer oder Mahner an oder zu etwas*; Angl. *one who reminds*, *admonishes*). — *a*) Absolute. *Cic. Top.* 1. 5. Ut mea diligentia mandatorum tuorum te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. *Id.* 9. *Fam.* 8. 1. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. — *b*) Cum Genitivo. *Ovid.* 4. *Met.* 664. Admonitorque operum cælo clarissimus alto Lucifer ortus erat. *h. e.* qui admonendo hortatur. *Cod. Theod.* 8. 8. 7. Admonitor præcepti.

ADMŎNĬTŌRĬUM, ii, n. 2. (admoneo) admonitio, sive admonitionis signum. *Justinian. epist. ad Trebonian. præfixa Dig. prope fin.* Quædam admonitoria ejus facere.

ADMŎNĬTRIX, īcis, f. 3. (admonitor) quæ admonet (It. *ammonitrice*; Fr. *celle qui donne un avertissement*; Hisp. *esta quien avisa*; Germ. *die Mahnerin*; Angl. *she who reminds*, *admonishes*). *Plaut. Truc.* 2, 6. 20. Quid ailbar ego tui, malum, admonitricis? In multis *Plauti* Codd., in quibus hæc verba leguntur (neque enim in omnibus reperiuntur), scriptum est *ammonitricis*.

ADMŎNĬTUM, i. *V.* ADMONEO in fin.

ADMŎNĬTUS, a, um. *V.* ADMONEO.

ADMŎNĬTUS, us, m. 4. (admoneo) idem ferme quod admonitio: sed occurrit tantum in sexto casu singulari (It. *ricordo*, *avviso*, *ammonizione*; Fr. *action de rappeler à la mémoire*; Hisp. *el acto de traer á la memoria*, *advertimiento*, *admonicion*; Germ. *die Erinnerung oder Mahnung an etwas*; Angl. *a reminding*, *recalling to mind*, *admonition*, *exhortation*).

I.) Proprie. — *a*) De actu in memoriam revocandi. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 4. Usu hoc evenit, ut acrius et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. *Ovid. Remed. am.* 729. Admonitu recreatur amor. — *Cic.* 3. *Catil.* 3. 8. Interea admonitu Allobrogum prætorem misi, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. *Id.* 10. *Fam.* 12. Oblata religio Cornuto est pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse. *Ovid.* 3. *Fast.* 612. Flet tamen admonitu mortis, Elisa, tuæ. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 92. 2., *Liv.* 1. 48., *Curt.* 4. 13. 25. et *Tac.* 3. *Hist.* 81. — *b*) Pro hortatu. *Cic.* 13. *Att.* 18. Admonitu tuo perfeci libros ad Varronem. *Nep. Att.* 20. 3. Ut Attici admonitu eam reficiendam curaret.

II.) Improprie est objurgatio, castigatio. *Ovid.* 3. *Met.* 564. Hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum Corripiunt dictis, frustraque inhibere laborant: Acrior admonitu est etc.

ADMORDĔO, des, sum, dere, a. 2. (ad et mordeo). Præteritum juxta analogiæ leges esset *admordi* vel *admomordi*: verba enim, quæ in præteritis primam geminant, si componantur, modo geminationem habent, modo abjiciunt, ut *accurro*, *accurri* et *accucurri*. At *admemordi* tantum occurrit in *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 7. 9. Admemordit hominem, *vel*, *ut alii referunt*, Ut admemordi hominem. Part. *Admorsus* I. — Ceterum admordeo est idem quod mordeo, vel mordendo abrodo (It. *mordere*, *morsicare*; Fr. *mordre*, *entamer en mordant*; Hisp. *morder*, *asir con los dientes*; Germ. *anbeissen*; Angl. *to bite*, *gnaw*).

I.) Proprie occurrit tantum Part. præter. pass. *Virg.* 2. *G.* 378. durique venenum Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix. *Propert.* 3. 9. 53. de *Cleopatra*: Brachia spectavi sacris admorsa colubris.

II.) Translate est auferre ab aliquo rem, aliquid ab aliquo corradere. *Plaut. Pers.* 2. 3. 14. Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale. *Id. Pseud.* 4. 7. 24. Præda hæc mea est; scortum quærit, habet argentum. Jam admordere hunc mihi lubet.

ADMORSUS, a, um. *V.* ADMORDEO.

ADMORSUS, us, m. 4. (admordeo) morsus (It. *morsicatura*; Fr. *morsure*; Hisp. *mordedura*; Germ. *das Anbeissen*; Angl. *a biting*). *Symmach.* 1. *Ep.* 31. An vereris æmuli venena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur?

ADMŌTĬO, ōnis, f. 3. (admoveo) actus admovendi (It. *accostamento*, *appressamento*; Fr. *action d'approcher*, *d'appliquer*; Hisp. *el acto de acercar*, *de aplicar*; Germ. *die Heranbewegung*; Angl. *an applying*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Itaque ad pingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos apta manus est admotione digitorum. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 6. Spongiarum cum aqua frigida expressarum admotio gutturi.

ADMŌTUS, a, um. *V.* ADMOVEO.

ADMŌTUS, us, m. 4. (admoveo) idem quod admotio. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 50. (85). Arundo, quæ in Judæa nascitur, odorum causa ciet menstrua admotu. *Harduin.* et recentiores Editt. rectius leg. *admota*.

ADMŎVĔO, mōves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (ad et moveo). *Admōrim* et *admōram* per omnes personas pro *admoverim* et *admoveram* dicuntur per syncopen, præsertim a Poetis. V. *Virg.* 4. *Æn.* 367. et *Ovid.* 3. *Pont.* 7. 36. et *V.* MOVEO. — Part. *Admovens* I. b.; *Admotus* I. a. et c.; *Admoturus* I. b.; *Admovendus* I. d.; — Est autem ad, seu prope aliquem locum moveo (It. *avvicinare*, *appressare*; Fr. *mouvoir*, *faire avancer vers un lieu*, *approcher*; Hisp. *mover*, *hacer*, *acercar*; Germ. *heranbewegen*, *heranbringen*; Angl. *to put near*, *bring near to*).

I.) Proprie. Est verbum locale, quod motum ad locum significat, ita ut res aliena vi moveatur, et ponitur præcipue de rebus inanimis. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 190. Nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni, ignem concipere possit. *Id.* 7. *Verr.* 63. 163. Quid? cum ignes candentesque laminæ ceterique cruciatus admovebantur etc. *Id. Cluent.* 13. 36. Tamquam aliqua admotâ machinâ capere Asinii adolescentiam. *Id.* 2. *Off.* 10. 37. Dolorum cum admoventur faces. *Curt.* 8. 10. 28. Admoveri equum jussit. *Tac.* 2. *Ann.* 69. Admotas hostias – proturbat. *Lucan.* 7. 165. Admotus fugit ab ara Taurus. — *b*) Addito loco, ad quem quid admovetur, modo cum Accus. et præp. *ad* aut *in*, modo cum Dat., aut etiam Adverb. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 43. Admovere fasciculum ad nares. *Id. Rabir. Post.* 9. 23. aspidem ad corpus. *Lucret.* 6. 900. (902). ad lumina lychnum. *Varro* 2. *R. R.* 2. 16. agnum ad matris mammam. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 99. (245). cibum ad os. *Liv.* 34. 6. Ad urbem Romam admoturus exercitum. *Id.* 27. 25. Admovere exercitum Ariminum. *Liv.* 42. 57. copias in locum. — *Plaut. Cist.* 2. 2. 5. Quot admovi illi fabricas, quot fallacias! *alii minus recte* admolivi. *Cic.* 2. *Tusc.* 25. 61. Admovere faces doloris alicui. *Curt.* 6. 7. 12. gladium jugulo. *Id.* 9. 7. 8. tormenta corpori. *Tac.* 11. *Ann.* 38. Ferrum jugulo admovens. *Virg.* 3. *Ecl.* 43. labra poculis. *Tibull.* 3. 5. 11. ignes templis. *Virg.* 12. *Æn.* 171. pecus aris. *Sueton. Cal.* 32. altaribus victimam. *Ovid.* 5. *Met.* 643. curribus angues. *h. e.* adjungere. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 9. caput utero. *Id. ibid.* 27. 10. spongiam naribus. *Liv.* 21. 1. Hannibalem altaribus. *Curt.* 3. 12. 26. Darei filium collo suo. *Sueton. Tib.* 44. infantes papillæ. *Cic.* apud *Augustin. c. Acad.* 3. 7. huc et illuc aurem. *Stat.* 11. *Theb.* 560. *per metaphoram*: Admovere gressum. *h. e.* propius accedere. — *c*) Interdum ponitur de ædificiis, et est aliud alii propius locare. *Cic.* 2. *de republ.* 3. 5. Neque enim (*Urbem*) ad mare admovit. *Varro* 1. *R. R.* 13. 2. In primis culina videnda, ut sit admota. *Al.* admodum apta. *Sil. It.* 8. 454. medios illabitur amne Albula et admota præstringit mœnia ripa. *Juvenal.* 15. 148. Africa Mauro Percussa oceano, Niloque admota tepenti. Similiter *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (43). Luna alias admota cælo, alias contigua montibus. — *d*) Ponitur sæpe de bellicis machinis et de copiis etiam, quæ contra hostes ab imperatore admoventur; interdum et absolute. *Cic.* 6. *Phil.* 3. 5. Dum ne propius urbem Romam ducenta millia admoveret. *Liv.* 26. 30. Admovere exercitum ad urbem. *V.* alia sub *b*. *Id.* 44. 9. armatos muris. *Id.* 25. 24. 15. signa Achradinam. *Id.* 38. 5. tria opera adversus Pyrrheum. *Id.* 38. 5. opera muris. *Curt.* 4. 4. 6. classem littori. *Id.* 9. 1. 27. copias oppido. *Liv.* 6. 10. scalas ad mœnia. *Tac.* 13. *Ann.* 39. scalas mœnibus. — Absolute *Cæs.* 3. *B. C.* 63. scalas. *Liv.* 32. 32. opera. *Curt.* 4. 4. 2. naves. *Sil. It.* 1. 296. castra. *Liv.* 38. 45. exercitum. *Cæs.* 8. *B. G.* 14. Legiones admovendæ. *Curt.* 9. 4. 27. Jam admovebat rex, cum vates monere eum cœpit. — *e*) Raro admodum de singulis personis. *Virg.* 3. *Æn.* 410. Ventus admoverit te oræ Siculæ. *Curt.* 6. 5. 4. Admovere juvenes dextræ regis. *V.* II. 2. *b*. in fin.

II.) Improprie. ¶ 1. Est adhibere, applicare aliquid ad finem aliquem consequendum, qui præcipue spectatur; et de rebus ferme ponitur, scilicet — *a*) De medicorum remediis. *Sueton. Ner.* 37. Admovere medicos alicui. *Id. Aug.* 17. psyllos Cleopatræ. *Cels.* 5. 26. *n.* 21. cucurbitulam. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (134). Pelagio admotum alligatur (*buccinum*). *Alii aliter leg. Id.* 24. *ibid.* 11. 50. (85). (*Arundinis radix*) ciet menstrua admota. *Al. male leg.* admotu. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Erunt spongiæ expressæ cum aceto calido – coxarum summitatibus – admovendæ. *Id.* 5. *ibid.* 2. Hirudines admovendæ. *Cic.* 4. *Tusc.* 28. 61. curationem ad aliquem. — *b*) De iis quæ metaphorice animo adhibentur. *Cic. Sext.* 5. 12. Admovere stimulos alicui. *h. e.* excitare, incitare. *Id.* 6. *Att.* 1. 5. calcar. *Horat.* 3. *Od.* 21. 13. lene tormentum ingenio. *Cels.* 7. 26. *n.* 2. vim. — *c*) Peculiariter occurrit *admovere aurem* ad audiendum. *Ter. Phorm.* 5. 6. 28. Accessi, adstiti: animam compressi, aurem admovi: ita animum attendere cœpi. *Cic.* 2. *Orat.* 36. 153. Admovere aures, et subauscultando excipere voces. *Id. Harusp. resp.* 10. 20. aures ad vocem. *Id.* 3. *Herenn.* 15. 26. vultum ad auditores. *h. e.* convertere, inclinare. — *d*) Item peculiariter occurrit *admovere manum* vel *manus alicui rei*, aut ad tangendum solummodo, ut apud *Quintil.* 11. 3. 104. manus pectori. *Ovid.* 16. *Met.* 254. operi. *Propert.* 1. 3. 16. ad ora. *Liv.* 5. 22. Venerabundi

templum inière, primo religiose admoventes manus. — Aut ad opus aggrediendum, ut apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 133. non sint sine lege capilli: Admotæ formam dantque negantque manus. *Id.* 15. *Met.* 218. admovere artifices manus. *Curt.* 6. 7. 14. manus operi. *Sueton. Vesp.* 8. ruderibus purgandis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (133). marmoribus. Et *Sueton. Aug.* 80. digitum scripturæ. — Ad mala inferenda. *Liv.* 5. 11. manus nocentibus. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. 11. manum vectigalibus. — *e*) Hinc etiam *Cic. Harusp. resp.* 10. 20. Admovere mentem ad voces alicujus. *h. e.* attendere, animum advertere. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 161. acumina Græcis chartis. — *f*) Denique cum abstractis. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 60. Admovere orationem ad sensus animorum, atque motus vel inflammandos, vel etiam extinguendos. *Id. Brut.* 54. 200. Animis judicum admovere orationem, tamquam fidibus manus. *Id. Orat.* 17. 55. certum vocis sonum. *Ovid.* 3. *Pont.* 7. 36. et *Curt.* 5. 10. 14. preces. *Ovid.* 6. *Met.* 631. blanditias. *Id.* 10. *ibid.* 344. oscula. ¶ 2. Est etiam ad aliquem locum aut hominem adducere, afferre: et ponitur — *a*) De rebus præsertim abstractis, et peculiariter de malis temporibus, deque animi motibus qui in aliis excitantur. *Plaut. Asin.* 4. 1. 34. Admovere talos alicui. *Curt.* 8. 6. 16. occasionem. *h. e.* accelerare. *Id.* 8. 9. 33. diem leti. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (148). mortem. *Lucan.* 7. 50. horas mortis. *Stat.* 8. *Theb.* 576. fatalem horam. *Curt.* 10. 9. 1. bella civilia Macedonum genti. — *Liv.* 27. 43. metum. *h. e.* injicere. *Id.* 6. 10. terrorem. *Id.* 43. 10. spem cupiditati. *Curt.* 6. 2. 19. desiderium patriæ. *Seneca ad Helv.* 2. luctus animo. — *b*) De personis, et est admittere, perducere. *Sueton. Claud.* 39. Admovere aliquem in convivium et ad aleæ lusum. *h. e.* admittere. *Curt.* 6. 9. 22. in fastigium dignitatis. *h. e.* promovere. *Id.* 9. 2. 7. in propiorem amicitiæ locum. *Sueton. Tib.* 10. ad munera publica. *Id. Aug.* 64. ad curam reipubl. *Quintil.* 6. *proœm.* 13. ad spes honorum. *Sueton. Cal.* 12. ad spem successionis. *Id. Tib.* 14. aliquem contubernio. *h. e.* admittere. *Tac.* 14. *Ann.* 53. aliquem spei. *h. e.* ad spem erigere. — Hinc *admovere aliquem alicui* interdum est conciliare, intimum reddere. *Vellej.* 2. 96. Mors Agrippæ admovit propius Neronem Cæsari. *Sil. It.* 8. 205. genus admotum Superis. *h. e.* Superos affinitate contingens. *Cic. Amic.* 9. 32. Applicant se et propius admovent. *h. e.* inter se conciliantur, conjunguntur. Cf. *ibid.* 27. 100. Quæ virtus cum se extulit et ostendit lumen suum et idem aspexit agnovitque in alio, ad id se admovet vicissimque accipit illud, quod in altero est.

ADMŪGĪO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, n. 4. (ad *et* mugio) proprie de bobus dicitur, cum aliorum mugitibus respondent (It. *mugghiare*; Fr. *répondre en meuglant*; Hisp. *mugir*; Germ. *zubrüllen*; Angl. *to low for, or after*). *Ovid.* 1. *Art. am.* 279. Mollibus in pratis admugit femina tauro. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 576. submissis admugit cornibus Apis. Adde 3. *Rapt. Proserp.* 443.

ADMULCĔO, ces, cere, a. 2. (ad *et* mulceo) palpo, mulceo (It. *accarezzare toccando*; Fr. *caresser, flatter avec la main*; Hisp. *halagar, acariciar*; Germ. *anstreicheln*; Angl. *to sooth gently, to caress*). *Pallad.* 4. *R. R.* 12. 2. *de bubus domandis*: Non a latere, neque a tergo, sed a fronte accedens bubulcus admulceat.

ADMURMŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. (admurmuro) murmur et submissæ voces multitudinis aut concionis tum improbantis, tum applaudentis, quod ex adjectis vocabulis pateat necesse est (It. *mormorio, bisbiglio*; Fr. *murmure*; Hisp. *mormureo*; Germ. *das Zumurmeln*; Angl. *a murmuring*). — *a*) De murmure multitudinis improbantis. *Cic. pro leg. Manil.* 13. 37. Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini qui hæc fecerint. *Id. Pison.* 14. 32. Qui non admurmuratione, sed voce et clamore abjecti hominis furorem fregistis. *Id.* 6. *Verr.* 12. 27. Risus populi atque admurmuratio omnium facta est. Adde 7. *ibid.* 16. 41. — *b*) De murmure multitudinis applaudentis. *Cic.* 2. *Verr.* 15. 45. Grata concionis admurmuratio. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 3. Secundæ admurmurationes cuncti senatus.

ADMURMŬRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* murmuro). Part. *Admurmurans*. Est submissa voce murmuro; et in utramque partem sumitur (It. *far mormorio, bisbigliare*; Fr. *murmurer*; Hisp. *murmurar*; Germ. *zumurmeln*; Angl. *to murmur*). — *a*) In malam partem. *Cic.* 7. *Verr.* 16. 41. Quam valde universi admurmurarint, quam palam principes contradixerint. — *b*) In bonam partem. *Cic.* 1. *Att.* 13. 2. Scito præpositum esse nobis pacificatorem Allobrogum; idque admurmurante senatu, neque me invito esse factum. *Id.* 2. *Orat.* 70. 285. Cum esset admurmuratum.

ADMURMŬROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem quod murmuro, sed tamen activa significatione occurrit tantummodo apud *Fronton.* 2. *Ep. ad M. Cæs.* 1. Ad hoc pauca admurmurati sunt.

ADMŬTĬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* mutilo) idem quod mutilo; sed translate tantum occurrit pro pecuniam, rem alicui auferre, corradere, in re aliqua cum damno decipere: ducta translatione a tonsoribus capillos barbamve attondentibus (It. *pelare, smugnere*; Fr. *tondre, escroquer*; Hisp. *estafar, petardear*; Germ. *prellen*; Angl. *to fleece, bilk, chouse*). *Plaut. Capt.* 2. 2. 18. Utrum strictim ne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio: verum si frugi est, usque admutilabit probe. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 172. Inveni lepidam sycophantiam, qui admutiletur miles usque cæsariatus. *Id. Pers.* 5. 2. 48. Tu es, qui me usque admutilasti ad cutem. *Ter. Hec.* 1. 1. 7. hoc sensu *mutilare* dixit. *V.* MUTILO.

ADNASCOR. *V.* AGNASCOR.

ADNĀTĬO. *V.* AGNATIO.

ADNĀTO. *V.* ANNATO.

ADNĀTUS. *V.* AGNASCOR.

ADNĀVĬGĀTĬO. *V.* ANNAVIGATIO.

ADNĀVĬGO. *V.* ANNAVIGO.

ADNĔCESSĀRĬUS, a, um, adject. admodum necessarius, pernecessarius. *Cassiod. de music. in fin.* Censorinus quoque de accentibus voci nostræ adnecessariis subtiliter disputavit.

ADNECTO. *V.* ANNECTO.

ADNĔGĀTUS, a, um, idem quod negatus, præpositione *ad* vim significationi addente. *Ulp. Dig.* 12. 3. 3. Quia deposita ei pecunia adnegata est. Ita legitur in celebri editione *Torrentini*: apud *Haloandr.* est *denegata*: in aliis *abnegata*.

ADNĔPOS, ōtis, m. 3. (ad *et* nepos). Scribitur et *atnepos*: utroque enim modo legitur in *Dig.* 38. 10. 1. in editione *Torrentini*, qui Pandectas Florent. fideliter exscripsisse se profitetur. *V.* quæ dicentur in fine vocis AT. — Abnepos est quartus nepos, abnepotis vel abneptis filius; et refertur ad atavum (It. *quarto nipote*; Fr. *fils* et Hisp. *hijo de l'abnepos ou de l'abneptis*; Germ. *der Ururgrossenkel oder Enkel des Urenkels*; Angl. *a fourth grandson*). *Cajus Dig.* 38. 10. 1. § 7. Quinto gradu sunt supra atavus, atavia; infra adnepos, adneptis. Adde *ibid.* 10. § 16. et 17., et *Paul. Sent.* 4. 11. 5. *Inscript.* apud *Gud.* 8. 6. (quæ apud *Orell.* est 887.). PRO SALVTE ET VICTORIA IMP. CAESARIS M. AVRELII ANTONINI L. AVRELII VERI F. DIVI PII NEP. DIVI HADRIANI PRON. DIVI TRAIANI PARTH. ABNEP. DIVI NERVAE ADNEPOTIS. *Inscript.* apud *Gruter.* 253. 3. IMP. CAES. DIVI M. ANTONINI PII GERMAN. SARMAT. FILIO DIVI PII NEPOTI DIVI HADRIANI PRONEPOTI DIVI TRAIANI PARTHIC. ABNEPOTI DIVI NERVAE ADNEPOTI L. AELIO AVRELIO COMMODO AVG. Adde *Inscript.* apud *eumd.* 260. 2. et 262. 4. et 5., et apud *Fabrett.* c. 10. n. 86. et 88. — *NB.* In *Inscript.* apud *Maff. Mus. Veron.* p. 427. 1. M. Aurelius Antoninus Caracalla appellatur Trajani et Nervæ adnepos, qui tamen Nervæ trinepos dicendus erat, (quod in alia item *Inscript.* apud *Marin. Fratr. Arv.* p. 360. factum est) ideo fortasse, quod vox *trinepos* minus probaretur, quamvis ab JCtis usurpata fuerit.

ADNEPTIS *vel* atneptis, is, f. 3. quarta neptis, abneptis vel abnepotis filia; et refertur ad ataviam (It. *quarta nipote*; Fr. *fille* et Hisp. *hija de l'abnepos ou de l'abneptis*; Germ. *die Ururgrossenkelin oder Enkelin des Urenkels*; Angl. *a fourth grandaughter*). *Cajus Dig.* 38. 10. 1. § 7. et *Paul. ibid.* 10. § 16. et 17.

ADNEXĬO, ADNICTO, ADNO, ADNŪBĬLO et alia ADN incipientia. *V.* ANNEXIO, ANNICTO, ANNO, ANNUBILO, ANN.

ADNŌMEN, ADNŌMĬNĀTĬO, ADNOSCO. *V.* AGNOMEN, AGNOMINATIO, AGNOSCO. — Sed tamen hic recensenda videtur etiam vox

ADNŌTUS, a, um, adject. valde notus; *ad* enim augeret. Quam vocem nonnulli legunt apud *Sueton. de ill. Gramm.* 1. Quos domi forisque docuisse, adnotum est. *Gronov.* tamen corrigit *adnotatum est*, probantibus *Oudendorpio*, *Wolfio* et recentioribus Philologis.

ĂDOBRŬO, ruis, rui, rutum, ruere, a. 3. (ad *et* obruo) est terra obruere, sive tegere terram aut aliud ingerendo (It. *coprir con terra, sotterrare*; Fr. *couvrir de terre*; Hisp. *cubrir de tierra*; Germ. *durch Auf- oder Anschutten von Erde, bedecken*; Angl. *to cover with earth, to bury in the ground*). *Colum.* 11. *R. R.* 2. 54. Omnes arbores, quæ fuerant in segete, circumfodere et adobruere oportet. *Id.* 5. *ibid.* 5. 2. Quatuor angulis semina applicabuntur subjecta minuta terra, et ita scrobes adobruentur. *Id.* 2. *ibid.* 12. 10. Segetes admota terra adobruere. Et *ibid.* 11. 10. Si plus quatuor digitis adobrutum est semen ejus, non facile prodit. Adde *Gargil. de arb.* p. 406. *Mai.*

ADOLABILIS, e, adject. Nonnulli hanc vocem legunt in *Ennio* apud *Non.* p. 155. 30. *Merc.* et interpretantur *sine dolore*; alii exponunt *adorabilis*, h. e. qui orari potest. Sed rectius ibi cum *Mercer.* legendum est *adulabilis*, quam vocem *V.*

ADOLATIO, onis, idem ac adoratio, ducta ab *adoleo*, quod in sacrificiis significat Deos incensis odoribus propitiare et orare, aut juxta alios ab *adolo, as*, quod sit ab antiquo *olo, as* pro *colere* olim usurpato (*V.* ADULOR), legitur a nonnullis apud *Tertull. Apolog.* 25. ad *fin.*, ubi tamen alii aliter.

ADOLĔFACTUS, a, um, part. ad inus. verbo adolefacere, et est incensus (It. *abbruciato*; Fr. *brulé*; Hisp. *quemado*; Germ. *in Brand gesetzt*; Angl. *set on fire, burnt*). *Fragm. Inscript. Fratr. Arv.* apud *Gruter.* p. 121. Arbores adolefactæ.

ĂDŎLĔO, oles, olui, ultum, olere, a. 2. (ad *et* oleo). Perf. *Adolevi* pro *adolui* occurrit apud *Enn.* (*V.* infra I. *a.*). Part. *Adoletus* nusquam occurrit: *Adultus* et *Adolendus* I. *a.* Hoc verbum, quod ab ipsis olim Latinis *Paul. Diac.* p. 5. 6. *Müll.*, *Non.* p. 58. 21. *Merc.* et *Serv.* in *Virg.* 8. *Ecl.* 65. et 1. *Æn.* 704. unum idemque esse cum *adolesco* dicebatur, componitur ex præp. *ad* et verbo *olere*, cujus est causativum, uti Grammatici ajunt (V. *Doderlein. Lat. Synon. Vol.* 1. p. 177., 3. p. 133. et 4. p. 243. et 254.): ac proinde *adoleo* proprie est facio ut aliquid odorem exhalet, aliquid in odorem, sive in fumum et vaporem converto; unde idem est atque incendo, cremo, cum sermo est de sacrificiis: creditum est enim sacrificiorum odorem diis maxime gratum esse. Fortasse etiam utebantur libenter hoc verbo veteres κατ' εὐφημισμὸν, ne scilicet aut *cremare*, aut *igne consumere*, usurparent (ut notat *Serv.* in *Virg.* 1. *Æn.* 704), quæ verba sunt mali ominis (It. *abbruciare, accendere*; Fr. *bruler*; Hisp. *quemar*; Germ. *verbrennen*; Angl. *to burn.*).

I). Proprie occurrit — *a*) De hostiis, quæ a sacrificulis apud veteres in vaporem convertebantur, seu cremabantur. *Ennius* apud *Lactant.* 1. 11. 63. Eamque hostiam, quam ibi sacravit, totam adolevit. *Cassius* apud *Priscian.* 9. p. 872. *Putsch.* Sacrificium, ubi integrum anserem adoluerunt. *Valerius Antias* apud *eumd. ibid.* Eo omnes hostiæ, vituli XXVII conjecti; et ita omnia adulta sunt. *Virg.* 8. *Ecl.* 65. Verbenasque adole pingues et mascula tura. *Cod. Theod.* 1. 11. 7. Tura adolere. *Ovid.* 3. *Fast.* 803. Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset. *Id.* 1. *ibid.* 276. Hæc (*ara*) adolet flammis cum strue farra suis. *Id. Heroid.* 16. 333. Quaque feres gressum, adolebunt cinnama flammæ. *Petron. Satyr.* 115. Et Lycam quidem rogus inimicis collatus manibus adolebat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (28). In mensa utique id (h. e. *cibum e manu prolapsum*) reponi, adolerique ad Larem, piatio est. *Tac.* 6. *Ann.* 28. Subire patrium corpus, inque Solis aram perferre atque adolere. *Inscript.* in *Cenot. Pis.* apud *Orell.* 642. EAQVE HOSTIAE EO LOCO ADOLEANTVR. — *b*) Interdum etiam extra sacrificia usurpatur pro comburere. *Ovid.* 1. *Met.* 492. Utque leves stipulæ demptis adolentur aristis, Ut facibus sepes ardent, quas forte viator Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit; Sic deus in flammas abiit. *Colum.* 12. *R. R.* 31. Si quod animal in mustum ciderit et interierit —, ita ut repertum corpus fuerit, id igne adoleatur cinisque ejus in vas, quo deciderat, frigidus infundatur. *Gell.* 17. 10. Oravitque a suis amicissimis impense, ut Æneida adolerent. *Eutrop.* 10. (9). 18. Nimietate prunarum, quas gravi frigore adoleri multas jusserat. — *c*) Ponitur etiam de locis, in quibus sacra fiunt, fere semper addito Ablativo; et est facere ut ipsa loca sacrificii odo-

rem emittant, loca ipsa sacris honestare. *Lucret.* 4. 1229. (1233). multo sanguine mœsti Conspergunt aras adolentque altaria donis. *Forcellinus* interpretatur *cumulant*, et cf. *Virg.* 8. *Æn.* 284. et 11. *ibid.* 50.; sed *V.* quæ de compositione hujus vocis superius dicta sunt. *Virg.* 7. *Æn.* 71. castis adolet dum altaria tædis. *Id.* 1. *ibid.* 704. quibus – Cura penum struere et flammis adolere Penates. *Tac.* 2. *Hist.* 3. Adolere altaria igne puro et precibus. *Id.* 14. *Ann.* 30. Captivo cruore adolere aras. *Stat.* 1. *Theb.* 514. adolere focos.

II.) Translate *adolere honores* est odores, seu victimas offerre, quibus dii honorantur. *Virg.* 3. *Æn.* 547. Junoni Argivæ jussos adolemus honores. *Ovid.* 8. *Met.* 741. nullos aris adoleret honores.

ĂDŎLEO, es, ere, n. 2. (ad et oleo). *V.* vocem præced. Est verbum neutrum, et significat idem quod oleo, vel odorem spiro (It. *olire*; Fr. *exhaler*, *rendre une odeur*; Hisp. *exhalar olor*; Germ. *duften*, *riechen*; Angl. *to smell*, *or emit a scent*). *Plaut. Cas.* 2. 3. 19. Unde hic, amabo, unguenta adolent?

ĂDŎLESCENS, entis, Particip. præs. verbi *adolesco*, quod tamquam adjectivum usurpatur *V.* ADOLESCO in fin. Sed occurrit etiam

ĂDŎLESCENS *vel* adulescens, entis, substant. m. et f. 3. (adolesco). In Genit. plur. *adolescentum* pro *adolescentium* dixit *Plaut. Pseud.* 1. 3. 130. — Ceterum adolescens est homo qui pueritiam excessit, et nondum ad juventutem pervenit: ita dictus, quod eo maxime tempore crescat (It. *giovane*; Fr. *jeune homme ou fille*; Hisp. *joven*; Germ. *ein junger Mann*, *junges Weib*; Angl. *a young man, young woman*). Ejus ætas incipit ab anno decimo quarto, et usque ad vigesimum octavum protenditur, ut docet *Isid.* 11. *Orig.* 2. 4., vel (quod parum distat) ab anno decimoquinto usque ad trigesimum, ut docet *Varro* apud *Censorin. Die nat.* 14. Sunt etiam qui incipere ajunt anno duodecimo, et desinere vigesimo secundo, quod eo anno fere homines crescere desinant. Sed hæc postrema annorum assignatio aut nunquam, aut certe vix apud Latinos scriptores locum habet. Quin ab ipsis interdum *adolescentes* dicuntur, qui annum trigesimum excesserunt: ut a *Cic.* 2. *Orat.* 2. 8. *adolescens* vocatur L. Crassus, qui trigintaquatuor annos natus erat: a *Sallust. Catil.* 49. C. Cæsar, qui triginta tres, vel, ut alii volunt, triginta quinque, *adolescentulus* nominatur (*V.* ADOLESCENTULUS): et a *Nep. Attic.* 8. et 16., itemque a *Cic.* 2. *Phil.* 44. 113. Brutus, et Cassius, quo anno præturam gerebant, hoc est ætatis quadragesimo, *adolescentes* nuncupantur. *Id.* 2. *Phil.* 46. 118. se adolescentem vocat loquens de suo consulatu, quem gessit ætatis anno quadragesimo quarto. *Id.* 1. *Catil.* 8. 21. senatorem Sextium adolescentem appellat: quæ omnia pluribus ostendit *Manut. ad Cic.* 2. *Fam.* 1. Vide hac de re et *A. Mai. Class. Auct. Tom.* 1. p. XXVI. *adnot.* 3. His tamen, aliisque locis, quæ afferri possent, non tam ætatis annos notare voluisse videntur, quam ejus vigorem floremque: vel dicendum, *adolescentes* vocari homines tam grandes natu, ratione seu respectu seniorum, quibuscum loquuntur vel comparantur. Senum enim mos est juniores se *adolescentes* appellare. — Nunc ad usum vocis veniamus. — *a*) Masc. gen. sæpe conjungitur cum subst. *homo*. *Plaut. Trin.* 4. 2. 91. Amanti homini adolescenti. *Cic.* 2. *Fam.* 15. 4. Hominem adolescentem alienare nolui. *Orell.* leg. *nobilem*, repugnante *Cod. Medic.* Adde *Ter. Phorm.* 5. 9. 52., *Cic.* 1. *Orat.* 25. 117., *Cæs.* 6. *B. G.* 28., *Sall. Cat.* 38. et *Jug.* 6., *Liv.* 2. 6. aliosque. — *b*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 67. Tute me ut fateare faciam esse adolescentem moribus. *Ter. Andr.* 4. 7. 4. Bonus adolescens. *Cic. Senect.* 8. 26. Adolescentes bona indole præditi. *Ter. Eun.* 1. 2. 124. Adolescens nobilis. *Id. Adelph.* 4. 7. 42. luxu perditus. *Cic.* 4. *Tusc.* 25. 55. perditus et dissolutus. *Id.* 5. *ibid.* 27. 77. Adolescentium greges. — *c*) Sæpe adolescens usurpatur ad ætatem significandam. *Cic.* 2. *Phil.* 46. 118. Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex. *Id.* 2. *Orat.* 2. 8. Cum alter non multum, quod quidem extaret, et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (18). Cum adolescentibus nobis Apion prodiderit etc. — *d*) Sæpe ita vocantur grandes natu, ut a senioribus ejusdem nominis distinguantur. *Cæs.* 7. *B. G.* 87. Brutus adolescens. *Id.* 1. *ibid.* 52. Crassus adolescens. *Id.* 1. *B. C.* 8. Cæsar adolescens. — *e*) Fem. gen. modo cum alio substant., modo absolute occurrit. *Ter. Hec.* 4. 4. 38. Mater quod suasit sua, adolescens mulier fecit. *Cic.* 1. *Divinat.* 18. 36. Africani filia adolescens. *Ter. Andr.* 3. 2. 8. Cumque huic veritus est optumæ adolescenti facere injuriam.

ĂDŎLESCENTĬA *vel* adulescentia, æ, f. 1. (adolesco, q. v. *V.*) esset prima hominis ætas post pueritiam et ante juventutem; sed fere semper latius patet et significat ipsam juventutem ac virilitatem, *h. e.* tempus inter pueritiam et senectutem, ut dictum est in v. ADOLESCENS (It. *adolescenza*, *gioventù*; Fr. *adolescence*, *jeune âge*; Hisp. *adolescencia*, *juventud*; Germ. *Jungemannsalter*; Angl. *youth*, *adolescence*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 2. 6. Quid enim? citius adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit. *Seneca Ep.* 30. Quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. *Cic. Top.* 7. 32. Qui adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ velit definire. *Id. Senect.* 9. 29. Libidinosa enim et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. *Nep. Them.* 1. 1. Ineuntis adolescentiæ vitia. *Cic.* 2. *Off.* 32. 117. Ineunte adolescentia. *Id.* 1. *Fam.* 9. 11. Ab adolescentia. *Id. ibid.* § 23. Jam a prima adolescentia. *Id.* 13. *ibid.* 21. 1. Ab ineunte adolescentia. *Sueton. Claud.* 41. In adolescentia. *Cic. Senect.* 14. 50. Usque ad adolescentiam meam. *Id. ibid.* 14. 48. adolescentiam dixit *pro* hominibus in adolescentia constitutis.

II.) Translate, non de homine, sed de tempore dixit *Flor. procem.* 6. Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit.

ĂDŎLESCENTĬOR *vel* adulescentior, āris, ari, dep. 1. (adolescens) adolescentis moribus uti, petulanter juveniliterque agere, luxuriari. *Varro* apud *Non.* 71. 30. *Merc.* Quoniam tu quoque adhuc adolescentiaris.

ĂDŎLESCENTŬLA *vel* adulescentula, æ, f. 1. (adolescentulus) parva adolescens (It. *giovinetta*; Fr. *jeunette*; Hisp. *jovencita*; Germ. *ein junges Mädchen*; Angl. *a young woman*). *Plaut. Epid.* 1. 1. 41. Formâ lepidâ et liberali captivam adolescentulam de præda mercatu'st. *Ter. Andr.* 1. 1. 91. Unam aspicio adolescentulam. *Id. Heaut.* 3. 3. 41. Filia adolescentula. — Est etiam vox blandientis. *Plaut. Rud.* 2. 4. 3. Et tu multum salveto, adolescentula.

ĂDŎLESCENTŬLUS *vel* adulescentulus, i, m. 2. parvus adolescens, cujus deminut. est, ceterum eadem prorsus significatione *V.* ADOLESCENS. — *a*) Interdum nomini *homo* jungitur. *Ter. Andr.* 5. 4. 7. Tune hic homines adolescentulos – in fraudem illicis? Adde *ibid.* 5. 1. 9. — *b*) Absolute. *Ter. Eun.* 3. 1. 33. Rhodius adolescentulus. *Cic. Planc.* 11. 27. modestissimus. — Etiam per contemptum. *Nævius* apud *Cic. Senect.* 6. 20. Proveniebant oratores novi, stulti adolescentuli. *Cic. Dom.* 14. 37. Imberbis adolescentulus. — *c*) Ad ætatem significandam. *Cic. Planc.* 11. 27. Qui adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam. *Id. Orat.* 30. 107. Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum! *Cic.* h. l. *adolescentulum* se appellat, causam dicentem pro Roscio Amerino annos natum viginti septem, ut *Gell.* 15. 28., vel viginti sex, ut *Quintil.* 12. 6. 4. scribit. *Cic.* 1. *de republ.* 15. 23. Me admodum adolescentulo. Adde *Nep. Hamilc.* 1. 1.

ĂDŎLESCENTŬRĬO *vel* adulescenturio, is, ire, n. 4. (adolescens) adolescentium more facio. *Laberius* apud *Non.* p. 74. 15. *Merc.* Incipiunt adolescenturire et nescio quid nugarum facere. — Affertur a Lexicographis etiam locus *Quintil.* 2. 2., quem nos nondum invenimus.

ĂDŎLESCO *vel* adulesco, ŏlescis, ŏlēvi, ultum, ŏlescere, n. 3. *Perf. Adolui* pro *adolevi*, et *Adolesse* per syncopen pro *adolevisse* I. *a.* Part. *Adolescens* I. *a.* et in fin.; *Adultus* in fin. — *Paul. Diac.* p. 5. 5. *Müll.* ducit ab ἀλδήσκω (quod nonnulli male mutarunt in ἀδολέσκω) *h. e.* augeor; alii deducunt ab *adoleo*, quod falso accipiunt pro *crescere*, et compositum affirmant ex præp. *ad* et ὄλω volvo. Rectius *adolesco* componitur ex *ad* et *alesco* (neutr. inch. ab *alo*) æque atque in verbo *inculcare* ex præp. *in* et *calcare*, mutata *a* in *u*, unde *adulesco* sicut antiquissimi Latini proferebant et plures exhibent Codd. *Plauti*, *Terentii*, *Petronii*, *Prisciani* aliorumque (V. *Döderlein*, *Latein. Synon. Vol.* 1. p. 177.). Porro est idem ac cresco (It. *crescere*; Fr. *croître*; Hisp. *crecer*; Germ. *heranwachsen*, *grösser werden*; Angl. *to grow*, *increase*).

I.) Proprie et physice occurrit — *a*) Absolute de hominibus, belluis, plantis, raro et de aliis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 99. Rationem inesse non posse, nisi in eo, qui natus sit, qui adoleverit, qui didicerit. *Varro* apud *Priscian.* 9. p. 872. *Putsch.* Postquam adoluerit hæc juventus. V. *Adultus* in fin. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (22). Adolescunt celeriter (*delphini*). *Cic. Senect.* 15. 51. Viriditas herbescens, quæ, nixa fibris stirpium, sensim adolescit. *Ovid.* 4. *Met.* 37. ramos – adolescere cernit. *Id. Heroid.* 6. 11. adolesse segetes. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 23. (56). Arundines non sine imbre adolescunt. *Gell.* 17. 9. *extr.* Hominem, quoad capillus adolesceret, domo continuit. *Id.* 20. 8. Cæpe virescit decedente luna, inarescit adolescente. *Ammian.* 22. 8. *a med.* Borysthenes concursu multorum amnium adolescens. — *b*) Sæpe additur etiam gradus, ad quem usque quis adolevit, per Accus. et præp. *ad* aut *in*, aut interdum sine præp. *Plaut. Cas. prol.* 41. Postquam adolevit (*puella*) ad eam ætatem, uti viris placere possit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 3. 2. (6). Ad immobilem magnitudinem belluæ adolescunt. *Quintil.* 8. 5. 26. ad justam magnitudinem. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 37. (202). ad centum XIV pedes. — *Id.* 7. *ibid.* 16. 17. (76). Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse. *Id.* 12. *ibid.* 1. 3. (7). in amplitudinem. *Id.* 13. *ibid.* 7. 15. (58). in crassitudinem. *Id.* 16. *ibid.* 34. 62. (151). in longitudinem. *Id.* 8. *ibid.* 14. 14. (36). in tantam magnitudinem. *Tac.* 5. *Hist.* 7. in solitam speciem. — *Ovid.* 3. *Fast.* 59. ter senos proles adoleverat annos.

II.) Translate occurrit — *a*) de hominum, belluarum, plantarum ac tempestatum ætate. *Lucret.* 3. 450. ubi robustis adolevit viribus ætas. *Liv.* 1. 4. 8. Cum primum adolevit ætas. *Virg.* 12. *Æn.* 438. Tu facito mox cum matura adoleverit ætas. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 34. loquaces, Si sapiat, vitet simul atque adoleverit ætas. *Virg.* 2. *Æn.* 362. dum prima novis adolescit frondibus ætas. *Tac.* 13. *Ann.* 36. Ver adolescit. *Tertull. ad Nation.* 1. 1. Adolescens numerus Christianorum. *V.* et *Adultus* in fin. — *b*) Etiam de animæ facultatibus. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 22. Quæ (*ratio humana*) cum adolevit atque perfecta est. *Sall. Jug.* 67. Inter artes bonas ingenium brevi adolevit. — *c*) De iis omnibus, quæ crescere possunt, ac præcipue de animi affectibus. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Eaque cupiditas – adolescit una cum ætatibus. *Ovid.* 5. *Fast.* 175. virtus annis adolevit. *Id.* 2. *Amor.* 19. 23. adolescit in usus Amor. *Tac.* 2. *Hist.* 73. Vix credibile est, quantum superbiæ socordiæque Vitellio adoleverit. *Sall. Cat.* 55. Postquam respubl. adolevit. *Id. Jug.* 2. Res Persarum brevi adolevit. *Tac.* 3. *Hist.* 34. Cremona numero colonorum, ubere agri adolevit floruitque. *Id.* 2. *Ann.* 50. Adolescebat interea lex majestatis. V. *Adultus* in fin.

Adolescens, *entis*, est Part. præs., quod occurrit etiam velut Adject., unde Comp. *Adolescentior*. — 1.) Proprie de hominibus. *Liv.* 42. 38. 13. Oppido adolescens. *Cic. Amic.* 27. 101. et *Rab. perd.* 7. 21. Admodum adolescens. *Ter. Hec. prol. alt.* 3. Eodem ut jure uti senem liceat, quo jure sum usus adolescentior. *Sall.* apud *Priscian.* 10. p. 902. *Putsch.* Uti adolescentior ætati concederet Mamerci. — 2.) Translate. *Cic.* 9. *Fam.* 8. 1. Adolescentior Academia. *h. e.* recentior. — *NB.* ADOLESCENS est etiam Substant., quod *V.* suo loco.

Adultus, *a*, *um*, est Part. præter. pass., quod sæpissime velut Adject. usurpatur, unde Comp. *Adultior*, et est qui crevit. — 1.) Proprie dicitur de animalibus et plantis, et significat illum qui jam crevit, et ad justam staturæ suæ magnitudinem pervenit. *Cic. Brut.* 96. 330., *Liv.* 26. 50., *Horat.* 3. *Od.* 2. 8. et *Curt.* 3. 11. Adulta virgo. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. Cum jam essent adultæ (*filiæ*). *Sall. Cat.* 15. Timens privignum adultum ætate. *Sueton. Aug.* 69. Adultæ ætate virgines. *Quintil.* 2. 2. 3. Adulti pueri. *Sueton. Tib.* 10 liberi. *Id. Claud.* 39. filius. *Virg.* 4. *G.* 162. fetus (*apum*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (105). locustæ. *Id.* 9. *ibid.* 8. 7. (22). catuli delphinorum. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (93). Adultiores pulli hirundinum. *Horat. Epod.* 2. 9. Adultæ vitium propagines. *Seneca Œd.* 49. Adulta Ceres. *h. e.* seges. *Ammian.* 30. 3. in partum segetes. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 122. crinis. *Id.* 4. *ibid.* 3. 14. artus. *Ammian.* 16. 12. lanugo. — 2.) Translate ponitur — *a*) De ætate, tempestatibus et diebus. *Cic.* 5. *Verr.* 68. 160. Adulta ætate puer. *Tac.* 2. *Ann.* 23. æstas. *Id.* 11. *ibid.* 31. auctumnus. *Servius* in *Virg.* 1. *G.* 43. Anni qua-

tuor sunt tempora divisa in ternos menses, qui ipsorum temporum talem faciunt discretionem, ut primo mense veris novum dicatur ver, secundo adultum, tertio præceps. Sicut etiam Sallustius dicit ubique *nova æstas, adulta, præceps. Tac.* 3. *Hist.* 23. nox. *Cyprian. lib. de Lapsis* 36. Ætate provecta et in annis adultioribus constituta. *Vellej.* 2. 30. 6. Adultus in tantum numerus. — *b*) De iis omnibus, etiam abstractis, quæ cum creverint majori quasi ambitu distenduntur. *Catull.* 20. 11. capellæ ubera adulta lacte. *Cic.* 2. *de republ.* 11. 21. Populus adultus jam pæne et pubes. *Tac. de Orat.* 25. Nascenti adhuc (*eloquentiæ*), nec satis adultæ. *Cic. Brut.* 7. 27. Qui non nascentibus Athenis, sed jam adultis fuerunt. *Liv.* 2. 1. 6. Res nondum adultæ. *Vellej.* 2. 110. 2. Adulta viribus Dalmatia. *Tac.* 5. *Hist.* 8. Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis. *Lucret.* 2. 1129. (1130). Robur adultum. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 30. Adulta pestis reipubl. *h. e.* Catilina. *Tac.* 3. *Ann.* 53. Vitia prævalida et adulta. *Id.* 1. *Hist.* 31. Incipiens adhuc et nondum adulta seditio. *Id.* 13. *Ann.* 73. Conjuratio adulta. *Id.* 1. *Ann.* 46. Auctoritas adolescentium nondum adulta.

ĂDŎLESCO, scis, scere, n. 3. inch. ab adoleo, ceterum eadem prorsus significatione, *h. e.* odorem spiro. *Virg.* 4. *G.* 379. Panchæis adolescunt ignibus aræ. *h. e.* ture aliisque Arabicis odoribus igne incensis fumant. *V.* ADOLEO.

ĂDŎLESCO, scis, scere, a. 3. pro compingere, conjungere, affertur a *Forcellino* e *Sall.* fragm. apud *Serv.* in *Virg.* 7. *Æn.* 632. et 3. *G.* 155.; sed lectiones sunt omnino dubiæ locique videntur corrupti.

ADOLO, as, pro adoro, oro, propitio, legitur a quibusdam apud *Tertull. Apolog.* 25. *ad fin.*, ubi alii aliter. Quin et *adolari* deponentis forma pro *adulare* et cum Dativo legunt alii apud *eumd. Resurr. carn.* 8. Sed hæc et *Adolatio* sunt vocabula a Lexico expungenda.

ĂDŌMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (ad *et* ominatio) est bonum omen. Occurrit in *Gloss.* V. *Barth.* ad *Stat.* 2. *Theb.* 160.

ADONERO, as, a. 1. idem ac onero } sunt vocabu-
ADONEUS, a, um, idem ac idoneus } la a Lexico expungenda, quippe leguntur tantummodo in *Not. Tir. p.* 131. et 105.

ĂDŌNĬĂ, ōrum, n. plur. 2. τὰ Ἀδώνια, festa Adonidi dicata, quæ Antiochiæ quondam celebrata scribit *Ammian.* 22. 9. Recurrebant autem quotannis mense Junio circa solstitium æstivum, ut ex *Hieronymo in Ezechiel.* 8. notant ibidem *Valesii*, agebanturque maximo luctu propter Adonidem ab apro occisum; quod innuitur ab *Ovid.* 10. *Met.* 725.

ĂDŌNĬDĬUM, ii, n. 2. dicitur de versu quem ita definit *Mar. Victor.* 2. *p.* 2518. *Putsch.* Erit ergo versus dimetrus catalecticus, qui duobus suis dumtaxat pedibus subsistit, tamquam *Terruit orbem.* Quod concurrit etiam in choriambum monometrum hypercatalectum, quod Adonidium appellatur. Cf. ADONIUM 2.

ĂDŌNIS, is, *vel* idis, m. 3. filius Cinyræ Cypriorum regis a Venere adamatus, de quo *V.* ONOM. — Est etiam *Adonis* piscis quidam, de quo *Plin.* 9. *Hist. nat.* 19. 34. (70).

ĂDŌNĬUM, ii, n. 2. ἀδώνιον, herba quædam inter abrotoni species connumerata, florem ferens aurei, vel sanguinei coloris, quem ex sanguine Adonidis natum poetæ fabulantur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 34. (60). Ita *Plinii* locum interpretatur cum omnibus Lexicographis etiam *Forcellinus.* Cl. vero *Fee* (*Commentaires sur la Botanique et la Matière Médicale de Pline Vol.* 3. *p.* 39.) ad h. l. ait *Adonium* nihil aliud significare, nisi peculiarem quamdam florum culturam, quâ scilicet humus in capsis aut vasibus aggerebatur in eaque varii flores serebantur, quo facilius plantaria transferri possent: hæc a Græcis, ut idem affirmat, *Adonidis horti* vocabantur. Forcellinianam lectionem ita exhibet *Sillig.* optimis innixus Codd.: *Plantaria* (abrotoni) *transferuntur: sic et Adonium, utrumque æstate; alsiosa enim admodum sunt.* At cl. *Fee* sententiam propugnant *Schneider.* qui legit: *Plantaria transferuntur sicut Adonidis horti. Seritur æstate; alsiosum enim* etc.; necnon *Pint.* qui legit: *Plantarium transfertur sicut Adonidis horti æstate*, etc. ¶ 2. Apud Grammaticos (*Serv. de metr. p.* 1820. *Putsch.*) adonium est genus carminis constans dactylo, et spondeo, ut apud *Horat.* 1. *Od.* 4. Terruit orbem, Visere montes, etc. Sappho ejus inventrix fuit: putaturque ita dictum, quod maxime adhiberetur in festis Adonidi dicatis, in quibus ejus mors hujusmodi carmine ad flebilia aptissimo lugebatur.

ĂDŎPĔRĬO, ĕris, ĕrŭi, ertum, ĕrīre, a. 4. (ad *et* operio) idem quod operio, tego (It. *coprire*; Fr. *couvrir*; Hisp. *cubrir*; Germ. *bedecken*, *zudecken*; Angl. *to cover*). Part. præt. pass. *Adopertus* ferme unum occurrit. *Colum.* 8. *R. R.* 6. 1. Quidam prius trito sale sex horis adoperiunt (ova) —; alii salibus integris adoperiunt. *Lactant. Opif. Dei* 7. Pellem setis adoperuit. *Liv.* 1. 26. Capite adoperto. Adde *Sueton. Ner.* 48. *Juvenal.* 8. 145. Tempora adoperta cucullo. *Tibull.* 1. 1. 84. tenebris mors adoperta caput. *Virg.* 3. *Æn.* 405. adopertus amictu. *Ovid.* 15. *Met.* 688. adoperta floribus humus. *Id.* 2. *Fast.* 75. æther nubibus. *Id.* 3. *ibid.* hiems gelu. *Id.* 1. *Met.* 714. lumina somno. *Colum.* 4. *R. R.* 8. 1. Adopertæ radiculæ. *Sueton. Oth.* 11. Foribus adopertis. *Al. male* adapertis.

Adopertum, i, n. substantive idem ac mysterium. *Apul.* 2. *Met.* 30. Miserere, ait sacerdos, per cœlestia sidera, per inferna numina, per naturalia elementa, per nocturna silentia et adoperta Coptica, et per incrementa Nilotica et arcana Memphitica et sistra Phariaca. *Al. tamen aliter leg.*

ĂDŎPERTĒ, adverb. (adopertus) idem ferme atque operte; sed translate tantum occurrit et est obscure (It. *oscuramente*; Fr. *obscurément*; Hisp. *obscuramente*; Germ. *aus dunkle Weise*; Angl. *darkly*). *Capell.* 8. p. 303. Genethliace pensa Lachesis adoperte denuntiat. *h. e.* fata obscure significat. *Kopp.* legendum putat *adoperta.*

ĂDŎPERTUS, a, um. *V.* ADOPERIO.

ĂDŎPĪNOR, āris, ari, dep. 1. (ad *et* opinor) idem ferme quod opinor, conjicio (It. *pensare*, *congetturare*; Fr. *penser*, *conjecturer*; Hisp. *pensar*, *conjeturar*; Germ. *dazu vermuthen*; Angl. *to fancy*, *conjecture*). *Lucret.* 4. 814. (815). Deinde adopinamur de signis maxima parvis.

ADOPPETO, is, ere, n. 3. idem ferme atque oppeto. Quidam apud *Apul.* 7. *Met.* legunt *adoppetisse*, sed ibidem omnino legendum *oppetisse.*

ĂDOPTĀBĬLIS, e, adject. (adopto) idem ferme quod optabile, eligendum. *Imp. Leo Cod.* 11. 11. 1. *sub fin.* Summa severitate sancimus, ut quod in cultu ornatuque nostro sacrum et adoptabile est, id facere temeritas privata non audeat. *h. e.* assumi, seu adhiberi potest. Rectius tamen fortasse legendum *adorabile* monet *Facell.*

ĂDOPTĀRĬUS, ii, m. 2. *Gloss. Isid.* Adoptarius puer ex adoptato natus. *V.* voc. seq. 2.

ADOPTĀTĬCIUS *vel* adoptatitius, ii, m. 2. (adopto). ¶ 1. Est filius adoptatus (It. *figlio adottato*, *adottivo*; Fr. *fils adopté*, *adoptif*; Hisp. *hijo adoptado*, *adoptivo*; Germ. *der angenommene*, *adoptirte Sohn*; Angl. *son adopted*). *Plaut. Pæn.* 5. 2. 85. Si Antidamæ Demarchi quæris adoptaticium, ego sum ipsus. *Et* 100. Demarcho item ipse fuit adoptaticius. ¶ 2. *Paul. Diac. p.* 29. 4. *Mull.* Adoptaticius ex adoptato filio natus. *Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. Tom.* 8. p. 54. Adoptaticius puer, ex adoptato natus.

ĂDOPTĀTĬO, ōnis, f. 3. derivatum ab *adoptio*, ut *opinatio* ab *opinio*, quod tamen cum verbo *adoptare* artius connectatur. Est actus adoptandi, adoptio (It. *adozione*; Fr. *adoption*; Hisp. *adopcion*; Germ. *das An-Kindes-Statt-Annehmen*; Angl. *an adopting*, *adoption*). *Cic.* 1. *Tusc.* 14. 31. Quid adoptationes filiorum — significant? Ita *Orell.* juxta optimos Codd.; vulg. Editt. *adoptio. Sall. Jug.* 11. Ipsum illum his tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse. *Ita opt. Codd.*; vulg. Editt. *adoptione. Gell.* 5. 19. Quod per prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio. Adde *Tertull. Adv. Gent.* 2. 1. et *V.* ADOPTIO.

ĂDOPTĀTOR, ōris, m. 3. (adopto) qui adoptat (It. *adottatore*; Fr. *celui qui adopte*; Hisp. *adoptador*; Germ. *der an Kindesstatt annimmt oder angenommen hat*; Angl. *one who adopts*). *Gell.* 5. 19. Filius adoptivus patri adoptatori profuisset. *Dig.* 37. 9. 1. § 12. *ante med.* Si adoptator defunctus fuerit.

ĂDOPTĀTUS, a, um. *V.* ADOPTO.

ĂDOPTĬO, ōnis, f. 3. est antiquior et præcipua vocabuli forma, quæ ab *ad* et *opere*, unde freq. *optare*, componitur, vel a v. *opto* derivata est. Est generatim actus adoptandi vel assumendi: peculiariter vero assumptio alieni filii in suam familiam, atque adeo in locum filii naturalis (It. *adozione*; Fr. *adoption*; Hisp. *adopcion*; Germ. *die Annahme Kindesstatt*; Angl. *an adopting*, *adoption*).

I.) Proprie. — Adoptionis apud Romanos duæ sunt species, *adoptio* proprie dicta, et *arrogatio*: adoptio est, per quam assumitur in filium aliquis, qui suæ adhuc familiæ filius est, et sub proprii patris potestate vivit: *arrogatio* est, qua adsciscitur is, qui est sui juris. Præterea adoptio fit auctoritate magistratus, seu per prætorem; arrogatio auctoritate principis, aut per populum. *V.* ARROGATIO, et *Dig.* 1. 7. 1. et 2. et *Gell.* 5. 19., ubi hac de re plura. — *a*) *Adoptio* autem latiori sensu binas hasce species complectitur, quo sane sensu memoratur a *Cic. Dom.* 13. 34. Quod est, pontifices, jus adoptionis? nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos possit, et, cum potuerit, sit expertus. Quæ deinde causa cuique sit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis, quæ sacrorum quæri a pontificum collegio solet. Quid est horum in ista adoptione quæsitum? Cf. *ibid.* 35. et 14. 36. et 38. *Sueton. Tib.* 2. Qui (*P. Clodius*) ob expellendum urbe Ciceronem plebejo homini atque etiam natu minori in adoptionem se dedit. *Tac.* 1. *Hist.* 17. Nuncupare adoptionem. *h. e.* alte et clare pronuntiare. Adde *Caj. Comment.* 1. 99. et seqq., 2. 47. et 83. et 84., *Ulpian.* 8. 2., necnon *Gell.* et *Dig.* locis sup. cit. — Neque vero solum in locum filii, sed et in locum nepotis, quamvis raro, adoptare quis alium poterat: et qui ita adoptabatur, dicebatur *quasi ex filio natus adoptari.* Cujus rei exemplum habetur *Dig.* 1. 7. 10. et *Caj. Comment.* 1. 99. et *seqq.* — Porro etiam feminæ adoptabantur; feminæ vero ipsæ nullo modo adoptare poterant, spadones poterant. V. *Caj. Comment.* 1. 101. et 103. et 104. et *Inscript.* apud *Marin. Iscr. Alb. p.* 62. — *b*) Stricto sensu adoptio proprie dicta, est, per quam assumitur in filium aliquis, qui non est *sui juris*, sive, ut diximus, suæ adhuc familiæ filius est et sub proprii patris potestate vivit; fiebat autem trina mancipatione, hoc est ficta venditione per æs et libram coram quinque testibus et prætore vel alio magistratu: qua de re *Gell.* 5. 19., *Caj. Comment.* 1. 99. et *seqq.*, *Dig.* 1. 7., habeturque exemplum apud *Sueton. Aug.* 64. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 24. Cum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat. *Liv.* 45. 40. 7., *Vellej.* 2. 8. 2. et *Quintil.* 3. 6. 96. Dare filium in adoptionem. *Tac.* 2. *Hist.* 1. Accire aliquem in adoptionem. *Id.* 1. *Ann.* 3. Adsciscere aliquem per adoptionem. *Id.* 11. *ibid.* 11. Adscitus (*cod.* ascitus) adoptione in imperium et consortium. *Sueton. Claud.* 39 Inserere aliquem familiæ per adoptionem. *Quintil.* 6 *proœm.* 13. Consularis adoptio. *h. e.* quæ a viro consulari facta est. *Caj. Comment.* 2. 136. Adoptione teneri. *Id.* 1. 59. Adoptionem dissolvere. *Id. ibid.* 61. Quam diu quidem constat adoptio. — *c*) A Cæsaris inde temporibus tertia quoque adoptandi ratio Romæ invaluit, scilicet *adoptio per testamentum*, qua quis heres ea conditione scribebatur, ut testatoris nomen assumeret: qua de re V. *Cic. Brut.* 58. 212., et 3. *Off.* 18. 74., *Nep. Att.* 5., *Sueton. Cæs.* 83. et *Tib.* 6., et *Ovid.* 15. *Met.* 837. *V.* ADOPTO I. 2. et 3. et ADOPTIVUS I.

II.) Translate. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 9. *de apibus*: Ut tamquam novæ prolis adoptione (*transferendis favis*) domicilia confirmentur. *Plin.* 16. *Hist. nat. proœm.* 1. *de arborum insitione.* Pomiferæ arbores sive illæ ultro, sive ab homine didicere blandos sapores adoptione et connubio.

ĂDOPTĪVUS, a, um, adject. (adopto) qui ad adoptionem pertinet, qui per adoptionem assumitur (It. *adottivo*; Fr. *adoptif*; Hisp. *adoptivo*; Germ. *zur Adoption gehörig*, *durch sie erlangt*; Angl. *adoptive*).

I.) Proprie. *Filius adoptivus* dicitur is, qui non natura, sed adoptione talis est, a *P. Scipione* apud *Gell.* 5. 19., *Sueton. Tib.* 52., *Caj. Comment.* 3. 41. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 242. 3., quæ est apud *Orell.* 2665. P. AEL. ANTIPATRO MARCELLO — FIL. P. AEL. ANTIPATRI — ET ADOPTIVO P. AEL. MARCELLI. — *Pater adoptivus* dicitur qui adoptavit, non genuit, ab *Ulpian. Dig.* 45. 1. 107. — *Frater adoptivus*, *soror adoptiva*, quos quis per adoptionem nactus est; scilicet qui non natura, sed adoptione tales sunt. *Ulpian. Dig.* 23. 2. 12. et *Julian. Dig.* 38. 8. 3. — *Familia adoptiva*, in quam aliquis per adoptionem adscitus est. *Caj. Comment.* 2. 137. et 3.

31., *Ulpian.* 23. 3. et *Dig.* 37. 4. 3. § 9. — *Sacra adoptiva* sunt propria ejus familiæ, in quam quis adoptatur, et opponuntur paternis. *Cic. Dom.* 13. 35. Neque amissis sacris paternis in hæc adoptiva venisti. — *Nobilitas adoptiva* est quæ alicui advenit ex adoptione. *Ovid.* 4. *Fast.* 22. — *Nomen adoptivum* est quod quis in adoptione assumit. V. *Sueton. Ner.* 41. Namque adoptatus aliquando cognomen suum servabat, adoptantis vero prænomen et nomen sumebat, qua de re V. *Borghesi Dec. num.* 3. *oss.* 4. *p.* 13. Nec tamen id perpetuum fuit, præsertim postremis reipublicæ Romanæ temporibus; nam P. Clodius, licet a P. Fontejo plebejo homine adoptatus fuerit, ut patet *Cic. Dom.* 29., tamen gentilicium nomen Clodii nunquam in Fontejum mutavit: ita etiam M. Junius Brutus a Q. Servilio Cæpione adoptatus, modo Junii, modo Servilii nomen usurpat in nummis; atque iidem nec Tiberius Julii, nec Trajanus Cocceji, nec Hadrianus Ulpii nomen unquam assumpserunt, quamvis prior ab Augusto, alter a Coccejo Nerva, tertius ab Ulpio Trajano adoptati fuissent.

II.) Eleganter ad insitionem transfertur. *Ovid. Medicam. fac.* 5. Cultus et in pomis succos emendat acerbos; Fissaque adoptivas accipit arbor opes. *h. e.* fructus alienos insitione producit. *Martial.* 13. 45. Villa maternis fueramus præcoqua ramis: Nunc in adoptivis Persica cara sumus. *Pallad.* 14. *de insit.* v. 19. docebo Quæ sit adoptivis arbor onusta comis. Adde *ibid.* 160. *Id. ibid. v.* 143. Inseritur lauro cerasus, partuque coacto Tingit adoptivus virginis ora pudor.

ADOPTO, as, ävi, ätum, are, *a.* 1. (ad *et* opto). Part. *Adoptans* I. 2. *a.* et 3.; *Adoptatus* in omnibus ferme paragraphis et in fine; *Adoptaturus* I. 2. *b*; *Adoptandus* I. 2. *c.* Est idem ferme quod opto qua significat eligere, assumo, eligo (It. *scegliere, assumere, prendere*; Fr. *choisir, prendre*; Hisp. *escoger, elegir*; Germ. *zu etwas wählen, aussuchen, ausersehen, erwählen und annehmen*; Angl. *to choose, pitch upon, assume, take*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est eligere, assumere, et ponitur — *a*) De personis, fere semper cum duplici Accus., cui aliquando additur et Dat. *sibi*. *Plaut. Truc.* 4. 4. 6. Qui manstutorem me adoptavit bonis. *h. e.* elegit, assumpsit ad rem familiarem tuendam. *Id. Cist.* 4. 2. 78. Sociam te mihi adopto ad meam salutem. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 107. Quod C. Cassium et Brutos patronos adoptassent. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 9. 1. Ego autem quem potius adoptem aut invocem (*subaudi* patronum), quam illum, quo defendente vincere didici? *Cic.* 1. *Verr.* 16. 54. Quem sibi illa defensorem sui juris, ultorem injuriarum, actorem causæ totius adoptavit. *Id. ibid.* 20. 64. Adoptare sibi aliquem patronum. *Varro* 5. *L. L.* 91. p. 35. *Müll.* Quos hi administros sibi adoptabant, optiones vocari cœpti. — *Adoptare se alicui* est se adjungere, in alterius ordinem vel societatem se dare. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (12). Qui se potentiæ causa Cæsaris libertis adoptasset. — *b*) Raro admodum de rebus. *Ovid.* 4. *Fast.* 880. Etruscas Turnus adoptat opes. *h. e.* arcessit, in auxilium sibi quærit. Hinc *Ammian.* 15. 4. *de Rheno*: Nullis aquis externis adoptatis. Et *Auson. Mosell.* 430. Neu vereare minor, pulcherrime Rheno, videri; Invidiæ nil hospes (*h. e.* Mosella) habet: potiere perenni Nomine; tu fratrem famæ securus adopta. *h. e.* assume, accipe Mosellam, quæ in te influit. ¶ 2. Speciatim opponitur verbo *abdicare* ac de affinitate ponitur, et quidem — *a*) Latissima significatione. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 22. (55). Neptunum patrem adoptante tum sibi Sexto Pompejo. — *b*) Latiori sensu significat aliquem in filii, vel nepotis locum, atque in familiam assumere, sive per arrogationem, sive per adoptionem proprie dictam: de quarum discrimine et modis *V.* ADOPTIO I. *Curt.* 6. 11. 25. Et nos, si viri sumus, a dis adoptabimur. *Sall. Jug.* 22. Adoptare aliquem in regnum. *Justin.* 9. 2. in successionem regni. *Cic. Dom.* 14. 36. Filium senatorem populi Rom. sibi velle adoptare. *Caj. Comment.* 1. 99. An velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse. Adde *Cic.* 13. *Dom.* 34. et 35., 7. *Att.* 7. 6. et alibi; *Caj. Comment.* 1. 101. 103. et seqq. et *Dig.* 1. 7. 15. *pr.* *Cic.* 13. *Dom.* 37. Adoptare sibi aliquem filium. *Sueton. Tib.* 21. aliquem pro concione. *Id. Aug.* 65. aliquem in foro lege curiata. — *c*) Stricto sensu de adoptione proprie dicta. *Plaut. Pœn. prol.* 76. Adoptare sibi aliquem pro filio. *Id. Men. prol.* 60. Adoptat illum puerum subreptitium sibi filium. *Ter. Adelph.* 1. 1. 21. Adoptare sibi aliquem. *Id. ibid.* 1. 2. 34. Dare aliquem alicui adoptandum. *Cic. Brut.* 19. 77. Is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit. *h. e.* a Paullo concessum sibi in filium adscivit. — *d*) Item de adoptione per testamentum, qua quis et heres scribebatur et testatoris nomen assumere debebat. *Cic. Brut.* 58. 212. Quid Crassum, inquam, illum censes, istius Liciniæ filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus? *Nep. Att.* 5. Testamento aliquem adoptare. Adde *Vellej.* 2. 59. 1. et *Sueton. Tib.* 6. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 82. Adoptare aliquem in divitias. *Sueton. Cæs.* 83. aliquem in familiam nomenque. ¶ 3. *Adoptare* est etiam suum nomen imponere; ex eo ductum, quod qui aliquem in filium adsciscit, suum ei nomen impertit (Cf. quæ dicta sunt in v. ADOPTIVUS I. in fin.). Ad rem declarandam id etiam facit, quod ironice *Cic. Brut.* 68. 241. Et C. Stajenus (*al.* Staienus), qui se ipse adoptaverat et de Stajeno Ælium fecerat. *h. e.* licet ex Ælia familia non esset, tamen Ælium se appellaverat. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 55. Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta. *h. e.* amplectere et tibi concilia, eumdem aut patrem, aut fratrem, aut filium pro ætate appellando. Hinc *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (9). Bætis — Oceanum Atlanticum, provinciam adoptans, petit. *h. e.* provinciæ nomen dando, quæ inde *Bætica* appellatur. *Id.* 25. *ibid.* 7. 36. (73). Mulieres quoque hanc gloriam affectavere, in quibus Artemisia, adoptata herba, quæ antea parthenis vocabatur. *h. e.* eam proprio nomine Artemisiam appellando. *Id.* 33. *ibid.* 11. 49. (139). Etenim tabernas mensis adoptavimus. *Id.* 5. *ibid.* 29. 31. (119). A Smyrna Hermus campos facit et nomini suo adoptat. *Id.* 25. *ibid.* 3. 7. (22). Nominibus suis herbas adoptare. *Stat.* 7. *Theb.* 259. Jungunt se castris, regisque in nomen adoptant Ocaleæ Medeonque etc. *Vitruv.* 7. *præf.* 8. Zoilus, qui adoptavit cognomen, ut Homeromastix vocitaretur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (137). Unus hominum ad hoc ævi, felicis sibi nomen asseruit; civili nempe sanguine et patriæ oppugnatione adoptatum. *Martial.* 4. 31. Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta. *Al.* adoptes.

II.) Eleganter ad insitionem transfertur. *Ovid. Remed. am.* 195. Venerit insitio: fac ramum ramus adoptet. *Colum.* 10. *R. R.* 38. aliena stirpe gravata Mitis adoptatis curvetur frugibus arbor. Cf. ADOPTIO et ADOPTIVUS II.

Adoptatus, a, um, est etiam Adject., cujus Superl. *Adoptatissimus* legitur apud *Cic.* 16. *Fam.* 21. 1. in *Codice Medic.*, quamvis Editt. pleræque *optatissimus*, nonnullæ *exoptatissimus* exhibeant. *V.* OPTO.

ĀDOR, ŏris, *aut etiam* ōris, n. 3. De vocis quantitate *Priscian.* 6. p. 700. et p. 628. *Putsch.* scribit., quemadmodum a *laboro* fit *labor*, a *coloro color*, ita ab *adoro* factum esse *ador*, quia in adorandis diis, hoc est in sacrificiis, adhibebatur; ex quo fieri, ut produci possit ejus pænultima in obliquis casibus; quæ tamen cum et correpta reperiatur, ad evitandam hanc contrarietatem satius visum esse indeclinabiliter usurpare. *Gannius* vero apud *eumd. Priscian.* 6. p. 700. *Putsch.* pænultimam bis corripit: *Hic adoris dat primitias.* Et: *Illam sponte satos adoris stravisse maniplos*: sed eamdem pænultimam semel produxit illo carmine: *Emicat in nubes nidoribus ardor adoris.* Hinc eadem syllaba producitur in *adorea* et *adoreum*. Sed rectius *Scaliger* putat, veteres *Adus*, ŏris neutr. et *Ador*, ōris masc. dixisse, ut *Decus* et *Decor*. — Antiquior hujusce vocis forma *edur* legitur apud *Paul. Diac.* p. 3. 10. *Müll.*, ab eoque effictum videtur, ut etymon a verbo *edo* confirmaretur, quod falsum est. — Etymi autem ratione, idem *Paul. Diac. l. cit.* ait *ador* quasi *edor* vel *edur* dictum fuisse, quia olim in cibis usitatissimum fuit, cum populus Rom. farre tantum e frumento trecentis annis usus fuerit, teste *Verrio* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 11. (62); aut quasi *adur* dictum, quia adurebatur, ut fieret tostum, ex quo in sacrificiis mola salsa fiebat: *Nonius* vero *p.* 52. 20. *Merc.* et *Priscian.* 8. *p.* 785. *Putsch.* affirmant ab *adoro* derivatum, quia in sacrificiis, ut diximus, adhibebatur. Rectius autem referendum est vocabulum ad Græcum ἀθάρα vel ἀθήρα, quod significat pultis genus. — Ador enim est vetus vocabulum, quo usitatissimus Romanorum cibus, hoc est far significabatur, quodque a recentioribus *far* vel *far adoreum* ut a *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 9. (81). appellatum est, aut etiam *far vernaculum* a *Colum.* 11. *R. R.* 2.; et est *Triticum spelta* Linn. (It. *spelta, biada, frumento*; Fr. *blé, épeautre, froment*; Hisp. *trigo, espelta, candeal*; Germ. *Spelt, Dinkel, Getraide*; Angl. *a kind of weath, pure weath*). *Horat.* 2. *Sat.* 6. 88. Cum pater ipse domus, palea porrectus in horna, Esset ador loliumque. *Auson. Monosyll. c. de cibis* 5. Mox ador atque adoris de polline pultificum far, Instruxit mensas, quo quondam Romulidum plebs. *Non. p.* 52. 20. *Merc.* Ador frumenti genus, quod epulis et immolationibus sacris pium putatur; unde et adorare, propitiare religiones, dictum videtur. Adde *loca sup. cit.*

ĀDŌRĀBĬLIS, e, adject. (adoro) adoratione dignus (It. *adorabile*; Fr., Hisp. et Angl. *adorable*; Germ. *anbetungswerth*). *Apul.* 11. *Met.* 18. Deæ providentis adorabile beneficium.

ĀDŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus adorandi, itemque precatio manu ad os admota et flexo corpore facta, *V.* ADORO 2. et 3. (It. *adorazione, preghiera*; Fr. *adoration, prière*; Hisp. *adoracion, suplica*; Germ. *die Anbetung*; Angl. *adoration, worship*). — *a*) In Deum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 20. (67). Propitiare deos adoratione. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (22). Fascinationibus adoratione peculiari occurrimus. *Apul.* 4. *Met.* 28. Venerem religiosis adorationibus venerari. — *b*) In homines. *Liv.* 30. 16. Conveniens oratio tam humili adorationi fuit.

ĀDŌRĀTĪVUS, a, um, adject. (adoro) qui adorationem significat, vel ad adorationem pertinet. *Priscian.* 18. *p.* 1163. *Putsch.* Adorativa quoque (verba), *colo te, honoro, adoro, erubeo, adulor* etc.

ĀDŌRĀTOR, ōris, m. 3. (adoro) qui adorat (It. *adoratore*; Fr. *adorateur*; Hisp. *adorador*; Germ. *der Anbeter*; Angl. *one who adores*). *Tertull. de Spectacul.* 8. Si Serapeum sacrificator et adorator intravero, a Deo excidam. *Vulgat. Interpr. Johan.* 4. 23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.

ĀDŌRĀTUS, a, um. *V.* ADORO.

ĀDORDĬNO, as, are, a. 1. (ad *et* ordino) idem quod ordino, dispono. *Apic.* 4. 2. Adordinare patellam.

ĀDORDĬOR. *V.* ADORSUS et ADORIOR.

ĀDŌRĚA, æ, f. 1. Apud *Paul. Diac.* p. 3. 12. *Müll.*, itemque apud *Serv.* in *Virg.* 10. *Æn.* 677., *Fronton.* et *Apul.* locis infra citatis legitur *adoria*. — Juxta Forcellinum adorea est omnis ex agris proventus; et proprie significat far. Cum autem prisci illi Romani farre ut plurimum vescerentur, ad alia etiam frumenti genera, postea in cibos invecta, hoc *adoreæ* nomen transtulerunt. Hinc *Sulpic.* apud *Varr.* 4. *L. L.* 4. *extr.* Plebi rura largiuntur adoream. Ita *Scalig.* legendum suspicatur. Libri fere habent *ad aream*. Porro cum de republica benemeriti primis illis temporibus farre, aut alio frumento maxime donarentur, hinc factum est, ut *adorea* pro præmio atque adeo pro laude, gloria, aut honore reportato usurpari cœpta sit. Quod diserte docet *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (14). et 8. 19. (83). *Paul. Diac. l. cit.* autem scribit, ideo *adoream* pro gloria et honore accipi, quia cum olim rustica ars in maximo esset honore, ii quoque honoratissimi haberentur, qui plus aliis farre aut frumento abundarent. *Servius* denique *l. cit.*, seu potius Servii notarius ideo pro laude bellica accipi affirmat, quod omnes cum congratulatione alloquebantur eum, qui in bello fortiter fecerat; proinde ab *adorare* deduci, quod pro *alloqui* usurpatum est a veteribus. Rectius fortasse *Döderlein* (*Latein. Synon. Tom.* 6. *p.* 7.) vocabulum deducit a Græcis ἀθύρω ludo, et ἄθυρμα ludus et etiam ornamentum; quod cum *Paulo Diac.* et *Plinio* facit, qui vocem ab *adore* tamquam farris honore deducunt: adorea namque est certaminis et victoriæ præmium, atque adeo laus et gloria (It. *premio, palma, gloria, onore*; Fr. *recompense, gloire militaire, succès guerrier*; Hisp. *premio, gloria, honra*; Germ. *der Kampf- oder Siegespreis, Siegesruhm*; Angl. *glory, honour, praise, renown*). *Plaut. Amph.* 1. 1. 38. Præda atque agro adoreaque affecit populares suos. *Horat.* 4. *Od.* 4. 39. pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris Qui primus alma risit adorea. *h. e.* lætus fuit propter gloriam devicti Hasdrubalis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (14). Gloriam denique ipsam a farris honore adoream appellabant. *Id. ibid.* 8. 19. (83). Primus antiquis Latio cibus (*far*), magno argumento in adoreæ donis, sicuti diximus. *Fronto Ep. ad L. Verum* 1. p. 176. *Mai.* Bellica laus et adoria. *Ammian.* 20. 4. Magnorum ejus laborum factorumque vehens adoreas cel-

tas. *Id.* 25. 3. Claras gloriarum adoreas sempiternis maculis obumbravit. *Apul.* 3. *Met.* 19. Prima virtutis adoria. *Id.* 7. *ibid.* 16. Facta adoriæ plena. *Sidon.* 7. 13. Triumphales adoreæ. *Claudian.* 1. I. *Cons. Stilich.* 384. Hæc omnes veterum revocavit adorea laudes. *Placidi Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. Tom.* 3. *p.* 429. Adorea laus de adore, id est laus bellica. *Et p.* 1. 32. Adoria gloria vel bona fama.

ADŌREUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

ADŌREUS, a, um, adject. (ador) ad ador pertinens, vel ex adore constans. — a) Tamquam mere adjectivum. *Cato R. R.* 83., *Varro* 1. *R. R.* 9. 4. et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 74. Far adoreum. *Cato R. R.* 34. 2. et *Colum.* 2. 6. 1. Adoreum semen. *Varro* 5. *L. L.* 137. *p.* 53. *Müll.* Adoriæ falces. *h. e.* secando adoreo aptæ. Sed rectius cum aliis *Müllerus* legit *arboriæ*. *Virg.* 7. *Æn.* 109. adorea liba per herbam Subjiciunt epulis. *h. e.* liba ex farre, addito melle et oleo, sacris apta, ut *Servius* docet. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 10. Jam bellaria adorea pluebant. *h. e.* dona missilia, quibus et frumentum quandoque imperatores populo largiebantur. Ultima syllaba in *adorea*, ob duarum consonantium concursum *pl*, in voce subsequenti producitur. — b) *Adoreum*, *i*, n. substant. more. *Colum.* 2. *R. R.* 6. 1. Adorei genera quatuor: far quod appellatur clusinum, candoris nitidi; far vennuculum rutilum; atque alterum candidum; semen trimestre, quod dicitur halicastrum. Adde *ibid.* 2. 8. 5. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (163). In creta et rubrica et aquosiore agro serendum adoreum. Adde *ibid.* 8. 19. (81).

ADŌRIA. *V.* ADOREA.

ADŌRIO, ortum, ōrīre, a. 4. Est vetus ac parum usitata activa forma verbi depon. *adoriri*, quæ significat aggredi et occurrit tantum in *Nævio* apud *Priscian.* 8. *p.* 801. *Putsch.* Hectore proficiscente, tunc ipsos adoriant. Hinc Participio *adortus* passive usus est *Aurelius* apud *Priscian.* 8. *p.* 791. *Putsch.* Ab his Gallos adortos, et insidiis plurimos necatos. *Nonnulli* legunt etiam apud *Flor.* 2. 6. Adorta urbs. *ubi alii rectius* adorata. *V.* ADORO 5.

ADŌRIOR, ōriris, ortus sum, ōriri, dep. 4. (ad *et* orior). Part. *Adoriendus.* Grammatici duplicem secundam personam indicativi præsentis afferunt *adorēris*, et *adorīris*, duplicemque tertiam *adorītur*, et *adoritur*. Nos *adorītur* adhuc solummodo legimus apud *Lucret.* 3. 510. (514). Commutare animum quicumque adoritur, et infit; et *Lucil.* apud *Priscian.* 10. *p.* 880. *Putsch.* Conturbare animam potis est, quicumque adoritur. Ex quo etiam *adorīris* confirmatur: *adorēris* vero et *adorītur* ex analogia tantum probari possunt; nam simplex *orior* habet *orĕris*, et *orĭtur*, et compositum *exorior*, *exorĭtur*. — Perf. *adorsus sum* a *Cicerone* et *Cæsare* de industria evitatum esse videtur: a MSS. autem Codicibus raro exhibetur, ut apud *Virg.* 6. *Æn.* 397. et 7. *ibid.* 386. et apud *Gell.* 9. 2. aliosque, semperque significat incipere, aggredi aliquid; plerique enim Codices et melioris quidem notæ *adortus sum* legunt: hinc haud recte nonnulli, ut *Drakenborg.* ad *Liv.* 35. 51. 8., hujusmodi Perfectum et verbum *adordior* restituere conati sunt; nuper enim *C. Benecke* in *Præfat.* ad *Corn. Nep. p.* 30., *Forcellini* sententiam secutus, cum Præsens *adordior*, tum Perfectum *adorsus* in dubium omnino revocavit. — Adorior autem proprie est quasi repente orior, sive ex latibulis, aut insidiis exsilio, et repente invado, aggredior, teste *Donato* ad *Ter. Andr.* 3. 1. 21. Adortus dicitur, qui ex insidiis repente invadit, dictum ab eo, quod corpora aggredientium exsurgunt subito atque increscunt. Et ad *Adelph.* 3. 3. 50. Aggredimur de longinquo, adorimur ex insidiis et ex proximo. Nam adoriri est quasi ad aliquem oriri, id est exsurgere (It. *assalire*, *assaltare*; Fr. *attaquer*, *assaillir*; Hisp. *atacar*, *embestir*; Germ. *sich an Jemandem machen*, *ihn angreifen*; Angl. *to attack*, *assail*, *invade*). ¶ 1. Proprie occurrit *adoriri aliquem*, et significat aliquem verbis aut vi aggredi, invadere, ita tamen ut ipsa latebrarum atque inimicitiæ significatio semper servetur. — a) Generatim. *Ter. Heaut.* 4. 5. 9. Cesso hunc adoriri? *h. e.* verbis adoriri, alloqui. *Id. Phorm.* 4. 2. 15. Si ab eo nil fiet, tum hunc adoriar hospitem. *Nep. Lys.* 3. 2. Primum Delphos corrumpere est conatus. Cum id non potuisset, Dodonam adortus est. *Ter. Adelph.* 3. 3. 50. Adortust jurgio fratrem apud forum de psaltria istac. *Tac.* 1. *Ann.* 31. Adoriri aliquem minis. *Id.* 14. *Ann.* 52. criminationibus. *Curt.* 10. 2. 12. ferocius quam alias. Adde *Lucilium* apud *Priscian.* (*V.* supr.). *Cic.* 4. *Verr.* 14. 37. Auctor est, ut – hominem id ætatis, minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 7. Adoritur advenientem canis. — b) Speciatim de hostili armatorum aggressione; etiam absolute. *Cic. Sext.* 37. 79. Inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum atque fustibus. *Id. Mil.* 10. 29. Adoriri aliquem a tergo. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. equis incitatis impeditos. *Nep. Eum.* 9. 6. imprudentes. *Id. Conon.* 4. 4. Hos Conon adortus, magno prœlio fugat. Adde eumd. *Dat.* 6. 6. et *Ages.* 4. 1.; et *Curt.* 4. 15. 21., 7. 6. 18. et 8. 12. 3. *Curt.* 4. 2. 24. incompositos. *Tac.* 4. *Ann.* 45. aliquem ex improviso in itinere. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 90. et *Nep. Hann.* 11. 4. navem. *Liv.* 1. 53. urbem vi. *Id.* 7. 29. arcem. *Tac. Agric.* 25. castella. — Absolute. *Auct. B. Afric.* 69. Labienus Afraniusque, cum omni equitatu levique armatura ex insidiis adorti, agmini ejus extremo se offerunt. *Liv.* 37. 41. 9. justâ pugnâ adoriri. — c) Cum abstractis. *Liv.* 21. 11. Oppugnatio eos aliquanto atrocior, quam ante, adorta est. *Id.* 21. 28. 3. Jam satis paventes – terribilior ab tergo adortus clamor. ¶ 2. Item *adoriri aliquam rem* sæpe occurrit, et est ad ipsam assurgere, eam aggredi, incipere, conari. — a) Cum Accusat. *Cic.* 13. *Att.* 22. 4. Hoc quoque ipsum continuo adoriamur. *Id.* 16. *ibid.* 2. 6. Ἡρακλείδειον, si Brundisium salvi, adoriemur. *h. e.* scribere incipiemus. *Id.* 2. *ad Herenn.* 4. 7. Occasio quæritur, idonea ne fuerit ad rem adoriendam. *Virg.* 7. *Æn.* 386. et *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 16. majus adorta nefas. — b) Cum Infinito, præsertim apud Historicos. *Lucret.* 3. 516. (514). *V.* supr. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 205. Ne convellere adoriamur ea, quæ non possint commoveri. *Catull.* 62. (61). 11. Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus. *Virg.* 6. *Æn.* 397. Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti. *Nep. Thrasyb.* 2. 5. Hanc (*Munychiam*) bis tyranni oppugnare sunt adorti. *Id. Dion.* 6. 1. Fortuna sua mobilitate, quem paullo ante extulerat, demergere est adorta. Adde *Liv.* 2. 52., 3. 44., 26. 3. et alibi; *Curt.* 3. 1. 6., 9. 4. 6.; *Gell.* 9. 2.; *Apul. Florid.* n. 9. et 23. aliosque recentiores.

ADŌRIŌSUS, a, um, adject. (adoria) gloriosus. *Gloss. Labbæi* ex *Festo.* Adoriosus ἀνδρεῖος. *V. Müll.* ad *Paul. Diac. p.* 3.

ADORNĀTĒ, adverb. (adornatus) idem quod ornate, vel valde ornate, *ad* enim auget (It. *ornatamente*; Fr. *élégamment*; Hisp. *elegantemente*; Germ. *auf eine zierliche Weise*; Angl. *elegantly*). *Sueton. Rhetor.* 6. Declamare splendide atque adornate. *quibus opponuntur* circumcise ac sordide.

ADORNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ADORNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* orno). Part. *Adornatus* in omnibus paragraphis; *Adornandus* II., sed dubia lect. — Adornare proprie est generatim parare, instruere (It. *preparare*, *ordinare*, *assettare*; Fr. *préparer*, *disposer*, *apprêter*; Hisp. *preparar*, *disponer*, *aprestar*; Germ. *zurecht machen*, *in Stand setzen zu etwas*; Angl. *to prepare*, *put in order*).

I.) Proprie occurrit — a) Speciatim de iis, quæ ad utilitatem parantur atque instruuntur: etiam absolute, sequente *ut* aut Infinito. *Plaut. Epid.* 5. 1. 9. Adornare viaticum ad fugam. *Id. Cas.* 2. 6. 67. et *Aulul.* 2. 1. 35. nuptias. *Ter. Eun.* 4. 4. 6. fugam. *Cic. Mur.* 22. 46. Ut idem accusationem et petitionem consulatus diligenter adornet atque instruat. *Id. Cluent.* 6. 18. Adornare testium copiam. Et *ibid.* 67. 191. Ad illa est et inventa et adornata comparatio criminis. *Liv.* 10. 38. Eodem conatu apparatuque omni opulentia insignium armorum bellum adornaverant. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Pompejus naves magnas onerarias adornabat. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. Italiæ duo maria maximis classibus firmissimisque præsidiis adornavit. *Liv.* 7. 10. Juvenem armatum adornatumque adversus Gallum producunt. *Tac.* 12. *Ann.* 13. Equi venatui adornati. — *Plaut. Rud.* 4. 6. 2. Adorna, ut rem divinam faciam. *Ter. Eun.* 3. 5. 34. Continuo hæc adornant, ut lavet. *Plaut. Epid.* 5. 2. 25. Tragulam in te injicere adornant. — b) Item speciatim de iis, quæ ad speciem, venustatem etc. instruuntur atque ornantur. *Cic.* 3. *Verr.* 22. 58. Vidi forum comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu. *Liv.* 8. 14. Adornare rostris navium suggestum. *Id.* 1. 20. aliquem insigni veste et curuli regia sella. *Curt.* 5. 9. 1. Armis quanto maximo cultu possumus adornati. *Id.* 3. 5. 4. Loricas alias auro, alias argento adornare. *Id.* 8. 8. 16. arma auro argentoque. *Id.* 3. 3. 13. Hastæ argento adornatæ. *Et supra:* Tunicæ gemmis adornatæ. *Sueton. Aug.* 29. Adornare urbem monumentis. *Id. Tib.* 43. cubicula tabellis et sigillis. *Id. Calig.* 45. Arbores – in modum tropæi adornatæ.

II.) Translate. *Liv.* 28. 42. Si nobilitas ac justi honores (eum) adornarent. *Cic.* 11. *Fam.* 14. Lætor mea consilia a te probari de adornando adolescente. *h. e.* honore afficiendo. *Plerique tamen alit. leg.* ornando. *Vellej.* 2. 122. Adornare triumphum – Germania debuit. *Id.* 2. 2. Tantis adornatus virtutibus. *Id. ibid.* 121. Adornati præcipuis donis viri. *Plin.* 1. *Ep.* 8. 15. Adornare benefacta sua verbis. *Tac.* 1. *Ann.* 52. Multaque de virtute ejus memoravit, magis in speciem adornata verbis, quam etc. *Quintil.* 7. 1. 47. Legem leviter adornare. *h. e.* verbis.

ADŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et oro). Part. *Adorans*, *Adoraturus* et *Adorandus* 3.; *Adoratus* in omnibus ferme paragraphis. — Proprie est aliquem alloqui, vel aliquem aliquid rogare alloquendo (It. *parlare a*, *domandare*; Fr. *adresser la parole à*, *demander*; Hisp. *enderezar la palabra a*, *demandar*; Germ. *anreden Jemanden oder redend angehen*; Angl. *to speak or talk to any one*). ¶ 1. Propria significatione et quidem anguste sumpta raro occurrit, et tantum apud antiquissimos aut recentiores auctores. *Servius* in *Virg.* 10. *Æn.* 677. Adorare veteribus est alloqui. *Leg. XII. Tabul.* apud *Fest. p.* 162. 19. *Müll.* SI ADORAT FVRTO, QVOD NEC MANIFESTVM ERIT. *h. e.* si quis de furto apud judicem queritur, sive causam agit. Hinc *Paul. Diac. p.* 19. 5. *Müll.* Adorare apud antiquos significabat agere, unde et legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt. *Apul.* 2. *Met.* 29. Suscipit ille de lectulo et imo cum questu populum sic adorat. *Id.* 3. *ibid.* 3. Populum sic adorat. ¶ 2. Hinc apud optimæ notæ Scriptores est precari, supplicare, præsertim potentes et numina: occurrit autem *adorare aliquem*, et *adorare aliquid*. — a) *Adorare aliquem* cum Accusativo personæ tantum. *Liv.* 38. 43. Quos adorent, ad quos precentur et supplicent, Ambraciensibus non superesse. *Virg.* 2. *Æn.* 700. Affatur deos et sanctum sidus adorat. *Id.* 10. *ibid.* 677. In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro) Ferte ratem. *Id.* 3. *ibid.* 437. Junonis magnæ primum prece numen adora. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 4. superos prece. *Id. Heroid.* 10. 141. Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro. — Cum Accus. et personæ et rei. *Liv.* 6. 12. Cum hostia cæsa pacem deum adorasset. — Sequente *ut*. *Liv.* 21. 17. Adorati di, ut bene ac feliciter eveniret etc. Adde 7. 10. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 55. Hanc ego, non ut me defendere tentet, adoro. *Propert.* 1. 4. 27. Maneat sic semper, adoro. — b) *Adorare aliquid* occurrit hoc sensu tantum apud *Stat. præf. l.* 3. *Silv.* Quem (*Herculem*) in littore tuo consecratum, statim ut videram, his versibus adoravi. *Id. præf. l.* 4. *Silv.* Primo – septimum decimum Germanici nostri consulatum adoravi. *Id.* 6. *Theb.* 663. concessit cetera pubes Sponte, et adorato rediit in gloria disco. *h. e.* salutato. ¶ 3. Hinc adorare, sublata verborum seu precum significatione, est venerari, honorare, præcipue numina, quod Græcis erat προσκυνεῖν: habitus autem adorantium erat, ut dexteram ad os referrent et totum corpus circum agerent, testibus *Liv.* 5. 21., *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (25). (*V.* infra § 5.) et *Apul.* 4. *Met.* 28.; cum autem corpus circum agerent, id summa religione observabant, ne sinistrorsum converterent; erat enim id mali ominis: hinc porro facta vox *dextratio*, quam suo loco videsis. *Plaut. Curc.* 1. 1. 69. Quo me vertam, nescio. PA. Si deos salutas, dextrovorsum censeo. *Plin.* tamen *loc. nuper cit.* notat, veteres Gallos religiosius putasse in lævam se convertere. *V.* et *Sueton. Vitell.* 2. *Ovid.* 3. *Met.* 18. Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat. *Id.* 3. *Fast.* 881. Janus adorandus. *Id. ibid.* 48. adorantem destituitque Numam. *Plin. Paneg.* 52. In delubra nonnisi adoraturus intras. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (62). Large deos (*ture*) adorare. *Juvenal.* 15. 2. adorare crocodilon. *Id.* 14. 97. Nil præter nubes et cœli numen adorat. — Hac ferme significatione occurrit etiam cum Dativo apud *Vulgat. Interp. Deuter.* 26. 10. Et adorato Domino Deo tuo. Et *Vulgat. Ital.* ed. *Mai. Ps.* 80. 10. Non erit in te Deus recens, nec adorabis Deo alieno. Et *Ps.* 96. 7. Qui adorant sculpti-

libus. *Et alibi sæpe.* ¶ 4. Hinc est etiam maxima veneratione admirari, venerari magnique æstimare. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Crescit profecto apud me certe tractatu ipso admiratio antiquitatis, quantoque major copia herbarum dicenda restat, tanto magis adorare priscorum in inveniendo curam, in tradendo benignitatem subit. *Quintil.* 10. 1. 88. Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus. *Juvenal.* 13. 148. veteris qui tollunt grandia templi Pocula adorandæ rubiginis. *Stat.* 12. *Theb.* 816. nec tu divinam Æneida tenta, Sed longe sequere et vestigia semper adora. ¶ 5. Imperatorum temporibus ex Oriente Romam invectus est mos, ut Cæsares deorum ritu, de quo supra § 3., adorarentur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (25). In adorando dexteram ad osculum referimus totumque corpus circum agimus. *Sueton. Vitell.* 2. C. Cæsarem adorari ut deum constituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato circumvertensque se, deinde procumbens. Adde *Apul.* 4. *Met.* 28., *Minuc. Fel.* 2. 5. et *Hieronym. advers. Rufin.* 1. 5. *Justin.* 12. 7. Non salutari, sed adorari se jubet. *h. e.* Alexander, qui more Persarum regum adorari se voluit: mos autem is erat a Romano diversus, ut *Curt.* 6. 6. docet. *Tac.* 1. *Hist.* 36. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgus, jacere oscula. *Sueton. Ner.* 12. Coronam a judicibus ad se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit. *Id. Calig.* 14. Adorare Cæsarum imagines. *Lucan.* 6. 243. Magnus adorato submittat Cæsare signa. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Elephanti regem adorant, genua submittunt. Cf. *Martial. Spect.* 17. *Ammian.* 21. 9. Adorare purpuram principis. *h. e.* principem adire, quod qui faciebant, dextera manu purpuream ejus vestem contingentes ori admovebant: quod sæpe occurrit in *Cod. Theod.* — Huc pertinet etiam illud *Flor.* 2. 6. 46. *de Hannibale:* Itaque fugit et cessit, cum Urbem tantum non adoratam reliquisset. *h. e.* adeo cupitam et exoptatam, ut pæne adoraverit, seu proximus salutaverit. *Al. leg.* adortam. — NB. *Adoravi* pro *hortatus sum* legitur apud *Cic. Arch.* 11. 28. inter *Fragm.* edita ab *A. Maio.* p. 124. *edition.* 2. Hunc ad perficiendum adoravi. *Vet. Scholiast. ibid.* Hoc verbum adoravi significat cohortatus sum; adoravi autem orare et petere significat. *Sed tamen unus tantummodo Cod.* hanc lectionem exhibet, quam *Scholiast. Bob.* quocumque modo interpretari conatus est; quæque propterea parvi admodum est facienda.

ĂDORSUS, a, um. *V.* ADORIO et ADORIOR.

ĂDORTUS, a, um. *V.* ADORIOR.

ĂDOSCŬLOR, āris, ari, dep. 1. idem ferme quod osculor. *Dictys Cret.* 2. 51. Manus adosculari, contingere genua.

ADPANGO, ADPARAMENTUM et alia ADP incipientia. *V.* APPANGO, APPARAMENTUM, APP. Hic tamen notandum videtur

ADPASCO, is, ere, a. 3. idem ferme ac pasco, a quo et præp. *ad* componitur *Auct. Itin. Alex. M.* ed. *Mai.* 75. Silphio facile adpasci oves floris ejus esu et usu frugis et radicium delectatas, ajunt.

ADPATULUS. Falsa lectio pro *patulus*, quæ occurrit in *Varr.* 6. *L. L.* 3. ed. *Bipont.* V. *Scaliger. in Conjectan. ad p.* 76.

ADPERIRE pro *deperire*, ut *adperire aliquem amore*, affertur a quibusdam ex *Plauto*. Verum nobis invenire non datur.

ADQUE, pro atque mutato t in *d*, sæpe scriptum legitur in Vet. monumentis, ut in *Cenotaph. Pisano* L. Cæsaris, et in *Inscript.* apud *Grut.* 337. et 412. 3. et 4. *V.* plura apud *Noris. in Cenotaph. Pisan. dissert.* 4. c. 2. § 2.

ADQUĬESCO, ADQUĪRO, et his similia ADQ incipientia. *V.* ACQUIESCO, ACQUIRO, ACQ.

ADQUO adverb., sed parum usitatum, cujus loco apud optimos Scriptores usuvenit eadem significatione *quoad*, quam voc. *V.* (It. *sino a quanto, sino a qual segno*; Fr. *combien, jusqu'à quel point*; Hisp. *hasta quanto*; Germ. *bis wie weit, bis wohin*; Anglic. *as far as, as much as, how far*). *Afranius* apud *Non.* p. 76. 7. *Merc.* Ut scire possis, adquo te expediat loqui. *Id. ibid.* Ni tantum amarem talem tam merito patrem, Iratus essem adquo liceret.

ADRACHNĒ, es, f. 1. ἀδράχνη. Scribitur et *andrachne*. Est arbor silvestris, bifera, in montibus nascens, similis unedoni, folio tantum minore, et nunquam decidente, præsertim in cacumine; cortice non scabro quidem, sed qui circumgelatus videri possit: tam tristis aspectu est. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 40. (120)., 16. *ibid.* 21. 33. (80). et 17. *ibid.* 24. 37. (234). Cl. *Fée* (*Op. cit. Tom.* 1. *p.* 128. et seq.) hanc proponit Synonymiam: Ἀνδράχνη *Theophr.* 7. 3. et *Gal. de Fac. simpl.* 6. 43.; Χοιροβότανον *Favorin.*; Andrachne *Colum.* 10. 358.; Portulaca et Porcastrum *Latinorum*, est Portulaca oleracea *L.*

ADRĀDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (ad *et* rado). Part. *Adrasus* sæpius occurrit. Est radere incipio, radere aggredior, rado (It. *incomincio a radere, rado, accorcio*; Fr. *râcler, enlever en râclant, rogner*; Hisp. *raer, cercenar, acortar*; Germ. *anschaben, ankratzen, anscheeren*; Angl. *to scrape or shave away, to cut, slit*).

I.) Proprie. *Plautus* apud *Varr.* 6. *L. L.* p. 68. p. 147. *Müll.* Scobina ego illum actutum adraserim. — Ponitur autem præcipue de hominum barba et capillis, necnon de arborum ramis ac frondibus, et est tondere, accidere, et verbo *abradere* opponitur. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 49. Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra. *Vetus Scholiast.* ad *h. loc.* recte *prætonsum* interpretatur. *Petron. Satyr.* 32. Trimalchio pallio coccineo adrasum excluserat caput. *Colum. de arbor.* 7. 2. Reliquam partem, quæ continens matri, adradito, ne supervacua sarmenta procreet. Et *ibid.* 3. Reliquas (*gemmas*), quæ in terram absconduntur, – fac adradas. Et *ibid.* 8. 4. Undique adrasos surculos inserimus. *et alibi sæpe. Plin.* 17. *Hist. nat.* 19. 30. (138). Adrasum cacumen.

II.) Translate. *Plin.* 2. *Ep.* 12. 1. Ἀκίφανον illud –, nescio an satis circumcisum, tamen et adrasum est. *h. e.* prætonsum est ac decurtatum. *Al. tamen aliter leg.*

ADRĂPĬDUS, a, um, adject. idem quod rapidus, vel valde rapidus. *Gell.* 12. 5. Febri simul adrapida afflictari. *h. e.* pulsu motuque cordis perquam celeri. Plerique rectius leg. *rapida.*

ADRARRHĪZĂ, æ, f. 1. herba, quæ aliter aristolochia vocatur. *Apul. Herb.* 19.

ADRĀSUS, a, um. *V.* ADRADO.

ADRECTĀRĬUS, a, um. *V.* ARRECTARIUS.

ADRECTUS, a, um. *V.* ARRIGO.

ADRELICTĬCĬUS, a, um, adject. (ad *et* relinquo) idem ac relictus. *Inscript.* apud *Grut.* 87. 12. Sacrum adrelicticium ex testamento. *Sed tamen aliter legendum videtur.*

ADRĒMĪGO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* remigo) remis aliquo versus feror. — I.) Proprie. *Flor.* 1. 18. 4. Adremigantem littori classem vident. *Id.* 3. 7. 3. Cretes portibus suis adremigaverunt. — II.) Translate. *Patric. Epithalam. Ausp. et Æll.* 30. Ventilat (*Venus*) afflatu cælum, zephirisque remissis Mulcet agros, lenique astris adremigat aura.

ADRĒPO, pis, psi, ptum, pere, n. 3. (ad *et* repo). Part. *Adrepens* et *Adreptus* I. Est ad aliquid repo, reptando accedo (It. *accostarsi strisciando*; Fr. *s'avancer en rampant, ramper ou se glisser vers*; Hisp. *arrastrar por la tierra*; Germ. *heranekriechen*; Angl. *to creep to or towards, steal softly to*).

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 7. 3. Ne mus aut lacerta qua adrepere ad columbaria possit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (98). Ad matris mammam adrepens infans. *Id.* 11. *ibid.* 18. 19. (62). Rubetæ adrepentes foribus. *Seren. Sammon.* 37. 705. genistæ Adreptos caules avidoque liquore madentes Sumere conveniet. *Id.* 52. 778. Ergo age, et adreptam salicis frondemque librumque Cum vino tere. *Val. Max.* 6. 8. 7. Servus lateri voluntarius comes adrepsit.

II.) Translate est sensim, aut clam se inferre. *Cic.* 3. *Verr.* 68. 158. Quibus rebus non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore totum hominem totamque ejus præturam possederat. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 47. leniter in spem Adrepe officiosus. *Tac.* 1. *Ann.* 74. Occultis libellis sævitiæ principis adrepit. *Id.* 3. *Ann.* 50. Non virorum animis, sed muliercularum adrepit.

ADREPTO, are, n. 1. verb. frequent. ab adrepo et est omni conatu sensim adrepere et accedere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (109). Pinxit nobiles Bacchas adreptantibus Satyris. *Cod.* tamen *Bamb.*, fortasse rectius, legit *obreptantibus.*

ADREPTUS, a, um. *V.* ARRIPIO.

ADREPTUS, us, m. 4. (adrepo) actus repandi ad aliquid. *Vet. Scholiast.* ad *Germanici Arat.* v. 173. Taurus per pelagus Sidonem venit, ibique Europam inter æquales suas ludentem in templo Æsculapii conspexit, eamque repentino adreptu collocatam suo tergo devexit ad Jovem in insulam Cretam. Hæc cl. *Furlanetto* in *Append.* 1.; sed *arreptu* ab *arripio* rectius mihi legendum atque interpretandum videtur.

ADRESPONSUM. *V.* RESPONSUS.

ADRĬA, ADRĬĀNUS, ADRĬĀTĬCUS et similia. *V.* HADRIA, HADRIANUS, HADRIATICUS, etc.

ADRĪDEO, ADRIGO, ADRĬPĬO, ADRĪSIO, ADRĪSOR. *V.* ARRIDEO, ARRIGO, ARRIPIO, ARRISIO, ARRISOR.

ADRŌDO. *V.* ARRODO.

ADRŎGANS. *V.* ARROGO.

ADRŎGANTER, ADRŎGANTĬA, ADRŎGĀTĬO, ADRŎGĀTOR, ADRŎGO. *V.* ARROGANTER, ARROGANTIA, ARROGATIO, ARROGATOR, ARROGO.

ADRŌRO, as, are, a. 1. (ad *et* ros) instar roris aspergo (It. *leggiermente irrorare*; Fr. *arroser légèrement*; Hisp. *regar ligeramente*; Germ. *wie mit Thau benetzen*; Angl. *to besprinkle as it were with dew, to bedew*). *Marcell. Empir.* 34. Adrorare herbam vino. *Gargil. Mart. de Pers.* ed. *Mai.* p. 397. ossa (*persicorum*) leniter aquâ.

ADRŌSOR. *V.* ARROSOR.

ADRŌSUS, a, um. *V.* ARRODO.

ADRŪMĀVIT rumorem fecit, sive commurmuratus est, quod verbum quidam a rumine, id est parte gutturis, putant deduci. *Paul. Diac.* p. 9. 14. *Müll.* Vocabulum hoc confirmant *Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. Tom.* 8. p. 56. A d r u m a r e, rumores referre. Adde *ibid.* p. 497.

ADRŬO, is, ere, a. 3. (ad *et* ruo). *Adruere terram* est eam versando aliquo impellere et adaggerare. *Varr.* 1. *R. R.* 35. Violaria in fundo facere non est utile, ideo quod necesse est terra adruenda pulvinos fieri. *Al. perperam leg.* e terra ad ea obruenda.

ADSALUTO, as. Verbum e Lexico expungendum, occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 105.

ADSCALPO, ADSCENDO et cetera ADSC incipientia. *V.* ASCALPO, ASCENDO, ASC.

ADSELLO, ADSĪBĪLO, ADSŎLEO et similia ADSE, ADSI et ADSO incipientia. *V.* ASSELLO, ASSIBILO, ASSOLEO, ASSE, ASSI, ASSO.

ADSPECTO et similia ADSP incipientia. *V.* ASPECTO, ASP.

ADSTĀTUS, pro *hastatus* legitur in *Inscript.* optimæ notæ apud *Grut.* 347. 1. P. AELIO P. F. PAPIR. MARCELLO CENT. FRVM. SVBPRINCIPI PEREGRINORVM ADSTATO ET PRINCIPI ET PRIMIPILO LEG. VII. GEM. PIAE FEL.

ADSTERNO et similia ADST incipientia. *V.* ASTERNO, AST.

ADSUCTUS et similia ADS incipientia. *V.* ASSUCTUS, ASS.

ADTEGRĀRE et similia ADT incipientia. *V.* ATTEGRARE, ATT.

ADUBERO, as. Verbum e Lexico expungendum, occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 129.

ĂDŪLĀBĬLIS, e, adject. (adulor). Occurrit tantum translate, et est — ¶ 1. Qui adulatione et blanditiis moveri potest. *Ennius* apud *Non.* p. 155. 30. *Merc.* Huic est animus propitiabilis atque adulabilis. *Al. minus recte leg.* adolabilis. ¶ 2. Item cum adulatione factus animisque facile adrepens. *Ammian.* 14. 11. Adulabili sermone seriis admixto. *Id.* 31. 12. Adulabilis quorumdam sententia.

ĂDŪLANS, antis. *V.* ADULOR.

ĂDŪLANTER adverb. (adulor) adulatorie, cum adulatione, sed translata significatione. *Fulgent. Contin. Virg.* p. 153. Vanæ laudis appetitus falsa in se adulanter ingesta velut propria reputat.

ĂDŪLĀTĬO, ōnis, f. 3. (adulor) proprie est canum blandimentum, quod caudæ aliorumque membrorum motibus et sonis effertur (It. *carezze de' cani*; Fr. *caresses des chiens*; Hisp. *caricias de los perros*; Germ. *das liebkosende Anschmiegen von Hunden*; Angl. *the fawning of dogs*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de canibus. *Non.* p. 17. 3. *Merc.* A d u l a t i o est blandimentum proprie canum, quod et ad homines tractum consuetudine est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Canum vero tam fida custodia tamque amans dominorum adulatio. — *b*) De aliis animalibus, et de homine quoque erga belluas. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (104). *de columbis:* Exosculatio et circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 5. Tum demum ad alligatos boves – placide et cum quadam vocis adulatione venito.

II.) Translate. ¶ 1. Est adoratio more Persarum in reges suos. *Liv.* 9. 18. de *Alexandro*: Referre in tanto rege piget mutationem vestis et desideratas humi jacentium adulationes, etiam victis – graves, nedum victoribus. Cf. *eumd.* 30. 16. 4. et 42. 30. 4., *Curt.* 8. 6. et *Senec.* 4. *Quæst. natur. præf.* ¶ 2. Item est turpis animi abjectio, qua quis ad aliorum, præcipue potentiorum, non modo sensum et voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur, ac præsertim in laudando nimius est (It. *adulazione*; Fr. *adulation, flatterie basse et servile*; Hisp. *adulacion*; Germ. *die kriechende und erniedrigende Schmeichelei*; Angl. *flattery, adulation*). *Cic. Amic.* 25. 91. Sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditias, assentationem. *V.* Homonym. in fine verbi ADULOR. *Curt.* 4. 7. 26. Vates in adulationem compositus. *Id.* 8. 5. 6. Perniciosa adulatio. *Quintil.* 11. 1. 30. submissa. *Tac.* 1. *Ann.* 14. placens. *Id.* 3. *ibid.* 57. fœdissima. *Sueton. Aug.* 53. Adulationes indecoræ. *Plin. Paneg.* 41. avaræ. *Tac.* 15. *Ann.* 59. lœtæ adversus Neronem. *Id.* 11. *ibid.* 21. Tristis adulatio adversus superiores. *Id.* 1. *ibid.* 13. Adulatio patrum in Augustum. — Hinc *Quintil.* 2. 15. 25. Adulationem autem medicinæ vocet coquorum artificium. *h. e.* fallacem, fucatam, pseudo-medicinam: hæc ex *Plat. Gorg.* 464. *B.* desumpta Græcum κολακείαν reddunt.

ĀDŪLĀTOR, ōris, m. 3. (adulor II. 2.) assentator (It. *adulatore*; Fr. *flatteur bas et rampant*; Hisp. *adulator*; Germ. *der Schmeichler, Speichelecker*; Angl. *a flatterer*). *Cic.* 4. *Herenn.* 21. 29. Nolo esse laudator, ne videar adulator. *Quintil.* 12. 10. 13. Adulatores potentiæ. *Sueton. Vit.* 1. Adulatores imperatoris. *Hieronym. Ep.* 22. ad *Eustoch.* n. 2. Adulator blandus inimicus est. Adde *Trebell. Claud.* 3.

ĀDŪLĀTŌRIĒ, adverb. (adulator) cum assentatione, adulatorum modo. *Augustin. Ep.* 148. Si perfunctorie atque adulatorie res agatur. *h. e.* partium studio.

ĀDŪLĀTŌRIUS, a, um, adject. (adulor II. 2.) ad adulationem pertinens, adulatoris proprius (It. *adulatorio*; Fr. *qui sent l'adulation*; Hisp. *lisonjero*; Germ. *den Schmeichler betreffend*; Angl. *flattering*). *Tac.* 6. *Ann.* 32. Exemplar apud posteros dedecoris adulatorii habetur.

ĀDŪLĀTRIX, īcis, f. 3. (adulator) assentatrix, quæ adulatur (It. *adulatrice*; Fr. *flatteuse*; Hisp. *lisonjera*; Germ. *die Schmeichlerin*; Angl. *a female flatterer*). *Trebell. Claud.* 3. Adulatrices externæ gentes. *Tertull. Anim.* 51. Non reliquiis animæ adulatrix, sed etc.

ĀDŪLĀTUS, a, um. *V.* ADULO et ADULOR.

ĀDŬLESCENS, ADULESCENTIA et his similia. *V.* ADOLESCENS, ADOLESCĔNTIA, etc.

ĀDŪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Vocis etymon est omnino incertum. *Paul. Diac.* p. 21. 11. *Müll.* docet, hoc verbum factum esse per metathesin ab *adludo*: nam canes adulantes accedunt, et adludunt dominis. At *Lennep.* ad *Sanctii Minerv.* p. 400. putat ex ἡδὺς *dulcis, placens*, Dorice ἁδύς, sive ἀδύς, esse ἄδυλος, hinc *adulo*, vel *adulor*, ut *æmulus*, ab αἱμύλος: sed illud videtur obstare huic etymo, quod secunda syllaba in *adulo* longa est, cum in ἄδυλος brevis esse debeat. Alii deducunt ab *adolare*, quod pro *adorare* a Tertulliano usurpatum affirmant (*V.* ADULOR II. 3.): alii dictum putant pro *adorulari*; *Perottus* compositum ait ab *ad* et *aula*. — Part. *Adulatus* et *Adulandus* II. 2. — Adulo autem est voce aut gestu blandior; diciturque de bestiis, ac præcipue de canibus, corporis gesticulatione et caudæ motu alicui blandientibus (It. *far carezze*; Fr. *caresser*; Hisp. *halagar, acariciar*; Germ. *anstreicheln*; Angl. *to caress, soothe*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1068. (1069). *de canib.* Longe alio pacto gannitu vocis adulant. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. *de Prometheo ab aquila lacerato* (*vertit autem hos versus ex* Æschilo: *neque audiendus est* Nonius, *qui p.* 17. 10. Merc. *Accio* tribuit): Tum jecore opimo farta, et satiata affatim Clangorem fundit vastum, et sublime advolans Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem. *h. e.* lætatur nostro sanguine. *Turneb. l.* 2. *c.* 9. ita exponit: avolans aquila tractu caudæ veluti blandiens, vulnus perstringendo deterget, et quodammodo nostrum sanguinem adulatur; quod et adulantes canes faciunt, ut caudam agitando blande contingant dominum. Sed *Baumgarten* ad *Sueton. Aug.* 9. putat, hic pro *adulat* legendum *stillat*, ita ut ex ST factum fuerit AD, ex ILL vero VL; quod maxime probandum videbatur cl. *Furlanetto* in I. *Lexici Append.* Nobis vero nihil mutandum videtur, ratione quoque habita locorum, quæ n. II. 1. sequuntur.

II.) Translate. ¶ 1. De flumine ponitur et significat alludere. *Avien. Descr. Orb.* 338. Utque Syenen Cærulus accedens diti loca flumine adulat, Nomine se claro Nilum trahit. *Id. ibid.* 571. Hinc sacer Alpheus flumen trahit, et vagus æquor Influit Eurotas: Pisanos alter adulat, Alter Amyclæas celeri secat agmine terras. Cf. *Stat.* 9. *Theb.* 324. *de Crenæo per Ismenum fluvium vadente*: Lætus adulantem nunc hoc, nunc margine ab illo Transit avum. ¶ 2. De hominibus est idem ac assentari (It. *adulare*; Fr. *flatter*; Hisp. *lisonjear*; Germ. *schmeicheln*; Angl. *to flatter*). *Val. Max.* 4. 3. *extr.* 4. Idem – cum olera ei lavanti Aristippus dixisset: *Si Dionysium adulare velles, ista non esses*: *Immo*, inquit, *si tu ista esse velles, non adulares Dionysium. Apul.* 5. *Met.* 98. Fraudem vultu tegentes sic adulant. *Auson. Gratiar. act.* 5. Adulare centuriae. Adde *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 19. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 258. 2. CVMQVE PATER MATERQVE DEIS PRO ME ADVLARENT. *h. e.* mihi conciliarent. — Apud optimos Scriptores occurrit tantum passive. *Cic.* 1. *Off.* 26. 91. Cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus. *Cassius Hemina* apud *Priscian.* 8. p. 791. *Putsch.* Adulatique erant ab amicis et adhortati. *Val. Max.* 2. 7. 15. Quo tempore tam angusto tamque gravi etiam tribunus militum adulandus erat.

ĀDŪLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Frequentius occurrit quam *adulo*, a quo factum est, eadem tamen significatione, quam, una cum interpretatione, ibi videsis. — Part. *Adulans* in omnibus paragr. et in fin.

I.) Proprie ponitur de canibus aliisque animalibus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. Quod illi (*mites canes*) furem quoque adulantur. *Gell.* 5. 14. *de leone*: Caudam more adulantium canum blande movet. *Ovid.* 11. *Met.* 45. perque ferarum Agmen adulantum media procedit ab aula. *Id. ibid.* 257. Quin etiam blandas movere per aera caudas, Nostraque adulantes comitant vestigia (*lupi, ursæ etc.*).

II.) Translate. ¶ 1. De iis, qui ritu Persarum humi prostrati potentes adorant. *V.* ADULATIO II. 1. *Liv.* 30. 16. Ubi in castra Romana et in prætorium pervenerant, more adulantium (accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt. *Val. Max.* 4. 7. *ext.* 2. Hephæstionem – more Persarum adulata tamquam Alexandrum salutavit. *Id.* 6. 3. *ext.* 2. Regem adulari. *Tertull. Jejun.* 16. *ad med.* Qui in idolis ad singulas horas salutandis adulantur. ¶ 2. Sæpius ponitur pro assentari, sive, ut ait *Cic. Amic.* 25. 91., ad alterius non modo sensum et voluntatem, sed etiam vultum atque nutum converti; præsertimque in laudando nimium esse. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic. Amic.* 26. 99. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Adde *Quintil.* 9. 2. 104. *Tac.* 4. *Hist.* 49. Adulandi libido. *Seneca* 2. *Clement.* 2. Maluerim veris offendere, quam placere adulando. — *b*) Cum Accus. *Cic. Pis.* 41. 99. Horrentem, trementem, adulantem omnes videre te volui: vidi. *Quidam leg.* omnibus. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 6. Adulari atque admirari fortunam alicujus. *Liv.* 23. 4. Adulari plebem. *Alii minus recte leg.* affari. *Id.* 45. 31. Adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum. *Tac.* 16. *Ann.* 19. Adulari Neronem, aut Tigellinum. Adde 1. *ibid.* 32. *Justin.* 8. 4. Adulari sordidam clientelæ suæ partem. — *c*) Cum Dativo. *Nep. Att.* 8. 6. Adulatus est Antonio. *Liv.* 36. 7. Præsentibus adulando semper. *Curt.* 4. 1. 19. Adulari singulis. *Quintil.* 9. 3. 1. monet sua ætate usitatius fuisse cum Dativo usurpare. ¶ 3. Pro *colere* usurpatur non semel a *Tertulliano*. Hoc autem sensu docent Etymologi, ductum esse ab antiquo et obsoleto *olo, as*, quod olim pro *orare*, seu *adorare* usurpatum fuisse putant: ex quo factum esse *adolo*, et *adulor*. *Tertull. Pall.* 4. *ad fin.* Adulari Æsculapio. *Id. advers. Psych.* 11. Non tantum obsequi Domino debeo, sed et adulari. Adde 19. Hinc derivata putantur *adolabilis* pro *adorabilis*, *adolatio* et *adolo* pro *adoratio* et *adoro*: quæ *V.* suis locis.

Adulans, antis, est etiam Adject., cujus exstat Comp. *Plin. Paneg.* 26. *V.* Homonym. in fin. *Tertull. advers. Marcion.* 1. 27. Quid adulantius quam delicta non exsequi?

Homonym. *Adulari* et *assentari* proprie differunt. *Assentatur* enim qui idem, quod alius, verbis affirmat, quoniam animo ita sentit: qui vero *adulatur*, animi abjectione sæpissime adducitur, ut aliter dicat quam sentiat. Sed quoniam, ait cl. *Döderlein* (*Latein. Synonym. Tom.* 2. p. 174.), aliud frequentativum verbum deerat, quod malam assentandi significationem notaret; factum est, ut *assentator* et *adulator* unum idemque significarent. *Velle*j. 2. 102. Nec defuit conversatio hominum vitia ejus assentatione alentium; etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio. *Plin. Paneg.* 85. Amicitiæ in locum migraverant assentationes, blanditiæ. — Item *blandiri* si quid mali significat, differt ab *adulari*: qui enim *blanditur* et qui *adulatur* alterius gratiam et favorem æque sibi captare conantur; sed ille per animi lenitatem externaque amoris signa, hic vero per animi abjectionem apertaque inhonestæ venerationis signa: qui *adulatur* totus est in servili animi abjectione, qui *blanditur* molliter contrectando et palpando alicui placere studet, ac propterea aut amabilitatem præsefert aut, si quando in pejus ruit, studium propriæ utilitatis ostendit: *adulatio* per se timida est et aliis fastidium creat, *blanditiæ* per se acrius instant atque alios comiter alliciunt. Hinc recta gradatione utitur Galba apud *Tac.* 1. *Hist.* 15. Irrumpet adulatio, blanditiæ. *Plin. Paneg.* 25. Labor parentibus erat ostentare parvulos, impositosque cervicibus adulantia verba blandasque voces edocere. Et *Popma* haud immerito ait: Adulamur gestu, assentamur verbis, blandimur utroque.

ĀDULTER, ĕri, m. 2., et **ĀDULTERA**, æ, f. 1., et **ĀDULTER**, ĕra, ĕrum, adject. — Nonnulli deducunt ab ἠδυλίζω, unde ἠδυλισμός, συνουσία, et ἠδυλίσαι, συνουσιάσαι *Hesych.*: sed præstat etymon *Paul. Diac.* p. 22. 1. *Müll.*, quod ipsi sequimur: Adulter et Adultera dicuntur, quod et ille ad alteram et hæc ad alterum se conferunt. *Isid.* 5. *Orig.* 27. 13. etymon hoc confirmat *V.* ADULTERIUM. *Papinianus* tamen in *Dig.* 48. 5. 6. § 1. aliud proponit etymon a v. *adolesco* et ejusdem part. *adultus*, quod nec spernendum, nec rejiciendum; ait enim: Proprie adulterium in nuptam committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine. *h. e.* propter ipsam nuptam adultam sive auctam ab altero.

I.) Substantive. ¶ 1. Adulter est alienæ conjugis corruptor; adultera quæ cum alio viro præter maritum concumbit (It. et Hisp. *adultero, adultera*; Fr. *adultère*; Germ. *der Ehebrecher, die Ehebrecherin*; Angl. *an adulterer, an adultress*). *Cic.* 2. *Catil.* 4. 7. Quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor juventutis – inveniri potest? Adde *eumd.* 2. *Fin.* 9. 27., *Ovid. Heroid.* 20. 8. et *Rem. am.* 161. *Cic. Sext.* 17. 39. Adulter sororis. *Tac.* 3. *Ann.* 24. Adulteros filiæ ac neptis punivit. *Et mox.* Silanus in nepte Augusti adulter. *Ovid.* 2. *Art. am.* 637. Nominis adulter. *h. e.* qui alienæ conjugis corruptorem se jactat, quamvis reapse non sit. *Id.* 1. *Amor.* 10. 1. Adulter callidus. *Horat.* 3. *Od.* 21. 20. nitidus. *Stat.* 5. *Silv.* 58. fraternus. *Lamprid. Elagab.* 26. Mimicis adulteris, quæ solent simulato fieri, effici ad verum jussit. — *Ovid.* 10. *Met.* 346. Adultera patris. *Horat.* 3. *Od.* 3. 25. Jam nec Lacænæ splendet adulteræ Famosus hospes. *Quintil.* 5. 11. 39. Cato nullam adulteram non eamdem esse veneficam dixit. Adde *eumd.* 5. 11. 104. et *Tac.* 14. *Ann.* 1. ¶ 2. Per catachresin dicitur et de brutis animalibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (13). Odore pardi coitum sentit in adultera leo. *Grat. Cyneg.* 164. Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter In stabulis. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 304. cum forte leænæ Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter. ¶ 3. Item de arboribus insitis. *Manil.* 2. 22. Atque arbusta vagis essent quod adultera pomis. ¶ 4. Interdum adulter latius usurpatur pro quocumque impudico amatore. *Horat.* 3. *Od.* 16. 1. Inclusam Danaen turris aenea Robustæque fores munierant satis Nocturnis ab adulteris. *Id.* 1. *ibid.* 36. 19. nec Damalis novo Divelletur adultero. ¶ 5. Interdum adulter sumitur et pro adulteratore. *V.* ADULTERO II (It. *falsificatore*; Fr. *falsificateur*; Hisp. *falsificador*; Germ. *der Verfalscher*; Angl. *one who adulterates*). *Cod. Theod.* 1. 7. 3. Adulter monetæ. *Id.* 9. 21. 2. Adulter solidorum.

II.) Adjective. ¶ 1. Est ad adulterium, sive ad alieni tori violationem pertinens. *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 5. Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est

Horat. 1. *Od.* 15. 19. *de Paride:* adulteros Crines pulvere collines. *Solin.* 27. Adulter partus. ¶ 2. Item est falsus, adulteratus, corruptus; et de pluribus ponitur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 643. Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 37. (114). Minium adulterum. *Apul.* 10. *Met.* 9. nummus. *Prudent. Hamartig.* 217. Tunc lolium lappasque leves per adultera culta Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus. *h. e.* zizaniis repleta.

ĂDULTĔRA, æ. *V.* voc. præc.

ĂDULTĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (adultero II.). Occurrit tantum translate, et est corruptio simplicis et sinceræ rei, admixtione deterioris et vilioris, ita ut in alteram immutetur (It. *adulterazione, falsificamento;* Fr. *altération, falsification;* Hisp. *alteracion;* Germ. *die Verfälschung;* Angl. *adulteration*). *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (32). Probatio croci sinceri, si imposita manu crepat, veluti fragile: humidum enim, quod evenit adulteratione, cedit. *Id. in lemmatis ante l.* 2. *ad l.* 12. *n.* 19. *Vol.* 1. *p.* 49. *ed. Sill.* In omnibus odoribus aut condimentis dicuntur adulterationes, experimenta, pretia.

ĂDULTĔRĀTOR, ōris, m. 3. (adultero II.) Occurrit tantum translate, et est qui adulterat et corrumpit aliquid (It. *adulteratore, falsificatore;* Fr. *falsificateur;* Hisp. *falsificador;* Germ. *der Verfälscher;* Angl. *one who adulterates*). *Cod. Theod.* 11. 21. 1. Adulteratores – monetæ capitalis animadversio persequatur. Adde *Claud. Saturnin. Dig.* 48. 19. 16. § 9.

ĂDULTĔRĀTUS, a, um. *V.* ADULTERO.

ĂDULTĔRĪNUS, a, um, adject. (adulter) ad adulterium pertinens (It. et Hisp. *adulterino;* Fr. *adultérin;* Germ. *ehebrecherisch;* Angl. *adulterous*).

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (11). Liberi adulterino sanguine nati. ¶ 2. Eodem sensu ponitur et de brutis animalibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (10). Pullus adulterinus et degener.

II.) Translate sumitur pro aliena et viliore re admixto, corrupto (It. *adulterato, falso;* Fr. *altéré, falsifié, faux;* Hisp. *falsificado, falso;* Germ. *nachgemacht, verfälscht, unächt*). *Plaut. Bacch.* 2. 3. 32. Adulterinus symbolus. *Cic. Cluent.* 14. 41. Testamentum signis adulterinis obsignare. Adde *Liv.* 40. 23. et 54. *Paul. Diac. p.* 28. 8. *Müll.* Adulterina signa dicuntur alienis anulis facta. *Cic.* 3. *Off.* 23. 91. Adulterinos nummos pro bonis accipere. *Sall. Jug.* 12. Adulterinæ claves. *V.* ADULTER II. 2. *Dig.* 47. 11. 6. § 1. stateræ. *Varro* 1. *R. R.* 40. 2. semina. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 38. (60). scammonium.

ĂDULTĔRĬO, ōnis, m. 3. Vox est usurpata a *Laberio* pro *adultero*, ut interpretatur *Non. p.* 70. 5. *Merc.*, quin tamen locum afferat; sed ibi *pro adulterio* legendum putamus, ut eamdem vocem exponit *Gell.* 16. 7. (ubi legendum est: Et *adulterionem* et *adulteritatem*, quæ pro adulterio), qui merito eam damnat, ut nimis licenter noveque fictam. Idem de voce *adulteritas* esto judicium.

ĂDULTĔRĪTAS, ātis, f. 3. *Laberius* apud *Gell.* 16. 7. *V.* voc. præced.

ĂDULTĔRĬUM, ii, n. 2. De etymo *V.* ADULTER. Adde *Isid.* 5. *Orig.* 27. 13. Adulterium est illusio alieni conjugii, quod quia alter alterius torum commaculavit adulterium nomen accepit. Hinc est alieni tori violatio (It. *adulterio;* Fr. *crime d'adultère;* Hisp. *adulterio;* Germ. *der Ehebruch;* Angl. *adultery*).

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus. *Quintil.* 7. 3. 10. Adulterium cum aliena uxore coire. *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 75. Stupra dico et corruptelas et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo. *Id. Senect.* 12. 40. Stupra vero et adulteria et omne tale flagitium etc. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 44. Labes adulterii. *Nep. Epam.* 5. 5. Suspicionem adulterii habere. *Cic.* 2. *Orat.* 68. 275. Deprehendi in adulterio. *Catull.* 67. 36. Cum quibus illa malum fecit adulterium. *Seneca* 2. *Rhet. Controv.* 11. et *Quintil.* 7. 3. 1. Adulterium committere. *Ulp. Dig.* 1. 12. 1. committere in alienam uxorem. *Vellej.* 2. 45. 1. Ob initum adulterium. *Sueton. Aug.* 69. Adulteria exercere. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (140). Vasa adulteriis cælata. *h. e.* cælatas adulteriorum imagines habentia. ¶ 2. Per catachresin dicitur de brutis animalibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (13). Adulteria non novere elephanti. *Id.* 10. *ibid.* 34. 52. (104). Columbis non nota adulteria. ¶ 3. Ponitur et de arboribus insitis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (8). Adulteria arborum. *h. e.* insitiones, quibus arbores alienos surculos accipere, et poma non sua gignere coguntur. Cf. ADULTER I. 3. *Manil.* 5. 266. Ut sit adulterio succorum gratia major.

II.) Translate ponitur de re quacumque, quæ rei deterioris et vilioris admixtione corrumpatur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (44). Adulteria mercis. *h. e.* adulterationes. *Id.* 14. *ibid.* 9. 11. (80). Adulterium mellis. *Id.* 9. *ibid.* 40. 65. (139). *adulteria naturæ* appellat varia medicamina, seu colores disparatos permixtos una ad conficiendum unicum colorem purpureum, aut conchylii. Et *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. Omnis corporis materia adulterio medicaminum deterior fit.

ĂDULTĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (adulter). Part. *Adulteratus* in omnibus paragr.; *Adulterandus* II. *a.* — Est autem adulterium committo, alienum virum, aut feminam corrumpo (It. *commettere adulterio;* Fr. *commettre un adultère;* Hisp. *adulterar;* Germ. *durch Ehebruch oder Unzucht schänden;* Angl. *to commit adultery*).

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus. — *a*) Cum Accus. *Sueton. Cæs.* 48. Ob adulteratam equitis Romani uxorem. *Id. Aug.* 67. Proculum mori coegit, compertum adulterare matronas. Adde eumd. *Cæs.* 6. Latius de populorum admixtione *Flor.* 2. 11. 3. Gallogræci – adulteratæ reliquiæ Gallorum. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 35. 128. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe est. *Quidam minus recte leg. adulterari, et deponenti forma dici putant.* Adulterare *enim legitur apud* eumd. *Cic.* 1. *Legg.* 16. 43. *Justin.* 43. 4. Mulier adulterare cum Græco adolescente solita. ¶ 2. Per catachresin ponitur et de brutis animalibus. *Horat. Epod.* 16. 32. Adulteretur et columba milvio. *h. e.* ineatur a milvio, passivum enim est verbum, minime vero deponens, ut quidam opinantur. cf. *Lucian. DD.* 22. 1. τράγος μοιχεύει αἶγα. Et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 9. 11. (27). Nidus adulteratus. *h. e.* in quo aliena ova, aut pulli foventur.

II.) Translate est corrumpere, et suam rebus simplicitatem adimere admixtione rei deterioris, ita ut ipsa in alteram mutetur, quemadmodum ait *Ovid.* 1. *Fast.* 373. *de Proteo:* Ille suam faciem transformis adulterat arte. *h. e.* Fr. *altérer.* Ponitur — *a*) De rebus physicis ac præcipue de nummis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 14. (28). Piper longum adulteratur Alexandrino sinapi. Adde 12. *ibid.* 12. 26. (43)., et 33. 7. 40. (118. et 121). *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (40). Laserpitium adulteratum. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (114). Nitrum sincerum facile resolvitur: adulteratum pungit. *Id.* 37. *ibid.* 3. 12. (51). Adulterandis gemmis. *Id.* 16. *ibid.* 40. 76. (206). Adulterare colorem. *Paul. Sent.* 5. 25. 1. nummos aureos, argenteos. *Inscript.* apud *Orell.* 5048. titulum. — *b*) Cum abstractis. *Cic. Amic.* 25. 94. Tollit enim (*simulatio*) judicium veri idque adulterat. *Id. Cæcin.* 26. 73. Adulterare jus civile pecunia. *Id. Partit.* 25. 90. Voluptas boni naturam fallaciter imitando adulterat. — *c*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 31. Adulterare eum ajebat rebus ceteris. *h. e.* omnia fallaciter agere.

ĂDULTĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. certa lectione occurrit tantum apud *Vulgat. Interpr. Jerem.* 7. 9. Furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter. *V.* voc. præced. I. 1. et 2.

ĂDULTUS, a, um. *V.* ADOLESCO.

ĂDUMBRĀTIM, adverb. (adumbratus) eo modo, quo pictores quadantenus aliquid exprimunt (It. *abbozzatamente, grossolanamente;* Fr. *en esquisse, en gros;* Hisp. *en bosquejo, en grueso;* Germ. *im Schattenrisse;* Angl. *faintly, slightly*). *Lucret.* 4. 362. Non tamen, ut coram quæ sunt vereque rotunda, Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur. *h. e.* non omnino et perfecte rotunda, ut etc.

ĂDUMBRĀTĬO, ōnis, f. 3. (adumbro). Ad litteram est alicujus corporis umbrarum descriptio; unde rudis et imperfecta rei descriptio aut imago (It. *abbozzatura, schizzo;* Fr. *esquisse;* Hisp. *bosquejo;* Germ. *ein Schattenriss;* Angl. *a sketching, tracing out faintly, rough sketch*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 1. 2. 2. Scenographia est frontis et laterum abscedentium adumbratio. *V.* ADUMBRO.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 29. 103. Nulla est enim in ullo genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus tamen et adumbratio. *Val. Max.* 7. 3. *ext.* 8. Profecisset aliquid tanti beneficii insidiosa adumbratio, nisi – mores fuissent notissimi. *h. e.* simulatio.

ĂDUMBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĂDUMBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et umbro). Part. *Adumbratus* I. 1. et in fin.; *Adumbrandus* I. 1. — Est umbram inducere (It. *adombrare, far ombra;* Fr. *ombrager;* Hisp. *sombrear, hacer sombra;* Germ. *etwas in Schatten bringen, beschatten;* Angl. *to shade, cover over, screen*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et stricto sensu. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 15. Palmeis tegetibus vineas adumbrabat. *Id.* 9. *ibid.* 7. 4. Adumbrare alvearia frondibus. *Id.* 11. *ibid.* 2. 61. Adumbrantur stramentis uvæ, ne caloribus exarescant. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Ac si etiam lucem animo contraria commoventem videbimus, erunt eorum oculi adumbrandi. *Petron. Satyr.* 105. Ut notæ quoque litterarum, non adumbratæ comarum præsidio, totæ ad oculos legentium accederent. — Nota singulare illud *Servii* in *Virg.* 10. *Æn.* 541. *Ingenti umbra tegit* secundum usum accipiendum, i. e. insultatione eum opprimit et adumbrat; ut superatos dicimus adumbratos. ¶ 2. Est etiam verbum pictorum, et significat quadantenus aliquid exprimere; non primis tantum lineis, ut vulgo interpretantur delineare. Est enim *adumbrare* Latinis, quod Græcis σκιαγραφεῖν, et *adumbratio*, σκιαγραφία, scilicet lineatio, quæ addit umbras, et oculis non modo lineas exhibet, sed expliciatiores etiam rerum species subjicit. Primum enim pictores lineamenta ducunt futuræ imaginis (quod ἰχνογραφία dicitur), deinde inducunt colores, quibus addunt umbras; et sic paullo expressiorem speciem exhibent, non tamen perfectam. Hæc igitur *adumbratio* est, cui postea accedit manus ultima, cum omnia ad exactam elegantiam exprimuntur et expoliuntur. *Val. Max.* 8. 11. *ext.* 7. Quod pictor adumbrare non valuit, casus imitatus est. *Quintil.* 7. 10. 9. Quis pictor omnia, quæ in rerum natura sunt, adumbrare didicit?

II.) Translate est, nisi perfecte, quocumque saltem modo aliquid persequi, describere, repræsentare, idque præcipue sermone; quo sensu interdum respondet verbo *imitari*, quod in altero membro occurrit. *Cic.* 5. *Fin.* 22. 61. Atque ea in optima quaque indole maxime apparent, in qua hæc honesta, quæ intelligimus, a natura tamquam adumbrantur. *Id.* 3. *Orat.* 47. 194. Qui non heroum veteres casus fictosque luctus vellem imitari atque adumbrare. *Id.* 3. *ibid.* 1. 16. Quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. *Id. Orat.* 14. 43. Excellentis eloquentiæ speciem et formam adumbrare. *Id. Dom.* 30. 80. Quid te desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? *Liv.* 33. 31. 1. Litteras inanes vana specie libertatis adumbratas esse. *Curt.* 10. 5. 14. Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari indecorum.

Adumbratus, *a*, *um*, præter allatas verbi significationes, peculiares quasdam translatas præsefert. Est enim ¶ 1. Descriptus, delineatus, non tamen perfecte expressus (It. *abbozzato;* Fr. *esquissé;* Hisp. *bosquejado;* Germ. *im Entwurfe gezeichnet, entworfen oder angedeutet;* Angl. *sketched, traced out or shadowed*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 75. Cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta ac formam. *Id.* 3. *Tusc.* 2. 3. Consectatur nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriæ. Est enim gloria solida quædam res et expressa, non adumbrata. *Id. Cæl.* 5. 12. Habuit enim ille permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. *Id.* 1. *Legg.* 22. 59. Quoniam principia rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias, animo ac mente conceperit. ¶ 2. Hinc adumbratum dicitur etiam id, quod specie tantum, non re ita est; quod imaginandi vi concipitur, nec tamen reapse existit. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 69. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam – penitus viderent, quonam gaudio complerentur, cum tantopere ejus adumbrata opinione lætentur? *Id. Amic.* 26. 97. In scena, id est in concione, in qua rebus fictis atque adumbratis loci plurimum est. *Id.* 5. *Verr.* 33. 77. Æschrio, Pipæ vir adumbratus. *h. e.* Pipæ vir reapse erat Verres, specie tamen videbatur Æschrio. *Id.* 2. *leg. Agr.* 12. 31. Comitia ad speciem et ad usurpationem vetustatis – adumbrata. *Id. Sull.* 18. 52. Adumbratum indicium filii. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta imperatorum celebrentur. *h. e.* ficta lætitia. *Petron. Satyr.* 126. Adumbrata inscriptio.

ĀDŪNĀTIO, ōnis, f. 3. (aduno cf. Gr. ἕνωσις) conjunctio, congregatio. Vox est *Cyprian. Ep.* 57. et 60. (*al.* 60. et 62.); *Diomed.* 1. *Putsch.*; *Cassiod.* 4. *Var.* 33. et 36., et 8. *ibid.* 8. et 31.; et *Boeth.* p. 952.

ĀDŪNĀTĪVUS, a, um, adject. (aduno) qui adunare solet. *Boeth. in Porphir. Dial.* 1. p. 27. Est igitur genus collectivum specierum suarum et quodammodo adunativum.

ĀDŪNĀTUS, a, um. *V.* ADUNO.

ĀDUNCĬTAS, ātis, f. 3. (aduncus) curvitas in acutum desinens. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Animalia cibum partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (97). et 10. *ibid.* 71. 91. (196).

ĀDUNCO, as, are, a. 1. (aduncus) interius in acutum curvare. *Paul. Diac.* p. 11. 8. *Müll.* Aduncantur quae ex diverso coacta faciunt anguli formam. *Al. tamen aliter leg.* Cf. *Gloss.* ed. *Mai. Class. Auct. Tom.* 8. p. 59. Aduncare curvare.

ĀDUNCUS, a, um, adject. (ad *et* uncus) acumen curvum habens unci modo, idque parte interiori; cui opponitur *reduncus* (*V. Plin.* infra) parte exteriori unci modo curvatus (It. *adunco, uncinato*; Fr. *crochu, recourbé*; Hisp. *ganchoso, adunco*; Germ. *vor - oder einwärts gebogen oder gekrümmt*; Angl. *crooked, hooked, curved*). *Ter. Heaut.* 5. 5. 18. et *Horat.* 1. *Sat.* 6. 5. Nasus aduncus. *V.* NASUS. *Cic. Cluent.* 48. 180. Serrula adunca ex omni parte dentium et tortuosa. *Id.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Corpuscula curvata et quasi adunca. *Id.* 2. *Tusc.* 10. 24. *vertens carmina Æschili:* Adunci ungues. *Ovid.* 10. *Met.* 550. dentes aprorum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 27. 45. (125). Cornua aliis adunca, aliis redunca. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 9. Adunca rostra. *Liv.* 1. 18 baculum. *Ovid.* 2. *Met.* 286. aratrum. *Id.* 2. *Fast.* 295. vomer. *Id.* 14. *Met.* 628. falx. *Id.* 13. *ibid.* 806. hami. *Id.* 1. *ibid.* 290. cymba. *Lucan.* 2. 183. navis. *Ovid.* 6. *Fast.* 196. magni praepes adunca Jovis. *h. e.* aquila adunco rostro.

ADUNDO, as, are. Vocabulum a Lexico expungendum; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 125.

ĀDŪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* unus). Part. *Adunatus.* Est idem ac congrego, in unum colligo (It. *adunare*; Fr. *assembler, reunir*; Hisp. *juntar, unir*; Germ. *zu Eins machen, in Eins bringen, vereinigen*; Angl. *to collect into one, unite*). *Justin.* 2. 12. 18. Cum adunata omnis classis esset. *Id.* 7. 2. 12. Gentes variorum populorum adunatae. *Id.* 15. 4. 22. Adunatis omnium sociorum copiis. *Pallad.* 3. *R. R.* 29. 1. Membra divisae partis adunare et vinculo constricta deponere. *Id.* 4. *ibid.* 10. 36. Adunatum germen. *Lactant. Mort. persecut.* 45. *extr.* Sparsi milites per diversas regiones fuerant, et adunari omnes angustiae temporis non sinebant. — *NB.* Putatur etiam *Cicero* hac voce usus 3. *Off.* 8. Turpitudinem videas adunatam. *Nonius* enim p. 238. 9. *Merc.* ita legit: ceteri autem omnes ex MSS. et editis *adjunctam* habent. Item qui *Livio* tribuunt 32. 30., male tribuunt, et verbo *adjungo*, quod legitimum est, injuriam faciunt.

ĀDURGEO, es, ere, a. 2. (ad *et* urgeo) idem quod urgeo, vel valde urgeo, premo (It. *spingere, premere*; Fr. *presser en poussant*; Hisp. *apremiar, apretar*; Germ. *andrücken*; Angl. *to pursue, press upon*). *Cels.* 7. 12. 1. Deus qui natus est in locum prioris, quotidie digito adurgendus, donec ad justam magnitudinem perveniat. *Horat.* 1. *Od.* 37. 16. Caesar ab Italia volantem (*Cleopatram*) Remis adurgens. *h. e.* persequens.

ĀDŪRO, ūris, ussi, ustum, ūrere, a. 3. (ad *et* uro). Part. *Adurens* I. 3. c.; *Adustus* in omnibus ferme paragr. et in fin.; *Adurendus* I. 2. — Est idem quod uro, seu potius urere incipio (It. *bruciare, scottare*; Fr. *brûler légèrment*; Hisp. *quemar ligeramente*; Germ. *anbrennen, sengen*; Angl. *to set on fire, scorch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de igne et caloris vi, et est cibos vel aliud coquere magis quam par est, ita ut aliquantum torrida fiant. *Ter. Adelph.* 3. 3. 71. Hoc salsumst, hoc adustumst, hoc lautumst parum. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 68. Panis adustus. *Et ibid.* v. 90. merulae pectore adusto. *Scribon. Comp.* 220. Medicamentum coquatur - moveaturque sine requie, ne aduratur. *Colum.* 12. *R. R.* 19. 5. Adurere mustum. Adde *ibid.* 20. 4. — Similiter de iis quae candenti ferro, aut fulmine tanguntur. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. Ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adureret. Adde 2. *Off.* 7. 23. *Liv.* 30. 22. Ignes caelestes multifariam orti adussisse complurium vestimenta dicebantur. *Ovid.* 4. *Fast.* 742. Et crepet in mediis laurus adusta focis. ¶ 2. Latiori sensu ponitur etiam de iis, quae igne consumuntur. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 77. Cum ad flammam se applicaverint, sine gemitu aduruntur. *Curt.* 6. 5. 28. Praecisae adustaeque manus. *Id.* 6. 6. 31. Aduritur dextra (*papilla*). V. *Adustum* infra. — Similiter apud Medicos adurere ponitur de vulneribus, quibus candentibus ferris medemur. *Cels.* 8. 2. Os eodem ferramento (*candenti*) adurendum. Adde 5. 26. 33. ¶ 3. Item de sole aliisve calore donatis, quae exsiccant et astringunt, quin tamen aliquid proprie consumetur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Ceram gallae carbonibus adurere ad sudorem usque. *Horat. Epod.* 5. 24. ossa - Flammis aduri Colchicis. *Curt.* 4. 7. 13. Ad haec sol omnia incenderat, siccaque et adusta erant omnia. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 1. 4. (19). Loca deserta et sole adusta. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 12. Adurere ungulas stercore. *Pallad.* 6. *R. R.* 15. 16. Adurere plantam calore stercoris. ¶ 3. Latissimo sensu ponitur de iis omnibus, quae adeo exsiccant, astringunt atque indurant, ut urere videantur. Hinc — *a*) De sole aeque ac frigore. *Virg.* 1. *G.* 92. Ne tenues pluviae rapidive potentia solis Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat. *Sidon.* 5. 528. Corpus adustum frigoris igne. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (216). Aduri arbores fervore, aut flatu frigidiore. *Ovid.* 14. *Met.* 763. Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat Poma. *Curt.* 7. 3. 13. Rigor insolitus nivis multorum adussit pedes. *Id.* 4. *Fast.* 918. Nec sic marmoreo pallet adusta gelu. V. *Adustum* in fin. *Pallad.* 10. *R. R.* 4. 2. Adurere glacie. Huc referri potest et illud *Petron. Satyr.* 109. *de senectute:* Nunc umbra nudata sua jam tempora moerent, Areaque attritis aret adusta pilis. *h. e.* glabra facta. — *b*) De corporum contactu, ac de intertrigine, qua corporis aliqua pars atteritur eroditurque, perinde ac admoto igne adusta. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (105) *de locustis:* Multa (*sata*) contactu adurentes. *h. e.* depopulantes. *Id.* 26. *ibid.* 15. 61. (218). Feminum attriti adurique equitatu notum est. — *c*) De iis, quae gustum acerrime pungunt. *Cels.* 5. 26. 31. Rodentia medicamenta et adurentia. Adde 6. 8. *Scribon. Comp.* 193. Ephemerum potum adurit quasi pipere manducato. — *d*) De luci, splendore, quod oculos perstringit et pungit. *Lucret.* 4. 330. Praeterea splendor, quicumque est acer, adurit Saepe oculos. — *NB.* Apud *Senec. Herc. Œt.* 1289. Sol adustus a nonnullis leg.; sed rectius lege adultus. Item apud *Propert.* 3. 9. 40. Una Philippeo sanguine adusta nota, *rectius leg. alii:* inusta.

II.) Translate metaphorâ ab igne tantummodo sumptâ. *Horat.* 1. *Od.* 27. 14. Quae te cumque domat Venus Non erubescendis adurit ignibus. Huc referri potest et illud *Cic.* 5. *Att.* 20. 8. Incendio Plaetoriano quod Sejus adustus est, minus moleste fero. *Orellius* tamen, *Ernestum* sequutus, legit *ambustus*.

Adustus, a, um, est etiam Adject., unde Comp. *Liv.* 27. 47. Notari oculis, si qui forte adustioris coloris ex recenti via essent. *h. e.* coloris, qui ad nigrum accedit, qualis rebus ambustis solet esse, aut hominibus multo sole faciem fuscam habentibus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 58. 59. (149). Lapis adusto colore. Cf. *Sil. It.* 8. 269. adustus corpora Maurus. *h. e.* a sole.

Adustum, i, n. 2., substantivorum more plur. num. occurrit. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 40. (119). Adusta sanantur cancri cinere. *h. e.* membra igne combusta. Adde 20. *ibid.* 8. 27. (71). *Cels.* 5. 27. *in fin.* Adustorum curatio. Item de frigore *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 25. (89). Leonis adipes sanant adusta nivibus. *subaudi* membra vel loca.

ĀDUSQUE *vel* Ad usque divisim, est *A*) Praepos. accus. et *B*) Adverb.; ponitur de continenti spatii extensione, atque idem est ac usque ad (It. *sino a*; Fr. *jusqu'à*; Hisp. *hasta*; Germ. *bis wohin*; Angl. *even to, as far as*).

A) Tamquam Praepos. accus. ponitur — *a*) De loco. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 96. via pejor ad usque Bari moenia piscosi. *Virg.* 11. *Æn.* 262. Atrides Protei Menelaus ad usque columnas Exsulat. *Solin.* 56. Ad usque Gades. — *b*) De tempore. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 97. Ad usque supremum tempus. *Messala Corvin.* p. 20. ad usque Julii Caesaris principatum. *Ammian.* 19. 1. Ad usque finem diei. — *c*) De rerum gradu generatim. *Tac.* 14. *Ann.* 58. Multa secutura, quae ad usque bellum exalescerent. *Gell.* 15. 2. Vini libidine ad usque ludibria ebriosus. *Apul.* 4. *Met.* 20. Risu - ad usque intestinorum dolorem redactus.

B) Tamquam Adverb. — *a*) De loco. *Ovid.* 4. *Met.* 20. Oriens tibi victus ad usque Decolor extremo qua tingitur India Gange. — *b*) Absolute. *Apul.* 2. *Met.* 26. Juvenem - ad usque deraso capite producit in medium. *h. e.* penitus, omnino: vel *supple* ad *usque cutem*.

ĀDUSTĬO, ōnis, f. 3. (aduro) actus adurendi (It. *abbruciamento, scottatura, bruciore*; Fr. *action de brûler, brûlure*; Hisp. *el acto de quemar, quemadura*; Germ. *das Anbrennen*; Angl. *a burning, scorching, parching, or scalding*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de igne. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (127). Adustio picis. ¶ 2. Latissimo sensu de iis omnibus, quae adeo exsiccant, astringunt, indurant, ut urere videantur. *V.* ADURO I. 3. — *a*) De igne aeque ac frigore. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (34). Ulcera frigore, aut adustione facta. *Id.* 20. *ibid.* 7. 27. 61. Adustiones sanat lactuca. — *b*) De adustione, quae attritu nimio fit in vitium insitione. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 25. (116). Nostra aetas correxit, ut Gallica uteretur terebra, quae excavat, nec urit: quoniam adustio omnia hebetat. — *c*) De morbo, qui a solis ictu, ut vulgo ajunt, sive ex nimia mora in sole et balneis oritur, Gr. σειρίασις. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 47. (135). Adustio infantium, quae vocatur siriasis. *Cael. Aurel.* 1. *Acut.* 2. Antecedentes inquiunt causas, ut vinolentiam, vel vigilias ac juges adustiones.

II.) Translate est ignominia. *Cassiod.* 3. *Variar.* 46. Nulla te ingeniscere probri adustione censemus, quem temporali volumus exilio detineri.

ĀDUSTUM, i. *V.* ADURO in fin.

ĀDUSTUS, a, um. *V.* ADURO.

ADUTOR, eris, usus sum. Est falsa lectio, quae occurrebat apud *Cat. R. R.* 67. 4., ubi legendum est *abusus eris. V.* ABUTOR.

ADVECTĪCĬUS, a, um, adject. (adveho) aliunde advectus (It. *condotto o portato d'altronde*; Fr. *importé*; Hisp. *conducido, extrangero*; Germ. *eingeführt*; Angl. *foreign, imported*). *Sall. Jug.* 48. Pecoris et mancipiorum praedas agere, caque mutare cum mercatoribus vino advecticio.

ADVECTĬO, ōnis, f. 3. (adveho) actus advehendi (It. *condotta, trasporto, importazione*; Fr. *transport*; Hisp. *transporte*; Germ. *die Herbeiführung, der Transport*; Angl. *carriage, conveyance*). *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (169). Famem longae advectionis a Brundisio compascere in Lucrino.

ADVECTO, as, are, a. 1. (*frequent. ab* adveho) omni conatu advehere. *Tac.* 6. *Ann.* 13. Rei frumentariae copiam advectare.

ADVECTOR, ōris, m. 3. qui advectat, vel advehit (It. *portatore*; Fr. *porteur*; Hisp. *portador*; Germ. *der herbeiführt*; Angl. *an importer*). *Plaut. Asin.* 2. 2. 92. Quomodo argentum intervortam et advectorem. *Al. tamen leg.* adventorem. *Apul. Florid.* 4. 21. Advectorem sibimet equum deligunt.

ADVECTUS, a, um. *V.* ADVEHO.

ADVECTUS, us, m. 4. (adveho) idem quod advectio. *Tac.* 4. *Hist.* 84. Haec de origine et advectu deae celeberrima.

ADVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. (ad *et* veho). *Advexe* pro *advexisse* dictum est a *Plaut. Merc.* 2. 2. 61.; et *Advexti* pro *advexisti* ab *eod. ibid.* 2. 3. 56. — Part. *Advectus* I. — Adveho autem est aliunde aliquid aut aliquem ad aliquem locum vebo, sive curru, equo et praecipue navi comporto, importo (It. *condurre, importare*; Fr. *voiturer, charrier*; Hisp. *acarrear, llevar*; Germ. *herbeifahren oder führen, herbeischaffen*; Angl. *to conduct, carry, to import from abroad, to convey*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 12. 51. Advexi (*frumentum*), exposui, vendo meum non pluris, quam ceteri. *Caes.* 1. *B. C.* 23. HS sexagies, quod advexerat Domitius atque in publicum deposuerat. *Auct. B. Afr.* 11. Advectis militum equitumque copiis rursus ad oppidum Ruspinam redit. *Liv.* 23. 41. Impositoque, quem secum advexerat, milite Romam navigat. *Id. ibid.* 34. Additis quinque navibus, quae advexerant captivos legatos. *Tac. Germ.* 9. Advehere religionem. *Val. Flacc.* 3. 68. aliquem humero. — *b*) Additis locis, unde et quo aliquid importatur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 35. Eamque invitam huc mulierem in Ephesum advehit. *Id. Merc.* 2. 3. 56. Ecquam tu advexti tuae matri ancillam Rhodo?

CHAR. Advexi. *Cic.* 3. *Off.* 12. 50. Advehere Alexandrea Rhodum magnum frumenti numerum. *Id.* 5. *Verr.* 74. 172. Cum ex iisdem agris frumentum ex decumis Romam mancipes advexissent. *Id.* 2. *Divinat.* 40. 84. Caricas Cauno advectas vendens. *Liv.* 42. 37. Corcyram peditum mille secum advehere. *Curt.* 6. 2. 15. Commeatus undique advecti. *Pers.* 5. 134. Saperdas advehe Ponto. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. (199). Venales trans mare advecti. — *c*) Cum Dat. personæ, ad quam aliquid importatur. *Plaut. Merc.* 2. 1. 37. Filius quam advexit meus matri ancillam suæ. *V.* supr. *eumd.* sub *b. Id. ibid.* 2. 2. 61. Advehere alicui aliquem dono. *Sueton. Ner.* 45. Alexandria navis nuntiabatur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.

II.) Translate. *Ovid. Heroid.* 5. 90. nec ultrices advehit unda rates. *Seneca Med.* 583. hibernos nebulosus imbres Auster advexit.

ADVEHOR, vĕhĕris, vectus sum, vĕhi, dep. 3. Quod recentiores deponenti forma, *Forcellinus* passiva eleganter usurpatum ait, cum sermo est de personis. — Est autem aliquo se conferre navi, curru, equo etc; quæ quidem verba interdum adjiciuntur. Occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 1. 2. 81. Istam nunc times, quæ advectast, ne illum talem præripiat tibi. *Virg.* 8. *Æn.* 11. Advectum Ænean classi. *Id.* 5. *ibid.* 864. Classis advecta. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 58. (200). Talemque Publium Lochium et Manilium Antiochum eadem nave advectos videre proavi. *Tac. Germ.* 2. Quia nec terrâ olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant. *Quintil.* 11. 2. 12. Duo juvenes equis advecti. — *b*) Additis terminis, unde quis advehitur et quo se confert sæpius cum Accus. et præp. *ad* aut *in*. *Plaut. Merc.* 2. 1. 35. Ascendi in lembum atque ad navim advehor. *Id. Trin.* 4. 2. 88. Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit. *Id.* 1. *Tusc.* 47. 113. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis. *Id.* 14. *Att.* 20. 1. E Pompejano navi in Luculli hospitium advehi. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 1. Cum ab Epidauro Piræeum navi advectus essem. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 58. Equo ad fluminis ripam advehi. *Sall. Jug.* 91. Marius paucis diebus Uticam advehitur. *Liv.* 6. 31. Ad ancipitem pugnam advehi. *Id.* 28. 2. Mago citato equo ad primum clamorem et tumultum advehitur. *Id.* 2. 47. In eam partem citato equo advectus. *Curt.* 4. 3. 11. Advehi in Asiam. — *c*) Cum Dat. personæ, ad quam quis se confert. *Varro* apud *Non.* p. 451. 16. *Merc.* Dixe regi Medeam advectam per aera in rheda anguibus. *Cic. in Pis.* apud *Quintil.* 8. 3. 21. Cum tibi tota familia sarraco advehatur. — *d*) Cum Accus. personæ, ad quam quis se confert, sine præpos. *Virg.* 8. *Æn.* 136. Dardanus – advehitur Teucros. *Tac.* 2. *Ann.* 45. Arminius equo collustrans omnia, ut quosque advectus erat, recuperatam libertatem ostentabat. *Id.* 5. *Hist.* 16. Exhortatio ducum non more concionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur.

ADVĒLĪTĀTĬO jactatio quædam verborum figurata ab hastis velitaribus. *Paul. Diac.* p. 28. 20. *Müll.* *V.* VELITATIO.

ADVĒLO, as, are, a. 1. (ad et velo) idem fermo quod velo (It. *velare*; Fr. *voiler*; Hisp. *velar*; Germ. *umhüllen*; Angl. *to veil*). *Virg.* 5. *Æn.* 246. advelat tempora lauro. *Lamprid. Commod.* 15. Panno purpureo nudos humeros advelans.

ADVĔNA, æ, inde ab origine est gen. masc., deinde sæpius tamquam Adjectivum usurpatum fuit fem. gen., immo neutr., testibus *Priscian.* 6. *p.* 677. et *Prob.* 2. *p.* 1439. et 1445. *Putsch.* Docet autem *Priscian. l. cit.* quæ in *a* desinentia neutro generi adjunguntur, figurate adjungi per ἀλλοιότητα (*h. e.* permutationem generis pro genere) ut *advena mancipium*. Hinc est gen. comm. — Componitur ex præp. *ad* et *venio*; et est qui non est civis, aut inquilinus, sed externus et aliunde advectus; cui opponitur *indigena* (It. *forestiere*; Fr. *étranger*; Hisp. *extrangero*, *forastero*; Germ. *der Ankömmling*, *wer von fernher irgendwo ankommt*; Angl. *a stranger*, *foreigner*).

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus. — *a*) Ut substantivum. *Ter. Heaut.* 1. 1. 44. Est e Corintho hic advena anus paupercula. *Pacuvius* apud *Priscian.* 4. *p.* 634. *Putsch.* Postquam defessus perrogitando advenas de natis neque quemquam invenit scium. *Cic.* 5. *Tusc.* 11. 34. Zeno Citticus, advena quidam et ignobilis opifex. *Liv.* 5. 35. Senones, recentissimi advenarum. *Curt.* 8. 2. 14. Quia ubertas terræ non indigenas modo detinet, sed etiam advenas invitat. — *b*) Ut adjectivum. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. DI ADVENAE. *Liv.* 4. 3. Reges advenæ. *Virg.* 9. *Ecl.* 2. possessor agelli. *Id.* 7. *Æn.* 38. exercitus. *Ovid. Heroid.* 9. 121. pellex. *Id.* 1. *Art. Am.* 175. amor. *h. e.* amica. ¶ 2. Dicitur etiam de irrationabilibus et inanimis. *Varro* 3. *R. R.* 5. 7. Volucres cum partim advenæ sint, ut hirundines et grues; partim vernaculæ, ut gallinæ ac columbæ. *Horat. Epod.* 2. 35. advena grus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 31. (61). Grues hiemis, ciconiæ æstatis advenæ. *Ovid.* 2. *Fast.* 68. Tibris advena. *h. e.* qui ab exteris regionibus affluit. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 495. ora Padi portusque relinquit Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus Æstuat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (104). vocat *advenam surculum*, qui alteri arbori per insitionem immittitur.

II.) Translate, præsertim si cum *peregrino* conjungatur, ponitur pro ignaro, quia advenæ parum sciunt res alieni loci. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 249. Ne in nostra patria peregrini atque advenæ esse videamur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 34. 94. Nos autem, qui hinc Roma veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenæ nominabamur. *Stat.* 8. *Theb.* 556. Tyrii juvenis non advena belli, Quamvis Cirrha domus. — *NB.* De *Advena* nomine servili *V.* ONOM.

ADVĔNĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad et veneror) idem ferme quod veneror, vel valde veneror (It. *venerare*, *riverire*; Fr. *révérer*, *vénérer*; Hisp. *reverenciar*, *venerar*; Germ. *verheren*; Angl. *to worship*, *venerate*). *Varro* 1. *R. R.* 1. 6. Adveneror Minervam et Venerem. *Sil. It.* 13. 704. Prosequiturque oculis puer adveneratus euntes.

ADVĔNĬENS, entis. *V.* ADVENIO.

ADVĔNĬENTĬA, æ, f. 1. (advenio) idem quod adventus. *Sisenna* apud *Non.* p. 161. 31. *Merc.* Occulte tacitique advenientiam cohortium præstolari occipiunt. *Sed incerta est lectio, alii enim leg.* advenientium.

ADVĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnire, n. 4. (ad et venio). Part. *Adveniens* I. *A.* et 2. *Adventurus* I. *B. b.* et 2. — Est ad locum aliquem venio, pervenio; cui opponuntur *proficiscor* et etiam *exeo* *V.* infra I. *A.* (It. *venire*, *arrivare*, *giungere*; Fr. *arriver*; Hisp. *llegar*, *arribar*; Germ. *ankommen*; Angl. *to come*, *come to*, *arrive*, *arrive at*).

I.) Proprie ponitur 1.) de hominibus aliisque animantibus, et 2.) interdum etiam de rebus inanimis. — 1.) De hominibus aliisque animantibus, et quidem — *A*) Absolute omnino, aut additis Adverbiis *per tempus*, *in tempore*, *opportune* etc. *Plaut. prol. Amph.* 32. Propterea pace advenio et pacem ad vos affero. *Ter. Eun.* 5. 5. 6. Salvom te advenisse gaudeo. *Id.* 3. 5. 8. Advenis modo? PA. Admodum. *Et ibid.* v. 6. Bene factum te advenisse. *Cic.* 6. *Att.* 3. 4. Est quiddam, advenientem non esse peregrinum atque hospitem. *Id. Cæcin.* 9. 35. Servo imperasse, ut in Cæcinam advenientem cum ferro invaderet. *Sueton. Ner.* 37. Neque adveniens, neque proficiscens. *Seneca Ep.* 114. Quæ advenientibus dabantur, exeuntibus dentur. — *Plaut. Men.* 1. 2. 30. Non potuisti magis per tempus advenire, quam advenis. Adde *Ter. Andr.* 4. 4. 44. *Plaut. Capt.* 4. 2. 56. In tempore advenire. *Ter. Andr.* 5. 6. 10. in ipso tempore. *Id. Heaut.* 1. 2. 5. opportune. *Id. Andr.* 3. 3. 1. optato. — *B*) Adjectis terminis, unde et quo quis advenit, et pluribus quidem modis. — *a*) Si agitur de termino a quo, cum Abiat. et præp. *a*, *ab*, *ex* aut Adv. *unde* etc. *Plaut. Stich.* 3. 2. 3. Nunc reviso, jamne a portu advenerit, ut eum advenientem meis dictis deliniam. *Ter. Hec.* 1. 2. 6. Unde hæc advenit? *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 57. Quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. *Lucret.* 6. 1102. procul a patria quicumque domoque Adveniunt. *Cic.* 1. *Herenn.* 9. 14. Advenire Athenis Megaram. *Virg.* 10. *Æn.* 345. Hic Curibus, fidens primævo corpore, Clausus Advenit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. *cum duplici Ablat.* Adsum atque advenio Acherunte vix viâ altâ atque arduâ. — *b*) Si agitur de termino ad quem, occurrit — Cum Accus. et præp. *ad* aut *in*. *Plaut. Capt.* 4. 2. 6. Cum ad forum advenero. *Id. Curc.* 1. 2. 55. et *Ter. Andr.* 2. 1. 10. Advenire ad aliquem. *Catull.* 101. 2. ad inferias. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 41. ad urbem. *Cic.* 11. *Phil.* 12. 30. in provinciam belli gerendi causâ. *Sueton. Cal.* 22. in urbem. — Cum Accus. sine præp. *Plaut. Amph.* 2. 2. 22. Credo adventurum domum noctu. *Accius* apud *Non.* p. 223. 2. *Merc.* Inde advenio montem Oetam, scruposam specum. *Virg.* 1. *Æn.* 388. Tyriam qui adveneris urbem. *Stat.* 5. *Theb.* 47. Unde hos advenias regno dejecta labores. — Hinc cum Supino. *Ter. Phorm.* 2. 3. 13. Me ultro accusatum advenit. *Id. ibid.* v. 41. Tentatum advenis. — Cum Adverb. loci *huc*, *illuc* etc. *Plaut. Rud.* 2. 6. 2. Ut rem divinam faciam, cum intro advenero. *Ter. Eun.* 3. 2. 48. Si forte huc advenerit. *Id. Andr.* 2. 2. 25. Cum illoc advenio, solitudo ante ostium. *Id. Hec.* 5. 4. 19. Quocumque adveneris. *Sueton. Cal.* 4. Quoties aliquo adveniret. — Cum Dat. personæ ad quam quis advenit, raro autem cum Dat. loci. *Plaut. Capt.* 4. 2. 56. O mihi – in tempore advenis. *Ter. Andr.* 5. 6. 10. Charine, in tempore ipso mi advenis. *Tac.* 1. *Ann.* 18. Properantibus Blæsus advenit. *Val. Flacc.* 5. 534. Cuperem haud tali vos tempore tectis Advenisse meis. *h. e.* in mea tecta. — 2). Ponitur interdum etiam de rebus inanimis, quæ ad aliquem locum perveniunt, aut feruntur. *Lucret.* 6. 164. (163). quia semper ad aures Tardius adveniunt (*tonitrua*), quam etc. *Id.* 4. 871. (872). Adveniens liquor. *h. e.* in stomachum. *Id.* 6. 233. (232). Adveniens calor. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 20. (37). Mare adveniens. *h. e.* æstus accessio ad littus. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 41. A quibus adveniat (*navis*) Miletida sospes ad urbem. *Sueton. Vesp.* 7. Advenere litteræ, fusas Vitellii copias nuntiantes.

II.) Improprie ponitur generatim de iis, quæ forte nobis obtingunt, ac speciatim de tempore, rerum eventibus, etc. *Sall. Jug.* 111. Amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram. *Liv.* 45. 19. 12. Quid attineret vim afferre rei (*h. e.* regno) sua sponte mox ad eum adventuræ? *Id.* 30. 21. 9. Adeo ne advenientem quidem gratiam homines benigne accipere, nedum ut præteritæ satis memores sint. *Plaut. Men.* 5. 2. 6. Nam res plurimas pessimas, cum advenit, affert (*senectus*). *Cæcilius* apud *Cic. Senect.* 8. 25. Edepol senectus, si nil quidquam aliud vitii apportes tecum, quom advenis, unum id sat est. *Cic.* 4. *Verr.* 15. 37. Interea dies adveniet. *Sall. Jug.* 113. Ubi dies advenit. *Catull.* 61. 37. Virgines, quibus advenit par dies. Adde *Liv.* 25. 3., et 29. 1., *Virg.* 7. *Æn.* 145. et 10. 11., *Tibull.* 4. 6. 19. aliique sæpissime. *Catull.* 64. 31. Quæ simul optatæ finito tempore luces Advenere. *Tac.* 4. *Hist.* 62. Advenit proficiscendi hora. *Id. Agric.* 11. Ubi advenere (*pericula*). *Cic.* 2. *Divinat.* 69. 142. Medici ex quibusdam rebus et advenientes et crescentes morbos intelligunt. *Lucret.* 3. 837. (836). Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit, Advenit id, quod eum de rebus sæpe futuris Macerat. *ubi advenit est* accedit. *Ovid.* 7. *Met.* 155. Somnus in ignotos oculos advenit.

ADVENTĪCĬUS vel adventitius, a, um, adject. (*advenio*). — ¶ 1. Adventicius est qui ad adventum pertinet. Hinc *Adventicia cœna*, quæ advenientibus peregre, aut cognatis, aut amicis lautior apparabatur, ὑποδεκτικὸν δεῖπνον, ἐπιδημητήριον. *Sueton. Vitell.* 13. Famosissima super ceteras fuit cœna ei data adventicia a fratre. *adventoria* dicitur a *Martial. præf. l.* 12. licet allegorice loquatur. *V.* ADVENTORIUS. ¶ 2. Item adventicius est qui aliunde quacumque ratione alicui advenit; et opponitur proprio, innato, insito (It. *avventiccio*, *veniticcio*; Fr. *adventice*; Hisp. *adventicio*; Germ. *was ausserordentlich dazukommt*, *also dazugekommen*, *von fremdher gekommen*, *fremd*; Angl. *adventitious*, *foreign*). Sæpe conjungitur cum *externo*, interdum etiam cum *assumpto*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Nec enim ille externus et adventicius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus. *Id.* 2. *Divinat.* 58. 120. Utrum censemus, animos per se ipsos in somniando moveri, an externa atque adventicia visione pulsari? *Id.* 5. *Fin.* 21. 59. Adjumentis externis et adventiciis uti. *Id. Top.* 18. 69. Innata atque insita (*anteponantur*) assumptis et adventiciis. *Id. fragm. pro Rabir. perduell.* 12. 33. Nullum adventicium, nullum extraneum malum est, quod insinuare in hanc rempublicam possit. *Id.* 6. *Verr.* 37. 61. Adventicium auxilium. *Id. pro leg. Manil.* 9. 24. Mithridates et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventiciis copiis juvabatur. *Id.* 3. *de republ.* 3. 5. Hæc a Socrate adventicia doctrina. *Id.* 3. *Orat.* 33. 135. Quid – M. Catoni, præter hanc politissimam doctrinam

transmarinam atque adventiciam, defuit? *Id.* 2. *de republ.* 4. 7. Importantur non merces solum adventiciæ, sed etiam mores. — *Pecunia adventicia* dicitur ea, quæ cuipiam advenit non ex propriis bonis, sed vel ex lucro, vel hereditate materna, maternive lateris, vel dono, aut legato, vel fortuito, vel denique quacumque alia externa ratione. *Cic.* 1. *Att.* 19. 4. Ut ager hac adventicia pecunia reciperetur. *h. e.* quæ, redactis in populi R. ditionem nationibus per Pompejum, ex novis vectigalibus exigebatur. *Id. Rabir. Post.* 17. 46. Si adventicia pecunia petitur ab eo, cui non sua redditur. Adde 2. *Invent.* 21. 64. *Liv.* 8. 28. Fructus adventicius crediti. *Varro* 1. *R. R.* 41. 3. Humor adventicius. *h. e.* aqua pluvia. *Id.* 3. *ibid.* 5. 7. Adventicium genus avium. *Seneca ad Helv.* 5. Adventiciæ res. — *Adventicia* dos est, quæ aliunde quam a patre, uxori accedit. *Ulp. Dig.* 23. 3. 5. *Adventicius casus*, qui aliunde, et extra rei, de qua agitur, naturam advenit. *Scævola Dig.* 40. 9. 6. Nec adventicii casus computandi sunt.

Adventicium, *ii*, substantivorum more occurrit tantum in adverbiali locutione *ex adventicio* apud *Senec. Consol. ad Marc.* 10. Quidquid est hoc, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria etc. Adde *Dig.* 45. 5. 28.

ADVENTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (*frequent. ab* advenio). Part. *Adventans* in omnibus paragr. Proprie est viribus omnibus advenire contendo, hinc etiam appropinquo (It. *approssimarsi*, *avvicinarsi*; Fr. *approcher*; Hisp. *acercar*; Germ. *anrüken*; Anglic. *to come frequently*, *approach*).

I.) Proprie ponitur 1.) de hominibus aliisque animantibus, et 2.) interdum etiam de rebus inanimis. — 1.) De hominibus aliisque animantibus occurrit — *A*) Absolute. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Multi alii adventant, quorum obscurat nomina. *Cic.* 4. *Att.* 17. 3. Adventare ac prope adesse jam debes. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Cæsar enim adventare jam jamque et adesse ejus equites falso nunciabantur. *Virg.* 6. *Æn.* 258. Adventante dea. Adde *Nep. Eumen.* 33., *Curt.* 3. 8. 10., 8. 2. 15. et alibi sæpe, et *Auct. B. Gall.* 8. 20. — *B*) Adjectis terminis a quo et ad quem quis adventat. — *a*) Terminus a quo raro admodum occurrit. *Curt.* 3. 7. 8. Adventare ex Macedonia. *Stat.* 8. *Theb.* 6. ab urna. — *b*) Sæpius adjicitur terminus ad quem, — Cum Accus. et præp. *ad* aut *in*. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 1. Nondum erat auditum te ad Italiam adventare. *Virg.* 11. *Æn.* 514. ad urbem. *Sall. Jug.* 28. Romam. *Tac.* 14. *Ann.* 32. in subsidium. *Virg.* 5. *Æn.* 428. sub ipsam finem. — Cum Accus. sine præp. *Tac.* 6. *Ann.* 44. Jamque multa manu propinqua Seleuciæ adventabat. *Ammian.* 14. 10. Barbaricos pagos adventans. — Cum Supino. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 24. Te id admonitum advento. — Cum Adverbiis loci. *Auct. B. Gall.* 8. 26. Quo cum adventaret. — Cum Dat. *Tac.* 6. *Ann.* 33. At qui Parthis adventabant, facile arcebantur. *h. e.* accedebant ad Parthos, jungendi se cum illis gratia. *Id.* 16. *ibid.* 23. Tiridates accipiendo Armeniæ regno adventabat. *Stat.* 11. *Theb.* 202. portis. — 2.) Interdum ponitur et de rebus inanimis. *Nep. Milt.* 7. 4. Miltiades timens, ne classis regia adventaret. *Ovid.* 12. *Met.* 64. Fecerat hæc notum Grajis cum milite forti Adventare rates. *Virg.* 4. *G.* 192. adventantes Euri.

II.) Improprie occurrit frequenter de tempore quod appropinquat, deque rerum eventibus quæ imminent. *Cic.* 1. *Orat.* 45. 199. Jam tempus adventat. Adde *Curt.* 3. 8. 20. *Sall. Jug.* 104. Ubi lux adventabat. *Cic. Senect.* 1. 2. Aut jam urgens, aut certe adventans senectus. *Id.* 1. *Tusc.* 40. 95. Si mors ante adventet, quam Chaldæorum promissa consecuti sumus. *Id.* 5. *ibid.* 19. 56. Morti jam ipsi adventanti paullum procedere obviam. *Liv.* 5. 33. Adventante fatali urbi clade. *Tac.* 4. *Hist.* 13. Cui (*reipubl.*) excidium adventabat. *Pseudo-Sall.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin.* Qua tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventarit. *Lucan.* 7. 49. Discrimina postquam Adventare ducum supremaque prœlia vidit.

ADVENTOR, ōris, m. 3. (advenio) advena, quilibet homo externus adveniens (It. *forestiere*, *avventore*; Fr. *étranger*, *hôte*; Hisp. *extraño*, *huesped*; Germ. *Fremder*, *Gast*; Angl. *a stranger*, *frequenter*). *Inscript.* apud *Grut.* 181. 1. C. AVRVNCEIVS COTTA COLONIS INCOLIS HOSPITIBVS ADVENTORIBVS SERVISQVE EORVM LAVATIONEM EX SVA PECVNIA GRATVITAM IN PERPETVOM DEDIT. Adde *ibid.* 444. 8. et *Inscript.* apud *Orell.* 2287. — Ponitur præcipue de iis, qui meretricum fornices, aut cauponam aliquam frequentant. *Plaut. Truc.* 1. 2. 2. Ad fores auscultato, atque asserva has ædes, ne quis adventor gravior abeat quam adveniat. *Id. ibid.* 2. 7. 55. Adventores meos ne incuses. *V.* et ADVECTOR. *Apul.* 10. *Met.* 21. Basiola adventorum nequantinummia. *Id.* 1. *ibid.* 9. Caupo deformatus in ranam adventores pristinos, in fæce submissus, officiosis roncis raucus appellat.

ADVENTŌRIA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

ADVENTŌRIUS, a, um, adject. (adventor) quod ad adventum pertinet, quod advenienti cuipiam offertur. *Martial. præf. l.* 12. Ne quid tamen et advenienti tibi ab urbe, et exigenti negarem, studui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoriā suā. Alludit *Martial.* ad adventiciam cœnam, quæ amicis advenientibus laute dari solebat. *V.* ADVENTICIUS 1. Ipse autem librum epigrammatum intelligit, quem cœnæ loco advenienti amico offert. *Caper* tamen *de verb. dub.* p. 2247. *Putsch.* hoc vocabulum improbat, ait enim: Adventicia cœna, non Adventoria. — NB. *Inscript.* apud *Murat.* 470. 9., in qua legitur *Hospitium adventorium*, corruptissime ibi allata, eadem est ac illa quæ accurate affertur in v. ADVENTOR.

ADVENTUS, a, um, particip. ab *advenio*, qui advenit. Loca adducta a *Palmerio tom.* 4. *Facis Crit. seu Lampadis Artium* p. 652. examinat *Vossius de Analog. l.* 4. *seu de Grammatic. l.* 6. *c.* 13. Prior locus est *Ter. Andr.* 5. 2. 3. Ego commodiorem hominem adventum ad tempus non vidi. Sed *Vossius* legit, *ego commodiorem hominem*, *adventum*, *tempus non vidi*. Alter locus est ejusdem *Phorm.* 1. 3. 2. Ubi in mentem ejus adventi venit. *h. e.* patris, qui advenit. Sed *Vossius* ait, *adventi* esse genit. substantivi *adventus* secundæ declinat. pro quarta: quod etiam *Priscian.* docuit 6. p. 712. *Putsch.* Tertius locus est *Sallust. Jug.* 96. Multo ante lucem adventum. Sed *Vossius* reperit, *multo ante lucis adventum*.

ADVENTUS, us, m. 4. verbale ab *advenio*. Genit. *adventi* pro *adventus* occurrit apud *Ter. Phorm.* 1. 3. 2. *V.* infra. — Est ipse adveniendi actus (It. *venuta*, *arrivo*; Fr. *arrivée*, *venue*; Hisp. *llegada*, *arribo*; Germ. *die Ankunft*; Angl. *a coming*, *an arrival*).

I.) Proprie ponitur 1) de hominibus aliisque animantibus, et 2.) interdum etiam de rebus inanimis. — 1.) De hominibus aliisque animantibus, deque hostilis etiam exercitus irruptione. — *a*) Absolute. *Ter. Phorm.* 1. 3. 2. Ubi in mentem ejus (*patris*) adventi venit. *Id. Andr.* 5. 2. 3. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi. *V.* vocem præced. *Pacuvius* apud *Non.* p. 178. 8. *Merc.* Belluarum ac ferarum adventus ne tætret loca. *Cic.* 12. *Att.* 50. Ut me levarat tuus adventus; sic discessus afflixit. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Horum (*militum nostrorum*) adventu tanta rerum commutatio facta est, ut etc. Adde 1. *B. C.* 18. *Cic.* 2. *de republ.* 3. 6. Nam terra continens adventus hostium non modo expectatos, sed etiam repentinos — ante denunciat. *Id. ibid.* 6. 11. In illa tempestate horribili Gallici adventus. Adde *Cæl.* apud *Quintil.* 4. 2. 124. et *Curt.* 3. 8. 24. *Liv.* 5. 39. Ut — in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo accesserant ad urbem. *Nep. Iphicr.* 2. 5. Nisi ejus adventus appropinquasset. *Cic. Pis.* 22. 51. *plur. num.* Quid dicam adventus meos? *Tac. Germ.* 2. Aliarum gentium adventibus et hospitiis. — *b*) Adjecto termino ad quem cum Accus. et præp. *ad* aut *in*. *Cic. Mil.* 19. 49. Nocturnus ad urbem adventus. *Id.* 1. *Phil.* 3. 7. Meus repentinus ad meos necessarios adventus. *Id.* 14. *Att.* 13. 2. D. Bruti adventus ad suas legiones. *Id.* 10. *ibid.* 8. 2. Ad Pompejum noster adventus. *Id. leg. Manil.* 5. 13. Adventus in urbes sociorum. *Liv.* 22. 61. 13. Consulis Romam adventus. *Id.* 31. 40. 10. Classis Romanæ adventus Oreum. — *c*) Sequente duplici Genit. In sexdecim nummis Hadriani apud *Eckhel. D. N. V. Tom.* 6. p. 492. et seqq. ADVENTVI AVG. (*h. e.* Augusti) AFRICAE, ALEXANDRIAE, ARABIAE, etc. *h. e.* ex Africa, Alexandria, Arabia etc. — 2.) De rebus inanimis. *Virg.* 11. *Æn.* 911. adventum pedum audivit. *Ovid.* 9. *Met.* 660. Adventus Favoni. *Sall. Jug.* 96. Multo ante lucis adventum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 58. (218). Adventu solis occultantur stellæ.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Nat. D.* 38. 105. Talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant; vos autem adventum in animos et introitum imaginum dicitis. *Id.* 3. *Tusc.* 14. 29. Adventus malorum. *Paul. Sentent.* 2. 21. *B.* § 1. Adventus nuptiarum.

ADVERBĔRO, as, are, a. 1. (ad *et* verbero) idem quod verbero, vel valde verbero (It. *battere*; Fr. *frapper*; Hisp. *cascar*; Germ. *anschlagen*; Angl. *to stricke*). *Stat.* 9. *Theb.* 686. auratis adverberat ungulibus armos.

ADVERBIĀLIS, e, adject. ad adverbium pertinens. *Charis.* 2. p. 182. *Putsch.* Duplices casus (*habent*) *sub*, *super* et *subter*, ut tamen *super* et *subter* adverbiales (*præpositiones*) sint. *h. e.* adverbii naturam induant. *Priscian.* 4. p. 619. *Putsch.* Nomina adverbialia. *h. e.* ab adverbiis derivata. *Id.* 2. p. 579. Adjectivum adverbiale. *h. e.* exgr. externus ab extra. Cf. *ibid.* p. 594. et 595.

ADVERBIĀLĬTER, (adverbium) more adverbii (It. *avverbialmente*; Fr. *adverbialement*; Hisp. *adverbialmente*; Germ. *nach Art eines Adverbs oder Nebenwortes*; Angl. *adverbially*). *Charis.* 2. p. 197. *Putsch.*, *Diomed.* 1. p. 303. et 403., *Priscian.* 10. p. 1012.

ADVERBĬUM, ii, n. 2. ἐπίῤῥημα, pars orationis indeclinabilis, quæ verbis adjicitur, eorumque vim implet atque explanat, ut *Priscian.* 5. 1003. *Putsch.* et *Diomed.* 1. p. 398. definiunt: dictumque est adverbium, quod *ad verba* adjungitur, et quod sine verbo adjuncto non potest habere plenam sententiam, ut *Priscian. ibid.* p. 1005. addit (It. *avverbio*; Fr. *adverbe*; Hisp. *adverbio*; Germ. *das Adverb oder Nebenwort*; Angl. *an adverb*). *Gell.* 5. 21. Ab eo quod est *compluria*, adverbium est factum *compluries*. *Quintil.* 11. 3. 87. Non in demonstrandis locis ac personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? Adde 1. 4. 19. et 9. 4. 24.

ADVEREOR, ēris, eri, dep. 2. idem quod vereor, vel valde vereor (It. *temere*; Fr. *craindre*; Hisp. *temer*; Germ. *Scheu bei etwas empfinden*; Angl. *to fear*, *be afraid of*). *Accius* apud *Non.* p. 290. 5. *Merc.* Advereor, cum te esse Alcmæonis fratrem factis dedicat. Al. melius leg. *At vereor*.

ADVERRO, is, ere, 3. ad aliquem locum verro. Occurrit translate tantum apud *Stat.* 4. *Theb.* 712. de amne præcipiti. adverrensque natantia saxa Charadrus. Al. leg. *advolvensque*.

ADVERSĀBĬLIS, e, adject. (adversor) qui adversus est, qui nocet. Hoc vocabulum sine ulla variante occurrit in *Constitut.* data a *Constantino Aug.* III. cos., h. e. anno post Chr. n. 313. (*Corpus Jur. Antejustin. Ex empto et vend.* p. 242.). His sumus valde permoti, verentes ne alicujus calliditatibus adversabili emolumento persuasi res suas venderent sine censu, ac post subsidia nostræ mansuetudinis precarentur. *h. e.* emolumento quidem in præsens specioso, sed quod in posterum ita ipsis noceret, ut legum subsidia precari conarentur. *V.* et AVERSABILIS.

ADVERGO, is, ere, a. 3. (ad *et* vergo). De regione tantum occurrit, et est spectare. *Prisc. Perieg.* 963. Cingitur excelsis hæc (*Persis*) undique collibus omnis, Advergens Austros, post Caspia claustra.

ADVERSANS, antis. *V.* ADVERSOR.

ADVERSĀRĬA, æ. *V.* ADVERSARIUS.

ADVERSĀRĬA, ōrum, n. plur. 2. (adversarius) diaria, idest tumultuariæ quædam tabulæ, quæ ante codicis confectionem perscribebantur, ne memoria rerum excideret, ut ex iis postea tabulæ justæ et æternæ fierent. Exactores enim rationum tabulas codicem appellabant. In adversariis autem breviter et negligenter adnotabantur ea, quæ postea accuratius in accepti et expensi codicem digerenda erant. Dicta putant *adversaria*, quod cum Veteres ex altera tantum libri scriberent parte, in his etiam a tergo scribebant; unde et opistographa, ὀπισθόγραφα, dicta sunt ab ὄπισθεν, et γράφω. V. *Voss. in Etymol.* in hac voce, et in *Opistographum*. Vel ideo ita appellata sunt, quia assidue scribentibus observabantur, quasi adversus posita: *adversum* enim dicitur etiam id, quod ante nos est (It. *giornale*, *libro da memoria*, *scartafaccio*; Fr. *journal*, *brouillon*; Hisp. *diario*, *manual*, *libro de tienda*; Germ. *Schmier-oder Schmuzbuch*, *Strazze*, *Manual*; Angl. *a journal*, *commonplace book*, *notebook*). *Cic. Rosc. Com.* 2. 5. Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit. *Et mox.* Quid est, quod negligenter scribamus adver-

saria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? Quia hæc sunt menstrua, illæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ servantur etc. *Adversaria* itaque eadem videntur fuisse, ac chartæ deleticiæ, libelli liturarii et palimpsesti.

ADVERSĀRĬUS, a, um, adject. (adversus) proprie est qui est ante seu contra nos positus, objectus, oppositus: sed occurrit tantum translate, et est qui contra nos agit, qui nobis adversatur cum contrariæ studeat factioni (It. *avversario, contrario*; Fr. *adverse, contraire, défavorable*; Hisp. *adversario, adverso, contrario*; Germ. *was uns gegenüberstehend, entgegen, widerstrebend oder feindselig ist, oder der Gegenpartei angehört*; Angl. *an adversary, contrary, opposite*). Est autem *A*) Adjectivum et *B*) Substantivum.

A) Tamquam Adject. occurrit — *a*) Sæpe cum Dat. *Cic. Cluent.* 34. 94. Hic tribunus pleb. — non modo non seditiosus, sed etiam seditiosis adversarius. Cf. *Nep. Timoth.* 3. 4. *Cic Cæcin.* 2. 5. Vis ea, quæ juri maxime est adversaria. *Id.* 2. *Orat.* 37. 156. Opinionem istorum studiorum et suspicionem artificii apud eos, qui judicent, oratori adversariam esse arbitror. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. Quibus rebus nox maxime est adversaria. — *b*) Absolute. *Cic.* 3. *Phil.* 8. 21. Duces adversarii. *Nep. Pelop.* 1. 2. Adversaria factio. *Id. Phoc.* 3. 2. Duces adversariæ factionis.

B) Tamquam Substant. est gen. *a*) masc., *b*) fem. et *c*) neutr. — *a*) *Adversarius, ii*, m. 2. Gen. plur. *adversarium* pro *adversariorum* legitur apud *Ter. Hec. prol. alt.* 14. et apud *Cn. Pompejum* in *Cic.* 8. *Att.* 12. *D.* 2. *V.* infra. Proprie est qui nobis externis actionibus adversatur, quamvis animo nullas foveat simultates; hinc differt cum ab *inimico*, tum ab *hoste*, quamvis interdum cum hisce vocabulis per synonymiam, sed specie tantum, conjungatur. — Generatim. *Ter. Hec.* 1. 1. 15. Injurium autem est ulcisci adversarios? *Cic. Fat.* 13. 30. Quia sine adversario nulla luctatio est. — Hinc de iis qui adversabantur in litteris, in judiciis, in republ. administranda, in magistratu petendo. *Plaut. Capt. prol.* 64. Valentiorem nactus adversarium si erit. *Ter. Hec. prol. alt.* 14. Poeta prope jam remotus injuria adversarium ab studio. *Cic. Mil.* 15. 39. Octo tribuni pleb., illius adversarii, defensores mei. *Id. Harusp. resp.* 16. 34. Acerrimus adversarius Hermarchi. *Id. ibid.* 24. 50. Obtrectatores eorum et adversarii. *Id.* 1. *Fin.* 5. 13. Tamquam adversarium aliquem convincere. *Id. Vatin.* 1. 1. Aut refutandum ut gravem adversarium, aut rogandum ut religiosum testem. *Ter. Phorm.* 2. 1. 7. Causam tradere adversariis. *Cic. Quinct.* 2. 7. Habet adversarium Quinctius Sex. Nævium verbo, re. *Id.* 3. *Verr.* 12. 36. Se profiteri alicui odiosum, assiduum, acerbum adversarium. *Nep. Epam.* 5. 2. Adversarius in administranda republ. — Item in auctionibus. *Cic.* 12. *Att.* 43. 2. Sed tamen major etiam res est, quam facultates nostræ, præsertim adversario et cupido et locuplete et herede. Cf. 13. *ibid.* 31. 4. — Item in ludis et palæstra. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 56. Pugiles vero etiam cum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt. — Haud raro ponitur et pro hoste. *Cic. Harusp. resp.* 19. 40. Ut tamquam fortis in pugna vir acceptis a forti adversario vulneribus adversis et honestis cadere videatur. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. *D.* 2. Huc quamprimum venias, antequam omnes copiæ adversarium conveniant. *Nep. Themist.* 4. 4. Adversarios in fuga esse. *Id. Datam.* 6. 2. His locis castra ponit, ut neque circuiri multitudine adversariorum posset etc. Adde *Cæs.* 2. *B. C.* 29. et 31. et alibi sæpe, *Sall. Jug.* 50., *Vitruv.* 10. 16. 10., *Curt.* 3. 11. 6., *Sueton. Domit.* 1. et *Cæs.* 30. et alibi. — *b*) *Adversaria, æ*, f. 1. *Cic.* 2. *Fam.* 4. 2. Est enim tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quædam expectatio. — *c*) *Adversarium, ii*, n. 2. Occurrunt tantum plur. num. *adversaria*, et sunt adversariorum argumenta. *Cic. Orat.* 35. 122. Rem breviter exponere et probabiliter et aperte, ut, quid agatur, intelligi possit; sua confirmare; adversaria evertere; eaque efficere etc.

ADVERSĀTĬO, ōnis, f. 3. (adversor) actus adversandi, oppositio (It. *avversione, opposizione*; Fr. *opposition*; Hisp. *oposicion*; Germ. *der Gegensatz*; Angl. *an opposing*). *Tertull. advers. Gnost.* 5. Quid aliud est adversatio idololatriæ atque martyrii, quam mortis et vitæ? Adde *De pudic.* 15.

ADVERSĀTĪVUS, a, um, adject. (It. *avversativo*; Fr. *adversatif*; Hisp. *adversativo*; Germ. *zu einem Gegensatze gehörend*; Angl. *adversative*). Conjunctiones adversativæ dicuntur a Grammaticis, quæ adversum aliquid, seu contrarium significant, ut *tamen, quamvis, etiamsi*, etc. *Priscian.* 16. p. 1026. *Putsch.*

ADVERSĀTOR, ōris, m. 3. qui adversatur. *Apul. de Deo Socrat.* 5. Quem adversatorem malis in omni vita ciebo?

ADVERSĀTRIX, īcis, f. 3. quæ adversatur (It. *avversaria, contraria*; Fr. *celle qui s'oppose*; Hisp. *adversaria*; Germ. *die Gegnerin*; Angl. *a female opponent*). *Plaut. Most.* 1. 3. 100. Nunc assentatrix es; dudum adversatrix eras. *Ter. Heaut.* 5. 3. 4. Quin tu in ea re mihi fueris adversatrix.

ADVERSĀTUS, a, um. *V.* **ADVERSOR.**

ADVERSĒ, adverb. (adversus) contrarie (It. *contrariamente*; Fr. *contradictoirement*; Hisp. *contradictoriamente*; Germ. *auf eine widersprechende Weise*; Angl. *adversely*). *Gell.* 3. 16. Id tam obscure atque præcise, tamque adverse dictum.

ADVERSIM, præp. accus., idem atque adversus, vel adversum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 13. ed. *Mai.* Et una cum dictis adversim Philippum discumbit. — *NB.* Hæc fortasse lectio posset labefactantem *Cl. Mamert. De statu anim.* 1. 25. lectionem confirmare, ubi, ni fallor, sermo est de lineis parallelis, quæ in immensum quamvis protensæ nunquam concurrunt, sed semper sibi invicem adversantur. *V.* **AVERSIM.**

ADVERSĬO, ōnis, f. 3. (adverto) proprie est actus ad aliquam partem se vertendi: sed occurrit tantum translate de animo, et significat attentionem, intentionem (It. *attenzione*; Fr. *attention*; Hisp. *atencion*; Germ. *die Richtung der geistigen Thätigkeit auf etwas*; Angl. *attention*). *Cic. Arch.* 7. 16. Hanc animi adversionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis. *Plerique tamen Codd. leg.* animadversionem. Hanc tamen lectionem, præter nonnullos optimos Codd., confirmat *Tertull. advers. Marcion.* 2. 13. *V.* **ANIMADVERSIO.**

ADVERSĬPEDES, ἀντίποδες. *Gloss. Lat. Græc.*

ADVERSĬTAS, ātis, f. 3. (adversus) proprie est oppositio, contrarietas et repugnantia, sed fere semper quæ noceat (It. *opposizione, contrarietà nocevole*; Fr. *opposition nuisible*; Hisp. *oposicion dañosa*; Germ. *die Widerwärtigkeit, Schädlichkeit*; Angl. *opposition, contrariety hurtful*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (90). Magnam adversitatem oleo mersis (*scorpionibus*) et stellionibus putant esse, innocuis tantum iis, qui etc. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. Somnus enim laxatis fiet corporibus indulgentia naturali, pressura vero densatis adversitate morborum. — Pro simplici oppositione occurrit apud *Boeth.* in *Aristot. Categ. syllog. introd.* p. 564. Atque ideo universalis affirmatio universalisque negatio contrariæ nominantur. Hæ igitur non eam vim ipsa semper adversitate conservant, ut eis sit perpetua atque inconciliata discordia, nec se semper invicem perimunt, quæ cum sententia dissideant, communi tamen falsitate concordant.

ADVERSĬTOR *vel* advorsitor, ōris, m. 3. (adversus) qui adversum, hoc est obviam alicui procedit. ¶ 1. Proprie servi cum domino advenienti obviam procedunt *adversitores* dicuntur a Comicis, ut docet *Donatus* ad illud *Ter. Adelph.* 1. 1. 1. Non rediit hac nocte a cœna Æschinus, Neque servulorum quisquam, qui adversum ierant: *Proprie*, ait *Donat.*, locutus est. Nam *adversitores* dicuntur. — Hinc in personarum indice, qui *Plauti Mostellariam* præcedit, juxta recentiores Editt. leg. *Phaniscus advorsitor*, de quo hæc habentur *ibid.* 4. 1. 23. Solus nunc eo adversum hero ex plurimis servis. Et *ibid.* 4. 2. 32. PH. Ei advorsum venimus. TH. Quoi homini? PH. Hero nostro. ¶ 2. Item est adversarius, adversus apud *Jul. Valer. de reb. Alex. M.* ed. *Mai.* in *Supplem.* (*Spicileg. Rom. Tom.* 8. p. 522.). Per fautores tui deos nostrique adversitores.

ADVERSO *vel* advorso, as, āvi, ātum, are, 1. (*frequent. ab* adverto) proprie est sæpe vertere: sed occurrit tantum neutr. et translate de animo, et est animum in rem aliquam magna cura intendere. *Plaut. Rud.* 2. 2. 1. Animo advorsavi sedulo, ne herum usquam præterirem. *Est qui legit* animadversavi, *ut sit ab* animadverso, as.

ADVERSOR *vel* advorsor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (adversus). Apud *Plaut.* et *Ter.* sæpe legitur *advorsari* antiquo more. *Advorsarier* in Infinito pro *advorsari* dicitur per paragogen a *Plaut. Amph.* 2. 2. 71. — Part. *Adversans* et *Adversatus*. — Adversor est me alicui oppono, objicio; hinc adversus, seu contrarius sum, resisto, sæpe mente atque animo repugno (It. *opporsi, resistere, esser contrario*; Fr. *être contraire, être opposé*; Hisp. *oponerse, ser contrario*; Germ. *sich Jemandem gegenüberstellen, sich ihm widersetzen, bes. inneren Widerstand leisten*; Angl. *to oppose, resist, oppugn, thwart*). — *A*) Absolute, præsertim in Ablat. abs. *Plaut. Stich.* 1. 2. 22. Exorando atque advorsando sumendam operam censeo. *Ter. Phorm.* 1. 2. 25. Cœpi adversari primo. *Id. Adelph.* 2. 1. 64. Cum placo, advorsor sedulo et deterreo. *Plaut. Cas.* 3. 2. 35. Adversari contra. *Cic.* 2. *de republ.* 16. 30. Adversante fortuna. *Curt.* 6. 10. 32. Adversantibus diis. *Tac.* 13. *Ann.* 12. amicis. *Id.* 3. *Hist.* 42. Adversante vento. *Quintil.* 9. 2. 85. filio. — Sæpe conjungitur cum *repugnante* a *Cic.* 1. *Off.* 31. 110. Adversante et repugnante natura aliquid facere. Adde 3. *ibid.* 19. 78, et *Senect.* 19. 71. — *B*) Construitur — *a*) Cum Dat. personæ. *Plaut. Capt.* 2. 3. 43. Neque me advorsatum tibi. Addito Abl. de re. *Id. Aulul.* 2. 1. 21. Idem ego arbitror, nec tibi advorsari certum est de istac re usquam, soror. Addito Accus. istuc. *Id. Trin.* 2. 2. 102. Etsi adversatus fui istuc sedulo. *Ter. Hec.* 4. 4. 32. Noli advorsari mihi. *Id. Andr.* 1. 5. 28. Eine ego ut advorser? Adde *Hec.* 2. 2. 29. *Cic. Orat.* 51. 172. Quis Isocrati est adversatus impensius? *Virg.* 4. *Æn.* 127. non adversata petenti Annuit. — *b*) Cum Dat. rei. *Plaut. Asin.* 3. 1. 5. An decorum est adversari meis te præceptis? *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 15. 46. Cum duæ causæ perspicuis et evidentibus rebus adversentur. *Ter. Hec.* 2. 2. 3. et *Cic.* 7. *Verr.* 31. 81. Adversari libidini alicujus. *Cic. Sull.* 18. 50. ornamentis alicujus. *Vellej.* 2. 60. dignitati. *Quintil.* 7. 1. 49. scripto. *Tac.* 14. *Ann.* 64. nuptiis Poppææ. *Id.* 2. *ibid.* 67. paternis consiliis. *Id.* 1. *ibid.* 27. commodis. — *c*) Cum Accus. et præp. *adversus*. *Plaut. Merc.* 2. 3. 43. Nolo adversari tuam adversus sententiam. — *d*) Sequente *quominus* cum Subjunct. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 67. Sic in urbe mundove communi non adversatur jus, quominus suum quidque cujusque sit. — *NB.* In omnibus locis, in quibus verbum *adversari* occurrebat cum Accus. rei aut personæ, ut apud *Curt.* 4. 7. 31., *Tac.* 1. *Hist.* 1. et 38., et 4. *ibid.* 84. et alibi, reponendum est *aversari*. V. *J. A. Ernesti* ad *Tac.* 1. *Hist.* 1., *Drakenborg.* ad *Liv.* 8. 7., *Cort.* ad *Sall. Jug.* 93. et *Schwarz.* ad *Plin. Paneg.* 40.

ADVERSUM *vel* Advorsum, adverb. et præp. *V.* **ADVERSUS**, adverb. et præp.

ADVERSUM *vel* Advorsum, i, n. 2. Ex Adjectivo *adversus, a, um*, occurrit substantivorum more, et proprie est pars seu latus oppositum (It. *la parte o il lato opposto*; Fr. *l'autre côté, la côté opposée*; Hisp. *el lado oposito*; Germ. *die entgegengesetzte Seite, die Gegenseite*; Angl. *an part opposite*).

I.) Proprie occurrit aut *a*) absolute, aut cum aliqua præp., unde locutiones *b*) *in adversum* et *c*) *ex adverso*. — *a*) Absolute. *Nep. Milt.* 1. 5. Hic ventus in septemtrionibus oriens adversum tenet Athenis proficiscentibus. *h. e.* flat a regione iis opposita, qui Athenis proficiscuntur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 25. (81). Adversa Bastarnæ tenent aliique, inde Germani. — *b*) *In adversum* est in contrariam partem. *Liv.* 1. 12. 1. Non prius descenderunt (*Subini*) in æquum, quam — in adversum Romani subiere. *Virg.* 8. *Æn.* 237. In adversum nitens. *Quintil.* 12. 10. 78. In adversa niti. *Propert.* 3. 9. 23. Et duo in adversum immissi per mœnia currus. *Colum.* 4. *R. R.* 25. 2. In adversum pressa manu desecare. *Quintil.* 11. 3. 54. Scandere in adversum. *Gell.* 2. 30. Propulsæ in adversum aquæ. — *c*) *Ex adverso* (quod et *exadverso* unica dictione scribitur) est e regione. Usurpatur autem — Cum Dativo. *Liv.* 45. 10. Portus ex adverso urbi positus. — Cum Genit. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 4. 5. (11). Patræ colonia, in longissimo promontorio Peloponnesi condita ex adverso Ætoliæ et fluminis Eveni. *Ammian.* 21. 6. Ex adverso imperatoris ludos spectans. — Absolute. *Curt.* 4. 16. 21. Cum repente ex adverso apparuit agmen equitum. *Sueton. Cæs.* 39. Bina castra ex adverso constituta. *Id. Tib.* 33. Justim vel ex adverso assidere. *Justin.* 2. 14. Cum ex adverso starent classes. — Cum verbis motus pariter absolute significat motum ab opposito loco. *Curt.*

9. 5. 4. Ex adverso ingerere tela. *Sueton. Cal.* 58. Ex adverso trajicere pectus.

II.) Translate est calamitas, infortunium (It. *infortunio*, *disgrazia*, *calamità*; Fr. *adversité*, *malheur*; Hisp. *adversidad*, *desgracia*, *infortunio*; Germ. *das Missgeschick*, *Unglück*, *die Widerwärtigkeit*; Angl. *adversity*, *misfortunes*, *mishaps*). — *a*) Sing. num. occurrit fere semper in Gen. et sequentibus tantum locutionibus. *Ter. Heaut.* 2. 3. 114. Si quid votis forte adversi evenerit. *Nep. Alcib.* 8. 4. Si quid adversi accidisset. Adde eumd. *Datam.* 5. 3., et *Liv.* 22. 40. et 35. 13. *Cic.* 1. *Ep. ad Brut.* 4. 4. Nihil jam – nobis adversi accidere potest, in quo etc. *Id.* 3. *Tusc.* 15. 32. Accidere posse aliquid adversi. *Virg.* 9. *Æn.* 211. Si quis in adversum rapiat casusve deusve. — *b*) Sæpius usurpatur plur. num. et quidem — Absolute. *Ter. Hec.* 3. 3. 28. Te obsecramus ambæ –, uti adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient. *Cic.* 1. *Ep. ad Brut.* 10. 2. Hujus belli fortuna, ut in secundis fluxa, ita in adversis bona. *Virg.* 9. *Æn.* 172. si quando adversa vocarent. *Plin. Paneg.* 31. Secunda felices, adversa magnos probant. *Quintil.* 6. *proœm.* 14. Unicum adversorum solatium. — Cum Genit. rei adversæ. *Sueton. Tit.* 5. Adversa temporum. *Tac. Agric.* 25. Adversa tempestatum et fluctuum. *Id.* 2. *Ann.* 69. Adversa valetudinis. — Cum Genit. personæ. *Tac.* 1. *Ann.* 1. Prospera et adversa populi Romani. *Id.* 3. *ibid.* 24. Illustrium domuum adversa. *Id.* 4. *ibid.* 13. Paterna adversa.

ADVERSUS *vel* **Advorsus**, a, um, præterquam Part. præter. pass. verbi **ADVERTO** quod vide, est Adject., unde Comp. *Adversior* II. *b.* et Sup. *Adversissimus* I. *b.* et II. *c.* — Adversus proprie est ante seu contra nos positus, objectus, oppositus: cui opponitur *aversus* (It. *opposto*, *posto a fronte*, *a rimpetto*; Fr. *qui est à l'opposite*, *en face*, *devant*; Hisp. *oposito*, *postado en cara*, *ante*, *delante*; Germ. *was einem Puncte zugekehrt oder entgegengekehrt*, *zugewendet ist*; Angl. *opposite*, *over against*, *fronting*, *right opposite to or towards us*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Interdum cum Dat., aut cum Accus. et præp. *inter*. *Cic.* 6. *de republ.* 20. 21. Qui adversa vobis urgent vestigia. *Sall. Jug.* 139. Haud procul a latere castelli, quod adversum prœliantibus erat. *Tibull.* 1. 1. 166. Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 4. Cavendum tamen erit, – ut ædificii frons aversa sit ab infestis ejus regionis ventis, et amicissimis adversa. *Sil. It.* 4. 653. Arduus adversa mole incurrentibus undis Stat ductor. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 111. (138). Foliis – adversis inter se. — *b*) Sæpissime usurpatur absolute, et quidem de plurimis. — De anterioribus humani corporis partibus. *Cic.* 2. *Orat.* 63. 256. Si tu et adversus et aversus impudicus es. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 47. 145. Palmam adversam ostendere. Adde *Quintil.* 11. 3. 114. *Cic.* 7. *Verr.* 1. 3. Cicatrices adverso corpore exceptæ. Adde *Sall. Jug.* 85. 29. et *Curt.* 8. 11. 9. *Liv.* 2. 23. Cicatrices adverso pectore ostentare. Adde *Auct. B. Afr.* 82. 4. et *Senec. Agam.* 232. Hinc *Cic.* 2. *Orat.* 28. 124. Cicatrices adversæ. *Id. Harusp. resp.* 19. 40. Vulneribus adversis et honestis cadere. Adde *Sall. Cat.* 61. et *Val. Flacc.* 4. 184. *Quintil.* 9. 1. 20. Adversi ictus. *Auct. B. Alex.* 30. Adversum vulnerari. *Cæs.* 5. *B. G.* 35. 8. In adversum os fundâ vulnerari. *Curt.* 4. 15. 31. Adversa ora resistentium. *Liv.* 21. 7. Adversum femur tragulâ ictus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 134. Dentes adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt. *Sil. It.* 6. 249. Adversa frons. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 103. Adversis frontibus pugnare. Et *Martial.* 4. 35. concurrere. *Quintil.* 2. 13. 9. Adversa facies. *Catull.* 51. 3. Sedere adversum. — In re militari adversi dicuntur, qui e regione stant contra nos. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. et *Liv.* 2. 58. et alibi sæpe. Adversi hostes. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 684. Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Ænean. *Id.* 11. *ibid.* 719. frenisque adversa prehensis Congreditur. *Sall. Jug.* 59. Adversis equis concurrere. Adde *Liv.* 8. 7. *Liv.* 35. 30. 6. Quæ (*hastæ*) pleræque adversæ cadentes, velut vallo objecto iter impediebant. *Virg.* 11. *Æn.* 612. Continuo adversus Tyrrhenus et acer Aconteus Connixi incurrunt hastis. *Tibull.* 4. 1. 148. Nulla tibi adversis regio sese offeret armis. *Id. ibid.* v. 99. Adversis signis concurrere. Adde *Liv.* 30. 8. *Auct. B. Alex.* 8. Impetus hostium adversi. *Tac.* 3. *Ann.* 42. Itinera adversa. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 11. quibus adversum bellum incidit. *h. e.* quibus prœlium adversis frontibus est ineundum. — Item ponitur de iis omnibus, quæ ante seu contra nos aut procedunt, aut stant. *Sueton. Ner.* 48. Adversum fulgur. *Cic.* 6. *de republ.* 18. 19. Solem adversum intueri. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 39. 123. Dicitis etiam esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stant contra nostra vestigia, quos ἀντίποδας vocatis. *Id.* 6. *de republ.* 19. 20. Vides – eos, qui incolunt terram, – partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 5. Quo nunc capessis tu te hinc adversâ viâ cum tanta pompa? *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Is collis – tantum adversus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa capere poterat. Adde *Sall. Jug.* 52. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 11. Ire per adversos montes. Adde *Quintil.* 2. 17. 19. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 3. 3. (6). Adversis funibus subire. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 58. Eodem equo adversam ascendisse ripam. Adde *Liv.* 21. 31., *Lucan.* 1. 223., *Sil. It.* 6. 165. et *Stat.* 9. *Theb.* 231. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 205. Verum ego, ut hærentes adverso littore naves Eriperem, prudens placavi sanguine divos. *h. e.* littore Græco, quod e regione Trojano oppositum. — Denique de naturæ elementis, ac præcipue de aquis et ventis, quæ si obviam nobis procedunt *adversa*, si a tergo *secunda* dicuntur. *Plaut. Trin.* 4. 2. 100. Immo horiolâ advecti sumus usque aquâ advorsâ per amnem. *Lucret.* 4. 424. (423). in adversum flumen. Adde eumd. 6. 719. (718)., *Cæs.* 7. *B. G.* 60., *Virg.* 1. *G.* 201. et *Liv.* 21. 27. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (33). Adverso amne. Adde *Curt.* 10. 1. et *Liv.* 45. 35. *Virg.* 8. *Æn.* 58. Adversum amnem remis superare. *Sil. It.* 17. 44. contra adversas undas. *Tac. Germ.* 2. Immensus, utque sic dixerim, adversus Oceanus. *Cæs.* 3. *B. C.* 107. Qui (*etesiæ*) Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti. Adde *Ovid. Heroid.* 6. 7. et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 202. *Quintil.* 12. 11. 5. Quid secundis flatibus, quid adversis ratis posceat. *Ter. Hec.* 3. 4. 9. Ita usque advorsa tempestate usi sumus. Adde *Sueton. Cæs.* 58 *Virg.* 1. *Æn.* 103. adversa procella.

II.) Translate generatim ponitur pro contrario, inimico, molesto; quia quæ contraria sunt, veluti ex adverso stant et nobis opponuntur. Speciatim — *a*) De personis, quæ nobis adversariæ sunt, sive aliis ac nos partibus student. *Tibull.* 1. 10. 30. Adversi duces. *Quintil.* 9. 3. 22. Adversæ partis advocatus. Adde 12. 9. 11. et 7. 1. 4. *Id.* 11. 3. 132. Advocatus adversis subselliis sedens. *Sueton. Vitell.* 18. Antonius adversarum partium dux. Adde eumd. *Cæs.* 75. *Albinov. ad Liv.* 1. 182. Gentibus adversis forma sit illa precor. *h. e.* hostibus. *Ammian.* 26. 9. Adversi. — *b*) Item de personis, quæ contra nos sentiunt, quæ inimico in nos animo sunt, cum Dat., aut absolute præcipue si agatur de deorum voluntate. *Plaut. Trin.* 3. 2. 97. Et capturum spolia sibi illum, qui hero meo adversus venerit. *Ter. Andr.* 1. 1. 37. Eorum obsequi studiis, advorsus nemini, nunquam præponens se illis. Adde *Heaut.* 4. 3. 21. *Cic. Mil.* 2. 3. Unum genus est adversum infestumque nobis, eorum quos P. Clodii furor – pavit. *Id. Sull.* 10. 29. Omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt infensæ et adversæ. *Vellej.* 2. 63. Pollio Julianis partibus fidus, Pompejanis adversus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 4. 14. (35). Neque est testudine aliud salamandræ adversius. *Quintil.* 3. 9. 7. Adversus gratiæ animus. *Id.* 12. 1. 2. Socia scelerum, adversa innocentiæ. — *Sall. Cat.* 45. 10. Multos mortales eâ causâ adversos habere. Adde *Liv.* 33. 46. *Propert.* 1. 1. 8. deos adversos habere. *Liv.* 9. 1. Adversis dis. *Id.* 39. 41. Adversa nobilitate. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 29. Adversâ avi. *Ovid. Heroid.* 7. 4. deo adverso aliquid movere. *Id.* 3. *Amor.* 12. 1. Musis adversis tangere carmina. *Liv.* 41. 10. Adversis auribus militum. *Tac.* 3. *Ann.* 20. Adversis animis aliquid accipere. — *c*) Item de rebus omnibus, etiam abstractis, quæ nobis infesta sunt: interdum cum Dat., sæpius absolute et tunc adversis opponuntur *secunda*; porro semper active, præter unum *Sall.* locum, in quo passive occurrit, *Jug.* 83. Quis omnia regna adversa sint. *Ter. Eun.* 2. 3. 33. Nec quemquam esse ego hominem arbitror, cui magis felicitates omnes adversæ sient. *Liv.* 6. 40. Nisi quæ pro universa republ. fiant, ea plebi – adversa quis putet? *Id.* 4. 12. Adversus annus frugibus. *Quintil.* 5. 10. 37. Adversus locus consiliis. — *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est. *Ter. Phorm.* 2. 1. 11. Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxime, tum maxime meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant. *Cæsar* apud *Cic.* 10. *Att.* 8. *B.* 1. Omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur. *Ter. Phorm.* 5. 4. 3. Quas (*cupiditates*), cum res adversæ sient, paullo mederi possis. *Cic.* 3. *Tusc.* 10. 21., *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 49. aliique sæpe: Res adversæ. *Plaut. Men.* 5. 5. 1. Hic dies pervorsus atque advorsus mihi obtigit. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 50. Conqueri fortunam advorsam, non lamentari decet. *Nep. Con.* 5. 1. et alibi, *Virg.* 9. *Æn.* 282. aliique: Adversa fortuna. *Cic.* 3. *Tusc.* 16. 34. et *Nep. Datam.* 5. Adversi casus. *Lucret.* 4. 1135. Adversus amor. *Cic.* 2. *Orat.* 83. 339. Adversa acclamatio. *Quintil.* 4. 1. 51. Adversus favor. *Liv.* 10. 32. Adversa valetudo. *Id.* 7. 29. Adversum prœlium. *Id.* 8. 31. Adversa pugna. *Virg.* 12. *Æn.* 1. Adverso Marte. *Sueton. Oth.* 8. Adversissima auspicia. *Id. Vitell.* 8. Adversum omen. *Liv.* 1. 46. Adversa patrum voluntate. *Liv.* 37. 47. 6. Adversa fama. *Tac.* 14. *Ann.* 11. Adverso rumore esse. *h. e.* male audire. — *d*) Apud Rhetores *adversa* dicuntur ea, quæ ex eodem genere contraria sunt, ut *sapientia*, *stultitia*: quibus respondent *privantia*, qualia sunt *humanitas*, *inhumanitas*. Ita contraria distinguit *Cic. Top.* 11. 47. Hæc, quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur adversa. — Hinc etiam generatim quæ contraria sunt et sibi invicem opponuntur. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 9. Qui timet his adversa. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Esse in adversa opinione. *h. e.* aliter omnino sentire. *Quintil.* 12. 1. 35. Adversa virtuti malitia.

Adversum, i, substantivorum more. *V.* vocem præced.

ADVERSUS *et* **Adversum**, *vel* advorsus et advorsum (quæ postrema scribendi ratio occurrit præcipue apud *Plaut.*, *Ter.*, *Sallust.* antiquo more) proprie sunt formæ, altera masc. gen., neutr. altera, Adjectivi *Adversus*, *a*, *um*, quæ usurpantur *A*) ut Adverbia, *B*) ut Præpositiones accusativæ.

A) Ut Adverbia proprie idem sunt atque e regione, contra; quibus opponuntur a tergo et a latere (It. *di rimpetto*, *a fronte*, *in faccia*; Fr. *en face*, *vis-à-vis*; Hisp. *en cara*, *enfrente*, *frente por frente*; Germ. *von vorne*, *entgegen*; Angl. *against*, *in front of*, *facing*). ¶ 1. Proprie de loco, præcipue in locutionibus *adversum ire*, *venire* etc. *h. e.* obviam ire, venire etc. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 5. Tum demum ad alligatos boves neque a posteriore parte neque a latere, sed adversus – venito, ut accedentem consuescant aspicere. *Pseudo-Sall. Ep.* 1. *de ordin. republ.* 3. Quoniam neque adversus neque a tergo aut lateribus tutus sis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 43. Si huic eam advorsum. *Id. Cas.* 3. 6. 5. Cesso magnifice amiciri, atque ita hero meo ire advorsum. Adde *Asin.* 2. 2. 29., et *Most.* 4. 2. 16. *Ter. Adelph.* 4. 1. 2. Neque servolorum quisquam, qui advorsum ierant. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 14. Aggrediar hominem. Estne advorsum? *Al. leg.* Itne. *Id. Men.* 2. 3. 83. Tu facito ante solis occasum, ut venias advorsum mihi. Adde *Most.* 1. 4. 1. *Id. Men.* 3. 2. 22. Quis hic est, qui advorsum fit mihi? ¶ 2. Improprie est etiam animo inimico, contra; immo *contra* hac significatione sæpius usurpatur. *Plaut. Merc.* 1. 2. 5. Simul autem plenissime eos, qui adversum eunt, dispellito. *Nep. Pelop.* 1. 3. Eos esse solos, qui adversus resistere auderent. *Id. Ages.* 4. 6. Iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tulerant. *Liv.* 37. 13. 8. Postquam nemo adversus ibat. — *NB.* **EXADVERSUM** *et* **EXADVERSUS** Vide suis locis.

B) Ut Præpositiones Accusativum semper præcedunt, sed interdum Pronomina personalia, demonstrativum et relativum sequuntur, ut apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 118. te advorsus. *Id. ibid.* 3. 2. 55. et *Aulul.* 4. 7. 9. te advorsum. Adde *Titinn.* apud *Non.* p. 157. 9. *Merc. Plaut. Bacch.* 4. 4. 47. et *Ter. Phorm.* 2. 3. 80. me advorsum. *Cic. Ep. ad Octav.* 4. se adversum. *Nep. Con.* 2. 2. et *Timoth.* 4. 3. hunc adversus. — Significant contra aliquam rem (It. *di rimpetto*, *a fronte*; Fr. *contre*, *vis-à-vis*, *en face*, *devant*; Hisp. *contra*, *enfrente*; Germ. *gegenüber*, *oder vor einem Puncte*; Angl. *against*, *in front of*) Occurrunt autem I.) Proprie de physicis vel localibus oppositionis rationibus; et improprie II.) de moralibus atque intellectualibus oppositionis rationibus, in quibus tamen nulla inest animorum inimicitia, frequenter tamen et de inimicorum rationibus.

I.) Proprie ponuntur de physicis vel localibus oppo-

ditionis rationibus et speciatim — a) Stricto sensu de locis, præsertim apud Geographos ad regionum oppositionem significandam. *P. Africanus* apud *Gell.* 7. 12. Qui cotidie unguentatus adversum speculum ornetur. *Liv.* 7. 14. 9. Ipse – in radicibus montium extendere aciem cœpit sedulo, ut adversus montes consisteret hostis. Adde 31. 46. 9. et 37. 28. 5. *Id.* 45. 7. 5. Introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere jubet. *Cels.* 3. 6. Medicus neque in tenebris neque a capite ægri debet residere, sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat. *Liv.* 24. 49. 5. Extremi prope Oceanum adversus Gades colunt. *Id.* 44. 10. 7. Quindecim millia passuum ea urbs abest, adversus Pydnam posita. *Id.* 26. 14. 6. Porta Jovis, quæ adversus castra Romana erat. Adde 32. 33. 6., 37. 18. 11., 43. 16. 4. et alibi sæpe. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 8. 14. (87). Ipsius Triquetræ – promontorium Pelorus vocatur, adversus Scyllam vergens in Italiam. *Id.* 3. *ibid.* 5. 11. (79). Lerina adversum Antipolim. *et alibi sæpe.* — b) Hinc ad significandum motum, et ascensionem in locum oppositum. *Plaut. Asin.* 3. 3. 118. Nam jam calcari quadrupedem agitabo adversum clivum. *Id. Pers.* 2. 2. 18. Sed quis hæc, quæ me advorsum incedit? *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Gladiis districtis impetum adversus montem in cohortes faciunt. *Liv.* 30. 24. 9. Aliæ (*naves*) adversus urbem ipsam ad Calidas aquas delatæ sunt. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 75. Omnia (*vestigia*) te adversum spectantia, nulla retrorsum. Adde *Frontin.* 1. *Strat.* 4. 9. Huc referri potest et proverbiale illud *Ter. Phorm.* 1. 2. 27. Namque inscitia est, advorsum stimulum calces. Et *Seneca* 1. *Benef.* 3. 2. *metaphorice.* Non audebit adversus multa attollere oculos. — c) Item de iis, quæ coram aliquo sive in alicujus conspectu aguntur ac præcipue dicuntur; in quibus *Non. p.* 232. 20. *Merc.* exponit *apud*. *Ennius* apud *Non. p.* 232. 26. *Merc.* Te ipsum oportet profiteri et proloqui advorsum illam mihi. *Plaut. Amph.* 2. 2. 118. Mirum quin te advorsus dicat. *Id. ibid.* 3. 2. 55. Nam jusjurandum verum te advorsum dedi. *Id. Aulul.* 4. 7. 9. Ego ne ut te advorsum mentiar, mater mea? Adde *Mil. glor.* 4. 2. 88., *Pœn.* 1. 2. 188. et *Bacch.* 4. 4. 47. *Ter. Andr.* 1. 5. 30. Sed nunc peropus est aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa advorsum hunc loqui. *Titinnius* apud *Non. p.* 232. 21. *Merc.* Mulier, credo, advorsum illum res suas conqueritur. *Afranius* apud *Non. l. cit.* Fabulari advorsum fratrem illius. Huc referri possunt et illa translata *Ter. Andr.* 1. 1. 15. Et id gratum fuisse – advorsum te habeo gratiam. *h. e.* apud te, in oculis tuis. Et *Liv.* 41. 24. Nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus Romanos –, quam Ætoli. — Huc referendum esset et illud *Ulp. Fragm.* 1. 28. 1. Bonorum possessio datur aut contra tabulas testamenti, aut adversus tabulas, aut intestati. *Forcellinus* recte interpretatur *secundum:* sed librarii mendum erat. V. *Cod. Antejustin.* ad h. l.

II.) Improprie generatim ponitur de plurimis moralibus atque intellectualibus oppositionis rationibus: hoc est speciatim ¶ 1. De rebus, quæ inter se conferuntur, ac propterea aliæ aliis opponuntur. *Liv.* 7. 32. Quid autem esse duo prospera in tot sæculis bella Samnitium adversus tot decora populi Rom.? *h. e.* si comparentur cum tot pop. Rom. victoriis. *Id.* 24. 8. 8. Repente lectus, in annum creatus, adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur. *Tac. Orat.* 33. Differentia nostræ desidiæ adversus acerrima eorum studia. ¶ 2. De ratione, qua nos interdum erga res, sed sæpissime erga alios gerimus, ita tamen ut nulla sit animorum inimicitia. — a) Erga res, sed raro. *Liv.* 8. 32. Adversus quæ singula cum respondere haud facile esset. Adde 4. 10. 12. *Id.* 22. 40. 1. Adversus ea oratio consulis haud sane læta fuit. — b) Erga alios. — Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 19. 68. Utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possis, qua re id, quod feceris, necesse fuerit. *Id.* 3. *Fam.* 13. 2. Eo brevior est epistola et, ut adversus magistrum morum, modestior. Adde 9. *ibid.* 22. 5. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 1. Aude negare servientis adversus regem istas esse preces. Adde *ibid.* § 2. *Liv.* 22. 39. Nec gloriandi tempus adversus unum est. — Peculiariter *Cic.* 11. *Fam.* 27. 5. In maximis rebus quonam modo gererem me adversus Cæsarem, usus tuo consilio sum. *Seneca Ep.* 94. Quomodo se gerat adversus uxorem. *Tac.* 11. *Ann.* 17. Quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. *Cic.* 1. *Off.* 11. 33. Sunt quædam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis. *Id.* 1. *Nat. D.* 41. 116. Est enim pietas justitia adversus deos. Adde 1. *ibid.* 2. 4. *Id.* 1. *Off.* 28. 99. Reverentia adversus homines. *Liv.* 3. 33. 8. Summa adversus alios æquitas erat. *Id.* 5. 35. 4. Adversus Romanos nullum eis jus societatis amicitiæque erat. Adde *Cic.* 3. *Off.* 29. 108. *Liv.* 45. 8. Summa fides adversus aliquem. *Quintil.* 11. 1. 19. Moderatio adversus aliquem. *Seneca* 1. *Benef.* 3. 1. Gratus adversus beneficium. Adde *ibid.* 1. 6. et 8. *Cic.* 3. *Off.* 6. 28. Impius adversus deos immortales. *Vellej.* 2. 69. 5. Ingratus adversus merita. *Tac.* 15. *Ann.* 63. Paullulum adversum præsentem fortitudinem mollitus (*Seneca*). *Id.* 3. *ibid.* 29. Privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adversus nepotem. *Id. Germ.* 23. Temperantia adversum sitim. ¶ 3. Hinc etiam de inimica in alios agendi ratione sæpissime usurpatur, et est pro *contra.* — a) De iis, quæ ad propulsanda mala opponuntur. *Nep. Milt.* 4. 5. Adversus aliquem dimicare. *Id. Timoth.* 4. 3. Adversus aliquem bellum gerere. Cf. *Hamilc.* 2. 2. *Liv.* 42. 49. Ire adversus hostem. Cf. *Sall. Jug.* 101. 8. *Liv.* 21. 39. Ducem legi adversus aliquem. *Id.* 8. 2. Copiis uti adversus Rom. bellum. *Justin.* 3. 6. 12. Duces deligere adversus tantam tempestatem belli. *Cels.* 5. 27. n. 13. Remedia propria adversus quædam venena. *Id.* 5. 26. 22. Et adversus profusionem quidem in his auxilium est. Adde 5. 26. 34., *Tac.* 15. *Ann.* 64. et *Plin.* 2. *Ep.* 17. 4. *Cajus Instit.* 3. 16. 8. Defendere aliquem adversus aliquem. Et *ibid.* 3. 84. adversus actionem. *Sall. Jug.* 43. 5. Invictus advorsum divitias animus. *Tac.* 15. *Ann.* 21. Invictus adversum gratiam animus. *Phœdr.* 5. 10. 1. Fortis adversus omnes feras canis. *Sueton. Tib.* 28. Firmus ac patiens adversus convicia malosque rumores. — b) De damnosa in alios agendi ratione. *Plaut. Stich.* 4. 2. 11. Advorsum te fabulare illud quidem. *h. e.* in tua damna. *Ter. Phorm.* 2. 3. 80. Itane es paratus facere me advorsum omnia? *Titinnius* apud *Non. p.* 157. 9. *Merc.* Nam quid ego feci te advorsum aut patrem meum, quem pauperetis ambo vestris sumptibus? *M. Antonius* apud *Cic.* 14. *Att.* 13. *A.* § 2. Quod si duriorem te ejus miseræ et afflictæ fortunæ præbes, non contendam ego adversus te. *Cæs.* 1. *B. C.* 2. 7. Adversus rempubl. facere. *Nep. Eum.* 8. 2. Adversus aliquem facere. *Id. Ages.* 5. 4. stare. *Liv.* 40. 49. Sequi aliquem adversus veteres socios. — c) Hinc sæpe etiam de abstractis. *Plaut.* apud *Paul. Diac. p.* 62. 1. *Müll.* Stultus est adversum ætatem et capitis canitudinem. *Id. Truc.* 4. 2. 48. Quæ adversum legem accepisti a plurimis pecuniam. *Ter. Heaut.* 4. 1. 10. Me adversum edictum tuum facere esse ausam. *Id. Hec.* 4. 1. 19. Adversum animi lubidinem. *Id. Phorm.* 3. 3. 35. Advorsum ingenium. *Cic.* 5. *Verr.* 84. 194. Pecuniæ conciliatæ adversum legem, adversum rempubl. *Liv.* 40. 44. Adversus senatusconsultum. *Id.* 9. 26. Adversus testimonia. *Sueton. Ner.* 17. Adversus voluntatem patris. — Hinc etiam *adversus quod* adverbiali quadam forma apud *Liv.* 32. 2. Gaditanis item petentibus remissum, ne præfectus Gades mitteretur, adversus quod iis, in fidem populi Rom. venientibus, cum L. Marcio Septimio convenisset. Et *Plaut. Trin.* 1. 2. 138. Utrum indicare me ei thesaurum æquum fuit, adversum quod ejus me obsecravisset pater. *h. e.* contra obsecrationem ejus patris. *Plerique tamen leg.* adversum quam.

ADVERTO *vel* advorto, tis, ti, sum, tere, a. 3. (ad *et* verto). Part. *Advertens* II. 3. *b.*; *Adversus* II. 2. *a.* et 3. *b.*; *Advertendus* II. 3. *b.* — Proprie est ad aliquam partem verto, converto (It. *volgere, voltare ad alcuna parte*; Fr. *tourner vers, diriger du côte de*; Hisp. *dirigir, volver hácia*; Germ. *hinkeren, hinwenden oder hinrichten*; Angl. *to turn to or towards*).

I.) Proprie de rebus physicis, quæ ad aliquem locum vertuntur, cum Accus. et præp. *in* aut *ad*, aut cum Adverbiis localibus, aut cum Accus. sine præp., aut interdum etiam cum Dat. — a) Generatim occurrit cum de personis, tum de rebus, quamvis raro. *Ter. Eun.* 2. 3. 52. Illa sese interea commodum huc advorterat in hanc nostram plateam. *Virg.* 12. *Æn.* 555. urbi advertere agmen. *Curt.* 8. 13. 19. agmen suum ei parti. *Virg.* 7. *Æn.* 196. pedem ripæ. *Stat.* 2. *Silv.* 3. 31. gradus citatos. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 6. vineta orienti. *Id.* 1. *ibid.* 6. 2. balnearia occidenti æstivo. — b) Speciatim est verbum nautarum proprium, positum etiam passive et absolute, et est appellere. *Virg.* 4. *G.* 116. ni – Vela traham et terris festinem advertere proram. *Id.* 7. *Æn.* 35. terræque advertere proras. *Ovid. Heroid.* 12. 23. puppim Colchos. *Id.* 15. *Met.* 719. huc carinam. *Gell.* 16. 6. navem Brundusium. *Liv.* 37. 9. 7. classem in portum. *Ovid.* 3. *Met.* 636. cursus Naxon. *Virg.* 7. *Æn.* 196. æquore cursum. — Passive. *Ovid.* 5. *Met.* 649. Scythicas advertitur oras. *Virg.* 5. *Æn.* 34. Fertur cita gurgite classis, Et tandem læti notæ advertuntur arenæ. — Absolute. *Sil. It.* 1. 288. Mox profugi ducente Noto advertere coloni. *h. e.* ad ripam appulerunt. — c) Item speciatim ponitur de humanis sensibus, raro absolute, sæpius adjecto termino ad quem advertuntur. *Curt.* 5. 11. 4. Qui, ut tandem advertit oculos, Bubacen – percontari jubet etc. *Sil. It.* 16. 295. Mente favete pari atque aures advertite vestras. *Ovid.* 6. *Met.* 180. In quamcumque domus adverto lumina partem. *Sil. It.* 6. 105. oculos procellis. *Ovid.* 8. *Met.* 482. sacris vultus advertite vestros. *Id.* 1. *Fast.* 180. aures ad vocem. *Propert.* 1. 1. 37. aures monitis. *Martial.* 6. 64. aurem fabulis. *Sil. It.* 16. 213. Huc aures, huc, quæso, advertite sensus. — Hinc de diis. *Virg.* 4. *Æn.* 611. Accipite hæc, meritumque malis advertite numen. Similiter *Ovid.* 2. *Trist.* 223. *de Augusto:* lusibus advertere numen.

II.) Translate. ¶ 1. Frequenter occurrit *animum* vel *animos*, aut *mentem advertere*, et significat animum aut mentem in rem aliquam intendere; in quo propria verbi significatio minime mutatur, sed permanet eadem, ad intellectum solummodo translata. — a) Absolute. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 89. p. 154. *Müll.* Si voles advertere animum, comiter monstrabitur. *Ter. Heaut.* 4. 1. 43. Animum non advorti primum: sed postquam aspexi, illico cognovi, ad te exsilui. *Cic.* 2. *Off.* 19. 68. Jam illud non sunt admonendi –, est enim in promptu – ut animum advertant, cum juvare alios velint, ne quos offendant. *Liv.* 4. 45. Adverterent animos, ne quid non tumultus oriretur. — b) Cum Accus. et præp. *ad*. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 39. Facete advortis animum tuum ad animum meum. *Lucret.* 3. 54. acrius advortere animos ad religionem. *Gell.* 6. 2. ad verba. — c) Cum Dat. *Ovid.* 15. *Met.* 140. animos advertere monitis. *Tac.* 13. *Ann.* 39. animum rebus levissimis. — d) Cum Adverbio *huc*. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 69. Nunc huc animum advortite ambo. *Virg.* 8. *Æn.* 440. huc advertite mentem. ¶ 2. Hinc *animum adverto* (raro admodum *adverto animum*) sequente casu communi sine præp. est cognosco, intelligo, scilicet sentio, animo concipio, vel brevius *animadverto*, quod hinc ortum est. Occurrit autem — a) Cum Accus. tantum. *Cato R. R.* 1. 2. Vicini quo pacto niteant, id animum advortito. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 43. Et id et hoc, quod te revocamus, quæso, animum advorte. *Lucret.* 2. 124. (123). Hoc etiam magis hæc animum te advortere par est Corpora. *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 48. Animum advertit Gracchus in concione Pisonem stantem. *Ita* h. loc. *et* 5. *ibid.* 23. 65. *ex optimis Codd.*; *alii aliter leg.* *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Postquam id animum advertit. Adde 4. *ibid.* 12. *Id.* 1. *B. C.* 81. Animum adverso vitio. *Auct. B. Alex.* 45. Repente adversam ad se venientem navem animum advertit. *Nep. Datam.* 9. 5. Ipse, ut concurrentes insidiatores animum advertit, tela in eos conjecit. *Ita edidit Roth.* *Sall. Jug.* 93. 2. Animum advortit inter saxa repentes cochleas. *Ter. Heaut.* 3. 3. 9. Novi ego amantes; animum advertunt graviter, quæ non censeas. — b) Cum Accus. et Infin. *Ter. Phorm.* 5. 7. 16. Postquam tantopere id vos velle animum adverteram. *Cic.* 12. *Fam.* 18. 1. Animum adverti enim hoc – vos magnos oratores facere nonnunquam. *Cæs.* 5. *B. G.* 18. Eo cum venisset, animum advertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas. Adde *Auct. B. Afr.* 20. *Sall. Jug.* 33. Animum advorti supra gratiam atque pecuniam invidiam facti esse. Adde *ibid.* 48. et 69. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 1. 2. (2). Equidem et formæ gratiâ – aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam adverto animum. — c) Cum Relativis. *Ter. Andr. prol.* 8. Nunc quam rem vitio dent, quæso, animum advortite. *Cic.* 2. *de republ.* 17. 31. Et ut advertatis animum, quam sapienter jam reges nostri viderint etc. *Dolabella* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. 2. Quamobrem quid aut illa sperare possit, aut tu, animum adverte pro tua prudentia. *Liv.* 21. 48. Quam multarum rerum ipse ignarus esset, ex comparatione tam ordinatæ disciplinæ animum adver-

tit. ¶ 3. *Advertere animis* vel *animo*, aut *advertere* tantum est etiam notare, observare. — *a*) Advertere animis vel animo. *Virg.* 2. *Æn.* 712. Vos, famuli, quæ dicam, animis advertite vestris. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Quo primum tempore hanc scientiam ad nostros pervenisse animo adverto. — *b*) Advertere tantum. *Varro* 1. *R. R.* 12. 2. Advertendum etiam, si qua erunt loca palustria. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 3. Advertebantur Pompeji familiares assentire Volcatio. *Sed dubia est lectio, quemadmodum et apud Liv.* 28. 14. 6. *Virg.* 4. *Æn.* 115. Nunc – qua ratione quod instat Confieri possit, paucis, adverte, docebo. *Ovid.* 14. *Met.* 270. advertens pensas examinat herbas. *Sall.* apud *Donat.* ad *Ter. Eun.* 3. 2. 13. Cujus adversa voluntate exercitus Sullæ est datus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (168). At multos adverto credidisse. *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (29). Hirudo, quam sanguisugam vulgo cœpisse appellari adverto. *Tac.* 15. *Ann.* 30. Quoties novum aliquid adverterat. *Id.* 14. *ibid.* 43. Advertere pericula. *Id.* 4. *ibid.* 54. Donec advertit Tiberius etc. Adde 12. *ibid.* 51., 13. 54. et alibi. ¶ 4. Hinc est etiam punire, præcipue si de re futura sermo sit, quo sensu sæpe usurpatur et *animadvertere*. — *a*) Absolute. *Tac.* 3. *Ann.* 52. Ventris et ganeæ paratus – fecerant curam, ne princeps antiquæ parsimoniæ durius adverteret. *Forcellinus* interpretatur *animum adverteret* et verba *antiquæ parsimoniæ* Dativo data putat: quæ recentiores Philologi Genitivo tribuunt eumque cum nomine *princeps* antec. conjungunt. — *b*) Sæpius *advertere in aliquem* occurrit. *Tac.* 3. *Ann.* 32. In P. Marrium consules more prisco advertere. *Id.* 5. *ibid.* 9. Placitum posthac, ut in reliquos Sejani liberos adverteretur. ¶ 5. *Advertere aliquem* vel *alicujus animum, aures, ora* etc. est alicujus attentionem ad se vertere, convertere. *Liv.* 1. 12. Adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri. *Ita* Klotz *legendum putat; Codd. exhibent* averterat. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Multa in Euphrate sic eminent et relucent, ut mediocriter quoque doctos advertant et afficiant. *Id.* 9. *ibid.* 26. Omnes advertit quod eminet et extat. *Tac.* 2. *Ann.* 17. Octo aquilæ, petere silvas et intrare visæ, imperatorem advertere. *Id.* 1. *ibid.* 4. Gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere. *Id.* 4. *Tac.* 21. Atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit. *h. e.* in se concitavit. ¶ 6. Denique significat etiam monere, excitare, attentum reddere. Cum Accus. *Seneca Ep.* 94. 25. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Sequente *ut*. *Tac.* 3. *Ann.* 48. Advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus – deligeret.

Adversus, a, um, adject. } *V.* suis locis.
Adversum, i, n. 2. }

ADVESPERASCIT, ascebat, āvit, ascere, 3. (ad et vesper). — *a*) Est verbum impers., idem ac vespertinum tempus adventat (It. *si fa sera*; Fr. *il se fait tard, la nuit approche*; Hisp. *la noche se acerca*; Germ. *es naht der Abend, es fängt an Abend zu werden*; Angl. *it grows late, grows towards evening*). *Ter. Andr.* 3. 4. 1. Jam advesperascit. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 147. Cum jam advesperasceret, discessimus. Adde 4. *Fin.* 28. 80. et 3. *Nat. D.* 40. 94. *Auct. B. Hisp.* 24. Nisi advesperasset. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (175). Cum advesperavisset. — *b*) Cum Substant. *Vulgat. Interpr. Prov.* 7. 9. Advesperascente die.

ADVESPERAT. Vocabulum a Lexico expungendum; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 113.

ADVĬGĬLANTĬA, æ, f. 1. (advigilo). Translate pro cura. *Forcellinus* locum affert *Ruric.* 2. *Ep.* 3., quem ipse ab Indice Classicorum Auctorum jure ac merito expunxerat.

ADVĬGĬLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad et vigilo). Part. *Advigilans* I. Proprie est vigilo ad aliquam rem, alicui rei vigilans præsto sum (It. *vegliare*; Fr. *veiller auprès de quelque chose*; Hisp. *velar*; Germ. *bei etwas wachen, seine Wachsamkeit einer Sache widmen*; Angl. *to watch, to watch over*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accus. et præp. *ad*. Passive neutrorum more *Cic.* 2. *Leg.* 12. 29. Ei (*Vestæ*) colendæ virgines præsint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis. — *b*) Sæpius cum Dat. *Tibull.* 25. 93. Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti, Balbaque cum puero dicere verba senem. *Stat.* 1. *Theb.* 147. impacatis regum advigilantia somnis Pila. *h. e.* milites custodes corporis, pilis armati, vigiles dormientibus regibus. *Claudian. Eutr.* 2. 419. Advigilare vallo.

II.) Translate est curam habere. — *a*) Cum Dat. *Claudian. de laud. Stilich.* 2. 140. non parva lubido Advigilat stupris. *Manil.* 1. 81. Advigilare sibi. — *b*) Sæpius absolute. *Plaut. Pers.* 4. 4. 63. Heus tu, advigila. *Ter. Phorm.* 1. 4. 26. Tanto magis te advigilare æquum est. *Id. Andr.* 4. 1. 49. Si advigilaveris, ex unis geminas mihi conficies nuptias. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 57. Si advigilamus pro rei dignitate.

ADVĪVO, vis, xi, vere, n. 3. (ad et vivo). Part. *Advivens*. Est idem ferme quod vivo, seu vitam adhuc ago, vivere persevero (It. *vivere, continuare a vivere*; Fr. *continuer à vivre*; Hisp. *continuar á vivir*; Germ. *das Leben fortsetzen, am Leben sein, leben bleiben*; Angl. *to live*). *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (78). Eadem fortuito satu advivit in medio foro. *Plerique tamen leg.* vivit. *Dubia pariter est lectio* Stat. 12. Theb. 424. *Inscript.* apud *Gruter.* 1115. 8., quæ apud *Orell.* est 3094. QVI ADVIVENTE EO DONO DELPHICAE ARRAE – HONORATI SVNT. Et alia apud *Gruter.* 1145. 8. CONIVGI DVLCISSIMO CVM QVO ADVIXIT SINE QVERELA PER ANNOS XX. *Scævola Dig.* 34. 3. 28. Donec advivet. *Id. ibid.* 34. 4. 30. Quam diu advixerit. Adde *Tertull. de anim.* 57. et *Interpr.* ad *Cod. Theod.* 8. 12. 1. — Cum Dat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 19. Dic mihi, omnibus natis mater advivit? *h. e.* vivit una cum filiis: seu omnes filii habentne semper matrem viventem?

ADVOCAMENTUM, ti, n. 2. pro advocatione quidam inepte legunt eo *Plinii* loco 5. *Ep.* 8. *veniam advocamenti peto*: sed alii plerique rectius *advocandi*. *V.* ADVOCO I. 4.

ADVŎCĀTA, æ, f. 1. *V.* ADVOCATUS, I. II.

ADVŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. (advoco) ad litteram est actus advocandi, seu vocandi aliquem ad se: sed peculiaribus tantum occurrit significationibus.

I.) Proprie. ¶ 1. Advocatio, obtinente republ., — *a*) erat consultatio, sive concilium, ad quod vocati viri rerum periti quid in gravissimis reipubl. negotiis agendum consulebantur. *Cic.* 2. *Verr.* 49. 120. In æde Castoris, quo sæpe numero senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimæ quotidie advocationes fiunt. *V. Zumpt.* ad *h. l. Tom.* 1. p. 210. — *b*) Item consilium in aliqua causa a Jurisconsultis petitum. *Cic.* 7. *Fam.* 10. 2. *ad Trebatium JCtum.* Tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus. Cf. *Quintil.* 5. 13. 40. ¶ 2. Imperatorum vero temporibus, quibus advocati, ante tribunal constituti, non modo jus suggerebant, sed causam totam agebant, dicebant et in judicio defendebant, *advocatio* causæ actionem, dictionem totumque oratoris officium significavit. *Val. Max.* 7. 3. *ext.* 5. Demosthenes, ut in advocationem venit, mulier, inquit, parata est etc. *Sueton. Grammat.* 22. M. Pomponius Marcellus in advocatione quadam (nam interdum et causas agebat) solœcismum ab adversario factum etc. *Ulp. Dig.* 1. 16. 9. Advocationem suscipere adversus aliquem. *Quintil.* 7. 1. 58. Periculo exsilii deterreri ab advocatione. *Id.* 12. 7. 4. Duci in advocationem causâ. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Aliquem advocatione juvare. *Id.* 2. *ibid.* 11. 19. Injunctâ advocatione. *Id.* 5. *ibid.* 14. Advocationibus alicui interdicere. *Petron. Satyr.* 96. Injuriæ advocationem commodare. ¶ 3. Hinc locutiones *advocationem petere, postulare*; in quibus advocatio ponitur pro mora et dilatione judicii. Nam qui parum instructi sibi videbantur ad respondendum, advocationem petere a judice solebant spatiumque consulendi, quod a lege præfiniebatur. *Cic.* 7. *Fam.* 11. 1. Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent. *h. e.* binas dilationes; quæ cum fere in perendinum darentur, totum interregnum, quod quinque dierum spatio finiebatur, absumebant. *Seneca Excerpt. Controv.* 3. *præfat.* p. 409. *Bip.* Tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret. *Id. Lud.* 18. Tandem procedit P. Petronius – et postulat advocationem. ¶ 4. Item advocatio ponitur pro ipsis advocatis, abstractum pro concreto, ut *servitia* pro servis. — *a*) Obtinente republica, advocationis nomine significabantur qui advocabantur, ut consilio et præsentia, aut quacumque alia ratione in judicio causam juvarent, jus suggererent, et litigandi formulas forique morem docerent, quique interdum et ab ipso judice advocabantur, ut apud *Cic. Rosc. com.* 5. 15.; deinde generatim omnes qui patroni, amicique consulentes causæ aderant. *Cic. Cæcin.* 15. 43. Quod exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur movisse? *Id. Sext.* 56. 119. Scio quid gravitas vestra, quid hæc advocatio, quid illi conventus, quid dignitas P. Sextii – postulet. *Id. Sull.* 29. 81. Tuus parens advocationem hominis improbissimi sellâ curuli – honestavit. *Id. Rosc. com.* 5. 15. Quod et res ejus est, – et judex est is – et advocatio est ea etc. *Id. Dom.* 21. 54. Cum eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse jussisti, eorumque advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti; tum profecto ostendisti vim tibi maxime displicere. *Id. Quinct.* 14. 47. Copiosa advocatio. *Liv.* 3. 47. Virginius sordidatus filiam suam cum ingenti advocatione in forum deducit. — *b*) Imperatorum temporibus advocatio erat ipsum advocati officium. *Cod. Theod.* 11. 30. 41. Advocatio fisci. *V.* ADVOCATUS I. 3. *Cod. Justin.* 2. 3. 30. § 2. Cæsariensis. *Ibid.* 2. 7. 8. Prætoriana.

II.) Translate. ¶ 1. Sumptâ metaphorâ a superiori § 3., advocatio sumitur pro quacumque mora. *Val. Max.* 2. 9. 1. Longam præstandi hujusce muneris advocationem consecuti estis. *Seneca Consol. ad Marc.* 10. Nimis magnam advocationem dedi: festinandum est. *Id.* 1. *de Ira* 16. 12. Ratio utrique parti tempus dat. Deinde advocationem et sibi petit: – ira festinat. *Id.* 7. *Nat. Quæst.* 10. Et us det eis aliquam advocationem, quid de his cometis dicetur, qui senis mensibus apparuerunt? *h. e.* statum, seu quietem a cursu. Hoc autem loco nimis audacter de cometis loquens *advocationis* verbo usus videtur *Lipsio* ad c. 10. *Consol. ad Marc.* ¶ 2. Usurpatur etiam pro excusatione a *Tertull. Cor. mil.* 11. Quibus familiarissima est advocatio necessitatis. *h. e.* perinde quasi necessitas in patrocinium advocaretur. ¶ 3. Nova significatione advocationem pro consolatione posuit idem *Tertull. Patient.* 11. *V.* ADVOCO II. 2.

ADVŎCĀTOR, ōris, m. 3. qui ad se advocat sive admittit. *Tertull. contra Marcion.* 15. Deus divitum aspernator, mendicorum advocator.

ADVŎCĀTUS, a, um. *V.* ADVOCO.

ADVŎCĀTUS, i, m. 2. proprie est Part. præter. perf. verbi *advoco*, h. e. ad aliquem hominem aut locum vocatus. Sed peculiaribus tantum occurrit significationibus.

I.) Proprie. ¶ 1. Obtinente republica, significabatur hoc nomine, non is qui causam agebat, sed is tantummodo qui advocabatur, interdum etiam ab ipso judice, ut consilio et præsentia, aut quacumque alia ratione in judicio causam juvaret, jus suggereret, et litigandi formulas forique morem suggereret. *Ita Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 1. *Verr.* 4. p. 104. *Bait.* Qui defendit alterum in judicio aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut procurator, si absentis negotium suscipit; aut cognitor, si præsentis causam novit et sic tuetur ut suam. — *a*) Generatim. *Plaut. Pœn.* 2. 5. 20. Mementote illuc, advocati. *Id. ibid.* 2. 6. 11. Bonam dedistis, advocati, operam mihi. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Eodem tempore se in fugam conferunt una amici advocatique ejus metu perterriti. *Id. ibid.* 9. 26. Deinde L. Cælius non solum Æbutium cum armatis dixit fuisse compluribus, verum etiam cum advocatis perpaucis eo venisse Cæcinam. *Forcellinus* hunc *Cic.* locum, necnon alium *Petron. Satyr.* 110. Periclitantium advocatus, accipit pro eo qui extra judicia, in quacumque re consilium, auxilium, operam alicui præbet. *Id. Cluent.* 40. 110. Quis eum unquam non modo in patroni, sed in laudatoris aut advocati loco viderat? *Id.* 2. *Orat.* 47. 196. Cum ego illum – advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem. *Plaut. Amph.* 4. 3. 9. et *Ter. Eun.* 4. 6. 26. Adesse alicui advocatum. *Ter. Adelph.* 4. 5. 43., *Cic. Cæcin.* 9. 24. et *Varro* 2. *R. R.* 5. 1. Venire alicui advocatum. *Cic.* 1. *Off.* 10. 32. Venire alicui advocatum in rem præsentem. *Liv.* 38. 33. Ire advocatum privatis. *Plaut. Mil. glor.* 5. 26., *Ter. Eun.* 2. 3. 49. et *Cic. Sull.* 29. 81. Advocatum esse alicui. *Plaut. Men.* 5. 2. 47. Adducere aliquem advocatum. *Ter. Adelph.* 4. 5. 11. Abducere a foro aliquem advocatum sibi aliquo. *Plin.* 3. *Ep.* 4. Petere aliquem advocatum a senatu. — *b*) Peculiariter sing. num. advocatus dicebatur is jurisconsultus, juxta cujus consilia et monita causa intendebatur et agebatur. *Cic.* 7. *Fam.* 14. 1. *ad Trebatium JCtum.* Minus multi jam te advocato causâ ca-

dent. *Id. Muren.* 4. 9. de *Sulpicio JCto*: Si turpe existimas te advocato, illum ipsum, quem contra veneris, causâ cadere. ¶ 2. Imperatorum temporibus, cum magis in dies et juris scientia perficeretur et contra eloquentia deficeret, jurisconsulti ad causam agendam adhibiti sunt; ac propterea *advocatus* significavit jurisconsultum, qui absentis causam in judicio agebat, dicebat, defendebat. *Tac. Dial. de Orat.* 1. Horum temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius, quam oratores vocantur. *Quintil.* 3. 8. 51. Controversias dicunt ita, ut advocati. *Id.* 12. 8. 5. Aliquis ex eo genere advocatorum, qui se non posse agere confitentur. Adde 11. 1. 19. et 7. 1. 42. *Plin.* 5. *Ep.* 14. Alio senatu Vincentini sine advocato intraverunt. Adde *Plin.* 7. *ibid.* 23., *Tac.* 11. *Ann.* 5. et 6., *Sueton. Claud.* 15. et 33. et *Gell.* 1. 22. ¶ 3. Posterioribus adhuc sæculis videtur advocatio minime mandata fuisse toties, quoties opus esset, sed fuisse perpetuum officium. — Hinc apud *Eutrop.* 8. 9. (18). Advocatus fisci. *Inscript.* apud *Orell.* 3352. Q. HORTENSIO Q. F. COL. FAVSTINO ADVOCATO FISCI. Adde *Inscript.* apud *eumd.* 4124. et Cf. *Inscript.* apud *Mommsen.* 1525. et 1883. — Hinc *advocatus populi* videtur fuisse plebis tutor et quasi tribunus, alius certe a patrono municipii; fortasse idem fuit ac patronus plebis (*Inscript.* apud *Morcell. de stil. T.* 2. *p.* 62. Edit. *Patav.*), nam et *populum* pro *plebe* dixit *Martial.* 1. 15. Hinc Veneta respublica suum habebat *Avogador*, quod munus ex priscis temporibus profecto repetendum videtur. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Veron. p.* 116. 1., quæ apud *Orell.* est 3907. C. CALVISIO C. F. POR. STATIANO POPVLI ADVOCATO — VERONENSium PATRONO. *Id. ibid.* p. 366. 3. Q. GELLIO VILLIANO II. VIRO ADVOCATO POPVLI. — *Advocatus populi* etiam *advocatus publicus* aut *reipublicæ* dictus videtur. *Inscript.* apud *Donat. cl.* 5. n. 88. C. GALLENIO C. F. AN. IVLIANO ADVOCAT. PVBLIC. qui idem dicitur *ibid.* PATRONUS COLONIÆ AVGUSTÆ ARIMINENSIUM. *Inscript.* apud *Orell.* 3906. C. SCAEVIO C. F. SVLPICIANO PATRON. MVNICIPI. ET COLLEG. — ADVOC. REIP.

II.) Translate, etiam fem. gen., est generatim auxiliator, auxilium. *Cic.* 5. *Tusc.* 38. 111. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. *Id.* 4. *ibid.* 23. 52. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam: satis est instructa, armata, parata per sese. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 27. 86. Sed adhibet artem advocatam etiam sensibus.

ADVOCĬTAT sæpe advocat. *Paul. Diac.* Ita legunt vulg. Editt.; sed *Müll. p.* 27. 8. Arvocitat.

ADVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* voco). Part. *Advocatus* I. 1. et 5.; *Advocandus* I. 2. *a.* — Proprie est ad se aut aliquem locum vocare; hac tamen significatione nusquam occurrit, nisi translate et dubia quidem lectione apud *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 75. Quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? — Hinc generatim advoco est aliquem ad me auxilii, consilii, vel alicujus rei agendæ causa arcesso (It. *chiamare a sè, convocare, invitare*; Fr. *appeler à soi, convoquer, inviter*; Hisp. *apelar, convocar, convidar*; Germ. *beirufen*; Angl. *to call, or call to one*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 5. 1. 76. Ego Tiresiam advocabo et consulam quid faciendum censeat. *Sall. Cat.* 60. Ego vos, quo pauca monerem, advocavi. *Cic.* 5. *Verr.* 80. 185. Tu vero quibus rebus gestis – concionem donandi causa advocare ausus es? Adde 2. *leg. Agr.* 5. 13. *Sall. Jug.* 84. Concionem populi advocavit. *Curt.* 10. 3. 6. Peregrinorum militum concionem advocari jubet. *Nep. Alcib.* 6. 4., *Sall. Cat.* 57. et *Jug.* 33., *Liv.* 8. 31., *Curt.* 9. 4. 19., *Justin.* 2. 88. et alibi: Concione advocata. *Cic. Vatin.* 6. 15. Quominus concilium advocares legemque ferres. *Curt.* 4. 11. 1. Quos Alexander, advocato consilio, introduci jussit. — *b*) Cum Accus. et præp. *in*. *Curt.* 7. 7. 5. Amicos in consilium advocari jubet. *Quintil.* 3. 8. 70. Advocare aliquem in consilia. *Liv.* 42. 33. Populus in concionem advocatus. *Virg.* 5. *Æn.* 44. advocare socios in cœtum. *Curt.* 10. 6. 1. principes in regiam. *Quintil.* 11. 1. 24. aliquem in concilium deorum. *Id.* 2. 10. 11. Homines in hoc advocati. *Tac.* 2. *Hist.* 91. Advocare aliquem in auxilium. *Cic.* apud *Quintil.* 8. 3. 34. *metaphorice*: Eum amorem et eum, ut hoc verbo utar, favorem in consilium advocabo. — Cum Accus. et præp. *ad*. *Liv.* 3. 34. Advocare populum ad concionem. *Id.* 1. 59. populum ad tribunum celerum. *Quintil.* 12. 1. 24. aliquem ad causas defendendas. *Id.* 6. 4. 7. aliquem ad actiones, ad probationes. — *Cic.* 12. *Att.* 18 *A.* § 2. Nam quod non advocavi ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem etc. *Liv.* 8. 32. et 26. 48. Ad concionem advocare. — *c*) Cum Adverbiis localibus, aut cum Dat. *Sall. Cat.* 47. Reliquos in ædem Concordiæ venire jubet: eo senatum advocat. *Ovid. Rem. Am.* 110. Advocari ægro. *Horat.* 4. *Od.* 11. 13. gaudiis. *Quintil.* 11. 1. 39. causis. ¶ 2. Peculiariter, obtinente republica, fuit forense verbum et significavit vocare ad se, seu sibi adjungere aliquem, qui in judicio adsit, instruat, auxilietur. *V.* ADVOCATIO I. 1. Ponitur autem — *a*) De prætore vel judice, qui consulendorum virorum cœtum sibi adjungebat. *Cic.* 5. *Verr.* 7. 18. Cum (*consules*) viros primarios atque amplissimos civitatis multos in consilium advocassent. *Id. Quinct.* 2. 5. Aut quo non in his, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis spem summam habere P. Quinctius debeat. *Id. ibid.* 14. 47. Potentes, diserti, nobiles omnes advocandi sunt. — *b*) Item de actoribus qui curabant, ut jurisconsulti, amici, cognati sibi in judicio adessent, opitularentur causamque agentibus adstarent. *Ter. Phorm.* 2. 1. 82. Inde ibo ad forum atque aliquot mihi amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient, ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio. *Plaut. Cas.* 3. 3. 7. et *Bacch.* 2. 3. 37. Advocare sibi aliquem. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 59., *Lucilius* apud *Non. p.* 74. 11. *Merc.* et *Cic. Quinct.* 21. 66. aliquem. *Cic. Quinct.* 22. 71. aliquem contra aliquem. *Id. Cluent.* 19. 54. *absolute*: Aderat frequens, advocabat, omni studio gratiaque pugnabat. ¶ 3. Imperatorum temporibus *advocare* etiam absolute significavit aliquem sibi adsciscere, qui totam causam ageret. *V.* ADVOCATIO I. 2. *Seneca Brevit. vitæ* 2. Hic advocat, hic adest; ille periclitatur, ille defendit, hic judicat. *Id. Clement.* 9. Nihil facilius potes, quam contra Cæsarem advocare. *Quidam* putant in *Cic.* loco *Cluent.* 19. 54. sup. allato atque in his *Senecæ* significare etiam advocatum agere, patrocinari, defendere; et addunt etiam locum *Lactant.* 3. 16.: sed minus recte, ut monet *Forcellinus*. ¶ 4. *Plin.* 5. *Ep.* 8. *a med.* Ideoque interim veniam (ne a meis verbis discedam) advocandi peto. *Plin.* hic alludit ad morem petendi dilationem judicii spatiumque consultandi, de quo *V.* ADVOCATIO I. 3., petitque veniam, quod differat longius historiam conscribere. ¶ 5. Item advocare, si de diis ponatur, est invocare, eorum opem petere, implorare. *Fratr. Arv.* apud *Orell. Inscript.* 2270. *Vol.* 1. *p.* 391. SEMVNIS ALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS. *h. e.* advocabitis, aut advocabite. *Catull.* 40. 3. Quis deus tibi non bene advocatus Vecordem parat excitare rixam? *h. e.* non rite invocatus. *Varro* 1. *R. R.* 1. 7. His igitur deis ad venerationem advocatis, ego referam sermones etc. *Liv.* 8. 33. Intuentem Capitolium atque arcem deosque ab se duobus prœliis haud frustra advocatos. *Fragm. Petron. p.* 683. *Burmann.* Judæus licet et porcinum numen adoret, Et cilli summas advocet auriculas. *Al. leg.* cœli.

II.) Translate. ¶ 1. *Advocare rem aliquam* est in auxilium vocare, seu in auxilium sibi adsciscere, adjungere, admovere, adhibere. Cf. *Cic.* in v. ADVOCATUS II. et ADVOCO I. *b.* apud *Quintil.* 8. 3. 34. *Virg.* 8. *Æn.* 249. Desuper Alcides telis premit, omniaque arma Advocat, et ramis vastisque molaribus instat. *Sil. It.* 17. 87. enses advocat. *Ovid.* 7. *Met.* 138. carmen Auxiliare canit secretasque advocat artes. *Seneca Troad.* 613. Nunc advoca astus animi (*al.*, anime), nunc fraudes, dolos et totum Ulixem. *Id.* 6. *Benef.* 2. 3. Licet omnes in hoc vires suas natura advocet. *Vellej.* 2. 108. 4. Quod usu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter advocat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (127). Advocare purpuram diis placandis. *h. e.* assumere: quod faciebant sacerdotes. *Id.* 15. *ibid.* 28. 31. (105). In alio cibi genere advocatur India, in alio Ægyptus. *Tac.* 1. *Hist.* 55. In S. P. Q. R. obliterata jam nomina sacramento advocabant. *Al.* nomina, sacramenta. *Sil. It.* 9. 82. Advocare noctem ad conamina. *Quintil.* 4. 2. 112. affectum in peroratione. *Auct. Moreti* 24. manus operi. ¶ 2. Pro consolari posuit *Tertull.*, respiciens ad Græcum παρακαλεῖν quod et hanc habet significationem, 4. *advers. Marcion.* 14. Advocare languentes. *V.* ADVOCATIO II. 3. — NB. *Forcellinus* affirmat advocare poni etiam pro litigare, contendere; et affert loc. *Lucil.* apud *Non.* 2. 44., *h. e. p.* 74. 10. *Merc.*: sed et lectio dubia est in ceteris verbis, et *Nonius* ipse *advocasse* pro *vocasse* accipit. — Item, quia incerta lectione, omissa sunt loca *Ennii* apud *Non. p.* 144. 15. *Merc.* et *Varr.* apud *eumd. p.* 167. 12.

ADVŎLĀTUS, us, m. 4. (advolo) actus volandi versus aliquem locum. Occurrit tantum apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. *vertentem e Græco versus Æschyli*: Tristi advolatu aduncis lacerans unguibus.

ADVŎLĬTANS, antis, Particip. præs. ab inusit. *advolito*, sæpe advolans (It. *svolazzante*; Fr. *s'approchant souvent en volant*; Hisp. *volante frequentamente*; Germ. *wiederholt heranfliegend*; Angl. *flying, flying about*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (65). Papilio luminibus accensis advolitans. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 573. Advolitans noctua.

ADVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* volo). Part. *Advolans* I. *a.* et *b.*; *Advolaturus* II. *a.* — Advolare est versus aliquem locum volare, volando accedere (It. *volare a qualche luogo*; Fr. *voler vers, s'approcher en volant*; Hisp. *volar hácia*; Germ. *herbei* —, *heranfliegen*; Angl. *to fly to or towards*).

I.) Proprie. — *a*) Adjecto termino ad quem cum Accus. et præp. *ad, in, trans*; interdum et termino a quo cum Ablat. et præp. *ab, ex*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Legi etiam scriptum esse – eam (*avem*) sibi cibum quærere advolantem ad eas aves, quæ in mari mergerent. *Varro* 3. *R. R.* 5. 7. Quotannis in Italiam trans mare advolant (*turdi*). *Liv.* 35. 9. A Capua nunciatum est, examen vesparum ingens in forum advolasse. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (79). At in agrum Volaterranum palumbium vis e mari quotannis advolat. *Tac.* 6. *Ann.* 28. Alites in civitatem advolasse. — *b*) Adjecto termino ad quem cum Dat. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 40. 56. (115). Intrant pastorum stabula caprarumque uberibus advolant (*caprimulgi*). *Id.* 28. *ibid.* 10. 45. (162). Papilio lucernarum luminibus advolans.

II.) Translate est aliquid plus quam accurrere, velociter ire — *a*) Ponitur præcipue de animalibus, aut rebus etiam inanimis quæ facile moventur. — Absolute. *Cic.* 2. *Att.* 23. 3. Si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. 4. Quamobrem advola, obsecro. *Cæs.* 2. *B. C.* 43. Ut – alii classem hostium celeriter advolaturam suspicarentur. *Cn. Manlius* apud *Priscian.* 7. *p.* 760. *Putsch.* celerissimus advolat Hector. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 9. (31). Delphini advolant in auxilium. Adde *Sueton. Galb.* 20. — Adjecto termino a quo cum Ablat. et præp. *ex*; et sæpe termino etiam ad quem cum Accus. et præp. *ad, in*. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (25). Quamvis occultus atque abditus ex imo advolabit. *Cæs.* 5. *B. G.* 17. Hostes repente ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt. *Cic. Cluent.* 6. 18. Ipsa denique super Larino – Romam advolavit. *Id.* 11. *Fam.* 27. 4. oblitumne me putas, qua celeritate – ad me Tarento advolaris? *Id. Sext.* 4. 11. Quibus hic litteris lectis ad urbem confestim incredibili celeritate advolavit. *Id.* 4. *Att.* 4. *A.* Advola ad nos. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Cassius ad Messanam navibus advolavit. — Cum Accus. sine præp. *Cic.* 1. *Att.* 14. 5. Hic tibi Rostra Cato advolat. *Val. Flacc.* 4. 300. Hos inter Pollux subit et trucis ultro Advolat ora viri. *Ammian.* 16. 9. 3. Perduelles advolare. Adde *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 174. et III. *Cons. Honor.* 165. — *b*) Item de rebus inanimis et abstractis, etiam cum Dat. *Plaut. Amph.* 1. 1. 169. Vox mihi ad aures advolavit. Adde *Merc.* 5. 2. 23. et *Rud.* 2. 3. 9. *Lucret.* 4. 315. (316). Ad nos advolat imago (e speculis). *Cic.* 5. *Fam.* 16. Si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus. *Virg.* 10. *Æn.* 511. Fama mali tanti Advolat Æneæ.

ADVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. (ad *et* volvo). Part. *Advolvens* I. 2.; *Advolutus* I. 1. et 2. — Est volvendo adduco (It. *volgere a qualche cosa, avvoltolare*; Fr. *rouler vers ou auprès*; Hisp. *roder hácia*; Germ. *herbei-oder heranwalzen*; Anglic. *to roll any ting to or towards*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de rebus, cum Dat. *Virg.* 3. *G.* 377. congestaque robora, totasque Advolvere focis ulmos ignique dedere. *Id.* 6. *Æn.* 182. advolvere montibus ornos. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 70. (185). Iterum captus (*Aristomenes*) – ad ignem advolutus lora cum corpore exussit. ¶ 2. Sæpe occurrit *se advolvere* aut *advolvi* et significat pro-

cumbere et amplexari, supplicis aut adorantis more. — *a*) Cum Dat. *Liv.* 8. 37. *extr.* Tribus circuit, omnium genibus se advolvens. *Id.* 28. 34. Advolutus genibus. *Vellej.* 2. 80. Genibus ejus advolutus est. *Propert.* 3. 15. 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris. *Curt.* 3. 12. 17. Sygambris (*al.* Sisigambis) advoluta est pedibus ejus. *Id.* 4. 6. 15. Arabs quidam – quasi transfuga genibus regis advolvitur. *Id.* 8. 1. 48. Ptolemæus et Perdiccas genibus advoluti orant. — *b*) Cum Accus. sine præp. *Sall.* apud *Serv.* ad 1. *Æn.* 311. Genua patrum advolvuntur. *Tac.* 1. *Ann.* 13. Cum deprecandi causa palatium introisset, ambulantisque Tiberii genua advolveretur etc. *Apul.* 6. *Met.* 2. Psyche pedes ejus advoluta.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a sup. § 1., *h. e.* a rebus quas advolvimus, ut congeramus. *Claudian.* 1. *Cons. Stilich.* 1. 7. si carmen in unum Tantarum sperem cumulos advolvere rerum. *h. e.* congerere, uno carmine complecti. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a sup. § 2., *h. e.* ab iis qui genibus aut aris supplices advolvuntur. *Stat.* 5. *Theb.* 143. magnusque advolvitur astris Clamor. *Forcellinus* hisce verbis interpretatur: *h. e.* ascendit, ducta translatione a fumo, qui globatim se volvendo extollitur.

ADVŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. proced.

ADVORSĀRIUS, ADVORSOR, ADVORSUM, ADVORSUS, ADVŎRTO etc. *V.* ADVERSARIUS, ADVERSOR, ADVERSUM, ADVERSUS, ADVERTO etc.

ADVŌSEM adversarium, hostem. *Paul. Diac.* p. 25. 17. *Müll. Al. leg.* advorsem. *Gloss. Labb.* Advoses (*leg.* Advoses) ἐναντίοι.

ĂDȲNĂMOS, ἀδύναμος, vox Græca, quæ significat imbecillum, sine viribus: ab α privativo, et δύναμις potentia, vires. *Adynamon vinum* dicitur a *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (100). quod dimidium aquæ permixtum habet, excoquiturque ad dimidias: inde datur ægris, quibus vini noxiam timent. Apud *Dioscor.* 5. 13. et 17. οἶνος ἀδύναμος.

ĂDȲTĬCŬLUM, i, n. 2., deminut. ab *adytum*, agnoscit *Apul. de Orthogr.* p. 136. (edente *A. Maio*); sed nullam affert scriptoris auctoritatem.

ĂDȲTUM, i, n. 2. (ἄδυτον) ad litteram est locus inaccessibilis, ab α privativo et δύω ingredior. Hinc ita dicta est pars secretior templi, vel alius cujuspiam sacri loci, quam ingredi nemini licebat, nisi sacerdoti, et unde oracula divum et responsa dabantur consulentibus. Sic enim docet *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Pergami in occultis ac remotis templi, quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt. Et *Mytogr. Vatic.* III. 8. 16. *p.* 209. 29. *Bod.* Est autem adytum interior vel subterior pars templi dicta per antiphrasin, quod a paucis, id est solis sacerdotibus adeatur.

I.) Proprie occurrit interdum sing. num., sed sæpius plur. *Virg.* 6. *Æn.* 98. Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla Horrendas canit ambages. *Lucan.* 5. 146. Illa pavens adyti penetrale remoti Fatidicum, prima templorum in parte resistit. *Juvenal.* 13. 205. omnem Vocem adyti dignam templo veramque probavit. *Virg.* 2. *Æn.* 114. Euripylum scitatum oracula Phœbi Mittimus, isque adytis hæc tristia verba reportat. *Id.* 2. *ibid.* 296. et manibus vittas Vestamque potentem Æternumque adytis effert penetralibus ignem. *Horat.* 1. *Od.* 16. 5. Non Dindymene, non adytis quatit Mentem sacerdotum incola Pythius. *Lucan.* 10. 23. Adyta sacrata. *Id. ibid.* 179. vetusta. *Stat.* 5. *Theb.* 646. profunda. *Id.* 10. *ibid.* 170. terrifica. *Virg.* 5. *Æn.* 84. Ima adyta *vocat interiorem sepulcri partem.* V. *Heyn.* ad h. l.

II.) Translate. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 30. Nam Latiæ Musæ non solos adytis suis Accium et Virgilium accepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes. *Eumen. orat. pro restaur. Schol.* 6. Ab arcanis sacrorum penetralium ad privata Musarum adyta transferre. *Lucret.* 1. 737. (738). Ex adyto tamquam cordis responsa dedere.

ĂDȲTUS, us, m. 4. est alia forma vocis praeced. *Accius* apud *Non.* p. 488. 13. *Merc.* Pro certo arbitrabor sortis oracla, adytus augura. *Al.* ita *distinguunt*: sorteis, oracla, adytus, augura.

AE

Æ. — *a*) Hæc Latina diphthongus Græcæ αι etiam sono apud veteres respondebat; vetustissima enim Latinæ linguæ monumenta haud raro *ai* pro *ae* nobis exhibent, ut *Inscript. Scipionum* apud *Orell.* 550. GNAIVOD *h. e.* Gnæo. *Ibid.* 551. AIDEM. *Ibid.* 550. AIDILIS et 553. AIDILES. *Ibid.* 555. QVAIRATIS et 556. QVAIST. *h. e.* quæstor. Et *SenatusCons. de Bacchan.* HAICE *h. e.* hæce, et AIQVOM *h. e.* æquum. Et *Inscript.* apud *Orell.* 3147. AIRE *h. e.* ære. Hoc interdum etiam a recentioribus factum est, ut testatur, præter alias multas, *Inscript.* apud *Orell.* 650. CAISAR *h. e.* Cæsar. — Idem et in nominum declinationibus usuvenit. *SenatusCons. de Bacchan.* APVD AEDEM DVELONAI *h. e.* Duellonæ. Et *Inscript.* apud eumd. 650. ANTONIAI AVGVSTAI. Quod et in vulgari sermone ita prolatum fuisse videtur. *Lucret.* 1. 84. Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine. et *alibi sæpe*. *Virg.* 9. *Æn.* 26. pictai. *Id.* 3. *ibid.* 354. aulai. Cf. *Lucil.* apud *Quintil.* 1. 7. 18., *P. Nigid.* apud *Gell.* 13. 25. et *Paul. Diac.* p. 25. 14. *Müll.* — Idem denique usuvenit et in Græca diphthongo ᾳ, quæ a Grammaticis impropria dicitur, quæque a Latinis per *ai* reddita est, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 4236. ASIAI Gr. Ἀσίᾳ. Et *ibid.* SYRIAI Gr. Συρίᾳ. — *b*) Hinc factum est, ut diphthongus *ae* in *i* mutaretur, cum ejusdem sonus minuebatur, ut a cædo (caido) cecidi, et ab *æquus* (*aiquus*) iniquus. — *c*) Immo vero etiam, quoniam a Græcis diphthongus αι in fine vocabulorum brevis interdum efferebatur, ut in Ἀθῆναι: ita apud Latinos, quamvis diphthongus *ae* naturâ suâ, quemadmodum et ceteræ omnes, longa sit; tamen interdum et in compositione et in fine vocum brevis est, ut apud *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 2. Mæotis. *Virg.* 7. *Æn.* 524. præustis. *Ovid.* 7. *Met.* 131. præacutæ (Cf. et *Priscian.* 1. p. 562. *Putsch.*). *Cic. Orat.* 45. 152. Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti. *Lucret.* 2. 404. (403). At contra, quæ amara atque aspera quomque videntur. *Virg.* 1. *G.* 437. Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ. *Horat. Epod.* 5. 100. Et Esquilinæ alites. — *d*) Denique animadvertendum putamus interdum Græcum αι, et Latinum *ae* reddita esse per *a*, ut *crapula* a Gr. κραιπάλη, et *as* ab *æs*. Contra Latini per diphthongum *ae* reddiderunt interdum Græcum α, sæpius η: ut *Æsculapius* Gr. Ἀσκληπιός, *sceptrum* Gr. σκῆπτρον, *scæna* Gr. σκηνή, quemadmodum testantur *Inscript.* apud *Orell.* 2602., 2614., 2600., 2646., 2642., 2619., 2625. aliæque permultæ, necnon *Varro* 7. *L. L.* 96. *p.* 157. *Müll.* et *Priscian.* 1. p. 561. *Putsch.*, quamquam *Accius*, qui scribendi ratione Græcos imitabatur, teste *Varr.* in *Fragm. ex libris L. L.* 1. p. 264. *Müll.*, *scena* scribendum esse arbitraretur.

ÆCASTOR. *V.* ECASTOR.

ÆDEPOL. *V.* EDEPOL.

ÆDES vel ædis is, et apud veteres etiam *aidis* (*V.* Æ), f. 3. Quod ad formam attinet, Nominativus sing. *ædis* in usu fuit æque atque *ædes*, ut plurimorum locorum collectione demonstravit *Drakenburg.* ad *Liv.* 4. 25. 3.; immo forma *ædis* a librariis interdum sublata fuit atque in *ædes* mutata, ut notat *Zumpt.* ad *Cic.* 4. *Verr.* 55. 122. *Vol.* 1. *p.* 778. In plurali numero *ædis* et *ædeis* pro *ædes* sæpe legitur apud *Plautum*, et alios. Mos enim fuit Latinis, etiam Augusti ævo, nomina tertiæ declinationis in recto et accusativo plurali per *es* et *is* promiscue terminare, et aliquando etiam per *eis*, quia multi solebant *ei* diphthongum pro *i* longa usurpare, more Græcorum. Quamobrem sæpissime in antiquis optimæ notæ monumentis legere est: *Ob civis servatos*, et *Intra suos fineis*, etc., qua de re, qui plura volet, legat *Noris. Cenotaph. Pis. Dissertat.* 4. *c.* 3. — De vocis etymologia nihil certi protulerunt ipsi Latini: *Varro* enim ait 5. *L. L.* 160. *p.* 62. *Müll.* Ædis ab aditu, quod plano pede adibant. Et *Paul. Diac.* p. 13. 3. *Müll.* Ædis domicilium in edito positum simplex atque unius aditus. Sive ideo ædis dicitur, quod in ea ævum degatur, quod Græce αἰὼν vocatur. *Incerti* itaque hæremus; idque tantum affirmamus, vocem hanc cum Græca ἦθος, unde usitatum plur. ἤθεα, ἤθη (*quod est* domicilium, mansio, sedes consueta), necnon cum antiquissima Germanica *aide* conjungi posse. — Ædes autem proprie est exstructio hominum arte fabricata, tectum, habitaculum, in quo quis permanet, ac propterea exstructio hominum habitationi apta, *h. e.* It. *appartamento*, Fr. *appartement*, Hisp. *quarto de casa*, Germ. *Gemach*, Angl. *apartment*: ita enim putasse *Varro* videtur, cujus sententiam hisce verbis refert *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 512.; *Varro locum quattuor angulis conclusum ædem docet vocari debere.* Idipsum confirmatur a communi ipsius vocabuli apud veteres usu, de quo hæc *Varro* 5. *L. L.* 160. *p.* 62. *Müll.*: *Itaque ex* ædibus *efferri indictivo funere præco eos dicit, qui ex* tabernis *efferuntur, et omnes in censu* villas *inde dedicamus* ædes; quamvis posteriori ætate discrimen inter *ædem* et *villam* statutum sit (*V.* infra Homonym.). Sed loquendi usu factum est, ut ædes sequentia significaret.

I.) Proprie. ¶ 1. — *a*) Raro plur. numero, nec sæpe sing. occurrit pro parte domus, in qua quis habitat, et pro singulis cubiculis (It. *appartamento*, *stanza*, *camera*; Fr. *appartement*, *pièce*, *chambre*; Hisp. *quarto de casa*, *aposento*, *camara*; Germ. das *Gemach*, *einzelne Zimmer eines Hauses*; Angl. *apartment in a house*, *a room*, *chamber*). *Plaut. Cas.* 3. 5. 31. Insectatur omnes domi per ædes. Græci eadem ratione οἴκους appellant cubicula et cellas domus; ut etiam *Vitruv.* 6. 5. et 6. (6. 3. 8. et 10. *Schneider.*). *Curt.* 8. 6. 3. Excubabant – proximi foribus ædis, in qua rex acquiescebat. *Id. ibid.* § 13. Stabant igitur ad fores ædis ejus, in qua rex vescebatur. *Gell.* 4. 14. Mancinum ad ædes suas venisse, cum sibi fas recipere non fuisse æde suâ. — *b*) Interdum sing. numero ponitur generatim pro tota domo, in qua homines habitant (It. *casa*; Fr. *maison*; Hisp. *casa*; Germ. *das Haus*; Angl. *a house*). *Plaut. Asin.* 1. 3. 67. Ædis nobis area est, auceps sum ego. *Id. Most.* 2. 2. 44. Capitalis ædis facta est. *Horat.* 1. *Od.* 30. 1. O Venus – vocantis Ture te multo Glyceræ decoram Transfer in ædem. — *c*) Sæpissime plur. numero *ædes*, *ium* usurpantur ad hominum domicilium significandum, quod scilicet hominum domicilium ex pluribus constet ædibus vel cubiculis: quo sensu *ædes* differunt cum ab *ædificio*, tum a *domo* et a *villa* (*V.* infra Homonym.): immo nonnunquam et a sacris distinguebantur addito Adject., ut apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. *Ex quo transitiones jani, foresque in liminibus* profanarum *ædium januæ nominantur.* Et *Varro* 5. *L. L.* 8. p. 32. *Müll.* *Qui ædes* sacras *et* privatas *procuraret.* In usu tamen loquendi *ædes* proprie usurpantur de urbano ædificio, in quo plures erant aditus et cives præsertim divites habitabant (It. *casa o palazzo di città*; Fr. *maison ou palais dans la ville*; Hisp. *casa ó palacio en ciudad*; Germ. *das gewönliche burgerliche Wohnhaus in der Stadt*; Angl. *a house in city*). *Plaut. Merc.* 5. 2. 58. CHAR. Dic igitur, ubi illa est? EVT. In nostris ædibus. CHAR. Ædis probas, si tu vera dicis, pulcreque ædificatas arbitror. *Id. Most.* 1. 2. 18. Ædes quom extemplo sunt paratæ, expolitæ, factæ probe, examussim, laudant fabrum, atque ædes probant. Et *ibid.* v. 25. Hic jam ædibus vitium additur. *Ter. Heaut.* 2. 3. 13. Ædes nostræ vix capient, scio. *Id. Andr.* 2. 2. 27. In ædibus. *Cic.* 3. *Verr.* 19. 50. Quæ cognovi egomet apud istam in ædibus. *Id. ibid.* § 51. Duo signa, quæ in mediis ædibus sunt. *Virg.* 2. *Æn.* 512. ædibus in mediis. *Ter. Heaut.* 5. 1. 29. Ultimis in ædibus. *Id. Andr.* 4. 4. 34. Ante ædes. *Plaut. Stich.* 1. 2. 8. Ædes nitidæ. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. regiæ. *Id.* 3. *Off.* 13. 54. male materiatæ, ruinosæ, pestilentes, salubres. *Virg.* 2. *Æn.* 487. cavæ. *Sueton. Cæs.* 46., *Aug.* 72. et *Tib.* 11. modicæ. *Id. Tib.* 1. sordidæ. *Liv.* 30. 17. liberæ. *h. e.* incolis vacuæ. *Ter. Phorm.* 4. 4. 25. Introire in ædes. *Id. Adelph.* 1. 2. 8. irruere. *Id. Eun.* 5. 2. 58. recipere. *Id. Hec.* 4. 1. 40. Efferre extra ædes. — *Ab ædibus esse*, ædibus curandis et custodiendis præpositum esse. *Vet. Monum.* apud *Grüter.* 607. 1. DOMINI N. IMP. ANTONINI AVG. MATRIS LIBERTVS COGNITVS MIHI EX LONGO TEMPORE CVM AB AEDIBVS ESSEM. — *NB.* Monet *Valla* l. 3. *Elegantiar.* c. 7. cum de sacris ædibus sermo est, dici duas, *tres*, *quatuor ædes*; cum vero de privatis, *unas* (ut *Ter. Eun.* 2. 3. 76.), *binas*, *ternas*, etc., licet distributio nulla fiat. *Scævola JCtus* apud *Marcell. Dig.* 8. 2. 9. Binas ædes habeo: alteras tibi lego, etc. *Liv.* 27. 23. Capuæ duas ædes Fortunæ et Martis, et sepulcra aliquot de cælo tacta. Adde 37. 41. 8. Hoc tamen discrimen perpetuum non est. *Ulp. Dig.* 8. 4. 6. Si quis duas ædes habeat, et alteras tradat. *Et mox.* Duas autem ædes simul tradendo, etc. ¶ 2. Sing. numero, aut etiam plur. si de pluribus sermo est, fere cum addito alicujus dei nomine, nisi ex orationis contextu pateat, aut cum additis *sacra*, *sacræ*, *deorum* etc.: *ædes* significat locum diis sa-

erum, et differt a templo, ut infra in **Homonym.** (It. *abitazione o sede di un dio, tempietto*; Fr. *résidence d'un dieu, temple, chapelle*; Hisp. *habitacion, residencia de un dios, capilla*; Germ. *der Wohnsitz oder das Haus eines Gottes, ein Gotteshaus, Gottersitz*; Angl. *a temple, house or worship*). — *a*) Cum addito alicujus dei nomine. *SenatusCons. de Bacchan.* APVD AEDEM DVELONAI. *Cic.* 3. *Verr.* 17. 45. Athenis audistis ex æde Minervæ grande pondus auri ablatum. Adde 6. *ibid.* 55. 122. *Id.* 2. *Catil.* 6. 12. Hesterno die – senatum in ædem Jovis Statoris vocavi. *Id.* 5. *ibid.* 9. 21. In ædem Concordiæ duci. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 12. In qua (*epistola*) de æde Telluris et de porticu Catuli me admones. *Id. Parad.* 4. 2. 31. Ædes Nympharum manu tua deflagravit. *SenatusCons.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 5. In æde Apollinis. *Nepos* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Ædis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. *Varro* apud *Gell.* 14. 7. Ac ne ædem quidem Vestæ templum esse. *Id.* apud *Non.* p. 531. 23. *Merc.* Ubi nunc est ædis deûm Penatium. *Liv.* 1. 33. Ædis Jovis Feretrii. *Id.* 2. 21. Mercurii. *Id.* 6. 5. Martis. *Id.* 7. 20. Apollinis. *Id.* 27. 11. Fortunæ. *Id. ibid.* 37. Junonis Reginæ in Aventino. *Vitruv.* 5. 1. 7. Augusti, Jovis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (43). Jovis, Junonis. *Sueton. Aug.* 29. Martis Ultoris, Jovis Tonantis, Dianæ, Saturni. *Id. Calig.* 44. Martis, *et alii sæpe. Monum. Scipion.* apud *Orell. Inscript.* 551. DEDET TEMPESTATIBVS AIDEM MERITO. *Liv.* 2. 21. His consulibus ædis Saturno dedicata est. Adde 35. 41. *Sueton. Cæs.* 10. Geminis fratribus ædes in foro constituta. — *NB.* Interdum *ædes* omittitur per ellipsim. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 35. Ventum erat ad Vestæ. Adde *Cic.* 2. *Phil.* 37. 93. et 14. *Att.* 14. 5., et *Liv.* 2. 51., 10. 23. et 41. 28. — *b*) Nullo addito dei nomine, cum ex orationis contextu de sacra æde sermonem esse monemur. *Cic.* 2. *Legg.* 23. 58. Ea causa fuit hujus ædis (*Honoris*) dedicandæ. *Id.* 3. *Orat.* 46. 180. Capitolii fastigium et ceterarum ædium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. *Varro* apud *Non.* p. 494. 7. *Merc.* Hæc ædis, quæ nunc est, multis annis post facta sit etc. *Vellej.* 1. 11. 5. Hic idem primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit. *Sueton. Galb.* 8. Cum sacrificaret intra ædem publicam. Adde *Aug.* 97. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 37. hæc ego ludo, Quæ neque in æde sonent certantia judice Tarpa. *h. e.* in æde Apollinis, ubi Latina poemata publice recitabantur; de qua *Id.* 2. *Ep.* 2. 94. Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem. — *c*) Cum additis *sacra, sacræ, deorum* etc., præcipue plur. numero, ut ab hominum domiciliis distinguerentur. *Cic. Flacc.* 19. 44. Majorem (*pecuniam*) – in ædem sacram reficiendam se perscripsisse dicunt. *Cic. Dom.* 49. 128. Sed quia consecrabantur ædes non privatorum domicilia, sed quæ sacræ nominantur. *Id.* 6. *Verr.* 53. 119. In qua (*urbe*) gymnasium amplissimum est et complures ædes sacræ. Adde *Sext.* 44. 95. *Varro* apud *Gell.* 14. 7. Non omnes ædes sacras templa esse. Adde *Sueton. Aug.* 30. et 100. *Horat.* 3. *Od.* 6. 2. donec templa refeceris Ædesque labantes deorum. *Sueton. Calig.* 21. Ædes deorum. *Tac.* 2. *Ann.* 49. Ædes deûm. — *NB.* Utrum *ædes duæ* dicendæ sint, an *binæ* V. supra I. 1. in fine. ¶ 3. Quoniam sepulcra a Latinis sacra et religiosa habebantur, ita ædis nomine aliquando significantur. *Ovid. Heroid.* 7. 99. Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus. *Sueton. Cæs.* 84. appellat ædem pegma ligneum auratum et ad modum ædis compositum, in quo Cæsaris cadaver condendum et servandum erat. *Inscript.* apud *Orell.* 132. CVIVS HONORIFICAE VITAE NON IMMEMOR HERES QVINQVAGINTA MEIS MILLIBVS, VT VOLVI, HANC AEDEM POSVIT STRVXIDQVE NOVISSIMA TEMPLA MANIBVS ET CINERI.

II.) Translate, plur. pariter num. ¶ 1. Per imaginem — *a*) Dicuntur de apum alveis. *Virg.* 4. *G.* 258. Aut intus clausis cunctantur in ædibus omnes. — *b*) Audaciori multo translatione *Plaut. Pseud.* 1. 5. 54. Fac, sis, vacivas ædes aurium, mea ut migrare dicta possint. *h. e.* aurium cellas, cubicula. *V.* supr. I. 1. *a.* ¶ 2. Metonymice ædes dicuntur ipsarum ædium incolæ. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 39. Credo hercle has sustollat ædes totas in crucem. *Id. Truc.* 2. 8. 8. Ut ego his suffringam talos totis ædibus.

Homonym. Ædes differt ab *ædificio*; *ædificium* enim significat non modo domum, ædes, verum etiam quamcumque extructionem, etiamsi habitationi apta non sit, ut porticus, propugnacula etc.; *ædes* vero est extructio habitationi apta. *Liv.* 38. 38. Quæ **ædes ædificiaque** intra fines regni Antiochi sunt. — Differt et a domo, quæ plures ædes tamquam partes continet, scilicet plura cubicula et cellas complectitur (*V.* supr. I. 1. *a.*). *Virg.* 2. *G.* 461. Si non ingentem foribus **domus** alta superbis Mane salutantum totis vomit **ædibus** undam. *Domus* præterea est urbanum et splendidum divitum ac potentiorum habitaculum, cui plures erant aditus; ædes erant urbanum domicilium, sed simplex atque unius aditus, ut ait *Paul. Diac.* p. 13. 3. *Müll.* — Quamvis aliquando *ædium* appellatione omnes habitationis species contineantur, ut *Nerat. Dig.* 47. 9. 9. scribit; unde et *villæ* in censu hoc nomine appellantur, teste *Varr.* 5. *L. L.* 160. p. 62. *Müll.*: in usu tamen loquendi *ædes* proprie de urbano ædificio, de rustico *villa* dicitur, ut docet *Florentin. Dig.* 50. 16. 211. — Denique *ædes sacra* differebat a *templo*: namque jam inde a priscis temporibus exterius terræ spatium, quod pariter sacrum erat, majus ante *templa* fuit, quam circum *ædes*; atque insuper *templum* ex pluribus iisque magnificis constabat ædificiis, *ædes* vero uno tantummodo. Progressu autem temporis lata *lege dedicationis* aliud discrimen intercessit: *templa* enim non consecrabantur solum, sed etiam inaugurabantur; *ædes* etiam sine inauguratione sacræ erant. *Varro* apud *Gell.* 14. 7. Non omnes **ædes sacras templa** esse, ac ne **ædem** quidem Vestæ **templum** esse. *Et paullo sup.* In loco, per **augures** constituto, quod **templum** appellaretur. *Idem Varro* 7. *L. L.* 10. p. 121. *Müll.* Sed hoc ut putarent, **ædem sacram templum** esse, factum quod in urbe Roma pleræque **ædes sacræ** sunt **templa**, eadem sancta. *h. e.* inaugurata. *Festus* p. 189. 20. *Müll.* Hujus ædis lex nulla extat; neque templum habeat, necne scitur. *V.* et TEMPLUM. *Suetonius* tamen minus accurate hæc duo promiscue usurpavit: ait enim *Cæs.* 78. Sedens pro æde Veneris Genitricis. Et *ibid.* 84. de eadem dixit: Ad simulacrum templi Veneris Genitricis.

ÆDĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. *ab* ædis. Legitur et ÆDICLA in vet. *Inscript. Mus. Veron.* 87. 4., quæ est apud *Orell.* 1624. ¶ 1. Ut hominum habitatio. — *a*) Sing. numero est parva ædium pars, cella, cubiculum (It. *stanzetta, cameretta*; Fr. *petite chambre, chambrette*; Hisp. *aposentillo, camareta*; Germ. *kleines Gemach*; Angl. *a room, chamber, apartment*). *Plaut. Epid.* 3. 3. 19. Cave, siris cum filia mea copulari hanc, neque conspicere: jam tenes? In ædiculam istanc seorsum concludi volo. — *b*) Plur. numero pro parvis tantum ædibus ponitur (It. *casetta, picciola abitazione*; Fr. *petite habitation, chétive maisonnette*; Hisp. *pequeña habitacion, casica*; Germ. *kleines Wohnhaus, Hauschen*; Angl. *a small habitation, small house, low building, cottage*). *Cic. Parad.* 6. 3. 50. M. Manilius pauper fuit; habuit enim ædiculas in Carinis et fundum in Labicano. *Id. Cæl.* 7. 17. Cujus (*P. Clodii*) hic in ædiculis habitat, decem ut opinor millibus. *Petron. Satyr.* 90. Mando ædicularum custodi cœnulæ officium. ¶ 2. Ut deorum habitatio vel sedes. — *a*) Sing. ferme numero ponitur pro parva æde sacra, sacello; sive ea majori templo juncta aut inclusa sit, sive non. *Liv.* 35. 9. Iisdem diebus ædiculam Victoriæ virginis prope ædem Concordiæ M. Porcius Cato dedicavit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 37. (204). Alteram insulam Junoniam appellari; in ea ædiculam esse tantum lapide extructam. *Inscript.* apud *Murat.* 133. 2. Ædiculam Bonæ deæ restituere. — *b*) Hinc est etiam loculamentum simulacri, et plur. quoque numero usurpatur (It. *nicchia*; Fr. *niche*; Hisp. *nicho*; Germ. *die Nische*; Angl. *the shrine or niche*). *Cic. Dom.* 53. 136. Cum Licinia – aram et ædiculam et pulvinar dedicasset. *Liv.* 35. 41. 10. Quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Jovis supra fastigium ædiculæ. *Forcellinus* in duobus hisce locis *ædiculam* pro *sacello* accipit: aliter *Freund, Klotz* et recentiores Philologi plerique omnes. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (19). Ædiculam æream fecit in Græcostasi. *Id.* 36. *ibid.* 13. 19. (87). Nemeses quindecim ædiculis inclusit. Adde 35. *ibid.* 10. 36. (108). et 36. 5. 4. (36). *Petron. Satyr.* 29. *in fin.* Grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum. *Inscript.* apud *Orell.* 4456. CLAVDIAE . SEMNE . CONIVGI . DVLCISSIMAE M. VLPIVS AVG. LIB. CROTONENSIS FECIT. – HVIC MONVMENTO . CEDIT HORTVS . IN . QVO TRICLIAE VINIOLA . PVTEVM . AEDICVLAE IN . QVIBVS . SIMVLACRA CLAVDIAE SEMNES . IN . FORMAM . DEORVM. ¶ 3. Ædiculæ dicuntur in sepulcris loculamenta reponendis urnulis et ollis cinerum. *Inscript.* apud *Orell.* 4512. FLAVIA EVROPE MEMORIAM SE VIVA FECIT SIBI ET SVIS – COHAERENTIBVS CVM AEDICVLIS. Et *ibid.* 4513. D. M. S. – AD HAS AEDICVLAS ET OLLAS ITVM ADITVM AMBIT. ET HAVSTVM PRAESTARI DEBET. IN FRONTE COMPREHENSIS AEDICVLIS TRIBVS PED. OCTO. INTRORSVS PED. DVO IN QVIBVS AED. ET COLVMB. OLLAE SVNT N. XXIII.

ÆDĬCŬLUM, i, n. 2. idem ac ædicula. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 125. VOTO SVSCEPTO BONAE DEAE ASTRATTON CAESARIS VILIC. AEDICVLVM, ARAM, SEPTVM CAVSVM VETVSTATE DIRVTA RESTITVIT. Sed fortasse mendum est marmorarii, vel potius ejus, qui exscripsit. Hinc apud *Murat.*, qui *Inscript.* 133. 2. eamdem affert, legitur *ædiculam*. Idem sentit *Orell.* 1515. ex *Fabr.* p. 3. 9. et *Spon Misc.* 235. 3.

ÆDĬFĂCĬO, is, ēci, actum, ere a. 1. ædem facio, ædifico. *Labeo Dig.* 19. 2. 60. Mandavi tibi, ut excuteres, quanti villam ædifacere velles. *Ita legitur in celebri editione Torrentini*: *in aliis* ædificare.

ÆDĬFEX, ĭficis, m. 3. ædificator. *Tertull. Idolol.* 12. Ex similitudine providentissimi ædificis illius, qui etc.

ÆDĬFĬCANTER. Adverbium hoc nulla firmatum auctoritate exempli gratia in medium affert atque improbare videtur *Charis.* 2. p. 166. *Putsch.*

ÆDĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (ædifico) actus ædificandi (It. *fabbrica*; Fr. *édification*; Hisp. *edificacion*; Germ. *der Bau*; Angl. *a building*).

I.) Proprie. ¶ 1. Omnino abstracte est ipse actus ædificandi. *Cic.* 12. *Att.* 38. 4. Ædificatio me non movet. Nihil enim aliud ædificabo etc. *Id. Pis.* 21. 48. Immensa et intolerabilis ædificatio. *Id.* 13. *Fam.* 1. 3. Ædificationis consilium abjicere. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 7. Ædificationem sustentare ad adventum alicujus. *Varro* 1. *R. R.* 13. 6. Si ad horum luxuriam dirigas ædificationem. *In architectura* tres cum sint partes, ædificatio, gnomonice et machinatio; illa definitur a *Vitruv.* 1. 3. 1. ut bipartito divisa sit, una mœnium *et communium operum in publicis locis collocatio*, altera *privatorum ædificiorum explicatio*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 8. (30). Machinæ ædificationum. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est ædificium ipsum jam perfectum. — *a*) Generatim. *Cic.* 5. *Fam.* 6. 3. Domum tuam et ædificationem omnem perspexi et vehementer probavi. *Id.* 6. *Verr.* 52. 117. Et portus habet (*urbs Syracusarum*) prope in ædificatione adspectuque urbis inclusos. — *b*) Singillatim. *Cato* apud *Gell.* 13. 23. Neque mihi ædificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manu pretiosum.

II.) Translate. *Vulgat. Interpr.* 2. *Cor.* 12. 19. Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram. *Et sæpe apud Scriptores Eccles.*

ÆDĬFĬCĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. parva ædificatio (It. *fabbrichetta*; Fr. *petite construction*; Hisp. *pequeña edificacion*; Germ. *ein kleiner Bau*; Angl. *a small building*). *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 5. Ecquid de illa ædificatiuncula mandavisses.

ÆDĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. (ædifico) fabricator (It. *fabbricatore*; Fr. *qui bâtit*; Hisp. *edificador*; Germ. *der Bauer oder Erbauer*; Angl. *a builder, founder*). ¶ 1. Omnino proprie. *Dig.* 43. 1. 137. § 3. Ædificator diligens. *Cod. Theod.* 15. 1. 46. privatus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 18. Ædificatores mundi. *Id. Tim.* 2. Neque mundo quidquam pulcrius, neque ejus ædificatore præstantius. ¶ 2. Eleganter *ædificator* dicitur, qui ædificandi nimia quadam libidine laborat. *Nep. Att.* 13. 1. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 8. Eleganter igitur ædificet agricola, nec sit tamen ædificator. *Juvenal.* 14. 86. Ædificator erat Centronius etc. *Flor.* 1. 8. 4. in bonam partem: Quod ædificator Ancus? Ut Urbem extenderet etc.

ÆDĬFĬCĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad ædificationem pertinens. ¶ 1. Proprie. *Tertull. Anim.* 47. Ædificatoria somnia. — Hinc *ædificatoria, æ*, f. absolute est architectura. *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 1. p. 680. Ut in medicina, vel ædificatoria. ¶ 2. Translate. *Tertull. Carn. Christ.* 17. Verbum ædificatorium mortis. *h. e.* quod mortis causa fuit.

ÆDĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* ÆDIFICO.

ÆDĬFĬCĬĀLIS, e, adject. ad ædificia seu ædes per-

tinent. *Ædificialis* dictus est Jupiter Herceus, quia, ut ait *Paul. Diac.* p. 101. 2. *Müll.*, intra conseptum domus cujusque colebatur; quem etiam Deum penetralem appellabant. *Dictys* 5. 12. Priamus re cognita ad aram Jovis ædificialis confugit. *Alii legunt* ante ædificiale, *h. e.* ante ædes: aras enim Græci ante fores ædium internas in impluvio habuisse dicuntur.

ÆDIFICIOLUM, ii, n. 2. *deminut.* ædicula. *Vetus lapis* non optimæ notæ apud *Grut.* 809. 2. HIC LOCVS CVM HORTVLO SVO RELIGIOSO ET AEDIFICIOLIS SVIS MVRO CIRCTVS PERTINET AD SERVILIVM MINDIAE IVLIAE ET P. AELII PHILETI etc. Adde alium apud *Donium cl.* 12. *n.* 32., et alios apud *Murat.* 1013. 5. et 1130. *n.* 6.

ÆDIFICIUM, ii, n. 2. *Varro* 5. *L. L.* 141. *p.* 55. *Müll.* Ab ædibus et faciendo maxume ædificium. Significat plus quam *ædes*, scilicet non modo domum et ædes, verum etiam aliam quamcumque extructionem, etiamsi habitationi apta non sit; ut porticus, propugnacula etc. *V.* ÆDES Homonym. (It. *edifizio, fabbrica*; Fr. *édifice, bâtiment*; Hisp. *edificio*; Germ. *das Gebaude*; Angl. *an edifice, fabric, building*). *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 7. Quid? si cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium? *Id. Mil.* 27. 75. Extruere ædificium in alieno. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. et *Sall. Jug.* 23. Incendere ædificia. *Liv.* 5. 41. Plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum. *Cels.* 1. 2. Lucido ædificio habitare. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (23). Quercus utilis ædificiis. *Sueton. Aug.* 30. Ædificiorum prolapsiones. *Nep. Att.* 13. 2. Cujus (*domus*) amœnitas non ædificio, sed silva constabat. *Inscript.* apud *Henzen.* 6316. DISP. (*h. e.* dispensator) MATERNVS AB AEDIFICIIS VOLVPTARIIS. Ita enim legendum puto, non *voluntariis*. Cf. *Cic.* 12. *Att.* 25. et *Fronton. de fer. Als. Ep.* 3. ed. *Mai.* — *Forcellinus* in fine hujus vocis hæc habet: Proprie si loquamur ædificium accipitur pro extructione quæ habitandi causa fit, et quidem pro urbana; nam a *villis* et *monumentis* aperte distinguit *Martian. Dig.* 1. 8. 4. Verba *Martiani* hæc sunt: Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur piscandi causa: dum tamen villis, et ædificiis, et monumentis abstineatur: quia non sunt juris gentium, sicut et mare. *Ædificia* ad littus maris hoc loco, ni fallor, intelligenda sunt portus, armamentaria, propugnacula aliaque hujusmodi, potius quam hominum tantummodo habitacula.

ÆDIFICO, as, ävi, ätum, are, a. 1. (*ædem et facio*). Part. *Ædificans, Ædificatus* et *Ædificaturus* I. 2.; *Ædificandus* II. — Proprie significat ædem seu habitationem facere, aut aliam quamvis e muro extructionem (It. *edificare, fabbricare*; Fr. *bâtir, édifier, construire*; Hisp. *edificar, construir, fabricar*; Germ. *einen Bau machen, ein Gebaude errichten, bauen, erbauen*; Angl. *to build, erect, rear a building*).

I.) Proprie. ¶ 1. Absolute, hoc est stricto sensu. *Cato R. R.* 3. 1. Ædificare diu cogitare oportet. — Tum ædificare oportet, si agrum consitum habeas. Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam. Adde *ibid. c.* 4. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 3. Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. Ne accuratius ad frigora atque ad æstus vitandos ædificent. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 308. Primum ædificas, id est longos imitaris. *Id.* 1. *Ep.* 1. 100. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 4. 8. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 56. per jocum: Ecce, ædificat: columnam mento suffulsit suo. ¶ 2. Cum Accus. latiori significatione est construere. — *a*) De quacumque e muro extructione. *Cato R. R.* 3. 2. Patrem familiæ villam rusticam bene ædificatam habere expedit. *Id. ibid.* 4. Villam urbanam pro copia ædificato. *Cic.* 3. *Off.* 13. 55. Ædificare villam bene. *Id.* 2. *Legg.* 1. 3. villam lautius. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 4. 2. et 1. *Off.* 39. 138. domum strenue. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 247. casas. *Cic. Dom.* 43. 114. Ædificandi illam porticum. *Id. Sull.* 25. 70. et 7. *Verr.* 9. 22. Ædificare carcerem. *Ovid.* 11. *Met.* 204. muros. *Liv.* 5. 55. urbem. *Cic.* 2. *Off.* 4. 15. urbes. *Id.* 16. *Att.* 3. 4. Prædiola belle ædificata. *h. e.* agelli cum villa aliove ædificio bene constructo. *Id.* 6. *Verr.* 55. 123. Id quod erat ædificaturus. — *b*) Dicitur et de aliis rebus. *Virg.* 2. *Æn.* 15. Ædificare equum (*ligneum*). *Plaut. Merc. prol.* 87. navim. *Cic.* 7. *Verr.* 17. 43. et 18. 44. navem. *Id. leg. Manil.* 4. 9. et *Nep. Themist.* 2. classes. *Liv.* 26. 1. hiberna. *Id.* 5. 2. hibernacula. *Varro* 3. *R. R.* 17. 5. piscinas. *Cic.* 9. *Att.* 13. 8. hortos. *Pompon. Dig.* 4. 1. 30. *extr.* insulam. *h. e.* efficere, minime vero colere. *Sueton. Vesp.* 8. Vacuas areas occupare et ædificare – cuicumque permisit. *sed dubia est lectio.*

II.) Translate. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 63. Qui in Timæo mundum ædificavit Platonis deus. Cf. *eumd.* 1. *Nat. D.* 8. 19. *Id.* 9. *Fam.* 2. 5. Non deesse – non modo ut architectos, verum etiam ut fabros, ad ædificandam rempubl. *Juvenal.* 6. 501. tot adhuc compagibus altum Ædificat caput. *h. e.* capillorum ædificium in altum attollit. Similiter a *Claudian. Cons. Mall. Theodor.* 1. 321. *ædificare corpora crescentia nexu* dicuntur, qui alius in alium insilientes veluti ædificium struunt.

ÆDILATUS, us, m. 4. dignitas ædilis, quemadmodum dicitur pontificatus, consulatus. Hæc *Paul. Diac.* p. 13. 9. *Müll.*, sed nullam affert scriptoris auctoritatem.

ÆDILICIUS, a, um, adject. Ita semper legitur in *Inscript.* apud *Orell.* quæ infra exhibentur, et apud *Mommsen.* 5041.; nunquam vero *ædilitius*. — Est ad ædiles pertinens, vel ab ædilibus profectus. *Plaut. Capt.* 4. 2. 43. Ædiliciæ edictiones. Sæpius tamen *ædilicium edictum*, hoc est, quod ædiles curules initio magistratus proponebant, et secundum illud dicturos se jus tota sua ædilitate profitebantur, quemadmodum et prætores, de quibus *V.* in EDICTUM § 2. Jus enim dicebant ædiles iis de rebus, quæ ad eorum officium pertinebant. Ejus autem edicti exemplum habes toto *titulo* 1. I. 21. *Dig.*, ubi etiam, quibus de rebus ædiles cognoscerent, videre est. Hinc *ædiliciæ actiones*, quæ ex ædilicio edicto manant. *Paul. Dig. loc. cit.* 17. et *toto tit.* 58. *l.* 4. *Codicis.* — *Cic.* 2. *Off.* 16. 57. Ædilicium munus. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. § 26. vectigal. *Ita recte* Lünemanus; *vulg. Ædilit.* Vectigal ædiliciorum Vectigal ædilicium erat pecunia, quam ædiles, qui Romæ ludos facerent, ad eorum impensas sublevandas per proconsules vel proprætores provinciis imperare solebant. *Id. Cluent.* 45. 126. et *Liv.* 30. 39. scriba. *Cic. Planc.* 21. 51. repulsæ. *h. e.* in ædilitate petenda. *Id. Vatin.* 7. 16. prætexta toga. *Inscript.* apud *Orell.* 3966. ornamenta. *Ibid.* 4049. honores. *Ibid.* 3838. et apud *Mommsen* 5041. potestas. *Liv.* 25. 2. largitio. *Eutrop.* 5. 6. viri. *h. e.* qui ædilitate functi sunt. *Varro* apud *Non.* p. 271. 10. *Merc.* Æquus vel ad ædilicium modium. *h. e.* dictum fere per proverbium, quia ædiles maxime curabant, ut mensuræ essent æquæ. *Forcellinus* eadem significatione eademque ferme interpretatione cum edit. *Bipont.* legit *Ad ædilicium modum parvus.* — *Ædilicius quæstor* dicitur a *Cic. Pison.* 36. 88. qui ætatem habet ad ædilitatem petendam; nam post quæsturam ea petebatur. Alii tamen aliter explicant. *Ciceronis* verba sunt: Quid quæstor ædilicius rejectus? præpositus legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus? *Orellius* uno transposito vocabulo ita legendum putat: Quid? quæstor rejectus? ædilicius præpositus? legatorum etc.

ÆDILICIUS, ii, m. 2. qui ædilitate functus est; quemadmodum *consularis*, qui consulatu. *Cic. Brut.* 28. 200. Sed omnia is summa sperans, ædilicius est mortuus. Adde *eumd. Vatin.* 7. 16. et *Varr.* 1. *R. R.* 7. 10.

ÆDILIS, is, m. 3. In veteribus monumentis occurrit etiam *Aidilis*. In Ablativo sing. habet *Ædili* (ut apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (158). et *Tac.* 12. *Ann.* 61.), et *Ædile*: quamquam hoc posterius a *Charis.* 1. p. 96. *Putsch.* allatis exemplis *P. Rutilii* et *Varronis* præfertur, et confirmatur a *Cic. Sext.* 44. 95. et *Liv.* 3. 31., ad quem locum V. *Drakenborg.* Denique hæc vox naturâ suâ sæpius in plur. numero usurpatur. — Quod ad etymologiam attinet, vox est derivata ab æde, teste ipso *Varron.* 5. *L. L.* 81. *p.* 32. *Müll.* Ædilis, qui ædes sacras et privatas procuraret; et *Paul. Diac.* p. 13. 7. *Müll.* iisdem ferme verbis. Sed *Fr. G. Schubert* (*De Romanorum Ædilibus libri quatuor*, *Regimontii* 1828. *lib.* 1. *c.* 5. *p.* 152.) ædiles statim post eorum institutionem a Cereris ædis cura nominatos esse putat. — Nomen est magistratus, cujus quatuor species fuerunt, quæ tamen ad unam sunt redigendæ: harum tres *A*) Romæ tantum fuerunt, *B*) postrema in coloniis et municipiis.

A) Romæ. — 1.) *Ædiles plebis*, vel *plebei*, vel *plebeii*, creati sunt duo simul cum Tribunis plebis, quibusdam scilicet mensibus post plebis secessionem in montem sacrum, *h. e.* anno ab Urbe condita 261., ut omnes ferme opinantur (præter *B. G. Niebhur. Röm. Gesch. Vol.* 1. p. 630. 4. *Edit.*) *Dionysium Halicarn. Antiq. Rom.* 6. 90. præcipue secuti. — 2.) *Ædiles curules* pariter duo e patriciis additi sunt, ut communis fert eruditorum opinio (præter *Niebhur. op. cit. Vol.* 3. p. 36.), anno Urbis 388. vel 389. Cf. *Liv.* 6. 42. et 7. 1. — Inter plebejos autem et curules hoc præcipue discrimen intererat, quod ædiles pl. solummodo ludos Plebejos ex communi ærario et præsertim ex multaticia pecunia facerent (V. *Liv.* 10. 23. et 27. 6., necnon *Zumpt.* ad *Cic.* 7. *Verr.* 14. 36): ædiles vero curules ludos Romanos magnos, porro Megalesios et scenicos, denique Cerealia et Floralia (quamvis aliter sentiat *Schubert. op. cit.* p. 185) proprio sumptu, paullo amplius quam privati, ut ait *Cic.* 2. *Verr.* 12. 37., edebant; ædilitas enim, teste eodem *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7., primus habebatur et erat ad honorem ampliorem gradus. Præterea ædiles curules honoribus sibi propriis fruebantur, scilicet sella curuli, jure imaginis ad memoriam posteritatemque tradendæ et antiquiore in senatu dicendæ sententiæ loco (V. *Cic.* 7. *Verr.* 14. 36.): soli denique curules legitimum proponebant edictum, quod propterea *edictum ædilitium curulium* appellabatur. V. *Dig.* 21. 1. 1. et seqq., necnon *Cic.* 9. *Phil.* 7. 17.: utraque tamen ædilitas toga prætexta utebatur, et communi jure senatum intrandi sententiamque in eo dicendi nummosque suo nomine cudendi fruebatur. — Ceterum, quamvis res multa teneatur obscuritate (V. *Niebhur. op. cit. Vol.* 3. p. 48.) omnia munera primaria et secundaria ædilibus cum plebejis, tum curulibus promiscua fuisse videntur; et ita quidem, ut quæ ad tutelam, securitatem munditiemque publicam atque res venales trahi possent, per certas Urbis regiones ædiles inter se dividerent et sortirentur, ceteraque conjunctim administrarent. Ædilium itaque erat non solum ludos publicos edere, ut superius diximus, sed sacras ædes externe interneque curare (V. *Cic. Haruspic. resp.* 13. 37.); ædificia cujuscumque generis publica, vias, aquæductus, balnea, cloacas, popinas ipsas ganeasque, necnon privata quoque ædificia procurare, ut ad publicam sanitatem munda omnia integraque essent, et si quando excitarentur incendia, extinguerentur; ea quoque omnia curare, quæ ad honestatem sustinendam et nimiam sumptuum luxuriam coercendam maxime conferrent, publicam insuper quietem urbisque salutem tueri honestamque civium peregrinorum vitam observare: denique prospicere, ut frumentum semper largiter Romam adveheretur modicoque pretio venderetur, ne unquam plebs annonæ caritate laboraret; ut ceterarum quoque rerum in primisque cibi semper adesset copia, ut justo pretio venirent, neve vitiosa pro sinceris, fracta pro integris etc. venum exponerentur; ut iniquæ mensuræ perfringerentur, omniaque metiendi vasa ac pondera ad exemplaria publice deposita ordinarentur ac designarentur (in quibus negotiorum curis Ædiles cum Græcis ἀγορανόμοις conferri possunt). *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. SVNTOQVE AEDILES, COERATORES VRBIS, ANNONAE LVDORVMQVE SOLLEMNIVM: OLLISQVE AD HONORIS AMPLIORIS GRADVM IS PRIMVS ASCENSVS ESTO. *Plaut. Rud.* 2. 3. 43. Neptunus ædilis fastidiosus est: si quæ improbæ sunt merces jactat omnes. *Inscript.* apud *Henzen.* 7133. EX INIQVITATIBVS MENSVRARVM ET PONDER. C. SEPTIMIVS CANDIDVS ET P. MVNATIVS CELER AED. STATERAM AEREA ET PONDERA DECRET. DECVR. PONENDA CVRAVERVNT. Adde, præter loca superius citata, *Ter. Eun. prol.* 20. et *Monum. Scipion.* apud *Orell. inscript.* 550. — Extraordinaria ædilium munera videsis apud *Schubert. op. cit. lib.* 2. *c.* 6. — Ætas huic magistratui capessendo apta erat annorum triginta septem, ut est apud *Manut.* et alios: videsis tamen *Schubert. op. cit. lib.* 2. *c.* 1. — Ædilium ministri erant Scribæ, Præcones et Viatores; quibus addi possunt et Magistri vicorum, quamvis hi, semper ex civibus ipsis allecti, neque mercede, neque severiore obsequio erga Ædiles conducerentur. — 3.) Civium numero Romæ aucto et Romanorum imperio uni viro permisso, C. Julius Cæsar, anno ante Chr. n. 45., duos adhuc novos ædiles e plebe creavit, qui præ ceteris frumento præessent, ita ut iis sola providendi cura demandaretur, ut semper satis frumenti esset in Urbe, quique a Cerere *ædiles Cereales* appellati sunt (V. *Dion. Cass.* 43. 51., *Sueton. Cæs.* 41. et *Dig.* 1. 2. 32.): horum tamen officia haud multo post deminuta fuisse videntur, creato *annonæ præfecto* ab Augusto (V. *Dion. Cass.* 52. 24. et 33., *Sueton. Aug.* 37. et *Tac.* 1. *Ann.* 7.). Sub Impera-

toribus vero paullatim ædilium curæ imminutæ sunt vel permutatæ, ita ut sub Flaviis, scilicet sæculo secundo ac tertio a Chr. nat., hujusmodi magistratus Romæ nullus omnino fuerit. — Si quis de Romanis ædilibus plura desiderat, adeat *Schubert. op. cit.* et *Pauly Real-Encyclop. Vol.* 1. *p.* 83.

B) Diutius perdurarunt *ædiles coloniarum et municipiorum*, qui a priscis inde temporibus romanarum dignitatum affectatione instituti fuerant. Hi autem unus, duo, tres, quatuor, vel plures erant, quibus cura commissa erat sacrarum ædium religiosorumque rituum, publicorum ædificiorum, necnon publicæ tranquillitatis atque administrationis. *Cic.* 13. *Fam.* 11. 3. Constituendi municipii causa hoc anno ædilem filium meum fieri volui et fratris filium et M. Cæsium —: is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus creari solet: quos cohonestaris in primisque me, si res publica municipii tuo studio, diligentia bene administrata erit. *Pers.* 1. 124. Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti ædilis iniquas. Adde *Juvenal.* 10. 102. *Id. Juvenal.* 3. 179. Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ. Adde *Sueton. Rhet.* 6., *Dig.* 50. 2. 12. Hinc *ædilis duovir* apud *Henzen. inscript.* 7027. et *IIvir ædilis* apud *Orell.* 3312.; *IIIvir ædilis* apud *Orell.* 3836.; *IIIIvir ædilis* apud *Henzen.* 7057. 7146. et alibi sæpe, et *IIIIvir ædiliciæ potestatis* apud *Orell.* 3949. 1404. et alibi sæpe; *VIIIvir ædiliciæ potestatis* apud *eumd.* 3963.; *ædilis annonæ* apud *eumd.* 3787.: quibus addatur *ædilis juri dicundo* apud *Orell.* 3431. et apud *Mommsen.* 911. et 1484.; *ædilis pro quæstore* apud *Orell.* 3260.; et *ædilis habens jurisdictionem quæstoris pro prætore* apud *Henzen.* 6950. — Plura desideranti præsto erit *Ev. Otto de ædilibus coloniarum et municipiorum. Edit.* 2. *Lipsiæ* 1733. — NB. *Forcellinus* adjective *ædiles ludi* dictum esse affirmat a *Plaut. Pœn.* 5. 2. 51. Non audis? mures Africanos prædicat in pompam ludis dare se velle ædilibus. *Sed ludis est Ablat., ædilibus autem est Dat.*

ÆDĪLĬTAS, ātis, f. 3. dignitas, seu magistratus ædilium (It. *edilità*; Fr. *édilité*; Hisp. *edilidad*; Germ. *die Aedilitat*; Angl. *the office of Edile*). *Cic. Harusp. resp.* 13. 27. Curulis ædilitas. *Id.* 2. *Off.* 16. 57. furiosa. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. 2. Splendor ædilitatum. *Id.* 2. *Off.* 17. 59. Sumptus ædilitatis. *Id.* 3. *Verr.* 12. 36. Munus ædilitatis. *Inscript.* apud *Gruter.* 408. 1. PER AEDILITATIS GRADVS IN CVRIAM ADMISSI. *Id.* 2. *Off.* 17. 58. Mamerco prætermissio ædilitatis consulatus repulsam attulit. *Id. ibid.* 16. 57. Ædilitate magnificentissima fungi. Adde *Planc.* 5. 13. et *Sueton. Rhetor.* 6. *Plaut. Stich.* 2. 2. 29. per jocum: Ædilitatem gerere. *Cic. Cluent.* 25. 69. petere. *Liv.* 32. 7. fastidire. *Sueton. Cæs.* 9. inire.

ÆDĪLĬTĬUS, a, um. *V.* ÆDILICIUS.

ÆDIS, is. *V.* ÆDES.

ÆDĬTĬMOR. *V.* ÆDITUMOR.

ÆDĬTĬMUS. *V.* ÆDITUMUS.

ÆDĬTŬA, æ, f. 1. (æditus) mulier templi custos (It. *donna custode del tempio*; Fr. *gardienne d'un temple*; Hisp. *la que guarda y cuida de un templo*; Germ. *Tempelhüterin*; Angl. *a female keeper of a temple*). *Inscript.* apud *Orell.* 2444. ex *Fabrett.* p. 40. 210. DORIDI ASINII GALLI AEDITVAE A DIANA ANTIOCHVS CONSER. B. M. F. *Tertull. Cult. fem.* 1. Cum omnes templum simus Dei, ejus templi æditua et antistes pudicitia est.

ÆDĬTŬĀLIS, e, adject. ad æditum vel ædituam pertinens. *Tertull. Pudic.* 16. Non scitis vos templum Dei esse, qui et templo sanciendo purificandoque ædituałem legem scripsit: Si quis templum Dei violaverit etc.

ÆDĬTŬENS, entis, m. 3. (æditus) idem ac ædituus, seu qui sacras ædes servat. *Lucret.* 6. 1273. Hospitibus loca quæ complerant æditentes. Cf. *Gell.* 10. 12. *extr.*

ÆDĬTŬMOR, āris, ari, dep. 1. ædituus sum, ædem tueor seu custodio. *Pompon.* apud *Gell.* 12. 10. Qui postquam tibi appareo atque æditumor in templo tuo. *Nonius p.* 75. 15. *Merc.*, hæc eadem verba referens, *æditúor* legit.

ÆDĬTŬMUS vel æditimus, i, m. 2. Hæc forma derivata est ab *ædes* per verbi productionem, ut *finitumus* a *finis*, teste *Servio* apud *Cic. Top.* 8. 36. *Varro* tamen 7. *L. L.* 12. p. 122. et 8. *ibid.* 61. p. 188. *Müll.* ab *æde* et *tueor* compositam vocem nonnullos affirmare ait. Est qui sacras ædes servat (It. *custode o guardiano del tempio*; Fr. *gardien d'un temple*; Hisp. *el que guarda y cuida de un templo*; Germ. *der Tempelhuter*; Angl. *a keeper or overseer of a temple*). *Varro* 1. *R. R.* 2. 1. Sementivis feriis in ædem Telluris veneram rogatus ab æditumo, ut dicere didicimus a patribus nostris; ut corrigimur a recentibus, ab ædituo. *Gell.* 12. 10. M. Varro in libro secundo ad Marcellum de Latino sermone *æditumum* dici oportere censet magis quam ædituum, quod alterum sit recenti novitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum. Et *paullo post*: In Verrem (6. 44. 96.) M. Tullii in exemplaribus fidelissimis ita inveni scriptum: *Æditumi custodesque mature sentiunt*; in libris autem hoc vulgariis *ædituí* scriptum est. Adde *Varr.* 1. *R. R.* 69. 2., *Gell.* 7. 1. et *Inscript.* apud *Orell.* 2445.

ÆDĬTŬO, as, are, est verbum a Lexico expungendum, quippe in commenticiis tantum Inscriptionibus occurrit. V. *Orell. Inscript.* 2447., ut rectum sit judicium de *Inscript.* apud *Reines. cl.* 5. n. 54. et 53. et apud *Gruter.* 1088. 5.

ÆDĬTŬOR, āris, ari. *V.* ÆDITUMOR.

ÆDĬTŬUS, i, m. 2. De vocis etymo atque usu *V.* plura in v. ÆDITUMUS, idem enim est, seu sacræ ædis custos; vulgo tamen usitatior, quam æditumus. *Plaut. Curc.* 1. 3. 48. Crepitum claustrorum audio, ædituum aperire fanum. De *Cic.* 6. *Verr.* 44. 96. *V.* ÆDITUMUS. *Liv.* 25. 7. Custodiebantur in atrio Libertatis. — Corruptis ædituis duobus etc. Adde 30. 17. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 8. (17). Hierapoli Syriæ in lacu Veneris ædituorum vocibus parent vocati. Adde 36. *ibid.* 5. 4. (32). *Sueton. Domit.* 1. Ardente templo apud ædituum clam pernoctavit. Adde *Aug.* 5. *Inscript.* apud *Orell.* 2442. AEDITVVS AB CONCORDIA. *Ibid.* 4369. AEDITVVS AEDIS CONCORDIAE. *Ibid.* 2850. AEDITVVS CAPITOLII. — *Horat.* 2. *Ep.* 1. 299. Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales Ædituos habeat belli spectata, domique Virtus, indigno non committenda poetæ. *h. e.* quales Augusti Virtus, veluti dea honoranda, habeat poetas, qui versibus eam posteritati commendent et ab oblivione custodiant; sive aliis verbis, digna est, quæ poetas habeat non vulgares, sed sacros, quorum scilicet tamquam ædituorum curæ ejusdem deæ templum commissum sit. Alii putant respexisse *Horatium* ad *Valerium Ædituum* veterem poetam, cujus carmen refert *Gell.* 19. 9. locutumque esse eo pacto, quo *Martial.* 8. 56. *Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.* Ubi *Marones* per synecdochen pro quocumque optimo poeta dictum est. — *Æditius singularium* in *Inscript.* apud *Murat. T.* 4. p. 5. n. 1. videtur esse custos Genii alæ II. equitum singularium et signorum ejusdem. — *Servius* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 647. *hic Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos*, significare videtur etiam atriensem servum, qui privatas ædes servat, ædituum dici: cujus rei exempla nondum vidimus.

ÆDON, aēdŏnis, f. 3. (ἀηδών, ἀηδόνος) avis, quam nonnulli carduelem, plerique tamen lusciniam esse volunt: ita dicta ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ᾄδειν, ab assiduo cantu (It. *usignuolo*; Fr. *rossignol*; Hisp. *ruiseñor*; Germ. *die Nachtigall*; Angl. *a nightingale*). In fabulis fuit Aedon uxor Zethi regis, fratris Amphionis, quæ Itylum filium per errorem nocte interfecit, putans eum ex Amanea, seu Amandea Amphionis esse filium (invidebat enim uxori Amphionis, quod illi essent sex filii masculi); crimen vero cognoscens optavit mori, sed miseratione deorum in hanc avem versa, Itylum deflere dicitur. Est autem vox trisyllaba, qua seriores tantum Poetæ usi sunt, atque ita, ut ad mythum semper alluderent. *Seneca Agamemn.* 670. Non quæ verno nobile carmen Ramo cantat tristis aedon Ityn in varios modulata sonos. *Petron. Satyr.* 131. Dignus amore locus: testis silvestris aedon, Atque urbana Progne. Al. leg. *silvester*: neque tamen masculinum putes; nam volucer *fama* apud *Eumd.* 123. legitur. *Calpurn.* 6. *Ecl.* 8. Vocalem superet si dirus aedona bubo. *aedona* Accusativus est Græcæ positionis pro *aedonem*. Adde *Nemesian.* 2. *Ecl.* 61. — NB. *Ædon, Ædonis*, disyllabum. *V.* ONOM. in v. ÆDON.

ĂĒDŎNĬUS, a, um, adject. quinque syllabar. ad aedonem pertinens. *Auct. paneg. ad Pison. sub fin.* Sic et aedonia superantur voce cicadæ. *Lactant. Phœnic.* 47. Aedoniæ voces. — NB. *Ædonius* quadrisyllab. *V.* EDONIUS in ONOM.

ÆDUS, i. *V.* HÆDUS.

ÆGER, gra, grum, adject. Comp. *Ægrior* II. 3.; Sup. *Ægerrimus* II. 1. *a.* Vox conjungenda cum Sanscr. *ag*, h. e. curis angi, tremere: nihili enim facienda sunt quæ protulit *Paul. Diac. p.* 6. 14. *Müll.* Ægrum ex Græco ἀνιγρόν appellatur; a quibusdam putatur a voce doloris appellari, quod est αἲ. Alii deducunt a verbo *egeo*, quo sensu *Livius Andronicus* dixit apud *Priscian.* 6. p. 725. *Putsch.* Inops, ægra sanitatis. — Æger significat eum, qui male se habet, qui male affectus est: hinc latissima significatione proprie æger est qui sive corpore sive animo debilis, infirmus, afflictus est, molestia, sollicitudine, angore affectus, ut ait *Servius* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 13. Et corpore et animo æ g e r dicitur. Et *Plin.* 9. *Ep.* 22. Non minus æ g e r animo, quam corpore. *Æger* itaque differt ab *ægroto* (*V.* H o m o n y m. in fin.); et cum voce ÆGRITUDO, quam *V.*, ea significatione qua occurrit apud *Cic.* 3. *Tusc.* 10. 32. aliosque aureæ ætatis Scriptores, arctissime conjungitur. — Itaque æger est I.) corpore infirmus, II.) animo infirmus, quo sensu ipsæ humanæ agendi vires ipsaque abstracta interdum ægra dicuntur.

I.) *Æger* dicitur qui corpore male se habet, qui est corpore debili, infirmo, qui corporis molestia, sollicitudine, angore afficitur (It. *indisposto, incomodato, sofferente, ammalato*; Fr. *qui éprouve du malaise, souffrant, malade*; Hisp. *indispuesto, desganado, padeciente, enfermo*; Germ. *krank, unwohl, unpass, sich übel befindend in leidendem Zustande*; Angl. *indisposed, sick, ill, faint, weak, infirm*). ¶ 1. Proprie ponitur 1.) de hominibus; latiori autem sensu 2.) de brutis animantibus et 3.) de plantis. — 1.) De hominibus occurrit — *a*) Absolute est morbo correptus, et fere semper substantivi more usurpatur. *Ter. Eun.* 2. 2. 5. Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. *Id. Hec.* 1. 2. 13. Ægram esse simulant mulierem. *Cic.* 1. *Divinat.* 25. 53. In eo igitur oppido ita graviter ægrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent. *Id.* 7. *Att.* 2. 3. Æger Tiro. *Liv.* 9. 46. collega. *Id.* 37. 24. remiges. *Cic.* 16. *Att.* 8. 1. familia. Hinc *Cic.* 1. *Tusc.* 32. 79. et alibi et *Liv.* 40. 1. et alibi. Ægrum esse. *h. e.* ægrotare. — Substantivi more. *Ter. Hec.* 3. 2. 6. Cum in proximo hic sit ægra. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 12. Ne ægri quidem, quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est. *Id.* 2. *Divinat.* 3. 9. Etenim ad ægros non vates aut hariolos, sed medicos solemus adducere. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 44. 186., *Nep. Dion.* 2. et *Liv.* 45. 28. *Liv.* 5. 5. 12. Si quis ægro cibi gratiâ præsentis longinquum morbum efficiat. *Cels. præfat. l.* 1. Neque hunc ignorare oportet, quæ sit ægri natura. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 9. n. 91., quæ est apud *Orell.* 2886. M. AVRELIO AVG. L. STEPHANO AB AEGRIS CVBICVLARIOR. — Hinc sæpe etiam *corpus ægrum* usurpatur. *Cic. post red. ad Quirit.* 1. 4. Qui nunquam ægro corpore fuerunt. Adde 3. *Tusc.* 10. 22. et 23., et *Virg.* 3. *Æn.* 140. *Cels. præfat. l.* 1. Ægra corpora. *Ovid. Heroid.* 11. 38. et *Stat.* 6. *Theb.* 511. membra. *Ovid. Heroid.* 2. 246. manus. *Virg.* 10. *Æn.* 856. femur. *Id.* 5. *ibid.* 468. genua. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 13. stomachus. *Cic. Brut.* 48. 180. infirma atque ægra valetudo. — *b*) Additâ morbi causâ vel affectâ corporis parte, per Ablat., aut interdum per Genit. vel Accus. *Cic.* 1. *Catil.* 13. 31. Ut sæpe homines ægri morbo gravi, cum æstu febrique jactantur etc. *Liv.* 42. 28. Gravi et periculoso morbo ægrum esse. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 38. *Cic.* 2. *de republ.* 21. 38. Cum Tarquinius ex vulnere æger fuisse et vivere falso diceretur. Adde *Liv.* 26. 8. et *Curt.* 7. 7. 5. *Nep. Milt.* 7. et *Sil. It.* 6. 77. Æger vulneribus. *Tac.* 14. *Ann.* 47. valetudine. *Cels.* 3. 6. fluore. *Plin.* 9. *Ep.* 22. corpore. *Sall. Catil.* 62. et *Quintil.* 6. 3. 77. pedibus. — *Val. Max.* 5. 7. *ext.* 1. Pulsu venarum comperit, cujus morbi æger esset. *Apul.* 4. *Met.* 33. Psyche ægra corporis, animi saucia. — *Gell.* 19. 10. Memini me quondam — ad Frontonem Cornelium, pedes tunc graviter ægrum, ire et visere. — 2.) De brutis animantibus, de quibus tamen sæpius *morbidus* dicitur. *Virg.* 3. *G.* 496. Sues ægri. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 1. sus. Et absolute de vulnerato *Stat.* 11. *Theb.* 517. avidos illidit in ægrum Cornipedem versus. — 3.) De plantis. *Virg.* 3. *Æn.* 142. victum seges ægra negabat. *Pallad.* 2. *R. R.* 25. 23. arbor. *Id.* 3. *ibid.* 7. 4. vites. ¶ 2. Improprie. *Cic. Mil.* 25. 68. Sed quis non intelligit omnes tibi reipubl. partes ægras et labentes esse commissas? *Id.* 3. *Verr.* 2. 5. Itaque mihi vi-

decor, judices, magnam et maxime ægram et prope depositam reipubl. partem suscepisse. *Liv.* 5. 3. Qui et semper ægri aliquid esse in republ. volunt, ut sit, ad cujus curationem a vobis adhibeantur. *Id.* 9. 20. Cum utrumque ipsi pro remedio ægris rebus discordiâ intestinâ petissent. Adde *Sil. It.* 7. 393. et *Flor.* 3. 23. 4. *Sil. It.* 7. 2. ægra vulnere Ausonia. *Stat.* 10. *Theb.* 867. amnis quassatque trahitque Molem ægram. *h. e.* pontem, cujus saxa fatiscunt, emotæque trabes, ut ait *Id. ibid.*

II.) Æger dicitur et de animo, et est tristis, sollicitus, mœrens, molestia, sollicitudine, angore affectus (It. *inquieto*, *melanconico*, *afflitto*, *dolente*; Fr. *malade*, *souffrant*, *inquiet*, *affligé*; Hisp. *enfermo*, *inquieto*, *padeciente*, *afligido*; Germ. *krank*, *krankhaft*, *unwohl*, *angegriffen*, *eingenommen*, *beklommen*, *verdriesslich*; Angl. *sorrowful*, *unhappy*, *troubled or afflicted in mind*, *low-spirited*, *downcast*, *desponding*). ¶ 1. Proprie de interna humani animi affectione seu statu. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 5. Animus æger semper errat, neque pati neque perpeti potest: cupere nunquam desinit. Adde *Sall. Jug.* 71. et *Ovid. Rem. am.* 129. *Liv.* 2. 3. Ægri animi. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 21. et *Sil. It.* 6. 205. et 8. 118. Mens ægra. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 16. cor. *Id.* 9. *Met.* 179. anima. *Val. Flacc.* 6. 623. pectora. *Virg.* 2. *Æn.* 268. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit. *h. e.* miseris. Adde 10. *ibid.* 274., 1. *Ecl.* 13. et 4. *Æn.* 35. *Id.* 1. *Æn.* 355. Amans ægra. *Apul.* 6. *Met.* 13. Psyche ægerrima. — *b*) Addita mœroris vel sollicitudinis causa per Ablat. fere semper sine præp., aut per Genit. *Plaut. Epid.* 1. 2. 26. A morbo valui, ab animo æger fui. *Ennius* apud *Cic. Cæl.* 8. 18. Medea animo ægra, amore sævo saucia. *Recentiores tamen leg.* animo ægro. *Virg.* 1. *Æn.* 208. Æger curis. *Sil. It.* 17. 171. Æger visis. *Sall. Jug.* 31. Animus æger avaritia. *Liv.* 30. 11. amore. *Sil. It.* 7. 726. Mens ægra subitis rebus. *Id.* 15. 135. Pectora ægra periclis. *Stat.* 1. *Theb.* 126. Invidia lætis ægra. *Tac.* 2. *Hist.* 20. Aliorum felicitatem ægris oculis introspicere. *h. e.* invide aspicere. — *Livius Andronicus* apud *Prician.* 6. p. 725. *V.* supr. *Sall.* 4. *Hist.* apud *Arusian.* p. 212. *Lindem.* et *Stat.* 11. *Theb.* 141. Æger consilii. *h. e.* inops, dubius. *Liv.* 1. 58., 2. 36. et 30. 15., *Curt.* 4. 3. 11. et *Sil. It.* 8. 108. Æger animi. *Lucan.* 7. 240. moræ. *h. e.* ob moram. *Sil. It.* 3. 72. timoris. *h. e.* timore sollicitus. *Id.* 13. 52. delicti. *h. e.* ob delictum. *Flor.* 3. 17. 9. rerum temere motarum. ¶ 2. Æger ponitur de humanis agendi viribus, physica tamen ratione; et est gravis, molestus, cum nisu et difficultate conjunctus. *Virg.* 5. *Æn.* 432. vastos quatit æger anhelitus artus. *Ovid.* 7. *Met.* 540. Ægri balatus. *Stat.* 6. *Theb.* 869. hiatus. *Id.* 6. *ibid.* 17. suspiria. *Val. Flacc.* 3. 357. passus. *Sil. It.* 1. 405. nisus. *Aurel. Victor. Cæs.* 34. victoria. ¶ 3. Translate æger ponitur de abstractis, et activa quidem significatione; et est mœrorem ac sollicitudinem afferens. *Plaut. Amph.* 3. 2. 29. Nam nunquam quidquam meo animo fuit ægrius, quam postquam audivi te esse iratam mihi. *Lucret.* 3. 947. (946). Ægri luctus. *Id. ibid.* 919. (918). dolores. *Virg.* 4. *G.* 464. amor. *Id.* 3. *ibid.* 512. mors. *Ovid.* 14. *Met.* 143. senectus. *Sil. It.* 13. 883. servitia ægra. *h. e.* ardua, difficilia, ac propterea gravia et molesta. *Id.* 7. 305. noctes ægræ. *h. e.* molestæ. *Id.* 9. 543. et *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 14. spes ægræ. *h. e.* exiguæ, incertæ. *Sil. It.* 2. 392. fides ægra. *h. e.* dubia, fallax. *Tac. Agric.* 32. Ægra municipia. *h. e.* imperium detrectantia ac propterea administrantibus difficilia. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Cataplasmatum usus æger atque difficilis ægrotanti videtur. *h. e.* gravis, molestus. — Hinc

Ægrum, *i*, n. substantivorum more est quidquid animo dolorem, molestiam atque ægritudinem affert. *Plaut. Amph.* 2. 2. 11. Plus ægri ex abitu viri, quam ex adventu voluptatis cepi. *Lucret.* 5. 172. sed cui nihil accidit ægri.

Homonym. Inter *ægrum* et *ægrotum* discrimen statuit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 208. Æger est et tristis et male valens: ægrotus autem sive ægrotans tantum male valens. Cf. *eumd.* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 13. Et *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 2. 21. *Animum ægrotum*: Pro *ægro*: nam animus æger, corpus ægrotum. — Sed quamvis *ægrotus* et de animo dicatur, tamen ab *ægro* differt: *æger* enim est, qui animi dolore, sollicitudine, angore, tædio afficitur, ut ex allatis n. II. patet exemplis; *ægrotus* vero, qui animi perturbationibus, puta libidine, iracundia etc. maxime commovetur, qui insanus est. *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 8. et 9. Nomen insaniæ significat mentis ægrotationem et morbum: id est, insanitatem (*al.* insanientem) et ægrotum animum, quam appellarunt insaniam. — propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit.

ÆGILIPA. *V.* ÆGILOPS *B.* 3.

ÆGILŌPA, æ, f. 1. Idem quod ÆGILOPS, quam voc. *V.* sub *A. Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 77. (132). Bacchar imponitur ægilopis incipientibus et ignibus sacris.

ÆGILŌPĬUM, ii, n. 2. (αἰγιλώπιον) idem ac ÆGILOPS, quam voc. *V.* sub *A. Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 26. (54). Anthemis commanducata ægilopia sanat. *Id.* 20. *ibid.* 14. 56. (158). Nepeta — tunsa ægilopiis imponitur.

ÆGĪLOPS, ōpis, f. 3. (αἰγίλωψ, ωπος) significat *A*) morbum, et *B*) plantas quasdam.

A) Ægilops morbus est abscessus ad angulum oculi naribus propiorem, ex quo pituita assidue distillans, fistulosum ulcus paulatim facit, quod nonnunquam, exeso osse, usque ad nares penetrat. Ita *Celsus* 7. 7. n. 7. describit, qui Græcis litteris vocem exhibet. Dicitur *ægilops*, quia capræ huic vitio maxime obnoxiæ sunt: ab αἴξ, αἰγός, capra, et ὤψ, oculus (It. *fistola lagrimale*; Fr. *fistule lacrymale*; Hisp. *fistola lagrimal*; Germ. *Thränenfistel*; Angl. *a fistula in the corner of the eye*). *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 14. (34). Rubrica ægilopas manare prohibet. *Ægilopas* Accusativus est Græcæ positionis pro *ægilopes*. *Plin. Valerian.* 1. 23. Ad maturandas ægilopas, ad aperiendas eas, etc. Penultimam in obliquis corripuit contra ejus naturam *Æmil. Macer c. de malva.* Ægilopas pellit, succoque mederberis ejus, etc.

B) Ægilops plantas quasdam significat, ac ¶ 1. Est hoc nomine herba quædam folio tritici inter hordeum nascens, ipsique valde noxia: dicta est Ægilops, quod ægilopas imposita sanat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 93. (146). Ægilopas sanat herba eodem nomine, etc. *Id.* 18. *ibid.* 17. 44. (155). Hordeum enecat festuca, quæ vocatur ægilops. Cl. *Fée* (*Commentaires sur la Botan. et la Matière Médic. de Pline*, Tom. 2. p. 180.) hanc proponit synonymiam: Αἰγίλωψ Theophr. 8. 9., Diosc. 4. 139. et Galen. de Alim. facult. 6. 37.; *Festuca ægilops* Plin. l. c. est *Ægilops ovata* L.: minime vero *avena sterilis*. ¶ 2. Item arbor glandifera, excelsissima, ramosa, in incultis locis maxime proveniens, ferens panos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modo, verum et e ramis dependentes, cubitali magnitudine odoratosque. Ita *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (22). et *ibid.* 8. 13. (33). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. Tom.* 1. p. 293.) hæc arbor est *Quercus Ægylops* L., quæ in regno Sabaudiæ aliisque Italiæ regionibus præcipue crescit, cujusque fructus nomine *velani* tinctoriæ arti maxime inservit. Idem *Fée* (*ibid.* p. 50. et 300.) putat *panos arentes*, *muscoso villo canos* etc. esse *lichenes filamentosos præcipue usneæ et alectoriæ species*, *Hypnum* quorumdam Auctorum. ¶ 3. Ægilopam etiam inter bulborum genera a Græcis numeratam fuisse affirmat *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (95). Dubia tamen est lectio; *Sillig.*, quem *V.* l. cit., exhibet *ægilipa*: cl. *Fée* (*Op. cit. Tom.* 2. p. 317.) hanc inter gramineas enumerat; quænam vero fuerit, se ignorare fatetur.

ÆGIS, idis, f. 3. (αἰγίς, ίδος, ἡ). Fere semper Accus. Græca positione est *ægida*; Abl. *ægide*. *Hygin. Astron.* 2. 13. scribit, hoc nomine significari pellem capræ Amaltheæ, a qua lactatus fuit Jupiter (Græce enim αἰγίς pellem caprinam significat, ab αἴξ, αἰγός, capra), qui ea protectus et Gorgonis capite contra Titanas pugnavit eosque devicit. Et *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 435. hæc habet: *Ægis* proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit *ægis* vocatur; si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, *lorica* dicitur. Verum *Lactant.* 1. 21. scutum fuisse ex *Musæo* docet. — Ceterum ægis est munimentum seu scutum, quod ab antiquis Jovi et Palladi tantum tribuitur; et vox ab ἀΐσσω, *h. e.* tono, derivata est (Cf. et *V.* CATÆGIS); concussa enim ægis a Jove, teste etiam *Servio* ad *Virg.* 8. *Æn.* 354., procellas tempestatesque ciebat (It. *egida*; Fr. *égide*; Hisp. *el escudo de Jupiter y de Palas*; Germ. *die Aegide*; Angl. *Jove's and Minerva's ægis or shield*).

I.) Proprie. — *a*) De Jove. *Virg.* 8. *Æn.* 354. Credunt se vidisse Jovem, cum sæpe nigrantem Ægida concuteret dextra nimbosque cieret. *Al.* tamen aliter ac nos h. l. interpretantur. *Sil. It.* 12. 720. aspice quantus Ægida commoveat, nimbos flammasque vomentem, Jupiter! Et 335. Ægida turbato quatientem in prœlia mundo. — *b*) De scuto Palladis, quod Gorgonis seu Medusæ caput insculptum habebat, serpentibus cinctum crinium loco, quod si aspicerent homines, horrore trucis imaginis in lapides vertebantur. *Virg.* 8. *Æn.* 435. Ægidaque horriferam, turbatæ Palladis arma. *Al.* horrificam. *Horat.* 3. *Od.* 4. 57. Contra sonantem Palladis ægida. *Id.* 1. *ibid.* 15. 11. jam galeam Pallas et ægida Currusque et rabiem parat. *Ovid.* 2. *Met.* 753. Et tanto penitus traxit suspiria motu (*Pallas*), Ut pariter pectus positamque in pectore forti Ægida concuteret. *Id.* 6. *ibid.* 78. At sibi dat (*Pallas*) clypeum; dat acutæ cuspidis hastam: Dat galeam capiti: defenditur ægide pectus. *Id.* 5. *ibid.* 46. Bellica Pallas adest, et protegit ægide fratrem. *Val. Flacc.* 6. 173. Ipsaque Pallas Ægide terrifica, quam nec dea lassat habendo, Nec pater horrentem colubris vultuque tremendam Gorgoneo. *Id.* 4. 670. Prima coruscanti signum dedit ægide virgo. Adde *eumd.* 2. 97., 3. 288., et 6. 396. et 653. *Claud.* 2. *Rapt. Proserp.* 60. Sentiet iratam procul ægida.

II.) Translate. *Ovid. Rem. am.* 346. Decipit hac oculos ægide dives amor. *h. e.* perstringit oculos hac arte, velut objecta ægide.

III.) Ægis in larice arbore dicitur a Græcis pars ligni proxima medullæ, coloris mellei, quæ est veluti cor ipsius, tabellis pictorum conficiendis aptissima, utpote quæ nullis rimis fissilis est. Hæc porro ita vocatur quia crispa est et contorta, ut capræ cornua. Hinc Gloss. apud *Bekker. Anecdot.* p. 354. αἰγὶς ἡ ἐν ταῖς πεύκαις σύστασις. Hanc eamdem in abiete leuson (λεύσσον *Theophrasto*) appellant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 73. (187).

ÆGISŎNUS, a, um, adject. ægide sonans. *Val. Flacc.* 3. 88. *de Pallade.* ægisono fera pectore virgo. *V.* ÆGIS I. b.

ÆGITHĂLUS. *V.* vocem sequentem.

ÆGĬTHUS, i, m. 2. αἴγιθος, avis minima solo nomine nobis adhuc cognita (ut debiles quorumdam conjecturas omittamus) mira fecunditate prædita, altero pede brevior, et clauda, teste *Aristot.* l. 9. *Hist. animal.* 15. Hæc cum asino graves inimicitias gerere dicitur. Is enim spinetis se scabendi causa atterens, ejus nidos dissipat: quod ipsa adeo pavet, ut voce omnino rudentis audita, ova ejiciat, pulli metu cadant. Igitur advolans ulcera ejus rostro excavat. Hæc *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (206). ubi bis hanc avem nominat: priore autem loco quidam *ægithalus* pro *ægitus* legendum putarunt. Fortasse est *Parus cæruleus* L.; (It. *cingallegra*; Fr. *mésange*; Hisp. *abejeruco*; Germ. *Blaumeise*; Angl. *tit-mouse*, *tom-tit*).

ÆGŎBOLĬUM, ii, n. *V.* CRIOBOLIUM.

ÆGŎCEPHALUS, i, m. 2. (αἰγοκέφαλος) avis quædam, nobis incognita, ita dicta quod capite capram referat: ab αἴξ, αἰγός, capra et κεφαλή, caput. Liene carere scripsit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 80. (204).

ÆGŎCĔRAS, ătis, n. 3. (αἰγόκερας) herba est, quam Latini *siliciam* vel *siliquam*, nos *fænum Græcum* appellamus: ita dictum, quod ejus semen corniculis est simile, inquit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (184)., ab αἴξ, αἰγός capra, et κέρας cornu.

ÆGŎCĔROS, ōtis, m. 3. (αἰγόκερως, animal capricornu) dictum ab αἴξ, αἰγός capra et κέρας cornu. *V.* CAPRICORNUS). Ægoceros autem significat tantummodo unum e duodecim signis Zodiaci. (It. *Capricorno*; Fr. *Capricorne*; Hisp. *Capricornio*; Germ. *der Steinbock*, *als Gestirn des Thierkreises*; Angl. *the sign of the Zodiac called Capricorn*). Græca vox est, quam Latine usurpant *Lucan.* 9. 536. Par geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens, Humidus Ægoceros, nec plus Leo tollitur Urna. *Et Lucret.* 5. 614. Quo pacto æstivis e partibus Ægocerotis, etc. Adde *Hieronym.* 1. in *Jovinian.* 41. — Reperitur etiam *Ægocerus*, *i*, m. 2. *C. Cæsar Germanic.* in *Arat.* 213. Cum sedem Ægoceri Cythereius attigit ignis. *Lucan.* 10. 213. Ægoceron, Cancrumque tenet.

ÆGŎLETHRON, i, n. 2. (αἰγόλεθρον) herba quædam venenata, exitiosissima jumentis, et præcipue capris: ab αἴξ, αἰγός capra, et ὄλεθρος pernicies. Hujus flores concipiunt noxium virus, aquoso vere marcescentes: unde et mella inficiunt, si ab apibus insi-

desatur suguntarque. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 13. 44. (74). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. Tom.* 3. *p.* 49). *Ægoletron* Plin. est *Rhododendrum ponticum* L.

ÆGŌLIOS, i, m. 2. (αἰγωλιός), avis quædam, quam ex conjectura quidam ululam interpretantur, alii caprimulgum, alii, fortasse rectius, aquilarum speciem esse arbitrantur (*Cf. Arist. Hist. nat.* 8. 5. 5. et 9. 16. 5.). Quaternos semper parit, teste *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 79. (165).

ÆGŌNȲCHOS, (αἰγώνυχος) herba eadem, quæ LITHOSPERMOS, quam voc. *V.*: ab αἴξ, αἰγός capra, et ὄνυξ, ὄνυχος unguis, quod caprinum unguem referat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 74. (98). *Klotz* hoc nomen neutr. gen. exhibet.

ÆGOPHTALMOS, i, (αἰγόφθαλμος) gemma caprino oculo similis: ab αἴξ, αἰγός capra, et ὀφθαλμός oculus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 71. (187). Cf. *Isid.* 16. *Orig.* 15. 19.

ÆGRĒ, adverb. (æger). Comp. *Ægrius* et Sup. *Ægerrime* I. 1. et II. 1. Ægre est modo gravi, molesto, laborioso, qui et cum nisu conatuque conjungitur: hinc τῷ *ægre* opponitur τὸ *facile* apud *Cic. Senect.* 20. 72. Omnis conglutinatio recens ægre, inveterata facile divellitur. *Cf. Sall. Jug.* 85. *V.* infra I. 1. (It. *con molestia, fatica e sforzo*; Fr. *d'une manière incommode, fâcheuse, pénible, jointe à des efforts*; Hisp. *con fatigua, angustia, y esfuerzo*; Germ. *auf eine beschwerliche, mühselige, mit Anstrengung verbundene Weise*; Angl. *with much ado, with difficulty, hardly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Capt.* 3. 1. 1. Miser homo est, qui ipse sibi quod edit quærit et id ægre invenit. *Id. Asin.* 1. 1. 106. Nec magis versutus, nec quo ab caveas ægrius. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. 81. Inveteratio autem, ut in corporibus, ægrius depellitur quam perturbatio. *Id.* 6. *Verr.* 65. 146. Quo quidem die nihil ægrius factum est, multo labore meo, quam ut manus ab illo appellatore abstineretur. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Quod ipsi diebus xx ægerrime confecerant, ut flumen transirent. *Sall. Jug.* 85. Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrime desinere. *Virg.* 3. *G.* 534. ægre rastris terram rimari. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (203). Remedium ægre parientibus. *Curt.* 4. 3. 10. Haud ægre. *Colum.* 9. *R. R.* 8. 9. Non ægre persequi iter. ¶ 2. Sumitur etiam *ægre* pro difficulter, vix (It. *appena*; Fr. *à peine*; Hisp. *a penas*; Germ. *kaum, beinahe nicht*; Angl. *with much ado, hardly, not easily*). *Plaut. Asin.* 3. 2. 36. Ægre nimis risum continui. *Cic.* 16. *Att.* 11. 1. At st! ægre me tenui. *Ovid.* 1. *Fast.* 365. Cærula quem genitrix ægre solata dolentem. *Liv.* 2. 45. His freti occursant portis, ingerunt probra, ægre abstinent, quin castra oppugnent. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 41. 45. (143). Ægre tribuno, qui intercederet, reperto. *Tac. Agric.* 36. Ægre stantes. *Aurel. Victor. de Cæsarib.* 33. Aliquanti in cælestium numerum referuntur ægre exequiis digni. — Interdum et cum *vix* conjungitur. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 26. Nam cum sedulo munditer nos habemus, vix ægreque amatorculos invenimus. *Flor.* 2. 10. 3. Captum sese vix et ægre — didicit. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 7., *Apul.* 1. *Met.* 19. et *Cod. Theod.* 14. 20. 1.

II.) Improprie. ¶ 1. Est animo invito, graviter, moleste (It. *di mala voglia, mal volentieri*; Fr. *avec un malaise moral, péniblement*; Hisp. *penosamente*; Germ. *mit innerer Ueberwindung, ungerne*; Angl. *hardly, scarcely*). *Plaut. Pœn.* 5. 2. 111., *Ter. Heaut.* 5. 2. 5. et *Liv.* 1. 9. *et alibi sæpe*: Ægre pati. *Liv.* 7. 13. Quod ægrius patimur. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 105. Ægerrime pati. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 16. Si alibi plus perdiderim, minus ægre habeam. *h. e.* feram. Adde *Liv.* 7. 5. 7., ubi sunt, qui aliter leg. *Cic.* 4. *Tusc.* 27. 59. Siquis ægre ferat, se pauperem esse. Adde *Liv.* 22. 37. et *Curt.* 3. 6. 3. et alibi sæpe. *Sall. Jug.* 87. Ægerrime ferre aliquid. *Ter. Andr.* 1. 1. 110. et *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. *absolute*: Ægre ferens. Gr. χαλεπῶς φέρων. *Tac. Agric.* 13. Ægre tolerare. *Id.* 4. *Ann.* 71. Ægrius accipere. *Cic.* 7. *Att.* 2. 3. et *pro leg. Manil.* 5. 13. Ægre carere. ¶ 2. Hinc peculiares quædam dicendi rationes. — *a*) *Ægre est mihi* vel *animo meo aliquid*, aut etiam absolute *ægre est* idem ac displicet, molestum est. *Plaut. Men.* 2. 3. 35. Nescio quid meo animo ægre est. *h. e.* animo male me habeo. *Id. Bacch.* 5. 1. 26. Quid tibi ex filio nam, obsecro, ægre est? *h. e.* qua de re, filii causâ, dolore afficeris? *Id. Capt.* 3. 5. 43. Hoc mihi ægre est, me huic dedisse operam malam. *Ter. Hec.* 2. 1. 30. Non te pro his curasse rebus, ne quid ægre esse mihi? *Id. Adelph.* 1. 2. 57. *absolute*: Repeton' quem dedi? Ægre est. Adde *Phorm.* 1. 3. 7. — *b*) *Ægre facere alicui aliquid* est molestiam creare apud *Plaut. Cas.* 3. 4. 17. et *Ter. Eun.* 5. 5. 31. Occurrit etiam absolute apud *Ter. Eun.* 4. 1. 10. Voluit facere contra huic ægre.

ÆGRĔO, es, ere, n. 2. ægrum esse. *Lucret.* 3. 836. Præter enim quam quod morbis cum corporis ægret. *Alii leg.* Præter enim quam quod morbi est cum corpori ægre est. *Alii* ægrit, *quasi ab* ægrio: quod in quibusdam Editt. legitur apud *eumd.* et 3. 107. corpus, quod cernitur, ægrit. *Al.* ægre est. *Auct. incert. fragm. de verbo* 10. *p.* 172. *Vind.* postremo hoc *Lucretii* loco exhibet *ægret*. *Priscian.* quoque 8. *p.* 826. *Putsch.* verbum *ægreo* agnoscit, sed nullo confirmat exemplo: ratione tamen habita sequentis v. *ægresco*, potest ipsum *ægreo* per analogiam defendi.

ÆGRESCO, scis, scere, n. 3. (æger). Part. *Ægrescens* II. Proprie est æger fio, et ponitur cum de corpore, tum de animo.

I.) Proprie. ¶ 1. De corpore et est male valere (It. *infermarsi*; Fr. *devenir malade*; Hisp. *enfermar*; Germ. *krank werden*; Angl. *to grow sick or infirm*). *Lucret.* 5. 3. 50. morbis ægrescimus iisdem. *Al.* ægriscimus. Sed prior forma est præferenda, quippe quæ una occurrit apud *Priscian.* 8. *p.* 826. *Putsch.* et *Virgilii* loco infra cit. ibidem confirmatur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 15. (32). Ægrescunt corvi. *Inscript.* apud *Gruter.* 208. PAVPERES MILITES CLASSIS PRAETORIAE MISENENSIS DONATI SVNT DVM AEGRESCVNT ET MORIVNTVR NE AERE CONLATO CVRENTVR SEPELIENTVRQVE. Hæc Inscriptio pertinere videtur ad a. post Chr. n. 79. *Arnob.* 5. 27. (*Dii*) afficiuntur, ægrescunt, lugentium sumunt sordes etc. ¶ 2. De animo et est perturbari, dolore ac tædio affici. *Tac.* 15. *Ann.* 25. *extr.* Ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine ægresceret. *Stat.* 2. *Theb.* 18. rebusque ægrescere lætis. *h. e.* tristari. *Id.* 12. *ibid.* 193. his anxia mentem Ægrescit curis. *h. e.* mente tristatur ob has curas: *mentem* Acc. est Græco more pro *mente*.

II.) Transfertur sæpe ad abstracta et significat exasperari, recrudescere. *Virg.* 12. *Æn.* 45. haudquaquam dictis violentia Turni Flectitur: exsuperat magis ægrescitque medendo. *Sil. It.* 8. 213. Cura ægrescens. Et *Stat.* 1. *Theb.* 400. in corde sedens ægrescit cura parentis. *Sidon.* 3. *Ep.* 3. *ad fin.* Expectationi ægrescenti adventus remedia medicabuntur.

ÆGRILLUS, a, um, adject. *demin. ab* æger: sed occurrit tantum ut cognomen Romanum. *V.* ONOM.

ÆGRĪMŌNĬA, æ, f. 1. est tristis animi affectio, mœror, cura, tædium (It. *tristezza, afflizione*; Fr. *malaise moral, douleur, chagrin*; Hisp. *dolor, angustia, pena*; Germ. *Gemüthsschmerz, Kümmerniss*; Angl. *sorrow, sadness, grief, affliction*). *Plaut. Rud.* 4. 4. 116. Dum abscedat a me hæc ægrimonia. *Id. Stich.* 3. 1. 5. Afficere aliquem ægrimonia. *Cic.* 12. *Att.* 38. 2. Ferrem graviter, si novæ ægrimoniæ locus esset. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (103). Ægrimonia vetus. *Horat. Epod.* 13. 18. deformis. *Id. ibid.* 17. 73. Fastidiosâ tristis ægrimoniâ.

ÆGRĬO. *V.* ÆGREO.

ÆGRISCO. *V.* ÆGRESCO.

ÆGRĬTŪDO, inis, f. 3. (æger) proprie est ægri status: hinc occurrit cum de corpore, tum præcipue de animo.

I.) Est corporis morbus, de qua significatione *V.* et infra II. (It. *malattia, infermità*; Fr. *indisposition, maladie*; Hisp. *indisposicion, enfermedad*; Germ. *Unwohlsein, Krankheit*; Angl. *malady, bodily infirmity, disease*), et ponitur — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 20. Agni vel febricitantes, vel ægritudine alia affecti. *Id.* 7. *ibid.* 7. 2. Quod si ea res ægritudinem (*caprarum*) non depellit. *Mela* 3. 7. 3. Priusquam annis, aut ægritudine in maciem eant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. (3). *de elephantis*: Visique sunt fessi ægritudine, quando et illas moles infestant morbi, herbas supini in cælum jacientes. *Tac.* 2. *Ann.* 29. Die senatus metu et ægritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo etc. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut. præfat.* Causa etenim luis est qualitas, lues autem declivitas in ægritudinem prona. *Id.* 4. *Tard.* 8. Antecedente matricis ægritudine. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Ægritudo sapientiæ. *Id.* 8. *ibid.* 16. 19. (52). Ægritudo fastidii. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 69., *Flor.* 4. 7. 10. et *Dig.* 28. 5. 23. § 4. Ægritudo corporis. *Eutrop.* 9. 5. Ægritudines. — *NB.* Apud *Curt.* 3. 5. 10. rectius nunc legitur *animi ægritudo*, ubi veteres Editt. *ægritudo corporis* exhibebant. — *b*) De plantis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (223). Sunt enim quædam ægritudines (*ficorum*) et locorum.

II.) Est perturbatio animi propter impendens aut præsens malum, sollicitudo, cura, molestia, angor; atque hac tantum significatione apud aureos Scriptores occurrit, quamvis *Cic.* 3. *Tusc.* 10. 22. et 25. priorem quoque significationem, sed per theoriam solummodo, admittat. (It. *tristezza, afflizione, travaglio, passione d'animo, scontentezza*; Fr. *chagrin, douleur, souci, trouble*; Hisp. *dolor, angustia, pena*; Germ. *Gemüthsschmerz, Gram, Kummer, Betrübniss*; Angl. *sorrow, sadness, grief, affliction*). *Cic.* 3. *Tusc.* 10. 23. Sed proprie, ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet non sejunctum a dolore. Doloris hujus igitur origo nobis explicanda est, id est, causa efficiens ægritudinem in animo, tamquam ægrotationem in corpore. *Id. ibid.* § 22. Præclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominaverunt. (*Multa habes in eo libro et* 4. *de ægritudine dicta*). Cf. *Non. p.* 443. 29. *Merc. Plaut. Capt.* 4. 2. 1. Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto, tanto mihi ægritudo auctior est in animo. *Id. Bacch.* 5. 1. 24. Num quidnam ad filium ægritudo hæc attinet? *Ter. Andr.* 5. 5. 5. Si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. *Id. Eun.* 3. 5. 4. Gaudium contaminare ægritudine aliqua. *Id. Heaut.* 3. 2. 28. Mihi quidem cotidie augescit magis de filio ægritudo. *Pacuvius* apud *Non. p.* 322. 18. *Merc.* Quæ ægritudo insolens mentem attentat tuam? *Ter. Hec.* 2. 1. 26. Ægritudo oritur ab aliquo. *Cic.* 3. *Tusc.* 23. 55. ex aliqua re. *Id. ibid.* 34. 82. exoritur. *Id. ibid.* 22. 52. existit. *Id. ibid.* 28. 71. Ægritudini se dedere. *Id. ibid.* 34. 82. Ægritudinem suscipere. *Id. ibid.* 9. 20. Incidere in ægritudinem. *Id. ibid.* 13. 32. In ægritudine esse. *Id. ibid.* 7. 15. Ægritudine affici. *Id. ibid.* 32. 77. Ægritudine aliquem afficere. *Ter. Heaut.* 4. 3. 2. Ægritudinem alicui afferre. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Ægritudines anxias atque acerbas importare. *Id.* 3. *ibid.* 13. 28. efficere et augere. *Id. ibid.* 22. 52. acriorem facere. *Id. ibid.* 13. 27. Ægritudo lacerat, exest animum, planeque conficit. *Id. ibid.* 28. 70. Ægritudine premi. *Id. ibid.* 13. 27. opprimi. *Plaut. Pœn. prol.* 69. Ex ægritudine in morbum conjici. *Id. Men. prol.* 35. Ægritudine emori. *Pacuvius* apud *Non. p.* 13. 29. *Merc.* confici. *Cic.* 3. *Tusc.* 16. 34. Ægritudinem obtundere elevareque. *Id. ibid.* 18. 43. levare. *Id. ibid.* 23. 53. lenire. *Id. ibid.* 32. 78. extenuare. *Id. ibid.* 28. 67. Ægritudines leviores facere. *Id.* 5. *Fam.* 13. 5. Levare aliquem ægritudine. *Plaut. Curc.* 2. 1. 9. Ægritudinem exturbare ex animo. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 46. detrahere. *Id. ibid.* 11. 25. depellere. *Id. ibid.* 19. 46. detrudere. *Id. ibid.* 27. 66. ponere. *Id. ibid.* 13. 27. exuere. *Id. ibid.* 22. 53. tollere. *Seneca Ep.* 50. 4. discutere. *Ter. Heaut.* 3. 1. 13. adimere alicui. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 46. eripere alicui. *Id. ibid.* 27. 66. repellere ab aliquo. *Id. ibid.* 19. 44. Aliquem privare ægritudine.

ÆGROR *vel* ægros, ōris, m. 3. (æger) morbus, quo corpus afficitur. *Lucret.* 6. 1257. (1256). Nec minimam partem ex agris ægroris in urbem Confluxit, languens quem contulit agricolarum Copia. Et *ibid.* 1129. (1128). Consimili ratione venit bubus quoque sæpe Pestilitas, etiam pigris balantibus ægros. *Al.* pecubus — ægror.

ÆGRŌTĀTĬCĬUS, a, um, adject. *Gloss. Isid.* Ægrotaticius qui frequenter ægrotat.

ÆGRŌTĀTĬO, ōnis, f. 3. (ægroto) morbosa affectio, qua corpus correptum est (It. *malattia, infermità*; Fr. *maladie, infirmité*; Hisp. *enfermedad*; Germ. *das Kranksein oder Unwohlsein des Körpers*; Angl. *malady, disease*). ¶ 1. De corpore et quidem — *a*) De hominibus. *Cic.* 3. *Tusc.* 10. 23. Sed proprie, ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet. *V.* ÆGRITUDO II. *Id.* 4. *ibid.* 10. 23. Quemadmodum cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, morbi ægrotationesque nascuntur etc. Adde *ibid.* 13. 29. et *V.* Homonym. in fin. — *b*) De plantis usurpat *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (231). ¶ 2. De animo usurpatur tantummodo a Philosophis, et significat animi perturbationem ex impotenti vitiorum pravitate exorien-

tem. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. 79. Ægrotationes animi, qualis est avaritia, gloriæ cupiditas etc. Adde 3. *Tusc.* 4. 8., necnon 4. *ibid.* 10. 24. et 25. et 14. 32. *V.* ÆGROTUS.

Homonym. Quomodo differant *morbus*, *ægrotatio* et *vitium*, explicat *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 28. Morbum, *inquit*, appellant totius corporis corruptionem: ægrotationem morbum cum imbecillitate: vitium cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et ægrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur: vitium autem integra valetudine ipsum per se cernitur.

ÆGRŌTĀTĪVUS, a, um, adject. (ægroto) morbum afferens. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 40. p. 498. Deinde disputet, quoniam non est una potestas contrariorum, ut sanativi et ægrotativi, simul enim idem erit sanativum et ægrotativum.

ÆGROTICIUS, a, um. Vocabulum a Lexico expungendum, occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 134.

ÆGRŌTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (æger). Part. *Ægrotans* I. 1. *a.* Proprie est male valere, et ponitur cum de corpore, tum de animo.

I.) Proprie. ¶ 1. De corpore, et est ægro corpore sum, morbo corripior (It. *essere infermo o ammalato*; Fr. *être malade, indisposé*; Hisp. *ser enfermo*; Germ. *krank sein*; Angl. *to be sick, ill, or infirm*). Cum Ablat. *morbo* occurrit tantum apud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 30.: ceterum semper absolute. — *a*) De hominibus et de brutis interdum animantibus. *Cic. Cluent.* 60. 165. Apud hunc ille Romæ habitavit, apud hunc ægrotavit, hujus domi est mortuus. *Id. ibid.* 62. 175. Vehementer diuque ægrotare. *Id.* 1. *Tusc.* 35. 86. graviter. *Id. Senect.* 19. 67. gravius. *Id.* 2. *Fin.* 13. 43. Gravissime ægrotans. *Id.* 8. *Att.* 2. 3. Ægrotare periculose. *Plin.* 3. *Ep.* 16. mortifere. *Cic.* 1. *Off.* 24. 83. leviter. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 4. ægrotare timens. *Id.* 1. *Sat.* 8. 6. quia armentum ægrotet in agris. — *b*) De plantis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (226). (Vites) ægrotant et cum alsere. Et *ibid.* (225). Ægrotant aliquando et poma ipsa per se sine arbore. ¶ 2. De animo est vitiis perturbari. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. 79. Ex eo, quod magni æstimetur ea res, ex qua animus ægrotat. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 306. odissere, quo me Ægrotare putes animi vitio.

II.) Translate conjungitur cum abstractis. *Plaut. Trin.* 1. 1. 8. Sed dum illi (*boni mores*) ægrotant, mores mali quasi herba irrigua succrērunt uberrime. *Id. ibid.* 1. 2. 31. Nam si in te ægrotant artes antiquæ tuæ ac si demutant mores ingenium tuum etc. *Lucret.* 4. 1117. (1118). Languent officia atque ægrotat fama vacillans.

ÆGRŌTUS, a, um, adject. (æger) qui male valet, et ponitur cum de corpore, tum de animo.

I.) Proprie. ¶ 1. De corpore est morbo laborans (It. *infermo, ammalato*; Fr. *malade*; Hisp. *enfermo*; Germ. *krank*; Angl. *sick, infirm*). Occurrit — *a*) Adjectivorum more. *Ter. Adelph.* 5. 7. 24. Puerpera ægrota. *Cic.* 9. *Fam.* 14. 3. Cum ad eum ægrotum venissem. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 73. Ægrotus leo. *Id.* 1. *ibid.* 2. 48. Ægrotum corpus. — *b*) Sæpe etiam substantivi more. *Ter. Andr.* 2. 1. 9. Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus. *Cic.* 12. *Att.* 21. 5. Quid ipsum erat fortis ægroti accipere medicinam. *Id.* 9. *ibid.* 10. 3. Ægroto, dum anima est, spes esse dicitur. It. *finchè v'è fiato, v'è speranza*: proverbium, quo admonemur, ne in afflictissimis quidem rebus abjiciendam spem esse. ¶ 2. De animo a vitiis commoto ac perturbato (*V.* ÆGER. Homonym.). *Ter. Andr.* 1. 2. 21. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum, ipsum animum ægrotum facile ad deteriorem partem plerumque applicat. Cf. *ibid.* 3. 3. 27. et *Heaut.* 1. 1. 48. *Accius* apud *Non.* p. 469. 23. *Merc.* Ita territa membra animo ægroto cunctant sufferre laborem. Adde *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 8.

II.) Translate. ¶ 1. Sumptâ metaphorâ ex super. § 1., de re publica. *Cic.* 1. *Verr.* 21. 70. Aut hoc remedium est ægrotæ ac prope desperatæ reipubl. etc. *MSS. nonnulli exhibent* ægrotanti. ¶ 2. Sumptâ metaphorâ a super. § 2., cum Infinito est fastidio ac tædio laborans. *Plaut. Trin.* 1. 2. 39. Omnibus amicis morbum tu incuties gravem, ut te visere audireque ægroti fient. *h. e.* tristentur et fastidiant, si te videant audiantque.

ÆGYPTĬĂCĒ, adverb. (Ægyptiacus) Ægyptiorum ratione. *Trebell. XXX. Tyrann.* 30. *de Zenobia*: Loquebatur ægyptiace ad perfectum modum.

ÆGYPTILLA, æ, f. 1. gemma nigri et cærulei coloris, sic vocata, quod frequens in Ægypto reperiatur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (148). et *Isid.* 16. *Orig.* 11. 3.

ÆLINON (αἴλινος, *h. e.* miser, lamentabilis: hinc rectius fortasse *ælinos*, i, m. 2.) nomen est cantus, quo Apollo Linum filium suum morte sublatum flevisse dicitur: ex Græco αἶ, vel αἲ, hei, heu, et Λῖνος, Linus, ut alii putant; quo pacto legitur in quodam Adonis epitaphio Ὥρεα παντα λεγοντι, καὶ αἱ δρύες, αἲ τὸν Ἀδωνιν. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 23. Ælinon in silvis idem pater, Ælinon, altis Dicitur invita concinuisse lyra. *Alii minus recte aliter leg.*

ÆLŪRUS, i, m. 2. (αἴλουρος) feles, vox Græca est, quam quidam deducunt ἀπὸ τοῦ αἰόλλειν, καὶ κινεῖν τὴν οὐρὰν, a vertenda et movenda cauda: quasi vero soli feles caudam vertant et moveant (It. *gatto*; Fr. *chat*; Hisp. *gato*; Germ. *Katze oder Kater*; Angl. *a cat*). *Gell.* 20. 8. Ælurorum oculi ad vices lunæ aut ampliores fiunt, aut minores. Adde *Hygyn. Astron.* 2. 28. et *V.* Interpretes ad *Juvenal.* 15. 7.

ÆMIDUM tumidum. *Paul. Diac.* p. 24. 4. *Müll.* Et *Gloss. Labb.* Æmidus κεφυσημένος. *Gloss. Isid.* Æmidus tumidus, inflatus.

ÆMOBOLIUM. *V.* CRIOBOLIUM.

ÆMULA, æ, f. 1. *V.* ÆMULUS.

ÆMULĀMENTUM, i, n. 2. (æmulor) quod æmulandum proponitur. *Tertull. Carm.* 4. *advers. Marc.* 10. Quapropter merito nos æmulamenta locuti. *tertiam syllabam perperam corripit.*

ÆMULANTER, adverb. (æmulor) per æmulationem. *Tertull. Præscription.* 40. Tam æmulanter affectavit (*diabolus*) exprimere in negotiis idololatriæ.

ÆMULĀTĬO, ōnis, f. 3. (æmulor) est studium aliquem in re aliqua æquandi aut superandi; hinc differt ab imitatione (*V.* ÆMULOR Homonym. in fin.): et accipitur cum in bonam, tum in malam partem, teste *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 17. Æmulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio hoc nomen sit: nam et imitatio virtutis æmulatio dicitur —; et est æmulatio ægritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat.

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem — *a*) Accipitur pro studio alterius æquandi aut superandi virtute, laude, gloria etc. sine invidia aliove pravo affectu (It. *emulazione*; Fr. *émulation*; Hisp. *emulacion*; Germ. *Wetteifer*; Angl. *emulation*): hoc autem sensu etiam absolute usurpatur. *Tac.* 13. *Ann.* 54. Bona æmulatio. *Nep. Att.* 5. 4. Efficiebat, ut inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio. *de Cicerone et Hortensio loquitur. Tac. Agric.* 21. Æmulatio honoris. *Id.* 2. *Ann.* 44. et *Justin. præfat.* gloriæ. *Sueton. Calig.* 19. Xerxis. — Absolute. *Phædr.* 2. *epil.* 7. Nec hæc invidia, verum æmulatio. *Quintil.* 1. 2. 22. Excitabitur laude æmulatio. *Id. ibid.* § 26. Firmiores in litteris progressus alit æmulatio. — *b*) Interdum et imitandi studium significat. *Quintil.* 10. 1. 50. Virtutes ejus (*Homeri*) non æmulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. *Id. ibid.* 5. 5. Neque ego periphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem. ¶ 2. Sæpius in malam partem accipitur pro rivalitate, seu studio alterius æquandi, aut superandi, in re præsertim mala, cum invidia et animi pravitate conjuncto (It. *rivalità, gara invidiosa, gelosia*; Fr. *rivalité, envie, jalousie*; Hisp. *envidia, zelo*; Germ. *Eifersucht*; Angl. *rivalry, competition, envy, jealousy*). *Cic.* 4. *Tusc.* 26. 56. Æmulatio vitiosa, quæ rivalitati similis est. *Tac.* 3. *Hist.* 38. Ille infensus Blæso æmulatione prava. *Id.* 13. *Ann.* 17. Inter Agrippinam et Domitiam infensa æmulatio exercebatur. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Cum — et cupiditatum et æmulationum erimus expertes. *Nep. Att.* 10. 5. Inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat etc. *Liv.* 35. 47. Æmulatio gloriæ. *Curt.* 6. 8. 2. dignitatis. *Flor.* 1. 14. 1. imperii. *Liv.* 44. 25. Non ea regum æmulatio, ut æquo animo Persea tantas adipisci opes — Eumenes visurus fuerit. *Curt.* 9. 7. 4. Huic Bicon quidam — ob æmulationem infestus comparavit insidias. *Val. Max.* 9. 9. 6. Æmulationis instinctu. *Id.* 9. 2. 8. Consimili genere æmulationis instincta. *Flor.* 1. 11. Æmulatione et invidia aliquid facere. *Quintil.* 11. 1. 16. Quoties discedit æmulatio, succedit humanitas. *Sueton. Ner.* 23. Æmulatio adversariorum. *Id. ibid.* 11. Æmulationis cum Cajo Lucioque suspicio. *Tac.* 3. *Hist.* 57. Æmulatio municipalis. *h. e.* municipiorum inter se. *Plin. Paneg.* 84. Æmulatio nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardescit invidia, cujus finis est odium. *Petron. Satyr.* 99. Neque enim in amantium potestate esse furiosam æmulationem.

II.) Translate sumptâ metaphorâ a super. § I. 1. *b. Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 4. (8). Verum et pictura fallax est, et coloribus tam numerosis, præsertim in æmulatione naturæ, multum degenerat transcribentium sors varia.

ÆMŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui æmulatur, et aliquem æquare aut superare studet (It. *emulatore*; Fr. *émulateur*; Hisp. *emulador*; Germ. *der Nacheiferer*; Angl. *an emulator*). *Cic.* 2. *Att.* 1. 10. Quod Sicyonii te lædunt, Catoni et ejus æmulatori Servilio attribuas. *Seneca Ep.* 124. 25. Animus emendatus ac purus, æmulator Dei, etc. *Justin.* 6. 3. Pisandrus pro conjunctione Agesilai etiam virtutum æmulator erat; contendebatque, ne a rebus gestis ejus et gloriæ splendore discederet. *Apul. Florid.* 2. n. 15. Homeri hospes, et æmulator canendi. *Id. Apolog.* Vir egregie doctus, et veterum æmulator.

ÆMŬLĀTRIX, īcis, f. 3. quæ æmulatur (It. *emulatrice*; Fr. *celle qui cherche à imiter*; Hisp. *emula*; Germ. *die Nacheiferin*; Angl. *a female rival*). *Cassiodor. Variar.* 7. 5. Ut quod tantis ac talibus institutionibus inventum est, æmulatrix posteritas in suum commodum custodiret.

ÆMŬLĀTUS, us, m. 4. idem quod æmulatio, seu studium alterius æquandi aut superandi (*V.* ÆMULATIO I.). — *a*) In bonam partem. *Tac. Agric.* 46. Admiratione te potius, quam temporalibus laudibus, et — æmulatu decoremus. *Pleræque tamen Editt. leg.* æmulatione. — *b*) In malam partem. *Tacit.* 2. *Hist.* 66. Non exercitibus securitatem, nisi extincto æmulatu rediturum. *Id.* 13. *Ann.* 46. Otho ne in Urbe æmulatus agerct, provinciæ Lusitaniæ præficitur.

ÆMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. unde æmulor; et in bonam partem usurpatur ab *Apul.* 1. *Met.* 23. Si patris tui virtutes æmulaveris.

ÆMŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (æmulus). Part. *Æmulans* I. 2. a. et b.; *Æmulatus* I. 1. b.; *Æmulandus* I. 1. *a.* Proprie est aliquem æquare aut superare studeo, aut rem aliquam adhibita contentione et conatu assequi studeo; hinc differt ab *imitari* (*V.* Homonym. in fin.); et accipitur cum in bonam, tum in malam partem *V.* ÆMULATIO (It. *emulare, gareggiare*; Fr. *rivaliser, lutter avec*; Hisp. *emular*; Germ. *eine Person oder Sache irgendwie zu erreichen streben*; Angl. *to emulate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Accipitur in bonam partem cum de hominibus, tum de rebus. — *a*) De hominibus occurrit sæpe cum Accus., raro admodum cum Dat., sæpius absolute. *Nep. Epam.* 5. Quod me Agamemnonem æmulari putas, falleris. *Horat.* 4. *Od.* 2. 1. Pindarum quisquis studet æmulari. Cf. *Quintil.* 10. 2. 17. et 62. *Plin.* 5. *Ep.* 15. Una diximus omnes fere, quos ætas nostra æmulandos tulit. Adde *eund.* 4. *Ep.* 8., *Gell.* 17. 10. et *Curt.* 9. 4. 23. — *Quintil.* 10. 1. 122. Consummati jam patroni veteribus æmulantur. V. *Spalding.* ad h. l. — *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 26. Quoniam æmulari non licet, nunc invides. *Quintil.* 1. 3. 11. Cum (*pueri in scholis*), positis invicem cujusque generis quæstiunculis, æmulantur. *Tac.* 6. *Ann.* 29. Labeo per abruptas venas sanguinem effudit; æmulataque est conjux Paxæa. *Id.* 3. *ibid.* 55. Æmulandi amor. — *b*) De rebus semper cum Accus. *Ter. Andr. prol.* 20. Quorum æmulari exoptat negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam. *Cic. Flacc.* 26. 63. Quæ (*Massilia*) — sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare facilius possint, quam æmulari. *Liv.* 1. 18. Studia alicujus æmulari. *Tac.* 3. *Hist.* 81. Studium philosophiæ et placita Stoicorum æmulatus. *Liv.* 7. 7. et *Tac. Agric.* 15. Æmulari virtutes. *Curt.* 6. 2. 2. morem alicujus. *Id.* 6. 6. 2. Persicæ regiæ par deorum potentiæ fastigium. *Quintil.* 8. 2. 29. brevitatem. *Tac.* 2. *Hist.* 68. severitatem alicujus. *Gell.* 17. 20. ea, quæ in Platonis oratione demiramur. ¶ 2. In malam partem usurpatur pro invidiose contendere, invidere cum de hominibus, tum de rebus, et sæpe quoque absolute. — *a*) De hominibus semper cum Dat. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Cumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque

magis iocendi, quod iis æmulemur, qui ea habeant, quæ nos habere cupiamus; profecto beati erimus, cum, corporibus relictis, et cupiditatum et æmulationum erimus expertes. *Id.* 4. *ibid.* 26. 56. Obtrectare vero alteri, aut illa vitiosa æmulatione, quæ rivalitati similis est æmulari, quid habet utilitatis? cum sit æmulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat; obtrectantis autem, angi alieno bono, quod idem etiam alius habeat. *Justin.* 6. 9. Cui æmulari consueverant. — *b*) De rebus occurrit cum Dat., aut cum Accus. *Tac.* 12. *Ann.* 64. Et utraque impudica, infamis, violenta haud minus vitiis æmulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. — *Propert.* 2. 25. 19. Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras: Stultus quod stulto sæpe timore tremo. *V.* UMBRA. — *c*) Absolute, et interdum cum præp., ut *cum aliquo*, *inter se*, aut cum Infinito. *Cic.* 4. *Tusc.* 26. 56. At etiam æmulari utile est, obtrectare, misereri. *Quintil.* 12. 10. 13. Passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur etc. — *Liv.* 28. 43. Tamquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur. *Tac.* 2. *Hist.* 81. Æmulantium inter se regum paratus. — *Id.* 2. *Hist.* 62. Ac pleraque municipia et coloniæ æmulabantur corruptissimum quemque adolescentium pretio illicere.

Homonym. *Æmulatio* et *imitatio* inter se differunt. *Imitatio* enim est studium aliquid simile faciendi; *æmulatio* est animi motus, quo alios honore, gloria, aut in re alia quacumque æquare et superare conamur; hinc *imitatio* rem, *æmulatio* personam spectat; *imitatio* fere semper moderate agit et laude digna est, *æmulatio* facile in vitium degenerat. *Plin.* 7. *Ep.* 30. Tu mihi bonum animum facis, qui libellos meos de ultione Helvidii Demosthenis orationi κατὰ Μειδίου confers. Quam sane, cum componerem illos, habui in manibus, non ut æmularer (improbum enim ac pæne furiosum), ut tamen imitarer et sequerer tantum, quantum diversitas ingenii maximi et minimi, aut causæ similitudo pateretur. *Id.* 1. *ibid.* 2. Tentavi enim imitari Demosthenem —. Nec materia ipsa huic (vereor ne improbe dicam) æmulationi repugnavit. *Quintil.* 1. 2. 26. Sicut firmiores in litteris profectus alit æmulatio; ita incipientibus atque adhuc teneris condiscipulorum quam præceptoris jucundior, hoc ipso quod facilior, imitatio est. *Vellej.* 1. 17. 6. Alit æmulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit.

ÆMŬLUS, a, um, adject. Est a Græco αἱμύλος (ait *Forcellinus*) festivus, acer, (quod ab αἷμα sanguis), Latini vero, qui sæpissime Æolicam dialectum imitati sunt, aspirationem tollunt: nam Scholiastes ad *Aristophan. Lysistr.* 1271. δασύνεται, inquit, αἱμυλῶν κοινῶς, τῶν δὲ Αἰολέων ἐστὶ ψιλοῦν. *Doderlein* vero (*Latein. Synonim. Tom.* 3. *p.* 63.) putat hanc vocem conjungendam esse cum *imitari* et *similis*, necnon cum Germ. *nachahmen*, *ähnlich* etc.: quibus addendum arbitror Sanscr. *sama*, *h. e.* par, similis. — Æmulus proprie est qui similis est vel similis fieri conatur, qui alterum in re quapiam æquare et superare studet, conatu curaque adhibita, et usurpatur cum in bonam, tum in malam partem (It. *emulo*, *emulatore*; Fr. *qui tâche d'imiter*, *émule*; Hisp. *emulo*, *emulador*; Germ. *ähnelnd*, *nahekommend*, *Gleichheit mit etwas anstrebend*; Angl. *an emulator*).

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem usurpatur de hominibus. — *a*) Raro admodum stricto sensu pro pari, simili. *Tac.* 13. *Ann.* 3. Dictator Cæsar summis oratoribus æmulus. *h. e.* par erat, vel habendus est. — *b*) Sæpissime est qui alterum in re quapiam æquare et superare studet; qua significatione occurrit fere semper cum Dat. aut Gen., necnon frequenter substantivi more. *Plaut. Rud.* 1. 4. 20. AMP. Sed videre expeto te. PAL. Mihi es æmula. *h. e.* me studio æquas. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 26. 42. Me æquum est frui fraternis armis mihique adjudicarier, vel quod propinquus vel quod virtute æmulus. *Virg.* 10. *Æn.* 371. Spemque meam patriæ, quæ nunc subit æmula laudi. *Id.* 5. *ibid.* 187. partem rostro premit æmula Pristis. — *Cic. Cæl.* 14. 34. Nonne te — Q. illa Claudia æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? *Id.* 2. *Phil.* 12. 28. Me potissimum testatus est, se æmulum mearum laudium extitisse. *Id. Muren.* 29. 61. Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. *Id.* 1. *Invent.* 53. 101. Ejusdem audaciæ æmulus. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 75. lingua Timagenis æmula. *Liv.* 21. 41. Utrum Hannibal hic sit æmulus itinerum Herculis. Hinc *æmulum esse* cum Accus. est imitari in *Sall.* apud *Non. p.* 239. 6. *Merc.* Sed Pompejus — similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque ejus quidem æmulus erat. — *Cic.* 1. *Invent.* 28. 43. Qui — auctoritatis ejus et inventionis comprobatores atque æmuli. *Id. Marcell.* 1. 2. Illo æmulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum quasi socio a me et comite distracto. *Quintil.* 10. 1. 123. Æmulus Platonis. *Id.* 11. 3. 8. Ciceronis. *Id.* 12. 10. 9. Citra æmulum. *h. e.* sine æmulo. *Tac.* 16. *Ann.* 22. Æmuli Brutorum. *Gell. Præfat.* Ejusdem musæ æmulus. *h. e.* ejusdem studiorum sectator et studiosus: quod in proverbium abiisse notat *Erasm. in Adag.* — *Forcellinus* affert etiam *Ciceronis fragm.* apud *Non.* 4. 13. Optimatium æmulus doctrina, artibus, studiis. Sed *Merc.* p. 239. 10. aliter omnino legit et mancum exhibet locum. ¶ 2. In malam partem sæpe substantivi more usurpatur — *a*) Pro obtrectatore, invido, modo absolute, modo cum Gen. aut Dat., aut interdum cum Accus. et præp. *in*, *ad*. *Virg.* 6. *Æn.* 173. *de Miseno*: Æmulus exceptum Triton (si credere fas est) Inter saxa virum spumosa immerserat unda. *Horat.* 3. *Od.* 16. 14. Æmuli reges. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 16. (75). Successores aut æmuli insidiantes. *Vellej.* 2. 109. Æmulum agere. *Tac.* 2. *Hist.* 73. Nullo æmulo. *Id.* 3. *Ann.* 8. Quem, remoto æmulo, æquiorem sibi sperabat. — *Sall. Cat.* 10. Carthago, æmula imperii Rom. *Vellej.* 2. 1. Remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula. *Curt.* 5. 7. 2. et *Justin.* 9. 7. Æmulus regni. *Sueton. Ner.* 6. Qui eum, tamquam Britannici æmulum, strangularent. — *Tac.* 12. *Ann.* 54. Ad deterrima æmulus. *Apul.* 1. *Met.* 4. In convivas æmulus. *ubi alii aliter leg.* — *b*) Hinc et pro rivali accipitur. *Ter. Eun.* 2. 1. 8. Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito. *Id. ibid.* 4. 1. 9. Ibi illa cum illo sermonem occipit: Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum. *Cic.* 7. *Verr.* 31. 82. Si non tamquam virum, sed tamquam æmulum removisset. *Ovid.* 2. *Art. am.* 436. Et, si nulla subest æmula, languet amor. Adde *Cic.* 6. *Att.* 3. 7. et *Plin.* 6. *Ep.* 31.

II.) Translate de inanimis. ¶ 1. In bonam partem. — *a*) A Poetis usurpatur pro certante. *Horat. Art. Poet.* 202. Tibia non, ut nunc, orichalco vincta tubæque Æmula. *Sil. It.* 4. 4. facta æmula Herculei laboris. *Id.* 5. 439. crinibus æmula barba. *Martial.* 4. 42. Pæstanis rubeant æmula labra rosis. *Id.* 13. 118. Tuscis æmula vina cadis. — *b*) In prosa quoque oratione, sed post auream Augusti ætatem æmulus occurrit de inanimis pro simili et quasi certante. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 29. (63). Quas (*mustelas*) — lacus Rhætiæ Brigantinus æmulas marinis generat. *Id.* 12. *ibid.* 9. 10. (36). Ita vocatur arbor æmula gummi. *Id.* 15. *ibid.* 18. 19. (68). Quædamque (*ficus*) et piris magnitudine æmula. *Id.* 2. *ibid.* 8. 6. (36). Sidus (*Veneris*) æmulum Solis ac Lunæ. *Apul.* 1. *Met.* 19. Lenis fluvius, argento vel vitro æmulus in colorem. ¶ 2. Item in malam partem de abstractis ponitur pro adverso. *Virg.* 5. *Æn.* 415. Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Colum.* 5. *R. R.* 6. Ne æmula umbra viti noceat. *Tertull. Apolog.* 40. Æmulæ substantiæ. *h. e.* quæ sibi invicem adversantur, ut aqua et ignis.

AENARIA. Vocabulum a Lexico expungendum; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 161.

AENĀTOR, ōris. *V.* AENEATOR.

ĀĔNEÆ *vel* æneæ fulloniæ, apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 66. (92)., videntur esse aenea vasa, quibus fullones utuntur lavandis poliendisque vestibus.

ĀĔNEĀTOR *vel* æneator, ōris, m. 3. (aeneus) tubicen, buccinator, ita dictus ab aenea tuba, quam inflat: quamquam generatim, ut docet *Paul. Diac.* p. 20. 7. *Müll.* Aeneatores cornicines dicuntur, id est, cornu canentes. *ubi nonnulli ante* Müll. *legebant* aenatores (It. *trombetta*, *cornetta*; Fr. *trompette*; Hisp. *trompeta*, *trompetero*; Germ. *der Blechmusiker oder Trompeter*; Angl. *a trumpeter*). *Sueton. Cæs.* 32. Interque eos et aeneatores, rapta ab uno tuba, prosiluit ad flumen, et ingenti spiritu classicum exorsus etc. Adde *Ammian.* 24. 4. *Inscript.* apud *Mommsen.* 4232., quæ est apud *Orell.* 4059., et pertinet ad annum post Chr. n. 200. IMP. CAESARI L. SEPTIMIO SEVERO — COLLEGIVM AENEATOR. *Inscript.* apud *Henzen.* 6793. MINERVAE AENEATORES COH. I. EQ. ET NAVR. EQ. V. S. L. L. M. *Inscript.* apud *Orell.* 1887., in qua *D. Junius D. F.* dicitur aeneator *Leg. VII.* spuria videtur *Henzenio* (*Inscript. Latinar.* etc. *Vol.* 3. *p.* 164.). — *Scalig.* ad *Paul. Diac. l. cit.* docet, discrimen esse inter *cornicines* et *aeneatores* seu tubicines Romæ et in castris. Romæ enim aeneatores comitia tributa convocabant, cornicines centuriata (*Gell.* 15. 27.). In castris ad tubicinem seu aeneatorem milites tantum movebantur, ad cornicines etiam signa. Præterea in iisdem castris a tubicine vigiliæ committebantur et, finitis horis, a cornicine revocabantur, ut *Veget.* 3. 8. docet. — Etiam in publicis ludis aeneatores adhibebantur, fortasse ut tuba commissionis signum daret, ut colligi videtur ex *Seneca Ep.* 84. 10.

ĀĔNEŎLUS *vel* æneolus, a, um, deminut. ab aeneus: et de parvis rebus ex ære factis dicitur. *Petron. Fragm. Tragur.* 73. *Burmann.* Aeneoli piscatores. *h. e.* parva signa aenea piscatores referentia. Alii pro *piscatores* alia substituunt. *Paul. Diac.* p. 20. 3. *Müll.* Aeneolum, quod ex ære fit, dicimus.

ĀĔNEUS *vel* ăhēnĕus *vel* æneus, a, um, adject. (æs, æris). Cum vox *aeneus* apud Poetas nunquam trisyllaba, sed semper quadrisyllaba occurrat; in prosa quoque oratione *aēneus* legendum esse recte docet *Klotz.*: postremam itaque formam *æneus*, etiam in derivatis, inseruimus, tantum ne veteribus Editt. adversaremur. — De *h* in *aheneus* inserta hæc docet *Gell.* 2. 3. *H* litteram, sive illam spiritum magis, quam litteram, dici oportet, inserebant eam veteres nostri vocibus verborum firmandis roborandisque, atque id videntur fecisse studio et exemplo linguæ Atticæ. — Sic *lachrimas*, sic *sepulchrum*, sic *ahenum* — dixerunt. Idem *Gell.* paullo post ait se vidisse in libro *Æneidos* secundo, quem ipsius Virgilii fuisse credebatur, *aenus* sine *h* scriptum esse. — Ceterum aeneus est ex ære factus, sive ex quadam plurium metallorum mixtura *V.* ÆS (It. *di bronzo*, *rame ovvero ottone*; Fr. *d'airain*, *de bronze*, *de cuivre*; Hisp. *de alambre*, *de bronce*, *de azófar*; Germ. *aus Erz*, *ehern*, *bronzen*, *kupfern*; Angl. *made of coppe or brass*, *brazen*).

I.) Proprie. — *a*) De materia, ex qua res aliqua constat. *Cato R. R.* 11. 2. Aeneus orbis. *Id. ibid.* 10. 2. orbes. *Id. ibid.* 98. 2. et *Liv.* 8. 20. omnia. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 1., *Varro* 3. *R. R.* 2. 8., *Horat.* 2. *Ep.* 1. 248. et *Liv.* 27. 0. et 31. 50. signa. *Cic.* 6. *Verr.* 26. 60. candelabra. *Id.* 9. *Phil.* 6. 13. statua. *Id.* 3. *Off.* 9. 38. equus. *Id.* 2. *Invent.* 23. 69. tropæum. *Id.* 3. *Nat. D.* 12. 30. Nihil argenteum, nihil aeneum. *Nep. Iphicr.* 1. Loricæ ferreæ atque aeneæ. *Id. Alcib.* 6. coronæ. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 60., *Varro* 5. *L. L.* 125. p. 40. *Müll.* et *Colum.* 12. *R. R.* 20. 1. vasa. *Liv.* 2. 33. columna. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). tuba. *Liv.* 41. 13. vacca. *Curt.* 4. 3. 25. clipei. *Quintil.* 6. 3. 98. Sphinx. *Martial.* 11. 75. theca. *Gell.* 16. 19. simulacra. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 300. navis. *h. e.* ærata, seu ære in prora munita. *Varro* 9. *L. L.* 83. p. 225. *Müll.* et *Cajus Instit.* 1. 119. Emptus est hoc ære aeneaque libra. *h. e.* libra quæ aeneas lances habebat, aut in qua æs appendebatur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 183. Latus ut in Circo spatiere et aeneus ut stes. *h. e.* ut tibi aenea statua habitu stantis ponatur: veteres Editt. leg. *aut æneus.* — *b*) Interdum aeneus dicitur, qui colore est æris. *Sueton. Ner.* 2. de *Cn. Domitio Aenobarbo juxta Licinium Crassum*: Non esse mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset.

II.) Translate. ¶ 1. Aeneus ponitur pro perpetuo, firmo, indissolubili. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 60. Hic murus aeneus esto, Nil conscire sibi et nulla pallescere culpa. *Id.* 3. *Od.* 9. 18. Diductosque jugo cogit aeneo. *Id.* 3. *ibid.* 16. 1. Inclusam Danaen turris aenea etc. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 27. et cf. *Soph. Antig.* 944. χαλκόδετοι αὐλαί. ¶ 2. *Aeneum frumentum*, de quo fit mentio in *Cod. Theod.* 14. 25. 1., qui est de *frumento Carthaginiensi*, alii putant dictum esse, quod ex aeneæ tabulæ præscripto pensitaretur, vel ex tessera, fortasse aenea: alii rectius, quod in ære penderetur, ut de ærariis annonis in v. ÆRARIUS dicetur. Alii tamen aliter; et sunt etiam qui alio modo legendum putant. ¶ 3. Etiam de mundi ætate dictum est ab *Ovid.* 1. *Met.* 125. Tertia post illas successit aenea proles. — NB. *Aeneus* est etiam cognomen Rom., de quo *V.* ONOM.

Aeneum, i, n. 2. substantivorum more pro aeneo

vase legitur apud *Cat. R. R.* 11. 2. et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 10. (35). V. *Aenum* in fine v. AENUS.

ÆNIGMA, ătis, n. 3. (αἴνιγμα, ab αἰνίσσομαι obscure significo, loquor, innuo). In Dat. plur. habet *ænigmatis*, non *ænigmatibus*; sic enim consuetudo obtinuit in hujusmodi Græcis nominibus tertiæ declinationis V. *Charis.* 1. p. 38. *Putsch.* et voc. EMBLEMA et EPIGRAMMA. — Ænigma proprie significat obscuram allegoriam, seu involutum sermonem, aut quæstionem, in qua per acutam festivamque verborum circuitionem aliquid interpretandum proponitur, aut intelligendum significatur (It. *enimma*, *indovinello*; Fr. *énigme*; Hisp. *enigma*; Germ. *das Räthsel*; Angl. *an enigma*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. Ænigma est illud *Virg.* 3. *Ecl.* 104. *Dic quibus in terris* etc., ubi puteus intelligi videtur; ubi *Servius*: Sciendum, ænigmata hæc, sicut fere omnia, carere aperta solutione: et illud apud *Gell.* 12. 6. *Semel, minusne, an bis minus, non sat scio: An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier: Jovi ipsi regi noluit concedere*: ubi deus Terminus notatur. Apud *Charis.* 4. p. 247. *Putsch.* Mater me genuit: eadem mox gignitur ex me. h. e. aqua genuit glaciem, quæ postea in aquam solvitur. *Quintil.* 8. 6. 52. Hæc allegoria, quæ est obscurior, ænigma dicitur. *Id.* 6. 3. 51. Pervenit res usque ad ænigma. *Gell. l. cit.* Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam e nostris veteribus scirpos appellaverunt. ¶ 2. Hinc latiori sensu quodvis obscurius dictum *ænigma* appellatur. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 132. Obscuritates et ænigmata somniorum. *Id.* 7. *Att.* 13. *b.* § 1. Ænigma Oppiorum ex Velia plane non intellexi. *Juvenal.* 8. 50. Qui juris nodos et legum ænigmata solvat. *Petron. Satyr.* 41. Ænigma, non res aperta. — *b*) Peculiariter apud Rhetores ænigma dicitur obscurior allegoria; ideoque inter vitia orationis ponitur a *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167. et *Quintil.* 8. 6. 52. et 53. et 6. 3. 98. — *c*) Item peculiariter ponitur et pro religionis mysterio ab *Arnob.* 3. 15. Ægyptiorum ridetis ænigmata, quod mutorum animantium formas divinis inseruerint causis. — *d*) Apud *Prudentium* accipitur pro imagine, figura, seu lineamentis, per quæ cujusque imago intelligitur, ut *Cathem.* 10. *qui est hymn. circa Exseq.* v. 143. Non immemor ille requiret Sua munera fictor et auctor, Propriique ænigmata vultus. *Et* περὶ στεφ. 2. *de pass. Laurent.* 118. Is ipse tantum non habet Argenteorum ænigmatum Augustus, arcem possidens, Cui nummus omnis scribitur. h. e. tantum nummorum Augusti imagine cusorum. Videtur *Prudentius* hanc vocis notionem hausisse ex 1. *Corinth.* 13. 12., ubi inter se opponuntur *videre in ænigmate*, et *de facie ad faciem*.

ÆNIGMĂTĬCUS, a, um, adject. (αἰνιγματικός) obscurus instar ænigmatis (It. *enimmatico*; Fr. *énigmatique*; Hisp. *enigmático*; Germ. *räthselhaft*; Angl. *obscur*, *ambiguous*). *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 4. Ille clarum esse somnium dixit, et nihil ænigmaticum, nihil dubium continere.

ÆNIGMĂTISTĂ vel Ænigmatistēs, æ, m. 1. (αἰνιγματιστής) qui ænigmata solvit, aut proponit, seu obscure loquitur. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. Veternosus legalium quæstionum ænigmatista. Alii leg. *ænigmatistes* retenta Græca terminatione. *Augustin.* 4. *Quæstion. in Num. quæst.* 45. Quid sint ænigmatistæ, ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine litteraturæ nostræ. *Et mox*: Ænigmatistæ sunt, quos poetas nos appellamus, eo quod poetarum est consuetudo miscere carminibus suis ænigmata fabularum.

ĀĔNĬPES vel ahenipes vel ænipes, pĕdis, adject. aeneos pedes habens, Gr. χαλκόπους. *Ovid. Heroid.* 6. 32. Narrat aenipedes Martis arasse boves. *Est qui legit* Narrat et æripedes: *alii* Narrat aeripedes. h. e. veloces instar aeris, ἀερίποδας: *alii denique* Retulit æripedes. *Heinsius* priorem lectionem retinet. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 351. Cruribus ænipedum, si fas est credere, equorum. *duas priores vocales in diphthongum licenter conjunxit.*

ÆNITOLOGIUM (*metrum*) constat dactylica et iambica penthemimeri, ut est hoc: *Carmina bella magis vellem sonare.* Ita *Servius* in *Centim.* p. 1825. *Putsch.* Dictum videtur a Græcis αἰνέτης laudator, et λόγος sermo; quasi laudis carmen.

ĀĔNŬLUM vas ex ære parvum. *Paul. Diac.* p. 28. 4. *Müll.*

ĀĔNUS vel ăhēnus, a, um, adject. (æs, æris). *Aenus* vel *ahenus* est antiquior atque usitatior forma apud Poetas pro *aeneus* vel *aheneus*. — Idem quod aeneus vel aheneus, de cujus significatione et interpretatione *V.* supra.

I.) Proprie de materia, ex qua quid constat. *Cato R. R.* 11. 2. Aenum coculum. *Lucret.* 1. 316. signa. *Id.* 5. 1293. et *Virg.* 4. *Æn.* 513. falces. *quæ post ferri inventionem in opprobrium versæ sunt, ut citatis locis docemur, quia tantummodo usum habuerunt in secandis herbis ad veneficia.* *Ovid.* 7. *Met.* 226. curvamen falcis aenæ. *Virg.* 6. *Æn.* 228. cadus. *Id.* 9. *ibid.* 165. crateres. *Id.* 1. *ibid.* 453. fores. *Id.* 4. *ibid.* 22. labrum. *Id.* 7. *ibid.* 633. thoraces. *Ovid.* 2. *Fast.* 577. acus. *Propert.* 4. 2. 61. forma. *Id.* 4. 10. 33. cornu. *Val. Flacc.* 7. 595. juga. *Stat.* 6. *Theb.* 226. cassis. *Id.* 4. *ibid.* 47. moles. h. e. scutum.

II.) Translate. ¶ 1. De armorum splendore, quæ ex ære constabant. *Virg.* 2. *Æn.* 470. Pyrrhus Exsultat telis et luce coruscus aena. ¶ 2. Ponitur pro duro, forti, munito. *Horat.* 1. *Od.* 35. 18. Clavos trabales et cuneos manu Gestans aena. ¶ 3. Item pro duro, inexorabili. *Stat.* 3. *Theb.* 380. aena precando Flectere corda paro.

Aenum vel ăhēnum, i, n. 2. substantivorum more. ¶ 1. Proprie est vas ex ære aliove consimili metallo, in quo aqua calefit ad lavandum, vel ad alios usus: et differt a *cacabo*, qui proprie est vas ad carnes elixandas et ad pulmentarium coquendum, ut docent *Paul. Dig.* 33. 7. 18. et *Serv.* ad illud 1. *Æn.* 217. *Litore aena locant alii.* Hoc tamen discrimen non est perpetuum. Nam *aenum* sæpissime usurpatur etiam de vase ad cibos coquendos (It. *caldaja*, *calderone*; Fr. *chaudière*, *chaudron*; Hisp. *caldera*; Germ. *ein ehernes oder kupfernes Gefäss*; Angl. *a brazen vessel, a caldron*). *Cato R. R.* 11. 2. Operculum aeni unum. *Varro* apud *Non.* p. 547. 27. Ut fere habent aenum (*Merc.* leg. *aeneum*) aliqui venditant oleum. *Vitruv.* 5. 10. 1. Aena supra hypocausin tria sunt componenda. Adde *Dig.* 19. 1. 38. § 2., *Virg. l. cit.* et 1. *G.* 296. et 6. *Æn.* 643., *Horat.* 2. *Ep.* 2. 169., *Ovid.* 6. *Met.* 645. et 7. 279. et *Rem. am.* 707., *Seneca Med.* 666. et *Thyest.* 60. et 1061. *Juvenal.* 15. 81. totum corrosis ossibus edit Victrix turba, nec ardenti decoxit aeno. — Sæpe usurpatur de vase, in quo coquuntur colores ad tingendas lanas, et præsertim purpura. Hinc varia habet epitheta ex iis locis, in quibus purpura magno fuit in pretio. *Ovid.* 3. *Fast.* 822. Hanc (*Pallada*) cole, velleribus quisquis aena paras. *Martial.* 14. 133. Non est lana mihi mendax, nec mutor aeno: Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis. *Id.* 10. 16. Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aeno. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 95. quæ vellera tantum Ditibus Assyrii spuma fucantur aeni. *Seneca Herc. Œt.* 663. Sidonium aenum. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 151. Tyrium. *Sil.* 16. 177. Gætulum. His et aliis similibus poetarum locis intelligitur purpura. ¶ 2. Translate aenum *Fabretti* judicio *Inscript.* p. 678. est idem atque aeneum frumentum in *Cod. Theod.* 14. 25. 1. memoratum (*V.* AENEUS II. 2.). *Inscript.* apud *eumd. l. cit.* n. 40. D. CLAVDIVS D. LIBERT. PATROCLVS AENI DISPENSATOR. Adde *ibid.* n. 41. et 42. Hinc juxta *Fabrettum* aeni dispensator idem esset ac *dispensator a frumento*, qui memoratur in *Inscript.* apud *Orell.* 895. et in alia apud *Mommsen.* 2464.

ÆŎLĬPȲLÆ, arum, f. plur. 1. vox a Græcis composita *ventorum portas* significans, ab Αἴολος Æolus, vel etiam ventus, et πύλη, porta. Apud *Vitruv.* 1. 6. 2. æolipylæ æreæ dicuntur vasa ad cognoscendam ventorum rationem facta: hæc habent foramen angustissimum, quo aquæ infunduntur; collocanturque ad ignem, et antequam calescant, non habent ullum spiritum; simul ac autem fervere cœperint, efficiunt ad ignem vehementem flatum. Ita scire et judicare licet e parvulo brevissimoque spectaculo, de magnis et immanibus cœli ventorumque naturæ rationibus; nempe ex impetu, vel lenitudine flatus erumpentis. Hæ in Glossis vocantur *ollæ animatoriæ*. Sed *Vitruvii* lectio est admodum incerta; et recte *Klotz.* putat saltem legendum esse *Æoli pilæ*.

ÆON, ōnis, m. 3. αἰών, vox Græca, sæculum æternitatemve significans. Usurpatur sæpe a *Tertull. Præscript. advers. hæret.* 33., 34. et 49. et *advers. Valentin.*, ubi multa de fabula triginta Æonum, partim marium, partim feminarum, quos *Valentinus* hæreticus commentus est, deosque esse voluit. Æonis figuram habes apud *Zoega Bassoril. Tom.* 2. p. 32. *tab.* 59. et apud *Labus in Bibliot. Ital. Tom.* 2. p. 203., qui pluribus argumentis probant, illius symbolum in sacris Mithriacis fuisse hominem nudum quatuor alis et capite leonino insignitum, cujus corpus serpens septenis circumligat spiris. De ratione nominis V. *Heynium Opusc. Tom.* 6. p. 227.

ÆPOLUS, i, m. 2. Græca vox αἰπόλος, caprarius (It. *caprajo*; Fr. *chevrier*; Hisp. *cabrerizo*; Germ. *der Ziegenhirt*; Angl. *a goat-herd*). *Hygin. Astron.* 2. 1. Callisto in ursæ speciem conversa a quibusdam æpolorum (*MSS. Codd. leg.* Ætolorum) capta. *Inscript.* apud *Fabretti* p. 215. n. 549., in quo *Æpolus* est nomen servile, hanc vocem confirmat.

ÆQUĀBĬLIS, e, adject. (æquo). Comp. *Æquabilior* I. et II. *a*. Proprie æquabile est id, quod alteri aut æquari potest, aut æqualis vel par haberi, ut ait *Fronto de differ. voc.* p. 2198. *Putsch.* Æqualis alterius staturæ par, æquabile quod æquari potest.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu æquabile est id quod alteri par fit, vel eadem est proportione cum altero; sed raro admodum occurrit. *Plaut. Capt.* 2. 2. 52. Vis hostilis cum istoc fecit meas opes æquabiles. ¶ 2. Sæpius æquabilis est qui pariter in omnes et æqualiter distribuitur, æqualis, par ac propterea etiam uniformis: hinc æquabilis frequenter cum *perpetuo*, *perenni* etc. conjungitur (It. *equabile*, *eguale*, *uniforme*; Fr. *égal*, *pareil*, *uniforme*; Hisp. *igual*, *parejo*, *uniforme*; Germ. *gleich bleibt*, *gleich mässig*, *gleichförmig*, *sich gleich bleibend*; Angl. *equable*, *equal*, *uniforme*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Partes undique æquabiles. *Id.* 2. *Off.* 11. 40. Æquabilis prædæ partitio. *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 50. In qua necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus, paribus paria respondeant: hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est æquabilem tributionem. *Id. Flacc.* 14. 32. Æquabilis descriptio sumptus. *Sueton. Domit.* 3. Æquabilis mixtura vitiorum atque virtutum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 23. Motus certus et æquabilis. h. e. qui semper idem durat, nec modo velocius, modo tardius agitur; quique a nostris Mathematicis uniformis dicitur. — *Cic.* 2. *de republ.* 5. 10. Perennis amnis et æquabilis. *Id.* 5. *Verr.* 47. 112. Perpetua atque æquabilis satio. *Id. post red. ad Quir.* 1. 2. Prospera, æquabilis perpetuaque fortuna. *Lactant.* 2. 11. 2. Perpetua temperies et ver æquabile. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 36. Moderati æquabilesque habitus corporis. *Sall. Jug.* 57. Pulveris vis æquabilis. h. e. quæ semel exorta diu et æqualiter durat. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Æquabili, lucido et mediocriter calido loco. *Cic.* 2. *Tusc.* 27. 65. Æquabilis patientia. *Sall. Jug.* 71. Vir fama æquabili et inviolata. h. e. æque bona apud omnes. *Tac.* 4. *Ann.* 20. Æquabili auctoritate apud aliquem vigere. h. e. moderata et constanti. *Seneca Ep.* 74. 15. Virium illis major est et æquabilior firmitas.

II.) Translate. — *a*) Ponitur præcipue de jure, quod unicuique suum tribuit, et nulla personarum exceptione par est in omnes, ut definit *Cic.* 2. *Invent.* 22. 68. Par est, quod in omnes æquabile est. *Id.* 1. *ibid.* 2. 2. et 53. 102., et 2. *Off.* 12. 42. Jus æquabile. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 11. § 32. Juris æquabilis ratio. *Id.* 5. *Att.* 20. 1. Nihil ea juris dictione æquabilius, nihil lenius, nihil gravius. *Id. Cæcin.* 25. 70. Etenim hoc (*jure civili*) sublato – nihil est, quod æquabile inter omnes atque unum omnibus esse possit. h. e. æqualiter divisum. *Id.* 2. *de republ.* 37. 62. Quod non esset (*hic status reipubl.*) in omnes ordines civitatis æquabilis. — *b*) Raro de personis ponitur. *Tac.* 6. *Ann.* 31. Fidus Romanis, æquabilis in suos. *Id.* 4. *Hist.* 5. Civis, senator, maritus, gener, amicus: cunctis vitæ officiis æquabilis. — *c*) Sæpius de oratione. *Cic.* 1. *Off.* 1. 3. Æquabile et temperatum orationis genus. h. e. sine asperitate, sine salebris, quæ aures offendant, facile et in facilitate constans. *Id.* 2. *Orat.* 15. 64. Genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam æquabili profluens. *Id. ibid.* 13. 54. Tractus orationis lenis et æquabilis.

ÆQUĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (æquabilis). Est vocabulum ab uno fere Cicerone usurpatum, unde *Lactant.* 5. 14. Æquitatem se cum ceteris comparandi Cicero æquabilitatem vocat. — Æquabilitas itaque est constans alicujus rei tenor, certus rerum modus et constantia; sibi constans nulloque parte in vitium inclinans ratio (It. *equabilità*, *egualità*, *uniformità*; Fr. *égalité*, *uniformité*, *juste proportion*; Hisp. *igualdad*, *uniformidad*; Germ. *die Gleichmässigkeit*, *das gleiche Verhältniss*, *die Gleichförmigkeit*; Angl. *equability*, *evenness*, *consistency*, *uni-*

formity). — *a*) In corporibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. 15. Equabilitas motus. — *b*) Præcipue in jure. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. Juris æquabilitas. *Id.* 2. *Orat.* 52. 209. Communis juris æquabilitas. *Id.* 1. *ibid.* 42. 188. Legitima atque usitata in rebus causisque civium æquabilitas. *Id.* 2. *ibid.* 85. 145. Erit explicandum in laude justitiæ quid cum fide, quid cum æquabilitate – gesserit. Apud *eumd. Cic.* 1. *de republ.* 34. 53. et 27. 43. *Æquabilitas juris* et *æquabilitas* significant τὴν ἰσονομίαν in re publ. *V.* ÆQUABILIS I. — *c*) In humanæ vitæ ratione. *Cic.* 1. *Off.* 31. 111. Nihil est profecto magis (*decorum*) quam æquabilitas universæ vitæ, tum singularum actionum. *h. e.* in qua nulla sit perturbatio, neque varietas, aut discrepantia. *Id. ibid.* 26. 90. Præclaraque est æquabilitas in omni vita, et idem semper vultus eademque frons. *Id.* 1. *ad Brut.* 16. 10. Constantia et æquabilitas. — *d*) In oratione. *Cic. Orat.* 16. 53. Lenitas et æquabilitas et purum quasi quoddam dicendi genus. — *e*) Apud Grammaticos æquabilitas est etiam analogia. *Varro* 9. *L. L.* 1. *p.* 197. *Müll.*

ÆQUĀBILĬTER, adverb. (æquabilis). Comp. *Æquabilius.* Æque, cum æquabilitate (It. *egualmente, uniformemente*; Fr. *également, uniformément*; Hisp. *igualmente, con uniformidad*; Germ. *aus gleichmässige Weise, gleichmässig*; Angl. *equally, evenly, uniformly*). — *a*) De rebus inanimis et de motu. *Cato R. R.* 103. Æquabiliter commiscere amurcam cum aqua. *h. e.* eadem quantitate. *Id. ibid.* Dato æquabiliter quarto quintoque die. *Cic.* 2. *Off.* 11. 40. Æquabiliter prædam dispertire. *Id.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Mare conglobatur undique æquabiliter. *Id.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Factus autem toto corpore æquabiliter fusus est. Adde 1. *Tusc.* 10. 21. et *V.* infra d. *Id. Mil.* 28. 76. Æquabiliter in rempublicam, in privatos, in alienos, in suos irruebat. *Varro* 1. *R. R.* 6. 6. Æquabiliter vergere in unam partem. — *b*) In reipublicæ administratione. *Sall. Cat.* 2. Quod si regum atque imperatorum animi in pace, ut in bello, valeret, æquabilius atque constantius se se res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. *Tac.* 15. *Ann.* 21. Æquabilius et constantius regi. — *c*) In humanæ vitæ ratione. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Tolerare æquabiliter sumptus et tributa. — *d*) In oratione. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 218. Genus facetiarum æquabiliter in omni sermone fusum.

ÆQUÆVUS, a, um, adject. (æquus *et* ævum) ejusdem ætatis (It. *coetaneo, della medesima età*; Fr. *du même âge*; Hisp. *coetaneo*; Germ. *gleich-alterig, von gleichem Alter*; Angl. *coeval, of the same age*). Est vox fere poetica et occurrit cum de hominibus, tum de rebus — *a*) Absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 561. subiit cari genitoris imago, Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi Vitam exhalantem. *Id.* 5. *ibid.* 452. accurrit Acestes Æquævumque ab humo miserans attollit amicum. *Seneca Agam.* 639. Hinc æquævi gregis Astyanax ducit turmas. *h. e.* juvenum ejusdem ætatis. *Sueton. Vit. Pers.* Æquævus auditor. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 48. palmes. *Claudian. Epigr.* 2. 16. nemus. *Id. IV. Cons. Honor.* 121. majestas. — *b*) Cum Dat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 86. (236). Lotos æquæva Urbi. *Claudian. Bell. Get.* 54. Urbs æquæva polo.

ÆQUĀLIS, e, adject. (æquus). Comp. *Æqualior* II. 3.; Sup. *Æqualissimus* occurrit tantum apud *Tertull. Anim.* 17. V. infra II. 3. Ratione habita adjectivi *æquus* a quo derivatur, æqualis est planus, aut si acclivis sit, eminentias tamen non habens (It. *piano*; Fr. *plane, plat*; Hisp. *plano, llano*; Germ. *was eine gleiche oder ebene Oberfläche hat, flach, gleich oder eben beschaffen ist*; Angl. *level, plain, smooth*).

I.) Proprie stricto sensu et ratione habita etymi est idem quod æquus, planus. *Sall. Jug.* 79. Loca æqualia et nuda gignentium. *Ovid.* 1. *Met.* 34. Principio terram, ne non æqualis ab omni Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (187). Ferunt – gentes esse sine naribus, æquali totius oris planitie. *Tac.* 4. *Ann.* 47. Montem occupat angustum et æquali dorso continuum.

II.) Derivata significatione. ¶ 1. Æqualis est ejusdem altitudinis. *Liv.* 7. 24. 8. Quod editissimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt. *h. e.* tumuli ejusdem erant altitudinis, ita ut oculis planam quodammodo superficiem exhiberent, neque alii alios supereminerent. ¶ 2. Hinc æquale generatim est quidquid, ratione habita alterius, est ejusdem qualitatis, formæ, magnitudinis, altitudinis, ambitus: et significat aliquid pluris, quam *par*, V. Homonym. in voce ÆQUE (It. *eguale*; Fr. *égal*; Hisp. *igual*; Germ. *gleich*; Angl. *equal*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Parad.* 3. 1. 20. Id si nec majus, nec minus unquam fieri potest –, quæ ex eo peccata nascuntur, æqualia sint oportet. *Id. ibid.* § 22. Atqui quoniam pares virtutes sunt, recte facta, quoniam a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent, itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est. *Id.* 3. *Orat.* 14. 55. Quamquam sunt omnes virtutes æquales et pares, sed tamen est species alia magis alia formosa etc. *Id. Amic.* 9. 32. Suntque pares in amore et æquales. *Liv.* 40. 57. Nec enim aut linguâ, aut moribus æquales abhorrere. *h. e.* cum sint æquales inter se. *Horat.* 3. *Od.* 24. 15. Defunctum laboribus Æquali recreat sorte vicarius. *Ovid.* 7. *Met.* 803. æquales urebant pectora flammæ. *Vellej.* 2. 110. Copiæ pæne æquali divisæ intervallo ab hoste. *Id.* 2. 29. Indignari – quemquam æqualem dignitate conspicere. *Quintil.* 1. 1. 14. Cum æquali cura linguam utramque tueri cœperimus. — *b*) Addito comparationis termino per Dat., aut Gen., aut Accus. cum præp. *inter*, aut Ablat. cum præp. *cum*. *Cic. Orat.* 56. 188. Ut necesse sit partem pedis aut æqualem esse alteri parti, aut altero tanto aut sesqui esse majorem. *Id. ibid.* 36. 123. Sed erit rebus ipsis par et æqualis oratio. *Id.* 2. *Legg.* 10. 25. Cum paupertatem divitiis etiam inter homines æqualem esse velimus. *Liv.* 30. 28. Exercitus æqualis stipendiis suis. — *Cic. Orat.* 64. 215. Creticus – et ejus æqualis pæon. — *NB.* Si Genitivo jungitur, æqualis fere semper substantivorum more usurpatur, *V.* infra 5. — *Cic.* 1. *Orat.* 18. 83. Easque (*virtutes*) esse inter se æquales et pares. *Sall. ad Cæs.* 2. 60. Gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est. *Lactant. de ira Dei* 7. Nos esse cum pecudibus æquales. ¶ 3. Æqualis est etiam, qui ratione habita suimetipsius tantum, est semper idem, semper sibi similis, constans, aut æqua proportione donatus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Nervositas filo æqualior pæne quam araneis. *Tertull. Anim.* 17. Æqualissima porticus. *Liv.* 24. 47. Lentior deinde æqualiorque accidens auribus (*procellæ strepitus*) magnam partem hominum sopivit. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 5. Qui (*Favonius*) lenis æqualisque æstivis mensibus perflat. *Ovid.* 11. *Met.* 463. æquali ictu scindere freta. *Curt.* 7. 6. 11. Libertatis modicus et æqualis usus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (8). Æqualis omnium temperies (*in aere*). *Quintil.* 10. 1. 54. Æqualis quædam mediocritas. *Sueton. Tib.* 68. Ceteris membris usque ad imos pedes æqualis et congruens. *h. e.* æqua proportione conformatus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 9. Nil æquale homini fuit illi. *h. e.* nulla ejus pars vitæ constans æquabilisque fuit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 37. (128). Euphranor pictor docilis, et laboriosus ante omnes, et in quocumque genere excellens ac sibi æqualis. *h. e.* constans in sua excellentia. ¶ 4. Sæpissime et de tempore dicitur, et est ætate æqualis, ejusdem ætatis. Hac autem significatione raro admodum additur *annus* vel *ævum*, ut apud *Ovid.* 1. *Met.* 750. Fuit huic animis æqualis et annis Sole satus Phaeton. Et apud *Sil. It.* 3. 402. Hos ducere viros flaventi vertice Phorcys Spiciferisque gravis bellator Arauricus oris, Æquales ævi. — *a*) Sæpe absolute. *Cic. Brut.* 69. 244. Ordinem sequens in memoriam notam et æqualem necessario incurro. *Nep. Att.* 17. Quam (*sororem*) prope habuit æqualem. *Virg.* 4. *G.* 460. At chorus æqualis Dryadum clamore supremo Implerunt montes. — *b*) Interdum additur persona aut res, cui quis ætate æqualis est, per Dat., aut per Gen., aut per Abl. cum præp. *cum*. *Cic. Brut.* 18. 73. Cui cum æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is etc. *Id.* 11. *Phil.* 13. 33. Cujus (*Dejotari*) benevolentia in populum Rom. est ipsius æqualis ætati. *Liv.* 5. 52. Sacra æqualia Urbi. *Id.* 28. 28. Ne istuc Jupiter sirit Urbem – fragili huic et mortali corpori æqualem esse. *Id.* 8. 40. Æqualis illis temporibus scriptor. *Curt.* 8. 13. 21. Attalum et æqualem sibi et haud disparem habitu oris et corporis – veste regia exornat. — *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 39. Ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem et diligentem et æqualem temporum illorum. *Id. Harusp. resp.* 17. 37. Etenim quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus æquale hujus urbis accepimus? *Id.* 1. *Legg.* 3. 8. Ipse autem æqualem suæ ætatis memoriam deposcit, ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. Adde 2. *ibid.* 4. 9. *Liv.* 24. 5. Per calonem quemdam æqualem Hieronymi, etiam inde a puero etc. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 53. 78. (167). Duobus aliis (*piscibus*) æqualibus ejus viventibus. — *Virg.* 3. *Æn.* 491. æquali tecum pubesceret ævo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 86. (236). Fuit cum ea cupressus æqualis. — ¶ 5. *Æqualis, is*, gen. comm., occurrit etiam substantivorum more, et significat aut æquævum, aut sodalem atque inde a pueris vel ab adolescentia amicum. — *Cic. Orat.* 30. 105. Sed ille (*Demosthenes*) magnus: nam successit ipse magnis et maximos oratores habuit æquales. *Quintil.* 12. 5. 5. Habuit oratores ætas nostra copiosiores; sed cum diceret, eminere inter æquales Trachalus videbatur. — *Plaut. Trin.* 1. 2. 10. O amice, salve, mi atque æqualis, ut vales. *Id. ibid.* 2. 2. 50. Adolescenti huic genere summo, amico atque æquali meo. *Ter. Andr.* 1. 6. 22. Quem vocabo ad cœnam meorum æqualium potissimum? *Pacuvius* apud *Non. p.* 470. 20. *Merc.* Cum neque me aspicere æquales dignarent meæ. *Afranius* apud *eumd.* p. 235. 30. Novi: amicum atque æqualem meum. *Cic. Senect.* 4. 10. Adolescens ita dilexi senem, ut æqualem. *Id. ibid.* 14. 16. Nec cum æqualibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate atque vobiscum. *Id. Brut.* 48. 179. P. Orbius meus fere æqualis. Adde *Nep. Epam.* 2. et *Att.* 8. et 10., et *Curt.* 7. 11. 8.

III.) Translate æqualis ille dicitur, qui ita se habet, ut par ceteris, minime vero superior videatur. *Vellej.* 2. 124. Ut potius æqualem civem, quam eminentem liceret agere principem. *Eutrop.* 8. 4. Æqualem se omnibus exhibens. — NB. Inter hujusce vocabuli significationes, quas n. II. exhibuimus, nonnullæ translatæ videntur: sed quas, ad perspicuitatem atque significationis unitatem, satius duximus ibidem referre.

Homonym. *V.* in fin. v. ÆQUE.

ÆQUĀLĬTAS, ātis, f. 3. (æqualis) est abstracta qualitas, qua res plana superficie præditæ significantur (It. *uguaglianza*; Fr. *égalité*; Hisp. *igualdad*; Germ. *die Gleichheit*; Angl. *evenness, levelness*).

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 53. 2. Æqualitas illa (*maris*) quæ me corruperat, periit: nondum erat tempestas, sed jam inclinatio maris ac subinde crebrior fluctus. *h. e.* me corruperat illa malacia, quæ necessario planam maris superficiem exhibet. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 19. (114). Excrescentes carnes in ulceribus ad æqualitatem – reducunt.

II.) Derivata significatione æqualitas ¶ 1. Generatim significat id, quo res ejusdem sunt qualitatis et speciei. *Cic.* 1. *Legg.* 13. 38. Ut virtutibus exceptis atque vitiis, cetera in summa æqualitate ponerent. *h. e.* cetera omnino æqualia esse affirmarent. *Id. Partit. or.* 6. 21. Similitudo æqualitasque verborum. Adde *Top.* 18. 71. *Id. Lig.* 12. 34. In hac prope æqualitate fraterna. *Tac.* 1. *Ann.* 32. Tanta æqualitate et constantia, ut regi crederes. *Id.* 1. *ibid.* 4. *de politica civium conditione*: Omnes exuta æqualitate jussa principis aspectare. Adde 3. *ibid.* 26. et 74. ¶ 2. Peculiariter de ætatum similitudine vel συγγένεια. *Cic. Brut.* 42. 256. Et æqualitas vestra et pares honorum gradus et artium studiorumque quasi finitima vicinitas. *Phædr. in novis fabell.* Neapoli vulgatis ann. 1811. *fab.* 15. Hortante Baccho et Venere dulces perficit, Æqualitatis inter plausus, nuptias. *h. e.* inter plausus æqualium suorum, seu sodalium convivarum, quibuscum accubabat. ¶ 3. Item peculiariter, ratione habita unius tantum personæ aut rei, est constantia, constans tenor et certa semperque eadem vivendi ratio, rerum uniformitas. *Quintil.* 10. 1. 86. Et quantum eminentibus vincimur, fortasse æqualitate pensamus. Adde 11. 3. 43. et 44. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Etenim si avulsum statuæ caput, aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses congruentiam æqualitatemque deprehendere. — NB. Apud *Cic. Amic.* 5. 19. non *æqualitas*, sed *æquitas* legendum est.

ÆQUĀLĬTER, adverb. (æqualis). Comp. *Æqualius* II. 2. Proprie est plane, ita ut plana exhibeatur superficies (It. *ugualmente*; Fr. *également*; Hisp. *igualmente*; Germ. *auf gleiche Weise*; Angl. *equally*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Collis ab summo æqualiter declivis. *Ovid. Heroid.* 7. 49. Jam venti ponent strataque æqualiter unda Cæruleis Triton per mare curret equis. *Pallad.* 5. *R. R.* 11. 1. Æqualiter æquare.

II.) Derivata significatione. ¶ 1. Ratione habita alterius rei, cum qua fit comparatio, est eâdem men-

surâ, quantitate, qualitate. *Cic.* 5. *Verr.* 70. 163. Frumentum civitatibus æqualiter distributum. Adde *Sall. Cat.* 56. et *Jug.* 91. *Liv.* 1. 43. Tributum æqualiter ex censu conferre. *Id.* 2. 48. Captivum agrum plebi quam maxime æqualiter dare. *Vellej.* 2. 32. Judicandi munus æqualiter inter utrumque ordinem partiri. *Cic.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 11. 36. Æqualiter omnibus abrogare fidem. *Id.* 2. *Nat. D.* 45. 115. Omnes enim partes ejus – nituntur æqualiter. *Id. Amic.* 16. 56. Ut nostra in amicos benevolentia, illorum erga nos pariter æqualiterque respondeat. *Ovid.* 5. *Fast.* 109. Gratia Pieridum nobis æqualiter adsit. Adde *eund.* 3. *Amor.* 10. 33., *Quintil.* 11. 2. 34. et *ibid.* 3. 141., et *Sueton. Ter.* 2. ¶ 2. Ratione habita unius tantum rei aut personæ, æqualiter est modo constanti atque uniformi. *Cic. Orat.* 58. 198. Sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans et æqualiter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Adde *Quintil.* 11. 1. 72. *Colum. de Arbor.* 5. 3. æqualiter vineam fovere. Adde *ibid.* 4. 1. Et *ibid.* 4. 2. Jugata (vinea) plus aeris recipit et altius fructum fert et æqualius concoquit. *h. e.* ad æquabilem maturitatem perducit. *Tac.* 2. *Hist.* 27. Copiæ – reverentius et æqualius duci parebant. *h. e.* magis in universum et constantius.

ÆQUĀMEN, ĭnis, n. 3. (æquo) est instrumentum ad æquandum. *Varro* apud *Non.* 9. 18. *Merc.* Amussis est æquamen, lēvāmentum; id est apud fabros tabula quædam, qua utuntur ad saxa coagmentata. *Veteres Editt. leg.* æquamentum.

ÆQUĀMENTUM, i, n. 2. (æquo) idem ac æquatio. *Non.* p. 3. 26. *Merc.* Hostimentum est æquamentum. Unde et hostes dicti sunt, qui ex æqua causa pugnam ineunt. — *V.* et vocem præced.

ÆQUĀNĬMĬTAS, ātis, f. 3. (æquus et animus). Ex hac compositione est ¶ 1. Benignitas, benigna in aliquem voluntatis propensio, benevolentia (It. *benigna propensione della volontà, benignità*; Fr. *justice beinveillante, bienveillance*; Hisp. *benignidad, buena voluntad, benevolencia*; Germ. *billige Denkweise, Wohlwollen oder Nachsicht*; Angl. *favour, indulgence*). *Ter. Adelph. prol.* 24. Facite, æquanimitas vestra poetæ ad scribendum augeat industriam. *h. e.* æquis animis accipientes augeatis etc. Cf. *Donat.* ad *h. l. Id. Phorm. prol.* 35. Bonitasque vestra adjutans atque æquanimitas. ¶ 2. Est etiam longanimitas, patientia, animi tranquillitas. *Seneca Ep.* 49. 10. Æquanimitas adversus inevitabilia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 31. (123). Invenio apud auctores æquanimitatem fieri vescentibus ea (*lente*). Adde *Lactant.* 5. 22. et *Tertull. Patient.* 2.

ÆQUĀNĬMĬTER, adverb. (æquanimus) moderate, patienter, æquo animo (It. *con tranquillità e pazienza*; Fr. *avec égalité d'âme, sans s'émouvoir*; Hisp. *con igualdad de animo*; Germ. *mit Langmuth oder Geduld*; Angl. *calmly, coolly, with evenness of temper*). *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Augustus æquanimiter aliqua etiam jocis mordaciora pertulit. *Sulpic. Dial.* 1. 14. *ad fin.* Hæc tua verba æquanimiter acceperint. *Ammian.* 19. 10. Æquanimiter venturam opperiens sortem. Adde *Tertull. Patient.* 8. 9.

ÆQUĀNĬMUS, a, um, adject. (æquus et animus) qui est animo æquo, moderato et ad utramque parato fortunam (It. *temperato, moderato, paziente*; Fr. *dont l'esprit est égal, modéré, patient*; Hisp. *moderado, paciente*; Germ. *billig denkend*; Angl. *calm, even, temperate, equanimous*). *Auson. sept. Sapient. præf.* 3. Æquanimus fiam, te judice, sive legenda, Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus. *Id. Idyll.* 3. 9. Parvum herediolum, fateor: sed nulla fuit res Parva unquam æquanimis; adde etiam unanimis.

ÆQUĀTĬO, ōnis, f. 3. (æquo) æqualitas, æqualis distributio (It. *uguagliamento*; Fr. *égalisation, répartition égale*; Hisp. *igualdad*; Germ. *die Gleichmachung*; Angl. *an equalling, equalizing*). *Cic.* 2. *Off.* 31. 73. Æquatio bonorum. *h. e.* It. Communismo. *Id. Mur.* 23. 47. gratiæ, dignitatis, suffragiorum. *Liv.* 8. 4. juris. *Id.* 34. 31. fortunæ et dignitatis.

ÆQUĀTOR, ōris, m. 2. (æquo) qui æquat. Occurrit tantum in *Inscript.* apud *Grut.* 583. 8., quæ est apud *Orell.* 3228. NOBILIS TIB. CAESARIS AVG. SERV. AEQ. MONET. HIC ADQVIESCIT. *h. e.* Augusti Servus Æquator Monetæ. Videtur autem fuisse is, qui in officina monetali metallum cudendum cusosque nummos examinabat, ut æquo et justo pondere essent, qui et exactor dicebatur.

ÆQUĀTUS, a, um. *V.* ÆQUO.

ÆQUĒ, adverb. (æquus). Comp. *Æquius* et Sup. *Æquissime B.* 2. Proprie nunquam occurrit, sed derivata tantum significatione, et est æquali modo, eâdem mensurâ, eodem gradu, haud aliter (It. *egualmente, del pari*; Fr. *également, de la même manière*; Hisp. *igualmente*; Germ. *auf gleiche Weise, im demselben Maasse oder Grade, eben so, eben auch, nicht anders*; Angl. *equally, in an equal degree, juste the same as*). ¶ 1. Hac significatione jungitur Verbis, Adjectivis et Adverbiis, ut quisque ex locis, quæ infra afferemus, facile colligere potest. Occurrit autem *A*) aut absolute *B*) aut cum aliis particulis, quæ alterum comparationis membrum conjungunt.

A) Absolute. — *a*) Si de re singulari præsertim agitur, alterum comparationis membrum sæpe omittitur, dummodo facile subaudiri possit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 73. Tum argenti montes, non massas habet: Ætna mons non æque altus. *h. e.* ac montes illius auri. *Id. Pseud.* 2. 4. 55. PSEVD. Scitne in re advorsa versari? CHAR. Turbo non æque citus est. *h. e.* atque ille. *Id. Amph.* 1. 3. 11. Satin habes, si feminarum nulla est, quam æque diligat. *h. e.* atque illam. *Id. Pers.* 4. 2. 4. TOX. Sed satin estis meditati? SAG. Tragici atque comici nunquam æque sunt meditati. *h. e.* ac nos sumus: locus hic falsa lectione atque interpretatione exhibetur apud *Hand. Tursell.* 1. p. 196. *Id. Capt.* 3. 5. 42. Nec est quisquam mihi, æque melius cui velim. *h. e.* ac sodali meo Philocrati. *Ter. Phorm.* 3. 3. 31. GE. Verum abi domum et illam miseram – consolare. Cessas? ANT. Nihil est, æque quod faciam lubens. *h. e.* atque illam consolari. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 6. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam: fac aliquando intelligamus adversam quoque te æque ferre posse. *h. e.* ac secundam. *Cic.* 5. *Fam.* 21. 1. Tamen erat nemo, quicum essem libentius, quam tecum, et pauci quibuscum essem æque libenter. *h. e.* ac tecum. *Nep. Iphicr.* 1. Nam pondere detracto, quod æque corpus tegeret et leve esset, curavit. *h. e.* quod æque corpus tegeret ac si pondus detractum non esset, et simul leve esset. *Id. Hann.* 4. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunquam dextro æque bene usus sit. *h. e.* ac ut antea, *vel* ac sinistro. *Sueton. Tib.* 2. Extant et feminarum exempla, diversa æque. *h. e.* ac virorum. Huc referendum est et illud *Ter. Andr.* 2. 6. 3. SIM. Quid Davos narrat? DAV. Æque quidquam nunc quidem. *h. e.* æque nunc narrat aliquid ac antea: etiamnunc aliquid. — *b*) Item *æque* absolute occurrit, si duo aut plura sint substantiva, de quibus agitur, et quod alteri convenit, alteri eodem modo convenire affirmamus; aut etiam si de universitate sermo sit, ita ut *omnes*, *cuncti* etc. occurrant, aut denique numeralia habeantur, ut *duo* etc.; tunc enim propositio est absolutissima, neque ullo caret membro. *Ennius* apud *Gell.* 11. 4. Hæc tu etsi perverse dices, facile Achivos flexeris: nam quom opulenti locuntur pariter atque ignobiles, eadem dicta eademque oratio æqua non æque valet. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 193. PER. Ingenuamne an liberam? PAL. Æque istuc facio. *Sall. Cat.* 11. Nam gloriam, honorem, imperium bonus ignavus æque sibi exoptant. — *Plaut. Asin.* 3. 3. 51. Non omnia eadem æque omnibus, here, suavia esse scito. *Ter. Hec.* 2. 1. 2. Utinam omnes mulieres eadem æque studeant nolintque omnia? *Plaut. Bacch.* 5. 1. 78. Æque ambo amicas habent. *Ter. Hec.* 2. 3. 1. Edepol næ nos sumus inique æque omnes invisæ viris. *Cic.* 4. *Fin.* 27. 75. Æque enim contigit omnibus fidibus, ut incontentæ sint: illud non continuo, ut æque incontentæ. *Id. Quinct.* 28. 86. Procurator æque utriusque necessarius. *Id.* 13. *Fam.* 18. Litteræ utrique nostrum æque gratæ. — *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Duæ primum trabes in solo æque longæ – collocantur. *Sueton. Aug.* 101. Cum tribus signatis æque voluminibus. *Sall. Jug.* 101. Ratus ex omnibus æque aliquos ab tergo hostibus venturos.

B) Una cum particulis, quæ alterum comparationis membrum conjungunt. Hinc — *a*) *Æque – et*, *æque – et – et*, *æque – que – que*: quibus locutionibus significatur unum membrum eodem esse modo quo alterum, tantum esse uni quantum alteri. Ita vero inter se conjunguntur duo plurave aut substantiva, aut orationis membra. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 62. Cujus in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non æque graves esse imperatori et militi. *Id. Rosc. com.* 1. 2. Æque enim tabulæ condemnantur ejus, qui verum non retulit, et ejus, qui falsum perscripsit. Adde *Mur.* 13. 28., *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 7. et *Dig.* 47. 18. 1. § 2. *Id.* 3. *Orat.* 50. 192. Nam versus æque prima et media et extrema pars attenditur. *Virg.* 3. *G.* 118. æque juvenemque magistri Exquirunt (equum) calidumque animis et cursibus acrem. — *Cic. Cluent.* 69. 195. Quos tamen ipsos æque et eos, quos præsentes videtis, hujus expectatio judicii dies noctesque sollicitat. *Id.* 4. *Fin.* 23. 64. Et quoniam catuli, qui jam despecturi sunt, cæci æque et ii, qui modo nati. *Id.* 1. *ibid.* 20. 67. Nisi æque amicos et nosmetipsos diligamus. Adde 4. *ibid.* 24. 66. et 27. 76.: quamquam nonnulla ex hisce locis et ad *A. b.* referri fortasse possint. — *b*) *Æque – atque*, *æque – ac*, *æque – ac si*: in quibus comparatio clarius patet. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 18. Pumex non æque est aridus atque hic est senex. *Ter. Andr.* 4. 2. 19. PAM. Quis videor? CHAR. Miser æque atque ego. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 67. Lætatur amicorum lætitiâ æque atque nostra. *Id.* 13. *Fam.* 69. 1. Sed me colit atque observat æque atque illum ipsum patronum suum. *Id.* 3. *Nat. D.* 18. 45. Hi coluntur æque atque illi. — *Ter. Phorm.* 1. 2. 43. Nunquam æque, inquit, ac modo paupertas mihi onus visumst et miserum et grave. *Cic. Brut.* 71. 248. Qui tibi sunt æque noti ac mihi. Adde *Amic.* 6. 22. et *Tac.* 4. *Hist.* 5. — *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 19. Consuetudine jus est id, quod sine lege, æque ac si legitimum sit, usitatum est. *Id.* 13. *Fam.* 43. 2. Egnatii absentis rem ut tueare, æque a te peto, ac si mea negotia essent. *Nep. Eum.* 5. Ut jumenta æque nitida ex castello educeret, ac si in campestribus locis habuisset. Adde *Liv.* 10. 17. et 44. 22.; et *Colum.* 9. *R. R.* 5. 2. — *c*) *Æque – æque*: geminatio eumdem facit sensum, quem *æque ac*, sed majori quadam vi. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 25. quod Æque pauperibus prodest, locupletibus æque, Æque neglectum pueris senibusque nocebit. *Tac. Agric.* 15. Æque discordiam præpositorum, æque concordiam subjectis exitiosam. — *NB.* Qui sequuntur modi, ferme omnes ab aureæ ætatis Scriptoribus rejecti sunt. — *d*) *Æque cum aliquo*. *Plaut. Asin.* 2. 2. 66. Animum advorte, ut æque mecum hæc scias. Adde *Pers. prol.* 47. *Ter. Phorm.* 5. 9. 43. Novi æque omnia tecum. — *e*) Cum Ablat. more comparativorum. *Plaut. Amph.* 1. 1. 137. Nullus est hoc meticulosus æque. *h. e.* æque atque hic. *Id. Curc.* 1. 2. 51. Qui me in terra æque fortunatus erit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Extant certe – antiquiores Urbe picturæ Ardeæ in ædibus sacris, quibus equidem nullas æque demiror, tam longo ævo durantes in orbitate tecti. *Id.* 24. *ibid.* 8. 32. (47). Gutta æque propoli ex aqua efficax. ubi nonnulli propoli *Dativum esse putant.* — *f*) *Æque – quam*, *æque – quam ut*: præcipue præcedente particula negativa. *Plaut. Epid.* 2. 3. 1. Nullum esse opinor ego agrum in agro Attico æque feracem, quam hic est noster Periphanes. *Liv.* 28. 26. Nihil æque eos terruit, quam præter spem robur et color imperatoris. *Sueton. Cal.* 35. Nihil æque quam timidus fuit. Adde *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 54., *Colum.* 5. *R. R.* 5. 7. et 8. *ibid.* 17. 13., *Quintil.* 9. 4. 85., *Plin.* 2. *Ep.* 15., et *Tac.* 2. *Ann.* 10. et 4. *ibid.* 52. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 2. Turdi locum æque munitum, quam columbi desiderant. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 23. (56). Noctibus æque quam die cernunt. Adde 2. *ibid.* 81. 83. (196). et *Liv.* 31. 1. — *g*) *Æque – ut*, *æque – ut quasi*, *æque – quasi*, *æque – tamquam*: quæ idem significant ac *ita reapse ut*. *Plaut. Asin.* 5. 1. 11. Quem videam esse æque mœstum, ut quasi dies si dicta sit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. 9. Retovinis tenuitas summa densitasque, candor æque ut Faventinis. Adde 23. *ibid.* 4. 45. (89). et *Plin.* 1. *Ep.* 20. *Petron. Satyr.* 78. Spero, inquit, futurum, ut me mortuum juvet, tamquam vivum. *Ulp. Dig.* 49. 1. 3. § 1. An æque præscribi ei possit ab his, quorum nomina comprehensa non sunt, quasi adversus ipsos adquieverit sententiæ. — NB. *Ciceronis* locus *Dom.* 11. 30., ubi *Forcellinus* et *Hand. Tursell.* 1. p. 192. legebant *æque – quam*, ita est restituendus: Lubentissime prædicabo Cn. Pompejum studio et auctoritate, æque unumquemque vestrum opibus, contentione, precibus – laborasse. V. *Madvig.* ad *Cic.* 1. *Fin.* 20. 27. Item *æque – ut* e *Varronis* loco apud *Non.* p. 35. 16. et p. 519. 22. *Merc.* expungendum, et *Mercerii* lectio probanda. V. *Fr. Oehler.* in *M. T. Varronis Satyr. Men. reliq.* p. 125. — ¶ 2. *Æque* admodum raro pro *juste*

ponitur. *Plaut. Mil. glor. act.* 5. v. 23. Sed mihi id æque factum arbitror. *h. e.* jure ac merito. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Quæ animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem conjunctionis humanæ munifice et æque tuens, justitia dicitur. *V. Madwig.* ad h. l. *Sall.* apud *Servium* in *Virg.* 3. *Æn.* 265. Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros. *Sidon.* 15. *Ep.* 11. Judicas, ut qui æquissime. *V.* ÆQUITER. Apud *Senec. Med.* 198. Æque licet statuerit. *omnes fere Codd.* Æquum *leg.*

Homonym. *Æque, similiter* et *pariter* inter se differunt. *Æque* enim rationem inter duas pluresve personas aut res significat omnino æqualem, in qua scilicet nullum est discrimen; *similiter* rationem significat, in qua est similitudo, minime vero æqualitas; *pariter* rationem significat, qua personæ aut res quam proxime inter se conjunguntur, eodem sunt gradu, sed tamen non omnino æquales. *Plaut. Men.* 5. 9. 60. ME. Uter eratis, tune an ille major? SYRR. Æque ambo pares. *ubi* pares *et* æque *inter se comparantur. Cic.* 9. *Fam.* 13. 2. Non possum ego non aut proxime atque ille, aut etiam æque laborare. *ubi* æque *aliquid pluris est quam* proxime. *Id.* 1. *Orat.* 18. 83. Virtutes inter se æquales et pares. *h. e.* æquales qualitate seu natura, pares quantitate seu gradu. *Liv.* 45. 43. Similia omnia magis visa sunt hominibus, quam paria. *Quintil.* 10. 1. Mihi egregie dixisse videtur Servilius Novianus, pares eos (*Livium et Sallustium*) magis, quam similes. *Id.* 11. 3. 82. Diversa quidem, sed pari deformitate. — Hoc discrimen in iis quoque locis servatum est, in quibus *pariter* et *æque* unum idemque prima fronte significare videntur. *Sueton. Aug.* 56. Ut tamen pari jure essent, quo ceteri, legibusque judiciariis æque tenerentur. *Cic.* 2. *Off.* 8. 30. Sed ea (*caritate cum honore et fide*) non pariter omnes egemus. Et *ibid.* § 31. Honore et gloria et benevolentia civium fortasse non æque omnes egent.

ÆQUICRURIUS, a, um, adject. (æquus *et* crus) æqualia habens crura: estque a Mathematicis usurpata vox, qua angulum æqualia habentem duo latera significant (It. *equicrure, isoscele*; Fr. *équicrural, ou équilatéral, ou isocèle*; Hisp. *equilatero, isocele*; Germ. *gleichschekelig*; Angl. *equicrural, isoscelous*). *Capell.* 6. p. 230. Aut ἰσοσκελής, quod ex tribus lineis duas æquales habet, quibus quasi cruribus insistit, denique æquicrurium vocitatur.

ÆQUIBILIS, e, adject. (æquo) videtur esse alia forma pro *æquabilis*, et occurrit tantum apud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Si enim æquibilis æger fiat, hoc est, urina facilior etc. *h. e.* si æger satis bene se habeat. Cf. *C. Kärcher, Nachträge zu Forcellini's lat. Lex.* etc. *Karlsruhe* 1854.

ÆQUI BONIQUE FACERE *aut* DICERE. *V. Æquus* in fin.

ÆQUIDIĀLE apud antiquos dictum est, quod nunc dicimus æquinoctiale, quia nox diei potius, quam dies nocti annumerari debet. Græci quoque in hoc consentiunt, ἰσημερίαν, idest æquidiale, dicentes. *Paul. Diac.* p. 24. 5. *Müll.* V. ÆQUINOCTIUM.

ÆQUIDIĀNUS, a, um, adject. idem ac æquinoctialis (It. *equinoziale*; Fr. *équinoxial*; Hisp. *equinoccial*; Germ. *zur Tag – und Nacht – gleiche gehörig*; Angl. *equinoctial*). *Apul. de Mundo.* 11. p. 270. *Hildebr. min.* Apeliotes vocatur, cum æquidianis exortibus procreatur.

ÆQUIDICUS, a, um, adject. (æquus *et* dico). — ¶ 1. Æquidici versus sunt, qui singulis propositionibus ἀντιθέτους apparant dictiones, ut (*Virg.* 2. *Ecl.* 18.) *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* Albis enim nigra opposuit, ligustris autem vaccinia attribuit, et cadentibus legenda assignavit. Hæc *Diomed.* 3. p. 498. *Putsch.* — ¶ 2. Æquidicus, de homine positus, est idem ac juridicus, seu potius qui æqua vel rationabilia dicit: occurrit tantum in *Inscript.* apud *Grut.* 904. 9. CAESIVS AEQVIDICVS IAM CENTVM CLAVSERAT ANNOS, FELICES ANNOS TOT TVLIT HORA BREVIS.

ÆQUIDISTANS, antis, comm. gen. 3. adject. æque distans (It. *equidistante, parallelo*; Fr. *également distant, parallèle*; Hisp. *equidistante, paralelo*; Germ. *gleichweit abstehend, parallel*; Angl. *equally distant*). Vox est Mathematicorum. *Capell.* 8. p. 276. Circuli paralleli, quos æquidistantes Latine possumus memorare. *Aggen. Urbic. comment. in Frontin.* p. 53. *Goes.* Ordines vitium æquidistantes. *Frontin. ibid.* p. 31. Rectæ lineæ æquidistantes.

ÆQUĪFORMES versus dicuntur a *Diomed.* 3. p. 498. *Putsch.*, qui non composita, sed simplici figura ostentantur, ut in illo *Virg.* 7. *Æn.* 171. *Urbe fuit media Laurentis regia Pici*; nusquam enim hic duæ partes orationis nectuntur. Hæc *Diomed.*

ÆQUILANIUM. Falsa lectio. *V.* ÆQUILAVIUM.

ÆQUILANCIUM. *V.* voc. seq.

ÆQUĪLANX, ancis, comm. gen. 3. adject. æquas habens lances. *Fulgent. Contin. Virgil.* Trutina æquilance ponderare, ac disponere. It. *con giusta bilancia.* Alii leg. *trutinæ æqua lance.* Hinc in *Gloss. Isid.* Æquilancium, æquatio. In *Editt.* male legitur *Æquilatium.*

ÆQUĪLĀTĀTĬO, ōnis. f. 3. (æquus *et* lātus) æquabilis diductio in latitudinem, sive circularis lineæ ductio circa centrum (It. *larghezza eguale*; Fr. *largeur égale*; Hisp. *anchura iguale*; Germ. *die gleichmässige Erweiterung*; Angl. *equal breadth*). *Vitruv.* 9. 8. Diducto circino ad lineam, planitiæ æquilatatio signetur.

ÆQUĪLĀTĔRĀLIS, le, adject. (æquus *et* lătus) æquilaterus. *Censorin. Natal.* 8. Hexagoni æquilateralis formam in eodem circulo scribere.

ÆQUĪLĀTĔRUS, a, um, adject. (æquus *et* lătus) latera habens æqualia (It. et Hisp. *equilatero*; Fr. *équilatéral ou équilatère*; Germ. *gleichseitig*; Angl. *equilateral*). Vox est Mathematicorum. *Capell.* 6. p. 229. Aut ἰσόπλευρος, quod Latine æquilaterum dicitur, quod tribus paribus lineis lateribusque concurrit. *Et* p. 230. Species æquilatera. *Firmic.* 2. *Mathes.* 11. Cum æquilateri trianguli figura in semet æqua sit et conveniens.

ÆQUILATIUM. Falsa lectio. *V.* ÆQUILANX.

ÆQUĪLĀTUS, ĕris, n. 3. (æquus et lătus) idem ac æquilaterum. *Auson. Idyll.* 11. 50. Per trinas species trigonorum regula currit: Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.

ÆQUĪLĀVIUM significat ex toto dimidium, dictum a lavatione lanæ, quæ dicitur æquilavio redire, cum dimidium decidit sordibus. *Paul. Diac.* p. 24. 8. *Müll.* Quidam male leg. *æquilanium.*

ÆQUĪLĪBRĀTUS, a, um, adject. (æquus *et* librare) æquatus, æquabilis (It. *equilibrato*; Fr. *équilibré*; Hisp. *equilibrado*; Germ. *in gleichem Schwunge*; Angl. *equilibrated*). *Tertull. contr. Hermog.* 41. Æquilibrato impetu ferebatur.

ÆQUĪLĪBRIS, adject. (æquus *et* libra) æquali libra positus (It. *posto a livello, livellato*; Fr. *de niveau, en équilibre*; Hisp. *equilibre, a nivel*; Germ. *im Gleichgewicht, wagerecht*; Angl. *kept in equipoise*). *Vitruv.* 5. 12. 4. Sesquipedales margines struantur æquilibres et planitiæ.

ÆQUĪLĪBRĬTĀS, ātis, f. 3. (æquilibris) æquabilitas, æqualitas (It. *equilibrio, legge dell'equilibrio*; Fr. *équilibre, lois de l'équilibre*; Hisp. *equilibrio, ley del equilibrio*; Germ. *das Gleichgewicht, das Gesetz des Gleichgewichtes*; Angl. *equilibrium, equipoise, law of equilibrium*). Hanc vocem ad Græcam ἰσονομίαν interpretandam effinxit *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 109. Confugis ad æquilibritatem: sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus. *h. e.* æquabilem distributionem, qua omnia omnibus, paria paribus respondeant. V. *ibid.* 19. 50. ubi quid hac voce significetur, apertius explicatur.

ÆQUĪLĪBRĬUM, ii, n. 2. (æquilibris) æquatio libræ, cum pondere æque utrimque premente et ponderante, ea in neutram partem inclinat, sed recto æqualique statu permanet. Hinc quæ æquali rectaque altitudine posita sunt, *ad æquilibrium esse* dicuntur, cum de rebus in plano positis sermo est; quemadmodum *esse* dicuntur *ad perpendiculum*, quæ recta alte surgunt (It. et Hisp. *equilibrio*; Fr. *équilibre*; Germ. *das Gleichgewicht*; Angl. *equilibrium, equipoise*).

I.) Proprie. *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 25. Hoc est, cur quædam ligna supra aquam pæne tota efferantur, quædam ad medium submersa sint, quædam ad æquilibrium aquæ descendant. *Colum. de arbor.* 5. 2. Minus laborat (*vites*), cum undique velut æquilibrio stabilita in se requiescit. Adde *Solin.* 1. *ab init.* cujus verba ideo hic transcribere omittimus, quia subobscura sunt. V. *Salmas.*

II.) Translate dicitur de æqualitate et compensatione. *Gell.* 20. 1. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium.

ÆQUĪMĂNUS, a, um, adject. (æquus *et* manus) qui sinistra manu æque utitur ac dextera; seu qui æque manu valet, æquali pugnandi arte pollet (It. *mancino, manritto*; Fr. *ambidextre*; Hisp. *ambidextro*; Germ. *der beide Hände gleich geschickt braucht*; Angl. *ambidexter*).

I.) Proprie. *Auson. Idyll.* 12. *c. per interrog. et respons.* 3. Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Threx. *Isid.* 10. *Orig.* 21. Æquimanus appellatus qui utraque manu gladio incunctanter utitur.

II.) Translate. *Symmach.* 9. *Ep.* 101. (*al.* 110). Nam pari nitore atque gravitate senatorias actiones et Romanæ rei monumenta limasti, ut plane Homerica relatione usus, περιδέξιον idest æquimanum te pronuntiem.

ÆQUĪMEMBRIS, e, adject. (æquus *et* membrum) æqualia habens membra. Translate tantum occurrit apud *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 5. p. 716. Æquimembris autem dicitur oratio esse, quando quot fuerint composita, tot et in oratione nomina et verba fuerint.

ÆQUIMENTUM. *V.* EQUIMENTUM.

ÆQUĪMŎDĒ, adverb. æquo vel æquali modo. *Boeth. de syllogism. hypotet.* 2. 1. p. 626. Æquimoda propositio est, si ita dicamus: si *a* est, *b* est, et si est *a*, non est *c*; ac si sint inæquimodæ faciunt syllogismum. Inæquimoda vero secundæ figuræ propositio est in his syllogismis hypotheticis, quorum enunciationes tribus terminis componuntur, veluti cum ita proponimus: Si est *a*, est *b*, si autem non est *a*, est c. Hujus propositionis tale intelligatur exemplum: si animal est, animatum est, si animal non est, insensibile est, hic igitur animal quod est, *a* non est, uno modo propositum in utrisque, sed ad *b* quidem affirmative, ad c vero negative conjungitur, et id vocatur non æquimode prædicari.

ÆQUĪMŎDUS, a, um, adject. *V.* voc. præced.

ÆQUĪNOCTĬĀLIS, e, adject. (æquinoctium) adject. ad æquinoctium pertinens (It. *equinoziale*; Fr. *équinoxial*; Hisp. *equinoccial*; Germ. *zur Tag-und Nacht-gleiche gehörig*; Angl. *equinoctial*). *Varro* 9. *L. L.* 24. p. 203. *Müll.* Æquinoctialis circulus. *h. e.* Fr. *l'Equateur*: quem ita definit *Capell.* 8. p. 270. Tertius (*circulus*) æquinoctialis medius maximusque cunctorum, per quem sol secundo, vel cum in æstivam flagrantiam surgit, vel cum in hiberna descendit, quadam mundi medietate pervectus mensuram noctis lucis æqualitate compensat. Cf. *ibid.* p. 279. *Catull.* 44. 2. Æquinoctialis cæli furor. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 28. æstus. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 2. meridies, meridianus. *V.* hic *Schneider.* adnot. *Id.* 1. *ibid.* 5. 7. oriens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (190). oriens, occasus. *Id. ibid.* 69. 69. (176). tempus. *Id. ibid.* 97. 99. (216). horæ. *Capell.* 8. p. 296. Unaque æquinoctialis nox, quæ bis anno contingit, par sit diei suo.

ÆQUĪNOCTĬUM, ii, n. 2. (æquus *et* nox) tempus illud, quo dies et noctes horarum spatio æquales sunt. Duo sunt autem æquinoctia: vernum circa VIII. Cal. Apr. et in signo Arietis conficitur; auctumnale X. Cal. Oct. in signo Libræ (It. *equinozio*; Fr. *équinoxe*; Hisp. *equinoccio*; Germ. *die Nachtgleiche oder das Solstitium*; Angl. *the equinox*). *Varro* 6. *L. L.* 8. p. 76. *Müll.* Cum venit in medium spatium inter brumam et solstitium, quod dies æquus fit ac nox, æquinoctium dictum. Cf. *Servium* et *Probum* in *Virg.* 1. *G.* 208. et seqq. *Cic.* 12. *Att.* 28. 3. Publilius si æquinoctium expectat, navigaturus videtur. *Cæs.* 4. *B. G.* 36. et 5. *ibid.* 23. Dies æquinoctii. *Liv.* 31. 47. Jam auctumnale æquinoctium instabat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (215). Æstus duobus æquinoctiis maxime tumentes, et auctumnali amplius quam verno. Adde *Liv.* 33. 3. et 37. 9. et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 31. et 66. *Capell.* 8. p. 296. Cum ab æquinoctio verno in Cancrum sol meat, omnes dies majores sunt noctibus suis; item ab auctumnali æquinoctio usque ad brumam minores dies noctibus dilatatis. — *NB.* De *Æquinoctio* oppido *V.* ONOM.

ÆQUĪPAR, ăris, comm. gen. 3. adject. (æquus *et* par) par, compar (It. *eguale*; Fr. *égal, pareil*; Hisp. *igual, parejo*; Germ. *völlig gleich*; Angl. *equal*). *Auson. Idyll.* 12. *c. per interrog. et respons.* 14. Bis senas partes quis continet æquipares? as. *Apul. Florid.* n. 3. Utrobique facundia æquipari. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. Certare gloria æquipari.

ÆQUĪPĂRĀBĬLIS, le, adject. (æquiparo) qui æquari cum aliquo potest (It. *paragonabile, comparabile*; Fr., Hisp., Angl. *comparable*; Germ. *vergleichbar*). *Plaut. Curc.* 1. 3. 11. Quid videbis dis ma-

gis æquiparabile? *Id. Trin.* 2. 4. 65. Ita tu nunc dicis non esse æquiparabiles vestras cum nostris factiones atque opes. *In quibusd. optimis* Plauti *editionibus legitur* æquiperabilis. *V.* ÆQUIPARO. Adde *Prudent. Hamartig. v.* 79.

ÆQUĬPĂRANTĬA, æ, f. 1. (æquiparo) æquiparatio, competitorum conditio (It. *paragone, competenza*; Fr. *comparaison*; Hisp. *comparacion*; Germ. *die Gleichstellung, Concurrenz*; Angl. *comparing*). *Tertull. advers. Valentin.* 16. Pervenire in æmulas æquiparantias.

ÆQUĬPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. (æquiparo) comparatio (It. *paragone*; Fr. *comparaison*; Hisp. *parangon*; Germ. *die Gleichstellung oder Vergleichung*; Angl. *a comparison*). *Gell.* 14. 3. Æquiparatio et parilitas virtutum inter se similium. — Item de virium æqualitate. *Id.* 5. 5. Rex de numero exercitus, ac de æquiparatione æstimanda quæsierat.

ÆQUĬPĂRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ÆQUĬPĂRO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. (æquus *et* paro). In multis optimis codicibus *Nepotis, Cicer., Virg.* aliorumque legitur *æquipero*, quam scriptionem verbum *vitupetare* aliaque similia confirmant (V. *Alschefski* ad *Liv.* 5. 23.): sæpe tamen legitur etiam *æquiparare* (V. *Ph. Wagner. Orthogr. Verg. p.* 415). — Part. *Æquiparans* 3. *b*; *Æquiperatus* et *Æquiperandus* 2. — Proprie æquiparo est æque paro, comparo (It. *apprestare ugualmente*; Fr. *apprêter également*; Hisp. *aprestar igualmente*; Germ. *gleichmachen oder gleich beschaffen*; Angl. *to prepare equally*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu raro admodum occurrit. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 16. Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda sunt quæque vitiosa; ut alimentum veteris succus æquiparet et generosis abundantiam ministret. *h. e.* ut succus nutrimentum æque omnibus ceteris paret, æque in omnes ceteros tribuat. *Forcellinus* interpretatur: ut sufficiat succus ceteris alendis. ¶ 2. Generatim est res ita ponere, ut æquis inter se frontibus adstent, quod fit in comparatione: hinc est componere, conferre, comparare (It. *paragonare*; Fr. *comparer*; Hisp. *comparar*; Germ. *gleichstellen, vergleichen*; Angl. *to compare*). — *a*) Cum Accus. et præp. *ad. Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 11. Mars haud ausit dicere, neque æquiperare suas virtutes ad tuas. — *b*) Cum Dat. *Liv.* 5. 23. Jovis solisque equis æquiperari dictatorem in religionem etiam trahebant. Adde 38. 10. *Frontin. Princip. hist. p.* 317. *edit. Rom.* Hadrianus uni omnium Romanorum principum Numæ regi æquiperandus — *c*) Cum Ablat. et præp. cum. *Cic. Mur.* 14. 31. Æquiperată cum P. fratre gloriâ. ¶ 3. Est etiam æquare, æque parem facere, æque valere; qua significatione a *Freund, Klotz* aliisque haud immerito neutrum verbum habetur, vi tamen transitivorum interdum donatum (It. *essere uguale, uguagliare, raggiungere*; Fr. *être égal, égaler*; Hisp. *estar igual, igualar*; Germ. *es Jemandem gleich machen, Jemandem erreichen*; Angl. *to be equal, to equal*). — *a*) Absolute neutrorum more. *Ulp. Dig.* 50. 17. 104. Ubi æquiparant famosa judicia. *Ita in celebri editione* Torrentini: *in aliis quibusdam* æquiparantur. *Pacuvius* apud *Gell.* 14. 1. *extr. cum Dat.* Nam si qui quæ eventura sunt provideant, æquiperent Jovi. — *b*) Sæpius cum Accus. *Nep. Them.* 6. Isque (*portus*) mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet. *Id. Alcib.* 11. Ut nemo eum labore corporisque viribus posset æquiparare. *Liv.* 37. 53. Ut nemo sociorum me æquiparare posset. *Virg.* 3. *Ecl.* 48. Nec calamis solum æquiperas, sed voce magistrum. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 44. Ingenio mores æquiparante places. Adde *Sueton. Aug.* 54. et *Ner.* 53. — *c*) Omisso Accus., qui facile subauditur. *Ennius* apud *Cic.* 5. *Tusc.* 17. 49. *Africanum ita loquentem inducit:* A sole exoriente supra Mæotis paludes nemo est qui factis æquiperare queat. *h. e.* me. Ita ex optimis Codd. legendum probavit *Klotz* ad *h. l. Nachtragen p.* 191. *Pacuvius* apud *Non. p.* 307. 11. *Merc.* Ut, si ita sunt promerita vestra, æquiperare ut queam. *h. e.* ipsa.

ÆQUĬPĔDUS, a, um, adject. (æquus *et* pes) æquos habens pedes (It. *di piedi uguali*; Fr. *qui a des pieds egaux*; Hisp. *a pies iguales*; Germ. *gleichfüssig*; Angl. *that hath equal legs*). *Apul.* 1. *de dogm. Plat.* 7. Æquipedum vero trigonum efficere ex sese quadratum. *h. e.* Gr. ἰσοσκελῶν, ἰσοσκελής.

ÆQUĬPĔRĀTUS, a, um } *V.* ÆQUIPARO.
ÆQUĬPĔRO, as, āvi, etc. }

ÆQUĬPES, ĕdis, adject. comm. gen. 3. (æquus *et* pes) idem quod æquipedus. *Diomed.* 3. *p.* 472. *Putsch.* Et æquipedi sono tibicen spondalium (*leg.* spondaulium) canere juberet.

ÆQUĬPOLLENS, entis, adject. (æquus *et* polleo) quod æque valet, quod idem valet (It. et Hisp. *equivalente*; Fr. *équivalent*; Germ. *gleichviel geltend*; Angl. *equivalent*). *Apul.* 3. *de dogm. Plat. p.* 233. *Hildebr. min.* Æquipollentes propositiones dicuntur, quæ alia enunciatione tantumdem possunt etc. *Ibid. p.* 238. Æquipollens conclusio. *Et sæpius ibid. hanc vocem usurpat.*

ÆQUĬPOLLENTER, adverb. (æquipollens) eo modo qui æque valet, qui tantumdem potest. *Vetus Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 23. Et hoc dicit æquipollenter. Adde *ibid. v.* 99.

ÆQUĬPONDĬUM, ii, n. 2. (æquus *et* pondus) pondus stateræ, scapo appensum, ad cognoscenda rerum momenta, ita dictus, quod æquat pondera. *Sic appellatur a Vitruv.* 10. 3. (8). 4., ubi earum, quæ stateræ vocantur, rationem explicat (It. *contrappeso, romano, marco*; Fr. *contre-poids*; Hisp. *contrapeso*; Germ. *das Gleich- oder Gegenwicht in der Waage*; Angl. *a counterpoise, weight*).

ÆQUĬSŎNANTĬA, æ, f. 1. (æquisonus) sonus, qui ex æquisonis vocibus oritur. *Boeth.* 5. *Music.* 11. *p.* 1167. Ubi enim deprehenditur æquisonantia, diapason ac bis diapason. *Et* 13. *p.* 1168. Pulsæ igitur (*chordæ*) simul, A. K. H. R. diapason æquisonantiam consonabunt. *V.* voc. seq.

ÆQUĬSŎNUS, a, um, adject. (æquus *et* sono) qui unum et simplicem ex duobus sonum efficit. *Boeth.* 5. *Music.* 10. *p.* 1167. Non unisonarum autem vocum aliæ quidem sunt æquisonæ, aliæ emmeles, aliæ dissonæ, aliæ ecmeles. — Æquisonæ, quæ simul pulsæ unum ex duobus atque simplicem quodammodo efficiunt sonum, ut est diapason, eaque duplicata, quæ est bis diapason.

ÆQUĬTAS, ātis, f. 3. (æquus) proprie est abstracta qualitas, qua res inter se sunt æquales (It. *equalità, uguaglianza*; Fr. *égalité*; Hisp. *igualdad*; Germ. *die Gleichheit*; Angl. *equality*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de plana rerum superficie. *Auct. B. Hisp.* 29. Interdum æquitas loci adversarios efflagitabat, ut tali conditione contenderent ad victoriam. ¶ 2. Item est æqua partium proportio, symmetria. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 10. Natura partes suas velut in ponderibus constitutas examinat, ne, portionum æquitate turbata, mundus præponderet. *Sueton. Aug.* 79. Commoditas et æquitas membrorum. ¶ 3. Ponitur et de civium in re publica æqualitate. *Cic.* 1. *de republ.* 34. 53. Cum enim par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa æquitas iniquissima fit.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime ponitur pro animi moderatione, et modo cum nomine *animi* conjungitur, modo absolute usurpatur: duplici autem ratione, scilicet — *a*) Pro ea moderatione sumitur, qua quis mediocria concupiscit, fortunæ qualicumque libens acquiescit, atque in omnibus tranquille se gerit, æquo animo ferens quæcumque accidunt. *Cic. Senect.* 1. 1. Quamquam certo scio non, ut Flamininum (*al.* Flaminium), *sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.* Novi enim moderationem animi tui et æquitatem. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 14. Si ego ejus æquitatem animi probe novi, vendet non invitus. *Id.* 1. *Tusc.* 40. 97. Quis hanc maximi animi æquitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum judicaret? *Nep. Thrasyb.* 4. Ex istis nolo amplius, quam centum jugera, quæ et meam animi æquitatem et vestram voluntatem indicent. Adde *Cic.* 2. *Orat.* 24. 102. *Cic. Pis.* 12. 27. Quo quidem in spectaculo mira populi Rom. æquitas erat. *Tac.* 16. *Ann.* 33. Æquitate deûm erga bona malaque documenta. — *b*) Item pro ea moderatione, qua quis libenter se æquat aliis, nec supra se effert. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. Ut animi æquitate plebem contineat, cum suas quisque opes cum potentissimis æquari videat. ¶ 2. Item est recta et æqua in omnes agendi ratio, æquabilis et justus cum omnibus agendi modus, rationabilis justitia. — *a*) De personis. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 1. Non ignorari a te qua æquitate et continentia tuerer socios provinciamque administrarem. Et *ibid.* § 14. Reperies me - contra metum maximi belli firmissimum præsidium habuisse æquitatem et continentiam. *Nep. Milt.* 2. Cum virtute militum devicisset hostium exercitus, summa æquitate res constituit. *Forcellinus* hunc *Nep.* locum refert ad paragraphum proxime præcedentem sub *b*. *Sall. Cat.* 9. Duabus his artibus, audaciâ in bello, ubi pax evenerat æquitate, seque remque publicam curabant. Adde *Sueton. Claud.* 15. — *b*) De ipsis rerum rationibus. *Cic.* 2. *Off.* 22. 78. Quam habet æquitatem, ut agrum multis annis - ante possessum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat? *Id.* 16. *Att.* 16. *B.* 9. Summa bonitas et æquitas causæ. *Id.* 1. *Off.* 11. 36. Belli æquitas. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Æquitas conditionum. ¶ 3. Item est justa agendi ratio, qua suum unicuique tribuitur, non juxta leges et jura scripta, sed juxta ipsam causæ naturam: hinc sæpe apud JCtos *æquitas juris* sive quod idem est *æquum et bonum* et *scriptum jus* inter se opponuntur; et *æquitas* differt a *justitia*, ut ait *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 1. 1. 26. Inter jus et æquitatem hoc interest; jus est, quod omnia recta et inflexibilia exigit; æquitas est, quæ de jure multum remittit. *Cic.* 1. *Orat.* 56. 240. Multa pro æquitate contra jus dicere. *Id. Cæcin.* 13. 37. A verbis recedere et æquitate uti. *Id. Planc.* 17. 42. Fugere sententiam legis, æquitatem omnem rejicere. *Id. Brut.* 39. 144. Explicare æquitatem. *Id.* 1. *Off.* 19. 64. Servare æquitatem. Adde *Top.* 23. 90. et 9. *Phil.* 5. 10. — Hinc *æquitas* et *justitia* interdum conjunguntur. *Cic. Amic.* 22. 82. Deinde æquitate justitiaque gaudebunt. *Nep. Arist.* 2. Justitia et æquitas et innocentia. — Denique æquitatis hoc sensu duplex est vis, ut docet *Cic. Partit.* 37. 130., cujus altera directi et veri et justi, et, ut dicitur, æqui et boni ratione defenditur: altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet; quod in beneficio gratia, in injuria ultio nominatur. — *NB.* De Æquitate colonia *V.* ONOM.

Homonym. In quo differant *æquitas* et *justitia*, dictum est II. 3.

ÆQUĬTER, adverb. (æquus) idem quod æque, cujus alia est forma (It. *egualmente*; Fr. *également*; Hisp. *igualmente*; Germ. *auf gleiche Weise*; Angl. *equally*). *Livius Andronicus* apud *Non. p.* 512. 31. *Merc.* Præda per participes æquiter partita est. *Pacuvius* apud *eumd. l. cit.* Concertare ac dissentire partem da cursum æquiter. *Accius* apud *eumd. ibid.* Ad populum intelligo referundum: quoniam horum æquiter sententiæ fuerunt. *Plautum* quoque hanc vocem usurpasse, testis est *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.* — *NB.* Gradus *Æquius* et *Æquissime* ad adverb. *Æque* pertinent.

ÆQUĬTERNUS, a, um, adject. Vox est ex *æque* et *æternus* conflata: cum autem *æternus* sit per syncopen pro *æviternus* ab *ævo*, proprie *æquiternus* est qui æque durat, qui in sua existentia æque atque alius perseverat; in quo a *sempiternus* differt. *Claud. Mamert. de statu Anim.* 2. 4. Hæc tria (*numerus, pondus, mensura*) simul æquiterna, semper individua, ubique tota, unus Deus sunt. *Sidon.* 8. *Ep.* 13. Prævidens, se per æterna sæcula æquiterna supplicia passurum.

ÆQUĬVĂLEO, es, ere, n. 2. (æquus *et* valeo) æque possum (It. *equivalere*; Fr. *équivaloir*; Hisp. *equivaler*; Germ. *gleich gelten*; Angl. *to be equal in worth*). *Auctor carm. de Philom.* 6. Nulla potest modulis æquivalere tuis. *Alii leg. fortasse rectius* modulos æquiparare tuos.

ÆQUĬVŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. (æquivocus) ambiguitas in sermone (It. *equivocazione*; Fr. *équivoque*; Hisp. *equivocacion*; Germ. *Doppelsinnigkeit oder Zweideutigkeit*; Angl. *equivocation*). *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 10. Si vim prius æquivocationis aspicias, divisionem generis diligenter agnosces: placet enim generis nomen cum sibi subjectis æquivoce nominari: æquivoca vero sunt, quæ cum nomine una sint, longe diversa substantiæ ratione et definitionis discreta sunt. *V.* ÆQUIVOCUS.

ÆQUĬVŎCE, adverb. (æquivocus) cum æquivocatione. *V.* voc. præced.

ÆQUĬVŎCO, as, are, n. 1. uno eodemque nomine plura significo. Hæc vox occurrit tantum apud *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 196.

ÆQUĬVŎCUS, a, um, adject. (æquus *et* voco) ambiguus, duplici significatione præditus (It. et Hisp. *equivoco*; Fr. *équivoque*; Germ. *doppelsinnig oder zweideutig*; Angl. *ambiguous*). *Isid.* 2. *Orig.* 26. 2. Æquivoca sunt quando multarum rerum nomen unum est, sed non eadem definitio; ut *leo*. Nam quantum ad nomen pertinet, et verus, et pictus, et cælestis leo dicitur: quantum ad definitionem pertinet, aliter verus definitur, aliter pictus, et aliter cælestis. *Capell.*

4. p. 97. Quæritur quid sit æquivocum, quid univocum, quid, ut ita dicam, plurivocum. Adde ibid. p. 103. V. et ÆQUIVOCATIO.

ÆQUO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. (æquus). Part. Æquans I. 5. b., II. b. Æquatus in omnibus ferme paragr.; Æquaturus II. b. Æquandus I. 1. b., 3. a. et 4. — Æquo proprie est æqualem facio, complano (It. *uguagliare, spianare*; Fr. *aplanir, égaliser*; Hisp. *reducir llano, igualar*; Germ. *gleich, eben oder gerade machen*; Angl. *to level, make smooth*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est locum ad planam superficiem redigere. — a) Absolute. Virg. 1. G. 178. aream æquare cylindro. Plin. 17. Hist. nat. 10. 14. (73). Area æquata cylindris. Curt. 4. 9. 10. Si qua campi eminebant, jussit æquari. Justin. 2. 10. Montes in planum ducere et convexa vallium æquare. Cic. 6. Verr. 48. 107. Æquata agri planities. Varro 7. L. L. 23. p. 128. Müll. Æquatum mare. Ovid. 8. Met. 663. Æquata mensa. h. e. ita ut nulla parte claudicet. Colum. 2. R. R. 22. 3. Stercora æquare. h. e. æqualiter per agros dissipare. — b) Cum Dat.: præcipue occurrit *solo æquare ædificium* et est ad superficiem usque diruere, a fundamentis evertere. Sueton. Calig. 37. Campi montibus aggere æquati. Liv. 24. 47. Solo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem. Adde Curt. 8. 10. 8. Vellej. 2. 4. 2. Africanus circumdatam operibus Numantiam excisamque æquavit solo. Quintil. 3. 7. 20. Cujus domus solo æquata. Tac. 1. Hist. 51. Templum solo æquare. Liv. 5. 42. nomine *solo* omisso: Etsi omnia flammis ac ruinis æquata vidissent. Et *metaphorice* id. Liv. 6. 18. Solo æquandæ sunt dictaturæ consulatusque, ut caput attollere Romana plebes possit. ¶ 2. Æquare est etiam ita res vel personas collocare et disponere, ut recta linea oculis exhibeatur; quo sensu est militare verbum. Liv. 5. 38. et Tibull. 4. 1. 102. Æquare frontes. h. e. exercitus. Liv. 3. 62. Æquare aciem. Virg. 4. Æn. 587. Vidit — æquatis classem procedere velis. h. e. feliciter plenis sine motu aliquo, ut ait Servius ad h. l.; atque adeo prospero cursu: nam cum vela æqualiter extensa sunt, signum est, æquabiliter spirare ventum secundum et constantem. Id. 5. ibid. 232. Et fors æquatis cepissent præmia rostris. ¶ 3. Item æqualem facere, præcipue in Part. præter. pass., vel etiam in æquas partes distribuere. — a) Absolute. Cic. 1. Divinat. 18. 34. Cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quæ æquatis sortibus ducuntur, sed illa etc. Adde Plaut. Cas. 2. 6. 35. et Cic. Cornel. fragm. 13. p. 449. Liv. 10. 35. Ira æquavit vires. Id. 34. 14. Rem metu Romanorum equitum inclinatam æquavit. h. e. restituit, ita ut Romani hostibus æquales essent. Id. 29. 34. Certamen æquare. h. e. duarum partium vires æquales facere. Lucret. 5. 680. Æquatum discrimen. Cæs. 1. B. G. 25. periculum. Auct. B. Afr. 46. dimicatio. Liv. 1. 25. Mars. Virg. 7. Æn. 698. Ibant æquati numero. h. e. in manipulos hominum numero æquales; ubi Servius: in ordinem digesti. Id. 10. ibid. 755. Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors Funera. h. e. æqualem utrimque stragem edebat. Liv. 3. 36. Aliquamdiu æquatus inter omnes terror fuit. Virg. 1. Æn. 508. operumque laborem Partibus æquabat justis. — Pariter ponitur hoc sensu de contractuum conditionibus aut populorum fœderibus, in quibus æqualiter utrique parti cavetur. Liv. 3. 67. Sub titulo æquandarum legum nostra jura oppressa tulimus. Id. 8. 4. Si fœdus est, si societas æquatio juris est —, cur non omnia æquantur? Horat. 2. Ep. 1. 25. fœdera regum Vel Gabiis vel cum rigidis æquata Sabinis. Liv. 2. 3. Æquato jure omnium. Ovid. 14. Met. 805. populis æquata duobus Jura dare. Liv. 22. 27. Æquato imperio uti. — b) Cum Abl. et præp. cum. Cic. 3. Legg. 10. 24. Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus se æquari putarent. Adde 1. Invent. 2. 3. Id. Brut. 36. 138. In his primum cum Græcorum gloria Latine dicendi copiam æquatam. Cæs. 6. B. G. 22. Cum suas quisque opes cum potentissimis æquari videat. Virg. 1. Æn. 192. Nec prius absistit, quam — numerum cum navibus æquet. — c) Cum Dat. Lucret. 6. 1174. (1175). sitis arida — Æquabat multum parvis humoribus imbrem. Liv. 33. 21. Magnitudini (regii nominis) semper animum æquare. Id. 31. 41. Per somnum vinumque æquare dies noctibus. Virg. 9. Æn. 338. ludum nocti. h. e. in totam noctem producere. Vellej. 2. 127. aliquem sibi per omnia. ¶ 4. Item est comparare, conferre; quippe quæ comparantur, alia adversum alia æquis quasi frontibus ponuntur. Cic. 3. Verr. 8. 21. Omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si unum in locum conferantur, vix cum hujus parva parte æquari conferrique posse. Liv. 9. 10. Postumius in ore erat: eum laudibus ad cælum ferebant: devotioni P. Decii consulis, aliis claris facinoribus æquabant. Id. 31. 7. Ne æquaveritis Hannibali Philippum, ne Carthaginiensibus Macedonas: Pyrrho certe æquabitis. Ovid. 1. Pont. 3. 120. Æquandi superis pectora flecte viri. Quintil. 10. 1. 101. Æquare Livium Herodoto. Id. 10. 1. 50. epilogum Priami precibus. ¶ 5. Significat etiam æqualem esse, assequi, eo pervenire quo alius pervenit: quo sensu a recentioribus Philologis habetur tamquam verbum neutrum. Sed tamen — a) Raro admodum cum Dat. sine Accus. Cic. 1. Off. 1. 3. Te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui jam illis fere æquarunt, studiose legas. *ubi nonnulli Codd. et ipse* Forcellinus *leg.* se æquarunt. — b) Sæpius cum Accus. Proprie de loco. Curt. 4. 9. 15. Cujus (fluminis) altitudo primo summa equorum pectora, mox ut in medium alveum ventum est, cervices quoque æquabat. Id. ibid. 2. 19. Nondum tamen aquæ fastigium æquabat (opus). Id. ibid. 6. 21. Aggere mœnium altitudinem æquare. Id. 5. 1. 32. Pensiles horti summam murorum altitudinem æquantes. Id. 6. 6. 29. Celeriter stipitibus cumulatis fastigium montis æquatum est. Lucan. 3. 456. æquantes mœnia turres. Liv. 31. 36. Quantum equitem velocissimi pedites cursu æquare poterant. Virg. 6. Æn. 263. ducem — vadentem passibus æquat. Ovid. 11. Met. 497. cælumque æquare videtur Pontus. Huc referri potest et illud Virg. 11. Æn. 125., quamvis metaphorice dictum: Quibus cælo te laudibus æquem?

II.) Translate occurrit significatione superius allata § 5., scilicet est æqualem esse, assequi. — a) Raro absolute. Liv. 33. 23. Is triumphus, ut — inhonoratior fuit, ita signis carpentisque et spoliis ferme æquabat. Quintil. 10. 2. 10. Nam qui agit, ut prior sit, forsitan etiamsi non transierit, æquabit. — b) Sæpius cum Accus. Liv. 1. 53. Ea arte æquasset superiores reges, ni etc. Curt. 9. 2. 339. Æquare palma Herculem et Liberum Patrem. Liv. 2. 27. Æquasse cum Appii odium. h. e. odio habitus est æque ac Appius. Id. 10. 3. Æquare cognomen suum arte. Ovid. 2. Pont. 3. 1. nomen virtutibus. Virg. 4. G. 132. Æquare animis opes regum. h. e. animo mediocribus contento æque divitem esse ac reges. 2. Æn. 362. labores lacrimis. Id. 10. ibid. 248. Sagitta æquans ventos. Ovid. 6. Met. 21. Vellera nebulas æquantia. Id. 11. ibid. 626. Æquare formas veras imitamine. Horat. 2. Od. 5. 2. munia comparis. Curt. 3. 13. 16. Argenti facti pondus quingenta millia talentorum æquabat. Plin. 19. Hist. nat. 1. 4. (20). Æquat (asbestinum) pretia excellentium margaritarum. Curt. 9. 6. 23. Feminam gloria æquare. Sueton. Cæs. 55. Æquare gloriam alicujus. Plin. 35. Hist. nat. 11. 40. (126). Eam picturam imitati sunt multi, æquavit nemo. Claudian. 2. Eutrop. 378. Crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum Æquatura fames.

ÆQUOR, ŏris, n. 3. (æquus) æquitas, planities, plana et lævis alicujus rei superficies (It. *superficie piana, pianura, piano*; Fr. *toute surface plat, pays plat, plaine*; Hisp. *sobrefaz plana, llano, campo ú terreno igual*; Germ. *die Fläche, die ebene und glatte Oberfläche einer Sache*; Angl. *any level or smooth surface, a plain, flat*). — a) Generatim de re quacumque planam lævemque superficiem exhibente. Lucret. 4. 105. (106). Effigies — reddunt speculorum ex æquore visum. Adde ibid. 290. (289)., et cf. ibid. 294. (293). Planitiem ad speculi veniens cum offendit imago. Id. 3. 906. in summo gelidi cubat æquore saxi. Accius apud Non. p. 505. 8. Merc. Æquora cæli. Gell. 12. 1. Ne æquor illud ventris irrugetur. h. e. lævitas. Auson. Epigr. 146. 14. Æquor cereum. h. e. planities ceratæ tabulæ, in qua stilo scribitur. Adde Prudent. περὶ στεφ. 12. de S. Cass. 53. Lucret. 6. 107. Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi. — b) Speciatim de planitie terræ, sive agrorum, modo cum addito, modo absolute. Cic. 1. Divinat. 12. 93. Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt. Lucret. 3. 1014. (1013). Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum Volvitur, et plani raptim petit æquora campi. Virg. 7. Æn. 781. æquore campi exercere equos. Adde eumd. 12. ibid. 710. et Sil. It. 5. 376. Colum. 10. R. R. 86. Æquora dulcis humi. — Virg. 1. G. 50. æquor scindere ferro. Id. ibid. 97. Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga, etc. Id. 5. Æn. 456. Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto. Juvenal. 8. 61. de equo: Clara fuga ante alios, et primus in æquore pulvis. Adde Virg. 3. G. 117. et 541., et 2. Æn. 333., necnon Sil. It. 1. 267., 4. 143. et 276. Virg. 2. G. 105. Æquor Lybicum. h. e. Lybiæ deserta. Stat. 11. Theb. 403. Æquor pulvereum. — c) Item speciatim de aquis. — Raro admodum de flumine. Virg. 8. Æn. 89. de Tiberi: Mitis ut in morem stagni placidæque paludis Sterneret æquor aquis. Et 96. viridesque secant placido æquore silvas. Pentad. Tumul. Acidis 2. Acidis hæc cernis montana cacumina busti, Æquor et ex imis fluminis ire jugis. — Sæpius tamen de mari, et quidem proprie de mari tranquillo (quamvis hoc non semper servent Scriptores) modo cum Genit. *maris* vel *ponti*, modo absolute. Lucret. 1. 8. Æquora ponti. Colum. 8. R. R. 17. 4. Sin autem locus — pari librâ cum æquore maris est. Lucret. 4. 411. (412). immania æquora ponti. Adde Virg. 1. G. 469. Virg. 1. G. 246. Arctos Oceani metuentes æquore tingi. Id. 2. Æn. 780. maris æquor. Horat. 4. Od. 5. 10. maris æquora. — Cic. apud Non. p. 65. 21. Merc. Quid tam planum videtur, quam mare? e quo etiam æquor illud poetæ vocant. Varro 7. L. L. 23. p. 128. Müll. Æquor mare appellatum, quod æquatum, quom commotum vento non est. Vetus Poeta apud Varron. l. cit., Virg. 4. G. 528. et Ovid. 2. Met. 263. æquor altum. Lucret. 1. 718. (719). Jonium. Horat. 1. Od. 31. 14. Atlanticum. Id. 4. ibid. 15. 3. et Virg. 1. Æn. 67. Tyrrhenum. Plin. 3. Hist. nat. 5. 6. (44). Tuscum. Mela 1. 2. 1. Æquora nostra. Catull. Argon. 207. hibernum. Lucret. 3. 494. (492). et Horat. Epod. 16. 34. salsum. Virg. 3. Æn. 191. vastum. Lucret. 5. 998. turbida. Horat. 3. Od. 1. 33. contracta. Id. ibid. 24. 41. horrida. Virg. 6. Æn. 335. immensa. Id. 3. ibid. 412. leva. Id. 8. ibid. 89. placida. Ovid. 12. Met. 9. invia. Id. Heroid. 2. 38. concita ventis. Et Stat. 5. Theb. 383. Egerere æquora fundo. h. e. maris aquam e navi. — In prosa oratione *æquor* pro *mari* occurrit tantummodo post auream Augusti ætatem. De maris planitie Curt. 7. 5. 7. Camporumque non alia quam vasti et profundi æquoris species est. Id. 4. 7. 11. Haud secus quam profundum æquor ingressi. Val. Max. 9. 1. 1. Calidæ aquæ stagnum, non æquora. Plin. 3. Hist. nat. præfat. 4. Immensa æquorum vastitas. Adde eumd. 4. ibid. 1. 1. (4). et 12. 24. (76). et alibi sæpe, et Tac. 2. Ann. 23. et Cod. Theod. 7. 4. 23. — NB. Sallustii locus apud Donat. ad Ter. Phorm. 2. 1. 13., quem affert et Forcellinus, cum Latinæ linguæ usu omnino pugnat; ibique verba corrupta esse demonstravit Klotz ad Terent. Vol. 2. p. 591.

ÆQUŎREUS, a, um, adject. (æquor) ad æquor maris pertinens, marinus (It. *marino, di mare*; Fr. *marin, maritime*; Hisp. *marino*; Germ. *zum Meere gehörig, in Meere befindlich* etc.; Angl. *belonging to the sea, marine*). Est vox poetica. Catull. 64. 15. et Propert. 3. 6. 67. Nereides æquoreæ. Virg. 3. G. 243. Æquoreum genus. h. e. pisces. Ovid. 10. Met. 78. pisces. Martial. 10. 51. aquæ. Ovid. 15. Met. 753. Scilicet æquoreos plus est domuisse Britannos. h. e. mari circumdatos, navigationi deditos. Id. 8. ibid. 603. Æquoreus rex. h. e. Neptunus. Priapej. 8. 4. deus. Colum. 10. R. R. 200. pater. h. e. Oceanus. Ovid. 10. Met. 617. de Neptuno: Æquorea origo. Lucan. 6. 35. Æquoreus Achilles. h. e. filius Thetidis æquoreæ. Val. Flacc. 5. 91. Æquoreum bustum. h. e. ad maris littus positum.

ÆQUUM, i, n. 2. V. ÆQUUS in fin. — NB. De Æquo nom. propr. V. ONOM.

ÆQUUM BONUM vel æquum et bonum. V. voc. seq.

ÆQUUS, a, um, adject. Comp. Æquior et Superl. Æquissimus in omnibus ferme paragraphis. — Vox etymi ratione fortasse conjungenda cum Gr. εἰκώς similis, par, æquus, consentaneus. V. Döderlein. Latein. Synonim. Vol. 6. p. 10. — Proprie est æqualis (It. *uguale*; Fr. *égal*; Hisp. *igual*; Germ. *gleich*; Angl. *equal, level*).

I.) Proprie. ¶ 1. De loco ponitur, et planitiem significat; quamvis a plano differat. V. Homonym. in fin. (It. *piano*; Fr. *plaine, plat*; Hisp. *plano*; Germ.

flach; Angl. plain). Cæs. 7. B. G. 28. In æquum locum sese dimittere. Sall. Jug. 52. Deducere in æquum locum. Varro 1. R. R. 6. 6. Locus ad libellam æquus. Liv. 2. 64. Æquis locis. Id. 5. 47. Saxum ascensu æquum. Quintil. 12. 9. 2. Æquo campo. Id. 11. 3. 125. Æquo pectore. h. e. non propendente. Cæs. 7. B. G. 51. Locus æquior. Sall. Cat. 57. Loca æquiora. Liv. 44. 5. Æquior vallis. Cæs. 7. B. G. 74. Regiones æquissimæ. Cf. Æquum, i, I. 1. in fin. ¶ 2. Æquus ponitur etiam pro æque magno, quod scilicet ratione habita alterius rei non eminet, non est superior, sed eam prorsus æquiparat. — a) Cum altero comparationis membro, quod sæpe conjungitur per particulas atque, et vel que, cum, quam, aut per Dativum effertur. Ennius apud Gell. 11. 4. Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles, eadem dicta eademque oratio æqua non æque valet. Cato R. R. 144. 2. Scalæ ita, uti datæ sunt, reddito, nisi quæ vetustate fractæ erunt: si non erunt, reddet æquas aut arbitratu deducetur. Plaut. Trin. 2. 4. 92. Æquo mendicus atque ille opulentissimus censetur censu ad Acherontem mortuus. Cæs. 2. B. C. 15. Æqua fere altitudine, atque ille congesticius ex materia fuerat agger. Horat. 1. Od. 4. 13. Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres. Id. 2. ibid. 18. 32. Æqua tellus Pauperi recluditur Regumque pueris. Ter. Eun. 1. 2. 11. Utinam esset mihi pars æqua amoris tecum. h. e. æque vicissim amaremus. Liv. 10. 24. Se precari, ut ita sortem æquam sibi cum collega dent, ut etc. Vellej. 2. 124. 2. Postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi. — Liv. 27. 49. Reddita æqua Cannensi clades. Ovid. 4. Pont. 7. 24. Urbs erat in summo nubibus æqua jugo. Id. 6. Met. 10. sed et hæc de plebe suoque Æqua viro fuerat. Seneca Ep. 94. Æquum arcibus aggerem attollere. — b) Absolute, præsertim cum nominibus pars et portio. Lucret. 3. 125. Noscere ut hinc possis, non æquas omnia partes Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem. Adde 4. 1224. Plin. 2. Hist. nat. 9. 6. (11). Luna – modo æqua portione divisa. Id. ibid. 19. 17. (81). Pars æqua mundi. Id. 3. ibid. 1. 1. (5). Quam (Europam) plerique merito non tertiam portionem fecere, verum æquam, in duas partes – universo orbe diviso. Sueton. Tib. 50. Partes sibi æquas potentiæ prædicantem. Quintil. 1. 10. 3. Triangula æquis lateribus. Liv. 38. 23. Ut quam æquissima esset (præda). Seneca Herc. fur. 843. Libra æqua. Sueton. Vesp. 25. Examine æquo. Cod. Theod. 10. 19. 15. Æqua lance. Virg. 2. Æn. 724. dextræ se parvus Julus Implicuit sequiturque patrem non passibus æquis. Id. 5. ibid. 154. Æquo discrimine. Ovid. 9. Met. 719. Æquum vulnus utrique ferre. Cæs. 7. B. G. 19., Liv. 2. 6., Curt. 4. 1. 8., Flor. 4. 2. 28. aliique: Æquo Marte dimicare, pugnare, contendere. Liv. 9. 12. Æquam pugnam sustinere. Curt. 6. 1. 2. Viribus æquis dimicare. Sall. Cat. 39. Æqua manu discedere. Auct. B. Hisp. 3. 6. Æquo pede congredi. Liv. 27. 13. Æquis manibus dirimere pugnam. (Cf. Æquum, i, I. 2. in fin.). Ovid. 4. Pont. 16. 11. Æqui pedes. h. e. de poemate dictum quod Hexametris constat. Id. ibid. 5. 3. Non æqui pedes. h. e. de Elegia dictum. — Sæpe et de jurium rationibus ponitur, cum inter cives, tum inter nationes intercedentibus. Cic. 1. Off. 34. 124. Privatum autem oportet æquo et pari cum civibus jure vivere. Phædr. 1. 2. 1. Æquæ leges. Liv. 4. 5. Æqua libertas. Cic. Arch. 4. 6. Quæ cum esset civitas æquissimo jure et fœdere. Liv. 9. 20. Neque ut æquo tamen fœdere, sed ut in ditione populi Rom. essent. Vellej. 2. 15. Æquæ conditiones. Tac. 2. Ann. 82. Populum Rom. æquo jure complecti. — Item pro eo, qui æqualis est conditionis. Cic. 4. ad Herenn. 40. 52. In æquos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis.

II.) Translate. ¶ 1. Locus æquus interdum opponitur loco superiori et inferiori quoque, omnibus tamen metaphorice sumptis. Cic. 3. Orat. 6. 23. Sive loquitur ex inferiore loco, sive ex æquo, sive ex inferiore. h. e. sive alloquitur superiores, sive pares, sive inferiores: oratores enim ex inferiore loco, hoc est in imis subselliis dicebant apud magistratus; ex æquo parique loco in senatu sententiam dicebant; e superiore autem, hoc est e rostris, verba ad populum habebantur. Id. 3. Fam. 8. 2. Meos multos et ex superiore et ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude. h. e. et pro tribunali, et privatus seu in locis privatis. ¶ 2. In re militari æquus locus non tam planitiem significat, quam quemcumque locum ad pugnam aptum. Ad rem declarandam Liv. 22. 12. Fabius per loca alta agmen ducebat. Et ibid. 13. Irritat etiam de industria ducem (Hannibal), si forte – detrahere ad æquum certamen possit. h. e. si forte possit Fabium in planitiem deducere, quod sibi magno esset commodo. Pariter Cic. 4. Verr. 72. 177. Placet mihi ista defensio, descendo: æqua enim contentio, æquum certamen proponitur. — Hac autem significatione occurrit a) Cum Accus. et præp. ad, sed sæpius cum Dat. Cæs. 3. B. C. 73. Locum se æquum ad dimicandum dedisse. Nep. Miltiad. 5. Datis, etsi non æquum locum videbat suis, tamen – confligere cupiebat. Liv. 25. 13. Ut quibus locus æquior esset. Id. 27. 7. Locus æquus agendis vineis. Curt. 6. 1. 6. Sibi, quam hosti, æquiorem locum capere. — b) Transfertur et ad tempus. Liv. 26. 3. Et tempore et loco æquo. Sueton. Cæs. 35. Bellum sane difficillimum gessit, neque loco neque tempore æquo, sed hieme anni, et intra mœnia copiosissimi ac sollertissimi hostis. Cic. apud Ascon. pro Cornel. p. 72. 13. Bait. Cum id dicerem – judicium æquiore tempore fieri oportere. ¶ 3. Æquus etiam dicitur, qui moderatus est et æquabilis in vitæ ratione, omnia in bonam partem accipit, ad quamcumque fortunam æque paratus, tranquillus et sibi semper constans. — a) Hoc sensu æquus animus sæpissime dicitur. Plaut. Aulul. 2. 2. 10. Sed si animus est æquus tibi, satis habes qui bene vitam colas. Id. Rud. 2. 3. 71. Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum. Cic. Rosc. Am. 50. 145. Prædia mea tu possides, ego aliena misericordia vivo, et quod animus æquus est et quia necesse est. Horat. 2. Od. 3. 1. Æquam memento rebus in arduis Servare mentem non secus ac bonis. — Hinc æquo, æquiore, æquissimo animo et interdum etiam plur. num., sæpissime occurrunt. Ter. Andr. 2. 3. 23. Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris. Ter. Phorm. 1. 2. 88., Nep. Dion. 6. et 7. et Att. 1., Liv. 5. 39. aliique passim: Æquo animo aliquid ferre. Cic. Prov. cons. 7. 17. Ut eos quamprimum videamus, quos æquo animo videre non possumus. Id. 1. ad Brut. 4. 3. Æquo animo te moneri patieris. Id. 6. Att. 8. 5. Ego, nisi Bibulus anniteretur de triumpho, æquo animo essem; nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν. Id. 8. ibid. 3. 6. Æquo animo deliberare in aliqua re. Sall. Cat. 3. 2. accipere aliquid. Id. Jug. 31. tolerare. Sueton. Tib. 25. Quo æquiore animo Germanicus celerem successionem opperiretur. Cic. Senect. 23. 83. Quid quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Cic. Cluent. 2. 6. Animis lubentibus aut æquis aliquid remittere. Liv. 23. 22. Haud æquioribus animis aliquid audire. — b) Interdum æquus hoc sensu et ad personam refertur, cum Abl. aut Gen. Horat. 3. Od. 29. 32. Quod adest, memento componere æquus. Id. 1. Ep. 17. 24. Tentantem majora, fere præsentibus æquum. Tac. 6. Ann. 36. Atque interim posse Parthos absentium æquos, præsentibus mobiles, ad pœnitentiam mutari. ¶ 4. Hinc æquus dicitur etiam de homine amico, favente, benevolo, propitio, non adverso: et pluribus quidem rationibus. — a) Adjective ad animum, aut ad personas refertur. Ter. Andr. prol. 4. Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite. Id. Hec. prol. 20. Attendere æquo animo. Id. Phorm. prol. 25. Adesse æquo animo per silentium. Lucret. 3. 976. (975). Concedere alicui aliquid æquo animo. Cic. Orat. 10. 34. Ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos placatosque dimittas. Id. 2. ad Q. fr. 3. 4. Populo a se prope alienato, nobilitate inimica, non æquo senatu. Virg. 6. Æn. 129. Pauci, quos æquus amavit Jupiter. Sueton. Aug. 53. O dominum æquum et bonum. Adde Tib. 29. — b) Refertur etiam ad aures et oculos. Cic. 7. Fam. 33. 2. Studiis eisdem tenentur et meis æquissimis utuntur auribus. Curt. 8. 5. 20. Æquis auribus audire. Virg. 4. Æn. 372. Æquis oculis aspicere. Curt. 8. 2. 9. videre. Sil. It. 6. 106. Æquos oculos advertere. — c) Cum Dat. personæ, cui quis favet. Ter. Andr. 2. 5. 18. Quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis, quam illum amplecti maluit. h. e. multo minus Pamphilum improbarem, si etc. Forcellinus, quamvis eodem modo hunc locum interpretetur, tamen ad subsequentis paragraphi significationem retulit. Cic. Dejot. 1. 2. Nemo enim fere est, qui si periculi judex, non sibi se æquiorem, quam reo præbeat. Horat. 2. Sat. 1. 70. Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis. Ovid. 1. Trist. 2. 6. Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit. Id. 2. Art. am. 310. Fiet amatori lenis et æqua suo. Colum. 10. R. R. 21. nec cruribus æqua terga rubi. Tibull. 3. 17. 28. Victor erat, quamvis æquus in hoste fuit. — d) Æqui et iniqui substantivorum more occurrunt pro amicis et inimicis. Cic. 3. Fam. 6. 6. Ego, ut me tibi amicissimum esse et æqui et iniqui intelligant, curabo. Liv. 5. 45. Æquis iniquisque persuasum erat, tantum bello virum neminem usquam ea tempestate esse. ¶. 5. Item æquus est qui se æqualiter cum omnibus habet: ac propterea — a) Æquus ponitur de personis, et est qui dat suum unicuique, nullo partium studio commotus, neque legum verbis obstrictus, sed recta ratione solummodo ductus: hinc æquus differt a justo, ut æquitas a justitia (V. ÆQUITAS II. 3.) Cic. Quinct. 2. 10. Cum adhuc ei propter vim adversariorum non jus par, non agendi potestas eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit. Id. 2. Off. 18. 64. Conveniet (virum bonum esse) – in omni re contrahenda, vendendo emendo, conducendo locando, vicinitatibus et confiniis, æquum, facilem, multa multis de suo jure cedentem, a litibus vero – abhorrentem. Id. 2. Fam. 1. 1. Quare si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Id. 7. Verr. 59. 154. Vide, quam me sis usurus æquo. Vellej. 2. 76. Æquum se præstare. Cic. 6. Verr. 63. 146. Prætor æquus et sapiens. Id. 3. Fin. 2. 6. Æquissimus studiorum æstimator et judex. — b) De rebus quoque ponitur pro recto, justo, convenienti, decenti, honesto, uno verbo secundum rationem. Cic. Rosc. Am. 2. 7. Si vobis æqua et honesta postulatio videtur, judices, ego contra brevem postulationem affero, et, quo modo mihi persuadeo, aliquanto æquiorem. Id. Quinct. 14. 45. Quis tandem nobis ista jura tam æqua describit? quis hoc statuit, quod æquum sit in Quinctium, id iniquum esse in Nævium? Id. Balb. 27. 60. Et erat æqua lex et nobis, judices, atque omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur, vehementer utilis. Pacuvius apud Non. p. 261. 12. Merc. Et æquum est et rectum, quod postulas. Cic. Cluent. 2. 5. Denique illa definitio judiciorum æquorum – retineatur. — Hinc sæpissime occurrunt quod æquum est, ut æquum est, æquum est etc. Animadvertendum præterea censemus, æquum est generatim cum Accus., raro cum Dativo et Infinito conjungi, interdum cum Subjunctivo et part. ut; cum particulis vero qui vel quom apud Plautum solummodo. Pacuvius apud Non. 126. 22. Merc. Quod ego inaudivi accipite, et quod æquom est decernite. Cic. Cluent. 2. 7. Primum id (postulo), quod æquissimum est, ut ne quid huc præjudicati afferatis. Inscript. apud Orell. 4606. FECI FILIAE MEAE QVOD AEQVOM FVERAT FILIA FACERET HOC MIHI. Cic. Fat. 4. 7. Sed Posidonium, sicut æquum est, dimittamus. Ter. Andr. 1. 2. 29. Postulo, sive æquum est, te oro. — Plaut. Rud. 2. 2. 6. TRACH. Ut peritis? PISCAT. Ut piscatores æquum est, fame, siti speque. Ter. Eun. 3. 2. 25. Quæ liberum scire æquum est adolescentem. Id. ibid. 3. 1. 95. An potius hæc patri æquum est fieri, ut etc. Id. Phorm. 2. 4. 11. Restitui in integrum æquum esse ac bonum. Cic. 6. Verr. 33. 73. Æquum esse illos cogitare. Id. pro leg. Manil. 16. 47. Reliquum est, ut de felicitate –, sicut æquum est homines de potestate deorum, timide et pauca dicamus. Veteres Editt. leg. homini: sed recte homines nuper restituit Ed. Wunder in Var. Lect. librorum aliquot M. T. Ciceronis ex cod. Erfurt. enotat. p. LXXII. — Lucret. 5. 1026. (1025). Imbecillorum esse æquum misererier omni. Ita leg. recentiores Editt.; veteres autem omnium. — Plaut. Trin. 1. 2. 82. Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius –, non uti in eamdem tute accederes infamiam. Dig. 47. 9. 3. § 2. Æquum fuisse, ut – huic edicto locus sit. — Plaut. Trin. 2. 4. 187. Æquum videtur qui quod peccarim – potissimum mihi id obsit. Id. Bacch. 3. 3. 84. Plus vidissem quam deceret, quam me atque illo æquum foret. Id. Rud. prol. 47. Is leno, ut se æquum est, flocci non fecit fidem. — Æquum hac significatione, in re præsertim juridica, sæpissime occurrit, et conjungitur cum bono et jure, atque in Ablativo usurpatur, ut infra dicemus.

Æquum, i, n. 2. substantivorum more frequenter occurrit, iisdem ferme significationibus quibus adjectivus æquus.

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur pro planitie. — a) Sæpe de loco plano usurpatur. Liv. 5. 38. Facilem in æquo campi – victoriam fore. Tac. 4. Hist. 23. Pars

castrorum in colle leniter assurgens, pars æquo adibatur. *Id. Agric.* 35. Ut primum agmen æquo, ceteri per acclive jugum insurgerent. *Id. ibid.* 36. In æquo adstare. *Liv.* 1. 12. In æquum descendere. *Tac. Agric.* 18. In æquum digredi. *Id.* 2. *Ann.* 80. In æquum eniti. — *b*) De plana pictæ tabulæ superficie. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (127). Magnâ prorsus arte in æquo extantia ostendens. Cf. ÆQUUS I. 1. ¶ 2. Item æquum significat rerum æqualitatem, æqualem gradum, conditionem, rationem (Cf. ÆQUUS I. 2.): sed tamen in duabus tantum locutionibus: scilicet — *a*) *In æquo ponere, stare, esse* etc. *Liv.* 39. 50. *cum Dat.* Adeo in æquo eum duarum potentissimarum gentium summis imperatoribus posuerunt. *h. e.* eum summis imperatoribus æquarunt. *Seneca* 2. *Benef.* 29. 2. Ut naturam oderint, quod infra deos sumus, quod non in æquo illis stetimus. *h. e.* quod non æquales illis sumus. *Seneca Phœniss.* 98. *sequente part.* que: Qui cogit mori nolentem, in æquo est, quique properantem impedit. *h. e.* æque peccat. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 44. *Tac.* 2. *Hist.* 20. *absolute:* Insitâ mortalibus naturâ – modum fortunæ a nullis magis exigere, quam quos in æquo videres. *Id.* 12. *Ann.* 12. Militares artes per otium ignotæ, industriosque aut ignavos pax in æquo tenet. — *b*) *Ex æquo* adverbialiter usurpatur pro æque, æqualiter. *Lucret.* 1. 853. Ex æquo res funditus omnis Tam mortalis erit, quam etc. *Liv.* 7. 36. Qui ex æquo nos venisse in amicitiam meminissemus. *Id.* 36. 37. Non solum frenis, sed etiam jugo accepto, quæ disceptatio ex æquo – relicta est? *Id.* 39. 37. Si societas et amicitia ex æquo observatur, cur – vos rationem reposcitis? *Ovid. Heroid.* 16. 87. ex æquo donis formâque probatâ. *Id. ibid.* 20. 125. Torqueor ex æquo vel te nubente, vel ægra. *Id.* 4. *Met.* 62. Ex æquo captis ardebant mentibus ambo. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 25. 29. (112). Regna pertinent ad Scythas, cum quibus ex æquo degunt. *h. e.* æquo jure et institutis. *Sueton. Tib.* 11. Mutua cum Græculis officia usurpans prope ex æquo. *Tac.* 3. *Hist.* 9. Tentatis levi prœlio animis, ex æquo discessum est. *h. e.* manibus æquis. *Id.* 4. *Hist.* 64. Sincerus et integer et servitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis. *h. e.* aut vestri juris eritis, liberi sicut ceteri, aut etc. Adde *Agric.* 20. *Petron. Satyr.* 74. Ex æquo jus firmum approbare.

II.) Translate idem est ac æquitas, seu rectum, decens, honestum. — *a*) Generatim, præcipue in Abl. cum Comp. *Plaut. Rud.* 3. 3. 40. Æquum hasce petere intelligo; decet abs te id impetrari. *Ter. Adelph.* 5. 3. 17. Non æquum divis. *Id. Heaut.* 2. 1. 2. Æquum censent, nos a pueris illico nasci senes. *Id. ibid.* 4. 3. 10. Si ita æquum censes. *Id. ibid.* 1. 1. 39. Non æquum facis. *Id. Andr.* 5. 3. 30. Æquum postulat. *Id. Adelph.* 3. 4. 58. Æqua noscere. *Id. Andr.* 3. 5. 25. Cum illa, quæ in me nunc iniqua est, æqua de me dixerit. Adde *Hec.* 4. 5. 25. *Cic.* 2. *Phil.* 29. 72. Propemodum æqua ac justa dicebas. Adde *Liv.* 2. 32. *Liv.* 36. 37. Nihil æqui impetrare. — *Lucret.* 3. 966. Lamentari amplius æquo. *Sall. Cat.* 50. Injurias gravius æquo habere. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 52. Plus æquo liber. *Id.* 2. *Ep.* 2. 215. Potus largius æquo. — *b*) Speciatim ratione habita juris. *Ennius* apud *Non.* p. 399. 10. *Merc.* Jus atque æquum se a malis spernit procul. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 98. utilitas justi prope mater et æqui. *Virg.* 2. *Æn.* 426. Ripheus justissimus unus Qui fuit in Teucris et servantissimus æqui. *Ovid.* 3. *Fast.* 49. Æqui contemptor. *Id.* 5. *Met.* 100. Cultor æqui. — *c*) Hinc *æquum et bonum, æquum atque bonum, æquum bonumque* significant quod rectum et justum est, ut in *Dig.* 1. 1. 1. Jus est ars boni et æqui. *Sæpius* tamen significant non quod legum et juris litteræ, sed quod ratio ipsa postulat (ut etiam distinguit *Quintil.* 6. 5. 5. Jure prius pugnandum, an æquo), significant æquitatem, quæ remittit interdum aliquid, legesque, ubi opus est, benigne interpretatur, estque media inter jus summum et indulgentiam. Hoc autem sensu apud *Cic.* semper occurrunt *æquum et bonum*, aut omissa copula *æquum bonum*, nunquam vero *bonum et æquum*, ut demonstravit *Klotz* ad *Cic. Orationes Vol.* 1. *præfat.* p. XXIX. *Plaut. Curc.* 1. 1. 65. Alias me poscit pro illa triginta minas, alias talentum magnum, neque quidquam queo æqui bonique ab eo impetrare. *Ter. Adelph.* 5. 9. 30. Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono. *Id. Heaut.* 4. 1. 27. Qui neque jus, neque bonum atque æquum sciunt. *Id. Phorm.* 4. 3. 32. Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris, ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba inter vos. *h. e.* si tu juxta rationem locutus fueris etc. *Forcellinus* quoque ita est interpretatus, quamquam singulari paragrapho hunc *Ter.* l. distinxerit. *Cic. Cæcin.* 23. 65. Nam ceteri tum ad istam hortationem decurrunt, cum se in causa putant habere æquum et bonum quod defendant. Si contra verbis et litteris et, ut dici solet, summo jure contenditur, solent ejusmodi iniquitati æqui et boni nomen dignitatemque opponere. – Tum vociferantur ex æquo et bono, non ex callido jure rem judicari oportere. *Id. Brut.* 38. 143. Cum de jure civili, cum de æquo et bono disputaretur. Adde *ibid.* 145. *Sall. Jug.* 39. Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex jure gentium. *Papin. Dig.* 28. 3. 17. Tueri aliquid ex æquo et bono, licet subtilitas juris refragari videatur. *Cic. Top.* 17. 66. Illi dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum bonum tradiderunt. Adde *Quintil.* 12. 1. 8. — *d*) Quemadmodum *æquum et bonum* formula est juris et fori, ita etiam apud veteres obtinuit *melius æquius*, quæ maxime in arbitrariis actionibus rei uxoriæ adhibebatur, ut *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. et *Top.* 17. 66. docet, hoc est cum, soluto per divortium matrimonio, dos ab uxore repetebatur; qua in re ita concipiebantur actiones, ut non solum quod *æquum et bonum* esset, sed etiam quod *melius æquiusque*, si fieri posset, quæreretur. Videtur tamen etiam in aliis arbitriis hæc formula locum habuisse. Lege *Cic. Rosc. com.* 4. — *e*) Hinc vulgaris formula *æqui bonique facere, æqui boni facere*, hoc est accipere aliquid tamquam æquum et bonum, in bonam partem accipere, boni consulere, contentum esse. *Ter. Heaut.* 3. 5. 39. Ceterum equidem istuc, Chreme, æqui bonique facio. *Liv.* 34. 22. *extr.* Ceterum si vos nec cura ejus civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne serpat latius contagio ejus mali; nos æqui bonique facimus. *h. e.* nos contenti sumus, nihil laboramus. *Cic.* 7. *Att.* 7. 4. Tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc æqui boni facit. *Apul.* 1. *Met.* 5. Istud quidem, quod polliceris, æqui bonique facio. *Id.* 11. *ibid.* 268. Quorum oblationes honestas æqui bonique facio.

ĀĔR, ăĕris, m. 3. ἀήρ, Græca vox ab ἄημι spiro (cf. et Sanscr. *vâ* sufflare), quæ primo legitur in *Ennio* apud *Varr.* 5. *L. L.* 65. *p.* 26. *Müll.*, ita tamen ut a Græca origine deducta videatur; sed quæ in Latinam deinde linguam immigravit atque usuvenit, teste *Cic.* 1. *Acad.* (*pr.*) 7. 26. et 2. *Nat. D.* 36. 91. — Feminino genere *Ennius* usurpavit. *Gell.* 13. 20. Ennius in Annali duodevicesimo *aere fulva* dixit, non ob id solum, quod Homerus ἠέρα βαθεῖαν dicit, sed quod hic sonus, opinor, vocalilior est visus et amœnior. — In Genit. *aeros* pro *aeris* Græca terminatione dixit *Stat.* 2. *Theb.* 693.: ubi *aeros omnia doctus* est auspex auguria ex avibus captans. Al. tamen leg. *aeris*. — De Accus. sing. hæc *Charis.* 1. p. 65. *Putsch.* Hunc *aera* et *æthera*, masculino genere dicimus: Græca enim sunt. Sed et hunc *aerem* (ita lege pro *aerum*) veteres Latina declinatione dixerunt. *Id. ibid. p.* 97. *Putsch.* *Aerem* veteres dixerunt, non *ætherem*, sed *æthera*, quia (*lege* quamquam) utraque Græca sunt. *Aerem* reapse frequentius occurrit in prosa oratione; *aera* metri ratione apud Poetas, quamquam et apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 26. et 15. 39. — *Aera* in Accus. plur. et neutr. gen., quod afferebatur ex *Virg. Cul.* 164. est non modo dubia, sed falsa etiam lectio (V. *Sillig* ad *h. l. Vol.* 4. p. 75.). Alium locum affert *Forcellinus* ex *Orient. Commonit.* 1. 114., qui nobis prorsus ignotus est, quippe in Indice Classicorum Auctorum minime recensetur. — Ceterum *aer* proprie significat elementum illud animabile ac spirabile, qua terra est undique circumfusa (It. *aere, aria, atmosfera*; Fr. *l'air atmosphérique, l'atmosphère*; Hisp. *el ayre que cerca la tierra, atmosfera*; Germ. *die uns umgebende atmosphärische Luft, der Dunstkreis*; Angl. *the air, atmosphere*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) Est id quod definit *Cic.* 2. *Nat. D.* 36. 91. Terra sita in media parte mundi, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aer: Græcum illud quidem, sed perceptum jam tamen usu a nostris; tritum est enim pro Latino. *Id. ibid.* 45. 117. Aer fertur ille quidem levitate sublimi, sed tamen in omnes partes se ipse fundit, – et natura fertur ad cælum: cujus tenuitate et calore temperatus, vitalem et salutarem spiritum præbet animantibus. *Id.* 1. *Tusc.* 19. 42. Crassus hic et concretus aer, qui est terræ proximus. *Id.* 1. *Nat. D.* 10. 26. Anaximenes aera deum statuit. *Id. ibid.* 15. 39. Aquam, terram et aera. *Ovid.* 1. *Met.* 28. Proximus est aer illi levitate locoque. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Aerem in perniciem vertere. *Lucan.* 1. 89. dum terra fretum, fretumque levabit Aer, et longi volvent Titana labores. *Varro* apud *Non. p.* 241. 26. *Merc.* Anima, ut conclusa in vesica, quando est arte ligata, si pertuderis, aera reddet. *Nonius* aera pro sono accipit, sed minus recte. — Etiam plur. num. *Lucret.* 4. 291. (292). aeribus binis. *Vitruv.* 1. 1. 10. Aeres locorum salubres, aut pestilentes. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Locorum atque aerum commutatio. Adde 4. *Tard.* 1. et alibi sæpe. — *b*) Interdum opponitur *ætheri*, qui tenuior et superior est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 117. Quem complexa summa pars cæli, qui æther dicitur, et suum retinet ardorem tenuem et nulla admistione concretum, et cum aeris extremitate conjungitur. Adde 1. *ibid.* 15. 40. et 2. *ibid.* 39. 101. et 1. *Tusc.* 19. 43. — *c*) Interdum et aquæ opponitur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *post.*) 25. 81. Ergo ut illis aqua, sic nobis aer crassus offunditur. *Plaut. Asin.* 1. 1. 86. Jubeas – me piscari in aere, venari avem rete jaculo in medio mari. *Proverbium* est, quod significat vana conari, frustra operam impendere in re aliqua: cui simile est illud *M. T. Varron. Sentent.* 25. ed. *Devit.* Captiosus de verbis disputator, canis est aerem captans pro præda. ¶ 2. Speciatim. — *a*) Sæpe de cæli temperie et qualitate dicitur, sed cum addito. *Cic.* 2. *Nat. D.* 16. 42. Etenim licet auctiora ingenia – eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso atque concreto. Adde 4. *Acad.* (2. *post.*) 25. 81. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 244. Bœotûm in crasso jurares aere natum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Aer fusus et extenuatus. *Id.* 2. *Divinat.* 42. 89. temperatus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 318. Aere non certo corpora languor habet. *h. e.* modo calido, modo frigido. *Plin.* 5. *Ep.* 19. Audivi enim sæpe referentem, esse tibi et aera salubrem, et lac etc. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Aer purgatior. *Id.* 1. *Tard.* 1. tener. *Id. ibid.* 4. Tunc deambulatione movendus pro temporis aere. *h. e.* aut sub dio, aut sub tecto pro cæli temperie. — *b*) A venatoribus aer ponitur etiam de odore, quo aer est plenus. *Lucan.* 4. 438. pavidos formidine cervos Claudat odoratæ metuentes aera pennæ. — *c*) *Aer nitidus* pro fulgore, seu pro aere fulgente ponitur in illo *Stat.* 1. *Silv.* 3. 54. nam splendor ab alto Defluus, et nitidum referentes aera testæ Monstravere solum. — *d*) Item poetice interdum pro nebula, aut nube ponitur. *Virg.* 1. *Æn.* 411. At Venus obscuro gradientes aere sepsit. *Val. Flacc.* 5. 400. Ille autem inceptum, famula duce, protinus urget Aere septus iter. — *e*) *Aer summus arboris* est aer qui arboris cacumen circumdat, sive ipsum arboris cacumen. *Virg.* 2. *G.* 123. ubi aera vincere summum Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ. *Al.* jactæ. — NB. *Fistulæ aere tenui* apud *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 24. videntur esse quibusdam, quæ cavitates habent tenues, quibus aer attrahitur: sed alii rectius legunt *ære tenui*.

II.) Translate de homine levissimi ingenii. *Cic.* 1. *Att.* 18. 1. Non homo, sed – littus atque aer et solitudo mera.

ÆRĂ, æ, f. 1.

A) Apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (155). *æra* herba est inter triticum nascens, eique valde noxia, cujus etiam grana in pane admixta celerrime vertigines faciunt: Græce αἶρα, fortasse ab αἴρω tollo, quia, ut maxime noxia, extrahi et auferri soleat. Juxta Lexicographos alio nomine, et quidem usitatiore, *lolium* dicitur: verum cl. *Fée* ad h. l. (*Op. cit. Tom.* 2. p. 179). hac de re vehementer dubitat; Plinius enim in uno eodemque capite de lolio et æra divisim agit.

B) Apud sequioris ævi Scriptores ¶ 1. *Æra* usurpata est eo sensu, quo Latini optimi scriptores *æra* in plurali numero neutro genere dixerunt (*V.* ÆS § 11.), nempe pro nota numerali, brevitatis gratia a calculonibus in supputando adhibita. *Rufus Fest.* in *Breviar. init.* Morem secutus calculonum, qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt, res gestas signabo, non eloquar. *Nonius* etiam p. 74. 4. *Merc.* *Æra*, inquit, *est numeri nota:* affertque hujusmodi exemplum ex *Lucil.* *Hæc est ratio? perversa æra, summa subducta improbe.* Sed hoc loco potest etiam esse numeri pluralis: immo ita omnino

accipiendum est, cum constet, sic semper a veteribus usurpatum. Affertur etiam alius locus *Varronis* apud eumdem *Non.* p. 25. 3. *Merc.*; sed inde nihil certi colligi potest propter variantes conjectantium lectiones. ¶ 2. Præterea *æra* significat *numerum datum*, ut loquuntur, in aliquo computo. Hujus rei exemplum affert *Salmas. in exercit. Plin.* p. 686. ex *Vitruvio*, seu *Vetruvio Rufo*, et *Epaphrodito* rei agrimensoriæ scriptoribus, his verbis. Si fuerit pentagonus, cujus singula latera sint pedum decem, quæro, quot pedum area sit. Sic quæro: facio decem in se: fit centum: hoc semper duco ter, fit CCC: huic adjicio ipsam æram, fit CCCX. Ubi cum dicit *ipsam æram*, numerum X intelligit, qui a principio positus, seu datus est, fuitque totius supputationis fundamentum. Alia ejusdem farinæ exempla ibidem addit *Salmas.* Hinc natum videtur quibusdam verbum *Adæro*, quod *V.* ¶ 3. Item *æra* (*era* etiam sine diphthongo scripta invenitur; sed hoc sæculi vitio, non ratione aliqua factum est) in ratione temporum sumitur pro termino certo et insigni (ut apud nos Christianos est nativitas D. N. J. C.) a quo sequentes anni numerantur (It. et Hisp. *epoca*, *era*; Fr. *ère*, *époque*; Germ. *der Punct*, *von dem eine Zeitrechnung beginnt*; Angl. *an epoch*). *Isidorus* ita scribit 5. *Orig.* 36. 4. *Æra singulorum annorum constituta est a Cæsare Augusto, quando primum censum exegit. Dicta autem æra ex eo, quod omnis orbis æs reddere professus est reipublicæ.* Alii putant hanc vocem conflatam esse ex notis, quæ scribi solebant brevitatis causa hoc modo *A. ER. A.*, hoc est *annus erat Augusti*. Sed magis placet ex eo deducere, quod *æra* primum in plurali numero pro nota numeri usurpatum, ut dictum est: deinde factum *æra*, *æ*, femininum eodem sensu: tandem ad significandum etiam annorum numerum traductum sit. Recentiores tamen nonnulli putant Latinum *æram* unum omnino esse cum Germanico *Jahr*. V. *Orell. Inscript. Vol.* 2. *p.* 374.

ÆRACEUS, a, um. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim solummodo in *Not. Tir.* p. 161.

ÆRĀMEN, inis, n. 3. (æs). Sæculi vitio scribitur et *eramen*, ut apud *Commodian.* 50. 19. Vox est a sequioris ævi scriptoribus pro *ære* usurpata: *Cod. Theod.* 15. 1. 37. Nemo judicum in id temeritatis erumpat, ut – ex diversis operibus æramen aut marmora vel quamlibet speciem, quæ fuisse in usu vel ornatu probabitur civitatis, eripere – audeat. *Theodor. Priscian.* 1. 9. Ferri vel æraminis purgamenta. *Commodian. Instruction.* 20. Et deos audetis æramine dicere fusos. *Inc. Auct. Orbis Descript. sub Constant. Imp.* 16. ed. *Mai.* Ementes, quæ necessaria sunt, iterum tradunt, extra æramen et ferrum: has enim species duas, hoc est æramen et ferrum, non licet hostibus dare. Apud *Paul. Diac.* p. 26. 1. *Müll.* incerta est lectio. *V.* ÆRUMA.

ÆRĀMENTUM, i, n. 2. (æs) quodcumque opus ex ære factum. — *a*) Vasa ex ære. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 9. Ut – æramenta detersa nitidentur. *ita lectio restituenda est juxta* Codd. Lips. et Sang. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (34). Lora etiam – decocta (amurca) ungi atque æramenta contra æruginem colorisque gratia elegantioris. *Plinius* hæc refert ex *Catone*, qui *R. R.* 98. 2. *aenea omnia* dixerat. *Id.* 35. *ibid.* 15. 51. (182). Bitumen æramentis illinitur, firmatque ea contra ignes. *Inscript.* apud *Mommsen.* 4913. M. ANNIO PROEBO MVNICIPES SAEPINATES QVOT IS – MACELLVM CVM COLVMNIS SOLO AERAMENTIS MARMORIBVS. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 128. 1. LACVS X. CVM AERAMENTIS DEDIT. Sing. numero *supellex et æramentum* dixit *Paul. Sentent.* 3. 6. 44. — *b*) Æramentorum nomine significantur etiam particulæ vel laminæ ex ære ad alia metalla conjungenda. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 30. (94). Stannum jungitur æramentis, stanno argentum.

ÆRĀRIA, æ, f. 1. (æs). Revera adjectiva vox est: sed interdum absolute usurpatur et *officina* subauditur. *Varro* 8. *L. L.* 62. p. 188. *Müll.* Ubi lavetur æs; *ærarias*, non *ærelavinas* nominari. *h. e.* officinas, ubi æs purgetur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. (128). Etiamnum in ærariis reperiuntur, quæ vocant pompholygem et spodon. *h. e.* in fornacibus, ubi æs percoquitur et purgatur. De loco *Cæs.* 3. *B. G.* 21. *V.* ÆRARIUS.

ÆRĀRIUM, ii, n. 2. Revera adjectiva vox est neutrius generis, et subauditur *penu* vel *penum*: porro deducta est ab *ære*, teste ipso *Varron.* 5. *L. L.* 183. p. 71. *Müll.* Est autem locus, in quo publicum æs, hoc est publica pecunia reponitur servaturque ad reipublicæ usus (It. *erario*; Fr. *caisse*, *trésor*; Hisp. *tesoro*, *erario*; Germ. *die Schatzkammer*, *das Schatzgebäude oder der öffentliche Schatz*; Angl. *the place where the public money was kept*, *the treasury*, *exchequer*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Est locus, in quo publica pecunia reponitur. Porro ærarium in omnibus urbibus servabatur prope templum illius numinis, quod ejusdem primarium erat, ut Athenis prope templum Minervæ (ut patet ex *Aristoph.* in *Plut.* 1193.), Locris in Proserpinæ (*Liv.* 29. 8.), Olympiæ in Jovis, Delphis in Apollinis, Ephesi in Dianæ templis (*V.* Adnot. *Spanhem.* ad *Aristoph. l. cit.*). *Nep. Arist.* 3. Ejus arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. *Cic.* 6. *Verr.* 63. 140. Primum mihi litteras publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant (*Syracusani*), proferunt. *Nep. Hann.* 7. Namque effecit ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam superesset, quæ in ærario (*Carthagine*) reponeretur. — Æraria in provinciis fuisse colligitur ex veteri *Inscript.* optimæ notæ apud *Grut.* 43. 11. L. MESSIVS L. F. GEMINVS VI. VIR CVRATOR AERARI MEDIOL. HERCVL. V. S. L. M. Adde *ibid.* 12., ubi idem officium indicatur. — Ærarium dicebatur etiam arca pontificum, quamvis neque apud scriptores, neque in antiquis Lapidibus, quorum certa omnino sit fides, id nominis inveniri putet *Maffejus Art. Crit. Lap.* col. 208., ac Patavinam quandam inscriptionem et eo præcipue suspectam habeat, quod in ea legatur CVRATOR AERARII PONTIFICVM. At nihil certe suspicionis in iis monumentis, quæ leguntur apud *Reines. class.* 9. *n.* 1. et *class.* 12. *n.* 12. Certissima item illa apud *Murat.* 1049. 5. et apud *Donat.* 89. 2., ubi PRAEFECTVS AERARII, et IV. VIR AB AERARIO PONTIFICVM occurrit. In hanc autem pontificum arcam sive ærarium inferebatur plerumque pecunia, quam pœnæ nomine solvebant ii, qui sepulcra vel donarent, vel alienarent, vel eorum religionem quocumque alio modo pollucrent, quod legibus et inscriptis sepulcrorum titulis vetabatur. Hæc vero multa aliquando ærario P. R., aliquando fisco principis, collegio cuicumque legitime constituto, Vestalibus, populo solvi jubebatur; qua de re sæpe antiqui Lapides. Vide *Guther. l.* 3. *de Jur. man. c.* 6. — *b*) Item est ipsa pecunia publica in ærario servata. *Cic.* 6. *Att.* 1. 3. Ut ego amicior invenirer Phrygum et Cilicum ærariis, quam nostro. *Id.* 7. *ibid.* 1. 6. Nullum enim ærarium, nullum vectigal habet (*Ariobarzanes*). *Nep. Att.* 8. Excogitatum est a quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. ¶ 2. Speciatim Romæ æraria plura fuerunt, scilicet. — 1.) Ærarium κατ' ἐξοχὴν ad quotidianos Romanæ reipublicæ usus ex annua vectigalium pensitatione constabat, et jam inde ab antiquissimis temporibus servabatur in æde Saturni, ad quam in Capitolino clivo collocatam a Foro Romano per paucos gradus ascendebatur (teste *Cic. fragm. Font.* 3. 4. Paucos gradus ærarii ascendere). Cf. hac de re *Paul. Diac.* p. 2. 6. *Müll.*, *Solin.* 1. 12., *Macrob.* 1. *Saturn.* 8., *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 502. et 8. *Æn.* 319. et 322., *Varron.* 5. *L. L.* 183. *Müll.* et *Plutarch. Poplic.* 12. *quæst. Rom.* 42. Ærarii pecunia in templi substructionibus, sive subterraneis cellis reponebatur, unde *Cic.* 3. *Off.* 23. 90. Cuniculos agere ad ærarium. Peculiari hac significatione ærarium dicitur — *a*) De ipso ærarii loco. *Id.* 2. *leg. Agr.* 27. 72. Pecuniam referre in ærarium. *Liv.* 5. 25. deferre. *Id.* 45. 43. ferre. *Cic.* 5. *Verr.* 70. 164. Pecuniam dare ex ærario. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. proferre. *Auct. Ep. ad Octav.* Exhaurire ærarium. — Præterea omnes publicarum rationum tabulæ eodem loco servabantur, ut in quibus perscriptæ erant triginta quinque tribus Romanæ; quæ nomina debitorum ærarii continebant; quæ rationes rerum ab imperatoribus bello gestarum, et magistratuum in provinciis; legatorum nomina Romam advenientium; nomina et merita beneficiariorum, et alia hujusmodi: quibus excipiendis perscribendisque *quæstores ærarii* præerant. *Sueton. Aug.* 23. Tabulas veterum ærarii debitorum exussit. *Tac.* 13. *Ann.* 28. Ne multam ab tribunis dictam quæstores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent: medio temporis contradicere liceret. *Cic. Pison.* 25. 61. Rationes ad ærarium retuli continuo. *Id. Arch.* 5. 11. In beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo prætore et consule. *h. e.* ejus nomen inter benemeritos in ærarii tabulis inscriptum est. V. *Klotz* ad h. l., et Cf. *Cic.* 5. *Fam.* 20. et *Balb.* 28. 63. At non modo *benemeriti* erant, quorum nomina ad ærarium deferebantur, sed etiam mercedem et cibaria a prætoribus ærarii accipiebant, ut videre est ex *Senatuscons.* in *art.* 100. *Frontin. de Aquæd.* Liceret eos ad ærarium, quique ita delati essent, iis prætores ærarii mercedes, cibaria annua darent et attribuerent. — Ibidem et alia pretiosa reponebantur, ut signa militaria. *Liv.* 4. 22. Signa ex ærario deprompta feruntur ad dictatorem. Adde 3. 69. *Id.* 7. 23. Signa ex ærario deferre. — Item leges perlatæ atque æreis tabulis incisæ, ad perpetuam memoriam; nec non senatusconsulta ceteraque acta senatus promulgata (qua de re videsis *Joseph. Antiq. Judaic.* 14. 10. 10. et *Plutarch. Cat. min.* 17.) *Sueton. Cæs.* 28. Mox lege in æs incisa et in ærarium condita etc. Adde *Schol. Bob.* ad *Cic. Sext.* 64. 135. *Sueton. Aug.* 94. Senatusconsultum ad ærarium deferre. *Tac.* 3. *Ann.* 51. Factum senatusconsultum, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur. — Eodem etiam loco agebantur causæ; eæ scilicet omnes, quæ quomodocumque ad ærarium pertinebant, et ad magistratum ærario præsidentem disceptandæ deferebantur: quas postea Nero in forum et ad recuperatores transtulit. *Sueton. Ner.* 17. Cautum, ut rerum actu ab ærario causæ ad forum ac recuperatores transferrentur. — Si qui erant ærarii debitores, qui solvendo non essent, eorum bona in tabella describebantur, et venalia appendebantur ad ærarium, proscribenda et publicanda. *Sueton. Domit.* 9. Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, liberavit. Adde in *Claud.* 9. — Ærario præfuerunt reipublicæ temporibus *quæstores ærarii* (*V.* QUÆSTOR), qui cum anno U. C. 709., absente Julio Cæsare, nulli creati fuissent, ejus cura duobus ædilibus commissa fuit, qui per annos fere decem et septem præfuerunt: donec Augustus duos prætorios viros, seu prætores (ut ait *Sueton. Aug.* 36. et *Tac.* 13. *Ann.* 29.) substituit. Claudius rursus quæstores præfecit, ut *Id.* scribit *Claud.* 24.: Nero autem prætura functos, ut testatur *Tacit.* 13. *Ann.* 28. et 29., nec eos toto suo principatu; nam et quæstores aliquando habuit. At sub Vespasiano prætores iterum administrarunt, ut est apud *Eumd.* 4. *Hist.* 9. Postea Domitiani, et Trajani, aliorumque succedentium temporibus denuo mutati sunt. Postquam autem *quæstorum ærarii* nomen abolitum fuit, quicumque ærarii administrationem gessere, *præfecti ærarii*, aut *ærario* sunt appellati. *V.* PRÆFECTUS. Fuere etiam *tribuni ærarii*, qui curabant pecuniam ex ærario acceptam, et quæstoribus imperatorum dandam in expensas militares. *V.* infra ÆRARIUS, a, um, et TRIBUNUS ærarius; cf. etiam *Borghesi*, *Iscriz. di Burbulejo* p. 45. e segg. — *b*) Ponitur et pro ipsa pecunia publica. *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 48. Effundere ærarium. *Id. ibid.* Defendere ærarium. Adde 3. *Off.* 22. 88. et *fragm. Font.* 3. 4. *Id. Harusp. resp.* 8. 16. Domum ex ærario ædificandam putare. Adde 7. *Att.* 1. 6. — *c*) Imperatorum temporibus differebat *ærarium a fisco*; nam illud erat reipublicæ, hoc principis. *Tac.* 6. *Ann.* 2. Bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum cogerentur. *Sueton. Vesp.* 16. Summa ærarii fiscique inopia. Adde *Aug.* 101. *Plin. Paneg.* 36. At fortasse non eadem cura fiscum, qua ærarium cohibes: immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico, credis. *V.* FISCUS. — 2) Alterum ærarium quod dicebatur *sanctius* (et *sanctum* ab uno *Flor.* 4. 2. 21.) juxta *Manut. in commentar. ad Ep.* 15. *l.* 7. *ad Att.* illud erat, in quod collecta servabatur pecunia in usum Gallici belli: institutumque fuit post Gallorum irruptionem in Urbem, ut si quando rursus id bellum incidisset, ea pecunia geri posset. Eodem postea congestum videtur, quidquid pecuniæ ex variis insignibus victoriis reportatum est, ut ab Africanis ex devicta Carthagine, a Mummio et Paulo ex Corintho et Macedonia, a Pompejo ex Mithridate, etc. Hoc C. Julius Cæsar initio civilis belli effregit, universamque pecuniam asportavit. Hanc vero *Manutii* sententiam recentiores Philologi merito respuunt; et rectius affirmant *sanctius* ærarium illud fuisse, quod constabat ex auro vicesimario, *h. e.* ex vicesima, quam persolvebant ii, qui manumittebantur: de quo *Liv.* 7. 16. Hoc ad ultimos reipublicæ casus servabatur; in hoc congestum fuit, quidquid pecuniæ ex insignibus victo-

rils reportatum est, ut aperte docet Lucan. 3. 151. et seqq.; hoc denique pluries ab aliis et a Julio quoque Cæsare expilatum fuit, ut ex eodem Lucano patet. Cic. 7. Att. 21. 2. Attulit mandata ad consules, ut Romam venirent, pecuniam de ærario sanctiore auferrent. Cæs. 1. B. C. 14. Tantus repente terror invasit, ut cum Lentulus cos. ad aperiendum ærarium venisset, ad pecuniam Pompejo ex S. C. perferendam, protinus, aperto sanctiore ærario, ex Urbe profugeret. Adde Flor. 4. 2. 21. Liv. 27. 10. Quod (aurum vicesimarium) in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur. Quintil. 10. 3. 3. metaphorice: Illic opes (sunt) velut sanctiore quodam ærario reconditæ, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. — 3.) Fuit et ærarium militare ab Augusto institutum ad sumptus bellicos. Sueton. Aug. 49. Utque perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos (milites) prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis instituit. Adde Tac. 1. Ann. 7. et Inscript. apud Orell. 364. et 946. V. et Mon. Ancyr. 3. 36., ex quibus constat hoc ærarium institutum fuisse a. ab U. C. 759., quod confirmat Dio Cass. 55. 25. — 4.) Præterea ærarium Junonis Lucinæ ad servandam pecuniam collatam pro natis infantibus; ærarium Veneris Libitinæ pro defunctis; ærarium Juventutis pro iis, qui virilem togam sumerent, memorat Dionys. Halicarn. l. 4. a Ser. Tullo instituta, qui eos omnes certam pecuniam pensitare jusserat: sed hæc tria æraria brevi tempore sublata sunt.

ÆRĀRĬUS, a, um, adject. (æs) ad æs pertinens (It. di rame, bronzo, od ottone; Fr. d'airain, de bronze, de cuivre; Hisp. de alambre, de bronce, de cobre; Germ. das Erz (Kupfer und Kupfermischung) betreffend oder dazu gehörend; Angl. relating to copper or brass). ¶ 1. Ad æs pertinens, qua metallum significat, ponitur de iis quæ ad æs elaborandum pertinent, aut ex ære constant. Cæs. 3. B. G. 21. Structuræ ærariæ. h. e. ad æs effodiendum. Vitruv. 7. 9. 6. et Plin. 33. Hist. nat. 5. 26. (86). Æraria metalla. h. e. in quibus æs effoditur. Plin. 34. Hist. nat. 12. 28. (116). et 13. 34. (130). Ærarius lapis. h. e. cadmia, vel chalcitis, ex quibus fit æs. Id. 11. ibid. 36. 42. (119). fornaces. h. e. in quibus æs percoquitur et purgatur. Id. 18. ibid. 10. 20. (89). et 34. ibid. 13. 36. (134). officinæ. h. e. ubi æs conflatur. Id. 7. ibid. 56. 57. (197). fabrica. h. e. ars fundendi æris, et ex eo vasa et alia fabricandi. Id. 34. ibid. 1. 1. (1). et 8. 19. (61). faber. h. e. qui opera ex ære facit: qui et ærarius absolute dicitur. V. voc. seq. Inscript. apud Orell. 4061. D. M. S. TI. CLAVDIO SABINO SODALES AERARI. h. e. ex ærariorum collegio, de quo V. voc. seq. Cæl. Aurel. 3. Acut. 17. Folliculus artis ærariæ, et folliculus ærarius. Petron. Satyr. 57. As ærarius. ¶ 2. Item ad æs pertinens, qua pecuniam significat. — a) De rebus. Cic. Quinct. 4. 17. Propter ærariam rationem non satis erat in tabulis inspexisse quantum deberetur, nisi etc. V. Klotz ad h. l. Vol. 1. p. 563. Cod. Theod. 11. 20. 6. Æraria præstatio. Ibid. 7. 4. 34. et 35. et 36. Ærariæ annonæ. h. e. pensiones annuæ, vel menstruæ, quæ in pecunia distribuebantur; ad differentiam aliarum, quæ in frumento, pane, aliisque speciebus annonariis dabantur. V. ANNONA et AENEUS 2. — b) De hominibus. — Tribunii ærarii (quos Plin. 33. Hist. nat. 2. 7. (31). tribunos æris appellat) ab initio fuerunt nonnulli privati viri, probi, honesti ac satis divites, ne ærarium expilarent, qui et tributa exigebant et militibus æra seu stipendia solvebant, aut fortasse stipendia tantum solvebant. V. Caton. apud Gell. 7. 10., Varron. 5. L. L. 182. p. 70. Müll. et Paul. Diac. p. 2. 6. Müll. In posterum lege Aurelia judiciaria, anno scilicet ab U. C. 684., sanctum fuit, ut Tribuni ærarii ex equestri ordine deligerentur, et judicia quoque exercerent, ita ut inter judices tertius quisque esset Tribunus ærarius; qui mos viguit usque ad annum ab U. C. 708., quo lex Julia judiciaria lata est. Cic. 2. ad Q. fr. 6. 6. Senatorum - urna copiose absolvit, equitum adæquavit, Tribuni ærarii condemnarunt. Cf. 2. ibid. 16. 3. Id. 4. Cat. 7. 15. Convenisse video Tribunos ærarios. Adde eumd. Planc. 8. 21.; Ascon. ad Cic. Pison. p. 16. 19. Bait., ad Scaur. p. 30. 1., ad Milon. p. 55. 9., ad Cornel. p. 67. 6. et p. 78.; Plin. 34. Hist. nat. 1. 1. (1).; Sueton. Cæs. 41.; et Schol. Bob. ad Cic. Flacc. p. 229. 17. Bait. Cf. si vis et Madvig De Tribunis ærariis in Opusc. Acad. alt. p. 242. — Ærarius est etiam pecunia conductus: qua significatione ultimus missus in Circensibus ludis (qui erat olim vigesimus quintus; nam postea usque ad centum crevere) dicebatur ærarius, quia fiebat ex ære, h. e. pecunia a populo collata. Qui desiit esse, postquam conferendæ pecuniæ consuetudo sublata est. V. Varron. apud Servium ad Virg. 3. G. 18. Eodem sensu milites ærarii dicebantur ab ære, h. e. a pecunia, quam in stipendium accipiebant, teste Varron. 5. L. L. 181. p. 70. Müll.

ÆRĀRĬUS, ii, m. 2. a superiore adjectivo absolute usurpatur, et generatim est qui ad æs quomodocumque pertinet. Speciatim ¶ 1. Ad æs pertinens, qua metallum significat: ærarius est faber qui opera ex ære facit. Plin. 16. Hist. nat. 6. 6. (23). Carbo in ærariorum tantum officinis compendio. Martial. 12. 57. 6. Ærariorum marculi. Inscript. apud Orell. 4060. COLL. AERAR. h. e. Collegium Ærariorum. Inscript. apud Maff. Mus. Ver. 291. 9. AERARII VASCLARII. h. e. vascularii, qui vascula ex ære faciunt. ¶ 2. Item ad æs pertinens, qua pecuniam et singillatim æs militare significat: Ærarii, orum m. Romæ dicebantur et erant infimæ et pauperrimæ classis cives, qui nullo honorum, nullo stipendia faciendi jure fruentes, pro suo capite tributi nomine æra pendebant, unde et nomen accepere. V. Niebhur. Röm. Geschichte Vol. 1. p. 192. Apud Scriptores vero hoc sensu ii tantum ærarii dicuntur, qui ob notam aliquam privabantur jure suffragii et foris stipendia faciendi; tribu etiam quandoque movebantur, atque ad hoc solum inter cives retinebantur, ut pro suo capite tributi nomine æra penderent. Ita Pseudo-Ascon. in Cic. 1. Verr. 3. p. 103. 16. Bait., ubi hoc refert inter præcipuas et graviores Censorum notas. Qui hujusmodi pœna afficiebatur, dignitates, si quas haberet, amittebat: senator movebatur senatu, eques equo, miles stipendiis militaribus spoliabatur. Varro apud Non. p. 190. 30. Merc. Ærarium aliquem facere. Liv. 24. 18. 6. His equi adempti, qui publicum equum habebant; tribuque moti, ærarii omnes facti. Cic. Cluent. 45. 126. et Liv. 29. 37. 13. Ærarium aliquem relinquere. Cic. Cluent. 43. 122. et Liv. 24. 18. 8. Referre aliquem in ærarios. Val. Max. 2. 9. 6. Referre aliquem inter ærarios. Et ibid. 7. In numerum ærariorum. (quod dicebatur etiam in Cæritum tabulas referre, ut a Gell. 16. 3. et Pseudo-Ascon. ad Cic. 1. Verr. p. 103. 15. Bait. V. CÆRITES). Cic. 2. Orat. 66. 268. Ex ærariis aliquem eximere. V. et vocem sequentem I. 2. Huc pertinere videtur et Inscript. apud Henzen. 6536. A. ARGENTARI. A. L. ANTIOCH. A.... COACTOR. INTER AERARIOS etc.

ÆRĀTUS, a, um, adject. (ab æs, unde inusit. v. ærare, quod V. infra, unde Part. præter. pass. æratus) ære tectus, aut ornatus (It. coperto od ornato di rame, bronzo od ottone; Fr. garni, couvert d'airain; Hisp. broncado; Germ. mit Erz oder Kupfer versehen, beschlagen; Angl. covered over or adorned with copper or brass).

I.) Proprie. ¶ 1. Ære munitus vel ornatus, qua æs metallum significat. Nævius apud Varron. 7. L. L. 23. p. 128. Müll. Ærata ratis. Cæs. 2. B. C. 3. et Horat. 2. Od. 16. 21. Æratæ naves. Id. 3. Od. 1. 39. triremes. Ærata navis dicitur, quæ æreo rostro munita est, vel quæ utcumque proram habet ære obductam, non tam ad ornatum, quam ad munimentum, ut si in scopulos illidatur, facilius ictum toleret; vel, si in hostilem feratur navem, gravius feriat. Sil. It. 14. 580. carinæ. Virg. 8. Æn. 675. classis. Id. 9. ibid. 121. et Stat. 5. Theb. 335. proræ. Ovid. 8. Met. 103. puppes. Cic. 6. Verr. 26. 60. lecti. h. e. æreos pedes habentes. Piso apud Plin. 34. Hist. nat. 3. 8. (14). triclinia, abaci, monopodia. Tibull. 1. 3. 72. fores. Ovid. 2. Fast. 785. portæ. Plin. 34. Hist. nat. 3. 7. (13). ostia. ¶ 2. Qua æs pecuniam significat, æratus dicitur qui pecunia abundat. Cic. 1. Att. 16. 3. per jocum: Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam ærati, quam, ut appellantur, ærarii. h. e. non tam ærati, qui nempe pecuniosi essent, quam pauperrimi, quique ideo inter ærarios essent referendi et facile corrumpendi, quia scilicet infima et pauperrima civium classis vocabantur ærarii. V. ÆRARIUS, ii 2. Plaut. Most. 4. 2. 9. Ferocem facis, quia te æratus amat. Ita leg. quidam: alii plerique rectius quia te herus tam amat. ¶ 3. Poetice est idem ac æreus, h. e. ex ære, ferro aut chalybe factus: hinc ærata dicuntur etiam arma et ferramenta ad cædendum. Varro apud Non. 28. 6. Merc. Æratæ manus compedes. Propert. 2. 16. 11. catenæ. Id. 4. 1. 78. pila. h. e. sphæra Archimedis ex ære. Virg. 11. Æn. 656. æratam quatiens Tarpeja securem. Tibull. 1. 10. 25. Tela ærata. Ovid. 5. Met. 9. hasta æratæ cuspidis. Stat. 4. Theb. 110. crates. h. e. loricæ.

II.) Translate. ¶ 1. Sumptâ metaphorâ a § 1. æratæ acies sunt armis instructæ. Virg. 9. Æn. 462. æratasque acies in prœlia cogit. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ab ipsa æris natura æratus ponitur pro forti, munito, impenetrabili. Propert. 2. 23. 115. ærato Danae circumdata muro.

ÆRELĀVĪNA. Est vocabulum juxta analogiæ leges formatum, sed tamen a loquendi usu rejectum, teste Varron. 8. L. L. 86. p. 188. Müll. V. ÆRARIA.

ÆRENERVUS, i, m. 2. chorda musica ex ære. Quidam hanc vocem legunt apud Firmic. 6. Mathes. 31. ad fin.; sed locus videtur depravatus, et pro ærenervos legendum citharæ nervos.

ÆRESCRIPTŪRA, æ, f. 1. (æs et scribo) descriptio alicujus rei in tabula ærea. Aggen. Comment. in Frontin. p. 54. Goes. In ærescriptura modus comprehensus est. hoc loco agitur de forma agri coloniis assignati atque in ærea tabula descripti. Hygin. De limit. constituend. p. 193. vocat æris libros æris tabulas.

ÆRĔUS, a, um, adject. (æs) ex ære factus (It. di rame, bronzo od ottone; Fr. d'airain, de bronze, de cuivre; Hisp. de alambre, de bronce, de cobre; Germ. ehern, aus Erz (Kupfer, Kupfermischung oder Bronze) bereitet; Angl. made of copper or brass, brazen).

I.) Proprie. ¶ 1. Est ex ære factus. Vitruv. 7. 12. 1. Æreæ lamellæ. Plin. 12. Hist. nat. 7. 15. (30). vas. Id. 16. ibid. 10. 20. (51). clavus. Id. 33. ibid. 8. 41. (123). mortaria et pistilla. Id. 37. ibid. 5. 19. (74). venæ. Plin. Paneg. 57. statuæ. Sueton. Aug. 7. imaguncula. Id. Vesp. 8. tabulæ. Cajus Comment. 1. 122. nummus. Virg. 7. Æn. 682. cornua. Id. 1. ibid. 448. et Plin. 34. Hist. nat. 3. 7. (13). limina. Virg. 7. Æn. 743. ensis. Id. 5. ibid. 490. galea. ¶ 2. Item est ære ornatus, tectus, munitus. Virg. 3. G. 173. Æreus temo. Id. 5. Æn. 198. puppis. Servius ad Virg. 7. Æn. 662. Hunc (Geryonem) Hercules vicit, qui ideo fingitur ad eum olla ærea transvectus, quod habuit navem fortem et ære munitam. Virg. 5. Æn. 274. rota. Id. 12. ibid. 541. clipeus.

II.) Translate æreum sæculum est tertia illa ætas hominum, quæ argenteæ successit. Horat. Epod. 16. 65. Ærea dehinc ferro duravit sæcula. Adde Servium ad Virg. 1. Æn. 452.

Æreus, i, m. 2. absolute pro æreo nummo dicitur. Vitruv. 3. 1. 7. Æreos signatos constituere.

Æreum, i, m. 2. quod colorem æris habet. Plin. 8. Hist. nat. 52. 78. (212). Pilus æreo similis agrestibus (apris), ceteris niger.

ĀĔREUS, a, um. V. AERIUS.

ÆRIFER, a, um, adject. æra ferens. Ovid. 3. Fast. 740. Æriferæ comitum concrepuere manus. h. e. cymbala et alia tintinnabula ærea ferentes.

ÆRĬFĬCĒ, adverb. (æs et facio). Varro apud Non. p. 60. 30. et p. 283. 31. (si lectio proba est): Nihil sunt Musæ policis vestræ, quas ærifice duxti. Quem locum varie tentarunt viri docti. Lipsius 1. 2. Var. lect. c. 24. emendat: Nihil sunt Musæ Polyclis vestri, quas ærifice duxit. h. e. Musarum statuæ, quas Polycles artificiose ex ære duxit. Hujus statuarii ex ære meminit Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (19). Vide tamen et Oehler M. T. Varronis satur. Menipp. reliq. p. 140.

ÆRĬFĬCĬUM dictum quod fit ex ære. Non. p. 60. 28. Merc., pro qua voce affert Varronis verba superius allata in v. ÆRIFICE.

ÆRĬFŎDĪNA, æ, f. 1. (æs et fodio) locus unde æs effoditur. Varro 5. L. L. 7. p. 4. Müll. Quis enim non videt, unde ærifodinæ? Ita veteres Edit. leg.; Müllerus autem arenifodinæ ex conjectura; alii aurifodinæ, alii cretifodinæ.

ÆRĪMA. V. ÆRUMA.

ÆRĪMEN, inis, n. 3. In Auguralibus libris idem est atque æs, ut quidem legit Scalig. verba Festi in voce Flumentum, qui tamen nimia usus videtur licentia in hoc vocabulo effingendo.

ÆRĪNUS, a, um, adject. (αἴρινος). Ærina farina apud Plin. 22. Hist. nat. 25. 58. (125). et 24. ibid. 11. 59. (100). est farina facta ex æra, quam vocem

vide sub *A.* — *NB.* De *Varronis* loco apud *Non.* p. 28. 12. *Merc.* V. AERIUS I. 1.

ĀĒRĪNUS, a, um, adject. idem quod aereus. *Tertull. Habit. mul.* 8. *aerinas* oves dixit, quæ lanam ferrent coloris cærulei dilutioris et ad aeris colorem vergentis. Sed ibi rectius legendum *earinas*, hoc est virides; nam *earinus*, Græca vox, ἐαρινός, vernum seu vernantem significat: tempore autem verno omnia virescunt. Cl. vero *Furlanetto* in I. *Lexici Append.* hanc vocem nihili habendam et contra Codicum auctoritatem pro *earinas* legendum esse *coccineas* affirmat.

ÆRĬPES, ĕdis, comm. gen. 3. adject. æreos pedes habens.

I.) Proprie. *Ovid.* 12. *Heroid.* 93. Jungis et æripedes inadusto corpore tauros. *Virg.* 6. *Æn.* 803. Fixerit æripedem cervam licet, etc. *Servius* ait (itemque *Charis.* 4. p. 249. *Putsch.* et *Diomed.* 2. p. 437.) hoc loco dictum esse a *Virgilio æripedem* pro *aeripedem* per synalœphen: *æripedem* autem significare velocem, quasi *aerios pedes habentem*, ἀερόποδα. Sed hoc est contra fabulam. Nam *Virgil.* loquitur de cerva ab Hercule occisa, quam omnes mythologi tum Græci, tum Latini χαλκόποδα, *h. e.* æreis pedibus fuisse fingunt.

II.) Translate est pedibus et cursu valens, more Græcorum: apud quos χαλκόποας interdum exponitur ἰσχυρόποδας, *Hesychio* teste. *Auson. Idyll.* 11. 14. Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi.

ÆRĬSŎNUS, a, um, adject. æris dans sonum. *Sil. It.* 2. 93. Ærisona antra. *h. e.* in quibus Curetes æra pulsabant. *Claudian. B. G.* 234. Ærisonæ urbes. *h. e.* in quibus ærea crepitacula pulsantur in lunæ defectu. *Val. Flacc.* 3. 28. Ærisonus mons. *h. e.* Dindymus, ubi Corybantes æra ingeminabant. *Id.* 1. 704. Ærisonus Ida. *Stat.* 1. *Theb.* 265. ærisoni lugentia flumina Nili. *h. e.* propter sistra, quibus in Isidis sacris utebantur veteres Ægyptii.

ĀĔRĬUS vel aereus (*prius tamen usitatius*), a, um, adject. (ἀέριος) ad aerem pertinens, vel qui in aere fit aut est (It. et Hisp. *aereo*; Fr. *aérien*; Germ. *in der Luft befindlich, zu ihr gehörend oder in ihr vorgehend*; Angl. *aerial, relating to the air*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. De iis, quæ ad aerem pertinent, vel in ipso fiunt, ac præsertim de avibus. *Cic. Tim.* 10. Animantium genera quatuor, quorum unum divinum atque cæleste, alterum pennigerum et aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. *Varro* apud *Non.* 28. 12. *Merc.* Quo cum ire vellemus, obvius flare: ubi corpori aerias compedes impositas video. *h. e.* impedimentum venti, quod adversus spirat. Ita recte *Oehler M. T. Varron. satur. Menipp. reliq.* p. 211. Alii et ipse *Merc.* legunt *ærinas* et interpretantur *ex ære factas*. *Catull.* 64. 142. Aerii venti. *Ovid.* 9. *Met.* 219. auræ. *Cic. Top.* 20. 77. Aerii volatus avium atque cantus. *Lucret.* 5. 823. Aeriæ volucres. *Virg.* 1. *G.* 375. grues. *Ovid.* 1. *Art. am.* 26. avis. *Virg.* 9. *Æn.* 813. Iris. *Val. Flacc.* 1. 67. nunc aerii plantaria vellet Persei. *h. e.* qui Pegaso alato equo per aera volavit. *Virg.* 7. *Æn.* 704. Aeriæ nubes. *Horat.* 1. *Od.* 28. 5. domus. *h. e.* cæli stellarumque sedes. *Ovid.* 2. *Art. am.* 44. viæ. *Id.* 6. *Met.* 709. cursus. *Aerium mel* dixit *Virg.* 4. *G.* 1. ex opinione eorum, qui putant, apes mel non conficere, sed ex rore, qui ex aere decidit et in floribus desidet, colligere. ¶ 2. Latiori sensu aerius ponitur pro alto, in aera se extollente. *Catull.* 64. 240. Aerium cacumen. *Virg.* 3. *G.* 474. et *Ovid.* 2. *Met.* 226. Alpes. *Virg.* 4. *G.* 508. rupes. *Tibull.* 1. 7. 13. vertex montis. *Virg.* 3. *Æn.* 291. arces. *Catull.* 64. 291. cupressus. *Virg.* 3. *Æn.* 680. quercus. *Id.* 1. *Ecl.* 59. ulmus. *Ovid.* 5. *Fast.* 119. capra cornibus aeriis.

II.) Translate *spes aeria* est spes vana et nullo nixa fundamento. *Arnob.* 2. 62. Blandiri alicui aeria spe.

ĀĔRĬZŪSĂ, æ, f. 1. Vox Græca, ἀερίζουσα, hoc est aerem imitans, aeri similis. Hoc nomine appellatur genus quoddam iaspidis aerii coloris, *h. e.* cæruleo similis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (115).

ÆRO, as, are, a. 1. ære tego, vel orno. Potius quam verbum, videtur esse verbi forma, quam nulla confirmatam auctoritate affert *Priscian.* 8. p. 828. *Putsch.* A metallorum quoque nominibus solent nasci verba, ut ab *auro, auro, as*, ab *ære, æro, as*, unde *auratus* et *æratus*.

ÆRO, ōnis, m. 3. cophinus vel aliud quodpiam vas ex vimine, sparto, vel ulva, storeæ aut tegetis modo confectum, ac tollendo ferendoque aliquid idoneum: dictumque videtur ab αἴρω, quod tollere et bajulare etiam significat (It. *cestone, corba*; Fr. *panier, corbeille*; Hisp. *cesta, canasta*; Germ. *ein Korb, Hebekorb*; Angl. *a basket, bag*). *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 1. 2. 72. Phormio non a formula, sed phormione dicitur sparteo, quem nos æronem dicimus trivialiter. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 14. 21. (96). Ærones arena pleni. *Vitruv.* 5. 12. 5. Ærones ex ulva palustri facti. *Alfen. Dig.* 19. 2. 31. Quod si separatim tabulis, aut æronibus, aut in alia cupa clusum triticum fuisset, etc. In celebri editione *Torrentini* legitur *heronibus*. Alii etiam *ero* scribunt pro *æro*. Præterea *merones, perones* substituere alii in locis *Plinii* et *Vitruvii* adductis: sed prior lectio et scriptio magis probatur.

ĀĔRŎĪDES, ἀεροειδής vox Græca, quæ significat aeri similem, ab ἀήρ aer et εἶδος species, similitudo. Aeroides berylli dicuntur, qui colorem habent aeri affinem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (77).

ĀĔRŎMANTĪA, æ, f. 1. (ἀερομαντεία) divinatio ex aere. *Isid.* 8. *Orig.* 9. 13. Divinationis quatuor esse genera constat, terram, aquam, aerem, ignem: hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam.

ĀĔRŎMANTIS. Hæc vox occurrit apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 359. Varro autem quatuor genera divinationum dicit: terram, aerem, aquam, ignem: geomantis, aeromantis, pyromantis, hydromantis. Virgilius tria genera complexus est, per lauros geomantis, per sidera pyromantis, per præpetes aeromantis. *Servius*, si certa est lectio, aut *aeromantis*, *is*, f. 3. dixit pro *aeromantia* contra Græcam declinationem: aut *aeromantis*, *is*, m. et f. 3. pro divinante ex aere posuit, ut Gr. ἀερόμαντις, εως, quod a Latinæ linguæ constructione profecto abhorret.

ÆRŌNĀLIS, e, adject. ad æronem pertinens, seu qui in ærone servatur. *Pelagon. Veterin.* 29. *ad fin.* Eronalis (*corrige* æronalis) resinæ selibra. *Veget.* 3. *Veterin.* 23. Resinæ æronalis unciæ tres. *Gesner.* et *Schneider.* hic legunt: *Resinæ unciis tribus.* Sed in MSS. *acronalis*, in alio rectius *æronalis*. V. CAVEALIS et LOCULARIS.

ĀĔRŎPĔTES, ἀεροπέτης, per aera volans: ab ἀήρ aer et πέτομαι volo. Hac voce inscriptus est liber *Apicii* sextus, in quo agitur de volatilium conditura. — *NB.* Est etiam nomen equi. *V.* ONOM.

ĀĔRŎPHĂGĬA, vel aeriophagia, æ, f. 1. ἀεροφαγία, ab ἀήρ aer et φάγομαι edo: videtur significare esum volatilium, vel edulium ex avibus. Legitur a quibusdam apud *Petron. fragm. Tragur.* 56. *Burmann.* Aerophagiæ simul allatæ sunt. *Al. leg.* acreophagiæ; *al.* agriophagiæ.

ĀĔRŎPHŎBUS, i, m. 2. ἀερόφοβος, aerem timens; ab ἀήρ aer et φοβέομαι timeo. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 12. Aerophobos similes esse ajunt phreneticis.

ÆRŌSUS, a, um, adject. (æs) qui ære abundat, vel æs continet. *Paul. Diac.* p. 20. 5. *Müll.* Ærosam appellaverunt antiqui insulam Cyprum, quod in ea plurimum æris nascatur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 2. (2). Ærosus lapis. *h. e.* λίθος χαλκίτης, seu cadmia, ex qua æs fit. Cf. *Isid.* 16. *Origin.* 20. 2. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). Aurum ærosum. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (143). ferrum. *Scævola Dig.* 46. 3. 102. Pecunia, qua illa respublica utebatur, quasi ærosa, jussu prætoris sublata est. Hinc *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 9. 31. tenue argentum venæque secundæ, *interpretatur* modicum aut leve, ærosum.

ÆRŪCA, æ, f. 1. color quidam facticius viridis, qui fit lamellis æreis supra acre acetum suspensis, ita ut non attingant, et post octo aut decem dies derasis (It. *verderame*; Fr. *rouille de cuivres, vert de gris*; Hisp. *cardenillo, hollin del cobre*; Germ. *Grünspan*; Angl. *verdigrise, green brice*). *Vitruv.* 7. 12. 1. Eadem ratione lamellas æreas collocantes efficiunt æruginem, quæ æruca appellatur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. (110). alias quoque ejus conficiendæ rationes persequitur, eamque *æruginem* vocat. V. *Ærugo* I. 2.

ÆRŪGĬNO, as, āvi, are, n. 1. ærugine consumor. — I.) Proprie. *Vulgat. Interpr. ep. Jacob.* 5. 3. Aurum et argentum vestrum æruginavit. — II.) Translate est deficio, torpeo. *Venant. ep. præmiss. carm.* 6. *l.* 5. *sub init.* Cum nulla canens obsoleto linguæ plectro æruginavissem. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 13. 10. Æruginat nequitia illius.

ÆRŪGĬNŌSUS, a, um, adject. ¶ 1. Est ærugine plenus (It. *rugginoso*; Fr. *couvert de rouille*; Hisp. *lleno de cardenillo*; Germ. *voll von Rost oder Grünspan*; Angl. *rusty*). *Seneca Brev. vit.* 12. Majorem dierum partem in æruginosis lamellis consumit. — Hinc metaphorice *Id.* 1. *Rhet. Controv.* 2. p. 91. *Bip.* Æruginosa manus. *h. e.* sordida atque avida. ¶ 2. Est æruginis colorem præseferens. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 14. Item (*sputa*) fellea, æruginosa, atque prasina, vel nigra efficiunt.

ÆRŪGO, inis, f. 3. æris robigo, et proprie in ære cum viridescit; *robigo* enim est omnium metallorum, unde *æris robigo* apud *Colum.* 7. *R. R.* 5. 12., ubi veteres Editt. *æris ærugine* legunt (It. *ruggine del rame*; Fr. *rouille de cuivre*; Hisp. *hollin del cobre*; Germ. *der Rost oder das Oxyd des Kupfers und Erzes*; Angl. *rust of copper*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 98. Item aenea omnia ungito —, splendidior erit (*ea supellex*) et ærugo non erit molesta. *Cic.* 4. *Tusc.* 14. 32. Quod ingeniosi, ut æs Corinthium in æruginem, sic illi in morbum — incidunt tardius. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (34). Ungi æramenta amurca decocta contra æruginem. *Id.* 34. *ibid.* 17. 48. (160). Stannum illitum aeneis vasis compescit æruginis virus. *Prudent. Psychom.* 602. Nummi obducta ærugine. ¶ 2. Ex æris robigine fit color viridis, qui *æruca*, sed sæpius *ærugo* dicitur (V. *Æruca* sup.), quique non in pictura modo, sed et in medicina multi est usus, præsertim in collyriis. Est autem duplicis generis, alius naturalis, qui e lapide, ex quo coquitur æs, deraditur; alius facticius, cum adhibito aceto cogitur æs robiginem contrahere, quæ deinde raditur: cujus rei rationem omnem docet *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. 110., quocum cf. *Vitruv.* 7. 12. 1. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). Ærugo Cypria. Adde *Cels.* 5. 5. et 19., et *Scribon. Compos.* 34. et 203. et 206.

II.) Translate. ¶ 1. Ærugo ponitur pro livore, invidia: nam quemadmodum ærugo æs consumit, ita Invidus alterius macrescit rebus opimis: vel ea ratione ponitur *ærugo* pro livore, qua *Cic. Amic.* 23. 87 dixit *evomere virus acerbitatis*, nam et in livore virus quoddam inest exedens et absumens. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 100. hic nigræ succus loliginis, hæc est Ærugo mera. *Martial.* 10. 33. versus tincti viridi ærugine. *Id.* 2. 61. nimiaque ærugine captus Allatras nomen quod tibi cumque datur. ¶ 2. Item ponitur pro ipso ære seu pecunia. *Juvenal.* 13. 60. Nunc si depositum non infitietur amicus, Si reddat veterem cum tota ærugine follem, Prodigiosa fides. ¶ 3. Item pro cupiditate habendi. *Horat. Art. Poet.* 330. animos ærugo et cura peculi Cum semel imbuerit. *Apul.* 1. *Met.* 21. Homo æruginì semper intentus.

ÆRUMNA, æ, f. 1. Quidam sequioris ævi Scriptores *erumna* sine diphthongo scripsere, et primam vocalem in carmine corripuere. *Paulin. Petricord.* 1. *de vita D. Martini* 66. et linguæ partes proclamat erumna. Et 2. *ibid.* 24. tristem miseretur erumnam. Id evenisse putandum est, quod *Ennius* (juniorem intellige, de quo *Sueton. Gramm.* 1. *in fin.*) apud *Charis.* 1. p. 76. *Putsch.* ait, ærumnam per e solum scribi posse, quod mentem eruat, vel per æ, quod mærorem nutriat. — Hæc autem *Ennii* etymologia est omnino rejicienda: paresque pariter facienda sunt verba *Paul. Diac.* p. 24. 1. *Müll.*, quem si sequamur, *ærumna* est syncop. pro *æruminа*, quod ab αἰρομένη, particip. verbi αἴρομαι vel αἴρω tollo. *V.* ÆRUMNULA. Multa et recentiores philologi de hoc etymo disputarunt (V. *Böttiger. Amalthea Vol.* 3. p. 324., et *Döderlein Latein. Synon. Vol.* 6. p. 11., *Vol.* 3. p. 96. et *Vol.* 4. p. 420.); quorum nonnulli *ærumnam* cum *ægrimonia* conjunxerunt, innixi verbis *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 83. Ægritudinis est — ærumna affici. Nihil tamen certi potest definiri. Ceterum aureo quoque sæculo vocabulum hoc antiquitatem sapiebat; teste *Cic.* 2. *Fin.* 35. 118. (*V.* infra); et *Quintiliani* temporibus in desuetudinem prorsus abiit (V. *Quintil.* 8. 3. 26.). — Ærumna est labor quilibet onerosus, ægritudo, qua animus angitur et veluti pondere quodam premitur, præcipue propter molestos corporis labores exanclatos (It. *grande fatica, travaglio, stento*; Fr. *fatigue ou accablement d'esprit, peine, tourment*; Hisp. *opresion, molestia, carga pesada, tormento*; Germ. *Plackerei, Mühseligkeit, aus Arbeitslast und dem Unmaasse von Beschwerden hervorgegangene Trübsal*; Angl. *labour toil, hardship*). Quamvis autem generatim accipiatur pro quacumque calamitate, miseria, re adversa; tamen ab antiquis Latinis hoc vocabulum usurpa-

tum fuit pro corporis labore, ut præterquam ex inferius allatis, patet ex ipso *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18. Mæror ægritudo flebilis: ærumna ægritudo laboriosa: dolor ægritudo crucians etc. *Et* 2. *Fin.* 35. 118. Sic enim majores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo *ærumnas*, etiam in deo, nominaverunt. Cf. *Quintil.* 8. 3. 26. *Pacuvius* apud *Non. p.* 23. 8. *Merc.* Lepit cor cura, ærumna corpus conficit. *Ennius* apud *Non.* 215. 8. Illa dia nepos, quas ærumnas tetulisti. *Id.* apud *Gell.* 6. 16. Quibus nunc ærumnâ meâ libertatem paro. *Id.* apud *Non. p.* 292. 8. Cum ærumnis exanclavi diem. *Plaut. Rud.* 2. 3. 71. Animus æquus optimus est ærumnæ condimentum. *Id. Amph.* 1. 2. 28. Uno labore duas absolvere ærumnas. *Id. Capt.* 5. 4. 12. Ærumnam exigere. *Id. Pers.* 1. 1. 1. Qui amans ingressus est in amoris vias, superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis. *Id. Epid.* 2. 1. 9. Neque sexta ærumna acerbior Herculi. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 118. Herculis perpeti ærumnas. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 26. Luculli miles collecta viatica multis Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem Perdiderat. *Plaut. Curc.* 1. 2. 53., *Lucret.* 3. 50. et *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 83. Affici ærumna. *Cæcil. Stat.* apud *Gell.* 2. 73. Ærumnam suam occultare. *Ter. Phorm.* 2. 1. 12. et *Cic.* 2. *Fin.* 35. 118. Adversam ærumnam ferre. *Ter. Hec.* 5. 4. 30. Aliquem extrahere ex ærumna. *Id. ibid.* 3. 1. 8. Se expedire ex ærumnis. *Sall. Jug.* 49. Maximarum ærumnarum initium. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 23. Præsens ærumna. *Cic. post red. in sen.* 14. 34. Æternam ærumnam alicui propositam esse. *Id.* 3. *Att.* 14. 1. Incidere in ærumnam. *Id. Parad.* 2. 18. Miseriæ, ærumnæ premunt. Adde 5. *Fin.* 32. 95. *Quintil.* 9. 3. 15. per *proverbium*: Urget ærumna. *Lucret.* 4. 1063. Ærumna gravescit. *Sall. Jug.* 25. Deprecari ærumnas. *Id. ibid.* 15. Deformatus ærumnis. *Seneca Troad.* 86. Fletibus levare ærumnas. *Sall. Cat.* 50. Ærumnarum requies. — *NB.* Apud *Arnob.* 7. 24. Ærumnæ, quæ sunt prima in gurgulionibus capita, quæ dejicere cibos et referre natura est ruminatoribus sueculis. *ærumnæ* sunt vulgaris *ruma* et *rumen*, si tamen salva est lectio, ita ut videatur hoc nomen fuisse obscurum et sacrum.

ÆRUMNĀBILIS, e, adject. (ærumna) quod habendum est, aut reapse est labore, molestia atque ærumna plenum (It. *laborioso, travaglioso*; Fr. *pénible, affligeant, malheureux*; Hisp. *penoso, miserable*; Germ. *als Plakerei oder Mühseligkeit anzusehen, voll Mühseligkeit und Plakerei*; Angl. *full of trouble or misfortune, calamitous*). *Lucret.* 6. 1126. (1127). Illud in his rebus miserandum et magnopere unum Ærumnabile erat, quod etc. *Apul.* 1. *Met.* 1. Quiritium sermonem ærumnabili labore — excolui. *Al. minus recte* ærumnali. *Id.* 8. *ibid.* 9. Ærumnabilis vita.

ÆRUMNALIS, e. Falsa lectio. *V.* voc. præced.

ÆRUMNATUS pro ærumnis affectus legitur a quibusdam apud *Plaut. Capt.* 3. 4. 108.; ubi tamen rectius plerique *deruncinatus*.

ÆRUMNŌSUS, a, um, adject. (ærumna). Comp. *Ærumnosior*; Sup. *Ærumnosissimus*. Proprie dicitur de iis, qui plurimis laboribus pressi sunt; late vero significat miserum, calamitosum (It. *miserabile, calamitoso*; Fr. *malheureux, misérable, désastreux*; Hisp. *miserable, penoso*; Germ. *voll von Plakerei und Mühseligkeit*; Angl. *calamitous*). Ponitur — *a)* De personis. *Plaut. Rud.* 1. 4. 30. Inopes, ærumnosos adjuvare. *Id. Epid.* 4. 1. 32. Ærumnosa et miseriarum compos mulier. *Cic.* 7. *Verr.* 62. 161. Infelix et ærumnosus. *Id.* 4. *Tusc.* 38. 82. Miseri, afflicti, ærumnosi, calamitosi. Adde *Parad.* 2. 16. *Pers.* 3. 79. Ærumnosi Solones. *Seneca* 2. *de Ira* 7. 1. Si irasci sapiens debet et contristari, nihil est ærumnosius sapiente. *Cic.* 3. *Att.* 23. 5. Terentia una omnium ærumnosissima. Adde *Cluent.* 71. 201. — *b)* De rebus. *Cic.* 3. *Tusc.* 28. 67. *vertens carmen Euripidis.* Nec tam ærumnoso navigassem salo.

ÆRUMNŬLA, æ, f. 1. (*deminut.* ab ærumna, *quam voc.* V.). *Paul. Diac.* p. 24. 1. *Müll.* Ærumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant. Quarum usum quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur. Itaque ærumnæ labores onerosos significant; sive a Græco sermone deducuntur. Nam αἴρειν Græce, Latine tollere dicitur. Cf. *Festum* p. 149. 25. *Müll.*

ÆRUSCĀTOR, ōris, m. 3. (ærusco) qui stipem ostiatim quæritat, sed præcipue qui circulatoriis artibus æra, *h. e.* pecuniam victumque sibi quæritat. *Gell.* 14. 1. Homines æruscatores et cibum quæstumque ex mendaciis captantes. *M. Aurel. Ep. ad Vulcat.* in *Avid. Cass.* 9. Audisse te arbitror, quod æruscatores de eo nuntiarent.

ÆRUSCO, as, are, n. 1. variis artibus ac mendaciis stipem cibumque captare: ut ait *Paul. Diac. p.* 24. 7. *Müll.* Æruscare æra undique, id est pecunias, colligere. Sed occurrit Part. præs. tantummodo. *Seneca* 2. *Clement.* 6. Vultum quidem non dejiciet, nec animum ob æruscantis civis aridam ac pannosam maciem et innixam baculo senectutem. *Gell.* 9. 2. Musonius æruscanti cuipiam id genus, et philosophum sese ostentanti, dari jussit mille nummum.

ÆS, æris, n. 3. *Æri* pro ære legitur apud *Liv.* 31. 13. In plurali numero habet Nominativum et Accusativum in frequenti usu. Reperiuntur tamen et alii casus. *Cato* apud *Priscian.* 7. p. 750. *Putsch.* Ne quo minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 565. 6., quæ apud *Orell.* est 3551. *Cato* apud *Paul. Diac. p.* 27. 13. *Müll.* Æribus. Adde *eumd.* apud *Priscian.* 7. p. 750. *Putsch.* et *Lucret.* 2. 636. — Quod ad etymon attinet, in veteribus Monumentis legitur etiam *ais, aisis*; ac propterea vocabulum hoc conjungendum videtur cum Sanscr. *ajas* quod *ferrum* significat et cum Germ. *Eisen*, quod pariter est *ferrum*, et cum *Erz.* Cl. *Furlanetto* in *I. Lexic. Append.* etymon vocis videtur esse ab αἴθω splendeo, unde Ion. αἶσις, hinc Latinorum *æs* propter splendorem. — Cum de fossili ære sermo est, significat quamdam metalli speciem rubro colore, quæ It. *rame*, Fr. *airain*, Hisp. *alambre*, Germ. *Kupfer*, Angl. *copper* dicitur: cum vero de ære loquimur, quod in opere aliquo sit, ut in vasis æreis, in statuis, in pecunia etc., significat etiam metallum illud, quod dicitur It. *ottone e bronzo*, Fr. *cuivre et bronze*, Hisp. *cobre y bronce*, Germ. *Kupfer, Bronze und Kupfermischung*, Angl. *brass and bronze*: quoniam hæc duo postrema non sunt fossilia, sed facticia; et communi vocabulo *æris metalla* vocantur a *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 1. (1). et 13. 38. (137). De ære utroque fossili et facticio multa idem *Plin.* 34., ubi c. 8. et 9. de æris mixturis disserit.

A) Proprie. Quæ plurima de ære afferenda sunt, ad quatuor præcipue capita redegimus, in quorum I.) de ære fossili ac facticio generatim, II.) peculiariter de fuso ad ornamenta, III.) de signato, IV.) denique de alieno agemus.

I.) De ære fossili et facticio generatim. ¶ 1. Inter æra fossilia apud veteres celeberrimum memoratur *æs Cyprium* a *Vitruv.* 7. 11. 1. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 2. (4). et 8. 20. (94)., quod aut purum putum invenitur in minutas particulas divisum, aut ex lapide æroso, quem cadmiam vocant, educitur; primumque repertum est in insula Cypro, unde et nomen accepit. V. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 2. (2). et 7. *ibid.* 56. 57. (195). et voc. ÆROSUS. *Curt.* 10. 1. 19. Cypriorum regibus imperatum, ut æs (*ad naves*) stuppamque et vela præberent. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 24. (107). Scoria æris. *h. e.* fæx. *Id. ibid.* Flos æris. *h. e.* cum ære fuso et in alias fornaces translato, ibi crebriore flatu excutiuntur velut milii squamæ. *Cels.* 2. 12. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (108). Squama vel lepis æris. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 12. Æris rubigo. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 20. (94). Æs caldarium. *h. e.* quod tantum funditur, sed malleis duci non potest: cui opponitur *ibidem* Æs regulare vel ductile, *h. e.* quod et funditur, et in regulas malleo ducitur. *Id.* 33. *ibid.* 9. 46. (131). Æs coronarium. *h. e.* tenuissimum ac proinde coronis faciendis aptum. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (197). Conflare æs et temperare. ¶ 2. Facticia æra fuerunt plura, scilicet — *a)* Æs *candidum*, quod admixtam habebat certam mensuram arsenici, quocum conflatum ebibebat colorem. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. (110). et 17. 48. (160). — *b)* Æs cum cadmiâ (vulgo *Zinco*) admixtum dicebatur *Orichalcum*, de quo *V.* suo loco (It. *ottone*, Fr. *cuivre*, Hisp. *cobre*, Germ. *Messing*, Angl. *brass*). — *c)* Præcipua apud veteres mixtura erat ex ære, cadmia, stanno aliisque admixtis, quæ vulgo dicitur *bronzo*: hoc autem ex ære et auro argentove admixtis constare antiqui putarunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur et tamen ars pretiosior erat; nunc incertum est, pejor hæc sit, an materia. *Ex quibus* igitur constet æs, de quo sermo est, orationis contextus docebit. *Cic.* 9. *Phil.* 6. 13. Pedestris ex ære statua. *Id.* 4. *Verr.* 34. 83. Supellex ex ære elegantior. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 240. ne alius Lysippo duceret æra Fortis Alexandri vultum simulantia. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 38. (125). Ducere aliquem ex ære. *h. e.* ejus effigiem ex ære facere. *Id.* 34. *ibid.* 4. 9. (15). Simulacrum ex ære factum Cereri. *Id. ibid.* 3. 6. (12). Æra. *h. e.* varia æris genera; inter quæ maximum memoratur *æs Corinthium*, de quo *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (6). Ex illa autem antiqua gloria Corinthium (*æs*) maxime laudatur; hoc casus miscuit, Corintho cum caperetur incensa etc. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 40. 65. (130).; *Cic.* 4. *Verr.* 34. 83., *Rosc. Am.* 46. 133. et *Parad.* 5. 2. 36. et 38.; et *Quintil.* 8. 3. 8. Corinthium excipiebat *æs Deliacum*, testibus *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 4. (9). et *Cic.* 4. *Verr.* 34. 83. Proxima laus *Æginetico æri* fuit, ut ait *Plin. l. cit.* § 10.

II.) Sæpe usurpatur de ære arte elaborato ad usus atque ornamenta: vetustissimo enim tempore ex ære ea quoque fiebant, quæ in posterum ex ferro facta sunt, teste *Lucret.* 5. 1285. Et prior æris erat, quam ferri cognitus usus. Ære solum terræ tractabant, æreque belli Miscebant fluctus et vulnera vasta serebant. Inde minutatim processit ferreus ensis, Versaque in opprobrium species est falcis ahenæ etc. (*V. Æratus, Æreus* et *Aeneus*). Hinc *æs* vel *æra* sunt — *a)* Tabulæ æreæ, in quibus leges, senatusconsulta et plebiscita incidebantur, ut mos fuit apud Romanos. *Cic.* 12. *Fam.* 1. 2. Cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? *Id.* 3. *Cat.* 8. 19. Cum — statuæ veterum hominum dejectæ et legum æra liquefacta sunt. *Tac.* 4. *Hist.* 40. Qui æra legum vetustate delapsa noscerent. *Cic.* 1. *Phil.* 7. 16. Quæ ille (Cæsar) in æs incidit, in quo populi jussa perpetuasque leges esse voluit. *Id.* 3. *ibid.* 12. 30. Falsas leges et falsa decreta in æs incidere. *Tac.* 11. *Ann.* 4. Æs publicandis plebiscitis per fora ac templa fixum. *Id.* 12. *ibid.* 53. Fixum ære publico senatusconsultum. — *b)* Item statuæ ex ære. *Virg.* 1. *G.* 480. Et mœstum illacrimat templis ebur æraque sudant. *Id.* 6. *Æn.* 848. Excudent alii spirantia mollius æra, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus etc. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 17. I nunc, argentum et marmor vetus æraque et artes Suspice. *Claudian. Cons. Probi et Olybr.* 18. ære vetusto florere. *h. e.* antiquis avorum imaginibus nobilem esse. — *c)* Item arma ærea, ac præcipue scuta, galeæ, loricæ etc. *Fest.* p. 242. 23. *Müll.* Prolato ære astitit. Ennius in Achille Aristarchi cum ait, significat clipeo ante se protento. *Lucret.* 2. 636. armati pulsarent æribus æra. *Virg.* 2. *Æn.* 734. Ardentes clipeos atque æra micantia cerno. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 3. 9. locum, qui affertur infra sub *B.* 1. Adde *Propert.* 3. 12. 12. et 3. 16. 25. *Ovid.* 8. *Met.* 32. Cum vero faciem dempto nudaverat ære. *h. e.* galea ærea. *Tibull.* 4. 1. 173. ære pontus conficitur. *h. e.* æratis navibus. *Virg.* 1. *Æn.* 36. spumas salis ære ruebant. Adde *Val. Flacc.* 1. 688. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 10. æra unca. *h. e.* hami ærei. — *d)* Item musica instrumenta ex ære facta, ex quorum sono magnum aut parvum æris pretium æstimatur, ut ait *Quintil.* 11. 3. 31. Nam sonis homines, ut æra tinnitu, dignoscimus. Hinc dicitur a *Virg.* 9. *Æn.* 503. Æs canorum. Et ab *Ovid.* 12. *Met.* 46. Æs sonans. *Ennius* apud *Non. p.* 504. 33. *Merc.* Æs sonit, franguntur hastæ, terra sudat sanguine. *Virg.* 6. *Æn.* 165. ære ciere viros. *h. e.* ærea tuba. *Id.* 3. *ibid.* 240. Dat signum specula Misenus ab alta Ære cavo. *Id.* 4. *G.* 71. namque morantes Martius ille æris rauci canor increpat. Hinc *rectum æs* est tuba, *recurvum* est cornu seu buccina. *Ovid.* 1. *Met.* 98. Non tuba directi, non æris cornua flexi. *Juvenal.* 2. 118. recto cantaverat ære. *Lucan.* tamen hoc discrimen minime servare videtur, cum ait 1. 431. Batavique truces, quos ære recurvo Stridentes acuere tubæ. *Liv.* 26. 5. Æris crepitus. *Vellej.* 1. 4. Nocturnus æris sonus. *h. e.* ærei crepitaculi. — Hinc plur. num. sæpe de tympanis. *Virg.* 4. *G.* 151. Curetum sonitus crepitantiaque æra. *Horat.* 1. *Od.* 16. 8. non acuta Sic geminant Corybantes æra. *Propert.* 4. 7. 61. æra rotunda Cybebes. *Ovid.* 3. *Met.* 533. Tinnulaque æra sonant. Adde 4. *ibid.* 30. — *e)* Denique vasa atque utensilia. *Paul. Diac.* p. 27. 13. *Müll.* Æribus pluraliter ab ære, id est æramento, Cato dixit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 21. (99). Æra extersa robiginem celerius trahunt quam neglecta, nisi oleo perunguntur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 21. Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære. *Pers.* 2. 59. Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra. *h. e.* sacra vasa ex ære.

III.) Æs sæpissime et pro pecunia sumitur. Antiqui Italiæ populi libralem appendebant assem, ut ait *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (42). et (43).; Servius rex primus signavit; antea rudi usos Romæ Timæus tradit: immo populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Hinc factum est, ut æris nomine significaretur pecunia quoque argentea et aurea, ut recte *Ulpian. Dig.* 50. 16. 159. Etiam aureos nummos æs dicimus. *As libralis*, de quo paullo ante, jam inde ab initio erat, uti ajunt, unitas pecuniaria; qui et *æs* dicebatur, *h. e.* æris libra: postmodum *asses* signati sunt libræ pondo; atque hi *æs grave* (*V.* GRAVIS) appellati sunt, postquam minoris ponderis monetæ cusæ sunt (V. *Liv.* 4. 60. et 5. 12. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 13. (42).): hinc Genitivus *æris* sæpe pro *assium* occurrit. *Varro* 9. *L. L.* 83. *p.* 225. *Müll.* Pro assibus nonnunquam æs dicebant antiqui, a quo dicimus assem tenentes: *Hoc ære aeneaque libra*, et *Mille æris legasse. Cic.* 3. *de republ.* 10. 17. Æris millies. *Liv.* 24. 11. Qui millibus æris quinquaginta census fuisset. *Et mox:* Qui supra trecenta millia usque ad decies æris etc. Quapropter ¶ 1. *Æs* pro pecunia frequenter usurpatur in rebus emendis, vendendis, æstimandis etc. Hinc in vetere mancipandi formula. *Cajus Comment.* 1. 119. Adhibitis non minus quam quinque testibus – et præterea alio ejusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AJO, ISQVE MIHI EMPTVS EST HOC AERE AENEAQVE LIBRA. deinde ære percutit libram idque æs dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. Adde *ibid.* 3. 174. *Id. ibid.* 2. 101. et 3. 173., et *Ulpian. Sentent.* 20. 2. 9. Per æs et libram. *V.* MANCIPIUM. *Liv.* 6. 14. Libra et ære liberatum emittit. *Plaut. Asin.* 1. 3. 48. Cum a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio, si æs habent, dant mercem etc. *Ter. Phorm.* 3. 2. 26. Ancillam ære emptam suo. *Sall. Jug.* 31. Servi ære parati. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 4. Porcus ære mutandus est. *Virg.* 1. *Ecl.* 36. gravis ære domum mihi dextra redibat. *Horat. Art. Poet.* 345. Hic meret æra liber Sosiis. *Id.* 4. *Od.* 8. 2. Donare æra alicui. *Id.* 1. *Ep.* 7. 23. Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis. *h. e.* proverbium de eo, qui scit pretiosas res et viles dignoscere. *Varro* 2. *R. R.* 1. 9. Æs antiquissimum, quod est flatum, pecore est notatum. *Cic.* 2. *Att.* 1. 9. Æs circumforaneum. *h. e.* feneratitium, seu fenore sumptum: nam circa Forum tabernæ erant argentariorum, qui artem feneratoriam exercebant. *Inscript.* apud *Gruter.* 332. 3. STATVAM AERE COLLATO DECREVIT. *h. e.* collata pecunia; qui dicendi modus sæpissime in antiquis monumentis occurrit. ¶ 2. *Æs* sumitur etiam pro mercede aut stipendio, quod præcipue militibus dabatur et modo *æs militare* dicebatur, modo *æra* absolute. — Generatim. *Seneca Ep.* 88. 1. De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras. Nullum suspicio, nullum in bonis numero, quod ad æs exit. *h. e.* quod mercedem et lucrum quærit, ut *Lipsius* interpretatur. *Juvenal.* 6. 125. Excepit blanda intrantes atque æra poposcit. — Specialim de stipendiis militaribus. *Cato* apud *Gell.* 7. 10. Pignoriscapio ob æs militare, quod æs a tribuno ærario miles accipere debebat. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 180. p. 70. *Müll. Caj. Comment.* 4. 27. Ea pecunia, quæ stipendii nomine dabatur, æs militare dicebatur; ex qua equus emendus erat, æs equestre; ex qua hordeum equis erat comparandum, æs hordearium. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Æra militum. *Cato* apud *Priscian.* 7. *p.* 750. *Putsch.* Æra equestria. *Paul. Diac. p.* 102. 9. *Müll.* Æs hordearium, quod pro hordeo equiti Rom. dabatur. *Liv.* 5. 4. Negabant nuper æra danda esse militibus. *Et paullo post:* Annua æra habes, annuam operam ede. *Id. ibid.* 7. Placere autem his omnibus – æra procedere. Et equiti certus numerus æris est assignatus. *Lex Servilia c.* 11. *c.* 83. MILITIAE VACATIO ESTO. AERA STIPENDIAQVE OMNIA MERITA SVNTO. — Hinc *ære dirutus miles* est cui propter ignominiam stipendium ademptum est, testibus *Varron.* apud *Non. p.* 532. 8. *Merc.* et *Paul. Diac. p.* 69. 17. *Müll. Cic.* 7. *Verr.* 13. 33. Aleatoris Placentini castra commemorabantur, in quibus cum frequens fuisset, tamen ære dirutus est. ¶ 3. Plurali præcipue numero sumitur et pro singulis monetis asse quoque minoribus, ut sunt quadrans, triens etc. *Ovid.* 1. *Fast.* 219. Tu tamen, auspicium si sit stipis utile, quæris, Curque juvent nostras æra vetusta manus. *Martial.* 11. 28. 12. Aut centum asseolos sic, velut æra, rogat. *Id.* 12. 77. Amphora vigessis, modius datur ære quaterno. *Juvenal.* 2. 152. Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur. ¶ 4. *Æra* dicebantur etiam nummi, quibus calculones in subducendis rationibus utebantur: unde et singula rationum capita, et breves quædam notæ, quæ multas ingentesque summas significabant, æra appellatæ sunt (*V.* ÆRA sub *B*). *Cic.* apud *Non. p.* 193. 9. *Merc.* Quid tu, inquam, soles, cum ratione a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare? Adde *Lucil.* apud eumd. 74. 3. *Merc.*

IV.) Æs significat etiam totum id, quod simul sumptum constituit alicujus facultates seu reditus: unde active *æs suum*, passive *æs alienum* dicitur. *Ulpian. Dig.* 50. 16. 113. § 1. *Æs* alienum est, quod nos aliis debemus; æs suum est, quod alii nobis debent. *Plaut. Curc.* 3. 1. 2. Subduxi ratiunculam, quantum æris mihi sit, quantumque alieni fiet. *Cic.* 6. *Verr.* 6. 11. At hominem video – non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse et semper fuisse. Adde *Rosc. Com.* 8. 22. *Id.* 13. *Att.* 46. 3. Æs alienum meum. *Id.* 2. *Phil.* 14. 36. Æs alienum tuum. *Sall. Cat.* 34. Propter magnitudinem æris alieni. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 19. Incidere in æs alienum. *Id.* 13. *Att.* 46. 3. Æs alienum facere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. § 25. Æs alienum contrahere. *Sall. Cat.* 14. et 25. conflare. *Cic.* 7. *Fam.* 13. 2. Æs alienum afferre alicui. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. 5. Obstringere aliquem ære alieno. *Cic.* 5. *Fam.* 6. 2. Æs alienum habere. *Id.* 6. *Verr.* 6. 11. In ære alieno esse. *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Laborare ex ære alieno. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 20. Vacillare in ære alieno. *Id. Font.* 1. 1. et *Sall. Cat.* 40. Opprimi ære alieno. *Cic.* 6. *Verr.* 12. 28. Æs alienum crescit multiplicandis usuris. Adde 13. *Att.* 46. 3. *Nep. Att.* 2. inveterascit. *Cic.* 6. *Att.* 2. 4. et 1. *ad Q. fr.* 1. 8. § 25., et *Sall. Cat.* 40. Liberare aliquem ære alieno. *Cic. Sull.* 20. 56. et 2. *Phil.* 18. 46. Æs alienum dissolvere. *Sall. Cat.* 35. et *Plin.* 9. *Ep.* 37. persolvere. *Liv.* 31. 13. Solvendo ære alieno esse. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 13. Exire ære alieno. *Curt.* 10. 2. 25. Æs alienum luere. *Plin.* 9. *Ep.* 37. Æs alienum minuere. *Cic. Quinct.* 4. 15. Superat aliquid æri alieno. *Seneca* 2. *Benef.* 7. 1. Relinquitur æris alieni aliquantum. *Cic.* 2. *Phil.* 14. 36. Subvenire æri alieno alicujus. *Seneca* 2. *Benef.* 7. 1. succurrere. *Cic.* 2. *Off.* 16. 55. Suscipere æs alienum alicujus.

B) Translate. ¶ 1. Sumptâ metaphorâ a super. n. II. *c.* æs ponitur pro fortitudine, aut munimine. *Horat.* 1. *Od.* 3. 9. Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui etc. Cf. *Propert.* 3. 16. 25. Ille licet ferro cautus se condat et ære; Mors tamen inclusum protrahit inde caput. ¶ 2. Sumptâ metaphorâ a n. III. § 1. æs significat pretium, æstimationem. *Seneca Ep.* 87. Virtus super ista consistit: suo ære censetur. *h. e.* in se æstimabilis est, nec aliunde eget commendatione. *Colum.* 9. *R. R.* 16. 1. Res exigui æris. *h. e.* parvi momenti. *Gell.* 18. 5. Si magistrum prælectoremque habuisset alicujus æris. *h. e.* alicujus æstimationis. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a n. III. § 2. *æra*, æque ac stipendia, significant annos militiæ. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 33. Cognoscentur – omnia istius æra illa vetera, ut non solum in imperio, verum etiam in stipendiis qualis fuerit intelligatis. *Inscript.* apud *Gruter.* 565. 6., quæ est apud *Orell.* 3551. MIL. – AER. XII. *h. e.* miles ærum, seu stipendiorum duodenum. Hinc passim in antiquis Inscriptionibus dicitur AERA MERVIT X. XV. etc. *V.* MEREO. ¶ 4. Ducta similitudine a possessione pecuniæ (supr. n. IV.), *in ære meo esse* aliquis dicitur, qui meus est, seu inter meos amicos et necessarios censetur. *Cic.* 13. *Fam.* 62. Semper sic in animo habui, te in meo ære esse propter Lamiæ nostri conjunctionem et singularem necessitudinem. *Id.* 15. *ibid.* 14. 1. Multi anni sunt, cum ille in ære meo est et a me diligitur. ¶ 5. *Æs alienum* metaphorice est etiam promissio, qua quis, haud aliter ac debitor, obligatur. *Cic. Top.* 1. 5. Admonitus hujus æris alieni, nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. — NB. *Ære suo aliquem lacessere*, hoc est jocantem joco excipere, afferri solet ex *Plaut. Pœn.* 1. 2. 83. *Enimvero ludo meo me lacessis, ludos et delicias facis:* ubi tamen aliæ optimæ Editt. habent: *Enimvero, here, meo me lacessis ludo* etc.

ÆSALON, ōnis, m. 3. (αἰσάλων) vocatur parva avis, ova corvi frangens: cujus pulli infestantur a vulpibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (205). (It. *smeriglio*; Fr. *émérillon, peut-être le busard*; Hisp. *alcotan*; Germ. *eine kleine Falkenart*; Angl. *a kinde of hawkes, most like to be a merline*).

ÆSCHRIONIUS, a, um, adject. ad *Æschrionem* pertinens jambographum Samium, de quo *Athen.* 7. p. 296. et 8. p. 335. Hæc vox Græca positione occurrit apud *Mar. Victorin.* 3. p. 2552. *Putsch.* Item si ex duobus jambicis dimetris catalecticis fiat permixtio, fit metrum, quod æschrionion dicitur, ut est *Amore me subegit et igneo furore.*

ÆSCHROLŎGĬA, æ, f. 1. (αἰσχρολογία) est oratio inverecunda ex compositione verborum obscœnam significationem habentium, ut *cum nobis*, *cum Numerio*, *cum navibus*: vel ex usu alicujus verbi duplicem habentis significationem, honestam unam, turpem alteram, ut *patrare*, *ductare*, *arrigere*. Vox Græca est, et Græce usurpanda, ab αἰσχρὸς turpis, et λόγος sermo. *Diomed.* 2. p. 445. *Putsch.*

ÆSCHYNŎMĔNĒ, es, f. 1., αἰσχυνομένη, hoc est erubescens, herba est apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (167). ita dicta, quod appropinquante manu folia contrahat, quasi pudeat se tangi: ab αἰσχύνη pudor, verecundia. Plerique putant hanc eam esse, quæ apud aliquot Europæ nationes dicitur *la Sensitive*, *Impatiens*, *Noli me tangere*: cf. vero *Fée* (*Op. cit. Tom.* 2. p. 298.) ad h. l. contendit, æschynomenen esse unam ex Ægyptiacis acaciis.

ÆSCŬLĒTUM vel esculetum, i, n. 2. locus æsculis consitus (It. *bosco d'ischj*; Fr. *forêt de chênes*; Hisp. *floresta de encinas*; Germ. *ein Wald von immer grünen oder Winter-Eichen*; Angl. *a thicket or forest of oaks*). *Horat.* 1. *Od.* 22. 14. Quale portentum neque militaris Daunia in latis alit æsculetis. — Cf. et nomen propr. in ONOM.

ÆSCŬLEUS vel esculeus, a, um, adject. qui est ex æsculo arbore (It. *d'ischio*; Fr. *de chêne*; Hisp. *de encina*; Germ. *von der Wintereiche*; Angl. *relating to the bay-oak*). *Ovid.* 1. *Met.* 449. Æsculeæ capiebat frondis honorem. *h. e.* coronam ex æsculo. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 2. Axes quernei cum æsculeis non misceantur.

ÆSCŬLĬNEUS, a, um, adject. idem ac æsculeus: legitur in *Vet. Inscript.* apud *Grut.* 207. FORES CLATRATAS DVAS CVM POSTIBVS AESCVLINEIS FACITO. Per lapicidæ mendum *æsculneis* legitur in lapide, testantibus id *Guarinio* et *Zannonio VV. CC.*

ÆSCŬLĪNUS vel esculinus, a, um, adject. idem quod æsculeus. *Vitruv.* 7. 1. 2. Ne commisceantur axes æsculini cum querneis.

ÆSCULNIEUS. *V.* ÆSCULINEUS.

ÆSCŬLUS vel esculus, i, f. 2. arbor glandifera, Jovi sacra, præduro ligno, folio lato, unde et πλατύφυλλος Græce dicitur, frondosa, et vivide virens, glande carnosa, qua olim vesci homines consuevisse traditur: ex quo sine diphthongo quidam scribere malunt, tanquam ab *esca* ducta sit. *Servius* (cui pleraque vetera exemplaria favent, necnon plantarum familia cui nomen αἴσαλος et vox Anglo-Saxon. *æsc* fraxinus) diphthongum tuetur, ad illud *Virg.* 2. *G.* 291. Æsculus in primis, quæ, quantum vertice ad auras Æthereas, tantum radice in Tartara tendit. *Horat.* 3. *Od.* 10. 17. nec rigida mollior æsculo, Nec Mauris animum mitior anguibus. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 153. p. 59. *Müll.*, *Vitruv.* 7. 1. 2., *Virg.* 2. *G.* 16., et *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 2. (3). et 16. *ibid.* 4. 5. (11). et 17. *ibid.* 20. 34. (151). (It. *ischio*, *eschio*; Fr. *chêne rouvre*; Hisp. *encina*; Germ. *die hohe, schöne Winter- oder immergrünende Eiche*; Angl. *the bay-oak*). Cf. *Fée* (*Op. cit. Tom.* 1. p. 287.) ad *Plin.* 16. *Hist. nat.* hanc proponit synonymiam: אלון Isaiæ 46. 6., φηγὸς Hom. Iliad. 16. 767. et 5. 693. et alibi, necnon Theoph. 3. 9., *Esculus* Plin. loc. citt. et *Pallad.* 11. *R. R.* 15. sunt *Quercus Æsculus* L. *Spec.* 1415. Idem affirmat de æsculo *Virg.* et *Horat.* contra nonnullorum sententiam, quam falsam demonstrat.

ÆSTAS, ātis, f. 3. *Æstati* pro *æstate* metri causa dixit *Lucret.* 6. 712. Nilus in æstati crescit campisque redundat. *Alii* tamen reponunt *æstate*; neque enim desunt apud Poetas hujusmodi licentiæ exempla, præsertim si duæ sequantur consonantes. — Æstas (*ab æstu, ut docet ipse Varro* 6. *L. L.* 9. *p.* 76. *Müll.*, quocum cf. 5. *ibid.* 61. *p.* 24., et Gr. αἴθω et Germ. *heiss*, *hitze* etc.) proprie opponitur *hiemi* et si-

gnificat anni tempus, quod flagrans aut tepidum est (It. *estate*; Fr. *été*; Hisp. *estio*; Germ. *der Sommer*; Angl. *the summer*). ¶ 1. Proprie et lato sensu est anni tempus flagrans aut tepidum: cum Genit. *anni*. *Gell.* 2. 21. Nox fuit et clemens mare et anni æstas cœlumque liquide serenum. *Id.* 19. 5. In Tiburte rus concesseramus – æstate anni flagrantissima. ¶ 2. Item sæpius absolute, et est anni pars, quæ incipit æquinoctio verno, et finitur æquinoctio auctumnali, constatque senis mensibus. Nam totus olim annus in *æstatem* tantum et *hiemem* dividebatur: quod significatur etiam ab *Ulpian. Dig.* 43. 19. 1. § 32. — a) Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 94. Arabes et Phryges et Cilices – campos et montes hieme et æstate peragrantes. *Id. Senect.* 14. 46. Me vero delectant – refrigeratio æstate et vicissim aut sol aut ignis hibernus. *Lucret.* 6. 372. (371). Hic quoque confligunt hiemes æstatibus acres. *Sall. Jug.* 85. Hiemem et æstatem juxta pati. *Cic.* 4. *Att.* 2. 6. Ineunte æstate. *Cæs.* 3. *B. G.* 28. Æstas prope exacta. *Id.* 5. *ibid.* 22. Æstatis non multum supererat. *Id.* 2. *ibid.* 35. Initâ proximâ æstate. *Sall. Jug.* 90. Æstatis extremum erat. *Liv.* 26. 20. Æstatis ejus extremo. *Id.* 27. 17. Æstatis ejus principio. *Virg.* 1. *Æn.* 430. Æstate nova. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Adulta æstate. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (93). Austros ibi tam ardenter flare, ut æstatibus silvas accendant, invenimus apud auctores. — b) Peculiariter ponitur pro toto illo tempore, quo nonnulla fiunt, aut celebrantur, ut itinera, bella, expeditiones, agrorum cultura, balnea etc.: in quibus *æstas* totum annum significare videtur, ut *Forcellinus* ipse arbitratur. *Cic. Rab. Post.* 14. 40. Ille Puteolanus sermo – æstatem unam, non plures, aures refersit istis sermonibus. *h. e.* sermo ille, qui ad Puteolorum balnea habitus est per unam æstatem, non per plures (Fr. *pendant une saison*). V. *Klotz* ad *h. l. Vol.* 3. *p.* 1098. *Virg.* 8. *G.* 190. ubi quarta acceperit æstas. *Id.* 5. *Æn.* 626. Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas, Cum freto emersæ – ferimur. Adde 2. *ibid.* 207. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 21. ille salubres Æstates peraget, qui nigris prandia moris Finiet. *h. e.* quoniam febres – æstatis præsertim tempore homines corripiant. *Vellej.* 2. 47. 1. Novem denique æstatibus vix ullâ non justissimos triumphos emeritus. Et 81. 3. Tertia æstate reversus in Armeniam. *Tac.* 6. *Ann.* 39. Quæ duabus æstatibus gesta. — c) Item peculiariter a Poetis ponitur æstas pro aere sudo, cœlo sereno, magnoque calore. *Virg.* 4. *G.* 59. Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera cœli Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen (*apum*). *Id.* 6. *Æn.* 707. Ac velut in pratis ubi apes æstate serena Floribus insidunt variis etc. *Id.* 1. *G.* 65. glebasque jacentes Pulverulenta coquat maturis solibus æstas. *Horat.* 1. *Od.* 17. 3. igneam Defendit æstatem capellis Usque meis. — d) Denique *æstates* sunt maculæ, quæ in cute ex calore solis enasci æstate solent, apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 50. (185). Æstates, et quæ decolorem faciunt cutem, fimum vituli cum oleo et gummi manu subactum emendat. ¶ 3. Stricto sensu, anno in quatuor partes diviso, cœpit æstatis nomine vocari trimestre illud ab ingressu solis in Cancrum, usque ad æquinoctium auctumnale, quod fit sole ingrediente Libram. Ita enim distinguuntur apud nos quatuor anni partes, ut sole ingrediente Arietem incipiat *ver*, in Cancro *æstas*, in Libra *auctumnus*, in Capricorno *hiems* principium sumat. Latini tamen agricolæ æstatis initium, si rationem habeamus Calendarii a *J. Cæsare* correcti, ponebant VII. id. Maii, ut est apud *Varron.* 1. *R. R.* 28. 1., *Colum.* 11. *R. R.* 2. 39. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (280)., vel pridie id. Maii, ut est apud *Ovid.* 5. *Fast.* 600.; finem vero VII. id. Augusti, ut *Varro ibid.* docet, vel pridie id. Augusti, ut scribit *Colum. l. cit.* § 57. et *Plin. l. cit.* 31. 74. (309). Hoc quoque tempus ita dividebatur, ut esset *æstas nova*, *adulta*, *præceps*, ut ait *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 43. *V.* ADULTUS. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. Ita tantum bellum – Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. *Id.* apud *Gell.* 15. 5. et apud *Non. p.* 161. 2. *Merc.* Cum vero adfectâ jam prope æstate uvas a sole mitescere tempus est. *Varro* 1. *R. R.* 27. 3. Æstate messes fieri oportere. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 29. et 31. 80. Summa æstas.

ÆSTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (*æstus et fero*) æstum caloremque habens (It. *caldo*; Fr. *brûlant*; Hisp. *abrazando*; Germ. *Hitze führend*; Angl. *hot, hot as summer, sultry*). Sumitur — a) Active pro eo, qui calorem habet. *Lucret.* 1. 663. Æstifer ignis. Adde *Cic. Arat.* 111. *Lucret.* 5. 612. Æstiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum. *Id. ibid.* 641. Æstiferæ partes. *Virg.* 2. *G.* 353. ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva. *Sil. It.* 1. 194. Æstifer Cancer. *Capell.* 2. *p.* 24. Qui trahit æstifero fulgentem Sirion ortu. — b) Passive pro eo, qui calorem patitur. *Lucan.* 1. 206. Æstiferæ Lybies arva. *Sil. It.* 17. 448. Æstiferi campi Garamantum. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 91. Æstifer Nilus.

ÆSTĬFLŬUS, a, um, adject. (*æstus et fluo*) æstu aquarum fluens. *Solin. fragm. Pont.* 3. in *Anthol. Lat. Vol.* 2. *p.* 384. *Burmann.* Quæque sub æstifluis Thetis humida continet antris.

ÆSTĬMĀBĬLIS *vel* æstumabilis, e, adject. (*æstimo*) qui æstimari potest, æstimatione dignus (It. *stimabile*; Fr. *appréciable*; Hisp. et Angl. *estimable*; Germ. *schätzbar*). *Cic.* 3. *Fin.* 6. 20. Æstimabile esse dicitur id, quod aliquod pondus habeat dignum æstimatione –; contraque inæstimabile, quod sit superiori contrarium. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. Themison vero – phlebotomari jubet, recte quidem, sed non stricturam considerans potius, quam continentem causam sanguinis detrahendam: quod est æstimabile, atque, ut ita dixerim, dogmaticum.

ÆSTĬMĀTĬO *vel* æstumatio, ōnis, f. 3. (*æstimo*) actus æstimandi, judicium de pretio seu valore alicujus rei (It. *stima*; Fr. *estimation*, *évaluation*; Hisp. *estimacion*, *apreciamiento*; Germ. *die Schätzung oder Werthbestimmung einer Sache*; Angl. *an estimating*, *evaluing*, *setting a value upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est judicium de pretio seu valore alicujus rei. — a) Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 7. 14. Qui modus est in his rebus (*signis aeneis*) cupiditatis, idem est æstimationis: difficile est enim finem facere pretio, si lubidini non feceris. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. Militibus æqua facta æstimatione pecuniam pro iis rebus dissolvit. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 131. In censu habendo potestas omnis æstimationis habendæ censori permittitur. *h. e.* faciendæ. Adde *Liv.* 43. 2. *Liv.* 5. 25. et *Paul. Dig.* 17. 2. 17. In æstimationem venire. *h. e.* æstimari. *Ulpian. Dig.* 1. 8. 9. Æstimationem non recipit res sacra. *h. e.* æstimari non debet. *Cic.* 5. *Verr.* 87. 202. Eadem æstimatione exigere aliquid. — b) Cum Genit. personæ æstimantis. *Cic.* 5. *Verr.* 84. 195. Æstimatio senatus. *h. e.* a senatu habita. Adde *Parad.* 6. 3. 50., ut infra sub 2. — c) Cum Genit. rei æstimatæ. *Cic.* 5. *Verr.* 91. 213. M. Antonii æstimatio frumenti. Adde *Liv.* 43. 2. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (167). Quid quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ vivit? — d) Advertenda est *litis* vel *litium æstimatio*, *pœnæ*, *mulctæ æstimatio*, quæ locum habebat in re criminali et forensi, ac significat quantum pecuniæ a reo post damnationem solvendum esset. *V.* ÆSTIMO. Hoc sensu occurrit etiam absolute. *Cic. Cluent.* 41. 116. Æstimationem litium non esse judicium. Adde 4. *Verr.* 18. 45. *Id.* 1. *Orat.* 54. 231. et 232. Pœnæ æstimatio. *Liv.* 4. 30. Mulctarum æstimatio. *Cic.* 2. *de republ.* 35. 60. Levis æstimatio pecudum in mulcta C. Julii P. Papirii coss. constituta est. *Dig.* 9. 2. 26. Æstimationem solvere. — e) Denique memoratu digna est *æstimatio possessionum et rerum*, de qua *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Narrat *Sueton. Cæs.* 42. Julium Cæsarem, exacto civili bello, anno ab U. C. 705. decrevisse, ut veteres debitores creditoribus satisfacerent, datis in solutum possessionibus ex æstimatione, qua fuissent ante civile bellum, deducto etiam summæ æris alieni, quidquid usuræ nomine a debitore numeratum fuisset; qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Nisi eodem, simili saltem modo id et ante Cæsarem usuvenit, teste *Liv.* 7. 21. Hinc variæ locutiones. *Cic.* 13. *Fam.* 8. 2. A M. Laberio C. Albinius prædia in æstimationem accepit. *h. e.* quanti æstimata fuere secundum legem Cæsaris, tanti in solutionem accepit. *Id.* 5. *ibid.* 20. 9. Nolles a me hoc tempore æstimationem accipere; nam numeratum si cuperem, non erat. *h. e.* nolles a me exigere, ut in solutionem debiti mei possessionem aliquam tibi cederem, æstimatam quanti lex fert. *Id.* 12. *Att.* 21. 4. Credo quod accipienda aliqua sit et danda æstimatio. *Id. ibid.* 25. 1. Mihi et res et conditio placet, sed ita, ut numerato malim, quam æstimatione. *Cicero* hoc loco de emendis cujusdam Silii hortis loquitur, aitque, se eos emere malle pecunia numerata, quam aliam possessionem dando ex lege æstimatam. — Hinc etiam per jocum *æstimationem accipere* est damno affici, jacturam aliquam facere rei familiaris, apud *Cic.* 9. *Fam.* 16. 7. Ut, cum me hospitio recipias, æstimationem te aliquam putes accipere. — Et metonymice *æstimationes* sunt possessiones per legem æstimatæ. *Cic.* 9. *Fam.* 18. 4. Sed quoniam, ut video, æstimationes tuas vendere non potes. *h. e.* prædia, quæ per æstimationem a debitoribus tuis accipere coactus es lege Cæsaris. ¶ 2. Æstimatio ponitur interdum pro ipso rei alicujus pretio. *Catull.* 12. 11. mihi linteum remitte, Quod non me movet æstimatione, Verum est μνημόσυνον mei sodalis. *Cic. Parad.* 6. 3. 50. Sed non æstimatione census, verum victu et cultu terminatur pecuniæ modus. *h. e.* non pretio seu valore, qui in censu est inscriptus, sed etc. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 12. Præcepit, ut aut æstimationem templi (*jam ab ipso destructi*) redderet, aut id rursus ædificaret.

II.) Translate. ¶ 1. Apud philosophos Stoicos *æstimatio* est Græcum ἀξία, scilicet id quod consideratione dignum est, quod per se absoluto valore caret, sed tamen habere potest ratione habita mentis, quæ id perpendit. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 20. Æstimabile esse dicitur id, quod aliquod pondus habeat dignum æstimatione, quam ille ἀξίαν vocat. Adde *ibid.* 13. 4. 4. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 36. Æstimatione dignanda. Cf. 3. *Fin.* 10. 34. ¶ 2. Item generatim est judicium de natura aut dignitate alicujus rei, de vero ejusdem pretio seu valore. *Quintil.* 2. 18. 1. Inspectio, id est cognitio et æstimatio rerum. *Liv.* 3. 63. Semper æstimationem arbitriumque ejus honoris penes senatum fuisse. *Vellej.* 2. 128. 1. Æstimatio virtutum. *Id.* 2. 97. 3. Adversus amicos æqua et par sui æstimatio. *Id.* 2. 127. 4. Semper infra aliorum æstimationes se metiens. *h. e.* honorifica judicia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (5). Bonorum æstimatione et gaudio. *Quintil.* 7. 4. 41. Æstimatio furti. *Gell.* 1. 3. Officiorum æstimationes. *Curt.* 3. 6. 5. Secreta æstimatione pensare aliquid. *Id.* 4. 12. 21. Consilium sera æstimatione perpendere. *Id.* 9. 9. 2. Anceps et cæca æstimatio. *Tac.* 1. *Hist.* 14. Æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. *h. e.* recte judicantibus. *Inscript.* apud *Gruter.* 374. 5. HIC PRIMVS ET SOLVS VICTORIAS CAMPANIAE PRETIIS ET AESTIMATIONE PARIA GLADIATORVM EDIDIT. *h. e.* præmia proponendo et æmulationem inter eos excitando. — *NB.* Pro existimatione et fama nonnulli legunt apud *Sueton. Aug.* 3. Octavius a principio ætatis et re et æstimatione magna fuit. *Plerique tamen alii* existimatione.

ÆSTĬMĀTOR *vel* æstumator, ōris, m. 3. (*æstimo*) qui rei alicui pretium statuit (It. *stimatore*; Fr. *celui qui évalue*, *estimateur*; Hisp. *estimador*, *apreciador*; Germ. *der Abschätzer einer Sache*; Angl. *one who values*, *estimates*).

I.) Proprie. *Cic. Parad.* 6. 3. 51. Callidi rerum æstimatores prata et areas quasdam magno æstimant. *Id. Pis.* 35. 86. Unus tu æstimator, unus venditor frumenti omnis fuisti.

II.) Translate est qui de re aliqua generatim judicat. *Liv.* 34. 25. Incautus fidei æstimator. *Seneca Rhetor. Suasor.* 1. 7. Candidissimus omnium magnorum ingeniorum æstimator. *Val. Max.* 3. 2. 23. Optimus virtutis æstimator. *Id.* 2. 2. 6. Muneris impius æstimator. *Plin. Paneg.* 21. Æstimator parcissimus suorum beneficiorum. — Quæ hoc sensu afferuntur *Ciceronis* loca *Marcell.* 5. 15., *Orat.* 41. 141., 3. *Fin.* 2. 10. et *Brut.* 72. 252., tamquam falsæ lectiones habendæ sunt; optimi enim Codd. ubique exhibent *existimator*, non *æstimator*. V. *Madvig* ad *l. cit.*

ÆSTĬMĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad æstimationem pertinens. — Æstimatoria actio dicitur a JCtis, quæ proponitur tollendæ dubitationis causa, quando scilicet ambigitur de nomine contractus alicujus, utrum venditionis sit, an conducti, an locati, an mandati; tunc enim datur actio in personam, quæ *æstimatoria* dicitur, per quam qui rem aliquam vendendam suscepit, aut ipsam incorruptam reddere cogitur, aut ejus æstimationem. *Ulp. Dig. l.* 19. *t.* 3. qui inscribitur *De Æstimatoria.* — Præterea æstimatoria dicitur ea actio, quæ alio nomine ab iisdem JCtis appellatur *actio quanto minoris*, h. e. quanto minoris res fuit contractus tempore, quam quanti empta est: et instituitur ad indemnem servandum emptorem, qui in re empta vitium aliquod detexit, quod dolose venditor tacuerat: et dicitur *æstimatoria*, quia intervenit æstimatio rei vitiose venditæ. Ejus mentio fit ap-

pe *Dig.* 21. 1. 48. et *ibid.* 43. 56. ubi *æstimatoria*, *æ*, f. 1. absolute occurrit, et alibi. *Cujus* etiam *ibid.* *l.* 18. *æstimatorium judicium* appellat. Plura de his JCti.

ÆSTIMĀTUS vel æstumatus, a, um. *V.* ÆSTIMO.

ÆSTIMĀTUS, us, m. 4. (æstimo) idem quod æstimatio translata significatione 2. Occurrit in sexto casu tantum. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *post med.* Æstimatu mtatis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (38). In æstimatu est mel e thymo, coloris aurei, saporis gratissimi. *h. e.* æstimatur tamquam pretiosum.

ÆSTĬMIAS æstimationes. *Paul. Diac. p.* 26. 8. *Müll.* Ex hoc *Pauli* loco *Ravardus* et deinde *Funccius* aliquas Leg. XII. Tabul. particulas concinnarunt, quæ propterea nihili faciendæ sunt.

ÆSTĬMIUM, ii, n. 2. idem atque æstimatio translata significatione 2. *Frontin. de Colon. p.* 127. *Goes.* Alia loca pro æstimio ubertatis præcisa sunt. *Hygin. de Limit. p.* 152. *Goes.* Possessiones pro æstimio ubertatis angustiores sunt assignatæ.

ÆSTĬMO vel æstumo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Æstimans*, *Æstimatus* et *Æstimandus* in omnibus paragraphis; *Æstimaturus* II. 1. — Quod ad scriptionem attinet, sæpe in Codd. *æstimo* et *existimo* ita confusa fuerunt, ut incerti hæreamus quodnam sit eligendum. In iisdem Codd. sæpius legitur *æstumo*, præsertim apud *Plautum* aliosque vetustos; in Inscript. modo *æstimo*, modo *æstumo*. V. *Orell. Inscript.* 2570. et 4860. — Verbum ducitur ab *ære*, pretio ceterarum rerum. Utrum vero posterior pars verbi a τιμάω sit, quod placet *Vossio*, vehementer addubito, quod sic vox hybrida esset, et quod repugnat modus syllabæ penultimæ, quæ in verbo Græco longa est. Quare malim illud *timo* vel *tumo* esse tantum productionem verbi, ut in *autumo* et in nominibus *legitimus*, *maritimus*. Hanc Forcellini sententiam confirmat *Paul. Diac.*, qui ait *p.* 24. 13. *Müll.* Æstimata pœna ab antiquis ab ære dicta est, qui eam æstimaverunt ære, ovem decussis, bovem centussis, hoc est decem vel centum assibus. — Æstimo proprie est pretium valoremque alicui rei statuo, æstimationem facio (It. *stimare*, *valutare*; Fr. *évaluer*, *estimer*, *priser*; Hisp. *valuar*, *apreciar*, *estimar*, *tasar*; Germ. *eine Sache nach Geld oder Geldeswerth anschlagen oder abschätzen*; Angl. *to estimate*, *value*, *appreciate*).

I.) Proprie pluribus occurrit modis, scilicet — *a*) Absolute, interdum etiam sine Accus., interdum addito Adverbio. *Cic.* 5. *Verr.* 81. 188. Multos sæpe viros bonos et fortes et innocentes cum aratoribus et cum civitatibus frumentum, in cellam quod sumi oporteret, æstimasse, et pecuniam pro frumento abstulisse. Adde 3. *ibid.* 38. 95. et *Pis.* 35. 86. *Id.* 4. *Att.* 1. 7. Æstimare rem totam. *Id. Dom.* 44. 115. Domum emit prope dimidio carius, quam æstimabat. *Id.* 6. *Verr.* 7. 13. Æstimare signa. *Id.* 7. *ibid.* 9. 23. rerum pretia. *Id.* 2. *Off.* 23. 82. possessiones. — *Id.* 5. *Verr.* 92. 214. Petiverunt ab eo civitates, ut æstimaret. — *Id.* 6. *ibid.* 16. 35. Jussit Timarchidem æstimare argentum. Quo modo? Quo qui umquam tenuissime in donationem histrionum æstimavit. *Id.* 5. *ibid.* 88. 204. Qua in re senatus – large liberaliterque æstimasset. — *b*) Cum Ablat. *pecuniâ*, *denariis*, *assibus etc.*, necnon *magno*, h. e. pretio. *Cic.* 7. *Verr.* 9. 23. Deinde hæc expendite atque æstimate pecuniâ. *Id. ibid.* § 24. Hæc vero, quæ vel vitâ rediμi recte possunt, æstimare pecuniâ non queo. *Id.* 5. *Verr.* 94. 220. aliquid ternis denariis. *Id. ibid.* 75. 174. Modius ss tris æstimatus. *Id. ibid.* 92. 214. Modium x. III. æstimare. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 20. (48). Viride appianum æstimatum sestertiis in libras. *Id.* 33. *ibid.* 13. 57. (163). Vilissimum genus lomenti quinis assibus æstimatum. *Sall. fragm. p.* 974. *Cort.* Quinis modiis libertatem omnium æstimavere. *Tac.* 1. *Ann.* 17. Denis in diem assibus animam et corpus æstimari. *Cic. Parad.* 6. 3. 51. Si isti callidi rerum æstimatores prata et areas quasdam magno æstimant. *Id.* 6. *Verr.* 7. 13. Quid? tu ista permagno æstimas? — *c*) Cum Genit. *quanti*, *tanti* etc. *Cic.* 5. *Verr.* 95. 221. Permittite, ut liceat, quanti quisque velit, tanti æstimet. *Id. ibid.* 75. 174. Tanti enim est frumentum Siciliense æstimatum. *Id. ibid.* 92. 215. Et ajebat se tantidem æstimasse, quanti Sacerdotem. Adde 6. *ibid.* 7. 13. *Liv.* 39. 44. Mancipia tanto pluris æstimare. — *d*) Cum Ablat. rei juxta quam aliquid æstimatur, præced. præp. *ex*. *Cic. Rosc. com.* 10. 28. Nemo enim ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. *Id.* 4. *Att.* 1. 7. Superficiem consules ex senatusconsulto æstimabant. — *e*) *Æstimare litem* vel *lites*, *litem* vel *lites æstimare alicui*, aut *æstimare nomine alicui* est decernere, quanta pecunia a reo post damnationem solvenda sit; atque hac ratione *lis* ponitur pro re, de qua lis est. Hæc autem æstimatio locum habebat præcipue in judicio repetundarum et peculatus. Tunc enim damnato reo inibatur ratio furtorum ejus damnique illati, et ad certam pecuniæ summam redigebatur, quæ ex ejus bonis solvenda erat. Duæ enim res consequebantur damnationem, altera redditio pecuniæ lis, ad quos pertinebat, auctioni subjectis bonis rei, altera exilium, si de judicio repetundarum loquamur; nam in aliis judiciis non semper exilii pœna, sed aliquando sola pecuniæ multa indicebatur. Interdum etiam fiebat litis æstimatio sine accusatione et judicio, cum scilicet confesso reo pecuniæ summa statuebatur solvenda. Quod si reus solvendo non esset, agebatur in eos ad quos ea pecunia pervenisset. *Cic.* 2. *Verr.* 13. 38. Quid sit, quod, Septimio senatore damnato – de pecuniis repetundis, lis æstimata sit eo nomine, quod ob rem judicandam pecuniam accepisset. *Id. Rabir. Post.* 4. 8. Sunt lites æstimatæ A. Gabinio, nec prædes dati etc. *Id.* 3. *Verr.* 38. 95. His nominibus solis Cn. Dolabellæ ns ad triciens litem esse æstimatam. *Id.* 6. *ibid.* 10. 22. Quo damnato – ns III millibus lis æstimata est. *Id.* 3. *ibid.* 39. 90. Illarum rationum illa sunt nomina, quæ Dolabellæ sunt æstimata. Adde *eund. Cluent.* 41. 115., *Muren.* 20. 42. et *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 3. *Cic. Cluent.* 41. 116. Hoc quotidie fieri videmus, ut reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus æstimandis statutum sit, eos illi judices absolvant; quod cum fit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, æstimationem litium non esse judicium. — Interdum additur et Genitivus, ut *lis capitis* etc. *Cic. Cluent.* 40. 116. Omni contentione pugnatum est, ut lis hæc capitis æstimaretur. *h. e.* ut lis hæc, quæ capitis erat, ad pecuniæ solutionem redaceretur. Ita *Manut.* exponit. *Et ibidem*. Quibus damnatis de pecuniis repetundis lites majestatis essent æstimatæ. — Hinc a Romano ad Atticum tribunal hæc eadem formula translata est a *Nep. Miltiad.* 7. 6. Causa cognita, capitis absolutus, pecunia multatus est, eaque lis quinquaginta talentis æstimata est, quantus in classem sumptus factus erat. *Hic locus sermo est de causa proditionis.* *Id. Timoth.* 3. 5. Hoc judicio damnatur Timotheus lisque ejus æstimatur c talentis. *Quintil.* 11. 1. 10. Pœnam æstimare. Cf. *Paul. Diac.* supr. sub init. — Hinc et metaphorice. *Liv.* 45. 24. Voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio. h. e. vos sermonibus vestris meam voluntatem judicatis et condemnatis. — *f*) Est etiam alia ratio *litis æstimandæ*, extra judicia peculatus et repetundarum. Nam cum de re aliqua controversia est, *æstimare litem* dicitur judex, qui pretium statuit ejus rei, de qua lis est. *Cujus Dig.* 13. 3. 4. Si merx aliqua, quæ certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum, tanti litem æstimandam, quanti fuisset eo die, quo dari debuit. *Ser. Sulpic.* apud *Gell.* 4. 4. Si post sponsalia uxor non dabatur, aut non ducebatur, judex, quamobrem datam acceptamve non esset uxorem, quærebat. Si nihil justæ causæ videbatur, litem pecunia æstimabat, quantique interfuerat, eam *Cæs.* 5. *B. G.* 1. *ex fin.* Arbitros dat, qui litem æstimant, pœnamque constituant. *Hoc loco* [illegible] integrum locum.

II.) Translate. ¶ 1. Est mente [illegible] ac perpendere; rei considerati pretium, qualitatem, [illegible] de ea judicium ferre. — *a*) Absolute. *Cic. post red. in sen.* 6. 15. Iidem expendunt atque æstimant voluptates, sententiamque dicunt, et judicant, [illegible] *Id.* [illegible] 6. 2. 58. [illegible] *Id. Cluent.* [illegible] magni – habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem; libidinem autem – [illegible] *Liv.* [illegible] 2. Modestiam [illegible] 13. *ibid.* 17. Cur plerique – ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum æstimantes. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (145). Verum ut illa sola injuria æstimetur etc. *Liv.* 6. 41. Est aliquis, qui se inspici, æstimari fastidiat. *Curt.* 10. 5. 26. Juste æstimantibus regem, liquet, bona naturæ ejus fuisse etc. *Liv.* 6. 29. Grato animo munera æstimare. *Curt.* 8. 14. 46. Æstimare simplicius famam in hoste, quam in cive. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (147). diligenter cuncta. *Quintil.* 6. 1. 45. diligenter vires suas. *Id.* 10. 5. 21. Numerare potius, quam æstimare declamationes. Adde 2. 13. 13. *Tac.* 6. *Ann.* 12. Recto per magistros æstimatoque carmine. *Seneca Ep.* 40. 10. Romanus sermo magis se circumspicit et æstimat præbetque æstimandum. *h. e.* quod oculis metitur et perpendit. Pariter *Martial.* 4. 64. 11. Hinc septem dominos videre montes Et totam licet æstimare Romam, Albanos quoque Tusculosque colles. — Deinde pretio — *b*) Per adverbia, inter quæ adverbiales locutiones *pro unde*, *juxta*, nihil referuntur. *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 6. Valde care æstimas tot annos, quot ista ætas recipit. Adde *Plancum* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. 2. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Hæc si gravia aut acerba videantur, multo illa gravius æstimare debere. *Id.* 3. *B. C.* 26. Eo naves introducerunt – levatoque tempestatis, quam classis periculum æstimaverunt. Adde *Cic. Cluent.* 58. 159. *Tac.* 2. *Hist.* 23. Suspectum id Othonianis fuit, omnia decum facta prave æstimantibus. *Curt.* 10. 5. 26. Juste æstimare aliquem. — *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Prolude æstimans, ac si usus esset. *Sall. Cat.* 2. Quorum ego vitam mortemque juxta æstumo. *Cic.* 1. *Tusc.* 8. 15. ex *Epicharmo*. Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo. — *c*) Per duplicem Accus. sive per Adjectivum, aut Ablat. et præp. *pro*. *Sall. Jug.* 86. Quin ergo quod juvat, quod carum æstumant, id semper faciant. *Martial.* 11. 1. 7. Ecquid te satis æstimas beatum? *Curt.* 4. 1. 28. Ægyptios – pro sociis ipsos, non pro hostibus æstimaturos. — *d*) Per Ablat. *Cic.* 2. *Fin.* 3. 11. Nec ego istam gloriosam memorabilemque virtutem magno æstimandam non putem. Adde 3. *Tusc.* 4. 8. *Id.* 5. *Fin.* 23. 62. Nec quia bonum sit valere, sed quia sit non nihilo æstimandum. *Cæs.* 7. *B. G.* 39. Quorum salutem neque propinqui neglexere, neque civitas levi momento æstimare posset. *Liv.* 41. 20. Se magno æstimare. *Seneca* 1. *Benef.* 8. 2. se parvo. *Curt.* 5. 5. 18. Quidquid hominis vel vitæ æstimant, vel morte redimunt. *h. e.* æque carum ac vitam. *Tac. Agric.* 5. Electus, quem contubernio æstimaret. *h. e.* quem tanti faceret, ut ad contubernium admitteret. *Quintil.* 11. 1. 10. Qui pœnam suam honoribus summis esset æstimaturus. — *e*) Per Genit. *magni*, *tanti*, *quanti* etc. *Plaut. Most.* 1. 1. 73. Neque quod dixi flocci æstimas. *Cic.* 2. *Fin.* 17. 55. Magni enim æstimabat pecuniam. Adde 7. *Att.* 15. 2. *Plin.* 3. *Ep.* 4. Magni æstimare. *Cic. Parad.* 6. 3. 51. Quanti est æstimanda virtus. Adde 5. *Fam.* 9. 1. *Id.* 2. *Fin.* 28. 91. Nisi voluptatem tanti æstimaretis. *Id.* 1. *Acad. (post.)* 10. 37. Sed quæ essent sumenda, ex iis alia pluris esse æstimanda, alia minoris. *Nep. Cat.* 1. Quod non minoris æstimamus, quam quamlibet amplissimum Sacerdotem triumphantis. *Catull.* 5. 2. Rumoresque senum severiorum Omnes unius æstimemus assis. — *f*) A [illegible], per quam aliquid æstimatur, cum Ablat. et præp. *de*, *ex*, aut cum Ablat. sine præp., aut interdum cum Accus. et præp. *per*. *Dig.* 48. 2. 16. Estimatio accusatorum personæ vel de dignitate, vel ex eo quod interest, vel ætate vel moribus, vel alia justa de causa. *Cic. Rosc. com.* 10. 29. Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. *Sall. Cat.* 10. [illegible] *Quintil.* 5. 10. 28. Ex præteritis præsentia æstimat. Adde 8. 4. 23. *Cæs.* 3. *B. G.* 20. Quæ pars – et regionum latitudine et multitudine hominum ex tertia parte Galliæ est æstimanda. *h. e.* quæ pars, ratione latitudinis et habitantium et hominum multitudinis, tertia Galliæ pars est æstimanda. Alii [illegible] et legit [illegible] *Liv.* 22. 8. Quodcumque adversi [illegible] magnitudine [illegible] Nec Moræ [illegible] viribus æstimandos. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 48. Qui redit in fastos et virtutem æstimat annis. Adde *Quintil.* 4. 2. 5. [illegible] *Id.* [illegible] *Liv.* 22. 8. [illegible] ¶ 2. [illegible]

et fere semper apud Scriptores, qui post Augustum floruerunt, æstimare est putare, opinari, judicare. — a) Absolute. *Sall. Cat.* 8. Atheniensium res gestæ, sicut ego æstumo, satis amplæ magnificæque fuere. *Macrob.* 2. *Saturn.* 8. Multi, ut æstimo, in hoc a Varrone dissentiunt. *Tac. Germ.* 6. In universum æstimanti, plus penes peditem roboris. — b) Sequente relativo. *Sall. Jug.* 35. Æstimabitis, qualis illa pax aut deditio sit, in qua etc. *Seneca* 1. *Rhetor. Controv. procem.* Ut possitis æstimare, quantum quotidie ingenia decrescant. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 4. Quare prudentis est ac maxime callidi vinitoris æstimare ac dispicere, quibus locis – debeas materias submittere. *Tac. Agric.* 18. Sed ipsa dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset. *Quintil.* 8. 4. 16. Nam respicientes ad hæc possumus æstimare, quantum ille vini in Hippiæ nuptiis exhauserit. *Id.* 9. 4. 51. Æstiment, quot breves illud spatium habeat. *Sueton. Aug.* 57. Pro quibus meritis quantopere dilectus sit, facile est æstimare. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 78. Si mihi senatus consultum miseris –, æstimabo, an debeas cognoscere. *Ulpian. Dig.* 5. 1. 5. Prætoris est æstimare, an sua sit jurisdictio. *Callistrat. Dig.* 1. 18. 9. Æstimare debet, utrum etc. Ita *Torrentin.*; alii *existimare.* — c) Cum duplici Accus., aut cum Infin. *Phædr.* 3. 4. 5. Ridicule magis hoc dictum, quam vere æstimo. *Id.* 4. 17. 15. Turpe æstimantes aliquid commissum a suis. *Sunt qui putant apud* Phædrum *legi debere* extimo, *quod sit contractum ab* existimo, *ut* dixti *pro* dixisti. *Sall. Cat.* 31. Ne æstumarent, sibi perdita republica opus esse. *Cajus Comment.* 1. 93. Si causa cognita æstimaverit hoc filiis expedire. Adde *Ammian.* 25. 4. 17.

ÆSTĪMUM, i, n. 2. idem ac æstimium. *Frontin. de Colon.* p. 113. Pro æstimo ubertatis et natura locorum agri assignati sunt. Hæc cl. *Furlanetto* in *I. Lexici App.* Sed cum apud *eumd. Frontin.* et apud *Hygin.*, necnon in *Glossis* sæc. VI. editis a *Mai.* (*Class. Auct. T.* 6.) *æstimium* legatur, *æstimum* librarii mendum esse puto.

ÆSTĪVA, ōrum. *V.* ÆSTIVUS.

ÆSTĪVĀLIS, e, adject. idem quod æstivus. *Hygin.* 3. *Astron.* 24. Virgo dextera manu circulum æstivalem tangit. *h. e.* tropicum Cancri. Quædam Editt. habent *æquinoctialem*, sed videtur esse mendum. *Vet. Scholiast.* ad *German. Orat.* ed. *Mai.* Incipit Signifer, non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur; sed ab intimo tropico australi, brumalique eodem, per æquinoctialem ad summum solstitialem, eumdemque æstivalem per medium (in his longitudo latitudoque) porrectus. *Inscript.* apud *Murat.* 481. 3., quæ est apud *Orell.* 4043. OPERA THERMARVM AESTIVALIVM.

ÆSTĪVĒ, adverb. *Plaut. Men.* 2. 1. 30. Æstive admodum viaticati sumus. *id est* tenuiter, admodum parce, joculari translatione ducta a militibus, qui iter æstate facturi, parcum viaticum secum portant, tum quia cum dies longiores sint, maturius perveniunt quo tendunt, tum quia etiam inter eundum facile provident sibi de frugibus terræ: cum contra hieme id facere non possint, conditis ubique frugibus et nuda tellure. Ita plerique explicant cum *Turnebo l.* 18. *c.* 15. Alii cum *Lambino* ducunt a vestibus, quæ æstate tenues et leves adhibentur.

ÆSTĪVO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (æstas) propter æstum evitandum alicubi commorari: quemadmodum *hibernare* est hiemem aliquo in loco transigere (It. *passare la state in qualche luogo*; Fr. *passer l'été en quelque part*; Hisp. *pasar el estío en alguno lugar*; Germ. *den Sommer irgendwo zubringen*; Angl. *to pass the summer in a country-house or seat*). — a) De armentis et gregibus. *Varro* 2. *R. R.* 2. 9. Nam mihi greges in Appulia hibernabant, qui in Reatinis montibus æstivabant. *Id. ibid.* 1. 16. Greges ovium longe abiguntur ex Appulia in Samnium æstivatum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 20. (52). Multi (*thymi*) in Propontide æstivant. *Id.* 12. *ibid.* 5. 11. (22). Intra sepem eam æstivant pastores, opacam pariter etc. — b) De æstivis nobilium Romanorum villis. *Sueton. Galb.* 4. Idque – Tusculum, ubi æstivare consueverat, avexit. *Id. Vesp.* 24. Reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat. Adde *Stat.* 4. *Silv.* 22. — c) Interdum accipitur generatim pro æstatem traducere. *Stat.* 5. *Theb.* 15. Jam Boream imbresque pati, jam nare solutis Amnibus, et nudo juvat æstivare sub Hæmo. — *NB.* Justa nonnullos sol etiam *æstivare* dicitur, cum per æstatem calores effundit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 60. Vinacea ita in media parte acinorum sunt, ut et a sole æstivante, et a ventis protegantur. *Plerique tamen Codd. et Editt. habent* æstuante; *quæ sane lectio præferenda est. V.* ÆSTUO.

ÆSTĪVUS, a, um, adject. (æstas) qui ad æstatem sive æstuosum tempus pertinet, qui est æstatis, vel æstate fit (It. *estivo, statereccio*; Fr. *d'été, qui concerne l'été*; Hisp. *de estío*; Germ. *den Sommer oder die heisse Jahreszeit betreffend, sommerlich*; Angl. *summer, relating to the summer*). *Cic.* 5. *Att.* 14. 2. Erat mihi in animo – æstivos menses rei militari dare, hibernos jurisdictioni. Adde *Senec.* 2. *de Ira.* 12. 4. *Cic.* 7. *Verr.* 31. 80. Æstiva tempora. Et *ibid.* § 81. Æstivi dies. *Propert.* 3. 10. 3. ignes. *h. e.* dies æstuosi. *Lucret.* 5. 614. Æstivæ partes. *h. e.* quæ sunt cælestes plagæ. *Id. ibid.* 6. 38. æstivis solem detrudere signis. *Tibull.* 1. 4. 6. Canis æstivus. *Id.* 1. 1. 49. ortus Canis. *Hygin.* 3. *Astron.* 9. et 10. et 11. Circulus æstivus. *h. e.* tropicus Cancri. *Virg.* 4. *G.* 28., *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (52). et *Plin.* 5. *Ep.* 6. Sol æstivus. *Ovid.* 13. *Met.* 793. soles. *Virg.* 4. *G.* 312. nubes. *Horat.* 1. *Od.* 22. 18. aura. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (125). ventus. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 11. nox. *Ovid.* 13. *Met.* 667. umbra. *Liv.* 5. 6. aves. *h. e.* quæ æstate solum visuntur, hieme recedunt aut delitescunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 71. (154). Cauponarum æstiva animalia. *h. e.* culices, pulices, pediculi et alia hujusmodi, quæ æstate homines infestant, hieme vero aut moriuntur, aut latent. *Varro* 2. *R. R.* 2. 9. Pastiones æstivæ. *h. e.* in quibus ad pascendum æstivant armenta. *Liv.* 22. 14. saltus. *h. e.* qui æstate incoluntur. Adde *Dig.* 41. 2. 3. § 11. *Propert.* 4. 1. 124. et *Dig.* 43. 19. 1. aquæ. *h. e.* quibus æstate sola uti expedit: et sermo est de iis præcipue aquis, quæ ad irrigandos agros derivantur. *Seneca* 1. *Benef.* 12. 3. vestimenta. *Claudian.* 6. *Cons. Honor.* 689. falces. *h. e.* quæ æstate ad metendum adhibentur. *Colum.* 4. *R. R.* 8. 1. et *de arbor.* 5. 4. radiculæ vitis. *h. e.* quæ æstate crescunt. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 35. (68). myrrha. *h. e.* quæ æstate inciditur. *Id.* 11. *ibid.* 15. 15. (40). mellatio. *Id.* 12. *ibid.* 14. 32. (60). partus. *Vellej.* 2. 114. expeditiones. *Claudian. B. Gild.* 54. classes. *h. e.* quæ æstate navigant. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. locus. *h. e.* aptus ad æstivandum. *Martial.* 8. 61. sub urbe rus habemus æstivum. *Flor.* 1. 11. Præneste æstivæ deliciæ. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Æstivum cubiculum. *Id.* 5. *ibid.* 6. porticus et cryptoporticus. *Sueton. Claud.* 1. Supremum diem obiit in æstivis castris. *h. e.* quæ sæpius dicuntur *æstiva*, orum. V. infra *b.* et adde *Tac.* 1. *Ann.* 16.

Æstiva, orum, n. plur. 2. (subaudi *loca*, aut *castra*). — a) Æstiva, ait *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 472. sunt loca umbrosa, in quibus per æstatem pecora vitant solis calorem. *h. e.* ubi greges æstatis tempore pascuntur. *Varro* 2. *R. R.* 1. 26. Quod in hibernis habent in villis mulieres, quidam etiam in æstivis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 19. (28). Plus quam lactis herbidos per montium æstiva potus. *Virg.* 3. *G.* 471. Nec singula morbi Corpora corripiunt; sed tota æstiva repente, Spemque gregemque simul. *h. e.* per metonymiam pecora, quæ in æstivis pascuntur. — b) *Æstiva* absolute sunt etiam castra æstiva, quæ *hibernis* opponuntur. *Cic.* 2. *Fam.* 13. 3. Mihi erat in animo, cum prima æstiva attigissem militaremque rem collocassem, decedere. *Id.* 7. *ibid.* 14. 1. Timor æstivorum. *Id.* 5. *Att.* 17. 3. In æstivis esse. *Sueton. Cæs.* 49. Dimittere cohortes in æstiva. *Liv.* 29. 34. Æstiva sub tectis equitatus. *Cic.* 7. *Verr.* 37. 96. *per jocum atque ironiam:* Ac primo ad illa æstiva prætoris accedunt, ipsam illam ad partem littoris, ubi iste per eos dies, tabernaculis positis, castra luxuriæ collocarat. — c) Hinc interdum *æstiva* dicitur integrum æstatis tempus, quod ad res militares gerendas aptum est, ac propterea stipendia quoque significant. *Vellej.* 2. 105. 4. Perducere æstiva in mensem decembrem. *h. e.* usque ad decembrem rem gerere. *Cic. Pis.* 40. 97. Nulla ex trinis æstivis gratulatio. *h. e.* ex tribus militaribus expeditionibus. *Id.* 3. *Fam.* 9. 4. Aliis rebus additis æstivisque confectis. *Auct. B. G.* 8. 6. Sub tempus æstivorum. *Id. ibid.* 46. Superiora æstiva. *Liv.* 37. 5. Ne tamen segnia æstiva essent –, oppugnare Acilius Amphissam statuit. *Liv.* 27. 8. et 21., et *Curt.* 5. 8. 1. Æstiva agere.

ÆSTŪĀBUNDUS, a, um, adject. æstuans, æstuosus. *Pallad.* 11. *R. R.* 17. 2. Cum moveris, mundo linteo tegas, per quod facile confectio æstuabunda suspiret.

ÆSTŪĀRIUM, ii, n. 2. (æstus) locus est in maris littore, ubi terra recedit sinumque facit, marinis aquis modo refertus, modo vacuus, ex inundationibus freti, ita dictus, quod aqua ibi æstuat et ebullit, utpote in angustiis clausa, ex accessu et recessu maris: quemadmodum ait *Sueton. fragm.* apud *Müll.* post *Fest.* p. 382. Æstuaria sunt omnia, per quæ mare vicissim tum accedit, tum recedit. Et *Servius* in *Virg.* 11. *Æn.* 627. Æstus proprie est maris incerta commotio crescentis et decrescentis, unde æstuaria dicta.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, ut supra exposuimus, numero fere semper plur. *Varro* 9. *L. L.* 26. p. 204. *Müll.* De quibus (*maris accessu et recessu*) in libro, quem de æstuariis feci, scripsi. *Cæs.* 3. *B. G.* 9. Pedestria esse itinera concisa æstuariis. *Id.* 2. *ibid.* 28. Quos (*majores natu*) una cum pueris mulieribusque in æstuaria ac paludes collectos dixeramus. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 8. et *Agric.* 22., et *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 480. ¶ 2. Dicitur et de ipso fluctu æstuante, quo sensu sæpius sing. numero occurrit. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 26. 30. (151). Illyrici ora mille amplius insulis frequentatur, naturâ vadoso mari æstuariisque tenui alveo intercursantibus. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (3). Affunditur æstuarium e mari flexuoso meatu. *Id.* 3. *ibid.* 1. 3. (11). Inter æstuaria Bætis oppidum Nebrissa. *Forcellinus* hunc locum interpretatur de recessu fluminum intra ripas. *Plin.* 9. *Ep.* 33. Adjacet navigabile stagnum: ex hoc in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alternâ, prout æstus aut repressit aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. ¶ 3. Æstuaria etiam dicuntur piscinæ artificiosæ maritimæ, ubi aqua non sit reses, sed continuo maris æstu reciprocetur. *Varro* 3. *R. R.* 17. 8. Etenim – piscinas ejus (*M. Luculli*) despiciebat, quod æstuaria idonea non haberet, ac residem aquam in locis pestilentibus habitarent pisces ejus. *Alii perperam leg.* æstivaria. *V.* ÆSTUO. *Val. Max.* 9. 1. 1. Idem (*C. Sergius Orata*) – peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam sæva tempestas incideret, qua non oratæ mensæ varietate ferculorum abundarent. ¶ 4. Præterea æstuaria dicuntur spiramenta, quæ defodiuntur ab iis, qui puteos fodiunt. Nam cum offendunt locum vaporibus gravissimis et æstuantibus abundantem, qui fodientium spiritum intercludit, coguntur circa excavare meatus, per quos ii vapores exæstuent et exhalent, quos *Palladius* 9. *R. R.* 9. 2. *foramina* appellat. *Vitruv.* 8. 6. (7). 12. Sin autem eripietur lumen (*lucernæ accensæ*) vi vaporis, tunc secundum puteum dextrâ ac sinistrâ defodiantur æstuaria: ita quemadmodum per nares, spiritus ex æstuariis dissipabuntur. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (49). Tunc secundum puteum dextrâ ac sinistrâ fodiunt æstuaria, quæ graviorem illum halitum recipiant.

II.) Translate occurrit tantum apud *Tertull. Spectac.* 27. Quid facies in illo suffragiorum impiorum æstuario deprehensus?

ÆSTŪĀTIO, ōnis, f. 3. æstuandi actus. Translate *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (5). Relictis æstuationi suæ istis hominum turbis. *h. e.* furori, perturbationi. *Harduin.* tamen et *Sillig.* aliter omnino legunt: *relictis exustioni suæ istis hominum rubis.* Certa tamen lectione hæc vox legitur apud *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 1. Quod dum latius ponderetur, æstuationes induxit imperatori Constantio. *h. e.* molestas cogitationes.

ÆSTŪĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ÆSTŪO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (æstus). Quod ad scriptionem attinet, in multis Cod. legitur *æstivo* pro æstuo ut apud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 60., quemadmodum *æstivaria* pro *æstuaria* apud *Varron.* 3. *R. R.* 17. 8. et *æstivosus* pro *æstuosus* apud *Colum.* 5. *R. R.* 8. 5.: quod aut librariorum incuriæ tribuendum, aut est alia horum vocabulorum forma, quam exhibet et *vacivus* pro *vacuus.* — Part. *Æstuans* in omnibus ferme paragraphis; *Æstuatus* II. 2. in fine. — Æstuo est æstu ferveo (It. *avere e patire caldo*; Fr. *avoir chaud, brûler, être brûlant*; Hisp. *abrazar, estar hecho en fuego*; Germ. *Hitze empfinden, Hitze haben, es wird Jemandem heiss*; Angl. *to be very hot, to boil with heat*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est æstu fervere,

et occurrit cum de animantibus, tum de inanimis. — a) De animantibus, quomodocumque æstus fiat, tempestate, labore, morbo. *Cic.* 2. *Tusc.* 14. 34. Cretum leges – itemque Lycurgi laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 22. 70. Ille cum æstuaret, umbram secutus est. *inest tamen hic allegoria*. *Ovid.* 12. *Met.* 514. Obrutus immani cumulo, sub pondere Cæneus Æstuat arboreo. *Seneca* 2. *de Ira*. 12. Potest aliquis non algere, quamvis ex rerum natura hiems sit, et non æstuare, quamvis menses æstivi sint. *Juvenal.* 3. 103. Si dixeris: *Æstuo*, sudat. *Colum.* 2. *R. R.* 3. 2. Merum faucibus (*boum*), si æstuaverint (*subaudi* morbo), infundat. *Id.* 6. *ibid.* 38. 4. Lassæ et æstuanti mulæ adeps in fauces dimittitur. — *b*) De inanimis. *Plaut. Pœn. prol.* 43. Nunc dum scribilitæ æstuant, accurrite. *Virg.* 1. *G.* 107. exustus ager morientibus æstuat herbis. *Propert.* 2. 28. 3. Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer. *Lucan.* 1. 16. Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 69. A sole æstuante protegere aliquid. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 2. (24). Æstuantia refrigerare. *h. e.* æstuantes arborum surculos. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 7. Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem Frigora, Pisæumque domus non æstuat annum. *h. e.* non fervet æstu illo, quo laboratur in ludis Olympicis, qui in Elide prope Pisam æstate media celebrabantur. *Æstuare annum* hellenismus est. ¶ 2. *Æstuare ignis* dicitur cum vires sumit, intenditur et vehementius agitatur. *Virg.* 4. *G.* 263. Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis. *Ovid.* 4. *Met.* 64. Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis. *allegorice hoc loco de amore loquitur.* Similiter *Lucret.* 5. 1095. (1094). Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans Æstuat in ramos incumbens arboris arbor, Exprimitur validis extritus viribus ignis. ¶ 3. Hinc significat etiam ebullire, fluctuare, agitari, diciturque de mari accedente et recedente; item de aliis aquis ebullientibus undasque moventibus, velut si ignem suppositum habeant. *Horat.* 2. *Od.* 6. 3. Syrtes, ubi Maura semper æstuat unda. *Curt.* 8. 9. 19. Purgamenta freti æstuantis. *Alii leg.* exæstuantis. *Virg.* 6. *Æn.* 296. Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam. ¶ 4. A mari ad alios quoque ebullientes humores translatum est vocabulum. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 16. Vina æstuantia. *V.* ÆSTUABUNDUS. *Virg.* 4. *G.* 308. Interea teneris tepefactus in ossibus humor Æstuat. *h. e.* sanguis. *V.* ÆSTUOSUS. — Et metaphorice. *Gell.* 17. 11. Ne quid ex esca potuque incideret in illud quasi æstuantis animæ iter. *h. e.* in asperam arteriam, per quam spiritus ducitur et emittitur, simulatque æstum maris accedentis et recedentis. *Et Prudent.* 11. 228. *de hominum multitudine*: Arctaque confertis æstuat in foribus.

II.) Translate. ¶. 1. *Æstuare* significat desiderio, cupiditate, ac præcipue amore flagrare, ducta translatione a prima fervendi significatione. — *a*) Generatim. *Cic.* 7. *Fam.* 18. 1. Ut desiderio nostri te æstuare putarem. *Sall. Cat.* 24. Nam antea pleraque nobilitas invidia æstuabat. *Virg.* 12. *Æn.* 666. æstuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu, Et furiis agitatus amor, et conscia virtus. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. sequentem retulit. *Juvenal.* 6. 63. Æstuat rabies. — Sæpius de amore, cum Ablat. et præp. *in*, vel sine præp., cum Accus. et præp. *in*, aut cum Infinito, aut absolute. *Ovid.* 6. *Met.* 490. At rex Odrysius, quamvis secessit, in illa Æstuat. *Martial.* 9. 23. Æstuet ut nostro madidus conviva ministro. *Claudian. Eutrop.* 1. 191. Æstuare in aurum. *h. e.* inhiare pecuniæ. *Id.* III. *Cons. Honor.* 82. *de leone*: stabulisque minari Æstuat. *Id. Fescenn.* 23. Quot æstuantes ancipiti gradu Furtiva carpent oscula Najades! ¶ 2. Sæpius ponitur pro animo perturbatum esse, dubium, incertum, sollicitum, anxium: ducta translatione a motu maris æstuantis et huc illuc decurrentis; aut ab iis, qui præ nimia contentione animi et vehementi cogitatione æstuant et sudant. *Cic.* 4. *Verr.* 30. 74. Itaque æstuabat dubitatione: versabat se in utramque partem, non solum mente, verum etiam corpore, ut omnes – intelligere possent in animo ejus metum cum cupiditate pugnare. *Id. ibid.* 23. 55. Quod ubi auditum est, æstuare illi, qui pecuniam dederant: putare nihil agi posse absente Epicrate etc. *Id. Fat.* 8. 15. Hoc loco Chrysippus æstuans falli sperat etc. *Id. Flacc.* 20. 47. Hanc æstuantem et tergiversantem judicio ille persequitur. *Id. Harusp. resp.* 1. 2. At tamen ignarus ille, qui consules essent, exsanguis atque æstuans, se e curia repente proripit. *Sall. Jug.* 93. Quæ cum multos dies noctesque æstuans agitaret. *Augustus in ep. ad Liviam apud Sueton. Claudian.* 4. Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus, μὴ προυποκειμένου ἡμῖν, posse eum gerere honores arbitremur, nec ne. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 99. Æstuat et vitæ disconvenit ordine toto. *Catull.* 63. 47. Animo æstuante. *Quintil.* 10. 7. 33. Æstuat inter utrumque animus. Adde *Ammian.* 17. 7. *Justin.* 1. 10. Æstuante rege. *Pseudo-Sall.* 2. *orat. de republ. ordin.* Æstuare multaque in pectore volvere. — Huc referri potest et illud *Cassiod. Instit. divin. litt.* 18. Inter has sollicitudines graviter æstuatus, quemdam anonymum codicem etc. Sed tamen de lectione dubitaverim: sane hoc Part. analogiæ repugnat.

ÆSTŬŌSĒ, adverb. cum æstu. *Horat. Epod.* 3. 17. Nec munus humeris efficacis Herculis Inarsit æstuosius. ¶ 2. Item translatione ductâ a maris agitatione. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 67. Atque quæ acerrime, æstuose absorbet, ubi quemque attigit. *h. e.* tamquam marinus vortex: de meretrice loquitur.

ÆSTŬŌSUS, a, um, adject. Legitur et *æstivosus*. *V.* ÆSTUO. Sup. *Æstuosissimus*. — Est autem æstu, calore plenus (It. *pieno di caldo*; Fr. *chaud, brûlant*; Hisp. *calido, abrazando*; Germ. vor *Hitze wallend, hitzig, heiss und schwül*; Angl. *hot, full of heat, sultry*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Cic.* 5. *Att.* 14. 1. Iter conficiebamus æstuosa et pulverulenta via. *Horat.* 1. *Od.* 31. 5. Æstuosa Calabria. *Catull.* 7. 5. Oraclum Jovis æstuosi. *h. e.* Jovis Ammonis templum, quod erat in æstuosa Lybiæ regione. *Forcellinus* vero hunc locum ad sequentem paragraphum retulit, ait enim circa Jovis templum immensa arenarum æquora esse, quæ vento impulsæ, in modum maris huc illuc agitantur. *Colum.* 5. *R. R.* 8. 5. Æstuosa loca. *Id.* 3. *ibid.* 1. 10. cælum. *Id.* 11. *ibid.* 2. 53. caligo. *h. e.* nubes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (126). Auster. *Id.* 34. *ibid.* 12. 28. (116). Æstuosissimi dies. *Horat. Epod.* 16. 62. Æstuosa impotentia astri. *Colum.* 7. *R. R.* 10. 6. Suillum animal æstuosissimum. *h. e.* naturâ æstuosissima. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 55. (104). Melimela, et reliqua dulcia, siticulosa, æstuosa. *Pacuvius* apud *Priscian.* 6. p. 710. *Putsch.* Ossûm inhumatûm æstuosam auram. *Klotz* sermo hic esse videtur de aere pestilenti crassisque vaporibus pleno, qui ex inhumatis corporibus effundebantur. ¶ 2. Item agitatus, fervens, procellosus: diciturque de motu aquarum fluctuantium. *Horat.* 2. *Od.* 7. 6. Freta æstuosa. *Id.* 1. *ibid.* 22. 5. Syrtes.

ÆSTUS, us, m. 4. (Confer Gr. αἴθω æstuo, ferveo et αἶθος calor, æstus). Genit. *æsti* pro *æstus* legitur in *Pacuvio* apud *Non.* p. 484. 11. *Merc.* — Æstus est magnus calor, fervor (It. *caldo grande, calore, ardore, bollore*; Fr. *grande chaleur, ardeur*; Hisp. *calor intenso y vehemente, ardor*; Germ. *Hitze, Gluth*; Angl. *any burning or schorching heat, hot weather*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est magnus calor, fervor: et ponitur — *a*) De solis, tempestatis, regionis calore; ut ait *Non.* p. 247. 8. Æstus solis et æstivi temporis flagrantia. *Lucret.* 6. 363. (364). Nam fretus ipse anni permiscet frigus et æstum. *Id.* 1. 300. (294). Nec validos æstus tuimur, nec frigora quimus Usurpare oculis. *Sueton. Aug.* 81. Neque frigora, neque æstus facile tolerabat. *Sall. Jug.* 55. Labore et æstu languidus. *Lucret.* 6. 859. (sol) possit per sæpta domorum Insinuare suum radiis ardentibus æstum. *Id.* 1. 493. solvi æstu. *Colum.* 4. *R. R.* 24. Æstu laborare. *Horat.* 2. *Od.* 5. 7. Gravem æstum solari fluvils. *Ovid.* 1. *Met.* 228. Æstum sustinere. *Tac.* 15. *Ann.* 43. Patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore æstu ardescere. *Colum.* 4. *R. R.* 19. 3. *de terra*. Torrere æstu. *Horat.* 1. *Od.* 17. 8. Caniculæ æstus vitare. *Virg.* 3. *G.* 331. Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem. *h. e.* æstu meridiano. *Id.* 1. *ibid.* 297. At rubicunda Ceres medio succiditur æstu, Et medio tostas æstu terit area fruges. *h. e.* æstate media: potest tamen intelligi et meridianum tempus, ut *Furlanetto* in *I. Lexici App.* interpretatur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 57. Nebulosus æstus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 12. 12. (34). Æstu torrente. — *b*) De morborum calore. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 9. 17. Conficit animam vis volneris, ulceris æstus. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 31. Ut sæpe homines ægri morbo gravi, cum æstu febrique jactantur etc. *Virg.* 3. *G.* 458. Cum furit atque artus depascitur arida febris, Profuit incensos æstus avertere etc. ¶ 2. Ponitur et de magno ignis, aut aquæ in aeno ebullientis fervore. *Virg.* 2. *Æn.* 705. etiam per mœnia clarior ignis Auditur, propiusque æstus incendia volvunt. Cf. *ibid.* v. 759. exsuperant flammæ, furit æstus ad auras. *Id.* 7. *ibid.* 462. magno veluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aheni, Exsultantque æstu latices. ¶ 3. Item est motus et agitatio maris: quam esse primam et naturalem hujus vocis notionem nonnulli putant, atque ex ea natam alteram caloris et fervoris. Ponitur autem — *a*) Pro maris tempestate, agitatis vento fluctibus undique impetu glomerantibus. *Plaut. Asin.* 1. 1. 6. Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert. *Pacuvius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 39. 157. Undique omnes venti erumpunt, sævi existunt turbines: fervit æstu pelagus. *Lucret.* 6. 143. (142). mari, cum frangitur æstu. *Catull.* 64. 127. Vasti æstus pelagi. *Virg.* 8. *Æn.* 674. delphines Æquora verrebant caudis æstumque secabant. *Id.* 1. *ibid.* 111. Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis. *Curt.* 9. 9. 18. Æstus totos campos circa flumen inundaverat. — *b*) De maris accessu et recessu: de quibus multa disseruit *Varro* in suo libro *De æstuariis*, quem ipse memorat 9. *L. L.* 26. p. 204. *Müll.*, et a quo *Mela* 3. 1. 1. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (212). plura excerpsisse videntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 132. Æstus maritimi mutuo accedentes et recedentes. *Id.* 2. *Divinat.* 14. 34. Quid de fretis aut de marinis æstibus plura dicam? quorum accessus et recessus lunæ motu gubernantur. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. Cum ex alto se æstus incitavisset. *Id. ibid.* Minuente æstu et Magnis æstibus. *Sall.* apud *Gell.* 10. 26. Nactus obscuram noctem, æstu secundo, vitare periculum in transgressu conatus est. *Id.* apud *Non.* p. 138. 8. *Merc.* Mœnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis adverso æstu maris. *Seneca* 1. *Benef.* 11. 1. Æstus accedens et recedens. *Plin.* 32. *Hist. nat. procœm.* 1. (1). Æstus inenarrabilis vis. *Flor.* 3. 10. Hærebat in vadis pugna, cum æstibus solitis subductus oceanus etc. ¶ 4. A mare ad alios quoque ebullientes humores translata est vox. *Plaut. Most.* 4. 2. 90. Mustulentus æstus nares attigit. — Præcipue de humoribus e terra exhalantibus usurpat *Lucret.* 6. 815. necesse est Hus igitur tellus omnis exæstuet æstus Expiretque foras in aperta promptaque cœli. *Id. ibid.* 924. Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores, Frigus ut a fluviis, calor a sole, æstus ab undis Æquoris etc. Adde 2. 1135. *Id.* 6. 1000 (999). Principio fluere e lapide hoc (magnete) permulta necesse est Semina, sive æstum, qui discutit aera plagis.

II.) Translatione ducta a maris æstu. ¶ 1. Est impetus, vis, vehementia, præsertim si agitur de animi motibus. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 145. Repente te quasi quidam æstus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu pæne omnium abstraxit. *Id. Brut.* 81. 282. Sed hunc quoque absorbuit æstus quidam insolitæ adolescentibus gloriæ. *Id.* 2. *Legg.* 4. 9. Ne æstus nos consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati trahat. *Lucret.* 5. 1434. belli magnos æstus commovere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 47. Civilisque rudem belli tulit æstus in arma. *Flor.* 4. 2. Hic reliquus par [illegible] quidam furoris æstus [illegible] *h. e.* [illegible] furor atque impetus. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 8. Stultorum regum et populorum continet æstus. *h. e.* motus, turbas. *Virg.* 4. *Æn.* 532. magnoque irarum fluctuat æstu. *Ovid. Heroid.* 16. 25. Perstet [illegible] ut pelagi, sic pectoris adjuvet æstum. *h. e.* amorem. *Seneca* [illegible] *Hercul.* 12. Dignus [illegible] post viscera numen Semper ob immensos [illegible] exponit labores et [illegible] ut vocari solent, Herculis: sed proprie est vis, impetus. *Flor.* 2. 7. Quasi motus et torrens fortunæ. [illegible] *Auct. de Fortun. Viciss.* 3. [illegible] ¶ 2. Item [illegible] animi perturbatio. *Cic.* 1. *Verr.* 16. 45. Qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ – di immortales! – erunt homini minime malo? *Virg.* 8. *Æn.* 19. Cuncta videns magno curarum fluctuat æstu. *Id.* 12. *ibid.* 486. [illegible] fluctuat æstu, Diversæque vocant animum in contraria curæ. *Lucret.* 3. 174. [illegible] *Horat.* 1. *Sat.* 2. 110. Hiscine versiculis speras tibi posse dolores Atque æstus curasque [illegible]

graves e pectore pelli? *Plin.* 1. *Ep.* 23. 3. Erat hic quoque æstus ante oculos, si forte me appellasset. *Id.* 9. *ibid.* 34. Explica æstum meum.

ÆTAS, ætis, f. 3. (per syncopen pro *ævitas* ab ævo, ut *æternus* pro *æviternus*). In Genitivo plurali fere *ætatum* dicimus, sed etiam *ætatium* usurparunt *Liv.* 1. 43. (ad quem locum V. *Gronov.*) et 9. 17. et 26. 9., necnon *Vellej.* 2. 89. 1. (ad quem locum V. *Burmann.*) et *Gell.* 14. 1. Masculino esse genere affirmat *Non.* p. 192. 20. in illo *Plaut.* loco *Trin.* 4. 4. 83. Propter eosdem, quorum causa fui hoc ætate exercitus. Verum si certa esset hæc lectio, *hoc* esset Accus. et *ætate* Ablat.: ceterum Editt. pleræque omnes habent *hac ætate.* — Ætas proprie est temporis perennitas, diuturnitas, perseverantia: hinc tempus vitæ hominis ceterorumque animantium (It. *la durata del tempo, gli anni della vita umana, età*; Fr. *la durée du temps, temps de la vie, âge d'homme*; Hisp. *la duracion del tiempo, l'edad del hombre*; Germ. *die Zeitlichkeit oder der Antheil an der ewigen Zeit, daher die Lebenszeit oder das Leben nach seiner Zeitdauer*; Angl. *duration of time, time of life, age*). Occurrit autem

A) De tempore quod quis vivit, aut quod quid perdurat. ¶ 1. Universim ponitur pro omni et quocumque tempore vitæ humanæ, quocumque tandem spatio ea definiatur. Cum ætatem hoc sensu usurpamus, illud universim tempus significamus, quo homines vivere solent: quamvis *ætas* differat a *vita*, quacum interdum conjungitur, ut apud *Ter. Adelph.* 5. 4. 15. Contrivi in quærundo vitam atque ætatem meam – *vita* enim est ipsa vis agens, actio; *ætas* est tempus, quo eadem vis agit. — *a*) Ætas est generale nomen ad omnes humanæ vitæ gradus. Sex enim distinguit *Isid.* 11. *Orig.* 2. 1. et seqq. vitæ partes, seu gradus; quorum primus est *infantia*, quæ dicitur tempus vitæ usque ad annum septimum: ab eo anno usque ad decimum quartum (vel decimum quintum, vel etiam decimum septimum secundum alios) est *pueritia*, seu *ætas puerilis*: inde usque ad vigesimum octavum appellatur *adolescentia*: post hanc sequitur *juventus*, quæ terminatur anno quinquagesimo: deinde *ætas senioris* ad septuagesimum usque annum producitur: postremo quidquid restat vitæ *senectus* appellatur. *Varro* apud *Censorin. de die nat.* 14. omissa *infantia*, definit *pueritiam* a vitæ principio usque ad annum decimum quintum, *adolescentiam* usque ad trigesimum, *juventutem* usque ad quadragesimum quintum; *seniores* inde ad usque annum sexagesimum appellat; indeque *senectutem* constituit usque ad finem vitæ. (*Ovid.* 15. *Met.* 200. has quatuor ætates, omissis *senioribus*, comparat quatuor anni temporibus, *pueritiam* veri, *adolescentiam* æstati, *juventutem* auctumno, hiemi *senectutem*. *Florus* etiam in *proœm. l.* 1. omnem populi R. ætatem ætati hominum assimilat; *infantiam* sub regibus fuisse ait; *adolescentiam* sub consulibus per ducentos quinquaginta annos usque ad Ap. Claudium, et Q. Fulvium Coss., *juventutem* inde usque ad Cæsarem Augustum; postea usque ad sua tempora *senectutem* constituit. Similia habet *Ammian.* 14. 6.). *C. Tubero* apud *Gell.* 10. 28. scribit Ser. Tullium tres tantum ætatis gradus constituisse, et *pueros* appellasse usque ad annum decimum septimum; *juniores* usque ad quadragesimum sextum, et supra eum annum *seniores*. Hanc divisionem tangit etiam *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. § *Modus*. *Hippocrates* apud *Censorin. loc. cit.* septem ætates enumerat, primam *infantiam* usque ad septimum annum, secundam *pueritiam* usque ad decimum quartum, tertiam *adolescentiam* usque ad vigesimum octavum, quartam *juventutem* usque ad trigesimum quintum, quintam *virilem ætatem* usque ad quadragesimum secundum, sextam *senectutem* usque ad quinquagesimum sextum, septimam *ætatem decrepitam*, seu *senium*, usque ad vitæ finem. Jurisconsulti eam fere ætatum divisionem sequuntur, quam tradit *Isidorus*, nisi quod interdum singulis ætatibus suos superaddunt gradus. Ceteri vero Latini scriptores plerumque ad *Varronis* ætates respiciunt. *Ennius* apud *Gell.* 18. 2. *extr.* Satin' vates verant ætate in agundâ. *Ter. Adelph. l. c.* prosequitur: Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab eis fero. *Cic. Senect.* 19. 70. Breve tempus ætatis satis longum est ad bene honesteque vivendum. *Id. ibid.* § 66. Quanta restat causa, quæ maxime augere atque sollicitam habere nostram ætatem videtur. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 77. Agere ætatem. *Sall. Cat.* 37. Ætatem agere regio cultu. *Lucret.* 4. 1120. (1130). desidiose. *Plaut. Trin.* 2. 2. 38. Mihi quidem acta ætas ferme est. *Cic. Senect.* 5. 13. Ætas pure et quiete et eleganter acta. *Id.* 3. *Tusc.* 25. 61. Ætas acta honeste et splendide. *Ter. Heaut.* 2. 4. 12. Ætatem agere cum aliquo. *Id. Hec.* 2. 1. 10. una inter se. *Id. ibid.* 3. 1. 4. ubivis gentium. *Cic. Brut.* 46. 172. Athenis. *Id.* 2. *Legg.* 1. 3. in literis. *Lucret.* 3. 510. (508). Ætatem degere. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 118. Degere omnem ætatem in tranquillitate sine dolore. *Id. Senect.* 1. 2. Omne tempus ætatis sine molestia degere. *Cic. Rosc. Am.* 52. 150. Degere ætatem inter feras. *Plaut. Cist.* 1. 1. 79. et *Ter. Phorm.* 2. 3. 70. cum aliquo. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 53. Conterere ætatem in litibus. *Id.* 1. *Orat.* 51. 219. totas ætates in studio. *Id.* 1. *Off.* 1. 2. Consumere ætatem in studio aliquo. *Servius Sulpic.* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 3. Gerere ætatem cum aliquo. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 45. (139). exigere in aliqua re. *Cic. Senect.* 18. 64. Fabulam ætatis peragere. *Id. ibid.* 23. 86. Peractio ætatis. *Id. ibid.* 23. 82. Otiosam ætatem et quietam sine ullo aut labore aut contentione traducere. *Sueton. Claud.* 10. Transigere maximam ætatis partem per aliquid. *Plaut. Amph.* 4. 2. 3. Vivere ætatem miseram. — *b*) Interdum peculiariter ætas est spatium centum annorum, ut patet ex *Cic. Senect.* 10. 31. *de Nestore*: Tertiam jam ætatem hominum vivebat. *h. e.* trecentesimum agebat annum, ut poetæ narrant, et in his *Ovid.* 12. *Met.* 189. vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur ætas. — Alii tamen volunt, has Nestoris ætates singulas triginta annis plus minus constare; *Servius* enim ipse ad *Virg.* 3. *G.* 190. docet, aliquando ætatem triginta annorum spatium, sive unam generationem, ut vulgo dicimus, significare. Hinc *Horat. Epod.* 16. 1. Altera jam teritur bellis civilibus ætas. *Curt.* 8. 1. 13. Quatuor continuis ætatibus intactum saltum fuisse constabat. *Cic. Brut.* 97. 333. Nonne cernimus vix singulis ætatibus binos oratores laudabiles constitisse? *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 87. (237). Qui (*Amphiaraus*) apud Thebas obierit unâ ætate ante Iliacum bellum. *h. e.* annis triginta septem, ut *Harduinus* ostendit. — Et de generatione tantum, nulla annorum ratione habita, *Liv.* 1. 9. 1. Sed penuriâ mulierum hominis ætatem duratura erat magnitudo. *Curt.* 8. 6. 6. Hinc habuere posteri reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt. — *c*) Hinc locutiones *ætatem*, *in ætate*, et *væ ætati tuæ*. — *Ætatem* adverbii more significat tota vita, perpetuo, semper; ac proinde etiam diu, longo tempore. *Plaut. Asin.* 1. 1. 6. Ut tibi superstes uxor ætatem siet. *Id. ibid.* 2. 2. 8. et 18. Ut ætatem ambo nobis sint obnoxii. *Id. Curc.* 4. 3. 22. At tu ægrota, si lubet, per me ætatem quidem. *Ter. Heaut.* 4. 3. 38. Quid, malum, me ætatem censes velle id adsimularier? *Id. Eun.* 4. 5. 8. PY. Anne abiit jam a milite? CH. Jamdudum: ætatem. *Lucilius* apud *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4. 5. 8. Ut multos mensesque diesque, Non tamen ætatem. *Lucret.* 6. 235. (236). Quod solis vapor ætatem non posse videtur Efficere. — *In ætate* idem est ac in vita. *Plaut. Trin.* 1. 1. 1. Amicum castigare ob meritam noxiam Immune est facinus, verum in ætate utile. (Hæc verba habentur etiam apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 35. et 1. *Invent.* 50. 95.). *Id. ibid.* 2. 4. 60. Stulte facere et stulte fabularier utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum est. — *Plaut. Capt.* 4. 2. 105. Væ ætati tuæ. *h. e.* non *tibi*, ut nonnulli sunt interpretati, sed *saluti tuæ*, *vitæ tuæ*. Cf. *Ter. Hec.* 3. 1. 53. Aliquid tulisse comminiscentur mali capiti atque ætati illorum. ¶ 2. Speciatim ætas est tempus vel annorum numerus sive anni, quos quis vivens transegit, ex. gr. ætas mea, ætas tua etc.; item pueritia, adolescentia, virilitas etc. — *a*) Absolute et generatim. *Ter. Andr.* 2. 3. 7. Per nostram amicitiam, quæ cum ætate accrevit simul. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Ea cupiditas – adolescit una cum ætatibus. *Id. Senect.* 2. 4. Quibus nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, iis omnis ætas gravis est. *Id. ibid.* 3. 7. Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in ætate. Moderati enim et nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem senectutem agunt: importunitas autem et inhumanitas omni ætati molesta est. *Id. ibid.* 19. 68. Sensi ego – mortem omni ætati esse communem. *Id.* 1. *Orat.* 60. 254. Solet Roscius dicere, se, quo plus sibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 5. Anteire alicui ætate. *Id. Senect.* 18. 64. Antecedere ætate. *Al.* Antecellere. *Id. Orat.* 52. 176. Aliquem ætate præcurrere. *Id. ibid.* Procedere ætate. *Id. Senect.* 10. 33. Progressus ætate. *Id. ibid.* 4. 10. Provectus ætate. *Id.* 2. *Cat.* 9. 20. Affectus ætate. *Sall. Jug.* 9. *extr.*, *Catull.* 68. 119. et *Virg.* 4. *Æn.* 599. Confectus ætate. *Liv.* 2. 2. Major ætate et dignitate. *Cic. Senect.* 14. 50. Pariter cum ætate crescere. *Ter. Adelph.* 5. 3. 46. Ad omnia alia ætate sapimus rectius. *Id. Hec.* 5. 9. 33. Ætate minus peccaturum putem? *Pacuvius* apud *Non.* p. 150. 19. *Merc.* Quamquam annisque et ætate corpus putret. — Plur. num. si de pluribus sermo est. *Virg.* 7. *Ecl.* 4. Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. *Liv.* 1. 43. Discrimine ætatium. *Id.* 26. 9. Plures omnium generum atque ætatium. *Gell.* 14. 1. Homines omnium ætatium. — *b*) Item absolute, sed peculiariter ex ipso orationis contextu ætas interdum significat senectutem, aut adolescentiam. *Plaut. Most.* 2. 2. 154. Ætate non quis obtuerier. *h. e.* propter senectutem nequis videre. *Liv.* 7. 39. Gravis ætate. *Nep. Att.* 7. Ætatis vacatio. *Curt.* 8. 1. 19. Ætatis excusatio. *Ter. Eun.* 1. 2. 33. Neque sciebat, neque per ætatem etiam potis erat. *h. e.* quia tener adhuc. *Sueton. Aug.* 8. Quamquam expers belli propter ætatem. *Cic. Rosc. Am.* 51. 149. Quoniam ad dicendum impedimento est ætas et pudor, qui ornat ætatem. *Id.* 7. *Verr.* 25. 64. Qui aliquid formæ, ætatis artificiique habebant, abducit omnes. *Ter. Andr.* 1. 5. 51. Hujus formam atque ætatem vides. *Sueton. Aug.* 51. Ætati indulgere. *Id. Claud.* 46. Utriusque filii ætatem commendare. *Tac.* 3. *Hist.* 68. Innoxiam liberorum ætatem miserarentur. *Cic.* 13. *Fam.* 29. Ut primum per ætatem judicium facere potueris. *h. e.* ætate maturus. *Liv.* 42. 34. Cum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem – dedit. *Inscript.* apud *Orell.* 4365. LEGAVIT VT LIBERIS EORVM EX REDITV DVM IN AETATEM PERVENIRENT FRVMENTVM ET POSTEA SESTERTIA SINGVLA MILLIA DARENTVR. *Sueton. Galb.* 20. Ætate sua frui. *h. e.* voluptatibus indulgere, ut fert ætas. — *c*) Cum Adjectivis aut aliis verbis, quæ ætatem ipsam definiunt. *Sueton. Cæs.* 30. et *Quintil.* 1. 2. 4. Prima ætas. *Cic.* 1. *Off.* 34. 122. Ineuntis ætatis inscitia. *Id.* 1. *Orat.* 21. 97. Ab ineunte ætate. *Id.* 5. *Phil.* 17. 47. Ineunte ætate. *Id.* 1. *Legg.* 4. 13. A primo tempore ætatis. *Id.* 5. *Tusc.* 2. 5. A primis temporibus ætatis. *Sueton. Aug.* 3. A principio ætatis. *Id. ibid.* 84. Ab ætate prima. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 62. (151). Justa ad pariendum annua ætas (*canum*). *Cic.* 5. *Fin.* 15. 43. et *Ovid.* 6. *Fast.* 599. Ætas infirma. *Ovid.* 1. *Art. am.* 10. mollis. *Liv.* 39. 8. tenera. *Plin.* 1. *Ep.* 12. virilis. *Gell.* 1. 23. prætextata. *Cic. Arch.* 3. 4. et *Nep. Att.* 1. puerilis. *Quintil.* 6. *proœm.* 5. puellaris. *Ter. Andr.* 1. 1. 45. integra. *Cic. Senect.* 14. 48. bona. *Id. ibid.* 6. 20. florens. *Id.* 2. *Phil.* 2. 3., *Lucret.* 4. 1028. (1094). et *Liv.* 21. 3. Flos ætatis. *Lucret.* 4. 1032. Ætas adulta. *Cic. Senect.* 10. 33. constans. *Cic.* 4. *Fam.* 4. Maturitas ætatis. *Id. Cæl.* 18. 43. et *Virg.* 4. *Ecl.* 37. Ætas firmata. *Cic.* 10. *Fam.* 3. 1. Confirmata jam ætate. *Id.* 5. *Phil.* 17. 48. Ætas consularis. *Liv.* 25. 2. legitima ad petendum magistratum. *Tac.* 3. *Hist.* 9. senatoria. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 37. media. *Liv.* 25. 5. militaris. *Cic.* 5. *Phil.* 17. 47. grandior. *Ovid.* 4. *Trist.* 7. 3. inertior. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 94. provecta. *Id. ibid.* decrepita. *Seneca Œd.* 4. senior. *Cic.* 2. *Fam.* 7. ingravescens. *Plaut. Rud.* 2. 3. 7., et *Accius*, *Turpilius*, *Pacuvius*, *Afranius* apud *Non.* p. 1. 27. et 2. 1. *Merc.* Mala ætas. *h. e.* senectus. *Plaut. Trin.* 1. 2. 5. senecta. *Gell.* 3. 15. Philippides ætate jam edita. *Quintil.* 12. 4. 2. Ætas ultima. *Cic. Senect.* 17. 46. et *Nep. Cat.* 2. extrema. *Ter. Adelph.* 5. 14. 16., *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 93. et *Liv.* 2. 40. exacta. *Statius* apud *Cic. Senect.* 11. 26. præcipitata. *Ovid. Heroid.* 5. 96. longa. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 94. longa et longissima. *Cic. Senect.* 8. 62. superior. *Id.* 4. *Acad.* (*post.* 2.) 23. 73. inferior. — Hinc etiam cum Pronom. demonstr. *Cæcilius* apud *Cic. Senect.* 8. 25. Ea ætate. *Cic.* 6. *Fam.* 20. Id ætatis jam sumus, ut etc. *Ter. Heaut.* 1. 1. 58. Ego istuc ætatis. *Cic.* 4. *Att.* 15. Id ætatis hominem longo sermone retinere. Adde 4. *Verr.* 14. 37. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Cum ceteris idem ætatis nobilibus. *Nep. Alcib.* 11. Thucydides, qui ejusdem ætatis fuit. *Cic. Rosc. Am.* 51. 149. Habere satis ætatis. *Plaut. Merc.* 2. 2. 19. Quid ætatis tibi videor? ¶ 3. Abstractum pro concreto, ætas pro hominibus ipsis ea ætate viventibus, de qua sermo est: hinc *tua ætas*, *ætas il-*

lius etc. idem est ac *tu*, *ille* etc. *Plaut. Men.* 4. 2. 1. EU. Quis hic me quærit? MEN. Sibi inimicus magis, quam ætati tuæ. *Propert.* 1. 6. 21. Nam tua non unquam ætas cessavit amori. *Cic.* 3. *Verr.* 12. 33. Dedecora, quæ ætas ipsius pertulit. *Id. Senect.* 14. 46. Ego vero – conviviis delector, nec cum æqualibus solum –, sed cum vestra etiam ætate atque vobiscum. *Gell.* 4. 7. Valerius Probus grammaticus inter suam ætatem præstanti scientia fuit. *h. e.* inter suæ ætatis homines. *Cic.* 1. *Off.* 34. 122. Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda est. *Liv.* 27. 51. Tum enimvero omnis ætas currere obvii. *Al.* obviam. *Tac.* 6. *Ann.* 19. Jacuit immensa strages, omnis sexus, omnis ætas. Adde 13. *ibid.* 16. et *Sueton. Cal.* 4. *Liv.* 24. 26. Puellis ut saltem parcerent, a qua ætate etiam hostes abstinerent. *Horat.* 1. *Od.* 35. 34. Quid nos dura refugimus Ætas? Quid intactum nefasti Liquimus? *Id. Epod.* 16. 9. Impia perdemus devoti sanguinis ætas. *Ovid.* 6. *Fast.* 639. Disce tamen, veniens ætas. Adde 1. *ibid.* 246. ¶ 4. Raro admodum rebus inanimis tribuitur. *Papinian. Dig.* 30. 58. Ætates ædificiorum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (34). Falernum nec in novitate, nec in nimia vetustate salubre est. Media ejus ætas a quintodecimo anno incipit. *Id.* 15. *ibid.* 2. 3. (7). Plurimum ætatis oleo anno est. — Hinc *ætatem ferre* dicitur aliquid, quod servatum diu durat: quod et *ferre annos*, aut *vetustatem* dicimus. *V.* FERO. Hinc est lepidus *Ciceronis* jocus apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 3., qui cum apud Damasippum quemdam cœnaret, et ille mediocri vino posito diceret: Bibite Falernum hoc: annorum quadraginta est; Bene, inquit, ætatem fert. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Illum annos secum tulisse septuaginta, et supra: sed corneolus fuit: ætatem bene ferebat, niger tamquam corvus. Adde *Senec. Ep.* 88.

B) Ætas ponitur etiam pro ævo, sæculo, tempore sive annorum periodo. — *a*) Speciatim, hoc est ratione habita hominum. *Cic. Brut.* 19. 74. Qui (*Atticus*) me inflammavit studio illustrium hominum ætates et tempora persequendi. *Id. ibid.* 10. 39. Ante Solonis ætatem et Pisistrati. *Id. ibid.* 9. 36. Hæc enim ætas effudit hanc copiam, et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit. *Id.* 5. *Tusc.* 3. 7. Et jam heroicis ætatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes. *Id.* 1. *ibid.* 3. 5. Nostram ad ætatem, usque ad hanc ætatem. *Id. Brut.* 7. 28. Post hanc ætatem. *Id. ibid.* § 29. Huic ætati suppar. *Id.* 1. *de republ.* 1. Ætatis hujus memoria. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 91. (242). In hoc arborem eximiam ætate nostra amavit Passienus Crispus. *Nep. Iphicr.* 1. Cum primis ætatis suæ comparabitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 4. (8). Hoc actum circa captæ Urbis ætatem. — *b*) Generatim. *Ter. Adelph.* 4. 3. 38. Quod illos sat amet ætas. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 76. Veniet tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis, sive properabis: volat enim ætas. *Ovid.* 10. *Met.* 519. Labitur occulte fallitque volatilis ætas Et nihil est annis velocius. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Nam ea (*stella*) – nihil immutat sempiternis sæculorum ætatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. *Catull.* 64. 233. Hæc vigeant mandata, nec ulla oblitteret ætas. *Virg.* 9. *Ecl.* 51. Omnia fert ætas, animum quoque. *Horat.* 4. *Od.* 9. 9. Nec si quid olim lusit Anacreon, Delevit ætas. *Id.* 2. *Ep.* 1. 41. Veteresne poetas, An quos et præsens et postera respuat ætas? *Propert.* 1. 4. 7. Et quascumque tulit formosi temporis ætas. *h. e.* tempus illud, quo puellæ omnes formosæ nascebantur. — Hinc *ætates mundi* apud Mytographos, quas *Ovid.* 1. *Met. fab.* 3. et 4. quatuor facit, scilicet *auream* sub Saturno (quam describit *Tibull.* 1. 3. *a vers.* 35. et *Ovid.* 1. *Met. a vers.* 89.) *argenteam* sub Jove, *aeneam*, et *ferream*: quibus vocibus significantur mores hominum primum quidem simplicissimi, auroque similes; deinde minus boni ac degeneres; tum aliquanto deteriores; postremo corruptissimi. V. *Ovid. loc. cit.*, *Juvenal. initio Sat.* 6. et *Lactant.* 5. 5. Hanc ipsam ætatum varietatem Latinæ Linguæ vicissitudini tribuunt eruditi. — *c*) Interdum per Adjectivum ætas brevius et definitum tempus significat. *Virg.* 3. *G.* 190. *de equo.* At, tribus exactis, ubi quarta accesserit ætas, Carpere mox gyrum incipiat. *Pierius* in opt. cod. *Romano* legi ait *æstas*, in aliis vero omnibus, quod vidit, *ætas*, quod postremum agnoscit etiam *Servius*, qui recte quartum annum interpretatur. Cf. *Stat.* 3. *Theb.* 562. Quid crastina volveret ætas, Scire nefas homini. *h. e.* crastina dies, futurum tempus. Quidam *Lexicographi* afferunt etiam *Varronis* fragmentum his verbis, *Ætatem vix decimam ingressus. h. e.* decimum annum: quod tamen nos non vidimus.

ÆTĀTŬLA, æ, f. 1. (*diminut. ab* ætas) ætas modica et tenerior adolescentium et puerorum, voluptaria præsertim significatione. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 40. Vobis, mulieres, hanc habeo edictionem: vos quæ in munditiis, mollitiis deliciisque ætatulam agitis. *Id. Pers.* 2. 2. 47. Tempori hanc vigilare oportet formulam atque ætatulam. Adde *Cist.* 1. 1. 51. et *Rud.* 4. 1. 3. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Facile est hæc cernere in primis puerorum ætatulis. *Id. Sext.* 8. 18. Despiciens conscios stuprorum ac veteres vexatores ætatulæ suæ. *Id. Harusp. resp.* 20. 42. Qui – primam illam ætatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit. *Varro* apud *Non.* p. 156. 13. *Merc.* Quas (*pueras*) sinit ætatula ludere. *Sueton. Claud.* 16. Alium corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit, ut aut parcius ætatulæ suæ indulgeret, aut certe cautius. *Apul.* 1. *Met.* 12. Illudere ætatulam alicujus diebus ac noctibus. *Id.* 10. *ibid.* 31. Flos ætatulæ.

ÆTERNĀBĬLIS, e, adject. (æterno) qui semper durare potest. *Accius* apud *Non.* p. 475. 23. Æternabilem divitiam partissent. *Al.* divitiam. *Cod. Theod.* 10. 3. 5. et 5. 14. 8. Domus æternabilis. *Id.* 11. 20. 3. Æternabilis urbs. *h. e.* Roma.

ÆTERNĀLIS, e, adject. idem ac æternus, perpetuus. *Tertull. advers. Jud.* 6. Lex temporalis et æternalis. Adde *Novell. Majorian.* 4. 6. 1. § 5. Sæpe in Inscriptionibus, ut apud *Orell.* 4518. Æternalis domus. *Et* 4604. luctus. *Et* 200. memoria. *Et* 1192. ex *Gruter.* 752. 3. somnus.

ÆTERNĬTAS, ātis, f. 3. (æternus) ad litteram est maxima temporis diuturnitas, perennitas. Hinc ¶ 1. Tempus fine et principio carens (It. *eternità*; Fr. *éternité*; Hisp. *eternidad*; Germ. *die Ewigkeit*; Angl. *eternity*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 21. Fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur. *Id.* 1. *Invent.* 26. 39. Tempus est pars quædam æternitatis. *Id. Tim.* 5. Immutabilis æternitas. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 19. Quæ fiunt, quæque futura sunt, ex omni æternitate definita dicis esse fataliter. *Id.* 3. *Nat. D.* 6. 14. Quod semper ex omni æternitate verum fuerit, id esse fatum. *Id. Fat.* 14. Hoc est verum ex æternitate. *h. e.* semper verum fuit. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 19. Ex omni æternitate certum. *Id.* 1. *ibid.* 51. 114. Deum nihil aliud in omni æternitate cogitantem. ¶ 2. Sæpe latiore significatione usurpatur pro longa diuturnitate temporis; et quidem — *a*) Proprie pro immortalitate. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 39. Æternitas animorum. *quæ* ibid. c. 22. § 50. *dicitur* immortalitas animorum. *Id. ibid.* 33. 81. De æternitate dicere. *h. e.* de animorum immortalitate. Cf. *ibid.* 23. 55. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (27). Mortales æternitate donare. — *b*) Improprie pro perennitate. *Cic.* 1. *Divinat.* 14. 25. Divinatio ab omni æternitate repetita. *Id. Pison.* 3. 7. Mihi populus Rom. universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit. *Id.* 14. *Phil.* 13. 34. Extructio, quæ sit ad memoriam æternitatis ara virtutis. *Sueton. Ner.* 55. Cupido æternitatis perpetuæque famæ. *Plin. Paneg.* 75. Mandare aliquid æternitati. *Inscript.* apud *Orell.* 4452. PERPETVAE AETERNITATI. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (53). Cedri materiæ æternitas. *Sueton. Ner.* 11. Æternitas imperii. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Scriptorum tuorum æternitas. — *c*) Item prospera diuturnitas. *Plin.* 10. *Ep.* 87. *ad Trajan.* Rogatus, domine, a Nicensibus publice per ea, quæ mihi et sunt et debent esse sanctissima, id est, per æternitatem tuam salutemque, ut preces suas ad te perferrem etc. *Ubi nulla est assentatio*, ut Forcellini Lexicon *h. l. interpretatur: similiter enim et Inscript.* apud *Orell.* 784. QVA AETERNITATI ITALIAE SVAE PROSPEXIT (*Trajanus*). *Atque hæc insuper habentur in eodem* Forcellini Lexico. *Æternitatibus* legitur in numm. Imp. Alex. Severi apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 278., qua voce fortasse significantur acclamationes imperatoribus fieri solitæ. Has describit *Lamprid.* in *Alex. Sev.* 6. ¶ 3. Posterioribus sæculis *æternitas* Romanis imperatoribus tribuebatur eadem assentatione, qua et divinitas. *Symmach.* 10. *Ep.* 34. Quid igitur æternitas vestra decernat, devotus opperior. *Cod. Theod.* 12. 1. 160. Frater æternitatis meæ. *Ibid.* 11. 9. 2. Adoraturos æternitatem nostram. *Nov.* 35. *extr.* Quæ nostra sancit æternitas.

ÆTERNO, adverb. *V.* ÆTERNUS in fin.

ÆTERNO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. æternum seu perpetuum facio; sed occurrit tantum translate (It. *eternare, perpetuare*; Fr. *perpétuer*; Hisp. *eternizar, perpetuar*; Germ. *verewigen*; Angl. *to eternize, immortalize, perpetuate*). *Varro* apud *Non.* p. 75. 20. *Merc.* Litteris ac laudibus æternare aliquid. *Horat.* 4. *Od.* 14. 3. tuas, Auguste, virtutes in ævum Per titulos memoresque fastos Æternet.

ÆTERNUS, a, um, adject. *Ut* ætas *pro* ævitas *per syncopen, ita* æternus *pro* æviternus, *ab* ævo, *teste Varr.* 6. *L. L.* 11. p. 77. *Müll.* Hinc *æviternum*, quod factum est *æternum*. Cf. *Priscian.* 2. p. 595 *Putsch.* et *V.* ÆVITERNUS. — *Æternum* pro *æternorum* habet *Pacuvius* apud *Non.* 9. 1. vel. edit. Æternum morum sator. — Comp. *Æternior* I. 2. a. — Æternus proprie est qui neque principium, neque finem temporis habet (It. *eterno*; Fr. *éternel*; Hisp. *eterno, eternal*; Germ. *ewig, von ewiger Dauer*; Angl. *eternal, everlasting*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Fin.* 27. 88. Deus beatus et æternus. *Id.* 1. *Nat. D.* 8. 20. Nihil quod ortum sit, æternum esse potest. *Id.* 1. *Tusc.* 23. 53. Quod semper movetur, æternum est. Cf. *ibid.* § 54. *Id. ibid.* 27. 66. Quidquid est illud, quod sentit, – cæleste et divinum ob eamque rem æternum sit necesse est. *Lucret.* 1. 629. (630). Tempus æternum. Cf. Homonym. infra. *Cic. Fat.* 12. 28. Causæ immutabiles eæque æternæ. *Vetus Poeta* apud *Varr.* 6. *L. L.* 11. p. 77. *Müll.* Æterna templa cæli. *Cic.* 6. *de republ.* 23. Æterna domus. *h. e.* cælum. *Ovid.* 1. *Met.* 116. Ver erat æternum. *Liv.* 3. 16. Hostes æterni. ¶ 2. Sæpissime latius sumitur pro eo, qui tota vita, vel generatim longo tempore durat. — *a*) Fere semper de tempore futuro. *Ter. Eun.* 5. 2. 33. Dehinc spero æternam inter nos gratiam fore. *Plaut. Capt.* 4. 1. 13. Spero me ob hunc nuntium æternum adepturum cibum. *Lucret.* 3. 924. Æternus luctus. *Id. ibid.* 1003. dolor. *Cic. post red. in Senat.* 14. 83. *V.* infra Homonym. *Sall. Jug.* 36. Vobis æterna sollicitudo remanebit. *Catull.* 59. 310. Æternus labor. *Virg.* 4. *Æn.* 99. pax. Cf. *Horat.* 4. *Od.* 12. 59. *Virg.* 11. *Æn.* 356. fœdera. *Id.* 8. *ibid.* 394. Tum pater æterno fatur devinctus amore. *h. e.* amore, quo jamdiu amavit et diu amaturus est; atque adeo amore maximo. *Id.* 1. *ibid.* 36. Juno æternum servans sub pectore vulnus. *Id.* 1. *G.* 468. et 10. *Æn.* 746., et *Liv.* 6. 17. Æterna nox. *Virg.* 6. *Æn.* 235. et *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 32. nomen. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 5. (14). Æterni mores. *h. e.* antiquitus servati et æternitate digni. *Lactant. Epit. circa med.* c. 9. Æterniora mala. — Speciatim *æterna* dicta est urbs Roma, quod æternum duraturum ejus imperium credebatur: ut apud *Tibull.* 2. 5. 23., *Ovid.* 3. *Fast.* 72., *Inscript.* apud *Orell.* 2., 1140. et al. *Cod. Theod.* 10. 16. 1. Porcinarii urbis æternæ. *Symmach.* 3. *Ep.* 55. Quid æternæ urbi in dies frugis accedat. — Hinc et de rebus quæ diu perdurent. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (172). Æterni parietes. *Id.* 14. *ibid.* 1. 2. (9). Nec est ulli ligno æternior natura. — *b*) Raro admodum occurrit de tempore præterito, et est qui multis ante sæculis vel annis duravit. *Curt.* 4. 1. 22. Ablue corpus illuvie æternisque sordibus squalidum.

II.) Translate, æternus est immortalis, qui nominis immortalitate donatus est. *Virg.* 8. *Æn.* 37. Æterna Pergama. *Horat.* 2. *Od.* 1. 15. Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho. *Sall. Cat.* 1. 4. Virtus clara æternaque habetur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 83. Æternum opus. *h. e.* Ilias.

Æternum, i, neutrius gen. substantivorum more occurrit sequentibus modis, qui totidem adverbia habentur: — 1.) *In æternum*, h. e. in æternum tempus, per omnem æternitatem. *Liv.* 4. 4. et 28. 28. Urbs auspicato, diis auctoribus in æternum condita. *Id.* 34. 6. 4. Leges in æternum latæ. *Quintil.* 5. 11. 11. In æternum durare. *Declamat. eidem tribut.* 6. 6. Supremum et in æternum. *Plin. Paneg.* 35. Delatores non in præsens tantum, sed in æternum repressisti. *Lactant.* 1. 11. Ut nefandi sceleris memoria maneat in æternum. Adde *Justin.* 3. 4. *in fin.* — 2.) *Æternum*, quod significat — *a*) perpetuo, semper. *Virg.* 6. *Æn.* 617. sedet æternumque sedebit Infelix Theseus. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 41. æternum serviet — *b*) Assidue, iterum iterumque. *Virg.* 2. *G.*

400. glebaque versis Æternum frangenda bidentibus. *Id.* 6. *Æn.* 400. licet ingens janitor antro Æternum latrans exangues terreat umbras. — 3.) *Æterno* ablat. adverbialiter est semper, per æternitatem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 107. 111. (240). Viret æterno hunc fontem igneum contegens fraxinus. *Inscript.* apud *Viscont. Mus. Pio-Clem. edit. Mediol. T.* 1. p. 73., quæ apud *Orell.* est 4517. et pertinet ad ann. 16. post Chr. n. NE DESERTA VACENT IGNOTIS DEVIA BVSTA, SED TVTA AETERNO MANEANT, SI DICERE FAS EST.

Homonym. *Æternum* a *sempiterno* differt. Quippe *sempiternum* proprie est id quod semper durat, quodque propterea una cum tempore procedit duratque; *æternum* vero est id, in quo nullum est tempus, quodque propterea principio et fine caret: *sempiternum* igitur magnam a principio ad finem significat temporis diuturnitatem; *æternum* principii finisque notionem omnino excludit: *sempiternum* (Scholasticorum verbis hac in re nobis uti liceat) est aliquid relativum, *æternum* est absolutum; illud mathematicam æternitatis significationem, hoc philosophicam exhibet. *Cic.* 2. *Orat.* 40. 169. Barbarorum est in diem vivere; nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. *Id.* 1. *Fin.* 6. 17. Motum atomorum nullo a principio; sed ex æterno tempore intelligi convenire. Et 1. *Nat. D.* 32. 90. Dii — nati nunquam sunt, si quidem æterni sunt futuri. — Interdum tamen *æternum* et *sempiternum* nullo discrimine usurpari videntur, sed tamen latiori sensu non proprio. *Cic.* 3. *Cat.* 11. 26. Postulo — hujus diei memoriam sempiternam, — quam (*diem*) spero æternam fore. *Id. post red. in Senat.* 14. 83. Si mihi æternam esse propositam ærumnam arbitrarer, morte me ipse potius, quam sempiterno dolore multassem. *Id.* 1. *Divinat.* 55. 125. Fatum — est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. — Porro *sempiternum* et *æternum* a *perpetuo* differunt. *Sempiternum* enim et *æternum* absolutam significant continuitatem usque ad temporis finem; *perpetuum* vero relativam tantummodo continuitatem usque ad terminum quemcumque. Quod si hujusmodi terminus sit ipse temporis finis, tum *perpetuum* etiam pro *sempiterno* vel *æterno* usurpari potest. *Cic.* 4. *Cat.* 9. 18. Illum ignem Vestæ perpetuum ac sempiternum. *h. e.* perpetuum ratione habita ejus ignis, quod non extingueretur; sempiternum ratione habita temporis, quod semper durare deberet. *Id.* 1. *Nat. D.* 15. 40. Legis perpetuæ et æternæ vis. Et contra *Plin.* 6. *Ep.* 16. Multum perpetuitati ejus scriptorum tuorum æternitas addet.

ÆTHĂLUS, i, m. 2. appellatur genus uvæ fuliginosæ in Ægypto provenientis (gr. αἴθαλος ὁ ab αἰθάλη fuligo) apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (14). A Forcellini Lexico exhibetur tamquam trium terminationum adjectivus.

ÆTHER, ĕris vel ĕros, m. 3. Græcum hoc vocabulum, etsi ab ipso *Ennio* adhibitum (*V.* infra § 3.), apud Latinos minime usuvenisse videtur, si Poetas excipias; *Cicero* enim a *Pacuvio* id se mutuasse affirmat, ejusque vim sibi declarandam (*V.* infra 2.) esse censuit. — Accusativi forma est generatim *æthera*; Gen. autem *ætheros* occurrit tantum apud *Stat.* 3. *Theb.* 524. (*V.* infra 3.). — Æther (Gr. αἰθήρ, έρος ab αἴθω flagro) juxta Latinorum sententiam est aer superior ac purior, sive suprema cæli regio, in qua sol omniaque astra, præter lunam, pendent sive ignis elementum constituitur, ipsique habitant dii (It. *etere, la sfera del fuoco*; Fr. *éther, la sphère supérieure du feu*; Hisp. *eter, la esfera y region del fuego*; Germ. *der Aether, die obere reine Luft*; Angl. *the ether*). Hinc, ut recte monet Forcellinus, tum pro ipso igne, tum pro ejus ignis loco accipitur. ¶ 1. — *a*) Pro igne. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 83. Ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere æther: deinde retrorsum vicissim ex æthere aer, ex aere aqua, ex aqua terra infima. — *b*) Pro ignis elementaris loco. *Cic.* 2. *Nat. D.* 36. 91. Aerem amplectitur immensus æther, qui constat ex altissimis ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum, dicaturque tam æther Latine, quam dicitur aer. *Id. ibid.* 40. 101. Restat ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens cæli complexus, qui idem æther vocatur, extrema ora et determinatio mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiant. Cf. 2. *ibid.* 15. 41. et 21. 54. *Lucret.* 5. 499. Inde mare, inde aer, inde æther ignifer ipse. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 10. 7. (48). Ergo confinium illis est aeris terminus initiumque ætheris; supra lunam pura omnia ac diurnæ lucis plena. *Apul. de mundo c.* 1. p. 265. *ed. Hildebr. min.* Cælum ipsum stellæque cæligenæ omnisque siderea compago æther vocatur, non, ut quidam putant, quod ignitus sit et incensus (ab αἴθειν), sed quod cursibus rapidis semper rotetur (ab ἀεὶ θεῖν). ¶ 2. Accipitur etiam generatim pro deorum sede sive cælo, et opponitur terræ. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 36. 91. Hoc, quod numero, nostri cælum, Graji perhibent æthera. *Idem* apud *Non.* p. 75. 11. *Merc.* Mater est terra: ea parit corpus, animam æther adjugat. *Lucilius* apud *Varr.* 5. *L. L.* 17. p. 8. *Müll.* Ætheris et terræ genitabile quærere tempus. *Virg.* 12. *Æn.* 140. rex ætheris altus Juppiter. *Id.* 1. *ibid.* 382. fama super æthera notus. *Stat.* 3. *Theb.* 524. et regna profundi Ætheros. *Claudian. Gigantomach.* 60. jam signa ruendi His æther, his terra dedit. ¶ 3. Accipitur etiam sæpissime, præcipue a Poetis, pro aere, et quidem puro, claro, lucido. *Ennius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 104. p. 160. *Müll.* Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit. *Lucret.* 2. 1112. Humor ad humorem, terreno corpore terra Crescit, et ignem ignes procudunt, ætheraque æther. *Virg.* 1. *G.* 78. æthere in alto Fit sonitus. *Id.* 1. *Æn.* 587. Scindit se nubes et in æthera purgat apertum. *Id.* 8. *ibid.* 28. Cum pater in ripa gelidique sub ætheris axe. *Id.* 3. *G.* 150. Concussus mugitibus æther. *Id.* 7. *Æn.* 65. apes liquidum trans æthera vectæ. *Horat.* 2. *Od.* 20. 1. Non usitata nec tenui ferar Penna biformis per liquidum æthera Vates. *Virg.* 11. *Æn.* 756. Verberare alis æthera. *Id.* 12. *ibid.* 578. obumbrare æthera telis. — Hinc et pro splendore seu nimbo, quo quis deus se cingit. *Val. Flacc.* 5. 183. Simul æthere plena corusco Pallas. ¶ 4. Comparatione Inferorum æther, quamvis raro admodum, sumitur pro terra, quam habitamus, perinde ac si terra sit aer Inferis superior. *Virg.* 6. *Æn.* 436. quam vellent æthere in alto Nunc et pauperiem et duros perferre labores! *De iis loquitur, qui apud Inferos pœnas luunt malefactorum.* — *NB.* Æther est etiam nomen proprium, de quo *V.* ONOM.

ÆTHEREUS, a, um, et

ÆTHERĬUS, a, um, Græca vox αἰθέριος (æther). Duplici ratione hæc vox scribi potest, ut dictum est. *Ætherius* magis placet *Manut. in Orthogr.* et *Dausq.*, sed et *Æthereus* suos habet assertores, præter alios *Pierium* ad 5. *Æn.* 517., qui et ipse veterum se exemplarium auctoritate tuetur. Hæc *Forcellinus*: recentiores vero Philologi, quamvis hisce argumentis magnam inesse vim fateantur, priorem tamen formam rejiciunt, quippe ipsa et analogiæ repugnat et a vetustioribus MSS. nunquam exhibetur; hinc *ætherius* scribendum esse censent. V. *Phil. Wagner, Orthogr. Vergil.* p. 415. — Comp. *Ætherior* 2. — Ætherius est ad ætherem pertinens (It. *etereo*; Fr. *rélatif à l'éther, éthéré*; Hisp. *etéreo*; Germ. zum *Aether, der höheren reineren Himmelsluft gehörig*; Angl. *ethereal, ethereous, relating to the ether*). ¶ 1. Ad ætherem pertinens, qua ignem elementarem, vel ejus locum supremum in cælo significat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 24. 64. Altissima ætheriaque natura, id est ignea. *Id. ibid.* 15. 42. Sidera autem ætherium locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est et semper agitatur et viget, necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acerrimo et mobilitate celerrima esse. *Id. ibid.* 21. 54. Ætherii cursus, ætheria conjunctio stellarum. *Lucret.* 4. 391. Sidera cessare ætheriis affixa cavernis. *h. e.*ætheri affixa; ea enim stellarum sedes est. *Id.* 2. 1097. Ætherii ignes. *h. e.* sidera. *Virg.* 5. *Æn.* 518. et 838. astra. *Horat.* 1. *Od.* 3. 29. Post ignem ætheria domo Subductum. ¶ 2. Item ad ætherem pertinens, qua sedes est deorum, et generatim sumitur pro cælesti. *Virg.* 8. *Æn.* 319. et *Martial.* 9. 4. Ætherius Olympus. *Virg.* 1. *Æn.* 402. Ætheria plaga, lapsa Jovis ales. *Forcellinus* hæc ad posteriorem paragr. refert. *Ovid.* 15. *Met.* 858. Juppiter arces Temperat ætherias. Adde 4. *Trist.* 3. 19. *Id.* 5. *Met.* 348. sedes. *Catull.* 66. 55. Isque per ætherias me tollens advolat umbras. *Tibull.* 3. 4. 17. non ætherium nigris emensa quadrigis Mundum. *Virg.* 4. *G.* 221. Ætherius haustus. *Id.* 7. *Æn.* 281. semen. *Ovid.* 3. *Art. am.* 549. Est Deus in nobis, et sunt commercia cæli: Sedibus ætheriis spiritus ille venit. *Tibull.* 1. 8. 15. Taurus mons ætherio vertice. *h. e.* cælum tangente. *Klotz* interpretatur vertice aereo, qui sursum in aerem porrenditur, et ad paragr. refert posteriorem. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 186. et *Martial.* 9. 36. et 37. Ætherius pater. *Val. Flacc.* 2. 84. pax. *Ovid.* 1. *Fast.* 473. ætherios animo conceperat ignes. *h. e.* divinum œstrum, ἐνθουσιασμόν. *Martial.* 3. 6. Imputat ætherios ortus hæc prima parenti. *h. e.* hæc dies in lucem edidit parentem, et *ætheria aura vesci* dedit: quibus verbis *Forcellinus* affirmare videtur, hæc ad posteriorem paragraphum esse referenda. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 43. *ed. Mai.* Majestatis effigiem videt et fulgore ætheriore nitentem. *nisi forte ex similiter desinentibus mendosa facta sit lectio pro ætherio.* ¶ 3. Item ad ætherem pertinens, qua aerem, vel aeris regionem significat (It. *aereo*; Fr. *aérien*; Hisp. *aereo*; Germ. *luftig*; Angl. *aerial, belonging to the air*). *Lucret.* 4. 182. Ætheriæ nubes. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 804. *Lucret.* 3. 406. auræ. *Ovid.* 1. *Fast.* 682. Ætheria aqua. *h. e.* pluvia. *Id.* 5. *ibid.* 88. iter. *R. F. Avien. Arat. Prognost.* 15. Tenebris hic (*Juppiter*) interlabitur æthræ, Viscera et ætherios animans genitalibus artus. *h. e.* cor et pulmones, quæ æthere infuso spirant et vigent. *Ætheria terra* olim dicta est luna, (credita et ipsa alere homines), nempe respectu terræ nostræ, quam incolimus. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 11. ¶ 4. Comparatione Inferorum ætherius dicitur de mundo terrestri a *Virg.* 1. *Æn.* 550. vesci aura ætheria. ¶ 5. *Ætheria herba* eadem est atque eryngion apud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 4.

ÆTHIŌPIS, idis, f. 3. αἰθιοπίς, herba est folio similis lactucæ, in Æthiopia nascens, vel in Meroe Nili insula, a qua etiam *Meroïs* dicitur, cujus tactu (si magorum vanitati credimus) clausa omnia aperiuntur, conjectu amnes et lacus exarescunt. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (18). et 24. *ibid.* 17. 102. (163). — Idem *Plin.* aliam videtur innuere herbam eodem nomine 27. *ibid.* 4. 3. (11). cum ait, folia habere phlomo, seu verbasco similia, magna et multa, caulem quadrangulum, semen ervo similem, radices numerosas, etc. Sed cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. p. 422.) ad h. l. unam eamdemque esse cum superiore affirmat; eamque (*ibid.* p. 297.) cum *Daléchamp.* putat esse aliquam ex euphorbiis, minime vero Salviam argenteam, ut contendit *Sibthorp. Flor. græc.* t. 27.

ÆTHĬOPS, ŏpis, m. 3. nomen propr. Est Vulcani filius, ut scribit *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (187)., a quo Æthiopes, nigro et adusto colore gens, originem duxisse dicuntur. *V.* ONOM. Hinc — ¶ 1. Æthiops — *a*) sumitur interdum generatim pro homine nigri coloris. *Mela* 3. 7. 5. Atræ gentes et quodammodo Æthiopes in India. Cf. *eumd.* 1. 4. 4. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 52. (141). Sepiæ atramento tanta vis est ut in lucerna addito Æthiopas videri, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat. *Juvenal.* 2. 23. Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus. — *b*) Sumitur etiam pro servo nigri coloris. *Cic.* 4. *Herenn.* 50. 63. ¶ 2. Et quia Æthiopes non colore solum, sed cetera etiam corporis orisque constitutione deformes esse solent, labro tumenti, distortis ut plurimum cruribus etc., et præcipue stupido ingenio, hinc *Æthiops* nomen est convicii. *Cic. post red. in Senat.* 6. 14. Cum hoc homine, an cum stipite Æthiope, si in foro constitisses, nihil crederes interesse. Cf. *Ter. Eun.* 1. 2. 85. ibique *Donatum.* Hinc etiam *Æthiopis occursus* inter mala omina habitus est, ut colligitur ex *Juvenal.* 6. 600., *Flor.* 4. 7. et *Spartian. Sever.* 22.

ÆTHRĂ, æ, f. 1. nomen factum per syncopen ab accusativo *æthera*: vel rectius ab ipso verbo Græco αἴθρη, quod aeris serenitatem significat: ex quo recte *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 585. monet, *æthram* proprie significare ætheris splendorem, qui sereno cælo conspicitur (It. *splendore, serenità del cielo*; Fr. *ciel pur, sérénité du ciel*; Hisp. *cielo puro, serenidad del cielo*; Germ. *der heitere Glanz des Himmels, die helle, reine Luft*; Angl. *the clear serene Sky, the pure ether*). ¶ 1. Proprie. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. *sub fin.* Interea fax occidit oceanumque rubra tracti obruit æthra. *Vetus Poeta* apud *eumd. ibid.* Flammeam per æthram alte fervidam ferri facem. *Lucret.* 6. 467. surgere in æthram. *Virg.* 3. *Æn.* 585. Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra Siderea polus. *Id.* 12. *ibid.* 247. volans rubra fulvus Jovis ales in æthra. *Sil. It.* 4. 103. liquida non ullis nubibus æthra. ¶ 2. Ponitur interdum generatim pro aere seu cælo, lata significatione. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 135. Æthræ rector. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 116. liquida æthra. *Id.* 1. *Cons.*

Stilich. 2. 7. quæ temperat æthram Frigoris et flammæ mediam. — *NB.* Pro ipso æthere proprie dicto, *h. e.* suprema cæli regione. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 117. Quem complexa summa pars cæli, quæ æthra dicitur, etc. *Sed ibi cum* Orellio *aliisque legendum est* æther. — *NB.* Æthra est etiam nomen proprium, de quo *V.* ONOM.

ÆTIOLOGIA, æ, f. 1. αἰτιολογία, hoc est redditio causæ: vox Græca ab αἴτιον causa, et λόγος sermo. Ætiologia, inquit *Isid.* 2. *Orig.* 21. 39., est cum proponimus aliquid, ejusque causam et rationem reddimus. *Senec. Ep.* 95. 65. His adjicit (*Posidonius*) causarum inquisitionem, quam cur ætiologiam dicere non audeamus, cum grammatici, custodes Latini sermonis, suo jure ita appellent, non video. Ait utilem futuram esse descriptionem cujusque virtutis: hanc Posidonius ætiologiam vocat; quidam χαρακτηρισμὸν appellant, signa cujusque virtutis et vitii ac notas reddentem, etc. Hactenus *Seneca*. Sane rectius legas, secundo loco, cum *Lipsio, Pinciano* et aliis *ethologiam*; nam *ætiologia*, ut legitur in quibusdam editionibus, cum χαρακτηρισμοὶ non apte jungitur, bene vero *ethologia*, quæ descriptionem morum significat: χαρακτηρισμὸς autem vitia, aut virtutes eorum, de quibus sermo est, deformat, ut docet *Rutil. Lupus* 2. *de Figuris sentent.*

AËTĪTĒS, æ, m. 1. ἀετίτης, lapis est colore subrufo, quem si concutias, alium lapidem, quem veluti prægnans in utero gerit, intus audis sonantem. Invenitur in aquilarum nidis, feruntque aquilas sine eo ova parere non posse. Etenim, ait *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 394., aquila per naturam nimii est caloris, adeo ut etiam ova, quibus supersidet, possit coquere, nisi admoveat aetiten lapidem frigidissimum, ut testatur Lucanus (6. 676.). Quam ob causam nomen impositum creditur, nimirum ab ἀετός aquila. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 4. (12)., 36. *ibid.* 21. 39. (149). Et 30. *ibid.* 14. 44. (130)., ubi quatuor ejus species enumerat hæc ait: Lapis aetites in aquilæ repertus nido, custodit partus contra omnes abortuum insidias. *Id.* 36. *ibid.* 21. 39. (149). Aetitæ omnes gravidis adalligati etc.

AËTĪTIS, idis, f. 3. ἀετῖτις, gemma quædam est ita dicta a colore quem habet similem candicanti caudæ cujusdam aquilarum generis, ab ἀετός aquila: eadem est ac lapis, qui a *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (187). dicitur *aetites* cum subintelligitur lapis; *aetitis* vero, cum gemma additur.

AËTŌMA, æ, f. 1. (ἀέτωμα). Est fem. gen. 1. decl. quia Latini tum veteres, tum mediæ infimæque ætatis nomina Græca neutrius generis in *a* finita et tertiæ declinationis efferunt plerumque in genere feminino et secunda declinatione, ut *schema*, æ, et *syrma* æ, etc. — Aetoma est fastigium triangulare domus, vel forma tecti propria deorum templis, quæ aquilæ similitudinem exhibet alas pandentis, ut ex *Galeno* (ἀετώματα, αἱ τῆς ὀροφῆς εἰς ὕψος ἀνατάσεις τριγωνοειδεῖς, ajunt *Gloss. Hipp.* apud *Galen.* Cf. et *Winkelmann. T.* 6. p. 136. et præcipue p. 189.) interpretatur *Reines. Inscript. cl.* 2. n. 17. AD EXTRVCTIONEM AETOMAE DEDIT HS. N. VI. *Inscript.* apud *Henzen.* 6919. PRO SALVTE AVGG. L. SEPT. SEVERI PII PERT. ET M. AVR. ANTONINI IMPP. ET SEPT. GETAE CAES. COLL. CENTONARIOR. SCHOLAM CVM AETOMA PECVNIA SVA FECIT.

ÆVĪTAS, ātis, f. 3. (ævum) antiquum verbum, idem significans ac *ætas*, quæ per contractionem ab *ævitas* dicta est; sive omne illud tempus, quo quis vivit aut res perdurat, totius vitæ tempus. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Varro* apud *Non.* p. 193. 7. *Merc.* Qua voluptate ævitatis extimam attigit metam ævitas. *Fr. Oehler.* in *Varr. Sat. Menipp. reliq.* p. 227. ita locum emendavit. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. CENSORES POPVLI AEVITATES, SVBOLES, FAMILIAS PECVNIASQVE CENSENTO. *Et paullo post:* EXIN PECVNIAS, AEVITATES, ORDINES PARTIVNTO. *Item:* AEVITATEM ANNALI LEGE SERVANTO. *h. e.* ætatem a legibus statutam ad capessendos magistratus. *Leg.* XII. *Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. 25. SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESIT. *h. e.* ætas ingravescens, senectus. *Arnob.* 5. 8. Mater quoque dicenda est magna intra hujus numeri fines ævitatem suam habere conclusam. ¶ 2. Interdum generatim significat temporis perpetuitatem. *Apul.* 1. *dogm. Plat.* 12. Sed etiam mortales deos ad ævitatem temporis edidit. *h. e.* deos, qui non quidem semper fuerunt, sed tamen per omnia deinceps tempora futuri sunt. *Arnob.* 2. 22. Quid operis aut negotii celebrans antecacti temporis decurrerit ævitatem.

ÆVĪTERNUS, a, um, adject. (ævitas) idem quod æternus; nam hæc vox ab illa contracta est, ut *Varr.* 6. *L. L.* 11. p. 77. *Müll.* et *Priscian.* 2. p. 595. *Putsch.* docent. *V.* ÆTERNUS. *Varro* apud *Priscian. l. cit.* Per æviternam hominum domum, tellurem, propero gradum. *Apul. de Deo Socrat.* 3. Naturæ incorporales, prorsus ac retro æviternæ. *h. e.* ante et post æternæ.

ÆVUM, i, n. 2. a Græco αἰών (Cf. et Germ. *ewig*), *v* littera hiatus causa, sive per digamma, interjecta, significat temporis perpetuitatem, tempus *immensum, sine origine, sine fine, quod eodem modo semper fuit et semper futurum est*, ut de eo *Censorin.* scribit *de die Nat.* 16. Hoc sensu *Varro* 6. *L. L.* 11. p. 77. *Müll.* scribit, *ævum* dictum esse *ab ætate omnium annorum* (It. *tempo lungo*, *perpetuità*; Fr. *un long temps, une durée éternelle*; Hisp. *perpetuidad, duracion sin fin*; Germ. *die Zeit in ihrer Dauer, die Ewigkeit*; Angl. *length of time, duration, eternity*). Est autem vocabulum, quod aureo sæculo prosa oratio, nisi antiquitatem sapere aliquando velit aut peculiares quasdam dicendi rationes efferat, omnino respuit; sed tamen apud cujusque ætatis Poetas frequenter occurrit, aut etiam in prosa oratione apud veteres ante Augustum. ¶ 1. Proprie ævum est temporis perpetuitas. *Ennius* apud *Servium* in *Virg.* 6. *Æn.* 764. Romulus in cælo cum dis genitalibus ævom Degit. (Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 28.). Et *Servius ibid.* Ævum proprie æternitatis est. *Cic.* 6. *de republ.* 13. 13. Omnibus qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. *Lucret.* 2. 646. immortali ævo cum pace frui. *Quintil.* 11. 1. 10. Ævum sæculorum omnium brevi detrimento ultimæ senectutis consequi. *Lucan.* 9. 358. Ævum annosum. — Sæpius tamen de diis. *Lucret.* 5. 83. et 6. 57., et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 101. securum agere ævum. Et *Lucan.* 9. 979. *per metaphoram:* donare populis mortalibus ævum. — Hinc illæ dicendi rationes — *a*) *Per ævum*, ut apud *Lucret.* 1. 61. Nec posse incolumem magnum durare per ævum. *Id. ibid.* 634. Innumerabilibus plagis vexata per ævum. *Id. ibid.* 950. Corpora perpetuo volitare invicta per ævum. — *b*) *Ævo, ævis, in ævum*, ut apud *Vitruv.* 1. 1. 14. et 9. *præfat.* 1. Ævo perpetuo. *Id. ibid.* 16. Ævo immortali. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 36. Manet ævo. *h. e.* æternum durat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (156). Durant ævis tecta. *h. e.* per sæcula. *Horat.* 4. *Od.* 14. 3. Æternare virtutes alicujus in ævum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Prorogare figuras in ævum. *h. e.* in perpetuum apud posteros. *Horat.* 3. *Od.* 11. 35. in omne virgo Nobilis ævum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (141). Ab condito ævo. *h. e.* ab ipso temporis initio. Cf. infra 3. ¶ 2. Hinc ævum accipitur pro toto vitæ tempore, vel integro ætatis cursu, sive hominis ea sit sive alius animantis; interdum eodem sensu occurrit et de inanimis. — *a*) Proprie de hominibus aliisque animantibus, modo absolute, modo ratione habita unius tantum hominis. — Absolute. *Ennius* apud *Cic. Brut.* 15. 58. Qui tum vivebant homines atque ævom agitabant. *h. e.* atque vitæ suæ tempus ducebant. Cf. *Gell.* 12. 2. 3. *Virg.* 4. *G.* 154. *de apibus:* agitant sub legibus ævum. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 49. Ævum agere in armis. *Lucret.* 2. 15. hoc ævi degere. Adde 5. 1439. *Id.* 5. 1141. (1143). colere ævum. *Id. ibid.* 1430. (1428). consumere in curis inanibus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 97. traducere leniter ævum. *Ovid.* 12. *Met.* 208. exigere ævum studiis. *Claudian. Epigr.* 2. transigere in arvis patriis. *Vellej.* 2. 89. Impendere omne spatium sui ævi in rem aliquam. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (45). Vir ævo exercito inter arma mortesque. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 97. Vive memor, quam sis ævi brevis. *Sall. Jug.* 1. 1. Quod imbecilla (*natura humanum*) atque ævi brevis forte potius quam virtute regatur. Cf. *Plin. Paneg.* 78. 2. et *Liv.* 28. 35. infra. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 53. 78. (167). Ævi piscium memorandum exemplum. *Horat.* 2. *Od.* 9. 13. *de Nestore:* Ter ævo functus. *al.* fractus. *h. e.* qui nonaginta vixerat annos. *V.* ÆTAS *A.* 1. *b.* — Ratione habita unius aut plurium hominum, ævum est annorum numerus, sive anni, quos ipsi transegerunt. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 26. Forte meum si quis te percontabitur ævum, Me quater undenos sciat implevisse Decembres. *Virg.* 3. *G.* 100. *de equo:* animos ævumque notabis Præcipue. *Sueton. Calig.* 31. Adversus omnis ævi homines grassatus est. *h. e.* cujusque ætatis. *Lucret.* 3. 350. Expelli ævo. *h. e.* mori. *Aurel. Vict. de Cæsarib.* 19. Interiit anno ævi quadragesimo. Hinc ævum significat varias hominis ætates; et præcipue senectutem. *Ovid.* 3. *Met.* 47. et *Val. Facc.* 7. 338. Primum ævum. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 7. viride. *Lucret.* 3. 1020. florens. *Ovid.* 9. *Met.* 436. Flos ævi. *Virg.* 9. *Æn.* 255. integer ævi. *Lucret.* 3. 745. ineunte ex ævo. *Virg.* 5. *Æn.* 73. maturus ævo. *Id.* 11. *ibid.* 85. confectus ævo. *Id.* 2. *ibid.* 435. gravior ævo. *Id.* 8. *ibid.* 307. obsitus ævo. *Lucret.* 2. 1139. grande ævum. *Id.* 1. 326. senescere ævo. *Ovid.* 8. *Met.* 718. annis ævoque solutus. *ubi* ævum *abundare videtur* Forcellino. *Tac.* 16. *Ann.* 30. grandis ævo parens. — *b*) Raro de inanimis improprie ponitur. *Liv.* 28. 35. Perbrevis ævi Carthaginem esse. *Horat.* 1. *Od.* 12. 45. Crescit occulto velut arbor ævo Fama Marcelli. *h. e.* tempore ætatis sensim taciteque procedente. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (5). Quoniam et de longissimo ævo arborum diximus. ¶ 3. Ponitur etiam pro sæculo et generatim pro tempore. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 83. nulli datus omnibus ævis. *h. e.* omnibus sæculis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Simulacrum tot ævis incorruptum. *h. e.* post tot sæcula. *Vellej.* 2. 36. Ingenia nostri ævi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 13. 10. (57). et *Vellej.* 2. 13. Nostro ævo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (92). In nostro ævo. *Id.* 7. *ibid.* 43. 44. (137). Ad hoc ævi. *Tac.* 16. *Ann.* 1. Per tantum ævi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (91). Ævi ejus rex. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (119). Per omne ævum. *Arnob.* 2. 30. Cum omnibus sæculis ævorum perpetuitate procedere. *Virg.* 8. *Æn.* 627. venturi inscius ævi. *Ovid.* 15. *Met.* 11. veteris non inscius ævi. *Seneca Hipp.* 6. Fama miratrix senioris ævi. *Virg.* 8. *Ecl.* 28. ævo sequenti. *Horat.* 3. *Od.* 5. 16. veniens in ævum. *Tac.* 4. *Ann.* 35. Extinguere sequentis ævi memoriam. ¶ 4. Raro admodum metaphorice ponitur pro ipsis hominibus eo tempore viventibus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (72). Nec negaverim et alia esse digna fama: sed de quibus consensu ævi judicaverint, hæc sunt. *h. e.* de quibus omnia sæcula uno ore jam judicarunt.

ÆVUS, i, m. 2. idem quod ævum, sed posteriori forma et minus usitatum vocabulum. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 14. Per quem vivimus vitalem ævum. *Lucret.* 3. 605. omnem durare per ævum.

AF

AF est antiqua forma præpositionis ab (*V.* A, AB, ABS), ut ait *Priscian.* 1. p. 560. *Putsch.* Habebat autem hæc *f* littera hunc sonum, quem nunc habet *u*, loco consonantis posita, unde antiqui *af* pro *ab* scribere solebant; sed quia non potest *vau*, id est, digamma in fine syllabæ inveniri, ideo mutata est in *b*. *Sifilum* quoque pro *sibilum* teste Nonio Marcello dicebant. *Cic. Orat.* 47. 158. Una præpositio est *af* eaque nunc tantum in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium; in reliquo sermone mutata est: nam *amovit* dicimus et *abegit* et *abstulit*, ut jam nescias *ab* ne verum sit, an *abs*. In omnibus ferme Codd. legimus. *Una præpositio est .... eaque nunc tantum etc.*, ubi *af* librariorum ignorantia omissum fuisse testatur *Velius Longus* p. 2224. *Putsch.*, qui sic legendus est: Adjicit (*Cicero*) his præpositionibus (*a, ab, abs, au*) et illam, quæ scribitur per *F* litteram, quam ab antiquis usitatam ait maxime in rationibus et accepti tabulis: nam quotiens acceptam pecuniam referebant, non dicebant *a Longo*, sed *af Longo*; et ait religionem hanc scribendi apud paucissimos remansisse sæculo suo. *Inscript.* apud *Orell.* 3114., quæ est apud *Gruter.* 499. 12. TANTO MAGIS ANIMVM NOSTRVM INDVCIMVS DE IEIS REBVS AF VOBIS PECCATVM NON ESSE. Et *ibid.* 3308., quæ est apud *Gruter.* 150. 7. AF CAPVA REGIVM MEILIA CCCXXI. — In compositione quoque interdum occurrit. *V.* AFVOLO.

AFANTICIUS et **AFANTICUS**. *V.* APHANTICIUS et APHANTICUS.

AFFABER *vel* adfaber, bra, brum, adject. (ad et faber) est arte plenus: et occurrit — *a*) Active et est solers, habilis, ingeniosus. *Symmach.* 3. *Ep.* 17. Ideo litteras affabre rerum vel natura, vel industria peperit, ut numquam muta esset affectio. — *b*) Pas-

sive autem est arte elaboratus. Paul. Diac. p. 28. 1. Müll. Affabrum fabrefactum. V. AFFABRE.

AFFĂBĬLIS vel adfabilis, e, adject. (ad et fari). Comp. Affabilior. Est qui sui conveniendi et alloquendi facile copiam præbet: hinc comis, placidus, præcipue in fando, hoc est in sermone (It. affabile, degnante; Fr. affable, poli; Hisp. afable, agradable; Germ. leicht anzureden, leutselig; Angl. affable, accessible, complaisant). Ter. Adelph. 5. 6. 8. Meditor esse affabilis. Virg. 3. Æn. 621. de Cyclope: Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli. Ita legit Macrob. 6. Saturn. 1., additque allusisse ad illud Accii: Quem neque tueri contra, nec affari queas. Pierius quoque testatur ita legi in aliquot Codicibus: at Servius cum aliis multis legit effabilis. Cic. 1. Off. 31. 113. Cum in omni sermone omnibus affabilem se esse vellet. Nep. Alcib. 1. 3. Affabilis, blandus. Seneca 2. Benef. 14. 4. Odium blandum et affabile. Id. Ep. 79. Alius erit affabilior, alius expeditior.

AFFĂBĬLĬTAS vel adfabilitas, ātis, f. 3. (affabilis) est comitas et facilitas in sermonibus (It. affabilità, piacevolezza; Fr. affabilité; Hisp. afabilidad; Germ. die Leutseligkeit; Angl. affability, courtesy). Cic. 2. Off. 14. 48. Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis.

AFFĂBĬLĬTER vel adfabiliter, adverb. Super. Affabilissime. Affabili modo, cum affabilitate (It. con affabilità; Fr. avec affabilité; Hisp. afablemente; Germ. auf leutselige Weise; Angl. affably, courteously). Macrob. 7. Saturn. 2. Comiter affabiliterque suscipere aliquem. Spartian. in Carac. 3. Eos, quos occidere parabat, affabiliter est allocutus. Gell. 16. 3. Hæc tum Favorinus affabilissime dicebat.

AFFĂBRĒ vel adfabre, adverb. (affaber) artificiose, eleganter, scite (It. artificiosamente, con maestria; Fr. artistement, avec art; Hisp. con arte; Germ. auf eine kunstvolle Art; Angl. skilfully, in a masterly way). Cic. 2. Verr. 5. 14. Deum nullum Siculis, qui paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. Cf. Gell. 7. 7. et Priscian. 15. p. 1009. Putsch.

AFFĂBRĬCĀTUS vel adfabricatus, a, um, particip. ab inusit. affabrico, fabricando additus. Augustin. 6. Music. 7. Consuetudo quasi secunda et quasi affabricata natura dicitur.

AFFĂBŬLĀTĬO vel adfabulatio, ōnis, f. 3. (ad et fabula) vox est, quam, ad Græcam ἐπιμύθιον Latine reddendam, proposuit Priscian. Præexerc. rhetor. p. 1330. Putsch. Oratio, qua utilitas fabulæ retegitur, quam ἐπιμύθιον vocant, quod nos affabulationem possumus dicere, a quibusdam prima, a plerisque rationabilius postrema ponitur.

AFFĀMEN vel adfāmen, inis, n. 3. (affari) idem quod affatus (It. discorso; Fr. discours; Hisp. discurso; Germ. die Ansprache; Angl. discourse). Apul. 11. Met. 7. Mulcere aliquem blando affamine. Id. ibid. 30. Dignari aliquem affamine. Juvenc. 1. 90. Ecce meo gaudens in viscere proles Exultat, Matris cum prima affamina sensit.

AFFĀNĬÆ, ārum, f. 1. Etymologorum alii derivant a fando: aliis, et in his Vossio, magis placet deducere ab Aphannis (scribendi ratione ad Latinum morem traducta) quod est nomen cujusdam oppidi ignobilis in Sicilia, vel, ut alii volunt, in Attica; quod proverbio de remotissimis rebus dicebatur: ut quemadmodum apinæ et tricæ, quæ similem Affaniis habent significationem, ab Apina et Trica Italiæ oppidis dicta sunt, ita ab Aphannis affaniæ sint appellatæ. Hæc Vossius. Sed Döderlein. Latein. Synon. Vol. 3. p. 88. rectius putat a verbo affari dictas affanias, fretus præsertim Apul. locis infra citatis, et Nonii auctoritate, qui ait affari (sub hac voce) etiam pro respondere usurpatum; ita ut affaniæ sint ea quæ respondentur. — Ceterum affaniæ peculiari significatione sunt dicta futilia, verba nugatoria, mera mendacia, gerræ (It. ciance, ciarle, fole, cianciafruscole; Fr. vain parlage, bavardage, sornettes, causeries frivoles; Hisp. chocarreria, baladronada, pataratas, cuentecillo: Germ. leere Widerreden, Ausflüchte; Angl. trifles, toys, gimcrakcs, idle discourse). Apul. 9. Met. 10. His et aliis similibus affaniis frustra oblateratis. Id. 10. ibid. 10. Nescio quas affanias effutire. Apulejus utroque in loco adhibet de confuso sermone hominis in scelere comprehensi; ut notat Gesner. in Thesaur.

AFFĀTIM vel adfatim, adverb. Ut admodum factum est ex ad et modum, sic adfatim ex ad et fatim. Hæc autem Accusativi forma esse videtur ex inusit. fatis (quod abundantiam significabat, teste Paul. Diac. p. 11. 15. Müll.), aut ab eodem vocabulo, a quo fatisco, fatigo et fastidium, ita ut ad fatim sit ad lassitudinem vel ad fastidium usque, teste Servio ad Virg. 1. Æn. 123. (quam etymologiam præfert Döderlein); atque ita nobis exhibetur a Plaut. Pœn. 3. 1. 31. Edas de alieno quantum velis usque ad fatim. — Ennianus (al. Annianus) poeta apud Gell. 7. 7. ita disputat de quantitate penultimæ, ut statuat quidem eam esse corripiendam et legendum adfatim, non adfātim; innuat autem, olim etiam productam fuisse: quod et ab Aratore factum est 2. in Act. Apost. 326. Suppetit affatim exemplorum copia, nosque etc. Verum non est hoc satis, ut contra communem usum produci possit. — Affatim est satis abunde, large, ampliter, aliquanto plus quam satis, non tamen usque ad fastidium (It. a sufficienza, abbondevolmente; Fr. en suffisance, abondamment, amplement; Hisp. bastantemente, abundantemente; Germ. zur Genüge, genug, hinlänglich; Angl. sufficiently, abundantly, largely). Occurrit — a) Ut merum Adverbium. — Cum Verbis. Livius Andronicus apud Paul. Diac. p. 11. 15. Müll. Adfatim edi, bibi, lusi veretris. Klotz ita recte emendavit. Nævius apud Fulgent. p. 565. 17. Merc. Myropola adfatim mihi unguentum largitus est, quo me venustarem. Cic. 2. Nat. D. 51. 127. Iisdem seminibus homines affatim vescuntur. Id. 2. Tusc. 10. 24. Satiatus affatim. Colum. 9. R. R. 13. 2. Affatim se replere aliqua re. Sall. Jug. 54. frumentum præbere. Id. ibid. 47. commeatum parare. Colum. 6. R. R. 3. 4. Palas affatim dare. Liv. 9. 35. Affatim armare aliquem aliqua re. Plin. 17. Hist. nat. 24. 37. (216). De cytiso affatim diximus. Lamprid. Alex. Sev. 38. Reficiebatur vino neque parce, neque copiose, affatim tamen. Apul. de deo Socrat. 14. Affatim suppetit aliquid. — Cum Adject. Mela 3. 7. 5. Affatim dites. Apul. 9. Met. 10. Affatim onustus. — Sæpius cum verbo esse, ut satis esse, usurpatur. Plaut. Bacch. 3. 3. 93. LYD. Melius esset, me quoque una cum illo si relinqueres. PIST. Affatim est. Cf. Trin. 5. 2. 61. Tac. 4. Ann. 60. Præteritaque et instantia, quorum copia affatim (subaudi est), et novos terrores cumulat. — b) Usurpatur et more substantivi cum Genitivo. Plaut. Men. 3. 1. 10. Affatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt. Id. Mil. glor. 4. 1. 33. Tibi divitiarum affatim est. Liv. 32. 16. 10. Agri affatim materiæ præbebant. Id. 10. 25. 7. Habere affatim lignorum. Id. 23. 5. 15. Pecuniæ affatim est frumentique. Id. 27. 17. 7. Armorum affatim erat. Id. 34. 37. Sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. Justin. 1. 8. Affatim vini.

Homonym. Affatim est aliquanto plus quam satis. Quippe satis significat quantum sufficit; affatim vero aliquanto plus quam quod sufficit, abunde: satis est id quod sufficit objective et absolute, uti ajunt Scholastici, (Cf. Horat. 3. Od. 1. 25. Desiderantem quod satis est, neque Tumultuosum sollicitat mare etc.); affatim est id quod sufficit subjective tantum et relative; hinc poterit quis ex. gr. agro colendo operam dedisse affatim ex sua sententia, sed non satis ex communi hominum opinione. Cic. 2. Att. 16. Puto me Dicæarcho affatim satisfecisse. Id. 16. ibid. 1. in LXXXII. satis esse, affatim prorsus, sed Xenonem perexigue et γλίσχρως præbere.

AFFĀTUS vel adfatus, a, um. V. AFFOR.

AFFĀTUS vel adfatus, us, m. 4. (affor) actus alloquendi, unde etiam alloquium, allocutio (It. colloquio, discorso; Fr. discours, entretien, langage; Hisp. discurso, entretinimiento; Germ. das Ansprechen, Anreden, auch die Ansprache; Angl. a speaking to, talking or conversig with). Est verbum Poetarum magis, quam prosæ scriptorum.

I.) Proprie. Virg. 4. Æn. 424. quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu? Stat. 3. Silv. 3. 72. Terribilem affatu passus visuque tyrannum. Seneca Med. 187. Minasque nostros propius affatus petit. Sil. It. 17. 340. dux cœperat ora Solvere ad affatus. Stat. 2. Silv. 4. 7. de psittaco. affatus etiam meditataque verba Reddideras. Id. 1. Theb. 190. Affatu bonus. Mamertin. gratiar. act. ad Julian. 28. Dignatus osculo oris illius divinis affatibus consecrati. Apul. 4. Met. 11. Multis affatibus adhortari aliquem.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de litteris, quibus amicos velut præsentes alloquimur. Claudian. Epist. ad Olybr. 1. Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos, Nec redit alterno pollice ducta salus? ¶ 2. Hinc apud serioris ævi scriptores etiam mandata aut rescripta principum aliquando affatus dicta sunt. Imp. Leo Cod. Theod. 1. 26. 6. Sacri affatus, quoscumque nostræ mansuetudinis in quacumque parte paginarum scripserit auctoritas, non alio colore, nisi purpurea inscriptione lustrentur. Justinian. ibid. 5. 4. 23. Liceat eis nostro supplicare numini, ut divinos affatus sine dubio mereantur. Impp. Gratian. Valent. etc. ibid. 9. 20. 4. Nisi hoc cuiquam per divinos affatus imperator indulgeat. Adde ibid. 7. 2. 3.

AFFECTĀTĒ vel adfectate, adverb. (affectatus) nimio studio, quod in dicendo apparet (V. AFFECTATIO 2.). Servius in Virg. 1. G. 8. Pingui autem arista modo pro frumento posuit: et affectate ait pinguem aristam, cum proprie arista ab ariditate sit dicta. Capell. 5. p. 181. Si nihil affectate et quasi ex natura exponere videamur.

AFFECTĀTĬO vel adfectatio, ōnis, f. 3. (affecto) est vehemens affectus, seu desiderium alicujus rei et studium ejus assequendæ (It. brama ardente, cupidigia di ottener qualche cosa; Fr. désir très-vif, passion, recherche, poursuite; Hisp. deseo vehemente, anhelo, ú apetencia, persecucion; Germ. das Trachten etwas zu erreichen; Angl. an ardent desire to obtainor accomplish any thing). ¶ 1. Generatim accipitur cum in bonam, tum in malam partem. — a) In bonam partem est vehemens ac laudabile alicujus rei studium. Seneca Ep. 89. 3. Philosophia sapientiæ amor est et affectatio. Plin. 2. Hist. nat. 20. 18. (82). Magna cœli affectatione compertum. h. e. magno, quo in cœlum rapiebantur homines studio, magno inquirendi cœli studio. — In malam partem est nimius aut pravus affectus, seu cupiditas. Plin. 11. Hist. nat. 37. 56. (154). Tanta est decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque. Sueton. Tit. 9. Convictus in affectatione imperii. Tac. Germ. 28. Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt. Plin. 34. Hist. nat. 2. 3. (6). Mira circa id (æs Corinthium) multorum affectatio fuit. h. e. nimis eo sunt delectati. ¶ 2. Peculiariter apud Rhetores est nimium in dicendo studium, quod apparet, dicendi ratio nimis exquisita nimisque polita, quam Græci vocant κακοζηλίαν. — a) Cum Genitivo. Sueton. Grammat. 10. Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. Quintil. 24. præfat. Affectatio nimia subtilitatis. Id. 11. 1. 32. severitatis. Id. 8. 1. 2. unius verbi. — b) Absolute. Quintil. 83. 56. Κακόζηλον, id est, mala affectatio per omne dicendi genus peccat. Id. 12. 10. 40. Id esse affectationis et ambitiosæ in loquendo jactantiæ. Id. 1. 6. 40. Sed opus est modo, ut neque crebra sint hæc, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione. Id. 3. 8. 62. Quam maxime remotus ab omni affectatione. Sueton. Tib. 60. Affectatione nimia obscurare stilum.

AFFECTĀTŌ vel adfectato, adverb. (affectatus) nimio affectu, studio aut cura (It. affettatamente, con affettazione; Fr. avec soin ou zèle, soigneusement; Hisp. afectadamente, cuidadosamente; Germ. mit aller Absicht; Angl. studiedly, too zealously). Lamprid. Heliogab. 17. Illud (nomen) affectato retinuerat dum volt videri filius Antonini. Sarpius Analect. p. 45. hoc idem adverbium legendum putat apud Quintil. 1. 5. 8. V. CASNAR.

AFFECTĀTOR vel adfectator, ōris, m. 3. (affecto) qui vehementi affectu aliquid cupit et assequi studet (It. chi brama ardentemente qualche cosa; Fr. celui qui désire vivement, qui recherche avec ardeur; Hisp. afectador, el qui desea, anhela vivamente; Germ. der eifrig und mit sichtbarem Streben nach etwas trachtet; Angl. one who has a vehement desire for any thing). Sumitur autem — a) Raro admodum in bonam partem. Eutrop. 10. 7. Civilibus artibus et liberalibus studiis deditus, affectator justi amoris, quem omnino sibi et liberalitate et docilitate quæsivit. Ammian. 21. 16. Doctrinarum diligens affectator. — b) Fere semper in malam partem. Quintil. 6. 3. 3. Cicero non solum extra judicia, sed etiam in ipsis orationibus habitus est nimius risus affectator. Id. 6. 2. 16. Affectatores libertatis. Id. 5. 13. 24. regni. Flor. 2. 6. Primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus.

AFFECTĀTRIX vel adfectatrix, icis, f. 3. (affectator) quæ affectat et infeliciter æmulatur aliquid.

Tertull. Præscription. 7. Sapientia humana affectatrix et interpolatrix veritatis.

AFFECTĀTUS vel adfectatus, a, um. *V.* AFFECTO.

AFFECTĒ vel adfecte, adverb. (afficio) cum affectione, seu affectu (It. *con dell'affetto o passione*; Fr. *vivement, d'une manière profondement sentie*; Hisp. *vivamente, con afecto*; Germ. *mit Affect oder Leidenschaft*; Angl. *with a strong affection or powerful feeling*). *Tertull. Anim.* 45. Oblectamur et contristamur et conterremur in somniis quam affecte et anxie et passibiliter.

AFFECTĬO vel adfectio, ōnis, f. 3. (afficio) est rei aut personæ commutatio ratione habita alterius; hinc ipsius rei aut personæ constitutio, ut definit *Cic.* 2. *Invent.* 58. 176. Affectio est quædam ex tempore, aut ex negotiorum eventu, aut administratione, aut hominum studio commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitæ sint aut plerumque haberi soleant, habendæ sint (It. *mutamento di stato e relazione, stato, disposizione, qualità, positura*; Fr. *changement dans l'état des choses ou des hommes, état, situation*; Hisp. *mutacion de l'estado de una persona ó de una cosa, estado*; Germ. *die Versetzung irgend einer Person oder Sache in irgend ein Verhaltniss, daher der Stand, Zustand, das Verhalten oder Verhaltniss derselben*; Angl. *an affection of the mind or body, disposition*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Cic.* 2. *Divinat.* 47. 99. Fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum spiritum duxerit. *h. e.* ex qua cœli constitutione vel sidere. *Id. Fat.* 4. 8. Affectio astrorum valet ad quasdam res. ¶ 2. Hinc apud Rhetores affectio est ratio unius rei ad alteram. *Cic. Top.* 18. 68. In quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Et *ibid.* 70. Affectio autem ad res aliquas est hujusmodi: principum commoda majora, quam reliquorum etc. *V.* AFFECTUS, a, um. ¶ 3. Hinc est etiam quæcumque humani corporis aut animi constitutio, sive bona, sive mala, ut definit idem *Cic.* 1. *Invent.* 25. 36. Affectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quæ genere in eodem reperiuntur. — a) De corpore. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 27. Tu vero –, qui omne bonum in visceribus medullisque condideris et definieris summum bonum firma corporis affectione exploratаque spe contineri, fortunæ aditus interclusisti? *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. Plurimi deinde etiam affectiones vitæ quæsierunt. *h. e.* ἐπιτηδεύματα, vitæ genera. — b) Sæpius autem dicitur de motibus animi generatim, qui non sunt manentes. *Cic.* 2. *Invent.* 5. 17. Impulsio est, quæ sine cogitatione per quamdam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, ægritudo, vinolentia et omnino alia (*Forc.* omnia), in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit, etc. Et *ibid.* 19. Commotio et affectio animi. *Curt.* 7. 1. 29. Vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, utrumque præsens movit affectio. *Quintil.* 5. 12. 6. Quantum in animis hominum talis affectio (*h. e.* ira) efficiat. Adde eumd. 11. 3. 181. et *Gell.* 19. 12. — c) De motibus animi constantibus manentibusque ponitur affectio pro Gr. ἕξις. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 10. Animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam. *Id.* 4. *ibid.* 13. 29. Vitiositas (*animi*) autem est habitus aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Et *ibid.* § 30. Vitia affectiones sunt manentes, perturbationes autem moventes, ut non possint affectionum manentium partes esse. Et *ibid.* 15. 34. Virtus est affectio animi constans conveniensque etc. *Id.* 2. *ibid.* 18. 43. Cum omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur. *Id.* 4. *ibid.* 13. 29. Affectio insipiens, distorta, prava. *Id.* 3. *Off.* 6. 30. Non mihi est mea vita utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. *Id.* 3. *Fin.* 20. 65. Ex hac animi affectione testamenta commendationesque morientium natæ sunt. ¶ 4. Hinc a JCtis accipitur interdum pro voluntate, tamquam legitima animi constitutione. *Paul. Dig.* 41. 2. 1. Furiosus et pupillus non possunt incipere possidere, quia affectionem tenendi non habent. *Ulp. Dig.* 5. 16. 60. Non enim magnitudo locum a fundo separat, sed nostra affectio est. *V. Dirksen, Manuale* p. 19. ¶ 5. Et speciatim a scriptoribus, qui post Augusti sæculum floruerunt, dicitur de animo ita constituto, ut in aliquem propensus sit ac benevolus, hoc est de affectu amoris et benevolentiæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. (216). Simiarum generi præcipua erga fetum affectio. *Tac.* 1. *Ann.* 15. Egit Nero grates patribus, lætas inter audientium affectiones, qui recenti memoria Germanici, illum aspici, illum audiri rebantur. *Id. Germ.* 5. Argentum magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia etc. *Justin.* 24. 3. Quos Ptolemæus cupide et ultra modum veræ affectionis amplexus, osculis diu fatigat. *Gell.* 10. 18. Virum amasse fertur ultra affectionis humanæ fidem. *Capell.* 1. p. 10. Quæ ei tantum affectionis impenderit. *Inscript.* apud *Orell.* 520. OB .... SINGVLAREM ERGA PATRIAM AFFECTIONEM. *Inscript.* apud *Gruter.* p. 459. 4. OB ADFECTIONEM ET PIETATEM IN SE EXIMIAM. ¶ 6. Affectiones metonymice sunt etiam ipsi homines, in quos amor et benevolentia nobis est. *Cod. Theod.* 13. 9. 3. Affectiones naviculariorum. *h. e.* eorum mulieres et filii. Adde *Cod. Justin.* 11. 5. 3. — NB. *Affectionem* pro *affectatione*, *h. e.* vehementi affectu ad rem aliquam, usurpari ait *Salmas.* a *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 1. *Affectionem tyrannidis latuisse*; sed non est constans lectio: quemadmodum neque in loco *Servii* ad *Virg.* 3. *Æn.* 209., ubi ait *affectores stupri* positum esse pro *affectatores*. Utroque enim loco alii et *affectationem* et *affectatores* habent.

AFFECTĬŌSĒ vel adfectiose, adverb. (affectiosus) cum affectu, amanter. Est *Servii* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 27. Hæc *Forcellinus*. Sed recentiores Editt. rectius legunt *affectuose*.

AFFECTĬŌSUS vel adfectiosus, a, um, adject. (affectio). — a) Qui affectionem habet. *Tertull. Anim.* 19. Mirum satis, ut infantia naturaliter animosa sit, non habens animum, et naturaliter affectiosa sit, non habens intellectum. — b) Item est voluptarius. *Ennod. Opusc.* 4. p. 1034. *A.* Illa affectiosam servavit pudicitiam, non coactam. *h. e.* spontaneam, quippe quam amabat.

AFFĔCTĪTO, as. Verbum a Lexico expungendum, occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 36.

AFFECTĪVUS, a, um, adject. (affectus) qui affectum indicat. *Priscian.* 17. p. 1054. *Putsch.* Verba voluntaria, id est affectiva, quoque videmus solere infinitis adjungi, ut *volo legere*, *cupio scire*, *studeo discere*.

AFFECTO vel adfecto, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Affectans B.* 1. *a.* et 2.; *Affectatus B.* 1. *a.* et 3. et in fin.; *Affectandus B.* 1. *a.* — Affecto est anxie et cum affectu exquiro, appeto et consequi conor; et generatim, ut ait *Paul. Diac.* p. 2. 4. *Müll.* Adfectare est pronum animum ad faciendum habere.

A) De corporeis vel inanimis ¶ 1. Usurpatur fere cum Accusativo viam aut iter aliquo vel ad aliquem vel ad aliquam rem, et significat ingredi, insistere, moliri viam; idque cum affectu, seu voluntate prompta et studio; et fere translate occurrit. — a) Cum eis tantum Accus. *Plaut. Men.* 4. 3. 12. Ut me defraudes, ad eam rem affectas viam. *Ter. Phorm.* 5. 7. 71. Hi gladiatorio animo ad me affectant viam. *Id. Heaut.* 2. 3. 60. Nam disciplina est eisdem munerarier ancillas primum, ad dominas qui affectant viam. *h. e.* qui cupiunt dominarum amorem sibi conciliare. *Cic. Rosc. Am.* 48. 140. Quæ quidem dominatio – quam viam muniet, quod iter affectet (*Forc.* cum al. leg. *quo*), videtis, ad finem, ad jusjurandum, ad judicia vestra etc. *Id.* 1. *Leg. Agr.* 2. 5. Videte nunc quo affectent iter, apertius quam antea. V. *Klotz* ad h. l. *Vol.* 2. p. 830. *Virg.* 4. *G.* 562. Per populos dat jura viamque affectat Olympo. *h. e.* magno studio magnaque alacritate Olympum adire contendit: ubi *Philargyrius* interpretatur *intendit*. — b) Sequente *ut*. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 37. Video quam rem agat: ut me deponat vino, eam affectat viam. *h. e.* id vehementer conatur, ut me inebriet. ¶ 2. Hinc est etiam assequi, eo tendere, ut aliquid assequamur, tentare, magno studio audere, et occurrit — a) Absolute omnino. *Virg.* 3. *Æn.* 670. Verum ubi nulla datur dextra affectare potestas. *Klotz* ita legit cum *Heyn.*, et *dextra* Nominativum a *dexter* esse affirmat, sensum vero hunc: Verum ubi nulla prospera occasio, nulla copia fuit fugientes assequi etc. Sed *Forcellinus* cum *Servio*, *Pierio* aliisque legit *dextram affectare*, h. e. anxia quadam aviditate dexteram injicere et cupide extendere. — b) Translate *affectare ad aliquid* idem est ac aspirare. *Firmic.* 5. *Mathes. præfat.* Ne solum hoc opus extitisse videatur, ad quod Romanum non affectasset ingenium. — c) Cum Infinito. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 9. Tua flagitia et damna, quibus patrem et me teque amicosque omnes affectas tuos ad probrum, damnum, flagitium appellere una et perdere. *Ovid.* 2. *Art. am.* 59. Non ego sidereas affecto tangere sedes. *Sil. It.* 4. 138. Dum primæ decus affectat decerpere pugnæ. Adde *Stat.* 1. *Theb.* 132., et *Quintil.* 10. 1. 97. et 5. 10. 28. — d) Apud serioris ævi scriptores *affectare aliquid* est moliri, procurare. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. Asclepiades vero – affectans vomitum ex capaci haustu transvoratis potionibus, eadem die lavat ægrotantes et vino potat. *Id.* 2. *ibid.* 37. Si non fuerit naturaliter frigidus locus, hoc affectabimus specularia detrahentes.

B) Hinc de moralibus et intellectualibus, affectare ¶ 1. Generatim est animum in rem intendere, quam assequi conamur, anxie et cum affectu appetere, arcessere: et occurrit cum in bonam, tum in malam partem. — a) In bonam partem. *Cic.* 4. *Herenn.* 22. 20. Nam hic est in quibusdam verbis quædam similitudo non tam affectanda, quam illæ superiores, sed tamen adhibenda nonnunquam. *Nep. Attic.* 13. 5. Omni diligentia munditiem, non affluentiam affectabat. *Val. Max.* 8. 7. 1. *ext.* Cum Demosthenes artis, quam affectabat, primam litteram dicere non posset. *Ulp. Dig.* 1. 1. 1. Veram philosophiam, non simulatam affectantes. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. (8). Nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere; quod ars nulla in paucis numero præstet affectando. *h. e.* majoribus, quibus potest, conatibus. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 98. Nec tantum pietas, sed protinus ardua virtus Affectata tibi. *h. e.* vehementer et studiose appetita. *Quintil.* 3. 8. 61. Affectare magnificentiam verborum. *Gell.* 17. 20. elegantiam Græcæ orationis verbis Latinis. — Hinc etiam *affectare spem* legimus apud *Liv.* 28. 18. *sub fin.* Potiundæ Africæ spem affectans. *Ovid.* 3. *Met.* 377. nam spes affectat easdem (*virgo*). — b) Sæpius in malam partem accipitur pro nimio aut pravo affectu aliquid vehementer cupere et assequi studere, infeliciter imitari. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 51. Qua licet, affectas cœlum quoque. Adde 1. *ibid.* 1. 14. *Curt.* 4. 7. 31. Affectare immortalitatem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (9). diligentiam in supervacuis. *Id.* 9. *ibid.* 35. 56. (114). Uniones affectant et pauperes feminæ. *Tac.* 2. *Hist.* 63. Affectare famam clementiæ. *Id. ibid.* 91. rumorem plebis. *Id.* 14. *Ann.* 16. studium carminum. *Plin. Paneg.* 20. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata, interque ea, quæ imputare non possis. *h. e.* alii ut casti viderentur, summa cura laborarunt nec obtinuere; tibi sine studio castitas a natura inest. *Sueton. Vesp.* 23. Maxime tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat, ut invidiam aliqua cavillatione dilueret. *Quintil.* 3. 11. 20. Affectare plausum. *Id.* 11. 3. 26. crebrum anhelitum. *Stat.* 11. *Theb.* 539. cruorem alicujus. *Ulp. Dig.* 48. 5. 23. Quod si non affectavit, sed dum adulterum occidit, profugit filia etc. *h. e.* de industria non consensit in fugam filiæ. ¶ 2. Hinc, si de re publica agitur, affectare est captare, nimia apertaque arte quærere, ad se trahere. *Sall. Jug.* 70. Civitates formidine, aut ostentando præmia affectare. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 66. *Id. ibid.* 17. Galliarum societatem Civilis arte dolisque affectabat. *Liv.* 7. 3. 9. Bellum Hernicum affectans delectu acerbo juventutem agitavit. *Id.* 29. 6. 2. Spes autem affectandæ ejus rei (*h. e.* Locris expugnandæ et capiundæ) ex minima re affulsit. *Vellej.* 2. 39. Affectare Gallias et amittere. *Tac. Germ.* 39. Gallias. *Flor.* 2. 2. 2. Siciliam. — Item *affectare* de iis quoque ponitur, quæ perduellionis crimen constituunt, in quibus Cicero aliique classici scriptores *appetere* potius dixerunt. *Sall.* apud *Augustin.* 3. *de Civ. Dei* 17. Affectare dominationes. *Liv.* 1. 46. et *Curt.* 4. 6. 4., 6. 10. 22. *et alibi sæpe*: regnum. *Curt.* 10. 10. 14. fastigium regium. *Sueton. Cæs.* 79. Infamiam affectati regii nominis discutere. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 59. Sic affectantes cœlestia regna Gigantes. Adde 1. *Met.* 151. *Id.* 1. *Amor.* 1. 14. *de Cupidine*: Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna; Cur opus affectas, ambitiose, novum? *Liv.* 1. 50., *Curt.* 4. 14. 21., *Val. Max.* 5. 8. 2. et *Tac. Agric.* 7. Affectare imperium. *Quintil.* 9. 2. 81. tyrannidem. *Tac.* 1. *Hist.* 23. studia militum spe successionis. — Hinc in re venerea *affectare* est concubitum appetere, ut notat vetus interpres *Horatii* ad 1. *Sat.* 2. 35. *V.* vocem sequent. *Affectata femina.* *V.* ASSECTOR in fin. ¶ 3. Item apud Rhetores usurpatur de stylo, qui majori quam par est cu-

ra et studio conquisitus est et elaboratus. *Quintil.* 8. *præfat.* 18. Affectare decus in dicendo. *Id.* 9. 3. 4. nimium aliquid. *Id.* 3. 8. 58. in verbis effusiorem cultum. *Id.* 8. 2. 12. famam eruditionis. *Id.* 14. 3. 10. imitationem antiquitatis. Hinc Part. præter. pass.

Affectatus, a, um, adjective occurrit. *Quintil.* 10. 3. 10. Affectata et parum naturalia. *Id.* 3. 11. 21. Subtilitas affectata. *Id.* 9. 3. 54. Apertior ars et magis affectata. — *NB.* Comparat. *Affectatius* cum vett. Editt. etiam *Forcellinus* legebat apud *Quintil.* 12. 11. 45. Dandum putant nonnihil esse temporibus atque auribus, nitidius aliquid atque affectatius postulantibus. *Recentiores tamen Editt. rectius exhibent* affectius. — Passive *affectari morbo* est morbo affectum esse, apud *Liv.* 29. 10., ut quidam leg. ex optimis lib. Alii tamen *afflictari*.

AFFECTOR *vel* adfector, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem quod affecto, anxie appeto. — *a*) Cum Accus. tantum. *Varro* apud *Diomed.* 1. p. 377. *Putsch.* Affectatus est regnum. *Cassiod.* 8. *Variar.* 20. Respice in illo odium publicum, et tu amorem affectare cunctorum. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*, ita ut *Forcellino* visum sit passiva significatione, pro affici seu disponi ad concubitum. *Apul. Herb.* 15. *de satyrio*: Si quis ad mulierem non poterit affectari, obligatus. *Et mox*: Per triduum sumes, ad mulierem affectaberis continuo.

AFFECTOR, oris, pro Affectator, videtur falsa lectio. *V.* AFFECTIO in fin.

AFFECTUŌSĒ *vel* adfectuose, adverb. (affectuosus) Comp. *Affectuosius.* Est magna animi propensione, cum affectu et amore (It. *con affetto, affettuosamente*; Fr. *affectueusement, gracieusement*: Hisp. *afectuosamente*; Germ. *mit voller Zuneigung*; Angl. *kindly, affectionately*). *Cassiod.* 5. *Ep.* 4. Dicam libere, dicam affectuose, quod sentio. *Id.* 8. *Variar.* 1. Magis affectuosius tractandus est qui ad regni causas innocens invenitur. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Fratrem affectuosissime observans. Adde *Servium* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 27., ubi al. *affectiose*.

AFFECTUŌSUS *vel* adfectuosus, a, um, adject. (affectus, us) amoris et affectus plenus (It. *affettuoso*; Fr. *affectueux, tendre*; Hisp. *afectuoso, amoroso*; Germ. *voll von Neigung oder Liebe*; Angl. *kind, friendly, affectionate*). *Macrob.* 2. *Saturn.* 11. Piam affectuosamque rem fecisse. *Cassiod.* 5. *Ep.* 2. Affectuosa salutatio. *Alii leg.* affectuosissima. *Tertull.* 5. *contra Marcion.* 14. Amore fraternitatis invicem affectuosi. φιλόστοργοι.

AFFECTUS *vel* adfectus, a, um. *V.* AFFICIO.

AFFECTUS *vel* adfectus, us, m. 4. (afficio) idem ferme quod affectio, seu quæcumque animi aut etiam corporis in homine constitutio vel habitus, ab externis rebus lacessitus atque allatus (It. *affezione, affetto*; Fr. *état produit par l'impression des choses extérieures, disposition, affection*; Hisp. *afecion, disposicion*; Germ. *der durch Einfluss oder Einwirkung von Aussen hervorgerufene Zustand, die herbeigeführte Disposition eines menschlichen Individuums*; Angl. *affection, disposition, constitution*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu — *a*) Raro admodum affectus dicitur de constitutione corporis præcipue mala, quales sunt morbi. *Cels.* 2. 15. In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum necessaria sunt. *Id.* 3. 18. Supersunt alii corporis affectus, qui huic (*febri*) superveniunt. — *b*) Sæpius generatim de animi constitutione vel motu, sive bono, sive malo. Raro tamen de manente animi affectione, ut apud *Cic.* 5. *Tusc.* 16. 47. Qualis cujusque animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem homo esset, talem ejus esse orationem: orationi autem facta similia, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis. *Quintil.* 6. 2. 9. Affectuum duæ sunt species: alteram Græci πάθος vocant, quam nos vertentes recte ac proprie affectum dicimus: alteram ἦθος, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus; mores appellantur. *Ovid.* 8. *Met.* 473. dubiis affectibus errat, Inque vicem ponit positamque resuscitat iram. *Id.* 4. *Trist.* 3. 31. nec dicere possum Affectum quem te mentis habere velim. *Id.* 3. *ibid.* 2. 8. Affectusque animi, qui fuit ante, manet. *Id.* 7. *Met.* 147. Quod licet, affectu tacito lætaris. *Curt.* 7. 1. 24. Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata est: ad omnes affectus impetu rapimur: vituperamus, laudamus, miseremur, utcumque præsens movit affectio. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (70). Spectantur et duo signa ejus diversos affectus exprimentia, flentis matronæ et meretricis gaudentis. *Servius* in *Virg.* 2. *Æn.* 41. Omnis affectus tribus rebus ostenditur, vultu, voce, gestu. *Quintil.* 1. 11. 2. Affectus amoris, avaritiæ, metus. *Id.* 6. 2. 9. Affectus concitati, mites atque compositi, vehementer commoti, lenes etc. *Id.* 5. 13. 1. mitiores. *Id.* 10. 1. 101. dulciores. *Id.* 11. 3. 61. veri, ficti et imitati. *Id.* 6. 2. 7. et 1. 10. 25. Movere affectus. *Id.* 11. 3. 58. Inducere judicem in affectus. *Id.* 3. 4. 15. Affectus concitare, componere. *Id.* 6. 2. 9. Occupari affectibus. *Id.* 11. 3. 176. Versare aliquid per omnes affectus. *Id.* 6. 2. 9. Continuum affectum nonnullæ materiæ desiderant. ¶ 2. Item generatim apud JCtos ponitur pro deliberata voluntate, tamquam legitima animi constitutione. *Labeo Dig.* 44. 7. 54. In omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium. *Ulp. Dig.* 43. 4. 1. Hoc edicto neque pupillum, neque furiosum teneri constat, quia affectu carent. *Paul. Dig.* 3. 5. 19. § 2. Erit igitur negotiorum gestorum actio, quia gerendi negotii mei habuit affectum. V. *Dirksen, Manuale* p. 19. et AFFECTIO 4. ¶ 3. Speciatim, præcipue plur. num., dicitur de pravis animi motibus (It. *passione*; Fr. *passion*; Hisp. *pasion*; Germ. *Leidenschaft, Begierde*; Angl. *passion*). *Curt.* 4. 5. 3. Vereri ne se – inani ac puerili mentis affectu efferret. *Seneca Ep.* 75. 10. Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum. Adde *ibid.* § 8. et 9. *Plin. Paneg.* 79. Cohibere affectus. — Hinc et pro desiderio et cupiditate. *Juvenal.* 12. 10. Si res ampla domi similisque affectibus esset. ¶ 4. Item peculiariter est etiam animi proclivitas in aliquem, vehemens ejusdem cupido, amor et benevolentia, præcipue sing. num. *Sueton. Tit.* 8. Non modo principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum præstitit. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Quod ille, tutor mihi relictus, affectum parentis exhibuit. *Inscript.* apud *Orell.* 775. OB PIETATIS SVAE ADFECTV. *Plin.* 3. *Ep.* 10. plur. num.: Neque enim affectibus meis uno libello carissimam mihi et sanctissimam memoriam prosequi satis est. ¶ 5. Item metonymice pro iis, quos omni affectione prosequimur, *h. e.* liberis et propinquis. *V.* AFFECTIO 6. *Lucan.* 8. 132. tenuit nostros hac obside Lesbos Affectus: hic sacra, domus carique penates; Hic mihi Roma fuit. *Apul.* 2. *de dogm. Plat.* 22. Carissimis orbatus affectibus. *Capitolin. Antonin. philos.* 24. Non est satis motus defensione Cassii, nec in ejus affectus sævit. *Id. Maximin.* 23. Milites, quorum affectus in Albano monte erant. *h. e.* παῖδες καὶ γυναῖκες, ut *Herodian.* 85. plenius dixit.

AFFERO *vel* adfero, fers, tūli, lātum, ferre, act. 3. (ad et fero). Part. *Afferens* III. 1. *a.*; *Allaturus* II. 5. *b.*; *Allatus* III. 1. *b.*; *Afferendus* III. 2. *a.* Proprie est aliquid, et præcipue quod collectum est, ad locum aliquem ferre. *V.* Homonym. in fin. (It. *recare, portare*; Fr. *apporter, amener*; Hisp. *traer, llevar, conducir*; Germ. *herbeibringen*; Angl. *to take, bring, carry*). Quoniam hoc verbum latissime patet et dicitur fere de quacumque re, ejusdem significationes ad tria summa capita redigendas esse censuimus: itaque afferre est I. aliquid ad locum aliquem ferre; II. aliquid afferendo hominis aut rei statum constitutionemque mutare; III. rem alios docere.

I.) Afferre est aliquid ad locum aliquem ferre; et usurpatur cum de corporeis, tum de abstractis. ¶ 1. Cum de corporeis usurpatur est verbum locale, quod significat et motum et actionem, quibus rem aliquam (aut interdum etiam hominem, ambulandi viribus destitutum) a loco ad locum portamus: et quidem — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Excita quum tremulis anus attulit artubu' lumen. *Plaut. Asin.* 1. 3. 87. Modo tecum argentum afferto, facile patiar cetera. *Lucret.* 5. 745. Tandem bruma nivem affert pigrumque rigorem Reddit. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 42. Affertur squillas inter muræna natantes In patina porrecta. *Curt.* 8. 3. 13. Ergo rex certior factus humanum caput afferre eum etc. *Id.* 6. 11. 34. Ipsum, quia ingredi non poterat, jussit afferri. — *b*) Addito termino aut persona, ad quam res affertur, per Accus. et præp. *ad* aut *in*, aut raro admodum per Accus. sine præp., aut denique per Adverbia localia. — Per Accus. et præp. *ad* aut *in*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 46. 63. (129). Cibum – pede ad rostrum, veluti manu, afferens. *Nep. Paus.* 5. 3. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse eamque – ad filium claudendum lapidem ad introitum ædis attulisse. *Liv.* 41. 16. 4. Sed inde mortuus Romam allatus (*Cn. Cornelius*) et funere magnifico elatus sepultusque est. *Plaut. Asin.* 1. 3. 78. Atque ea lege, si alius ad me prius attulerit (*viginti minas*), tu vale. *Liv.* 2. 36. 6. Consensu inde haud dubio omnium – in forum ad consules lecticā affertur. *Cic. Rab. perd.* 9. 25. Nunquam profecto istam imaginem – in Rostra atque in concionem attulisses. Cf. 2. infra. — Per Accus. sine præp., quod raro. *Apul.* 5. *Met.* 3. Tunc modulatæ multitudinis conferta vox aures ejus affertur. — Per Adverbia localia. *Horat. Epod.* 9. 33. Capaciores affer huc, puer, scyphos. *Nep. Ages.* 8. 3. Hujus de adventu fama cum ad regios esset perlata, celeriter munera eo cujusque generis sunt allata. *Curt.* 4. 7. 9. Eo legati Cyrenensium dona attulere, pacem – petentes. — *c*) Addito termino aut persona, a qua res aliquo affertur, per Ablat. et præp. *ab* vel *ex*, aut per Adverbia localia. — Per Ablat. et præp. *ab* vel *ex*. *Liv.* 22. 11. Litteræ allatæ ab urbe. *Id.* 7. 31. et *Quintil.* 4. 5. 4. Domo aliquid afferre. *Ter. Phorm.* 1. 2. 99. Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo. *Cic.* 1. *Att.* 9. 1. Nimium raro nobis abs te litteræ afferuntur. *Id. pro leg. Manil.* 2. 4. Equitibus Romanis – afferuntur ex Asia quotidie litteræ etc. *Id. ibid.* 9. 25. Quæ (*calamitas*) tanta fuit, ut eam ad aures (*Luculli*) imperatoris non ex prœlio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. — Per Adverbia localia. *Cic.* 7. *Att.* 13. *b.* § 7. Quid illinc afferatur. Cf. *Liv.* 41. 16. 4. supra sub *b. Plaut. Asin.* 4. 1. 21. Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam. — *d*) Si agitur de persona, cui aliquid usui, dono etc. afferatur, ea non modo per Accus. et præp. *ad*, sed sæpius per Dativum effertur. *Ter. Eun.* 1. 2. 43. Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit. *Id. Heaut.* 2. 1. 11. Magis nunc me amicæ dicta stimulant: Da mihi atque affer mihi. *Piso* apud *Gell.* 6. 9. Cn. Flavius – sellam curulem jussit sibi afferri. *Cic.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Allatus est Scipioni acipenser. *Id. Senect.* 16. 55. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt. *Id.* 6. *Att.* 8. 1. Cenantibus pridie Idus nobis – Statius a te epistolam brevem attulit. — *NB.* Huc pertinent et illæ dicendi rationes *se afferre aliquo, pedem afferre aliquo, afferri aliquo*, quæ apud Poetas tantum occurrunt et significant ire, se conferre. *Plaut. Amph.* 3. 4. 6. Ejus jussu nunc huc me affero. *Ter. Andr.* 4. 5. 12. Haud auspicato huc me attuli. *Quidam, et præcipue recentiores, leg.* appuli. *Virg.* 8. *Æn.* 477. talis huc te poscentibus affer. *Id.* 3. *ibid.* 345. sese a mœnibus heros Priamides multis Helenus comitantibus affert. Adde *ibid.* 310. *Catull.* 14. 21. abite illuc, unde malum pedem attulistis. *h. e.* unde venistis. *Al. leg.* tulistis. *Virg.* 7. *Æn.* 216. sine præp. *ad*: Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem Afferimur. *Id.* 6. *ibid.* 531. Sed quis te vivum casus, age fare vicissim, Attulerint. ¶ 2. Absolute usurpatur et de arboribus pro producere, gignere. *Varro* 1. *R. R.* 8. 6. Vitis, quæ ostendit se afferre uvam. Adde *ibid.* 3. 2. et *Colum.* 3. *R. R.* 2. 28. *Colum.* 2. *ibid.* 17. 3. Quia talis ager post longam desidiam lætas segetes affert. *Id.* 11. *ibid.* 2. 11. Surculi, qui primum florem afferunt. *Id. ibid.* 3. 20. Plantæ quoque sinapis prima hieme translatæ plus cymæ vere afferunt. *Cic.* 1. *Off.* 15. 48. Agri fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. *Recent. Editt. leg.* efferunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 158. similiter. Quid enim oves aliud afferunt, nisi ut earum villis confectis atque contextis homines vestiantur? ¶ 3. Cum abstractis modo absolute, modo cum aliquo casu. — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 1. 2. 18. Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci. *Ter. Andr.* 1. 4. 8. Opperiar, ut sciam nunc quidnam hæc turba tristitiæ afferat. *Cic. Orat.* 20. 66. Nam etiam poetæ quæstionem attulerunt, quidnam esset illud etc. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 6. Si quid oratoriæ laudis nostra attulimus industria. *Id.* 2. *Orat.* 38. 159. Quod et multa reperit – et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile etc. Adde 3. *ibid.* 12. 45. *Id.* 3. *Tusc.* 16. 35. Medicinam afferre. *Nep. Iphicr.* 1. multa nova in re militari. *Liv.* 10. 8. 7. Ne fastidieritis nos in sacerdotum numerum accipere: multa nobiscum decora afferimus, immo omnia eadem, quæ vos superbos fecerunt. *Quintil.* 11. 2. 46. Ut illa, quæ dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Plaut. Amph. prol.* 32. Propterea pace advenio et pacem ad

ves affero. Cic. 2. Phil. 29. 72. Ego ad illum belli civilis causam attuli. Id. 7. Fam. 17. 2. Itaque – quæ ad te ultro attulerim, meminisse te credo. Id. 12. Att. 38. 3. Ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam. h. e. applicem. Id. Mil. 1. 1. Etsi vereor ne turpe sit – me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse. — c) Cum Accus. et præp. in. Cic. 9. Phil. 2. 4. Qui primus in eam familiam – attulit consulatum. Id. Cluent. 33. 91. Afferre causas in judicium. Id. 2. Att. 1. auctoritatem in judicium. Id. Mur. 28. 59. potentiam in judicium. Ovid. 12. Met. 5. bellum in patriam. Cic. 1. Off. 7. 22. utilitates in medium. — d) Cum Dativo si res affertur quæ alicui est commodo aut incommodo latissima tamen significatione. Ter. Phorm. 3. 3. 20. Vide opis si quid potest afferre huic. Cic. 2. Divinat. 2. 6. Ac mihi quidem explicandæ philosophiæ causam attulit gravis casus civitatis. Id. Mur. 1. 1. Eaque res vobis populoque Rom. pacem, tranquillitatem, otium concordiamque afferat. Plaut. Asin. 3. 1. 29. Salvere me jubes, cui tu abiens affers morbum. Ter. Adelph. 5. 3. 47. Solum unum hoc vitium senectus affert hominibus. Cic. Cluent. 60. 168. Ut cui innocenti mœror tuus calamitatem et falsum crimen afferret. Id. 2. Nat. D. 3. 7. Qui risus, classe devicta, multas ipsi Claudio lacrimas, magnam populo Rom. cladem attulit. Id. 3. Orat. 13. 50. Ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat. Id. Mil. 1. 1. Ea præsidia non afferunt oratori aliquid, ne etc. Cæs. 3. B. G. 60. Magnam tamen hæc res illis offensionem et contemptionem ad omnes attulit. ¶ 4. Hinc afferre occurrit etiam pro conducere, conferre, prodesse. — a) Sæpius cum Accus. et præp. ad. Cic. 2. Fin. 27. 87. Negat Epicurus diuturnitatem temporis ad beate vivendum aliquid afferre. Id. 1. Off. 44. 155. Qui ipsi quidquid ad rempubl. attulimus, si modo aliquid attulimus. Id. Arch. 6. 12. Ut nihil possint ex his (studiis) neque ad communem afferre fructum etc. — b) Absolute. Cic. Planc. 10. 24. Aliquid præterea, – timide dicam, sed tamen dicendum est –, aliquid attulimus etiam nos. ¶ 5. Hinc etiam in pluribus dicendi modis afferre usurpatur de iis quæ afferuntur ut pravum finem assequamur, sive ut alios incommodo afficiamus, qui finis præcipue spectatur. — a) Huc pertinent locutiones dentes afferre in aliquem, et sæpius manus afferre alicui, quæ generatim significant petere, adoriri. Varro 2. R. R. 9. 9. Ut – in dominum dentes afferunt (canes). h. e. dentibus ipsos dominos petunt. Cic. Cæcin. 17. 49. Nonne – hoc intelligamus necesse est eum detrudi, cui manus afferantur? Id. 3. de republ. 17. 27. Contra autem qui sit improbissimus, – manus ei denique afferantur, effodiantur oculi. Id. Quinct. 27. 85. Domino a familia sua manus allatas esse ante suos Lares familiares. Adde eumd. 7. Verr. 24. 60. et Auct. B. Hisp. 42. 4. Plancus apud Cic. 10. Fam. 23. 4. Qui quidem – manus, quas justius in Lepidi perniciem armasset, sibi afferre conatus est. h. e. se occidere. — Et sine Dativo. Cic. 3. Verr. 26. 67. Jactatur domi suæ vir primus et honestissimus: pro se quisque manus affert. h. e. ad pugnam. Forcellinus cum aliis interpretatur opem fert. Nep. Timol. 1. 4. Ipse non modo manus non attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. — Et de rebus quoque. Cic. 3. Verr. 18. 47. Illine tu templo manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? h. e. ad illud spoliandum. Id. 2. Off. 15. 54. Afferre manus bonis alienis. h. e. alienum rapere. — Denique translate. Cic. 3. Att. 15. 2. Afferre manus suis vulneribus. quod paullo ante dixerat scindere dolorem suum, h. e. vulnera aperire et renovare. — b) Afferre vim ponitur de violentia, quæ alicujus vitæ infertur. Cic. Cæcin. 22. 61. Si reperientur ita parati fuisse, ut vim vitæ aut corpori potuerint afferre. Liv. 9. 16. Quonam se pacto paucos et infirmos crederet præsidio tam valido et armato vim allaturos. — Item de violentia quæ virgini fit. Cic. 3. Verr. 26. 67. Ubi intellexit – id parari, ut filiæ suæ vis afferretur. Id. 2. Legg. 4. 10. Sex. Tarquinius vim Lucretiæ – attulit. — Item de morali et intellectuali violentia. Cic. 2. Legg. 7. 16. Ut, illa, credo, nefaria senatusconsulta fierent, vim afferebam senatui. Adde Amic. 8. 26. Id. 2. Acad. (pr.) 36. 117. Quod si geometricis rationibus non est crediturus, quæ vim afferunt in docendo etc. — c) Huc accedunt et similia. Cic. 7. Verr. 45. 118. Afferre mortem alicui uno ictu. Adde 2. Divinat. 29. 62. Id. 2. Fin. 9. 27. interitum alicujus rei. Id. Vatin. 10. 24. Afferre necem alicui suis manibus. Sed tamen Orell. legit offerre. Adde Plin. 17. Hist. nat. 24. 37. (228). Cic. Rab. perd. 9. 25. pestem alicui. Plin. 17. Hist. nat. 28. 40. (75). pestilentiam. Cic. 2. Off. 3. 10. perniciem vitæ hominum. Id. 2. Nat. D. 3. 7. cladem populo Romano. Cælius apud Cic. 8. Fam. 10. 1. periculum alicujus dignitati. Cic. 2. Off. 22. 76. finem alicujus rei. Id. Cluent. 60. 168. et Cæs. 1. B. C. 82. calamitatem. Colum. 1. R. R. 2. jacturam.

II.) Afferre usurpatur etiam de re, quam afferendo rei aut personæ constitutionem mutamus, sive alia, quam antea, qualitate afficimus: idque — a) Raro de inanimis. Plin. 13. Hist. nat. 1. 2. (17). Alioquin nimiam amaritudinem affert (myrrha). Id. 15. ibid. 2. 3. (7). Vetustas oleo tædium affert. h. e. malum saporem inducit. — b) Sæpius de personis, et quidem cum de lætis, tum de tristibus, ut apud Cic. 3. Tusc. 16. 34. Quæ (lex vitæ) non hoc affert, ut semper mœreamus, sed ut nunquam. — De lætis. Cic. 1. Off. 1. 1. Afferre adjumentum alicui. Id. 7. Att. 13. 6. § 7. alicui aliquantum animi. Id. 1. Fin. 11. 37. consecutionem voluptatis. Id. 15. Att. 1. consilium alicui. Id. 10. ibid. 4. 6. consolationes alicui malo. Id. 1. Off. 20. 69. constantiam, dignitatem. Id. 7. Fam. 1. et Brut. 3. 13. delectationem. Quintil. 2. 13. 11. gratiam et delectationem. Cic. 10. Fam. 4. excusationem Justin. 27. 1. 10. favorem. Plin. 10. Ep. 2. 1. gaudium. Plin. 26. Hist. nat. 11. 69. (111). hilaritatem. Cic. 4. Tusc. 22. 49. lætitiam sociis. Id. 5. Fin. 1. 2. memoriam. h. e. in mentem revocare. Ernestus vero suspicatur legendum offerre. Plin. 25. Hist. nat. 2. 5. (12). oblivionem tristitiæ. Cic. 2. Off. 13. 48. opinionem populo. h. e. inducere populum ad credendum. Id. 1. Fin. 14. 47. pacem animis. Ovid. 12. Met. 146. requiem. Colum. 5. R. R. 10. salubritatem. Cic. 4. Fam. 3. salutem. Id. 3. Tusc. 27. 65. sedationem mœrendi. Id. Amic. 27. 104. solatium. Cic. 1. ad Q. fr. 1. spem decessionis. Id. 3. Off. 6. 30. utilitatem. — De tristibus. Ter. Heaut. 4. 3. 2. Ægritudinem afferre alicui. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 11. § 32. acerbitatem. Id. 3. Tusc. 25. 59. angorem generi humano. Id. 2. Phil. 45. 116. consuetudinem serviendi. Id. Cluent. 60. 168. et Rabir. Post. 10. 27. crimen alicui. h. e. crimini dare. Id. 7. Att. 5. curam alicui. Nep. Ages. 8. deformitatem. Cæs. 1. B. C. 11. desperationem. Id. 1. ibid. 82. et Nep. Att. 2. detrimentum. Cic. Sull. 1. 3. dolorem. Id. Rosc. Am. 5. 13. egestatem et luctum. Id. Quinct. 7. 9. errorem. Id. Mur. 9. 21. fastidium alicui. Id. 12. Att. 14. laborem. Propert. 1. 6. 23. labores. Cic. 2. Nat. D. 3. 7. et 12. Att. 14. lacrimas. Id. 7. Verr. 25. 63. metum alicui. Id. Sext. 61. 129. moram. Ter. Hec. 3. 2. 9. et Cic. 7. Fam. 13. molestiam alicui. Id. 10. Phil. 1. 2. necessitatem dicendi. Plin. 25. Hist. nat. 2. 6. 17. pavorem aquæ potusque omnis odium. Id. 1. Att. 14. offensionem alicui. Id. 10. Fam. 18. sollicitudinem. Id. 12. Phil. 7. 18. suspicionem. h. e. in suspicionem inducere. Id. 4. Tusc. 22. 49. terrorem hostibus.

III.) Afferre sæpissime est etiam rem alios docere. ¶ 1. Est nuntiare, ut apud Plaut. Amph. prol. 9. Ea afferam, ea ut nuntiem, quæ maxime in vestram rem communem sient. Occurrit autem — a) Cum Accus. Cic. Rosc. Am. 7. 19. Afferre nuntium alicui. Id. 15. Fam. 1. Quo nuntio allato. Curt. 3. 13. 5. Falsum nuntium mortis ejus attulerat. Nep. Eum. 9. 1. Afferre suspicionem. Cic. filius apud Cic. 16. Fam. 21. 2. rumores. Cic. 6. Att. 8. 2. terrores. Liv. 27. 33. Majorem afferentes tumultum nuntii occurrunt. — Afferre aliquid alicui sæpius occurrit. Plaut. Asin. 2. 2. 65. Istud, quod affers, aures expectant meæ. Ter. Phorm. 3. 2. 5. Mirabar, si tu mihi quidquam afferres novi. Adde Hec. 5. 4. 1. Cic. 2. Fam. 14. Jam diu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur. Adde 1. Off. 53. 154. Cæs. 3. B. C. 15. Magnum enim, quod afferebatur, videbatur! Liv. 4. 37. Haud vana attulere. Tac. 1. Hist. 76. Idem ex Hispania allatum. — b) Cum Ablat. et præp. de, præcipue passive. Cic. Brut. 1. 1. Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum. Id. 3. Fam. 10. 1. Cum est ad nos allatum de temeritate eorum. — c) Cum Accus. et Infinito. Cic. Cæl. 21. 53. Atque ita Cælium ad illam attulisse (dixit), se ad ornatum ludorum aurum quærere. Nep. Milt. 3. 3. Cum crebri afferrent nuntii male rem gerere Darium. Adde Liv. 35. 24. — Præcipue si ponatur allatum est, affertur. Cic. 5. Fam. 2. 1. Sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu cum disputarem, – dixisse. Liv. 4. 45. 3. Novos hostes Lavicanos consilia cum veteribus jungere –, Romam allatum est. Id. 4. 55. 1. Æquos prædatum extra fines exisse affertur. Adde eumd. 10. 45. 2. et 6., et 22. 14. 11. et V. Drakenborg ad postremum h. l. ¶ 2. Est allegare confirmandi, confutandi, excusandi etc. causa. — a) Cum certis Accus., puta causam, rationem, argumentum aliaque hujusmodi. Ter. Heaut. 4. 3. 23. Quid dicam? quam causam afferam? Cic. 11. Att. 15. 1. Quoniam justas causas affers, quod te hoc tempore videre non possim etc. Adde Plin. 16. Hist. nat. 25. 41. (97). Cic. 1. Tusc. 17. 39. Platonem ferunt – non solum sensisse idem, quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse. Adde ibid. 22. 49. et 4. Fam. 13. 4. Id. 5. Fin. 10. 27. Rationes afferendas puto. Plin. 16. Hist. nat. 40. 76. (207). Argumentum afferunt, quod citissime ascias retundat. Curt. 6. 4. 18. Et argumentum afferunt, aquam mitescere. Cæs. 3. B. C. 53. 4. Cum laboris sui periculique testimonium afferre vellent. Plin. 18. Hist. nat. 6. 8. (41). Neque mihi temperare, quominus unum antiquitatis exemplum afferam. — b) Præcipue afferre aliquid generatim occurrit. Addito interdum fine, interdum absolute. Cic. Cæcin. 29. 85. Idque me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse. Quintil. 2. 17. 12. Ad cujus rei confirmationem afferunt. Cic. Senect. 6. 17. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, etc. h. e. nullam adducunt causam. Id. 2. Orat. 53. 215. Afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius, aut æque grave. Id. 2. ibid. 89. 364. Quid enim poterit dicere? – an ætatem afferet? Id. 1. Tusc. 48. 114. Affertur etiam de Sileno fabella quædam. — c) Cum Accus. et Infinito. Cic. 2. Divinat. 16. 36. Sed affers, in tauri opimi extis, immolante Cæsare, cor non fuisse. Id. 3. 33. 55. Tantummodo affert (hæc oratio), nihil evenisse, quod non opinandum fuisset. Adde 1. Divinat. 30. 64. — d) Sequente partic. cur. Cic. 1. Tusc. 20. 70. In quo igitur loco est? Credo equidem in capite; et cur credam afferre possum. Id. ibid. 13. 30. Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus.

Homonym. Afferre differt a verbo adducere: affertur enim quod per se agere atque ire nequit; adducitur quod naturâ suâ agendi atque movendi facultate præditum est: hinc res affertur, homo adducitur. V. ADDUCO Homonym. — Verbum tamen afferre minime significat, in re quæ affertur magnum pondus inesse: quod contra significatur verbis apportare et advehere. — Verbo afferre recte opponitur verbum auferre, quemadmodum præpositioni ad opponitur ab: ut apud Cic. Quinct. 9. 32. Unde eo plus opis auferret, quanto minus gratiæ attulisset. — Quod si agatur de motu a loco, eidem opponitur efferre, ut apud Cic. l. c. 31. 99. Ut, quam existimationem – in judicium tuum – attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre. — Si quid autem retrorsum feratur, ipsi opponitur referre; ut apud Ter. Phorm. prol. 22. Quod ab illo allatum est, sibi esse id relatum putet. — Denique si afferre significet addere, ei opponitur detrahere, ut apud Cic. Marcell. 4. 12. Ut quantum tuis operibus diuturnitas detrahat, tantum afferat laudibus.

AFFICIO vel adficio, ficis, feci, fectum, ficere. a. 3. (ad et facio). Part. Affectus in fin.; Affecturus B. b.; Afficiendus B. b. — Afficere proprie est jamdiu aliquid facere, alicui rei operam jamdiudare, ita ut ea prope ad exitum perducta sit: qua tamen significatione occurrit tantum Part. præter. pass. Affectus, a, um. V. in fin. — Generatim vero afficere est vim aliquam in corpus aut in animum ita exercere, ut corpus aut animus peculiari quadam constitutione donetur (It. fare impressione, modificare; Fr. mettre dans une disposition, affecter, disposer; Hisp. hacer impresion, Germ. anthun, oder Jemanden mit etwas versehen; Angl. to move, affecte, influence, touch, make an impression on). Occurrit autem A) cum Accusativo tantum; et B) cum Accusativo et Ablativo.

A) Cum Accusativo tantum usurpatur — a) Raro de vi quæ in corpus exercetur, et fere in malam partem, ut significet debilitare, afflictare morbo, labefacere. Liv. 28. 15. Ut prius æstus, labor, fames sitisque corpora afficerent, quam etc. Ovid. 6. Met.

255. non simplex Damasichthona vulnus Afficit. *Cels.* 4. 7. Pulmo totus afficitur: hunc casum ejus subsequitur tussis. *Scribon. Compos.* 188. Aconitum cor afficit. *Id. Compos.* 186. Stomacho et vesica affici. *Tac.* 4. *Ann.* 45. Pisonem ex improviso adortus uno vulnere in mortem affecit. *Capitolin. M. Anton. philos.* 3. Afficere corpus. *h. e.* facere, ut corpus morbo laboret. — *b*) Sæpius de vi morali, quæ in animum exercetur, in eumque motum aliquem aut affectum inducit. *Cic.* 14. *Att.* 13. *B.* § 2. Litteræ vero tuæ amantissimæ – sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te. *Id.* 10. *Fam.* 2. Varie sum affectus tuis litteris. *Id.* 3. *ibid.* 12. Affici a Gratia, aut a Voluptate. *Id. Mil.* 29. 79. Quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione perculsit? *Id. Brut.* 93. 332. Sollicitudo ex te duplex nos afficit. *Id.* 1. *Orat.* 19. 87. Ut eorum, qui audirent, ita afficerentur animi, ut eos affici vellet orator. *Alii legunt:* Ut ii qui audirent, ita afficerentur animis *etc. Quintil.* 6. 2. 28. Primum est, ut afficiamur, antequam afficere conemur. *Id.* 1. 10. 25. Affici animos in diversum habitum. *Tac.* 11. *Ann.* 19. Is terror milites hostesque in diversum affecit: nos virtutem augimus, barbari ferociam infregere. *Sueton. Tib.* 66. Quibus (*conviciis*) diversissime afficiebatur. *Id. Claud.* 14. Perinde ut afficeretur. *Id. Tib.* 52. Alterius (*filii*) vitiis infensus, – itaque ne mortuo quidem perinde affectus est. *h. e.* eo mortuo doluit. *Plin. Paneg.* 90. Consules oportere sic affici, ut se publice magis, quam privatim obligatos putent. *Id.* 3. *Ep.* 1. *extr.* Sunt in usu etiam Corinthia, quibus delectatur, nec afficitur. *h. e.* nec tamen nimio in ea corripitur affectu. *Cic.* 6. *Verr.* 67. 151. Syracusanam civitatem ut abs te affecta est, ita animatam esse videmus. *Papinian. Dig.* 37. 12. 5. Quem (*filium*) pater male contra pietatem afficiebat. *h. e.* male tractabat, ut recte *Forcellinus* interpretatur, qui hac significatione atque hoc uno exemplo paragraphum a ceteris sejunctam constituit.

B) Cum Accusativo et Ablativo, significat ornare, augere, donare etc.: varie autem vertitur pro varia significatione nominum, quibus adjungitur. — *a*) Raro ponitur de inanimis. *Varro* apud *Non.* p. 250. 2. *Merc.* (Cf. *ibid.* p. 549. 12.). Auroræ at ostrinum hic indutus supparum, coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit, luce locum afficiens. *Ovid. Medic. fac.* 67. afficere vultum medicamine. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 56. Moneri visus est, ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat. *Id. Top.* 24. 94. Factum non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit. *Id.* 1. *Nat. D.* 15. 38. Quo quid absurdius, quam res sordidas atque deformes deorum honore afficere? *Id.* 2. *Tusc.* 7. 18. Ego non postulo, ut dolorem iisdem verbis afficias, quibus Epicurus etc. — *b*) Sæpissime occurrit de persona, et quidem — Modo in malam partem. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 38. Injuriâ abs te afficior indignâ, pater. Adde *Ter. Phorm.* 5. 1. 3. *Ter. Phorm.* 2. 4. 1. et *Cic.* 1. *Att.* 18. Afficere aliquem cura et sollicitudine. *Cic.* 3. *Verr.* 4. 9. morte, cruciatu, cruce. *Sueton. Galb.* 9. cruce. *Cic.* 1. *Invent.* 25. 35. morte. *Nep. Regg.* 3. 2. leto. *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. et *Cæs.* 1. *B. G.* 27. 4. supplicio. *Liv.* 21. 44. Deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt. *Cic.* 2. *Fam.* 12. desiderio. *Cæs.* 7. *B. G.* 6. et 17. difficultate. *Cic.* 4. *Parad.* 2. 31. et *Nep. Thrasyb.* 3. exilio. *Cic. Rosc. Am.* 39. 123. ignominia. *Id. ibid.* § 113. macula. *Id.* 15. *Att.* 1. molestia. *Cæs.* 8. *B. G.* 39. Pertinaciam magna pœna esse afficiendam. *Nep. Hann.* 8. 2. Afficere aliquem pœna. *Id. Ages.* 4. 8. pœnis. *Sueton. Calig.* 2. rerum et verborum acerbitatibus. *Cic. Quinct.* 2. 6. timore. *Justin.* 1. 5. verberibus. *Vellej.* 2. 30. Italiam gravibus variisque casibus. *Flor.* 2. 18. fœderibus pudendis hostem. *Martial.* 12. 78. clientem domicœnio. *h. e.* domi cœnare cogere. — Et sæpe etiam passive. *Cic.* 3. *Tusc.* 7. 15. Affici ægritudine. *Id.* 11. *Att.* 2. calamitate et injuria. *Id.* 6. *Fam.* 19. doloribus pedum. *Nep. Hann.* 4. 3. morbo oculorum. *Cic.* 6. *Att.* 3. sollicitudine et inopia consilii. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. inopia rei frumentariæ. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 33. (103). torminibus et inflationibus. *Colum.* 4. *R. R.* 11. vulneribus. — *c*) Item de personis in bonam partem. *Plaut. Amph.* 1. 1. 38. Qui præda atque agro adoreaque affecit populares suos. *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 34. Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloriâ. *Id.* 13. *Fam.* 8. Magna me affeceris non modo lætitia, sed etiam quodammodo gloria. *Id.* 2. *Off.* 10. 37. Afficere aliquem admiratione. *Id.* 1. *leg. Agr.* 4. 13. beneficio. *Id. Pis.* 14. 32. beneficiis. *Id. Rosc. Am.* 50. 147. honore. *Id.* 2. *Off.* 13. 47. laude. *Id.* 2. *Fam.* 3. et *Nep. Ages.* 3. 3. muneribus. *Cic. Dejot.* 5. 14. nomine regis. *Plaut. Amph. prol.* 8. bonis nunciis. *Cic. Mil.* 30. 82. præmio. *Virg.* 12. *Æn.* 352. pretio. *Cic. Balb.* 27. 61. stipendio. *Id.* 5. *Fam.* 20. et 3. *Fin.* 11. 37. voluptate. — Part. præter. pass.

Affectus, a, um, adjective usurpatum (unde Superl. *Affectissimus* II. *B. b.*) occurrit proprio et stricto sensu, præterquam aliis omnibus quibus verbum.

I.) Proprie et stricto sensu *affectum* ex præp. *ad* et *factum* est id, quod jamdiu facimus, cui jamdiu operam damus, ita ut prope ad exitum sit perductum, teste *Gell.* 3. 16. Affecta, sicut M. Cicero et veterum elegantissimi locuti sunt, ea proprie dicebantur, quæ non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa deductave erant. *Cic. Prov. cons.* 8. 19. Bellum affectum videmus et, vere ut dicam, pæne confectum. *Id. ibid.* 12. 29. Nam ipse Cæsar quid est cur in provincia commorari velit, nisi ut ea, quæ per eum affecta sunt, perfecta reipubl. tradat? Cf. *Gell.* 15. 5. et *Non.* p. 160. *Merc. Cic.* apud *Gell. l. c.* et apud *Non. l. c.* Cum affecta prope æstate uvas a sole mitescere tempus etc. *Sil. It.* 15. 502. Jamque hieme affecta mitescere cœperat annus. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 91. et 1. *Orat.* 45. 200. Affecta ætas. *V.* infra II. *B.*

II.) Iisdem ferme, quibus verbum, significationibus usurpatur *A*) absolute, et *B*) cum Ablativo.

A) Absolute sine ullo Ablativo 1.) Cum de corpore occurrit, ponitur de eo, qui ex morbo laborat, vel nondum est plane recreatus. *Cic.* 9. *Phil.* 1. 2. Qui cum ita affectus esset, ut, si ad gravem valetudinem labor accessisset, sibi ipse diffideret etc. *Id.* 14. *Att.* 17. Cæsarem Neapoli affectum graviter videram. *Seneca Ep.* 101. Amico graviter affecto et sine spe jacenti. *Liv.* 28. 26. Nihil æque eos terruit, quam præter spem robur et color imperatoris, quem affectum visuros crediderant. *Id.* 9. 3. Corpus affectum. *Id.* 5. 18. Affectæ vires corporis. *Propert.* 2. 21. 1. Affecta puella. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 21. amica. *Sueton. Claud.* 25. Ægra et affecta mancipia. *Id. Tib.* 21. Jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit. *Liv.* 21. 11. Affectos animos recreare. — 2.) Quoniam affectum corpus morbo debilitatur, ita translate de rebus ac præsertim de abstractis affectus est debilitatus, fractus, imminutus. *Cic.* 13. *Fam.* 68. Partem istam reipubl. male affectam tueri. *Liv.* 5. 57. Affecta respublica. *Cic.* 5. *Fam.* 13. 3. Quid est enim non ita affectum, ut non deletum extinctumque esse fateare? Circumspice omnia membra reipubl. etc. *Id.* 5. *Verr.* 18. 47. Sic mihi affecta visa est (*Sicilia*), ut hæ terræ solent, in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. *Liv.* 5. 10. Affecta res familiaris. *Id.* 6. 3. Opem rebus affectis orare. *Tac.* 2. *Hist.* 69. Affectæ opes. *Id.* 3. *ibid.* 65. Affectam fidem juvare. *h. e.* labefactatam. *Val. Flacc.* 4. 60. spes. — 3.) Sæpius tamen ponitur de personis, et est dispositus, constitutus, commotus, comparatus, animatus. *Ter. Hec.* 3. 1. 45. Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam? *Cic.* 14. *Fam.* 17. Ego autem quomodo sim affectus, e Lepta – poteris cognoscere. *Id. Amic.* 16. 56. Ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos. Et 1. *Fin.* 20. 68. Eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum. *Id.* 1. *Legg.* 9. 27. Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur. *Id.* 3. *Off.* 5. 21. Si sic enim erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum etc. *Id.* 12. *Att.* 41. 2. Avide sum affectus de fano. *h. e.* ardeo desiderio. *Id.* 16. *Fam.* 4. Varie sum affectus tuis litteris; valde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. *Id. Orat.* 17. 55. Utcumque se affectum videri et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum. *Id.* 2. *Invent.* 5. 17. Amor, iracundia, ægritudo et omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 62. Jubet Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. *Id.* 3. *Tusc.* 7. 15. Oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum. *Id.* 3. *ibid.* 9. 19. Manus recte affecta. *Id.* 5. *Fin.* 9. 24. Optime secundum naturam affectum animal. *Id.* 2. *ibid.* 47. 98. Ad rem pertinet, quomodo affecto cælo compositisque sideribus quodque animal oriatur. *Id. Partit. orat.* 23. 79. Habitus animi sic affecti et constituti. — 4.) Hinc apud Rhetores *res quodammodo affectæ ad aliquid* significat qua ratione res aliqua cum alia se habeat. *h. e.* res similis, rem, de qua agitur attingens, ut *Forcellinus* interpretatur. *Cic. Top.* 2. 8. Tum ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. *V.* AFFECTIO.

B) Cum Ablativo fere de personis occurrit et est instructus, præditus, multatus aut donatus, prout de re tristi aut læta agitur, ut apud *Cic. Partit. orat.* 10. 35. Animi autem quemadmodum affecti sint, virtutibus vitiis, artibus inertiis, aut quemadmodum commoti, cupiditate metu, voluptate molestia. — *a*) Generatim. *Plaut. Asin.* 3. 2. 29. Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis. *h. e.* instructos, armatos. *Ter. Phorm.* 5. 7. 84. Tantâne affectum quemquam esse hominem audaciâ? *Lucret.* 2. 341. pari filo similique affecta figurâ (*corpora*). — *b*) De tristibus. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 20. Ægritudine, morbo affectus. *Lucret.* 3. 50. ærumnis omnibus. *Curt.* 10. 6. clade. *Cic.* 14. *Att.* 22. desperatione. *Id.* 13. *Fam.* 7. difficultatibus. *Id. Quinct.* 2. 10. Difficultatibus affectus atque afflictus. *Id.* 2. *Orat.* 49. 201. dolore. *Curt.* 7. 11. fatigatione. *Sueton. Vitell.* 14. febre. *Curt.* 7. 3. frigore et penuria exercitus. *Id.* 7. *Att.* 3. ignominia. *Vellej.* 2. 84. Remiges inopia affectissimi. *Ter. Hec.* 3. 3. 6. morbo. *Cic.* 1. *Fam.* 9. molestia. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 63. morbo gravi et mortifero. *Servius* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12. morte. *Liv.* 41. 5. pestilentia. *Cæs.* 7. *B. G.* 40. sollicitudine. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 2. Affecta sterilitate terra, quasi quodam morbo. *Tac.* 15. *Ann.* 54. supplicio. *Curt.* 7. 11. verberibus. *Cic. Muren.* 6. 13. vitiis. *Liv.* 1. 25. vulnere corpus. *Colum.* 4. *R. R.* 11. 3. Vulnere intolerabili affecta semina. — Hinc etiam *Cic.* 3. *Orat.* 18. 68. Senectute affectus. *Id. Senect.* 14. 47. Ætate affectus. — *c*) De lætis. *Cic.* 14. *Fam.* 4. Affectus beneficio. *Id.* 1. *Off.* 41. 149. aliquo honore aut imperio. Adde *Mur.* 2. 4. *Id.* 1. *Ep. ad Brut.* 4. lætitia. *Id.* 3. *Nat. D.* 26. 67. munere deorum. *Id. Pison.* 37. 90. præmiis. *Id.* 4. *Tusc.* 37. 81. valetudine optima.

AFFICTĪCIUS *vel* Adficticius, a, um, adject. (*affingo*; *Forcellinus* ab *affigo* deducit) qui affingitur sive affingendo additur (It. *aggiunto*; Fr. *ajouté*; Hisp. *añadido*; Germ. *angebildet, angefügt*; Angl. *fastened to*). *Varro* 3. *R. R.* 12. Sequitur actus secundi generis, afficticius ad villam qui solet esse, ac, nomine antiquo a parte quadam, leporarium appellatum. *h. e.* qui solet esse accessio quæ fit villicæ domui.

AFFICTĪO *vel* Adfictio, ōnis, f. 3. (affingo) est figura rhetorica, qua adversario aliquid imputamus, ut idem postea refutemus. Occurrit apud *Jul. Rufinian.* 5. p. 271. ed *Koch. h. e. de schem. dian.* p. 51. *Caperer.* Schesis, σχέσις, figura est, qua adversariorum affectum fingimus quemdam, cui res spondeamus. Hæc Latine dicitur afictio. *Nisi forte legendum sit* AFFIXIO, quam vocem *V.*

AFFICTUS *vel* Adfictus a, um. *V.* AFFINGO.

AFFĪGO *vel* Adfigo, figis, fixi, fixum, figere (ad et figo). — *Affixet* pro *affixisset* est *Sil. It.* 14. 536. — Part. præter pass. juxta *Forcellinum* est cum *affixus*, tum *affictus*; sed alteram hanc formam verbo *affingo* rectius tribuunt recentiores Grammatici. — Part. *Affixus* in omnibus ferme paragr. et in fin. — *Affigo* est ad aliquid figo, addo et appono, ita ut cohæreat (It. *attaccare, appiccare*; Fr. *attacher, joindre, adapter*; Hisp. *atar, unir, añadir*; Germ. *anheften, etwas irgendwo befestigen*; Angl. *to fix or fasten to, attach to, fix upon, affix*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) Absolute. *Lucret.* 4. 1001. (1102). Affigunt avide corpus junguntque salivas Oris. Adde 5. 1320. *Id.* 4. 1061. et *Claudian. B. Get.* 617. Affigere oscula. *Liv.* 40. 51. Signa militaria affixa dempsit. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 16. cucurbitas. — Addito termino, cui quid affigitur — Sæpius cum Dativo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 59. Cui (*Minervæ*) pinnarum talaria affigunt. *Id.* 5. *Tusc.* 3. 8. Prometheus affixus Caucaso. *Lucret.* 4. 1235. (1236). Adhæsum affigere locis. *Virg.* 2. *G.* 318. radicem terræ. *Sueton. Galb.* 9. Nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit mensæque ejus affixit. *Virg.* 9. *Æn.* 536. Affigere flammam lateri turris. *Liv.* 8. 7. aliquem terræ. *h. e.* vulnerando atque impellendo terræ allidere. *Sil. It.* 14. 536. aliquem transtro. *Liv.* 28. 37., *Tac.* 15. *Ann.* 44. et *Curt.* 4. 4. 17. aliquem

cruci. *Sall.* apud *Non.* p. 366. 14. *Merc.* et *Cod. Theod.* 11. 5. 1. § 1. aliquem patibulo. *Auct. B. Afr.* 16. 2. pilum pectori. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (199). arma oleastro. *Quintil.* 5. 3. 36. arma templo. *Horat.* 3. *Od.* 5. 19. signa affixa delubris. *Lucret.* 4. 392. ætheriis affixa cavernis sidera. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (28). Affixa mundo sidera. *Id. ibid.* 3. 2. Tarraconensis affixa Pyrenæo. *Quintil.* 11. 3. 82. Affigere mentum pectori. — Cum Acc. et præp. *ad. Cic. Rosc. Am.* 20. 57. Litteram illam – ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium – accusare possitis. *Id.* 2. *Tusc.* 10. 23. Prometheus affixus ad Caucasum. *Liv.* 4. 19. Repetitum sæpius cuspide ad terram affixit. *Est qui leg.* afflixit. — Cum Ablat. et præp. *in. Cic.* 1. *Orat.* 44. 196. Ithaca illa in asperrimis saxis tamquam nidulus affixa. *Id.* 1. *de republ.* 17. Homines in exigua parte affixi.

II.) Translate. ¶ 1. Jungitur et abstractis et personis. — *a)* Cum abstractis affigere significat rem aut personam ita cogere, ut rei arcte adhæreat. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 79. Atque affigit humo divinæ particulam auræ. *h. e.* deprimit et quasi clavo affixam terræ detinet. Alii legunt *affligit humo*, hoc est, vi et impetu quasi impellendo terræ allidit. *Id.* 1. *ibid.* 1. 81. Si casus lecto te affixit. *al. leg.* afflixit. *Seneca Ep.* 67. 2. Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixit. *Arnob.* 5. 39. Affigere sibi ritum religionis conflatum rationibus nullis. *h. e.* sibi imponere: sed rectius legas *affingere*. — *b)* De personis *affixus* dicitur, qui alicui semper adhæret comes et constanter sequitur. *Virg.* 10. *Æn.* 161. Affixus lateri. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. § 19. Dedit etiam alteram illam mihi, qua jubes eum mihi esse affixum tamquam magistro. *Tibull.* 1. 7. 67. Anus noctu affixa foribus. *h. e.* assiduo pro foribus manens. ¶ 2. Item est facere ut res rei adhæreat arctissime, nec unquam separari possit; et occurrit — *a)* Præcipue de iis quæ alte in animo imprimuntur. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 357. Vidit enim hoc – Simonides – ea maxime affigi animis nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa. Cf. *Ellendt* ad h. l. *Vol.* II p. 338. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 1. 2. (10). Hunc enim maxime affixisse eam dulcedinem (*magicarum vanitatum*) constat. *Quintil.* 2. 7. 3. et *Seneca Ep.* 11. Affigere aliquid animo. *Quintil.* 10. 1. 19. aliquid memoriæ. *Id.* 1. 1. Affigere litteras pueris. *h. e.* inculcare, adeo ut eorum menti hæreant. *Cic.* 7. *Verr.* 53. 139. Quæ (*causa*) – in animo sensuque meo penitus affixa atque insita est. *Id.* 3. *Tusc.* 28. 68. Huic generi malorum non affigitur illa opinio. *ubi rectius leg.* affingitur, *quemadmodum* et apud *Arnob.* 6. 1. Affigere crimen alicui. *V.* AFFINGO II. 2. *a.* et *b.* — *b)* Ponitur interdum et de personis et de abstractis. *Cic.* 1. *Fam.* 8. 5. Quibus in rebus me sibi ille affixum habebit, neque a me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. *Forcellinus* hunc locum in super. paragr. 1. recenset. *Tibull.* 1. 2. 87. Penais affixa puella. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 37. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quæ semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea separari possunt. — Hinc Part. præter. pass.

Affixus, a, um, etiam adjective usurpatur, unde Comp. *Auct. Declam. in Catil. quæ Porcio Latroni tribui solet* 33. Nihil illo persæpe affixius ad colenda bonorum consortia. *Furlanettus* in suis MSS. ita corrigendum putat locum, in quo pro *persæpe* legebatur *perspexi* et *tollenda* pro *colenda*. — *Affixum, i*, substantivorum more plur. num. tantum. *Affixa* dicuntur a JCtis, quæ alicui rei fixa adhærent ad eamque pertinent. *Paul. Dig.* 33. 7. 18. *extr.* Domum instructam legavit cum omnibus affixis. *h. e.* cum omnibus iis rebus, quæ ad ipsam domum aliquo modo pertinent. V. *Dirksen, Manuale* p. 20.

AFFIGŪRO *vel* Adfiguro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et figuro) effingo, aliquid addendo efformo. *Gell.* 4. 9. *Disciplinosus, consiliosus, victoriosus*, quæ M. Cato ita affiguravit. *Al. leg.* figuravit, *al.* effiguravit.

AFFĪLIĀTUS *vel* Adfiliatus, a, um, adject. participii forma donatus (ad *et* filius) est in filium adoptatus. *Cajus Instit. Epit.* 1. 4. 1. Quod non solum de personis, quæ nobis propinquitate conjunctæ sunt, sed etiam de adoptivis, hoc est adfiliatis, jussum est observari.

AFFĪLIĀTĬO *vel* Adfiliatio, ōnis, f. 3. (ad *et* filius) idem ac adoptio in *Gloss. Isid.*

AFFINGO *vel* Adfingo, fingis, finxi, fictum, fingere, a. 3. (ad et fingo). Part. *Affictus*, quod ab *affingere* deducit *Forcellinus*, in omnibus paragr. — Affingere proprie est fingendo seu formando aliquid aptare (It. *formare, fare, formando aggiungere*; Fr. *façonner une chose et l'appliquer, ajouter en formant*; Hisp. *labrar y añadir*; Germ. *anbilden, durch Anbildung hinzufügen*; Angl. *to form, fashion, make, add by fashioning or framing*).

I.) Proprie, et quidem — *a)* Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 179. Nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam – reperietis. *Id.* 1. *Divinat.* 62. 118. Parvis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. *Varro* 3. *R. R.* 9. 7. Sint cubilia gallinarum aut exculpta, aut affixa firmiter: motus enim, cum incubant, nocet. — *b)* Cum Dativo. *Cic. Tim.* 6. Itaque ei (*mundo*) nec manus affinxit (*natura*) –, nec pedes, nec alia membra, quibus ingressum corporis sustineret. *Varro* 3. *R. R.* 3. 2. Septa, afficta villæ quæ sunt. *V.* AFFICTICIUS.

II.) Translate. ¶ 1. Affingere eodem sensu occurrit, sed metaphorice. *Cic.* 3. *Orat.* 9. 36. Neque eos similes effecit (*præceptor*) inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod etc. *Id.* 2. *ibid.* 80. 325. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharœdi prooemium affictum aliquod, sed cohærens cum omni corpore membrum esse videatur. ¶ 2. Sæpius est verbis aut animo aliquid præsertim falsum alicui attribuere, imputare. — *a)* Cum Dat. personæ. *Cic. pro Leg. Manil.* 4. 10. Sed de Lucullo – ita dicam, ut neque vera laus ei detracta, neque falsa afficta esse videatur. *Id. Orat.* 22. 74. Qui (*poeta*) peccat etiam cum probi orationem affingit improbo, stultove sapientis. *Tac.* 14. *Ann.* 62. Affingere novum crimen alicui. — *b)* Cum Dat. rei. *Cic.* 3. *Tusc.* 28. 68. Quia huic generi malorum non affingitur illa opinio etc. *Forcellinus* cum aliis legebat *affigitur*. Cf. *eund. Cic. ibid.* 33. 80. Qui nihil opinione affingat assumatque ad ægritudinem. *Cæs.* 7. *B. G.* 1. Addere et affingere rumoribus. — *c)* Absolute. *Cic. Cluent.* 4. 9. Faciamque ut intelligatis, in tota illa causa quid res ipsa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit. *Id.* 1. *Phil.* 3. 8. Fit plerumque ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, lætius. *Quintil.* 8. 3. 70. Licet etiam falso affingere. *Lactant. Mort. persecut.* 39. *extr.* Amicos ejus affictо adulterio damnat. *h. e.* ficto, simulato. *Eumen. Schol. instaurat.* 21. Animus affingit Ægyptum. *h. e.* imaginandi vi sibi fingit. *Apul.* 4. *Met.* 74. Sciscitati nomen cujusdam Nicanoris, litteras affingimus etc. *h. e.* simulamus. Adde 5. *ibid.* 156.

AFFĪNĬO *vel* Adfinio, is, ire, a. 4. (ad *et* finis) idem ac definire. *Jul. Rufinian. de Schem. lex.* 1. p. 245. ed *Koch.* Prolepsis est schema λέξεως, id est figura elocutionis, cum ante numerus redditur, quam res et personæ affiniantur, *h. e.* definiantur, enumerando ad finem perducantur. Ut *Virg.* 6. *Ecl.* 30. Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea. *Mirantur*, numerus pluralis redditur, antequam ambo nomina, quæ respicit verbum plurale, enumerentur. — Part. AFFINITUS apud *Paul. Dig.* 22. 1. 17. *init.* Hæc constitutio adfinitum modum excedit. *Plerique tamen Codices habent* ad infinitum.

AFFĪNIS *vel* Adfinis, e, adject. (ad *et finis*) qui alicui vicinus est, et præsertim qui agros habet alterius agris vicinos, ut docet *Paul. Diac.* p. 11. 9. *Müll.* Affines in agris vicinis. *Finis* enim præcipue de agrorum terminis dicitur. Hinc titulus 1. *lib.* 10. *Digest.*, qui est *Finium regundorum* de agrorum terminis totus est (It. *confinante, vicino*; Fr. *limitrophe, contigu*; Hisp. *contiguo*; Germ. *an der Gränze befindlich, benachbart*; Angl. *contiguous*.

I.) Proprie. *Cic. Fragm. pro Tull.* 6. ed. *Maio.* P. Fabius emit agrum de C. Claudio senatore, cui fundo erat affinis M. Tullius. *Sall. Jug.* 45. Parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori affinis erat, sedibus pellebantur. *Plerique alii, præsertim recentiores, leg.* confinis. *Liv.* 28. 17. 5. Masæsyli, gens affinis Mauris, in regionem Hispaniæ – spectant. *Paul. Dig.* 10. 1. 2. Non termini, qui singulos fundos separabant, observari debent, sed demonstratio affinium, quæ novos fines inter fundos constituit. *Inscript.* apud *Gruter.* 1051. 1. QVOD EST IVXTA MONVMENTVM CLAVDII QVONDAM PROCVLI ET SI QVI ALII ADFINES SVNT. *Inscript.* apud *Orell.* 2417. INTER ADFINES. In *Tab. alimentaria Velleiate a Petro de Lama* edita pluries vox *adfinis* hoc sensu usurpatur.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro conscio, participe, aut quoquo modo conjunctionem habente cum aliqua re. — *a)* Generatim: fere cum Dat., raro cum Accus. et præp. *ad* aut cum Genit. *Plaut. Trin.* 2. 2. 50. Publicisne affinis fuit, an maritumis negotiis (*adolescens*)? *Ter. Heaut.* 2. 1. 1. Quam iniqui sunt patres in adolescentes judices! Qui æquum censent nos a pueris illico nasci senes, Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia. *Pacuvius* apud *Non.* p. 80. 11. *Merc.* Qui sese affines esse ad causam volunt. *Cic.* 2. *Invent.* 10. 32. Si animus nulli minus honestæ rationi affinis ostenditur. *Liv.* 43. 16. Sociusve aut affinis ejus conductionis. — *b)* Speciatim est qui conscius aut particeps est alicujus sceleris. *Cic.* 4. *Catil.* 3. 6. Huic facinori, si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. *Id. Cluent.* 45. 127. Non omnes in culpa sunt et suspicione ponendi: duos solos video affines ei turpitudini judicari. *Id.* 2. *Invent.* 41. 129. Affinem esse alicujus culpæ eum, qui accusaretur. Adde *Rosc. Am.* 7. 18. *Id. Sull.* 5. 17. suspicionis. *Liv.* 39. 14. noxæ. — *c)* Hinc apud *Tertull. Idolol.* 10. *affinis idololatriæ* est, qui proximus est ad idola colenda. Apud *eund. Patient.* 7. *affinis cupiditatis* est cupiditate laborans. Et 11. *affinis pacis* pacificus. ¶ 2. Sæpissime transfertur ad eos, qui sanguinis vinculo conjuncti sunt. Itaque *affines* dicuntur, ut definit *Modestin. Dig.* 38. 10. 4., viri et uxoris cognati; dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulentur, et altera ad alterius cognationis finem accedit. Affinium autem nomina sunt *socer, socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna*, quæque ab his componuntur *prosocer, progener* etc., item *glos, levir* etc. — *a)* Raro adjective. *Cic. post red. ad Quir.* 5. 11. Quod alter mihi affinis erat. Adde *Ter. Adelph.* 3. 6. 25. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 9. Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis. *Sil. It.* 6. 627. Stirpe genus clarum cæloque affinis origo. — *b)* Sæpius substantivorum more stricto sensu. *Plaut. Aulul.* 3. 4. 9. Mezadorus meus affinis. *h. e.* gener. *Ter. Heaut.* 5. 1. 63. Et gener et affines placent. *h. e.* parentes sponsi. *Accius* apud *Festum* p. 170. 9. *Müll.* Ego ut essem affinis tibi, non ut te extinguerem, tuam petii gnatam. *Nep. Tim.* 1. 4. Affinem communem, cui soror – nupta erat. *h. e.* cognatus. — *c)* Generatim. *Cic. post red. in Senat.* 7. 17. Immisericors me affinem tuum – inimicis reipubl. tradidisti –, tu affinem tuam, meam filiam – a genibus tuis repulisti. *Val. Max.* 9. 9. 1. Cum affinis esset Cæsaris. *Cic. Cluent.* 14. 41. Nemo illum ex tam multis cognatis et affinibus tutorem unquam liberis suis scripsit. *Id.* 5. *Fin.* 23. 67. Propinqui, affines. Adde *Sueton. Cæs.* 1. et *Tac. Germ.* 20. — *d)* Ironice affines ii quoque dicuntur, qui tales essent per illicitam conjunctionem. *Cic.* 4. *Verr.* 14. 36. Hi autem quidam erant affines istius, quorum ille uxores nunquam alienas existimavit. *Id. ibid.* 36. 89. Ut aliquem affinem atque propinquum. V. *Klotz* ad h. l. *Vol.* 2. p. 760.

AFFĪNĬTAS *vel* adfinitas, ātis, f. 3. (affinis). In Genitivo plur. habet etiam *affinitatium* pro *affinitatum*: rarius tamen, ut apud *Justin.* 17. 3. Opesque affinitatium auxilio magnas paravit. — Affinitas proprie est finium conjunctio, vicinitas (It. *vicinanza*; Fr. *voisinage, proximité*; Hisp. *vecindad, proximidad*; Germ. *die Gränznahe, Nachbarschaft*; Angl. *vicinity*.

I.) Proprie est finium conjunctio, præsertim in agris; raro tamen occurrit. *Varro* 1. *R. R.* 16. Relinquitur altera pars, quæ est extra fundum. Cujus appendices pertinent ad culturam propter affinitatem. *V.* AFFINIS. I.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est quæcumque vicinitas aut similitudo, sive arcta inter res conjunctio. *Gell.* 4. 13. Tanta est affinitas corporibus hominum mentibusque, et propterea quoque vitiis aut medelis animorum et corporum. *Id.* 1. 18. Hinc per affinitatem litterarum, qui φώρ Græce, Latine *fur* est. Adde *Quintil.* 1. 6. 34. ¶ 2. Sæpius sumitur pro conjunctione hominum affinium inter se (de quibus *V.* AFFINIS II. 2.): et per matrimonium contrahebatur, teste *Cajo Inst. Comm.* 1. Ex nuptiis, per quas talis affinitas quæsita est; morte autem illius, a quo erat contracta, omnino tollebatur, nisi ejus filii superstites essent (V. *Klotz* ad *Cic. Orationes Vol.* 1. p. 574. et *Vol.* 3. p. 997.). *Ter. Andr.* 1. 5. 12. Nullon ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero? *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Conjunctio hominum inter ho-

malacs – serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus etc. *Id. Cluent.* 67. 190. Affinitatis conjunctio. Et *ibid.* Affinitatum discidia. *Plaut. Trin.* 2. 3. 73. Affinitatem suam inter se astringere. *Ter. Hec.* 2. 2. 10. perpetuam esse velle. *Id. ibid.* 4. 4. 101. inter se manere velle. *Cic. Brut.* 26. 98. Affinitate se devincire cum aliquo. *Nep. Pausan.* 2. 3. Conjungi affinitate cum aliquo. *Id. Att.* 12. 1. Deligere affinitatem alicujus. *Id. ibid.* 19. 2. Pervenire in affinitatem alicujus. *Liv.* 1. 1. Affinitatem jungere cum aliquo. *Id.* 24. 22. 14. Contingere affinitate regiam. *Vellej.* 2. 100. Recipere aliquem in arctissimam affinitatem. *Id. ibid.* 44. Contrahere affinitatem. *Id. ibid.* 65. Facere affinitatem inter aliquos. *Tac.* 12. *Ann.* 4. Affinitatem dirimere. *V.* et infra Homonym. ¶ 3. Metonymice pro ipsis affinibus. *Plaut. Trin.* 3. 2. 75. Patriam deseras, cognatos, affinitatem, amicos.

Homonym. Inter *propinquitatem* et *affinitatem* pro sanguinis conjunctione sumptas, illud interest, quod *propinquitas* magis late patet, si vim nominis spectes; significat enim quamcumque conjunctionem. *Cic. Planc.* 11. 27. Qui est cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis conjunctus. *Sueton. Ner.* 35. Similiter ceteros affinitate sibi aliqua aut propinquitate conjunctos. Adde *Liv.* 24. 22. 14.

AFFIRMANTER *vel* adfirmanter, adverb. (affirmo). Occurrit tantum translate et est idem atque affirmate. *Gell.* 14. 1. Si potuisset prædici affirmanter, Pyrrhusne rex, an Curius prælio victurus esset.

AFFIRMĀTĒ *vel* adfirmate, adverb. (affirmatus). Superl. *Affirmatissime.* Occurrit tantum translate, et est affirmando, cum affirmatione (It. *affermativamente, con asseveranza*; Fr. *affirmativement, positivement*; Hisp. *afirmativamente, aseguradamente*; Germ. *bestimmt, mit Bestimmtheit*; Angl. *affirmatively, assuredly*). *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. Quod affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est. *Gell.* 10. 12. Plerique Græcorum affirmatissime scripserunt, simulacrum columbæ ab Archyta factum volasse.

AFFIRMĀTĬO, ōnis, f. 3. (affirmo) Occurrit tantum translate, et est affirmandi actus, quo scilicet aliquid asseveramus atque ita esse, ut enunciavimus, firmiter testamur (It. *affermazione*; Fr. *affirmation, assurance formelle*; Hisp. *afirmacion*; Germ. *die Versicherung, Betheuerung, Bekräftigung einer Behauptung*; Angl. *an affirmation, declaration, positive assertion*). — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. Credidi chirographis ejus, affirmationi præsentis Laterensis etc. *Cic.* 15. *Fam.* 7. Affirmatione sua alicui aliquid recipere. *Cæs.* 7. *B. G.* 30. Alicujus affirmatione in spem venire. *Curt.* 6. 11. 35. Multa affirmatione abnuere. *Quintil.* 2. 11. 27. Propositio cum affirmatione. *Id.* 5. 11. 17. Alicui rei minus affirmationis adhibere. — *b*) Verbali vi. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. 15. Constantissima annalium affirmatione, transiturum etc. *Quintil.* 4. 2. 79. Frequens affirmatio, effecturos nos, quod dicimus.

AFFIRMĀTĪVUS *vel* adfirmativus, a, um, adject. (affirmo) Occurrit tantum translate, et est ad affirmandum inserviens (It. *affermativo*; Fr. *affirmatif*; Hisp. *afirmativo*; Germ. *zur Versicherung geeignet oder gehörig*; Angl. *affirmative*). *Diomed.* 1. p. 390. *Putsch.* Affirmativa species (*verborum*) est hujusmodi, cum in re dubia, in qua parum altercantibus assentimur, specie subjunctiva, quasi sit factum, affirmamus, veluti cum dicimus: *Fecerit, dixerit*, etc.

AFFIRMĀTOR *vel* adfirmator, ōris, m. 3. (affirmo) Occurrit tantum translate, et est qui aliquid affirmat, asseverat, confirmat (It. *affermatore, confermatore*; Fr. *qui affirme, qui assure une chose*; Hisp. *afirmador, asegurador*; Germ. *der Betheurer, Versicherer einer Sache*; Angl. *one who affirms, asserts, declares*). *Ulp. Dig.* 27. 7. 4. Eadem causa videtur affirmatorum, scilicet quia, cum idoneos esse tutores affirmaverint, fidejussorum vicem sustinent. *Id. ibid.* 4. 4. 13. Hic velut affirmator fuit et suasor, ut cum minore contraheretur. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 7. Romulus ascensus sui in cœlum habuit Proculum affirmatorem. Adde *Minut. Octav.* 31.

AFFIRMĀTUS *vel* adfirmatus, a, um. *V.* AFFIRMO.

AFFIRMO *vel* adfirmo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et firmo). Part. *Affirmans* II. 1. et 2. d; *Affirmatus* I. et II. 1. Est confirmo, firmum facio, firmum reddo (It. *raffermare, rendere fermo e durevole*; Fr. *rendre ferme, affermir, consolider*; Hisp. *afirmar, endurecer*; Germ. *etwas fest und dauerhaft machen*; Angl. *to confirm, corroborate, assure*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Apul.* 7. *Met.* 22. Corium affirmatum cineris inspersu. *h. e.* cinere firmatum contra putredinem.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de dubiis præsertim animi motibus, cujusmodi sunt spes, fides, opinio vel sententia etc., et est roborare, firmum certumque reddere. *Catull.* 76. (74). 11. Quin te animo affirmas. *Al. leg.* obfirmas, *alii* aliter. *Liv.* 1. 1. Ea res utique Trojanis spem affirmavit. *Id.* 2. 23. Fortunā tum urbis crimen affirmante. *Id.* 7. 14. Affirmare fidem apud aliquem. *Id.* 7. 14. Affirmata eo casu Tullii apud dictatorem fides est. *Id.* 11. 41. errorem. *Id.* 32. 35. opinionem. *Id.* 1. 3. rem veterem pro certo. *Tac.* 14. *Ann.* 22. Secuta anceps valetudo iram deûm affirmavit. *Id.* 4. *Hist.* 73. Populi Rom. virtutem armis affirmare. *Liv.* 38. 39. Rhodiis affirmata, quæ data priore decreto erant. *Cic.* 1. *Invent.* 37. 67. Propositionis approbatio (*in argumentatione*) per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius et apertius fit. *Liv.* 1. *præfat.* Quæ ante conditam condendamve Urbem – traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est. *Id.* 22. 13. Affirmare promissa rebus. *Id.* 26. 24. dicta promissaque auctoritate suā. Adde 28. 2. ¶ 2. Sæpius est dictis confirmare, pro certo asserere. — *a*) Addita verbo vi per Adverbia aut similia. *Cic.* 13. *Att.* 23. Omni asseveratione affirmare (*V.* integrum locum infra *c*). *Liv.* 29. 23. et *Curt.* 6. 7. 4. jurejurando. *Quintil.* 2. 4. 42. fortissime. *Cic.* 7. *Att.* 7. 8. valde. *Liv.* 3. 23. Certum affirmare non ausim. — *b*) Cum Accusat. rei affirmatæ. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 8. Dicendum mihi est igitur ad ea, quæ a te dicta sunt, sed ita, nihil ut affirmem, quæram omnia, dubitans etc. *Id.* 2. *Orat.* 34. 146. Nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam et opinionem meam. — *c*) Cum Ablat. personæ et præp. *de*. *Cic.* 7. *Att.* 7. 8. Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare? *Id.* 1. *ad Brut.* 1. Non soleo temere affirmare de altero. Adde *Dig.* 21. 1. 18. — *d*) Cum Accus. rei et Infinito. *Cic.* 2. *Att.* 15. Affirmo tibi nullam consolationem esse talem. *Id.* 13. *ibid.* 23. 3. Omni asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi majori offensioni esse, quam delectationi possessiunculas meas. *Tac. Germ.* 2. Quidam plures deo ortos affirmant. *Auct. B. Alex.* 24. Fore eum secum affirmans. — *e*) Absolute. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 26. Non agis, affirmo. — *f*) Passive impersonaliter. *Tac.* 2. *Hist.* 49. Noctem quietam, ut affirmatur, non insomnem egit. *Liv.* 29. 23. Datā ultro citroque fide eosdem amicos inimicosque habituros affirmatur.

AFFIXIO *vel* adfixio, ōnis, f. 3. (affigo) connexio, conjunctio (It. *connessione*; Fr. *jonction, adhérence*; Hisp. *junta, adherencia*; Germ. *die Anheftung an irgend etwas*; Angl. *connexion, conjunction*).

I.) Proprie. *Non. p.* 64. 27. *Merc.* Propages est series et affixio continua, vel longe ducta. *h. e.* rerum affixarum et simul junctarum ordo.

II.) Translate. *Capell.* 1. p. 14. Philologiæ gracilenta affixio. *h. e.* assidua intentio ad studium rebus affixum. *Kopp.* leg. *affectione*. *V.* AFFICTIO et AFFRICTIO.

AFFIXUS *vel* adfixus, a, um. *V.* AFFIGO.

AFFLĀGRANS *vel* adflagrans, antis, particip. ab inus. *afflagro*, idem ferme quod flagrans, vel valde flagrans; et occurrit tantum translate apud *Ammian.* 21. 12. 23. Nec privatorum utilitates in tempore afflagranti despiciens. *h. e.* turbulento propter bellorum metum. Al. tamen aliter legunt.

AFFLĀMEN *vel* adflamen, inis, n. 3. (afflo) idem quod afflatus II. 1. *Juvenc.* 1. 85. *de Elisabeth Baptistæ matre.* Divinæ vocis completa afflamine sancto.

AFFLĀTOR *vel* adflator, ōris, m. 3. (afflo) qui afflat. *Tertull. advers. Hermog.* 32. *loquens de Spiritu Sancto.* Qui super aquas ferebatur, librator, afflator et animator.

AFFLĀTŌRIUS *vel* adflatorius, a, um, adject. (afflo) qui afflat. *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 151. Tria sunt genera fulminum, unum afflatorium tantum; aliud, quod incendit; tertium, quod transfigit. Cf. AFFLATUS, us I. b., et *Senec.* 2. *Quæstion. nat.* 40., qui tria facit fulminum genera, quod terebrat, quod discutit, quod urit; hoc autem postremum vel urendo afflat, vel comburit, vel accendit. Et *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 234. aliud esse ait fulmen quod terret, aliud quod afflat, aliud quod punit.

AFFLĀTUS *vel* adflatus, a, um. *V.* AFFLO.

AFFLĀTUS *vel* adflatus, us, m. 4. (afflo) flatus, spiritus, ventus (It. *lo spirare, soffio, vento*; Fr. *souffle qui vient frapper, vent, haleine*; Hisp. *el soplar, viento, hálito*; Germ. *das Anblasen, oder Anwehen, der Anhauch*; Angl. *a breathing upon, breath, gust of wind, blast*).

I.) Proprie ponitur — *a*) De ventorum spiritu. *Ovid. Ib.* 106. Deneget afflatus ventus et aura suos. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (201). Afflatus benignus ventorum. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 51. Ut ab omni afflatu protegantur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). Regio omni afflatu noxio carens. *Id.* 6. *ibid.* 17. 20. (55). Apricis ab omni noxio afflatu seclusa collibus. *Id. ibid.* 17. 21. (58). Ejus venti (*Favonii*) afflatu juvari Indiam. *Id.* 3. *ibid.* 5. 6. (41). Afflatus montium. *h. e.* qui spirat a montibus. *Id.* 21. *ibid.* 10. 31. (57). et 20. 19. 78. (306). Afflatus maris. *h. e.* qui spirat a mare; quique dicitur ab eodem *Plin.* 14. *ibid.* 2. 1. (32). et 6. 8. (60). Afflatus maritimus. *Plin.* 5. *Ep.* 6. 92. Triclinium saluberrimum afflatum ex Apennini vallibus recipit. — *b*) De calido ignis solisve vapore. *Liv.* 28. 23. Ambusti afflatu vaporis. *Id.* 39. 22. Ignes cœlestes adussisse levi afflatu complurium vestimenta dicebantur. *Ammian.* 24. 4. Ignium afflatus immissus. *Colum.* 4. *R. R.* 24. Trunci pars solis afflatu peraruit. *V.* AFFLO. — *c*) Dicitur et de spiritu emisso ab animali. *Ovid.* 8. *Met.* 289. *de apro*: Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (92). Polypus afflatu terribili canes agebat. *Id.* 10. *ibid.* 33. 51. (102). Perdices concipiunt et supervolantium afflatu. *C. Rabirius* p. 226. ed. *Kreyssig.* Percutit afflatu brevis hunc sine morsibus anguis. *Stat.* 5. *Theb.* 527. calidi afflatus serpentis. *Sil. It. de dracone loquens.* 6. 159. tabes afflatus. *Et* 239. pestis afflatus. — *d*) Hinc apud Grammaticos afflatus pro aspiratione, hoc est pro H, ponitur, quia in ea pronuncianda majore emisso spiritu opus est. *Varro* 3. *R. R.* 1. 6. Nam linguā priscā et in Græcia Æoles Bœotii sine afflatu vocant colles Tebas.

II.) Translate. ¶ 1. Afflatus significat vim immissam divinitus animis, impetum furoremve mentes permoventem excitantemque ad aliquid agendum, quod supra vires hominis esse videatur (It. *ispirazione, spirito, entusiasmo*; Fr. *inspiration d'en haute, enthousiasme*; Hisp. *inspiracion divina, impulso divino, entusiasmo, furor poetico*; Germ. *der Anhauch der Begeisterung der Wahrsager und Dichter*; Angl. *inspiration, divine heat, enthusiasm*). *Cic.* 1. *Divinat.* 19. 35. Vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat. *Id. ibid.* 18. 34. Oracula, quæ instinctu divino afflatuque funduntur. *Id.* 2. *ibid.* 57. 117. Quid tam divinum, quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat? *qui paullo sup. dicitur* anhelitus ille terræ etc. *de Oraculo Delphico.* *Id.* 2. *Nat. D.* 66. 166. Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit. *Id.* 2. *Orat.* 46. 194. Sæpe audivi poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam afflatu quasi furoris. Adde 1. *Tusc.* 26. 64. et *V.* AFFLO. ¶ 2. Ponitur et de luce, seu splendore, qui ab aliqua re effunditur, metaphorā sumptā a sup. n. I. *b*. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 22. (98). Translucent ergo juncturæ (*Forcellinus* cum vett. Editt. legebat: Translucet pictura) tenuissimis capillamentis, lenique afflatu simulacra refovente, ipsa materia in pretio operis intelligitur. *h. e.* aureis ac splendentibus lineis.

AFFLECTO *vel* adflecto, flectis, flexi, flexum, flectere, a. 3. (ad *et* flecto). Part. *Afflexus* I. Est idem ferme quod flecto, vel ad aliquam rem flecto.

I.) Proprie. *Avien. Arat.* 734. Huic rutilos si sol afflexerit axes. *German. Arat.* 191. Latus afflexum.

II.) Translate est precibus commovere et flectere. *Apul.* 6. *Met.* 18. Nec tu tamen illicita afflectare pietate. *Kräge* quoque ita legendum putat: vulg. Editt. leg. *affectare*, al. *adlectare*.

AFFLEO *vel* adfleo, fles, flēvi, flētum, flere, n. 2. (ad *et* fleo) idem ferme quod fleo, vel simul aut prope fleo. *Plaut. Pers.* 1. 3. 72. Ut affleat, cum ea memoret. Adde *Pœn.* 5. 2. 149. *Horat. Art. P.* 101. Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent Humani vultus. *Alii tamen leg.* adsunt. *Gloss. Cyrill.* Adfleo προσδάκρυω.

AFFLEXUS *vel* adflexus, a, um. *V.* AFFLECTO.

AFFLICTATIO *vel* adflictatio, önis, f. 3. (afflicto) ægritudo cum vexatione corporis, ut definit *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18. *Id. ibid.* 7. 16. Sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio etc. Adde 3. *ibid.* 13. 27. *V.* AFFLICTIO. *Cod. Theod.* 12. 30. 22. Afflictatio injuriarum. *Tertull. de Patient.* 5. plur. num. usurpat.

AFFLICTATOR *vel* adflictator, öris, m. 3. (afflicto) qui affligit. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 16. Justum est afflictatoribus nostris rependi afflictationem.

AFFLICTATUS *vel* adflictatus, a, um. *V.* AFFLICTO.

AFFLICTIM *vel* adflictim, adverb. (affligo) cum afflictione, vehementer. *Capell.* 4. p. 94. Sed licet ipse modos demum his quinque profatus Pallens afflictim verset Aristoteles. *At num efflictim legendum?*

AFFLICTIO *vel* adflictio, önis, f. 3. (affligo) proprie est allidendi vel percellendi actus, atque hinc sollicitudo quæ vexat (It. *afflizione, travaglio*; Fr. *affliction, abattement, chagrin*; Hisp. *afliccion, pena, tormento*; Germ. *die peinigende Beunruhigung*; Angl. *affliction, sorrow, pain*). *Cic.* 3. *Tusc.* 13. 27. Ægritudo habet cruciatum, afflictionem, fœditatem. *Alii rectius leg.* afflictationem. *Seneca Consol. ad Helviam* 16. 1. Afflictionis irritæ supervacua vexatio. *Vulgat. Interpr.* sæpissime hanc vocem exhibet, ut *Deuter.* 16. 3., *Eccle.* 12. 1. etc.

AFFLICTO *vel* adflicto, as, ävi, ätum, are, a. 1. (*frequent. ab* affligo). Part. *Afflictatus* II. 1. *b.* Afflicto est vehementer percellendo male mulco, huc illuc impellendo agito et vexo (It. *maltrattare spingendo, agitare*; Fr. *maltraiter en choquant violemment, agiter en frappant avec force*; Hisp. *agitar, menearse a una parte y otra, atormentar*; Germ. *etwas mit aller Gewalt anschlagen und es so beschädigen, ihm mitspielen*; Angl. *to agitate, toss or drive this way or that, shatter as a storm doth a ship*).

I.) Proprie de inanimis. *Cæs.* 4. *B. G.* 29. Onerarias (*naves*), quæ ad ancoras erant deligatæ, tempestas afflictabat. *Id.* 3. *ibid.* 12. Ut neque pedibus aditum haberent, – neque navibus, quod rursus minuente æstu naves in vadis (*al.* undis) afflictarentur.

II.) Translate. ¶ 1. Est deprimere, incommodis damnisque afficere. — *a)* Active. *Tac.* 4. *Hist.* 79. Ne quarta decima legio, adjuncta Britannica classe, afflictaret Batavos. *Id.* 3. *ibid.* 19. Memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps prælii fortuna – equites equosque afflictaverat. *Id.* 6. *Ann.* 35. Afflictare hostes vulneribus. *Id.* 13. *ibid.* 30. Italiam luxuriâ sævitiâque. — *b)* Sæpius passive. *Auct. B. Hisp.* 3. 4. Tempestate adversa vehementique vento afflictari. *Cic. Harusp. resp.* 19. 40. Hoc turpius afflictatur respubl., quod ne ab eo quidem vexatur. *Id.* 1. *Cat.* 13. 31. Ut sæpe ægri gravi morbo – primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur. *Liv.* 29. 10. Se exercitumque suum gravi morbo afflictari. *V. Drakenborg* ad h. l. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 16. *Sueton. Tit.* 2. Gravi morbo afflictatus diu. *Lucret.* 4. 1151. Afflictari amore. ¶ 2. *Afflictare se* mediorum forma, et quandoque *afflictari* est pectus plangendo aliisve modis dolorem suum significare, lamentari, queri, se totum questubus dare. *Sall. Cat.* 32. Mulieres afflictare sese, manus supplices ad cælum tendere. *Tac.* 2. *Ann.* 81. Piso – pro muris modo semet afflictando, modo singulos nomine ciens seditionem cœptabat. *Ter. Eun.* 1. 1. 31. Et ne te afflictes. *Cic.* 3. *Tusc.* 32. 77. Cum se Alcibiades afflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet etc. *Id.* 3. *Att.* 12. 1. Hic tu me accusas, quod me afflictem, cum ita sim afflictus, ut nemo unquam. *Id.* 3. *Tusc.* 27. 66. Postea quam Tyrum venissent, tum afflictari lamentarique cœpisse. *Id.* 11. *Att.* 1. 1. Nihil scire potui de domesticis rebus, de quibus acerbissime afflictor, quod etc.

AFFLICTOR *vel* adflictor, öris, m. 3. (affligo) proprie qui allidit et prosternit: sed occurrit tantum translate, et est qui deprimit (It. *colui che degrada ed atterra*; Fr. *celui qui terrasse, qui détruit*; Hisp. *leñador, partidor, destrozador*; Germ. *der etwas zu Boden wirft und herabwürdigt*; Angl. *a troubler, vexer, tormentor, a scourge*). *Cic. Pison.* 27. 64. Senatus odit te afflictorem et perditorem non modo dignitatis et auctoritatis, sed etiam ordinis ac nominis sui.

AFFLICTRIX *vel* adflictrix, icis, f. 3. (afflictor) proprie quæ allidit et percellit. *Apul. de Mund.* 15. Ubi nubes afflictrix ignem, ut ignifera saxa attrita inter se, dat. *Forcellinus* cum vett. Editt. legebat *afflictu*.

AFFLICTUS *vel* adflictus, a, um. *V.* AFFLIGO.

AFFLICTUS *vel* adflictus, us, m. 4. (affligo) allisio, collisio (It. *collisione*; Fr. *heurt, collision*; Hisp. *tope, colision*; Germ. *das Anschlagen oder Anstossen unter einander*; Angl. *a dashing, or striking together, a collision*). *Apul. de Mund.* 15. Flamma illa, quam nubium afflictus excussit etc. — *NB.* Apud *Cic.* 2. *Tusc.* 8. *ex Poeta*: Effeminata virtus afflictu occidit. *plerique alii leg.* efflicta, ut *ipse* Forcellinus *adnotavit, atque ita rectius legunt recentiores Editt.*

AFFLIGO *vel* adfligo, fligis, flixi, flictum, fligere, a. 3. (ad et fligo). *Adflixint* pro *adflixerint* ἀρχαϊκῶς usurpat *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* 3. Tum me dii omnes male adflixint, si ego verbo lædere ausus fuissem quemquam amicum tibi. — Part. *Afflictus* in omnibus paragr. et in fine. — Affligo est allido, vi impello atque impellendo prosterno; ideoque huic verbo opponitur *erigere*, ut apud *Cic. pro leg. Manil.* 9. 23. et 5. *Verr.* 91. 212., et *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Afflictum erigere (It. *frangere e far urtare a qualche luogo, abbattere, atterrare*; Fr. *jeter, pousser, choquer contre, terrasser*; Hisp. *echar, arrojar, lanzar, abatir*; Germ. *anschlagen etwas wohin oder schlagend wohin werfen*; Angl. *to throw violently or dash against any thing, to throw to the ground, overthrow*).

I.) Proprie. — *a)* Stricto sensu: et addito termino, ad quem aliquid aut aliquis affligitur sive alliditur modo per Accus. et præp. *ad*, modo per Dat. — Per Accus. et præp. ad. *Plaut. Pers.* 5. 2. 15. Te ad terram, scelus, affligam. *Cic. Rabir.* perd. 9. 25. Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. — Per Dativum. *Liv.* 24. 34. 11. Cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita undæ affligebat (*Archimedes*), ut, etiam si recta reciderat, aliquantum aquæ acciperet. *Ovid.* 12. *Met.* 139. et 11. *ibid.* 206. Affligere aliquem terræ. *Sil. It.* 9. 631. aliquem tellure. *al. minus recte leg.* tellure. *Flor.* 4. 12. 5. Infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa misere. *Tac.* 1. *Hist.* 41. et *Sueton. Domit.* 23. Affligere imaginem solo. *Curt.* 4. 6. 23. crus saxo. *Tac.* 4. *Ann.* 45. caput saxo. Apud *Horat.* 1. *Sat.* 1. 81. et 2. *ibid.* 2. 79. recentiores Editt. rectius leg. AFFIGERE, quam vocem *V.* — *b)* Absolute est rem agitando ad terram jacere. *Sueton. Aug.* 96. Aquila duos corvos afflixit et ad terram dedit. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Si quo casu afflictæ conciderint (*bestiæ*). *Sall.* apud *Non.* 4. 454. *ed. vulg.* Aut vulnerati a suis, aut afflicti undarum vi. *Plaut. Most.* 1. 4. 19. Cedo manum; nolo equidem te affligi. *h. e.* te ad terram cadere. *Cic. Pison.* 38. 39. Illi autem statuam istius persimilem, quem stare in loco celeberrimo voluerat, – deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant. *Id. Cæl.* 32. 78. Qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Huc cum se – reclinaverint (*alces*), infirmas arbores pondere affligunt atque una ipsæ concidunt. *Id.* 4. *B. G.* 31. Quæ gravissime afflictæ erant naves etc. *Cic. Dom.* 40. 106. Affligere domum alicujus. *Val. Flacc* 4. 612. de *Chalybum gente*: Et tonat afflicta domus ignea massa. *h. e.* malleis contusa. *Seneca* 1. *de Ira* 16. 19. Mensam evertere, pocula affligere. *Tac.* 14. *Ann.* 8. Trierarchus fusti caput ejus afflixit. *fusti* Ablativus est instrumenti. — Hinc sæpe etiam in re militari affligere usurpatur pro percellere, ad terram prosternere. *Sall. Jug.* 60. Nostri primo resistere, deinde, ubi unæ atque alteræ scalæ comminutæ, qui supersteterant, afflicti sunt etc. *Id. ibid.* 101. Equi atque viri afflicti. *Liv.* 28. 19. In acie, ubi Mars communis sæpe erigeret et affligeret victorem. *Curt.* 4. 14. 20. Mediam aciem vanam motu concuterent magis, quam affligerent. — *c)* Generatim est deprimere, vitæ minari, damna vitæ inferre, præcipue si verbum passive usurpatur. *Cic. Senect.* 10. 32. Sed tamen, ut vos videtis, non plane me enervavit, non afflixit senectus. *Cels.* 1. *præfat.* p. 1. 24. *Ritt.* Si quidem hæc duo (*desidia et luxuria*) corpora prius in Græcia, deinde apud nos afflixerunt. *Quintil.* 1. 12. 10. Corpora infantium tot casus, quo in terram toties deferuntur, tam graviter affligit. *Tac.* 11. *Ann.* 38. Fames affligebat hostes. *Id.* 4. *ibid.* 63. Affligere aliquem in mortem. *h. e.* usque ad mortem. *Cic. Pison.* 35. 86. Affligi uno genere morbi. *Liv.* 3. 6. Urbs pestilentiâ afflicta. *Curt.* 9. 5. 10. Afflictos vulnere. *Colum.* 2. *R. R.* 10. Lupinum, si non ante hiemem convaluerit, frigoribus affligitur. *h. e.* in terram decidit. *Id.* 5. *ibid.* 6. 1. Arbor senio, aut tempestate afflicta. *Sueton. Vesp.* 17. Civitates terræ motu, aut incendio afflictæ.

II.) Translate est deprimere, perdere, perturbare, vexare, vires infringere, debilitare: non ita tamen, ut quod afflictum est pereat, ut patet ex *Justin.* 4. 5. Dum res quamvis afflictæ, nondum tamen perditæ forent. — *a)* Generatim. *Cic. Brut.* 12. 47. Hoc oratoris esse maxime proprium rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere. *h. e.* deprimere. *Id. Sext.* 41. 89. Affligere susceptam causam. *Sueton. Rhetor.* 6. negotium. *Cic.* 1. *Att.* 16. Afflictus magnis clamoribus conticuit et concidit. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 30. Vectigalia bellis affliguntur. *h. e.* minuuntur. *Id. Cæl.* 32. 80. Adolescentiam alicujus plenam spei maximæ percellere atque affligere. *Sueton. Tib.* 51. Affligere omnes amicitias intra breve tempus. *Cic.* 2. *Legg.* 17. 42. Religiones prostratæ et afflictæ. *Id.* 1. *Fam.* 6. Afflicta salus. *Id.* 2. *Orat.* 52. 211. Afflicta et prostrata virtus. *Tac.* 1. *Hist.* 88. Afflicta fides. *Flor.* 2. 6. et *Lucan.* 1. 496. Afflictæ res. *Stat.* 11. *Theb.* 164. Afflictus pudor. — *b)* Speciatim occurrit de regnis ac civitatibus, de civitatum principibus eorumque partibus, et est debilitare, infringere, ita ut ipsa vita in discrimen vocetur. *Cic. Flacc.* 7. 16. Ut hanc Græciam, quæ jamdiu suis consiliis perculsa et afflicta est, omittam. *Id.* 8. *Att.* 11. *C.* § 6. Respubl. et nunc afflicta est, nec excitari sine civili perniciosissimo bello potest. *Id.* 5. *Verr.* 91. 212. Afflicta et perdita provincia. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 11. *C.* Reipubl. afflictæ opem et auxilium ferre. *Liv.* 23. 14. Afflicta res Romana. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 24. Regum afflictæ fortunæ. *Liv.* 1. 39. Præsidium regiæ afflictæ. *Cic.* 2. *Att.* 19. Pompejus ipse se afflixit. *Id.* 14. *Fam.* 4. Virtus nostra nos afflixit. *Id. pro leg. Manil.* 9. 23. Afflictus Mithridates. *Id. Sext.* 7. 17. Affligere equestrem ordinem. *Liv.* 2. 16. spes hostium. *Id.* 28. 39. aliquem bello. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (55). opes Atheniensium. *Tac.* 2. *Hist.* 33. Othonianas partes. *Sueton. Oth.* 9. Afflictæ copiæ. *Cic. post red. in Senat.* 9. 24. Qui mihi primus afflicto atque jacenti consularem fidem, dexteram porrexit. *Sueton. Vitell.* 3. Missum ad legiones et appellatum imperatorem, pro afflicto statim lamentata est. *Id. Ner.* 16. Afflicti suppliciis Christiani. — *c)* Item speciatim de iis, quorum vita per quæstiones in discrimen vocatur. *Cic. Cæcin.* 71. 201. Si qua calamitas hunc in hoc judicio afflixerit innocentem etc. *Id. Muren.* 41. 88. Affligere aliquem judicum sententiis. *Sueton. Ner.* 7. reum testimonio. *Cic. Sull.* 5. 15. Fractus calamitate (*judicii*) atque afflictus. *Id. Quinct.* 30. 63. Ab afflicta amicitia transfugere et ad florentem aliam devolare. *Id. Sull.* 31. 89. Si non integra fortuna, at afflicta patri suo gratulari sinatis. *Id. Quinct.* 23. 74. Per se afflictus atque eversus. — *d)* Ponitur et de moribus, et est eos corrumpere, depravare. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (148). Eadem Asia donata multo etiam gravius afflixit mores. *Flor.* 3. 12. 7. Illæ opes atque divitiæ afflixere sæculi mores. *Macrob.* 6. *Saturn.* 7. Nemo quisquam tam afflictis est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat. *al. leg.* efflictis. *Cic.* 3. *Phil.* 10. 28. Homo afflictus et perditus. *h. e.* quasi vitiorum mole oppressus, obrutus, profligatus, abjectus; atque adeo improbus, pessimus. — *e)* Denique sæpissime refertur ad animum, et est exanimare, opprimere, perturbare, vexare. *Cic.* 12. *Att.* 50. Ut me levarat tuus adventus, sic discessus afflixit. *Id.* 4. *Tusc.* 15. 34. Important enim (*perturbationes*) ægritudines – animosque affligunt et debilitant metu. *Curt.* 4. 8. 9. Vehementer affligi desiderio alicujus. *Cic.* 4. *Tusc.* 16. 35. Ægritudine afflictus, debilitatus, jacens. *Id.* 9. *Phil.* 5. 12. Afflictus luctu. *Id.* 2. *Cat.* 1. 2. mœrore. *Id.* 9. *Fam.* 11. 1. gravissime casu aliquo. *Id.* 12. *Phil.* 1. 2. Domus mœstitia afflicta. *Id.* 12. *Att.* 21. 5. et *Dom.* 36. 97. Afflictus et fractus animus. *Virg.* 2. *Æn.* 92. Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. — Part. præter. pass.

Afflictus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. apud *Cic.* 6. *Fam.* 1. 6. Quod facere non debes, nec dubitare quin – sis futurus – non afflictiore conditione, quam ceteri. *h. e.* pejore, magis prostrata ac perdita

AFFLO *vel* adflo, as, āvi, ātum, are, 1. (ad *et* flo). Part. *Afflans B.* I.; *Afflatus B.* I. et II. Occurrit *A)* raro neutraliter, et *B)* sæpius active.

A) Neutr. afflare est spirare aliquo versus, vel ad aliquid (It. *spirare, soffiare incontro o verso*; Fr. *s'exhaler, se répandre sur*; Hisp. *exhalarse*; Germ. *zu-oder entegegen wehen*; Angl. *to breathe, to breathe upon*).

I.) Proprie. — *a)* Absolute. *Varro* 1. *R. R.* 12. 3. Vitandum, ne in eas partes spectet villa, ex quibus ventus gravior afflare soleat. *Liv.* 21. 54. 8. Quidquid auræ fluminis appropinquabant, afflabat acrior frigoris vis. — *b)* Cum Dativo. *Propert.* 2. 22. 17. Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores, Sed quos ipse suis fecit Amor manibus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 95. Ut nihil omnino gustaremus, velut illis Canidia afflasset pejor serpentibus Afris.

II.) Translate. — *a)* Absolute. *Cic.* 16. *Att.* 5. 1. Sed tamen rumoris nescio quid afflaverat commissione Græcorum frequentiam non fuisse. *h. e.* exierat quidam rumor. — *b)* Cum Dativo. *Tibull.* 2. 1. 80. Felix, cui placidus leniter afflat Amor.

B) Active sæpius occurrit, et est ad aliquid spiro, flatu spirituve contingo (It. *soffiare verso, toccare col soffio*; Fr. *souffler vers, tuocher ou atteindre de son souffle*; Hisp. *soplar hácia, tocar soplando*; Germ. *eine Person oder Sache anblasen, anwehen, anhauchen*; Angl. *to breathe, to breathe upon*).

I.) Proprie occurrit fere semper absolute *afflare aliquem aut aliquid*, et raro cum Dativo *afflare aliquid alicui* (V. infra sub *b* et *d* et II. 4.) et ponitur — *a)* De ventis. *Liv.* 22. 43. 11. Terga tantum afflante vento. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (155). Cum udam (*fabam*) quidam ventus afflavit. *Sueton. Tib.* 72. Et ut exæstuaret, afflatus aurâ, in graviorem incidit morbum. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 146. maligno Afflantur vineta Noto. — Et de frigida aura matutina *Virg.* 1. *G.* 250. Nos ubi primus equis Oriens afflavit anhelis. *h. e.* quasi contigit afflatu equorum cursu anhelantium, ut *Forcellinus* interpretatur. *Id.* 5. *Æn.* 739. Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis. — *b)* De aliis rebus, quæ flatu aliquo ferri videntur, ut de fulmine, igne, sidere et hujusmodi. Itaque *afflari* v. g. *fulmine* est non quidem ici, sed tangi vi spiritus fulmen præeunte, vel comitante; ut patet ex *Virg.* 2. *Æn.* 648. ex quo me divum pater atque hominum rex Fulminis afflavit ventis et contigit igni. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 22. fulmina, quorum Ignibus afflari proxima quæque solent. *Id.* 3. *Pont.* 6. 17. Fulminis afflati telis. *Gr. Licinian.* ed. *Pertz.* p. 38. Orta tempestate et ipse (*Pompejus*) fulmine afflatus est. – Tertium post diem Pompejus moritur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (142). Spiritum esse ociorem fulmine: ideo prius quati omne et afflari, quam percuti. *Plin. Paneg.* 90. *metaphorice*: Utrumque nostrum ille carnifex – jacto fulmine afflaverat. *Livius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 472. Tanta flamma ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur. *h. e.* incendio flagrare cœperit. *Id.* 30. 6. Magna pars saucii afflatique incendio effugerunt. *quos paullo ante dixerat ambustos. Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (108). Afflantur alii sidere. *h. e.* siderantur, sive, uti nunc dicimus, solis ictu percelluntur. *Claudian. B. Gild.* 348. Afflatus sole. *Id.* 1. *Rapt. Proserp.* 1. afflataque curru Sidera Tænario. — *Et afflare aliquid alicui* apud *Lucret.* 5. 508. et calidum membris afflare vaporem. — *c)* De spiritu sive halitu animalium. *Ovid.* 1. *Met.* 542. Ocior est – et crinem sparsum cervicibus afflat (*deus*). *Id.* 7. *ibid.* 29. At nisi opem tulero, taurorum afflabitur ore. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 18. Cavendum, ne (*pulli*) a serpentibus afflentur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 33. (78). Necat (*basiliscus*) frutices, non contactos modo, verum et afflatos. *Id.* 11. *ibid.* 53. 115. (277). Afflata ursi halitu. — *d)* Denique de odoribus aut pestilenti halitu aliquo. *Veget.* 4. 24. 2. *Schneid.* Odor quoque cimicis – ubi sanguisugam afflaverit, evellet e vulnere. *Ovid.* 3. *Met.* 49. Hos necat afflatos funesta tabe veneni. — Et *afflare aliquid alicui* apud *Cic. Senect.* 17. 59. Suavitas odorum, qui afflarentur e floribus. *h. e.* qui flatu aeris ad nos pervenirent. Alii *leg. afflarent*, quod placet *Manutio* et aliis Criticis; alii *efflarentur*.

II.) Translate. ¶ 1. Afflare aliquem significat inspirare, concitare divinitus motum animi: qui loquendi modus ex eo ortus videtur, quod ex cavis oraculorum anhelitus quidam exiret, quo sacerdotes incitati responsa divina reddebant, ut ex *Cic.* 2. *Divinat.* 57. 117. et 1. *ibid.* 19. 35. colligitur. *Id. Arch.* 8. Poetam mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu afflari. *alii, inter quos recentiores, leg.* inflari. *Virg.* 6. *Æn.* 50. afflata est (*Sibylla*) numine quando jam propiore dei. *Pers.* 1. 123. audaci quicumque afflate Cratino, Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles. *h. e.* quicumque ex lectione Cratini, ejus audaciam et spiritum hausisti. ¶ 2. Ducta translatione ab iis, qui fulmine afflantur. *Val. Max.* 7. 5. 4. Afflatus repulsâ. *h. e.* perculsus. Et *Flor.* 3. 5. 9. Italiam, ipsam urbem Romam regius terror afflabat. *h. e.* tam prope erat, ut et Romæ timeretur. ¶ 3. Item ducta translatione ab halitu pestilenti. *Seneca Ep.* 114. Si animus sanus est, si compositus, gravis, ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiato, hoc quoque afflatur. *h. e.* corrumpitur, depravatur. ¶ 4. *Afflare aliquid alicui* est aliquid ipsi ultro afferre, aliqua re ipsum donare vel afficere, idque facile, nullo ejusdem labore aut conatu; et occurrit — *a)* In bonam partem. *Cic.* 3. *Verr.* 13. 35. Sperat sibi auram posse aliquam afflari, in hoc crimine, voluntatis dissensionisque eorum, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio sit. *h. e.* fauturos sibi eos, quibus etc.: ubi *Zumptius* male legit *afflare*. Hinc *afflare aliquem juventâ* apud *Claudian. B. Gild.* 206. est alicui juventam addere et flando quodammodo inspirare. Eadem ratione *afflare alicui honores* dixit *Virg.* 1. *Æn.* 595. loquitur autem de Venere gratiosiorem Æneæ vultum reddente; sicut apud *Claudian.* de Jove sermo est. Creduntur autem deorum halitus et afflatus vitales admodum esse, rebusque, quas contigerint, vim vigoremque indere. *Tibull.* 2. 4. 57. indomitis gregibus Venus afflat amores. — *b)* In malam partem. *Cic.* 4. *Herenn.* 49. 62. Si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare – possit.

AFFLUENS *vel* adfluens, entis. *V.* **AFFLUO**.

AFFLUENTER *vel* adfluenter, adverb. (affluens). Comp. *Affluentius* est usitatior. Proprie de liquidis est ea ratione qua aliquid ad locum aliquem fluit: sed occurrit tantum translate et significat copiose (It. *abbondantemente, copiosamente*; Fr. *abondamment, avec affluence*; Hisp. *abundantemente*; Germ. *mit Ueberfluss, auf reichliche oder überflüssige Weise*; Angl. *abundantly, copiously*). *Apul.* 1. *Met.* 7. Vinum calicibus affluenter immissum. *Solin.* 9. *a med.* Ita affluenter successus ejus ampliandis opibus proficiebant, ut etc. *Vulgat. Interpr. Jacob.* 1. 5. Qui (*Deus*) dat omnibus affluenter. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Affluentius voluptates undique haurire. *Nep. Att.* 14. Affluentius vivere. *Tac.* 15. *Ann.* 54. Affluentius solito convivium inire.

AFFLUENTĬA *vel* adfluentia, æ, f. 1. (affluo) proprie est profluvium (It. *profluvio*; Fr. *afflux, affluence*; Hisp. *afluencia*; Germ. *der reichliche Zufluss*; Angl. *plenty, fruitfulness, exuberance*).

I.) Proprie. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 61. (94). Illita radix genitalibus inhibet affluentiam genituræ. *Id.* 22. *ibid.* 22. 40 (83). *dicit* profluvium genituræ.

II.) Translate. ¶ 1. Est abundantia, copia. — *a)* Cum Genit. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 35. 94. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum nata est arrogantia. *Plin. Paneg.* 29. Affluentia annonæ. — *b)* Absolute. *Nep. Att.* 13. 5. Omni diligentia munditiam, non affluentiam affectabat. *h. e.* rerum copiam et magnificentiam; alii *leg. affluentem.* ¶ 2. Item exundantia. *Quintil.* 12. 10. 13. Ingenii affluentia. *Firmic.* 8. 10. Verbosa sermonis affluentia.

AFFLUO *vel* adfluo, flŭis, fluxi, fluxum, flŭere, n. 3. (ad *et* fluo). Part. *Affluens* I. et II. 1., 2., et in fine. — Est ad aliquem locum fluo, fluendo accedo (It. *scorrere a qualche luogo, fluire*; Fr. *affluer, couler ou fluer vers*; Hisp. *abundar, concurrir*; Germ. *herbei-oder herzu-oder heranfliessen oder strömen*; Angl. *to flow to or towards*).

I.) Proprie de fluvialibus aquis ponitur, et occurrit — *a)* Absolute. *Colum.* 1. *R. R.* 4. *extr.* Ne, cum a vertice torrens imbribus conceptis affluxerit, fundamenta convellat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (212). Æstus bis inter duos exortus lunæ affluunt bisque remeant. — *b)* Cum Dativo, aut Accus. et præp. *ad. Liv.* 35. 29. 9. Ad Eurotam amnem, qui prope ipsis affluit mœnibus, progredi. *Id.* 22. 44. Aufidus amnis utrisque castris affluens. *Tac.* 4. *Ann.* 6. Rhenus ad Gallicam ripam latior et placidior affluens.

II.) Translate. ¶ 1. Ducta translatione ab aquis decurrentibus ac prope accedentibus, ponitur de rerum omnium multitudine, quæ aliquo accedunt. — *a)* Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 19. 49. *de atomis*: Cum infinita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat et ad deos affluat. *Sueton. Claud.* 44. Consopitum, deinde cibo affluente evomuisse omnia. *Horat.* 4. *Od.* 11. 18. quod ex hac Luce Mæcenas meus affluentes Ordinat annos. *h. e.* annos accedentes, advenientes. Et *cum Accus. Lucret.* 3. 685. ut sensu corpus tamen affluat omne (*animus*). *h. e.* per omne corpus diffundatur. — *b)* Speciatim et sæpius de hominum et præsertim militum multitudine ponitur, et est accurrere, convenire, undique concurrere. *Liv.* 35. 3. Affluente quotidie multitudine ad famam belli. *Id.* 39. 31. Dimicantibus iis legio quinta supervenit; deinde, ut quæque potuerant, copiæ affluebant. *Virg.* 2. *Æn.* 796. Ingentem comitum affluxisse novorum Invenio admirans numerum. *Curt.* 9. 5. 7. Cum subinde hostis afflueret. *Tac.* 14. *Ann.* 8. Affluere ingens multitudo cum luminibus. *Id.* 4. *Hist.* 25. Affluentibus auxiliis Gallorum, qui rem Romanam enixe juvabant. *Id.* 4. *Ann.* 41. Populi accursus multitudinem affluentium increpat. *Flor.* 3. 20. 6. Affluentibus in diem copiis. — *NB.* Apud eumd. *Tac. Orat.* 14. auditores *affluentes* dicuntur qui veniunt abeuntque, quique propterea remanentibus opponuntur. ¶ 2. Item accedere, illabi. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 39. Si ea sola voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, – et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur etc. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 3. 1. Nihil a te –, nihil ex istis locis, non modo litterarum, sed ne rumoris quidem affluxit. *Ovid. Rem. am.* 148. Affluit incautis insidiosus amor. ¶ 3. Ducta translatione ex aquarum decurrentium copia, affluere est abundare, et — *a)* De rebus absolute occurrit. *Sall. Cat.* 37. Mihi imperium populi Rom. miserabile visum est, cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiæ – affluerent, fuere tamen etc. *h. e.* abunde suppeterent. *Liv.* 3. 26. Ubi effuse affluunt opes. *Id.* 6. 15. 9. Ex eo, quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum. *Val. Max.* 6. 9. *ext.* 7. Affluunt subito, repente dilabuntur (*vires atque opes humanæ*). — *b)* De personis usurpatur cum Ablat. rei, quæ abundat. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 57. Atque adeo ut frumento affluam. *Lucret.* 6. 13. Divitiis homines et honore et laude potentes Affluere. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 93. At miser, si in flagitiosa atque vitiosa vita afflueret voluptatibus. — De personis absolute occurrit tantum in *Vulgat. Interpr. Jesai.* 60. 5. Tunc videbis et affllues et dilatabitur cor tuum. — Part. præs.

Affluens, entis, est etiam adject., unde Comp. *Affluentior*, et Superl. *Affluentissimus* I. et II.: et occurrit iisdem fere quibus verbum ipsum significationibus, scilicet

I.) Proprie est copiose fluens, abundans, et de aquis dicitur aliisque fluidis. *Vitruv.* 8. 1. 2. Sub radicibus montium uberiores et affluentiores aquæ sunt. *Solin.* 50. Affluentissimus humor.

II.) Translate est copiosus, refertus, dives quacumque re, et occurrit — *a)* De rebus, quæ abundant. *Cic.* 1. *Off.* 43. 153. Ut omnium rerum affluentibus copiis – omnia, quæ cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur. *Id. Amic.* 16. 58. Ditior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia. *Id. Orat.* 24. 79. Ornatum illud (*genus orationis*) suave et affluens. *Sueton. Aug.* 35. Senatorum affluens numerus. *Augustin.* 2. *Confess.* 6. Largitor affluentissimus. *Tac.* 1. *Hist.* 57. Ex affluenti. *h. e.* ex abundanti. — *b)* De personis cum Ablat. rei, quæ abundat. *Cic. Sext.* 8. 18. Alter unguentis affluens. *Livius Andronicus* apud *Priscian.* 10. p. 877. *Putsch.* Aut nunc quæpiam alia te illo Asiatico ornatu affluens, aut Sardiano ac Lydio fulgens decore et gloria pelliciat. *Phædr.* 5. 1. 22. Homo vestitu affluens. *h. e.* qui vestem habet amplam, sinuosam, et, ut ait *Horat. Epod.* 4. 8., bis ter ulnarum togam. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 30. 81. Affluens opibus et copiis. *Id. Arch.* 2. 4. Urbs eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluens. *Id. Rosc. Com.* 10. 27. Homo bonitate affluens. *Id.* 7. *Verr.* 54. 142. Homo omni lepore et venustate affluens. *Id.* 3. *Orat.* 15. 54. Homines otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes. *Id. Cluent.* 66. 189. Domus omni scelere affluens.

AFFLUUS *vel* adfluus, a, um, adject. (affluo) idem ac affluens, sive copiose fluens. *Jul. Valer. Res gest.*

Alex. M. 3. 29. ed. *Mai.* Flumen quidem affluum vident.

AFFŎDIO vel adfodio, is, ere, a. 3. (ad et fodio) ad aliquem locum fodio, seu fodiendo aggero, adjungo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 68. 68. (175). In qua conterminos pellimus furtoque vicini cæspitem nostro solo adfodimus. *h. e.* fodiendo nostro solo adjungimus. Plerique tamen Codd. habent *ordimur*, quam lectionem prætulit *Sillig*.

AFFOR vel adfor, fāris, fātus sum, fari, dep. 1. (ad *et* for). Verbum est defectivum; caret enim modis Optativo et Conjunctivo, et præterea prima persona Indicativi præsentis, et quibusdam aliis: usurpatur fere in Indicativo Præsenti, Imperfecto et Perfecto. *V.* FOR. — Part. *Affatus A.* 1. et *B.* 1. — Affari idem est ac alloqui (It. *parlare a qualcheduno*; Fr. *parler, adresser la parole à*; Hisp. *hablar, enderezar palabras*; Germ. *anreden oder ansprechen*; Angl. *to address, accost, speak to*). Occurrit *A*) active, et *B*) passive.

A) Active. ¶ 1. Est loqui ad aliquem simpliciter; et usurpatur — *a*) De verbis, quibus aliquem alloquimur. — Cum Accus. personæ. *Accius* apud *Macrob.* 6. 1. Quem neque tueri contra, neque affari queas. *Cic. Senect.* 1. 1. Licet enim versibus eisdem affari te, Attice, quibus affatur Flamininum ille vir etc. *Id. Brut.* 72. 253. Cum hunc nomine esset affatus. *h. e.* cum eum alloquens nomine compellasset. *Virg.* 3. *Æn.* 492. Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis. *Id.* 6. *ibid.* 455. quam — dulcique affatus amore est. *Horat.* 1. *Od.* 7. 24. Sic tristes affatus amicos. *Stat.* 1. *Achill.* 251. Blande affari aliquem. Et 383. Affari aliquem blandis verbis. *Curt.* 4. 11. 19. Ubi igitur me affamini? — Absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 775. Tum sic affari et curas his demere dictis. — *b*) De litteris vel epistolis, quibus absentem alloquimur, ut apud Græcos προσφωνεῖν. *Cic. Brut.* 3. 13. Illius libri (*salutatio*), quo me hic affatus quasi jacentem excitavit. Cf. locum superius allatum *Senect.* 1. 1. — *c*) Denique de supremo vale, ut mos erat in funeribus. *Virg.* 2. *Æn.* 644. sic positum affati discedite corpus. *Id.* 9. *ibid.* 484. Nec te Affari extremum miseræ data copia matri. ¶ 2. Est etiam alloquendo precari, et præcipue diis supplicare. *Cic.* 2. *Phil.* 13. 83. Qui locus aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, cum accesserint, non affari atque appetere videatur? *Virg.* 4. *Æn.* 424. I, soror, atque hostem supplex affare superbum. *Accius* apud *Non. p.* 463. 23. *Merc.* Deum Cadmo generatum, Semela, affare et famulanter pete. *Virg.* 2. *Æn.* 700. Affaturque deos et sanctum numen adorat. *Ovid.* 6. *Fast.* 303. inde precando Affamur Vestam.

B) Passive. ¶ 1. Part. *affatus* prima significatione occurrit apud *Apul.* 11. *Met.* 19. Affatis itaque ex officio singulis narratisque meis ærumnis. ¶ 2. *Affari* pass. fuit etiam verbum Augurum proprium, et dicebatur de templorum finibus, in quibus auspicia sumebantur. *Varro* 6. *L. L.* 53. p. 20. *Müll.* Hinc affari templa dicuntur ab auguribus: affantur qui in his fines sunt. *V.* EFFARI.

AFFORE vel adfore. *V.* ASSUM.

AFFORMĬDO vel adformido, as, are, a. 1. (ad *et* formido) valde timeo, seu potius ob rem aliquam timeo. *Plaut. Bacch.* 4. 10. 3. Magis curæ est, magisque afformido, ne is pereat.

AFFRACTUS vel adfractus, a, um. *V.* AFFRANGO.

AFFRANGO vel adfrango, frangis, *vel etiam* AFFRINGO vel adfringo, fringis, frēgi, fractum, gere, a. 3. (ad et frango). In locis mox citandis pro *affrangere* ubique alii reponunt *affringere*: quod propius videtur accedere ad Latinorum consuetudinem, qui in compositis verbi *frango* mutant fere *a* in *i*, si littera *n* retineatur, ut *confringo, infringo, perfringo*; servant autem *a*, si *n* abjiciatur, ut *anfractus, refragor, suffragor* etc. — Part. *Affractus* I. — Affrango vel affringo est idem quod frango, seu ad aliquid frango, allido (It. *rompere contro*; Fr. *briser ou écraser contre*; Hisp. *romper, quebrar*; Germ. *etwas anbrechen oder brechend an etwas anschlagen oder anwerfen*; Angl. *to break or dash against*).

I.) Proprie. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 36. aut exiccata fatiscet Mater (*Thetis*) Achilleis hiemes affrangere bustis. *h. e.* undas ad scopulos allidere. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Fluvius salebratim saxorum objicibus affractus spumoso canescit impulsu. *Stat.* 10. *Theb.* 57. duris affrangunt postibus ungues.

II.) Translate est vehementer adstringere. *Stat.* 5. *Theb.* 150. plenisque affrangere parvos Uberibus.

AFFRĔMO vel Adfremo, mis, mere, n. 3. (ad et fremo) idem quod fremo, vel ad aliquid fremo (It. *fremere verso*; Fr. *frémir à la vue de quelque chose*; Hisp. *estremecer hácia*; Germ. *bei etwas rauschen, anrauschen an etwas*; Angl. *to rage, to rage greatly*). *Val. Flacc.* 1. 528. Affremit his quassatque caput. *Sil. It.* 14. 124. Boreas stridentibus affremit alis.

AFFRĬCĀTĬO vel adfricatio, ōnis f. 3. (affrico) affricandi actus, affrictus (It. *fregamento, fregagione*; Fr. *action de frotter contre, frottement*; Hisp. *el acto de estregar, flotadura*; Germ. *die Anreibung*; Angl. *a rubbing, rubbing upon or against*). ¶ 1. Stricto sensu. *Cæl. Aurel. præfat. Acut. sub fin.* Majora corpuscula majoribus mixta faciunt plagas, sive percussiones et affricationes. ¶ 2. Affricatio sunt etiam minimæ particulæ quæ affricando detrahuntur. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. Argentum album est, sed ejus affricatio nigra; caprinum cornu nigrum, sed ejus alba serrago.

AFFRĬCĀTUS vel adfricatus, a, um. *V.* AFFRICO.

AFFRĬCO vel adfrico, fricas, fricŭi, frictum vel fricātum, fricare, a. 1. (ad *et* frico). Part. *Affricans* et *Affricatus* I. *Affricatus* autem est rari usus, ait *Forcellinus*, usitatum enim part. est *affrictus*: cujus tamen nullum adhuc exemplum vidimus, quamvis a sequ. nominibus *Affrictio* et *Affrictus* confirmetur. — Affrico proprie est ad aliquid frico (It. *fregare, stropicciare a qualche cosa*; Fr. *frotter contre quelque chose*; Hisp. *flotar, estregar*; Germ. *anreiben etwas wohin*; Angl. *to rub, rub against any thing*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 6. Vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut cornu vel ungula tundunt, aut arbori affricant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (122). Anguis marathro herbæ se affricans. *Apul.* 3. *Met.* 21. Pyxides plusculas deprumit, de quis egesta unguedine diuque palmulis suis affricata etc. — *b*) Absolute. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (122). Anguium membrana vernatione eorum exuta, si affricetur, claritatem (*oculorum*) facit.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 7. Malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit. *h. e.* adhærendo vitiis suis infecit.

AFFRICTĬO vel adfrictio, ōnis, f. 3. (affrico) idem quod afiricatio, affrictus. *Phædr.* 4. 13. Affrictione veretri. *alii tamen aliter*; *sed fortasse, ait* Forcellinus *præstat a frictione; plerique alii malunt* affixione.

AFFRICTUS vel adfrictus, us, m. 4. (affrico) affricandi actus (It. *fregamento con qualche cosa*; Fr. *frottement*; Hisp. *flotadura, rocadura*; Germ. *das Anreiben*; Angl. *a rubbing upon or against any thing*). *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 14. *de spiritu subterraneo per loca sulphurosa se torquente.* Accendat flammam ipso affrictu necesse est. (*Quidam leg.* obstrictu. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 38. (72). Spuma aquæ marinæ affrictu verrucas tollit.

AFFRINGO vel adfringo, is, etc. *V.* AFFRANGO.

AFFRIO vel adfrio, as, are, a. 1. (ad et frio) friatum ad aliquid aspergo, seu ad aliquid frio, comminuo, contero (It. *stritolare, riducendo in polvere aggiungere*; Fr. *écraser contre quelque chose*; Hisp. *machacar, quebrantar, moler*; Germ. *dazubröckeln, zerbröckelnd dazu thun*; Angl. *to pound, thresh, powder, triturate*). *Varro* 1. *R. R.* 57. 1. Item alius aliud affriat; aut aspergit, ut Chalcidicam, aut Caricam cretam, aut absinthium etc. *h. e.* conterit et tamquam tectorium pavimento et parietibus granarii inducit. *Vossius putat aut aspergit esse interpretationem τοῦ affriat.*

AFFŬI vel adfui, isti, etc. *V.* ASSUM.

AFFULGEO vel adfulgeo, ges, si, gere, n. 2. (ad et fulgeo). In locis mox citandis occurrunt solummodo Indicativus Perf. et Plusquamperf.; Præs. vero et Imperf. nondum vidimus. — Affulgeo est fulgens appareo, aliquoversus fulgeo (It. *apparire risplendendo, risplendere*; Fr. *luire, briller, éclater aux yeux*; Hisp. *lucir, brillar, resplandecer*; Germ. *herzuglänzen oder herzustrahlen*; Angl. *to shine, appear bright, or resplendent, to schine upon*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Liv.* 43. 13. 3. Minturnis quoque per eos dies cæli ardentis species affulserat. ubi tamen Klotz *cum aliis legendum putat* effulserat, quod Livianæ scribendi rationi magis accedit et convenit. *Ovid. Ib.* 311. Non Venus affulsit, non illa Juppiter hora, Lunaque non apto Solque fuere loco.

II.) Translate. ¶ 1. Eadem qua superius significatione, sed metaphorice. *Horat.* 4. *Od.* 5. 6. Instar veris vultus tuus affulsit. *Sil. It.* 7. 467. postrema nitenti Affulsit vultu ridens Venus. *Petron. Satyr.* 111. Verum pudicitiæ amorisque exemplum affulsisse. ¶ 2. Sæpe cum Dativo eleganter dicitur de iis rebus, quæ mœrentibus nobis et optantibus lætæ adveniunt, nosque erigunt et recreant. Ad rem *Liv.* 9. 10. Lux quædam affulsisse civitati visa est. *Id.* 30. 30. Et mihi talis aliquando fortuna affulsit. *Id.* 23. 23. Cum Sardiniæ recipiendæ repentina spes affulsit. *Id.* 27. 28. Defensurum se urbem, prima spes, morte nunciata Marcelli, affulsit. *Id.* 30. 10. Et insperato gaudium affulsit. *Val. Max.* 7. 6. ext. 1. Cretensibus nihil tale præsidii affulsit. *Flor.* 4. 9. *extr.* Ut prima affulsit occasio.

AFFUNDO vel adfundo, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (ad et fundo). Part. *Affusus* in omnibus fere paragr. — Est aliquo versus fundo, diffundo, spargo (It. *versare, spargere, infondere, gettare*; Fr. *verser à, sur, dans ou auprès, épancher, répandre*; Hisp. *echar, verter, vaciar sobre*; Germ. *etwas hingiessen oder schütten, etwas wohin giessen oder schütten*; Angl. *to pour or sprinkle upon*.

I.) Proprie de fluidis ponitur; atque occurrit — *a*) Cum Dativo rei vel personæ, cui aliquid affunditur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 21. 46. (102). Affusa eis (*nucleis*) paullatim aqua calida. *Id.* 16. *ibid.* 44. 91. (242). Affundere vinum arbori. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Venenum vulneri affusum. *Id.* 13. *ibid.* 16. Affundere alicui venenum in aqua frigida. *Id.* 5. *Hist.* 23. Mosæ fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit. *h. e.* in Oceanum immittit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (113). Amnis plurimis affusus oppidis. *h. e.* plurima oppida alluens. — *b*) Absolute. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 38. (144). Liquefacere sevum affuso vino. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (3). Affunditur æstuarium e mari flexuoso meatu. — *c*) *Affundere aliquid aliqua re* est aspergere. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 3. 4. (24). Cæsaraugusta colonia amne Ibero affusa. *h. e.* quam Iberus alluit.

II.) Translate. ¶ 1. *Affundere alicui aliquid* est indere, infundere, addere. *Tac.* 6. *Ann.* 28. Affundere alicui vim vitalem. *h. e.* indere. *Sil. It.* 17. 219. puppes affusis procedere ventis. *h. e.* afflantibus et sese in vela immittentibus. *Tac. Agric.* 35. Ut peditum auxilia mediam aciem firmarent, equorum tria millia cornibus affunderentur. *h. e.* adderentur, circum cornua extenderentur. ¶ 2. *Affundi* et præcipue part. præter. pass. *affusus, a, um*, de personis est procumbere, prosterni, inclinari. *Ovid.* 8. *Met.* 540. Affusæque jacent tumulo. *h. e.* circa tumulum prostratæ: quo sensu *Stat.* quoque 3. *Theb.* 686. locutus est. *Seneca Troad.* 1078. Cautes undique affusa ducum plebisque turba cingitur. *h. e.* circumfusa. *Sil. It.* 6. 572. sollicite læti affunduntur, et ipsis Oscula vulneribus figunt. *Alii rectius legunt* funduntur. *Ovid.* 9. *Met.* 605. Amplectique pedes, affusaque poscere vitam. *h. e.* prostrata. *Lucan.* 7. 71. regesque tui cum supplice mundo Affusi, vinci socerum patiare, rogamus. *Flor.* 4. 2. 56. Cleopatra affusa genibus Cæsaris.

AFFŪSĬO vel adfusio, ōnis, f. 3. (affundo) infusio vel aspersio (It. *infusione, spargimento*; Fr. et Hisp. *infusion*; Germ. *das An-oder Dazugiessen*; Angl. *an infusing or sprinkling upon*). *Pallad.* 3. *R. R.* 28. 2. Antidoti affusione radices infundunt.

AFFŪSUS vel adfusus, a, um. *V.* AFFUNDO.

AFFŬTŪRUS vel adfuturus, a, um. *V.* ASSUM.

ĀFORE et **AFŎREM** pro Abfore et Abforem. *V.* ABSUM.

ĀFŎRIS, adverb. *V.* A, AB, ABS in fine De Compositione, et FORIS.

AFRĀNIA, Licinii Buccionis senatoris uxor, mortua anno ab Urbe Cond. 706., quæ muliebris verecundiæ oblita suas per se causas agebat, et importunis clamoribus judicibus obstrepebat; non quod advocati ei deessent, sed quia impudentia abundabat. Hinc factum est, ut mulieres perfrictæ frontis, et matronalis pudoris oblitæ, Afraniæ per contumeliam dicerentur. *Val. Max.* 8. 3. 2. et *Dig.* 3. 1. 5.

ĀFRĬCIA, æ, f. 1. inter genera liborum, quæ in sacrificiis adhibebantur, enumeratur ab *Arnob.* 7. 24.; sed quid tandem significet, adhuc est incompertum

Est nonnullorum conjectura dictum videri ab *affricando*, quod aut aræ, aut victimæ affricaretur.

ĀFRĬCUS VENTUS vel sæpius absolute **ĀFRĬCUS**, i, m. 2. est is, qui Italice *Africo* seu *Ponente-Garbino* aut *Gherbino*, Græcis Λίψ dicitur, nautis Transalpinis *Sud-Ouest*; Fr. *Affrico*; Germ. *Südwestwind*; Angl. *the south-west wind*; et spirat ab Africa inter Austrum et Favonium, ab occasu brumali, contrarius Caeciæ. *Vitruv.* 1. 6. 5. Itaque sunt collocati inter Solanum et Austrum ab oriente hiberno Eurus, inter Austrum et Favonium ab occidente hiberno Africus. Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (179). — *a*) Raro adjective. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Africus ventus. — *b*) Sæpius absolute substantivorum more, ut apud *Cæs.* 3. *B. C.* 26. *Vitruv.* et *Plin. l. c.*, et apud *Senecam* 5. *Quæst. nat.* 16. Africus furibundus et ruens. *Virg.* 1. *Æn.* 90. creberque procellis Africus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 15. Luctantem Icariis fluctibus Africum. *Id.* 1. *ibid.* 3. 12. præcipitem Africum Decertantem Aquilonibus. *Id.* 3. *ibid.* 23. 5. Africus pestilens. *Id. Epod.* 16. 22. Protervus Africus. *Propert.* 4. 3. 47. Nec me tardarent Scythiæ juga, cum pater altas Africus in glaciem frigore nectit aquas. *Africum patrem* dixit, quia omnes venti dii habiti sunt; diis autem *patris* nomen convenit. Quod autem addit, eum aquas congelare, videtur Africum confudisse cum Aquilone. Nam Africus ab Africa, quæ regio est calidissima, spirans vim congelandi non habet, bene tamen Aquilo qui septemtrionalis est. Ceterum hæc ventorum ignoratio in femina, quæ hic loquitur, facilius ferenda videtur.

ĀFRĬCUS, a, um, adject. qui ad Africum ventum pertinet. *Horat.* 3. *Od.* 29. 57. Africæ procellæ. *h. e.* quas Africus movet.

ĀFŪI, isti, etc. *pro* Abfui, etc. *V.* ABSUM.

ĀFŪTŪRUS *pro* Abfuturus etc. *V.* ABSUM.

AFVŎLO, as, are, n. 1. (ab *et* volare) est antiquissima verbi forma pro *avolo, as* etc. *Paul. Diac.* p. 26. 2. *Müll.* Afvolant avolant. *Klotz* ad *h. v.* jure ac merito dubitat, an apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. pro *sublime advolans* legendum sit *sublime afvolans*; et apud *eumd.* 2. *Fin.* 32. 106. pro *et prima quæque advolat* legendum sit *et prima quæque afvolat*. In utroque enim loco habentur verba *ut ajebat*, quæ de vocabuli vetustate suspicionem inducunt; et facillime a librariorum inscitia *advolat* cum *afvolat* confundi potuit. *V.* tamen A, AB et ABS in princip., et AF.

AG

ĀGĂGA, æ, m. 1. est leno, nequam, perditus homo. In Glossis *Isidori* legitur Agagola seu Agagula lenocinator, pantomimus. Quæ vox fortasse ab *agaga* deminutivum est; ut etiam in *Thesaur. N. Latin.* ed. *Mai.* p. 29. In vulgata tamen edit. leg. *Agapita*, æ; quod ab ἀγαπάω. *Petron. fragm. Tragur.* 69. *Burmann.* Plane non omnia artificia servi nequam narras: agaga est. Alii leg. *harpaga*, h. e. fur, ab ἁρπάζω rapio: alii *apaga* eodem sensu ab ἀπάγω abigo, abduco: alii *agapa*, h. e. catamitus, exoletus, ab ἀγάπη amor.

ĀGALLŎCHUS. *V.* ALCHELUCIA.

ĀGALMA, ătis, n. 3. Græca vox ἄγαλμα statua. *Capell.* 6. p. 188. Quam (*Minervam*) docto assimilant habitu, qui agalmata firmant. *lege* formant. Videtur ab ἀγάλλω delecto, quia veteres putabant, deos hominum delectari statuis sibi oblatis. Cf. *Visc. Op. var. T.* 4. *p.* 234.

ĀGĂMUS, i, m. 2. (ἄγαμος) qui nunquam uxorem duxit; vox Græca, ab α privativo, et γάμος nuptiæ (It. *celibe*; Fr. *non marié*; Hisp. *celibe*; Germ. *unverheirathet*; Angl. *unmarried, single*. *Hieronym. advers. Jovinian.* 1. *ad fin.* n. 15. Primus Adam monogamus, secundus agamus, *h. e.* Christus. — *NB.* Est etiam cognomen Romanum, de quo *V.* ONOM.

ĀGĂPĒ, es, f. 1. (ἀγάπη) amor, benevolentia, christiana caritas (It. *amore, carità*; Fr. *charité chrétienne*; Hisp. *caridad christiana*; Germ. *die christliche Liebe*; Angl. *love, benevolence*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Tertull. ad. Martyr.* 2. Plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit: immo et quæ justa sunt, caro non amittit, per curam Ecclesiæ, et agapen fratrum. ubi *agape* non solum amorem fratrum Christianorum in martyres carceribus detentos, sed et subsidia atque eleemosynas in eosdem collatas significat. ¶ 2. Latiori sensu hoc nomine significabantur convivia Christianorum, ad quæ advocabant pauperes eleemosynæ causa. *Tertull. Apolog.* 39. *ad fin.* Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim agape, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet lucrum est pietatis nomine facere sumptum: si quidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. *Hieronym. ad Eustoch. ep.* 22. *n.* 14. Ad agapen vocare. — Convivia etiam in honorem martyrum inita, et in eorum natalibus, aliisque solemnioribus diebus a Christianis olim celebrata, *Agapæ* dicta sunt, de quibus plura *Muratorius Disquisit. de Agapis edit. Patav.* 1709. *una cum ejus Græcis Anecdotis p.* 241. De his etiam apud *Plin.* 10. *Ep.* 97. mentio fit.

ĀGĂPĒTÆ, arum, m. plur. 1. ἀγαπητοί, hoc est dilecti, amati: ab ἀγαπάω amo. Agapetæ dicti sunt olim apud veteres Christianos clerici, aut monachi, qui specie pietatis et religiosi convictus una cum mulieribus vivebant, quas prædicabant caste omnino a se haberi, et solius sanctæ caritatis vinculo secum junctas simul habitare: quos pluribus sanctionibus Concilia et Patres damnaverunt. Hinc in *Papiæ Lexico* Agapetes exponitur lenocinator, et qui cum feminis illicite conversatur proracius clericus. *Hieronym. ep.* 22. *ad Eustoch. n.* 5. *sub fin.* Unde in Ecclesias agapetarum pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? (fratres, et sorores se appellabant) immo unde novum concubinarum genus? etc. Plura de his *V.* apud *Muratorium Disquisit. de Agapetis loc. cit. in voce* Agape p. 218.

ĀGĂRĪCON *vel latina terminatione* **ĀGĂRĪCUM**, i, n. 2. (ἀγαρικόν) fungus est in arboribus nascens, colore candido, medicinæ vim habens. Nascitur circa Bosphorum, et in Gallia Cisalpina. Memoratur a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 57. 103. et 26. *ibid.* 8. 48. (75)., necnon a *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. p. 347. hanc exhibet synonymiam: Ἀγαρικὸν τὸ ἄρρεν Dioscor. 3. 1. est *Agaricum colore candido.* Plin. l. c., *Agaricum* Mich. t. 61. f. 1., *Boletus Agaricum* All. Fl. pedem. n. 2748.

ĀGĀSO, ōnis, m. 3. (ago et cf. Gr. ἀγάζων) generatim significat eum, qui quodcumque jumentum ducit, aut curat: sed ex usu plerumque accipitur pro ductore et custode equorum (It. *palafreniere, cavallaro, mozzo di stalla, mulattiere*; Fr. *palefrenier, valet d'écurie ou d'étable, muletier*; Hisp. *palafrenero, mozo, mulatero ó muletero*; Germ. *der Führer und Wärter eines Pferdes oder Esels zum Reiten, Stallknecht, Reitknecht*; Angl. *a slave whose business it was to take care of horses, drive beasts of burden etc.; a groom of the stable, muleteer*). — *a*) Pro ductore aut custode equorum sæpius usurpatur. *Plaut. Merc.* 5. 2. 11. Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger etc. *Liv.* 43. 5. Duo equi phalerati cum agasonibus. *Curt.* 8. 6. 4. Accepti ab agasonibus equi. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (134). Agasonem cum equo. Adde *Frontin.* 2. *Strateg.* 4. 1. *Servius* in *Virg.* 3. *Æn.* 470. Duces, itineris scil. equorum; vel quos vulgo agasones vocamus. *Paul. Diac.* p. 25. 5. *Müll.* Agasones equos agentes, i. e. minantes. — Apud *Horat.* 2. *Sat.* 8. 73. si patinam pede lapsus franget (*al.* frangat) agaso. *Forcellinus* putat agasonem dictum per contemptum pro quocumque vili servo: sed recentioribus Philologis rectius fortasse videtur *Horatius* dominum convivium præbentem hoc vocabulo irridere voluisse, quippe qui ad augendum servorum numerum etiam agasonem cœnæ inservire jusserat. Potius pro quocumque vili servo accipitur a *Pers.* 5. 76. hic Dama non tressis agaso. — *b*) Pro ductore asinorum, pro eo nempe, qui proprie a *Plaut. Asin. prol.* 10. dicitur *onagos*, non semel accipitur ab *Apul.* 6. *Met.* 18., 7. *ibid.* 18. et alibi. — *NB.* Est etiam cognomen Romanum, de quo *V.* ONOM.

ĀGĂTHŎDÆMŌN, ŏnis, m. 3. bonus genius, ἀγαθοδαίμων, ονος: ab ἀγαθός bonus, et δαίμων genius. *Lamprid. Elagab.* 28. Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi agathodæmonas vocant. *Casaubon. ibid.* notat, Phœnices et Ægyptios divini aliquid tribuisse draconum et serpentum naturæ, iis præsertim, qui veneno carent. Hinc apud *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 153. *edit. Mediol.* legitur hæc *Inscript.* AGATHO DÆMONI S. V. S. *h. e.* voto suscepto. ¶ 2. Fuit etiam nomen herbæ. *Apul. Herb.* 94.

ĀGĒ. *V.* AGO.

ĀGĔA, æ, f. 1. est via in navi, ita dicta, inquit *Paul. Diac.* p. 10. 10. *Müll.*, quia in ea maxime quæque res agi solet. *Isid.* 19. *Orig.* 2. 4. Agea viæ sunt, vel loca in navi, per quæ ad remiges hortator accedit. De qua *Ennius*: Multa foro ponens, ageaque longa repletur. *Alii legunt* Multa foro ponit, et agea longa repletur. *Scaliger* ad *Paul. Diac. l. c.*: Multa forum, pontes et, ageaque longa repletur. *Schefferus de Mil. nav. l.* 1. *c.* 6. emendat: Agearia sunt loca, etc.

ĀGĔDUM *vel* **AGE DUM.** *V.* AGO.

ĀGELLŬLUS, i, m. 2. deminut. ab *agellus* (It. *campicello*; Fr. *petit champ, petit coin de terre*; Hisp. *campillo*; Germ. *ein kleines Aeckerchen*; Angl. *a little field*). *Catull.* 20. 3. Agellulum hunc, sinistra tute quem vides, Herique villulam, hortulumque pauperis, etc. Adde *Symmach.* 2. *Ep.* 30., *Arnob.* 1. 21. et *Inscript.* apud *Grut.* 1004. 4.

ĀGELLUS, i, m. 2. (*deminut. ab ager*; Cf. Gr. ἀγρίδιον) parvus ager (It. *campicello, camperello, poderetto*; Fr. *petit champ, petit bien rural*; Hisp. *campillo*; Germ. *ein Aeckerchen*; Angl. *a small piece of ground, a small inclosure of land*). *Ter. Adelph.* 5. 8. 26. Agelli est hic sub urbe paullulum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. 86. Minora Dii negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur. *Varro* 3. *R. R.* 16. 10. Agellus non sane major jugero uno. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (41). Parvus admodum agellus. Adde *Nep. Phoc.* 1. 4. et *Inscript.* apud *Orell.* 4561. Apud Poetas *Lucret.* 5. 1366., *Virg.* 9. *Ecl.* 3. et *Horat. Art. poet.* 117. et 2. *Sat.* 6. 9. per blanditias potius dicitur, quam per deminutionem.

ĀGĒMA, ătis, n. 3. (ἄγημα) certus delectorum militum numerus (qui pro variis temporibus varius fuit) apud Macedones, et eos, qui Macedonicam militiæ rationem sequebantur; quem ipsi ita appellabant, quemadmodum suum *legionem* Latini. *Liv.* 37. 40. Addita his ala mille ferme equitum: agema eam vocabant. *Id.* 42. 51. Delecta et viribus et robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant. *hoc loco pedites intelligit.* Adde 42. 58. *Curt.* 4. 13. 26. In dextro cornu locati sunt equites, quos agema appellant. V. *Hetærice* in Lexico, et *Saint-Croix Hist. d'Alex.* p. 451.

ĀGĔNĔALŎGĒTUS *vel* agenealogitus, ἀγενεαλόγητος, qui non habet genealogiam, seu cujus parentes et avi majoresque assignari non possunt. Vox Græca ab α privativo, γενεά genus, origo, et λέγω dico; usurpata a *Tertull. Præscript. advers. Hæret. in fin.*

ĀGENS, entis. *V.* AGO.

ĀGER, agri, m. 2. Cf. Gr. ἀγρός et Germ. *Acker*, quæ omnia certe ab ἄγω et *ago*, teste *Varrone* 5. *L. L.* 34. *Müll.* Ager dictus est in quam terram quid agebant, et unde quid agebant fructus causa: alii quod id Græci dicunt ἀγρόν. Ut ager quo agi poterat, sic qua agi actus. — Hinc haud recte *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 3. 3. 57. Ab agendo ager dictus, quod in eo multa agenda sunt. *Quintilianus* vero 1. 6. 37. hanc etymologiam injuriâ damnat hisce verbis: Sed cui non post Varronem sit venia, qui agrum, quod in eo agatur aliquid, dictum Ciceroni persuadere voluit (ad eum enim scribit Varro), cum ex Græco sit manifestum duci? *Ager* enim ab *agendo* profecto dictus est, quippe in eo cultor jumentis adjutus omnem agendi vim exerit; quod confirmat *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 412. Majores agros incultos rura dicebant, id est, silvas et pascua, agrum vero, qui colebatur. — Ager itaque est terra culta manibus hominum, ut fruges, *h. e.* frumentum, vinum et oleum, ferat (It. *campo, colto*; Fr. *portion de terre propre à la culture, champ*; Hisp. *campo*; Germ. *das Ackerland*; Angl. *a field, farm*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu occurrit — *a*) Speciatim de uno tantum agro sive terræ portione, quæ coli possit. *Cato R. R.* 6. Agrum quibus locis conseras, sic observari oportet: Ubi ager crassus et lætus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet. Idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum, id maxime, seri oportet. In agro crasso et caldo oleam conditivam etc. — *b*) Item speciatim de agri cæspite. *Virg.* 2. *G.* 243. — *c*) Item de plurium agrorum collectione, quæ fundum constituat, quæque ædificio seu villa nunquam carebat. *Ter. Heaut.* 1. 1. 94. Agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo. *Cato R. R.* 3. 1. Primâ adolescentiâ patrem familiæ agrum conserere studiose

oportet, ædificare diu cogitare oportet. – tum ædificare oportet, si agrum consitum habeas. *NB.* In quo *ager* differat a *villa* et a *rure* V. infra Homonym. — *d*) Generatim. *Cic.* 2. *Tusc.* 5. 13. Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus. *Id. ibid.* Agri frugiferi. *Id.* 1. *Leg. Agr.* 2. 5. Ager fructuosus. *Id. Flacc.* 29. . Agri et natura perboni, et diligentia culturaque meliores. *Id. Senect.* 16. 57. Ager bene cultus. *Id. ibid.* Cultura agrorum. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 69. Cultus agrorum. *Id. Senect.* 16. 57. Agri cultio. *Cato ll. cc.* et *Virg.* 1. *Ecl.* 73. Agrum conserere. *Ter. Phorm.* 2. 3. 17., *Cic. Rosc. Am.* 18. 50. et *Varro* 1. *R. R.* 17. 2. *aliique.* colere. *Cato R. R.* 61. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (38). bene colere. *Cato R. R.* 61. et *Cic.* 4. *Verr.* 60. 166. arare. *Colum.* 2. *R. R.* 2. exercere. *Id.* 2. *ibid.* 4. 4. iterare. *Id. ibid.* tertiare. *Id.* 2. *ibid.* 2. 21. proscindere. *Cic. Senect.* 15. 54. et *Varro* 1. *R. R.* 7. 8. stercorare. — *e*) Huc pertinent seqq. Proverbia. *Nihil minus expedit, quam agrum optime colere:* vetus paradoxon apud rusticos, quod refert *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (5), quo significatur, nimiam impensam in colendis agris, et quæ fructum superet, vitandam esse, et, ut ibidem *Plin.* subdit, bene colere necessarium esse, optime damnosum. — *Agrum imbecilliorem esse oportet, quam agricolam:* proverbium rusticorum (a *Forcellino* allatum, sed nulla auctoritate firmatum), quo ostenditur non esse suscipiendum majorem agri modum, quam coli commode possit. Quo pertinet illud *Virg.* 2. *G.* 412. Laudato ingentia rura, Exiguum colito. — *d*) Huc denique pertinet et illa dicendi ratio *in agrum* vel *in agro*, hoc est in parte interiore; cui alia opponitur *in fronte*, hoc est in exteriore. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 12. Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat. Adde *Petron.* 71. et *Inscript.* apud *Orell.* 4379., 4374., 4382., 4557., in quibus sæpius IN AG. legimus. ¶ 2. Latiori sensu, plur. præcipue num., ager opponitur urbi. *Ter. Eun.* 5. 5. 1. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi: neque agri, neque urbis odium me unquam percipit. *Cic. Senect.* 16. 56. In agris erant tum senatores etc. *Id.* 2. *Catil.* 4. 8. Nunc vero quam subito non solum ex urbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat? *Liv.* 3. 32. Vastati agri sunt: urbs exhausta assiduis vulneribus. ¶ 3. Latissimo sensu ager est alicujus regni, vel reipubl., vel etiam civitatis et urbis publicus fundus, quamvis differat a terra (*V.* infra Homonym.). Occurrit — *a*) Proprie et stricto sensu de publicis fundis regni, civitatis etc. *Plaut. Amph.* 1. 1. 42. Prædā atque agro adoreāque affecit populares suos. *Cic. Rosc. Am.* 18. 50. Quibus rebus et agris et urbibus et nationibus rempubl. atque hoc imperium et populi Rom. nomen auxerunt (*majores nostri*). *Nep. Timoth.* 1. 3. Ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit, quam id sumere, cujus partem domum suam ferre posset. *Cæs.* 2. *B. G.* 4. 6. Suessiones suos esse finitimos, latissimos feracissimosque agros possidere. *Liv.* 2. 16. His civitas data agerque trans Anienem. — Apud Romanos *agri publici* vel *agri publici populi Rom.* erant fundi, quos eorum majores bello acquisierant, quosque aut antiquis possessoribus, imposito tamen annuo vectigali, reliquerant, aut Romanis civibus, certis statutis conditionibus, ad tempus tribuebant: utrum vero populo, an veteranis hi agri attribuendi et assignandi essent, sæpe lites et turbæ ortæ sunt. *Cic.* 1. *Leg. Agr.* 4. 10. Jubet enim eosdem decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, ut iidem possint et liberare agros, quos commodum sit, et quos ipsis lubeat, publicare. *Id.* 2. *ibid.* 5. 10. Venit enim mihi in mentem – Tiberium et Cajum Gracchos plebem in agris publicis constituisse, qui privati a privatis antea possidebantur. *Id.* 3. *ibid.* 2. 8. Ut melior fundus Hirpinus sit, sive ager Hirpinus (totum enim possidet), quam etc. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 65. Constituere triumviros agris dividundis. *Inscript.* apud *Orell.* 544. et 3139. DECEMVIRI AGRIS DANDIS ATTRIBVENDIS IVDICANDIS. Et 570. P. LICINIVS AP. CLAVDIVS C. GRACCVS III. VIR. A. D. A. STATVERVNT. — Hinc ager *colonus*, *decumanus* etc., de quibus V. suis locis, et *Niebuhr Röm. Gesch. Vol.* 2. *p.* 649. et *seqq.* — *b*) Ager est etiam territorium alicujus civitatis vel urbis. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. 3. Qui (*Rhenus*) agrum Helvetium a Germanis dividit. *Id. ibid.* 5. 4. Bojosque, qui trans Rhenum incoluerant et in agrum Noricum transierant Norejamque oppugnarant, etc. *Cic.* apud *Quintil.* 4. 2. 131. Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum. *Id.* 13. *Fam.* 4. Ager Volaterranus. *Nep. Pausan.* 3. Qui locus in agro Troade est. *Sall. Cat.* 36. In agro Aretino. *Et sæpe apud Historicos. Horat. Art. Poet.* 208. Postquam cœpit agros extendere victor et urbes Latior amplecti murus etc. — *NB.* Agrorum genera apud Augures *V.* in PEREGRINUS.

Homonym. Quamvis *ager* significet etiam fundum, qui e pluribus nempe agris et villa, hoc est rustico ædificio constat; tamen hoc etiam sensu *ager* differt a *villa*, potest enim esse *ager* sine *villa*, teste *Ulpian. Dig.* 50. 16. 27. Ager est locus, qui sine villa est. Et *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. Tum erat ager incultus sine tecto, nunc est cultissimus cum optima villa. Adde *Dig.* 50. 16. 211. — Præterea differt *ager* a *rure*, non modo quia majores, ut ait *Servius l. c.*, agros incultos rura dicebant, id est silvas et pascua, agrum vero qui colebatur; verum etiam quia ruri esse possumus in villa sive in ædificio manentes, nec tamen esse proprie in *agro* sub dio ambulantes aut aliud agentes. *Cels.* 1. 1. Sanum oportet – modo ruri esse, modo in urbe, sæpius in agro. *Cic. Senect.* 16. 56. In agris erant tum senatores, id est senes. *Et paullo post* rem ita declarat: Si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse factum. — Denique *ager* cum territorium significat minus late patet, quam *terra* quæ plures agros complectitur. *Varro* 7. *L. L.* 18. p. 126. *Müll.* Pacuvius: *Calydonia altrix terra exsuperantum virum.* Ut ager Tusculanus, sic Calydonius ager est, non terra, sed lege poetica, quod terra Ætolia, in qua Calydon, a parte totam accipi Ætoliam voluit.

AGĔRATON, i, n. 2. (ἀγήρατον) herba est ferulacea ad duorum palmorum altitudinem excrescens, similis origano, florem ferens bullis aureis non absimilem; ita dicta, quod non facile marcescat, nempe ab α privativo, et γῆρας senectus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 4. (13). Cl. *Fee* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 423.), quamvis nonnulla præmittat advertenda, hanc tamen proponit synonymiam: Ἀγήρατον Dioscor. 4. 59. et Oribas. 11. f. 186. est *Ageraton* Plin. l. c., *Achillæa Ageratum* L. Spec. plant. 1264., et Dodon. Pempt. 295.

AGGARRĬO *vel* adgarrio, is, ire, a. 4. (ad *et* garrio) ad aliquem garrio (It. *cicalare con alcuno*; Fr. *babiller, causer avec*; Hisp. *charlar, parlar*; Germ. *hinschwatzen zu Jemandem*; Angl. *to prate, prattle, tattle*). *Capell.* 1. *init.* Nugulas ineptas aggarrire non perferens. *Fulgent. Planc.* in *exposit. ant. sermonis* n. 19. eamdem vocem in medium affert.

AGGAUDĔO *vel* adgaudeo, gaudes, gāvisus sum, gaudere, n. 2. (ad *et* gaudeo) cum aliquo gaudeo (It. *godere, rallegrarsi verso qualcheduno*; Fr. *se réjouir avec quelqu'un*; Hisp. *alegrarse*; Germ. *zufreuen Jemanden, sich gegen Jemandem freuen*; Angl. *to rejoice in company with, be glad*). *Paulin. Nolan.* 18. *Nat. Felic.* 6. v. 14. Cœlicolas Christo quando adgaudere ministros etc. *Lactant.* 4. 6. reddens verba *Proverb.* 8. 30. Ego eram, cui adgaudebat.

AGGĔLO *vel* adgelo, as, are, a. 1. gelu adstringo, induro. Legunt quidam apud *Lucan.* 4. 289. tum frigidus artus Adgelat atque animum subducto robore torpor. Sed plerique alii rectius reponunt *alligat*. *Adgelat* legitur in *Not. Tir. p.* 178., quæ nullius sunt auctoritatis.

AGGĔMO *vel* adgemo, gĕmis, gĕmui, gĕmere, n. 3. (ad *et* gemo) idem quod gemo, seu ob aliquam rem gemo (It. *gemere*; Fr. *gémir*; Hisp. *gemir*; Germ. *dazu seufzen*; Angl. *to groan at*). — *a*) Absolute. *Ovid.* 5. *Fast.* 400. Aggemit Alcides. *alii leg.* Et gemit. — *b*) Cum Dat. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 112. Aggemit et nostris ipsa carina malis. *Stat.* 11. *Theb.* 245. loquenti aggemit.

AGGĔNERO *vel* adgenero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* genero) est alios generare, genitis addere, cum Dat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 19. Dic mihi omnibus natis adgenerantur et fratres? *h. e.* adnascuntur.

AGGĔNICŬLOR *vel* adgeniculor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad *et* genu) flecti in genua, cum Dat. *Tertull. de Pœnit.* 9. Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari.

AGGĔNO *vel* adgeno, is, ere, a. 3. (ad *et* geno) idem quod *geno* pro gigno. *Sever. Ætn.* 441. Ni furtim aggeneret secretis callibus humor Materiam. *h. e.* gigneret, produceret. *Alii leg.* generet; *alii* aggereret seu adgereret.

AGGER, ĕris, m. 3. Teste *Pierio* ad *Virg.* 10. *Æn.* 24. veteres, et præcipue Grammatici scribebant *adger* pro *agger*, quippe vox ab *adgerendo* facta est; quamvis de etymologia aliter sensisse videtur *Varro*, qui ait 5. *L. L.* 141. p. 55. *Müll.* Quo mœnitius esset quod exaggerabant, aggeres dicti. — Ceterum agger est quidquid coacervatur aut ad foveas implendas, aut ad tumulum in planitie erigendum, teste *Servio* ad *Virg.* 9. *Æn.* 567. Agger est cujuslibet rei coacervatio etc. Atque agger est sive ex terra, saxis, sabulo, ruderibus, sive ex lignis, palis, sicciseve foliis fieret coacervatio (It. *massa, materiali confusamente ammassati*; Fr. *amas, matériaux entassé*; Hisp. *monton, congerie, materiales terraplenadi*; Germ. *Masse, Material zum Ausfüllen oder Aufschütten*; Angl. *a heap or pile of any thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est quidquid ad implendas foveas aut ad tumulum erigendum coacervatur, et occurrit præsertim in re militari. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Ab opere revocandi milites, qui paullo longius, aggeris petendi causa, processerant. *Id.* 1. *B. C.* 42. Aggerem longius petere. *Id.* 2. *ibid.* 15. Comportare aggerem. *Id.* 7. *B. G.* 58. Ratibus atque aggere paludes explere. *Id.* 7. *ibid.* 86. Aggere et cratibus aditus expedire. *Virg.* 7. *Æn.* 567. Aggere fossas complere. *Curt.* 8. 10. 27. Cavernas implere aggere. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Trabes aggere vestire, *h. e.* militare munimentum, quod ex trabibus constabat, terrā aliisque rebus aggestis circumdare. Apud *Auct. B. Alex.* 19. et *Sueton. Calig.* 19. agger est quidquid trabibus imponitur ad pontem faciendum. ¶ 2. Sæpius usurpatur pro terra aliisque rebus, quæ sive fossas implendo, sive tantummodo secum ipsa coacervata in tumulum surgunt: unde latissimo sensu agger est plurium rerum strues vel acervus, quod pateat oportet aut ex adjectis vocabulis, aut ex orationis contextu (It. *mucchio*, *cumulo*; Fr. *élévation*, *hauteur*; Hisp. *monton*, *cumulo*; Germ. *Haufen*, *Aufschüttung*; Angl. *a heap*, *hoard*). *Virg.* 3. *G.* 354. Sed jacet aggeribus niveis informis et alto Terra gelu late. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. *Val. Flacc.* 3. 280. In mediis exsangui rege reperto Aggeribus. *Ammian.* 16. 12. Elati cadaverum aggeres. *Id.* 17. 13. Cæsorum aggeres. *Ovid.* 12. *Met.* 524. de lignorum strue super Cæneum acervata. medioque ex aggere fulvis Vidit avem pennis. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 8. (21). *Ovid.* 9. *Met.* 234. de rogo. dumque avidis comprenditur ignibus agger etc. Adde *Senec. Herc. fur.* 1216. et *Phœn.* 110. *Lucan.* 524. de undarum cumulo. decimus (dictu mirabile) fluctus Invalida cum puppe levat; nec rursus ab alto Aggere dejecit pelagi. *Virg.* 7. *Æn.* 6. de sepulcro: At pius exsequiis Æneas rite solutis Aggere composito tumuli. Et 11. *ibid.* 850. terreno ex aggere bustum. *Val. Flacc.* 5. 92. Agger busti. *Varro* apud *Non.* p. 466. 28. et p. 504. 12. *Merc.* Agger ararum. Hinc apud *Val. Flacc.* 5. 562. agger est ipsa ara. De terræ aggesta in castris constituto, unde imperator milites alloqueretur, *Lucan.* 5. 317. Stetit aggere fulti Cæspitis intrepidus vultu. *Stat.* 7. *Theb.* 354. cum ductor ab aggere cœpit (*loqui*). Adde *Tac.* 1. *Ann.* 18. Et de maris fluctibus, qui tempestate attolluntur, *Seneca Hippol.* 1015. Consurgit ingens pontus in vastum aggerem. *Lucan.* 5. 674. nec rursus ab alto Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda. ¶ 3. Item generatim et quidem sæpissime, agger est terra una cum trabibus aggesta ad locum aliquem sepiendum et muniendum (It. *argine*, *terrapieno*, *riparo*, *parapetto*, *trincea*; Fr. *terrasse*, *rempartement*, *rempart*; Hisp. *terraplen*, *plataforma*, *terrapleno*; Germ. *Aufwurf*, *Landwehr*, *Erddamm*, *Erdwall*, *Dammweg*, *Schanze*; Angl. *a mound*, *rampart*, *bulwark*). De pluribus autem ponitur — *a*) De rustico sepimento, quibus clauduntur agri atque horti. *Varro* enim 1. *R. R.* 14, recensens quatuor genera septorum, quæ tutandi fundi causa fiunt, unum esse naturale ait, *h. e.* vivam sepem, alterum agreste, *h. e.* ex lignis palisve confixis sepem mortuam; tertium militare, *h. e.* fossam et aggerem; quartum denique fabrile, *h. e.* maceriam. En ipsa *Varronis* verba *l. c.* § 2. Tertium militare sepimentum est, fossa et terreus agger. Et *ibid.* § 3. Agger is bonus, qui intrinsecus junctus fossæ, aut ita arduus, ut eum transcendere non sit facile. *Tac.* 12. *Ann.* 31. hunc vocat *aggerem agrestem*. — *NB.* In rusticis

sepimentis, qui aggeres faciunt sine fossa, eos quidam vocant muros, inquit *Varro l. c.* Hinc illud *Servii* ad *Virg.* 1. *G.* 264. Muros de terra factos et glebis, qui fiunt in circuitu cohortium et vinearum. — *b*) De sepimento, quo maris vel fluminis exundationes arcentur. *Cæs.* 1. *B. C.* 25. Qua fauces erant angustissimæ portus, molem atque aggerem ab utraque parte littoris jaciebat. Adde *Vitruv.* 5. 12. 2. *Ovid.* 15. *Met.* 690. Tendit ad incurvo munitos aggere portus. *Virg.* 7. *Æn.* 105. cum Laomedontia pubes Gramineo ripæ religavit ab aggere classem. Adde *Sil. It.* 3. 462. et 6. 281. *Virg.* 2. *Æn.* 496. Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis Exiit, oppositasque evicit gurgite moles. *Ovid.* 14. *Met.* 445. Solvitur herboso religatus ab aggere funis. *Sil. It.* 10. 92. Flumineus agger. — *c*) De summo viæ dorso, præsertim addito Genit. *viæ*, quia nimirum viæ plerumque congesto aggere fiunt, ut imber hinc inde defluat, eæque minus lutulentæ sint. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Præmisso Cæcina, ut – pontes et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret. *h. e.* viam sterneret. *Virg.* 5. *Æn.* 273. Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens, Ærea quem obliquum rota transiit etc. *Servius* ad h. l. (quem et alii sequuntur) docet, aggerem dici non ipsam viam, sed ejus partem mediam coaggeratis lapidibus stratam: Itali dicunt *strada a schiena di mulo*. Hic idem dicitur etiam *agger itinerarius* (*V.* ITINERARIUS) et *dorsum summum* (*V.* DORSUM). Adde *Tac.* 2. *Hist.* 24 et 42., et 3. *ibid.* 21. et 24. *Rutil. Itiner.* (de red. suo 1.) 39. Aurelius agger. *h. e.* via Aurelia. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 3. Solidus agger. *h. e.* Appia via. *Sidon. Carm.* 24. 5. Antiquus tibi nec teratur agger etc. *Id.* 1. *Ep.* 5. Agger calcabili silice crustatus. Hinc *Stat.* 2. *Silv.* 1. 176. *aggerem Milvium* dixit pontem intelligens. ¶ 4. Speciatim in re militari aggeres sunt tumuli seu acervi terræ, aut ruderis aggesti, qui fiunt a militibus cingendis castris, aut oppidis communiendis, vel etiam in oppugnationibus urbium. Hinc *Servius* ad illud *Virg.* 10. *Æn.* 24. *atque ipsis prælia miscent Aggeribus murorum*, docet aggerem proprie dici de acervo militari ad sepiendum et muniendum. — *a*) De aggeribus, qui fiunt cingendis castris urbibusque oppugnandis. De his hæc *Hygin. Gromat. de castri met.* Munitio æstivalium observatur generibus quinque: fossa, vallo, cervolis, armis, aggere. — Aggeribus autem ita fit vallum etc. Et *Veget. ibid. cit.* Quod si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris cespes non possit abscindi, tunc opere tumultuario fossa perducitur, lata pedes quinque, alta tres, cujus extrinsecus agger excrescit, ut sine metu securus requiescat exercitus. *Id. ibid. cit.* Persæ ductis fossis castra constituunt, et quia arenosa sunt prope omnia, saccos, quos inanes portant, ex pulverulenta, quæ effoditur terra, complent eorumque cumulo aggerem extruunt. — Ceterum aggeris materia non sola terra erat, aut rudus, sed ligna quoque ac stipites; unde et cremari poterat, præsertim cum ligneas machinas sustineret. Cujus rei exemplum habes apud *Cæs.* 2. *B. C.* 14., et apud *Liv.* 5. 7. et 36. 23. — *Lucilius* apud *Non.* p. 243. 30. *Merc.* Aggere in jaciendo, si quo est vineis actis opus. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 10. Aggere, vineis, turribus (*oppidum*) oppugnavi. *Id.* 5. *Att.* 20. 5. Pindenissum (*oppidum*) – cinximus vallo et fossa, aggere maximo, vineis, turre altissima etc. *Cæs.* 2. *B. G.* 12. Vineis ad oppidum actis, aggere jacto turribusque constitutis etc. *Id.* 2. *ibid.* 30. Aggerem extruere. *Id.* 8. *ibid.* 41. instruere. *Sall. Jug.* 37. jacere. *Liv.* 5. 7. promovere ad urbem. *Lucan.* 3. 455. erigere. *Propert.* 1. 21. 2. Etrusci aggeres. *h. e.* quibus Perusia oppugnabatur. — *b*) De aggeribus, quibus tamquam propugnaculis ac munimentis oppida atque urbes firmabantur. *Virg.* 7. *Æn.* 159. primusque in littore sedes Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit. Cf. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 14. (47). *Virg.* 10. *Æn.* 144. Agger murorum. Adde *ibid.* v. 24. *loco super cit.* *Id.* 11. *ibid.* 382. dum distinet hostem Agger murorum. Et 7. *ibid.* 126. de urbis fundamentis. ibique memento Prima locare manu molirique aggere tecta. *Forcellinus* interpretatur domos ex aggesta terra: recentiores cum *Heynio* malunt propugnacula ex aggere. Et de duobus muris latericiis ad instar propugnaculi hæc *Propert.* 3. 11. 21. Persarum statuit Babylona Semiramis urbem, Ut solidum cocto tolleret aggere opus. — Celebris Romæ fuit, qua spectat orientem, agger inter Esquilinum Quirinalemque montem extructus, ut qua unus naturâ facilis hostibus patebat ad urbem aditus, arte impediretur. *Cic.* 2. *de republ.* 6. 11. Cujus is est tractus ductusque muri, cum Romuli, tum etiam reliquorum regum sapientiâ definitus ex omni parte arduis præruptisque montibus, ut unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem maximo aggere objecto fossâ cingeretur vastissima etc. *Niebhur Röm. Gesch. Vol.* I. p. 411. et *Becher Handb. der röm. Alterh. Pars.* I. p. 171. contendunt hujusmodi aggerem extructum fuisse a Servio Tullio, qui, ut ait *Liv.* 1. 44., Aggere et fossis et muro circumdat urbem. *Forcellinus* contra hunc dictum fuisse affirmat *aggerem Tarquinii*, quia a Tarquinio Superbo extructus fuit, teste *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (67). Clauditur (*urbs*) ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maximo patebat aditu plano. Adde 36. *ibid.* 15. 24. (104). *Tarquinius* vero *Superbus*, ut recentiores aliter ac *Plinius* putant, aggerem a Servio Tullio extructum majori fortasse altitudine ac firmitate donavit. In posterum hic idem agger, volente Mæcenate, amœnæ deambulationi inservit, teste *Horat.* 1. *Sat.* 8. 14. Nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque Aggere in aprico spatiari. — Ex hoc aggere, uti de Saxo Tarpejo, damnati dejiciebantur, si credimus multis, qui de eo intelligunt verba *Sueton. Cal.* 27. Qui per vicos agerent, quoed præcipitarentur ex aggere. — Denique de eodem aggere recentiores intelligunt verba *Quintil.* 12. 10. 74. et *Juvenal.* 5. 153. et 6. 587. et seqq.; quæque aliter interpretatus est *Forcellinus* hisce verbis: Agger dictus est murus latericius, qui per mediam Circi arenam porrectus, totam propterea bifariam dividebat, imponendis Circi ornamentis aptissimus: ita profecto appellatur, quod ævo vetustiore fuit terræ congestæ moles. Hic deinde a *Cassiodor.* 3. *Ep.* 5. dictus est spina. Eo loci conveniebant barioli et circulatores responsa dantes ludificantesque credulam plebem. *Juvenal.* 6. 587. Plebejum in Circo positum est et in aggere fatum. *h. e.*, ut explicat *ibid. Vet. Scholiast.*, in Circo, in spina, hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt. *Virg.* 5. *Æn.* 113. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. Sed bona *Forcellini* pace in *Juvenalis* loco *agger* a Circo distinguitur: *Virgilius* vero potuit quidem ad spinam allusisse, sed et generatim aggestam etiam terram significare.

II.) Translate. ¶ 1. Ducta translatione a sup. n. 3. *c.* agger poetice nonnunquam ponitur pro monte. *Virg.* 6. *Æn.* 831. Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci Descendens etc. *h. e.* ab Alpinis jugis, ratione habita aggeris tamquam viæ, per quam exercitus iter faciebat. Adde *Sil. It.* 4. 343. *Seneca Herc. Œt.* 167. Quis vastus Briareus, quis tumidus Gigas Supra Thessalicos cum stetit aggeres, Ut cælo insereret vipereas manus, Hoc vultu riguit? *h. e.* Pelion, Ossa et Olympus; ratione tamen habita Gigantum, qui ut in cælum ascenderent alios aliis montibus aggerebant. ¶ 2. Translatione ducta a sup. n. 4. *b.* dixit *Cic.* 10. *Phil.* 4. 9. Esset vel receptaculum pulso Antonio, vel agger (*h. e.* propugnaculum, turris etc.) oppugnandæ Italiæ Græcia.

AGGĔRĀTIM, adverb. (aggero) cum aggeratione, per cumulos (It. *a mucchi*; Fr. *en monceau*; Hisp. *a montones*; Germ. *stoss-oder haufenweise*; Angl. *by heaps*). *Apul.* 4. *Met.* 8. Estur ac potatur incondite, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis.

AGGĔRĀTĬO, ōnis, f. 1. (aggero) proprie est aggerandi actio, acervatio; sed occurrit tantum eodem sensu, quo aggero (It. *argine, mucchio di terra o altro*; Fr. *entassement, amoncellement*; Hisp. *acumulo, amontonamiento*; Germ. *der Damm*; Angl. *a heaping up or accumulating*). *Vitruv.* 10. 22. 9. (10. 16. 9. *Schneid.*) Naves supra aggerationem, quæ fuerat sub aqua, sederunt, nec ad murum accedere potuerunt. *Justin.* 2. 1. 20. Ægyptus aggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, recentissima. *Quidam leg.* exaggerationibus.

AGGĔRĀTUS, a, um. *V.* AGGERO.

AGGĔRĔUS, a, um, adject. ex aggere, sive in formam aggeris factus. *Auct. incert. Astron.* apud *Burmann. Anthol. Lat. T.* 2. p. 330. v. 27. dum transeat axem Aggerei velox tumuli. *h. e.* dum luna transeat axem mundi, sive telluris inter solem lunamque positæ tempore solaris eclipseos.

AGGĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (agger). Part. *Aggeratus* I. — Proprie est cumulo, accumulo, in aggeris morem coacervo (It. *ammucchiare, cumulare, terrapienare*; Fr. *entasser, amonceler*; Hisp. *acumular, amontanar*; Germ. *einen Haufen bilden, aufhaüfeln, aufdämmen, auffülen, emporarbeiten*; Angl. *to heap or pile up, to accumulate*).

I.) Proprie. — *a*) Ponitur de rebus, quæ ita cumulantur, ut in tumulum surgant. *Vitruv.* 2. 3. 1. ed. *Schneid.* Hæc genera (*laterum*) – faciliter aggerantur. *h. e.* ad altum opus conficiendum adhibentur. *Colum.* 2. *R. R.* 20. (21.) 5. Frumenta detrita aggerare. *h. e.* in cumulos colligere. *Id.* 11. *ibid.* 3. 38. Cinerem aggerare. *Id. de arb.* 28. 3. *V.* infra sub *d. Virg.* 3. *G.* 556. Jamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Medio campi ossa albentia disjecta vel aggerata. *Apul.* 2. *Met.* 21. Stragulæ in cumulum (*alii leg.* tumulum) aggeratæ. — *b*) De viis quæ sternuntur. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Augustus trames vastus inter paludes et quondam a L. Domitio aggeratus. — *c*) De fossis, quæ aggere implentur. *Curt.* 4. 2. 16. Exhauriendas esse regiones, ut illud spatium aggeraretur. *h. e.* aggere impleretur. — *d*) *Aggerare arborem* et *circa arborem terram aggerare* est circa arbores terram congerere, et veluti circum munire, ne nimio calore radices exarescant. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 46. Omnes arbores fructiferæ circumfossæ aggerari debent. *Id. de arb.* 28. 3. Stercoratam terram circa aggerato. Hinc *Apul.* 4. *Met.* 6. Convalles lacunosæ cavæque nimium spinetis aggeratæ. *h. e.* obsitæ, plenæ.

II.) Translate. ¶ 1. Aggerare est magno numero afferre, proferre. *Virg.* 11. *Æn.* 79. Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci. De loco *Phædr.* 4. 19. 23. *V.* voc. seq. II. 1. ¶ 2. *Aggerare aliquid dictis*, aut interdum etiam *aggerare* absolute est augere, addere. *Virg.* 4. *Æn.* 197. Incenditque animum dictis atque aggerat iras. *Id.* 11. *ibid.* 342. et his onerat dictis atque aggerat iras. *Stat.* 2. *Theb.* 198. Aggerare omne promissum dictis. *Claudian. Eutrop.* 1. 236. Aggerare portenta monstris. *Sil. It.* 2. 358. absolute. Sed Lybiæ clades et primi incendia belli Aggerat. *h. e.* narrando auget, exaggerat.

AGGĔRO vel adgero, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 1. (ad et gero). Part. *Aggestus* et *Aggerendus* vel *Aggerundus* I. — Est ad aliquid gero, affero, gerendo cumulo (It. *portare a qualche luogo, aggiungere portando*; Fr. *porter en un lieu, ajouter en portant*; Hisp. *llevar, traer, añadir llevando*; Germ. *etwas herbeischaffen oder bringen*; Angl. *to bring, carry, or convey any whither, to lay on a heap, heap upon*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 1. 1. 36. Ita te aggerundâ curvum aquâ faciam probe. *h. e.* ex eo te curvum faciam, quod aquam debeas afferre. *Cic.* apud *Non.* p. 212. 16. *Merc.* Luta et limum aggerebant. *Varro* 3. *R. R.* 17. 6. Ii (*piscatores*) pisciculos minutos aggerebant frequenter, ut a majoribus absumerentur. *Curt.* 6. 6. 29. Ergo aggeri alias arbores jubet. Et *Id.* alibi sæpe. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 21. (58). Traduntque – (*leonem*) retulisse gratiam venatus aggerendo. *Id.* 11. *ibid.* 10. 10. (20.). Aggerere flores pedibus. *Sil. It.* 3. 641. trabes. *Tac.* 1. *Ann.* 19. cæspitem. *Martial.* 8. 57. Aggesta humo contumulare. — *b*) Addito termino, ad quem aliquid aggeritur, per Dat., aut per Accus. et præp. *ad.* — Cum Dat. *Plaut. Rud.* 2. 5. 27. Si quidem mihi ultro iis aggerunda etiam est aqua. *Virg.* 3. *Æn.* 63. Ingens aggeritur tumulo tellus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (28). Terra aggesta fluminibus. — Cum Accus. et præp. *ad.* *Plaut. Truc.* 1. 2. 16. Nam ipsi vident, cum eorum aggerimus bona: quin etiam ultro ipsi aggerunt ad nos.

II.) Translate. ¶ 1. Est cumulare. *Phædr.* 4. 19. 23. Aggerere quadrantes patrimonio. *Forcellinus* leg. *aggerare* et proprio sensu accepit. ¶ 2. Est dicendo afferre, cumulare verbis multa; et fere in malam partem de accusantibus et deferentibus dicitur. *Tac.* 3. *Ann.* 67. Multa aggerebantur etiam insontibus periculosa. *Id.* 2. *ibid.* 57. Amici accendendis offensionibus callidi, intendere vera, aggerere falsa. *Id.* 13. *ibid.* 14. Aggerere probra.

AGGESTIM vel Adgestim, adverb. (aggero) idem quod aggeratim, in cumulos. Affert hanc vocem *Freund* ex nescio qua *Vulg. Interpr.* 2. *Macab.* 13.

AGGESTĬO vel Adgestio, ōnis, f. 3. (aggero) proprie est aggerendi sive afferendi actio, sed occurrit

tantum pro aggeratione, sive pro pluribus simul aggestis vel quæ simul aggeruntur (It. *mucchio, ammasso*; Fr. *amoncellement*; Hisp. *amontanamiento*; Germ. *was herbeigeschafft wird, der Ansatz*; Angl. *a heaping, rubbish*). *Pallad.* 12. *R. R.* 15. Ut excisæ trabes arenis obruerentur in littore, ut aggestionem, qua tectæ essent, alternis æstibus reciprocans fluctus alluerct. *Id.* 2. *ibid.* 13. Valles, quas fluminum saturabit aggestio. Adde *Capell.* p. 41. et 273. *Kopp.*

AGGESTUS *vel* adgestus, a, um. *V.* AGGERO, is.

AGGESTUS *vel* adgestus, i, m. 2., *vel* Aggestum, i, n. 2. (aggero) est substructio militaris ex aggere facta. *Ammian.* 19. 8. Ex aggestis erectis intrinsecus. *Et* 20. 11. Prunas unius aggesti inseruere juncturis.

AGGESTUS *vel* adgestus, us, m. 4. (aggero) coacervatio, aggestio (It. *ammassamento, ammucchiamento*; Fr. *amoncellement*; Hisp. *amontanamiento*; Germ. *das Herbeischaffen*; Angl. *a heaping or piling up, an accumulating*). *Tac.* 1. *Ann.* 35. Propriis nominibus incusant pabuli, materiæ, lignorum aggestus. *Id.* 3. *Hist.* 60. Aggestus copiarum. h. e. coactio militum. *Aurel. Vict. Epit.* 3. Via solidata aggestu arenæ. *Hygin. Fab.* 1. 11. ed. *Mai.* Qui (*Gigantes*) montium supra montes aggestu et congerie in cælum voluerunt ascendere.

AGGIGNO *vel* adgigno, is, ere, n. 3. (ad et gigno) gignendo addere, genitis addere. *Boeth. Aristot. Elench. soph.* 1. 6. p. 738. Primum quidem magis deceptio aggignitur in iis, qui cum aliis considerant, quam qui per se ipsos.

AGGLŎMĔRO *vel* adglomero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et glomero) proprie est ad aliquid glomero, aliquid in glomi formam cum alia re conjungo: sed occurrit tantum translate, et est accumulare, adjungere, conjungere (It. *accumulare, ammassare, unire*; Fr. *amasser, assembler, ajouter*; Hisp. *acumular, amontanar, juntare*; Germ. *anhäufen, zusammenbringen*; Angl. *to flock or crowd together, unite, associate*). Occurrit — *a*) Raro de rebus *Val. Flacc.* 2. 499. Sigeaque pestis Agglomerare fretum. h. e. undas undis accumulat. *Id.* 2. 179. Quassans undantem turbine pinum Agglomerat tenebras. — Sæpius de personis et præsertim de copiis. *Virg.* 2. *Æn.* 339. Addunt se socios Ripheus, et maximus armis Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque, Et lateri agglomerant nostro. *Id.* 12. *ibid.* 458. densi cuneis se quisque coactis Agglomerant. *Val. Flacc.* 2. 171. agglomerant sese nudisque sub astris Condensæ fletus acuunt. *Id.* 3. 87. Agglomerant latera (*Achivi*), et densis thoracibus horrens Stat manus. *Sil. It.* 5. 238. Tunc alacres arma agglomerant.

AGGLŪTĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

AGGLŪTĪNO *vel* adglutino, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et glutino). Part. *Agglutinatus* et *Agglutinandus* I. Proprie est glutine conjungo, ferrumino (It. *incollare, saldare*; Fr. *coller ensemble, souder, agglutiner*; Hisp. *encolar, engrudar junto*; Germ. *ankleben, anleimen, anschweissen oder anlöthen*; Angl. *to glue or stuck together, agglutinate, cement, solder*).

I.) Proprie. — *a*) De rebus, quæ glutine conjunguntur. *Vitruv.* 10. 13. (8.) 4. (*Regulis*) sunt anuli agglutinati. *Cels.* 6. 6. n. 1. Ovi album in linteolum illinere et fronti agglutinare. *Id.* 7. 26. n. 4. Agglutinanda cucurbitula est et in genibus et in coxis. *Apul.* 11. *Met.* 8. Vidi asinum pinnis agglutinatis adambulantem seni debili. h. e. alis affixis. Huc refert *Klotz* et illud (quod *Forcellinus* inter translata recenset) *Cic.* 16. *Att.* 6. 4. Itaque statim novum prœmium exaravi, tibi misi. Tu illud desecabis, hoc agglutinabis. — *b*) De ferruminatione. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). Chrysocollam et aurifices sibi vindicant agglutinando auro. *Id.* 36. *ibid.* 26. 67. (199). Fragmenta vitri teporata agglutinantur.

II.) Translate est jungere, adjungere; sed occurrit in vulgari tantum sermone. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 71. Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se agglutinant. *Id. Men.* 2. 2. 63. Meretrices extemplo se applicant, agglutinant. — In *Vulgat.* tamen *Interpr.* et in sublimiori stilo sæpe occurrit, ut *Jerem.* 13. 11., *Baruch* 3. 4. et *Eccli.* 25. 16.

AGGRĂVĀTĬO *vel* adgravatio, ōnis, f. 3. (aggravo) summum onus vel pondus, quod vires excedit (It. *sopraccarico*; Fr. *surcharge*; Hisp. *sobrecarga*; Germ. *die Belastung*; Angl. *aggravatig*). Hinc est pœna, vexatio, et speciatim immodica tributorum collatio. *Salvian. Gubernat. Dei* 5. Sicut sunt in aggravatione primi pauperes, ita in relevatione postremi.

AGGRĂVĀTUS *vel* adgravatus, a, um. *V.* AGGRAVO.

AGGRĂVESCO *vel* adgravesco, is, ere, n. 3. (ad et gravesco) proprie est gravior vel onerosior fio (It. *divenire più grave o pesante*; Fr. *devenir lourd*; Hisp. *hacerse pesado*; Germ. *schwerer werden*; Angl. *to grow worse and worse, become heavy, grievous*).

I.) Proprie. *Pacuvius* apud *Non.* p. 486. 5. *Merc.* Ubi ego me gravidam sentio aggravescere propinquitate parti.

II.) Translate est pejor fio molestiorque. *Ter. Hec.* 3. 2. 2. Male metuo, ne Philumenam magis morbus aggravescat. — *NB.* Afferri solet a Lexicographis *Aggravescens vulnus* ex *Cic.* 2. *Tusc.* 31. 76., sed eo loco ita legitur in melioribus Editt. *Non ad gravescens vulnus illidat manus.* Sunt autem hi versus Æschyli in Latinum versi.

AGGRĂVO *vel* adgravo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et gravo). Part. *Aggravans* in omnibus paragr.; *Aggravatus* II. 2.; *Aggravaturus* II. 3. — Proprie est valde onero, graviorem sive onerosiorem reddo: hinc opponitur *elevare*, ut apud *Liv.* 6. 27. *V.* infra II. 2. (It. *rendere più pesante, aggravare*; Fr. *rendre plus lourd, alourdir encore*; Hisp. *rendir mas pesado*; Germ. *etwas schwer oder schwerer machen*; Angl. *to render heavy, weigh down, aggravate*).

I.) Proprie. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (117). Aggravatur pondus illâ et illo legumine. *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. (79) metaphorice: Odor — aggravans capita.

II.) Translate. ¶ 1. Aggravo est fortiorem reddo, majore vi dono, augeo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (37). Quidam vero aggravant ictus, ante conatum simili modo salivâ in manu ingestâ. *Id.* 2. *ibid.* 48. 49. (132). Defert hic (*vortex*) aliquid secum — convolvens versansque et ruinam suam illo pondere aggravans. ¶ 2. Est pejorem molestioremque reddo. *Curt.* 8. 10. 29. Cum — frigescens vulnus aggravat dolorem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 3. 6. (31). Aggravari vulnera introitu eorum, qui etc. h. e. asperari. *Sueton. Aug.* 98. Aggravata valetudine tandem Nolæ succubuit. *Liv.* 4. 12. Unum abfuit bellum externum, quo si aggravatæ res essent etc. h. e. si res in pejus ruissent. *Id.* 44. 7. 11. Adeo sine ulla ope hostis, quæ aggravaret; cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat. *Id.* 24. 36. Cernens nihil aliud ab suis nisi inopiam aggravari sociorum. *Curt.* 3. 13. 12. Sed tum sortem earum crudelius aggravante fortuna. *Phædrus* 3. 3. 13. Hominis curam cura majore aggravare. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 3. Imbecillitatem pecoris longis itineribus aggravare. *Liv.* 3. 27. 3. Aggravantibus (h. e. sermone augentibus) summam invidiæ ejus (*æris alieni*) tribunis plebei, cum ab aliis elevaretur. ¶ 3. Est etiam molestia afficere, opprimere. *Sueton. Cæs.* 1. Morbo quartanæ aggravante (*eum*). *Quintil.* 5. 7. 18. Quæ (*argumenta*) per se nihil reum aggravare videantur. *Seneca* 4. *Benef.* 13. Beneficia nostras rationes aggravatura, dum aliorum necessitates et angustias laxent. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 7. Tum etiam ratio rustici aggravatur exiguo profectu operis. — Hinc deponentium forma cum Dat. est idem ferme quod indignor in *Vulgat. Interpr. Eccli.* 25. 3. Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum.

AGGRĔDIO *vel* adgredior, grĕdis, gressum, grĕdere, a. 3. (ad et gradior) adeo, accedo: sed raro occurrit. — *a*) Activa forma et proprie. *Plaut. Truc.* 2. 1. 40. Hac si aggredias. — *b*) Passive aggredere est adoriri, invadere. *Cic.* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer dolis. *Justin.* 7. 6. Facillimis quibusque aggressis, quorum victoriæ militum trepidos animos firmaret.

AGGRĔDĬOR *vel* adgredior, grĕdĕris, gressus sum, gredi, dep. 3. (ad et gradior). *Adgretus* vel *Adgretus* pro *aggressus*, mutatis inter se litteris s et t more Græcorum, dixit *Ennius* apud *Paul. Diac.* p. 6. 11. *Müll.*; *Aggrediri* pro *aggredi* occurrit apud *Plaut. Truc.* 2. 5. 7. et 9.; *Aggredirier* pro *aggredi* apud eumd. *Merc.* 2. 1. 24. et *Rud.* 3. 1. 9.; *aggredire* pro *aggredere* apud eumd. *Asin.* 3. 3. 121. Quæ omnia *V.* infra. — De forma passiva *V.* sup. AGGREDIO. — Part. *Aggrediens*; *Aggressus* et *Aggressurus* I. 2. *b*.; *Aggrediendus* II. *c*. — Proprie est adeo, accedo (It. *camminare verso, andar vicino, accostarsi*; Fr. *marcher à, aller vers, aborder*; Hisp. *andar, marchar, caminar hácia*; Germ. *heranschreiten an etwas, herzuschreiten zu einer Person oder Sache*; Angl. *to go to or up to, come near, accost, approach*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est verbum locale, et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Hec.* 5. 1. 5. Aggrediar. Bacchis, salve! — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Plaut. Asin.* 3. 3. 90. Quin ad hunc, Philenium, aggredimur? *Id. Merc.* 2. 1. 24. Interea ad me hædus visus est aggredirier. *Id. Rud.* 3. 1. 9. Post ibi videbatur ad me simia aggredirier. — *c*) Cum Accus. sine præp. *Plaut. Curc.* 2. 3. 50. Forte aspicio militem: aggredior hominem, saluto adveniens. *Pacuvius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 6. p. 119. *Müll.* Serupea saxa Bacchi templa prope aggreditur. — *d*) Cum Adverbiis localibus. *Cic.* 3. *Orat.* 17. 63. Non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet, sed in hortulis quiescet suis. ¶ 2. Est aliquem adire, accedere eo consilio, ut aliquid tentemus aut faciamus, puta ut eum alloquamur, eum insidiis adoriamur etc. Hinc occurrit *a*) in bonam, et *b*) in malam partem. — *a*) In bonam partem aggredi aliquem est eum adire ad eumdem alloquendum, aut sibi quocumque modo conciliandum captandumque. — Interdum ponitur absolute. *Ter. Phorm.* 5. 8. 73. Itane agitis mecum? Satis astute aggredimini. — Sæpius cum Accus. *Plaut. Merc.* 2. 3. 50. Quin ego hunc aggredior de illa? h. e. accedo colloquendi causa. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 4. Locustam ego Romæ aggrediar atque, ut arbitror, commovebo. *Id.* 12. *Att.* 33. 1. si — nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare. *Id. Cæcin.* 25. 71. Quid agat, quomodo aggrediatur judicem, — non habet. *Sall. Jug.* 50. Legatos alium ab alio diversos aggreditur. h. e. adit, alloquitur et tentat. *Id. ibid.* 30. Aggredi aliquem pecunia. h. e. pecunia oblata tentare, corrumpere. *Id. ibid.* 16. eadem via. *Virg.* 4. *Æn.* 92. et 476. et 6. *ibid.* 387. Aggredi aliquem dictis. *Tac.* 13. *Ann.* 37. precibus. *Id.* 1. *Hist.* 78. animos largitione. *Id.* 2. *Ann.* 16. Aggredi acrius alicujus modestiam. *Id.* 16. *ibid.* 18. crudelitatem principis. Huc pertinet et illud *Petron. Satyr.* 36. Res electissimas ridentes aggredimur. h. e. ad exquisitissimos cibos manum extendimus. — *b*) In malam partem aggredi aliquem, aut etiam oppidum, castellum etc., est armis et per vim, aut per insidias adoriri, invadere; qui modi interdum et verbis significantur. *Plaut. Pers.* 4. 3. 12. Itaque huic insidiæ paratæ sunt: probe aggrediar virum. *Cic.* 12. *Phil.* 10. 25. Quis audeat luci, quis in militari via, quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Eos (*Helvetios*) impeditos et inopinantes aggressus, magnam partem eorum concidit. Adde *Justin.* 2. 8. *Nep. Datam.* 9. Priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi ceciderunt. *Sall. Jug.* 70. *extr.* Milites palantes inermes aggredi. *Liv.* 23. 9. Unus aggressurus es Hannibalem. *Sall. Cat.* 61. Aggredi aliquem audacius. *Id. ibid.* 63. ex lateribus. *Id. ibid.* 43. Cethegus Ciceronis januam obsideret eumque vi aggrederetur. *Nep. Alcib.* 10. Aggredi aliquem ferro. Adde *Ovid.* 5. *Met.* 659. *Sueton. Cal.* 44. aliquem prœlio. *Ovid.* 12. *Met.* 182. aliquem cominus. *Sall. Jug.* 57. Aggredi murum. *Id. ibid.* 87. castella et oppida. *Vellej.* 2. 109. regionem. *Apul.* 7. *Met.* 16. Villas, seu castella solus aggrediens.

II.) Translate de rebus ponitur, et est ad aliquid accedere, dare se alicui rei, aliquid suscipere, incipere (It. *imprendere, principiare*; Fr. *aborder, entreprendre*; Hisp. *emprender, abordar*; Germ. *zu etwas schreiten, etwas übernehmen, beginnen, sich an etwas machen*; Angl. *to undertake, take in hand, attempt, go about, commence*). Pluribus autem modis usurpatur, scilicet — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 4. 1. 46. Hâc non successit, aliâ aggrediemur viâ. *Cic.* 1. *Off.* 21. 75. In omnibus autem negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. *Id.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 20. 64. Aggrediar igitur, si pauca ante quasi de fama mea dixero. — *b*) Sæpius cum Accus. et præp. *ad*. *Cic.* 2. *Legg.* 4. 8. Priusquam aggrediamur ad leges singulas. *Id. Cluent.* 3. 8. Aggrediar ad crimen cum illa deprecatione, judices. *Id. Brut.* 37. 139. Aggredi ad dicendum. *Id. Mur.* 7. 15. ad consulatus petitionem. *Id.* 1. *Off.* 7. 34. ad injuriam faciendam. *Id.* 3. *Nat. D.* 3. 7. ad disputationem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. *extr.* ad histo-

rism. *Liv.* 1. 42. ad opus. *Vellej.* 2. 33. ad rempubl. — *c*) Cum Accus. sine præp. *Plaut. Truc.* 2. 5. 7. Quæ ausa sum tantum clam dolum aggrediri. *Id. ibid.* v. 9. Nullam rem oportet dolose aggrediri, nisi astute accurateque exequare. *Cic.* 2. *Orat.* 11. 186. Aggredi ancipitem causam. *Id.* 2. *Att.* 14. magnum quid. *Sall. Jug.* 89. majora et magis aspera. *Id. ibid.* 92. aliam rem. *Plaut. Pers.* 4. 4. 10. Pessimum aggressu scelus. *Auct. B. Hisp.* 15. 6. Aggredi facinus. *Ovid.* 7. *Met.* 71. nefas. *Liv.* 24. 19. Multa magnis ducibus non aggredienda. *Virg.* 4. *Ecl.* 48. honores. *Tac.* 1. *Hist.* 2. opus. *Quintil.* 5. 13. 34. impossibilia. *Id.* 2. 10. 1. suasorias judicialesque materias. — *d*) Cum Infinito sæpe apud Poetas. *Ennius* apud *Paul. Diac.* p. 6. 11. *Müll.* Adgrettus fari. *Lucret.* 6. 941. qua de re disserere aggredior. *Id.* 5. 168. Ut nostrâ quidquam causâ gerere aggrediantur. *Virg.* 2. *Æn.* 165. Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium. *Id.* 3. *ibid.* 37. Tertia sed postquam majore hastilia nisu Aggredior. subaudi convellere. — Raro in prosa oratione apud Augustei ævi Scriptores; sæpius apud seriores. *Cic.* 2. *Off.* 1. 1. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto ac de judicio meo dixero. *Cæs.* 3. *B. C.* 80. 6. Eodem, quo venerat, die post horam ix oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnavit. *Sall. Jug.* 21. Igitur Jugurtha oppidum circumsedit, vineis – expugnare aggreditur. *Id. ibid.* 75. Omnes asperitates supervadere ac naturam etiam vincere aggreditur. *Liv.* 3. 35. Obsecundando mollire impetum aggrediebantur. *Id.* 40. 25. Castra Romanorum oppugnare simul omnibus portis aggressi sunt. *Curt.* 3. 1. 17. Solvere aggressus. *Id.* 9. 1. 4. Quam (*materiam*) cædere aggressi etc. *Sueton. Ner.* 19. Isthmum perfodere aggressus. Adde *Tac. Orat.* 17., *Quintil.* 1. 5. 51. et 3. 6. 1., aliosque posteriores.

AGGREGĀTIO *vel* adgregatio, ōnis, f. 3. (aggrego) occurrit tantum translate et est coactio, coacervatio. *Theod. Priscian.* 3. 1. Si – lactis aggregatio maximum fervorem locis incusserit, etc. *Gloss. Cyrill.* Adgregatio συναγέλασμός, συνάθροισις. *Gloss. Philox.* Συναγωγή adgregatio.

AGGREGĀTUS *vel* adgregatus, a, um. *V.* vocem seq.

AGGRĔGO *vel* adgrego, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* gregare). Part. *Aggregatus* sub d. Proprie, ut inquit *Paul. Diac.* p. 23. 7. *Müll.*, Abgregare est ab grege ducere, adgregare ad gregem ducere etc. *h. e.* gregi addere, gregi adjungere ducendo. Sed occurrit tantum translate de hominibus, præsertim *aggregare se* vel mediorum verborum significatione *aggregari*, et est adjungere, socium, comitem etc. adjungere, cum aliis conjungere (It. *aggregare, unire*; Fr. *ajouter, adjoindre, agréger*; Hisp. *unir, juntar, agregar*; Germ. *anheerden, beigesellen*; Angl. *to gather together, assemble, unite, associate, attach*). Pluribus modis usurpatur, scilicet — *a*) Cum Accus. et præp. *ad. Cic. Vatin.* 13. 25. Hujus etiam filium eodem judicio et crimine ad patris interitum aggregare voluisti. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 11. Aggregare voluntatem suam ad alicujus dignitatem. *Cæs.* 6. *B. G.* 11. se ad alicujus amicitiam. — *b*) Cum Accus. et præp. *in.* Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo. — *c*) Cum Adverbiis localibus. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 30. Si secum suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit. — *d*) Sæpissime cum Dat. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Nostri tamen – alius alia ex navi – quibuscumque signis occurrerat, se aggregabat. *Liv.* 30. 11. Cum aut vincentibus opes, aut pulsis ira aggregat suos. *Curt.* 4. 5. 17. Oppidani – aggregant se Amphotero et Hegelocho. *Id. ibid.* 15. 9. Aggregati suorum equitibus Macedonas – invadunt. *Sueton. Ner.* 43. Ne desciscentibus aggregarentur. *Vellej.* 2. 94. Simillimos sibi aggregare. *Id. ibid.* 53. Quos ei comites fortuna aggregaverat. Adde *Quintil.* 9. 2. 107.

AGGRESSĬO *vel* adgressio, ōnis, f. 3. (aggredior) proprie est aggrediendi, sive adeundi vel accedendi actus (It. *appressamento, assalto*; Fr. *attaque, agression*; Hisp. *acometida*; Germ. *das Heranschreiten, der Angriff*; Angl. *an attaking, assaulting, attack*).

I.) Proprie raro admodum occurrit et animo quidem inimico. *Apul.* 8. *Met.* 16. Omnibus meis ab aggressionibus ferinis consulebam. *Sed tamen dubia est lectio.* Cf. infra AGGRESSURA et *Cod. Theod.* 9. 11. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Est actus accedendi ad rem gerendam. *Cic. Orat.* 15. 50. Cumque animos prima aggressione occupaverit, infirmabit excludetque contraria. ¶ 2. Hoc nomine appellatum est etiam ipsum *epicherema*, quod est genus quoddam argumentationis rhetoricæ. Id enim sonat Græcum ἐπιχείρημα. *Quintil.* 5. 10. 10. Epicherema Valgius aggressionem vocat. Adde *ibid.* 14. 27.

AGGRESSOR *vel* adgressor, ōris, m. 3. (aggredior) qui vi aggreditur et invadit, raptor, prædo (It. *aggressore, ladro*; Fr. *agresseur, voleur*; Hisp. *agresor*; Germ. *der Angreifer, oder Räuber*; Angl. *an assailant, aggressor*). Videsis. *Paul. Sent.* 5. 3. 4. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. *ad fin.* Veluti si quis exclamavit ut ad auxilium conveniretur; aut terruit aggressores. *Id. ibid.* 47. 9. 3. Receptatores non minus delinquunt, quam aggressores. *Id. ibid.* 48. 9. 7. Pecuniam latronibus et aggressoribus dare, qui patrem interficerent. Adde *Cod. Theod.* 9. 16. 2.

AGGRESSŪRA *vel* adgressura, æ, f. 1. (aggredior) aggressio, invasio per vim, aut ex insidiis, qualis est latronum, aut conspiratorum (It. *assalimento, aggressione, assassinamento*; Fr. *agression, attaque*; Hisp. *el acto del agresor*; Germ. *der Angriff*; Angl. *an assaulting, assailing, attacking*). *Ulpian. Dig.* 29. 5. 3. Si, cum omnes domini aggressuram paterentur, uni servus opem tulit. *Arr. Menand. Dig.* 49. 16. 5. § 2. Si plagium factum, vel aggressura, abigeatus, vel quid simile acciderit. Adde *Apul.* 7. *Met.* 7., *Ulp. Dig.* 10. 2. 4. § 2. et *Cod. Theod.* 4. 65. 12.

AGGRESSUS *vel* adgressus, a, um. *V.* AGGREDIO et AGGREDIOR.

AGGRESSUS *vel* adgressus, us, m. 4. (aggredior) actus aggrediendi, hoc est

I.) Proprie invasio, aggressio per vim, aut ex insidiis (It. *aggressione, assassinamento*; Fr. *agression, attaque*; Hisp. *el acto del agresor*; Germ. *der Angriff*; Angl. *an assaulting, assailing*). *Ulp. Dig.* 36. 1. 17. § 7. Si naufragio, vel ruina, vel aggressu, vel quo alio modo perierit.

II.) Translate actus conandi, seu incipiendi rem aliquam. *Firmic.* 2. *Mathes.* 10. Jupiter inconsultum significat rerum aggressum atque difficilem operum exitum.

AGGRĒTUS *vel* adgretus et) *V.* AGGREDIOR.
AGGRETTUS *vel* adgrettus)

AGGUBERNO *vel* Adguberno, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* guberno) gubernaculo rego (It. *governare*; Fr. *diriger, gouverner*; Hisp. *dirigir, gobernar*; Germ. *wie mit einem Steuerruder mit lenken*; Angl. *to manage, conduct, guide, govern*). Occurrit tantum Part. præs. *Aggubernans.*

I.) Proprie. *Flor.* 3. 5. 10. Qui – aere suspensus et pedibus iter aggubernans, videntibus procul quasi marina pistrix evaserat.

II.) Translate. *Flor.* 2. 8. 1. Sic aggubernante fortunâ, ut quemadmodum ab Africa in Europam, sic ab Europa in Asiam – imperium procederet.

AGGŬLUS, i, m. 2. pro *angulus*, *i* scribendum esse affirmat *Accius* apud *Varr. L. L. fragm.* 1. p. 264. *Müll. V.* ANGULUS.

ĂGĬLIS, le, adject. (ago). Comp. *Agilior* in omnibus paragr., Sup. *Agillimus* agnoscitur a *Charis.* 1. p. 89. *Putsch.* et a *Priscian.* 3. p. 606. At idem *Charis.* 2. p. 162. *Putsch.* probat *agilissimus.* Neutrius exempla ab neutro afferuntur. *Voss. l.* 4. de *Grammat.* c. 21. præfert *agilissimus*, sed nec ipse Latino exemplo confirmat. — Agilis (quæ vox inde a Sisenna, cujus verba inferius afferuntur, apud Scriptores usuvenisse videtur) est qui facile agitur et movetur, vel qui se facile movet et agit (It. *agile*; Fr. *facile à mouvoir, mobile*; Hisp. *agil, mobile*; Germ. *leicht zu handhaben, leicht zu führen, schnell oder behend*; Angl. *swift, nimble, speedy, agile*). ¶ 1. Occurrit — *a*) De inanimis et est qui facile agitur et movetur. *Liv.* 30. 10. Qui enim restitissent agili et nautico instrumento aptæ et armatæ classi naves tormenta machinasque portantes? *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 27. Hæc querulas agili percurrit pollice chordas. *Id. Heroid.* 15. 65. Agilis remus. *Id.* 2. *Pont.* 10. 34. rota. *Seneca Med.* 787. currus. *Id.* 2. *Quæst. nat.* 10. Aer agilior et tenuior. *Id. Hippol.* 644. Agilis flamma. — *b*) Ponitur et de personis, eorumque facultatibus actibusve, et est qui facile se movet et agit. *Ovid. Heroid.* 4. 169. Sic tibi secretis agilis dea saltibus adsit. *Id.* 2. *Met.* 720. Sic super Actæas agilis Cyllenius arces Inclinat cursus. *Sueton. Tib.* 68. Sinistra manu agiliore ac validiore. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 10. Agilis dextra. *Seneca Hippol.* 234. pes. *Colum.* 6. *R. R.* 29. 3. Corpus equi ab aspectu quoque agile. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 32. Cursus agiles. *Sil. It.* 3. 180. gressus. ¶ 2. Hinc derivata significatione, quam *Forcellinus* translatam affirmat, agilis ponitur pro acri, sedulo, operoso, ad agendum prompto; et cum gnavo conjungitur, ac tardo et remisso, aut etiam ignavo opponitur (ut infra apud *Horat.*, *Ovid.* et *Colum.*) — *a*) Fere de animalibus dicitur, ac præsertim de homine. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 21. Quæ (*apes*) circumvolitas agilis thyma. *h. e.* operosa atque industria: *Forcellinus* hunc locum ad superiorem paragr. refert. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 3. Apes sarciendo damna agiliores fiunt. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 16. Nunc agilis fio et mersor civilibus undis. *h. e.* rebus publicis agendis me totum dedo. *Id. ibid.* 18. 90. oderunt – Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi. *Vellej.* 2. 105. Vir multiplex in virtutibus, navus, agilis, providus. *Ovid.* 2. *Fast.* 516. Lassabant agiles aspera bella viros. *Seneca Tranquill.* 2. Naturâ humanus animus agilis est et pronus ad motus. *Id. Ep.* 74. Senem agiliores sunt animalibus mutis. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 15. Malo unius agilem atque industriam, quam decem hominum negligentem et tardam operam. *Quintil.* 11. 3. 184. Argumentatio agilior et acrior et instantior. — *b*) Raro de inanimis: *Sisenna* apud *Non.* p. 58. 1. *Merc.* Agilem dari facilemque victoriam.

ĂGĬLĬTAS, ātis, f. 3. (agilis) celeritas, mobilitas, habilitas (It. *agilità, leggerezza, snellezza*; Fr. *légèreté, rapidité, vitesse*; Hisp. *agilidad, ligereza, velocidad*; Germ. *die schnelle Bewegung, Beweglichkeit oder Behendigkeit*; Angl. *agility, quickness, swiftness, speediness, mobility*).

I.) Proprie. *Liv.* 26. 51. Agilitas navium. *Curt.* 4. 6. 9. rotarum. *Pallad.* 1. *R. R.* 17. aquæ. *Quintil.* 11. 3. 180. Cursus et agilitas (*Demetrii*) et vel parum conveniens personæ risus. *Id.* 9. 4. 110. de carmine pæone: Facilitas et agilitas.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Att.* 17. 4. Esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiamque naturæ plerumque bonitatis. *h. e.* facilitas ad animi motus; loquitur enim de hominis indole, quæ facillime irascitur, indignatur, gaudet etc.

ĂGĬLĬTER, adverb. (agilis). Comp. *Agilius.* Est autem cum agilitate et celeritate (It. *agilmente, snellamente*; Fr. *agilement, rapidement*; Hisp. *agilmente, ligeramente*; Germ. *in schneller Bewegung oder Thätigkeit*; Angl. *swiftly, quickly, nimbly*). *Ammian.* 14. 2. Agiliter prætérito Calycadni fluminis ponte. *Id.* 28. 2. Agiliter expedire gladios. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 37. Detque requiem in summâ (*parte versuræ*), ut, spe cessandi, totum spatium agilius (*bos*) enitatur.

ĂGĪNA, æ, f. 1. (ut *fodina* a v. *fodere*, ita *agina* a v. *agere*) generatim est quâ aliquid inseritur et movetur; speciatim est quâ inseritur scapus trutinæ (It. *forame in cui sta il perno della stadera*; Fr. *châsse d'une balance, trou dans lequel jour la languette ou aiguille*; Hisp. *ojo de la aguja*; Germ. *die Scheere der Wage*; Angl. *that wherein the beam of a balance is hung*).

I.) Proprie. *Paul. Diac.* p. 10. 3. *Müll.* Agina est, quo inseritur scapus trutinæ, id est, in quo foramine trutina se vertit, unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur.

II.) Translate. *Tertull. advers. Hermog.* 41. In neutram partem pronus et præceps, mediæ, ut ajunt, aginæ æquilibrato impetu ferebatur. Adde *eund. Pudic.* 9.

ĂGĪNĀTOR, ōris, m. 3. translate dicebatur, qui parvo lucro moveretur. *V.* voc. præced. I.

ĂGĪNO, as, āvi, are, n. 1. (ago) versari huc illuc. *Petron. fragm. Tragur.* 61. *Burmann.* Per scutum, per ocream ægre aginavi. In *Cod. Tragur.* legitur conjunctim *egraginavi*. Porro in *Gloss. Cyrill.* Aginare στρατεύεσθαι. Aginat διαπραγματεύεται, στρέφει, μηχανᾶται, στρατεύει. Et in *Gloss. Philox.* Στρατεύεσθαι aginare. Στρατεύει aginat.

ĂGĬPES, pĕdis, m. 3. (agere *et* pes) qui pedibus agit. *Festus* p. 210. 20. *Müll.* Pedarium senatorem significat Lucilius, quum ait: *Agipes vocem mittere cæpit.* qui ita appellatur, quia tacitus transeundo ad eum, cujus sententiam probat, quid sentiat, indicat. *Mullerus* cum aliis legendum putat *acipes* vel *accipes* vel *aquipes*, ut ejusdem sit significationis ac oci-

ginis cum *acupedius*. At *Klotz* jure *Mülleri* sententiam arguet atque improbat, suffragante *Forcellino*; in verbis enim *Lucilii* non de pedum velocitate agitur, sed de pedum actione sive de actione quæ pedibus fit.

ĂGĬTĀBĬLIS, le, adject. (agito) qui facile agi potest, agilis (It. *agile, leggero*; Fr. *léger, mobile*; Hisp. *agil, mobile*; Germ. *leichtbeweglich*; Angl. *light, easy to be moved or driven*). *Ovid.* 1. *Met.* 75. agitabilis aer.

ĂGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (agito) actus agitandi, motus, commotio (It. *agitazione, movimento*; Fr. *mouvement fréquent et violent*; Hisp. *agitacion*; Germ. *das Inbewegungsetzen, die Hin-und Herbewegung*; Angl. *a moving or stirring, motion, agitation*).

I.) Proprie. *Cic. Mur.* 17. 35. Quod enim fretum, quem euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum? *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Agitatio et motus linguæ. *Plin.* 1. *Ep.* 6. Agitatio motusque corporis. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 7. Demetrius inquit motum fieri in iis, qui tremore afficiuntur, agitatione crebra. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Tepor ex intimis maris partibus agitatione excitatus. *Liv.* 27. 29. Agitatio lecticæ. *Id.* 7. 10. armorum. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 6. terræ. h. e. de terra quæ movendo colitur. *Id.* 7. *ibid.* 1. 3. agrorum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 20. (13). spiritus. *h. e.* quâ spiritus seu ventositates tolluntur.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de magno animi motu, quo is ad agendum incitatur. *Cic.* 2. *Divinat.* 62. 128. Naturam eam dico, qua nunquam animus insistens agitatione et motu vacuus esse potest. *Id.* 1. *Off.* 5. 17. Ad quod (*genus*) adhibenda est actio quædam, non solum mentis agitatio. Adde *ibid.* 6. 19. et *Quintil.* 1. 1. 1. ¶ 2. Est etiam rei alicujus administratio, exercitatio. *Cic.* 2. *Invent.* 54. 163. Magnarum rerum agitatio et administratio. *Id. Senect.* 7. 23. Studiorum agitatio vitæ æqualis fuit. *h. e.* totâ vitâ in studiis versatus est. *Val. Max.* 7. 2. 1. Agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari. *Seneca Ep.* 109. Opus est sapienti agitatione virtutum.

ĂGĬTĀTĪVUS, a, um, adject. (agito) qui in agendo sive in negotiis versatur, agendi vi præditus. *Boeth. Aristot. Top.* 4. 6. p. 693. Pari modo eadem anima stativa et agitativa esse videtur.

ĂGĬTĀTOR, ōris, m. 3. (agito) proprie est qui agitat; sed speciatim occurrit et est, qui equos, aut alia jumenta agit, auriga (It. *conduttore d'animali, cocchiere*; Fr. *celui qui mène, qui dirige des animaux, conducteur*; Hisp. *conductor, cochero*; Germ. *der Treiber oder Lenker*; Angl. *a driver of cattler, horses etc., a charioteer, coachman*). ¶ 1. Usurpatur — *a*) Generatim cum Genitivo. *Virg.* 1. *G.* 273. Sæpe oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. *h. e.* agaso. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 1. 3. *Virg.* 2. *Æn.* 476. equorum agitator Achillis. *h. e.* auriga. — *b*) Speciatim dicitur de auriga in ludis Circensibus, ut docet *Incert. Auct. Orb. Descript. sub Constantio Imp.* 19. ed. *Mai.* Habes ergo Antiochiam in ludis Circensibus eminentem. — Et Laodicia mittit aliis civitatibus agitatores optimos. *Plaut. Men.* 1. 2. 50. PE. Næ tu, ut ego, opinor, esses agitator probus. ME. Qui dum? PE. Ne te uxor sequatur, respectas identidem. *Sueton. Ner.* 22. Agitator prasinus. *Id. Cal.* 55. Agitatori Cutycho vicies HS. contulit. Adde *Seneca Ep.* 30. 11., *Quintil.* 8. 6. 9., *Plin.* 9. *Ep.* 6., *Inscript.* apud *Orell.* 2595. et 2596., *Inscript.* apud *Mommsen.* 6906. et apud *Henzen.* 7419. d β. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 29. 94. Ego, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo. Adde *eumd.* 13. *Att.* 21. — Agitatorum habitus qualis fuerit, *V.* in QUADRIGARIUS. ¶ 2. Item est signum cæleste, idem quod auriga, quam vocem V. *Vet. Scholiast.* ad *German. Arat. Comment.* ed. *Mai.* A dorso Agitatoris Perseus pedem extendit. Et *ibid. pluries.*

ĂGĬTĀTŌRĬUS, a, um, adject. (agitator) qui ad aurigam pertinet: sed occurrit tantum speciatim *Agitatoria*, h. e. fabula vel comœdia a Nævio composita, quam meminit *Charis.* 2. *p.* 177. et 186. *Putsch.*

ĂGĬTĀTRIX, īcis, f. 3. (agitator) quæ agitat, seu movet.

I.) Proprie. *Arnob.* 4. 22. Sylvarum agitatrix Diana.

II.) Translate. *Apul. Dogm. Plat.* 1. 9. Animam agitatricem aliorum, quæ natura sui immota sunt.

ĂGĬTĀTUS, a, um. *V.* AGITO.

ĂGĬTĀTUS, us, m. 4. (agito) idem quod agitatio, sive agitandi vel hac illac movendi actus (It. *agitazione, moto*; Fr. *mouvement, agitation*; Hisp. *agitacion*; Germ. *das Inbewegegungsetzen, die Hin- und Herbewegung*; Angl. *a moving, stirring, motion, agitation*).

I.) Proprie. *Varr.* 6. *L. L.* 11. p. 5. *Müll.* Neque ubi sit agitatus, non actio ibi. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 41. p. 88. *Macrob.* 7. *Saturn.* 8. Si agitatu suo aquam moverit. *Id.* 2. *Somn. Scip.* 12. *in fin.* Anima corpori præstat agitatum.

II.) Translate. *Varro* 7. *L. L.* 42. p. 89. *Müll.* Actionum trium, primus agitatus mentis, quod primum ea quæ sumus acturi, cogitare debemus; deinde tum dicere; ac postremo facere.

ĂGĬTO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (frequent. ab *agere*, quamvis non eamdem actionem repetitam, sed eamdem magis elaboratam et studio magno confectam significet, auctore *Colum.* 6. *R. R.* 6. 3. Agitare caput et caudam crebrius agere). — Part. *Agitans* I. 2. et 3. *b.* et alibi; *Agitatus* in omnibus ferme paragraphis et in fine; *Agitaturus* I. 2.; *Agitandus* I. 3. et II. *B.* 1. — Proprie est movere, animalia ducere, animalia ad motum impellere (It. *condurre, spingere*; Fr. *mettre en mouvement, faire marcher*; Hisp. *hacer andar, hacer marchar*; Germ. *mit aller Gewalt treiben, durch Antrieb in Bewegung setzen*; Angl. *to drive, conduct*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de jumentis et pecoribus, quæ aratrum, currus et alia hujusmodi trahunt, et est ducere, ante se pellere jumenta, pecora etc.: qua significatione occurrit — *a*) Addito termino, ad quem jumentum agitatur. *Plaut. Asin.* 3. 3. 118. Jamjam calcari quadrupedem agitabo advorsum clivum. *Virg.* 3. *G.* 18. Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus. *Ovid.* 3. *Met.* 356. Aspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos Vocalis Nimphe etc. — *b*) Addito termino, per quem jumentum agitatur. *Ovid.* 5. *Met.* 661. rursusque per aera jussit Mopsopium juvenem sacros agitare jugales. *h. e.* dracones. — *c*) Sæpius absolute, præsertim de equis, qui arte ab aurigis ducuntur. *Virg.* 3. *G.* 287. superat pars altera curæ Lanigeros agitare greges hirtasque capellas. *Varro* 6. *L. L.* 11. *p.* 88. *Müll.* Hinc dicimus — agitantur quadrigæ. *Lucret.* 2. 602. Hanc veteres Grajûm docti cecinere poetæ Sedibus in curru bijugos agitare leones. *Nep. Eumen.* 5. Quod spatium non esset agitandi (*equos*). *Virg.* 11. *Æn.* 770. Spumantem equum agitare. *Sueton. Cæs.* 39. Agitare quadrigas bigasque et equos desultorios. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 337. 1. ¶ 2. Item de animalibus est pellere, persequi; et fere ponitur de rapaci avi aut de venatore, unde interdum et de exercitu, qui hostem in fugam conversum persequitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 70. 144. Ista enim avis insectans alias aves et agitans semper ipsa postrema est. *Ovid.* 5. *Met.* 606. Ut solet accipiter trepidas agitare columbas. *Cic.* 3. *Off.* 17. 68. Etiam si tu excitaturus non sis, nec agitaturus (*feras*). *Ovid.* 10. *Met.* 538. (*Diana*) Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum, Aut agitat damas. *Sil. It.* 2. 94. Dictæos agitare saltus. *h. e.* feras in Dictæis saltibus. *Virg.* 3. *G.* 409. Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros. *Id.* 3. *ibid.* 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. *h. e.* abigere. *Id.* 2. *Æn.* 421. Fudimus insidiis totâque agitavimus urbe (*hostes*). ¶ 3. Sæpius de inanimis, qui huc illuc impelluntur, jactantur, turbantur, miscentur, sive hominum ceterorumque animalium vi, sive physicis viribus. — *a*) De iis, quæ animalium viribus huc illuc impelluntur. *Nep. Dion.* 9. Navem triremem — in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet. *Sall. Jug.* 60. Niti corporibus, et ea huc et illuc, quasi vitabundi aut jacientes tela, agitare. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 731. Agitare corpus. *Cels.* 3. 6. Agitandum est corpus levi gestatione. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 3. Agitare caput. *Juvenal.* 10. 33. pulmonem. *Id.* 2. 21. clunem. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 21. de Dædalo: alas. *Id.* 3. *Met.* 667. hastam. *Id.* 7. *ibid.* 221. habenas. *Lucan.* 3. 185. pharetras. — *b*) De iis, quæ physicis viribus, ac præsertim vento, turbine, fluctibus impelluntur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 11. 27. Naturæ ista sunt — omnia cientis et agitantis motibus et mutationibus suis. *Id.* 6. *de republ.* 25. 27. Quod ipsum agitatur aliunde. *Id. Tim.* 3. Non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluitans. *Forcellinus leg.* fluctuans. *Lucret.* 6. 1051. quo pacto (*magnes lapis*) respuit ab se Atque agitat per æs (*ramenta ferri*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 110. de atomis: Individua pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse fortuito. *Id. ibid.* 41. 114. Cum sine ulla intermissione pulsatur (*ille deus*) agitaturque incursione atomorum sempiterna. *Lucret.* 6. 686. Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aer. *Ovid.* 1. *Met.* 571. Dejectumque gravi tenues agitantia fumos Nubila conducit (*Peneus*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt etc. *Id. Cluent.* 49. 138. Mare, quod natura sua tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari. *Virg.* 1. *G.* 357. Continuo ventis surgentibus aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere. *Sall. Jug.* 53. Humum aridam vento agitari. *Id. ibid.* 79. Arena magna vi (*venti*) agitata ora oculosque implere. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 553. steriles, agitat quas ventus, aristæ. *Horat.* 3. *Od.* 1. 24. Zephyris agitata Tempe. *Id.* 1. *ibid.* 9. 11. (*ventus*) agitat cupressos, ornos. *Id.* 2. *ibid.* 10. 9. pinum. *Id.* 1. *Ep.* 15. 9. agitaret aura capillos. *Ovid.* 6. *Met.* 708. agitati ignes fortius arserunt. *Virg.* 6. *Æn.* 68. agitata (*fluctibus*) numina Trojæ. *Ovid.* 1. *Met.* 303. robora. *Horat.* 1. *Od.* 12. 29. Defluit saxis agitatus humor. *Propert.* 2. 26. 5. purpureis agitata fluctibus Helle.

II.) Translate occurrit *A*) *agitare aliquem*, et *B*) *agitare aliquid*.

A) *Agitare aliquem* est ¶ 1. Incitare, stimulare, instigare; et usurpatur — *a*) Addito fine, ad quem usque quis incitatur. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 487. In furias agitantur equæ. *Tac.* 3. *Ann.* 27. Licentia populum agitandi quoquo vellent. *Flor.* 1. 16. Gens sacratis legibus agitata in exitium urbis. — *b*) Absolute. *Liv.* 3. 11. Agitare plebem. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (55). plebem seditionibus. *Liv.* 8. 33. Papirius agitatus contentione ipsa exacerbatusque. *Flor.* 3. 1. Agitatus cupiditate regni. *Id.* 2. 12. Fortissimum populum memoria et recordatio suæ nobilitatis agitabat. Adde 4. 6. *Virg.* 2. *G.* 496. infidos agitans discordia fratres. *Ovid.* 6. *Fast.* 5. Est deus in nobis, agitante calescimus illo. ¶ 2. Item inquietum reddere, vexare, cruciare, ut ad rem *Sall. Jug.* 25. Primo commotus metu atque lubidine diversus agitabatur. *h. e.* perplexus et anxius erat, variis enim consiliis trahebatur. — *a*) De animi motu, qui vehementer vexat cruciatque. *Plaut. Capt.* 3. 4. 64. Atra bilis agitat hominem. *Id. Pers.* 4. 4. 115. Di deæque te agitant irati, scelus. *Ter. Phorm.* 2. 3. 4. Jam ego hunc agitabo. *Cic. Rosc. Am.* 24. 66. Videtisne — ut eos agitent furiæ, neque consistere usquam patiantur. *Id. ibid.* 67. Nolite enim putare — eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri furiarum tædis ardentibus: sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiâque afficit. *Id.* 3. *Verr.* 2. 6. quorum pœnis agitatur (*Verres*). *Id.* 1. *Legg.* 14. 40. Ut eos agitent insectenturque furiæ. *Liv.* 1. 48. Amens agitantibus furiis. *Id.* 21. 41. Quem nisi Saguntinum scelus agitaret. *Virg.* 3. *Æn.* 331. scelerum furiis agitatus Orestes. *Id.* 4. *ibid.* 471. scenis agitatus Orestes. *Klotz* cum recentioribus ita h. l. interpretatur, ubi *Forcellino* contra *scænis agitatus est sæpe repræsentatus.* *Horat.* 1. *Ep.* 18. 98. Ne te semper inops agitet vexetque cupido. *Tac. Agric.* 16. Quos agitabat timor. *Liv.* 7. 3. Delectu acerbo agitare juventutem. *Justin.* 14. 4. 12. seditionibus Alexandrum. — *b*) Hoc sensu et *agitare animum* dicitur. *Sall. Cat.* 5. Agitabatur animus inopia rei familiaris et conscientia scelerum. — *c*) Et de abstractis occurrit, quamvis raro. *Cic. Quinct.* 2. 10. Orat atque obsecrat, ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem in hoc tandem loco consistere et confirmari patiamini. *Id.* 1. *Off.* 24. 82. Idque est viri magni rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare. *Sall. Cat.* 38. Agitare rempubl. Adde *Jug.* 37. ¶ 3. Denique est etiam exercere, et accipitur cum in bonam, tum in malam partem. — *a*) In bonam partem. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 73. Ille erat agitatus in armis. *Cic.* 6. *de republ.* 26. 29. Sunt autem optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem — pervolabit. *Seneca Ep.* 108. *a med.* Tempus idoneum agitandis per studia ingeniis et exercendis per opera corporibus. *Quintil.* 1. 10. 34. Agitari geometriâ animos atque acui ingenia. *Id.* 1. 8. 11. Agitare memoriam. — *b*) In malam partem. *Cic. Brut.* 28. 109. M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum. *h. e.* nullam ei requiem dabat. *Horat. Art. P.* 456. Vesanum — poetam — agitant

pueri. *h. e.* irridentes circumstant et instigant, sive in ipsa vesania exercent. *Cic.* 2. *Orat.* 62. 251. Quas personas agitare solemus, non sustinere.

B) *Agitare aliquid* est ¶ 1. Aliquid faciendum curare, agere, sæpe facere, exercere. — *a*) Generatim. *Plaut. Trin.* 4. 2. 27. Mi adventanti hac noctu agitandumst vigilias. *Id. Rud.* 3. 6. 20. Post huc redito atque agitato hic custodiam. *Tac.* 11. *Ann.* 18. Stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia agitabantur. *Sall. Jug.* 55. et 85., et *Tac.* 1. *Ann.* 38. necnon 3. *Hist.* 12. Agitare præsidium. *Liv.* 43. 17. Achaico concilio Argis agitato. *Ennius* apud *Gell.* 20. 9. Miscent inter sese inimicitias agitantes. *Sall. Cat.* 9. Imperium agitare beneficiis, quam metu. *h. e.* administrare. *Plin.* 8. *Ep.* 2. Agitare justitiam. *Tac. Germ.* 26. fenus. *Id.* 12. *Ann.* 27. latrocinia. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 66. Alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur cum oblectatione sollertiæ. *Id.* 1. *Att.* 19. Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur, auctore Pompejo. *h. e.* vehementer nitebatur Flavius, ut lex perferretur. *Sall. Jug.* 14. Cum præcepta patris mei agitarem. *Liv.* 4. 25. Secreta consilia agitare. *Sall. Cat.* 24. plura in dies. — *b*) Speciatim occurrit de diebus festis, ludis, conviviis etc. *Plaut. Asin.* 5. 1. 7. Age ergo, hoc agitemus convivium vino et sermone suavi. *Id. Pers.* 5. 1. 17. Age accumbe, hunc diem suavem meum natalem inter nos agitemus amœnum. *Ter. Hec.* 1. 2. 18. Agitarem inter vos libere convivium. *Ovid.* 7. *Met.* 431. et *Sueton. Claud.* 32. Agitare convivia. *Cic.* 6. *Verr.* 46. 154. Cujus nomine apud Siculos dies festi agitantur. *Ter. Heaut.* 4. 4. 11. Agitare Dionysia. *Catull.* 63. 28. sacra. *Sil. It.* 15. 423. festa gaudia. *Virg.* 4. *G.* 533. choros. *h. e.* ducere choreas. *Ovid.* 3. *Met.* 310. et *Pers.* 6. 5. jocos. — *c*) De iis quæ aliquo tempore durant deque ipso tempore. *Sall. Cat.* 61. Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur. *h. e.* milites hæc præ se ferebant, externis signis ostentabant, ut *Forcellinus* interpretatur. *Id. Jug.* 14. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, læti pacem agitabamus. *Id. ibid.* 109. Se missum a consule venisse quæsitum, pacem an bellum agitaturus foret. *Id. ibid.* 31. Agitare inducias. *Id. ibid.* 81. moras. — *Ennius* apud *Cic. Brut.* 15. 58. Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant. *Virg.* 10. *Æn.* 235. agitare ævum sub undis. *Id.* 4. *G.* 154. sub legibus ævum. *Sall. Cat.* 2. vitam. *Id. Jug.* 98. noctem apud aquam. *Id. ibid.* 94. dies noctesque pro muro. ¶ 2. Hinc absolute, præsertim apud Historicos, est degere, versari, aliquo in loco morando aut vagando agere. *Porcius Licin.* apud *Donat.* seu *Sueton.* in *Vit. Terent.* Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume. *Sall. Jug.* 10. Nam hi propius mare Africum agitabant, Gætuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus. *Id. ibid.* 59. Equitatum omnem in ea parte – pro castris agitare jubet. *Id. fragm.* 3. *Hist.* in *epist. Cn. Pomp.* Gallia superiore anno exercitum frumento aluit, nunc malis fructibus ipsa vix agitat. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Læti neque procul Germani agitabant. *Id.* 4. *ibid.* 46. Qui montium editis inculti atque eo ferocius agitabant. *Id.* 11. *ibid.* 21. Dum vacuis per medium diei porticibus agitat. *Flor.* 4. 12. 46. Hic duæ validissimæ gentes immunes imperii agitabant. *NB.* In his autem et similibus videtur subaudiendus accusativus *vitam*, *ævum*, aut quid simile. *V.* et verbum AGO eodem sensu ¶ 3. Item absolute *agitare* est multa conari et facere; quo pertinet et illud *Plaut. Bacch.* 4. 3. 23. Nunc agitas sat tute tuarum rerum. *V. Sat agere* in verbo AGO. *Grat. Fal. Cyneget.* 429. O rerum prudens quantam experientia vulgo Materiam largita boni, si vincere curent Desidiam, et gratos agitando prendere fines! *h. e.* multa tentando, meditando, crebro agendo, gratos laborum fines fructusque assequi. ¶ 4. Speciatim agitare est disserere, disquirere, tractare; qua significatione occurrit — *a*) Additis vocabulis ad disputationem pertinentibus. *Cic. Cluent.* 1. 4. Negem esse illam rem agitatam in concionibus, jactatam in judiciis, commemoratam in senatu. *Sall. Jug.* 27. Res in senatu agitari cœpta. *Liv.* 8. 34. Versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium quid in quaque re plus minusve esset conferrent. — *b*) Absolute, ita tamen ut ex orationis contextu de disputatione agi pateat. *Cic. Cluent.* 32. 88. Ita multum agitata, ita diu jactata ista res est etc. *Id. Balb.* 25. 57. Et adoptatio Theophani agitata est. *Liv.* 30. 3. Sæpius ultro citroque agitantibus rem conventuram. — *c*) Cum Ablat. et præp. de. *Liv.* 9. 5. Cum de fœdere victor agitaret. *Sall. Jug.* 30. Romæ per omnes locos et conventus de facto consulis agitari. *Paul. Dig.* 46. 1. 73. Victo eo, reversus dominus iterum de eadem re agitabat. *h. e.* litigabat. ¶ 5. Hinc est etiam cum reprehensione memorare. *Cic. Muren.* 9. 21. Agitat rem militarem, insectatur totam hanc legationem. *Horat. Epod.* 12. 13. Vel mea cum sævis agitat fastidia verbis. *h. e.* increpat, insectatur, maledicit mihi fastidienti. *Id. Art. P.* 341. Centuriæ seniorum agitant expertia frugis. *h. e.* increpant, insectantur sermonibus. *Forcellinus* hoc loco interpretatur persequi, abigere, ductâ translatione a. n. I. 2. ¶ 6. Item est considerare, reputare, quasi animo tractare et inquirere: quo sensu occurrit — *a*) Additis *in corde*, *in mente*, *in animo*, *mente*, *animo*, *secum* etc. *Plaut. Truc.* 2. 5. 8. Cum eam rem in corde agito. *Cic.* 1. *Nat. D.* 41. 114. Habet nihil aliud quod agitet in mente. *Liv.* 21. 2. Majus bellum agitare in animo. *Pseudo-Sall.* ad *Cæs. de Republ. ordin.* 2. *sub init.* Mihi multa cum animo agitanti consilium fuit etc. *Sall. Cat.* 20. Sed ego quæ mente agitavi, omnes jam antea divorsi audistis. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 8. De te autem ipso, Torquate, est tuum sic agitare animo. *Id. Font.* 6. 12. Agitare rem aliquam animis. *Sall. Jug.* 63. Quæ animo agitabat. *Vellej.* 1. 16. Res sæpe agitata animo meo. *Tac.* 15. *Ann.* 36. Provincias Orientis, maxime Ægyptum, secretis imaginationibus agitare. *Ter. Phorm.* 4. 3. 10. Id quidem agitans mecum sedulo, inveni remedium huic rei. *Sall. Jug.* 113. Dicitur secum ipse multa agitavisse. *Al. leg.* multum. *V.* et infra sub *c.* — *b*) Absolute. *Cic.* 5. *Verr.* 96. 224. Quod si ille hoc unum agitare cœperit, esse aliquod genus cogendæ pecuniæ. *Id.* 2. *Acad.* (1. *post.*) 2. 4. Rem a me sæpe deliberatam et multum agitatam requiris. *Id.* 3. *Orat.* 14. 51. Oratori – omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. *Sall. Cat.* 53. Ac mihi multa agitanti constabat etc. Adde *ibid.* 57. et *Jug.* 93. *Liv.* 21. 41. Domesticas agitare curas. *Id.* 28. 10. Agitare consilia defectionis. *Tac.* 1. *Ann.* 12. Agitare plus quam civilia. *Flor.* 1. 1. Agitare mœnia novæ urbis. *h. e.* moliri, disponere, parare. *Forcellinus* huc refert et illud *Virg.* 2. *Æn.* 640. Vos agitate fugam. *Klotz* vero hunc locum ad super. *B.* 1. *a.* retulit. — *c*) *Agitare* aut interdum *agitare mente*, *secum* etc. hoc sensu sine Accus. usurpatur — Cum Ablat. et præp. *de*. *Liv.* 9. 27. De inferendo bello agitat. *Tac.* 4. *Hist.* 59. Agitare de supremis. — Impers. *Tac.* 11. *Ann.* 23. Cum de supplendo senatu agitaretur. — Cum Infinito. *Nep. Hamilc.* 1. Ut statim mente agitaret, si paulum res essent refectæ, bellum renovare. *Virg.* 9. *Æn.* 187. Aliquid jamdudum invadere magnum Mens agitat mihi. ubi *notanda est constructio Dativi casus*. *Gr. Licinian.* p. 45. *Pertz.* Idem agitaverat bellum postea indicere Romanis, sed inhibitus dicitur. *Fronto Laud. negl.* p. 328. *Mai.* Agitavi laudes negligentiæ conscribere. *Curt.* 4. 13. 16. Modo e jugo montis aciem in dextrum Persarum cornu demittere agitabat. Adde 6. 4. 9. *Tac.* 2. *Ann.* 4. Quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus. — Cum Pronom. relat., aut cum particulis *num*, *an* etc. *Accius* apud *Non.* p. 256. 20. *Merc.* Atque id ego semper mecum sic agito et comparo, quo pacto magnam molem minuam. *Curt.* 8. 5. 5. Quonam modo cælestes honores usurparet, cœpit agitare. *Tac.* 11. *Ann.* 29. Agitavere, – num Messalinam amore Silii depellerent. *Id.* 13. *ibid.* 41. An expeditis legionibus – pergeret – agitavit. *Id.* 3. *Hist.* 1. Illic agitavere, placeretne obstrui Pannoniæ Alpes. — Sequente *ut* cum Conjunct. *Curt.* 7. 5. 22. Ut vivum Alexandro traderent agitantes. — Part. præter. perf.

Agitatus, *a*, *um* est etiam Adject., unde Comp. *Agitatior* est incitatior, qui scilicet majori agitatione ac celeritate præditus est. *Seneca Ep.* 108. Agitatiorem mihi animum esse credebam. *Quintil.* 11. 3. 184. Actio paullo agitatior. Et *ibid.* § 178. Acres senes, callidos servos, parasitos, lenones, et omnia agitatiora melius (*egit*). *h. e.* personas vivaces, promptas, celeres.

ĂGLĂŎPHŌTIS, idis, f. 3. (ἀγλαοφῶτις) herba est jucundissimi coloris, qua magi utuntur ad evocandos dæmones. Hanc tradunt noctu lucere, et carpentium manus effugere, dum subinde locum mutat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (160). Aglaophotin herbam, quæ admiratione hominum, propter eximium colorem, accepit nomen. nempe ab ἀγλαΐα τοῦ φωτός, *h. e.* splendore luminis. *Id. Plin. l. c.* affirmat aglaophotin etiam marmoritin vocari. Hæc eadem et Pæonia dicitur ab *Apul. Herb.* 65., tametsi Pæonia nullo nocturno lumine prædita est: ab *Eliano Hist. anim.* 14. 27. appellatur *Cynos paston*; teste autem cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 206.), a nonnullis eadem habetur quæ μῶλυ apud Homerum.

ĂGLASPIS, idis, quasi a Græca voce ἀγλάασπις, splendidum habens clypeum, ab ἀγλαός splendidus, et ἀσπίς clypeus. *Liv.* 44. 41. de Persei exercitu: A tergo cetratus erat, frontem adversus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur. *Recentiores* vero corruptam vocem recte putarunt, et ejus loco juxta *Plutarch. p.* 265. *chalcaspides* reposuerunt.

AGMEN, inis, n. 3. per syncopen pro *ăgĭmen* ab *ago* vel Gr. ἀγόμενον, ut *volumen* pro *volvimen* a *volvo*. Agmen autem est quævis ordinata animalium aut rerum multitudo quæ in longum incedat, ut docet *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 86. Agmen dicitur ordinata multitudo, ut est exercitus ambulantis: neque enim in uno loco stans agmen vocamus. Hinc *Liv.* 33. 9. Phalanx quæ venerat, agmen magis, quam acies, aptiorque itineri, quam pugnæ, vix dum in jugum evaserat. (It. *schiera in moto*; Fr. *troupe*, *foule en mouvement*; Hisp. *tropa*, *quadrilla marchante*; Germ. *eine in gezogener oder zusammenhängender Bewegung in die Länge hin befindlichen Masse oder Menge*; Angl. *a troop*, *multitude on march*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit cum de bestiis, tum de hominibus. — *a*) De bestiis, sive de incedente bestiarum multitudine agatur, sive de flexuoso membrorum motu: sed tamen fere semper a Poetis. *Virg.* 3. *G.* 381. et e pastu decedens agmine magno Cervorum increpuit densis exercitus alis. *Id.* 12. *Æn.* 248. de avibus: turbamque sonantem Agminis aligeri. *Id.* 3. *G.* 369. Conferto torpent agmine cervi. *Id.* 1. *Æn.* 185. hos (*cervos*) tota armenta sequuntur A tergo, et longum per valles pascitur agmen. *Ovid.* 11. *Met.* 21. Innumeras volucres anguesque agmenque ferarum. *Id. Halieut.* 98. Et pavidi magno fugientes agmine thynni. *Id.* 7. *Met.* 638. de formicis: Graniferum agmen. Adde *ibid.* 624. Et *Virg.* 4. *Æn.* 404. It nigrum campis agmen. Adde *Tibull.* 1. 4. 186. et *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 78. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (20.) de apibus: Cum agmen ad opera processit. — *b*) De hominibus. *Cic. Pison.* 22. 51. Ac meus quidem (*reditus*) is fuit, ut e Brundisio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderim: neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. *Liv.* 2. 40. Ingens mulierum agmen. *Id.* 9. 17. Agmen mulierum et spadonum. Adde 31. 8. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 30. Agmina comitum. Adde *Tibull.* 1. 5. 63. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Numerosum agmen reorum. *Virg.* 4. *Æn.* 469. agmina Eumenidum. *Id.* 6. *ibid.* 572. agmina sæva sororum. ¶ 2. Speciatim agmen ponitur pro exercitu incedente. — Pro ipso incedendi actu (It. *marcia*, *il marciare*; Fr. *marche de troupes*; Hisp. *marcha*; Germ. *Zuge oder Marsche des Kriegsheeres*; Angl. *a march*). *Cic.* 1. *Orat.* 48. 210. Tum adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, etc. *Sall. Jug.* 49. Ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut jumentum haberet. *Liv.* 29. 36. et 25. 34. Agminibus magis, quam acie pugnatum est. *Vellej.* 2. 47. Pugnatum sæpe directa acie, sæpe agminibus, sæpe eruptionibus. *Liv.* 44. 39. Effuso agmine abire. *h. e.* præcipiti cursu. — *NB.* Hac eadem significatione *agmine* adverbialiter occurrit. *Liv.* 1. 6. Agmine ingredi. *Id.* 3. 18. Agmine in forum descendere. *Id.* 3. 50. Ire agmine ad Urbem. *Id.* 2. 30. Uno agmine irrumpere in Urbem. *Id.* 9. 30. Uno agmine abire. — *Agmen* κατ' ἐξοχήν, vel etiam *agmen longum* significat exercitum agminatim incedentem (It. *marcia per colonne*; Fr. *escadron en marche*, *colonne en mouvement*; Hisp. *esquadron*, *coluna marchante*; Germ. *der Colonnenmarsch des Heeres*; Angl. *an army*, or *detachment of soldiers on march*). Pro diversis autem temporibus diversum quoque fuit hujusmodi agmen apud Romanos, ut docent *Polybius* 6. 40. et *Cæs.* 2. *B. G.* 17. de antiquo ævo, *Veget.* 3. 6. de recentiori: item varium fuit pro variis locorum conditionibus, ut colligimus ex *Liv.* 35. 4. et 27. 28. Adde *agmen laxum atque solutum*, quod incedit fere tumultuarie et memoratur a *Liv.* 22. 50; cui *confertum* opponitur, ut

apud *Virg.* 3. *G.* 196. — *Agmen quadratum* significabat exercitum, qui aut ad urbis expugnationem, aut in hostium conspectum, aut insidiarum metu, etc., pugnæ paratus parallelogramma forma incedebat, ita ut jumenta ceteraque impedimenta in medio posita undique protegerentur, testibus *Varr.* apud *Servium* in *Virg.* 12. *Æn.* 121. Duo genera agminum: quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere. *Seneca Ep.* 59. Ire quadrato agmine exercitum, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratum etc. (It. *marcia in battaglioni quadrati*; Fr. *marche en bataillon carré*; Hisp. *marcha in quadro*; Germ. *der Frontmarsch des Heeres*; Angl. *an army formed into a square*). *Cic.* 13. *Phil.* 8. 18. Prorupit subito Brundisium, ut inde agmine quadrato ad urbem accederet. Adde 2. *ibid.* 42. 108. et 5. *ibid.* 7. 20. *Auct. B. G.* 8. 8. Hac ratione pæne quadrato agmine instructo in conspectum hostium — exercitum adducit. *Sall. Jug.* 100. Neque tamen victoriâ socors aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere. Adde *Liv.* 21. 5. *Tibull.* 4. 1. 100. Tunc tibi non desit faciem componere pugnæ: Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen, Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo etc. *Curt.* 5. 1. 19. Ceterum, quadrato agmine, velut in aciem irent, ingredi suos jubet. *Nast* (*röm. Kriegsalterthümer* p. 236.) ex hoc *Curtii* loco aliisque affirmat *quadratum agmen*, haud aliter atque acies, tribus constare ordinibus, scilicet *agmine primo* apud *Liv.* 34. 28., *medio* apud *eumd.* 10. 41., et *extremo* apud *eumd.* 34. 28. vel *novissimo* apud *eumd.* 44. 33.: *Forcellinus* vero, *Freund* aliique putant *agmen primum* fuisse Fr. *l'avant-garde*; *medium* Fr. *le centre*; *extremum* vel *novissimum* Fr. *l'arrière-garde*. — *Pilatum agmen*, ut ait *Varro* apud *Servium* in *Virg.* 12. *Æn.* 121. est illud, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. *V.* PILATUS. — Hinc *Cæs.* 1. *B. G.* 25. et *Curt.* 3. 3. 21. et 4. 12. 4. Agmen claudere. *h. e.* confertum, pilatum reddere; aut interdum etiam protegere, tueri. *Liv.* 34. 28. et 37. 29., et *Curt.* 3. 3. 25. Agmen cogere. *h. e.* pariter confertum reddere. *Tac.* 15. *Ann.* 71. Velut in agmen et numerum. *h. e.* ad ordinum numerum implendum. Adde *Senec. Ep.* 12. *Sall. Jug.* 53. Agmen constituere. *h. e.* imperare, ut agmen consistat. *Auct. B. G.* 8. 14. Agmen explicare. *h. e.* ordines extendere. *Liv.* 2. 49. Instruere agmen. *h. e.* ordinare, ut incedat. — *Agmen coactum* apud *Sueton. Cal.* 45. est cohors militum, quæ in expeditionem missa fuerat, domum reversa. *b*) Pro ipso exercitu incedente. *Ter. Eun.* 4. 7. 4. In medium huc agmen cum vecti, Donax. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 37. Quorum procedit agmen ad tibiam. *Klotz* ita legendum putat. *Curt.* 7. 3. 19. Inde agmen processit ad Caucasum montem. *Virg.* 9. *Æn.* 47. Tardum præcesserat agmen. *Liv.* 2. 15. et *Virg.* 1. *Æn.* 490. Agmen ducere. *Liv.* 30. 9. Igitur pro se quisque inermes — in agmen Romanum ruebant. *Id.* 21. 57. Magis agmina, quam acies in via concurrerunt. Cf. *ejusd.* l. sup. sub init. c. 33. 9. *Virg.* 12. *Æn.* 329. Semineces volvit multos, aut agmina curru Proterit. *Horat.* 4. *Od.* 14. 29. Agmina impetu diruere. *Sæpissime a Poetis hoc pacto usurpatur* — *c*) Interdum et prosa oratione a serioris ævi scriptoribus pro exercitu generatim. *Flor.* 1. 18. In turres vibratæ faces tota hostium agmina ardentibus ruinis operuere. *Justin.* 2. 10. Xerxes LXX. millia de regno armaverat, et CCC. millia de auxiliis: naves quoque mille ducentas numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. — *d*) Ex *Cæs.* 1. *B. C.* 24. Nonnullæ cohortes in agmen Cæsaris, aliæ in equites incidunt: ex hoc, inquam, *Cæsaris* loco colligunt nonnulli, *agmen* proprie dici de militibus incedentibus: quod et *Servius* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 47. Hoc generatim verum est, non tamen semper. Etenim *Liv.* 44. 43. Frequenti agmine equitum fugere. Adde *Curt.* 3. 11. 9. Et *id. Curt.* 4. 16. 3. Diversis agminibus abire. *Ovid. Heroid.* 19. 100. et 3. *Amor.* 2. 78., et *Curt.* 10. 9. 14. Agmen equestre. Immo *Liv.* 21. 27. et 37. 29., et *Lucan.* 5. 709. Agmen navium. Cf. sequentem paragr. in fin. — *e*) Agmen est rei militaris peritia apud *Horat.* 3. *Od.* 2. 9. ne rudis agminum Sponsus lacessat regius asperum Tactu leonem. ¶ 3. Agmen ponitur et de multis inanimis, quæ aut per se, aut aliorum vi moventur. *Lucret.* 1. 607. de atomis: Inde aliæ atque aliæ similes ex ordine partes Agmine condenso naturam corporis explent. Et sæpius de fluviis ac ventis. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen. *Lucret.* 5. 271. Inde super terras fluit agmine dulci (*humor*). Adde *eumd.* 6. 636. *Virg.* 2. *Æn.* 782. ubi Lydius arva Inter opima virûm leni fluit agmine Thybris. *Val. Flacc.* 4. 721. agmen flumineum. *Lucret.* 6. 100. Ubicumque magis denso sunt agmine nubes. *Virg.* 1. *G.* 322. immensum cælo venit agmen aquarum. *Id.* 1. *Æn.* 154. agmina pulverulenta. *h. e.* pulveris nubes, undæ. *Id.* 5. *ibid.* 211. Agmine remorum celeri, ventisque vocatis Prona petit maria. *h. e.* celeri remorum agitatu. *Sil. It.* 14. 442. tremulo venit agmine cornus, Et Neptunicolæ transverberat ora Telonis. *Ovid.* 2. *Met.* 114. et 11. *ibid.* 97. Agmina stellarum. *Stat.* 5. *Theb.* 509. terna agmina dentis. *h. e.* tres dentium ordines. *Liv.* 34. 52. ad exercitus agmen alludens: Non minore agmine rerum captarum, quam suo præ se acto, ad Urbem venerunt. *h. e.* longo ordine. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Agmen impedimentorum. *h. e.* impedimenta exercitus ambulantis.

II.) Translate. ¶ 1. Translatione ductâ a sup. n. I., agmen est actus incedendi, cursus etiam in abstractis. *Gell.* 1. 4. Agmen orationis crispum rotundumque. *V.* CRISPUS. *Id.* 6. 2. Agmina fati et volumina. *h. e.* fati cursus et ordo. ¶ 2. Translatione ductâ a multitudine incedente. *Plin.* 2. *Ep.* 8. *extr.* Agmen occupationum. *h. e.* longa negotiorum series. *Sil. It.* 11. 286. de ciborum copia: cedi tanto agmine mensas. ¶ 3. Translatione ducta ab exercitu ad pugnam incedente. (Cf. I. 1. *a*). *Cic.* 1. *Orat.* 34. 157. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque in aciem forensem. ¶ 4. Agmen est etiam materies in longum porrecta. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *ante med.* Agmen vitis. *h. e.* fasciculus sarmentorum.

AGMĬNĀLIS, e, adject. (agmen) ad agmen pertinens. *Agminales equi* et *mulæ* sunt qui sequuntur agmen, seu exercitum, et transvehendis impedimentis inserviunt. Horum mentio fit *Dig.* 50. 4. 18. § 21. In *Cod. Theod.* 8. 5. 6. dicuntur absolute *agminales*.

AGMĬNĀTIM, adverb. (agmen) gregatim et velut agmine facto (It. *in truppa, a truppe*; Fr. *en troupes, par bande*; Hisp. *in tropas*; Germ. *zug-oder truppweise*; Angl. *in troops*).

I.) Proprie. *Solin.* 25. Elephanti oberrant agminatim. *Apul.* 4. *Met.* 20. Cuncti canes venaticis illis sese commiscent agminatim.

II.) Translate. *Apul.* 4. *Met.* 8. Poculis agminatim ingestis.

AGNĂ, æ, f. 1.

I.) Agna (Cf. Gr. ἀμνή, et *V.* AGNUS) est agni femina (It. *agnella*; Fr. *agneau femelle*; Hisp. *cordera*; Germ. *ein weibliches Lamm*; Angl. *an ewe lamb*). *Varro* 2. *R. R.* 2. 2. Si neque vetulæ, neque meræ agnæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (188). Arieti naturale agnas fastidire. *Horat.* 1. *Od.* 4. 12. Seu poscat agna, sive malit hædo. *Id.* 1. *Sat.* 8. 27. Agna pulla. *Id.* 2. *ibid.* 3. 214. nitida. *Id.* 2. *ibid.* 2. 219. muta. *Juvenal.* 12. 3. nivea. *Horat.* 2. *Epod.* 59. festis cæsa Terminalibus. *Id.* 2. *Od.* 17. 32. humilis. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 41. lactens. *Id.* 1. *Art. Am.* 118. novella. *Id.* 6. *Met.* 527. pavens. *Stat.* 8. *Theb.* 576. tenera.

II.) Agna in Saliari carmine spica vocatur, teste *Paul. Diac.* p. 211. 1. *Müll.* Pennatas impennatasque agnas in Saliari carmine spicas significat cum aristis et alias sine aristis: agnas novas voluit intelligi. *Scaliger* h. l. adnotat spicas parvas a *Theophrast. Hist. plant.* 8. 7. ἄγρας vocari.

III.) Agna est etiam falsa lectio pro ACNA vel ACNUA, quæ *V.* suis locis.

AGNĀLIA, ium *vel* iōrum, n. 2. Proprie est vocabuli forma, quæ ad declarandum etymon vocis *Agonalia* effingebatur, teste *Ovid.* 1. *Fast.* 325. Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum, Una sit ut proprio littera dempta loco. *V.* AGONALIA.

AGNASCO pro *agnosco* habet *M. Aurel. Antonin. ad Fronton.* in *M. Cæs.* 1. *Ep.* 3. Somnus autem Ulixen, ne patriam quidem suam diu agnasceret, sivit. Ita habet codex; sed *A. Maio* videtur emendandum *agnosceret*.

AGNASCOR *vel* adgnascor *vel* adnascor, nascĕris, nātus sum, nasci, dep. 3. (ad *et* nascor). Part. *Agnascens A. b.*; *Agnatus* in omnibus ferme paragraphis et in fin. Adgnasci proprie est in re aliqua nasci, nascendo crescere alicui, nascendo augere (It. *nascere in qualche cosa, nascendo aumentare*; Fr. *naître de surcroît, naître auprès*; Hisp. *nacer in aumento*; Germ. *anwachsen an etwas oder dazuwachsen zu etwas*; Angl. *to grow to*). Occurrit *A*) de rebus physicis, *B.*) de brutis animalibus, et *C*) de hominibus.

A) De rebus physicis, et quidem speciatim — *a*) De plantis agnasci est supercrescere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 92. (245). Viscum autem in quercu robore, pruno silvestri — agnasci plerique (*dicunt*). *Id.* 27. *ibid.* 11. 73. (97). Lycapsos longioribus quam lactuca est foliis —, caule longo, hirsuto, agnatis multis cubitalibus, flore parvo. — *b*) De petris et metallis agnasci est superponi. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 33. (110). Nec ut agnata petris, sed ut apposita (*callais*). *Id.* 37. *ibid. proœm.* 1. Metallorum, quibus opes constant, agnascentiumque eis natura indicata propemodum est. — *c*) De animalium membris. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 113. (272). Membra animalibus agnata inutilia sunt, sicut sextus homini semper digitus. *Id. ibid.* 39. 94. (231). Libidinosis congeniti (*pili*) maturius defluunt, agnati (*h. e.* post geniti) celerius crescunt. *Gell.* 3. 10. Dentes — et cadere annis septenis et genuinos agnasci annis fere bis septenis. *Scribon. Comp.* 82. Et tubera, et cetera, quæ subito agnascuntur. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Constrictivus aer agnatus (*h. e.* inductus) atque confectus congrue ægrotantibus inspiramentis inseratur.

B) De brutis animalibus agnasci est natorum numerum augere. *Varro* 3. *R. R.* 16. 29. Quod fieri solet, cum agnatæ prospere sunt multæ (*apes*), ac progeniem veteres mittere volunt in coloniam. *Ulp. Dig.* 23. 3. 10. § 3. *Agnatos gregis* vel *armenti* appellat fetus, qui ex pecoribus nascuntur et gregi accedunt.

C) De hominibus agnasci est pariter natorum numerum augere, sed occurrit speciatim tantummodo apud JCtos. ¶ 1. Agnasci dicuntur, qui post mortem, vel saltem post testamentum factum heredes sui (ut appellant) nascuntur. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 241. Nam quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus esset, hereditatem petit? Nemo: quia constat agnascendo rumpi testamentum. *Id. Cæcin.* 25. 72. Cui filius agnatus sit, ejus testamentum non esse ruptum judicat. *Ulp. Dig.* 25. 3. 3. Qui sui heredes agnascuntur. *Dig.* 28. 3. 3. *pr.* Agnascendo rumpere testamentum. Adde ibid. § 6. et 13., et 29. 1. 33. et aliis in locis, in quibus optimæ quæque editiones habent *adgnascor*: ceterum etiam *agnascor* sæpe legitur; *adnascor* hac significatione non adeo sæpe. ¶ 2. Præterea agnasci quandoque dicuntur, qui per adoptionem alicui agnati fiunt. *Paul. Dig.* 1. 7. 10. Si quis nepotem, quasi ex filio natum, quem in potestate habet, consentiente filio adoptaverit, non agnascitur avo ut suus heres. *h. e.* non consequitur ea jura, quæ ii, qui proprie agnascuntur. *Id. ibid.* 23. Qui in adoptionem datur, iis, quibus agnascitur, cognatus fit: quibus vero non agnascitur, nec cognatus fit. — Part. præter. pass.

Agnatus, a, um, et sæpius substantivorum more *Agnatus, i*, aut *Agnata, æ*, sunt qui ceteris agnascuntur, sive ceterorum numerum augent; et occurrunt — *a*) De filiis posthumis. *Tac. Germ.* 19. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur. *Id.* 5. *Hist.* 5. Augendæ tamen multitudini consulitur: nam et necare quemquam ex agnatis nefas. — *b*) Sæpius agnati sunt qui per virilis sexus personas alteri consanguinitate juncti sunt eidemque familiæ adnati, ut ait *Cajus Instit.* 3. 10. Vocantur agnati qui legitima cognatione juncti sunt; legitima autem cognatio est ea, quæ per virilis sexus personas conjungitur. Hac autem notione fere scribitur *agnatus* vel *adgnatus*, quamquam et *adnatus* aliquoties vidisse se ait *Salmas.* ad *Capitolin.* in *Vero* c. 7. (It. *consanguineo, parente*; Fr. *agnat*; Hisp. *agnado*; Germ. *der Agnat, die Agnaten*; Angl. *a relation by the male side*). Hoc autem sensu *agnatus* differt a *cognato* (*V.* AGNATIO Homonym. in fin.), et varii sunt gradus, ita ut fratres unius ejusdemque patris sint agnati proximi, deinde accedant fratrum filii, et sic porro, ut docent *Cajus* 3. *Instit.* 10. et 1. 156., *Ulpian.* 26. 1. et *Dig.* 50. 16. 195. § 2. *Legg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Invent.* 50. 148. SI PATER FAMILIAS INTESTATO MORITVR, FAMILIA PECVNIAQVE EIVS AGNATVM GENTILIVMQVE ESTO. ubi *agnatum* pro *agnatorum*; tametsi non in omnibus edition. ita legitur. *Cic. Tim.* 11. Jovem et

Junonem, quos fratres inter se agnatosque appellare videmus. — In legibus XII. Tabularum cautum erat, ut si quis mentis errore laboraret, in furorem incideret, aut prodigus fieri inciperet, is rerum suarum dominus esse nequaquam posset; sed tum ipse, tum ejus bona in agnatorum et gentilium curam potestatemque traderentur. *Cic.* 2. *Invent.* 50. 148. Lex est: SI FVRIOSVS ESIT, AGNATVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. *Varro* 1. *R. R.* 2. 8. Duo spectasse videntur Italici homines colendo, possetne fructus pro impensa ac labore redire; et utrum saluber locus esset, an non? Quorum si alterutrum decollat, et nihilominus quis vult colere, mente captus est, atque ad agnatos et gentiles est deducendus. Hinc *Ad agnatos et gentiles est deducendus* proverbium erat, quo aliquem errore mentis affectum Romani significabant. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 3. 1.

AGNĀTĪCIUS *vel* adgnaticius, a, um, adject. (agnascor) ad agnatos pertinens, ut *agnaticium jus*, quod agnatis competit in adeundis hereditatibus. *Imp. Justinian. Cod.* 6. 58. 15. § 3.

AGNĀTĬO *vel* adgnatio *vel* adnatio, ōnis, f. 3. (agnascor) actus agnascendi, hoc est in aliqua re nascendi, sive alicui crescendi; et occurrit *A*) de rebus physicis et *B*) de hominibus.

A) De rebus physicis, quæ alia re supercrescente augentur. *Apul. Herb.* 59. Thyrsum bicubitalem geniculatum, in quo folia hirta, angusta et veluti longa, cum agnationibus secundum genicula. *h. e.* cum parvis germinibus in thyrso prope genicula nascentibus. *Id. ibid.* 62. Lanugineæ agnationes.

B) De hominibus. ¶ 1. Generatim est natorum per alios nascentes augmentum. *Cod. Theod.* 2. 25. 1. et *Cod. Justin.* 11. 47. 7. Agnatio servorum. ¶ 2. Speciatim apud JCtos agnatio est ipse actus, quo post patris mortem, aut post testamentum factum heredes sui, ut appellant, nascuntur. *V.* AGNASCOR *B.* 1. *Ulpian.* 22. 18. Liberorum agnatio. Et *id. ibid.* Agnatione rumpi testamentum. *h. e.* agnascendo. Adde *Caj. Instit.* 2. 138. et 142., et *Dig.* 28. 3. 1. *pr.* et 40. 5. 24. § 11. et *ibid. fr.* 47. *pr.* ¶ 3. Item speciatim est consanguinitas eorum, qui per virilis sexus personas consanguinitate juncti sunt: qua notione fere semper *agnatio*, aut *adgnatio* scribitur. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 173. In quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum – jura versentur. *Id.* 1. *Legg.* 7. 23. Quod in civitatibus – agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque præclarius, ut homines deorum agnatione et gente teneantur. Et *ibid.* 8. 24. Animum esse ingeneratum a deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum cælestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Adde *Ulpian.* 28. 9., *Caj. Instit.* 1. 156. et 3. 27., et *Dig.* 1. 7. 23. ¶ 4. Metonymice agnatio pro ipsis agnatis occurrit in *Cod. Theod.* 14. 7. 1.

Homonym. *Agnatio* differt a *cognatione*, quod agnatio tum agnatos, tum cognatos complectitur; *cognatio* vero solos cognatos. Verbi gratia patris mei frater, id est patruus, et agnatus est et cognatus, agnatus quidem respectu patris mei, quia ipsi adnatus est; cognatus vero respectu mei, quia simul mecum ab eodem avo descendit. At matris meæ frater, hoc est avunculus, cognatus tantum est, quia ab eodem matris meæ patre est natus; sed non dicitur *agnatus*, quia non est adnatus familiæ meæ, sed familiæ matris. Interdum tamen hæc promiscue usurpantur. — Quomodo *a gente* differat *V.* in GENTILIS. Homonym.

AGNĀTUS *vel* adgnatus *vel* adnatus, a, um. *V.* AGNASCOR.

AGNELLUS, i, m. 2. (*deminut. ab* agnus) parvus agnus (It. *agnelletto*; Fr. *agnelet*; Hisp. *corderillo*; Germ. *das Lammchen*; Angl. *a little lamb, lambkin*). Hæc vox usurpatur aptissime in blanditiis. *Plaut. Asin.* 3. 3. 77. Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum: hædillum me tuum dic esse. V. et *Ennod.* 2. *Epigr.* 100.

AGNĪCELLUS et

AGNĪCELLULUS, i, m. 2. sunt formæ deminutivæ ab *agnus*, quas finxit *Pompej. Gr.* p. 105. ed. *Lindemann.*

AGNĪCŬLUS, i, m. 2. (*deminut. ab* agnus) idem quod agnellus. *Arnob.* 7. 12. Centum ille cædat boves totidemque cum agniculis suis matres.

AGNĪLE is, n. 2. ab *agnus*, ut *ovile* ab *ovis*, est agni stabulum. *Gloss. Cyrill.* Agnile ἀρνεῖον, ὁ τόπος.

AGNĪNA, æ, f. 1. *V.* vocem seq. in fine.

AGNĪNUS, a, um, adject. (agnus) ad agnum pertinens (It. *di agnello*; Fr. *d'agneau*; Hisp. *de cordero*; Germ. *zum Lamm gehörig*; Angl. *relating or belongin to a lamb*). *Plaut. Pseud.* 1. 3. 85. Agninæ lactes. *Et ibid.* 95. exta. *Varro* 2. *R. R.* 11. 4. et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 38. (112). coagulum. *Plin. ibid.* 8. 21. (68). pedes. *Id. ibid.* 10. 27. (88). fel. *Scribon. Comp.* 189. jus. *Dig.* 34. 2. 25. § 8. pelles. — Hinc.

Agnina, æ, f. (subaudi *caro*) substantivorum more usurpatur. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 4. Rogito pisces: indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam etc. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 15. 35. Apud *Plaut. Capt.* 4. 2. 39. *agnina dupla* est caro agni jam grandioris, atque adeo vilissima, quasi dicas carnem agni, qui bis agnus sit, ut qui duplam agni ætatem jam habeat.

AGNĪTĬO *vel* adgnitio, ōnis, f. 3. (agnosco) actus agnoscendi et quidem proprie per intellectum et rationem, quamvis interdum ponatur et de sensibus externis (It. *riconoscimento*; Fr. *reconnaissance*; Hisp. *reconocimento*; Germ. *das Erkennen oder Anerkennen, die Anerkenntniss*; Angl. *an acknow-ledgment or recognizance*). ¶ 1. Proprie occurrit *a*) De agnitione, quæ per intellectum habetur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. 1. Quæ (*quæstio de natura deorum*) et ad agnitionem animi pulcherrima est et ad moderandam religionem necessaria. *h. e.* ad animi naturam cognoscendam. Paucissimi quidam Codices habent *cognitionem*. *Quintil.* 1. 1. 25. Agnitio litterarum. *h. e.* earum, quibus constat alphabetum. *Macrob. Somn. Scip.* 1. 6. Agnitio rerum divinarum. *b*) De agnitione, quæ per sensus externos habetur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 90. (194). Veluti sui cadaveris agnitionem fugientes. *Inscript.*, quæ pertinere videtur ad annum post Chr. n. 443., apud *Orell.* 1147. PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRATIANVS – CONSTANTINIANAS THERMAS – FERALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER ADFLICTAS ITA VT AGNITIONEM (*lege* agnitione) SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CVNCTIS REPARATIONIS ADFERRENT etc. ¶ 2. In re juridica agnitio est admissio. *Marcell. Dig.* 38. 15. 5. Agnitio bonorum possessionis. Adde *Cod.* 8. 39. (40). 5. (4). *V.* AGNOSCO. ¶ 3. Metonymice est definitio, per quam rei cognitio acquiritur. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 10. Est agnitio hydrophobiæ appetentia vehemens atque timor potus etc. *Hinc ipsum caput ita inscribitur.* Quæ est definitio sive agnitio hydrophobiæ.

AGNĪTĬŌNĀLIS *vel* adgnitionalis, e, adject. ad agnitionem pertinens (It. *cognoscitivo*; Fr. *relatif à la connaissance*; Hisp. *relativo al conocimiento*; Germ. *erkenntlich*; Angl. *agnizing*). *Tertull. advers. Valentin.* 27. Substantivalis, non agnitionalis forma.

AGNĪTOR *vel* adgnitor, ōris, m. 3. (agnosco) qui agnoscit (It. *conoscitore*; Fr. *celui qui reconnait*; Hisp. *conocedor*; Germ. *der Anerkenner*; Angl. *an acknowledger*). *Quintil.* 12. 8. 13. Sine agnitore signa invenire. *Auct. Itin. Alex. M.* 3. ed. *Mai.* Quoniam quisque mediocritatis est agnitor, satis fecerit sese noscendo. *Vulgat. Eccli.* 7. 5. Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est.

AGNĪTUS *vel* adgnitus, a, um. *V.* AGNOSCO.

AGNŌMEN *vel* adgnomen, inis, n. 3. (ad *et* nomen) est nomen, quod alicui personæ est extrinsecus aliqua ratione vel casu quæsitum, et illius tantummodo personæ proprium est, ut *Africanus, Germanicus, Parthicus* etc. Hinc differt a cognomine, quod toti agnationi est commune et ad ultimum adjicitur. Verbi gr., si dicatur *P. Cornelius Scipio Africanus*, *Publius* est prænomen, *Cornelius* nomen, *Scipio* cognomen, *Africanus* agnomen. Ita *Diomed.* 1. p. 306., *Priscian.* 2. p. 578. *Putsch.* et *Isid.* 1. *Orig.* 7. 2. (It. *soprannome*; Fr. *surnom*; Hisp. *subrenombre*; Germ. *der Beiname*; Angl. *a surname*). *Capitolin. Ver.* 3. Nec aliud ei honorificentiæ adnomen adjunctum est, quam quod Augusti filius est appellatus. Adde *Cod. Justin.* 6. 23. 4. — *NB.* Apud *Cic.* 2. *Invent.* 9. 28. Nomen cum dicimus, cognomen quoque et agnomen intelligatur oportet. *quædam optimæ editiones, jam inde a* Forcellini *ætate, omittebant* et agnomen; *nunc* Orellius ad. h. l. *hæc eadem tamquam interpolata jure rejecit.* — Ceterum illud idem, quod *agnomen* dicitur, etiam cognomen appellatur. *V.* COGNOMEN. — Porro rationem, qua interdum agnomina hominibus indita sunt, optime declarare videtur hæc *Inscript.* apud *Henzen.* n. 6251. Romæ in via Appia reperta: P. DECVMIVS M. P. V. L. (*h. e.* Marci Publii Vibii Libertus) PHILOMVSVS MVS. Sub inscriptione murium figuræ visuntur (V. *Ann. dell' Istituto Arch.* 1852. p. 313. n. 24.). Agnomen ita ortum esse patet, ait cl. *Henzen.*, ut, cum nimis longum esset cognomen *Philomusi*, per compendium ille *Mus* appellaretur.

AGNŌMENTUM *vel* adgnomentum, i, n. 2. idem quod agnomen. *Apul. de mag.* 56. Igitur agnomenta ei duo indita, *Charon* ob oris et animi diritatem; sed alterum, quod libentius audit, ob deorum contemptum *Mezentius*.

AGNŌMĬNĀTĬO *vel* adgnominatio *vel* adnominatio *vel* annominatio, ōnis, f. 3. figura verborum apud Rhetores, de qua ita *Cic.* 4. *Herenn.* 21. 29. Annominatio est, cum ad idem verbum et idem nomen acceditur commutatione unius litteræ aut litterarum, syllabæ aut syllabarum, aut ad res dissimiles similia verba accommodantur, ut *Venit a te antequam Romam venit.* Et *Quos homines vincit, eos ferro statim vicit.* Et *Hunc avium dulcedo ducit ad avium.* Et *Si lenones, tamquam leones vitasset.* Et *Videte, judices, utrum homini navo, an vano credere malitis* etc. Confer eumd. 1. *Nat. D.* 7. 17. et 7. *Fam.* 22. 1. *Quintil.* 9. 3. 66. Hinc est παρονομασία, quæ dicitur annominatio.

AGNOS, i, masc. gen. juxta *Forcellinum*, fem. juxta recentiores, 2. (ἄγνος) est genus viticis ita dictum ab ἁγνὸς castus, quod, ut scribit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (59). matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitum sibi sternerent. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. p. 244.) hanc exhibet synonymiam: Ἄγνος Hippocrat. et Theophr. Hist. plant. 1. 21. (quem *Gaza* vertit *amerina*) est Ἄγνος ἢ λύγος Dioscor. 1. 136.; *Vitex* Plin. l. c.; *Agnus sive vitex* Belon.; *Vitex Agnus-castus* L. Spec. plant. 890. (It. *agnocasto*; Fr. *le gatilier, ou arbre au poivre*; Hisp. *agno casto*; Germ. *Keuschlamm*; Angl. *the Chaste-tree, Park-leaves, or Abraham's balm*). Ejus duo genera enumerat *ibid. Plin.* et describit, quorum synonymia juxta cl. *Fée* l. c. hæc est: I. *Vitex major aspectu arboris flore albo* Plin. l. c. est *Vitex latiore folio* C. Bauh. Pin. 475.; *Vitex Agnus-castus* var. β; *Elatior* Lamrk. Encycl. — II. *Vitex minor ramosa, foliis candidioribus lanuginosis* Plin. l. c. est *Vitex foliis angustioribus cannabis modo dispositis* C. Bauh. Pin. 475; *Elæagnon* Theophr. et Lob.; *Vitex Agnus-castus* L. Spec. plant. 890. — Ceterum agnos inter herbas odoras bis memoratur a *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9.

AGNOSCĪBĪLIS *vel* adgnoscibilis, e, adject. (agnosco) qui agnosci potest. *Tertull. de Resurr. carn.* 55. Dominus in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat.

AGNOSCO *vel* adgnosco *vel* adnosco, noscis, nōvi, nitum, noscere, a. 3. Quod ad etymon attinet, hoc verbum uno omnium Grammaticorum ore compositum dicitur ex præp. *ad* et verbo *gnosco* vel *nosco*; quamobrem sæpius scribitur *adgnosco*, raro tamen *adnosco*, auctore *Wagner Ortogr. Vergil.* p. 407. Hinc etiam conjungi potest cum Græco ἀναγιγνώσκω, cujus forma ἀνέγνων apud Homerum occurrit eadem significatione, qua apud Latinos *agnoscere*. — Licenter, et Græcorum more ante mutam et liquidam, primam syllabam corripit *Sever. Sanct.* 128. Christi et numen agnoscimus. — *Agnorunt* syncop. pro *agnoverunt* dicit *Ovid.* 5. *Fast.* 590. (*V.* infra), et *Agnosse* pro *agnovisse* dixit *Id.* 2. *Met.* 183. Jamque agnosse genus piget. — Part. *Agnoscens.* 1. *b.*, 3. *b.*; *Agnitus* 1. *a.*, 4. *a.*; *Agnoscendus* 1. *a.*, 2. *a.*, 3. *b.*; *Agnotus* pro *agnitus* usurpavit *Pacuvius* apud *Priscian.* 10. p. 887. *Putsch.*, cujus verba *V.* infra 1. *a.*; unde *Agnoturus* pro *agniturus* dixit *Sallustius* apud *Priscian.* l. c. et apud *Servium* in *Virg.* 4. *Æn.* 23. Neque inermes ex prœlio quemquam agnoturum.; *Brutus* quoque dixit in *epist.* apud *Diomed.* 1. p. 383. *Putsch.* — *Agnoscere* proprie significat rursus cognoscere, et dicitur de iis rebus, quæ antea percepimus et novimus; in quo differt a cognosco, quod proprie est de rebus ante non cognitis: præterea *agnoscere* proprium est intellectus et rationis, quamvis interdum ponatur et de sensibus externis (It. *riconoscere*; Fr. *reconnaître*; Hisp. *reconocer*; Germ. *anerkennen*; Angl. *to acknowledge, recognize*). ¶ 1. Proprie *agnoscere* personam aut

rem est rursum cognoscere, sive animadvertere personam aut rem eamdem esse, quam alias percepimus et novimus: et occurrit — *a*) De iis, quæ intellectu aut ratione agnoscimus: et quidem — De persona. *Pacuvius* apud *Priscian*. 10. *p*. 887. *Putsch*. In turba Oresti cognita, agnota est soror. *Cic*. 5. *Tusc*. 36. 104. Veni Athenas, – neque me quisquam ibi agnovit. *Id*. 2. *Nat*. *D*. 38. 96. Quantæ (*tenebræ*) – finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per triduum nemo hominem homo agnosceret. *Nep*. *Datam*. 3. Fuit non nemo, qui agnosceret Thyum, regique nunciaret. *Liv*. 1. 5. Ut haud procul abesset, quin Remum agnosceret. *Id*. 7. 39. Nomine audito extemplo agnovere virum. Adde 5. 36. *Ovid*. 3. *Fast*. 65. Ut genus audierant, animos pater agnitus auget. *Al*. *leg*. editus. *Virg*. 1. *Æn*. 409. ille, ubi matrem Agnovit, tali fugientem est voce secutus. *Id* 3. *ibid*. 82. veterem Anchisen agnoscit amicum. Adde *ibid*. 345. *Gran*. *Licinian*. *p*. 37. *Pertz*. Miles Pompeji dum spoliat hostem ignobilis quidam fratrem agnovit. *Tac*. 14. *Ann*. 5. Agrippina silens, eoque minus agnita. *Sueton*. *Claud*. 37. Agnoscere percussorem. *Curt*. 3. 5. 9. Et paullatim redeunte animo circumstantes amicos agnoverat. *Id*. 5. 12. 20. Ne forte posset cultu regio agnosci, sordidis pellibus vehiculum intexerat. Adde 9. 2. 30. *Quintil*. 7. 2. 26. Filium Urbiniæ – tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse atque ibi agnosci. *Ovid*. 5. *Fast*. 590. agnorunt signa recepta suos. *h*. *e*. signa militaria, quæ victo Crasso Parthi abstulerant, recepta ab Augusto. *Cic*. 16. *Att*. 15. 1. Et tamen in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. *h*. *e*. Alexis manum. — De rebus. *Cic*. *Flacc*. 20. 48. Qui (*judex*) et rem agnoscit neque hominem ignorat. *Virg*. 3. *Æn*. 349. Procedo, et parvam Trojam simulataque magnis Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum Agnosco. *Ovid*. 12. *Met*. 251. Non agnoscendo – in ore. *h*. *e*. quod agnosci non poterat. *Curt*. 3. 12. 5. In manibus ejus, qui repertum ferebat, agnovit (*amiculum*). *Quintil*. 11. 2. 17. Nam cum in loca aliqua post tempus reversi sumus, non ipsa agnoscimus tantum, sed etiam, quæ in iis fecerimus, reminiscimur. — *b*) Raro de agnitione, quæ habetur per sensus externos. *Cic*. in carmine, quod ex *Homero* vertit, 5. *Fin*. 18. 49. O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes, Auribus ut nostros possis agnoscere cantus. *Forcellinus* interpretatur *audire* per catachresin. *Plin*. 29. *Hist*. *nat*. 1. 8. (19). Alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoscimus, aliena memoria salutamus. *Sil*. *It*. 7. 729. solem agnoscere visu. *Sueton*. *Tib*. 23. Ceteris extra curiam signa agnoscentibus. *Cic*. *Amic*. 27. 100. Virtus – cum idem aspexit agnovitque in alio. Cf. 2. *Nat*. *D*. 38. 96. ¶ 2. Est etiam sentire, animadvertere, intelligere, ita tamen ut generalem notionem prius acquisitam præsentibus rebus applicetur. Hac significatione occurrit — *a*) Per se sine verbis, ex quibus definiatur, unde agnitio habeatur. *Cic*. 1. *Tusc*. 8. 15. AVD. Sed quæ tandem est Epicharmi ista sententia? MAG. Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo. AVD. Jam agnosco Græcum. *Id*. 4. *Acad*. (2. *post*.) 26. 86. Quid? si ejusdem modi cera L sigilla hoc annulo impressero, ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio? *Id*. 1. *Tusc*. 24. 58. Non potuit hæc animus in corpore inclusus agnoscere. *Et paullo post*: Sed cum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. *Id*. 1. *Nat*. *D*. 19. 49. Hæc quamquam et inventa sunt acutius et dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quivis ea possit agnoscere etc. *Id*. 9. *Fam*. 15. 2. Moriar, si præter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ et vernaculæ festivitatis agnoscere. Adde 2. *Fin*. 31. 33., 5. *ibid*. 18. 49. et *Amic*. 27. 100. *Virg*. 8. *Æn*. 531. Sed Troius heros Agnovit sonitum. *Id*. 10. *ibid*. 843. Agnovit longe gemitum præsaga mali mens. *Horat*. 1. *Ep*. 16. 29. Augusti laudes agnoscere possis. *Phædrus* 2. 5. 19. Agnoscit hominem Cæsar remque intelligit. *Quintil*. 8. 3. 71. Id facillime accipiunt animi, quod agnoscunt. — *b*) Addito ex quo quid agnoscitur. *Cic*. 1. *Tusc*. 28. 70. Tamen, ut deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum omnique pulcritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito. *Quintil*. 6. 2. 13. Quo mores ex oratione pellucreant et quodam modo agnoscantur. *Vellej*. 2. 116. 3. Inde agnosci potest vis fortunæ. — *c*) Interdum et absolute. *Cic*. *Pis*. 6. 12. Ipse certe agnoscet et cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. *Id*. *Planc*. 14. 35. Quamquam, judices, – agnosco enim ex me, – multa in Plancium, quæ ab eo numquam dicta sunt, conferuntur. ¶ 3. Item est ita agnoscere, ut approbemus, admittamus, assentiamur; sive ita agnoscere, ut moralem aut juridicam obligationem inesse affirmemus, quam servatam et sanctam volumus. Occurrit autem de personis. — *a*) Generatim. *Cic*. 1. *Divinat*. 58. 132. Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quæstus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere. — *b*) Speciatim *agnoscere aliquem filium* est eum tamquam suum et legitimum cognoscere et in familiam admittere; et dicitur etiam cum duplici Accus. *agnoscere aliquem filium*, quemadmodum et *ducem*, *regem*, etc. *Nep*. *Agesil*. 1. Filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non agnorat; eumdem moriens suum esse dixerat. *Ovid*. 13. *Met*. 27. Æacon agnoscit summus prolemque fatetur Juppiter esse suam. *Sueton*. *Aug*. 65. Ex nepte Julia post damnationem editum infantem agnosci alique vetuit. Hinc est *titulus tertius l*. 25. *Dig*. De agnoscendis vel alendis liberis. *Curt*. 8. 8. 14. Ut aversarer Jovem, cujus vinculo agnoscor. *Quintil*. 7. 1. 14. Qui agnoverit expositum. *Curt*. 6. 11. 5. Eumdem Jovis arguisse mendacium, Alexandrum filium agnoscentis. *Liv*. 6. 7. An me, quod non dictator, sed tribunus signum dedi, non agnoscetis ducem? *Curt*. 6. 11. 23. Hunc igitur regem agnoscimus, qui Philippum dedignatur patrem? *Vellej*. 2. 10. 1. Ac nunc si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur. *Plin*. *Paneg*. 21. Reversus imperator, qui privatus exieras, agnosceris. Adde *Curt*. 5. 5. 13. ¶ 4. Denique agnoscere usurpatur et de rebus, et est tamquam vera affirmare, concedere; et occurrit, præsertim apud JurisCtos, — *a*) Cum Accus. rei tantum. *Cic*. *Amic*. 2. 9. Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo. *Id*. 1. *Fam*. 7. 11. Quod mihi de filia gratularis, agnosco humanitatem tuam. *Forcellinus* hæc duo *Cicer*. loca ad § 2. retulit. *Id*. *Orat*. 51. 171. Et apud Græcos quidem jam anni prope quadringenti sunt, cum hoc probatur; nos nuper agnovimus. *Id*. *Mil*. 14. 38. Cum totius Italiæ concursus – facti illius gloriam nuper agnovisset. *Pseudo-Sall*. *orat*. 2. *ad Cæs*. *de republ*. *ordin*. *prope fin*. Postero tempore super omnes mortales gloria agnita. *Brutus* apud *Cic*. 11. *Fam*. 3. 2. Sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum etc. *Id*. 1. *Nat*. *D*. 32. 91. Deorum cognationem agnoscere. *Curt*. 6. 10. 27. stirpem Jovis. *Liv*. 26. 6. nihil ad eam spem. *Tac*. 4. *Ann*. 34. *extr*. Carmina contumeliis referta spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur. *h*. *e*. videntur a te approbata, vel admissa tamquam vera. *Id*. 3. *Hist*. 52. Ex eventu rerum adversa abnuere, vel prospera agnoscere. *Cic*. 16. *Att*. 6. 4. Agnoscere erratum suum. *h*. *e*. fateri. Item *Id*. *Rabir*. *perduell*. 6. 18. Ego autem, si mihi integrum esset, susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer. *Tac*. 6. *Ann*. 8. Fortunæ meæ minus expedit agnoscere crimen, quam abnuere. *Plin*. 7. *Ep*. 28. Crimen agnoscere atque amplecti. Adde *Vellej*. 2. 95. 3. *Cic*. *Planc*. 18. 44. Sequestremne Plancium (*diceres*)? Respuerent aures, nemo agnosceret, repudiarent. *Ulp*. *Dig*. 40. 5. 45. Agnoscere voluntatem alicujus. *Paul*. *Dig*. 5. 2. 23. Agnoscere judicium alicujus. *Cajus Dig*. 20. 8. 11. In agnoscenda et repudianda bonorum possessione. *h*. *e*. in bonorum possessione, ut ad se pertinente, cognoscenda et sibi adsciscenda, aut repudianda. *Ulp*. *Dig*. 28. 5. 1. Agnoscere æs alienum. *h*. *e*. admittere et a se solvendum suscipere. *Id*. *ibid*. 10. 4. 11. cibaria. *h*. *e*. cibariorum alicui præstandorum onus subire et sustinere. *Papir*. *Dig*. 49. 1. 21. damnum. *h*. *e*. subire et præstare. *Pompon*. *Dig*. 17. 2. 55. pœnam. *h*. *e*. subire, pati. *Paul*. *Dig*. 50. 1. 13. periculum. — *b*) Cum duplici Accus. *Cic*. 4. *Fam*. 3. 1. Quod quamquam minime miror et meum quodammodo agnosco. *Phædr*. 1. 22. 10. Hoc in se dictum debent illi agnoscere, qui etc. *Sil*. *It*. 13. 820. dextros agnovit in alite divos. — *c*) Cum Accus. et Infinito. *Cic*. 4. *Fam*. 4. Et ego ipse – me non esse verborum admodum inopem agnosco. *Id*. 5. *ibid*. 20. 5. Id ego agnovi meo jussu esse factum. — *NB*. *Agnoscere* pro *ignorare*, ἀγνοεῖν, aliquando usurpari probat *Brisson*. in *Lex*. *Jur*. ex illo *Pompon*. *Dig*. 19. 1. 6. Tenetur ex empto venditor, etiam si agnoverit minorem fundi modum esse. Ita in celebri editione *Torrentini*, apposito tamen ἀστερίσκῳ, nota scilicet dubiæ lectionis: ex quo alii rectius reposuerunt *ignoraverit*.

AGNUS, i, masc. et fem. generis apud veteres, deinceps masc. tantum 2., a Græca voce ἁγνός: quod etymon confirmant ipsi Grammatici Latini, ut *Festus* p. 286. 19. *Müll*. et *Paul*. *Diac*. p. 6. 12. *Müll*.: quamquam *Paulo Diac*. p. 14. 8. *Müll*. ab ἁγνός, purus, castus, quia sacrificiis hostia pura est et diis grata, *agnus* dictus videretur; et *Varroni* 5. *L*. *L*. 99. p. 30. *Müll*. pecori ovillo (*Forcellinus* leg. *mitio*) quod agnatus. Hinc *Forcellinus* subdit: A particip. pass. verbi ἄγω. Fortasse est ἠγμένος, sive ἀγμένος, impulsus, elisis μ et ε, ut etiam Græce ab eodem, elisis γ et ε, est ἀμνός. — In Genit. plur. *agnum* pro *agnorum* dixit *Porcius Licin*. apud *Gell*. 19. 8. Custodes ovium teneræque propaginis agnum. — Ceterum agnus est fetus ovis, qui annum nondum egressus est (It. *agnello*; Fr. *agneau*; Hisp. *cordero*; Germ. *das Lamm*, *junges Schaaf*; Angl. *a lamb*). — Antiquis dicebatur *agnus mas* et *agnus femina*, teste *Leg*. *Numæ* apud *Festum*. p. 187. 17. *Müll*. TERTIA SPOLIA IANVI QVIRINO AGNVM MAREM CAIDITO. Et *Leg*. *Numæ* apud *Gell*. 4. 3. IVNONI CRINIBVS DIMISSIS AGNVM FEMINAM CAIDITO. Cf. *Paul*. *Diac*. p. 222. 5. *Müll*. In *Libris* quoque *Pontificalibus* sive *Comment*. *sacrorum Pontif*. sæpe dicitur *hic ovis*, *hæc agnus ac porcus*: quæ non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere, inquit *Festus* p. 286. 19. *Müll*. — Masc. genere. *Plaut*. *Truc*. 2. 7. 54. Jam ego te hic agnum faciam et medium distruncabo. *h*. *e*. tamquam agnum te distruncabo. *Cic*. 2. *Divinat*. 17. 39. In Æquimelium misimus, qui afferat agnum, quem immolemus. *Id*. *Senect*. 16. 56. Villa abundat porco, hædo, agno etc. *h*. *e*. suilla carne, hædina et agnina. *Horat*. *Art*. *P*. 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. Adde *Varr*. 2. *R*. *R*. 1. 20. et 2. 15., *Colum*. 7. *R*. *R*. 3. 11., *Plin*. 8. *Hist*. *nat*. 47. 72. (187)., *Lucret*. 2. 368., *Virg*. 1. *G*. 341. et 3. *Ecl*. 103., *Horat*. 3. *Od*. 18. 13., *Ovid*. 7. *Met*. 320., *Propert*. 4. 3. 61., *Martial*. 3. 58. aliosque. — *Eripere agnum lupo* proverbium est de conatu irrito apud *Plaut*. *Pœn*. 3. 5. 31. Lupo agnum eripere postulant, nugas agunt.

ĂGO, ăgis, ēgi, actum, ăgere, a. 3. — *Axim* pro *egerim* dixerunt antiqui. *Pacuvius* apud *Non*. p. 505. 21. *Merc*. Ut quæ egi, ago, vel axim, verruncent bene. *Paul*. *Diac*. p. 3. 3. *Müll*. *Axit* autem antiquos dixisse pro *egerit* manifestum est. — Part. *Agens B*. I. 1. *a*. et sæpe alibi et in fine; *Actus B*. I. 1. *a*. et sæpe alibi et in fine; *Acturus III*. 2. *B*. b.; *Agendus* III. 2. *C*. 2. — *Age* quoque et *Agite*, tamquam adverbia hortativa, V. in fine. — *Ago*, quod cum Græco ἄγω et Germ. *jagen* conjungendum, varie construitur pro varia significatione, de qua generatim videsis *Varr*. 6. *L*. *L*. 41. et seq. p. 88. *Müll*., *ibid*. 51. p. 91. et 77. p. 103. et cf. *Martial*. 1. 79.: proprie autem et primo significat ante se pellere, ducere pecora seu armenta (It. *condurre*, *menare*, *guidare*; Fr. *mettre en mouvement*, *faire avancer*, *chasser devant soi*, *mener*, *conduire*; Hisp. *llevar*, *guidar*, *conducir*; Germ. *treiben*; Angl. *to conduct*, *drive*, *lead*).

Quoniam vero hoc verbum quam plurimas complectitur significationes, ita easdem dividere nobis visum est, ut *A*) propriam solummodo proferamus; deinde *B*) illas, quæ propriæ proxime accedunt, ita ut prima verbi significatio, quamvis latius pateat, adhuc tamen perseveret; denique *C*) translatas.

A) Proprie agere est ante se pellere, ducere pecora seu armenta, et ponitur — *a*) Absolute. *Cic*. 2. *Orat*. 64. 258. Agere asellum. *Liv*. 1. 48. Inhibuit frenos is, qui jumenta agebat. *Virg*. 1. *Ecl*. 13. En ipse capellas Protinus æger ago. *Horat*. 1. *Ep*. 18. 36. agere caballum. *Ovid*. 1. *Fast*. 322. pecudes. *Curt*. 8. 17. 18. belluas. *h*. *e*. elephantos. *Sil*. *It*. 1. 161. quadrupedem. *Martial*. 1. 79. 3. mulas. Hinc apud *Caj*. *Comment*. 2. 31. et 4. 3. Jus agendi. — *b*) Addito termino ad quem pecora seu armenta ducuntur per Accus. et præp. *in*, per Supinum act., per adverbia localia aut per Accus. et præp. *per*, interdum etiam per Infinitum. *Curt*. 1. 45. 6. Agere bovem Romam. *Id*. 7. 4. 35. equum in hostem. — *Varro* 6. *L*. *L*. 41. p. 88. *Müll*. pecus pastum. *Virg*. 9. *Ecl*. 23. pasce capellas Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum Occursare capro (cornu ferit ille) caveto. — *Ovid*. 1. *Met*. 676. Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas. *Curt*. 7. 11. 7. Agere pecora per calles. — *Horat*. 1. *Od*. 2. 7. Omnes cum Proteus pecus egit altos Visere montes.

B) Propriæ significationi proxime accedunt quæ sequuntur. I.) De hominibus ponitur, et de feris quas venamur; II.) De rebus, quæ aliquo versus admoventur.

I.) De hominibus ponitur, et de feris quas venamur. ¶ 1. De hominibus, et quidem — *a*) Active, etiam in re militari. *Nep. Datam.* 3. Sinistrâ (*manu gerens*) copulam, quâ vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. *Liv.* 2. 36. Ludis mane servum quidam paterfamilias – sub furca cæsum medio egerat circo. *Curt.* 7. 6. 2. Barbari – captivos præ se agente. *Val. Max.* 1. 7. 4. Servum suum, verberibus mulcatum, sub furca ad supplicium egisset. *Quintil.* 8. 3. 69. Acti ante suum quisque prædonem catenati. *Tac. Germ.* 19. Adulteram – expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. *Martial.* 8. 26. Captivos sub curribus agere. — In re militari. *Liv.* 44. 31. Multis millibus armatorum actis ex ea regione. *Virg.* 7. *Æn.* 804. Hos super advenit Volsca de gente Camilla Agmen agens equitum et florentes ære catervas. *Sil. It.* 7. 212. et 4. 720. Agere exercitum. — *b*) Forma media, *h. e. agere se* (nunquam tamen apud optimos Scriptores in prosa oratione) et interdum absolute *agere*, aut etiam *agi*. *Plaut. Amph.* 1. 1. 94. ME. Quo agis te? SO. Domum. Adde *Most.* 3. 1. 31., *Trin.* 4. 3. 71., *Mil. glor.* 3. 2. 49. et *Pæn.* 1. 2. 120. *Id. Most.* 1. 4. 28. PHIL. Unde agis te? CA. Unde homo ebrius. Adde *Pers.* 4. 3. 13. *Ter. Andr.* 4. 2. 25. Quo hinc te agis? *Virg.* 6. *Æn.* 337. Ecce gubernator sese Palinurus agebat. *Id.* 8. *ibid.* 465. Nec minus Æneas se matutinus agebat. Adde 9. *ibid.* 696. et *Sil. It.* 16. 441. — *Plaut. Bacch.* 5. 1. 20. Et tu unde agis? *Ita nunc legit* Hermann.; *priores Editt. legebant* Unde agis te? — *Liv.* 10. 20. Ipse – ad castra Samnitium perrexit, quo multitudo omnis consternata agebatur. *Id.* 2. 58. Si citius agi vellet agmen. Adde 6. 28., 25. 9. et 7. 37. *Sil. It.* 10. 42. Per medios agitur Paulus. ¶ 2. Agere de hominibus et armentis est etiam furto abstrahere (quod proprie dicitur abigere) qua significatione ponitur — *a*) Absolute. *Liv.* 1. 7. Cum actæ boves ad desiderium relictarum mugissent. *Ovid.* 3. *Fast.* 64. Sæpe domum veniunt prædonum sanguine læti Et redigunt actos in sua rura boves. — *b*) Hinc *agere prædam* vel *prædas* sæpe occurrit. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 3. Næ illic pulcram prædam agat, si qui illam invenerit aulam onustam auri. *Sall. Jug.* 20. Ceterum agros vastare, prædas agere. Adde *ibid.* 32. *Liv.* 1. 5. Inde eos – hostilem in modum prædas agere. *Sall. Jug.* 44. Pecoris et mancipiorum prædas certantes agere. *Liv.* 2. 64. Ingentes tamen prædas hominum pecorumque egere. — *c*) *Agere* hoc ferme sensu, seu pro diripere, vastare, sæpe cum *ferre*, quo modo apud Græcos ἄγειν καὶ φέρειν, conjungitur; ex quibus *agere* ad animantia, *ferre* ad inanima refertur; interdum et cum *rapere* conjungitur. *Liv.* 38. 18. Cum conjugibus ac liberis, quæ ferre atque agere possent, præ se agentes portantesque Olympum montem petere. *Id.* 40. 49. Cum ferret passim cuncta atque ageret. *Id.* 38. 15. Tum demum fracta pertinacia est, ut ferri agique res suas viderunt. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 2. *Id. Dial. de orat.* 8. *translate.* Nunc principes in Cæsaris amicitia agunt feruntque cuncta. *h. e.* pro arbitrio disponunt. — *Liv.* 22. 1. Ex alieno agro rapere agereque. ¶ 3. Dicitur etiam de venatione et significat persequi; eodemque ferme sensu ponitur et de hominibus, præcipue in re militari. — *a*) De venatione. *Virg.* 3. *G.* 409. Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros; Et canibus lepores, canibus venabere damas: Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens. *Ovid. Heroid.* 5. 20. Sæpe citos egi per juga longa canes. *Virg.* 4. *Æn.* 71. Agere cervam telis. Adde 1. *ibid.* 191. *Id.* 7. *ibid.* 481. Ut cervum ardentes (*canes*) agerent. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 3. Bovem citatum per mille et quingentos passus agere. *Sueton. Claud.* 21. feros tauros per spatia Circi. *Dig.* 43. 44. 22. § 3. Avem agere venarive. — *b*) De hominibus, præcipue in re militari. *Ter. Adelph.* 3. 2. 21. Ceterus ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem. *Donatus* ad h. l. *agerem* interpretatur *prosequerer*, *premerem*. *Cic. Cæcin.* 21. 60. Si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitem egeris. *Sueton. Calig.* 27. Per vicos agerent (eos) quoad præcipitarentur ex aggere. — *Cæs.* 4. *B. G.* 12. Reliquos in fugam conjecerunt, atque ita perterritos egerunt, ut etc. *Id.* 3. *B. C.* 46. Et ex inferiore loco adversus clivum incitati cursu præcipites Pompejanos egerunt, et terga vertere coegerunt. *Liv.* 1. 12. Mettus Curtius – ab arce decucurrerat, et effusos egerat Romanos toto quantum foro spatium est. *Id.* 25. 37. Carthaginienses trepide primum ab hostium vallo acti. *Virg.* 5. *Æn.* 265. Demoleos cursu palantes Troas agebat. Adde 11. *ibid.* 630. *Curt.* 3. 11. 17. Agebantur ergo a tam paucis pecudum modo. Adde 6. 3. 19. *Horat.* 3. *Od.* 4. 5. Thraces ulterius agere. *Justin.* 16. 2. 3. hostem in fugam.

II.) Ponitur generatim et de rebus, quæ non sua, sed aliena vi aliquo versus admoventur: speciatim vero — *a*) De navibus, curribus et hujusmodi, et significat, ut ait *Forcellinus*, regere, vel ducere. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 13. Dic tamen unde onustam celocem agere te prædicem? *Lucret.* 4. 391. fugere colles campique videntur, Quos agimus præter navem. *Liv.* 22. 19. In littus passim naves egerunt (*Pœni*). *Horat.* 2. *Ep.* 1. 114. Navem agere ignarus navis timet. *Ovid.* 15. *Met.* 75. Perque papyriferi septemflua flumina Nili Victores egisse rates. *Id.* 1. *Fast.* 499. Agere ratem in amnem. *Tac.* 4. *Hist.* 22. naves in amnem adversum. *Curt.* 4. 4. 6. classem in partem diversam. *Id.* 4. 3. 15. quadriremes ad urbem. — Huc referri possunt et illa *Curt.* 4. 2. 8. Quippe vix leni et tranquillo mari moles agi possunt. *Id. ibid.* § 19. Quo longius moles agebatur a littore. — *Liv.* 1. 48. Quo amens – Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur. *Ovid.* 2. *Met.* 60. vasti quoque rector Olympi – Non agat hos currus. Adde 2. *ibid.* 389. et *Curt.* 8. 14. 6. *Sil. It.* 7. 690. Agere cursum. Adde *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 20. (85). *Ovid.* 2. *Art. Am.* 84. Altius egit iter deseruitque ducem. Et *Quintil.* 11. 3. 93. Vitiose idem (*gestus*), sinistrum quasi humerum petens, in latus agi solet. — In re militari. *Lucilius* apud *Non.* p. 243. 31. *Merc.* Aggera in jaciendo si quo est vineis actis opus. *Cæs.* 2. *B. G.* 12. Celeriter vineis ad oppidum actis. Adde 7. *ibid.* 58. *Id.* 3. *ibid.* 21. Vineas turresque agere. *Liv.* 21. 7. vineas. *Virg.* 2. *Æn.* 441. et 9. *ibid.* 505. acta testudine. Adde *Sil. It.* 2. 365. *Virg.* 4. *G.* 510. agere carmine quercus. — *b*) Item de meatibus, canalibus, limitibus, rimis aliisque hujusmodi, in quibus excavandi notio inest. *Cic.* 3. *Off.* 23. 90. Quid, si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium? Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 21. *Liv.* 5. 19. Cuniculum agere in arcem hostium. Adde *Curt.* 4. 6. 8. *Cic. Milon.* 27. 75. Qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic fundamenta agere, ut etc. *Liv.* 1. 56. Cloacam sub terram agere. *Virg.* 3. *Æn.* 694. Alpheum fama est huc Elidis amnem Occultas egisse vias subter mare. Eodem sensu *Scribon. Compos.* 201. Cum vulnus ita actum est, ut os lædatur. — Apud Agrimensores sæpissime occurrit *agere limitem*, quia jam inde ab initio limes sulco ducebatur. V. *Agrimensor. ed. Goes.* p. 3., 19., 162. et alibi sæpe, et *Frontin. Strateg.* 1. 3. 10. et 1. 5. 10. *Virg.* 10. *Æn.* 513. latumque per agmen Ardens limitem agit ferro. *Ovid.* 9. *Art. Am.* 558. idem limes agendus erit. Adde *Sil. It.* 9. 379. et *Tac. Germ.* 29. *Agrim. ed. Goes.* p. 296. Terram agere aratro. — *Cic.* 14. *Att.* 9. 1. Tabernæ mihi duæ corruerunt reliquæque rimas agunt. *Ovid.* 2. *Met.* 211. Fissaque agit rimas (*tellus*) et succis aret ademptis. Adde *Lucan.* 6. 725. — *c*) De instrumentis, et est adigere, injicere, impellere. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Ac nihilominus sublicæ et ad inferiorem partem fluminis oblique agebantur. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 4. Palis in parietes vehementer actis. *Virg.* 11. *Æn.* 644. latos huic hasta per armos Acta tremit. *Sil. It.* 12. 240. Et fugientis agit costis penetrabile telum. *Id.* 6. *ibid.* 280. Discussit trabs acta caput. *Stat.* 1. *Theb.* 258. Tonitrus agere. — Huc referri possunt et illa de morbis corpora invadentibus. *Virg.* 3. *G.* 482. Sed ubi ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus. *Sil. It.* 2. 461. solet acta medullis – pestis. *Ovid.* 7. *Met.* 551. agunt contagia late. — Item et illa *Cic.* 7. *Verr.* 63. 163. In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem Rom. esse diceret? Adde 5. *Fin.* 78. 84. et *Sueton. Calig.* 12. *Cic.* 7. *Verr.* 66. 170. Non tu hoc loco Gavium –, sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti. — *d*) Item de plantis, et significat emittere, foras propellere. *Varro* 1. *R. R.* 37. 15. Ut Theophrastus scribat Athenis in Lyceo, cum etiam tunc platanus novella esset, radices trium et triginta cubitorum egisse. *Ovid.* 4. *Met.* 254. Virgaque per glebas sensim radicibus actis Turea surrexit. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 34. Radicem deorsum agere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (127). radices in profundum. *Cic.* 2. *Off.* 12. 43. per metaphoram: Vera gloria radices agit atque etiam propagatur. Eodem sensu *Ovid.* 2. *Met.* 582. at illa Pluma erat, inque cutem radices egerat imas. *Varro* 1. *R. R.* 30. Antequam gemmas agant (*salices*) ac florescere incipiant. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 10. Simul atque florem agere cœperit ficus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (45). Frondem agere. *Colum.* 5. *R. R.* 9. 12. coliculum. *Id.* 12. *ibid.* 56. 4. caulem. *Virg.* 2. *G.* 364. et dum se lætus ad auras Palmes agit. — *e*) Item de iis, quæ animali vi a corpore emittuntur forasque propelluntur, ut *spumas*, *scintillas*, *voces*, *animam* etc. *agere*. Ita *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. *de equo.* Sæpe jubam quassat simul altam, spiritus ex anima calida spumas agit albas. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. Cum spumas ageret in ore, oculis arderet. *Virg.* 3. *G.* 203. at spumas aget ore cruentas. *Cic.* 1. *Orat.* 59. 251. Agere vocem. *h. e.* sonum emittere. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 19. et *Rosc. Am.* 8. 24. animam. *h. e.* expirare, in eo esse, ut quis moriatur. *Sil. It.* 11. 220. suspiria anhelis faucibus acta. *Virg.* 9. *Æn.* 812. in toto corpore sudor Liquitur et piceum – flumen agit. *Sil. It.* 1. 526. Jamque agitur largus per membra fluentia sudor. *Lucret.* 2. 673. (674). Agere scintillas. *Sil. It.* 4. 679. flammas. *Virg.* 8. *Æn.* 257. *de fumo.* undam. *Martial.* 1. 80. Semper agis causas, et res agis, Attale, semper: Est, non est, quod agis, Attale, semper agis. Si res et causæ desunt, agis, Attale, mulas. Attale, ne quod agas desit, agas animam. — *f*) Eodem ferme sensu ponitur et de medicaminum vi, quæ quædam a corporibus expelluntur. *Virg.* 2. *G.* 127. quo non præsentius ullum – Auxilium venit ac membris agit atra venena. *Gargil. Mart. de cydon.* p. 393. *Mai.* Urinam agere. — *g*) De procellis, ventis, fluctibus, fluminibus aliisque hujusmodi, quæ aut res aliquo versus impellunt feruntque, aut ipsa impelluntur ferunturque. *Virg.* 1. *G.* 352. agentes frigora venti. *Id.* 3. *ibid.* 470. Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo. *Horat.* 2. *Od.* 16. 23. et agente nimbos Ocior Euro. *Virg.* 1. *Æn.* 116. ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum. *Varro* apud *Non.* p. 243. 20. *Merc.* Non has Pactolus aureas undas agens eripiet unquam ex miseriis. *Ovid.* 1. *Fast.* 404. Miscendas parce rivus agebat aquas. Adde *Curt.* 3. 1. 5., 6. 4. 18. et 9. 9. 9. *Virg.* 2. *G.* 334. actus cœlo magnis aquilonibus imber. *Sil. It.* 3. 228. tempestas acta procellis. *Id.* 17. 490. glacies aquilonibus acta. — Eodem sensu et de hominibus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 201. agi tumidis velis aquilone secundo. *Id.* 3. *Od.* 7. 5. ille Notis actus ad Oricum. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 40. ventis. *Virg.* 3. *Æn.* 708. Sive errore viæ, seu tempestatibus acti. *Id.* 6. *ibid.* 332. pelagi ne venis erroribus actus? Adde *Horat.* 3. *Od.* 7. 5. et *Epod.* 9. 7., *Vellej.* 1. 4. 4. et *Quintil.* 10. 7. 23. — *h*) De ipsis corporis membris, quæ aliquo versus agitantur. *Virg.* 2. *G.* 392. Et quocumque deus circum caput egit honestum. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 3. Caudam agere. Et *Ovid.* 12. *Met.* 253. Acta retro naris. *h. e.* quæ naturâ suâ ita erat constituta. Et similiter *Sil. It.* 2. 353. Proinde polo crescunt Alpes astrisque coruscos Apenninus agat scopulos.

C) Translate quoque latissime patet: omnes tamen significationes ad tria capita redegimus: agere enim est I.) impellere sensu intellectuali et morali; II.) transigere et ponitur præsertim de tempore; III.) facere, gerere.

I.) Agere est impellere sensu intellectuali et morali, ita ut primam verbi notionem etiam tum præseferat. ¶ 1. Ponitur pro aliquo versus impellere, quod tamen metaphorice sumatur. *Liv.* 1. 49. et 25. 2., *Tac.* 16. *Ann.* 20., *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (111). aliique. Agere aliquem in exilium. *Tac.* 6. *Ann.* 10. Nec secus apud principem Vescularius Atticus ac Julius Marinus ad mortem aguntur. Adde 13. *ibid.* 1. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 49. Si quis casus puerum egerit Orco. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 5. Nostra per adversas agitur fortuna procellas. *Lucret.* 3. 37. Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus. ¶ 2. Ponitur et pro impellere, adigere, cogere, et pluribus quidem modis. — *a*) Addito quo quis adigitur per Accus. et præp. *ad.* *Liv.* 9. 41. Una plaga – non continuit modo ceteros in armis, sed confestim ad certamen egit. Adde 8. 7. *Id.* 39. 15. Qui pravis et externis religionibus captas mentes, velut furialibus stimulis, ad omne scelus et ad omnem libidinem agerent. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 21. Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuset. *Id.*

Art. P. 99. dulcia sunto (*poemata*) Et quocumque volent animum auditoris agunto. *Ovid.* 3. *Fast.* 535. Diffugiunt Tyrii quo quemque agit error. *Tac. Agric.* 41. Agi præcipitem ad gloriam. *Val. Flacc.* 7. 154. ad terrores extremos. *Sil. It.* 10. 423. pectora ad deformia agere consilia. *Curt.* 8. 2. 6. Num irâ deorum ad tantum nefas actus esset. — *b*) Cum Accus. et præp. *in*. *Liv.* 6. 15. Quos (*Latinos Hernicosque*) falsis criminibus in arma agant. *Id.* 9. 14. Ne desperatâ veniâ hostes cæcos in supplicia eorum ageret. *Virg.* 10. *Æn.* 72. Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostri Egit? *Ovid.* 5. *Met.* 14. Quæ te – furentem Mens agit in facinus? *Quintil.* 6. 1. 31. Agere aliquem in furorem. *Id.* 1. 30. 33. in insaniam. *Tac.* 14. *Ann.* 32. Quam (*provinciam*) avaritia in bellum egerat. *Sil. It.* 10. 191. totis mentibus acta In cædes acies. *Id.* 5. 240. Actus in adversos. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Ipsa quæ nunc dicitur herbarum claritas – in admirationem curæ priscorum – animum agit. — *c*) Cum Infinito. *Virg.* 3. *Æn.* 4. desertas quærere terras Auguriis agimur. *Id.* 7. *ibid.* 393. Idem omnes simul ardor agit nova quærere tecta. *Stat.* 3. *Theb.* 625. Sed me vester amor, nimiusque arcana profari Phœbus agit. *Id.* 8. *ibid.* 262. Quamquam æger senio: sed agit miseranda potestas Invigilare malis. — *d*) Absolute, præcipue Particip. præter. pass. *Virg.* 2. *Æn.* 128. magnis Ithaci clamoribus actus Composito rumpit vocem. *Id.* 6. *ibid.* 378. longe lateque per urbes Prodigiis acti cælestibus ossa piabunt. *Sil. It.* 11. 393. Juno acta secundis. ¶ 3. Ponitur et pro movere, sive agitare, incitare. — *a*) Raro in bonam partem. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 13. Seu te discus agit, pete cedentem aera discum. *Claudian. Cons. Olybr.* 66. Spes agit mentem. *Cic. Arch.* 7. 16. Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant. *Plerique tamen leg.* alunt. — *b*) Sæpius in malam partem; et quidem — Cum additis *præcipitem*, *transversum* etc. apud veteres præcipue in prosa oratione. *Cic.* 3. *Verr.* 3. 7. Agunt eum præcipitem pœnæ civium Rom., quos partim securi percussit etc. *Sall. Jug.* 6. Quæ etiam mediocres viros spe prædæ transversos agit. Adde *ibid.* 14 et *Senec. Ep.* 108. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebat. Adde *Flor.* 4. 2. 9. *Curt.* 8. 9. 6. Qualis (*fremitus*) solet esse multitudinis et maxime militaris, ubi aut studio agitur aut irâ. *Nep. Att.* 9. Perpetua naturalis bonitas, quæ mollis casibus agitur, neque minuitur. — Absolute haud raro apud Poetas. *Plaut. Cist.* 2. 1. 8. Ita me amor lassum animi ludificat, fugit, agit, appetit. Adde *Ter. Adelph.* 3. 2. 321. *Varro* apud *Non.* p. 243. 24. *Merc.* Non videtis, unus ut parvulus amor ardifera lampade avida agat amantis æstuantis? — De iis præcipue, quæ nos interius angunt, terrent etc. *Virg.* 4. *Æn.* 465. agit ipse furentem In somnis ferus Æneas. *Id.* 1. *ibid.* 240. Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos Insequitur. *Id.* 7. *ibid.* 405. Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi. *Horat. Epod.* 5. 89. Diris agam vos. *Id. ibid.* 7. 17. Acerba fata Romanos agunt Scelusque fraternæ necis. *Id.* 1. *Ep.* 19. 24 numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben. *Ovid.* 14 *Met.* 750. Quam deus ultor agit. *Val. Flacc.* 2. 361. mentes terror agit. Adde 3. 392. ¶ 4. *Agere aliquem reum* est accusare; cum accusabatur enim, reus ad tribunal adducebatur. *Liv.* 24. 25. Is tamquam reos ageret ab ante acta vita orsus etc. *Id.* 45. 37. Apud concionem togatam et urbanam prius reus agitur. *Ovid. Heroid.* 14. 120. Quid fiet sonti, si rea laudis agar? *Id. ibid.* 16. 324. Ipse reus sine te criminis hujus agar. *Curt.* 10. 1. 29. Reus enim in secreto agebatur. *V.* et PERAGERE.

II.) Agere est etiam transigere, et ponitur præcipue de tempore, ut occurrit apud Latinos *volvere tempus*, et similes profecto metaphoræ in omnibus omnino linguis. Hoc sensu usurpatur ¶ 1. Active — *a*) Generatim cum Accus. *ævum*, *ætatem*, *tempus*, *vitam*, *adolescentiam*, *diem*, *noctem*, *ver*, *hiemem*, *otia*, *silentia* etc. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 13. 28. Romulus in cælo cum dis agit ævum. *Pacuvius* apud *eumd.* 2. *ibid.* 21. 49. Agere ævum in armis. *Lucret.* 3. 53. et 6. 57., et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 101. securum ævum. *Ovid.* 15. *Met.* 558. ævum agere justius. *Id.* 10. *ibid.* 243. per crimina. *Ennius* apud *Gell.* 18. 2. Ætatem agere. *Id.* apud *Cic.* 7. *Fam.* 6. 1. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati. Adde *Plaut. Trin.* 2. 2. 38., *Ter. Heaut.* 2. 4. 12. et *Hec.* 2. 10. et 3. 1. 4. *Cic.* 2. *Legg.* 1. 3. Agere ætatem in litteris. *Plin. Paneg.* 44. in tenebris. *Cic. Senect.* 18. 62. Honeste acta superior ætas. *Ter. Adelph.* 5. 4. 9. Vitam agere in otio, in conviviis. *Id. Andr.* 1. 1. 48. pudice vitam ac duriter. *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 36. vitam sub terra. *Ter. Adelph.* 1. 1. 20. et *Liv.* 7. 39. vitam ruri. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 99. Vitam agere. *h. e.* vivere, cui opponitur mori. *Id.* 6. *Fam.* 4. Adjuvat etiam ætas et acta jam vita. *Id. Senect.* 3. 9. Conscientia bene actæ vitæ. *Sueton. Vitell.* 3. Pueritiam primamque adolescentiam Capreis egit. *Id. Vesp.* 4. Medium tempus ad proconsulatum usque in otio secessuque egit. *Cic. Senect.* 3. 7. Moderati enim – senes tolerabilem senectutem agunt. *Ovid.* 3. *Fast.* 902. Tempora ludis agere. *Id. Heroid.* 13. 42. tempora belli. *Horat. Art. P.* 173. laudator temporis acti Se puero. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (90). Dies in terra agit, noctes in aqua (*crocodilus*). *Ovid. Heroid.* 12. 58. Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit. *Curt.* 4. 13. 14. Noctem agere metu. *Id.* 7. 5. 16. perpetuis vigiliis. *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 5. Dies bene et ex præceptis philosophiæ actus. *Tac. Germ.* 17. Agere totos dies juxta focum atque ignem. *Plin.* 10. *Ep.* 89. diem natalem. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. dies festos. *Ovid.* 11. *Met.* 95. festum genialiter. *Sueton. Aug.* 71. quinquatrus jucunde. *Virg.* 9. *Æn.* 156. melior pars acta diei. *Horat.* 4. *Od.* 11. 14. Idus cum aliquo. *Virg.* 2. *G.* 338. Ver illud erat, ver magnus agebat Orbis. *Cæs.* 5. *B. G.* 22. 4. Agere hiemem in continenti. *Liv.* 5. 2. hiemem sub tecto. *Id.* 9. 25. hiberna. *Curt.* 5. 8. 1. æstiva. *Virg.* 3. *G.* 377. Agere otia. *Sil. It.* 7. 284. pacem. *Sueton. Tib.* 61. secretum. *Ovid.* 1. *Met.* 349. silentia. *Liv.* 23. 25. solitudinem. *Sall. Jug.* 96. Joca atque seria cum humillimis agere. *Id. ibid.* 55. Læta agere. *Liv.* 9. 45. Permultos annos imbellem agere. — *b*) Specialim *annum agere* significat ea esse annorum ætate vel eo ætatis anno. — Addito aliquo ex ordinalibus active. *Cic. Senect.* 2. 4. Qui minus gravis esset iis senectus si octingentesimum annum agerent, quam si octogesimum? *Id. ibid.* 10. 32. Quartum annum ago et octogesimum. Adde *Varr.* 2. *R. R.* 7. 2. et *Curt.* 6. 5. 3. *Sueton. Cæs.* 1. Julius Cæsar Divus annum agens sextum decimum patrem amisit. Adde *Vespas.* 24. — Item passive *agitur annus*, *mensis* etc. *Ter. Hec.* 3. 3. 34. Tum postquam ad te venit, mensis agitur his jam septimus. *Liv.* 3. 6. Ut tunc principium anni jam agebatur. *Ovid.* 7. *Met.* 700. Alter agebatur mensis. *Plaut. Amph.* 1. 3. 2. Menses jam tibi esse actos vides. *Alii leg.* ubi exactos. *Phædr.* 1. 18. Instante partu mulier actis mensibus. — Addito aliquo ex cardinalibus, quamvis raro. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Atque hæc Virgilii vatis ætate incognita, a cujus obitu XC aguntur anni. ¶ 2. Absolute *agere* est vivere, degere, morari. — *a*) Sine addito. *Sall. Jug.* 101. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Jugurtha cum plurimis erat. *Tac.* 3. *Ann.* 69. Apud illos homines, qui tum agebant. *Id.* 15. *ibid.* 74. Nam deûm honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit. *h. e.* mortuus fuerit. Adde 16. *ibid.* 34. — *b*) Additis adverbialibus dicendi modis. *Sall. Jug.* 89. In omni Africa, quæ procul a mari incultius agebat. *Liv.* 9. 20. Qui (*Antiates*) se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur. *Id.* 23. 37. Qui circa muros et in stationibus solute ac negligenter agentes – oppressi fuerant. *Tac.* 4. *Ann.* 28. Vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exilium, ubi procul tali more ageret. *Id.* 13. *ibid.* 32. Nam post Juliam – interfectam per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit. *et alibi sæpe.* — *c*) Etiam cum Adjectivis. *Tac.* 1. *Ann.* 68. Haud minus inquies Germanus spe, cupidine et diversis ducum sententiis agebat. *Id.* 3. *ibid.* 38. Nam Thræcia – insolentiâ nostri discors agebat.

III.) Agere est etiam facere, gerere, (quamvis hæc tria inter se differant: *V.* Homonym. in fine); quæ significatio ex eo orta est, quod res vel negotium tum aguntur, quum quodammodo moventur, promoventur, impelluntur. Hoc autem sensu verbum *agere* latissime patet, ac propterea 1.°) generatim, 2.°) specialim considerandum est.

1.°) Generatim. ¶ 1. Agere est in negotio aliquo versari in eoque vim exercere. — *a*) Cum Accus. rei, quæ agitur. *Ennius* apud *Gell.* 19. 10. 12. Cui quod agat institutum est, nullo negotio id agit. *Cato R. R.* 106. 4. Postea mane bibat succum deambuletque horas IIII., agat negotii si quid habebit. *Plaut. Amph.* 1. 1. 114. Observabo quam rem agat. *Ter. Andr.* 1. 5. 10. Ah, tantamne rem tam negligenter agere. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 45. Homines quæ agunt vigilantes agitantque, ea si cui in somno accidunt, minus mirum est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 132. Mihi enim qui nihil agit, esse omnino non videtur. *Id.* 1. *de republ.* 17. Africanum scribit Cato solitum esse dicere nunquam se plus agere, quam nihil cum ageret. *Id.* 1. *Tusc.* 22. 52. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. *Liv.* 23. 22. Turba se immiscuit privatas agentium res. *Seneca Ep.* 1. Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 26. Nam illud verum est M. Catonis oraculum: Nihil agendo homines male agere discunt. — Absolute (addito tamen interdum Accus. *aliquid*, *quid*) agere est actuosum esse, præsertim in Gerundio, aut cum adverbialibus dicendi modis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 102. Si quidem agens aliquid ne deus quidem esse beatus potest. *Id.* 2. *ibid.* 53. 132. Jam diei noctisque vicissitudo conservat animantes tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. *Id. pro leg. Manil.* 11. 29. Fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo. *Sall. Cat.* 52. Vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. *Liv.* 22. 14. Audendo atque agendo res Rom. crevit. *Cic.* 11. *Fam.* 28. 2. Non agam astute. *Id. Cæl.* 13. 32. Agere modice. *Id. Amic.* 5. 19. pingui Minervâ. *Id. Sext.* 41. 88. moribus. *Tac.* 3. *Ann.* 73. hostium more. *Id.* 13. *ibid.* 46. integre sancteque. ¶ 2. Hinc familiares et vulgari sermone tritæ illæ dicendi rationes *quid agis? quid agitur? quid agitis?* quæ ab initio nihil aliud significabant, nisi *quo in negotio versaris? quam rem geris?* etc.; paullatim deinde, hujusmodi significatione infirmata, hæ fuerunt formulæ comiter interrogantis *quomodo te habes?* etc. Quo sensu occurrit interdum et de absentibus. *Plaut. Epid.* 1. 1. 15. Quid agis? perpetuon valuisti? Adde *Curc.* 2. 1. 10. et *Stich.* 2. 3. 8. et alibi sæpe, necnon *Cic.* 7. *Fam.* 11. 2. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 3. Accurrit mihi notus nomine tantum Arreptaque manu: Quid agis, dulcissime rerum? *Ter. Adelph.* 3. 3. 19. SYR. Ehem, Demea, haud aspexeram te: quid agitur? DEM. Quid agitur? Adde *ibid.* 5. 5. 2. — De absentibus. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 5. Quid agunt duæ germanæ? *Ter. Andr.* 1. 5. 32. Quid agit (*Glycerium*)? — Hinc jocus ille apud Comicos, in quo alter hac significatione, alter vero priori idem verbum accipit. *Plaut. Pseud.* 1. 4. 42. SIM. Salve: quid agitur? PSEUD. Statur hic ad hunc modum. *Ter. Eun.* 2. 2. 39. GNATH. Plurimâ salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho: quid agitur? PARM. Statur. ¶ 3. *Quid agis?* est etiam admirantis increpantisque; quemadmodum *vide quid agas* est admonentis timentisque: in his autem dicendi rationibus *agere* significat incipere, aggredi, moliri. *Ter. Andr.* 1. 1. 107. Mea Glycerium, quid agis? cur te is perditum? *Id. Phorm.* 1. 4. 38. Ah, quid agis? quo abis, Antipho? Mane, inquam. *V. Donat.* ad h. l. *Id. Eun.* 2. 1. 18. Universum triduum? vide quid agas. *Id. Adelph.* 3. 2. 45. Hem, mea Sostrata, vide quam rem agas. Hinc ille Granii jocus apud *Cic. Planc.* 14. 33. Idem (*Granius*) tribuno plebi potentissimo homini M. Druso, sed multa in re publ. molienti, cum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque: *Quid agis, Grani?* respondit: *Immo vero tu, Druse, quid agis?* V. *Klotz* ad h. l. *Vol.* 1. p. 643. ¶ 4. *Agere aliquid* est etiam totis viribus in aliquid incumbere, summa mentis industria summoque animi ardore rem facere. Quo sensu — *a*) Occurrit et generatim, et specialim in formula *age, si quid agis*, qua utimur, cum monere aliquem volumus, ut ad rem, quam agit, animum advertat, et sedulo attenteque agat. *Plaut. Stich.* 5. 4. 35. Bibe tibicen: age, si quid agis: accipe, inquam. *h. e.* si quid agis, id age reapse, ut decet. Eadem ratione *paullo ante v.* 27. Bibe, si bibis. *Et Pœn.* 5. 4. 67. Ite, si itis. Adde *Epid.* 2. 2. 12. *Cic.* 11. *Phil.* 10. 14. Nunc quod agitur, agamus. *Id. Muren.* 38. 88. Id quod, mihi crede, et agunt et moliuntur. Adde *eumd. Rosc. Am.* 3. 8. et *Nep. Att.* 15. — *b*) *Hoc age*, *id age*, absolute præsertim apud Comicos, similem habet sententiam. *Forcellinus* ait hoc ductum esse e sacris, in quibus, magistratu rem divinam faciente, præco, admonens populum ut advertterent animos, lis-

dem verbis utebatur. Klotz vero, quamvis idipsum patere affirmet ex Plutarch. Num. 14. et Coriol. 25., necnon ex Seneca et Suetonio, quos modo citabimus, atque ex Varrone et Ovidio (V. infra 2.° A.), tamen putat hoc age, id age ductum potius fuisse a vulgari hujusce verbi significatione. Plaut. Capt. 2. 3. 84. Tu hoc age: tu mihi nunc herus es, tu patronus, tu pater. Id. ibid. 5. 2. 14. Hoc agamus, jamque animum advorte ac mihi quæ dicam edissere. Id. Asin. prol. 1. Hoc agite, sultis, spectatores. Adde Capt. 5. 1. 10. et Pers. 4. 4. 35. Ter. Heaut. 3. 2. 46. De istoc, quom usus venerit, videbimus quod opus sit: nunc istuc age. Adde Eun. 1. 2. 50. Hoc agite, amabo. Phorm. 2. 4. 88. et 6. 3. 3., Andr. 1. 2. 25. et 2. 5. 4. Horat. 2. Sat. 3. 152. Ut vivas igitur, vigila, hoc age. Sueton. Cal. 58. Alii tradunt, alloquenti pueros a tergo Chæream cervicem graviter percussisse, præmissa voce: Hoc age. Adde eumd. Galb. 20. et Senec. 2. Controv. 11. sub fin. et 1. Clement. 12. — c) Item speciatim apud optimos Scriptores in prosa oratione id agere passim occurrit pro totis viribus id præcipue curare. Usurpatur autem absolute, aut sequente alia propositione cum part. ut, ne, aut interdum id omisso. — Absolute. Cic. 7. Att. 7. extr. per jocum. Alexim, humanissimum puerum, nisi forte, dum ego absum, adolescens factus est –, id enim agere videbatur, – salvere jubeas velim. Id. 1. Tusc. 38. 91. Quam (virtutem) necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur. Id. 4. Fin. 20. 56. Qui possent, si id egissent, sapientiam consequi. Adde 1. Tusc. 20. 46. et 1. Orat. 32. 146., et V. Klotz Quæst. Tullian. 12. — Sequente alia propositione. Ter. Andr. 2. 1. 35. Ego id agam, qui mihi ne detur. Cic. 1. Off. 13. 41. Qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. Adde 4. Cat. 6. 12. et Dom. 5. 11. Nep. Them. 5. 1. Certiorem eum fecit, id agi, ut pons – dissolveretur. Cic. 4. Fam. 7. 2. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem. Horat. 1. Ep. 18. 87. Tu, dum tua navis in alto est, Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura. — Omisso id. Quintil. 10. 2. 10. Qui agit, ut prior sit. — d) His locutionibus illæ opponuntur aliud agere, alias res agere, quæ significant non animadvertere, id de quo agitur dissimulare et ad alias res animum advertere. Ter. Eun. 2. 3. 57. CHÆR. Alias res agis. PARM. Istuc ago equidem. Adde Hec. 5. 3. 28. Cic. Rosc. Am. 22. 60. Usque eo animadverti – eum jocari atque alias res agere. Id. Brut. 66. 233. C. Fimbria – ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Adde 3. Orat. 14. 51. Id. Cluent. 64. 179. Ut – Oppianicum aliud agentem ac nihil ejusmodi cogitantem ad hanc accusationem detraheret. ¶ 5. Agere est etiam perficere, exequi, consequi; quo sensu occurrit præcipue cum additis multum, plus, plurimum, nonnihil, et maxime non multum, nihil. — Cic. pro leg. Manil. 3. 8. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda quod egerunt, venia danda quod reliquerunt. Quintil. 6. 2. 7. Argumenta et testes quid egerint, pronunciatio ostendit. — Quintil. 4. 1. 13. Multum agit sexus, ætas, conditio in feminis, senibus, pupillis. Id. 11. 3. 122. Plus illo (corporis motu) agi, quam manibus ipsis. Lucan. 3. 570. navali plurima bello Ensis agit. Curius apud Cic. 7. Fam. 29. 1. Quod quidem (mancipium) si inter senes coemptionales proscripserit, egerit non multum. Cic. Planc. 31. 83. Nonnihil egisti hoc loco. Nam mihi eripuisti ornamentum orationis meæ. Propert. 1. 10. 20. Nonnihil egit amor. — Plaut. Curc. 5. 3. 29. Nihil agit: collum obstringe homini. Ter. Adelph. 5. 8. 12. Nihil agis: fieri aliter non potest. Cic. 1. Cat. 6. 16. Nihil agis, nihil assequeris, neque tamen conari ac velle desistis. Id. 2. Tusc. 25. 61. Nihil agis, dolor: quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum. Horat. 1. Sat. 9. 14. misere cupis, inquit, abire, Jamdudum video; sed nil agis, usque tenebo. Propert. 2. 23. 60. Nil agis: insidias in me componis inanes. ¶ 6. Agere est etiam rem mente perficere, mente agitare; ut ait Varro 6. L. L. 42. p. 80. Müll. Sed et quum nos agitamus quid et eam rem agitamus in mente, agimus. Cic. 3. Verr. 9. 26. Postea – animo cœpi multo magis vacuo ac soluto nihil aliud nisi de judicio agere et cogitare. Ovid. Heroid. 12. 212. Nescio quid mens mea majus agit. ¶ 7. Peculiariter agere cum plurimis conjungitur substantivis (quæ præcipua litterarum ordine recensemus) et significat gerere, habere, administrare, perficere. Æmulatus Tac. 13. Ann. 46. Ambages Plaut. Pseud. 5. 1. 10. Arbitrium vel arbitria Tac. 4. Hist. 21., Liv. 24. 45. et 44. 15. et Curt. 6. 1. 19. Augurium Varro 6. L. L. 42. p. 80. Müll. et Cic. 1. Divinat. 17. 32. Bellum Cæs. 3. B. G. 28., Nep. Hann. 8., Ovid. 1. Art. Am. 182. et Curt. 4. 10. 29. Censuram Ovid. 6. Fast. 647. et Seneca Ep. 67. Censum Liv. 40. 46. et Sueton. Aug. 97. Centurionatum Tac. 1. Ann. 44. Cœtus frequentes Id. 16. ibid. 34. Conventus Cic. 7. Verr. 11. 28. et Cæs. 1. B. G. 54. Consilia Virg. 9. Æn. 227. Consulatum Quintil. 12. 1. 16. Crimen. h. e. criminari Cic. 6. Verr. 22. 48. Curam alicujus rei Liv. 6. 15., Ovid. Heroid. 16. 302., Val. Max. 1. 1. 12. aliique. Curationem Liv. 4. 13. Custodiam vel custodias Nævius apud Non. p. 323. 1. et Liv. 5. 10. Delectum rerum verborumque Quintil. 10. 4. 5. Delectum juventutis ad militiam Tac. 2. Ann. 16. et Quintil. 12. 3. 5. Excubias Ovid. 3. Fast. 245. et Sueton. Galb. 10. Experimenta Plin. 29. Hist. nat. 1. 8. (18). Divina humanaque Liv. 9. 14. Fiscum. h. e. administrare Sueton. Domit. 12. Forum. h. e. pro tribunali sedere, judicia exercere Cic. 3. Fam. 6. et 5. Att. 17. 16. Honorem Liv. 8. 26. Imperium Plin. 7. Hist. nat. 28. 29. (102). Inquisitionem Id. 29. ibid. 1. 8. (18). Judicium Id. 9. ibid. 35. 58. (120). Laborem Cic. 2. Fin. 32. 105. Mandata Id. 9. Att. 8. Martem Lucan. 4. 2. Mensuram Plin. 15. Hist. nat. 3. 4. (14). Nugas Plaut. Cist. 2. 3. 39. Oblivia Ovid. 12. Met. 540. Officinas. h. e. administrare Inscript. apud Orell. 4266. Pervigilium Sueton. Vit. 10. Pœnitentiam alicujus rei Curt. 8. 6. 23., Plin. 7. Ep. 2. aliique. Potestatem Flor. 1. 7. 2. Præfecturam Sueton. Tib. 6. Prœlium Liv. 22. 9. Publicum. h. e. publico ærario consulere Sueton. Vesp. 1. Recensum Id. Cæs. 41. Regnum Flor. 1. 6. 2. Rem publ. Paul. Dig. 4. 6. 35. § 8. Senatum. h. e. habere Sueton. Cæs. 88. Stationem Liv. 35. 29. et Tac. 1. Hist. 28. Triumphum Cic. 14. Phil. 8. 23., 3. Fam. 10. et alibi. Vigilias Id. 6. Verr. 43. 93. Vota Ovid. 6. Met. 468.

2.°) Speciatim agere est externo actu rem aliquam perficere; quo sensu pertinet A) ad sacra, B) ad scenam, C) ad oratores, D) ad forum.

A) Est verbum sacrorum. Agere enim dicebantur, qui hostiam mactabant; ex quo et Agonalia (V. hanc voc.) juxta nonnullos denominata sunt. Ovid. 1. Fast. 321. Qui calido strictos tincturus sanguine cultros, Semper Agone? rogat, nec nisi jussus agit. Varro 6. L. L. 12. p. 79. Müll. Agumentum, quod ex immolata hostia desectum in jecore imponendo, agendi causa. h. e. sacrificii peragendi. Cf. superius 1.° 4. b.

B) Pertinet etiam ad scenam. ¶ 1. Cum Accus. gestum significat tantum perficere, exequi. Varro 6. L. L. 41. p. 88. Müll. Incipiam hinc primum quod dicitur ago. Actio ab agitatu facta; hinc dicimus agit gestum tragœdus et agitantur quadrigæ etc. Cic. 2. Orat. 57. 233. Quamquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cujus ille vitia non videat? Adde Rosc. com. 8. 24. ¶ 2. Hinc est etiam imitari, repræsentare — a) Gestibus tantum. Liv. 7. 2. Livius – dicitur, cum sæpius revocatus vocem obtudisset, veniâ petitâ puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. h. e., ut ait Val. Max. 2. 4. 4., adhibito pueri et tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit. Cf. Propert. 2. 3. 18. choros agere. — b) Gestibus et recitatione. Plaut. Amph. prol. 88. Ipse hanc acturus Jupiter comœdiam. Ter. Adelph. prol. 12. Eam (fabulam) nos acturi sumus novam. Adde Hec. prol. 22. Id. Phorm. prol. 27. Quia primas partes qui aget, is erit Phormio parasitus. Cic. 3. Orat. 26. 102. Numquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest. Id. Rosc. com. 7. 20. Nam Ballionem illum improbissimum et perjurissimum lenonem cum agit, agit Chæream. h. e. Ballionis personam, Ballionis partes. Quintil. 11. 3. 91. Qui (comœdi), etiam si juvenem agant, – tremula vel effeminata voce pronuntiant. ¶ 3. Hinc translate agere partes alicujus aut aliquem est ipsum imitari vel repræsentare. Ter. Phorm. 5. 5. 7. PHORM. Vicissim partes tuas acturus. ANT. Quas? PHORM. Ut fugitet patrem: te suas rogavit rursum ut ageres. Cic. Muren. 3. 6. Ego autem has partes lenitatis et misericordiæ, quas me natura ipsa docuit, semper egi lubenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi. Id. 2. Fam. 9. 1. Egique omnes illos adolescentes, quos ille actitat. Tac. 1. Hist. 30. Etiam si amicum imperatoris ageret. Id. 1. Ann. 4. exulem agere. Sueton. Claud. 29. Non principem se, sed ministrum agere. Id. ibid. 25. Qui se pro equitibus Rom. agerent. ¶ 4. Inde ducta translatione agere se est se gerere; agere aliquem est tractare. Sall. Jug. 56. Tanta mobilitate sese Numidæ agunt. Tac. 3. Hist. 2. Quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. — Virg. 1. Æn. 574. Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. Cf. infra C. e.

C) A personarum actoribus ad oratores translatum est verbum, et significat ¶ 1. Pronunciare gestumque in recitando adhibere. Cic. 1. Orat. 31. 142. Cumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum quid diceret: deinde inventa – dispensare atque componere; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoriâ sepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate. Id. 3. ibid. 56. 214. Quæ sic ab illo esse acta constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent. Id. Orat. 17. 56. Nam et infantes actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt et diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. Adde ibid. § 55. et V. ACTIO II. 1. b. ¶ 2. Hinc gratias vel grates agere, laudes gratesque agere pro grati animi sensa verbis significare, laudesque simul pronunciare. Cic. 12. Fam. 28. 2. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas. — Alia plura V. in v. GRATIA et GRATES. Id unum addimus laudes et grates agere semper conjungi, et solemni fere formula de diis occurrere. Plaut. Mil. glor. 2. 5. 2. Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ laudes lauta gratesque agam. Adde Trin. 4. 1. 2. Liv. 7. 36. Diis laudes gratesque agunt. ¶ 3. Hinc pariter generatim agere est verbis tractare, deliberare, disceptare; et usurpatur quoties sermo est de re aliqua emenda aut vendenda, aut alio quocumque contractu: unde perantiqua illa juris formula apud Cic. 3. Off. 17. 70. VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAVDATIONE. Sed qui sint boni, et quid sit bene agi, magna quæstio est. Adde eumd. 7. Fam. 12. et 6. Verr. 12. 27. Inde etiam formula actum est, qua concludebantur tabulæ, in quibus acta præcipue forensia (Fr. le procès verbale) perscripta erant; ut apud Sueton. Cæs. 20. Julio et Cæsare coss. actum. Porro hac significatione occurrit — a) Agere aliquid et fere semper passiva voce agitur aliquid, h. e. disceptatur, quæstio est. Ter. Heaut. 3. 1. 67. Non nunc pecunia, sed illud agitur, quo modo minimo periclo demus adolescentulo. Id. ibid. 2. 3. 113. Quasi istic mea res minus agatur, quam tua. Adde Phorm. 4. 2. 24. Cic. 6. Verr. 51. 113. Aguntur injuriæ sociorum, agitur existimatio veritasque judiciorum. Adde pro leg. Manil. 2. 4. et 6. Id. 11. Phil. 10. 24. Agitur autem liberine vivamus, an mortem obeamus. Liv. 3. 12. In damnatione Cæsonis libertatem agi credebant. Horat. 1. Ep. 18. 84. Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Ovid. 5. Met. 372. agitur pars tertia mundi. — b) Agere aliquid cum aliquo est tractare. Plaut. Asin. 1. 3. 19. Dedi quod mecum egisti. Ter. Eun. 3. 3. 8. Ait rem divinam fecisse et rem seriam velle agere mecum. Adde Heaut. 3. 3. 34. — Hinc est etiam negotia habere cum aliquo. Plaut. Curc. 1. 2. 11. Nihil ago tecum. h. e. nolo negotia mihi sint tecum. Ter. Heaut. 4. 1. 29. Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, neque æquum sciunt? — c) Agere de aliqua re cum aliquo sæpius occurrit. Cic. 16. Att. 16. F. § 17. Non dubito quin mirere atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re agam sæpius. Adde 15. Fam. 5. 16. et alibi sæpe. — d) Agere cum aliquo absolute sine Accus. Cic. 9. Fam. 21. 1. Veruntamen quid tibi ego in epistolis videor? Nonne plebejo sermone agere tecum? Id. 7. Att. 7. 5. Numquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi cœptum esset. — Haud raro additur et finis, ad quem agendo tendimus, per Subjunctivum et part. ut, aut per Infinitum. Cic. 5. Fam. 2. Misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut de illa mente desisteret. Adde Nep. Cim. 1. Cæs. 1. B. G. 14. Is ita cum Cæsare egit, si pacem populus Rom. cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios. Adde Sueton. Tib. 21. — e) Generatim agere cum aliquo, additis Adverbiis bene, male etc., præcipue impersonaliter passiva voce. Cic. 11. Phil. 11. 30.

Facile est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus flagitari videmur. Adde *Sext.* 23. 51. *Val. Max.* 5. 3. *extr.* 3. Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si etc. — *Cic.* 5. *Fam.* 18. Ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissimâ pœnâ ab hac republ. discesserit. *Id.* 5. *Verr.* 51. 120. Intelliget secum actum esse pessime. Adde *ibid.* 29. 70. et 50. 119. et *Amic.* 3. 11., et *Sueton. Ner.* 28. Omisso Ablat. et part. cum. *Cic.* 4. *Fam.* 14. Agitur præclare, si nosmetipsos regere possumus.

D) Denique hoc verbum pertinet et ad forum. ¶ 1. *In senatu* aut *cum populo agere* dicebatur magistratus, qui de rebus publicis aut in curia apud patres aut ex rostris apud populum verba faciebat: hoc autem ei tantummodo magistratui licebat, cui erat id jus, qua de re *Cic.* 3. *Legg.* 3. 10. CVM POPVLO PATRIBVSQVE AGENDI IVS ESTO CONSVLI, PRAETORI, MAGISTRO POPVLI EQVITVMQVE etc. *Id. ibid.* 18. 40. QVAE CVM POPVLO QVAEQVE IN PATRIBVS AGENTVR, MODICA SVNTO. Cf. *Gell.* 13. 15. — *a*) De magistratu apud patres agente. *Cic.* 5. *Fam.* 2. 4. Postea vero quam profectus es, velim recordere, quæ ego de te in senatu egerim, quæ in contionibus dixerim. Adde *ibid.* 2. 8. et 8. *ibid.* 9. 2. *Sueton. Cæs.* 28. Consul edicto præfatus de summa se re publ. acturum retulit ad senatum. *Id. Aug.* 94. Cum de Catilinæ conjuratione ageretur in curia. — *Cum populo agere*, ait *Gell. l. c.*, est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat, aut vetet: uno verbo est comitia habere, ut ait *Macrob.* 1. *Saturn.* 16., cujus verba *V.* in COMITIALIS. *Cic.* 3. *Verr.* 12. 36. Hoc sumo, hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus Rom. ex Calendis Januar. secum agere de re publ. ac de hominibus improbis voluit. Adde *eumd. pro leg. Manil.* 1. 1. et *Amic.* 25. 96., et *Sall. Cat.* 51. *extr.* Ad Athenienses transtulit *Nep. Alcib.* 8. Alcibiades præsente vulgo agere cœpit. ¶ 2. Agere dicebantur etiam oratores, sive de jure civili vel actione stricto sensu, sive de crimine vel accusatione verba facientes tractarent. — *a*) Cum Accus., ut *causam, rem agere* etc. *Cic.* 8. *Fam.* 9. 4. Præterea qui numquam in foro apparuerit, non multum in judiciis versatus sit, agit causas liberales. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 532. Facundus causam sæpe clientis agit. Cf. *Varr.* 6. *L. L.* 42. *p.* 89. *Müll. Cic. Cæcin.* 24. 69. Agere causam apud centumviros. Adde *Varr.* 1. *R. R.* 7. 10. *Quintil.* 11. 1. 59. contra aliquem. *Id.* 8. 3. 13. et alibi sæpe. Rem agere. — Hinc ducta translatione. *Cic.* 5. *Fam.* 10. 6. Quare te rogo – ad Cæsarem meam causam agas meque tibi in omnes partes defendendum putes. Adde *Nep. Phoc.* 3. — Hinc pariter *agi res* dicuntur, cum judicia celebrantur. *Plin.* 4. *Ep.* 29. Eja tu, cum proxime res agentur, quoquo modo ad judicandum veni. — *b*) Cum Ablat. *ex jure, ex syngrapha, ex sponso*, aut *jure vel lege, litibus, obsignatis tabellis, causâ* etc. *Cic. Cæcin.* 12. 34. Quid agas mecum ex jure civili et prætorio non habes. V. *Klotz* ad h. l. *Vol.* 1. p. 400. *Id. Quint.* 9. 32. Sponsionem facere maluit: fecit: te judicem, C. Aquili, sumpsit: ex sponso egit. *Id. Mur.* 17. 35. Perzitisne vos, tamquam ex syngrapha, agere cum populo? V. *Klotz* ad *Cic. Oration. Vol.* 2. *p.* 732. *Ter. Phorm.* 5. 8. 90. PHORM. Una injuriast tecum. CHREM. Lege agito ergo. *Cic.* 1. *Verr.* 5. 19. Quis ergo est qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum causâ lex sit constituta? Adde *Mur.* 11. 25., 1. *Orat.* 36. 167., 4. *Verr.* 16. 39. et alibi sæpissime; et *Liv.* 9. 46. — A Romano foro ad exteras nationes transtulit *Cic.* 4. *Verr.* 39. 90. Cum P. Rutilius postea leges ita Siculis ex senatusconsulto de decem legatorum sententia dedisset, ut inter sese legibus suis agerent. Adde *Nep. Tim.* 5. — Item metaphorice *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritii ceterique suo jure physici vindicarent, etc. — Alia prorsus ratione dicitur *lege agere* lictor, qui pœnam lege vel sententiâ latam a reis exigit, ut apud *Liv.* 26. 15., *Val. Max.* 3. 8. 1., *Senec.* 9. *Controv.* 2. et 1. *de Ira* 16. — Item *Cic.* 1. *Orat.* 38. 175. Cum miles domum revenisset egissetque lege in hereditatem paternam. *Id.* 1. ad *Q. fr.* 1. 5. Non enim gladiis tecum, sed litibus agetur. *Id. Cæcin.* 4. 11. Non enim minus laborat A. Cæcina, ne summo jure egisse, quam ne certum jus obtinuisse videatur. *Id.* 5. *Tusc.* 11. 33. Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum. *Tac.* 13. *Ann.* 37. Causâ, quam si agere malle. *Cajus* 1. *Instit.* 184. Legis actione agere. *Id. ibid.* legitimo judicio. *Id.* 4. *ibid.* 13. 21. sacramento. *Id.* 4. *ibid.* 93. per sponsionem. *Id.* 4. *ibid.* 131. ex empto. — *c*) Absolute, et fere semper cum Genit. rei, cujus est actio. *Plin.* 9. *Ep.* 40. Si agendi necessitas instat, quæ frequens hieme. *Cic.* 7. *Fam.* 22. Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. *Quintil.* 3. 6. 19. Si aget injuriarum. *Id.* 4. 4. 8. Adulterii agitur mecum. *Id.* 9. 2. 90. Agit cum eo dementiæ. — *d*) Ratione habita personæ, quacum agitur, hæc occurrunt. *Quintil.* 9. 2. 97. Agere adversus aliquem. *h. e.* verba facere in judiciis adversus aliquem. *Id.* 6. 3. 60. in aliquem. *Id.* 2. 15. 30. pro aliquo. *Id.* 5. 11. 43. ex diverso. ¶ 3. Hinc *actum est* et interdum *acta res est* modus dicendi, qui in malam semper partem usurpatur, in desperata re: ductus, ut docet *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3. 1. 7., a jure civili, in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Confer et partic. præter. *Actus, a, um* in fine. — *a*) Cum Ablat. et præp. *de*. *Plaut. Trin.* 2. 4. 194. Actum est de collo meo. *Id. Pseud.* 1. 1. 63. Actum hodie est de me. *h. e.* perii. *Liv.* 1. 47. Novitate ac miraculo attoniti et jam de Servio actum rati. — *b*) Absolute. *Ter. Andr.* 3. 1. 7. Actumst, si quidem hæc vera prædicat. *Cic.* 5. *Att.* 15. 1. Si prorogatur, actum est. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 18. 8. *Ter. Heaut.* 3. 3. 3. Acta hæc res est, perii. — *NB.* Ad sequentem paragr. pertinet qui a *Forcellino* affertur locus *Cic.* 12. *Att.* 25. Actum jam de isto est; alia magis quæro. ¶ 4. Quoniam oratores causas verbis agebant, agere significat etiam verba facere de re aliqua, de re aliqua accurate loqui aut scribere, ut ait *Varr.* 6. *L. L.* 51. *p.* 91. *Müll. Ter. Adelph.* 1. 1. 53. Sed estne hic ipsus, de quo agebam? *h. e.* loquebar. *Cic.* 1. *Verr.* 12. 39. Causa non solum exponenda, sed etiam graviter copioseque agenda est. *Id.* 13. *Fam.* 75. 1. De quo et præsens tecum egi diligenter – et scripsi ad te accurate antea. *Liv.* 10. 31. Supersunt etiamnunc Samnitium bella, quæ continua per quartum jam volumen annumque sextum et quadragesimum a M. Valerio A. Cornelio coss. – agimus. *h. e.* in historia nostra describimus.

Age, et, si sermo est de pluribus, *agite*, imperativum hujus verbi, inter *Adverbia hortativa* recensuerunt ipsi veteres Grammatici *Charis.* 2. p. 160., *Priscian.* 15. *p.* 1021. et 18. *p.* 1170. *Putsch.*, et *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 707. — *Age dum* et *age sis* interdum junctis vocibus scribi solent. — *Age* et *agite A*) aut vim verbi retinent, *B*) aut, eâdem amissâ, mera sunt Adverbia.

A) *Age*, et cum nominibus plur. num. *agite*, cum vim retinet verbi, et idem est quod fac, vires tuas exere et fac, sive est vox adhortantis atque incitantis, ut quis actuosus sit: quo sensu jungitur etiam particulis *dum* (quæ particula elegantem vim addit et ἐνέργειαν), *modo*, aut interdum *age* repetitur. — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 5. 2. 30. Age, Pamphile: exi, Pamphile: ecquid te pudet? *Id. Phorm.* 3. 3. 6. Age ergo: solus servare hunc potes. *Plaut. Amph.* 1. 1. 146. Agite, pugni: jamdiu est, quod ventri victum non datis. *Virg.* 5. *Æn.* 5. 8. Ergo agite, et lætum cuncti celebremus honorem. *Plaut. Stich.* 5. 4. 43. Age dum, Stiche, uter demutassit, poculo multabitur. *Ter. Andr.* 2. 1. 10. Age, age, ut lubet. — *b*) Addito alio imperativo, cui ipsum verbum *age* et sæpius *agite* viam quasi sternit vimque addit. *Plaut. Cist.* 2. 3. 12. Age, perge, quæso. *Ter. Adelph.* 5. 8. 14. Age, da veniam filio. *Plaut. Amph.* 2. 1. 1. Age, i tu secundum. Adde *Stich.* 5. 4. 41. *Virg.* 2. *Æn.* 707. Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ. *Id.* 3. *G.* 43. En age, rumpe moras. Adde 4. *Æn.* 569. *Plaut. Curc.* 1. 1. 88. Agite, bibite, festivæ fores, potate; fite mihi volentes propitiæ. Adde *Stich.* 1. 3. 68. *Virg.* 1. *Æn.* 627. Quare agite, o tectis, juvenes, succedite nostris. *Stat.* 11. *Theb.* 478. Agite, ite, obsistite, clamat. *Liv.* 3. 62. Agitedum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hic. *Id.* 5. 52. Recordamini, agitedum, quoties sacra instaurentur, quin etc.

B) *Age* et *agite*, amissâ verbi vi, tamquam mera Adverbia junguntur cum personis prima et secunda utriusque numeri, et tum per se, tum cum aliis particulis *dum, vero, modo, sane, sis, jam, porro* et aliis hujusmodi, variosque habet usus. ¶ 1. Sæpius enim est adhortantis atque incitantis tantummodo (It. *orsù, or via, via, su*; Fr. *allon, or sus, courage*; Hisp. *ea pues, ánimo*; Germ. *wohlan*; Angl. *come, come on, well, let it be so*). — *a*) Interdum incipit propositionem aut per se absolute, aut additis particulis. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 39. Age omitte actutum, furcifer, marsupium. Adde *Asin.* 2. 4. 81. *Ter. Phorm.* 5. 2. 28. Age fiat. *Id. Heaut.* 5. 1. 75. Age jam uxorem ut accersat, paret. *Liv.* 1. 57. Incaluerant vino: *Age sane*, omnes. Citatis equis advolant Romam. *Sic recte interpungendum*: Forcellinus *omnes citatis equis* etc. *Plaut. Asin.* 7. 1. 7. Age ergo hoc agitemus convivium vino et sermone suavi. *Ter. Adelph.* 3. 4. 23. Age nunc jam experiamur porro contra. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 54. Age igitur intro abite. *Ter. Eun.* 2. 2. 51. Age modo, nunc tibi patent fores hæ. — *b*) Interdum uni alterive vocabulo postponitur; præcipue *agedum*, quod per se unum propositionem distinctam quodammodo constituit: *age* vero cum plur. num. occurrit hoc modo apud argenteæ ætatis Scriptores. *Plaut. Cas.* 2. 2. 38. Appropera age, amabo. *Liv.* 38. 47. Mittite, agedum, legatos circa omnes Asiæ urbes. *Propert.* 1. 4. 21. En agedum dominæ mentem convertite nostræ. *Liv.* 7. 9. Quem nunc Roma virum fortissimum habet, procedat, agedum, ad pugnam. *Val. Flacc.* 3. 311. Vos age funereas ad littora volvite silvas. *Stat.* 10. *Theb.* 33. Ite age et obsessis vigiles circumdate flammas. *Sil. It.* 11. 169. Huc age adeste. — *c*) Sæpe apud Comicos eodem sensu inservit interrogationi, atque auditoris animum intentum reddit. *Plaut. Asin.* 2. 4. 69. Age, sceleste, non audes mihi scelesto subvenire? *Id. Cas.* 2. 6. 53. Præcide tu illis os hodie: age, ecquid fit? *Ter. Andr.* 3. 4. 13. Age igitur, ubi nunc est ipsus? Adde *Adelph.* 2. 2. 7. *Petron. Satyr.* 102. Age, numquid et labra possumus tumore teterrimo implere? ¶ 2. Eleganter etiam usurpatur in transitionibus, tum in significatione adhortantis, tum concedentis. *Ter. Eun.* 4. 4. 27. Agedum, hoc mihi expedi primum. *Id. Heaut.* 2. 3. 69. Agedum, vicissim, Syre, dic quæ illa est altera? *Id. ibid.* 2. 3. 91. Age age, cedo istuc tuum consilium. *Cic.* 8. *Att.* 3. Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age jam, cum fratre, an sine? — *Lucret.* 1. 920. Nunc age, quod superest, cognosce et clarius audi. Adde 1. 266. et alibi. Sæpius cum plur. num. *Cic. Mil.* 21. 55. Age nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. *Id. pro leg. Manil.* 14. 39. Age vero, ceteris in rebus quali sit temperantia considerate. *Id.* 1. *Divinat.* 23. 45. Age nunc, ad externa redeamus. *Id. Rosc. Am.* 37. 108. Age nunc, ex ipsius Chrysogoni judicio Rosciorum factum consideremus. *Id. Partit.* 12. 44. Agesis ergo, quoniam – dictum de altero est, expone nunc etc. *Virg.* 4. *G.* 149. Nunc age, naturas apibus, quas Jupiter ipse Addidit, expediam. Adde 6. *Æn.* 735. — Et cum interrogatione *Cic.* 7. *Verr.* 22. 56. Age porro, tu qui te tam religiosum existimari voluisti interpretem, cur Tauromenitanis frumentum, cur Netinis imperasti? — Præsertim si sequentia præcedentibus opponantur. *Cic. Sull.* 26. 72. Agedum, conferte nunc cum illis vitam P. Sullæ. *Id. Rosc. Am.* 16. 48. Age nunc, refer animum, sis, ad veritatem et considera etc. ¶ 3. Sæpe etiam est concedentis, affirmantis, aut approbantis, sed juncta adhortatione (It. *ebbene*; Fr. *eh bien*, soit; Hisp. *que sea*; Germ. *schon gut*; Angl. *well, granted*). — *a*) Est absolute concedentis aut approbantis; et sæpius repetitur. *Ter. Adelph.* 2. 1. 47. Suum jus postulat: age jam cupio, modo si argentum reddat. *Id. Andr.* 5. 3. 24. CHREM. At tandem dicat sine. SIM. Age, dicat: sino. *Id. Phorm.* 4. 3. 57. Age age, jam ducat: dabo. Adde *ibid.* 3. 3. 24. *Cic.* 3. *Fin.* 3. 8. Et ille ridens: Age age, inquit, exponamus adolescenti, si quæ forte possumus. — *b*) Est per hypothesim concedentis, præsertim sequente particula *ut*. *Cic. Mil.* 19. 49. Age sit ita factum; quæ causa cur Romam properaret? Adde *Senect.* 7. 24. *Id.* 5. *Phil.* 10. 28. Age, si paruerit, hoc cive uti aut volumus, aut possumus? *Id. Cluent.* 23. 62. Age, si nocentes, cujus maleficii? — *c*) Est ita concedentis, ut exinde novum aliquid adversariis objiciendum eruat; quod fit etiam per interrogationem. *Cic.* 2. *Legg.* 13. 32. Age jam ista video fateorque esse magna; sed est in collegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio. *Id.* 2. *Fin.* 35. 119. Recte, inquit, intelligis. Age sane, inquam, sed erat æquius etc. *Id.* 1. *Tusc.* 7. 14. Age jam concedo non esse miseros, qui mortui sint, quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse: quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne

miseri sumus? ¶ 4. Servit etiam indignationi, quamvis raro. *Ter. Andr.* 5. 2. 25. Age nunc, jam ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, herum quid sit pericli fallere. *Quamquam* et hoc ad superiora facile referri possit.

Agens, *entis*, particip. præs. etiam *A*) adjective, et *B*) substantive usurpatur. — In Genit. plur. et *agentium* legitur et *agentum*, sed illud frequentius.

A) Adjective. ¶ 1. Apud Rhetores sumitur pro efficaci, actuoso, vim habente. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 358. Quare — locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis, imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere celeriterque percutere animum possint. *Id. Brut.* 92. 317. Acrem enim oratorem, incensum et agentem et canorum concursus hominum forique strepitus desiderat. ¶ 2. Apud Grammaticos *verba agentia* sunt activa. *Gell.* 18. 12. 1. Ut pro verbis habentibus patiendi figuram agentia ponerent. *Et ibid.* § 10. Verba autem patiendi pro agentibus in omnibus ferme veterum scriptis inveniuntur.

B) Substantive. ¶ 1. Agens ponitur pro actore in judicio (*V.* AGO III. 2.° D. 2.). *Martian. Dig.* 22. 3. 23. Quod inter agentem et debitorem convenit. Adde *Quintil.* 12. 5. 6., et *Dig.* 1. 18. 21., 4. 2. 14. § 19. et alibi sæpe. ¶ 2. *Agentes in rebus* (quorum mentio est apud *Ammian.* 15. 3., *Augustin.* 8. *Confess.* 6., *Symmach.* 6. *Ep.* 70., *Hieronym. c.* 1. *Abdiæ*, in *Cod. Theod.* 6. 27. 2. et 14. 11. 1., sæpe in *Cod.* ut *l.* 12. *t.* 20. 21. 22. et 23. et alibi, *Inscript.* apud *Orell.* 3181. et 3182.) fuere sub Imperatoribus velut quoddam genus magistratus, quorum munus multiplex variumque fuit. Ii enim Imperatorum litteras edictaque deferebant, cursum publicum exercebant, et in evectionibus ne qua fraus fieret providebant; curabant etiam, ne qua conspiratio, motus, seditiove per provincias glisceret; scrutabantur secreta domuum, explorabant animos hominum statusque provinciarum, de iis omnibus Imperatorem certiorem facturi; milites, si quando opus erat, huc illuc deducebant; annonæ curam habebant, et ut frumenti canones præstarentur et importarentur; et alia his similia exequebantur, quibus Imperatores facilius rerum statum totiusque imperii rationem dirigerent aut cognoscerent. Hi et *frumentarii* alias dicti sunt, et *curiosi*, ob similitudinem officii: a Græcis fere ἀγγελιαφόροι, *h. e.* nuncia afferentes; item corrupto vocabulo μαγιστριανοί, quia suberant magistro officiorum. Iidem dicuntur etiam *agentes rerum*. *Aurel. Vict. Cæs.* 39. 44. Remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes rerum simillimi sunt. ¶ 3. Etiam agrimensores *agentes* vocantur in *fragm. de Limit. p.* 218. *Goes.* et apud *Hygin. de limit. constit. ibid. p.* 179.; eaque appellatio ex eo orta est, quod *limitem agere*, *mensuram agere* frequentissime ab ejusmodi scriptoribus usurpantur.

Actus, *a*, *um*, particip. præter. pass., quod etiam adjective usurpatur et est factus, perfectus. Hinc *Actam rem agere* et *Actum* vel *Acta agere* est rem jam actam rursus agere, atque adeo frustra laborare: præpostere agere, ut cum de re cogitamus, quæ jam confecta est; quod prius facere oportuit: estque vetus proverbium, quod *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3. 1. 7. sumptum esse ait ex jure civili, in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Confer, si vis, et superius verbum AGO III. 2.° D. 3. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 27. Stultus es, rem actam agis. *Id. Cist.* 4. 2. 36. Actam rem ago: quod periit, periit. *Liv.* 28. 40. Scio multis videri, rem actam hodierno die agi. — *Ter. Phorm.* 2. 3. 72. Ohe, actum, ajunt, ne agas. *Cic.* 9. *Att.* 18. Tu, malum, inquies, actum ne agas. *Id. Amic.* 22. 85. Præposteris enim utimur consiliis et acta agimus, quod vetamur vetere proverbio. — Hinc *Actum habere quod egeris* est ratum habere, approbare, sive rem tamquam factam, perfectam ideoque immutabilem habere. *Cic.* 3. *Tusc.* 21. 50. Ego sum is, qui dicam me non laborare: actum habiturum quod egerint. V. *Klotz* ad h. l. *p.* 334.

Actum, *i*, et sæpius *acta*, *orum*, n. plur. 2. sunt res gestæ, actiones, actus; et occurrunt *A*) generatim et *B*) speciatim.

A) Generatim. — *a*) Acta sunt ea generatim quæ facta vel gesta sunt. *Cic.* 2. *Orat.* 15. 63. Quoniam in rebus magnis memoriâque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur. *Sall. Jug.* 53. Milites alius alium læti appellant, acta edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad cœlum fert. Adde *ibid.* 66. et 93. — *b*) Peculiariter et de cujuscumque hominis gestis dicuntur, præcipue ratione habita ætatis. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 92. Acta vitæ. *Sall. Jug.* 81. Lacrimans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 97. Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt. *Id.* 2. *Art. Am.* 572. Cognita Vulcano conjugis acta suæ. *Quintil.* 11. 2. 6. Acta pueritiæ recordari. — *c*) Sæpius tamen, præcipue apud Poetas, dicuntur de magnorum virorum præclare gestis. *Ovid.* 2. *Trist.* 335. Divitis ingenii est immania Cæsaris acta Condere. *Id. Heroid.* 8. 43. Ille licet patriis sine fine superbiat actis. Adde 9. *Met.* 247. *Tibull.* 4. 1. 37. sim victor in illis, Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis. Adde *ibid.* 3. 4. *Ovid.* 9. *Met.* 134. et *Quintil.* 10. 1. 56. Acta Herculis. *Ovid.* 11. *ibid.* 222. Qui fortibus actis Acta patris vincet. *Tac. Germ.* 34. Sanctius et reverentius visum, de actis deorum credere, quam scire. *Stat.* 2. *Theb.* 706. Ingentia acta recensere. *Sueton. Cæs.* 37. Acta belli. *Ovid.* 12. *Met.* 185. Acta belli domique.

B) Speciatim. ¶ 1. Acta dicebantur res publice gestæ ab amplissimis Magistratibus aut in senatu, aut cum populo, et quæ inde fiebant leges, decreta et jussa. *Cic.* 1. *Phil.* 7. 18. Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum ejus, qui togatus in re publ. cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Quære acta Gracchi: leges Semproniæ proferentur. Quære Sullæ: Corneliæ. Quid? Cn. Pompeji tertius consulatus in quibus actis constitit? nempe in legibus. De Cæsare ipso si quæreres quidnam egisset in urbe et in toga, leges multas responderet se et præclaras tulisse: chirographa vero aut mutaret, aut non daret, aut si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed hæc ipsa concedo: quibusdam etiam in rebus conniveo: in maximis vero rebus, id est legibus, acta Cæsaris dissolvi ferendum non puto. Adde *ibid.* § 18. *Id. Dom.* 31. 81. *de P. Clodii tribunatu.* Tu hujus, ut acta tui præclari tribunatus hominis dignitate honestes, auctoritatem amplecteris? Adde *Vellej.* 2. 44. 2. *Sueton. Cæs.* 19. acta dicit, quæ Pompejus imperator senatus populique romani nomine egerat. *Id. Sueton. Cæs.* 23. acta vocat, quæ C. Cæsar egerat quo anno primum consul fuerat. — Item sæpe acta dicuntur ea omnia quæ C. Cæsar dictator ad res publicas constituendas statuerat perfeceratque; quæ post ejus necem ad publicam tranquillitatem servandam rata habita sunt atque a Triumviris Magistratibusque juramento firmata, quemadmodum testantur (*Cic.*, *Vellej.* aliique locis mox citandis. *Cic. Prov. cons.* 19. 44. et 1. *Phil.* 7. 16. Acta alicujus defendere. *Id.* 1. *Phil.* 7. 16. et 8. 19. servare. *Sueton. Aug.* 10. tueri. *Vellej.* 2. 44. 2. et *Sueton. Cæs.* 19. confirmare. *Quibus opponuntur* apud *Cic.* 1. *Phil.* 7. 18. Acta dissolvere. *Et ibid.* 9. 23. et *Sueton. Claud.* 11. rescindere. *Cic.* 6. *Att.* 1. 2. tollere. *Id. Prov. cons.* 19. 45. Acta irrita jam esse. *Id.* 16. *Att.* 16. 12. in dubium venire. — Post C. Cæsarem acta pariter cujuscumque Imperatoris Rom. a successore et magistratibus addito juramento rata haberi solita sunt, quod dicebatur *in acta principis jurare*, ut apud *Sueton. Tib.* 26. et *Tac.* 1. *Ann.* 72. V. *Lipsius* ad *Tac.* 16. *Ann.* 22. *Vol.* 2. p. 596. ¶ 2. *Acta senatus*, quæ *actis populi* opponebantur (V. paragr. seq., et *Sueton. Cæs.* 20., *Aug.* 5. et 36., et *Tib.* 73.), quæque dicebantur etiam *Acta patrum* ut apud *Tac.* 5. *Ann.* 4., vel *Commentarii senatus* ut apud *eumd.* 15. *ibid.* 74., complectebantur quidquid in senatu agebatur decernebaturque, scilicet quæcumque in senatu proposita sive relata et tractata fuerint, quæcunque a testibus dicta et a patribus deliberata, h. e. *Senatus consulta*, *decreta* et *auctoritates* (quæ tria *V.* suis locis). Jam inde a principio hæc omnia, deinde tria tantum postrema in æneis tabulis perscripta, vigente republica in Cereris æde, sub Imperatoribus autem in Saturni ærario asservabantur. — Ab Urbe condita usque ad C. Cæsarem hæc acta nonnisi raro admodum, gravissima de causa atque extraordinario consulis jussu publicabantur, quemadmodum factum legimus de Catilinæ conjuratione, ipso *Cicerone* jubente, qui hac de re plura disserit *pro Sulla* 14. 40. Sed Cajus Cæsar primum consul, ut ait *Sueton. Cæs.* 20., inito honore (anno ab U. C. 695.) instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur: qui mos viguit etiam sub Imperatoribus, quemadmodum testantur *Sueton. Aug.* 5. et *Tib.* 73., et *Tac.* 5. *Ann.* 4. et 15. *ibid.* 74.; si tamen Augustum excipias, qui, ut ait *Sueton. Aug.* 36., auctor et aliarum rerum fuit, in quis ne acta senatus publicarentur. — Porro ad hæc acta conficienda Imperatores aliquem deligebant ex senatorum numero, ut colligimus ex *Tac.* 5. *Ann.* 4. Fuit in senatu Junius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Cæsare. Adde *Spartian. Adrian.* 3. Hujusmodi senator dicebatur *ab actis senatus*, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 3186. M. PONTIO M. FILIO PVP. . . . IMP. DIVI HADRIANI AB ACT. SENAT. Adde *Inscript.* apud *eumd.* 2274., apud *Gruter.* 389. 6. et 445. 10., apud *Henzen.* 5478, 5479. et 6485. Dicebatur et *curator actorum senatus*, ut in *Inscript.* apud *Henzen.* 5447. V. et *Borghesi*, *Bullett. Inst. a.* 1851. *p.* 35. Huic vero actorum curatori plures præsto erant *actuarii* (quam vocem *V.*) seu scribæ ex populo, aut e senatoribus si agebatur de re magni momenti et minime vulganda (V. *Capitolin. Gord.* 4.). — Ab hisce Actis res gestas hauriebant historici. *Tac.* 15. *Ann.* 74. Reperio in Commentariis Senatus Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse etc. *Sueton. Aug.* 5. Nam ut Senatus actis continetur etc. Verum ut colligimus ex *Vopisco Aurel.* 1. et *Prob.* 2. historicis hæc Acta perlegere non licebat, nisi de Præfecti Urbis mandato. Neque omnia vulgabantur, sed nonnulla tantummodo, quæ propterea in *Acta publica* referebantur, de quibus V. *Plin. Paneg.* 75. et 5. *Ep.* 14., et paragr. seq. — In quo Acta differrent ab Annalibus et Fastis, *V.* ANNALES et FASTI. ¶ 3. *Acta diurna populi*, quæ actis senatus opponuntur apud *Sueton. Cæs.* 20., vocata sunt etiam *diurna populi Rom.* a *Tac.* 16. *Ann.* 22, *acta populi Rom.* a *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (145)., *acta populi* a *Vopisco Prob.* 2., *diurna Urbis acta* a *Tac.* 13. *Ann.* 31., *diurna actorum scriptura* ab eod. 3. *ibid.* 3., *diurna* a *Sueton. Claud.* 41., *diurni commentarii* ab eod. *Aug.* 64., *acta rerum urbanarum* a *Cic.* 12. *Fam.* 23. 2., *acta urbana* a *Cic.* 6. *Att.* 2. 6. et a *Plin.* 9. *Ep.* 15., et postquam sanctum est ne acta senatus publicarentur, *acta publica* a *Tac.* 12. *Ann.* 24., *Sueton. Tib.* 5., *Plin. Paneg.* 75. et 5. *Ep.* 14. et 7. *ibid.* 33., aut etiam *acta eorum temporum* a *Plin.* 7. *Hist. nat.* 13. 11. (60)., *acta illius temporis* ab *Ascon.* in *Cic. Mil. p.* 41. 16. *Bait.*, *acta ejus anni* ab *Ascon. ibid.* 47. 8. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 56. 57. (147)., aut tantummodo *acta* a *Cic.* 12. *Fam.* 8. 1. et 22. 1. et 28. 3., *Seneca* 2. *Benef.* 10. 4. et 3. *ibid.* 16. 2., *Ascon.* in *Cic. Scaur. p.* 19. 8. *Bait.* et *Mil. p.* 32. 15. et 49. 10., *Sueton. Cal.* 8., *Juvenal.* 2. 136. et *Quintil.* 9. 3. 17. — In hisce Actis, quæ quotidie perscribebantur et publice affigebantur legenda et transcribenda, continebantur Consulum ac deinde Imperatorum et Magistratuum res gestæ, decreta, leges, itinera etc., res rationesque populi, judicia, supplicia, comitia, ædificia, nativitates et mortes, matrimonia, et similia his, quæ memoratu digna habebantur. — Hæc acta vigente quoque republica usuvenisse testatur *Cic.* 6. *Att.* 2. 6.: magni autem habita fuisse ex eo colligimus, quod a. ab U. C. 695. Cajus Cæsar (teste *Sueton. Cæs.* 20) imperavit, ut quotidie conficerentur et publicarentur; unde patet, antea ea civilis belli temporibus intermissa fuisse. In posterum pluris quoque ducebantur, tum quia bonorum actorum ope nonnulli adjuvabantur (ut *Ascon.* in *Cic. Scaur. p.* 19. 8. *Bait.* et *Mil. p.* 32. 15. et alibi sæpe) ad res gestas per temporum ordinem, h. e. χρονολογικῶς rectius digerendas; tum quia per provincias et per exercitus accurate legebantur teste *Tac.* 16. *Ann.* 22. Hinc facile sibi quisque persuadebit, magistratus id curasse, ut hæc acta conficerentur et publicarentur; quomodo autem id curaverint, nondum compertum est. Plura videsis in *Pauly*, *Real-Encyclop. vol.* 1. p. 48. et seqq. — Nonnulla horum actorum fragmenta, quæ ad a. 586., 692. et 696. ab U. C. pertinent, adhuc supersunt; quæ tamquam spuria a pluribus habentur, etsi eorum τὴν αὐθεντίαν contenderunt *Le Clerc.*, *Des journaux chez les Romains Paris* 1838. p. 261. et seqq., *G. E. F. Lieberkühn*, *Vindic. librorum injuriâ suspectorum Lips.* 1844 *p.* 1. et seqq., et *Klotz* in *Jahn's Jahrbb. f. Philol. u. Pæd.* 43. p. 34 et seqq. atque in *Handb. der lat. Litteraturgesch. vol.* 1. p. 132. et seqq. — Huc illa pertinent *Plin. Paneg.* 75. Aliquid in acta mittere, *h. e.* curare, ut aliquid in actis publicetur. *Seneca* 2. *Benef.* 10. 4. *metaphorice.* Sin adjuvari illum et oportet et pudet, si quod præstamus offendit, nisi absconditur: beneficium in acta non mitto, *h. e.* verbis nec divulgo, nec amplifico. *Sueton. Tib.* 5. et

Juvenal. 2. 136. Aliquid in acta referre. *Cic.* 6. *Att.* 2. 6. Acta usque ad aliquem diem habere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (186). et *Sueton. Cal.* 8. Aliquid in actis invenire. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (145). et 10. 2. 2. (5). Aliquid actis testatum est. ¶ 4. *Acta triumphorum*, quæ historicam triumphorum descriptionem exhibebant fusiorem, quam *Fasti triumphales*, memorantur a *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (13). ¶ 5. *Acta fori*, quæ occurrunt etiam in *Inscript.* apud *Gruter.* 445. 10., erant tabulæ, in quibus aut jurium legumque disquisitiones dissertationesque (ut apud *Ammian.* 22. 3. 4., *Fragm. Jur. Vat.* § 112., et *Dig.* 4. 6. 33. § 1. et 2. 11. 1. § 1. et alibi), aut acta forensia litium causarumque perscripta erant, testamenta præsertim ac donationes quæ ad majorem fidem apud prætorem fiebant, teste *Dig.* 49. 14. 45. § 4.; quæ postrema in *Fragm. Jur. Vat.* § 249., 266., 268. et 317. vocantur *acta ad jus privatorum pertinentia.* — Etiam qui hæc conficienda curabant *ab actis* dicebantur, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 832. et 3962. ¶ 6. Fuere etiam *Acta militaria*, quibus quotidie adscribebantur ea, quæ in militia a legione gerebantur. *Veget.* 2. *R. mil.* 19. Totius enim legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium numerorum, sive pecuniæ quotidie adscribitur actis. ¶ 7. *Acta Fratrum Arvalium. V.* ARVALES.

H o m o n y m. In quo differant *agere*, *facere*, et *gerere*, docet *Varro* 6. *L. L.* 77. *p.* 103. *Müll.* Tertium gradum agendi esse dicunt, ubi quid faciant: in eo propter similitudinem agendi et faciundi et gerundi quidam error iis, qui putant esse unum. Potest enim aliquis f a c e r e et n o n a g e r e, ut poeta f a c i t fabulam et n o n a g i t: contra actor a g i t et non f a c i t, et sic a poeta fabula fit, non agitur, ab actore agitur, non fit. Contra imperator, quod dicitur res g e r e r e, in eo n e q u e f a c i t n e q u e a g i t, sed g e r i t, quod est sustinet, translatum ab iis, qui onera gerunt, quod hi sustinent. Hactenus *Varro.* Igitur *agere* significat vim, quæ in re aliqua versatur atque exercetur eamque exsequitur perficitque; *facere* significat vim, quæ rem aliquam creat sive producit, cujusque opus remanet (ut ait ipse *Quintil.* 2. 18. *al.* 19.); *gerere* significat vim, quæ res ordinat, regit, disponit. *Cic.* 7. *Fam.* 12. 2. Modo scribe aliquando ad nos, quid a g a s et a nobis quid f i e r i aut curari velis. *h. e.* qua in re tu versaris et quam rem a nobis factam velis. *Id.* 3. *Phil.* 13. 33. Nullum tempus dimittam – quin – quod a g e n d u m atque f a c i e n d u m, id non modo recusem, sed etiam appetam atque deposcam. *Id.* 3. *Fin.* 17. 58. Est autem ejus generis actio quoque quædam, et quidem talis, ut ratio postulet a g e r e aliquid et f a c e r e eorum. Adde eumd. 2. *Fam.* 9. 2. et 2. *Nat. D.* 78. 317., et *Liv.* 27. 10. *Sall. Jug.* 30. Postquam res in Africa g e s t a s, quoquo modo a c t æ forent, fama divulgavit. *h. e. res gestæ* significant, quomodo omnia generatim fuerint administrata; *actæ* autem, quomodo singula fuerint perfecta. Item *Cic.* 2. *Phil.* 5. 11. Quid enim constitui, quid g e s s i, quid e g i, nisi ex hujus ordinis consilio, auctoritate, sententia? — Hinc pariter differunt *bellum gerere* et *bellum agere*, ut apud *Cæs.* 3. *B. G.* 28. 2., *Nep. Hann.* 8. et *Ovid.* 1. *Art. Am.* 182.

ĂGŌGÆ, arum, f. plur. 1. fossæ, per quas profluit aqua ad lavandas metallorum fodinas; ita dictæ, ut videtur, Hispano vocabulo: quamquam et a Græco ἀγωγαὶ vel ἄγογοι commode duci possint. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (76). Editio *Vulg.* et *Cod. Bamb.* ita legunt; contra *Cod. Monac.* aliique apud *Harduinum* habent *agangas.*

ĂGŌGĒ, es, f. 1. vox Græca ἀγωγή, hoc est ductus, ductio: in re musica dicitur, cum per ordinem sonus sequitur; quemadmodum contra *ploce* (πλοκή) est cum diversi soni sociantur, ut ait *Capell.* 9. *p.* 323. *Id. ibid. p.* 327. Quintum (*numerorum genus*) est quod agogen rhythmikam nominamus, id est quo genere numerus modique ducantur.

ĂGŎLUM pastorale baculum, quo pecudes aguntur. *Paul. Diac. p.* 29. 15. *Müll. Forcellino* videbatur esse ab ἀγελαῖος armentalis; vel ab *ago* factum *agulum*, ut a *cingo cingulum*, deinde *agolum*, mutata *u* in *o*.

ĂGŌN, ōnis, m. 3. (ἀγών, ῶνος). Accus. sing. non est *agonem*, sed Græca positione *agona*, ut legitur apud *Plin.* 4. *Ep.* 22. et bis apud *Sueton. Ner.* 23. et 45.; Accus. plur. *agonas*, non *agones*, occurrit apud *Plin.* 10. *Ep.* 79. — ¶ 1. Agon est Græca vox certamen significans, sed sine bello, et ludorum causa institutum, in quo inducebantur homines, qui vel cursu, vel lucta, vel alia quapiam dote corporis animive certarent, victoresque præmiis afficerentur: quales fuerunt apud Græcos Olympii et Pythii agones, qualesque ad Græcorum imitationem apud Latinos invecti fuerunt ludi. — *a*) Græcorum agonas — Generatim memorat *Servius* in *Virg.* 3. *Æn.* 704. Secundum Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones (*lege* agonas) Græciæ mittebant, qui inde victores revertebantur. — Speciatim *agon musicus*, de quo *Sueton. Ner.* 22. et 23., dictus est Olympiæ in Græcia, in quo committebantur citharœdi, tibicines, aut etiam poetæ. — *b*) Apud Latinos — *Agon Capitolinus* institutus fuit a Domitiano Aug. ann. U. C. 839., a Chr. n. 86. Fortasse hujus agonis dies vagus et incertus erat, quem ideo *conceptivum* rite appellaveris. Celebratum fuisse constat usque ad ann. a Chr. n. 238., imperantibus Balbino et Maximo Augg.: quinquennalis vero dictus est, quia quarto quoque anno completo et quinto redeunte renovabatur; quod arguitur ex *Censorin. de Die nat.* 18. Capitolinorum agonum primus a Domitiano institutus fuit duodecimo ejus et Ser. Cornelii Dolabellæ consulatu. Itaque hoc nunc anno (*nempe* 238. *a Chr. n.*) qui celebratus est agon undequadrigesimus numeratur. *Sueton. Domit.* 4. Instituit et quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum. Certabant et prosa oratione Græce Latineque, ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque et psilocitharistæ: in stadio vero cursu etiam virgines. *Plura* de hoc agone videsis apud *Morcell.* in *Giornale Bibliot. T.* 1. *p.* 180. et 339. — *Agon gymnicus* apud Viennenses memoratur a *Plin.* 4. *Ep.* 22. Gymnicus agon apud Viennenses ex cujusdam testamento celebrabatur. *Et infra*: Non esse restituendum Viennensibus agona. *Et mox*: Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut noster hic omnium. — *Agonas quinquennales* etiam in Ponto fieri agitatum est, teste *Plin.* 10. *Ep.* 79. — *c*) *Nunc demum agon est*, Græcum proverbium νῦν γάρ ἐστι ἀγών, quo usi sunt et Latini, quoque significatur necessitas ingruens experiendi et agendi. *Sueton. Ner.* 45. Statuæ ejus a vertice currus appositus est cum inscriptione Græca: *Nunc demum agona esse*; et: *Traheret tandem.* ¶ 2. Agon est etiam idem ac victimarius. *V.* VICTIMATOR. ¶ 3. *Paul. Diac. p.* 10. 6. *Müll.* putasse videtur, olim a Latinis montes dictos fuisse agones.

ĂGŌNĀLIĂ, lium vel liorum, libus, n. plur. 3. De ratione Genitivi *V.* quæ dicemus in SATURNALIA. — Rationem nominis alii aliam tradunt (*V. Ovid.* 1. *Fast.* 319. et seqq., *Paul. Diac. p.* 10. 6. *Müll.*, *Varr.* 6. *L. L.* 12. *p.* 77. *Müll.*), vel quod *Agonius* olim dictus sit Janus, quod præsit rebus agendis; vel quia minister mactaturus hostiam interrogabat sacrorum præsidem illis verbis *Agone?*; vel quia ipsæ hostiæ dictæ sunt olim *Agoniæ*; vel demum quia pecudes mactandæ non veniant, sed *aguntur.* Quoniam vero et Græcorum ludorum mos apud Latinos viguit, et in hoc vocabulo *o* longa est; ad Græcam ἀγών vox hæc referenda esse videtur cl. *Klotz.* — Ceterum Agonalia erant festa apud Romanos a Numa instituta teste *Macrob.* 1. *Satur.* 4. in honorem Jani, et quotannis celebrari solita v. Id. Januar., XII. Kal. Jun. et III. Id. Decembr.; eratque is dies nefastus mane. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 317. et *seqq.* et 5. *ibid.* 721., *Macrob. l. c.*, *Senec.* 2. *Controv.* 11. *ad fin.*, *Paul. Diac. l. c.* et *Orelli Inscript. vol.* 2. *p.* 411. Idem dies festus *Septimontium* vocatus fuit juxta *Fogginium* ad *Verrii Flacc. Kalend. p.* 74. et *Cardinal. Dipl. imp. p.* 59. *col.* 2.

ĂGŌNĀLIS, e, adject. ¶ 1. Generatim ad agonem pertinens. *Lactant. Placid.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 153. A quo (*pastore*) nutritus (*Paris*) adeo fortis est factus, ut in Trojæ agonali certamine superaret omnes, et ipsum Hectorem. ¶ 2. Speciatim ad Agonalia pertinens. *Varro* 6. *L. L.* 12. *p.* 77. *Müll.* (*Dies*) Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab *Agone?* eo quod interrogatur a principe civitatis, et princeps gregis immolatur. *Ovid.* 1. *Fast.* 324. dies Agonalis. *Id.* 1. *ibid.* 318. Janus Agonalis luce piandus erit. *Donat. de urbe Roma* 14. 14. Circus Agonalis. *h. e.* in quo Agonalia celebrabantur, quique, eodem *Donat.* teste, ab Alexandro Aug. conditus fuit.

ĂGŌNĬA, æ, f. 1. (Gr. ἀγωνία). ¶ 1. Est angor, æstuatio ejus, qui in certamen est descensurus. *Vulgat. Interpr. Luc.* 22. 43. Factus in agonia, prolixius orabat. ¶ 2. Item apud veteres dicebatur hostia, quæ in sacrificiis adhibebatur, ita dicta ab agendo. *Paul. Diac. p.* 10. 5. *Müll.* A g o n i u m dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat; hostiam enim antiqui agoniam vocabant. *Klotz* ait pro *agoniam* fortasse legendum *agonium*. V. vocem seq. 1. Quamquam *agonium* esse adjectivum substantivi more usurpatum gen. fem. confirmant *Gloss. Isid.* A g o n e i victimæ et A g o n i a hostia. Et *Gloss. Placidi p.* 436. *Mai.* A g o n i æ victimæ vel hostiæ. Immo ipse *Paul. Diac. p.* 10. 11. *Müll.* A g o n i a s hostias putant ab agendo dictas.

ĂGŌNĬA, ōrum, n. plur. 2. ¶ 1. Pecudes, quæ mactabantur in sacris præcipue Agonalibus. *Ovid.* 1. *Fast.* 331. Et pecus antiquus dicebat agonia sermo. *h. e.* ab agendo sive sacrificando. Cf. vocem præc. 2. ¶ 2. Item Agonia sunt eadem quæ Agonalia, prisco vocabulo. *Varr.* 6. *L. L.* 14. *p.* 78. *Müll.* In libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius A g o n i a. *Ovid.* 5. *Fast.* 721. Ad Janum redeat qui quærit, Agonia quid sint. *Paul. Diac. p.* 10. 7. *Müll.* Agonia (*dicebant*) sacrificia, quæ fiebant in monte.

AGONICUS, a, um. Hanc vocem in suis MSS. inserendam proposuit cl. *Furlanetto* ex *Not. Tir. p.* 88. *Kopp.*; sed cum aliis earumdem *Notarum* a Lexico est amandanda.

ĂGŌNISTĂ, æ, m. 1. (ἀγωνιστής ab ἀγωνίζω certo). Hanc vocem Græca significatione pro certatore usurpavit *Augustin. Serm.* 343. *edit. recentior. in fin.* Adde *Inscript.* apud *Mommsen.* 652. . . . AELIO AVG. LIB. *Aurelio* APOLAVSTO PANTOMIMO *Augustalium* QQ. AGONISTAE TEMPORIS SVI PRIMO. etc. Ita *Mommsen.* correxit hanc *Inscript.*, quam male retulerat *Orell.* 2630.

ĂGŌNISTARCHĂ, æ, m. 1. (ἀγωνιστάρχης) Græcorum agonum, seu certaminum præfectus, cui parebant ii, qui in agonibus sese exercebant. *Inscript.* apud *Gruter.* 38. 5. M. AVRELIVS M. AVG. LIB. APOLLONIVS AGONISTARCHA COMMODIANVS.

ĂGŌNISTĬCUS, a, um, adject. ad agona, seu certamen pertinens. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. Convenit igitur corpus exercere gestatione plurima ac perseveranti –: item lectione et vocis exercitio vehementi, vel meditatione modulationis agonisticæ, et celeri gressu, quo magis labor suratum fiat. *Tertull. Coron. mil.* 13. Numquid et agonisticæ causæ disputabuntur, quas etc. *Augustin. Ep.* 255. 7. Nec solum comminantur, sed et violentissimis aggressionibus deprædentur, auctoribus et ducibus et in ipso scelere principibus agonisticis confessoribus vestris, qui etc.

ĂGŌNIUM, ii, n. 2. Proprie est adjectivum ab agone substantivorum more usurpatum, et est ¶ 1. Ipse festus Agonaliorum dies. *Paul. Diac. p.* 10. 5. *Müll.* A g o n i u m dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat. ¶ 2. Est etiam Circus Agonalis extructus in nona Urbis regione. *Paul. Diac. p.* 10. 8. *Müll.* A g o n i u m id est ludum, ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo; cujus festa Agonalia dicebantur.

ĂGŌNĪZO, as, are, n. 1. (ἀγωνίζεσθαι) certo, contendo. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 4. 27. Pro justitia agonizare.

ĂGŌNŎTHESĬA, æ, f. 1. Ἀγωνοθεσία, quemadmodum Græce legitur apud *Ulp. Dig.* 10. 2. 20. § 7.; est enim Græca vox ab ἀγών *certamen* et τίθημι *pono*, hoc est agonis seu certaminis designatio; estque Græca significatione munus agonothetæ. *Imppp. Gratian.*, *Valentinian.* et *Theod. Cod. Theod.* 12. 1. 109. Nec cogi ad agonothesiam volumus invitos.

ĂGŌNŎTHĔTĂ vel Ăgōnŏthĕtēs, æ, m. 1. (ἀγωνοθέτης). Græca significatione est præses agonum seu certaminum. Is purpura indutus curruque per circum vectus, honoratiore loco sedebat, certatores admittebat, victoribus præmia dividebat. Hinc nonnumquam ab ipsis Romanis imperatoribus hoc munus peractum est.

I.) Proprie. *Spartian. Hadrian.* 13. Multa in Athenienses contulit et pro agonotheta resedit. Adde *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 17., *Cod. Theod.* 16. 9. 2., et *Inscript.* apud *Gruter.* 499. 6. et aliam apud *Murat.* 621. 6., quæ apud *Orell.* est 4024. *Inscript.* apud *Henzen.* 6136. CN. DOTTIO DOTTI MARVLLINI FIL. SER. PLANCIANO PATR. COL. FLAM. IIVIR. II. QQ. MVNER. II. ET AGONOTHE. PERP. CERTAM. QQ. TALANT. (*h. e.* munerario iterum et agonothetæ perpetuo cer-

tamiuis talantini) ASIARCH. TEMPL. SPLEND. CIVIT. XPHES. (*h. e.* Asiarchæ templorum splendidissimæ civitatis Ephesi) EX LIBERAL. SVA ELECT. AGONOTHET. PERP. (*h. e.* agonothetæ perpetuo).

II.) Metaphorice. *Tertull. ad Martyr.* 3. Bonum agonem subituræ estis, in quo agonothetes Deus vivus est.

ĀGŌNŎTHĔTĬCUS, a, um, adject. (ἀγωνοθετικός) ad agonum designationem pertinens. *Agonothetici fundi* et *Agonotheticæ possessiones*, de quibus mentio fit in *Cod.* 11. 61. 14. et *ibid.* 69. 5., dicuntur, qui agonum seu certaminum sumptibus deputati erant.

ĀGŎRĀNŎMUS, i, m. 2. (ἀγορανόμος) magistratus apud Græcos, qui foro rerum venalium præerat, habebatque circa annonam idem munus, quod ædilis apud Romanos. *Plaut. Capt.* 4. 2. 43. Edictiones ædilicias hic habet quidem mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Ætoli agoranomum. Adde *eumd. Curc.* 2. 3. 6.

ĀGRĀLIS, le, adject. (ager) idem quod agrarius. *Fronto de Colon. prope fin.* Testimonia sive vocabula agralia.

ĀGRAMMĂTUS, a, um, adject. (ἀγράμματος) qui litteras penitus nescit. *Vitruv.* 1. 1. 13. Non enim debet, nec potest esse architectus grammaticus, uti fuit Aristarchus, sed non agrammatus. *Agrammatos* Græca positio est, unde apud *Forcellinum* habetur *Agrammatos, i, m.* 2. *Cassiod. Instit. divin. litt.* 28. Sed cum multi agrammati ad verum intellectum perveniant rectamque fidem percipiant cælitus aspiratam etc.

ĀGRĀRĬENSIS, is, f. 3. hoc est navis: juxta *Gothofr.* Agrarienses naves erant lusoriæ, quæ in flumine (*Danuvio*) ludentes hærebant, sive non discurrebant, sed erant statariæ et interea dum Judiciariæ specularentur, in conflictus specula munitissima statione degebant. *Cod. Theod.* 7. 17. 1. Per singulos annos – quatuor Judiciariæ in Mysiaco limite et decem Agrarienses; in Scythico vero quinque Judiciariæ et duodecim Agrarienses naves de integro constructæ instrumentisque suis universis armatæ etc.

ĀGRĀRIS, is, m. 3. agricola, homo agrarius. *Aurel. Vict. Epit.* 41. Agraribus sane ac rusticantibus, quia ab eo genere ortus altusque erat, satis utilis. *Ita legi in plerisque MSS. et quibusdam etiam edit., optimis codicib. testatur* Gruter. *cum aliis multis.*

ĀGRĀRĬUS, a, um, adject. ad agros pertinens (It. *attenente a campi, agrario*; Fr. *relatif aux champs, agraire*; Hisp. *relativo al campo*; Germ. *den Acker betreffend*; Angl. *of or belonging to land*). — a) Proprio et stricto sensu. *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. § 22. Agraria via. *h. e.* quæ est in agris, vel in agros ducit. *Agrariæ stationes*, et absolute *agrariæ* dicebantur præsidia militum, quæ in castellis et aggeribus publicis explorandi causa constituebantur; sic dictæ, ut distinguerentur a castrensibus stationibus. *Ammian.* 14. 3. Quia Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis et stationibus servabantur agrariis. *Veget.* 1. *Milit.* 3. Si longior expeditio emergit, in agrariis plurimum detinendi sunt tirones, proculque habendi a civitatis illecebris. Adde *eumd.* 2. 22. *Auct. de re milit.* in *Notit. Dignitat. Imp.* Quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat, vigiliis in his et agrariis exercendis. *Aurel. Vict. Epit.* 40. Galerius ortus parentibus agrariis. *Inscript.* apud. *Orell.* 3225. Mensor agrarius. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 37. 13. Cum operario agrario. — b) Latiori seu civili sensu agrarius dicitur qui pertinet ad rei publicæ agros, hoc est ad regiones armis subactas (V. AGER 3. *a.*), et præcipue ad eorumdem agrorum divisionem. *Cic.* 1. *Att.* 19. 4. Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur auctore Pompejo. *h. e.* lex de dividendis plebi agris publicis, (nunquam, inquit *Liv.* 2. 41., sine maximis motibus rerum agitata. Cœpit autem ferri circa ann. U. C. 268). Adde *Liv.* 4. 36. et alibi sæpe. Leges agrarias latas a C. Cæsare et Nerva Impp. de non movendis loco terminis agrorum privatorum memorat *Callistrat. Dig.* 1. 47. *tit.* 21. *qui* De termino moto *inscribitur* 1. § 1. *fragm.* 3. *pr.* Hinc et *agraria* absolute dicitur, hoc est lex. *Cic.* 1. *Att.* 18. 6. Agraria autem promulgata est a Flavio, sane levis, eadem fere quæ fuit Plotia. *Id.* 1. *ibid.* 14. Hæc tota ratio agraria. *h. e.* totum hoc consilium de agris dividundis. *Id.* 2. *Off.* 22. 78. Rem agrariam tentare. *h. e.* niti, ut lex agraria perferatur. *Id.* 2. *Att.* 15. 1. Facultas agraria. *h. e.* possibilitas statuendi agrorum divisionem. *Id. ibid.* 16. 1. Expectatio largitionis agrariæ. *Liv.* 4. 47. Seditiones agrariæ. *Id.* 27. 21. Triumvir agrarius. *h. e.* qui agro dividendo et assignando colonis præest. — Hinc

Agrarii, *orum* dicuntur qui agros cupiunt, et agrariam legem, ut perferatur, cupide et seditiose student. *Capitolin. Pertin.* 9. Cum oppressis fenore possessoribus latius suos teneret fines (*Pertinax*), ex versu Luciliano *Agrarius Mergus* est appellatus. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 4. Qui (*Gracchus*) agrarios concitare conatus est. *Id.* 7. *Phil.* 6. 18. Non sollicitabit rursus agrarios. *Liv.* 3. 1. Agrarii se in spem legis erexerant.

ĀGRĀTĬCUM, i, n. 2. (ager) quod persolvitur nomine redituum ex agris. *Cod. Theod.* 7. 20. 11. Nihilque illis, qui messium tempus adsolent aucupari, agratici nomine deferatur.

ĀGRĒDŬLA. *V.* ACREDULA.

AGRESTA, æ, f. 1. videtur idem atque omphacium, quam vocem V. apud *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Item decoctio ex plantagine, aut agresta et intybo, quod cichorion Græci vocant.

ĀGRESTĪNUS, a, um, adject. (agrestis) in agro nascens, agrestis, incultus. *Commodian. Instruct.* 67. 7. Inter agrestina benefactis lilia sitis. — De cognomine. *V.* ONOM.

ĀGRESTIS, e, adject. (ager). Comp. *Agrestior* et Superl. *Agrestissimus.* II. 2. Proprie agrestis est qui in agris vel ex agris est, vel ad agros pertinet; et differt a rustico, ut in Homonym. in fin. (It. *campestre, villereccio, rusticano, agreste*; Fr. *des champs, champêtre, agreste*; Hisp. *campestre, campesino*; Germ. *auf dem Felde oder Lande befindlich, dem Felde oder Lande eigenthümlich*; Angl. *belonging to the fields, rustic, rural*).

I.) Proprie — a) De plantis. *Cic.* 7. *Verr.* 38. 99. Agrestes palmæ. *Virg.* 7. *Æn.* 111. poma. *Colum.* 6. *R. R.* 31. 2. hedera. *Id.* 9. *ibid.* 45. pastinaca. *Horat.* 3. *Od.* 18. 14. frondes. *Tibull.* 2. 5. 28. laurus. *Colum.* 8. *R. R.* 8. semina. *h. e.* grana in agro serenda. *Ovid.* 14. *Met.* 872. saltus. *Id.* 7. *ibid.* 205. silva. — b) De brutis. *Varro* 2. *R. R.* 7. 8. et 3. *ibid.* 7. 1. columbæ. *Id.* 3. *ibid.* 6. 2. et *Curt.* 9. 1. 13. pavonum grex. *Ovid.* 15. *Met.* 373. tineæ. *Liv.* 41. 13. taurus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (74). Tauri silvestres majores agrestibus. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 9. mures. — c) De hominibus eorumque rationibus. *Cic.* 2. *Att.* 16. 4. Te in Arpinati videbimus, et hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti. *Nep. Pelop.* 2. Vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. *Id. Datam.* 3. Agreste amiculum. *Liv.* 1. 40. ferramentum. *Virg.* 1. *G.* 343. pubes. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (44). Agrestes feminæ monilium vice succina gestantes. *Tibull.* 2. 5. 28. et *Juvenal.* 13. 39. falx. *Virg.* 11. *Æn.* 682. sparus. *Id.* 5. *ibid.* 40. gaza. *h. e.* fructus. *Id.* 11. *ibid.* 67. stramen. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 29. Res agrestis. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. Opera agrestia. *Id.* 11. *ibid.* 1. 16. negotium. *Virg.* 2. *G.* 531. palæstra. *h. e.* quæ fit in agris. *Lucret.* 5. 1397. Musa. *Virg.* 6. *Ecl.* 8. Musa agrestis. *h. e.* poesis. *Id.* 3. *Æn.* 34. Nymphæ. *Horat. de Art. P.* 233. Satyri. *Sall. Jug.* 18. *et* 73. Numidæ agrestes. *h. e.* qui in agris, vel ex agrorum cultura vivunt. *Liv.* 9. 38. Nolani. — d) Hinc substantive *agrestis, is*, et plurali præcipue numero *agrestes, ium* (vel etiam *agrestum*, ut apud *Ovid.* 14. *Met.* 653.) sunt homines rustici, qui in agris degunt. *Tibull.* 1. 1. 39. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula. *Lucret.* 5. 1379. Et Zephyri cava per calamorum sibila primum Agrestes docuere cavas inflare cicutas. *Cic. Mur.* 29. 61. Et quoniam non est nobis hæc oratio habenda cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium etc. *Liv.* 1. 14. Inde ad lævam versi – cum magna trepidatione agrestium populantur. *V. eumd.* 3. 6. et *Drakenborg.* ad h. l. *Virg.* 9. *Æn.* 11. Lydorumque manum, collectos armat agrestes. *Ovid.* 9. *Met.* 340. tardi. *Curt.* 3. 8. 24. pavidi.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice est ferinus. *Ovid.* 9. *Met.* 96. vultus Achelous agrestes Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis. *Propert.* 2. 21. 13. *de Io*: agrestem detraxit ab ore figuram Jupiter. *Seneca Agamemn.* 733. Alumnus agrestis. *h. e.* Ægisthus, quia in agris a capris nutritus fuit: qui *Senecæ* locus a *Forcellino* ad n. I. sup. refertur. ¶ 2. *Agrestis* ponitur pro rudi, inculto, duro, quales esse solent agrestes homines. *V.* et Homonym. in fine. — a) Ita ut propria significatio haud omnino excludatur. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 35. 95. Ligures duri atque agrestes: docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multâ culturâ et magno labore quæsitum. *Sall. Cat.* 6. Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. *Plin.* 6. *Ep.* 30. Rusticorum prædiorum administratio poscit durum aliquem et agrestem. *h. e.* durum ut est agrestis homo, quin tamen in malam partem accipiatur. — b) Generatim est rudis, inurbanus, indoctus, durus. *Ter. Adelph.* 5. 4. 12. Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax duxi uxorem. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 115. Sed sunt quidam – ita vultu motuque corporis rustici atque agrestes, ut etiam si ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. *Id.* 1. *Legg.* 14. 41. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant. *Id. post red. in senat.* 6. 13. Quem – etiamsi agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putasti. *Id Senect.* 14. 47. Dominus agrestis ac furiosus. *Id. Mil.* 9. 26. Servi agrestes, barbari. *Id.* 5. *Tusc.* 27. 77. Quæ barbaria Indiâ vastior aut agrestior? *Id. Arch.* 7. 17. et *Quintil.* 1. 10. 9. Animus agrestis ac durus. *Ovid. Heroid.* 15. 207. pectus agreste. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 39. Vox rustica et agrestis. Adde *Quintil.* 6. 3. 107. et 9. 4. 56. *Cic.* 1. *Off.* 36. 130. Agrestis et inhumana negligentia. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 60. Agrestis immanitas. *Id.* 2. *Orat.* 3. 10. Nec vero te – Rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor. *Id. Orat.* 3. 12. Quas (causas), ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. *h. e.* Jurisprudentiæ et ceteris artibus, quæ non comprehenduntur humanitatis nomine, nec elegantiæ quidquam aut suavitatis habent. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Sed podagram Græci etiam ab impedimento vel retentione pedum ajunt nominatam, vel a ferali dolore, siquidem omne, quod immite fuerit, abusive *agreste* vocamus. *Cassiod.* 7. *Ep.* 4. Rhætias sic appellatas judicamus, quando contra feras et agrestissimas gentes veluti quædam plagarum obstacula disponuntur.

Homonym. Propria significatione *agrestis* et *rusticus* in eo differunt, quod *agrestis* est is qui in agro vivit et operatur, opponiturque rustico sive homini rure degenti; *rusticus* vero opponitur *urbano* sive homini in urbe degenti: juxta illud *Cels.* 1. 1. Sanum oportet – modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro. Allatum discrimen, quamvis vocibus metaphorice adhibitis, confirmare videtur *Liv.* 7. 4. Naturalem vigorem – extinguere vita agresti et rustico cultu. Sed tamen *Horatius* sine ullo discrimine hæc usurpat; ait enim 2. *Ep.* 6. 80. Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo. At *ibid.* v. 97. Hæc ubi dicta Agrestem pepulere. Adde *ibid.* v. 107. — Translata significatione *agrestis* cum *rustico* sæpe conjungitur, ita tamen ut *agrestis* aliquid pluris sive immitioris significet quam *rusticus*; ac præterea *agrestis* opponatur *humano*, *rusticus* autem *urbano*, ille etiam legibus a natura ipsa constitutis, hic legibus tantum a culta hominum societate firmatis adversetur. *Cic. Rosc. Am.* 27. 75. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est. *Id.* 10. *Phil.* 10. 22. Sollicitant homines imperitos Saxa et Cafo, ipsi rustici atque agrestes. *Id. in Clod. et Cur.* 4. 2. Quid homini Arpinati cum Bajis agresti ac rustico? *Id.* 1. *Orat.* 8. 33. Quæ vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere? *Vitruv.* 2. 1. 6. E fera agrestique vita ad mansuetam perduxerunt humanitatem. *Cic. Partit. or.* 25. 90. Hominum duo esse genera, alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati, alterum humanum atque expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. *Quintil.* 6. 3. 17. Urbanitas – sumpta ex conversatione doctorum tacita eruditio; cui contraria est rusticitas.

ĀGRESTĬUS, adverb. compar. (agrestis). Translate tantum occurrit, et est durius, rudiori modo. *Spartian. Hadrian.* 3. Cum orationem imperatoris in senatu agrestius pronuncians risus esset.

AGRĬCĬOR, ōris, adject. comparat. *Auct. Itiner. Alex. M* (edente *A. Mai.*) 62. Sed ferventius obvians, re provisa, plerosque Alexander disjicit, nec obsequi consilio sinit, adeo torrenti turbine et alacritate, uti Darius ipse, exemplo hostis et pudore agri-

cior etc. Ita *Cod.* Videtur *Maio* esse hellenismus pro ἀγροικότερος, (quemadmodum et *Klotz*); quamquam sententia duci videtur ab ἄγριος ferox. *Belley* putat, si quid mutandum, legendum esse *agroicior*. Videriat eruditi.

ĀGRĬCŌLA, æ, m. 1. (ager et colo). *Agricolum* pro *agricolarum* dixit *Lucret.* 4. 587. (590). Et genus agricolum late sentiscere etc. — Agricola est cultor agri: est autem nomen generale; nam agricolarum alii aratores sunt, alii vinitores, nonnulli arboratores, multi etiam pastores: neque eos solum complectitur, qui in agris degunt, sed quicumque agrorum cultura rusticaque exercitatione delectantur (It. *agricoltore*; Fr. *agriculteur*; Hisp. *agricultor*; Germ. *der Landbebauer*, *Landmann*; Angl. *a husbandman*, *agriculturist*, *farmer*). *Cato R. R.* 1. 2. Et virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. *Id. ibid.* § 4. At ex agricolis et fortissimi viri et milites strenuissimi gignuntur. *Cic. Rosc. Am.* 16. 47. Qui suos liberos agricolas assiduos esse cupiunt. *Id. Dejot.* 9. 27. Dejotarus diligentissimus agricola. *Id.* 1. *Tusc.* 14. 31. Agricola diligens. *Nep. Cat.* 3. solers. *Flor.* 1. 11. 13. triumphalis. *Colum.* 1. *R. R. præf.* 32. perfectus. *Id.* 11. *ibid.* 1. Agricolæ peritissimi. *Virg.* 2. *G.* 468. fortunati. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 139. fortes parvoque beati. *Virg.* 7. *Æn.* 521. indomiti. *Id.* 12. *ibid.* 292. miseri. *Colum.* 9. *R. R.* 2. 5. negotiosi. *Lucret.* 5. 1356. severi. *Virg.* 1. *G.* 47. agricola avarus. *Propert.* 2. 19. 8. pauper. *Martial.* 12. 77. ebrius et crudus. *Tibull.* 2. 1. 36. Redditur agricolis gratia Cælitibus. *h. e.* diis, qui agrorum culturæ præsunt, Ceres, Bacchus, Fauni et similes. *Varro* 1. *R. R.* 1. 4. Agricolarum duces di. — *NB.* De Agricola cognomine Romano *V.* ONOM.

ĀGRĬCŌLĀRIS, e, adject. (agricola) ad agricolas spectans. *Pallad. Insition.* 3. Bis septem parvos, opus agricolare, libellos.

ĀGRĬCŌLĀTIO, ōnis, f. 3. (agricola) agrorum cultura, quæ tamen tamquam scientia spectetur (It. *agricoltura*, *agraria*; Fr. et Hisp. *agriculture*; Germ. *die Lande-oder Ackerbauwissenschaft*; Angl. *husbandry*, *agriculture*). Occurrit tantum apud *Colum.* 1. *R. R. præf.* 6. Agricolationis neque doctores, neque discipulos cognovi. *Id.* 1. *ibid.* 1. 1. Agricolationi studium dare. *Id.* 1. *ibid.* 1. 12. Agricolationem Romana civitate donare, primum instituere, diligentius erudire, eloquentem reddere, expolire, carminum potentem facere. *Id.* 4. *ibid.* 1. 1. Studiosi agricolationis. — NB. Etiam *Ciceroni* tribuitur a quibusdam *Senect.* 16. 56. Qui se agriculatione oblectabant. Verum alii plerique rectius legunt *agri cultione* vel *agricultione*.

AGRICOLATOR, oris, m. 3. agri cultor. Legitur apud *Plin.* 1., ubi dicitur summatim inesse libro decimo octavo *natura frugum et cerealium*, *ac studia agricolatoris*. Sed *Harduin.* et *Sillig.* aliter ediderunt ex MSS.

ĀGRĬCŌLOR, āris, ari, dep. 1. (agricola) agrum colere. *Capitolin. Albin.* 11. *ad fin.* Agricolandi peritissimus, ita ut etiam georgica scripserit. Adde *Salvian.* 2. *contra Avarit.* p. 73.

ĀGRĬCULTĬO *vel* **AGRI CULTIO**, ōnis, f. 3. *V.* CULTIO.

ĀGRĬCULTOR *vel* **AGRI CULTOR**, ōris, m. 3. *V.* CULTOR.

ĀGRĬCULTŪRA *vel* **AGRI CULTURA**, æ, f. 1. *V.* CULTURA.

ĀGRĬFŎLIUM, ii, n. 2. *V.* ACRIFOLIUM et AQUIFOLIUM.

ĀGRĬMENSOR *vel* **AGRI MENSOR**, ōris, m. 3. *V.* MENSOR.

ĀGRĬMENSŪRA *vel* **AGRI MENSURA**, æ, f. 1. *V.* MENSURA.

AGRIMONIA. Est falsa lectio. *V.* ARGEMONIA vel ARGIMONIA.

ĀGRĬON, ii, n. 2. Agrion Græci appellant genus quoddam raphani silvestris ab ἄγριος *ferus*, *silvester*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (81). Raphani genus silvestre Græci agrion vocant. *Veget.* 3. *Veterin.* 59. Semen agrii. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 2. p. 308.) hanc exhibet synonymiam: Ῥαφανὶς ἀγρία Dioscor. 2. 138., Ἀρμορακία Romanorum juxta Galen. de Fac. alim. 2. p. 622., Ῥαπία incolarum Asianorum juxta Galen. l. c., Ῥαφανίδες Philox. in Gloss., *Armoracia*, *Armon*, Pont., Λευκὴ καὶ ἀγρία Græcorum sunt *Raphanus silvestris* Plin. l. c., *Raphanus rusticanus* Lobel, *Cochlearia armoracia* L. Spec. plant. 904., *Raphanus maritimus* Smith Engl. bot. 613.

AGRIOPHAGIA. V. AEROPHAGIA.

ĀGRĬŎPHYLLON, i, n. 2. (ἀγριόφυλλον) herba eadem, quæ peucedanum. *Apul. Herb.* 95.

ĀGRĬOS *vel* Agrius, a, on *vel* um, adject. (ἄγριος). Græca vox, quæ significat agrestem, silvestrem, et in scientiis tantummodo occurrit vocibusque Græcis potissimum jungitur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 13. (17). Astaphis agria. *Pallad.* 1. *R. R.* 27. 2. Astaphis agria. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 14. (19). Agria ampelos. Adde 26. *ibid.* 10. 61. (94). et alibi sæpe. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (106). Agrium nitrum *h. e.* species nitri villosis et terra mixti.

ĀGRĬPĔTA, æ, m. 1. agri petitor, h. e. qui legem poscit agrariam, nimirum ut agro publico diviso portio aliqua sibi assignetur, et generatim qui alicuus possessiones invadit. *Cic.* 15. *Att.* 29. 3. Servulos autem dicere eum et agripetas ejectos a Buthrotiis. *Id.* 16. *ibid.* 1. 2. Sed quid est, quæso, quod agripetas Buthroti concisos audio? *Id.* 1. *Nat. D.* 26. 72. Quod in eam (*Samum insulam*) pater ejus Neocles agripeta venerat, sed cum agellus eum non satis aleret, ut opinor, ludi magister fuit.

ĀGRIPPA, æ, m. 1. qui nascendo pedes prius exerit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (45). In pedes procedere nascentem contra naturam est: quo argumento eos appellamus agrippas, ut ægre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo ad hunc modum genitis. *Varro* apud *Gell.* 16. 6. et *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 682., et *Quintil.* 1. 4. 25. eadem fere habent: at *agrippa* Græca vox est, ut legitur apud *Vet. Theocriti Scholiast.*, ex ἄγρα præda et ἵππος equus, h. e. equus venaticus. V. *Salmas. Castigat. Plinian.* P. 1. p. 31. et *Suidam in voce*; quibus recentiores Philologi facile assentiuntur. Ceterum *Agrippæ* Romanorum multi appellati sunt, de quibus *V.* ONOM.

ĀGRĬUS, a, um. *V.* AGRIOS.

ĀGROSTIS, is, f. 3. species herbæ, foliis parvis calami similibus, atque virgultis per terram serpentibus geniculosis, radice geniculata, dulci, et quæ glutinandis vulneribus utilis est. Latini *gramen* vocant. A quibusdam putatur esse *dente canino* apud Italos. Ideo autem Græco nomine *agrostis* dicitur, quia ubique in agris et ruri nascitur. *Apul. Herb.* 77.

ĀGRŌSUS, a, um, adjectivum ab *agro* deductum, quod videtur locupletem significare, id est qui multos agros possidet, et occurrit tantum apud *Varr.* 5. *L. L.* 13. p. 6. *Mull.* Si ab agro ad agrosum hominem, ad agricolam pervenero. *Nisi forte, ut recte dubitat* Klotz, *legendum sit* ad agrorum hominem.

ĀGRYPNĬA, æ, f. 1. insomnia, vigilia, ἀγρυπνία, ab α privativo et ὕπνος *somnus*, additis per pleonasmum litteris γρ. *Capell.* 2. p. 27. Ancilla, cui Agrypnia vocabulum est.

AGUMENTUM, i, n. *V.* AUGUMENTUM.

AGUNCULA, æ, f. 1. Legit hanc vocem et pro imaguncula interpretatur *Pareus* in *Lex. Plaut.* apud *Sueton. Ner.* 56. et apud *Cic.* 6. *Att.* 1. 25.; sed apud *Sueton.* legendum *icuncula*, apud *Cic.* vero *planguncula*.

AH

ĀH, interjectio. — Scribitur et *a* sine aspiratione, quod docet etiam *Priscian. sub fin. l.* 15 Etiam *Pierius* apud *Virg.* 1. *Ecl.* 15., 2. *Ecl.* 60. et 3. *Ecl.* 47., addito testimonio *Probi Grammatici*, in Mediceo et Romano codice *a* sine aspiratione se legisse testatur. *V.* et *Hand. Tursell.* 1. p. 212. et seq. — Falso autem putat *Priscian.* 1. p. 570 *Putsch.* factum *ah* per apocopen ab *aha*. — Hæc porro interjectio variis affectibus exprimendis est apta. ¶ 1. Interdum enim est dolentis, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 4. 4. 99. Ah, perii, video cistellam. *Ter. Heaut.* 5. 1. 61. Ah, nescis quam doleam. *Id. Andr.* 4. 1. 25. Ah, nescis quantis in malis verser miser. *Id. Phorm.* 3. 1. 10. ANT. Ecquid spei porro est? GET. Nescio. ANT. Ah. *Virg.* 1. *Ecl.* 15. Spem gregis, ah, silice in nuda connixa reliquit. *Propert.* 2. 30. 1. Quo fugis, ah, demens? — *b*) Sequente Accusativo, qui tamen ab interjectione minime pendet. *Ter. Andr.* 1. 5. 17. Num quid ego dicam de patre? ah, tantam rem tam negligenter agere! *Id. Adelph.* 3. 2. 11. Ah, me miserum, vix sum compos animi. *Et ibid. v.* 31. Ah, me miseram, quid jam credas? *Catull.* 21. 10. Nunc ipsum id doleo, quod esurire, Ah me, me, puer, et sitire discet. *Al. tamen aliter leg.* ¶ 2. Sæpius est renuentis ea, quæ aut alii volunt vel affirmant, aut ipsi velle vel affirmare visi sumus. — *a*) Cum propositione affirmativa. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 24. ST. Quid reddam? EV. Ah, nugas agis. Certe habes. *Id. Cas.* 2. 6. 14. CL. Tibi daretur illa? ST. Mihi enim? ah, id non volui dicere. *Id. Trin.* 3. 2. 22. Ah, non ita est. *Ter. Heaut.* 1. 1. 39. Ah, non æquum facis. *Id. Adelph.* 1. 2. 47. Ah, si pergis, abiero. *Ter. Eun.* 5. 2. 50. Emoriar, si non hanc uxorem duxero. TH. Tamen si pater quid .... CH. Ah, volet, certo scio. *hoc loco per illud ha dubium rejicitur*: *Forcellinus* vero unum hunc *Ter.* locum singulari paragrapho adscribit atque interjectionem solantis et bonum animum habere jubentis esse affirmat. *Ter. Hec.* 5. 1. 17. Meum receptas filium ad te Pamphilum. BA. Ah. LA. Sine dicam. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285. Ejero, inquit, iniquus es. Cum esset admurmuratum: Ah, inquit, patres conscripti, non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus. *Forcellinus* in postremis duobus *Ter.* et *Cic.* locis interjectione contradictioni servire ait. — *b*) Cum particulis negativis; et cum Imperativis prohibendi præsertim, ita ut sit interjectio dehortantis. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 66. Ah, minime. *Ter. Adelph.* 3. 2. 44. Ah, minime gentium. *Id. Phorm.* 2. 2. 11. Ah, non est ita. *Plaut. Amph.* 1. 3. 22. JUP. Verbero, quoi pol ego jam hoc scipione .... ALCM. Ah, noli. *Id. Rud.* 3. 3. 19. Ah, desine, nimis inepta es. *Ter. Andr.* 1. 6. 8. Ah, desine. *Id. ibid.* 5. 2. 27. Ah, ne sævi tantopere. — Huc referri possunt et illa *Plaut. Most.* 3. 1. 50. Ah, gere morem mihi. *Id. Truc.* 1. 2. 92. Ah, obsecro, tace. *Ter. Adelph.* 1. 2. 32. Ah, ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 50. Ah, placide volo unumquidque agamus. ¶ 3. Interdum causam significat stuporis, quo capimur cum nobis improvidis necopinantibus res accidit aliqua. *Ter. Andr.* 3. 1. 10. Quid hoc? adeone est demens? ex peregrina? jam scio: ah, vix tandem sensi stolidus. *Id. Adelph.* 4. 7. 6. Ah, stulte. *Id. Andr.* 5. 1. 9. Ah, rogitas? *Forcellinus* in hisce tribus *Ter.* locis indignantis et increpantis interjectionem esse affirmat. *Id. ibid.* 4. 1. 4. Ah, idne est verum? *Plaut. Aulul.* 5. 20. LY. Redde, inquam, ut huic reddatur. ST. Ah, unde? *Id. Bacch.* 4. 7. 11. Ah Bellerophontem tuus me fecit filius. *Forcellinus* legebat *aha*. *Ter. Phorm.* 3. 2. 18. Ah, quid istuc autem est? *Et ibid.* 1. 4. 17. Ah, sanusne es? Huc referri potest et illud *Plaut. Curc.* 1. 2. 30. AN. Male tibi di faciant. PA. Dic isti. AN. Ah. PA. Quid est? ecquid lubet? AN. Lubet. *Forcellinus* h. l. interject. ridentis et gaudentis ait. ¶ 4. Interdum est detestantis. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 272. Ah, pereant per quos munera crimen habent. *Propert.* 1. 2. 12. Ah, pereat si quis lentus amare potest. *Id.* 1. 11. 30. Ah, pereant Bajæ crimen amoris aquæ! *Id.* 3. 1. 17. Ah, valeat Phœbum quicumque moratur in armis. *Ovid. Heroid.* 19. 105. Ah, potius peream, quam crimine vulnerer isto. ¶ 5. Sæpissime est etiam admirantis, præcipue sequentibus *qui*, *qualis*, *quantus*, *num* etc. *Plaut. Truc.* 2. 4. 20. Ah, hoc est mel melli dulci dulcius. *Ter. Phorm.* 3. 3. 8. Ah, dictum sapienti sat. *Id. Eun.* 5. 6. 8. Ah, non possum satis narrare, quos præbueris ludos intus. *Ter. Adelph.* 4. 7. 15. Ah, nescis qui vir sit. *Id. Eun.* 4. 6. 20. Ah, metuo qualem tu me hominem esse existimes. *Plaut. Asin.* 3. 2. 2. Ah, quanto amplius valerem, si hic maneres. *Ter. Andr.* 2. 1. 6. Ah, quanto satius est te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas! *Propert.* 2. 21. 1. Ah, quantum de me Panthi tibi pagina finxit! *Ovid. Heroid.* 5. 49. Ah, quoties, cum te vento quererere teneri, Riserunt omnes. Adde 9. 79. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 31. Ah, nimium ferus es. *Ter. Heaut.* 3. 1. 30. Ah, vehemens utramque in partem, Menedeme, es nimis. *Propert.* 2. 21. 15. Ah, nimium faciles aurem præbere puellæ.

AHA, interjectio, idem fere quod *ah*; immo quamvis falso, *Priscian.* 4. p. 570. *Putsch.* ex *aha* per apocopen *ah* factum existimat. A *Forcellino* legebatur apud *Plaut. Truc.* 4. 4. 36., *Bacch.* 1. 1. 54. et 4. 7. 11., in quibus nunc pro *aha* legitur *ah*; item apud eumd. *Rud.* 2. 4. 6. ubi nunc leg. *ahah*. V. voc. seq.

ĀHĀH, interjectio, idem ferme quod *ah*, nisi quod per repetitionem majori vi donatur. *Plaut. Rud.* 2. 4. 6. Ahah, nimium familiariter attrectas. *Horat. Epod.* 5. 71. Ahah, solutus ambulat veneficæ Scientioris carmine.

AHAHE *V.* AHU.

ĀHĒNĀTŎR, ōris, m. 3. pro *aeneator* legitur apud *Ammian.* 16. 12. 36. *V.* AENEATOR.

ĀHĒNEUS, a, um. *V.* AENEUS.

ĀHĒNĬPES, ĕdis, *V.* AENIPES.

ĀHĒNUM, i. *V.* AENUM.

ĀHĒNUS, a, um. *V.* AENUS.

AHEU. *V.* AHU.

ĀHŌRUS, *vel* Aorus, ἄωρος, Græce dicitur, qui immatura morte præventus est: ab *a* privativo, et ὥρα, tempus. Utitur *Tertull. Anim.* 57.; ubi et *biæothānatos* legitur, quæ vox itidem Græca est βιαιοθάνατος, et significat eum, qui violenta morte perit, a βίαιος, violentus, et θάνατος, mors.

AHU *vel* Aheu *vel* Ahahe, interjectio index animi perturbati. *Ter. Eun.* 5. 2. 60. Ahu, tace obsecro. *Alii leg.* au; *recentiores vero* ah.

AI

AI plura significat: est enim

I.) Antiqua apud Latinos diphthongus pro *ae*, quæ interdum et diæresi dividebatur. *V.* AE.

II.) Est Græca interjectio αἶ dolentis et lamentantis. *Ovid.* 10. *Met.* 215. his litteris inscriptum fuisse ait florem, qui ex sanguine Hyacinthi pueri, ictu disci occisi, natus est, quibus dolor Phœbi amantis declarabatur. Alii hoc ipsum de flore Ajacis narrant. Versus *Ovidii* sunt: Nec satis hoc Phœbo est (is enim fuit auctor honoris); Ipse suos gemitus foliis inscribit, et ai Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est. *Colum.* 10. *de arb.* 174. Et male damnati mœsto qui sanguine surgunt Æacii flores. *Ovidii* locus ad Hyacinthum refertur, *Columellæ* ad Ajacem: sed hic vult *Heins.* legi *Æacidæ*.

III.) Est etiam Imperat. verbi AJO, quod *V.*

AJENS, entis, particip. verbi AJO, quod *V.*

AJENTĬA, æ, f. 1. (ajo) affirmatio. *Capell.* 4. p. 115. et 119. Ajentia opponitur negationi.

ĀĬGLEUCOS, n. (ἀεὶ γλεῦκος) vinum dulce, et quod musti naturam non amisit, cum numquam ferbuerit: ab ἀεὶ *semper* et γλεῦκος *dulcis*, ac proinde *mustum*. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (83). Medium inter dulcia vinumque est, quod Græci aigleucos vocant, *h. e.* semper mustum. Id evenit cura, quod fervere prohibetur: sic appellant musti in vina transitum. *Cato R. R.* 120. et *Colum.* 12. *R. R.* 29. eadem fere docent.

AIN *pro* aisne. *V.* AJO.

AJO, ais, ait, 3. Est verbum defectivum. — Olim *aiio*, *aiis*, *aiit* scribebant, atque ita factitatum a *Cicerone* docet *Quintil.* 1. 4. 11.; et sane *a* longa erat apud antiquos, ut etiamtunc *ajo* et *ajunt* confirmant: sed tum consuetudo, tum poetarum licentia (ut prima syllaba corripi posset) in pers. secunda et tertia *ais*, *ait*, alterum *i* extrivit. — Apud veteres Latinos occurrunt sæpe Indicativus temp. præs. *ajo*, *ais* aut *ain*, *ait*, *ajunt*, et imperf. *ajebam* etc.; item Conjunctivus temp. præs. *ajam*, *ajas*, *ajat*; raro autem Imperativus *ai*. Ceterum usitatiora tempora et personæ subjectis exemplis monstrantur. — Personæ vero ac tempora minus usitata sunt hæc. Infinitus *ajĕre* pro affirmare legitur apud *Augustin.* 9. *Trinit.* 10. Præteritum *ait*, *aisti*, *ait* affert *Probus Grammat.* p. 1482. *Putsch.*, et *aitis* secundam pluralem præsentis *Alcuin.* p. 2118. *Putsch.*, sed neuter exempla affert Latini scriptoris; quamquam *aisti* legitur apud *Augustin. Ep.* 54. *a med.* et *Ep.* 174. Denique *ajerunt* dixit *Tertull. Fuga in persecut.* 6. *ad fin.* — *Ait* tertia persona præteriti probari posse videtur illo *Ovid.* 11. *Heroid.* 49. Nec tenui vocem, Quid, ait, tua crimina prodis? Oraque clamantis conscia pressit anus. *Et Virg.* 2. *Æn.* 153. Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas – Testor numen, ait *etc.* Sed in his et similibus aliis, in quibus *ait* cum alio verbo præteriti temporis jungitur, non est necesse ipsum quoque esse præteritum. — Part. *Ajens* in fine. — *Aibant* pro *ajebant* per syncopen dixit *Accius* apud *Priscian.* 10. p. 906. *Putsch.* Quibusnam te aibant ortum locis. — Ajo est idem quod dico (It. *dire*; Fr. *dire*; Hisp. *decir*; Germ. *sagen*; Angl. *to say*, *speak*). ¶ 1. Sæpe ponitur pro affirmare, atque in eadem propositione verbum *negare* ei opponitur. *Nævius* apud *Priscian.* 10. p. 906. *Putsch.* An nata est sponsa prægnans? Vel ai, vel nega. *Plaut. Rud.* 2. 4. 14. Vel tu mihi ajas, vel neges. *Ter. Eun.* 2. 2. 21. Negat quis? nego. Ait? ajo. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 70. Quasi ego id curem, quid ille ajat aut neget. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 97. Contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat. Adde *Quintil.* 5. 12. 10. et *Gell.* 16. 2. *Cic.* 3. *Off.* 23. 91. Diogenes ait, Antipater negat, cui potius assentior. *Id. Rab. Post.* 12. 34. Quam ob rem? quia nunc ajunt, quod tum negabant. ¶ 2. Generatim sine ullo negandi verbo, est dicere, contendere, asseverare. — *a*) Si constructio non est directa, occurrit cum Accus., aut cum Accus. et Infinito, aut etiam cum duplici Accus. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 116. Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse. *Plaut. Capt.* 1. 1. 3. Scio absurde dictum hoc derisores dicere: at ego ajo recte. *Id. Men.* 3. 3. 8. Hoc est quod olim clanculum ex armario te surripuisse ajebas uxori meæ. *Ter. Andr.* 5. 4. 4. Nisi quid pater ait aliud. *Id. Eun.* 1. 2. 59. Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Insanam autem illam (*fortunam*) ajunt, quia atrox, incerta instabilisque sit. *Cic. Mur.* 12. 26. in antiqua juris formula: EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AJO. *Id.* 6. *Verr.* 14. 32. Ait ille idem sibi videri. *Id. ibid.* 28. 65. Isto ait se velle istuc etiam atque etiam considerare. Adde 6. *ibid.* 27. 63., 1. *Tusc.* 39. 94. et alibi sæpe. *Id. Senect.* 11. 36. Nam quos ait Cæcilius stultos senes, eos significat credulos. *Nep. Them.* 9. Si autem ait Artaxerxem eum venisse etc. Adde *Datam.* 11. et *Eumen.* 11. *Sall. Jug.* 85. Sordidum me et incultum moribus ajunt. *Id. Catil.* 49. Tarquinium a Cicerone immissum ajebant. Adde *Jug.* 100. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 68. Certe nescio quid secreti velle loqui te Ajebas mecum. *Sueton. Aug.* 18. Regem se voluisse ait videre, non mortuos. *Apul. Apolog.* Ajant deos abnuere. *Dig.* 1. 2. 2. § 40. Hunc Cicero ait jure consultorum disertissimum. — *b*) Sæpe verba ipsa, quæ prolata sunt, afferuntur directa constructione. *Cic. Orat.* 11. 36. Ennio delectior, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum. Pacuvio, inquit alius. *Cic.* 9. *Fam.* 10. 2. Velles enim, ais. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 5. O fortunati mercatores! gravis annis Miles ait. *Id.* 2. *ibid.* 7. 72. Non sum mœchus, ais. *Id.* 1. *ibid.* 9. 12. o te, Bollane, cerebri Felicem, ajebam tacitus. Adde illa *Virg.* 2. *Æn.* 153. et *Ovid. Heroid.* 11. 49. superius allata. *Liv.* 1. 26. Inter hæc senex, juvenem amplexus: Huncine, ajebat, quem – vidistis, Quirites, etc. *Curt.* 7. 2. 6. Qui terribili vultu intuens eum: Tum, ait, demens, lacrimare debueras etc. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 69. Quid ergo? Ajus iste loquens, quando eum nemo norat, ajebat et loquebatur et ex eo nomen invenit? — *d*) Eadem significatione *ait* pro edicit, ut *ait lex*, *ait prætor* etc., est usitata juris formula. *Dig.* 21. 1. 1. § 1. Ajunt ædiles: QVI MANCIPIA VENDVNT, CERTIORES FACIANT EMPTORES. *Ibid. fr.* 19. § 5. Deinde ajunt ædiles: EMPTORI etc. *Dig.* 49. 14. 16. Ait divus Trajanus: QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT etc. *Dig.* 2. 9. 1. *pr.* Prætor ait, *in eadem causa eum exhibere* etc. *Dig.* 24. 1. 32. Ait oratio, fas esse eum etc. *Dig.* 24. 3. 64. Dabit autem, ut ait lex Julia, quod ad eum pervenit. ¶ 3. Speciatim — *a*) *Ajunt* aut *ita ajunt* iis jungitur, quæ non a nobis, sed ab aliis tantum affirmata putari volumus. *Plaut. Curc.* 4. 2. 17. Qui constitit, culpant eum, conspicitur, vituperatur: eum rem fidemque perdere, tametsi nihil fecit, ajunt. *Ter. Andr.* 1. 2. 20. SIM. Omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt. DAV. Ita ajunt. *Id. ibid.* 2. 1. 21. CHAR. Hodie uxorem ducis? PAMPH. Ajunt. Adde *Heaut.* 4. 8. 12. — *b*) *Ut ait quispiam* occurrit, præsertim apud *Ciceronem*, quoties non nostra, sed alterius sententia profertur. *Cic. Senect.* 7. 24. Ut ait Statius noster in Synephebis. *Id. ibid.* 10. 31. Ut ait Homerus. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 19. 45. et alibi sæpe, *Nep. Them.* 2., *Quintil.* 8. 6. 73., 9. 4. 40. et alibi sæpe. *Cic.* 1. *Tusc.* 14. 31. sine subjecto: Ut ait in Synephebis, *h. e.* ut in Synephebis dicitur. Et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 70. uti mos vester ait, *h. e.* ut vos dicere soletis. — *c*) *Ajunt*, *ut ajunt*, *quod ajunt*, usurpantur cum proverbium aliquod refertur. *Ter. Andr.* 4. 5. 10. Ut quimus, ajunt, quando, ut volumus, non licet. *Id. Phorm.* 2. 3. 71. Ohe, actum, ajunt, ne agas. *Cic. Pison.* 28. 69. Iste claudus, ajunt, pilam. *Forcellinus* legebat *quomodo ajunt*. *Ter. Phorm.* 5. 2. 3. Ita fugias; ne præter casam, quod ajunt. *Id. ibid.* 3. 2. 21. Id quod ajunt, auribus teneo lupum. *Cic.* 2. *Orat.* 57. 233. Docebo sus, ut ajunt, oratorem eum, quem etc. Adde 15. *Fam.* 15. 3., 1. *Acad.* (*post.*) 5. 18., 3. *Phil.* 11. 27., *Flacc.* 12. 26. et *Amic.* 5. 19. — Eadem ferme verba occurrunt etiam, cum aliqua fabula incipitur. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 49. Conspexit, ut ajunt, Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra. *Id.* 1. *ibid.* 17. 18. Namque Mordacem Cynicum sic eludebat, ut ajunt. ¶ 4. Item speciatim in vulgari sermone — *Quid ais?* est non modo percontantis, sed potius admirantis. *Plaut. Amph.* 1. 2. 267. Sed quid ais, quid Amphitruoni a Telebois est datum? *Ter. Eun.* 3. 2. 20. Quid tu ais, Gnatho? Quid tu autem, Thraso? *Id. Andr.* 4. 1. 41. CHREM. Factum est hoc, Dave? DAV. Factumst. CHREM. Hem, quid ais, scelus? *Id. Heaut.* 1. 1. 66. MEN. In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme. CHREM. Quid ais? *Id. ibid.* 1. 2. 8. 8. CLIT. Apud nos est. CHREM. Quid ais? — *b*) *Aisne?* et deinde per syncopen *ain?* quæ jam inde ab initio erant percontantis (ut apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 193. MERC. Ain vero? SOS. Ajo enimvero.), in posterum, additis præcipue ad majorem vim pron. *tu*, aut partic. *vero*, *tandem* etc., admirationem et stuporem significarunt. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 1. EVCL. Nimium lubenter edi sermonem tuum. MEG. Ain: audivisti? EVCL. Usque a principio omnia. *Id. Pers.* 1. 1. 29. TOX. Quia herus peregre est. SAG. Ain tu? peregre est? *Ter. Eun.* 3. 5. 19. CHAER. In hac commotus sum. ANT. Ain tu? *Cic.* 6. *Att.* 1. 17. Ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit censorem non fuisse. *Id.* 4. *ibid.* 5. 1. Ain tu? an me existimas ab ullo malle mea legi, – quam a te? Adde 12. *ibid.* 6. 2. *Plaut. Asin.* 3. 3. 133. LEON. Impetrasti. ARG. Ain vero? LEON. Certe, inquam. *Ter. Adelph.* 3. 3. 50. SYR. Adortus est fratrem apud forum de psaltria hac. DEM. Ain vero? SYR. Vah, nil reticuit! *Id. Andr.* 5. 3. 4. SIM. Ain tandem? civis Glycerium est? PAMPH. Ita prædicant. *Cic.* 9. *Fam.* 21. 1. Ain tandem? Insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina? *Id.* 3. *Legg.* 6. 14. Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? — Etiam cum plur. num., unde originem duxisse videtur particula *an*, quam *V.* suo loco. *Liv.* 10. 25. Ain tandem? inquit, num castra vallata non habetis?

Ajens, *entis*, particip. præs. *Apul.* 6. *Met.* 13. Sic ajens vasculum tradidit. — Etiam adjective occurrit, pro eo quod vulgo dicitur *affirmativus*, apud *Cic. Top.* 11. 49. Sunt etiam illa valde contraria, quæ appellantur negantia. Ea ἀποφατικὰ Græci, e contrario ajentibus.

Homonym. Apud *Cic.* 1. *Fin.* 11. 39. Hoc ne statuam quidem dicturam pater ajebat, si loqui posset. *ajo* est pro affirmare; *dico* pro vocare, appellare; *loquor* pro disserere.

ĀĬTHĂLĒS, n. (ἀειθαλής) herba eadem, quæ aizoon, ab ἀεὶ *semper* et θάλλω *vireo*. *Apul. Herb.* 123. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

AJUGA pro *abiga* (quam vocem *V.*) legitur in quibusdam MSS., sed falsa esse lectio videtur.

AJUTOR, aris, dep. pro *adjutor* male legerunt nonnulli in *Pacuvio* apud *Non.* p. 74. 1. *Merc.* *V.* ADJUTOR, aris.

ĀĬZŌON *vel* Aizoum, i, n. 2. (ἀείζωον) genus herbæ alio nomine *sedum*, ita dictum, quod semper vireat; ab ἀεὶ *semper* et ζωός *vivus*. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. Herba sempervíva, quam aizoon vocant. *V. Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160)., ubi duo ejus genera facit, majus, quod et amerimnon, et ambrosiam, et sedum magnum, et oculum, et digitellum appellant; et minusculum, quod et erithales vocant et chrysothales. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 8. p. 368.) hanc exhibet synonymiam: I. *Maius*. Ἀείζωον τὸ μέγα Dioscor., Ἀείζωον Theophr. Hist. plant. 1. 16. et 7. 14., Κρινάνθεμον Hippocr. de Nat. mul. 570., et *Aizoon majus* Plin. l. c. sunt *Sempervivum tectorum* L. Spec. plant. 664. — II. *Minusculum*. Ἐπίπετρον Hippocr. de Ulcer. 875., Ἀείζωον τὸ μικρὸν Dioscor. 4. 90., Ἀμάραντος ἢ σταφυλαῖα Græcorum recent., Καλλιρρίζα Atticorum, et *Aizoon minus* Plin. l. c. sunt *Sedum ochroleucum* Sibth. Fl. græc. t. 312.

AL

AL. *Ausonius in Technopægn. Grammaticomastix.* Dic quid significent catalecta Maronis? in his al Celtarum posuit. sequitur non lucidius tau. Et quod germano mixtum male letiferum min? *Scalig. in comment. ad Catal. Virg.* has ambages ita explicat. *al* inquit positum esse pro *allium*; *tau* pro *taurus*; *min* pro *minium*. Nam *Virgilius* in quodam carmine in Tullium Cimbrum rhetorem, quod affertur a *Quintil.* 8. 3. 28., cum Cimbrum reprehendit, quod declamando male verba pronunciaret, et *al* pro *allium* diceret, *tau* pro *taurus*, et *min* pro *minium*, perperam decurtans verba more gentis suæ. Ejus carminis versus est, ut quidem *Scalig.* emendat: *Tau Gallicum, min ipsum, et al ei illisit.* Al. leg. *et al male illisit.* Alii aliter. V. *Scalig. loc. cit.* et *Spalding.* ad *Quintil. loc. cit.*, ubi variantes omnes hujus loci lectiones colligit. V. etiam *Turneb. l.* 23. *c.* 30.

ĀLA, æ f. 1. Vox contracta ex antiquo *axilla*, ut docet *Cic. Orat.* 45. 153.; eodem fortasse modo quo *mala* ex *maxilla* et *mandere*, *scala* ex *scandela* vel *scandilla* et *scandere*, *ala* derivari potuit ab *alere*, quod vide. *Forcellino* rectius fortasse deducenda vox videbatur ab ἄλω *volvo*, *volvendo circumago*. — Ala proprie et generatim est superior illa animalis corporis pars, quæ armis adhærens protenditur. Hinc

I.) Proprie — *a*) In humano corpore generatim est totum brachium, vel humerus, et specialim pars concava sub brachio, qua humero annectitur (ab avium similitudine ita dictam putabat Forcellinus aliique, qui alam avium tantummodo propriam affirmarunt). (It. *ascella*; Fr. *aisselle*; Hisp. *sobaco*; Germ. *die Achsel*; Angl. *the arm-hole or arm-pit*). *Liv.* 9. 41. Scutis magis quam gladiis geritur res, umbonibus incussâque alâ sternuntur hostes. *Id.* 30. 34. Alâ deinde et umbonibus pulsantes, in summotos gradu illato etc. *ala*, ait h. l. *Forcellinus*, sumitur pro toto brachio vel humero, quo Romani impellebant hostes. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 12. Ne forte sub ala Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Erit igitur sustollendus ægrotans subjectione manuum ab utraque alarum parte. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 49. SYNC. Sine pennis volare haud facile est: meæ alæ pennas non habent. MILPH. Nolito edepol te vellisse: jam his duobus mensibus volucres tibi erunt hircinæ. *Plautus* h. l. et ad avium alas alludit, et Romanorum morem respicit, qui alarum pilos vellebant, ne teter ille odor fieret, qui sudore sub alis collecto nec abluto manare solet. *Seneca Ep.* 114. Ille et crura, hic nec alas quidem vellit. Cf. *Juvenal.* 11. 157. *Horat. Epod.* 12. 5. Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (187). Alarum graveolentiam decoctum fœni emendat. *Id.* 21. *ibid.* 20. 83. (142). Halitus oris et alarum vitia. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (185). Virus alarum et sudores. *Petron. Satyr.* 128. Sudor alarum. — *b*) In brutis quadrupedibus ala dicitur sinus inferior, qua priora crura armis adhærent. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 40. 95. (234). Elephas tantum sub armis duas (*mammas habet*) nec in pectore, sed citra in alis occultas. *Id.* 9. *ibid.* 51. 74. (159). *de ranis.* Ranæ superveniunt, prioribus pedibus alas feminæ mare apprehendente, posterioribus clunes. — *c*) Præcipue ponitur de avibus, et est membrum illud, quo aves volant, sive pars qua ipsum illud membrum corpori adhæret. (It. *ala*; Fr. *aile*; Hisp. *ala*; Germ. *das Flügelgelenk, Flügelglied, der Flügel*; Angl. *a wing*). *Colum.* 8. *R. R.* 2. 10. Lacertosæ similes brachiis alæ (*gallorum*). *Ennius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 26. 57 Favent (*galli*) faucibus russis cantu plausuque premunt alas. Adde *Plaut. Pœn.* 4. 2. 49. superius sub *a* allatum. *Liv.* 1. 34. Ibi ei – aquila, suspensis demissa leniter alis, pileum aufert. *Virg.* 1. *Æn.* 397. Ut reduces illi (*cygni*) ludunt stridentibus alis. *Id.* 4. *ibid.* 252. Niti alis. *Id.* 3. *ibid.* 226. Quatere alas. *Ovid.* 8. *Met.* 201. Librare corpus in alas. *Id. ibid.* 216. Movere alas. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). expandere et quatere. *Martial.* 13. 70. explicare. *Virg.* 4. *G.* 27. *de apibus.* Pandere alas ad solem æstivum. Adde *ibid.* v. 82. et 203.

II.) Translate. ¶ 1. Alæ, utpote quæ celerrimo avium volatui inserviunt, poetice diis aliisque rebus tribuuntur, quæ summa velocitate moventur. — *a*) De diis. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 58. Mors atris circumvolat alis. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 233. bibulæ Cupidinis alæ. *Tibull.* 2. 1. 89. fuscæ Somni alæ. *Propert.* 1. 3. 45. jucundæ Soporis. *Ovid.* 1. *Met.* 264. Madidis Notus evolat alis. — *b*) De fulmine. *Virg.* 5. *Æn.* 319. Nisus Emicat et ventis et fulminis ocior alis. Adde *Val. Flacc.* 2. 92. et 6. 56. — *c*) De velis, quibus tamquam alis naves procedunt. *Virg.* 3. *Æn.* 520. Tentamusque viam et velorum pandimus alas. — *d*) Eadem ratione et remi navium alæ dicuntur. *Propert.* 4. 6. 47. classis centenis remiget alis. Contra *remi* de alis avium, ut apud *Ovid.* 5. *Met.* 558. super fluctus alarum insistere remis. Et *Virg.* 1. *Æn.* 301. Remigium alarum. ¶ 2. In arboribus *ala* dicitur pars earum cava, qua rami stipiti adhærent: sic in herbis ala est cavum illud inter caulem et ramulum, unde nova proles enascitur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 7. 10. (29). *de robore.* Gignunt alæ ramorum ejus pilulas, corpore, non pediculo adhærentes. *Id.* 25. *ibid.* 5. 18. (38). *de parthenio herba.* Geniculis densis, alarum cavis multis, semine in geniculis dependente. *Id.* 22. *ibid.* 18. 21. (45). *de chamæleone.* Viscum gignit album sub alis foliorum. *h. e.* qua parte folia adhærent ramis. Adde 27. *ibid.* 9. 47. (71)., ubi de dipsaco. — *NB.* Scribit *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 75. a quibusdam *alas* dici etiam calamos lupinorum, ut Ælius: *Alæ ex lupino, surculi sine foliis.* Cato in Originib. *Alæ ex lupino* etc. Varronem tamen de *L. L.* alam culmum fabæ dicere. Sed hæc ut vera sint, vetustate certe obsoleverunt. ¶ 3. In ædificiis alæ dicuntur structuræ ad latera ædium, dextra et sinistra protensæ, ut columnarum ordines, vel porticus: quas Græci quoque πτερὰ et πτέρυγας appellant. *Vitruv.* 4. 7. 2. et 6. 4. 3. *Inscript.* apud *Orell.* 4948. C. FABRASIVS C. F. P. APPAEDIVS P. F. AQVILA CVR. FANI PORTICVM ALAM D. PAG. S. F. C. (*h. e.* de pagi sententia faciendam curarunt) IDQVE P. (*h. e.* idemque probaverunt). ¶ 4. In re militari *alæ* dicuntur, ut definit *Cincius* apud *Gell.* 16. 4., *ordines* seu turmæ *equitum* in antiquo ordine aciei Romanæ: *quod circum legiones dextrâ sinistrâque, tamquam alæ in avium corporibus, locabantur.* Hæ igitur alæ ex equitibus constabant; qui tamen intelligendi sunt socii, aut auxiliares milites; neque enim Romani milites in alas disponebantur. Qui toti alæ præerat, *præfectus alæ* appellabatur, et *decuriones alarum* qui triginta duos equites regebant, ut affirmat *Veget.* 2. *Milit.* 14. Milites cujusque alæ quingenti ferme erant, ut colligitur ex *Liv.* 10. 29., et ala tunc *quingenaria* appellabatur; aliquoties tamen mille erant, et ala tunc *milliaria* dicebatur. *Hygin. Gromat. de Castr. metat.* Nunc ut suo referam loco ad alam milliariam: turmas habet vigintiquatuor; in iis decuriones duplicarii et sesquiplarii, iidem qui et numerus turmarum. Ala quingenaria turmas habet sexdecim, decuriones et reliqua pars prout numerum turmarum. Cf. et *Liv.* 37. 40., *Sueton. Aug.* 33. et *Tib.* 30., *Inscript.* apud *Gruter.* 482. 4. 6. 7. et 8., *Gell.* 10. 9., et *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 121. et 9. *ibid.* 604. *Cato* apud *Gell.* 15. 9. Postridie signis collatis, æquo fronte, peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavimus. *Cic.* 2. *Off.* 13. 45. Cum te Pompejus alæ alteri præfecisset. *Liv.* 31. 21. Dextera ala (in alas divisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est. Adde *Liv.* 35. 5. et *Vellej.* 2. 117. — Hinc extra rem militarem *alas* dixit *Virgilius* equites venantes circa nemus dispositos in modum alarum militarium, ad cingenda circum loca, ne feræ evadant, 4. *Æn.* 121. Dum trepidant alæ saltusque indagine cingunt. — Eadem significatione, quæ apud Romanos obtinuit, de exterarum quoque gentium exercitu loquentes *alas* dixerunt *Nep. Eumen.* 1. et 13., *Liv.* 42. 58., *Curt.* 3. 11. 14., 4. 13. 27. et 5. 4. 21., et *Virg.* 11. *Æn.* 730. — Neque tamen solos equites alas dici, sed etiam pedites, pluribus ostendit *Lipsius l.* 2. *de milit. Rom. Dial.* 7. — Hujusmodi alæ extra Italiam colligebantur: earum vero elenchus habetur apud *Borghesi Iscrizioni del Reno p.* 9. Hæ autem nomen excipiebant ex nomine nationum, unde admittebantur, et quandoque alio etiam ex nomine legati provinciæ cujusque, qui illas primo colligebat, ut ala Pannoniorum Tampiana. Ita porro statuit *Borghesi op. et p. citt.* — Denique hujusmodi alæ equitum peditumve multis oppidis nomen dedere, vel iis, in quæ præsidii causa missæ sunt, vel iis, unde eligebantur, vel denique iis, quorum agro donabantur post emerita stipendia; cujusmodi est *Ala nova* etc. *V.* ONOM.

ALABANDĪNUS, a, um, adject. *Alabandina* gemma est ab Alabanda oppido appellata, colore carchedonii, sed rariore. *Isid.* 16. *Orig.* 14. 6.

ĀLĀBARCHES, æ, m. 1. *Arabarches* (ut ostendit *Alciatus l.* 1. *Prætermissor.*) dicebatur publicanus, qui præerat exigendo vectigali de pecoribus, quæ ex Arabia in Ægyptum adducebantur: cujus officium *Arabarchia* vocabatur. Hinc *Juvenal.* 1. 130. *Nescio quis Ægyptius aut Arabarches.* ubi alii putant notari Crispinum, de quo alibi *Juvenal.*, alii alios. *Cicero* etiam 2. *Att.* 17. 3. Antonium *Arabarchen* appellat, quasi Ægyptium publicanum. Extorquebat enim ingentia vectigalia, quæ postea prodigebat, ait *Plutarch.* Alii ea voce non Antonium, sed Pompejum notari volunt, qui Arabiam devicerat; et dici quasi Arabum principem, *h. e.* latronum. Alii scribunt *Halabarches*, ut significet salis præfectum Ἁλαβάρχην. *Cujacius* utrobique tam apud *Cicer.*, quam apud *Juvenal.* legit *Alabarches*: quæ quidem lectio placet quamplurimis: ἀλαβα enim scriptura, vel atramentum est. Vectigalium autem ratio Latine etiam *scriptura* dicitur: quare *alabarches* vectigalium præfectum significat, seu quod idem est magistrum scripturæ, ut omnes ferme recentiores cum *Cujacio* affirmant: *Ciceronis* autem loco *sup. cit.* Pompejum notari putant, qui populi Rom. vectigalia augere studebat. Apud Græcos etiam ἀλαβάρχης occurrit.

ĀLĀBASTER, tri, m. *et* Alabastrum, i, n. 2. Gr. ἀλάβαστρος et ἀλάβαστρον. *Alabastrum* tamen gen. neutr., quemadmodum et apud Græcos, plur. ferme numero occurrit. — Est autem genus pyxidis unguentariæ pyro similis, hoc est longitudine fastigiata in pleniorem orbem desinens, vel etiam forma turbinata sine ansulis, ut colligitur ex *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (113.) quæ *V.* infra I.; unde et nomen traxit, ab *α* privativo et λαβὴ *ansa*. (*Jablonsk.* vero *Opuscul. T.* I. p. 21. putat alabastrum esse vocem Ægyptiam, et significare *lapidem candidum pretiosum*). Hujusmodi vasorum materia erat ex onyche marmore, quod ad unguenta servanda maxime idoneum est, et inde *alabastrites lapis* est appellatus. *V.* ALABASTRITES.

I.) Proprie. *Cic.* apud *Non.* p. 545. 15. *Merc.* Quibus etiam alabaster plenus unguenti putre esse videtur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 2. 3. (19). Unguenta optime servantur in alabastris, odores in oleo etc. *Martial.* 11. 9. Quod Cosmi redolent alabastra focique deorum. *Inscript.* apud *Orell.* 4832. AC TERETES ONYCHES GRACILESQVE ALABASTRI. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (113). Elenchos appellant fastigatâ longitudine, alabastrorum figurâ in pleniorem orbem desinentes.

II.) Metaphorâ sumptâ ab hujusce vasis figura *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (14). *de rosa*: Germinat primo inclusa granoso cortice: quo mox intumescente et in virides alabastros fastigato, paullatim rubescens dehiscit ac sese pandit. — *NB.* De Alabastro oppido *V.* ALABASTRON in ONOM.

ĀLĀBASTRĪTES, æ, m. 1., *vel* Alabastrites lapis (ἀλαβαστρίτης ὁ, *h. e.* λίθος) est lapis qui ex minutissimis gypsi granulis constat, lævigatu difficilis, sectu facilior quam marmor: cujus species quædam candore præditæ interstincto variis coloribus a Græcis *onyches* vocatæ sunt, ut a *Dioscor.* 11. 510., quia humani unguis speciem referebant, ac deinde etiam a *Plin.* (*V.* infra). Sic autem dictus est quia ex eo maxime alabastra, h. e. vasa unguentaria fiebant. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 12. (60). Hunc (*onychem*) aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur. *Id. ibid.* 24. 59. (182). loquens de gypsi confectione: Qui coquitur lapis, non dissimilis alabastritæ esse debet aut marmoroso. Adde 37. *ibid.* 5. 18. (73)., 33. *ibid.* 6. 33. (101)., nec non 37. *ibid.* 10. 54. (143).; quo in postremo loco *Forcellinus* cum aliis multis Interpr. haud recte putavit alabastriten fuisse gemmam, quæ circa Alabastron Ægypti urbem plurima nasceretur. Ceterum *V.* CHERNITES et ONYX.

ĀLĀBASTRUM, i, n. 2. *V.* ALABASTER.

ĀLĀBĒTA, æ, m. 1. (ἀλαβής) genus piscis in Nilo, quem vel mustelam, vel lampretam esse, vel similem his quidam suspicantur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51).

ĀLĂCER, cris, cre, *vel hic et hæc* alacris, *et hoc* cre, adject. Comp. *Alacrior* I. *a.* — Ratione habita etymi, putatur esse ab ἄδακρυς h. e. sine lacrimis, lætus; vel quasi non lacer, sed intentus sensibus universis; vel quasi *alis acer* h. e. festinus, velox. Prima

notatio est *Donati* ad *Ter. Eun.* 2. 3. 13; reliquæ afferuntur a *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 6. 17. p. 132. 133. *Bait.* Juxta nonnullos derivatur a præter. perf. ἰάλαχα verbi ἀλάω votvo, *oberro*, dempto a augmento. Rectius fortasse referenda est hæc vox ad verbum *alo*, qua significat *attollere*, *sustollere*, ut conjecturâ assequi possumus ex *Cic.* 3. *Verr.* 6. 17. et 2. *Herenn.* 19. 29., quæ inferius afferuntur; pariter ad Gr. ἀλάομαι, ἄλλομαι *salio*. — Ceterum alacer est ad agendum erectus, promptus, paratus, gestiens, hilaris (It. *vivo*, *attivo*, *pronto*, *voglioso*, *giojante*; Fr. *alerte*, *vif*, *dispos*, *prompt*, *agil*, *gai*; Hisp. *vivo*, *pronto*, *dispuesto*, *veloz*, *alegre*; Germ. *munter*, *frisch auf*, *zum Handeln mit Freudigkeit bereit*, *aufgelegt*; Angl. *lively*, *brisk*, *sprightly*, *in high spirits*, *ready*, *active*, *prompt*.).

I.) Proprie ponitur de animantibus, scilicet — *a*) De hominibus aut absolute, aut cum Accus. et præp. *ad*, aut cum Ablat. — Absolute. *Ennius* apud *Charis.* p. 214. *Putsch.* Ignotus juvenum cœtus, alterna vice inibat alacris, Bacchivo insultans modo. *Cic.* 3. *Verr.* 6. 17. Cum iste repente ex alacri atque læto sic erat humilis atque demissus. *Id. Mur.* 24. 49. Videbant Catilinam alacrem atque lætum. *Id. Cœl.* 28. 66. An timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent? Adde 1. *Tusc.* 42. 101. *Virg.* 5. *Æn.* 380. Ergo alacris cunctosque putans excedere pugnâ. *Id.* 6. *ibid.* 685. Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Ænean, alacris palmas utrasque tetendit. (*Forcellinus* in hoc *Virg.* l. alacrem pro læto accipit; quemadmodum et apud *Tac.* 11. *Ann.* 17. Alacre vulgus. Et apud *Nazar. Paneg. Constantin.* 1. Alacris ac beata devotio. At prima verbi significatio neque in his mutanda videtur). *Val. Flacc.* 3. 462. Illi alacres, pars arma locant, pars ardua celsis Insternunt tabulata foris. Cf. *Quintil.* 2. 9. 2. *Ter. Eun.* 2. 3. 12. Quid tu es tristis, quidve es alacris? Unde is? — Cum præp. *ad* et Accus. rei, ad quam quis promptus est paratusque. *P. Sempronius Asellio* apud *Gell.* 5. 18. Nam neque alacriores ad rempubl. defendendam, neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quidquam possunt. *Cic.* 2. *Herenn.* 31. 48. Si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros. *Id.* 6. *de republ.* 13. 13. Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rempubl., sic habeto. *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus est animus. Adde *ibid.* 24. *Nep. Pausan.* 2. Hujus Pausanias voluntate cognita alacrior ad rem gerendam factus. — Cum Ablat. rei, qua quis est alacer. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 9. Illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus. *Sall. Fragm.* apud *Veget.* 1. *Milit.* 9. *extr.* (p. 248. *Ges.*). Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu certabat. *Forcellinus* h. l. pro levi, celeri, agili accipit. *Phædr.* 2. 5. 22. et *Curt.* 9. 5. 11. Alacer gaudio. *Stat.* 1. *Theb.* 425. Sic alacres odio nullaque cupidine laudis Accensi incurrunt. *Forcellinus* h. l. accipit pro erecto, prompto, sine lætitia. — *b*) De animo actibusque humanis. *Plaut. Amph.* 1. 1. 90. Involant impetu alacri. *Cic. Senect.* 20. 75. Sed legiones nostras — in eum sæpe locum profectas alacri animo atque erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur. Adde *Sall. Cat.* 25. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 184. Erectum et excelsum alacri et prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentem. *Liv.* 6. 24. Clamore alacri. Adde *Curt.* 9. 4. 23. et *Tac.* 5. *Hist.* 16. *Sil. It.* 1. 184. Alacri certamine. — *c*) De brutis (quod *Forcellinus* translate dictum putat). *Cic.* 2. *Herenn.* 19. 29. Feras bestias videmus alacres et erectas vadere. *Id.* 1. *Divinat.* 33. 73. Respexit, et equum alacrem lætus aspexit. *Claudian.* 2. *de laud. Stilich.* 21. Tauri alacres.

II.) Translate ponitur et de rebus inanimis. *Virg.* 5. *Ecl.* 58. Ergo alacris sylvas et cetera rura voluptas Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas, *in quibus tamen* voluptas *tamquam persona repræsentatur*; Forcellinus *vero cum aliis legebat* alacres et *ad silvas referebat* lætasque *interpretabatur*. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 200. Alacres enses. *h. e.* promptos paratosque ad cædendum. — NB. *Alacre* more adverbii pro alacriter occurrit tantum in *Supposit. Amph. Plaut.* scæna quæ incipit, *Dii vostram fidem* 41. Compellemus alacre.

ĀLĂCRĬTAS, ātis, f. 3. (alacer) animi et corporis vigor atque ardor ad agendum (It. *prontezza*, *vivezza*, *spirito*; Fr. *vivacité*, *feu*, *ardeur*; Hisp. *vivacidad*, *viveza*, *ardor*, *prontitud*; Germ. *Munterkeit*, *Lust zur Thätigkeit*, *Aufgelegtheit*, *fröhliche Aufgeregtheit*; Angl. *promptness*, *eagerness*, *ardour*, *spirit*, *liveliness*, *alacrity*). Occurrit tantum de animantibus, scilicet — *a*) De hominibus aut absolute, aut cum Accus. et præp. *ad*, vel Genit. rei ad quam sumus alacres, aut cum Genit. rei qua efficimur alacres. — Absolute. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 16. Egregia animi alacritas. *Id.* 4. *Tusc.* 16. 36. Cupiditas avide semper aliquid expectans, et inanis alacritas idest lætitia gestiens, non multum differunt ab amentia. *Forcellinus* in hoc et in seq. *Cic.* loco accipit pro lætitia gestiente et sese foras prodente. *Id.* 5. *ibid.* 16. 48. Vir temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate ullâ, sine libidine. In MS. apud *Verburg.* habetur *alacritudine*: et *Bentlej.* pro *ulla* leg. *futili*. *Cæs.* 3. *B. G.* 92. Et quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur. *Liv.* 3. 62. Postquam ingenti alacritate clamor est sublatus. *Quintil.* 1. 3. 10. Est et hoc signum alacritatis (*in pueris*). Adde *Tac. Agric.* 35. *Gell.* 19. 12. plur. num. Vigores quidam mentium et alacritates. — Cum præp. *ad* et Accus., aut Genit. rei, ad quam alacres sumus. *Cic.* 2. *Att.* 7. 2. Mirâ sum alacritate ad litigandum. *Id.* 16. *Att.* 3. 1. Auges mihi scribendi alacritatem. *Id.* 4. *Phil.* 1. 1. Afferre alicui summam alacritatem reipubl. defendendæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. *extr.* Alacritas studiumque pugnandi. — Cum Genit. rei, qua efficimur alacres, sive gestientes hilaresque. *Liv.* 2. 10. *a med.* Simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate perfecti operis sublatus. *Forcellinus* recte h. l. accipit pro gaudio ex insperato eventu. — *b*) De brutis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Canum alacritas tanta in venando. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 26. 56. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (178). et alibi.

ĀLĂCRĬTER, adverb. (alacer). Comp. *Alacrius* I. Est alacri animo, prompte, cupide (It. *prontamente*, *vogliosamente*; Fr. *vivement*, *avec ardeur*; Hisp. *vivamente*, *alegremente*; Germ. *auf muntere Art*; Angl. *cheerfully*, *promptly*, *briskly*).

I.) Proprie. *Ammian.* 14. 8. Militem in certamen alacriter consurgentem revocavere ductores. *Justin.* 1. 6. 10. Repetito alacrius certamine. *Veget. Milit.* 1. 9. Ut (*milites*) ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant.

II.) Translate de coloribus posuit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (69). Ab his Æthiopici laudantur — alacriter virides, sed non facile puri, aut concolores. At *Sillig.* legit acriter.

ĀLĂPA, æ, f. 1. Videtur esse vox a sono ficta; alii deducunt ab Hebr. על אף *al af*, super faciem; alii ab ἀλαπάζω *vasto*; alii ab *ala* et *apo*, quasi manum apto. — Alapa est ictus manu expansa in maxillam inflictus; ac propterea differt a *colapho*, qui fit digitis in pugnum compressis (It. *schiaffo*, *guanciata*; Fr. *tape sur la joue*, *soufflet*; Hisp. *tapaboca*, *soplamoco*; Germ. *der Backenstreich*, *die Ohrfeige*; Angl. *a slap or blow on the cheek with the open hand*). — *a*) Generatim. *Phædr.* 5. 3. Ducere gravem alapam alicui. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. *alaparum procellas* lepide memorat in parasiti descriptione. — *b*) Speciatim. In more positum fuit, ut scenici homines, risus movendi causa, alapis se mutuo cæderent, capita rasa præbentes et buccas inflantes, quo sonantiores essent ictus magisque ridiculi. Hunc morem notat *Juvenal.* 8. 192. ridere potest qui Mamercorum alapas. *Martial.* 5. 61. O quam dignus eras alapis, Mariane, Latinis etc. *V.* et SALAPITTA. — *c*) Item speciatim. Inter alios ritus qui servabantur a dominis servum manumittentibus, unus erat, ut levem ei alapam infligerent. Hinc *Phædr.* 2. 5. *extr.* Multo majoris alapæ mecum veneunt. *h. e.* multo carius libertas a me venditur. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burm.* Est tamen sub alapa. *h. e.* libertatem quidem consecutus est Latinam, non tamen illam vere Romanam, quam ex vindicta servi consequebantur.

ĀLĂPĀTOR καυχητής. *Gloss. Lat. Gr.*

ALAPISTA, æ, m. 1. pro *salapitta* a nonnullis male leg. apud *Arnob.* 7. 23.

ĀLĂPO, as a. 1. et

ĀLĂPOR, āris, dep. 1. alapas incutio. *Gloss. Cyrill.* Alapo ῥαπίζω. Et *Gloss. Gr. Lat.* Ῥαπίζω expalmo, alapo. *Lactant. Placid.* apud *Maium* in *Class. Auct. T.* 3. p. 429. Alapari est alapas minari, id est fœdam et superbam cædem, ut pro jactantia. *Gloss. Lat. Gr.* Alapatur ἀλαπάζει. Eadem occurrunt in *Gloss. Gr. Lat.*

ĀLĀRIS, e, et *sæpius*

ĀLĀRĬUS, a, um, adject. pertinens ad alas militares, de quibus in ALA diximus. Itaque *alarii* vel *alares equites*, *alariæ* vel *alares cohortes* (quibus *legionariæ* opponuntur) sunt idem ac alæ militum; quæ in Romano exercitu sociis, aut auxiliaribus constabant. — *a*) Addito substantivo. *Cæs.* 1. *B. C.* 73. Cohortes alariæ et legionariæ. Adde 2. *ibid.* 18. *Liv.* 10. 40. Cum cohortibus alaribus. *Id.* 40. 40. Alarii equites. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 39. — *b*) Absolute. *Cic.* 2. *Fam.* 17. Alarii Transpadani. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 51. *Tac.* 15. *Ann.* 10. Alares Pannonii robur equitatus. *Cod. Theod.* 7. 20. 4. § 3. Alares et cohortales. — *c*) Occurrit et de alariorum militum exercitatione. *Inscript.* apud *L. Renier.* 5. EQ. COH. VI. COMMAGENORVM (*h. e.* Equitibus cohortis sextæ etc.). DIFFICILE EST COHORTALES EQVITES ETIAM PER SE PLACERE DIFFICILIVS POST ALAREM EXERCITATIONEM NON DISPLICERE. *NB.* Absolute *alaria* sunt πτερύγια, sive alæ vestis crocotæ, quas mulieres inter saltandum adducunt, ne pedes earum impediantur. *Auct. Catalect. Virgil.* 5. 21. Nec dein movere lumbos in crocotula Prensis videbo alaribus. Ita legit *Scaliger* approbante *Heynio* pro *altaribus*.

ALATERNUS, i, f. 2. Quantitas hujus vocis incerta est: *Forcellinus* duas priores syllabas corripit, *Klotz* vero protrahit. Arbuscula, seu frutex folia habens inter ilicem et olivam, ut ait *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 45. (108). nullum neque fructum, neque semen ferens; ideoque inter infelices arbores enumerata a *Tarquinio Prisco* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Pastum e foliis ac teneris ramorum cacuminibus gratissimum præbet capris, teste *Colum.* 7. *R. R.* 6. 1 Cl. vero *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 361.) alaternum nigras ferre baccas purgando corpori utiles affirmat, atque hanc exhibet synonymiam. Φιλύκη Theophr. Hist. plant. 1. 5., 3. 6. et 5. 7., Ἐλαιόπρινος Cretens., *Alaternus* Plin., Colum. et Macrob. ll. citt., *spina cervina* quorumdam, est *Rhamnus Alaternus* L. Spec. plant. 297., *Phylica elatior* C. Bauh. Pinax 476.

ĀLĀTOR, ōris, m. 3. *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 121. Dum trepidant alæ saltusque indagine cingunt, *alatores* esse ait, qui in venando dextrâ et sinistrâ feras compellunt clamoribus in plagas incurrere, et alio divertere tentantes prohibent, quibusdam quasi alis saltus cingendo. *Isid.* 10. *Orig.* 282. Quatuor sunt venatorum officia: vestigatores, indagatores, alatores et pressores.

ĀLĀTUS, a, um, adject. alas habens (It. *alato*, Fr. *ailé*; Hisp. *alado*; Germ. *geflügelt*; Angl. *winged*). *Virg.* 4. *Æn.* 259. Ut primum alatis tetigit magalia plantis. *Ovid.* 5. *Fast.* 666. pes alatus. *de Mercurio* uterque poeta loquitur, qui fingitur habere in pedibus alas, *h. e.* talaria. *Ovid.* 3. *Fast.* 415. Sextus ubi Oceano clivosum scandit Olympum Phœbus, et alatis æthera carpit equis. *Forcellinus* h. l. translate accipit pro veloci, sed fortasse minus recte.

ĀLAUDA, æ, f. 1. avis parva, apicem in capite gerens ex pennis erectis: ex quo et *galerita* et *cassita* appellata est, quia galeri similem habet verticem capitis, postea Gallico vocabulo *alauda*, ut scribit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (121). (It. *allodola*; Fr. *alouette*; Hisp. *alondra*; Germ. *die Haubenlerche*; Angl. *a lark*). — Hæc avis etiam legioni nomen dedit, quam conscripserat Cæsar privato sumptu ex Transalpino milite, ut est apud *Plin. l. c.* et *Sueton. Cæs.* 24., quia ejus milites alaudarum more, omnes in galeis cristas, seu apices insigniores majoresque gestare consueverant, ut ex *Diod. Sic.* 5. 30. ostendit *B. Borghesi Dec.* n. 17. oss. 9. p. 63.: de legione autem Alauda multa habet *R. Garrucci* in *Mon. Bæb.* p. 20. et seq. *Cic.* 16. *Att.* 8. 2. Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere. *Id.* 13. *Phil.* 2. 3. Huc accedunt Alaudæ ceterique veterani. Adde *eumd.* 1. *Phil.* 8. 20. et 5. *ibid.* 5. 12. et *Pollionem* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. *V.* et ONOM.

ĀLAUSA, æ, f. 1. vilis quidam piscis in Mosella fluvio maxime proveniens. *Auson. Mosell.* 127. Stridentesque focis, obsonia plebis, alausa. *Alii leg.* alosas. Videtur autem esse is, qui It. *laccia* aut *cheppia* appellatur, Fr. *alose*, a Rheni accolis *elssen* et *elson*, Germ. *die Else*, Hisp. *sabalo*, Angl. *the chad* aut *shad*. Cl. *Bayleio* videbatur idem esse quod *clupea*, q. v. *V.*

ALBA, æ, f. 1. margarita, ita dicta a colore. *Lam-*

prid. Elagab. 21. Fabam cum electris et oryzam cum albis exhibens: albas præterea in vicem piperis etc. Salmas. ad h. l. affert alia exempla in hanc rem ex Venant. Etiam Suidas ἄλβα, inquit, σιμάργαρα. Cassiod. 9. Variar. 6. Assurgat Indici maris de albarum candore fama locupletior. V. MONOLINUM. — NB. De Alba nom. pr. V. ONOM.

ALBĀMEN, inis. V. ALBUMEN.

ALBĀMENTUM, i, n. 2. album, pars alba alicujus rei; sed tamen de ovis tantum occurrit. Apic. 5. 3. Albamentum ovi. Id. 6. 9. Cum albamentis ovorum tritis. Adde Pelagon. 30. 1. Nisi ubique legendum sit albumentum, quod V.

ALBĀRIS, e, adject. (albus) qui ad parietes dealbandos pertinet. In fragm. Inscript. apud Orell. 4239. Opus albare.

ALBĀRIUS, a, um, adject. (albus) qui ad parietes dealbandos pertinet. Hinc albarium opus est materia alba, plerumque ex calce diluta, quæ tectorio illinitur ad parietes dealbandos ornandosque. (It. bianco, stucco; Fr. crépissure, stuc; Hisp. enyesadura, estuco; Germ. Weisstuck, Stuckatur; Angl. withewash, stucco). Plin. 36. Hist. nat. 23. 55. (177). Contra in albario opere, ut macerata calx ceu glutinum hæreat. Vitruv. 7. 2. 1. totam albarii operis conficiendi rationem docet: cf. et eund. 5. 2. 2. — Albarius tector apud Tertull. Idolol. 8. est qui albarium opus parietibus inducit. — Hinc

Albarium, ii, n. 2. substantivorum more idem est ac albarium opus. Plin. 35. Hist. nat. 16. 56. (194). Tectoriorum albaria interpolare. Id. 36. ibid. 24. 59. (183). Usus gypsi in albariis. — Et

Albarius, ii, m. 2. qui albarium parietibus inducit (It. imbiancatore, stuccatore, Fr. crépisseur, stucateur; Hisp. oficial que trabaja de enyesadura, de estuco; Germ. der Stuckaturarbeiter; Angl. a plasterer). Cod. Theod. 13. 4. 2. Architecti, laquearii, albarii, tignarii etc. Inscript. apud Gruter. 642. 11. quæ est apud Orell. 4142. C. ATEIO PHILADELPHO ALBARIO.

ALBĀTOR, ōris, m. 3. (albo) qui albarium parietibus inducit. Occurrit in mutila Inscript. apud Henzen. 6971., nisi forte legendum sit dealbator, hæc enim sunt verba postrema: S . . . . VSIT. (h. e. scripsit, aut potius juxta Mommsen. scribi jussit) . . . OSSIVS. DE ALBATORE. ONESIMO.

ALBĀTUS, a, um, particip. verbi albo, seu potius, ut atratus ab ater, ita albatus ab albus. Est vestibus albis lætitiæ causa ornatus, cui contrarium est atratus. Cic. Vatin. 13. 31. Cum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset, tu in templum Castoris te cum C. Fibulo atrato – intulisti. Horat. 2. Sat. 2. 60. dies festos albatum celebrare. Pers. 2. 41. Jovem albatum rogare. Sueton. Dom. 12. Albati ministri. Inscript. apud Gruter. 337. DIOCLES AGITATOR VICIT PRASINIS CCXVI. VENETIS CCV. ALBATIS LXXXI. Albata nempe dicta est una ex factionibus ludorum Circensium, quæ scilicet albis vestibus utebatur. Apud Plin. 8. Hist. nat. 42. 65. (160). Excusso e carceribus auriga Albato Corace occupavere prima. Sillig. aliique ita nunc recte leg.; Forcellinus vero leg. albato Corace; alii albati equi palmam occupavere.

ALBĒDO, inis, f. 3. (albus) candor, albitudo (It. bianchezza; Fr. blancheur; Hisp. blancura; Germ. die Weisse; Angl. whiteness). Sev. Sulpic. 1. Hist. sacr. 16. Quarum species in modum coriandri seminis, glaciali albedine erat. Cassiod. 12. Ep. 4. ad fin. Albedo ibi decora est et serena puritas. Apud Apul. Apolog. alii leg. albedo, alii dulcedo, alii mucedo.

ALBEGMINA. V. ABLEGMINA.

ALBELIO, ōnis, m. 3. et ex eo deminut.

ALBELIUNCULUS, li, m. 2. tegmen capitis significant, legique dicuntur apud vet. Juvenal. Scholiast. ad Sat. 8. et 9.; sed nihil certi neque ab auctore, neque a lectione, quæ aliis alia est, pro harum vocum usu afferri potest.

ALBENS, entis. V. voc. seq.

ALBEO, es, ere, n. 2. Part. Albens sæpius occurrit. — Præteriti albui, quod a nonnullis affertur, exempla nondum vidimus. — Albeo idem quod albus sum. Virg. 12. Æn. 36. campique ingentes ossibus albent. V. ALBICO. Ovid. Heroid. 13. 161. Quod (caput) videam canis albere capillis. Sil. It. 4. 251. rictusque furentis Albet. — Ovid. 4. Pont. 12. 30. et 2. Art. Am. 666 Albentes comæ. Id. 4. Pont. 3. 182. rosæ. Id. 11. Met. 176. villi. Id. 5. ibid. 110. et 15. 676. vitta. Id. Heroid. 11. 14. oliva. Id. 15. Met. 519. et Tac. 6. Ann. 37. spumæ. Plin. Paneg. 22. equi. Tac. 1. Ann. 61. ossa. Id. 15. ibid. 64. Membra in pallorem albentia. Sil. It. 5. 283. albens æthra. Sæpe dixerunt historici, ut Sisenna apud Quintil. 8. 3. 35., Cæs. 1. B. C. 68. et Auct. B. Afr. 11. 80. Albente cœlo. h. e. primo mane, antequam aurora incipiat. Cf. voces seq.

ALBESCENS, entis. V. voc. seq.

ALBESCO, is, ere n. 3. inchoat. Part. Albescens. Est albere incipio (It. biancheggiare; Fr. blanchir; Hisp. blanquear; Germ. weiss werden; Angl. to be withe). Lucret. 2. 773. Quod si cæruleis constarent æquora ponti Seminibus nullo possent albescere pacto. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 33. 105. Quodque (mare) nunc, qua a sole collucet, albescit et vibrat. Virg. 7. Æn. 528. Fluctus ubi primo cœpit albescere vento. Id. 1. G. 367. videbis Flammarum longos a tergo albescere tractus. h. e. lucere. Ovid. 5. Fast. 357. An quia maturis albescit messis aristis. Plin. 10. Hist. nat. 3. 4. (13). (Aquilarum) albescunt medii pennæ. Horat. 3. Od. 14. 25. Albescens capillus. Plin. 11. Hist. nat. 37. 86. (214). medulla. Id. 18. ibid. 35. 50. (352). stellæ. Sil. It. 8. 453. undæ. Virg. 4. Æn. 586. ut primum albescere lucem Vidit. h. e. primo mane. Hinc Paul. Dig. 28. 2. 25. § 1. Albescente cœlo.

ALBĪCANS, antis. V. ALBICO.

ALBĪCANTER, adverb. albicando. Occurrit tantum Comp. apud Solin. 30. sub fin. Hyacinthus lapis pretiosus, vitiis non parce obnoxius: nam plerumque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit.

ALBĪCASCO, is, ere, n. 3. albescere incipio. Cn. Matius apud Gell. 15. 25. Jam jam albicascit Phœbus, et recentatur Commune lumen hominibus voluptasque. Alii leg. albicassit, quod esset futurum conjunctivi antique dictum pro albicaverit; quemadmodum levasso pro levavero dixere. Verum hoc pacto non satis constructio constaret propter sequens recentatur.

ALBĪCĒRĀTUS, a, um. V. voc. seq.

ALBĪCĒRIS, e, et

ALBĪCĒRUS, a, um, aut etiam albiceratus, a, um, adject. Vocabula sunt ex albâ cerâ composita, et idem sunt ac præditus colore albo ceræ simili (V. in fin.). Cato 6. R. R. 1. Oliva albiceris. Adde Varron. 1. R. R. 24. 1. Plin. 15. Hist. nat. 5. 6. (20). Oliva albicera. Apud Macrob. 2. Saturn. 6. dicitur olea albigerus, quod fortasse mendum est pro albiceris. Plin. 15. Hist. nat. 18. 19. (70). Ficus albicerata. De qua Colum. 10. R. R. 417. Albaque, quæ servat flavæ cognomina ceræ.

ALBĪCO, as, are, 1. (albus). Part. Albicans B. — Occurrit

A) Passiva voce et significatione neutra, et est albus fio. Varro apud Non. p. 75. 22. Merc. Ubi rivus præcipitatur in nemore, deorsum rapitur atque offensus aliquo a scopulo lapidoso albicatur.

B) Activa voce et significatione neutra, et est albus sum, aliquantum albus sum. Horat. 1. Od. 4. 4. Nec prata canis albicant pruinis. Capell. 5. p. 166. Ut dicimus florea rura, et campique ingentes ossibus albent, quod satis crispa inflexione Horatius albicant dixit. Plin. 27. Hist. nat. 5. 23. (40). Mutat colorem, sed ex nigro albicare incipit (crista). Id. ibid. 13. 113. (139). Thlaspi flos albicat. Id. 37. ibid. 10. 62. (172). Leucochrysos sicut crystallus albicat. Catull. 63. 87. albicantis loca littoris adiit. Colum. 8. R. R. 2. 9. Paleæ ex rutilo albicantes. Plin. 25. Hist. nat. 8. 50. (89). Albicans color. Id. 10. ibid. 3. 3. 6. cauda. Scribon. Compos. 184. commissuræ dentium. Inscript. apud Orell. 824. dens.

ALBĪCŎLOR, ōris, adject. qui est albi coloris. Coripp. 1. 429. Albicolor campus.

ALBĪCOMUS, a, um, adject. comas albas habens. Venant. 4. de vita S. Martini 2. Floribus albicomis dum lilia pollice carpo.

ALBĪDŬLUS, a, um, adject. deminutivum ab albidus. Pallad. 3. R. R. 25. 12. Liquorem demittunt saporis jucundi, sed coloris albiduli.

ALBĬDUS, a, um, adject. Comp. Albidior; Superl. Albidissimus. — Est aliquantum albus (It. alquanto bianco, bianchiccio, albiccio; Fr. blanchâtre; Hisp. blanco palido; Germ. weisslich, in's Weisse spielend; Angl. withish, somewath withe, a little withe). Ovid. 3. Met. 73. de dracone vulnerato. plenis tumuerunt guttura venis, Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus. Colum. 9. R. R. 9. 13. Granum quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum. Cels. 5. 26. 29. Albidum ulcus. Cæl. Aurel. 2. Acut. 10. Albidus vultus. h. e. pallidus. Id. 2. Acut. 14. Urinæ albida egestio. Id. 3. Tard. 5. Albidæ partes oculorum. Cels. 5. 28. 4. Pus crassius et albidius. Id. 5. 26. 20. Pus crassissimum albidissimumque. Plin. 8. Ep. 20. Color cæruleo albidior.

ALBĪNEUS, a, um, adject. idem ferme quod albidus. Pallad. 4. R. R. 13. 4. de color. equorum. Colores hi præcipui, badius, aureus, albineus, russeus, etc. Et mox. Sequentis meriti varius cum pulcritudine, nigro, vel albineo, vel badio mixtus.

ALBĪNUS, i, m. 2. idem qui albarius, h. e. qui parietis albario opere expolit. Imp. Constantin. Cod. 10. 64. 1. Musivarii, deauratores, albini, quos Græci κονιάτας appellant. Gloss. Cyrill. Albinus κονιατής. Gloss. Philox. Κονιατής dealbator, albinus, tector. — NB. Est etiam nom. pr., de quo V. ONOM.

ALBĪPLŪMIS, e, adject. qui albas plumas habet. Auct. epigr. in Anthol. Lat. T. 1. p. 690. Burm. Absit, ut albiplumem valeat calcare columbam Inter tot niveas rustica milvus aves. Hic licenter penultima vitio sæculi sequioris corripitur.

ALBĬTIES, ei, f. 5. idem quod albitudo. Apul. Herb. 20. Nasturtii semen tritum albitiem furfuris de capite ejiciet. Alii leg. albitionem, quasi ab albitio, onis, f. 3.

ALBITIS, is. Inter suffimenta numeratur a Veget. 6. Veter. 12. 3. Schneider.; sed est vitiosum vocabulum.

ALBĬTŪDO, inis, f. 3. abstracta qualitas, qua color albus significatur (It. bianchezza; Fr. blancheur; Hisp. blancura; Germ. die Weisse; Angl. whiteness). Plaut. Trin. 4. 2. 32. Ad istanc capitis albitudinem. h. e. canos capillos.

ALBO, as, are, a. 1. album facio. Priscian. Perieg. 431. Hoc fuscat niveas (lanas), hoc albat gurgite nigras. Eutyches p. 2188. Putsch. ejusdem potestatis perperam facit albo, as et albeo, es.

ALBOGĂLĒRUS, i, m. 2. Paul. Diac. p. 10. 12. Müll. Albogalerus a galea nominatus. Est enim pileum capitis, quo Diales flamines, id est sacerdotes Jovis, utebantur. Fiebat enim ex hostia alba Jovi cæsa, cui affigebatur apex virgula oleagina. Varro apud Gell. 10. 15. non albogalerum, sed album galerum vocat. V. plura in GALERUS.

ALBŎGILVUS, a, um, adject. Albogilvus color dicitur qui mixtus est ex albo et gilvo. Utitur hac voce Servius ad Virg. 3. G. 82.

ALBOR, ōris, m. 3. generatim est idem quod albitudo, qua significatione usus est Nonius p. 73. 2. Merc. et Cassiod. 11. Variar. 14. Lacus concharum formas decenter imitatus, spumei littoris albore depingitur. — Sed de ovi albumine plerumque usurpatur. Pallad. 11. R. R. 14. 9. Si quis ovorum trium lagenæ infundat alborem. Scribon. Compos. 24. Diluitur fere ovi albore. Adde Apic. 1. 6. Cæl. Aurel. 2. Acut. 37. Plurimi medici – manuum turis ovi alboribus conterentes – corpora perunxerunt. Theod. Priscian. 1. 10. Albor oculorum. — NB. Quidam Lexicographi afferunt etiam locum Varronis, quem nos nusquam invenimus.

ALBŪCUS, i, m. 2. est idem quod asphodelus, teste Apul. Herb. 32. A Græcis dicitur asphodelus, Latinis hastula regia, aliquibus albucus. Adde Plin. 21. Hist. nat. 17. 68. (109). et Isid. 17. Orig. 9. 84. V. ASPHODELUS.

ALBŪĒLIS, e, adject. h. e. vitis (juxta Forcellinum Albuelis, is, f. 3.). Genus vitis, quæ, ut ait Cels. apud Colum. 3. R. R. 2. 24. utilior est in colle, quam in campo; in arbore, quam in jugo; in summa arbore, quam in ima, feras et materiæ frequentis et uvæ. Adde Plin. 14. Hist. nat. 2. 4. (31). Cl. Prinsinet vocem albuelis a Celtica alb vel alp, h. e. montanus, deducit: at cl. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 157. ad Plin. l. c.) rectius ab albus derivat; quonam vero nomine hæc vitis apud nos appelletur, definire nequit.

ALBŪGĬNŌSUS, a, um, adject. (albugo) est varians lectio pro icterico, quam protulit Schneider. in Veget. 5. 55. (3. 56).

ALBŪGO, inis, f. 3. (album et ago) proprie est quidquid albi illatum est: speciatim autem ¶ 1. Est macula alba in cornea oculorum tunica ex abscessu coacti humoris coalescens et visum lædens. Plin. 32. Hist. nat. 7. 24. (70). Ranæ oculi alboginem sanant. Id. 24. ibid. 5. 11. (19). Oculorum albugines cedri suc-

co inungere. Id. 20. ibid. 6. 38. (117). Pupillarum albugines. V. ARGEMA. Adde 28. 6. 18. (65). Id. 25. ibid. 12. 91. (142). Albugines jumentorum. ¶ 2. Est etiam genus furfuris seu porriginis inter capillos exoriens colore albo. Plin. 26. Hist. nat. 15. 90. (160). Callithrix albugines in capite tollit.

ALBŬLUS, a, um, adject. deminut. ab *albus*, idem ferme quod albidus. Ponitur — a) De colore. Catull. 29. 9. Albulus columbus. — b) De aquis. Martial. 12. 90. 3. cui rector aquarum Albula navigerum per freta pandit iter. h. e. per marinas undas, quæ spumas agendo albescunt. — Hinc *albulæ aquæ*, aut *albulæ, arum*, aut etiam *albula, æ*, sunt aquæ sulphureæ admodum salutares, egelidæ, hoc est tepidæ in Tiburtino agro juxta Romam, teste Plin. 31. Hist. nat. 2. 6. (10)., ita dictæ, quia albido sunt colore, nunc *bagni di Tivoli*, τὰ Ἀλβοῦλα ὕδατα vocat Strabo. Plin. loc. cit. Juxta Romam albulæ aquæ vulneribus medentur. Sueton. Aug. 82. Quoties nervorum causa marinis albulisque utendum esset. Adde Ner. 31. Cæl. Aurel. 2. Tard. 1. Etenim albæ, sive albulæ, quæ sunt appellatæ, quod sint frigidæ virtutis, solutione laborantibus, vel fluore quorumlibet officiorum naturalium, a veteribus sunt approbatæ. Adde Inscript. apud Orell. 1641., 1642., 1897., 1904. — Sing. num. Martial. 1. 13. Canaque sulphureis albula fumat aquis.

ALBUM, i, n. 2. V. ALBUS in fin.

ALBŪMEN, inis, n. 2. quod est in ovo album. Plin. 28. Hist. nat. 6. 18. (66). Illinit sole usta cum ovi albumine.

ALBŪMENTUM, i, n. 2. idem quod albumen. Veget. 3. 57. 1. Schneider. (2. 57). Intingere in ovi crudi albumento. V. ALBAMENTUM.

ALBURNUM, i, n. 2. pars tenerior in ligno multarum arborum, statim post corticem, quæ velut adeps earum est: nostrates *sottoscorza*, Latini et *adipem* et *subcorticem* dicunt. Plin. 16. Hist. Nat. 38. 72. (182). Proximi (*cortici*) plerisque adipes: ii vocantur a colore alburnum; mollis ac pessima pars ligni, etiam in robore facile putrescens, teredini obnoxia: quare semper amputabitur. Subest huic caro etc. V. ADEPS.

ALBURNUS, i, m. 2. vilis pisciculus in Mosella fluvio. Auson. Mosell. 126. et alburnos, prædam puerilibus hamis.

ALBUS, a, um, adject. Gradus *Albior* et *Albissimus* memorantur quidem a Varr. 8. L. L. 75. et 52. Müll.; sed non sunt in usu: nam quod *albissimus* apud Cels. 5. 26. 20. quidam legunt, optimæ quæque Editt. habent *albidissimus*. Occurrit tamen apud Cassiod. 9. Variar. 3. Cum flamma aero tribuat splendidum ruborem, argento confert albissimam lucem. Paul. Diac. p. 4. 5. Müll. putat *album* derivatum esse a Græco ἀλφὸς, quod albæ vitiliginis speciem significat, nempe ut ex ἀμφω derivatum fuisse *ambo* constat. — Albus est nomen coloris notissimi, qui constat ex omnibus coloribus simul collectis: quod a *candido* ita differt, ut *album* pallori conjunctum sit, quale est plumbum, *candidum* vero splendori, quale est in nive, ut docet Servius ad Virg. 3. G. 82. hisce verbis: Aliud est c a n d i d u m, id est, quadam nitenti luce perfusum esse, aliud a l b u m, quod pallori constat esse vicinum. Hinc Virg. 7. Ecl. 38. C a n d i d i o r cycnis, hederâ formosior a l b â. h. e. pallida. Hinc *albo* opponitur atrum, *candido* nigrum. V. infra I. 1. a. (It. *bianco*; Fr. *blanc*; Hisp. *blanco*; Germ. *weiss*; Angl. *white*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de colore, qui clarus appareat. — a) Album opponitur atro. Plaut. Men. 5. 5. 17. Album, an atrum vinum potas? Cic. 5. Tusc. 39. 114. Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat. — Hinc *albus, an ater sis, nescio*: proverbium de eo, quem omnino, quis sit, ignoramus; et contemptum significat. Catull. 93. (al. 92). Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere, Nec scire, utrum sis albus, an ater homo. Cf. Quintil. 11. 1. 38. Cic. 2. Phil. 16. 41. Et quidem vide, quam te amarit is, qui albus aterne fueris ignorans, fratris filium præteriit. Cf. Phædr. 3. 15. 10. et Apul. de mag. 16. — b) Album interdum opponitur et nigro. Lucret. 2. 817. Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in se Pupula, cum sentire colorem dicitur album, Atque aliud porro, nigrum cum et cetera sentit. Cic. 2. Divinat. 3. 9. Ille divinus, si oculis captus sit —, possit, quæ alba sint, quæ nigra, dicere. — c) Absolute. Cic. 2. Legg. 18. 45. Color albus præcipue decorus deo est, cum in ceteris, tum maxime in textili. Ovid. 4. Fast. 619. Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas Sumite. Curt. 3. 3. 11. Albæ vestes. *Albas* absolute pro albis vestibus leg. in Inscript. apud Fabrett. p. 577. n. LXX. ALBAS SVAS OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM DEPOSVIT DIE IIII. KAL. MAI. h. e. albas vestes suas, ut neophytus, deposuit die octava Paschatis, ut moris erat, qui tamen eodem die mortuus est. Virg. 3. G. 81., Sueton Ner. 25. et Dom. 2. equi. Plin. 7. Hist. nat. 30. 31. (110). Albi dentes. *non tamen candidi, h. e. albi lucentesque, ut apud* Virg. 11. Æn. 681. Cf. Quintil. 8. 2. 10. et 6. 40. — Hinc *albis dentibus deridere* est affectato risu subsannare, et ita diducto ore, ut dentes denudentur. Plaut. Epid. 3. 3. 48. Itaque me albis dentibus meus derideret filius meritissimo. Cf. eumd. Capt. 3. 1. 26. Saltem si non arriderent, dentes ut restringerent. — Sæpe et de regionibus ponitur et est nomen proprium, ut apud Plin. 16. Hist. nat. 33. 60. (142). Montes albi. Id. ibid. 3. 1. (3). Promontorium album Africæ. Id. 5. ibid. 19. 17. (75). Promontorium album (in Phœnicia). — Huc referenda sunt et illa. *Alba avis* proverbio dicitur de re inusitata, rara, et admiratione digna, quod paucæ admodum sint aves albo colore. Cic. 7. Fam. 28. 2. Quasi avem albam, videntur bene sentientem civem videre. Cf. Juvenal. 7. 202. corvo rarior albo. Et *gallinæ filius albæ* apud eumd. Juvenal. 13. 141. est fortunatus, est nobilis: quia gallinæ albæ sunt admodum raræ (testibus Sueton. Galb. 1. ubi de gallina alba prodigium narrat, et Plin. 15. Hist. nat. 30. 40. (136).); et ceteris debiliores ideoque minus fecundæ habebantur, teste Colum. 8. R. R. 2. 7. — *Alba linea signare* est aliquid facere negligenter et nullo discrimine. Ductum est autem proverbium a linea, seu funiculo fabrorum, quæ si nullo inficiatur colore, nullam relinquit notam, quam sequantur, adeoque temere procedendum illis est in opere perficiendo. Alii sic exponunt, ut ducatur a lineis albis, quas pictores deformaturi tabulam, telæ primo appingunt, adeoque sine ulla cura ducunt, cum varios supra colores postea inducturi sint. Lucil. apud Non p. 282. 28. Merc. Nam discrimen non facit, signat alba linea. Turneb. l. 29. c. 27. Adversarior. legit *neque signat alba linea*. Gell. præfat. § 11. Illi omnes multa et varia lectitantes, in quas res cumque inciderant, alba, ut dicitur, linea, sine cura discriminis, solam copiam sectati converrebant. — *Albo rete aliena bona oppugnare* apud Plaut. Pers. 1. 2. 22. est fraudibus doctisque dolis invisibili quasi rete, et sub aliqua honesti specie latentibus, aliena bona captare. Alii minus recte leg. *albo ariete*, et respici ajunt ad machinam bellicam, qua muri subruuntur: alii *albo pariete*, et alludi ad album prætoris, ut dicatur de iis, qui lites consectantur, et falsa prætendendo jura, aliena bona invadunt. ¶ 2. Speciatim est canus, leucophæus, h. e. ex candido et nigro mixtus. Plaut. Bacch. 5. 1. 15. Alba barba. Tibull. 1. 9. 45. et Propert. 3. 23. 33. capilli. Pers. 1. 59. auriculæ (*asini*). Quintil. 6. 3. 57. asinus. Lucret. 6. 1077., Cæs. 5. B. G. 12. et Plin. 34. Hist. nat. 17. 48. (160). plumbum. h. e. stannum. Plin. 16. Hist. nat. 11. 22. (53). Æs. h. e. æs quod admixtam habet certam mensuram plumbi argentarii, quorum conflatum ebibit colorem. ¶ 3. Item speciatim est pallidus, et de ægrotis aut timentibus præcipue dicitur. Plaut. Capt. 3. 4. 115. Macilento ore, naso acuto, corpore albo et oculis nigris. Horat. 2. Od. 2. 15. Aquosus albo corpore languor. Pers. 3. 98. turgidus epulis atque albo ventre. Horat. Epod. 7. 15. Albus pallor. Martial. 3. 58. Albo otio pallere. Pers. 3. 115. Timor albus. Martial. 8. 26. Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo. ¶ 4. Item speciatim pro albato, sive albis vestibus indutus. Martial. 1. 56. Vivat et urbanis albus in officiis. *Qui locus* potest etiam alia ratione explicari, de eo scilicet, qui curis fori et urbanis negotiis anxius et pallidus est: quod magis arridet; quamvis *albus factus* in Inscript. Lanuvina dicitur, qui albam vestem induit die festo. Cf. *Albas* sup. I. 1. c. ¶ 5. Denique speciatim de colore candenti, lucenti, sereno. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 108. Sol albus. Id. apud Priscian. 5. p. 658. Putsch. Albus jubar. Ovid. 3. Trist. 5. 56. Lucifer albus. Martial. 10. 62. Albæ leone flammeo calent luces. h. e. ait Forcellinus, siccæ, fervidæ et veluti candentes. Hinc Horat. 1. Od. 7. 15. Albus Notus. h. e. qui nubila fugat et serenitatem adducit. Id. 3. ibid. 27. 19. Albus Iapix.

II.) Translate. ¶ 1. Albus ponitur pro fausto, læto, auspicato, felici; nam quæ alba sunt, superis diis tribuuntur, atra vero inferis et sunt tristis ominis: nisi forte ex eo ducta sit metaphora, quod albus est etiam serenus, ut in paragr. proxime superiori. Horat. 1. Od. 12. 27. quorum simul alba nautis Stella refulsit. h. e. Castorum sidus. Sil. It. 15. 53. Sed current albusque dies horæque serenæ. Pers. 1. 110. Per me equidem sint omnia protinus alba. — Hinc *album calculum adjicere alicui rei* apud Plin. 1. Ep. 2. est approbare. V. Calculus. ¶ 2. *Albæ sententiæ* sunt splendidæ, apertæ, perspicuæ. Seneca 3. Controv. præf. Sententiæ, quas optime Pollio Asinius albas vocabat, simplices, apertæ, nihil occultum, nihil insperatum afferentes, sed vocales et splendidæ.

Album, i, n. 2. (et Albus, i, m. tantum in Novell. Majorian. de curial. 4. 7. 1. § 18.) substantivorum more usurpatur, et est ¶ 1. Generatim albus color, pars alba alicujus rei. — a) De colore albo. Liv. 4. 25. Ne cui album in vestimentum addere petitionis causâ liceret. Virg. 3. G. 56. vacca maculis insignis et albo. Id. 2. Ecl. 41. sparsis etiam nunc pellibus albo. — b) De gypso similive materia, quæ supra parietes inducitur. Liv. 40. 51. Columnas poliendas albo locavit. — c) De alba alicujus rei parte. Cels. 2. 6. et 7. 7. 6. Album oculi. Id. 6. 6. 7. et 4. 15., et Plin. 20. Hist. nat. 11. 44. (115)., et Scribon. Compos. 154. Album ovi. Spartian. Æl. Ver. 5. Lectum fecerat minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat. h. e. germen aut ovarium, uti ajunt, florum, seu potius interior pars foliorum, quæ alba esse solet. — d) Album apud Colum. 6. R. R. 17. 7. est idem quod albugo, sive macula alba in cornea oculorum tunica. ¶ 2. Album erat etiam tabula dealbata gypso illito, in qua nonnulla perscribebantur et proponebantur in publico, ut ab omnibus legi possent. — a) Generatim. Liv. 9. 46. de Cn. Flavio. Civile jus — evulgavit fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. — b. Speciatim de albo, quod Pontifex maximus conficiebat, in quo, teste Cic. 2. Orat. 12. 52., perscribebat res omnes singulorum annorum, illudque proponebat domi. potestas ut esset populo cognoscendi: hi nunc *Annales* appellantur. Cf. et Liv. 1. 32. — c) Item speciatim de tabula, in qua perscribebantur prætorum edicta, actiones, interdicta, actionum formulæ, item litigatorum nomina actionesque, et alia hujusmodi ad forum civilesque contentiones spectantia: si quis vero vel fœdasset, vel vitiasset, vel quocumque modo corrupisset, capitis reus erat, quia prætoris majestas contempta videbatur. Paul. Sentent. l. 1. t. 14. Qui album raserit, corruperit, sustulerit, mutaverit, quidve aliud propositum edicendi gratia turbaverit, extra ordinem punitur. Adde eumd. 5. 25. 5., Caj. 4. 46. et Dig. 2. 1. 7. Vet. Tab. Æn. apud Murat. 582. ante med. OMNIA IN TABVLAM IN ALBVM REFERVNDA CVRATO. h. e. in tabulam dealbatam, ἐν λευκώματι. Dig. 2. 13. 1. § 1. Adversarium ad album producere. Seneca Ep. 48. Sedere ad album. h. e. circa prætoris formulas et judiciorum occupari. Quintil. 12. 3. 11. Alii se ad album ac rubricas transtulerunt, et formularii vel leguleji quidam esse maluerunt. ¶ 3. Album significabat etiam nominum indicem, in quem omnes alicujus classis homines referebantur. Hinc *album senatorum* (quod primus instituit Augustus, teste Dion. Cass. 55. 3.) continebat nomina senatorum; *judicum* judices; *decurionum* decuriones; *citharœdorum* citharœdos etc. Tac. 4. Ann. 42. extr. Eradere aliquem albo senatorio. Seneca 3. Benef. 7. 6. Non potest ad hæc sumi judex ex turba selectorum, quem census in album et equestris hereditas misit. Sueton. Claud. 16. et Dom. 8. Albo judicum eradere. Ulpian. Dig. 50. 3. 1. Decuriones in albo ita scriptos esse oportet etc. Sueton. Ner. 21. Nomen suum in albo profitentium citharœdorum adscribere. Plin. 6. Hist. nat. præfat. (§ 6). per metaphoram. Quid te judicem facis qui, hanc operam cum dicerem, non eras in hoc albo? — NB. De Albo cogn. V. ONOM.

H o m o n y m. In quo *album* differat a *candido* V. superius sub init. hujus vocis.

ALCĀICUS, a, um, adject. ad Alcæum pertinens, Ἀλκαϊκός. Fuit autem *Alcæus* poeta lyricus ex Mitylene urbe, quem laudat Quintil. 10. 1. 63. Horatius quoque 2. Od. 13. 26. *sonantem aureo plectro* dicit,

Itaque ab eo *Alcaicum* hendecasyllabum dictum est, quod is primus invenit, teste *Diomed.* 3. *p.* 510. *Putsch.*, quale est illud *Horatii* 1. *Od.* 9. *Vides ut alta stet nive candidum.* Alia ibi hendecasyllaborum genera *Diomedes* enumerat, alia item alii Grammatici, quos consule. *Sidon. carm.* 1. *l.* 9. *ep.* 13. Dum metro quatitur chorda Glyconio, Nec non Alcaico, vel Pherecratio.

ALCE, is *V.* ALCES.

ALCĔA, æ, f. 1. (ἀλκέα) herba est ex genere malvarum silvestrium, teste *Dioscor.* 3. 164., folia habens verbenacæ similia, caules tres aut quatuor, foliorum plenos, florem rosæ, radices albas cum plurimum sex, cubitales, obliquas, in pingui solo nascens. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 6. (21). *Sibthorpius* putavit alceam esse *Hibiscum Trionum* (*Fl. gr.* 2. *p.* 48.); *Anguillara* (*Herb.* 1. *f.* 197.) esse *Althæam cannabinam* L.: cl. vero *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 425.) affirmat alceam *Dioscor.* et *Plin.* ll. citt. esse *Malvam alceam* L. Spec. plant. 971.

ALCĔDO, inis, f. 3. — In multis Editt. legitur *halcedo* cum aspiratione, ex eo quod nonnulli etymologi male putarunt compositam esse hanc vocem ex ἅλς, ἁλὸς mare, et κυεῖν, quia alcedo in mari nidificat et pullos educit: sed, teste *Varrone* et *Paulo Diac.* (V. infra) alcedo nihil aliud est quam antiqua vox Latina pro Græca ἀλκυών, quæ aspiratione caret. — Alcedo (*Alcedo hispida* L.) est avis maritima, paullo major passere, pennis purpureis, candidis admixtis, collo gracili et procero, rostro subviridi, longo et tenui, nidificans in littore maris et in arena pariens. Statim autem ac ova posuit, mare, si ante procellosum fuerit, mitescit et tranquillissime quiescit 14. dies, donec pullos nido eduxerit. Hos 14. dies nautæ præsumptæ serenitatis observant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescant. Alcedinis nidos maxime admirabiles describit *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 47. (89). Hinc poetæ ansam fabulandi arripuerunt, Alcyonem filiam Æoli fuisse, qui in gratiam filiæ, dum illa in littore ova parit et fetus educat, ventos inclusos servat. *V.* ALCYONE in ONOM. *Varro* 7. *L. L.* 88. *p.* 154. *Müll.* Hæc enim avis nunc Græce dicitur ἀλκυών, a nostris alcedo; hæc hieme quod pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies alcyonios appellant. *Paul. Diac.* p. 7. 16. *Müll.* Alcedo dicebatur ab antiquis pro alcyone. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 142. Jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, quam mare est olim, cum alcedo pullos educit suos. *Fronto de Fer. Als.* 3. An alcedo cum pullis suis tranquillo otio dignior est, quam tu cum tuis liberis? *V.* ALCYON et voc. seq.

ALCĔDŌNIA, ōrum, neutr. plur. (alcedo, cf. Gr. ἀλκυονίδες) dies sunt hiberni fere 14., quibus alcedo ova parit in litore maris et fetus educat, quo tempore summa ventorum est tranquillitas. Hinc translate et jlocaliter *Plaut. Cas. prol.* 26. Tranquillum est: alcedonia sunt circum forum. *Front. de fer. Als.* 3. Mare ipsum ajunt, ubi alcedonia sint, fieri feriatum. *V.* ALCYONIUS.

ALCĒS *vel* Alce, is, f. 3. *Salmas. ad Solin.* 20. asserit legi *alces*, non *alce* in recto casu singulari,: *Est et alces mulis comparanda*: adeoque in genitivo dicendum *alcis*, non *alces*. *Plin. loc. infra cit.* in accusativo sing. *alcem* dixit. *Cæs. loco infra cit.* in recto plur. *alces*. Alce itaque est Græca forma ἄλκη, quæ legitur apud *Pausan.* 5. 12. 1. et 9. 21. 3. — Alce est (*Cervus alces* L.) genus feræ in Hercynia silva, quam describit *Cæs.* 6. *B. G.* 26 capreæ similem, tum figura, tum varietate pellis, paullo tamen majorem, mutilis cornibus, et crura sine nodis articulisque habentem, ut si aliquo afflicta casu concidat, erigere se non possit: ideoque acclinem arbori somnum captantem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 16. (39). describit, jumento similem, ni proceritas aurium et cervicis distinguat. Quod autem *Cæsar* addit, nullos alcem articulos in cruribus habere, id *Plinius* tribuit *achli*. *Solin.* etiam 20. alcem facit mulo similem, adeoque propenso labro superiore, ut, nisi retrocedens, pasci non queat. At hoc idem de achli *Plin.* tradit *V.* ACHLIS. Sed non debet mirum videri, de feris hujusmodi parum cognitis diversa scribi ab auctoribus, cum et de obviis sæpe inter se dissideant. Fr. est *élan*; Hisp. *danta*; Germ. *Elenthier*; Angl. *an elk*. — *NB.* De Alce nom. pr. *V.* ONOM.

ALCHELUCIA, a *Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7. enumeratur inter varias species pertinentes ad vectigal, quales sunt cinnamomum, piper, costum, et hujusmodi. In editione *Torrentini* appositus est asteriscus, nota dubiæ lectionis. In editioni *Haloandri* pro *alchelucia* est *agallochus*, quod est lignum ex Arabia, et India advectum, maculatum, odoratum, gustu subamarum, ἀγάλλοχον *Dioscor.* 1. 21.

ALCHĪMIA, æ, f. 1. ars est transmutandi metalla, et viliora in pretiosiora vertendi,: barbara vox a *Firmic.* usurpata 3. *Mathes.* 15., ubi *Voss. in Etymol.* asserit in MSS. legi *chimia*. Cl. *Furlanetto* putabat scribendum *alchymia*: est enim, ait, vox composita ex articulo Arabico *al*, Italice *il*, *la*, *lo*, et *chymia*, Græce χυμεία, scilicet ars fundendi et commiscendi metalla aliasque res corporeas; hinc χυμική, h. e. τέχνη, ars ipsa, quæ etiam nunc *chimica* ab Italis dicitur.

ALCIBION, ii, n. 2. (ἀλκίβιον) herba, cujus radices et folia adversus serpentium morsus remedium præbent, teste *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 21. (39). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 434.) affirmat *alcibion* unum idemque esse cum *anchusa* (quam vocem Vide); et putat apud *Plin.* 22. *ibid.* 21. 25. (51). pro *acerbion*, ut in vulg. Editionibus, legendum *alcibion*; ubi tamen *Sillig.* legit *archebion*.

ALCMĀNĬCUS, a, um, *et*

ALCMĀNĬUS, a, um, adject. Alcmanium metrum dictum est ab Alcmane poeta lyrico, qui illud vel invenit, vel sæpe usurpavit. *V.* ONOM. Constat hoc metrum trimetro brachycatalecto, quale est illud; *Spernis decoræ virginis thoros.* Ita *Servius* in *Art. de centum metris* p. 1818. *Putsch.* Et *Asper Virg.* 6. *Æn.* p. 50. *Mai.* Schema Alcmanicon vocatur, ubi proposito singulari, assumitur non suo loco pluralis.

ALCȲON, ōnis, f. 3. (ἀλκυών) idem quod alcedo, quam vocem vide etiam ratione habita orthographiæ. *Pacuvius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 88. *p.* 154. *Müll.* Alcyonis ritu littus pervolgans furor. *Propert.* 1. 17. 2. desertas alloquor alcyonas. *Virg.* 1. *G.* 398. pennas in littore pandunt Dilectæ Thetidi alcyones. *Servius* hoc loco notat, hanc vocem, cum avem significat (nam et nomen proprium mulieris esse potest) communis generis esse; nullo tamen id exemplo probat. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 47. (89). et *ibid.* 8. 27. (86).

ALCȲŌNĔUS *vel* alcyŏnius, a, um, adject. (ἀλκυόνειος) ad alcyonem pertinens. *Alcyonii* apud *Varr.* 7. *L. L.* 88. *p.* 154. *Müll.* (*V.* ALCEDO), vel *Alcyonei* apud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 21. *dies* dicuntur, quibus alcyones nidificant et pariunt, quo tempore maxima maris tranquillitas esse solet, præsertim in Siculo et Atlantico. — *Alcyonia* absolute sunt eadem quæ alcedonia. *Hygin.* ed. *Mai. Class. Auct. T.* 3. p. 3. *f.* 9. Istæ autem aves (*alcyones*) nidos faciunt in mari media hieme; quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus in mari nihil possit moveri. Inde et dies ipsi alcyonia nominantur. — Hinc

Alcyoneum vel *alcyonium*, *ii*, n. 2. substantivorum more est medicamentum quoddam optimum ad eluendas e vultu maculas, quod quidam apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 8. 27. (86)., ubi *alcyoneum* legitur, ex alcyonum nido fieri existimant. Unde *Ovid. Medic. fac.* 77. Adjice et querulo volucrum medicamina nido: Ore fugant maculas, alcyonea vocant. Alii, et quidem rectius, apud *Plin. l. c.* e sordibus tenuioribus spumæ marinæ crassescentibus: alii e limo, vel quadam maris lanugine fieri illud putant, miram ad lichenas, lepras lentiginesque tollendas vim habens. Quatuor ejus genera enumerat *Plin. ibid.* Meminit et *Cels.* 5. 6. et 5. 18. 26., et inter rodentia seu exulcerantia recenset; quorum cf. *Theod. Priscian.* 1. 2.

ALCȲŌNĬDES dies iidem sunt qui alcyonei. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 47. (90). Fetificant bruma, qui dies alcyonides vocantur, placido mari per eos dies et navigabili, Siculo maxime. *Alcyŏnis*, *idis*, fem. gen. videtur et *Klotz.*

ALCȲŌNĬUS, a, um, *V.* ALCYONEUS.

ĀLĔA, æ, f. 1. *Isid.* 18. *Orig.* 60. scribit dictam esse a quodam milite Græco nomine *Alea*, qui in bello Trojano eam invenerit; qua in re vix habet, qui assentiatur. *Voss.* in *Etymol.* deduci putat ab ἀλᾶσθαι, quod significat *vagari*, *incertum esse*, quia nihil ea est incertius; hoc probandum *Forcellino* videbatur. Ceterum hæc vox ad vocem *alveus* est referenda; *alveus* enim significat vas in quo tesseræ lusoriæ agitabantur. — Hinc alea proprie significat ludum tesserarum, sed generatim accipitur pro omni ludo, in quo nihil, aut certe parum ars et ingenium proficit, sed a fortunæ varietate casuque eventus pendet (It. *giuoco dei dadi, giuoco di sorte*; Fr. *jeu de dés, jeu de hasard*; Hisp. *juego de los dados, juego de suerte y ventura*; Germ. *das Würfelspiel, das Hazardspiel und Glücksspiel*; Angl. *a die, dice, gaming or play of all sorts*).

I.) Proprie. Apud Romanos aleæ ludus legibus generatim interdictus fuit, ut videre est apud *Cic.* 2. *Phil.* 23. 56. (Lege, quæ est de alea, condemnatus)., *Horat.* 3. *Od.* 24. 58. (Seu malis vetita legibus alea)., et præcipue *Dig.* 11. 5. *de aleatoribus*, ubi *fr.* 2. leges Titia, Publicia, Cornelia huc pertinentes memorantur; Saturnalibus tamen permittebatur, ut ex *Martial.* 4. 14. et 5. 84. et *Sueton. Aug.* 71. colligitur. Quin immo Claudius imperator, teste *Sueton. Claud.* 33. de aleæ ludo librum conscripsit. *Plaut. Curc.* 2. 3. 76. Provocare aliquem in aleam. *Cic.* 2. *Phil.* 23. 56., *Horat. l. c.* et *Edictum prætor.* in *Dig.* 11. 5. 1. Aleâ ludere. — *NB. Aleam ludere* fuit dicendi modus vulgaris, qui seriori tantum ævo usuvenit. In quodam carmine apud *Sueton. Aug.* 70. Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam. *Edictum prætor.* in *Dig.* 11. 5. 1. Qui aleæ ludendæ causa vim intulerit. Adde *Sueton. Claud.* 33. et *Ner.* 30., *Juvenal.* 8. 10., et *Dig.* 47. 10. 26. — Item *in alea ludere aliquid* est aleâ ludere de re aliqua. *Paul. Dig.* 11. 5. 4. Repetitio ejus, quod in alea lusum est. — *Sueton. Cal.* 41. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. Lusus aleæ. *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. Studium aleæ. *Cic.* 2. *Phil.* 23. 56. et *Dig.* 17. 2. 59. § 1. In alea aliquid perdere. *Tac. Germ.* 24. Exercere aleam. *Sueton. Aug.* 70. Indulgere aleæ. *Id. Domit.* 21. Oblectare se alea. *Id. Cal.* 41. Prosperiore alea uti. *Gell.* 18. 13. Aleâ festivâ et honestâ lusitare. *Cic.* 13. *Phil.* 11. 24. In lustris, popinis, alea, vino tempus ætatis omne consumere. *Id.* 2. *Cat.* 5. 10. In vino et alea comissationes et scorta quærere. *Juvenal.* 11. 175. Turpis alea. *Id.* 8. 10. pernox. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 41. fallax. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 21. præceps alea nudat aliquem. *h. e.* omnibus spoliat bonis; idem quod *Pers.* 5. 57. Alea decoquit aliquem. *Quintil.* 6. 3. 72. Ex alea redimere aliquem.

II.) Translate. — *Jacta est alea* proverbio dicitur, cum res fortunæ arbitrio omnino commissa est. Ductum est proverbium a dicto Jul. Cæsaris, qui arma laturus contra rempublicam, cum aliquantisper in finibus suæ provinciæ quasi reversurus constitisset, repente demum transmisso flumine Rubicone, *Eatur*, inquit, *quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea est.* Ita *Sueton. Cæs.* 32. Cf. *Plutarch.* in *Cæs.* 24. et *Pomp.* 60. Ἀνερρίφθω κύβος. *Petron. Satyr.* 122. Judice fortunâ cadat alea. — Hinc alea sumitur pro fortuna, casu cæco, discrimine, dubitatione, incerto eventu: quo sensu occurrit sæpissime apud Livium ceterosque Scriptores Cicerone posteriores. *Cic.* 2. *Divinat.* 15. 36. Non perspicitis aleam quamdam inesse in hostiis deligendis? *Ovid.* 1. *Art. Am.* 376. Talibus admissis alea grandis inest. *Varro* 1. *R. R.* 4. 3. Quare ubi salubritas non est, cultura non aliud est, quam alea domini vitæ ac rei familiaris. *Id. ibid.* 18. 8. Sequentes non aleam, sed rationem aliquam. *Liv.* 1. 23. In dubiam imperii servitiique aleam ire. *Id.* 31. 35. Tam celerem aleam universi certaminis timere. *Id.* 37. 36. Alea belli. *Id.* 40. 21. Aliquem in aleam alicujus casus committere. *Id.* 42. 50. Dare summam rerum in aleam non necessariam. *Horat.* 2. *Od.* 1. 6. Periculosæ plenum opus aleæ. *Seneca* 3. *Benef.* 11. 2. Adire aleam. *Colum.* 1. *R. R. præf.* 8. Subire aleam vindemiatorum. *Lucan.* 6. 7. et 603. Alea fati. *Plin. Hist. nat. præf.* 1. M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus. *h. e.* extra omnem dubitationem, quin sit omnibus ingenio præferendus. Hinc *emere aleam* apud *Ulp. Dig.* 18. 1. 8. et *Paul. ibid.* 18. 4. 7. est emere rem incertam, ut jactum retis, missilium et hujusmodi. — *NB.* De Alea nom. pr. *V.* ONOM.

ĀLĔĀRIS, e, adject. ad aleam pertinens, ut *tabella alearis* apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1.

ĀLĔĀRĬUS, a, um, adject. ad aleam pertinens. Amicitia alearia dicitur, quæ ludi aleatorii occasione nascitur; proinde non vera, sed falsa amicitiæ species habenda. *Ammian.* 28. 4. 2. Cum omnes amicitiæ Romæ tepescant, solæ aleatoriæ sociales sunt et affectu nimio connexæ.

ĀLĔĀTOR, ōris, m. 3. qui sæpe alea ludit (It. *giuocatore, biscazziere*; Fr. *joueur*; Hisp. *jugador*; Germ. *der Glücksspieler, Spieler von Profession*; Angl. *gamester*). *Plaut. Rud.* 2. 3. 29. Nec te aleator ullus est sapientior. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 23. In his

gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. Adde 2. *Phil.* 27. 67. et 7. *Verr.* 13. 33. *P. Syrus* in *Trochaic.* Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior. Adde *Quintil.* 3. 4. 22. et *Dig.* 11. 5. et 50. 16. 225.

ĀLEĀTŌRIUS, a, um, adject. ad aleam vel aleatorem pertinens. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 67. Damna aleatoria. *Augustus* apud *Sueton.* 71. Lusimus per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. *Gell.* 18. 13. Aleatorio ritu. *Sid.* 2. *Ep.* 9. Aleatoriæ voces. — Hinc *Aleatorium*, ii, n. 2. substantivorum more est locus ubi aleâ luditur. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Et *Gloss. Lat. Græc.* et *Græc. Lat.* Aleatorium κυβευτήριον.

ALĒBRIA bene alentia. *Paul. Diac.* p. 25. 5. *Müll.* Vox derivata ab alendo, unde *Gloss. Lat. Græc.* Alerius (lege *Alebrius* cum *Scal.* et cum *Codice S. Germ. Paris.*) εὐτραφής etc. Et *Gloss. Isid.* Alebra bona quibus alimur.

ĀLEC *vel* hālec *sive* allec, ēcis, n. 3., *et* ālex *vel* hālex *sive* allex, ēcis, comm. gen. 3. Ad scriptionem quod attinet, sunt qui appingunt aspirationem derivantes a Græca voce ἅλς, ἁλός *sal*: sed sæpius sine aspiratione scriptum legitur. Apud *Plautum* et *Horatium* (in quo *Bentlejus* antiquissimis quibusdam Codd. fretus duplici *ll* usus est) occurrit *alec* gen. n.; apud *Catonem* vero, *Plinium*, *Martialem* et *Apicium* occurrit *alex* vel *allex* gen. comm. — *Priscian.* 6. *p.* 686. *Putsch.* monet carere plurali numero. — Ceterum alec (It. *salamoja, salsume*; Fr. *saumure*; Hisp. *salmuera*; Germ. *Fischlake*; Angl. *a sorte of pickle, brine*), si *Plinium* audimus 31. *Hist. nat.* 8. 44. (95). primo et proprie significat fæcem gari, seu muriæ imperfectam, nec colatam: deinde transiit et ipsum in cibos, et notat genus quoddam salsamenti garo et muriæ similis, sed tamen distincti ab iis. Conficiebatur enim ex quibusdam minutis pisciculis, vel ex eorum intestinis salito liquamine aspersis, maceratis et tabefactis. Pervenit deinde, ut addit *Plin.*, etiam ad ostreas, echinos, urticas, cammaros mullorumque jocinora (hoc *Apicii* inventum fuit) et ad luxuriam transiit. Ex quo intelligimus duplicis generis esse alecem, vilis nempe ac pauperum, et pretiosi ac divitum mensis aptum. *Plaut.* apud *Non.* p. 120. 3. *Merc.* Qui mihi olera cruda ponunt, alec duint. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 73. ego fæcem primus et alec, Primus et inveni piper album. *fæcem et alec* pro eodem dixit, hoc est alecem ex fæce, ut *Virg.* 2. *G.* 192. *pateris libamus et auro*: ἓν διὰ δυοῖν. *V.* FÆX. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 8. 9. *Cato R. R.* 58. Ubi oleæ comesæ erunt, alecem et acetum dato. *Plin. loc. cit.* Alece scabies pecoris sanatur, infusa per cutem incisam. *Apic.* 7. 6. Thymum, cepullam, dactylum, alecem colatum, melle et vino temperabis. *Martial.* 3. 77. Capparin et putri cepas alece natantes. Adde 11. 27. 6.— Juxta nonnullos est etiam hoc nomine pisciculus quidam vilis, ita dictus vel quod alece aptissime condiatur, vel quod ex eo primum alec fieri cœperit. *Isid.* 12. *Orig.* 6. et *Colum.* cujus verba *V.* in ALECULA. Sed alii rectius putant non piscem aliquem peculiarem hoc nomine significari, sed generatim viles pisciculos, qui alece condiri solent. — De *Plauti* loco *Pœn.* 3. 5. 31. *V.* ALLEX.

ĀLĒCĀTUS *vel* halecatus, a, um, adject. alece conditus. *Apic.* 7. 6. Jus alecatum. Incertum tamen est, an *Apicii* hæc verba sint, quæ tituli instar sub finem ejus capitis leguntur.

ĀLECTŌRĬUS, a, um, adject. a Græca voce ἀλέκτωρ *gallus*. Alectoria est gemma crystallina specie, magnitudine fabæ, quæ in ventriculo galli gallinacei inveniri dicitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (144). Et apud *Solin.* 1. (*al.* 4.). Alectorius lapis. *Salmas.* tamen aliter edidit.

ĀLECTŎRŎLŎPHOS, i, f. 2. herba est tussientibus utilis, foliis galli gallinacei cristæ similis, caulem tenuem semenque nigrum in siliquis habens, sic dicta ab ἀλέκτωρ *gallus* et λόφος *crista*. Hinc a Latinis crista dicitur, teste *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 23. (40). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 434.) *Alectorolophos* sive *crista* Plin. l. c. est *Crista galli altera* Lugdun., *Rhinanthus Crista galli* L. Spec. plant. 840.

ĀLĒCŬLA *vel* halecula *vel* allecula, æ, f. 1. deminut. ab *alece*, idemque significans. *Colum.* 6. *R. R.* 8. 2. Proderit allium pinsitum cum oleo per nares infundere, vel sale vel cuncis defricare fauces, vel camdem partem allio tunso et alecula linire. *Forcellinus* ait in hoc *Colum.* loco videri sibi *aleculam* usurpari pro ipso alece, quamvis intelligi possit etiam pisciculus alece conditus: qua postrema significatione acceperat alio *Colum.* loco 8. 17. 12. Pisces jacentes, quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt: itaque præberi convenit tabentes aleculas, et salibus excisam chalcidem putremque sardiniam etc. Adde *eumd. Colum.* 8. 15. 6.

ĀLĚO, ōnis, m. 3. est antiquior et vulgaris forma pro *aleator*. *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 29. 5. *Müll.* Pessimorum pessime, audax, ganeo, lustro, aleo. *Catull.* 29. 2. Nisi impudicus et vorax et aleo. *Alii leg.* helluo. *Et* 6. Es impudicus et vorax et aleo. *Scaliger* notat hunc versum in quibusdam MSS. deesse. *Sall. Cat.* 14. Quicumque impudicus, adulter, ganeo, aleo etc. *Alii* omittunt τὸ aleo. *Tertull. Fuga in persecut.* 13. Fures balnearum et aleones et lenones. *Aleones* est etiam titulus *comœdiæ L. Pomponii* (quo videtur expressisse Κυβευτάς Alexidis) apud *Non.* p. 147. 2. *Merc.*, de qua V. *Munk. de fab. Atellanis Lips.* 1840. *p.* 137.

ĀLES, ĭtis, 3. *Aliti* in Ablat. dixit *Seneca Med.* 1014. Ego inter auras aliti curru vehar. Ita enim videtur postulare ratio metri: neque repugnant Grammatici. In Genit. plur. *alitum* facit, ut apud *Cic.* 3. *de republ.* 9. 14. et *Martial.* 13. 61.: apud epicos vero Poetas addito *u* metri causa facit *alituum*, ut apud *Lucret.* 2. 926., et *Virg.* 8. *Æn.* 27. (*V.* infra); quod deinde in prosa quoque oratione occurrit, ut apud *Ammian.* 19. 2. 12. In modum alituum. — *Ales* cum verbo plur. num. *Ovid.* 5. *Met.* 297. hominemque putat Jove nata locutum: Ales erant, numeroque novem sua fata querentes. *At optimæ Editt. habent*: Ales erat, *quod præstat*, nam Musa hominem, non *picam* locutam putaverat. — *Ales* est vox composita ab *ala* et *ire*, quo modo *comes* a *cum* et *ire*, *eques* ab *equus* et *ire*, *pedes* a *pes* et *ire*, *miles* a *mile* et *ire*: ac propterea ales est qui alis it sive movetur, ut apud *Horat.* 4. *Od.* 1. 10. purpureis ales oloribus. *h. e.* Venus, quæ cycnorum alis acta hac illac discurrit. — Est autem natura sua *A*) Substantivum, quamvis *B*) Adjective quoque usurpetur, præcipue a Poetis.

A) Substant. est gen. masc. et fem. Ales est generale nomen eorum animalium, quæ alas et pennas habent et ova pariunt: quare minus late patet quam *volucris*, quæ vox dicitur de omni eo, quod volat, sive pennas habeat, sive non. Quare vespertilionem *volucrem* proprie dicemus non *alitem*, quia alas quidem habet, non autem pennas. Hoc tamen discrimen a *Forcellino* haud recte statuitur, si ratio habeatur iis quæ superius diximus. — Ceterum

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est augurale verbum, et apud Latinos Augures *alites* dicuntur aves, quæ augurium alis et volatu ferunt; quibus opponuntur *oscines*, quæ augurium ferunt ore et cantu. — *a*) Peculiariter. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Quamquam aves quasdam et alites et oscines, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causâ esse natas putamus. *Id.* 1. *Divinat.* 53. 120. Eademque efficit in avibus divina mens, ut tum huc, tum illuc volent alites, tum in hac, tum in illa parte se occultent; tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. *Id.* 6. *Fam.* 6. 7. Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, - auguror. *Festus* p. 197. 8. *Müll.* Oscines aves App. Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, ut corvus, cornix, noctua; alites, quæ alis ac volatu, ut buteo, sanqualis, aquila, immusilus, vulturius. Picus autem Martius Feroniusque et parra et in oscinibus et in alitibus habentur. Cf. *Paul. Diac.* p. 3. 5. *Müll.* et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 19. 22. (43). — *b*) Hinc generatim pro bono aut malo omine. *Catull.* 64. 20. Cum bona alite. *Horat. Epod.* 16. 23. secunda alite. *Id. ibid.* 10. 1. mala alite. *Id.* 4. *Od.* 6. 23. potiore alite. ¶ 2. Latiori sensu ales est quodcumque animal alis movetur et volat. — *a*) In mythis ales est deorum proprius eique aves opponuntur fere semper. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 655. Junonia ales. *h. e.* pavo. *Id.* 2. *Fast.* 89. Palladis ales. *h. e.* noctua. *Virg.* 12. *Æn.* 247. volans rubra fulvus Jovis ales in æthra Littoreas agitabat aves. *h. e.* aquila. *Id.* 1. *Æn.* 394. Jovis ales lapsa plaga ætheria. Adde 5. *ibid.* 506. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 410. Jovis in multas devolat ales aves. *Horat.* 4. *Od.* 5. 1. Qualem ministrum fulminis alitem, Cui rex deorum regnum in aves vagas Permisit. — *b*) Generatim de avi quacumque. *Lucret.* 6. 817. Sic et Averna loca alitibus submittere debent Mortiferam vim — Quo simul ac primum pennis delata sit ales etc. *Id.* 2. 925. Alituum ora. *Virg.* 8. *Æn.* 27. Alituum pecudumque genus sopor altus habebat. *Liv.* 1. 34. Eam alitem eâ regione cœli et ejus dei nuncium venisse. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 11. Ales Caystrius. *h. e.* cycnus. *Id. Heroid.* 15. 154. Ales Daulias. *h. e.* luscinia. *Id.* 1. *Fast.* 455. cristatus. *h. e.* gallus gallinaceus. *Propert.* 1. 14. 46. Matutinæ alites. *Ovid.* 2. *Fast.* 767. Prænuncius lucis ales. *Horat.* 2. *Od.* 20. 10. Ales albus. *h. e.* cycnus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (28). Alites villaticæ. *h. e.* gallinæ, anseres, palumbi, et aliæ, quæ in villis aluntur. *Id.* 18. *ibid.* 26. 66. (249). Ales temporarius. *h. e.* cuculus. *Id.* 10. *ibid.* 10. 12. (28). Ales famelica. *h. e.* vultur. *Martial.* 9. 56. quo plurima mittitur ales.

II.) Translate. Ales canorus apud *Horat.* 2. *Od.* 20. 15., et absolute ales apud *eumd.* 1. *Od.* 6. 2. accipitur pro cycno, seu poeta. Scriberis Vario fortis et hostium Victor Mæonii carminis alite. *h. e.* Vario poeta epico, qualis fuit Homerus; *ales* vero *carminis* idem est ac poeta qui canit carmen. Adde *eumd.* 4. *Od.* 2. 25.

B) Adjective, raro admodum occurrit gen. neutr., ut apud *Sil. It.* infra II.

I.) Proprie ponitur pro alato et volanti, et tribuitur iis, quæ alas habent, licet aves non sint. — *a*) Sæpius de mythis. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Invent.* 19. 27. Angues ingentes alites juncti jugo. *Cic.* 3. *de republ.* 9. 14. Si quis, illo Pacuviano invehens alitum anguium curru, multas et varias gentes et urbes despicere et oculis collustrare posset etc. *Horat.* 4. *Od.* 11. 26. ales Pegasus. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 24. Victor Abantiades alite fertur equo. *h. e.* Pegaso. *Horat.* 3. *Od.* 12. 4. puer ales. *h. e.* Cupido. *Ovid.* 2. *Met.* 714. et *Stat.* 4. *Theb.* 605. ales deus. *h. e.* Mercurius qui alas in pedibus habere fingitur. *Ovid.* 13. *Met.* 710. ales Aello. *Catull.* 66. 54. ales equus. *h. e.* Zephyrus, eo quod venti sub equitis alati figura repræsentabantur. V. *Visc. Iconogr. Gr. T.* 3. p. 322. et *Monti Cav. d'Arsin.* p. 10. *Claudian. I. Cons. Stilich.* 2. 408. Fama ales. *Seneca Med.* 1024. currus ales. *h. e.* ab anguibus invectus. — *b*) Raro admodum generatim de avi quacumque. *Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 112. *ex Arato de sidere*: Inde est ales avis lato sub tegmine cœli. *Varro* apud *Non. p.* 26. 21. *Merc.* Ales gallus. *h. e.* de militari signo apud Persas.

II.) Translate sumitur pro volanti, veloci, agili. *Virg.* 8. *Æn.* 430. tres ignis et alitis Austri. *Ovid.* 10. *Met.* 587. passu volat alite virgo. *Sil. It.* 3. 365. et 9. 622. alite plumbo. *h. e.* glande plumbea, quæ fundâ mittitur. *Prudent. Psychom.* 323. ales arundo Nervo pulsa fugit. *h. e.* sagitta. *Ammian.* 31. 7. Ales velocitas.

ĀLĒSCO, is, ere, n. 3. (alo) idem quod cresco; et occurrit cum de plantis, tum de animalibus. *Lucret.* 2. 1128. Donec alescendi summum tetigere cacumen. *Varro* 1. *R. R.* 44. 4. Quæ nata sunt, in fundo alescunt. *Id.* 2. *ibid.* 4. 19. Alescendo roborari.

ĀLĒTŪDO corporis pinguedo. *Paul. Diac.* p. 27. 12. *Müll.* Et *Gloss. Cyrill.* Aletudo τροφή. *Gloss. Philox.* Τροφή Alimonium, Esca, Victum, Cibus, Aletudo.

ALEX *et* allex, ēcis. *V.* ALEC.

ĀLEXĬPHARMACON (ἀλεξιφάρμακον) medicamentum contra venena et veneficia, ab ἀλέξω *arceo*, *depello*, et φάρμακον *medicamentum*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 84. (146). Nec magis alia herba convenit medicamento, quod alexipharmacon vocant.

ALGA, æ, f. 1. Etymon hujus vocis, juxta *Forcellinum*, est ab ἀλύειν, quod ab inus. ἄλω proprie significat *versor huc illuc*; hinc *algus* et *algor*, et verbum *algeo* (quod *Vide*), nempe *præ frigore tremo*. — Alga herba est in mari nascens, cujus plura genera referunt herbarii; sed generatim accipitur a Latinis pro omni herba in marinis aquis nascente eisque innatante, et quæ fluctuum agitatione ad littus ejicitur (It. *aliga*, *alga*; Fr. *algue*; Hisp. *alga*; Germ. *das Seegras oder Meergras, Seetang oder Meertang*, Angl. *sea-weed, reits, a sort of sedge*).

I.) Proprie. *Horat.* 3. *Od.* 17. 9. cras foliis nemus Multis et alga littus inutili Demissa tempestas ab Euro Sternet. Adde *Virg.* 7. *Æn.* 590., *Colum.* 8. *R. R.* 7. 6. et 11. *ibid.* 3. 23., et *Auct. B. Afr.* 24. — Est tamen quoddam algæ genus, quod Græce φῦκος et Latine *fucus* dicitur, lactucæ simile: hic tingendis

purpura lanis adhibebatur. *V.* FUCUS. Ejus quoque plura genera recenset *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 66. (103). Adde 32. *ibid.* 6. 22. (66)., ubi *algam maris* appellat, et adversus serpentes prodesse ex *Nicandro* tradit.

II.) Translate ponitur pro re vilissima. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 8. Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est. *Virg.* 7. *Ecl.* 42. projectâ vilior algâ.

ALGENS, entis. *V.* ALGEO.

ALGENSIS, e, adject. qui in alga nascitur vel nutritur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (131). Purpurarum genera plura, pabulo et solo discreta: lutense putri limo et algense enutritum alga, vilissimum utrumque.

ALGEO, ges, alsi, alsum, gere, n. 2. Part. *Algens* I.; *Alsus V.* ALSIUS. — Est a Græco ἀλγέω, ut dictum est in ALGA, teste etiam *Paul. Diac.*, qui ait p. 6. 5. *Müll.* Algeo ex Græco ἀλγῶ ducitur, id est doleo, ut sit frigus dolor quidam membrorum rigore collectus. — Itaque algeo est patior frigus (It. *patir freddo*; Fr. *avoir froid*, *geler*; Hisp. *haber frio*; Germ. *Frost empfinden*, *von Frost leiden*, *sich erkälten*; Angl. *to starve with cold*, *to be cold*).

I.) Proprie. — *a*) De animalibus et plantis. *Ter. Adelph.* 1. 1. 11. Ego, quia non rediit filius, quæ cogito! Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit. *Nævius* apud *Cic.* 20. *Orat.* 70. 285. Sapiens si algebis, tremes. *Cic.* 2. *Tusc.* 14. 34. Lycurgi leges – erudiunt juventutem – esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. *Horat. Art. P.* 412. Qui studet optatam cursu contingere metam Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit. *V.* infra Homonym. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 214. Algentis manus est calfacienda sinu. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 18. 2. Nostri (*milites*) – facile algere et esurire consuerunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 46. (117). Succus ejus (*olusatri*) algentes calefacit potus. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (226). Ægrotant (*vites*) cum alsere, læsis uredine attonsarum oculis. — *b*) Latiori sensu de inanimis occurrit fere particip. præs. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (27). Vites meliores algentibus locis, quam calidis. *Stat.* 3. *Theb.* 469. algentes laxavit sole pruinas. *Martial* 12. 36. et 14. 137. *algentes togas* appellat, quæ adeo tritæ sunt vel leves, ut iis indutos algere faciant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (46). *algentia folia* piceæ dicit, quia horrida sunt et veluti frigore usta.

II.) Translate. *Juvenal.* 1. 74. Probitas laudatur et alget. *h. e.* negligitur, non colitur, non fovetur.

Homonym. *Algere* dicitur, uti ajunt Scholastici, subjective; *frigere* autem objective: hinc verbo *algere* opponuntur *æstuare* et *sudare*, *frigere* opponuntur *calere* et *fervere*. *Seneca* 2. *de Ira* 12. 4. Potest aliquis non algere, quamvis rerum naturâ hiems sit, et non æstuare, quamvis menses æstivi sint. Cf. *Cic.* et *Horat.* loca superius allata. *Cic.* 4. *ad Herenn.* 15. 21. In re frigidissima cales, in calidissima friges. *Id.* 8. *Fam.* 8. Si Parthi vos nihil calefaciunt, nos hic frigore frigescimus. Adde, si vis, *Virg.* 2. *G.* 344., *Cic.* 2. *Off.* 3. 13. et *Varr.* 3. *R. R.* 9. 15. *Seneca* 2. *de Ira* 18. Potestates pares his sunt, frigida, fervida, arida atque humida. *Et mox:* Inde quasdam humidas vocamus aridasque regiones, et calidas et frigidas.

ALGESCO, is, ere, n. 3. algore corripior, algere incipio. *Prudent. Apotheos.* 210. rabiem flammarum algescere cogit.

ALGĬDUS, a, um, adject. algens vel algorem afferens (It. *algente*, *freddo*; Fr. *froid*, *glacé*; Hisp. *frio*; Germ. *frostig und kalt*; Angl. *cold*.) *Catull.* 63. 70. Algida Idæ nive amicta loca colam. *Prudent. Cathem.* 11. 35. Algida saxa. *Nævius* apud *Cic. Orat.* 45. 152. Vos, qui accolitis Histrum fluvium, atque algidam. *subaudi* regionem, et *V.* ADALGIDUS. *Capell.* 1. p. 6. Primus gurges algidis admodum pigrisque cursibus hæsitabat. — Hinc

Algidum, i, n. 2. substantive. *Symmach.* 3. *Ep.* 50. Ut æstas mihi Prænestino algido frangeretur. *Capell.* 2. p. 44. Deorum rigidissimum creatorem in algido hærentem pruinisque nivalibus conspicata.

ALGĬFĬCUS, a, um, adject. (algere et facio) frigus inducens. *Gell.* 19. 4. Quod timor omnis sit algificus, quem ille (*Aristot. probl. phys.* 27.) appellat ψυχροποιόν.

ALGĬŌSUS, a, um. *V.* ALSIOSUS.

ALGOR, ōris, m. 3. (algeo) idem ferme quod frigus, et proprie frigus vehementius quod patimur, cui æstus opponitur (It. *freddo*, *gelo*; Fr. *froid*, *frisson*; Hisp. *frio*; Germ. *das Gefühl und die Empfindung der Kälte und des Frostes*; Angl. *cold*, *shivering*, *chilness*). *Plaut. Rud.* 1. 3. 33. Algor, error, pavor membra omnia tenent. *Varro* 2. *R. R.* 7. 10. Algor obest prægnantibus. *Sall. Cat.* 5. Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris. *Tac.* 3. *Hist.* 22. Confectus algore et inedia. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (20). Æstu magis, quam algore vexantur. *Id. ibid.* § 27. Unus tenor algoris æstusve. *Id.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Oleo natura tepefacere corpus et contra algores munire. *Id.* 8. *ibid.* 39. 59. (159). Viperæ alias vel annua fame durant, algore modo dempto. *Forcellinus* pro hieme accipit.

ALGŌSUS, a, um, adject. alga abundans. *Auson.* 7. *Ep.* 42. Algosum littus. — Hinc

Algosa, orum, n. 2. substantive. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (95). Vivunt in algosis. *subaudi* locis.

ALGU. *V.* voc. seq.

ALGUS, us, m. 4. (algeo; cf. et Gr. ἄλγος). *Charisius* 1. p. 23. *Putsch.* ponit *algu* neutrius generis, sed nullo exemplo confirmat: recentiores tamen Philologi hanc formam admittunt in illo *Lucret.* 5. 746. hiems sequitur, crepitans ac dentibus algu. *ubi veteres Editt.* algus; *alii* algor. V. etiam *Oehler. Varronis Sat. Menipp. reliq.* p. 129. — Algus est idem quod algor, seu vehementius quod patimur frigus: occurrit fere semper in sexto casu sing. *Plautus* apud *Priscian.* 6. p. 699. *Putsch.* Inopiam, luctum, mœrorem, paupertatem, algum, famem. *Id. Rud.* 2. 7. 24. Tu vel suda, vel peri algu. *Id. Most.* 1. 3. 36. Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu. Adde *Accium*, *Lucilium* et *Varronem* apud *Non.* p. 72. 9. *Merc. Lucret.* 3. 773. Sollicitæ volitant morbis alguque fameque. *ubi veteres Editt.* algoque; *unde in* Forcellini *Lex.* Algus, i, m. 2.

ĀLĬĀ, est ablativus adjectivi *alius* absolute adverbii modo positus, omissa δι' ἔλλειψιν voce *via* (It. *per altra strada*; Fr. *par un autre coté ou chemin*; Hisp. *de la otra parte*; Germ. *auf anderem Wege*; Angl. *by a different way*). Perperam *Handius* (*Tursell.* 1. p. 219.) de hoc adverbio dubitat, quod optimi Codd. tuentur et apud *Plaut. Rud. prol.* 9. Jupiter nos pergentes alium aliâ disparat. *Alii male* aliuta. Et apud *Lucret.* 6. 986. Nam penetrare alia sonitus aliaque saporem Cernimus e succis, alia nidoris odores. *Alii leg.* alio. Et sane ad rem *Liv.* 44. 43. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant et nox appropinquabat, cum perpaucis maxime fidis viâ devertit: equites, sine duce relicti, alii aliâ in civitates suas dilapsi sunt. *Id.* 21. 56. Cum aliâ evadere nequissent. *Alschefski* ita optime restituit. *Flor.* 2. 12. 7. Cum alia minitatus, alia irrepsisset. *Dig.* 1. 1. 11. Nam cives Romanos aliâ, quam per portas, egredi non licet. *Id.* 43. 12. 1. § 7. Si flumen alveum suum reliquerit et aliâ fluere cœperit.

ĀLĬĀS. Syllabam *as* longam esse testatur et *Priscian.* 15. p. 1014. *Putsch.* — Alias est accusativus adjectivi *alius* eadem forma qua *foras*, adverbii modo positus, omisso δι' ἔλλειψιν nomine *partes*, et significat versus aliam partem (It. *verso un'altra parte*; Fr. *ailleurs*, *en un autre endroit*; Hisp. *en otra parte*; Germ. *nach einer anderen Seite oder Richtung hin*; Angl. *in another way*).

I.) Proprie, ut adverbium locale, raro admodum occurrit. — *a*) Interdum respondet interrogationi *quorsum?* ut in *Dig.* 41. 1. 7. § 5. Quod si toto naturali alveo relicto flumen alias fluere cœperit. Et translate *Ulp. Dig.* 33. 8. 8. § 8. Julianus alias accipiendum legatum peculii ait, si ipsi servo legetur. *quibus respondetur interrogationi* quorsum accipis? — *b*) Interdum respondet interrogationi *quo?* ut apud *Justin.* 4. 1. 9. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum. *Forcellinus* h. l. pro *alibi* accepit. *Dig.* 10. 3. 19. § 1. Si alias aditum non habet. Adde *ibid.* 47. 2. 39.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur de tempore, et est alia vice, alio tempore, tam præterito, quam futuro, et sæpe etiam indefinito: præterea 1.°) aut semel ponitur, 2.°) aut repetitur. — 1.°) Semel ponitur aut absolute, aut una cum aliis particulis. — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 3. 2. 49. Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias? *Cic.* 7. *Fam.* 6. 2. Sed plura scribemus alias. *Id.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 44. 135. Recte secusne alias viderimus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 63. Hactenus hæc: alias justum sit necne poema. *Curt.* 8. 6. 19. Rex benignius quam alias allocutus. — *b*) Cum oppositis adverbiis *nunc*, *in præsentia*, *tum*, etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 7. Sed alias pluribus; nunc ad institutam disputationem revertamur. Adde 3. *Tusc.* 11. 25., *Liv.* 44. 36. et *Curt.* 3. 2. 11. *Cic.* 3. *Herenn.* 16. 28. Quare placeat, alias ostendemus: in præsentia cujusmodi ea sit aperiemus. *Curt.* 4. 3. 18. Gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis jussa exequebantur. Adde 9. 4. 15. — *c*) Arctissime conjungitur cum particulis *unquam*, *nunquam*, *quando etc. Cic.* 4. *Att.* 2. 2. Si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquam alias fuimus, tum profecto – magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit. Adde *Liv.* 1. 28. *Liv.* 32. 5. Bellum, si quando unquam ante alias, tum magnâ curâ apparavit. Adde *Sueton. Aug.* 75. *Liv.* 2. 9. Non unquam alias ante tantus terror senatum invasit. *Horat.* 3. *Od.* 5. 46. consilio nunquam alias dato. — *d*) Frequentius cum particula *sæpe*, præsertim si propositiones inter se opponantur. *Cic.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 3. 9. Quibus de rebus et alias sæpe multa quæsita et disputata sunt et quondam in Hortensii villa etc. *Id.* 1. *Orat.* 9. 38. Quorum pater – et sæpe alias et maxime censor saluti reipubl. fuit. Adde 5. *Tusc.* 4. 11. et 1. *Divinat.* 5. 8. *Id.* 4. *Tusc.* 44. 7. Quod cum sæpe alias, tum nuper studiose. Adde *Brut.* 39. 144., 3. *Off.* 22. 86. et alibi sæpe. — *e*) Cum Adverb. *semper*. *Sueton. Vesp.* 22. Et super cœnam autem et semper alias communissimus multa joco transigebat. Adde *Tib.* 18. — *f*) Cum adverb. *raro*. *Liv.* 45. 20. Raro alias quisquam rex tanto favore est auditus. Adde 3. 69. — *g*) Cum part. *non*. *Liv.* 45. 7. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Adde 7. 23. *Virg.* 1. *G.* 487. Non alias cælo ceciderunt plura sereno Fulgura. Adde *Sueton. Tit.* 8. et *Flor.* 3. 6. 14. — 2.°) Aliquando repetitur — *a*) neque bis modo, sed et ter, et quater; habetque eamdem fere vim ac *interdum*, *modo*. *Plaut. Curc.* 1. 1. 63. Alias me poscit pro illa triginta minas, alias talentum magnum. *Cic.* 2. *Fin.* 27. 87. Nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser. Adde 3. *Orat.* 55. 212. et 3. *Verr.* 46. 120., *Cæs.* 5. *B. G.* 57. et *Curt.* 8. 2. 7. *Varro* 2. *R. R.* 1. 15. In emptione alias stipulandum statim esse e valetudinario, alias e sano pecore, alias e neutro. Adde 8. *L. L.* 76. p. 193. *Müll. Cic.* 1. *Invent.* 52. 99. Licebit alias transire omnes argumentationes, alias ad partitiones singula genera referre, alias ab auditore, qui desiderat, quærere, alias hæc facere etc. — *b*) Nonnumquam pro *alias* repetito ponuntur aliæ particulæ, *interdum*, *plerumque*, *tum*, *aliquando*, *sæpius*. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias. *Id. Senect.* 15. 51. Nec unquam sine usura reddit (*terra*), quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fœnore. *Id.* 4. *Tusc.* 16. 36. Quæ tum moderatum, alias modestum temperantem, alias constantem continentemque vocamus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (63). Partus alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens. Adde 16. *ibid.* 32. 58. (134). — *c*) Interdum alias in priore propositione omittitur et subauditur. *Cæs.* 3. *B. G.* 21. Illi eruptione tentatâ, alias cuniculis ad aggerem vineasque actis etc. *ubi fortasse rectius legendum* eruptione tentatâ alias, alias cuniculis, *ut reapse occurrit apud* Cic. 3. Orat. 55. 212. et *Curt.* 8. 2. 7. Item *alias* repetendum esse videtur apud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 7. (13). Quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes. *Forcellinus* h. l. pro *aliquando* scripsit. — *d*) Interdum in una eademque propositione *alias* conjungitur cum vocabulis ejusdem prorsus thematis, ut *alius*, *aliter* etc. *Cic.* 2. *Orat.* 7. 30. Illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt et judicant. Adde 16. *Att.* 11. 7., *Orat.* 59. 200. et 70. 237., et V. *Madvig.* ad *Cic.* 1. *Fin.* 3. 7. *Cic.* 2. *Invent.* 13. 45. Alias aliter hæc in utramque partem causæ solet convenire. ¶ 2. *Alias* ponitur etiam pro alia occasione, alia ratione, aliis rerum adjunctis. *Cic.* 1. *Fin.* 3. 7. Quorum (*Scipionis et Rutilii*) ille judicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alias; sed neque tam docti tum erant. *Madvig* contra Codices MSS. legit *alia*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 5. (11). Homerus quidem –, multus alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægypto tribuit. *h. e.* data sibi alia in poemate occasione; *Forcellinus* h. l. accipit pro *alioquin*. *Quintil.* 11. 3. 1. Actionem Cicero alias quasi sermonem, alias quasi eloquentiam quamdam corporis dicit. *h. e.* alia occasione aut ratione.

Adde *Cic. Amic.* 10. 33. et *Quintil.* 1. 5. 29. *Dig.* 23. 5. 3. § 2. Alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (15). Pomum ipsum alias non manditur. *h. e.* alia nulla occasione, nisi quis veneno infectus fuerit: *Forcellinus* h. l. accipit pro *tamen*. Adde 12. *ibid.* 14. 32. (61)., *Sueton. Tib.* 71. et *Macrob.* 5. *Saturn.* 19. ¶ 3. Item pro fere semper, de more: quæ locutio *Plinio* seniori familiaris admodum fuit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (226). Similiter in Silaro ultra Surrentum non virgulta modo immersa, verum etiam folia lapidescunt, alias salubri potu ejus aquæ. Adde 18. *ibid.* 6. 7. (37)., 19. 8. 48. (163). et alibi. *Tac.* 16. *Ann.* 1. Ne – reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur. *Forcellinus* pro *alioqin* accipit. Huc pertinet et illud *Apul.* 9. *Met.* 3. Dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias vacuum, hominem abscondit. *Forcellinus* pro *tandem* accipit. ¶ 4. *Alias* fere pro *aliter* est accipiendum, — *a*) Si præcedat particula negativa, ita ut et occurrat *non alias quam*, *non alias nisi* etc. *Curt.* 8. 1. 24. Illum quidem – debilitatum vulnere – jacuisse, non alias quam simulatione mortis tutiorem. *h. e.* nullo alio modo tutiorem, quam etc. *Tac.* 3. *Ann.* 73. Non alias magis suâ populique Rom. contumeliâ indoluisse Cæsarem ferunt, quam quod desertor et prædo hostium more ageret. *Dig.* 28. 6. 8. Non alias existet heres ex substitutione, nisi et ex institutione heres fuerit. Adde *Curt.* 8. 14. 16. et *Dig.* 23. 3. 29. — *b*) Absolute, teste etiam *Capro* apud *Charis.* 2. *p.* 175. *Putsch.*, ut in *Dig.* 32. 1. 41. § 8. Si alias fecerit, exheres esto. Et *ibid.* 2. 15. 8. § 10. Modus autem pro ætate ejus, qui transigit, arbitrandus est et valetudine: nam alias cum puero, alias cum juvene, alias cum sene transigi palam est. *Alii tamen leg.* aliter.

ĂLĬBI, adverb. locale eadem ferme compositione, qua *aliubi*, quam vocem vide, et est alio in loco (It. *altrove, in altro luogo*; Fr. *ailleurs*; Hisp. *en otra parte*; Germ. *anderswo, anderswärts*; Angl. *elsewhere, in another place*).

I.) Proprie 1.°) aut in uno tantum orationis membro, 2.°) aut in pluribus iisque inter se connexis occurrit. — 1.°) In uno tantum orationis membro occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 4. 3. 73. ST. Hicine nos habitare censes? CH. Ubinam ego alibi censeam? *Curt.* 9. 1. 5. Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant. — *b*) Cum Genitivo *gentium* occurrit tantum apud *Apul. Flor.* 3. 18. Quin etiam commemoravit et alibi gentium et civitatium honores mihi statuarum et alios decretos. *Id. ibid.* 4. 18. Facilius laudes vestras alibi gentium, quam apud vos prædicarim. — *c*) Una cum particulis negativis. *Cic.* 13. *Att.* 52. 2. Dolabellæ vitam cum præteriret, omnis armatorum copia dextrâ sinistrâ ad equum, nec usquam alibi. *subaudi* stabat. *Virg.* 1. *Ecl.* 40. neque servitio me exire licebat, Nec tam præsentes alibi cognoscere divos. *Quintil.* 6. 4. 4. Asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris magis mucrone pugnari. — *d*) Sæpe post se habet particulam *quam*. *Liv.* 5. 52. In Jovis epulo num alibi, quam in Capitolio, pulvinar suscipi potest? Adde 43. 9. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 8. Post admissuræ tempus confestim matrices custodiendæ sunt, ne alibi quam in stabulo fetus edant. *Sueton. Aug.* 23. Graves ignominias cladesque duas, nec alibi, quam in Germania accepit. *Tac.* 1. *Ann.* 77. Ne – alibi, quam in theatro, pantomimi spectarentur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 43. (125). Qui (*silurus fluviatilis*) et alibi quam in Nilo nascitur. *Tac.* 1. *Hist.* 4. Evulgato imperii arcano, posse principem alibi, quam Romæ, fieri. 2.°) In pluribus iisque connexis orationis membris — *a*) Idem adverbium *alibi* occurrit bis terque et interdum interposita particula *atque*. *Liv.* 8. 32. Alibi preces, alibi minæ audiebantur. Adde 3. 18. et 38. 41. *Seneca Ep.* 89. In his, qui aliquid ex distanti loco ferire conantur, alibi est qui petit, alibi quod petitur. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (296). et *Quintil.* 8. 3. 18. *Liv.* 38. 46. Exercitus – trifariam dissipatus, alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter vepres – delituit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 3. 3. (8). Præterea visus probatione alibi plaustri, alibi ursi, tauri alibi, alibi litteræ figura, candidiore medio per verticem circulo. *Id.* 31. *ibid.* 14. 41. (111). Hæc (*aqua*) alibi atque alibi utilior nobilitavit loca gloriâ ferri. — *b*) Jungitur et aliis particulis. *Virg.* 1. *G.* 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ, Arborei fetus alibi. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (146). Nec tamen in hoc mangonio quidquam totum placet, hic clune, alibi pectore tantum laudatis. Multo liberius *Curtius* 7. 4. 26. Bactrianæ terræ multiplex et varia natura est. Alibi multa arbor et vitis largos mitesque fructus alit etc. Magnam deinde partem ejusdem terræ steriles arenæ tenent. *ubi verba* magnam partem *respondent adverbio* alibi. — *c*) Jungitur et cum aliis vocabulis ejusdem thematis. *Lucret.* 3. 1065. Quare – etiam atque etiam talis fateare necesse est Esse alios alibi congressus materiai. *Liv.* 2. 23. Hæc se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam. Adde 9. 2. *Id.* 44. 35. Medium spatium torrentis, alibi aliter cavati.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur de personis. *Ter. Hec.* 3. 1. 14. Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum. *Dig.* 26. 4. 1. § 1. Interdum alibi est hereditas, alibi tutela. — Sæpius de auctoribus, qui citantur, ut apud *Liv.* 29. 25. Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero apud auctores discrepat: alibi decem millia peditum, duo millia ducentos equites, alibi parte plus dimidiâ rem auctam – invenio. Adde *Quintil.* 1. 21. 6., 4. 2. 110. et alibi sæpe. ¶ 2. Item de rebus, et est in alia re, alia ratione vel occasione. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 16. Atque ego, si alibi plus perdiderim, minus ægre habeam. *Ter. Andr.* 2. 5. 9. Neque istic, neque alibi tibi erit usquam in me mora. Adde *Heaut.* 2. 3. 38. *Cic.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 32. 103. Illud sit disputatum non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri et certi notam. *Liv.* 30. 35. Nec spem salutis alibi, quam in pace impetranda, esse. Adde 7. 41. *Cels.* 6. 6. 8. Videlicet hic quoque, ut alibi, cum secunda vana fuerint, contrariis adjuvantibus.

ĂLĬBĬLIS, e, adject. (alo). Comp. *Alibilior* 2. ¶ 1. Active est ad alendum aptus. *Varro* 2. *R. R.* 11. 1. Lac est omnium rerum, quas cibi causa capimus, maxime alibile. *Et ibid.* § 3. Casei, cum molles sunt, maxime alibiles. ¶ 2. Passive de eo, qui facile alitur et crescit et roboratur. *Varro* 3. *R. R.* 9. 14. Prodigendi (*sunt pulli*) in solem et in sterquilinium, ut se volutare possint, quod ita alibiliores fiunt. *Schneiderus* ex *Crescentio* præfert *validiores*, quod *Forcellino* visum est maxime probandum, nam crebro motu fortiores quidem, non pinguiores pulli fieri solent: sed *Klotz* rectius videtur nihil mutandum, *validiores* enim apud *Crescentium* est glossema.

ĂLĪBRUM, i, n. 2. instrumentum, in quo lanæ aliusve similis rei fila volvuntur. *Isid.* 29. *Orig.* 19. Alibrum, quod in eo librantur fila, id est volvuntur. In quibusdam Lexicis legitur *alabrum*; sed cum ex *Isidoro* notitia hujus vocabuli ad auctores glossariorum devenerit, ut pronum est credere, retinendum est alibrum. Ita *Arevalus*.

ĂLĬCA, æ, f. 1. *Paul. Diac.* p. 7. 17. *Müll.* itemque *Verrius Flaccus* apud *Charis.* 1. *p.* 75. *Putsch.* hanc vocem ab *alendo* derivant ac propterea scribunt sine aspiratione; alii contra cum aspiratione scribendam esse ajunt, quod *halicarius* occurrit in *Lucilio* apud *Charis. l. c.* Rectius *Döderlein* (*Latein. Synon. T.* 6. *p.* 15.) putat hoc nomen ad Græca ἀλίσαι et ἀλαί referendum. — Alica duplex est, nativa et facticia. ¶ 1. Nativa est genus frumenti, quod a Græcis χόνδρος appellatur, et videtur esse illud idem, quod dicitur It. *spelta*; Fr. *épeautre*; Hisp. *espelta*; Germ. *Spelt oder Dinkel*; Angl. *spelt*. Est autem species zeæ *duplicis*, hoc est, quæ spicas profert geminis granorum versibus: (est enim altera species *simplex* dicta, quia simplici granorum ordine constat) quæque a Latinis generali vocabulo *semen* appellata est. Hinc *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (50). et 22. 25. 61. (128). discerte alicam refert inter genera frumenti. Videsis cl. *Fée Op. cit.* ad h. l. et *Cels.* 2. 18. 20. Adde *Cat. R. R.* 70. 1., ubi *alicam primam* appellat. ¶ 2. Alica facticia est sorbitio, vel puls ex alica nativa confecta. Tundebatur enim alicæ granum pila lignea, excussisque ejus tunicis, iterum concidebatur, et in particulas minutiores comminuebatur. Ex quo tria alicæ facticiæ genera erant; alterum *grandissimum* (quod et aphæresma Græco vocabulo dictum est) ex granis alicæ confectum, quibus tunicæ solummodo excussæ essent: alterum *secundarium*, cum præterea grana ipsa in minutiores particulas contusa erant: tertium *minimum*, cum in tenuissimas. Granis alicæ hoc modo tusis admiscebatur creta, vel gypsum, vel lac ad candorem inducendum: cum vero uti ea opus esset, eluebatur diligenter creta, ne noceret stomacho, ipsaque alica vel mulso, vel alio quopiam condimento imbuebatur, habebaturque in deliciis. *Martial.* 13. 6. Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives: Si tibi noluerit mittere dives, eme. *Id.* 2. 37. Stillantemque alica sua palumbum. *Martial.* hoc loco intelligit palumbum coctum, et alica aspersum condiendi gratia: vel palumbum saginatum alicæ granis, atque præ adipe stillantem. Adde *Apic.* 2. 1., *Senec. Ep.* 122. 16. et *Plin.* 1. *Ep.* 15. — In medicina etiam multus erat alicæ usus: torrebantur enim ejus grana, et dabantur ad sistendam alvum: vel decocta, additoque lacte et melle, sumebatur ab iis, qui ex longo morbo ad tabitudinem redacti essent; item syntexi laborantibus, etc. Nam hujusmodi sorbitio valde alibilis habebatur. Utilis etiam erat in sola aqua decocta, et colata, expresso succo: quæ *alica elota* dicitur a *Cels.* 8. 6. et *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 61. (128). Adde *Cels.* 2. 23., *Scribon. Compos.* 104. et *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 10. — Adulterabatur cum fiebat e zea in Africa proveniente, quæ est latioribus spicis et nigrioribus, et brevi stipula. Præterea cum fiebat adhibitis tritici granis. Illud etiam alicæ genus, quod ex hordeo seminaturo tosto et molito fieri scribit *Pallad.* 7. *R. R.* 12., inter adulterina recensendum videtur. *V.* alia huc pertinentia apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (112. et 115)., item 22. *ibid.* 25. 58. (124). et *V. Castelli*, *Ragionamento p.* 70. 80. — *NB.* De Alica nomine pr. *V.* ONOM.

ĂLĬCĀRĬUS, a, um, adject. ad alicam pertinens. *Alicariæ meretrices*, inquit *Paul. Diac.* p. 7. 18. *Müll.*, dicebantur in Campania, solitæ ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia, sicut hæ, quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula. Porro in Campania laudatissima fiebat alica, teste *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (112). Hinc innotescit de mulieribus famosis ac vilissimis loqui *Plaut. Pœn.* 1. 2. 53. An te ibi vis inter istas versarier prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, miseras, cœno delibutas, servilicolas sordidas?

ĂLĬCĀRĬUS, ii, m. 2. est qui alicam vel molit, vel conficit. — *a*) Proprio et stricto sensu. *Paul. Diac.* p. 7. 18. *Müll.* Ante pistrina alicariorum versari. — *b*) Ad contumeliam et convicium utitur *Lucilius* apud *Charis.* 1. *p.* 75. *Putsch.* Nemo est alicarius posterior te.

ĂLĬCASTRUM, i, n. 2. genus frumenti *alicæ* simile. *Colum.* 2. *R. R.* 6. 3. quatuor recenset adorei genera, far Clusinum, vennuculum rutilum, vennuculum candidum, et semen trimestre, quod dicitur alicastrum: idque ait pondere et bonitate esse præcipuum. Adde *eumd. ibid.* 9. 8. et *Isid.* 17. *Orig.* 3. 9. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (139). trimestris tritici mentionem facit, ex quo panis fit, qui *sitanius* dicitur. Itali dicunt *marzolo*, Fr. *blé de mars*; Germ. *Sommerdinkel oder Sommerspelt*; Angl. *Marchwheath*, quia Martio mense seritur, et æstate metitur.

ĂLĬCŬBI, adverb. locale, per syncopen ex *aliquo ubi* compositum, unde, teste *Cæsellio* apud *Cassiodor. de orthogr. p.* 2314. *Putsch.*, veteres *aliqŭbi*, ut *nuetrobi* scribebant. — Alicubi est in aliquo loco (It. *in qualche luogo*; Fr. *en quelque part*; Hisp. *en alguna parte*; Germ. *irgendwo, an irgend einem Orte*; Angl. *somewhere, in some place*). Aut 1.°) semel occurrit, aut 2.°) repetitur. — 1.°) Semel occurrit — *a*) Absolute. *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 7. Si salvus sit Pompejus et constiterit alicubi, hanc νέκυιαν relinquas. *Quintil.* 10. 1. 9. Omnia verba sunt alicubi optima. *Petron. Satyr.* 45. Tu si alicubi fueris, dices hic coctos porcos ambulare. — *b*) Loco per alia verba definito. *Ter.* 3. 5. 7. Utinam hic prope adesset alicubi atque audiret hæc. *Cic. Flacc.* 29. 71. Omnino mallem hic alicubi in Crustumerio aut in Capenati (*agro*) paravisses (*prædia*). *Sueton. de ill. Gramm.* 7. In quibus (*scriptis*) et suum alicubi reperiri nomen. *Dig.* 14. 2. 4. § 2. Alicubi in angulo aliquo. — 2.°) Cum repetitur est hic ibi, in hoc loco in illo loco. *Seneca Ep.* 89. *sub fin.* Omnibus licet locis tecta vestra splendeant, alicubi imposita montibus in vastum terrarum marisque prospectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta est. Adde *eumd.* 2. *de Tranquill. an.* 2. Alii tamen utrobique legunt *aliubi*. V. *Fickert. vol.* 1. *p.* 453.

Homonym. *Alicubi* et *usquam* inter se differunt, teste *Priscian.*, qui *l.* 17. *p.* 1058. *Putsch.* ait: Inter *aliquis* et *ullus*, et *alicubi* et *usquam*, et

aliquando et unquam hoc interest: quod aliquis et alicubi et aliquando absolute proferuntur, ut aliquis venit ad me; similiter et alicubi fecimus, id est in aliquo loco, et aliquando contingit, id est in aliquo tempore. Sin autem dicam ullus, pendet ex infinito omnium numero, necesse est enim ullus omnium intelligere, et cunctos posse numeros ad hoc referri. — Similiter usquam ad omnia loca refertur, et unquam ad omnia tempora.

ĂLĬCŬLA, æ, f. 1. genus vestis brevioris, ita dictæ, quod alas, hoc est brachia injecta continebat, ut scribit Vel. Longus de Orthogr. p. 2229. Putsch.; ubi et addit, ideo rectius scribi sine aspiratione: vel potius quod quasdam lacinias velut alas habebat, eratque e chlamydum genere, ut ostendit Ferrar. de Re vest. p. 2. l. 3. c. 1., ubi refellit Cujacium, qui l. 10. Observat. c. 18. putavit aliculam fuisse speciem togæ. Rectius tamen habenda est vox deminutiva a Græca ἄλλιξ, quæ legitur apud Hesych., et significat tunicam manicatam primo in Thessalia usitatam; ideoque nonnulli scribendum putant allicula duplici ll. Martial. 12. 82. Brumæ diebus, feriisque Saturni Mittebat Umber aliculam mihi pauper: Nunc mittit alicam: factus est enim dives. Martial. notat avaritiam Umbri, qui dives factus potionem mittebat, cum antea vestem mittere consuevisset: simulque ludit in vocibus alica et alicula, quasi hæc sit deminutivum ab illa, et videri possit Umber auxisse dona sua, cum revera minuerit. Petron. fragm. Tragur. 40. Burmann. Barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus, et alicula subornatus polymita. Scheffer. ad hunc loc. observat, cum hic venatorius cultus describatur, aliculam inter venatorias quoque vestes annumerandam esse. Ulp. Dig. 34. 2. 23. § 2. recenset inter vestes pueriles his verbis: Puerilia sunt togæ prætextæ, aliculæ, chlamydes, et pallia, quæ filiis nostris comparamus. Ita enim ibi legendum cum optim. edition. Torrentina, et aliis; licet in quibusdam, quod fortasse ea vox minus intellecta fuit, legatur togæ prætextæ, alicubi et clamydes, etc.

ĂLĬCUNDE, adverb. locale, per syncopen ex aliquo unde compositum, unde, teste Cæsellio apud Cassiod. de orthogr. p. 2314. Putsch., veteres et aliquunde scribebant. Est autem ex aliquo loco (It. da qualche luogo; Fr. de quelque part; Hisp. de alguna parte; Germ. von irgend woher, von irgend einem Orte her; Angl. from some place or other).

I.) Proprie. Ter. Andr. 2. 4. 3. Venit meditatus alicunde ex suo loco. Lucret. 5. 523. Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aer. Cic. Cæcin. 16. 40. Omnis enim vis est, quæ periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Id. 5. Fin. 11. 31. Præcipitare aliquem alicunde. Id. 4. Verr. 20. 48. Quærere procul alicunde aliquid.

II.) Improprie refertur ad personas, aut res. Plaut. Epid. 3. 1. 10. Alicunde ab aliquibus aliqua tibi spes est mecum fortunam fore. Id. ibid. v. 13. Quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis. Id. Pers. 1. 1. 44. Alicunde exora mutuum. Ter. Hec. 3. 1. 6. Nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labor. Id. Adelph. 2. 2. 34. Minas decem corradet alicunde. Id. Phorm. 2. 1. 76. Sumere aliquid alicunde. Cic. 1. Tusc. 23. 53. Quod motum affert alicui quodque ipsum agitatur alicunde. Adde 6. de republ. 25. 27. Id. 10. Att. 1. 3. Non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare.

ĀLID. V. ALIS.

ĂLĬĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. (alienare; cf. Gr. ἀλλοτρίωσις) generatim est actus, quo quis aut quid alienus fit, immutatur (It. alienazione; Fr. aliénation; Hisp. alienacion; Germ. die Entäusserung, die Entfremdung; Angl. an alienating, estranging, alienation).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est rei vel personæ mutatio, qui ipsa fit alia. Cæl. Aurel. 1. Acut. 3. (In phreniti) guttæ sanguinis levissimæ per nares, capitis frequens alienatio. h. e. frequens mutatio situs. ¶ 2. Speciatim alienatio mentis est commotio vehemens et perturbatio tanta, ut homo non sit amplius sui compos. — a) Cum Genit. mentis. Cels. 4. 2. 1. Doloris capitis notæ sunt horror validus, nervorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio etc. Adde Plin. 21. Hist. nat. 21. 89. (155). et Dig. 1. 18. 14. — b) Absolute. Seneca Ep. 78. 9. Dolor capitis, quo incitatior est, eo citius in alienationem stuporemque convertitur. Cæl. Aurel. 1. Acut. præfat. Sed neque a deliratione vehementi alienationem differre quisquam existimet. ¶ 3. Item speciatim, et quidem sæpius, alienatio est actus, quo quis rei suæ dominium jusque in ea suum ad alium transfert. Seneca 5. Benef. 10. 1. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse orbi se dicet? Quia venditio alienatio est et rei suæ jurisque in ea sui in alium translatio. Pompon. Dig. 18. 1. 67. Alienatio tum fit, cum suâ causâ dominium ad alium transferimus. Cic. Orat. 42. 144. et 3. Legg. 20. 48. Alienatio sacrorum. h. e. quâ sacra propria alicujus gentis aut familiæ per fictam quamdam coemptionem et venditionem in aliam transferuntur. Dig. 27. 9. 3. § 1. Alienationes pignorum. — Est etiam ipsum jus alienandi, ut in Dig. 21. 1. 3. § 8. Alienationem peculii habere.

II.) Translate sumitur pro disjunctione et separatione animorum, cum inter aliquos amicitia dissolvitur, et amor ab uno in alium transfertur. Cic. Amic. 21. 76. Nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum neque honestum sit, nec fieri possit, ut non statim alienatio disjunctioque fiat. Id. 2. Phil. 1. 1. Tuamque a me alienationem ad cives impios tibi gloriæ fore putavisti. Id. 1. ad Q. fr. 4. 4. Subita defectio Pompeji, alienatio consulum. Cæs. 2. B. C. 31. Alienatio exercitus. h. e. fuga et dissipatio. Tac. 2. Ann. 43. patrui. Id. 2. Hist. 60. Tunc interfecti centuriones promptissimi Othonianorum: unde præcipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. h. e. multorum militum Illyricorum exercituum alienatio et defectio a Vitellio facta est.

ĂLĬĒNĀTOR, ōris, m. 3. (alienare) qui rem aliquam in alterius dominium transfert. Imp. Anastas. Cod. 1. 8. 9. Orthodoxæ fidei venditor, vel quocumque modo alienator. V. Alienatio sacrorum in v. ALIENATIO I. 3.

ĂLĬĒNĀTUS, a, um. V. ALIENO.

ĂLĬĒNĬGĔNA, æ, adject. comm. gen. (alienus et gigno) alio loco genitus, origine suâ externus, extraneus (It. straniero; Fr. étranger; Hisp. extrangero, forastero; Germ. fremdgeboren, von fremder Abstammung, fremden Stammes, fremdländisch; Angl. a stranger, foreigner). Occurrit A) Adjective et B) Substantive.

A) Adjective. — a) Proprie dicitur de hominibus, et fere masc. gen. Cic. 2. de republ. 13. 25. Rex alienigena. Id. Dejot. 4. 10. Homo longinquus et alienigena. Id. Balb. 10. 25. Alienigenæ homines. Id. Font. 10. 22. Testes alienigenas domesticis anteferre. Id. 2. Legg. 10. 27. Suos deos, aut alienigenas colere. Id. 4. Cat. 10. 21. Alienigenæ hostes. Liv. 26. 13. et 29. 10. hostis. Id. 28. 42. exercitus. Curt. 7. 8. 21. dominus. — b) Latiori sensu dicitur, quamvis raro, et de rebus. Senatusconsultum apud Gell. 2. 24. Neque vino alienigena, sed patrio usuros. Val. Max. 6. 5. ext. 1. V. ALIENIGENUS.

B) Substantive. Cic. Flacc. 27. 65. Nec quid alienigenæ de vobis loqui soleant, sed quid vosmetipsi de genere vestro statuatis, memineritis. Adde Liv. 42. 50., Tac. Germ. 43. et Sueton. Aug. 48. Nep. Eumen. 7. Si ipse alienigena summi imperii potiretur.

Homonym. Si propria vis spectetur, differunt alienigena et externus, quod alienigena significat eum, qui ex externis et peregrinis parentibus genitus est, licet fortasse apud nos habitet: externus vero eum, qui præter parentes etiam domum extra nos habet; et præterea externus etiam latius patet. Hoc discrimen spectasse videtur Curt. 5. 11. 6. Custodiam corporis tui externus et alienigena non deposcerem. Et 6. 3. 10. Illi ejusdem nationis sunt; nos alienigenæ et externi.

ĂLĬĒNĬGĔNO, as, are, a. 1. alienare, alteri tradere. Inscript. apud Fabrett. p. 69. n. 34. MONVMENTVM VENDERE AVT [illegible] etc. Sed fortasse lapicidæ mendum fuit pro alienare, nisi spuria sit ipsa Inscriptio.

ĂLĬĒNĬGĔNUS, a, um, adject. (alienus et gigno). De hujusce vocabuli forma V. Priscian. 6. p. 677. Putsch. — Proprie est alio loco aut genere ortus; ac proinde — a) Ex diversis rebus genitus, [illegible], uti ajunt Græci. Lucret. 1. 860. (854). Scire licet nobis venas et sanguen et ossa Et nervos alienigenis ex partibus esse. Id. ibid. 866. (860). alienigenæ res. Adde ibid. 870. (863). Et Id. 5. 877. de Centauris corpore bino Ex alienigenis membris compacta potestas. — b) Extraneus, peregrinus. Val. Max. 6. 2. ext. 1. Mulier alienigeni sanguinis. Id. 1. 5. ext. 1. Alienigena exempla. Id. 4. 6. ext. 1. Alienigeni amores. Id. 2. 4. 10. studia. Id. 6. 5. ext. 1. Ne alienigenæ justitiæ obliti videamur. Colum. 8. R. R. 10. 9. Alienigeni pisces. Id. 8. ibid. 5. 10. fetus. Id. 3. ibid. 4. 1. semina. Inscript. apud Orell. 5018. Alienigenum corpus. Novell. Letter. Florent. T. 14. p. 678. legebant alienigerum: quod mendum esse putavit ipse Furlanetto in additis ad Lexicon.

ĂLĬĒNĬGER, a, um. Falsa lectio. V. voc. præced.

ĂLĬĒNĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. (alienus et loqui). Occurrit hæc vox apud M. Ter. Varron. Sent. 55. ed. Devit. Quod intricavit alieniloquium, imperitis est gravissimum. h. e., ut ait ipse Devit, gravissimi ponderis est imperitis sermo alienus: rectius tamen Klotz accipit pro vanis iis, quæ mente alienati garriunt. Cf. Aliena loqui sub Alienum in fine voc. ALIENUS sub Alienum, i. e.

ĂLĬĒNĬTAS, ātis, f. 3. (alienus) vox est, qua medici appellant quidquid in homine alienum est a natura sive [illegible]. Hinc — a) Et pro alienatione aliquando occurrit. Cæl. Aurel. 2. Acut. 39. Ad mentis alienitatem detrahendam. — b) Sæpius tamen alienitas est quidquid in humano corpore alienum corruptumve est et morbum inferens. Cæl. Aurel. 5. Tard. 4. Non adhibita recorporativa curatione, cum solius auferendæ alienitatis intentione medici capiantur. Et ibid. non multo post. Aliquando alienitatis obtrusione vesicæ impedito meatu, ut lapidis, aut areno etc. Id. 3. Acut. 3. Manens enim alienitas gravat. h. e. mala fecum constitutio.

ĂLĬĒNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (alius; cf. Gr. ἀλλοτριόω). Part. Alienatus in omnibus ferme paragraphis; Alienaturus II. 1.; Alienandus I. 5. — Alieno est alium vel alienum esse facio, teste Paul. Diac., qui p. 25. 9. Mull. ait: Abalienatus, dicitur, quem quis a se removerit, alienatus, qui est alienus factus. Hinc verbo alienare opponitur suum facere apud Liv. et vindicare in Dig.; quæ loca V. infra sub I. 5. (It. far diverso, far altro, alienare; Fr. rendre divers, rendre étranger, aliéner; Hisp. alterar, enajenar; Germ. eine Person oder Sache fremd oder zu einem fremden Eigenthume machen; Angl. to make different, or other than what it is, to estrange, to alienate).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et stricto sensu alieno est alium esse facio, immuto. Plaut. Amph. 1. 1. 143. Certe edepol tu me alienabis nunquam, quin noster siem. h. e. nunquam facies, ut ego alius sim. Plin. 20. Hist. nat. 18. 75. (197.) Sacopenium, quod apud nos gignitur, in totum transmarino alienatur. h. e. omnino aliud est, ac transmarinum. Cæl. Aurel. 4. Tard. 3. Nam quibus alienatæ sordes detrahuntur, iisdem etc. h. e. nimis induratæ, a natura sua immutatæ. ¶ 2. Speciatim est separare, removere. Ter. Heaut. 5. 2. 25. Ita nos alienavit. h. e. a se procul expulit: sed varie ibi legunt Codd. et Editt. Quintil. 3. 6. 99. Qui a familia sunt alienati. Varro 2. R. R. 1. 24. Rejiculas (oves) alienare. h. e. removere, segregare. Justin. 18. 3. Cum velut occisos alienasset. h. e. conspectu removisset, occultaisset. Sall. Cat. 36. Quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsâ suspicione alienatum sentiebam. h. e. ab ipsis honoribus remotum: Forcellinus vero h. l. accipit pro eo, qui ab alicujus amicitia rejectus est. ¶ 3. Item speciatim alienari membra dicuntur a medicis, quæ ex vulnere, ictu, aut morbo corrupta atque intermortua sensum amiserunt. Cels. 7. 16. Momento enim alienantur (intestina), externo et insueto spiritu circumdata. Id. 8. 10. Siquidem id, quod adstrictum est, alienatur et cancro opportunum est. Id. 5. 26. 23. Ex his colligi potest, utrum id, quod alia parte dependens, alia inhærebit, si alienatum adhuc non est, suturam an fibulam postulet. Plin. 23. Hist. nat. 4. 38. (76). Spodium — purgat ulcera, alienata explet, excrescentia leniter erodit. Scribon. Comp. 227. Alienatam partem movere. Cæl. Aurel. 4. Tard. 3. Est enim plurimæ debilitatis, atque alienatarum vel mortuarum partium signum. Seneca Ep. 89. 18. Tunc incipit medicina proficere, ubi in corpore alienato dolorem tactus expressit. ¶ 4. Item speciatim alienare est removere et auferre vim aliquam corporis aut mentis; et ponitur — a) De morbo aliave re in corpus agente, quibus quis ita immutatur et a se quodammodo removetur, ut sui compos non sit. Absolute Seneca 2. Quæst. nat. 53. Odor sulphuris, quia naturâ gravis est, sæpius haustus alienat. h. e. a sensibus. Plin. 28. Hist. nat. 8. 27. (93) Quod si successerit, alienari mente se vel ex equo bo

minem decidere. *Id.* 30. *ibid.* 6. 16. (48). Quos linquit animus, aut quorum alienatur mens, aut quibus vertigines fiunt. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut. præf.* Siquidem sine his (*febribus*) etiam mente alienantur, qui papaver, aut mandragoram – biberint. *Sueton. Aug.* 101. Unum omnino, ante efflatam animam, signum alienatæ mentis ostendit, quod subito pavefactus, a quadraginta se juvenibus abripi questus est. *Liv.* 25. 39. Hostes simul ignis, clamor, cædes, velut alienatos sensibus, nec audire, nec providere quidquam sinunt. — Hinc apud *Veget.* 5. 22. 1. *Schneid. alienatus morbus* est idem quod orabus, ex genere malei: ipse enim *Veget. ibid.* 22. 1. ait: Alienatus autem et maleus vocatur, alienatus, quod eripit animalibus sensum; maleus, quod pestilentia internecivum contagium facit. — *b*) De iis, quæ in spiritum agunt, eumque ita perturbant et commovent, ut homo sui compos non sit. *Liv.* 42. 28. *extr.* Vulgo Junonis iram ob spoliatum templum alienasse mentem ejus ferebat. *Cæs.* 6. *B. G.* 41. et *Liv.* 10. 29. Alienata mente. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. ad *Cæs. de republ. ordin. sub fin.* Qui in somniis exercitus, furibundus atque amens alienata mente fereris. *Liv.* 3. 48. Alienatus ad libidinem animus. *al.* animo: *h. e.* perditus in libidinem et quodammodo a se ipso avulsus. ¶ 3. Sæpius sumitur pro ad alterius dominium per venditionem transferre et vendere; quamvis si proprie loquamur, differunt inter se *alienare* et *vendere*, auctore *Ulpian. Dig.* 50. 16. 67. Alienatum non proprie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet, venditum tamen recte dicetur. *h. e. alienare* majorem importat rei remotionem, quam *vendere*: atque hæc duo et similia sæpe inter se conjunguntur, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 60. 134. Pretio parvo ea, quæ accepissent a majoribus, vendidisse atque alienasse. Et apud *eumd.* 2. *Leg. Agr.* 21. 55. Venire vestras res proprias atque in perpetuum a vobis alienari. *Plaut. Merc.* 3. 4. 26. Mulier est alienata abs te. *h. e.* quod eam pater vendiderat. *Id. ibid.* 5. 1. 3. Usus fructus, victus cultus jam mihi harum ædium interemptust, interfectust, alienatust, occidi. Cf. *Dig.* 28. 7. 2. Parte (*ususfructus*) alienata, conditio deficit. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 13. 33. Permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris vectigalibus non fruendis, sed alienandis. *Liv.* 41. 8. Ne quis quem civitatis mutandæ causa suum faceret, neve alienaret. — Apud JCtos generali sensu res alienari dicitur quocumque modo in alterius dominium transferatur. *Dig.* 50. 17. 205. Et vindicare et alienare et servitutem prædio imponere posse. Adde *ibid.* 27. 9. 1. § 2. et *Caj. Instit.* 1. 192. *Cod. Theod.* 8. 13. 1. *pr.* Vendita, donata, mutata, in dotem data, ceterisque causis legitime alienata. — Cum Dat. personæ *Dig.* 4. 7. 4. *pr.* Item si res fuerint usucaptæ ab eo, cui alienatæ sunt, nec peti ab hoc possint, locum habet hoc edictum.

II.) Translate. ¶ 1. Alienare est disjungere ab amore, favore et amicitia, offensum reddere; et dicimus *alienare aliquem* vel *aliquam civitatem, animos* vel *voluntatem alicujus*, aut *aliquem voluntate*. — *a*) Ponitur de politicis rationibus cum externis, tum internis. *Nep. Cim.* 2. Insulæ alienatæ. *Id. Hamilc.* 2. Oppida alienata restituit patriæ. *h. e.* quæ per defectionem aliis dominis se dediderant. *Sall. Jug.* 48. Urbs maxima alienata. *Id. ibid.* 70. Vagenses fatigati regis suppliciis neque antea voluntate alienati. *Liv.* 38. 33. Quia nihil æque alienaturum animos civitatis videbatur. *Id.* 44. 27. Eâdem avaritiâ gentium regem sibi alienavit. Adde *eumd.* 21. 60. et 24. 22., et *Curt.* 5. 9. 12. *Tac.* 1. *Hist.* 59. Ne supplicio ejus ferox gens alienaretur. *Cic. Prov. cons.* 9. 21. Nonne uno tempore cum suis inimicissimis in gratiam rediit? quibus cum omnibus eadem respubl. reconciliavit quæ alienarat. *Id.* 1. *Att.* 14. 6. Itaque mirum in modum omnes a se bonos alienavit. Adde *ibid.* 17. 9. *Nep. Alcib.* 5. Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo alienati. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. Omnium suorum voluntates alienare. *Liv.* 8. 35. Ea quoque ira alienavit a dictatore militum animos. *Id.* 2. 30. Alienare plebem. — *b*) Et de privatis inter cives rationibus. *Cic.* 3. *Fam.* 6. 4. Conabantur alienare a te voluntatem meam. *Id.* 1. *Att.* 17. 7. Alienatus animus et offensus. *Vellej.* 2. 112. Alienare sibi animum alicujus. *Tac.* 4. *Ann.* 49. Alienato esse erga aliquem animo. *Justin.* 1. 7. 18. Alienare a se uxorem. ¶ 2. Raro admodum *alienari* vel *alienatum esse ab aliqua re* occurrit pro alienum esse, abhorrere, vitare. *Cic.* 3. *Fin.* 5. 16. Ipsum sibi (*animal*) conciliari atque commendari ad se conservandum et ad suum statum eaque, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda, alienari autem ab interitu iisque rebus, quæ interitum videantur afferre. *Id. ibid.* § 17. A falsa autem assensione magis nos alienatos esse, quam a ceteris rebus, quæ sint contra naturam, arbitrantur. ¶ 3. Item active alienare est removere, eximere, immunem facere. *Quintil.* 5. 10. 17. Quas res quibus rebus natura ipsa alienasset. *Cod. Theod.* 12. 1. 84. Quos aut objectus (*al.* obtentus) debilitatis alienat, aut senectus pigra remoratur.

ALIĒNUM, i, n. *V.* ALIENUS in fine.

ALIĒNUS, a, um, adject. (*alienus* est pro *aliegnus*, quasi ex *aligenus*, h. e. ex *alius* et *geno*: cf. et Gr. ἀλλότριος). Comp. *Alienior* et Superl. *Alienissimus* I. 3. et II. 1. et 2. — Proprie est aliunde genitus, sive alius generis; ac proinde qui alterius est, neque ad nos, sed ad alium pertinet (It. *d'altrui, non appartenente a noi, straniero*; Fr. *d'autrui, étranger*; Hisp. *ajeno, extrangero*; Germ. *fremd, nicht unser, einem Fremden, nicht uns gehörig*; Angl. *belonging to another, foreign*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim pro eo, qui non ad nos, sed ad alium pertinet, ponitur cum de rebus, tum de personis. *Leg.* XII. *Tabul.* apud *Servium* in *Virg.* 8. *Ecl.* 99. Seges aliena. *Cato R. R.* 1. 4. disciplina. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 109. adolescentulus. *Id. ibid.* 3. 1. 51. oratio. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 17. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, (*Epicurus*) totus alienus est. Democritia dicit, perpauca mutans. *h. e.* totus est aliorum, quia ex aliorum placitis omnia docet, nihil fere de suo. *Id. ibid.* 8. 26. (*Epicurus*) aliena dixit in physicis. V. *Alienum* in fine. *Ter. Andr.* 1. 2. 9. Alienæ ædes. *Id. Hec.* 4. 1. 61. puer. *Id. Eun.* 2. 2. 24. cibus. *Id. Andr.* 1. 1. 125. Alieno more vivere. *Id. Adelph.* 1. 1. 50. Potius consuefacere filium sui sponte recte facere, quam alieno metu. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 131. Plus ex alieno jecore sapere, quam ex suo. *Cic.* 1. *Off.* 9. 30. Difficilis est cura rerum alienarum. *Id. Rosc. Am.* 47. 37. Alienæ pecuniæ. *Id.* 5. *Fam.* 8. 2. laus. *Id. Mil.* 1. 22. domus. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. *extr.* vitia. *Sall. Cat.* 7. virtutes. *Id. ibid.* 51. instituta. *Id. ibid.* 35. nomina. *h. e.* personæ, quibuscum æs alienum contractum est. *Nep. Epam.* 1. et *Quintil.* 9. 2. 28. mores. *Nep. Hann.* 12. arbitrium. *Id. ibid.* 1. opes. *Liv.* 1. 46. vir. *Id. ibid.* ignavia. *Id. ibid.* 27. pavor. *Id.* 35. 43. Virtutem et bonum alienum oderunt. *al. leg.* ut bonum. *Virg.* 10. *Æn.* 781. Vulnus alienum. *h. e.* quod in alium immittebatur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 19. negotia. *Id.* 2. *ibid.* 7. 46. conjux. *Id.* 1. *ibid.* 1. 110. capella. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 349. agri. *Curt.* 8. 2. 27. clades. *Id.* 8. 11. 12. cultum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (19). Alienis pedibus ambulare, alienis oculis agnoscere, aliena memoria salutare, aliena opera vivere. *Id.* 12. *ibid.* 1. 3. (6). Alienus orbis. *Quintil.* 4. 2. 129. persona. *Id.* 5. 10. 67. servus. *Apul.* 8. *Met.* 9. Lancea mali Thrasylli me tibi fecit alienum. *h. e.* occidendo fecit, ut tuus amplius non sim. ¶ 2. Speciatim in civili ratione *æs alienum*, est id quod. non ad nos, sed ad alium pertinet, seu pecunia, quæ alteri debetur, ut ait *Dig.* 50. 16. 113. § 1. Æs alienum est, quod nos aliis debemus; æs suum est, quod alii nobis debent. *V.* plurima in voc. ÆS IV. ¶ 3. Item speciatim alienus sumitur pro eo, qui nullo nobis cognationis aut propinquitatis vinculo est conjunctus, qua significatione occurrunt et Compar. et Superl.: immo sæpe usurpatur et absolute *alienus*, i, m. substantivorum more. — *a*) Adjective. *Plaut. Capt.* 1. 2. 43. Alienus cum ægre feras, quid me patrem par facere est? *Ter. Phorm.* 3. 3. 12. Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? *Id. ibid.* 4. 1. 16. Ille si me alienus affinem volet. *Liv.* 29. 29. Extitit quidam, Mezetulus nomine, non alienus sanguine regibus. *h. e.* non omnino extra regiam consanguinitatem. *Cic. Cluent.* 59. 162. P. Ælii testamento propinquus exheredatus cum esset, heres hic alienior constitutus est. *Id. Dom.* 27. 70. At etiam Q. Metellus –, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio judicarent, Piso et Gabinius; eam nullam esse frater P. Clodii – judicavit. *Plin. Paneg.* 37. Nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi fuerant. — *b*) Substantivorum more. *Plaut. Stich.* 3. 2. 31. Apud me cœnant alieni novem. *Cic. Amic.* 5. 19. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni. *Cæs.* 6. *B. G.* 31. Multi ex suis finibus egressi se suaque omnia alienissimis crediderunt. *Vellej.* 2. 76. Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum. ¶ 4. Interdum alienus est idem quod alteratus. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Accidunt (*in mania*) etiam vigiliæ juges, – corporis durities atque aliena fortitudo. *paullo post* hæc eadem ita clarius significantur: Totius corporis attestante duritie, cum fortitudine præter naturam adveniente. ¶ 5. Item *alienus* dicitur a medicis de membro aliquo corporis corrupto et emortuo; unde transfertur et ad mentem, quæ morbo aliquo sui compos non est. *V.* ALIENO I. 3. *Scribon. Comp.* 201. Si os scabrum aut putre vetustate vitii factum est, expurgat et educit quantum ejus alienum. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. Separando a naturalibus aliena, hoc est cruditate corrupta. *Firmic. Mathes.* 3. 6. Si cum Sole Mars et Saturnus fuerint inventi, facient alienos, deliros, cardiacos aut phreneticos. *h. e.* a sensibus alienatos, mente captos. *Sall. Cat.* 37. translate. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjurationis fuerant. Cf. *ibid.* 36. et *V.* in fine *Alienum*. ¶ 6. Quoniam vero quæ ad nos minime pertinent, præcipue si corrupta sint et emortua, parvi ducuntur, ita nonnumquam alienus est qui parvi aut nihili penditur. *Seneca Cons. ad Helv.* 3. Veterani, quamvis confossi, patienter ac sine gemitu velut aliena corpora execari patiuntur. *Id.* 1. *Clement.* 12. Incurrere in pericula juvat et alienâ animâ abuti. Cf. *Thucyd.* 1. 70. σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις χρῆσθαι.

II.) Translate. ¶ 1. Si ad animum, hoc est ad vivendi et sentiendi rationem, transfertur, alienus ponitur cum de personis et est non amicus, offensus, alienatus; tum de rebus et est remotus, aversus, abhorrens: quod patet ex *Cic.* 3. *Fam.* 6. 3. Ut tuum factum – alieni hominis, ut levissime dicam, et fugientis congressum, meum vero conjunctissimi et amicissimi esse videatur. — Hac autem significatione occurrit — *a*) Absolute, et substantivorum quoque more. *Cic. Planc.* 4. 11. Nostrum est autem – ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas. *Id.* 15. *Fam.* 4. 14. Illis ego subsidiis ea sum consecutus – ut ex alienissimis sociis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderem. *Id.* 1. *ibid.* 9. 17. Tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. *Id. Mil.* 28. 76. Etsi æquabiliter in rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat. — *b*) Cum Ablat. et præp. *ab*. *Ter. Hec.* 5. 2. 83. Postquam hunc alienum a sese videt. *Id. ibid.* 4. 4. 36. Cum ejus alienum a me esse animum sentiam. *Id. Adelph.* 3. 2. 28. Alienus est ab nostra familia. *Cic.* 2. *Fam.* 17. 7. Ille si in omnes est malevolus –, minus offendor in me; sin autem a me est alienior, nihil tibi meæ litteræ proderunt. *Id.* 15. *ibid.* 4. 10. Quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur. *Ter. Adelph.* 3. 2. 4. et *Cic. Dejot.* 8. 24. Alieno animo esse ab aliquo. *Cic. Amic.* 8. 28. Habere animum alienum ab aliquo. *Id. Rosc. Am.* 47. 136. Habere animum alienum a causa. *Id.* 4. *Verr.* 26. 64. Letilius quidam, homo non alienus a litteris. — *c*) Cum Genit. *Sall. Cat.* 41. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat, neque aliena consilii propter Sempronium. *Ovid.* 1. *Fast.* 395. Di quoque cultores in idem venere Lyæi Et quicumque joci non alienus erat. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 3. Alienissimus rusticæ vitæ. — *d*) Cum Dat. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. 2. Malui collegæ ejus, homini alienissimo mihi et propter amicitiam tuam non æquissimo, quam illius simiæ vultum subire. *Seneca* 4. *Quæst. nat. init.* Scio quam sis ambitioni alienus, quam familiaris otio et litteris. *Tac.* 2. *Hist.* 74. Muciani animus nec Vespasiano alienus, et in Titum pronior. ¶ 2. Sæpe et ad res inanimas earumque qualitates transfertur pro non conveniente, discrepante, non opportuno, inutili, inepto. — *a*) Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 4. 3. Nam – offendit, quod alienus odor opplet nares. *h. e.* odor insolitus et minime conveniens, minime gratus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 72. Cum rapies in jus malis ridentem alienis, Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor. *h. e.* ridentem vultu, qui animi tristitiæ minime respondet, invito animo ridentem: cf. *Homer.* 20. *Odyss.* 347. οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν etc., et *Val. Flacc.* 8. 164. alieno gaudia vultu Semper erant. *Ter. Adelph.* 1. 2.

30. Alieniore ætate post faceret tamen. *h. e.* ætate minus apta. *Cic.* 15. *Fam.* 14. 4. Considera ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. *Id. Brut.* 1. 2. Vir egregius – alienissimo reipubl. tempore extinctus. *Varro* 3. *R. R.* 16. 11. Tum eos et velle expectare, ut suo potius tempore mercatorem admitterent, quam celerius alieno. *Cic. Mil.* 16. 41. Alieno tempore occidere aliquem. *Cæs.* 1. *B. G.* 15. Alieno loco prœlium committere. *Quintil.* 6. 4. 1. Alieno loco tractare aliquid. *Cic. Orat.* 24. 80. Aliena verba. *h. e.* non propria. *Liv.* 3. 62. Alieno Marte pugnare. *h. e.* insolita ratione. *Virg.* 2. *G.* 149. Alienis mensibus æstas. — *b*) *Alienum esse, non alienum est, non alienum esse arbitror* cum Infinito, et interdum *alienum est aliquid* eleganter usurpantur. *Cæs.* 6. *B. G.* 10. Non alienum esse videtur Galliæ Germaniæque moribus et quo istæ nationes differant inter se proponere. *Nep. Milt.* 6. 1. Cujus victoriæ non alienum esse videtur quale præmium Miltiadi sit tributum exponere. *Cic. Prov. cons.* 17. 40. Sed non alienum esse arbitror – breviter explicare etc. Adde 2. *Off.* 7. 23., *Cels.* 5. 26. 20. et *Quintil.* 1. 5. 68. *Cels.* 5. 26. 28. Moveri et ambulare nisi sanis alienum est. *Cic. Cæcin.* 5. 14. Ne forte quæratis num propinquus? Nihil alienius. Amicus aut a patre aut a viro traditus? Nihil minus. — *c*) Cum Ablat. et præp. *ab*. *Ter. Adelph.* 5. 8. 22. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum atque alienum a vita mea videtur. *Tib. Gracchus pater* apud *Gell.* 7. 19. Alienum videtur esse a dignitate reipubl. in eum locum imperatorem populi Rom. duci etc. *Forcellinus* hunc eumdem exhibet locum sed sine præpositione, et ad paragraphum proxime superiorem refert. *Cic.* 16. *Att.* 3. 4. Movet etiam navigationis labor, alienus non ab ætate solum nostra, verum etiam a dignitate. Adde 5. *Tusc.* 34. 98. et 1. *Acad.* (*post*) 42. 132. — *d*) Cum Ablat. sine præp. *Plaut. Capt.* 1. 1. 31. Nunc hic occepit quæstum hunc filii gratiâ inhonestum, maxime alienum ingenio suo. *Cic.* 11. *Fam.* 27. 8. Quo nec mihi gravius quidquam potest esse, nec te alienius. Adde *ibid.* § 6. *Id.* 11. *Divinat.* 38. 83. Neque hoc dii alienum putant dignitate sua. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. proxime superiorem retulit. Adde *Cic. Prov. cons.* 8. 18. et *Quintil.* 6. 3. 33. — *e*) Cum Dat. *Cic. Cæcin.* 9. 24. Quod ex illa parte id dicit, quod maxime huic causæ est alienum. *Id.* 7. *Verr.* 67. 173. Non est alienum meis rationibus istum mihi hoc judicio ereptum – reservari. Adde *Sall. Cat.* 56. *Nep. Them.* 4. Alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus conflixit. *Liv.* 42. 43. Suo maxime tempore atque alieno hostibus incipere bellum. *Id.* 1. 20. Sacerdotium genti conditoris non alienum. Adde 35. 49. *Cels.* 4. 5. Sumendi cibi faciles et stomacho non alieni. *Colum.* 8. *R. R.* 6. 1. Custodia non aliena huic curæ. *Quintil.* 6. 3. 29. Dicacitas huic personæ alienissima. — *f*) Cum Genit. *Lucret.* 6. 67. (69). Dis indigna putare alienaque pacis. Cf. *eumd.* 3. 832. et 6. 1164. *Forcellinus* et h. locum ad paragr. proxime superiorem retulit. *Cic.* 1. *Fin.* 4. 11. Quis alienum putet esse ejus dignitatis, quam mihi quisque tribuit, – exquirere. *Id.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 11. 42. Omnia, quæ essent aliena firmæ et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removit. ¶ 3. Interdum est immunis. *Cod. Theod.* 11. 20. 4. Hunc a collatione esse jubemus alienum.

Alienus, i, m. 2. substantivorum more. *V.* supra I. 3. et II. 1. *a*.

Alienum, i, n. 2. substantivorum more est — *a*) quidquid est alterius juris ac dominii: qua tantum significatione occurrit sing. num. *Cato R. R.* 5. 1. Hæc erunt villici officia –: Alieno manum abstineat. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 8. Cum natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior. Adde *Justin.* 36. 3. 9. *Sall. Cat.* 5. Alieni appetens, sui profusus. *Liv.* 5. 5. Necessitate imposita ex alieno prædandi, cum sua amiserint. *Ammian.* 23. 1. Aliena pervadere. *h. e.* alienum agrum armis invadere. *Cic. Mil.* 27. 74. In alieno ædificium extruere. quod *Dig.* 41. 1. 7. § 10. in alieno solo ædificare. *Id.* 2. *Off.* 23. 83. Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena? *Liv.* 30. 30. Ita aliena appetimus, ut de nostris dimicemus. — *b*) Aliena absolute sunt aliena negotia. *Ter. Heaut.* 1. 1. 23. MENED. Chreme, tantumne ab re tuast oti tibi, aliena ut cures, ea, quæ nihil ad te attinent? CHREM. Homo sum: humani nihil a me alienum puto. *Id. ibid.* 3. 1. 94. Ita comparatam esse hominum naturam omnium, aliena ut melius videant et dijudicent, quam sua. — *c*) Item aliena sunt quæ abs re sunt. *Sall. Jug.* 1. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt etc. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 19. Quin etiam sic me dicunt aliena locutum, Ut foret amentis nomen in ore tuum. *Cels.* 3. 18. Interdum in accessione ægros desipere et aliena loqui. *V.* ALIENILOQUIUM.

ĀLĬFER, ra, rum, adject. (ala et fero). *V.* voc. seq.

ĀLĬGER, ra, rum, adject. (ala *et* gero). In Genitivo plur. *aligerum* pro *aligerorum* habet *Val. Flacc.* 7. 171. — Aliger est alas gerens, alatus (It. *alato*; Fr. *ailé*; Hisp. *alado*; Germ. *geflügelt*; Angl. *winged*).

I.) Proprie. — *a*) Addito nomine. *Virg.* 1. *Æn.* 663. his aligerum dictis affatur Amorem. *Val. Flacc.* 7. 171. Aligerûm Amorum. *Ovid.* 4. *Fast.* 562. aligero tollitur axe Ceres. Quidam hoc loco legunt *alifero*, sed *Heinsius* præfert *aligero*: ceterum sermo est de Cereris curru, quem trahunt alati dracones; quamquam *Visc. Op. var. T.* 2. *p.* 15. *tab.* 1. probat, *axem aligerum* hic proprie vocari, ibique ex vase fictili anaglyptis figuris ornato, in quo Triptolemus vehitur curru duabus alis hinc inde instructo, et a binis anguibus tracto, id ipsum confirmat. *Virg.* 12. *Æn.* 249. Aligerum agmen. *h. e.* agmen avium. *Seneca Hipp.* 338. genus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (85). serpentes. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (41). Cupidines. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 80. summi Jovis aliger Arcas Nuntius. *h. e.* Mercurius. — *b*) *Aligeri* substantive sunt Cupidines alati. *Sil. It.* 7. 458. Dumque hic Aligeris instat Cytherea. *h. e.* precibus fatigat Cupidines, filios suos.

II.) Translate est celerrimus. *Sil. It.* 3. 60. Aligeri lapsus. *Id.* 2. 92. ferrum. *Id.* 14. 507. plantæ. — *NB.* *Aligero XII legionis* pro *Aquiligero* legitur in *Inscript.* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 30.; sed aut mendum, aut potius vocabuli breviationem esse puto. *Freund.* receperat *Aligero*, ōnis.

ĀLĬGĔRO, ōnis, m. 3. V. vocem proced.

ĀLĬMENTĀRĬUS, a, um, adject. ad alimentum pertinens, qui eo tendit ut alimenta consequatur, aut jus habet ad alimenta. — *a*) Addito nomine. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 5. Legem viariam, non dissimilem agrariæ Rulli, et alimentariam, quæ jubet ædiles metiri, jactavit. Fortasse, inquit *Manutius*, intelligit legem de frumento plebi gratis dividundo. *Ulpian. Dig.* 2. 15. 8. Alimentaria causa. *Martian. Dig.* 48. 13. 4. ratio. *Inscript.* apud *Mommsen.* 6667. LIBERALIS COL. COL. SIP. SER. ARCAR. QVI ET ANTE EGIT RATIONEM ALIMENTARIAM SVB CVRA PRAEFECTOR. ANNIS XXXII. *Ammian.* 28. 8. res. *Inscript.* apud *Gruter.* 1092. 7. pecunia. *h. e.* in alimenta pauperum eroganda. *Inscript.* apud *Orell.* 3981., 3908., et apud *Henzen.* 5109. et 5960. Alimentariæ pecuniæ quæstor. *Capitolin. Anton. Pio* 8., et *Inscript.* apud *Gruter.* 1022. 6. et 7. et apud *Orell.* 847. Pueri et puellæ alimentariæ. — *b*) Substantive. *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. Si alibi domicilium heres, alibi alimentarius habeat. — Ceterum *alimentarios pueros et puellas* primus instituisse Nerva Aug. videtur ex his verbis *Aur. Victoris* in *Epit.* 12. Puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico, seu potius Cæsareo (V. *Inscript.* apud *Orell.* 5167. et apud *Henzen.* 6666.) per Italiæ oppida ali jussit. Hinc ejus nummus apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 408., in quo *Tutela Italiæ* is appellatur. *V.* et *Bullett. archeol. a.* 1835. *p.* 145. Deinde idem beneficium præstitit Trajanus Aug. *V. Eckhel. ibid. p.* 424. Mox item Hadrianus Aug. (teste *Spartian. Hadr.* 7.) qui pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit (V. *Eckhel. ibid. p.* 495., ubi nummus affertur, in quo *Restitutor Italiæ* dicitur). Antoninus itidem Aug. et M. Aurelius eadem usi sunt liberalitate (*V.* FAUSTINIANUS in ONOM.): at, Commodo Aug. imperante, de alimentariis silet historia. Pertinax vero (teste *Capitol. Pertin.* 9.) alimentaria compendia, quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit. Id tamen factum videtur, quia bona et prædia alimentariis assignata, ob pestilentiam deserta fuerant: hinc idem Augustus edictum salutare edidit, quod memorat *Herodian. l.* 2. *c.* 4., de immunitate decem annorum agricolis incultos agros colentibus concessa. Alexander tandem Severus (teste *Lamprid. Alex. Sev.* 57.) puellas et pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammæanos instituit: quo defuncto, nulla amplius superest alimentariorum mentio in vetustis monumentis et apud Græcos et Latinos scriptores. Ceterum de Alimentariis V. *Pfaffer De pueris et puellis alimentariis spec.* I. et II. *Dresd.* 1809. et 1810., *Pauly Real-Encycl. Vol.* 1. p. 371., et *J. Furlanetto Della pubblica beneficenza presso i Romani, Padova* 1857 *coi tipi del Seminario.* — *c*) Alimentarius est etiam qui rationes agit alimentarias. *Inscript.* apud *Mommsen.* 4940. L. SAEPINIO ORIENTI AVG. ET L. SAEPINIO ORESTI IIII. VIR. AED. ET FELICVLE (*sic*) FILIAE ORIENS ALIMENT. SAEPINATI PATRI ET FRATR. ET THALIA CONSERVA EIVS D. M. P. Cf. *Henzen. Inscript.* 6668. et *Annali dell' Istit. Archeol. a.* 1849. p. 230.

ĀLĬMENTUM, i, n. 2. (alo) id quo animantis aut vegetantis corpus alitur et vita sustentatur (It. *alimento, nutrimento*; Fr. *aliment, nourriture*; Hisp. *alimento*; Germ. *das Nahrungsmittel, Nahrung oder Unterhalt*; Angl. *nourishment, nutriment*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de animantibus et plantis. *Cic. Tim.* 6. Nec vero desiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti et consumpti cibi. *Id.* apud *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 3. Nam et fruges ceteraque alimenta terrestria indigebant tecto. *Cels.* 2. 18. Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio. *Curt.* 5. 4. 17. Tridui alimenta portare militem jusserat leviter armatum. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 13. miseris alimenta negare. *Id.* 2. *Met.* 289. alimenta mitia, fruges. *Id.* 3. *ibid.* 315. alimenta lactis dare puero. *Sueton. Tib.* 54. Druso adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere. *Cels.* 8. 1. Subministrare alimenta alicui. *Quintil.* 2. 16. 16. Reponere alimenta in hiemem. *Tac.* 6. *Hist.* 43. Alimenta arcu expedire. *Inscript.* apud *Orell.* 2390. et alia apud *Mommsen.* 1951. Alimentorum quæstor. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 13. 20. (93). *de plantis.* Omnia celerius adolescunt stolonibus ablatis unumque in stirpem redactis alimentis. *Id.* 11. *ibid.* 14. 14. (34). Largum alimentum. ¶ 2. Latiori sensu alimenta non pro cibo solum, sed et pro aliis rebus, quæ homini sunt ad vitam necessaria, sumuntur; ut ait *Javolen. Dig.* 34. *tit.* 1. *qui est* De alimentis vel cibariis legatis, *l.* 6. Legatis alimentis, cibaria et vestitus et habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest. *Cic.* 1. *de republ.* 4. 8. Neque hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta expectaret a nobis, ac tantummodo nostris ipsa commodis serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret. *Quintil.* 9. 2. 89. Qui a patre, ut filium expositum et ab eo educatum solutis alimentis recipiat, postulat. ¶ 3. Latissimo sensu ponitur pro quacumque re, qua alitur quidpiam et augetur; præcipue vero de igne et aqua. *Ovid.* 14. *Met.* 532. picem et ceras alimentaque cetera flammæ. *Id.* 8. *ibid.* 839. Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat. Adde *Sil. It.* 17. 98. *Curt.* 6. 6. 29. Ergo adgeri alias arbores jubet et igni dari alimenta. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 26. (131): Et fex vini siccata recipit ignes ac sine alimento per se flagrat. *Ovid.* 1. *Met.* 271. Concipit Iris aquas alimentaque nubibus affert.

II.) Translate. *Liv.* 35. 23. Addidit alimenta rumoribus adventus Attali. *Tac.* 2. *Hist.* 96. Alimentum famæ. *Ovid.* 2. *Met.* 768. videt intus edentem Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum, Invidiam. Adde 3. *ibid.* 479. *Val. Max.* 2. 6. 5. Alimentum virtutis honor.

ĀLIMMA, atis, n. 3. (ἄλειμμα) unguentum. *Capell.* 2. p. 27. Sed adversum illa quoddam Abderitæ senis (*h. e.* Democriti) alimma, cui multa lapillis surculisque permixtis herbarum etiam membrorumque concesserat, præparavit. *Hinc derivatum* epalimma, *quam vocem V. suo loco:* Kopp *rectius legit* nemorumque congesserat. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

ALIMODI pro aliusmodi. *Paul. Diac.* p. 26. 2. *Müll.* V. ALIUS.

ĀLĬMON, i, n. 2. ἡ ἄλιμος, videtur composita vox ex α priv. et λιμός *fames*, *h. e.* famem sedans. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 33. (73). Asphodelon ab Hesiodo quidam alimon appellari existimavere, quod falsum arbitror. Est enim suo nomine alimon, non parvi et ipsum erroris inter auctores. Alii enim fruticem esse dicunt, foliis oleæ, coqui autem hæc ciborum gratia. Alii olus maritimum esse dixere, salsum, et inde nomen. *Plin.* hic perperam nullum facit discrimen inter *ălimon* (quod ab α pr. et λιμός, *fames*) et inter *hălimon* (ab ἅλιμος *maritimus*, quod ab ἅλς *mare*) *V.* HĂLIMON. *Solin.* Græce scribit 12. Herba ἀλι-

μος dicitur: ea admorsa diurnam famem prohibet. *Plato* etiam *de Legib.* tradit, Epimeniden ex malva et asphodelo compositionem ἄλιμον sibi parasse, qua se a fame et siti diu vindicaret. *V.* ASPHODELUS.

ĀLIMŌNĬA, æ, f. 1., idem quod alimentum. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Pers.* 1. 2. 1. Quæstus alimoniæ. *Varro* apud *Non. p.* 237. 14. *Merc.* Habens (*lege* Avens) antepositam alimoniam. *Gell.* 16. 15. Amisso omni naturalis alimoniæ fundamento, homo exhaustus interest. *Sueton. Cal.* 42. Filia nata, paupertatem conquerens, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. *Rectius nunc legitur* alimonium. *Apul.* 2. *Met.* 3. Parentis tuæ non modo sanguinis, verum alimoniarum quoque socia fui. *Id.* 5. *ibid.* 9. Blandis alimoniarum obsequiis saginare aliquem. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. *ad fin.* Multiformis alimonia deprehenditur causa morborum. *Inscript.* apud *Murat.* 2024. 1. Procurator alimoniæ. ¶ 2. Latissimo sensu (*V.* ALIMENTUM I. 3.). *Prudent. Cathem.* 5. 19. Picea alimonia flammæ.

ĀLIMŌNĬUM, ii, n. 2. idem ac alimonia. *Varr.* 3. *R. R.* 16. 15. Hæc omnia vocant a mellis alimonio, alvos. *Et* 1. *ibid.* 8. 7. Quod in partu et alimonio vinum, non, ut in calice, quærit aquam, sed solem. Adde plur. n. 1. *ibid.* 44. 3., 2. 1. 24. et 2. 5. 16. *Sueton. Cal.* 42. *V.* ALIMONIA. *Tac.* 11. *Ann.* 16. Infectus alimonio externo. *Juvenal.* 14. 76. alimonia quærere. *Paul. Dig.* 25. 3. 4. Necare videtur, qui alimonia denegat. *Ita Torrentin., alii* alimoniam. *Dig.* 23. 3. 73. § 1. Alimonia parenti præstare. *Arnob.* 5. 16. Qui temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen Castus. *h. e.* abstinentia ab esu panis.

ĀLĬŌ, adverbium locale. Est antiqua forma Dativi *aliei*, quasi ἀλίῳ, ab *alius*; cf. et Gr. ἄλλῃ, ἄλλοσε. Porro jungitur verbis motus ad locum et significat in alia loca (It. *altrove*, *in altro luogo*; Fr. *ailleurs*, *vers un autre lieu*; Hisp. *a otra parte*; Germ. *anderswohin*; Angl. *to another place*).

I.) Proprie multis occurrit modis; et quidem — *a*) Semel in uno tantum orationis membro. *Ter. Eun.* 2. 2. 40. Fortasse tu profectus alio fueras. *Cic.* 14. *Fam.* 1. 7. Sed si offendet me loci celebritas, alio me conferam. *Liv.* 32. 2. Alio traducere aliquem. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 32. alio decurrere. — *b*) Una cum Adverb. *quo*, ita ut *alio* latius pateat. *Cic.* 9. *Att.* 17. 1. Ex illius sermone statuam Arpinumne mihi eundum sit, an quo alio. *Liv.* 38. 30. Si quando Romam, aliove quo mitterent legatos. — *c*) Aliquando in pluribus orationis membris iteratur. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 197. *Putsch.* Interea ad socios nostros sedulo dispertieram, alio frumentum, alio legatos, alio litteras, alio præsidium. *Seneca Brev. vit.* 11. 2. Nihil alio atque alio spargitur. — *d*) Sæpe jungitur et vocibus eodem themate derivatis. *Cic.* 3. *Off.* 20. 80. Et ceteri quidem alius alio, Marius ab subselliis in Rostra recta. *Id.* 1. *Divinat.* 34. 76. Sortes ipsas et cetera, quæ erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissipavit. *Liv.* 2. 54. Dilapsi passim alii alio. *Id.* 7. 39. Cum alii alio mitterentur. *Seneca Consol. ad Helv.* 6. 6. Aliunde alio commigratio est. *Id. Brev. vit.* 16. 2. Aliunde enim alio transfugiunt. Adde *eumd. Ep.* 64. et 3. *Quæst. nat.* 11. 1. — *e*) Cum vi comparandi. *Liv.* 39. 36. Quo alio, nisi ad nos socios vestros — confugerent?

II.) Translate. ¶ 1. Significat ad alios homines, vel ad aliam rem. — *a*) Semel occurrit. *Ter. Eun.* 3. 1. 59. Metuit semper, quem ipsa nunc capit fructum, ne quando iratus te alio conferas. *Id. Heaut.* 2. 4. 10. Illi suum animum alio conferunt. *Cic.* 1. *Fam.* 4. 1. Qui a te causam regiam alio transferebant. *Ovid.* 12. *Met.* 57. Illi narrata ferunt alio. *Cic. Cluent.* 83. 63. Tamen vocat me alio jamdudum tacita vestra expectatio. *Id.* 1. *Orat.* 29. 133. Sed, si placet, sermonem alio transferamus. *Sall. Jug.* 19. Alio properare. *Horat. Epod.* 15. 23. Amores alio transferre. — *b*) Iterato ponitur. *Cic.* 3. *Off.* 23. 89. Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. — *c*) Cum vi comparandi. *Liv.* 42. 46. Quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos respectus. ¶ 2. Item ad alium finem. — *a*) Semel ponitur. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 27. Appellet hæc desideria naturæ: cupiditatis nomen servet alio. *Id.* 3. *Verr.* 53. 139. De Chelidone retinuit, quoad potuit: alio responsionem suam derivavit. *Liv.* 1. 56. Alio ratus spectare Pythicam vocem. *Quintil.* 9. 3. 45. Aliis, sed non alio tendentibus verbis. *Tac.* 1. *Ann.* 18. Alio vertunt. *h. e.* aliud consilium capiunt. — *b*) Cum vi comparandi sequentibus *atque* aut *quam*. *Nep. Them.* 6. Hoc longe alio spectabat, atque videri volebant. *Liv.* 7. 18. Plebem nusquam alio natam, quam ad serviendum putet. *Sueton. Aug.* 98. Non alio datam summam, quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturo.

ĀLĬŎQUĪ *vel* Ălĭŏquin, adverb., quod apud vetustos Scriptores raro admodum occurrit, sed Augustea potissimum ætate usuvenit; componiturque ex *alio* et *quoi* vel *qui*, ex *alio* et *quoine*, vel *quine*, quæ formæ sunt affirmativæ, sed postrema cum interrogatione jungebatur (V. *R. Beyer* ad *Hand. Tursell.* 1. *p.* 236.). — Falsum est quod quidam docuit, *alioqui* ante consonantes poni, *alioquin* ante vocales; promiscue enim ponitur et sine ullo discrimine, ut patet ex locis infra citatis et ex ipso *Capro*, qui ait *p.* 2241. *Putsch.* Atqui caret *n.* similiter alioqui. — Ceterum alioqui significat, alio respectu, aliqua alia re aut modo, quantum ad alias res, ceteroquin, alias (It. *sott'altro rapporto*, *in qualche altra cosa o maniera*, *peraltro*, *altrimenti*; Fr. *sous d'autres rapports*, *du reste*, *d'ailleurs*, *autrement*; Hisp. *en otra manera*, *en quanto á lo restante*, *otramente*; Germ. *in jeder andern Hinsicht*, *in jeder anderen Art oder Weise*, *im Uebringen*, *übrigens*, *sonst*; Angl. *in other respects*, *otherwise*). ¶ 1. Alioqui significat quantum ad alias res, ceteroquin; atque ita occurrit, — *A*) ut ea quæ excipiuntur, ponantur — *a*) Simpliciter. *Liv.* 8. 9. Decio caput jecinoris a familiari parte cæsum haruspex dicitur ostendisse: alioquin acceptam diis hostiam esse. *Id.* 37. 46. Milites tantum, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus et spectaculo et fama rerum triumphus erat. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 65. si vitiis mediocribus ac mea paucis Mendosa est natura, alioqui recta. *Sueton. Vitell.* 2. Aulus in consulatu obiit, quem cum Domitio — inierat, prælautus alioqui famosusque cœnarum magnificentia. Adde *Liv.* 7. 19. et *Curt.* 7. 4. 8. — *b*) Per conditionalem particulam *si*. *Lucret.* 3. 414. At si tantula pars oculi media illa peresa est, Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis, Occidet extemplo lumen. *Liv.* 30. 29. Hannibal tumulum — tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquæ aquationis erat, cepit. — *c*) Per antithesim. *Curt.* 8. 2. 2. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum — occisum. *Tac.* 13. *Ann.* 20. Cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad mœstitiam. — *d*) Per conjungendi particulas. *Liv.* 27. 27. Mors Marcelli cum alioquin miserabilis fuit, tum quod nec pro ætate etc. *Id.* 43. 19. Exercitum reducit ad Œneum oppidum in potestatem redigendum: et alioqui opportune situm, et transitus eâ est in Labeates. Adde *Quintil.* 5. 6. 4. et 12. 10. 63. — *B*) Ea quæ excipiuntur, ita silentur, ut ex orationis contextu innotescant. *Curt.* 5. 13. 2. Strenuo alioquin cupiditatem consequendi transfuga injecerat. *Quintil.* 4. 2. 11. Ego autem magnos alioquin secutus auctores duas esse in judiciis narrationum species existimo. *Sueton. Tib.* 71. Sermone Græco, quamquam alioquin promptus et facilis, non tamen usquequaque usus est. Adde *Curt.* 4. 2. 6., *Cels.* 8. 4., *Tac.* 3. *Hist.* 32. et *Quintil.* 2. 15. 9. — Addita particula *cum*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 69. 93. (198). Serpentes, cum occasio est, vinum præcipue appetunt, cum alioqui exiguo indigeant potu. Adde *Quintil.* 2. 14. 4. *Plin.* 9. *Ep.* 35. Ideo nondum eum legi, cum alioqui validissime cupiam. ¶ 2. Item est adverbium conditionale, et significat si aliter sit, nisi hoc sit. — *a*) Cum Subjunctivo. *Cic.* 2. *Legg.* 25. 62. Sed fuisse credo minimam olim istius rei cupiditatem: alioquin multa extarent exempla majorum. *Sed dubia est lectio*, V. *Hand. Tursell.* 1. p. 236. *Quintil.* 5. 10. 19. Quia suos quidque horum velut mores habet; plerumque tamen, non semper: alioqui indubitata essent, non argumenta. Adde *eumd.* 6. 2. 18. et 5. 10. 119., et *Plin.* 8. *Ep.* 8. — *b*) Cum Indicativo. *Quintil.* 3. 8. 23. Si — dicatur: *Necesse est*, nempe sequitur, ut hoc subjiciatur: *Alioqui pereundum est*. Adde *eumd.* 4. 3. 6., 10. 6. 6. et 11. 3. 141., et *Plin.* 1. *Ep.* 20. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Dedit tibi Augustus pecuniam, sed non ea lege, ut semper daretur: languesceret alioqui industria, intenderetur socordia. *Quintil.* 2. 17. 33. Nec — idcirco ars, quæ utrique tradita est non erit: alioqui nec armorum. *subaudi* erit ars. — *c*) Sequente interrogatione. *Quintil.* 9. 4. 105. Quod certe sit, necesse est: alioqui quomodo claudet, qui placet plerisque, dichoreus? Apud *Cic. Orat.* 15. 48. lectio est omnino dubia. ¶ 3. Interdum est aliqua alia re aut modo. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 3. Si quis dignus erat describi, quod malus, aut fur, Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant. *Hæc tamen ad paragr.* 1. *commode referri possunt.*

ĀLĬORSUM *et* Ălĭorsus, adverbia localia, quæ per syncopen facta sunt ex *aliovorsum* vel *aliovorsum* et *alioversus* vel *aliovorsus*; quæque antiquitus vulgari tantum sermone usurpata fuisse videntur, occurrunt enim tantummodo apud *Catonem* (teste *Paul. Diac.* p. 27. 10. *Müll.*), *Plautum* et *Terentium*; postremis vero linguæ Latinæ sæculis a Scriptoribus quoque accepta fuerunt. — Proprie significant versus alium locum (It. *verso altrove*; Fr. *dans un autre direction*; Hisp. *en otra paraje*; Germ. *wo anders hingewandt*; Angl. *towards another place*, *elsewhere*.

I.) Proprie de loco ponitur. — *a*) Absolute. *Apul.* 8. *Met.* 16. Aliorsum grassari. *Dig.* 33. 7. 20. § 6. A fundo aliorsum servum transferre. — *b*) Una cum vocibus eodem themate derivatis. *Plaut. Truc.* 2. 4. 49. Mater ancillas jubet, quoniam jam decumus mensis adventat prope, aliam aliorsum ire, percontari etc. — *c*) Cum vi comparandi et particula *quam*. *Gell.* 7. 15. Jumentum aliorsum duxerat, quam quo utendum acceperat.

II.) Translate. ¶ 1. Est etiam ad aliam personam, aut rem. *Gell.* 12. 1. Infans aliorsum datus. *h. e.* alteri feminæ datus nutriendus. *Id.* 17. 1. Sed id aliorsum pertinet atque alio loco dicetur. *h. e.* ad aliam rem pertinet. ¶ 2. Ponitur etiam pro alio fine, alia ratione. — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 8. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram, non istuc, quod tu insimulas. *Lactant.* 1. 17. Stoici alio versus deos interpretantur, et quia non pervident quid sit in vero, conantur eos cum rerum naturalium ratione conjungere. — *b*) Cum vi comparandi et part. *atque*. *Ter. Eun.* 1. 2. 1. Vereor ne illud gravius Phædria tulerit, neve aliorsum atque ego feci, acceperit. *Boeth.* 5. *Consol. pros.* 3. Aliorsum, atque se res habet, existimare.

ĀLĬŌVERSUM *vel* aliovorsum, et) V. voc. præced.
ĀLĬŌVERSUS *vel* aliovorsus)

ĀLĬPES, pĕdis, adject. (ala et pes) alas habens in pedibus. In Ablat. sing. *alipedi* pro *alipede* dixit *Val. Flacc.* 5. 612. *V.* infra II.

I.) Proprie. *Ovid.* 5. *Fast.* 300. Sacra dei alipedis. *h. e.* Mercurii, qui alas in pedibus habere fingitur. Adde 11. *Met.* 312. *Id.* 4. *Met.* 753. *absolute*. mactatur vacca Minervæ, Alipedi vitulus. *Id.* 2. *ibid.* 48. alipedes equi. *h. e.* equi Solis vel Phœbi. *Capell.* 1. p. 11. Volucres — anheli flammantis lucis alipedes.

II.) Translate est pedibus velox. *Lucret.* 6. 765. alipedes cervi. *Virg.* 12. *Æn.* 484. Alipedumque fugam cursu tentavit equorum. *Id.* 7. *ibid.* 277. *alipedes* absolute dixit, equos intelligens. *Val. Flacc.* 5. 612. Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru, etc. Adde *Sil. It.* 7. 700. *Sil. It.* 3. 202. et 14. 507. alipedes turmæ.

ĀLĬPILĀRĬUS, i, m. 2. idem ac alipilus. *Gloss. Philox.* Δρωπακιστής alipilarius.

ĀLĬPĬLUS, i, m. 2. (ala et pilus) qui in balneo lavantium pilos sub alis et in genitalibus evellit. *Seneca ep.* 56. 2. Alipilum cogita, tenuem et stridulam vocem — subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, et alium pro se clamare cogit. *Inscript.* apud *Grut.* 812. 6. M. OCTAVIVS FRIMIGENIVS ALIPILVS A TRITONE. *h. e.* in balneo quod a Tritone nomen acceperat. Cf. *Orell.* ad *Inscript.* 4302.

ĀLIPTĒS, æ, m. 1. (ἀλείπτης) qui ungit: ab ἀλείφω ungo. Specialim hoc nomine appellabatur is, qui in arena luctaturos, vel in balneo lavantes ungebat. *Quintil.* 11. 3. 26. unctorem appellat. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 15. Sed vellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed, ut aliptæ, etiam virium et coloris rationem habere voluissent. *Juvenal.* 3. 76. geometres, pictor, aliptes. *Id.* 6. 422. Callidus et cristæ digitos impressit aliptes, Ac summum dominæ femur exclamare coegit. *Cels.* 1. 1. Sanus homo nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque alipta egere. *Sed nunc ibi legitur* iatralipta. *V.* IATRALIPTES. *Seneca Ep.* 56. 1. Cum in alipten inertem, et hac plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris, quæ prout plana pervenit, aut

concava, ita sonum mutet. *In optimis autem MSS. pro alipten legitur* aliquem. V. *Fickert* ad h. l.

ĀLIQUĀ, adverb., (subaudi *parte* aut *via*) per aliquem locum (It. *per qualche luogo*; Fr. *de quelque côté*; Hisp. *de alguna parte*; Germ. *nach irgend einer Seite hin, auf irgend einer Seite*; Angl. *some way*).

I.) Proprie ponitur de loco. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 67. Iste, qui – videret, cupere aliquā evolare, si posset. *Liv.* 26. 27. Ideo se mœnibus inclusos tenere eos, quia, si qui evasissent aliquā, velut feras bestias per agros vagari. *Id.* 38. 30. Ut aliquā liberum ad mare haberent aditum. Adde 10. 5.

II.) Translate est aliqua ratione: ad rem *Ter. Adelph.* 2. 4. 19. Ne, si magis irritatus siet, aliquā ad patrem hoc permanet. *Plaut. Merc.* 2. 2. 62. Ne ad illam me animum adjecisse aliquā sentiat. *Ter. Phorm.* 5. 1. 19. Atque id porro aliquā uxor mea rescisceret. Adde *ibid.* 4. 1. 19. *Lucilius* apud *Non. p.* 293. 1. *Merc.* Evadat saltem aliquid aliquā, quod conatus sum. *Virg.* 3. *Ecl.* 15. Et si non aliquā nocuisses, mortuus esses. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 27. Et regum vultus – Juvissent aliquā forsitan illud opus. *Apul. de Mag.* 32. Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id possit aliquid aliquā obesse.

ĀLIQUAM, adverb. Proprie est Accus. ab *aliquis*, qui respondet Adverbiis *tam*, *quam*, *quamquam* etc.: et significat ad quamdam mensuram, ad quemdam gradum; ac proinde quantum satis. Jungitur autem tribus aliis vocibus, unde habentur *aliquamdiu*, *aliquammultum*, *aliquammultus* et *aliquamplures*, quæ et divisim scribuntur, quæque *V.* infra.

ĀLIQUAMDIU, adverb. temporis. *V.* **ALIQUAM.** *Forcellinus* scripserat *aliquandiu*; quam scriptionem jure rejicit *Hand. Tursell.* 1. *p.* 243. — Significat autem aliquo tempore, non autem longo admodum; eique opponitur hinc adverbium *continuo* apud *Quintil.*, illinc vero *momento temporis* apud *Liv.*, quæ loca *V.* infra sub *a* (It. *alquanto tempo*; Fr. *pendant quelque temps*; Hisp. *durante alguno tiempo*; Germ. *ziemlich lange Zeit, eine ziemliche Weile*; Angl. *for some time*).

I.) Proprie de tempore occurrit — a) Absolute. *Cic. Cluent.* 9. 25. Cognoscite reliqua, ut non aliquando condemnatum esse Oppianicum, sed aliquamdiu incolumem fuisse miremini. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 12. Nam Aristum Athenis audivit aliquamdiu (*Brutus*). Adde 2. *Att.* 12. 3. et *Amic.* 19. 70. *Nep. Datam.* 11. Cum aliquamdiu in colloquio fuissent. Adde *eumd. Con.* 5. et *Dion.* 3. *Sall. Jug.* 74. Qua in parte rex adfuit, ibi aliquamdiu certatum. *Liv.* 3. 70. Momento temporis – dissipasset hostes, ni suo proprio eum prœlio equites Volscorum – exceptum aliquamdiu tenuissent. *Quintil.* 2. 3. 1. Non tamen continuo tradendos (*pueros*) eminentissimo (*rhetori*) credunt, sed apud minores aliquamdiu retinent. — b) Sequentibus *donec*, *deinde*, *postea*, *postremo*, *tandem* etc.; quibus spatium illud temporis, quod per adverbium *aliquamdiu* significatur, certius definitur. *Sueton. Cæs.* 82. Exanimis diffugientibus cunctis aliquamdiu jacuit, donec lecticæ impositum – tres servi domum retulerunt. *Liv.* 2. 10. Cunctati aliquamdiu sunt, dum alius alium, ut prœlium incipiant, circumspectant: pudor deinde commovit aciem. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quod, quos aliquamdiu inermes sine causa tenuissent, hos postea armatos ac victores superassent. *Liv.* 3. 32. Admiscerenturne plebeji, controversia aliquamdiu fuit: postremo concessum patribus. *Id.* 29. 2. Ibi aliquamdiu atrox pugna stetit: tandem – fuga passim cœpta. Adde *eumd.* 1. 10., 25. 15., 45. 6., et *Sueton. Ner.* 6.

II.) Translate occurrit et de loco, locorum enim spatia per temporis spatia metimur, sed tantum apud *Melam* 1. 13. 3. Deinde aliquamdiu (*h. e.* per aliquod loci spatium) perspicuus (*specus*), mox, et quo magis subitur obscurior, ducit ausos penitus etc. *Id.* 2. 5. 5. Inde contra occidentem ablatus (*Rhodanus*) aliquamdiu Gallias dirimit: post cursu in meridiem abducto hac intrat. Adde 3. 1. 7., 3. 5. 6. et 3. 9. 8.

ĀLIQUAMMULTUM, adverb. (*V.* **ALIQUAM**) aliquantum, quantum satis, et ponitur cum de loco, tum de tempore. *Apul. De Mag.* 4. Sed hæc defensio – aliquammultum a me remota est. *Alii minus recte leg.* aliquantulum. *Id. ibid.* 97. Mulierem aliquammulto natu majorem. *V.* et vocem seq.

ĀLIQUAMMULTUS, a, um, adject. (*V.* **ALIQUAM** et **ALIQUAMMULTUM**) aliquantum multum, satis multus. *Cic.* 6. *Verr.* 25. 56. Sunt vestrum aliquammulti, qui L. Pisonem cognorunt. *V. Zumpt.* ad h. l. *Gell.* 3. 10. *ex Varrone.* Tum ibi addit, se – septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse, ex quibus aliquammultos, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse. *Apul. De Mag.* 72. Ego ex fatigatione itineris advectus apud Appios – aliquammultis diebus decumbo. *Id.* 11. *Met.* 19. Post aliquammultum temporis. — Hinc Compar.

ĀLIQUAMPLŪRES, ium, adject. aliquanto plures. *Tertull. Apolog.* 12. Iidem estis, qui Senecam aliquampluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis. *Alii leg.* Senecam aliquem pluribus etc. V. *Hand. Tursell.* 1. p. 245.

ĀLIQUANDIU. *V.* **ALIQUAMDIU.**

ĀLIQUANDO, adverb. Scribitur *aliquando* pro *aliquanto*, mutata *t* in *d*, quæ frequens apud antiquos mutatio teste *Quintil.* 1. 4. 16. Quid T litteræ cum D quædam cognatio? Quare minus mirum, si in vetustis operibus Urbis nostræ et celebribus templis legantur Alexanter et Cassantra. — Aliquando jungitur verbis tum præteriti, tum præsentis, tum futuri temporis; proprie ad tempus refertur, et est post aut ante satis longum temporis spatium, aliquanto post vel ante tempore, satis longo post aut ante tempore: ac proinde

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur — a) De futuro, et est satis longo tempore post. *Cic. Partit. Orat.* 11. 37. In temporibus autem præsentia et præterita et futura cernuntur: in his ipsis vetusta recentia, instantia, paullo post aut aliquando futura. — b) De præterito, et est satis longo tempore ante. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. Aliter ampla domus dedecori sæpe domino fit, si est in ea solitudo, et maxime, si aliquando, alio domino, solita est frequentari. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 19. (54). Inter hæc et Achajam – præcipua Zacynthus, aliquando appellata Hyrie. Adde *Plin.* 6. *Ep.* 10. et *Melam* 1. 6. 1. ¶ 2. Speciatim de iis ponitur, quæ post longam temporis diuturnitatem diuque a nobis exspectata eveniunt, et similem significationem adverbio *tandem* habet: occurrit autem — a) In narrationibus. *Cic. Cluent.* 67. 191. Hinc illæ infinitæ crudelissimæque de morte Oppianici quæstiones, quibus finem aliquando non muliebris modus, sed amicorum auctoritas fecit. *Id. ibid.* 18. 51. Collegi me aliquando et ita constitui fortiter esse agendum. *Id. Orat.* 48. 160. Qui ego ipse – loquebar sic, ut pulcros – dicerem, aliquando idque sero – usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. — b) In hortationibus. *Plaut. Rud.* 4. 6. 1. Aliquando osculando melius est, uxor, pausam fieri. *Cic.* 1. *Att.* 4. 1. Putemus enim utile esse te aliquando jam rem transigere. *Id.* 3. *Verr.* 28. 72. Audite, quæso, judices, et aliquando misereminі sociorum. *Id.* 6. *ibid.* 37. 81. Aliquando ista præclara nobilitas desinat queri. *Ovid.* 2. *Met.* 390. Ipse agat, ut saltem, dum nostras tentat habenas, Orbatura patres aliquando fulmina ponat. Adde *Cic.* 13. *Fam.* 1. 5., 1. *Orat.* 29. 133. et *Harusp. resp.* 26. 46.; *Sall. Jug.* 14. 21. et *Quintil.* 10. 4. 4. — c) Sæpe sive ad narrationem, sive ad hortationem usurpetur, majoris explicationis gratia cum adverbio *tandem* conjungitur. *Ter. Hec.* 4. 4. 61. Aliquando tandem huc animum ut adducas tuum, quam longum spatium amandi amicam tibi dedi? *Cic. Quinct.* 30. 94. Spes est et hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere. *Id.* 2. *Cat.* 1. 1. Tandem aliquando L. Catilinam – ex urbe vel ejecimus etc. Adde 1. *ibid.* 7. 18. et 16. *Fam.* 9. 2.

II.) Improprie, seu vocis vi aliquantum imminuta, ¶ 1. *Aliquando* significat quocumque alio tempore vel occasione; et pariter jungitur verbis tam futuri, tam præteriti aut præsentis temporis. *Ter. Heaut.* 3. 2. 40. Si quid hujus simile forte aliquando evenerit. *Id.* 4. *Cat.* 10. 20. Quod si aliquando alicujus furore et scelere concitata manus ista plus valuerit, quam vestra –, me tamen meorum factorum numquam pœnitebit. *Id. Mil.* 26. 69. Erit illud profecto tempus et illucescet aliquando ille dies etc. *Inscript.* apud *De-Lama G. al Mus. Parm. p.* 66. HIS ERIT ET NOBIS VNA ALIQVANDO DOMVS. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 4. 11. At ille – quærere ex eo – num vel e Philone vel ex ullo Academico audivisset aliquando? *Id. Quinct.* 13. 43. De rationibus – vult dijudicari, sero, verum aliquando tamen. ¶ 2. Item vocabuli vi aliquantum imminuta, sæpissime *aliquando* occurrit pro aliquo tempore; ita ut idem videatur esse ac *quodam tempore*, ut apud *Cic. Cœl.* 6. 13. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? Quis civis meliorum partium aliquando? — a) Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 8. 12. Liceret ei dicere utilitatem aliquando cum honestate pugnare. *Id.* 3. *ibid.* 29. 113. Sitne aliquando mentiri boni viri? *Id.* 6. *Fam.* 6. 6. Veritus sum deesse Pompeji saluti, cum ille aliquando non defuisset meæ. — b) Cum oppositis *adhuc non*, *in præsentia*, *nunc*. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 246. Quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando – tum esse illam artem futuram. *Id.* 2. *Invent.* 58. 174. Ut – quod sit in præsentia ex honestate delibatum, virtute aliquando et industria recuperetur. Adde *Liv.* 25. 29. — c) Cum pronom. *aliquis*. *Cic. Planc.* 14. 35. Ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, sed contentione dicendi, aut lacessitus et, quia, ut fit, in multis exit aliquando aliquid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum, quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. *Id.* 7. *Fam.* 11. 2. Nam aut erit hic aliquid aliquando etc. — d) Cum oppositis *numquam*, *raro* etc. *Cic. Sull.* 5. 17. Lentuli pœna compressus convertit se aliquando ad timorem, numquam ad sanitatem. Adde *Cels.* 2. 8. et *Cic. Orat.* 2. 7: *Cels.* 3. 18. Raro, sed aliquando tamen ex metu delirium nascitur. Adde *eumd.* 8. 4. — e) Cum opposito *semper*. *Liv.* 45. 23. Nulla est civitas, quæ non et improbos cives aliquando et imperitam multitudinem semper habeat. *Vellej.* 2. 18. Aliquando fortunā, semper animo maximus. *V.* Homonym. in fine. ¶ 3. Hinc aliquando usurpatur etiam pro alias, et quidem — a) Iterato in pluribus propositionibus. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 36. 2. Expiationes non dubitant prodesse aliquando ad submovenda pericula, aliquando ad levanda, aliquando ad differenda. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (262). Omnia hæc – aliquando serius pascuntur, aliquando celerius. *Quintil.* 5. 3. 18. Confirmatio aliquando totius causæ est, aliquando partium. — b) Interdum huic adverbio alia in aliis propositionibus respondent, ut *nonnumquam*, *sæpius*, nec *semper* etc. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 14. 1. Aliquando emicat stella, aliquando ardores sunt, aliquando fixi et hærentes, nonnumquam volubiles. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 13. 10. (56). Nec tamen – ubique cerni, aliquando propter nubila, sæpius globo terræ obstante convexitatibus mundi. Adde *Quintil.* 10. 1. 22. et 4. 2. 83., *Sueton. Cal.* 52. et *Tac.* 3. *Ann.* 27.

Homonym. *Aliquando* ea significatione, quam n. II. par. 4. retulimus, a *nonnumquam* differt: *nonnumquam* enim significat raro, sed pluries; *aliquando* rarius quam *nonnumquam*, immo semel tantummodo. *Cic. Cæcin.* 5. 14. Ille voluntarius amicus, mulieris – magis opportunā operā nonnumquam, quam aliquando fideli. *h. e.* opera, quæ, si sæpe opportuna, ne semel quidem fidelis fuerat. *Id.* 5. *Fam.* 8. 2. Sed quædam pestes hominum laude alienā dolentium et te (*Crassum*) nonnumquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt tibi.

ĀLIQUANTILLUS, a, um, adject. deminut. ab aliquantulus, et significat paullulum admodum. *Plaut. Capt.* 1. 2. 33. Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi: foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat. *Klotz* aliisque recentioribus videtur legendum esse *aliquantulum*. V. *Hand. Tursell.* 1. *p.* 237.

ĀLIQUANTISPER, adverb. (aliquantus et per; qua de forma *V.* **PAULLISPER**) idem fere est quod aliquamdiu, sed brevius tamen tempus notat, paullisper, per aliquantulum temporis. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 158. Concedere aliquantisper hinc mihi intro libet. *Cæcilius* apud *Non. p.* 511. 26. *Merc.* Nam si illi, postquam rem paternam amiserunt, aliquantisper jactati forent. *Ter. Heaut.* 3. 3. 11. Concedas aliquo ab ore aliquantisper. *Id. Adelph.* 4. 5. 5. Cur non ludo hunc aliquantisper? *Quadrigarius* apud *Non. l. c.* Aliquantisper pugnato nihil promovet Pœnus. *Flor.* 2. 18. 14. Aliquantisper vivere. Adde *Justin.* 1. 8. 3. et 42. 4. 8.

ĀLIQUANTO. *V.* **ALIQUANTUS** in fine.

ĀLIQUANTORSUM, adverb. locale, idem ac aliquanto versum aliquem locum. *Ammian.* 22. 8. 48. Perlati aliquantorsum longius, quam sperabamus, pergamus ad reliqua.

ĀLIQUANTULO et / **ĀLIQUANTULUM** } *V.* **ALIQUANTULUS.**

ĀLIQUANTULUS, a, um, adject. deminut. ab aliquantus, et significat paullulum, minimam alicujus

rei quantitatem (It. *pochetto*; Fr. *tant soit peu, si peu que ce soit*; Hisp. *tan poco*; Germ. *ein Klein Wenig*; Angl. *a little, a very little*). — a) Absolute. *Ter. Phorm.* 4. 3. 49. Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler, aliquantulum quæ afferret, qui dissolverem quæ debeo. *Auct. B. Afr.* 21. Aliquantulum frumenti numerum in sua præsidia congesserat. *sed dubia est lectio.* — b) Sæpius substantivi more usurpatur sequente Genitivo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 8. 4. (48). Aliquantulum fimi. *Sueton. Ner.* 48. *in fin.* aquæ tepidæ. — *NB.* In aliis quæ afferebantur locis *Cic.* 2. *Invent.* 9. 29., *Quinct.* 4. 15. et 4. *Fin.* 24. 66., *Liv.* 21. 12. et 30., *Curt.* 6. 5. 21., nunc et optimis Codicibus pro *aliquantulum* legitur *aliquantum*. V. *Alschefski* ad *Liv. l. c. vol.* 3. p. 52.

Aliquantulum est Accus. gen. n. adverbii more positus et significat paullulum. — a) Absolute. *Plaut. Merc.* 3. 4. 54. Canum (*esse ajebant*), varum, ventriosum, bucculentum, breviculum, subnigris oculis, oblongis malis, pansum aliquantulum. *Ter. Andr.* 2. 6. 16. Subtristis visust esse aliquantulum mihi. *Id. Heaut.* 1. 1. 111. Quæro, tandem aliquantulum tibi parce. *Cic.* 4. *Herenn.* 9. 13. Si hæc – aliquantulum dimiserimus, neque tamen ad infimum descenderimus. Apud eumd. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73., *Parad.* 3. 1. 20., *Orat.* 40. 138. et *Amic.* 12. 40. pro *aliquantulum* nunc ex optimis MSS. legitur *aliquantum*. — b) Cum comparativo. *Ter. Eun.* 1. 2. 51. Aliquantulum avidior. *Recentiores tamen Editt. leg.* aliquantum. *Gell.* 1. 1. Stadia aliquantulum breviora.

Aliquantulo est Ablat. adverbiascens comparativis junctus. *Vopisc. Aurel.* 31. Aliquantulo tristior. *Ita leg.* Gruter. *ex MSS.: vulgati habent* aliquanto.

ĂLIQUANTUM. *V.* voc. seq. in fine.

ĂLIQUANTUS, a, um, adject. (alis *et* quantus) significat medium quid inter multum et parum, satis multum, satis magnum (It. *alquanto*; Fr. *quelque*; Hisp. *alguno*; Germ. *ziemlich gross, ziemlich viel*; Angl. *some, somewhat, a little, considerable*). Adjective raro occurrit, et quidem — a) Apud optimos Scriptores sing. tantum num. *Sall. Jug.* 77. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti. *Id. ibid.* 113. Timor aliquantus, sed spes amplior. *Id.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Aliquantam partem gloriæ dempserat. *Liv.* 38. 27. Per aliquantum spatium secuti. *Id.* 25. 35. *ad fin.* Aliquantum emensus est iter. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 28. Aliquantus cinis. *Apul. De Mag.* 71. Aliquantam pecuniam debere. — b) Apud serioris ævi Scriptores plur. etiam num., ubi Augustei Auctores *aliquot* dixissent. *Pallad.* 1. *R. R.* 19. 2. Frumenta refrigerentur aliquantis diebus. *Eutrop.* 4. 27. Aliquanta oppida cepere. *Spartian. Hadrian.* 7. *in fin.* Pessimis aliquantis multa largitus est. *Aur. Vict. Cæsar.* 33. Aliquanti in cælestium numerum referuntur, ægre exequiis digni. Adde *Veget.* 3. 4. 8. et 3. 15. 21. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 4. 115. Aliquanti de his. Apud *Liv.* 26. 23. ex MSS. *Lips.* leg. *aliquanti sacerdotes*; alii omnes rectius *aliquot*.

Aliquantum, i, n. 2. substantivi more sæpe usurpatur. — a) Absolute. *Cic. Parad.* 3. 1. 20. Auri navem evertat gubernator, an paleæ, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. *Editt. veteres leg.* aliquantulum, *haud aliter atque in nonnullis aliis locis infra citatis.* — b) Sæpius cum Genitivo. *Cic. Quinct.* 4. 15. Aliquantum æris alieni. *Id.* 1. *Off.* 10. 33. et *Liv.* 21. 31. Aliquantum agri. *Cic.* 7. *Att.* 13. 7. Aliquantum animi afferre alicui. *Id.* 7. *Fam.* 25. 2. Aliquantum noctis assumere. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 3. et *Liv.* 30. 8. Aliquantum temporis. *Cæs.* 5. *B. G.* 10. Aliquantum itineris. *Cic.* 4. *Fin.* 24. 66. Aliquantum progressionis ad virtutem. *Id.* 2. *Invent.* 9. 29. Aliquantum suspicionis. *Id.* 1. *Fam.* 7. 9. Aliquantum laudis. *Sall. Jug.* 60. Aliquantum armorum et equorum. *Liv.* 21. 13. Aliquantum pecuniæ. *Lipsius leg.* aliquanta pecunia. *Id.* 21. 12. Aliquantum muri. *Id.* 37. 42. Aliquantum loci. *Id.* 21. 28. Aliquantum trepidationis. *Id.* 28. 21. Aliquantum iræ. *Id.* 44. 33. Aliquantum ea res duci famæ et auctoritatis apud milites adjecit. *Curt.* 9. 8. 1. Aliquantum vestis lineæ. *Sueton. Cæs.* 81. Aliquantum vasculorum. *Liv.* 42. 15. cum præpositione. Tertia pars (*maceriæ*) labe terræ in aliquantum altitudinis deruta erat.

Aliquantum, Accus. gen. neutr. qui adverbii more usurpatur et significat nonnihil, aliqua ex parte, satis multum. Jungitur autem — a) Verbis, interdum etiam cum Genitivo. *Cato R. R.* 40. 2. Inclinato (*rumum*) aliquantum, ut aqua defluat. *Plaut. Trin.* 2. 4. 110. Hinc concede aliquantum. Adde *ibid.* 3. 1. 24. *Cic.* 4. *Fam.* 6. 1. Litteris lectis aliquantum acquievi. *Id.* 2. *Divinat.* 1. 3. Quæ (*consolatio*) mihi quidem ipsi aliquantum medetur. *Id.* 3. *Fin.* 14. 48. Qui processit aliquantum ad virtutis habitum. *Id.* 5. *Fam.* 13. 2. Quæ cogitatio – vi tamen tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata et convulsa. Adde 1. *Divinat.* 33. 73., *Orat.* 40. 138. et 2. *Fin.* 14. 45. *Nep. Epam.* 8. Hujus causâ aliquantum retardati sunt Bœotii. *Sall. Jug.* 79. Postquam – alteri alteros aliquantum attriverant. *Liv.* 39. 29. Movit aliquantum oratio regis legatos. *Sueton. Tib.* 13. Adjutos aliquantum etiam casu. — Cum Genitivo. *Liv.* 29. 18. Aliquantum jam altitudinis excitata erant mœnia. *Vulgatæ Editt. habent* ad aliquantum; *sed optimi Codd. omittunt præpos., eorumque lectionem confirmat Curt.* 6. 5. 21. Jam aliquantum altitudinis opus creverat. — b) Adjectivis. — Positivis. *Plaut. Asin.* 2. 3. 20. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus. *Id. Bacch.* 1. 2. 73. BACCH. I. Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. BACCH. II. Aliquantum, soror. — Sæpius Comparativis. *Ter. Heaut.* 1. 2. 27. Aliquantum iniquior erat præter ejus lubidinem. Adde *Eun.* 1. 2. 51., *ubi vulgat. Editt. leg.* aliquantulum. *Liv.* 1. 7. Habitum formamque viri aliquantum ampliorem augustioremque humanâ intuens. *Id.* 25. 11. Quod aliquantum opinione ejus celerius creverat. *Val. Max.* 5. 9. 3. In filio aliquantum tætriore. Adde *Melam* 3. 2. 5.

Aliquanto, Ablat., adverbii more usurpatus pro *aliquantum* si comparatio habeatur. — a) Cum Adverbiis aut Adjectivis Comparativis. *Plaut. Epid.* 3. 2. 43. CHAER. Abeamus hinc intro ad me. STRAT. Atque aliquanto lubentius, quam abs te sum egressus, intus. *Id. Aulul.* 3. 6. 3. Aliquanto rectius. *Id. Stich.* 3. 1. 15. Aliquanto prius. *Id. Asin.* 3. 3. 2. et *Cic.* 6. *Verr.* 34. 76. Aliquanto amplius. *Cic. Brut.* 78. 270. Melius aliquanto. *Quintil.* 4. 2. 21. Aliquanto magis. *Pallad.* 10. *R. R.* 5. Aliquanto maturius. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Carinæ aliquanto planiores. *Nep. Dion.* 3. Aliquanto crudelior. *Sall. Cat.* 8. Res gestæ aliquanto minores. *Id. Jug.* 79. Aliquanto posterior. *Id. ibid.* 86. Aliquanto major numerus. *Liv.* 5. 26. Aliquanto superiora loca. *Id.* 27. 36. Minor aliquanto numerus. *Id.* 5. 29. Majus aliquanto certamen. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 14. (27). Folium aliquanto latius. *Sueton. Tib.* 62. Plures aliquanto. — b) Cum vocabulis, in quibus comparandi vis inest. *Cic.* 9. *Fam.* 26. 4. Epulamur una non modo contra legem –, sed etiam intra legem et quidem aliquanto. *Id. Quinct.* 12. 40. Si non statim, paullo quidem post; si non paullo, at aliquanto. *Id. Cæcin.* 4. 11. Aliquanto post. *Nep. Alcib.* 11. Post aliquanto. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Postea aliquanto. *Id. Sull.* 20. 56. Profectus est aliquanto ante. *Quintil.* 11. 3. 140. Aliquanto supra.

ĂLIQUĀTENUS, adverb. pro *aliquâ tenus* et significat usque ad aliquam partem, usque ad aliquem loci terminum.

I.) Proprie ponitur de loco. *Mela* 1. 2. 1. Inde cum aliquatenus solida processit (*Asia*). *Id.* 2. 4. 4. Parvis se primum e fontibus colligit (*Padus*), et aliquatenus exilis et macer, mox aliis amnibus adeo augescit atque alitur etc. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 80. (150). Myosota – caulibus plurimis ab una radice, aliquatenus rubentibus, concavis etc. *Petron. Satyr.* 102. Apertis – aliquatenus labris.

II.) Translate significat usque ad aliquem modum vel gradum. *Seneca Ep.* 116. 4. Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte. Sed illud aliquatenus longe producitur, nec ubi vis accipit finem. *Quintil.* 11. 1. 28. Defenditur enim aliquatenus ætate, dignitate, auctoritate. *Id.* 10. 1. 74. Philistus – imitator Thucydidis et ut multo inferior, ita aliquatenus lucidior. *Alii minus recte aliter leg. Cajus* 1. *Instit.* 68. Idem juris aliquatenus si ei, qui dediticiorum numero est, tamquam civi Romano aut Latino, e lege Ælia Sentia nupta sit. *Apud serioris ævi Scriptores sæpissime occurrit.*

ĂLIQUID. *V.* ALIQUIS.

ĂLIQUI pro *aliquo*. *V.* ALIQUIS sub init.

ĂLIQUI, aliquæ, aliquod, (alius *et* qui. *V.* ALIQUIS) pronom. indefin. adject. *Aliqui* in recto singulari pro *aliquis* ajunt *Voss. de Grammat. l.* 6. c. 8. et *Pareus* in *Lexic. Plaut.* usurpatum legi a *Catone*, *Cicer.*, *Plaut.*, *Gell.*, *Varr.* et *Liv.* in veteribus eorum libris et MSS.; quæ loca, ajebat *Forcellinus*, non indicamus, quia incerta lectio est. Sed nuper *A. Majus* fatetur hanc scripturam non infrequentem esse apud *Ciceronem*, ideoque ad *Cic. fragm. sex Orationum Mediol. edita a.* 1817. *p.* 140. miratur, cur *Forcellinus* locorum omnium, qui ad hanc scripturam firmandam afferuntur, incertam lectionem pronunciet. Ipsi recentiorum Interpretum et Philologorum auctoritate freti, pro unoquoque genere certiora tantum loca in medium afferemus. — Aliqui significat rem aut personam incertam ratione habita qualitatis (V. *Jahn, Jahrb. für Philol. und Pädag.* 1831. *vol.* 3. *p.* 73. (It. *alcuno, qualche, qualcuno*; Fr. *quelque, quelqu'un*; Hisp. *alguno*; Germ. *irgend einer*; Angl. *some, somebody, some one*). — a) *Aliqui* gen. masc. occurrit tantum usque ad *Ciceronem*, neque tamen apud omnes; namque pro *aliqui* usuvenit *aliquis*, quæ duo inter se differunt ut *nullus* a *nemo*. *Cato R. R.* 157. 7. Inde aliqui morbus nascitur. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 23. Harum sententiarum quæ vera sit deus aliqui viderit. *Id.* 1. *de republ.* 44. 68. Ex hoc enim populo – deligitur aliqui plerumque dux contra illos principes. *Id.* 3. *ibid.* 16. 26. Contra autem improbis semper aliqui scrupus in animis hæreat. Adde 5. *Verr.* 85. 195., 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 7. 19. et 26. 80., 5. *Tusc.* 21. 62., 4. *ibid.* 16. 35., 1. *Off.* 35. 115., 3. *ibid.* 7. 33., 7. *Fam.* 1. 1., *Sest.* 62. 131. et 6. *Verr.* 65. 146. — Interdum ut *nullus* pro *nemo*, ita *aliqui* pro *aliquis* occurrit, de persona absolute et ferme substantive. *Cic. Cæl.* 3. 7. Vellem aliqui ex vobis robustioribus hunc male dicendi locum suscepisset. *Id. Cluent.* 41. 113. Jam ergo aliqui Oppianicum gratis condemnavit. – Jam potuit aliqui ab initio non sedisse. *Gell.* 11. 13. Aliqui vestrum. — b) *Aliquæ* fem. gen. legitur semel tantum apud *Lucret.* 4. 261. Sentimus – Corpore tum plagas in nostro, tamquam aliquæ res Verberet, atque sui det sensum corporis extra. *Vide* de hac forma QUI, QUÆ, QUOD: ceterum pro *aliquæ* usuvenit *aliqua*. *V.* ALIQUIS. — c) *Aliquod* gen. neutr. sæpissime occurrit, et idem significat quod *aliquid*, sed usu differt: nam *aliquod* adjectivum est et cum alio nomine semper jungitur; *aliquid* solum more substantivi usurpatur, vel etiam aliquando casum post se habet. *Ter. Adelph.* 3. 4. 63. Verum nimia illæc licentia profecto evadet in aliquod magnum malum. *Cic.* 4. *Tusc.* 16. 35. Cui miseriæ proximus est is, qui appropinquans aliquod malum metuit exanimatusque pendet animi. *Id.* 2. *Divinat.* 48. 100. Qui censent esse in mentibus hominum tamquam oraculum aliquod, quo futura præsentiant. *Nep. Att.* 2. 3. Ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari etc. Adde *Ennium* apud *Cic.* 1. *de republ.* 18. 30., *Cic.* 2. *Orat.* 72. 292., 13. *Phil.* 1. 2., 1. *Tusc.* 22. 52., *Amic.* 23. 88., 1. *Legg.* 22. 59.; *Val. Max.* 2. 6. 3., *Colum.* 11. *R. R.* 3. 57., *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (36)., *Quintil.* 9. 3. 58. aliosque; quorum nonnulla et in ALIQUIS afferuntur.

ĂLIQUĪLĬBET, aliquælibet, aliquodlibet, pronom. indefin. adject. (aliqui *et* libet) idem ferme ac quilibet. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 70. Aliquâlibet causâ. *Cod. Theod.* 13. 1. 9. Seu conchylioleguli seu ex aliquolibet corpore mercatores.

ĂLIQUIS, aliqua, aliquid, pronom. indefin., quod et substantive et adjective usurpatur. — Veteres dixisse *aliquæ* pro Genit. et Dat. *alicujus* et *alicui*, et *aliques* pro *aliqui* in recto plurali, testatur *Charis.* 2. *p.* 133. *Putsch.*; sed nullo exemplo id confirmat. — *Aliqui* pro *aliquis*, *aliquæ* pro *aliqua*, et *Aliquod V.* ALIQUI, aliqua, aliquod. — *Alicui* in versu trisyllabum occurrit apud *Tibull.* 4. 7. 1. Tandem venit amor, qualem texisse pudorem, Quam nudasse alicui sit mihi fama minor. Adde *Ovid.* 4. *Trist.* 7. 7. — *Aliqui* in Ablat. singulari pro *aliquo*, seu potius pro antiqua forma *aliquoi*, quæ Dativo et Ablativo communis erat ac deinde contracta fuit, usurpavit, adverbii fere more pro *aliquo modo*, *Plaut. Most.* 1. 3. 18. Te, scapha, donabo ego profecto hodie aliqui. *Id. Aulul. prol.* 24. V. infra I. a. *Id. Truc.* 5. 30. Quamquam ego tibi videor stultus, gaudere aliqui me volo. Nam quamquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliqui gaudeo. — Post particulam dubitativam si sæpius ponitur *quis*, quam *aliquis*, qua de re *V.* in voce SI. — *Aliquis*, quasi *alius quis*, significat personam aut rem incertam (It. *alcuno, qualche, qualcuno, qualcheduno, uno*; Fr.

quelque, *quelq'un*, *un*; Hisp. *algun*, *alguno*, *un*; Germ. *irgend einer*; Angl. *some*, *somebody*, *some one*). Ita vero pronomen hoc exhibendum videtur, ut I.°) aliquis sit quasi alius aliquis; II.° ut sit quidam et *A*) substantive; *B*) adjective occurrat.

I.) Aliquis est quasi alius aliquis vel alius quis in sequentibus, quamvis hæc duo inter se differant; namque *aliquis* est magis generale quam *alius aliquis* vel *alius quis* (*V.* infra **Homonym.**) — *a*) Aliis prius enumeratis, inter quæ et pronomen *aliquis* ratio intercedat. *Plaut. Aulul. prol.* 24. Aut ture, aut vino, aut aliqui (*h. e.* aliquo) semper supplicat. *Ennius* apud *Cic.* 1. *de republ.* 18. 30. Cum capra, aut nepa, aut exoritur nomen aliquod belluæ. *Cic.* 1. *Off.* 7. 23. Nam qui injuste facit impetum in quempiam, facit aut irâ aut aliquâ perturbatione incitatus. *Id.* 3. *Verr.* 27. 70. Cum seditionem sedare vellem, cum frumentum imperarem, cum stipendium cogerem, cum aliquid denique reipubl. causa gererem. Adde 2. *Orat.* 42. 178., 3. *Tusc.* 14. 30., *Tim.* 5., 7. *Verr.* 28. 72., 3. *de republ.* 14. 23., *Brut.* 90. 310., 7. *Att.* 12. *extr.*, 6. *Fam.* 8. 2., *Amic.* 10. 34. *Sall. Cat.* 17. Quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut aliqua necessitas. *Alii leg.* aliqua alia. *Liv.* 34. 38. Tyrannus – aut ipse occurrebat, aut aliquos mittebat. *Sueton. Tib.* 47. Tiberius neque spectacula omnino edidit, et iis, quæ ab aliquo ederentur, rarissime interfuit. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. 18. Qui abs te tribum, aut centuriam, aut aliquod beneficium – habeant. *est qui hic aliter legit.* — *b*) Sine partium enumeratione ex ipso orationis contextu eadem ratio innotescit. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 20. Catilina, dubitas, si hic morari (*Orell.* si emori) æquo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam – fugæ solitudinique mandare? *Id. Brut.* 44. 173. Vellem aliquid Antonio præter illum de ratione dicendi sane exilem librum – libuisset scribere. *Liv.* 3. 68. Ecquis retulit aliquid ad conjugem et liberos præter odia? *Tac.* 1. *Ann.* 4. Ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid, quam iram et simulationem meditatum. *Forcellinus* pro *aliud* accepit. Adde *Vellej.* 1. 17. 7.

II.) Aliquis est etiam quidam, et occurrit

A) Substantive. ¶ 1. Generatim omnino et absolute. — *a*) Masc. gen. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 141. Nolo, inquam, aurum concredi mihi. Vel da aliquem, qui servet me. *Ter. Andr.* 4. 1. 16. Atque aliquis dicat: Nil promoveris. *Cic. Ligar.* 7. 22. Nam si crimen est illum voluisse, non minus magnum est, vos Africam – obtinere voluisse, quam aliquem se maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. *Id. Quinct.* 13. 49. Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria. *Id.* 3. *Fin.* 21. 70. Alienum esse a justitia – detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat. *Id. Marcell.* 6. 20. Non enim tua culpa est, si te aliqui timuerunt. Adde *Sall. Jug.* 101., *Liv.* 22. 10., *Nep. Epam.* 4., *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (129). — *b*) Fem. gen. raro admodum occurrit. *Ovid.* 10. *Met.* 560. Forsitan audieris aliquam certamine cursus Veloces superasse viros. *Varro* 6. *L. L.* 57. *p.* 94. *Müll.* Hinc allocutum mulieres ire ajunt, quom eunt ad aliquam locutum consolandi causâ. *Müllerus recte restituit* cum eunt ad aliquem locum consolandi causâ. — *c*) Neutr. gen., fere in Nom. et Acc. sing., raro admodum in ceteris casibus. *Plaut. Asin.* 1. 3. 20. Is dare volt, is se aliquid posci. *Ter. Andr.* 1. 5. 23. Quod si rescissem id prius, quid facerem, si quis nunc me roget: aliquid facerem, ut hoc ne facerem. *Lucilius* apud *Non. p.* 293. 1. *Merc.* Evadat saltem aliquid aliquâ, quod conatus sum. *Cic. Dejot.* 13. 35. Nihil a me arbitror prætermissum, sed aliquid ad extremam causæ partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Dejotaro reconciliet oratio mea. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 17. Quid? si te rogavero aliquid, nonne respondebis? *Id.* 2. *Off.* 11. 40. Qui furatur aliquid. — *Id.* 1. *Tusc.* 23. 53. Quod motum affert alicui, quodque ipsum agitatur alicunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. *Dig.* 1. 2. 2. § 26. Ne aliquo pluris haberent. ¶ 2. Speciatim aliquis, qua, quid significat personam aut rem quamdam ex certo numero vel ordine. — *a*) Cum Ablat. et præp. *de* vel *ex*. *Cic.* 3. *Legg.* 7. 15. Puto posse (*convenire*) et quidem aliquem de tribus nobis. *Id.* 5. *Att.* 18. 4. Mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium. *Id.* 1. *ibid.* 16. 17. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. — *Id. Cæl.* 3. 7. *V.* ALIQUI *a.* *Sall. Jug.* 101. Ratus ex omnibus æque aliquos ab tergo hostibus venturos. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (22). Nec non aliquem ex privatis audivimus jussisse etc. — *b*) Per nominum ellipsin, sed in vulgari tantum sermone; et regit verbum pluralis numeri more nominis collectivi. *Plaut. Epid.* 3. 3. 17. Heu, foras exite huc aliquis! *Id. Men.* 4. 3. 110. Aperite atque Erotium aliquis evocate ante ostium. *Ter. Adelph.* 4. 4. 26. Aperite aliquis actutum ostium. — *c*) Cum Genit. *Cic.* 13. *Att.* 15. Quo autem die has (*litteras*) Valerio dabam, expectabam aliquem meorum. *Id.* 6. *Verr.* 65. 146. Syracusanorum aliquis? *Nep. Dion.* 8. Quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum. *Liv.* 22. 13. Hannibal tres Campanos, jussos cum pluribus et aliquibus principum redire ad se, dimisit. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 41. Horum igitur aliquid animus est. *Id. Partit. orat.* 8. 30. Ut attente autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur. *Ulp. Dig.* 18. 7. 1. Ne aliquo loci moretur. ¶ 3. Neutr. *aliquid* sæpissime cum Genit. usurpatur ad partem alicujus rei aut rem ipsam angustioribus limitibus circumscriptam significandam. — *a*) Addito substantivo. *Cato R. R.* 155. 2. Sicubi – aliquid aquæ obstat. *Ter. Heaut.* 4. 1. 33. Ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidi. *Cic.* 11. *Fam.* 18. 3. Sin aliquid virium forte collegerit, sentiet etc. *Id. Senect.* 10. 34. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris. *Id.* 9. *Fam.* 25. 1. Hoc amplius (*cogito*), navicularum habere aliquid in ora maritima. — Deminuta aut circumscripta nominis vi. *Plaut. Capt.* 3. 4. 54. Atque, ut perspicio, profecto jam aliquid pugnæ edidit. *Id. Rud.* 2. 7. 13. Obsecro, hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci. *Ter. Andr.* 1. 5. 15. Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. *Cic.* 5. *Fam.* 2. 9. Sin autem aliquid impertivit tibi sui consilii, lenis a te et facilis existimari debeo. *Nep. Eum.* 8. Statuit aliquid sibi novi consilii esse capiendum. — Paullo aliter *Cic. Senect.* 11. 38. Ut enim adolescentem, in quo est senile aliquid, sic senem, in quo est aliquid adolescentis, probo. *Quintil.* 12. 10. 18. Ut aliquid habere videantur gentis, aliquid auctoris. — *b*) Addito adjectivo, qui de more est secundæ declinationis. *Ter. Heaut.* 5. 3. 1. Profecto – aliquid gnato conficies mali. *Id. Andr.* 2. 3. 21. Interea aliquid acciderit boni. *Cic. Cæcin.* 1. 3. Ne si improbi essent (*testes*), falsi aliquid dicerent. *Liv.* 26. 5. Ne aliquid indefensi relinquerent. *Quintil.* 10. 6. 1. Aliquid invenit vacui. ¶ 4. *Aliquis* et *aliquid* quamdam peculiarem vim præferunt in sequentibus. 1.) *Esse aliquem* et *esse aliquid* significat esse in aliquo numero, existimatione, aut pretio, non omnino inutilem, aut ineptum esse: et ponitur cum de personis, tum de rebus. — *a*) De personis. Masc. gen. *Cic.* 3. *Att.* 15. 8. Quare fac, ut omnia ad me – perscribas, meque, ut facis, velis esse aliquem, quoniam qui fui et qui esse potui, jam esse non possum. *Juvenal.* 1. 73. Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum, Si vis esse aliquis. *Al. leg.* aliquid. — Neutr. gen. *Cic.* 6. *Fam.* 18. 4. Qui (*liber*) si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum. *Id.* 5. *Tusc.* 36. 104. An quidquam stultius, quam, quos singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare universos? *Id.* 4. *Att.* 2. 2. Si unquam in dicendo fuimus aliquid. Adde 1. *Verr.* 15. 48. et 49. — *b*) De rebus. — *Est aliquid*, formula qua utimur, cum aliquid non plane rejiciendum et contemnendum significamus. *Catull.* 1. 3. namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas. *Ovid.* 13. *Met.* 241. Est aliquid de tot Grajorum millibus unum A Diomede legi. *Id.* 6. *Fast.* 27. Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem. Adde 1. *ibid.* 487. *Id.* 1. *Amor.* 12. 3. Crimina sunt aliquid. *Propert.* 4. 7. 1. Sunt aliquid manes. — Vocabuli significatio augetur in sequentibus. *Cic. Senect.* 3. 8. Est istuc quidem, Læli, aliquid, sed nequaquam in isto omnia. *Id.* 3. *Att.* 15. 5. Quod te cum Catone scribis de privilegio locutum, est aliquid, sed multo melius est abrogari. *Id.* 1. *Verr.* 15. 47. Est tamen hoc aliquid, tametsi non est satis. *Liv.* 45. 36. Intellecturos potentes viros non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse. — 2.) Eodem ferme occurrunt *assequi aliquid*, et *dicere aliquid* h. e. non absurda penitus in medium proferre, λέγειν τι. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 45. Etenim si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti viderunt etc. *Id.* 10. *ibid.* 10. 20. Hic ab artificio suo non recessit, et tamen dixit aliquid. *Id.* 3. *ibid.* 16. 35. Diceres aliquid et magno quidem philosopho dignum. — 3) Raro admodum *aliquid* de personis occurrit. *Vellej.* 2. 64. 2. Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliquid transfugiebat. ¶ 5. *Aliquid* occurrit etiam quoties rei asperitatem lenientes definite loqui nolumus, ut in sequentibus. — *a*) *Fiet aliquid* est dictum non desperantis de rei exitu, licet difficilis videatur. *Plaut. Merc.* 2. 4. 25. CHAR. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. EVT. Enicas. Jam istuc *aliquid fiet* metuo. *Id. Truc.* 2. 4. 15. Mane, aliquid fiet, ne abi. *Ter. Andr.* 2. 1. 13. Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies: interea fiet aliquid. Cf. *eund. ibid.* 2. 3. 24. Interea aliquid acciderit boni. — *b*) Cum de re amatoria sermo est. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 43. Si vero aliquid etiam –, tum plane luctum omnem absterseris. *V.* ad h. l. Interpretes. *Id.* 9. *Fam.* 22. 4. Nos – ridicule, si dicimus: *Ille patrem strangulavit*, honorem non præfamur; sin de Aurelia aliquid aut Lollia, honos præfandus est. ¶ 6. Denique *aliquid* adverbii etiam more occurrit. — *a*) Cum Verbis. *Cic. Dejot.* 13. 35. Illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. *Id. Mil.* 36. 99. Si me aliquid offendistis. Adde *eund. Sext.* 4. 10. et V. *Klotz.* ad eum loc. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quos tamen aliquid usus ac disciplina, quam a nobis accepissent, sublevarent. *Liv.* 31. 29. Philippi regnum officere aliquid videtur libertati vestræ. *Virg.* 10. *Æn.* 84. Nos aliquid Rutulos contra juvisse nefandum est? — *b*) Cum Adjectivis, seu potius Participiis. *Liv.* 41. 2. Perlucens jam aliquid, incerta tamen lux. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (54). Aliquid et spatio fessus.

B) Adjective. Eodem prorsus modo, quo *nemo* jam inde ab initio substantive tantum usurpatum est, sed deinde loquendi consuetudine paullatim factum est ut adjective quoque adhiberetur, ut *nemo homo*, *vir nemo bonus*; *aliquis* etiam adjective usurpari cœpit, ac propterea *aliqui* et *aliquæ* (*V.* hanc vocem) in desuetudinem abierunt, facto tamen discrimine inter *aliquod* et *aliquid*, de quo in eadem voce jam diximus. Occurrit autem ¶ 1. Cum Substantivis. — *a*) Generatim. — Masc. gen. *Plaut. Amph.* 1. 1. 32. Aliquem hominem allegent, qui me advenienti os occillet probe. *Ter. Hec.* 3. 1. 6. Quibus est alicunde aliquis objectus labor. *Cic.* 1. *Tusc.* 34. 82. Num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? *Id.* 9. *Fam.* 14. 2. Quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem. *Ovid. Rem. am.* 589. Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Oresten. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 105. Qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem – requirunt. *Id.* 1. *ibid.* 22. Alicui Græculo otioso. — Fem. gen. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 54. Inde ego hodie aliquam machinabor machinam. *Ter. Heaut. prol.* 41. Ut aliqua pars laboris minuatur mihi. *Id. Adelph.* 3. 3. 4. Qui alicui rei est. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 20. 65. Si aut ostentatione aliquâ adductus. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Qui si alicujus injuriæ sibi conscius fuisset. — Neutro gen. raro admodum in Nominat. aut Accus., immo tantum apud *Plautum* legimus *nomen aliquid*, ut affirmat *Lindemann.* ad *Cic.* 2. *Invent.* 7. *p.* 530. — *b*) Speciatim *aliquis* opponitur adjectivo *nullus* et significat rem esse cujuscumque generis, cujuscumque qualitatis, aut fieri quocumque modo, quacumque ratione. *Cic.* 1. *Off.* 11. 35. Si non optimam, at aliquam rempubl., quæ nunc nulla est, haberemus. Adde 5. *Fam.* 16. 3., 6. *ibid.* 6. 1. *Seneca Ep.* 75. 10. Morbus est animi – in magno pretio habere in aliquo habenda vel in nullo. *Cic.* 5. *Verr.* 86. 195. Quin ejus facti si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. *Id.* 12. *Fam.* 10. 2. Gesta res expectatur, quam quidem aut jam esse aliquam, aut appropinquare confido. — Hinc illa *aliquo modo*, *aliquo pacto*, *aliqua ex parte*. *Plaut. Stich.* 4. 2. 11. Exorabo aliquo modo, veni. *Ter. Adelph.* 3. 4. 23. Hoc quidem ferendum aliquo modo est. *Cic.* 2. *Orat.* 57. 232. Quis enim hoc non vel facile, vel certe aliquo modo possit efficere? *Plaut. Bacch.* 3. 6. 23. Si non fecero ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissumum. Adde *Ter. Andr.* 5. 3. 12. *Cic. Cluent.* 24. 67. Hæc – ille et aliqua ex parte habebat, et majore ex parte se habere simulabat. *Id. Amic.* 23. 86. Si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. — *c*) Jungitur etiam substantivo et adjectivo simul, ita tamen ut *aliquis* adjectivo, potius quam substantivo, generalem suam vim addat. *Cic.* 1. *Invent.* 5. 7. Demonstrativum est (*genus*), quod

tribuitur in alicujus certæ personæ laudem aut vituperationem. *Id.* 1. *Off.* 32. 117. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam etc. *Id.* 2. *Orat.* 3. 12. Omnes admirati majorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. Adde 2. *ibid.* 72. 292., 3. *Legg.* 9. 21. et 1. *Herenn.* 4. 10. ¶ 2. Jungitur etiam adjectivis, qui tamen substantivorum vim habeant; et quamvis significationem non mutet, addit tamen vim quamdam et leporem. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 10. 32. Hos, qui omnia incerta dicunt, quasi desperatos aliquos relinquamus. — *b*) Præcipue *aliquis unus* elegantem habet usum. *Cic.* 1. *de republ.* 32. 48. Si – in populo aliquis unus pluresve divitiores opulentioresque extitissent. *Id.* 3. *Orat.* 33. 136. Sin aliquis excellit unus e multis effert se, si unum aliquid affert, ut etc. *Id.* 3. *Fin.* 19. 64. Vir bonus et sapiens – utilitati omnium, quam unius alicujus aut suæ consulit. *Id.* 2. *Off.* 12. 41. Ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem. *Id. Cluent.* 66. 185. Istam ipsam quæstionem, dicite, quis obsignavit? unum aliquem nominate. *Id.* 4. *Verr.* 52. 129. Estimant unum aliquem diem, aut summum biduum ex mense. *Id.* 2. *Orat.* 72. 292. Si causa est in argumentis, firmissima quæque maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum. Adde 1. *Verr.* 9. 27. — *c*) Neutrum *aliquid* non modo Genitivo alicujus Adjectivi, ut superius diximus II. *A.* 3.; verum etiam Adjectivis secundæ et tertiæ quoque declinationis jungitur eodem casu. *Cic.* 1. *Legg.* 22. 59. Tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet. Adde 2. *Fam.* 6. 1. *Virg.* 9. *Æn.* 186. Aut pugnam aut aliquid jamdudum invadere magnum Mens agitat mihi. Adde 10. *ibid.* 547. *Liv.* 27. 43. Audendum aliquid improvisum, inopinatum. *Id.* 44. 43. Perseus metuens, ne majus aliquid mox auderent, – profugit. — *Cic. Senect.* 11. 38. Ut enim adolescentem, in quo est senile aliquid – probo. *Id.* 13. *Att.* 17. Tamen expecto recens aliquid. *Id. Orat.* 16. 53. Tamen est in utroque aliquid excellens. *Id. Amic.* 24. 78. Sin tale aliquid evenerit. — *d*) Cum vocibus numerum significantibus *aliquis* sonat idem ac *circiter*. *Cato R. R.* 156. 1. Et item, ubi cœnaveris, comesto aliqua quinque folia. *Alii leg.* alia, *sed minus recte.* Item apud *Varr.* 1. *R. R.* 2. 28. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. et apud *Non. p.* 187. 24. *Herc.* Maturum censeo, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire jubeas. *Plaut. Men.* 5. 5. 47. Helleborum putabis aliquos viginti dies. *Alii leg.* aliquot. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 62. Græcis hoc modicum est, Leonidas, Epaminondas, tres aliqui aut quatuor. *Græce* τρεῖς τινας. ¶ 3. Aliquis occurrit etiam in particulis, et — *a*) Modo geminatur. *Cic. Parad.* 3. 1. 21. An virum bonum dices, qui – fecerit, aut temperantem, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Cf. *Liv.* 42. 29. Aliquid illi regiæ majestati, aliquid hi populi Rom. nomini – existimabant deberi. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 35. (118). Mirum in betæ semine: non enim totum eodem anno gignit, sed aliquid sequente, aliquid tertio. *Id.* 10. *ibid.* 53. 74. (146). Est autem tanta fecunditas (*gallinarum*), ut aliquæ et sexagena pariant, aliquæ quotidie, aliquæ bis die, aliquæ in tantum, ut effetæ moriantur. *Quintil.* 4. 2. 67. Neque infitias eo, in narratione, ut aliqua neganda, aliqua adjicienda, aliqua mutanda, sic aliqua etiam tacenda. — *b*) Modo respondet aliis particulis ejusdem ferme significationis, aut præmissis, aut subjectis. *Cic. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est –. Distincta alios et interpuncta intervalla, moræ respirationesque delectant. – Elaborant alii in lenitate et æquabilitate et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Ecce aliqui duritiam et severitatem quamdam verbis et orationis quasi mœstitiam sequuntur. *Klotz* optimis innixus Codicibus ita legendum putat pro *alii*, quemadmodum et apud *eumd.* 3. *Fin.* 19. 63., 5. *Tusc.* 13. 38., 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 10. 30. et 4. *Tusc.* 28. 60. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 25. (51). Est et alia herba proprio nomine onochiles, quam aliqui anchusam vocant, alii arcebion, alii onochelim, aliqui rhexiam, multi enchusam. *Id.* 24. *ibid.* 5. 8. (139). Aliqui echiten vocant, alii lagineam, nonnulli tenuem scammoniam. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 9. Aliquæ (*fossæ*) fiunt patentes, quædam etiam occæcantur. *Quintil.* 2. 4. 12. Laudare aliqua, ferre quædam.

Homonym. Differunt inter se 1. *aliquis* et *alius aliquis*, 2. *aliquis* et *aliqui*, 3. *aliquis* et *quispiam*, 4. *aliquis* et *quidam*, 5. *aliquis* et *quisquam* vel *ullus*.

1.) *Aliquis* est magis generalis quam *alius aliquis*, etiam si *aliquis* videtur alium aliquem significare: *aliquis* enim nullis prorsus generis limitibus rem circumscribit, sed *alius aliquis* rem eo genere vel ea specie concludit, de qua sermo est; huc adde, quod *alius aliquis* numquam occurreret, si *aliquis* significaret etiam *alium aliquem*. *Cic.* 7. *Verr.* 28. 72. Qui a prædonibus erant capti, cum mercaturas facerent, aut aliquam ob causam navigarent. *h. e.* ob causam qualemcumque. *Id.* 2. *Orat.* 9. 38. Fateamur aut hoc, quod hæc ars profiteatur, alienum esse, aut cum alia aliqua arte esse commune. *Ter. Phorm.* 5. 2. 5. Ut sit qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.

2.) Quamvis *aliquis* adjective usurpatum eadem polleat significatione, qua *aliqui*, ab eo tamen differt. *Cic. Amic.* 23. 87. Si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret. *h. e.* aliquis, qui deus est. *Id.* 1. *Tusc.* 11. 23. Harum sententiarum quæ vera sit, deus aliqui viderit. *h. e.* deus viderit, quicumque demum is fuerit.

3) *Quispiam* significat unum ex possibilibus, *aliquis* unum ex genere etiam latissimo. *Cic. Fat.* 11. 24. Cum ita dicimus velle aliquid quempiam, aut nolle sine causa. *Id.* 2. *Orat.* 9. 38. Si de rusticis rebus agricola quispiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit aut scripserit etc.

4.) Inter *quidam* et *aliquis* hoc interest, quod *quidam* dicitur de re aut persona certa et definita, *aliquis* de indefinita et incerta; ut si dicam *est quidam qui me amat*, designo unum certum amantem mei; si dicam *est aliquis qui me amat* illud significo, esse nonnullos qui me amant, non designando quinam ii sint. Confer inter se duo priora et duo posteriora *Ciceronis* loca. 1. *Legg.* 22. 59. Nam qui se ipse novit, primum aliquid se habere sentiet divinum. 2. *Fin.* 34. 114. In quibus (*animis*) doctissimi illi veteres inesse quiddam cæleste et divinum putaverunt. 2. *Nat. D.* 66. 166. Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit. 2. *Orat.* 46. 194. Sæpe audivi poetam bonum neminem – sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam afflatu divino.

5.) *Aliquis* generatim significat rem aut personam quamcumque; *quisnam* et *ullus* singillatim denotant unum tantummodo idque, ut ita dicam, extremum: ita *Cic.* 4. *Verr.* 24. Debebat ullum nummum nemini. *h. e.* ne unum quidem nummum debebat, *ullus* enim videtur deminut. ab *unus*, ut putat *Boethius*. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 240. Si quando aliquid tamquam aliqua fabella narratur. *Id. Senect.* 19. 69. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. *Id. Brut.* 9. 35. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit (*Demosthenes*), nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri posset aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum –, quo quidquam esset elatius. — Adde quod *ullus* fere semper negative; *aliquis* semper affirmative usurpatur, etiamsi negativis particulis jungatur. Porro *aliquis* negativis particulis jungitur quamvis affirmative semper accipiatur, — *a*) Si ex duplici negativa affirmativum aliquid eruatur. *Cic. Brut.* 14. 54. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuisse dicendo. *Id.* 4. *Tusc.* 19. 43. Imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiæ. — *b*) Si præcedat præp. *sine*, aut particula negativa quæ idem ferme significet. *Cic.* 3. *Fin.* 8. 30. Qui mancam fore putaverunt sine aliqua accessione virtutem. *h. e.* nisi aliquid, atque id fortasse magnum, accesserit: contra *sine ulla accessione* idem esset ac *ne minima quidem accessione facta*, unde *Cæs.* 3. *B. C.* 73. Quod Italiam sine aliquo vulnere cepissent. — *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 88. Ne relinquatur aliquid erroris in verbo. *h. e.* hic vel ille error: contra *ne relinquatur quidquam erroris* idem esset ac *ne minimus quidem error*. Item *Cic. Amic.* 13. 48. Quæ causa est cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? — *c*) Si orationis membra sint invicem opposita. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 15. Cum scias horum esse neminem, qui nesciat – sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam populi Rom. obstitisse? *Id.* 3. *Verr.* 65. 144. Ne illud quidem animadvertebas, ejusmodi fore hoc peccatum tuum, quod te neque negare posses –, nec cum defensione aliquâ confiteri? *h. e.* hac vel illa excusatione. — *d*) Denique *aliquis* affirmative usurpatur, etiamsi particulæ negativæ ita adhæreat, ut unum idemque constituere videatur; aut si *aliquid* arctissime cum verbo cohæreat, ut *aliquid afferre*, *aliquid proficere* etc. *Val. Max.* 5. 10. *ext.* 3. Atque (*meminerit*) ut mori neminem solere, qui non vixerit; ita ne vivere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus. *h. e.* perinde ac si dicatur: ita aliquem, qui non sit moriturus, etiam vivere non posse. *Cic. Mil.* 1. 2. Nam (*alii* Non) illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro et judicio, quamquam præsidiis salutaribus et necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus.

ĂLIQUISPĬAM, aliquæpiam, aliquodpiam et aliquidpiam, pronom. indefin., idem quod aliquis: *piam* vero adjectio syllabica est, quæ quid significet *V.* in PIAM. *Forcellinus* hæc attulit, verum tamquam incertæ lectionis loca: *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 19. Aut num aliquodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet. *Optimi tamen Codd. recte leg.* Aut num aliud quodpiam membrum etc. *Id. Sext.* 29. 63. Si aliquapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe etc. *Optimi Codd. leg.* Si alia quapiam vi etc. V. *Madvig. Opusc. Acad. pr. p.* 465. Hinc injuriâ *Gronovius* hanc vocem admisit in *Liv.* 31. 6.; jure autem cetera *Quintiliani* et *Ciceronis* loca ab aliis allata tamquam dubia ipse *Forcellinus* rejecit. *Furlanetto* in 1. *Append.* certam esse lectionem ait *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 10. *init.* Sed ex aliquorumpiam, qui interimunt animas, garrientibus nugis, etsi non sistimur ab itinere, tentamur tamen. *Sed hic* Claudii Mamert. *locus dubias* Ciceronis *lectiones* minime confirmat.

ĂLIQUISQUAM, aliquæquam, aliquodquam et aliquidquam, pronom. indefin., quod tamen a Lexico est expungendum; injuriâ enim recepit *Gronovius* in illo *Liv.* 41. 6. Nec Lycios Rhodiis, nec ullos alicuiquam, qui nati liberi sint, in servitutem dari placere. *ubi optimi Codd. leg.* nec ullos alii cuiquam. *Cic.* 2. *Divinat.* 50. 104. Epicurusne, qui negat aliquidquam deos nec alieni curare, nec sui? *rectius opt. MSS.* qui negat quidquam deos etc. Item apud *eumd.* 2. *Nat. D.* 65. 163. *legendum est:* Hæc igitur sive vis, sive ars, sive natura ad scientiam rerum futurarum homini profecto est, nec alii cuiquam a dis immortalibus data.

ĂLĬQUŌ, adverb. locale (pro *aliquoi*, qui apud veteres Dativus erat ab *aliquis*, quam vocem *V.* sub init.) ad vel in aliquem locum (It. *a qualche luogo*; Fr. *quelque part*; Hisp. *á alguna parte*; Germ. *irgend wohin*; Angl. *some whither*, *to some place*, *any whither*).

I.) Proprie de loco usurpatur et occurrit — *a*) Addito termino, a quo quis abit. *Ter. Andr.* 2. 1. 28. Saltem aliquot dies profer, dum proficiscor aliquo, ne videam. *Id. Heaut.* 3. 3. 11. At certe ut hinc concedas aliquo ab ore eorum aliquantisper. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 17. Si te parentes timerent atque odissent tui –, ab eorum oculis aliquo concederes. — Cum Genit. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 1. 3. Cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquo terrarum arbitror. — *b*) Sæpius generatim et absolute. *Plaut. Epid.* 2. 2. 94. Ubi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas. *Ter. Hec.* 3. 3. 54. Aliquo est mihi hinc ablegandus. *Cic.* 3. ad *Q. fr.* 1. 3. § 7. Cum aliquo exibimus, est nobiscum puerumque ducat. *Ter. Eun.* 4. 3. 25. Aliquem aliquo concludere. *h. e.* carcere. *Id. Heaut.* 4. 6. 5. Aliquem aliquo detrudere hinc. *Id. Adelph.* 4. 7. 26. Aliquem aliquo abjicere. *Liv.* 1. 21. Aliquo se inferre. *Id.* 1. 11. Aliquo nomina dare. *Sueton. Cal.* 4. Aliquo advenire. — *c*) Additis verbis, quibus adverbium *aliquo* definitur. *Plaut. Men.* 5. 1. 3. Immersit aliquo se se credo in ganeum. *Ter. Adelph.* 3. 3. 6. Credo adductum in ganeum aliquo. *Id. Adelph.* 5. 2. 11. Interea in angulum aliquo abeam. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. 4. Aliquem rus aliquo educere. *Plaut. Rud.* 2. 6. 51. Se aliquo ad ludos locare. *Id. Men.* 1. 2. 15. Ad cœnam aliquo foras condicere. *Ter. Adelph.* 3. 3. 31. Aliquo militatum profugere.

II.) Interdum et de modo occurrit. *V.* IMPLICISCOR.

ĂLĬQUŌMULTUM. *V.* ALIQUAMMULTUM.

ALIQUOT, adject. numer. indefin. indeclinabilis, pluralis tantum numeri, omnis generis, compositus ex *alius* et *quot*, significat idem, quod nec multi, nec pauci, teste *Donato* ad *Ter. Andr.* 3. 3. 2. aliquot, hoc est, nec multi nec pauci (It. *alcuni, alquanti*; Fr. *quelques*; Hisp. *alguni*; Germ. *einige, einige einzelne*; Angl. *some, several, some certain*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Quo majore opere dico suadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur. Adde eumd. *R. R.* 157. 15. *Ter. Andr.* 2. 1. 13. Ut aliquot saltem nuptiis prodat dies. Adde *Nep. Hann.* 5. et *Liv.* 21. 11. *Ter. Eun.* 3. 4. 1. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo. *Id. Andr.* 4. 4. 32. Aliquot liberæ. *Id. Phorm.* 2. 1. 82. amici. *Cic. Tim.* 1. secula. *Id.* 7. *Fam.* 18. 1. epistolæ. *Id.* 9. *Att.* 11. A. 2. anni. *Id. Planc.* 41. 98. Aliquot dierum via. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Aliquot de causis. *Varro* 2. *R. R.* 3. 5. Pastores aliquot curiosiores. *Nep. Ages.* 4. Aliquot vulnera. *Virg.* 1. *Ecl.* 70. Aliquot aristas. — *b*) Interdum cum *paucis* jungitur. *Cato* apud *Fronton. ep.* p. 184. *Mai. Rom.* Interim aliquot pauca castra feci. — *c*) Cum pronom. demonstrativo. *Ter. Phorm.* 5. 5. 4. Aliquot hos sumam dies. *Id. Heaut.* 4. 5. 3. Hosce aliquot dies non sentiet. *Cic.* 6. *Verr.* 16. 36. Verum negas te horum annorum aliquot confecisse (*tabulas*). — *d*) Substantive. *Ter. Andr.* 3. 3. 2. Aliquot me adiere.

ALIQUOTFĀRIAM, adverb. in aliquibus locis, ut *multifariam* in multis locis: unde vero derivetur, quidque significet adjectio *fariam*, *V.* in **BIFARIAM**. *Cato* apud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 7. In eo (*Picentium*) agro aliquotfariam in singula jugera dena cullea vini fiunt.

ALIQUŎTIENS et aliquoties, adverb. temporis. — Recentiores Philologi veterum Grammaticorum testimonio, atque Inscriptionum optimorumque Codicum auctoritate innixi in scriptione præferunt *aliquotiens* (*V. Ellendt* ad *Cic.* 2. *Orat.* 27. 123. *vol.* 1. *p.* 86.). — Est idem atque aliquot vicibus (It. *alcune volte*; Fr. *quelquefois*; Hisp. *algunas veces*; Germ. *einige Male*; Angl. *several times, certain times*). *Cato R. R.* 88. 1. Id aliquoties in die facito. *Cic. Quinct.* 1. 3. Qui hanc causam, Aquili, aliquoties apud te egit. *Id. Font.* 11. 23. Nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus — audissem. Adde eumd. *Prov. cons.* 19. 46. et 2. *Legg.* 4. 9. *Nep. Phoc.* 2. Ab eodem in judiciis — defensus aliquoties liberatus discesserat. *Sall.* apud *Priscian.* 15. *p.* 1015. *Putsch.* Neque detrusus aliquoties terretur. Adde *Liv.* 7. 18. et 29. 18., et *Sueton. Cal.* 11.

ĀLIQUŎVORSUM antique pro *aliquoversum* (aliquo et verto), adverb. loc. versus aliquem locum. *Plaut. Cas.* 2. 4. 18. Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero.

ĀLIS, alid, adject. antiquum loquendi genus pro *alius, aliud*; unde *aliquis, aliter* etc. — *a*) *Alis* raro admodum occurrit. *Catull.* 66. 27. Anne bonum oblita es facinus quo regium adepta es conjugium, quo non fortius ausit alis. *Sall.* apud *Charis.* 2. *p.* 133. et *Diomed.* 1. *p.* 323. *Putsch.* Alis alibi stantes, omnes tamen adversis vulneribus conciderunt. *Inscript.* apud *Orell.* 2488. ALIS NE POTESTO. — *b*) Sæpius occurrit neutrum *alid*. *Lucret.* 1. 257. Quando alid ex alio reficit natura. *Id.* 1. 1088. Namque alid ex alio clarescet. *Id.* 5. 1304. Sic alid ex alio peperit discordia tristis. — *Forcellinus* affert locum *Plauti* apud *Paul. Diac.* 27. 19. *Müll.*, ubi legebat *ali rei* pro *aliæ rei*; sed *Mullerus* leg. *aliæ rei* pro *alii rei*. — Ceterum *Priscian.* 13. *p.* 959. *Putsch.* aliique Grammatici superius citati sæpe veteres ita locutos fuisse testantur. Non ubique tamen eadem lectio est eorum locorum, quæ attulimus. — *NB.* Alis est etiam oppidi nomen. *V.* ONOM.

ĀLISMA, ătis, n. 3. ἄλισμα, herba est in aquosis locis nascens, quæ alio nomine damasonion, et lyron vocatur, foliis plantaginis venosis, sed angustioribus, et magis laciniosis, et in terram convexis, caule simplici, tenui, cubitali, capite thyrsi, radicibus densis, tenuibus ut veratri nigri, acribus, odoratis, nigris. Alterum genus ejusdem in silvis provenit, nigrius, et majoribus foliis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 16. 77. (124). Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 356.) negat alisma *Plinii* esse *alisma parnassifolium* L. (ut putabat *Sprengel. Hist. rei herb.* 1. 171.); et hanc exhibet synonymiam: Ἄλισμα, οἱ δὲ ἀλκέαν, οἱ δὲ δαμασώνιον, οἱ δὲ ἄκυρον, οἱ δὲ λύρον καλοῦσι Dioscor. 3. 169., Λαππα Græcor. recent., Πλεμονοχόρτον Zacynth., et *Alisma*, damasonium seu lyron Plin. l. c. sunt *Alisma plantago* L. Spec. plant. 486.

ĀLĬTER, adverb. (Cf. et Gr. ἄλλως). Vox composita ex *alis* (unde *alius*) et *iter*, proprie significat alio itinere, aliâ viâ: quod deduci potest etiam ex *Ovid.* 2. *Met.* 80. Per tamen adversi gradieris cornua Tauri, Hæmoniosque arcus violentique ora Leonis, Sævaque circuitu curvantem brachia longo Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum. Et ex *Lucan.* 8. 196. Æquora senserunt motus, aliterque secante Jam pelagus rostro, nec idem sectante carinâ, Mutavere sonum. — Quamquam *aliter* translate semper occurrit (quemadmodum in allatis etiam *Ovidii* et *Lucani* locis) pro alio modo, alia ratione, alio sensu, aliis rerum adjunctis, secus (It. *in altro modo, altrimente*; Fr. *d'une autre manière, autrement*; Hisp. *de otro modo, otramente*; Germ. *anders, auf andere Weise oder Art, in anderem Verhältnisse* etc.; Angl. *in a different way or manner, otherwise, in any other way, else*). Aliter itaque significat *alio modo*, ita ut recte opponatur *eodem modo*, ut apud *Cic.* 2. *Divinat.* 71. 146. Cum eadem (*somnia*) et aliis aliter evadent, et eisdem non semper eodem modo. — Quamvis una eademque sit semper hujusce vocabuli significatio, ipsum tamen pluribus usurpatum modis occurrit, quos ad duos præcipue redigimus, scilicet

A) *Aliter* absolute usurpatur, ita ut alter comparationis terminus ex orationis contextu eruendus sit. — 1.) Generatim. — *a*) Plurimis jungitur verbis plurima significantibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 56. Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere, si quæ asportassent reddere; se exercitum extemplo domum reducturum —; sin aliter sient animati, neque dent quæ petat, sese igitur summâ vi virisque eorum oppidum expugnassere. *Ter. Andr. prol.* 1. Poeta — id sibi negoti credidit solum dari, populo ut placerent quas fecisset fabulas: verum aliter evenire multo intelligit etc. *Cic.* 3. *Fam.* 7. 5. Nec mehercule aliter vidi existimare vel Cn. Pompejum, quem omnibus —, vel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. Tu si aliter existimas, nihil errabis, si etc. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 44. *Sall. Jug.* 10. Ne aliter quid eveniat providere decet. *Varro* 1. *R. R.* 20. 1. Amplis cornibus et nigris, potius quam aliter. Adde *Ovid.* et *Lucan.* sub initium hujus vocis citatos et *Martial. Spect.* 3. 9. *V.* et *Hand. Tursell.* 1. p. 273. *Liv.* 2. 20. Aliter apud alios (*scriptores*) ordinatis magistratibus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 16. (53). Reliquorum nomina aliter in aliis atque aliis locis appellantur. *Ter. Heaut.* 2. 3. 23. et *Quintil.* 12. 5. 2. Aliter accipere aliquid. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 25. 4. (10). nuncupare. *Ter. Adelph.* 5. 8. 5. Aliter censere. *Cic.* 3. *Verr.* 46. 119. decernere. *Id. ibid.* § 118. edicere. *Id. Mil.* 9. 23. judicare. *Ter. Adelph.* 4. 3. 12. putare. *Id. Andr.* 2. 1. 10. et *Cic.* 4. *Fin.* 22. 60. sentire. *Plaut. Stich.* 1. 1. 42., et *Cic. Rabir.* 11. 29. et 6. *Att.* 9. Aliter facere. *Unde formula juris, quæ sæpe occurrit in legibus* qui aliter fecerit, ut apud *Sall. Cat.* 52. et *Justin.* 6. 6. 1. — *b*) Hinc illa speciatim: *Aliquid aliter fit, evenit, evadit, accidit, se habet*; ut apud *Ter. Adelph.* 5. 8. 13. Nihil agis: fieri aliter non potest. *Cic.* 6. *Att.* 6. 3. Assentior: fieri non potuit aliter. *Id.* 1. *de republ.* 4. 7. Sed si aliter — accidisset, qui possem queri? *V.* superius *Cic.* 2. *Divinat.* 71. 146., *Ter. Andr. prol.* 4. et *Sall. Jug.* 10., et alia infra sub 4.). — *c*) Adde illa: *Aliter videtur, aliter placet*. *Plaut. Epid.* 4. 2. 29. Quid, si servo aliter visum est. *Virg.* 2. *Æn.* 428. Dis aliter visum. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 47. 143. Aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet. — *d*) *Aliter esse* est alium esse, alio modo effectum aut animatum esse: in prosa tamen oratione apud optimos scriptores occurrit de gen. neutr. tantum. *Plaut. Truc.* 1. 2. 70. Sed longe est aliter amicus atque amator. *Ter. Phorm.* 3. 2. 44. Ego hunc esse aliter credidi: iste me fefellit; ego isti nihilo sum aliter ac fui. *h. e.* ego hunc esse alio ingenio, aliis moribus putavi: iste me fefellit: ego erga hunc non aliter sum animatus etc. *Id. Adelph.* 4. 3. 6. Ah minime: numquam te aliter, atque es, in animum induxi meum. *Id. ibid.* 3. 4. 46. Sin aliter animus vester est, ego summâ vi defendam has. *Id. Hec.* 4. 4. 15. Sin est, ut aliter tua sit sententia. *Cic. Rosc. Am.* 47. 138. Verum longe aliter est: nihil horum est, judices. *Id.* 11. *Att.* 23. 1. Nisi illud quidem mutari, si aliter et oportet, non video posse. *Liv.* 39. 28. Id ego aliter longe judico esse. *Cels.* 3. 20. Sin aliter hæc erant. — *e*) Interdum jungitur et particulis negativis. *Horat. Epod.* 14. 10. Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium. *Virg.* 9. *Æn.* 65. Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti Ignescunt iræ. *Horat.* 1. *Od.* 18. 4. Neque mordaces aliter diffugiunt sollicitudines. — 2.) *Aliter* nonnumquam integram per se propositionem, eamque conditionalem, constituere videtur, quæ scilicet esset: Si res non ita se haberet, si res aliter acciderit, si acciderit contra quam dictum est: ac proinde *Forcellinus* pro *alioquin* vel *ceterum* accepit. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. In domo clari hominis — adhibenda cura est laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino sæpe fit, si in ea est solitudo. Adde 2. *ibid.* 12. 42. *Id. Amic.* 20. 74. Aliter amicitiæ stabiles permanere non possunt. *Nep. Them.* 7. Quare si suos legatos recipere vellent — se remitterent; aliter illos in patriam numquam recepturi. *Sall. Cat.* 30. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, — domi militiæque imperium atque judicium summum habere: aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli jus est. *Id.* apud *Charis.* 2. p. 175. *Putsch.* Sanctus aliter et ingenio validus. *Et mox.* Insanum aliter suâ sententiâ atque aliarum mulierum. Adde *Plin.* 9. *Ep.* 23. — 3.) Cum Adverbiis, quæ comparativum amant, ut *longe, multo, nihilo* etc. *Varro* 2. *R. R.* 3. 6. Nec multo aliter tuendum hoc pecus in pastu. *Seneca Ep.* 94. Aspice quanto aliter unusquisque populo vivat, aliter sibi. *V.* et superius et infra *Plaut. Epid.* 4. 2. 9.; *Cic. Rosc. Am.* 47. 138., *Dom.* 16. 41., 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 31. 101.; *Sall. Jug.* 7., *Liv.* 39. 28., *Ter. Andr. prol.* 4. et *Phorm.* 3. 2. 45. aliosque. Apud *Varron.* 2. *R. R.* 3. 3. De seminio dico eadem, quæ Atticus —: hoc aliter, ovium semen tardius esse etc. hoc potest esse et Accus., ita ut sensus sit: *hoc diversus sentio et dico*: ita *hoc amplius*. V. AMPLIUS. — 4.) Una cum Comparativo occurrit tantum apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 36. (78). Quam (*libidinem*) non aliter magis accendi putant, quam potu eo. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (59). Idque — non aliter clarius intelligi potest.

B) *Aliter* ita usurpatur, ut alter comparationis terminus aut per ejusdem vocis geminationem, aut per alia vocabula significetur. — 1.) Sæpe *aliter* aut geminatur, aut jungitur vocabulis ejusdem thematis, ut *alii aliter*, h. e. alius sic, alius vero contra. — *Aliter* geminatur de una eademque re. *Cels.* 3. 3. Cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt. Adde eumd. 3. 21. et 7. 7. *Seneca Ep.* 25. Hoc sæpe dicit Epicurus aliter atque aliter. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 93. 95. (208). Diffuso per omne naturæ subinde aliter atque aliter numen erumpens. *Sueton. Rhetor.* 1. Aliter atque aliter exponere. — *b*) Item geminatur, sed diversis rebus tribuitur. *Plaut. Epid.* 4. 2. 9. Aliter catuli longe olent, aliter sues. *Cic.* 3. *Off.* 17. 68. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt, philosophi, quatenus intelligentiâ. *Id. Amic.* 24. Aliter cum tyranno, aliter cum amico vivitur. *Cels.* 1. *procem.* Et aliter acutis morbis medendum, aliter vetustis, aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter ad sanitatem jam inclinatis. — *c*) Jungitur et vocabulis eodem themate derivatis. *Cic.* 2. *Orat.* 19. 79. Atque hæc ego — ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor, quinque sexve partes vel septem, quoniam aliter ab aliis digeruntur. *Id.* 7. *Att.* 8. 1. Quod — illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (30). Hoc ex locorum occasione alibi aliter decernitur. — 2.) Sæpe etiam eleganter habet post se particulas *et, ac, atque, quam* etc. addito altero comparationis termino. — *a*) *Aliter et* apud *Cic.* 10. *Att.* 11. 1. Quod de puero aliter ad te scripsit et ad matrem de filio non reprehendo. Adde 5. *Fin.* 29. 89. et 11. *Att.* 23. 1. — *b*) *Aliter ac* vel *atque* apud *Ter. Heaut.* 2. 3. 23. Aliter tuum amorem, atque est, accipis. *Cic.* 16. *Att.* 13. Ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio. *Id.* 2. *Fam.* 2. 2. Sed aliter, atque ostenderam, facio. *Nep. Ham.* 2. At ille, ut Carthaginem venit, multo aliter ac sperabat, rempubl. se habentem cognovit. — *c*) *Aliter atque si*, *non aliter ac si*, *aliter atque si*; ut apud *Cic.* 3. *Verr.* 46. 119. Quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset. *Id.* 3. *Tusc.* 30. 73. Et qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sint vitiosiores. *Id.* 13. *Att.* 51. 1. Nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὅμοιόνque scriberem

Sueton. Oth. 6. Non aliter ac si conscius et particeps foret. *Dig.* 47. 10. 17. § 9. Aliter atque si servus communis esset. — d) *Aliter quam, aliter quam qui, aliter quam cum, non aliter quam si* aut omissa part. si cum Conjunctivo, *non aliter quam ut*. *Cic.* 3. *Verr.* 9. 24. Ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 22. 66. et *Senec. Ep.* 87. *Quintil.* 1. 7. 28. Quæ scribuntur aliter, quam enuntiantur. *Virg.* 1. *G.* 201. Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit. *Quintil.* 4. 5. 5. Non aliter præformidat, quam qui ferrum medici prius, quam curetur, aspexit. *Ovid.* 2. *Fast.* 209. Non aliter quam cum Lybica de rupe leones Invadunt sparsos lata per arva greges. *Liv.* 3. 51. Negabant se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia magistratus. *Id.* 23. 4. Nihil in senatu actum aliter, quam si plebis ibi esset concilium. *Virg.* 4. *Æn.* 669. Non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis Carthago. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 73. Dividor haud aliter quam si mea membra relinquam. Adde *Liv.* 21. 63., *Quintil. præfat.* 5., *Sueton. Aug.* 40. *Frontin.* 1. *Strateg.* 1. 10. Neque aliter principes eorum redire posse, quam ipse remissus foret. *Sueton. Tib.* 24. Recepit imperium, non aliter tamen, quam ut, depositurum se quandoque, spem faceret. *Colum. Arb.* 7. 5. neque aliter potuerit palos – pertingere, quam ut diffluat. Adde *Curt.* 9. 5. 23. et *Quintil.* 6. 2. 32. — e) *Non aliter nisi*, apud *Cic.* 1. *Fam.* 9. 21. Nec mihi aliter potuisse videor – hominum de me consilia frangere, nisi – conjunxissem. Adde *Fat.* 20. 48. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Quod pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse aliter deorum immortalium numen placari arbitrantur. *Liv.* 45. 11. Non aliter classem revocaturum, nisi sibi tota Cypro cederet. Adde *eumd.* 45. 31. et *Sueton. Ner.* 36. — f) Raro admodum occurrunt *aliter ut, aliter quin, aliter ab aliquo*. *Plaut. Capt.* 4. 1. 36. (3. 5. 66.). Vale atque salve, etsi aliter, ut dicam, meres. *Cic.* 1. *de republ.* 4. 7. Sed si aliter, ut dixi, accidisset, qui possem queri? *Alii tamen aliter h. l. interpretantur*, V. *Hand. Tursell.* 1. p. 209. *Cæs.* 7. *B. G.* 44. Huic loco vehementer illos timere, nec jam aliter sentire, uno colle ab Romanis occupato si alterum amisissent, quin pæne circumvallati, atque – interclusi viderentur. *Mela* 1. 9. 6. Cultores regionum multo aliter a ceteris agunt.

ĂLĪTOR, ōris. *V.* ALTOR.

ĂLĪTŪRA, æ, f. 1. (alo) nutricatio. *Gell.* 12. 1. 20. Scite igitur et perite noster Maro – non partionem solum –, sed alituram quoque feram et sævam criminatus est.

ĂLĪTUS, a, um. *V.* ALO.

ĂLĪTUS, us, m. 4. (alo) idem quod alitura. *Donat. Vit. Virgil.* n. 6. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat.

ĂLĬŬBI, adverb. (alis *et* ubi: *cf.* et Gr. ἄλλῃ ποι, ἄλλῃ πῃ) idem ferme quod alibi, hoc est alio in loco (It. *in altro luogo*; Fr. *ailleurs*; Hisp. *en otra parte*; Germ. *irgendwo anders*; Angl. *elsewhere, in another place*). Occurrit — a) Absolute, hoc est semel tantum in aliqua periodo usurpatum, solummodo apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (58). Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat, tegete palmea excipiente, aliubi area circumpavita. Adde 13. *ibid.* 4. 7. (28)., 14. 1. 3. (11)., 17. 2. 2. (16). Etiam cum partic. negat. *Id.* 10. *ibid.* 30. 45. (87). Merulæ circa Cyllenen Arcadiæ, nec usquam aliubi nascuntur. Adde 36. *ibid.* 7. 12. (59)., 13. 24. 46. (129)., 8. 38. 57. (136). — b) Geminatur in duobus orationis membris, et idem est ac hoc in loco, illo in loco. *Varro* 1. *R. R.* 44. 1. Ut ex eodem semine aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo. *Seneca* 1. *Benef.* 5. 5. Hoc in aliis quoque rebus evenit, uti aliubi sit species rei, aliubi ipsa res. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (65). Aliubi pro aqua, aliubi pro pabulo – pendunt. Adde *eumd.* 22. 18. 21. (45). et 11. 14. 14. (33). — c) Interdum geminatum per part. *atque* conjungitur. *Seneca* 3. *Benef.* 6. 2. Veneficii, parricidii – aliubi atque aliubi diversa pœna est, sed ubique aliqua. *Id. Ep.* 35. Mutatio voluntatis indicat animum natare, aliubi atque aliubi apparere, prout tulit ventus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (168). Quando eadem aquatilium genera aliubi atque aliubi meliora.

ALIUM, ii. *V.* ALLIUM.

ĂLĬUNDE, adverb. loc. (alis *et* unde) proprie est ex alio loco (It. *da altro luogo*; Fr. *d'un autre lieu, d'ailleurs*; Hisp. *de otra parte*; Germ. *anderswoher*; Angl. *from another place, from one place to another*); sed tamen ita occurrit, ut significet cum ex alio loco, tum ex alia persona aut ex alia re. — a) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 38. Ut – hic, nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit. *Id.* 11. *Att.* 13. Et a tuo villico sumpsimus et aliunde mutuati sumus. *Id.* 5. *Fam.* 13. 1. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec etc. *Id. Ligar.* 1. 1. Cum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses. *Id. Orat.* 24. 80. Verbum aliunde factum. *Lucret.* 3. 134. et *Quintil.* 4. 1. 71. Aliunde trahere aliquid. *Catull.* 61. 151. et *Quintil.* 8. 5. 17. petere. *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 64. quærere. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Aliunde constare. *Id.* 13. *ibid.* 19. 32. (110). crassescere. — b) Cum vocibus ejusdem thematis. *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 271. 3. *Müll.* Simul alius aliunde rumitant inter sese. *Ter. Phorm.* 2. 2. 19. Aliis aliunde est periculum. *Liv.* 44. 12. Qui alii aliunde coibant. *Seneca Ep.* 64. Varius nobis sermo fuit, ut in convivio, nullam rem usque ad exitum adducens, sed aliunde alio transiliens. Adde *eumd. Cons. ad Helv.* 6. 6. et *de vit. brev.* 16. 2. — c) Interdum repetitur in pluribus orationis membris, et est ex hoc loco, ex illo loco. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 75. (197). Sardonyches e ternis glutinantur gemmis – aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio, sumptis omnibus ex suo genere probatissimis. — d) Fit et comparatio aut ipso adverbio geminato, aut sequente part. *quam*. *Liv.* 24. 45. Qui aliunde stet semper, aliunde sentiat. *h. e.* ab alia parte: *Forcellinus* hoc loco pro *alibi* accepit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (210). Sideri – assidue aliunde quam pridie exorienti. *Id.* 33. *ibid.* 8. 40. (118). Cinnabaris neutro ex loco invehitur ad nos, nec fere aliunde, quam ex Hispania. *Id.* 9. *ibid.* 34. 53. (104). Cum populatio morum atque luxuria non aliunde major, quam e concharum genere proveniat.

ĂLĬUS, a, ud, *Genit.* alius, *Dat.* alii etc., adject. vel pronom. — Reperitur etiam Genit. *alii* et *aliæ* pro *alius*. *Cato* apud *Priscian.* 6. p. 694. *Putsch.* Tum ut eos mutem et alii modi sim. (Unde apud *Paul. Diac.* alimodi, quam vocem V). *Varro* 1. *R. R.* 2. 19. Institutum –, ut ex caprino genere ad alii dei aram hostia adduceretur, ad alii non sacrificaretur. *Cic.* 2. *Divinat.* 13. 30. Sed si eâdem horâ aliæ pecudis jecur nitidum atque planum est, aliæ horridum et exile. Adde *Lucret.* 3. 932., *Liv.* 24. 27. et *Gell.* 2. 28. — Dat. *alio* et *aliæ* pro *alii*. *Inscript.* apud *Cotugno Mem. di Venafro* p. 203. LYSIAS SIBI ET SI VOLET PAPIA IRENA CONLIBERTA ALIO NEMINI. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 207. Qui nisi adulterio, studiosus rei nullæ aliæ est. *Gell.* 9. 4. Nulli aliæ causæ obnoxia. — *Ali* pro *alii* et *alis* pro *aliis* legitur apud *Lucret.* 6. 1226. et 4. 639. — *Alium* pro *aliorum* legunt nonnulli apud *eumd. Lucret.* 1. 882. et 2. 910.; alii tamen aliter leg. — *Aliut* pro *aliud* occurrit in Inscriptionibus, ut apud *Orell.* 4010. — Ceterum *alius*, ex eodem themate quo Gr. ἄλλος, recta opponitur τῷ *idem*, et est diversus, dissimilis; ac propterea differt ab *alter*, qua de re *V.* Homonym. in fine (It. *un altro*; Fr. *un autre*; Hisp. *un otro*; Germ. *anders, ein anderer, der andere*; Angl. *another, other*). Hæc vox eâdem semper est significatione: occurrit tamen *A*) Absolute sive semel in periodo; *B*) Una cum vocabulis ejusdem thematis; *C*) In comparationibus.

A) Absolute. ¶ 1. Alius est non idem, diversus, dissimilis: et ponitur — 1.) Generatim. *Nævius* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 797. Eorum sectam sequuntur multi mortales, multi alii ex Troja strenui viri. *Ennius* apud *Cic. Brut.* 19. 76. Scripsere alii rem versibus, quos olim Fauni vatesque canebant – ante hunc. *Cato R. R.* 2. 2. Ubi eas aliasque causas multas dixerit, ad rationem – villicum revoca. *Plaut. Amph.* 1. 1. 165. Aliâ formâ oportet esse, quem tu pugno legeris. *Ter. Andr.* 42. 18. Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat. *Cic. Arch.* 1. 2. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quædam in hoc facultas sit ingenii, neque hæc dicendi ratio aut disciplina etc. *Id.* 1. *Tusc.* 7. 14. Utar post alio, si invenero melius. *Id. Brut.* 2. 8. Ut quamquam multo magis alia legenda, tamen hoc doleremus etc. *Id.* 1. *Off.* 1. 3. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit judicium. — Neutrum aliquando substantivorum more usurpatur, etiam cum Genit. *Cic.* 6. *Phil.* 6. 16. Ut, etiam si aliud melius fuit, tamen legatorum reditum exspectetis. *Id.* 1. *de republ.* 45. 69. Placet enim esse quiddam in republ. præstans et regale, esse aliud auctoritati principum partitum ac tributum. *Sall. fragm. orat. Lep.* § 15. Estne viris reliqui aliud? — 2.) Speciatim *alium facere* est immutare. *Plaut. Trin.* 1. 2. 123. Proh di immortales, verbis paucis quam cito alium fecisti me! alius ad te veneram. *Id. Pœn. prol.* 126. Valete, adeste: ibo, alius nunc fieri volo. *h. e.* aliam personam comicam induere volo. *Cic.* 11. *Fam.* 12. 2. Itaque homines alii facti sunt. *h. e.* aliter sentiunt, ut recte interpretatur *Kortius* juxta illud *Ter. Andr.* 3. 3. 13. Alium nunc censes esse me atque olim cum dabam. — 3.) *In alia omnia ire, transire, discedere* est senatoris dissentientis in senatu ab alterius sententia. Utebantur autem his verbis *alia omnia*, ominis causâ, ne dicerent *qui non censetis*, vel *qui contrarium censetis*, quæ verba mali ominis esse videbantur, ut docet *Festus* p. 261. 26. *Müll.* *Qui hoc censetis, illuc transite, qui alia omnia, in hanc partem*. His verbis petit ominis videlicet causâ, ne dicat, *qui non censetis*. Cf. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *Cic.* 1. *Fam.* 2. 1. Quatenus de religione dicebat – Bibulo assensum est: de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. *Id.* 10. *ibid.* 12. 3. Qui (*Servilius*) cum gratiâ effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit et in alia omnia discessit. Adde *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 13. 2. *Auct. B. G.* 8. 53. Sententiis dictis discessionem faciente Marcello, – senatus frequens in alia omnia transiit. — 4.) *Alias res* vel *aliud agere*. *V.* AGO III. 1.° 4. d. Occurrit præterea eodem sensu *alia omnia agere* apud *Plin.* 7. *Ep.* 15. Te alia omnia, quam quæ ego velim, agere, moleste ferrem, nisi etc. Item *alia curare* apud *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 55. PA. Insistite hoc negotium sapienter. AC. Alia cura. *Ter. Phorm.* 2. 1. 5. Atqui reperi jam: aliud cura. — 5.) *Alio die* erat formula auguralis, qua res non esse agenda significabatur. *Plaut. Pœn.* 2. 1. 54. Ita res divina mihi fuerit: res serias omnes extollo ex hoc die in alium diem. *Cic.* 2. *Legg.* 12. 31. Quid gravius quam rem susceptam posse dirimi, si unus augur *alio die* dixerit. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 1. 33. 83. et 84. ¶ 2. Ponitur interdum et pro *alter*, quamvis differat (V. Homonym. in fine), non tamen proprie loquendo, ut apud *Plaut. Capt. prol.* 8. Alium quadrimum puerum servos surpuit. *Inscript.* apud *Orell.* 4848. GNATOS DVOS CREAVIT HORVNC ALTERVM IN TERRA LINQVIT ALIVM SVB TERRA LOCAT. — Quamquam et apud optimæ notæ Scriptores hoc sensu occurrit a) In rerum enumeratione, aut si nomini proprio adjiciatur. *Cic. Brut.* 95. 325. Genera autem Asiaticæ dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum. – Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre et incitatum etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ Galli appellantur. *Curt.* 9. 8. 5. Territi nova facie deorum exercitum et alium Liberum patrem, celebre in illis gentibus nomen, adventare credebant. *Sueton. Tib.* 7. Titum propalam alium Neronem et opinabantur et prædicabant. *Tac.* 4. *Ann.* 73. Ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. — b) Si *alius* in eodem membro geminetur (quod proprie pertinet ad *B* infra). *Liv.* 1. 25. Ita duo deinceps reges alius aliâ viâ, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. *Et mox.* Duo Romani, alius super alium, vulneratis tribus Albanis, corruerunt. Adde *Sall. Cat.* 54. ¶ 3. Ponitur interdum et pro *reliquus*, quamvis differat (V. Homonym. in fine). *Cato R. R.* 161. 4. Id (*stercus ovillum*) est optumum ad eam rem: aliud stercus herbas creat. *Ter. Phorm.* 5. 9. 31. Quamobrem te oro, ut alia facta tua sunt, æquo animo et hoc feras. *Cic.* 6. *de republ.* 18. 18. Quod docti homines nervis imitati atque cantibus aperuerunt sibi reditum in hunc locum sicut alii, qui præstantibus ingeniis in vita humana divina studia coluerunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 41. Itinere exquisito per Divitiacum, quod ex aliis ei maximam fidem habebat. *Liv.* 2. 23. Primo se agro paterno exuisse, deinde fortunis aliis. *Id.* 7. 19. Trecenti quinquaginta octo delecti, qui Romam mitterentur, vulgus aliud trucidatum. Adde *eumd.* 2. 13. et 7. 26., et *Sall. Cat.* 43. et *Jug.* 56.

B) Jungitur et vocabulis ejusdem thematis, habetque elegantem significationem, et pluribus modis occurrit, scilicet — 1.) Repetitur *alius* diverso casu ut

alius alium, et est unus alium. — a) Sine præpos. Plaut. Stich. 2. 2. 46. Alius alium percontamur, cuja est navis? Ter. Andr. 4. 4. 40. Fallacia alia aliam tradit. Cic. 7. Fam. 24. 2. Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. Id. 3. ad Q. fr. 1. 7. Ideo multa conjecta sunt, aliud alio tempore. Id. 1. Off. 7. Ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent. Cæs. 2. B. G. 26. Quo facto cum alius alii subsidium ferret. Sall. Cat. 6. At Romani – festinare, parare, alius alium hortari Liv. 31. 18. Alius alii exprobrantes. Sueton. Vesp. 6. Cum ceteros alii alium alia de causa improbarent. — b) Cum præpos., præcipue ex, post, super. Cato R. R. 6. 3. Ibi oculos graminis pedes ternos alium ab alio serito. Cic. 2. Verr. 23. 59. Signa et ornamenta alia alio in loco intuebantur. Id. 9. Att. 10. 2. Nec unquam aliud in alio peccare destitit. Id. 3. Verr. 26. 66. Hic tum alius ex alia parte. Cæs. 6. B. G. 36. Atque alius ex alio causam tumultus quærit. — Ter. Eun. 4. 2. 1. Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias – aliam rem ex alia cogitare. Cic. 5. Tusc. 25. 70. Cum rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt. Id. ibid. 24. 69. Inde est indagatio nata –, qui interitus, quæque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio.— Hinc et per ellipsin aliud ex alio vel aliud post aliud significat unam rem post aliam. Cic. 16. Att. 14. 3. Sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin etc. Ter. Heaut. 3. 3. 37. Dicam, verum ut aliud ex alio incidit. Plin. Paneg. 18. Aliud ex alio mihi occurrit. Cic. 9. Fam. 19. 2. Me quotidie aliud ex alio impedit. Liv. 7. 39. Alias ex aliis nectendo moras. Virg. 5. Æn. 494. nos alia ex aliis in fata vocamur. Sall. Jug. 63. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi reperit. — Alius super alium eodem ferme sensu. Lucret. 6. 184. extructis (nubibus) aliis alias super. Liv. 1. 51. Quippe qui alii super alios trucidentur. Id. 2. 56. Quæ impie per biennium alia super alia es ausus. Adde eumd. 23. 36. Sueton. Ner. 49. Urgentibus aliis super alios nuntiis. Plin. 7. Ep. 8. Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolas agit. V. supra A. 2. — 2.) Jungitur Adverbiis ex eodem themate derivatis, ut aliâ, alias, alibi, alio, aliorsum, aliter, aliunde etc., quæ omnia V. etiam suis locis. Liv. 44. 43. Equites alii aliâ dilapsi sunt. Cic. 2. Orat. 7. 30. Itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt et judicant. Liv. 44. 33. Jussit alios alibi fodere. Id. 7. 39. Cum alii alio mitterentur. Plaut. Truc. 2. 4. 47. Mater ancillas jubet – aliam aliorsum ire. Cic. 2. Orat. 19. 79. Quoniam aliter ab aliis digeruntur (partes). Ter. Phorm. 2. 2. 19. Aliis aliunde est periculum. — 3.) In distributionibus modo alius repetitur eodem casu, modo aliæ particulæ substituuntur. — a) Repetitur eodem casu et conjungitur per particulas atque vel que, aut per adverbia post, deinde. Cic. Orat. 22. 72. Eadem res aut probatur, aut rejicitur alio atque alio elata verbo. h. e. modo hoc, modo illo elata verbo. Liv. 1. 8. Cum alia atque alia appetendo loca munirent. Cels. 3. 3. Cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt, non easdem inordinate redire, sed alias aliasque subinde oriri. Id. 5. 26. Cancer aliis aliisque signis discernitur. Sall. Jug. 18. Quia sæpe tentantes agros alia, deinde alia loca petiverunt. Id. ibid. 36. 2. Alias, deinde alias moræ causas facere. Id. ibid. 55. Aliis, post aliis minitari. — b) Alius bis, ter, quater, aut etiam pluries repetitur. Ter. Heaut. 3. 3. 15. Apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti pudet. Cic. 1. Tusc. 9. 18. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. Liv. 32. 5. Quæ minus tuta erant, alia fossis, alia vallis, alia turribus muniebat. Apud Cels. 3. 3. alius decies repetitur. — c) Alius repetitur, sed in aliis membris alia vocabula eidem respondent, ut nonnulli, reliqui, plerique, quidam, aliqui, etc., aut horum plerique. Cic. 7. Verr. 56. 146. Proferebant alii purpuram, thus alii, gemmas alii, vina nonnulli Græca. Id. 15. Fam. 4. 8. Cum aliis (cohortibus) Q. frater legatus mecum simul, aliis C. Pomptinius legatus, reliquis M. Annejus et L. Tullejus legati præessent. Cæs. 6. B. G. 37. Alius jam capta castra pronuntiat, alius deleto exercitu et imperatore victores barbaros venisse contendit, plerique novas sibi ex loco religiones fingunt. Cic. 5. Tusc. 3. 9. Pythagoram autem respondisse – alios gloriæ servire, alios pecuniæ, raros esse quosdam, qui – rerum naturam studiose intuerentur. Plin. 25. Hist. nat. 13. 102. (160). Alterum minusculum, quod erithales vocant, alii trithales, quia ter floreat, alii chrysothales, aliqui isoetes. Cic. 2. Tusc. 4. 12. Videre licet alios tanta levitate et jactatione, ut iis fuerit non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum servos. Id. 5. ibid. 13. 38. Alias bestias nantes, alias volucres, serpentes quasdam, quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas; immanes alias, quasdam cicures, nonnullas abditas. — d) Interdum alius semel tantum occurrit eique respondet pars vel partim, ita ut hæc vocabula modo præcedant, modo subsequantur. Tac. 4. Hist. 23. Ut alii superstantes tamquam ex aggere prœliarentur, pars intus occulti muros subruerent. Cic. 1. Nat. D. 37. 103. Bestiarum autem terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quasi ancipites etc. Sall. Cat. 2. Igitur initio reges – divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant. Liv. 30. 24. Onerariæ pars maxima ad Æginarum, aliæ adversus urbem ipsam ad Calidas aquas delatæ sunt. Cic. 1. Divinat. 42. 93. Multa inusitata partim e cœlo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu. Sall. Jug. 21. Semisomnos partim, alios arma sumentes fugant funduntque. — e) Denique interdum alia particula, cui alius respondet, omittitur, sed ex orationis contextu facile eruitur. Cæs. 1. B. G. 8. Helvetii ea spe dejecti navibus junctis ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani – si perrumpere possent conati. Liv. 3. 37. Et jam ne tergo quidem abstinebatur: virgis cædi, alii securi subjici etc. Tac. 1. Ann. 63. Cæcinæ – castra metari in loco placuit, ut opus et alii prœlium inciperent.

C) Alius naturâ sua inservit comparationi, ac propterea jungitur eleganter cum adverbiis longe vel multo, et habet post se particulas et, ac, atque et similia his. Id autem fit pluribus modis, scilicet — 1.) Alius geminatur. Ter. Hec. 5. 4. 4. Timeo ne aliud credam atque aliud nunties. Cic. 1. Legg. 2. 5. Intelligo te, frater, alias in historia leges servandas putare, alias in poemate. Id. Cæl. 3. 6. Sed aliud est maledicere, aliud accusare. Virg. 1. G. 421. Et pectora motus Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat, Concipiunt. — 2.) Alius semel tantum ponitur, cum habetur interrogatio quid est aliud, aut negatio nihil aliud. Cic. 2. Phil. 4. 7. Quid est aliud, tollere e vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium? Adde eumd. Pis. 20. 47. Id. 2. Off. 23. 83. Habitent gratis in alieno? Quid ita? ut cum ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu me invito fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena? Adde eumd. 1. Phil. 9. 23. et 5. ibid. 2. 5. Id. 1. Tusc. 31. 75. Secernere autem a corpore animum nec quidquam aliud est mori discere. — 3.) Cum particulis et, ac, atque. Cic. Cæcin. 20. 57. Non enim alia causa est æquitatis in uno servo et in pluribus. Id. 8. Fam. 1. 3. Solet enim aliud sentire et loqui. Id. Cæl. 28. 67. Lux denique longe alia est solis et lychnorum. Alii leg. ac. Id. 11. Att. 10. 2. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras, nuntiantur. Plaut. Pseud. 4. 7. 35. Illi sunt alio ingenio atque tu, qui etc. Adde Ter. Andr. 3. 3. 13. Cic. 8. Att. 2. 2. Sed mihi videtur aliud tu honestum meque dignum judicare, atque ego existimem. Nep. Hann. 2. Ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tamquam ab ipsis corruptum, alia, atque antea, sentire. — 4.) Sequente part. quam, generatim cum negatione, interdum tamen et cum affirmatione, sæpius per ellipsin. Cic. Sext. 67. 141. Ut eam (rempubl.) defendentem occidere non aliud sit, quam oppugnantem rerum potiri. Id. 1. Legg. 8. 25. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. Nep. Att. 19. Cum – familiaritatem ejus esset consecutus nulla alia re, quam elegantia vitæ. — Plin. 7. Ep. 15. Te alia omnia, quam quæ velis agere, moleste ferrem. Sueton. Ner. 2. Quod alium, quam se cooptassent. Cels. 2. 28. Panis fermentatus, et quisquis alius, quam ex tritico est. Ad hunc Cels. loc. ita Targa. Libri omnes habent: Et quisquis alius quam ex tritico est. Ego addidi vocem qui, ut sit quam qui e. t. e. Librarius eam omisit deceptus a similitudine antecedentis vocis quam. Et hæc quidem recte, inquit Furlanetto: Burmannus enim ad Petron. Satyr. 80. et Brunsius ad Ter. Andr. 3. 3. 13. demonstrat, apud optimos quosque scriptores post alius sequi, et, ac, atque, numquam vero jungi solere quam, nisi particulæ negativæ non, nihil et similes præcedant. Verum allata exempla vulgatam lectionem confirmarent. — Nep. Ages. 2. Contra ea Tissaphernes nihil aliud quam bellum comparavit. h. e. nihil aliud fecit. Liv. 6. 41. Quid aliud quam tollit ex civitate auspicia, qui plebejos consules creando – aufert? Adde eumd. 4. 3. et Tac. 4. Hist. 74. — 5.) Cum Ablat. sine præpos. Varro 3. R. R. 16. 23. Quod est aliud melle. Brutus et Cassius apud Cic. 11. Fam. 2. 2. Nos ab initio spectasse otium, nec quidquam aliud libertate communi quæsisse exitus declarat. h. e. nihil aliud præter libertatem. Sunt qui leg. a libertate. Horat. 1. Ep. 16. 20. Neve putes alium sapiente bonoque beatum. Id. 2. ibid. 1. 239. Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra Fortis Alexandri vultum simulantia. Phædr. 3. prol. 41. Quod si accusator alius Sejano foret. — 6.) Cum negatione, aut per interrogationem post alium sequitur nisi etiam per ellipsin, aut interdum utrum. Cic. Senect. 2. 5. Quid est aliud Gigantum more bellare cum diis, nisi naturæ repugnare? Id. Rosc. Am. 52. 152. An vero vos non intelligitis nihil aliud agi, nisi ut proscriptorum liberi quavis ratione tollantur? Id. Sull. 12. 35. Nam si Torquatus Sullam solum accusasset, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum – defenderem. Id. 3. Verr. 30. 71. Quid est aliud capere conciliare pecunias –, si hoc non est? Id. pro leg. Manil. 22. 64. Difficile est in Asia – ita versari nostrum imperatorem, ut nihil aliud, nisi de hoste ac de laude cogitet. Id. Cæcin. 20. 57. Non alia ratio juris in hoc genere dumtaxat, utrum me tuus procurator dejecerit is, qui legitime procurator dicitur –, an tuus colonus aut vicinus etc. — 7.) Sequente præter aut interdum præterquam. Plaut. Amph. 1. 1. 249. Nec nobis præter me alius quisquam est servus Sosia. Cic. 2. Off. 2. 5. Nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, præter studium sapientiæ. Id. 2. Orat. 19. 279. Rogavit, num quid aliud ferret præter arcam. — Liv. 3. 40. Cum aliud, præterquam de quo retulissent, decemviri dicere prohiberent. — 8.) Interdum nullus alius jungitur Comparativo, in quo tamen nulla est peculiaris vocabuli constructio. Plaut. Merc. 1. 1. 100. Mulier, quâ mulier alia nulla est pulcrior. Sall. Jug. 1. Nam contra reputando neque majus aliud, neque præstabilius invenias. Liv. 1. 24. Nec ferme res antiqua alia est nobilior. Adde Curt. 5. 6. 9. et Tac. 6. Ann. 7.

Aliud substantivorum more cum Genit. V. supra A. 1. 1.

Homonym. Differunt inter se alius et alter; alius enim est adjectivus absolutus seu positivus, cujus Comparativus est alter; alius de pluribus dicitur, alter de duobus. V. ALTER. — Alius differt etiam a reliquus et a ceteri: namque alia sunt, ex his quas recensuimus, res ejusdem speciei; reliqua, res quæ supersunt vel remanent; cetera, res alterius aut diversæ speciei. Cato R. R. 2. 1. Quid factum vini, frumenti aliarumque rerum omnium. h. e. rerum omnium quæ sunt ejusdem speciei. Et ibid. 48. 2. Eodem modo ceteras arbores procurato. h. e. diversarum specierum arbores præter enumeratas. Id. ibid. 46. 2. Ad eumdem modum alia semina serito. Et ibid. 42. ext. Ad eumdem modum oblinito, integito, uti cetera. Donatus ad illud Ter. Eun. 4. 7. 6. Cedo alios. hæc ait: Non reliquos dixit, sed alios, quasi multi sint, in quibus discrimen se intellexisse declarat, sed subobscure significavit.

ALIUSMODI, duo Genitivi coalescentes in unam vocem, et quasi in adjectivum indeclinabile: qui tamen rectius divisim scribuntur. Sequente ac vel atque. Cic. 2. Invent. 6. 21. Res aliusmodi est, ac putatur. Cæs. apud Priscian. 6. p. 694. Putsch. Quem aliusmodi atque omnes natura finxit.

ALIUSVIS, aliavis, aliudvis, adject. quivis alius. Cic. 8. Att. 4. 1. Ciceronesque nostros meo potius labore subdoceri (mallem), quam me aliumvis magistrum quærere. Orell. aliique recentiores rectius leg. quam me alium vis magistrum q. Ulpian. 18. 1. (p. 328. Corpus Juris Antejustin). Rupisse eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis vel loris vel pugnis ceciderit, vel telo vel cum aliovis genere sciderit hominis corpus.

ALIŬTA, antiqui dicebant pro aliter, ex Græco id ἄλλως transferentes. Hinc est illud in legibus Numæ Pompilii: Si quisquam aliuta faxit, ipsos Jovi sacer esto. Paul. Diac. p. 6. 1. Müll. Apud Plaut. Rud. prol. 10. pro aliuta rectius legitur aliâ, quam vocem V.

ALLĀBOR vel adlabor, lābĕris, lapsus sum, lābi. dep. 3. (ad et labor). Part. Allapsus. Allabor est juxta

vel ad aliquam rem labor, aut fluo (It. *cadere, o correr vicino, o a qualche cosa*; Fr. *arriver en coulant, en glissant legèrement*; Hisp. *llegar, arribar colando*; Germ. *herangleiten, in leicher oder gleitender Bewegung sich heranbewegen*; Angl. *to glide by, pass near, slide to, arrive at, reach*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 58. Humor allapsus extrinsecus. *Virg.* 10. *Æn.* 292. mare crescenti allabitur æstu. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Liv.* 25. 16. Ad exta – angues duo allapsi edêre jecur. — *c*) Cum Accus. sine præp. *Virg.* 9. *Æn.* 474. Nuntia fama ruit matrisque allabitur aures. — *d*) Cum Dat. *Virg.* 12. *Æn.* 319. viro stridens alis allapsa sagitta. *h. e.* in virum incidit. Adde 9. *ibid.* 578. *Id.* 3. *ibid.* 131. antiquis Curetum allabimur oris. *h. e.* navigamus, appellimus. Adde 6. *ibid.* 2. *Seneca Hippol.* 666. Allapsus genibus. *h. e.* provolutus.

ALLĂBŌRO *vel* adlaboro, as, āvi, ātum, are, 1. (ad *et* laboro) circa aliquam rem laboro; h. e. — *a*) Laborando addo. *Horat.* 1. *Od.* 38. 5. Simplici myrtho nihil allabores. *h. e.* laborando nihil addas. — *b*) Laborando eo tendere ut etc. *Id. Epod.* 8. 20. Quod ut superbo provoces ab inguine Ore allaborandum tibi est. — *NB.* Apud *Cic. Brut.* 49. 184. alii aliter legunt: *Orellius* vero leg. *laborare*.

ALLĂCRĬMANS *vel* adlacrimans *vel* allacrymans antis, part. præs. ab inus. *allacrimari* aut *allacrimare*, et est ad rem aliquam lacrimans. *Virg.* 10. *Æn.* 628. Juno allacrimans. *Alii* lacrimans. *Apul.* 10. *Met.* 3. Ubertim allacrimans.

ALLACTO *vel* adlacto, as, are, a. 1. (ad *et* lacto) idem ferme quod lacto. *Marcell. Empir.* 8. Mulier, quæ puerum allactat.

ALLÆVO *vel* adlævo, as, āvi, etc. *V.* **ALLĔVO.**

ALLAMBO *vel* adlambo, is, ere, a. 3. (ad *et* lambere). Part. *Allambens* II. Est ferme idem quod lambo (It. *leccare*; Fr. *lécher*; Hisp. *lamer*; Germ. *anlecken, leckend berühren*; Angl. *to lick*).

I.) Proprie. *Prudent. Hamartig.* 135. virides allambunt ora cerastæ.

II.) Translate. *Auson. Mosell.* 359. Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus Festinant famulis quamprimum allambere limphis. *Quintil. Declam.* 10. 4. Allambentes flammæ.

ALLAPSUS *vel* adlapsus, a, um. *V.* **ALLABOR.**

ALLAPSUS *vel* adlapsus, us, m. 4. (allabor) allabendi actus, accessus (It. *accostamento*; Fr. *approche*; Hisp. *cercania*; Germ. *das Herbei-und Herangleiten*; Angl. *a gliding to, an approaching by stealth*). *Horat. Epod.* 1. 19. Ut assidens implumibus pullis avis Serpentium allapsus timet. *Apul.* 5. *Met.* 1. Prope fontis allapsum domus regia est. *Augustin.* 10. *Confess.* 34. Ipsa enim regina colorum lux – multimodo allapsu blanditur mihi.

ALLASSON, ontis, adject. (ἀλλάσσων) mutans, varians: vox Græca ab ἀλλάσσω muto. *Allassontes* calices dicuntur vitrei calices versicolores, hoc est ita picti, ut colorem subinde, prout moventur, mutent, ut in collis columbarum videmus. *Hadrian. Imp. in Ep. ad Servian. Cons.* apud *Vopisc. Saturnin.* 8. Calices tibi allassontes versicolores transmisi. Vox *versicolores* videtur esse glossema. *V.* hac de re. *Ann. dell' Istit. Archeol.* a. 1839. p. 98.

ALLĀTRO *vel* adlatro, as, āvi, ātum, are, 1. (ad *et* latro) id ferme quod latro, vel contra aliquem latro (It. *abbajare, latrare contro*; Fr. *aboyer à*; Hisp. *ladrar*; Germ. *anbellen*; Angl. *to bark, bark at*).

I.) Proprie raro occurrit. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 64. Etiam me meæ allatrant canes? *Alii leg.* latrant. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 49. In Capitolium intempesta nocte eunti numquam canes allatraverunt.

II.) Translate. ¶ 1. Per similitudinem ponitur de sonitu maris. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 5. 9. (19). Tot sinus Peloponnesi oram lancinant, tot maria allatrant. *h. e.* cum sonitu et murmure allisarum littori undarum alluunt. *Id.* 2. *ibid.* 68. 68. (173). Vicino accessu interna maria allatrat (*Oceanus*). ¶ 2. Pro conviciari, obtrectare, criminari, dictis amarioribus lacessere: ad rem *Colum.* 1. *R. R. præf.* 9. Sed ne caninum quidem, sicut dixere veteres, studium præstantius locupletissimum quemque allatrandi et contra innocentes et pro nocentibus, neglectum a majoribus; a nobis etiam concessum intra mœnia et in ipso foro latrocinium? *Liv.* 38. 54. Qui vivo quoque eo (*Scipione*) allatrare ejus magnitudinem solitus erat (*Cato*). Adde *Quintil.* 8. 6. 9. *Sil. It.* 8. 292. nigro allatraverat ore Victorem invidia. *Martial.* 5. 61. Allatres licet usque nos et usque, Et gannitibus improbis lacessas. *Id.* 2. 61. Allatrare nomen alicujus.

ALLĀTŪRUS *vel* adlaturus, a, um.) *V.* **AFFERO.**
ALLĀTUS *vel* adlatus, a, um.)

ALLAUDĀBĬLIS *vel* adlaudabilis, e, adject. (allaudo) laudabilis, laude dignus. *Plaut. Pers.* 4. 5. 1. Dedisti operam allaudabilem. *Alii leg.* laudabilem, *alii* adjutabilem.

ALLAUDO *vel* adlaudo, as, are, a. 1. (ad *et* laudo) de re aliqua laudo, vel valde laudo. *Plaut. Merc. prol.* 84. Agit gratias mihi atque ingenium allaudat meum.

ALLĀVO *vel* adlavo, as, are, a. 1. *Adlavant* pro *lavant* male leg. vulgati libri in *Varr.* 9. *L. L.* 105. *Müll.*, qui refert verba *Plauti Truc.* 2. 3. 1.

ALLECTĀTĬO *vel* adlectatio, ōnis, f. 3. (allecto) actus alliciendi. *Quintil.* 1. 10. 32. Chrysippus etiam nutricum, quæ adhibentur infantibus, allectationi suum quoddam carmen assignat. *h. e.* cantilenam, quâ nutrices alliciunt infantes ad quiescendum: *alii tamen leg.* allectione.

ALLECTĬO *vel* adlectio, ōnis, f. 3. (allecto). *V.* voc. præced.

ALLECTĬO *vel* adlectio, ōnis, f. 3. (allĕgo) actus allegendi, electio, assumptio ad aliquid (It. *elezione, assunzione*; Fr. *élection, choix*; Hisp. *eleccion*; Germ. *die Auswahl zu etwas*; Angl. *an electing*). Peculiariter occurrit — *a*) De militum delectu. *Capitolin. M. Anton. Phil.* 11. Hispaniis exhaustis, Italica allectione verecunde consuluit. *h. e.* cum Hispaniæ non haberent amplius, quos ad bellum darent milites, delectus per Italiam habendo, consuluit etc. Hinc *Tertull. Monogam.* 12. Allectio in clerum. — *b*) Est etiam ad ampliorem dignitatem evectio. *Capitolin. Pertin.* 6. Jussit eos, qui præturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse, qui vere prætores fuissent. *h. e.* qui assumpti fuissent inter prætorios viros et ornamenta prætoria obtinuissent, licet præturam numquam administrassent. V. *Cod. Theod.* 6. 4. 10. et *Symmach.* 7. *Ep.* 97. in voce **ALLECTOR** ab *allĕgo*. — *NB.* Apud *Capell.* 1. p. 2. omnium Codicum auctoritate fretus *Kopp.* pro *allectio connubialis* legit *adjectio c.*

ALLECTO *vel* adlecto, as, are, a. 1. (*frequent.* ab allicio) vehementer allicio (It. *allettare*; Fr. *attirer, charmer*; Hisp. *atraer*; Germ. *mit allem Eifer anlocken*; Angl. *to entice, allure*). *Cic. Senect.* 16. 58. Ad quem (*agrum*) fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. *Id. Amic.* 26. 99. Allectare atque invitare. *Colum.* 2. *R. R.* 3. 2. Ad aquam duci boves sibiloque allectari (*oportet*), quo libentius bibant.

ALLECTOR *vel* adlector, ōris, m. 3. (allecto) qui allicit et invitat. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 1. Turdi, qui ab aucupibus in hunc usum nutriti, quasi allectores sint captivorum, mœstitiamque eorum mitigent intervolando.

ALLECTOR *vel* adlector, ōris, m. 3. (allĕgo) est — *a*) Is, cui alios allegendi jus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 245. 7., quæ est apud *Orell.* 779. et 2406. TI. CLAVDIVS FELIX ET P. LOLLIVS PARIS ALLECTORES CVLTORES SILVANI. *h. e.* quibus in collegium Silvani alios allegendi jus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 83. 14., quæ est apud *Orell.* 1878. CN. DOMITIVS CN. F. FIRMVS SACERDOS ISIDI TRIVMPHALI BASIM S. P. D. D. ADLECTOR COLLEGI ipsius. Ita interpretatur *Orellius*; sed *Forcellinus* in allatis quoque lapidibus *allectores* esse ait eos — *b*) Qui suscipiendis tributis fiscalibus a Rom. Imperatoribus mittebantur in provincias, qui in vet. Glossario λογογράφοι dicuntur: de quibus mentio fit etiam in *Cod. Theod.* 12. 6. 12. *Inscript.* apud *Gruter.* 471. 9. L. TAVRICIO FLORENTII TAVRICI TAVRICIANI FILIO VENETO ALLECTORI GALLIAE PATRONO NAVTARVM ARARICORVM. *Ibid.* 375. 3. L. BLAESIO ALLECTORI GALLIARVM OB ALLECTVRAM FIDELITER ADMINISTRATAM. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 369. et 3654. Iidem allectores in *Cod. Theod.* l. 13. dicuntur quoque *allecti*, ut etiam apud *Sidon.* 5. *Ep.* 7. Eorum munus et *allegatio* dicebatur, ut in *Cod. Theod.* 12. 6. 11., et *allectura*, ut est in *Inscript.* nuper allata. At *Gothofredus* in *Cod. Theod.* legendum rectissime arbitratur *allectio*. Hinc *ibid.* 6. 4. 10. Allectionis quærendus est honor. Et apud *Symmach.* 7. *Ep.* 97. Ut beneficio allectionis utatur.

ALLECTŪRA *vel* adlectura, æ, f. 1. munus allectorum. *V.* voc. præced. *b*.

ALLECTUS *vel* adlectus, a, um. *V.* **ALLICIO.**

ALLECTUS *vel* adlectus, a, um. *V.* **ALLĔGO.**

ALLĔGĀTĬO *vel* adlegatio, ōnis, f. 3. actus allegandi, h. e. quoquis ad alium mittitur (It. *il mandare, ambasciata*; Fr. *envoi, deputation*; Hisp. *enviada, diputacion*; Germ. *die Absendung oder Sendung*; Angl. *a sending on a message*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Verr.* 51. 156. Cum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos ac potius interclusos viderent etc. *h. e.* cum viderent difficile esse aliquem mittere ad istum, qui deprecaretur. *Id. ibid.* 16. 44. Quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit!

II.) Translate. ¶ 1. Est actus afferendi aliquid pro tribunali in excusationem, aut probationem alicujus rei. *Ulp. Dig.* 48. 5. 2. Si maritus uxorem ream fecisset, an lenocinii allegatio repellat maritum ab accusatione? *Hermogenian. Dig.* 4. 4. 17. Allegatio circumventionis. *Paul. Dig.* 23. 2. 60. Falsis allegationibus a tutela se excusare. *Apul.* 10. *Met.* 26. Allegationes utrimque examinare. ¶ 2. Est etiam imperatorium rescriptum in *Cod. Theod.* 11. 5. 37. — *NB. Allegatio* pro *allectura* nonnulli leg. in eodem *Cod.* 12. 6. 11.; sed ibi legendum est *allectio*. V. **ALLECTOR** ab *allĕgo* in fine.

ALLĔGĀTUS *vel* adlegatus, a, um. *V.* **ALLĔGO.**

ALLĔGĀTUS *vel* adlegatus, us, m. 4. idem quod allegatio, sive actus allegandi, quo aliquis ad alium mittitur. *Plaut. Trin.* 5. 2. 18. Allegatu meo venit. *Gell.* 13. 20. Hic allegatus et hic arbitratus pro allegatione proque arbitratione dicuntur.

ALLĔGO *vel* adlego, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* lĕgo). Part. *Allegans* II.; *Allegatus* in omnibus paragr.; *Allegandus* II. — Allegare est mittere ad aliquem locum vel hominem, sed privatim (nam publice *legare* dicimus), et fere alicujus rei petendæ gratiâ, quamvis interdum et struendæ fraudis causâ (It. *mandare, inviare*; Fr. *envoyer, déléguer*; Hisp. *enviar, delegar*; Germ. *wohin senden oder schicken*; Angl. *to send on an errand or message*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 28. Ne illi edepol – aliquem hominem allegent, qui mi os occillet. Adde *Pœn.* 3. 5. 28. *Ter. Andr.* 5. 3. 28. Ne credas a me allegatum hunc senem. *Cic.* 3. *Verr.* 57. 149. Petit a me Rabonius et amicos allegat, facile impetrat. *Liv.* 36. 11. Cum patrem, primo allegando, deinde coram ipse rogando fatigasset. Adde *Stat.* 2. *Achill.* 224. — *b*) Cum Accus. hominis aut rei, et præp. *ad*. *Plaut. Epid.* 3. 3. 46. Ego si allegassem aliquem ad hoc negotium. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 14. Quem ad hunc (*judicem*) reus alleget? quomodo accedat? *Id.* 15. *Fam.* 4. 16. Extremum illud est; ut, quasi diffidens rogationi meæ, philosophiam ad te allegem. Hæc igitur tecum agit de mea laude, cui negari a Catone fas esse non puto. Adde *ibid.* 10. 2. *Id.* 3. *Verr.* 53. 139. Necessarios istius ad eum allegatos esse dicebat. — *c*) Cum Dat. hominis aut rei. *Plaut. Amph.* 2. 2. 42. Alium ego isti rei allegabo. *h. e.* alii istam rem committam. *Cic. Rosc. Am.* 9. 25. Et ipse ad eos accedit, et homines nobiles allegat iis, qui peterent etc. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Allegata precibus tellure. *h. e.* assumpta, adhibita, et velut missa ad deprecandum. *Alii* aliter leg. *Apul. Apolog.* 309. Allegare preces deis. *h. e.* preces ad deos mittere. Apud *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 18. *allegare preces* absolute est precari, orare. Eadem ratione locutus est *Apul. de deo Socrat.*

II.) Translate est proferre, adducere, afferre aliquid probandi vel excusandi gratia: qua significatione sæpissime usurpatur a JCtis. — *a*) Absolute. *Plin.* 3. *Ep.* 15. Petis, ut libellos tuos legam: adhibes preces, allegas exemplum. *Id. ibid.* 4. Allegare fœdus patrocinii. *Id. Paneg.* 70. decreta. *Quintil.* 4. 1. 16. pro honestis dignitatem alicujus. *Sueton. Aug.* 47. Urbes merita erga populum Rom. allegantes latinitate vel civitate donavit. *Tac.* 4. *Hist.* 84. Munera, preces, mandata regis sui – allegant. *h. e.* exponunt. *Stat.* 2. *Achill.* 224. Allegantque suos utroque a sanguine divos. *h. e.* referunt, citant. — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Sueton. Aug.* 5. Cum Lectorius in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem etc. *Justin.* 15. 1. Priorem se petitum ab Alexandro allegat; nec fecisse se, sed occupasse insidias. Adde *Plin.* 10. *Ep.* 65. — *c*) Cum Accus. et Dat. *Plin. Paneg.* 70. Hoc senatui allegandum putasti. *h. e.* apud senatum proferendum, senatui manifestandum. — *d*) Apud *Ulp. Dig.* 43. 12. 27. *Allega-*

re se ex servitute in ingenuitatem est eas allegare probationes et causas, quibus aliquis e servitute in libertatem vindicari possit. — *NB.* Loca *Cic. Cluent.* 13. 39. et 2. *Q. fr.* 3. 5. V. in voc. ALLIGO: in quibus locis *Forcellinus* acceperat *Allegatum* pro eo, cui alicujus rei cura demandata est; *Furlanetto* hæc addiderat: *Inscript.* opt. notæ, Patavii detecta a. 1773. in fronte fornicis pontis antiquissimi, et a Dominico Polcastro peculiari *Opusc.* illustrata, relata etiam in ejusdem *Fascic. Rom. Inscript.* p. 79. L. CLO. C. ALBARENIVS C. . . . POMPONIVS Q. . . . . NIVS L. F. V. VLLA C. POMPON. . . . . . SCAPVLA ADLEGATEI PONTEM FACIENDVM D. D. S. (*h. e.* de decurionum sententia) LOCARVNT IDEMQVE PROBARVNT. Censuit idem auctor *adlegatos* hic appellari ministros muneris provincialis, quod nempe decurionum legati in municipiis et coloniis habebant officii adjutores. Sed fortasse ita appellantur Seviri, quibus extra ordinem a municipio Patavino pontis faciendi cura demandata fuerat. Quanti autem hæc facienda sint, viderint eruditi.

ALLEGO *vel* adlego, lĕgis, lēgi, lectum, lĕgere, a. 3. (ad *et* lego). Part. *Allectus* etiam in fine, *Allecturus* et *Allegendus*. — Allego est adscisco, adjungo, coopto, legendo addo: unde *Varro* 6. *L. L.* 66. p. 98. *Müll.* Collegæ, qui una lecti, et, qui in eorum locum suppositi, sublecti, additi, adlecti. Et *Paulo Diac.* p. 7. 5. *Müll.* allecti sunt adsumpti (It. *aggregare*; Fr. *adjoindre, agréger*; Hisp. *agregar*; Germ. *dazu oder irgendwo hinzu wahlen*; Angl. *to choose, admit*). Occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 10. 6. Rogationem ergo promulgarunt, ut cum quatuor augures, quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes, allegerentur. *Sueton. Cæs.* 41. Senatum supplevit: patricios allegit. *Id. Vesp.* 9. Amplissimos ordines – purgavit supplevitque – honestissimo quoque Italicorum et provincialium allecto. *Id. Tib.* 51. Negavit alia se conditione allecturum, quam si etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 318. 7. Adlectus ædilis. *Ibid.* 412. 5. Adlectus decurio. *Ibid.* 174. 3. Civis adlectus. — *NB.* Generatim allectus inter patricios, in senatum, in ordinem equestrem, inter decuriones dicebatur is, qui cum patricii, senatoris, equitis, decurionis, filius non esset, in eorum tamen numerum allegebatur vel favore principis, vel ob merita, eademque erat conditione, licet recenseretur in albo post eos, qui ex origine patricii, senatores, equites, decuriones essent, ut patet ex aenea *Tab. Canusina* apud *Fabrett.* p. 598. n. 9., in qua allecti *inter quinquennales* recensentur post quinquennalicios, et una cum ceteris legitimum numerum centum decurionum implent. — Cum de senatoribus sermo est, *allecti* dicebantur apud Romanos, ut docet *Paul. Diac. loc. cit.*, qui propter exiguum senatorum numerum ex equestri ordine in senatum assumebantur, atque ita distinguebantur a *Patribus*, h. e. ab iis qui erant patricii generis, scilicet descendentes ab iis, quos primum Romulus, instituens senatum, Patres vocaverat, et a *Conscriptis*, h. e. iis, qui prima aut altera electione in senatum post Patres adsciti fuerant, et eorum familiæ posteris. Hujusmodi allectionum exempla sub imperatoribus multa habentur. V. *Sueton.* locis sup. cit. — Etiam in aliis ordinibus sui *allecti* fuere. *Inscript.* apud *Gruter.* 449. 1. ADLECTVS SVPRA NVMERVM SEVIRVM AVGVSTAL. Sic *adlecti* inter tribunos, inter quæstores, inter prætores passim apud eumd. *Gruterum*. V. et infra. Hi autem temporibus imperatorum fieri solebant, fruebanturque insignibus et honoribus iisdem, quibus ii, qui vel tribunatum, vel quæsturam, vel præturam gesserant. V. *Capitolin. Pertin.* 6., cujus verba ad hanc rem pertinentia attulimus in ALLECTIO. — *b*) Cum Dativo. *Vellej.* 2. 89. 3. Octo prætoribus allecti duo. *Seneca Agamemn.* 812. metaphorice: Allegi cælo. *h. e.* inter deos referri. *Inscript.* ex Pompejorum ruinis eruta, apud *Morcell. de Stil. Inscript. T.* 1. p. 234. *edit. Patav.* HVNC DECVRIONES OB LIBERALITATEM CVM ESSET ANNORVM SEX*aginta* ORDINI SVO GRATIS ADLEGERVNT. *Inscript.* apud *Gruter.* 558. 2. Adlectus ærario. — *c*) Cum Accus. et præp. *in, ad, inter*. *Sueton. Tib.* 57. Allegere aliquem in decurias. *Id. Cæs.* 80. et *Claud.* 24. peregrinos in senatum. *Id. Aug.* 49. Certum numerum (*militum*) partim in urbis, partim in sui custodiam adlegere. *Inscript.* apud *Gruter.* 99. 9. Adlectus in ordinem decurionum. *Ibid.* 1088. 12. Claudiæ Ruphinæ allectæ ab ordine in dec. Augustal. *Ibid.* 482. 2. Adlectus in curiam Lugdunensium nomine incolatus. *Hieronym.* 1. *advers. Socinian.* n. 34. Interdum et pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in clerum allegunt. *Tertull.* 2. *ad Nat.* 13. metaph. Perspiciamus itaque causas allegendæ mortalitatis in cælum. — *Inscript.* apud *Gruter.* 347. 1. Adlectus ad munera præf. legionis VII. — *Plin.* 1. *Ep.* 14. Allectus inter prætorios. *Sueton. Ner.* 1. et *Vitell.* 1. inter patricios. *Id. Aug.* 2. Gens inter Romanas gentes adlecta. *Inscript.* apud *Orell.* 4964. Adlectus inter tribunicios. *Ibid.* 108. et 3448. inter centumviros. — *d*) Cum Ablat. et præp. *in*. *Dig.* 50. 6. 4. § 12. Allegere ab omni ætate in corporibus. *h. e.* ex omni ætate.

Allectus, i, m. 2. et *Allecta, æ,* f. 1. substantivorum more, sunt adjuncti ad sodalicia scænicorum seu comædorum, qui et *adlecti* absolute, et *adlecti scænæ* et *adlecti scænicorum* appellabantur, ut videre est in *Inscriptionibus* apud *Gruter.* 1089. 6., 330. 1. et 2. et alibi, apud *Orell.* 2625. — Præterea *adlecti* aliquando dicti sunt, teste *Forcellino*, qui tributis fiscalibus exigendis per provincias allegabantur. *V.* ALLECTOR ab *allego*.

ALLĒGŎRĬA, æ, f. 1. ἀλληγορία, vox Græca, Latine *inversio*, ab ἄλλο *aliud*, et ἀγορεύω *dico, loquor*, est tropus sententiarum, quo aliud verbis, aliud sensu ostenditur. Apud *Ciceronem Orat.* 27. 94. et 2. *Att.* 20. fere Græce scripta legitur in optimis quibusque codicib., apud alios etiam Latine. *Quintil.* 8. 6. 44. At ἀλληγορία, quam inversionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit. *Et mox.* Habet usum talis allegoriæ frequenter oratio. Et sic sæpe eod. cap. et alibi, ut 5. 11. 21., 6. 3. 69. *Servius ad Virg.* 3. *Ecl.* 20. Quam rem Virgilius dicit per allegoriam. *Et paullo post:* Sed melius simpliciter accipimus. Refutandæ enim sunt allegoriæ in bucolico carmine. *Arnob.* 5. 42. Allegoriarum explanatio.

ALLĒGŎRĬCĒ, adverb. ἀλληγορικῶς, per allegoriam. *Arnob.* 5. 36. Pars allegorice scripta, indubitabili altera sermone rectoque. *Augustin.* 4. *de Genes. ad lit.* c. 28. Figurate atque allegorice. Adde *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 5. *in fin.*

ALLĒGŎRĬCUS, a, um, adject. ἀλληγορικός, per allegoriam dictus. *Arnob.* 5. 41. Allegorica dictio. *Ibid.* 38. Allegorico genere scripta. *Ibid.* 42. Allegoricæ ambages. *Sidon.* 7. 16. Allegoricus Ægyptus. *Augustin. Ep.* 119. 11. *in fin.* Sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, – quam si verbis propriis diceretur apertissime.

ALLĒGŎRĬZO, as, are, n. 1. ἀλληγορεῖν, allegoriis in dicendo uti, figurate loqui. Usi sunt *Tertull. Resurr. carn.* 27. et *Hieronym. advers. Joann. Hierosol.* n. 7.

ALLELUJA, ἀλληλούϊα, vox sacrorum Bibliorum, quæ significat *laudate dominum*. Est autem Hebraica dictio הַלְלוּיָהּ, et revera duæ voces sunt: nam הַלְלוּ significat *laudate*; יָהּ vero est unum ex decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus appellatur, ut docent *D. Hieronymus*, et *Isid.* 6. *Orig.* 19. — Si litterarum Hebraicarum rationem spectes, *halleluia* scribendum esset; vel *halleluiah*, sed usus plerumque in similibus aspirationem tollit. Est per se vox quinque syllabarum, sed Latini poetæ quadrisyllabam faciunt, qui etiam ad Latinum morem omnia trahentes, ultimam syllabam corripiunt, cum apud Hebræos natura longa sit; nam scribitur per הּ quod est natura longum. *Paulin. Nolan. epist.* 32. *ad Sever.* c. 5. *in fin.* Alleluja novis balat ovile choris. — Secunda syllaba Hebraice est natura brevis, licet a Græcis per η scribatur, qui non in hoc solum, sed et in spiritu appingendo ab Hebræis recesserunt. Quare reprehendendi non sunt, qui Hebraicam quantitatem secuti, eam corripuerunt, ut *Sidon.* 2. *ep.* 10. in *carm.* Responsantibus alleluja ripis, et *Prudent. Cathemer.* 4. 72. Amen reddidit, alleluja dixit.

ALLĒNĪMENTUM *vel* adlenimentum, i, n. 2. (ad *et* lenio) translate tantum occurrit, et est allevatio, remedium leniendi aliquid. *Ammian.* 27. 3. 9. Adlenimenta ibidem tumultus opperiens.

ALLĔVĀMENTUM *vel* adlevamentum, i, n. 2. (allĕvo) translate tantum occurrit, et est allevatio, levamen, solatium. *Cic. Sull.* 23. 66. Sulla et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.

ALLĔVĀTĬO *vel* adlevatio, ōnis, f. 3. (allĕvo) actus allevandi et extollendi (It. *alzamento*; Fr. *action de lever, de hausser*; Hisp. *elevacion*; Germ. *die Emporhebung*; Angl. *a raising or lifting up*).

I.) Proprie. *Quintil.* 11. 3. 83. Humerorum raro decens allevatio atque contractio est. *Vulgata vetus Ps.* 140. apud *Cyprian. Ep.* 63. 19. Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

II.) Translate est levamen, solatium. *Cic.* 9. *Fam.* 1. 1. Etsi tot tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat. *Gebhardus* ait in quodam MS. vidisse se *allevationem*; at *Orellius* l. c. *levatio* restituit: hinc *levatio* legendum esse videtur et 1. *Fin.* 12. 40. Dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis esse solet, ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur. *h. e.* levitas: *V.* et *Madvig.* ad h. l.

ALLĔVĀTOR *vel* adlevator, ōris, m. 3. qui allevat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 36. Allevator humilium, destructor superborum.

ALLĔVĀTUS, *vel* adlevatus, a, um. *V.* ALLĔVO.

ALLĔVĬĀTUS *vel* adleviatus, a, um. *V.* ALLEVIO.

ALLĔVĬO *vel* adlevio, as, are, a. 1. (ad *et* levis). Part. *Alleviatus* II. Est leve facere, idem quod allevare.

I.) Proprie. *Vulgat. Interpr. Act. Ap.* 27. 38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Invent.* 42. 78. Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleviatur. *h. e.* elevatur, pondus ei et probabilitas adimitur. Ita legitur in aliquot MSS. et antiquitus editis libris. In aliis *allevatur*. In editione *Victorii* etiam *levatur*. Apud *Orellium* rectius leg. *elevatur*. *Justinian. novell. Constitut.* 13. *a med.* Alleviare curas alicui. *Vulgat. Interpr. Isaj.* 9. 1. Primo tempore alleviata est terra Zabulon.

ALLĔVO *vel* adlevo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* levo). Part. *Allevans* II.; *Allevatus* I. et II. 2. — Allevo est sublevo, in altum tollo, de imo, et ubi quid jacet vel projectum est, sursum levo: cui opponitur *deprimere* et *deferre*, ut apud *Senec.* et *deprimere* apud *Quintil.* locis infra cit.: sub I. et II. 1. (It. *levare in alto, alzare*; Fr. *lever, hausser*; Hisp. *alzar, elevar*; Germ. *eine Sache erleitern und sie so nach oben oder empor bringen*; Angl. *to lift up, raise aloft*).

I.) Proprie. *Sall. Jug.* 99. Si quæ vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites facilius escenderent. *Alii* ascenderent. *Auct. B. Alex.* 20. Pauci allevati scutis et animo ad conandum nisi ad proxima navigia adnatarunt. *Quintil.* 6. 3. 97. Homini in aquam lapso atque ut allevaretur oranti. *Curt.* 9. 5. 12. Allevare se clipeo. *Id.* 3. 12. 17. aliquem manu. *Sueton. Cal.* 36. faciem alicujus manu. *Tac.* 1. *Ann.* 2. Allevatus circumstantium humeris. *Flor.* 4. 11. Naves turribus atque tabulatis allevatæ castellorum et urbium specie ferebantur. *Tac.* 12. *Ann.* 19. Allevare supplicem. *Ovid.* 6. *Met.* 249. et 7. *ibid.* 343. artus. *Curt.* 8. 14. 41. oculos. *Seneca Ep.* 80. velum. *Quintil.* 1. 11. 10. Supercilia allevare et demittere. *Id.* 11. 3. 41. brachium. *Id. ibid.* § 142. pollicem. *Id. ibid.* § 94. manum.

II.) Translate. ¶ 1. Allevare est laudibus efferre, extollere. *Seneca Ep.* 72. 11. Hic deprimitur alternis, et extollitur ac modo in cælum allevatur, modo defertur ad terram. *Flor.* 4. 2. 10. C. Cæsar eloquentiâ et spiritu et jam consulatu allevabatur. *h. e.* efferebatur atque aliis antecedebat. ¶ 2. Est etiam levare, lenire, mitigare: ad rem *Cic. Rosc. Am.* 4. 10. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram ut potero, studio et industria, judices. Ponitur — *a*) De corpore. *Cic.* 7. *Att.* 1. 1. Bono animo esse cœpisse, quod Acastus ea, quæ vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret. *h. e.* a morbo recreato. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 31. nec viribus allevor ullis. *h. e.* nulla ope medica recreor. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 40. Denique allevatos atque magnitudinem accipientes pulsus invenimus. — *b*) De animo. *Plaut. Pers.* 2. 5. 9. Jubeto habere animum bonum: dic me illam amare multum: ubi se allevat, ibi me allevat. *h. e.* cum se levat ægritudine, me consolatur. *Cic.* 12. *Att.* 39. 2. Tamen allevor, cum loquor tecum. *Id.* 3. *Tusc.* 29. 71. *ex Sophocle:* Aliorum ærumnam dictis allevans. *Id. Brut.* 3. 12. Allevare alicujus sollicitudines aliqua ex parte. *Curt.* 4. 15. 11. Allevare animum a mæro-

re. *Tac.* 6. *Ann.* 43. Allevari animum. *h. e.* Græcorum more pro animo. *Id.* 1. *Hist.* 52. Vitellius hiberna legionum cum cura adierat: redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatæ notæ. *h. e.* exemptæ, sublatæ, aut potius imminutæ opprobrii notæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 433. *sub Vespas.* MAGNO TRIVICI MODO ANNONAM P. R. ADLEVAVIT. — *NB. Allevare* pro elevare, infirmare, *V.* supra in ALLEVIO II.

ALLĒVO *vel* adlevo *vel* allævo *et* adlævo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* lēvo). De scriptione *V.* LÆVIS. Allevo est idem quod levo, levigo, planum facio (It. *far piano e liscio*; Fr. *rendre uni, polir*; Hisp. *alisar, pulir*; Germ. *anglätten, glatt schneiden, glätten*; Angl. *to make plain, level, or smooth, to plane, polish*). *Colum.* 3. *R. R.* 15. 3. Vitem totam exputare, nodosque et cicatrices allevare. *Id.* 4. *ibid.* 24. 4. Allevare vitem ferro. *Id. ibid.* 25. 2. Cum allevare quid debet, scalpro utitur. *Et mox* § 6. Major pars operis dortim potius, quam cæsim facienda est: nam ea plaga, quæ sic efficitur, uno vestigio allevatur.

ALLEX, ēcis. *V.* ALEC.

ALLEX, icis, m. 3. In *Gloss. Isid.* Allex est pollex pedis. *V.* ALLUS. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 31. Tune hic amator audes esse, allex viri? *h. e.* homuncio, tune tam pusillus, ut pollex pedis videaris? Ita interpretantur recentes philologi: *Forcellinus* vocem deducebat ab *allicio*, ut allex esset qui allicit, allector; hinc *allex viri* pro *cinædo* accipiebat: alii leg. *alex* vel *hallex* et exponebant fæx virorum.

ALLIĀTUS, a, um, adject. allio conditum. *Plaut. Most.* 1. 1. 45. Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves: sine, me alliatum fungi fortunas meas. *h. e.* olentem allium, quod in mea paupertate sæpe comedo. Alii legunt, et certe rectius, *alliato*, ut sit *alliatum*, i, quo significatur quodcumque edulium allio conditum. Nam condire allio cibos pauperum est, præsertim apud Latinos, quibus allium cibus erat militum, remigum et hujusmodi popelli. *V.* alium *Plauti* locum, sed dubium, in v. SALINUM. *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 4. Alliatum moretarium.

ALLĬCEFĂCIO *vel* adlicefacio, facis, fēci, factum, făcere, a. 3. (allicere *et* facio). Part. *Allicefactus.* Est idem quod allicio. *Seneca Ep.* 118. Quod invitat ad se et allicefacit, verisimile est. *Gronov.* ita ex conjectura legendum censet, (quam lectionem recentiores approbarunt), cum vulgo et MSS. et edit. habeant *allicere facit.* At *Muret.* et *Lipsius* divinationem *Pintiani* secuti *allicit facie* reduxerunt. Idem *Gronov.* etiam apud *Cic.* 1. *Off.* 17. 56. ex eadem conjectura legendum putat: *Quamquam omnis virtus nos ad se allicefacit, ut eos diligamus*; cum in editis passim, et apud *Orell.* quoque, sit *allicit facitque* etc. *Sueton. Vitell.* 14. Nobiles viros, omnibus blanditiis tantum non ad societatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit.

ALLĬCEFACTUS *vel* adlicefactus, a, um. *V.* voc. præced.

ALLĬCĬO *vel* adlicio, licis, lexi *et raro* licŭi, lectum, licere, a. 3. (ad *et* lacio). *Alliceo, es,* eadem forma, qua *augeo, luceo* etc. ponunt, sed nulla auctoritate confirmant *Charis.* 3. p. 217. et *Diomed.* 4. p. 364. *Putsch.* Addit etiam *Diomed. allicio* Veterum esse: sed contra stat usus. — Præteritum *allicui* pro *allexi* usurpatum fuit a *Pisone histor.* apud *Priscian.* 10. p. 877. *Putsch.* (V. infra) et ab *Hygin. Astron.* 2. 7. — Part. *Allectus* et *Alliciendus.* — Allicio est attraho, induco, ad aliquid blanditiis adduco, illicio, invito (It. *attrarre, tirare, allettare*; Fr. *attirer à soi, engager, inviter, exciter*; Hisp. *atraer, reducir à otro a lo que se desea con halagos, caricias*; Germ. *anlocken, etwas lockend irgend wozu bringen, durch Einwirkung von Aussen und Reiz anziehen*; Angl. *to attract, invite, allure, entice, decoy*). Occurrit — *a*) Raro de corporeis. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 86. Si magnetem lapidem dicam, qui ferrum ad se alliciat et attrahat. *Ovid.* 6. *Fast.* 681. Alliciunt somnos tempus motusque merumque. Adde *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 71. (119). — *b*) Sæpius de animantibus. — Raro cum Accus. *ad se*, sæpissime sine Accus. præsertim si agitur de alicujus favore captando. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 58. Rex sum si illum hodie hominem ad me allexero. *Lucan.* 9. 844. allicere calido vapore gelidas pestes. *h. e.* serpentes. *Cic.* 2. *Fam.* 15. 4. Nobilem adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui. *Id.* 2. *Orat.* 78. 215. Eum, qui audit, permulcere atque allicere. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 6. Delectatione aliqua lectorem allicere. Cf. *Lucret.* 6. 182. Inde sonus sequitur, qui tardius allicit aures. *h. e.* lacessit, provocat sensum audiendi. *Sueton. Cæs.* 28. Allicere reges atque provincias. *Tac.* 1. *Hist.* 61. Gallias. *Quintil.* 7. 2. Allectus consuetudine peccandi. — *Piso* apud *Priscian.* 10. p. 877. *Putsch.* Cujus unius præmio multorum allicuit animos. *Cic.* 1. *Orat.* 8. 30. Allicere hominum mentes dicendo. *Id.* 7. *Verr.* 71. 182. nostris officiis aliorum benevolentiam. *Id. Mur.* 35. 54. benevolentiam cibo. *Id. Planc.* 4. 11. alienas populi voluntates. — *Allicere ad aliquid* etiam occurrit. *Cic. Amic.* 8. 28. Nihil (*est*), quod magis alliciat (*homines*) ad diligendum. *Id.* 2. *Phil.* 45. 115. Si te laus allicere ad recte faciendum non potest. *Quintil.* 3. 1. 3. Allicere juventutem ad cognitionem. *Cic.* 2. *Off.* 6. 20. hominum studia ad utilitates nostras. *Id. pro leg. Manil.* 9. 24. multorum opes ad misericordiam. — Singulare est illud *Cic.* 1. *Fam.* 9. 21. Cum vero in hunc sensum et alliciar beneficiis hominum et compellar injuriis, facile patior ea me de republ. sentire ac dicere, quæ etc.

ALLĪDO *vel* adlido, lidis, līsi, līsum, līdere, a. 3. (ad *et* lædo). Part. *Allisus* I. Allido est ad aliquid impingendo lædere aut frangere (It. *urtar contro, sbattere, ammaccare percotendo o sbattendo a qualche cosa*; Fr. *heurter, choquer ou frapper contre*; Hisp. *achocar, echar*; Germ. *anschlagen oder anstossen*; Angl. *to dash to the ground, throw against the ground*).

I.) Proprie. *Accius* apud *Non.* p. 488. 14. *Merc.* Fluctu immisericordes jacere (*quempiam?*) et tetra ad saxa allidere. *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Ut – ex magno remigum propugnatorumque numero pars ad scopulos allisa interficeretur. *Lucret.* 4. 290. Ut si quis prius, arida quam sit Cretea persona, allidat pilæve trabive. *Id. ibid.* 570. pars solidis allisa. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 627. In latus allisis clypeis. *h. e.* collisis et in latera aliorum impactis. *Colum.* 4. *R. R.* 20. 2. *absolute.* At quæ curvæ sunt et distortæ (*vites*), non æqualiter alliduntur inhibentibus nodis. Ita *Gesner.* et *Schneider.*; alii contra Codices *alligantur.* — De loco *Catull.* 64. 66. *V.* ALLUDO.

II.) Translate est damno affici, vitæ periculum subire. *Cic.* 2. *ad Q. Fr.* 6. 6. Hoc incommodum consolantur quotidianæ damnationes inimicorum, in quibus, me perlubente, Servius allisus est, ceteri conciduntur. *h. e.* adductus quidem est in aliquod condemnationis, ut naufragii, periculum, ex quo tamen emersit, ceteri merguntur, damnantur. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 9. Quippe – Pœnos dixisse convenit, imbecilliorem agrum quam agricolam esse debere: quoniam cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum. *h. e.* velut impegerit, damno affici, jacturam facere. *Seneca Tranquill. anim.* 3. *ad fin.* Ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus, armis circa et catenis frementibus, non alliserit virtutem, nec absconderit. *h. e.* non abjecerit, perdiderit, quasi ultro in scopulos navem mittens.

ALLĬGĀMEN *vel* adligamen, inis, n. 2. *Gloss. Cyrill.* Alligamen, ἀπόδεσμος.

ALLĬGĀMENTUM *vel* adligamentum, i, n. 2. idem ferme quod alligatura: sed translate tantum occurrit pro conjunctione. *Vetus Scholiast.* ad *Germanici Arat.* 240. Pisces habent inter se alligamentum luteum, continens usque ad priores pedes. V. *Hygin.* 3. *Astronom.* 29. Hoc vocabulum confirmat *Grammaticus incertus* p. 106. n. 164. ed. *Eichenf.* Alligamentum δεσμός. *Gloss. Cyrill.* Alligamentum ἔνδεμα, δεσμός, δέμα. *Gloss. Philox.* Δεσμός Alligamentum, Vinculum etc.

ALLĬENSIS, e, adject. ad Alliam pertinens, ut *Alliensis pugna*, qua Romani a Gallis ad Alliam cæsi sunt: et *Alliensis dies*, quo die ea pugna facta est, qui infaustus, ater nefastusque Romanis habebatur tum propter acceptam eam ingentem cladem, atque inde captam Urbem; tum quia eodem die, sed alio anno tercenti Fabii ad Cremeram cæsi fuerant ad unum: qui dies fuerat a. d. XV. K. Sextil., ut *Liv.* 6. 1. docet (*V.* cætera in ONOM). Hinc postea funestissimum aliquem diem significare volentes, *Alliensem* indicabant; ex quo Pisani diem mortis C. Cæsaris Aug. filii lugubrem et atrum esse volentes, *pro Alliensi lugubrem memoriæ prodi* jusserunt, ut legitur in *Cenotaph. Pisan. C. Cæs.*

ALLĬGĀTĬO *vel* adligatio, ōnis, f. 3. (alligo) actus alligandi. Speciatim de ligatura vitium aliarumque arborum. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 16. Arbustorum sive putatio, sive alligatio finienda est. — Item est id, quo quid alligatur, vinculum. *Vitruv.* 8. 7. (8. 6. 9. ed. *Schneid.*). Alligationibus continere aliquid. Adde *eumd.* 7. 3. 2.

ALLĬGĀTOR *vel* adligator, ōris, m. 3. qui alligat. Occurrit speciatim de vitibus. *Colum.* 4. *R. R.* 13. 1. Sequitur alligatoris cura, cujus officium est, ut rectam vitem producat in jugum. Adde 4. *ibid.* 17. 5. et alibi.

ALLĬGĀTŪRA *vel* adligatura, æ, f. 1. alligandi actio vel opus. *Colum.* 8. *Arbor.* 3. Infra insitionem et alligaturam leviter vitem vulnerato. Adde *Scribon. Compos.* 209.

ALLĬGĀTUS *vel* adligatus, a, um. *V.* voc. seq.

ALLĪGO *vel* adligo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* ligo). Part. *Alligans* I. 2. d., *Alligatus* in omnibus paragr.; *Alligandus* I. 1. b. Alligo est ad aliquid ligo, vincio, ligando conjungo (It. *legare a qualche cosa*; Fr. *lier à, attacher à*; Hisp. *ligar, atar*; Germ. *etwas anbinden, bindend an eine Sache befestigen*; Angl. *to bind or tie to any thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est ligando ad aliquid conjungo. — *a*) Addita re, ad quam quis alligatur. *Cic.* 7. *Verr.* 28. 71. Alligare aliquem ad palum. *Id.* 6. *ibid.* 42. 90. aliquem ad statuam. *In epit. Livii.* Sarmentis ad cornua boum alligatis. *Ascon.* p. 38. 1. *Bait.* Ferrum ad femur alligatum habere. Hinc *Ciceronis jocus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. Quis generum meum ad gladium alligavit? — *b*) Absolute, speciatim de vitibus, quæ ad alias arbores adminiculi causa colligantur. *Virg.* 1. *Æn.* 169. Hic fessas non vincula naves Ulla tenent, non unco alligat ancora morsu. *Scribon. Compos.* 131. Medicamentum in panno inlitum fasciâ quam longissimâ alligare. *Colum.* 4. *R. R.* 13. 1. Observare debebit, ne in alliganda materia flexum pali sequendum putet. Adde *eumd.* 16. *Arbor.* 4. Apud *eumd.* 4. *R. R.* 20. 2. *Gesner.* et *Schneider.* leg. *allido*, quam v. V. ¶ 2. Præpositionis vi prorsus imminuta (unde factum est et *adalligo*), sumitur latiori sensu pro simplici ligo, vincio, unio, jungo. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 39. 1. Dolia plumbo vincito, vel materie quernea, vili siccâ alligato. Si bene sarseris, aut bene alligaveris etc. — *b*) De persona. *Plaut. Epid.* 5. 2. 25. Tibi moram facis, cum ego solutus asto; alliga, inquam, collige. *Tac. Germ.* 24. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis juvenior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Hinc *alligati* dicuntur servi viliores et nequiores, qui ligati asservantur et in vinculis opus faciunt, ut apud *Colum.* 1. *R. R.* 9. 4. Vineta plurimum per alligatos excoluntur. *Seneca Brevit. vit.* 13. Sulla in circo leones solutos dedit, cum alioquin alligati darentur. Et metaphorice *Ovid.* 1. *Met.* 548. Torpor gravis alligat artus. *Virg.* 4. *G.* 478. Quos circum limus niger et deformis arundo Cocyti tardâque palus inamabilis undâ alligat, et novies Styx interfusa coercet. — Hinc *alligatus calculus*, in ludo latrunculorum, est ad incitas redactus, *h. e.* eo loco, ut moveri non possit, quin ab adversario capiatur. *Seneca Ep.* 117. 30. Ut sciat, quomodo alligatus exeat calculus. *Auct. carm. ad Pis.* 182. Ut niveus nigros, nunc et niger alligat albos. — *c*) Dicitur et de vulneribus ac vasis, quæ circum ligantur. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 123. Cum Critonis – oculum alligatum vidisset. *Vetus Poeta* apud *eumd. Cic.* 2. *Tusc.* 17. 39. Quiesce igitur et volnus alliga. *Liv.* 7. 24. Alligatum vulnus. Adde *Justin.* 15. 3. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 22. (76). Alligare caput fasciâ. *Martial.* 12. 91. caput lanâ. *Scribon. Compos.* 80. Vas bene clausum et alligatum. *Inscript.* apud *Gruter.* 715. 10. ATIMETO LIB. CVJVS DOLO FILIAM AMISI RESTEM ET CLAVOM VNDE SIBI COLLVM ALLIGET. *Forcellinus* hæc ad super. par. 1. retulit. — *d*) De iis, quæ chymica vi invicem adhærent. *Seneca Ep.* 55. Longior tranquillitas solvit (*littus*), cum arenis, quæ humore alligantur, succus abscessit. *Lucan.* 9. 526. Qui (*fons*) putris terræ alligat. *Martial.* 8. 64. Lac alligatum. *h. e.* coagulatum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 22. (66). Laudatissima (*alga*), quæ in Creta insula – nascitur, tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui postea non possit. *Id.* 9. *ibid.* 38. 62. (134). Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit: pelagio admodum alligatur. — *e*) Huc referri potest et illud *Pacuvii* apud *Non.* p. 182. 1. *Merc.* Quid istuc est? vultum alligat quæ tristitia (*alii* tristitas)? *h. e.* adducit, corrugat, adstringit: cui contrarium est *explicare frontem.* *Forcellinus* inter translata retulit. Cf. *Seneca* 1. *Benef.* 2. 5. Virgines,

quia incorrupta sunt et sincera et omnibus sancta: in quibus nihil esse alligati decet nec astricti, solutis itaque tunicis utuntur.

II.) Translate alligare est personam aut rem aliquam personæ aut rei ita arcte jungere et subjicere, ut ab ipsa pendeat. ¶ 1. Generatim ponitur de iis, qui rebus aut personis devinciuntur, et occurrit aut absolute opponiturque verbo *solvere*, aut cum Accus. et præp. *ad*. — Absolute. *Ter. Adelph.* 5. 3. 58. Eo pacto prorsum illi alligaris filium. *Cic. Amic.* 12. 42. Ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis – peccantibus non discedant. *Id.* 8. *Att.* 16. 1. Cedendum enim est celeriter, ne forte qua re impediar atque alliger. *Id.* 2. *ibid.* 18. 1. Cum videas civitatis voluntatem solutam, virtutem alligatam. — Cum Accus. et præp. *ad*. *Quintil.* 2. 13. 14. Quam minime se alligare ad præcepta. *Id.* 11. 2. 48. Alligare se ad omnia verba. *Id.* 12. 10. 45. oratorem ad certos quosdam oratores. *Id.* 8. *præfat.* 2. Quasi ad certas quasdam dicendi leges alligati. *Id.* 2. 15. 35. Alligare artem ad exitum. — *b*) Speciatim ponitur de morali et legitima obligatione. *Varro* 5. *L. L.* 182. p. 71. *Müll.* Qui pecuniam alligat, (*eum dicunt*) stipulari et restipulari. *Plaut. Epid.* 3. 2. 33. Ibi leno sceleratum caput suum alligabit, quasi pro illa argentum acceperit. *Id. Rud. prol.* 46. Lenonem alligare jurejurando. *Cic. Rosc. Com.* 12. 36. aliquem stipulatione. *Id. Planc.* 33. 81. non modo beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione. *Id. Cluent.* 61. 179. Aliquem nuptiis alligatum et testamenti spe devinctum in potestate habere. *Id.* 2. *Legg.* 20. 51. Sacris alligari. *Varro* 7. *L. L.* 71. p. 101. *Müll.* Sponsu alligatus. *Liv.* 35. 46. Fœdere iniquo alligata civitas. *Id.* 37. 26. Auxilio incertum finem habituro alligari. *Justin.* 24. 1. In fœdera societatis alligari. — Hinc illa *Cic. Cluent.* 54. 148. Ubi enim omnes mortales alligat (*lex*), ita loquitur etc. *Id. ibid.* 55. 151. Populum Rom. alligare novo quæstionis genere. *Id. Rabir. Post.* 6. 14. nova quæstione. *Id. ibid.* 7. 18. Vos senatus liberos hac lege esse voluit: populus numquam alligavit; soluti huc venistis: ne constricti discedatis, cavete. — *c*) Alligare se aliquo crimine idem est ac illud in se admittere, perpetrare. *Ter. Eun.* 4. 7. 39. Hic furti se alligat. *Cic. Flacc.* 17. 41. Metuit homo doctus et sapiens, ne L. Flaccus nunc se scelere alliget, cum jam testem illum effugere non posset. — Huc pertinent et illa *Cic. Cluent.* 13. 39. In quo (*judicio*) alligatum Oppianici nomen primum esse constabat. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 5. Sed idem Nerius index edidit ad alligatos Cn. Lentulum Vatiam et C. Cornelium. Veteres editiones in his duobus *Cic.* locis leg. *allegatus*: et *Forcellinus* acceperat pro eo, cui alicujus rei cura demandata est, et in loco *Cic. Cluent.* legebat *In quo, inter allegatos*, etc. h. e. inter judices ad hoc deputatos: in altero autem *Cic.* loco *ad Q. fr.* Lentulum et Cornelium *allegatos* dici putabat, quippe qui audiendis indiciis et probationibus dati fuerint. — *d*) Ponitur et de oratione, quæ externis legibus teneatur. *Cic.* 3. *Orat.* 44. 176. Ut verba neque alligata sint quasi certa lege versus, neque ita soluta, ut vagentur. *Quintil.* 9. 4. 53. Orationem alligare ad rythmum. *Id.* 10. 1. 29. Alligata poesis ad certam pedum necessitatem.

ALLĬNO *vel* adlino, linis, lēvi, lĭtum, linere, a. 3. (ad *et* lino). Apud *Pallad.* 3. *R. R.* 33. et 6. 8. 1. omnes Codices Infin. *allinire* exhibent. — Allino est tingendo induco, adnecto, agglutino.

I.) Proprie. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (77). Primo supina tabulæ schedā allinitur longitudine papyri, quæ potuit esse, resegminibus utrimque amputatis. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 3. Pilo universa contundes, et ceroti instar efficies, et curabis adlinire. Adde *eumd. loc. sup. cit.*

II.) Translate. *Seneca Ep.* 7. 1. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. *h. e.* inducit. — Apud optimos vero Scriptores *Allinere aliquid alicui* est notare, animadvertere, mutare, delere. Ad rem *Horat. Art. P.* 445. Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes, Culpabit duros, incomptis allinet atrum Transverso calamo signum. *h. e.* incomptos inducet, delebit. *Cic.* 3. *Verr.* 6. 17. Nulla nota, nullus color, nullæ sordes videbantur his sententiis allini posse.

ALLĪSIO *vel* adlisio, ōnis, f. 3. actus allidendi. *Trebell.* xxx. *Tyrann.* 8. Multa duorum digitorum allisione contrivit. *h. e.* digitos allidendo et impingendo.

ALLĪSUS *vel* adlisus, a, um. *V.* ALLIDO.

ALLIVESCIT livere incipit, hoc est lividum fieri. *Paul. Diac.* p. 26. 16. *Müll.*

ALLIUM *vel* alium, ii, n. 2. Sunt qui *halium* scribunt, quasi ab *halo* descendat: sed hoc usu non obtinuit. Ratio *l* duplicandi magis placet *Dausquio*; eamque cum recentiores Latini usurparunt, tum longa syllaba et Græca vox ἀλλᾶς pro ἀλλήεις (quæ significat lucanicam allio conditam) confirmant, qua de re V. *Döderlein. Latein. Synon. Vol.* 6. *p.* 15., *Pierium* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 11. et *Wagner. Orthogr. Verg.* p. 416. Veteres tamen scribebant *alium*, quia est forma derivata ab *alum*, quam vocem *V.* suo loco. — Ceterum allium est genus oleris, quo vescimur, et in condimentis utimur, gravissimi odoris: quod et ad multa medicamina prodesse credebatur, testibus *Plin.* 19. *Hist. nat.* 9. 34. (111). et *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. *Cato R. R.* 132. 2. Postea dape factā, serito milium, panicum, allium, lentim. *Varro* apud *Non.* 104. 25. *Merc.* Allia serere. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 34. Plenior allii ulpicique, quam Romani remiges. *Id. Most.* 1. 1. 38. At te di omnes perdant: oboluisti allium. *Allium cum sale obsignare* proverbio dicitur de præparcis et tenacibus apud *eumd. Plaut. Pers.* 2. 3. 15. *Varro* apud *Non.* p. 201. 64. *Merc.* Ut vitet acria, ut est sinapi, cepa, allium. *Id. ibid.* v. 5. Avi et atavi nostri cum allium ac cepe eorum verba olerent, tamen optume animati erant. *Virg.* 2. *Ecl.* 11. Allia serpyllumque herbas contundit olentes. *Horat. Epod.* 3. 3. cicutis allium nocentius. *Pers.* 5. 188. Si non Prædictum ter mane caput gustaveris alli. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 34., *Scribon. Compos.* 233. et *Sueton. Vesp.* 8. — Apud Ægyptios allium pro numine colebatur, ut scribit *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (101). — Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 2. p. 324.) allia recensens a *Plinio* enumerata has exhibet synonymias. I. Σκόροδον Aristoph. in Plut., Xenoph. in Symp., Theophr. 7. 4. et Dioscor. 2. 165., *Allium spissis fibris* Virg. Mor. 88. et 2. Ecl. 11., Horat. l. c. et Martial. 12. 32., *Allium grave* Ovid. 1. Art. am. 221., *Allium flebile.* Ovid. ibid. v. 413., *Allium* Plin. 19. 6. 32. 111. et Pallad. 2. R. R. 14. sunt *Allium sativum* L. Spec. plant. 425. II. Ὀφιοσκόροδον Galen. de Facult. simpl. 7. p. 280. et Dioscor. 2. 182., *Allium arvense alum dictum* Plin. loc. cit. § 116. sunt *Allium oleraceum* L. Spec. plant. 429. III. *Allium silvestre, quod ursinum vocant* Plin. loc. cit. § 116. est *Allium ursinum* L. Spec. plant. 431. — *Plinius* præterea l. c. § 112. memorat *allium Cyprium*, quod alii antiscorodon appellant, quodque *Theophr. Hist. plant.* 7. 4. omnium maximam esse speciem affirmat: a *Plinio* etiam *ulpicum* dicitur, *ulpicum* vero, *Punicum* et ἀφροσκόροδον a *Colum.* 11. *R. R.* 3. 20.

ALLŎCŪTIO *vel* adlocutio *vel* alloquutio, ōnis, f. 3. actus alloquendi, alloquium (It. *il parlare ad alcuno*; Fr. *allocution*, *harangue*; Hisp. *arenga*; Germ. *die Anrede oder Ansprache*, *die Anmahnung*; Angl. *a speaking to any one, a speech, address*). — *a*) Generatim. *Plin.* 2. *Ep.* 20. Postquam signatum est testamentum, mutat personam, vertit allocutionem. *Sueton. Tib.* 23. Coacto senatu inchoataque allocutione, derepente, velut impar dolori, ingemuit. *Quintil.* 9. 2. 37. Unde apud historicos reperiuntur obliquæ allocutiones. Adde *Sueton. Illustr. Gramm.* 4. — *b*) Sumitur speciatim pro alloquio, et sermone, quem alicujus consolandi causa adhibemus. *Catull.* 38. 5. Qua solatus es allocutione? *Seneca Consol. ad Helv.* 1. Novis verbis, nec ex vulgari et quotidiana sumptis allocutione opus erat homini ad consolandos suos etc. — *c*) Item speciatim et pro hortatione militari, quo utitur imperator milites cohortans ad pugnam. Sæpe in nummis stat imperator in suggestu subjectos milites alloquens: et ὑπογραμμα, *Adlocutio*, ut in nummo Caligulæ apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 268. Cf. et *Patini* in *Mus. Theupol.* p. 408.

ALLŎCŪTUS *vel* adlocutus *vel* alloquutus, a, um. *V.* ALLOQUOR.

ALLŒŌTĬCUS, a, um, adject. (ἀλλοιωτικός) virtutem habens transmutandi: ex ἀλλοιόω *immuto, alium reddo*. *Allœotica* dicitur vis in stomacho animalis mutandi cibi et in chilum vertendi. Est autem Græca vox, quæ in quibusdam editionib. *Macrobii* 7. *Saturn.* 4. scribitur Latinis litteris, in plerisque aliis rectius Græcis.

ALLŎPHȲLUS, *et Latina scriptione* Allofilus, a, um, adject. (ἀλλόφυλος) qui alienæ est gentis, externus, alienigena, ab ἄλλος, *alius*, et φυλή, quæ tum tribum, tum aliquando etiam genus, seu gentem significat. *Sulpic. Sever.* 1. *hist. sacr.* passim hac voce eos appellat, qui Philistæi in Scripturis dicuntur. *Tertull. Pudic.* 7. Lex vetus adimit conjugium allophylorum. Adde *Hieronym. Ep.* 27. ad. *Eustoch.* — Penultima natura longa est, et a Græcis poetis passim producitur: a Latinis tamen corripitur. *Prudent. Hamartig.* 502. Allophylus tua castra velit delere tyrannus. *Id. Enchir.* seu *Diptych. de Sampsone*, n. 18. faces caudis circumligat, in sata mittit Allophylum. pro *Allophylorum.* Sic *Paulin. Nolan. de S. Fel. Natal.* 8. *carm.* 23. 70. Credite, non armis, neque viribus esse timendos Allophylum populos. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 37.

ALLŎQUĬUM *vel* adloquium, ii, n. 2. (alloquor) sermo cum alio (It. *il parlare con un altro*, *discorso*, *abboccamento*; Fr. *discours*, *entretien*, *conversation*; Hisp. *discurso*, *razonamiento*, *conversacion*; Germ. *die Anrede oder Ansprache*, *das Gespräch*; Angl. *a speaking with any one*, *conference*, *conversation*). — *a*) Generatim. *Lucan.* 10. 172. longis Cæsar producere noctem Inchoat alloquiis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (84). Hospitalis regis clementiā sex mensium tempore imbutus alloquio. — *b*) Speciatim sumitur pro sermone qui consolandi aut alliciendi gratia fiat. *Liv.* 9. 6. Alloquia non modo sermonem elicere, sed ne ut oculos quidem attollerent aut consolantes amicos contra intuerentur, efficere poterant. *Id.* 1. 34. Ipse quoque fortunam benigno alloquio, comitate invitandi, beneficiisque quos poterat sibi conciliando adjuvabat. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 2. Attonitum qui me, memini carissime, primus Ausus es alloquio sustinuisse tuo. *Et ibid.* 7. 17. Ingenti prostratum mole sodalem Visere et alloquii parte levare tui? *Apul.* 4. *Met.* 24. Blando alloquio solari aliquem. *Horat. Epod.* 13. 17. Illic omne malum vino cantuque levato, Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis. *h. e.* iis omnibus quæ ad consolandum apta sunt. — *Liv.* 25. 24. Ut alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam urbem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (48). Leonem mitigare alloquio, feras mulcere alloquiis. *Plin.* 1. *Ep.* 18. Cibos voluptate carentes blandioribus alloquiis prosequi. — *c*) Et pro hortatione militari. *Tac.* 3. *Hist.* 36. Alloquio exercitioque firmare militem.

ALLŎQUOR *vel* adloquor, lŏqueris, lŏcūtus sum, lŏqui, dep. 3. (ad *et* loquor). Part. *Alloquens*, *Allocuturus*, *Allocutus* et *Alloquendus*. — Alloquor est ad aliquem loquor, et occurrit raro absolute, fere semper cum Accus. personæ, cui loquimur (It. *parlare ad alcuno*; Fr. *adresser la parole a quelqu'un*, *lui parler*; Hisp. *hablar à alguno*; Germ. *anreden oder ansprechen*; Angl. *to speak or talk to any one*). — *a*) Generatim. *Ter. Andr.* 2. 2. 6. Cessas alloqui? *Plaut. Amph.* 1. 1. 237. Obsecro per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem. *Ter. Phorm.* 2. 1. 22. Quid cessas hominem adire et blande in principio alloqui? *Cic. Cluent.* 61. 170. Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo audire, nemo alloqui, nemo aspicere vellet? *Virg.* 6. *Æn.* 466. Extremum fato quod te alloquor hoc est. *Ovid.* 11. *Met.* 282. Hunc contra placidus Trachinius ore Talibus alloquitur. *Curt.* 9. 3. 4. Quem ut videre milites, detrahentem galeam capiti – ita enim regem alloqui mos est – hortari cœperunt etc. *Id.* 4. 2. 3. Alloqui legatos benigne. *Quintil.* 11. 3. 124. Semetipsos alloqui. *Id.* 12. 10. 61. Ciceronem in senatu. *Sueton. Tib.* 29. Omnes alloquens (*in curia*). *Tac.* 3. *Hist.* 37. Mox senatum, composita in magnificentiam oratione, allocutus. — *b*) Speciatim *alloqui deos* est iis gratias agere precesque adhibere. *Nævius* apud *Priscian.* 7. p. 770. *Putsch.* Senex fretus pietate deûm allocutus summi deûm regis fratrem, Neptunum regnatorem marum. *Plaut. Amph.* 1. 1. 29. Nunc vero mi in mentem fuit dis advenientem gratias pro meritis agere atque alloqui. *Catull.* 63. 49. Patriam allocuta mœsta est ita voce miseriter. — *c*) Item speciatim sumitur pro verba facere consolandi gratiā. *Varro* 6. *L. L.* 57. p. 94. *Müll.* Hinc allocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi causā. Et *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 860. Alloquitur mœrentem. Et proprie alloquitur dixit: est enim alloqui consolari. *Val. Max.* 2. 7. 6. Incerta gratulandi prius, an alloquendi officio fungeretur. *Seneca Troad.* 619. Alios parentes alloqui in luctu decet, tibi gratulandum est. *Id. Œd.* 1007. Dubitat: afflictum alloqui cupit pavetque. — *d*) Deni-

quæ ponitur et de oratione, qua imperator milites ad pugnam hortatur. *Liv.* 10. 35. Quas ubi consul accepit, sibimetipsi circumeundos alloquendosque milites ratus. *Curt.* 3. 10. 4. Cumque agmen obequitaret (*Alexander*) varia oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites alloquebatur. *Sueton. Cæs.* 33. Cum in alloquendo exhortandoque sæpius digitum lævæ manus ostentans affirmaret. *Id. Galb.* 18. Neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali etc.

ALLŬBENTĬA *vel* Adlubentia, æ, f. 1. (allubesco) idem quod lubentia, libido, voluntas conjuncta cum incipiente delectatione. *Apul.* 1. *Met.* 7. Jam allubentia proclivis est sermonis et joci, et scitum est cavillum. *h. e.* jam adest delectans voluntas loquendi et jocandi etc. *Alii leg.* Jam ad lubentiam proclives erant sermones et joci etc.

ALLŬBESCENS, entis. *V.* voc. seq.

ALLŬBESCO *vel* adlubesco, is, ere, n. 3. (ad *et inch.* lubesco *a* lubet). Part. *Allubescens* I. et II. Est lubere, placere incipio (It. *incominciare a piacere, piacere, esser grato*; Fr. *commencer à plaire, plaire*; Hisp. *comenzar á placer, placer*; Germ. *anfangen gefällig zu sein oder zu erscheinen*; Angl. *to commence become pleasant, agreeable*). ¶ 1. Impersonaliter sive absolute occurrit ea, quam diximus, significatione. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 12. Tum ipsa est nimium lepida nimisque nitida femina: hercle vero jam allubescit primum. *Apul.* 2. *Met.* 10. Occursantis linguæ illisu nectareo pronâ cupiditate allubescente. ¶ 2. Personaliter usurpatur cum Dat., pro gratificari, lubentem obsequi. *Apul.* 7. *Met.* 11. Ut illa sumebat (*prægustatas potiones*) appetenter, et nonnumquam basiare volenti promptis saviolis allubescebat. *Capell.* 9. p. 309. Suisque cunctos allubescentes sonis Deducit, urget. *Id.* 1. p. 10. Stella Martis connubiorum copulis allubescat. *Apul.* 9. *Met.* 3. Ac si intrepidus et more solito sumens aquis allubescerem, sanum me atque omni morbo scirent expeditum. *h. e.* si ad aquas bibendas lubens accederem, ad eas bibendas ita promptus ac lubens essem, ut ipsis delectari viderer.

ALLŬBESCIT *vel* adlubescit, ebat, impers. 3. *V.* voc. præc. I.

ALLŪCEO *vel* adluceo, luces, luxi, lucere, n. 2. (ad et luceo) idem quod luceo, vel ad aliquid luceo (It. *far lume*; Fr. *luire auprès*; Hisp. *lucir*; Germ. *dazu leichten*; Angl. *to shine*).

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 92. Vide autem, quale sit, die (*al.* sole te) non esse contentum, nisi aliquis igniculus alluxerit. *Sueton. Vitell.* 8. Flagrante triclinio ex conceptu camini – anxiis omnibus: Bono, inquit, animo estote; nobis alluxit.

II.) Translate. *Plaut. Pers.* 4. 3. 46. Nescis, quid instet boni: nequidquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult. *h. e.* adesse tibi occasionem lucri faciundi. *Augustin.* 11. *Confess.* 23. Dilucescant allucente misericordia tua, Domine.

ALLŪCĬNĀTĬO. *V.* ALUCINATIO.

ALLŪCĬNĀTOR. *V.* ALUCINATOR.

ALLŪCĬNOR, āris. *V.* ALUCINOR.

ALLUCTOR *vel* adluctor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Adluctans*. Est idem quod luctor, vel contra aliquem luctor. — *a*) Absolute. *Apul.* 10. *Met.* 17. Et primum me quidem mensam accumbere suffixo cubito, dein adluctari et etiam saltare sublatis primoribus pedibus perdocuit. — *b*) Cum Dat. *Id.* 11. *ibid.* 12. Quod – adluctantem mihi sævissime fortunam superarem.

ALLŪDĬO *vel* adludio, as, are, n. 1. (ad *et* ludo) idem quod ludo, jocor, alludo (It. *darsi a scherzare, a giocare con qualcheduno, far carezze*; Fr. *se mettre à plaisanter, caresser*; Hisp. *ponerse á chancear, halagar*; Germ. *sich schäkernd und spielend an etwas machen*; Angl. *to joke, jest, be playful or sportive*). *Plaut. Stich.* 2. 3. 58. Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus. *Id. Pœn.* 5. 4. 62. AD. Etiam me meæ allatrant canes? AGOR. At tu hercle alludiato.

ALLŪDO, lūdis, lūsi, lūsum, lūdere, n. 3. (ad *et* ludo). Part. *Alludens* in omnibus paragr. Est cum aliquo aut cum re aliqua ludere, colludere, sive blande et jocose accedere et recedere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de rebus inanimis, ac præcipue de undis aut similibus, quæ fluitant. — *a*) Absolute. *Ovid.* 4. *Met.* 342. Huc it et hinc illuc et in alludentibus undis Summa pedum taloque tenus vestigia tingit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 22. (39). Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda, neque in mari, neque in sicco. *h. e.* ubi unda accedens recedensque veluti ludit. *Avien. Perieg.* 121. Insula qua Cyrnus fluctu madet alludente. — *b*) Cum Dat. *Stat.* 9. *Theb.* 336. extremis alludunt æquora plantis. Cf. *Senec. Thyest.* 155. Et curvata suis fetibus ac tremens Alludit patulis arbor hiatibus. *h. e.* arbor pomis onusta supra Tantalum veluti ludit, ramos subinde quassans et porrigens, ita tamen, ut ab eo jam jam apprehensuro statim recedat. — *c*) Cum Accus. *Catull.* 64. 66. Omnia quæ toto delapsa e corpore passim Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant. *Alii contra opt. Codd. auctoritatem leg.* allidebant. *Val. Flacc.* 6. 664. Ac velut ante comas ac summa cacumina silvæ Lenibus alludit flabris levis Auster; at illum Protinus etc. *Solin.* 5. *a med.* Ibi epulantes alludit flamma, quæ, flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit non adurit. — *NB.* Apud *Cic. Top.* 7. 32. et 2. *Nat. D.* 39. 100. et apud *Quintil.* 15. 14. 34. veteres editiones leg. *alludit*, quod ipse *Forcellinus* probaverat; recentiores vero *eludit*. V. ELUDO. ¶ 2. Sæpius ponitur de bestiis et hominibus, qui cum aliis agunt joculariter, seu jocantes et ludentes gestibus verbisve. — *a*) Absolute. *Ovid.* 2. *Met.* 864. *de Jove in bovem mutato:* Et nunc alludit, viridique exultat in herba, Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Hominem non expavescit ut alienum (*delphinus*), obviam navigiis venit, alludit exultans. — *b*) Cum Dat. *Phædr.* 3. 19. 11. Sensit profecto se hominem non visum seni, Intempestive qui occupato alluserit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (26). Delphinus alludens natantibus impositosque portans. — *c*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Ter. Eun.* 3. 1. 34. Forte habui scortum: cœpit ad id alludere et me irridere. *Justin.* 1. 4. Quem ubi in manum mulier accepit, veluti ad notam allusit.

II.) Translate. ¶ 1. Est urbane et quasi ludendo aliquid agere, rem argutam ludendo dicere. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 56. 240. Galba autem alludens varie et copiose, multas similitudines afferre, multaque pro æquitate contra jus dicere. — *b*) Cum Dat. *Seneca Ep.* 72. 12. Est adhuc genus tertium eorum, qui sapientiæ alludunt, quam non quidem contigerunt, in conspectu tamen et sub ictu – habent. *h. e.* qui sapientiæ sive philosophiæ per jocum tantummodo ideoque obiter studuerunt. *Id. Tranquill. an.* 10. *a med.* Prope posita speique nostræ alludentia sequamur. *Quintil.* 3. 11. 18. Idque Trebatio, qui juris erat consultus, alludens *qua de re agitur* appellat. — *c*) Cum Accus. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 13. Alludere argutiam. *h. e.* comminisci ludendo. ¶ 2. Est etiam dicere vel facere aliquid, sensum alio referendo. — *a*) Absolute. *Sueton. Cæs.* 22. Negante quodam per contumeliam, facile hoc ulli feminæ fore, respondit quasi alludens, in Assyria quoque regnasse Semiramin etc. *h. e.* referens ad regnum a Semiramide occupatum et ad imperium sibi occupandum. *Gell.* 19. 8. Tunc alludens Fronto. — *b*) Cum Dat. *Val. Max.* 3. 7. ext. 4. Phidias quoque Homeri versibus egregio dicto allusit. — *c*) Cum Accus. *Virg.* 7. *Æn.* 106. Heus, mensas consumimus, inquit Iulus: Nec plura alludens. *nisi forte* ad *redundat, et idem est ac* ludens, *ut etiam* Servius *dubitavit.*

ALLŬO *vel* adluo, luis, lui, luere, a. 3. (ad *et* luo, *quod est ejusdem significationis ac* lavo). Part. *Alluens* I. Alluo est juxta fluo, madefacio; et de aquis proprie dicitur, maria enim et flumina alluere dicuntur loca, ad quæ feruntur quæve attingunt (It. *bagnare, scorrere vicino*; Fr. *venir mouiller ou bagner, arroser de ses flots*; Hisp. *mojar, regar*; Germ. *anspülen, bespülen*; Angl. *to flow hard by or near to, to wash or touch upon*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. Coloniarum vero quæ est deducta a Grajis in Asiam – Africam: præter unam Magnesiam, quam unda non alluat? *Cic.* 7. *Verr.* 37. 96. Urbe portus ipse cingitur et continetur, ut non alluantur mari mœnia extrema, sed ipse influat in urbis sinum portus. *Id.* 2. *Legg.* 3. 6. Divisus æqualiter in duas partes (*Fibrenus*) latera hæc alluit. *Liv.* 24. 33. Cujus (*Achradinæ*) murus fluctu alluitur. Adde eund. 34. 4. et 20. 35. *Virg.* 8. *Æn.* 149. Et mare, quod supra, teneant, quodque alluit infra. *Seneca Hippol.* 1232. Me ludat amnis ora vicina alluens. *Id. Œd.* 475. Alluit gentes Mæotis. Adde *Curt.* 5. 4. 7.; *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (12). et 3. 4. 5. (31).; *Plin.* 2. *Ep.* 17.; *Melam* 1. 4. 4. et 2. 1. 6., et *Avien. Perieg.* 60. — *NB.* Apud *Cic. Rosc. Am.* 26. 72. Ita jactantur fluctibus (*insuti in culeum parricidæ*), ut numquam alluantur. *Forcellinus* cum plerisque Codd. atque Editt. ita legebat: *Orellius* legit *alluere* etiam apud *Cic. Orat.* 30. 107.: sed recentiores utroque loco legunt *abluere*; etenim *alluere* usurpatur de mari aut flumine, quod totas ferme regiones attingat. Sæpissime tamen in Codicibus *alluere* et *abluere* inter se mutantur, qua de re V. *Drakenborg.* ad *Liv.* 26. 44.

II.) Translate. *Cic. Flacc.* 26. 63. Cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus (*Massilia*) barbariæ fluctibus alluatur.

ALLUS pollex scandens proximum digitum, quod velut insiluisse in alium videatur, quod Græce dicitur ἅλλεσθαι. *Paul. Diac.* p. 7. 21. *Müll.* V. ALLEX et HALLUS.

ALLŪSĬO *vel* adlusio, ōnis, f. 3. (alludo) ludus cum aliquo, seu lusorius ad aliquem accessus. *Arnob.* 7. 23. Si manu viperam mulceas, – petat illa te morsu, – nihilque illa prosit allusio.

ALLŪTĬO, ōnis, f. 3. legitur apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. Præterea post frigidam allutionem balneum sanos quoque incommodat. *Sed ibi legendum est* ablutionem. *V.* quæ diximus in v. ALLŪO I. in fine.

ALLŬVĬES *vel* adluvies, ēi, f. 5. (ad *et* luo) aquarum exundatio, qua loca antea sicca abluuntur et aquis obteguntur (It. *escrescenza d'acque, allagamento, inondazione*; Fr. *eau débordée, débordement, inondation*; Hisp. *avenida, inundacion*; Germ. *das ausgetretene Wasser*; Angl. *a land-flood, inundation of rivers*). *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 7. 1. Romæ et maxime Appiâ ad Martis mira alluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ usque ad piscinam publicam. *Sic leg.* Orellius; *plerique al.* proluvies. *Liv.* 1. 4. In proxima alluvie – pueros exponunt. *h. e.* loco proximo, quo extra ripas suas Tiberis aquæ pertinebant. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 8. Valles, quæ fluminum alluvie et inundationibus creverint, aptas esse vineis asseverat. *h. e.* creverint ex limo et sabulo ab inundante flumine comportato. *Apul.* 11. *Met.* 7. Turbido fluctuum tumore posito, mare quietas alluvies temperabat.

ALLŬVĬO *vel* adluvio, ōnis, f. 3. (ad *et* luo) idem quod alluvies. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Apul. de Mundo* 23. Terra aquarum sæpe alluvionibus mersa. *Avien. Phænom.* 1249. Alluvio salis. ¶ 2. Latiori sensu a JCtis alluvio dicitur incrementum latens, quod agro adjicitur a flumine alluente, et limi terræque aliquid sensim congerente, ita ut ager ille paullatim crescat: illudque additamentum domino agri cedit. *Cajus Dig.* 41. 1. 7. Quod per alluvionem agro nostro flumen adjecit, jure gentium nobis acquiritur. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paullatim adjicitur, ut intelligere non possimus, quantum quoquo temporis momento adjiciatur. *Paul. Dig.* 12. 6. 15. Alluvione aliquid alicui accedere. *Ulp. Dig.* 19. 1. 13. Si decem jugera alluvione accreverint. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Jura alluvionum et circumluvionum. Adde *Callistrat. Dig.* 41. 1. 12.

Homonym. Differunt *alluvio* et *circumluvio*, quod *alluvio* dicitur cum ager ex aliqua tantum parte flumine alluitur et crescit; *circumluvio* cum undique flumine cingitur atque in modum insulæ circumdatur.

ALLŬVĬUM, ii, n. 2. idem significat ac ALLUVIO 2. *Isid. de different. verbor.* n. 40. Alluvium est consumptio riparum ex aquis; colluvium autem congregatio sordium, quæ fit a fluxione multa. Adde *Sidon.* 2. *Ep.* 2.

ALLŬVĬUS ager dicitur, quem paullatim fluvius in agrum reddit. *Var. Auctor. de Limitib.* p. 293. *Goes.*

ALMĬFĬCUS, a, um, adject. qui aliquem almum facit. *Venant.* 2. *Carm.* 21. 2. Nomine cujus (*Christi*) in almifico semperque beato.

ALMĬPŎTENS. *V.* ALTIPOTENS.

ALMĬTAS, ātis, f. 3. (almus) titulus honoris episcopo Ravennati concessus ab ignoto *Imperat.* in *Vet. Papyro* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 5. p. 363. Similiter et episcopos in Romania degentes vestræ cedimus almitati, qui sub vestra existant ordinatione.

ALMĬTĬES, ēi, f. 5. εὐπρέπεια, ut exponitur a *Charis.* 1. p. 25. *Putsch.*, hoc est decor, decora forma. *Paul. Diac.* p. 7. 20. *Müll.* Almities habitus almarum rerum. *h. e.* pulcrarum. *Gloss. Labb.* Almities ἀξίωσις ἀρχῆς, εὐπρέπεια.

ALMUS, a, um, adjectivum est (*ab* alo) poeticum, significans id, quod vitam vel nutrimentum quoquo modo præbet, aut tuetur, quasi *alens*. Itaque de diis dicitur, iis præsertim, qui vitam victumque dare hominibus creduntur, ut sunt Ceres, Venus, (aliis quoque, quibus hoc minus apte convenit, in signum honoris et venerationis: qua ratione etiam sacerdotibus tribui solet): item de tellure, de luce ac die, qua vivendo fruimur et similibus (It. *almo*; Fr. *nourrissant*; Hisp. *nutritivo*; Germ. *heisst Alles wodurch wir Leben und Odem haben, lieb*; Angl. *cherishing*). *Paul. Diac.* p. 7. 9. *Müll.* et cum eo quædam Vet. Gloss. *almum* exponunt etiam sanctum; item pulcrum: quæ notiones in quibusdam scriptorum exemplis locum habere poterunt. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. O Fides alma, apta pinnis et jusjurandum Jovis. *h. e.* vel quia Fides habita est dea, vel quia fide alitur humana societas. *Lucret.* 5. 231. Alma nutrix. *Plaut. Curc.* 2. 3. 79. Invoco almam meam nutricem. *Cic. Arat.* 604. Nereides almæ. *Lucret.* 6. 750. Pallas. *Virg.* 1. *Æn.* 7. Ceres. *Horat.* 1. *Od.* 2. 43. Maja. *Id.* 3. *ibid.* 4. 42. Musæ. *h. e.* studiorum altrices. *Id.* 4. *ibid.* 15. 31. Venus. *Virg.* 2. *Æn.* 591. Alma parens. *h. e.* Venus. *Id.* 10. *ibid.* 215. Phœbe. *Id.* 7. *ibid.* 774. Trivia. *Ovid.* 4. *Fast.* 722. Pales. *Virg.* 10. *Æn.* 252. alma parens Idæa deûm. *Lucret.* 2. 992. alma mater Terra. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 3. et *Seneca Phœniss.* 222. alma Tellus. *Horat.* 4. *Od.* 5. 18. Faustitas. *Tibull.* 1. 11. 67. Pax. *Sil. It.* 11. 12. Carthago. *h. e.* altrix virorum. *Virg.* 6. *Æn.* 74. et 117. Sibylla. *Propert.* 4. 10. 31. alma sacerdos. *Horat. Carm. sæcul.* 9. sol. *Virg.* 8. *Ecl.* 17. et *Horat.* 4. *Od.* 7. 7. dies. *Virg.* 1. *Æn.* 306. lux. *Val. Flacc.* 5. 311. jubar. *Seneca Troad.* 438. et *Med.* 870. nox. quia scilicet quiete nocturna et somno vita maxime alitur. *Lucret.* 2. 390. liquor almus aquarum. *Id.* 2. 969. alma dulcedo. *Horat.* 4. *Od.* 4. 41. alma adorea. *h. e.* gloria, quæ alit virtutem. *Virg.* 2. *G.* 330. almus ager. *Id.* 2. *ibid.* 233. vites. *Stat.* 2. *Achill.* 383. ubera.

ALNEUS, a, um, adject. qui ex alno est. *Vitruv.* 5. 12. 6. Si mollis locus erit, palis ustulatis alneis, aut oleagineis, aut robusteis configatur. Adde *eumd.* 3. 3.

ALNUS, i, f. 2. (It. *alno, ontano*, vulgo *ondro*; Fr. *aune*; Hisp. *alamo*; Germ. *Eller*; Angl. *an aldertree, an alder*) arbor in aquosis et paludosis locis nascens, cortice scabro, ligno molli, foliis latis, rotundioribus, nervosis, et viscido humore obsitis. Ejus materies humido loco defixa quam diutissime durat: cum alioquin extra terram facile corrumpatur: quare apprime utilis est in aquoso loco ædificantibus: ob idque a *Vitruv.* 2. 9. 10. et a *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 99. (219). laudatur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 331.) hanc exhibet synonymiam: Κλήθρα vel Κλήθρη Homer. Odyss. 5. 64. et Κλῆθρος Theophr. 3. 14., *Alnus* Plin. 16. Hist. nat. 26. 45. (108). aliorumque Latinorum, sunt *Alnus glutinosa* DC. Spec. 2109.

I.) Proprie. *Cic.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Alnorum umbracula. *Catull.* 17. 18. alnus suppernata securi. *Virg.* 6. *Ecl.* 63. procera. *Id.* 10. *ibid.* 74. viridis. *Ovid.* 13. *Met.* 790. longa. — Cavatur etiam in tubos ad aquæductus, ut *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 81. (224). scribit. — Et fabricandis navibus est aptissima. Hinc *Virg.* 1. *G.* 136. ait, prima parva navigia fluminibus trajiciendis ex alno cavata fuisse facta his verbis: Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas. *Stat.* 6. *Theb.* 106. Alnus amica fretis. *Sil. It.* 3. 458. Alnus fluminea. *Lucan.* 3. 442. et fluctibus aptior alnus. — Ceterum alnus a Latinis inter *infelices arbores* recensebatur, quia nullum semen aut fructum ferre putabatur, teste *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 45. (108).: quod sane falsum est. — Denique poetæ aliquando fabulantur, Phaetontis sorores ejus casum lamentantes in totidem alnos fuisse conversas: aliquando in populos mutatas dicunt. *Virg.* 6. *Ecl.* 621. Phaetontiadas musco circumdat amaræ Corticis, atque solo proceras erigit alnos. *Claudian. Fescenn. nupt. Honor.* etc. 14. Et Padus electriferis Admoduletur alnis. V. *Virg.* 10. *Æn.* 190.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen a poetis pro navi ponitur *Virg.* 2. *G.* 451. Nec non torrentem undam levis innatat alnus. Cf. *eumd. Virg.* sup. n. I. *Claudian.* 1. *Rapt. Proserp. præf.* 3. Qui dubiis ausus committere flatibus alnum. *Lucan.* 2. 426. nullasque vado qui Macra moratus Alnos. Adde 3. 520. *Sil. It.* 12. 521., *Juvenal.* 3. 266. et *Stat.* 3. *Theb.* 23. ¶ 2. Eadem translatione ponitur etiam pro alia quapiam re ex alno facta. *Lucan.* 2. 486. ut spumeus alnos Discussa compage feras. *h. e.* sublicas pontis. *Id.* 4. 422. obliquas excipit alnos. *h. e.* trabes alneas.

ALO, alis, alui, alitum *et sæpius* altum, alere, a. 3. Cf. Gr. obsoletum ἄλω, in cujus locum successit ἀλδέω et ἀλδαίνω *foveo, nutrio.* — Part. *Alens* I. 2.; *Altus* in omnibus ferme parag. et in fine, quæ forma jam inde ab antiquis temporibus usuvenit, occurrit enim apud *Plaut. Rud.* 3. 4. 36., *Varron.* apud *Non.* p. 237. 15. *Merc.*, et *Cic. Brut.* 10. 39., 6. *Fam.* 1. 6. et 2. *Nat. D.* 46. 118.; dubia vero est lectio apud *Cic. Planc.* 33. 81., *Sall. Jug.* 63. (Cf. *Priscian.* 10. p. 897. *Putsch.*), et *Liv.* 30. 28. (Cf. *Charis.* 3. p. 220. *Putsch.*), in quibus locis alii leg. *altus*, alii vero *alitus*; *Alitus* autem usuvenit sub finem ætatis Augusteæ, quamvis nullâ certâ de causâ, ait enim *Diomed.* 1. p. 371. *Putsch.*: Alor, aleris, altus sum. — Melius est tamen dicere vitandæ ambiguitatis gratia alitus; nam et alimenta dicuntur. Atque hac forma usi sunt *Curt.* 8. 10. 8., *Val. Max.* 3. 4. 4., 7. 2. *ext.* 7., 9. 3. 8., et *Ulpian. Dig.* 27. 3. 1.; *Alendus* I. 2. 3. *d.* — Ceterum *alo* proprie est incrementum do, augeo; qua significatione occurrit tantum in derivato Adjectivo *altus*, *a*, *um*, nisi eâdem accipiendum sit etiam, ut putavit *Forcellinus*, illud *Horat.* 4. *Od.* 2. 5. Monte decurrens velut amnis, imbres Quem super notas aluere ripas. Universim tamen alere significat alimenta præbendo (quamvis differat a verbo *nutrire*, V. Homonym. in fine) sustentare, augere, majus ac prosperum aliquid facere: unde inter se conjunguntur *alere et majus facere* apud *Cic.* 2. *Invent.* 54. 162.; *alere et augere* apud *Lucret.* 5. 221. et 6. 945. et apud *Quintil.* 1. *præfat.* 23., *ali et crescere* apud *Cic.* 3. *Cat.* 11. 26. et 2. *Nat. D.* 4. 23.; *grandescere et ali* apud *Lucret.* 2. 185.; *ali et augeri* apud *Cic. Amic.* 27. 104. et *Nep. Phoc.* 1., *ali et augescere* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50.; *augescere et ali* apud *Melam* 2. 4. 4. (It. *far crescere, alimentare, sostentare, far prosperare*; Fr. *faire grandir, faire croître, nourrir, alimenter*; Hisp. *hacer, hacer crecer, hacer agrandar, alimentar*; Germ. *gross oder hoch machen, gross oder stark machen, gedeihen lassen durch Gewährung von Unterhalt und Nahrung*; Angl. *to increase or support by feeding, to nourish, cherish, feed, support, keep*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de hominibus ceterisque animalibus, et est magnum ac fortem facere nutrimenta ceteraque omnia præbendo. *Livius Andronicus* apud *Paul. Diac.* p. 163. 9. *Müll.* Quem ego nefrendem alui lacteam immulgens opem. *Ter. Eun.* 5. 2. 53. Nutricem accersitum iit, quæ illam aluit parvolam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. In iis animantibus, quæ lacte aluntur. *Virg.* 3. *Ecl.* 30. binos alit ubere fetus. *Ovid.* 9. *Met.* 338. Inque sinu puerum, qui nondum impleverat annum. Dulce ferebat onus tepidique ope lactis alebat. *Curt.* 6. 5. 28. Quâ (*papilla*) muliebris sexus liberos alant. *Cato R. R.* 89. Eodem modo anserem alito, nisi prius dato bibere et bis in die, bis escam. — *Plaut. Rud.* 3. 4. 36. Immo Athenis natus altusque (*h. e.* et adolevit) educatusque Atticis. *Accius* apud *Non.* p. 422. 11. *Merc.* Alui, educavi: id facite gratum ut sit seni. *Varro* apud *Non.* p. 237. 15. *Merc.* Sedens altus alieno sumptu. *Cic. Planc.* 33. 84. Quis est nostrum liberaliter educatus —, cui non locus ille mutus, ubi altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? *Sall. Jug.* 63. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus etc. *Liv.* 30. 28. Cum Hannibale prope nato in prætorio patris fortissimi ducis, alto atque educato inter arma. — *Lucret.* 1. 185. ut noscere possis Quæque suâ de materiâ grandescere alique. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50. Multaque ab ea (*luna*) manant et fluunt, quibus et animantes alantur augescantque et pubescant maturitatemque assequantur, quæ oriuntur e terra. ¶ 2. Latiori sensu est nutrire, ideoque conjungitur cum verbo *sustentare* aut *sustinere*; ut apud *Ter. Adelph.* 3. 4. 35. Alit illas: solus omnem familiam sustentat. *Id. Phorm.* 2. 2. 21. Alere nolunt hominem edacem. *Id. Andr.* 1. 1. 30. Aut equos alere, aut canes ad venandum. *Varro* apud *Non.* p. 440. 14. *Merc.* Ubi graves pascantur alanturque pavonum greges. *Liv.* 38. 17. Deinde (*belluas captas*) cum diu manibus humanis alentur, mitescere. *Cic. Rosc. Am.* 20. 56. Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. *Id.* 1. *Nat. D.* 26. 72. Cum agellus eum non satis aleret, ludi magister fuit. *Id.* 2. *ibid.* 39. 101. Idem (*aer*) spiritu ductus alit et sustentat animantes. *Id.* 1. *Tusc.* 19. 43. Aletur et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. *Id.* 5. *Verr.* 5. 11. Nam ceteris rebus adjuvamur ex illa provincia, hac vero (*frumentariâ*) alimur ac sustinemur. *Id. Cæcin.* 5. 13. Æbutius iste, qui jamdiu Cæsenniæ viduitate aleretur. *Id.* 1. *Off.* 8. 25. Exercitum alere fructibus pecuniæ suæ. *Id. Dejot.* 8. 22. Majores copias alere. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Magnum numerum equitatus suo sumptu alere. *Id.* 4. *ibid.* 4. Alere se alicujus copiis. *Nep. Aristid.* 3. Ali publice. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (27). Viperinis carnibus ali. *Sall. Cat.* 14. Quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat. *Id. ibid.* 37. Eos atque alios omnes malum publicum alebat. *Et paullo ante.* Turba atque seditionibus sine cura aluntur. *Auct. B. G.* 8. 47. Alere se suosque latrociniis. *Hieronym. Ep.* 22. 9. Eliseus filios prophetarum herbis agrestibus alens. — Hac significatione ponitur etiam de regionibus, mari, fluminibus etc., quæ animalia quædam nutriunt. *Lucret.* 2. 1154. Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se (*animantes*). *Horat.* 2. *Sat.* 2. 48. Quid? tunc rhombos minus æquora alebant? *Liv.* 5. 40. Quam (*plebis turbam*) nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumenti poterat. *Curt.* 6. 4. 18. Mare Caspium dulcius ceteris ingentis magnitudinis serpentes alit: pisces longe diversi ab aliis coloris. *Quintil.* 10. 3. 2. Terra generandis alendisque seminibus fecundior. ¶ 3. Ponitur et de inanimis, quæ nutrimento aliquo indigent, aut eidem inserviunt. — *a*) Generatim. *Lucret.* 1. 809. Ideo variis variæ res rebus aluntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Sunt autem stellæ natura flammeæ, quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur. *Id. Tim.* 6. Ita se ipse (*mundus*) consumptione et senio alebat sui. — *b*) De plantis. *Ovid.* 3. *Met.* 411. Gramen erat circa, quod proximus humor alebat. *Tibull.* 1. 10. 47. *metaphorice.* Pax aluit vites et succos condidit uvæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (31). Quin immo nebulis una alitur (*vitis*). *Curt.* 5. 1. 33. Ut si suâ terrâ alerentur (*arbores*). *Id.* 7. 4. 26. Alibi multa arbor et vitis largos mitesque fructus alit. — *c*) De fluminibus. *Tac.* 5. *Hist.* 6. Idem (*Libanus mons*) amnem Jordanem alit funditque. Cf. sub init. hujus vocis *Horat.* 4. *Od.* 2. 5. — *d*) De igne. *Curt.* 4. 3. 4. Quidquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. *Id.* 8. 10. 8. Cæsis — silvis flammam excitaverunt, quæ igni alita oppidanorum sepulcra comprehendit. *Zumptius leg.* igni alito. Adde *Quintil.* 5. 13. 13. *Ovid.* 10. *Met.* 173. longâque alit assuetudine flammas. *Justin.* 4. 1. Alere incendium. — *e*) De cibo aliisque ejusmodi. *Lucret.* 6. 945. Diditur in venas cibus omnes, auget alitque Corporis extremas quoque partes unguiculosque. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Hoc ali staturam, hoc vires nervosque confirmari putant. Adde 4. *ibid.* 1. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 89. (140). Folia clematidos — infantibus illita capillum alunt. *Quintil.* 1. 12. 5. Quorum (*ciborum*) diversitate reficitur stomachus et pluribus — alitur.

II.) Translate est incrementum do, augeo, promoveo. *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 4. Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloriâ. *Id. Brut.* 8. 32. Isocrates forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo est postea consecutus. *Id.* 10. *ibid.* 39. Videsne ut in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia —, quam ea sero prodierit in lucem? *Id. Sext.* 38. 83. Quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna. *Id.* 1. *Cat.* 12. 30. Qui spem Catilinæ mollibus sententiis aluerunt. *Id.* 1. *Off.* 30. 105. Hominis mens discendo alitur et cogitando. *Id. Amic.* 27. 104. Sed nec illa (*studia*) extincta sunt, aluntur que potius et augentur cogitatione et memoria mea. *Id.* 3. *de repub.* 4. 7. Quod illi verbis et artibus aluerant naturæ principia, hi autem institutis et legibus. *Id. Marcell.* 9. 28. Illa vita est tua, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet. *Id.* 3. *Cat.* 11. 26. Memoria vestra nostræ res alentur, sermonibus crescent. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. Quoniam (*civitatem*) ipse semper aluisset omnibusque rebus ornasset. *Forcellinus* h. l. accipit pro fovere, tueri. *Id.* 7. *ibid.* 32. Quod si diutius alatur controversia. *Liv.* 28. 24. Insita hominibus libido alendi de industria rumores. *Virg.* 4. *Æn.* 1. At regina gravi jamdudum saucia cura Vulnus alit venis. *Tibull.* 2. 7. 3. Spes alit agricolas. *Ovid.* 2. *Art. Am.*

152. Dulcibus est verbis mollis alendus amor. *Vellej.* 1. 17. 6. Alit æmulatio ingenia. *Quintil.* 1. 2. 26. Profectus alit æmulatio. *Ovid. Remed. Am.* 746. Divitiis alitur luxuriosus amor. *Sil. It.* 11. 556. Alere animos. *Sueton. Ner.* 40. artem. *Cic.* 1. *Invent.* 3. 4. audaciam. *Id.* 10. *Fam.* 23. 1. et *Liv.* 31. 15. bellum. *Curt.* 6. 6. 12. belli materiam. *Tac.* 4. *Hist.* 18. conatus. *Cic.* 14. *Att.* 11. 1. consuetudinem. *Justin.* 8. 1. contentiones. *Propert.* 4. 4. 70. culpam. *Quintil.* 1. *præfat.* 23. facundiam. *Cic. Brut.* 33. 126. ingenium. *Nep. Phoc.* 1. luxuriam. *Quintil.* 1. 1. 36. memoriam. *Id.* 2. 4. 5. mentem. *Nep. Att.* 21. morbum. *Curt.* 8. 9. 1. otium. *Quintil.* 10. 1. 31. orationem. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 6. orbitatem vitæ. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 18. sitim. *Virg.* 3. *G.* 554. vitium. Adde *Vellej.* 2. 8. 102. *Lucret.* 3. 64. vulnera. — Particip. perf. pass.

Altus, a, um occurrit etiam in Comparativo. *Apic.* 6. 6. 1. Avem sapidiorem et altiorem facies et ei pinguedinem servabis, si etc.

Homonym. Inter se differunt *alere* et *nutrire*: *nutrire* enim significat tantummodo cibum animalibus præbere; *alere* significat non modo cibum, verum etiam ea omnia præbere, quæ animalium vitæ, incremento prosperitatique inserviunt, immo incrementum ipsum ac prosperitatem significat, quæ inde sequuntur, ut apud *Val. Max.* 7. 2. *ext.* 7. Non oportere in urbe nutriri leonem: sin autem sit alitus, obsequi ei convenire. *h. e.* sin autem nutritus creverit etc.

ĂLŎE, es, f. 1. (ἀλόη). *Pallad. loc.* infra *cit.* et *Veget.* 1. *Veter.* 14. neutro genere usurpant, at optimi Codd. et Editt. *Schneideri* feminino.

I.) Proprie est herba scillæ similis amarissimi succi, foliis pinguibus et crassis, et in modicam latitudinem se fundentibus, iisque striatis et in spinulas retusas desinentibus. Gignitur in India et in Arabia. Ejus succus multos habet in medicina usus, sed præcipue solvendæ alvo, cum pæne solus medicamentorum, quæ id præstant, confirmet etiam stomachum, ut *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 5. (14). scribit; ubi addit duo esse ejus genera: alterum arenosum, nigrum, ac durum, quod improbandum; alterum pingue ac nitidum, rufi coloris, friabile, et jocineris modo coactum, quod a *Dioscoride l.* 3. *c.* 25. ἡπατίζον, *h. e.* hepati simile, a *Pallad.* 11. *R. R.* 14. et *Veget.* 2. *Veter.* 17. 5. hepatica, a *Macro c. ult. de aloe* hepatea appellatur. *Cels.* 2. 12. Medicamenta stomachum fere lædunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est. *Id.* 1. 3. Aloen sumere. *Macer. loc. cit.* Sunt aloes species geminæ: quæ subrubet, et quæ intus sicut hepar, cum frangitur: hæc hepatea Dicitur, et magnas habet in medicamine vires: Vilior est, piceo quæ fracta colore videtur. *Scribon. Comp.* 21. Aloe Indica. Apud *Apul. Herb.* 16. Aloe Gallica *est* Gentiana. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 423.) hanc exhibet synonymiam: Ἀλόη Dioscor. 3. 25., *Aloe* Plin. l. c. et Ἀλοὴ Cyprot. recent. sunt *Aloe perfoliata* L. Spec. plant. 458. V. ibidem plura de aloe.

II.) Translate. *Juvenal.* 6. 180. Plus aloes, quam mellis habet, *h. e.* plus amaritudinis, quam dulcedinis.

ĂLŎGĬA, æ, f. 1. ἀλογία, dictum aut actio sine ratione: ab α privativo, et λόγος *ratio.* ¶ 1. Pro dicto aut actione irrationali, inepta et stulta. *Seneca Apocoloc.* 7. Citius mihi verum dicito, ne tibi alogias excutiam. *Petron. fragm. Tragur.* 56. *Burmann.* Non didici geometrias, critica, alogias, menias. *Forcellinus* cum *Burmanno* leg. *et alogias nænias*, atque adjectivorum modo usurpatum affirmabat. ¶ 2. Apud Scriptores Ecclesiasticos est convivium sine sermone. *Augustin. Ep.* 86. *ad Casulan. presbyt.* Quid est autem alogia, quod verbum ex Græca lingua usurpatum est, nisi cum epulis indulgetur, ut a rationis tramite devietur? etc. Sed ille alter quocum eo loco disputat *Augustinus* usurpaverat *paullo supra* eo sensu, quem tunc obtinebat, scilicet pro convivio sine sermone, et cum silentio celebrato, atque adeo intelligebat spiritale animæ convivium ad mensam Domini in Eucharistia, ad quod cum silentio ac pietate accedendum est. Dixerat enim *alogia Domini refici*: ideoque jejunandum esse censebat Dominica die, qua die tale convivium a Christianis celebrari solet. *Augustinus* id arguens vocem eo sensu exponit, quo a Græcis proprie usurpatur. Lege integrum locum.

ĂLŎGISTA. *V.* ANECLOGISTUS.

ĂLŎGUS, a, um, adject. ἄλογος, ratione carens: vox Græca ad α privativo et λόγος *ratio.* ¶ 1. Stricto sensu. *Augustin. Ep.* 86. *ad Casulan.* Animalia ratione carentia dicuntur aloga. ¶ 2. Latiori sensu aloga dicuntur, quæ sibi non respondent, inter quæ nulla interest ratio. Hinc *Capell.* 6. *sub fin.* alogam lineam eam dicit esse, quæ nulla ratione alteri respondet. *Et* 9. *p.* 321. aloga spatia vocum appellat, de quibus rationem reddere, et proportionem assignare non possumus: similiter *ibid. p.* 329. alogos pedes metricos, quorum nulla ratio præstatur, sed incondita quædam compositio profertur.

ĂLŌPĔCĬA, æ, f. 1. (ἀλωπεκία) genus morbi, quo capilli ex capite defluunt, interdum etiam barba: ita dictum ab ἀλώπηξ, εκος, vulpes, quia eo sæpissime laborare vulpes creduntur. *Theod. Priscian.* 1. 6. Alopecia ex cognomento vulpium cognomentum accepit. — Hinc

ĂLŌPĔCĬÆ, arum, f. 1. plur. numero, sunt loca ex quibus capilli defluxerunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 87. (239). Sinapi utuntur ad alopecias, psoras, lepras. *Id. ibid.* 5. 20. (41). Alopecias fricare tusis capitis. *Et* 22. 21. 30. (64). Cinis e radice asphodeli alopecias emendat. *Id.* 28. 8. 31. (1). Alopecias explet cinis hippopotami. *h. e.* capillis explet ea loca, quæ alopeciis glabra facta sunt. *Id.* 32. 4. 14. Alopeciarum inanitas. *Id.* 23. 6. 54. (101). Cotonea cocta in vino alopeciis capillum reddunt.

ĂLŌPĔCĬAS, idis, m. 3. genus piscis marini apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145)., quem *Id.* 9. 43. 67. (145). vulpem marinam appellat. Nam Græce ἀλώπηξ, εκος, vulpem significat. Est *squalus vulpes* juxta *Cuvier.*

ĂLŌPECIŌSUS, a, um, adject. qui capillorum profluvio laborat. Legitur in titulo *c.* 6. *l.* 1. *Theod. Prisciani.*

ĂLŌPĔCIS, idis, f. 3. (ἀλωπεκίς) genus vitis, quæ uvam producit caudas vulpium colore imitantem: ab ἀλώπηξ, εκος, *vulpes. Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42).

ĂLŌPĔCŪROS vel alopecurus, i, f. 2. (ἀλωπεκοῦρος) herba similis vulpinæ caudæ: ab ἀλώπηξ, εκος, *vulpes* et οὐρά *cauda. Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 61. (101). Juxta *Sprengel.* alopecuros Plin. est *Lagurus cylindricus*; juxta *Dalechamp.* est *Saccharum cylindricum*: cl. vero *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 67.) ait plurimas esse graminearum species, quæ hoc nomine donari possunt et reapse donantur, ita ut nihil certi statui posit.

ĂLOSA, æ. *V.* ALUSA.

ALPHA (ἄλφα) indecl. nomen primæ Græcorum litteræ, sicut *beta* (βῆτα) secundæ.

I.) Proprie. *Tertull. Præscript. advers. Hæret.* 50. Hinc *Juvenal.* 14. 209. Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellæ. *h. e.* antequam legere discant.

II.) Translate. Jlocaliter dicitur de eo, qui primas tenet in re aliqua; quemadmodum beta de eo, qui secundas. *Martial.* 5. 26. Quod alpha dixi, Codre, pænulatorum Te nuper, aliqua cum jocarer in charta; Si forte bilem movet hic tibi versus, Dicas licebit beta me togatorum. *Cf. eumd.* 2. 57.

ALPHĂBĒTUM, i, n. 2. series litterarum, ab alpha (ἄλφα) et beta (βῆτα), quæ sunt duo priores Græcorum litteræ. *Tertull. Præscript. advers. Hæret.* 50. et *Hieronym. Ep.* 125. *ad Rusticum.* — Quod addi solet ex titulo *c.* 10. *l.* 37. *Plin. De quibusdam gemmis per alphabeti ordinem*, id nullius est auctoritatis. Nam *l.* 1. *n.* 54. habetur *De gemmis litterarum ordine.*

ALPHĬCUS, a, um, adject. pro eo, qui alpho laborat, legitur a quibusdam apud *Gell.* 4. 2. *V.* ALPHUS et ATYPUS. Eodem sensu accipiendum esse videtur illud *Martial.* 9. 96. Alphicus ante fuit, cœpit nunc Olphicus esse. *Quidam*, ut ait *Forcellinus*, putabant h. l. *alphicum* esse qui alphis medetur; Olphicum autem interpretabantur eum, qui olfacit τὸ αἰδοῖον τῶν γυναικῶν.

ALPHĪTA, orum, n. 2. (ἄλφιτα) proprie farina hordeacea, tum generatim quæ ad victum sunt necessaria. *Auct. Itiner. Alex. M.* 48. ed. *Mai.* Eoque milites jussos quisque secum alphita esui potuive gestitaret, ea cuncti conferrent. Adde *Theod. Priscian.* 1. 30. et V. *Schneider.* ad *Pallad.* 7. *R. R.* 12.

ALPHUS, i, m. 2. (ἀλφός) genus vitiliginis albæ, hoc est morbus, quo cutis maculis quibusdam, ceu guttis albis, subasperis et non continuis fœdatur, ita ut quædam guttæ dispersæ esse videantur, ut describit *Cels.* 5. *sub fin.*, ubi primo Græce usurpat, et *paullo post*: Eos, quos alphos vocari dixi, hoc medicamento perungunt. *Theod. Priscian. de Diæta* 15. Alphos sanare.

ALSIDĒNA, species cæpe apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (101). Cæpe genera apud Græcos — alsidena.

ALSĪNE, es, f. 1. (ἀλσίνη) herba similis helxines, sed minor, minusque hirsuta, nascitur in hortis, et maxime in parietibus: incipit a media hieme, arescit æstate media: cum prorepit, musculorum aures imitatur foliis: hinc myosoton eam quidam appellavere, a μῦς *mus*, et οὖς, ὠτός *auris*: cum teritur, odorem cucumeris reddit. Dicta est ab ἄλσος *lucus*, quod in nemorosis umbrosisque locis provenit. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 8. (23). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 126. et seq.) hanc exhibet synonymiam: Ἀλσίνη, οἱ δὲ μυὸς ὦτα Dioscor. 4. 187. et Galen. de Fac. simpl. med. 6. 134., *Alsine seu myosotis* Plin. l. c. et Oribas. 11. p. 188. sunt *Parietaria cretica* L. Spec. plant. 1492.

ALSIŌSUS, a, um, adject. (algeo), qui frigore facile læditur. *Varr.* 2. *R. R.* 3. 6. Stabulatur pecus melius, ad hibernos exortus si spectat, quod est alsiosum. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 51. (110). Hunc potum bibendum alsiosis. Adde 20. 13. 51. (139). *Id.* 21. 10. 34. (30). *de abrotono et adonio herbis.* Seritur utrumque æstate: alsiosa enim admodum sunt; et sole tamen nimio læduntur. *Nonnulli putant legendum algiosus, quod occurrit in Gloss.* Labb., *est nempe ab algeo.*

ALSIUS, a, um, adject. (algeo) idem quod alsiosus. *Lucret.* 5. 1014. Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus Non ita jam possent, cæli sub tegmine ferre. *Quidam malunt* algida.

ALSIUS a *Cicerone* usurpatur comparative tamquam a positivo *alsus*, quod non est in usu, et significat frigidum, refrigerantem: estque vel a præterito *alsi* verbi *algeo*, vel, ut ait *Furlanetto*, a Græca ἄλσος *lucus*, luci enim æstate jucundum frigus servant. Positivus *alsus* confirmari videtur ab *Inscript.* apud *Gud.* 214. 12. TI. FLAVII ALSI. ubi *Alsi* videtur esse ab *Alsus*, quia in *us* fere desinunt cognomina apud Romanos, nomina vero in *ius*, ut ex. c. P. Gabinius Urbanus. *Cic.* 4. *Att.* 8. 1. Nihil quietius, nihil alsius, nihil amœnius. *Id.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 2. § 5. Jam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius.

ALTĀNUS, i, m. 2. Est ventus qui a terra erumpit, ut *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 44. (111). docet: ita putabat *Forcellinus*, sed *Plinii* locus aliter intelligendus videtur. *Servius* vero ad *Virg.* 7. *Æn.* 27. *Cum venti posuere* scribit flatum omnem, qui ripæ est, aut pelagi, altanum vocari. Et *Isid.* 13. *Orig.* 11. 18. ait *altanum* dici ventum a pelago flantem, quia scilicet ab alto spirat, hoc est mari: fortasse ita appellatus ab Altano oppido Bruttiorum. Denique *Vitruv.* 1. 6. 10. Altanum non tamquam ventum aliquem e terra, aut mari erumpentem accipit, sed enumerat inter ventos ordinarios, qui ab aliqua cæli regione spirant. Itaque scribit: *dextra, et sinistra circa Austrum Euronotus et Altanus flare solet; circa Africum Libonotus et Subvesperus etc.* Quare per *altanum* videtur intelligere ventum flantem inter meridiem et occidentem, medius scilicet inter Africum et Libonotum, h. e. *Sud-sud-est.*

ALTĀR, āris, n. 3. idem quod altare. *Prudent.* περὶ στεφ. 2. *de S. Vincent.* 515. Altar quietem debitam Præstat beatis ossibus. *Et ibid.* 9. *de S. Eulal.* 212. Ossibus altar et impositum. Adde περὶ στεφ. 3. 122. et *V.* voc. seq.

ALTĀRE, is, n. 3., æque ac *Altar, aris* et *Altarium, ii* (quæ V. suis locis) singulari num. est forma a vulgo tantummodo usurpata, ut apud *Petron. Sat.* 135. Œnotea mensam veterem posuit im medio altari. *Paul. Diac. p.* 5. 6. *Müll.* Altare, eo, quod in illo ignis exerescit. Adde *Isid.* 15. *Orig.* 4. 14. et *Vulg. Interpr.* passim. Ceterum apud optimæ notæ Scriptores plur. tantum num. legimus.

ALTĀRĬA, ium, n. plur. 3. Quamvis ratione habita etymi hæc vox ad verba *oleo* et *olesco* referri possit, teste etiam *Paul. Diac. p.* 5. 6. *Müll.*; omnes tamen antiqui, inter quos ipse *Paul. Diac. p.* 29. 10. *Müll.* et *Servius* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 66., eam ab adject. *altus* deducendam esse affirmant. — Altaria, ut ait *Forcellinus*, sunt loca ad sacrificandum apta, in quibus adoletur victima: sed nuper cl. *G. Freund* multis probavit altaria proprie esse gradum super aram elevatum, in quo hostia igni adolebatur: *V.* et Homonym. in fine (It. *altare*; Fr. *autel*; Hisp. *altar*;

Germ. *Altäre*; Angl. *altar*). ¶ 1. Stricto sensu. *Paul. Diac.* p. 5. 8. *Müll.* Altaria sunt, in quibus igni adoletur. *Lucan.* 3. 404. structæ divis altaribus aræ. *Quintil.* 12. *Declam.* 26. Aris altaria imponere. *Alii aliter leg.* *Solin.* 9. *ed. Salmas.* Ara est in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus si qua de extis inferuntur, etc. *Prudent.* περὶ στεφ. 14. *de S. Roman.* 49. Altaris aram funditus pessumdare. *Justin.* etiam huc respexisse videtur, cum inquit 24. 2. Sumptis in manus altaribus etc., ubi tangit veterem morem jurandi tactis aris, de quo *V.* in ARA. ¶ 2. Sæpius latiori sensu usurpatur pro locis ad sacrificandum aptis, in quibus adoletur victima et dona offeruntur; qua significatione et cum *aris* conjungitur, ita ut altaria sint altaria majora. *Lucret.* 4. 1230. et multo sanguine mœsti Conspergunt aras adolentque altaria donis. *Virg.* 7. *Æn.* 71. castis adolet dum altaria donis. *Tac.* 2. *Hist.* 3. Adolere altaria igne puro et precibus. *Virg.* 3. *G.* 490. neque impositis ardent altaria fibris. Adde 5. *Æn.* 54., 8. 285., 11. 50. et 12. 174. *Ovid. Heroid.* 1. 25. Argolici rediere duces, altaria fumant. Adde *eumd.* 2. *Pont.* 3. 99., *Senec. Med.* 39., *Stat.* 1. *Theb.* 556., et quæ loca afferuntur infra in Homonym. — Eadem significatione plurali num. ponitur, licet de uno tantum sermo sit. *Cic.* 1. *Cat.* 9. 24. A cujus altaribus sæpe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti. *Id. Harusp. resp.* 5. 9. Ab altaribus religiosissimis fugatus. *Liv.* 2. 12. Amoverique ab altaribus juvenem jussisset. *Id.* 21. 1. Hannibalem altaribus admotum, tactis sacris, jurejurando adactum. *Tac.* 16. *Ann.* 31. Altaria et aram complexa. *Sueton. Aug.* 94. Infuso super altaria mero.

Homonym. Quamvis ex iis quæ diximus aperte pateat, quid intersit inter *altaria* et *aram*, hic tamen subjicimus quæ *Forcellinus* protulerat: Altare dicitur, si *Festo* credimus et *Servio*, ab *altus*, quia proprie significat suggestum a terra exaltatum, in quo diis tantum superis sacra fiunt: quare differt ab *ara*, quæ humilior est, et tum inferis, tum superis diis convenit. Præterea in ara aut supplicatur, aut libatur tantum, in altari victima adoletur. Ad hæc, altare deorum esse dicitur, ara mortuorum. Hæc afferri solent discrimina ab eruditis, et præsertim a *Serv.* ad 5. *Ecl.* 66. et ad 2. *Æn.* 515. Hinc *Virg.* 5. *Ecl.* 66. en quatuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo (*al. rectius duas*). *aras* primo posuit generali significatione, qua et *altaria* comprehenduntur: deinde distinguit, ut quæ Daphnidi eriguntur, aræ sint, quæ Phœbo, *altaria*. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (138). Ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his (*h. e. lauru et olea*) altaria, aræve debeant. *Plin. Paneg.* 1. Inter aras et altaria. *Lactant.* vero ad *Stat.* 4. *Theb.* 459. hæc ait: Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ piationem facimus. Scrobiculo facto inferis, terrestribus super terram sacrificamus, cælestibus extructis focis: unde etiam nominata sunt altaria, ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum. — Hæ tamen differentiæ non semper a scriptoribus servantur. Promiscue enim *altare* et *ara* passim ponuntur. *Virg.* 8. *Ecl.* 64. molli cinge hæc altaria vitta. Sermo est hic de sacris magicis, quæ inferis diis fiebant. Est etiam aliud discrimen inter *altare* et *aram* (et ipsum tamen perraro servatum), ut ara dicatur proprie suggestus inferior, et veluti pes et fulcimentum, quo mensa, quæ est *altare*, sustinetur. Hinc *Solin.* 9. Ara est in cacumine etc. additis aliis, quæ superius sub 1. retulimus.

ALTĀRĬUM, ii, n. 2. idem quod altare, quam voc. V. *Sever. Sulpic.* 1. *Hist. sacr.* 19. Altarium ex duodecim lapidibus sub monte constituit. *Hieronym. Ep.* 69. *ad Ocean.* Vespere in circo, mane in altario. *Vulg. It.* ed. *Mai. Judic.* 6. 26. Ædificabis altarium Domino Deo tuo. *Inscript.*, quæ pertinet ad a. 191. post Chr. n., apud *Murat.* 344. 3., et apud *Orell.* 2510. ET ALTARIVM CVM COLVMELLA MARMOREA ORNAVIT.

ALTĀTUS, a, um. *V.* ALTO.

ALTĒ, adverb. (altus). Comp. *Altius* et Sup. *Altissime* in omnibus parogr. Est excelse, sublimiter, profunde (It. *in alto, altamente, profondamente*; Fr. *haut, profondément*; Hisp. *alto, altamente, arriba, profundamente*; Germ. *hoch, tief, weit*; Angl. *on high, high, highly, aloft, deeply, low*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Ab inferiori parte ad superiorem ascendendo alte est ad terminum elevatum, ceteris superiorem. — Absolute. *Cato R. R.* 50. Ficos interputato et in vinea ficos subradito alte, ne ea vitis scandat. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 28. Cæsare interfecto statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem Ciceronem nominatim exclamavit. *Id. Orat.* 28. 98. Magnum tamen periculum non adibit: alte enim cadere non potest. *Varro* apud *Non.* p. 79. 16. *Merc.* At nos caduci, naufragi, ut ciconiæ, quarum bipennis fulminis plumas vapor percussit, alte mœsti in terram cecidimus. *Id.* apud *eumd.* 49. 15. Non animadvertis cetarios cum videre volunt in mari thunnos, escendere in malum alte, ut penitus per aquam perspiciant pisces? *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 37. Itaque et arbores et vites et ea quæ sunt humiliora neque se tollere a terra altius possunt etc. *Id. Harusp. resp.* 15. 33. Itaque ne quis meorum imprudens introspicere possit tuam domum —, tollam altius tectum. *Virg.* 4. *Æn.* 443. it stridor, et alte Consternunt terram concusso stipite frondes. *h. e.* altum in terra cumulum facientes. *Pierius* testatur in aliquot exemplaribus legi *altæ*, quod minus elegans est. *Id.* 5. *ibid.* 443. Ostendit dextram insurgens Entellus et alte Extulit. *Id.* 3. *G.* 553. Inque dies avidum surgens caput altius effert. *Id.* 1. *Æn.* 337. Purpureoque alte suras vincire cothurno. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. puer alte cinctus. *h. e.* alte cincta habens vestimenta, ne ministrantem impediat: quem *alticinctum* appellat *Phædrus*, cf. et *Seneca Ep.* 92. *Sueton. Aug.* 94. Cum altissime volasset (*aquila*). *Curt.* 7. 11. 10. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. — Cum Accus., quo altitudinis quantitas vel mensura significatur. *Cato R. R.* 18. 7. Eo calcem cribro succretam indito alte digitos duos. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 6. Atque ita crebro putrem terram duos alte digitos incernemus. — *b*) A superiori parte ad inferiorem descendendo alte est profunde, ad terminum profundum. — Absolute. *Cato R. R.* 36. Amurgam spargas — ad minora (*capita*), urnas cum aquæ dimidio addito, ablaqueato prius non alte. *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50. Cum terra araretur et sulcus altius esset impressum. *Liv.* 1. 41. Ferrum haud alte in corpus descendisse. *Virg.* 3. *G.* 422. Jamque fuga timidum caput abdidit alte. *Id. ibid.* 441. ubi frigidus imber Altius ad vivum persedit. *Id.* 10. *Æn.* 850. alte vulnus adactum. *Ovid.* 6. *Met.* 266. non alte percusso corde sagitta. *Curt.* 4. 6. 18. Quia numquam tam alte penetrasse telum — cognoverant. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 8. Ne radices altius agant. *Seneca* 3. de *Ira* 4. 2. Anhelitus crebri tractique altius gemitus. *Curt.* 7. 10. 14. Humo alte egesta. *Quintil.* 10. 3. 2. Terra altius effossa. *Cels.* 5. 26. 30. Caro alte vulnerata. *Apul.* 2. *Met.* 32. Singulis (*latronibus gladium*) altissime demergo. — Cum Accus., quo profunditatis quantitas vel mensura significatur. *Cato R. R.* 21. 2. Inter cupam dextrâ sinistrâ pertundito late digitos primoris IIII., alte digitos primoris tres. *Colum. de Arbor.* 30. Minimum alte pedem. ¶ 2. Alte latiori sensu est etiam longe lateque, seu valde remote, si agitur de termino procul distante. *Virg.* 6. *Æn.* 142. Ergo alte vestiga oculis et rite repertum Carpe manu. *Stat.* 1. *Theb.* 28. alte radians arcus. *h. e.* sol. *Claudian.* 2. *Rapt. Proserp.* 51. nec pubescentibus alte Cristatus radiis (*Titan*). Cf. infra II. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Eadem significatione transfertur præcipue ad animæ facultates. — *a*) Quo sensu alte est superne. *Cic.* 1. *Tusc.* 34. 82. Video te alte spectare et velle in cælum migrare. Adde 6. *de republ.* 23. 25. *Id.* 3. *ibid.* 3. 4. Quorum animi altius se extulerunt, et aliquid dignum dono deorum — excogitare potuerunt. *Virg.* 10. *Æn.* 813. sævæ jam altius iræ Dardanio surgunt ductori. *Plin.* 8. *Ep.* 4. Ingenium altissime assurgit. *Cels.* 1. *præfat.* Altius aliquid agitare. *Quintil.* 8. 4. 27. Verbis altius atque altius insurgentibus. Adde 11. 3. 65. *Vellej.* 2. 35. Ille dies virtutem Catonis, jam in multis rebus conspicuam atque prænitentem, altissime illuminavit. *h. e.* maxime, ducta translatione a sole, qui, quo est altior, eo majorem effundit lucem. *Albinovan.* 1. 379. Alte natus. *h. e.* nobili genere natus. — *b*) Quo sensu alte est inferne. *Cic.* 2. *Verr.* 7. 19. Indignum iis, qui altius perspiciebant. *h. e.* interius, acutius, melius, ut etiam *Pseudo-Ascon. ibid.* exponit. *Plin.* 5. *Ep.* 15. Altissime inspicere. *Curt.* 6. 7. 35. Altius iram supprimere, *h. e.* abditius occultare. *Tac.* 4. *Ann.* 54. Altius percellere aliquem. *Id. ibid.* 41. Altius metuere. *Id.* 2. *ibid.* 82. Altius animis mœrebant. ¶ 2. Quo sensu alte est longe, remote. *Cic. Cluent.* 21. 58. Incipit longo et alte repetito prooemio respondere. *h. e.* prima quæque rei initia et causas dicendo persequens. *Id.* 1. *Legg.* 6. 18. Alte vero et — a capite, frater, repetis quod quærimus. Adde *eumd.* 4. *de republ.* 4. 4. et *Sext.* 13. 31. et *Quintil.* 11. 1. 62. et 6. 5. 3. *Virg.* 4. *G.* 285. altius omnem Expediam primâ repetens ab origine famam. *Tac.* 4. *Hist.* 12. Bellum altius expedire. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (35). Si cui libeat altius ista persequi. *Id.* 14. *ibid.* 11. 13. (87). Et hinc deinde altius cura serpit.

ALTEGRADĬUS vel altigradius, a, um, adject. alte gradiens et erecto corpore. *Tertull. de veland. virg.* 17. *ad fin. de struthiocamelo.* Bestia brevi capite, protracta cervice, cetera altegradia. *Alii leg.* altegrada et altigrada.

ALTELLUS Romulus dicebatur, quasi altus in tellure, vel quod tellurem suam aleret; sive quod aleretur telis; vel quod a Tatio Sabinorum rege postulatus sit in colloquio pacis, et alternis vicibus audierit locutusque fuerit. Sicut enim fit diminutive a macro macellus, a vafro vafellus, ita ab alterno altellus. *Paul. Diac.* p. 7. 10. *Müll.*, ad quem sane perbene *Jos. Scalig.* Veteres, *inquit*, grammatici, qui tam anxie etyma verborum rimantur, quid aliud, quam cum ratione insaniunt? Rectius fortasse si putes, *altellus* esse deminut. ab *altus* particip. verbi *alo*. *Auct. Thesauri N. Latinit.* ab *A. Mai.* ed. in *Class. Auct.* T. 8. p. 10. Unde altellus Romulus, eo quod a lupa mirabiliter sit altus.

ALTER, altĕra, altĕrum, *gen.* alterius, *dat.* alteri etc. (*ab alius fit Compar.* alter, *ut apud Græcos* ἕτερος *ab* εἷς). *Paul. Diac.* p. 6. 16. *Müll.* hæc habet: Alterum Sinnius ait idem significare, quod apud Græcos ἕτερον. Quidam vero ex utroque esse compositum, ἄλλος et ἕτερος. — Genitivus *alterius* et analogia cum *altus*, *illius* et similibus penultimam habet longam, quamvis aliter sentiat *Forcellinus*: hinc *Terentian.* p. 2432. *Putsch.* Adesto Jambe præpes, et tui tenax Vigoris: adde concitum celer pedem, Nec alterius indigens opis veni. Aliud exemplum ex eodem affert *Priscian.* 6. p. 695. Sæpius tamen in carmine, propter dactylicum pedem, brevis occurrit, quo modo et *illius*. — In Dat. sing. *alteræ* pro *alteri* fem. gen. haud infrequenter occurrit. *Plaut. Rud.* 3. 4. 45. Huic alteræ patria quæ sit, nescio. *Ter. Heaut.* 2. 3. 30. Hoc ipsa in itinere alteræ dum narrat. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 27., *Nep. Eumen.* 1. (ubi tamen alii aliter leg.), et *Colum.* 5. *R. R.* 11. 10. et V. *Priscian.* 6. p. 678. et 13. p. 959. *Putsch.* — Occurrit ferme sing. numero: plurali vero aut cum nominibus, quæ carent singulari, aut tum cum orationis contextus et perspicuitas ita ferunt. *Cic.* 13. *Att.* 22. 3. Alteris jam litteris nihil ad me de Attica. *Curt.* 3. 7. 5. Alteris castris pervenit ad oppidum. *Cato R. R.* 19. 2. Remissarios pedum XII., alteros pedum X., tertios pedum VIII. *Cic.* 5. *Tusc.* 41. 121. Ad Brutumque nostrum hos libros alteros quinque mittemus, *nam et quinque priores de Finibus Bruto inscripserat.* Alia exempla infra afferuntur. — Ceterum *alter* usurpatur de duabus ejusdem generis rebus, ita ut *altera* sit alia quæ uni vel primæ additur, alia præter unam vel primam (It. *l'altro*; Fr. *l'autre*; Hisp. *el otro*; Germ. *der andere*; Angl. *another*). Plura, quæ de hoc vocabolo afferenda sunt, ad duo summa capita redegimus, ita ut *alter* sit I. qui uni vel primo additur, II. ponatur pro uno de duobus.

I.) Alter est qui uni vel primo additur, alius præter unum vel primum; et occurrit uno vel primo *A*) aut significato, *B*) aut omisso.

A) Uno vel primo significato — *a*) Per ejusdem nominis repetitionem. *Cato R. R.* 18. 5. Ibi stipitem statuito: item alterum stipitem. *Id. ibid.* 40. 3. Surculum aridum, quem atriveras, eximito, eo artito surculum, quem inserere voles. — Item alterum surculum, tertium, quartum facito. *Varro* 1. *R. R.* 17. 1. De fundi IIII. partibus, quæ cum solo cohærent, et alteris IIII., quæ extra fundum sunt —, dixi. *Cic.* 4. *Verr.* 76. 187. Erant acceptæ pecuniæ a C. Verrutio C. F., sic tamen ut usque ad alterum R litteræ constarent integræ, reliquæ omnes essent in litura. Alterum, tertium, quartum, permulta erant ejusdemmodi nomina. *Catull.* 5. 7. Da mihi basia mille, deinde centum, Dein mille altera, dein secunda centum. *Virg.* 3. *Ecl.* 71. Aurea mala decem misi: cras altera mittam. — *b*) Præcedente adjectivo numerali *unus*, sed ita ut huic *alter* opponatur sine ulla conjungendi particula: aut hæc

duo inter se connectantur, ut *unus et alter*, *unus vel alter* etc. — *Uni* opponitur *alter* in sequentibus. *Cato R. R.* 41. 1. Vitis insitio una est per ver, altera est cum uva floret: ea optima est. *Ter. Phorm.* 5. 8. 90. PHORM. Una injuria est tecum. CHREM. Lege agito ergo. PHORM. Altera est tecum, Chreme. *Cic.* 2. *Fam.* 4. 1. Reliqua sunt epistolarum genera duo –: unum familiare et jocosum, alterum severum et grave. *Id.* 3. *Herenn.* 20. 33. Duplices similitudines esse debent, unæ rerum, alteræ verborum. *Nep. Phoc.* 3. Erant – duæ factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum. *Liv.* 31. 21. L. Valerio imperat, ut parte una duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in cornua hostium emittat. — *Unus et alter* conjunguntur, et tunc *alter* proprio ac stricto sensu accipiatur, ut *unus et alter* sint duo. *Cic.* 14. *Att.* 18. 1. Ego autem – adductus sum tuis et unis et alteris litteris. *Ovid. Heroid.* 15. 182. Et sub ea versus unus et alter erunt. *Sueton. de illustr. Gramm.* 24. Unum, vel alterum, vel cum plurimos, tres aut quatuor – admittere solebat. — *Unus et alter* conjunguntur etiam ad parvum numerum significandum. *Ter. Andr.* 1. 1. 49. Sed postquam amans accessit pretium pollicens unus et item alter etc. *Donatus* ad h. l. *alter* ait duos significare; nam tres erant amatores, ut *ibid.* 60. dicitur: sed non videtur apta hæc explicatio; non enim *Terentius* vult illis verbis tres omnes amatores complecti, sed ostendere, eos accessisse primo quidem unum, deinde alterum usque ad tres. *Cic. Cluent.* 26. 72. Unus et alter dies intercesserat, cum etc. Adde *ibid.* 13. 28. *Id.* 4. *Verr.* 30. 75. Tum repente iste testes citari jubet: dicit unus et alter breviter. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 74. Versus paullo concinnior unus et alter. *Cic.* 7. *Att.* 8. 2. Quid est enim tantum in uno aut altero die? *Id. Mur.* 21. 43. Neque in uno aut altero animadversum est, sed jam in pluribus. *Id.* 3. *Fam.* 9. 2. Si quem tibi item unum alterumve diem abstulerit. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 21. 2., *Liv.* 4. 35., *Tac.* 4. *Ann.* 17. et 1. *Hist.* 83., et *Sueton. Cal.* 56. *Liv.* 7. 10. Romanus uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina Galli hausit. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 46. et 2. *Hist.* 75. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 2. Non quod in uno vel altero experimento fiat. *Sueton. Cæs.* 90. Uno atque altero frustra nominatis. *Virg.* 3. *Æn.* 356. *uno* omisso: Jamque dies alterque dies processit. — c) In enumerationibus *alter* ponitur pro secundo, præcedentibus *unus*, aut *primus*, aut alio vocabulo ejusdem ferme significationis. — Præcedente *unus* et sequente *plures*, aut *tertius*, *quartus* etc. *Cic.* 6. *Verr.* 29. 66. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari: dies unus, alter, plures: non referri. *Id.* 7. *ibid.* 29. 76. Unum, alterum mensem, prope annum denique domi tuæ piratæ – fuerunt. *Id. Cluent.* 64. 178. Unum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat. *Id. Flacc.* 27. 64. Quamquam quis ignorat – quin tria Græcorum genera sint vere? quorum uni sunt Athenienses, quæ gens Jonum habetur, Æoles alteri, Dores tertii nominabantur. *Id.* 1. *Off.* 43. 152. Nam cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis. — Præcedente *primus*. V. *Caton. R. R.* 157. 1. *Cic. Partit. orat.* 9. 33. In primo conjectura valet, in altero definitio, in tertio ratio. *Id.* 3. *Verr.* 7. 20. Ut primo die populus Rom. judicaret, alter dies amicis istius spem defensionis afferret, tertius dies sic hominem prosterneret, ut etc., deinde reliquis diebus etc. — Præcedente alio nomine, quod unum vel primum significet. *Cic.* 1. *Phil.* 13. 32. Proximo, altero, tertio, denique reliquis consecutis diebus non intermittebas etc. — d) Item *alter* ponitur pro secundo dummodo aliqua habeatur numerorum series, et pluribus modis occurrit. — Additur enim adject. numeralibus, quæ decem, viginti, centum, mille significent. *Cic. Mil.* 35. 98. Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodii et opinor altera. *h. e.* dies centesima secunda. *Liv.* 3. 33. Anno trecentesimo altero quam condita Roma erat. *h. e.* trecentesimo secundo. *Cic.* 12. *Fam.* 25. 1. Litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit. *h. e.* vicesimo secundo. *Liv.* 33. 21. Altero et sexagesimo anno. *Colum.* 12. *R. R.* 41. Post trigesimum et alterum diem lagenam aperire oportebit. *Sueton. Tit.* 11. Excessit – altero et quadragesimo ætatis anno. *Manil.* 4. 466. vicesima et altera lædit. Ita quidem exponunt *Servius* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 39., *Manutius* et *Jos. Scalig.* ad nuper allata loca, eosque secuti alii permulti, etiam recentiores; et quod ad Livium attinet, favet *Dionys. Halic.* l. 10. Alii non minoris eruditionis viri miras his lites excitarunt, contendentes acriter, in hujusmodi et similibus locis *alter* non pro *secundus* poni, sed pro *alius*, ut *alter ab undecimo* sit duodecimus, *vicesimus alter* sit vicesimus primus: aut si malis adhuc *alterum* pro *secundum* poni, ita intelligendum esse, ut *undecimus* et *vicesimus* unum aliquid cum superioribus componat, alter vero huic adjectus sit post illum primus, adeoque de numeris veluti duobus dicatur, ut notat *Ruæus* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 39. ex *Sigon.* l. 1. *emendation.* c. 16., ubi contra *Robertellum* hac de re disputat ad *Liv.* 3. 33. Sane cum dicitur *alterum* poni pro *secundum*, non videtur ita accipi posse, quasi duo significet, sed *unum* post primum. Plura qui volet, adeat *Jos. Castalion. Observation. dec.* 3. c. 1. Ipse *Forcellinus* post numeralia adjectiva *alterum* pro *duobus* positum affirmat apud *Tac. Dial. de Orat.* 34. *extr.* Uno et vicesimo (*ætatis anno*) Cæsar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem – iis orationibus insecuti sunt, quas etc. *Casaubon.* et alii ex historia legendam putant *tertio et vicesimo Cæsar Dolabellam* etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 926. 8. MEMORIAE SEX. VIGELLI AQVINAT. QVI ANN. ATTIGIT CENTENS. SET ALTERVM ET NONAGENS. PERPET. INOFFENSA VALETVD. EXEGIT RELIQVOS SEPTEM ET D. XIIX. DECVBVIT ET OCCVBVIT. *h. e.* nonagesimum secundum. V. *Gesner.* in *Thesaur.* ad v. ALTER § 9. et *Tursellinum* p. 97. edit. Lips. an. 1796. — Cum præpos. *post* aut *ab*. *Cic.* 2. *Off.* 23. 82. Qui (*Ptolemæus*) tum regnabat alter post Alexandream conditam. *Virg.* 5. *Ecl.* 49. Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo. *Forcellinus* retulit ad poster. num *B.* d. et interpretatus est: illi similis, sed post illum. *Id.* 8. *ibid.* 39. Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus. *h. e.* decimus tertius. — Etiam si numerorum series ab orationis contextu tantummodo eruenda sit. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 23. Materiam ferro coercendam censeo usque in alteram vel tertiam gemmam. *Sueton. Cæs.* 41. Pro parte dimidia, – pro parte altera. Et *Ter. Eun.* 5. 4. 3. Nam ut mittam, quod – virginem quam amabat confeci sine molestia, sine sumptu, sine dispendio: tum hoc alterum, id vero est, quod ego etc. *Cic. Senect.* 9. 27. Ne nunc quidem vires desidero adolescentis (is enim erat locus alter de vitiis senectutis) non plus quam etc. *Id. ibid.* 9. 30. Quadriennio post alterum consulatum. *Nep. Pelop.* 4. Hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda ita, ut proxima esset Epaminondæ. *Forcellinus* retulit ad poster. num. *B.* d. et interpretatus est: fuit par virtute Epaminondæ, sed tamen secundum ab eo locum tenuit. *Horat.* 4. *Od.* 5. 31. Alteris te mensis adhibet deum. *Liv.* 31. 14. Altera die, quam a Brundisio solvit, in Macedoniam trajecit. *h. e.* secunda die post. *Sueton. Vit.* 3. Altero die quam correptus est. *Cels.* 4. 12. Altero quoque die vinum vel aquam bibere. *h. e.* secundo quoque die. *Id.* 3. 13. Cibis altero quoque die uti (*oportet*). *Id.* 3. 23. Intermittere diem quartum et invicem alterum quemque oportet. *Colum.* 5. *R. R.* 8. Olea non continuis annis, sed fere altero quoque fructum affert.

B) Omissis *unus* vel *primus*, sæpissime alter ¶ 1. Occurrit pro aliquo nobis extraneo et opposito, unde positum pro *alio* nonnulli et ipse *Forcellinus* putarunt: sed semper ita usurpatur ut duos homines vel bipartitum aliquid significet. — a) Generatim. *Leg. XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. SI INJVRIAM FAXIT ALTERI, VIGINTI QVINQVE AERIS POENAE SVNTO. *Ennius* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 25. Mox dum alterius abligurias bona, quid censes dominis esse animi? *Plaut. Truc.* 1. 2. 58. Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet. *Ter. Andr.* 4. 1. 3. Ut malis gaudeant atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda? *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 39. Qui alteri exitium parat, eum scire oportet paratam pestem ut participet parem. *Cic.* 1. *Off.* 2. 4. Nulla vitæ pars – neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 174. Permutet dominos et cedat in altera jura. *Id.* 1. *ibid.* 14. 11. Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors. *Phædr.* 1. 19. Canis parturiens cum rogasset alteram, Ut fetum in ejus tugurio deponeret. Adde *Senec. Ep.* 66. et 4. *Quæst. nat.* 7. — b) Speciatim ponitur *alter* pro dissimili, diverso. *Horat.* 4. *Od.* 10. 6. quoties te in speculo videris alterum. *h. e.* prorsus diversum ab hoc, qui nunc es, oppositum omnino. — c) Item pro eo qui adversæ parti studet, pro adverso. *Nep. Pelop.* 1. Hac mente amicis suis summas potestates dederant, alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exilium ejecerant. *Sueton. Tib.* 11. studiosiorem partis alterius. *Quintil.* 5. 13. 36. Materiæ – sic – finguntur, ut nihil pro altera parte dici possit. *Liv.* 10. 2. Territique nautæ coguntur naves in alteram ripam amnis transjicere. *Tac.* 2. *Hist.* 90. Postero die, tamquam apud alterius civitatis senatum populumque, magnificam orationem de semetipso prompsit. Et *Horat.* 2. *Od.* 10. 14. Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem bene præparatum Pectus. *h. e.* oppositam sortem; cf. ἅτερος δαίμων. Hinc per euphemismum in auguriis *alter* dicebatur pro non prospero, adverso, teste *Paul. Diac.* p. 7. 1. *Müll.* Alter et pro non bono dicitur, ut in auguriis altera cum appellatur avis, quæ utique prospera non est; sic alter nonnunquam pro adverso dicitur et malo. — d) Eadem significatione et ratione occurrit alter cum Comparativo et particula negativa aut interrogatione, ita ut *nullus alter* sit *nullus secundus*; contra *non alius* esset *inter alios nemo*: occurrit autem et cum Ablat. sine præpos. et sequente part. *quam*. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 21. Vulcanus, Luna – scelestiorem nullum illuxere alterum. *h. e.* illuxere hominem, qui scelere nulli secundus, vel cui scelere nullus est secundus. *Id. Amph.* 1. 1. 1. Qui me alter est audacior homo, aut qui confidentior? Adde *eumd. Cist.* 4. 1. 8. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 40. Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter. *Id.* 1. *ibid.* 5. 33. ad unguem Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus. — Cum Ablat. aut sequente part. *quam*. *Plaut. Asin.* 2. 4. 85. Neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi recte æque putent. *Val. Flacc.* 6. 419. ac forma necis non altera surgit, Quam cervos ubi non Umbro venator edaci, Non penna petit. ¶ 2. Item *alter* ponitur de iis, qui in re aliqua sunt valde similes, seu potius omnino æquales. — a) Cum Nomin. propriis. *Cic.* 7. *Verr.* 33. 87. Qui alterum se Verrem cum luxuria ac nequitia, tum etiam imperio putaret. *Id.* 5. *Tusc.* 19. 56. Cum collega Catulo – pæne altero Lælio. *Liv.* 21. 10. Hamilcar, Mars alter, ut isti volunt. *Sil. It.* 11. 425. Altera Carthago Capua. *Flor.* 3. 5. 15. Hanc ille quasi alteram Romam toto invaserat bello. — b) Cum Nomin. appellativis. *Cic.* 5. *Fam.* 8. 4. Quod me – sicut alterum parentem et observat et diligit. *Id.* 6. *Verr.* 8. 17. Tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumvenit. Adde *Flor.* 2. 6. 42. *Liv.* 5. 49. Dictator – triumphans in urbem redit, – Romulus ac parens patriæ conditorque alter Urbis haud vanis laudibus appellatur. *Eumen. Paneg. ad Constant. Aug.* 14. Fronto Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus. — c) Cum Pronom. *Cic.* 7. *Fam.* 5. 1. Vide quam mihi persuaserim te me esse alterum non modo in iis rebus, quæ ad me ipsum, sed etiam in iis, quæ ad meos pertinent. *Id. Amic.* 21. 80. Est enim is quidem tamquam alter idem. *Auson. præfat.* 2. 15. Communemque habitas alter ego Ausonium. *Forcellinus* hæc tria singulari paragr. distinxerat, et interpretatus est pro eo, qui valde nobis conjunctus est vinculo amicitiæ. *Cic.* 2. *Fam.* 15. 4. Quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui non me plane – de provincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem. *Plin.* 2. *Ep.* 9. Sollicitudinem quasi pro me altero patior. ¶ 3. *Alterum tantum*, ut τοσοῦτον ἕτερα, est aliud tantumdem, scilicet numerus bis est accipiendus sive dato numero æqualis numerus est addendus. *Plaut. Epid.* 3. 4. 85. Immo etiam si alterum tantum perdundum est, perdam potius, quam etc. *Cic. Orat.* 56. 188. Pes, qui adhibetur ad numeros, partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut æqualem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse majorem. *Nep. Eumen.* 8. Illa autem (*via*) – altero tanto longiorem habebat anfractum. *Auct. B. Hisp.* 30. Erat acies XIII. aquilis constituta, cum levi armatura millibus sex: præterea auxiliares accedebant prope alterum tantum. *Liv.* 1. 37. Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero alterum tantum adjecit. *Al. leg.* tantum alterum; *alii* alterum tamen. *Id.* 10. 46. Et militibus ex præda centenos binos æres et alterum tantum centurionibus atque equitibus – divisit. Adde *eumd.* 8. 8. et 45. 40. *Julian. Dig.* 28. 2. 13. Filius altero tanto amplius habebit, quam uxor. *Callistrat. Dig.* 49. 14. 3. *in fin.* Totum cum altero tanto solvere.

II.) Ponitur sæpe *alter* pro uno ex duobus, et pluribus quidem modis, scilicet — *a*) Cum Genit. aut cum Abl. et præp., quibus significatur genus vel ordo, ad quem ambo pertinent. *Cic.* 11. *Att.* 18. 1. Quorum fortasse utrumque erit, alterum certe (*Forcellinus* h. l. accepit pro *alterutro*, quemadmodum et apud *eumd. Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 43. 132. et apud *Liv.* 40. 20., quæ duo *V.* infra sub *b*). *Nep. Epam.* 7. 3. Cum – haberet collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. *Liv.* 40. 59. Alter consulum Q. Fabius triumphavit. Adde *eumd.* 1. 13., *Quintil.* 5. 10. 69. et *Plin.* 1. *Ep.* 7. — *Cic.* 1. *Tusc.* 41. 97. Necesse est enim sit alterum de duobus. *Liv.* 40. 52. Alter ex censoribus petiit ab senatu etc. *Sueton. Aug.* 11. Alterum e consulibus in pugnæ tumultu interemptum. — *b*) Ex ipso orationis contextu genus vel ordo eruenda sunt, ad quæ ambo pertinent. *Cic.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 43. 132. Non potest igitur uterque esse sapiens, quoniam tantopere dissentiunt, sed alter. (*V.* in hoc eodem num. sub *a*). *Nep. Ages.* 8. Nam et staturâ fuit humili – et claudus altero pede. *Id. Pelop.* 4. Spartam cum oppugnavit, alterum tenuit cornu. Adde *eumd. Eum.* 1. *Liv.* 40. 20. Hos tamquam medios nec in alterius favorem inclinatos miserat rex. *Quintil.* 10. 1. 26. Si necesse est in alteram partem errare. Adde 11. 3. 81. et 160. Huc pertinet et formula *consules alter ambove* usitata in senatusconsultis, in quibus aliquid consulibus mandabatur. *Senatuscons.* apud *Cic.* 5. *Phil.* 19. 53. VTIQVE C. PANSA A. HIRTIVS COSS. ALTER AMBOVE, S. E. V., RATIONEM AGRI HABEANT. Adde 8. *ibid.* 11. 33., 9. 7. 16. et 14. 14. 38. *Liv.* 30. 23. Absente consulum altero, ambobusve. *Senatuscons.* apud *Frontin. Aquæd.* 100. *extr.* Q. AELIVS P. FABIVS COSS. AMBO ALTERVE. — *c*) Repetitur eleganter, quo modo *alius* et cetera eodem themate derivata, cum sing., tum plur. numero, vel eodem, vel diverso casu, ita tamen ut in duobus orationis membris *alter* et *alter* parallelo modo sibi respondeant. *Cato R. R.* 38. 9. Si duobus præfurniis coques, lacunâ nihil opus erit. Cum cinere eruto opus erit, altero præfurnio eruito, in altero ignis erit. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 18. Altera manu fert lapidem, panem ostentat alterâ. Adde *eumd. Amph.* 1. 2. 19. et *Bacch.* 4. 4. 68. *Ter. Adelph.* 1. 2. 50. Curemus æquam uterque partem, tu alterum, ego item alterum. *Varro* 2. *R. R.* 2. 2. Quod alteræ (oves) jam nondum, alteræ jam non possunt dare fructus. *Cic. Planc.* 35. 86. Quorum (*consulum*) alter exercitum perdidit, alter vendidit. *Id.* 6. *Fam.* 3. 4. Alteri dimicant, alteri victorem timent. *Id.* 1. *Tusc.* 38. 91. In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? alteri nulli sunt, alteros non attinget. *Cæs.* 7. *B. G.* 59. Namque altera ex parte Bellovaci – instabant, alteram Camulogenus parato atque instructo exercitu tenebat. *Id. ibid.* 17. Quorum alteri – non multum adjuvabant, alteri – celeriter quod habuerunt consumpserunt. *Liv.* 40. 18. Quando duo ordinarii consules ejus anni alter morbo, alter ferro periisset. Adde *Cic. Partit. orat.* 21. 71. et 39. 138., 4. *Fam.* 14. 1., 6. *ibid.* 3. 4. et *Sext.* 45. 96., *Cæs.* 5. *B. G.* 27., *Vellej.* 2. 61. 4., et *Colum.* 12. *R. R. pr.* 6. Nota et illud *Cic.*, ubi plur. numero singularis respondet, 6. *Fam.* 4. 1. Alteros propemodum jam sumus experti, de altero nemo est quin cogitet quam sit metuendus iratus victor armatus. — *NB.* Cum *alter* bis ponitur et ad duo præcedentia refertur, prius priori aliquando respondet, posterius posteriori, ut apud *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Philippum quidem Macedonum regem rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter (*h. e.* Philippus) semper magnus, alter (*h. e.* filius) sæpe turpissimus. *Aliquando tamen, immo sæpius*, res contra se habet, et lectori definienda relinquitur, ut apud *Cic. Quinct.* 1. 1. Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt, summa gratia et eloquentia; quarum alteram (*sc.* eloquentiam) vereor, alteram (*sc.* gratiam) metuo. Adde 1. *Tusc.* 38. 91. superius allatum, 3. *Off.* 10. 45. et 18. 73., et *Rosc. com.* 6. 16. — Si quando in enumerationibus post *alterum* geminatum quis tertius accedat, *alter* eadem pollet significatione. *Seneca Ep.* 66. 39. Alter adolescens decessit, alter senex, aliquis præter hos infans. *Ammian.* 14. 11. Alter in vincula ducitur, alter insperatæ præficitur potestati, alius etc. — *d*) Aliquando *alter* non repetitur, sed secundo loco pro *altero* aut nomen proprium vel pronomen occurrit, aut per anacoluthum *alter* subauditur. *Cic.* 3. *Fin.* 30. 97. Non ego jam Epaminondæ, non Leonidæ mortem hujus morti antepono: quorum alter cum vicisset Lacedæmonios – quæsivit salvusne esset clipeus. – Leonidas autem etc. Adde *Vellej.* 2. 71. 3. *Cic. Rosc. Am.* 6. 17. Nam duo isti sunt T. Roscii, quorum alteri Capitolini cognomen est, iste, qui adest, Magnus vocatur, homines ejusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur, hic autem nuper se ad eum lanistam contulit. Adde *Flor.* 4. 7. 10. *Cic.* 3. *Fin.* 21. 72. Ad easque virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adjungunt et physicam, easque ambas virtutum nomine appellant, alteram, quod habeat rationem etc. *ac post, sc. cap.* 22. § 73., *ait per anacoluthum*: Physicæ quoque etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Hujus lateris alter angulus – ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat. *Liv.* 29. 33. Duæ turmæ hæsere: altera metu dedita hosti, pertinacior in repugnando telis obruta et confixa est. — *e*) Interdum *alter* non geminatur, sed occurrit in secundo tantum orationis membro, eique aut *alteruter* vel *alius* respondet, aut pronomina *hic* vel *ille* adduntur. *Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. 3. Ut – alteruter vestrum ad me veniret, alter – in Siciliam proficisceretur. *Seneca Ep.* 66. 39. Alius inter cœnandum solutus est: alterius continuata mors somno est. — *Plaut. Rud.* 3. 4. 49. Nam huic alteræ patria quæ sit profecto nescio. *Ter. Eun.* 2. 3. 8. Ludum jocumque dices fuisse illum alterum. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 9. Si eritis secuti C. Cæsaris sententiam –, sin illam alteram etc. *Sall. Jug.* 13. In duas partes discedunt Numidæ: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. — *f*) Sæpissime *alter* in uno eodemque orationis membro repetitur, cum sing., tum plur. numero, et quandoque sing. numero etiamsi verbum plurale sit, aut viceversa. *Cato R. R.* 41. 3. Facito ils (*surculis*) medullam cum medulla conjungas artitoque ea, qua terebraveris, alterum ex altera parte. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo: ergo alter alterius ubicumque nactus est ova, frangit. *Id.* 6. *de republ.* 12. 12. Duo hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur. *Nep. Ages.* 1. Horum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat. *Liv.* 1. 40. Uterque vociferari et certatim alter alteri obstrepere. *Quintil.* 7. 7. 2. Si diversum jus esset, alterum altero abrogaretur. — *Sall. Jug.* 81. Postquam (*Carthaginienses et Cyrenenses*) alteri alteros aliquantum attriverant. Adde *ibid.* 42. et 53. — *Cic.* 3. *Fin.* 2. 8. Quod cum accidisset, ut alter alterum necopinato videremus, surrexit statim. *Vulgati libri habent* ut alter ex nobis alterum necopinato videret. *Id. Brut.* 55. 204. Si quidem istis – duæ res maximæ altera alteri defuit. *Liv.* 5. 11. Sergius Virginiusque, noxii ambo, alter in alterum, causam conferunt. *Id.* 40. 16. Quod alter alteri displicetis. *Seneca Ep.* 7. 9. Satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. *Plin.* 6. *Ep.* 5. Mihi peracerbum fuit, quod sunt alter alteri, quid paraverit, indicati. — *g*) Denique interdum in uno eodemque orationis membro *alter* non repetitur, sed ipsi aliud similis significationis vocabulum connectitur. *Plaut. Truc.* 2. 4. 29. Verum tempestas memini cum quondam fuit, cum inter nos sorderemus, unus alteri. *Cic.* 1. *Off.* 1. 4. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate judico, quorum uterque suo studio delectatus contempsit alterum. *Nep. Dion.* 4. Se id utriusque causa facere, ne, cum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. *Sall. Jug.* 21. Deinde utrique alteris freti finitimos – sub imperium suum coegere. *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Neutrum eorum contra alterum juvare. *Quintil.* 2. 9. 2. Ut nemo sit alteri similis. *Id.* 7. *præfat.* 4. Cum tot sæculis nulla reperta sit causa, quæ esset tota alteri similis.

Homonym. *V.* ALIUS.

ALTER, ēris. *V.* HALTER.

ALTERAS ponebant pro eo, quod est adverbium alias. *Paul. Diac. p.* 27. 2. *Müll. Plaut. Truc.* 235. *Both.* Sid is huc alteras. *h. e.* si alias is huc. *V.* et PEDATUS.

ALTERĀTĬO, ōnis, f. 3. Vox barbara: nam quod affertur ex *Quintil.* 10. 1. 19. his verbis: *Lectio non cruda, sed multa alteratione mollita*: legendum profecto est *iteratione*. Certa tamen lectione occurrit apud *Boeth. in Porphyr.* 4. p. 81. Omnis differentia alterius ab altero distantiam facit. Sed hæc, quæ facit alteratum, vel est communis, vel continens, vel cum quodam proprio et magis proprio differentiarum modo: quare quid qualibet ratione ab alio diversum est, alteratum esse dicitur. Si vero accesserit illi diversitati, ut etiam specifica quadam differentia sit diversum, non alteratum solum, verum etiam aliud esse prædicatur. Alteratio igitur continens est, aliud vero intra alterationis spatium continetur: igitur etc.

ALTERĀTUS, a, um. *V.* voc. præc.

ALTERCĀBĬLIS, e, adject. (altercor) altercatione plenus. *Arnob.* 5. 3. Altercabilem sermonem conserere.

ALTERCĀTĬO, ōnis, f. 3. (altercor) contentio, disceptatio cum jurgio, qualis est, cum duo invicem disputant oratione intercisa et intermixtis jurgiis, ita ut post magnum verborum clamorem nihil omnino definiatur, ut ait *Liv.* 33. 17. Admissi plures, dum suas quisque nunc querelas, nunc expostulationes inserunt et æqua iniquis miscent, ex disceptatione altercationem fecerunt: itaque neque remissa ulla re, neque impetrata, æque ac venerunt, omnium incerti, legati Romam redierunt. *Cf. eumd. Liv.* 38. 32. et V. *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 5. *p.* 204. Hinc altercatio est verborum cum jurgiis contentio (It. *altercazione, contesa di parole, riotta*; Fr. *altercation, débat, controverse animé*; Hisp. *altercacion, contienda á disputa de palabras*; Germ. *Wortstreit, Wortkampf, Zank, Zankerei, Streitigkeit*; Angl. *a wranghling or quarrelling, noisy debate, altercation*). ¶ 1. Proprie et generatim. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 11. In maximam illud populi partem est optimum: in pauciores avidos altercatio est. *h. e.* disputabile et controversum est. *Cic.* 1. *Fam.* 2. 1. Idibus Januariis in senatu nihil est confectum, propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli consulis et Caninii tribuni plebis. *Id.* 4. *Att.* 13. Ego – abfuisse me in altercationibus, quas in senatu factas audio, fero non moleste. *Id.* 1. *ibid.* 16. 10. Redeo ad altercationem: surgit pulchellus puer: objicit mihi etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 6. 15. Oritur mihi magna de re altercatio cum Vellejo. Adde *Liv.* 10. 40., et *Val. Max.* 9. 1. 4. *Cic.* 1. *Att.* 16. 8. Altercatione aliquem frangere. *Livius* altercationem perpetuæ orationi opponit 4. 6. Res a perpetuis orationibus in altercationem verterat. *Id.* 4. 53. Rem diu per altercationem ducere. *Id.* 1. 7. Cum altercatione congredi. *Tac.* 4. *Hist.* 7. Paullatim per altercationem ad continuas infestasque orationes provecti sunt. *Sueton. Cæs.* 71. In altercatione barbam invadere. *Id. Tib.* 2. In altercatione et jurgio tribunos pleb. pulsare. *Scribon. Comp.* 181. Verborum altercatio. ¶ 2. Speciatim dicitur de parte actionis forensis, in qua actor et defensor non perpetuâ oratione utuntur, sed interrogationibus utrimque et responsionibus adhibitis etiam aliquando conviciis se petunt: de quo agendi genere *Quintil.* 6. 4. 1. et seqq. præcepta tradit. *Cic. Brut.* 44. 164. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paullo plenius: nulla est enim altercatio clamoribus umquam habita majoribus. Adde *Quintil.* 6. 4. 21. et 10. 1. 35., et *Tac. Dial. de orat.* 34.

ALTERCĀTOR, ōris, m. 3. (altercor) qui altercatur; sed occurrit tantum speciatim (*V.* ALTERCATIO 2.) pro actore vel defensore in actione forensi. *Quintil.* 6. 4. 10. Bonus altercator vitio iracundiæ careat. *Id. ibid.* § 15. Turbidus et clamosus altercator. *Fronto ad Verum Imper.* 1. Scilicet hoc te a centurionibus, vel primipilaribus elegantissimis altercatoribus didicisse? *Cassiod.* 11. *Variar. præfat.* Altercator suavis.

ALTERCĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui altercationem continet. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 4. p. 729. Necessarium igitur, quandoque ad dicentem et non ad positionem argumentari, quando is qui respondet, contraria interroganti observat corroborans; protervientes igitur altercatorias, et non dialecticas faciunt exercitationes.

ALTERCO, as, āvi, ātum, are, *et*

ALTERCOR, āris, ātus sum, āri, dep. 1. (alter). Part. *Altercans* I. *A.* 1.; *Altercandus* I. *A.* 2. Proprie est disputare acriter, jurgium cum aliquo habere (It. *altercare, contendere, contrastare*; Fr. *disputer, être en altercation avec quelqu'un*; Hisp. *altercar*; Germ. *einen Wortwechsel unter sich haben, sich im Wortwechsel streiten*; Angl. *to altercate, dispute, contend*).

I.) Proprie occurrit *A*) aut neutraliter, *B*) aut active.

A) Neutraliter. ¶ 1. Generatim; et occurrit *altercare* vel *altercari cum aliquo*, *inter se*, *alicui*. *Ter. Andr.* 4. 1. 49. Cum patre altercasti dudum. Adde *Apul.* 2. *Met.* 29. et 6. 26. *Pacuvius* apud *Non.* p. 470. *Merc.* Cum illa hic mecum altercata est. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Qua ex frequentia T. Labienus prodit, submissa oratione loqui de pace atque altercari cum Vatinio incipit. *Liv.* 3. 68. Sedemus desides domi, mulierum ritu inter nos altercantes. *P. Syrus* apud *Gell.* 17. 14. Nimium altercando veritas amittitur. — Passive impersonaliter. *Justinian. Institut.* 4. 13. 10. Ne, dum de his altercatur, ipsius negotii disceptatio protelctur. *h. e.* disputatur, contenditur. Cf. *Priscian.* 8. p. 797. et *Non.* p. 470. 7. *Merc.* ¶ 2. Specialim est agere in foro non perpetua oratione, sed interrogationibus et responsionibus cum adversario contendere; *V.* ALTERCATIO 2. *Cic. Brut.* 43. 159. Crassus in altercando invenit parem neminem. *Quintil.* 6. 4. 5. Quidam in dicendo mediocres hac altercandi præstantia meruerunt nomen patronorum. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Concipere animo potes quam simus fatigati, quibus toties agendum, toties altercandum, tam multi testes interrogandi, sublevandi, refutandi.

B) Active significat alternatim loqui, seu rem aliquam ad examen vocare. *Apul.* 2. *Met.* 3. Dum hunc et hujusmodi sermonem altercamur.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 52. Altercante libidinibus tremis ossa pavore.

ALTERCŬLUM et

ALTERCUM, i, n. 2. genus herbæ, quæ et hyoscyamus appellatur. Ab *Apul. Herb.* 4. vocatur *alterculum*; *altercum* vero a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 17. (35). et a *Cæl. Aurel.* 1. *Acut. præfat. Scribon. Compos.* 181. falso putat, dictam esse altercum ex eo, quod qui eam biberint, caput grave venisque distentum habent, et mente abalienantur cum quadam verborum altercatione. *V.* HYOSCYAMUS.

ALTERĬTAS, ātis, f. 3. (alter) conditio ejus rei, quæ altera ab alia fit. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 2. p. 31. Nihil in illis præter alteritatem solam reperire queas, quippe quæ non constituunt species, sed constitutas tam et effectas magis propriis suis qualitatibus ipsæ discriminant. *Id. de Trinit.* p. 958. Principium pluralitatis alteritas est; præter alteritatem enim nec pluralitas quid sit, intelligi potest.

ALTERNĀ, adverb. *V.* ALTERNUS in fine.

ALTERNĀMENTUM, i, n. 2. idem quod alternatio. *Claudian. Mamertin. de statu anim.* 3. 8. Sine alternamento reciproci aeris.

ALTERNĀTIM, adverb. (alternus), alternis, per vices (It. *a vicenda, scambievolmente*; Fr. *alternativement, tour à tour*; Hisp. *alternativamente*; Germ. *wechselsweise*, *Eines um 's Andere*; Angl. *alternately, by turns*). *Claudius Quadrigarius* apud *Non.* p. 76. 11. *Merc.* Item gaudium atque ægritudinem alternatim sequi. *Ammian.* 29. 2. *in fin.* Admovere marmori manus utriusque digitos alternatim et pectori.

ALTERNĀTĬO, ōnis, f. 3. (alternus) per vices successio, ut *Paul. Diac.* p. 7. 8. *Müll.* exponit (It. *vicenda*; Fr. *alternative, succession*; Hisp. *sucesion alternativa*; Germ. *die Abwechselung, der Wechsel*; Angl. *the reciprocal succession of things, alternation*).

I.) Proprie. *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. Communes locos in utramvis partem inventorum alternatione tractare. *h. e.* alternis aliquid inveniendo. *Apul.* 10. *Met.* 10. Pedes incertis alternationibus commovere. *h. e.* modo una, modo alia ratione. *Id. Trismeg.* 30. Innovationem omnium rerum per alternationem facere. Et *ibid.* 27. Alternatio partium.

II.) Translate. Apud JCtos alternatio sumitur interdum pro disjunctione, seu pro enunciatione disjunctiva, ut verbi gratia cum ita loquimur, ut nihil certi definiamus. *Ulp. Dig.* 47. 10. 7. Certum eum dicere, Labeo ait, qui dicat nomen injuriæ, neque sub alternatione, puta illud, aut illud, sed illam injuriam se passum. *Id. Dig.* 13. 4. 2. Mixta rerum alternatio locorum alternationi ex necessitate facit actoris electionem. *h. e.* locorum, vel rerum disjunctiva assignatio, ita ut neque certa res, neque certus locus aliquis assignetur: ut v. g. si quis dare aliquid promisit Ephesi, aut Capuæ, vel qui promisit Stichum, aut Pamphilum. *Id. Dig.* 11. 3. 9. Qui cum extraneo agit, sive receperit, sive corruperit, agere potest: qui cum socio, sine alternatione, id est si corruperit.

ALTERNĀTUS, a, um. *V.* ALTERNO.

ALTERNĒ, adverb. (alternus) alternatim, alternis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). Supercilia homini et pariter et alterne mobilia. *h. e.* ut vel ambo pariter moveantur, vel modo unum, modo alterum. Adde *Scribon. Compos.* 181. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 12. 4. Alterne arcus solis visitur. *Sed lectio est omnino dubia*, V. *Hand. Tursell.* 1. p. 280.

ALTERNIS, adverb. *V.* ALTERNUS in fine.

ALTERNĬTAS, ātis, f. 3. idem ac alternatio. *Priscian.* 2. p. 595. *Putsch.* Quædam (*nomina*) r ante nus habentia, ut noctu nocturnus, diu diurnus, heri alternitatis causa hesternus. *h. e.* alternando s pro r. *Id.* 4. p. 5. 38. Excipitur alternitatis causa, quam Græci ἐπαλληλότητα vocant, unum pando, *pandus*, ne, si *pandidus* dicamus, male sonet alterna *d* in utraque continua syllaba. *Et ibid.* p. 638. *Nutritor* quoque *nutritrix* debuit facere, quod euphoniæ causa, sive alternitatis, mediam syllabam concidit: *nutrix* enim dicimus.

ALTERNO, as, āvi, ātum, are, 1. (alternus). Part. *Alternans B.* I. et II.; *Alternatus A.* I. et II.; *Alternandus A.* I. Proprie est vicissim alterum duorum ponere, intermissi, non continuatā serie ponere; ac propterea *continuare* eidem opponitur, ut apud *Sueton. Ner.* 1. Modo continuare prænomen per ternas personas, modo alternare per singulas. (It. *alternare, mutare a vicenda*; Fr. *faire tour à tour*; Hisp. *alternar*; Germ. *Eins von zweien um 's Andere thun*; Angl. *to do any thing by turns, alter, reciprocate*). Occurrit *A)* active, *B)* neutrorum more sine casu.

A) Active.

I.) Proprie. *Ovid.* 15. *Met.* 409. Alternare vices et quæ modo femina tergo Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam. *Id. Heroid.* 6. 38. alternant spesque timorque fidem. *h. e.* modo fiduciam spes affert, modo timor adimit. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 4. Dabimus operam, ut in ordinibus disponendis pari numero vernaculas et atinias (*ulmos*) alternemus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (92). In fetu summa æquitate alternant (*hirundines*) cibum. *h. e.* ita distribuunt pullis, ut nemo illorum bis, ante quam alius vescatur, accipiat: ita enim scribit *Aristot. l.* 9. *Hist. animal. c.* 7., a quo hæc *Plin.* hausit. *Id.* 15. *ibid.* 3. 3. (12). Oliva alternare fructus cogitur, decussis germinibus. *sc.* quia olea continuo biennio non uberat, ut *Colum.* 5. *R. R.* 9. loquitur. *Id.* 10. *ibid.* 7. 13. (49). Aliæ feminas tantum generant, aut mares; plerumque et alternant. *h. e.* primo marem pariunt, deinde feminam, postea rursus marem, et sic deinceps: vel post binos mares binas pariunt feminas etc.: hoc tamen loco *alternant* et neutrorum more positum esse potest. *Id.* 29. *ibid.* 4. 20. (68). Nervis cervi alternatis et dorcadis. *h. e.* ita illigatis, ut post cervinum nervum sequatur nervus dorcadis, post hunc rursus cervinus, et sic deinceps. *Et* 18. 23. 52. (148). Terra nimis pinguis alternari potest ita, si, etc. gracilior et in annum tertium cesset. *h. e.* ejus satio annum intermitti potest; quod *Virg.* 1. *G.* 71. dixit: *alternis cessare novales*. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 2. Qualitates inter se mixtæ vicibus et alternatæ. *Seneca Ep.* 11. Ex splendidis sordidisque alternata series. *Sil. It.* 9. 92. dum sorte vicissim Alternat portæ excubias. *Id.* 11. 60. Atque alternatos sociato consule fasces. *Id.* 9. 354. inter varias Fortuna utrimque virorum Alternata vices. *Id.* 1. 554. dubio vestigia nisu Alternata trahens. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 16. Si alternis diebus fuerit occurrens accessio, alternandum etiam nutrimentum. *Seneca Tranquill. Anim.* 15. Miscenda tamen ista et alternanda sunt.

II.) Translate *alternare* apud JCtos occurrit eadem significatione, qua ALTERNATIO 2. *Ulp. Dig.* 28. 7. 8. Si sub jurisjurandi conditione sit institutus, aut si decem dederit, hoc est alternata conditione, ut aut pareat conditioni, aut juret.

B) Neutrorum more sine casu, qui tamen facile subintelligitur.

I.) Proprie. — *a)* Absolute. *Virg.* 3. *G.* 220. Illi alternantes magna vi prœlia miscent. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 7. (18). Arborum fertilitas omnium fere alternat, sed maxime fagi. *Id.* 21. *ibid.* 3. 23. (40). Aquæ haustu frigidissimæ, non perinde tactu sunt, alternante hoc bono. — *b)* Cum Ablat. et præp. cum vel sine præp. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (84). Visum jam sæpe jussus canere cœpisse et cum symphonia alternasse. *Id.* 37. *ibid.* 10. 60.(167). Hieracitis alternat milvinis nigrisque veluti plumis. *h. e.* variat colorem.

II.) Translate est aliam post aliam rem perpendere. *Virg.* 4. *Æn.* 287. Hæc alternanti potior sententia visa est. *h. e.* modo hoc, modo illud animo volventi.

ALTERNUS, a, um, adject. (alter) qui vicissitudinem habet, et non continuato, sed intermisso ordine fit (It. *alterno, fatto a vicenda*; Fr. *l'un après l'autre, alternatif*; Hisp. *alternativo*; Germ. *der Eine um den Andern*, *Einer mit dem Andern abwechselnd*; Angl. *aiting or done by turns, one after another, interchangeable, mutual*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. — *a)* Generatim. *Carmen Fratrum Arval.* apud *Orell. Inscript.* vol. 1. p. 391. ALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS. *h. e.* alternis advocabitis cunctos. *Ennius* apud *Charis.* 2. p. 214. *Putsch.* Ignotus juvenum cœtus, alterna vice inibat alacris, Bacchico insultans modo. *Cato R. R.* 59. Vestimenta familiæ tunicam p. IIII. s. saga alternis annis —: sculponeas bonas alternis annis dare oportet. Adde *Varr.* 1. *R. R.* 4. 3., *Colum.* 2. *R. R.* 9. 4. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (29). *Plaut. Trin.* 2. 4. 138. Fulguritæ sunt hic alternæ arbores. *Cic. Cluent.* 51. 140. Cum Brutus duobus recitatoribus constitutis ex duabus ejus orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Alternis trabibus ac saxis. *Liv.* 8. 30. Alternis pæne verbis T. Manlii factum laudantem. *h. e.* verbis aliis post aliis. *Colum.* 12. *R. R.* 48. 3. Alterna tabulata olivarum et salis usque in summum componunt. *Cels.* 3. 2. Bibenda aqua, postero die etiam vinum, deinde invicem alternis diebus modo aqua, modo vinum. *Liv.* 4. 53., *Virg.* 7. *Ecl.* 18. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 146. Alterni versus. *h. e.* amœbei. *Virg.* 5. *Ecl.* 14. Alterna carmina. *Et absolute* 3. *ibid.* 59. Alternis dicetis, amant alterna Camenæ. *Catull.* 109. 6. Alternum fœdus amicitiæ. *h. e.* mutuum. Alii leg. *æternum*, et juxta *Forcellinum* rectius. *Liv.* 28. 25. Alterni metus. *Horat. Art. P.* 81. Alterni sermones. *h. e.* dialogi. *Id.* 1. *Sat.* 8. 40. alterna loqui. *Virg.* 12. *Æn.* 233. Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus. *h. e.* si ita congrediamur, ut tantummodo secundus quisque ineat pugnam: uno verbo, si dimidium nostri exercitus solummodo congrediatur. Sic *Pers.* 5. 155. Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus, oportet, Ancipiti obsequio dominos alternus oberres. *h. e.* ambobus vicissim servias, uni post alium. *Virg.* 5. *Æn.* 376. alterna brachia jactare. *Id.* 6. *ibid.* 121. alterna morte fratrem interimere. *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 34. alterna manu perire. *Id.* 2. *Fast.* 234. alterna manu vulnera dare. *Virg.* 11. *Æn.* 426. alterna fortuna. *Horat.* 1. *Od.* 4. 7. Alterno pede terram quatere. *h. e.* choreas agere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 30. (59). Grues alternis pedibus insistentes. Adde *Quintil.* 11. 3. 128. *Ovid.* 4. *Heroid.* 89. Quod caret alterna requie, durabile non est. *h. e.* requie interposita labori. *Id.* 4. *Pont.* 2. 6. per alternas vices. *Colum.* 3. *R. R.* 2. Alterna vice annorum. *Seneca Ep.* 12. Alternæ mundi vices. *Id. Hippol.* 1028. vicibus alternis. *Lucret.* 5. 976. alterno tempore. *Cels.* 3. 21. Alterno quoque die post cibum vomitus. *Alii leg.* altero. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 18. (46). Alternis diebus vesci. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (4). Alternis annis. *Id.* 2. *ibid.* 82. 84. (197). Alterno pulsu. *Et mox.* Alterno motu. *h. e.* cum motus alter alteri renititur. *Id.* 19. *ibid.* 5. 26. (83). Alterna folia circumobruere. *Quintil.* 6. 3. 65. Alternis gestibus contendere. *Claudian. III. Cons. Honor.* 58. Alterna Thetys. *h. e.* mare fluens et refluens. — Cum Genitivo. *Sil. It.* 9. 295. Alternusque animæ mutando Castore Pollux. — *b)* Specialim ponitur de versibus, quorum alter sit longior, brevior alter, ut in elegis. *Cic. Arch.* 10. 25. Quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis. *Vetus Scholiast.* ad *h. l.* ab *A. Mai.* editus in *Class. Auct. T.* 2. p. 246. Alternos igitur versus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus varios. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 193. Pedes aut choreos, aut herous, aut alternos esse oportebit. *Ovid. Heroid.* 15. 5. Forsitan et quare mea sint alterna requiras. *Id.* 2. *Fast.* 121. et 3. *Trist.* 1. 11. alternum carmen. *Id. ibid.* 7. 10. Alterni pedes. — *c)* Item specialim *alterna consilia rejicere*, *alternorum judicum rejectio* dicebatur in omnibus causis, in quibus rejectio judicum permittebatur, ut scilicet alterna vice reus rejiceret, quos volebat, deinde actor. *Cic. Vatin.* 11. 27. Quoniam crebro usurpas legem te de alternis consiliis rejiciendis tulisse. *Id. Planc.* 15. 36. Non intelligo, quamobrem — de ipso ambitu

rejectionem fieri voluerit judicum alternorum. *Id.* 4. *Verr.* 13. 32. Senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, cum alternæ civitates rejectæ sunt. V. *Orell. Onom. Tull. P. III. p.* 293. ¶ 2. *Alterni* pro ambo vel utrique rarum est, poeticum et serioris tantum ætatis. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 25. nec te mitissimus amnis Dividit: alternas servant prætoria ripas. *Claudian. Cons. Mall. Theod. prol.* 16. Contulit alternas Pythius axis aves. Adde *Auson. Mosell.* 286.

Alterna, Accus. plur. adverbii more positus pro alterna vice. *Apul.* 10. *Met.* 17. Ut – ciliis alterna connivens bibere flagitarem.

Alternis, Ablat. plur. adverbii more positus pro alternatim, alternis vicibus. — *a*) Semel ponitur apud *Lucret.* 1. 525. (518). Alternis igitur nimirum corpus inani Distinctum est. *Liv.* 2. 2. Agere varie, rogando alternis suadendoque cœpit. Adde *Varr.* 3. *R. R.* 16. 9., *Liv.* 4. 53. et 22. 13. et 41., *Virg.* 1. *Ecl.* 71. et 79., *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 3. 2. et *Sueton. Aug.* 82. — *b*) Repetitur. *Seneca Ep.* 120. *ad fin.* Qualitatis veræ tenor permanet: quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt. *h. e.* sunt moribus inconstantes. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Alternis metulæ surgunt, alternis inserta sunt poma. *h. e.* alternis ordinibus.

ALTĔRŌ, adverb. idem quod secundo, sive altero loco. *Festus* p. 371. 16. *Müll.* Vici appellari incipiunt ex agris, qui ibi etc. Altero, cum id genus ædificiorum definitur, quæ continentia sunt his oppidis etc. Tertio, cum id genus ædificiorum definitur, quæ in oppido prive, id est etc.

ALTĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (alter) est aliquid ita mutare, ut ab alio diversum sit, aliquid pejus reddere. Part. *Alterans* et *Alteratus*. Verbum minus Latinum. Affertur ex *Ovid.* 1. *Fast.* 373. Ille suam faciem transformat et alterat arte. Sed *Heins.* cum melioribus libris legit: *sua faciem transformis adulterat arte.* Certa lectione occurrit apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 8. Monendi ægrotantes, ne ultra modum competentem retinendo spiritum, alterent potius tussiculam, quam mitigent. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 3. *p.* 712. Omnia hujusmodi cum magis fiunt, detrahunt a substantia. Quare si aliqua hujusmodi differentiam quispiam assignavit, peccavit; simpliciter enim non alteramur secundum differentias. *Id. in Porphyr. Dial.* 2. *p.* 31. Ut alias partes alterum facientes esse diceret, alias alterantes. Part. *Alteratus* V. in **ALTERATIO**.

ALTERORSUS. *V.* **ALTRORSUS.**

ALTERPLICEM duplicem. *Paul. Diac.* p. 7. 14. *Müll. Lævius poeta* apud *Apul. Apolog.* Tæniæ alterplices bicolores. *Alii aliter legunt.* In *Gloss. Isid.* Muscipulator, deceptor, alterplex. In *Gloss.* et *Excerptis Pithœanis* (quas *Scalig.* falso tribuit *Isidoro*) *p.* 53. Actiplicem (*fortasse* alterplicem), duplicem, dolosum.

ALTERTRA alterutra. *Paul. Diac.* p. 7. 15. *Müll.*

ALTĔRŪTER, altĕrūtra, altĕrūtrum, *Gen.* altĕrūtrius et alterius utrius, *Acc.* alterum utrum, alteram utram, adject. — Gen. *alterius utrius* et Acc. *alterum utrum* apud *Ciceronem* in *Ep.* locis infra citatis a Codice *Medic.* confirmantur; et *Priscian.* 6. p. 693. *Putsch.* docet, plerumque dici *alterutra alterutrius* etc., reperiri tamen etiam usurpata *altera utra, alterum utrum* et *alterius utrius*; et hujus posterioris exempla affert multa (V. infra). — *Charis.* 2. p. 132. *Putsch.* ait dictum fuisse etiam a Veteribus *alterutræ* in Gen. et Dat. fem. pro *alterutrius* et *alterutri*; sed nullo id exemplo confirmat. Apud *Gell.* autem 2. 12., ubi vett. editiones legebant *alterutræ parti sese adjunxerit*, restituendum esse videtur *ad alterutram partem sese adjunxerit.* — Ceterum *alteruter* est alter ex duobus (It. *l'uno o l'altro de' due*; Fr. *l'un des deux, l'un ou l'autre*; Hisp. *el uno ú el otro*; Germ. *der, die, das Eine von beiden*; Angl. *the one or the other, one of two, one or other of two*). Ponitur autem — *a*) Absolute. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 693. *Putsch.* Sed sunt partim, qui duarum rerum alterius utrius causa magistratum petunt. *Cic.* apud *Priscian. l. c.* Quæ igitur potest esse indignitas voluntatis ad molestiam, nisi in magnitudine aut longitudine alterius utrius posita? *Id.* 10. *Att.* 1. 2. Si qui in seditione non alterius utrius partis fuisset. *Id.* 9. *Fam.* 6. 3. Illud ingens malum alterius utrius exercitus. *Id.* 6. *ibid.* 1. 5. Si mihi alterum utrum de eventu atque exitu rerum promittendum esset. *Id. ibid.* 3. 2. Cum necesse sit alterum utrum vincere. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 9. Itaque jam – alteram utram ad conditionem descendere vult Cæsar. *Cic. Marcell.* 7. 21. Si in alterutro peccandum sit, malo videri nimis timidus, quam parum prudens. *Id. Rosc. com.* 6. 17. Dabit enim nobis jam tacite vita acta in alterutram partem firmum et grave testimonium. *Nep. Att.* 2. Neque dari sibi facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 54. Alterutrum velox victoris fronde coronet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (73). Alterutro latere. *Lucan.* 6. 7. alea fati Alterutrum mersura caput. *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 2. Cum victus et cultus humanus, non uti feris in propatulo, sed domi et sub tecto accurandus erat, necessarium fuit alterutrum, foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, intus qui tectis reconderet et custodiret. *Forcellinus* ita legebat cum vett. editionibus, et *alterutrum* pro *utrumque* accipiebat: rectius vero *Schneider.* salva vocabuli significatione legit: *necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, quæ tectis reconderentur.* V. de hoc loco *Hand. Tursell.* 1. p. 282. — Ab *Apul.* 3. *dogm. Plat.* propositiones *alterutræ* appellantur, quæ sunt inter se tum qualitate, tum quantitate contrariæ, et in scholis *contradictoriæ* dici solent, quia necesse est earum alterutram veram esse, ut *Omnis voluptas est bonum*, et *Quædam voluptas non est bonum.* — *b*) *Alterutri* respondet *alter*, aut in duobus orationis membris, aut in uno eodemque sed vario casu. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 3. Ut, si vobis videretur, alteruter vestrum ad me veniret, alter in Sicilia cum ea copia, quam – comparastis – proficisceretur. *Nep. Dion.* 4. Ne, cum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet.

ALTĔRŪTERQUE, altĕrūtraque, altĕrūtrumque, adject. idem quod uterque. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (64). Nec ulla res in cibis aviditatem incitat inhibetque eadem: in causa alterutraque modus est. *Lectio tamen est omnino dubia, et* Hand. Tursell. 1. p. 282. *legendum putat* alterutrimque.

ALTERUTRIMQUE. *V.* voc. præced.

ALTHÆA, æ, f. 1. (ἀλθαία) alterum ex malvarum generibus, silvestre scilicet, cui grande folium et radices candidæ: ita dicta ab excellentia effectus, ut *Plin.* loquitur 20. *Hist. nat.* 21. 84. (222)., nempe ab ἀλθαίνειν *curare, mederi*. Multos enim habet in medicina usus. A Latinis appellatur ibiscum vel hibiscum, teste *Apul. Herb.* 38., *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 11. et *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1., tametsi alii aliam ab hoc esse putant. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 412.) hanc exhibet synonymiam: Ἀλθαία Theophr. 9. 19., Ἰβίσκος Dioscor. 3. 168., Εβίσκος et Ἀλθαία Galen. de Fac. simpl. 6. 5., Ἴβισκον Suid., *Hibiscus* Virg. 2. Ecl. 30. et 10. ibid. 71. et Plin. l. c., *Ibisca mismalva* Carol. Magn. Capit. sunt *Althæa officinalis* L. Spec. plant. 966. et *Althæa* seu *Bismalva* vulgo apud Italos. — De Althæa nom. pr. *V.* ONOM.

ALTĬCINCTUS, a, um, adject. alte cinctas vestes habens, et dicitur de homine negotioso. Tales enim alte cingunt vestimenta, ut in opere expeditiores sint. *Phædr.* 2. 5. Ex alticinctis unus atriensibus. — Dicitur et *alte cinctus*, et fere usurpatur de puero delicato, qui non modo ut expeditior sit verum etiam ad luxuriam, tunica ita alte cincta utatur, ut maximam femorum partem nudet. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit. *Seneca Ep.* 92. *in fin.* Diserte Mæcenas ait: *Nec tumulum curo; sepelit natura relictos*: alte cinctum putes dixisse; habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secum discinxisset.

ALTĬCŎMUS, a, um, adject. altas habens comas, et occurrit translate tantum de arboribus. *Tertull. carm. de judicio Domini c.* 8. Nec sic alticoma est umbra crispata cupressus.

ALTĬGRĂDUS, a, um. *V.* **ALTEGRADIUS.**

ALTĬJŬGUS, a, um, adject. (ut *multijugus*) altum jugum habens. *Paulin. Nolan. Nat. XIII. S. Fel. edit. Murat.* 660. Altijugos montes interjacet.

ALTĬLĀNEUS, a, um, adject. altam seu longam habens lanam. *Servius* ad illud *Virg.* 12. *Æn.* 170. *intonsamque bidentem*, notat, eam quæ hic *intonsa* dicitur, a pontificibus appellari *altilaneam*. Hinc *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. CXLV., quæ apud *Orell.* est 1798. IMMOLAVIT . . . IANO PATRI ARIETES II. IOVI BERBECES II. ALTILANEOS MARTI ARIETES ALTILANEOS II. *Passeri Paralip. ad Dempster. Etrur.* p. 264. *Anxirtates* ait fuisse eos vocatos, quod ἄνευ ξυροῦ, *h. e.* novaculæ expertes essent. Fortasse sunt, de quibus *Varro* 2. *R. R.* 2. Qui lana multa sint et molli, villis altis et densis toto corpore.

ALTĬLIĀRIUS, ii, m. 2. qui altiles aves nutrit et saginat; qui et *fartor* dicitur. *Inscript.* apud *Donat. cl.* 8. *n.* 4., quæ est apud *Orell.* 2866. PRISCVS L. FABII AMBIBOLI AVIARIVS ALTILIARIVS. Alia apud *Murat.* 906. 9. C. IVLIVS AVG. LIB. ALTILIARIVS. *Gloss. Philox.* Altiliarius ὀρνιθοτρόφος.

ALTĬLIS, e, adject. (alo) proprie et generatim est saginatus, pinguis (It. *ingrassato, grasso*; Fr. *engraissé, gras*; Hisp. *engordado, graso*; Germ. *gemästet und daher fett*; Angl. *fat, fatted*).

I.) Proprie. Speciatim ponitur — *a*) De animalibus quæ ali et saginari possunt ad cibum humanum; et dicitur de iis, quæ in villis et cohortibus, seu vivariis inclusa tenentur, ut sunt gallinæ, anseres, anates, item pisces, et quædam etiam quadrupedia, ut lepores etc.; de gallinis præcipue *altilis* erat solemne verbum in legibus annonariis. *Varro* 2. *R. R.* 1. 20. Boves altiles, ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi. *Id.* apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 56. 82. (174). Cochleæ altiles. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (230). Atque etiam farina saginati cossi, hi quoque altiles fiunt. *Id.* 10. *ibid.* 50. 71. (139). Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii cos. XI. annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucre poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis, quod deinde caput per omnes leges ambulavit. Hinc — *b*) Absolute *Altilis*, is cum dicitur, plerumque de avibus altilibus minoribus intelligitur. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 35. Satur altilium. *Juvenal.* 5. 166. ecce dabit jam Semesum leporem atque aliquid de clunibus apri: Ad nos jam veniet minor altilis. Adde *ibid.* 114. — *c*) Ponitur et de plantis. *Plin.* 19. *Hist.* 4. 19. (54). Ecce altiles spectantur asparagi. *h. e.* arte veluti saginati, ponderosi, crassi. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Veron.* 474. 1. Q. POPILLIO Q. L. MACRO HERBARUM ALTILIUM ET LIGNORUM NEGOTIATORI. — *d*) De hominibus aliisque animalibus. *Tertull. de Spectac.* 18. altiles homines dixit athletas ali solitos summa cura, ut essent viribus ad certandum valentissimi. *Auct. Priap.* 32. Collatas sibi quæ suisque membris Formicas facit altiles videri. — *NB.* apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 6. Acceptum sanguinem quodammodo defæcant, et quod in eo aquosum est, venæ in vesicam refundunt, liquidum vero et altilem sanguinem singulis totius corporis membris ministrant. *Forcellinus* sanguinem altilem active accepit pro alente, nutriente; sed etiam h. l. altilis passive accipi posse videtur, ut sit sanguis purus et pinguis, ac propterea alens et nutriens.

II.) Translate pro opulento. *Plaut.* apud *Non.* p. 72. 18. *Merc.* Divitiis maximis, dote altili atque opima.

ALTĬLIS, is, f. *V.* voc. præced. I. b.

ALTĬLĬTAS, ātis, f. 3. *Gloss. Lactant. Placid.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 428. Altilitate ab alendo, id est ipsa res quæ alitur.

ALTĬLOQUIUM, ii, n. 2. sermo sublimis. *Messala Corvin. de Progen. Aug.* 11. Hoc loco, Imperator maxime, cum te persæpe altiloquio tuo disserentem dubitare animadvertissem etc.

ALTĬPENDŬLUS, a, um, adject. qui ex alto pendet. *M. Aurel. Antonin.* inter epist. *Fronton.* ad *M. Cæs.* 4. 6. Aliquot reliquimus altipendulos vindemiæ superstites.

ALTĬPĔTA, æ, adject. comm. gen. alta petens. *Paulin. Nolan. Ep.* 12. a med. Levitas omnis altipeta est.

ALTĬPĔTAX, ācis, adject. comm. gen. idem ac altipeta. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo apud *Strabonem Gallum*, qui scripsit sæc. VII. post Chr. n., quique 6. 1. ait: Altipetax cucurbita. *h. e.* quæ claviculis suis in altum serpit.

ALTĬPŎTENS, entis, adject. qui in alto, hoc est in cælo potest. *Capell.* 2. *p.* 32. *de Mercurio.* Qui solus ante curram Et candidos jugales Altipotens parentis Memorem ciere virgam. *Alii leg.* almipotens. *quod etiam potentem significat, seu alere et fovere potentem.*

ALTĬSŎNUS, a, um, adject. qui in alto, vel ex alto sonat.

I. Proprie. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Septem altisono cardine templum. *Id.* apud *Varr.* 5. *L. L.* 19. p. 8. *Müll.* et 7. *ibid.* 73. p. 148. In altisono cæli clipeo. *Cic. in carm. de Mario* 1. *Divinat.* 47. 106. Hic Jovis altisoni subito pinnata satel-

les. Sic *Seneca Herc. Œt.* 530. Altisonus parens. Et *Claudian. Ep. ad Serenam* 27. Altisonus maritus.

II.) Translate. *Juvenal.* 11. 179. Maronis altisoni carmina. *h. e.* sublimis, grandiloqui.

ALTISPEX, icis, adject. comm. gen. *Accius* in *Astyanacte* apud *Non. p.* 357. 7. *Merc.* Hunc altispicem regionum fac etc. Videntur autem esse verba cujuspiam hortantis, aut jubentis, Astyanactem in altam turrim duci et inde præcipitem dari. Sic tamen legendum plerique putarunt ex conjectura tantummodo.

ALTĪTHRŎNUS, a, um, adject. In alto throno sedens. *Juvenc. in prologo.* Judex altithroni genitoris gloria Christus. Adde *Venant. Fortunat.* 1. *de vita S. Martini* 1. *Id.* 10. *Carm.* 11. 26. Vivat ut altithrono vir sine fine Deo.

ALTĪTŎNANS, antis, adject. comm. gen. qui ex alto tonat. *Ennius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 7. *p.* 119. *Müll.* Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. *Cic. in carm. de suo consul.* 1. *Divinat.* 12. 19. Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo. *Lucret.* 5. 744. Altitonans Vulturnus.

ALTĪTŎNUS, a, um, adject. idem quod altitonans. *Varro* apud *Probum comment.* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Mundus domus est maxima, quam quinque altitonæ flammeæ zonæ cingunt. *Sed omnino dubia est lectio.* V. *Anthol. L. Burmann. T.* 2. *p.* 337., ubi hæc accurate expenduntur et emendantur.

ALTĪTŪDO, inis, f. 3. (altus) excelsitas vel profunditas, sive abstracta qualitas ejus rei, quæ sursum vel deorsum crevit: cui opponitur modo *latitudo*, modo *longitudo*, modo *crassitudo*, ut apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. In hac immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum. Cf. *Vitruv.* 4. 1. 1. *Schneid.* (It. *altezza o profondità*; Fr. *hauteur ou profondeur*; Hisp. *altura ú profondidad*; Germ. *die Höhe, Erhabenheit, oder die Tiefe*; Angl. *highness, depth*).

I.) Proprie. — *a*) Est excelsitas. *Cato R. R.* 22. 2. Si orbes altiores erunt –, orbiculos ligneos pertusos in milliarium in columellam supponito, eo altitudinem temperato. Eodem modo latitudinem temperato. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Altitudo ædium. *Tac.* 15. *Ann.* 43. ædificiorum. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 19. 52. montium. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Altitudines montium. Et absolute sine Gen. *montium* usus est *Liv.* 27. 18. Ad id fore altitudines, quas cepissent hostes, ut per præcipitia et prærupta salientes fugerent. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Altitudo navis. *Nep. Them.* 6. muri. *Tac.* 3. *Hist.* 20. et 30. mœnium. *Cæs.* 2. *B. G.* 5. Vallum in altitudinem pedum XII. — *b*) Item profunditas. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Etenim prope est spelunca quædam, conversa ad aquilonem, infinitā altitudine. *Id.* 7. *ibid.* 27. 68. Totum (*opus*) est e saxo in mirandam altitudinem depresso. *Id.* 1. *Divinat.* 43. 97. Cum ad infinitam altitudinem terra resedisset. *Auct. B. G.* 8. 9. Vallis magis in altitudinem depressa, quam late patens. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Altitudo fluminis. *Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 14. 1. In profundam altitudinem maris se demittere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Concavæ speluncarum altitudines. *Cels.* 7. 7. Altitudo plagæ.

II.) Translate — *a*) A sublimitatis notione, ponitur de re quacumque alta et sublimi, ac præcipue de animo. *Cic. Brut.* 17. 66. Elatio atque altitudo orationis. *Id. Rabir. Post.* 16. 43. Altitudo fortunæ et gloriæ. *Id. Partit. orat.* 22. 77. Altitudo animi. *h. e.* fortitudo in capiendis incommodis et maxime injuriis. Adde *eumd.* 3. *Fam.* 10. 10., 4. *ibid.* 13. 4.; et *Liv.* 4. 6. *extr.* ubi *altitudo animi* est magnitudo, magnanimitas, et cum modestia et æquitate jungitur. *Gell.* 17. 2. Demonstrat altitudinem animi fiduciamque. — *b*) Translate a profunditatis notione, ponitur de animo penitus recondito, cujus sensa non facile ab aliquo reteguntur, Græce βαθύτης, ut legimus in *Cic.* 4. *Att.* 6. 3., 5. 10. 3. et 6. 1. 2. *Sall. Jug.* 100. Ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis. *h. e.* velut profundum quoddam alteque demersum ingenium ac penitus reconditum. V. *Kritz* et *Dietsch* ad h. l. Simili ratione *altitudo animi* dicitur, qua præditus non facile detegit animi motus, sed novit abdere diu, cum res postulat. Hanc *Tac.* 3. *Ann.* 44. Tiberio tribuit, quem valde tectum semper fuisse tum ex eodem *Tacito*, tum ex *Suetonio* notum est: en *Taciti* verba: Tanto impensius in securitatem compositus (*Tiberius*), neque loco neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit altitudine animi, an compererat modica esse et vulgatis leviora. *Ernestus* recte cum hoc loco confert illud *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 16. ex alto dissimulare. *Tac.* 4. *Hist.* 86. Domitianus – modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiæ imagine in altitudinem conditus, studiumque litterarum et amorem simulans, quo velaret animum et fratris æmulationi subduceretur. *Ciceronem* quoque hac notione usurpasse 1. *Off.* 25. 88. putavit *Muretus* apud *Verburg.*, qui cum multis ita legebat et explicabat, nam alii *lenitudo*, vel *lentitudo*; quod magis *Forcellino* placebat: sed *Orell.* legit *altitudo*, quæ recentioribus pro animi sublimitate seu magnanimitate accipienda esse rectius videtur.

ALTĬUSCŬLĒ, adverb. (altiusculus) aliquantum alte. *Apul.* 8. *Met.* 31. Altiuscule suspensus. *Id.* 2. *ibid.* 7. Fasciola prænitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula.

ALTĬUSCŬLUS, a, um, adject. Compar. deminut. ab *altus* vel ab *altior*, aliquantum altus. *Sueton. Aug.* 73. Usus est calceamentis altiusculis, ut procerior, quam erat, videretur.

ALTĬVĂGUS, a, um, adject. qui alte vagatur. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo apud *Sisebutum* Visigothorum in Hispania regem ab a 612. ad 620. post Chr. n. in *Anthol. Burmann. T.* 2. *p.* 329.

ALTĬVŎLANS, antis, adject. comm. gen. qui alte volat. *Lucret.* 5. 434. Altivolans solis rota. Cf. *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. *Auson. Technopægn. de hist.* Altivolans grus. — Hinc absolute *altivolantes*, um, f. sunt volucres. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. At Romulus pulcher in alto quærit Aventino servans genus altivolantum.

ALTĬVŎLUS, a, um, adject. idem ac altivolans. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 19. 21. (42). Aves uncos ungues habentes sunt omnes fere altivolæ, præter nocturnas.

ALTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Altatus.* Est in altum tollo, extollo. *Sidon. in carm. Ep.* 9. *l.* 8. Altat lamina marginem comarum. *Id.* 2. *ibid.* 2. Jam ver decedit æstati, et per lineas sol altatus extremas in axem Scythicum porrigitur.

ALTOR, ōris, m. 3. (alo) qui alit atque educat (It. *nutritore*; Fr. *celui qui nourrit*; Hisp. *sustentador*; Germ. *der Erhalter und Ernährer*; Angl. *a nourisher, cherisher*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 34. 86. Omnium rerum, quæ natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor est mundus. *In quibusdam MSS.* Grutero *teste legitur* alitor. *Sall.* apud *Lactant.* 1. 21. *ad fin.* Curetes altores Jovis. *Seneca Herc. Fur.* 1247. Sive me altorem vocas, seu tu parentem. *h. e.* nutricium. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 101., *Tac.* 6. *Ann.* 37. et *Stat.* 2. *Silv.* 1. 69. *Nemes. Cyneg.* 297. Succi altores. — *Altoris* nomine terram coluit Antiquitas, quia ex ea aluntur omnia, quæ nata, ut ait *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 23. *extr.*, et ut habetur etiam in *Varr. Fragm. p.* 226. ed. *Bip.* — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

ALTRINSĔCUS, adverb. (alter et insequi, *vel quasi* alterim secus) proprie est ex altera parte (It. *dall'altra parte*; Fr. *de l'autre coté*; Hisp. *de la otra parte*; Germ. *von oder auf der anderen Seite*; Angl. *on either side*). ¶ 1. Stricto sensu est ex altera parte. — *a*) Absolute. *Plaut. Merc.* 5. 4. 16. Perge, ego assistam jam hinc altrinsecus. *Id. Pseud.* 1. 3. 123. Pseudole, assiste altrinsecus. *Id. Rud.* 4. 4. 154. Post altrinsecus est securicula ancipes (*in crepundiis*). *Id. Pseud.* 3. 2. 73. et *Mil. glor.* 2. 5. 36. Altrinsecus tenere vel retinere aliquem. *Apul.* 1. *Met.* 21. Videsne – fenestras, quæ foris urbem prospiciunt et altrinsecus fores proximum respicientes angiportum? *Id.* 2. *ibid.* 18. Gladiolo solito cinctus altrinsecus. *h. e.* ad alterum latus. — *b*) Cum Genit. *Apul.* 3. *Met.* 17. Altrinsecus ædium. ¶ 2. Est etiam ex una duarum partium aut ex altera. *Lactant.* 8. *de Opif. Dei* 6. Quarum (*aurium*) duplicitas incredibile est quantam pulcritudinem præferat, quod cum pars utraque similitudine ornata est, tum et venientes altrinsecus voces colliguntur. *h. e.* venientes sive ab una, sive ab altera parte. *Pacat. Panegyr. ad Theod.* 2. Mihi vero ii omnes, quibus altrinsecus jactor, æstus diu ante meditati longeque prospecti sunt. *Forcellinus* de his duobus locis dixerat: Videtur etiam significare ex utraque parte. ¶ 3. Significat etiam ex utraque parte. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. Tunc gingivis (*lanam*) altrinsecus imponemus, hoc est interiori atque exteriori parti. *Ammian.* 25. 7. Quo ignobili decreto confirmato – obsidatus specie viri celebres altrinsecus dantur, Nevita et Victor ex parte nostrorum –, ex parte vero diversa Bineses. Adde *Pacat. Paneg.* ad *Theod.* 33., *Trebell. Gallien. p.* 309. et *Fulgent. p.* 560. 9. *Merc.*

ALTRIX, icis, f. 3. (altor) quæ alit (It. *che alimenta, altrice, nutrice*; Fr. *celle qui nourrit, nourrice*; Hisp. *sustentante*; Germ. *die Erhalterin und Ernäherin*; Angl. *a female nourisher, cherisher*). — *a*) Occurrit generatim. *Pacuvius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 18. *p.* 126. *Müll.* Calydonia altrix terra exsuperantum virûm. *Cic. Tim.* 10. Jam vero terram, altricem nostram – antiquissimam deorum omnium voluit esse. *Id. Flacc.* 26. 62. Ut – eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur. *Virg.* 3. *Æn.* 273. Et terram altricem sævi execramur Ulixi. *Horat.* 3. *Od.* 4. 10. altrix Apulia. *Ovid.* 4. *Met.* 293. Ida altrix. *Sil. It.* 1. 218. Altrix bellorum bellatorumque virorum Tellus. *Val. Flacc.* 7. 325. Altricem nivem aspicere. *Plin. Paneg.* 28. Altricem amare patriam. *Apul. de Mundo* 1. Genitrix atque altrix animantium omnium tellus. — *NB.* Neutr. gen. *Ennod.* 1. *Ep.* 18. Sæpe mihi labor efficax inquirenti altricia terga fulvi ostendit elementi. *h. e.* auri. — *b*) Speciatim sumitur pro nutrice (It. *balia*; Fr. *nourrice*; Hisp. *ama*; Germ. *die Amme*; Angl. *a nurse*). *Cic. in carm.* 1. *Divinat.* 12. 20. Hic silvestris erat Romani nominis altrix Martia, quæ parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat. *Propert.* 4. 1. 38. Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam. *Ovid.* 11. *Met.* 683. altrici, quæ luctus causa, roganti, Nulla, ait Halcyone, nulla est. *Stat.* 1. *Theb.* 602. et 2. *Silv.* 1. 96. animasque a stirpe recentes Abripere altricum gremiis. Adde *Senec. Hippol.* 251. et *Herc. Œt.* 450., et *Gell.* 12. 1. *a med.*

ALTRORSUS, contracte pro *altrovorsus*, *V.* voc. seq., adverb. in aliam partem. *Apul.* 9. *Met.* 28. Pudicissima illa uxore altrorsus disclusa. *Quidam legunt* alterorsus.

ALTRŎVORSUM, adverb. (alter et vorto seu verto) versus alteram partem. *Plaut. Cas.* 3. 2. 25. Verum altrovorsum cum eam mecum rationem puto. *h. e.* cum ex altera parte considero, seu rem ipsam in alteram partem verto et considero.

ALTUM, i, n. 2. *V.* ALTUS in fine.

ALTUS, a, um, adject. Comp. *Altior* et Superl. *Altissimus* in omnibus ferme paragr. Proprie est Particip. præter. pass. ab *alo*, latissima significatione, ita ut altus sit magnus factus, seu qui sursum vel deorsum incrementum accepit, ut ipse ait *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 3. Altum – et superiorem et inferiorem altitudinem significat: namque mensuræ nomen est altitudo (It. *alto o profondo*; Fr. *haut ou profond*; Hisp. *alto ú profundo*; Germ. *hoch oder tief*; Angl. *high or deep*).

I.) Proprie. — *a*) Est sublimis, excelsus; et occurrit — α) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Tosti alti stant parietes. *Id.* apud *eumd.* 1. *ibid.* 16. 37. Adsum atque advenio Acherunte vix viā altā atque arduā per speluncas saxis structas asperis pendentibus. *Accius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 11. *p.* 122. *Müll.* In quos delatus locos dicitur alto ab limine cæli. *Lucret.* 2. 30. Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 51. Tanta vis inerat in verbis propter earum rerum – dignitatem, ut altior fieres, ut interdum insisteres. *Id.* 2. *Nat. D.* 40. 101. Restat ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens cæli complexus. *Virg.* 12. *Æn.* 295. Desuper altus equo graviter ferit. *Horat. Epod.* 16. 52. Nec intumescit alta viperis humus. *Vitruv.* 4. 3. 1. *Schneid.* Necesse est triglyphos constitui – metopasque – æque longas esse quam altas. *Colum.* 1. *R. R.* 9. 4. Vineæ non sic altos quemadmodum latos et lacertosos viros exigunt. Hinc *Lucret.* 3. 198. Altus acervus. *Varro* 2. *R. R.* 2. 3. Alti villi ovium. *Virg.* 1. *Ecl.* 84. et 3. *G.* 412. montes. *Id.* 3. *G.* 393. nemora. *Ovid.* 3. *Met.* 179. silvæ. *Virg.* 4. *G.* 227. cœlum. *Id.* 2. *Æn.* 219. cervices. *Id.* 7. *ibid.* 275. præsepia. *Id.* 9. *ibid.* 325. tapetes. *Id.* 4. *ibid.* 685. gradus altos evadere. *Id.* 4. *G.* 107. *de avibus.* iter altum ire. *Id.* 9. *Æn.* 403. lunam altam suspicere. *Seneca Hippol.* 1037. altam jubam erigere. *Curt.* 8. 11. 6. Cujus (*petræ*) ima spatiosiora sunt, altiora in arctius coeunt, summa in acutum cacumen exurgunt. — Speciatim, eodem sensu, et de mari ponitur quod a littore longe remotum multas habet aquas et a fondo altiores. (*V. Altum*, i in fine). *Columna Duillii* apud *Orell. Inscript.* 549. DICTATORED OL . . . OM EX ALTOD MARID PVGN . . .

h. e. in alto mari pugnâ vicit. Livius Andronicus apud Macrob. 6. Saturn. 5. Tu qui permensus maria alta velivola. Id. apud Priscian. 6. p. 723. Putsch. eque in alta maria, præcipem, inops, ægra sanitatis herois. Vetus poeta apud Varr. 7. L. L. 23. p. 127. Müll. Ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus. — β) Cum Accus. mensuræ. Cato R. R. 15. 1. Maceriam – altam pedes v. facito. Id. ibid. 18. 2. Stipites – alti cum cardinibus pedes x. Superiorem partem arborum digitos sex altam facito siet. Adde ibid. 18. 1., 22. 4. et 151. 3. Sall. apud Arus. Mess. p. 215. Lindem. Clausi lateribus altis pedem. — γ) Cum Genit. mensuræ. Varro apud Plin. 36. Hist. nat. 13. 19. (91). Singula latera pedum tricenûm, alta quinquagenûm. Adde eumd. ibid. § 92. et 93. Vitruv. 4. 3. 4. Schneid. Supra epistylium collocandi sunt triglyphi cum suis metopis alti unius et dimidiati moduli, lati in fronte unius moduli. Id. 10. 13. 4. Schneid. Turrem autem minimam ait oportere fieri ne minus altam cubitorum LX. Adde eumd. ibid. 8. 2. Colum. 8. R. R. 14. 1. Cohors – clauditur altâ novem pedum maceriâ. — δ) Cum Ablat. mensuræ, qui frequentior in comparationibus. Pallad. 1. R. R. 38. 2. Podia ternis alta pedibus fabricentur. Cato R. R. 19. 1. In vasa vinaria stipites arboresque binis pedibus altiores facito. Cic. 2. Legg. 26. 66. Nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem etc. — b) Item profundus. — α) Absolute. Ennius apud Cic. 1. Tusc. 16. 37. Aperto ex ostio altæ Acheruntis. Id. 1. ibid. 21. 48. Acherusia templa alta Orci, pallida leti, obnubila tenebris loca. Id. apud Varr. 7. L. L. 21. p. 127. Müll. Hisque Hellesponto pontem contendit in alto. Plaut. Mil. glor. 4. 4. 14. Non tu scis, cum ex alto puteo sursum ad summum escenderis, maximum periculum inde esse a summo ne rursum cadas. Cic. 3. Tusc. 6. 13. Ita sunt altæ stirpes stultitiæ. h. e. in profundum defixæ. Id. 4. Phil. 5. 13. Altissimæ radices. Cæs. 1. B. C. 25. Altior aqua. Id. 4. B. G. 2. Flumen latissimum atque altissimum. Id. 3. B. C. 77. et Curt. 7. 4. 13. Altissima flumina. Virg. 4. G. 359. Alta flumina. Id. 6. Ecl. 76. gurges. Id. 7. Æn. 799. mare. Id. 1. ibid. 428. alta fundamenta theatri. Id. 5. ibid. 243. altus portus. Id. 6. ibid. 599. et Sil. It. 4. 292. sub pectore alto. Id. 6. Æn. 237. alta spelunca. Seneca Troad. 18., Sil. It. 17. 337., Petron. Satyr. 136. et Gell. 5. 2. altum vulnus. — β) Cum Accus. mensuræ. Cato R. R. 18. 3. Fundamenta bona facito alta pedes v. Adde ibid. § 6. — γ) Cum Ablat. mensuræ. Pallad. 2. R. R. 10. 3. Quod si scrobes fieri placeat, faciemus tribus pedibus altas, duobus semis latas, tribus longas.

II.) Translate — a) Qua sublimem significat, altum est quidquid in sublimi gradu positum est: et dicitur — α) Generatim de pluribus. Cic. Cluent. 55. 150. Cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi Rom. esset consecutus. Id. Dom. 37. 98. Altissimus dignitatis gradus. Id. 1. Phil. 6. 14. Altissimus amplissimusque dignitatis gradus. Id. Sext. 9. 20. In altissimo gradu positus. Curt. 6. 6. Altissima quæque fortuna. Horat. 4. Od. 9. 42. Judex alto vultu rejicit dona nocentium. h. e. vultu despicienti. Adde Petron. Satyr. 5. Et ibid. 91. altum supercilium. Cic. Orat. 57. 192. Aristoteles neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat. Liv. 2. 27. Cui curatio altior fastigio suo data esset. Virg. 1. G. 486. et alte Per noctem resonare lupis ululantibus urbes. Id. 1. Æn. 7. et Ovid. 1. Trist. 3. 33. alta Roma. Virg. 4. Æn. 97. et Propert. 2. 1. 23. Carthago. — β) Speciatim tribuitur voci, et alta vox est plenior, canora, ut ab omnibus exaudiri possit. Seneca Troad. 196. Hæc fatus alta voce. Catull. 42. 18. Conclamate iterum altiore voce. Quintil. 11. 3. 23. Altissimus sonus. Sil. It. 16. 398. vocibus altis. — γ) Speciatim tribuitur et sæpe diis, item hominibus ad excellentiam eorum declarandam ac dignitatem. Virg. 12. Æn. 140. rex ætheris altus Juppiter. Id. 10. ibid. 875. et 6. ibid. 9. altus Apollo. Ovid. 2. Art. Am. 38. altus Juppiter. Horat. 3. Od. 4. 37. altus Cæsar. Claud. epigr. 22. de chlamyd. et fren. 11. altissime princeps. — δ) Sæpissime ponitur de animo, qui sublimia cogitat et sentit, nec non de re maximi pretii. Cic. 2. Tusc. 4. 11. Te natura excelsum quemdam videlicet et altum et humana despicientem genuit. Id. 5. ibid. 10. 31. Magnus et altus vir. Id. 3. Fin. 8. 29. Vir altus et excellens, magno animo, vere fortis. Id. Mil. 8. 21. Homo sapiens et alta mente præditus, multa vidit. Id. 5. Fin. 20. 57. Altiore animo esse. Liv. 21. 2. Alta indoles. Auct. B. Afr. 18. 5. Altus et erectus animus. Quintil. 6. procem. 7. Placida et alta mens. Forcellinus alio sensu accipiebat; atque ipsi erat mens tranquilla, ut solent esse maria alta. Cic. Amic. 9. 32. Nihil altum, nihil magnificum et divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Virg. 3. G. 42. Te sine nil altum mens inchoat. Curt. 9. 3. 9. Altior nostro animo cogitatio. Ovid. Heroid. 4. 150. fastus altaque verba. Id. 4. Trist. 1. 44. spiritus altior. (V. Altum, (in fine B. a.). Plin. 9. Ep. 33. Altissimum planeque poeticum ingenium. Id. 5. ibid. 16. Altioribus se studiis artibusque dedere. Quintil. 8. 3. 2. Altiores artes. Id. 2. 1. 3. disciplinæ. Plin. 1. Ep. 10. Altissimæ conditiones. h. e. utilissimæ. — ε) Altus denique ponitur et de iis, quæ antiqua sunt, vetusta ideoque nobilia et veneranda. Horat. 2. Sat. 5. 62. ab alto demissum genus Æneâ. Virg. 6. Æn. 500. genus alto a sanguine Teucri. Adde 9. ibid. 697. Ovid. 4. Fast. 305. Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto. Seneca Herc. fur. 338. nobiles non sunt mihi Avi, nec altis inclytum titulis genus. Val. Flacc. 3. 202. alta gente satus. Sil. It. 8. 440. nomen memorabile ab alto Saturno. Id. ibid. 407. Tullo sanguis ab alto. Id. 1. 26. Hic Juno ante Argos (sic credidit alta vetustas) Ante Agamemnoniam etc. h. e. valde antiqua et veneranda, primi ab origine homines. Plura congessit Heins. ad Ovid. loc. cit. — b) Translate ab altera notione, qua profundum significat; et speciatim ponitur — α) De somno, quiete et silentio. Horat. 2. Sat. 1. 8. et Liv. 7. 35. Somnus altus. Curt. 9. 8. 26. Altior somnus. Virg. 8. Æn. 27. sopor. Id. 6. ibid. 522. quies. Plin. 2. Ep. 1. Tranquillitas altissima. Id. 9. ibid. 3. otium. Virg. 10. Æn. 63. silentia. Seneca Consol. ad Marc. 5. et Quintil. 10. 3. 22. silentium. — β) De animi motibus, præcipue tristibus. Virg. 1. Æn. 209. Premere altum corde dolorem. Id. 11. ibid. 633. altus gemitus. Seneca 2. Rhet. controv. 10. Altiores gemitus. Tac. 16. Ann. 29. Altior pavor. Petron. Satyr. 128. Et mentem timor altus habebat. h. e. qui penitus insedit. Plin. Paneg. 47. Altus pudor. — γ) De intellectu. Quintil. 3. 8. 42. Altior quæstio. Id. 8. 3. 21. Altior intellectus. Id. 9. 3. 15. Alta prudentia. Plin. 4. Ep. 30 Altissima eruditio. — δ) Præcipue ponitur de intima, ut ita dicam, animi parte. Liv. 9. 7. Silentium illud obstinatum et pudorem intuendæ lucis ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse. Virg. 1. Æn. 6. manet alta mente repostum Judicium Paridis etc. Seneca 1. de Ira 16. Non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod ajunt, animo inhærere. — ε) Hinc altus est etiam tectus, reconditus, simulatus. Virg. 10. Æn. 625. sin altior istis Sub precibus venia ulla patet. Curt. 10. 2. 19. Subest nimirum altius malum, quod omnes avertit a me. Id. 6. 11. 28. Altiore consilio aliquid concipere. h. e. velut imo pectore inito. Id. 10. 9. 8. Alta dissimulatione premere consilium. Tac. 2. Hist. 91. Altiorem iracundiam alicujus vereri. Vopisc. Numerian. 14. Denique ut erat altus, risit et tacuit. h. e. tectus, simulator, suorum affectuum celator. V. ALTITUDO II. b.

Altum, i, n. 2. absolute substantivorum more usurpatur

A) Proprie. — a) Qua altus significat excelsum. — α) Generatim. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 108. Et simul ex alto longe pulcherrima præpes læva volavit avis. Virg. 1. Æn. 301. Hæc ait et Maja genitum demittit ab alto. h. e. e cælo. Id. 1. G. 323. Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris Collectæ ex alto nubes. Id. ibid. 443. urget ab alto Notus. Liv. 44. 11. Nec minus (in mare), quam in altum magnitudine Athos mons excurrit. Plin. 2. Hist. nat. 38. 38. (103). Vapor ex alto cadit rursumque in altum redit. Horat. 2. Od. 3. 19. extructis in altum Divitiis potietur heres. h. e. acervis auri, argenti etc. accumulatis. Quintil. 8. 3. 10. Surgentia in altum cacumina oleæ. Et Cic. 5. Verr. 41. 98. tropice. Sic est hic ordo (senatorius) quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiæ circumflari posse videatur. Seneca Agam. 100. Quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat. — β) Speciatim ponitur pro mari alto et a littore remoto. Ennius apud Servium ad Virg. 1. Æn. 224. Rapit ex alto naves velivolas. Plaut. Mil. glor. 2. 1. 39. Ubi sumus profecti in altum, id quod volunt, capiunt prædones navem illam, ubi vectus fui. Cæs. 4. B. G. 24. Quod naves – nisi in alto constitui non poterant. Id. ibid. 28. Naves in altum provectæ. Cic. 7. Verr. 32. 84. Ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Virg. 1. Æn. 3. Multum ille et terris jactatus et alto. Hinc Plaut. Men. 2. 1. 2. Ex alto procul terram conspicere. Auct. B. Afr. 53. 1. In altum vela dare. Cic. 2. Invent. 31. 95. Alto jactari. Id. ibid. 32. 92. Cum magna in alto tempestas esset. Id. 4. Fin. 23. 64. Ex alto emergere. Sil. It. 6. 665. Alto mersa classis. Curt. 4. 2. In altum præcipitare. Virg. 3. Æn. 192. altum tenere. — γ) Item de loco eminenti atque edito. Liv. 44. 11. In altum eminere. Id. 36. 15. In altum excurrere. Mela 2. 2. 11. Abire in altum. Id. 1. 7. 2. Projectum esse in altum. — b) Qua significat profundum. Curt. 8. 10. 24. Infra quas (moles) cavernæ et voragines longa vetustate in altum cavatæ jacent. Colum. 11. R. R. 3. 64. Cum subjacentis soli duritia non patitur in altum descendere (rapas). Cod. Theod. 10. 19. 14. Defossis in altum cuniculis. Et Quintil. 20. 7. 28. tropice. Innatans illa verborum facilitas in altum reduceretur. Cæl. Aurel. 3. Acut. 3. Sin vero (humor) in alto (h. e. in imis fundibus) fuerit constitutus.

B) Translate — a) A prima notione, qua excelsum significat — α) Generatim. Liv. 1. 34. Excelsa et alta sperare complexa virum jubet. Id. 4. 13. Ad altiora et non concessa tendere. Sueton. Cæs. 26. Altiora jam meditans. — β) Speciatim translate ab ea notione, qua mare significat. Plaut. Asin. 1. 3. 6. Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert. Cic. 3. Orat. 36. 145. Repente te quasi quidam æstus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu pæne omnium abstraxit. Id. 4. Tusc. 18. 42. Ipsa sibi imbecillitas indulget in altumque provehitur imprudens, nec reperit locum consistendi. — γ) Item speciatim ponitur de loco aut tempore valde remoto, unde ex alto petere aut repetere aliquid, est dicendo sermonem a primis causis et initiis rei inchoare, longe petito principio uti. Cf. adverb. ALTE II. 2. Accius apud Non. p. 237. 22. Merc. Cur vetera tam ex alto appetissis discidia? Cic. 2. Fam. 5. 1. Scribis enim – quæ – scripserim, – quoniam ex alto repetita sint, non necessaria te putasse. Virg. 8. Æn. 395. Quid causas petis ex alto? — b) Translate ab altera notione, qua profundum significat. Ovid. 2. Amor. 4. 16. Velle, sed ex alto dissimulare puto.

ALTUS vel alitus, a, um. Part. præter. v. ALO, quod V.

ALTUS, us. m. 4. (alo) alitura, alimentum. In sexto casu singulari Macrob. 1. Saturn. 20. in fin. Terræ vel rerum naturæ altu nutritur universitas.

ĀLŪCINĀTIO vel allucinatio vel hallucinatio, ōnis, f. 3. (alucinor). De ratione scribendi V. ALUCINOR. Est error, oscitantia et quædam velut dissolutio animi non advertentis, aut advertere nolentis (It. sbaglio, errore, aberrazione, idee vane e chimeriche; Fr. reverie, illusion, delire; Hisp. desvario, delirio; Germ. Träumerei, Tändelei, Spielerei; Angl. carelessness, blundering, error, hallucination). — a) Sæpius in malam partem. Seneca Vit. beata 26. Sic vestras alucinationes fero, quemadmodum Juppiter ineptias poetarum. Arnob. 6. 8. Utrumne istud serio et cum proposito faciatis gravi, an ridendo res ipsas puerili alucinatione ludatis. Id. 4. 36. Quando animum desidem otiosis vultis alucinationibus occupari. — b) Raro in bonam partem. Non. p. 121. 20. Merc. Delicatissimæ mentis et corporis alucinationes. V. ALUCINOR a.

ĀLŪCINĀTOR vel allucinator vel hallucinator, ōris, m. 3. qui alucinatur. Paul. Diac. p. 75. 17. Müll. Elucum significat languidum ac semisomnum, vel, ut alii volunt, alucinatorem et nugarum amatorem, sive halonem, id est hesterno vino languentem, quod ἠλέον vocitant Græci.

ĀLŪCINĀTŌRIUS, a, um, adject. qui alucinationem inducit, captiosus. Boeth. Aristot. Elench. sophist. 1. 10. p. 741. Syllogismus contentiosus et sophisticus unus quidem est apparens syllogismus circa ea, de quibus dialectica tentativa est, quamvis vera sit conclusio; nam ejus quod est propter quid, alucinatorius est

ĀLŪCINOR vel allucinor vel hallucinor, aris, atus sum, ari, dep. 1. Part. Alucinans sub a. — Variæ sunt [illegible]

ria significatione; ex quibus nascitur etiam varia ratio scribendi. Sunt qui putant factum esse ab *allus*, seu *hallus*, quæ vox apud *Paul. Diac.* significat majorem pedis digitum, ut *hallucinor* vel *allucinor* scribendum sit, et proprie significet pedem illidere, offendere, impingere; per translationem vero aberrare, falli. *Gell.* etiam 2. 3. testatur, ab antiquis *hallucinor* cum aspiratione fuisse scriptum. Alii a præverbio (quod vocant) *a* et *luce* conflatum existimant, et dici de iis, qui a luce aberrant, vel potius (quod placet *Voss. in Etymol.*) de iis, qui in nimiam lucem incidentes, oculis veluti capti, minus vident, vel prave cernunt quæ objiciuntur: ideoque scribendum *allucinor*, quasi *adlucinor*, hoc est ad lucem offendo. *Fulgent. de prisco serm. n.* 54. scribit, *allucinari* idem esse, ac vana somniare, tractum ab *allucitis*, hoc est culicibus: quæ notio sane non displicet; sed in origine assignanda videtur vigilans somniare. Nuperrime *Döderlein* (*Latein. Synon. vol.* 3. *p.* 70.) hanc vocem cum verbo *hariolari* conjungendam esse minus recte putavit. Alii denique, atque in his *Cloatius Verus* apud *Gell.* 16. 12. factum putant a Græco ἀλύω, quod significat errabunda mente esse; hinc *alucinari* proprie significare incerta mente atque intellectu esse circa rem aliquam, et in ea intelligenda non consistere, ut etiam *Non.* exponit *p.* 121. *Merc.*, atque adeo oscitantia quadam, aut negligentia advertendi male intelligere, ut somniantibus accidit, ex alia in aliam rem sine advertentia transeuntibus; et ita falli, decipi, errare. Hinc unica *l* scribendum esse, et sine aspiratione; quæ scribendi ratio placet *Manutio*, et *Dausquio in Orthograph.* Hæc videtur esse propria hujus verbi notio: varias autem illas origines alii expenderint (It. *sbagliare*, *prendere sbaglio*, *fallare*, *ingannarsi*; Fr. *dormir éveillé*, *délirer*, *extravaguer*; Hisp. *disparatar*, *hablar con extravagancia*; Germ. *tändeln*, *träumen*, *in's Blaue hinein schwatzen*; Angl. *to err*, *blunder*, *overlook*, *mistake*). Occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic.* 15. *Att.* 29. 2. Ego tamen suspicor hunc, ut solet, alucinari. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 11. 1. Sed quemadmodum coram cum sumus, sermo nobis deesse non solet, sic epistolæ nostræ debent interdum alucinari. *h. e.* inquit *Manut.* certa re non proposita loqui, huc illuc errantium more ferri. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 26. Ne fur aut bestia alucinantem pastorem decipiat. *Gell.* 4. 20. Tamquam illud indicium vagi animi et alucinantis et fluxæ atque apertæ securitatis. *Id.* 16. 12. Item alucinari factum scripsit (*Cloatius Verus*) ex eo, quod dicitur Græce ἀλύειν, unde elucum quoque esse dictum putat, *a* litterâ in *e* versâ, tarditatem quamdam animi et stuporem, qui alucinantibus plerumque usuvenit. — Apud *Apul.* usurpatum videtur pro decipere, fallere, seu potius gestibus ludere, jocari, *Florid.* 4. n. 18. Quod hic (*in scæna*) alias mimus alucinatur, comœdus sermocinatur, tragœdus vociferatur, funerepus periclitatur etc. Cf. *Non.* in voc. ALUCINATIO *b.* — *b*) Cum Accus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 26. 72. Ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quæ Epicurus oscitans alucinatus est. *h. e.* falsa rerum imaginatione et specie deceptus commentus est.

ALUCĪTĂ vel allucita, æ, f. 1. *Petron. fragm. Satyr.* p. 674. *Burm.* Contubernales (al. *vernales*) me alucitæ molestabant. *Fulgent. de prisco serm. n.* 54. p. 566. 25. *Merc.* interpretatur κώνωπας, hoc est culices, qui nimirum dormientes infestant. Alii intelligunt negotiosos homines, qui officia lucis et diei pervertunt, et noctu peragunt, interdiu stertentes: ducuntque a præverbio *a* et *luceo*, quasi lucifugas. *Papias* exponit *somniatores*. Cf. *Döderlein* (*Latein. Synon. vol.* 6. *p.*16.) affirmat hanc vocem proprie significare avem nocturnam. Alii denique aliter legunt. *V.* vocem præced.

ALŪCUS, i, m. 2., avis eadem quæ ulula, ita dicta, quod lucem fugit. *Servius* ad illud *Virg.* 8. *Ecl.* 55. *Certent et cycnis ululæ*, scribit *aves esse* ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν *nominatas*, *quas vulgo alucos vocant.* Alii leg. *ulucos* eodem sensu. *Gloss. Philox.* Alucus, bubo, νυκτικόραξ. Videtur esse idem ac elucus.

ALUM, i, n. 2. (Cf. Gr. ἀλλᾶς; et *alo* autem factum est *allium*; conjungi potest hæc vox etiam cum verbo *halare*). ¶ 1. Alum est allii quoddam genus in agris sponte nascens, quod adversus improbitatem alitum depascentium semina coctum, ne renasci possit, abjicitur, statimque quæ devoravere aves, stupentes manu capiuntur. Ita *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (116). Cf. *Fée* (*Op. cit. T.* 2. *p.* 326.) hujusmodi inesse sic cocto vim negat, atque hanc exhibet synonymiam: Ὀφιοσκόροδον Galen. de facult. simpl. 7. p. 280. et Dioscor. 2. 182., *Allium arvense alum dictum* Plin. l. c. sunt *Allium oleraceum* L. Spec. plant. 429. ¶ 2. Est etiam herba similis cunilæ bubulæ, foliis parvis, ramis tribus aut quatuor a radice, cacuminibus thymi, surculosa, odorata, gustu dulcis, salivam ciens, radice longa rutila; nascitur in petris. Scribitur et *halus*. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 6. 24. (41). Alum nos vocamus, Græci symphyton petræum, simile cunilæ etc. *Id.* 26. *ibid.* 7. 26. (42). Halus autem, quam Galli sic vocant, Veneti cotoneam, medetur lateri. *V.* ALUS. Cf. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 435.) negat hoc alum esse *Symphytum officinale* L., et hanc exhibet synonymiam: Σύμφυτον πετραῖον Dioscor. 4. 9. et Galen. de Facult. simpl. med. 233., *Halus* Plin. lib. 26. cit. et *Alus* ejusd. Plin. lib. 27. cit., Scribon. Comp. 83., Plin. Valerian. 3. 22. et Apul. Herb. 59. sunt *Coris monspeliensis* L. Spec. plant. 252.

ĀLŪMEN, inis, n. 3. *Isid.* 15. *Orig.* 2. ait alumen vocatum a lumine, quod lumen coloribus præstat tingendis. *Forcellinus* malebat ab ἰάλωμαι præter. perf. pass. verbi ἀλύω *foveo*, *tempore macero*; at *Döderlein* (*Latein. Synon. vol.* 6. *p.* 16.) rectius fortasse deducit ab ἄλοιμα, quod significat *unguentum*. — Est autem salsugo terræ ad crystalli colorem accedens: Græci στυπτηρίαν vocaverunt ἀπὸ τοῦ στύφειν, quod est adstringere: habet enim in medicina vim adstringendi (It. *allume*; Fr. *alun*; Hisp. *alumbre*; Germ. *der Alaun*; Angl. *alum*). Duo ejus potissima genera sunt, liquidum, et concretum. *Liquidum* aliud est candidum, aliud nigrum. Fit autem omne ex aqua limoque, hoc est terræ exudantis natura: corrivatum hieme æstivis solibus maturatur. Laudatissimum fit in Ægypto, proximum in Melo insula, quod inde Melinum appellatur. Alumen *concretum* in varia genera et ipsum dividitur, quorum præcipuum est quod Græci σχιστὴν, στυπτηρίαν, Latini *scissile*, et *scissum*, et *fissum* vocant. Hoc fit e lapide chalcite, in capillamenta quædam canescentia dehiscens; estque velut sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus. Hæc ex *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (183)., ubi *Harduin.* notat nostrum alumen, quod *de rocca* Itali appellant, in ea *Plinii* descriptione designatum non videri. Alii contra putant esse illud, quo infectores etiam utuntur, *h. e.* Ægyptium. Viderint alii. Memoratur et a *Claudio Quadrigario* apud *Gell.* 15. 1., *Vitruv.* 2. 6. 1. et 8. 3. 1. edente *Schneid.*, *Cels.* 5. 5. et 6., *Colum.* 6. *R. R.* 13. 1. et *Scribon. Comp.* 47., 57., 86.

ĀLŪMINĀRIUS, ii, m. 2. est vel artifex, qui circa alumen laborat, vel negotiator, qui alumen vendit. *Inscript.* apud *Grut.* 642. 9. C. TERENTIVS C. C. L. ANTEROS ALVMINARIVS. Cf. *Orell. Inscript.* 4302. ibique annotata.

ĀLŪMINĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *alumino*, *as*, ut *aqua aluminata*, quæ transit per venas aluminis, apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 32. (18). Adde *Marcell. Empir.* 25.

ĀLŪMINŌSUS, a, um, adject. aluminatus, ut *aluminosi fontes*. *Vitruv.* 8. 3. 4. Adde *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (18).

ĀLUMNA, æ. *V.* ALUMNUS.

ĀLUMNO, as, avi, atum, are, a. 1. (alo). Part. *Alumnans*, *Alumnatus* et *Alumnandus*. Est alere, educare, sustentare (It. *nutrire*, *allevare*, *educare*; Fr. *nourrir*, *élever*; Hisp. *alimentar*, *cultivar*; Germ. *erhalten und aufziehen*; Angl. *to nourish*, *cherish*). *Apul.* 10. *Met.* 33. Natam puellam – prodidit vicinis alumnandam. *Id.* 6. *ibid.* 23. Adolescentem istum quod manibus meis alumnatus sit, profecto scitis omnes. *Capell.* 9. *p.* 302. In penetralibus virginis secretisque sanctionibus alumnatæ. *Id.* 8. p. 274. Quia me alumnantis erudientisque Cyllenii reticere non permittit officium. — Hinc

ALUMNOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. est alere et ad propositum sibi finem educare. *Apul.* 8. *Met.* 17. Canes – quibusvis lupis et ursis sæviores, quos ad tutelæ præsidia curiose fuerant alumnati.

ĀLUMNUS, a, um, adject. *Alumnum* pro *alumnorum* est *Pacuvii* apud *Non.* *p.* 243. 5. *Merc.* — Hanc vocem active usurpari pro eo, qui alit et educat, veteres Grammatici affirmarunt, ut *Caper de Verb. dub. p.* 2250. *Putsch.*, *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 72. et *Isid.* 10. *Orig.* 1.; sed nulla certa in medium adduxerunt argumenta. Quæ vero loca active interpretanda esse nonnulli volebant, passive accipienda esse recte contendit ipse *Forcellinus* (V. infra I. 2.). Falsa specie deceptus active usurpavit unus *Capell.* 1. p. 11. Vector ejus cygnus impatiens oneris atque etiam subvolandi, alumna stagna petierat. *Hypallage* est, nam proprie cygnus est stagnorum alumnus. — Ceterum alumnus proprie est particip. præs. pass. quasi *alomenus* ab *alo*; et est qui alitur ab aliquo et educatur (It. *allievo*, *alunno*; Fr. *nourrisson*, *élève*; Hisp. *hijo de leche*, *discípulo*; Germ. *der erzogen wird*, *Pflegesohn oder Pflegetochter*; Angl. *a pupil*, *nursling*, *foster-child*).

I.) Proprie. — 1.) Masc. gen. occurrit — *a*) Generatim de puero aut etiam de bestiis, quæ ab aliquo, puta a nutrice, aluntur, sustentantur, educantur. *Plaut. Merc.* 4. 5. 7. EVT. Herus atque alumnus tuus sum. SYR. Salve, alumne mi. *Forcellinus* hoc *Plauti* loco active acceperat pro eo qui alit et educat, sed perperam, ibi enim loquitur herus minor cum sua nutrice. *Pacuvius* apud *Non. p.* 243. 5. *Merc.* Quæ desiderio alumnûm, pænitudine squales scabresque inculta vastitudine. *Varro* apud eumd. p. 242. 32. Ubi quod lupam alumni fellarunt olim. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 8. Quid voveat dulci nutricula majus alumno. *Ovid.* 14. *Met.* 443. Hic me Cajeten notæ pietatis alumnus. Adde 4. *ibid.* 421. et 523. *Horat.* 3. *Od.* 23. 7. aut dulces alumni Pomifero grave tempus anno. *supple* sentient. *Id. ibid.* 18. 3. Faune, abeas parvis æquus alumnis. *Nonnulli* interpretantur de vernulis, qui domi vel ruri aluntur a dominis: alii tamen rectius intelligunt fetus pecoris, qui ruri aluntur, hædos, agnos, vitulos. *Pallad.* 3. *R. R.* 26. 4. Quibus (*porticibus*) mater (*porca*) unaquæque claudatur et alumnum gregem tutior ipsa defendat a frigore. — *b*) Speciatim sæpissime occurrit de urbibus aut regionibus, in quibus quis nascitur aliturque. *Cic.* 7. *Verr.* 66. 169. Italiæ alumnum suum servitutis extremo – supplicio fixum videret. *Virg.* 6. *Æn.* 877. Nec Romula quondam Ullo se tantum tellus jactabit alumno. *Id. ibid. v.* 595. terræ omniparentis alumnus. *Ovid.* 3. *Amor.* 15. 3. Peligni ruris alumnus. *Id. ibid.* 10. 23. Cretæ alumnus. *h. e.* Jupiter. *Sil. It.* 12. 397. Rudiæ alumnus. *h. e.* Ennius. *Martial.* 1. 77. Antenorei laris alumnus. *Val. Flacc.* 8. 233. Alumni fluminum. *h. e.* homines qui fluminum accolæ sunt. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 6. Nemees alumnus. *Seneca Agam.* 733. Agrestis alumnus. *h. e.* agri. *Martial.* 12. 60. Dies alumnus. *h. e.* natalis. — *c*) Item speciatim, sed raro, de plantis. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 4. Nec orbos tantum detrahere palmites, verum etiam frugiferos, si supra modum se numerus eorum profuderit. Siquidem evenit, ut quidam oculi (*vitium*) trigeminis palmis egerminent, quibus binos detrahere oportet, quo commodius singulos alumnos educent. — *d*) Item sæpe qui alicui nutriendus et custodiendus committitur. *Virg.* 11. *Æn.* 33. *de Acœte*. comes caro datus ibat alumno. *Ovid.* 11. *Met.* 99. Juveni Silenum reddit alumno. *Curt.* 3. 6. 1. Puero comes et custos salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat (*Alexandrum.*) — Hinc *alumnus*, Græce θρεπτός, dicitur etiam qui liber natus, a parentibus suis inhumaniter abjectus, ferisque et avibus expositus, a prætereuntibus sublatus educatusque fuerat, quod ex *Plin.* 10. *Ep.* 71. *ad Trajan.* et hujus responsione colligitur. Cf. *Dig.* 20. 1. 8., 15. 1. 132. pr. et 30. 5. 1. § 8. et *Caj. Instit.* 1. 19. Itaque alumnus altoris servus habebatur, ideoque sæpissime servile nomen retinebat, aut illum tamquam patronum agnoscebat. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 349. n. 19. AELIVS AVG. LIB. SATVRNINVS A DIPLOMATIBVS SARDONYCHI ALVMNO FIDELISSIMO. *Et ibid.* n. 22. SMARAGDO IVLIA C. F. TREBONIA ALVMNO PIENTISSIMORVM PIISSIMO ET DVLCISSIMO. *Et* p. 350. n. 26. M. VLPIO AVG. LIB. FLORIDO PATRONO OPTIMO ET BENE MERENTI M. VLPIVS PHILETVS ALVMNVS M. VLPIVS TELESPHORVS VLPIA PARAMONE LIBERTI. Cf. *Orell. Inscript.* 2795. et seqq. — *e*) Is denique alumnus dicitur, addito fere Genit., qui quocumque in loco altus educatusque sit. *Liv.* 21. 43. *Hannibal suas delectorum copias alloquitur:* Cum laudatis a me millies donatisque alumnus prius vestrûm, quam imperator, procedam. *Curt.* 9. 2. 28. *loquitur Alexander:* Ne – alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Rediret legionum alumnus. *h. e.* in castris natus et in contubernio legionum educatus, ut *Id. ibid.* 41. loquitur. *Id.* 15. *ibid.* 34. Vatinius sutrinæ tabernæ alumnus.

Stat. 10. *Theb.* 363. nemorum alumnus. *h. e.* venator. Est etiam blandientis apud *Sueton. Cal.* 13. Agmen – super fausta omnia sidus et pullum et puppum et alumnum appellantium. — 2.) Fem. gen. occurrit — *a*) Generatim de puellis, quæ ab aliquo aluntur et sustentantur. *Plaut. Cist.* 4. 2. 96. Nostra hæc alumna et tua profecto filia. *Ovid.* 2. *Met.* 527. At vos si læsæ contemptus tangit alumnæ. *Vetus Poeta* apud *Hygin. fab.* 177. Oceano prohibet semper se tingere Thetis, Ausa suæ quia sit quondam succumbere alumnæ. *Sueton. Claud.* 39. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non cessavit omni oratione filiam et alumnam et in gremio suo natam et educatam prædicare. — *b*) Speciatim ponitur de puella, quæ libera nata et a parentibus inhumaniter abjecta, a prætereuntibus sublata educataque fuerit. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 251. n. 37. D. M. GRAPHICES SABINIA DOXA ALVMNAE OPTIMAE. — *c*) Item, addito fere Genit., alumna est quæ quocumque in loco alta educataque sit. *Carm. Cic.* 1. *Divinat.* 9. 15. *de ranis.* Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ. — *Sil. It.* 9. 533. Non Teucros delere aderam, sed lumen alumnæ Hannibalem Libyæ etc. Verba hæc sunt Palladis, quæ ideo Libyam alumnam appellat, quia secundum quosdam dicitur esse filia Neptuni et Tritonidis Africæ paludis, ut *Id. ibid.* 297. significat. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (39). Terra (*Latium*) omnium terrarum alumna eadem et parens. *Flor.* 3. 21. 12. Cliens et alumna Urbis Ostia. *h. e.* ad quam appellebant commeatus, quibus Roma alebatur. *Active* hæc tria loca a nonnullis accipiebantur; sed rectius passive sunt accipienda, ut ipse *Forcellinus* contendit. Nam priore loco *Libya* metaphorice dicitur Hannibalis alumna et quasi filia. Secundo autem *terra Latii omnium terrarum alumna* dicitur, quod ab aliis terris alatur, quæ ad eam opes suas transvehunt. Postremo denique *Ostia alumna Romæ*, quia ejus colonia erat et quasi filia, ejusque ope in urbem portumque celebrem creverat. *Martial.* 12. 21. Capitolini collis alumna. *Stat.* 7. *Theb.* 733. Quercus alumna vadi. *Martial.* 4. 19. 1. *de endromide:* Sequanicæ textricis alumna. *Sil. It.* 2. 531. *de Tisiphone.* noctis alumna. — 3.) Neutr. gen. occurrit tantum apud *Ovid.* 4. *Met.* 421. et *Stat.* 8. *Theb.* 224. alumnum numen.

II.) Translate. — 1.) Masc. gen. *Cic.* 7. *Phil.* 3. 8. Ego igitur pacis, ut ita dicam, alumnus, qui quantuscumque sum –, sine pace civili certe non fuissem. *Id.* 4. *Fin.* 26. 72. Quid ait Aristoteles reliquique Platonis alumni. *h. e.* discipuli. *Vellej.* 2. 36. 2. Brutum, Calidium, Cælium – eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium. *Prudent.* περὶ στεφ. 12. *de S. Cass.* 31. moderator alumni gregis. *h. e.* discipulorum. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Quasi alumnus disciplinæ meæ. *Seneca Rhet. Suasor.* 8. Virtutis alumnus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (43). Fortunæ alumnus. *Stat.* 6. *Theb.* 378. plus artis alumnus Ætheriæ. *h. e.* in arte augurandi veluti educatus. *Prudent.* alumnos carceris dixit περὶ στεφ. 2. 137. lictores et carnifices, qui reorum suppliciis aluntur. *Avien. Descript. orb.* 495. *de Tibri.* Romanosque lares lapsu prælambit alumno. — 2.) Fem. gen. *Varro* apud *Non. p.* 243. 1. *Merc.* Et ecce ad nos de improviso accedit cana veritas Atticæ philosophiæ alumna. *Active* nonnulli acceperunt, ut veritas sit quæ alit quodammodo, fovet et sustinet philosophiam: sed rectius passive alii explicant, ut *veritas* dicatur *alumna philosophiæ*, quia ab hac nutritur quodammodo et illustratur. *Cic. Brut.* 12. 45. Jam bene constitutæ civitatis quasi alumna quædam eloquentia. *h. e.* colitur et crescit in civitate bene constituta. *Tac. Dial. de orat.* 40. Sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiæ –, comes seditionum etc.

ĀLUS, i, m. 2. idem quod alum, quam voc. V. sub 2. *Scribon. Comp.* 83. Alus Gallicus. Cf. *Schneider.* ad *Veget.* 6. 8. 2. — De Alo deo. *V.* ONOM.

ĀLŪTA, æ, f. 1. pellis aut corium mollius ad calceamenta et sacculos et alia hujusmodi opera: *Enn. Quirin. Visconti Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 120. edit. *Mediol.* vocis etymon esse putat ab *alumine*, quod eo utebantur coriarii ad coria concinnanda (It. *pelle o cuojo sottile;* Fr. *cuir souple, peau molle;* Hisp. *cuero flexible;* Germ. *weich und sämisch gegerbtes Leder;* Angl. *tawed or tanned leather*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de materie nondum arte laborata. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Pelles pro velis alutæque tenuiter confectæ. Adde *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (125). *Martial.* 7. 35. Inguina succinctus nigra tibi servus aluta. *Auson.* 4. *Edyll.* 30. quod fallax scuticam prætexit aluta. ¶ 2. Speciatim ponitur pro calceo. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 271. Pes malus in nivea semper celetur aluta. *Martial.* 12. 26. rupta cum pes vagus exit aluta. *Id.* 2. 29. Aluta coccina. *Juvenal.* 7. 192. Appositam nigræ lunam subtexit alutæ. ¶ 3. Item speciatim pro sacculo. *Juvenal.* 14. 282. ut tenso folle reverti Inde domum possis, tumidaque superbus aluta. Cf. *Non. p.* 151. 10. *Merc.* ¶ 4. Aluta vocatum est etiam emplastrum, quod appositum super hujusmodi corium distendebatur, ut ait *Scribon. Comp.* 81. et 82. Hinc aluta in mundo muliebri ad fucandam faciem habebatur. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 201. Arte supercilii confinia nuda repletis, Parvaque sinceras velat aluta genas.

II.) Translate. Obsceno sensu. *Martial.* 11. 60. Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam.

ĀLŪTA, ōrum, n. plur. 2. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 16. 47. (157). Auraria metalla, quæ aluta vocant. *Alii leg.* alutia; *alii* elutia, quam voc. *V.*

ĀLŪTĀCEUS *vel* alutacius, a, um, adject. qui est ex aluta, sive qui mollis et concinnatus est ut aluta. *Marcell. Empir.* 23. *sub fin.* Malagma inducere in pellem alutaciam. *Id.* 26. Alutacia pellicula. *V.* ELUTACIUS.

ĀLŪTĀMEN *vel*

ĀLŪTĀMENTUM, a veteribus dicebatur opus ex concinnatis pellibus factum. *Lucil.* apud *Non. c.* 2. n. 635. *edd. vett.* Pasceolum, alutamen.

ĀLŪTĀRIUS, a, um, adject. qui est ex aluta. *Marcell. Empir.* 15. *circa med.* Brassicæ stirpes combustæ et in pulverem redactæ et cum axungia subactæ atque emplastro alutario parotidibus impositæ. *h. e.* emplastro alutaciæ pelliculæ inducto.

ALUTATIUS. *V.* ELUTACIUS.

ALVEĀBILIS, e, adject. qui in alvei modum excavatus est. *Auct. Itin. Alex. M.* ed. *Mai.* 102. Hinc ducit in aliam petram celsam stadiis viginti, sed sexaginta ad ambiendam faciem sunt, alveabilem calli, superne æquoream virentemque.

ALVEĀRE, is, *et plur. num.* Alvearia, ium, n. 3., *vel sæpius*

ALVEĀRIUM, ii, *et plur. num.* Alvearia, ōrum, n. 2. (alveus) proprie est vas in alvei modum cavatum, ut apud *Tertull. advers. Valent.* 31. alvearia conspersionis sunt alvei, in quibus farina subigitur ad panem conficiendum. Sed fere speciatim occurrit pro vase, in quo apes nidificant et mellificant (It. *alveare, arnia;* Fr. *ruche d'abeilles;* Hisp. *colmena;* Germ. *der Bienenstocke oder Bienenkorbe;* Angl. *a bee-hive, hive*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, addito aut omisso apum nomine. *Cicero* apud *Charis.* 1. p. 82. *Putsch.* Apes in alvearium concesserant. *Virg.* 4. *G.* 33. Ipsa autem seu corticibus tibi suta cavatis, Seu lento fuerint alvearia vimine texta, Angustos habeant aditus. *alvearia* quadrisyllabum est, facta synæresi. *Varro* 3. *R. R.* 16. 15. Non quo non in villæ porticu quoque quidam – alvearia collocarint. *Colum.* 9. *R. R.* 11. 1. Cum vetus alveare numero apum destituitur. *Id.* 9. *ibid.* 5. 3. Sed ubicumque fuerint alvearia, non editissimo claudantur muro. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 20. 43. (98). Vivit in alveariis apum sata. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro loco, in quo sunt alvearia, quod et *apiarium* dicitur, quemadmodum et sing. num. *alvearium.* *Varro* 3. *R. R.* 16. 10. Circum villam totam alvearium facere. Et *ibid.* § 11. Dic ubi et cujusmodi facere oporteat alvearium. Plur. num. occurrit apud *Colum.* 9. *R. R.* 6. 1. et 9. 1. et apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 24. 47. (80). Et *Quintil.* 1. 12. 7. Alvearibus curam accommodare.

ALVEĀTUS, a, um, adject. in modum alvei excavatus. *Cato R. R.* 43. 1. Sulcos, si locus aquosus erit, alveatos esse oportet.

ALVEOLĀTUS, a, um, adject. in modum alveoli cavatus. *Vitruv.* 3. 4. 5. *Schneid.* Si stylobata ad libellam dirigetur, alveolatus oculo videbitur.

ALVEŎLUS, i, m. 2. (*deminut. ab* alveus) proprie est parvus alveus, et de pluribus dicitur, scilicet — *a*) De parvo fluminis alveo. *Curt.* 6. 4. 4. Amnis tria fere stadia universus fluit, deinde saxum, quod alveolum interpellat, repercussus etc. — *b*) De parvo vase ad formam parvi alvei et ad varios usus accommodatum. *Liv.* 28. 17. Secures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in quadraginta longas naves opus esset. *Phædr.* 2. 5. Alveolo cœpit ligneo conspergere humum æstuantem. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 13. Totum ovorum numerum in alveolum ligneum conferat, deinde universum leniter in præparatum nidum transfundat. *Juvenal.* 5. 88. Illud enim vestris datur alveolis, quod Canna Micipsarum prora subvexit acuta. Adde *eumd.* 7. 73. — *c*) Item pro parvo alveo lusorio (It. *schacchiere, tavoliere;* Fr. *échiquier ou damier;* Hisp. *tablero;* Germ. *das Spielbret zum Würfelspiel;* Angl. *a small gaming-board, a chess-board or tables*). *Varro* apud *Gell.* 1. 20. Tesseræ, quibus in alveolo luditur. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 56. Alveolum poscere. *Id. Arch.* 6. 13. Alveolo tempus tribuere. *Paul. Diac.* p. 8. 1. *Müll.* Alveolum tabula aleatoria. *lege* Alveolus, *neutro enim genere non est admittendum.* — *d*) Item pro instrumento naviculæ forma factum, quo utuntur textrices, quodque It. *spola;* Fr. *navette;* Hisp. *lanzadera;* Germ. *das Weberschiff;* Angl. *a weaver's shuttle* appellatur. *Hieronym. Ep.* 130. *ad Demetriad.* n. 15. Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtemina in alveolis fusa volvantur, aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone.

ALVEUS, i, m. 2. (alvus) proprie dicitur quidquid in alvi modum est excavatum seu ventris cavitatem quomodocumque imitatur. Hinc ¶ 1. De ilicis cavitate. *Virg.* 2. *G.* 452. necnon et apes examina condunt Corticibusque cavis vitiosæque ilicis alveo. *Alveo* disyllab. per synæresin. Hinc *alveum domus Apul.* 4. *Met.* 8. vocat interiora ædium. ¶ 2. Sæpissime est fossa, per quam fluvius defluit. *Liv.* 5. 37. Allia Crustuminis montibus præalto defluens alveo. *Id.* 41. 11. Amnem – novo alveo avertit. *Id.* 44. 32. Quia sicco alveo transiri poterat. *Virg.* 7. *Æn.* 33. Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo. *Id.* 1. *G.* 203. Lembum in præceps prono rapit alveus amni. Adde *Horat.* 3. *Od.* 7. 28. et 29. 34. *Curt.* 3. 4. 8. Alveus placide manentis amnis. *Id.* 5. 3. 2. Alveus clementior. *Id.* 8. 13. 8. profundus. *Id.* 9. 2. 17. angustior. *Id. ibid.* Alvei cursus. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 4. 5. (10). Alveo navigabili perfodere angustias. *Quintil.* 2. 1. 4. Pleno satis alveo fluere. *Id.* 9. 4. 7. Prono ac nullas moras objiciente alveo. ¶ 3. Scrobes item longiores in modum alvei fluminis, ut binas etiam vites accipiant, *alvei* vocantur, ut *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (168). docet. *Colum.* 4. *R. R.* 4. 2. Nam vitis supina et velut recumbens in alveo deposita – vulneribus obnoxia est. ¶ 4. Hinc in balneis fossa cavata ex lapide, vel etiam structilis, habens intus suos gradus ad descendendum, et pulvinum ad innitendum *alveus* dicitur, ut colligitur ex *Vitruv.* 5. 10. 4. et ex *Festo p.* 298. 22. *Müll.* Videtur autem ejusdem fuisse usus cum labro, figura tantum dissimilis. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 14. Ut in balneum venit, cœpit, postquam perfusus est, defricari: deinde ubi visum est, ut in alveum descenderet etc. *Id. Cæl.* 28. 67. Alveus ne ille, an equus Trojanus fuerit, qui etc. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 653. et *Seneca Ep.* 122. ¶ 5. Fundi quoque navium, quia in formam alvei effinguntur, *alvei* sunt. *Sall. Jug.* 21. Hi alveos navium inversos pro tuguriis habuerunt. *Liv.* 23. 34. Non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant. *Id.* 10. 2. Fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum apte planis alveis fabricatæ. ¶ 6. Hinc per synecdochen dicitur de tota navi, et præcipue de parvis quibusdam navigiis, ut puta lintres, cymbas, quæ vel sunt ex uno cortice in modum alvei cavato, vel quocumque alio modo alvi figuram, præcipue planam, referunt. *Virg.* 6. *Æn.* 412. simul accipit alveo Ingentem Ænean: gemuit sub pondere cymba. *Ovid.* 3. *Fast.* 591. Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus Vertitur, et canus alveus haurit aquas. *Propert.* 3. 7. 16. Portabat sanctos alveus ille viros. *Vellej.* 2. 107. 1. Cavatum ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans etc. ¶ 7. Ad hæc, alveus dicitur generatim de quocumque vase concavo in alvei modum ad varios usus, ut puta vannos aliaque ruralia instrumenta, de quibus usurpat *Cato R. R.* 11. 5., 12. et 81., et *Colum.* 12. *R. R.* 9. 1. De vasis majoribus *Liv.* 1. 4. Cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (53). Omnia illa fiunt a picea resina ferventibus cocta lapidibus, in alveis validi roboris, aut, si alvei non sint, struis congerie. — Pro vase ad lavandum. *Capitolin. Albin.* 5. Ut parvuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur. *Salmas.* ad hunc locum notat, ante inventas balneas, non infantes modo, sed etiam viros in hujuscemodi

alveis lavasse. Inde autem factum est nomen alveis in balneo factis, de quibus sup. § 4. diximus. *Ovid.* quoque 8. *Met.* 652. *faginei alvei* meminit ad lavandum apti. ¶ 8. Item pro alveari. *Tibull.* 2. 1. 49. Rure levis verno flores apis ingerit alveo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (22). Struunt apes orsæ a concameratione alvei. Adde *Colum.* 9. *R. R.* 3. 1. Legebatur apud *Plin.* et 11. *Hist. nat.* 16. 15. (43). et 7. *ibid.* 15. 13. (64).; at *Sillig* utroque in loco pro *alveo* leg. *alvum.* ¶ 9. Item pro tabula lusoria, qua tesseris et calculis luditur. *Vitruv.* 5. *præfat.* 4. *Schneid.* Uti sunt etiam tesseræ, quas in alveo ludentes jaciunt. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (13). Transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor etc. *Sueton. Claud.* 33. Ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur. ¶ 10. Hinc pro ipso tesserarum alearumve ludo. *Varro* apud *Non. p.* 108. 33. *Merc.* Equus sine ephippio, balneum non cotidianum, alveus rarus (*mihi fuit*). *Val. Max.* 8. 8. 2. Alveo quoque et calculis vacasse interdum dicitur (*Scævola*). — NB. *Paul. Diac. p.* 168. 3. *Müll.* Naustibulum alveum ad navis similitudinem factum. *Forcellino* videbatur *Paulus* neutro gen. hanc vocem extulisse: at *alveum* est Accusativus, ut facile sibi quisque persuadebit ex comparatione cum loco *Festi p.* 169. 23. *Müll.*

ALVĪNUS, a, um, adject. qui alvi fluxu laborat. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 27. 99. (172). Vinca pervinca – alvinis imposita plurimum prodesse dicitur. *Harduinus* et *Sillig* ita leg. optim. Codd. auctoritate freti. *Id.* 25. *ibid.* 7. 37. (76). Nymphææ radix – adversatur alvinis. *Hæc tamen lectio est omnino dubia;* Sillig *legit* adversatur ei alium.

ALVUS, i, f. 2. Veteres masc. etiam genere extulerunt testibus *Charis.* 1. *p.* 61. et *Priscian.* 5. *p.* 654. et 6. *p.* 718. *Putsch.*, et *Non.* p. 193. 25. *Merc.*, qui *Catonis, Accii, Cinnæ* aliorumque afferunt exempla infra citata. — *Paul. Diac. p.* 8. 2. *Müll.* vocem deducit a verbo *alere*; *Döderlein* ab εἰλύω *volvo.* — Ceterum alvus proprie videtur esse cavum, cavitas: ac proinde ¶ 1. Cum de corpore sermo est, alvus est pars corporis in animali, stomacho subjecta, in quo sunt intestina, quæ cibum ac potionem recipit alioque emittit (It. *ventre, pancia;* Fr. *ventre;* Hisp. *barriga, vientre;* Germ. *der hohle Leib oder Bauch;* Angl. *the belly, paunch*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 157. 1. Ubi et multo cibo alvus non it. Et *ibid.* 125. Id est ad alvum crudam et ad lateris dolorem. *Accius* apud *Non.* p. 193. 26. *Merc.* Frigidissimus alvus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 57. Æsculapius tertius, primus purgationem alvi dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit. *Virg.* 3. *G.* 427. *de serpente.* Atque notis longam maculosus grandibus alvum. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 574. *Virg.* 2. *Æn.* 50. *de ligneo Trojanorum equo.* hastam In latus inque feri curvam compagibus alvum Contorsit. — *b*) Alvus, præcipue in re medica; occurrit de inferiore ventris parte, quæ exonerando corpori maxime inservit. *Cato R. R.* 156. Alvum bonam facere. *Id. ibid.* 115. 1. Alvum movere. *Id. ibid.* 126. Non consistens alvus. *Cels.* 1. 6. Cita alvus. *Scribon. Comp.* 111. citata. *Cels.* 1. 3. fusior, astrictior. *Id.* 2. 7. Pluribus diebus non descendit alvus. Et 2. 12. *n.* 2. Cui satis alvus reddit quotidie. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 55. (93). Alvos solvere. *Id.* 19. 5. 26. (80). elicere. *Id.* 10. 44. 61. (126). Alvum exonerare. *Id.* 20. 3. 8. (14). inanire. *Hieronym. Ep. ad Ctesiph. n.* 7. relevare. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (118). Soluta alvus. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 9. Alvum citare. *Cels.* 1. 10. comprimere. *Id.* 1. 3. et 2. 30. astringere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (138). sistere. *Id.* 24. 13. 70. (114). Alvum citam et tormina compescere. *Cels.* 2. 12. Crebra alvi ductio. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 54. (115). Alvi causa dare aliquid. — *c*) Hinc *alvus superior* est ventriculus, ratione tamen habita ciborum, qui exinde egeruntur. *Cato R. R.* 156. 2. Alvum si voles dejicere superiorem, sumito brassicæ, quæ levissima erit, pondo IIII., inde facito manipulos æquales tres colligatoque. Et de alvo cum superiore, tum inferiore *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 126. Vomitione canes, purgatu autem alvum ibes Ægyptiæ curant. — *d*) Et absolute pro ventriculo *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Cum alvi natura subjecta stomacho, cibi et potionis sit receptaculum. ¶ 2. Hinc interdum alvus sumitur pro morboso alvi fluxu. *Colum.* 6. *R. R.* 7. 2. Alvus corpus ac vires carpit, operique inutile reddit. ¶ 3. Item per metonymiam pro ipsis alvi excrementis. *Cels.* 2. 6. Alvus quoque varia, pestifera est. *Et mox.* Alvus liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis. *Id.* 2. 7. Alvum reddere. ¶ 4. Nonnumquam sumitur pro muliebri utero. *Plaut. Stich.* 2. 1. 5. Tamen fuisse suspicor matrem mihi. — Nam me illa in alvo menses gestavit decem. *Cic. Cluent.* 12. 34. Quo illa pretio – spem illam, quam in alvo commendatam a viro continebat, – vendidit. *Id.* 1. *Divinat.* 20. 39. Cum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret. *Cinna* apud *Priscian.* 6. *p.* 718. Ac scelus incepto Cinyræ crescebat in alvo. *Poeta* apud *Non.* p. 193. 27. *Merc.* (*Maja*) nemus retinens gravido concepit in alvo. ¶ 5. Sæpe ponitur pro alveari, in quo apes mellificant. *Varro* 3. *R. R.* 16. 15. Melli alvo, qua introeant apes, faciunt foramina parva, dextra ac sinistra. *Id. Varro l. c.* docet, *alvos* hoc sensu dictas esse a *mellis alimonio.* *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 47. (80). Alvos optimas e cortice, secundas ferula, tertias vimine, multi et e speculari lapide fecere. Adde 21. *ibid.* 12. 43. (73). et 11. 10. 10. (24)., et *Colum.* 9. *R. R.* 6. 1. et 14. 7. — Hinc et pro ipsis apibus alveario contentis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (44). Ferunt societate fraudata alvos mori.

ĂLȲPON, i, n. 2. (ἄλυπον) cauliculus est molli capite, non dissimilis betæ, acris gustatu ac lentus, mordensque vehementer et accendens. Ita describit *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 7. (22)., ubi *Harduin.* negat ullam esse plantam nostra ætate, quæ cum isto congruat. At cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 426.) hanc exhibet synonymiam: Ἄλυπον Dioscor. 4. 180., Στουρίκι Græcor. recentior., Σίννα Zacynth., *Alypum* Plin. l. c. et *Alypum monspeliensium sive frutex terribilis* J. Bauh. Hist. plant. 2333. sunt *Globularia Alypum* L. Spec. plant. 139? DC. Fl. franc. 2333.

ĂLYSSON, i, n. 2. (ἄλυσσον) frutex ita dictus, *quod a cane morsos* (*al. leg.* emorsos, *al.* commorsos) *rabiem sentire non patitur*, inquit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 57. (95)., nempe ἀπὸ τοῦ λύσσαν κυνὸς ἰᾶσθαι, ut est apud *Dioscor.* 3. 105. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. p. 257.) affirmat *alysson Plinii* differre ab *alysso Dioscor.* et *Theophrast.*, et putare videtur esse aliquam ex *galiis* aut *asperulis.*

ĂLȲTARCHA, *et* alytarches, æ, m. 1. ἀλυτάρχης, sacer magistratus, qui præerat ludis, qui fiebant in honorem deorum; ab ἀλύτης *circuitor* (quod ab ἀλύω *erro, vagor*) et ἄρχων *princeps, præses*, quia nimirum is magistratus præerat iis, qui virgam ferentes ad submovendam turbam et ad seditiones cohibendas in sacris certaminibus apud Eleos (*Etymol. M.* in *V.* Ἀλυτάρχης), Pisæos (*Marm. Arundell.* 8.) Antiochenos, et fortasse etiam alibi adhibebantur. *Imppp. Grat.*, *Valentin.* et *Theodos. Cod. Theod.* 10. 1. 12. Alytarchæ urbis Antiochenæ plantandi plures, excidendi unius cupressi, jubemus tribui facultatem. *Impp. Honor.* et *Theodos. ibid.* 15. 9. 2. Cunctos judices admonemus, ut ludorum quidem intersint festivitati; verum expensarum non excedant duorum solidorum librata impendia: exceptis alytarchis, Syriarchis, agonothetis, itemque Asiarchis et ceteris, quorum nomen votiva festivitatis solemnitas dedicabit.

ĂLȲTARCHĬA, æ, f. 1. alytarchæ dignitas et officium. *Imp. Leo Cod. Just.* 1. 36. 1. Titulos qui alytarchiæ et Syriarchiæ muneribus in prima Syria deputati sunt, per officia tam viri spectabilis Comitis Orientis, quam viri clarissimi Rectoris provinciæ, flagitari præcipimus: alytarchiæ quidem ludi cura Comitis Orientis et ejus officio: Syriarchiæ vero sollicitudine Moderantis provinciam, ejusque apparitoris, exerceantur.

ĂLȲTIS, is, f. 3. herba, qua perdices pascuntur, quæque et perdicium vocatur. *Apul. Herb.* 81.

AM

AM præpositio loquelaris, (ut *Charis.* 2. *p.* 204. et *Priscian.* 14. *p.* 1002. *Putsch.* et *Paul. Diac.* p. 4. 14. *Müll.* loquuntur) hoc est inseparabilis, quæ per se posita nihil significat; in compositione idem valet ac *circum*, forte ex Græco ἀμφὶ contracto, quemadmodum ab ὑπὸ fit *sub*, certe a Latino *ambe* vel *ambi* contracto, quod *V.* suo loco. Quidam putant antiquitus fuisse separabilem afferuntque fragmentum illud *Caton. Orig.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. Am terminum. *h. e.* circum terminum: super quo tamen miras eruditi lites excitarunt. — *NB.* Olim *am* pro eam veteres usurpasse nonnulli putarunt, afferebantque locum *Lucret.* 3. 445. Corpore qui nostro rarus magis am cohibessit. *Alii tamen aliter legunt et quidem rectius.* V. INCOHIBESCO.

AMA. *V.* HAMA.

ĂMĀBĬLIS, e, adject. (amo). Comp. *Amabilior* et Sup. *Amabilissimus.* Est dignus amore, quemadmodum ait *Ovid.* 2. *Art. Am.* 107. ut ameris, amabilis esto (It. *amabile;* Fr. *aimable;* Hisp. *amable;* Germ. *liebenswürdig;* Angl. *amiable, lovely*). Occurrit cum de hominibus, tum de rebus — *a*) Absolute. *Plaut. Asin.* 3. 3. 84. Nimis bella es atque amabilis. *Id. Stich.* 5. 4. 54. Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium. *Cic.* 5. *Att.* 19. 2. Filiolam tuam –, quam numquam vidi, tamen et amo et amabilem esse certo scio. *Id.* 7. *Fam.* 20. 1. Amabilior mihi Velia fuit, quod te ab ea sensi amari. *Horat.* 1. *Od.* 5. 10. Qui semper vacuam, semper amabilem Sperat. *Cic. Amic.* 14. 51. Mihi quidem videntur, qui utilitatum causâ fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiæ tollere. *Id.* 9. *Fam.* 14. 4. Nihil est – virtute formosius, nihil pulcrius, nihil amabilius. Adde 11. *ibid.* 15. 1. et 12. *Att.* 9. *Lucret.* 1. 24. Nec sine te (*Venere*) fit lætum, neque amabile quidquam. *Cic. Partit. orat.* 6. 22. Amabiles mores. *Horat.* 3. *Od.* 13. 10. frigus. *Id.* 1. *Ep.* 3. 24. carmen. *Seneca* 4. *Controv.* 26. *a med.* Dixit illam amabilem sententiam: da itaque nunc pœnas misericors. — *b*) Cum Dat. *Seneca Ep.* 36. Adolescens hilaris et amabilis turbæ. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

ĂMĀBĬLĬTAS, ātis. f. 3. (amabilis) morum comitas formæve venustas ad amorem alliciens (It. *amabilità;* Fr. *amabilité;* Hisp. *amabilidad;* Germ. *die Liebenswürdigkeit;* Angl. *amiableness*). ¶ 1. Proprie et abstracte. *Plaut. Stich.* 5. 4. 58. Si amabilitas tibi nostra placet, si tibi ambo accepti sumus. ¶ 2. Abstractum pro concreto, uti ajunt. *Plaut. Pæn.* 5. 4. 1. Fuit hodie operæ pretium ejus, qui amabilitati animum adjiceret. *h. e.* qui amabiles puellas intento animo videret. *Forcellinus* interpretabatur: in eo studium poneret, ut amabilis esset; sed hæc addebat: Possis tamen utroque (*Plauti*) loco *amabilitatem* amorem intelligere. — Hinc *Symmach. Ep.* 7. 3. Secundas ad amabilitatem tuam litteras mitto.

ĂMĀBĬLĬTER, adverb. (amabilis). Comp. *Amabilius* 2. Est ¶ 1. Eo modo, qui amore dignus est, suaviter, humaniter, ita ut tibi amorem concilies (It. *amabilmente;* Fr. *d'une manière aimable;* Hisp. *amabilmente;* Germ. *auf liebenswürdige Weise;* Angl. *amiably*). *Horat.* 2. *Ep.* 1. 148. Libertasque recurrentes accepta per annos Lusit amabiliter, donec jam sævus apertam In rabiem verti cœpit jocus. ¶ 2. Item cum amore. *Antonius* apud *Cic.* 14. *Att.* 13. A. 2. Si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te præbebis. *Forcellinus* h. loc. ad super. paragr. retulit. *Ovid.* 3. *Art. am.* 675. Spectet amabilius juvenem; suspiret ab imo etc. *Petron. Satyr.* 112. Vultum suum super cervicem Gitonis amabiliter posuit.

AMALOCIA, æ, f. 1. est nomen, quo Campani appellabant herbam chamæmelon. *Apul. Herb.* 23.

ĂMANDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus amandandi. *Cic. Rosc. Am.* 15. 44. Tamen ne hæc aliena vita et rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur?

ĂMANDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĀMANDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ab *et* mando). Part. *Amandatus.* Est alio mitto, longe ire jubeo, removeo, relego, ita tamen ut fere semper id per contemptum fiat (It. *mandar via, allontanare, torsi d'attorno;* Fr. *renvoyer, éloigner;* Hisp. *despedir, apartar, alejar;* Germ. *fortsenden, fortweisen, entfernen;* Angl. *to send away or out of the way, remove, dismiss*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Rosc. Am.* 15. 44. An amandarat hunc sic, ut esset in agro ac tantummodo aleretur ad villam? *Id. Dom.* 25. 66. Me expulso, Catone amandato. — *b*) Addito termino, a quo quis amandatur per Abl. et præp. *ab.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Ut – in ædificiis architecti – sic (*in corpore humano*) natura res similes procul amandavit a sensibus. — *c*) Addito termino, ad quem quis amandatur, per Accus. cum aliqua præp. *Cic.* 7. *Verr.* 27. 68. Amandare hominem Lilybæum. *Id.* 7. *Att.* 13. in Græciam. *Tac.* 4. *Hist.* 56. Amandatus in Frisios. *Cic. post. red. ad Quir.* 4. *in fin.* Infra

mortuos amandatus. *Gell.* 12. 1. *ad fin.* Oblivio filii amandati ad aliam nutricem.

ĀMANS, antis. *V.* AMO.

ĀMANTER, adverb. (amans). Comp. *Amantius*, Superl. *Amantissime*. Est cum amore (It. *amorevolmente, con amore, teneramente*; Fr. *avec amour, en ami, avec zèle*; Hisp. *afectuosamente, amorosamente*; Germ. *auf liebende, liebevolle, wohlwollende Weise*; Angl. *lovingly, affectionately, tenderly, friendly*). *Cic.* 12. *Fam.* 30. 3. Requisivi equidem proprias ad me unum a te litteras, sed neque vehementer et amanter. *Id.* 5. *ibid.* 19. Expectare amanter adventum alicujus. *Id.* 2. *Att.* 4. 1. Amanter aliquid diligenterque conficere. *Plin.* 5. *Ep.* 16. Amanter et modeste complecti aliquem. *Cic.* 1. *de republ.* 3. 6. Gravius de aliquo queri et amantius. *Id.* 3. *Fam.* 6. Hoc meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri amantius. *Sed tamen amantius potest esse Adject. Comp. Tac.* 1. *Ann.* 43. Melius et amantius facere. *Cic.* 6. *Att.* 2. Amantissime obsecrare aliquem. *Id. Amic.* 1. 2. Conjunctissime et amantissime vivere cum aliquo.

ĀMANŪENSIS, is, m. 3. servus, cujus opera dominus in scribendo, epistolas præsertim, utitur, qui et *servus a manu* dicitur; unde hæc vox originem habuit. *Sueton. Tit.* 3. Notis quoque excipere velocissime solitus, cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem. Adde *eumd. Ner.* 44.

ĀMĀRĀCĬNUS, a, um, adject. qui est ex amaraco herba. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (3). Amaracinum unguentum. *Id.* 21. *ibid.* 22. 93. (163). oleum. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. et 4. *Tard.* 7. — Hinc

Amaracinum, i, n. 2. absolute ponitur pro unguento amaracino, quod laudatissimum in Coo insula fiebat, ut *Plin. loc. cit.* scribit. *Lucret.* 4. 1171. Postesque superbos Ungit amaracino. Adde 2. 846. *V.* et voc. seq. — Quoniam vero sues amaracinum maxime fastidiunt, teste *Lucret.* 6. 973., ita ortum est proverbium *Nihil cum amaracino sui*, de iis, qui nullum cum re aliqua commercium habent, vel qui nullam ex re aliqua voluptatem capiunt. Hoc proverbium occurrit apud *Gell. præfat. sub fin.*, quocum cf. *Servium ad Virg.* 1. *Æn.* 693.

ĀMĀRĂCUS, i, m. et f. et Amaracum, i, n. 2. (ἀμάρακος et ἀμάρακον) genus herbæ, quæ et *sampsuchum*, valde vivax, radices habens multifidas, in summo terræ hærentes, semen ferens copiosum, odoremque acrem et gratum, et propterea coronis aptissima. Quidam ajunt esse eam, quam Itali vocant *majorana*, aut *persa*: alii negant: cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 44.) affirmat *Amaracum* Plin. 21. Hist. nat. 11. 39. (67). esse absque dubio *Origanum majoranoides recentiorum*. *Catull.* 61. 7. Amaracus suave olens. *Virg.* 1. *Æn.* 696. mollis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (11). Iris Illyrica et amaracus Cyzicena. *Id.* 21. 11. 39. (67). Amaracus, quem Phrigium cognominant. *Id. ibid.* 22. 93. (163). Sampsuchum, sive amaracum scorpionibus adversatur. *Hygin. Fab.* 1. 34. ed. *Mai.* Amaracus regius unguentarius fuit, qui casu lapsus dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit: unde optima unguenta amaracina dicuntur. Hic postea in herbam sampsuchum versus est, quam nunc et amaracum dicunt. *Servius ad Virg.* 1. *Æn.* 693. hæc eadem fere habet. — *V.* et ONOM.

ĀMĀRANS, antis. *V.* AMARO.

ĀMĀRANTHUS, i, *sed rectius*

ĀMĀRANTUS, i, m. 2. (ἀμάραντος) herba spicam ferens verius quam florem, sine odore; quique gaudet decerpi, lætius renascens. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur, madefactus aqua reviviscit, et hibernas coronas facit: ab α privativo et μαραίνομαι marcesco. Hæc tradit *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 23. (47). *Ovid.* 4. *Fast.* 439. Has, hyacinthe, tenes, illas, amarante, moraris: Pars thyma, pars casiam, pars melliloton amant. Adde *Tibull.* 3. 4. 33. et *Colum.* 4. *R. R.* 4. 3. et 10. *ibid.* 75. Etiam super sepulcra spargebantur amaranti, ut et rosæ. *Inscript.* apud *Aldini Lap. Ticin. p.* 124. ET IN MEMORIAM EORVM ROSIS ET AMARANTHO ET EPVLIS PERPETVO PARENTARI IVSSIT. V. *Le-Bas, Restitution de l'Inscript. de Cagliari p.* 10. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 29.) hanc exhibet synonymiam: Φλὸξ Theophr. 6. 6., *Amarantus* Virg. Col. 405., Colum. et Plin. locc. citt., *Amarantus Plinii major* Gesn. Hort. sunt *Celosia cristata* L. Spec. plant. 297.

ĀMĀRĒ, adverb. (amarus). Comp. *Amarius*, Sup. *Amarissime*. Occurrit tantum translate, et est acerbe, aspere, acriter (It. *amaramente, acerbamente*; Fr. *amèrement*; Hisp. *amargamente, acerbamente*; Germ. *herb, hart, grausam*; Angl. *bitterly, keenly*). *Plaut. Truc.* 1. 2. 78. E linguis dicta dulcia datis, corde amare facitis. *Seneca* 5. *Benef.* 23. Admonebo ergo non amare, non palam, sine convicio. *Apul.* 5. *Met. in fin.* Amare coercere. *Cajus Dig.* 21. 1. 18. exigere aliquid ab aliquo. *Paul. ibid.* 24. 1. 28. aliquem tractare. *Macrob.* 1. *Saturn.* 2. Amarius aliquem reprehendere. *Sueton. Tib.* 51. Amarissime congestis probris. *Id. Aug.* 70. Amarissime singulorum nomina enumerare.

ĀMĀRESCO, is, ere, n. 3. amarus fio. *Pallad.* 2. *R. R.* 10. 9. Arbores amygdali servandæ sunt a pecore, quæ si rodantur amarescunt.

ĀMĀRĪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. proprie est amarum facio; sed occurrit tantum translate et est concito, ad iram provoco, exaspero. Usurpatum est a *Plin. Valer.* 1. 17. et ab *Augustino Enarrat.* in *Psalm.* 65. n. 15. Ecce repulsi sunt qui amaricant. *Vulgat. Interpr. Apocal.* 10. 10. Amaricatus est venter meus.

ĀMĀRĪTAS, ātis, f. 3. idem quod amaritudo. *Vitruv.* 2. 9. 14. Larix vero non solum ob succi vehementem amaritatem ab carie non nocetur etc. *Alii aliter legunt.*

ĀMĀRĪTER, adverb. idem quod amare, sed translate. *Hieronym. Ep.* 23. *ad Marcellam n.* 1. Petrus amariter flens.

ĀMĀRĪTĬES, ei, f. 5. idem quod amaritudo. Translate usus est *Catull.* 68. 18. Non est dea nescia nostri, Quæ dulcem curis miscet amaritiem. *Gloss. vet.* Amaritia, amaritudo, acrimonium.

ĀMĀRĪTŌSUS, a, um, adject. amaritudine plenus. *Gargil. de arbor. pom.* 7. *p.* 408. *Mai.* Ex morsu pecorum omnia hæc arbori (*amygdalæ*) amaritosa contingere videntur, cum inopinata in medullas saliva consederit.

ĀMĀRĪTŪDO, inis, f. 3. amarus sapor (It. *amarezza*; Fr. *amertume, âpreté*; Hisp. *amargor*; Germ. *die Bitterkeit*; Angl. *bitterness*).

I.) Proprie. *Varr.* 1. *R. R.* 66. Oleas albas — nisi condieris, propter amaritudinem illas respuit palatum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 92. (16). Amaritudo absinthii. *Id.* 21. *ibid.* 14. 77. (135). Radices summæ amaritudinis. Et de humani corporis bile, quæ per medicamenta levatur, plur. num. *Id.* 21. 11. 64. (105). Amaritudines hebetare.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de iis omnibus, quæ personam aut rem acriter lædunt eique adversantur. — *a*) Generatim. *Val. Max.* 4. 4. *sub init.* Divitiarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus referta. *h. e.* miseriis. *Id.* 4. 1. *ext.* 6. Amaritudo odii. *Quintil.* 1. 1. 20. Amaritudo docendi. — *b*) Speciatim de verborum scriptorumve acrimonia et mordacitate. *Plin.* 6. *Ep.* 8. Nosti facetias hominis: quas velim attendas, ne in bilem et amaritudinem vertat injuria. *Id.* 1. *ibid.* 16. *a med.* Quantum illis (*versibus*) leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris inseris! *h. e.* aculei, quo vitia pungit et notat. *Seneca* 1. *de Ira* 4. 3. Amaritudo verborum maledictorumque. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (12). carminum. *h. e.* maledicentia, mordacitas. *Quintil.* 10. 1. 117. Ut amari sales, ita amaritudo ipsa frequenter ridicula est. *Plin.* 7. *Ep.* 33. Amaritudo inimici. *Id.* 1. *ibid.* 16. Amaritudo inest sententiæ. *Justin.* 38. 5. Amaritudo decretorum. *Mamertin. Gratiar. act.* 20. injuriæ. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores *amaritudo vocis*, Græce πικρότης vel πικροφωνία, est, cum vox supra modum ac pæne naturam vocis humanæ acerba est. *Quintil.* 11. 3. 169.

ĀMĀRO, as, are, a. 1. amarum facio. Occurrit tantum partic. præs. *Ruf. Fest. Avien. in epist. ad Flavian. Myrmecium* apud *Pithœum lib.* 4. *Collect. epigr. et poem. veter.* Hæc ut, amice, petam, cogunt fastidia longis Nata malis, et quod penitus felitus, amarans Ora, sapor nil dulce meo sinit esse palato.

ĀMĀROR, ōris, m. 3. idem quod amaritudo, sive amarus sapor. *Lucret.* 4. 224. dilutaque contra Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror. Cf. *eumd.* 6. 926. *Virg.* 2. *G.* 246. At sapor indicium faciet manifestus, et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror. *Al. leg.* amaro, *sed invito* Gell. 1. 21. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5.

ĀMĀRŬLENTUS, a, um, adject. amaritudine plenus; sed occurrit tantum translate (*V.* AMARITUDO II. 1.) de verbis aut scriptis, et est acris, mordax, maledicus. *Gell.* 3. 17. Timon amarulentus librum maledicentissimum conscripsit. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. Amarulenta dicacitas.

ĀMĀRUM, adverb. *V.* voc. seq. in fine.

ĀMĀRUS, a, um, adject. Comp. *Amarior* et Superl. *Amarissimus* I. 1. Amarus est saporem habens dulci contrarium, asperum, insuavem (It. *amaro*; Fr. *amer*; Hisp. *amargo*; Germ. et Angl. *bitter*).

I.) Proprie. — *a*) De sapidis. *Cic.* 2. *Fin.* 12. 36. Quid enim judicant sensus? Dulce amarum, leve asperum etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 13. 31. Animal sentit et calida et frigida, et dulcia et amara. Cf. *Caton. R. R.* 157. 1. *Lucret.* 1. 939. et 4. 15. Amarus absinthii latex. *Virg.* 1. *Ecl.* 79. salices. *Id.* 6. *ibid.* 62. cortex. *Id.* 6. *ibid.* 68. apium. *Id.* 1. *G.* 120. fibra. *Id.* 2. *ibid.* 314. folia. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (33). terra. *Virg.* 2. *G.* 86. bacca. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 51. inulæ. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 24. messis. *h. e.* quæ ad plenam maturitatem non pervenit, fruges enim immaturæ amarus cibus sunt. *Id. Rem. am.* 227. succus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 6. 5. (15). Amariores succi. *Id. ibid.* 7. 8. (16). Amarus sapor. *Id.* 25. *ibid.* 6. 27. (63). gustus. *Id.* 21. *ibid.* 7. 19. (41). Iris gustu amarissima. *Catull.* 27. 2. Inger mi calices amariores. *h. e.* meraciore et vetustiore vino plenos: vinum autem vetus amaritudinem seu austeritatem quamdam induit. *Virg.* 5. *Ecl.* 10. Doris amara. *h. e.* sapor salsus, qui in aqua marina percipitur; de quo, si *Etymologos* audimus, videtur proprie dici amarus. *Curt.* 9. 6. 6. Amara aqua. *Cels.* 1. 3. Os amarum. *h. e.* amarorem sentiens amaræ salivæ seu humoris. — *b*) Ponitur interdum et de odoribus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (122). Fructus ipse amarus et odore. — *c*) Interdum et de sono. *Stat.* 10. *Theb.* 553. Tuba fores sonitu perfringit amaro. — *d*) Raro et de tactu. *Stat.* 5. *Theb.* 393. Depressæque cadunt volucres, et messis amaro Strata gelu. *h. e.* acri, mordaci: *Forcellinus* translate h. l. accepit pro noxio.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de bile vel ira, quibus humanum corpus afficitur, et est morosus, difficilis, fastidiosus. *Ter. Hec.* 4. 4. 88. Amaræ mulieres sunt, non facile hæc ferunt. *Cic.* 14. *Att.* 21. 3. Amariorem me senectus facit: stomachor omnia. *Seneca* etiam 1. *de Ira* 4. *amaros* dicit, quos Aristoteles πικρούς, nimirum qui iram diu servant, et difficile deponunt, nisi ulti. ¶ 2. Sæpissime ponitur pro tristi, duro, acerbo, aspero. — *a*) Generatim. *Virg.* 4. *Æn.* 203. Amarus rumor. *h. e.* tristia et adversa afferens. *Id.* 3. *Ecl.* 109. quisquis amores Aut metuet dulces, aut experietur amaros. *Tibull.* 2. 4. 11. Nunc et amara dies et noctis amarior umbra. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 15. ferre casus patienter amaros. *Id.* 14. *Met.* 465. amari luctus. *Id.* 5. *Trist.* 2. 29. pericula ponti. *Id.* 9. *Met.* 436. pondera senectæ. *Id.* 1. *Pont.* 9. 21. vita. *Propert.* 1. 1. 33. noctes. *Id.* 1. 19. 20. mors. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 88. historiæ. *h. e.* pessime conscriptæ, ideoque ingratissimæ. *Val. Max.* 7. 6. pr. Amarissimæ leges necessitatis. — *b*) Speciatim ponitur de dictis vel scriptis, et est mordax, maledicus. *Virg.* 10. *Æn.* 900. Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris? *Horat.* 1. *Sat.* 7. 7. Amarus sermo. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 31. dictis amaris lacessere aliquem. *Id.* 4. *Pont.* 14. 37. Vexare mores hominum scriptis amaris. *Id.* 2. *Art. Am.* 151. Amara lingua. *Id. Heroid.* 18. 115. monitus. *Seneca* 4. *Controv. p.* 440. *Bip.* Labienus homo mentis, quam linguæ amarioris. *Quintil.* 10. 1. 117. Amari sales.

Amara, orum, n. 2. substantivorum more occurrit translate apud *Horat.* 2. *Od.* 16. 25. Lætus in præsens animus, quod ultra est Oderit curare et amara lento (*al.* læto) Temperet risu. *Id.* cum Genit. 4. *ibid.* 12. 19. Cadus amara curarum eluere efficax.

Amarum Accus. gen. neutr. absolute pro *amare* adverbio. *Apul.* 6. *Met.* 13. Contortis superciliis subridens amarum. *h. e.* risu indignatione misto. Adde *Ammian.* 21. 9. *in fin.*

ĀMASCO, is, ere, *verb. inchoat. ab* amo, amare incipio. *Diomed.* 1. *p.* 334. *Putsch.* Ab amo veteres inchoativo modo dixerunt *amasco*. Unde et *amascos* amatores dicebant, et Plautus in *Truc.* (3. 1. 13.) *Mundulos istos amascos*. Nævius. Nunc amasco primulum. — Hæc *Diomed.*, cujus editiones aliquot omittunt *Nævii* locum, alia leg. *Nunc primum amasco*. In *Plauto* plerique omnes leg. *amasios*.

AMASCUS, i. *V.* voc. præced.

ĀMĀSĬA, æ, f. 1. amica, mulier quæ ab amasio in

deliciis habetur. *Varro* apud *Non.* 1. 54. et 2. 788. *edit. vet.* Quibus suam delectet ipse amasiam.

ĀMĀSIO, ōnis, m. 3. idem quod amasius. *Apul.* 7. *Met.* 21. *de asino.* Festivus hic amasio. *Prudent.* περὶ στεφ. 10. 181. Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis, Amasionum comprimuntur fraudibus.

ĀMĀSIUNCŬLA, æ, f. 1. amatrix: ita dicta blanditiæ causa. Legitur in *Fragm. Tragur. Petron.* 75. *Burmann.*

ĀMĀSIUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab amasius. Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Ritam inter zelotypos et amasiunculos.

ĀMĀSIUS, ii, m. 2. amans, amator (It. *innamorato, leggiadro, vago*; Fr. *amant, galant*; Hisp. *amante, galan*; Germ. *Liebhaber, Buhle*; Angl. *a lover, suitor, sweetheart*). *Plaut. Cas.* 3. 3. 27. Miserrimum ego hodie hunc (*metum*) habebo amasium. *Id.* apud *Diomed.* 1. p. 334. *Putsch.* Mundulos istos amasios. *V.* AMASCO. *Gell.* 7. 8. Delphinos Venerios esse et amasios. *Id.* 19. 9. Nostros quoque poetas amasios ac Venerios fuisse.

ĀMĀTHIA, æ, f. 1. græca vox ἀμαθία *inscitia*, quæ latinis litteris occurrit apud *Paulin. Pell. Euchar.* 65. Ipsius alphabeti inter prope prima elementa Nosse cavere decem specialia signa amathiæ.

ĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus amandi, et dicitur fere de amore venereo (It. *amore, innamoramento*; Fr. *amour*; Hisp. *amor*; Germ. *das Lieben*; Angl. *love*). *Plaut. Cas.* 2. 5. 20. Tua mihi odiosa est amatio. *Id. Merc.* 4. 4. 53. Te di deæque perduint tua cum amica cumque amationibus. *Id. Pœn.* 5. 2. 136. Acerba amatio. *Id. Rud.* 4. 5. 14. Inepta atque odiosa amatio. *Id. Capt. epil.* 2. Neque in hac (*fabula*) subagitationes sunt, neque ulla amatio. *h. e.* nulli inhonesti amores inducuntur.

ĀMĀTOR, ōris, m. 3. proprie est qui aliquem vehementer amat, seu maximo animi ardore alicui studet favetque (It. *amadore, partigiano*; Fr. *amateur, partisan*; Hisp. *aficionado, adherente, sequaz*; Germ. *der Liebhaber oder Verehrer*; Angl. *a lover, one who loves or is attached to any person or thing*). ¶ 1. Proprio et stricto sensu occurrit cum de personis, tum de rebus atque abstractis. *Lucilius Sat.* 19. *fragm.* 40. Faritorem me tibi, amicum, amatorem putes. *Cic.* 7. *Fam.* 33. 2. Vivamque tecum multum et cum communibus nostris amatoribus. *Id.* 1. *Att.* 20. 7. L. Papirius Pætus, vir bonus amatorque noster, mihi libros — donavit. *Id.* 9. *Fam.* 15. 4. Amator suus, familiaris meus. *Id. Brut.* 17. 68. Amatores Catoni desunt. *h. e.* Catonis scriptis. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 8. cum plenus languet amator. *Cic.* 4. *Att.* 10. 4. Bibliothecam tuam cave cuique despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 1. Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus Ruris amatores. *Flor.* 1. 1. 5. Amator fluminis et montium. *Cic. Tim.* 14. Amator intelligentiæ sapientiæque. *Id.* 14. *Att.* 10. 2. pacis. *Nep. Att.* 18. antiquitatis. *Quintil.* 10. 1. 88. ingenii sui. ¶ 2. Sæpe accipitur in malam partem pro amante venereo. *Plaut. Men.* 2. 1. 43. Tu magnus amator mulierum es, Messenio. *Id. Rud.* 2. 1. 28. Nam ecastor numquam satis dedit suæ quisquam amicæ amator. *Id. Mil. glor.* 5. 38. Quis erat igitur? SCE. Philocomasio amator. *h. e.* amator Philocomatii. *Ter. Andr.* 4. 3. 3. Amicum, amatorem, virum in quovis loco paratum. *Id. Hec.* 1. 1. 2. Per pol quam paucis reperias meretricibus fideles evenisse amatores. *Cic. Cœl.* 20. 49. Adulter an amator? *Horat.* 1. *Sat.* 3. 38. amatorem quod amicæ Turpia decipiunt cæcum vitia. *Ovid. Rem. am.* 110. Amator Veneris. *Liv.* 39. 43. Amator indulgens. *Propert.* 2. 2. 26. blandus. *Id.* 2. 21. 4. pulcher. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 68. pauper. *Juvenal.* 6. 547. tener. — Absolute. *Ter. Hec.* 5. 3. 38. Neque enim in rem est nostram, ut quisquam amator nuptiis lætetur. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 38. Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator. Adde *Dig.* 11. 3. 1. § 5. — Et de iis, qui pueros in deliciis habebant. *Nep. proœm.* 4. Laudi in Græcia ducitur quamplurimos habere amatores. *Curt.* 6. 7. 11. Proditor amatoris. *Id.* 6. 10. 16. Amator et scortum. — Adjective de oculis, qui venereum amorem ad animum transferunt. *Apul.* 5. *Met.* 24. Ferro caput excideres meum, quod istos amatores oculos tuos gerit.

H o m o n y m. *Amator* differt ab *amante*; *amans* enim est qui ad tempus amat, amator qui in amore perseverat. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. Ut inter ebrietatem et ebriositatem interest aliudque est a m a t o r e m esse, aliud a m a n t e m. Haud recte *Donatus* ait ad *Ter. Andr.* 1. 1. 49. ait: *amator* fingere potest, non enim semper amat; *amans* autem vere amat: id enim commune esse potest et amatori et amanti. — *Amator* differt etiam ab *amico*; *amicus* enim tranquille amat, *amator* autem magno animi ardore studet favetque. *Cic.* 5. *Verr.* 63. 148. Poteritne te ipse Alba, tuus antiquissimus — non solum a m i c u s, verum etiam a m a t o r, absolvere?

ĀMĀTORCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab amator. Plaut. Pœn.* 1. 2. 27. Vix ægreque amatorculos invenimus.

ĀMĀTŌRIĒ, adverb. (amatorius) more amatorio, qua amantem venerium significat. *Plaut. Merc.* 3. 3. 20. Amatorie loqui. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Epistola amatorie scripta.

ĀMĀTŌRIUS, a, um, adject. (amator) ad amorem pertinens vel alliciens, et fere de amore venerio usurpatur (It. *d'amore, amoroso*; Fr. *d'amour, érotique*; Hisp. *erótico*; Germ. *den Liebhaber oder Verliebten betreffend*; Angl. *amatory, amatorious*). *Cic.* 4. *Tusc.* 33. 71. Nam Anacreontis quidem tota poesis est amatoria. *Id. ibid.* 34. 74. Frui voluptate amatoria. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 25. 41. (79). Amatoria veneficia. *h. e.* ad amorem inducentia, quæ et philtra dicuntur. *V.* PHILTRUM. *Id.* 8. *ibid.* 22. 34. (83). Amatorium virus. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (19). Incantamentorum amatoria imitatio. *Sueton. Cal.* 50. Amatorium medicamentum. *Paul. Sentent.* 5. 23. 14. et *Dig.* 48. 8. 3. § 2. Amatorium poculum. — Hinc

Amatorium, ii, n. 2. absolute pro medicamento seu veneficio, et generatim pro vi et efficacia ad amorem inducendum. *Seneca Ep.* 9. Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine: si vis amari, ama. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 52. (142). Frutex efficax in amatoriis. *Id.* 28. 8. 27. (106). Hyænæ caverna sinistro lacerto alligata, si quis mulierem respiciat, amatorium est tam præsens, ut illico sequatur. *Et mox.* Dissolvere amatoria. *Id.* 20. 5. 15. (32). Orpheus amatorium inesse staphylino dixit. *Quintil.* 7. 8. 2. Amatorium alicui dare.

ĀMĀTRIX, icis, f. 3. quæ amat (It. *amatrice, innamorata*; Fr. *amoureuse*; Hisp. *enamoricada*; Germ. *die Liebhaberin*; Angl. *an amorous woman*). *Plaut. Asin.* 3. 1. 8. Satis dicacula es amatrix. *Id. Pœn.* 5. 5. 25. Adire ad amatricem. *Martial.* 7. 69. 1. Sappho amatrix. *Id.* 7. 15. 4. et 10. 4. 6. Amatrices aquæ. *Inscript.* apud *Orell.* 4657. ex *Labus. Monum. epigr. cristian.* p. 27. et pertinet ad a. ant. Chr. n. 467. Pauperum amatrix. *Auson. præf. Edyll.* 6. Mulieres amatrices. *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 1. Amatrix mundi.

ĀMĀTŬRĬO, ūris, ūrire, n. 4. amare cupio aut paro: verbum meditativum ab *amo, as*, quod tamquam Latinum agnoscunt *Diomed.* 1. p. 336. et *Priscian.* 8. p. 825. *Putsch.*, sed nullo exemplo confirmant.

ĀMĀTUS, a, um. *V.* AMO.

ĀMAXĪTIS, is. *V.* HAMAXITIS.

AMB. *V.* AMBE et AMBI.

AMBACTUS, i, m. 2. *Paul. Diac.* p. 4. 13. *Müll.* Ambactus apud Ennium lingua Gallica servus appellatur. *Vet. Gloss. Philox.* Ambactus, δοῦλος μισθωτός, ὡς Ἔννιος. Ambacti fuisse videntur iidem ac soldurii. Nonnulli putant, esse domesticum Gallorum verbum, et eum significare, qui alterum assectatur, assiduusque minister et comes ejus est; ex *ami* munus, et *achten* curare. Adde in versione Gothica epist. *D. Pauli ad Rom.* 13. 3. et 4. bis legi *andbahts Goths. h. e.* minister Dei, et *ibid.* 15. 8. διάκονος vertitur *andbaht*. Frustra igitur sunt qui e Latina lingua hanc vocem explicare conantur. Præterea nummus Gallicus apud *Pellerin Recueil de Médaill. T.* 1. *tab.* 3. habet parte antica caput bovis, cum inscript. AMBACTUS. Incertum tamen est, utrum sit nomen hominis, an dignitatis, an denotet id quod Itali dicunt *distretto*, hac enim significatione usurpatur hodieque in Flandria. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. Equitum (*Galliæ*), ut quisque genere copiisque amplissimus, ita plurimos circa se ambactos clientesque habet. nempe *Cæs.* verbum *andbaht*, Romanis barbarum, interpretatus est Latino clientis vocabulo. Hæc ex *Oberlin. Comment.* in *Cæs.* V. SOLDURII. Et hæc quidem recte: nam *andbaht* vocabulum apud veteres Germanos usitatum significabat *famulum, servum*, eum ferme, quem Italice *vassallo* dicimus. V. *Jac. Grimm teutsche Grammatik P.* 2. p. 211. et ejusdem *teutsche Rechtsalterthümer* p. 304.

AMBĔDO, is, a. 3. ab *amb*, ad, et *edo* compositum, significat proprie circum edere, et generatim absumere, vorare. *Plaut. Merc.* 2. 1. 15. Dicit, capram suæ uxoris dotem ambedendisse. *Et mox*: Ut una illæc capra uxoris simiæ dotem ambederit. *Acidalius* putat jlocaliter fictum esse a vocibus *ambo* et *edo*, et ludere *Plautum* in eo, quod dicat, capram unam potuisse integram dotem arrodere.

AMBĀGES, is, f. 3. *Charis.* 1. p. 25. *Putsch.* ponit quidem hunc rectum singularem et Genitivum; horum tamen usum nondum vidimus. Singulari num. occurrit tantum Ablativus, plurali autem casus omnes. — Est vox composita ex *ambe* et *ago*, teste *Varron.* 7. *L. L.* 30. p. 131. *Müll.*, et proprie significat viarum circuitum, circuitionem, anfractum.

I.) Proprie. ¶ 1. Proprie et abstracte, raro occurrit. *Apul.* 7. *Met.* 15. Hordeum meum frictum et sub eadem mola meis (*asini*) quassatum ambagibus colonis proximis venditabat. *Id.* 9. *ibid.* 11. Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage varia. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (41). Multiformi hæc (*luna*) ambage torsit ingenia contemplantium. *Ovid. Heroid.* 7. 149. *de longa peregrinatione*: Hos potius populos in dotem, ambage remissa, Accipe. ¶ 2. Sæpius ut concretum accipitur et est ipsa via obliqua a recta decedens ideoque longior. *Ovid.* 8. *Met.* 160. *de labyrintho Dædali.* turbatque notas, et lumina flexum Ducit in errorem variarum ambage viarum. *Virg.* 6. *Æn.* 29. *de eod.* Dædalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (85). Quæ (*pars labyrinthi*) itinerum ambages occursusque ac recursus inexplicabiles continet. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 236. longis illuc ambagibus itur. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 34. remotas Tethyos ambages. *h. e.* maris varios circuitus flexusque.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro longiore, quam par est, verborum circuitu. Ad rem *Lucret.* 6. 916. Hoc genus in rebus firmandum est multa prius quam Ipsius rei rationem reddere possis, Et nimium longis ambagibus est adeundum. Cf. *ibid.* v. 1078. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 10. Quid opus me multas agere ambages? *Id. Cist.* 4. 2. 81. Sed, quæso, ambages, mulier, mitte atque hoc age. *Ter. Heaut.* 2. 3. 77. CLIT. Quas, malum, ambages mihi narrare occipit? CLIN. Syre, verum hic dicit: mitte: ad rem redi. *Lucilius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 30. p. 131. *Müll.* Quid tibi ego ambages Ambivi scribere coner? *Virg.* 2. *G.* 45. non hic te carmine ficto Atque per ambages et longa exorsa tenebo. *Id.* 1. *Æn.* 341. longa est injuria, longæ Ambages; sed summa sequar fastigia rerum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 82. ne te longis ambagibus ultra, Quam satis est, morer. *Ovid.* 3. *Met.* 692. præbuimus longis ambagibus aures. *Id.* 7. *ibid.* 520. sine ullo Ordine nunc repetam, ne longa ambage morer vos. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 9. Quando pauperiem, missis ambagibus, horres. *Quintil.* 2. 11. 23. Hæc autem brevior — via neque discentem per ambages fatigabit, neque corpus orationis — consumet. ¶ 2. Ponitur etiam pro implexa captiosave sermonis perplexitate, qua verum involvitur et obscuratur. *Liv.* 6. 16. Cum mittere ambages dictator juberet, et aut peragere rerum indicium cogeret, aut fateri facinus etc. *Id.* 9. 11. Et vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallendæ fidei exquirere? Adde 44. 27. *Ovid.* 10. *Met.* 19. Si licet, et, falsi positis ambagibus oris, Vera loqui sinitis. — Huc referri potest et illud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 55. 56. (188). Post sepulturam variæ Manium ambages. *h. e.* variæ implexæque de defunctorum statu conjecturæ et sententiæ, ut ipse statim exponit. ¶ 3. Item pro sermone aut factis ænigmaticis, quibus obscurum aliquid innuitur. *Liv.* 1. 54. Sexto ubi quid vellet parens quodve præciperet tacitis ambagibus patuit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 53. (169). Tarquinius Superbus legatis a filio missis, decutiendo papavera, sanguinarium illud responsum hac tacti ambage reddidit. *Liv.* 1. 55. Quæ visa species haud per ambages arcem eam imperii — fore portendebat. *Id.* 1. 56. Is (*L. Jun. Brutus*) tum — inclusum corneo cavato ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii sui. Adde *cumu.* 5. 15. *Virg.* 1. *Æn.* 99. *de Sibylla.* Horrendas canit ambages. *Ovid.* 3. *Fast.* 337. sed verum ambage remota Abdidit et dubio terruit ore virum. *Id.* 7. *Met.* 760. *de Sphinge*, et præ-

cipitata jacebat Immemor ambagum vates obscura suarum. *h. e.* captiosarum interrogationum et ænigmatum, quibus prætereuntes fatigaverat. Adde 14. *ibid.* 57. *Lucan.* 1. 687. multa tegens ambage canebat. *Seneca Œdip.* 216. Ambage nexa Delphino mos est Deo Arcana tegere. *Val. Max.* 1. 8. 10. Inter obscuras verborum ambages fata cecinit. *Tac.* 2. *Ann.* 54. Ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse. *Id.* 12. *ibid.* 63. Redditum oraculum: quærerent sedem cæcorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur. Et 11. *ibid.* 34. Aperire ambages et veri copiam facere. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 5. 6. (9). Tiberii Cæsaris principatu irrepsit id malum (*h. e.* colum morbus). Nec quisquam id prior imperatore ipso sensit, magna civitatis ambage (*h. e.* ænigmatica perplexitate), cum edicto ejus excusantis valetudinem legeretur nomen incognitum. *Cf. eumd.* 10. *ibid.* 49. 70. (137). Etiam sine his immensa vitæ ambage circa auguria. *h. e.* perplexitate.

AMBAGIO. Legebatur olim apud *Varr.* 3. *L. L.* Ambagio dicta ut ambustum, quod circum ustum est. et videbatur idem esse ac *ambages*: sed nunc in eodem *Varr.* 7. *L. L.* 31. *p.* 132. *Müll.* legimus: Adagio dicta ut adustum, quod circum ustum est. *Quod certe rectius, V.* enim integrum locum.

AMBĀGIŌSUS, a, um, adject. ambagibus abundans, ænigmaticus. *Gell.* 14. 1. *ad fin.* Ambagiosa conjectatione nitentes.

AMBĀGO, inis, f. 3. idem quod ambages, sed usuvenit seriori tantum ævo, ipse enim *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 297. docet, veteres dixisse tantummodo *ambages*, non *ambago*. *V.* COMPAGO. Translate legitur apud *Manil.* 4. 303. Sic altis natura manet consepta tenebris, Et verum in cælo est multa cum ambagine rerum. *h. e.* obscuritate, incertitudine.

AMBARVĀLIS, e, adject. (ambo *et* arvalis). Ambarvalis hostia, ab ambiendis arvis dicta, victimæ genus erat quotannis pro frugibus sacrificari solitum. Hujusmodi enim hostiis, antequam cæderentur, arva solebant lustrari. *Servius* ad illud *Virg.* 3. *Ecl.* 77. Cum faciam vitula pro frugibus. *Et* ad illud *Ecl.* 5. 75. et cum lustrabimus agros. *Et* ad illud 1. *G.* 345. Terque novas circum felix eat hostia fruges: *notat*, iis locis hoc ambarvale sacrum designari (quod sæpe de porca fecunda et gravida fieri consueverat, et *ambarvalia* dicitur ab eruditis) quia *am* hoc est circum arva victima cædenda ter ducebatur. *Paul. Diac.* p. 5. 1. *Müll.* Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt. Idem repetit *Sextus Pompejus* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 5. Adde *Vopisc. Aurelian.* 20. Hoc sacrificium (quod describitur a *Tibull.* 2. *el.* 1.) peragebatur a sacerdotibus, qui *Fratres arvales* dicebantur: quorum collegium ex duodecim constabat. Deceptum enim fuisse pravo codice *Paulum Diac.*, cum *duobus fratribus* scripsit, notat *Scalig.* ad vocem *Ambarvales*. — Ceterum *Marin. Frat. arv.* p. *XXIX.* subdubitat, num reapse Fratres Arvales ambarvale sacrificium peragere solerent. *V.* ARVALIS et cf. *W. A. B. Hertzberg* in *Archiv. für Philol. und Pädag. T.* 5. *p.* 413.

AMBAXIOQUE circumeuntes catervatim. *Paul. Diac.* p. 26. 4. *Müll. Scaliger.*, quem sequitur *Lindemann.*, legebat *ambiaxioqui* etc. atque ita interpungebat *ambaxio, qui circumeunt, et catervatim.* At *Müllerus* putat unam vocem *catervatim* explicando adjectam, et *ambaxio* ab *amb-agendo* ductum esse.

AMBE *vel* ambi, præpositio loquelaris sive inseparabilis, quæ in compositione solummodo locum habet, ducta a Gr. ἀμφί (Cf. et Sanscr. *abhi*). *Varr.* 7. *L. L.* 30. *p.* 131. *Müll.* Profectum (*ambages*) a verbo *ambe*, quod inest in ambitu et ambitioso. *Charis.* 2. *p.* 211. *Putsch.* Loquelis (*serviunt præpositiones*): *am, con -, se, an,* ut *amplector* etc. *Cf. eumd. ibid.* *p.* 204., *Priscian.* 14. *p.* 1002. *Putsch.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. V. et *Hand. Tursell.* 1. *p.* 284. — Ceterum si componatur cum verbis a consonante incipientibus sæpe integra manet, ut *ambecisus, ambifarius*; si cum verbis a vocali incipientibus, euphoniæ causa *amb* dicitur, ut *ambarvalis, ambesus, ambio, ambustus*; interdum tamen cum ante consonantes, tum ante vocales, *h. e.* ante *p, q, f,* et *j* mutatur in *am* vel *an*, ut *amplector, anquiro, anfractus, amicio* h. e. amjicio.

AMBECĪSUS, us, m. 4. proprie est circumcisio sive actus circumcidendi. *Varr.* 7. *L. L.* 43. *p.* 137. *Müll.* Ancilia dicta ab ambecisu, quod ea arma ab utraque parte, ut Thracum, incisa. *V.* ANCISUS, us.

AMBĒDO, ēdis, ēdi, ēsum, ēdere (ambo et edo). Part. *Ambens* pro *ambedens* occurrit apud *Lucret.* (V. infra), et confirmatur a *Paul. Diac.*, qui *p.* 4. 15. *Müll.* ait: Ambest ita tertiæ personæ verbum est, ut nullam aliam habeat declinationem: *quibus verbis*, inquit *Forcellinus*, *significare videtur, non, sicut* ambest, *dici posse etiam* ambes *pro* ambedis, ambestis *pro* ambeditis. Part. *Ambesus.* — Ambedo est circum edo (It. *mangiare attorno*; Fr. *manger, ronger tout autour*; Hisp. *comer al rededor*; Germ. *umfressen*; Angl. *to eat or gnaw round*). *Lucret.* 5. 397. Ignis enim superavit et ambens multa perussit. *Sunt qui putant dictum esse pro* ambiens, *h. e.* circumiens. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Nam exorta vis locustarum ambederat quidquid herbidum aut frondosum etc. Ita legendum cum opt. Codd. et ex opt. Criticor. sententia: non *abederat*, tamquam sit ex abedo. *Virg.* 3. *Æn.* 257. ambesas malis absumere mensas. *Id.* 5. *ibid.* 752. robora ambesa flammis. *Pierius* hoc loco ait, in antiquis aliquot codicibus scriptum esse *ambessa* ea ratione, qua et *fussus* et *aussus* et *odiossus* olim scribebatur: quæ omnia sustulit usus. *Seneca Hippol.* 1266. Membrum multo vulnere ambesum. *h. e.* laceratum, attritum, avulsum. *Al. leg.* abruptum. *Alfen. Dig.* 41. 1. 38. Flumen paullatim primum omnem agrum ambedit; deinde et viam sustulit.

AMBEGNUS, a, um. *V.* AMBIEGNUS.

AMBENS. *V.* AMBEDO.

AMBESTRIX, icis, f. 3. quæ ambedit. *Ammian.* 29. 3. Cum duas haberet ursas sævas hominum ambestrices.

AMBĒSUS, a, um. *V.* AMBEDO.

AMBI. *V.* AMBE.

AMBĬDENS sive bidens ovis appellabatur, quæ superioribus et inferioribus est dentibus. *Paul. Diac.* p. 4. 17. *Müll.*

AMBĬEGNUS, a, um, adject. (ambi *et* agnus). Ambiegna hostia apud veteres dicebatur ea, quæ ab utroque latere agnis comitata ad sacrificium ducebatur: quasi *ambiagna*. *Paul. Diac.* p. 4. 16. *Müll.* habet *ambegna*, docetque ita speciatim appellatos fuisse bovem et vervecem, quando eo comitatu mactabantur. Rectius *Varro* 7. *L. L.* 31. p. 132. *Müll.* habet *ambiegna* (*bos*), additque vocem fuisse propriam Augurum. Falso *Bæbius Macer* apud *Fulgent. de prisco Sermon.* n. 6. scribit ita dictas fuisse oves, quæ geminos peperissent et Junoni sacrificarentur. In loco *Fulgentii* quidam legunt *ambigna*.

AMBĬENTER, adverb. cum ambitione, magno studio, cupide. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Ambienter expetere aliquid. *Cassiod.* 5. *Variar.* 2. Ambienter requirere.

AMBĬFĀRĬAM, proprie est Accus. sing. fem. gen. ab *ambifarius*, adverbii more usurpatus, et significat duplici ratione, juxta duplicem modum (It. *sotto doppio rapporto, in due maniere*; Fr. *en deux sens, de deux manières*; Hisp. *de dos sentido*; Germ. *aus doppeltem Gesichtspuncte, in zweifacher Beziehung*; Angl. *in two parts or forms*). *Apul. de Mag.* 4. Ambifariam dissolvere dictionem. *Id.* 4. *Florid.* 18. Anceps argumentum ambifariam proposuit.

AMBĬFĀRIĒ, adverb. idem quod ambifariam. *Claud. Mamert. de Statu anim.* 1. 3. Quidquid afficitur contrariis congruentibusque pariter obnoxium ambifarie subditur passioni.

AMBĬFĀRIUS, a, um, adject. compositus ex *ambi* et *fari*, ut apud Græcos ἀμφίφατος, ἀμφίφασις, qua de re V. *Priscian.* 15. *p.* 1013. *Putsch.* et *Hand. Tursell.* 1. *p.* 280., necnon voc. BIFARIUS. Ambifarius itaque dicitur qui duplicis est significationis, ideoque ambiguus. *Arnob.* 5. 36. Partes alias esse communiter scriptas, alias vero dupliciter et ambifaria obtentione velatas. *Et ibid.* 35. Fabulæ ambifariæ. *Forcellinus* acceperat *ambifarium* pro *duplici*, et monuerat *Arnobium* his locis non tam *duplicem*, quam *ambiguum* significare voluisse: nuperrime posteriori loco *Oehler* restituit *bifariæ*.

AMBĬFORMĬTER, adverb. (ambi *et* forma) duplici modo, ancipiti significatione, ambigue. *Arnob.* 5. 36. Ambiformiter dictum.

AMBĬGA, æ, f. 1. vox Græca, ἄμβιξ, ικος, qua significatur vasculum pyramidis figura in acutum tendens, e testa vel vitro, ut docet *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 7., qui vocem Græce scribit. Latine usurpavit *Apic.* 6. 7. Aves in ambigas sublatæ. ubi *ambigas* rectius fortasse deduci potest ab *ambix, igis*, quæ formam Græcam refert.

AMBĬGĔNUS, a, um, adject. (ambi *et* gigno) qui est duorum generum. *Eugen. Toletan. carm.* 22. Hæc sunt ambigena, quæ nuptu dispare constant. Burdonem sonipes generat commixtus asellæ. *Vet. Scholiast. mss.* apud *Mai.* ad *Juvenal.* 7. 160. Arcadici vocantur magni asini, quales sunt in Arcadia; unde in ambigenis legimus: Mulus ab arcadicis et equina matre creatus.

AMBĬGO, igis, igere, 3. (ambi *et* ago). Occurrit tantum Præsens et Imperfectum; reliqua tempora non sunt in usu. — Part. *Ambigens* I. et II. 2. — Ambigo proprie est ambio, circumeo, unde et nomen *ambages* (It. *andare o girare intorno*; Fr. *aller ou errer autour*; Hisp. *ir, andar, errar al rededor*; Germ. *sich um einen Gegenstand herumbewegen, ihn umgehen*; Angl. *to go round or about*).

I.) Proprie occurrit tantummodo apud *Tac.* 6. *Ann.* 15. Ne tecta quidem Urbis, adeo publicum consilium numquam adiit, deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans. *Forcellinus* hæc addit: Verum hic locus aliter ab aliis explicatur: et sunt etiam qui lectionem sollicitant. Quidam enim *ambiens* reponere tentarunt; alii sic distinguere malunt: *Deviis plerumque itineribus ambigens et patriam declinans*, hoc est errans, tamquam ambiguus quo pergeret. Recentiores tamen philologi vulgatam lectionem tuentur: cf. *Ernesti* ad h. l. et AMBAGES I. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Ambigo est rem aliquam circumeo incertus quid agam, hinc dubito, et inter duas aut plures sententias utram eligam, anceps sum (It. *dubitare, stare intra due*; Fr. *hésiter, être incertain, douter*; Hisp. *dudar, hesitar, estar incierto*; Germ. *über etwas ungewiss sein*; Angl. *to doubt, hesitate, be in a state of uncertainty*). Occurrit 1.) active, 2.) neutrorum more. — 1.) Activa forma proprie numquam occurrit; sed — *a*) Passivorum more usurpatur cum nominativo patiente, ut vocant Grammatici: hinc *ambigitur aliquid* est *in quæstionem adducitur*. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 142. In eo autem jure, quod ambigitur inter peritissimos. *Id.* 2. *ibid.* 26. 110. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quæ propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue. *Id. ibid.* § 111. Cum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum aut verba sint prætermissa. *Id.* 2. *ibid.* 24. 104. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur, – in quo – non quæratur etc. *Lucr.* 3. 1088. Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis Ætas post mortem. — *b*) Sæpissime occurrit *ambigitur* passive impersonaliter, et modo adhæret pronomini *id*, modo usurpatur sequente relativo cum Subjunctivo, modo Ablativo cum præp. *de*, modo Accusativo cum Infinito. *Quintil.* 7. 7. 1. In utraque id ambigitur, an utique illa lege sit utendum. *Mox opponitur* constat, certum est; ut etiam apud *eumd.* 7. 2. 7. et 7. 3. 10. *Cic.* 2. *Orat.* 26. 110. In quo (*genere*) quale sit quid ambigitur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 55. Ambigitur quoties uter utro sit prior. *Curt.* 7. 2. 33. Hæc impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum suspectum fecerint, ambigi potest. *Quintil.* 3. 8. 4. Si quando ambigitur, an liceat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (10). Quamquam et de ipso nomine ambigi video. Adde *eumd.* 16. 40. 79. (213). *Quintil.* 7. 3. 10. Nomen, de quo ambigitur, utique in alia re certum est. *Tac.* 6. *Ann.* 28. Aquici aliquando in Ægypto eam volucrem non ambigitur. — Huc pertinet et usus Gerund. *ambigendi*. *Cic.* 2. *Orat.* 24. 104. Statim occurrit animo quæ sit causa ambigendi. *Id.* 3. *ibid.* 29. 111. Omnis igitur res eamdem habet naturam ambigendi. *h. e.* ut de ea dubitari et quæri possit in utramque partem. — 2.) Neutrorum more usurpatur iisdem ferme modis, quibus *ambigitur* (V. paullo super. sub *b*). *Liv.* 1. 3. Haud nihil ambigam –: quis enim rem tam veterem pro certo affirmet? – hicine fuerit Ascanius, an major quam hic etc. *Justin.* 29. 4. Tot malis obsessus, cui rei primum occurreret ambigebat. *Tac.* 1. *Ann.* 16. Imperitos animos, quænam post Augustum militiæ conditio, ambigentes. *Id.* 16. *ibid.* 20. Ambigens Nero, quonam modo ingenia notescerent. *Id.* 12. *ibid.* 65. Ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno potiora habere. *Curt.* 3. 3. Alexandrum regnum Asiæ occupaturum, haud ambigere. *Gell.* 14. 2. In hac causa, de qua tu ambigis. ¶ 2. Est etiam (et occurrit fere

cum Ablat. et præp. *de* cum passive, tum neutrorum more) disputare cum aliquo, controvertere, quærere. — *a*) Sive id verbis vel philosophica fiat disquisitione. *Cic.* 2. *Fin.* 2. 4. Ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit, de quo agatur. *Id. Orat.* 36. 126. Nisi cum de vero ambigetur, quod quæri conjecturâ solet. *Liv.* 21. 10. Id, de quo verbis ambigebatur. *Id.* 35. 33. Pauca de jure civitatium, de quibus ambigeretur, disseruit. — *b*) Sive id judicio fiat aut armis. *Ter. Heaut.* 3. 1. 89. Simus et Crito vicini nostri hic ambigunt de finibus. *Tac.* 1. *Hist.* 24. Coccejo Proculo speculatori de parte finium cum vicino ambigenti. *Cic.* 2. *Invent.* 42. 122. Ambigant agnati cum eo, qui est heres, si filius etc. *Id. Cæcin.* 8. 21. In illum proximum (*fundum*), de quo nihil ambigebatur. *Id.* 5. *Verr.* 45. 117. Si de hereditate ambigitur. *Liv.* 40. 13. Ambigere de regno. *Id.* 21. 31. Regni certamine ambigebant fratres.

AMBĬGŬĒ, adverb. (ambiguus) dubie, obscure, ancipiti significatione (It. *ambiguamente*, *dubbiosamente*, *oscuramente*; Fr. *d'une manière ambiguë*, *équivoque*; Hisp. *ambiguamente*, *confusamente*; Germ. *auf zweideutige*, *doppelsinnige*, *schwankende und ungewisse Weise*; Angl. *ambiguously*, *obscurely*). Occurrit fere speciatim de oratione. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 86. Ambigue loqui. *Id. Orat.* 32. 115. Ambigue dicere aliquid. *Id. Cæcin.* 28. 81. Verbum ambigue positum. *Id.* 2. *Orat.* 26. 110. Aliquid ambigue scriptum. *Aurel. Vict. de Vir. illustr.* 35. Apollo ambigue respondit: Ajo, te Æacida Romanos vincere posse. *Tac.* 3. *Hist.* 33. Ambigue agere. *h. e.* dubia fide. *Id.* 2. *Ann.* 21. et 4. *Hist.* 66. Ambigue pugnare. *h. e.* dubia fortuna et ancipiti victoria.

AMBĬGŬĬTAS, ātis, f. 3. (ambiguus) occurrit fere de oratione seu verbis, et est duplex, seu multiplex et dubia verbi alicujus significatio, atque adeo obscura (It. *ambiguità*, *equivoco*, *oscurità*; Fr. *ambiguïté*, *équivoque*, *obscurité*; Hisp. *ambigüedad*, *incertidumbre*; Germ. *die Doppelsinnigkeit*, *Zweideutigkeit*; Angl. *ambiguity*, *uncertainty*, *obscurity*, *equivocation*). *Cic.* 1. *Invent.* 40. 74. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. *Id. Partit. orat.* 6. 19. Ambiguitas verborum. *Liv.* 41. 18. verbi. *Quintil.* 5. 10. 106. vocum. *Seneca Ep.* 9. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere ἀπάθειαν uno verbo voluerimus, et impatientiam dicere. *Id. ibid.* 108. Relictis ambiguitatibus et syllogismis et cavillationibus. *Quintil.* 8. 2. 15. Ambiguitatem vitare. *Id.* 7. 2. 49. solvere. *Id.* 3. 6. 42. conjecturâ explicare. *Id.* 1. 10. 5. Ambiguitates exquisitæ.

AMBĬGŬUM, i. *V.* voc. seq. in fine.

AMBĬGŬUS, a, um, adject. ab *ambigo*, teste ipso *Paul. Diac.* p. 17. 1. *Müll.* Ambiguum est, quod in ambas agi partes animo potest. *Ambiguus* itaque est qui duplicem aut etiam multiplicem significationem habere potest, ideoque incertus, dubius, obscurus, et proprie abstracta tantum significatione esset usurpanda hæc vox (It. *ambiguo*, *dubbioso*, *incerto*, *oscuro*; Fr. *ambigu*, *incertain*, *douteux*; Hisp. *ambiguo*, *dudoso*; Germ. *zweideutig*, *doppelsinnig*, *schwankend*; Angl. *ambiguous*, *doubtful*, *uncertain*, *obscure*). ¶ 1. Latiori sensu ponitur de quacumque re incerta, dubia, obscura. — *a*) Absolute de rebus et interdum de personis. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 69. Quidquid incerti mihi in animo prius aut ambiguum fuit, nunc liquet, nunc defæcatum est. *Ter. Hec.* 4. 4. 26. Etiam si dudum fuerat ambiguum hoc mihi, nunc non est. *Cic. Brut.* 41. 152. Nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere. *Liv.* 21. 52. Galli – in duorum præpotentium certamine, per ambiguum favorem, haud dubie gratiam victoris spectantes. *Id.* 40. 8. Eo usque vivere me vultis, donec, alterius vestrum superstes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. *Ovid.* 13. *Met.* 129. Non foret ambiguus tanti certaminis heres. *Tac.* 2. *Ann.* 88. Ambiguus præliis, bello non victus. *h. e.* qui in præliis modo victoriam retulit, modo cladem. — *b*) Cum Genitivo, Græcorum more, ad personas refertur et est incertus. *Tac.* 1. *Ann.* 7. Nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere republ. et ambiguus imperandi. *h. e.* dubius utrum sibi esset imperandum, necne. *Id.* 2. *Hist.* 83. Ambiguus consilii. *Id.* 2. *Ann.* 40. Ambiguus pudoris ac metus. *Id.* 3. *Hist.* 43. Ita futuri ambiguus, et magis quid vitaret, quam cui fideret incertus. ¶ 2. Speciatim ponitur de verbis, quæ duplici ratione possunt explicari, ut *Cic.* docet *Orat.* 34. *in fin. Cic. Top.* 25. 96. Id autem contingit, cum scriptum ambiguum est, ut dum differentes sententiæ accipi possint. *Id. Orat.* 29. 102. Ambigua verba distinguere. *Id.* 3. *Tusc.* 9. 20. Ambiguum nomen. *Id.* 2. *Divinat.* 56. 115. oracula. *Virg.* 2. *Æn.* 98. spargere voces ambiguas. *h. e.* suspicionum et criminum plenas. *Ovid.* 9. *Met.* 587. Ambigua dicta. *Seneca Hippol.* 639. vox. *Sueton. Tib.* 24. responsa. *Id. Aug.* 75. Tituli ambigui et obscuri. *Id. Calig.* 27. Ambiguus jocus. *h. e.* æquivocus. ¶ 3. Item speciatim de iis, quibus nulla habenda est fides, quibus fidere non debemus, periculorum enim plena sunt et incertitudinis. *Liv.* 6. 2. Esse ambigua fide in amicitia alicujus. *Virg.* 1. *Æn.* 661. domus ambigua. *h. e.* in qua habitant homines dubiæ fidei. *Ovid. Heroid.* 10. 62. Ambiguæ viæ. *h. e.* maris viæ admodum incertæ et periculosæ. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Cæcina secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. *h. e.*, ut recte interpretatur *Forcellinus*, rerum dubiarum et adversarum, calamitatum. *Plin.* 4. *Ep.* 2. Puer acris ingenii, sed ambigui. *h. e.* incertum est, utrum ad virtutem, an ad vitia proclivis. *Gell.* 3. 14. Pudicitia non ambigua. ¶ 4. Denique apud Poetas ambiguum dicitur quidquid talem exterius formam præsefert, ut nunc hoc, nunc alio modo se præbeat, ideoque incerti simus, quam ad speciem id referamus. *Ovid.* 2. *Met.* 9. Ambiguus Proteus. *h. e.* qui in varias sæpe figuras vertitur. *Id.* 4. *ibid.* 279. Nec loquor, ut quondam naturæ jure novato Ambiguus fuerit modo vir, modo femina Sithon. *Horat.* 2. *Od.* 5. 24. Vultu ambiguo puer. *h. e.* qui etiam puella videri potest. *Ovid.* 7. *Met.* 271. Inque virum soliti vultus mutare ferinos Ambigui prosecta lupi. *Id.* 2. *Amor.* 12. 28. Ambigua virgo. *h. e.* Sphynx. *Id.* 1. *ibid.* 4. 8. vir. *h. e.* Centaurus. *Sil. It.* 7. 435. Tum sic involvens repetita exordia, retro Incipit ambiguus vates (*Proteus*) reseratque futura. *Quidam accipiunt pro* ambigue loquente: *alii de ipsius* Protei varia multiplicique forma *rectius interpretantur. Virg.* 3. *Æn.* 180. Agnoscit prolem ambiguam geminosque parentes. *h. e.* prolem, quæ geminos originis auctores habet. *Claudian.* 1. *Eutrop.* 462. Ambigui mares. *h. e.* eunuchi. *Ovid.* 15. *Met.* 333. Est lacus Arcadiæ, Pheneon dixere priores, Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto: Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur. *Seneca Hippol.* 1141. Volat ambiguis mobilis alis hora. *h. e.* nunc in altum, nunc in profundum. *Ovid.* 8. *Met.* 163. *de Mæandro.* ambiguo lapsu refluitque fluitque. *h. e.* incerti sumus utrum antrorsum aut retrorsum fluat. *Horat.* 1. *Od.* 7. 28. Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamina futuram. *h. e.* aliam Salamina, quæ antiquam forma et magnitudine æquiparet, ita ut ab ea distingui nequeat eamque superare possit. cf. *Virg.* 5. *Æn.* 326. Transeat elapsum prior ambiguumque relinquat. *h. e.* posset enim eum superare. — Cum Genit. *Claudian.* 1. *Eutrop.* 53. Ambiguus vitæ. *h. e.* de quo incertum, utrum viveret, necne. — Hinc

Ambiguum, i, absolute ponitur, neutrorum more, iisdem ferme significationibus, quibus adjectivum, scilicet — *a*) Est incertum, dubium. *D. Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 11. 1. Ego tamen non habui ambiguum et statim ad Plancum misi. *h. e.* non fui dubius. *Plaut. Trin.* 2. 4. 193. In ambiguo est etiam nunc quid de hac re fiat. *Lucret.* 4. 1130. relinquere aliquid in ambiguo. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 28. aliquid in ambiguo servare. *Tac.* 2. *Hist.* 45. Spes et præmia in ambiguo. — Hinc *ambiguum est*, ita ut *incertum est*, adverbii more occurrit apud *Ovid.* 1. *Met.* 765. Ambiguum, Clymene precibus Phaetontis an irâ Mota magis dicti sibi criminis etc. — *b*) Speciatim ponitur de oratione vel verbis. *Cic.* 2. *Orat.* 26. 111. Ambiguorum autem cum plura genera sunt etc. *Et ibid.* § 110. Genus quoddam ambigui. *Id.* 1. *Herenn.* 12. 20. Ex ambiguo controversia nascitur. *Quintil.* 12. 2. 10. Ambigua aperire.

AMBILUSTRĬUM, ii, n. 2. (ambe et lustro) sacrum, quod post lustrationem fiebat. *Servius ad Virg.* 1. *Æn.* 283. Lustrum autem dictum, quod post quinquennium unaquæque civitas lustrabatur. (Unde Romæ ambilustrium, quod non licebat, nisi per ambos Censores post quinquennium lustrare civitatem). *In Codd. legitur* ambilustrum; *et quæ uncis inclusa sunt, desunt in quibusdam Codd.*, ideoque suspecta apud eruditos habentur.

AMBIO, is, ivi, *vel* ii, itum, ire, a. 4. (amb et eo). Propria significatione habet duplex præteritum Imperfectum *ambibam* et *ambiebam*. — Part. *Ambiens* I. 2.; *Ambitus* I. 2. et II. et in fine; *Ambiendus* I. 2. — Ambio est circumeo (It. *circuire*, *girare*; Fr. *aller à l'entour*; Hisp. *andar al rededor*; Germ. *umgehen*, *um etwas herumgehen*; Angl. *to go round or about*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de hominibus aut de rebus se moventibus, et est circuire. *Cic. Tim.* 9. Ut terram lunæ cursus proxime ambiret. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (32). Summum esse quod vocant Saturni sidus, ideoque minimum videri et maximo ambire circulo. *Ovid.* 5. *Met.* 360. curruque atrorum vectus equorum Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ. *Id.* 7. *ibid.* 331. Intrarant jussæ cum Colchide limina natæ Ambierantque torum. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 18. Littora tranquillo certatim ambite natatu. *Lucan.* 1. 592. *passive.* jubet pavidis a civibus urbem Ambiri. ¶ 2. Latiori sensu ponitur et de rebus, quæ circumeunt, et est cingere, complecti. — *a*) Absolute. *Liv.* 27. 18. Eam quoque (*planitiem*) altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. *Curt.* 4. 7. 16. Inter vastas solitudines sita (*sedes*), undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole contecta est. *Id.* 4. 2. 9. Muros turresque urbis præaltum mare ambiebat. *Ovid.* 1. *Met.* 36. Tum freta diffundi, rapidisque tumescere ventis Jussit, et ambitæ circumdare littora terræ. *Id.* 15. *ibid.* 287. Fluctibus ambitæ fuerant Antissa Pharosque Et Phœnissa Tyros. *Vellej.* 2. 101. Insula, quam amnis Euphrates ambiebat. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 13. Thracam nec purior ambiat Hebrus. *Tac.* 5. *Hist.* 12. Ipsæ porticus, quis templum ambiebatur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (166). Horminodes, ex argumento viriditatis in candida gemma vel nigra et aliquando pallida, ambiente circulo aurei coloris, appellatur. *Sueton. Aug.* 95. Post necem Cæsaris circulus ad speciem cælestis arcus solem ambiit. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Erunt partes in passione constitutæ circulatim ambiendæ. — *b*) Cum Ablat. *Virg.* 6. *Æn.* 550. Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis. *Ovid.* 5. *Fast.* 82. Qui (*Oceanus*) terram liquidis, quâ patet, ambit aquis. *Id.* 15. *Met.* 659. Hunc modo serpentem, baculum qui nexibus ambit, Perspice. *Plin.* 6. *Ep.* 33. Præterea densa circumstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambibat. — Stricto sensu est circumdare apud *Virg.* 10. *Æn.* 242. Quem (*clipeum*) dedit ipse Invictum ignipotens atque oras ambiit auro. *Auct. Moret.* 121. Ambit crura ocreis. *Ovid.* 2. *Met.* 590. silvas plagis ambire. *Tac.* 1. *Ann.* 68. vallum armis. *Id.* 15. *ibid.* 43. Ut propriis domus muris ambirentur.

II.) Translate. Quoniam apud Romanos mos erat, ut qui honores in republ. et magistratus petebant, circumirent singulos, prensarent dexteras, rogarentque, ut se suffragiis adjuvarent; factum est, ut *ambire* capiatur pro honores quærere, suffragium populi captare (quemadmodum ait *Varro* 5. *L. L.* 28. p. 11. *Müll.* Ab eo, qui populum candidatus circumit, ambit); et generatim pro petere, rogare, quærere magno studio aliquid, et precibus adhibitis favorem affectare. Hoc sensu occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Amph. prol.* 7. 8. Virtute ambire oportet, non fautoribus. *Cic.* 4. *Att.* 3. 2. Ille demens ruere –, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere. *Id.* 11. *Phil.* 8. 19. Quod si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus. *Plin.* 6. *Ep.* 6. Ego ambio, ego periclitor. — *b*) Cum Accus. tantum personæ. *Ter. Andr.* 2. 2. 36. Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. *Cic. Planc.* 4. 9. Facit eos (*populus*), a quibus est maxime ambitus. *Id.* 1. *de republ.* 31. 47. Ambiuntur, rogantur (*cives*). *Sall. Jug.* 14. Quos ego audio ambire, fatigare vos singulos. *Et ibid.* 13. Singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne etc. *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 283. Idem fecere Octavius et Q. Cæpio sine gravi cujusquam expectatione, neque sane ambiti publice. *Ovid.* 14. *Met.* 585. Ambieratque Venus superos. *Virg.* 4. *Æn.* 284. quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu? *h. e.* interpellare et rogare. *Horat.* 1. *Od.* 35. 5. Te (*Fortunam*) pauper ambit sollicita prece Ruris colonus. *Val. Flacc.* 7. 250. variis mœrentem vocibus ambit. *Id.* 5. 621. Ambitus senex. — *c*) Cum Accus. personæ et Ablat. rei, interdum etiam cum Infinito. *Virg.*

7. *Æn.* 333. neu connubiis ambire Latinum Æneadæ possint. *Tac. Germ.* 18. Pauci, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. *h. e.* quorum favorem et gratiam plurimi captant datis in matrimonium filiabus. — *Id.* 2. *Ann.* 43. Donec ultro ambiretur consulatum accipere. *h. e.* rogaretur, ut acciperet. — *d*) Cum Accus. rei, quæ rogatur. *Plaut. Amph. prol.* 74. Quasi magistratum sibi alterive ambiverit. *Id. ibid.* v. 69. Si vero ambisset palmam histrionibus. *h. e.* palmam histrionibus captare per favorem, non ex meritis. *Claudian.* 1. *Ruf.* 180. Ambiti honores. — *e*) Cum Accus. rei et præp. *ad*, aut sequentibus part. *ut*, *ne*, aut Infinito. *Liv.* 2. 3. Et, tamquam ad id, quod agi videbatur, ambientes, nobilium adolescentium animos pertentant. *Sueton. Cæs.* 18. Cum ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicerent. *Id. Aug.* 31. Cum in Vestalis demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 252. hunc ipse choro (*al.* Coo) plaudente Philetas Callimachusque senex Umbroque Propertius antro Ambissent laudare diem. *h. e.* cupissent. Cf. de hac significatione *Sidon.* 7. *Ep.* 9. in *conc. ad fin.* Maxime ambiendus, quia minime ambitiosus non studet suscipere sacerdotium sed mereri.

Ambītus, *a*, um part. præter. pass. adjective et propria significatione, immo in Comp. occurrit apud *Capell.* 8. *p.* 275. *de astrorum cursu.* Cujus naturæ tranquillitas etiam illum extimum tenet ambitioremque cursum, qui ex eo, quod nullis sideribus occultatur, ἀναστερος perhibetur. *h. e.* cursum per eum cœlestem circulum, qui cum sit extimus, majori præ ceteris spatio continetur vel ambitur.

AMBISERO, is, ere, a. 3. (ambi *et* sero) circumsero. *Cato R. R.* 9. Salicta locis aquosis, humectis, umbrosis propter amnes ibi seri oportet. *Schneider.* ipse ita edidit: at *Rothius* ad *Plaut. Amph.* 1. 1. 228. putat, *aquosis* esse interpretamentum ideoque delendum, et pro *ibi seri* legendum *ambiseri*.

AMBĬTĬO, ōnis, f. 3. (ambio) proprie est actus circumdandi, circuitio (It. *circondamento*; Fr. *action d'entourer*; Hisp. *el acto de rodear*; Germ. *die Umgebung*; Angl. *a going round*).

I.) Proprie et significatione quidem abstracta occurrit tantum apud *Paul. Diac.* p. 16. 17. *Müll.* Ambitio est ipsa actio ambientis. — Raro etiam hoc nomen occurrit concretum, uti ajunt, pro ipso circuitu. *Solin.* 22. Navigant autem vimineis alvis, quos circumdant ambitione tergorum bubulorum. *Id.* 35. Nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet. *Minuc. Octav.* 4. Ita assedimus, ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent. *V.* AMBIO I. 2.

II. Translate. ¶ 1. Generatim hæc vox usurpatur pro quacumque petitione, quæ magno studio fit et enixis precibus, ut apud *Justin.* 1. 3. Præfectus – cum admitti magna ambitione ægre obtinuisset. — Hinc illud *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. *ante med.* Sed intelligimus eum in ista fuisse rerum diversitate coactum, cum solas vigilias ægrotantis attendit, somnum quibuscumque ambitionibus adhibendum existimare. *h. e.* quibuscumque modis et rationibus, summo et plurimo studio. ¶ 2. Sed fere ponitur de sollicita honorum petitione eo sensu, quo in AMBIO II. 1. dictum est, et differt ab ambitu (*V.* Homonym. in fine). *Cic.* 1. *Orat.* 1. 1. Si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam ætatis flexu constitisset. *Id.* 4. *Verr.* 53. 131. Propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populo summa ambitione contenditur. Adde *ibid.* § 132. et 133. *Id. Sull.* 4. 11. Quod me ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. *Id. Mil.* 16. 42. Scio enim quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita sit cupiditas consulatus. *Id.* 2. *Tusc.* 26. 62. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? Adde *eumd.* 1. *Att.* 1. 4. et 3. *ad Q. fr.* 1. 4. et 3. ¶ 3. Sæpius accipitur etiam in malam partem, pro nimio studio captandi gratiam ac favorem hominum; ex quo fit, ut malis etiam artibus interdum quis utatur et civilis vitæ rationi adversantibus: unde *Vetus Scholiast.* ad *Cic. Flacc.* 18. (ed. *Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. p. 20.). Ambitio est favoris alicujus supplex et cum lenocinio humilitatis affectatio gratiosa. — Hinc est nimium pro aliquo studium favorque, adulatio, assentatio, blanditiæ; quia qui aliquid ab alio petunt ejusque suffragium aut favorem captant, facile ad adulandum nimisque blandiendum delabuntur. Immo significat aliquando privata commoda utilitatesque, ut usurpat *Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. *Sall. ep. Cn. Pompej. ad Senat. p.* 171. *Orell.* Primum impetum Sertorii – sustinui, hiememque castris inter sævissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione meâ egi. *h. e.*, ait *Forcellinus*, non ex ratione et amplitudine imperatoriæ dignitatis, et ut gloriæ meæ, favorem militum captando, inservirem: *recentiores* tamen *philolog.* rectius, ut mihi videntur, sic interpretantur: non ut commodis meis inservirem. *Cic.* 13. *Fam.* 5. 1. Nam cum multi a me petant multa –, non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. *h. e.* ut ipse aliis studendo favendoque etc. *Id. Brut.* 69. 244. Non puto existimare te ambitione me labi, quippe de mortuis etc. *Id. Cluent.* 28. 76. Quinque omnino fuerunt, qui illum – sive imprudentia, sive misericordia, sive aliqua suspicione, sive ambitione adducti absolverunt. *Nep. Dion.* 2. Magna eum (*Platonem*) ambitione Syracusas perduxit. *h. e.*, ait *Forcellinus*, magno comitatu ac pompa ad favorem honoremque captandum: et *Klotz* magna cura et ea, quæ tantum virum honore dignissimum deceret. *Liv.* 3. 47. Quod jus sibi pridie per ambitionem dictum non esset. *h. e.* quia personæ ratio fuisset habita. *Id.* 5. 36. Sed ne id, quod placebat, decernerent in tantæ nobilitatis viris, ambitio obstabat. *Horat.* 1. *Sat.* 10.84. Ambitione relegata te dicere possum etc. *Tac.* 1. *Hist.* 1. Ambitionem scriptoris facile averseris; obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur. *Sueton. Aug.* 25. Coronas quam parcissime et sine ambitione tribuit. *Id. Cal.* 22. Magisteria sacerdotii ambitione et licitatione maxima comparabant. *Id. Oth.* 4. Nullo officii aut ambitionis in quemquam genere omisso. *Id. Cæs.* 28. Ut colonis civitas adimeretur, quod per ambitionem et ultra præscriptum data esset. *Id. Aug.* 42. Restituere aliquid per ambitionem. *Justin.* 12. 15. Ambitio vulgi. ¶ 4. Ponitur etiam pro permanente qualitate, qua quis ab aliis honorari et apud alios auctoritate pollere cupit ac studet; unde *Quintil.* 1. 2. 22. Licet ipsa vitium sit ambitio, tamen frequenter causa virtutum est. *Cic.* 1. *Att.* 17. 5. Quod me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. *Id.* 1. *Off.* 25. 87. Miserrima omnino est ambitio honorumque contentio. *Id. ibid.* 30. 108. Erat – in C. Lælio multa hilaritas, in ejus familiari Scipione ambitio major, vita tristior. *Sall. Cat.* 4. A quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat. *Et ibid.* 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. *Et* 56. Inter bonos et malos discrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio possidet. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 26. Laborare ambitione misera. *Id.* 1. *ibid.* 6. 129. Ambitio misera gravisque. *Id.* 1. *ibid.* 6. 51. prava. *Id.* 2. *ibid.* 6. 18. mala. *Id.* 2. *Ep.* 2. 206. Carere ambitione inani. *Ovid.* 1. *Fast.* 303. levis. *Quintil.* 10. 7. 20. perversa. Ab eodem *Quintil.* 12. 11. 14. præceptores dicuntur detinere pueros in scholis diutius *partim cupiditate mercedulæ, partim ambitione, quo difficilius sit, quod pollicentur. h. e.* superbia et commendatione artis suæ. *Tac. Germ.* 27. Funerum nulla ambitio. *h. e.* pompa et ostentatio.

Homonym. *Ambitio* differt ab *ambitu*: *ambitio* enim est quidem studium, quod adhibetur in captandis suffragiis et favore hominum, præcipue ad adipiscendos honores et magistratus in republica, sed potest esse etiam non prava, ut in omnibus locis, quæ II. 2. retulimus: sed *ambitus* semper in malam partem accipitur pro prava captatione favoris, quæ vel largitione fit ad corrumpendum, vel precibus et petitionibus, quæ quodammodo vim inferant etc. *V.* AMBITUS II. 1. Ceterum *ambitio* quoque in malam partem accipitur, ut II. 3. et 4. diximus, immo et cum de honoribus magistratibusque adipiscendis agitur, ut, molliter quidem, apud *Liv.* 3. 35. Tanta exarsit ambitio, ut primores quoque civitatis – prensarent homines, honorem – suppliciter petentes.

AMBĬTĬŌSĒ, adverb. (ambitiosus). Comp. *Ambitiosius* et Sup. *Ambitiosissime* 1. Occurrit tantum translate, quo sensu diximus usurpari AMBITIO II., *h. e.* ¶ 1. Ambitione et studio obtinendi honores; et generatim studiose, demisse, humiliter ad gratiam favoremque captandum. *Cic.* 7. *Att.* 3. Utrumque vero simul agi non potest et de triumpho ambitiose et de republica libere. *Id.* 3. *Fam.* 7. 4. An ego tibi obviam non prodirem? præsertim cum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus et dignitas postulat. *Liv.* 1. 35. Isque primus et petiisse ambitiose regnum, et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam. *Id.* 38. 32. Satis ambitiose utramque partem fovere. *Quintil.* 6. 3. 69. Provinciam ambitiosissime petere. *Tac.* 1. *Hist.* 10. Ambitiose colere amicitias. — *Cic.* 13. *Fam.* 69. Hæc ad te pluribus scripsi, ut intelligeres me non vulgariter nec ambitiose, sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere. *h. e.* nulla habita personæ ratione, non propter urbanitatem et ad gratiam mihi captandam. *Id.* 15. *Att.* 1. 6. § 2. Corrigere orationem non ambitiose. *h. e.* non parce ac indulgenter ad captandam gratiam auctoris. *Tac.* 4. *Hist.* 40. Manifestum reum ambitiosius, quam honestius defendere. *h. e.* magis ad captandam gratiam, quam etc. ¶ 2. Est etiam per ostentationem, affectato. *Tac. Agric.* 28. Ferre casum aliquem ambitiose. *h. e.* affectata constantia ad captandam opinionem virtutis. *Martial.* 1. *in ep. ad lect.* Ambitiose tristis. *h. e.* affectato severus et gravis. *Quintil.* 8. 3. 63. Ambitiose numerum augere. Adde *eumd.* 2. 11. 21. — Huc referri potest et illud *Tac.* 3. *Hist.* 13. Ambitiose avareque habere provinciam. *h. e.* nimios sumptus per ostentationem faciendo, atque adeo expilando provinciales.

AMBĬTĬŌSUS, a, um, adject. (ambio). Comp. *Ambitiosior* I., Sup. *Ambitiosissimus* II. *B.* 2. proprie qui ambit, circumit, aut circumdat (It. *che gira o circonda*; Fr. *qui va autour d'une chose, qui l'entoure*; Hisp. *el qui cerca*; Germ. *voller Hang herumzugehen*; Angl. *going or winding round*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 15. 15. (71). Jordanes – amnis amœnus et, quatenus locorum situs patitur, ambitiosus accolisque se præbens. *Horat.* 1. *Od.* 36. 18. nec Damalis novo divelletur adultero Lascivis hederis ambitiosior. *h. e.* Damalis habilis agilisque in circumplectendo amatore suo ejusque sibi gratia captanda; ad translatam enim significationem allusio inest: cf. etiam *Curt.* 4. 7. 16. Undique ambientibus ramis. *Solin.* 11. Creta stipata magnis et ambitiosis oppidis. *h. e.* oppidis quæ ipsam circumdant: alii translate accipiunt pro nobilibus, superbis.

II.) Translate ponitur *A*) de personis, et *B*) de rebus.

A) De personis. ¶ 1. Ambitiosus est qui honores quærit ambitque et prensat singulos ad captanda suffragia et favorem; et generatim qui honoris aut gratiæ conciliandæ causa aliquid petit aut agit, tum in bonam tum in malam partem: eique opponitur *invidus* apud *Cic. Mur.* 9. 20. Tantum laudis impertit, quantum neque ambitiosus imperator, neque invidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit. *Id. Flacc.* 18. 42. Qui ita sit ambitiosus, ut omnes vos nosque quotidie persalutet. *Id.* 13. *Fam.* 1. 5. Sic a me hoc contendit homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus, ut nihil unquam magis. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 4. Ne forte me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere. *h. e.* tam studiosum captandæ Græcorum gratiæ. *Id.* 5. *Verr.* 84. 196. Ut ambitiosi homines et benigni. *Liv.* 2. 27. Patres mollem consulem et ambitiosum rati, plebes fallacem. *Id.* 39. 7. Carmina ea in imperatorem dicta, ut facile appareret, in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 161. Non est perjurus, neque sordidus –: verum ambitiosus et audax. *Tac.* 2. *Hist.* 57. Asiaticus fœdum mancipium et malis artibus ambitiosum. *Sueton. Aug.* 42. Salubris magis princeps, quam ambitiosus. — Hinc *ambitiosum esse pro aliquo* vel *pro aliqua re*, ut apud *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 84. Pro nostris ut sis ambitiosa malis. *h. e.* ut pro me ambias ac depreceris. Adde 13. *Met.* 289. Et *Justin.* 17. 2. 6. Ambitiosum ad populares esse. ¶ 2. Est etiam qui ambitur (ut ait *Gell.* 9. 12. Ambitiosus et qui ambit et qui ambitur), qui ab aliis ambiri, rogari, honorari vult. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 47. Denique quas tota quisquam probet Urbe puellas, Noster in has omnes ambitiosus amor. *Id.* 5. *Fast.* 297. Nos quoque tangit honos: festis gaudemus et aris, Turbaque cœlestes ambitiosa sumus. Adde 1. *Trist.* 9. 18. *Quintil.* 2. 4. 29. Quæ (*supellex*), sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus et diversis officiis conteratur. *Tac.* 3. *Ann.* 33. Sexus muliebris sævus, ambitiosus, potestatis avidus. *Id. Agric.* 30. Si locuples hostis est, ava-

ri, si pauper, ambitiosi. *Martial.* 1. 52. Quid fugis hos dentes, ambitiose lepus. ¶ 3. Cum de oratione agitur, ambitiosus est qui affectato loquitur. *V.* AMBITIOSE 2., et infra sub *B.* 3. *Quintil.* 8. 3. 25. *Antigerio* nemo nisi ambitiosus utetur. *Id.* 11. 1. 50. Tumidus ac sui jactans et ambitiosus institor eloquentiæ. *Id. ibid.* § 67. Petulantes aut etiam ambitiosi. *Id.* 6. *præfat.* 7. Non sum ambitiosus in malis, nec augere lacrimarum causas volo.

B) De rebus. ¶ 1. Tribuitur iis rebus, quibus aliquid ab aliis petimus aut aliorum gratiam et favorem nobis captare studemus. *Cic.* 6. *Fam.* 6. 8. Præterea cedit multorum justis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus. *h. e.* voluntates, quæ causam habent aliquid petendi, non quæ sola aliis gratificandi gratia et favoris aucupandi petunt. *Id. ibid.* 12. 2. Valent tamen apud Cæsarem non tam ambitiosæ rogationes, quam necessariæ. *Id.* 1. *Att.* 18. 1. Nam illæ ambitiosæ nostræ fucosæque amicitiæ sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. *h. e.* quæ ambitione et publicis officiis nituntur, non virtute et concordia voluntatum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (20). Ars ambitiosa. *h. e.* medicina, quæ popularem captat auram. *Tac.* 2. *Hist.* 40. Ambitiosæ preces. *h. e.* preces, quæ eo tendebant ut plausum captarent. *Id.* 1. *ibid.* 12. Rumores ambitiosi. *h. e.* per ambitionem de industria quæsiti et sparsi. *Id.* 1. *Hist.* 83. et 2. *ibid.* 12. Ambitiosum imperium. *h. e.* quod per ambitionem obtinetur, precarium. *Sueton. Aug.* 25. Ambitiosius id existimans, quam domus suæ majestas postularet. *h. e.* humilius, demissius factum ad captandum favorem, quam etc. *Id. Domit.* 8. Ambitiosæ sententiæ. *h. e.* per ambitionem extortæ. ¶ 2. Ambitiosum dicitur etiam quidquid ostentationem superbiamque præsefert, sive ab aliis honorari quodammodo vult. *Martial.* 12. 67. Et casa divitiis ambitiosa latet. *Justin.* 30. 2. 2. Ambitiosæ pulcritudinis scortum. *h. e.* quæ ab omnibus ambiri cupiebat. *Tac. Agric.* 42. Eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipubl. usum ambitiosa morte inclaruerunt. *h. e.* ultro adita captandæ gloriæ causa apud posteros. *Quintil.* 3. 8. 32. Quod nos honestum, illi vanum, ambitiosum, stolidum vocant. *Id.* 11. 1. 21. Ambitiosissimum gloriandi genus est deridere. *Lucan.* 4. 376. Et quæsitorum terrâ pelagoque ciborum Ambitiosa fames. *Martial.* 12. 69. Ambitiosa atria. Cf. *Horat. Epod.* 2. 7. superba civium Potentiorum limina. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 593. Ambitiosa colus. *h. e.* quæ aurea fila net. ¶ 3. Cum de oratione agitur, ambitiosum est affectatum, luxurians. *Quintil.* 1. 2. 22. Ambitiosis utilia præferre. *h. e.* iis, quæ ad ostentationem et gloriam dicuntur. *Id.* 12. 10. 40. Affectatio et ambitiosa in loquendo jactantia. *Horat. Art. P.* 447. Ambitiosa recidet Ornamenta, parum claris lucem dare coget. *h. e.* nimis quæsita et luxuriantia; metaphorâ sumptâ ab arboribus, quibus rami luxuriantes adeoque inutiles amputantur.

AMBĪTOR, ōris, m. 3. (ambio) occurrit translate tantum, et est qui, ut honores consequatur, discurrendo et rogando suffragia quærit, ut *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 283. loquitur. *Lamprid. Alex. Sever.* 28. Ita patronis auctoribus damnatus ambitor est. — Accipitur et in bonam partem, et est qui aliquid boni totis viribus assequi studet. *Paulin. Nolan. Ep.* 13. *ad Pammach.* 16. Æternæ laudis ambitor. *Inscript.* apud *Gruter* 1550. 1., quæ pertinet ad a. 533. a Chr. n., ut probat *Marini Difesa del P. Corsini P.* 69. FIDVS AMICITIAE CVSTOS, AMBITOR HONESTI, IVSTITIAE CVLTOR, PACIS AMATOR ERAT.

AMBĪTREBIUS, a, um, adject. (ambe *et* Trebia) qui est circa fluvium Trebiam. *Tabula Aliment. Velej.* edita a *Petro De-Lama col.* 1. *lin.* 2. Fundus Quintiacus, qui est in Velejate pago ambitrebio.

AMBĪTŪDO, inis, f. 3. ambitus, circuitus, ideoque etiam temporis decursus, ut apud *Apul. Trismeg.* 95. *Elmenhorstii* (31. *p.* 258. *Hildebrand. min.*). Tempus definiri potest per alterius ambitudinem reditus.

AMBĪTUS, a, um. *V.* AMBIO.

AMBĪTUS, us, m. 4. (ambio) proprie est circuitus, ut ait *Varr.* 5. *L. L.* 28. p. 11. *Müll.*, in gyrum conversio (It. *giro, girata, circuito*; Fr. *tour, évolution circulaire*; Hisp. *vuelta, movimiento circular*; Germ. *der Umgang*; Angl. *a going round or about, a compass, circuit, or reach*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est ipsa circumeundi actus, circuitus, in gyrum conversio, et occurrit præcipue de astris. *Cic. Tim.* 9. Absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 3. 3. (6). Hanc ergo formam ejus æterno et irrequieto ambitu – viginti quatuor horarum spatio circumagi. *Id. ibid.* 5. 4. (11). hoc idem vocat *irrequietum circuitum. Cic. Tim.* 9. Deus ipse solem quasi lumen accendit ad secundum supra terram ambitum. *Et mox.* Ceterorum autem siderum ambitus ignorantes homines. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Ex utraque re et mundi volubilitas – et stellarum rotundi ambitus cognoscuntur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (86). Quoniam tanto breviore (*luna*), quam sol, ambitu currit. *Et mox*: Semper dimetiens tertiam partem ambitus (*sol*). — Et de aliis. *Varro* 5. *L. L.* 28. p. 11. *Müll.* Amnis id flumen, quod circuit aliquid: nam ab ambitu amnis. *Horat. Art. P.* 17. Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros. *Tac.* 6. *Ann.* 28. Post longum sæculorum ambitum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (217). Nervi – nodos corporum, qui vocantur articuli, alibi interventu, alibi ambitu, alibi transitu ligantes. *Petron. Satyr.* 132. Alligata mutuo ambitu corpora. *h. e.* amplexu: cf. *Horat.* 1. *Od.* 36. 18. in v. AMBITIOSUS I. *Seneca Œd.* 369. Molli ambitu Omenta pingues viscerum Obtendunt sinus. ¶ 2. Ambitus, ut nomen concretum, ita enim vocant, de pluribus dicitur; scilicet — *a*) Ambitus ædium est spatium circa ædes relictum circumeundi causa; quod *Paul. Diac.* p. 5. 4. *Müll.* scribit esse duorum pedum et semis. *Leg. XII. Tab.* apud *Varr.* 5. *L. L.* 22. p. 9. *Müll.* Ambitus est, quod circumeundo teritur, nam ambitus circuitus, ab eoque XII. Tabularum interpretes ambitus parietis circuitum esse describunt. *Cic. Top.* 4. 24. Quoniam P. Scævola id solum esse ambitus ædium dixerit, quo parietis communis tegendi causa tectum projiceretur. Cf. *Paul. Diac. l. c.* et p. 16. 16. *Müll.*, necnon *Cujac. Observ.* I. 4. et XIX. 21. et *Heinecc. Antiq. Rom.* 11. 3. 4.— Haud aliter in sepulcris *ambitus* dicitur locus circa sepulcrum relictus circumeundi causa et sacrificandi; qui locus eodem jure gaudebat, quo ipsum sepulcrum. *Dig.* 47. 12. 5. Ut ad sepulcra, quæ in fundis sunt, iter ei, aditus, ambitus funeris faciendi causa sint. *Inscript.* apud *Grut.* 1081. 1. AD ID MONVMENTVM ITVM ADITVM AMBITVM ATQVE HAVSTVM etc. — *b*) Hinc generatim est circuitus seu spatium, quo aliquid continetur. *Curt.* 4. 8. 2. Complexus quidquid loci est inter paludem et mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat. *Id.* 5. 1. 26. Totius operis ambitus CCCLXVIII. stadia complectitur. *Quintil.* 1. 10. 40. Reprehensi a geometris sunt historici, qui magnitudines insularum satis significari navigationis ambitu crediderunt. *Id.* 11. 2. 21. Ambitus urbium. *Sueton. Aug.* 94. Terrarum et cœli ambitus. *Id. Claud.* 21. Ambitus lacus. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Castra lato ambitu. *Id.* 4. *ibid.* 49. Quatuor millia passuum ambitu amplecti.— *c*) A loci spatio translatum est etiam ad tempus. *Seneca Ep.* 12. Est (*aliquis ætatis orbis*), qui totam pueritiam ambitu suo astringit. — *d*) Est etiam ipsa rerum circumferentia. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (18). In quo (*scuto*) Amazonum prœlium cælavit intumescente ambitu parmæ. *Id.* 25. *ibid.* 6. 30. (66). Folia sunt lata et oblonga, serrato ambitu. *Id.* 16. *ibid.* 30. 65. (163). Per ambitum. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. Vasculi ambitus. — *e*) *Ambitus verborum* jam inde a *Cic.* ætate pro Græca voce περίοδος apud Rhetores usuvenit. *Forcellinus* hoc sensu translatum esse affirmavit. *Cic. Brut.* 44. 162. Quin etiam comprehensio et ambitus verborum, si sic περίοδον appellari placet, erat apud illum contractus et brevis. *Id. Orat.* 12. 38. Arguti certique et circumscripti verborum ambitus. *Et ibid.* 50. 168. Perfecto completoque verborum ambitu gaudent. *Id.* 3. *Orat.* 48. 186. Quæ si extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus: sic enim has orationis conversiones Græci nominant. Adde *Quintil.* 9. 4. 22. — *f*) Vulgo autem *ambitus verborum* erat quædam verborum comprehensio, qua aliquid significabatur vel repræsentabatur. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 2. Neque enim artis officium est per species, quæ sunt innumerabiles, evagari, sed ingredi per genera, quæ possunt cogitatione mentis et ambitu verborum facile copulari. *Quintil.* 10. 1. 16. Excitat, qui dicit, spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. — *g*) Item *verborum ambitus* est magna verborum, vel nominum copia. *Liv.* 27. 27. Multos circa unam rem ambitus fecerim, si – omnia exequi velim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 6. (37). Itaque et in magno nominum ambitu est: alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris deûm appellavere. *Id.* 15. *ibid.* 30. 39. (132). Id quoque – genus in nominum ambitu est: alii enim Pelasgum, alii cupetalon – vocant. *Forcellinus* hæc retulit ad subseq. n. II. 1. et interpretatus est hisce verbis: Multa habet nomina, quasi ad ostentationem usque. — *h*) Denique *verborum ambitus* est etiam periphrasis. *Sueton. Tib.* 71. Pluribus et per ambitum verborum rem enunciare.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de studio, quod adhibetur in captandis suffragiis et favore hominum, ac præcipue ad adipiscendos honores et magistratus in republica, et semper in malam partem hoc sensu accipitur (*V.* AMBITIO Homonym. in fin.) pro prava captatione favoris ac suffragii, quæ vel largitione fit ad corrumpendum, vel precibus et petitionibus, quæ quodammodo vim inferant etc. Ratio hujus significationis in AMBIO II. 2. explicata est. Porro de ambitu variæ latæ sunt leges variæque pœnæ indictæ ad illum coercendum (quæ omnia videsis in *Pauly Real-Enciclop. T.* 1. p. 400.). Hinc ambitus a *Paul. Diac.* p. 5. 5. *Müll.* dicitur *affectati honoris crimen. Cic.* 2. *Orat.* 25. 105. De ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem atque benignitatem ab ambitu atque largitione sejungere. *Id. Mur.* 32. 67. Ambitum accusas? non defendo. Me reprehendis, quod idem defendam quod lege punierim. Punivi ambitum, non innocentiam. Ambitum vero ipsum vel tecum accusabo si voles. *Id. Planc.* 19. 47. Te – ad communem ambitus causam contulisti. *Calvus* apud *Quintil.* 6. 1. 13. Factum ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciant. *Tac.* 12. *Ann.* 59. Pervincere contra ambitum alicujus. *Id.* 13. *ibid.* 6. Deligere ducem pecuniosum et gratia subnixum per ambitum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. a. § 4. Ambitus redit immanis: numquam fuit par. *Nep. Att.* 6. In tam effusi ambitus largitionibus. *Tac. Germ.* 37. Ambitus acrior. *Cic. Cœl.* 7. 16. infinitus. *Lucan.* 1. 179. letalis urbi. *Cic. Planc.* 20. 49. Legum ambitus auctor. *Id. Mur.* 2. 3. Legis ambitus lator. *Id. Planc.* 18. 44. et *Sueton. Aug.* 34. Lex de ambitu. *Cic. Cœl.* 7. 16. Ambitus periculum, ambitus crimen. *Id. Cluent.* 41. 114. et *Quintil.* 9. 3. 56. Ambitus judicium. *Cic. Cluent.* 41. 114. Accusare aliquem ambitus. *Id. ibid.* et *Brut.* 48. 180. Damnare ambitus. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Ambitus lege Pompeja damnati. *Cic. Cœl.* 31. 76. Deferre nomen alicujus de ambitu. *Sall. Cat.* 18. Interrogare aliquem legibus ambitus. *Flor.* 3. 17. Reus ambitus. ¶ 2. Sumitur etiam interdum generatim pro quacumque excellendi cupiditate, superbia, ostentatione. *Seneca Ep.* 84. Relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa: nullum habet terminum: tam sollicita est ne quem ante se videat, quam ne quem post se. *Plin.* 3. *Ep.* 2. Caret ambitu: ideo se equestri gradu tenuit, cum facile posset ascendere altissimum. *Quintil.* 5. 10. 34. Pessimi affectus, in quibus sunt – cupiditas, spes, ambitus etc. — Et in bonam partem accipitur. *Id.* 1. 3. 7. Hic erit alendus ambitu, hunc objurgatio mordebit, hunc honor excitabit. ¶ 3. Est etiam affectatum rei alicujus studium, affectatio. *Seneca Med.* 390. Segnis hic ibit dies, Tanto petitus ambitu, tanto datus? *h. e.* tam affectato studio petitus, tanta superbia datus. *Tac.* 1. *Hist.* 19. Legati quoque fœdâ inconstantiâ nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque motus vel spes impulerat. *Flor.* 1. 16. Samnitum gens aureis et argenteis armis, discolori veste, usque ad ambitum armata. *Quintil.* 12. 10. 3. Proprio quodam intelligendi ambitu. Adde 4. 1. 18. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 56. Ambitus funeris.

AMBĪVIUM, ii, n. 2. (ambi *et* via) idem quod bivium. *Varro* apud *Non.* p. 451. 2. *Merc.* Hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loro.

AMBIX, īcis. *V.* AMBIGA.

AMBLȲGŌNIUS, a, um, adject. Græca vox ἀμβλυγώνιος, h. e. obtusum angulum habens; ab ἀμβλύς obtusus et γωνία angulus. Latinis litteris legitur apud *Frontin. Exposit. formar.* p. 35. *Goes.* Altera linea, quæ angulum hebetem comprehendit, et efficit triangulum, obtuso angulo, quem Græci amblygonion vocant; tertia quæ acutis angulis continetur, et efficit triangulum, quem Græci oxygonion appellant. Adde *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1218. et 1219.

AMBO, onis, m. 3. apud Ecclesiasticos Scriptores

infimæ ætatis est suggestus seu pulpitum, in quo stant concionaturi: ita dictus vel ab *ambiendo*, quia intrantem ambit et cingit: vel potius a Græco ἄμβων, quo significatur quidquid eminet ac protuberat rotunda figura. Ea enim solet esse talium suggestuum forma. *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 4. Episcopus residens super ambonem, ubi solebat consuete facere sermonem. — Legitur quidem et apud *Varr.* 4. *L. L.* 24. editt. vett., sed primum non hoc sensu. Ait enim (ex restitutione *Turnebi l.* 22. *c.* 9. et *Scalig. in Conjectan.*) *Umbones a Græco quod ambones* (*Müllerus* in sua edit. 5. *L. L.* 115. *p.* 46. legit Græca positione *Amboneis*). hoc est dicti a Græco *ambones*, quia in medio protuberant. Deinde idem *Scalig.* putat, scriptum ibi fuisse ἄμβωνες Græcis litteris. Quod autem vulgo ibi legi solet, *Umbones aut a Græco, vel quod ambones*, non videtur habere sententiam. Nulla enim, præter ἄμβων, occurrit vox apud Græcos, ex qua *umbo* derivari possit.

AMBO, ambæ, ambo, adject. pluralis tantum num., a Græco ἄμφω, teste *Paul. Diac. p.* 4. 12. *Müll.* — Apud *Plaut. Merc.* 2. 1. 7. quidam pro *ambæ* legunt *ambo* fem. gen. — In Accusativo plurali masculino non solum *ambos* dicimus (ut apud *Ter. Heaut.* 4. 3. 33. Vera dicendo, ut eos ambos fallam. *et alibi*), sed et *ambo*, ut *duo* pro *duos*; quod Græco more effertur. Græci enim τοὺς ἄμφω dicunt, ut τοὺς δύο. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 180. Jurando obstringam ambo, uter ædilis fuerit, vel, etc. *Cic.* 5. *Fam.* 8. 4. Quos quidem ego ambo unice diligo, sed, etc. Adde 9. *ibid.* 13. 2. Ita optimi libri multi, et MSS. quos secuti sunt *Gruter.*, *Gronov.* et alii primi subsellii viri. Adde loca non una, quæ ex *Plauto* congerit *Pareus in Lexic. Critic.*, ex *Livio Gronovius*, et ex *Virg.*, *Terent.*, *Afran. Charisius* 1. p. 96. *Putsch.* Quibus omnibus fit, ut dubitare hac de re nullatenus liceat. — Quod vero scripsere quidam, *ambo* masculinum habere ultimam longam, neutrum brevem, verum non est. *Val. Flacc.* 7. *in fin.* Amplius ambo truces, ambo abscessere minantes. — Ceterum *ambo* significat *duo*, sed simul conjunctos (It. *ambi*, *ambedue*; Fr. *le deux*, *tous deux*; Hisp. *dos todo junto*; Germ. *beide*; Angl. *both*). Sic differt ab *uterque*, ut si dicam: *ambo fecerunt domum*, significat duos conjuncta opera unam domum fecisse: at *uterque fecit* vel *fecerunt domum* (*ambo* enim cum verbis semper plur. num. jungitur, *uterque* et cum singularis) valet perinde, ac si dicam a duobus duas domus fuisse factas. Quod docet *Charis.* 1. *p.* 40. *Putsch.* hisce verbis: A m b o non est dicendum, nisi de his, qui uno tempore quid faciunt, ut puta Eteocles et Polynices ambo perierunt quasi unâ, Romulus autem et Africanus non ambo triumphaverunt, sed uterque, quia diverso tempore. *Rectius tamen* Charisio *non* tempus *dicendum erat, sed* ratio per verbum significata: qua de re V. *Döderlein*, *Latein. Synon.* vol. 4. *p.* 340. Hinc *Leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 17. 2. QVOM PERORANT AMBO PRAESENTES. Formula *Senatus cons.* apud *Cic.* 5. *Phil.* 19. 53. *et alibi.* ALTER AMBOVE COSS. SI EIS VIDEATVR. — *a*) *Ambo* et *uterque* in una eademque occurrunt periodo. *Plaut. Truc.* 5. 60. Verum utrique mos geratur amborum ex sententia. *Ter. Adelp.* 1. 2. 50. Curemus æquam uterque partem, tu alterum, ego alterum: nam ambos curare propemodum reposcere illum est, quem dedisti. *Cic.* 2. *Fin.* 7. 20. Hic qui utrumque probat, ambobus debuit uti. *Id. Orat.* 6. 21. Vicinus amborum in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque – potius expers. *Cæs.* 3. *B. C.* 10. Dum sibi uterque confideret, et pares ambo viderentur. *Vellej.* 2. 66. 1. Quorum uterque (*Antonius et Lepidus*) – hostes judicati erant, cum ambo mallent sibi numerari, quid passi essent, quam quid emeruissent. *Plin. Paneg.* 90. Ea si tantum in alterum contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset: utrumque enim nostrum ille optimi cujusque spoliator fulmine afflaverat. — Et præcedente *utervis*. *Ter. Andr. prol.* 10. Qui utramvis recte norit, ambas noverit. — *b*) Absolute. *Ter. Phorm.* 1. 2. 15. Evenit senibus ambobus simul, iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam ad hospitem antiquum. *Id. Adelph.* 2. 2. 5. Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus. *Id. Eun.* 1. 2. 89. Minas viginti pro ambobus dedi. *Id. Hec.* 1. 2. 88. Ad exemplum ambarum. *Id. ibid.* 3. 1. 10. Ambas scio reverituras. *Cic. Mur.* 18. 37. Duæ res vehementer in prætura desideratæ sunt, quæ ambæ in consulatu Murenæ profuerunt. *Id.* 6. *Att.* 1. *sub fin.* Sumus enim ambo belle curiosi. *Liv.* 7. 42. Plebiscitis cautum, ne quis duos magistratus uno anno gereret, utique liceret consules ambos plebejos creari. *Propert.* 2. 16. 18. Ambos una fides auferet, una dies. — *Forcellinus* et *Heine* affirmant *ambo* pro duo usur passe *Virg.* 6. *Æn.* 540. Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas. *Recentiores tamen philologi sic interpretantur:* ubi via se findit in ambas partes, h. e. in dexteram et sinistram.

AMBRICES regulæ, quæ transversæ asseribus et tegulis interponuntur. *Paul. Diac. p.* 16. 14. *Müll.* h. e. inquit *Müll.*, asserculi, qui inter asseres, a quibus tegulæ suspensæ sunt, ad libellam positi sunt, qui bene *regulæ* appellantur. Has Galli dicunt *lambris*, conjuncto scilicet cum voce articulo. Videntur ita appellatæ ab *am* et *imbrex*.

AMBROSEUS, a, um. *V.* AMBROSIUS.

AMBRŎSĬA, æ, f. 1. (ἀμβροσία) fingitur in fabulis esse deorum cibus, sicut *nectar* potio: ab α privativo et βροτὸς *mortalis*, quod ea mortalibus vesci non liceat, vel quod vescentes immortales reddat. Revera adjectivum est, sed usurpatur absolute more substantivi.

I.) Proprie. ¶ 1. *Homerus* ambrosiam semper de cibo usurpavit, nectar vero de potu; contra autem *Sappho:* plurimi vero scriptores *Homerum*, pauci *Sapphonem* secuti sunt. *Ovid.* 14. *Met.* 606. ambrosiâ cum dulci nectare mixtâ Contigit os fecitque deum. *Id.* 1. *Pont.* 10. 11. Nectar et ambrosiam, latices epulasque deorum Det mihi formosa nava Juventa manu. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 65. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut Juventute pocula ministrante lætari arbitror. *Varro* apud *Non. p.* 131. 23. *Merc.* Nulla ambrosia ac nectar, non allium et sardæ etc. Hinc translate apud *Cic.* 2. *Orat.* 57. 234. Orator *ambrosia alendus* proverbiali locutione dicitur, qui pæne ad deos accedat eloquentia et suavitate dicendi, et immortalitate dignus sit. Contra *fœnum esse* ibidem dicuntur insulsi oratores et rudes. Item *Catull.* 99. 2. Suaviolum dulci dulcius ambrosia. ¶ 2. Ambrosia est etiam cibus equorum ad deos pertinentium. *Ovid.* 2. *Met.* 119. ignemque vomentes, Ambrosiæ succo saturos, præsepibus altis Quadrupedes ducunt. *Id.* 4. *ibid.* 214. Axe sub Hesperio sunt pascua solis equorum: Ambrosiam pro gramine habent. ¶ 3. Dicitur etiam *ambrosia* esse unguentum deorum (teste *Serv.* ad 1. *Æn.* 407. et 12. *ibid.* 419.), odoratissimum et efficacissimum ad vires, vitamque roborandam. *Virg.* 4. *G.* 415. liquidum ambrosiæ diffundit odorem, Quo totum nati corpus perunxit: at illi Dulcis compositis spiravit crinibus aura, Atque habilis membris venit vigor. *Virgilius* loquitur de Aristæo, qui a matre Cyrene ita unctus fuit, ut visum alloquiumque Protei sustinere posset. *Id.* 12. *ibid.* 419. spargitque salubris Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam, *etc.* Sermo est de Venere medicante vulnus Æneæ. ¶ 4. Est etiam hoc nomen multis herbis commune, sed præcipue illi, quæ et *botrys*, et *artemisia* dicitur, densa, ramosa, tenuis, trium fere palmorum tertia parte radice breviore, foliis rutæ circa imum caulem, in ramulis semen habens uvis dependentibus, odore vinoso: qua de causa et *botrys* dicta est a quibusdam. Nam βότρυς Græce *uvam* significat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 11. (28). Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 428.) hanc exhibet synonymiam: Ἀμβροσία, οἱ δὲ βότρυς, οἱ δὲ βότρυς ἀρτεμισία Dioscor. 3. 120., *Ambrosia seu botrys Plin.* l. c. sunt *Ambrosia maritima* L. Spec. plant. 1401. ¶ 5. Aliam iisdem nominibus herbam describit *Id. Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 31. (55). fruticosam, luteis ramulis, semine circa totos nascente in modum uvæ, foliis cichorio similibus, in ripis torrentium provenientem. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 3. *p.* 439.) docet hanc esse *Chenopodium Botrys* L. Spec. plant. 320. ¶ 6. Hoc nomine appellatum fuit etiam quoddam antidotum, quod Zopyrus Ptolemæo regi composuisse dicitur, cujus conficiendi rationem docet *Cels.* 5. 23. ¶ 7. *Marcell. Empir.* 23. memorat medicamentum Junii Prisci, quod appellatur ambrosia.

II.) Translate. *V.* supra I. in fine § 1. Translate quodammodo accipi possunt et posteriores §§ 4., 5., 6. et 7.

AMBRŎSĬĂCUS, a, um, adject. Ambrosiaca vitis memoratur a *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (40). inter eas, quæ insignes uva sunt, et fortasse ita dicta est a dulcedine: unde cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 1. *p.* 162.) affirmat uvam ambrosiacam recensendam inter eas, quas vulgo dicimus *moscata*.

AMBRŎSĬUS, a, um, adject. (ἀμβρόσιος). Apud *Apul.* ed. *Hildebrand.* legitur *ambroseus*, at contra analogiæ leges. — Ambrosius est qui est ex ambrosia.

I.) Proprie. ¶ 1. Qui est ex ambrosia deorum cibo. *Martial.* 8. 39. Ambrosiæ dapes. ¶ 2. Item qui est ex ambrosia unguento deorum, ut in *Ambrosia* dictum est. *Virg.* 1. *Æn.* 407. Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere. *h. e.* ambrosia illitæ. *Stat.* 9. *Theb.* 731. ambrosio tum spargit membra liquore, Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus, etc. ¶ 3. Item pro immortali, divino, eximie pulcro, et cælestium digno, hoc enim sonat Græca vox ἀμβρόσιος (ex α privat. et βροτὸς *mortalis*, inserto μ), nec opus est (quod nonnulli faciunt) ad catachresin confugere. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 110. *de Venere.* Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem. *Apul.* 8. *Met.* 9. Ambrosium corpus. *Et* 11. *ibid.* 4. Ambrosii pedes. *Et* 10. *ibid.* 5. Ambrosius color. *Et ibid.* Labias modicas ambrosio rore purpurantes. *Capell.* 2. *p.* 28. ambrosium promens aurora pudorem. *V.* PUDORICOLOR. *Prudent.* 1. *Symmach.* 276. nectar ambrosium.

II.) Translate sumitur pro dulci, jucundo et exquisite suavi. *Colum.* 10. *R. R.* 408. *de pomis persicis.* Ambrosios præbent succos oblita nocendi. *Sil. It.* 7. 210. Ambrosiis Ariusia pocula succis.

AMBUBAJA, æ, f. 1. herba eadem quæ *Ambubeja.* Legitur apud *Plin. l.* 1. in *indice* 1. 20. *n.* 30. *V.* AMBUBEJA.

AMBŬBAJÆ, æ, f. 1. mulieres Syræ ita appellatæ, quæ Romæ in Circo, aliove loco prostibulis destinato habitantes, corpore quæstum faciebant, simulque lucellum captabant pulsando quædam organa musica, quæ secum e Syria attulerant: qua de re *Juvenal.* 3. 62. Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes, Et linguam et mores et cum tibicine chordas Obliquas, necnon gentilia tympana secum Vexit, et ad Circum jussas prostare puellas. *Auct.* quoque *Priapeor.* videtur eas describere *carm.* 27. Est autem Syra vox ab ܐܒܘܒܐ vel Arabice أَنْبُوبٌ tibia, seu fistula, vel ab ejus plurali אַבּוּבַיָּא seu אַמְבּוּבַיָּא. Ita cum *Acrone* veteri *Horatii* Scholiaste plerique Critici. Neque enim placet, quod alii quidam scripsere, dictas fuisse ab *am* vel *ambe* circum, quod circa Bajas habitarent. Illa enim nimis longe petita notatio videtur, qua alii derivant ab *ambubeja* herba, putantque ambubajas fuisse circulatrices, omnium malorum remedia vanissime pollicentes, et quæ sæpe iis, quæ conficiebant, medicamentis eam herbam admiscebant. Hæc ex *Voss.* in *Etymol.*, *Casaub. ad Sueton.* et aliis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 1. Ambubajarum collegia, pharmacopolæ, Mendici, mimæ, balatrones etc. *Sueton. Ner.* 27. Cœnitabat nonnunquam – inter scortorum totius urbis ambubajarumque ministeria. — In singulari numero legitur apud *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann.*

AMBUBEJA, æ, f. 1. herba, quæ et *intubum erraticum*, et *cichorium silvestre* appellatur. *Cels.* 2. 30. — Apud *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 29. (73). nominatur *ambula* (ut quidem legit *Harduinus* ex MSS. suis omnibus: nam in vulgatis est *ambugia*) quasi indita appellatione ab *ambulando:* quod satis apte convenit cum altera *intubi erratici* nomenclatione. Eadem apud *Plin. l.* 1. in indice *l.* 20. *n.* 30. *ambubaja* appellatur: ceterum *Bodæus* in notis ad *Hist. plant. Theophr.* censet vocem hanc mendosam esse, et legendum *ambuleja.* At recentiores fere omnes in utroque *Plinii* loco legendum putant *ambubeja.* De synonymia *V.* INTUBUS.

AMBUGĬA.) *V.* AMBUBEJA.
AMBULA.)

AMBŬLĀBĬLIS, e, adject. (ambulo). *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. pr. p.* 269. Quare et quod ambulabile est, id est quod ambulare potest, potest non ambulare. Adde *eumd.* in *Topic. Cicer.* 3. *p.* 805. *V.* REPTIBILIS.

AMBŬLĀCRUM, i, n. 2. locus circa ædes ad ambulandum, vel cum tecto, vel sub dio positus, arboribus utrimque consitis ad umbram inducendam, vel alia quapiam ratione: qui *ambulatio* a *Cicer.* et *Vitruv.* dicitur. Hinc *Paul. Diac. p.* 21. 8. *Müll.* Ambulacra ambulationes. *Plaut. Most.* 3. 2. 68. Sed senex gynæceum ædificare vult hic in suis (ædibus) et balneas et ambulacrum et porticum. Cf. *ibid. v.*

134. *Gell.* 1. 2. Propulsabamus caloris incommoda lucorum umbra ingentium, longis ambulacris et mollibus ædium posticum refrigerantibus. — *Pallad.* 1. *R. R.* 18. 2. memorat *ambulacra* in cella vinaria, quibus defusa vina transeant.

AMBŬLĀTĬLIS, le, adject. ambulatorius, mobilis, non affixus. *Vitruv.* 10. 13. (10. 8. 1. *Schneid.*). Regulæ scalari forma compactæ, quibus includuntur ærei modioli fundulis ambulatilibus ex torno subtiliter subactis.

AMBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus ambulandi, unde *Quintil.* 11. 3. 126. ambulationem per suggestum memorat oratori quandoque in agendo convenientem (It. *passeggio*; Fr. *promenade*; Hisp. *paseo*; Germ. *der Spaziergang*; Angl. *a walking*). ¶ 1. Abstracte est ipse ambulandi actus. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 1. Constituimus, ut ambulationem pomeridianam conficeremus in Academia. *Id.* 2. *Att.* 3. 3. Sed hæc ambulationibus compitaliciis reservemus. *h. e.* cum per otium compitalibus deambulabimus una. *Id.* 1. *Orat.* 7. 26. Ventum est in ambulationem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 118. (283). Ambulatione cibos perficere. — In re medica ad corporis sanitatem vel firmitatem jubetur. *Cels.* 1. 2. Ambulatio plana. Sic *ibid.* Ambulatio recta melior, quam flexuosa. *Quintil.* 11. 3. 19. affirmat *ambulationem*, *unctionem* etc. oratori præstare ad vocis firmitatem. ¶ 2. Sumitur et concretum pro loco, in quo animi causa ambulatur, qui et ambulacrum dicitur. *Cic.* 3. *Q. Fr.* 1. 1. § 1. Nihil ei restabat præter balnearia et ambulationem et aviarium. *Et ibid.* 2. 2. § 5. Hedera convestivit qua basim villæ, qua intercolumnia ambulationis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 18. (83). Ambulationes aliæ apertæ, aliæ tectæ. *Senec. Tranquillit. anim.* 15. In ambulationibus apertis vagandum, ut cælo libero et multo spiritu augeat attollatque se animus. *Varr.* 5. *R. R.* 5. 9. Circum fluvii ripas ambulatio sub dio. *Vitruv.* 5. 9. 5. Hypæthræ ambulationes habent magnam salubritatem. De tectis *Colum.* 1. *R. R.* 6. 2. Ambulationes meridiano æquinoctiali subjectæ sint, ut hieme plurimum solis, et æstate minimum recipiant. — *Ambulatio* a *porticu* differebat, ut docet *Vitruv.* 5. 9. 1. et seq.; sed tamen pro porticu usus est *Catull.* 56. 6. In Magni ambulatione. *h. e.* in porticu Cn. Pompeji Magni.

AMBŬLĀTĪVA, æ, f. 1. (ambulo) eadem ac pompa, supplicatio. *Inscript.* apud *Donat.* 232. 3. IOVI *optimo maximo* PRO SALVTE CL. POMPEIVS FAVSTVS DEC. COL. EQ. ÆDIL. II. VIRAL. PRÆF. COLL*egii* FA*brum*, ITEMQVE PATRONVS DVXIT COLL*egium supra scriptum* IN AMBVLATIVIS V. KAL. AVG. *Orellius*, qui hanc eamdem affert n. 4138., pro *Dec. Col. Eq.* habet *Dec. Col. Aq.* h. e. *decurio coloniæ Aquinci.* Præterea legit COLL. SS. INAMBVLATI et hæc adnotat: Nec *Collegium inambulatum* quid sibi velit, intelligo. Quidni longe facilius ita interpretemur: recuperata salute Cl. Pompejus Faustus etc. *duxit collegium suprascriptum in ambulationem*, pompam solemnem cum epulo, puto, conjunctam, *V. Kal. Aug.*

AMBŬLĀTIUNCŬLA, læ, f. 1. brevis ambulatio. ¶ 1. Abstracte. *Cic.* 2. *Fam.* 12. 2. Cum una mehercule ambulatiuncula, atque uno sermone nostro omnes fructus provinciæ non confero. ¶ 2. Item tamquam nomen concretum est parvum ambulacrum. *Id.* 13. *Att.* 29. 2. Tecta ambulatiuncula addenda est.

AMBŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui huc et illuc ambulat. ¶ 1. Generatim spatiator, errator. *Cato R. R.* 5. 2. Villicus ne sit ambulator, sobrius siet semper, ad cœnam ne quo eat. Hinc *Colum.* 1. *R. R.* 8. 7. Villicus, ut ait Cato, ambulator esse non debet. *h. e.* otiosus esse, et huc illuc vagari. (Eodem sensu dicitur *ambulatrix*: quod V.) ¶ 2. Speciatim est institor, qui scilicet ostiatim mercibus vendendis circumit. *Martial.* 1. 42. Transtiberinus ambulator, Qui pallentia sulphurata fractis Permutat vitreis.

AMBŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui ambulat, aut qui moveri et transferri potest: qui *ambulatilis* a *Vitruv.* dicitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Est ambulatilis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 47. (80). Utilissimum operculum alvorum a tergo esse ambulatorium, ut proferatur intus, si magna sit alvus: id paullatim reduci, fallente operis incremento. *Vitruv.* 10. 19. (10. 13. 3. *Schneid.*) Ostendit se invenisse turres ambulatorias, quas etiam dissolutas in exercitu circumferre solebat. Cf. *Veget. de re mil.* 4. 17., et adde *Auct. B. Alex.* 2. ¶ 2. Est item ad ambulandum inserviens. *Ulp. Dig.* 8. 5. 8. Superque ea tigna porticum ambulatoriam facere.

II.) Translate tribuitur rebus incorporeis, et est qui transferri potest, mutabilis. *Ulp. Dig.* 34. 1. 32. Ut ambulatoria sit voluntas ejus usque ad vitæ supremum exitum. *h. e.* mutabilis, et quæ ex una re in aliam transferri potest. *Id. ibid.* 40. 7. 34. Quæ causa facit ambulatoriam, ut ita dixerim, conditionem. *h. e.* quæ ab uno in alium transit. Sic *Justinian. Cod.* 6. 2. 22. Ambulatoria actio. Et *Paul. Dig.* 23. 5. 10. Ambulatoria legis potestas.

AMBŬLĀTRIX, icis, f. 3. quæ ambulat, et vagatur. *Cato R. R.* 143. 1. Villica ad cœnam ne quo eat, neve ambulatrix siet. *V.* AMBULATOR 1.

AMBŬLĀTŪRA, æ, f. 1. actus ambulandi. Speciatim est incessus ille equorum, quem Galli adhuc *l'amble*, et Itali *ambio*, *ambiadura* vocant. *Veget.* 4. *Veter.* 6. Persarum equi solius ambulaturæ quadam gratia discernuntur a ceteris: gradus est minutus et creber, et qui sedentem delectet et erigat, nec arte doceatur, sed naturæ veluti jure præstetur. *Id.* 2. *ibid.* 5. Ambulaturæ gratiam perdit. *Alii leg.* ambulans graviter pergit.

AMBŬLĀTUS, us, m. 4. facultas, vel actus ambulandi. *Arnob.* 1. 48. Christus – scitur – ambulatum dedisse contractis.

AMBULEJA. *V.* AMBUBEJA.

AMBŬLO, as, āvi, ātum, are, 1. Sunt qui credant hoc verbum syncopen pati in illis Hadriani versibus apud *Spartian.* in *Vit. ejusd.* 6. Ego nolo Florus esse, Ambulare (*lege* Ambiare) per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos. — Part. *Ambulans* l. 3. — Quod ad etymologiam attinet, *ambulare* factam docet *Voss.* ab ἀμπολῶ (quo præter alios *Pindarus*, qui Dorice scripsit, usus est) pro ἀναπολῶ, quod significat ἀναστρέφω, hoc est *verto*, et interdum ἀναστρέφομαι *vertor*, teste *Eustach.* ad *Iliad.* α. Sed *Martini* et *Döderlein Latein. Synon.* 3. p. 45. rectius fortasse putant, *ambulare* esse deminutivum ab *ambire*. — Ceterum *ambulare* opponitur verbis *cubare*, *sedere*, *jacere*, *stare*, ut apud *Plaut. Bacch.* 4. 8. 56. Cum illa neque cubat, neque ambulat. *Cic.* 5. *Fin.* 17. 47. Quemadmodum quis ambulet, sedeat. *Id. Fat.* 5. 9. Ut sedeamus – aut ambulemus. *Seneca Ep.* 113. Nam nec ambulare potest, nec sedere. *Plin.* 9. *Ep.* 36. Ibi quoque idem, quod ambulans aut jacens. *Quintil.* 11. 3. 44. Standi, ambulandi – vices. *Gell.* 2. 9. Aut ambulas, aut stas. *V.* alia infra I. 2. c. Itaque ambulare est incedendo spatia facere et in sua vestigia reflecti, ire et redire: hinc differt ab *ire*, ut infra dicemus in Homonym. (It. *camminare*, *andare*, *passeggiare*; Fr. *aller alentour*, *aller et venir*, *marcher*, *se promener*; Hisp. *andar al rededor*, *caminar*, *pasear*; Germ. *wandeln*, *herum-oder umherwandeln*, *herum-oder umhergehen*; Angl. *to walk*, *walk along*, *go a foot-pace or step by step*, *to amble*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est huc illuc ire, ire et redire.— *a*) Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 6. 45. Neque etiam queo pedibus me sponte ambulare. *Id. Cas. prol.* 12. Si non ubi sedeas locus est, est ubi ambules. *Ter. Hec.* 3. 4. 20. Vovisse hunc dicam – ut me ambulando rumperet. *Id. ibid.* 5. 3. 17. Cursando atque ambulando totum hunc contero diem. *Lex Cornelia* in *Dig.* 48. 8. 1. *pr.* Qui hominis occidendi furtive faciendi causa cum telo ambulaverit. *Horat. Epod.* 4. 5. Licet superbus ambules pecuniâ, Fortuna non mutat genus. *Id.* 1. *Sat.* 4. 66. Sulcius acer Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis. Adde *Ovid.* 1. *Fast.* 122. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 25. demissis tunicis ambulare. *Id.* 1. *ibid.* 4. 51. ante noctem cum facibus. *Sueton. Domit.* 19. pedibus per urbem. *Quintil.* 8. 5. 15. in foro loricatum. *Id.* 11. 3. 127. et 130. Ambulantem loqui. *h. e.* oratorem agendo in suggestu. *Petron. Satyr.* 45. Tu, si aliubi fueris, dices hic porcos coctos ambulare. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (19). Alienis pedibus ambulamus. *h. e.* aliena ope huc et illuc transferri. *Id.* 10. *ibid.* 65. 85. (167). Ægyptii mures bipedes ambulant. — *b*) Hinc speciatim *ambulare* sæpe sumitur pro animi causa iter habere; quod qui faciunt, ire et redire multoties eadem via solent. *Cato R. R.* 5. 5. Si hoc faciet (*villicus*), minus libebit ambulare. *Plaut. Men.* 2. 2. 4. Prius jam convivæ ambulant ante ostium, quam ego obsonatu redeo. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 96. Non domi est, abiit ambulatum. *Cic.* 5. *Tusc.* 33. 97. Socratem ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se quo melius cœnaret obsonare ambulando famem. *Id.* 2. *Orat.* 14. 60. Cum in sole ambulem, etiam si aliam ob causam ambulem etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 16. 51. Visus sum mihi cum Galba ambulare (*in hortis*). *Id. Brut.* 53. 197. Qui in littore ambulans scalmum reperisset. *Varro* 1. *R. R.* 16. 4. Ne ambulet feriata familia. ¶ 2. Usu frequentissimo factum est, ut accipiatur etiam latiori sensu pro incedere, ingredi, pergere, iter facere: quo sensu fuit etiam militare verbum, et occurrit *a*) intransitivum, *b*) activorum more, et *c*) passive impersonaliter. — *a*) Intransitivum occurrit — Absolute. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 16. PSEVD. Ambula ergo cito. SIM. Immo otiose volo. *Id. Capt.* 4. 2. 120. Bene ambula et redambula. *est formula*, qua abeuntibus bene precabantur. *Id. ibid.* 2. 3. 92. Bene ambulato. *h. e.* prosperum iter sit tibi. *Id. Truc.* 2. 4. 18. Benene ambulavisti? *Ter. Heaut.* 2. 3. 139. Ambula. *Cic.* 9. *Att.* 4. 3. Si enim recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit. — Addito termino, quo quis iter facit. *Plaut. Truc.* 2. 4. 18. Benene ambulavisti? DIN. Huc quidem hercle ad te bene. Apud *eumd. Curc.* 5. 2. 23. et *Ter. Phorm.* 5. 7. 43. *ambulare in jus* est adire judicem litigandi causa. — Ponitur et de peditatus itineribus. *Cic.* 8. *Att.* 14. 1. Eo modo autem ambulat Cæsar et iis diariis militum celeritatem excitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit accesserit. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. 1. Qui (*milites*) – bellum ambulando confecerunt. — Hinc factum est, ut hoc verbum de exercitus itineribus usuvenerit, teste *Veget.* 1. *Mil.* 27. Augusti atque Hadriani constitutionibus cautum est, ut ter in mense tam equites quam pedites educerentur ambulatum. Hoc verbo genus hoc exercitationis appellabant. — *b*) Activorum more. — Cum Accusat. loci Græcorum more. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 112. Si Xerses, quum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terram navigasset etc. Cf. *Lysias Paneg.* § 29. et *Isocrates Paneg.* § 61. ed. *Bekk.* Ambulare viam *Quintil.* 1. 5. 38. dicit esse solœcismum per detractionem: sed non auditur a Grammaticis. *Ovid.* 1. *Fast.* 122. Libera perpetuas ambulat illa vias. *ubi quidam leg.* per tutas. — Cum Accus. spatii ambulando confecti. *Cic. Quinct.* 25. 79. Neminem esse, qui possit biduo aut summum triduo septingenta millia passuum ambulare. *Quintil.* 6. 3. 77. Qui – diceret se jam bina millia passuum ambulare. Et passive *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. (26). Si statim bina stadia ambulentur. — *c*) Passive impersonaliter. *Varro* 6. *L. L.* 1. p. 72. *Müll.*, Sedetur, ambulatur. *Cic.* 2. *Legg.* 1. 1. Ambulatum est. *Gell.* 2. 2. Cum sedeatur, ambuletur, discumbatur. ¶ 3. Tribuitur rebus inanimis, quæ aut propria, aut aliorum vi moventur: in quo tamen aliquid inest translati. *Cato R. R.* 1. 3. Oppidum validum prope siet aut mare aut amnis, qua naves ambulant. *Veget.* 3. *Mil.* 8. Per loca idonea, qua nostrorum ambulat commeatus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51). Nilus – it per deserta et ardentia, et immenso longitudinis spatio ambulans etc. *Id.* 35. *ibid.* 9. 47. (130). Asteria gemma – velut intus ambulantem (*lucem*) ex alio atque alio loco reddens.

II.) Translate. Præcipue de abstractis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (139). Quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulavit. *h. e.* hoc legis caput in aliis postea latis legibus sumptuariis insertum est. *Ulp. Dig.* 37. 11. 2. Ambulat cum domino bonorum possessio. *Cajus Dig.* 4. 4. 15. Emptio ambulat per plures personas. *h. e.* transit. *Dig.* 7. 1. 25. § 2. Ambulabit stipulatio.

Homonym. *Ambulare* et *ire* apud JCtos in definitione itineris separantur. *Ulp. Dig.* 8. 3. 1. Iter est jus eundi, ambulandi homini, non etiam jumentum agendi. *Et mox.* Via est jus eundi et agendi et ambulandi. — Ambulare differt et a *currere*, ut apud *Senec.* 2. *de Ira* 35. 2. Senex aut infirmi corporis est, qui, cum ambulare vult, currit. *Gell.* 2. 9. Aut curris, aut ambulas. — *Ambulare* opponitur etiam verbis *salire* et *incedere*, ut apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). Ambulant aliquæ (*aves*), ut cornices; saliunt aliæ, ut passeres, merulæ; currunt, ut perdices, rusticulæ; ante se pedes jaciunt, ut ciconiæ. Et apud *Senec.* 7. *Quæst. nat.* 31. Tenero et molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus, sed incedimus.

AMBURBALE sacrificium, idem quod *Amburbium*. Legitur apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 77., nisi quod corrigendum esse videtur *Amburbiale*.

AMBURBIĀLIS, e, adject. (ambi *et* urbs). Amburbiales hostiæ appellabantur, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur. *Paul. Diac.* p. 5. 2. *Müll.* Cf. voc. præced.

AMBURBĬUM, ii, n. 2. (ambi *et* urbs) sacrificium quotannis fieri solitum a Romanis ad lustrandam Urbem et expiandam: quo solemni pompa circuibatur urbs et mactandæ hostiæ circumducebantur. Describitur hoc sacrum a *Lucano* 1. 592. *Vopisc. Aurelian.* 20. Lustrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarvalia promissa. *Servius* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 77. Sicut amburbale (*lege* amburbiale) vel amburbium dicitur sacrificium, quo urbem circuit et ambit victima. Adde *Paul. Diac.* p. 17. 9. *Müll.* V. *Marini Frat. Arv. præf.* p. XXX.

AMBŪRO, ūris, ussi, ustum, ūrere, a. 3. (ambi *et* uro). Part. *Amburens*, I. 1. *sub fin.*; *Ambustus* sæpissime usurpatum in omnibus paragr.; *Ambusturus*, I. 1. *sub fin.* — Amburo proprie est circum uro, ut ait *Paul. Diac.* p. 5. 3. *Müll.* Ambustus circumustus: tametsi generatim etiam accipitur pro comburere (It. *bruciare all'intorno*; Fr. *brûler à l'entour*; Hisp. *quemar al rededor*; Germ. *umbrennen oder umsengen*; Angl. *to burn all about*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de igne, fulmine et calore. *Plaut. Epid.* 5. 2. 9. Ille quidem Vulcani irati est filius: quaqua tangit, omne amburit. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 21. *de vino fervente.* Quia enim obsorbui: nam nimis calebat, amburebat gutturem. *Cic. Mil.* 32. 86. Ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere – (*Clodius*) amburereiur abjectus. *Id. ibid.* 5. 12. Hujus ambusti tribuni pleb. intermortuæ conciones. *h. e.* T. Munatii Planci, qui cum concionaretur eo ipso tempore, quo propter crematum Clodii corpus curia conflagravit, coactus est flammis accedentibus a concione cessare, ut narrat *Ascon.* ad *h. l.* p. 43. 12. *Bait. Id. Sext.* 68. 143. Corpus Herculis ambustum. *h. e.* a Dejaniræ veste. *Liv.* 43. 13. Hasta – interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus amburerct ignis, dicebatur. *Id.* 30. 6. Ambusti homines jumentaque. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 64. capsis quem fama est esse librisque Ambustum propriis. *Id.* 4. *Od.* 11. 45. Ambustus Phaeton. *Ovid.* 2. *Met.* 209. Nubila ambusta. *Seneca Hippol.* 1098. Sude ambusta truncus. *Id. Agam.* 540. Fulminibus ambustus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (95).. Hirundinum pulli ad cinerem ambusti. *Sueton. Tib.* 6. Flamma repente e silvis undique exorta adeoque omnem comitatum amplexa, ut Liviæ pars vestis et capilli amburerentur. *Id. Claud.* 21. Ambustum theatrum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 25. (93). Fervoribus ambusta regio. *Tac.* 5. *Hist.* 12. Ambusta magna vis frumenti. *Fronto* 1. *ad Amic.* 18. Amburens senum. *Alcim.* 3. 65. Ambustura (*flamma*) suas, ut numquam finiat, escas. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de nimio frigore, quo quis læditur et sensum amittit. *Tac.* 13. *Ann.* 35. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. *Val. Flacc.* 4. 70. Ambusta pruinis lumine. *h. e.* oculos. V. *Ambustum*, i in fine.

II.) Translate ponitur fere Part. præter. pass. de eo, qui magnum aliquod periculum evasit quidem, sed graviter læsus; allusio tamen ad ignem semper inest. *Cic.* 3. *Verr.* 27. 70. Ille (*Hadrianus*) – Uticæ domi suæ vivus exustus est –, hic sociorum ambustus incendio tamen ex illa flamma periculoque evolavit. *Id. Harusp. resp.* 3. 4. Cum illum ambustum religiosissimis ignibus cognovi – ex domo pontificis maximi emissum. *Id. Dom.* 43. 113. Qui denique ambustas fortunarum mearum reliquias suas domos comportari juberent. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Atque hæc feci, cum septem amicis meis occisis aut relegatis –, tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitum – augurarer. *Liv.* 22. 35. Qui cum M. Livio consul fuerat et damnatione collegæ et suâ prope ambustus evaserat. *h. e.* e judicio evaserat prope diffamatus. Hinc in titulo apud *Val. Max.* 8. 1. Ambustæ duæ. *Ambustus* ex conjectura tantum legitur etiam apud *Cic.* 5. *Att.* 20. 8.: *V.* ADURO in fine. — Part. præter. perf.

Ambustum, i, n. 2. substantivorum more et fere plur. num. est læsio alicujus membri ab igne vel nimio frigore: cf. AMBUSTIO. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 29. (45). Cinis pilularum sanat ambusta igni vel frigore. *Id.* 20. *ibid.* 20. 82. (217). Coriandrum – sanat ambusta. *Id.* 24. *ibid.* 4. 5. (10). Gallæ nucleus – sedat ambusta. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. Ambustis prodest alumen. *Id.* 24. *ibid.* 8. 33. (51). Refrigerat etiam (*sambucus*) inflammationem, maxime recentis ambusti. *Id.* 21. *ibid.* 7. 19. (42). Iris natura est fervens, tractataque pustulas ambusti modo facit. — *NB.* De Cognomine *V.* ONOM.

AMBURVO. *V.* AMPTRUO.

AMBUSTĬO, ōnis, f. 3. proprie est amburendi actus; sed occurrit tantum ut nomen concretum, et est læsio alicujus membri ab igne vel nimio frigore: cf. *Ambustum*, i, in fin. v. AMBURO (It. *scottatura*; Fr. *brûlure*; Hisp. *quemadura*; Germ. *die Brandwunde*; Angl. *a burn, scald*). *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 44. (87). Item eruptionibus, ambustionibus (*medetur myrteum oleum*).

AMBUSTULĀTUS, a, um, part. ab inus. *ambustulo* (ambi *et* ustulo), idem ferme quod ambustus. *Plaut. Rud.* 3. 4. 65. Te ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.

AMBUSTUS, a, um. *V.* AMBURO.

AMCÆSA. *V.* ANCÆSA.

AMCISUS, a, um. *V.* ANCISUS.

AMECABUNDUS. *V.* AMORABUNDUS.

ĀMĒCI et **ĀMĒCÆ** pro *amici* et *amicæ* dixisse veteres testatur *Paul. Diac.* p. 15. 6. *Müll.*

AMELLUS, i, m. 2. (Aster Amellus *Linn.*) herba est, seu potius frutex, ut dicitur a *Columella* 9. *R. R.* 4. 4. et 13. 8. in irriguo solo proveniens, floremque ferens gratissimum apibus, colore aureo, sed foliis circa, quæ plurima sunt, violaceis, sapore aspero. Ita eum describit *Virg.* 4. *G.* 271. Est etiam flos in pratis, cui nomen amello Fecere agricolæ etc., ubi addit, hujus herbæ radices coctas in vino præsens esse remedium apibus morbo aliquo laborantibus. *Servius* notat dictum esse a *Mella* fluvio Galliæ Cisalpinæ (qui a *Catullo* 67. 33. *Melo*, vel, ut alii rectius leg., *Mela* appellatur, et ex Brenno monte ortus prope Brixiam decurrit) quia in ejus ripis plurimus invenitur.

AMEN, ἀμήν, adverbium, Hebraice אָמֵן, significans vere, certe, vel fiat. *Suid.* in V. interpretatur πεπιστευμένως, ἀληθῶς. Primam vocalem habet longam natura. *Auson. Ephemer.* in *Orat.* in *fin.* Et responsuris ferit aera vocibus amen. Adde *Prudent. Cathemer.* 4. 72. *Paulin.* ergo *Nolan.* poem. 17. *ad Nicet.* 117. et *Venant. Fortun.* haud recte corripuere.

AMENS, entis, adject. (a *et* mens; unde *Varro* 6. *L. L.* 44. p. 89. *Müll.* Ab eadem mente meminisse dictum et amens, qui a mente sua descendit. Cf. Gr. ἄνοος, ἄφρων). Comp. *Amentior* et Sup. *Amentissimus*. Qui a mente sua discessit, vel de statu mentis dejectus est, hoc est qui sine consilio animoque est, quo sapimus, mente motus, perturbatus, consternatus, extra se affectu aliquo vehementi positus (It. *fuor di se, mentecatto*; Fr. *qui est hors de sens, hors de soi, troublé, égaré, déraisonnable*; Hisp. *fuera de si, loco*; Germ. *ohne Verstand oder Besinnung, verstandes-oder sinnlos, wer ausser sich, nicht bei sich ist*; Angl. *out of his mind or wits, besides himself, foolish, senseless, terrorstruck*). Occurrit *A*) de personis et *B*) de abstractis, sive de animi motibus.

A) De personis. — a) Absolute. *Ter. Andr.* 1. 3. 13. Nam inceptio amentium, haud amantium. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 74. An me tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? *Cassius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. 4. Laodiceni multo amentiores ultro accesserant. *Cic. Rab. perd.* 8. 24. Quos amentissimus fuisset si oppugnasset. *Id. Pison.* 9. 21. Cum quidem tu, o vecors et amens, amplexus es. *Id.* 3. *Verr.* 3. 7. Homo audacissimus atque amentissimus. *Id.* 5. *Phil.* 13. 17. Homo amentissimus atque in omnibus consiliis præceps ac devius. *Liv.* 1. 48. Quo amens, agitantibus furiis sororis ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur. *Virg.* 4. *Æn.* 279. Æneas aspectu obmutuit amens. *Id.* 2. *ibid.* 314. Arma amens capio, nec sat rationis in armis. *Et* 321. cursuque amens ad littora tendit. *Ovid.* 2. *Met.* 334. lugubris et amens Et laniata sinus totum percensuit orbem. *Sueton. Aug.* 65. Agrippina in dies amentior. *Quintil.* 4. 2. 85. Amentis est superstitione præceptorum contra rationem causæ trahi. b) Cum Genit. per pleonasmum. *Virg.* 4. *Æn.* 203. Amens animi. — c) Sæpius cum Ablat. rei, qua quis ita perturbatur, ut sui compos non sit. *Lucret.* 6. 86. Ne trepides cœli divisis partibus amens. *Liv.* 8. 31. Amens invidiâ. *Id.* 23. 9. Amens metu. *Id.* 32. 12. Repentino terrore amens. *Virg.* 12. *Æn.* 776. Amens formidine. *Curt.* 6. 9. 32. Periculi magnitudine amens atque attonitus. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 92. Amens dolore. — *NB.* *Forcellinus* hæc in duas divisit paragraphos, quarum altera affirmabat *amentem* sæpe significare dementem, insanum, ad eamque retulit loca *Cic. Pison.* 9. 21., 5. *Phil.* 13. 17. et 12. *Fam.* 14. 4.

B) Tribuitur et abstractis, et præcipue animi motibus. *Cic.* 7. *Att.* 10. Amentissimum consilium. *Forcellinus* hunc locum propria paragr. distinxit de iis quæ per amentiam fiunt; cetera vero de iis, quæ mentem perturbant et de statu suo movent. *Catull.* 63. 197. Amenti furore cæcus. *Seneca* 3. *de Ira* 39. Surda est et amens (*ira*). *Lucan.* 6. 279. Impetus amens. *Claudian.* 1. *Rufin.* 256. Amens terror.

Homonym. *V.* AMENTIA in fine.

ĀMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. (amento) actus jaculandi; deinde ipsum jaculum sive telum. *Tertull.* 1. *Nation.* 10. Nunc vero eadem ipsa (*tela*) de nostro corpore vulsa in vos retorquebo –, quo machæris vestris amentationibusque cædatis. *In plerisque Tertulliani codicibus legitur* admentationibus.

ĀMENTĀTUS, a, um. *V.* AMENTO.

ĀMENTĬA, æ, f. 1. (amens) est ille animi status, quo quis haud sapit, intellectus et rationis usu caret, sive id fiat maxima consternatione et perturbatione (*Forcellinus* enim hæc diviserat), sive alia quacumque de causa (It. *mentecattagine, pazzia*; Fr. *démence, égarement, déraison, folie*; Hisp. *demencia, locura, falta de razon*; Germ. *der besinnungslose oder verstandeslose Zustand, die Sinn-oder Verstandeslosigkeit, Geistesabwesenheit*; Angl. *madness, insanity, frenzy, folly*). *Ter. Heaut.* 5. 2. 21. Quæ istæc pravitas, quæve amentia est? Adde *ibid.* 4. 4. 80. *Id. Andr.* 5. 3. 16. Cur meam senectutem hujus sollicito amentiâ? *Pacuvius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 102. p. 150. *Müll.* Dei munerint meliora atque amentiam averruncassint. *Accius* apud *Non.* p. 503. 7. *Merc.* Heu cor irâ fervit cæcum, amentia rapior feroque. *Cic.* 16. *Fam.* 12. 2. Rapi amentia. *Id.* 2. *Cat.* 11. 25. Bona ratio cum perditâ, mens sana cum amentiâ – confligit. *Id.* 4. *Verr.* 42. 104. Tanta amentia præditus et audacia. *Id. Cluent.* 5. 12. Flagrare amentia. *Id.* 6. *Verr.* 34. 75. Flagrare cupiditate atque amentia. *Id. Vatin.* 15. 37. Quæ tanta in te sit amentia, ut –? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 249. equitare in arundine longa Si quem delectet barbatum, amentia verset. *Liv.* 3. 47. Tanta vis amentiæ – mentem turbaverat. *Ovid.* 5. *Met.* 509. Mater ad auditas stupuit, seu saxea, voces: Attonitæque diu similis fuit: utque dolore Pulsa gravi gravis est amentia etc. *Curt.* 8. 14. 41. Quæ malum! amentia te coegit? Adde *Quintil.* 3. 6. 33., *Plin.* 6. *Ep.* 17., et *Tertull.* *Anim.* 21. et 4. *advers. Marcion.* 22.

Homonym. *Amentia* et *dementia* sunt verba ita inter se affinia, ut *Forcellinus* affirmare non dubitaverit, hanc ab illa minime differre, quidquid nonnulli subtilius disputantes dixerint, fretus præcipue auctoritate *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 10. Animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam eamdemque dementiam. At, quemadmodum rectius putat cl. *Doderlein* (*Latein. Synon.* T. 5. p. 84.) aliique philologi, *amens* et *demens* (propterea que *amentia* et *dementia*) inter se differunt, ut apud Græcos ἄφρων et παράφρων; *amens* enim est qui rationis lumine sive usu caret, *demens* qui contra rationem agit.

AMENTO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (amentum). Part. *Amentans* II.; *Amentatus* I. 1. Amentare est amento aptato jaculari, telum missile amento prehensum torquere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit solummodo part. *Amentatus* de missilibus, quæ a velitibus amento vinciebantur, ut validius longiusque jaci possent. *Cic. Brut.* 78. 271. Etsi præceptis ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastæ velitibus amentatæ, sic apta quædam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. (Allegorice *argumenta* sunt hastæ, *amenta* sunt præcepta, inquit *Manut.*). Similiter *Id.* 1. *Orat.* 57. 242. A quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit. Cf. *Quintil.* 9. 4. 9. — *Forcellinus* huc retulit illud *Claudian. Cons. Mall.*

Theod. 393. Puer amentatus. *h. e.* loco vinctus, ut in pegma librato corpore ascendere saltu possit. Sunt qui aliter leg. ¶ 2. Latiori sensu apud Poetas est jaculari. *Lucan.* 6. 221. Cum jaculum parva Libys amentavit habena.

II.) Translate. ¶ 1. A prima notione. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 33. Cui famulatum videns Pharisæorum cupiditatem, amentavit hanc sententiam: Non potestis Deo servire et mammonæ. *h. e.* velut amentatam hastam contorsit. ¶ 2. Ab altera notione. *Sil. It.* eleganter de ventis usurpavit, qui tædas accensas in hostilem navem conjectas majore impetu impellunt, quemadmodum telo missili amentum auget cursum. 14. 421. Inde atros alacer pastosque bitumine torquet, Amentante Noto, Pœnorum palustribus ignes. *V.* huic similem locum in voce sequenti.

ĀMENTUM, i, n. 2. deducunt fermo omnes a præter pass. ἧμμαι verbi ἅπτω *necto*, unde apud Latinos factum est *apio*, ex quo *apimentum* et per syncop. *āpmentum* (ut *exămen* pro *exăgmen*, *contāmen* pro *contāgmen*) et denique *āmentum* (hinc apud *Tertullianum* legitur *admentatio* pro *apmentatio*, h. e. *amentatio*): alii ab inus. ἀμίω pro ἀμάω *attraho*. — Ceterum amentum generatim est quidquid alicui rei adhærens eam cohibet; speciatim vero lorum, quo vinciuntur missilia tela ad validius jaculandum, vires enim addit ejusmodi vinculum, ut patet in funda: de quo invento hæc *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). Jaculum, cum amento ferunt invenisse Ætolum Martis filium. *Cæs.* 5. *B. G.* 48. Ut tragulam cum epistolâ ad amentum deligatâ intra munitiones castrorum abjiciant. *V. Annali dell' Istit. Archeol.* a. 1832. p. 76. *Liv.* 37. 41. Humor arcus fundasque et jaculorum amenta emollierat. *Virg.* 9. *Æn.* 665. Intendunt acres arcus amentaque torquent. *h. e.* tela amentis prehensa jaciunt. *Ovid.* 12. *Met.* 1321. Inseruit amento digitos, nec plura moratus, In juvenem torsit jaculum. Adde *Senec. Hippol.* 812. *Sil. It.* 4. 14. hasta juvatur amento. *Id.* 9. 508. flatus Pœnorum tela secundant, Et velut amento contorta hastilia turbo Adjuvat. Adde eumd. 13. 158. — Teste *Paul. Diac.* p. 12. 1. *Müll.* amentum dicitur etiam loreum vinculum seu ligula, qua soleæ colligantur, ab ἅμμα *vinculum*. Hoc sensu occurrit apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 14. (31). Sedens huic (*Corneliæ statuæ*) posita soleisque sine amento insignis.

ĀMĔRIMNON, i, n. 2. (ἀμέριμνον quod est *sine cura*) herba eadem quæ *aizoon majus* seu latine *sedum majus*. Memoratur a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160). *V.* AIZOON.

ĀMES, ĭtis, 3. De genere nihil certi afferri potest: *Voss.* masculinum præfert. Est pertica seu furca, qua aliquid suspenditur et extenditur: hinc — *a*) Pertica seu furca aucupalis, qua rete suspenditur et extenditur, ut ait *Paul. Diac.* p. 21. 5. *Müll.* Amites perticæ aucupales. *Horat. Epod.* 2. 33. Aut amite levi rara tendit retia, Turdis edacibus dolos. *Pallad.* 10. *R. R.* 12. Nunc in amitibus apparetur aucupium noctuæ. — *b*) Dicitur etiam de aliis rebus. Itaque *amites basternarum* dicuntur ab *eodem Pallad.* 7. 2. 3. vectes longi, quibus basterna, h. e. lectica jumento imponitur ad portandum. Ejus verba sunt. Duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum. Apud *Colum.* 9. *R. R.* 1. 3. ed. *Schneid.* amites sunt perticæ vel seræ in clatris, quæ transversæ jugantur; ibique occurrunt masc. gen. hisce verbis: Deinde per transversa laterum cava transmittuntur amites, qui exitus ferarum obserent. *Sed alii aliter leg.* V. *Schneid.* ad h. l.

ĀMĔTĂBOLUS, a, um, adject. ἀμετάβολος, h. e. immutabilis. *Mar. Victorin.* 1. p. 2478. *Putsch.* Habes exempla quatuor liquidarum, quas ametabolas diximus.

ĀMĔTHYSTĬNĀTUS, a, um, adject., seu particip. tamquam ab inus. *amethystino*, amethystinis vestibus indutus. *Martial.* 2. 57. Amethystinatus media qui secat septa.

ĀMĔTHYSTĬNUS, a, um, adject. (ἀμεθύστινος) ad amethystum pertinens. Hinc *a*) Generatim. *Sueton. Ner.* 32. Amethystinus color. — *b*) Speciatim est colorem purpureum amethysti habens, ut *amethystinæ vestes* apud *Martial.* 1. 97.; et *amethystinæ lanæ* apud *eumd. in lemmate distich.* 154. *l.* 14. — *c*) Item speciatim *amethystini trientes* sunt pocula amethystis ornata. *Martial.* 10. 49. Cum potes amethystinos trientes etc. Alii putant aliudi ad colorem vini amethysto similem. Alii etiam leg. *Cum potes amethystino trientes*. h. e. poculo ex amethysto gemma facto. — Hinc

Amethystina, *orum* absolute dicuntur vestes purpureum amethysti colorem habentes. *Juvenal.* 7. 135. purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina.

ĀMĔTHYSTĬZON, ontis, adject. (ἀμεθυστίζων) amethysto similis. A *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93). amethystizontes dicuntur carbunculi, quorum externus igniculus in amethysti violam exit.

ĀMĔTHYSTOS vel Amethystus, i, f. 2. (ἀμέθυστος). ¶ 1. Amethystus gemma est colorem habens purpuræ aliquantum accedentem, sed qui tamen non ex toto in igneum, sed in vini colorem deficit: ab *α* privativo, et μεθύω, *ebrius sum*, ut ait *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 50. (121)., quia usque ad vini colorem non accedit: priusquam enim degustet, in violam desinit fulgor. Hinc lepide *Martial.* 14. *distich.* 154. cujus lemma est *Amethystinæ lanæ*. Ebria Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ, Non video, quare sobria lana vocer. — Sunt etiam qui putarunt dictam amethystum, quod ebrietati resisteret, ut *Plin. ibid.* scribit. — Porro inter amethystos, quas variis in regionibus reperiri docet *Plin. ibid.*, ut in Arabia Petræa, in Armenia minore, in Galatia, in Ægypto etc., principatum tenent Indicæ, quæ absolutum felicis purpuræ colorem habent, ad quem officinæ tingentium dirigunt vota. Summo enim in pretio habetur, blandus aspectu, neque in oculos, ut carbunculi, vibrans: videturque esse is, qui ab Italis dicitur *violetto*, vel *violetto chiaro*. Quinque amethystorum genera *Plin. loc. cit.* enumerat, eorumque differentes colores describit. *Ovid.* 3. *Art. am.* 181. Hic Paphias myrtos, hic purpureas amethystos. *Plin. loc. cit.* Principatum amethysti Indicæ tenent. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (93). Amethysti viola. Et tropice de iis, quæ amethysti colorem habent 9. *ibid.* 41. 65. (139). Non est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum etc. Adde *Isid. Orig.* 19. 1., ubi masc. gen. effertur. ¶ 2. *Amethystus* etiam dicitur quoddam genus vitis: de qua *V.* INERTICULUS. — NB. De cognomine *V.* ONOM.

ĀMĒTOR, ŏris, comm. gen. 3. (ἀμήτωρ) qui matre caret. Vox Græca ab *α* privativo et μήτηρ *mater*: quemadmodum *apator* dicitur, qui caret patre, ἀπάτωρ ab *α* privativo et πατήρ *pater*. Utraque vox usurpatur a *Tertull. Præscript. advers. hæret.* 53.

AMFLEXUS, a, um, part. præter. pass. ab *am* et *flecto*, est idem quod circumflexus. *Mela* 3. 2. 1. Cujus (*Galliæ lateris alterius*) ora – Cantabricis fit adversa terris et, grandi circuitu amflexa, ad occidentem littus advertit.

AMFRACTUS, a, um. *V.* ANFRACTUS, a, um.

AMFRACTUS, us. *V.* ANFRACTUS, us.

ĀMĬA, æ, f. 1. (ἀμία) et Amias, æ, m. 1. (ἀμίας) piscis marinus pelamidi, vel scombro similis, rostro acuto, ventre crasso, cauda tenui, in figuram lunæ in cornua curvatæ, pinnis ejus conformatis, dorso cæruleo, ventre argenteo. Dictus videtur ab *α* privativo, et μία *una*, quia numquam solus conspici solet. Sæpe dimicat cum delphinis, eosque morsu lacerat. Ad eo autem facile crescit, ut, teste *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 19. (49)., ejus incrementum singulis diebus intelligatur. *Rondeletius l.* 8. *c.* 9. scribit a popularibus suis appellari *Byza*. Apud *Plin. l. c.* fem. gen. occurrit. *Paul. Diac.* p. 21. 9. *Müll.* Amian genus piscis. *Müllerus* ad h. l. recte putat ex *Cod. Flor.* legendum esse *amian* accus. in loco *Lucilii* apud *Varr.* 7. *L. L.* 47. p. 139.

ĀMĬANTUS, ti, m. 2. (ἀμίαντος ὁ ab *α* privativo et μιαίνω *inquino*, *contamino*) lapis est in Cypro nascens, friabilis, et scissili alumini similis, ex quo scribit *Dioscorides l.* 5. *c.* 156. telas texi, quæ in ignem conjectæ ardeant quidem, sed flammis invictæ nitidiores extrahantur. Creditur etiam, ex eo facta olim fuisse ellychnia, quæ igni non absumerentur. Quidam putant esse alumen pulmosum officinarum. Certe seplasiarii pro alumine scissili nonnumquam supponunt. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 31. (139). Amiantus alumini similis nihil igni deperdit. Adde *Isid.* 16. *Orig.* 4. — Ex hoc lapide fit linum illud, quod asbestinum vocatur a *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (20). *V.* ASBESTINUM.

ĀMĪCA. *V.* AMICUS.

ĀMĪCĀBĬLIS, e, adject. amicorum more factus. *Cod.* 1. 2. 22. § 1. Amicabilis compositio. *Firmic.* 5. *Mathes.* 5. Amicabili præclarorum virorum consortio conjungi. *V.* et AMICALIS. Apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 8. pro *amicabilis* rectius legitur *adjutabilis*.

ĀMĪCĀBĬLĬTER, adverb. amicali modo. Legitur in *Julian. Epit. nov.* c. 63. § 211.

ĀMĪCĀLIS, e, adject. idem quod amicabilis. *Apul. de Mundo* 37. Deus hospitalis, amicalis. *Ulp. Dig.* 17. 1. 10. § 7. Qui non animo procuratoris intervenit, sed affectionem amicalem promisit. *Imp. Justinian. in edict. de confirm. Dig.* § 23. Quæ vel judiciali sententiâ finita sunt, vel amicali pacto sopita, hæc resuscitari nullo volumus modo. *Cod.* 6. 58. 15. § 5. Si qui casus jam evenerint, et per judicialem sententiam, vel amicalem transactionem sopiti sunt. *alii leg.* amicabilem. *Sidon.* 1. *Ep.* 3. Scamnis amicalibus deputantur. *alii leg.* amicabilibus.

ĀMĪCĀLĬTER, adverb. idem quod amice. *Venant. præfat. in fin.* Intimorum auribus amicaliter, quæso, conlatura committas.

ĀMĪCĀRIUS, ii, m. 2. qui amicam alicui conciliat aut vendit, leno. Affertur a *Diomed.* 1. p. 313. *ed. Putsch.*, sed nullo confirmatur Latini scriptoris exemplo.

ĀMĪCĒ adverb. (amicus). Comp. *Amicius* sub *b.*; Superl. *Amicissime* sub *a*. Est amicorum more, cum amore et benevolentia (It. *amichevolmente*, *da amico*; Fr. *amicalement*, *en ami*; Hisp. *amigablemente*; Germ. *auf Freundes Art*, *freundschaftlich*, *wie ein Freund*; Angl. *a friendly manner*, *cordially*, *kindly*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Amic.* 2. 9. Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, facis amice. *Id. ibid.* 24. 88. Nam et monendi amici sæpe sunt et objurgandi, et hæc accipienda amice cum benevole fiunt. *Id. Divinat. in Verr.* 9. 29. Familiarissime atque amicissime vivere cum aliquo. *Cæs.* 2. *B. C.* 17. Amicissime loqui de aliquo. *Nep. Hann.* 2. Amice cogitare de aliquo. *Horat.* 3. *Od.* 2. 1. Angustam amice pauperiem pati. *editi. vulgatæ leg.* amici. — *b*) Cum Dat. aut cum Acc. et præp. aliqua. *Cic.* 1. *Off.* 26. 92. Vivere simpliciter, fideliter, vitaque hominum amice. *Id.* 1. *Fin.* 10. 34. Erga nos amice et benevole. *Fronto* 1. *ad Marc. Cæs.* 6. Quin cotidie aliquid reperias, quod circa me jucundius atque amicius facias.

ĀMĪCĪMEN, ĭnis, n. 3. idem quod amictus. *Apul.* 11. *Met.* 9. Mulieres candido splendentes amicimine. *Et ibid.* 13. Rudi contectus amicimine.

AMICINUS, i, m. 2. *Paul. Diac.* p. 15. 2. *Müll.* Amicinum utris pediculum, ex quo vinum defunditur. *Amicinum* est accusativus, non vero nominativus gen. neutr. ut nonnulli putarunt: in *Glossis* enim *Labb.* hæc habentur: Amicinus ἀσκοῦ στόμα. *V.* et ALVEOLUS.

ĀMĬCIO, ĭcis, ĭcui et ixi, ictum, ĭcire, a. 4. (ab *am* circum et *jacio*, teste *Varron.* 5. *L. L.* 132. p. 51. *Müll.* Amictui dictum, quod amjectum est, id est circumjectum). — *Amicibor* pro *amiciar* antique dictum est a *Plauto*; V. infra I. — Præterita duo habet *amicui* et *amixi*: atque hoc posterius usitatius esse notant Grammatici. *V.* exempla sub I. — Tertium quoque præteritum *amicivi* afferri solet, de quo nullum adhuc exemplum vidimus, nisi *Amicisse* apud *Fronton. Fer. Als.* p. 188. — Part. *Amictus* I.; *Amiciendus* II. — Amicio est circumjacio, operio, circumtego, vestio (It. *gettare intorno*, *coprire*, *vestire*, *inviluppare*; Fr. *couvrir*, *envelopper*, *entourer*, *vêtir*; Hisp. *cubrir*, *envolver*, *cercar*, *vestir*; Germ. *umwerfen*, *umhüllen*; Angl. *to cover*, *clothe*, *dress*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De personis, et sæpius usurpatur *se amicire* et *amiciri*. Apud *Cicer.* tamen ceterosque Augusteæ ætatis scriptores in prosa oratione legitur tantum Part. præter. pass. *Nævius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 53. p. 141. *Müll.* Diabathra in pedibus habebat amictus epicroco. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 29. Sed palliolatim amictus si hæc incessi ludibundus, plaudunt. *Id. Pers.* 2. 5. 6. Subnixus alis me inferam atque amicibor gloriose. *Brutus* apud *Diomed.* 1. p. 364. *Putsch.* Qui te togâ prætexta amicuit. *Varro* apud *eumd. ibid.* Celerius mater amixit. *Ovid.* 5. *Met.* 546. Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22. Velis amicti, non togis. *Id. Brut.* 14 56. Lænâ amictus. *Id.* 2. *Phil.* 34. 85. Amictus togâ purpureâ. *Liv.* 45. 7. Pullo amictus illo. *Virg.* 1. *Æn.* 590. nube cava amictus. Græcorum more *Horat.* 1. *Od.* 2. 31. cum *Accus.* Nube candentes humeros amictus Augur Apollo. *Plin.* 2. *Ep.* 3. Surgit (*orator*), amicitur, incipit. *Sueton. Vesp.* 21. Dum

salutabatur et calceabat ipse se et amiciebat. *Id. Calig.* 22. Simulacrum amiciebatur quotidie veste, quali ipse uteretur. Adde *Quintil.* 11. 3. 149. — *b*) De rebus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 270. thus et odores Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis. *Id.* 1. *ibid.* 16. 3. Amicta vitibus ulmus. *Ovid.* 3. *Pont.* 8. 13. Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus. *Horat. Epod.* 17. 22. Ossa amicta luridâ pelle. *Catull.* 63. 70. lacu algida Idæ amicta nive. *Id.* 64. 311. Colus amicta lanâ. *Flor.* 1. 16. Amicti vitibus montes. *alii leg.* amici.

II.) Translate. *Fronto de Fer. Als. p.* 188. Partem alteram luce, alteram tenebris amicisse Jovem. *Id.* 2. *ad Marc. Cæs.* 1. Vobis, quibus purpura et cocco uti necessarium est, eodem cultu nonnumquam oratio quoque amicienda est.

Homonym. *Forcellinus ex Cic.* 3. *Orat.* 32. 127. Hippias gloriatus est – pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, sua manu confecisse. — et aliis ejusdem *Cic.* collegit discrimen inter *amicire* et *induere:* nempe illud dicitur proprie de vestibus exterioribus et laxioribus, quæ hominem tegunt magis, quam vestiunt; *induere* de interioribus et magis corpore adhærentibus. Sic *Apul. de Mag.* 56. Non modo indutui et amictui – sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur. *Id. Florid.* 1. *n.* 9. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam –, habebat cinctui baltheum – habebat amictui pallium candidum, quod superne circumjecerat. Tametsi hoc discrimen non est perpetuum.

ĀMĪCĬTER, adverb. amice. *Plaut. Pers.* 2. 3. 3. Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam danunt. *Pacuvius* apud *Non.* p. 510. 26. *Merc.* Quando amico amiciter fecisti.

ĀMĪCĬTĬA, æ, f. 1. (amicus). *Amicitiai* pro *amicitiæ* in Genit. sing. more suo dixit *Lucret.* 5. 83. Est consensio voluntatum ex benevolentia proveniens, ut ait *Cic. Amic.* 6. 20. Est enim amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio. — *Amicitiæ* opponitur *inimicitia*, ut in *Ennio* apud *Non.* 129. 26. *Merc.* Eo ego ingenio natus sum: amicitiam atque inimicitiam in frontem promptam gero. V. et infra *Cic.* sub I. 1. (It. *amicizia, amistà;* Fr. *amitié;* Hisp. *cariño, amistad;* Germ. *die Freundschaft;* Angl. *friendship, amity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de benevola inter privatos homines voluntatum consensione. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 4. Jam diu ego huic bene et hic mihi volumus, et amicitia est antiqua. *Ter. Andr.* 5. 1. 1. Satis jam, satis spectata erga te amicitia est mea. *Cic. Amic.* 27. 104. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine quâ amicitia esse non potest, ut eâ exceptâ, nihil amicitiâ præstabilius esse putetis. *Lucret.* 1. 142. sperata voluptas Suavis amicitiæ quemvis perferre laborem Suadet. — Et plur. num. *Cic. Rab. Post.* 12. 32. Neque vero me pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. *Id. Amic.* 25. 99. Pestis in amicitiis nulla major, quam adulatio, blanditiæ, assentatio. — *Ter. Hec.* 4. 1. 18. Firmior amicitia. *Cic.* 1. *Nat. D.* 44. 122. Caritas et amicitia hominum. *Id. Amic.* 21. 80. Pulcherrima et naturalis amicitia. *Id.* 2. *Fin.* 26. 84. Pyladea. *Id. Amic.* 21. 80. Vulgares amicitiæ. *Id. ibid.* 21. 78. Vetus amicitia. *Ter. Phorm.* 2. 3. 85. Expetere amicitiam. *Cic. Amic.* 13. 46. Appetere. *Nep. Eum.* 1. Accedere ad amicitiam alicujus. *Liv.* 34. 32. Accipere aliquem in amicitiam. *Cic.* 5. *Fam.* 40. Adjungere sibi amicitias aliquorum. *Sueton. Aug.* 66. Admittere amicitiam. *Tac.* 6. *Ann.* 8. Amplecti amicitiam alicujus. *Cic.* 4. *Verr.* 1. 2. Applicare se ad amicitiam alicujus. *Id. Brut.* 81. 280. Conferre se ad amicitiam alicujus. *Cæs.* 3. *B. G.* 22. Dedere se amicitiæ alicujus. *Cic. Cluent.* 16. 46. Conjungere amicitias. *Id. Dejot.* 9. 27. jungere. *Id. Amic.* 14. 49. Contrahere amicitiam. *Id.* 1. *Off.* 17. 58. Conjugare. *Plin.* 4. *Ep.* 15. Connectere amicitias. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 67. Comparare amicitias. *Nep. Alcib.* 7. Parere sibi amicitiam. *Cic. Amic.* 20. 72. Molestas amicitias facere. *Plaut. Stich.* 3. 1. 13. Convertere se in amicitiam. *Cic.* 2. *Att.* 20. Recipere aliquem in amicitiam. *Id.* 3. *Off.* 10. 45. Ascribere aliquem ad amicitiam. *Cic. Amic.* 12. 42. Incidere in amicitias. *Id. ibid.* 9. 29. Nascitur amicitia. *Ter. Andr.* 3. 3. 7. Incepta amicitia a parvis. *Nep. Alcib.* 5. Pervenire in intimam amicitiam alicujus. *Cic. Cluent.* 42. 117. et *Liv.* 34. 32. Est mihi amicitia cum aliquo. *Id. Planc.* 33. 80. Est amicitia inter aliquos. *Nep. Hann.* 2. Esse in amicitia cum aliquo. *Ter. Adelph.* 2. 2. 43. et *Hec.* 5. 1. 38. Uti amicitiâ alicujus. *Id. ibid.* 11. 37. Manet amicitia. *Id. ibid.* 10. 33. Permanet amicitia. *Id.* 7. *Verr.* 32. Manere in amicitia. *Id.* 15. *Fam.* 14. et *Amic.* 15. 53. Colere amicitiam. *Id.* 1. *Fin.* 20. 67. tueri. *Id.* 3. *Fam.* 8. et *Nep. Datam.* 10. gerere. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 8. Probare amicitias utilitate. *Nep. Con.* 2. Deficere ab amicitia alicujus. *Cic. Amic.* 10. 35. Deserere jura amicitiæ. *Ovid.* 3. *Trist.* 5. 6. Dare terga amicitiæ. *Cic. Planc.* 19. 46. Repudiare amicitiam alicujus. *Liv.* 42. 25., *Tac.* 2. *Ann.* 70. et *Sueton. Cal.* 3. Renuntiare amicitiam alicui. *Cic. Amic.* 21. 79. Deponere amicitiam. *Id. ibid.* 21. 76. Dimittere amicitias. *Tac.* 6. *Ann.* 8. Exuere amicitiam. *Cato* apud *Cic. Amic.* 21. 76. et *Cic.* 1. *Off.* 33. 120. Dissuere amicitiam. *Cic. Amic.* 21. 76. discindere. *Id. ibid.* 20. 74. dissociare. Et *ibid.* Removere se ab amicitia alicujus. *Id. ibid.* 22. *in fin.* Dirumpere amicitiam. ¶ 2. Latiori sensu est amicum inter duos populus fœdus, seu quoddam fœderum genus, qua de re V. *Liv.* 34. 57. et quæ ibi varia eruditi opinantur (Cf. si vis et *E. Osenbrüggen, De jure belli et pacis Romanorum. Lipsiæ* 1836. p. 84. et *Pauly Real-Encyclop. Vol.* 3. p. 499.). Hinc sæpe conjungitur cum societate et fœdere. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. Qui (*Ubii*) uni ex Transrhenanis ad Cæsarem legatos miserant, amicitiam fecerant, obsides dederant. *Sall. Jug.* 80. Quod Bocchus initio hujusce belli legatos Romam miserat, fœdus et amicitiam petitum. *Liv.* 38. 18. Legati Oroandensium cum venissent amicitiam petentes. *Sall. Jug.* 77. et *Liv.* 7. 31. Amicitia societasque. *Sall. Jug.* 83. Societatis amicitiæque conjungendæ. *Id. ibid.* 104. et 101. Amicitia et fœdus. *Liv.* 42. 12. Fœdus amicitiæ. *Justin.* 12. 2. Pacem atque amicitiam cum rege facere. *Liv.* 22. 37. In amicitiam populi Rom. venire. *Id.* 10. 45. Permultos annos in amicitia fuisse. *Id.* 43. 21. In amicitia cum fide permanere. *Sall. Jug.* 8. Colere amicitiam populi Rom. *Liv.* 34. 31. Violare amicitiam populi Rom. ¶ 3. Tribuitur et irrationabilibus ac præcipue plantis. *Plin.* 20. *Hist. nat. præfat.* 1. 1. Pax simul in his aut bellum dicetur, odia amicitiæque rerum surdarum ac sensu carentium. *Id.* 16. *ibid.* 17. 29. (72). Inter has atque frugiferas, materie vitiumque amicitiâ, accipitur ulmus. *Id.* 19. *ibid.* 8. 47. (156). Amicitia est ei (*rutæ*) et cum fico in tantum, ut nusquam lætior proveniat, quam sub hac arbore.

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam amicitia ponitur pro ipsis amicis. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 23. Hospitem nisi ex amicitia domini quam rarissime recipiat. *h. e.* ex iis qui cum domino in amicitia sunt. *Sueton. Tib.* 51. Omnes amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandaverat, intra breve tempus afflixit; uno ex his equestris ordinis viro. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 40. et 5. *ibid.* 2. ¶ 2. Est etiam idem ac collegium, ut docet *Mommsen. Inscript. Neap.* in *Ind.* XXX. Sic *Inscript.* apud *Henzen.* 6064. M. ANINIVS . CRESCENS . LOCVM . MILLE . P. X. AMICITIAE . HERCVLANORVM. Adde *Inscript.* apud *eumd.* 5730.

Homonym. Interdum *amicitia* et *amor* conjunguntur, ut apud *Ter. Andr.* 2. 1. 25. Nunc te per amicitiam et amorem obsecro. Et apud *Cic. Amic.* 27. 100. Ex quo exardescit sive amicitia, sive amor: utrumque enim dictum est ab amando. Adde *Ovid.* 1. *Art. Am.* 720. Sed tamen hæc duo inter se differunt: *amor* enim nec necessario, nec semper est mutuus, *amicitia* et necessario et semper mutua est, ut ait ipse *Cic.* 2. *Invent.* 56. 166. Amicitia est voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipsius causâ, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Adde *Plaut.* sub I. 1.

ĀMĪCĬTĬES, ei, f. 5. amicitia. *Lucret.* 5. 1018. Tunc et amicitiem cœperunt jungere. Adde *Plin.* apud *Charis.* 1. p. 94. *Putsch.*, ubi docet veteri dignitate ita dici: ceterum rationis via dici debere *amicitia.*

ĀMĪCO, as, a. 1. Part. *Amicatus.* Est concilio, placo, amicum facio, propitium reddo. *Stat.* 3. *Theb.* 470. Ac prior Oeclides solita prece numen amicat. *Inscript.*, quæ pertinet ad a. 381. post Chr. n., descripta a *B. Borghesi* Romæ n. 2. CIVIS ARMENIACVS CAPPADOX NOMINE QVIRILLVS PIVS OMNIBVS AMICATVS VIXIT ANNOS P. M. LXXX etc.

ĀMĪCŌSUS, a, um, adject. qui multas amicas habet. Affert *Diomed.* 1. p. 313. *Putsch.*, sed nullo confirmat exemplo.

ĀMICTŌRĬUS, a, um, adject. ad amictum pertinens. *Cod. Theod.* 8. 5. 48. § 1. Linteamen amictorium. — Hinc

Amictorium, ii, n. 2. substantivorum more est quidquid amiciendo inservit. Hinc est amictus seu fascia linea, qua mulieres pectus mammasque cingebant et tegebant: quo sensu legitur in titulo *distich.* 149. 1. 14. *Martial.* Et *Hieronym. in Isaj.* 2. 3. v. 23. Mulieres habent sindones, quæ vocantur amictoria. At in *Cod. Theod.* 8. 5. 48. § 1. *amictorium* usurpatur pro linteamine cymbæ.

ĀMICTUS, a, um. *V.* **AMICIO.**

ĀMICTUS, us, m. 4. (amicio) proprie est quidquid circumdatur et circumjicitur, et occurrit ut nomen *A*) abstractum, et *B*) concretum.

A) Abstracte ¶ 1. Ponitur pro velamento seu tegumento. *Varro* 5. *L. L.* 131. p. 51. *Müll.* Prius dein indutui, tum amictui quæ sunt, tangam. *h. e.* quæ ad amiciendum apta sunt. *Et ibid.* § 132. Amictui dictum, quod ambiectum est, id est circumjectum. – Et quod amictui habet purpuram circum, vocant circumtextus. Antiquissimis amictui ricinium etc. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 90. Mihi amictui est Scythicum tegimen. Adde loca *Apuleji* allata in v. AMICIO Homonym. in fin. Huc pertinet et proverbialis locutio apud *Quintil.* 5. 11. 31. (*Quem mater amictum dedit, sollicite custodire* a Græcis sumpta, qua utimur in eos, qui acceptis semel præceptis ita inhærent, ut ne latum quidem unguem discedere audeant, vel qui ab opinione aliqua, quam olim imbiberint, deduci nulla ratione possunt. ¶ 2. Item abstracte est modus gestandi vestem (quem *Quintil.* 11. 3. 143. *genus amictus* appellat), ac præcipue togam. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 91. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicujus, aut statum, aut motum etc. *Quintil.* 11. 3. 137. Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam veteribus nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt. Adde *ibid.* §§ 141., 144., 145., 147., 156. et 162.

B) Accipitur etiam tamquam nomen, uti ajunt, concretum, et est, ¶ 1. Si de personis agitur, vestis exterior et laxior, ut toga, pallium, chlamys et hujusmodi, quæ amiciunt, circumdant teguntve corpus. *V.* AMICIO in Homonym. *Cic.* 6. *Att.* 1. 17. Quam statuam esse ejusdem, status, amictus, anulus, imago ipsa declarat. *Virg.* 5. *Æn.* 421. Duplicem ex humeris rejecit amictum. *h. e.* ex duplici crassoque panno confectum, ut contra *Serv.* exponit *Octav. Ferrar. De re vestiar. P.* 2. *l.* 1. c. 9. *Tibull.* 1. 9. 13. Frustra jam vestes, frustra mutatur amictus. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 297. Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus. *Id.* 11. *Met.* 262. pallamque induta nitentem Insuper aurato circumvelatur amictu. *Virg.* 6. *Æn.* 301. Sordidus amictus. *Ovid.* 10. *Met.* 1. croceo velatus amictu. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 268. lapsus ex humeris amictus. *Id.* 4. *Met.* 104. tenues laniare amictus. *Tac.* 3. *Hist.* 74. Amictus lineus. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 27. purpureus. *Juven.* 1. 142. deponere amictus. *Propert.* 2. 1. 13. amictu erepto nuda. *Catull.* 117. 7. Tela amictu evitare. *h. e.* ipsa veste se a telis protegere. *Sil. It.* 7. 447. Purpureos alius vestis religabat amictus. *h. e.* vestem amicientem et fluentem. ¶ 2. Interdum latiori sensu et de iis ponitur, quæ tegunt caput. *Virg.* 3. *Æn.* 545. Et capita ante aras Phrygio velamur amictu. *Id.* 12. *ibid.* 885. (*Nympha*) caput glauco contexit amictu. ¶ 3. Et de inanimis dicitur. *Lucret.* 6. 1132. cœli mutemus amictum. *h. e.* aerem, quo amicimur et ambimur. *Colum.* 10. *R. R.* 69. et curvi vomere dentis Jam virides lacerate comas, jam scindite amictus. *h. e.* herbas, quæ terram tegunt et vestiunt: *Forcellinus* h. l. translate acceperat. *Sil. It.* 12. 613. terras cæco nox condit amictu. *h. e.* tenebrarum quasi velamine. *Virg.* 1. *Æn.* 416. et multo nebulæ dea fudit amictu. *Stat.* 1. *Theb.* 631. nebularum amictus.

ĀMĪCŬLA, æ, f. 1. deminut. ab amica: sed occurrit solummodo pro muliere impudice amata. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 244. Cum eo Terracinæ de amicula rixatus. Adde *Plin.* 3. *Ep.* 9. et *Sueton. Cal.* 33. *Arnob.* 4. p. 141. Concubinæ, pellices, amiculæ.

ĀMĪCŬLĀTUS, a, um, adject. participii formam referens, est amiculo indutus, vestitus. *Solin.* 52. *ante med.* Pars (*Indorum*) nudi, pars obscena tantum amiculati.

ĀMĪCŬLUM, i, n. 2. ab *amicio*, deminut. idem ferme quod amictus.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est velamentum, tegu-

mentum. *Sall.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Toga picta plerumque amiculo erat accumbenti. *V.* AMICTUS *A* 1. ¶ 2. Plerumque accipitur tamquam nomen concretum et est parvus amictus, seu vestis brevior vel strictior, qua corpus amicitur et circumtegitur, ut ait *Paul. Diac. p.* 28. 11. *Müll.* A m i c u l u m est genus vestimenti a circumjectu dictum. *Cic.* 2. *Divinat.* 69. 139. Visus est in somnis amicæ amictus esse amiculo. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Aureum ei (*Jovi Olympio*) detraxit amiculum grandi pondere. *Nep. Cim.* 4. Sæpe, cum aliquem – videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. *Id. Datam.* 3. Agresti duplici amiculo circumdatur. *Liv.* 27. 4. Reginæ (*dona tulere*) pallam pictam cum amiculo purpureo. *Id.* 34. 7. Matrem familiæ tuam purpureum amiculum habere non sines? *Curt.* 5. 1. 38. Exuere amicula summa quæque. *Id.* 3. 12. 5. Amiculum abjicere.

II.) Translate. *Fronto de eloq. p.* 78. *Niebh.* Novissimum homini sapientiam colenti amiculum est gloriæ cupido.

ĂMĪCŬLUS, i, m. 2. deminut. ab amicus: et usurpatur blanditiæ causa. *Cic.* 5. *Verr.* 34. 79. Quid de hordeo, inquit, et de Docimo, amiculo meo? quid cogitatis? *Catull.* 30. 2. Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 3. Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus.

ĂMĪCUS, a, um, adject. Comp. *Amicior* et Sup. *Amicissimus* I. a. Comp. *amicitior* pro *amicior* legi volunt plerique Critici in illo *Cic.* 3. *Fam.* 2. et 3., *Symmach.* 4. *Ep.* 7. et *Apul. Apolog.*: sed perperam, librarii enim error aperte patet. — Vox hæc certo certius a verbo *amo* deducta est, teste ipso *Cic. Amic.* 27. 100. et *Paul. Diac. p.* 15. 6. *Müll.*: sed cum ī longa sit, cumque antiquitus et *ameicus* et *amecus* scriberetur, ut ait *Paul. Diac. l. c.*, recentiores philologi recte putarunt compositam esse vocem ex *amo* et *æquus* sive *æcus*, ita ut ab initio *amæquus*, deinde *amīquus* et *amīcus* factum sit, quo modo *inæquus*, *iniquus* et *inicus*: amicitia enim, ut diximus in ea voce, et necessario et semper mutua est, ac propterea amicus dicitur qui est amore æquus sive par. Itaque amicus est qui amat, benevolus, favens, gratus (It. *amico*, *benevolo*, *ben affetto*, *propizio*; Fr. *ami*, *bienveillant*, *favorable*, *propice*; Hisp. *amigo*, *benevolo*, *favorable*, *propicio*; Germ. *der* (*die oder das*) *mir mit Liebe entgegenkommt und von mir wieder mit Liebe aufgenommen wird, dessen oder deren Freund ich bin, also befreundt, freundlich, lieb und werth*; Angl. *friendly*, *benevolent*, *favourably inclined*). Occurrit *A*) cum de personis, *B*) tum de rebus.

A) De personis. — a) Absolute. *Cic. Amic.* 2. 8. Dolorem, quem acceperis cum summi viri, tum amicissimi morte. *Id.* 3. *Fam.* 3. 1. Quæ successori conjunctissimo et amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit. *Id. ibid.* Ut omnes intelligant nec me benevolentiori unquam succedere, nec te amiciori potuisse provinciam tradere. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. 5. Ut præsidium quam amicissimum, si quid facto opus esset, haberet. *Id.* 2. *B. C.* 18. Quas Cæsar esse amicas civitates arbitrabatur. *Nep. Ages.* 2. Hominesque sibi conciliare amiciores, quod iis studere consuessent etc. *Horat.* 4. *Od.* 7. 19. Cuncta manus avidas fugiunt hæredis, amico Quæ dederis animo. *Id.* 2. *Sat.* 6. 12. Hercule amico dives. *Virg.* 2. *Æn.* 147. dictisque ita fatur amicis. *Id.* 2. *ibid.* 735. Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum Confusam eripuit mentem. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 2. lector amice. *Id. Heroid.* 1. 45. Agmen amicum. *h. e.* amicorum. *Id.* 3. *Met.* 457. vultu amico promittere opem. *Id.* 7. *ibid.* 459. vires acquirere amicas. *h. e.* amicorum. — De brutis animalibus *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 96. (207). Rursus amici pavones et columbæ, turtures et psittaci, merulæ et turtures. — b) Additis personis, inter quas, est amicitia aut benevolentia, cum Accus. et præp. *erga* aut *inter*, aut sæpius cum Dat. *Ter. Hec.* 3. 3. 29. Si unquam erga te animo esse amico sensisti eum, mi Pamphile. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 3. De consularibus nemini possum aut studii erga te, aut officii, aut amici animi esse testis. *Ter. Phorm.* 2. 3. 83. Ut amici inter nos simus. *Id. Adelph.* 3. 3. 86. Homo amicus nobis jam inde a puero. *Cato R. R.* 5. 3. Amicos domini, eos habeat sibi amicos. *Cic.* 1. *Fam.* 8. 5. Pompejum tibi valde amicum esse cognovi. *Id.* 3. *ibid.* 2. 1. Quod neque sibi amicior quam ego sum, quisquam posset succedere. *Nep. Dion.* 3. Philistum – reduxit, hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi. *Id. Att.* 9. 3. Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto etc. — Hinc *sibi amicus esse* dicitur qui sua curat, qui animi sui tranquillitati studet, qui sibi non est iratus. *Cic.* 10. *Att.* 16. 1. Velim ut tibi sis amicus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 20. hic vix credere possis Quam sibi non sit amicus. *Id.* 1. *Ep.* 2. 101. Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum. — c) Additis rebus, quibus aliquis favet seu studet, quas in deliciis habet, fere per Dat. *Cic.* 7. *Att.* 1. 6. Ut ego amicior invenirer Phrygum et Cilicum ærariis, quam nostro. *Nep. Miltiad.* 3. Cujus ratio – magnopere est laudanda, cum amicior omnium libertati, quam suæ fuerit dominationi. *Ovid.* 3. *Fast.* 833. Si mereor, studiis adsit amica meis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 26. amica luto sus. *Seneca de Vita beat.* 6. Animus rebus suis amicus.

B) Tribuitur et rebus inanimis, quæ scilicet vel apta sunt alicui rei, vel juvant, præsertim apud Poetas. *Plaut. Epid.* 3. 3. 44. Nihil homini amico est opportuno amicius. *Cic.* 12. *Att.* 15. Secundum te nihil est mihi amicius solitudine. *Horat.* 2. *Od.* 17. 2. Nec dis amicum est, nec mihi, te prius obire Mæcenas. *h. e.* nec diis placet etc. *Virg.* 5. *Æn.* 57. Adsumus et portus delati intramus amicos. *Id.* 2. *ibid.* 255. per amica silentia lunæ. *Id.* 5. *ibid.* 41. fessos opibus solatur amicis. *Id.* 4. *G.* 114. ipse feraces Figat humo plantas et amicos irriget imbres. *Horat.* 3. *Od.* 6. 43. sol – juga demeret Bobus fatigatis amicum Tempus agens. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 30. tempus fraudibus amicum. *Horat. Epod.* 10. 9. Nec sidus atra nocte amicum appareat. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 18. Navis fertur vento amico. *Val. Flacc.* 2. 450. ignem sulfure amico pascere. *Martial.* 9. 42. Veneri servit amica manus. *h. e.* quæ agit in solitaria Venere. Et *Auct. Priap.* 33. 6. Falce manu posita, fiet amica manus. — Hinc

Amicus, *i*, m. 2. (cujus Gen. plur. *amicum* pro *amicorum* legitur apud *Ter. Heaut. prol.* 24.) substantivorum more sæpissime occurrit; et est ¶ 1. Generatim qui honeste amat, et arcto familiaritatis et benevolentiæ vinculo conjunctus est, ut ait *Dig.* 50. 16. 223. § 1. Amicos appellare debemus non levi notitiâ conjunctos, sed quibus fuerunt jura cum patre familias, honestis familiaritatis quæsita rationibus. *Ennius* apud *Cic. Amic.* 17. 64. Amicus certus in re incerta cernitur. *Plaut. Trin.* 1. 2. 57. Tu ex amicis certis mihi es certissimus. *Ter. Andr.* 1. 1. 41. Obsequium amicos, veritas odium parit. *Id. Andr.* 2. 2. 36. Nisi senis amicos oras, ambis. *Cic. Amic.* 1. 5. Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia. *Id.* 5. *Verr.* 63. 148. Alba tuus antiquissimus non solum amicus, verum etiam amator. *Id. Flacc.* 6. 14. Contendisse a D. Lælio, paterno amico ac pernecessario. *M. Aurel.* ad *Fronton.* 3. ad *M. Cæs.* 18. Vale, mi magister suavissime, amice amicissime, quoi sum debiturus quidquid litterarum sciero. *Hieronym. in Mich.* 2. 7. 7. Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. *Horat.* 4. *Od.* 9. 51. cari amici. *Cic.* 5. *Fam.* 2. communes. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 12. dulcis amicus. *Id.* 1. *Ep.* 5. 24. fidus. *Cic. Amic.* 21. 82. verus. *Id. Rab. Post.* 16. 43. vetus. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 5. propior. *Id.* 2. *Od.* 18. 12. potens. *Cic. Amic.* 4. 270. Ex omnibus sæculis vix tria, aut quatuor nominantur paria amicorum. *h. e.* quatuor nempe amicorum paria celebravit antiquitas, Theseum et Pirithoum, Orestem et Pyladem, Achillem et Patroclum, Tydeum et Polynicem. — Metaphorice *Cic.* 9. *Fam.* 1. 2. Scito enim me – rediisse cum veteribus amicis, id est cum libris nostris in gratiam. ¶ 2. Speciatim amici dicuntur populi, aut principes, qui pace et fœdere inter se conjuncti vivunt. — a) *Amicus et socius* sæpe junguntur. *Cic.* 6. *Verr.* 8. 18. Quæ quia – modeste apud vos socius amicusque populi Rom. questus est. *Id.* 5. *ibid.* 31. 78. Civitates non modo pacatæ, verum etiam sociorum atque amicorum ad vim atque ad arma confugient. *Ita nempe* corrigendus est locus ex Cod. palimps. Vatic. Adde 6. *ibid.* 3. 6. *Sall. Jug.* 24. Socius atque amicus populi Rom. armis obsessus teneor. *Liv.* 7. 30. Quod Samnites priores amici sociique vobis facti sunt. Adde 37. 54. *Sueton. Cæs.* 11. Rex Ægypti socius atque amicus a senatu appellatus est. — b) Interdum *amicus* absolute ponitur. *Cic.* 11. *Phil.* 13. 34. Qui (*Cn. Pompejus*) unum Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem populo Rom. judicavit. *Liv.* 40. 54. Eique (*Antigono*) ea fides, nequaquam amicum Persea, inimicissimum fecerat. *Id.* 45. 8. Quam gravis aut amicus, aut inimicus esset populus Rom. ¶ 3. Item speciatim *amici* regum vel principum dicebantur eorum consiliarii ac familiares et adjutores rerum gerendarum. Hoc autem sensu — a) Amicus apud classicos Auctores occurrit præcipue de nationibus exteris. *Cic.* 15. *Fam.* 2. 6. Postero autem die (*rex*) cum Ariarathe fratre suo et cum paternis amicis majoribus natu ad me in castra venit, perturbatusque et flens, cum idem et frater faceret et amici, meam fidem – implorare cœpit. *Sall. Jug.* 74. Eodem tempore Jugurtha, amissis amicis –, cum neque bellum geri sine administris posset etc. *Nep. Miltiad.* 3. Si suis amicis oppida tuenda tradidisset. *Id. Reg.* 3. Fuerunt præterea magni reges ex amicis Alexandri Magni, qui post obitum ejus imperia ceperunt. *Curt.* 4. 1. 19. Singulis amicorum Alexandri – adulantes. *Id.* 6. 2. 11. Fratremque Darii recepit in cohortem amicorum. *Id.* 6. 7. 17. Operiens aliquem ex prima cohorte amicorum, quo introduceretur ad regem. — b) Apud Romanos vero, qui imperatorem in provinciam missum comitabantur, et *prætoriam cohortem* constituebant) quemadmodum eam appellant *Cic.* 3. *Verr.* 14. 36. et 4. *ibid.* 27. 66., et *Catull.* 10. 10.), appellati fuerunt etiam *amici*, ut a *Sueton. Cæs.* 70. et 79. et *Aug.* 16., 17., 35., 56., 66.: hi porro in posterum Romanos imperatores comitati sunt et *amicorum cohors* dicti fuerunt a *Sueton. Cal.* 19., *Ner.* 5. et *Galb.* 7.: postremis autem temporibus *comites* dicti sunt a comitando. — c) Sic et ipsi patroni (addit *Forcellinus*), et quibus præstamus obsequia, *amici* dicuntur. Ita *Horatius* appellat Mæcenatem patronum suum *Epod.* 1. 1. Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula. Et 2. *Od.* 18. 12. Nec potentem amicum Largiora flagito. Sic *Juvenal.* 3. 57. et 6. 312. *magnos amicos* dixit. Sed hæc ad superiorem paragr. 1. commode referri possunt.

Amica, *æ*, f. 1. (cujus Dat. plur. *amicabus* legitur apud *Probum gramm.* in *Class. Auctor. T.* 5. *p.* 194. *Mai.*) substantivorum more occurrit. ¶ 1. Proprio et honesto sensu. *Ter. Hec.* 4. 2. 16. Tum tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies meâ causâ nolo. *Id.* 5. *ibid.* 2. 24. LACH. At hæ amicæ erunt, ubi quamobrem adveneris resciscent. PHID. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 21. Ibis ad affectam, quæ non languebit, amicam Visere. Adde *Propert.* 2. 6. 10. et *Juvenal.* 3. 12. et 6. 353. *Inscript.* apud *Gruter.* 865. 17. CLAVDIAE TI. F. SECVNDAE SEMPRONIA L. F. FORTVNATA AMICAE CARISSIMAE FECIT ET C. LARGIVS EVTHEMIVS CONIVGI SANCTISSIMAE. Adde *Inscript.* apud *eumd.* 891. 4., 892. 8. et 898. 10. ¶ 2. Amica est etiam mulier amata cum pudice, tum sæpius impudice. *Nævius* apud *Gell.* 6. 8. Eum (*Scipionem*) suus pater cum pallio uno ab amica abduxit. *Plaut. Trin.* 3. 2. 25. In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut solitus es. *Ter. Andr.* 1. 3. 11. Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est. *Id. Heaut.* 1. 1. 52. Amicam ut habeas jam prope in uxoris loco. *Id. Hec.* 4. 1. 36. Introire ad amicam. Adde *eumd. Eun.* 3. 2. 41. *Cic. Cæl.* 13. 32. Neque enim muliebres unquam inimicitias mihi gerendas putavi, præsertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quam cujusquam inimicam putaverunt. *Id.* 10. *Att.* 10. Cytheridem secum lecticâ apertâ portat, alterâ uxorem: septem præterea conjunctæ lecticæ amicarum sunt. *Id.* 2. *Phil.* 24. 58. Mater amicam impuri filii, tamquam nurum sequebatur. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 69. 139. — Hinc in posterum factum est, ut concubina honestius esset vocabulum, quam amica, teste *Paul. Dig.* 50. 16. 144. Masurius scribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quam nunc vero nomine amicam, paullo honestiore concubinam appellari.

H o m o n y m. In quo differat *amicus* ab *amatore V.* in AMATOR.

ĀMISSĬBĬLIS, e, adject. qui amitti potest. Vox est *Augustini* 5. *de Trinit.* 4. et 15. *ibid.* 13.

ĀMISSIO, ōnis, f. 3. actus amittendi (It. *perdimento*, *perdita*; Fr. *perte*; Hisp. *perdidad*; Germ. *das Verlieren oder der Verlust einer Sache*; Angl. *a loss*).

I.) Proprie. Raro admodum occurrit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (12). Amissio foliorum.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Fam.* 3. Omnium rerum a-

missio et desperatio recuperandi. *Id. Pis.* 17. 40. Oppidorum turpis amissio. *Id. ibid.* 18. 43. dignitatis. *Seneca Ep.* 4. boni, rei.

ĀMISSUS, a, um. *V.* AMITTO.

ĀMISSUS, us, m. 4. idem ferme quod amissio. *Nep. Alcib.* 6. Siciliæ amissum et Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant. *Est qui minus recte legit* admissum.

ĀMĬTA, æ, f. 1. *Paul. Diac.* p. 14. 4. *Müll.* dictam esse scribit, quasi *avitam*, quia ab antiquioribus ita appellabatur: hinc nonnulli putarunt penultimam esse producendam; at *Pers.* 6. 52. corripit. Aliam originem tradit idem *Paul. Diac.* quod ita dicatur, quia *a patre meo amata est*, nam plus sorores a fratribus diligi solent quam fratres: sed hoc nimis acute excogitatum est. Videtur potius, ut putat *Döderlein*, referenda esse vox ad Gr. ἄμμα ejusdem significationis, unde et Germ. *amme*. — Ceterum amita est patris mei soror, nam matris soror matertera dicitur, ut *Paul. Dig.* 38. 10. 10. § 14. et *Paul. Diac. l. c.* docent (It. *sorella di mio padre, zia*; Fr. *tante paternelle*; Hisp. *tia paternal*; Germ. *die Vatersschwester*, *Tante von des Vaters Seite*; Angl. *a father's sister, an aunt by the father's side*). — *a*) Generatim. *Cic. Cluent.* 10. 30. Cluentia, quæ amita hujus Aviti fuit. *Nep. Datam.* 2. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis. *Liv.* 39. 11. Adolescens inde ad Æbutiam se amitam contulit. *Pers.* 6. 52. si mihi nulla jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis etc. — *b*) Speciatim *amita magna* est avi mei soror. *Paul. Dig. ibid.* § 15. et *id. Paul. Sent.* 4. 11. 4. — *c*) Item speciatim *amita major* dicitur avi et aviæ amita, seu soror proavi et proaviæ. *Paul. Dig. ibid.* § 16. et *Paul. Diac.* p. 136. 9. *Müll.* — *d*) Denique *amita maxima* est soror abavi, quæ et *abamita* dicitur. *Paul. Dig. ibid.* § 17.

ĀMĬTĪNUS, a, um, adject. (amita). *Paul. Sentent.* 4. 11. 4. Quarto gradu veniunt amitinus, amitina, id est amitæ filius, filia. — Hinc *amitini* et *amitinæ* (It. *cugini*; Fr. *cousins*; Hisp. *hermanos*; Germ. *Geschwisterkinder von Bruder und Schwester*; Angl. *cousins*) sunt filii et filiæ fratris et sororis meæ, ut habetur *Dig.* 38. 10. 1. § 6. et 38. 10. 10. § 15., quorum cf. *Non.* p. 557. 11. *Merc.*; quod sic est intelligendum, ut ita inter se appellentur, verbi gratia, duo filii, quorum alter ex fratre meo, alter ex sorore mea natus est. Nam si uterque ex duobus meis fratribus natus sit, dicuntur *patrueles*; si ex duobus sororibus *consobrini*: tametsi hos omnes communi vocabulo *consobrinos* vulgus vocat, ut *Cajus Dig. l. c.* docet.

ĀMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (a et mitto). — *Amisti* per syncopen pro *amisisti* dictum est a *Ter. Eun.* 2. 2. 10. et *Hec.* 2. 2. 9. Et *amisis* pro *amiseris* a *Plaut. Bacch.* 5. 2. 70. — Part. *Amissus*, *Amissurus* et *Amittendus* II. 1. — Amittere est abire sinere, dimittere, amandare; eique opponitur *retinere*, ut apud *Ter. Phorm.* 1. 3. 21. et 3. 2. 22., et *Cic. Marcell.* 7. 21. et 5. *de republ.* 1. 2. (It. *lasciar andare, mandar via*; Fr. *envoyer loin de soi, laisser aller, lâcher, se defaire de*; Hisp. *dexar ir, enviar*; Germ. *fortlassen, fortgehen lassen, fortschicken, gehen oder fallen lassen*; Angl. *to send away, dismiss, let go*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute, cum de personis, tum de arboribus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 66. Stulte feci, qui hunc amisi. *h. e.* qui hunc servum abire siverim. *Id. Men.* 5. 8. 6. Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum. *Id. Mil. glor.* 5. 25. Verberetur etiam, post tibi amittendum censeo. Et v. 31. Verberone etiam, antequam amittis? *Id. Capt.* 2. 3. 66. Itane tandem, quæso, item, ut meretricem, ubi abusus sis, mercedem dare lex jubet ei atque amittere. Adde *ibid.* 2. 3. 100. et 1. 2. 90. *Ter. Hec.* 2. 2. 9. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti. *Accius* apud *Non.* p. 75. 32. *Merc.* Age age, amolire, amitte, cave vestem attigas. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Usque eo premere earum (avium) capita mordicus, dum illæ captum amitterent. *Ovid.* 15. *Met.* 556. Sumere mox hominis terræque amittere formam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 46. (109). Item punica, quæ etiam roribus nimiis et pruinis florem amittit. *h. e.* cadere sinit. *Et mox.* Pyrus et amygdala — amittunt florem et primos fructus, si, cum defloruere, tales dies fuerint. Et *ibid.* § 110. Ocissime autem salix amittit semen. — *b*) Addito termino, a quo quis amittitur, per Adverbia, aut per Ablat. et præp. ab vel e, ac præcipue occurrit *amittere aliquem manibus*, *de* vel *e manibus*. *Plaut. Mil. glor.* 5. 27. Ergo das minam auri nobis —, ut te hodie hinc amittamus. *Id. Capt.* 2. 2. 84. Eum si reddis mihi —, et te et hunc amittam hinc: alio pacto abire hinc non potes. *Id. Most.* 2. 2. 1. Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi, quum me amisisti vix a te vivum modo. *Ter. Eun.* 2. 3. 2. Ego, qui illam e conspectu amisi meo. *Id. Phorm.* 5. 8. 25. CHREM. Tum autem Antiphonem video ab sese amittere invitum eam: inque. DEM. Cum autem video filium invitum sane mulierem ab se amittere. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 47. Scelestre, manibus amisisti prædam. *Cic. Cæs.* 27. 66. Cur Licinium de manibus amiserunt. *Id.* 5. *Verr.* 13. 32. Cum — rem de manibus amisisses. *Liv.* 29. 32. Cum ita ipsum quoque Massinissam saucium prope e manibus inter tumultum amisit. *Id.* 30. 24. Ne tanta ex oculis manibusque amitteretur præda. — *c*) Addito termino, ad quem quis amittitur. *Plaut. Capt. prol.* 36. Quo pacto hic servus suum herum hinc amittat domum. *Ter. Phorm.* 3. 2. 22. Neque quo amittam a me invenio, neque ubi retineam.

II.) Translate. ¶ 1. Amittere occurrit cum de persona, tum de re, præcipue abstracta, et est haud sibi retinere, sponte projicere, abjicere. *Plaut. Amphitr.* 2. 2. 217. Mulier, istam rem inquisitam certum est non amittere. Adde *ibid.* 4. 1. 9. *Id. Asin.* 3. 3. 21. Cur ergo minitaris, tibi te vitam esse amissurum? Et *Cic.* 4. *Herenn.* 44. 57. Decius — amisit vitam, at non perdidit: re enim vilissimâ caram et parvâ maximam redemit: dedit vitam, amisit patriam: amisit animam, potitus est gloria. *Ter. Andr.* 5. 3. 27. Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? *h. e.* relinquere. *Id. Phorm.* 1. 3. 21. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria, cui de integro est potestas etiam consulendi quid velis, retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum, ut neque mihi ejus sit amittendi, nec retinendi copia. — Hinc *amittere noxiam* est ignoscere, sive puniendi animum deponere. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 191. Verum etiam tibi hanc amittam noxiam unam. *Ter. Eun.* 5. 2. 13. Unam hanc noxiam amitte: si aliam admisero unquam, occidito. — Hinc sæpe occurrit etiam *amittere occasionem* aut *tempus*, hoc est occasione aut tempore non uti, occasionem aut tempus labi sinere. *Ter. Eun.* 3. 5. 86. An ego occasionem mî ostentam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam amitterem? *Cic. Cæcin.* 5. 15. Suadebant amici — nullam esse rationem amittere ejusmodi occasionem. *Id.* 15. *Att.* 11. 2. Amissas occasiones — accusabant. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Conclamant omnes occasionem negotii bene gerendi amittendam non esse. *Liv.* 7. 34. Samnites — utriusque nec amissa occasione neque insequi consulem — possunt, nec erigere agmen. *Cic.* 7. *Att.* 13. 2. Conditionum autem amissum tempus est. Adde eumd. *Mur.* 21. 43. et 8. *Att.* 3. 6. — Huc spectat et illa *Nep. Eumen.* 10. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quam eum non prodere. *Virg.* 2. *Æn.* 148. Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos. *Curt.* 3. 6. 11. Amisso metu. ¶ 2. Sæpe etiam ponitur pro perdere, jacturam facere; quamvis *perdere* et *amittere* inter se differant, ut dictum est in Homonym. in fine hujus vocis: porro hoc sensu jungitur sæpissime cum abstractis. *Plaut. Amph.* 5. 1. 2. Neque ulla est confidentia jam meo in corde quin amiserim. *Id. Mil. glor.* 4. 8. 50. Jam non possum: amisi omnem lubidinem. *Id. Merc.* 3. 4. 5. Spem teneo, salutem amisi. *Id. Bacch.* 5. 2. 70. Etiam tu homo nihili, quod di dant, cave culpâ tuâ amisis. *Ter. Eun.* 2. 2. 10. Simul consilium cum re amisti. *Id. ibid.* 4. 6. 13. Cave, ne prius quam hanc a me accipias, amittas. *Accius* apud *Non.* p. 181. 21. *Merc.* Multa amittuntur tarditie et socordiâ. *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 85. Quod si ante occidisset, tamen eventum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum amisit malorum. *Id. Rosc. Am.* 53. 154. Assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animo amittere. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 73. Amittere aspectum. *Id.* 5. *ibid.* 39. 114. lumina. *Nep. Timol.* 4. lumina oculorum. *Cæs.* 3. *B. C.* 53. oculos. *Ovid.* 10. *Met.* 499. sensus. — Hinc illa *Nep. Thrasyb.* 2. Amittere arma et impedimenta. *Cic.* 9. *Att.* 4. causam. *Id.* 2. *Orat.* 24. 100. causas. Et *Rosc. com.* 4. 10. litem. *Id.* 1. *Orat.* 40. 182. et *Dom.* 29. 77., et *Nep. Att.* 3. civitatem. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 13. classem. *Id.* 4. *Att.* 16., *Horat.* 3. *Od.* 5. 27. et *Ovid.* 9. *Met.* 321. colorem. *Cels.* 2. 2. colorem decoremque. *Cic.* 7. *Fam.* 26. corpus et vires. (*Id.* 4. *Att.* 16. succum et sanguinem.) *Id.* 1. *Fam.* 8. dignitatem. *Liv.* 3. 80. et 8. 33. et *Justin.* 38. 9. exercitum. *Phædr.* 1. 10. 2. et *Nep. Eumen.* 10. fidem. *h. e.* perfidum fieri. *Cic.* 4. *Fam.* 6. et *Plin.* 2. *Ep.* 9. et 4. *ibid.* 2. filium. *scil.* per mortem. (Adde *Sueton. Tib.* 7. fratrem Drusum in Germania. *Cic.* 5. *Fam.* 16. 3., *Quintil.* 8. 4. 22. et *Plin.* 2. *Ep.* 7. liberos. *Nep. Reg.* 1. uxorem.) *Cic. Rosc. Am.* 39. 114. honestatem omnem. *Id.* 10. *Phil.* 5. 12. jus imperii et exercitus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 26. (96). imperium. *Plin.* 8. *Ep.* 24. laudem. *Cic. Dom.* 29. 77. libertatem. *Id. Dejot.* 4. 12. memoriam alicujus. *Nep. Aristid.* 5. naves. *Ovid. Heroid.* 15. 66. opes. *Cic. Senect.* 4. 11. et *Sall. Jug.* 97. oppidum. *Nep. Dion.* 7. Reconciliare milites, amittere optimates. *h. e.* eorum favorem. *Cic.* 4. *Fam.* 6. ornamenta. *Liv.* 5. 53. et *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 53. patriam. *Nep. Att.* 12. et *Sall. Cat.* 37. patrimonium. *Cic.* 10. *Att.* 4. studium populi. *Id.* 3. *Nat. D.* 35. 86. salutem. *Id. ibid.* 14. 35. spiritum. *Id. Marcell.* 7. 21. et *Milon.* 14. 37., et *Horat.* 1. *Sat.* 1. 60. vitam. *Id. Rosc. Am.* 11. 30. vitam per dedecus. *Ovid.* 5. *Met.* 519. Si reperire vocas amittere certius. *Cic. post. red. ad Quir.* 8. 20. virtutem. *Aurel. Vict. Epitom.* 12. Perinde trepidavit, ut colore mutato, verbis amissis, vix consisteret. *h. e.* cum præ pudore et metu loqui non posset.

Homonym. Ut superius diximus II. 2. differunt *perdere* et *amittere*, quod *amittimus* sponte, *perdimus* inviti. *Cic. Senect.* 4. 11. Salinatori, qui amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti: Certe, inquit ridens; nam si tu non amisisses, numquam recepissem. — Præterea *amittimus* id, quod recuperare possumus; *perdimus* id, quod omnino periit. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 13. Classis optimæ atque opportunissimæ cum magna ignominia populi Rom. amissæ et perditæ. *Tac.* 2. *Ann.* 25. Perdita classe, amissis armis. — Hinc aliquando hæc duo invicem opponuntur. *Plaut. Trin.* 4. 3. 50. Vel illud, quod credideris, perdas, vel illum amicum amiseris. *Cic. Herenn. post red. ad Quir.* 8. 20. Recuperata vero sua dignitate se non commissurum, ut, cum ea, quæ amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam numquam perdidisset. — Tametsi hoc discrimen non est perpetuum; immo interdum *amittere* et *perdere* ita junguntur, ut alterum alterius loco poni possit. *Cic.* 5. *Fam.* 16. 3. Minus autem miseri (*sint*), qui his temporibus amiserunt (*liberos*), quam si eosdem bonâ aut denique aliquâ republ. perdidissent. *Id. Rosc. com.* 4. 10. Hic tu, si amplius HS nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus.

AMMI nomen indecl., et **Ammium**, ii, n. 2. (ἄμμι et ἄμμιον). Occurrit et *ami* et *amium* unica m, sed minus recte. Herba est cumino simillima, adeo ut idem esse putetur a nonnullis, quod cuminum Ægyptium; tametsi exilior est et candidior. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 15. 58. (163). Est cumino simillimum, quod Græci vocant ammi. Et *ibid.* 24. 100. (164). Fœniculi seminis et ammii et apii denariorum senum etc. Adde *Scribon. Compos.* 121., ubi *pariter leg.* ammium. Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 2. p. 117.) putat ἄμμι Dioscor. 3. 70. et Plin. ll. citt. esse *Ammi Copticum* recentiorum.

AMMINICULO cum derivatis. *V.* **ADMINICULO** cum deriv.

AMMIROR pro Admiror legitur in quibusdam editionibus *Hygini fab.* 52. et *Gellii* 5. 14.

AMMITTO pro Admitto legitur in multis codicibus *Valerii Flacc.* 2. 399. tales ammittere curas. *Et* 6. 304. ammissis habenis etc.: quod etiam *Beda* docuit *de Orthogr.* p. 2329. *Putsch.*

AMMIUM, ii. *V.* **AMMI.**

AMMŎCHRȲSUS, i, m. 2. (ἀμμόχρυσος; hinc quidam male scribunt *hammochrysus*) nomen gemmæ. Vox Græca ab ἄμμος *arena* et χρυσὸς *aurum*, nam, ut docet *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (188)., arenarum similitudo est in ammochryso, velut auro arenis mixto.

AMMŎDȲTES vel Ammodites, æ, m. 1. (ἀμμοδύτης). Alii male scribunt *hammodytes*: qui vero pro y substituunt i, Latinorum consuetudine id faciunt, qui υ Græcum modo in u vertunt, modo in i, sæpe

etiam retinent. — Ammodytes est genus serpentis in Africa, similis viperæ, longitudine cubitali, in arenis degentis (unde et nomen traxit, nempe ab ἄμμος arena et δύνω subeo, ingredior), adeoque simile earum colore pellis, ut transeuntes fallat. Lucan. 9. 715. Concolor exustis atque indiscretus arenis Ammodytes, spinaque vagi torquente cerastæ. Solin. 27. a med. Sunt et ammodytæ, est et cenchris, elephantiæ etc.

AMMONEO, es, pro Admoneo legitur in multis codicib. Phædri 1. 27. et 3. 10. sub fin. et alibi: et Valerii Flacc. 3. 147. et 5. 12. et alibi: et Macrobii 1. Somn. Scip. 1. et 5.

AMMŌNĬACUS, a, um, adject. ad Jovem Ammonem (in Africa) pertinens. Hinc Ammoniacus sal est quoddam nativi salis genus, quod in Libya sub arenis invenitur: unde et nomen habet, nempe ab ἄμμος arena. Similis est colore alumini scissili, longis glebis, neque perlucidis, ingratus sapore, sed medicinæ utilis. Probatur quam maxime perspicuus rectis scissuris. Ita Plin. 31. Hist. nat. 7. 39. (78). ubi et alia multa de eo. Quod vero in officinis est sale ammoniaco vel armoniaco, facticius est, vel saltem ab illo adulteratus. Ovid. Medicam. fac. 94. Cumque Ammoniaco mascula tura sale. Adde Colum. 6. R. R. 17. 7. et Cæl. Aurel. 3. Tard. 1. Plin. 5. Hist. nat. 9. 9. (10). Ammoniacus nomus. Scribon. Compos. 128. Ammoniacæ guttæ. h. e. idem ac

Ammoniacum, ci, n. 2. substantivorum more est lacrima destillans ex arbore quadam prope Ammonis templum, instar resinæ, aut gummi, variosque habens usus in medicina: hodieque in officinis gomma ammoniaca, aut armoniaca appellatur: tametsi adulteratur facile, aut arte similis nativæ efficitur. Adulteratur etiam arenis velut nascendo apprehensis. Itaque quam minimis glebis probatur, et quam purissimis, ut scribit Plin. 12. Hist. nat. 23. 49. (107). et 20. ibid. 18. 75. (197). Cels. 5. 5. Purgant lacerti stercus, sanguis columbæ, ammoniacum, bdellium (quod in omnia idem, quod ammoniacum potest: sed hoc valentius est), abrotonum, ficus arida, etc. Id. 5. 18. n. 7. 9. 10. 13. et 6. 6. n. 28. appellat thymiama ammoniacum, quia in collyriis adhibitum, suffitu oculis prodest. Scribon. Compos. 28., 35. et 79. Ammoniaci guttæ. V. quæ hac de re pluribus disputat cl. Fée (Op. cit. T. 1. p. 48. et seq.).

AMMŌNĪTRIX. V. ADMONITRIX.

AMMŌNĪTRON vel Ammonitrum, i, n. 2. (ἀμμόνιτρον) massa est constans ex arena molis trita et tertia parte nitri, ex qua recocta fit vitrum purum et candidum: ex ἄμμος arena et νίτρον nitrum. Plin. 36. Hist. nat. 26. 66. (194).

AMMŎVEO pro Admoveo legitur in multis codicibus Valerii Flacc. 3. 502. faciemque ammoverit urbi. Et 5. 241. Dixit, et ammota pariter etc.

AMMŬLA. V. HAMULA.

AMNĂCUM, i, n. 2. Forcellinus legebat amnacus. Est herba alio nomine parthenium, et leucanthes, et perdicium, et muralis herba, flore albo, odore mali, sapore amaro, in hortorum sepibus nascens. Plin. 21. Hist. nat. 30. 104. (176).

AMNENSIS, e, adject. ad amnem situs. Paul. Diac. p. 17. 6. Müll. Amneses (sic) appellantur urbes sitæ prope amnem. Gloss. Labb. Amnenses παραποτάμιοι.

AMNESTĬA, æ, f. 1. ἀμνηστία, Græca vox, rerum præteritarum, et præcipue injuriarum oblivionem significans, ab α privativo, et μνάομαι recordor, qua voce usus creditur Cic. in quadam oratione ad senatum habita in æde Telluris, de pace cum Antonio facienda, quæ hodie non extat. Ita enim 1. Phil. 1. 1. de ea oratione loquens ait: In quo templo jeci fundamenta pacis: Græcum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat illa civitas (Athenæ) atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Vellej. 2. 58. hac eadem de re disserens, ita scribit: Et illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis præteritarum rerum, decreto patrum comprobatum est. Nep. Thrasyb. 3. legem oblivionis appellat, Græci ψήφισμα τῆς ἀμνηστίας. Sueton. Claud. 11. Omnium factorum dictorumque veniam et oblivionem in perpetuum sanxit ac præstitit. Id. Tib. 4. Cunctis abolitionem facti decernentibus. Val. Max. 4. 1. 4. Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant. Latine Vopisc. Aurelian. 39. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est, de exemplo Atheniensium; cujus rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Quidam codic. habent Ἀμνηστία etiam sub eo, etc. Muretus l. 2. Var. lect. c. 15. pernegat, ἀμνηστίαν fuisse verbum, quod usurpasse se eo loco Cicero indicat, sed μὴ μνησικακεῖν, hoc est non recordari veteris injuriæ, non esse malevolo animo ob acceptam injuriam; quo verbo utebantur Græci in decreto τῆς ἀμνηστίας. Contradicit Manut. cum aliis.

AMNĬCŎLA, æ, m. et f. 1. qui in amne vivit. Auson. Mosell. 137. Quem (silurum piscem) velut Actæo perductum tergora olivo Amnicolam Delphina reor. — Item qui apud amnem colit, seu habitat. Ovid. 10. Met. 96. Amnicolæque simul salices, et aquatica lotos.

AMNĬCŬLUS, i, m. 2. parvus amnis. Liv. 36. 22. ad fin. Ab altero amniculo, quem Melana vocant, Claudium opposuit.

AMNĬCUS, a, um, adject. ad amnem pertinens. Plin. 16. Hist. nat. 36. 66. (166). Amnici calami. Id. 3. ibid. 25. 28. (148). Insula in Savo Metubarris (hodie Zagabria) amnicarum maxima. h. e. earum, quæ ab amnibus fiunt. Solin. 37. Pisces amnici. Id. 20. herba. Auson. Mosell. 205. Super amnica terga. h. e. undas amnis. Prudent. περὶ στεφ. 11. sub fin. Amnicus liquor. Apul. 6. Met. 9. Amnica stipe vectori data. h. e. pretio pro transvectione amnis.

AMNĬGĔNA, æ, m. et f. 1. in amne genitus. Auson. Mosell. 116. Amnigenas inter pisces. Alii leg. amnigenos, ut sit ab adject. Amnigenus, a, um. — Item ab amne deo genitus. Val. Flacc. 5. 585. quid si amnigenam mirere Choaspen.

AMNĬGĔNUS, a, um. V. voc. præced.

AMNIS, is, m. 3. Feminino etiam genere usurparunt Nævius apud Non. p. 192. 1. Merc., Plaut. Merc. 5. 2. 18., Accius apud Non. p. 192. 4., Varro apud Non. p. 192. 8., Id. 3. R. R. 5. 9. Et Festus p. 250. 12. Müll. Petronia amnis in Tiberim influens. — Immo amnem feminine antiqui enunciabant, teste Paul. Diac. p. 60. 8. Müll. et Priscian. 5. p. 652. et 658. Putsch. — In sexto casu duplicem habet positionem, amne et amni, ut docet Priscian. 7. p. 766. Putsch. et Servius ad Virg. 9. Æn. 469. V. Drakenborg ad Liv. 28. 33. — Paul. Diac. p. 16. 18. Müll. amnem deducit ab am circum et nare fluere; Varro 5. L. L. 28. p. 11. Müll. ab ambio (cf. Ovid. 5. Fast. 82.); Döderlein vero Latein. Synonym. vol. 2. p. 6. ab agere: ex quibus omnibus facile sibi quisque persuadebit, amnem proprie significare aquarum cursum, aquarum copiam fluitantem ac labentem, torrentem (It. corso di acque, torrente, fiumana; Fr. cours d'eau, courant rapide, torrent, rivière; Hisp. curso de aguas, corriente rápida, torrente; Germ. der Strom, die Strömung; Angl. a torrent).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est aquarum copia quæ undans labitur: hinc occurrit — a) De mari undante. Virg. 4. G. 233. Oceani spretos pede repulit amnes. Tibull. 2. 5. 61. et qua fluitantibus undis Solis anhelantes abluit amnis equos. Id. 3. 4. 17. Jam non ætherium nigris emensa quadrigis Mundum cæruleo laverat amne rotas. — b) De cujuscumque humoris fluxione, etiam in vase aliquo. Virg. 12. Æn. 417. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit. Id. 7. ibid. 464. Furit intus (h. e. in aeno) aquai Fumidus atque alte spumis exuberat amnis. Pallad. 11. R. R. 14. 18. Nunc condiunt, primo amne musti spumantis egesto, quibus moris est gypso vina medicari. Seren. Sammon. 747. Amnes mulsi. Id. 773. Falerni amnis. Id. 809. vulneris amnis. h. e. sanguis e vulnere fluens. — c) De torrentibus, qui magna pluviæ copia de montibus decurrunt. Virg. 4. Æn. 164. Insequitur commixta grandine nimbus —: ruunt de montibus amnes. ¶ 2. Speciatim est magnum aquarum flumen, aliis minoribus fluviis auctum, quod navigationi aptum in mare influit; sed tamen occurrit etiam sæpe pro fluvio et flumine. V. Homonym. in fine. Nævius apud Non. p. 191. 33. Merc. Sed quasi amnis cis rapit, sed tamen inflexa flectitur. Cato R. R. 1. Oppidum validum prope siet, aut amnis, qua naves ambulant. Plaut. Pœn. 3. 3. 14. Viam qui nescit, quà deveniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitem sibi. Id. Merc. 5. 2. 18. Neque ulla mihi obstabit amnis, neque mons, neque adeo mare. Accius apud Non. p. 192. 4. Apud abundantem antiquam amnem et rapidas undas Inachi. Cic. 2. de republ. 19. 34. Non tenuis rivulus, sed abundantissimus amnis. Id. 1. Divinat. 35. 78. Ut flumina in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit. Id. 2. Nat. D. 7. 20. Ut profluens amnis aut vix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur. Id. 2. ibid. 39. 98. Adde huc — liquores perlucidos amnium. Id. Orat. 12. 39. Alter (Herodotus) sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit, alter (Thucydides) incitatior fertur. Id. 2. Legg. 10. 24. Animi labes nec diuturnitate evanescere, nec amnibus ullis elui potest. Varro apud Non. p. 192. 7. In hac civitate agros colunt arenosos: præter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam. Lucret. 1. 288. Ita magno turbidus imbri Molibus incurrit validis cum viribus amnis. Liv. 5. 37. Qua flumen Allia — haud multum infra viam Tiberino amni miscetur. — Ennius apud Macrob. 6. Saturn. 2. Amnes perennes. Plaut. Trin. 4. 2. 101. Advehi aquà advorsà per amnem. Liv. 1. 4. Justi cursus amnis. Id. 21. 31. Amnis navium patiens. Id. 44. 45. Ostium amnis. Curt. 9. 9. 2. Os amnis. Liv. 40. 33. Inflati amnes. Lucret. 1. 15. rapidos tranare amnes. Tac. 12. Ann. 16. Transgredi amnem. Et 35. evadere. Curt. 9. 9. et Liv. 21. 5. vado trajicere. Virg. 12. Æn. 524. Amnes spumosi. Catull. 32. 12. Sonans amnis. Ovid. 3. Fast. 581. piscosus. Horat. 2. Ep. 2. 120. purus. Id. 3. Od. 29. 40. quietus. Id. 1. Od. 31. 8. taciturnus. Id. 1. Sat. 10. 62. rapidus. Id. 1. Ep. 2. 43. volubilis. Liv. 27. 47. Tortuosi amnis sinus flexusque. Id. 21. 5. vorticosus. Lucan. 8. 374. violenti vorticis amnis. Id. 1. 204. tumidus. Liv. 44. 31. et Virg. 8. G. 447. secundo amni. Curt. 9. 6. 1. Secundo amne. Virg. 1. G. 203. prono amni. Curt. 10. 1. 16. Adverso amne. ¶ 3. Item speciatim de cælesti Eridani sidere usurparunt Cic. Arat. 390. et Germanic. Arat. 618.

II.) Translate de maxima copia. Cic. 2. de republ. 19. 34. Influxit enim non tenuis quidam e Græcia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium.

Homonym. Ex iis, quæ superius I. 2. diximus fluvius et flumen ab amne differunt, quia illa duo aquam fluentem significant, quin tamen ejusdem quantitatem definiant; amnis autem est maxima fluitantium aquarum copiam. Tac. 5. Hist. 23. Quo Mosæ fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit. Seneca 3. Quæst. nat. 19. Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corrivatis flumina effici possunt, sed et amnes magnitudinis vastæ. Et paullo post. Hanc magnis amnibus æternam esse materiam, cujus non tanguntur extrema, sicut fluminum et fontium. Id. Ep. 80. Illustrium fluminum per privatum decursus est, et amnes magni magnarumque gentium termini usque ad ostium a fonte vestri sunt. Plin. Paneg. 82. Nec deformitate ista saltem flumina carebant atque amnes. Forcellinus hoc loco de lacu acceperat. — Tametsi sæpe amnis pro fluvio vel flumine usurpatur. Liv. 28. 33. Pervenit ad Iberum flumen. Inde, superato amni, die quarto — posuit castra. Adde plura ex superioribus I. 2.

ĂMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Amasse pro amavisse legitur apud Gell. 10. 18. et Ovid. Heroid. 7. 164. et alios. Sic amasti pro amavisti, amarim pro amaverim, amassem pro amavissem, cum cognatis personis, passim apud Latinos scriptores. — Amasso, is, it etc. pro amavero antiquum est. Plaut. Cas. 5. 4. 22. Si unquam posthac amasso Casinam. Id. Mil. glor. 4. 2. 16. Hanc quidem nihil tu amassis. Id. Curc. 4. 4. 22. Bene me amassint. — Part. Amans II. a. et in fine; Amatus I. B. et in fine; Amaturus et Amandus I. A. 1. — Forcellinus ait hanc vocem derivatam esse ab ἀμάω colligo ulnis segetem, seu meto; unde benevolentia complector, carum habeo. Recentiores vero Philologi deducunt ad ἅμα simul, unde ὁμός et ὅμοιος similis: alii a sanscr. am h. e. honorare. — Ceterum amare est ferventi studio complecti; eique opponitur odisse, ut apud Cic. Amic. 16. 59. Qui dixisset ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus. Catull. 85. Odi et amo. Quare id faciam fortasse requiris. Nescio, sed fieri sentio et excrucior. (It. amare; Fr. aimer; Hisp. amar; Germ. lieben; Angl. to love).

I.) Proprie ponitur A) de personis et B) de rebus.

A) De personis. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accus. de honesto et interdum de inhonesto amore. Nævius apud Charis. 2. p. 179. Putsch. Ultro meretur, quamobrem ametur, ita dapsiliter suos amicos alit.

Id. ibid. Nolo ego hanc adeo efflictim amare; diu vivat volo, ut mihi prodesse possit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Eurydicá prognata, pater quam noster amavit. *Plaut. Most.* 1. 3. 25. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venusta es. *Ter. Adelph.* 1. 1. 21. Nati filii duo: inde hunc majorem adoptavi mihi: eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo. *Cic.* 6. *Att.* 2. 2. Ac mihi videtur matrem valde, ut debet, amare teque mirifice. *Id.* 2. *ibid.* 20. 5. Tu, si me amas tantum, quantum profecto amas, expeditus facito sis. *Id.* 7. *Fam.* 5. Cura, ut valeas, et me, ut amas, ama. *Id.* 2. *Fam.* 24. 78. Quis amicus esse (*potest*) cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, – nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiam si ad se nihil ex iis redeat? *Id.* 2. *Att.* 20. Amare aliquem carumque habere. *Virg.* 5. *Ecl.* 89. dignus amari. *Ovid.* 2. *Fast.* 182. Quæ fuerat summo nuper amanda Jovi. *Juvenal.* 6. 200. Non es amaturus. — Multis autem jungitur adverbiis aut modis adverbialibus, quorum hæc sunt præcipua. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Amare aliquem ex animo. *Id.* 15. *Fam.* 20. amore singulari. *Plin.* 3. *Ep.* 9. ardentius. *Cic.* 3. *Phil.* 7. 18. certatim. *Plaut. Capt.* 2. 3. 60. corde. *Ovid.* 3. *Met.* 442. crudelius. *Ter. Eun.* 4. 2. 13. extremá lineá. *Quintil.* 10. 3. 13. familiariter. *Cic.* 1. *Att.* 5. fraterne. *Plaut. Most.* 1. 3. 86. medullitus. *Ter. Adelph.* 4. 5. 67. et 5. 7. 5. magis quam oculos suos. *Id. Andr.* 3. 2. 40. misere. *Id. Phorm.* 1. 2. 32. perdite. *Catull.* 3. 4. plus oculis suis. *Ter. Eun.* 5. 8. 62. plurimum. *Plaut. Asin.* 1. 3. 36. et *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. unice. ¶ 2. Speciatim absolute, præcipue apud Comicos, significat inhonesto amore captum esse. *Ter. Andr.* 1. 2. 14. Meum gnatum rumor est amare. *Et* 20. Omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt. *Virg.* 8. *Ecl.* 107. Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt? *Sall. Cat.* 11. Ut primum insuevit exercitus populi Rom. amare, potare. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 250. Si puerilius his ratio esse evincet amare. *Plaut. Pœn.* 2. 5. 132. et *Pseud.* 1. 2. 69. Amare a lenone. *h. e.* opera lenonis, vel illam, quæ est in potestate lenonis. ¶ 3. Item speciatim huc pertinent multæ dicendi rationes; scilicet — 1.) *Amare inter se*, h. e. amare se invicem. *Plaut. Capt.* 2. 3. 60. Videns corde amare inter se, quantis laudibus suum herum servus collaudavit. *Ter. Adelph.* 5. 3. 41. Video eos sapere, intelligere, in loco vereri, inter se amare. *Cic.* 6. *Att.* 1. 12. Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur. — 2.) *Amare se* est se mirari, sibi placere, de se uno sollicitum esse. *Cic. Harusp. resp.* 9. 19. Quam volumus, P. C., licet ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos superavimus. *Id.* 1. *Off.* 9. 29. Facile quod cujusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmetipsos valde amabimus, judicare. *Id.* 4. *Att.* 16. 10. Dices: tu ergo hæc quomodo fers? belle mehercule; et in eo me valde amo. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 54. verum hoc se amplectitur uno, Hoc amat, hoc laudat. *Cic.* 9. *Att.* 18. Credo igitur hunc me non amare, at ego me amavi, quod mihi jampridem usu non venit. *Id. Amic.* 3. 10. Suis autem incommodis graviter angi non amicum, sed seipsum amantis est. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 4. O di, quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali! — 3.) *Ita me dii ament* vel *amabunt*, *sic me Jupiter amabit*, h. e. ita mihi dii faveant, propitii sint; est dictum affirmantis et urbane jurantis (It. *così Dio m'ajuti*; Germ. *so wahr mir Gott helfe*; Angl. *so help me all the powers of heaven*). *Plaut. Pœn.* 1. 3. 30. Ita me di amabunt! ain bonâ dicam fide? – Ita me Jupiter! *Id. ibid.* 4. 2. 47. Diespiter me sic amabit. *Ter. Heaut.* 3. 1. 54. Ita me di amabunt, ut me tuarum miseritum est fortunarum. *Id. Phorm.* 1. 3. 13. Ita me di bene ament, ut mihi liceat tamdiu quod amo frui. Adde *eumd. Eun.* 3. 2. 21., *Hec.* 5. 4. 24., 1. 2. 31. et 2. 1. 9., et *Andr.* 5. 4. 44. — 4) *Di te ament* est dictum desiderantis vel salutantis apud *Plaut. Aulul.* 2. 2. 60. Hinc *Plin. Paneg.* 74. Super hæc precati sumus, ut sic te amarent di, quemadmodum tu nos. – Pro nobis ipsis quidem hæc fuit summa votorum, ut nos sic amarent di, quomodo tu nos. — 5.) *Si me amas*, *si quidquam me amas* etc. formulæ sunt obsecrantis et obtestantis. *Ter. Andr.* 4. 2. 4. Orare jussit, si me ames, hera jam ut ad se venias: videre ait te cupere. *Id. Heaut.* 5. 4. 8. Cave, si me amas. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 10. 4. Adduc, si me amas, Marium. *Id.* 5. *Att.* 17. 5. Si quidquam me amas, hunc locum muni. ¶ 4. Item speciatim *amare aliquem* in familiari dicendi ratione usuvenit, et significat nos ad omnia amoris et benevolentiæ officia obstrictos fore aut esse: usurpatur autem quoties aut aliquem de re aliqua enixe petimus eumque commovere volumus, aut cum ostendere volumus gratam eum nobis rem fecisse. — *a*) *Amabo te* vel *amabo* sæpissime est formula obsecrantis et petentis; quæ occurrit etiam cum ellipsi. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 123. Mitte, amabo. *Id. Men.* 4. 3. 4. Immo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi, mihi eam redde. *Id. Bacch.* 1. 1. 10. Id, amabo te, huic caveas. *Ter. Eun.* 3. 3. 28. Fac, amabo. *Id. ibid.* 1. 2. 70. Id, amabo, adjuta me. *Et* 50. Hoc agite, amabo. *Cic.* 2. *Att.* 2. 1. Cura, amabo te, Ciceronem nostrum. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 4. Amabo te, advola. *Id.* 5. *Att.* 17. Amabo te, incumbe in eam rem et ad me scribe. — Et cum ellipsi. *Cic.* 9. *Att.* 18. 4. Amabo te, epistolam et πολιτικήν! *Catull.* 33. 1. Amabo, mea dulcis Ipsithilla, Meæ deliciæ, mei lepores, Jube ad te veniam meridiatum! — *b*) *Amabo te* vel *amabo* est etiam formula interrogantis. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 26. Quis hic, amabo, est, qui tam pro nota nominat me? *Id. Bacch.* 1. 1. 28. Quid, amabo, obticuisti? *Ter. Heaut.* 1. 1. 13. Hiscine, amabo, non contra insidiabere? *Id. Eun.* 4. 4. 7. Habesne hominem, amabo? Adde *eumd. Heaut.* 2. 4. 24. — *c*) *Amabo te* vel *amabo* est etiam formula exhortantis amanterque petentis, ac propterea interdum occurrit cum part. ut aut *ne* et Subjunctivo. *Cic.* 8. *Fam.* 32. Urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus. *Plaut. Men.* 2. 3. 71. Sed scin' quid te amabo ut facias? *Ter. Eun.* 3. 3. 71. Amabo te, ut illuc transeas. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 4. 1. Amabo te, mi frater, ne – assignes. — Hinc *amare* est idem atque *orare*, *precari* sequente part. *ut* apud *Plaut. Men.* 3. 3. 1. Menedeme, amare ait te multum, Erotium, ut ad aurificem deferas. — *d*) *Amare aliquem* absolute, et *amare aliquem in aliqua re* vel *de aliqua re* vel *quod* etc. eleganter dicimus, cum ostendere volumus gratam eum nobis rem fecisse. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 40. Soror, parce, amabo. ANTER. Quiesco ergo. ADELPH. Amo te. *h. e.* tibi gratus sum. *Ter. Phorm.* 1. 2. 4. Amo te et non neglexisse habeo gratiam. *Id. Adelph.* 5. 8. 22. Si vos tantopere istuc vultis, fiat. ÆSCH. Bene facis: merito tuo te amo. *Cic.* 13. *Att.* 52. Hospes tamen non is cui diceres, amabo te, eodem ad me cum revertere. *Id.* 6. *ibid.* 2. 9. Nimis in isto Brutum amasti, dulcissime Attice; nos vereor ne parum. *Id.* 13. *Fam.* 62. Et in Atilii negotio te amavi. *Ter. Eun.* 3. 2. 3. Ecquid nos amas de fidicina istac? *h. e.* propter fidicinam istam, quam tibi dono dedi? *Cic.* 7. *Att.* 2. 7. De rauduscula Numeriano multum te amo. *Id.* 1. *ibid.* 3. Te multum amamus, quod ea abs te diligenter parvoque curata sunt. *Quintil.* referens jocum *Domitii Afri* in litigatorem ingratum, et conspectum ejus vitantem, ne gratias agere cogeretur, 6. 3. 93. Amas me, quod te non vidi? *Horat.* 2. *Sat.* 7. 31. amasque, Quod numquam tibi sit potandum.

B) Ponitur et de rebus, præcipue de abstractis, quibus homines delectantur, quarumve studiosi sunt. — *a*) Sæpissime cum Accus. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 114. AG. Ecquid amare videor? MILPH. Damnum, quod Mercurius minime amat. AG. Namque edepol lucrum amare nullum amatorem addecet. *Id. Most.* 1. 3. 24. Ego verum amo, verum volo mihi dici, mendacem odi. *Cic.* 9. *Fam.* 16. Delectarunt me hæ litteræ, in quibus primum amavi amorem tuum. *Id. Sext.* 49. 105. Horum homines nomen, orationem, vultum, incessum amabant. *Id.* 2. *Att.* 10. Volo ames meam constantiam. *Id.* 12. *ibid.* 14. 3. Perierunt illa, quæ amabas. *Nep. Att.* 1. Hic (*Attici pater*) prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis – filium erudivit. *Virg.* 5. *Ecl.* 61. amat bonus otia Daphnis. *Horat.* 4. *Od.* 11. 34. Amanda vox. *Id.* 2. *Ep.* 2. 58. non omnes eadem mirantur amantque: Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis. *Id. ibid.* 77. Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem. *Virg.* 2. *G.* 486. flumina amem silvasque inglorius. *Id.* 3. *Æn.* 133. et lætam cognomine gentem Hortor amare focos arcemque attollere tectis. *Tibull.* 3. 3. 20. falso plurima vulgus amat. *Quintil.* 1. 1. 20. Ne studia, qui amare nondum potest, oderit. *Tac. Germ.* 40. Pax et quies tunc tantum amata. — *b*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 2. 50. Hic ames dici pater atque princeps.

II.) Translate *amare* tribuitur rebus inanimis; et occurrit — *a*) Cum Accus. absolute. *Sall. Jug.* 41. Scilicet ea, quæ secundæ res amant, lascivia atque superbia incessere. *Horat.* 1. *Od.* 25. 3. amat janua limen. *h. e.* cum semper clausa sit, amare videtur. *Ovid.* 5. *Met.* 636. Sed enim cognoverit amatas Amnis aquas. *Horat. Epod.* 2. 57. herba lapathi Prata amantis. *Virg.* 3. *G.* 315. amantes ardua dumos. *Id.* 4. *ibid.* 124. amantes littora myrtos. *Quintil.* 9. 4. 102. Bacchius – choreum et spondeum ante amat. *Id. ibid.* § 136. Illa sublimia – amant amplitudinem dactyli. *Plin. Paneg.* 30. Nilus amet alveum suum, et fluminis modum ferat. *Tac.* 4. *Ann.* 9. Eadem decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. — *b*) Cum Infinito passivo. *Sall. Jug.* 38. Terrebat cum clamore, vultu, sæpe impetu atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat. Φιλεῖν apud Græcos, ut notavit etiam *Quintil.* 9. 3. 17. Græca vero translata vel Sallustii plurima, quale est: *vulgus amat fieri*. *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 10. Amat (*beta*) frequenter effodi et multo stercore saturari. *Id.* 4. *ibid.* 10. 19. Amat (*mespilus*) putari atque circumfodi et – refoveri. — *c*) Cum Infinito activo. *Horat.* 2. *Od.* 3. 9. Quo pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant. *Id.* 3. *ibid.* 16. 19. Aurum per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo. *Id. Epod.* 8. 15. libelli Stoici inter sericos Jacere pulvillos amant. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (28). Gaudet (*palma*) riguis, totoque anno bibere cum amet etc. — *d*) Interdum apud serioris ævi scriptores *amare* est idem ac *solere*, neutra constructione. *Auson. Gratiar. act. ad Gratian. init.* Quod solum nostræ opis est, gratias ago, verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quam loquendo.

AMANS, *antis*, est participium præsens (*V.* superius II. *a.*) et occurrit *A*) adjective et *B*) substantivorum more.

A) Adjective, unde Comp. *Amantior* et Superl. *Amantissimus*. ¶ 1. Proprie de personis. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 3. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi et amantissimi præsentis mœrore non movear. *Tac. Agric.* 45. Assidente amantissima uxore. *Inscript.* apud *Orell.* 4762. AMANS AMANTI HAEC TITI PRO MERITIS DO. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 184. 8., 804. 3., 940. 3. aliasque, ubi occurrit *amantissimus*. — *b*) Cum Genit., præcipue Comp. et Sup. *Plaut. Asin.* 5. 2. 7. Continentem, amantem uxoris maxime. *Cic.* 9. *Att.* 19. Boni cives amantes patriæ. *Id.* 9. *Fam.* 6. Homines amantes tui. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Tui amantior, quam temporis. *Id.* 16. *Fam.* 5. Nihil potest illo fieri nostri amantius. *Id. ibid.* 7. Amantissimus tui. *Id.* 2. *Tusc.* 15. 35. amans doloris. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 46. cruoris. *Quintil.* 7. *præfat.* Juvenes nimium amantes mei. *Id.* 3. *præfat.* Amantissimus mei. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 1. Amantior domini famulus. *Quintil.* 12. 10. 9. Similitudinis, quam pulcritudinis amantior. *Id.* 1. 7. 18. Amantissimus vetustatis. *Plin.* 4. *Ep.* 15. Amantissimus bonorum. *Gell.* 7. 7. Amans ingenii. ¶ 2. Tribuitur et rebus amorem significantibus. *Cic.* 5. *Fam.* 15. 1. In qua (*causa*) me, lenissimis et amantissimis verbis utens, re graviter accusas. *Id. Cluent.* 5. 12. Quo enim ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum. *Ovid.* 6. *Fast.* 113. Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba. *Plin.* 8. *Ep.* 21. Hoc simplicius et amantius. *Val. Max.* 7. 8. 8. Animus amantissimus.

B) Substantivorum more absolute *amans* (cujus Gen. plur. est *amantum* vel *amantium*) est comm. gen. is vel ea, qui amant, et differt ab *amatore*, quam vocem *V.* in fine. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 44. Nam nisi qui ipse amavit, ægre amantis ingenium inspicit. *Id. Men.* 2. 3. 3. Munditia illecebra animo est amantum. *Ter. Andr.* 1. 1. 49. Postquam amans accessit pretium pollicens etc. *Id. ibid.* 1. 3. 13. Inceptio est amentium, haud amantium. *Id. ibid.* 3. 3. 23. Amantium iræ amoris integratio est. *Lucret.* 4. 1070. Fluctuat incertis erroribus ardor amantum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 633. Jupiter ex alto perjuria ridet amantum. *Virg.* 4. *Æn.* 296. quis fallere possit amantem? *Propert.* 2. 13. 65. Durius in terris nihil est quod vivat amante. *Virg.* 4. *G.* 488. amans incautus. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 65. neglectus. *Horat.* 10. 14. pallor amantium violá tinctus.

Amatus, i m. 2. et *amata*, æ f. 1. ex part. præter. pass. substantivorum more sunt puer, vir, aut mulier, qui in deliciis habentur. *Gell.* 16. 19. Arionem Pe-

riander amicum habuit amatumque. *Ammian.* 22. 9. Amatus Veneris. Apud *eumd.* 15. 4. legitur et *amata.*

Homonym. 1.) Differunt *amare* et *diligere*, quod *amare* est ex appetitu, *diligere* ex ratione. Hinc *amare* dicuntur etiam bruta animalia (ut apud *Cic. Amic.* 8. 27.), *diligere* soli homines. Hinc etiam *amare* plus est quam *diligere*: quia appetitus amans ardentius vehementiusque fertur in rem amatam, quam ratio, quæ cautius, ut ita dicam, et lentius. *Cic.* 13. *Fam.* 47. Ut scires eum a me non diligi solum, vero etiam amari. *Id.* 1. *ad Brut.* 1. 1. L. Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat. *Id.* apud *Non.p.* 264. 5. *Merc.* Si – facies et me aut amabis, aut, quod contentus sum, diliges. *Id.* apud *eumd.* p. 422. 2. Tantum accessit (*ad amorem*), ut mihi nunc denique amare videar, ante dilexisse. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Albinum cum olim mutuo diligerem, ex hac officii societate amare ardentius cœpi. — Contra alia ratione plus est *diligere* quam *amare*, hoc est æstimabilius. Nam *diligimus* propter virtutem; *amamus* propter voluptatem: *diligimus* ratione, ut dictum est, et quasi delectu adhibito unum præ alio amplectimur; *amamus* impetu quodam et cupiditate. *Ter. Eun.* 1. 2. 16. Non pol quo quemquam plus amem, aut plus diligam. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 51. Homo nobilis, qui a suis amari et diligi vellet. *Klotz* ita recte restituit: vulgati libri leg. *et amari et diligi* etc. *Id.* 13. *Fam.* 7. Te semper amavi dilexique. *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 121. Neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. — Interdum tamen aut nullum, aut minimum interest discrimen. *Cic. Mur.* 36. 76. Populus Rom. publicam magnificentiam diligit: non amat profusas epulas, sordes et inhumanitatem multo minus. *Plin.* 9. *Ep.* 5. Ita a minoribus amari, ut simul a principe diligare.

2.) Differunt *amare* et *adamare*; quod *adamare* est maximo alicujus amore capi, valde amare. *Seneca Ep.* 71. Si – virtutem adamaveris; amare enim parum est.

ĀMŎDO *vel* a mŏdo, adverb. posthac. Occurrit tantum apud Scriptores Ecclesiasticos. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* 3. *ex Isajæ c.* 38. Amodo filios faciam. *Paulin. Nolan.* 8. 28. Amodo jam resilire via properetis iniqua.

ĀMŒBÆUS, a, um, adject. (ἀμοιβαῖος) mutuus, alternus: ab ἀμείβω *commuto, permuto.* — *Amœbæum carmen* est, docente *Serv.* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 29. et *Gloss. post Fest.* p. 380. *Müll.*, in quo aliqui ex æquali numero versum canunt, *h. e.* totidem versibus alterni sibi mutuo respondent, et ita se habet responsio, ut aut malum, aut contrarium aliquid dicat. Quamquam hæc postrema conditio non semper necessaria est. Hujusmodi carminis exemplum habes apud *Virg. cit. Ecl.* 3. — *Amœbæus pes* apud *Diomed.* 3. p. 478. *Putsch.* est pes quinque syllabarum, quarum duæ sunt longæ, totidem breves, ultima longa, ut *incredibiles.* Huic contrarius est *antamœbæus*, ἀνταμοιβαῖος, constans ex duabus brevibus, totidem longis, et brevi, ut *manifestare. Id. ibid.* p. 479.

ĀMŒNĀTUS, a, um. *V.* AMŒNO.

ĀMŒNĒ, adverb. (amœnus). Comp. *Amœnius* II. et Sup. *Amœnissime* I. Cum amœnitate, jucunde, suaviter (It. *deliziosamente;* Fr. *agréablement;* Hisp. *agradablemente;* Germ. *auf reizende Weise;* Angl. *delightfully*).

I.) Proprie de iis quæ externos sensus atque oculos præcipue afficiunt. *Plaut. Mil.* 2. 5. 2. Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ Arabico fumificem odore amœne. *h. e.* ut amœno odore aram incendam in honorem Dianæ. *Plin.* 4. *Ep.* 23. Habitare amœnissime. *Apul.* 10. *Met.* 17. Venus ecce cum magno favore caveæ in ipso meditullio scenæ, dulce subridens, constitit amœne. *h. e.* decenter, et cum quadam veluti amœnitate vultus atque habitus.

II.) Translate. *Gell.* 14. 1. *a med.* Hæc nos sicca et incondita et jejuna oratione attigimus: at Phavorinus latius ea et amœnius et splendidius et profluentius exequebatur.

ĀMŒNĬTAS, ātis, f. 3. (amœnus) abstracta rerum qualitas, quæ ad amandum allicit; hinc jucunditas, suavitas, quæ ex amœnis rebus percipitur, sive ex iis quæ externos sensus atque oculos præcipue voluptate afficiunt (It. *amenità, delizie;* Fr. *agrément, charme;* Hisp. *agrado, hechizo, encanto;* Germ. *die Annehmlichkeit und Lieblichkeit;* Angl. *pleasantness, pleasure, delightfulness*).

I.) Proprie occurrit de iis, quæ sensus atque oculos præcipue percellunt, et fere dicitur de locis. *Plaut. Men.* 2. 3. 3. Sternite lectos, incendite odores: munditia illecebra animo est amantum: amanti amœnitas malo est, nobis lucro est. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 8. Atque habet etiam amœnitas ipsa (*littoris*) vel sumptuosas, vel desidiosas illecebras multas cupiditatum. *Id. Parad.* 1. 2. 10. Quæro a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rempubl. tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri et argenti ad avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? *Id.* 2. *Legg.* 1. 3. Hoc tempore anni et amœnitatem hanc et salubritatem sequor. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 14. Hortorum amœnitas. *Id. Prov. cons.* 12. 29. Amœnitas locorum, urbium pulcritudo. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 1. fluminis. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 100. Amœnitates orarum ac littorum. *Nep. Att.* 13. Cujus (*domus*) amœnitas non ædificio, sed silva constabat. *Liv.* 23. 4. Prona semper civitas in luxuriam non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatium et illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestrisque. *Curt.* 3. 4. 9. Amœnitas riparum. *Id.* 5. 1. 33. naturæ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (9). gelidi fontis. *Quintil.* 10. 3. 22. lucorum. *Id. ibid.* § 24. silvarum. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 8. Quamobrem amœnitate aliqua (*villæ*) demerenda erit (*matrona*), quo patientius moretur cum viro.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur de iis omnibus, quæ delectant et jucunda sunt. *Plin. præfat. Hist. nat.* § 14. Magna pars studiorum amœnitates quærimus. *Tac.* 5. *Ann.* 2. At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amœnitate vitæ, magnitudinem negotiorum per litteras excusavit. Cf. 15. *ibid.* 5. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Non tamen omnino Marci nostri λημύθους fugimus, quoties paullulum itinere decedere non intempestivis amœnitatibus admonebamur. *Gell.* 12. 1. *in fin.* Amœnitates verborum. *Id.* 10. 3. Lux et amœnitas orationis. *Id.* 7. 7. Amœnitas ingenii. ¶ 2. Interdum est nomen abstractum pro concreto, uti ajunt, sive res ipsa amœna et jucunda. *Plaut. Capt.* 4. 1. 7. Ita hic me amœnitate amœnâ amœnus oneravit dies. *Id. Stich.* 2. 2. 5. Profecto amœnitates omnium Venerum atque venustatum affero. — Hinc in blanditiis. *Plaut. Cas.* 2. 3. 13. Uxor mea, mea amœnitas, quid tu agis? *Id. Mil. glor.* 1. 2. 152. Mea vita, mea amœnitas, meus ocellus.

ĀMŒNĬTER, adverb. idem quod amœne, jucunde. *Gell.* 20. 8. Anianus poeta in fundo suo agitare erat solitus vindemiam hilare atque amœniter.

ĀMŒNO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. Part. *Amœnatus* et *Amœnandus* 1. Est ¶ 1. Amœnum facio. *Salvian. Gubernat. Dei* 7. *ante med.* Omnis regio aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus. Et translate *Sidon.* 1. *Ep.* 9. Tetrica sunt amœnanda jocularibus. ¶ 2. Item delecto, exhilaro. *Cyprian. Ep.* 2. 1. Amœnare oculos. *Cassiod.* 2. *Ep.* 40. *de Musico.* Felices animas septem chordarum pulsibus amœnabat. *Ennod. Epigr.* 128. Muris amœnati facies depicta vocavit.

ĀMŒNUS, a, um, adject. Comp. *Amœnior* et Sup. *Amœnissimus* in omnibus paragr. — Amœnus ab *amo* deducitur, ait enim *Isid.* 14. *Orig.* 8. 33. Amœna loca dicta Varro ait eo, quod solum amorem præstant et ad amanda alliciunt. Et *Paul. Diac.* p. 2. 9. *Müll.* Amœna dicta sunt loca, quæ ad se amanda alliciunt, id est, trahant. Et *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 734. Amœna sunt loca solius voluptatis plena. Hinc rejicienda est etymologia, quam *Verrius Flaccus* protulit apud *Isid. l. c.* et apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 638., qui *amœna* quasi *amunia* esse affirmabat, unde nullus fructus exolvitur. — Itaque amœna proprie sunt, quæ aspectu ita sunt jucunda, ut ad amorem alliciant (It. *ameno, delizioso, incantevole;* Fr. *agréable, aimable, charmant;* Hisp. *agradable, amable, hechizo, atractivo;* Germ. *zu Liebe reizend, oder einladend, liebreizend, reizend, lockend;* Angl. *pleasant, delightful, sweet, charming*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, qui tamen haud frequenter occurrit, amœnus est qui aspectu jucundus ad amorem allicit. (Cf. *Plaut. Men.* 2. 3. 3. in voce AMŒNITAS I.). *Liv.* 4. 44. Eodem anno Postumia virgo Vestalis de incestu causam dixit, criminis innoxia, ab suspicione propter cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet, non abhorrens. *h. e.* propter corporis cultum magis, quam par esset, exquisitum et allicientem ad amorem. *Gell.* 19. 11. Nimis lecto amœnoque cultu victuque esse. *Id.* 7. 8. Puer delphino amœnus. *h. e.* gratus, dilectus, ut interpretatur *Forcellinus*, qui h. l. inter translata retulit. Cf. *Gell.* 19. 11. Amœni homines. *h. e.* quorum amore facile omnes capiuntur. ¶ 2. Generatim vero dicitur fere de locis, quæ situ et naturali quadam suavitate, quæ oculos præcipue percellunt, jucunditatem et voluptatem afferentes ad se invitant rapiuntque. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Nam me visus homo pulcher per amœna salicta et ripas raptare. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Amœna urbs. *Lucret.* 1. 118. Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno Detulit ab Helicone perenni fronde coronam. *Cic.* 7. *Verr.* 31. 80. Tabernacula – collocari jussit in littore –, amœno sane et ab arbitris remoto loco. *Id.* 2. *Orat.* 71. 290. Devertere in locum amœnum et salubrem. *Id.* 16. *Att.* 3. 4. Prædiola et belle ædificata et satis amœna. *Liv.* 22. 15. Arbusta vineæque et consita omnia magis amœnis, quam necessariis fructibus. *Sall. Cat.* 11. Loca amœna, voluptaria facile in otio feroces militum animos molliverant. *Virg.* 6. *Æn.* 638. amœna vireta Fortunatorum nemorum. *Id.* 8. *ibid.* 31. Amœnus fluvius. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 16. rus. *Id. ibid.* 17. 52. Surrentum. *Id. ibid.* 16. 15. latebræ. *Id. Art. P.* 17. agri. *Id.* 2. *Od.* 3. 14. rosæ. *Id.* 3. *ibid.* 4. 7. aquæ et auræ. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 23. rosaria. *Id.* 14. *Met.* 330. amœnæ Farfarus umbræ. *Curt.* 5. 1. 32. Horti pensiles, multarum arborum umbrâ et proceritate amœni. *Id.* 7. 2. 22. Recessus amœni nemoribus manu consitis. *Quintil.* 4. 2. 46. Iter amœnum et molle. *Plin. Paneg.* 50. Amœnior villa. *Justin.* 38. 7. Cœlum Asiæ amœnius urbium multitudine. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (116). Pictura parietum amœnissima. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Suburbanum amœnissimum. *Tac.* 3. *Hist.* 30. Amœnissima ædificia.

II.) Translate amœnum est quidquid jucundum voluptate afficit; et fere de ingenio ac litteris dicitur. *Plaut. Capt.* 4. 1. 7. Ita mihi me amœnitate amœnâ amœnus oneravit dies. *Tac.* 15. *Ann.* 55. Vita amœna. *Id.* 2. *ibid.* 64. Illi mite et amœnum (*ingenium*), huic atrox, avidum et societatis impatiens erat. *Id.* 13. *ibid.* 3. Ut fuit illi viro (*Senecæ*) ingenium amœnum et temporis ejus auribus accommodatum. *Aurel. Vict. Epitom.* 1. *a med.* Quodque est læti animi, vel amœni, oblectabatur omni genere spectaculorum. *Gell.* 18. 5. Amœniores litteræ. *Id.* 2. 26. Amœnissima verba. *Id.* 16. 3. Amœnissimi sermones. *Quintil.* 12. 10. 60. Medius modus (*dicendi*) egressionibus amœnus. — Hinc

Amœna, orum, n. 2. absolute, loca amœna. *Tac.* 3. *Ann.* 7. Per amœna Asiæ atque Achajæ. *Id.* 3. *Hist.* 76. Amœna littorum. *Quintil.* 12. 9. 2. Per plana et amœna exercitum ducere. *Vellej.* 2. 1. 2. Longe amœnissima (*h. e.* ædificia) moliti sunt.

ĀMŎLĬO, is, īvi, ītum, īre, a. 4. est idem quod *amolior*, et active numquam occurrit, passive autem raro. *Plaut. Most.* 2. 1. 24. Jube hæc hinc omnia amolirier, paragoge pro *amoliri. Liv.* 25. 36. Cum amolita objecta onera armatis dedissent viam. *Apul. de Deo Socrat.* Corpora vel utrimque commixta, sive amolita, seu modificata etc. *h. e.* separata. *Et post.* Omnibus exuviis amolitis equum contemplari. *h. e.* detractis.

ĀMŎLĬOR, īris, ītus sum, īri, dep. 4. (a *et* molior). Part. *Amolitus* I. b. V. et vocem præced.; *Amoliendus* II. b. — Amolior ab uno in alium locum molior, hoc est amoveo, removeo; et dicitur proprie de iis, quæ magno conatu et molimine dimoventur, ut ait *Donatus* ad *Ter. Andr.* 4. 2. 24. Amoliri dicuntur ea, quæ cum magna difficultate et molimine summoventur et tolluntur e medio (It. *rimuovere, tor via;* Fr. *éloigner, écarter;* Hisp. *apartar, alejar, desviar;* Germ. *fortschaffen;* Angl. *to remove or put out*).

I.) Proprie occurrit — a) Fere de rebus. *Plaut. Most.* 2. 1. 44. Vos modo hinc abite intro atque hæc hinc propere amolimini. *Id. Pseud.* 3. 2. 66. Jam edico tibi, uti nostra properes amoliri omnia. *Sisenna* apud *Non.* p. 73. 15. *Merc.* Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (25). Amoliuntur omnia e medio (*apes*) nullæque inter opera spurcitiæ jacent. *Tac.* 1. *Ann.* 50.

Amoliri obstantia silvarum. *Lucan.* 5. 354. quantum Fortuna humeris jam pondere fessis Amolitur onus. *h. e.* humeros exonerat. — *b*) De personis occurrit fere *amoliri se* et est recedere: nam incertus est locus *Accii* apud *Non. p.* 75. 31. Age age, amolire, amitte, cave vestem attigas. Sed tamen *Curt.* 8. 5. 17. Prius ab oculis mortalium amolita natura est (*Herculem Bacchumque*), quam in cælum fama perveheret. *Plaut. Truc.* 2. 3. 68. Sed ego cesso me hinc amoliri, ventre dum salvo licet. *Ter. Andr.* 4. 2. 24. Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis. *Pacuvius* apud *Non. p.* 73. 10. *Merc.* Non tu te e conspectu hinc amolire? *Id. ibid.* Nonne hinc vos propere stabulis amolimini?

II.) Translate quoque occurrit — *a*) De personis, et est amandare, ablegare, alio mittere. *Tac.* 2. *Ann.* 42. Amoliri aliquem specie honoris. *Id.* 14. *ibid.* 59. et 1. *Hist.* 13. Octaviam uxorem. *Gell.* 19. 1. Verbis amoliri a se se aliquem. — *b*) De rebus est arcere, depellere. *Liv.* 28. 28. Amolior et amoveo nomen meum. *h. e.* omitto, prætereo. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (23). Religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. *Tac.* 14. *Ann.* 14. Amoliri dedecus. — Hinc apud Rhetores est repellere, refutare. *Tac.* 3. *Hist.* 73. et *Petron. Satyr.* 97. Amoliri crimen et invidiam ab aliquo. *Quintil.* 5. 13. 11. Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint, an amolienda singula. Adde eumd. 4. 1. 29., 4. 2. 27. et 5. 7. 27.

ĀMŌLĪTĬO, ōnis, f. 3. actus amoliendi et removendi, amotio. *Gell.* 12. 1. *ad fin.* Ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est.

ĀMŌLĪTUS, a, um. *V.* AMOLIOR et AMOLIO.

ĀMŌMIS, ĭdis, f. 3. (ἀμωμίς) arbor amomo similem fructum ferens, quo verum amomum adulterari solet, minus venosa, durior, ac minus odorata. Sed fortasse et ipsum amomum sic appellatur, quod immaturum collectum est vendendi studio. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (49). Cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 1. *p.* 29.) putat amomidem nihil aliud esse, nisi amomum ipsum nondum maturum.

ĀMŌMON (Græca positione legitur apud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 19. (34).) *et* Amomum, i, n. 2. (ἄμωμον). ¶ 1. Est arbor similis labruscæ vitis, frutice myrtuoso, palmi altitudine, fructum ferens uvæ similem laudatissimi odoris, qui proprie *amomum* dicitur, ex quo pretiosissimum unguentum fit. Carpitur cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. Laudatur quam maxime Punici mali foliis simile, nec rugosis, colore rufo: secunda bonitas pallido: herbaceum pejus, pessimumque candidum; quod et vetustate evenit. Adulteratur foliis Punicis, et gummi liquido, ut cohæreat, convolvatque se in uvæ modum. Hæc *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (48). *Id.* 16. *ibid.* 22. 31. (quem l. non inveni) docet amomi, nardique arbores in alieno solo non provenire: ex quo quidam putant nobis incognitas esse, quamquam alii amomum putant esse plantam, quæ dicitur *Hiericunthis*, alii quæ *piper hortense*, alii alia. *Plukenet* et *Sprengel* putant amomum esse *Cissum vitigineam* Linn. 1.; quam Arabes *hahmána* vocant. At, quemadmodum res, ita nomen ex oriente deducendum videtur etiam cl. *Fée* (*Op. cit. T.* 1. p. 27. *et seq.*) qui ait, nullam arborem pro certo nunc definiri posse, quæ cum veterum amomo omnino conveniat. *Virg.* 4. *Ecl.* 25. Assyrium vulgo nascetur amomum. *Id.* 3. *ibid.* 89. ferat rubus asper amomum. Proverb. de re absurda. Adde *Cels.* 3. 18. et 21. et 5. 18., et *Scribon. Compos.* 70. et 126. ¶ 2. Per synecdochen pro quovis unguento pretioso et puro: quod et Græca vox indicat, quæ parum significat et inpermixtum, ab α privativo et μῶμος *macula, labes*. *Ovid.* 15. *Met.* 394. succus amomi. *Id.* 3. *Trist.* 3. 69. pulvis amomi. *Id.* 1. *Pont.* 9. 51. Ille tibi exequias et magni funus honoris Fecit, et in gelidos fundit amoma sinus. *Martial.* 5. 65. Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo. *Pers.* 3. 104. crassisque lutatus amomis.

ĀMOR, ōris, m. 3. (amo). *Amos* in recto casu singulari pro *amor*, ut *colos* pro *color*, *honos* pro *honor*, legitur apud *Plaut. Curc.* 1. 2. 2. Perperam putant aliqui, ideo *amos* dictum ibi a *Plauto*, quia ebria anus loquens inducitur. *V.* COLOR et LABOR. — Amor est animi studium in personam aut rem aliquam, quod oritur ex delectatione, quam ex ipsius personæ aut rei aspectu percepimus, quemadmodum ait *Cic.* 4. *Tusc.* 34. 72. Stoici – amorem ipsum conatum amicitiæ faciendæ ex pulcritudinis specie definiunt (It. *amore, affezione, affetto*; Fr. *amour*; Hisp. *amor, afecto*; Germ. *der Liebe und Neigung*; Angl. *love, affection*). Occurrit ¶ 1. De personis, ac præcipue de amicis, cognatis, affinibus etc. cum honesto, tum inhonesto sensu. — *a*) Absolute. *Nævius* apud *Gell.* 2. 19. Si unquam quidquam filium rescivero argentum amoris causâ sumpse mutuum etc. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 32. 69. Tu me amoris magis, quam honoris servavisti gratia. *Id.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 82. 34. Medea, animo ægra, amore sævo saucia. *Plaut. Curc.* 1. 1. 3. Quo Venus cupido imperat suadetque amor. *Ter. Heaut.* 3. 4. 24. Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia. *Cic.* 2. *Fam.* 7. 2. Tametsi hoc minime tibi deest, sed tamen efficeret magnitudo et vis amoris mei, consilio te ut possem juvare. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 4. Ne tibi non notus, quem facis, esset amor. *Propert.* 3. 20. 6. Forsitan ille alio pectus amore terit. — Jungitur pluribus Adject. *Plaut. Curc. prol.* 49. Amor clandestinus. *Ter. Andr.* 1. 1. 108. consuetus. *Id. ibid.* 1. 1. 105. et *Ovid. Heroid.* 15. 236. dissimulatus. *Lucret.* 4. 1186. fictus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. fraternus. *Horat. Epod.* 11. 2. gravis. *Cic.* 2. *Fam.* 1. incredibilis. *Id. Rosc. Am.* 19. 53. insitus penitus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 43. lascivus. *Propert.* 1. 9. 12. mansuetus. *Cic.* 4. *Tusc.* 33. 71. Amores muliebres. *Horat. Epod.* 15. 10. amor mutuus. *Id.* 2. *Od.* 12. 15. mutui amores. *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 76. naturalis. *Id. ibid.* 35. 76. novus, vetus. *Ovid.* 2. *Fast.* 81. occulti amores. *Catull.* 92. 2. perditus. *Tibull.* 2. 1. 80. placidus. *Ovid.* 1. *Met.* 452. primus. *Cic.* 9. *Fam.* 11. singularis. *Lucret.* 1. 923. suavis. *Plaut. Men. prol.* 68. surrepticius. *Ovid.* 2. *Amor.* 18. 60. tener. *Nep. Pausan.* 4. Venereus. *Ovid. Heroid.* 5. 61. verus. — Jungitur et pluribus Verbis. *Cic.* 15. *Fam.* 20. Amare aliquem amore singulari. *Id.* 7. *Fam.* 1. Amplecti aliquem amore. *Id.* 4. *Verr.* 47. 116., *Virg.* 11. *Æn.* 781. et *Ovid.* 1. *Art. Am.* 283. Ardere amore. *Virg.* 1. *Æn.* 749. Bibere amorem. *Ter. Andr.* 1. 1. 105. et *Ovid. Heroid.* 12. 37. Colere amorem. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 206., *Ovid.* 2. *Art. Am.* 278. et *Propert.* 3. 13. 40. Conciliare amorem. *Ovid.* 10. *Met.* 249. Concipere amorem. *Nep. Cim.* 1. Duci amore. *Curt.* 8. 4. Effundi in amorem alicujus. *Cic. Rosc. am.* 19. 53. ejicere amorem ex animo. *Id.* 6. *Att.* 1. et *Flacc.* 6. 18. Esse alicui in amoribus. *Id.* 6. *Verr.* 1. 3. Esse alicui in amore atque deliciis. *Tibull.* 1. 9. 39. Esse in amore alicujus. *h. e.* eum amare. *Cic.* 4. *Tusc.* 33. 71. et *Horat. Epod.* 5. 81. Flagrare amore. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Habere amorem erga aliquem. *Id.* 10. *Fam.* 28. Habere aliquem in amore. *Plaut. Epid.* 2. 2. 7. Hærere in amore apud aliquem. *Cic.* 10. *Fam.* 3. Impulsus amore. *Catull.* 30. 8. Inducere aliquem in amorem. *Cic.* 13. *Fam.* 21. 3. Respondere amori amore. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 84. Sentire amorem. *Virg.* 1. *Æn.* 679. Teneri amore. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 37. Torqueri amore. — *b*) Cum Genitivo subjecti, uti ajunt, seu active. *Cic.* 5. *Att.* 10. Amores hominum in te et in nos quædam benevolentia. *Id.* 4. *Tusc.* 34. 71. Atque horum omnium libidinosos esse amores videmus. *Id.* 2. *Off.* 9. 32. Amor multitudinis commovetur – opinione liberalitatis. *Nep. Dion.* 4. Amor populi. *Id. Thrasyb.* 4. civium. *Id. Timol.* 3. omnium Siculorum. *Seneca* 1. *Clem.* 19. 5. Unum est inexpugnabile munimentum amor civium. — *c*) Cum Genitivo objecti, uti ajunt, seu passive. *Cic.* 4. *Tusc.* 33. 71. Fortis vir in sua republ. cognitus quæ de juvenum amore scribit Alcæus? *h. e.* de amore suo in juvenes. *Nep. Alcib.* 2. Puerorum amores. *Cic.* 5. *Fam.* 2. 10. Citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam. *Horat.* 1. *Od.* 18. 14. cæcus amor sui. Et cum pron. possess. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 3. Amorique nostro plusculum etiam, quam concedat veritas, largiare. *h. e.* amori, quo a te amamur. — Cum Accus. et præp. *in*, *erga*, aut interdum *juxta*. *Cic.* 13. *Fam.* 29. 1. Ab his initiis noster in te amor profectus auxit paternam necessitudinem. *Id. Dom.* 39. 103. Pro amore, quem habetis in rempubl. et semper habuistis. *Id.* 2. *Fam.* 1. 2. Meus incredibilis in te amor. *Id. Flacc.* 38. 96. Pietas et amor in patriam. *Id.* 4. *Verr.* 47. 116. Animus atque amor in rempubl. Adde eumd. 1. *ad Q. fr.* 1., 1. *Orat.* 44. 196. et *post red. ad Quir.* 3. 8. et *Nep. Thras.* 1. — *Cic.* 5. *Fam.* 5. Si quid in te residet amoris erga me. *Id.* 9. *ibid.* 11. 1. Nam et oratio tua prudens et amor erga me singularis multum levaret. Adde 9. *ibid.* 14. 5. — *Inscript.* apud *Orell.* 1025. Amor juxta cives. — *d*) In plur. etiam numero eleganter usurpatur: præcipue vero de amore turpi aut vulgari. *Cic.* 1. *Off.* 5. 14. Quæ (*facies honesti*) si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiæ. *Id.* 3. *Fin.* 20. 68. Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur. Adde loca relata superius sub *b*. — *Plaut. Merc.* 1. 1. 2. Et argumentum et meos amores eloquar. *Ter. Andr.* 5. 4. 10. Meretricios amores nuptiis conglutinas? *Cic. Cæl.* 19. 44. Amores autem et hæ deliciæ, quæ vocantur –, numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. *Horat.* 3. *Od.* 21. 3. Seu rixam et insanos amores Geris. *Id.* 2. *ibid.* 9. 10. nec tibi Vespere Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente solem. *Ovid.* 9. *Met.* 519. insanos fateamur amores. ¶ 2. Per metonymiam *amor*, præcipue plur. num., ponitur pro eo, qui amatur. *Ovid.* 1. *Met.* 452. Primus amor Phœbi Daphne Peneia. *Plaut. Pæn.* 1. 1. 79. Item, amores tuos si vis spectare. *Virg.* 3. *G.* 227. Multa gemens – tum, quos amisit inultus, amores. *Ovid.* 1. *Met.* 617. crudele suos addicere amores. *Cic.* 2. *Att.* 19. 2. Pompejus, nostri amores, – ipse se afflixit. *Id.* 16. *ibid.* 6. 4. Piliæ salutem dices et Atticæ, deliciis atque amoribus meis. *Id.* 6. *Phil.* 5. 12. Sed redeo ad amores deliciasque vestras, L. Antonium. *Id.* 1. *Divinat.* 36. 79. Quid? amores ac deliciæ tuæ, Roscius, num aut ipse aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? Adde *Catull.* 10. ¶ 3. Ponitur et de brutis animantibus, et est venerea cupiditas: cf. *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 75. Furor amoris. *Virg.* 3. *G.* 242. pecudes pictæque volucres In furias ignemque ruunt; amor omnibus idem. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 196. *Virg.* 4. *Æn.* 516. Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus Et matri præreptus amor. *V.* HIPPOMANES. ¶ 4. Denique ponitur et pro quacumque cupiditate, et jungitur etiam abstractis. — *a*) Cum Genitivo substantivi nominis. *Plaut. Curc.* 1. 2. 2. Ejus (*vini*) amos cupidum me huc prolicit per tenebras. Cf. *Liv.* 9. 18. Quid? si vini amor in dies fieret acrior? *Cic. Arch.* 11. 28. Jam me vobis – indicabo et de meo quodam amore gloriæ nimis acri fortasse, sed tamen honesto vobis confitebor. *Id.* 4. *Fin.* 7. 18. Amor cognitionis. *Id. Sull.* 26. 73. consulatus. *Virg.* 9. *Æn.* 197. laudum. *Id.* 6. *ibid.* 890. famæ venientis. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 52. virtutis. *Id. ibid.* 1. 36. laudis. *Virg.* 3. *G.* 394. lactis. *Id.* 1. *Æn.* 353. auri cæcus amor. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 78. argenti. *Juvenal.* 14. 138. nummi. *Sil. It.* 1. 148. sanguinis. Et translate de rebus inanimis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 12. (65). Quarum radices amore solis atque imbris in summa tellure spatiantur. — *b*) Cum Gerundio. *Lucret.* 4. 867. cibus ut amorem obturet edundi. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 85. et *Ovid.* 1. *Met.* 131. amor habendi. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 10. amor scribendi. — *c*) Cum Infinito. *Virg.* 2. *Æn.* 10. Sed si tantus amor casus cognoscere nostros Et breviter Trojæ supremum audire laborem etc. *Stat.* 1. *Theb.* 698. rore pudico Castaliæ flavos amor est tibi mergere crines. *h. e.* tibi libet, placet. — NB. De Amore, qui a veteribus deus habebatur, *V.* ONOM.

H o m o n y m. 1.) Sunt discrimina (licet non perpetua) inter *caritatem* et *amorem*, quod *caritas* hominibus tantum convenit et honesta est dumtaxat; *amor* etiam brutis tribuitur, et tum honestam tum inhonestam dilectionem significat. Præterea *caritas* ex ratione et ex justa æstimatione personæ amabilis oritur; *amor* ex affectu et impetu passionis, quo modo *diligere* et *amare*. Ad hæc, *caritas* spectatur præcipue erga superiores, ut deos, patriam, parentes, et alia, quæ supra nos excellunt; *amor* erga æquales, aut inferiores, ut *Cic.* significat *Partit. orat.* 16. 56. Nam aut c a r i t a t e moventur homines, ut deorum, ut patriæ, ut parentum; aut a m o r e, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium; aut honestate, ut virtutum etc. Et apertius *ibid.* 25. 88. Amicitiæ c a r i t a t e et a m o r e cernuntur. Nam cum deorum, tum parentum, patriæque cultus eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad c a r i t a t e m referri solet. Conjuges autem et liberi et fratres et alii, quos usus familiaritasque conjunxit, quamquam etiam c a r i t a t e ipsa, tamen a m o r e maxime continentur. *Id.* 2. *Orat.* 51. Si videaris laborare pro viris bonis, aut certe pro iis, qui illi boni atque utiles sint: namque hæc res a m o r e m magis conciliat; illa virtutis defensio c a r i t a t e m. *V.* et *Döderlein Latein. Synonym.* vol. 4. p. 100.

2.) Differunt etiam *benevolentia*, et *amor*, quod *amor* est origo et principium *benevolentiæ*, quæ est

veluti quidam habitus ex multis amoris actibus proveniens, et amicitiam constituens: quamquam ne hæc quidem differentia perpetua est. *Cic. Amic.* 8. 26. Amor (ex quo amicitia nominata) princeps est ad benevolentiam conjungendam. — Interdum et illud inter hæc duo interest, quod *benevolentia* sumitur pro dilectione quadam civili et officiosa, *amor* pro ea, quæ ex animo provenit, et tenerior est. *Cic.* 3. *Fam.* 9. Nihil enim est, quod studio et benevolentia, vel amore potius effici non possit.

ĂMŌRĀBUNDUS, a, um, adject. amoribus plenus, amore saucius. *Gell.* 11. 15. Laberius in lacu Averno mulierem amantem, verbo inusitatius facto, amorabundam dixit. Est qui legit *amecabundam* eodem fere sensu. Nam *amecus* et *ameca* pro *amicus*, et *amica* olim dictum est, teste *Paul. Diac.* p. 15. 6. *Müll.*

ĂMŌRĀTUS, a, um, adject. dilectus. *Inscript.* ad sequioris Latinitatis tempus pertinens apud *Fabrett.* p. 329. n. 481. JVLIVS BALERIANVS QVI VIXIT ANNIS BENE XX. NATALI SVO D. (*h. e.* decessit) SODALICIARIVS BONVS AMORATVS FILETIVS (*pro* philetius) VSQVE AT FOTSA (*h. e.* ad fossam).

ĂMŌRĬFER, a, um, adject. (amor *et* fero) amorem inducens. *Venant.* 6. 2. 13. Torsit amoriferas arcu stridente sagittas Forte Cupido volans.

ĂMŌRĬFĬCUS, a, um, adject. (amor et facio) idem quod amorifer. *Apul. Herb.* 123. Sempervivum nominatur ab aliquibus stergethron, eo quod amorifica judicetur.

ĂMOS pro *amor.* *V.* AMOR.

ĂMŌTĬO, ōnis, f. 3. actus amovendi, remotio (It. *rimuovimento, rimozione;* Fr. *éloignement;* Hisp. *alejamiento;* Germ. *die Wegbringung oder Entfernung;* Angl. *a removing away*). *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. In omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 3. 9. *Cajus Dig.* 47. 10. 43. Pati amotionem ordinis. *h. e.* amoveri ab ordine, privari ordine.

ĂMŌTUS, a, um. *V.* AMOVEO.

ĂMŎVEO, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (a *et* moveo). Part. *Amotus* et *Amovendus* in omnibus ferme paragraphis. — Est a loco moveo, a loco aufero, removeo; et proprie dicitur de rebus inanimis, ut ait *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 4. 2. 14. Proprie amovetur saxum de loco (It. *rimuovere, allontanare, tor via;* Fr. *éloigner, écarter;* Hisp. *alejar, apartar;* Germ. *fortbewegen, bewegend fortbringen;* Angl. *to remove out of the way, take away, withdraw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 5. *Verr.* 8. 20. Ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis, neque in amovendo, neque in exportando frumento grano uno posset arator – fraudare decumanum. ubi *amovere* est ab uno in alium fundi locum transferre; *exportare* autem est extra fundum ipsum efferre. *Liv.* 5. 51. Sacra avecta in finitimas urbes amovimus ab hostium oculis. *Id.* 40. 51. Ab his columnis – signa amovit. *Sueton. Cal.* 34. Virgilii ac T. Livii imagines paullum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoveret. — Hinc metaphorice *Cic. Rabir. perduell.* 4. 12. Porcia lex virgas ab omnium civium Rom. corpore amovit. Et *Lucret.* 1. 219. Præterea, quæcumque vetustate amovet ætas, Si penitus perimit etc. ¶ 2. Amovere ponitur et pro furari. Frequentissime hoc sensu usurpatur a JCtis, præcipue dum de furtis filiorum familias, conjugum, fratrum, heredum, sociorum, et hujusmodi familiarium sermo est. Si enim hi aliquid interverterint, aut consumpserint, *amovisse* dicuntur, non *furtum fecisse*, lenitate vocabuli mitigando turpitudinem facti. Hinc apud eosdem JCtos *res amotæ* dicuntur, quas uxor marito surripit durante matrimonio; de quibus et *tit.* 2. *lib.* 25. *Dig.* Nam, ut *ibid.* loquitur *Cajus leg.* 2., in honorem matrimonii turpis actio (puta *furti*) adversus uxorem negatur. *Tryphon. Dig.* 42. 1. 52. Si rerum amotarum cum viro agatur. *Paul. Dig.* 25. 2. 3. Si filiafamilias res amoverit. *Ulp. Dig.* 29. 2. 70. Si quis aliquid ex hereditate amoverit. *Id. ibid.* 23. 3. 9. Agetur rerum amotarum, si animo amovendi maritus retineat. *Horat.* quoque 1. *Od.* 10. ne aperte Mercurium furtum fecisse dicat, cum Apollini boves abduxit, hoc eodem verbo utitur v. 8. Te boves olim nisi reddidisses Per dolum amotas etc. *Curt.* 9. 7. 24. Ministrique, quasi amisissent, quod amoverant (*poculum*), regem adeunt. *Sueton. Ner.* 47. Direptis stragulis, amota et pyxide veneni. — Interdum tamen generatim sumitur pro surripere. *Id. ibid.* 47. 9. 3. docet aliud esse *amovere*, aliud *rapere*; siquidem amoveri aliquid etiam sine vi potest, rapi autem sine vi non potest. *Id. ibid.* 43. 5. 2. Amovere tabulas.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur de personis et est eas longe a se removere, amandare, arcere. *Plaut. Truc.* 1. 1. 63. Eadem postquam alium reperit qui plus daret, damnosiorem me exinde amovit loco. *Id. Epid.* 1. 1. 94. Ubi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas (*fidicinam*). Adde *Bacch.* 1. 8. 64. *Ter. Adelph.* 3. 4. 14. Age, tamen ego hunc amovebo. *Id. Hec.* 4. 4. 72. Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris. *Cic.* 1. *Att.* 12. Nebulonem istum ex istis locis amove. *Id. Harusp. resp.* 20. 43. Saturninum quæstorem a sua frumentaria procuratione amovit. *Liv.* 5. 6. Ut exercitum Rom. – non vis hiemis ab urbe circumsessa semel amovere possit. *Propert.* 1. 11. 15. Amoto custode. *Curt.* 7. 1. Amotis longius ceteris. *Sueton. Vitell.* 7. Amovere turbam creditorum terrore. ¶ 2. Speciatim *amovere se* est recedere. *Ter. Phorm.* 3. 3. 33. Modo te hinc amove. *Liv.* 3. 38. Se e cœtu impotentium amovere. *Sueton. Tib.* 10. Statuit repente recedere seque e medio quam longissime amovere. *Sil. It.* 17. 224. qui memet finibus unquam Amorim Ausoniæ. syncope pro *amoverim.* ¶ 3. Item speciatim *amovere aliquem* apud ætatis argenteæ Scriptores est ablegare vel relegare. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Suilium quæstorem amovendum in insulam censuit. *Id. ibid.* 21. Amovere aliquem Cretam. *Id.* 14. *ibid.* 57. Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos. *Id.* 1. *ibid.* 53. Amotus Cercinam Africi maris insulam, quatuordecim annis exilium toleravit. *Id.* 13. *ibid.* 9. Amovere suspectos æmulationis. ¶ 4. Jungitur sæpissime et abstractis. *Plaut. Amph.* 1. 2. 2. Amovi a foribus maximam molestiam, patri ut liceret tuto illam amplexarier. *Id. Pseud.* 5. 1. 35. Amovere crapulam. *h. e.* discutere. *Id. ibid.* 1. 2. 11. Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amoveris. *Id. Asin.* 2. 1. 6. Quin tu abs te socordiam omnem reice et segnitiem amove. *Id. Trin.* 3. 3. 34. Amovere suspicionem ab aliquo. *Ter. Andr.* 3. 2. 30. Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo. *Id. ibid.* 1. 2. 10. Amoto metu. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. PERIIIS IVRGIA AMOVENTO. *Et mox.* PIETATEM ADHIBENTO: OPES AMOVENTO. *Id. Amic.* 24. 89. In obsequio autem – comitas adsit, assentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur. *Id. Prov. cons.* 1. 2. Præcipuum illum et proprium sensum doloris mei – a sententia dicenda amovebo. *Cic. Cluent.* 58. 159. Habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem; libidinem autem, odium, invidiam, metum cupiditatesque omnes amovere. *Liv.* 28. 28. Amolior et amoveo nomen meum. *Id.* 5. 35. Amovere bellum. *Id.* 6. 16. terrorem. *Id.* 4. 41. enixe culpam ab se. *Tac.* 4. *Ann.* 71. metus.

AMPECTO, is, xi, xum, ere, a. 3. verbum compositum ex antiquo *am* circum, et *pecto.* Jlocaliter usurpatur a *Plaut. Rud.* 3. 5. 36. Extemplo ampectitote crura fustibus. *Acidalius* ita legendum conjecerat pro vulgari *amplectitote*, et quidem recte; nam nemo certe dixerit *amplectere crura fustibus*, sed potius *ampectere* sive *pectere*, quemadmodum alibi apud eumdem *Plaut.* legitur *pectere fuste, pectere pugnis* (*V.* PECTO), et apud *Terent.* eodem sensu *depexum.* Hanc lectionem in textum recepit primus, ut puto, *Frid. Henr. Bothe*, eique ipse plane assentior.

AMPEDICES. *V.* AMPENDICES.

AMPELINUS, a, um, adject. ab ἄμπελος *vitis.* h. e. natura vel qualitate vino similis. Occurrit tantum plur. num. absolute pro quodam genere vestium in *Cæcil.* apud *Non.* p. 548. 14. *Merc.* Carbasina, molochina, ampelina. De colore aliquo *Cæcil.* loqui videtur. *V.* XERAMPELINUS.

AMPELĪTIS, idis, f. 3. (ἀμπελῖτις) terram quædam bitumini simillima, usum habens in medicina molliendi et discutiendi: in callibleпharis etiam, et ad inficiendos capillos, ut *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 56. (194). docet. Nomen habet ex eo, quia vitibus circumlita, vermes interficit, qui earum oculos erodunt; vel quia in ea vites felicius proveniunt. Nam ἄμπελος Græce *vitis* est.

AMPELODESMOS, i, m. 2. (ἀμπελόδεσμος) genus herbæ (palustris, quam *Virg.* 2. *Æn.* 135. et 6. *ibid.* 414. ulvam appellat) adeo sequacis et constantis, ut ea Siculi vites alligare soleant, teste *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (209). Unde et nomen traxit. Nam ἄμπελος Græce vitem significat, δεσμός vinculum. Eadem planta Neapoli etiamnunc storeæ et funes fiunt, et in Sicilia etiam retia. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 78.) affirmat ampelodesmon *Plinii* nulla nunc cognita planta definiri posse. — Superiora vero corrigenda esse monuit *Mich. Ang. Macri* in *Atti della Soc. Pontan. T.* 4., etenim ampelodesmos in collibus maritimis circa Bajas et in Sicilia, minime vero, ut ulva, in paludibus nascitur; et in Etruria vulgo *saracchio*, in Sicilia *dis*, Arabica nempe voce, quæ juncum significat, appellatur: hujus præterea plantæ accuratam ibidem exhibet descriptionem, quem consulas oportet, ut quidnam sit discriminis inter ampelosdemon et ulvam, tibi innotescat.

AMPELOLEUCE, es, f. 1. (ἀμπελολεύκη) vitis alba; ita dicta a colore albo radicum, ab ἄμπελος *vitis* et λευκή *alba*; sarmenta habet longis et exilibus internodiis geniculata, folia pampinosa ad magnitudinem hederæ, et tamen divisa, ut vitium, radicem albam, grandem, raphani similem initio, ex qua caules exeunt asparagi similitudine; semen in uva raris acinis dependens, succo rubente, postea croci. Varios habet usus in medicina, quos fuse prosequitur *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. (21). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 172.) hanc exhibet synonymiam: Ἄμπελος λευκή, Dioscor. 4. 184., Ψιλώθρον vel Ψίλωθρον Hipp. de Fistul. text. 6. p. 886., Μήλωθρον Theoph. Hist. plant. 6. 1., *Vitis alba* Latinor., *Ampeloleuce* vel *Bryonia alba* Plin. l. c. sunt *Bryonia alba* L. Spec. plant. 1439.

AMPELŎPRĂSON, i, n. 1. herba in vinetis nascens, et folia porri similia habens: unde et denominata est, ab ἄμπελος *vitis* et πράσον *porrum.* *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 86. (136). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 284.) hanc exhibet synonymiam: Ἀμπελόπρασον Dioscor. 2. 180., *Ampeloprason* Plin. l. c., et Ἄγριον πράσον Galen. de Fac. simpl. med. p. 154. sunt *Allium ampeloprason* L. Spec. plant. 423.

AMPELOS, i, f. 2. Græca vox ἄμπελος *vitis*, quæ in re agraria tantum occurrit, scilicet — *a*) Ampelos agria (ἄμπελος ἀγρία) Latine *labrusca*, et *uva taminia*, herba est foliis duris cineracei coloris, viticulis longis, callosis, rubentibus, qualiter flos, qui Jovis flamma appellatur, semen ferens mali Punici simile acinis. Varios habet in medicina usus, quos vide apud *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 14. (19). et 27. *ibid.* 7. 27. (44). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 170.) animadvertit *Plinium* in hisce locis errasse. V. infra. — *b*) Ampelos Chironia, vitis dicta a Chirone inventore, alio nomine bryonia apud *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (27). et 25. *ibid.* 4. 16. (34). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 173.) hanc exhibet synonymiam: Ἄμπελος ἀγρία Hipp. Hist. 889., Ἄμπελος μέλαινα Dioscor. 4. 185., Ἄμπελος ἰδαία Theophr. Hist. plant. 3. 17., *Vitis nigra, bryonia nigra* Plin. l. c. et *Uva taminia* ibid., *Bryonia lævis sive nigra racemosa* B. C. Bacch. Pin. 297., *Vitis* vel *Bryonia nigra* quorumdam sunt *Tamus communis* L. Spec. plant. 1458.

AMPENDĪCES dicebantur ab antiquis, quod circumpenderent, quas nunc appendices appellamus. *Paul. Diac.* p. 21. 6. *Müll.* Vulgati libri legebant *ampedices*; sed ipse *Voss.* in *Etymol.* in voce *Pendeo* observarat, in compluribus MSS. legi *ampendices*, quod magis ad etymologiam accedit.

AMPHĒMERĪNON genus febrium (ἀμφημερινὸς πυρετός), febris quotidiana, quæ nunquam intermittit, ab ἀμφὶ *circum* et ἡμέρα *dies*, quod omnibus diebus accedat, velut circumeundo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 66. (228).

AMPHĬBĂLUM, i, n. 2. et) *V.* AMPHIBOLUS.
AMPHĬBĂLUS, i, m. 2.)

AMPHĬBŎLĒ. *V.* AMPHIBOLUS.

AMPHĬBŎLĬA, æ, f. 1. (ἀμφιβολία, ἀμφιλογία) ambiguitas, ambiguus sermo, qui duplicem sententiam habere potest, nec quam magis significet, apparet: quale est illud, *statuam auream hastam tenentem* (It. *anfibologia, equivoco;* Fr. *amphibolie, équivoque;* Hisp. *anfibologia;* Germ. *die Zweideutigkeit, Doppelsinnigkeit;* Angl. *amphibology, equivocation*). Variæ sunt ejus species, variique solvendi modi: quæ omnia *Quintil.* 7. 9. 1. persequitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 116. Amphiboliam versus intelligere. *Et mox.* Illa amphibolia, quæ Crœsum cepit, vel Chrysippum potuisset fallere. *Id.* 7. *Fam.* 32. Acuta amphibolia. *Id.* 2. *Herenn.* 11. 16. Cognitio amphiboliarum. *Et mox.* Amphibolias aucupari. Adde *Quintil.* 6. 3. 62.

et 9. 4. 32., et *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 492. aliosque. — Dicitur etiam, sed minus recte, *amphibologia*, quæ vox videtur esse facta per syncopen ex ἀμφιβολολογία, et ἀμφίβολος *ambiguum* et λόγος *sermo*; et proprie significat potius sermonem de amphibolia, quam amphiboliam ipsam. Nihilominus *amphibologia* Latine usurpatur ab *Isid.* 1. *Orig.* 33. et Græce a *Capell.* 5. p. 142. Grammaticam hanc quæstionem de amphibolia et amphibologia disquirit etiam *Voss. De vit. serm. l.* 1. *c.* 11.

AMPHĬBŎLĬCĒ, adverb. (ἀμφιβόλως) ambigue, ancipiti sermone. *Boeth. Aristot. Elench. Sophist.* 2. 2. *p.* 746. Licet in fine cum conclusum fuerit dicere se, non id ipsum quod affirmavit negare, sed æquivoce, aut amphibolice.

AMPHĬBŎLŎGĬA. *V.* **AMPHIBOLIA.**

AMPHĬBŎLUS, a, um, adject. (ἀμφίβολος) proprie est quod bis circumvolvitur. Hinc ¶ 1. *Amphibola tunica* est vestis exterior pallio similis, quæ aliis vestibus superinduitur. *Sulpic. Sev. Dial.* 2. 1. Intra amphibolam sibi tunicam latenter eduxit. *Forcellinus* legebat *amphibalum*. Et absolute *Venant.* 3. *de vita S. Martin.* 42. Amphiboli exterius dum membra obtecta laterent. *Forcellinus* legebat *amphibali*; alii leg. *amphibole*, ut sit a recto *amphibole*, *es* (ἀμφιβολή) eodem sensu et notatione. ¶ 2. Translate amphibolus est ambiguus, dubius; et ad sermonem refertur. *Capell.* 5. *p.* 149. Nomen amphibolum facit quæstionem. Et græca positione *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 178. *Ira irritata deorum* amphibolon est, utrum sua ira propter extinctos gigantes, an ira deorum irritata, quia extinxerat gigantes.

AMPHĬBRĂCHYS, yos, m. 3. (ἀμφίβραχυς) pes ex prima, et ultima brevibus, media producta, ut *timere*: sic dictus quod in utraque parte brevem habeat, ab ἀμφὶ *utrimque* et βραχὺς *brevis*. *Quintil.* 9. 4. 82. Longa inter breves, amphibrachys; duabus longis brevem sequentibus, bacchius. Adde *ibid.* § 105. — Huic pedi contrarius est *amphimacrus*, qui sæpius *Creticus* dicitur, constans media brevi inter duas longas, ut *cardines*: ab ἀμφὶ *utrimque* et μακρὸς *longus*. *Quintil. ibid.* § 81. Media inter longas brevis faciet amphimacrum. — Pro *amphibrachys* dicitur etiam *amphibrachus*, *i*, positione Latina: et ita usurpatur a quibusdam Grammaticis *Aspero Jun.*, *Donato*, *Cledonio*, *Mar. Victorin.*, *Terentian. Maur. cap. De Metr.* et aliis.

AMPHĬBRĔVIS, is, m. 3. nomen pedis, qui rectius *amphibrachys* dicitur. Est enim hæc vox hybrida, et Græco ἀμφὶ *circum* vel *utrimque*, et Latino *brevis* conflata; et legitur apud *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.*

AMPHĬCYRTOS, on, adject. (ἀμφίκυρτος). Amphicyrtos dicitur luna, cum est inter medietatem suam et plenitudinem, hoc est inter septimum et decimum quintum diem incrementi, vel inter decimum quintum et vigesimum primum decrementi. Tunc enim ex omni parte curva est: ab ἀμφὶ *circum* et κυρτὸς, *curvus*, *gibbosus*. Legitur apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. modo Græcis, modo Latinis litteris scripta. Adde *Firmic. præf.* 4. *Mathes.*

AMPHĬDOXUS, a, um, adject. (ἀμφίδοξος) anceps, dubius. *Augustin. Princip. rhet. p.* 328. *Capper.* In amphidoxo genere moderatione quadam utendum erit, cum principiamus.

AMPHĪMĂCER *vel* amphĭmăcrus, i, adject. (ἀμφίμακρος). *V.* **AMPHIBRACHYS.**

AMPHĬMALLUM, i, n. 2. (ἀμφίμαλλον) genus vestis ex panno utrimque villoso, ab ἀμφὶ *utrimque* et μαλλὸς *villus*. *Varro* 5. *L. L.* 167. *p.* 65. *Müll.* In his (*operculis*) multa peregrina, ut sagum, reno Gallica, et gaunacum et amphimallum Græca. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (103). Gausapa patris mei memoriâ cœpere, amphimalla nostrâ. Adde *Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 283.

AMPHĬMĔRES, is, adject. comm. gen. (ἀμφιμερής) qui utrimque divisus est. *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.* Huic (*pedi*) contrarius est amphimacrus, fescenninus, amphimeres, quem alii creticum appellant. Constat ex longa et brevi et longa, temporum quinque, ut *Demophon*: dictus a duabus longis, a quibus utrimque brevis media amplectitur.

AMPHĬPRŎSTȲLOS, on, adject. (ἀμφιπρόστυλος). Amphiprostylos ædes est quæ in antica et postica parte columnas habet: vox Græca ab ἀμφὶ *circum* vel *utrimque*, πρὸ *ante*, et στῦλος *columna*. *Vitruv.* 3. 2. 4. *Schneid.* Amphiprostylos (*ædes*) omnia habet ea, quæ prostylos, prætereaque habet in postico ad eumdem modum columnas et fastigium.

AMPHISBÆNA, æ, f. 1. (ἀμφίσβαινα) serpens venenosa in Libya præcipue nascens, quæ terrestrium lumbricorum modo, utrisque extremitatibus, capite scilicet et cauda, acuminatis gignitur, ut difficile possit unum ab altera dignosci, et præterea tum prorsus, tum retrorsus, cum libuit, facile repit: unde et nomen ab ἀμφὶ *utrimque*, et βαίνω *gradior*. Hinc factum est, ut geminum caput eam habere olim creditum sit, et utrimque venenum fundere, ut *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (85). et *Solin.* 27. *circa med.* scribunt. *Lucan.* 9. 719. Et gravis in geminum surgens caput amphisbæna.

AMPHĪTĀNĒ, ēs, f. 1. gemma alio nomine chrysocolla, invenitur in Indiæ parte ea, ubi formicæ eruunt aurum, auro similis, quadrata figura: affirmaturque natura ejus, quæ magnetis: nisi quod trahere quoque aurum creditur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (147).

AMPHĪTĀPA, æ, f. 1. subaudi *vestis*, est enim adjectivum a Græco ἀμφιτάπης, ὁ, καὶ ἡ, vel ἀμφίταπος, genus vestimenti cubitorii utrimque villosi, ab ἀμφὶ *utrimque*, et τάπης *tapes*: tapetes enim villosi esse solent. *Varro* apud *Non. p.* 540. 26. *Merc.* Dormire super amphitapâ bene molli. *Lucilius ibid.* Amphitapæ villis ingentibus molles. *Id. ibid.* Pluma, atque amphitapæ, et si aliud quid deliciarum. *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, *etc.* Virilia sunt, quæ ipsius patrisfamilias causa parata sunt, veluti togæ, tunicæ, palliola, vestimenta stragula, amphitapa (*in celebri editione* Torrentini *est* amfitapa, *Latino scribendi modo*) et saga, reliquaque similia, etc. Ubi nota *adjectivum neutrum* pluralis numeri, cui subaudi *vestimenta*. — Ad *Hesychio* inter χιτῶνας, hoc est tunicas numeratur.

AMPHĪTHĂLĂMUS, i, m. 2. (ἀμφιθάλαμος) genus cubiculi in ædibus. *Vitruv.* loquens de dispositione ædificiorum Græcorum 6. 7. 2. *Schneid.* In prostadis dextra ac sinistra, cubicula sunt collocata, quorum unum thalamus, alterum amphithalamus dicitur. *Thalamus* erat viri, et uxoris cubiculum: *Amphitalamus*, ubi ancillæ cubabant: ab ἀμφὶ *circum*, quia veluti circum thalamum positus erat, hoc est tam prope, ut vocatæ ancillæ exaudire possent, et ad imperia præsto esse. Est qui legit *antithalamus*, ἀντιθάλαμος, ab ἀντὶ *contra*, quod contra, seu e regione thalami positus erat.

AMPHĪTHEĀTRĀLIS, le, adject. ad amphitheatrum pertinens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (84). Amphitheatrale spectaculum. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 293. Amphitheatralis pompa. Adde *Prudent. adv. Symmach.* 1. 385. *Martial.* 14. 137. Amphitheatrales usus. *Id.* 11. 70. Amphitheatrales magistri. *h. e.* qui venationibus præerant, quæ in amphitheatro fiebant.

AMPHĪTHEĀTRĬCUS, a, um, idem ac amphitheatralis. *Symmach.* 4. *Ep.* 8. Amphitheatricum spectaculum. — *Amphitheatrica charta* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (75). est genus quoddam chartæ vilioris et plebejæ, ita dictæ, quia Alexandriæ primum in amphitheatro, vel prope illud conficiebatur. Id autem nomen retinuit etiam postquam aliis in locis fieri cœpit, et arte perfici.

AMPHĪTHEĀTRUM, i, n. 2. (ἀμφιθέατρον) ædificium circulari, seu potius ovali forma, in usum spectaculorum extructum: ita dictum ab ἀμφὶ *utrimque*, et θέατρον *theatrum*. Prius enim theatra facta sunt forma semicirculari, postea duobus veluti theatris coeuntibus, ovali, et ut loquitur *Cassiod.* 5. *Variar. ep.* 42. prolixa quadam rotunditate. In iis erant gradus circum undique, et sedilia disposita ad spectandum, in medio spatium, quod *arena* dicebatur, quia arena spargi solebat, ut ludentes commodius insisterent. Præcipua, quæ in iis edebantur, erant gladiatorum certamina, venationes, et damnatorum hominum pugnæ cum feris, naumachiæ, etc. Varia fuere Romæ amphitheatra, Caligulæ, Claudii, Titi, Domitiani, Trajani, etc. Extra Romam in Italia amphitheatrum Veronense, quod adhuc visitur; extra Italiam aliquot in variis provinciis, quæ injuria temporum vel omnino, vel magna sui parte periere, de quibus, deque omni amphitheatrorum constructione adeantur ii, qui ex professo scripsere, inter quos est *Lipsius*; qui non verbis solum accurate descripsit, sed tabulis etiam expressas eorum figuras exhibuit: item *Scipio Maffejus in Verona illustrata*. *Martial. Spectac.* 1. Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro. *Hic* sermo est de illo amphitheatro, quod Vespasianus incepit, teste *Sueton. Vesp.* 9., et Titus perfecit ac dedicavit, teste *eod. Tit.* 7., quodque, licet magna ex parte corruptum ac dilapsum, Romæ adhuc extat. Adde eumd. *Martial.* 2. 5., *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 6. (24). et 36. *ibid.* 15. 24. (117.), *Sueton.* ll. citt. et *Aug.* 29. et *Tib.* 7. et 40., *Tac.* 2. *Ann.* 62. et 2. *Hist.* 67., et *Isid.* 15. *Orig.* 2. 35. *Inscript.* apud *Murat.* 612. 7. . . . . . MONTANVS IIII. VIR AMPHITHEATRVM SVA PECVNIA . . . DEDICAVIT. Adde *Inscript.* apud *Morcell. de stil. T.* 1. p. 216.

AMPHĪTRĪTĒ, ēs, f. 1. (Ἀμφιτρίτη) filia Oceani, vel Nerei et Doridis, uxor Neptuni, maris Dea, de qua *V.* ONOM. Per metonymiam pro ipso mari ponitur. Dicta videtur vel παρὰ τὸ ἀμφοτέρωθεν τρεῖν ποιεῖν, quod undique timorem incutiat aut navigantibus, aut accolentibus; vel παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν, quod terras undique atterat, et rodat fluctibus; vel παρὰ τὸ ἀμφιτρέχειν τὴν γῆν, quod terram ambiat. *Ovid.* 1. *Met.* 14. nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite. Adde 5. *Fast.* 731. *Catull.* 64. 11. Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten. *h. e.* prima mare navigavit: de Argo navi loquitur.

AMPHŎRA, æ, f. 1. ἀμφιφορεὺς, et per syncopen ἀμφορεὺς, genus vasis, plerumque fictilis, ut ait *Horat. Art. P.* 31. et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. (nam etiam quandoque ex alia materia fuisse legitur apud *Petron. Satyr.* 34. et *Nep. fragm.* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 12. (59).) ita dicti, quia utrimque prehendi et portari poterat, ab ἀμφὶ *utrimque*, et φέρω *porto*. Habebat enim utrimque ansas, et fortasse etiam plures duabus; nam in *Mus. Borbon. Neapolit.* videre est vas magnum aeneum duabus ansis superioribus totidemque inferioribus præditum. Ceterum de duabus tantum ansis interpretandus locus *Caton. R. R.* 113. 2. Amphoras nolito implere nimium, ansarum infimarum fini. *h. e.* ansarum infimarum tenus, seu usque ad extremitatem inferiorem ansarum. — Interdum in superiori parte muniebatur tubulis extantibus, per quos liquor effunderetur, atque appellabatur *amphora nasiterna* vel absolute *nasiterna*, quam memorat *Cato R. R.* 11. 3.; in inferiori vero parte erat acuta, ut in abaco poni posset. — Ad varios usus inserviebat; sed præcipue ¶ 1. Ad liquores condendos, et præcipue — *a*) Ad vina condenda. Nam vinum, quod servari volebant, ex doliis diffundebant in amphoras, et cados bene picatos, ibique habebant. donec usus causa promi placeret, ut *Proculus Dig.* 33. 6. 15. docet. Et *Julian. ibid.* 50. 6. 206. Cum amphoræ vinum habent, tum in vasis vinariis; cum inanes sunt, tum extra numerum vinariorum sunt, quia aliud in his addi possit. — Quare videntur amphoræ, quod ad usum spectat, respondere iis vasis, quæ Itali appellant *fiaschi*, Galli *bouteilles*, Hispani *botella*, Germani *Flasch*, Angli *flasks*, *bottles*, maxime si vitreæ sint, ut est apud *Petron. loc. cit.*, ubi narrat, illatas in mensam fuisse amphoras vitreas diligenter gypsatas, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum titulo: *Falernum Opimianum annorum centum*. Hinc illa *Horatii* ode quæ est 21. *l.* 3. in qua amphoram laudat, ut sibi æqualem, nempe eo ipso anno impletam vino, quo is natus fuerat, et ad ea usque tempora servatam. Adde eumd. 2. 3. 6. et 1. *Sat.* 10. 24. et *V.* NOTA. *Id. Art. P.* 31. amphora cœpit institui, currente rota, cur urceus exit? *Id.* 3. *Od.* 16. 34. Nec Læstrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi. *Id. ibid.* 8. 9. Hic dies anno redeunte festus Corticem astrictum pice demovebit Amphoræ. Adde *Caton. R. R.* 127. 1. — Hujusmodi amphoræ vinariæ in *apotheca*, ut docet *Colum.* 1. *R. R.* 6. 20., vel in *horreo* condebantur, ut ait *Horat.* 3. *Od.* 8. 11. Parcis deripere Horreo cessantem Bibuli consulis Amphoram. — Quo vero citius vinum vetustatis saporem conciperet, ipsæ amphoræ adducto fumo involvebantur, ut ait *Colum. l. c.*, *Horat.* 3. *Od.* 8. 11. et *Galen. de antid.* 1. 5. — *b*) Ad oleum servandum amphoras inservisse, quæ propterea *olearíæ* dicebantur, colligitur et *Caton. R. R.* 10. 2. et 13. 2. — *c*) Item ad mella servanda. *Horat. Epod.* 2. 15. Aut pressa puris mella condit amphoris. *Cic.* 4. *Verr.* 74. 18. CCCC amphoræ mellis. — *d*) Item ad metalla servanda. *Nep. Hann.* 9. 2. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. *Gell.* 15. 12. Alii (*proconsules*) vini ampho-

ras, quas tulerunt, eas plenas argento domum retulerant. Hinc sæpissime nummorum thesauri in amphoris sive ollis reperti sunt: V. Cavedoni Appendice al Saggio sulle medaglie p. 6. ¶ 2. Hinc amphora est genus mensuræ, quæ Latine etiam quadrantal dicitur, teste Festo p. 258. 20. Müll. Quadrantal vocabant antiqui, quam ex Græco amphoram dicunt, quod vas pedis quadrati octo et XL capit sextarios. Scilicet duas urnas continet, ut est apud Fann. De ponderib. et mens. 63., hoc est congios VIII., sextarios XLVIII., heminas XCVI., ponderis vero libras LXXX. Quamquam ut incerta omnia de veterum mensuris sunt, ita varie a variis amphoræ ratio traditur. Quod vero Fannius ibid. 61. addit: quam me violare liceret, Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites: innuit morem Romanorum, ut mensuras, et pondera in Capitolio custodirent, ut inde quoties res exigeret, et de legitima mensura dubitaretur, veritas peti posset. Hinc Capitolina amphora ponitur pro amphora justæ mensuræ. Capitolin. Maximin. 4. Bibisse illum sæpe in die Capitolinam amphoram constat. — Hoc sensu in Genit. plur. sæpe facit amphorûm, præcipue cum adjectivis numeralibus, ut Charis 1. p. 41. Putsch. observat. — Duplex autem erat genus mensuræ, scilicet — a) Vini aliorumque liquidorum. Cic. Font. 5. 9. Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse. Adde eumd. 4. Verr. 74. 183. Plin. 9. Hist. nat. 30. 48. (93). Caput ejus (polypi) dolii magnitudine, amphorarum quindecim capax. — b) Oneris, quod navibus portatur, quodque nunc It. tonnellate et Germ. Tonne appellatur. Cic. 12. Fam. 15. Naves onerarias, quarum minor nulla erat duûm millium amphorûm. Liv. 21. 63. Navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset. Plin. 6. Hist. nat. 22. 24. (82). Magnitudo (navium) ad terna millia amphorûm. ¶ 3. Fuit etiam amphorarum usus Romæ in angiportis aliisque locis, ubi constituebantur amphoræ curtæ ad exonerandas vesicas populi Rom. Quiritium, quæ fortasse in cloacas influebant. C. Titius Lucilii æqualis apud Macrob. 2. Saturn. 12. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Juxta Forcellinum tale sepulcrum pro olla sepulcrali imprecatur lenæ Propert. 4. 5. 73. Sed ¶ 3. Amphora Salonæ anno 1825. reperta (V. Steinbüchel's Altherth. p. 67.) confirmavit amphoras etiam ad condenda cadavera inservisse; ipsæ namque mediæ dividebantur immissoque cadavere iterum conjungebantur. Propert. l. c. Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo. Inscript. apud Gruter. 816. 6., 891. 4. 929. 7., 940. 3. ¶ 5. Amphoras sparteas refert Cato R. R. 11. 2. inter instrumenta vineæ; et videntur fuisse vasa rusticana ex sparto contexta in amphoræ figuram. Turneb. l. 7. c. 23. scribit, putare se, sparteas amphoras adhibitas fuisse in vino metiendo; nam si fictiles fuissent, tractando sæpe, uti metiendo fit, facile fractæ fuissent: recentiores vero putant sparteas amphoras ad vindemiam inservisse.

AMPHŎRĀLIS, le, adject. Apud Plin. 37. Hist. nat. 2. 10. (27). amphorale vas est amphoræ mensuram capiens. V. AMPHORA 2.

AMPHŎRĀRĬUS, a, um, adject. Vinum amphorarium dicitur a Proculo Dig. 33. 6. 16. § 2. quod in amphoras diffunditur servandi causa, ad differentiam doliaris.

AMPHŎRŬLĂ, æ, f. 1. parva amphora. Isid. 29. Orig. 31. 12. Monile ornamentum ex gemmis est; hoc etiam et serpentum dicitur, quia constat ex amphorulis quibusdam aureis, gemmisque variis in modum factura serpentis.

AMPIRVARE. V. AMTRUO.

AMPLĒ, adverb. (amplus). Comp. Amplius V. AMPLUS in fine; Sup. Amplissime 1. et 2. Ample proprie est late et large; sed occurrit tantum translate. ¶ 1. Copiose, abundanter, magno numero. Cic. 6. Verr. 27. 62. Ample magnificeque exornare triclinium. Id. 5. Phil. 19. 53. Agros militibus amplissime dare, assignare. Id. 9. ibid. 7. 16. Efferre aliquem supremo die suo quam amplissime. Cæs. 3. B. C. 53. Amplissime donare cohortem militaribus donis. Cels. præfat. post. med. Qui ample (h. e. magno numero) valetudinarios nutriunt, quia singulis summa cura consulere non sustinent, ad communia ista confugiunt. Forcellinus h. Celsi locum inter propria retulerat. ¶ 2. Item splendide, magnifice, honorifice. Cato R. R. præfat. 3. Amplissime laudari existimabatur qui ita laudatur. Adde Plin. 18. Hist. nat. 3. 3. (11). Cic. 3. Fam. 10. 10. Quibus ille me rebus non ornatissimum voluit amplissime? Id. Mur. 7. 15. Amplissime et honestissime ex prætura triumphare. Id. Dom. 29. 74. Amplissime decernere de alicujus salute. Id. 4. Verr. 46. 112. Gerere honores omnes amplissime ac magnificentissime. ¶ 3. Interdum et de sermone ponitur et est magnifice, magna cum dignitate. Cic. Brut. 55. 201. Duo genera oratorum, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium. Id. 5. Tusc. 9. 24. Elate ampleque dicere. Flor. 4. 2. 65. Satis ample sonabant Pompejani nominis locum Cato et Scipio. h. e. satis amplum et magnum nomen habebant.

AMPLECTO, is, ere, idem atque amplecti, active usurpasse veteres testantur Priscian. 8. p. 797. et Diomed. 1. p. 379. Putsch.; sed nullo id exemplo confirmant. Apud Plaut. Rud. 3. 5. 36. rectius legitur ampectitote: V. AMPECTO. Sed tamen passive dixit Lucilius apud Priscian. 8. p. 791. Putsch. Quin amplexetur qui velit: ego non sinam me amplectier. Petronius apud eumd. l. c. Animam nostram amplexam in pectore. Ovid. Heroid. 4. 139. Viderit amplexos aliquis, laudabimur ambo. Alii leg. amplexus. Pallad. de insit. 48. Nexilibus gemmis fecundos implicat artus Vitis, et amplexum pascit adulta genus. Cæl. Aurel. 3. Tard. 8. Levi fasciolâ amplexo loco. Part. Amplectendus V. in AMPLECTOR.

AMPLECTOR, āris, eadem significatione qua amplecti in prima conjugatione usurpasse veteres testatur Priscian. 8. p. 797. Putsch. (cf. Diomed. 1. p. 379). Itaque hac forma legitur a quibusdam apud Plaut. Truc. 5. 32. Vin' te amplecter. Hinc Particip. amplectandus est in quibusdam codicib. Manilii 4. 803.

AMPLECTOR, ĕris, exus sum, ecti, dep. 3. (am et plecto, h. e. cingo, necto). V. paullo sup. alias formas AMPLECTO et AMPLECTOR. — Part. Amplectens et Amplexus I. a.; Amplectendus II. 2. — Amplector est circum necto, comprehendo, cingo, quod brachiis extensis homines facere solent (It. abbracciare, cingere; Fr. enlacer, embrasser, entourer; Hisp. abrazar, cercar; Germ. umschlingen, umfassen, sie umarmen, umgeben; Angl. to embrace, encircle, surround, enclose).

I.) Proprie ponitur de animantibus et de rebus inanimis. — a) De personis et brutis animalibus occurrit — Amplecti aliquem vel aliquid absolute, et est circumdare brachia alicui, aliquem vel aliquid circum cingere. Livius Andronicus apud Diomed. 1. p. 379. Putsch. Utrum genua amplectens virginem oraret. Plaut. Rud. 1. 3. 10. Amplectimur tibi genua egentes opum. Adde eumd. Cist. 2. 3. 25. Id. Pœn. 5. 4. 91. ANT. Pater salve, ambæ filiæ sumus, amplectamur ambæ. AG. Quis me amplectetur postea? Id. Most. 1. 4. 9. Visne ego te ac tute me amplectare. Ter. Andr. 2. 5. 19. Si se illam in somnis, quam illam amplecti maluit. Lucret. 5. 35. serpens arboris amplectens stirpem. Liv. 5. 47. Alios – saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos trucidat. Virg. 2. Æn. 517. divûm amplexæ simulacra sedebant. Id. ibid. 490. Amplexæque tenent postes atque oscula figunt. Id. 10. ibid. 523. Amplecti genua. Id. 8. ibid. 124. dextram. Id. 3. ibid. 351. limina portæ. Ovid. Heroid. 19. 80. Meque tibi amplexo nulla noceret hiems. Id. 6. Met. 99. Amplecti gradus templi. Propert. 2. 7. 47. aliquem exanimem. — Amplecti aliquid aliqua re est circumdare, sive aliquid circum aliquam rem jacere. Liv. 35. 28. Castris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci. Id. 41. 181. Duo montes – ceperunt, muroque insuper amplexi. Virg. 3. Ecl. 44. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit Et molli circum est ansas amplexus acantho. Plin. 10. Ep. 75. Amplecti locum exhedra et porticibus. — b) De rebus inanimis. — Proprie et stricto sensu raro admodum occurrit. Plaut. Capt. 3. 4. 120. Compedes amplectantur crura. — Sæpius latiori significatione est comprehendere, continere, ambire. Lucret. 5. 35. Morte obitâ quorum tellus amplectitur ossa. Liv. 21. 31. Ibi Arar Rhodanusque amnes – agri aliquantum amplexi confluunt in unum. Adde eumd. 45. 9. et 29., et Horat. Art. P. 209. Plin. 5. Hist. nat. 1. 1. (3). Amplectitur intra se insulam (æstuarium). Tac. 12. Ann. 24. Sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Manil. 1. 536. Domus naturæ amplectens pontum terrasque jacentes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim amplecti aliquem vel aliquid est quasi brachiis constrictum tenere, ideoque amare, fovere, colere. Cic. Sull. 20. 59. Qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres. Id. 6. Fam. 6. 13. Nunc hoc amplius, quod me amicissime quotidie magis Cæsar amplectitur; familiares quidem ejus sicut neminem. Id. 7. Att. 1. Amplecti aliquem amore. Id. 10. Phil. 9. Amplecti virtutem alicujus. Id. 5. Fam. 19. 2. Libenter amplecti talem animum. Id. 4. ibid. 8. 2. Ingeniis favet (Cæsar), nobilitatem vero et dignitates hominum, quantum ei res et ipsius causa concedit, amplectitur. Id. 5. ibid. 8. Amplitudinem alicujus suis officiis amplecti. Id. Mil. 27. 72. Quia nimis amplecti plebem putabatur. h. e. fovere, delinire, ejus favorem sibi conciliare. Id. Flacc. 18. 43. Cum rempubl. nimis amplecteretur (Lysanias), peculatus damnatus est. ubi acuta verbi ambiguitas inest. Sall. Jug. 7. Igitur imperator omnes fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti. Cic. 12. Att. 35. Te vehementer rogo, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare. h. e. amanter suscipias et serio perpendas; ita accepit Forcellinus; Klotz retulit ad II. 2. b. Horat. 1. Sat. 2. 53. hoc se amplectitur uno, Hoc amat, hoc laudat. h. e. sibi placet. Justin. 2. 7. et 29. 2. Amplecti spe regnum. Cic. 1. Orat. 24. 110. Quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursus eam totam – repudiaret. h. e. arti se dederet, in ea versaretur. Id. ibid. 55. 234. Quod jus civile – tam vehementer es amplexus. Id. 4. Acad. (2. pr.) 10. 31. Amplectitur cognitionem mens nostra. Tac. 15. Ann. 59. Amplecti rempubl. Id. 6. ibid. 8. amicitiam alicujus. ¶ 2. Speciatim est comprehendere; occurrit autem — a) De sermone, et est rem omnem omnino dicere, persequi, explicare. Cic. 2. Invent. 50. 152. Neminem posse omnes res per scripturam amplecti. Id. Rosc. com. 12. 36. Quod ego pluribus verbis amplecterer, si non etc. Id. Cæcin. 14. 40. Quæ (actio) nequaquam satis verbis causam et rationem juris amplecteretur. Id. 2. Tusc. 13. 30. Quod honestum, quod rectum – appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur. Virg. 2. G. 42. Non ego cuncta meis amplecti versibus opto. Plin. 4. Hist. nat. 12. 24. (75). Sed totius Ponti forma breviter amplectenda est, ut facilius partes noscantur. Tac. 4. Ann. 34. Quos lex majestatis amplectitur. — b) De intellectu, et est omnino percipere. Cic. 4. Verr. 12. 32. Verum, ut totum genus amplectamini judiciorum, prius jura Siculorum, deinde istius instituta cognoscite. Id. Fontej. 7. 15. Quæ si judex non amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circumspiciet. — c) Denique interdum de re occurrit, et est eam totam reapse agere. Liv. 25. 32. Optimum igitur rati, divisis bifariam copiis, totius simul Hispaniæ amplecti bellum, ita inter se diviserunt etc. Tac. Agric. 17. Magnam Brigantum partem aut victoriâ amplexus est, aut bello. Adde ibid. 23.

AMPLEXĀBUNDUS, a, um, adject. ab amplexari, et est qui maxime vi amplexatur. Jul. Valer. Res gest. Alex. M. 2. 35. Mai. Tumque amplexabundus et contegens regia chlamyde.

AMPLEXĀTĬO, ōnis, f. 3. (amplexor) idem ac amplexus; sed occurrit tantum translate. Cassiod. 8. Variar. 26. Ista enim duo mutua se amplexatione consonant.

AMPLEXĀTUS, a, um. V. AMPLEXOR.

AMPLEXĬO, ōnis, f. 3. (amplector) amplectendi actus, sed occurrit tantum translate pro conjunctione. Mar. Victor. 1. p. 2506. Putsch. Dicta autem epiploce, id est amplexio, a metricis, eo quod copulari metra metris diversa his adjectionibus, vel detractionibus, aut etiam translationibus videntur.

AMPLĔXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (intensivum ab amplecto) est magna vi amplecti.

I.) Proprie. Plaut. Pœn. 5. 4. 48. Ego te antestabor, postea hanc amabo atque amplexabo. Accius apud Non. p. 470. 12. Merc. Postremo amplexa, fructum quem di dant cape. Lucilius apud Priscian. 8. p. 791. Quin amplexetur qui velit: ego non sinam me amplectier. Petron. fragm. Burmann. 63. Dum mater amplexaret corpus filii sui.

II.) Translate. Cic. Cluent. 41. 24. Tum auctoritatem censoriam amplexato. Priscian. l. c. hanc lectionem tuetur: vulgati libri amplexator ab amplexor.

AMPLEXOR, ăris, ātus sum, ări, dep. 1. (*intensivum ab* amplector). Part. *Amplexans* I., *Amplexatus* in omnibus paragr.; *Amplexandus* II. — Est magna vi circum necto, brachiis extensis vehementer circumdo, cingo.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 3. 33. Aram amplexantes hanc tuam. *Id. Truc.* 5. 33. Ego illam patiar alios amplexarier. *paragoge pro* amplexari. *Id. Asin.* 5. 2. 32. Facere modum amplexandi. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 17. Mitto jam osculari atque amplexari: id nil puto. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 10. Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me præsente osculabantur etc. *Id. ibid.* § 19. Quoniam — inimicum meum — sæpe in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur. *Justin.* 24. 3. Arsinoe corpore suo puerorum corpora amplexata protexit.

II.) Translate est amare, fovere, colere, tueri. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 3. Appius totum me amplexatur. *h. e.* valde amat, colit, observat. *Id.* 1. *Acad.* (post.) 9. 33. Aristoteles primus species, quas paullo ante dixi, labefactavit; quas mirifice Plato erat amplexatus. *Cic. Sext.* 45. 98. Amplexari otium. *Id.* 3. *Orat.* 17. 62. voluptatem. *Id.* 4. *Fin.* 14. 36. animi cognitionem. *Brutus* apud *Cic.* ad *Brut.* 1. 11. Amplexari ac tueri judicium suum. *V.* AMPLEXO. *Boeth.* in *Aristot. Categor. syllog.* p. 558. Neve si quid lector in ludo puerilium disciplinarum rudis adhuc et nondum firmus acceperit, id amplexandum atque etiam colendum putet.

AMPLEXUS, a, um. *V.* AMPLECTO et AMPLECTOR.

AMPLEXUS, us, m. 4. actus amplectendi et cingendi (It. *circondamento*, *abbracciamento*; Fr. *embracement*, *embrassement*; Hisp. *enlazamento*, *abrazo*; Germ. *das Umschlingen oder Umfassen*; Angl. *a surrounding, going round, an embrace, clasping*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum draconis amplexu. *Ovid.* 3. *Met.* 48. Occupat hos morsu, longis amplexibus illos (*serpens*). *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 92. (197). Ut amputata parte ceu ferro, reliquam, quæ amplexu tenetur, sorbeant (*dracones*). *Ovid.* 9. *Met.* 52. *de gladiatore*. Exuere amplexus. — *b*) Sæpius dicitur de hominibus, et amplexus est amoris ac benevolentiæ significatio. *Virg.* 8. *Æn.* 388. cunctantem amplexu molli fovet. *Id.* 1. *ibid.* 687. Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet. *Id.* 6. *ibid.* 698. da jungere dextram, Da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro. *Ovid.* 7. *Met.* 143. avidisque amplexibus hærent. Hinc *Id. Heroid.* 13. 154. Accipere amplexus. *Id.* 9. *Met.* 750. Arcere aliquem ab amplexu. *Vellej.* 2. 123. Circumfusus amplexibus alicujus. *Sueton. Oth.* 10. Dimittere aliquem amplexu et osculo. *Virg.* 8. *Æn.* 568. Divelli amplexu. *Lucan.* 4. 175. in amplexus effusas tendere palmas. *Ovid.* 9. *Met.* 52. Excutere amplexus. *Id. Heroid.* 16. 86. Ire in amplexus. *Id. ibid.* 14. 69. Petere amplexus. *Id. ibid.* 16. 214. Perfrui amplexu. *Cælius* apud *Quintil.* 4. 2. 124., et *Ovid. Heroid.* 14. 69. et 6. *Met.* 605. Petere aliquem amplexu. *Seneca Hippol.* 705. et *Tac.* 16. *Ann.* 32. Ruere in amplexus. *Val. Flacc.* 1. 351. Solvere amplexus. *Tac.* 12. *Ann.* 68. Tenere aliquem amplexu. — *c*) Absolute de re turpi. *Ovid.* 4. *Met.* 184. et 6. *Fast.* 126., *Juvenal.* 6. 64., *Sil. It.* 11. 399., *Martial.* et *Petron.* sæpe.

II.) Translate de inanimis. *Lucret.* 5. 318. Denique jam tuere hoc circum supraque quod omne Continet amplexu terrarum. *Liv.* 36. 17. Qui (*Oceanus*) orbem terrarum amplexu finit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 9. (48). Inferiorem ejus (*Ægypti*) partem Nilus dextra sinistraque divisus amplexu suo determinat. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Adhibenda etiam requies et impressus articulis manuum amplexus vel ligatio paullo tenacior. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 37.

AMPLIĀTIO, ōnis, f. 3. (amplio) amplificatio, augmentum. *Tertull. Baptism.* 13. Ubi fides aucta est credendi, addita est ampliatio sacramento. ¶ 2. Est etiam verbum forense, quod significat dilationem sententiæ ferendæ in aliqua causa (It. *proroga di giudizio*, *dilazione*; Fr. *remise d'un jugement*; Hisp. *dilacion*; Germ. *die Hinausschiebung einer Rechtssache*; Angl. *adjourning of a trial*). Dicebatur enim ampliatio, ut docet *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Verr.* p. 164. *Baut.*, cum judices audita causa, nec penitus adhuc cognita, petebant nova actione doceri; quod significabant datis in tabella litteris *N. L.*, h. e. *non liquet*: et is qui judicio præerat, pronunciabat, causam *amplius*, hoc est iterum esse cognoscendam. Ex quo *ampliatio* nata est. Differt a *comperendinatione*, quia, licet utraque judicii dilationem habeat, tamen *comperendinatio* nascebatur etiam, si judices nihil judicassent, *ampliatio* vero ex eorum incerta et dubitanti sententia: *comperendinatio* erat necessaria, et legis vi instituta, *ampliatio* libera (licet non in omnibus causis) et in judicum potestate posita: *comperendinatio* in tertium diem transferebat actionem, *ampliatio* in quemcumque diem ex arbitratu ejus, qui judicio præerat: ex causa *comperendinationis* bis tantum causa dicebatur, ex causa *ampliationis* sæpius dici poterat, cujus rei testimonia V. in v. AMPLIO 2. denique in *comperendinatione*, seu secunda actione dicebat priore loco defensor, posteriore accusator, ut *Pseudo-Ascon.* scribit *loc. cit.*, in *ampliatione* priore accusator, posteriore defensor. Hoc tamen discrimen convellit *M. Anton. Ferrat. l.* 1. *ep.* 9. quem consule. Legitur *ampliatio* tum apud *Pseudo-Ascon. loc. cit.*, tum apud *Senec.* 1. *Controvers.* 3. *ad fin.* Ampliata est et ipsa — ampliatio, quæ apud judices fieri solet.

AMPLIĀTOR, ōris, m. 3. qui ampliat. In nummo Antonini Pii apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 12. S. P. Q. R. ampliatori civium. *h. e.* qui secutus Trajani exemplum soboli Italiæ providit constitutis puellis alimentariis. *V.* ALIMENTARIUS et FAUSTINIANUS.

AMPLIĀTUS, a, um. *V.* AMPLIO.

AMPLIFICĀTIO, ōnis, f. 3. (amplus et facio) augmentum (It. *accrescimento*, *aumento*; Fr. *agrandissement*, *accroissement*; Hisp. *acrecentiamento*, *agrandecimiento*; Germ. *die Weitmachung, Vergrösserung*; Angl. *an amplifying; increasing*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 8. 25. Amplificatio rei familiaris. *Id.* 2. *Divinat.* 14. 33. pecuniæ. *Id.* 2. *Off.* 12. 42. honoris et gloriæ. ¶ 2. Apud oratores sumitur pro vehementi quadam disputatione, qua argumenta tum verbis, tum rebus dilatantur augenturque, ut majorem vim habeant ad permovendum: habentque locum tum in pluribus verbis, tum in uno tantum: quæ Græce αὔξησις dicitur. *Cic. Partit.* 8. 27., *Quintil.* 2. 5. 9., 4. 3. 15., 5. 10. 99., 6. 1. 52., 8. 4. etc. *Cic. Orat.* 29. Jus omne retinendæ majestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus. *Id.* 3. *Herenn.* 8. 15. Breves amplificationes interponere. — Quamvis autem in quacumque orationis parte locum habeat, tamen accipitur interdum speciatim pro ea, quæ adhibetur in peroratione ad movendos auditorum affectus. *Cic.* 2. *Herenn.* 30. et *Orat.* 27. 105., qui *ibid.* 26. *in fin.* docet, ejusdem amplificationis esse non solum augere aliquid atque altius tollere, sed etiam extenuare atque abjicere.

AMPLĪFICĀTOR, ōris, m. 3. qui amplificat et auget. *Cic.* 5. *Tusc.* 4. 10. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed etiam rerum ipsarum amplificator fuit. *Id.* 10. *Fam.* 12. 5. Dignitatis tuæ non modo fautor, sed etiam amplificator. *Inscript.* apud *Grut.* 282. 3. Constantino amplificatori urbis Romæ. *Inscript.* apud *Orell.* 1025. Municipii amplificator.

AMPLĪFICĀTRIX, icis, f. 3. quæ amplificat et auget. *Pacat. Paneg. Theod.* 8. Quos plurima laude dotavit amplificatrix veri vetustas.

AMPLĪFICĀTUS, a, um. *V.* AMPLIFICO.

AMPLĪFICĒ, adverb. ample, magnifice. *Catull.* 64. 266. Talibus amplifice vestis decorata figuris Pulvinar complexa suo velabat amictu. *Alii perperam leg.* amplificæ vestis.

AMPLĪFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (amplum et facio). Part. *Amplificans*, *Amplificatus*, *Amplificaturus* et *Amplificandus* I. — Amplificare est amplum facere, dilatare, ampliare, augere (It. *ampliare*, *dilatare*, *accrescere*; Fr. *agrandir*, *étendre*, *augmenter*; Hisp. *acrecentar*, *aumentar*, *engrandecer*; Germ. *weit machen*, *erweitern*, *vergrössern*; Angl. *to enlarge, amplify, augment*). ¶ 1. Generatim occurrit cum de inanimis, tum de abstractis (*Forcellinus* quæ cum abstractis junguntur, omnia translate acceperat); et quidem — *a*) Cum Accus. rei tantum. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 50. Mittite, nam attrectatu et quassu sævum amplificatis dolorem. *Cic.* 3. *de republ.* 12. 21. Sapientia jubet augere opes, amplificare divitias. *Id.* 3. *Cat.* 1. 2. Urbs condita et amplificata. Adde *Liv.* 1. 44. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. 8. Res publ. amplificata. Adde *eumd. pro leg. Manil.* 16. 49. *Cic. Amic.* 16. 59. Amplificare fortunam alicujus. *Id.* 2. *Nat. D. in fin.* facultatem disserendi. *Id. pro leg. Manil.* 16. 46. Auctoritas multis rebus gestis magnisque judiciis amplificata. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Æduorum auctoritatem apud omnes Belgas amplificaturus. *Cic.* 11. *Fam.* 5. Amplificare dignitatem. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. Gratia et dignitas amplificata. *Cic. Dom.* 9. 23. Amplificare pretium. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 144. sonum. *Val. Max.* 3. 4. 2. numerum senatus. *Colum. R. R. præfat.* Genus amplificandi reliquendique patrimonii. — *b*) Cum Accus. personæ et Ablat. rei. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 32. Pauci atque admodum pauci honore et gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere possunt. *Plin. Paneg.* 69. Amplificare atque augere aliquem festinatis honoribus. ¶ 2. Speciatim est dicendo rem augere. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 72. Et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 2. 5. Vereor interdum, ne talium personarum cum amplificare velim, minuam gloriam. — Hoc sensu occurrit præcipue apud Rhetoras: cf. AMPLIFICATIO 2. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 104. Summa laus eloquentiæ est amplificare rem ornando. *Id.* 1. *ibid.* 53. 221. Aliquid amplificare atque ornare dicendo. *Id.* 3. *ibid.* 27. 105. Exaggerare et amplificare orationem. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 31. 143., et *Quintil.* 3. 7. 6., 8. 4. 1. et alibi.

AMPLĪFICUS, a, um, adject. (amplum et facio) magnificus, splendidus. Legitur apud *Fronton. de or.* 12. *fragm.* 3. p. 259. ed. *Francof.* V. et AMPLIFICE.

AMPLIO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (amplus). Part. *Ampliatus* in omnibus paragr. — Amplio est amplum facio, augeo (It. *ampliare*, *accrescere*, *aggrandire*; Fr. *agrandir*, *étendre*, *augmenter*; Hisp. *acrecentar*, *aumentar*; Germ. *erweitern*, *vergrössern*, *vermehren*; Angl. *to increase, enlarge, aggrandize*). ¶ 1. Generatim occurrit fere de inanimis. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 32. Ampliare rem. *h. e.* divitias augere. *Cels.* 7. 5. n. 1. plagam scalpello. *Id. ibid.* n. 2. Ampliato magis vulnere, arundo evellenda est. *Auct. B. Hisp.* 42. Ampliatus honor. *In monumento Ancyr.* apud *Gruter.* 232. Ampliato ejus solo. *Gran. Licin.* ed. *Pertz.* p. 34. Ut copiis junctis simul et exercitu ampliato Gallis resisterent. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (73). Ampliatum miraculum. *Id.* 23. *ibid.* 2. 32. (67). Ampliare vires. *Sueton. Aug.* 18. templum. *Id. Cæs.* 44. imperium. *Id. Aug.* 41. censum senatorum. *Id. Ner.* 32. et *Plin. Paneg.* 54. numerum alicujus rei. *Sueton. Aug.* 45. et *Inscript.* apud *Orell.* 124. privilegia. *Martial.* 10. 33. sibi spatium ætatis. *Scævola Dig.* 34. 1. 16. ætatem. *Julian. ibid.* 23. 3. 47. dotem. *Callistrat. ibid.* 41. 14. 3. pretia prædiorum diligenti cultura. *Inscript.* apud *Orell.* 1065. commoda. — Et *translate Martial.* 8. 66. Ampliare nomen alicujus. *h. e.* illustrare, amplitudinem conferre. *Quintil.* 8. 4. 20. virtutem. ¶ 2. Speciatim est verbum forense, et significat differre in alium diem alicujus causæ sententiam, ut in AMPLIATIO 2. exposuimus: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Cæcin.* 10. 29. In eo consilio cum causam non audisset et potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 9. 26. — *b*) Cum Accus. personæ. *Cic.* 4. *Herenn.* 36. 48. Quid fuit, judices, quare in sententiis ferendis dubitaveritis, aut istum hominem nefarium ampliaveritis? *Liv.* 4. 44. Ampliare virginem. *Id.* 43. 2. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 24. Manlius ab conspectu Capitolii ampliatus est. *h. e.* dilata est ejus sententia ob conspectum Capitolii: cf. *Liv.* 6. 20. — *c*) Cum Accus. rei. *Val. Max.* 8. 1. 16. Cujus causa septies ampliata, ad ultimum octavo judicio absoluta est. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Ampliare pœnam.

AMPLITER, adverb. idem atque ample, sive largiter, copiose, magnifice (It. *abbondantemente*, *riccamente*, *magnificamente*; Fr. *richement*, *magnifiquement*; Hisp. *abundantemente*, *ricamente*, *magnificamente*; Germ. *auf eine ausgedehnte, reichliche, stattliche Art und Weise*; Angl. *abundantly, largely, richly, magnificently*).

I.) Proprie. *Plaut. Cist.* 2. 3. 55. Occupatus sum ampliter. *h. e.* valde. *Id. Pseud.* 1. 3. 162. Ampliter saturum fieri. *Id. Merc.* 4. 2. 12. Ampliter mentiri. *Id. Stich.* 5. 4. 10. facere sumptum. *Id. Cas.* 2. 8. 65. obsonari. *Id. Merc. prol.* 98. Accipere aliquem

hilare atque ampliter. *Lucilius* apud *Non.* p. 511. 17. Extruere ampliter mensam. Adde *Accium* apud *eumd. l. c.* Et *Pomponius ibid.* Aptare ampliter convivium.

II.) Translate. *Gell.* 2. 6. Laudare ampliter. *Id.* 10. 3. Dicere aliquid ampliter et insigniter. *h. e.* dicere aliquid magnificum et insigne.

AMPLITUDO, inis, f. 3. (*amplus*) spatium aut magnitudo alicujus rei; et quotiescumque ponitur pro altitudine, simul significat crassitudinem aliquam, quæ amplum reddat (It. *ampiezza*, *grandezza*; Fr. *étendue*, *grandeur*, *largeur*, *circonférence*; Hisp. *extendida*, *grandeza*, *tamaño*; Germ. *die Weite oder Grösse*; Angl. *ampleness*, *amplitude*, *greatness*, *largeness*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 49. 109. Simulacrum quoddam modica amplitudine. *Sueton. Cal.* 35. Egregia corporis amplitudo. Adde *Plin.* 6. *Ep.* 16. *Varr.* 2. *R. R.* 4. 3. Amplitudo membrorum. *Liv.* 7. 30. urbis. *Tac.* 4. *Hist.* 22. valli. *Id. Germ.* 26. soli. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (119). Oppidum stadiorum LXX. amplitudine. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (28). Amplitudo foliorum. *Id.* 12. *ibid.* 1. 3. (7). Platanus adolescit in amplitudinem. *Id.* 10. *ibid.* 22. 27. (52). Crescere in amplitudinem. *Tac. Dial. de Orat.* 37. Crescit cum amplitudine rerum vis ingenii. *Sueton. Cæs.* 47. Amplitudo margaritarum. *Id. Tib.* 74. Apollo amplitudinis et artis eximiæ. Apud *Gell.* 19. 8. amplitudo numeri est numerus pluralis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim amplitudo est magnitudo, sublimitas. Ad rem *Cic.* 4. *Fin.* 7. 18. Principiis autem a natura datis, amplitudines quædam bonorum excitabantur. *Madvig.* ad h. l. recte animadvertit *Ciceronem* metaphoram ab amplo ædificio sumpsisse. *Nep. Att.* 18. Amplitudo rerum gestarum. *Plin. Hist. nat. præfat.* 8. 3. fortunæ. *Id.* 3. *ibid.* 4. 5. (31). opum. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 64. Amplitudo animi. *h. e.* magnanimitas. *Gell.* 4. 9. Amplitudines virtutum. ¶ 2. Speciatim ponitur pro dignitate, gravitate, præstantia, quam sibi quis comparavit ex multa virtute, sapientia, potentia, rebus gestis, et propter quam amore, cultu, aut admiratione dignus est. *Cic.* 2. *Invent.* 55. 166. Amplitudo est potentiæ, aut majestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. *Id.* 1. *Off.* 21. 70. Fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum (*vita*), qui se ad rempubl. et ad magnas res gerendas accommodaverunt. *Id.* 2. *Orat.* 39. 164. Amplitudo ac dignitas civitatis. *Id. Rosc. Am.* 1. 2. Homines, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo. *Et paullo post.* Propter nobilitatem et amplitudinem. *Id.* 1. *Fam.* 4. Amplitudinem suam retinere. *Id.* 4. *Verr.* 46. 112. Honores et amplitudo alicujus. *Id. Brut.* 81. 180. Ad summam amplitudinem maxima cum gratia et gloria pervenire. *Id. Mur.* 7. 16. Amplitudinem nominis posteris tradere. *Id. ibid.* Summa amplitudine dignum putari. *Id.* 1. *Off.* 20. 67. Splendor et amplitudo harum rerum. *Liv.* 39. 48. Amplitudinem alicujus augere. ¶ 3. Item speciatim ponitur de sermone, quo aliquid ita ornamus et amplificamus, ut id majori in luce collocemus. *Cic.* 2. *Invent.* 16. 51. Sed illæ (*argumentationes*) tenuius et subtilius et acutius tractantur; hi (*loci communes*) autem gravius et ornatius et cum verbis tum etiam sententiis excellentibus: in illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur; in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo. *Gell.* 7. 14. Amplitudo orationis est copiosum ac magnificum dicendi genus. *Cic. Orat.* 1. 5. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis. *Græce* ἡ πλατύτης τῆς ἑρμηνείας, quam *Plin.* 1. *Ep.* 10. *latitudinem Platonicam* appellavit.

AMPLIUS. *V.* AMPLUS in fine.

AMPLIUSCULE, adverb. deminut. comp. a voc. seq. *Sidon.* 8. *Ep.* 16. Si vir illustris aliquid insuper ampliuscule scribi depoposcisset. *h. e.* aliquanto uberius et fusius. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 11. *a med.* Quidquid illud ampliuscule sermocinati sumus, non modo etc.

AMPLIUSCULUS, a, um, adject. deminut. comp. ab *amplus*, h. e. aliquanto amplior. *Apul. de Mag.* 75. Homo miser ampliuscula fortuna devolutus. *h. e.* spoliatus opibus satis amplis.

AMPLIVAGUS, a, um, adject. Est falsa lectio, quam inepte nonnulli duas voces in unam compingentes tuentur in *Cic.* 3. *Herenn.* 19. 31. Loci præter modum ampli vagas imagines reddunt et nimis angusti sæpe non videntur posse capere etc.

AMPLO, as, are, a. 1. (*amplus*) idem quod amplifico. *Pacuvius* apud *Non.* p. 506. 26. *Merc.* Ubi poetæ pro sua parte falsa conficta que canant, qui causam humilem dictis amplant.

AMPLOCTOR, *octi* pro *amplector*, *ecti* dixere veteres, teste *Priscian.* 1. p. 552. *Putsch.*, ea ratione qua *vorto* pro *verto*, *voster* pro *vester* etc.: nullo tamen *ibid.* confirmatur exemplo.

AMPLUS, a, um, adject. Comp. *Amplior* et Sup. *Amplissimus* in omnibus paragr.; *Amplius* etiam in fine. — Juxta *Forcellinum* est ex ἀναπλεος sive ἀμπλεως *plenus*; juxta recentiores vero ex *ambo* et terminatione *plus*, quæ habetur etiam in *duplus* a *duo*, quasi ex ambabus partibus sese diffundens, ideoque latus, spatiosus. — Ceterum amplus proprie ad spatium refertur, et est spatiosus, patens, latus et ex omni parte sese diffundens (It. *ampio*, *spazioso*; Fr. *ample*, *spacieux*, *étendu*; Hisp. *amplio*, *extendido*, *dilatado*; Germ. *weit*, *geräumig*, *umfangreich*; Angl. *large*, *spacious*, *ample*).

I.) Proprie ponitur de rei spatio. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. In domo clari hominis, in quam hospites multi recipiendi, adhibenda cura est laxitatis: aliter ampla domus dedecori sæpe domino fit. *Id.* 6. *Verr.* 53. 119. In qua (*urbe*) – amplissima est curia: — gymnasium amplissimum est. *Id.* 1. ad *Q. fr.* 1. Theatrum magnitudine amplissimum. *Id.* 3. *Herenn.* 19. 31. Loci præter modum ampli. *Id.* 6. *Verr.* 34. 74. Admodum amplum et excelsum signum cum stola. *Lucret.* 2. 1133. Quanto est res amplior et quo latior est. *Virg.* 3. *Æn.* 353. Illos porticibus rex accipiebat in amplis. *Id.* 1. *ibid.* 725. atria ampla. *Nep. Reg.* 1. Amplissima pulcherrimaque corporis forma. *Sueton. Aug.* 94. Videre visus est (*Octavius*) filium mortali specie ampliorem cum fulmine et sceptro. *Curt.* 8. 13. 17. Amplior ceteris insula. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (71). Insula amplissima. *Id.* 16. *ibid.* 13. 24. (63). Bumejam vocant in Macedonia amplissimam lentissimamque. *Scribon. Compos.* 163. Frutex duorum pedum interdum aut etiam amplior.

II.) Translate. ¶ 1. Est magnus, largus, sed morali significatione. *Cic.* 2. *Invent.* 56. 169. Ut amplæ atque potentes sint civitates. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum. *Cic.* 1. *Invent.* 5. 6. Ejus (*civilis orationis*) magna et ampla pars est artificiosa eloquentia. *Lucret.* 5. 942. Ampla pabula. *Cic. Quinct.* 3. 12. Res pecuaria ampla. *Id.* 4. *Verr.* 25. 61. Occasio ampla calumniæ. *Id.* 1. *Fam.* 3. 1. Magna negotia et ampla et expedita. *Id. Mil.* 22. 80. Præmia parum ampla. *Id.* 1. *Orat.* 4. 13. Præmia ampliora. *Id. Rosc. Am.* 31. 86. Pecunia amplissima. *Id.* 7. *Verr.* 8. 18. Amplissimæ fortunæ. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 101. Amplæ divitiæ. *Nep. Alcib.* 1. Amplissima civitas. *Sueton. Vesp.* 4. Amplior exercitus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (57). Ampliores aquæ. *Id.* 6. *ibid.* 34. 39. (218). Amplissima dies horarum æquinoctialium quindecim. *h. e.* longissima. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Amplior pecunia. ¶ 2. Item est magna vi præditus, magni momenti, magni ponderis. *Ter. Hec.* 3. 1. 50. Si forte morbus amplior factus siet. *h. e.* gravior magisque effundens vires suas. *Id. ibid.* 3. 1. 9. Hæ iræ factæ essent multo ampliores. *h. e.* vehementiores. *Lucret.* 5. 1173. Amplæ vires. *Propert.* 3. 4. 32. Pœna sera, sed ampla. *Id.* 3. 21. 41. Spes ampla nepotum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 42. (153). Potentia amplior. *Id.* 2. *ibid.* 40. 40. (107). Amplissimi effectus. ¶ 3. Item sæpe amplum est quod externo splendore suo ac magnificentia hominum oculos percellit. *Cic. Marcell.* 8. 26. Quidquid est enim, quamvis amplum sit, est certe parum tunc, cum est aliquid amplius. *Id.* 2. *Leg. agr.* 4. 9. Omnia, quæ vobis cara atque ampla sunt, in fidem – mei consulatus esse collata. *Cf. Seneca Ep.* 9. Cui sua non videntur amplissima, miser est. *Cic.* 3. *Verr.* 5. 14. Ne ullum munus ædilitatis amplius aut gratius populo esse possit. *Gran. Licin.* ed. *Pertz.* p. 14. Amplissimo funere elatus. *Nep. Eum.* 4. Amplo funere efferre aliquem. *Id. Cat.* 1. Amplissimus triumphus. *Liv.* 5. 16. Amplum donum. Adde *eumd.* 42. 14. *Id.* 2. 27. Ludi amplissimi. *Id.* 45. 27. Sacrificium solito amplius. *Id.* 1. 7. Habitus formaque viri aliquantum amplior augustiorque. *Seneca Herc. fur.* 922. Victima amplior. ¶ 4. Item amplum est quod hominum opinione ac fama magni ducitur, præclarum, illustre (Cf. *Cic.* 5. *Att.* 11. Huic moderatori rei publ. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit): et ponitur — *a*) De rebus ac præcipue de honoribus et dignitatibus. *Cic.* 1. *de republ.* 6. 10. Honor amplissimus. *h. e.* consulatus. *Sueton. Aug.* 26. Amplissimus magistratus. *Cic. Amic.* 10. 72. et *Sueton. Cæs.* 71. Amplissimi honores. *Cic. pro lege Manil.* 1. 1. Locus ad agendum amplissimus. *h. e.* Rostra. — Hinc usuvenit formula *amplum est*, scilicet præclarum, magnificum, gloriosum est. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 5. Quamquam id magnum et amplum est. *Liv.* 2. 9. Porsena cum regem esse Romæ, tum Etruscæ gentis regem amplum Tuscis ratus. *Id.* 9. 30. Sibi amplum esse urbem ab se captam frequentari. *Id.* 28. 42. Relinquere Italiam paras, – quia tibi amplum et gloriosum censes . se. — *b*) De personis, quæ dignitate, doctrina, aut nobilitate præstantes sunt, illustres, claræ. *Cic. Rosc. Am.* 30. 83. Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit. *Id.* 3. *Phil.* 8. 20. Convenerunt corrogati et quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suæ. *Id. Mur.* 7. 35. Familiæ amplæ et honestæ. *Id. Cæcin.* 36. 104. Homo virtute cognita et spectata fide amplissimus. *Id.* 7. *Att.* 13. et 1. *de republ.* 3. 5. Cives amplissimi. *Id. Amic.* 19. 69. Suos per se ampliores esse velle. *Id. Rosc. Am.* 36. 102. Homines amplissimi. *Cæs.* 4. *B. G.* 12. Amplissimo genere natus. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 28. parvi properamus et ampli. *Cic. Dom.* 21. 55., *Sueton. Vesp.* 2. et *Oth.* 3., *Plin.* 10. *Ep.* 3. et JCti sæpe in *Dig.* Amplissimus ordo. *h. e.* ordo senatorius. *Cic.* 6. *Verr.* 49. 108. Amplissimum collegium decemvirale. Ab *Ulp. Dig.* 49. 1. 1. et 35. 1. 48. *amplissimi* dicuntur etiam consules. ¶ 5. *Amplus orator* dicitur, qui oratione utitur fusa, copiosa et magnifica. *Cic. Orat.* 9. 30. Causidicum sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen. *Id. Brut.* 68. 239. Erat oratione satis amplus (*Cn. Pompejus*). Eumdem 7. *Att.* 17. *luculentum scriptorem* vocat. *Id. ibid.* 55. 202. Amplum orationis genus. *V.* AMPLITUDO II. 2. — NB. *Ampliores* pro *plures* legitur bis usurpatum a *Cajo Dig.* 30. *l.* 65.

Amplius sæpissime usurpatur *A*) neutro gen. substantivorum more; unde paullatim, quo modo *plus*, transiit *B*) in Adverbium comparativum: variosque habet usus atque elegantes variamque constructionem.

A) Occurrit neutro gen. substantivorum more, et significat plus. Usurpatur — *a*) Absolute, ita ut alterum orationis membrum facile intelligatur. *Plaut. Trin.* 2. 1. 18. Et si amplius vis dari, dabitur: ubi illa pendentem fecit, jam amplius orat. Id est mali, ni amplius etiam quod ebibit, quod comest, quod facit sumpti, datur. *Ter. Adelph.* 3. 4. 21. HEG. Mane: nondum audisti, Demea, quod est gravissimum. DEM. An quid est etiam amplius? HEG. Vero amplius etc. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 70. Daturus non sum amplius. *Id. Mil.* 13. 35. Quid? si hæc, non dico, majora fuerunt in Clodio, quam in Milone; sed in illo maxima, nulla in hoc, quid vultis amplius? *Id.* 5. *Tusc.* 34. 98. Ex bestiis intelligi potest, quæ ut quidque objectum est –, eo contentæ non quærunt amplius. — Hinc formula *nihil dico amplius*, qua utimur, cum acerbum aut odiosum quidpiam loqui nolle significamus. *Plaut. Asin.* 1. 3. 52. Nihili cocio est, si est cæcus, nil dico amplius. *Cic. Planc.* 7. 17. Nihil dico amplius. *Id. Cæcin.* 36. 104. Habetis eum, ut nihil dicam amplius, qui se homines coegisse fateatur. Adde *Marcell.* 6. 17. — Hinc et illa formula est *Cic.* 13. *Fam.* 29. 5. Rogo, ut si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea. *Id. Brut.* 5. 18. Tibi ego non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum. Adde *Rosc. com.* 12. 35. et 1. *Att.* 8. Hac utebantur in stipulationibus, cum creditor cavebat debitori, affirmando nihil amplius sibi deberi, nihilque se ultra unquam petiturum. Quæ integra refertur *Dig.* 46. 8. 23. his verbis: *In stipulatione cavetur, non petiturum eum, cujus de ea re actio, petitio, persecutio sit. V. ibid. l.* 15., et *Brisson. de form.* 6. 88. et 184. — Huic similis est illa, *amplius non agi* apud *Paul. Dig.* 45. 1. 4. et *Ulp. ibid.* 9. 2. 27., habebatque locum in iis stipulationibus, in quibus aliquis promittebat, se de ea re numquam postea acturum, aut litem intentaturum. — Denique familiaris illa per ellipsin formula *nihil amplius*, qua significamus, rem esse uti antea diximus, neque aliud omnino insuper addendum. *Cic.* 12. *Fam.* 1. 7. Adhuc ulta suas injurias est per vos interitu tyranni: ni-

hil amplius. *Id.* 7. *Verr.* 49. 128. Sthenius – sese ipsum abs te repetit: nihil amplius. *Ovid.* 9. *Met.* 148. Excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem? — *b*) Interdum amplius habet post se Genitivum. *Plaut. Cist.* 5. 4. Gaudeo tibi meâ operâ liberorum esse amplius. *Ter. Heaut.* 1. 1. 1. Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum est, inde adeo, quod agrum in proxumo hic mercatus es: nec rei sane amplius quidquam fuit. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 9. Nescio an amplius mihi negotii contrahatur. *Cæs.* 6. *B. G.* 9. Si amplius obsidum velit, dare pollicentur. — *c*) Interdum habet Ablativum. *Plaut. Most.* 3. 3. 16. TH. Nempe octoginta debentur huic minæ. TR. Haud nummo amplius. *Cic. Rosc. com.* 4. 10. Hic tu, si amplius sestertio nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti. *Lucret.* 3. 965. qui obitum lamentetur miser amplius æquo, Non merito inclamet magis et voce increpet acri. *Julian. Dig.* 39. 6. 19. Non amplius parte capere. *Scævola ibid.* 36. 1. 78. *in fin.* Amplius quadruplo. *V.* infra *B.* 3. *a.* — *Hoc amplius* et *eo amplius* præcipue occurrunt. *Ter. Andr.* 1. 1. 4. Quid est quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius? *Plaut. Rud.* 1. 5. 21. Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 12. 34. Bestiis autem sensum et motum dedit et – a pestiferis recessum; homini hoc amplius, quod addidit rationem. *Sall. Jug.* 80. et apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 75. Denas alii (*uxores*), alii plures habent: sed reges eo amplius. — Hinc speciatim *hoc amplius* formula est, qua et superiora repetimus, et aliquid præterea addimus, ut *Pompon. Dig.* 32. *l.* 52. docet. *Cato R. R.* 142. Quæ dominus præcepit –, eadem omnia uti curet faciatque moneo, dominoque dicto audiens sit. Hoc amplius, quomodo villicum uti oportet etc. *Cic. Cæcin.* 10. 77. A. Atilius et ejus filius L. Atilius et armatos ibi fuisse et se suos armatos adduxisse dixerunt: etiam hoc amplius, cum Æbutius Cæcinæ malum minaretur –, ibi tum Cæcinam postulasse etc. *Id.* 9. *Fam.* 25. 1. Obtemperare cogito præceptis tuis: hoc amplius navicularum habere aliquid. *h. e.* præterea. *Id.* 5. *Fin.* 4. 11. Cum uterque pluribus scripsisset, qui esset optimus reipublicæ status; hoc amplius Theophrastus, quæ essent etc. Adde *Nep. Alcib.* 11., *Sueton. Claud.* 11. et *Cæs.* 38., *Quintil.* 1. 1. 8., et *Dig.* 30. 1. 108. § 7. et 32. 1. 54. *Sueton. Calig.* 15. Inferiasque his annua religione publice instituit et eo amplius matri circenses. — *Cic.* 1. *ad Brut.* 5. 1. Cui cum essem assensus, decrevi hoc amplius, etc. *Id.* 13. *Phil.* 21. 50. Quæ cum ita sint, de mandatis litterisque M. Lepidi Servilio assentior; et hoc amplius censeo, *etc.* Formula qua utebatur in senatu, qui sententiam post alium dicebat, et assentiri se illi affirmans, addendum tamen aliquid pronunciabat. Qua de re V. alia duo exempla apud *Senec. Vit. beat.* 3. et 3. *Quæst. nat.* 15. et cf. *Brisson. de form.* p. 182. In testamentis illa quoque formula est: *lego Titio tot, et hoc amplius uxori, et liberis ejus tot*, quæ apud *African. Dig.* 30. *l.* 105. legitur. — *d*) Sæpe habet post se particulam *quam*, etiam præcedente negatione, et sequente altero comparationis membro. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 76. Segestanis præter ceteros imponebat aliquando amplius, quam ferre possent. *Id.* 2. *Legg.* 26. 64. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 33. Quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tuerentur. *Id.* 2. *Verr.* 13. 37. Erit tum consul Hortensius cum summo imperio ac potestate, ego autem ædilis, hoc est, paullo amplius quam privatus. *Nep. Thrasyb.* 4. Nolo amplius, quam centum jugera. *Id. Ages.* 8. Ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius, quam pellis esset injecta. *Sall. Cat.* 47. Docetque se paucis ante diebus a Gabinio et Copario socium ascitum, nihil amplius scire quam legatos. *Curt.* 8. 4. 21. Ille imperio ei reddito haud amplius, quam ut duo ex tribus filiis secum militarent, exegit. *V.* infra *B.* 3. *a.* — Interdum ante particulam *quam* habetur ellipsis. *Sueton. Claud.* 16. Alium corruptelis – famosum nihil amplius quam monuit, ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut etc. *h. e.* nihil amplius effecit quam etc. *Id. Ner.* 39. Histrionem et philosophum Nero nihil amplius quam Urbe Italiâque submovit. Adde *eumd. Domit.* 3. et *Vesp.* 20. *Tac.* 13. *Ann.* 40. Ubi nihil temeritate solutum nec amplius quam decurio equitum – confisus etc.

B) Amplius usurpatur etiam ut merum adverbium. ¶ 1. Significat plus etiam. *Plaut. Men.* 5. 2. 48. Si ille quid deliquerit, multo tantum illum accusabo, quam te accusavi, amplius. *Id. Asin.* 3. 3. 2. AR. Vale. PH. Aliquanto amplius valerem, si hic maneres. Adde *eumd. Men.* 5. 2. 40. *Sall. Jug.* 111. Quoniam amplius armis valuissent. ¶ 2. Item significat insuper, præterea, et ad rem tantummodo refertur. *Plaut. Aul.* 3. 2. 5. Homo nullus est te scelestior qui vivat hodie; neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 6. Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius expectes? *Sall. Jug.* 44. Quæcumque dici aut fingi queunt – probra, in illo exercitu cuncta fuere et alia amplius. *Curt.* 8. 10. 2. Cum amplius nemo occurreret. *Sueton. de illustr. Gramm.* 17. Verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet. *Id. Aug.* 97. Non, si omnia morarentur, amplius se posthac Romæ futurum. — Hinc etiam *amplius deliberare* apud *Ter. Phorm.* 2. 4. 17. Ego amplius deliberandum censeo. — Unde in re forensi cum judicibus non satis liquebat in causa aliqua, et novam actionem postulabant, is qui causæ præerat *amplius* pronuntiabat.: *V.* AMPLIATIO 2. *Cic.* 3. *Verr.* 9. 26. Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel judicari primo poterat, vel amplius pronuntiari. *Id. ibid.* 29. 74. Tamen – tanta in isto improbitas putabatur, ut de Philodamo amplius pronuntiaretur. *Id. Brut.* 22. 86. Cum consules re audita amplius de consilii sententia pronuntiassent. V. *Charis.* 2. *p.* 176. *Putsch.*, *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2. 3. 39. et *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 29. 74. p. 180. *Bait.* — Aliquando ad tempus refertur, quamvis numquam reapse sit adverbium temporale. *Ter. Heaut.* 1. 2. 11. Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset amplius. *h. e.* amplius quam factum fuerat. *Lucilius* apud *Charis.* 2. *p.* 261. *Putsch.* Quo pacto populum atque urbem servare potissit amplius Romanam. *Lucret.* 4. 871. glomerataque multa vaporis Corpora – Dissipat adveniens liquor ac restinguit, ut ignem, Urere ne possit calor amplius aridus artus. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Sed eisdem de causis Cæsar – prælio amplius non lacessit. *Sall. Jug.* 27. Ne amplius morando Scaurum – incenderet. *Id. ibid.* 53. Quod Metellus amplius opinione morabatur, instruit. *Liv.* 37. 16. Omissâ Patara amplius tentandi spe. *Virg.* 3. *Æn.* 192. Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ Apparent terræ. *Id. ibid.* 260. nec jam amplius armis, Sed votis precibusque jubent exposcere pacem. Adde 9. *ibid.* 518. ¶ 3. Sæpissime jungitur cum numeralibus adjectivis et æque ac *plus* majorem gradum significat et orationis membrum quodammodo sustinere videtur. Porro — *a*) Construitur cum Ablat., vel sequente particula *quam*. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. Horâ amplius jam in demoliendo signo permulti homines moliebantur. *Cæs.* 1. *B. G.* 15. Uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset. *Sall. Cat.* 56. Cum initio non amplius duobus millibus habuisset. Adde *Jug.* 76. *Liv.* 27. 12. Pugnatum amplius duabus horis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (82). Mare interest vadosum, senis non amplius altitudinis passibus. — *b*) Absolute cum adjectivis numeralibus conjungitur, eaque — Aut præcedit. *Cic.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 26. 82. Quem (*solem*) mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam terram. *Id. Rosc. com.* 3. 8. Amplius sunt sex menses. *Et paullo post.* Quid? si tandem amplius triennium est? *Id.* 2. *Att.* 16. Qui ager, ut dena jugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere. *Cæs.* 3. *B. C.* 99. In deditionem venerunt amplius millia XXIIII. *Et mox.* Non amplius CC milites. *Sall. Cat.* 59. Quod amplius annos triginta in exercitu fuerat. *Nep. Hamilc.* 2. Cum amplius centum millia facta essent armatorum. *Id. Datam.* 8. Cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset. — Aut adjectiva numeralia statim subsequitur. *Sall. Jug.* 105. Cum mille non amplius equitibus. *Liv.* 36. 38. Duas amplius horas dubium certamen sustinere. *Id.* 1. 58. Centum amplius post annos. *Id.* 38. 40. Thracum decem haud amplius millia. *Virg.* 3. *Ecl.* 105. Tres pateat cæli spatium, non amplius, ulnas. Adde *eumd.* 1. *Æn.* 683. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 19. (52). Quinque non amplius dierum terreno itinere. — Aut raro et adjectiva numeralia et substantiva subsequitur. *Cic. Flacc.* 28. 68. Expensum est – Laodiceæ viginti pondo paullo amplius per hunc ipsum L. Peducæum. *Id. ibid.* 26. 63. Lacedæmonii – soli toto orbe terrarum septingentos jam annos amplius unis moribus et numquam mutatis legibus vivunt. Adde *Liv.* 40. 31. — Aut denique adjectivis numeralibus interseritur, vel postponitur præcedente particula conjunctiva. *Sall. Cat.* 20. Illos binas, aut amplius domos continuare. *Sueton. Cæs.* 25. Per tot successus ter, nec amplius, adversum casum expertus.

AMPLUSTRIA. *V.* APLUSTRIA.

AMPTRUO *vel* Amtruo, as, n. 1. antiquum verbum ab *am* circum, et *trua*, quæ est instrumentum ad movendum et agitandum, seu potius juxta *Döderlein* ab ἀνατροχᾶν *subvertere*: significat motus et saltus, quos edebant Salii sacerdotes in suis sacris: horum enim qui primus erat, *amptruare* dicebatur, et qui post eum movebantur et saltitabant invicem motus reddentes, *redamptruare*. *Lucil.* apud *Fest.* p. 270. *Müll.* Præsul ut amptruet, ita vulgus redamptruet olli. *V.* REDAMPTRUO. Sunt autem satis multæ horum verborum variæ lectiones. Nam pro *amptruare* alii reponunt *amburbare*, hoc est saltu corpus reciprocare: alii *ampirvare* eodem fere sensu: pro *redamptruare* legunt alii *redentruare* vel *redandruare* eadem significatione. Ut ut se res habeat, obsoleta hæc sunt omnia, et antiquitati relinquenda.

AMPULLA, æ, f. 1. Etymon videtur esse ab ἀναπολέω verso, unde ἀμπολῶ, hinc ampulla; vel ut nonnulli volunt ab *amb* et *olla*: vasis genus ex vitro, aut alia materia, turgidum veluti inflato ventre, et angusto ore, quo oleum veteres in balneis servabant; item quo in mensa ad acetum continendum, aliquando etiam ad bibendum utebantur. Ejus formam his verbis *Apul. Florid.* 11. 3. describit. Fabricatum sibimet ampullam oleariam, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate. Figuram exhibet *Pignorius Serv.* p. 40. Ansatam utrimque fuisse putat *Isaac. Voss. in not. ad Melam* 2. 6., et in eo differre ab urceo, qui unicam tantum ansam habeat. Apud *Plaut. Merc.* 5. 2. 86. refertur inter instrumenta, quæ secum iter facturi asportabant; seu quod eâ oleum ferrent ad ungendos in itinere pedes, qui mos antiquis fuit, teste *Hesych.*, seu quod vinum in ea haberent; qua ratione idem videtur fuisse ac œnophorum, de quo *Pers.* 5. 140. Jam pueris pellem succinctus, et œnophorum aptas, Ocius ad navem, etc. Hinc *Festus* p. 262. *Müll.*, *scorteas ampullas* memorat *vetustate rugosas*, ubi sane intelligit ampullas ex corio ad vinum ferendum, quas Itali vocant *fiasche*, et *borraccie*, quæque figura cum ampullis conveniunt. Reapse est Græcum λήκυθος (Fr. *flacon*, *bouteille*, *fiole*; Hisp. *flasco*, *frasco*; Germ. *Flasche*; Angl. *flask*, *flagon*).

I.) Proprie. Præter *Plaut. l. c.* et *Stich.* 1. 3. 18. et *Pers.* 1. 3. 44. et *Festum l. c.* ampullas memorant *Cic.* 4. *Fin.* 12. 30. Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat. *h. e.* balneorum usus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 54. (152). Ampullæ vitreæ aceti. *Martial.* 6. 35. vitreisque tepentem Ampullis potas semisupinus aquam. *Sueton. Domit.* 21. Modicam in ampulla potiunculam sumere. Adde *Plin.* 4. *Ep.* 30.

II.) Translate eadem ratione, qua Græcum λήκυθος. *Horat. Art. P.* 97. Projicit ampullas et sesquipedalia verba. *h. e.* verba magnifica, turgida, et grandiloqua: ducta similitudine a figura ampullæ, quæ ventriosa est, et in medio veluti inflata.

AMPULLĀCEUS, a, um. adject. ad ampullam pertinens. *Ampullaceum corium* apud *Colum.* 8. 2. 15. videtur esse illud, quod adhibebatur faciendis ampullis, seu œnophoris. *V.* AMPULLA et AMPULLARIUS. *Ampullacea pira* dicuntur a *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56). quæ sunt ampullæ figura, collo oblongiore, latiore ventre.

AMPULLAGĬUM, ii, n. 2. flos mali punici cum parvulo fructu, κύτινος ῥοιᾶς, ita dictus a figura ampullæ. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. et 5. *ibid.* 2., atque hoc posteriore loco alii leg. *ambulacium*.

AMPULLĀRĬUS, ii, m. 2. qui ampullas facit. *Plaut. Rud.* 3. 4. 51. Ut quis dicat ampullarius, optimum esse opere faciundo corium, et sincerissimum. *scil.* ex corio etiam ampullæ fiebant, ut in AMPULLA dictum est: vel, ut alii volunt, corio vestiebantur, ut ferendo munitiores essent iter facientibus. Adde *Inscript.* apud *Grut.* 643. 10., quæ apud *Orell.* est 4145. C. Lucius Philomusus ampullarius. — Adjective. *Plaut. Stich.* 1. 3. 75. Unctiones malacæ ampullariæ. *h. e.* quæ in balneis fiebant deprompto ex am-

pullis pretioso unguento. Ita enim legitur in quibusdam editis, et MSS. Alii leg. *crapularias*, quæ discutiendæ crapulæ adhibentur.

AMPULLOR, āris, ari, dep. 1. ampullis verborum uti, magnifice loqui. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 14. Tragica desævit et ampullatur in arte.

AMPULLŬLA, æ, f. 1. deminut. parva ampulla. *Sulpic. Sev.* 3. *Dial.* 3. Ampullula vitrea.

AMPŪTĀTIO, ōnis, f. 3. (amputo) actus amputandi (It. *troncamento, mozzamento*; Fr. *action de couper, d'émonder*; Hisp. *corte, amputacion*; Germ. *die Beschneidung oder Abschneidung*; Angl. *a cutting or lopping off*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu et abstracte. *Cic. Senect.* 15. 53. Sarmentorum aliorum amputatio, aliorum immissio. ¶ 2. Pro ipsa materie, quæ amputatur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (118). *de arbore balsami.* Et sarmenta quoque in merce sunt: sestertiis septingentis amputatio ipsa surculusque venit.

II.) Translate *amputatio vocis* est vocis amissio: quam Græci quoque φωνῆς ἀποκοπὴν vocant. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 6. Vocis amputatio fiet ex clamore nimio, aut frigore, aut ardore, sive ustura faucibus asperatis, vel etiam tumore nimio. Fit autem obtusio sonitus emissæ per spiritum vocis, atque hirta vel aspirationis tractu gravata locutio. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 10. et 3. *Tard.* 2. — Apud *eumd.* 1. *Tard.* 5. amputatio virium est debilitas. Et *id.* 4. *Tard.* 3. Pulsus parvitas vel amputatio, quam Græci ἀσφυξίαν vocant.

AMPŪTĀTŌRĬUS, a, um, adject. amputandi et dividendi vim habens. *Theod. Priscian. De diæta* 10. Origanum est amputatorium et siccatorium et extenuatorium. *Scribon.* quoque hanc amputandi vim medicamentis tribuit, dum de *triphera* medicamento ita loquitur *Compos.* 230. Uvam nimis jacentem, sine periculo per auriscalpium lana involutum perunctam amputat.

AMPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Amputans* I. 1.; *Amputatus* in omnibus paragr.; *Amputaturus* I. 1.; *Amputandus* II. — Amputo ex *am* et *puto* proprie est circum abscindere, ut ait *Paul. Diac.* p. 21. 18. *Müll.* Amputata, id est circum putata. Sive est rem aliquam a noxiis aut supervacaneis cædendo purgare (It. *tagliar via, troncare, mozzare*; Fr. *amputer, tailler, rogner*; Hisp. *tajar, cortar, cercenar*; Germ. *umputzen, rings umputzen, wegputzen*; Angl. *to cut or lop off, to prune, amputate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est verbum proprium agricolarum, et significat cædendo purgare: fere semper cum Accus. rei quæ cæditur et rejicitur. *Cic.* 5. *Fin.* 14. 39. Quæ sit scientia atque ars agricolarum, quæ circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur etc. *Id. Senect.* 15. 52. Quam (*vitem*) serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 4. Amputare mergum. *Horat. Epod.* 2. 11. Inutiles falce ramos amputans. Cf. *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 13. sub II. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 57. (131). Amputatum cacumen ulmi. *Quintil.* 10. 7. 28. Amputare radices. *Curt.* 4. 9. Falces amputaturæ quidquid obvium fuisset. ¶ 2. Est verbum proprium medicorum, et significat læsum vel supervacaneum animalis corporis membrum recidere. — a) Scalpello. *Cic.* 8. *Phil.* 5. 15. *translate.* In corpore quidquid pestiferum est amputare. *V.* infra II. *Colum.* 6. *R. R.* 32. 3. Scalpello usque ad vivum resecare et amputare scabiem. *Seneca* 10. *Controv.* 4. *ad fin.* Exoletos amputare. — b) Medicamento aliquo, quod mordendo resecet. V. *Scribon. Compos.* 230. in AMPUTATORIUS. Et translate *Sil. It.* 3. 553. *de frigore.* fractos asper rigor amputat artus. — c) Præcipue ferro, gladio, cultro atque aliis ejusmodi. *Curt.* 4. 6. 16. et 8. 1. 20. Amputare manum gladio. *Id.* 5. 5. 6. pedes, manus, auresque. *Id.* 8. 14. 28. pedes securibus. *Id.* 9. 1. 32. ferro crus. *Seneca Thyest.* 761. humeros trunco tenus. *Sueton. Galb.* 20. caput alicui. *Id. ibid.* 9. manus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (26). testes. *Id.* 9. *ibid.* 62. 88. (186). caudas.

II.) Translate. ¶ 1. Sumpta metaphora ab agricolarum et medicorum arte, amputare est amovere, auferre, imminuere quæ noxia aut inutilia sunt. *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 13. Nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. *Id.* 2. *Orat.* 21. 88. Sicut in vitibus —, sic volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. *Id.* 8. *Phil.* 5. 15. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur —; sic in rei publ. corpore, — quidquid est pestiferum, amputandum est. *Id.* 1. *Fin.* 13. 44. Amputata et circumcisa inanitas omnis et error. *h. e.* sublata et remota. *Id.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 25. 138. Circumcidere et amputare multitudinem sententiarum. *Id. Partit. orat.* 5. 15. narrationes. *Seneca Med.* 530. longa colloquia. *Id.* 3. *Benef.* 14. 3. occasiones. *Tac.* 2. *Hist.* 69. numerum legionum. *Justin.* 24. 7. moras. *Quintil.* 8. 3. 75. Turpes ac perniciosos amputandos. *Flor.* 2. 18. 10. Amputare scorta, calones, sarcinas. *Gell.* 6. 5. Decisæ et amputatæ falsæ opiniones. *Id.* 19. 12. Omnibus vehementioris animi vitiis amputatis. — Hinc *amputata loqui* est dicendo uti verbis non apte cohærentibus, ut velut trunca oratio sine numero desinat. *Cic. Orat.* 51. 170. Et ipsi infracta et amputata loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronunciant. ¶ 2. Est etiam imminuere, auferre generatim, apud *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. *in fine.* Cum vinolentia nervos amputet, phlebotomia patientes impleat partes.

AMSEDENTES circumsedentes. *Placidus* p. 433. *Mai.*

AMSEGETES, inquit *Paul. Diac.* p. 21. 6. *Müll.*, dicuntur, quorum ager viam tangit. *h. e.* qui agrum habent, per quem vicino servitus viæ debetur. Est autem *via* hoc sensu jus eundi, jumentum agendi, vehiculum ducendi per agrum vicini. Qui agri hanc servitutem habebant, tenebantur eorum domini viam ita munire, ut facile posset et homo et jumentum et vehiculum illa ire. Si non fecissent, jus erat vicino ex XII. Tabulis jumentum qua vellet agere, ut est apud *Cic. Cæcin.* 19. 54. Legem illam XII. Tabular. ita recitat *Dacerius in Fest.* Amsegetes viam muniunto. Si via immunita escit, qua volet jumentum agito. *Gothofred.* ita refert: Si via per amsegetes immunita escit, qua volet jumentum agito. Si *Paulum* et *Dacerium* sequimur, amsegetes sunt ipsi domini agri culti: si *Gotohfred.* ipsi agri. Sed prior sententia potior habenda: illam enim legem XII. Tabul. aliter omnino legit *Müllerus* in *Festo* p. 193. 14.

AMTERMĪNI, qui circa terminos provinciæ manent. *Paul. Diac.* p. 17. 8. *Müll.*; quæ verba mendosa putat *Scalig.* et ita emendat: *Amtermini qui circa terminos Po. Ro. viciniæ manent*: et intelligit eos, qui non erant in agro Romano, sed circum in vicinia; *am* enim circum significat: Græce ἀμφιτέρμονας. Subdit præterea non solum *amterminos* dictos esse, sed et *amtermines*, quia veteres etiam *termen* dicebant pro *terminus*: errare ideo *Macrob.* qui *Saturn.* 1. 14. fragmentum illud Catonis *Oratorum am terminum* divisim legat, cum sit junctim legendum *amterminum* ab adjectivo plurali *amtermines*. Est in loco *Macrobii* mira lectionum varietas; sed tamen *Scaligeri* sententia est omnino rejicienda, quippe quæ cum Macrobii verbis omnino pugnat.

AMTRUO. *V.* AMPTRUO.

ĂMŬLĒTUM, i, n. 2. medicamentum, quod de collo suspenditur, aut alia quacumque ratione adhibetur, præcipue ad amoliendum fascinum: videturque dictum ab *amoliendo*: unde et *amoletum* scriptum legitur in *Vet. Gloss.* Rectius tamen et nomen et res ab Oriente deducenda sunt. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 19. (66). Morborum remedia, veneficiorum amuleta. *Id.* 30. *ibid.* 15. 47. (138). Scarabæorum cornua adalligata amuleti naturam obtinent. *Id.* 28. *ibid.* 4. 7. (38). Inter amuleta est, editæ quemque urinæ inspuere. *Id.* 37. *ibid.* 3. 12. (50). Succinum infantibus adalligare amuleti ratione.

ĂMŬLUM. *V.* AMYLUM.

ĂMURCA, æ, f. 1. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 194. docet, *amurca* per c quidem scribi, pronunciari vero per *g*, ut fit in *Cajus* et *Cneus.* — Amurca est Græcum vocabulum ἀμόργη ab ἀμέργω *premo*, et significat sordes olei, quæ præcedunt. Nam quæ sequuntur, fæces vocantur. Varios ejus usus et utilitates recenset *Cato R. R.* 36., 91. et 103., et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (33). Ea enim imbui dolia olearia cadosque, ne bibant oleum; subigi areas terendis messibus, ut formicæ rimæque absint: illini horreorum parietes et pavimenta, et vestium arcas contra teredines et noxia animalia: lora et coria et calceamina axesque et æramenta contra æruginem, colorisque gratia elegantioris; præterea utilem esse in quibusdam arborum morbis, et animalium quoque, etc. Addit *Varro* 1. *R. R.* 51. 1. utilem esse ad necandas noxias herbas in agris, etc. *Virg.* 3. *G.* 448. Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 55. 7., 57. 1. et alibi, et *Colum.* 2. *R. R.* 9. 10., 15. 3., 20. 4. et alibi.

ĂMURCĀRĬUS, a, um, adject. *Amurcaria dolia* apud *Caton. R. R.* 10. 4. sunt, in quibus amurca servatur.

ĂMŪSĬA, æ, f. 1. (ἀμουσία), canendi imperitia. *Varro* ὄνος λύρας apud *Non.* p. 170. 3. *Merc.* Quibus suam delectet ipse amusiam, et aviditatem speribus lactet suis.

ĂMŪSOS, i, m. 2. ἄμουσος: Græca vox, qua significatur rudis, indoctus: ab α privativo et μοῦσα musa. Speciatim vero sic dicitur a *Vitruv.* qui est rudis in musicis 1. 1. 13. Non enim debet esse architectus musicus, ut Aristoxenus; sed non amusos.

ĂMUSSIS, is, f. 3. regula lignea, vel ferrea perfectæ rectitudinis, qua utuntur fabri ad coæquanda opera et ad planam æqualitatem dirigenda. Ita definiunt *Paul. Diac.* p. 6. 9. *Müll.* et *Varro* apud *Non.* p. 9. 17. *Merc.*, cujus verba sunt: *Amussis est æquamen levamentum, id est apud fabros tabula quædam, qua utuntur ad saxa coagmentata.* Et *Sisenna* apud *Charis.* 2. p. 178. *Putsch. Amussis est tabula rubricata, quæ demittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat.* Quare conflatam hanc vocem putant saniores Etymologi ab *am* circum et *assis* pro *asser*, hoc est tabula. Si huic rectæ regulæ addatur altera, ita ut rectum angulum efficiat, est *norma*, quæ et ipsa ad dirigendas planities apta est, sed alios habet præterea usus. Aliam tamen alii (ut *Non. loc. cit.*) huic voci significationem tribuunt, quod nempe sit funiculus ille, quem fabri rubrica illinunt, cum opus probant. Alii quod sit idem, ac perpendiculum, quo rectæ rectitudines exiguntur: sed prior notio magis propria videtur. *Auson. Edyll.* 16. 10. Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis (It. *livella, traguardo*; Fr. *cordeau, niveau, règle*; Hisp. *cordel, nivel*; Germ. *das Lineal der Werkleute*; Angl. *a mason's or carpenter's rule, or line*). — Fere translate occurrit *ad amussim* et est secundum regulam, perfecte, quia quæ ad amussim exiguntur opera, perfecta sunt. *Gell.* 20. 1. Talionem ad amussim æquiparare. *Id.* 4. 4. Judicium factum ad amussim. Al. hic leg. *examussim*, eod. sensu. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Videndum ergo ne magis varietas veteres delectaverit, quam ut ad amussim verum sit, festorum dierum nomina sic vocari. *h. e.* regulariter, seu secundum regulas grammaticorum. Adde *Varron.* apud *Non. loc. cit. Numerus ad amussim* dicitur a *Varr.* 2. *R. R.* 1. 20. qui tantus omnino est, quantus dicitur, ut si dicas *numerus centenarius ad amussim* est Italice *cento in punto.* — Scribitur et *adamussim* junctis vocibus. — Omissa præposit. *Amussim* inquit *Paul. Diac. l. c.* regulariter: tractum a regula, ad quam aliquid exæquatur, quæ amussis dicitur. — *NB.* Alio sensu *Id. ibid.* Quidam amussim esse dicunt non tacite: quod mutire interdum dicitur loqui. *V.* EXAMUSSIM.

ĂMUSSĬTĀTUS, a, um, adject. ad amussim exactus; et translate perfectus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 38. Amussitata indoles.

ĂMUSSĬUM, ii, n. 2. idem quod amussis; vel opus ad amussim exactum, exæquatum et perfectum. *Vitruv.* 1. 6. 6. Collocetur ad libellam marmoreum amussium mediis mœnibus, aut locus ita expolietur ad regulam et libellam, ut amussium non desideretur. *V.* integrum. *Vitruv.* locum, et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (326. et seq.) et *ibid.* 34. 77. (331. et seq.) ubi similem quiddam describitur. Ex *Vitruvii* autem loco patet amussium esse discum lævigatum, quod ventorum rosæ, uti ajunt, ad horizonta ponitur.

ĂMYCTĬCUS, a, um, adject ἀμυκτικός, lacerandi, seu vellicandi vim habens, ab ἀμύσσω *vellico, lacero.* *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 6. Adhibenda etiam arteriaca medicamina, quæ partes in passione constitutas exerceant, a Græcis amyctica appellata. *Theod. Priscian.* 2. 5. Malagmata amyctica. Adde *ibid. cap. ult.*

ĂMYGDĂLA, læ, f. 1. *Etymolog. M.* et *Athenæus l.* 2. p. 52. amygdalam ita appellatam putant παρὰ τὸ ἐν τῷ μετὰ τὸ χλωρὸν ὀστέῳ ἀμυχὰς ἔχειν πολλάς, *h. e.* quia in osseo nucis putamine, quod viridi externo proximum est, habet plures strias, sive sulcatas lineas, quas Græci ἀμυχὰς vocant, ab ἀμύσσω *lacero.* Vel ab ἀμύσσω *pungo*, unde ἀμυγμὸς *laceratio cutis*, nam primum amygdalus amara innotuisse videtur: hinc *Arnob.* 5. 7. Mater suffitus et

has (*lacrymas*) Deum, unde amygdalus nascitur, amaritudinem significans funeris. ¶ 1. Est arbor, cujus hanc exhibet synonymiam cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 257.): Ἀμυγδαλέα et Ἀμυγδαλῆ Dioscor. 1. 170. et Theophr. 7. 12., Ἀμυγδαλαῖ Hipp. 2. de Diæta et *Amigdalus* Latinorum sunt *Amygdalus communis* L. Spec. plant. 676. *Var.* β. *dulcis et* α *amara* (It. *mandorlo*; Fr. *amandier*; Hisp. *almendro*; Germ. *der Mandelbaum*; Angl. *the almond-tree*). *Colum.* 5. *R. R.* 10. 20. Amygdala si parum ferax erit etc. Adde 9. *ibid.* 4. 3. et 11. 2. 96. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 46. (109). Perdunt facillime fructum ante maturitatem palma, ficus, amygdala, malus. Et *ibid.* 25. 42. (103). Floret prima omnium amygdala mense Januario. ¶ 2. Ἀμυγδάλη, nux, quæ, et *Græca*, et *Thasia* dicitur: est autem fructus amygdali arboris (It. *mandorla*; Fr. *amande*, Hisp. *almendra*; Germ. *die Mandelfrucht*; Angl. *an almond*. *Cato R. R.* 8. 2. et *Colum.* 6. *R. R.* 10. 12. nucem Græcam vocant. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (36). Gummi adulteratur amygdala nuce. *h. e.* ut *Id.* 13. 11. 20. (25). exponit, adulteratur verum gummi eo, quod ex amaris amygdalis fit, et est deterius. *Id.* 13. *ibid.* 9. 17. (60). Amygdalæ putamen et corium. *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Dicendum quæ sit Græca nux: ac simul hoc dicens, amygdalam de lance tulit, et ostendit. *Ibid. paullo post* legitur amygdale in recto singulari, Græca positione.

ĂMYGDĂLĀCEUS, a, um, adject. amygdalam arborem referens. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 69. (111). Amygdalaceo folio, flore rosaceo.

ĂMYGDĂLEUS, a, um, adject. ad amygdalam arborem pertinens. *Pallad. de insit.* 157. *de pistaciis.* Quin et amygdaleos subeunt pistacia ramos. *h. e.* amygdalæ ramis inseruntur.

ĂMYGDĂLĪNUS, a, um, adject. (ἀμυγδάλινος), qui est ex amygdala nuce. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (26). et 23. *ibid.* 4. 10. (22). Oleum amygdalinum. *Seren. Sammon.* 26. Amygdalinæ nucis succus. *h. e.* oleum. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 3. *Amygdalina pruna* dicuntur, quæ in amygdalæ arbore ex insitione proveniunt. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (42).

ĂMYGDĂLĪTĒS, æ, m. 2. (ἀμυγδαλίτης) dicitur genus tithymali valde similis amygdali foliis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 44. (70). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 397.) hanc exhibet synonymiam: Τιθύμαλλος πλατύφυλλος Dioscor. 4. 165. et *Tithymalus platyphyllos*, *alii corymbites*, *alii amygdalites* Plin. l. c. sunt *Euphorbia platyphyllos* L. Spec. plant. 660.

ĂMYGDĂLŎĪDĒS, æ, m. 1. (ἀμυγδαλοειδής) ita appellatur ab *Apul. Herb.* 108. species tithymali, qui et masculus dicitur.

ĂMYGDĂLUM, i, n. 2. (ἀμύγδαλον). ¶ 1. Arbor, quæ et amygdala dicitur. *V.* AMYGDALA 1. *Colum. de arb.* 25. 1. Amygdala si parum feracia erunt, per foratam arborem lapidem adigite. Adde *Gargil. Mart. p.* 402. *Mai.* ¶ 2. Item fructus amygdali arboris, qui et *amygdala* dicitur. *V.* AMYGDALA 2. *Ovid.* 3. *Art. am.* 183. Nec glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 6. Amygdala ad legendum maturitatem fatentur, cum fuerint spoliata corticibus. *Scribon. Compos.* 5. Amygdalorum amarorum P. 2.

ĂMYGDĂLUS, i, f. 2. (ἀμύγδαλος) arbor amygdala ferens. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 6. Amygdalus seritur semine, et plantis, quæ de majori radice tolluntur. *Et post.* Teneras nuces amygdalus creabit, si, etc. Adde *eumd.* 3. *R. R.* 25. 33. et *de insit.* 149., et *Priapej.* 51.

ĂMȲLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĂMȲLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Amylatus.* Est amylo aliquid aspergere et miscere: quod fit in liquidioribus cibis ad spissandum. *Apic.* 7. 6. Amylare jus. *Et* 5. Amylare fervefactum. Adde 8. 3. *Id. ibid.* 3. eodem sensu dixit *amylo obligare*. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *ad med.* Dandum quoque lac amylatum, et panis laganum. *Apic.* 2. 2. Isicia amylata sic facies.

ĂMȲLUM *et apud veteres* Amilum, i, n. 2. (ἄμυλον) genus edulii ex tritico aliquot diebus in aqua macerato, et antequam acescat, linteo, aut sportis saccato, et ad solem densato: ita dictum quod sine mola fit, ut docet *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 17. (76). nempe ab α privativo et μύλος *mola frumentaria* (It. *amido*; Fr. *amidon*; Hisp. *almidon*; Germ. *Kraftmehl*; Angl. *a Kind of medicine or food made of un-ground wheat three months old*). Ejus conficiendi rationem fuse tradunt *Cato R. R.* 87., ubi amulum scribitur, et *Plin. loc. cit.* Habet autem usum tum in medicina, tum in cibis, in quibus addito lacte coqui solet, ut *Cato ibid.* addit. Hodie amylo utimur ad firmanda lintea munda. In officinis corrupte *amydum* dicitur. *Cels.* 2. 20. Boni succi sunt triticum, siligo, alica, oryza, amylum. Adde *eumd.* 4. 4., *Scribon. Compos.* 27. et 86. et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18.

ĂMYNTĬCUS, a, um, adject. (ἀμυντικός ab ἀμύνω *propulso*), depulsorius. *Theod. Priscian.* 2. 26. Emplastra amyntica.

ĂMYSTIS, idis, f. 3. *Hor.* 1. *Od.* 36. 14. Neu multi Damalis meri Bassum Threicia vincat amystide. *h. e.* more Thracum bibendi ingens vini poculum uno spiritu et ductu; nam ἀμυστὶ πίνειν significat absque oris et labiorum compressu bibere; unde ἀμυστίζω *ore hiante bibo et largo haustu*; et ἄμυστις, ιδος *largus haustus*, ut docet *Pollux l.* 3. *c.* 3., ab α privativo et μύζω, quod significat *claudo, comprimo*, et proprie de ore ac labiis dicitur. Id ipsum ita Latine dixit *Apul.* 10. *Met. p.* 246. *Elm.* Extrema labia grandissimum illum calicem uno haustu perhausi. Alii putant *amystidem* eo loco *Horatii* esse ipsum poculum largæ potioni aptum, quo et Thraces uti solerent in strenuis potationibus: nam et hoc ἄμυστις significat, teste eodem *Poll. ibid. c.* 16. et *Macrob.* 5. *Saturn.* 21. ex *Callimachi* versu. Utitur hac voce eodemque sensu etiam *Sidon. in prosa post carm.* 22. Ecce misi, quod inter scyphos et amystidas tuas legas.

AN

AN, particula conjunctiva, quæ inservit interrogationi. — Hanc particulam esse ab *aisne?*, unde *ain?* (*V.* AIO 4. *b.*) et per syncopen *an*, inter recentiores philologos nemo est qui dubitet: ac proinde ipsam naturâ suâ semper ad antecedentia referri, facile quisque videt. — Occurrit porro in interrogatione, quæ I.) aut uno tantum, II.) aut pluribus constat membris, sive constructio sit directa, sive non.

I.) In interrogatione unius tantum membri

A) Si constructio directa sit, hoc est si a præcedentibus directe pendeat, ¶ 1. Particula *an* usurpatur in familiari sermone vel colloquio quoties interrogando desideramus ac petimus, ut sententia ab alio aperte prolata, etiam oblique aut quocumque modo, significata confirmetur: unde ipsius particulæ derivatio clarius innotescit, ut statim demonstrabitur. Ponitur autem — a) Absolute. *Plaut. Asin.* 5. 1. 10. DEM. Credo istuc, si esse te hilarum videro. ARG. An tu esse me tristem putas? *scilicet ad verbum: Ain?* (*h. e.* affirmasne hoc?) *tu esse me tristem putas?* quæ profecto ad superiora referuntur, Demænetus enim Argyrippum non hilarum esse dixerat: conferri potest et locus *Ter. Andr.* 5. 3. 4. Ain tandem? civis Glycerium est? *quæ per syncopen ita etiam efferri possent:* An tandem civis Glycerium est? *Plaut. Amph.* 3. 3. 8. JUP. Derides, qui scis hæc jamdudum me dixisse per jocum. SOS. An id joco dixisti? equidem serio ac vero ratus. *Ter. Adelph.* 3. 4. 21. MIC. Mane; nondum audisti, Demea, quod est gravissimum. DEM. An quid est etiam amplius? *Cic.* 1. *Tusc.* 6. 10. A. Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu hæc non credis? *Id.* 2. *ibid.* 26. 73. A. Etiamne in cruciatu atque tormentis? M. An tu me in viola putas aut in rosa dicere? *Id.* 1. *Fin.* 8. 28. Sed ad hæc, nisi molestum est, habeo quæ velim. An me, inquam, nisi te audire vellem, censes hæc dicturum fuisse? V. *Madvig* ad h. l. p. 61., ubi plura congessit. — *b*) Interdum additur interjectio aliqua aut alia formula, ut *obsecro*, *amabo* etc., quæ interrogationi vim addunt, neque ideo significatio particulæ *an* immutatur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 30. SCEL. Quin etiam nunc hic in proximo est. PAL. Eho, an non domi est? *Ter. Andr.* 3. 2. 20. SIM. Min quisquam (*dixit*)? DAV. Eho, an tute intellexi hoc assimularier? *Plaut. Trin.* 4. 2. 143. CHARM. Quia illum, quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides, quem tibi epistolas dedisse ajebas. SYC. Eho, quæso, an tu is es? *Id. Merc.* 3. 1. 40. LYD. Di immortales, etiam cum uxore non cubet? PAS. Amabo, an maritus ille est? *Id. Pœn.* 2. 28. ANTH. Ita dico quidem (*volaticorum hominum*). LYC. An, obsecro, usquam sunt homines volatici? *Ter. Hec.* 3. 2. 10. PARM. Tum filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat. SOSTR. Quid ais? an venit Pamphilus? *Id. Eun.* 5. 1. 41. PARM. Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. PYTH. Hem, obsecro, an is est? — *c*) Interdum *an* jungitur cum particula *ne*, quæ magnam interrogationi vim addit. *Ter. Andr.* 5. 2. 10. DAV. Cum tuo gnato una (*modo introivi*). SIM. Annest intus Pamphilus? *Id. Eun.* 4. 5. 7. CHREM. Sed Thais multo ante venit? PYTH. Anne abiit jam a milite? *Bentlejus* ita condit plurium Codd. auctoritate fretus. ¶ 2. Extra familiare colloquium particula *an* (vel *an-an* ut apud *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 123. et *Virg.* 1. *Æn.* 329., vel *anne* ut apud *Varron.* 3. *R. R.* 2. 11. et *Catull.* 66. 25.) inservit efferendæ interrogationi, quæ ab antecedentibus consequitur: et pluribus quidem modis. — *a*) Interdum enim antecedentia unâ eâdemque periodo cum sequentibus connectuntur; et per particulam *an* consequens interrogatio profertur. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 5. Nam quod rogas, ut respiciam generum meum adolescentem optimum mihique carissimum, an dubitas, qui scias, quanti cum illum, tum vero Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissime sollicitet? *Id.* 3. *Off.* 29. 105. Nam quod ajunt: *Minima de malis*, id est, ut turpiter potius quam calamitose, an est ullum majus malum turpitudine? — *b*) Interdum antecedentia per interrogationem efferuntur; et per particulam *an* interrogatio vel tamquam consequens, vel tamquam hypothesis profertur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 58. Sed quid huc vos revortamini tam cito? An te auspicium commoratum est? an tempestas continet? *Cic.* 3. *Att.* 15. Sed quid Curio? an illam orationem non legit? *Id. Senect.* 6. 15. A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? an iis, quæ juventute geruntur et viribus? *Id.* 5. *Fin.* 14. 40. At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quemdam habeat et per se ipsa moveatur, quid facturam putas? An ea, quæ per vinitorem antea consequebatur, per se ipsa curabit? *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 10. Quid enim causæ est, cur poetas Latinos Græcis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius? *Virg.* 3. *Ecl.* 1. Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi? — *c*) Sæpius hujusmodi interrogatio, quæ, ut superius diximus sub *b.*, vel tamquam consequens, vel tamquam hypothesis profertur, alternatione facta, nostræ sententiæ confirmandæ maxime inservit: et tunc — Aut particula *an* absolute ponitur. *Cic.* 2. *Fin.* 3. 7. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur, ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quod sit ullum bonum præter illud, quod cibo et potione et aurium delectatione et obscena voluptate capiatur. An hæc ab eo non dicuntur? *Id.* 4. *Tusc.* 25. 55. Oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, cum quid in causis acrius et vehementius dicimus? — Interdum *an* cum *credo* junctum habet vim quamdam dubitandi simul et affirmandi. *Cic.* 4. *Fam.* 5. An illius vicem, credo, doles? In illo vero *Lucretii* inest etiam ironia 5. 175. An, credo, in tenebris vita et mœrore jacebat, Donec diluxit rerum genitalis origo? — Aut *an non* usurpatur. *Ter. Andr.* 3. 5. 13. Hem quo fretus sim, qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias. An non dixi hoc esse futurum? *Cic. Cæcin.* 18. 50. Quid ergo hoc interdictum putamus eorum esse causâ compositum, qui se præcipitatos ex locis superioribus dicerent? eos enim vere possumus dicere esse dejectos. An non, cum voluntas — et sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam aut stultitiam singularem putabimus —? *An?* pro *an non?* affirmavit *Forcellinus* in *Ovid.* 17. *Heroid.* 247. An fera Centauris indicere bella coegit Atracis Hæmonios Hippodamia viros? — Aut particulæ *an* additur particula *vero* si consequentia antecedentibus opponantur. *Cic. Mil.* 23. 62. Neque vero sine ratione certâ causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, præsentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, judices etc.? — *d*) Denique aliquando per particulam *an* vel *an vero* duplex quæstio in medium affertur. *Cic.* 1. *Phil.* 7. 16. Doceret (*Antonius*) me, vel potius vos —, quemadmodum ipse Cæsaris acta defenderet. An in commentariolis et chirographis et libellis se uno auctore prolatis acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in æs incidit —, pro nihilo habebuntur? *Id.* 5.

Tusc. 32. 80. Cur pecuniam magnopere desideret, vel potius cur curet omnino? An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: nostrates philosophi facere non poterunt? *Id.* 1. *Cat.* 1. 2. Ad mortem, te, Catilina, duci jussu consulis jampridem oportebat. — An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex max., Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum reipubl. privatus interfecit: Catilinam vero orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?

B) Si constructio non est directa, hoc est si quæstio ponatur quidem, sed oblique, ut ex. gr. apud *Cic.* 1. *Invent.* 53. 101. Secundus locus est, per quem illa ad quos pertineat, ostenditur, an ad omnes aut ad majorem partem, quod atrocissimum est, an ad superiores, – quod indignissimum est, an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est, an ad inferiores, quod superbissimum est, *quæ et per directam quæstionem ita efferri poterant:* Ad quos illa pertinet? an ad omnes –? an ad superiores –? an ad pares –? an ad inferiores –? — Itaque hac ratione — 1.) Particula *an* apud omnes cujusque ætatis Scriptores jungitur verbis ambigendi et dubitandi. — *a*) Generatim, scilicet ad communem omnium sententiam significandam. *Plaut. Most.* 1. 1. 55. Qui scis an tibi istuc prius eveniat, quam mihi? *h. e.* perinde ac si dicatur: Nemo scit. *Ter. Eun.* 4. 7. 20. Qui scis an quæ jubeam sine vi faciat? *Cic. Senect.* 20. 74. Moriendum enim certe est et id incertum an eo ipso die. *Id. Harusp. resp.* 11. 22. Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis atque his de rebus jam queri liceret. *Liv.* 8. 35. Vivit disciplina militaris, vivit imperii majestas, quæ in discrimine fuerunt an ulla post hanc diem essent. *Horat.* 4. *Od.* 7. 17. Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora di superi? *Id.* 2. *ibid.* 4. 13. Nescias an te generum beati Phyllidis flavæ decorent parentes. *Curt.* 5. 6. 26. Multitudo an vindicatura Bessum fuerit, incertum est. *Id.* 9. 2. 10. Et interdum dubitabat, an Macedones – per tot naturæ obstantes difficultates secuturi essent. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 23. Hoc an cometæ alii fecerint nescio. *Plin.* 6. *Ep.* 21. Nescio an noris hominem, quamquam nosse debes. *Quintil.* 2. 17. 38. Sed an causa vera sit nescit.— Huc pertinent et illa, in quibus per rhetoricam duarum quæstionum compositionem, quæ disjunctim efferri debuerant, *an* geminatur: quod augustea ætate occurrit tantum apud Poetas; sequioribus autem sæculis etiam in prosa oratione. *Virg.* 10. *Æn.* 680. Hæc memorans animo nunc huc, nunc fluctuat illuc, An sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat et crudum per costas exigat ensem, Fluctibus an jaciat mediis etc. *Ovid.* 10. *Met.* 254. Sæpe manus operi tentantes admovet, an sit Corpus, an illud ebur. Adde *Tibull.* 3. 1. 19. et *Juvenal.* 7. 162. *Curt.* 6. 7. 28. Rex item quærens, an Philotan adisset, an instituisset ei. *Seneca Suasor.* 7. Ita dubium est, an satius sit cum illis jacere, an cum his vivere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (6). Cetero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 1. 3., *Quintil.* 5. 10. 50., *Plin.* 8. *Ep.* 14. aliosque. — Huc referri possunt et illa, in quibus *an* ita geminatur, ut auditoribus vel lectoribus verbum ipsum geminandum relinquatur. *Cic.* 11. *Att.* 6. 7. Is dicitur vidisse, an euntem, an jam in Asia. *Id. Brut.* 23. 89. Quam orationem in Origines suas retulit (*Cato*) paucis ante, quam mortuus est, an diebus an mensibus. *In his tamen plerique Critici an primo loco per analogiam expungunt.* V. infra II. *B.* a. et c. — *b*) Speciatim particula *an* jungitur verbis *haud scio*, *nescio*, *dubium est*, *dubito*, etc., cum quis leni quadam ratione et urbane, ne alios lædat, propriam sententiam affirmantem efferre velit. *Ter. Phorm.* 5. 2. 9. DEM. Etiamne id dubiumst? GET. Haud scio hercle, ut homost, an mutet animum. DEM. Hem, mutet autem? GET. Nescio: verum, si forte, dico. *Plaut. Epid.* 4. 1. 16. Haud scio, an congrediar, si hæc ea est. *Cic.* 5. *Fin.* 3. 7. Quem (*Aristotelem*), excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. *Id.* 3. *Tusc.* 8. 16. Sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit. *Id.* 9. *Fam.* 18. 3. Extremum illud est, quod tu nescio an primum putes. *Id.* 13. *ibid.* 1. 4. Sed mehercules – nescio an ignoscendum sit huic, si tanto opere laborat. *Id.* 16. *Att.* 5. 3. Itaque dubito, an Venusiam tendam et ibi expectem de legionibus. *Nep. Trasyb.* 1. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam. *Liv.* 23. 16. Sive tanta, sive minor victoria fuit, ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello gesta sit. — NB. Eodem modo usurpantur *fors sit an* et *fors an*, quæ deinde in unam vocem coaluerunt. *V.* FORSITAN et FORSAN. — *c*) Item speciatim in formulis *haud sciam*, *non dubitaverim* dubium ipsum, nisi omnino tollitur, certe imminuitur. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 255. Id quod haud sciam an tu primus ostenderis. *Id.* 2. *ibid.* 52. 109. Sed haud sciam an acerrimus omnium sit motus invidiæ. *Id.* 4. *Tusc.* 22. 50. De L. Bruto fortasse dubitarim, an propter infinitum odium tyranni effrenatius in Aruntem invaserit. — *d*) Sæpe *haud scio an*, *haud sciam an*, *nescio an*, *dubium an*, *incertum an* absolutam propositionem constituunt; quæ ceteris interseritur, quin tamen ab ipsis pendeat, quæque interdum per ellipsin effertur. *Cic.* 9. *Fam.* 15. 1. Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum, sed tibi commune cum multis. *Id.* 3. *Tusc.* 23. 55. Neque tamen genus id orationis in consolando non valet, sed id haud sciam an plurimum. *Id.* 3. *Off.* 29. 105. Quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quæso, vituperare. *Id.* 2. *ibid.* 18. 64. Conveniet autem cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum –, a litibus vero, quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam, abhorrentem. *Plin.* 4. *Ep.* 11. Dixit, donec ad supplicium, nescio an innocens, certe tamquam innocens ducta est. *Tac.* 1. *Ann.* 5. Neque multo post extincto Maximo, dubium an quæsita morte. *Id.* 14. *ibid.* 7. Quos statim acciverat, incertum an et ante gnaros. — Quemadmodum vero præcedente *forsitan*, etiam præcedente *haud scio an* interdum subsequitur Indicativus. *Ter. Adelph.* 4. 5. 33. Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat. — *e*) Denique ut dubium confirmetur, sive ut negativa nostra sententia clarius innotescat, post formulas *haud scio an*, *nescio an*, *dubito an* etc. particula vel vocabulum negativum subjicitur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 81. Quod haud scio an non possis. *Id.* 1. *Divinat.* 38. 81. Ego autem haud scio an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. 136. Illi numquam dicerent, sapientes solos reges, neminem consulem – imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam nisi sapientem. *Id. Brut.* 33. 126. Eloquentiâ quidem nescio an habuisset parem neminem. *Id.* 9. *Fam.* 14. Contigit enim tibi quod nescio an nemini. *Dolabella* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. 2. Quod nescio an ulli unquam nostro acciderit imperatori. — *NB.* Sæpe apud optimos etiam Scriptores occurrunt formulæ *nescio an ullus*, *nescio an unquam*, etsi cum part. negativa rectius legendæ videantur *nescio an nullus*, *nescio an numquam*, ut apud *Cic.* 4. *Att.* 2. 2., *Senect.* 16. 56. et *Orat.* 2. 7., et apud *Nep. Timol.* 1. Haud negamus, id librariorum errore fieri potuisse propter litterarum similitudinem, *n* enim littera aliâ *n* excipitur: sed bonæ notæ Codices priorem lectionem confirmant apud *Cic. Amic.* 6. 20., *Val. Max.* 5. 2. 9. et *Senecam* 3. *Controv. præfat.* Vide hac de re *Hand. Tursell.* 1. p. 310., et *C. Beier.* ad *Cic. Amic. Excurs.* II. *p.* 202. — 2.) Particula *an* jungitur, aliquando et apud optimos Scriptores, verbis *perspicere*, *spectare*, *videre*, *docere*, *discere etc. Horat. Art. P.* 433. Reges dicuntur multis urgere culullis Et torquere mero, quem perspexisse laborant, An sit amicitia dignus. *Liv.* 31. 48. Magna pars senatus nihil præter res gestas et an in magistratu suis quis auspiciis gessisset, censebant spectare senatum debere. *Quintil.* 5. 10. 53. Tria sine dubio – spectanda sunt, an sit, quid sit, quale sit. *Curt.* 6. 1. 13. Expertus membra, an impetum animi sequi possent. *Seneca* 2. *de Ira* 3. 5. Vide ergo, an putes aliquid sine assensu mentis aut peti posse, aut caveri. *Id. Ep.* 113. Doce me, non an fortitudo animal sit, sed nullum animal felix esse sine fortitudine. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Cum discere velim, an sententias dividi – oportuerit. — 3.) Item cum verbis *consulere*, *deliberare*, *cunctari etc.*, præcipue apud serioris ævi Scriptores. *Liv.* 45. 20. Postquam consulto ab M. Junio cos. patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lautia senatumque darent, nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt. *Curt.* 4. 7. 26. Consuluit deinde, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater. Adde *Senec. Ep.* 58. et *Quintil.* 6. 3. 92. *Justin.* 6. 2. 4. Diu Lacedæmonii, an eum summæ rei præponerent, deliberaverunt. Adde *Juvenal.* 7. 162. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Cunctatus paullum an retro flecteret. — 4.) Cum verbis *quærendi*, sed apud serioris ævi Scriptores tantummodo, namque apud *Cic.* 6. *Verr.* 14. 27. omnino dubia est lectio. *Curt.* 6. 5. 31. Alexander, an cum ipso militare vellet, interrogat. *Id.* 7. 10. 7. Quæro itaque, an vivere velitis non inimici mihi, cujus beneficio victuri estis. *Quintil.* 1. 5. 58. Inde illa quæstio exoritur, an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra, conveniat. Adde *eumd.* 1. 5. 19. et 1. 10. 2., *Senec.* 2. *Controv.* 10. et 11., *Plin.* 8. *Ep.* 14. et *Tac.* 2. *Ann.* 9.

II.) Si duplex vel multiplex est interrogatio vel quæstio, ita ut una alteri opponatur, et

A) Si constructio est directa, — *a*) Primæ quæstioni nulla præponitur particula, alteri vero *an* præponitur et sæpe geminatur. *Nævius* apud *Non. p.* 481. 29. *Merc.* Quo pacto eum potiti? pugnâ an dolis? *Ter. Andr.* 4. 4. 23. Tibi dico ego, an non? *Cic. Prov. cons.* 15. 37. Sortietur, an non? *Id. Mil.* 20. 54. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Quid igitur? hæc vera an falsa sunt? *Virg.* 3. *Æn.* 37. Eloquar, an sileam? *Plin.* 2. *Ep.* 8. Studes, an piscaris, an venaris, an simul omnia? — *b*) Interdum prima quæstio particulâ *ne* sustentatur, in alterâ part. *an* eidem respondet. *Ennius* apud *Non.* 76. 2. *Merc.* Quid fit? Seditio tabetne, an numeros augificat suos? *Plaut. Amph.* 1. 1. 192. Servos esne, an liber? *Ter. Andr.* 1. 2. 30. Hoc intellextin, an nondum etiam ne hoc quidem? *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Vosne L. Domitium, an vos L. Domitius deseruit? *Cic.* 1. *Phil.* 5. 11. Solusne aberam, an non sæpe minus frequentes fuistis? *Id.* 16. *Att.* 8. Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum fugiam? *Id.* 2. *Fin.* 31. 102. Idemne potest esse dies sæpius, qui semel fuit? Certe non potest. An ejusdem modi? ne id quidem. — *c*) Sæpius prima quæstio per particulam *utrum*, altera per *an* effertur. *Plaut. Cas.* 2. 4. 11. Sed utrum nunc tu cælibem esse te mavis liberum, an maritum servum ætatem degere? *Cic.* 10. *Fam.* 16. Utrum nescis, quam alte ascenderis, an id pro nihilo habes? *Id.* 3. *Verr.* 47. 122. In plebem vero Rom. utrum superbiam prius memorem, an crudelitatem? *Id.* 5. *ibid.* 36. 83. Utrum impudentius a sociis abstulit, an turpius meretrici dedit, an improbius populo Rom. ademit, an audacius tabulas publicas commutavit? *Liv.* 21. 10. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? — Aliquando primæ quæstioni additur et enclitica *ne*. *Ter. Eun.* 4. 4. 53. Ita utrum taceamne, an prædicem? *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Utrumne igitur ego sum – ab ipsa mea censura notandus, qui in domo – comiter habitem, an tu, qui HS millies sex arbores æstimes? — *d*) Interdum enclitica *ne* particulæ *an* additur. *Catull.* 66. 15. Estne novis nuptis odio Venus, anne parentum Frustrantur falsis gaudia lacrymulis? *Cic. pro leg. Manil.* 19. 57. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc Gabinio dicam, anne Pompejo, an utrique?

B) Si constructio non est directa, particula *an* iisdem ferme modis occurrit, quibus in constructione directa: scilicet — *a*) Primæ quæstioni nulla, alteri vero *an* particula præponitur. *Ter. Andr. prol.* 25. Ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum posthac quas faciet de integro comœdias, spectandæ an exigendæ sint vobis prius. *Id. Andr.* 5. 4. 19. Nam ego quæ dico, vera an falsa audierim, jam sciri potest. *Cæs.* 7. *B. G.* 15. Deliberabatur de Avarico, incendi placeret an defendi. *Cic.* 13. *Att.* 51. Quintus cras, sed ad me an ad te, nescio. *Id.* 4. *Verr.* 77. 188. Postulo mihi respondeat, qui sit iste Verrucius, mercator an negotiator an arator, in Sicilia sit an jam decesserit. *Id.* 3. *Orat.* 55. 211. Refert etiam, qui audiant, senatus an populus an judices, frequentes an pauci an singuli et quales: – tempus, pacis an belli, festinationis an otii. *Varr.* 1. *R. R.* 3. Ecquis in colendo nos docet, ars sit an quid aliud et a quibus carceribus decurrat ad metam. *Sall. Cat.* 25. Pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile discerneres. *Liv.* 4. 55. Consules ambo profecti sint, – an alter ad comitia habenda substiterit, incertum diversi auctores faciunt. — *b*) Prima quæstio encliticâ *ne* sustentatur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 50. Nescio tun' ex me hoc audieris, an non? *Ter. Heaut.* 3. 2. 31. Jocone an serio illæc dicat, nescio. *Id. Andr.* 1. 3. 4. Nec quid agam certumst, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni. *Id. Phorm.* 2. 4. 5. Vise redieritne an nondum domum. *Cic.* 12. *Att.* 24. Velim me certiorem facias – vivone patre

suo mortuus sit —, an post. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. Honestumne factu sit an turpe dubitant. *Id.* 16. *Att.* 8. Tria sunt autem, maneamne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam. *Id. Orat.* 61. 204. In quo quæsitum est, in totone circuitu illo orationis —, an in principiis solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit. — c) Sæpius prima quæstio per particulam *utrum*, altera per *an* effertur. *Cic.* 1. *Off.* 8. 27. Permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi —, an consulto et cogitate fiat injuria. *Id.* 7. *Fam.* 16. Id utrum more Romano locutus sit, an quomodo Stoici dicunt —, postea videro. *Id. Pis.* 10. 22. In quo (*convivio*) nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit. *Val. Max.* 9. 5. *ext.* 3. Tam deformiter vicit nescias utrum insolentius dictum an impudentius. — Aliquando primæ quæstioni additur et enclitica *ne*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 34. 87. Videamus, utrum ex fortuitone sint, an eo statu, quo etc. — d) Interdum enclitica *ne* particulæ *an* additur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 19. Nec æquum anne iniquum imperet, cogitabit. *Cic. Pis.* 1. 3. Nam quid ego de consulatu loquar? parto vis anne gesto? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 93. Cum interrogetur —, tria pauca sint anne multa. *Id. Orat.* 61. 206. Quærendum, utrum una species et longitudo sit earum, anne plures. *Id.* 12. *Att.* 14. 2. Sed tamen scire velim, quando dicar spopondisse et pro patre anne pro filio. — e) Haud raro particula *an* occurrit absolute, h. e. nullo præcedente verbo quærendi vel dubitandi. *Varr.* 9. *L. L.* 105. p. 232. *Müll.* Quod sit an non, nihil commovet analogiam. *Ovid. Rem. am.* 797. Daunius an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit. *Id. Fast.* 4. 487. Unaque, pastorem vidisset an arva colentem, Vox erat. — Hinc aliquando *an* occurrit, ubi *aut*, *vel*, *ve* potius adesse viderentur. — Generatim. *Cic.* 7. *Fam.* 9. 3. Cn. Octavius est an Cn. Cornelius quidam, tuus familiaris —: is me — crebro ad cœnam invitat. *Id.* 7. *Att.* 1. 9. Id et ostendisti quibusdam litteris ex Epiro an Athenis datis etc. *Id.* 2. *Fin.* 32. 104. Cum ei (*Themistocli*) Simonides an quis alius artem memoriæ polliceretur. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 2., 2. *ibid.* 7. 3. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 320. Perrexere in Hispaniam an Sardiniam. *Liv.* 28. 43. Et suspicio, vitio orationis an rei, haud sane purgata est. Adde *Sueton. Vesp.* 1. — Cum adjectivis numeralibus. *Cic.* 13. *Fam.* 29. 4. Cum signaretur argentum Apolloniæ non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare affuisse, sed non plus duobus an tribus mensibus. *Id.* 1. de *republ.* 12. 18. Dein cum essent perpauca inter se uno an altero spatio collocuti etc. *Ovid.* 2. *Fast.* 394. ex illis unus an alter ait. *Plin.* 6. *Ep.* 13. Acilius tantum Rufus et cum eo septem an octo, septem immo, in priore sententia perseveraverunt. *Apul. de Mag.* 1. Nam, ut meministi, dies abhinc quintus an sextus est. — Apud argenteæ ætatis Scriptores sæpe hoc modo *an* particula cum rei causa, ex conjectura præcipue, in medium affertur. *Tac.* 2. *Ann.* 22. De se nihil addit, metu invidiæ, an ratus conscientiam facti satis esse. *Id.* 2. *ibid.* 42. Finem vitæ, sponte an fato, implevit. Et *ibid.* 67. Illic, fugam tentans an ficto crimine, interficitur. Adde 15. *ibid.* 69. *Id.* 14. *ibid.* 7. Igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut — pereundum Neroni esset. — Per anacoluthon præcedente particula *seu*. *Tac.* 14. *Ann.* 59. Seu tædio ambiguæ spei, an amore conjugis et liberorum. *Id.* 11. *ibid.* 26. Cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus urgebat. — Nonnumquam priori quæstioni enclitica *ne* additur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 63. Hortensius — me quoque jocansne an ita sentiens, non enim satis intelligebam, cœpit hortari, ut sententia desisterem. *Plin.* 5. *Ep.* 4. Dixerunt se deceptos, lapsine verbo an quia ita sentiebant.

AN præpositio loquelaris. *V.* AM et AMBE.

ĂNA, ἀνά, vox medica et pharmaceutica, omnium parem modum (ut *Cels.* 3. 27. loquitur) indicans, ex Græco ἀνά, quod æquas partes seu æquabilem distributionem notat. *Veget. Veterin.* 3. 2. 6. Folii capparis, folii myrti silvestris, folii cypressi ana uncias tres diligentissime deteres. *Id.* pluribus in locis. V. *Rhodius Lexic. Scribon.* p. 442.

ĂNABAPTISMUS, i, m. 2. (ἀναβαπτισμός) iteratus baptismus. Legitur apud *Augustin. enarrat. in Psalm.* 38.

ĂNĂBĂSIS, is, f. 3. (ἀνάβασις) vox Græca ascensum significans: ab ἀναβαίνω *ascendo*. Hinc datum nomen herbæ, quæ Latine et *ephedra* et *equisetum* dicitur, quia prope arbores nascens super eas scandit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 20. (36). et *ibid.* 13. 83. (133). De synonymia *V.* EQUISETUM.

ĂNĂBĂSIUS, ii, m. 2. (ἀναβάς) velox nuncius, qui equo, curruve conscenso celeriter aliquid alio perfert: ab ἀναβαίνω *conscendo*. *Hieronym.* 3. *advers. Rufin.* 1. *ad fin.* Idcirco ne cereales et anabasii tui per diversas provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent?

ĂNĂBĀTHRUM, i, n. 2. (ἀνάβαθρον) pulpitum, pegma, tabulatum, quod ascenditur ludorum spectandorum causa: ab ἀναβαίνω *ascendo*. *Juvenal.* 7. 45. Nemo dabit regum, quanti subsellia constant, Et quæ conducto pendent anabathra tigillo. V. *Visc. Museo Pio-Clement. T.* 4. p. 220.

ĂNĂBŎLĂDIUM, ii, n. 2. (ἀναβολάδιον) Amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci et Latini sindonem vocant. Hæc habet *Isid.* 19. *Orig.* 25. 7.

ĂNĂBŎLĬCĀRIUS, ii, m. 2. confector vestium anabolicarum, sive anaboliorum. *Jur. civ. Antejustinian. Reliq.* (edente *A. Maio*) p. 38. Anabolicarii a tutelis curationibusque habent vacationem. Eidem *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. p. 360. *Anabolicarii* videntur esse vectores. *V.* voc. seq.

ĂNĂBŎLĬCUS, a, um, adject. (ἀναβολικός). *Vopisc. Aurelian.* 45. Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stuppæ, atque anabolicas species æternas constituit. *h. e.* merces ad vestiendum pertinentes: ab ἀναβάλλω *vestio*. *Salmas.* exponit merces, quæ navibus advehantur, nam ἀναβάλλειν significat etiam in naves imponere: designari autem eas merces, quæ quotannis ab Ægyptiis Romam navibus portabantur vectigalis nomine. *Turneb. l.* 18. c. 17. docet ab aliquibus lectum esse *anatolicas*, hoc est orientales, ab ἀνατολή *oriens*: ipse autem legendum censet *embolicas*, eodem sensu, quo *Salmasius*, ab ἐμβάλλειν, quod et ipsum sæpe significat onerare naves.

ĂNĂBŎLIUM, ii, n. 2. (ἀναβόλιον) vox Græca pallium significans: ab ἀναβάλλω *amicio*. Legitur *Inscript. Donat. cl.* 1. n. 91., ubi dicitur quidam ex voto donum obtulisse Æsculapio inter cetera torquem aureum, et anabolium. Videtur fuisse pallium simile illi, quod Telesphorus Æsculapii socius in antiquis monumentis gestare solet. Itali dicunt *cappotto*. Sed *Gor.* ad *Donat.* p. 28. 91. anabolium pro chirurgico instrumento habet; quam interpretationem *Orellius* in nota ad *Inscript.* 1572. rectam affirmat.

ĂNĂCAMPSĔROS, ōtis, f. 3. (ἀνακάμψερως, ωτος) herba, quam *Hesychius* etiam evulsam extra terram vivere scribit. Creditum est a Magis eam illi vim inesse, ut ejus tactu redirent amores etiam cum odio depositi, ut scribit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (267). Certe ex ea re nomen sortita est, nempe ab ἀνακάμπτω *redeo*, *revertor* et ἔρως *amor*. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 299.) incertus est an sit *Sedum Anacampseros* recentiorum. *Lexica* affirmant esse *orpin*, h. e. *Sedum Telephium* L.

ĂNĂCAMPTUS, a, um, adject. (ἀνάκαμπτος) reflexus, revertens. *Capell.* 9. p. 323. Ploce dicitur, cum diversa sociamus. Exhinc in modulando alia euthia dicitur, quod est recta; alia anacamptos, quod est revertens; alia peripheres, hoc est circumstans. Euthia est, quæ a gravi in acumen erigitur; anacamptos, quæ e contrario deficit; peripheres, quæ ad utramque.

ĂNĂCĔPHĂLÆŌSIS, is, f. 3. (ἀνακεφαλαίωσις) brevis repetitio eorum, quæ in oratione sparsim et fuse dicta sunt: ab ἀνά *rursum* et κεφαλή *caput*. *Quintil.* 6. 1. 1. vocat partem perorationis. Est autem Græca vox, et Græce usurpanda.

ĂNĂCHĪTES, æ, m. 1. ἀναχίτης, gemma omnium pretiosissima, quam notiore vocabulo adamantem vocamus, dicta, quod vanos metus animique lymphationes credatur abigere, et adversus venena habere vim antidoti. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (31), ubi tamen plerique legunt *eunacites*, sed *Sillig* cum *Salmas.* præfert *anancites*, quas voces *V.* suo loco.

ĂNĂCHŌRĒSIS, is, vel eos, f. 3. (ἀναχώρησις) vox Græca recessum solitudinemque significans. *Sidon. in concione post ep.* 9. *l.* 7. Quamvis illum Paulis, Antoniis conferendum sectatæ anachoreseos prærogativa comitetur.

ĂNĂCHŌRĒTA, æ, m. 1. (ἀναχωρητής). Scribitur et *Anachorita*, sed minus recte: nam Græcum η in e Latinum fere transit. Est qui in solitudinem secedit: ab ἀναχωρέω *secedo*. *Sulp. Sever. Dial.* 1. 18. Laudabo anachoretas, mirabor eremitas, Martinum semper excipiam. *Sidon. carm.* 12. 97. Anachoreta tremit, qui quamquam frigora portet, etc. Perperam *Sidon.* primam producit, tertiam corripit. Ex eodem *Sulpic. loc. cit.* c. 15. 16. *et seq.* satis colligitur hoc esse discrimen inter *Anachoretas* et *Eremitas*, quod *Eremitæ* in solitudinibus certa tabernacula habebant et casas, quibus carebant *Anachoretæ*, vagi per deserta habitantes.

ĂNĂCHȲLIS, is, f. 3. (ἀναχυλίς) herba eadem quæ consolida, et inula rustica: ita dicta, quia commanducata succum salivalem provocat: a χυλός *succus*. *Apul. Herb.* 59.

ĂNĂCLĂSIS, is, f. 3. (ἀνάκλασις) figura est rhetorica sententiarum, cum id, quod ab altero dictum est, non in eam mentem, quæ intelligitur, sed in aliam, aut contrariam convertitur. Ita definitur a *Rutil. Lup.* 1. *De fig. sentent.* Est autem Græca vox ab ἀνακλάω *refringo*, *repercutio*, et Græce usurpanda. Hanc eamdem figuram *Quintil.* 9. 3. 68. vocat *antanaclasin*, quam vide suo loco.

ANACLINOPALE. *V.* CLINOPALE.

ĂNĂCLINTĒRIUM, ii, n. 2. (ἀνακλιντήριον). Legitur et *anacliterium* extrito *n*, sed minus recte. Est pars lecti, qua pulvillus ponitur reclinando capiti, vel potius ipse pulvillus: ab ἀνακλίνω *reclino*. *Spartian. Æl. Ver.* 5. Lectum eminentibus quatuor anclinteriis fecerat. V. *Vermiglioli Sepolcr. de' Vol.* p. 38.

ĂNĂCLŌMĔNUS, a, um, adject. (ἀνακλώμενος) reflexus. *Atil. Fortunat.* 2. p. 2695. *Putsch.* Ex hoc genere est, quod anachomenon (*corrige* anaclomenon) appellatur, quod ordinem pedum naturalem ac solitum amittit, et immutatis pedum conjugationibus copulatur. Dimetrum acatalectum: *Paphias amor columbas*. Nam constat pyrrichio et trochæis duobus et spondeo. Quarta enim syllaba, quæ debet longa esse, brevis; et sequens longa est, quam oportebat brevem esse.

ĂNĂCŒLĬASMUS, i, m. 2. (ἀνακοιλιασμός) medicamentum, quo alvus cietur: Græca vox a κοιλία *venter*. Legitur apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. *ad fin.*

ĂNĂCŒNŌSIS, is, f. 3. (ἀνακοίνωσις) figura est rhetorica sententiarum, Latine *communicatio*, cum aut ipsos adversarios consulimus, aut cum judicibus deliberamus. Hæc habet *Jul. Rufinian. De fig. sentent. et elocut.* 10. p. 229. *Frotsch.*

ĂNĂCOLLĒMA vel ănacollima, ătis, n. 3. (ἀνακόλλημα) cataplasma conglutinans a κόλλα *gluten*. *Veget. Veterin.* 2. 17. 4. Ex oleo roseo et ovi albo anacollema facies. Adde *eumd. ibid.* 5. 9. 3. et 6. 22. 1.

ĂNĂCŎLŪTHON, i, n. 2. (ἀνακόλουθον) quasi inconsequens, interdum est figura, interdum vitium orationis, cum non redditur quod superioribus respondeat: ut si in oratione ponatur μέν, et non sequatur δέ: ita si ponatur *tot* non præcedente *quot*, aut *tantum* sine *quantum*. *Virg.* 2. *Æn.* 331. Millia quot magnis unquam venere Mycenis. *Et* 3. *ibid.* 541. Sed tamen idem olim curru succedere sueti. In his enim *tot*, et *quamquam* non præmittuntur. Anacoluthon est etiam illud *Plauti*, in quo male invicem verba respondent. *Rud.* 5. 2. 5. Ergo dare ei negatis quicquam. — Dicitur et anacoluthia, ἀνακολουθία, latine *inconsequentia*. Sunt autem ambæ Græcæ voces, et Græce scribendæ: ab α privativo et ἀκολουθέω *sequor*: sed tamen *anacoluthon* Latinis litteris occurrit apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 541.

ĂNACTŎRIUM, ii, n. 2. (ἀνακτόριον). ¶ 1. Est herba quæ et gladiolus dicitur. *Apul. Herb.* 78. ¶ 2. Ita etiam appellatur ea, quam artemisiam vocant. *Id. ibid.* 10. — Ita autem appellantur quasi *regiæ*: nam ἀνακτόριος regium significat, ab ἄναξ *rex*. — De oppido *V.* ONOM.

ĂNĂDĒMA, ătis, n. 3. ornamentum capitis, mitræ, vel coronæ, aut fasciæ simile, quo feminarum caput redimitur: ἀνάδημα, ab ἀναδέω *redimio*, *corono*. *Lucret.* 4. 1122. Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ. *h. e.* patrimonia relicta a patribus insumuntur in corollas, mitras, fascias, et hujusmodi muliebria ornamenta. Adde *Paul. Dig.* 34. 2. 27., ubi docet mitras et anademata licet corpus tegant, tamen ornamentorum, non vestis esse.

ĂNĂDENDRŎMĂLĂCHE, es, f. 1. (ἀναδενδρομαλάχη) herba, *hibiscus* Latine dicta. Ita vocatur a *Galeno*, quasi arborescens malva: a δένδρον *arbor*, et μαλάχη *malva*. *Apul. Herb.* 38.

ĂNĂDESMUS, i, m. 2. (ἀναδεσμός) ligamen. *Theod. Priscian.* 3. 1. Levi anadesmo aliquid continere.

ĂNĂDĬPLŌSIS, is, f. 3. (ἀναδίπλωσις) figura rhetorica verborum, Latine *conduplicatio*, cum idem verbum vel eadem res in eadem periodo geminatur: ab ἀναδιπλόω *reduplico*, a διπλόος *duplus*. *Aquila Rom.* § 32., *Jul. Rufinian.* 7. et *Capell.* 5. p. 175. *V.* CONDUPLICATIO. Hinc apud *Sidon.* 8. *ep.* 11. dicuntur versus *per anadiplosim fine principiisque connexi*, in quibus ultimum verbum prioris initium est posterioris, ut in illo *Virg.* 10. *Æn.* 18. sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens. *Auson.* quoque in *Tecnopægn.* plures hujusmodi versus composuit. Hanc anadiplosim agnoscit etiam *Charis.* 4. *p.* 250. *Putsch.*

ĂNĂGALLĬCUM, i, n. 2. est medicamentum ex anagallide planta præparatum. Legitur in *Veget. Veterin.* 5. 33. 12., 5. 66. 5., 6. 8. 4. ed. *Schneid.*, ubi tamen mira est lectionum varietas. Cl. *Furlanetto* in suis notis MSS. ad hæc *Vegetii* loca putat *Allium gallicum* pro *anagallicum* ubique scribendum esse.

ĂNĂGALLIS, idis, f. 3. (ἀναγαλλίς) herba, quæ et chorchoron appellatur, in hortis et aquosis locis nascens frutice tenero, foliis pusillis, rotundis, in terra jacentibus. Est autem duplicis generis, mas flore phœniceo, femina cæruleo. Ita describitur a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 92. (144). ubi recenset etiam varios ejus usus in medicina; et Accus. sing. *anagallida* usurpat Græca positione. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 362.) hujusmodi exhibet synonymias. I. *Femina.* Ἀναγαλλίς Hipp. Alc. 879., Ἀναγαλλίς κυανῆ Dioscor. 2. 209., *Anagallis femina flore cæruleo* Plin. l. c. et *Anagallis flore cæruleo* Tourn. Inst. Rei herb. 142. sunt *Anagallis arvensis* L. Spec. plant. 211. var. *Fl. cæruleo.* — II. *Mas.* Ἀναγαλλὶς φοινικῆ Dioscor. l. c., Περδικοῦλη Græcor. recent., *Anagallis mas phœniceo flore* Plin. l. c. et *Anagallis phœniceo flore* Tourn. l. c. sunt *Anagallis arvensis* L. l. c. var. *Fl. puniceo.*

ĂNĂGLŸPHĀRĬUS, ii, m. 2. (ἀναγλύπτης) qui anaglypta opera facit. V. vocem sequent. Legitur apud *veterem Juvenal. Scholiast. ad sat.* 9. *v.* 145. qui auctoritatis incertæ est.

ĂNĂGLŸPHUS, a, um. *V.* ANAGLYPTUS.

ĂNĂGLYPTĀRĬUS, a, um, adject. ad anaglypta pertinens, ut Anaglyptarius cælator. *Inscript.* apud *Murat.* 981. 9.

ĂNĂGLYPTĬCUS, a, um, adject. ἀναγλυπτικός, exstanti cælatura sculptus. *Sidon.* 9. ep. 13. *in carm.* Geruli caput plicantes Anaglyptico metallo Epulas superbiores Humeris ferant onustis. *h. e.* vasis anaglyptis ex metallo. *V.* ANAGLYPTUS.

ĂNĂGLYPTUS, a, um, adject. (ἀνάγλυπτος) cælatura extante sculptus. *Inscript.* apud *Grut.* 174. 7. quæ apud *Orell.* est 3838. DEDICAVIT TRVLLAM ARGENTEAM ANAGLYPTAM, LARES ARGENTEOS SEPTEM, etc.

Anaglypta, orum, substantivorum more absolute sunt vasa, pocula, aut alia hujusmodi opera sculpta cælatura exstante, qualia *Virg. aspera signis* appellat 5. *Æn.* 267., et describit 3. *Ecl.* 37. et *seq. Plin.* 33. 11. 49. Nunc anaglypta, in asperitatemque excisa, circa linearum picturas quærimus. *Martial.* 4. 39. Nec mensis anaglypta de paternis. In *Plin. loc. cit.* legunt alii *anaglypha*, quod idem est; Græce enim ἀνάγλυφος et ἀνάγλυπτος idem sonant et ejusdem originis sunt.

ĂNĂGNOSTES, æ, m. 1. (ἀναγνώστης) lector: ab ἀναγινώσκω *lego*. *Anagnostæ* dicti sunt servi, quos eruditi homines et elegantioris cultus studiosi habere solebant, ut inter cœnandum, aut cum libuisset, legerent doctorum hominum poemata, syntagmata, historias pascendi ingenii gratia: quos *Sueton. Aug.* 78. et *Plin.* 3. *Ep.* 5. et 8. *Ep.* 1. Latino vocabulo *lectorem* appellant. *Cic.* 1. *Att.* 12. 4. Puer festivus, anagnostes noster Sositheus decesserat, meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat. *Orellius* Græcis litteris edidit. *Nep. Attic.* 13. In familia erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, et plurimi librarii. *Et ibid.* 14. Nemo in convivio ejus aliud ἀκρόαμα audivit, quam anagnostem. Adde *Vatinium* apud *Cic.* 5. *Fam.* 9. 2., et *V. Gell.* 3. 19., ubi habes exemplum de anagnosta cœnis adhibito. Ideo autem Græcis hisce vocabulis Latini utebantur, quia eorum servi plerumque Græci generis erant. — Etiam in theatris anagnostæ publice olim legebant, poetas præsertim, ut est apud *Gell.* 18. 5.

ĂNĂGNOSTĬCUS, a, um, adject. (ἀναγνωστικός) aptus ad legendum. Hinc *Anagnosticum*, *i*, n. absolute est id, quod legitur, ac præcipue epistola. *Ennod.* 1. *Ep.* 4. Anagnostici fidem secutus et suavi orationis sapore provocatus, pæne vitium credidi rem esse virtutis. *Id.* 8. *Ep.* 5. Ne forte animus vester in occupationes publicas debeat de anagnostici prolixitate fastidium.

ĂNĂGŌGE, es, f. 1. (ἀναγωγή) subvectio, elatio: ab ἀνάγω *sustollo*, *erigo*. ¶ 1. Apud medicos *anagoge* est fluor sanguinis ab inferioribus partibus, ut pulmone vel stomacho, ascendentis ad os, nausea vel tussicula exclusus. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 9. ¶ 2. Est et hoc nomine rhetoricum schema, quo sensus aliquorum verborum ad altiora tollitur: qui proinde *anagogicus* sensus, ἀναγωγικός, dicitur, ut cum, verbi gratia, quæ de urbe Hierusalem in S. Scriptura traduntur, ad cælestem æternamque gloriam transferimus. Utraque vox Græca est, adhibeturque ab Hieronymo in *Ezech.* plus semel, et in *Isajam* 1. 1. 3. Bos juxta anagogen refertur ad Israel.

ĂNĂGŌGĬCUS, a, um, adject. (anagoge). *Anagogicus sensus* apud *Hieronym.* in *Isajam* 1. 1. est verborum sensus ad altiora sublatus. Cf. ANAGOGE 2.

ĂNĂGON, ōnis, m. adject. ab α privativo et ἀγών *certamen*. In *Inscript.* apud *Murat.* 623. 3., quæ apud *Orell.* est 2503., in qua memorantur Circi certamina, bis nominantur *equi anagones*, qui videntur ita appellati, eo quod sine certamine seu sine rivali currebant, vel quod tunc primum currebant ut *Borghesi* putat in *Epistola* data cl. *Furlanetto* die 13 *Octobr.* 1837. *n.* 6., quæ MSS. servatur in Bibliotheca Sem. Patavin.

ĂNĂGRĂPHE, es, f. 1. (ἀναγραφή) perscriptio. *Ulpian.* in *Pandect. l.* 42. *tit.* 5. *leg.* 15., ubi *anagraphen* vocat, quod alibi *inventarium* et *repertorium* et *synopsin* appellat. Hæc ex *Bailey Auctario*: sed et hoc et alia hujusmodi vocabula a scholiastis inserta videntur.

ĂNĂGRAMMA, atis, n. 3. ἀνάγραμμα, et Anagrammatismus, i, ἀναγραμματισμός, transmutatio, vel transpositio litterarum, ut *laudator*, *adulator*; *Galenus*, *angelus*. Utraque vox Græca est, et Græce usurpanda. Præterea anagrammatum inventio (ut inquit *Morhofius in Polyhist. litter. l.* 7. *c.* 3. *n.* 6.) nescio quid plebeji et jejuni habet; nec sane decet multum elegantes poetas, qui ad antiquitatis genium scribere contendunt.

ĂNĂGRAMMATISMUS. *V.* vocem præced.

ĂNĂGŸROS, i, f. 2. (ἀνάγυρος) herba fruticosa est, quam aliqui acopon vocant, gravis odore, flore oleris, semenque gignit in corniculis non brevibus, simile renibus, quod durescit per messes. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 13. (30). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 429.) hanc exhibet synonymiam: Ἀνάγυρις Dioscor. 3. 167., Zenob. Cent. 2. 55., Ἀνάγυρος Nicandr. de Ther. v. 71., *Anagyros seu Acopon* Plin. l. c., Ἀναγυρὶ Cretens., *Fuca lupina* Italor. teste Anguillara. P. 4. pag. 81. sunt *Anagyris fœtida* L. Spec. plant. 534.

ĂNĂLECTA, æ, m. 1. (ἀναλέκτης) servus mediastinus, qui reliquias et purgamenta cœnarum humi inter cœnandum projecta colligit: ab ἀναλέγω *colligo*. V. voc. seq. in fin. Apud *Senec. Ep.* 27. quidam Calvisius Sabinus prædives opinionem eruditionis affectabat: idem tamen nullius ingenii, aut memoriæ erat. Itaque subsidio sibi pararat servos, qui poetas multos edidicerant, et quærenti versus ex tempore suggerebant; quos ille tam male reddebat, ut in medio versu sæpe excideret. Satellius Quadratus, qui diviti supparasitabatur et homini tardo ineptoque illudebat, suasit, ut *Grammaticos haberet analectas*, *h. e.* qui ea verba, quæ ipsi recitanti excidebant, colligerent, quemadmodum servi analectæ colligebant ea, quæ convivis excidebant. Ita *Turneb. l.* 24. *c.* 33. et *Lips.*

ĂNĂLECTA, orum, n. plur. 2. (ἀνάλεκτα) purgamenta cœnarum et quisquiliæ ciborum, quæ sub mensam cadunt, ita dictæ a colligendo, quia post cœnam everruntur et colliguntur: ab ἀναλέγω *colligo*. *Martial.* 7. 20. Colligere longa turpe nec putet dextra Analecta, quidquid et canes reliquerunt. *Id.* 14. 82. In pretio scopas testatur palma fuisse: Sed pretium scopis nunc analecta dabunt. *h. e.* scopæ e palma factæ semper in pretio fuerunt, sed nunc, hoc est tempore Saturnalium (eo enim tempore apophoreta dabantur, de quibus toto eo libro agit *Martialis*) majore in pretio erunt propter analecta, quia nimirum crebra passim convivia fient; atque adeo multæ adhibebantur scopæ ad eorum purgamenta everrenda. Al. leg. *Otia sed scopis nunc analecta dabunt.* — Sunt qui putant non *analecta*, *orum* accipiendum esse, sed *analecta*, *æ*, m. 1. ὁ ἀναλέκτης, hoc est *servus*, qui purgandis pavimentis, et a sordibus extergendis operam dat. Itaque apud *Martial.* leg. ex optimis quibusd. codicib. primum quidem: *Colligere longa turpe nec putat dextra*, *Analecta*, *quidquid et canes reliquerunt*. *h. e.* quidquid servus colligens et canes reliquerunt. Alterum vero sic: *Otia sed scopis nunc analecta dabit*. *h. e.* servus analecta non utetur scopis: alludendo ad ea pavimenta, quæ ita erant delicato opere elaborata, ut scopis everri non deberent, sed vel spongia, vel peniculo molliori, ne corrumperentur; vel ad ea, de quibus *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 60., a quodam Soso inventa et *Asarota* appellata, in quibus purgamenta cœnæ, quæque everri solent, velut relicta, facta erant parvis e testulis, tinctisque in varios colores: atque adeo scopis auferri nullo modo poterant.

ĂNĂLECTĀRĬUS, ii, m. 2. qui analecta colligit, scoparius. *Inscript.* apud *Murat.* 77. 3. GENIO SANCTO CASTRORVM PEREGRINORVM AVR. ALEXANDER ANALIGARIVS (*lege* analectarius), QVOD PEREGRE RESTITVTVS (*legendum fortasse* constitutus) VOVIT AEDILIS CASTRORVM LIBENS SOLVIT. *Petron. Fragm. Tragur.* 34. *Burm.* Insecutus est lectirarius (*lege* analectarius) argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere. *Burmannus* ad hunc locum adnotat: Si *analectarius* in usu esset, id libenter amplecterer; nam de analectis agi manifestum est.

ĂNĂLECTĬDES, um, f. 3. ἀναλεκτίδες, dicuntur quibus e xylino lino, vel quavis materia puellæ tanquam pulvinulis constipant scapulas prominentes, ut videri pleniores possint. *Ovid.* 3. *Art. am.* 273. Conveniunt tenues scapulis analectides altis. *Heinsius* multiplicem hujus loci lectionem recenset, et præfert illam, quæ habet *analectrides* eodem prorsus, quo dictum est, sensu. Nam λέκτρον Græce significat lectulum, et *analectrides* possunt accipi pro lectuli pulvillis. *Joseph Scalig.* in *Conjectan. ad Varron.* p. 60. legit *omalectides*, ὁμαλεκτίδες, quod humeros nimirum æquos, et ὁμαλούς, reddebant. *Turneb. l.* 4. *c.* 23. *ometides h. e.* humerales fascias, ab ὦμος *humerus*. Alii denique alia.

ĂNĂLECTRIS, idis. *V.* vocem præced.

ĂNĂLEMMA, atis, n. 3. (ἀνάλημμα) Græce editam structuram sive suggestum significat, ut *Hesych.* et *Suidas* exponunt. *Vitruvium* 9. 4. hoc vocabulo improprie usum fuisse, recte admonuit *Salmas. Exercitat. Plinian. p.* 520. Itaque analemma proprie est substructio, sive suggestus lapideus quadratus, aut rotundus, in quo horologium sciothericum ponebatur. *Vitruv. loc. cit.* (9. 1. 1. *Schneid.*) Umbrarum æquinoctialium magnitudinibus designantur analemmatorum formæ, ex quibus perficiuntur, ad rationem locorum, et umbræ gnomonum, horarum descriptiones. Analemma est ratio conquisita solis cursu, et umbræ crescentis a bruma observatione inventa, e qua per rationes architectonicas circinique descriptiones est inventus effectus in mundo. Adde *eumd.* 9. 8. 7. *Schneid.*

ĂNĂLEPTĬCUS, a, um, adject. (ἀναληπτικός) refocillandi vim habens. *Theod. Priscian.* 2. 11. Sic ut illis (*syntecticis*) vinum leve et album, balneæ, deambulatio, vel gestatio, unctio vel fricatio, cibi analeptici mediocriter administrentur. *V.* et vocem seq.

ĂNĂLĪMŎTĬCUS, a, um, famem arcens, a λιμός *fames*, ut *analimotici cibi* apud *Theod. Priscian.* 2. 24. seu *l.* 2. *par.* 2. *c.* 11., ubi alii rectius legunt *analeptici*.

ĂNĂLŎGĬA, æ, f. 1. (ἀναλογία) proportio, convenientia, similitudo. Itaque *Vitruv.* 3. 1. 1. eam proportionem, ex qua symmetria partium in architectura nascitur, ἀναλογίαν Græce dici affirmat (It. *proporzione*, *convenienza*, *similitudine*; Fr. *ressemblance*, *analogie*; Hisp. *analogia*, *relacion*, *proporcion*; Germ. *das gleiche oder entsprechende Verhaltniss*; Angl. *analogy*, *similitude*, *proportion*). ¶ 1. Dicitur præcipue de architectura. *Varro* 9. *L. L.* 9. *p.*

200. *Müll.* Corrigere lectos impares ad consuetudinem communem, et ad aliorum tricliniorum analogias. Adde *Cic. Tim.* 4. *ad fin.* — Dicitur etiam de aliis rebus, quæ sibi aliqua proportione respondent. *Seneca Ep.* 120. Hoc verbum cum Latini Grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, nec in civitatem suam redigendum. Utar ergo illo, non tamquam recepto, sed tamquam usitato: quæ sit hæc analogia, dicam. Noveramus corporis sanitatem; ex hac cogitamus esse aliquam et animi: noveramus corporis vires; ex his collegimus esse et animi robur. ¶ 2. Speciatim analogia est, ut definit *Varro* 8. *L. L.* 23. *Müll*, similis similium declinatio, hoc est, dicitur de proportione et similitudine, quam habent inter se verba, ex qua earum declinatio, aut genus, aut conjugatio dignoscitur; verbi gratia, ex eo quod *amor* in genitivo facit *amoris*, recte colligitur, etiam *torpor* similiter facere; ex eo quod *funiculus* est masculini generis, cognoscitur etiam *funis* ejusdem generis esse; ex eo quod *prandeo*, *pendeo*, *spondeo* faciunt in Infinito *prandēre*, *pendēre*, etc. intelligitur etiam *ferveo* similem in Infinito habere positionem. *Analogiæ* opponitur *anomalia* apud *Varron. l. c.* *Cic.* Græce usurpat 6. *Att.* 2. Sed me ἀναλογία deceperat Φλιοῦς, Ὀπoῦς, Σιποῦς, quod Ὀπούντιοι Σιπούντιοι, etc. Latine *Quintil.* 1. 6. 1. Omnia tamen hæc exigunt acre judicium: analogia præcipue, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, proportionem vocaverunt. Ejus hæc vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat, ut incerta certis probet. *Et paullo post.* Analogia dictum aliquod tueri. *Id. ibid.* 5. Analogiam sequi. *Fronto de B. Parth.* ed. *Mai. p.* 203. Fac memineris, et cum animo tuo cogites, C. Cæsarem atrocissimo bello Gallico cum alia multa militaria, tum etiam duos de Analogia libros scrupulosissimos scripsisse; inter tela volantia de nominibus declinandis, de verborum aspirationibus et rationibus inter classica et tubas. *C. J. Cæsaris* libros de Analogia meminit etiam *Sueton. Cæs.* 6. et *Gell.* 4. 16. Adde *Quintil.* 1. 5. 13. et alibi, et *Gell.* 1. 10., 9. 14. et 19. 8.

ĂNĂLŎGĬCĒ, adverb. (ἀναλογικῶς) per analogiam. *Probus de nomine* ed. *Mai.* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 201. Ideo nomina in iisdem casibus analogice, non anomale declinantur. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 21. *a med.* Si ipsum corpus convenienter elementis analogice concinentibus probe valeat.

ĂNĂLŎGĬCUS, a, um, adject. (ἀναλογικός) ad analogiam pertinens. *Gell.* 4. 16. C. Cæsar in libris analogicis. *Capell.* 7. *p.* 240. Senarium autem perfectum analogicumque esse quis dubitet, cum suis partibus impleatur.

ĂNĂLŎGUS, a, um, adject. ἀνάλογος, proportionem habens et similitudinem. *Varro* 10. *L. L.* 37. *p.* 248. *Müll.* Sequitur tertius locus, quæ sit ratio proportione, quæ a Græcis vocatur ἀνάλογον: ab analogo dicta analogia. Ex eodem genere quæ res inter se aliqua parte dissimiles rationem habent aliquam, si ad eas duas alteræ res duæ collatæ sunt, quæ rationem habeant eamdem, quod ea verba bina habent eamdem λόγον, dicitur utrumque separatim analogon (apud *Müll.* Græcis litteris), simul collata quatuor analogia. *Paullo post Latinis litteris sæpe occurrit.*

ĂNALPHĂBĒTUS, a, um, adject. (ἀναλφάβητος) qui ne elementarias quidem litteras novit. *Fulgent. Mythol. l.* 3.

ĂNĂLȲTĬCĒ, adverb. (ἀναλυτικῶς) per analiticen. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 18. *p.* 537. Logice quidem igitur ex his aliquis credat de eo, quod dictum est: analytice autem manifestum est per hæc velocius.

ĂNĂLȲTĬCE, es, f. 1. (ἀναλυτική) ars resolvendi. V. *Boethii loc. cit.* in v. RESOLUTORIUS.

ĂNĂLȲTĬCUS, a, um, adject. (ἀναλυτικός) resolutorius. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. pr. p.* 253. Sed hæ affirmationes, inquit Aristoteles, ita sunt dispositæ eamdemque ad se similitudinem gerunt, quemadmodum in Analyticis, id est, resolutoriis, dictum est.

ĂNANCÆON *Græca positione, et Latina* Ananceum, i, n. 2. (ἀναγκαῖον). ¶ 1. Est genus grandioris poculi, quod necessario hauriendum erat ab iis, qui in bibendi certamine se provocabant: ab ἀναγκαῖος *necessarius*. Ita quidam exponunt. *Turneb. l.* 21. *c.* 12. observat, ἀνάγκη apud *Hesych.* esse urnam judicialem, ex quo putat *ananceum* dictum, quod urnæ judicialis magnitudinem æquaret. *Casaubon.* in *Athen. l.* 2. *c.* 3. notat veterem quemdam Græcum poetam appellare ἀνάγκαν γλυκεῖαν turbationem mentis, quæ ex nimio potu evenit, *h. e.* dulcem delirandi necessitatem: hinc fortasse tale poculum ananceum dici potuisse, quod hanc necessitatem inducat. *Varro* apud *Non. p.* 547. 33. *Merc.* Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt tripodes, crateræ, ananceæ populo nobilium Tarentinarum. *Alii leg.* ananceæ pocula nobilium etc. *Plaut. Rud.* 2. 3. 31. Ubi est leno Labrax? AM. Periit potando, opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit. TR. Credo hercle, ananceo datum quod biberet. *Casaubon. loc. cit.* scribit alludere *Plautum* ad sorbitionem cicutæ necessariam et fatalem sontibus in Græciæ aliquot urbibus; vel ad haustum illum e flumine Lethæo, qui nemini mortalium non est necessarius. Alii aliter et legunt et interpretantur. ¶ 2. Est etiam rhetoricum schema, quo aliquam adesse necessitatem demonstramus. *Rutil. Lup.* 1. 20. *p.* 130. *Frotsch.* Cf. *Quintil.* 9. 3. 99.

ĂNANCHĪTIS vel anancitis, idis, f. 3. ἀναγχῖτις, gemma, qua in hydromantia dicunt evocari imagines deorum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (192); ubi alii leg. *anancitis*, ut sit ab ἀνάγκη *necessitas*: *Salmas.* in *Solin.* leg. *anagogitis*, ut sit ab ἀνάγω *sursum duco, abduco.* Adde *Isid.* 16. *Orig.* 14.

ĂNANTĂPŎDŎTON (ἀνανταπόδοτον) schema, cum oratio aliquo membro, aut verbo, quod subaudiri oporteat, destituitur. Vox Græca, et Græce usurpanda. *V.* APODOSIS.

ĂNĂPÆSTĬCUS, a, um, adject. ut *Anapæsticum carmen*, quod anapæstis constat. *Cic.* 3. *Tusc.* 24. 57. Nec siletur illud potentissimi regis anapæsticum. *subaudi* carmen: *Orellius* tamen *leg.* anapæstum. *Sidon.* 4. *Ep.* 3. Anapæsticæ juncturæ. — *Servius* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 78. hemistichium illud, *Veneris, dic, vincula necto*, ait esse anapæsticum trimetrum hypercatalecticum: hujusmodi autem versus esse Cupidini consecratos.

ĂNĂPÆSTUS, a, um, adject. (ἀνάπαιστος). Anapæstus dicitur pes poeticus constans duabus syllabis brevibus, et tertia longa, ut *sapiens*, *legeres*; ideoque ἀντιδάκτυλος vocari solet, quia dactylo est quidem temporibus par, sed contrarius tamen et retroactus, ut *Quintil.* 9. 4. 81. loquitur. Hinc etiam nomen est sortitus, nempe ab ἀναπαίειν τῷ δακτύλῳ, quod repercutiat quodammodo dactylum. Est autem hæc vox revera adjectivum, et subintelligitur *pes*, quando absolute ponitur. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 37. Nec adhibetur ulla sine anapæstis pedibus hortatio. *Id.* 3. *Orat.* 47. 182. Quare primum ad heroum nos dactyli et anapæsti et spondei pedem invitat. Adde *Sidon.* 9. *Ep.* 15.

Anapæstus, *i*, m. 2. absolute pro versu, qui ex anapæstis constet. *Cic. Orat.* 56. 190. Ita factus est anapæstus is, qui Aristophaneus nominatur.

Anapæstum, *i*, n. 2. subaudi *carmen*. V. *Cic.* 3. *Tusc.* 24. 57. in v. ANAPÆSTICUS. *Gell. præfat. ad fin.* Mutuabor ex Aristophanis choro anapæsta pauca.

ĂNĂPHŌNĒSIS, is, f. 3. ἀναφώνησις, apud medicos est exercitatio vocis, quæ arte fit ad eam tuendam et conservandam. Græca dictio a φωνή *vox*, quæ legitur apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. et 5. Græcis semper litteris.

ĂNĂPHŎRA, æ, f. 1. (ἀναφορά) emersio, in altum subvectio: ab ἀναφέρω *sustollo, sublevo.* ¶ 1. Ab astronomis *anaphoræ* dicuntur ascensiones signorum, quæ fiunt ab oriente circumactu quotidiano mundi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (160). et *Firmic.* 3. *Mathes.* 3. ¶ 2. Est etiam schema sermonis, Latine repetitio, qua eadem dictio in principio versuum, aut commatum repetitur, ut illud *Virg.* 1. *Æn.* 665. Nate meæ vires, mea magna potentia solus, Nate, patris summi etc., et *Cic.* 4. *Verr.* 10. 26. Verres calumniatores apponebat, Verres adesse jubebat, Verres cognoscebat, Verres judicabat. — Hæc eadem dicitur etiam *Epanaphora*, ἐπαναφορά, apud *Capell.* 5. *p.* 173. ab ἐπί *super* et ἀναφέρω, *refero*, *repeto*. ¶ 3. Denique *anaphora* dicitur a *Diomed.* 2. *p.* 440. *Putsch.* cum allocutio non convenienter respondens, aliud refert occulte, ut apud Sallust. (*Catil.* 17. *extr.*). *Sed antea item conjuravere pauci, in quibus Catilina: de qua quam brevissime potero dicam. h. e.* de qua conjuratione. Ita *Diomed.*

ĂNĂPHŎRĬCUS, a, um, adject. ἀναφορικός, qui facile in altum subvehitur. ¶ 1. Apud *Vitruv.* 9. 8. 8. *Schneid.* describuntur *horologia anaporica*, quasi retro gradientia, ab ἀνά, quod in compositione significat et *retro*, et πορεύομαι *gradior*, quia in his est tympanus, qui retrogrado motu horarum spatia significat. Alii tamen legi volunt ἀναφορικά, ab ἀναφέρω *sustollo, erigo*; quæ sane derivatio aptior est: quod in hujusmodi horologii tympano descripta erant signa cælestia quæ emersione et ascensione suis temporibus ostendebantur, et anaphoras suas faciebant. ¶ 2. Apud *Firmic.* 3. *Mathes.* 13. dicuntur anaphorici, qui cruenta, seu vitiosa sputa facile rejiciunt, malâque tussi laborant

ĂNĂPHȲSĒMA, atis, n. 3. ἀναφύσημα, efflatus, vel evaporatio: ab ἀναφυσάω *efflo*. *Apul. de Mundo* 12. Anaphysemata Græci vocant eos spiritus, qui de profundo, vel hiatibus terræ explosi ad superna aeris solent evadere.

ĂNĂPLĒRŌTĬCUS, a, um, adject. ἀναπληρωτικός, replens. *Veget. Veterin.* 3. 26. 2. *Schneid.* Anapleroticum vulneri medicamentum imponere. *h. e.* quod carnem excrescere faciat, et vulnus impleat: ab ἀναπληρόω *impleo*.

ĂNARRHĪNON, i, n. 2. (ἀνάῤῥινον), herba sogallidi similis, radice nulla, aut perexigua, semine vitulinas nares imitante, unde et nomen habet, nempe a ῥίν, ῥινός *naris*. Eadem et *antirrhinon* dicitur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 80. (129). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 257.) hanc exhibet synonymiam: Ἀντίῤῥινον Theophr. Hist. plant. 9. 21., Ἀντίῤῥινον, οἱ δὲ ἀνάῤῥινον Dioscor. 4. 133., *Antirrhinon*, *anarrhinon sive lychnis silvestris* Plin. l. c.; *Cynocephalion*, *alii antirrhinon* etc. Apul. Herb. 86. sunt *Antirrhinum Orontium* L. Spec. plant. 860.

ĂNAS, anatis, f. 3. (νῆττα) avis ex genere amphibiorum, quassacipenna, tremipeda, buxeo rostro, dicta ab assiduitate natandi, ut scribit *Varro* 5. *L. L.* 78. *p.* 31. *Müll.* Græci quoque νῆσσαν, vel νῆτταν a νεῖν, hoc est nando appellavere. *Pompejus grammat. Comm. artis Donati segm.* 20. Anet illa, id est, quasi anicula contremiscit. Unde etiam *anates* dicuntur, quod in frigore semper vivant et tremant: in aqua enim vivunt (It. *anitra*; Fr. *canard*; Hisp. *anade*; Germ. *die Ente*; Angl. *a duck or dracke*). — *a*) De anate generatim. *Plaut. Capt.* 5. 4. 6. Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ, aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 124. Anatum ova gallinis supponere. *Varro* 3. *R. R.* 5. 12. Anatium stabula. *Id. ibid.* 11. 1. Greges anatium. *Pompejus Lenæus* apud *Gell.* 17. 26. Anates Ponticæ. Adde *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (6)., 29. *ibid.* 5. 33. (104). et 30. *ibid.* 7. 20. (61)., et *Colum.* 8. *R. R.* 15. 1. et 6. *ibid.* 7. 1. *Martial.* 13. 52. Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantum Et cervice sapit: cetera redde coquo. *Id.* 3. 93. Et anatis habeas uropygium macræ. — *b*) De anate amnicola. *Ovid.* 11. *Met.* 773. Anas fluviatilis.

ĂNĀS, ātis, f. 3. (anus). *Paul. Diac. p.* 29. 19. *Müll.* Anatem morbum anuum dicebant, id est, vetularum, sicut senium morbum senum. Cf. *Placidum* ed. *Mai. p.* 435.

ĂNASTĂSĬA, æ, f. 1. (ἀναστασία) eadem ac anastasis. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 9. Ego tamen audivi, quosdam veriloquos retulisse, dum populus illic (*in basilica Anastasia*) congregaretur, mulierem prægnantem de superiore portico cadentem defunctam fuisse: tuncque communi oratione facta super eam, revixisse et cum partu salvatam esse; quam ob rem nimis inopinabile Anastasiæ nomen, id est resurrectionis, accepit.

ĂNASTĂSIS, is, f. 3. ἀνάστασις, resurrectio: vox Græca ab ἀνίστημι *resurgo*. *Lactant.* 7. 23. De anastasi philosophi quoque dicere aliquid conati sunt. *Et paullo post.* Anastasin mortuorum futuram esse consentiunt.

ĂNASTŎMŌSIS, is, f. 3. (ἀναστόμωσις) exitus venæ unius in alteram. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 10. Alii tres differentias fluoris sanguinis posuerunt, eruptionis et putredinis et osculationis, quam Græci anastomosin vocant.

ĂNASTŎMŌTĬCUS, a, um, adject. ἀναστομωτικός, aperiens, laxans. *V.* APERTIVUS.

ĂNASTRŎPHĒ, ēs, f. 1. ἀναστροφή, inversio, ab ἀναστρέφω *inverto, præpostero ordine colloco.* Dicitur hoc nomine schema verborum, quo inverso ordine verba collocantur, ut *Saxa per et scopulos*, et

Qua de re, etc. *V.* **HYPERBATON**. Est autem Græca vox, et Græce scribenda. Latine *reversio* dicitur a *Quintil.* 8. 6. *post med.* Latinis litteris occurrit apud *Priscian.* 11. p. 949. *Putsch. Mecum* autem et *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum* per anastrophen cum pronomine præposito est.

ĂNĀTĀRĬUS, a, um, adject. (anas) ad anatem pertinens. *Anataria aquila* apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (7). est genus quoddam aquilarum, quod circa lacus et stagna degit, atque anates ceterasque aquaticas aves venatur: quam venationem *Id. ibid.* describit. — *Anatarius* absolute in *Gloss. Vet.* exponitur νηττοφύλαξ, hoc est anatum custos et curator.

ĂNĀTHĒMA, atis, n. 3. (ἀνάθημα). Diis dicatum donarium. Quamquam hæc vox non de omni re diis consecrata a Græcis usurpatur, sed de iis tantum, quæ suspendi aut collocari in excelso et in conspectu statui poterant, ut templo ornamento essent. Unde et *Hesych.* ἀνάθημα, κόσμημα interpretatur. Est autem Græca vox ab ἀνατίθημι *sursum pono*, *in altum colloco*. *Prudent.* Latine usus est *Psychom.* 540. Dum vetitis insigne legens anathema favillis, Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.

ĂNĀTHĔMA, atis, n. 3. Græca vox ἀνάθεμα a verbo ἀνατίθημι, qua significat removere, reponere separare, est idem ac *res exsecrabilis*, et dimovenda ac projicienda. Hinc apud Ecclesiasticos Scriptores ¶ 1. Usurpatur pro separatione Christiani hominis a communione et consuetudine Christifidelium. *Augustin. Ep.* 75. Anathematis injuriam perpeti. *Et paullo post.* Anathematis sententia ferire. *Et paullo post.* Anathemate obligatus. *Et post.* Anathemate aliquem plectere. ¶ 2. Item metonymice. *Tertull. advers. Hæret.* 6. Dicere aliquem anathema.

ĂNĂTHĔMĂTISMUS, i, m. 2. (ἀναθεματισμός) exsecratio, anathema. *V.* vocem anteced. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 11. *a med.* Anathematismum in eis prolatum sine tristitia esse credidimus.

ĂNĂTHĔMĂTIZO, as, are, a. 1. (ἀναθεματίζω) anathematis sententia ferio, a communione Fidelium separo. *V.* **ANATHEMA**. ¶ 1. Speciatim. *Augustin. Ep.* 75. Anathematizare filium pro peccato patris. *Et post.* Tota domus ista anathematizata est. *Sulpic. Sever.* 2. *Dial.* 12. Hæreticam (*virginem*) judicasset et anathematizandam esse decrevisset. ¶ 2. Aliquando generatim ponitur pro rejicere, detestari. *Hieronym. Ep.* 75. Si errasse non dicerem eum, et hæc quotidie non anathematizarem, essem erroris illius socius. — NB. *Salmas. in notis ad Tertull. de Pall. p. m.* 181. testatur in veter. quibusd. MSS. et Gloss. editis legi *anathemare* et *anathematus*: quod non est imitandum: tametsi legitur etiam apud *Augustin. Serm.* 104. *de Temp.* 3. et *Ep.* 95. *ante et post med.*

ĂNĂTHŸMĬĀSIS, is, f. 3. (ἀναθυμίασις) hoc est vapor, exhalatio, halitus. A medicis accipitur pro flatu, aut vapore, qui in stomacho, seu ventre ex cibis gignitur. *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burmann.* Anathymiasis si in cerebrum it, in toto corpore fluctum facit. *Theod. Priscian.* 2. *part.* 2. 1. Quibus et anathymiasi caput fuerit inquietatum.

ĂNĂTĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. ab anate. ¶ 1. Parva anas, et generatim quæcumque avis aquatica minor anate. *Cic.* 5. *Fin.* 15. 42. Serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas. ¶ 2. Usurpatur in deliciis amantium. *Plaut. Asin.* 3. 3. 103. Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum.

ĂNĂTĪNUS, a, um, adject. ad anatem pertinens, seu qui est ex anate. *Plaut. Rud.* 2. 6. 40. Utinam fortuna nunc anatina uterer, uti cum exivissem ex aqua, arerem tamen. Est qui legit *anthracina*, hoc est carbonum: nam ἄνθραξ Græce carbonem significat; carbones autem madefacti cito arescunt. Verum prior lectio longe præferenda est.

Anatina, æ, f. 1. gen. absolute est caro anatis. *Petron. fragm. Tragur.* 56. *Burmann.* Medici mihi jubent sæpe anatinam parari. *Fr. Oriolius* in *Opusc. Letter. Bologn. T.* 1. *p.* 114. probabiliter conjectat, hic Trimalchionem, qui sæpe viderat solemne illud medicorum *ana*, quo utuntur in describendis remediorum compositionibus, ridicule putasse *anatem* indicari, cum nempe ignoraret illud significare partes æquales remediorum sumendas esse. *V.* **ANA**.

ĂNĂTŎCISMUS, i, m. 2. (ἀνατοκισμός) anniversaria usuræ renovatio: cum scilicet qui non solvit usuram pecuniæ fenore acceptæ, sequenti anno tenetur solvere usuram tum sortis principalis, tum usuræ non solutæ, quæ et ipsa in sortem ingreditur. Vox Græca ab ἀνατοκίζω *usuram renovo*, quod ab ἀνά et τόκος *usura* (It. *usura dell'usura*; Fr. *intérêt des intérêts*; Hisp. *interes del interes*; Germ. *Zins auf Zins*; Angl. *the interest of interest*). *Cic.* 5. *Att.* 21. 11. Centesimas observare cum anatocismo anniversario. *Et paullo post* § 12. Nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset. *Inscript.* apud *Grut.* 208., quæ pertinet ad a. Chr. 79. et apud *Orell.* est 4405. HEREDES PATVLCII DIOCLATIS MVLCTENTVR SORTE VNA CVM ANATOCISMO BINAE CENTESIMAE VSVRAE PROPTER NEGLECTAM RELIGIONEM SEPVLCRORVM CLAM DIRVTORVM. Anatocismus a *Cic.* 6. *Att.* 1. dicitur *renovatio singulorum annorum*, et 6. *ibid.* 3. *renovatum in singulos annos fenus*. Ex eodem *Cic.* 5. *ibid.* 21. cognoscimus Senatusconsultum factum fuisse, ut in creditorum causa centesimæ perpetuo fenore ducerentur.

ĂNĂTŎMĒ, es, f. 1. (ἀνατομή) eadem ac anatomia. *Theod. Priscian.* 4. 2. *ante med.* In apertionibus corporum, quas anatomas vocamus, pastus in suis vasculis reperitur.

ĂNĂTŎMĬA, æ, *et* Ănătŏmĭca, æ, *vel Græca positione* Ănătŏmĭcē, es, f. 1. (ἀνατομία, ἀνατομική) ars secandi et considerandi corpora animalium; et est pars medicinæ: ab ἀνατέμνω *seco*. Latino vocabulo *incisio* recte dici potest: nam *Celsus* verbo *incidere* hac in re non semel utitur. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 8. Per apertionem, quam Græci anatomiam dicunt. *Macrob.* 7. *Saturn.* 15. Plato dum nec anatomica, quæ medicinæ propria est, abstinet, risum de se posteris tradidit.

ĂNĂTŎMĬCA, æ, *et*)
ĂNĂTŎMĬCE, es) *V.* voc. præced.

ĂNĂTŎMĬCUS, a, um, adject. ἀνατομικός, ad anatomicam pertinens. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. Alii vero etiam in iis se repertos quædam vascula demonstrant, anatomica ratione apprehensa, quæ ad hæc penetrant loca. *Id.* 3. *Acut.* 4. Erasistratus secundo libro anatomicorum – in quibusdam inquit etc. *ubi nota adject. gen. neutr. absolute usurpatum.* — Hinc

Anatomicus, *i*, m. 2. absolute (subaudi *medicus*, aut quid simile) est qui in anatomica peritus est. *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. Libris anatomicorum postea consultis, verum reperi. *Ammian.* 28. 4. *in fin.* Discissarum pecudum exta rimari cum anatomicis. *Augustin. Civ. Dei* 22. 24. Etsi medicorum diligentia crudelis, quos anatomicos appellant, laniavit corpora mortuorum.

ĂNĂTŎNUS, a, um, adject. (ἀνάτονος) sursum tendens, vel nimis in altum tendens: vox Græca ab ἀνά *sursum*, et τείνω *extendo*. Apud *Vitruv.* 10. 10. 6. *Schneid. anatona capitula* balistarum dicuntur earum supremæ partes in nimiam longitudinem protentæ: quibus (*ibid.*) opponuntur *catatona*, a voce Græca κατάτονος *deorsum tendens*, *minus altus*.

ĂNĂTRĒSIS, is, f. 3. (ἀνάτρησις) hoc est perforatio, Græca vox ab ἀνατιτράω *perforo*. Latinis litteris scripta legitur apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ad fin.*, ubi *anatresim testæ* ponitur pro perforatione cranii.

ĂNAUDĬA, æ, f. 1. (ἀναυδία) privatio vocis et loquelæ: ab α privat. et αὐδή *vox*, *sermo*. Legitur apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10., sed Græcis litteris.

ĂNAZĒTĒSIS, is, f. 3. (ἀναζήτησις) herba eadem, quæ Latinis consolida. *Apul. Herb.* 59.

ANCÆSA dicta sunt ab antiquis vasa, quæ cælata appellamus, quod circumcædendo talia fiunt. *Paul. Diac.* p. 20. 3. *Müll.*

ANCĂLA, æ, *et Græca positione* Ancalē, es, f. 1. poples: ἀγκάλη, quæ vox significat quidem ulnam brachii, vel potius ejus curvaturam, ab ἀγκών *flexus*, *curvatura*; sed per similitudinem potest etiam ad genu transferri (It. *piegatura interiore del ginocchio*; Fr. *pli du jarret*; Hisp. *pliegue del jarrete*; Germ. *die Kniekehle*; Angl. *the ham of the leg*, *behind the knee*). *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Usque ad mediam natem, ac superius ad inguen, vel ad ancalem perveniens atque suram. *Et post.* Plurimi ex talo atque ancala, venam dividentes, sanguinem detraxerunt.

ANCĂLĒ, es. *V.* voc. præced.

ANCĀRĬUS, ii, m. 2. asinus, ἀγγάριος, quam vocem Græci a Persis accepisse dicuntur, et universim significant quemvis onera bajulantem; sed quia asini ad id maxime apti sunt, speciatim de iis dici potest: *Döderlein* vero, ut *ancillam*, ita *ancarium* deducit a Græco ἀγκάλην *ferre*, vel ab *oncare*. *Lucilius* apud *Non.* p. 21. 12. *Merc.* Hic, inquam, rudet e rostris, atque ejulitabit Concursans veluti ancarius, clareque quiritans. *Alii leg.* angarius, *hoc est* nuncius, *quod vox* ἄγγαρος *significat*. *Alii aliter.* V. *Turneb. l.* 17. *c. ult.* Legitur hæc vox et in *Nigidio* apud *Gell.* 19. 14., ubi alii leg. *angarius*.

ANCEPS *vel* ancipes, ancipitis, adject. — *Ancipes* in recto singulari, ex quo per syncopen *anceps* factum videtur, occurrit apud *Plaut. Rud.* 1. 4. 114. — In Ablativo singulari facit *ancipiti*; sed tamen apud serioris ævi scriptores, ut apud *Gell.* 12. 2. *in fin.*, occurrit et *ancipite*. — Juxta veteres hæc vox composita est aut ab *am* et *caput*, atque anceps est utrimque habens caput; aut ab *am* et *capio* atque anceps est quod ex utraque parte æque capiatur, V. *Paul. Diac.* p. 19. 13. *Müll.* Horum neutrum negari potest: hinc enim alia sunt a *caput* composita, quæ in *ceps* exeunt, ut *biceps*, *triceps*, *præceps* etc. atque in aliquibus Scriptorum locis anceps hac occurrit significatione; illinc vero alia significatione sæpius legitur et cum Græco ἀμφίδοξος ab ἀμφί et δέχομαι *capio* omnino convenit. Hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu anceps, ab *am* et *caput*, est utrimque habens caput. *Ovid.* 14. *Met.* 334. Anceps Janus. *Id.* 1. *Fast.* 95. Tum sacer ancipiti mirandus imagine Janus Bina repens oculis obtulit ora meis. Hinc translate *Id.* 12. *Met.* 337. ab ancipitis delapsus acumine montis. *h. e.* duplicem habentis verticem. Alii leg. *ancipiti delapsus acumine*. ¶ 2. Latiori significatione anceps, ab *am* et *capio*, est quod utrimque aliquid capit, sive quod utrimque vertitur et protenditur, quemadmodum translate ait *Gell.* 12. 9. Hæc (*verba*) enim fere jam vulgatum est ancipitia esse et utroque versus dici posse. *h. e.* verba quæ ambiguam habent significationem, et in utramque partem exponi possunt, ut *valetudo*, *venenum* etc. Hoc autem sensu occurrit — *a*) De gladiis aliisque armis, quæ acie utrimque prædita sunt. *Plaut. Rud.* 4. 4. 114. Post altrinsecus est securicula ancipes. *Lucilius* apud *Non.* p. 245. 12. *Merc.* Verte atque ancipiti ferro effringam cardines. Adde *Lucret.* 6. 168. *Id. Lucret.* 2. 519. Anceps mucro. *Ovid.* 8. *Met.* 397. Ancipitemque manu tollens utraque securim. *Prudent. Hymn. ante som.* 2. 85. Anceps gladius. Cf. *Paul. Diac.* p. 19. 13. *Müll.* — *b*) De aliis rebus, quæ duo præcipua veluti latera præseferunt. *Liv.* 5. 1. Romani ita muniebant, ut ancipitia munimenta essent, alia in urbem et contra oppidanorum eruptiones versa, aliis frons in Etruriam spectans auxiliis – obstruebatur. *Lucilius* apud *Non.* p. 245. 18. *Merc.* Ancipites cardines. *h. e.* duplices, qui utrimque valvas tenent, ut ipse *Nonius* exponit, quapropter perperam alii aliter leg. *Val. Flacc.* 4. 570. Anceps Pontus. *h. e.* propter Symplegadas. — *c*) Sæpius de prælio, bello aliisque hujusmodi, quæ uno eodemque tempore a duabus partibus adveniant et urgeant. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. Mithridates – legatos ac litteras misit, ut cum duobus in locis disjunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti (*alii* distracti) de imperio dimicaretis. *Cæs.* 7. *B. G.* 76., 1. *ibid.* 26. et 3. *B. C.* 63. Anceps prælium. *Varro* apud *Non.* p. 245. 17. Anceps bellum. *Nep. Them.* 3., *Sall. Jug.* 38. et *Curt.* 7. 7. 7. Anceps periculum. *Curt.* 3. 7. 9. Ancipiti acie opprimi. *h. e.* utrimque ingruente. *Id.* 5. 4. 31. Ancipiti malo opprimi. *Justin.* 11. 9. 9. Anceps certamen. *Liv.* 37. 11. et 30. 33. Ancipitia tela. *h. e.* quæ a duabus partibus jaciuntur. *Id.* 1. 25. Agitatio anceps telorum armorumque. — *d*) Generatim de iis omnibus, quæ a duabus partibus adveniunt et urgent. *Cæs.* 3. *B. C.* 72. Anceps terror, intra extraque munitiones. *Liv.* 2. 24. Anceps metus et ab cive et ab hoste. *Id.* 32. 30. Anceps tumultus. *Id.* 27. 17. Anceps odium. *h. e.* et ab iis qui relinquuntur, et ab iis ad quos confugitur. *Id.* 35. 27. Anceps pestis. *h. e.* et ignis et hostium. *Cic.* 3. *Orat.* 16. 59. Anceps dicendi faciendique sapientia. *h. e.* quæ duplicem facultatem complectitur dicendi et faciendi. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. Cum utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit, ut distrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam agitandi. — *e*) Denique raro de animalibus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 104. Bestiarum terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quasi ancipites in utraque sede viventes. *h. e.* quas nos Græco vocabulo ἀμφίβια dicimus. *Liv.* 6. 33. Cum anceps hostis et a fronte et a tergo urgeret. *Id.* 30. 33. In ancipites ad ictum utrimque conjicie-

bant hastas. *h. e.* in eos qui et hinc et illinc ita erant proximi, ut hastis feriri possent.

II.) Translate anceps est quod duobus modis accipi potest, ideoque generatim usurpatur pro dubio, ambiguo, incerto, periculoso. Speciatim vero — *a*) Est ambiguum, duplicem habens significationem, quod et pro aliqua re et contra ipsam facere potest, ut apud *Cic.* 3. *Orat.* 30. 148. Numquam – defatigabor antequam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus et contra omnia disputandi percepero. *Id.* 6. *de republ.* 12. 2. Anceps factorum via. *Id.* 4. *Herenn.* 54. 67. Verborum ancipites aut multiplices potestates. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 34. Anceps jus. *h. e.* multiplex, varium, ideoque controversum. *Gell.* 12. 9. Ancipitia verba. *V.* supra I. sub init. *Cic.* 3. *Orat.* 27. 107. Ancipites disputationes, quibus – in utramque partem disseri copiose licet. *Id.* 2. *ibid.* 44. 96. Aggredi causam ancipitem. *Liv.* 9. 3. Anceps oraculum. *Id.* 21. 3. sententia. — *b*) Anceps est incertus, dubius. *Cic. Marcell.* 5. 15. Incertus exitus et anceps fortuna belli. *Virg.* 4. *Æn.* 603. Anceps fortuna pugnæ. *Cic.* 2. *de republ.* 7. 13. Prælii certamen anceps et varium. *Liv.* 21. 29. Ancipitis certaminis victoria. *Id.* 2. 62. Anceps prælium. *Id.* 21. 1. Ancipiti Marte bellum gerere. *Cic. Orat.* 23. 98. Ancipites incertique casus dicendi. *Id.* 5. *Fam.* 12. Viri excellentis ancipites variique casus. *Lucan.* 9. 585. casus anceps belli. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 34. Lucanus, an Appulus, anceps. *h. e.* incertum est. *Curt.* 3. 8. 3. Anceps fides. *h. e.* dubia et cui periculose creditur. *Lucan.* 1. 266. Urbs anceps. *Id.* 7. 477. urbes Latii dubiæ varioque favore Ancipites. *Id.* 9. 46. ancipites animos tenere. *h. e.* incertos, dubios. *Virg.* 3. *Æn.* 47. Tum vero ancipiti mentem formidine pressus. *Val. Flacc.* 3. 74. Anceps pavor. — *c*) Anceps est ambiguum ideoque periculosum. *Nep. Datam.* 7. Ut ne – præteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur. *h. e.* iniquis et periculosis. *Liv.* 21. 23. Quia revocare aut vi retinere eos anceps erat. *Ovid.* 14. *Met.* 438. Ancipites viæ. *Vellej.* 2. 79. Dubia et interdum anceps fortuna (Hinc juxta *Döderlein Latein. Synonym.* vol. 5. *p.* 281. *anceps* aliquid plus significat quam *dubius*). *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (21). Anceps vehiculi casus. *Id.* 22. *ibid.* 23. 47. (96). Anceps cibus. *Id.* 7. *ibid.* 45. 46. (149). et *Sueton. Aug.* 59. Ancipites morbi. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 14. (20). Labrusca anceps in purgationibus. *Tac.* 1. *Hist.* 5. Vox pro republica honesta, ipsi anceps. *Id.* 4. *Ann.* 17. Anceps adulatio. — Hinc

Anceps, cipitis, n. 3. substantivorum more interdum ponitur pro summo discrimine. *Tac.* 4. *Ann.* 73. Labeo – dubii suorum re in anceps tractus – vim legionum implorabat. *Id.* 1. *ibid.* 36. Seu nihil militi, seu omnia concederentur, in ancipiti res publ. *Id.* 11. *ibid.* 26. Ne serius inter ancipitia probatum mox veris pretiis æstimaret. *Id.* 2. *Hist.* 86. Pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat.

ANCHISTRUM. *V.* ANCISTRUM.

ANCHŎMĂNES, ii, f. 2. nomen est herbæ, quæ et *dracontea* appellatur: fortasse dicta ab ἄγχω *suffoco, strangulo*, quia obstruendi meatum spiritus vim habet. *Apul. Herb.* 14.

ANCHŎRA cum derivatis. *V.* ANCORA.

ANCHŪSA, æ, f. 1. (ἄγχουσα) herba est lactucæ foliis, cujus radix digitali crassitudine scinditur papyri modo, manus inficit sanguineo colore, lanas pretiosis coloribus præparat, variis ægritudinibus prodest, imprimisque lepræ et lentigini, si ea liniatur. Hæc *Plin.* 22. *Hist. nat.* 20. 23. (48). Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. et 4. *ibid.* 8. Est alia quæ dicitur *onochiles* teste *Plin. l. c.* 21. 25. (51). *Pelagon. Veter.* 26. Turis mannæ selibram teris et commisces in oleo, in quo ante bullierit anchusæ fasciculus unus. Cl. *Fee* (*Op. cit.* vol. 3. *p.* 113.) hasce exhibet synonymias. I. *Anchusa vera.* — Ἄγχουσα Theophr. Hist. plant. 7. 9., Ἄγχουσα ϑρίδακηΐς Nicand. Ther. v. 838., Galen. in Orat. ad artes 6., Dioscor. 4. 23., Orph. in Argonaut., Cratær., Suidas etc., *Anchusa* Plin. l. c. et Aetii de re med. 1. p. 6. sunt *Anchusa tinctoria* L. Spec. plant. 192. — II. *Pseudanchusa.* — Ἔχιον Dioscor. 4. 27., *Pseudanchusa, echis aut doris* Plin. l. c. sunt *Anchusa italica* Retz, Polr. Encycl. — III. *Anchusa seu Onochiles.* — Ἄγχουσα ἑτέρα, ἀλκιβιάδιον ἢ ὀνοχειλὲς Dioscor. 4. 24., Galen. de Fac. simpl. 6. 149., Nicand. Ter. 5. 541., *Anchusa onochiles, arcebion, anchusa rhexia* Plin. l. c. sunt *Echium creticum* L. Spec. plant. 200. — IV. *Anchusa minor.* — Ἄγχουσα τρίτη Dioscor. 4. 25., Nicand. Ther. 5. 541., Nicand Schol. p. 38., Galen. de fac. simpl. med. p. 149., *Anchusa minor flore rubro* Plin. l. c. sunt *Lithospermum fruticosum* L. Spec. plant. 190.

ANCĪLE, is, *et sæpius plur. num.* Ancilia, n. 3. (ἀγκύλιον vocat *Plutarch. in Numa*; ex quo nonnulli *ancyle* scribunt cum *Non.* 18. 11. ed. vulg. — In Genitiv. plur. *ancilium* facit juxta Grammaticorum regulas et legitur apud *Tac.* 1. *Hist.* 89. et in *Inscript.* apud *Orell.* 2244.; sed ex usu etiam *Anciliorum*, quemadmodum et *Saturnalium* et *Saturnaliorum* dicitur. *V.* infra *Horat.* 3. *Od.* 5. 10. — Ancile scutum fuit parvum et oblongum (quale apud Romanos primo obtinuisse putandum est) superiore et inferiore sui parte rotundum, media angustius, lateribus mediis convexa curvitate se contrahentibus, extimam oram usquequaque recisam habens minutis incisuris: unde et nomen habet, quasi *amcisum*, ab *am* circum, et *cæsus. Ovid.* 3. *Fast.* 376. Idque ancile vocant, quod ab omni parte recisum est: Quaque notes oculis, angulus omnis abest. *Varro* 7. *L. L.* 43. *p.* 137. *Müll.* Ancilia dicta ab ambecisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, incisa. *Paul. Diac. p.* 131. 8. *Müll.* Ancile sic est appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque ejus latus pateret. Cf. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 664. et *Isid.* 18. *Orig.* 12. 3. Sunt tamen qui putant hanc vocem compositam esse ab *am* et *cælum*, unde *cælare*; alii deducunt ab ἀγκύλος *angulus*, *Döderlein* ab ἀγκάς *ulnas*. Quidquid sit de etymologia, vox peculiari occurrit significatione. ¶ 1. Ancilium figuram exhibet nummus Antonini Pii, quem videsis apud *Nieuport. Rit. Rom. Tab.* 5. *n.* 4., ubi duo sunt ancilia, sub quibus legitur ANCILIA. Cf. *Num.* apud *Choul. de relig. Rom. p.* 205. et *Gemma* apud *Augustin. Gemm. et sculpt. antiq. T.* 1. *p.* 152. Hujusmodi scutum Numæ Pompilii tempore de cælo cecidisse credebatur, accepto una oraculo, tamdiu staturum R. imperium, quamdiu illud Romæ mansisset. Quare Numa jussit, undecim alia ejusdem formæ fieri, quibus cæleste misceretur, ne internosci posset et auferri; quod Mamurii Veturii artificis opera factum est, qui præmii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent, cum hujusmodi scuta per Urbem circumferrent. Quotannis enim mense Martio per urbem a Saliis collo appensa circumferebantur cum solemni saltatu et carminibus; dicebanturque tum *ancilia moveri*: idque per triginta dies, quibus elapsis, iterum condebantur in templo Martis, ubi asservari solebant. Durante autem tali solemni, summa religio erat, ne publice aliquid gereretur, quod ad arma et bellum spectaret. *Sueton. Oth.* 8. Expeditionem inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed et motis, nec dum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur. Adde *Tacit.* 1. *Hist.* 89. *Juvenal.* 2. 126. et *V.* SALII. – Addit *Servius* ad illud *Virg.* 8. *Æn.* 3. *Utque impulit arma*, in more fuisse, ut qui belli curam susceperat, antequam ad id administrandum proficisceretur, in sacrarium Martis introiret, et ancilia primum, mox et hastam dei commoveret, addita voce, *Mars vigila.* — Si ancilia sua sponte moverentur (quod non semel accidisse creditum est) prodigii loco habebatur, et quod bellum portenderet. V. *Jul. Obseq. De prodig.* 104. et *Epitom. Liv.* 68. — Præter ancile sex alia fuere religiosissime custodita Romæ tamquam imperii pignora: acus Matris deûm, quadrigæ fictiles Vejorum (de quibus V. in RATUMENA), cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionæ, et Palladium. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 188. — Nunc de usu vocis. *Ennius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 43. *p.* 137. *Müll.* Mensas constituit idemque ancilia primus. *Liv.* 1. 20. Cælestia arma, quæ ancilia vocantur. *Virg.* 8. *Æn.* 664. et lapsa ancilia cælo Extuderat. *Horat.* 3. *Od.* 5. 10. Anciliorum et nominis et togæ Oblitus æternæque Vestæ. — NB. Non adjective, sed per appositionem. *Val. Max.* 1. 1. 9. Sex lictoribus præcedentibus arma ancilia tulit. *Charis.* 1. *p.* 62. *Putsch.* Arma ancilia lustrare. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2244. *Juvenal.* 2. 126. sudavit clipeis ancilibus. ¶ 2. De scuto militari quocumque. *Virg.* 7. *Æn.* 188. Succinctus trabea lævaque ancile gerebat Picus. *Lucan.* 9. 479. populus ancilia nostra ferentes.

ANCILLA, æ, f. 1. *Paul. Diac. p.* 20. 1. *Müll.* nomen deductum putavit ab Anco Martio, quod is in bello magnum feminarum numerum ceperit: sive quod antiqui *anculare* dicebant ministrare; quod certe rectius, nam ancilla est deminut. ab *ancula*. V. ANCULA et ANCULUS. — Ancilla est mulier quæ dominis famulatur et ministrat, quæque sæpissime in comœdiis occurrit (It. *fantesca, serva, cameriera*; Fr. *servante, femme de chambre*; Hisp. *criada*; Germ. *Dienerin oder Aufwarterin, das Mädchen, die Zofe, die Kammermädchen*; Angl. *a maid-servant*).

I.) Proprie. *Livius Andronicus* apud *Non. p.* 153. 27. *Merc.* Ego puerum interea ancillæ subdam lactantem meæ, ne fame perbitat. *Plaut. Truc.* 2. 4. 47. Mater ancillas jubet – aliam aliorsum ire, percontari. *Ter. Andr.* 3. 1. 3. Ab Andria est ancilla hæc. *Cic. Mil.* 10. 28. Cum muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu. *Id.* 3. *Verr.* 4. 8. Hunc liberti vestri, hunc servi ancillæque amant. *Sallust. Jug.* 12. Occultans se in tugurio mulieris ancillæ. *Serv.* ad 1. *Æn.* 413. Sunt elocutiones, quarum una pars plena est, quæ si convertantur, habent aliquid superfluum, ut in Sallustio: *In tugurio mulieris ancillæ*. bene addidit *ancillæ*. At si dicas *ancillæ mulieris*, erit superfluum *mulieris*; ancilla enim et conditionem ostendit et sexum. Hæc *Servius*, cui similia ex *Quintil.* reperies in FRATER. *Ter. Phorm.* 3. 2. 26. Ancilla ære empta meo. *Horat.* 2. *Od.* 4. 1. Ancillæ amor. *Ovid.* 2. *Amor.* 8. 9. delinquere in ancilla. *Quintil.* 5. 11. 34. Consuetudo cum ancilla.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (155). At hæc (*terra*) benigna, mitis, indulgens usibusque mortalium semper ancilla. *Inscript.* apud *Murat.* 407. 4. Ancilla dei. ¶ 2. Per contemptum dicitur etiam de hominibus, qui alicui rei nimis addicti sunt, turpiterque inserviunt. *Sallust. fragm. orat. Lepidi in Sullam.* Fusidius ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum. *Trebell. Claud.* 5. Gallus Antipater, ancilla honorum, et historicorum dehonestamentum. *Alii leg.* ancillariorum, et historicorum etc.

ANCILLĀRIŎLUS, i, m. 2. qui amore ancillarum captus est. *Martial.* 11. 58. Ancillariolum tua te vocat uxor. *Senec.* 1. *Benef.* 9. 4. Si quis nulla se amica facit insignem, nec alienæ uxori annua præstat; hunc matronæ humilem, et sordidæ libidinis, et ancillariolum vocant.

ANCILLĀRIS, re, adject. ad ancillas spectans.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. Ita sordido ancillarique artificio regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam et capillum patris. *Dig.* 47. 10. 15. § 15. Ancillaris vestis.

II.) Translate. *Ammian.* 26. 6. Ancillaris adulatio. *h. e.* vilis ac turpis.

ANCILLĀRIUS, ii. *V.* ANCILLA II. 2.

ANCILLĀTUS, us, m. 4. ministerium, servitus. *Arnob.* 7. *p.* 221. Ancillatum servuli pavibunda trepidatione imitatus. Ita edidit *Orellius* ex *cod. MS.* et *edit. princ.*, ubi legitur *ancillarum servuli pavibundas trepidat ones imitatus*. At *Salmas.* edid. *ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus*. Sed hujus formæ exempla non suppetunt, cum e contrario *famulatus* a *famula*, et hujusmodi permulta sæpissime occurrant. *V.* et *Fr. Oehler* ad *Arnob. l. c. p.* 294.

ANCILLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Ancillans* I. et II. Est idem ac famulor, ministro ancillarum more (It. *servire*; Fr. *servir*; Hisp. *servir como criada*; Germ. *Magddienst verrichten*; Angl. *to serve, wait*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Accius* apud *Non. p.* 72. 3. *Merc.* Quem invita ancillans, dicto obediens viri.

II.) Translate. ¶ 1. Ancillor in malam partem est nimis alicui addictus sum et turpiter inservio. *Titinius* apud *Non. p.* 72. 5. *Merc.* Verum enim dotibus deleniti ultro etiam uxoribus ancillantur. *Pseudo-Sall. in Cic.* 4. 7. Cui insidias in civitate fecisti, ancillaris. *Pseudo-Cic. in Sall.* 4. 11. Non enim uni privatim ancillatus sum, neque me addixi. *Latin. Pacat. Paneg. ad Theodos.* 2. Facundiæ ancillantis necessitas. *h. e.* servilem in modum blandientis. ¶ 2. In bonam partem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (213). Æstus ancillantes sideri avido trahentique secum hausta maria. *Alii leg.* ancillante sidere. *Apul. Dogm. Plat.* 1. 18. Cetera membra ancillari et subservire capiti, cibos et alia subministrare.

ANCILLŬLA, æ, f. 1. deminut. ab ancilla.

I.) Proprie usurparunt *Plaut. Rud. prol.* 73., *Ter.*

Eun. 1. 2. 86. et *Heaut.* 2. 3. 11., *Seneca* 3. *Controv.* 21. *Ter. Phorm.* 4. 3. 60. Uxori emenda ancillula est. *Ovid. Rem. am.* 639. Nec veniat servus, nec flens ancillula.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 236. Idcirco istam juris scientiam eloquentiæ tamquam ancillulam pedisequamque adjunxisti. *Id.* 1. *Fin.* 21. 69. Præsto esse virtutes, ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent —, nisi ut voluptati ministrarent.

ANCIPES, cipitis. *V.* ANCEPS.

ANCĪSUS *vel* amcisus, a, um, proprie part. præter. pass. ab inusit. *ancido* ex *am* et *cædo*, accisus, circumcisus, recisus. *Lucret.* 3. 661. Omnia (*membra serpentis*) jam seorsum cernas ancisa recenti Vulnere.

ANCĪSUS *vel* amcisus, us, m. 4. Legebatur apud *Varron.* 7. *L. L.* 43. *p.* 137. *Müll.*, ubi nunc eodem sensu legitur *ambecisus*, quam vocem V.

ANCISTRUM, i, n. 2. (ἀγκιστρον) scalprum hami forma aduncum, quo utuntur chirurgi: a voce Græca allata, quæ *hamum* significat. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *ad fin.* Ancistris ex utraque parte cutem prætendere. *Al. leg.* anchistris. Adde *Isid.* 4. *Orig.* 11. 3., ubi male legitur *angistrum*.

ANCLABRIS mensa ministeriis divinis aptata. Vasa quoque in ea (*al.* ænea) quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur. *Paul. Diac. p.* 11. 11. *Müll. Id. p.* 77. 11. scribit, dicta hæc esse ab *anclare*, quod est haurire et ministrare.

ANCLĀTOR, ōris, m. 3. famulus, minister a voc. seq. *Gloss. Lat. Græc.* Anclator ὑπηρέτης.

ANCLO *vel* anclŏlo, as, āvi, ātum, are, a. 1. est ministrare, et si de fluidis agitur haurire. Est a Græco ἀντλᾶν *ferre*, ut docet *Paul. Diac. p.* 11. 11. *Müll.*; aut ab ἀγκύλῳ *anculo*, h. e. incurvato corpore haurio ad ministrandum. *Livius Andronicus* apud *Priscian.* 6. *p.* 684. *Putsch.* Carnis vinumque, quod libabant, anclabatur. *Id.* apud *Paul. Diac. p.* 11. 10. *Müll.* Florem anclabant Liberi ex carchesiis. *Scaliger.* legendum putat *anculabant* ab *anculare* eodem sensu. Alii leg. *antlare*, *antlabant*. Cf. *Paul. Diac. p.* 20. 1. *Müll.* Quod antiqui anculare dicebant pro ministrare. Adde *Priscian.* 8. *p.* 796. *Putsch.*

ANCŌN, ōnis, m. 3. ἀγκών, ῶνος, vox Græca, quæ significat cubitum seu potius curvaturam cubiti in brachiis. Sed apud Latinos scriptores est vox propria fere architectorum: hinc ¶ 1. Apud *Vitruv.* 3. 5. 14. *Schneid.* ancones sunt partes normæ, quæ simul junctæ rectum angulum faciunt. Eadem ratione *ancones* dicuntur ab eod. 8. 5. 1. *Schneid.* extrema capita chorobatæ (quod est instrumentum librandis aquis accommodatum), quæ normæ modo angulata sunt. ¶ 2. Apud *Eumd.* 4. 6. 4. *Schneid.* ancones sunt, ut quidem exponit *Philander*, mensulæ, quæ capitibus suis volutarum more plicantur ad S majoris et oblongi formam, et poni solent in rationibus ostiorum, propendentes ab ima corona, secundum antepagmenta, ad libramentum imi supercilii, Italice *cartelle*, aut *cartocci*, quorum figuram exhibent *Id. Philand.* et *Bald. in Lex. Vitruv.* Dicuntur autem *ancones*, non quia ipsi in modum cubiti flexi sint, sed quia propendentes cum adjecta regula normæ similem angulum faciunt. Vocantur etiam *prothyrides*, προθυρίδες, a πρὸ *ante*, et θύρα *janua*; quia in anterioribus januarum ornamentis locum habent, ut dictum est. *Vitruv. ibid.* ¶ 3. Præterea sunt *ancones* apud *Eumd.* 10. 15. 4. *Schneid.* ferrea, vel lignea retinacula in modum cubiti, aut normæ curvata, quibus trabes, aut lapides in machinis alligantur et connectuntur. ¶ 4. Item furcilla cornuta, quæ in organo hydraulico adhibebatur. *Id.* 10. 8. 1. *Schneid.* ¶ 5. Item furcillæ ligneæ in summo habentes cornua bina, ἀγκῶνα, hoc est cubitum brachii referentia; quæ et *amites* appellantur. His venatores utuntur vel ad suspendenda retia; vel potius, ut alii volunt, ad terrendas aves, injecta iis cornibus formidine, et in altum sublata. *Grat. Cyneg.* 87. Lineaque extructis lucent anconibus arma. ¶ 6. Item *ancones* sunt ligna transversa sellarum, arrectariis infixa et annexa, quibus sedentes cubita superponimus: ita dicta, quia cum arrectariis normalem angulum efficiunt: italice *bracciuoli*, aut *appoggi*. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *a med.* Sella tonsoria sedeant ægrotantes, quæ sit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese levare nitantur. ¶ 7. Denique *Paul. Dig.* 33. 7. 13. *pr.* inter instrumenta tabernæ cauponiæ enumerat *ancones*, quos *Turneb. l.* 18. *c.* 23. scribit esse calices non rotundos, sed in cubitum flexos et angulum facientes. Fortasse his similis sunt ea vasa, quæ Itali vocant *storte*. Fortasse etiam intelligit *Paulus* ea pocula, quæ Græco vocabulo *Virg.* vocat *carchesia*. Carchesii autem figuram ita describit *Macrob.* 5. *Saturn.* 21., ut sit poculum procerum, et circa mediam partem compressum, ancatum mediocriter (*h. e.* curvum cubiti modo; ab *ancus* quod V. infra) ansis a summo ad infimum pertinentibus. In vulg. codicib. pro *ancatum* legitur *ansatum*, quod hoc loco minus congruere videtur: *ancatum* autem ex conjectura *Is. Pontani in notis ad Macrob.*

ANCŎRA, æ, f. 1. Scribitur et *anchora* ex quadam consuetudine, quæ tamen nec semper, nec ubique obtinuit (V. *Wagner* ad *Virg.* 6. *Æn.* 92.). Ceterum rectius est aspirationem omittere, quæ in Græco ἄγκυρα, a quo deducta est vox, nulla est, atque ita scriptum esse a veteribus, testatur *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* — Ancora erat ferreum instrumentum, quod primo juxta Eupalami inventionem uno, deinde per Anacharsim, teste *Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 57. (209)., duobus instructum veluti brachiis aduncis, alligatum fune in mare jaciebatur, et fundo adhærens naves detinebat, a voce Græca allata, quæ videtur esse ab ἀγκύλος *aduncus* (It. *ancora*; Fr. *ancre*; Hisp. *ancora*; Germ. *Anker*; Angl. *an anchor*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 169. hic fessas non vincula naves Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu. *Id.* 6. *ibid.* 3. tum dente tenaci Ancora fundabat naves. *Liv.* 28. 17. Ancoras moliri. *Cæs.* 4. *B. G.* 28., *Virg.* 6. *Æn.* 902. et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Ancoras jacere. *Ovid.* 1. *Met.* 297. Ancoram figere. *Id. Heroid.* 2. 4. pangere. *Cæs.* 4. *B. G.* 29. Naves deligare ad ancoras. *Id.* 5. *ibid.* 10. Subsistunt ancoræ. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (82). Sidunt ancoræ. *h. e.* fundantur. *Id.* 9. *ibid.* 31. 51. (100). Pluribus ancoris navigia infrenare. *Nep. Them.* 8. Tenere in ancora navem. *Cæs.* 4. *B. G.* 23. Expectare in ancoris. *Auct. B. Afr.* 63. Commorari in ancoris. *Cæs.* 3. *B. C.* 102. Consistere ad ancoras. *Flor.* 2. 2. Stare in ancoris. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Adhærere ancoris. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Ancoræ funibus revinctæ. *Cic.* 1. *Att.* 13. 1. Ancoram solvere. *Cæs.* 4. *B. G.* 23. et 1. *B. C.* 31., *Liv.* 22. 19. (ubi *Forcellinus* cum aliis legebat *vellere*) et *Quintil.* 4. 2. 41. Ancoras tollere. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 87., *Liv.* 28. 17. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (139). Præcidere ancoras', *h. e.* funes, quibus naves religantur. *Liv.* 22. 19. In ancora evehi. *h. e.* discedere ancoris nondum sublatis: V. *Alschefski* ad *h. l. T.* 3. *p.* 389. *Declam.* tributa *Quintiliano* 12. 23. Frumentum ad ancoras perdere. *h. e.* navibus ancoræ alligatis; et videtur proverbialis locutio, cum amittimus nostra incuria aliquid, quod in tuto erat. De loco *Lucilii* apud *Non.* V. ANQUINA. De *ancora ultima* V. infra II. 2.

II.) Translate. ¶ 1. *Ancoras tollere* apud *Varron.* 3. *R. R.* 17. 1. est abire, discedere. ¶ 2. Ancora ponitur etiam pro spe, refugio, præsidio. *Sil. It.* 7. 24. ancora fessis Ultima cur Fabius. *Ultimam* autem dixit, quia in navi plures erant ancoræ, quarum quæ maxima a Græcis ἱερὰ dicta, a Latinis *sacra*, nonnisi in summis periculis jaciebatur, quia in ea ultima spes erat navigii servandi. ¶ 3. Denique ancora per similitudinem dicitur quodvis ferramentum utrimque aduncum. *Pallad.* 1. *R. R.* 40. 5. Bipedas constitues ferreis ancoris colligatas.

ANCŎRĀGO *vel* Anchŏrāgo, īnis, m. 3. nomen piscis apud *Cassiod.* 12. *Ep.* 4. in Rheno præcipue nascentis, quem ita dictum putant, quod os habeat instar ancoræ incurvatum. Sunt, qui arbitrantur, eumdem esse ac *Salmonem*, item qui *Sturionem*. Sed hæc incerta sunt, variisque tantummodo variorum ingeniorum conjecturis fulta.

ANCŎRĀLIS *vel* Anchŏrālis, le, adject. ad ancoram pertinens. *Apul.* 11. *Met.* 16. Navis absoluta strophiis ancoralibus. *h. e.* soluta a funibus, quibus ad ancoram alligatur. — Hinc

Ancorale, *lis*, absolute est funis, quo ancora religatur. *Liv.* 37. 30. *ad fin.* Tractum ancorale, et implicitum remis latus alterum detersit. *Id.* 22. 19. Ancoralia incidere. *V.* vocem seq. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34). Usus suberi ancoralibus maxime navium.

ANCŎRĀRIUS *vel* Anchorarius, a, um, adject. ancoralis. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Storeæ ex ancorariis funibus tres. *Liv.* 22. 19. Alii resolutis oris ancoram tollunt: alii, ne quid teneat, ancoraria incidunt. *h. e.* ancorarum retinacula. Alii rectius leg. *ancoralia*. — De monte *V.* ONOM.

ANCRAS convalles vel arborum intervalla. *Paul. Diac. p.* 11. 13. *Müll.*; sed *antras* legitur in codice. *Placidus* ed. *Mai. p.* 432. Ancræ intervalla arborum. *Gloss. Isid.* Angræ (*lege* ancræ) intervalla arborum vel convalles.

ANCTOS, id est excruciatos. *Paul. Diac. p.* 29. 8. *Müll.* V. ANGO.

ANCŬLA, æ, f. 1. famula. *Paul. Diac. p.* 20. 2. *Müll.* V. ANCULUS.

ANCŬLO, as, are. *V.* ANCLO.

ANCULUS, i, m. 2. famulus. Deducta est vox ab *ancus*; unde Ancus Martius (quartus Romanorum rex) proprie est *ancus Martius*, h. e. Θεράπων Ἄρεως, famulus vel minister Martis. *V.* ONOM. *Paul. Diac. p.* 20. 1. *Müll.* Antiqui anculare dicebant pro ministrare, ex quo dii quoque ac deæ ferentur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculæ. *h. e.* dii deæque, non qui a servis et ancillis colerentur, sed qui diis majoribus ministrarent, quasi famuli, quales fuerunt Ganymedes Jovis pocillator, Iris Junonis ministra. Apud *Placidum* ed. *Mai. p.* 345. Amui, servi. *Müllerus recte emendat:* Anculi, servi.

ANCUNULENTÆ feminæ menstruo tempore appellantur, unde trahitur inquinamentum. *Paul. Diac. p.* 11. 12. *Müll. Scalig.* notat *ancunulentæ* dictum esse pro *ancænulentæ*, a voce *cænum*; ex quo *cunire* apud *eumd. Paul. Diac.* est stercus facere, pro *cænire*, unde factum est *inquinare*; qua ratione dixere *mænio* et *pœnio* pro *munio*, *punio*, mutato æ in u.

ANCUS appellatur, qui aduncum brachium habet et exporrigi non potest. *Paul. Diac. p.* 19. 15. *Müll.* — *V.* et ANCULUS.

ANDABĀTA, æ, m. 1. gladiator, qui ex equo, frontem oculosque tectus, pugnat, ut docet *Lipsius l.* 2. *Saturn. c.* 12.: sed juxta *Orellium Inscript.* 2577. andabatæ minime sunt gladiatores ex equis pugnantes, sed potius quorum caput tectum erat galea ita, ut veluti cæci depugnarent eoque risum moverent spectatoribus. Alii putant fuisse genus lusus, in quo ludentes oculis clausis se invicem petebant, quod Itali dicunt *fare alla cieca*. *Turneb. l.* 2. *Adversar. c.* 10. scribit, olim post curricula Circensia interdum solitos fuisse binos homines, noctis tenebris, in curru depugnare, quorum alter auriga erat, alter in eumdem currum ascendens cum eo cæca pugna certabat, dicebaturque *andabata* a Græco ἀναβάτης, hoc est *ascensor*, d inserto. Denique juxta *Döderlein* andabata est qui circum errat nescius quo vadat; recentiores vero Philologi fuisse affirmant gladiatorem galea munitum, sed detectis oculis, qui sub spectaculorum initium quasi ludens aerem feriebat. *Cic.* 7. *Fam.* 10. 2. Tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus, qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi; neque spectare essedarios, quem antea ne andabata quidem fraudare poteramus. *h. e.* non poteramus avertere a spectandis andabatis pugnantibus. Alii plerique leg. *andabatam*, in quibus et *Orellius*: qua ratione constructio est satis involuta. V. *Manut.* et alios Interpr. Alii reponunt *antanabata*, alii etiam *anabata*, quæ voces idem valent, ab ἀναβαίνω, et ἀντὶ ἀναβαίνω, *ascendo*, et *contra ascendo*. *Hieronym. advers. Helvid.* 3. More andabatarum gladium in tenebris ventilans. *Id.* 1. *advers. Jovinian.* 36. Melius est clausis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2577. — *Varro* Satyram conscripsit de hominum cæcitate et erroribus, eamque inscripsit *Andabatæ*: cujus fragmenta affert *Non. p.* 35. 4. *Merc.* V. *Fr. Oehler M. Terentii Varronis Sat. Menipp. reliq. p.* 95.

ANDRACHNĒ, es, f. 1. (ἀνδράχνη) herba eadem quæ *portulaca*, aut *porcilaca*. Est autem duplicis generis: *sativa*, seu *hortensis*, foliis latis, caulibus pluribus, luteo folio: *agrestis*, quæ et *andrachne*, a *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 40. (120). *andrachne agria* dicitur, *h. e.* agrestis, Latine *illecebra*, et ipsa in hortis et vineis nascens, tota terræ prostrata, nec humo surgens, radice et ramis crassiusculis, foliis minutis, ab officinis *crassula minor* dicta et *vermicularis*, de qua *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 103. (162). verba facit. De hac loquitur et *Colum.* 10. *R. R.* 376. Humidaque Andrachne sitientes protegit antes. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 129.) hanc exhibet synonymiam: 1. Ἀνδράχνη, Theophr. 1. 15. et 3. 16., Ἀδράχλα Cretensium mod. teste Clus. Hist. plant. rar. l. 31. p.

49. *Adrachne Theophrasti*. Ejusd. sunt *Arbutus integrifolia* Lamrk, Tourn. Inst. R. herb. coroll. 41. — II. Ἀνδράχνη Theophr. 7. 3., Gal. de fac. simpl. 6. 43., Χειροβότανον Favorin., *Andrachne* Colum. l. c., *Portulaca* et *Porcastrum* Latinorum sunt Portulaca oleracea L. — De *andrachne agresti* vel *agria* V. ANDRACHNE.

ANDREMAS, herba eadem, quæ andrachne. *Apul. Herb.* 103.

ANDROCLAS *vel* androdas, annus sexagesimus tertius vitæ humanæ ab Ægyptiis dictus est, quem alii climactericum vocant, ut *Firmic.* auctor est 4. *Mathes.* 14. Ducitur ab ἀνήρ, ἀνδρός *vir*, et κλάω *frango*, quod ea ætate hominum vires frangantur.

ANDRODAS. *V.* vocem præced.

ANDRŎDĂMAS, antis, m. 3. (ἀνδροδάμας) lapis est ex genere hæmatitarum, colore nigricante, pondere ac duritie insignis, qui attritus coti succum reddit sanguineum: ita dictus ἀπὸ τοῦ ἄνδρας δαμάζειν, a domandis viris, quod propter duritiem domet supereique vires frangere conantium. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 38. (146). ¶ 2. Est et gemma hoc nomine, quæ et pyrites dicitur, argenti nitorem habens, ut adamas, quadrata, semperque tesseilis similis: cui magi putant nomen impositum ab eo, quod impetus hominum et iracundias domet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (144). Juxta *Keferstein* est lapis magnetes crystallizatus et fortasse idem qui argyrodamas.

ANDRŎGȲNES, is, f. 3. (ἀνδρογύνης) monstrum ex viro et femina constans. ¶ 1. Stricto sensu *Lucret.* 5. 836.; ubi alii *androgynum*, alii alia leg. ¶ 2. Latiori sensu virago, femina animum virilem agens. *Val. Max.* 8. 4. Amæsia Lentia rea causam suam maximo populi concursu egit: quam, quia sub specie feminæ virilem animum gerebat, androgynem appellabant.

ANDRŎGȲNOS *vel Latina positione* androgynus i, m. 2. (ἀνδρόγυνος) hermaphroditus, monstrum hominis de utroque sexu participans, ab ἀνήρ, ἀνδρός, *vir*, et γυνή *femina*. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 98. Quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? *Liv.* 27. 11. Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac feminam sexu infantem; quos androgynos vulgus, ut pleraque, faciliore ad duplicanda verba Græco sermone, appellat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (34). scribit suo tempore magis in usu fuisse, ut *hermaphroditus* diceretur, quam *androgynos*. *Id. Plin.* 7. *ibid.* 2. 2. (15). ex *Calliphane* Græco scriptore tradit, supra Nasamones, confinesque illis Machlyas, androgynos esse utriusque naturæ, inter se vicibus coeuntes: additque ex *Aristotele*, dextram mammam iis virilem, lævam muliebrem esse. Adde *Gell.* 9. 4. et *Auson.* 69. 12. — Adjective dixit *Cassiod.* 6. *Hist. eccl.* 16. In Emesa Dionysio γύννιδι, id est Baccho muliebri, ecclesiam, quæ Deo nuper fuerat ædificata, dedicaverunt (*pagani*), et ad derisionem simulacrum illic statuentes androgynum, id est; quod virum monstraret ac feminam. ¶ 2. Item vir admodum mollis, ita ut potius femina sit. *Lucilius* apud *Non.* p. 493. 27. *Merc.* Maximu' si argenti sexcentum ac mille reliquit Imberbi androgyno, barbato mœchocinædo. *h. e.* puero muliebria patienti, viro qui facit et patitur, ut ait *Auson. Epigr.* 5. 119.

ANDRON, ōnis, m. 3. ἀνδρών, ῶνος, pars domus longitudine angustior, in qua viri seorsum a mulieribus morantur. *Paul. Diac.* p. 22. 8. *Müll.* Intellige apud Græcos, in quorum ædibus separata erant cubicula, cœnacula, et alia pro mulieribus, et pro viris: ab ἀνήρ, ἀνδρός, *vir*. Huic opponitur *Gynæceum*, in quo feminæ habitant. *Paul. Diac. l. c.* Græcam cum Latinis errando confudit; *Vitruvius* vero 6. 7. 5. *Schneid.* de Græcis tantummodo loquitur; namque Latini *andronem* vocant itinera, (quæ et *mesaulæ* dicuntur, quod inter duas aulas media sint interposita) seu loca angusta in ædibus, per quæ ab una in aliam ædium partem, ab uno in aliud cubiculum transitur Italice *androni*, aut etiam *corridoj*. *Vitruv. loc. cit.* — Locus item angustior inter duos parietes, extra ædes, quales sunt qui relinqui solent inter duas domos, ut pluvia tecto collecta eo descendere possit, *andron* dicitur, Italice *andito*, *viottolo*. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Tam alti abditique secreti illa ratio, quod interjacens andron parietem cubiculi hortique distinguit, atque ita omnem sonum media inanitate consumit. Sed hic quoque *Plinii* locus ad superiorem significationem referri potest.

ANDRŌNĪTIS, itidis, f. 3. ἀνδρωνῖτις, locus in peristyliis ædium Græcarum, ubi versantur aut convivium agunt viri sine interpellationibus mulierum, ut *Vitruv.* loquitur 6. 7. 4. *Schneid.*, cui opponitur *Gynæconitis*, in qua versantur feminæ: ab ἀνήρ, ἀνδρός, *vir*. *Vitruv. ibid.*

ANDRŎSĂCES, is, n. 3. (ἀνδρόσακες) herba est in maritimis Syriæ locis copiosissime proveniens, alba, amara, carens foliis, folliculos in cirris habens, et in folliculis semen. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 9. (25). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 427.) hanc exhibet synonymiam: Ἀνδρόσακες Dioscor. 3. 150., *Androsaces* Plin. l. c. sunt *Madrepora Acetabulum* L. Syst. ed. 10.

ANDRŎSÆMON (ἀνδρόσαιμον) herba est similis hyperico, cauliculis tamen majoribus ac magis rubentibus. Folia habet alba rutæ figura, semen papaveris nigri, comas odore resinoso. Gignitur in vineis. Varios habet in medicina usus, de quibus V. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 10. (26). Nomen habet ab ἀνήρ, ἀνδρός *vir*, et αἷμα *sanguis*, quia humano sanguini similem succum comæ ejus tritæ emittunt. Dicitur et *ascyron*. *Plin. ibid.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 428.) hanc exhibet synonymiam: Ἀνδρόσαιμον, οἱ δὲ Διονυσιάδα, οἱ δὲ ἄσκυρον Dioscor. 3. 173., Lucian. Tyrann. p. 211., *Androsæmon* sive *ascyron* Plin. l. c. sunt *Hypericum perfoliatum* Willd. Spec. plant. 3. 1463.

ANDRUARE, id est recurrere a Græco verbo ἀναδραμεῖν venit; hinc et drua vocata est. *Paul. Diac.* p. 9. 11. *Müll.* V. AMPTRUO.

ANDRUNCULUS. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 162. pro parvo androne.

ANECHICUS. *V.* ANETICUS.

ANECLOGISTUS, i, m. 2. (ἀνεκλόγιστος) qui rationem suæ administrationis reddere non tenetur. Vox Græca ab α privativo, et ἐκλογίζομαι *rationem subduco*. *Ulp. Dig.* 26. 7. 5. § 7. Quidam decedens filiis suis dederat tutores, et adjecerat: Eos anecloglstos esse volo. *Et infra.* Ut anecloglsti essent, etc. Ita legitur in edit. *Torrentini*. Apud *Haloandr.* Græcis litteris scribitur. In aliis quibusd. editionib. habetur *alogistas:* quod videtur esse corruptum, nam ἀλόγιστος Græce significat rationis expertem.

ANELLARIUS. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 161.

ANELLUS *vel* Annellus, i, m. 2. *deminut. ab* anulus, parvus anulus. *Plaut. Epid.* 5. 1. 33. Anellus aureolus. *Lucret.* 6. 911. Anellus catenæ. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 9. sæpe notatus Cum tribus anellis, modo læva Priscus inani. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 3. apud *Non.* p. 70. 25. *Merc.* Cujus imaginem non modo in tabulis, sed etiam in poculis et in anellis habent. *Optimi tamen Codices cum iisque Orellius legunt* in anulis. V. *Madvig* ad h. l.

ĂNEMŌNE, es, f. 1. (ἀνεμώνη) herba florem habens ejusdem nominis, quem fabulantur ortum esse ex lacrimis Veneris Adonidem deflentis, alii ex cruore ipsius Adonidis ab apro interempti. Est autem plurium generum: nam centum et quinquaginta anemones genera vidisse se in horto regio, testatur *Harduin.* ad *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (65). Dicta est autem ab ἄνεμος *ventus*, quia scribit *Plin. ibid.* 23. 94. (164). quorumdam hujus generum florem, nonnisi vento spirante, aperiri. At *Hesych.*, quod flos facile vento corrumpatur et decutiatur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 84.) hasce exhibet synonymias: I. Ἀνεμώνη ἀγρία Dioscor. 2. 207., Bion. 1. 68., Παπαρούνα Zacynth. teste Sibthorp Fl. græc., ῥαίνιον Græcor. teste *Plin.* l. c., *Anemone silvestris* Plin. l. c. sunt *Anemone coronaria* L. Spec. plant. 771. — II. Ἀνεμώνη ἥμερος Dioscor. l. c., Ἀνεμώνη Galen. de Fac. simpl. 157., Ἄγριο παπαρούνα Græcor. recent., *Adonis* Ovid. 10. Met. 725., *Anemone in cultis nascens* Plin. l. c. sunt *Adonis æstivalis* L. Spec. plant. 761.

ĂNENNŌĒTOS, ἀνεννόητος, hoc est incomprehensibilis, vel cujus non est memoria, atque adeo æternus: ab α privativo et ἐννοέω *cogito*, vel *recordor:* unus est ex æonibus Valentini apud *Tertull. advers. Valentinian.* 35.

ĂNEO, es, n. 2. anum esse. Legitur in *Gloss. Philox.*, et præterea affertur a *Flavio Capro sub init. l. de Orthogr.*, sed sine exemplis. Idem dicendum de *Anesco*, quod est inchoativum ab *Aneo*, et *ibid.* ab eod. affertur. At *Pompejus grammat.* in *Comment. art. Donati sect.* 20. Dicebant *quieo*, et *seneo*, unde *aneo*. Legimus enim *anet illa*, id est, quasi anicula contremiscit.

ĂNĒTHĀTUS, a, um, adject. anetho conditus. *Apic.* 7. 6. Jus anethatum. *Id.* 6. 9. Mittis in pullum anethatum. *anethatum* quidam hoc loco volunt esse substantivum, quod significet condimentum ex anetho, in quod pullus mittendus sit. *Plin. Valer.* 2. 17. *sub init.* Edat buccellas anethatas sale et oleo, porro et apio coctas.

ĂNĒTHĬNUS, a, um, adject. ex anetho confectus. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. *a med.* Injectio clysteris rutacei, aut anethini. Adde *ibid. paullo post. Id.* 3. *Acut.* 17. Cerotaria ex cera et resina et irino oleo, vel cyprino oleo, aut anethino. Adde *Theod. Priscian.* 1. 1.

ĂNĒTHUM, i, n. 2. (ἄνηθον) herba fœniculo similis, caule fistuloso, striato, foliis tenuissime in capillamenta dissectis, flore in umbella luteo, in quo semina insunt acris saporis, sed grati, odore item grato. Nascitur in hortis, et deciduo semine quotannis se propagat. Usum habet non in condimentis solum, sed etiam in medicina. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 52. (107). Gith pistrinis, anisum et anethum culinis et medicis nascuntur. *Virg.* 2. *Ecl.* 48. Narcissum et florem jungit bene olentis anethi. *Servius* hoc loco addit fabulam, fuisse Anethum pulcherrimum puerum, qui casu nescio quo in sui nominis florem versus sit. De anetho loquuntur etiam *Colum.* 10. *R. R.* 314. et 11. *ibid.* 3. 42., et *Pallad.* 3. *R. R.* 245. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 427.) hanc exhibet synonymiam: Ἄνηθον Teophr. Hist. plant. 7. 6., Dioscor. 3. 67., *Anethum* Plin. l. c. sunt *Anethum graveolens* L. Spec. plant. 377.

ĂNĒTHUS, i, m. 2. idem quod anethum. *V.* EXSUCCATUS.

ĂNĒTĬCUS, a, um, adject. ἀνετικός, hoc est remittens, remissionem habens: ab ἀνίημι *remitto*, *relaxo*. *Theod. Priscian.* 3. 3. Aneticis temporibus curationes disponere. *h. e.* tempore, quo vis morbi remittit. *Id.* 2. 25. Proderunt per intervalla anetica etiam dropaces adhibiti. *Id.* 3. 3. Jam convenit post resumptionem corporis (*h. e.* virium) aneticis temporibus omnes ex ordine — disponere curationes languinibus adhibendas. *Vulgati libri habent* anechicis.

ĂNEURISMA, atis, n. 3. (ἀνεύρυσμα) est tuber, in quo sanguis conspiratus, uberis venæ similis invenitur, ut ait *Veget.* 2. *Veterin.* 30. Est autem Græca vox, qua dilatatio arteriæ significatur.

ANFRACTĀRIUS, ii, m. 2. qui graditur per anfractus, seu qui per anfractus loquitur. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 132.

ANFRACTUŌSUS *vel* amfractuosus, a, um, adject. plenus anfractibus. Translate. *Augustin. serm.* 135. *de Temp.* (*al.* 59.) *a med.* Non quærentes verba locutionis anfractuosæ.

ANFRACTUS *vel* amfractus, a, um, particip. præter pass. ab inusit. *anfringo*, et proprie est fractus cum flexu; unde flexus, tortuosus. *Ammian.* 29. 5. Tumuli per anfracta undique spatia in sublime porrecti, nullique pervii, nisi indigenis. — Hinc

Anfractum vel *amfractum*, i, n. 2. absolute est obliquus flexus in se recurrens. *V.* vocem seq. *Accius* apud *Non.* p. 193. 1. *Merc.* et apud *Varron.* 7. *L. L.* 15. *Müll.* Super Oceani stagna alta patris Terrarum anfracta revisam. *h. e.* sinuosos recessus, quibus mare terram alluit. *Varro l. c.* p. 121. *Müll.* A n f r a c t u m est flexum, ab origine duplici dictum, ab ambitu et frangendo; ab eo leges jubent in directo pedum VIII. esse, in anfracto XVI., id est in flexu. Loquitur *Varro* de latitudine viarum, quæ inter agros sunt: cf. *Cajus Dig.* 8. 3. 8. Viæ latitudo ex lege XII. Tabular. in porrectum VIII. pedes, in anfractum, id est ubi flexum est, XVI. *Varro* apud *Non. l. c.* Casu fonte, ut cum irrigavit cavata aurium anfracta, in silvam vocans.

ANFRACTUS *vel* amfractus, us, m. 4. (am *et* frango. *V.* vocem præced.) est obliquus flexus in se recurrens, ut in recta via crebris mæandris interrupta et veluti fracta, sinuosus recessus, tortuositas.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 47. Quæ (*figura globi aut circuli*) nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Convoluta in anfractum (*cornua*) arietum. *Val. Flacc.* 7. 523. immensis recubantem anfractibus anguem. *h. e.* voluminibus præ-

longi corporis. *Stat.* 5. *Theb.* 520. Sævior (draco) anfractu laterum. *Val. Flacc.* 5. 121. longisque fluens anfractibus Iris. — *b*) Speciatim ponitur de obliquis regionum flexibus vel sinuosis recessibus. *Liv.* 38. 7. Anfractus littorum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 1. (5). Anfractus littorum flexuosus. *Val. Flacc.* 2. 452. Anfractu blando sinuosa littora. *Stat.* 4. *Theb.* 52. Anfractus riparum. *Lucan.* 5. 416. Nec maris anfractus lustrandaque littora nobis, Sed recti fluctus. *Val. Flacc.* 4. 727. Europam curvis anfractibus angit (*mare*). *Liv.* 38. 23. Anfractus montium. *Id.* 44. 4. Anfractus jugi. *Virg.* 11. *Æn.* 522. curvo anfractu valles. *Lucan.* 4. 159. opacus collium anfractus. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 104. qua fine sub imo Angustant aditum curvis anfractibus Alpes. — *c*) Item speciatim de obliquis viarum flexibus, quibus iter sit longius: et *anfractui* opponitur *via recta*. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Oppidi murus ab planitie atque initio ascensus recta regione, si nullus anfractus intercederet, mcc passus aberat: quidquid huic circuitus ad molliendum clivum accesserat, id spatium itineris augebat. *Nep. Eumen.* 8. Quarum (*viarum*) brevior per loca deserta – dierum erat ferme decem; illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum. *Id. ibid.* 9. Mutat consilium et – flectit iter suum et illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit. *Liv.* 33. 1. Anfractus viarum et valles interjectæ. *Tac.* 3. *Hist.* 7. 9. Inter ædificia hortosque et anfractus viarum. *Curt.* 5. 4. 15. Callium anfractus. — *d*) Hinc ponitur et pro circuitu. *Lucan.* 1. 605. Dumque illi effusam longis anfractibus urbem Circumeunt. *Val. Flacc.* 6. 239. Orbibus hos rapidis mollique per æquora Castor Anfractu levioris equi deludit anhelos. *h. e.* flexu et circumactione equi modo hac, modo illac. *Claudian.* 6. *Cons. Honor.* 519. Ilice sub densa silvis arctatus opacis Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet. — *e*) Hinc etiam de obliquo solis per Zodiacum decursu. *Cic.* 6. *de republ.* 12. 12. Cum ætas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit. Sic *annui anfractus* apud *eumd.* 2. *Legg.* 8. 19. sunt curriculi annorum, quos sol annua conversione dimetitur.

II.) Translate. ¶ 1. Anfractus est longus verborum circuitus. *Cic. Partit. orat.* 6. 21. Oratio sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto. *Id.* 2. *Divinat.* 61. 127. Quid opus est circuitione et anfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum, potius quam directo? ¶ 2. Item est obliqua et tortuosa ratio aliquid agendi et tractandi. *Quintil.* 9. 2. 78. Nam rectum genus approbari nisi maximis viribus non potest: hæc diverticula et anfractus suffugia sunt infirmitatis, ut qui cursu parum valent, flexu eludant. *Id.* 12. 9. 3. At si juris anfractus aut eruendæ veritatis latebras adire cogetur, non obequitabit. *Id.* 6. 1. 15. Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, a quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo: quæ omnia infinitos anfractus habent. *h. e.* infinitas vias et rationes argumentorum: sed dubia est lectio. Item dubia est lectio apud *Cic. Cluent.* 56. 153. Vita tranquilla et quieta remota a procellis invidiarum et hujusmodi judiciorum anfractu.

ANFRĀGŌSUS *vel* anfragosus, a, um, adject. flexuosus, sinuosus. *Gloss. vett.* Anfragosus locus.

ANGĂRĬA, æ, f. 1. (ἀγγαρία vel ἀγγαρεία) dictio Persica a Græcis passim recepta, ut Suidas docet. Ἄγγαροι enim apud Persas dicebantur, qui regi inserviebant in perferendis huc illuc nunciis et bajulandis oneribus. Hinc *angaria* significat officium et servitutem, quam præstare coguntur subditi principi in perferendis vel litteris, vel oneribus, vel legatis ipsis, aut nunciis; sive equo, sive navi, sive ipsis hominibus uti velint; sed præsertim si hominibus. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 29. Neque ab annona, neque ab angariis, neque a veredo, neque a nave, neque ab hospite recipiendo excusare se possunt. *Hermogenian. ibid.* 50. 5. 11. Angariarum exhibitio. *Paul. ibid.* 10. § 2. præstatio. Adde *ibid.* 50. 4. 18. § 21., *Veget.* 1. *Milit.* 1. 3., 2. 22. et alibi: tametsi ubique pro *angarias* reponendum *agrarias* censet *Turneb.* cum alii doctis viris, *l.* 4. *c.* 7. Vide et *Cod. Theod.* 8. 5. 66. et 6. 23. 3., et *Cod. Justin. l.* 12. *t.* 51., ubi de hujusmodi rebus agitur. Etiam temporibus *Ciceronis* hæc vox in usu aliquo fuit, ut constat ex fragmentis *Nigidii* ejus æqualis, in quibus ea legitur apud *Gell.* 19. 14., ubi tamen recentiores editiones legunt *ancarius*.

ANGARĬĀLIS, le, adject. ad angarias pertinens. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 8. 5. 4. § 1. Angarialem copiam habere. *h. e.* facultatem utendi angariis in itinere faciendo.

ANGARĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ἀγγαρεύω) est cogere ad aliquid publice perferendum.

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 49. 18. 4. Angariare naves. *Augustin. Ep.* 5. *circa med.* Cum angariante duplicandam viam. Adde *Paulin. Nolan. Ep.* 37. *al.* 27.

II.) Translate. *Arat. Hist. Apost.* 2. 902. Hæc semel hoc pia jussa canunt; angariat, inquit. Licet hic *Arator* malus auctor prosodiæ antepænultimam producat, alii corripiendam putant.

ANGARĬUS. *V.* ANCARIUS.

ANGĔLA, æ, f. 1. cælestis spiritus generis feminini. *Tertull. advers. Valentinian.* 32. *in fin. V.* ANGELUS 2.

ANGĔLĬCĒ, adverb. (angelicus) angelorum more. *Hieronym. Ep.* 107. *n.* 13. Virgo jurare non discat, mentiri sacrilegium putet, nesciat sæculum, vivat angelice.

ANGĔLĬCUS, a, um, ἀγγελικός, ad nunciandum aptus: nam ἀγγέλλειν nunciare est. Hinc ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Capell.* 2. *p.* 40. Elementorum quoque præsides, angelicique populi pulcherrima multitudo. — Hinc *Angelicum metrum* scribit *Diomed.* 2. *p.* 512. *Putsch.* inventum esse ab Stesichoro, tamquam celeritate nunciis aptum. Unam enim ultimam syllabam detraxit hexametro, et fecit tale: *Optima Calliope miranda poematibus.* Sunt hujus metri aliæ species, quas referunt *Mar. Victorin.* 2. *art. grammat. p.* 2531. *Putsch.* et *Plotius de Metris p.* 2633. ¶ 2. Item ad Angelos pertinens christiana significatione. *Prudent. tetrast.* 11. *de Manna.* Panibus angelicis albent tentoria patrum. *Adde Ecclesiasticos Scriptores passim.*

ANGĔLĬFĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *angelifico*, in Angeli naturam versus. *Tertull. Resurr. carn.* 25. Caro in regno Dei reformata et angelificata.

ANGELLUS, i, m. 2. *deminutivum ab angulus.* *Lucret.* 2. 426. Sunt etiam, quæ jam nec lævia jure putantur Esse, neque omnino flexis mucronibus unca, Sed magis angellis paullum prostantibus. *Alii leg.* angululis. *Arnob.* 7. 46. Lapis coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inæqualis. Ita ex MS. *Stewechius* et *Oberthinus* ediderunt; alii habent *angulis.*

ANGELTĪCĒ, es, f. 1. ars aliquid enunciandi, ab ἀγγελτικός, *h. e.* ad nunciandum aptus. *Diomed.* 3. *p.* 480. *Putsch.* Exegetici, vel enarrativi (*poematis*) species tres sunt, angeltice, historice, didascalice. Angeltice est, qua sententiæ scribuntur, ut est Theognidis liber, item chriæ.

ANGĔLUS, i, m. 2. (ἄγγελος) nuncius. Vox Græca ab ἀγγέλλω *nuncio.* ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 20. *a med.* Nec ego Epicuri angelus scio etc. Ita quidem legitur in aliquot codicib., in aliis aliter, et suspecta omnibus fere Criticis ea lectio est. *Fickert* legit: *Epicuri an æmulus.* At *Ruhkopfius* nihil mutandum censet. Ceterum certa est lectio apud *Capell.* 2. *p.* 39. Quoniam (*Genius*) cogitationum arcana superæ annunciat potestati, etiam angelus poterit nuncupari. Hos omnes Græci δαίμονας dicunt ἀπὸ τοῦ δαημονας εἶναι. ¶ 2. Speciatim accipitur pro cælesti spiritu, qui Dei nuncius et minister est, passimque legitur apud Ecclesiæ Scriptores *Augustin.*, *Tertull.*, *Prudent.*, *Hieronym.*, *Arnob.*, etc.

ANGĔRŌNĀLĬA, ium vel iorum, n. plur. 2. sunt festa et sacra deæ Angeronæ, testibus *Varrone* 6. *L. L.* 23. *p.* 82. *Müll.* et *Paul. Diac. p.* 17. 12. *Müll.*

ANGĪNA, æ, f. 1. (ango: cf. Gr. συνάγχη) proprie est coarctatio, constrictio; unde appellatum est genus morbi acutissimi, quo fauces anguntur ac strangulantur, et subus maxime et canibus infestus: hinc *Servius* ad illud *Virg.* 3. *G.* 497. *et faucibus angit obesis.* Angit autem, bene ait; nam angina dicitur porcorum morbus qui occupat fauces. Hoc tamen morbo laborant etiam homines (It. *schinanzia*; Fr. *angine, esquinancie*; Hisp. *esquinancia*; Germ. *Halsentzündung*, *Halsbräune*; Angl. *squinancy* or *quinsey*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 3. 61. In anginam ego me nunc velim verti, ut veneficæ illi fauces prehendam. *Id. Trin.* 2. 4. 139. Sues moriuntur anginā hic acerrumā. *Lucilius* apud *Non. p.* 35. 10. *Merc.* Insperato abiit, quem una anginā sustulit hora. *Paul. Diac. p.* 28. 7. *Müll.* Anginam vinariam habere dicuntur qui vino suffocantur. *Cels.* 2. 10. Angina strangulari. *Sæpe plur. num. et apud Medicos.* *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 32. (66). Anginas discutere. Adde *eumd.* 30. *ibid.* 17. 73. (188)., 21. 19. 76. (130). et 22. 23. 49. (105)., *Cels.* 2. 7. et 4. 4., et *Scribon. Compos.* 67. et 206. — Historiam de angina Demosthenis, quam narrat *Gellius* 11. 9. *V.* in SYNANCHE.

II.) Translate *anginam mentis* dixit *Tertull. Anim.* 48., cum scilicet mens ex corporis mala constitutione obruitur, et veluti strangulatur.

ANGĬPORTUM, i, n. 2. et Angiportus, us, m. 4. via angusta inter domos, sive ex uno capite exitum non habens: sed in aliquam domum privatam, aut locum conclusum desinens: sive utrinque in viam consularem exiens. *Festus p.* 233. 28. *Müll.* dici ait quasi *angustum portum.* Nam *portus* non solum significat stationem navium, sed etiam privatam domum, ut ex Leg. XII. Tab. idem *Festus* docet in *Portum*: et latiore significatione locum quemlibet conclusum, quo importantur merces et inde exportantur, quemadmodum *Ulp. Dig.* 50. 16. 59. definit, et ex eo *angiportum* dictum affirmat (It. *strada stretta*, *chiassetto*, *chiasso*; Fr. *petite rue etroite*; Hisp. *callejuela*, *calleja*; Germ. *ein enger Gang oder ein enges Gässchen in der Stadt*; Angl. *a narrow street, lane*). *Plaut. Pseud.* 4. 2. 5. Habui numerum sedulo, hoc est sextum a porta proxumum angiportum, in id angiportum me devorti jusserat. Adde *ibid.* 4. 7. 134. *Id.* apud *Non. p.* 190. 10. *Merc.* Quasi carnificis angiporta purgitans. *Ter. Adelph.* 4. 2. 39. Id quidem angiportum non est pervium. Adde *eumd. Eun.* 5. 2. 6., *C. Titium* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12., *Cic.* 2. *Herenn.* 51. 64. et 4. *Verr.* 57. 141., *Varron.* 5. *L. L.* 145. p. 56. et 6. *ibid.* 41. p. 88. *Müll.*, *Vitruv.* 1. 6. 12. *Schneid.* et *Auct. B. Alex.* 2. 3., in quibus legitur neutro gen. *angiportum*, ut etiam apud *Catull.* 58. 4. Nunc in quadriviis et angiportis. — *Angiportus* vero masc. gen. occurrit apud *Plaut. Cist.* 1. 2. 6. et *Most.* 5. 1. 5., *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 69. Et apud *Horat.* 1. *Od.* 25. 10. Flebis in solo levis angiportu. — De forma conferri potest et *Plinius* apud *Priscian.* 6. *p.* 714. *Putsch.*

ANGO, gis, xi, ctum vel xum, gere, a. 3. Part. *Angens* l. 1. Supinum *Anxum* et Part. *Anxus*, quæ afferuntur a *Priscian.* 10. p. 895. *Putsch.*, obsoleta videntur et carent etiam exemplis: ab his tamen est adjectivum *anxius*. *Anctus* quoque, aliud participium ibidem allatum, obsoletum videtur, tametsi legatur apud *Paul. Diac. p.* 29. 8. *Müll.* V. ANCTOS; et in *Gloss. Lat. Gr.* Anctos ἀναγκασθέντας. Ancti ἀγχόμενοι. — Est ab ἄγχω quod idem sonat: cf. et Germ. *eng*, *Angst*. — Proprie significat constringere, strangulare, suffocare (It. *stringere*, *soffocare*; Fr. *serrer fortement*, *presser*, *resserrer*; Hisp. *atar*, *cerrar*, *aprensar*; Germ. *beengen*, *würgen*, *zusammenschnüren*, *oder drücken*; Angl. *to stifle, choke, strain, strangle*).

I.) Proprie de inanimis ponitur. ¶ 1. Stricto sensu occurrit fere apud Poetas. *Virg.* 8. *Æn.* 260. Corripit (*Alcides Cacum*) in nodum complexus, et angit inhærens Elisos oculos et siccum sanguine guttur. *Id.* 3. *G.* 496. quatit ægros Tussis anhela sues ac faucibus angit obesis. *V.* ANGINA I. *Sil. It.* 13. 584. Atque angens utraque manu sua guttura Livor. *Stat.* 6. *Theb.* 270. anhelantem duro pectoris astrictu angere leonem. ¶ 2. Latiori sensu pro stringere, in angustum redigere, dolorem aut incommodum afferre, vexare, cruciare, etiam in prosa oratione, sed raro. *Liv.* 3. 6. 3. Ea colluvio mixtorum omnis generis animantium et odore insolito urbanos et agrestem confertum in arcta tecta æstu ac vigiliis angebat. Cf. *Lucan.* 6. 106. At liber terræ spatiosis collibus hostis Aere non pigro, nec inertibus angitur undis; Sed patitur sævam, veluti circumdatus arcta Obsidione, famem. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 79. (164). Hi (*pulli*) in coitu anguntur: mares quidem cum vociferatu sanguinem etiam ex oculis profundunt. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 45. Stirpes præfractæ angunt oculos spongiarum, et quasi excæcant, nec patiuntur asparagum emittere. *Id.* 4. *R. R.* 2. 2. Angitur vitis pluribus radicibus inter se connexis. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 149. Apud *Horat.* 2. *Sat.* 2. 64. hac urget lupus, hac canis angit. *Recentiores optimis Codd. freti pro angit legunt ajunt.*

II.) Translate refertur ad animum, et significat cruciare, vexare, sollicitum reddere, animum in angustum redigere et veluti suffocare. Occurrit — *a*) Active an-

gere aliquem, pectus, animum alicujus. Plaut. Cas. 2. 1. 11. Ego pol illum probe incommodis dictis angam. Ter. Phorm. 1. 3. 8. At non cotidiana cura hæc angeret animum. Lucret. 4. 1130. medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat. Cic. Senect. 19. 66. Quæ (causa) maxime angere atque sollicitam habere nostram ætatem videtur. Id. 3. ad Q. fr. 3. 1. Sed me illa cura sollicitat angitque vehementer. Id. 1. Att. 5. Multa sunt, quæ me sollicitant anguntque. Liv. 2. 7. Hæc – quum indignitate angerent consulis animum. Id. 21. 1. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissæ. Id. 29. 1. Neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat. Horat. 2. Ep. 1. 211. poeta, meum qui pectus inaniter angit. Id. Art. P. 110. natura aut impellit ad iram, Aut ad humum mœrore gravi deducit et angit. Seneca 3. Benef. 17. 2. Urit illum et angit intercepti beneficii conscientia. Lucan. 2. 680. Pompejus – curis animum mordacibus angit. Tac. 2. Hist. 24. Angebant Cæcinam nequidquam omnia cœpta. Gell. 1. 3. Ea res animum illius anxit. — b) Item se angere et sæpius angi animi vel animo. Plaut. Epid. 3. 1. 6. Absurde facis, qui angas te animi. Cic. 4. Verr. 34. 84. Ferebat Sthenius, ut poterat: angebatur animi necessario, quod domum ejus – iste reddiderat nudam atque inanem. Id. Brut. 2. 7. Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempubl. Id. 16. Fam. 11. 2. Audio te animo angi. Adde eumd. 1. Tusc. 40. 96. — c) Angi cum Abl. rei, quæ angorem affert. Cic. 5. Att. 10. Intimis sensibus angi. Id. 2. Off. 7. 25. maximo cruciatu timoris. Id. Arch. 11. 29. tot curis vigiliisque. Id. 4. Fam. 3. præcipuo quodam dolore. Id. Amic. 3. 10. suis incommodis graviter. Id. ibid. errore. Colum. 6. R. R. 27. 7. desideriis naturalibus. Tac. 15. Ann. 28. infamia alicujus. — d) Angi de aliqua re apud Cic. 2. Att. 18. 2. et 7. ibid. 22. 2. — e) Angi absolute apud Cic. 4. Tusc. 12. 27. V. ANGOR in Homonym.

ANGOR, ōris, m. 3. ab ango: cf. et Gr. ἀγχόνη, et Germ. Angst. Paul. Diac. p. 8. 3. Müll. Angor est animi vel corporis cruciatus, proprie a Græcorum ἀγχόνη, id est, strangulatione dictus, unde et faucium dolor angina dicitur. — Hinc angor proprie est constrictio (It. costringimento, restringimento; Fr. serrement; Hisp. apretamiento; Germ. die Beengung oder das Zusammenschnüren oder Drücken; Angl. a drawing tight or close).

I.) Proprie. Plin. 8. Hist. nat. 27. 41. (99). Occupat illico fauces earum angor. Liv. 5. 48. Æstu et angore vexatus. Adde eumd. 3. 6.

II.) Translate sæpius occurrit, et significat dolorem animi, tristitiam, sollicitudinem, angustiam animi. Cic. 4. Tusc. 8. 18. Angor (est) ægritudo premens. Lucret. 3. 916. Se dissolvere angore. Id. ibid. 865. Afficit aliquem angor. Cic. 2. Off. 1. 2. Confici angoribus. Id. 2. Phil. 15. 37. Quæ (vita) me manens conficeret angoribus. Id. Off. l. c. Dedere se angoribus. Id. 5. Tusc. 1. 3. Angoribus et molestiis implicatus. Id. 1. Fin. 15. 49. Liber cura et angore. Id. 1. Off. 21. 73. Vacuitas ab angoribus. Id. 1. Att. 18. 1. Angorem animi alicujus sermone et consilio suo levare. Id. 5. Fam. 13. 5. Se ab omnibus molestiis et angoribus abducere. Id. Amic. 13. 48. Capere angorem. Tac. 2. Ann. 42. Angore vitæ finem implere. Sueton. Tib. 67. Metu et angore agi ad vitæ fastidium. Id. ibid. 7. Non sine magno angore animi.

Homonym. Angor et anxietas translata significatione differunt ut ira et iracundia; anxietas enim est animi proclivitas vel facilitas ad angorem, angor autem est illius ægritudinis initium, qua quis cruciatur. Cic. 4. Tusc. 12. 27. In aliis iracundia, quæ ab ira differt: estque aliud iracundum esse, aliud iratum; ut differt anxietas ab angore; neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; nec, qui anxii, semper anguntur: ut inter ebrietatem et ebriositatem interest.

ANGUEN, inis, n. 3., idem ac anguis, ut sanguen pro sanguis. Jul. Valer. res gest. Alex. M. ed. Mai. 1. 29. Coronatis optimatium mos est Herois templum scandere, cui talia scilicet anguina obsequio famulentur.

ANGUESCO, is, ere, n. 3. anguem fieri. Tertull. Pall. 3. Cervus serpente pastus, veneno anguescit in juventutem. Alii rectius leg. languescit.

ANGUEUS, a, um, adject. ab anguis, idem quod anguineus, sed rarioris usus. Solin. 24. de Libya. Flexuoso meatu æstuarium e mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, ut visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur.

ANGUICOMUS, a, um, adject. angues crinium loco habens. Ovid. 4. Met. 699. Gorgonis anguicomæ Perseus superator. Adde Stat. 1. Theb. 544.

ANGUICULUS, i, m. 2. deminut. ab anguis. Cic. 5. Fin. 15. 42. Serpere anguiculos.

ANGUIFER, a, um, adject. anguem ferens. Propert. 2. 2. 8. Gorgon anguifera. Ovid. 4. Met. 741. Anguiferum caput Medusæ. Seneca Herc. fur. 812. cauda Cerberi. Stat. 3. Silv. 2. 119. domus Cleopatræ. Id. 2. ibid. 1. 181. Lerna. Prudent. Hamartig. 131. caput. — Hinc

Anguifer, i, m. 2. absolute est sidus Græco nomine Ophiuchus. Colum. 11. R. R. 2. 49. XI. K. Julii anguifer, qui a Græcis dicitur ὀφιοῦχος, mane occidit, tempestatem significat. V. ANGUIS B., ANGUITENENS et OPHIUCHUS.

ANGUIGENA, æ, comm. gen. 1. (anguis et geno, gigno) angue natus. Ovid. 3. Met. 531. Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras Attonuit mentes? anguigenas vocat Thebanos, quos fabulantur ortos ex dentibus anguis a Cadmo seminatis, ut est apud Eumd. sub init. ejusd. libri v. 103.

ANGUILLA, æ, f. 1. deminut. ab anguis, sic dicta ab anguis forma, ut Varro docet 5. L. L. 77. p. 31. Müll., unde Juvenal. 5. 103. Vos anguilla manet longæ cognata colubræ (It. anguilla; Fr. anguille; Hisp. anguila; Germ. der Aal; Angl. an eel, grig, snig). ¶ 1. Anguilla est, elabitur, proverbium de iis, qui valde callidi sunt, et dolis quoslibet decipiunt. Plaut. Pseud. 2. 4. 56. PS. Ecquid argutus est? CH. malorum facinorum sæpissime. PS. Quid, cum manifesto tenetur? CH. Anguilla est: elabitur. Adde Plin. 9. Hist. nat. 20. 37. (73)., 21. 38. (74)., 51. 74. (161). et 57. 83. (177). ¶ 2. Anguillis, inquit Plin. 9. Hist. nat. 23. 39. (77)., tergus crassius, eoque verberari solitos tradit Verrius prætextatos. Isid. 5. Orig. 27. 15. Anguilla est, qua coercentur in scholis pueri; quæ vulgo scutica dicitur. Huc facit illud Hesych. Σκυτάλαι, ὄφεων εἶδος, φλαγέλλια.

ANGUILLARIUS, a, um, adject. Proculus Dig. 18. 1. 69. Rutilia emit lacum Sabatenum anguillarium. h. e. anguillis copiosum, ut quidam interpretantur. Alii leg. angularium, h. e. angulos habentem, non rotundum, vel positum in angulo fundi. At Cellar. Geogr. l. 2. c. 9. n. 200. probabili conjectura putat, esse glossam ortam ex nomine oppidi recentioris huic lacui adjacentis, quod nunc Anguillara appellatur.

ANGUIMANUS, i, m. 2. (anguis et manus) elephas dicitur, propter proboscidis (quæ ejus manus dicitur) agilitatem in quamvis partem, anguium instar. Lucret. 2. 536. In genere anguimanos elephantos. Et 5. 1302. Inde boves Lucas turrito corpore tetros Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni.

ANGUINEUS, a, um, adject. ad angues pertinens. Ovid. 4. Trist. 7. 12. Gorgonis anguineis cincta fuisse comis. — Item qui ad anguis similitudinem accedit, ut anguineus cucumis, h. e. oblongus, et ad anguis similitudinem contortus, apud Colum. 2. R. R. 9. 10. et 7. ibid. 10. 5., qui erraticus ab aliis dicitur, ut est apud Plin. 20. Hist. nat. 3. 4. (9). — NB. Etiam Propertio hæc vox tribuitur 4. 8. 10. et Catullo 64. 193. etc.; sed tum his, tum allatis locis malunt Critici non uni anguinus reponi; inter quos Brouckus ad Propert. loc. cit. qui anguineus vocem minus Latinam putat.

ANGUINUS, a, um, adject. ad angues pertinens, anguineus (It. serpentino; Fr. de serpent; Hisp. serpentino; Germ. zur Schlange gehörig, schlangenartig; Angl. of or belonging to a serpent or snake). Cato R. R. 73. Pellem anguinam ubi videris, tollito et condito. Pacuvius apud Cic. 2. Divinat. 64. 103. Quadrupedes capite brevi, cervice anguina, aspectu truci. Varro 1. R. R. 2. 25. Anguinus cucumer. V. ANGUINEUS. Catull. 64. 193. capillus Eumenidum. Plin. 30. Hist. nat. 5. 12. (37). adeps. Id. ibid. 3. 8. (23). cor. Id. ibid. 3. 8. (24). Anguina vernatio. h. e. pellis, quam angues vere deponunt.

Anguinum, i, n. 2. absolute. Plin. 29. Hist. nat. 3. 12. (52). Angues innumeri æstate convoluti, salivis faucium corporumque spumis artifici complexu glomerantur: anguinum appellatur. ovum intelligit, quod ex eo complexu nascitur.

ANGUIPES, ĕdis, comm. gen. 3. adject. Anguipedes dicti sunt Gigantes a Poetis, qui finxere eos pedibus tortuosis, et in anguium volumina desinentibus: quo significarent, ut ait Macrob. 1. Saturn. 20., nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente. Manil. 4. 579. Scilicet in piscem sese Cytherea novavit, Cum Babylonicas submersa profugit in undas Anguipedem alatis humeris Typhona furentem. Pacat. Paneg. 44. Anguipedum bella monstrorum. — Hinc

Anguipedes, um, m. 3. absolute sunt ipsi Gigantes. Ovid. 1. Met. 183. centum quisque parabant Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.

ANGUIS, is, m. et f. 3. — Nominat. Anguen V. suo loco. — In Ablat. angue et angui recte dicitur, ut docet Priscian. 7. p. 760. Putsch., qui apud Horat. 1. Ep. 17. 30. legit angui, additque pro altera terminatione (quæ tamen certior est) illud Stat. 4. Theb. 485. Angue ter excusso. Hinc Cic. 2. Divinat. 30. 65. De angue illo. Et ibid. 31. 66. Ut circumligatus fuerit angui. Ita ut Scriptores euphoniæ tantummodo studuisse videantur. — Vocis etymon tale habet Isid. 12. Orig. 4. Anguis vocabulum omnium serpentium genus, quod plicari et contorqueri potest. Et inde anguis, quod angulosus sit et numquam rectus. In Gloss. vet. ed. Mai. Class. Auct. T. 8. p. 16. hæc eadem habentur. Hinc et Martini Lex. philol. Malo ab ango, id est torqueo, quia se intorquere et conspirare solet. — Anguis, ut ait Isid. l. c., est vocabulum omnium serpentium genus significans, qua de re V. et Homonym. in fine (It. biscia, serpe, angue; Fr. serpent; Hisp. serpiente; Germ. die Schlange; Angl. a snake, serpent, adder). Apud Latinos Scriptores anguis occurrit A) tamquam brutum animal in rerum natura, B) tamquam signum cæleste in astronomia, et C) tamquam signum mythicum, uti ajunt, in Fabulis.

A) Anguis est brutum animal in rerum natura. — a) Generatim. Nævius apud Non. p. 191. 18. Merc. Alte jugatos angues in sese gerunt. Ennius apud Cic. 4. Acad. (pr. 2.) 28. 89. Cærulea incinctæ angui incedunt. Plaut. Amph. 5. 1. 58. Devolant angues jubati deorsum in impluvium duo maximi. Ter. Phorm. 4. 4. 26. Anguis in impluvium decidit de tegulis. Lucilius apud Non. p. 191. 19. Merc. Nisi portenta anguesque volucres et pennatos scribitis. Cic. 1. Divinat. 33. 72. Factum est, ut – ab infima ara subito anguis emergeret. Id. 2. ibid. 29. 62. C. Gracchus ad C. Pomponium scripsit duobus anguibus domi comprehensis haruspices a patre convocatos. Qui magis anguibus, quam lacertis, quam muribus? Quia sunt hæc quotidiana, angues non item. – Ego tamen miror, si emissio feminæ anguis mortem afferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliæ, cur alteram utram emiserit. Nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter emissus esset, quid esset futurum. Id. ibid. 28. 62. Anguis domi vectem circumjectus. Varro Atacinus apud Non. p. 191. 22. Merc. Cujus ut aspexit torto caput angue revinctum. Virg. 2. Æn. 204. Ecce autem gemini – immensis orbibus angues Incumbunt pelago pariterque ad littora tendunt. Tac. 11. Ann. 11. Unam anguem in cubiculo visam. — b) Occurrit pluribus junctus Adjectivis, quorum hæc sunt præcipua. Liv. 41. 21. et Plaut. l. c. jubatus. Virg. 5. Æn. 84. et Seneca Thyest. 870. lubricus. Virg. 3. G. 47. maculosus. Id. 2. ibid. 154. squameus. Id. 3. ibid. 38. et Ovid. 2. Met. 138. tortus. Virg. 6. Æn. 571. torvus. Ovid. 5. Trist. 2. 14. tumidus. Id. ibid. 481. venenatus. Cic. 1. Nat. D. 36. 101. volucres angues. — c) Animadvertenda sunt illa, in quibus anguis accipitur pro re abominanda. Plaut. Merc. 4. 4. 21. Odisse aliquem æque atque angues. Horat. 1. Ep. 17. 30. cane pejus et angue Vitare aliquid. Virg. 3. Ecl. 93. latet anguis in herba. quod proverbii vim habet. — d) Apud Latinos anguis pingebatur in sepulcris, ne prætereuntes in iis mejerent. V. Dorvilii Miscell. Nov. T. 1. p. 19. et cf. Pers. 1. 113.

B) Anguis est signum cæleste in astronomia, et quidem triplex, ut ait Servius ad Virg. 1. G. 205. Tres sunt angues in cælo; unus qui in Septemtrione est; alter Ophiuchi; tertius Australis. ¶ 1. Anguis est sidus cæleste, inter Ursam majorem et minorem, qui et Draco dicitur, de quo est in fabulis, appositum fuisse a Junone (quam quidam Hesperi et Hesperidum matrem fuisse dicunt) ad custodiam horti He-

speridum, quem cum Hercules eo missus ab Eurystheo ad poma auferenda occidisset, ab ea fuisse inter sidera collocatum. Alii fabulantur Minervam cum Gigantes oppugnaret, objectum ab ipsis serpentem miræ magnitudinis, arreptum contorsisse in astra, et ad ipsum axem cæli fixisse. Ejus enim locus est ad septemtriones, inter duas Arctos, quas sinuosis flexibus complectitur. Constat stellis quindecim: vel, ut alii volunt, vigintiquinque, vel, ut alii, triginta et una. *Hygin.* 2. *Astron.* 3. et 3. *ibid.* 2. et *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *G.* 244. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 106., ubi ex *Arato* describit. Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis Circum, perque duas in morem fluminis Arctos. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 138. ¶ 2. Aliud est sidus *anguis* dictus, item *hydra*, trium signorum longitudinem occupans, Cancri, Leonis, et Virginis, constans stellis viginti septem, ut docet *Hygin.* 3. *Astron.* 39., tametsi alii plures assignant. Medio corpore sustinet Craterem, qui stellis viginti constat, et prope extremam caudam Corvum rostro corpus ejus tundentem et ad Craterem tendentem. Ejus fabula est hujusmodi. Cum Apollo convivium Jovi pararet, vel secundum alios sacrificare vellet, misit corvum ad fontem, aquam puram petitum, qui sumpto uncis pedibus cratere, dum ad hauriendam aquam pervolaret, vidit in arbore ficus adhuc immaturas: expectaturus itaque dum maturescerent, ibi aliquamdiu moratus est. Tandem maturatis ficis saturatus, rostro hydrum cepit, et una cum cratere aqua pleno accessit ad Apollinem, excusans tarditatem, quod cum eo hydro diu sibi pugnandum fuisset, antequam aquam hauriret. Iratus Apollo corvum et hydrum et craterem in cælum quidem transtulit, sed ita collocavit, ut corvus sitiens ad craterem quidem contenderet, sed ab hydro impediretur, cujus propterea caudam assiduo rostri ictu tunderet. Hæc tria sidera eodem fere tempore et oriuntur et occidunt. *Ovid.* 2. *Fast.* 243. Continuata loco tria sidera Corvus et Anguis, Et medius Crater inter utrumque jacet. Idibus illa latent, etc. *Servius* de hoc eodem *Angue*, quem Australem vocat, intelligendum ait illud *Virg.* 1. *G.* 205. Hædorumque dies servandi et lucidus Anguis. Adde *Vitruv.* 9. 5. 1. *Schneid.*, *Hygin.* 2. *Astron.* 40. et 3. *ibid.* 39. et *Manil.* 1. 404. ¶ 3. Denique tertium est sidus cæleste, *Anguis* nomine, estque ille, quem Anguitenens seu Ophiuchus in manu tenere fingitur. *V.* OPHIUCHUS et voc. seq.

C) Anguis denique est etiam signum mythicum in Fabulis, scilicet ¶ 1. Est signum terroris, iræ et rabiei. *Horat.* 2. *Od.* 13. 36. anguis intortus capillis Eumenidum. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 502. anguis Gorgoneus. *Cf. eumd.* 4. *Met.* 483., 511. et 803., *Tibull.* 1. 3. 69., *Propert.* 3. 5. 40., *Senec. Med.* 962. et *Herc. fur.* 789. ¶ 2. Signum prudentiæ est anguis Cereris apud *Ovid.* 5. *Met.* 642.; item anguis Æsculapii apud *Stat.* 1. *Silv.* 4. 104.; demum et angues Medeæ currum vehentes apud *Ovid.* 7. *Met.* 223.

Homonym. Inter se differunt *anguis*, *coluber* vel *colubra*, *serpens* et *draco*. *Anguis* enim est generale Latinum vocabulum, quo serpentia animalia omnia infesta et ominosa significantur; *coluber* vel *colubra* anguium speciem significant; *serpens* omnia prorsus complectitur animalia quæ serpunt, ideoque præter angues etiam vermina aliaque hujusmodi; *draconem* vero cum Latini dicebant, Græcos mores ac mythos præ oculis habebant. *V.* singula suis locis.

ANGUĬTĔNENS, entis, adject. comm. gen. sidus cœleste, qui etiam *anguifer* dicitur, et Græco vocabulo *Ophiucus*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 109. Atque hæc quidem a tergo, propter caput autem Anguitenens, quem etc. Adde *Arat.* 76. et *Manil.* 5. 384. *V.* ANGUIS *B.* 3. et OPHIUCUS.

ANGŬLĀRIS, re, adject. angulos habens (It. *angolare*; Fr. *anguleux*, *angulaire*; Hisp. *angular*; Germ. *winkelig oder eckig*; Angl. *angular*). *Cato R. R.* 14. Pilæ ex lapide angulari. *h. e.* quadrato. *Vitruv.* 3. 5. 12. *Schneid.* Acroteria angularia. *h. e.* quæ angulum efficiunt vel ad angulum pertinent. *Id.* 6. 8. 4. *Schneid.* pilæ. *Colum.* 5. *R. R.* 3. 2. Extremi agrorum ordines, quos vocant angulares. *Gargil. de re Hort.* ed. *A. A. Scotto* p. 3. Tria amygdala in medio trinâ angulari lege disponunt. *h. e.* triangulari (si tamen salva est lectio), *Colum.* enim 5. *R. R.* 10. dixit: Ternas nuces in trigonum statuito. *Capell.* 4. p. 125. Angularis conversio vel sententia. *h. e.* quæ schematis ibi propositi angulis adscripta est. *Et ibid.* Angulares lineæ *sunt* quæ ex uno ad alterum angulum ducuntur.

Angularis, is, m. 3. est genus vasis coquinarii ab angulari forma sic appellati. *Apic.* 5. 3. Angularem accipies. *Id.* 7. 4. In angularem refundis simul cum ofellis. *h. e.* in ollam, vel cacabum angularem.

Angularia, ium, n. 3. *subaudi* instrumenta, ut puta normam. *Vulgat. Interpr. Jesai.* 44. 13. Faber lignarius – fecit illud (*simulacrum*) in angularibus.

ANGŬLĀRIUS, a, um, adject. idem ac angularis. *Inscript.* optimæ notæ apud *Grut.* 207. 2. XIVE ANGOLARIA (*lege* angulariam) CAEMENTAM ALTIOREM ::–E FACITO. *h. e.* cæmentam, quæ in angulo ponenda est. Eodem sensu Christus a *D. Petro* 1. *ep.* 2. 6. vocatur *lapis angularis*. Hinc in *Gloss. Philox.* Angularius, γωνιαῖος. *V.* et ANGUILLARIUS.

ANGŬLĀTĪLIS, le, adject. idem ac angularis. *Auct. incert. de Termin. agror.* apud *Goes.* p. 303. In fontem quatuor-angulatilem descendet.

ANGŬLĀTIM, adverb. per angulos. *Apul.* 9. *Met.* 41. Angulatim cuncta sedulo perlustrari jubent. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 2. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Paucis angulatim fringultientibus.

ANGŬLĀTUS, a, um, particip. verbi *angulo*, angulos habens. *Cic.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Corpuscula quædam levia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata etc. Adde *Lactant. de ira Dei* 10. 8. — *NB.* De cognomine. *V.* ONOM.

ANGŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. in angulum flecto. Part. *Angulatus* V. in voc. præced.

I.) Proprie. *Ambros. Ep.* 42. Serpens tortuosis angulatur anfractibus.

II.) Translate. *Venant. Ep. proœm. carm.* 6. *l.* 5. *circa med.* Nec ubi prolixitas se excuteret, aut brevitas angularet.

ANGŬLŌSUS, a, um, adject. angulatus, plures habens angulos. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 4. 5. (9). Peloponnesus inter duo maria, platani folio similis propter angulosos recessus. *Id.* 5. *ibid.* 10. 11. (62). Angulosus procursus urbis. *Id.* 15. *ibid.* 24. 24. (100). acini. *Id.* 16. *ibid.* 23. 35. (86). folia. *Id.* 37. *ibid.* 12. 73. (196). Gemmis angulosis minima gratia.

ANGŬLŬLUS. *V.* ANGELLUS.

ANGŬLUS, i, m. 2. Per syncopen *Fannius de Ponderib.* 59. Pes longo spatio latoque notetur in anglo. *At meliores edit. habent:* Pes longo spatio atque alto latoque notetur.—Vocis etymon juxta *Paul. Diac.* p. 11. 7. *Müll.* est a Græco ἀγκύλος; sed profecto ab *ango* teste ipso *Varron.* 6. *L. L.* 41. *p.* 88. *Müll.*: cf. Germ. *Winckel* et obsoletum *Winchil.* — Geometris dicitur id quod constat ex duabus lineis in idem punctum desinentibus, quod ibi angustus sit locus. Hinc in ædificiis *anguli* dicuntur, ubi duo parietes coeunt. Item in agris et regionibus, ubi duo latera conveniunt atque in acutum desinunt, *angulus* appellatur (It. *angolo*; Fr. *angle*; Hisp. *angulo*; Germ. *der Winkel oder die Ecke*; Angl. *an angle*, *corner*, *noock*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 49. Quæ (*figura circuli*) nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Insula naturâ triquetra, cujus unum latus est contra Galliam. Hujus lateris alter angulus, qui est ad Cantium –, ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 8. O si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Ferri in terram et in mare ad angulos pares. *h. e.* recte decidere et veluti lineam super lineam angulos æquales efficere; paucis ferri recta perpendiculari. *Lucret.* 4. 355. Angulus obtusus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 29. (50). acutus. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 17. Meridianus circulus horizonta rectis angulis secat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 23. 35. (86). Exire in angulos. *Vitruv.* 4. 1. 11. et 2. 1. 4. *Schneid.* et *Ovid.* 13. *Met.* 884. Extremi anguli abaci. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (197). Anguli parietum. *Cels.* 6. 6., *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (144). et 24. 14. 77. (126)., *Scribon. Compos.* 163. et *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 14. Anguli oculorum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 66. (178). Gemma plurium angulorum.

II.) Figurate. ¶ 1. De sinu maris vel terræ. — *a*) De sinu maris. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 185. *Putsch.* Mare velis florere videres ultra angulum Gallicum. *Auct. B. Afr.* 62. Angulum quemdam tutum a tempestatibus nactus. — *b*) De sinu terræ. *Liv.* 20. 5. Si Pœnus ab angulo Alpium quietus se contineat. *Flor.* 3. 20. 13. Bruttius angulus. ¶ 2. Sæpe generatim ponitur pro secessu, loco remoto, infrequenti. *Ter. Adelph.* 5. 2. 10. Interea in angulum aliquo abeam. *Cic.* 5. *Verr.* 84. 193. Angulum mihi aliquem eligas provinciæ reconditum ac derelictum. *Id.* 2. *Catil.* 4. 8. Nemo non modo Romæ, sed ne ullo (quidem) in angulo Italiæ oppressus ære alieno fuit, quem non – asciverit. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 23. quod Angulus iste feret piper et thus ocius uvâ. *Id.* 2. *Od.* 6. 14. Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet. *Sidon.* 7. *Ep.* 17. 21. Angulus iste placet paupertinusque recessus. *Propert.* 4. 9. 65. Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem Accipit. *Flor.* 2. 6. 31. Extremus Italiæ angulus. *Vellej.* 2. 102. 3. Remotissimus et ultimus terrarum orbis angulus. ¶ 3. Speciatim angulus — *a*) Est locus remotus, tranquillus, umbratilis, ubi quis litteris operam dat, cui publica agendi arena opponitur. *Cic.* 1. *Orat.* 13. 57. Quibus ego, ut de his rebus in angulis consumendi otii causâ disserant, cum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et jucunditate explicet. *Id.* 1. *de republ.* 2. 2. Virtus – earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant, reapse, non oratione, perfectio. *Seneca Ep.* 95. Cessat omne studium, et liberalia professi sine ulla frequentia desertis angulis præsident. *h. e.* scholis vacuis discipulorum. Adde *Lactant. de ira Dei* 3. 16. — *b*) Item est nimia scriptoris circumscriptio, cui opponitur liberior agendarum causarum ratio. *Cic. Cæcin.* 29. 84. Istum locum fugis –, et me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis ad istas verborum angustias et ad omnes litterarum angulos revocas.

ANGUSTĀTĬO, ōnis, f. 3. (angusto) idem fere quod angustia; sed occurrit translate tantum apud *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 26. Flexus hic sermo est ab eo, quod est esse, et in participii abusione tractum est propter angustationem Latinæ linguæ compressionemque.

ANGUSTĀTUS, a, um. *V.* ANGUSTO.

ANGUSTĒ, adverb. (angustus). Comp. *Angustius* in omnibus paragr.; Sup. *Angustissime* I. 1. — Est arcte (It. *ristrettamente*; Fr. *étroitement*; Hisp. *estrechamente*; Germ. *auf enge oder knappe Weise*; Angl. *straitly*, *closely*, *narrowly*).

I.) Proprie. ¶ 1. De loci spatio. *Varro* 1. *R. R.* 37. 5. Aliæ enim (*arbores*) radices angustius diffundunt, ut cupressi; aliæ latius, ut platani. *Cic.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. Recepissem te, nisi anguste sederem. *Cæs.* 1. *B. C.* 59. Non longo ab castris progressi spatio, ut celerem receptum haberent, angustius pabulabantur. *Id.* 3. *ibid.* 45. Cæsar nitebatur, ut quam angustissime Pompejum contineret; Pompejus, ut quam plurimos colles quam maximo circuitu occuparet. *Colum.* 4. *R. R.* 16. 1. Anguste putare vitem. *Id. ibid.* 22. 3. Aliquid anguste deputare. *h. e.* recidere. *Id. ibid.* 24. 17. Furunculus angustissime præcisus. *Tac.* 4. *Ann.* 4. Quanto sit angustius imperitatum. *h. e.* quanto breviori locorum spatio imperium sit coarctatum. ¶ 2. De rerum mensura. *Varro* 2. *R. R.* 10. 10. De numero pastorum alii angustius, alii laxius constituere solent: ego in centenas hirtas oves singulos pastores constitui, Atticus in centenas. *Cæs.* 3. *B. C.* 16. Cæsar – cum legione una profectus ad recipiendas ulteriores civitates et rem frumentariam expediendam, qua angustius utebatur, etc. *Id.* 5. *B. G.* 24. Quod eo anno frumentum in Gallia propter siccitates angustius provenerat. *Id.* 3. *B. C.* 2. Sed tantum navium reperit, ut anguste XV millia legionariorum militum, D equites transportare possent.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Tusc.* 8. 16. Sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit, quod angustius apud Græcos valet, qui frugi homines χρησίμους appellant, id est, tantummodo utiles. *Id.* 5. *ibid.* 31. 87. Reliqui habere se videntur angustius, enatant tamen. *Quintil.* 2. 15. 36. Anguste intraque civiles actiones coercere rhetoricam. — *b*) Speciatim de oratione, quæ pressa sit et non fusa. *Cic. Mur.* 13. 28. Neque tamen quidquam tam anguste scriptum est, quo ego non possim *qua de re agitur* addere. *Id.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Disputare aliquid uberius et fusius, aut concludere brevius angustiusque. *Id. Brut.* 84. 289. Anguste et exiliter dicere. *Id. Partit. orat.* 41. 139. Aliquid anguste disserere. *Id. Orat.* 33. 117. Presse et anguste rem definire. *Id.* 2. *Nat. D.* 8. 22. Pergit idem et urget an-

gustias. *h. e.* quasi ad incitas redigit. *Quintil.* 7. 4. 40. Anguste materiem qualitatis terminare.

ANGUSTĬA, æ, f. 1. (angustus). Sæpius plurali numero effertur, quam singulari. Proprie est locus angustus, sive brevibus limitibus circumscriptus, arctus (It. *strettezza, angustia*; Fr. *étroitesse, espace étroit*; Hisp. *estrechez, estrecho*; Germ. *die Enge, der enge, schmale oder knappe Raum*; Angl. *a narrow place, narrowness, straitness*).

I.) Proprie dicitur de loco. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 32. 87. Erat enim (*Corinthus*) posita in angustiis atque in faucibus sic, ut terrâ claustra locorum teneret. *Id.* 1. *Tusc.* 20. 45. Etenim si nunc aliquid se assequi putant, qui ostium Ponti viderunt, et eas angustias, per quas penetravit ea, quæ est nominata Argo. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 400. Omnis Italia, coacta in angustias, scinditur in duo promontoria, Bruttium et Salentinum. *Liv.* 34. 46. In angustiis pugnare. *Curt.* 4. 5. In angustiis deprehendi. *Justin.* 17. 1. Angustiis includi. *Sall. Cat.* 61. Multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. *Sing. num. Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (61). Quod jam intercidit et incuria coloni locique angustia. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Angustiæ fretorum. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. et *Curt.* 8. 13. 1. itineris. *Tac.* 15. *Ann.* 43. itinerum. *Nep. Datam.* 8. Claudere adversarios angustiis locorum. Adde *eumd. Epam.* 7. et *Ham.* 2., et *Curt.* 4. 13. *Nep. Them.* 3. Angustiæ maris. *Liv.* 28. 1. Angustiæ saltibus crebris inclusæ. *Curt.* 3. 4. 4. Angustiæ aditus. *Id.* 4. 13. 6. Ciliciæ. *Id.* 3. 7. 7. Angustiæ saltus. *Vellej.* 2. 115. 4. saltuum. *Sueton. Aug.* 45. vicorum. *Id. Ner.* 38. Angustiæ flexuræque vicorum. *Id. Cæs.* 63. Angustiæ Hellesponti. *Quintil.* 10. 3. 32. tabellarum. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 181. Animæ interclusio atque angustiæ spiritus. *h. e.* respirandi difficultas. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 92. (160). Angustiæ urinæ.

II.) Translate. Metaphora, ut recte animadvertit *Ellendt.* ad *Cic. de Orat. vol.* 2. *p.* 5., sumitur a loco angusto, in quo quis libere se movere et agere nequit, ac propterea hoc vocabulum ad ea omnia transfertur, quæ spatiandi, ut ita dicam, et libere agendi facultatem impediunt vel imminuunt. ¶ 1. A loci spatio ad temporis spatium facta est translatio, unde *angustiæ temporis* sunt temporis brevitas. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 3. Sed tamen in eis vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis obsequar studiis nostris. *Id.* 3. *ibid.* 61. 228. Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coegerunt. *Id.* 3. *Verr.* 56. 148. Diem præstituit operi faciundo calendas decembres: locat circiter idus septembres: angustiis temporis excluduntur omnes. *Cic. Fil. ad Tiron.* 16. *Fam.* 21. 7. Excusationem angustiarum tui temporis accipio: scio enim quam soleas esse occupatus. *Liv.* 24. 8. Angustiis temporis includi. ¶ 2. *Angustiæ pecuniæ, rei familiaris, ærarii* etc., vel etiam *angustiæ* absolute, vel demum *angustiæ rerum*, sunt tenuitas, exiguitas, indigentia. — *a*) Cum Genit. *Cic. Balb.* 27. 61. Tamen (*C. Cæsar*) in angustiis ærarii victorem exercitum stipendio affecit. *Id.* 2. *Leg. agr.* 14. 36. Permulta, quæ senatus propter angustias ærarii vendenda censuit. *Id.* 12. *Fam.* 30. Incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ. *Id. Partit. orat.* 32. 112. Æs alienum, angustiæ rei familiaris. *Cæs.* 2. *B. C.* 17. Angustiæ rei frumentariæ. *Tac.* 1. *Ann.* 35. stipendii. *Id.* 2. *ibid.* 38. fortunæ. — *b*) Absolute. *Cic. Quinct.* 5. 19. Tum iste vir optimus – qui hunc in summas angustias adductum putaret, ut eum suis conditionibus in ipso articulo temporis astringeret, assem se negat daturum. *Cic. Fil. ad Tir.* 16. *Fam.* 21. 4. Huic ego locum in proximo conduxi, et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 75. — *c*) Eodem sensu *angustia rerum* occurrit apud *Tac.* 4. *Ann.* 72. Tributum iis Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent. *Id. Dial. de orat.* 8. Quo notabilior paupertas et angustia rerum nascentes eos circumsteterunt. ¶ 3. Item angustiæ dicuntur etiam difficultates, quibus aliquis premitur, interdum ita, ut quo se vertat, nesciat. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 28. Epicurus – in magnis interdum versatur angustiis. *Id.* 4. *ibid.* 25. 68. Quæ est igitur causa tantarum angustiarum? *Id. Planc.* 22. 51. Etenim verebantur, credo, angustias, quasi res in contentionem aut in discrimen aliquod posset venire. *Id. Brut.* 47. 175. Qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus et in eas petitionis angustias incidisset. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Quibus angustiis ipse Cæsar a Venetis prematur docet. *Liv.* 24. 8. Inclusus angustiis juris. ¶ 4. Angustiæ dicuntur etiam de animo, et significant animum pusillum, vecordem. *Cic. Pis.* 11. 24. Magnum nomen, – magna majestas consulatus. Non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista – tantam personam. *Cf. eumd.* 4. *Herenn.* 43. 55. Cujus animus tantis angustiis invidiæ continetur. ¶ 5. Denique ponuntur et de oratione, eamque nec uberem ac fusam, nec late libereque spatiantem significant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Angustia autem conclusæ orationis non facile se ipsa tutatur. Hinc *id. Cæcin.* 29. 84. Latum locum fugis –, et me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis ad istas verborum angustias et ad omnes litterarum angulos revocas. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 35. 112. Cum sit campus, in quo exultare possit oratio, cur eam tantas in angustias et in Stoicorum dumeta compellimus?

ANGUSTĬĀTUS, a, um. *V.* ANGUSTIO.

ANGUSTĬCLĀVĬUS, a, um, adject. qui angustum clavum in tunica gerit, vel quod sit equestris ordinis, vel quod equestria ornamenta habeat, quæ interdum etiam tribuni militum, licet plebeji essent, consequebantur. *Sueton. Oth.* 10. Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis tribunus angusticlavius. *V.* CLAVUS et LATICLAVUS.

ANGUSTĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Angustians* et *Angustiatus*. Est forma recentior pro *angusto*; et occurrit translate pro vexare, cruciare. *Vulg. Interpr. Sap.* 5. 1. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. *Ibid. Eccli.* 4. 3. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. *Ibid. Paul. ep. ad Hebr.* 11. 37. Egentes, angustiati, afflicti. Adde *ibid. Judith.* 13. 39., *Eccli.* 16. 28. et 27. 2., *Jonæ* 2. 8. et *Paul.* 2. *ep. ad Cor.* 4. 8. et 6. 12.

ANGUSTĬTAS, ātis, f. 3. idem quod angustia. *Accius* apud *Non. p.* 75. 23. *Merc.* Saxum id facit angustitatem. *Id.* apud *eumd. p.* 73. 27. Sed angustitatem inclusam ac saxis squalidam.

ANGUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (angustus). Part. *Angustans* et *Angustatus* I.; *Angustandus* II. Est angustum reddere, constringere (It. *restringere, stringere*; Fr. *rendre étroit, rétrécir*; Hisp. *angostar, recoger*; Germ. *beengen, verengen, engmachen*; Angl. *to restrain, straiten*).

I.) Proprie. *Catull.* 64. 159. Cujus (*Hellespontis*) iter cæsis angustans corporum acervis Alta tepefaciet permixti flumina cæde. *Seneca Consol. ad Helv.* 11. Servorum turba, quæ quamvis magnam domum angustet. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 8. 4. (45). Puteis, ore angustatis, intus – spatiante vena. *Lucan.* 5. 232. Qua maris angustat fauces saxosa Carystos. *Id.* 4. 326. nulloque humore rigatus Aeris alternos angustat pulmo meatus. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. Hic spiritus, qui naturalis ac tenuis est, angustatos suos ambitus pungit ac dolores corporis efficit. *Id.* 3. *Tard.* 10. Extenta arteria angustatur, quo et magna difficultas spirationis fit, et minima liquidorum exclusio perficitur. *Stat.* 4. *Theb.* 827. *de Hercule.* rabidi cum colla minantia monstri Angeret, et tumidos animam angustaret in artus. *h. e.* constringeret, cohiberet. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 526. viridique angustat iaspide pectus. *h. e.* stringit, colligit vestes ante pectus. *Stat.* 12. *Theb.* 665. At procul angusti Neptunius agmina Theseus Angustat clipeo. *h. e.* claudit agmen. Apud *Cic.* 6. *de republ.* 20. 21. Terra angustata verticibus. *plerique omnes leg.* angusta.

II.) Translate. *Seneca Consol. ad Polyb.* 29. Nimis angustat gaudia sua, qui iis tantummodo, quæ habet ac videt, frui se putat. *Id. Consol. ad Helv.* 6. Angustare vim alicujus rei. *Id. Tranquill. an.* 8. Angustanda sunt patrimonia, ut minus ad injurias fortunæ simus expositi.

ANGUSTUS, a, um, adject. (*ab ango qua stringere significat*). Comp. *Angustior* et Sup. *Angustissimus* I. — Angustus est arctus, strictus, brevis: eique opponitur modo *latus*, ut apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 92. Longa, brevia; l a t a, a n g u s t a; — modo *amplus*, ut apud *eumd.* 1. *Fin.* 20. 65. A n g u s t a domus et 1. *Off.* 39. 139. Ampla domus; — modo *laxus*, ut apud *Varron.* 2. *R. R.* 10. 10. De numero pastorum alii a n g u s t i u s, alii l a x i u s constituere solent (It. *stretto, angusto*; Fr. *étroit*; Hisp. *estrecho*; Germ. *eng, schmal, knapp*; Angl. *strait, narrow*).

I.) Proprie de loci spatio ponitur. *Lucret.* 3. 1129. et *Sall. Jug.* 97. Angustum iter. *Lucret.* 1. 721. fretum. *Cic.* 3. *Legg.* 17. 38. pontes. *Id.* 2. *Leg. agr.* 35. 96. Semitæ angustissimæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Angusti fines. *Id.* 3. *B. C.* 25. Aditus ad castra difficilis et angustus. *Id.* 1. *ibid.* 25. Fauces portus angustissimæ. *Nep. Them.* 4. Angustum mare. *Virg.* 4. *G.* 35. aditus. *Id.* 3. *Æn.* 419. littus. *Id.* 4. *G.* 83. pectus. *Id.* 2. *ibid.* 73. nodus. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 29. rima. *Id.* 1. *Sat.* 8. 9. cellæ. *Tibull.* 1. 6. 27. Angustum agmen turbæ. *h. e.* densum et iter angustans. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 42. aqua. *Id.* 3. *ibid.* 10. 27. papyrifero qui non angustior amne. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 35. (114). Foliis angustioribus (*granum Gnidium*). *Id.* 21. *ibid.* 4. 10. (14). Odor angustus rosæ. *h. e.* non late se spargens. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (25). Angusta sus. *h. e.* non dilatata. *Curt.* 7. 4. 4. Fauces angustissimæ. *Auct. B. Alex.* 39. Angustissimum intervallum. *Plin. Paneg.* 22. Angustus trames. *Lucan.* 2. 709. limes. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 261. Cum spiritus ejus (*Demosthenis*) esset angustior. *h. e.* cum spirandi difficultate laboraret. *Cels.* 7. 5. 2. Sagitta magna vi fertur et ipsa angusta est. *h. e.* tenuis, subtilis, acuta. *Tac. Germ.* 6. Hastæ angusto et brevi ferro. *Tibull.* 1. 4. 71. Angustis habenis equum compescere. *h. e.* adductis et stringentibus. *Quintil.* 9. 4. 33. Angustior littera. *h. e.* quæ presse effertur, cui ibidem opponitur *plenior*. De *angusto clavo* V. CLAVUS.

II.) Translate, *V.* ANGUSTIA II. ¶ 1. Ponitur de tempore, et est brevis. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 25. Angusta nox. *Id.* 5. *Trist.* 10. 8. Angusti dies. *Lucan.* 4. 447. Angustum tempus. Adde *Quintil.* 11. 1. 46., ubi *angusto tempori* opponitur *liberum*. *Stat.* 1. *Theb.* 412. Angusta dies. ¶ 2. Item de pecunia, re familiari, ingenio aliisque hujusmodi, et est pauper, tenuis, exiguus. *Horat.* 3. *Od.* 2. 1. Angusta pauperies. *Juvenal.* 3. 164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. *Seneca Thyest.* 452. Tutus angusta mensa capitur cibus. *Pompon. Dig.* 7. 8. 22. Legatarius angustus. *h. e.* pauper. *Quintil.* 6. 2. 3. Tenuis et angusta ingenii vena. *Cic.* 2. *Fam.* 8. 23. Angustior liberalitas. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur. *h. e.* labefactata et afflicta, cum pauci invenirentur qui æs alienum dissolverent, aut pecunias alteri crederent. *Horat.* 2. *Od.* 10. 20. Rebus angustis animosus atque Fortis appare. *h. e.* in rebus adversis, quæ homines in angustum cogunt et opprimunt. *Tac.* 2. *Ann.* 53. Angustæ civium domus. *Id. ibid.* 87. Angusta oratio. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (23). Differentia angusta. *Sil. It.* 10. 279. Spes angustæ. ¶ 3. Item de oratione, quæ vel omnibus caret ornamentis et philosophica brevitate coarctatur, vel nimium jejuna est ac subtilis. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 61. In philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, qui sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus –, verbum prorsus nullum intelligo: ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati. *Id. Orat.* 56. 187. Quod si et angusta quædam atque concisa, et alia est collatata (*al.* dilatata) et diffusa oratio. *Propert.* 2. 1. 40. Sed neque Phlegræos Jovis Enceladique tumultus Intonet angusto pectore Callimachus. *h. e.* qui non utitur grandiloquentia. *Cic.* 3. *Orat.* 30. 121. Antonius a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque vos disserendi traducendos putavit. *Id.* 4. *Fin.* 3. 7. Pungunt enim, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis. ¶ 4. Denique ponitur et de animo, et est abjectus, vilis, vecors. *Cic.* 1. *Off.* 20. 68. Nihil est tam angusti animi, tam parvi, quam amare divitias. *Id. Pis.* 24. 57. Animi angusti et dimissi erat. *Id.* 1. *Fin.* 18. 61. Ecce autem alii minuti et angusti aut omnia semper desperantes, aut malevoli, invidi, difficiles etc. — Hinc

Angustum, i, n. 2. substantivorum more usurpatur

A) Proprie et est idem atque angustiæ, sive arctum loci spatium. — *a*) Cum Genit. *Virg.* 2. *Æn.* 332. Obsedere alii telis angusta viarum Oppositi. *Tac.* 4. *Hist.* 35. Qui pontes et viarum angusta insiderent. — *b*) Absolute præcedente præpos. *Lucret.* 4. 531. per angustum ire. *Ovid.* 13. *Met.* 407. claudi in angustum.

B) Translate. ¶ 1. Angustum est exiguum, contractum, limitibus nimis circumscriptum. *Cic. Amic.* 5. 20. Amicitiam ex infinita societate generis humani contrahere et adducere in angustum. *Id.* 1. *Off.* 17.

33. Collegationem societatis propinquorum ab immensa societate humani generis in exiguum angustumque concludere. *Id. 2. Acad.* (post.) 10. 38. Perturbationes animi contrahere in angustumque deducere. *h. e.* coercere, compescere. ¶ 2. Item angustum est indigentia, res adversæ, discrimen. *Ter. Heaut.* 4. 2. 2. In angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ. *Cic. Planc.* 22. 54. In angustum venire. *h. e.* ad incitas redigi. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Res in angusto est. *Cels.* 8. 4. Spes est in angusto.

ĀNHĒLĀBUNDUS, a, um, adject. (anhelo). Hanc vocem afferunt *Charis.* 1. p. 31. *Putsch.* et *Grammat. incert.* ed. *Eichenfeld.*; sed nullo confirmant exemplo.

ĀNHĒLANS, antis. *V.* ANHELO.

ĀNHĒLANTER, adverb. anhelando: et per translationem cupide, festinanter. *Ammian.* 16. 10. Alium anhelanter, rabido flatu ventorum, lenunculo se commisisse piscantis. *Alii rectius leg.* anhelante rabido flatu ventorum, *h. e.* spirante.

ĀNHĒLĀTIM, adverb. anhelando. *Tibull.* 1. 9. 37. Et dare anhelatim pugnantibus uvida linguis Oscula etc. Ita legi in quibusdam libris testatur *Broukhusius.* At *Vulpius*, *Heynius*, aliique *anhelanti* merito præferunt.

ĀNHĒLĀTĬO, ōnis, f. 3. (anhelo) est respiratio, præsertim quæ crebrior est et vehementior.

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Piscium anhelatio æstivo calore. — Hinc est etiam morbus, qui Græce ἆσθμα dicitur. *Id.* 23. *ibid.* 1. 24. (47). Hoc genus vini utile in flationibus, tussi, anhelationibus. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. Anhelatio sive suspirium ab accidenti nomen sumpsit. Vocatur præterea secundum aliquos spirationis difficultas. Adde 2. *Acut.* 17. et 5. *Tard.* 11.

II.) Translate insolens est hujus vocis usus apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 6. 23. (89). *de gemmis Indicis.* Quædam in iis cœlestis arcus anhelatio est. *h. e.* quædam adumbratio coloris unius in alterum inclinantis, qualis solet esse in arcu cœlesti. *At alii rectissime legunt* æmulatio, ait *Forcellinus*; quamquam recentiores, inter quos *Sillig*, retineant *anhelatio.*

ĀNHĒLĀTOR, ōris, m. 3. Græce ἀσθματικός, qui anhelatione laborat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (105). Laser anhelatoribus et in tussi vetusta cum porro ex aceto datur. *Id.* 21. *ibid.* 21. 89. (156). Thymum prodest et orthopnoicis et anhelatoribus. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 7. 63. (121).

ĀNHĒLĀTUS, a, um. *V.* ANHELO.

ĀNHĒLĀTUS, us, m. 4. (anhelo) gravis anhelitus vel aspiratio. *Macrob. de Gr. Lat. verb. dist.* ed. *Eichenfeld.* p. 187. Ceteris (*gentibus*) aut anhelatu, aut sibilo explicantibus loqui suum. In *Putschii* editione hunc locum minime inveni.

ĀNHĒLĪTUS, us, m. 4. (anhelo) est anhelandi actus, anhelatio, respiratio crebrior et vehementior, ut fit post cursum, aut alium laborem corporis (It. *anelito*; Fr. *respiration pénible, pressée*; Hisp. *anhelito*; Germ. *das starke Athemholen oder Aufathmen*; Angl. *difficulty of breathing, painful respiration*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Plaut. Asin.* 2. 2. 61. Non vides me ex cursura anhelitum etiam ducere? *Cic.* 1. *Off.* 36. 131. Ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur. *Plaut. Merc.* 1. 2. 4. Vix suffero anhelitum. *h. e.* ægre anhelitum recipio, vix respiro. *Id. Epid.* 2. 2. 21. Recipere anhelitum. *h. e.* respirare, a lassitudine se recreare. *Horat.* 1. *Od.* 15. 31. quem — Sublimi fugies mollis anhelitu. *Virg.* 5. *Æn.* 432. vastos quatit æger anhelitus artus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 199. et *Ovid.* 10. *Met.* 663. *Quintil.* 11. 3. 55. Creber anhelitus. — Hinc *anhelitus* plur. num. sunt morbosa respiratio, Græce ἆσθμα, apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (180). Bitumen tussim veterem et anhelitus emendat. ¶ 2. Abstractum pro concreto, uti ajunt, anhelitus est spiritus ore ductus, emissus halitus. *Cic. post red. in sen.* 7. 16. Non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus – in eam cogitationem adducebat etc. *Ovid.* 1. *Art. am.* 521. Nec male odorati sit tristis anhelitus oris. *Id.* 10. *Met.* 663. Aridus a lasso veniebat anhelitus ore. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Anhelitum reddere ac per vices recipere. *Hygin. fab.* 2. 192. ed. *Mai.* Hercules – multimodo cursu pedum, sub uno anhelitu tertiam partem milliaris – percurrebat. ¶ 3. Hinc *anhelitus terræ* est vapor ventosus e terra erumpens. *Cic.* 2. *Divinat.* 19. 44. Placet enim Stoicis eos anhelitus terræ, qui frigidi sunt, cum fluere cœperint, ventos esse. *Id.* 1. *ibid.* 50. 114. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent. Adde *Pallad.* 9. *R. R.* 9. 1.

Homonym. *Anhelitus* differt a *suspirio*, quod est spiritus ab alto pectore ductus sæpe cum gemitu. *Seneca Ep.* 54. Deinde paullatim suspirium illud, quod esse jam anhelitus cœperat, intervalla majora fecit et retardatum est ac remansit. — Item proprie differt a simplici spiritu vel naturali respiratione. *Gell.* 12. 5. Spiritus et anhelitus ex ejus pectore evadere.

ĀNHĒLO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Anhelans* in omnibus ferme paragr.; *Anhelatus* B. I. — Est vox composita a præpos. Græca ἀνά sursum et a verbo *halo*, V. *Döderlein Latein. Synon.* vol. 5. p. 94. — Anhelare est crebro et vehementius solito respirare, ut fit post cursum, aut alium laborem corporis (It. *anelare, ansare*; Fr. *respirer fortement, difficilement*; Hisp. *anhelar, respirar con difficultad*; Germ. *auf- oder hervorathmen*; Angl. *to breathe with difficulty*). Est verbum *A*) aut intransitivum, *B*) aut transitivum.

A) Tamquam verbum intransitivum

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est crebro et graviter respirare. *Ter. Hec.* 5. 3. 24. Nam memini ad me nocte prima confugere anhelantem domum. *Lucret.* 3. 490. extentat nervos, torquetur, anhelat Inconstanter. *Id.* 4. 865. Multa per os exhalantur, cum languida anhelant (*corpora*). *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 45. Itaque anhelans ex imis pulmonibus præ cura spiritus ducebatur. *Virg.* 5. *Æn.* 254. Acer, anhelanti similis. *Id.* 10. *ibid.* 837. ipse æger, anhelans Colla fovet. *Ovid.* 2. *Fast.* 295. Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus. *Id. Rem. Am.* 394. Principio clivi vester anhelat equus. *Colum.* 2. *R. R.* 3. 2. Sed ante ad præsepia boves religari non expedit, quam sudare atque anhelare desierint. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de vapore e terra erumpente. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (55). Timæus – occultam protulit rationem, Phialam appellari fontem ejus (*Nili*), mergique in cuniculos ipsum amnem, vapore anhelantem fumidis cautibus, ubi conditur. *Stat.* 11. *Theb.* 17. campus anhelans Sulphure cælesti. Cf. ANHELITUS 3.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur figurate de inanimis, quæ quasi anhelando aliquid expirant. *Virg.* 8. *Æn.* 421. striduntque cavernis Stricturæ chalybum, et fornacibus ignis anhelat. *Val. Flacc.* 3. 208. ut mugitor anhelat Vesvius. *Pers.* 5. 10. anhelanti folle premere ventos. *Sil. It.* 9. 286. unda freti – Torquet anhelantem spumanti vertice pontum. De ipsa terra ab equo Domitiani graviter pressa dixit *Stat.* 1. *Silv.* 1. 56. Insessaque pondere tanto Subter anhelat humus. ¶ 2. Est etiam cupide desiderare, inhiare. *Justin.* 9. 1. 6. Mercibus distractis anhelantem inopiam paullulum recreavit.

B) Tamquam verbum transitivum

I.) Proprie est crebro et vehementiori spiritu aliquid emittere, expirare. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 38. Nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius. Cf. *Pers.* 1. 14. Scribere grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet. *h. e.* quod magno spiritu et veluti anhelando proferat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 111. Tum gelidum gravido de pectore frigus anhelans (*Capricornus*). *Lucan.* 6. 92. Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant. *Ovid.* 4. *Fast.* 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætnæ, Cujus anhelatis ignibus ardet humus. *Id.* 12. *Heroid.* 15. Isset anhelatos non præmedicatus in ignes. *h. e.* efflatos e naribus taurorum æripedum. *Sil. It.* 5. 604. Itaque anhelatum proturbat pectore murmur. *Martial.* 6. 42. Siccos pinguis onyx anhelat æstus. *h. e.* marmor onyx emittit æstus siccos et similes radiis solis. *Stat.* 11. *Theb.* 241. hæc trepido vix intellectus anhelat. Figurate *Sil. It.* 14. 380. Celsaque anhelatis exurgens ictibus alnus, Cærula nigranti findit spumantia sulco. *h. e.* navis impulsa remis, qui magna vi et cum anhelitu a remigibus moventur.

II.) Translate est quasi anhelando manifestare quid animo cogitamus ac molimur. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. Tandem aliquando, Quirites, furentem audaciâ, scelus anhelantem, pestem patriæ nefarie molientem – (*Catilinam*) ex urbe vel ejecimus, vel emisimus etc. *h. e.* spirantem scelus animo conceptum. *Id.* 4. *Herenn.* 55. 68. At iste spumans ex ore scelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem etc. *Stat.* 11. *Theb.* 7. Phlegræ ceu fessus anhelet Prœlia. *h. e.* prœlia cum Gigantibus Phlegræ inita.

ĀNHĒLŌSUS, a, um, adject. (anhelo) qui sæpe et graviter anhelat; sed occurrit tantum specialim de iis, qui respirationis difficultate, Græce τῷ ἄσθματι, laborant; cf. ANHELATIO et ANHELITUS 1. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 28. Dyspnoici vero, quos anhelos dicere poterimus, sive suspiriosos, sine febribus esse noscuntur.

ĀNHĒLUS, a, um, adject. (anhelo) crebro et vehementer respirans, anhelans: adjectivum fere poeticum (It. *anelo, ansante, anelante*; Fr. *haletant*; Hisp. *anhelante*; Germ. *stark Athem holend, schnaubend, keuchend, auch lechzend*; Angl. *anhelose*). ¶ 1. Stricto sensu ponitur de animantibus. — *a*) Absolute. *Virg.* 1. *G.* 250. et 5. *Æn.* 739., et *Ovid.* 15. *Met.* 417. equi anheli Solis. *Virg.* 6. *Æn.* 8. pectus anhelum. *Id.* 2. *G.* 135. senes anheli. *h. e.* qui asthmate laborant. *Id.* 12. *Æn.* 790. Adsistunt contra certamina Martis anheli. *Alii leg.* certamine. *h. e.* anhelantes ex labore certaminis. *Stat.* 12. *Theb.* 600. vires anhelæ. *h. e.* anhelantes, fessæ. — *b*) Cum Genitivo. *Sil. It.* 15. 721. Celtæ longi laboris anheli. *h. e.* ob longum pugnandi laborem. ¶ 2. Latiori sensu de eo, quod anhelare facit. *Lucret.* 4. 874. sitis anhela. *Virg.* 3. *G.* 492. tussis. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 5. febres. *Id.* 11. *Met.* 347. cursus. *Nemes. Cyneg.* 255. flatus. *Stat.* 4. *Theb.* 680. Tempus erat, medii cum solem in culmina mundi Tollit anhela dies. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 383. fastigia montis anheli.

ĀNHȲDROS, i, f. 2. herba, quæ et narcissus dicitur; ἄνυδρος, ab α privativo, et ὕδωρ *aqua*, quia longe ab aqua in montanis locis nascitur. *Apul. Herb.* 55. — *NB.* De insula *V.* ONOM.

ĀNĪĀTRŎLŎGĬCOS. *V.* vocem seq.

ĀNĪĀTRŎLŎGĒTOS, on, adject. (ἀνιατρολόγητος) medicinæ artis imperitus: vox Græca ab α privativo, et ἰατρολέω *de medicina dissero.* *Vitruv.* 1. 1. 13. *Schneid.* Architectus non debet esse medicus, ut Hippocrates, sed non aniatrologetos. *Alii minus recte legunt* aniatrologicos *eodem sensu.*

ĀNĬCELLA, æ, f. 1. *deminutivum ab anus.* *Varro* 9. *L. L.* 74. p. 271. *Müll.* hanc vocem ita affert, ut videatur de ejus usu non dubitare; tametsi neminem alium usurpantem adhuc vidimus. *V.* ANUCELLA.

ĀNĪCĒTUM, i, m. 2. ἀνίκητον, nomen est aniso a quibusdam inditum, teste *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 72. (186). quasi invictum: ab α privativo, et νικάω *vinco*, quod aliis omnibus medicamentis utilitate præstet. Alii id nomen anetho tribuunt.

ĀNĬCLA. *V.* vocem seq.

ĀNĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab anus*, teste ipso *Varrone* 9. *L. L.* 74. p. 221. *Müll.* — *Anicla* per syncopen dixit *Prudent.* περὶ στεφ. 6. 149. Heros, virgo, puer, senex, anicla. *Est qui legit* anulla. — Anicula est parva anus, vetula; et usurpatur fere per contemptum (It. *vecchietta, vecchierella*; Fr. *petite vieille*; Hisp. *viejezuela*; Germ. *ein altes Weibchen, ein altes Mütterchen*; Angl. *a little old woman*). *Ter. Andr.* 1. 4. 4. Importunitas aniculæ. Adde *eumd.* *Phorm.* 1. 2. 48. *Cic.* 2. *Divinat.* 15. 36. Hæc, mihi jam crede, ne aniculæ quidem existimant. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Ista, quæ vos dicitis, sunt tota commentitia, vix digna lucubratione anicularum. Adde *eumd.* *Flacc.* 36. 91., 2. *Tusc.* 17. 40. et 1. *Nat. D.* 20. 55. *Seneca Ep.* 77. *sub fin.* Anicula gloriatur senectute longa.

ĀNĬCŬLĀRIS, e, adject. ad aniculam pertinens, vel anicula dignus, anilis. *Augustin. Enarrat.* in *Psalm.* 33. *ante med.* Delirare tibi videor, avare, cum hæc loquor; anicularia tibi videntur hæc verba.

ĀNĪLIS, e, adject. ad anum pertinens (It. *da vecchia, anile*, Fr. *de vieille femme*; Hisp. *viejo, de vejezuela*; Germ. *einem alten Weibe eigenthümlich, altmütterlich, altweiberhaft*; Angl. *relating to an old woman*). *Virg.* 7. *Æn.* 416. aniles vultus. *Id.* 4. *ibid.* 641. studium. *Ovid.* 13. *Met.* 281. ad littus passu processit anili. *Virg.* 9. *Æn.* 489. anilis cura. *Ovid.* 11. *Met.* 96. rugæ. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 2. ætas. — Sæpius urbane per contemptum. *Cic.* 2. *Divinat.* 60. 125. Quam multi contemnunt somnia, eamque superstitionem imbecilli animi atque anilis putant. *Id.* 2. *Nat. D.* 28. 70. Superstitiones pæne aniles. *Id.* 1. *Tusc.* 39. 93. Pellantur istæ ineptiæ pæne aniles. *Id.* 3. *Nat. D.* 5. 12. et *Horat.* 2. *Sat.* 6. 77. Fabellæ aniles. *h. e.* narrationes insulsæ et minime credibiles. *Quintil.* 1. 8. 19. Fabula anilis.

ĂNĪLĬTAS, ātis, f. 3. (anus) senectus feminarum. *Catull.* 61. 161. Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnibus omnia annuit. Adde *Isid.* 11. *Orig.* 2. 28.

ĂNĪLĬTER, adverb. more anus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 39. 92. Dicere aliquid non superstitiose atque aniliter, sed physica constantique ratione.

ĂNĪLĬTOR, āris, ari, dep. 1. anum fieri, senescere. *Apul. de Mundo* 23. Terram nec occasibus fatigari, nec sæculis anilitari. *Elmenhorst.* et *Oudendorp.* ita legunt freti auctoritate similis loci apud *Aristot.* τὴν ἀγήρω φύσιν ὁμοίως τηρεῖ, quem *Apul.* in Latinum vertit: alii perperam legunt *debilitari*.

ĂNILLA, æ, f. 1. deminut. ab anus. Affertur a *Macrob. de Gr. Lat. verb. diff. p.* 2765. *Putsch.*; sed nullo confirmatur exemplo.

ĂNĬMA, æ, f. 1. In Genitivo singulari *animai* pro *animæ* legitur apud *Ennium* 2. *Ann.* 40. et apud *Lucret.* 1. 112., 3. 151., 4. 886. et alibi: qui Genitivus antiquus est, et solis postea poetis et parce etiam relictus. — Dativus et Ablativus pluralis rectius et magis Latine est *animis*, quam *animabus*; *animis* enim legimus apud *Cic.* 14. *Fam.* 14. et haud raro in *Inscript.* optimæ notæ. *Animabus* tamen legitur apud *Senec.* 2. *Controv.* 10. *sub init.*, ut quidem putat *Voss. l.* 4. *Grammat. c.* 4., nam plerique alii omnino aliter. Est ab eodem etymo, a quo *animus*, scilicet a Gr. ἄνεμος *ventus*, *aer*; quod ab ἄω, ἄημι *spiro*. — Itaque anima proprie est elementum illud tenue, subtile ac leve, quod terram circumfunditur, a nobisque inspiratur et expiratur (It. *aria*; Fr. *air*; Hisp. *ayre*; Germ. *die Luft*; Angl. *air*). ¶ 1. Anima generatim est quidquid spirat et inspiratur, sive est aer elementaris: quo sensu usurpavit ipse *Ennius* teste *Varron.* 1. *R. R.* 4. 1. Ejus (*artis*) principia sunt eadem, quæ mundi esse Ennius scribit, aqua, terra, anima, sol. *Lucret.* 1. 718. Et qui quatuor ex rebus posse omnia rentur, Ex igni, terrâ atque animâ procrescere et imbri. Adde *eumd.* 5. 257. *Cic. Tim.* 5. Ita contigit, ut inter ignem atque terram aquam deus animamque poneret. *Codd. nonnulli legunt aer, quod profecto est glossema. Id. ibid.* 12. Illa, quæ ex igni, animâ, aquâ atque terrâ turbulenta atque rationis expertia insederint. *Et ibid.* 13. Particulas ignis et terræ et aquæ et animæ a mundo – mutuabantur. *Id.* 1. *Tusc.* 19. 43. Tenuis anima. Adde *eumd. ibid.* 11. 24. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 124., et *Messalam* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 9. *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animæque marisque fuissent. *NB.* Posteriores scriptores hoc sensu dixerunt *aer*. — Item de aere, qui instrumento aliquo includitur. *Lucret.* 6. 129. plena animæ vesicula parva Sæpe ita dat sonitum displosa repente. *Varro* apud *Non. p.* 241. 26. *Merc.* Anima ut conclusa in vesica quando est arcte ligata, si pertuderis, aera reddit. *Id.* apud *eumd. p.* 233. 13. *Merc.* Phrygios per ossa cantus liquidâ canit animâ. *h. e.* spiritus, quo inflatur tibia. *Vitruv.* 11. 8. 4. *Schneid. de organo hydraulico.* Qui (*asses*), cum recipit arcula animam, spiritum non patientur obturantes foramina rursus redire. *Et ibid.* § 5. Motione vero vectium vehementiore spiritus – influit et replet animâ canales. ¶ 2. Speciatim est aer spirans, qui movetur, *h. e.* ventus. *Accius* apud *Non. p.* 234. 6. *Merc.* Classes trahere in salum et vela ventorum animæ immittere. *Varro* apud *Non. l. c.* Detis habenas animæ leni, dum nos ventus flamine sudo suavem ad patriam perducit. *Lucret.* 4. 237. Aurarumque leves animæ calidique vapores. *Id. ibid.* 1229. prece quærit Ventorum pavidus paces animasque secundas. *Horat.* 4. *Od.* 12. 2. Impellunt animæ lintea Thraciæ. *Virg.* 8. *Æn.* 403. Quantum ignes animæque valent. scilicet in Vulcani officina. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 239. nec talibus unquam Spiravere Notis animæ. ¶ 3. Item speciatim accipitur pro spiritu seu halitu, quem ore accipimus ac reddimus, teste *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Cum arteria – excipiat animam eam, quæ ducta sit spiritu, eamdemque a pulmonibus respiret et reddat. *Et ibid.* 55. 138. Quæ spiritu in pulmones anima ducitur. Et *Varron.* 6. *L. L.* 9. *p.* 76. *Müll.* Quod tum (*h. e.* hieme) anima quæ flatur omnium apparet. Denique *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. (188). Sub corde pulmo est spirandique officina, attrahens et reddens animam. — Hac porro significatione usuvenit etiam apud veteres. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 23. ST. Cum it dormitum, follem obstringit ob gulam. CO. Cur? ST. Ne quid animæ forte amittat dormiens. CO. Etiamne obstringit inferiorem gutturem, ne quid animæ forte amittat dormiens? *Id. Asin.* 5. 2. 44. Dic, amabo, an fœtet anima uxoris tuæ. *Id. Merc.* 3. 3. 13. Jam plenus ætatis animâque fœtidâ senex hircosus, tu osculere mulierem? *Id. ibid.* 1. 2. 15. Animam nequeo vertere: nimis nihili tibicen siem. *Ter. Phorm.* 5. 6. 28. Accessi, astiti: animam compressi, aurem admovi. *Id. Adelph.* 3. 2. 26. Quid festinas, mi Geta? Animam recipe. *Cæcilius* apud *Non. p.* 233. 9. *Merc.* Quæ mihi, ubi domum adveni, assedi, extemplo savium dat jejunâ animâ. *Titinius* apud *eumd. p.* 233. 5. Interea fœtida anima nasum oppugnat. *Cic.* 5. *Verr.* 58. 134. Qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset. *Id.* 1. *Orat.* 61. 261. Deinde cum spiritus ejus (*Demosthenis*) esset angustior, tantum continendâ animâ assecutus est etc. *Id.* 3. *ibid.* 49. 191. Ne circuitus ipse verborum sit aut brevior quam aures expectent, aut longior quam vires atque anima patiatur. Adde *ibid.* 46. 181. *Id. Rosc. Am.* 26. 72. Animam ducere. *Liv.* 31. 58. Cum jam spiritum intercluderet, nec reciprocare animam sineret. *Id.* 23. 7. Animâ interclusâ expirare. *Virg.* 2. *G.* 134. animas et olentia Medi Ora fovent illo (*mālo*) et senibus medicantur anhelis. *Ovid.* 1. *Fast.* 425. Animam tenere. *Id.* 8. *Met.* 643. ignes Nutrit et ad flammas animâ perducit anili. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 35. (91). et 22. 25. 64. (132). Gravitas animæ. *h. e.* halitus oris fœtidus. *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (29). Canalis animæ. *h. e.* trachia. *Val. Max.* 9. 12. *ext.* 1. Intra pectus inclusâ animâ finem sui reperire. *Tac.* 6. *Ann.* 50. Interclusâ animâ mortalitatem explere. ¶ 4. Quoniam vero vita per respirationem manifestatur (unde illud *Cic.* 9. *Att.* 10. Anima dum ægroto est, spes esse dicitur. Et *Lucret.* 3. 337. Dimissâ animâ corpus caret undique sensu); ita sæpissime anima ponitur pro vitali principio, hoc est pro vita. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Non. p.* 474. 31. *Merc.* Date ferrum, qui me animâ privem. Adde *eumd.* 2. *Ann.* 40. et *Plaut. Men.* 5. 5. 7. *Ter. Adelph.* 3. 4. 52. Animam relinquam potius, quam illas deseram. *Accius* apud *Non.* 98. 12. *Merc.* Patrio exemplo et me dicabo atque animam devotabo hostibus. *Cic.* 8. *Att.* 2. 3. In unius hominis quotannis periculose ægrotantis anima positas omnes nostras spes habemus. *Id.* 4. *Catil.* 9. 18. De vestra vita, de conjugum vestrarum atque liberorum anima, de fortunis omnium – hodierno die vobis judicandum est. *Id.* 14. *Fam.* 4. 5. Peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum fortunis amisimus. *Sall. Cat.* 22. Denique quid reliqui habemus præter miseram animam? *Id. ibid.* 54. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis: libertas et anima nostra in dubio est. *Virg.* 3. *Æn.* 654. Vos animam hanc potius quocumque absumite leto. *Id.* 4. *ibid.* 652. Accipite hanc animam. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 42. Accedent animæ tempora parva meæ. *Curt.* 5. 3. 19. Ex unius captivi vel fide vel anima pendere et regis salutem et suam. *Seneca Ep.* 4. Difficile est animum perducere ad contemptionem animæ. *Tac.* 3. *Ann.* 17. Denis in diem assibus animam et corpus æstimari. — *b*) Hinc speciatim plurimæ usuvenerunt locutiones, quarum hæ sunt præcipuæ. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 137. et *Ovid.* 2. *Met.* 641. Adimere animam alicui. *Virg.* 9. *Æn.* 443. Auferre animam alicui. *Ovid.* 6. *Met.* 540. Eripere alicui animam. *Ter. Adelph.* 3. 2. 16. Extinguere alicui animam. *Ennius* 2. *Ann.* 40. Privare aliquem animâ. *Senec. Œt.* 24. Seducere ab anima artus. — *Ovid.* 5. *Met.* 222. Concedere animam alicui. *Ter. Adelph. l. c.* et *Sall. Jug.* 16. Relinquere alicui animam. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 129. Subducere animam morti. *Id.* 2. *Met.* 644. animas tibi reddere ademptas Fas erit. *Lucan.* 7. 769. Inspirare alicui animam. — *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 19. et *Rosc. com.* 8. 24., *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 13., *Liv.* 26. 14. et *Seneca Ep.* 101 aliique. Agere animam. *h. e.* esse morti proximus. *V.* AGO *B.* II. *e. Cic.* 4. *Herenn.* 44. et 14. *Fam.* 4. 5. amittere. *Ovid.* 7. *Met.* 604. Claudere animam laqueo. *Id.* 5. *Met.* 222. dare. *h. e.* morti occumbere. *Curt.* 7. 7. 35. Deficit cum anima. *Nep. Hann.* 1. Deponere animam. *Lucret.* 3. 357. dimittere. *Cic. Sext.* 38. 87. edere. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 19. et *Mil.* 18. 49., *Varr.* 1. *R. R.* 3. 69., *Nep. Pausan.* 5. et *Sueton. Aug.* 99. efflare. *Virg.* 1. *Æn.* 98. effundere. *Ovid.* 12. *Met.* 508. vivacem animam missis elidere silvis. *Nep. Epam.* 9. Emittere animam. *Ovid.* 6. *Met.* 247. exhalare. *Id.* 6. *ibid.* 618. expellere. *Id.* 5. *ibid.* 106. expirare. *Seneca Œd.* 344. Exprimere reluctantem animam. *Ovid.* 15. *Met.* 175. exturbare. *Id.* 14. *ibid.* 777. exuere. *Id.* 7. *ibid.* 591. finire. *Virg.* 3. *Æn.* 140. linquere dulces animas. *Lucret.* 6. 1232. mittere. *Ennius* 5. *Ann.* 7. animam de corpore mittere. *Virg.* 4. *Æn.* 243. mittere sub Tartara. *Id.* 12. *ibid.* 230. animam objectare periclis. *Plaut. Amph.* 1. 1. 88. Animam omittunt, prius quam loco demigrent. *Virg.* 4. *G.* 238. animas in vulnere ponere. *Id.* 6. *Æn.* 436. projicere. *Id.* 3. *G.* 495. Et dulces animas plena ad præsepia reddunt. *Vellej.* 2. 123. 3. Animam cælo reddere. *Nep. Eum.* 4. Eum anima reliquit. *Virg.* 9. *Æn.* 349. Purpuream vomere animam. *h. e.* sanguinem, in quo anima, hoc est vita continetur. *Sunt qui aliter leg.* V. Servium. *Tac.* 1. *Ann.* 42. Trahere animam precariam inter infestos. — Hinc etiam figurate *animam debere* apud *Ter. Phorm.* 4. 3. 56. (Quid, si animam debet?) dicitur is, qui adeo immodico ære alieno obstrictus est, ut et ipse quoque creditori addicendus sit, secundum antiquum morem, quo debitores, qui solvendo non essent, nexi creditoribus tradebantur: quod et Græci dicunt, teste *Donato*, καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ὀφείλειν. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 50. 146. Si tibi omnia sua præter animam tradidit, nec sibi quidquam – reservavit. ¶ 5. Hinc anima ponitur etiam sæpe pro vitali animalium vi, sive pro ea facultate, qua vivimus et sentimus, quæque nobis cum brutis animantibus est communis; hinc differt ab *animo*: *anima* enim est, uti ajunt, principium physiologicum, *animus* vero principium psychologicum; *animâ* vivimus, *animo* autem intelligimus, sentimus et volumus; *anima* communis est omnibus prorsus animantibus, *animus* vero proprius hominis est: hinc *Nonius p.* 436. 27. *Merc.* Animus est, quo sapimus; anima, quâ vivimus. Et *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 487. Animus consilii est, anima vitæ. Hac significatione — *a*) Ponitur de hominibus — Modo ita ut anima sit aliquid medium inter corpus et animum. *Varro* apud *Non. p.* 426. 30. *Merc.* In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est anima, huic (*ita lege pro* hinc) animus ad intelligentiam tributus. Cf. *eumd.* 5. *L. L.* 59. *p.* 23. *Müll.* Hæc duo Cælum et Terra, quod anima et corpus: humidum et frigidum Terra, eaque corpus, caldor Cæli et inde anima. Adde *Lucret.* 4. 884. et 158. *Macrob. Somn. Scip.* 1. 14. Cum vero retinendus animus est in custodia corporis, ipsam tunc animam nominat, quæ vincitur custodiâ corporali, cui mens divina non subditur. — Modo anima corpori opponitur. *Pacuvius* apud *Non. p.* 75. 12. *Merc.* Mater est terra, ea parit corpus, animam æther adjugat. Adde *Lucret.* 3. 160., 4. 884. et alibi. *Sall. Cat.* 2. Quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. *V.* infra *eumd. Jug.* 2. — Modo anima opponitur animo. *Accius* apud *Non. p.* 426. 31. *Merc.* Sapimus animo, fruimur anima, sine animo anima est debilis. — Modo anima omnibus animalibus communis affirmatur, et animus hominis proprius. *Seneca Ep.* 58. Animantia quemadmodum divido? et dicam, quædam animum habent, quædam tantum animam. *Juvenal.* 15. 148. Principio indulsit communis conditor illis Tantum animas, nobis animum quoque. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (14). Quisquis est deus – totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui. — Modo anima et animus junguntur. *Lucret.* 3. 135. Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri Inter se atque unam naturam conficere ex se. Adde *eumd.* 3. 158. *Id.* 1. 132. tunc cum primis, ratione sagaci, Unde anima atque animi constet natura, videndum est. *Sall. Jug.* 2. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cunctæ studiaque omnia nostra corporis alia, alii animi naturam sequuntur. — Denique interdum anima latiori sensu significat etiam animum, h. e. partem hominis nobiliorem et immortalem; ita tamen ut prima significatio etiamtum generatim perduret. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 87. Nunquam vidi – animam rationis consiliique participem in ulla alia, nisi humana, figurâ. *Sall. Jug.* 2. Ingenii egregia facinora, sicut anima, immortalia sunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 19. Nihil esse omnino animum et hoc esse nomen totum inane frustraque animalia et animantes appellari, neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia. *Ovid.* 15. *Met.* 158. *ex Pythagora.* Morte carent animæ, semperque priore relicta Sede novis habitant domibus vivuntque receptæ. Adde *Sueton. Cæs.* 88. — *b*) *Animæ* di-

enuntur etiam de Manibus, sed mythico, non psychologico sensu, ut recte animadvertit *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 5. *p.* 91., namque et in iis materiale aliquid inesse putabant Latini. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Unde animæ excitantur obscurâ umbrâ aperto ex ostio altæ Acherontis falso sanguine, mortuorum imagines. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 28. cruor in fossam confusus, ut inde Manes elicerent, animas responsa daturas. *Id.* 1. *Od.* 10. 17. Tu pius lætis animas reponis Sedibus. *Ovid.* 7. *Met.* 612. indefletæque vagantur Natarum matrumque animæ juvenumque senumque. *Propert.* 3. 12. 33. Nigrantesque domos animarum intrasse silentum. — *c*) De brutis animantibus. *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 59. p. 23. *Müll.* V. infra 6. sub *a. Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Sus vero quid habet præter escam? cui quidem ne putesceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. *Varro* 2. *R. R.* 4. 10. Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum: itaque iis animam datam esse proinde ac salem, quæ servaret carnem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (207). Animalium hoc maxime brutum animamque ei pro sale datam non illepide existimabatur. — *d*) Improprie et raro dicitur de vegetanti plantarum vi, nam et ipsæ vivere dicuntur. *Seneca Ep.* 58. Sed sunt quædam quæ animam habent, nec sunt animalia: placet enim satis et arbustis animam inesse: itaque et vivere illa et mori dicimus. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (152). et 31. 1. 1. (3)., qui etiam 17. 2. 2. (14). terræ animam tribuit, hoc est humorem illum et vim, qua plantas producit et vegetat. Sic *animam uvæ* appellat succum uvæ, quem habet a vite, in ea dependens, aut ubi statim decerpitur, quo durante et ipsa durat, 14. 1. 3. (16). Adde 13. 4. 9. (46)., ubi simile quid legitur. — *e*) Per catachresin anima ponitur aliquando et de aliis corporeis, ac significat vitale eorumdem principium, sive intimam, qua pollent, vim. *Plaut. Amph.* 2. 2. 42. Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero. ubi *anima putei* est aqua. *Varro* apud *Non. p.* 234. 5. *Merc.* Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima revivisci. *anima noctilucæ* seu *lucernæ* est lux qua splendet. Et *Phædr.* 3. 1. 5. *animam amphoræ* posuit pro vino, significans etiam halitum odorum, qui inde exhalat ex vini reliquiis. ¶ 6. Per metonymiam anima ponitur de iis, quæ vitâ et halitu prædita sunt, h. e. de viventibus. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 59. p. 23. *Müll.* Ova parire solet genus pennis condecoratum, Non animam, inde venit divinitus pullis ipsa anima. *h. e.* pariunt ovum, non animalia viva, non animam viventem. *Stat.* 2. *Theb.* 246. Hi fibris animâque litant. *h. e.* victima, vel vita victimæ. *Lactant. Divinat. Inst.* 3. 8. Ab hisne igitur præcepta vivendi petamus, qui hoc idem sentiunt, quod animæ rationis expertes? — *b*) Speciatim de hominibus ratione præditis: præcipue si magno amore et quadam animi dulcedine virum, qui a nobis plurimi ducitur, cogitamus. *Tac.* 4. *Hist.* 32. Vos Treviri et ceteræ servientium animæ. *Lucan.* 5. 322. Detegit imbelles animas nil fortiter ausa Seditio. Adde *eumd.* 6. 570. et *Stat.* 1. *Theb.* 630. *Inscript.* apud *Orell.* 4800. DVLCIS ANIMA. *Et* 4621. ANIM. SIMPL. *h. e.* animæ simplicissimæ. — *Virg.* 11. *Æn.* 24. Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo etc. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 40. Plotius et Varius Sinuessæ Virgiliusque Occurrunt, animæ, quales neque candidiores Terra tulit, neque quis me sit devinctior alter. ¶ 7. Denique adhibetur quandoque in blanditiis, diciturque de iis, quos æque caros habemus, atque animam nostram. *Cic.* 14. *Fam.* 14. 2. Vos, meæ carissimæ animæ, quam sæpissime ad me scribite. *Hæc eadem Ep. ita inscribitur:* Tullius Terentiæ et pater Tulliæ, duabus animis suis *Id. ibid.* 18. 1. Considerandum vobis etiam atque etiam, animæ meæ, diligenter puto quid faciatis. *M. Aurel.* inter. *ep. Fronton. ad M. Cæs.* 1. 1. Neque me fortuna sinit ad meum Frontonem, ad meam pulcherrimam animam confestim percurrere. *Horat.* 1. *Od.* 3. 8. Et serves animæ dimidium meæ. *Id.* 2. *ibid.* 17. 5. Ah, te meæ si partem animæ rapit Maturior vis. Et 3. *ibid.* 9. 12. Pro qua non metuam mori, Si parcent animæ fata superstiti.

Homonym. *Anima* differt ab *animo*. V. supra 5., et ANIMUS sub init.

ĂNĬMĀBĬLIS, e, adject. (anima) qui respirari potest. *Cic.* 2. *Nat. D.* 36. 91. Terra sita in media mundi parte, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aer. *Forcellinus* affirmabat esse qui legerent *animali*, quam lectionem exhibent recentior. Editt. ferme omnes.

ĂNĬMADVERSĬO, ōnis, f. 3. (animadverto). Legitur et divisim *animi adversio* apud *Cic. Arch.* 7. 16. — Proprie est mentis ad rem aliquam attentio, consideratio, notatio (It. *attenzione*, *osservazione*, *considerazione*; Fr. *attention*, *observation*, *considération*; Hisp. *atencion*, *advertencia*, *observacion*, *consideracion*; Germ. *die Richtung des Geistes*, *die Aufmerksamkeit oder Achtung auf etwas*; Angl. *attention*, *observation*, *consideration*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 29. 103. Ex quibus illud intelligitur – excitandam animadversionem et diligentiam, ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. *Id.* 2. *Orat.* 34. 147. Atque hoc totum est sive animadversionis, sive consuetudinis nosse regiones, intra quas venere etc. — *b*) Cum Genit. rei. *Cic. Orat.* 55. 183. Ita notatio naturæ et animadversio peperit artem. ¶ 2. Speciatim est actus quo actionem aliquam minus rectam notantes, eum qui fecit castigamus et reprehendimus: quo sensu animadversio complectitur non modo reprehensionem cum lenem, tum gravem, verum etiam ipsam punitionem; et occurrit — 1.) De privatis personis. *Cic.* 1. *Fin.* 9. 30. Mediocris animadversio atque admonitio. *Id. Orat.* 57. 195. Nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem (*pedibus in oratione*) uteremur. *Id. Rosc. Am.* 24. 68. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternæ metus. *h. e.* punitionis. *Lactant. Divin. Instit.* 4. 4. Animadversio domini adversus fugitivos. — 2.) Item reprehensio et punitio propria ejus, qui jurisdictionem et cognitionem habet; cujusmodi erant apud Latinos censor, consul, dictator, prætor, imperator et judex. *V.* ANIMADVERTO 3. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. Omnis autem (*in liberis populis*) et animadversio et castigatio contumeliâ vacare debet. *Id.* 5. *Verr.* 61. 140. Quid excogitat pœnæ? quid animadversionis in Apronium? *Liv.* 21. 18. Nostra – hæc quæstio atque animadversio in civem nostrum est. *Sueton. Aug.* 24. Animadversione capitali punire aliquem. *Id. Tib.* 19. Animadversionum et ignominiarum genera. *Id. Calig.* 11. Animadversionibus pœnisque ad supplicium datorum interesse. — *b*) Speciatim. *Cic. Cluent.* 42. 117. Animadversio atque auctoritas censoria. *Id. ibid.* 42. 119. Censoriæ animadversiones. *Id. ibid.* 46. 128. Quod idem facere censores – in judicio civium et in animadversione vitiorum qui convenit? Adde *eumd.* 3. *Off.* 31. 111. *Id.* 1. *Phil.* 2. 5. Talis animadversio fuit Dolabellæ (*consulis*) cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos. *Id.* 9. *Fam.* 14. 7. Summa severitas animadversionis. *et hic sermo est de* Dolabella consule. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. A. 2. Animadversionem et supplicium remittere. *Vellej.* 2. 68. 5. Animadversio dictatoria. *Cic.* 1. *Fin.* 10. 35. Exercitum animadversionis metu continere. *Id.* 3. *Verr.* 17. 45. Genus animadversionis videte. *h. e.* a prætore factæ. Et de judice *Cic. Cæcin.* 12. 35. Quid denique ad jus civile aut actoris notionem atque animadversionem ages injuriarum? *actor* h. loco est *accusator*, ut recte *Klotz* interpretatur. *Papinian. Dig.* 1. 20. 1. Nemo dicit animadversionem legatum proconsulis habere, mandata jurisdictione. *h. e.* jus gladii, quod est proprium ejus, qui merum imperium habet, ut docet *Ulpian. ibid.* 2. 1. 3.

ĂNĬMADVERSO, as. *V.* ADVERSO.

ĂNĬMADVERSŎR, ōris, m. 3. qui animadvertit, sive attente observat et reprehendit. *Cic.* 1. *Off.* 41. 146. Itaque ut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt, sic nos, si acres ac diligentes esse volumus animadversores vitiorum, magna sæpe intelligemus ex parvis. *Alii non satis probe leg.* Si acres ac diligentes judices esse volumus animadversoresque vitiorum. *h. e.* punitores.

ĂNĬMADVERSUS, a, um. *V.* ANIMADVERTO.

ĂNĬMADVERSUS, us, m. 4. animadversio, castigatio. *Lamprid. Alex. Sever.* 25. Severus est appellatus a militibus ob austeritatem: et in animadversibus asper in quibusdam fuit. *Ita legit* Salmas.; *alii plerique leg.* animadversionibus.

ĂNĬMADVERTO *vel* animadvorto, tis, ti, sum, tere, a. 3. Perf. *Animadversit* pro *animadvertit* legitur apud *Apul. Florid.* 4. 19. — Part. *Animadvertens* 2. *b.*; *Animadversus* in omnibus paragr.; *Animadversurus* 1. c. et 3. *b.*; *Animadvertendus* 1. d. et 3. *b.* — Est vox composita pro *animum adverto* (*V.* ADVERTO II.), quæ occurrit in prosa tantum oratione, et significat mentem in rem aliquam intendere, animum ad aliquid attendere (It. *por mente*, *attendere*, *badare*; Fr. *diriger son attention sur quelque chose*, *avoir l'œil à*; Hisp. *atender*, *aguardar*; Germ. *den Geist worauf und wohin keren*, *seine Aufmerksamkeit worauf wenden*, *aufmerken*, *aufachten*; Angl. *to take heed*, *attend*). ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Absolute adhibebatur, cum lictores aut alii magistratui præeuntes, clamabant, ut ab obviis decederetur, assurgeretur, caput aperiretur et alia honoris signa præberentur. *Liv.* 24. 44. *ad fin.* Ut consul animadvertere proximum lictorem jussit, et is, ut descenderet ex equo, inclamavit. *h. e.* consul imperavit lictori, ut attentus esset. *Sueton. Cæs.* 80. Consule theatrum introeunte, cum lictor animadverti ex more jussisset. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad. Gell.* 6. 2. Ipsa autem verba – ascripsi, ut, si cui meum istud interpretamentum videbitur obscurius, ad ipsius verba animadvertat. — *c*) Sæpius cum Accus. rei. *Ter. Phorm.* 3. 1. 3. Alios tuam rem credidisti magis quam tete animadversuros? *Cic.* 11. *Fam.* 27. 7. Dignitas tua facit, ut animadvertatur quidquid facias. *Id.* 2. *Divinat.* 27. 58. Hæc in bello – majora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace. *Tac.* 15. *Ann.* 74. In præsens haud animadversum (*prodigium*), post arma Julii Vindicis ad auspicium et præsagium futuræ ultionis trahebatur. — *d*) Sequente relativo. *Cic.* 6. *Att.* 1. 20. Deinde me obsecras amantissime, ne obliviscar vigilare et ut animadvertam, quæ fiant. *Id.* 2. *Off.* 20. 69. Sed animadvertendum est diligentius, quæ natura rerum sit. *Nep. Epam.* 6. Animadvertere debere Arcadas, quos utraque civitas cives procreasset. — *e*) Sequente *ut* vel *ne* idem est ac providere, cavere. *Cic.* 5. *Fam.* 20. 5. Illud me non animadvertisse moleste ferrem, ut ascriberem te in fano pecuniam jussu meo deposuisse. *Id. Amic.* 26. 99. Tamen – admonendi sunt, ut animadvertant, ne callida assentatione capiantur. *Id.* 2. *Off.* 19. 68. Jam illud non sunt admonendi – ut animadvertant, cum juvare alios velint, ne quos offendant. ¶ 2. Latiori sensu est observare, considerare, cognoscere, intelligere, quod nimirum fit animadvertendo. — 1.) Nullo addito termino, a quo quid cognoscamus. — *a*) Cum Accus. rei. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 20. Quid est, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium? *Id.* 1. *Divinat.* 36. 79. Experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. *Id.* 1. *Orat.* 27. 124. Oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiæ peccatum videtur. *Id.* 6. *Att.* 1. 17. Cum animadvertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem. *Nep. Arist.* 1. Cum animadvertisset quemdam scribentem. *Id. Timoth.* 4. Fortunæ varietas animadversa. Adde *eumd. Pelop.* 5. *Liv.* 1. *præfat.* Sed hæc et similia his, utcumque animadversa aut existimata erunt. *Auct. B. G.* 8. 77. Hac re animadversa. *Virg.* 2. *G.* 259. et 3. *ibid.* 123. Iis animadversis. *Quintil.* 1. 6. 24. Quod si animadverterent litterarum affinitatem, scirent etc. — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Ter. Phorm.* 5. 8. 16. Postquam tantopere id vos velle animadverteram. *Cic.* 1. *Orat.* 27. 122. Sæpe animadverti, Crasse, et te et ceteros summos oratores – in dicendi exordio permoveri. *Id.* 1. *Off.* 12. 37. Equidem etiam illud animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigatam. *Forcellinus* cum aliis leg. *mitigante. Varro* 1. *R. R.* 17. 4. Ut animadvertant eum cum causa sibi præesse. *Nep. Milt.* 4. Si animadvertissent audere adversus se tam exiguis copiis dimicare. *Id. Them.* 8. Ibi cum ejus principes civitatis animadvertisset timere. Adde *eumd. Epam.* 7. et 6. *Sueton. Cæs.* 82. Ut animadvertit, undique se strictis pugionibus peti. *Justin.* 8. 5. Captos se fraude Philippi animadvertens. — *c*) Sequente relativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. 3. Sin autem di neque possunt nos juvare, neque volunt, nec omnino curant, nec quid agamus animadvertunt. *Id.* 1. *ibid.* 6. 14. Sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de religione, pietate, sanctitate existimandum sit. *Id. Amic.* 8. 27. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest. — *d*) Sequente part. cum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 24. Animadversumque sæpe est cum cor animantis alicujus evulsum ita palpitaret, ut imitaretur igneam celerita-

tem. — 2.) Addito termino, a quo quid cognoscimus, per Ablat. et præp. *ab*, *e*, vel per Adverb. *hinc*. *Cic.* 3. *Fam.* 5. 1. Animadverti enim et didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuisse rationem etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? *Varro* 2. *R. R.* 4. 4. Boni seminis sues animadvertuntur a facie et progenie et regione: a facie si formosi sunt verris et scrofa, etc. *Vitruv.* 10. 16. 5. *Schneid.* Ut etiam possemus hinc animadvertere. ¶ 3. Animadvertere est etiam considerare et notare quidquid minus rectum sit, idque reprehendere, castigare et punire. Ad rem *Cic.* 3. *Orat.* 12. 44. Quare cum sit quædam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum etc. Et *Sueton. Tib.* 68. Quæ omnia ingrata atque arrogantiæ plena et animadvertit in eo, et excusare tentavit apud senatum ac populum. *V.* ANIMADVERSIO 2. — 1.) De personis privatis. *Ter. Andr.* 1. 1. 129. Ea primum ab illo animadvertenda injuria est. *h. e.* ea prima injuria est ab illo profecta, quæ animadversione et objurgatione digna sit. *Id. ibid.* 4. 4. 28. O facinus animadvertendum! *Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Atque ea sunt animadvertenda peccata maxime, quæ difficillime præcaventur. — 2.) De magistratibus est verbum judiciale ac prætorium, et significat reprehendere et cognitâ causâ punire. *V.* ANIMADVERSIO 2. 2.) — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Verr.* 17. 44. In Achaja – magistratum nummos poposcit. – Cum ille non daret, animadvertit. *Tac. Germ.* 7. Ceterum neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi sacerdotibus, permissum. *Edictum prætoris* in *Dig.* 4. 4. 1. § 1. QVOD CVM MINORE QVAM XXV. ANNORVM NATV GESTVM DICETVR, VTI QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. *Ibid.* 4. 10. 15. SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT, PROVT QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. Adde *ibid.* 11. 5. 1. et alibi sæpe. — *b*) Cum Accus. rei. *Cic. Cæcin.* 12. 33. Quod cum ita sit resque ejusmodi sit, ut imprimis a magistratibus animadvertenda videatur. *Liv.* 42. 21. Juratus senatus decerneret, qui eam rem quæreret animadverteretque. Adde *eumd.* 42. 32. *Sueton. Ner.* 16. Multa sub eo et animadversa severe et coercita, nec minus instituta. — *c*) Raro cum Accus. personæ. *Paul. Dig.* 48. 24. 3. Corpora animadversorum ad sepulturam danda sunt. *h. e.* supplicio ultimo affectorum. — *d*) Sæpius cum Accus. personæ et præp. *in*, etiam impersonaliter. *Cic.* 5. *Fam.* 2. 8. Qui in alios animadvertisset indictâ causâ. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 23. 57., 5. *ibid.* 55. 127. et 61. 140., ubi pro *animadvertere* recentiores editt. leg. divisim *animum advertere*. *Id.* 1. *Cat.* 12. 30. Si in hunc animadvertissem. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Satis esse causæ arbitrabatur, quare in eum aut ipse animadverteret, aut civitatem animadvertere juberet. *Liv.* 1. 26. Se patrio jure in filium animadversurum fuisse. *Gran. Licinian.* p. 38. ed. *Pertz.* Sulla Athenas reversus in principes seditionis et noxios animadvertit violentius. *Nep. Cat.* 2. In complures nobiles animadvertere. *Sall. Cat.* 52. verberibus in cives. *Ulp. Dig.* 48. 19. 8. gladio in aliquem. *Id. ibid.* 4. 8. 8. in servos ultimo supplicio. *Tac.* 1. *Hist.* 68. in aliquem, ut concitorem belli. — Impersonaliter. *Tac.* 1. *Hist.* 46. et 4. *ibid.* 49. et *Sueton. Calig.* 30. Animadvertitur in aliquem.

ANIMÆQUUS, a, um, adject. æquo animo præditus. Occurrit Compar. tantum in *Vulgat. Interpr. Marc.* 10. 49. Animæquior esto. *Ibid. Act. Ap.* 27. 36. Animæquiores autem facti.

ĂNĬMAL, ālis, n. 3. Est proprie *adject. neutr. gen.* ab *animalis* pro *animale*. Est substantia animata sensibilis, et dicitur de omni vivente. ¶ 1. Generatim de omni vivente. De Universo juxta Platonem. *Cic. Tim.* 3. Quamobrem non est cunctandum profiteri –, hunc mundum animal esse. *Id. ibid.* 4. Cum deus similem mundum efficere vellet, animal unum, aspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. *Id.* 1. *Tusc.* 23. 54. Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 12. 37. Cum inter inanimum et animal hoc maxime intersit, quod animal agit aliquid. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 26. 28. et 3. *Nat. D.* 12. 29., *Lucret.* 2. 973., *Varron.* 5. *L. L.* 59. p. 23. *Müll.* et *Quintil.* 5. 14. 12. ¶ 2. Speciatim de hominibus et brutis. — *a*) Aut simul. *Varro* 2. *R. R.* 1. 3. Sive enim aliquod fuit principium generandi animalium. *Liv.* 9. 14. Cædunt – servos, liberos, puberes, impuberes, homines jumentaque, nec ullum superfuisset animal, ni etc. *Ovid.* 1. *Met.* 84. Pronaque cum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit cœlumque tueri Jussit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 6. (33). Qui tria animalia singulis ictibus interfecerint, hominem, aprum, ursum.— *b*) De homine tantum. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 22. Animal hoc providum, sagax, multiplex –, quem vocamus hominem. *Id.* 2. *Fin.* 13. 40. Ut tardam aliquam et languidam pecudem, ad pastum et procreandi voluptatem hoc divinum animal ortum esse voluerunt. *Ovid.* 1. *Met.* 76. Sanctius his animal mentisque capacius altæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (171). Bipedum solus homo animal gignit. ¶ 3. Sæpe de brutis animantibus tantum, tamquam homine inferioribus, et quidem cum de belluis, tum de minutis quibuscumque bestiolis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando etc. *Varro* 7. *L. L.* 103. p. 160. *Müll.* Multa ab animalium vocibus translata in homines. *Curt.* 8. 9. 16. Animalia inusitata ceteris gentibus, nisi invecta. *Colum.* 12. *R. R.* 31. Si quod animal in mustum ceciderit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 46. (37). Credamus – si quod animal aurem intraverit et inspuatur, exire. *Seneca Ep.* 76. In homine optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia. *Id. ibid.* 3. Illud quoque dixeram, si bona sunt, quæ tam homini contingunt, quam mutis animalibus, et muta animalia beatam vitam actura. *Quintil.* 6. 3. 57. Similitudo – non ab hominibus modo petitur, verum etiam ab animalibus. *Eodem sensu* ¶ 4. Interdum contumeliose ponitur de homine indocto, et qui nulla moveatur ratione, quomodo et bellua et pecus. *Cic. Pison.* 9. 21. Complexus es funestum illud animal ex nefariis stupris, ex civili cruore – conceptum.

Homonym. *V.* ANIMANS in fin.

ĂNĬMĀLIS, e, adject. ad animam pertinens; ac proinde ¶ 1. Est aereus, scilicet ad animam pertinens, qua aerem significat. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis. *Et paullo post.* Sive illi (*animi*) sint animales, id est spirabiles, sive ignei, sublime ferri. *Id.* 2. *Nat. D.* 36. 91. Animalis spirabilisque natura. *Nonnulli minus recte leg.* animabilis. *Id.* 3. *ibid.* 14. 34. Natura animantis vel terrena, vel ignea, vel animalis, vel humida. ¶ 2. Item ad respirationem pertinens vel inserviens respirationi. *Scribon. Compos.* 84. Vena animalis. ¶ 3. Item animam seu vitam habens. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. (*Testudo*) eviscerata, inanima, cum animali sono. *Lucret.* 1. 227. Animale genus. *Id.* 2. 727. Animalia corpora. *Cic. Tim.* 9. Colligata corpora vinculis animalibus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 37. 119. Quædam animalis intelligentia per omnia permeat et transit. *Id.* 2. *Invent.* 1. 2. Ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 42. 67. (166). Spiritus animalis. *h. e.* qui præditus est procreandi vi. *Quintil.* 8. 6. 9. Res animales. *quibus ibid. opponuntur* inanimæ. ¶ 4. *Animales dii* dicti sunt, quorum origo animalis erat, hoc est, qui, cum homines essent, dii facti sunt. *Labeo* enim, qui librum scripsit *De diis animalibus*, apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 168. scribit esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem, subdit *Servius*, sunt dii Penates et Viales. ¶ 5. *Animalis hostia* dicta est, quâ sola victimæ anima, hoc est vita deo sacratur; carnes vero in sacerdotum aliorumque usum cedunt: et distinguitur a *consultoria*, quæ eo fine cæditur, ut per ejus exta inspecta deorum voluntas disquiratur. *Macrob.* 3. *Saturn.* 5. et *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 231. et 4. *ibid.* 56. ¶ 6. Apud Scriptores Ecclesiasticos *animalis* ponitur etiam de homine, qui veluti brutum animal ratione carens sensuum tantummodo voluptate delectatur. *Vulgat. Interpr. Paul.* 1. *Cor.* 2. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

ĂNĬMĀLĬTER, adverb. more animalis: Sed speciatim est inferiori modo ratione habita substantiæ spiritualis apud *Augustin. Retract.* 1. 26. *ad fin.* Item quod dixi, spiritaliter summos angelos vivere, infimos vero animaliter.

ĂNĬMANS, antis, proprie est particip. præs. verbi *animo*, de quo V. in ea voce. Ceterum occurrit *A*) Adjectivum et *B*) Substantivum.

A) Adjective est habens animam, vivens, animalis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 23. Qui mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt. *Id.* 2. *ibid.* 8. 22. Animans igitur est mundus composque rationis. *Id.* 3. *ibid.* 4. 11. Quos (*deos*) tibi Vellejus multique præterea ne animantes quidem esse concedant. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 10. Machina animans. *h. e.* corpus hominis et belluarum. *Seneca Ep.* 58. Corpus quomodo divido? Ut dicam: aut animantia sunt, aut in anima.

B) Substantivi more, ut animal, usurpatur genere masc. aut fem. num. sing., genere autem masc., fem. aut neutro num. plur. ¶ 1. Latiori sensu ponitur de omni vivente et plantas ipsas complectitur. *Seneca Ep.* 58. Sed sunt quædam, quæ animum habent, nec sunt animalia: placet enim satis et arbustis animam inesse. Itaque et vivere illa et mori dicimus. Ergo animantia superiorem tenebunt locum, quia et animalia in hac forma sunt et sata. Sed quædam animâ carent, ut saxa. Itaque erit aliquid animantibus antiquius, corpus scilicet. *Et ibid. non multo post.* Rursus animantia quemadmodum divido? Ut dicam – quædam impetum habent, incedunt, transeunt; quædam solo affixa radicibus aluntur et crescunt. Itaque *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (155). hac latiore notione *pestifera animantia* dixit significans omnia ea, quæ noxia hominibus a terra gignuntur. ¶ 2. Speciatim ponitur de hominibus et brutis. — *a*) Masc. gen. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Vites – se ita erigunt, ut animantes. *Id. Tim.* 4. Omnes igitur, qui animo cernuntur et ratione intelliguntur animantes complexu rationis et intelligentiæ, sicut homines, hoc mundo et pecudes et omnia comprehenduntur. Adde *ibid. paullo post.*, et 6. *Et ibid.* 11. Ita oriuntur animantes, quos et vivos aletis et consumptos sinu recipiatis. — *b*) Fem. gen. *Lucret.* 2. 940. quibus (*motibus*) omne tuentes Accensi sensus animantem quamque tuentur. Præterea quamvis animantem grandior ictus – affligit. *Cic.* 1. *Legg.* 9. 26. Nam cum ceteras animantes abjecisset (*natura*) ad pastum, solum hominem erexit. *Id.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Animantium vero quanta varietas est, quarum aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ, etc. — *c*) Neutr. gen. *Lucret.* 1. 350. Dissipat in corpus sese cibus omne animantum. Adde *ibid.* v. 4. *Cic. Tim.* 4. Nullius profecto eorum quidem, quæ sunt nobis nota animantia. *Id. ibid.* 9. Ex quibus – animantia orta sunt. *Id. ibid.* 10. Erant autem animantium genera quatuor, quorum unum divinum atque cœleste etc. — *d*) Sæpius de homine masc. gen. ratione tamen habita ceterorum animalium. *Lucret.* 2. 666. Hinc porro quemvis animantem ex omnibus una Ossa, cruor, venæ – constituunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 61. 133. Soli ex animantibus nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus. *Id.* 1. *Legg.* 9. 27. Qui nullo in animante esse præter hominem potest. — *e*) De homine absolute. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 40. hic stilus haud petet ultro Quemquam animantem. *Scribon. Ep. ad Call.* Quod malum (*invidiæ*) cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum præcipue medicis.

Homonym. Inter *animal* et *animans*, inquit *Forcellinus*, hoc interest, quod *animal* dicitur de iis tantum, quæ sensitivam habent animam: *animans* aliquando latius patet et plantas etiam complectitur. Aliud discrimen tradit *Fronto*, quod nempe *animantia animus* facit: *animalia animam* habent. Contra tamen est usus, quo *animantia* fere dicuntur de brutis, quæ *animam* habent, non *animum*. — Sed, ut de his recte judices, confer hanc vocem sub *B.* 1., ANIMAL 2. et ANIMA 5.

ĂNĬMĀTĬO, ōnis, f. 3. (animo) proprie est actio animandi seu vivificandi. ¶ 1. Occurrit concretum potius quam abstractum apud *Cic. Tim.* 10. Erant autem animantium genera quatuor, quorum unum divinum atque cœleste, alterum pennigerum et aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. Divinæ animationis maxime speciem faciebat ex igne etc. *h. e.* speciem animantium divinorum: ea ratione qua *animans* pro animato seu animali ponitur. Eodem modo locutus videtur *Tertull. Anim.* 19. Animatio arboris. ¶ 2. Item est indignatio, animi commotio. *Vulgat. vetus Jesai.* 42. apud *Cyprian. de Lapsis* 20. Et superduxit super eos iram animationis suæ. Cf. ANIMOSITAS 2. et ANIMOSUS 1. *b*.

ĂNĬMĀTOR, ōris, m. 3. (animo) qui spiritum et animam dat.

1.) Proprie. *Tertull. Apolog.* 48. Spiritus omnium

animarum animator. *Prudent.* περὶ στεφ. 10. 788. Novit animator solus et factor tui.

II.) Translate. *Capell.* 1. p. 13. Cum vivos etiam vultus æris aut marmoris signifex animator inspirat.

ĀNĬMĀTRIX, icis, f. 3. (animator) quæ spiritum et animam dat. Occurrit figurate tantum apud *Tertull. advers. Gnost.* 12. Dilectio fugatrix timoris et animatrix confessionis. *h. e.* quæ dat animos et constantiam ad libere profitendum.

ĀNĬMĀTUS, a, um. *V.* ANIMO.

ĀNĬMĀTUS, us, m. 4. est status, quo quis anima et vita pollet. In sexto casu sing. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 3. 2. (7). Animatu carere.

ĀNĬMĬCĪDA, æ, m. 1. animam occidens. Est vox a Lexico expungenda; in loco enim, qui in Lexicis afferebatur, ex *Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 6. § 4., a posteriore Scholiasta addita est hæc vox ad Græcum ψυχοφθόρος interpretandum.

ĀNĬMĬTUS, adverb. ex animo, impense, sincere. *Nonius* p. 147. 27. *Merc.* hanc vocem affert tamquam sit in usu apud Latinos. Scribit enim occultius dictum esse, ut *animitus, medullitus.* Nihilominus, præter vet. Onom., nullum aliud Latini scriptoris exemplum vidimus.

ĀNĬMO, as, āvi, ātum, are, est *verbum intrans.*, quod significat halitum, animam vitamque habere, unde Participium tantummodo præsens ANIMANS, antis, quod *V.* suo loco. — Est etiam *verbum activum* 1. Part. *Animans* I. 2.; *Animatus* in omnibus fere paragr. et in fine; *Animandus* I. 2. — Hæc vox ab *anima* aut ab *animo* plura significat, scilicet

I.) Proprie. ¶ 1. Significat animam seu flatum inspirare. *Apul. Florid.* 3. Duas tibias uno spiritu animavit. *Arnob.* 6. 10. Buccinarum tortus intestinis et domesticis flatibus animare. ¶ 2. Sæpius est animam seu vitam dare. — *a)* Absolute. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 131. Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat etc. *Lucret.* 2. 717. multa Quæ neque connecti quoquam potuere, neque inter Vitales motus consentire atque animari. *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 110. Quæ (*corpora individua*) etiam si essent –, pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse possent; formare, figurare, colorare, animare non possent. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 10. Animantur ova atque in speciem volucrum conformantur. *Id.* 6. *ibid.* 36. 4. Animantur semina genitalibus locis injecta. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (6). Quod (*semen*) deinde tempore ipso animatur corporaturque. *Id.* 11. *ibid.* 23. 27. (77). Bombyces et in Co insula nasci tradunt, cupressi – quercus florem imbribus decussum terræ halitu animante. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 188. Mavortia signa rubescunt Floribus, et subitis animantur frondibus hastæ. *Vetus Scholiast.* ad *German. Prognost. comment.* Sive quod Endymionem amasse fertur (*Luna*), quia nocturni roris humor, qui est siderum, quique ipsius Lunæ, animandis herbarum succis insudetur. — *b)* Occurrit et *animare in aliquid*, hoc est animando transformare. *Ovid.* 4. *Met.* 619. Quas (*guttas cruentas capitis Gorgonei*) humus exceptas varios animavit in angues. *Id.* 14. *ibid.* 565. in Nymphas animatâ classe marinas. *h. e.* navibus in Nymphas versis. ¶ 3. Item est alicujus animum ad aliquid informare, aliquo modo afficere; quo sensu ab *animo* potius quam ab *anima* verbum est deducendum. *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 89. Perinde utcumque temperatus est aer, ita pueros orientes animari atque formari (*censent*), ex eoque ingenia, mores, animum – fingi. *Tac. Germ.* 29. Mattiaci ipso terræ suæ solo ac cælo acrius animantur. *h. e.* ferociores animos sortiuntur ac tolerantiores. *V.* infra *Animatus.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a sup. paragr. 2., animare personam vel rem est reficere, recreare, vividam conservare, vitâ quodammodo animâque donare. *Hygin. Fab.* 126. Quem Eumæus casa recepit, cibo potuque animavit. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 15. Animare arbores quotidianis rigationibus. *Id.* 8. *ibid.* 3. 2. citri taleam quotidianis liquoribus. *Id.* 4. *ibid.* 1. 3. ligaturam vitis alimento contra vim cæli torrentis. Hinc *Stat.* 2. *Silv.* 2. 64. Si quid Apellei gaudent animasse colores. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 386. Qualis pestiferas animare ad crimina taxos Torva Megæra ruit. *h. e.* facem e taxi arbore accendere ad nocendum hominibus. ¶ 2. Item ductâ metaphora a sup. paragr. 3., est incitare, hortari. *Nemes. Cyneg.* 83. et milite multo Agmina, queis fortes animat devotio mentes. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. Ut hortatu vestro Eustathius, quæ de scommate paulo ante dixerit, animetur aperire. *Cod. Theod.* 6. 4. 21. § 3. Animari ope. *Id.* 14. 4. 10. § 5. copiis. — Hinc part. præter. pass.

Animatus, a, um, etiam adjective usurpatur, unde Super. *Animatissimus* sub *B.*

A) Proprie. ¶ 1. Est animâ sive halitu præditus. *Varro* apud *Non.* p. 201. 7. *Merc.* Avi et atavi nostri, cum allium ac cæpe eorum verba olerent, tamen optime animati erant. *Varro* tamen ludit in ambiguo vocis *animatus*, qua ducitur ab *anima* quæ et halitum oris significat, et quâ ducitur ab *animo* unde *animatus* (*V.* infra sub 3. *a.*) est bono animo præditus. ¶ 2. Sæpius *animatus* est qui animam vitamque habet. *Lucret.* 5. 145. vitaliter animatum esse. *Cic. Top.* 18. 69. Anteponantur – animata inanimis. *Id.* 6. *de republ.* 15. 15. Stellæ divinis animatæ mentibus. *Scribon. Compos.* 95. Animatum semen nasturtii! ¶ 3. Eadem significatione quâ verbum I. 3., animatus est affectus motu aliquo animi, aut voluntatis. — *a)* Generatim animatus est animo affectus, et occurrit aut absolute, aut cum Accus. et præp. — Absolute. *Ennius* apud *Gell.* 7. 17. Sed virum vera virtute vivere animatum addecet fortiterque innoxium vacare adversum adversarios. *Plaut. Men.* 1. 3. 20. Hoc animo decet animatos esse amatores probos. Adde *Varron. l. c.* sub 1. *Cic.* 5. *Fam.* 6. Quam (*causam*) Pompejus animatus melius, quam paratus suscepit. *Id.* 9. *Phil.* 5. 12. Qui quamquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, ut si adesset. *Id.* 13. *Fam.* 1. socii infirme animati. *Nep. Cim.* 2. Insulas nonnullas bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. Quod si aliter essem animatus, numquam, quod facerem, negarem. — Cum Accus. personæ, in quam quis est animatus, et præp. *in, erga, adversus, circa.* *Cic. Amic.* 16. 57. Nec enim illa prima (*sententia*) vera est, ut quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. *Id.* 6. *Verr.* 68. 151. Syracusanam quidem civitatem, ut abs te affecta est, ita in te animatam esse videmus. *Liv.* 29. 17. Quemadmodum Locrenses in vos animati sint. *Cic.* 13. *Att.* 12. 2. Videbaturque erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus. *Sueton. Vitell.* 7. Male animatus erga principem exercitus. *Ulp. Dig.* 48. 4. 11. Hostili animo adversus rempubl. animatus. *Justin.* 14. 1. Ut, quomodo circa se animati essent, cognosceret. — *b)* Speciatim animatus est aliquo motu voluntatis affectus, animo ad finem aliquem assequendum intendens; et occurrit cum Subj. et part. *ut*, cum Infinito, vel cum Accus. et præp. *in.* *Plaut. Amph.* 2. 2. 130. Ita animatus fui itaque nunc sum, ut eâ te pater donem. *Id. Pseud.* 1. 2. 18. Nempe ita animati estis vos vincere hoc duritiâ tergi atque me. *Id. Truc.* 5. 74. Verum, amabo, si quid animatus es facere, fac jam ut sciam. *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. Cæpionem, qui in Augusti necem fuerat animatus. — *c)* Item speciatim absolute usurpatur, et est qui habet multum animi, animosus. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 17. Hoc insunt in equo milites armati atque animati probe. *Accius* apud *Non.* p. 233. 18. *Merc.* Ut nunc cum animatus iero, satis armatus sum. *Id. ibid.* Egone auxilio motus temere ut hosti me animato offeram? *Auct. Itiner. Alex. M.* 5. ed. *Mai.* Alexander legit militem voluntarium ac sibi voto competentem: non numero uberi, verum viribus alacritatisque usibus animatissimum.

B) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. *Claudian.* III. *Cons. Honor.* 114. animata saxa Orpheis modis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 8. (26). Vulsum (*spartum*) fascibus in acervo animatum biduo, tertio resolutum, spargitur in sole siccaturque. *h. e.* spartum etiam si vulsum sit et fascibus in acervo reductum, per duos tamen dies adhuc viride et vivum perdurat, nec siccatur, deinde etc. Sed *Forcellinus* ajebat melius alios legere *adunatum*. Eodem autem sensu dixit *Scribon. Compos.* 70. Animatum cachry. — *NB.* Animatæ tegulæ. *V.* HAMATUS.

ĀNĬMŌSĒ, adverb. (animosus). Comp. *Animosius* 1. et 2., Sup. *Animosissime* 2. Est ¶ 1. Magno et constanti animo, intrepide (It. *animosamente, coraggiosamente*; Fr. *avec courage, avec énergie*; Hisp. *animosamente, atrevidamente*; Germ. *auf eine muthvolle, herzhafte oder beherzte Weise*; Angl. *courageously, valiantly, bravely*). *Cic.* 4. *Phil.* 2. 6. Animose et fortiter facere aliquid. *Id.* 1. *Off.* 26. 92. Hæc præscripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere. *Id.* 4. *Tusc.* 23. 51. Nisi forte quæ vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. *Val. Max.* 9. 2. 3. Animosius se gerere in re aliqua. *Seneca* 6. *Benef.* 37. Animosius dicere aliquid. *Id. Ep.* 71. Animose retractare vulnera. ¶ 2. Item animo vehementer ardenti: cf. ANIMOSITAS 2. *Cic.* apud *Non.* p. 233. 27. *Merc.* Nimis animose ferox. *Sueton. Cæs.* 47. Animosissime comparare gemmas, toreumata, etc. *h. e.* cupide, prompte, sine metu impensæ. Sic *Paul. Dig.* 10. 2. 20. Animose liceri. *Seneca Ep.* 73. Neptuno – animosius a mercatore, quam a vectore solvitur votum: et ex ipsis mercatoribus effusius gratus est etc.

ĀNĬMŌSĬTAS, ātis, f. 3. (animosus). ¶ 1. Est animi impetus, spiritus, vis, contentio (It. *animosità, ardire, spirito*; Fr. *courage, énergie, ardeur*; Hisp. *corage, ardimiento, ánimo*; Germ. *der Muth, die Herzhaftigkeit*; Angl. *animosity, ardour, spirit*). *Sidon.* 4. *Ep.* 3. Equi potentis animositas. *Ammian.* 16. 12. Abjecta animositate resistendi. *Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 3. Plus significavit dicendo *spiritus*, quam si animositatem contentionemve dixisset. Hæc *Forcellinus*: sed in *Pseudo-Ascon.* ed. *Orell.* et *Bait.* locum minime inveni. *Arnob.* 3. 1. Conspirare animositate consensionis ad fidem alicujus rei abrogandam. ¶ 2. Apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. sumitur pro parte animæ, quam *irascibilem* vocant Scholastici. Scribit enim tres esse animæ partes, quarum prima est ratio, quam λογιστικόν appellant; secunda animositas, quam θυμικόν vocant; tertia cupiditas, quæ ἐπιθυμητικόν nuncupatur. Est itaque animi ardor, vehementia. *Firmic.* 8. *Mathes.* 12. Studiosa animositate perdiscere aliquid. *Augustin.* 2. *Retract.* 33. Pertinacissima animositate defendere aliquid. Eodem sensu plur. num. *animositates* dixerunt *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 12., *Augustin. Ep.* 162. et *de Civ. Dei* 14. 2. Et *Vulgata Interpr. vetus ad Gal.* 5. quod *Cyprian. de orat. dom.* 18. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt – æmulationes, animositates, provocationes etc.

ĀNĬMŌSUS, a, um, adject. Comp. *Animosior* 1. Hanc vocem Latini ab *anima* derivabant (*V. Cic.* 1. *Tusc.* 9. 19.), ideoque Poetæ nonnulli (*Virg.* 2. *G.* 441. et *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 51.) qui *animosos* dixerunt ventos, visi sunt ipsi *Forcellino* dixisse pro spirantes, flantes. Recentiores vero philologi vocem rectius ab *animo* tantum derivatam affirmant, ita ut *animosus* sit plenus animi, impetum animi habens, minime timidus (It. *animoso, coraggioso*; Fr. *plein de courage*; Hisp. *animoso, atrevido*; Germ. *voll Geist und Muth, muthig*; Angl. *courageous, bold, undaunted, valourous*). Itaque animosus ¶ 1. Generatim est, ut diximus, animi plenus; eique opponitur vel *timidus* ut apud *Cic. Mil.* 34. 92. Si in gladiatoriis pugnis – timidos atque supplices – odisse solemus, fortes et animosos et se acriter ipsos morti offerentes servare cupimus. — vel *formidolosus* ut apud *Varron.* 1. *R. R.* 17. 3. Mancipia esse oportere neque formidolosa neque animosa. — *a)* De personis et belluis. *Lucilius* apud *Non.* p. 233. 31. *Merc.* Atque animosam Thessalam et indomitam frenis subigam ante domemque bellando? *Novius* apud *eumd.* p. 233. 19. Nihil est periclí: dabo tibi virum validum, virum animosum. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Videremus, quid esset fortis et animosi viri. *Id. Senect.* 20. 72. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. *Horat.* 2. *Od.* 10. 21. Rebus angustis animosus atque Fortis appare. *Id.* 3. *ibid.* 4. 20. Non sine dis animosus infans. *Liv.* 3. 20. Comes animosior, quam auctor. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 12. animosus Priamides Hector. *Ovid. Heroid.* 13. 91. præbere animosa colla securi. *h. e.* intrepida. Huc pertinet et illud ejusd. *Ovid.* 6. *Met.* 134. Non tulit infelix laqueoque animosa ligavit Guttura. *Forcellinus* interpretatus est: guttura, per quæ micat spiritus. *Virg.* 3. *G.* 81. Luxuriatque toris animosum pectus (*equorum*). *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 3. equus animosus. *Id.* 2. *Met.* 84. quadrupedes. *Claudian. Bell. Gild.* 423. leones. Huc pertinet et illud *Propert.* 3. 9. 9. Gloria Lysippo est animosa fingere signa. *h. e.* statuas animum præseferentes et aperte significantes, ut puta statuam Alexandri M. hastam tenentis: nisi forte poeta ingenium Lysippi in signis fingendis nimis audax notaverit. *Forcellinus* vero *animosa signa* accepit pro animata, h. e. spirantia. — *b)* De dictis, factis ceterisque hujusmodi, quæ vel plena sunt animi, vel magnum animum postulant. *Ovid.* 5. *Fast.*

59. animosa bella gerere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (83). Animosa contentio. *Martial.* 12. 14. pericula. *Val. Max.* 3. 4. 6. Valentius et animosius virginis factum. *Seneca Quæst. nat. præf.* Pars altior et animosior philosophiæ. Hinc allegorice *Stat.* 6. *Theb.* 395. Frigus animosum. *h. e.* timor cum animositate conjunctus. — *c*) Et de ventis. *Virg.* 2. *G.* 441. quas (*silvas*) animosi Euri assidue franguntque feruntque. Et *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 51. impulsa est animoso janua vento. *h. e.* vento, qui animo maximo sive maximo impetu et vi spirabat. *V.* supra sub init. hujus vocis. — *NB.* Teste *Nonio p.* 233. *Merc.* animosus interdum accipitur pro iracundo vel furioso: sed ibi allata *Lucilii* et *Novii* loca aptius ad primam hanc rationem referuntur, ut ajebat ipse *Forcellinus*. Nihilominus aliqua ex allatis recte accipi possunt et hoc sensu, quo certe dixit *Cyprian. Ep.* 75. 25. Nisi quod imperitos animosos etiam atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii et sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis, quam de te dicat Scriptura divina (*Prov.* 29.): *Homo animosus parat lites, et vir iracundus exaggerat peccata.* ¶ 2. Speciatim addito Ablativo rei, qua quis est animosus, significat superbum, elatum, audacem. *Horat.* 1. *Od.* 19. 11. versis animosum equis dicere Parthum? *Ovid.* 6. *Met.* 706. En ego vestra parens, vobis animosa creatis. *Id.* 11. *ibid.* 552. spoliisque animosa superstes Unda, velut victrix, sinuataque despicit undas. ¶ 3. Item speciatim si sermo est de impensis, animosus est qui nullis sumptibus parcet, vehementi enim animi cupiditate ad rem faciendam vel emendam abripitur: cf. ANIMOSE 2. *Tac.* 1. *Hist.* 24. (*Otho*) adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo speculatori — universum vicini agrum suà pecuniâ emptum dono dederit. *h. e.* generatim, Otho magno animo et nullis sumptibus parcente donabat, ut a Galba ad se favorem hominum traheret. Sic *Prudent. Psychom.* 574. mille talentis Margaritum ingens, opibusque et viribus hastæ Addictis, animosa Fides mercata parabat. Sic a *Jabolen. Dig.* 17. 1. 36. § 1. *emptor animosus* dicitur qui cupidus promptusque est ad emendum, nec ullo impensarum metu deterretur. Eodemque sensu in *Cod. Theod.* 13. 6. 7. § 1. Homo animosus.

ĂNĬMŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* anima; anima parva vel exigua. *Cic.* 9. *Att.* 7. 1. Attulit uberrimas tuas litteras, quæ mihi quiddam quasi animulæ restillarunt. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. In unius mulierculæ animula si jactura facta est, tantopere commoveris. *Hadrian. Imp. in carm.* apud *Spartian. Hadr.* 25. Animula vagula, blandula etc. *Poeta vetus* apud *Gell.* 19. 11. Animula ægra et saucia cucurrit ad labias mihi etc. *Ammian.* 28. 1. Homo Sardus eliciendi animulas noxias et præsagia sollicitare larvarum perquam gnarus. *Inscript.* apud *Donat. cl.* 10. 99. AELIAE P. F. MARCIAE ANIMVL. INCOMPARABIL. PARENTES. Adde alias duas apud *Gruter.* 304. 1. et 322. 1.; quæ sunt apud *Orell.* 2579. ANIMVLA INNOCVA. Et 4761. ANIMVLA IN DEORVM NVMERVM RECEPTA. — *NB.* De Animula urbe *V.* ONOM.

ĂNĬMŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* animus; quod usurpatum occurrit in blanditiis tantum. *Plaut. Cas.* 1. 46. Mi animule, mea vita. *Id. Men.* 2. 3. 10. Animule mi, mihi mira videntur, hic te stare foris.

ĂNĬMUS, i, m. 2. Est unum idemque cum Græco ἄνεμος, ab ἄω, ἄημι *spiro*: sed raro admodum occurrit pro flatu, halitu, spiritu, seu potius pro anima; atque ita occurrit, ut per adjectivum aliquem certius definiatur, quemadmodum apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 18. Quin et humorem et calorem, qui est fusus in corpore, et terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quærat unde habeamus, apparet etc. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 61., ubi Æolus ventorum *mollitque animos et temperat iras*, *mollire animos* affirmat idem esse ac *flatus compescere*. Verum *Servius* nimium argutatur.

Initio statim animadvertendum est sæpissime pro Ablativo *animo* occurrere Genitivum *animi*.

Animadvertendum est sæpissime pro Ablativo *animo* occurrere Genitivus *animi*: quod factum esse ex syncope pro *animoi*, quemadmodum apud Græcos ἄνεμοι pro ἀνέμοι, haud immerito putat *Klotz* (ad *Cic.* 1. *Tusc.* 41. 96. *p.* 138., et in *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft Jahrg.* 1835.). Hujusmodi Genitivus, qui significat *intus in animo*, locum habet in certis dicendi rationibus, quas hic subjiciendas putamus. — *a*) Cum Verbis *angi*, *discruciari*, *excruciare*, *pendere*. *Plaut. Epid.* 3. 1. 6. Absurde facis, qui angas te animi. *Cic.* 4. *Verr.* 34. 84. Ferebat Sthenius, ut poterat: angebatur animi necessario, quod domum ejus — iste reddiderat nudam atque inanem (*Angi animo* leg. apud *Cic. Brut.* 2. 7. et 16. *Fam.* 14. 2.). *Plaut. Aul.* 1. 2. 27. et *Ter. Adelph.* 4. 4. 1. Discrucior animi. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 76. Quid illam miseram animi excrucias? Adde *eumd. Rud.* 2. 3. 68. *Ter. Phorm.* 1. 4. 10. Eheu me miserum: cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi. *Plaut. Merc.* 1. 2. 54. Obsecro, dissolve jam me: nimis diu animi pendeo. *Ter. Heaut.* 4. 4. 5. Clitipho cum in spe pendebit animi. *Cic.* 4. *Tusc.* 16. 35. Exanimatusque pendet animi. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 3. 9., 8. *Att.* 5. 2. et 11. 12. et 16. 12. (*Pendere animo* leg. in *Cic.* apud *Non. p.* 204. 7.) — *b*) Cum Adjectivis. Æger animi *Liv.* 1. 58., 2. 36. et 6. 10., *Curt.* 4. 3. 11. et *Tac.* 3. *Hist.* 58. (*Æger animo* leg. in *Ennio* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34.). Amens animi *Virg.* 4. *Æn.* 203. Captus animi *Tac.* 3. *Hist.* 73. Diversus animi *Tac.* 4. *Hist.* 84. Dubius animi *Virg.* 3. *G.* 289. Falsus animi *Ter. Eun.* 2. 2. 43. Felix animi *Juvenal.* 14. 149. Ferox animi *Tac.* 1. *Ann.* 32. Fidens animi *Virg.* 2. *Æn.* 11. et *Tac.* 4. *Ann.* 59. Immodicus animi *Tac.* 1. *Hist.* 53. Incertus animi *Ter. Hec.* 1. 2. 46. et *Tac.* 6. *Ann.* 46. Infelix animi *Virg.* 4. *Æn.* 529. Ingens animi *Tac.* 1. *Ann.* 69. Inops animi *Virg.* 4. *Æn.* 300. Integer animi *Horat.* 2. *Sat.* 3. 220. Maturus animi *Virg.* 9. *Æn.* 246. Præstans animi *Virg.* 12. *Æn.* 19. Promptus animi *Tac.* 2. *Hist.* 23. Turbidus animi *Tac.* 4. *Hist.* 48. Validus animi. *Tac.* 15. *Ann.* 53. Vecors animi *Apul.* 2. *Met.* 6. Victus animi *Virg.* 4. *G.* 1. 491.

Ceterum *animus* est pars hominis nobilior, incorporea, immortalis; quo sensu differt ab *anima* (*V.* ANIMA 3., et *Döderlein Latein. Synonym. vol.* 5. *p.* 91.); *anima* enim significat vitalem omnium animalium vim, *animus* vero significat spirituale et morale, quod in hominibus est, principium; *anima* physiologicam animalium vim, *animus* psychologicam hominis vim significet; *anima* juxta Latinos manifestabatur ipso respirandi actu, qui a voluntate minime pendet, *animus* vero manifestabatur iis omnibus actibus, qui ab interna voluntatis vi tantummodo pendent. — Hinc animus est I.) principium illud simplex et spirituale, quod in nobis percipit, intelligit sentit, cogitat ac vult. Plato quidem, ut ait *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 20., triplicem finxit animum: cujus principatum, id est, rationem, in capite sicut in arce posuit, et duas partes ei parere voluit iram et cupiditatem, quas locis disclusit, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. At Latini *duplicem* statuerunt animum, sive duplicem unius ejusdemque animi facultatem, teste *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 47. Est enim animus in partes tributus duas: quarum altera rationis est particeps, altera expers. *Id.* 1. *Off.* 36. 132. Motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero maxime versatur, appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum rationi obedientem præbeamus. *Id.* 1. *ibid.* 28. 101. Duplex est vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμή Græce, quæ hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quæ docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet. Cf. *eumd.* 2. *Fin.* 34. 115. Hinc animus sæpissime sumitur II.) pro vi seu facultate, qua homo cogitat, deliberat, et attente observat atque advertit: necnon III.) pro appetendi sentiendique facultate. Denique interdum, fortasse ratione habita etymi, IV.) ponitur pro anima. — Itaque

I.) Animus est principium illud simplex et spirituale, quod in nobis percipit, cogitat, sentit ac vult (It. *anima*, *animo*, *spirito*; Fr. *esprit*, *âme*; Hisp. *espiritu*, *alma*; Germ. *der Geist*; Angl. *the mind*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu dicitur de hominibus. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 24. De immortalitate animorum cogitare. *Id. ibid.* 30. 73. De animo cogitare. *Id. ibid.* 16. 38. Animos hominum esse sempiternos. *Id. ibid.* 18. 41. Animum se habere — non sentire. *Id. ibid.* 20. 46. Sedes animi. *Id. ibid.* 22. 50. Æternitas animorum. *Id. ibid.* 33. 80. Animus vacans corpore. *Id. ibid.* 24. 58. Animus in corpore inclusus. *Id.* 5. *ibid.* 13. 38. Humanus animus decerptus ex mente divina. *Id.* 1. *ibid.* 22. 51. Natura animi. *Id. ibid.* 27. 66. Animorum origo. *Id. ibid.* 29. 71. Cognitio animi. *Id.* 2. *Legg.* 11. 27. Omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque divinos. *Id.* 1. *Tusc.* 31. 75. Sevocare animum a corpore, — ab omni negotio. *Id. ibid.* Animum ad se advocare. *Id. ibid.* 34. 82. Animi discessus a corpore. *Id. ibid.* 11. 24. Platonis liber, qui est de animo. *Id. ibid.* 37. 90. Animo et corpore consumpto totoque animante deleto. *Id.* 4. *ibid.* 15. 34. Perturbationes, turbidi animorum motus. *Id.* 3. *ibid.* 5. 10. Affectio animi. *Id. ibid.* 4. 8. Animi commotio. — *b*) Sæpe *animus corpori* opponitur. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 52. Est illud quidem vel maximum animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet ut se quisque noscat. Non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus. Neque nos corpora sumus: nec ego tibi hæc dicens, corpori tuo dico. Cum igitur: *Nosce te* dicit, hoc dicit: *Nosce animum tuum.* Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. *Id.* 6. *de republ.* 24. 26. Deum te igitur scito esse, si quidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps deus, et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 18. Sunt qui discessum animi a corpore putent esse mortem: sunt qui nullum censeant fieri discessum, sed unà animum et corpus occidere animumque in corpore extingui. *Id. Arch.* 6. 13. Quantum — ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum. *Liv.* 1. 9. Quibus fors corpora dedisset, darent animos. — *c*) Sæpe *animus* opponitur *animæ* ab eaque distinguitur. *V.* ANIMA 3. *a.* — *d*) Interdum *animus* opponitur *menti*, seu cogitandi facultati, ita tamen — Ut animus ratione habita mentis sit tamquam totum ratione habita partis. *Cic.* 2. *de republ.* 40. 67. At vero ea, quæ latet in animis hominum quæque pars animi mens vocatur etc. Hinc *mens animi* sæpe occurrit pro cogitandi facultate, quâ præditus est animus. *Plaut. Cist.* 2. 1. 6. Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nubilam mentem animi habeo. *Id. Epid.* 4. 1. 4. Pavor territat mentem animi. *Lucret.* 3. 615. Cur animi numquam mens consiliumque Nascitur in capite. Adde *eumd.* 4. 758. et 5. 150. *Catull.* 65. 3. Nec potis est dulces Musarum expromere fetus Mens animi. — Nonnumquam *animus* et *mens* conjunguntur, et tunc *animus* est spiritus, *mens* est ratio quâ ipse animus regitur: quoties vero simul ponuntur *mens* utpote aliquid particulare præponitur, *animus* utpote aliquid generale subsequitur, atque ita una simul perfectiori quasi dicam ratione universale illud significant, quod animus per se unus significat. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Quia non sint in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est. *Liv.* 37. 45. Animos, qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus gerimusque: neque eos secundæ res extulerunt, nec adversæ minuerunt. *Seneca Ep.* 10. Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. *Ennius* apud *Gell.* 19. 10. Studet ibi: mentem atque animum delectat suum. *Plaut. Trin.* 2. 4. 53. Satin' tu sanus mentis aut animi tui? *Ter. Andr.* 1. 1. 137. Mala mens, malus animus. *h. e.* mala mens et ratio, atque inde prava voluntas, prava consilia et affectus. *Cic. Senect.* 11. 36. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. *Id.* 1. *B. C.* 21. Tanta erat summa rerum expectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur. *Virg.* 6. *Æn.* 11. *de Sibylla.* magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 8. Istuc mens animusque fert. *Gell.* 2. 1. Tamquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore. *Id.* 15. 2. Neque mentem animumque ejus consistere. *Mens* tamen postponitur apud *Virg.* 1. *Æn.* 303. imprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam. Cf. *Cic. Arch.* 6. 14. et 2. *Nat. D.* 50. 147., et *Tac.* 1. *Hist.* 84. — Denique interdum *animus* et *mens* ita alternantur, ut unum idemque significare videantur; nihilominus, si rem penitus perspiciat, facile sibi quisque persuadeat, animum esse semper aliquid generale, cui mens tamquam particulare subjicitur. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 61. An imprimi quasi ceram animum putamus et memoriam esse signatarum rerum in mente

vestigia? Adde 1. *ibid.* 15. 33. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra fingeret. ¶ 2. Raro admodum de brutis animantibus eorumque facultatibus. *Cic.* 1. *Tusc.* 33. 80. Jam similitudo magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes. *Id.* 5. *Fin.* 14. 38. Sunt autem bestiæ quædam, in quibus – etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. Et *ibid.* 13. 38. Non inscite illud dictum videtur in sue, animum illi pecudi datum pro sale. V. *Madvig* ad h. l. *Orellius leg.* animam – datam etc. *Virg.* 4. *G.* 83. Ingentes animos angusto in pectore versant (*apes*). *Colum.* 6. *R. R.* 1. 1. Cum pecudes pro regionis cælique statu et habitum corporis et ingenium animi et pili colorem gerant. Adde *ibid.* § 2. *Apul. de deo Socrat.* 23. Si – equum ipsum nudum et solum corpus ejus et animum contemplamur.

II.) Animus, ut diximus et declaravimus sub initium, sumitur etiam sæpissime pro vi seu facultate, qua homo cogitat, deliberat et attente observat atque advertit; quo sensu a Latinis usurpabatur *mens animi* (*V.* sup. I. 1. d.), aut *mens* absolute (*V.* MENS) quemadmodum et ab exemplis inferius allatis innotescit. Hac autem significatione occurrit ¶ 1. Generatim pro cogitandi facultate, sive pro mente. *Cato R. R.* 1. 1. Prædium cum parare cogitabis, sic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve operâ tuâ parcas visere, et ne satis habeas semel circumire. *h. e.* scias vel cogita hæc et hæc tibi esse facienda. Sic et *Cic.* 13. *Fam.* 62. Et mehercule sic semper in animo habeo, te in meo ære esse. *h. e.* ea semper mihi fuit opinio. Et *Virg.* 6. *Æn.* 690. Sic equidem ducebam animo rebarque futurum. *Plaut. Bacch.* 3. 5. 4. Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuncius, quid remoratur? *Ter. Heaut.* 1. 2. 7. Nescio quid profecto mi animus præsagit mali. *Id. Phorm.* 2. 1. 20. Horum nil quidquam accidet animo novum. *Cic.* 5. *Verr.* 94. 218. Videte, judices, et prospicite animis quid futurum sit. *Sall. Cat.* 51. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt. *Ter. Andr.* 5. 3. 8. Impotenti animo esse. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 213. Stare animo. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Valere animo. *Id. Sull.* 11. 33. et 8. *Phil.* 10. 30. Adesse animo. *Id.* 5. *Tusc.* 13. 39. Cæcare animum vel aciem animi. *Liv.* 28. 24. Occæcare animum.— Hinc animus plurimis, quæ servato litterarum ordine subjicimus, — *a*) Junctus verbis cogitandi actum significat. Agitare aliquid animo *Cic.* 6. *Fam.* 1. 8., *Sall. Jug.* 63., *Quintil.* 12. 2. 29. Agitare aliquid in animo *Liv.* 21. 2. (cf. Agitare aliquid in mente *Cic.* 1. *Nat. D.* 41. 114.) Cogitare cum animo suo *Cato* apud *Gell.* 16. 1. et *Plaut. Merc.* 3. 2. 13. cum animo *Ter. Adelph.* 3. 4. 55. cum animis suis *Cic.* 2. *Leg. agr.* 24. 64. Cogitare aliquid in animo *Ter. Adelph.* 1. 1. 5. Cogitare et volvere animo. *Sueton. Vesp.* 5. Colligere aliquid animo *Cic.* 1. *Invent.* 1. 1. Complecti aliquid animo *Id.* 4. *Fam.* 17. 4. Cernere aliquid animo *Id.* 1. *Fin.* 19. 64. et 4. *Cat.* 6. 11. (cf. Cernere mente *Id.* 1. *Nat. D.* 18. 49.). Cernere animo atque intelligere aliquid *Id. Top.* 5. 27. Circumspicere aliquid animo *Cæs.* 6. *B. G.* 5. (cf. Circumspicere mentibus *Cic. Sull.* 25. 70). Comprehendere aliquid animo *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 64. et 2. *Orat.* 31. 136. aliquid animis et cogitatione *Id. Flacc.* 27. 66. (cf. Comprehendere aliquid mente. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 21. Concipere aliquid animo *Liv.* 9. 18., *Ovid.* 2. *Met.* 77. et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (124). Concipere animo ac mente *Cic.* 1. *Legg.* 22. 59. Considerare in animo aliquid *Ter. Heaut.* 2. 4. 5. cum animis suis *Cic.* 5. *Verr.* 12. 29. Consulere animum suum *Quintil.* 4. 2. 52. Contemplari aliquid animo *Cic. Dejot.* 14. 40. Habeasque animo mihi admodum causam gravem fore *Lucilius* apud *Non.* p. 318. 30. *Merc.* (cf. *Sall. Jug.* 11. Atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. *Cic. Tim.* 3. Si forte – minus id, quod habemus animo, consequemur. *Sall. Jug.* 28. Ut neque vos, neque deos immortales in animo habeat. *Varr.* 6. *L. L.* 56. p. 94. *Müll.* In animo quod habemus, afferre loquendo.). Judicare aliquid animo suo *Ter. Adelph.* 5. 6. 4. Lustrare aliquid animo *Cic.* 2. *Fin.* 34. 115. Meditari animo proficisci *Nep. Ages.* 4. Metiri aliquid animo *Ovid.* 2. *Met.* 188. Peragere aliquid animo ante *Virg.* 6. *Æn.* 105. Præcipere aliquid animo *Cæs.* 3. *B. C.* 87. animis *Tac.* 3. *Ann.* 57. Prospicere animo aliquid *Cic. Quinct.* 10. 35. animis *Id.* 5. *Verr.* 94. 218. (cf. Prospicere mente et cogitatione *Id. divinat. in Q. Cæcil.* 13. 42.) Recensere aliquid cum animo suo *Minuc. Fel.* 1. Versare aliquid in animo *Liv.* 3. 34. aliquid animo *Tac.* 2. *Hist.* 78. Videre aliquid animo *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 52. et 1. *Nat. D.* 18. 49., et *Ovid. Heroid.* 16. 37. Volutare aliquid animo *Cic.* 1. *de republ.* 17. 28., et *Virg.* 6. *Æn.* 157. aliquid cum animo suo *Sall. Jug.* 6. aliquid in animo *Liv.* 42. 5. aliquid animo *Id.* 2. 49. (Cf. Volutare aliquid mente *Lucret.* 3. 241. — *b*) Nonnullis junctus verbis statuendi ac deliberandi vim vel actum significat. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 115. Is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte deliberat. *Id.* 5. *Verr.* 41. 95. Habere statutum cum animo et deliberatum. *Liv.* 34. 2. Statuere apud animum suum. — *c*) Cum pluribus aliis verbis attentionis vim vel actum significat. Adhibere animum ad aliquid *Lucret.* 2. 1033. Adhibete animos et mentes vestras *Cic. Harusp. resp.* 10. 20., *Virg.* 11. *Æn.* 315., et *Ovid.* 15. *Met.* 2. 38. Adjicere animum alicui rei *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 34. et *Liv.* 28. 33. Adjicere animum ad aliquid *Ter. Eun.* 1. 2. 63. et *Liv.* 25. 37. (Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 319. mentem adjicere dictis.). Advertere animum vel animos *absolute, aut* alicui rei, *aut* ad aliquid *Ennius* apud *Varr.* 7. *L. L.* 89. p. 154. *Müll.*, *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 39. et 3. 1. 69., *Ter. Heaut.* 4. 1. 43., *Cic.* 2. *Off.* 19. 68. (*V.* ADVERTO II. et ANIMADVERTO 1. ac præcipue 2. 1.) *a. b.* et *c.*; et cf. *Virg.* 8. *Æn.* 440. advertere mentem: et contra *Liv.* 1. 28. Avertere animum ab aliqua re. Et *Cic. Sest.* 31. 67. Mentem avertere). Appellere animum ad aliquid *Ter. Andr. prol.* 1. Attendere animum *vel* animos *Pacuvius* apud *Non.* p. 238. 15. *Merc.*, *Ter. Phorm.* 5. 6. 28., *Lucilius* apud *Non.* p. 238. 11. *Merc.*, *Cic.* 3. *Verr.* 10. 28. et 2. *Leg. agr.* 15. 38. Convertere animos ad aliquem *Virg.* 11. *Æn.* 800. Intendere animum alicui rei *Horat.* 1. *Ep.* 2. 36. Referre animum a parvis ad majora *Ovid.* 3. *Art. Am.* 499. ¶ 2. Speciatim animus ponitur pro ipsa cogitatione, præcipue cum verbis *esse, habere, fallere, inducere*. *Plaut. Pers.* 4. 6. 27. Est animus in navi meus. *Ter. Eun.* 4. 7. 46. Jamdudum animus est in patinis. *Cic.* 12. *Att.* 12. 1. Est igitur animus in hortis. *Horat.* 2. *Od.* 5. 5. Circa virentes est animus tuæ compos juvencæ. *Id.* 1. *Ep.* 12. 13. dum peregre est animus sine corpore velox. *Ter. Andr.* 1. 5. 31. In dubio est animus. — *Liv.* 10. 20. Ne alibi, quam in armis, animum haberent. — *Plaut. Men.* 5. 9. 23. Nisi me animus fallit, hi sunt gemini germani duo. Adde *Ter. Heaut.* 4. 2. 1. *Cic. Rosc. Am.* 17. 48. Permultos et ego novi et, nisi me fallit animus, unusquisque vestrum etc. — *Plaut. Asin.* 5. 1. 5. Possum equidem inducere animum ne ægre patiar. *Ter. Adelph.* 1. 1. 43. Mea sic ratio est et sic animum induco meum. *Cic.* 7. *Att.* 38. Id, quod animum induxerat paullisper, non tenuit. *Ter. Heaut.* 5. 4. 5. Nec istuc in animum inducas tuum. Adde *Cic. Sull.* 30. 83. et *V.* INDUCO. ¶ 3. Item speciatim animus ponitur pro sententia, quâ significatione occurrit fere *animo meo*, hoc est mea sententia. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 10. Nam pol, meo quidem animo, ingrato homine nihil impensiust. *Id. ibid.* 1. 1. 60. Quia piscatus meo quidem animo hic tibi hodie evenit bonus. Adde *eumd. Curc.* 4. 2. 19. *Id. Men.* 2. 1. 2. Nulla est voluptas navitis major meo animo, quam quum ex alto procul terram conspiciunt. *Cic.* 1. *Invent.* 4. 5. Quare meo quidem animo nihilo minus eloquentiæ studendum est. *Id. Sext.* 22. 49. Hoc meo quidem animo summi in patrium amoris mei signum esse debet certissimum. *Plaut. Cist.* 1. 1. 5. Nisi, ut meus est animus, fieri non posse arbitror. ¶ 4. Item speciatim pro memoria. *Ter. Eun.* 2. 3. 5. O faciem pulcherrimam: deleo omnes dehinc ex animo mulieres. *Id. Andr.* 1. 5. 47. Etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis de Glycerio. *Cic.* 2. *Orat.* 74. 300. Ut intelligere possemus nihil ex illius (*Themistoclis*) animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 2. Itaque, ut litteris consignamus, quæ monumentis mandare volumus, sic ille (*Lucullus*) in animo res insculptas habebat. *Id.* 1. *Cat.* 11. 27. Percipite diligenter, quæ dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. *Id. Quinct.* 8. 17. Infigere aliquid animis. *Id. Balb.* 1. 4. Etenim ei succedo orationi, quæ non prætervecta sit aures vestras, sed in animis omnium penitus insederit (Cf. *Id.* 2. *Orat.* 28. 122. Insedit aliquid in memoria). *Tac.* 2. *Hist.* 78. Recursabant animo vetera omnia. *Virg.* 9. *Ecl.* 51. Omnia fert ætas, animum quoque.

III.) Animus sæpissime occurrit et pro appetendi sentiendique facultate. Hinc

A) Animus est ipsa appetendi facultas seu voluntas; quo sensu interdum et cum voluntate jungitur, ut apud *Cic.* 7. *Verr.* 71. 182. Nullis nostris officiis benevolentiam illorum allicere possumus: quasi naturâ et genere disjuncti sint, ita dissident a nobis animo et voluntate. — Interdum animus et cum mente conjungitur, et tunc mens est cogitandi atque intelligendi, animus autem appetendi facultas, ut apud *Cæs.* 6. *B. G.* 5. Hac parte Galliæ pacata totus (*Cæsar*) et mente et animo in bello Treverorum et Ambiorigis insistit. — Porro hoc sensu animus, qui et *animi voluntas* dicitur a *Lucret.* 2. 270. et a *Cic.* 5. *Fam.* 20. 8., et *impetus animi* ab eodem *Cic.* 10. *ibid.* 5. 2., et *animi lubido* a *Ter. Hec.* 4. 1. 19., fere ut nomen concretum accipitur ¶ 1. Pro desiderio, appetitu, genio. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 192. MERC. Servusne es an liber? SOS. Utcumque animo collibitum est meo. *Ter. Andr.* 1. 5. 27. Qui me tam leni passus animo est usque adhuc, quæ meo cumque animo lubitum est, facere. *Id. ibid.* 2. 3. 3. Neque id injuriâ: priusquam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit. *Cic.* 5. *Verr.* 37. 130. Cum ejus animum ad persequendum non negligentia tardaret, sed conscientia sceleris – refrenaret. *Id.* 3. *Fam.* 11. 4. Tuumque simul promptum animum et alacrem perspexi ad defendendam rempubl. *Liv.* 9. 13. Suus cuique animus memor ignominiæ adhortator erat. *Sall. Jug.* 39. Mederi fraternæ invidiæ animus ardebat. *Virg.* 7. *Æn.* 216. Consilio hanc omnem animisque volentibus urbem Afferimur. *Curt.* 5. 3. 11. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit. *Id.* 5. 13. 13. Si Besso tantum animi fuisset ad prœlium, quantum ad parricidium fuerat. — *b*) Jungitur certis præcipue verbis. *Plaut. Amph.* 1. 1. 134. Cubat amans animo obsequens. *Ter. Adelph.* 1. 1. 8. Potare atque animo obsequi. *Id. Andr.* 4. 1. 17. Molestus certe ei fuero atque animo morem gessero. *Ovid.* 12. *Met.* 598. Indulgere animo. *Id.* 7. *ibid.* 568. animis. *Ter. Andr.* 1. 2. 17. Sivi ut animum expleret suum. *Id. Hec.* 5. 1. 29. Exple animum iis teque hoc crimine expedi. — *c*) *Animi causâ* vel *gratiâ* jam inde ab initio erat interna animi lubidine, animi impetu; deinde vero animi relaxandi causa, per voluptatem, per ludum et jocum. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. Hæc animalia alunt animi voluptatisque causa. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 18. Qui illud animi causa fecerit, hunc prædæ causa quid facturum putatis? *Plin. Hist. nat.* § 17. Majus meritum esset, operis amore, non animi causa perseverasse. — *Plaut. Epid.* 1. 1. 43. EPID. Cur eam (*captivam adolescentulam*) emit? THESPR. Animi causa. EPID. Quot illic homo animos habet? *h. e.* quot passiones, animi propensiones, desideria. *Id. Merc.* 2. 3. 7. Miser amicam mihi paravi animi causa. *Id. Trin.* 2. 2. 53. Præterea aliquantum animi causa in deliciis disperdidit. *Id. Epid.* 2. 2. 51. Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia. Adde *eumd. Rud.* 4. 2. 27. *Cic. Rosc. Am.* 46. 134. Animi et aurium causa. *paullo ante dixerat* animi relaxandi causa. *Id.* 7. *Fam.* 2. Hic simiolus animi causa me, in quem inveheretur, delegerat. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Quid ergo Romanos in illis munitionibus, animine causa quotidie exerceri putatis? ¶ 2. Item pro consilio, proposito; qua significatione hæc præcipue occurrunt: *habeo in animo* vel *animo* vel *cum animo, est in animo, est animus, hoc* vel *eo animo* etc. *Cic. Rosc. Am.* 18. 52. Nam istum exheredare in animo habebat. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 2. Cum ab Athenis proficisci in animo haberem. *Liv.* 44. 8. Extrahere reliquum tempus ætatis in animo habebat. *Cn. Pompejus* apud *Auct. B. Hisp.* 26. Cohortes ad vos animo habeo mittere. *al. leg.* in animo. *Liv.* 44. 25. Eumenes neque favit victoriæ Persei, neque bello eum invadere animo habuit. — *Cic.* 14. *Fam.* 11. Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæsarem mittere. — *Virg.* 4. *Æn.* 639. Perficere est animus finemque imponere curis. *Ovid.* 5. *Met.* 150. namque omnibus unum Opprimere est animus. *Sueton. Cæs.* 82. Fuerat animus conjuratis corpus occisi in Tiberim trahere. *Id. Calig.* 56. Plerisque non defecit animus bacchantem adoriri. *Ovid.* 1. *Met.* 1. In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora. — *Ter. Phorm.*

3. 1. 1. Multis modis cum istoc animo es vituperandus. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Hostes in foro – constiterunt, hoc animo, ut etc. *Nep. Eumen.* 11. Animo si isto eras, cur non prœlio ceridisti? — *Ter. Adelph.* 3. 4. 46. Sin aliter animus vester est. *h. e.* sin aliud est animi vestri propositum. *Plaut. Amph. prol.* 58. Teneo quid animi vostri super hac re siet.

B) Animus usurpatur et pro sentiendi facultate, scilicet ¶ 1. Generatim pro facultate quæ agitatur motibus et affectibus, amore, odio, ira, desiderio, timore, audacia etc., qui ratione regi debent. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 5. Animus æger semper errat, neque pati neque perpeti potest: cupere numquam desinit. *Id.* apud *Varr.* 7. *L. L.* 103. *p.* 160. *Müll.* animusque in pectore latrat. *Id.* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 5. 4. 2. Sed quid ego hic animo lamentor? *Id.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. Medea animo ægra, amore sævo saucia. *Id.* apud *Gell.* 19. 10. Mentem atque animum delectat suum. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Quid illos bono genere gnatos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse atque habituros, dum vivent? *Cf. Ter. Eun.* 5. 7. 14. Quid illi credis tum animi fuisse? *Plaut. Trin.* 2. 2. 24. Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo, utrum is itane esse mavelit, ut eum animus æquum censeat; an ita potius, ut parentes eum esse et cognati velint. Si animus hominem perpulit, actum est: animo servibit, non sibi. Si ipse animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet. Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas. Nimio satius est, ut opust, te ita esse, quam ut animo lubet: qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent. *Id. Bacch.* 1. 2. 36. Sperat quidem animus. *Id. ibid.* 2. 3. 3. Nam meus formidat animus. *Id. ibid.* 3. 3. 90. Mnesiloche hoc tecum oro, illius animum atque ingenium ut regas. *Id. Merc.* 2. 3. 11. Ita animi in pectore incerti certant decem. *Ter. Andr.* 1. 2. 22. Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat. *Id. ibid.* 5. 4. 9. Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas. *Id. Heaut.* 1. 2. 21. Animus ubi semel se cupiditate devinxit malà. *Id. ibid.* 2. 3. 126. Ut illius animum cupidum inopia incenderet. *Id. Hec.* 1. 2. 93. Animus partem uxoris misericordia devinctus, partim victus hujus injuria, paullatim elapsust. *Cic.* 4. *Tusc.* 4. 8. Non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare. *Id. ibid.* Si ista (*ægritudo*) animum sapientis perturbare non potest. *Id. ibid.* § 9. Qua (*oratione*) medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. *Id.* 4. *ibid.* 6. 13. Cum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. Animus ab iracundia ante occupatur, quam providere oratio potuit ne occuparetur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 36. (98). Is (*Aristides Thebanus*) omnium primus animum pinxit et sensus hominis expressit, quæ Græci vocant ἤθη, item perturbationes. — *b*) Pluribus jungitur Substantivis. Ægrotationes morbique animi *Cic.* 4. *Tusc.* 14. 32. Æquitas animi *Cic. Senect.* 1. 1. et 1. *Tusc.* 40. 97. Altitudo animi *Cic.* 3. *Fam.* 10. 10. et *Liv.* 4. 6. Amplitudo et quasi quædam exaggeratio animi altissima *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 64. Ardore animi *Cic. Brut.* 24. 93. et *Ovid.* 8. *Met.* 469. Asperitas animi *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 51. (111). Candor animi *Ovid.* 3. *Trist.* 6. 7. Commotio animi *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 11. Constantia animi *Ovid.* 11. *Met.* 293. Curæ animi *Lucret.* 4. 906. et 1065. Debilitas animi *Cic.* 1. *Fin.* 15. 49. Elatio animi *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13. Excelsitas animi et magnitudo *Cic.* 3. *Off.* 5. 24. Firmitudo gravitasque animi *Cic.* 5. *Fam.* 13. 3. Firmitas animi *Cic.* 12. *Att.* 38. 3. Fluctus insani animi *Seneca Herc. fur.* 1093. Gravitas et altitudo animi *Cic.* 4. *Fam.* 13. 4. Habitus animi semel constitutus *Quintil.* 4. 2. 115. Habitus animorum *Tac.* 1. *Hist.* 8. Imago animi vultus, indices oculi *Cic.* 3. *Orat.* 59. 221. Incendia animorum *Cic. Orat.* 8. 27. Ingenium animi *Cic.* 1. *Invent.* 45. 83. Magnitudo animi *Cic.* 3. *Tusc.* 22. 53. et *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Medicina animi philosophia *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 6. Mæror animi *Lucret.* 6. 1181. Morbi animi *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 5. Motus animorum *Cic.* 1. *Off.* 36. 131. Motus animi nimii *Cic.* 1. *Off.* 38. 136. concitati *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 7. Nervi atque robur animi *Cic.* 6. *Fam.* 1. Oblectatio animi *Cic.* 1. *Orat.* 26. 118. Pax animi *Ovid.* 11. *Met.* 624. Permotio animi *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 135. Perturbationes animi *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 7. Pravitas animi atque ingenii *Vellej.* 2. 112. 7. Robur incredibile animi *Cic. Mil.* 37. 101. Sanitas animorum *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 9. Incomparabilis invicti animi sublimitas *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 26. (94). Vulnus grave animi *Ovid.* 9. *Met.* 540. — *c*) Pluribus quoque jungitur Adjectivis. Æger animus *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 5. Ægrotus *Ter. Andr.* 1. 2. 22. et 2. 3. 27. Æquus *Plaut. Rud.* 2. 3. 71., *Ter. Andr.* 1. 5. 48., *Cic. Rosc. Am.* 50. 145. aliique. Altus *Cic.* 5. *Fin.* 20. 57. et 1. *Tusc.* 55. 33. Amplus et excelsus *Cic.* 1. *Invent.* 56. 108. Angustus atque demissus *Cic. Pis.* 24. 57. Anxius *Cic.* 2. *Fin.* 17. 55. Apertus et simplex *Cic.* 1. *Fam.* 9. Asper *Liv.* 39. 40. Atrox *Horat.* 2. *Od.* 1. 24. Avarus laudis *Horat.* 2. *Ep.* 1. 179. Celsus *Quintil.* 1. 2. 30. Commutabilis *Cic. Amic.* 25. 92. Constans *Ovid. Rem. am.* 718. Degeneres animi *Virg.* 4. *Æn.* 13. Excelsus *Cic.* 1. *Fam.* 9. Fidelis *Ter. Hec.* 3. 5. 22. Fortis atque obfirmatus *Plaut. Amph.* 2. 2. 15., *Cic.* 6. *Fam.* 13. et *Horat.* 2. *Sat.* 5. 20. Generosus *Quintil.* 1. 2. 30. Gravior annis *Ter. Heaut.* 4. 1. 32. Humilis et imbecillus *Cic.* 1. *Fin.* 15. 49. Inanis *Virg.* 2. *G.* 285. Infirmus *Cic.* 5. *Fam.* 21. Iniquus *Ter. Eun.* 2. 1. 6., *Cic.* 7. *Verr.* 55. 144. et *Virg.* 10. *Æn.* 7. Invictus *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 26. (94). Lætus in præsens *Horat.* 2. *Od.* 16. 25. Lenis *Vellej.* 2. 22. 2. Magnus et excelsus *Cic.* 1. *Fam.* 9. Magnus et fortis *Cic.* 8. *Att.* 13. et 6. *Fam.* 14. Mansuetus *Cic.* 4. *Herenn.* 37. Mares animi *Horat. Art. P.* 402. Minutus et infirmus *Juvenal.* 13. 190. Mollis *Cic.* 1. *Att.* 17. Muliebris *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 18. 61. Multiplex *Cic. Amic.* 25. 92. Obstinatus *Accius* apud *Festum* p. 193. *Müll.* et *Liv.* 6. 3. Otiosus *Ter. Andr.* 5. 2. 1. Parvus *Cic.* 1. *Att.* 13. et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 10. Pusillus *Cic.* 2. *Fam.* 17. et *Horat.* 1. *Sat.* 4. 18. Robustus et excelsus *Cic.* 1. *Fin.* 15. 49. Stabilis *Cic.* 1. *Fin.* 3. 29. Suspicax *Tac.* 1. *Ann.* 13. Tener *Cic.* 6. *Fam.* 21. Tenuis et infirmus *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Timidus *Cic.* 3. *Off.* 32. 115. Tranquillus *Cic.* 7. *Att.* 7. Truces animi *Tac.* 1. *Ann.* 49. Virilis *Ovid.* 13. *Met.* 165. Varius *Cic. Amic.* 25. 92. — *d*) Jungitur et pluribus Verbis. Allevare animum *Seneca Troad.* 950. et cf. *Tac.* 6. *Ann.* 43. Allevare animum a mœrore *Curt.* 4. 15. 11. Angere animum *Liv.* 2. 7. Angi animo *Cic. Brut.* 2. 6. et 16. *Fam.* 14. Angi animi *Cic.* 11. *Fam.* 28. Coercere animos *Seneca Hipp.* 256. Cohibere animum *Cic. pro leg. Manil.* 23. 66. Commovere animum *Ter. Andr.* 1. 1. 67. Concipere iras animo *Ovid.* 1. *Met.* 66. Concitare animos *Quintil.* 9. 4. 11. Dedere animum amori *Ter. Hec.* 3. 1. 14. Deponere curas animo *Virg.* 4. *G.* 531. Derivare a curis animum *Lucret.* 2. 365. Dolet mihi animus *Plaut. Merc.* 2. 3. 54. Ejicere ex animo amorem *Cic. Rosc. Am.* 19. 53. Est male animo *Plaut. Amph.* 2. 2. 92. et *Ter. Adelph.* 4. 5. 21. Exasperare animos *Liv.* 28. 25. et 33. 30. Excitare animum *Cic. Amic.* 16. 59. Eximere onus animis *Horat.* 1. *Ep.* 5. 8. Expedire animum metu *Horat.* 3. *Od.* 24. 8. Explorare animos *Tac.* 1. *Hist.* 15. Flectere animum *Virg.* 4. *G.* 516. et *Seneca Med.* 203. Hilarare animum *Catull.* 61. 18. Incendere animum amore *Virg.* 6. *Æn.* 890. Inflammare animos aliquorum *Cic.* 7. *Verr.* 61. 159. Inflammare animum amore *Virg.* 4. *Æn.* 54. Juvare animos *Horat. Art. P.* 377. Lactare animos *Ter. Andr.* 5. 4. 9. Mitigare animum *Seneca Med.* 426. Mollire animos *Virg.* 1. *Æn.* 57. Movere animum *Virg.* 3. *G.* 521. Mulcere animos admiratione *Quintil.* 1. 10. 9. Oblectare animum *Lucret.* 2. 363. Offendere animum *Cic.* 1. *Fam.* 9. Pascere animum *Virg.* 2. *G.* 285. Perfundere animum religione *Horat.* 1. *Ep.* 12. 13. Permovere animos *Quintil.* 3. 8. 80. Permulcere animos *Lucret.* 5. 21. Perturbare animos *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 9. Placare animos *Id. ibid.* Regere animum *Horat.* 1. *Ep.* 2. 62. Remittere animos *Quintil.* 9. 4. 11. Solari animum dolentis *Seneca Octav.* 52. Stimulare animum *Liv.* 1. 22. Vertere animum ad jura civilia *Ovid.* 15. *Met.* 832. — *e*) Jungitur et Præpositionibus, unde præcipue animadvertendæ sunt dicendi rationes *ex animo* et *ex animi sententia*, h. e. ex intimo animo, ex corde, sponte et sincere, non de composito ac per simulationem; cui *de industria* vel *simulate* opponitur. *Ter. Andr.* 4. 1. 55. Paullum interesse censes ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria? *Id. Heaut.* 5. 2. 6. Nisi quod tibi bene ex animo volo. *Id. Adelph.* 1. 1. 47. Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit. *Id. Eun.* 1. 2. 95. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres. *Id. Adelph.* 5. 7. 19. Di tibi, Demea, bene faciant, cum te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle. *h. e.* cum video te tam ex animo velle bene factum familiæ nostræ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 67. 168. Sive ex animo id fit, sive simulate. *Id.* 11. *Fam.* 22. Ita a te peto, ut majore studio magisque ex animo petere non possim. *Id.* 9. *ibid.* 16. 2. Quamobrem me ex animo vereque arbitrer diligi. — *Formula censoria* est apud *Gell.* 4. 20. Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? *Cf. Cic.* 2. *Orat.* 64. 260. *Cic.* 3. *Off.* 29. 108. Ex animi sui sententia jurare. ¶ 2. Speciatim animus est ratio cogitandi agendique, indoles, ingenium. *Nævius* apud *Non. p.* 73. 18. *Merc.* Ne ille mei feri ingenii atque animi acrem acrimoniam etc. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 1. Petulans protervo, iracundo animo, indomito, incogitato, sine modo et modestia sum. *Id. Truc.* 4. 3. 2. Ut animus meus est, propemodum experti estis, quam ego sim mitis tranquillusque homo. *Ter. Andr.* 1. 1. 86. Hæc ego putabam esse omnia ingeni mansuetique animi officia. *Id. Eun.* 2. 1. 16. Ejicienda hercle est hæc mollities animi. *Id. Heaut.* 3. 1. 69. Nam si semel tuum animum ille intellexerit, prius proditurum te etc. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 28. 44. Tu quoque, Ulixes, quamquam graviter cernimus ictum, nimis pæne animo es molli, qui etc. *Cic.* 2. *Fam.* 17. 7. Illud vero pusilli animi et ipsâ malevolentiâ jejuni atque inanis, quod Ariobarzanem – regis Ariobarzanis filium appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogando. *Id.* 1. *Off.* 23. 80. Fortis vero animi et constantis est non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici. *Nep. Epam.* 3. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis etc. *Liv.* 1. 46. Et ipse juvenis ardentis animi, et domi uxore Tullia inquietum animum stimulante. *Id. ibid.* § 4. *dixit*: Mitis ingenii juvenis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 10. Sordidus atque animi parvi. *Vellej.* 2. 25. 3. Ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. *Sueton. Tib.* 52. Animi fluxioris remissiorisque vitæ erat (*Drusus*). — Etiam de plantis. *Virg.* 2. *G.* 49. tamen hæc quoque si quis inserat –, exuerint silvestrem animum. *h. e.* naturalem asperitatem et infecunditatem. ¶ 3. Item speciatim animus significat statum aliquem seu conditionem animi, quæ non perduret ut in indole sive ingenio, sed brevis sit. *Liv.* 43. 13. Vetustas res scribenti – animus fit antiquus. *Ter. Adelph.* 3. 4. 56. Vos æquo animo æqua noscere oportet. *Lucret.* 1. 41. Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo Possumus æquo animo. *Cic.* 2. *Tusc.* 1. 2. Qui – metuit, is vivere quieto animo nullo modo potest. ¶ 4. Item ponitur pro voluntate in aliquem propensa aut infesta. — *a*) De voluntate propensa. *Ennius* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 5. 8. 49. Omnes corde patrem præbent animoque benigno circumfusum. *Ter. Hec.* 3. 5. 22. Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui. *Id. ibid.* 31. 3. 29. Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, Pamphile. *Cic.* 3. *Verr.* 8. 23. Quæ cum ita essent, sane benevolo animo me, ut magnopere caverem, præmonebat. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Esse bono animo in aliquem. — *b*) De voluntate infesta. *Ter. Adelph.* 3. 2. 40. Jam primum illum alieno animo a nobis esse res ipsa indicat. *Id. Eun.* 2. 1. 6. et *Virg.* 10. *Æn.* 7. Iniquus animus. *Cic. Dejot.* 9. 24. Alieno autem a te animo fuit. *Id.* 5. *Fam.* 2. 9. Si intelligis – me – consilio ejus animoque in me iniquissimo commotum esse. *Id.* 4. *Verr.* 61. 149. Infensus atque inimicus animus. *Seneca Octav.* 23. Hostilis animus. — *c*) Absolute. *Ter. Heaut.* 2. 3. 21. Nam et vita est eadem et animus te erga idem ac fuit. *Id. ibid.* 5. 2. 1. Itane tandem quæso est –, ut pater tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris? *Cic.* 3. *Fam.* 6. 3. Qui quo animo inter nos simus ignorant. *Id. ibid.* § 6. De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse. *Id.* 5. *ibid.* 2. 10. Nec in te – animo fui mobili, sed ita stabili, ut etc. *Id. ibid.* 18. 2. Meus animus erit in te liberosque tuos semper, quem tu esse vis et qui esse debet. *Metellus* apud *Cic. ibid.* 2. 1. Pro mutuo inter nos animo. *Catull.* 45. 20. Mutuis animis amant amantur. *Horat.* 4. *Od.* 1. 31. Spes animi credula mutui. *Sueton. Oth.* 8. Animum fidemque alicujus erga se experiri. ¶ 5. Item, ratione habita alicujus incepti, opponitur vecordiæ ac timori. — *a*) Cum adjectivis, quibus definiatur. *Ennius* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 3. 1. 1. Optima cum pulcris a-

nimis Romana juventus. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. sicut equus, qui de præsepibus actus Vincla suis magnis animis abrumpit. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 37. Bonus animus in mala re dimidium est mali. *Id. Capt.* 2. 1. 8. In re mala animo si bono utare, adjuvat. *Ter. Phorm.* 5. 8. 72. Bono animo es. Cf. *Cic.* 5. *Att.* 18. 3. Quare bono animo es. Et *Varro* 2. *R. R.* 5. 5. Sed bono animo est. *Ter. Phorm.* 5. 8. 64. Animo virili præsentique ut sis para. *Id. ibid. v.* 71. Hi gladiatorio animo ad me affectant viam. *Id. Eun.* 4. 6. 32. Præsenti animo aliquid dicere. *Cic.* 1. *Fin.* 15. 49. Magnus ac fortis animus. *Id. ibid.* Humili animo imbecilloque ferre aliquid. *Id.* 3. *Att.* 2. Plura scribere non possum, ita sum animo perculso et abjecto. *Id. Cluent.* 21. 58. Erigebat animum jam demissum et oppressum. *Id.* 1. *Fam.* 9. 16. Fracto animo et demisso esse. *Sall. Jug.* 98. Demisso animo esse. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Studioso animo aliquid inchoare. *Tac. Agric.* 30. Magnus mihi animus est hodiernum diem – initium libertatis totius Britanniæ fore. *h. e.* maxima mihi spes affulget, quâ et animo erigor. — *b*) Sæpe absolute, ac præcipue plur. num. *Plaut. Amph.* 1. 1. 94. Ibi nostris animus additus est. *Ter. Heaut.* 3. 2. 31. Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis. *Id. Andr.* 2. 1. 33. Reddere alicui animum. *Cæs.* 7. *B. G.* 70. Præsidio legionum addito nostris animus augetur. *Cic.* 5. *Att.* 20. 3. Rumore adventus nostri et Cassio animus accessit et Parthis timor injectus est. *Liv.* 44. 29. Cum animi eis accessissent. *Id.* 8. 19. Vitruvio nec – sana constare mens, nec, ut longius a castris dimicaret, animus suppetere. *Id.* 37. 37. Animos ad operis certamina facere. *Id.* 2. 12. Nec ad mortem minus animi est, quam ad cædem. *Id.* 41. 40. Animos ad non parendum addebat. *Virg.* 9. *Æn.* 127. Tollere alicui animos dictis. *Ovid.* 3. *Met.* 559. An satis Acrisio animi est contemnere vanum Numen? *Id.* 7. *ibid.* 658. Hi te ad bella pares annis animisque sequentur. *Id.* 5. *ibid.* 47. Bellica Pallas adest – datque animos. *Id.* 1. *Fast.* 147. Sumere animum. *Id.* 3. *ibid.* 325. Tela viris animusque cadunt. *Id.* 7. *Met.* 347. Cecidere illis animique manusque. — *c*) Eodem sensu occurrit et de inanimis. *Virg.* 7. *Æn.* 382. *de turbine buxeo.* Dant animos plagæ. *Id.* 10. *ibid.* 35. magno discordes æthere venti Prœlia ceu tollunt animis et viribus æquis. *Stat.* 3. *Theb.* 671. Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant Flumina. — *NB.* Pro timore et animi angustia occurrit apud *Ter. Heaut.* 2. 2. 3. Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant. *V.* Interpr. ad h. l. ¶ 6. Item, plurali præcipue numero, ponitur pro arrogantia, superbia, protervia. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Scio plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. *Plaut. Truc.* 2. 8. 10. Postquam filiolum peperit, animos sustulit. *Ter. Hec.* 3. 5. 56. Quia paullulum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt. *Cic. pro leg. Manil.* 22. 66. Quæ civitas est in Asia, quæ non modo imperatoris ac legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? *Id. Cluent.* 37. 109. Jam insolentiam noratis hominis, noratis animos ejus et spiritus tribunicios. *Id. Flacc.* 22. 53. Remittant spiritus, comprimant animos suos, sedent arrogantiam. *Id. Dom.* 55. 141. Quamquam et insolentia dominatus extulerat animos et erat incredibili armatus audacia. *Liv.* 1. 34. Lucumoni, omnium heredi bonorum, cum divitiæ jam animos facerent. *Id.* 2. 12. Nec unus in te ego hos animos gessi. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 3. Quæ tibi res animos in me facit, improbe? *Propert.* 2. 1. 23. Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ, Cimbrorumque minas et benefacta Mari. ¶ 7. Denique, plurali præcipue numero, pro impetu et vehementia animi ira et indignatione commoti. *Plaut. Truc.* 2. 7. 43. Nunc ego meos animos violentos meamque iram ex pectore jam promam. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 11. 33. Quæ ille, ut istius, credo, animos atque impetus retardaret, benignissime cum quæstore suo communicavit. *Id. Marcell.* 3. 8. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare etc. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 62. Ira furor brevis est: animum rege, qui nisi paret, Imperat: hunc frenis (*al.* frenes), hunc tu compesce catenâ. *Ovid. Heroid.* 3. 85. Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis. *Seneca Hipp.* 256. Coercere animos. Et *Virg.* 1. *Æn.* 56. *de ventis.* celsa sedet Æolus arce Sceptra tenens mollitque animos et temperat iras.

IV.) Denique animus ponitur interdum et pro anima, scilicet ¶ 1. Pro vita seu vitalibus viribus. *Plaut. Amph.* 5. 1. 6. Animo male est: aquam velim. *h. e.* male me habeo. Adde *eumd. Curc.* 2. 30. 33. *Id. Mil. glor.* 4. 6. 47. Ita animus per oculos meos defit. *Id. ibid.* 5. 8. 37. Animus hanc modo hic reliquerat. *Cæs.* 6. *B. G.* 38. Relinquit animus Sextium gravibus acceptis vulneribus. *Forcellinus* interpretatus est: vires et audacia eum defecerunt. *Ovid.* 10. *Met.* 459. fugit Et color et sanguis, animusque relinquit euntem. *Virg.* 10. *Æn.* 486. Unâ eâdemque viâ sanguis animusque sequuntur. *Curt.* 4. 6. 20. Linqui deinde animo cœpit. *Id.* 6. 9. 33. Linquente animo, in eum, a quo tenebatur, incubuit. *Id.* 9. 5. 11. Linquentem revocavit animum, et nudum hostis latus subjecto mucrone hausit. ¶ 2. Item pro anima seu vita, qua rem nobis omnium carissimam significat, ut apud *Ter. Andr.* 1. 5. 37. Quæ mihi suum animum atque omnem vitam credidit. — Hinc *anime mi* et *mi anime* apud Comicos usurpatur in blanditiis. *Plaut. Curc.* 1. 2. 3. Salve, anime mi. *Id. Asin.* 3. 3. 74. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, da, mea voluptas. *Id. Rud.* 4. 8. 1. Mi anime, mi Trachalio. *Ter. Eun.* 1. 2. 15. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria. *Id. Adelph.* 4. 2. 2. Anime mi, noli te macerare. ¶ 3. Pro anima, qua significat virum egregium altissimo ingenio præditum. *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 33. Sed nescio quo modo inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existit maxime et apparet facillime. *Id.* 1. *Off.* 4. 13. Ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, nisi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis causa juste et legitime imperanti.

H o m o n y m. In quo *animus* differat ab *anima*. V. sup. sub init., et ANIMA 5. — In quo differat a mente *V.* sup. I. 1. d.

ĂNĬSŎCȲCLA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq. in fine.

ĂNĬSŎCȲCLI, ōrum, m. plur. 2. ἀνισόκυκλος, vox Græca, qua significantur plures circuli continuati, quorum unus alteri æqualis non est: ab α privativo, ἴσος, *æqualis* et κύκλος, *circulus*. Apud *Vitruv.* 10. 1. 3. ubi de machinis disserit, legitur *anisocyclorum versationes*. Quo loco quid sibi velint *anisocycli*, est expedire perdifficile. Alii enim cum *Turneb. l.* 9. *c.* 20. *Adversar.* suspicantur fuisse organa, multos orbes habentia, quosdam majores, quosdam minores, ut facili nisu, majorum impulsione reliqui orbes moverentur, et molitio alicujus rei fieret, aut expulsio. Alii putant intelligi helicam, vel cochleam, quæ inæquales habet obliquosque circulos, quos Itali vocant *vite*. Alii esse quidem cochleas, sed ex ferreo filo in inæquales circulos flexo, quales sunt mulierum cincinni: quod filum contractum compressumque, deinde remissum, expellit magno impetu, quod impositum est. Figuram habes apud *Bald. in Lex. Vitruv.* At *Schneiderus* ex quodam *Cod.* legendum conjicit *axiculorum*, ut Græcorum ἄξονα, quos Latini orbiculos vocant. Sunt etiam qui putant, anisocyclorum versationes esse eas, quas Itali *spirali elastiche* vocant. Nonnulli denique pro *anisocyli* m. gen. efferunt *anisocyla* n. gen.

ĂNĪSUM, i, n. 2. (ἄνισον, aliquando et ἄνησον, item ἄννησον) herba est radice gracili, caule rotundo, concavo, et apio simili, e cujus geniculis rami enascuntur multi, coriandri modo, in quorum cacuminibus hærent umbellæ latæ minutis candidisque floribus constantes, folio simplici, aut trifido (nam multiplex est genus) profunde serrato; semen ferens parvum, colore fere cinereo, odore ac sapore gratissimo, dulci cum quadam acrimonia, quod et ipsum *anisum* dicitur, adhibeturque passim in ciborum condimentis: et præterea aliquos etiam in medicina usus habet, quos *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 72. (185). recenset. *Id.* 19. *ibid.* 8. 13. (52). Gith pistrinis, anisum et anethum culinis et medicis nascuntur. Adde *Cels.* 2. 71., *Colum.* 12. *R. R.* 15. 3. et 51. 2., *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 14. et 4. *ibid.* 9. 17., et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. Cl. *Feé* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 425.) hanc exhibet synonymiam: Ἄννησον Hipp. Morb. 2. 490. et Nicand. Ther. v. 650. et 911., Ἄνισον Dioscor. 3. 65., *Anisum* Plin. l. c. sunt *Pimpinella Anisum* L. Spec. plant. 379.

ĂNĪSUS, i, m. 2. idem quod anisum. Legitur tantum apud *Theod. Priscian. de diæta* 10.

ANNĀLIS, e, adject. ad annum pertinens; ac proinde ¶ 1. Annum durans. *Varro* 1. *R. R.* 27. 1. Tempora duorum generum sunt, unum annale, quod sol circuitu suo finit, alterum menstruum, quod luna circumiens comprehendit. *Et paullo post.* Solis cursus annalis. *Ulp. Dig.* 14. 2. 1. § 10. Annalis actio. *Paul. ibid.* 38. 17. 9. Annalis bonorum possessio. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Item secundum annalia tempora (*h. e.* anni tempestates), quas Græci horas appellant, difficiles inquiunt curatione; ætatis tempore etc. *Id.* 5. *ibid.* 2. Veterum quidam annalia medicamina potanda probaverunt, ut est quod appellant diacentaurion, ita diascordeon, bibendum anno continuo judicantes. — De annali clavo *V.* CLAVUS. ¶ 2. Item annorum rationem habens: hinc *annalis lex* dicebatur, quæ præscribebat annorum numerum ad magistratus capessendos. *Cic.* 5. *Phil.* 17. 47. Legibus enim annalibus cum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. *Id.* 3. *Legg.* 3. 8. Ævitatem annali lege servare. *Id.* 2. *Orat.* 65. 261. Legem annalem ferre. *Liv.* 40. 43. *in fin.* narrat, cum L. Villius trib. pl. legem annalem tulisset Q. Fulvio Flacco et L. Manlio Acidino Coss., ejus familiæ inde nomen inditum fuisse, ut *Annales* appellarentur. Lepidum *Ciceronis* jocum de quodam *Sext. Annali* refert *Quintil.* 6. 3. *ad fin.* ¶ 3. *Liber annalis* dicebatur is, in quo singulis annis et singulis diebus res memorabiles et bellicæ et urbanæ breviter atque ordine perscribebantur. *V.* et paullo infra. *Quintil.* 6. 3. 68. Liber annalis. Annales chartas *Prudent.* vocat 1. *advers. Symmach.* 798. — Hinc

Annalis, is, et frequentius in plur. num. *Annales, ium*, m. 3. absolute, eadem omnino significatione occurrunt. Itaque *Annales* differunt ab historia, quia hæc menses et dies sæpe omittit, deinde prolixe res narrat, afferendo causas, describendo loca, interponendo conciones etc. Alia ratione distinguit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 373. Et vacet annales nostrorum audire laborum. Historia, *inquit*, est eorum temporum, quæ vel vidimus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est videre. Annales vero sunt eorum temporum, quæ ætas nostra non novit: unde Sallustius ex Historia, Livius ex Annalibus et Historia constat. Hæc *Servius*. Verius tamen prius discrimen videtur. Quamquam hæc duo confunduntur interdum. — *a*) Sing. num. occurrit præcipue de opusculo, quod a privatis hominibus conficiebatur. *Cic.* 12. *Att.* 23. 2. Quibus Coss. Carneades et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. *Nep. Hann.* 13. Namque Atticus – in annali suo scriptum reliquit. *Asconius in Cic. Pison. p.* 13. 15. *Bait.* Inter quos Atticus in annale. — *b*) Interdum etiam sing. num. de longiore opere occurrit. *Cic. Brut.* 15. 58. Est igitur sic apud illum (*Ennium*) in nono, ut opinor, annali. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (101). Q. Ennius T. Cæcilium Dentrem fratremque ejus præcipue miratus, propter eos sextum decimum adjecit annalem. *Gell.* 2. 1. Posuimus igitur verba ipsa Quadrigarii ex annali ejus VI. transcripta. — *c*) Plur. num. *Annales* apud Romanos erant, qui a Pontifice Maximo scribebantur et domi proponebantur, potestas ut esset populo cognoscendi: hinc dicuntur *Annales pontificum maximorum* apud *Cic.* 1. *Legg.* 2. 6.; *Annales pontificum* apud *Quintil.* 10. 2. 7.; *Annales publici* apud *Cic.* 2. *de republ.* 15. 28.; et sæpius *Annales maximi*, ut apud *Cic.* 2. *Orat.* 12. 52. et 1. *de republ.* 16. 25., *Verrium Flaccum* apud *Gell.* 4. 5., *Macrob.* 3. *Saturn.* 2. et *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 177. Eorum conficiendorum rationem, præter *Verrium Flaccum l. c.*, tradit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 373. hisce verbis: Ita autem Annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis Pontifex Maximus habuit, in qua præscriptis Consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat domi militiæque, terra marique gesta per singulos dies. Cujus diligentiæ annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt, eosque a Pontificibus Maximis, a quibus fiebant, *Annales Maximos* appellarunt. Hucusque *Servius*. Atque hæc fuit historia ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Scævolam: post quem uberiore stilo scribi cœpta est a M. Catone, Fabio Pictore, Antistio Pisone, Cælio Antipatro et aliis, ut *Cic.* 2. *Orat.* 12. narrat. Hinc interdum et historicorum opera *annales* appellantur. *Cic. Dom.* 32. 86. Ut annales populi Rom. et monumenta vetustatis loquuntur. *Id. Mur.* 7. 16. Ex annalium vetustate eruere memoriam alicujus rei. *C*-

vid. 1. *Fast.* 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. Honore et dignitate et ætate præstat Tubero, quem ego arbitror, præsertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari. *Id.* 2. *Orat.* 12. 52. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio. *Liv.* 43. 13. Ea pro dignis habere, quæ in meos annales referam. *Id.* 7. 9. Vetustiores annales. *Id.* 4. 7. Annales prisci. *Sueton.* de *illustr. Gramm.* 2. et *Diomed.* 3. p. 480. *Putsch.* Annales Ennii. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 34. (72). et 14. *ibid.* 13. 14. (89). Annales Fabii Pictoris. *Gell.* 5. 4. Annales Fabii.

Annalia, ium, absolute in quadam *Inscript.* apud *Gruter.* 116. 2. sunt sacrificia solemnia ex voto quotannis fieri solita, de quibus loqui videtur *Cajus Dig.* 50. 16. 233. Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.

ANNĀRĬUS, a, um, adject. idem quod ANNALIS 2. *Paul. Diac.* p. 27. 9. *Müll.* Annaria lex dicebatur ab antiquis, qua finiuntur anni magistratus capiendi. *Lamprid. Commod.* 2. Veniâ legis annariæ impetratâ, consul factus est. *Arnob.* 2. 91. In potestatibus obeundis leges conservatis annarias.

ANNASCOR. *V.* AGNASCOR.

ANNĀTO *vel* adnato, as, are, n. 1. (ad et nato) Part. *Adnatans.* Est ad aliquem locum nato, aliquo natans accedo (It. *nuotare a qualche luogo, avvicinarsi nuotando*; Fr. *nager vers*; Hisp. *nadar hácia*; Germ. *heran-oder herbei-schwimmen*; Angl. *to swim to or towards*). Occurrit — *a*) Cum Dat. *Liv.* 28. 36. Adnatantes navibus. *alii leg.* adnantes. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (94). Uni ei insulæ crocodili non adnatant. *Id.* 9. *ibid.* 10. 12. (36). Adnatare singulis. *Plin.* 9. *Ep.* 33. natanti. *Seneca Agam.* 452. lateri. *Sil. It.* 10. 610. Littoribus solus vacuis ex æquore sospes Adnatet. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad. Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (87). Ad manum hominis adnatat. *Id. ibid.* Pisciculi adnatantes ad putamina. *Id.* 9. *ibid.* 10. 12. (38). Adnatare ad aliquem.

ANNĀVĬGO *vel* adnavigo, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad et navigo). Part. *Adnavigans.* Est ad aliquem locum navigo, navigando ad aliquem locum pervenio (It. *navigare a qualche luogo, arrivare a qualche luogo per nave*; Fr. *naviguer vers, approcher en naviguant*; Hisp. *navegar hácia*; Germ. *zu Schiffe wohin gelangen oder herbeikommen*; Angl. *to sail to, reach by sailing*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 16. (76). Pyramides conspicuæ adnavigantibus. — *b*) Cum Adverbio loci. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (81). Rhodi ille vivebat: quo cum Apelles adnavigasset etc.

ANNE. *V.* AN.

ANNECTO *vel* adnecto, ctis, xŭi, xum, ctere, a. 3. (ad et necto). Part. *Annectens* I. *b.*; *Annexus* in omnibus paragr.; *Annectendus* I. *b.* Est ad aliquid necto, conjungo (It. *connettere, attaccare, unire*; Fr. *attacher a, lier à, joindre, unir*; Hisp. *atar, unir*; Germ. *anknüpfen, anheften, anfügen oder reihen*; Angl. *to knit, join or tie to, to connect, fasten, annex, attach, unite*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Qui (*funiculus*) a puppi religatus scapham adnexam trahebat. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 11. *Æn.* 770. Equis paria ornamenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ annexuerant. *Liv.* 21. 28. Resolutis, quibus leviter adnexa erat (*ratis*), vinculis. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 8. (50). Adnectitur septima (*regio*). *Id.* 28. *ibid.* 8. 28. (111). Cor annexum in lana nigra ovis — quartanas abigere dicitur. *Petron. Satyr.* 97. Annectere pedes et manus institis. — *b*) Addita re, cui quid annectitur — Cum Acc. et præp. *ad. Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Paullo supra quam ad linguam adnectitur stomachus. — Cum Dat. *Lucret.* 3. 688. Annectere animum corporibus. *Val. Max.* 2. 5. 6. remedia corporibus ægrorum. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Insulam continenti annectens. Adde 5. *ibid.* 29. 51. (117). Et 10. *ibid.* 37. 53. (110). Epistolæ annexæ pedibus columbarum. *Sueton. Oth.* 12. Galericum capiti adaptatum et adnexum. *Solin.* 1. *n.* 29. Quibus annis annectendus est primus annus. Et figurate *Cels.* 4. 3. Morbus, qui modo caput scapulis, modo mentum pectori adnectit.

II.) Translate est rem rei ita adjungere, ut altera ab altera pendeat; et occurrit præcipue de oratione et argumentandi ratione. *Cic.* 1. *Invent.* 18. 26. Separatum, quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexum orationi. Cf. *Seneca Ep.* 95. *a med.* Virtutes separatæ sint, an annexæ. *Cic. Top.* 13. 34. Appellant — eam conclusionem, in qua cum primum adsumpseris, consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum: cum id, quod annexum est, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit, secundus is appellatur conclusionis modus. *Id.* 1. *Off.* 4. 11. Rebus præsentibus adjungere atque adnectere futuras. Et absolute *Val. Max.* 2. 6. *ext.* 14. Adjice Celtibericam fidem, junge Thraciæ sapientiam, annecte Lyciorum callide quæsitam rationem etc.

ANNELLUS. *V.* ANELLUS.

ANNEXĬO *vel* adnexio, ōnis, f. 3. (annecto) connexio.

I.) Proprie. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 36. Germinantes oculos aliqua inter se annexione conglutina. Concreto, uti ajunt, sensu *Capell.* 3. p. 49. Gestabat hæc autem teres quoddam ex compactis annexionibus ferculum. *h. e.* ex pharmacis, quæ pluribus inter se commixtis constabant.

II.) Translate. *Aquila de schem. lex. sub init.* Latine hæc figura (*zeugma*) dicitur ligatio vel adnexio.

ANNEXUS *vel* adnexus, a, um. *V.* ANNECTO.

ANNEXUS *vel* adnexus, us, m. 4. idem quod annexio. *Tac.* 3. *Hist.* 34. Cremona annexu connubiisque gentium adolevit floruitque.

ANNICTO *vel* adnicto, as, are, n. 1. (ad et nicto) sæpe et leviter oculis annuo. *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 29. 2. *Müll.* Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet. *V.* NICTO.

ANNĬCŬLUS, a, um, adject. qui est unius anni. *Cato R. R.* 17. 2. Anniculæ nuces pineæ. *Varro* 2. *R. R.* 5. 12. Tauros, unum anniculum, alterum bimum. *Id. ibid.* 7. 11. Anniculi pulli. *Id.* 1. *ibid.* 65. 1. Cum fuerit vinum anniculum, proruito. *Nep. Att.* 19. Virginem vix anniculam privigno suo despondit. *Cajus Instit.* 1. 24. Si velint — approbare, se ex lege Ælia Sentia uxorem duxisse, et ex ea filium anniculum habere. Adde *Ulp. Dig.* 1. 6. 6. Et *Paul. ibid.* 50. 16. 134. Anniculus non statim ut natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente plane, non exacto die. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 2. Ætas annicula. *Id.* 4. *ibid.* 7. 3. malleolus. *Id.* 5. *ibid.* 11. 3. ramuli. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (141). Anniculo grano languidus succus: idem a quadrimo evanidus.

ANNĬFER, ra, rum, adject. per totam annum ferens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 44. (107). Citreæ et juniperus et ilex anniferæ habebantur; novusque fructus in his cum annotino pendet.

Annifera, orum, n. 3. absolute apud *eumd. Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 36. (121). dicuntur eæ plantæ, quæ caulem ferunt unum tantum annum durantem, remanente radice; quæ ἐπετειόκαυλοι appellantur a *Theophrasto.*

ANNĬHĬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. ad nihilum redigo. Legitur quidem apud *Hieronym. Ep.* 106. *ad Sunn.* et *Fretel.* 57., sed refertur, una cum *annullare* et *nullificare*, inter portenta verborum, quæ apud imperitos inveniri solent.

ANNĪSUS *vel* adnisus, a, um. *V.* ANNITOR.

ANNĪSUS *vel* adnisus, us, m. 4. actus annitendi. *Symmach.* 5. *Ep.* 74. Ut probabiles voluntates alieno etiam adjuventur annisu.

ANNĪTOR *vel* adnitor, niteris, nisus *vel* nixus sum, niti, dep. 3. (ad et nitor). Part. *Annitens* II. *a.*; *Annisus* in omnibus paragr. (*Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 148. notat, *annixus* antiquum esse, recentius vero *annisus*); *Annisurus* II. *c.*; *Annitendus* II. *d.* — Anniti est ad aliquam rem niti, incumbere, inniti (It. *appoggiarsi a qualche cosa*; Fr. *s'appuyer sur quelque chose*; Hisp. *apoyarse sobre alguna cosa*; Germ. *sich anstemmen oder anlehnen an etwas*; Angl. *to rest or lean upon any thing*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accus. et præp. *ad.* Figurate *Cic. Amic.* 23. 88. Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum adnititur. — *b*) Cum Dat. *Virg.* 9. *Æn.* 229. Stant longis adnixi hastis. *Id.* 12. *ibid.* 92. hasta ingenti annixa columnæ. *Val. Max.* 5. 3. 3. Genibus annixus. *Colum.* 5. *R. R.* 4. 1. Vites adnixæ pedaminibus. *Tac.* 3. *Ann.* 71. Latona oleæ annisa.

II.) Translate est conari, laborare, totas adhibere vires, ut aliquid fiat: et pluribus occurrit modis, scilicet — *a*) Absolute *Sall. Jug.* 47. Quamobrem vos — adnitimini mecum et rempubl. capessite. *Liv.* 6. 35. Si porro annitantur. *Id.* 23. 23. Debellatumque mox fore, si anniti paullulum voluissent. *Id.* 21. 8. Pœno, cepisse jam se urbem, si paullulum adnitatur, credente. *Virg.* 1. *Æn.* 145. Cymothoe, simul et Triton adnixus, acuto Detrudunt naves scopulo. *Sall. Cat.* 19. Piso in Hispaniam pro prætore missus est, adnitente Crasso. *Liv.* 30. 47. Metello maxime annitente. *Virg.* 5. *Æn.* 226. Quem petit, et summis adnixus viribus urget. *Apul. de Magia.* Hæc omnia, annixus impenso studio, persuadet. — *b*) Cum Abl. personæ et præp. *pro. Liv.* 2. 61. Adniti pro aliquo. — *c*) Cum Accus. rei, sed aut per pronomina relativa, aut per gerundia. *Plin.* 6. *Ep.* 18. Rogas, ut agam Firmanorum causam: quod ego, quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar. *Gell.* 2. 12. *ad fin.* Si in concordia annitenda parum auctoritatis habuerint. *h. e.* procuranda. — *d*) Addito fine, quem obtinere conamur, — Per Ablat. et præp. *de. Cic.* 6. *Att.* 8. 5. Ego, nisi Bibulus — adniteretur de triumpho, æquo animo essem. *Liv.* 5. 25. *ad fin.* Et patres hoc idem de intercessoribus legis annisi. — Per part. *ut* vel *ne* cum Subjunctivo. *Sall. Jug.* 87. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini, et illi frustra sint. *Liv.* 2. 39. *ad fin.* Annisurum, ut appareat exilio sibi incitatos, non fractos animos esse. *Id.* 1. 9. Quod adnisurus pro se quisque sit, ut etc. Adde *eumd.* 6. 6. et 22. 58., et *Plin.* 2. *Ep.* 5. *Liv.* 8. 16. Omni ope annisi sunt, ut etc. *Plin. Paneg.* 25. Omni ope adniti, ne quis e plebe etc. — Per Gerundium cum præp. *ad. Sall. Jug.* 47. Adniti summo studio ad aliquid patrandum. *Liv.* 47. 14. Pœnis ad obtinendum externum decus annitentibus. *Flor.* 1. 9. 4. Anniti ad augendam majestatem. — Per Infinitum. *Liv.* 10. 41. Adniterentur vincere potius etc. *Tac.* 4. *Hist.* 8. Etiam mediis patrum annitentibus retinere morem. *Id.* 5. *ibid.* 8. Temere superstitionem et mores Græcorum dare annixus. — Per Dat. personæ. *Anniti alicui* est in alicujus favorem allaborare. *Dictys Cret.* 5. 14. Adnitentibus Ulixi Menelao atque Agamemnone.

ANNIVAGUS. Falsa lectio. *V.* OMNIVAGUS.

ANNĪVERSĀRĬĒ, adverb. (anniversarius) quovis anno vertente. *Augustin. Ep.* 118. *in fin.* et 2. *Doctr. Christ.* 39.

ANNĪVERSĀRĬUS, a, um, adject. (annus et verto) qui singulis annis vertentibus fit, hoc est quotannis (It. *anniversario, annuale*; Fr. *qui se fait ou revient tous les ans, annuel*; Hisp. *anual*; Germ. *alljährlich wiederkerend*; Angl. *anniversary, yearly, annual*). Occurrit — *a*) Fere de sacris aliisve rebus. *Cic.* 2. *de republ.* 7. 12. Ludos anniversarios facere. *Id.* 6. *Verr.* 39. 84. Mercurium sacris anniversariis colere. *Id. ibid.* 48. 107. Festos dies anniversarios agere. *Id.* 1. *Att.* 18. 3. Anniversaria sacra committere. *Id.* 2. *Nat. D.* 38. 97. Cælum constantissime conficiens vicissitudines anniversarias. *Liv.* 4. 45. Æquorum velut anniversariis armis adsuerat civitas. *Curt.* 4. 2. 10. Anniversarium sacrum celebrare. *Id.* 8. 2. 6. Anniversarium sacrificium Libero reddere. *Sueton. Aug.* 81. Anniversariæ valetudines ac tempore certo recurrentes. *Id. Galb.* 4. Anniversarium pervigilium. — *b*) Raro de personis. *Varro* 1. *R. R.* 16. 4. Coloni habent anniversarios vicinos, quibus imperant, medicos, fullones, fabros etc. *h. e.* quorum opera quotannis utuntur. *Flor.* 1. 12. 1. Anniversarii hostes. *h. e.* qui quotannis lacessunt. *Cic. Harusp. resp.* 15. 32. Multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilicia — anniversarii factitarint. *h. e.* qui quotannis factitarint.

ANNIXUS, a, um. *V.* ANNITOR.

ANNIXUS, us. *V.* ANNISUS, us.

ANNO *vel* adno, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad et nare). Part. *Adnans* I. 2. Est ad aliquem locum nare, ad aliquem locum nando accedere et pervenire (It. *nuotare a qualche luogo, arrivare a qualche luogo nuotando*; Fr. *nager vers, arriver par eau*; Hisp. *nadar hácia*; Germ. *anschwimmen, an etwas heranschwimmen*; Angl. *to swim to or towards, to reach by swimming*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Absolute. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 44. Plures adnabunt thynni et cetaria crescent. Adde *Gell.* 16. 19. — *b*) Cum Accus. *Cæs.* 2. *B. C.* 44. Pauci milites, qui naves adnare possent. — *c*) Cum Dat. *Virg.* 6. *Æn.* 358. Paullatim adnabam terræ. *Liv.* 28. 36. Adnantes na-

vibus. *alii leg.* adnatantes. ¶ 2. Est etiam nare prope aliquem vel aliquam rem. *Tac.* 14. *Ann.* 29. Pedites adnantes equis.

II.) Translate est idem ac adnavigo. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. Quod ubique gentium est ut ad eam urbem, quam incolas, possit adnare. *h. e.* ad eam urbem maritimam navibus quisque possit pervenire. *Virg.* 1. *Æn.* 538. huc pauci vestris adnavimus oris. *h. e.* appulimus.

ANNO, as, are, n. 1. *Annare* est annum transigere, annum agere. Habet locum in quadam precandi formula, cum sacra faciebant Annæ Perennæ, ut *annare perennareque commode liceret*, ut legitur apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *V.* ANNA in ONOM.

ANNODO, as. Falsa lectio apud *Colum.* 4. *R. R.* 22. 4. *V.* ABNODO.

ANNŌMEN, inis. *V.* AGNOMEN.

ANNŌMĬNĀTĬO. *V.* AGNOMINATIO.

ANNON. *V.* AN et NON.

ANNŌNA, æ, f. 1. Probabiliter *annona* est per syncopen pro *annoina*, ab *anno*; et significat annuos fructus, annuos reditus (It. *l'entrata di un anno*; Fr. *récolte de l'année*; Hisp. *cosecha de un anno*; Germ. *das jährliche Einkommen von etwas oder der Ertrag einer Sache*; Angl. *the year's increase, produce of the year*).

I.) Proprie accipitur *A*) pro annuo terræ, boum aliarumque rerum fructu vel reditu ad victum necessario; aut etiam latiori sensu *B*) pro ipso pretio rerum, quæ ad victum sunt necessariæ.

A) Annona est annuus terræ, boum aliarumque rerum fructus vel reditus ad victum necessarius. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 29. 37. Annona salaria. *h. e.* reditus, qui a sale percipitur. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 6. Annona musti. *h. e.* ea vini copia, quæ per annum familiæ est necessaria. *Id. ibid.* 3. 10. vini. *Id.* 8. *ibid.* 17. 13. lactis. ¶ 2. Speciatim et sæpius est frumenti reditus, res frumentaria et quidquid ad annuum victum necessarium est. *Cic.* 5. *Verr.* 98. 227. Annona pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet. Apud *eumd. pro leg. Manil.* 15. 44. Vilitas annonæ opponitur caritati rei frumentariæ. *Id. Dom.* 5. 12. Difficultas annonæ summaque inopia rei frumentariæ. *Auct. B. Afr.* 47. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (272). Caritas annonæ. *Liv.* 7. 31. Varietates annonæ. *Id.* 38. 35. Annona compressa. *h. e.* in horreis clausa ut ejus pretium ingravescat. *Tac.* 1. *Hist.* 11. Provincia annonæ fecunda. *Id.* 1. *Ann.* 7. Præfectus annonæ. *Sueton. Aug.* 18. Annona urbica. *Inscript.* apud *Orell.* 3361. et 3935. Annona frumentaria populi. *Cic. Dom.* 6. 14. Annonam præstare. *Liv.* 2. 27. Annonæ præesse. *Tac.* 4. *Hist.* 68. Præficere aliquem annonæ. *Id.* 3. *ibid.* 48. Clausis annonæ subsidiis, inopiam ac discordiam hosti facere. *Sueton. Tib.* 8. Curam annonæ administrare. *Id. Claud.* 18. Curam annonæ sollicitissime agere. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 402. T. ELVFRIO T. F. STELL. MELIORI QVOD ANNONAM SVFFICIENTEM CIVITATI PECVNIA SVA PRAESTITERIT. *Inscript.* apud *Orell.* 3908. ANNONA POPVLO PRAEBITA. ¶ 3. Item speciatim nonnumquam sumitur pro cibariis militum; quæ constabant ex frumento, vino, aceto et sale, tum larido et caseo, testibus *Veget. Milit.* 3. 3. Frumenti, vini, aceti, necnon etiam salis omni tempore necessitas declinanda. Et *Vulcat. Avid.* 5. Præter laridum ac buccellatum panem atque acetum militem in expeditione portare prohibuit. Et *Spartian. Hadrian.* 10. Cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo et posca. *Veget. Milit.* 1. 19. In arduis expeditionibus necessitas imminet annonam pariter et arma portandi. *Ammian.* 17. 9. Annona decem et septem dierum, quam in expeditionem pergens vehebat cervicibus miles. ¶ 4. Item speciatim plur. num. significant panes, qui cibarii loco alicui pro operæ mercede dari solent, ut docet *Salmas.* ad illud *Lamprid. Alex. Sever.* 44. Auditoria decrevit, et discipulos cum annonis pauperum filios modo ingenuos, dari jussit. *Id. ibid.* 41. Ut annonas acciperent fullones et vestitores etc. *Et mox.* Annonas singulas vix binas. *Et* 42. Ceteri annonas binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas singulas consequerentur. *annonæ mundæ* sunt panes mundi, teneri, nivei mollique siligine facti: quibus opponuntur sordidi, cibarii, castrenses et furfuracei, ut hoc loco *Casaubonus* notat. Adde *Cod. Theod. l.* 7. *tit.* 5. qui est *de Excoctione et translatione annonarum*, ubi de pane castrensi et buccellato sermo est. ¶ 5. Item plur. num. usurpantur in *Cod. Justinian. l.* 1. *tit.* 52., 10. 16., 11. 24., et significant pensiones annuas vel menstruas frumenti et aliarum specierum annonariarum, quæ distribuuntur pro alimentis aut stipendio. *V.* adnotata ad COLONIARIUS. — De annonis ærariis *V.* ÆRARIUS.

B) Annona ponitur pro ipso pretio frumenti et rerum, quæ ad victum necessariæ sunt; quod sane pretium in nundinis definitur: ad rem *Liv.* 35. 44. In præsentia curæ esse Ætolis debere, ut copia frumenti suis et annona tolerabilis rerum aliarum suppeditetur. *Cic.* 5. *Verr.* 82. 189. Conjectio annonæ atque æstumationis. *Cæs.* 1. *B. C.* 52. Jam ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 5. Annona regionis. *h. e.* pretium quod in regione viget. *Sueton. Tib.* 34. Annona macelli. *Martian. Dig.* 50. 1. 8. Cogere aliquem vilius præstare frumentum, quam annona exigat. Et satyrice *Juvenal.* 9. 100. His opibus numquam cara est annona veneni. — Hoc sensu jungitur *a*) Cum Substantivis. *Cic.* 2. *Off.* 17. 58. Caritas annonæ. *Sueton. Aug.* 41. Difficultates annonæ. *Tac.* 6. *Ann.* 13. Gravitas annonæ. *Manil.* 4. 168. et *Quintil. Declam.* 12. 4. Incendia annonæ speculari. *Tac.* 2. *Ann.* 87. Sævitia annonæ. *Cic. Dom.* 6. 14. Vilitas annonæ. — *b*) Cum Adjectivis. *Tac.* 4. *Ann.* 6. Acris annona plebem fatigat. *Sueton. Claud.* 10. Arctior annona. *Liv.* 21. 20. Arctiorem annonam alicui facere. *Plaut. Capt.* 3. 1. 35. Cum cara annona sit. *Id. Stich.* 2. 1. 25. Per annonam caram natus. *Ter. Andr.* 4. 4. 7. Tum annona carast. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 59. Carior annona. *Id. Dom.* 6. 15. Durior facta annona. *Plaut. Stich.* 4. 2. 53. Vides ut annona est gravis. *Sueton. Aug.* 25. Gravior annona. *Auct. B. Afr.* 24. Annona gravi conflictari. *Vellej.* 2. 77. 1. Annona gravis urit plebem. *Liv.* 2. 52. Laxior annona. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (90). Annona media. *Vellej.* 2. 126. 3. Moderatior annona. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 13. Habet institores aqua, et annonam variam. *Liv.* 2. 54. Vetus annona. — *c*) Cum Verbis. *Inscript.* apud *Orell.* 750. Adlevare annonam populi Rom. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (89). Augetur annona. *Pacat. Paneg. Theod.* 32. *sub fin.* Arctare annonam. *Cic. Dom.* 6. 15. Commutatur annona. *Sueton. Aug.* 42. convalescit. *Cæs.* 1. *B. C.* 52. crescit. *Varro* 3. *R. R.* 2. 16. Excandefacere annonam. *Liv.* 2. 34. Facere annonam furore suo. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 13. 57. (164). Flagellare annonam. *Varro* 3. *R. R.* 2. 16. Incendere annonam. *Cic. Dom.* 5. 11. Cum ingravesceret annona. *Liv.* 2. 34. Laxare annonam. *Id.* 23. 20. Laxat annona. *Cic. Mil.* 27. 72. et *Liv.* 26. 40. Levare annonam. *Id.* 5. 12. Nihil mutavit annona. *Ulp. Dig.* 47. 11. 6. § 1. Onerare annonam. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 72. Prodesse annonæ. *Sueton. Tib.* 34. Temperare annonam. — *d*) Interdum absolute ponitur pro annonæ caritate aut abundantia; prout ex præcedentibus et consequentibus inferre possumus. *Plaut. Trin.* 2. 4. 83. Cœna hac annoná est sine sacris hereditas. *h. e.* ad cœnam invitari in tanta caritate annonæ, est veluti hereditas sine oneribus. Alii ita leg. *Cœna hæc annona* etc., hoc est cœna hæc annua, ut *annona* sit adjective positum ab *annonus*, a, um; quod tamen non est temere probandum. *Cic. Dom.* 5. 10. Ob annonæ causam. *h. e.* ob abundantis annonæ causam. *Id. ibid.* 6. 15. Commutatam annonam dicebant: quæ, quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cujus adventu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur. *Tac.* 1. *Ann.* 2. Pellicere populum annona.

II.) Translate, metaphorá sumptá a rei frumentariæ pretio, annona ponitur pro rei cujuscumque pretio. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 140. Postea, qui probi homines essent, esset his annona vilior. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 24. Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest. *h. e.* res amicorum redundant et vili pretio dantur bonis viris indigentibus; nam vir bonus *nil nisi verum orabit et æquum.* — *NB.* De Annona dea *V.* ONOM.

ANNŌNĀRĬUS, a, um, adject. ad annonam, sive ad rem frumentariam ejusque pretium pertinens. *Veget. Milit.* 3. 3. Ut pabula, frumentum, ceteræque annonariæ species maturius exigantur. *Trebell. XXX. Tyrann.* 18. Annonaria provisio. *Et* 24. Annonariæ regiones. *h. e.* provinciæ, quæ annonam præstabant pro tributo, ut ibidem *Salmasius* multis docet. *Symmach.* 11. *Ep.* 124. Annonarius commeatus. *Hermog. Dig.* 49. 14. 46. Debere aliquid ex causa annonaria. *Cod. Theod.* 11. 22. 4. Annonaria functio. *h. e.* munus conferendi res ad annonam necessarias. *Ædilis annonarius* dicebatur unus ex duobus ædilibus in colonia Cæretana, cum alter ædilis juri dicundo et præfectus ærarii esset. *Inscript.* apud *Grut.* 214. C. SVETONIVS CLAVDIANVS AEDIL. IVRI DICVNDO PRAEF. AERARII M. LEPIDIVS NEPOS AEDILIS ANNON. — *NB.* De *lege annonaria* V. voc. seq. — Hinc

Annonarius, ii, m. 2. absolute est is, qui militari annonæ erogandæ præest. *Cod. Theod.* 8. 1. 3. Annonarios et actuarios conditionales esse præcipimus: annonariis vero singulas annonas protinus subministrent officia. *Inscript.* apud *Grut.* 479. 6. C. VALERIO C. F. PAP. MARIANO PRAEFecto QVINquennali AVGVRI ADLECTO ANNONario *Leg.* III. ITALIC. *Orellius Inscript.* 2183. legendum monet *adlecto annonæ* ex *Augustin. de Civ. D.* 18. 18.

ANNŌNĬĀNUS, a, um, adject. idem quod annonarius. *Annoniana lex* lata est a P. Clodio, teste *Ascon.* in *Pison.* 9. 2., qua sanciebatur, ut frumentum populo, quod antea semis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Al. apud *Ascon.* leg. *Annonaria lex*, quod maxime probandum.

ANNŌNOR, āris, ari, dep. 1. annonam conquirere; et est militare verbum, ut *frumentor*, *lignor* et alia hujusmodi. *Capitolin. Gordian.* 29. In ea loca deducti sunt milites, in quibus annonari non possent. *Alii leg.* annona haberi non posset. *Salmas.* et *Grut.* priorem lectionem amplectuntur.

ANNŌSĬTAS, ātis, f. 3. (annosus) multorum annorum ætas, gravis senectus. *Cod. Theod.* 12. 1. 113. Nemo se annositate tueatur. Adde *ibid.* 1. 15. 12. et 13. 6. 11. *Augustin. Ep.* 251. (*al.* 269.). Hieme iter tam prolixum non suffero cum annositate algida, quam mecum fero.

ANNŌSUS, a, um, adject. (annus). Comp. *Annosior* et Sup. *Annosissimus* in fin. Annosus est qui est multorum annorum, antiquus, vetustus (It. *annoso, di molti anni, vecchio*; Fr. *chargé d'années, vieux, antique*; Hisp. *añoso*; Germ. *reich an Jahren, hochbejahrt, alt an Jahren, oder alt*; Angl. *many years old, aged, decrepit*). *Ovid.* 2. *Fast.* 571. Annosa anus. *Id.* 1. *Art. Am.* 14. senex. *Colum.* 6. *R. R.* 28. mater. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 274. balba feris annoso verba palato. *h. e.* tu senex loquendo balbutis. *Id.* 3. *Od.* 19. 13. Annosa cornix. *Virg.* 6. *Æn.* 282. brachia ulmi. *Id.* 4. *ibid.* 441. robur quercus. *Id.* 10. *ibid.* 766. ornus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 1. 1. (2). arbores. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 20. volumina vatum. *Tibull.* 3. 7. 26. merum. *Id.* 2. 6. 58., *Ovid.* 2. *Art. Am.* 418. et *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 22. (40). vinum. *Martial.* 6. 27. Falernum. *Ovid.* 7. *Met.* 237. senecta. *Id.* 5. *Trist.* 2. 11. vetustas. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). Gens, quos Hyperboreos appellavere, annoso degit ævo. *Augustin.* 1. *Confess.* 7. Annosior aliquis. *Id. Ep.* 3. 1. *extr.* Annosissimus homo.

ANNŌTĀMENTUM *vel* adnotamentum, i, n. 2. idem quod annotatio. Plur. num. occurrit apud *Gell.* 1. 7. Veterum allocutionum copiam his annotamentis inspersimus. Adde 17. 2.

ANNŌTĀTĬO *vel* adnotatio, ōnis, f. 3. proprie est actus annotandi seu notam apponendi (It. *annotazione*; Fr. *annotation, note*; Hisp. *anotacion, comentario*; Germ. *die Anmerkung*; Angl. *a noting down, annotation*). Occurrit ¶ 1. Abstractum pro concreto, et est nota quæ libro adscribitur. *Plin.* 7. *Ep.* 20. A te librum meum cum annotationibus tuis expecto. *Gell. præfat.* Facta in commentariis eadem disparilitas, quæ fuit in annotationibus pristinis. *Quintil.* 10. 7. 31. Brevis annotatio. — Huc referri potest et illud *Imp. Philipp.* in *Cod.* 4. 19. 5. Privata testatio, seu annotatio. *h. e.* simplex adscriptio. ¶ 2. Apud JCtos annotatio accipitur interdum pro perscriptione nominis alicujus, et ejus absentis in reos relatione, ut requirendus ac judicandus advocetur. *Macer. Dig.* 48. 17. 4. ¶ 3. Interdum imperator ad supplices libellos vel ad quæsita magistratuum respondebat, quod *rescriptum* dicebatur; cum vero ultro scribebat, quin præcessisset supplex libellus, aut magistratuum consultatio, hujusmodi scriptum *epistola* vocabatur. Tandem tum rescriptis, tum epistolis a quæstore vel alio officiali exaratis solebat princeps propria manu nomen suum apponere (ut colligitur ex *Cod.* 1. 23. 3.), sæpe etiam adnotationem, quæ paucis perstringeret totius rescripti vel epistolæ summam; judices vero compendium temporis facturi so-

tum imperatoris adnotationem legebant actoribus et petitoribus, vel sibi ab aliis recitari patiebantur, ceteris postbabitis, quæ fusius continebat rescriptum. Ne igitur concisa adnotatio aliquid ambigui vel etiam pugnantis cum rescripti vel epistolæ verbis præ se ferret, imp. *Constantinus* hanc legem edixit, quæ extat in *Fragm. Cod. Theodos.* 1. 2. 1. editis a *Peyronio V. C.* Imp. Constantinus A. Antiocho Præf. Vigilum. Adnotationes nostras sine rescriptione admitti non placet, ideoque officium gravitatis tuæ observet, sicut semper est custoditum, ut rescripta vel epistolas potius ipsas, quam adnotationes solas existimes audiendas. Dat. III. Kal. Jan. Triviris, Volusiano et Anniano Coss. (314). Adde *ibid.* 15. 3. 5., et *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 5. 8. 1., et *Impp. Dioclet. et Maximian. ibid.* 9. 16. 5.

ANNŎTĀTĬUNCŬLA *vel* adnotatiuncula, æ, f. 1. brevis annotatio. Abstractum pro concreto occurrit plur. tantum num. apud *Gell.* 19. 7. His nos inter viam verborum Lævianorum annotatiunculis oblectabamus. Adde 17. 21. *in fin.*

ANNŎTĀTOR *vel* adnotator, ōris, m. 3. qui annotat. Speciatim tantum occurrit ¶ 1. Pro observatore maligno et insidioso. *Plin. Paneg.* 49. Non ante medium diem distentus solitaria cœna spectator annotatorque convivis tuis immines. ¶ 2. De eo, qui refert in codicem tributa et annonas. *Impp. Constant. et Constans Cod. Theod.* 12. 6. 3.

ANNŎTĀTUS *vel* adnotatus, a, um. *V.* ANNOTO.

ANNŎTĀTUS *vel* adnotatus, us, m. 4. idem quod annotatio. In sexto casu *Val. Max.* 9. 12. *ext.* 1. Mortes dignæ annotatu.

ANNŎTĪNUS, a, um, adject. unius anni (ab *anno* aut ab *anno* et *tenus*). *Cæs.* 5. *B. G.* 8. *ad fin.* Multitudine navium perterritæ, quæ cum annotinis privatisque, quas sui quisque commodi causa fecerat, amplius DCCC una erant visæ. *Dionys. Voss.* merito eos ridet, qui putarunt *annotinas naves* esse, quibus annona vehitur. Nam et Græcus Cæsaris interpres vertit, ταῖς τοῦ πρόσθεν ἔτους. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 44. (107). Novus fructus in his cum annotino pendet. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 8. Ungues custodum annotinos resecato.

ANNŎTO *vel* adnoto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et noto). Part. *Annotans* 1.; *Annotatus* 1. et 2.; *Annotandus* 2. Annotare generatim est notam apponere, notare (It. *notare*; Fr. *annoter*, *marquer*; Hisp. *anotar*, *marcar*; Germ. *anmerken*; Angl. *to remark, note down*). Speciatim est ¶ 1. Notam apponere et memoriæ causa adscribere aliquid. — *a*) Cum Accus. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 4. Eum admonuimus, ut quodcumque opus esset, sciret unde daret, et meminisset atque adnotaret quid et quando et cui dedisset. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90). Brevissimum, quo cernerentur, spatium septem dierum annotatum est. *Quintil.* 1. 4. 7. De quibus in Orthographia pauca annotabo. *Prudent. Hymn.* 9. 16. Scholare murmur annotantes scripserant. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Liber legebatur: annotabat excerpebatque. *h. e.* nonnulla sibi per compendium excribebat. *Et mox.* Super hanc (*cœnam*) liber legebatur: annotabatur et quidem cursim. *Et ibid.* 13. Annota quæ putaveris corrigenda. *Id.* 7. *ibid.* 20. Librum tuum legi – et annotavi, quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer. *Id.* 9. *ibid.* 16. Visus es mihi in scriptis meis annotare quædam ut tumida. *Quintil.* 8. 2. 4. Quod in oratione Dolabellæ emendatum a Cicerone annotavi. *Sueton. illustr. Gramm.* 24. Multa exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit. *h. e.* notis illustrare. Et *Lactant.* 5. 3. *ad fin.* Ausus est libros suos nefarios ac Dei hostes φιλαλήθεις annotare. *h. e.* inscribere. — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (157). Qua in re et illud annotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur. *Id.* 34. *ibid.* 6. 11. (34). Non omittendum quod Annales adnotavere, tripedaneos etc. Adde 28. *ibid.* 2. 5. (27)., et *Quintil.* 5. 11. 52. et 8. 6. 2. — *c*) *Annotari aliqua re* est propter aliquam rem annotatione dignum esse, nobilitari, celebrari, ut interpretatur *Harduin.* ad illud *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (61). Hæc littora fontibus calidis rigantur, præterque cetera in toto mari conchilio et pisce nobili annotantur. ¶ 2. In re judiciali — *a*) *Annotare* dicitur magistratus vel præses, qui mandata sua, præcipue in reos puniendos, scripta tradit. *Plin.* 10. *Ep.* 97. Fuere alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in Urbem remittendos. *Sueton. Cal.* 27. Cum ad saginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit. *Ulp. Dig.* 32. 1. 1. § 3. Deportatos autem eos accipere debemus, quibus princeps insulas adnotavit. — *b*) Item *annotare* dicitur magistratus, vel præses, prætor, aut judex, qui aliquem absentem delatum alicujus criminis inter reos scribit; quo facto edicit, ut requiratur judicioque sistatur, ne absens et indicta causa damnetur: qua de re plura ICti. *Arrius Menand. Dig.* 49. 16. 4. Annotare aliquem requirendum. *Martian. ibid.* 48. 17. 1. Non est irroganda in absentem pœna, sed absens requirendus annotandus est, ut copiam sui præstet etc. *Et mox.* Requirere annotatos. ¶ 3. Item est animadvertere, animo observare, in rem aliquam mentem intendere eamque addiscendi causa perspicere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (184). Et quos nostra ætas annotavit. *Id.* 9. *ibid.* 7. 6. (18). Sæpe annotata piscium æstivo calore quædam anhelatio. *Plin.* 1. *Ep.* 16. Annotasse videor, facta dictaque virorum – illustrium alia clariora esse, alia majora. *Sueton. Ner.* 41. Cum annotasset insculptum monumento militem Gallum, ab equite Romano oppressum etc.

ANNŎTUS. *V.* ADNOTUS.

ANNŬĀLIS, e, adject. (annus) anniculus, unius anni. *Paul.* 3. *Sentent.* 7. *post med.* Ovibus legatis agni non continentur, nisi annuales sint. — Videtur esse idem ac annum durans in *Inscript.* apud *Murat.* 4. 8. C. IVL. VALENTINVS IIII. VIR PRIMVS ANNVALIS. — Apud *Arnob.* 1. 38. Cur luna semper in motu indemnis creditur annualibus causis (*h. e.* causis quotannis recurrentibus) lucem semper atque obscuritatem resumens. *alii rectius leg.* animalibus.

ANNŬĀTIM, adverb. (annuus) quotannis. *Valerian. Homil.* 19. *ante med.* Non tantum dierum illorum observatione contenti, quos annuatim jejuniorum cura commendat. *Vetus Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 179. Mense Martio annuatim comitia, id est, commutationes dignitatum fiebant in campo Martio.

ANNŪBĬLO *vel* adnubilo, ās, āvi, ātum, are, a. 1. nubes immitto, objicio. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 146. sic plena maligno Afflantur vineta Noto: sic alta senescit Imbre seges nimio: rapidæ sic obvia puppi Invidet, et velis adnubilat aura secundis. *h. e.* nubila velis objicit. — Apud *Ammian.* 27. 6. *ad fin.* Qui virtutem ejus adnubilarunt actibus pravis. *alii rectius leg.* obnubilarunt.

ANNŬLĀRIS, e. *V.* ANULARIS.

ANNŬLĀRIUS, a, um. *V.* ANULARIUS.

ANNŬLĀTUS, a, um. *V.* ANULATUS.

ANNŬLUS, i. *V.* ANULUS.

ANNULLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Inter verborum portenta recensetur ab *Hieronym. Ep.* 106. *V.* ANNIHILO. Occurrit tamen in *Vulgat. vet. ed. Mai. Eccli.* 21. 5. Domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia. *Vulgat. Interpr. communis retinuit ibid.* Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam; et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia.

ANNŬMĔRĀTĬO *vel* adnumeratio, ōnis, f. 3. actus annumerandi. *Modestin. Dig.* 27. 1. 13. Annumeratio dierum, qui in viam computantur, excedit quinquaginta dies.

ANNŬMĔRĀTUS *vel* adnumeratus, a, um. *V.* voc. seq.

ANNŬMĔRO *vel* adnumero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et numero). Part. *Annumeratus* 1.; *Annumerandus* 3. Est aliquid alicui numerare, numerando dare (It. *numerare*, *contare*; Fr. *compter*, *passer en compte*; Hisp. *contar*, *numerar*; Germ. *etwas zuzählen*, *daher zählend etwas einem Andern übergeben*; Angl. *to number*, *count*, *enumerate*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu occurrit — *a*) Cum Dat. personæ. *Plaut. Merc. prol.* 88. Alicui talentum sua manu annumerare. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 17. 56. Pecuniam mulieri annumerare et reddere. *Id.* 5. *Verr.* 84. 795. Singulos alicui denarios annumerare. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 4. Cuique sua annumeravimus, atque annumerata ipsi excripsimus. — *b*) Absolute. *Ter. Adelph.* 3. 3. 15. Argentum annumeravit illico. *Varro* 2. *R. R.* 2. 6. Grex dominum non mutavit, nisi si est annumeratum. *h. e.* nisi pretium, numeratā pecuniā, solutum sit. *Id. ibid.* § 5. Quidam enim pretio facto in singulas oves (*excipiunt*), ut agni chordi duo pro una ove annumerentur. *Cic.* 1. *Invent.* 45. 84. Si dicemus, infirmum aliquid annumeratum. ¶ 2. Superiori quidem significatione occurrit, sed figurate. *Cic. Opt. gen. Orat.* 5. 14. Non enim ea (*verba*) me annumerare lectori putavi, sed tamquam appendere. *Quintil.* 11. 3. 33. Omnes imputare et velut annumerare litteras molestum. *Sil. It.* 6. 620. Fabius mirabile quantum Gaudebat reducem patriæ annumerare reversus, Duxerat egrediens quam secum in prœlia, pubem. *h. e.* servare et eodem numero restituere. ¶ 3. Est etiam in aliquorum numero ponere, in eumdem numerum referre, numerando addere. — *a*) Cum Dat. *Cic.* 2. *Divinat.* 1. 3. Atque his libris annumerandi sunt sex de republ. *Id. Brut.* 57. 207. His duobus ejusdem ætatis nemo annumerabatur tertius. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 4. et mihi nomen Tunc quoque cum viris annumerarer, erat. *Tac.* 4. *Hist.* 5. Qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia; potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant. *Pompon. Dig.* 33. 10. 1. Instrumentum domesticum, quod neque argento aurove facto, vel vesti annumeratur. *Ulp. ibid.* 19. 2. 9. Imperitia culpæ est annumeranda. — *b*) Cum Præp. *in*, *inter*, *cum*. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Verum ego forsitan, propter multitudinem, patronorum in grege annumerer. *quidam MSS.* habent in gregem. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 20. Se quoque in exemplis annumerare solet. *Paul. Dig.* 32. 1. 99. *pr.* Servi, quos paterfamilias inter urbanos annumerare solitus sit. *Pseudo-Cic. in Sall.* 4. Una cum aliquo annumerari. — *c*) Absolute. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (29). Mandorum nomen iis dedit Clitarchus et Megasthenes trecentosque eorum viros annumerat.

ANNUNCĬĀTĬO *vel* adnunciatio, ōnis, f. 3. actus annunciandi. Quidam afferunt *Cic. Fat.* 12., sed ibi legendum est *enunciatio*. Habent tamen *Augustin. Serm.* 18. *de Sanctis*, *Lactant.* 4. 21., et *Arnob.* 7. 40. (*al.* 43.).

ANNUNCĬĀTOR *vel* adnunciator, ōris, m. 3. qui annunciat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 7. Romulus ascensus sui in cœlum habuit Proculum affirmatorem: Christus vero descensus de cœlo sui non invenit annunciatorem. *Augustin. Serm.* 11. *de Sanct. init.* Paulus ex persecutore Christianorum annunciator factus est Christi.

ANNUNCĬĀTRIX *vel* adnunciatrix, īcis, f. 3. quæ annunciat. *Ennod. Dict.* 9. Futuræ annunciatrix innocentiæ divinitas nomen imposuit.

ANNUNCĬO *vel* adnuncio *vel* adnuntio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et nuncio) idem fere quod nuncio: et fere dici de eo, qui bonam rem nunciat, notat *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 4. 2. 8., tametsi id non est usquequaque verum (It. *annunziare*, *portar la nuova*; Fr. *annoncer*; Hisp. *annunciar*; Germ. *verkündigen*, *ankündigen*; Angl. *to announce*). *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (174). Annunciare multa e longinquo. *Et post* (177). Annunciavere propere, exanimatum illum. — Pro narrare usurpavit non semel *Apul.* ut 8. *Met.* 9. Ignem propter assidens inter servorum frequentiam sic annunciabat. — *Annunciare salutem alicui* est salutem mittere, jubere aliquem salvere. *Cic.* 12. *Att.* 1. Eique aut scribes salutem, aut annunciabis. *Plerique cum* Orellio *rectius leg.* nunciabis, *h. e.* scribes si rusticatur, nunciabis si tecum in urbe est.

ANNUNCĬUS *vel* adnuncius, ii, m. 2. qui annunciat. *Apul. de Deo Socrat.* 19. Sub quodam arboris opacæ umbraculo signum illud annuncium sensit, ne prius transcenderet, etc. *Ambros. Hexaem.* 5. 9. Machinæ tempestatis aut tranquillitatis annunciæ.

ANNŬO *vel* adnuo, nuis, nui *vel* nuvi, nutum, nuere, a. 3. (ad et nuo). Perfectum *adnuvi* legitur in *Ennio* apud *Priscian.* (*V.* infra 2. d.): alii autem ab Indicativo *annueo*, es derivant: nam et *abnueo* pro *abnuo* dixit *Ennius*. V. ABNUEO. — Pro *annuam*, *as*, *at*, legi aliquando *annuim*, *is*, *it*, nonnulli putarunt ex *Catull.* 61. 161. (V. infra 2. 9.): sed ibi, ut recte admonuit *Forcellinus*, potest esse præsens Indicativi. — Supinum *adnutum* affertur quidem a *Priscian.* 10. p. 882. *Putsch.*; sed adhuc exemplis caret. — Part. *Annuens* 1. — Annuo est capitis nutu assentio, approbo, affirmo; cui contrarium est *abnuo* (It. *far cenno di sì col capo*; Fr. *faire signe de la tête et approuver*; Hisp. *con la cabeza aprobar*; Germ. *zunicken*, *dass heisst mit dem Kopfe eine Verbeugung nach etwas hin machen*, *um Jemandem wegend etwas zu verstehen zu geben etc.*; Angl. *to give consent by a nod*, *assent by a nod*, *approve*, *agree to*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu est nutum aut signum capite dare et assentire. Cum Dat.

aut absolute. Plaut. Asin. 4. 1. 39. Neque illa ulli homini nutet, nictet, adnuat. Cic. Quinct. 5. 18. Simul atque sibi hic adnuisset, numeraturum se dicebat. Liv. 1. 12. Annuentibus ac vocantibus suis, favore multorum addito animo, evadit (*e palude*). Tac. 15. Ann. 58. Flavio assistenti annuentique, an distringeret gladium cædemque patraret, renuit. ¶ 2. Latiori sensu est nutu capitis vel verbis assentire, et generatim assentire, affirmare quomodocumque: ad rem Virg. 9. Æn. 105. Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris, Per pice torrentes atraque voragine ripas Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum. h. e. affirmavit jurando per Stygem, id ita futurum. Adde 10. ibid. 115. Hoc sensu occurrit — a) Absolute. Plaut. Truc. prol. 4. Quid nunc? daturine estis, an non? annuunt. Ter. Eun. 3. 5. 32. In interiore parte ut maneam solus cum sola (*imperat*): adnuo terram intuens modeste. Cic. 2. Orat. 70. 285. Potest fieri, inquit, ut is iratus dixerit. Annuit Silus. Potest etiam, ut tu non recte intellexeris. Id quoque toto capite annuit. Id. 13. Phil. 3. 6. Quæram ex ea, etiamne fuerit serviendum: si annuerit, næ ego istam sapientiam non audiam. Id. 3. Cat. 5. 10. Quæsivi, cognosceretne signum? Annuit. — b) Cum Dativo personæ. Virg. 4. Æn. 128. non adversata petenti Annuit. Id. 11. ibid. 797. Sterneret ut subita turbatam morte Camillam, Annuit oranti: reducem ut patria alta videret, Non dedit. Propert. 1. 1. 31. Alicui facili ore annuere. — c) Cum Dativo rei. Virg. 1. G. 40. Da facilem cursum atque audacibus annue cœptis. h. e. nutu propitio approba, secunda, confirma. Adde 9. Æn. 625. Ovid. 7. Met. 178. Annuere ausis. Plin. 1. Ep. 22. ad fin. Superest, ut promissis deus annuat. h. e. ut quæ alii promittunt, deus approbet et firmet. Tac. 12. Ann. 48. in fin. Annuere crimini. Id. 15. ibid. 16. paci. Inscript. apud Grut. 83. 15. PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANAE REIP. ARCANAQVE VRBIS PRAESIDIA ANNVANT QVORVM NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE. — d) Cum Accus. et Infinito. Ennius apud Priscian. 10. p. 872. ed. Putsch. Adnuvit sese mecum decernere ferro. alii *male leg.* Annuit *et pænultimam producunt*. Plaut. Bacch. 2. 2. 9. Ego autem venturum annuo. Liv. 32. 39. Cum annuisset se venturum. Id. 28. 17. Amicitiam se Romanorum accipere annuit. Virg. 11. Æn. 19. ubi primum vellere signa Annuerint superi. — e) Cum Accusativo rei tantum. Cic. apud Non. p. 438. 11. Merc. Quod cum uterque nostrum annuisset. Adde eumd. 2. Orat. 70. 285., quem loc. V. supra sub a. Tac. 14. Ann. 60. Vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa annuerent. — f) *Annuere aliquem* est nutu indicare, designare. Cic. 3. Verr. 61. 158. Ex hac decuria – quos iste adnuerat, in suum consilium sine causa subsortiebatur. Orellius cum aliis multis ita legit: at aliter Manut., aliter Lambinus, aliter etiam alii. Schützius tamen fidenter edidit *quos, ubi iste annuerat*. — g) Nonnumquam regit Accusativum rei et Dativum personæ, et significat nutu indicare vel promittere se daturum vel facturum aliquid. Cic. 5. Verr. 91. 213. Hoc enim mihi significasse et adnuisse visus est. Liv. 7. 30. Annuite, patres conscripti, nutum numenque vestrum invictum Campanis. h. e. præbete assensum vestrum etc.; eodem modo, quo *currere cursum, servire servitutem* et hujusmodi. Catull. 61. 161. Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus annuit etc. Virg. 12. Æn. 187. Si nostrum annuerit nobis victoria Martem. Servius hic ait hypallagen esse pro *Sin Mars noster annuerit nobis victoriam*. Virg. 1. Æn. 254. Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem. Horat. 4. Od. 6. 21. ni – divum pater annuisset Rebus Æneæ potiore ductos Alite muros. Val. Flacc. 1. 40. Hanc mihi militiam annue.

Homonym. Inter *annuere* et *innuere* hoc statuit discrimen Nonius 5. 65. edit. vet., quod *innuere* sit facie significare, *annuere* concedere. Et ibid. 71. inter *nutare*, *annuere* et *nictare* veteres ait hoc interesse voluisse, ut *nutare* capitis, *annuere* vel *innuere* narium vel labiorum, *nictare* oculorum esset. — Hæc tamen discrimina nec perpetua, nec fortasse vera sunt.

ANNUS, i, m. 2. Est unum idemque cum *ano*, quam vocem V., teste Varrone 6. L. L. 8. p. 76. Müll. Tempus a bruma ad brumam dum sol redit, vocatur annus, quod ut parvi circuli anuli, sic magni dicebantur circites ani, unde annus. Et Servius ad Virg. 5. Æn. 85. Annum, secundum Ægyptios, indicabatur ante inventas litteras picto dracone caudam suam mordente. Cf. Id. 1. ibid. 273. Forcellinus ducebat ab ἄνω perficio, littera n geminata, ita ut annus proprie sit id quod perfecte redit in se, vel quod in se per sua vestigia volvitur. — Itaque annus est tempus, quo sol per Zodiacum cursum suum conficit, scilicet spatium 12. mensium, seu 365. dierum et 6. horarum, minus 12. minutis (It. *anno*; Fr. *année*; Hisp. *año*; Germ. *Jahr*; Angl. *year*). Apud Latinos occurrit A) annus naturalis et civilis, et B) annus magnus).

A) De anno lunari, qui est 30. dierum paullo minus, quo spatio luna Zodiacum percurrit; item de divisione in annum civilem, naturalem et astronomicum V. Mathematicos et Cronologos. Apud Romanos videtur Romulus annum a Martio inchoasse, Numa a Januario, additis duobus mensibus. V. Censorin. c. 20., Ovid. 1. Fast. 27., 39. et 43., Gell. 3. 16., et Pauly Real-Encyclop. T. 1. p. 506. Ea quæ adducemus, intelligenda sunt de anno naturali et civili apud Romanos. ¶ 1. Proprie et stricto sensu, est tempus quo Sol per Zodiacum cursum suum conficit: et quidem generatim. Cato R. R. 133. 4. Vitem in quasillum propagato –, anno post præcidito. Plaut. Men. 4. 1. 9. Hic annus sextus, postquam ei rei operam damus. Ter. Heaut. 2. 2. 11. Mulieres dum moliuntur, dum comuntur, annus est. quod et proverbio dicitur de longo aliquo tempore. Id. Hec. 4. 1. 40. Quacum tot consuesset annos. Lucret. 2. 170. Tempora mutare annorum frugesque creare. Cic. Senect. 7. 24. Nemo est enim tam senex, qui se annum non putet posse vivere. Varr. 1. R. R. 46. Ex quibus foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, dici possit. h. e. anni tempestas. Cæs. 1. B. G. 54. Paullo maturius, quam anni tempus postulabat. Liv. 3. 6. Agebatur anni principium Kalendis Sextilibus. Horat. Art. P. 175. Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt. Ovid. 1. Fast. 149. Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus? Nep. Dion. 5. Quinquaginta annorum imperium. h. e. quod quinquaginta duravit annos. Id. Themist. 9. in fin. Dare alicui annum temporis. Liv. 2. 18. Eo anno prœlium fuit. Id. ibid. 16. in fin. Hoc anno Romæ triumphatum. — NB. *In hoc anno* pro *hoc anno* eo modo dicimus, quo *in hoc tempore* pro *hoc tempore*. Itaque *in hoc anno* solebat addi in quibusdam Interdictis prætoris, ut indicat Cic. 15. Fam. 16. — *Anne* in vocativo. Auson. Precat. 8. Edyll. 1. Jane veni, novus anne veni, renovate veni sol. Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 267. O consanguineis felix auctoribus anne. — Huc plurimæ pertinent formulæ, scilicet — a) Jungitur Substantivis. Liv. 2. 52. Initio anni. Id. 2. 48. Principio anni. Tac. 5. Ann. 11. Exitu anni. Id. 6. ibid. 27. Extremo anni. Id. 15. ibid. 47. Fine anni. — b) Jungitur Adjectivis. Sueton. Tib. 51. Ineunte anno. Cic. 1. Divinat. 25. 53. Anno exeunte. Id. 2. Nat. D. 20. 53. et Nep. Ages. 4. Anno vertente. Cic. 13. Phil. 10. 22. Intra finem vertentis anni. Liv. 2. 61. et Virg. 3. G. 304. Extremo anno. Horat. 3. Od. 18. 5. Anno pleno. h. e. confecto. Varro 1. R. R. 44. 3. Alternis annis. V. ALTERNUS. Cic. Harusp. resp. 8. Anno superiore. Liv. 2. 56. Consules prioris anni. Cic. fragm. pro Cornel. Postero anno. — c) *Annus est tertius etc., abhinc annis duobus etc.* Plaut. Stich. 1. 1. 30. Viri nostri domo ut abierunt, hic tertius annus. Cic. 2. Off. 21. 75. Nondum centum et decem anni sunt, cum – lata lex est. Id. 8. Phil. 9. 27. Est jam annus, ut repulsam tulit. Orellius aliter leg. Plaut. Most. 2. 2. 63. Abhinc quadraginta annis. Cic. Rosc. com. 13. 37. Abhinc annis XV. Plaut. Cas. prol. 39. Abhinc annos sedecim. Cic. Balb. 6. 16. Abhinc annos D. Id. 12. Att. 17. Abhinc amplius annis XXV. — d) Accusativus *annum* significat integrum anni tempus. Cic. 13. Fam. 19. 1. Is cum Romæ annum prope ita fuisset etc. Cælius apud Cic. 8. Fam. 14. 2. Sæpe tibi scripsi me annum pacem non videre. Cæs. 7. B. G. 32. Regiam potestatem annum obtinere. Liv. 2. 7. Quia matronæ, ut parentem, annum eum luxerunt. — e) *Ad annum* est post annum, et ponitur *ad*, quod de futuro tempore dicitur, sæpe et cum numeralibus. Cic. 5. Att. 2. 1. Quem ad annum tribunum pleb. videbam fore. Id. 3. Orat. 24. 92. Ut tibi, Cæsar, faciendum est ad annum. Id. 12. Att. 46. Nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos. Id. 1. Tusc. 37. 90. Si ad X millia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem. — f) *In annum* est — In tempus integri anni. Liv. 37. 2. in fin. Prorogare alicui imperium in annum. Horat. 1. Ep. 18. 109. provisæ frugis in annum Copia. Et ibid. 11. 23. Differre aliquid in annum. — Interdum *in annum* est per annum proxime futurum. Varro 2. R. R. 2. 12. Quod stercoratione faciunt in annum segetes meliores. — g) Ablativus *anno* significat — Anno præterito; cui *hornus* opponitur. Plaut. Men. 1. 3. 22. Quatuor minis ego emi istam anno uxori meæ. Id. Amph. prol. 91. Etiam histriones anno cum bis Jovem invocarunt. Lucilius apud Non. p. 121. 8. Merc. Utrum anno, an horno te abstuleris a viro. — Ponitur etiam pro integro anni tempore. Liv. 25. 16. Et jam anno in magistratu erat. Id. 3. 39. Qui anno jam prope senatum non habuerint. Quintil. 5. 13. 9. Cum anno vidua fuisset. Aurel. Vict. Vir. illustr. 10. extr. Corpus ejus matronæ anno luxerunt. — De formulis *Anno ante, anno post* V. ANTE et POST. — Denique *anno* est etiam anni spatio durante. Plin. 18. Hist. nat. 18. 48. (173). Uno boum jugo conseri anno facilis soli quadragena jugera justum est. Id. 3. ibid. 73. 75. (184). Bis anno absumuntur umbræ (*Sic bis die* dixit Virg. 3. Ecl. 34.). Colum. 8. R. R. 14. 4. Ter anno. — Additur etiam *in* quando ab aliqua particula numerali pendet, ad significandas temporis vices. Cic. Rosc. Am. 46. 132. et Varro 3. R. R. 10. 3. Ter in anno. Varro 2. R. R. 11. 8. In anno bis. Liv. 39. 13. Tres in anno dies statos habere. ¶ 2. Specialim sæpe occurrit ratione habita humanæ vitæ et significat ætatem. Ter. Heaut. 2. 2. 11. Annos sexaginta natus es, aut plus. Id. Adelph. 5. 8. 15. Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam? Id. ibid. 5. 8. 8. Parere jam diu hæc per annos non potest. Cic. Senect. 5. 13. Qui (*Isocrates*) eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse se dicit. Id. ibid. 5. 14. Annos natus sexaginta. Nep. Ages. 8. Cum annorum octoginta in Ægyptum ivisset. Tac. 1. Hist. 49. Hunc exitum habuit Galba tribus et septuaginta annis. h. e. annum jam habens septuagesimum tertium. Ulp. Dig. 30. l. 30. Esse annorum viginti. Scævola ibid. 32. l. 33. Esse annis sexdecim. — a) Jungitur pluribus Adjectivis. Horat. 4. Od. 13. 23. Breves anni. Ovid. 15. Met. 226. emeriti. Virg. 9. Æn. 246. Gravis annis. Stat. 1. Theb. 415. Integer annorum. h. e. adhuc juvenis. Juvenal. 3. 282. Improbus annis. h. e. insolens, protervus utpote juvenis. Ovid. 10. Met. 36. justos peragere annos. Id. 8. ibid. 632. juveniles. Virg. 2. Æn. 339. Maximus annis. Ovid. 14. Met. 617. maturior annis Remulus. Id. Heroid. 1. 11. molles. Stat. 5. Theb. 762. Phrygiis degere longius annis. Ter. Eun. 2. 2. 5. pannis annisque obsitus. Virg. 7. Æn. 53. plenis annis nubilis virgo. Quintil. 1. 11. 19. Pueriles anni. Seneca Thyest. 317. rudes. Ovid. 7. Met. 163. seniles. Id. Heroid. 4. 25. teneri. Tac. 13. Ann. 19. Vergens annis. h. e. senescens. — b) Jungitur et pluribus Verbis. Cic. Senect. 10. 32. Quartum annum et octogesimum agere. Ovid. 9. Met. 429. fatis Iolaus in annos, Quos egit, rediit. Id. 2. Amor. 3. 40. Ante annos occidere. Cic. Senect. 5. 13. Centum et septem complevit annos. Ovid. 1. Art. Am. 61. crescentibus annis. Quintil. 6. præfat. 6. Egressus quintum annum. Ovid. 1. Met. 750. Esse annis æqualem alicui. Virg. 1. Æn. 75. Exigere annos cum aliquo. Quintil. 6. præfat. 4. Expleto anno ætatis undevigesimo. Ferre annos. V. FERO. Cic. Brut. 4. Crassus habebat quatuor et triginta annos, totidemque annis mihi ætate præstabat. Adde eumd. Cæcin. 19. 54., et cf. Plin. 16. Hist. nat. 44. 85. (235). Quintil. 3. 1. 14. Implere annum octavum et nonagesimum. Lucret. 2. 959. marcet corpus annis. Juvenal. 13. 58. Præcedere quatuor annis. Virg. 8. Æn. 560. præteriti anni. Cic. Senect. 6. 20. Ad centesimum annum vivere. Id. ibid. 5. 14. Vixit annos septuaginta. Plin. 7. Hist. nat. 48. 49. (159). Sammula quoque centum annis vixit. Inscript. apud Guerra Antich. di Asolo p. 45., nunc in Museo Obiciano. VIXIT ANNVM MENSES III. DIES XVII. — c) Sing. numero. Propert. 4. 5. 57. Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus. Cf. Id. 2. 15. 38. ¶ 3. Item specialim ratione habita legum Romanarum annus dicebatur ætas, quæ ad magistratus petendos atque obeundos definita erat. Cæs. 3. B. C. 1. Is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret. — Hinc *annus meus, tuus*, etc. erat, quo primum petere magistratus licebat. Cic. 2.

Leg. agr. 2. 4. Est illud amplissimum, quod hoc honore me affecistis; quod prima petitione; quod anno meo. *Id.* 1. *Att.* 1. Si in nostrum annum inciderit, firmior candidatus fore videatur. *Id.* 10. *Fam.* 25. Ut si ædilis fuisses, post biennium tuus annus erat. *h. e.* petendæ præturæ. Adde *eumd. Mil.* 9. 24. ¶ 4. Item speciatim sæpe ponitur pro iis, quæ eo anno accidunt, ut sunt bella, paces, pestilentia etc. *Plaut. Most.* 3. 1. 1. Scelestiorem ego annum locando argento fenori numquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit. *Cic.* 5. *Fam.* 16. Gravissimus et pestilentissimus annus. *Id. Brut.* 59. 213. judicialis. *Liv.* 10. 9. bellicosior. *Id.* 2. 60. Turbulentior inde annus excepit. *Id.* 3. 32. multiplici duce fœdatus. *Id.* 10. 31. sollicitus prodigiis. *Id.* 10. 1. imbellis. *Ovid.* 1. *Fast.* 168. iners. *Propert.* 4. 8. 14. fertilis. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 137. locuples frugibus. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 12. Steriles anni. *Virg.* 6. *Æn.* 649. Magnanimi heroes nati melioribus annis. *Grat. Cyneget.* 399. Quid priscas artes inventaque simplicis anni Si referam? *h. e.* ævi rudis et simplicis: alii tamen leg. ævi. ¶ 5. Poetæ sæpe annum pro parte anni usurpant eumque Adjectivis definiunt. *Virg.* 3. *Ecl.* 57. Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus. *h. e.* ver. *Id.* 6. *Æn.* 311. frigidus annus. *h. e.* hiems. *Horat. Epod.* 2. 29. Annus hibernus. *Stat.* 4. *Theb.* 1. horrens. *Horat.* 3. *Od.* 23. 8. Annus pomifer. *h. e.* auctumnus. *Tibull.* 1. 1. 17. novus annus. *h. e.* ver. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 8. Pisæumque domus non æstuat annum. *h. e.* æstatem, quo tempore Pisis Olympici ludi fiebant. ¶ 6. Ratione habita agrorum culturæ, annus est, apud poetas præcipue, idem atque annona. *Lucan.* 3. 69. Effusis magnum Libye tulit imbribus annum. *Id. ibid.* 450. curvoque soli cessantis aratro Agricolæ ruptis annum flevere juvencis. *h. e.* anni proventus. *Id.* 9. 437. naturâ deside torpet Orbis et immotis annum non sentit arenis. *Stat.* 4. *Theb.* 709. donec Phariis alimenta rogatus Donet (*Nilus*) agris magnumque inducat messibus annum. *Id.* 3. *Silv.* 2. 22. Pharius annus. *h. e.* annona ex Ægypto proveniens. Adde *Claudian. B. Gild.* 47. *Tac. Germ.* 14. Nec arare terram et expectare annum tam facile persuaseris, quam provocare hostem. *h. e.* expectare frugum maturitatem.

B) Annus magnus juxta *Forcellinum* erat spatium 12954. annorum, juxta recentiores vero circiter 25800. annorum, ut apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Quarum (*stellarum*) ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cum solis et lunæ et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 21. 24. *Censorinus de die nat.* 18. eumdem annum ex Aristotele *maximum* appellat; *Macrobius* autem *Somn. Scip.* 2. 11. vocat *mundanum*.

ANNŪTO *vel* adnuto, as, are, n. 1. frequentativum ab *annuo* vel *adnuo*, et ejusdem fere significationis: ejus contrarium est *abnuto*. *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 29. 2. *Müll.* Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet. *Id.* apud *Fronton.* p. 62. ed. *Niebh.* Faveant atque adnutent et subserviant. *Plaut. Merc.* 2. 3. 100. Ibidem mihi etiam nunc adnutat: addam sex minas. *Apul.* 10. *Met.* 32. Sensim adnutante capite cœpit incedere.

ANNŪTRIO *vel* adnutrio, is, ire, a. 4. idem quod nutrio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (202). Singulis (*ulmis*) denas sæpe adnutriunt vites.

ANNŪUS, a, um, adject. Generatim est ad annum quomodocumque pertinens: hinc speciatim ¶ 1. Qui unius anni spatio continetur, qui unum tantum durat annum, qui in unum annum sufficit. *Cato R. R.* 60. Cibaria annua. *h. e.* quæ in unum annum sufficiunt. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 45. Penus annuus. *Id. Asin.* 5. 2. 36. vita. *Lucret.* 5. 618. Annua tempora. *Horat.* 4. *Od.* 5. 11. spatio longius annuo Dulci detinet a domo. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 3. *Cic.* 6. *Att.* 5. et 15. *ibid.* 15. Annuum tempus. *Id.* 7. *Fam.* 23. 1. Estne aut tui pudoris, aut nostri, primum rogare de die; deinde plus annuâ postulare? *h. e.* postulare ut dies fiat annus, ut dies in annum differatur. Cf. *eumd.* 12. *Att.* 3., et *Sueton. Aug.* 101. *Ovid. Heroid.* 11. 29. Nec somni faciles, et nox erat annua nobis. *h. e.* nox videbatur annum durare. *Cic.* 15. *Fam.* 14. 5. Ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 6. 5. *Id.* 5. *Att.* 13. 3. Primum illud præfulci atque præmuni, ut simus annui; ne intercaletur quidem. *h. e.* ut unum annum simus in provincia. *Id.* 3. *Fam.* 12. 4., et *Tac.* 3. *Hist.* 46. Imperium annuum. *Cæs.* 1. *B. G.* 16., et *Sueton. Aug.* 30. Annui magistratus. *Nep. Hann.* 7. reges. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Annuæ mercedes habitationum. *Liv.* 40. 46. vectigal. *Horat.* 3. *Od.* 24. 14. cultura. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 39. 59. (139). Annua fame durare. *Id.* 7. 46. 47. (151). Prædium large sufficiens victibus annuis. *Tac. Agric.* 22. Annuæ copiæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 2. 3. (7). Plurimum ætatis oleo annuo est. ¶ 2. Item qui singulis annis recurrit, anniversarius. *Accius* apud *Non.* p. 20. 28. *Merc.* Annuus cursus (*lunæ*). *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. Annui cursus. *Id. ibid.* § 19. anfractus. *Id.* 1. *Invent.* 34. 59. Annuæ commutationes. *h. e.* anni tempestates. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Annuæ varietates frigorum et calorum. quas *Seneca Rhet. suas.* 1. *appellat* annuas hiemis atque æstatis vices. *Cic.* 15. *Att.* 29. Annui sumptus. *Id.* 5. *Verr.* 48. 114. Annuus fructus, labor. *h. e.* agricolarum. *Virg.* 1. *G.* 216. cura. *Id. ibid.* 339. sacra. *Propert.* 3. 8. 31. solemnia. *Lucan.* 1. 180. certamina. *Tac.* 14. *Ann.* 12. ludi. *Liv.* 5. 4. Æra annua, annua opera. *Id.* 42. 34. stipendia. *Ovid.* 1. *Fast.* 670. liba. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Sapores annui sponte venientes. *Sillig.* legit *anni.* *Id.* 28. 8. 27. (92). Annuâ vice. *h. e.* quotannis. *Id.* 10. 20. 22. (44). Annuis vicibus caudam amittere. *Id.* 11. 39. 94. (230). Quadrupedibus pilum cadere atque subnasci annuum est. — Interdum hoc sensu, quemadmodum ANNIVERSARIUS 2., ponitur pro adverbio et jungitur substantivis. *Tibull.* 2. 1. 48. Deponit flavas annua terra comas. *h. e.* annuatim. *Id.* 4. 1. 172. Tondetur seges maturos annua partus. — Hinc

Annuum, i, n. 2. absolute et frequentius *annua*, *orum*, sunt ea, quæ alimentorum causa præbentur alicui quotannis. *Papinian. Dig.* 33. 1. 10. Uxori præter id, quod a Mævio annui nomine accipiebat, aureos centum dari volo. *Ulp. ibid. l.* 14. Si cui annuum relictum fuerit. *Plin.* 10. *Ep.* 40. Publici servi annua accipiunt. *Sueton. Tib.* 50. Juliam uxorem et peculio concesso a patre præbitisque annuis fraudavit. *Id. Vesp.* 18. Rhetoribus annua centena constituere.

ĂNŌDȲNA medicamenta sunt, quæ somno dolorem levant, ut definit *Cels.* 5. 25., ubi tamen hac voce Græce utitur. Nam ἀνώδυνος significat dolorem tollens, ab α privativo et ὀδύνη dolor. Latinis tamen litteris usurpatur a *Marcell. Empir.* 25. Medicamentum, quod facit ad omnes membrorum dolores, quod anodynon appellatur. Et a *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Apponenda malagmata dolori contraria, quæ anodyna vocantur. *Id. ibid.* 2. 4. scribit, quæ Græci *anodyna* vocaverunt, Latine *indoloria* dici posse. — *Forcellinus* hæc addidit: Usurpatur etiam num. sing. *Anodynum*, i, n. 2. collyrium, de quo *Nicolaus Myrepsus* p. 660. *Tochòn d' Anneci, cachets antiques des médecins oculistes* p. 43. Q. Junii Tauri anodynum ad omnem lippitudinem.

ĂNŌMĂLĒ, adverb. (anomalus) ἀνωμάλως, per anomaliam. *Probus* apud *Priscian.* 7. p. 727. ed. *Putsch.* Hoc unum nomen tantum sic anomale confirmatum sit declinari. *Priscian.* 11. p. 919. Hæc participia anomale per obliquos casus pro *ie eu* habuerunt *iens, euntis, quiens, queuntis*.

ĂNŌMĂLĬĂ, æ, f. 1. inæqualitas, varietas, dissimilitudo, et *Anomalus*, *a*, *um*, ἀνώμαλος, inæqualis, varius, dissimilis: ab α privativo et ὁμαλὸς *planus*, *lævis*. Transfertur hinc ad nomina et verba. *Anomalia* igitur apud Grammaticos est inæqualitas declinationum, vel conjugationum, quæ consuetudinem sequitur; et *anomala* nomina, aut verba dicuntur, quæ aliqua ratione a recta norma quinque declinationum, vel quatuor conjugationum aberrant: cui *Analogia* contraria est. *Varro* vocem *anomalia* modo Græce usurpat, sæpius Latine, ut 8. *L. L.* 23. *p.* 175. *Müll.* Cum putarent potius sequendam dissimilitudinem, quæ in consuetudine est: quam etiam vocant ἀνωμαλίαν: cum, ut ego arbitror, utrumque sit nobis sequendum, quod in declinatione voluntaria sit ἀνωμαλία, in naturali magis analogia. *Et* 9. *ibid.* 3. Neque anomalia, neque analogia est repudianda. *Et ibid.* 113. Si confecissent, quod volunt, ut in Latina lingua esset anomalia. *Et* 10. *ibid.* 1. Cum ab his ratio, quæ a similitudine oriretur, vocaretur analogia, reliqua pars appellaretur anomalia, etc. Ceterum sæpissime Latina appellatione *dissimilitudinem* appellat. De anomalia et analogia verba facit etiam *Gell.* 2. 25. — Quod attinet ad vocem *Anomalus*, ea Latine usurpatur a vet. Grammaticis, ut *Diomed.* 1. *p.* 314. *Putsch.* Nominum genera numero sæpe plurali mutantur, et sunt anomala. *Priscian.* 8. *p.* 833. Anomala verborum id possunt ostendere, ut prosum, prodes, etc. Adde *Capell.* 3. *p.* 71.

ĂNŌMĂLOS, on, *vel* Latina positione

ĂNŌMĂLUS, a, um, adject. *V.* vocem præcod. — *Anomalus*, extra rem grammaticam, universim ponitur pro re minime regulari, et inconvenienti. *Capell.* 1. *p.* 13. Ne in thalamum primæva affectione festinans, cum discurrendum esset, totis noctibus pigritior paullulum simularet anomalum. *h. e.* ne Mercurius, planeta nempe, simularet se signum esse anomalum in Zodiaco.

ĂNŌNIS, nis, f. 3. (ἄνωνις) herba ex genere spinosarum, ramosa, fœno Græco similis, fruticosior tamen et hirsutior, odore jucunda, post ver spinosa, folio rutæ simili, toto caule foliata in modum coronæ: post fruges in arvis sponte nascitur, maxime ψίvas: aratris inimica: ex quo recentiores herbarii *restim bovis*, et *aratri remoram* appellarunt, quia spinis et ramis suis sæpe aratra in medio sulco remorantur. Dicitur et *ononis*, *idis* (ὄνωνις; quam lectionem recentiores recte præferunt), habetque aliquos etiam in medicina usus, quos *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 12. (29). recenset. *Id. ibid.* Anonim quidam ononida malunt vocare, ramosam, etc. Adde 21. *ibid.* 16. 58. (98). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 64.) hanc exhibet synonymiam: Ὄνωνις Theophr. Hist. plant. 6. 5., Ὄνωνις πολύγονος Nicand. de Ther. 872., Αἰγίπυρον Theocr. Edyll. 4. 25., Ἄνωνις Dioscor. 3. 21., *Anonis* vel *Ononis* Plin. l. c. sunt *Ononis antiquorum* L. Spec. plant. 1006.

ĂNŌNŎMASTOS, ἀνονόμαστος, hoc est non nominatus, vel nomen non habens, ab α privativo et ὄνομα *nomen*: unus est ex æonibus *Valentini* apud *Tertull. advers. Valentinian.* 35.

ĂNŌNȲMOS, i, f. 2. ἀνώνυμος hoc est sine nomine, ab α privativo et ὄνυμα nomen. Ita appellata est quædam herba, quæ afferebatur e Scythia, apprime utilis ad vulnera, ex aqua tusa, et imposita: item pota mammis et præcordiis percussis; item sanguinem excreantibus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 14. (31). Anonymos non inveniendo nomen invenit. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 429.) ait hanc herbam definiri non posse, quamvis alii putaverint esse *Ajugam pyramidalem* L., alii *Ajugam Ivam* L.

ĂNŌRECTUS, a, um, adject. ἀνόρεκτος, qui fastidit cibum: ab α privativo et ὀρέγομαι *appeto*. V. OREXIS. *Pelagon. Veterin.* 3. *ante med.* Si (*equus*) febriat, et hordeum recusat et anorectus plerumque est. *Id. ibid.* 8. *ante med.* Sed et passio ipsa anorectos facit.

ANORMIS. *V.* ABNORMIS.

ĂNŌTĔRICUS, a, um, adject. ἀνωτερικός, hoc est *superior*: ab ἀνώτερος compar. ab ἄνω *sursum*. *Medicamenta anoterica* dicuntur Græco vocabulo a *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3., quæ stomacho, et superiori ventri medendo inserviunt; quibus opponuntur, quæ Græce dicuntur ὑπήλατα, quæ inferiori ventri injiciuntur et alvum subducunt.

ANQUĪNA, æ, f. 1. funis navis, quo ad malum antenna constringitur, ut interpretatur *Isid.* 19. *Orig.* 4. 7. *Helvius Cinna* apud *eumd. loc. cit.* Atque anquina regat stabilem fortissima cursum. *Lucilius* apud *Non.* p. 536. 8. *Merc.* Funis enim præcisu' cito, atque anquina soluta. *Quidam* volunt legi *angina* vel *anguina*, et ita dici, quia angit et constringit. Alii itidem *angina* legunt, et ancoram significare ajunt a Græco ἄγκυρα, mutato ρ in ν. Sed rectius legendum *anquina*, quia *Nonii* interpretatio cum *Isidori* interpretatione omnino convenit. V. *Weickert. Poet. Lat. reliq.* p. 191.

ANQUĪRO, quiris, quisivi, quisitum, quirere, a. 3. (an et quæro). In omnibus fere, quæ hic afferuntur, sunt qui aliter legant: sed jamdiu est, cum Critici fere omnes queruntur, hoc verbum passim a sciolis et librariis indoctis corruptum esse, et in *inquiro* aut *acquiro* perperam mutatum. — Part. *Anquirendus* 1. — *Paul. Diac.* p. 22. 7. *Müll.* Anquirere est circum quærere. Hinc est diligenter circumquaque quærere, omni conatu et ope quærere atque investigare (It. *cercare con diligenza*, *investigare*; Fr. *rechercher*, *chercher*; Hisp. *buscar*, *inquirir ó procurar hallar alguna cosa*; Germ. *sorgfältig und mit aller Muhe etwas aufsuchen oder forschen*; Angl. *to*

seek after eagerly, make diligent search after). Hoc verbum unam semper eamdemque habet significationem: sed tamen cum *Forcellino* aliisque Lexicographis ita distingui potest. ¶ 1. Est rem aliquam omni ope investigare ad eam obtinendam. *Cic.* 1. *Off.* 4. 11. Generi animantium omni a natura tributum, ut quæcumque ad vivendum sint necessaria, anquirat et paret. *Id. Tim.* 4. Tertium aliquid ad cohærendum anquirere. *Id. Amic.* 23. 87. Si quis ea asperitate est et immanitate naturæ, congressus ut hominum fugiat atque oderit: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomet virus acerbitatis suæ. Adde *ibid.* 21. 81. Et *ibid.* 27. 102. Semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur. *Seneca Hippol.* 1274. At vos per agros corporis partes vagas Anquirite. ¶ 2. Est etiam cogitando, vel disputando rei alicujus veritatem investigare. *Lucret.* 4. 1182. Protrahere in lucem atque omnes anquirere nisus. *h. e.* investigare et detegere. *Cic.* 4. *Tusc.* 21. 47. Cui nihil est necesse, nisi ubi sit illud, quod veri simillimum videatur, anquirere. *Id. Fat.* 9. 17. In qua (*contentione*) quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. Tum autem aut anquirunt, aut consultant – conducat id, nec ne. *Id.* 1. *Orat.* 33. 151. Anquirere aliquid omnique acie ingenii contemplari. *Tac.* 12. *Ann.* 6. Nec diu anquirendum, quin Agrippina – anteiret. *h. e.* ambigendum, consultandum. ¶ 3. Sæpe est etiam verbum judiciorum, et significat, post accusationem ex lege coram populo lata, severe in crimen inquirere; sæpius additur et pœna. *Liv.* 6. 20. Anquirere de perduellione. *Id.* 8. 33. capite de aliquo ob rem bello male gestam. *Id.* 2. 52. et 26. 3. Anquirere capitis. *Id.* 26. 3. pecunia. *Tac.* 3. *Ann.* 12. de morte alicujus.

ANQUĪSĪTĒ, adverb. (anquiro). Comp. *Anquisitius.* Est diligenti investigatione, diligenter, accurate. *Gell.* 1. 3. Anquisite satis satisque sollicite aliquid quærere. *Et* 4. 11. Sed qui diligentius anquisitiusque carmina Empedoclis arbitrati sunt etc. *Priore loco alii* inquisite, *posteriore* scitiusque *legunt. Id.* 1. 3. Anquisitius et exactius pressiusque disserere. *Hic quoque alii* inquisitius.

ANQUĪSĪTĬO, ōnis, f. 3. (anquiro) investigatio, inquisitio. *Varro* 6. *L. L.* 90. 92. p. 110. et 111. *Müll.* citat *commentarium anquisitionis M. Sergii Mani, qui capitis accusavit Trogum*; et videtur esse libellus, in quo perscripta sint ea quæ servantur a judice cum de aliquo anquirit. *V.* ANQUIRO 3.

ANSA, æ, f. 1. Conferatur Græcum χανδάνω *prehendo*: et Latinum *prehendo, prehensus*, cujus radix videtur esse *ansa*: unde *Varro* 5. *L. L.* 121. p. 48. *Müll.* C a p u l æ a capiendo, quod a n s a t æ, ut p r e h e n d i possint, id est, capi. — Ansa est manubrium, quo vas aut quodcumque aliud manu prehendi et teneri potest (It. *manico, manubrio*; Fr. *anse, prise*; Hisp. *asa*; Germ. *die Handhabe, der Henkel, Griff oder Angriff*; Angl. *the handle of a cup or other vessel, any thing to lay hold of*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Sæpius de vasis. *Cato R. R.* 113. 2. Amphoras nolito implere nimium, ansarum infimarum fini. Hinc *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). præcipit, dolia vini numquam implenda esse. *Virg.* 3. *Ecl.* 45. duo pocula fecit, Et molli circum est ansas amplexus acantho. *Id.* 6. *ibid.* 47. attrita pendebat cantharus ansa. *Ovid.* 8. *Met.* 653. Ansa curva alvei. *Id. Heroid.* 16. 252. tortilis poculi. *Martial.* 14. 106. panda urcei. *Dig.* 41. 1. 26. § 1. et 6. 1. 23. § 2. scyphi. — *b*) *Ansa statera* est pars illa, quæ manu tenetur, habetque anulo suspensum scapum, qui in ea versatur. *Vitruv.* 10. 8. 4. — *c*) *Ansa gubernaculi* est summa pars, quam gubernator manu tenet. *Vitruv. l. c.* — *d*) *Ansa ostii* est anulus ferreus ostio infixus, ad aperiendum, claudendum, vel etiam pulsandum. *Petron. Satyr.* 96. Videbamus nos omnia per foramen valvæ, quod paullo ante ansa ostii disrupta laxaverat. — *e*) *Ansa crepidæ* aut vestium est vinculum et habenula, qua soleæ et crepidæ pedi alligantur, aut vestes in aliqua corporis parte constringuntur. *Tibull.* 1. 9. 14. Ansaque compressos colligat arcta pedes. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (85). Ferunt, a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas. *Cels.* 6. 18. n. 8. Panniculus, qui duas ansas habet. — *e*) Denique *ansæ ferreæ* dicuntur a *Vitruv.* 2. 8. unci ferrei, quibus addito plumbo inter se parietes aut parietum lapides vinciuntur (Fr. *crampon*). *Propertius* quoque 4. 1. 141. ansam tribuit unco et ejus rostris.

II.) Translate est occasio, causa, species; quo sensu et a Græcis λαβή usurpatur. *Plaut. Pers.* 4. 4. 119. Non tu illum vides quærere ansam, infectum ut faciat? *h. e.* captare occasionem. *Cic. Amic.* 16. 59. Optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum. *Id. Sext.* 19. 22. Etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos ejus sensus tenere possemus. *h. e.* sermone suo dabat indicia, quibus ejus sensus cognosceremus. *Id. Planc.* 34. 84. Si locus habet reprehensionis ansam aliquam, nescio cur etc. *Id. Cæcin.* 6. 17. Iste hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat. *V.* SEXTULA. *Ammian.* 28. 1. Offerre alicui ansam lucrandi.

ANSANCTUS. *V.* AMSANCTUS.

ANSĀRIUS, a, um. *V.* FORICULIARIUS.

ANSĀTUS, a, um, adject. ansa instructus, qui ansam habet. *Varro* 5. *L. L.* 121. p. 48. *Müll.* Capulæ a capiendo, quod ansatæ, ut prehendi possint. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 5. Id vas ansatum simile angustæ ollæ figuratur. — *Ansatæ* absolute apud *Ennium* sunt jaculamenta cum ansa seu amento, apud *Non.* p. 556. 24. *Merc.*, ansatas mittunt e turribus. *Hieron. Columna* ex valde probabili conjectura, quam recentiores philologi omnes omnino tuentur, legit *ansatas mittunt e turribus hastas*, ut hemistichium rectius constet, et integra sit locutio. Nam idem *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. dixerat, *ansatis concurrunt undique telis*. Sunt tamen qui putant, *ansata tela* dici, quæ circa medium cuspidis duas veluti furculas, seu minores cuspides in modum ansæ conversas et utrimque extantes habent, quales sunt quas Itali vocant *alabarde*; alii vero esse ea, quæ amento prædita sint, ut primum in hostem immitti, deinde retrahi possint. — Jlocaliter a *Plaut.* (*Pers.* 2. 5. 7. Sed quis hic ansatus ambulat?) dicitur *ansatus homo*, qui brachia ita gestat ad latus utrumque conversa et applicata, et, ut *Idem ibid.* v. 6. loquitur, ita *subnixis alis* se infert, ut vas ansatum referat.

ANSER, ĕris, m. 3. *Varro* 3. *R. R.* 10. 3. sæpius utitur in genere feminino, cum *de feminis parientibus loquitur*. Singulæ non plus quam ter in anno pariunt. — Ratione habita etymi, hæc vox conjungi potest cum Lat. *anas*, Gr. χήν, et Germ. *Gans, gänserich.* — Anser est avis ex genere altilium, satis vulgo nota, cujus jecur in præcipuis cœnarum deliciis olim habebatur: et hoc quidem nomine significantur anseres cum cicures sive domestici, tum feri, V. *Dig.* 41. 1. 5. § 6. (It. *oca, papero*; Fr. *oie, oison*; Hisp. *ansar, ganso, oca*; Germ. *die Gans*; Angl. *a goose, gander*). De ratione alendorum anserum plura tradunt *Varro* 3. *R. R.* 10. 1. et seq., *Colum.* 8. *R. R.* 13. 1. et seq., *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 26. (81). et seq., et *Pallad.* 1. *R. R.* 30. *Plaut. Truc.* 2. 1. 40. Qui ubi quamque nostrarum videt prope ædes, hac si aggredias, item ut de frumento anseres, clamore absterret, abigit. — Romæ autem anseres publice in Capitolio alebantur, earumque cibaria censores ante omnia alia locabant, quod cum illud a Gallis obsideretur, iique noctis silentio jam jam occulta via essent in arcem evasuri, canibus etiam, non modo hominibus, dormientibus, earum clangore alarumque crepitu excitatus Manlius, facile eos deturbare inde potuit, et rem Romanam servare, ut apud *Liv.* 5. 47. legitur. Addit *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 652. in more fuisse, ut quotannis eo die, quo id accidit, anseres auro et purpura ornati in lecticis circumferrentur: contra canes, qui nihil senserant, cruci suffigerentur. Quod vero *Virg. ibid.* 655. *argenteum anserem* memorat, alludit ad anserem ex argento conflatum, qui ob id factum in Capitolio positus est. Alii *argenteum* putant dici ab albo colore. *Cic. Rosc. Am.* 20. 56. Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 26. (81). Et anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus. *Martial.* 3. 58. Argutus anser. *Id.* 13. 58. Aspice, quam tumeat magno jecur ansere majus: Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi? *Juvenal.* 5. 114. Anseris ante ipsum magni jecur anseribus par. *Plin. loc. cit.* scribit, fartilibus anseribus jecur in magnam amplitudinem crescere, quod exemptum quoque lacte mulso augebatur. *Pers.* 6. 71. satur anseris extis. *Martial.* 3. 82. catellas anserum exta lambentes. *exta anseris* sunt jecinora anserina, in ciborum deliciis habita, ut dictum est. Adde *Caton. R. R.* 89., *Virg.* 9. *Ecl.* 35. et 1. *G.* 119., et *Ovid.* 11. *Met.* 599. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 88. Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi. *albi anseres* præ ceteris in pretio erant tum ob suavitatem in cibis, tum ob plumam, quæ laudatissima et mollissima, præcipue interior, et ad facienda pulvinaria aptissima. *Anseris medulla mollior* proverbio dicitur qui mollissimis est moribus et ingenio. *Catull.* 25. 2. et *Auct. Priapeor.* 64. — *Anser* in sacrificiis Junonis mactabatur, ut innuit *Liv. loc. cit.*, item Isidis et Osiridis, ut est apud *Juvenal.* 6. 539. et *Ovid.* 1. *Fast.* 453. Fuit etiam Priapo sacer, ut colligitur ex *Petron. Satyr.* 137. — *Anser Amyclæus* apud *Virg. Cir.* 489. est is, in quem transformatus Juppiter Ledam decepit et vitiavit, Amyclis Laconiæ oppido. Tametsi plerique alii non in anserem, sed in cycnum mutatum Jovem fabulantur. Sed facile unum pro altero poni potest; quia cycni in anserum genere a naturæ consultis censeri solent. — *NB.* De Ausere poeta *V.* ONOM.

ANSĔRĀRIUS, a, um, adject. ad anserem pertinens. Hinc

Anserarius, ii, m. 2. absolute, qui anseres alit et pinguiores facit. *Lex. Lat. Gr.* Anserarius χηνοβοσκός.

Anserarium, ii, n. 2. locus, in quo inclusi anseres aluntur. Habetur hæc vox in titulo c. 14. *l.* 8. *Colum.* ubi legitur: *De anseribus educandis et anserario constituendo*. Verum hujusmodi tituli Columellæ non sunt.

ANSĔRĀTIM, adverb. anserum ordine vel ratione. Affertur, sed nulla confirmatur auctoritate, a *Charis.* 2. *p.* 162. *Putsch.* Quarta species est eorum adverbiorum, quæ per *im* litteras terminantur, ut *passer, anser, passeratim, anseratim.*

ANSERCŬLUS, i, m. 2. deminut. ab *anser*, parvus anser, anserinus pullus. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 7. Ne noceri possit exclusis anserculis, quos enecant urticæ, si teneros pupugerint.

ANSĔRĪNUS, a, um, adject. ad anserem pertinens. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 29. (86). Anserini generis sunt chenalopeces etc. *Id.* 11. *ibid.* 47. 107. (257). Visæ etiam serpentes anserinis pedibus. *Id.* 30. *ibid.* 8. 22. (70). et 29. *ibid.* 6. 39. (133. et 134). adeps. *Id.* 29. *ibid.* 5. 33. (104). sanguis. *Id. ibid.* 6. 38. (131). fel. *Ulp. Dig.* 32. 68. lana. *h. e.* pluma.

ANSŪLA, æ, f. 1. deminut. ab ansa, parva ansa vel capula. *V.* ANSA I. Occurrit — *a*) Generatim. *Vetus Scholiast.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 4. 34. Romæ videmus hodieque fenum velut ansulam factum in cornulo bovis, quo signum datur transeuntibus ut eum vitent. — *b*) De vinculis crepidæ aut vestium. *Val. Max.* 8. 12. *in fin.* Qui in opere suo moneri sese a sutore de crepida et ansulis passus etc. Adde *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *in carm.* 14. *Apul.* 11. *Met.* 4. Læva cymbium dependebat aureum, cujus ansulæ, qua parte conspicua est, insurgebat aspis, caput extollens arduum etc. — *c*) De anulo vel unco ferreo parieti impacto, quo alligantur jumenta, dixit *Apul.* 4. *Met.* 3. Pro anulo etiam, qui in digito fertur, usurpavit *Augustin.* 2. *Doctr. Christ.* 20.; et pro anulo catenæ 8. *Confess.* 5.

ANTĀCHĀTES, æ, m. 1. *V.* AUTACHATES.

ANTÆ, arum, f. plur. 1. (ἄνται) pilæ lapideæ, seu columnæ structiles quadratæ, quæ ad latera ostiorum utrimque ponuntur vel duæ, vel quatuor, vel plures, in frontibus ædium. Dictæ sunt *antæ* vel ab *ante* præposit. quia in fronte ædium fiant, vel a Græco ἀντάω *occurro* quia ædem adeuntibus veluti occurrunt, vel ab *antes* quod *V.* infra suo loco. *Paul. Diac. p.* 16. 15. *Müll.* A n t e s sunt extremi ordines vinearum; unde etiam nomen trahunt antæ, quæ sunt latera ostiorum. *Nonius* quoque p. 30. 6. *Merc.* deducit ab *antibus*, et *antas* dici ait columnas quadras. Sed non quæcumque quadræ columnæ antæ sunt, sed eæ tantum, quæ in frontibus ædium sunt, ad latera ostiorum ut dictum est. *Vitruv.* 3. 1. Ædium autem principia sunt e quibus constat figurarum aspectus; et primum in antis: quod Græce ναὸς ἐν παραστάσι dicitur. Adde 4. 4. et 7., ubi de antarum proportione cum columnis disserit. Videntur *antæ* proprie locum habere in ædibus sacris: tametsi et in non sacris construi aliquando soleant. — Hinc *in antis esse* ædes dicitur, quæ hujusmodi pilas in fronte habet. *Vitruv. loc. cit.* In antis erit ædes, cum habebit in fronte antas parietum, qui cellam circumcludunt, et inter antas in medio columnas duas, supraque fastigium, ea symmetria collocatum, quæ in hoc libro fuerit præscripta. In *vet. Inscript.* apud *Grut.* 207. ex eo ra-

RIETE MEDIO OSTII LVMEN APERITO: EX EO PARIETE ANTAS DVAS AD MARE VORSVM PROJICITO: INSVPER ID LIMEN ROBVSTVM IMPONITO: INSVPER ID ET ANTAS MVTVLOS ROBVSTOS PROJICITO EXTRA PARIETEM etc. *Projicere antas* est eas ita construere, ut extra parietem multum emineant. Fiunt enim *antæ* non ad ornatum tantummodo, sed etiam ad muniendam et sustinendam structuram: et ob id longius a pariete projiciuntur, quo validius sustineant. Sed cum ita fiunt, magis proprie vocantur *anterides* seu *erismæ*, quam *antæ*: a nobis Italis *contrafforti*.

ANTĂGŌNISTA, æ, m. 1. (ἀνταγωνιστής) adversarius; ab ἀντί *contra* et ἀγωνίζω *pugno*. *Hieronym. Vit. Hilarion. ad fin.* Quo scilicet antagonistas haberet in proximo.

ANTĂMŒBÆUS, a, um. *V.* AMŒBÆUS.

ANTĂNĂCLĂSIS, is, f. 3. ἀντανάκλασις, ex adverso refractio. Figura, cum id, quod ab altero dictum est, non ea mente, qua dictum est, intelligitur, sed in aliam, aut contrariam accipitur. Hujusmodi de ea exemplum affert *Quintil.* 9. 3. 68. Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam expectaret; et ille dixisset, *se vero non expectare*; *imo*, inquit, *rogo expectes*. Fit etiam antanaclasis, cum non ex eodem verbo, sed ex diverso vicinum accipitur, ut si dicas, *supplicio afficiendum, quem supplicatione dignum judicaris*, ut *ibid. Quintil.* subdit: nam *supplicium* cum fere pœnam significet, aliquando et pro precibus ponitur. Est autem Græca vox: ab ἀντί *contra*, et ἀνακλάω *refringo*; et a *Quintil.* Græce usurpatur.

ANTĂPŎCHA, æ, f. 1. *V.* APOCHA.

ANTĂPŎDŎSIS, is, f. 3. *V.* APODOSIS.

ANTARCTĬCUS, a, um. *V.* ARCTICUS.

ANTĀRĬUS, a, um, adject. a Gr. ἀνταίρω *contra tollo*. *Antarii funes*, πρότονοι σχοῖνοι, in machinis tractoriis sunt ii, qui alteri capiti machinæ erigendæ, dextrâ et sinistrâ illigantur, atque ita eam regunt, ut dum erigitur, in neutram partem inclinet. *Vitruv.* 10. 3. Antarii funes ante laxi collocentur.

ANTĀRĬUS, a, um, adject. ab *ante*, et est qui est ante urbem. *Paul. Diac.* p. 8. 8. *Müll.* Antarium bellum, quod ante urbem geritur. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 156., id dici ait, quod nimium proxime, et ante ipsam urbem fit et quasi *ante aras*.

ANTE *et apud veteres etiam* anti; *unde* anticipare, antistare etc. Ratione habita etymi conjungenda est vox cum Gr. ἄντα et ἀντί, et cum Germ. *ent*, quæ in *entgegen* occurrit. — Est aut *A*) Præpositio accusativum casum regens, aut *B*) Adverbium; si præpositio, accentu acuto, si adverbium, accentu gravi donatur in ultima syllaba teste *Victorin.* p. 1953. *Putsch.*, quocum cf. *Charis.* p. 209. *ibid.*: et sive præpositio sit sive adverbium, semper est localis et significat rationem seu relationem loci anterioris ad posteriorem, et loci quidem anterioris aliquo versus rectâ progredientis; eique opponitur *post* et *retro* (It. *avanti*, *innanzi*; Fr. *devant*, *avant*; Hisp. *ante*, *delante*; Germ. *vor*; Angl. *before*, *opposite to*, *over against*).

A) Ante est præpositio localis accusativum casum regens, quo scilicet motus aliquo versus clarius definitur. Accommodatur autem proprie I. ad locum; translate vero II. ad personas, et III. ad tempus.

I.) Proprie de loco ponitur, et ¶ 1. Respondet interrogationi *ubi*, et jungitur — *a*) Verbis quietem significantibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 141. Sed quis hic est homo, quem ante ædes video hoc noctis? *Et ibid.* v. 255. Nonne ego nunc sto ante ædes nostras? *Ter. Andr.* 2. 2. 25. Cum illuc advenio, solitudo ante ostium. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Ab iis (*piscatoribus*) petivit, ut ante suos hortos postridie piscarentur. *Id. Mil.* 10. 27. Româ – profectus pridie est, ut ante suum fundum – Miloni insidias collocaret. *Id. Rosc. Am.* 5. 12. Ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, judices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sunt. *Id.* 1. *Divinat.* 33. 72. Ante prætorium. *Et mox.* Ante oppidum, Nolam. *Nep. Alcib.* 3. Qui ante januam erat Andocidi. *Liv.* 9. 32. Ante signa circaque omnes ceciderunt. *Id.* 21. 41. Velut si ante Romana mœnia pugnemus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 2. Ante stabulum. — Interdum et de personis, quæ tamen pro loco habentur. *Cic.* 4. *Verr.* 66. 160. Ante ipsum Serapim, in primo aditu vestibuloque templi. *Id.* 6. *ibid.* 3. 5. Item ante hosce deos erant arulæ. *Id.* 2. *Verr.* 3. 9. Dicere causam ante judicem. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. Post me erat Ægina, ante me Megara. *Orellius* ita locum restituit ex MSS. *Sall. Jug.* 110. Jugurtham circiter duûm millium intervallo inter eos consedisse. *Curt.* 4. 15. 3. Ipse ante se falcatos currus habebat. — *b*) Cum Verbis motum significantibus. *Plaut. Asin.* 3. 3. 70. Tu, ut decet dominum, ante me ito inanis. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Ipse ad eos contendit equitatumque omnem ante se mittit. *Nep. Datam.* 3. Quâ (*copulâ*) vinctum ante se Thyum agebat. *Liv.* 45. 40. In catenis ante currum victoris per urbem hostium inductus. — *c*) Huc pertinent illa sæpe usurpata *ante oculos*, *ante pedes*, *ante os oculosque*, *ante ora* etc.: quæ — Modo proprie et stricto sensu occurrunt. *Cic. Rosc. Am.* 5. 13. Ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. *Id.* 3. *Off.* 14. 58. Cymbarum ante oculos multitudo (erat). *Propert.* 3. 6. 32. Pœna erit ante meos sera, sed ampla, pedes. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 5. 12. supra sub *a*; et *Juvenal.* 7. 143. *Cic.* 8. *Phil.* 7. 20. Ante os oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit. *Virg.* 2. *Æn.* 531. Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum. *Id.* 1. *ibid.* 95. Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis Contigit oppetere. Adde 4. *ibid.* 62. — Modo generatim ponuntur de iis, quæ videri possunt. *Cic.* 7. *Verr.* 26. 65. Quam lubenter (*prædonum ducem*) palam ante oculos omnium esse patiatur. *Nep. Chabr.* 3. Non enim lubenter erat ante oculos suorum civium. *Liv.* 3. 50. Quotidie se frui monumento gloriæ suæ et ante oculos habere urbem latam in triumpho suo. *Cic.* 3. *de republ.* 9. 15. Quæ ne reficienda quidem Graji putaverunt, ut esset posteris ante os documentum Persarum sceleris sempiternum. — Modo translate dicuntur de iis, quæ menti obversantur vel offeruntur. *Cic.* 14. *Fam.* 2. 3. Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. *Virg.* 2. *Æn.* 772. Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ Visa mihi ante oculos et nota major imago. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 57. Ante oculos errat domus, urbs et forma locorum. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 20. 53. Ponite ante oculos vestros Rullum – auctionantem. *Quintil.* 6. 1. 11. Totas causæ vires ante oculos ponit. — Denique item translate ponuntur de iis, quæ clara sunt, aperta, manifesta. *Cic.* 1. *Orat.* 43. 192. Omnia enim sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano. *Id.* 1. *Legg.* 18. 48. Sequitur – id, quod ante oculos ex iis est, quæ dicta sunt. *Ennius* apud *Cic.* 1. *de republ.* 18. 30. Quod est ante pedes, nemo spectat; cœli scrutantur plagas. *Ter. Adelph.* 3. 3. 32. Istuc est sapere, non quod ante pedes modost videre, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere. *Cic. Orat.* 3. 40. Transilire ante pedes posita. ¶ 2. Præpositio *ante* respondet, quamvis raro et in certis ferme locutionibus, interrogationi *quo*, *quo versus*: et ponitur — *a*) De iis, qui prius in posteriore loco positi, nunc in anteriorem procedunt. *Cæs.* 1. *B. C.* 55. Quæ (*cohors*) temere ante ceteras extra aciem procurrerat. *Id.* 2. *ibid.* 34. Sequi sese jubet et præcurrit ante omnes. *Liv.* 7. 40. Ante signa progressus – dixit. *Id.* 8. 10. Accensos ab novissima acie ante signa procedere jubet. — *b*) Item de iis, quæ aliquo ante rem vel personam feruntur. *Cic.* 1. *Herenn.* 14. 28. Ergo in judicium non venit: at in senatum, aut ante imperatorem et in consilium talis causa potest venire. *Curt.* 3. 6. 10. Projectis amiculo jet litteris ante lectum. Cf. *Virg.* 5. *Ecl.* 70., *Ovid.* 8. *Met.* 480., et *Sueton. Cal.* 28. et 42. Huc pertinet præcipue formula *adducere ante oculos*. *Plaut. Rud.* 4. 4. 3. Quæ me pellices adduxisse dicet ante oculos suos. *Ter. Eun.* 4. 1. 9. Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum. Adde *eumd. ibid.* 4. 7. 24. et *Heaut.* 5. 4. 18. *Ovid. Heroid.* 9. 121. Ante meos oculos adducitur advena pellex. Adde *eumd.* 3. *Fast.* 483.

II.) Translate ad personas. ¶ 1. Hæc præpositio adhibetur in comparationibus, et de iis ponitur, quos ratione habita dignitatis, amoris etc. ceteris anteponimus. Raro tamen hoc sensu occurrit in Terentio, Cicerone, Cæsare aliisque: contra sæpissime in Livio et aliis qui cum Livio vel post Livium floruerunt; quamvis etiam apud hos certis quibusdam formulis sit circumscripta. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 24. 84. Non enim rumores ponebat ante salutem. *V.* ANTEPONO. *Plaut. Trin.* 4. 1. 5. Atque ego tibi, Neptune, ante alios deos gratias habeo atque ago summas. *Balbus* apud *Cic.* 8. *Att.* 15. A. 2. Quem ante me diligo. Cf. *Sueton. Cæs.* 50. Sed ante alias dilexit (*Cæsar*) M. Bruti matrem, Serviliam. *Sall. Cat.* 53. Facundiâ Græcos, gloriâ belli Gallos ante Romanos fuisse. *Id. Jug.* 10. Ceterum ante hos te, Jugurtha, qui ætate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. *Id. ibid.* 15. Neu verba inimici ante facta sua poneret. *Liv.* 35. 14. Tum me vero et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante omnes alios imperatores esse. *Curt.* 8. 7. 13. Si quis deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem. *Tac.* 13. *Ann.* 54. Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse. — *b*) Speciatim occurrunt formulæ *ante omnes*, *ante alios* etc. — Modo cum Participiis vel Adjectivis absolutis seu positivis. *Liv.* 1. 9. Unam, longe ante alias specie ac pulcritudine insignem, – raptam ferunt. *Id.* 3. 58. Perosus decemvirorum scelera, et ante omnes fratris filii superbiæ infestus. Adde *eumd.* 5. 25., 29. 23., 40. 22. et alibi sæpe. *Virg.* 3. *Æn.* 321. O felix una ante alias Priameia virgo. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 318. *Id.* 2. *ibid.* 40. Primus ibi ante omnes – Laocoon ardens summa decurrit ab arce. *primus* ex adjectione *ante omnes* majorem vim acquirit. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 1271. *Ovid.* 12. *Met.* 120. Sed tamen ante alios – Gratus erat, Cyparisse, tibi. *Curt.* 6. 6. 19. Rex ante omnes mœstus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 35. (70). Scumbracena (*myrrha*) prædictis caret vitiis, ante alias hilaris, sed viribus tenuis. *Id.* 4. *ibid.* 8. 15. (30). Ante cunctos claritate Peneus. *Tac.* 5. *Hist.* 12. Muri labore et opere ante alios. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 39. Tu tamen ante omnes diva cum matre, Palæmon, Adnue. — Modo cum Comparativis. *Liv.* 5. 42. Tanto ante alios miserandi magis, qui unquam obsessi sunt. *Virg.* 1. *Æn.* 347. Pygmalion scelere ante alios immanior omnes. — Sæpius cum Superlativis. *Plaut. Asin.* 5. 2. 8. Scito illum ante omnes maximi mortalem preti. *Liv.* 1. 15. Longe ante alios acceptissimus militum animis. *Nep. Att.* 3. Quod – unus ei ante alios fuerit carissimus. *Virg.* 7. *Æn.* 55. petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus. ¶ 2. Huc referri potest et formula *ante omnia*, quamvis ad personas minime referatur, et — *a*) Spectat ad rei dignitatem, et significat præcipue, maxime, imprimis. *Liv.* 2. 7. Publica – mœstitia, eo ante omnia insignis, quia matronæ annum, ut parentem, eum luxerunt. *Id.* 7. 4. Acerbitas in delectu – invisa erat, et ante omnia invisum ipsum ingenium atrox. Adde *eumd.* 4. 40. et 35. 32. *Virg.* 2. *Ecl.* 62. nobis placeant ante omnia silvæ. *Id.* 2. *G.* 475. Me vero primum dulces ante omnia Musæ Accipiant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 53. (125). Quæ natura multis, et ante omnia ursis. *Sueton. Cal.* 21. Destinaverat et Sami Polycratis regiam restituere, – in jugo Alpium urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaja perfodere. *Juvenal.* 10. 191. deformem et tetrum ante omnia vultum Aspice. — *b*) Interdum ad tempus refertur, et significat priusquam omnia alia fiant. *Cels.* 7. 30. Alvus ante omnia ducitur: tum vulsellâ tuberculum apprehensum – exciditur. *Id.* 8. 2. Oportet autem ante omnia os nudare. *Quintil.* 1. 1. 3. Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus. *Id.* 2. 2. 4. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum. Adde *eumd.* 1. 2. 8., 3. 6. 83., 4. 2. 4. et alibi sæpissime: immo *id. Quintil.* usurpat hanc formulam ei in rerum distributione pro *primo* vel *primum*, ut 4. 2. 52. Credibilis autem erit narratio ante omnia, si prius consuluerimus nostrum animum —, deinde, si etc. *Id.* 10. 7. 6. Ante omnia – deinde – postremo. *Id.* 12. 11. 25. Ante omnia – tum – denique. *Id.* 3. 9. 6. Ante omnia – deinde – tum – postremo. *Id.* 12. 1. 27. Ante omnia – post hæc.

III.) Item translate ad tempus; et occurrit ¶ 1. Generatim de tempore, quod astronomica ratione computatur: et jungitur interdum Adverbiis temporis in *o*, ut *multo*, *paullo* etc. *Legg. XII. Tab.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. SI PACVNT, IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSAM CONICITO. *Cato R. R.* 112. 1. Aquam ex alto marinam sumito – dies LXX ante vindemiam. *Plaut. Epid.* 2. 1. 41. Nam ni ante solem occasum hoc argentum eloces. *Id. Bacch.* 3. 3. 20. ante solem exorientem. *Ter. Phorm.* 4. 4. 28. Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi negoti incipere. *Plaut. Amph.* 2. 1. 55. et *Cic.* 2. *Divin.* 36. 57. Ante lucem. *Cic.* 2. *Orat.* 64. 259. Bene ante lucem. *Id.* 2. *Inv.* 5. 14. Multo ante lucem. *Id.* 12. *Att.* 15. Cum mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. *Cæs.* 1. *B. G.* 50. Non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prœlio contendissent. *Liv.* 27. 42. Multo ante noctem copias reduxit. *Id.* 31. 24. Aliquanto ante

lucem. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 2. In quibus (*codicillis*) erat scriptum, paulo ante lucem Marcellum diem suum obiisse. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 16. 18. (59). Collegi mala post æquinoctium autumnale, neque ante XVI lunam, neque ante primam horam. *Juvenal.* 9. 108. Ante diem. *Id.* 10. 339. Ante lucernas. ¶ 2. Speciatim occurrit in quibusdam formulis, quæ pariter ex astronomica temporis computandi ratione sumptæ fuerunt: hæ sunt — *a*) *Ante annum*, h. e. anno priusquam aliquid fiat. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 2. Ante annum, quam seminare voles, scrobem fodito. *Id. de Arbor.* 4. 3. Optimum erit ante annum scrobes vel sulcos facere. *Plin.* 3. *Ep.* 23. Uxor, quam ante annum virginem acceperat. *Justin.* 18. 3. 5. Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt. — *b*) *Ante suos annos* est antequam naturalis vitæ cursus impleatur. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 46. Ante suos annos occidit. *quod sæpius dicitur ante diem*, *V.* infra sub d. — *c*) *Aliquot ante annos*, *multos ante annos*, *menses*, *dies* etc. *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 4. Themistoclesque aliquot ante annos cum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior. *Codices nonnulli leg.* aliquot ante annis. *Nep. Datam.* 11. Huc Mithridates cum uno – ante aliquot dies venit. *Liv.* 31. 24. Eademque negligentia erat, quæ Chalcidem dies ante paucos prodiderat. *Sueton. Cæs.* 81. Paucos ante menses. *Tac.* 14. *Ann.* 9. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina. *Sueton. Tib.* 61. Ante aliquot annos. *Id. Aug.* 101. Ante annum et quatuor menses, quam decederet. *Id. Ner.* 56. Ante paucos, quam periret, menses. *Nonnulli* putarunt in hisce locutionibus *ante* esse Adverbium, et *aliquot* vel *multos* etc. *annos* esse Accusativum temporis; idque confirmabant loco *Cic.* 3. *Fam.* 11. 1. De qua (*absolutione*) etsi permultum ante certior factus eram litteris etc. *At* in multis *ante* est certe præpositio; in aliis quæstio videtur supervacanea. — *d*) *Ante hunc diem*, *ante eam diem*, h. e. toto tempore, quod jam præteriit. *Plaut. Capt.* 3. 4. 101. Non fuit, neque ego istuc nomen unquam audivi ante hunc diem. *Ter. Hec.* 4. 4. 18. Neque fuisse prægnantem unquam ante hunc scivi diem. *Curt.* 5. 3. 22. Invictus ante eam diem erat. — Et *ante diem* absolute eadem omnino significatione. *Fronto ad M. Aurel. Cæs.* 2. 1. 4. Namque in dies plus amando efficis, ne quod ante diem amaveris, plurimum fuerit. — *e*) *Ante diem* generatim est ante præfinitum tempus; speciatim vero ante præfinitum vitæ tempus. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 184. Cæsaribus virtus contigit ante diem. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 108. Tener ante diem vultu gressuque superbo Vicerat æquales. *Virg.* 4. *Æn.* 696. Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, Sed misera ante diem subitoque accensa timore etc. *Ovid.* 1. *Met.* 149. Filius ante diem patrios inquirit in annos. *Id.* 3. *Art. Am.* 739. Ante diem morior. — *f*) *Ante horam*, h. e. statutam. *Scribon. Compos.* 95. — *g*) *Ante id tempus* est toto tempore anteriore, hucusque. *Nep. Arist.* 2. Namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedæmonii. *Id. Timoth.* 2. Qui honos huic uni ante id tempus contigit. — *h*) *Ante tempus* est ante tempus opportunum aut lege præfinitum. *Ter. Hec. prol. alt.* 27. Strepitus, clamor mulierum fecere, ut ante tempus exirem foras. *Liv.* 31. 361. Duces – non satis expectato, ante tempus excitatis suis occasionem bene gerendæ rei amisere. *Cic. Amic.* 3. 11. Qui – factus est consul bis, primum ante tempus, iterum sibi suo tempore, reipubl. pæne sero. *Liv.* 9. 18. Post tempus ad bella ierunt: ante tempus comitiorum causa revocati sunt. *Sueton. Aug.* 26. Magistratus atque honores et ante tempus et quosdam novi generis – cepit. ¶ 3. Item speciatim ratione habita modi, quo tempus apud Romanos computabatur. Romani enim, in definiendo tempore cujusquam rei, non eum diem ponebant, quo res ipsa vel facta vel facienda erat, sed *ante eum diem*, et significabant eum quoque diem esse numerandum, ut colligimus ex *Liv.* 45. 2. Supplicatio indicta est ex a. d. (*h. e.* ante diem) V. Id. Octobr. c u m e o d i e i n q u i n q u e d i e s. Unde in *Dig.* 45. 1. 13. Qui ante Kal. proximas stipulatur, similis est ei, qui Kalendis stipulatur. Hoc autem sensu — *a*) *Ante* præponitur tempori generatim, nullis additis numeralibus. *Cic.* 6. *Att.* 1. *a med.* Diem statuo satis laxam: quam ante si solverint, dico me centesimas deducturum. *perinde ac si dicat* quod si solverint antequam dies illa elabatur. *Id. ibid.* 2. Itaque statim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 84. Edixisse, ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quoque fanum referret. *Cæs.* 1. *B. C.* 11. Polliceri, se in provinciam iturum, neque, ante quem diem iturus sit, definire. Adde *eumd. ibid.* 2. *Sall. Cat.* 37. Ceteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis decedere. *Nep. Chabr.* 3. Athenienses diem certam Chabriæ præstituerunt, quam ante domum nisi redisset, capitis se illos damnaturos denunciarunt. — *b*) Item cum numeralibus, sed generatim. *Cato* apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (75). Atqui tertiam ante diem scitote decerptam Karthagine. *h. e.* tertio die, *V.* infra sub *c*. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 4. Ante quadragesimum vindemiæ diem. *Seneca ad Helv.* 15. Quod te ante tertium demum diem, quam percussus sum, securam – regredi voluit. — *c*) Item sæpius cum numeralibus et die ex Kalendario Rom. definita, ut *ante diem tertium Kalendas Septembres* vel raro cum Genit. *Septembris*. In designandis enim mensium diebus usus apud Romanos duplex est: alter integer, alter per ellipsim seu omissionem particulæ. Itaque dicunt v. g. *tertio Kalendas Septembres* et *ante diem tertium Kalendas Septembres*. In primo subintelligitur *ante*, ut integra locutio sit *tertio die ante Kalendas Septembres*. In altero quidam volunt esse ἀναστροφήν, hoc est inversionem verborum, quæ naturali ordine ita collocanda sint, *diem tertium ante Kalendas Septembres*, et illud *diem tertium* esse Accusativum temporis. Alii, quia in antiquis codicib. MSS. scriptum est brevitatis litteris *a. d. III. Kal. Sept.*, aliquando ita legerunt, *ad diem tertium Kalendas Septembres*: quæ phrasis Latina certe esset; sed repugnant cum optimis quibusque editionibus Interpretes et Critici fere omnes, qui *ante diem* legendum esse contendunt, et illud *ad diem* ortum habuisse ex inscitia legentium aut exscribentium veteres codices; præsertim cum dicat et *Plutarch.* in *Numa* p. 61. D. Πρὸ δέκα μιᾶς καλανδῶν. Et in *Poplicola* p. 101. E. Πρὸ μιᾶς καλανδῶν Μαρτίου. Sed quidquid sit hac de re, illud sane certum est *tertio Kalendas Septembres* et *ante diem tertium Kalendas Septembres* idem omnino significare, hoc est diem trigesimum Augusti; nam in numerandis Kalendarum diebus tum dies, de quo agitur, tum dies termini computatur, ut diximus: porro id confirmatur ex *Dionysio* et *Livio*: *Dionysius* enim ait *Antiq. Rom.* 6. τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων. et *Livius* Latine vertit 29. 52. a. d. IV. Idus Decembres. Item ex *Cicerone* et *Gellio*: *Cic.* enim 7. *Att.* 5. 3. Ita ad Urbem III. (*h. e.* tertio) Nonas, natali meo. et *Gell.* 15. 28. Ante diem tertium Non. Jan. M. Cicero natus est. *Cic.* 3. *Phil.* 8. 19. Edixit, ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kalendas Decembres. *h. e.* vigesimo quarto die Novembris. *Id.* 1. *Cat.* 3. 7. Meministine, me ante diem XII. Kal. Nov. dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI. Kal. Novembres, C. Mallium, audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Cf. *Sall. Cat.* 30. C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI. Kalendas Novembres. *Cic.* 3. *Fam.* 5. 1. Tralles veni a. d. VI. Kalendas Sextiles. *Id.* 3. *ibid.* 12. 4. Decedenti mihi – ante diem III. Nonas Sextiles – litteræ a meis sunt redditæ. *Liv.* 3. 8. Ante diem tertium Idus Sextiles. *Id.* 41. 16. Latinæ feriæ fuere a. d. III. Non. Maj. *Id.* 40. 59. Postero die reliqui tres (*prætores*) facti, ante diem IV. Idus Martias. — *d*) Hinc *ante diem* perinde ac si unum omnino sit vocabulum, ὑφ' ἕν uti Græci ajunt, et pro ceteris casibus ponitur, et jungitur præpositionibus *in* et *ex*. — Ponitur pro ceteris casibus. *Cenot. Pisan.* apud *Orell. Inscript.* 643. DIEM EVM, QVO DIE CAESAR OBIT, QVI DIES EST A. D. VIIII. K. MARTIAS PRO ALLIENSI LVGVBREM MEMORIAE PRODI. *Et paullo post.* NEVE QVAE SVPPLICATIONES POSTEA IN EVM DIEM, EOQVE DIE, QVI DIES ERIT A. D. VIIII. K. MART. FIANT. *Gell.* 5. 17. Ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas vel Idus tamquam ominalem diem plerique vitant. — *Ante diem* jungitur cum præpositionibus *in* et *ex*, quæ modo divisim, modo junctim scribi solent; et conjunguntur sæpe cum verbis motum significantibus. *Cic.* 3. *Phil.* 8. 20. Diem edicti obire neglexit: in ante diem IV. Kalendas Decembres distulit. Adde *eumd.* 1. *Att.* 16. 13. et 2. *ibid.* 20. 6. *Id.* 1. *Cat.* 3. 7. Dixi ego idem in senatu cædem te optimatium contulisse in ante diem V. Kalendas Novembres. *Liv.* 41. 16. Comitia in ante diem III. Nonas Sextiles, Latinas in ante diem III. Idus Sextiles edixit. *Id.* 45. 3. Latinæ edictæ a consule sunt in ante IV. et III. et prid. Idus Novembr. Adde *eumd.* 43. 18. *Cic.* 3. *Att.* 17. 1. De Q. fratre nuncii tristes nobis nec varii venerant ex ante diem... Non. Jun. usque ad prid. Kal. Sept. *Varro* 1. *R. R.* 28. 1. Quæ redacta ad dies civiles nostros, qui nunc sunt, primi verni temporis ex a. d. VII. Id. Febr., æstivi ex a. d. VII. Id. Mai., auctumnales ex a. d. III. Id. Sext., hiberni ex a. d. IV. Id. Novemb. Adde *Liv.* 45. 2. ¶ 4. Sæpe per præpositionem *ante* significatur tempus ratione habita alicujus rei gestæ vel eventus. — *a*) Ratione habita eventus, qui naturâ suâ tempus definit, sive is per substantivum, sive per periphrasim, sive per ellipsin efferatur. — *b*) Per substantivum. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 64. Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servum pessimum. *Cic.* 12. *Att.* 17. Mihi enim ante ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio. *Id.* 1. *Tusc.* 38. 91. Ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. *Nep. Ham.* 1. Cum ante ejus adventum et mari et terra male res gererentur Carthaginensium. *Liv.* 1. 59. Per hunc castissimum ante regiam injuriam sanguinem juro. *h. e.* antequam a Tarquinio vitiaretur. — Per periphrasim etiam de personis. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 86. Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit. *Id. ibid.* 45. 101. Non multo ante Urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 3. 7. *Id.* 3. *Verr.* 45. 115. Minucius quidam mortuus est ante istum prætorem. *h. e.* ante quam hic prætor esset. *Id. Brut.* 18. 73. Qui multas docuerunt (*fabulas*) ante hos consules. *Nep. Epam.* 10. Et ante Epaminondam natum et post ejus interitum. *Id. ibid.* 8. Quos ante se imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere. *Sall. Jug.* 110. At hercle, Sulla, ante te cognitum multis orantibus – opem tuli. *Liv. præfat.* 6. Quæ ante conditam condendamve Urbem – traduntur. *Id.* 3. 15. Ut – forma eadem civitatis esset, quæ ante sacrum montem occupatum fuerat. *Id.* 3. 53. Ante decemviros creatos. — Per ellipsin. *Tac. Germ.* 13. Ante hoc domus pars videntur, mox reipubl. Cf. *Lucan.* 6. 116. — *c*) Ratione habita eventus, qui tempus generatim, sed non definite, significat, sive de personis, sive de rebus agatur. — De personis. *Ennius* apud *Cic. Brut.* 18. 71. Nec dicti studiosus erat – ante hunc. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 44. Jam ante Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres. *Id.* 4. *Cat.* 3. 5. Qui honos togato habitus est ante me nemini. *h. e.* ante mea tempora. *Sall. Cat.* 51. Qui ante me sententias dixerunt. *Virg.* 1. *G.* 125. Ante Jovem nulli subigebant arva coloni. *Horat.* 4. *Od.* 9. 25. Vixere fortes ante Agamemnona multi. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 33. Hoc ante me fecit in litteris nostris Valerius Soranus in libris, quos ἐποπτίδων inscripsit. *Sueton. Cæs.* 26. Munus populo epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo. *Tac.* 1. *Hist.* 50. Solusque omnium ante se principum in melius mutatus est. — De rebus. *Cic.* 13. *Fam.* 17. 4. Si quam (*voluntatem*) in illum ante has meas litteras contulisti. *h. e.* antequam has meas litteras acciperes. *Liv.* 39. 42. Qua (*oratione*) si accusator ante notam – usus esset. Adde *eumd.* 9. 40. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 61. amet scripsisse ducentos Ante cibum versus. *Ovid.* 1. *Met.* 5. Ante mare et terras et quod tegit omnia cœlum Unus erat toto naturæ vultus in orbe. — Et liberius apud Poetas. *Virg.* 11. *Æn.* 424. cur ante tubam tremor occupat artus? *h. e.* antequam tubæ prœlii ineundi signum canant. *Sil. It.* 9. 52. quamque fiant arma ante tubas? *Claudian.* 1. *Rufin.* 333. ante tubas ferrumque. *Val. Flacc.* 7. 10. Non hæc mihi certe Nox erat ante tuos, juvenis fortissime, vultus. *Lucan.* 6. 144. castrorum in plebe merebat Ante feras Rhodani gentes. *h. e.* ante bellum cum feris Rhodani gentibus. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 73. Ante rates pigro torpebant æquora somno.

B) *Ante* est etiam Adverbium, et occurrit I.) proprie de loco; translate vero II.) de ordine, et III.) de tempore.

I.) Proprie de loco *ante* est in loco anteriori. — *a*) Cum Verbis quietem significantibus. *Liv.* 22. 5. Animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat. *Id.* 27. 18. Fluvius ab tergo: ante circaque velut ripa præceps oram ejus omnem cingebat. *h. e.* in fronte, ut recte interpretatus est *Forcellinus*. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. Simul atque iras contuderint, mane

producantur, ita ut et aliquis ante et a tergo complures, qui sequuntur, retinaculis eos contineant. *Tibull.* 2. 1. 23. Turbaque vernarum – Ludet et ex virgis extruet ante casas. *Id.* 2. 5. 98. coronatus stabit et ante calix. — Cum præp. *in. Veget.* 1. *Milit.* 20. *ad fin.* Sinistrum pedem in ante habere. *V.* ABANTE. Apud *Propert.* 2. 2. 51. pro *inante* rectius legitur *in arte.* — *b*) Cum Verbis motum significantibus. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 35. Si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro. *Virg.* 3. *G.* 552. Pallida Tisiphone morbos agit ante metumque. *Id.* 6. *Æn.* 677. Ante tulit gressum.

II.) Translate de ordine seu pretio, quo res aliqua præ alia ducitur. *Cic.* 3. *Off.* 17. 71. Malitia, si omnia, quæ turpia sunt, mala sunt, mala bonis ponit ante. *Id. Sull.* 8. 25. Aut gaudeat suo generi me meum ante non ponere. *V.* ANTEPONO.

III). Item translate de tempore. — *a*) Adverbio *ante* alia opponuntur, aut ipsum absolute ponitur. — Adverbio *ante* opponuntur *proxime*, *nunc*, *post*, *tum*, *hoc tempore* etc. *Plaut. Capt.* 3. 1. 14. Ipsi obsonant, quæ parasitorum ante erat provincia. *Ter. Andr.* 1. 5. 4. Nonne oportuit præscisse me ante? *Cic.* 15. *Fam.* 14. 3. Sed tamen et feci ante et facio nunc. *Id.* 1. *Tusc.* 35. 85. Quod si ante occidisset, tamen eventum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum amisit malorum. *Id. Partit.* 39. 139. Quæ paullo ante præcepta dedimus, quæque proxime. *Varro* 5. *L. L.* 3. *Müll.* Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant. *Liv.* 44. 38. Quantum numero nos præstent, neminem vestrum nec ante ignorasse et hesterno die implicatam intuentes aciem animadvertisse certum habeo. *Id.* 24. 32. Precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satellitibus et tum corruptoribus exercitus. *Id.* 30. 34. Uti paullo ante non adjuti, et tunc exclusi. *Id.* 5. 52. Fervidi animi vir, ut in publico periculo ante, sic tum in suo. *Cels.* 8. 10. *in fin.* Cetera et ante et post eadem facienda, quæ supra scripsi. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 32. Si persuasum habuerit, modo ante, modo post, interdum etiam stato die orientis vel occidentis competere vim sideris. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (28). Ut plane affirmare possimus, nummos ante apud nos, mox cœpisse anulos. *Val. Flacc.* 6. 664. Ac velut ante (*h. e.* initio) comas ac summa cacumina silvæ Lenibus alludit flabris levis Auster: at illum Protinus immanem miseræ sensere carinæ. — Absolute. *Plaut. Epid.* 1. 1. 30. At jam ante alii fecerunt idem. *Id. Trin.* 4. 1. 9. Atque hanc gloriam jam ante auribus acceperam. *Cic.* 7. *Att.* 14. De quibus ante ad te falsum scripseram. *Id. Brut.* 14. 55. Quod is tribunus pleb. – patres ante auctores fieri coegerit. *Liv.* 26. 39. Sicut ante dictum est. *Tibull.* 2. 6. 23. Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces, Cum tenues hamos abdidit ante cibus. *Virg.* 6. *Ecl.* 80. quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis. *Ovid.* 1. *Fast.* 337. Ante, deos homini quod conciliare valeret, Far erat et puri lucida mica salis. — Interdum *ante* sequenti nomini per figuram ὑφ' ἕν, coalescit. *Virg.* 1. *Æn.* 202. neque enim ignari sumus ante malorum. *h. e.* malorum præteritorum, τῶν ἔμπροσθεν κακῶν. *Quintil. Declam.* 5. 14. Ille elegit, qui recipit ante meliorem. *Capitolin. Gordian.* 24. Ante consilia alicui suggerere. — Una cum *prius* per pleonasmum. *Plaut. Trin.* 5. 2. 17. Quem ego nec qui esset noram, neque eum ante usquam conspexi prius. — *b*) Interdum *ante* primo loco ponitur in rerum enumeratione vel distributione. *Cels.* 7. 29. Tum id agendum est, ut ante caput, deinde reliqua pars auferatur. *Id.* 6. 6. 8. Ante tonderi, deinde in balneo caput fovere; tum detergere etc. *Ante* – *tum* occurrunt apud *eumd.* 5. 26. *Ante* – *dein* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 34. (131)., quam dubiam lectionem tuetur et *Sillig.* — *c*) Aliquando *ante* jungitur vel aliis Adverbiis in *o*, ut *multo*, *paullo*, *tanto* etc., vel Substantivis, ut *anno*, *annis*, *diebus* etc.; quibus comparationis gradus rectius definiuntur: et tunc *ante* aut postponitur, aut præponitur, aut denique inter Adjectivum et Substantivum interseritur. — *Ante* postponitur. *Cic.* 4. *Fam.* 3. Multo ante – prospexi. *Id.* 2. *Phil.* 33. 83. Quod tu – tanto ante provideras. *Id.* 7. *Verr.* 34. 89. Quod si Cleomenes non tanto ante fugisset. *Sueton. Cæs.* 25. Paullo ante Bibulum impugnaverat. *Cic.* 2. *Phil.* 40. 102. Quo erat paucis annis ante deducta (*colonia*). *Id. Amic.* 12. 42. Viginti annis ante. *Id. Senect.* 14. 50. Sex annis ante. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 13. Aliquot annis ante. *Liv.* 40. 52. Annis undecim ante. *Id.* 3. 9. Biennio ante. *Id.* 40. 40. Biduo ante. — *Ante* præponitur, sed raro. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. Quæ ante paullo perbreviter attigi. *Id. Senect.* 2. 6. Ante multo a te didicerimus. *Liv.* 40. 51. Quæ bello Ligustico ante annis octo vicisset. *Id.* 38. 52. Ante annis septemdecim. — *Ante* inter Adjectivum et Substantivum interseritur. *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 7. Multis ante seculis. *Id.* 4. *Fam.* 9. Perpaucis ante diebus. *Id. Cluent.* 16. 46. Multis jam ante annis. *Liv.* 6. 37. Paucis ante annis. — *d*) Sæpe comparatio fit per additam particulam *quam*, quæ conjungitur cum *ante*, vel ab *ante* per alia inserta vocabula separatur. — 1.) Particula *quam* conjungitur cum *ante*, et habet post se — Indicativum, cum narratio aliqua fit. *Cic.* 7. *Fam.* 14. Dabo operam, ut istuc veniam ante, quam plane ex animo tuo effluo. *Id.* 10. *Att.* 15. Litteras des ante quam discedimus. *Id.* 4. *Verr.* 1. 2. Atque adeo ante quam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de provinciæ dignitate – dicenda. *Id. Brut.* 18. 72. Atque hic Livius primus fabulam – docuit anno ipso ante, quam natus est Ennius. *Id.* 3. *Orat.* 36. 145. Neque defatigabor ante, quam – percepero. *Id.* 5. *Att.* 14. Ante, quam aliquo loco consedero, neque longas a me, neque semper mea manu litteras expectabis. — Habet post se Subjunctivum, si quæ dicuntur ab aliis pendent. *Ter. Hec.* 1. 2. 70. Narratque, ut virgo ab se integra tum siet, seque ante, quam eam uxorem duxisset domum, sperasse etc. *Cic. Parad.* 6. 1. 45. Numquam eris dives antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones – possis. *Id. Planc.* 41. 98. Qui ante quam de meo adventu audire potuissent –, in Macedoniam – perrexi. *Varro* 1. *R. R.* 30. Ante quam gemmas agant ac florescere incipiant, seri (*debent*). *Seneca Ep.* 103. Tempestas minatur ante quam surgat. — 2.) Particula *quam* ab *ante* dividitur, ut ratio inter *ante* et *quam* clarius innotescat attentiusque animadvertatur, quod locum habet præcipue in negationibus. — Cum Indicativo. *Cic.* 10. *Fam.* 3. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto, quam tu natus es. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. Quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit. *Varro* 7. *L. L.* 58. p. 143. *Müll.* Ideo quod ante rorat, quam pluit. *Liv.* 39. 10. Neque ante dimisit eum, quam fidem dedit adolescens etc. — Cum Subjunctivo. *Virg.* 6. *Æn.* 140. Sed non ante datur telluris operta subire, Auricomos quam quis decerpserit arbore fetus. *Id.* 1. *Ecl.* 60. Ante leves ergo pascentur in æthere cervi, Quam nostro illius labatur pectore vultus. *Id.* 4. *G.* 305. Hoc geritur, Zephyris primum impellentibus undas, Ante novis rubeant quam prata coloribus. *Cels.* 6. 4. Neque ante oportebit desistere, quam frequentem pilum nasci apparuerit. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Ante autem videmus fulgurationem, quam sonum audiamus. Adde *Sueton. Ner.* 20. — In prosa oratione, si ea tamen obliqua sit, occurrit etiam apud optimos Scriptores. *Cic.* 2. *Fam.* 2. Si ei contigisset, ut te ante videret, quam e vita discederet. *Id.* 10. *ibid.* 16. 2. Cures, ut ante factum aliquid a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. *Liv.* 38. 25. Ne ante ab Ancyra castra moveret, quam collocutus cum suis regibus esset. *Id.* 42. 52. Nec ante vincere desierint, quam rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit. — 3.) Raro admodum occurrit particula *quam* cum Participio per ellipsin. *Liv.* 21. 15. Armati nullum ante finem pugnæ quam morientes fecerunt. *Sueton. Cæs.* 58. Neque – gubernatori cedere adversæ tempestati passus est, quam pæne obrutus fluctibus. — Apud Poetas interdum *quam* præponitur. *Lucret.* 3. 985. Respice item, quam nil ad nos ante acta vetustas Temporis æterni fuerit quam nascimur ante. *Tibull.* 4. 7. 7. Non ego signatis quidquam mandare tabellis, Me legat ut nemo, quam meus, ante velim. — Denique per pleonasmum *prius* – *ante* – *quam* simul ponuntur, ut apud Græcos πρὶν – πρὶν ἤ. *Virg.* 4. *Æn.* 24. Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat –, Ante, pudor, quam te violo aut tua jura resolvo. *Propert.* 2. 19. 65. (*al.* 2. 25. 25.). Aut prius infecto deposcit præmia cursu, Septima quam metam triverit ante rota.

In compositione *ante* est præpositio *loquelaris*, et — *a*) Proprie, seu qua significat locum, jungitur sæpius Verbis, ut *antecedere*, *anteire*, *anteferre*, *antefigere* etc. etc.; interdum et Adjectivis, ut *antepilanus*, *antesignanus* etc. — *b*) Translate de tempore jungitur pariter et Adjectivis, ut *antelucanus*, *antemeridianus* etc., et Verbis, ut *antecapere*, *antevenire*, *antevertere* etc. — Interdum, quod sub initium diximus, in compositione pro *ante* dicitur *anti*, ut *anticipare* etc.

ANTĔĀ, adverb. quod componitur ex *ante* et *ea*, subaudi *parte*, *via*. Itaque videtur initio apud veteres fuisse proprie adverbium locale, quod postea translatum est ad tempus; et de tempore tantummodo occurrit ac significat prius, ante id tempus (It. *innanzi*, *per l'avanti*, *nel tempo passato*; Fr. *avant*, *antérieurement*, *auparavant*; Hisp. *adelante*, *antes*; Germ. *vorher*, *vordem*, *vormals*, *früher*; Angl. *before*, *as erelime*, *formerly*, *heretofore*). Occurrit a) Absolute. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 16. Ut antea dixi. *Id.* 1. *Fam.* 2. 3. Nactusque tempus hoc magis idoneum, quam unquam antea. *Horat. Epod.* 11. 1. Petti, nihil me, sicut antea juvat scribere versiculos. — *b*) *Antea* definitur aliquando per particulas *cum*, *dum* etc. *Ter. Andr.* 1. 1. 25. Nam antea qui scire posses, aut ingenium noscere, Dum ætas, metus, magister prohibebant? *Cic.* 4. *Att.* 3. Antea, cum judicium nolebat, habebat difficilem causam. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 41. 94. et 11. *Att.* 14. 1., et *Cæs.* 6. *B. G.* 24. — *c*) Cum oppositis *nunc*, *hoc tempore*, *nuper* etc. *Cic. pro leg. Manil.* 5. 13. Hunc audiebant antea, nunc præsentem vident. *Id.* 4. *Fam.* 15. Etsi antea scripsi, tamen hoc tempore etc. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 16. 7., 6. *ibid.* 20. 1., 12. *ibid.* 30. 2., 5. *Verr.* 57. 130., 10. *Phil.* 6. 13. et 2. *Off.* 7. 23., et *Liv.* 5. 17. — *d*) Cum oppositis *post*, *postea*, *posthac*, *posteaquam*, *tum*, *tunc* etc. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 25. Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu. *Id. Orat.* 2. 6. Et clari fuerunt, et antea fuerant, nec postea defecerunt. *Id.* 7. *Att.* 8. 7. Non accusabimur posthac; neque hercule antea negligentes fuimus. *Id. Mil.* 21. 55. Semper antea cum uxore, tum sine ea. Adde *eumd.* 1. *Att.* 11. et 2. *Off.* 8. 27., *Liv.* 23. 19. et 29. 9., *Curt.* 3. 8. 10., et *Sueton. Domit.* 2. *Catull.* 8. 10. Ubi iste, post phaselus, antea fuit Comata silva. — *e*) Etiam in longiore rerum enumeratione. *Liv.* 8. 8. Clypeis antea (*Romani*) usi sunt: deinde – scuta pro clypeis fecere, et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acie cœpit esse. Postremo in plures ordines instruebantur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (11). Oppidum sub Rhodope Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis, nunc a situ Trimontium dicta. — *f*) Sequente particula *quam*. *Cic.* 3. *Fam.* 6. 2. Te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse. Adde *Liv.* 35. 25., et cf. *posteaquam* in POST. — Apud *Liv.* 22. 10. nunc leg. *ante id ea*: V. ANTIDEA.

Homonym. *Antea* differt ab *antehac*, itemque *postea* a *posthac*, ut *is* ab *hic*, ut apud Græcos πρὸ τοῦ a πρὸ τοῦδε: itaque *antea* tempus præsens a præterito generatim et latius distinguit, *antehac* tempus præsens a præterito speciatim et arctius distinguit. Conferantur inter se loca in ANTEA et ANTEHAC allata. — *Antea* et *prius*, cum de tempore dicitur, nihil aut significatione, aut usu differunt. Hinc jocatur *Cic.* cum Attico, quod mallet is *prius*, quam *antea*, 15. *Att.* 13. 3. Quod ad te antea atque adeo prius scripsi (sic enim mavis) ad scribendum – fecisti me acriorem. Hæc *Forcellinus*. Videtur tamen *prius* magis definite, quam *antea*, comparationem significare. — Denique inter se differunt *antea* et *supra*: etenim *supra* refertur potius ad locum, *antea* vero semper ad tempus. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. Et *Amic.* 14. 48. Ut supra dixi. *Id.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Eum, quem antea dixi æthera.

ANTEACTUS, *vel rectius* ante actus, a, um, adject. seu potius part. præter. ab *ante ago*, et est antea factus, præteritus. Occurrit sæpe in locutione *vita anteacta*, ut apud *Cic.* 2. *Invent.* 11. 36., 5. *Verr.* 62. 146., *Marcell.* 1. 3. et alibi sæpe. Item *Lucret.* 1. 234. Anteacta ætas. *Id.* 3. 845. Anteactum tempus. *Id. ibid.* 986. Anteacta vetustas. *Nep. Thrasyb.* 3. Accusare aliquem rerum anteactarum. *Ovid.* 2. *Amor.* 8. 25. anteacta fateri. *h. e.* res ante gestas. Et 12. *Met.* 115. male credere anteactis.

ANTEÆDIFICIĀLIS, e, adject. (ante *et* ædificium). *Dictys* 3. 12. Ara Jovis anteædificialis. *h. e.* ara Jovis ante ædem posita: sic enim plerique recentiores leg., alii *ædificialis*, quam vocem *V.*

ANTEĀGO, ăgis, ēgi, actum, ăgere, a. 3. ante ago

seu duco. Sil. It. 4. 30. tum crine soluto Ante-agitur conjux. Sed rectius scribes Ante agitur. V. ANTE B. II. et AGO. — Part. Anteactus V. paullo supr.

ANTEAMBŬLO, ōnis, m. 3. qui ante ambulat. Anteambulones dicti sunt non solum servi, qui dominum præcedebant, viam facturi in turba, et nuncium ejus adventus laturi; sed etiam liberi homines, qui honoris et officii causa magnos dominos præcedebant, vel ob clientelam, vel ut sportulam acciperent: qui mos hodieque durat in comitandis magnis viris, quos honoratiores amici præcedere solent. Martial. 2. 18. Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis. Id. 10. 74. quamdiu salutator, Anteambulones et togatulos inter, Centum merebor plumbeos die toto? Id. 3. 7. Centum miselli jam valete quadrantes, Anteambulonis congiarium lassi. Adde Sueton. Vesp. 2.

ANTĔBĀSIS. V. ANTĪBĀSIS.

ANTĔCĀNIS, is, m. 3. sidus cæleste, qui canis minusculus a Vitruv. dicitur 9. 7., quia ante canem majorem (qui frequentius canis, et canicula appellatur) exoritur: nam ejus ortus incidit in Idus Jul., caniculæ autem septimo Kal. Aug., ut Colum. 11. R. R. 2. docet. Græce dicitur προκύων, a πρό ante et κύων canis. Constat tribus stellis; habetque locum in cælo prope lacteam viam sub Geminis et Cancro, pedibus tangens circulum Æquinoctialem. Hygin. 2. Astron. 35., qui 2. ibid. 4. hanc de eo fabulam narrat. Cum Icarius seu Icarus, Erigones pater, a pastoribus ebriis fuisset occisus, canis nomine Mera seu Mæra, qui eum comitabatur, ad Erigonem rediit, et vestem ejus dentibus tenens ad domini cadaver perduxit; ubi illa patris desiderio absumptam vitam finivit: canis quoque inedia periit, vel ut alii scribunt, in proximum puteum se conjecit. Horum casum miseratus Juppiter, omnes in cælum transtulit: ubi Icarius appellatur Bootes, Erigone Virgo, canis Procyon, item canicula: tametsi canicula sæpius canem majorem designat, ut dictum est. Alii fabulantur fuisse canem Orionis: alii catellam Helenæ, quæ cum Trojam navigaret, eam in mare demersam a Jove in cælum transferri impetravit. Cic. 2. Nat. D. 44. 114. ex Arato. et hic Geminis est ille sub ipsis Antecanis, Grajo Procyon qui nomine fertur. Alii leg. Ante-canem, h. e. est ille qui appellatur ante canem, ut duæ hæ voces per ὑφέν coalescant, ut proconsule. Ceterum vox hæc antecanis minus usitata fuit apud Latinos, quam Procyon, licet apud Cic., Horat. et Manil. inveniatur, qui poetica licentia eam usurpasse videntur: amant autem poetæ Græca vocabula. Nam Plin. 18. Hist. nat. 28. 68. (268). scribit, sidus, quod Procyon dicitur, apud Romanos nomen non habere: qui profecto si antecanis vulgo diceretur, non ignorasset.

ANTĔCANTĀMEN, ĭnis. V. voc. seq.

ANTĔCANTĀMENTUM, i, n. 2. (ante et canto) cantio solemnioribus sacris præmissa. Apul. 11. Met. 9. Majorum antecantamenta votorum. Alii leg. antecantamina.

ANTĔCANTĀTĪVUS, a, um, adject. qui ante canitur. Marius Victorin. p. 2500. Putsch. Hæc in carminibus, quæ mutuo annexa ita ex se pendent, ut alterum sine altero audiri non possit, προῳδικά, et ᾠδικά (corrige ἐπῳδικά) vocaverunt, id est antecantativa, et præcantativa (corrige postcantativa) ut sit in hexametro προῳδικόν ipsum epos (dele epos), et ᾠδικόν (corrige ἐπῳδικόν) versus pentameter, qui ei subjungitur in elegis. Item cantativum (corrige antecantativum) erit trimeter jambicus, ut Ibis Liburnis inter alta navium: erit trimeter postcantativum, Amice propugnacula. Ita emendat Burettus Mem. Litt. T. 10. p. 247.

ANTĔCĂPIO, căpis, cēpi, captum, căpere, a. 3. (ante et capio). Part. Anteceptus I. et II.; alii tamen leg. antecaptus, alii divisim scribunt ante captus, præsertim in loco Liv. 3. 38. sub I. — Antecapio est occupo, ante occupo (It. preoccupare; Fr. occuper d'abord; Hisp. preocupar; Germ. vorher fassen; Angl. to preocupate).

I.) Proprie ponitur de re aut persona, quam in antecessum occupamus, arripimus, vel potimur. Sall. Jug. 50. Antecapere locum castris. Liv. 3. 38. Non loco castris antecepto. Tac. 4. Hist. 66. Fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Id. 15. Ann. 2. Nam Medos Pacorus anteceperat. — Et figurate Cic. 1. Nat. D. 16. 43. Quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quamdam informationem.

II.) Translate est in antecessum alicujus rei curam habere, in antecessum ex aliqua re commodum capere, prævenire. Sall. Cat. 30. Priusquam legiones scriberentur, antecapere, quæ bello usui forent. Id. ibid. 58. Optimum factu ratus, noctem, quæ instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur. Id. Jug. 24. Maxime festinans tempus legatorum antecapere. Id. Cat. 13. Non famem aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem operiri; sed ea omnia luxu antecapere. h. e. non expectare dum esurirent aut sitirent etc.; sed ea prævenire ingurgitando se epulis etc. Apul. 4. Met. 5. Divinato et antecepto meo cogitatu.

ANTĔCAPTUS. V. voc. præced.

ANTĔCĒDENS, entis. V. voc. seq.

ANTĔCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, a. 3. (ante et cedo). Part. Antecedens in omnibus paragr. et in fine; Antecessus in fine; Antecessurus II. 1. — Antecedo est ante eo, præcedo (It. precedere; Fr. précéder, marcher devant; Hisp. preceder, ir delante; Germ. voran-oder vorausgehen; Angl. to go before, precede).

I.) Proprie de loco ponitur. — a) Absolute. Cæs. 7. B. G. 35. in fin. Antecedere magnis itineribus. Adde Liv. 2. 6. et Vellej. 1. 4. 1. Liv. 5. 37. Antecedente famâ. Horat. 3. Od. 2. 31. Raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo. — b) Cum Accus. personæ. Cic. 8. Att. 9. 4. Pompejus expeditus antecesserat legiones. Brutus apud Cic. 11. Fam. 13. 2. Biduo me Antonius antecessit. Cæs. 7. B. G. 12. Antecedere agmen alicujus. Curt. 4. 7. 15. signa modico volatu. Id. 3. 9. 5. agmen. Colum. 7. R. R. 6. 9. gregem.

II.) Translate est superare, præstare, majorem esse, et ponitur cum de dignitatis atque honoris gradu, tum de tempore: quæ simul conjunxit Cic. 2. Invent. 22. 66. Observantia, per quam ætate, aut sapientiâ, aut honore, aut dignitate aliqua antecedentes veremur et colimus. Adde eumd. 6. Verr. 64. 143. ¶ 1. De dignitate atque honoris gradu occurrit — a) Absolute. Cic. 6. Verr. 62. 138. Antecedere auctoritate et ætate et usu rerum. Id. Senect. 18. 64. Honore antecedens. Adde loca paullo sup. citata et Harusp. resp. 7. 13. Plin. 16. Hist. nat. 4. 3. (7). Antecedere pretio. Marcell. Dig. 23. 2. 4. Antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, quas iis, qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet. — b) Cum Dat. personæ vel rei. Plaut. Pseud. 1. 5. 118. Antecedere virtute regi Agathocli. Cic. 1. Off. 30. 105. Quantum natura hominis pecudibus reliquisque belluis antecedit. Titinius apud Non. p. 499. 8. Merc. Ubi ambitionem virtuti videas antecedere. — c) Cum Accus. personæ aut rei, et Ablat. rei, qua quis antecedit, sine ulla præp. aut cum præp. in. Cæs. 3. B. G. 8. Reliquos scientiâ atque usu nauticarum rerum antecedere. Nep. Alcib. 9. Nemo eum in amicitia antecessit. Adde ibid. 11. Id. Thrasyb. 4. Antecedere aliquem honore. Id. Reg. 2. Multo ceteros rerum gestarum gloria. Id. Epam. 2. condiscipulos in doctrinis tanto etc. Curt. 1. 8. 26. Antecedere fidem magnitudine rerum. h. e. excedere fidem. Id. 5. 7. 1. omnes reges indole. — d) Cum Accus. rei tantum. Plin. 36. Hist. nat. 24. 58. (181). Maltha duritiam lapidis antecedens. Seneca 3. Benef. 22. 1. Antecedere spem. Petron. Satyr. 17. Latrocinia antecessura fabulas. h. e. tanta latrocinia, ut ne in fabulis quidem simile aliquid inveniatur. — e) Passive. Auson. Gratiar. act. 3. Quæque animi nostri celeritas divum instar affectat, beneficiis præeuntibus anteceditur. ¶ 2. De tempore occurrit — a) Absolute. Cic. ep. ad Octav. § 3. Quæ non insequens hora antecedente calamitosior? Plin. 13. Hist. nat. 8. 16. (59). Antecedens annus. Adde Cic. Brut. 28. 109. et Cæs. 3. B. C. 108. — b) Sæpius cum Dat. Ter. Phorm. 3. 2. 40. A. Jam ea (dies præstituta) præteriit? D. Non, verum hæc ei antecessit. Cic. Brut. 21. 82. Ætate paullum his antecedens Ser. Galba. Id. Fat. 15. 34. Antecedit aliquid alicui rei efficienter. Id. Top. 23. 88. Si huic rei illa antecedit; huic non antecedit. — c) Cum Accus. Cels. 1. 2. Exercitatio semper antecedere cibum debet. Justin. 34. 3. Antecedere aliquem ætate. Quintil. 2. 5. 26. Imitatio antecedit judicium.

Antecedens, entis, part. præs. speciatim occurrit — a) Apud Philosophos de causa, eique consequens opponitur. Cic. Fat. 11. 23. Omnia, quæ fierent, fieri causis antecedentibus. Adde ibid. 15. 34. — b) Antecedentia apud Rhetores dicuntur, quæ rem et actionem aliquam antecedunt; sicut consequentia, quæ consequuntur. Cic. Top. 12. 53. et Quintil. 5. 10. 45. et 6. 3. 66.

Antecessus, a, um, part. præter. occurrit tantum in formula in antecessum: nam apud Petron. Satyr. 17. Ubi antecessa latrocinia didicistis. alii leg. antecessura, alii aliter. Itaque — a) Proprie in antecessum dare, solvere, accipere, etc. est dare, aut accipere aliquid ante tempus constitutum, ante quam dies cedat, hoc est adveniat, dandi, aut accipiendi. Hæc formula sumpta est ab argentariis et mercatoribus. Glossa vet. In antecessum, εἰς προχρείαν. Seneca 4. Benef. 32. in fin. Ego quid cui debeam, scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum; ac prout occasio et reipublicæ meæ facultas tulit. Id. Ep. 7. ad fin. Unum hæc epistola in debitum solvet; duo in antecessum accipe. Id. Ep. 118. Bene credi tibi scio: itaque in antecessum dabo. In plurali num. Quintil. Declam. 12. 20. Prosit mihi, quod apud negotiatores solet: in antecessus dedi. Alii rectius legunt antecessum. — b) Figurate. Flor. 4. 12. 24. Adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione dividerent. h. e. antequam eam obtinuissent. Id. 3. 21. 20. Quasi desperata victoria ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatus sibi parentabant. h. e. justa sibi faciebant, antequam morerentur. Sunt qui hoc loco aliter leg.

ANTĔCELLO, is, ere, 3. (ante et cello). Supino caret: præteritum antecellui a plerisque ei tribuitur; de quo nondum exempla vidimus. Posset tamen defendi analogiâ; nam excello habet excellui. Part. Antecellens sub a. — Proprie de re antecellere est extolli atque in altum crescere vel porrigi: sed occurrit tantum translate et est præstare, superare, majorem esse (It. avanzare, superare, esser superiore; Fr. surpasser, l'emporter sur; Hisp. sobrepujar, exceder; Germ. sich auszeichnen, emporragen, sich hervorthun; Angl. to excel, surpass, be superior to). Occurrit — a) Absolute. Cic. 1. Divinat. 41. 91. In Syria Chaldæi cognitione astrorum solertiâque ingeniorum antecellunt. Id. Mur. 17. 36. Q. Catulus humanitate, sapientia et integritate antecellens. — b) Cum Dat. Cic. 2. Nat. D. 57. 145. Sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. Id. 6. Verr. 53. 118. Ædes duæ, quæ longe ceteris antecellunt. Id. Mur. 13. 29. Dicendi consuetudo longe et multum, isti vestræ exercitationi antecellit. Id. pro leg. Manil. 6. 14. Antecellere facile omnibus. Id. Arch. 3. 4. Antecellere omnibus ingenii gloria. Id. 5. Verr. 5. 10. Causa, quæ magnitudine injuriæ et re criminibus vestris antecellit. Id. 1. Invent. 4. 5. Qui qua re homines bestiis præstent, ea in re hominibus ipsis antecellat. Id. apud Priscian. 10. p. 897. Putsch. Qui eloquentia ceteris antecellis. plerique Lexicographi leg. ceteros. — c) Cum Accus. Val. Max. 3. 6. 1. Qua constantia victoriæ quoque gloriam antecellit. Adde Plin. 8. Hist. nat. 44. 70. (174). Tac. 14. Ann. 55. in fin. Antecellere omnes fortunâ. Id. 2. Hist. 3. Ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret. — d) Passive. Cic. 2. Herenn. 30. 48. An ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur.

ANTĔCEPTUS, a, um. V. ANTECAPIO.

ANTĔCESSĬO, ōnis, f. 3. actus antecedendi, præcursio. Cic. Tim. 10. ad fin. Flexiones deorum, et inter ipsos deos concursiones, quæque in orbibus eorum conversiones antecessionesque eveniunt. — Sæpius ut concretum occurrit de causis antecedentibus. Cic. 1. Off. 4. 11. Homo causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat. Id. Top. 13. 53. Cum tripartito distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam. h. e. in locum a consequentibus, ab antecedentibus, et a contrariis.

ANTĔCESSĪVUS, a, um, adject. qui antecedit. Tertull. Virgin. veland. 4. Prius est subjectivum antecessivo.

ANTĔCESSOR, ōris, m. 3. qui antecedit.

I.) Proprie. In militia antecessores dicuntur, qui antecedunt agmen. Sueton. Vitell. 17. Irruperant jam agminis antecessores, ac nemine obvio rimabantur, ut fit, singula. Adde Auct. B. Afr. 12., ubi antecessores cum speculatoribus conjungit: ex quo apparet speculatores esse, qui explorandi causa præmittuntur; antecessores autem, qui antecedunt ut locum metandis castris deligant, viam muniant, opportuna loca occupent etc., ut etiam Turneb. l. 24. c. 10. do-

cet. *Cæsar* hos non semel *antecursores* appellat.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur *antecessor* pro eo, qui in aliquo munere jam fuit, cui *successor* opponitur. *Paul. Dig.* 5. 1. 55. Licet ab antecessore numerus finitus sit, solet tamen successor unum edictum dare. *Ulp. ibid.* 27. 9. 9. Antecessor præsidis. Adde *Apul. Florid.* 1. 9. et 2. 15. et *vet. lapid.* apud *Grut.* 637. 1. ¶ 2. *Antecessores* etiam olim dicti, qui jura ac leges profitebantur, ac publice docebant: quod antecederent ac deducerent discipulos in penetralia artis, vel quod dignitate ceteris antecederent: semper enim juris prudentes in magno honore habiti sunt. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 17. 2. *a med.* Triboniano, necnon Theophilo, et Dorotheo viris illustribus et facundissimis antecessoribus arcessitis. Adde *Eumd. in Epist. ad JCtos Theophil., Doroth,* etc. *quæ Digestor. corpori præfig.* Hinc *Tertull. Virgin. veland.* 1. *in fin.* Spiritum S. vocat *antecessorem*, quia magister est Ecclesiæ: et eadem ratione Apostolos omnes *antecessores* appellat 1. *advers. Marcion.* 20. et 5. *ibid.* 3.

ANTĔCESSUS, a, um. *V.* ANTECEDO.

ANTĔCŒNA, æ, f. 1. prima cœnæ fercula. *Lipsius l.* 3. *antiq. lection.* Ita hanc vocem interpretatur, et legi putat *in indice Metelli Pontificis* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9., ubi tamen non *antecœna*, sed *ante cœnam* legitur. *V.* CŒNA.

ANTĔCŒNIUM, ii, n. 2. cibus ante cœnam.

I.) Proprie. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 11. Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, et proxima cœnæ, unde et antecœnia a quibusdam vocantur.

II.) Translate. *Apul.* 2. *Met.* 15. Gladiatoriæ Veneris antecœnia. *Apul.* hoc loco *antecœnia* sumit non eo sensu, quo *Isidorus*, sed pro primis cœnæ ferculis ante concubitum, ducta metaphora a gladiatoribus, qui ante certamen largo cibo reficiebantur. *V.* PROMULSIS.

ANTĔCURRO, is, ere, n. 3. ante currere, præcedere. Occurrit tantum Part. præs. apud *Vitruv.* 9. 1. 7. *Schneid.* Stella solem antecurrens.

ANTĔCURSOR, ōris, m. 3. qui ante currit.

I.) Proprie. In re militari *antecursores* dicuntur, qui exercitum præcedunt, loca explorant, vias muniunt, castrorum metandorum situs observant, et primi prœlia tentant cum hostibus, si forte occurrant. *Cæs.* 5. *B. G.* 47. Ab antecursoribus de Crassi adventu certior est factus. *Id.* 1. *B. C.* 16. Cum antecursoribus Cæsaris prœlio commisso. Adde 3. 36.

II.) Translate. *Tertull. monogam.* 8. et 4. *advers. Marcion.* 33. Joannem Baptistam *antecursorem* vocat, quia Christi adventum prænunciavit. *Id. Resurr. carn.* 22. flores urbane dicit *frugum antecursores*.

ANTĔCURSŌRIUS, a, um, adject. Apud *Apul.* 9. *Met.* legitur a quibusdam *antecursoria potio*, hoc est quæ principio cœnæ sumitur et cœnam ipsam præcedit. Alii leg. *accursoria*, alii rectius *occursoria*. *V.* OCCURSORIUS.

ANTĔDĪCO, is, xi, ictum, icere, a. 3. Scribitur et divisim *ante dico*. Part. *Antedictus*. — Est idem quod prædico. *Cic.* 1. *Phil.* 10. 26. Antedicere ea, quæ vitari possunt. *Id.* 2. *Divinat.* 6. 17. Hæc qui antedicunt, quam rationem sequantur, vides. *Ammian.* 16. 12. Ut antedictus docuerat perfuga. *Id.* 29. 5. Caput urbi illatum est antedictæ. *Scribon. Compos.* 163. Propter antedictam causam. *V.* ANTE *B.* III. et DICO.

ANTĔDICTUS, a, um. *V.* voc. præced.

ANTĔDISCURSUS, us, m. 4. (ante *et* discurro) excursio. *Sidon.* 3. *Ep.* 3. *a med.* Taceo, te inferiores hostium antediscursus castigatis coercuisse populatibus.

ANTĔEO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, 4. (ante *et* eo). Ad vitandum hiatum sæpe veteres pro *anteeo* dixerunt *antideo*. V. infra II. 2. et ANTIDEO. — Contra Poetæ interdum *e* extuderunt: *V.* in omnibus ferme paragr. — Hinc etiam apud argenteæ ætatis Scriptores in prosa quoque oratione futurum *antibo* pro *anteibo* legitur, ut apud *Tac.* 5. *Ann.* 6.: sic *antisse* pro *anteisse* apud *eumd.* 4. *ibid.* 40. et *antissent* pro *anteissent* 3. *ibid.* 69. — Est ante eo, præcedo (It. *precedere*, *andare innanzi*; Fr. *marcher devant*, *précéder*; Hisp. *ir delante*, *preceder*; Germ. *vorausgehen*; Angl. *to go before*, *precede*, *take the lead*).

I.) Proprie de loco ponitur. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. Barbarum – destricto gladio jubebat anteire. *Id.* 2. *Leg. agr.* 34. 93. Deinde anteibant lictores. *Liv.* 1. 59. Ubi anteire primores civitatis vident. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 70. quod si cessas, aut strenuus anteis. *Sueton. Cæs.* 57. In agmine interdum equo, sæpius pedibus anteire. *Id. Aug.* 65. Anteire vehiculo. Et figurate *Tac.* 3. *Ann.* 69. Sic a majoribus institutum, ut si antissent delictum, pœnæ relinquerentur. — *b*) Cum Dat. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 34. 93. Lictores, non cum bacillis, sed, ut hic prætoribus anteeunt, cum fascibus duobus. — *c*) Cum Accus. *Horat.* 1. *Od.* 35. 17. Te semper anteit sæva Necessitas. *Curt.* 3. 3. 15. Hi (*doryphori*) currum regis anteibant.

II.) Translate. ¶ 1. Est alicui rei vel homini occurrere ad periculum amovendum, prævenire: et usurpatur — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 3. 3. 24. Id te oro ut anteeamus, dum tempus datur. *alii divisim scribunt* ante eamus. — *b*) Cum Accus. *Val. Flacc.* 1. 31. Ergo anteire metus juvenemque extinguere pergit Æsonium. *Tac.* 5. *Ann.* 6. Anteire periculum. *Id.* 6. *ibid.* 29. *in fin.* Scaurus, ut dignum veteribus Æmiliis, damnationem anteiit. *h. e.* necem sibi conscivit, ut damnationis ignominiam declinaret. *Id.* 15. *ibid.* 38. Incendium anteiit remedia velocitate mali. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 10. — *c*) Cum Dat. *Tac.* 5. *Ann.* 3. Anteire auctoritati alicujus. *h. e.* ei resistere tamquam superiorem se gerendo. — *d*) Cum relativo. *Sil. It.* 14. 455. Idem, quid Boreas, quid vellet crastinus Auster, Antibat. *h. e.* præsciscebat periculumque inde futurum avertere conabatur. *V.* PRÆEO. ¶ 2. Sæpissime ponitur pro superare, antecedere, excellere; et occurrit — *a*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. C.* 33. Se vero, ut operibus anteire studuerit, sic justitia et æquitate velle superare. Adde *Tac.* 12. *Ann.* 6. — *b*) Cum Dat. rei vel personæ. *Plaut. Amph.* 2. 1. 18. Virtus omnibus rebus anteit profecto. *Cic.* 2. *Off.* 10. 37. Anteire ceteris virtute. *al. leg.* ceteros. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 5. alicui ætate. *Id.* 9. *Phil.* 1. 1. Cum Sulpicius ætate illis anteiret, sapientia omnibus. *Gell.* 10. 9. Sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cantilenarum quoque mollitia anteirelis. — *c*) Cum Accus. *Plaut. Cist.* 2. 1. 3. Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi. Adde *eumd. Trin.* 2. 4. 145. *Ter. Phorm.* 2. 1. 17. O Phædria, incredibile est, quantum herum anteeo sapientia. *Nep. Thrasyb.* 1. Anteire aliquem virtutibus. *Id. Chabr.* 4. omnes auctoritate. *Virg.* 12. *Æn.* 84. *de equis.* Qui candore nives anteirent, cursibus auras. *Ovid.* 2. *Art. am.* 726. cursus anteat ille tuos. *Justin.* 1. 3. Anteire omnes mollitiā et lascivia. *Tac.* 1. *Hist.* 13. multo ceteros regiā stirpe. *Id.* 15. *Ann.* 18. reditus justos gravitate sumptuum. *Id.* 3. *ibid.* 66. spes suas. *Id.* 14. *ibid.* 11. quæstus omnium. *Id.* 15. *ibid.* 50. aliquem in animo principis. Apud *Liv.* 38. 51. Anteire ætatem alicujus honoribus suis. *est* ætatem honoribus, quæ ipsi ætati debentur, prævenire. — *d*) Cum Infinito. *Sil. It.* 5. 353. Herbarum hic succis ferrumque e corpore cantu Exigere, et somnum tacto misisse chelydro, Antibat cunctos. — *e*) Passive. *Cic. Sull.* 8. 23. Nec se æquales tui, propter istam causam, abs te anteiri putant. *Seneca Consol. ad Marc.* 3. *sub fin.* Grave est a deterioribus honore anteiri. *Tac.* 2. *Hist.* 101. Ne ab aliis apud Vitellium anteirentur.

ANTĔEXPECTĀTUM, adverb. dicto citius, antequam ejus expectetur adventus. Et est una pars orationis: hoc est adverbium. Hæc *Servius* in *Virg.* 3. *G.* 348.

ANTĔFACTUS, *et rectius divisim* ante factus, a, um, part. præter. verbi inus. *antefacio*, idem quod antea factus. *Gell.* 17. 7. Utrum in postfacta furta lex valeret, an etiam in antefacta. *V.* ANTE et FACIO. — Hinc

Antefacta, *orum*, absolute substantivorum more sunt res gestæ. *Cic. Dejot.* 13. 37. Multa se arbitratur et peperisse ante factis et habere in animo etc. *Liv.* 37. 53. Conveniens esse ante factis dicent. *Vitruv.* 9. 1. *Schneid.* Uti possint ante facta et futura ex ratiocinationibus astrorum explicare. Adde *Priscian. p.* 1311. *Putsch.*

ANTĔFĀTUS, a, um, part. præter. ab inusit. *antefari* passiva significatione, idem quod antea dictus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 36. Commonemur, ut antefati Benedicti quondam filios civili facias tuitione vallari.

ANTĔFERO, fers, tŭli, lātum, ferre, anom. (ante *et* fero). Part. *Antelatus* I. et II.; *Antelaturus* et *Anteferendus* II. — Est ante vel prius fero (It. *portare innanzi*; Fr. *porter devant*; Hisp. *llevar*, *traer delante*; Germ. *vortragen*; Angl. *to carry or bear before*).

I.) Proprie. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Ut (*in exequiis Augusti*) legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur. *Id.* 3. *ibid.* 76. Viginti familiarum imagines antelatæ sunt. *Virg.* 6. *Æn.* 677. Dixit et antetulit gressum. *ante tulit* divisim hic plures legunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est prævenire, de re aliqua in antecessum curam habere. *Cic.* 5. *Fam.* 16. 6. Quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque expectare temporis medicinam. ¶ 2. Sæpius est anteponere et cum Dat. fere usurpatur. — *a*) De personis. *Cic. Orat.* 7. 23. Longe omnibus unum anteferre Demosthenem. *Id. Prov. consul.* 11. 27. Cum ipse ceteris esset omni honore antelatus. *Id. Sull.* 32. 89. Anteferre aliquem alicui honore, gratia, fortunis. *Id. Balb.* 20. 45. aliquem alicui de toto jure pacis et belli. *Id.* 6. *Att.* 8. 3. et *Brut.* 47. 173. se alicui. *Id.* 2. *Leg. agr.* 3. 6. Qui me antetuleritis nobilitati. *Nep. Themist.* 1. Ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 1. 19. *Ovid. Heroid.* 16. 356. armis anteferendus erit. — *b*) De rebus et præcipue de abstractis. *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 49. Tenuem victum anteferre copioso. *Id.* 6. *Fam.* 6. iniquissimam pacem justissimo bello. Adde *Nep. Epam.* 5. et *Quintil.* 6. *præfat.* 8. *Cic. Partit. orat.* 1. 1. Ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. *Id.* 5. *Fam.* 20. Me antelaturum voluntatem tuam commodo meo. *Id.* 1. *ibid.* 9. Bibuli fortunam omnium triumphis victoriisque anteferre. *Nep. Ages.* 4. Antetulit iræ religionem. — Sine Dat. occurrit apud *eumd. Nep. Timol.* 3.

ANTĔFIXUS, a, um, particip. ab inusit. *antefigo*, fixus et impactus ante aliquam rem. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Truncis arborum antefixa ora. Apud *Vitruv.* 10. 10. 4. *Schneid.* *antefixa* dicitur columella anterior in catapultæ basi, ita appellata, quia ante aliam columellam, quæ ipsam basim sustinet, fixa et collocata est. Ita enim *Turneb. l.* 2. *Adversar. c.* 4. divinat. Porro in verbis *Vitruv.* pro *antefixa latitudo foraminum* etc. legunt alii *antefixæ latitudo* etc., ut rectius constet sententia.

Antefixa, *orum*, n. 2. absolute dicuntur parva signa, corolliæ, aliaque hujusmodi ornamenta ex opere figulino, quæ tectis ædium affiguntur sub stillicidio. *Cato* apud *Liv.* 34. 4. Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum Romanorum videntes. *Liv.* 26. 23. In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta decussaque, ad Victorias, quæ in antefixis erant, hæsit, neque inde procidit. *Alii aliter leg. Paul. Diac. p.* 8. 11. *Müll.* Antefixa, quæ ex opere figulino tectis affiguntur sub (*super*) stillicidio. *V.* et *Plin. loc. cit.* in ECTYPUS.

ANTĔGENITĀLIS, le, adject. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 55. 56. (190). Quanto facilius certiusque, sibi quemque credere, ac specimen securitatis antegenitali sumere experimento? *h. e.* experimento sumpto ab iis, quæ antequam gigneremur, fuere.

ANTEGERIO. *V.* ANTIGERIO.

ANTĔGESTUS, *et rectius divisim* ante gestus, a, um, particip. ab inusit. *antegero*, antea gestus, antefactus. — Hinc

Antegestum, *i*, n. 2. absolute est id quod antea actum fuit. *Paul. Dig.* 15. 1. 47. Creditor cum venditore ex antegesto agere potest.

ANTĔGRADĀTIO, ōnis, f. 3. (ante *et* gradior) prægressio. *Cassiod. de astronom. circa med.* Præcedentia, vel antegradatio stellarum est, quam Græci προποδισμὸν vorant, dum stella motum suum consuetum cotere videtur, et aliquid præter consuetudinem præcedit.

ANTEGRADUS, a, um, adject. qui ante graditur. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 155.

ANTĔGRĔDIOR, ĕris, essus sum, ĕdi, dep. 3. Part. *Antegressus* II. Est anteeo, præcedo, ante gradior (It. *precedere*, *andare innanzi*; Fr. *marcher devant*; Hisp. *ir delante*; Germ. *vorangehen*; Angl. *to go before*, *precede*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 53. Stella Veneris lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem, cum subsequitur autem, hesperos.

II.) Translate occurrit Particip. *antegressus*, a,

um, qui præcessit. *Cic. Fat.* 10. 19. Omnia quæ fiunt, causis fiunt antegressis. *Id.* 1. *Divinat.* 14. 25. Cum pæne innumerabiles res eodem modo evenirent, iisdem signis antegressis. Adde *eumd.* 1. *Off.* 27. 94.

ANTĔHĂBEO, hābes, hăbŭi, hăbitum, hăbere, a. 2. (ante *et* habeo) præfero, antefero, antepono. *Tac.* 4. *Ann.* 11. *in fin.* Ne divulgata atque incredibilia veris antehabeant.

ANTĔHAC, adverb. (ante *et* hac). Disyllabum est apud *Horat.* 1. *Od.* 37. 5. Antehac nefas depromere Cæcubum. — Occurrit tantum de tempore et significat ante hoc tempus, nuper (It. *prima d'ora*; Fr. *avant ce temps*; Hisp. *antes*; Germ. *vor dieser Zeit, früher*, vordem; Angl. *before, beforetime, hitherto, until now*). *Plaut. Capt.* 2. 1. 47. Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem. Adde *eumd. Epid.* 1. 1. 10. et *Mil. glor.* 4. 8. 56. *Ter. Andr.* 1. 2. 16. Quod antehac fecit, nihil ad me attinet. *Et ibid.* 2. 1. 3. Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit, ita postquam etc. Adde *eumd. Phorm. prol.* 4. *Cic.* 12. *Fam.* 23. 3. Antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam id ereptum est. *Sall. Cat.* 26. Sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat. *Tac.* 3. *Ann.* 25. Ut antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. *Forcellinus* in postremis hisce duobus locis *antehac* pro *ante illud tempus* acceperat. — *Numquam antehac* dixerunt *Plaut. Amph.* 2. 1. 16. et *Mil. glor.* 3. 2. 27., et *Ter. Andr.* 5. 4. 14. *V.* et ANTIDAC.

Homonym. *V.* ANTEA in fin.

ANTEIDEA. *V.* ANTIDEA.

ANTĔLĀTUS, a, um. *V.* ANTEFERO.

ANTĒLĬUS, a, um, adject. (ἀντήλιος), antelii Græcis erant dii, qui ante domorum januas collocabantur, ostiorumque præsides habebantur: quemadmodum apud Latinos Jani et Limentini. *Hesychius* docet ἀντήλιον dici ἴσον τῷ ἡλίῳ φαινόμενον, *h. e.* quod contra solem apparet, et per catachresim significare βωμόν, ἢ θεὸν ἀντικρὺ ἡλίου ἱδρυμένον, aram vel deum sub dio et contra, seu sub sole collocatum. Tales autem erant antelii, ab ἀντί *contra*, et ἥλιος *sol*: quorum meminit *Tertull. Idolol.* 15. et *Cor. Mil.* 13. *in fin.* dæmones antelii. — Scribitur et *anthelius* ἀνθήλιος, quod propius Græcæ scriptioni accedit: tametsi *Hesych.* aspirationem omittit.

ANTELLA, æ. *V.* POSTELLA.

ANTĔLŎGĬUM, ii, n. 2. prologus, fabulæ proœmium. Hibrida vox ex Latino *ante*, et Græco λόγος *sermo*. *Plaut. Men. prol.* 13. Huic argumento antelogium quidem hoc fuit. Adde *Auson. Ep.* 16. *præfat.*

ANTĔLŎQUĬUM, ii, n. 2. initium loquendi, exordium, primus loquendi locus. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. Hic assensi omnes Prætextato anteloquium detulerunt. *Id.* 1. 24. *a med.* Philosophia honoranda est anteloquio: unde meminerit Eustathius, primum sibi locum ad disserendum, omni alia professione cedente, concessum. — Hinc pro præfatione usus est *Symmach.* 1. *Ep.* 77. Quorsum spectet hoc antiloquium, breviter explicabo. *alii leg.* alloquium. *Id.* 8. *Ep.* 23. Anteloquio aliquid complecti.

ANTĔLŪCĀNUS, a, um, adject. (ante *et* lux) qui ante lucem matutinam est, vel fit. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 8. Ex antelucano tempore usque ad horam diei decimam. Cf. *Varro* 1. *R. R.* 14. 2. et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 55. Antelucana tempora. *Cic.* 4. *Tusc.* 19. 43. Industria antelucana opificum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 63. (233). et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 12. Antelucana lucubratio. *Plin.* 3. *Ep.* 12. officia. *Cic.* 2. *Catil.* 10. 22. Cœnæ antelucanæ. *h. e.* tota nocte usque ad mane per summam luxuriam productæ. *Vitruv.* 1. 6. 11. Antelucanus spiritus. *h. e.* ventus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (33). Antelucanæ auræ.

ANTĔLŪCĬO, adverb. (seu potius Ablat. ab inus. *antelucium*) idem quod *anteluculo*. *Apul.* 1. *Met.* 11. Antelucio aufugere. *Id.* 9. *ibid.* 3. Antelucio recubans adhuc.

ANTĔLŪCŬLŌ, adverb. (seu potius Ablat. ab inus. *antelucuium*) ante lucem. *Apul.* 1. *Met.* 14. Anteluculo furtim evadere, et viam, licet trepido vestigio, capessere.

ANTĔLŪDĬUM, ii, n. 2. (ante *et* ludus), præludium, quod pompam sacrificalem præcedit. *Apul.* 11. *Met.* 8. Ecce pompæ magnæ paullatim præcedunt antelucdia.

ANTĔMĔRĪDĬĀLIS, le, adject. antemeridianus. *Capell.* 6. p. 195. Antemeridiales horæ.

ANTĔMĔRĪDĬĀNUS, a, um, adject. (ante *et* meridies) qui est, vel fit ante meridiem. *Cic.* 13. *Att.* 23. Antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi. *Id.* 3. *Orat.* 6. 21. Antemeridianus sermo. *Et ibid.* 30. 121. Antemeridiana ambulatio. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (117). Antemeridianum ludorum spectaculum.

ANTĔMĔRĪDĬE, adverb. pro ante meridiem. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 74.

ANTĔMISSUS, a, um. *V.* voc. seq.

ANTĔMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. Part. *Antemissus*. Est idem ac præmitto (It. *mandare innanzi*; Fr. *envoyer devant*; Hisp. *enviar delante*; Germ. *voran- oder vorausschiken*; Angl. *to send first or before, dispatch forward*). *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Equitatum omnem antemittit. *Id.* 1. *B. C.* 51. Imprudentesque antemissis equitibus aggreditur. *Solin.* 25. *de elephantis.* Flumen transituri minimos antemittunt. — *Arbores antemissæ* apud Scriptores rei agrariæ sunt, quæ ante agrorum fines plantantur, et intactæ relinquuntur; ex quibus nec frondes, nec ramos cædunt, ut magnitudine ceteris præstent, designandorum finium gratia. *Sicul. Flacc. de Condit. agror.* p. 4. et 10. *Goes.* et *Agen. Urbic. Commentar. in Frontin. ibid.* p. 45. etc.

ANTEMNA, æ. *V.* ANTENNA.

ANTĔMŒNĬO, is, ire, a. 4. (ante et mœnio) exterioribus muri propugnaculis munire. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 66. Antemœni aliquâ nos, tum autem circumduce exercitum. *Lindemannus* ad h. l. et *Hand Tursell.* 1. p. 242. ita legunt; vulgati libri habent *Antevenito aliquâ aliquos* etc.

ANTĔMŎNEO *et rectius divisim* antĕ mŏneo, mŏnes, mŏnere, a. 2. Occurrit tantum Part. præs. apud *Val. Flacc.* 5. 259. monstrisque minacibus urbem Territat antemonens semper deus.

ANTĔMŪRĀLE, is, n. 3. (ante *et* murus) propugnaculum muri exterius. *Hieronym. Homil.* 2. *Origenis, quam ipse Latinam fecit, sub fin.* et *Vulgat. Interpr. Jerem. Thren.* 2. 8.

ANTĔMŪRĀNUS, a, um, adject. ante murum positus. *Ammian.* 21. 12. 13. Vallum antemuranum, cæspitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat.

ANTENNA *et minus recte* antemna, æ, f. 1. Juxta *Döderlein* est a Gr. ἀνατείνειν *sursum tendere*, quocum cf. *tendere* et *tennitur*. Est lignum transversum in navis malo, cui velum alligatur (It. *antenna*; Fr. *antenne*; Hisp. *antena*; Germ. *die Segelstange oder das Raa*; Angl. *the sail-yard*). *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Antennas ad malos destinare. *Auct. B. Alex.* 45. Demittere antennas ad medium malum. Cf. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 9. Effugit hibernas demissa antenna procellas. *Liv.* 30. 10. Malos antennasque de nave in navem trajicere. *Virg.* 3. *Æn.* 549. Cornua velatarum obvertimus antennarum. *cornua antennarum* sunt earum extremitates; *velatas* dixit, quia velorum parte extrema involutæ sunt, vel generatim quia vela habent alligata. *Val. Flacc.* 1. 623. Antenna prona lævo cornu sustulit undam. *Ovid.* 11. *Met.* 483. subnectere velum antennis. *Lucan.* 9. 328. Suffigere lintea antennæ summæ. *Ovid.* 13. *Met.* 783. pinus (*h. e.* malus maximus) antennis apta ferendis. Adde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Poetice *Horat.* 1. *Od.* 14. 5. malus celeri saucius Africo, Antennæque gemant. *Seneca Œdip.* 886. Antennæ gravi spiritu tremunt.

ANTĔNUPTĬĀLIS, e, adject. qui ante nuptias fit, ut *antenuptialis donatio* in *Justinian. Novell. constit.* 2. 1. et alibi.

ANTĔOCCŬPĀTĬO, ōnis, f. 3. actus anteoccupandi. Est hoc nomine figura rhetorica, idem ac occupatio, quam vocem vide. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. Ad hilaritatem impulsio, anteoccupatio. *Quintil.* 9. 1. 31. hæc eadem verba repetit. Sed apud utrumque alii rectius *ante occupatio* divisim scribunt: apud *Quintil.* alii minus recte *aut occupatio*.

ANTĔOCCŬPO, as, āvi, ātum, are a. 1. idem ac prævenire. *Cic. Orat.* 40. 138. Ut anteoccupet (*orator*), quod putat opponi. *Sed* rectius scribes divisim *ante occupo*.

ANTĔPÆNULTĬMUS *vel* antepenultimus, a, um, adject. tertius ante ultimum (It. et Hisp. *antepenultimo*; Fr. *antépénultième*; Germ. *der, die, das drittletzte*; Angl. *antepenultimate*). *Capell.* 3. p. 60. Syllaba antepenultima. *Diomed.* 2. p. 425. *Putsch.* Accentus acutus tria loca teneat, ultimum, penultimum, antepenultimum.

ANTĔPAGMENTUM, i, n. 2. Legitur et *antipagmentum* (ea ratione, qua *antisto* pro *antesto* dicitur) et ita scriptum est in codicibus *Paul. Diac.* Vocabulum est architectorum, quod Italice describitur a Daniele Barbaro: *tutta la cassa, o telaro della porta, e tutta la composizione delle erte col sopralimitare.* Paul. Diac. p. 8. 10. Müll. *Antepagmenta valvarum ornamenta, quæ antis adpanguntur, idest adfiguntur.* Uterque autem respexit cap. 6. *lib.* 4. *Vitruvii*, in quo agitur de ostiorum antepagmentis. Ceterum antepagmenta non solum in ostiis locum habent, sed etiam in projecturis mutulorum sub stillicidio; et fortasse etiam in aliis ædium partibus, ubi aliquid adpangitur, et ad ornamentum vel munimentum adfigitur. *Cato R. R.* 14. Villæ fundamenta ex cæmentis et calce supra terram pede, ceteros parietes ex latere, jugamenta et antepagmenta, quæ opus erunt, ex lapide indito. *Vitruv.* 4. 7. Supra parietes trajecturæ mutulorum projiciantur; item in eorum frontibus antepagmenta figantur. *Vet. lapis* apud *Grut.* 207. TEGVLAS PRIMORES OMNES IN ANTEPAGMENTO FERRO FIGITO. *Vitruv.* 4. 6. Ostiorum autem, et eorum antepagmentorum in ædibus hæ sunt rationes etc. *Et mox.* Corona summa quæ supra antepagmentum superius imponitur etc. *Salmas. Exercitat. Plinian.* p. 1216. ait, antepagmenta lignea fuisse: in quo putat errasse *Philandrum*, quod lapidea fecerit, et ab *antis* non distinxerit. Certe apud *Grut.* in lapide citato hæc habentur, *Facito antepagmenta abiegnea*: tamen non videtur absurdum, ex structura etiam, et ex lapidibus aliquando fieri potuisse. Nam et res hujusmodi *adpangi* dicuntur, tum in lateribus ostiorum, tum in coronis fastigii, tum alibi. Qua in re magnum momentum habere debet *Catonis* locus modo allatus c. 14. Ubi tamen non est dissimulandum, Gryphianas editiones, et Venetam anni 1472. sic habere: Villa lapide fundamenta calce supra terram pede, ceteros parietes ex latere, jugamenta et antepagmenta, quæ opus erunt, indito.

ANTĔPĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. ante præparo. *Propert.* 1. 8. 36. Et quas Elis opes ante pararat equis. *Sed* rectius scribes *ante paro* divisim.

ANTĔPARTUS *vel* ante partus, a, um, part. præter. ab *ante* et *pario*. Sed occurrit tantum

Anteparta, orum, n. plur. 2. antea parta et acquisita. *Nævius* apud *Charis.* 2. p. 189. *Putsch.* Adolescentes qui anteparta patria peregre prodigunt. *Plaut. Trin.* 3. 2. 16. Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui, ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes? *Id. Truc.* 1. 1. 42. Ut anteparta demus postpartoribus.

ANTĔPASSĬO, ōnis, f. 3. (ante *et* patior), primi motus cupiditatis, qui vel nobis invitis insurgunt, animumque perturbant. A Gr. voc. προπάθεια vertit *Hieronym. Ep.* 79. *ad Salvinam* n. 9. Difficile est, quin potius impossibile perturbationum initiis carere quempiam, quas significantius Græci προπαθείας vocant: nos, ut verbum vertamus e verbo, antepassiones possumus dicere.

ANTĔPĒDES, um, m. 3. vox ex *ante* et *pedes* in unam dictionem per ὑφέν conflata, qua significantur ¶ 1. Priores pedes. *Cic. Arat.* 454. At caput et totum se se Centaurus opacis Eripit e tenebris, linquens vestigia parva Antepedum. ¶ 2. Item antepedes dicuntur ii, qui dominum officii causa comitantes præcedunt, quos *anteambulones* appellat *Martial.* Hujusmodi autem erant amici et clientes: nam servi fere sequebantur, vel circumstabant. *Agroet. Orthogr.* p. 2274. *Putsch.* Circumpedes sunt obsequia servorum: antepedes amicorum. *Cassiod.* 7. *Variar. in formula curæ Palatii*, 5. Ut aurea virga decoratus, inter obsequia numerosa, antepedes regios primus videaris incedere etc. Alii hic divisim scribunt *ante pedes*. Sic apud *Juvenal.* 7. 143. Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi Octo, decem comites; post te an sit sella, togati Ante pedes.

ANTĔPENDŬLUS, a, um, adject. ante pendens. *Apul.* 2. *Met.* 23. At illa crinibus antependulis hinc inde dimotis, etiam in mœrore luculentam proferens faciem etc. *Id.* 5. *ibid.* 22. Pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos.

ANTĔPĔREO, is, ire, n. 4. ante deperire. *Auson. Epigr.* 34. Si tineas cariemque pati te, charta, necesse est, Incipe versiculis anteperire meis.

ANTĔPĪLĀNUS, i, m. 2. qui est ante pilum. Hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Antepilani in Romana militia erant, qui in prima et secunda acie pugnabant, ante pilanos, hoc est ante triarios, qui *pilani* dicuntur a *Varr.* 5. *L. L.* 89. *Müll.* et ab *Ovid.* 3. *Fast.* 129. Nam in prima acie erant *hastati*, in secunda *principes*, in tertia *pilani* seu *triarii*. *Liv.* 8. 8. Robustior ætas, quibus principibus nomen est, hos sequebantur, scutati omnes insignibus maxime armis: hoc XV. manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii decem ordines locabantur: ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat: earum unamquamque primum pilum vocabant etc. (vel ut *Lips.* 2. de *Mil. Rom. dial.* 3. legit *unamquamque primam Pilum vocabant*). Et *cap.* 9. *in fin.* Nam et rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus. — Meminit *Liv.* antepilanorum etiam *c.* 10.: sed tum hic, tum in duobus superioribus locis mavult *Patric. Rei milit. Rom.* 4. *sect.* 5. vocem hanc mutari in *antesignani* ob eam potissimum rationem, quod *Livii* verba *cit. c.* 8. *quia jam sub signis*, cohærere nequeant cum illis, *antepilanos appellabant*. Verum si totus simul *Livii* locus consideretur usque ad verba *pilum vocabant*, facile apparet, cur ii, qui *signa* præcederent, *antepilani* vocarentur. ¶ 2. Alia ratione *antepilani* accipiuntur ab *Ammiano*, qui 16. 12. eos ita vocat, qui in prima acie ante signa pugnabant, h. e. pro *antesignanis*, ut *ibid. Vales.* advertit.

II.) Translate. *Ammian.* 28. 1. *de quodam Simplicio*. In cruento enim certamine cum Maximino, velut antepilano suo, contendens, superare eum in succidendis familiarum nobilium nervis studebat. *Salmas. de Re milit. Rom. c.* 19. hoc loco legendum putat *antesignano*.

ANTĔPOLLĔO, es, ere, n. 2. supra aliquem polleo. — *a*) Cum Dat. *Apul.* 1. *Met.* 5. Quæ civitas cunctæ Thessaliæ antepollet. — *b*) Cum Accus. *Id.* 7. *ibid.* 5. Toto vertice cunctos antepollebat.

ANTĔPŌNO, pōnis, pŏsui, pŏsitum, pōnere, a. 3. (ante *et* pono). *Antepostus* per syncopen apud *Terentian. de Litter. p.* 2388. *Putsch.* Vocalibus apte sedet anteposta cunctis. — Part. *Anteponens* II.; *Antepositus* in omnibus paragr.; *Anteponendus* II. — Est ante aliquem appono (It. *mettere innanzi, presentare*; Fr. *mettre, placer devant*; Hisp. *poner, collocar delante*; Germ. *vorstellen oder vorsetzen*; Angl. *to set or place before, present*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Nullo metu, non antepositis vigiliis. *Id.* 12. *ibid.* 56. Anteposita propugnacula. Et figurate *Cic. Fat.* 18. 41. et 42. Causæ antepositæ. — *b*) Cum Dat. *Plaut. Men.* 2. 2. 2. Bonum anteponam prandium pransoribus. *Id. Curc.* 1. 1. 73. Quid antepones Veneri a jentaculo? *h. e.* quid appones Veneri in jentaculum? *Id. Rud.* 2. 6. 24. Cœna anteposita Thyestæ et Tereo. Per metathesim seu transpositionem effertur a *Tibull.* 1. 1. 20. Libatum agricolæ ponitur ante deo. *h. e.* apponitur deo agricolæ. *Tac.* 15. *Ann.* 32. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit. *Quintil.* 9. 4. 44. Sed plurimum refert compositionis, quæ quibus anteponas.

II.) Translate est præferre, anteferre, primas dare: quod patet et ex loco *Ennii* apud *Cic.* 1. *Off.* 24. 84. Non enim rumores ponebat ante salutem. Cf. *Sall. Jug.* 15. — *a*) Raro absolute. *Cæs.* 4. *B. G.* 22. Occupationes sibi anteponendas judicabat. — *b*) Cum Dat. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 98. Longe Academiæ illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam. *Id. Amic.* 5. 23. Amicitiam omnibus rebus humanis anteponere. *Id. Marcell.* 7. 21. alterius vitam suæ. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 7. se alicui. *Nep. Iphicr.* 1. aliquem alicui. *Id. Epam.* 2. aliquem alteri in familiaritate. *Id. ibid.* 1. res gestas virtutibus. *Tac.* 12. *Ann.* 39. Antepositus filio privignus. *Justin.* 39. 4. Periculoso regno tutam vitam anteponens. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Ultimum adjutorium ceteris anteponens. — Per metathesim *Cic.* 3. *Off.* 17. 71. Malitia - mala bonis ponit ante. *alii contra Codd. leg.* anteponit. Adde *eumd. Sull.* 8. 25.

ANTĔPŎSĬTUS, a, um. *V.* voc. præced.

ANTĔPŎTENS, entis, adject. antepollens, supra alios potens. *Plaut. Trin.* 5. 1. 1. Hic homo est omnium hominum præcipuis voluptatibus gaudiisque antepotens. *h. e.* abundans voluptatibus et gaudiis: ea ratione qua dicitur *muneribus Veneris potens* ab *Horat.* 4. *Od.* 10. 1., et *pietate potens* a *Propert.* 3. 21. 21. Alii tamen leg. *anteponendus*.

ANTĔPRÆDĪCO, is, ixi, ictum, icere, a. 3. idem quod prædico, addito *ante* per pleonasmum, seu ad majorem vim. *Cic.* 6. *Phil.* 3. 5. Testificor, denuncio, antepraedico. Sed rectius leges *ante prædico* divisim.

ANTĔPRÆCURSOR, ōris, m. 3. idem ac præcursor, addito *ante* per pleonasmum. *Tertull. Baptism.* 6. Joannes antepræcursor Domini fuit.

ANTĔQUAM *et rectius* ante quam. *V.* ANTE *B.* III. *d.*

ANTĔRIS, idos *vel* idis, f. 3. ἀντηρίς. Anterides sunt pilæ structiles in imo latiores, et paullatim ad summum usque decrescentes, quæ exterius adstruuntur parietibus ad eos muniendos et fulciendos. Vox ipsa Græca est ab ἀντί *contra*, et ἐρείδω *figo*, *firmo*, *fulcio*. Eamdem omnino originem similemque significationem habet *erisma*, *atis*, n. et *erisma*, *æ*, f. ἔρεισμα (It. *contrafforti*, *speroni*, *barbacani*; Fr. *arcs-boutants*, *contre-forts*; Hisp. *estantal*, *contrafuerte*; Germ. *der Strebepfeiler*; Angl. *buttresses*, *props*, *or shores*). *Vitruv.* 10. 1. Scansoria machina catenationibus, et transversariis et plexis colligationibus, et erismatum fulturis continetur. *Id.* 6. 8. 6. *Schneid.* In frontibus anterides, sive erismæ sint, una struantur, eæque inter se distent tanto spatio, quanto altitudo substructionis est futura, crassitudine eadem, qua substructio. Procurrant autem ab imo, deinde contrahantur gradatim, etc. *V.* et ANTERIDION. — Etiam lignea fulcimenta ex trabibus, quæ structuram sustinent, *anterides* dicuntur. *Hesych.* Ἀντηρίδες τὰ ἀντερείδοντα ξύλα, ἢ λίθινα κατασκευάσματα. *Gloss. vet. Tibicines*, ἀντηρίδες. Priore *Vitruvii* loco intelligit *Philander* quippiam simile fusti illi, qui divaricatus scalas fulcit ac sustinet, quibus rustici decerpendis uvis ac pomis uti solent.

ANTĔRĪDĬON, ii, n. 2. obliquum sustentaculum aliquam rem fulciens: deminutivum ab ἀντηρίς, ίδος. *Vitruv.* 10. 11. 9. *Schneid.* appellat *anteridion* membrum quoddam balistæ ab officio quod habet sustinendi et fulciendi. Ubi alii leg. *anteridon longitudo*, ut sit Genitivus pluralis Græca positione ab *anteris*, quam lectionem minus rectam putavit *Forcellinus*, defendunt vero *Schneid.* et plerique recentiores.

ANTĔRĬOR, ōris, adject. comparativum ab *ante*, ut docet *Priscian.* 3. p. 599. *Putsch.*, et significat eum, qui est ante, et proprie refertur ad locum (It. *anteriore*; Fr. *antérieur*; Hisp. *anterior*; Germ. *der, die, das vordere*; Angl. *anterior*, *fore*).

I.) Proprie. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Milites in anteriorem vallum tela jaciebant. *Alii leg.* interiorem, *alii rectius* exteriorem. *Ammian.* 16. 8. Anterior chlamydis pars. *Id.* 25. 3. Ad speculanda anteriora progressus.

II.) Translate refertur ad tempus, et significat eum, qui ante fuit. *Symmach.* 6. *Ep.* 50. Anteriores litteræ tuæ, quas mox aliæ consecutæ sunt. *Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 52. Anteriores reges. *Hieronym. ep.* 124. *ad Avitum n.* 3. Anterior culpa. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 96. Anterior chao. *h. e.* antiquior. — *Harduin.* tribuit etiam *Plinio* tribus locis in *lib.* 1. *ejus Hist. nat.* nempe ad fin. indicis *lib.* 24. 26. et 31.

ANTĔRĬUS, adverb. prius, priore loco: comparativ. ab *ante*. *Sidon.* 2. *Ep.* 9. Mane quotidiano partibus super hospite prima et grata contentio, quænam potissimum anterius edulibus nostris culina fumaret.

ANTERMĪNI. *V.* AMTERMINI.

ANTERUMENOS, e, on, adject. Græca positione ab ἀντί contra et αἴρω vel αἰρέω *tollo*; idem quod contra positus, antarcticus. *Probus* in *Virg.* 1. *G.* 233. Quinque ergo sunt zonæ in regione cœli et terræ, duæ extremæ frigidæ, septemtrionalis et austrina; una adusta; duæ temperatæ inter frigidam et adustam, cingentes eam et intercidentes frigidis, quarum altera anterumene vocatur.

ANTES, ium, m. plur. 3. generatim sunt ordines ad lineam ducti; unde speciatim occurrunt — *a*) De equitatu. *Cato* apud *Servium et Philargyr.* ad *Virg.* 2. *G.* 417. Pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas. *h. e.* pedites quadrato agmine ducas, cujus agminis latera equites tegant, veluti duæ lineæ seu alæ. — *b*) Juxta *Forcellinum antes* dicebantur etiam areolæ hortorum, quæ quadratam lineam, seu figuram referunt. *Colum.* 10. *R. R.* 376. Humidaque andrachne sitientes protegit antes. *Nonius* hinc recte scribit 1. 124. ed. vet. antes esse quadraturas, unde et *antas* dictas esse quadras columnas. — Ob similitudinem autem omnes arvorum et vinearum ordines ad lineam ducti *antes* dicuntur: quo sensu et superior *Columellæ* locus accipiendus videtur. *Sidon.* 8. *Ep.* 8. Quousque pondus ligonis obtusi nec perfossis antibus ponis? *Virg.* 2. *G.* 417. Jam canit extremos effetus vinitor antes. *Paul. Diac.* p. 16. 15. *Müll.* hunc *Virgilii* locum procul dubio respexit, cum scripsit, *antes* esse extremos ordines vinearum. Eumdemque *Virgilium* est imitatus *Venant.* 5. *carm.* 2. 37. Rebus Apostolicis direxit vinitor antes, Arva ligone movens, falce flagella premens. — Advertendum autem, nonnullos veteres Grammaticos *antes* confundere cum *antis*, et *anteridibus*. Nam *Isid.* 15. *Orig.* 7. scribit, *antes* esse partes anticas januarum, quibus opponantur *postes*. At in editione *Arevali* legitur *antæ*. *Servius* vero ad *cit. loc. Virgil.* ait, *antes* a quibusdam dici macerias, quibus vineta clauduntur, et ita appellari a lapidibus eminentioribus, qui interponuntur ad materiam sustentandam; sed proprie *antes* esse eminentes lapides, vel columnas ultimas, quibus fabrica sustinetur, et appellari *antes* ἀπὸ τοῦ ἀντιστηκειν; ad quam etymologiam etiam extremos ordines vinearum trahi posse, qui *antestant*. — Sunt qui putant, etiam a *Vitruvio* antes usurpari eodem sensu, quo *antæ*; inter quos est *Danetius* in Lexico, qui tamen more suo nullum locum *Vitruvii* assignat.

ANTESCHŎLĀNUS, i, m. 2. (ante *et* schola) subdoctor, hoc est qui sub magistro est in schola. Alii volunt esse principem inter discipulos, qui ingenio et diligentia ceteris antecellit, et a magistro supra ceteros honoratur. *Petron. Satyr.* 81. Veritus, ne Menelaus antescholanus, inter cetera mala, solum me in diversorio inveniret. *Sunt qui leg.* aut scholanius.

ANTESCHŎLĀRIUS, ii, m. 2. qui ante scholam habitat, antescholanus. *Inscript.* apud *Murat.* 1321. 10., quæ est apud *Orell.* 1175. QVOD SI QVIS ADVERSVS HOC QVID FECERIT TVNC POENAE NOMINE PONTIFICIBVS AVT ANTESCHOLARIIS VIRGINVM HS. L. M. N. INFERRE DEBEBIT. Hæc autem huic *Inscript.* adnotat idem *Orell. loc. cit.* Anteschalarii Virginum Vestalium alibi vix memorantur, nisi quod *Menelaus antescholanus* reperitur apud *Petron. Satyr.* 81. (V. voc. præced.). Fuisse hoc collegium aliquod libertorum servorumque, quorum ministerio in cæremoniis suis nescio quomodo uterentur Virgines Vestales, consentaneum est. Mirum autem illud nomen inde repeto, quod viris ad Virgines nimis prope accedere haud liceret. Coibant igitur vel ante scholam Virginum ipsarum, vel in ædificio ante Vestæ templum extructo. *V.* PROSCHOLUS.

ANTĔSIGNĀNUS, a, um, adject. (ante *et* signum) qui stat ante signa. Sed fere occurrit *Antesignanus*, i absolute substantivorum more, et

I.) Proprie. Antesignani in Romana militia fuere, non qui ante omnem aciem collocati erant et primi omnium pugnam inibant, ut velites, antecursores etc., sed milites legionarii fortissimi et promptissimi, qui ante signa stabant ad eorum custodiam. Porro signa non semper eumdem in acie locum obtinebant, sed pro ejus varia dispositione variisque præliorum rationibus, modo in media acie erant, modo ante ipsam, modo in unum omnia collocata locum, modo sparsa. Ubicumque autem essent, muniebantur et ante et retro valida militum manu, qui *antesignani* et *postsignani* dicebantur. Ceterum quia præcipua signa, ut Aquilæ legionum, fere in secunda acie stabant inter principes, factum est, ut aliquando *hastati*, licet propria haberent signa, quia ante majora et totius exercitus nobilissima stabant, *antesignani* sint appellati: quo pacto eos appellare videtur *Curt.* 4. 6. 23. Plura de his V. apud eos, qui ex professo hæc persequuti sunt, quos inter *C. Guischard Memoir. antiqu. et histor.* p. 106. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 12. Antesignanos, et manipulares, - judices se constituisse dicebat. *Cæs.* 1. *B. C.* 43. Legiones tres ex castris educit, acieque in locis idoneis instructa, unius legionis antesignanos præcurrere atque occupare eum tumulum jubet. *Id. ibid.* 57. Delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, centuriones Cæsar ei classi attribuerat. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 84. *Liv.* 22. 5. Pugna exorta est, non illa ordinata per principes, hastatos ac triarios; nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies etc. *Id.* 9. 39. Nihil ab ulla parte movetur fugæ: cadunt antesignani, et ne nudentur pro-

pugnatoribus signa, fit ex secunda prima acies. Adde eumd. 4. 37. et 27. 18., et *Varron.* apud *Non.* p. 553. 10. *Merc.* — *Forcellinus*, quamvis nullo exemplo confirmet, hæc addit: Aliis temporibus *antesignani* dicti sunt, qui ante omnia signa, atque adeo ante omnem aciem ibant: quos et *campigenos* vocari scribit *Veget.* 2. *Milit.* 7., ideo sic nominatos *quia eorum opera atque virtute exercitui vigens vis crescit in campo*: nempe ii ante signa ibant, et militibus præscribebant quomodo incedendum esset, qua ratione eundum in hostem, aut recedendum, aut consistendum etc. Apud *Veget.* est qui legit *antesignarii*, ut et apud *Liv.* 4. 47. ex quibusdam MSS.

II.) Translate *antesignanus* ponitur pro duce, aut pro eo, cujus hortatu, aut exemplo aliquid facimus. *Cic.* 2. *Phil.* 29. 71. Fueras in acie Pharsalica antesignanus. *Apul.* 4. *Met.* 11. Antesignani nostri partem, qua manus humerum subit, prorsus abscindimus.

ANTĔSINISTRĀ. *Servius* in illo *Virg.* 9. *Ecl.* 10. *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix*; indivise legendum putat *antesinistra*, ut sit adjectivum, et significet cornicem volasse ab antica ad sinistram partem, hoc est anteriore parte templi, quod capturus auspicia lituo designaverat: idem tamen sensus, etiamsi *ante sinistra* divisim legatur, fieri potest.

ANTESTĀTUS, a, um. *V.* ANTESTOR.

ANTESTO *vel* antisto, stas, stĕti, stare, n. 1. (ante et sto). *Antisto* sæpius, quam *antesto*, in optimis Codicibus legitur. Part. *Antistans.* — Proprie est stare ante aliquam rem vel in alicujus conspectu: sed occurrit tantum translate, et significat præstare, antecellere, superiorem esse (It. *esser superiore*; Fr. *surpasser*; Hisp. *sobrepujar*; Germ. *den Vorzug verdienen*, *vorzüglicher sein*; Angl. *to excel, be superior*). Occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 5. 22. Herculis antistare autem si facta putabis. *Cic.* 3. *de republ.* 18. 28. Si ratio, consilium, prudentia (*quæritur*), Pompejus antistat. — *b*) Cum Dat. *Cato R. R.* 156. 1. Brassica est, quæ omnibus oleribus antistat. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Qui et viribus et magnitudine - simulque virtute ceteris antistabat. *Cic.* 2. *Invent.* 1. 2. Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus antesteterunt. Adde *Nep. Arist.* 1. *Catull.* 9. 1. Antistans mihi millibus trecentis. *Gell.* 7. 5. Gestu et vocis claritudine et venustate ceteris antistabat. — *c*) Cum Accus. *Q. Metellus Numidicus* apud *Gell.* 12. 9. Qua in re quanto universi me unum antestatis. Adde *Melam* 3. 6. 7. et *Apul.* 4. *Met.* 8.

ANTESTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Unde dicatur, non convenit inter Etymologos. Alii enim ab *ante* et *testor* derivant, quod testes vocare solemus, antequam res fiat: alii dici putant pro *attestor*, converso *t* in *n*: alii denique rectius ab *am* circum, et *testor*, hoc est circumspicio ad testem quærendum et vocandum. Hinc antestari est in testem vocare (It. *chiamare in testimonio*; Fr. *appeler en témoignage*; Hisp. *llamar*, *apelar en testimonio*; Germ. *Jemanden zum Zeugen anrufen*, *oder zum Zeugen erklären*; Angl. *to call one for a witness to an arrest*). — *a*) Est autem verbum proprium fori, desumptum ex fragmento veter. Leg. XII. Tab. quod refert *Porphyrion* vetus *Horatii* interpres ad 1. *Sat.* 9. *sub fin.* V. vocem sequentem. Mos autem erat apud Romanos, ut qui aliquem in jus vocabat, et nolentem pertrahere volebat, aliquo teste uteretur, quo vocationem suam judici probare posset. Interrogabat autem eum, quem testem designabat, his verbis: *Licet te antestari*, vel brevius: *Licet antestari?* quo respondente, *Licet*, adversarium in jus vocabat. Quod si is adhuc recusaret, aurem ejus quem in testem vocaverat, leniter tangebat admonendi causa, ut pro se contra reum testimonium interponere meminisset: cujus rei causam affert *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (251). Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur. *Plaut. Pers.* 4. 9. 9. SAT. Illic apud prætorem dicam: sed ego in jus voco. TORD. Nonne antestaris? SAT. tuan' ego causâ, carnufex, cuiquam mortali libero aures atteram? *Id. Curc.* 5. 2. 236. PH. Licet te antestari? MIL. non licet. *Et ibid.* 25. Antestari servum. *Id. Pœn.* 5. 4. 57. Antestare me atque duce. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 74. casu venit obvius illi Adversarius et: Quo tu, turpissime, magna Inclamat voce, et: Licet antestari? Ego vero Oppono auriculam: rapit in jus. *Antestamino* sive *antestaminor* vetus imperativum pro *antestator*, est in Leg. XII. Tabul. apud *Gothofred.* tab. I. Sic *præfamino* apud *Caton. R. R.* 141. pro *præfare* et *profitemino* pro *profitentur* in vet. Tab. æn. apud *Murat.* 582. *initio.* *V.* voc. seq., et *Orelli Inscript.* 4358. et *Dirksen's Uebersichte etc.* p. 129. — *b*) Pro testari, testem aliquem appellare, extra judicium. *Cic. Mil.* 25. 68. Næ iste haud dubitans cessisset patriâ -: te, magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit. *Forcellinus* et *Klotz* ad h. l. hanc lectionem defendunt, alii leg. *attestaretur.*

ANTESTOR, āris, ātus sum, ari, pass. 1. (V. voc. præced.) in testem vocari. *Livius Drusus* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Impubes libripens esse non potest, neque antestari. προσδιαμαρτυρηθῆναι: ita enim *Priscian.* exponit. *In fragmento quodam Leg. XII. Tab.* dicitur *antestatus* passiva significatione, qui in testem vocatus est. Ejus fragmenti hæc sunt verba: *Si vis vocationi fuat, antestaminor: ni it, aurem capito antestati.* Ita *Lipsius* 4. *epistolic. quæst. ep.* 26. *Lambin.* ita emendat, ut vox *antestatus* significet eum, qui in testem vocavit: *Si vis vocationi fuat, antestatus im* (h. e. *eum*) *capito* etc. At omnibus præstat lectio *Funccii Leg. XII. Tabul.* tab. I. leg. 2. Ni eat, antestaminor, igitur eum capito.

ANTEURBĀNA prædia urbi propinqua. *Paul. Diac.* p. 8. 7. *Müll.*

ANTĔVĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnire, 4. (ante et venio). Part. *Anteveniens* I. Est idem ac prævenio, prius venio (It. *venire innanzi*, *prevenire*; Fr. *arriver devant ou avant*; Hisp. *llegar*, *aribar delante*; Germ. *zuvorkommen*; Angl. *to get before, get the start of*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 42. 66. Consul anteveniens extemplo prœlium conseruit. Per metathesim *Ter. Eun.* 4. 5. 7. Sed Thais multo ante venit. — *b*) Cum Dat. *Plaut. Trin.* 4. 2. 66. Tempori huic hodie anteveni. — *c*) Cum Accus. *Sall. Jug.* 52. Per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. *Id. ibid.* 60. Magnis itineribus antevenire aliquem. Et figurate *Id. ibid.* 93. Explorare itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire. Item passive *Cato* apud *Non.* p. 87. 17. *Merc.* Quod compluriens usuvenit, omni tempore anteventum est.

II.) Translate est antecellere, superare, anteire; et occurrit — *a*) Absolute. *Tac.* 4. *Ann.* 18. Beneficia usque eo læta sunt, dum videntur exolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. — *b*) Cum Dat. *Plaut. Cas.* 2. 3. 1. Amor omnibus rebus et nitoribus nitidis antevenit. — *c*) Cum Accus. *Sall. Jug.* 4. Qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire.

ANTĔVENTŬLUS, a, um, adject. (ante et venio). Comæ et crines *anteventuli* dicuntur, qui ante frontem veniunt et pendent, quod *Apul.* 5. *Met.* 22. vocat antependulos. *Id.* 9. *Met.* 30. Discerptæ comæ pleramque ejus anteventulæ tegebant faciem. *Id. Florid.* 1. 3. Crines ejus remulsis antiis et promulsis capronis anteventuli et propenduli.

ANTĔVERSĬO, ōnis, f. 3. actus anteveniendi et præveniendi. *Ammian.* 21. 5. *in fin.* Expertus quid in rebus tumultuosis anteversio valeat et prægressus.

ANTĔVERTO *et veteri loquendi more* antevorto, tis, ti, sum, tere, 3. (ante et verto). Part. *Antevertens* I. Proprie est aliquo se ante alios vertere, ac proinde aliquo ante alios pervenire, anticipare, prævertere (It. *anticipare*, *arrivar prima*; Fr. *devancer*, *précéder*; Hisp. *adelantar*, *preceder*; Germ. *zuvor sich hinkehren zu oder auf etwas*, *sich vorher wohin wenden oder wohin kommen*; Angl. *to prevent, forestall, anticipate*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 53. Stella Mercurii anno fere vertente, signiferum lustrat orbem, neque a sole longius unquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens, tum subsequens. *Id. Mil.* 17. 40. Vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso die: itaque antevertit. — *b*) Cum Dat. *Ter. Eun.* 4. 5. 12. Sed eccam ipsam: miror ubi ego huic antevorterim. Et figurate *Plaut. Capt.* 4. 2. 60. Pol mœrores mi antevortunt gaudiis. *h. e.* veniunt ad me ante gaudia.

II.) Translate. ¶ 1. Est prævenire, seu aliquid facere ante quam aliquid aliud eveniat; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Amic.* 4. 16. Atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit. — *b*) Cum Accus. *Tac.* 13. *Ann.* 30. Antevertere damnationem veneno. *Cod. Theod.* 6. 24. 2. supplicium voluntaria morte. ¶ 2. Est etiam cum Dativo, præferre, anteponere, sive — *a*) Aliquid ante omnia vel cetera faciendum curare. Deponentis forma *Plaut. Bacch.* 3. 5. 1. Rebus aliis antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi, Mnesilochum ut requiram. *Ita legitur in plerisque optim. Codd. Al. tam. hab.* antevortam. *Cæs.* 7. *B. G.* 7. Quâ re nunciatâ Cæsar omnibus consiliis antevertendum existimavit, ut Narbonem proficisceretur. — *b*) Est etiam præferre tantum. *Pacat. Paneg. Theod.* 9. Quod ego tuum otium aliorum negotiis anteverto.

ANTĔVERTOR *vel* antevortor etc., dep. *V.* voc. præced. II. 2. *a.*

ANTĔVĬDĔO, des, dere, a. 2. (ante et video). Rectius scribitur divisim. Occurrit tantum Partic. præs. apud *Val. Flacc.* 6. 581. Nunc quo se raperet, nunc quo diversus abiret, Antevidens.

ANTĔVINDĒMIĀTOR, ōris, m. 3. (ante et vindemia). Est stellæ nomen, quam ita describit *Vet. Scholiast.* ad *Germanic. Prognost. comment.* XI. Kal. Septembres Assyriis stella, quæ Antevindemiator appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens, cujus argumento erunt agri colore mutati; et Assyriis v. Kal. Septembres Sagitta occidit, Etesiæque desinunt. Antevindemiator Ægypto Nonis Septembribus oritur.

ANTĔVĬO, as, are, n. 1. per viam eundo procedo. Usurpatur a *Venant. Fortun.* 4. *Carm.* 26. *a med.*

ANTĔVŎLO, as, are, 1. (ante et volo) volando præcedere. Occurrit — *a*) Absolute. *Virg.* 12. *Æn.* 455. Antevolant, sonitumque ferunt ad littora venti. *Id.* 9. *ibid.* 47. Turnus ut antevolans tardum præcesserat agmen. *Sed rectius divisim scribes* ante volo. — *b*) Cum Dat. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. Aliquando etiam manuum ante oculos præmissio, quasi aliquid apprehendere vel detrahere volentium, quod aut inhæsisse oculis, aut antevolare ægrotanti videatur. *nisi forte Dativus pendeat a v.* videatur. — *c*) Cum Accus. *Sil. It.* 12. 600. Fulvius antevolans agmen. *Stat.* 3. *Theb.* 427. currum. *Claudian. de phœnice* 21. Antevolant Zephyros pennæ.

ANTEZEUGMĔNON, i, n. 2. hibrida vox ab *ante* et ζεύγνυμι *jungo*; apud Grammaticos est figura, qua plura membra uno verbo conjunguntur, ut ait *Capell.* 5. p. 176. Antezeugmenon injunctum. Hæc figura a superiore (*diezeugmeno*) hoc differt, quod ibi singulis membris singula diversa redduntur, hic plura ex uno conjungimus, ut est: *quorum ordo ab humili, fortuna, sordida, natura, turpi ratione abhorret.* Hoc enim postremum *abhorret* prædicta conjunxit. Adde *Aquilam Rom.* p. 28. ed. *Capper.* At *Koppius* legendum putat *epezeugmenon*, quamquam, ait, et hæc lectio tolerari possit. A *Cic.* 4. *Herenn.* 27. dicitur *conjunctio*. Sed *Klotz* legit eodem sensu *antizeugmenon*, quemadmodum et *Forcellinus*.

ANTHĂLĬUM, ii, n. 2. (ἀνθάλιον) genus herbæ, cujus pomo mespili magnitudine et rotunditate, sine nucleo, sine cortice, folio cyperi, Ægypti utuntur in cibis: ita dictæ ab ἀνὰ et θάλλω *regermino*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 52. (88). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol 3. p. 54.) hanc exhibet synonymiam: Μαλιναθάλλη Theophr. 4. 10., Μνάσιον Ejusd. 4. 9., Καλαμος χαρωπὸς ἐρόβοις Diod. Sicul. 2. 57. et 3. 25. et *Anthalium* Plin. l. c. sunt *Cyperus esculentus* L. Spec. plant. 67.

ANTHĒDON, ōnis, f. 3. (ἀνθηδών) genus mespili, pomum ferens ceteris minus, sed odoratius et quod diutius servatur. Quidam putant dici ab Italis *pomo imperiale*. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 20. 22. (84). Mespilis tria genera, anthedon, setania, tertium degenerat anthedoni tamen similius, etc. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 252.) affirmat mespilum antiquorum esse *mespilum germanicam recentiorum.*

ANTHĒLIUS. *V.* ANTELIUS.

ANTHEMERUM, i, n. 2. ab ἄνθεμον *flos*, collyrii genus apud *Jochòn cachets des Oculistes* p. 71.; ac proinde vox a Lexico expungenda.

ANTHĔMIS, ĭdis, f. 3. (ἀνθεμίς) genus herbæ, quæ et *chamæmelon* dicitur, quia odorem mali habet. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 26. (53). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 117.) hanc exhibet synonymiam: Ἀνθεμίς, οἱ δὲ λευκάνθεμον, οἱ δὲ ἠράνθεμον Dioscor. 3. 154. et Galen. 2. 2. p. 381., Παπούνι Cypriot. recent., et *Anthemis*, *Leucanthemis*, *Leucanthemon* et *Erantheмon* Plin. l. c. sunt *Anthemis chia* L. Spec. plant. 1260. — α. Ἀνθεμὶς πορφυρανθής, οἱ δὲ ἠράνθεμον Dioscor. l. c., Παπούνι Cypriot. re-

cent. et *Anthemis flore rubro*, *eranthemon* Plin. l. c. et Apul. Herb. 23. sunt *Anthemis rosea* Sibth. Fl. græc. 2. 191. — β. Ἄνθεμις μελανανθής Dioscor. l. c., et *Anthemis melanthemon* Plin. l. c. sunt *Anthemis tinctoria* L. Spec. plant. 1263. — γ. Ἄνθεμις χαμαιμηλον Dioscor. l. c., Ἄνθεμον χλωρόν Hipp. de nat. mulier. p. 552., Εὐάνθεμον χλωρόν Ejusd. de morb. mulier. 1. p. 625., Ἄνθεμον φυλλῶδες Theophr. Hist. plant. 7. 8. 14., Χαμομήλα Græcor. recent. et *Chamæmelon* Plin. l. c. sunt *Matricaria Chamomilla* L. Spec. plant. 1256.

ANTHEMĬUM, ii, n. 2. herba eadem quæ anthemis, apud *Æmil. Macr. c. de Camomilla.*

ANTHEMUM, i, n. 2. (ἄνθεμον) herba parva a radice folia quina habens, caules longos duos, florem roseum; ad ejiciendos calculos utilissima. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 55. (87). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 402.) affirmat hanc herbam esse *Anthemidem roseam* L. et opinatur legendum esse fortasse *anthemis* pro *anthemum*.

ANTHĒRA, æ, f. 1. (ἀνθηρά). Antheræ compositiones dicuntur a Medicis, quæ vel floridum colorem habent, vel certorum florum admixtione fiunt (nam ἀνθηρός *floridum* significat), quæ præcipue adhibentur in ulceribus oris. Earum exemplum duplex *Cels.* 6. 11. ponit. *Id. ibid.* 15. Satis proficit anthera, humido ulceri arida inspersa. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 42. (69). Quo medici utuntur vice galbæ in compositionibus, quas antheras vocant. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3.

ANTHEREON, ōnis, m. 3. (ἀνθερεών) est ruma seu partes tonsillis vicinæ. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. Adhibendæ cucurbitæ maxime anthereoni, hoc est thoraci vel gutturis circulo, quam rumam vocamus. *Id.* 2. *ibid.* 6. Ambitus faucium, quem anthereona vocant. *Id.* 3. *Acut.* 3. At si passio perseveraverit, secundo vel tertio scarificationem adhibemus, non solum guttari vel tonsillarum vicinitati, quam Græci anthereona vocant etc. Adde *ibid.* 4.

ANTHERĬCOS, i, m. 2. (ἀνθέρικος) caulis asphodeli. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 68. (109). et 22. *ibid.* 22. 32. (67). Anthericas porro Græci appellant cujuslibet plantæ, quæ spicas gerit, summitates. Hinc *Homer. Il.* υ. 227. ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.

ANTHĬAS, æ, m. 1. (ἀνθίας) genus piscis, cujus capturam ingeniosam describit *Plin.* 9. *Hist. nat.* 59. 85. (180). Adde *Ovid. Halieut.* 45.

ANTHĬNUM mel, ἄνθινον μέλι, mel verno tempore constructum ex primis floribus. Nam ἄνθινος *floreum* significat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 14. 14. (34). Mel vernum, ex floribus constructo favo, quod ideo vocatur anthinum.

ANTHŎLŎGĬCA, on, n. plur. 2. ἀνθολογικά, ab ἄνθος *flos*, et λόγος *sermo*. *Libri Anthologicon* sunt, qui variarum rerum veluti flores et exquisitiores sententias collectas ex variis scriptoribus continent. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 9. (13). De floribus supra dictis scripsit Theophrastus apud Græcos: ex nostris autem inscripsere aliqui libros Anthologicon: flores vero persecutus est nemo, quod equidem inveniam. *anthologicon* est Græcus genitivus pluralis ἀνθολογικῶν.

ANTHŎLŎGŪMĔNA, on, n. plur. 2. ἀνθολογούμενα, quasi dicas florilegia, hoc est collectiones variarum rerum selectarum, et veluti flores uno comprehensa libro: ab ἄνθος *flos*, et λέγω *dico*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 32. (77). Diodotus, qui anthologumena scripsit. *Harduin.* ita legendum censet ex quibusdam MSS., non, ut est in editis, *antilegomena*, quod significat contrarie dicta: atque *Harduini* lectionem tuentur *Sillig.* omnesque recentiores. *V.* et ODORIFER.

ANTHRĂCĬAS, æ, m. 1. ἀνθρακίας, gemma est apud *Solin.* 37. *extrem.* quibusdam veluti scintillantibus stellis coruscans, carbonis accensi instar: nam ἄνθραξ, ακος, Græce *carbonem* significat. ¶ 1. Hæc eadem a *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 27. (99). vocatur *Anthracitis*, itidis. Ἀνθρακῖτις. ¶ 2. Alia est *anthracites* in Thesprotia fossilis, igneo colore, et quæ in ignem conjecta velut intermortua extinguatur, contra aquâ perfusa exardescat. *Id. ibid.* 7. 73. (189).

ANTHRĂCĬNUS, a, um, adject. (ἀνθράκινος) idem ac ater: nam ἄνθραξ Græce *carbonem* significat. Hinc

Anthracina, orum, absolute sunt vestimenta atri coloris. *Varro* apud *Non.* p. 550. 5. *Merc.* Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum. Alium *Plauti* locum *V.* in ANATINUS.

ANTHRĂCĪTES, æ, m. 1. lapis ex genere hæmatitarum, ita dictus, quia accensorum carbonum colorem imitatur, ἀνθρακίτης: ab ἄνθραξ, ακος *carbo*. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 38. (148).

ANTHRĂCĪTIS. *V.* ANTHRACIAS 1. et 2.

ANTHRAX, ăcis, m. 3. ἄνθραξ, vox Græca *carbonem* significans. ¶ 1. Pro carbone usurpavit *Cassiod.* 7. *Hist. eccl.* 9. Jovianus imperator in prædicto prædio, hiemis tempore, in phraxis languore (*corrige* anthracium odore) constrictus est mortuus. Hanc vero lectionem confirmant *Hieronym. Ep.* 60. n. 15., *Eutrop.* 10. 18. et *Ammian.* 25. 10. 13. ¶ 2. A *Vitruv.* 7. 8. 1. dicitur *anthrax* rudis gleba minii, antequam tractationibus ad minium perveniat, quia carbonis accensi similis est, ferreum subrufum colorem habens, et rubro pulvere conspersa; ex qua, præter minium, argentum quoque vivum veteres eliciebant. ¶ 3. A Medicis *anthrax* dicitur abscessus quidam rubens pustulis aut nigris, aut sub rufum, aut pallidis, et acri inflammataque vi carnem perurens, Latine *carbunculus*. *Scribon. Compos.* 25. Et *Marcell. Empir.* 8. § 5. *sub init.* Ad carbunculos oculorum, quos anthracas Græci dicunt, facit bene per se mel Atticum purum pyxide cuprea conditum. Penultima in obliquis casibus brevis est, sed producitur ab *Æmil. Macr. de Herb. c. de sabina*, ubi ait: Sic juvat anthracas, bona quæ plebs ulcera dicit. Adde *c. de nasturtio*: nec tamen est imitandus.

ANTHRISCUM vel anthriscus, i, f. 2. (ἄνθρισκον) herba est inter silvestria olera annumeranda, scandici similis, nisi quod folia habet crassiora, et minus odorata. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 38. (81)., qui 21. *ibid.* 15. 52. (89). usurpat neutro genere. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 132.) hanc exhibet synonymiam: Ἐνθρίσκον? Teophr. Hist. plant. 7. 7., Ὀρεοσέλινον? Diosc. 3. 76. et *Anthriscus* Plin. l. c. sunt *Scandix odorata* L. Spec. plant. 368.

ANTHRŌPOGRĂPHOS, i, m. 2. ἀνθρωπογράφος: ita cognominatus est Dionysius quidam pictor apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (113)., quia nihil aliud, quam homines pinxit: ab ἄνθρωπος *homo*, et γράφω *pingo*.

ANTHRŌPŎLĂTRA, æ, m. 1. ἀνθρωπολάτρης, h. e. adorans hominem: ab ἄνθρωπος *homo*, et λατρεύω *colo*. Dicitur de Nestorianis hæreticis, qui Jesum Christum solum hominem esse volebant. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 5. *et* 6. *a med.*

ANTHRŌPŎMORPHĪTÆ, arum, m. 1. ἀνθρωπομορφῖται, dicti sunt hæretici quidam, Deum homini similem, humanaque forma præditum putantes: ab ἄνθρωπος *homo*, et μορφή *forma*. *Augustin. de Hæresib. ad Quod vult Deum.*

ANTHRŌPŎMORPHĪTĬCUS, a, um, adject. ad anthropomorphitas pertinens. *Isid.* 8. *Orig.* 5. Anthropomorphitica hæresis.

ANTHRŌPŎPHĂGUS, i, m. 2. ἀνθρωποφάγος, vox Græca, ab ἄνθρωπος *homo*, et φάγω *vescor*. *Anthropophagi* cognominati sunt quidam populi Scythiæ apud *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (88). *et* 6. *ibid.* 17. 20. (53). Item Æthiopiæ, apud *Eumd.* 6. *ibid.* 30. 35. (195)., quod olim humana carne vescerentur.

ANTHUS, i, m. 2. ἄνθος, avis quædam, quæ equi hinnitum imitari dicitur; quæque perpetuas cum ægitho inimicitias gerit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 57. (116). et *ibid.* 74. 95. (206). Videtur esse *Motacilla flava* L.

ANTHYLLION, ii, n. 2. (ἀνθύλλιον) herba lenti simillima, quæ in vino pota vesicam vitiis liberat, et sanguinem sistit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 51. (84). Eadem vocatur *Anthyllum* ab eod. 21. *ibid.* 29. 103. (175). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 399.) putat esse *Tecurium Iva* L.

ANTHYLLIS, idis, f. 3. (ἀνθυλλίς) herba est chamædrios similitudine, flore purpureo, gravi odore, radice intubi. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 15. 90. (160). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 399). putat esse *Cressam creticam* L.

ANTHŸPŎPHŎRA, æ, f. 1. ἀνθυποφορά, vox Græca, ab ἀντί *contra*, et ὑποφορά *objectio*, est figura sententiarum, prolepsi valde similis, vel potius prolepsis pars, qua adversarii rationem, qualem afferre eum posse putamus, proponimus, eamque ipsi solvimus: ut in illo *Virg.* 4. *Æn.* 603. Verum anceps pugnæ fuerat fortuna: fuisset. *Quintil.* 9. 2. et 3. Græce usurpat: at Latine *Seneca* 1. *Controv.* 7. *sub fin.* Deinde anthypophoram sumpsit, etc. Adde *Jul. Rufin.* 4. p. 271.

ANTI præpositio loquelaris, quæ scilicet occurrit tantum in compositione, modo pro *ante* (*V.* ANTE in principio et in fine), modo pro ἀντί *contra* in vocibus Græcis, ut *antibacchius*, *antichresis* etc.

ANTĪÆ, arum, f. plur. 1. capilli sunt muliebres demissi in frontem, ut *Paul. Diac.* p. 17. 3. *Müll.* definit: sed etiam de viris dicuntur. *Apul. Florid.* 1. n. 3. *de Apolline.* Crines ejus remulsis antiis, et promulsis capronis anteventuli et propenduli. Adde *Tertull. Pall.* 4. — Esse hoc nomen feminini generis, et carere singulari numero, docet *Charis.* 1. p. 20. *Putsch.* V. CAPRONÆ.

ANTĪBACCHĪUS, a, um, adject. (ἀντιβάκχειος) dicitur — *a*) Pes metricus idem, qui *bacchius a brevi*, qui nempe constat prima brevi et duabus longis, ut *poetæ*. *Terentian. de pedib.* p. 2414. *Putsch.* Antibacchius (*al.* antibacchus) autem tunc erit, Cum brevem primam locabis et duas longas dein. *Santenius* ad *Terentian.* p. 68. et seq. plura habet de hoc pede, quem consulesis. *V.* etiam BACCHIUS et PALIMBACCHIUS. — *b*) Versus antibacchius dicitur a *Diomed.* 3. p. 513. *Putsch.*, qui quatuor pedibus antibacchiis constat, qualis est hic: *Mariti beati paremus nepotes*. Adde *Servium* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 65.

ANTĪBACCHUS, i, m. 2. absolute, subaudi versus. Est idem quod versus antibacchius. *V.* voc. præced. *b. Auson.* 4. *Ep.* 93. Ut claudat choriambon antibacchus.

ANTĪBĂSIS, is, f. 3. Legitur apud *Vitruv.* 10. 11. 9. *Schneid.*, videturque esse eadem atque illa, quam *ibid.* 15 Græco vocabulo ἀντίβασιν appellat, estque membrum catapultæ aut scorpionis, quod quale sit, non est facile definire. Recentiores tamen philologi rectius putant antibasin esse posteriorem, eamque minorem columnam, majori oppositam, in basi balistarum. Vulgati libri habent *antebasis*.

ANTĪBŎRĒUS, a, um, adject. (ἀντιβόρειος). Antiboreum horologium apud *Vitruv.* 9. 8. 1. *Schneid.* esse videtur *Baldo* horologium solare in plano æquatoris descriptum et polum ipsum Borealem respiciens, ab ἀντί *contra*, et βόρειος *Borealis*. Sed quia tale horologium Australem æque, ac Borealem polum respiceret, hanc alii interpretationem rejiciunt; neque tamen in re perobscura, quid magis certi afferri possit, satis vident.

ANTĪCĀNIS. *V.* ANTECANIS.

ANTĪCĂTĒGŎRĬA, æ, f. 1. (ἀντικατηγορία) mutua accusatio: ab ἀντί *contra*, et κατηγορέω *accuso*: et est genus judicialis controversiæ, cum duo litigatores idem crimen invicem intentant, vel aliud unus, aliud alter, ut docet *Quintil.* 3. 10., qui 7. 2. addit, a quibusdam Latine dici *concertativam*. Ipse autem Græce usurpat, ut et *Capell.* 5. p. 152.; at Latine *Augustin.* 3. contra *Crescon.* 26. et 74. *in fin.*

ANTĪCHRĒSIS, is, f. 3. (ἀντίχρησις) mutuus usus, ab ἀντί *pro*, *vice*, et χράομαι *utor*. Sic enim is contractus dicitur, quo pignus ita datur, ut quoad debitor satisfaciat, creditor eo utatur, fruatur usuræ nomine. *Dig.* 20. 1. 11. § 1. et 20. 7. 33., et *Cod.* 4. 32. 14. et 17.

ANTĪCHRISTUS, i, m. 2. (Ἀντίχριστος) qui se Christo opponit, et contraria ejus sanctissimis dogmatis homines docet: vel qui se pro Christo venditat. *Tertull.*, *Lactan.*, *Prudent.*, *Augustin.* et alii Ecclesiæ Scriptores.

ANTICHTHŎNES, um, m. plur. 3. (ἀντίχθονες) iidem qui *Antipodes*: ab ἀντί *contra*, et χθών, χθονός *terra*, quia oppositam pedibus nostris terram incolunt, ut Hispani et Indi. Sed notandum ex *Isaaco Voss. ad Melam* 1. 1. 2. antichthones a veteribus accipi pro iis omnibus, qui oppositam terram Australem inhabitare credebantur, etiamsi in superiore nostro hemisphærio degerent. Ita semper ab Antæcis et Antipodibus distinguuntur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (81). Taprobanem alterum orbem terrarum esse diu existimatum est, antichthonum appellatione. *Mela loc. cit.* Terra zonis quinque distinguitur: mediam æstus infestat, frigus ultimas; reliquæ habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter: antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius situs ob ardorem intercedentis plagæ incognitus, hujus dicendus est, etc. Adde *eumd.* 1. 9. 4. *Probus* ad *Virg.* 1. *G.* 238. Et in hac zona si qui inhabitant, appellan-

tur a nobis antichthones, ὡς τὴν ἐναντίαν χθόνα οἰκοῦντες. Ceterum *Isaaci Vos.* sententiam confirmat *Vet. Scholiast.* ad *German. Arat. comment.* ed. *Mai.* Noster solstitialis æstivus (*circulus*) est excelsus atque arduus. Divisi autem sunt a nobis circulo æquinoctiali qui antichthones nominantur, et videntur humiles atque depressi qui antipodes infra sunt: quod ut esse videatur efficiunt flexus obliquitatesque terrarum, quas antichthones et antistochæ et antiscepæ inhabitare dicuntur. *Cf. Cic.* 6. *de republ.* 19.

ANTICIALIS, e, qui pertinet ad anticam partem. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 92.

ANTĬCĬPĀLĬS, e, adject. qui anticipat. *Simplic. p.* 77. *Goes.* Est enim anticipalis et quasi communio quædam litium, declarans aut loci, aut modi futuras controversias. Adde *p.* 82. et 86.

ANTĬCĬPĀTĬO, ōnis, f. 3. anticipandi actus.

I.) Proprie. *Arnob.* 3. 13. *anticipationes* ... dicit principia ambulationis, seu primos motus, quos animal ambulaturum facit.

II.) Translate est anticipata cognitio alicujus rei; et occurrit — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 16. 43. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest. *Et ibid.* 17. 44. Fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem deorum. Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat. — *b*) Speciatim est figura rhetorica, qua aliquid dicimus ante quam eveniat. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 359. *Portusque require Velinos.* Sane sciendum, Veliam tempore, quo Æneas ad Italiam venit, nondum fuisse. Ergo anticipatio est, quæ, ut supra diximus, si ex poetæ persona fiat, tolerabilis est; si autem per alium, vitiosissima est, ut nunc de Palinuro ait. — Item alia figura rhetorica, qua numerus profertur ante quam personæ significentur; quæ et occupatio dicitur et πρόληψις. *Jul. Rufinian. de schematis λέξεων* 1. p. 245.

ANTĬCĬPĀTOR, ōris, m. 3. qui anticipat. Habetur in quadam Oratione ad Deum, quæ est in *Ephemeride Ausonii*; ab aliis *Paulin. Nolano* tributa carm. 5. (*al.* 4.) 9. Ipse Dei Verbum, Verbum Deus, anticipator Mundi, quem facturus erat. *h. e.* qui ante noverat et capiebat mundum, quam faceret. *V.* ANTICIPATIO II. *a.*

ANTĬCĬPĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ANTĬCĬPO, as, āvi, ātum, are, 1. (ante *et* capio). Part. *Anticipans* I. 2.; *Anticipatus* in omnibus paragr. — Est idem ac præcipio, ante occupo, anteverto, et refertur semper ad tempus.

I.) Proprie. ¶ 1. Est præcipio, sive in re aliqua ante versor, aliquid ante ago; et active occurrit — *a*) De re quæ sensus afficit. *Cic.* 8. *Att.* 14. 2. Quid igitur proficis, qui anticipes ejus rei molestiam, quam triduo sciturus sis? *Ovid.* 3. *Met.* 234. per compendia montis Anticipata via est. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 442. *Sueton. Claud.* 21. Ludi sæculares anticipati, nec legitimo tempori reservati. *Id. Tib.* 61. Anticipare mortem. *Maximian. Gall.* 1. 275. Sed mihi venturos melius prævertere casus Atque infelices anticipare dies. Hinc *anticipata ætas* dicitur puerorum cum morte immatura tolluntur. *Inscript.* apud *Alessi Ricerche stor. crit. d'Este* p. 285. D. M. CRISPINILLAE FILIAE DEF. ANN. IIII. INNVPTAE INFELICI CRISPINVS ALVMNAE ET FORTVNATA MATER ANTICIPATAE AETATIS INFEL. POS. *Cod.* 4. 61. 2. Anticipare rem lite. Adde *Cod. Theod.* 9. 35. 4. — *b*) De intellectu, qui aliquid ante cognoscit: *V.* ANTICIPATIO II. *a. Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 76. Quod ita sit informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de deo cogitet, forma occurrat humana. *Arnob.* 6. 4. Anticipata cognitio. ¶ 2. Item est prævenire, anteire, et occurrit absolute. *Varro* apud *Non. p.* 70. 13. *Merc.* Anticipate atque addite calcar. *Lucret.* 5. 657. sol idem sub terras ille revertens Anticipat, cælum radiis accendere tentans. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122). Venti per singulas intercalationes uno die anticipantes.

II.) Translate est superare, vincere. *Auson.* 4. *Ep.* 60. Scillite decies non si purgeris aceto, Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen.

ANTĪCUS, a, um, adject. (ante) qui in anteriori parte, et ante nos positus est: sicut *posticus*, qui post nos est (It. *anteriore;* Fr. *antérieur;* Hisp. *anterior;* Germ. *was vorne befindlich ist;* Angl. *anterior*). *Cic. Tim.* 10. In anticam partem pelli. *Paul. Diac. p.* 220. 2. *Müll.* Quæ ante nos sunt, antica; et quæ post nos sunt, postica dicuntur. Et dextram anticam, sinistram posticam dicimus. Sic etiam ea cæli pars, quæ sole illustratur ad meridiem, antica utique nominatur, quæ ad septentrionem est, postica. Hæc *Paul. Diac.* qui sub littera *A* docet, *anticum* absolute positum fuisse a veteribus pro janua domus: intellige eam, quæ in fronte ædium est. *Varro* quoque 7. *L. L.* 7. *p.* 119. *Müll.* scribit partem meridianam templi, quod capit augur, *anticam* dici, septentrionalem *posticam*: quia auspicia capturi versa facie ad meridiem stabant. Hinc vetus Glossa: Antica, μεσημβρία. Adde *Serv.* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 15., 2. *Æn.* 453. et 6. *ibid.* 191. — In re agraria *antica* dicitur pars agri, quæ occidentem spectat; *postica*, quæ orientem, ut colligitur ex *Hygin. limit. p.* 150. et ex *fragm. Agrar. incert. auctor. de limitib. p.* 215. *Goes.*, et explicatur in ejusdem *Goesii* indice ad vocem *Postica*: ubi addit videri sibi falli *Festum* (*sc. Paul. Diac.*) qui posticam lineam in agris dividendis ab oriente ad occasum spectare dixit: non enim *lineam* posticam dici, sed regionem, seu partem agri divisi.

ANTĬCȲPRIOS, pes metricus. *V.* CYPRIOS.

ANTĬCȲRA, æ, f. 1. Est hoc nomine pæninsula (de qua *V.* ONOM), in qua helleborum abunde provenire dicitur, cujus succus epotus utilissimus sit ad purgandam insaniam melancholicam. Hinc amentes solent proverbio Anticyram mitti, et ipsa Anticyra a poetis pro medicina contra amentiam poni solet. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 53. I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos, Et quidquid tota nascitur Anticyra. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 165. ambitiosus et audax Naviget Anticyram. *Et v.* 82. Danda est hellebori multo pars maxima avaris: Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem. Et *plur. num. Pers.* 14. 16. Anticyras melior sorbere meracas. *Horat. A. P.* 300. tribus Anticyris caput insanabile. — Verius tamen videtur Anticyram amentibus commendari, non quia ea insula helleboro abundet, quod lætius alibi et præstantius nascitur; sed quod in ea tutissime bibitur, admixto sesamoide ibi nascente, et hellebori vim temperante, ne noceat. Ita enim colligitur ex *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 64. (133). et 25. *ibid.* 5. 21. (52). et ex *Gell.* 17. 15.

ANTĬCȲRĬCON, i, n. 2. (Ἀντικυρικόν) ad Anticyram pertinens. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 64. (133). Est etiam aliud sesamoides Anticyræ nascens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant. *Hesych.* Ἀντικυρικόν, ὁ ἐλλέβορος.

ANTĬDACTȲLUS pes est contrarius dactylo, hoc est qui constat duabus brevibus, et ultima longa, ut *fremerent, scopulos*. *Mar. Victorin.* 1. *Gramm.* p. 2488. *Putsch.*

ANTĬDEĀ, idem ac *antea*; sicut *postidea* idem est ac *postea*: antiquum utrumque verbum. Posterius usurpatur a *Plauto* non semel. *V.* suo loco. Prius vero legitur in veteri formula veris sacri vovendi apud *Liv.* 22. 10. Si antidea senatus populusque jusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus, liber esto. Ita *Lipsius* legendum censet *l.* 1. *antiq. lection. c.* 22. In editis est *si ante id ea senatus*; quam lectionem ex optimis Codd. restituit et defendit *Alschefski.* V. ANTEA.

ANTĬDEO, is, īvi *vel* ii, ītum, īre, 4. pro *anteeo*, *is*, non semel usurpatur a *Plauto*, inserto *d* ad hiatum vitandum: ut *Cas.* 2. 3. 9. Munditiis munditiam antideo. *h. e.* supero, vinco. *Et Cist.* 2. 1. 3. Omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi. *Et Pers.* 5. 2. 2. Omnibus antideo facile. *Et Trin.* 2. 4. 145. Campas genus multo Syrorum jam antidit patientia. *h. e.* Campas genus multo superat genus Syrorum patientia. *V.* ANTEEO.

ANTĬDEUS, i, m. 2. *V.* ANTITHEUS.

ANTĬDHAC, adverb. idem quod *antehac* (quam vocem *V.*), inserto *d* ad hiatum tollendum. *Plaut. Aul.* 2. 8. 26. Cui in re tali jam subvenisti antidhac. *Id. Cas. prol.* 89. Quod fecistis antidhac. *Id. Cist.* 1. 1. 1. Cum enim antidhac te amavi, tum etc. Adde *eumd. Amph.* 2. 7. 79., *Epid.* 4. 1. 12., *Bacch.* 3. 6. 10., *Pseud.* 1. 1. 14. et 2. 2. 26., et *Pœn.* 3. 5. 7. Fortasse *antidhac* legendum est etiam in loco *Varron.* apud *Non. p.* 187. 10. *Merc.*

ANTĬDŌRUM, i, n. 2. Græca vox ἀντίδωρον, ab ἀντί *pro, vice*, et δῶρον *donum*, Latine remuneratio: quo nomine *Ulpianus* usus est in *Dig. l.* 25. § 8. *de petit. hered.* Plane si antidora acceperunt, dicendum est eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt velut genus quoddam hoc esset permutationis.

ANTĬDŎTUM, i, n. *et* Antidotus, i, f. 2. (ἀντίδοτον τό et ἀντίδοτος ἡ) generatim est quidquid contra aliud agit; sed fere usurpatur pro medicamento contra venenum: ab ἀντί *contra*, et δοτός *datus* (It. *antidoto, contraveleno;* Fr. *antidote, contre-poison;* Hisp. *antidoto, contraveneno;* Germ. *das Gegenmittel, Gegengift;* Angl. *an antidote, counter-poison*).

I.) Proprie. *Cels.* 5. 23. Antidota raro, sed præcipue interdum necessaria sunt, quia gravissimis casibus opitulantur. *Gell.* 17. 16. Hujus regis antidotus celebratissima est, quæ Mithridatios vocatur. *Scribon. Compos.* 171. Antidotus, quam quotannis componebat. *Cajus Dig.* 18. 1. 35. § 2. Ut ex his antidoti conficiantur. *Quintil.* 7. 2. 25. Antidotum alicui dare. *Phædr.* 1. 14. 3. venditare. Adde *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 88. (152)., 23. *ibid.* 8. 77. (149)., et 25. *ibid.* 2. 3. (6)., et *Sueton. Cal.* 23. et *Ner.* 34. — Interdum generatim sumitur pro quovis medicamento, quod valetudinis causa sumitur, licet nullum veneni periculum præcesserit. *Spartian. Hadrian.* 23. Denique accepto largius antidoto, ingravescente valetudine per somnum periit.

II.) Translate est quidquid ad resistendum inservit vel usurpatur. *Sueton. Cal.* 29. Antidotum adversus Cæsarem.

ANTĬGERĬŌ, adverb. (fortasse ab *ante* et *gerere*, unde et *antegerio* scribitur). Significat idem ac tota cum turba; ac proinde valde, vehementer. *Quintil.* 1. 6. 40. et 8. 3. 25. hoc adverbium tamquam obsoletum damnat. Adde *Paul. Diac. p.* 8. 5. *Müll.*

ANTĬGRĀDUS, i, m. 2. Hæc vox occurrit in *Inscript.* apud *Henzen.* 6596. DELPHINIS BINIS PER VIAS THEATRI ADJVNCTIS . . . LAPIDIBVS EJVS PER ANTIGRADOS STRATIS. *Mommsen.* ad h. l. hæc ait: Estne per *locum* qui est ante gradus?

ANTĬGRĂPHUM, i, n. 2. exemplar descriptum vel depictum. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 155.

ANTĬGRĂPHUS, i, m. 2. (ἀντίγραφος). ¶ 1. Est nota critica, cujus hæc est figura ꝩ· *Isid.* 1. *Orig.* 20. Antigraphus cum puncto apponitur, ubi in translationibus diversus sensus habetur. ¶ 2. In *Gloss. Isid.* Antigraphus, cancellarius, *h. e.* qui Græce ἀντιγραφεύς, quique commissas alterius fidei res ipse quoque tractat: Franci *contrôleur* appellant. Hos dixeris ex *Ulp. Dig.* 26. 7. 3. § 2. observatores et custodes actus alieni.

ANTILEGOMENA. *V.* ANTHOLOGUMENA.

ANTĬLĒNA *vel* antelena, æ, f. 1. cingulum, quo equi pectus cingitur, ut in *Gloss. Isid.* habetur. *Gloss. Philox.* Antilena, ζώνη ἵππου, et Antelena, διαζωστήρ (sive rectius, ut *Martinius*, διαζωστήρ) ὁ ἐστιν ἵππων περὶ τὸ στῆθος. Contrarium est *Postilena*, quam vocem videsis suo loco.

ANTĬMETĂBŎLE, es, f. 1. (ἀντιμεταβολή) ex adverso mutatio; figura, qua verba contraria ratione repetuntur, ut: *Non, ut edam, vivo; sed, ut vivam, edo.* Est autem Græca vox ab ἀντί *contra*, et μεταβάλλω *commuto*: et Græce usurpatur a *Quintil.* 9. 3. Latine autem ab *Isid.* 2. *Orig.* 21. 11. A *Cic.* 4. *Herenn.* 28. dicitur *commutatio*.

ANTĬNŎMĬA, æ, f. 1. (ἀντινομία) legum contrarietas et pugna; ab ἀντί *contra*, et νόμος *lex*. *Quintil.* 7. 7. 1. Proximum est de legibus contrariis dicere, quia constat, in antinomia duos esse scripti et voluntatis status. *Id. ibid.* 10. 2. Scriptum et voluntas habet in verbis vocis quæstionem: quod idem in antinomia petitur. Adde *Cod.* 1. 17. 1. § 8.

ANTIOS pro *ancios* nonnulli leg. apud *Paul. Diac.* V. ANGO.

ANTĬPAGMENTUM. *V.* ANTEPAGMENTUM.

ANTĬPATHES, is, m. 3. (ἀντιπαθής) lapis est nigri coloris, nec translucens, qui fascinationibus resistere dicitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (145).

ANTĬPĂTHES, is, n. 3. subaudi *philtron*, quod contra dolores utile est. *Lælius* apud *Apul. de mag.* 30. Philtra omnia undique eruunt, Antipathes illud quæritur.

ANTĬPĂTHĬA, æ, f. 1. (ἀντιπάθεια) Græca vox, Latine discordia. ¶ 1. Est dissidium et discordia naturalis quarumdam rerum inter se, qualis est inter aquam et ignem, inter feles et mures etc. ab ἀντί *contra*, et πάθος *passio*, *affectus*. Huic opponitur συμπάθεια, Latine concordia. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (59). De discordia rerum concordiaque, quam antipathiam et sympathiam appellavere Græci etc. ¶ 2. Item est id, quo aliquid amovetur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 13. 28. Ubi acrior raphani medicina adnota sit, hyssopum dari protinus imperant: hæc antipathia est. *Id.* 24. *ibid.* 9. 41. (67). Antipathia myrices contra lienem. *Id.* 34. *ibid.* 15. 43. (150). Ferrum a rubigine vindicatur cerussa et gypso et liquida pice. Hæc est temperatura, a Græcis antipathia dicta.

ANTĬPHERNA, orum, n. plur. 2. (τὰ ἀντίφερνα) bona, quæ a marito loco dotis uxori donantur: ab ἀντί *contra*, et φερνή *dos*. *Imp. Justinian. Cod.* 5. 3. 20. Quasi antipherna hæc possunt intelligi, et non simplex donatio.

ANTĬPHŌNA, æ, f. 1. (ἀντιφώνη). *Isid.* 6. *Orig.* 19. Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus ordine commutato, sive de uno ad unum, quod genus psallendi Græci invenisse traduntur. De Antiphonarum origine et progressu V. *Ducange Glossar.* in V. *Antiphona*.

ANTĬPHRĂSIS, is, f. 3. (ἀντίφρασις) Græca vox ab ἀντί *contra* et φράζω *dico*, *loquor*. ¶ 1. Apud Grammaticos est dictio, quæ vi etymologiæ contrarium significat, ut si dicas, *Parcas* derivari a *parco*, quia minime parcunt; *lucum* dici, quia minime *luceat*; *bellum*, quia minime *bellum*; *Eumenides* ita appellari, quia sunt minime benevolæ, etc. Quæ tamen omnia inepta sunt. *Hieronym. Ep.* 62. *advers. Joann. Hierosolym.* 3. Ne per antiphrasim a suo nomine discrepare videantur. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 139. Et inde per antiphrasin Manes Inferi vocati, quia non sunt boni. Adde *Hygin.* 2. 110. ed. *Mai.* ¶ 2. Apud Rhetores est figura, Latine *omissio*, qua aliquid, dum silentio præterire affirmamus, proferimus. *Jul. Rufinian.* 12. *p.* 274. — Est etiam antiphrasis inter species ironiæ apud *Quintil.* 8. 6., qui tamen Græce usurpat.

ANTĬPŎDES, ŏdum, m. plur. 3. ἀντίποδες, ἀντίχθονες populi, qui habitant in parte terræ nobis opposita et subjecta: ab ἀντί *contra*, et πούς, ποδός *pes*, quia adversis vestigiis stare videntur contra nostra vestigia, ut ait *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Ex veteribus nonnulli putarunt *antipodes* esse figmentum, ut videre licet apud *Plutarch. in lib.* περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης. *Lactant.* 3. 23., *Augustin.* 16. *Civ. Dei* 9., *Lucret.* 1. *sub fin.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (161). Nunc tamen adeo certum est, esse antipodes, ut nullus sit ambigendi relictus locus.

I.) Proprie. *Cic. loc. cit.* Nonne dicitis esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis? Adde *Lactant.* et *Augustin. locc. citt. Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 235. Quarum (*zonarum*) unam nos habitamus, alteram antipodes: ad quos hinc torrente zona, hinc frigidis ire prohibemur. Antipodes autem dicuntur, quod contra nos positi sunt contrariis vestigiis. Et *ibid.* 243. Alii dicunt a nobis abscedentem solem ire ad antipodas, alii negant et volunt illic tenebras esse perpetuas. Adde *eumd.* ad 6. *Æn.* 127. et 532., 7. *ibid.* 226. et 8. 671.

II.) Translate. Festive *Seneca* sic appellat luxuriosos homines, qui nocte potant, interdiu dormiunt, tamquam si in adverso nobis orbe starent, ubi cum apud nos dies est, tenebræ sunt. Ejus verba sunt *Epist.* 122. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. Cato ait, nec orientem unquam solem viderunt, nec occidentem.

ANTĬPŎDUS, a, um, adject. qui stat contrariis vestigiis. *Capell.* 6. *p.* 197. Verum duæ illæ regiones antipodas proprios non habent, sed ipsæ sibi invicem contraria fiunt habitatione antipodæ.

ANTIPTŌSIS, is, f. 3. (ἀντίπτωσις) figura est Grammaticorum, qua casus pro casu ponitur: ut in illo *Virg.* 10. *Æn.* 653. *conjuncta crepidine*, pro *crepidini*. Et 11. *ibid.* 56. *nec sospite dirum Optabis nato funus pater*, pro *sospiti* etc. Vox Græca est ab ἀντί *contra*, et πίπτω *cado*; quam tamen Latinis literis scribit *Servius* ad loca *Virg.* citata, et alia.

ANTĬQUĀRĬA, æ, f. 1. *antiquaria*, mulier rerum antiquarum studiosa, et præcipue quæ delectatur antiquis scriptoribus et antiqua loquendi ratione. *Juvenal.* 6. 451. odi Hanc ego, quæ repetit volvitque Palæmonis artem, Servata semper lege et ratione loquendi; Ignotosque mihi tenet antiquaria versus. — *NB.* De Antiquaria urbe *V.* ONOM.

ANTĬQUĀRĬUS, a, um, adject. *Antiquaria ars* est, qua scite et docte antiqui codices leguntur, recensentur et describuntur: quod qui faciunt, *antiquarii* nominantur: *V.* voc. seq. 2. *Hieronym. Ep.* 5. *ad Florent.* 1. Habeo alumnos, qui antiquariæ arti serviant.

ANTĬQUĀRĬUS, ii, m. 2. ¶ 1. Speciatim. Qui est antiquitatis studiosus maxime in verbis et sermone, et antiquos scriptores aliis antefert. *Tac. Dial. de Orat.* 21. Nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Cælium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Adde *eumd.* 42. et *Sueton. Aug.* 86. ¶ 2. Item librarius, qui codices vetustos describit. *Edict. Diocl. p.* 22. Librario, sive antiquario in singulis discipulis menstruos x quinquaginta. *Isid.* 6. *Orig.* 14. Librarii iidem et antiquarii vocantur: sed librarii sunt, qui et nova et vetera scribunt, antiquarii, qui tantummodo vetera, unde et nomen sumpserunt. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 4. 8. 2. Antiquarios ad bibliothecæ codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos, et tres Latinos scribendi peritos legi jubemus. *Imp. Leo Cod.* 12. 19. 10. Antiquarios, qui habentur in scriniis memoriæ, etc. *Auson. Ep.* 16. *ad Prob.* Oblata per antiquarios mora. Adde *Augustin. serm.* 44. 3., ubi *antiquarium* generatim sumit pro exscriptore, seu amanuensi, scribendi perito. Quo pacto etiam *Sidon.* usurpat 9. *Ep.* 16.

ANTĬQUĀTĬO, ōnis, f. 3. actus antiquandi. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod.* 6. 55. 4. Infamiæ abolitionem permittimus, et ceterarum pœnarum antiquationem. *V.* ANTIQUO.

ANTĬQUĀTUS, a, um. *V.* ANTIQUO.

ANTĬQUĒ, adverb. (antiquus). Comp. *Antiquius* 2.; Sup. *Antiquissime* 3. Speciatim occurrit ¶ 1. Antiquorum more vel ratione. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 66. nimis antique dicere. Cf. *Quintil.* 8. 3. 44. ¶ 2. Incorruptis ac simplicissimis antiquorum moribus. *Lucilius* apud *Non. p.* 426. 3. *Merc.* Quin potius vitam degat sedatus quietam, quanto antiquius, quam facere hoc, fecisse videris. *h. e.* quanto melius et rectius. Alii tamen aliter leg. *Tac. Germ.* 5. Proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habent: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. *h. e.* magis secundum antiquos atque incorruptos hominum mores; atque adeo justius, sanctius. ¶ 3. Pro olim, antiquitus. *Solin.* 11. *ante med.* Titanas in ea antiquissime regnasse, ostendunt ritus religionum.

ANTĬQUĬTAS, ātis, f. 3. (antiquus) abstracta qualitas, qua res, quæ ante nos fuerunt, significamus; cui opponitur *novitas* apud *Quintil.* 8. 3. 44. (It. *antichità*; Fr. *antiquité*; Hisp. *antiguedad*; Germ. *das hohe Alter*; Angl. *antiquity*, *ancientness*).

I.) Proprie occurrit tamquam nomen *A*) abstractum, et *B*) tamquam concretum.

A) Abstracte est, ut diximus, qualitas, qua res pollent quæ ante nos fuerunt: et usurpatur ¶ 1. Generatim. *Cic. Font.* 14. 31. Antiquitas generis. Adde *eumd.* apud *Non. p.* 437. 31. *Merc.* et *Nep. Milt.* 1. ¶ 2. Speciatim, quia antiqui incorruptis ac simplicissimis moribus fuisse creduntur, antiquitas sumitur pro antiquis moribus, vitæ bonitate ac simplicitate, necnon interdum pro benevolentia, caritate, amore: ut aperte patet ex *Plin.* 5. *Ep.* 15. Cornuto autem quid melius? quid sanctius? quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? *Cic. Sext.* 3. 6. Duobus his gravissimæ antiquitatis viris sic probatus fuit, ut etc. *Id. Rabir. Post.* 10. 27. P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ. *Sanctitatis* quidam legunt, sed minus recte. *Id. Planc.* 18. 45. Hæc enim plena sunt officii, plena observantiæ, plena etiam antiquitatis. *Forcellinus* h. l. speciali paragr. distinxerat et acceperat pro consuetudine antiqua. *Sail.* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 209. Tantum antiquitatis curæque majoribus pro Italica gente fuit. *h. e.* caritatis. *Est tamen qui mallet* anxietatis. *Tac.* 3. *Ann.* 4. Cum — (*Agrippinam*) unicum antiquitatis specimen appellarent.

B) Ut nomen concretum antiquitas ¶ 1. Ponitur pro antiquo tempore, vetustate. *Cic. Orat.* 50. 169. Habet autem ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas. *Id.* 1. *Fin.* 20. 65. Fictæ veterum fabulæ ab ultima antiquitate repetitæ. *Id.* 4. *Herenn.* 2. 4. Omnia concedere antiquitati. *Sueton. Ner.* 38. Quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. ¶ 2. Item antiquitas ponitur pro rebus, quæ antiquo tempore gestæ sunt, adeoque pro historia rerum antiquarum: unde *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 79. *Prisca fides facto, sed fama perennis*; omnis antiquitas difficile pura et incorrupta manat in posteros. Hoc enim dicit: Factum hoc licet priscum sit, i. e. antiquum, tamen fama ejus non est obliterata temporis vetustate. *Cic.* 1. *Orat.* 43. 193. Plurima est et in omni jure civili et in pontificum libris et in XII. Tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum vetustas prisca cognoscitur et actionum genera quædam majorum consuetudinem vitamque declarant. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 5. 18. et *Plin.* 1. *Ep.* 22. et 3. *ibid.* 1. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 256. Antiquitatis liter et exemplorum copia. *Id. Brut.* 59. 214. Memoriam antiquitatis colligere. *Nep. Att.* 20. Requirere aliquid ab aliquo de antiquitate. *Id. ibid.* 18. Moris majorum summus imitator antiquitatisque amator. *Quintil.* 2. 5. 21. Nimius antiquitatis admirator. *Id.* 10. 1. 95. Peritissimus omnis antiquitatis. *Id.* 11. 2. 40. Antiquitatis imitatio. *Gell.* 5. 12. Virgilius multæ antiquitatis homo sine ostentationis odio peritus. *Tac.* 4. *Ann.* 16. Quædam ex horrida illa antiquitate ad præsentem usum flectere. *Id.* 2. *ibid.* 59. Ægyptum proficisci cognoscendæ antiquitatis causa. *Id.* 14. *ibid.* 20. Antiquitas spectaculorum. *h. e.* antiquæ spectaculorum consuetudines et normæ. *Id.* 3. *ibid.* 60. Imaginem antiquitatis senatui præbere. — Hinc multi scriptores libros suos, in quibus antiquas res persequebantur, *Antiquitates* inscribere soliti fuerunt, ut *Plin.* 1. *Hist. nat. præfat.* § 24. docet. *Atejus Capito* apud *Gell.* 13. 12. In antiquitatibus Romanis legisset. *Gell.* 5. 13. Hujus moris multa sunt testimonia in antiquitatibus perscripta. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (87). Rerum humanarum antiquitatum libri. Adde *Gell.* 11. 1.

II.) Translate, seu per metonymiam antiquitas ponitur pro ipsis hominibus antiquis. *Cic.* 2. *Legg.* 11. 27. Antiquitas proxime accedit ad deos. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 26. Auctoribus quidem ad istam sententiam — uti optimis possumus — et primum quidem omni antiquitate, quæ etc. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 33. 70. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (85). Fabulose narravit antiquitas. *Id.* 19. *ibid.* 4. 19. (49). Antiquitas nihil prius mirata est, quam etc. Adde *Curt.* 7. 3. 22.

ANTĬQUĬTUS, adverb. (antiquus) proprie, ratione habita terminationis, est ab antiquitate, jam inde ab antiquis temporibus (It. *ab antico*, *fino dai tempi antichi*; Fr. *de toute antiquité*; Hisp. *antiguamente*; Germ. *von Alters her*, *von alter Zeit her*; Angl. *from remotest antiquity*).

I.) Proprie seu stricto sensu. *Cæs.* 6. *B. G.* 4. Adeunt per Æduos, quorum antiquitus erat in fide civitas. *Id.* 7. *ibid.* 32. Cum singuli magistratus antiquitus creari, atque regiam potestatem annuum obtinere consuessent. *Liv.* 9. 29., 8. 34. et 27. 9., et *Plin. Paneg.* 82. Jam inde antiquitus. *Quintil.* 1. 10. 30. Durat aliquid antiquitus usque ad nostra tempora. *Id. ibid.* § 12. Accepta antiquitus opinio. *Id.* 9. 2. 6. Traditur antiquitus. *Plin. Paneg.* 31. Percrebuerat antiquitus, urbem nostram, nisi opibus Ægypti, ali non posse.

II.) Improprie seu latiori sensu est olim, antiquo tempore. *Cæs.* 2. *B. G.* 4. Belgas ortos esse a Germanis Rhenumque antiquitus traductos. *Nep. Att.* 13. Tectum antiquitus constitutum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (168). Credo antiquitus factitatum. Adde *Quintil.* 1. 10. 18., et *Sueton. Cæs.* 42. et *Aug.* 60. — Dicitur interdum de non multum antiquo tempore. *Cæs.* 2. *B. C.* 22. Panico vetere atque hordeo corrupto alebantur, quod ad hujusmodi casus antiquitus paratum, in publicum contulerunt.

ANTĬQUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (antiquus). Part. *Antiquatus*, et *Antiquandus*. Proprie significat *in morem pristinum reducere*, ut *Paul. Diac.* p. 26. 12. *Müll.* exponit. Itaque *antiquare rogationem* aut *legem* est eam omnino tollere, et rem, de qua ferebatur, in pristino et antiquo statu, nihil innovando, relinquere. *Cic.* 3. *Legg.* 17. 38. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. *Id.* 2. *Off.* 21. 73. Cum legem agrariam ferret, quam tamen an-

tiquari facile passus est. *Liv.* 5. 55. Antiquata lex. Adde *eumd.* 4. 58. *Cic.* 1. *Att.* 13. 3. et 14. 5. Antiquare rogationem. *Liv.* 6. 41. Antiquanda rogatio. Adde *eumd.* 6. 39., 31. 6. et 43. 13. *Id.* 22. 30. Antiquare plebiscitum. *Impp. Dioclet.* et *Maxim. Cod.* 8. 10. *l.* 5. Antiquatum edictum.

Homonym. *V.* ABROGO in fin.

ANTĪQUUS, a, um, adject. ab *ante*, idem omnino quod adjectivus localis *anticus* teste *Vel. Long. de orthogr. p.* 2223. *Putsch.*; immo et olim scribebatur *anticus* pro *antiquus*, ut ex optimis Codd. confirmavit *Wagner Orthogr. Virg. p.* 450. — Com. *Antiquior* et Sup. *Antiquissimus* II. *A.* 1. — Proprie antiquum esset id quod, ratione habita loci, est ante aliud: sed occurrit tantum translate I.) de dignitate vel pretio, II.) de tempore.

I.) Antiquum est id quod sua dignitate ac pretio ceteris præferendum est, et absolute usurpatur in Comp. et Sup. *Antiquior* itaque est potior, carior, melior, et qui magis curæ est et æstimatur (unde *Non. p.* 425. *Merc.* Antiquior melior) et *antiquissimus* est carissimus, potissimus, ceteris omnibus præferendus. — *a*) Comp. *Accius* apud *Non. p.* 427. 6. *Merc.* Ab draconis stirpe armata exortus, genere antiquior. Cf. *Lucilius* in voc. ANTIQUE 2. *Cic. Amic.* 8. 26. Jam esset hoc quidem proprium amicitiæ, sed antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa? *Id.* 2. *Divinat.* 37. 78. Antiquior ei fuit laus et gloria, quam regnum. *Id.* 7. *Verr.* 14. 36. Antiquior in senatu sententiæ dicendæ locus. Cf. *Gell.* 5. 13. Massurius Sabinus antiquiorem locum hospiti tribuit, quam clienti. *Cic.* 3. *Herenn.* 3. 5. Antiquiorem mortem turpitudine habere. Adde *eumd.* apud *Non. p.* 426. 9. *Merc.* et 12. *Att.* 19. 4.; *Varron.* apud *Non. p.* 425. 33.; *Liv.* 6. 40. et 7. 31.; *Vellej.* 2. 52.; et *Quintil.* 4. 2. 26. — Sæpius occurrunt formulæ *nihil est mihi antiquius, nihil antiquius habere, existimare, judicare, ducere, rem* etc. *Cic.* 2. *Att.* 22. 2. Nihil est mihi antiquius. *Id.* 7. *ibid.* 3. 2. Ne dubitaris, quin, quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. Adde *Liv.* 3. 10. *Cic.* 11. *Fam.* 5. Nec habui quidquam antiquius, quam ut Pansam statim convenirem. *Id.* 13. *Phil.* 3. 6. Præcipit, ne quid vita existimem antiquius. Adde *eumd.* 1. *Invent.* 38. 69. et 10. 35., et *Liv.* 9. 31. *Sueton. Claud.* 11. Nihil antiquius duxit, quam ut etc. — *b*) Superl. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 3. Judiciorum causam suscepit, antiquissimamque se habiturum dixit. *Id.* 10. *Att.* 8. Navalis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. *Id.* 12. *ibid.* 5. 4. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video: idque ita ut sit, te vehementer rogo. Adde *eumd. ibid.* 8. 4. et 22. 3. *Liv.* 1. 32. Longe antiquissimum ratus sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 1. 1., 2. *ibid.* 9. 9. et alibi sæpe.

II.) Antiquum est id quod ratione habita temporis alia antecedit, ante alia extitit vel fuit, sive ad præterita tempora pertinet: atque hac significatione usurpatur *A*) modo relative, *B*) modo absolute.

A) Relative antiquum est id, quod ratione habita nostrorum temporum prius extitit vel fuit: hinc ¶ 1. Proprie. Est id quod ante nostra tempora extitit, præteritum, transactum; proindeque *Ennius* apud *Non. p.* 506. 1. *Merc.* More antiquo audibo, neque aures tibi contra utendas dabo. *Plaut. Amph.* 1. 2. 12. Denique Alcumenam Jupiter rediget antiquam in concordiam conjugis. *Ter. Heaut.* 3. 1. 25. Propter peccatum hoc timet, ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit. *Id. Hec.* 5. 4. 20. Tu ecastor, morem antiquum atque ingenium obtines, Ut unus hominum te vivat nusquam quisquam blandior. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. § 8. In qua (*epistola*) primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset adscripta litteris, quam in Cæsaris. *Id. Rabir. perd.* 9. 25. Causam suscepisti antiquiorem memoriâ tuâ. *Id.* 9. *Att.* 9. 1. Tres epistolas tuas accepi. Igitur antiquissimæ cuique respondeo. *Plin.* 3. *Ep.* 4. Est enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posteriora cumules. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 28. Antiquissima scripta. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 2. Longior antiquis visa Mæotis hiems. *Id.* 1. *Pont.* 5. 37. Saucius ejurat pugnam gladiator: et idem Immemor antiqui vulneris arma capit. *Val. Flacc.* 2. 394. planctusque per omnes It facies antiqua domos. *Lucan.* 6. 721. invisaque claustra timentem Carceris antiqui. Adde *Liv.* 3. 58. et 68., *Vitruv.* 8. 3. 4. *Schneid.*, *Virg.* 4. *Æn.* 437., *Horat.* 2. *Sat.* 3. 169., et *Ovid.* 1. *Met.* 422. — Huc pertinet et illud *Liv.* 33. 40. *in fin.* Facere in antiquum. *h. e.* in pristinum statum restituere. Et illud *Colum.* 2. *R. R.* 2. Est antiquius facere agrum, quam colere. *h. e.* ager prius faciendus est, quam colendus. ¶ 2. Translate, quia quæ antiqua sunt, meliora esse creduntur, et antiqui homines melioribus, simplicioribus sanctioribusque moribus fuisse videntur, factum est, ut *antiquus* in bonam partem sumatur, et sit idem ac bonus, ingenuus, simplex, integer. Hoc sensu occurrit — *a*) De abstractis ac præcipue de moribus. *Ennius* apud *Augustin. D.* 2. 21. Moribus antiquis res stat Romana virisque. *Plaut. Capt.* 1. 1. 37. Ille demum adolescens est antiquis moribus. *Ter. Adelph.* 3. 4. 77. Ne illiusmodi jam nobis magna civium penuriast, homo antiqua virtute ac fide. *Cic. Quinct.* 18. 59. Antiquam officii rationem dilexit, cujus splendor omnis his moribus obsolevit. *Id. Rosc. Am.* 10. 37. In qua muliere etiam nunc vestigia antiqui officii remanent. Adde *eumd. Quinct.* 23. 72. et *Virg.* 2. *G.* 174. *Plin.* 10. *Ep.* 9. Victoriæ tuæ — maximæ, pulcherrimæ, antiquissimæ — gratulor. *h. e.* memorandæ et simili antiquarum, quotquot celeberrimæ sunt. *Id.* 2. *ibid.* 11. Hoc ipsum pulcrum et antiquum, senatum nocte dimitti etc. *h. e.* conforme antiquæ laudabili consuetudini. Eodem modo locutus est *Paneg.* 76. *Inscript.* apud *Orell.* 4629. D. M. (*h. e.* Diis Manibus) OCTAVIAE CRESCENTIAE QVAE ANTIQVA VITA VIXIT. — *b*) Interdum et de personis. *Cic. Rosc. Am.* 9. 20. Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent, cum ille confirmaret et repromitteret, crediderunt. *Id.* 9. *Att.* 15. Vide, quam sim antiquorum hominum: te hanc rem gravius putavi laturum esse, quam me. *Plin.* 2. *Ep.* 9. Vir sanctus, antiquus, disertus. Adde *Vellej.* 2. 49. 4. et *Senec.* 3. *Benef.* 16. 3.

B) Absolute *antiquum* est multorum annorum, quod multis abhinc annis existit, quod a majoribus accepimus; et quoniam ex antiquitate fere nobilitas et dignitas rebus accedit, antiquus nonnumquam est idem ac nobilis. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Non. p.* 470. 5. *Merc.* Asia atque Athenas, antiquum opulentum oppidum, contempla. *Accius* apud *Non. p.* 192. 6. *Merc.* Apud abundantem antiquam amnem et rapidas undas Inachi. *Virg.* 1. *Æn.* 535. et 3. *ibid.* 164. Terra antiqua potens armis atque ubere glebæ. *Id.* 12. *ibid.* 540. Priverno antiquâ Metabus cum excederet urbe. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 104. Antiqua templa deûm. *Cic. Orat.* 50. 169. Quod si antiquissima illa pictura paucorum colorum magis, quam hæc jam perfecta delectet etc. *Id. Tim.* 10. Tum vero terram — antiquissimam deorum omnium voluit esse eorum, qui intra cælum gignerentur. *Propert.* 2. 30. 28. Et canere antiqui dulcia furta Jovis. *Curt.* 8. 8. 3. Antiquissimi Macedoniæ reges. *Cic.* 3. *Verr.* 5. 14. Deus — affabre atque antiquo artificio factus. *Id.* 6. *ibid.* 33. 72. Simulacrum summâ atque antiquissimâ præditum religione. *Nep. Datam.* 2. Antiquo genere natus. *Virg.* 1. *Æn.* 626. Antiqua Teucrorum stirps. *Pacuvius* apud *Cic. Orat.* 46. 155. Cives, antiqui amici majorum meûm. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 27. et *Ter. Phorm.* 1. 2. 17. Hospes antiquus. *h. e.* qui multo ante tempore hospes fuerat. *Cic.* 4. *Verr.* 6. 14. Antiquissimi fidelissimique socii. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 93. Antiquus amicus. *Tibull.* 1. 1. 39. Antiquus agrestis. — *b*) Hinc speciatim ponitur de personis, juxta *Forcellinum* pro sene; juxta recentiores vero philologos pro eo, qui multo ante tempore in eadem vitæ ratione versatus fuerit. *Ennius* apud *Non. p.* 39. 2. *Merc.* Antiqua herilis fida custos corporis. Cf. *Eurip. Med.* 1. παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς. *Virg.* 9. *Æn.* 646. formam tum vertitur oris Antiquum in Buten. ubi τὸ *antiquum* paullo post hisce verbis declaratur: Hic Dardanio Anchisæ — Armiger ante fuit fidusque ad limina custos, Tum comitem Ascanio pater addidit. *Ulp. Dig.* 50. 3. 1. Duumvirales antiquissimus quisque prior. *h. e.* qui ex duobus duumviratum alio prior obtinuerat.

Antiqui, orum, m. 2. plur. absolute, sunt homines antiqui temporis et qui supra patrum nostrorum tempora fuerunt. *Cic. Amic.* 4. 13. Plus apud me antiquorum auctoritas valet vel nostrorum majorum. Adde *eumd. Brut.* 30. 116. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 89. Rancidum aprum antiqui laudabant. *Id.* 1. *ibid.* 4. 117. Traditum ab antiquis morem servare. Adde *Vitruv.* 8. 3. 15. *Schneid.*, et *Quintil.* 2. 1. 9. et 5. 3. 26. Apud *Cic.* 1. *Legg.* 21. 55. antiqui sunt præteritorum temporum philosophi.

Antiquum, i, n. 2. absolute est antiquus mos, inveterata vivendi ratio. *Plaut. Most.* 3. 2. 102. Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis. *Ter. Andr.* 4. 5. 22. Optime hospes, pol, Crito, antiquum obtines.

Antiquum adverbii more pro olim. *Ovid.* 1. *Fast.* 641. Furius antiquum populi superator Etrusci Voverat, et voti solverat ante fidem. *Sunt tamen qui aliter leg. et quidem rectius.*

Homonym. *Antiquus* eo sensu, quo II. supr. accipiendus est, differt

1.) A *vetere*. *Antiquum* enim est id quod ratione habita temporis extitit vel fuit interdum multo, sæpius paullo ante nos; *vetus* est id quod plurimos ante annos extitit vel fuit, quod longo ante tempore duravit: hinc, ut *Manut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 21. observat, *antiquo* opponitur *novus*, *veteri* autem *recens*; atque, ut docet *Corn. Fronto Differ. vocab. p.* 2192. *Putsch.*, *antiquus* dicitur qui supra nostra tempora est; *vetus* qui jam habet ætatem, sed qui tamen et in nostra tempora incidere potest, quo modo dicimus *vetus vinum*, *calceus* etc. Itaque *antiquum* et *vetus* sæpe junguntur, et significant rem, qua de agitur, non modo ad præterita tempora pertinere, verum etiam et hic aliquando fuisse et actam præterea vel usurpatam fuisse. *Plaut. Amph. prol.* 118. Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam. *Id. Pers.* 1. 2. 1. Veterem atque antiquum quæstum meum alimoniæ servo atque obtineo. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 156. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves? *Id. Most.* 2. 2. 45. Scelus jamdiu antiquum et vetus etc. Cf. *eumd. Pæn.* 5. 2. 18. et *Trin.* 2. 2. 100. *Plin.* 3. *Ep.* 6. Æs vetus et antiquum. *Tac. Dial. de orat.* 15. Vetera tantum et antiqua mirari. *Juvenal.* 15. 53. simultas vetus et antiqua. *Cic.* 3. *Verr.* 21. 56. Vereor, ne hæc forte cuipiam nimis antiqua et jam obsoleta videantur. *in quibus* nimis antiqua *ad tempus*, jam obsoleta *ad usum referuntur.* — Et de personis occurrunt. *Cic.* 5. *Phil.* 17. 47. Majores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant. *in quibus* veteres *ad actionem*, antiqui *ad tempus tantummodo referuntur.* Cf. *id. Cic. Brut.* 10. 41. Themistocles insecutus est, ut apud nos perantiquus, ut apud Athenienses, non ita sane vetus. *in quibus* perantiquus *tempus tantum significabat ratione habita Romanorum*, vetus *vero et artem oratoriam significabat ratione habita Atheniensium.* Similiter *Quintil.* 12. 10. 32. Plerique non antiquissimorum quidem, sed tamen veterum.

2.) Eodem fere modo differunt *antiquus* et *vetustus*: *antiquum* enim unum temporum ordinem ac seriem significat, *vetustum* vero quod longo tempore duravit. *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Multa tenens, antiqua, sepulta, vetusta. *Liv.* 43. 13. Vetustas res scribenti — antiquus fit animus. *h. e.* animus fit conformis antiquorum temporum moribus.

3.) *Antiquus* differt et a *prisco*: *prisca* enim res dicitur quæ antea fuit et nunc non est vel obsoleta est; per *antiquum* autem, si additur, superiora tempora rectius definiuntur. *Vellej.* 2. 89. Prisca illa et antiqua forma reipubl. renovata. Adde *eumd.* 2. 125. — Ceterum *V.* et VETUS, VETUSTUS, PRISCUS, NOVUS et RECENS.

ANTIRRHĪNON, i, n. 2. (ἀντίῤῥινον) idem quod anarrhinon apud *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 80. (129). *V.* ANARRHINON.

ANTĪSAGŌGE, es, f. 1. ἀντεισαγωγή, hoc est contraria inductio: ab ἀντὶ *contra*, et εἰσάγω *induco, infero*. Est hoc nomine rhetorica figura, cum ex una re aliud, quam expectari posse videatur, inferimus, ut Cicero de rege Ptolemæo: difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis. Hæc *Capell.* 5. p. 172.

ANTISCEPTÆ, arum, m. plur. 1. iidem qui antipodes vel antichthones; ab ἀντὶ *contra* et σκέπτομαι *incumbo*; h. e. contra positi. *V.* ANTICHTHONES *in fin.*

ANTĪSCIA, ōrum, n. plur. 2. sunt loca, quæ a quatuor punctis cardinalibus æqualiter distant. *Firmic.* 4. *Mathes. præfat.* Antiscia illa vera sunt, quæ Ptolemæus posterior vera definitionis inquisitione monstravit.

ANTISCII, ōrum, m. plur. 2. ἀντίσκιοι, populi circa circulum æquinoctialem habitantes, qui aliquo anni tempore umbras solis meridianas nostris contra-

rias habent: ab ἀντὶ *contra*, et σκιὰ *umbra*. *Ammian.* 22. 15. *extr.* Sicut apud Meroen Æthiopiæ partem, æquinoctiali circulo proximam dicitur evenire, ubi per nonaginta dies umbræ nostris in contrarium cadunt: unde antiscios ejus incolas vocant. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 74. 76. (185) eadem loquendi forma utitur, sed vocem *antiscii* non usurpat.

ANTISCŎRODON, n. ἀντισκόροδον, ita appellatur a Græcis genus quoddam allii, quod Latine *ulpicum* dicitur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (112). A *Colum.* 11. *R. R.* 3. dicitur ἀφροσκόροδον, et allium Punicum. *V.* ALLIUM.

ANTĪSIGMA, ătis, n. 3. ab ἀντὶ *contra*, et σίγμα. ¶ 1. Est nota, quam Claudius Cæsar in scribendo adhiberi volebat pro *ps*, hac figura ɔc, ita dicta quia constat duobus ss (qui olim ad figuram c accedebant apud Græcos) contra invicem positis: quem tamen imitatus est nemo. *Priscian.* 1. *p.* 558. *Putsch.* ¶ 2. Est etiam inter notas criticas, conversum nempe sigma, sic Ͻ. *Isid.* 1. *Orig.* 20. Antisigma ponitur ad eos versus, quorum ordo permutandus est, sicut et in antiquis auctoribus positum invenitur. *Id. ibid.* Ͽ antisigma cum puncto ponitur in iis locis, ubi in eodem sensu duplices versus sunt, et dubitatur, qui potius eligendus sit.

ANTĪSOPHISTA *vel* antisophistes, æ, m. 1. (ἀντισοφιστής). Antisophistæ dicuntur, qui contraria invicem asserunt, et se mutuo oppugnant: ab ἀντὶ *contra*, et σοφιστής *sophista*. *Sueton. Tib.* 11. Moto inter antisophistas graviore jurgio. *Id. Grammat.* 9. Fuit naturæ acerbæ in antisophistas. Adde *Quintil.* 11. 3. 126.

ANTISPASTĬCUS, a, um, adject. (ἀντισπαστικός) *Antispasticum metrum* est, quod constat pedibus antispastis præcipue; nam et alios pedes admittit. Plura autem sunt hujus metri genera, quæ vide apud *Diomed.* 3. *p.* 505. *Putsch.*, et alios Grammaticos. *V.* voc. seq.

ANTISPASTUS, i, m. 2. unus est ex pedibus metricis duplicibus, constans ex iambo et trochæo, hoc est brevi, duabus longis et brevi, ut *Medullina*, *Salonīnus*. Ita *Diomed.* 3. *p.* 478. *Putsch.* Inde dictus videtur, quia quodammodo in diversum, seu contrarium trahit tempora syllabarum, cum ejus prima et ultima breves sint, mediæ duæ longæ: ab ἀντὶ *contra*, et σπάω *traho*.

ANTISPŎDOS, i, m. 2. (ἀντίσποδος) cinis, qui vicem legitimi spodii, eo deficiente, supplet, et quo verum spodium adulterari solet, ab ἀντὶ *pro*, *vice*, et *spodos*, quam voc. V. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 35. (133).

ANTISTĂSIS, is, f. 3. (ἀντίστασις) est hoc nomine figura apud Grammaticos, qua unum idemque vocabulum alia significatione alio in membro repetitur. *Jul. Rufinian.* 22. *p.* 251. Componitur vox ab ἀντὶ *contra* et ἵστημι *sto*.

ANTISTĀTUS, us, m. 4. excellentia: ab *antisto* vel *antesto*. *Tertull. adv. Valentinian.* 13. Angelorum comparationis antistatus.

ANTISTES, istitis, m. et f. 3. (antisto *vel* antesto) qui ante alios stat, qui aliis præest et imperat (It. *precedente*, *capo*, *direttore*; Fr. *président*, *directeur*; Hisp. *director*; Germ. *der Vorsteher*; Angl. *a president*, *commandant*, *head*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim raro admodum occurrit. — a) Masc. gen. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 6. Neque enim singulis (*vindemiatoribus*) totidem antistites dare potest, qui observent, quique præcipiant, ne acerbæ uvæ cum maturis demetantur. Figurate *Tertull. Apolog.* 1. Antistites imperii Romani. — *b*) Fem. gen. *Id. Pall.* 4. *ad fin.* Antistes latrinarum, *h. e.* femina, quæ meretricibus in lupanari prostantibus præest. — Apud *Catull.* 9. 1. Veranni, omnibus e meis amicis Antistes mihi millibus trecentis (*h. e.* qui omnibus aliis antistas in mea amicitia) *rectius leg.* antistans. *V.* ANTESTO. ¶ 2. Speciatim frequentissime dicitur de iis, qui sacris præsunt, et in templis sacrificia aliosque religiosos ritus administrant. — a) Masc. gen. *Cic. Dom.* 39. 104. Vos qui estis antistites cærimoniarum et sacrorum. *Id. ibid.* 1. 2. Antistes deorum immortalium. *Id.* 2. *Divinat.* 54. 112. Cum antistibus (*librorum sibyllinorum*) agamus. *Nep. Lysand.* 3. Antistites Jovis. *Liv.* 1. 7. et 9. 34. Antistites sacri. *Id.* 23. 11. templi. *Juvenal.* 2. 113. Antistes sacrorum. — Apud Christianos Scriptores *Antistes* idem est ac Episcopus, ut videre est in *Cod. Theod.* 12. 1. 49. et 16. 2. 42., et apud *Justinian. Cod.* 1. 3. 18., 22. et 25. et alibi. — *b*) Fem. gen. *Liv.* 1. 20. Assiduæ templi antistites. Adde *eumd.* 23. 24. et 31. 14. *Val. Max.* 1. 1. 1. Ne deæ vetusti ritus perita deesset antistes. *Tertull. Cultu fem.* 1. Templi æditua et antistes pudicitia. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 1750. et *V.* ANTISTITA.

II.) Translate. Eleganter *antistes* dicitur, qui in aliqua facultate excellens, ejus veluti sacra et arcana omnia novit, eamque rite colit et administrat. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 202. Artis dicendi antistes. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 1. Cultor et antistes doctorum sancte virorum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (110). Plato sapientiæ antistes. *Quintil.* 11. 1. 69. Antistes juris. *Id.* 8. *declam.* 9. medicæ artis. *Lactant.* 5. 2. philosophiæ. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 10. Antistites artium. *Gell.* 14. 4. Judex, qui est justitiæ antistes.

ANTISTĬTA, æ, f. 1. (*fem. ab* antistes) mulier quæ præest: sed speciatim tantum occurrit, et est mulier sacerdos, sacrorum præses. *Plaut. Rud.* 3. 2. 10. Antistita Veneris. *Accius* apud *Non. p.* 487. 19. *Merc.* Antistita Apollinis. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 99. Cereris atque illius fani antistitæ, probatæ ac nobiles mulieres. (Ita leg. *Gell.* 13. 20., *Charis.* 1. *p.* 77. et *Priscian.* 5. *p.* 650. *Putsch.* In vulgatis multis est *antistites*). *Virg. Cir.* 166. Ictaque barbarico Cybeles antistita buxo. *Ovid.* 13. *Met.* 410. tractata comis antistita Phœbi. *Pollio* apud *Charis.* 1. *p.* 77. *Putsch.* Antistita Veneris. *Cornel. Sever. ibid.* Antistita numinis. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 62. 9. et apud *Orell.* 2200.

ANTISTĬTĬUM, ii, n. 2. (antisto *vel* antesto) dignitas antistitis, excellentia, præeminentia. *Capell.* 2. *p.* 34. Ante hanc quædam augustioris vultus femina ac sacro lumine resplendens venerabili antistitio præminebat. *Id.* 9. *p.* 303. Ex his quamplures antistitium professæ divum.

ANTISTO. *V.* ANTESTO.

ANTISTŒCHON *vel* antistichon, i, n. 2. (ἀντίστοιχον) figura dictionis, qua littera pro littera ponitur, ut *olli* pro *illi*, *Upilio* pro *Opilio*. Est autem Græca vox, et Græce scribenda, ab ἀντὶ *pro*, *vice*, et στοῖχος, quod interdum litterarum seriem significat. Latinis litteris scripta legitur apud *Servium* ad 1. *Æn.* 421. et 1. *G.* 180. *V.* ANTITHESIS.

ANTISTŎCHÆ, ārum, m. plur. 1. iidem qui antipodes vel antichthones, ab ἀντὶ *contra*, et στοῖχος *ordo*, h. e. e regione oppositi. *V.* ANTICHTHONES.

ANTISTRĔPHON argumentum dicitur, quod referri contra convertique potest in adversarium: quod Latine *reciprocum* dici potest: ἀντιστρέφον, ab ἀντὶ *contra*, et στρέφω *converto*. Hujus rei exempla affert *Gell.* 5. 10. et 11. et 9. 16. Fere autem Græce scribitur, cum Græca sit, tametsi apud *Gell. loc. cit.* 5. 11. Latine legitur.

ANTISTRŎPHE, es *et Latina terminatione* Antistrŏpha, æ, f. 1. ἀντιστροφή, conversio in contrariam partem: ab ἀντὶ *contra*, et στρέφω *converto*. ¶ 1. Apud Lyricos poetas est pars quædam carminis: de qua sic *Marius Victorin.* 1. *p.* 2501. *Putsch.* Antiqui deorum laudes carminibus comprehensas, circum aras eorum euntes canebant, cujus primum ambitum, quem ingrediebantur ex parte dextra, στροφὴν vocabant: reversionem autem sinistrorsum factam, completo primo orbe, *antistrophon* (*legè* antistrophen) appellabant. Deinde in conspectu deorum soliti consistere cantici reliqua prosequebantur, appellantes id *epodon*. Hactenus *Victorinus*. Itaque *antistrophe* dicta est ea pars carminis, quæ in ejusmodi reversione et contrario ambitu canebatur priori strophæ velut e contrario respondens. Constabat autem totidem versibus atque ejusdem metri ac *strophe*, ut docet *Voss. Institut. poet. l.* 2. *c.* 16. et *l.* 3. *c.* 14. Addit *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 3. hac conversione et motu significasse veteres motum stellarum, *per stropham* quidem rectum orbis *stelliferi motum*, *per antistropham* autem *diversum vagarum stellarum regressum*. Hujusmodi στροφὴ et ἀντιστροφὴ habebat locum etiam in saltationibus tragicis. ¶ 2. Est etiam antistrophe figura elocutionis, Latine *conversio*, cum multa periodi membra in idem verbum repetitum desinunt (et est contraria *Epanaphoræ*, in qua membra periodi ab eodem verbo sæpius incipiunt) ut in illo *Cic. in fragm. pro M. Fonteio*. Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi e Gallia. *Capell.* 5. *p.* 175. et *Jul. Rufinian.* 35. *p.* 211. ¶ 3. Præterea a Grammaticis *antistrophe* dicitur, cum inversa constructione verba ponuntur, ut in illo *Virg.* 2. *G.* 267., *quo mox digesta feratur*, pro *translata digeratur*. Ita *Servius*, qui (ut et *Capell.*) Latinis litteris scribit etiam ad *Virg.* 4. *Æn.* 500.

ANTĬTHALĂMUS. *V.* AMPHITHALAMUS.

ANTĬTHESIS, is, f. 3. ἀντίθεσις, ab ἀντὶ *contra* et τίθημι *pono*. ¶ 1. Figura est rhetorica, quâ contrariis contraria opponuntur (V. voc. seq.) *Jul. Rufinian.* 11. *p.* 250. ¶ 2. Item figura Grammaticorum, quâ littera pro littera ponitur, ut *olli* pro *illi*, *impete* pro *impetu*. Ita definiunt *Charis.* 4. *p.* 249. et *Diomed.* 2. *p.* 437. *Putsch.* Ubique autem Græce usurpant: sed Latinis litteris scribit *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 329. et 6. *ibid.* 643. *V.* ANTISTŒCHON.

ANTĬTHETĬCUS, a, um, adject. (ἀντιθετικός) ad antithesim pertinens. *Cur. Fortunatian. art. rhet. schol.* 1. *p.* 62. *Capper.* Definitio antithetica est, quâ non tantum crimen negamus, verum etiam commodum aliquod afferimus.

ANTĬTHETON, i, n. 2. ἀντίθετον, contrapositum: ab ἀντὶ *contra*, et θετός *positus*: figura est rhetorica, qua contrariis contraria opponuntur, ut in illo Ciceronis: *Vicit pudorem libido, timorem audacia.* Et: *Non nostri ingenii, vestri auxilii est.* Alia præter hæc exempla affert *Quintil.* 9. 3., ubi addit Latine dici *contrapositum*, et ab aliquibus etiam *contentionem*. Adde *Cic. Orat.* 49. et 50. Latine usurpatur a *Persio* 1. 85. crimina rasis Librat in antithetis. Adde *Capell.* 5. *p.* 174., *Front. ad Antonin. Imp.* 2. 6., *Rutil. Lup.* 2. 16. et *Aquila Rom.* 22. *p.* 204.

ANTĬTHEUS, i, m. 2. ἀντίθεος, qui pro Deo se gerit: ab ἀντὶ *pro*, *vice*, et θεός *Deus*. *Arnob.* 4. 12. Magi haruspicum fratres in suis accitionibus memorant, antitheos sæpius obrepere pro accitis: esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus spiritus, qui se deos fingant, nesciosque mendaciis et simulationibus ludant. Hinc *Lactant.* 2. 9. per *antitheum* intelligit Diabolum, quia vero Deo æquare se olim ausus est, et divino cultu coli ab hominibus postulat. — *NB.* Scribitur et *antideus*, quæ vox hybrida est.

ANTIUS, a, um. Falsa lectio pro *anctus*, *a*, *um*. *V.* ANGO.

ANTIZEUGMĔNON. *V.* ANTEZEUGMENON.

ANTLĬA, æ, f. 1. (ἀντλία) machina ad hauriendam ex imo loco aquam, quæ pedum alterno nisu et agitatu aquas per modiolos atque haustra attollit. *Martial.* 9. 19. Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis, Curva laboratas antlia tollit aquas. *Sueton. Tib.* 51. Condemnare aliquem in antliam. εἰς ἀντλίαν καταδικάζειν, ut ait *Artemidorus* 1. 50.

ANTLO, as, āvi, ātum, are. *V.* ANCLO.

ANTONŎMASĬA, æ, f. 1. (ἀντονομασία) tropus est, quo ponitur aliquid pro nomine proprio, ut *Eversor Carthaginis* pro Scipione: ab ἀντὶ *pro*, *vice*, et ὄνομα *nomen*: Latino vocabulo *pronominatio* a *Cic.* 4. *Herenn.* 31. dicitur. *Quintil.* 8. 6. 29. Ut id, quod est appositum, si a proprio diviseris, per se significet, et faciat antonomasiam. *Id.* 9. 1. 6. Ἐπίθετον quoniam plerumque habet antonomasiæ partem, etc. Adde *eumd.* 8. 6. 43. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 23. *Saturnia* antonomasia est, non epitheton: quæ fit, quoties pro proprio nomine ponitur quid potest esse cum proprio nomine et epitheton dici. *Et alibi sæpe.*

ANTONŎMĀSĪVUS, a, um, adject. ad antonomasiam pertinens. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 171. appellat *antonomasiva* illa adjectiva, quæ uni proprie conveniant, ut *Tritonia* Minervam significat proprie, nec ullam aliam; *epitheta* autem ait esse, quæ variis possunt vel personis, vel rebus apponi. Utitur præterea hac voce et *ibid.* 615. et ad 5. *Æn.* 704. et ad 10. *ibid.* 608. et alibi sæpe.

ANTRAS *Paul. Diac.* interpretatur convalles, vel arborum intervalla. *Scalig.* suspicatur legendum *ancras* (quam lectionem retinuit et *Müll.* V. ANCRAS). Nam in veteri *Glossar.* legitur: Ancræ, ἄγκεα, αὐλῶνες. Et in *Gloss. Isid.* Angræ intervalla arborum, vel convalles. Addit forasse etiam scribendam *ancere*, vel *angere*, scilicet a Græco ἄγκεα.

ANTRO͞ARE gratias referre. *Paul. Diac. p.* 9. 12. *Müll.*

ANTRUM, i, n. 2. (ἄντρον) caverna, quæ præcipue silvestrem quamdam pulchritudinem præseferat, et æstatis tempore frigidum amœnumque recessum præbeat, aut alicui numini sacra sit. Est tamen vox poetis, quam aliis usitatior. (It. *antro*, *grotta*, Fr. *antre*,

grotte; Hisp. *antro*, *gruta*; Germ. *eine Höhle*; Angl. *a cave*, *cavern*, *den*, *grotto*).

I.) Proprie. — *a*) Jungitur nonnullis Verbis. *Virg.* 6. *Æn.* 42. Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum. *Id.* 5. *Ecl.* 19. succedere antro. *Ovid.* 1. *Met.* 121. et 12. *ibid.* 417. subire antra. *Val. Flacc.* 8. 315. occulere se antro. *Martial.* 13. 60. Gaudet in effossis habitare cuniculus antris. — *b*) Jungitur et Adjectivis numina significantibus. *Ovid.* 3. *Met.* 14. antrum Castalium. *Horat.* 2. *Od.* 1. 39. Dioneum. *Propert.* 2. 23. 95. Idæum. *Id.* 1. 1. 11. Parthenia. *Horat.* 3. *Od.* 4. 40. et *Juvenal.* 7. 60. Pierium. *Ovid.* 2. *Met.* 630. Chironis. *Horat.* 3. *Od* 25. 2. antra egregii Cæsaris. — *c*) Item Adjectivis communibus. *Ovid.* 13. *Met.* 47. antra abdita. *Lucan.* 4. 301. cæcum. *Virg.* 3. *Æn.* 641. cavum. *Val. Flacc.* 3. 635. et *Sil. It.* 6. 149. curvum. *Ovid.* 5. *Met.* 349. frigida. *Virg.* 4. *G.* 500. gelida. *Propert.* 4. 4. 3. hederosum. *Virg.* 6. *Æn.* 11. immania. *Ovid.* 2. *Met.* 315. laqueata pumice vivo. *Id.* 3. *ibid.* 157. nemorale. *Id.* 13. *ibid.* 811. pendentia saxo. *Id.* 3. *ibid.* 17. rorantia fontibus. *Propert.* 2. 23. 23. roscida jugis muscosis. *Virg.* 1. *Æn.* 56. et 3. *ibid.* 431. vasta. *Id.* 1. *Ecl.* 76. viridi projectus in antro. *Ovid.* 5. *Met.* 48. vitrea. — In prosa oratione hac voce usus est *Sueton.* *Tib.* 43.

II.) Improprie seu figurate. *Virg.* 4. *G.* 44. exesæ arboris antrum. *Juvenal.* 4. 21. clausum antrum *dixit pro lectica*. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *a med. in carm.* 2. antra palati *dixit* cavitates et spatia intelligens. *Id.* 1. *Ep.* 2. antra narium. *Prudent.* *Psychom.* 6. et 774. pectoris. *Auson.* *Epigr.* 108. 9. luteæ Symplegadis antrum *vocat* podicem.

ĂNUCĔLLA, æ, f. 1. *deminut.* ab *anus*; eadem ac Anicella, quam vocem V. *Fronto ad Amicos* 1. 18. *in fin.* Redit igitur oratio domum meam, et mecum demum mansitavit anucella. *Vet. Scholiast. ibid.* Ab anu anucella.

ĂNŬLĀRIS *vel* annularis, e, adject. (anulus). *Anularis color* dicitur a *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 30. (48). qui fit ex creta admixtis vitreis gemmis contritis, quæ a pauperibus in anulis gestari solent. Verba *Plinii* sunt: Anulare quod vocant, candidum est, quo muliebres picturæ illuminantur. Fit et ipsum ex creta, admixtis vitreis gemmis ex vulgi anulis, unde et anulare dictum. — Hinc facile est intelligere, quid sit *anularia creta*, quæ tum hoc *Plinii* loco *paullo sup. cit.* memoratur, tum apud *Vitruv.* 7. 14. 1.

ĂNŬLĀRIUM *vel* annularium, ii, n. 2. (*subaudi donum*). Cl. *Mommsen.* ad inferius allatam *Inscript.* putat anularium fuisse strenas sub occasione indepti honoris (Cf. *Cod. Theod.* 6. 30. 11.), quibus collegium Kal. Jan. veteranos honorare solebat. Idem enim *Mommsen.* suspicatus est post Augusti ætatem centuriones et optiones (de quibus tamen postremis valde dubitat *Henzen.*), cum dimitterentur, dignitatem primipilarem et cum ea anulum equestrem obtinuisse; quod scilicet donum dictum sit anularium. *Inscript.* apud *Henzen.* 6790. VETER. QVOQVE MISSI ACCIPIANT KAL. IAN. ANVLARIVM SINGVLI ✕ VI. MIL. ✕ QVAE ANVLARIA SVA DIE QVAESTOR SINE DILATIONE ADNVMERARE CVRABIT.

ĂNŬLĀRIUS *vel* annularius, a, um, adject. ad anulos pertinens. Hinc *anularia creta* apud *Plin.* et *Vitruv.* V. ANULARIS. — *Scalæ anulariæ* locus fuit Romæ in regione octava juxta forum Romanum: sed unde dictus sit, non constat. Quidam putant ita appellatum fuisse ab officinis anulariorum, quæ ibi essent; alii ab anulis ex iis scalis dependentibus; alii denique, quod eæ scalæ in cochleæ formam atque adeo anularem seu orbicularem constructæ essent. *Sueton.* *Aug.* 72. Habitavit primo juxta Romanum forum supra Scalas anularias, in domo, quæ Calvi oratoris fuerat.

ĂNŬLĀRIUS *vel* annularius, ii, m. 2. artifex, qui anulos facit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 86. Quid si in ejusmodi cera centum sigilla hoc anulo impressero? ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quærendus anularius aliquis etc. *Inscript.* apud *Murat.* 965. 6., quæ est apud *Orell.* 4144. Q. MVSIVS L. Q. L. PRIMVS ANVLARIVS. In alia apud *Murat.* 2015. 5. mentio est *Collegii Anulariorum*. Adde *Labus.* *Monum. Bresc.* p. 50., ubi in *Gruteriana Inscript.* 937. 3. s. CONSIVS DIONYSIVS ANVLA. legit: h. e. anularius.

ĂNŬLĀTUS *vel* annulatus, a, um, adject. anulo ornatus. *Plaut.* *Pœn.* 5. 2. 20. Atque, ut opinor, digitos in manibus non habent, quia incedunt cum anulatis auribus. Apud *Apul.* 9. *Met.* 12. homines *anulati pedes* dicuntur, qui compedibus vincti sunt.

ĂNŬLUS *vel* annulus, i, m. 2. Ducitur ab *anus* sive *annus*, Græce ἄνος. Cum vero usus obtinuisset, ut *annus* duplici *nn* scriberetur, ita et *annulus* scriptus aliquando. Hæc scribendi ratio *Cellario* placet et *Dausquio*. At *Manutius* et *Madvig* ad *Cic.* 5. *Fin.* 1. 3. veterem consuetudinem sequuntur *anulus* unica *n* scribendi, quæ potior videtur, id testantibus vetustis marmoribus, ut *Inscript.* apud *Orell.* 3750. et 4144.; in optimis tamen libris utraque scriptio invenitur, ut *annulus* scribitur etiam in *Inscript.* apud *Orell.* 2175. — Anulus proprie est id quod in se redit, seu parvus circulus, teste *Varron.* 6. *L. L.* 8. p. 76. *Müll.* Tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus, quod ut parvi circuli anuli, sic magni dicebantur circites ani, unde annus (It. *cerchiello*, *cerchietto*, *anello*; Fr. *cercle*, *anneau*; Hisp. *cerco*, *anillo*; Germ. *das Ringlein oder der Ringel*, *Alles*, *was einen kleineren Kreisbildet*; Angl. *any thing like a ring*, *a ring for the finger*). ¶ 1. Generatim de quocumque parvo circulo ponitur. *Cato R. R.* 159. Intertrigini remedium, in viam cum ibis, absinthii Pontici surculum sub anulo habeto. *h. e.* sub ano vel podice. — In architectura anuli sunt columnarum ornamenta. *Vitruv.* 4. 3. 4. Crassitudo capituli dividatur in partes tres, e quibus una plinthus cum cymatio fiat, altera echinus cum anulis, tertia hypotrachelion. *Anuli* hoc loco sunt fasciolæ tres in ordine Dorico, positæ inter echinum (It. *l'ovolo*) et hypotrachelion (It. *il collarino*), atque ita formatæ, ut non sint ejusdem perpendiculi, sed suprema, quam proxima, hæc, quam infima, extantior sit. — *Plin.* 34. *Hist. nat.* 15. 43. (150). et *Mart.* 3. 29. et 11. 37. anulos dixerunt de circulis catenarum. — *Mart.* 14. 169. anulum dixit de ansula qua trochus mittitur. *Et* 2. 66. de cincinno capillorum in circulum contorto. — *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 18. (62). Lignum firmæ duritiæ, ex quo velares detorniant anulos. *h. e.* ligneos circulos, quibus aulæa velaque appenduntur. *Id.* 13. *ibid.* 29. 37. (121). Virgei anuli. h. e. virgæ in modum anuli contortæ. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Cataplasmata frigerantia ex malo cydonio et murrha et vitis anulis, quos ἕλικας vocant. *h. e.* ex vitium capreolis seu claviculis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. ¶ 2. Speciatim anulus est circulus ferreus, vel aureus, vel ex alia quapiam materia, qui in digitum manus sinistræ minimo proximum inferri solet. — *a*) *Ateius Capito* apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. docet, olim anulos in alterutra manu, atque in quolibet digito ferri consuevisse: postea, cum anulis, qui primo rudes fuerant et parvi pretii, valde pretiosæ gemmæ inseri cœpissent, in lævam manum translatos esse, quæ otiosior et quietior, ne crebro motu et officio manus dexteræ pretiosi lapides frangerentur, aut excuterentur: unde *sedere alicui ad anulos* apud *Eumen.* *Paneg. ad Constant.* 15. est ad sinistram alicujus sedere, quamquam ibi alii aliter legant. Deputatus etiam est lævæ manus digitus minimo proximus, qui et *aureus digitus* dictus est, ut *ibid.* *Macrob.* et *Gell.* 10. 10. notant, quia credebant, ex humanorum cadaverum sectione, nervum quemdam de corde natum, pergere usque ad eum digitum, et illic desinere implicatum ceteris, et ideo visum veteribus, ut ille digitus anulo, tamquam corona, circumdaretur. Hinc in *Pitture d'Ercolano T.* 1. *tav.* 5. Theseus nudus pariterque puella, quæ ejusdem clavam tenet, digitum illum anulo ornatum exhibent. — *b*) Triplex anulorum genus enumerat *Isid.* 19. *Orig.* 32. *Ungulum*, qui gemmam habet, quia sicut ungula carni, ita gemma anuli auro adhæret: *Samothracium*, qui aureus quidem est, sed palam habet ferream, a loco, ubi fiebat, appellatus: et *Thynium*, qui totus purus est, ita dictus, quia in Bithynia primum fabricatus est, olim *Thyna* dicta. Præterea anuli alii erant *solidi*, hoc est ex solida materia facti; alii *pervii* et *cassi*, ut eos *Fabius Pictor* appellat apud *Gell.* 10. 15., qui concavi intus erant, ut aliquid continere possent: quales tantummodo Flamini Diali permittebantur. In hujusmodi anulis amuleta includere mos erat: atque hujus formæ fuit Hannibalis anulus, ex quo sumpto veneno sibi mortem conscivit. — *c*) Anuli primo Romanis ferrei fuere, deinde ex ære, argento, auro aliove mixto metallo facti sunt, item ex ebore, succino, vel etiam integra gemma: sed de ferreis præcipue, et aureis anulis dicendum est, quorum usus communior et notabilior. Ferreos anulos promiscue omnes olim gestabant, senatores, equites, plebes; neque enim tam ad ornatum, quam signandi causa anulus gestabatur. Mox crescente luxuria aurei anuli invecti, qui primis quidem temporibus iis tantum concedebantur, qui legationem obire debebant, qui ideo aureum anulum una cum viatico a publico accipiebant, ut tradit *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (12)., sed eo in publicum tantum prodeuntes utebantur, domi ferreum sumebant signandi causa. Postea vero promiscue patritii gerere cœperunt, demum equites, qui aureo anulo a plebejis distinguebantur (Bello Punico secundo non equites solum, sed et alii, militari aliquo dignitatis gradu decorati, ut tribuni, quæstores, etc., aureo anulo utebantur. V. *Camill. Silvestr. in not.* ad *Juvenal.* 10. 165). Deinde omnibus ingenuis usus aurei anuli est concessus, sed non libertinis, qui si eo uti vellent, a principe impetrare tenebantur; et tum pro ingenuis habebantur, et ad honores, quibus fruebantur ingenui, admittebantur. Unde *Ulp. Dig.* 40. 10. 6. Libertinus, si jus anulorum impetraverit, quamvis jura ingenuitatis salvo jure patroni nactus sit, tamen ingenuus intelligitur. Postremo *Justinian.* in *Authent. Collat.* 6. *tit.* 7. *novell.* 78. omnibus libertinis jus aurei anuli dedit. Servi, quando anulo usi sunt, ferreum solummodo habuerunt: tametsi ultimis temporibus auro illinere ausi sunt, vel etiam ex auro, sed decolorato in modum ferri gestarunt, ut *Plin. loc. cit.* docet. — *d*) Feminæ et ipsæ (Cf. *Plaut.* *Cas.* 3. 5. 63., *Ter.* *Hec.* 4. 1. 59. et 5. 3. 31., et *Horat.* 1. *Od.* 9. 23.) ferreo primum, mox aureo anulo usæ sunt: sed etiam post invectos aureos solemne erat sponsæ mittere ferreum arrhabonis loco. Binos aureos tantummodo eas gestasse scribit *Isid.* 19. *Orig.* 32. Nam viri, ii præcipue, qui deliciis studebant, plures aliquando habere consueverunt, adeo ut in omnibus digitis suus inesset, vel in uno digito plures, ut ex *Martial.* 5. 61. et 11. 59. colligitur. Quin et æstivos, hibernosque anulos habere in luxu fuit, illos leviores, hos majores gravioresque, ut est apud *Juvenal.* 1. 28. — *e*) Ex iis, quæ hactenus diximus, plures dicendi modi usuvenerunt. *Cic.* 3. *Off.* 9. Anulum induere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (8). Induere anulum pollici. *Id. ibid.* Anulo uti. *Et ibid.* Anulum deponere. *Sueton.* *Aug.* 100. Ponere anulos aureos, sumere ferreos. *Id.* *Cæs.* 33. Detrahere sibi anulum. *Id.* *Tib.* 73. aptare digito. *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. digito inserere. *Ter.* *Hec.* 4. 1. 59. in digito habere. — *f*) Anuli usus multiplex fuit et trifariam dividi potest. Nam 1.) eo utebantur ad signandum. Hic est anulus *signatorius*, ut appellatur a *Val. Max.* 8. 14. 4., vel *sigillaricius* ut apud *Vopisc.* *Aurel.* 50. Pars autem, qua sigillum imprimitur, sive gemmam habeat, sive non, *pala* dicitur. *Plaut.* *Curc.* 2. 3. 67. Qui anulo meo tabulas obsignatas attulisset. Adde *eumd.* *Pseud.* 1. 1. 53. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. § 13. Sit anulus tuus non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 86. In cera sigilla anulo imprimere. *Curt.* 3. 7. 14. Epistola ignoti anuli sigillo impressa. Adde *eumd.* 10. 6. 5. *Seneca Ep.* 8. Tabulis testamenti anulum imprimere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (26). Cibos et potus anulo vindicare a rapina. *h. e.* quippe clausos et obsignatos. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Utensilia anulo claudere. *h. e.* signo anuli impresso claudere. *Martial.* 9. 88. Anulus signat lagenam. — 2.) Præterea Romani utebantur anulo etiam in sponsionibus; et arrhæ nomine dabatur, aut in pignus alicujus rei deponebatur, aut denique ad personæ agnitionem mittebatur. *Plaut.* *Curc.* 2. 3. 77. Opponere anulum. *h. e.* deponere in sponsione. *Ter.* *Eun.* 3. 4. 5. Dati anuli, locus, tempus constitutum est. Adde *eumd.* *Heaut.* 4. 2. 37., *Adelph.* 3. 2. 49. et *Hec.* 4. 1. 39., et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (28). — Item in sponsalibus teste *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (12).; quem *anulum pronubum* appellat *Tertull.* *Apolog.* 6. — Hinc imperatores aliquem inter aulicos deligebant, cui anulum suum crederent, quique *anuli curam habere* dicitur apud *Justin.* 43. 5. *in fin.* — 3.) Denique *anulus aureus*, ut diximus etiam superius sub *c.*, proprius erat equitum Romanorum: hinc *Cic.* 5. *Verr.* 80. 185. Aliquem in concione anulo aureo donare. *h. e.* in equestrem ordinem cooptare. Adde *eumd.* 10. *Fam.* 32. 2. *Sueton.* *Cæs.* 33. Jus anulorum. *h. e.* equestris dignitas. *Tac.* 1. *Hist.* 13. Donare ali-

quem anulis. *V. Eques*, et cf. *Pauly Real-Encyclop. vol.* 1. *p.* 493.

ĀNUS, i, m. 2. proprie et generatim est circulus, teste *Varron.* 6. *L. L.* 8. p. 76. *Müll.*; V. ANULUS in principio. Specialim vero ¶ 1. Anus est ipse anulus. *Plaut. Menech.* 1. 1. 9. Tum compediti anum lima praeterunt. *Alii leg.* januam. ¶ 2. Sæpius est pars posterior, qua animal excrementa ejicit, atque etymon est ab ejus rotunditate (It. *podice, culo*; Fr. *anus*; Hisp. *ano*; Germ. *der After*; Angl. *anus*). *Cic.* 9. *Fam.* 22. 2. Anum appellas alieno nomine: cur non suo potius? *Cels.* 7. 30. Ani vitia, ubi medicamentis non vincuntur, manus auxilium desiderant. *Et ibidem paullo post.* Ne anus ipse suppuret. *Seren. Sammon.* 1110. Excruciant turpes anum si forte papillæ. *Scribon. Compos.* 227. Hoc medicamento peruncto interius ano. Adde *eumd.* 118. et 220.

ĀNUS, ūis *et per syncopen* ūs, f. 4. Genitivus *anuis* occurrit in *Ter. Heaut.* 2. 3. 46. et *Varron.* apud *Non.* 924. 24. *Merc.* Dativus *anu* pro *anui* legitur in *Lucil.* apud *Gell.* 4. 16. — Anus est mulier vetula: ita dicta ab annorum multitudine, nam antiqui, quibus mos fuit consonantes in scribendo non geminare, *anus* pro *annus* scribebant; vel ab α privativo et νοῦς *mens*, quia vetulæ mulieres plerumque deliræ esse solent. Utramque etymologiam *Paul. Diac.* p. 6. 7. *Müll.* tradit, sed prior *Forcellino* admittenda videbatur, vel potius vox deducenda ab ἀνύω *perficio, ad finem perduco.* Ceterum etymon est perobscurum, et vox conjungi potest cum Germ. *ahn, ahnfrau* (It. *vecchia*; Fr. *vieille femme, vieille*; Hisp. *vieja*; Germ. *die Alte oder Bejahrte*; Angl. *an old womann, old wife*). Occurrit autem *A*) substantivorum more et *B*) adjective.

A) Substantivorum more anus dicitur mulier multorum annorum, matrona ætate provecta, vetula ipsa per contemptum. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Excita cum tremulis anus attulit artubus lumen. *Plaut. Curc.* 1. 2. 14. PH. Sitit hæc anus. — PA. Pol, ut tu prædicas, vindemia hæc huic anui non satis est soli. *Id. Cist.* 4. 1. 8. Quid munctas super anu? *Ter. Heaut.* 2. 3. 46. Ejus anuis causâ, opinor, quæ erat mortua. *Cic.* 1. *Tusc.* 21. 48. Quæ est anus tam delira, quæ ista timeat? *Varro* apud *Non.* p. 494. 24. *Merc.* Anuis enim ut sanguis deterior, sic lac. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 24. 47. (132). Demetitur verno æquinoctio — vel pueri vel anus vilissimâ operâ. *Tac.* 13. *Ann.* 21. Operam anui rependere. — *Anus quod vult somniat* proverbium est, de quo *V.* ONOM. in v. SABINI. — *b*) Jungitur pluribus Adjectivis. *Ovid.* 2. *Fast.* 571. Annosa anus. *Id.* 3. *ibid.* 864. comis. *Id.* 4. *ibid.* 158. Cumæa. *h. e.* Sibylla. *Ter. Adelph.* 5. 8. 16. decrepita. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 2. dipsas. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 18. fatidica, Stoicorum πρόνοια. *Seneca Herc. Œt.* 1830. grandæva et defecta. *Ter. Heaut.* 4. 1. 16. haud impura. *Id. ibid.* 1. 1. 44. paupercula. *Horat. Epod.* 17. 60. Peligna anus ditasse. *Id. ibid.* 17. 47. prudens. *Ovid.* 8. *Met.* 660. tremens. *Plaut. Curc.* 1. 3. 3. tremula. *Ovid.* 13. *Met.* 519. vivax. — *c*) Figurate *Claudian.* 1. *Eutrop.* 9. 240. anum appellavit hominem imbellem atque enervatum.

B) Adjective ponitur — *a*) De personis. *Curt.* 3. 11. 25. At in gremio anus aviæ jacebant adultæ duæ virgines. *Sueton. Ner.* 11. Anusque matronas recepit ad lusum. *Id. Oth.* 2. Libertinam — diligere simulavit, quamvis anum ac pæne decrepitam. — *b*) De belluis et inanimis. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 766. Cerva anus. *Catull.* 68. 46. charta loquatur anus. Adde *Martial.* 12. 4. *Catull.* 77. 10. fama anus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (82). Fici anus distillant gummium lacrima. *Martial.* 11. 47. mentula. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 5. (35). Anus terra. *h. e.* quæ non fert fructus. *Martial.* 1. 106. Testa anus.

ANXIANIMUS, a, um, adject. qui anxio est animo. *Hieron. Ep.* 31. *sub init.* Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxianimi ac trepidi essemus etc.

ANXIE, adverb. (anxius). Comp. *Anxius* occurrit apud [illegible] *p.* 335. *Mai*, nisi forte mendum sit [illegible] apud *Pseudo-Sall.* infra. — Anxie est sollicite, cum anxietate (It. *ansiosamente*; Fr. *avec anxiété*, Hisp. *con inquietud*; Germ. *auf ängstliche Weise*; Angl. *anxiously, eagerly*). *Sall. Jug.* 85. Neque tam anxie laturum fuisse, si etc. *h. e.* moleste, ægre. *Pseudo-Sall. or.* 2. *ad Cæs. de rep. ordin. ad fin.* Animus quanto in secundis rebus ferocior fuit, tanto in adversis asperius magisque anxie agitat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (273). Ne in se quisque et auguria anxie quærat. *Sueton. Ner.* 23. Trepide anxieque certare. *Justin.* 1. 4. Anxie prosequi aliquem. *Gell.* 20. 6. Anxie et scrupulose loqui. *Macrob.* 5. *Saturn.* 18. Vir scrupulose et anxie doctus. *Id.* 7. *ibid.* 7. Anxie diligens.

ANXĬĔTAS, ātis, f. 3. (anxius) nimia cura et permanens sollicitudo, quæ animum inquietum tenet (It. *affanno, sollecitudine, ansieta*; Fr. *inquiétude, angoisse, anxiété*; Hisp. *inquietud*; Germ. *die Aengstlichkeit*; Angl. *fretfulness, anxiety, solicitude*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. *V.* ANGOR in Homonym. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 8., *Curt.* 4. 13. 16. et *Tac. Dial. de Orat.* 23. Anxietas animi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (186). Quem divortii anxietate diximus mortuum. *h. e.* dolore ob repudiatam uxorem. *Juvenal.* 13. 211. perpetua anxietas. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. Ipsa quoque unctio non exerta anxietatem ingerit ægrotanti. *Id.* 3. *Tard.* 2. Anxietas sive concatenatio mentis.

II.) Translate ponitur pro summa cura, qua animus intenditur et impense alicui rei adjungitur. *Quintil.* 8. *præfat.* 29. Quærendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non cum dicimus. *Id.* 1. 7. 33. Ad extremam usque anxietatem descendere. *Tac. Dial. de Orat.* 39. Cura et diligens anxietas stili. *Gell.* 1. 3. Anxietas et quasi morositas disputationis.

Homonym. *V.* ANGOR.

ANXĬĔTŪDO, inis, f. 3. anxietas. *Augustin.* 9. *Confess.* 3. Macerabatur anxietudine. *Paulin. Nolan. Ep.* 14. *ad Delphinum ad fin.* Gravissimæ anxietudinis pœnam luerari.

ANXĬFER, a, um, adject. (anxius *et* fero) angorem anxietatemque ferens. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 22. Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas. *Id.* 2. *Tusc.* 9. 21. Nunc dolorum anxiferi torquent vertices.

ANXĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. anxietate seu sollicitudine afficere. *Apul.* 4. *Met.* 27. Tristitiâ animi, languore corporis damnisque ceteris anxiatum iri prædicunt. *Vulgat. Interpr. Psalm.* 60. 2. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. *Et ibid. Psalm.* 142. 4. Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

ANXĬŌSUS, a, um, adject. (anxius) qui molestus et incommodus est. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Quod est dormituris anxiosum. *Id. ibid.* 8. Somnus difficilis vel anxiosus. Adde *eumd. ibid.* 7.

ANXĬTŪDO, inis, f. 3. anxietas. *Pacuvius* apud *Non.* p. 72. 33. *Merc.* Tristitiâ atque animi intolerandâ anxitudine. *Accius* apud *eumd. l. c.* Persuasit mæror, anxitudo etc. *Idem* apud *eumd. l. c.* Ubi cura est, ibi anxitudo. *Cic.* apud *eumd. l. c.* Quartaque anxitudo prona ad luctum et mærens semperque se ipsa sollicitans.

ANXĬUS, a, um, adject. (ango). Caret gradibus Comparativo et Superlativo. — Anxius juxta *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. (*V.* infra 1. *a.*) proprie dicitur, qui pronus est ad ægritudinem animi; sed generatim est cum qui animi inquietudine et dolore angitur, ægritudine et angore premitur, tum qui ægritudinem et angorem affert (It. *ansioso, affannoso*; Fr. *inquiet, inquiétant*; Hisp. *inquieto, ansioso*; Germ. *ängstlich*; Angl. *anxious, fearful*). ¶ 1. Anxius est qui ægritudine et angore premitur; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. Ex quo in aliis anxietas, unde anxii, in aliis iracundia dicitur, quæ ab ira differt, estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt anxietas ab angore; neque enim omnes anxii qui anguntur aliquando, nec qui anxii semper anguntur. *Id. Senect.* 18. 65. Senes morosi et anxii et iracundi et difficiles. *Id.* 2. *Fin.* 17. 51. Anxio animo, aut sollicito esse. *Sall.* apud *Arusian. Mess.* Anxius animi atque incertus. *Tac.* 2. *Hist.* 1. Anxius animo. *Horat.* 3. *Od.* 21. 17. Anxiæ mentes. *Pedo Albinov.* 1. 398. Anxius mentis. *Auct. B. Afr.* 71., *Tac.* 2. *Ann.* 65. et *Plin.* 2. *Ep.* 9. Anxium aliquem habere. *h. e.* inquietum tenere. *Sall. Jug.* 55. Anxium esse. *Id. ibid.* 93. Anxium trahere cum animo suo. *Id. ibid.* 65. Anxium aliquem aggredi. — *b*) Addita causa, qua quis angitur. — Cum Genit. *Ovid. Heroid.* 20. 198. Anxia sunt vitæ pectora nostra tuæ. *h. e.* sollicita sunt de vita tua. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (74). Perniciali odio Carthaginis flagrans nepotumque securitatis anxius (Cato). *Ovid.* 1. *Met.* 623. Anxius furti. *h. e.* sollicitus, ne furtum fiat. *Tac.* 3. *Hist.* 38. sui. *h. e.* de se sollicitus. *Id.* 4. *Ann.* 12. potentiæ. — Cum Ablat. *Sall. Jug.* 11. Ira et metu anxius. *Liv.* 9. 46. et *Tac.* 1. *Ann.* 14. invidiâ. *Liv.* 21. 2. et *Ovid.* 9. *Met.* 275. curis. *Liv.* 21. 48. inopiâ. *Id.* 25. 40. gloriâ alicujus. *h. e.* sollicitus, ne ab aliquo rerum gestarum gloria vincatur. *Id.* 40. 54. desiderio filii. *Sueton. Ner.* 36. eâ re. *Id. Vitell.* 8. omni adverso. *Tac.* 2. *Hist.* 92. odio. *Lucan.* 7. 20. venturis. — Cum præpos. *de, pro, ad. Curt.* 3. 3. 2. Anxium de instantibus curis agitabant etiam per somnum species imminentium rerum. *Quintil.* 11. 1. 50. Anxius de fama ingenii. *Sueton. Calig.* 19. de successore. *Plin.* 4. *Ep.* 21. Cujus ego pro salute hoc sum magis anxius, quod unicus factus est. *Lucan.* 7. 592. stetit anxia classis Ad ducis eventum. — Cum Accus. *Liv.* 6. 35. Stupentes tribuni et suam vicem magis anxii. — Cum part. *ne, an,* aut cum relativo. *Sall. Jug.* 6. Ex quibus (*studiis*) — ne qua seditio aut bellum oriretur anxius erat. *Tac.* 14. *Ann.* 13. Anxius an obsequium senatus, an studia plebis reperiret. *Sall. Cat.* 47. Anxius, quid facto opus sit. — *c*) Addita persona, in quam angimur. *Tac.* 4. *Ann.* 74. Anxii erga Sejanum. ¶ 2. Anxius est qui, non modo per se angore premitur, verum etiam ægritudinem angoremque affert. *Lucret.* 3. 1006. et 6. 1157. anxius angor. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Anxiæ ægritudines et acerbæ. *Liv.* 1. 56. curæ. *Virg.* 9. *Æn.* 89. timor. *Quintil.* 12. 11. 18. calculorum sollicitudines. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 8. 18. (33). Spina myrrhæ similis, accessu propter aculeos anxio. *h. e.* molesto, infesto, difficili, ut recte interpretatus est *Forcellinus*, qui h. *Plinii* locum, necnon seq. *Tac.* et *Gell.*, totidem paragraphis distinxit. — Figurate. *Anxium judicium* habere aliquis dicitur, qui in judicando hæsitat et perplexus est. *Tac.* 1. *Ann.* 80. Ut callidum Tiberii ingenium, ita anxium judicium. *Anxia elegantia* est curiosius exquisita et affectata apud *Gell.* 15. 7. Elegantia orationis neque morosa, neque anxia, sed facilis et simplex. *Cod. Theod.* 8. 5. 3. Anxia dispositio.

ĀNȲDROS, i. *V.* ANHYDROS.

AO

ĀŎRĀTOS, a, um, adject. ἀόρατος, hoc est invisibilis, ab α privativo et ὁράω video: unus est ex æonibus Valentini apud *Tertull. advers. Valentin.* 35.

ĀŎRISTUS, a, um, adject. ἀόριστος, hoc est infinitus, non definitus, ab α privativo et ὁρίζω *finio.* Sic Græcorum verborum tempus Latinis litteris dicitur a *Macrob. de differ. Gr. Lat. verbi* p. 2738. *Putsch.*

AP

ĂPĀGE, interjectio est a Græcis dicta, ab imperativo ἄπαγε *abige* verbi ἀπάγω *abduco, removeo,* et a Latinis usurpata tamquam formula abigentis, amolientis, aut fastidientis (It. *via, eh via, lungi, va via*; Fr. *va-t-en! loin d'ici! arrière!* Hisp. *lejos! atras!*; Germ. *Weg damit! Fort damit! Geh mir damit! Geh mir! Hebe dich weg! Bleib mir ferne!*; Angl. *hence! avaunt! away! away with you! be gone!*). — *a*) Absolute, addita et part. *sis. Plaut. Amph.* 1. 1. 151. Apage, non placet me hoc noctis esse. *Id. Capt.* 3. 1. 15. Quo fugiamus? ER. In patriam. ER. Apage, haud nos id deceat. *Id. Pœn.* 1. 2. 13. Apage sis, negoti quantum in muliere una est. *Id. Trin.* 2. 1. 30. Apage sis, amor. *Ter. Eun.* 4. 6. 18. Num formidolosus, obsecro, es mi homo? CH. Apage sis: egon formidolosus? — *b*) Cum Accus. *Plaut. Most.* 3. 2. 159. Apage istum a me perductorem. *Id. Bacch.* 3. 1. 5. Apage istas a me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem. *Id. Merc.* 1. 2. 33. Apage istiusmodi salutem, quæ cum cruciatu advenit. Adde *eumd. Epid.* 5. 2. 8. *Id. Cas.* 2. 8. 24. Apage te a dorso meo. *Id. Amph.* 2. 1. 32. Apage te a me. *Ter. Eun.* 5. 2. 61. Neque pol servandum quidquam tibi dare ausim, neque te servare: apage te. *Cic.* 4. *Herenn.* 51. 64. Apage te, inquit, vasa commodavi, familiarem dedi. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. 1. Apage te cum

nostro Ses. Servilio. — c) Ad personas arctius recitiusque refertur in illo *Plaut. Bacch.* 1. 1. 42. Apage a me.

ĀPĂLA *vel* hapala, ova, ἁπαλὰ ᾠά, ova tenera et recentia, vel certe in teneritudinem cocta, sorbilia, nam ἁπαλὸς tenerum et molle significat. *Scribon. Compos.* 104. Apala ova proderunt, vel intubi cocti, vel crudi ex aceto. *Apic.* 7. 17. In ovis apalis piper, ligusticum, nucleos etc. *Marcell. Empir.* 20. Et apala proderunt ova et intubi cocti. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. Ova apala, vel pultes parvissimo oleo confectæ. — *NB.* Qui scribunt *hapala*, adhærent Græcæ voci ἁπαλὸς, quæ spiritu aspero notatur.

ĀPĂLĀRĔ, is, n. 3. In *Gloss. Isid.* exponitur cochlear, cujus præcipuus usus erat in sumendis ovis teneris et sorbilibus, quæ *apala* dicuntur, licet et ad alia adhiberetur. *Auson. Ep.* 21. Jam patinas implebo meas, ut parcior ille Majorum mensis apalaria succus inundet. Sunt qui scribunt *hapalare*: nam ἁπαλὸς Græce spiritu aspero notatur. Sunt etiam, qui tum apud *Isid.*, tum apud *Auson.* legendum putant *Applare* et *Applaria*, eod. sensu.

ĀPARCTĬAS, æ, m. 1. (ἀπαρκτίας, ου) ventus spirans a septemtrione recta contra Austrum, a *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). Latina voce *Septemtrio*, a *Gell.* 2. 22. *Septemtrionarius* dictus. Nam *Aparctias* Græca vox est ab ἀπὸ *ab*, et Ἄρκτος, *ursa*, quia ab ea parte spirat, ubi sunt Ursæ. *Plin. loc. cit.* A septemtrionibus Septemtrio, interque eum et exortum solstitialem Aquilo: Aparctias, et Boreas dicti. *Apul. de Mundo.* p. 62. *Elmenhorst.* Eurus quamvis sit ventus orientis, idem tamen Aparctias incipit nominari, cum eum oriens æstivus effundat. Ita MSS. et editiones plurimæ; at *Oudendorpius* multo rectius edidit: *Idem tamen a parte Cæcias accipit nomen, cum eum oriens æstivo effundit.*

APARĪNE, es, f. 1. (ἀπαρίνη) genus est herbæ ramosæ, hirsutæ, et quæ quina vel sena in orbem circa ramos folia habet per intervalla, semine rotundo, duro, concavo, subdulci. Nascitur in agris frumentariis, aut hortis, pratisve, asperitate foliorum etiam vestibus adhærescens. Quidam Italice *speronella* vocant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 15. (32). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 177.) hanc exhibet synonymiam: Ἀπαρίνη Theophr. Hist. plant. 7. 14. et Dioscor. 3. 88.; Κολλητζίδα Græcor. recent.; *Lappa* Virg. 1. *G.* 153. et 3. *ibid.* 385., et *Aparine* Plin. l. c. sunt *Galium Aparine* L. Spec. plant. 157.

ĀPĂTHES, is, adject. omnium gen. (ἀπαθής) non obnoxius affectibus. *Varro* apud *Non.* 2. 103. *ed. vet.* Nec dolorem diaphoron esse, quod commalaxarem me apathem. *Sed Græca vox Græcis litteris scribenda videtur. Alii tamen leg.* eam partem: *quod rectius.*

ĀPĂTHĪA, æ, f. 1. ἀπάθεια, vacuitas affectuum qualem in viro sapiente Stoici requirebant: ab α privativo, et πάθος *affectus animi*. Ea semel Latine usus est *Gell.* 19. 12. *ad fin.* Sic isti apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos et intrepidos et immobiles volunt, etc.

ĀPĀTŌR, ōris. *V.* in AMETOR.

APE apud antiquos dicebatur p r o h i b e, c o m p e s c e. *Paul. Diac.* p. 22. 17. *Müll.* Hinc *Vet. Glossar.* Ape ἀσίλωσον: apet ἀποσοβεῖ.

ĀPĒLIŌTES, æ. *V.* APHELIOTES.

APENARIUS et)
APENNARIUS.) *V.* APINARIUS.

ĀPER, apri, m. 2. De hujus vocis origine ita *Varro* 5. *L. L.* 101. p. 39. *Müll.* A p r i ab eo, quod locis asperis; nisi a Græcis, quod hi κάπρους. Adde *Quintil.* 1. 6. 13. et cf. Germ. *Eber*. — Dicitur aper non de mare solum, sed etiam de femina, ut innuit *Varro* 8. *L. L.* 47. p. 183. *Müll.* Neque tamen ideo feminino genere effertur, quod quidam putant, qui apud *Phædr.* 2. 4. legunt *aprum insidiosam* contra consensum librorum, qui *insidiosum* habent, licet de femina sermo sit. Sic *Virg.* 2. *Æn.* 355. lupos dixit catulos habentes, non *lupas*, et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (21). *Delphini pariunt catulos*, et *ibid.* 13. 15. (41). *Vitulus parit in terra.* Invenitur tamen *apra*, æ, usurpatum ab eodem *Plin.*, ut est apud *Priscian.* 6. p. 698. *Putsch.* — Aper est porcus silvester testibus *Varron.* 2. *R. R.* 1. 5. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 78. (210). (It. *porco selvatico*, *cinghiale*; Fr. *sanglier*, *porc sauvage*; Hisp. *jabali*, *puerco montes*; Germ. *der Eber*, *das wilde Schwein*; Angl. *a wild boar*, *a brawn*). ¶ 1. Proprie occurrit et de animali et de signo militari. — *a*) De animali. Apri descriptionem habes apud *Ovid.* 8. *Met.* 282. et *Apul.* 8. *Met.* p. 514. *Oudend.* — Jungitur Verbis. *Ovid.* 10. *Met.* 550. Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri. *Id.* 3. *ibid.* 755. ferire aprum. *Id.* 2. *Art. am.* 190. figere apros. *Virg.* 1. *Æn.* 328. premere cursum apri. *Id.* 3. *Ecl.* 75. sectari apros. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 51. superaret viribus aprum. *Virg.* 3. *G.* 402. turbare aprum latratibus. *Id.* 10. *Ecl.* 56. venari apros. — Jungitur pluribus Adjectivis. *Virg.* 10. *Ecl.* 56. et *Ovid.* 10. *Met.* 550. Aper acer. *Martial.* 9. 104. Arcadius. *h. e.* aper Erymanthius in Arcadia ab Hercule interfectus, quem *id. Spectac.* 27. Mænalium vocat. *Propert.* 2. 13. 54. durus. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. et 2. *Tusc.* 9. 22. Erymanthius. *Ovid.* 4. *Met.* 343. feros. *Catull.* 61. 72. nemorivagus. *Virg.* 7. *Ecl.* 29. setosus. *Id.* 3. *G.* 248. sævus. *Id.* 1. *Æn.* 324. spumans. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 190. torvus. *Id.* 10. *Met.* 715. trux. — Occurrit et in proverbiis. *Plaut. Cas.* 2. 8. 43. Jam ego uno in saltu lepide apros capiam duos. *h. e.* unâ fallaciâ duos decipiam, pro quo Itali dicunt *pigliar due colombi ad una fava*. Item proverbiali locutione dicit *Virg.* 2. *Ecl.* 58. floribus austrum Perditus et liquidis immisi fontibus aprum. *h. e.* imprudenter feci, quod totum evertit negotium, quo de eram sollicitus; nam apri puras undas cœnosas reddunt. — Fuit in deliciis ciborum apud Romanos, testibus *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 78. (210). et *Horat.* 2. *Sat.* 8. 6. et 3. 234. Hinc *Juvenal.* 1. 140. quanta est gula, quæ sibi totos Ponit apros, animal propter convivia natum! — Hinc *Varro* 3. *R. R.* 13. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 78. (210). docent Romanos solitos fuisse in amplis septisque hortis apros alere, quos ad convivia venarentur. — *Apros cornutos* inveniri in India tradit his verbis *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (212). In India cubitales dentium flexus gemini ex rostro, totidem a fronte, ceu vituli cornua exeunt. Hinc *Calpurn.* 7. *Ecl.* 58. Hic niveos lepores et non sine cornibus apros Vidimus. — *b*) Fuit olim *aper* (quem porcum appellat *Paul. Diac.* p. 235. 6. *Müll.*) inter signa militaria Romani exercitus, ut testatur *Plin.* 10. *Hist. nat.* 4. 5. (16). ¶ 2. Aper est etiam piscis genus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (267). Et is, qui aper vocatur in Acheloo amne, grunnitum habet. *Ennius* apud *Apul. de mag.* p. 486. *Oudend.* Mitylenæ pecten, aperque apud Ambraciam amnem. *Hesselius in notis ad Enn.* ita utroque loco legendum putat, et falli eos, qui caper reponunt. Nam Græce quidem κάπρον dici, qui Latine *aper*. At *Oudend.* ita legendum probat in *Enn.* Mitylenæ est pecten, charadrumque apud Ambraciai. *V.* APRICULUS et SUS. — *NB.* De Apro cognomine *V.* ONOM.

ĀPĂREMPHĂTUS, i, m. 2. proprie est adjectivus, ἀπαρέμφατος, h. e. infinitus, ita enim a Græcis appellatur verborum modus, qui Latine *infinitus* dicitur. *Macrob. de differ. Gr. Lat. verbi* p. 2758. *Putsch.* Aparemphatum vero cum quolibet modo junctum, facit sensum. Adde *eumd. ibid.* p. 2760.

ĀPERĬBĬLIS, e. *V.* APERTIBILIS.

ĂPĔRĬO, pĕris, pĕrŭi, pertum, pĕrīre, a. 4. In futuro *aperibo* pro *aperiam* dictum est a *Plaut. Truc.* 4. 2. 50. et a *Pomponio* apud *Non.* V. infra II. 2. — Quidam volunt usurpari posse *aperii* in præterito pro *aperui*. Sic enim legi apud *Cic.* 7. *Att.* 3. *in fin.* Scis, quos aperierimus. *ubi plerique rectius* aperuerimus. — Part. *Aperiens* I. 2. *Aperturus* et *Aperiendus* I. 1.; *Apertus* in omnibus ferme paragr. et præcipue in fin. — Nonnulli deducebant ab *ad* et *pario*, quia et *aperire* est in lucem edere: sed recentiores philologi rectius putant vocem esse compositam ab *ap* Græc. ἀπὸ et *erio* Græc. ἐρύω quod significat *traho*, quemadmodum et illi oppositum *operio* ab *op* pro *ob* et *erio*; ita ut *aperio*, quasi ἀπερύω, sit abstraho, aufero, ac proinde amovendo vel auferendo aliquid rem pando, patefacio; et oppositum *operio*, quasi ἐπερύω, sit super traho, super fero, sive aliquid super rem trahendo vel ferendo ipsam rem ab oculis eripio et claudo. Quomodocumque se res habeat, *aperio* et *operio* invicem opponuntur, ut in illo *Plaut. Capt.* 3. 3. 9. Operta quæ fuere, aperta sunt, patent præstigiæ — Aperio itaque est pando, quod clausum erat patefacio (It. *aprire*; Fr. *ouvrir*; Hisp. *abrir*; Germ. *aufmachen*, *eröffnen*; Angl. *to open* or *set open*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu aperiri dicuntur ea, quæ prius erant clausa. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 126. Vas oblinito: post dies xxx aperito et utito. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Unde animæ excitantur obscurâ umbrâ aperto ex ostio altæ Acheruntis. *Ter. Heaut.* 2. 3. 55. Hæc (*anus*) ubi aperit ostium, continuo hic se introjicit. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 74. In templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Ut, cum Lentulus cos. ad aperiendum ærarium venisset ad pecuniam – proferendam, protinus aperto sanctiore ærario ex Urbe profugeret. *Liv.* 38. 55. *in fin.* Et se aperturum ærarium dixisse, qui ut clauderetur effecisset. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 11. 23. (40). Arbor florem aperire incipit solis exortu. Et absolute *Quintil.* 2. 12. 1. Qui majorem habere vim credunt ea, quæ non habent artem, ut e f f r i n g e r e, quam a p e r i r e, r u m p e r e quam s o l v e r e. — *b*) Speciatim, interdum etiam figurate, de iis ponitur, quæ claudendo inserviunt, quoties reserantur. Hinc *aperire ostium*, *fores*, *portas*, *januam*, *fenestram* etc. sæpissime occurrunt, ut apud *Ter. Adelph.* 4. 4. 26. et 2. 1. 13., et *Eun.* 2. 2. 53.; *Cic. Rosc. Am.* 23. 65. et 13. *Fam.* 10. 4.; et *Sueton. Aug.* 82. et *Tib.* 28. — *c*) Item de iis, quæ involuta aut obsignata sunt, cujusmodi sunt epistolæ, testamenta etc. *Cic.* 5. *Att.* 11. 7. et 6. *ibid.* 3. 8. Aperire epistolam. *Id.* 1. *ibid.* 13. 2. Litteræ aut interire, aut aperiri, aut intercipi possunt. Adde *Curt.* 3. 13. 3. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (177). et *Sueton. Cæs.* 83. et *Aug.* 17. Aperire testamentum. — *d*) Item de oculis et ore, quæ arbitrio nostro claudere et aperire possumus. *Lucret.* 4. 340. aer Ater init oculos prior et possedit apertos. *Id. ibid.* 1139. oculorum lumine aperto. Figurate *Cic. Mil.* 31. 85. Tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Jupiter –, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti. Cf. *Curt.* 5. 5. 8. Ut – Jovem illi tandem Graciæ ultorem aperuisse oculos conclamavere. *M. Aurel.* ad *Front.* 3. *ad M. Cæs.* 18. ed. iterum *Mai.* Cotidie non desinis in viam me veram inducere, et oculos mihi aperire, ut vulgo dicitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Palpebræ ad aperiendas pupulas aptissimæ. *Scribon. Compos.* 101. Aperire os. Adde *Curt.* 6. 4. 7. — *e*) Item de iis, quæ aliter adiri nequeunt, cujusmodi sunt viæ, regiones, maria, populi, etc., quo sensu dixit et *Varro* 6. *L. L.* 33. *Müll.* Magis puto dictum (*secundum mensem*) quod ver omnia aperit, Aprilem. Et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122). Ver aperit navigantibus maria. *Liv.* 31. 2. Aperire iter. *Sall. Cat.* 61. iter ferro. *Curt.* 5. 3. iter novum manu. *Liv.* 6. 2. et 9. 2., *Virg.* 11. *Æn.* 884., et *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. viam. *Lucret.* 1. 374. liquidas vias. Figurate *Vellej.* 2. 1. 1. viam potentiæ. *Id.* 2. 120. 2. limites. *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 5. portus alicui fideles. *Liv.* 42. 52. Incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum. *Id.* 44. 4. et *Curt.* 6. 5. Aperire saltum. *Curt.* 9. 6. 22. cunctis gentibus terras. *Tac.* 4. *Hist.* 64. terras omnes hominibus. *Curt.* 9. 4. 17. Oceanum alicui sanguine suo. *Val. Flacc.* 1. 169. pelagus quantos aperimus in usus. *Liv.* 30. 26. et *Tac.* 2. *Ann.* 17. Italiam. *Curt.* 3. 4. Ciliciam. *Id.* 7. 1. 3. Asiam regi. *Mela* 3. 6. 3. Britanniam tamdiu clausam aperit ecce principum maximus. *Tac. Germ.* 1. Aperire reges et gentes. *Lucan.* 1. 465. gentes Eoas. — *f*) Denique de iis, quæ effodiuntur vel effodiendo fiunt. *Liv.* 1. 55. Aperire fundamenta templi. *h. e.* effodere. *Ovid.* 15. *Met.* 345. cavernas. *Tac. Germ.* 16. specus subterraneos. *Paul. Dig.* 8. 2. 40. parietem. *h. e.* perfodere, januam in eo vel fenestram facere. Et *Scævola ibid. fr.* 41. januam in publico. *Ulp. ibid.* 39. 2. 24. puteum. *Inscript.* apud *Gruter.* 9. 11., quæ est apud *Orell.* 2121. DEMONSTRANTIBVS IPSIS AQVAS APERIENDAS PER L. AVRELIVM TROPHIMVM. *scil.* aquilegem. *V.* AQUILEX. — Huc referri potest et *aperire fontes*, quod fere figurate occurrit, ut apud *Cic.* 1. *Tusc.* 3. 6. Quare – multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. 3. Sceleratissimorum consiliorum fontes aperire. Adde *eumd.* 4. *Herenn.* 6. 9., et *Quintil.* 6. 1. 51. ¶ 2. Latiori sensu aperire est detegere, tegumenta amovendo aliquid patefacere, quo sensu occurrit — *a*) Proprie et generatim. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 51. Ubi omnes patinæ fervent, omnes aperio: is odos demissis pedibus in cœlum volat. *Sisenna* apud *Non.* p. 236. 26. *Merc.* Adoriuntur adversos ut apertis lateribus. *Cic.* 1. *Off.* 35. 129. Ne si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, aspiciantur non decore. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Aperire caput. *Sall.* apud *Non.* p. 236. 18. *Merc.* Qui-

bus de causis Sullam in victoriâ dictatorem uni sibi equo descendere, surgere de sella, caput aperire solitum. Plin. 28. Hist. nat. 6. 17. (60). Aperire capita aspectu magistratuum. Varro apud Non. p. 236. 25. et 26. Merc. Capite aperto esse. Turpilius apud Non. l. c. v. 16. et Varro ibid. v. 33. Apertæ surae. Ovid. 2. Met. 339. Aperire pectus. Liv. 22. 6. Cum incalescente sole dispulsa nebula aperuisset diem. Virg. 6. Æn. 406. aperit ramum, qui veste latebat. Adde eumd. 1. ibid. 107. et Curt. 7. 3. 10. — Eodem sensu occurrit aperire se, h. e. se manifestare. Cic. 2. Nat. D. 20. 52. Multa mirabiliter efficiens (stella Saturni) – tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo. Et ibid. Tum delitescens, tum rursum se aperiens. Plin. 31. Hist. nat. 3. 24. (41). Mox in specus mersa (aqua Marcia), in Tiburtina se aperit. — Speciatim, interdum etiam figurate, ponitur — b) De humanis membris quæ ad perniciem, aut sæpius ad salutem a medicis deteguntur. Juvenal. 9. 98. Aperire fuste caput. h. e. perfodere, medium abscindere. Scribon. Compos. 264. suppurationem. Id. 106. et 261. vomicas. Id. 81. Apertæ strumæ. — c) De luce, quæ prius occulta, manifestatur. Cic. 2. Nat. D. 20. 51. Quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur stellæ. V. paullo sup. sub a in fine, et adde Liv. 26. 17., 3. 15., 27. 2. et 29. 27. Virg. 3. Æn. 275. Et formidatus nautis aperitur Apollo. Servius ad h. l. hæc ait: Nauticum verbum, quoties cedente eo, quo impeditur aspectus, aliquid patescit. Forcellinus propterea hunc et seq. Virgilii locum singulari paragr. distinxerat hisce verbis: Eleganter aperire se dicuntur, quæ a longe venientibus paullatim conspiciuntur. Virg. 3. Æn. 205. Quarto terra die primum se attollere tandem Visa, aperire procul montes. Adde eumd. 1. ibid. 577. et 155. et 8. ibid. 680. Tac. Agric. 38. Dies faciem victoriæ latius aperuit. Adde eumd. 4. Hist. 29.

II.) Translate. ¶ 1. Aperiri dicuntur ea, quæ clausa cum essent apprehendi vel adiri nequibant; metaphorâ fere semper ductâ a locis, de quibus V. supra I. 1. e. Hinc Cic. 7. Verr. 71. 181. Si ullum locum aperuerimus suspicioni aut crimini, accipiendum statim vulnus esse. Id. 6. Fam. 11. 2. Aperire alicui reditum ad suos. Plin. 9. Hist. nat. 8. 9. (32). exitum. Claudian. B. G. 315. fugam inclusis. Liv. 1. 8. Locum, qui nunc sæptus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperuit. Cic. 9. Fam. 18. 1. Ludum aperire. h. e. scholam instituere. Adde Sueton. Grammat. 16. et Rhetor. 4. — Hinc a) Speciatim ponitur de occasione. Cic. Marcell. 1. 2. Ergo et mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem – interclusam aperuisti etc. Liv. 9. 27. Ut inde ex propinquo, si qui motus occasionem aperiret, Capuam Romanis eriperent. Id. 4. 53. Occasionem aperire ad invadendum. Tac. 4. Ann. 50. Casum insidiantibus aperire. — b) Item de pecunia, quia hæc arcâ vel ærario includitur. Cic. 2. Off. 15. 55. Quamobrem nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperirè non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Id. 5. Att. 1. 2. De Oppio factum est, ut volui, et maxime, quod DCCC aperuisti. h. e. ostendisti te daturum, si urgeret; quod ex alio ejusdem ibid. 4. arguitur, ait enim: De Oppio bene curasti, quod ei DCCC exposuisti. — c) Item de honoris gradu ineundo. Tac. 2. Ann. 70. Si mors Germanici Syriam aperuisset. h. e. Syriæ administrandæ potestatem fecisset. Id. 2. 7. Ut Valenti et Cæcinæ vacuos honoris menses aperiret. — d) Denique de iis, quæ incipiuntur. Virg. 1. G. 217. Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus. h. e. signum Tauri apparet, cum vernum tempus incipit. Plin. Paneg. 58. Contigit ergo privatis aperire annum. ¶ 2. Aperiri dicuntur ea quoque, quæ tecta et occulta prius, nunc deteguntur adeoque manifestantur atque in lucem proferuntur. Plaut. Truc. 4. 2. 50. Ego ædepol jam tua probra aperibo omnia. Adde eumd. Capt. 3. 3. 9. et Mil. glor. 2. 6. 47. Ter. Adelph. prol. 22. Dehinc ne exspectetis argumentum fabulæ: senes qui primi venient, hi partem aperient, in agendo partem ostendent. Cic. 1. Fin. 9. 30. Alterâ (ratione) occulta quædam et quasi involuta aperiri, alterâ prompta et aperta indicari. Nep. Pelop. 3. Hoc aperuit ejus dementiam. Adde Varron. 2. R. R. 9. 9., Sall. Jug. 33., Liv. 36. 10., et Curt. 5. 9. 9. — Speciatim hoc sensu de pluribus occurrit — a) Cum Accus. rei ignotæ, obscuræ, ambiguæ etc. Tac. 2. Hist. 78. Aperire ambages. Quintil. 12. 2. 10. ambigua. Id. 8. 3. 11. omnes dicendi artes. Ovid. 15. Met. 550. casus futuros. Sall. Cat. 5. causam consilii sui. Curt. 7. 1. 13. causam fugæ. Sall. Cat. 40. et Vellej. 2. 34. 3. conjurationem. Cic. apud Aquilam Rom. 10. consilia cogitationesque alicujus. Curt. 7. 4. 14. consilium. Cic. 4. Fin. 24. 67. et Quintil. 8. 4. 24. dubia. Virg. 6. Æn. 12. et Tac. 2. Hist. 4. futura. Id. ibid. 3. 21. obstructas mentes consiliis duci. Sall. Cat. 53. naturam et mores. Cic. Orat. 33. 116. involutæ rei notitiam definiendo. Sall. Cat. 47. omnia uti gesta sunt. Id. ibid. 41. et 45. rem omnem. Nep. Dion. 8. sensus suos. Cic. apud Aquilam Rom. 10. studia alicujus. Plin. 2. Hist. nat. 11. 8. (49). vastitatem solis.— Hinc et cum Accus. personæ aperire se et aperiri. Ter. Andr. 4. 1. 7. Post ubi tempus promissa jam perfici, tum coacti necessario se aperiunt. h. e. quid animo sentiant, manifestant. Liv. 2. 12. in fin. Ne, ignorando regem, semet ipse aperiret, quis esset. h. e. se ipse proderet. Ovid. 3. Art. am. 371. Dum sumus incauti studioque aperimur in ipso. Et similiter de re Nep. Pausan. 3. Expectandum (putabant), dum se ipsa res aperiret. — b) Raro admodum cum Ablat. et præp. de. Cic. 2. Herenn. 31. 50. Si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus. h. e. verba faciemus, disseremus, explicabimus. — c) Cum Accus. et Infinito. Nep. Dion. 6. Namque aperuisse videbatur, se omnia in sua potestate esse velle. Adde eumd. Att. 9., Liv. 44. 28. et Curt. 6. 7. 6. — d) Cum pronom. relativo. Nep. Eumen. 13. Uno propugnatore sublato quid sentirent, aperuerunt. Adde eumd. Them. 8. et Pausan. 4. et Curt. 8. 6. 20. — d) Absolute. Pomponius apud Non. 506. 30. Merc. Aperibo; non possum pati, Porcus est, quem amare cœpi, pinguis, non pulcher puer. — Part. præter. pass.

Apertus, a, um, est etiam Adject., unde Comp. Apertior et Sup. Apertissimus in omnibus ferme paragraphis. Occurrit autem iisdem, quibus verbum, significationibus, scilicet

A) Proprie. ¶ 1. Aperta dicuntur ea, quæ prius clausa erant, nunc vero patefacta, reclusa. — a) Absolute. Cato R. R. 35. Siliginem, triticum in loco aperto, celso, ubi sol quam diutissime siet, seri oportet. Adde ibid. 34. Id. ibid. 46. Locum quam optimum et apertissimum – poteris – eum locum bipalio vertito. Cic. 6. Verr. 49. 110. Ante ædem Cereris in aperto et propatulo loco signa duo sunt. Cæs. 1. B. G. 41. Ut millium amplius XL. circuitu locis apertis exercitum duceret. Id. 3. B. C. 84. His erat rebus effectum, ut equites ex apertioribus etiam locis VII. millium Pompejanorum impetum – sustinere auderent. Id. ibid. 26. Quos equitatus apertissimis campis consectatus. Liv. 38. 3. Aperti campi. Pallad. 1. R. R. 5. Campus apertior. Virg. 2. G. 280. campo stetit agmen aperto. Ovid. 1. Met. 285. Exspatiata ruunt per apertos flumina campos. Cic. 1. Divinat. 1. 2. Cælum ex omni parte patens atque apertum propter planitiem magnitudinemque regionum. Adde Ovid. 6. Met. 693. Lucret. 4. 273. Janua cum per se transpectum præbet apertum. Liv. 9. 2. Duæ ad Luceriam ferebant viæ, altera præter oram superi maris patens apertaque etc. Adde eumd. 34. 46. et 38. 41. Id. 31. 2. Apertum iter. Id. 9. 28. Quo apertior aditus ad mœnia esset, omnia ædificia – circumjecta muris incendit. Virg. 8. Æn. 585. exierat portis equitatus apertis. Tac. 3. Hist. 21. Apertus limes viæ. Cæs. 7. B. G. 82. latus. Id. 4. ibid. 23. littus. Id. 3. ibid. 12. Vastum atque apertum mare. Adde Liv. 31. 22. et Ovid. 8. Met. 165. Plin. 2. Hist. nat. 46. 45. (118). Aperto mari navigare. Cæs. 3. B. G. 9. Vastissimus atque apertissimus Oceanus. Ovid. 4. Met. 527. et 11. ibid. 555. æquor apertum. Liv. 38. 41. Acies aperta. Ovid. 13. Met. 8. Mars apertus. Justin. 3. 7. prœlium. — b) Cum Dat. Liv. 32. 21. Pœninsula est Peloponnesus – nulli apertior, neque opportunior, quam navali bello. Cic. 6. Verr. 20. 42. Statuerunt nihil se tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset. ¶ 2. Aperta sunt quæ non sunt tecta, adeoque libera, soluta, pura. Plaut. Capt. 3. 1. 15. Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt, quam in tribu aperto capite sontes condemnant reos. Cic. 7. Verr. 40. 104. Qui naves non modo inanes habuerant, sed etiam apertas. h. e. quæ nullum haberent tectum; quibus tectæ et constratæ opponuntur. Adde Liv. 31. 22. et 32. 21. Cæs. 1. B. G. 25. Ex itinere nostros latere aperto aggressi. Adde eumd. 4. ibid. 1. Virg. 1. G. 393. Nec minus ex imbri soles et aperta serena Prospicere. Id. 1. Æn. 587. apertus æther. h. e. purus, serenus. Id. ibid. 155. Apertum cælum. Ovid. 12. Met. 100. Cygnus. Liv. 25. 16. corpora. Cæs. 2. B. C. 35. humerus.

B) Translate. ¶ 1. Aperta dicuntur, quæ non sunt clausa, atque adeo quæ adiri possunt, quæ in promptu sunt. — a) De rebus. Cic. 1. Fin. 18. 57. O præclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Id. 2. Nat. D. 7. 20. Cum autem (hæc) brevius angustiusque concluduntur, tum apertiora sunt ad reprehendendum. — b) De hominibus apertus dicitur, qui nec dissimulare, nec tegere quidquam novit. Cic. 1. Fam. 9. 22. Novi animum (tuum) cum magnum et excelsum, tum etiam apertum et simplicem. Adde eumd. 3. Off. 13. 57. Id. Amic. 26. 97. Apertum pectus. Et in malam partem Id. Mur. 25. 51. Catilinam excitavi, atque eum de his rebus jussi, si quid vellet, dicere: atque ille, ut semper fuit apertissimus, se non purgavit, sed indicavit etc. Cf. eumd. 3. Verr. 2. 5. ¶ 2. Ponitur et pro detecto, pro eo, quod palam fit, pro manifesto, claro. — a) Absolute. Cic. 2. Cat. 1. 1. Sine dubio perdidimus hominem magnificeque vicimus, cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. Id. Cluent. 17. 48. Quis unquam audacior? quis nocentior? quis apertior in judicium adductus est? h. e. manifestior reus. Id. 1. Invent. 20. 28. Aperta narratio. Id. 1. Off. 35. 127. actio rerum. Id. 8. Att. 3. dolor. Id. pro lege Manil. 24. 71. Simultates partim apertæ, partim obscuræ. Virg. 11. Æn. 360. aperta pericula. Liv. 2. 27. clamores. Id. 25. 24. vis. Quintil. 3. 6. 103. finitio. Id. 3. 6. 23. intellectus. Id. 10. 3. 21. animi motus. Id. 4. 2. 36. oratio. Gell. 6. 4. Apertis verbis dicere. — b) Cum Accus. et Infinito. Cic. 2. Nat. D. 2. 4. Quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cælum suspeximus cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis? Nep. Con. 2. et 3. Apertum est hoc mihi etc. h. e. cognitum perspectumque.

Apertum, i, n. 2. substantivorum more absolute ponitur

A) Proprie pro loco aperto, pro eo, quod non est clausum, quod reseratum est, adeoque patet: et fere in dictionibus in aperto, in apertum, per apertum etc. Lucret. 3. 603. Quid dubitas tandem quin extra prodita (mens animæque potestas) corpus Imbecilla foras, in aperto, tegmine dempto, etc. Liv. 1. 33. Castra in aperto posita. Id. 21. 32. Ex aperto et interdiu vim per angustias facere. Horat. 3. Od. 12. 10. Fugere per apertum. Plin. 10. Hist. nat. 8. 9. (22). Volare in aperto. Id. 8. ibid. 32. 50. (117). Ubi placuit robur (cornuum), in aperta prodeunt. Tac. 2. Ann. 23. Auster naves disjecit in aperta Oceani.

B) Translate. In aperto esse — a) Interdum valet idem, quod Gr. ἐν τῷ φανερῷ ἐστιν, h. e. in luce positum esse. Sall. Jug. 5. Pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint. — b) Interdum valet facile esse. Tac. 3. Hist. 56. Cum fessos hieme atque inopia hostes aggredi, in aperto foret. Id. Agric. 1. Agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat. Adde ibid. 33.

APERITIO. V. APERTIO.

APERITIVUS. V. APERTIVUS.

APERTĒ, adverb. (apertus). Comp. Apertius; Sup. Apertissime. Occurrit tantum translate, atque opponitur tecte et occulte, ideoque est manifeste, clare, plane, publice, palam (It. apertamente, manifestamente; Fr. ouvertement, manifestement; Hisp. abiertamente, manifiestamente; Germ. auf eine offene, nicht verheimlichte Weise, ohne Hehl, unverhohlen, offenbar; Angl. openly, manifestly, plainly). — a) Generatim. Horat. 1. Sat. 2. 83. Adde huc quod mercem sine fucis gestat, aperte Quod venale habet ostendit. qui locus fortasse proprie accipiendus, h. e. non tecte, detractis tegumentis. Ter. Phorm. 5. 8. 62. Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat, tam aperte irridens? Cic. 1. Att. 14. 4. Et tamen ab illo aperte, tecte quidquid est datum, libenter accepi. Id. Orat. 12. 38. Non ex insidiis, sed aperte et palam facere aliquid. Id. Planc. 14. 34. Eum ipsum dolorem tulit paullo apertius. Id. 11. Att. 13. 2. Lætitiam apertissime tulimus omnes. Id. Amic. 26. 99. Aperte adulari. Id. 4. Acad. (2. pr.) 6. 18. Aperte mentiri. Id. apud Aquilam Rom. 10

Aperte pugnare. *Id.* 2. *Orat.* 36. 306. Ponere aliquid aperte falsum. *Id.* 2. *Verr.* 7. 18. Aperte palamque dicere. Adde *eumd.* *Amic.* 18. 67. et *Harusp. resp.* 28. 56. *Liv.* 1. 27. Cum Fidenæ aperte descissent. Adde *eumd.* 24. 38. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Non jam secretis colloquiis, sed aperte fremere. *Id.* 13. *ibid.* 1. Venenum proconsuli inter epulas datum apertius, quam ut fallerent. *Plin. Paneg.* 62. Aperte favere alicui. *Quintil.* 6. 3. 70. Aperte fingere aliquid. Adde *Curt.* 6. 1. 11. — *b*) Specialim ponitur de oratione, quâ sine fuco aut ulla ambiguitate quidquid sentimus libere dicimus. *Ter. Andr.* 1. 2. 24. Nempe ergo aperte vis quæ restant me loqui? *Id. Eun.* 5. 1. 3. Aperte dicere aliquid alicui. *Id. Heaut.* 4. 3. 24. narrare. *Cic.* 1. *ad Brut.* 5. 3. Aperte indicat (*lex*) posse rationem haberi non præsentis. *Id.* 16. *Att.* 3. 5. Ad Balbum scripsi apertius. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 7. 3. et *Quintil.* 1. 5. 43. *Cic. Rosc. com.* 14. 43. Planius atque apertius dicam. *Id.* 4. *Verr.* 64. 156. Ut posset multas istius et varias injurias quam apertissime vobis planissimeque explicare. *Quintil.* 6. 3. 73. Aperte redarguere. *Id.* 3. 6. 45. Apertius distinguere. *Id.* 5. 10. 8. interpretari. *Id.* 5. 12. 11. Apertissime ostendere aliquid.

ĂPERTĪBĬLIS, le, adject. aperiendi vim habens: occurrit de pharmacis tantum. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. *in fin.* Omne quod fuerit acre, sive immodice apertibile. *Et ibid.* 4. Superunctiones tenuabiles et apertibiles. *Utroque loco alii leg.* aperibilis.

ĂPERTĬO, ōnis, f. 3. actus aperiendi (It. *aprimento*; Fr. *ouverture*; Hisp. *abertura*; Germ. *die Eröffnung*; Angl. *an opening*). *Varro* 1. *R. R.* 63. Quod cum periculo introitur recenti apertione, ita ut quibusdam sit interclusa anima, aliquanto post promere, quam aperueris, oportet. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 4. In vite, vel arbore quæ facienda sunt, perage ante apertionem floris et gemmæ. *Apul.* 11. *Met.* 20. Templi matutinæ apertiones. — *Apertio* absolute vulgo dicebatur cum solemni statoque die deorum templa aperiebantur sacrorum renovandorum gratia, et omnia signa, vasa aliaque sacra commovebantur. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 301. — Item absolute dicitur a Medicis pro anatomia sive humani corporis sectione. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 8. Per apertionem, quam Græci anatomiam dicunt. *Id.* 3. *Tard.* 8. Erasistratus namque jecur inquit pati, in apertionibus enim saxeum semper inveniri confirmat. *ubi alii leg.* aperitionibus. — Apud *Theod. Priscian.* p. 316. *Ald.* *apertio* est sanguinis per sectam venam detractio.

ĂPERTĪVUS, a, um, adject. aperiendi vim habens: occurrit de pharmacis tantum. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Unguenta acriora, et provocativa et apertiva, quæ anastomotica appellant. Ἀναστομωτικὸς Græce eumdem habet sensum. *Alii leg.* aperitiva.

ĂPERTO, as, are, a. 1. frequentat. ab *aperio*. *Plaut. Men.* 5. 5. 12. Quæso, cur apertas brachium?

ĂPERTOR, ōris, m. 3. qui aperit. *Tertull. carm.* 2. *advers. Marcion.* 3. *ad fin.* Joannes baptismi primus apertor.

ĂPERTŪLĀRĬUS, ii, m. 2. idem ac effractarius. *Gloss. Philox.* Apertularius Θυρεπανοίκτης. *Gloss. Isid.* Apertularius, effractor.

ĂPERTUM, i, *V.* APERIO in fin.

ĂPERTŪRA, æ, f. 1. actus aperiendi, idem quod apertio. ¶ 1. Abstracte. *Vitruv.* 4. 6. 6. Forium ornamenta fiunt valvata, et aperturas habent in exteriores partes. *h. e.* cum aperiuntur, in exteriorem ædium partem volvuntur. *Ulp. Dig.* 28. 5. 3. § 4. Aperturæ tabularum dilatio necessarii hæredis jus non mutat. Adde *Cod.* 6. 30. 22. § 2. ¶ 2. Ut nomen concretum est foramen, locus apertus. *Vitruv.* 5. 5. § 4. *Schneid.* Relinquantur aperturæ inferiorum graduum cubilibus. *Id.* 10. 4. 2. *Schneid.* Relictis aperturis ad aquam intus concipiendam. — Est etiam sectio vestis, quæ fit circa pectus, vel ea, quæ fit ante pedes a collo ad pedes. *V.* SUBSUTURA. *Edict. Dioclet.* p. 211. Sarcinatori in veste subtili aperturæ cum subsutura oloserica x quinquaginta.

ĂPERTUS, a, um. *V.* APERIO præcipue in fin.

ĂPES, is. *V.* APIS.

ĂPEX, apicis, m. 3.

I.) Proprie et ¶ 1. Primo significat virgulam, quæ in summo pileo Flaminum lana circumdata, et filo colligata erat, ut *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 270, docet: ab antiquo verbo *apere*, quod ritu Flaminum alligare significat. Ea autem virgula in pileo Flaminis Dialis oleagina erat, ut docet *Paul. Diac.* p. 18. 9. *Müll.* — At juxta *Klotz* aliosque recentiores *apex* ratione etymi ad v. *pecto*, *pexus*, est referenda (hoc enim ajunt innuere ipsum *Servium* et *Paul. Diac. l. c.*), et significat virgam illam, quæ in pectendo ita lanâ aut lino circumdatur et circumvolvitur, ut in modum coni assurgat, quæque propterea *virga lanata* dicitur a *Servio* ad *Virg.* 2. *Æn.* 683. Hac autem significatione *apex* generatim esset fastigium et summitas cujuscumque rei; et quæ infra translate scripiuntur, proprie accipienda essent. ¶ 2. Deinde sumitur — *a*) Pro ipso pileo sacerdotali cum hujusmodi virgula in modum coni assurgente, quod erat sacerdotum insigne, ut nunc mitra Episcoporum. Ejus triplicem figuram ex antiquis lapidibus exhibet *Philipp. Rubenius l.* 2. *elector. c.* 25. Varius autem erat pro variis sacerdotum generibus. Nam suus erat et proprius Flamini Diali, suus aliis Flaminibus, et sacerdotibus: et fere fiebat ex pellibus ovillis, sumptis ex hostia cæsa, cum sua lana, et gestabatur a Flamine quidem Diali semper, cum in publicum prodiret; ab aliis, cum rem divinam erant facturi: habebatque ligamenta, quæ *offendices* dicuntur, quibus sub mento alligabatur, vel si æstus esset, post cervicem demittebatur. *V.* SAMENTUM. *Monum. Scipion.* apud *Orell. Inscript.* 558. QVEI APICEM INSIGNE DIALIS FLAMINIS GESSISTEI. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Dialis nodum in apice, neque in cinctu, neque alia in parte ullum habet. *h. e.* in apice solummodo nodum habet (quo scilicet lana circumdata alligabatur, ut dictum est) et nulla præterea alia parte. *Id. ibid.* Diali sine apice sub divo esse, licitum non est: sub tecto uti liceret, non pridem a pontificibus constitutum. Adde *Titium* et *Veranium* apud *Festum* p. 205. 2. et 3. *Müll.* *Liv.* 6. 41. Apicem Dialem alicui imponere. *Val. Max.* 1. 1. 4. Sulpicio inter sacrificandum apex e capite prolapsus sacerdotium abstulit. — *b*) Sumitur etiam pro pileo vel galero tiaræ formam præferente et regum principumque proprium, in Persia præcipue ceterisque Orientis regionibus, unde apud *Ammian.* 18. 5. et 8. *apex* et *tiara* unum idemque valent. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 4. Ab aquila Tarquinio apicem impositum putent etc. Adde *Liv.* 1. 36. et *Horat.* 3. *Od.* 21. 20. et *V.* GALERUS. — *c*) Hinc metonymice sumitur pro ipsa regia potestate seu generatim pro culmine honorum aut divitiarum. *Horat.* 1. *Od.* 34. 14. hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit; hic posuisse gaudet. *Seneca* apud *Lactant.* 17. 6. *sub fin.* Homo honestus non apice purpurave, non lictorum insignis ministerio. *Forcellinus* hoc *Senecæ* loco pro ipso sacerdotio acceperat. Et figurate *Cic. Senect.* 17. 60. Atque ejus extrema ætas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus: apex autem senectutis est auctoritas. *h. e.* pulcherrimum senectutis ornamentum, veluti regale diadema, est auctoritas; summa dignitas et quasi fastigium, ut *Forcellinus* interpretabatur.

II.) Translate, seu potius latiori sensu *apex* frequenter sumitur ¶ 1. Generatim pro fastigio et summitate cujuscumque rei, quæ in modum coni assurgens paullatim in aciem desinit. Hinc occurrit — *a*) De crista in galea cono eminente apud *Virg.* 12. *Æn.* 492. et 10. *ibid.* 270. — *b*) De volucrum cristis in capite apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (121). — *c*) De flammis. *Virg.* 2. *Æn.* 682. Ecce levis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex, tactuque innoxia molles Lambere flamma comas. *Ovid.* 10. *Met.* 279. Flamma ter accensa est, apicemque per aera duxit. *h. e.* surrexit et ascendit in modum apicis sacerdotalis. Adde *eumd.* 4. *Pont.* 9. 53. et 6. *Fast.* 635. Hinc apud *Stat.* 10. *Theb.* 782. *apicem sibi poscere in astris* est poscere inter deos referri, sive quod heroes post mortem astra fieri, persuasio fuit; astra vero ignei apices dici possunt: sive quod mos erat stellam pro apice appingi capitibus heroum in deos traslatorum, cujus rei exempla habes apud *Val. Flacc.* 3. 188., *Sil. It.* 13. 863., *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (94). et *Sueton. Cæs.* 88. — *d*) De montibus aliisque. *Ovid.* 13. *Met.* 910., *Sil. It.* 12. 709. et *Juvenal.* 12. 72. Montis apex. *Ovid.* 1. *Fast.* 308. Apex Peliacus. *h. e.* Pelios. *Lucan* 5. 100. Siculus. *h. e.* Ætna. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (72). Apex obelisci. *Colum.* 4. *R. R.* 25. 1. falcis. *h. e.* mucro. — *e*) Hinc figurate *Pacat. Paneg. Theod.* 6. Romani fastigii apex. *Arnob.* 2. 76. Tenere summum apicem perfectionis. ¶ 2. Speciatim apex dicitur virgula extensa jacens supra vocalem, quam appingebant veteres ad ostendendum, eam vocalem longam esse, et ad tollendam legentium dubitationem in iis verbis, quæ plura et inter se diversa significant, ut *mālus*, *ārēt*, *vēnit*, *lēgit* etc. Ita docet *Scaurus* in fine suæ Orthographiæ, et *Isid.* 1. *Orig.* 27. id ipsum pluribus verbis affirmat. *Quintil.* 1. 7. 2. Longis syllabis omnibus apponere apicem, ineptissimum est. Et *mox.* *Malus* utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. Adde *eumd.* 1. 4. 10. et 1. 5. 23., et *M. Victor.* 1. p. 2460. *Putsch.* ¶ 3. Item speciatim apex est stilus sive instrumentum scriptorium. *Auct. Ep. Didon. ad Æn.* 17. Torsit iter male tractus apex, dubiaque remissus Mente pudor, dum verba notat, dum nomina mandat. ¶ 4. Item ipsi ductus litterarum. *Gell.* 13. 30. Vix ipsos litterarum apices potui comprehendere. Adde *eumd.* 17. 9. — Unde figurate *Ulpian. Dig.* 17. 1. 29. Disputare de apicibus juris. *h. e.* de stricto legum sensu et summo jure. *Arnob.* 3. 1. Nullum apicem quæstionis prætermittere. *h. e.* nullam vel subtilissimam quæstionis partem. ¶ 5. Denique plur. num. apices per synecdochen — *a*) Epistolam aut scripturam quamlibet significant. *Sidon.* 6. *Ep.* 8. Oblator apicum. *h. e.* qui litteras fert. — *b*) Sæpius litteras imperatorias. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Egresso mihi Rhodanusiæ nostræ mœnibus cursus publicus usui fuit, utpote sacris apicibus accito. *h. e.* litteris principis. *Imp. Justinus Cod.* 2. 8. 6. *in fin.* Augusti apices. *h. e.* rescriptum imperatoris. Adde *ibid.* 11. 42. 11., et *Cod. Theod.* 7. 4. 24. et 16. 2. 7.

ĂPEXĂBO, ōnis, m. 3. genus farciminis, quod in sacris adhibebatur, et fiebat ex tenuissimo intestino farto (quod alio nomine *hilum* appellatur), ita dictum, ut *Varro* docet, quia in summitate quiddam habebat simile apici capitis. Verba *Varronis* sunt 5. *L. L.* 111. p. 44. *Müll.* Quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo, quod ut in capite apex, apexabo dicta. *Arnob.* 7. 24. Quid sibi hæc volunt, apexabo, hirciæ, silicernia, longabo? quæ sunt nomina, et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus. *Oehler* ex MSS. leg. *apexaones*: *Orellius* vero *apexanes*. *V.* LONGAVO.

APEXAONES et) *V.* voc. præced.
APEXANES)

ĂPHĂCA, æ, f. 1. (ἀφάκη) herba est in arvis nascens, paullo altior lente, foliis admodum tenuibus, terna, aut quaterna semina nigra in siliquis ferens. Ita *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 21. (38). describit. Quidam putant esse eamdem ac viciam silvestrem. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 165.) ait aphacam fortasse esse *Viciam sativam* L. Spec. plant. 1037.

ĂPHĂCĒ, es, f. 1. (ἀφάκη) herba ex genere olerum, et intubaceorum, quæ subinde marcescente flore emittit alium, tota hieme, toto vere usque in æstatem, ut *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 52. (89). scribit. Hæc autem soli Ægypto cognita est, ut notat *Harduinus*. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 57). ait perdifficile esse hanc herbam definire; juxta plurimos vero eam esse *Leontodon Taraxacum* L.

ĂPHÆRĔMA, atis, n. 3. (ἀφαίρεμα) genus alicæ factitiæ, quod fiebat ex zea, catenus tantummodo tusa, quoad ejus cortices, seu tunicæ a grano excussæ essent: ab ἀφαιρέω *aufero*. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (112). Ita alicæ fiunt tria genera, minimum, ac secundarium: grandissimum vero aphærema appellant. *V.* ALICA.

ĂPHÆRĔSIS, is, f. 3. (ἀφαίρεσις) figura est, quæ a principio dictionis litteram, vel syllabam aufert, vel potius omittit, ut *pone metum*, pro *depone*. Græca vox ab ἀφαιρέω, *aufero*, *demo*. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 546. *Temnitis* pro *contemnitis* per aphæresin dictum. Adde *ibid.* 609., et *Probum* p. 1438. *Putsch.*

APHANNÆ. *V.* AFANNÆ.

ĂPHANTĬCA, orum, n. plur. 2. agri squalidi et inculti, ab ἄφαντος *evanidus*, *parvos ferens fructus*. *Imp. Theodos. Cod. Theod.* 13. 11. 3. Fundus aphanticorum mole depressus. *Cod.* habet *afanticorum*. *V.* et voc. seq.

ĂPHANTĬCIUS, a, um, adject. ad aphantica pertinens, id est agrum sterilem et incultum, ab ἄφαντος *evanidus*. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theodos.* 5. 15. 12. *inter fragm.* a *Peyronio V. C.* edita. Per Italiam aphanticiæ jugerationis onere consistentibus patrimoniis superfuso. *Cod.* habet *afanticiæ*: sed rectius legendum *aphanticiæ*. V. voc. præced.

ĂPHARCĒ, es, f. 1. (ἀφάρκη) ita planta, quæ est una ex andrachnis, appellatur a *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 41. (128). Teste cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 129).

130.) apharcem juxta nonnullos est *alaternum* Plinii, juxta alios est *Phyllirea angustifolia* L.

APHELIŌTES *et* Apeliotes, æ, m. 1. (ἀφηλιώτης et ἀπηλιώτης). Apud *Gell.* 2. 22. et *Senec.* 5. *Quæst. nat.* 16. scribitur Græce ἀφηλιώτης per aspiratam, quia aspero accentu ἥλιος notatur. Sed ἀπηλιώτης, dempta aspiratione, legitur apud *Aristot.* 2. *Meteor.* 6. et alios. Itaque utroque modo recte scribi potest. — *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 338. *Burm.* Græcus Apelioten apto quem nomine signat. *ubi legendum est* Āpēliōten *vel* Āpēljōten. — Est ventus ab oriente æquinoctiali spirans contra Favonium, Latino nomine *Subsolanus*: ab ἀπό *ab*, et ἥλιος *sol*, quia ab oriente sole oritur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). Ab oriente æquinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Eurum Græci appellant. *Catull.* 26. 1. Furi, villula nostra non ad Austri Flatus opposita est, nec ad Favoni, Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ.

APHŎPLISTA, æ, m. 1. (ἀφοπλιστής) qui arma furatur, ab ἀπό *ab*, et ὁπλίζω *instruo, armo*. *Julian. Epit. novell. c.* 15. § 60.

APHŎRISMUS, i, m. 2. (ἀφορισμός). ¶ 1. Aphorismi sunt sententiæ, quæ omnia vel præcipua saltem scientiæ vel artis alicujus principia paucis concludunt. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 1. Hanc definiens Asclepiades passionem secundo libro explanatorio aphorismorum Hippocratis etc. ¶ 2. Apud Rhetores aphorismus est figura, qua aliquid per incisum majori in luce collocatur. *Jul. Rufinian.* 13. p. 233. *Frotsch.*

APHRACTUS, i, f. *vel* Aphractum, i, n. 2. ἄφρακτος (subintellige ναῦς) vel ἄφρακτον τό absolute, vox Græca, qua significatur genus quoddam longioris navigii: ab α privativo et φράσσω *munio*, quia caret tecto, quo a superiori parte munitur, et a Latinis *navis aperta* dicitur, cui opponitur κατάφρακτος, hoc est *navis tecta*. In hujusmodi navibus sedebant navigantes in ima carina, nautæ vero in tabulatis, quæ brevia ad puppim et proram erant, ut quæ opus erant commodius exequi possent. *Cic.* 5. *Att.* 13. 1. Navigavimus tardius propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. *Et* 6. *ibid.* 8. 4. Nos Etesiæ vehementissimæ tardarunt: detraxit viginti ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. *Id.* 5. *ibid.* 11. Græce usurpat, et neutro genere. Ἄφρακτα, inquit, Rhodiorum habebam. *Et* 12. Jam nosti ἄφρακτα Rhodiorum.

APHRISSA, æ, f. 1. herba eadem ac dracontea. *Apul. Herb.* 14.

APHRŌDES, adject. m. et f. (ὁ καὶ ἡ ἀφρώδης) spumans, spumeus, ab ἀφρός *spuma*. *Apul. Herb.* 53. Herba ceratitis, sive aphrodes. *h. e.* papaver agreste, quia colore spumam refert. De hoc eodem *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 93. (119). Peplis quem aliqui sycen, alii meconion, alii mecona aphrode vocant. τὴν μήκωνα ἀφρώδη, positione Græca. *V.* APHRON et PEPLIS.

APHRŌDĪSIA, ōrum, n. plur. 2. (τὰ Ἀφροδίσια) dies festus Veneri sacer: qui cur ita dicatur, *V.* in APHRODISIACE. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 62. Ego in ædem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio; Aphrodisia hodie sunt. *Id. ibid.* 1. 2. 44. Diem pulcrum et celebrem, et venustatis plenum; dignum Veneri pol, cui sunt Aphrodisia hodie.

APHRŌDĪSIĂCĒ, es, f. 1. gemma quædam ex candido in rufum colorem inclinans, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (148)., ita dicta, vel quia Veneri sacra est, vel quia roseum Veneris colorem refert. Venus autem ἀφροδίτη Græce dicitur, quia e spuma maris nata creditur, quæ Græce ἀφρός: vel et ἀπό *ab*, et ῥοδίτης *roseus*, a ῥόδον *rosa*; qui flos est Veneri sacer, ejusque color ei tribuitur et ac *Virg.* 1. *Æn.* 406. avertens rosea cervice refulsit.

APHRŌDĪSIAS, ădis, f. 3. (ἀφροδισιάς) hoc nomine appellatur *acorus* herba (*V.* ACOROS) ab *Apul. Herb.* 6. A Græcis dicitur acoros, aphrodisias; Italis Veneria, radix nautica etc. — *NB.* Est etiam nomen plurium urbium et insularum, de quibus *V.* ONOM.

APHRON, i, n. 2. (ἄφρον) genus papaveris silvestris, de quo diximus in voce *Aphrodes*, cum qua eamdem habet et significationem et Græcam originem. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 19. 79. (207). Alterum e silvestribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron. *V.* synonymiam in v. HERACLIOS.

APHRŎNĪTRUM, i, n. 2. (ἀφρόνιτρον) Latine *spuma nitri*, quam proxima (inquit *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (113). medicorum ætas tradidit in Asia in speluncis, e mollibus distillantem: ab ἀφρός *spuma*, et νίτρον *nitrum*. A *Vitruv.* 7. 11. vocatur *flos nitri*, ut adnotavit *Salmas. Solin.* p. 1079., licet quidam id negent. *Martial.* 14. 58. Rusticus es: nescis, quid Græco nomine dicar: Spuma vocor nitri, dicor et aphronitrum. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 3. et 4. *ibid.* 27. ubi scriptum legitur Latina ratione *afronitrum*, et *Isid.* 20. *Orig.* 1. — *Galenus l.* 9. *Simpl.* et *Aetius l.* 2. *c.* 60. tradunt, florem vel spumam nitri albam esse et triticeæ farinæ similem; aphronitrum vero neutiquam farinosum esse, sed coactum compactumque. Veterum autem spumam nitri et aphronitrum fuisse videtur miscella ex nitrato, uti ajunt, calcis, soda, potassia terrenisque particulis. — Veteres aphronitro usos esse ad corpus abluendum ac mundandum colligimus ex *Cyprian. Ep.* 76. 19. Ut aphronitris et ceteris quoque adjumentis et solio et piscina opus sit, quibus ablui et mundari corpusculum possit. — Denique ex aphronitro fiebant etiam pastilli, qui optimi e Lydia Romam mittebantur. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 37. Panes viridantis aphronitri. *Aphronitra* absolute appellat hosce pastillos *Trebell. Gallien.* 6. Sine aphronitris esse non possumus?

APHTHÆ, arum, f. plur. 1. (ἄφθαι) ulcera sunt oris, cum molesto caloris sensu conjuncta, pueros maxime infestantia, cum lacte minus sano utuntur. Incipiunt a gingivis, deinde palatum totumque os occupant; tum ad uvam faucesque descendunt: quibus obsessis, non facile fit, ut puer convalescat. Hæc *Cels.* 6. 11., qui tamen ipsam vocem Græce usurpat. Est enim Græca ab ἅπτομαι *accendor*. *Marcell. Empir.* 11. Galbanum melle dilutum ulcera in ore, quæ Græci aphthas vocant, illitum sanat.

APHTHĬCUS, a, um, adject. ἀφθικός, aphthis laborans. *Ulp. Dig.* 21. 1. 10. Quæsitum est, an balbus, et blæsus, et aphthicus, isque qui tardius loquitur, et varus, et vatius sanus sit? et opinor eos sanos esse. Ita legit *Cæl. Rhod. l.* 10. *c.* 20., et ita corrigenda censet verba illa *Cæl. Sabini* apud *Gell.* 4. 2. Balbus autem, et aphthicus vitiosi magis, quam morbosi sunt, etc. *Sed utroque loco rectius opt. cod. habent* atypus.

APHYA, æ, *et Græca positione* Aphye, es, f. 1. (ἀφύη) genus pisciculi minimi, qui e spuma aquarum fervente ob admissum imbrem nasci dicitur, ita dictus ab α privativo, et φύω *gigno*, quia non editur more ceterorum animalium: alii tamen derivant ab ἀφρός *spuma*. A Latinis *apua* dicitur, a Gallis quibusdam *anchois*, aut *anchoie*, ab aliis *menuise*, ut *Harduin.* docet; ab aliis *merlan*, ut *Danetius* scribit in *Lexico*; ab Italis *acciuga*, a Germ. *Anschove*, ab Anglis *anchovy*. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 44. (95). Apuam nostri, aphyen Græci vocant, quoniam is pisciculus e pluvia nascitur. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (145). Aurata, asellus, acharne, aphya, alopecias, etc. — Etiam *Cicero* hanc vocem usurpasse creditur, et urbane posuisse pro fæce plebis et vili popello, 4. *Att.* 11. Perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid censores, quid Appius, quid illa populi Aphya, etc. Plerique omnes tamen legunt *Apuleja*, *h. e.* Apulejus Saturninus, quem propter libidinum infamiam *Apulejam* vocat.

APIĀCEUS, a, um, adject. ex apio confectus. *Hygin. fab.* 74. Ludos puero funebres instituerunt, in quibus victores apiaceam coronam accipiunt. *Alii leg.* apiarius.

APIĀCIUS, a, um. *V.* voc. præced.

APIĀCUS, a, um, adject. ad apium pertinens. *Apiaca brassica* dicitur, quæ foliorum densitate et crispitudine apio similis est. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (136). Cato brassicæ genera facit tria: unam extensis foliis, caule magno: alteram crispo folio, quam apiacam vocant, etc. *Cato R. R.* 157. Altera brassica est crispa, apiacon vocatur: hæc est aspera, et natura bona ad curationem. *Harduin.* in aliquot MSS. *Plinii* legi ait *apianam* eod. sensu: sed est falsa lectio, *apiaca* enim legitur iterum apud *eumd. Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 339.) hanc exhibet synonymiam: *Olus apiacum* Cat. et Plin. l. c., Οὔλη Nicand. Athen. 9. 2., Οὐλόφυλλος Theophr. 7. 4., Σελινοειδής Cat. R. R. 157. et Σελινᾶς quorumdam, sunt *Brassica viridis crispa* C. Bauh. Pin. 111.

APIĀNUS, a, um, adject. ab apibus deductum. *Apiana uva* est ea, quæ ab Italis *moscatella*: quia apibus valde placet. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (24). Apianis apes dedere cognomen, præcipue earum avidæ. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 17. tria apianarum vitium genera distinguit. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 39. 3. *Id.* 12. *ibid.* 45. 6. Apianum vinum. — Hinc

Apiana, æ, f. dicitur herba chamæmelon apud *Apul. Herb.* 23., fortasse quia et ipsa apibus grata est.

APIĀRIUS, a, um. adject. ad apes pertinens. Unde substantivorum more

Apiarius, ii, m. 2. qui apes curat. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 31. (56). Thymum augurium mellis est: proventum enim sperant apiarii large florescente eo.

Apiarium, ii, n. 2. locus ubi apes consident, seu ubi alvei apium tenentur, quod et *mellarium*, et *alvearium* nominatur. *Colum.* 9. *R. R.* 5. 1. Non est dubitandum, quin ædificio junctum apiarium maceria circumdemus. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 3. 4., 5. 6., 7. 1. et 12. 4. *Gell.* 2. 20. docet hanc vocem non multum antiquam esse et vulgo tantum usuvenisse; scriptores autem *mellarium* dixisse, aut Græce μελισσῶνα.

APIASTELLUM, i, n. 2. *deminut. ab* apio. ¶ 1. Est herba, quæ batrachion, et apium rusticum, et herba scelerata dicitur. *Apul. Herb.* 8. ¶ 2. Etiam bryonia hoc nomine appellari dicitur ab eod. 66., ubi *Humelbergius* putat esse vocem corruptam ex *ophiostaphyle*, quod et ipsum inter nomina bryoniæ recensetur a *Dioscoride* 4. 184., ut vulgus imperitorum paullatim ex *ophiostaphyle apiastellum* fecerit.

APIASTRA, æ, f. 1. (apis) avis quædam apibus inimica, colore pennarum viridi, alio nomine *merops*. Hæc *Servius* ad illud *Virg.* 4. *G.* 14. Absint et picti squalentia terga lacerti Pinguibus a stabulis, meropesque, aliæque volucres.

APIASTRUM, i, n. 2. (apium). ¶ 1. Est herba apibus gratissima (unde appellatur etiam *melisphyllon* vel *melissophyllon*), odorem citri habens: ex quo et *citrago* dicitur a quibusdam. *Varro* 3. *R. R.* 16. 10., et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 29. (53). et 20. *ibid.* 11. 45. (116). ¶ 2. Est etiam apium agreste, id quoque gratum apibus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 41. (170). et *Colum.* 9. *R. R.* 8. 12. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 46. et 47.) notat ab *Harduino* falso affirmari apiastrum esse duplex; sed unum tantummodo esse ait, atque hanc exhibet synonymiam: Μελίταινα Theocr. Idyll. 4. 15., Μελισσόβοτος Nicand. Ther. v. 677., Μελισσόφυλλον et Μελίταινα Dioscor. 3. 118., Μελίταινα et Μελίκταινα Hesych. Lexic., Μελισσοβότανον et Μελισσόχορτον Græcor. recent., *Apiastrum* Varron., Plin. et Colum. ll. cc., et *Melisphyllum* Virg. 4. G. 63. sunt *Melissa officinalis* L. Spec. plant. 827.

APIĀTUS, a, um, adject. ab apio. ¶ 1. *Apiata aqua* dicitur a *Theod. Priscian.* 2. 2., in qua coctum sit apium. ¶ 2. *Apiatæ mensæ* dicuntur factæ e ligno ita maculoso, seu guttato, ut denso apii semine et granis congestis aspersum videatur. Alii ita dici putant ab apibus, quasi earum stercoribus aspersæ sint: sed prior interpretatio magis accedit ad *Plinii* mentem, cujus hæc sunt verba 13. *Hist. nat.* 15. 30. (96). Magna vero post has (*mensas undatim crispas*) gratia crispis, densa veluti grani congerie: quas ob id a similitudine apiatas vocant.

APĪCA ovis dicitur, quæ sub ventre nuda est, et glabra, sine lana, quæque propterea a veteribus rejiciebatur: a Græco ἄπεικος, ab α privativo et πεῖκος *lana*; vel fortasse ab ἀπεικής, vilis, *h. e.* *repudiandus*. *Paul. Diac.* p. 25. 14. *Müll.* Apica dicitur ovis, quæ ventrem glabrum habet. *Varro* 2. *R. R.* 2. 3. Ovis ventrem habeat pilosum: itaque quæ id non haberent, majores nostri apicas appellabant, ac rejiciebant. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 75. (198). *Apica ovis* dicitur et *mina*, quam voc. *V.*

APĪCĀTUS, a, um, apice tectus, hoc est pileo sacerdotali. *Ovid.* 3. *Fast.* 397. His etiam conjux apicati cincta Dialis Lucibus impexas debet habere comas.

APĪCIĀNUS, a, um, adject. delicatus, exquisitus: sive id sit a sequenti voce *apicius*, sive ab aliquo ex Romanis lurconibus, cui nomen Apicius. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (143). Apiciana coctura. *Tertull. Anim.* 33. Apiciana et lucorniana condimenta. *Apic.* 4. 1. Apiciana salacacabia. *Id.* 4. 2. Apiciana patina. *Id.* 7. 4. Apicianæ ofellæ.

APĪCIUS, a, um, adject. Quidam, inter quos *Forcellinus*, hanc vocem deductam esse putant ab aliquo ex Romanis Apiciis, ita ut *Apiciæ uvæ* dictæ sint a quodam Apicio, qui eas vel primus invexit, vel impense coluit: sed recentiores philologi rectius deducunt ab *apibus*, ita ut *apicius* proprie sit apibus gratus, ideoque dulcis, delicatus, eadem ratione qua ri-

tis apiana et vinum apianum dicuntur, V. APIANUS. Cato R. R. 24. Vinum Græcum hoc modo fieri oportet. Uvas apicias percoctas bene legito etc. Adde Varron. 1. R. R. 58. et Macrob. 2. Saturn. 16. Cato R. R. 6. et 7., Varro 1. R. R. 25. et Plin. 14. Hist. nat. 4. 5. (46). Apicium Lucanum. subaudi vinum. — Hinc

Apicius, ii, m. 2. absolute substantivorum more est qui exquisitissimos cibos amat, impense curat vel componit, qui gulæ studet; unde, quemadmodum Lurco, factum est nomen proprium apud Romanos, de quo V. ONOM.

ĀPĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. parva apis. Plaut. Curc. 1. 1. 10. Egon' apicularum opera congestum non feram, ex dulci oriundum, melliculo dulci meo? h. e. non feram favum mellis amicæ meæ? Plin. 7. Hist. nat. 21. 21. (85). Fabricatam navem, quam apicula pinnis absconderet. Adde Front. Ep. ad Ver. 8. ed. Mai.

ĀPĬCŬLĀRIUS, ii, m. 2. idem ac apiarius, seu qui apicularum curam habet. Inscript. apud Murat. 909. 11. M. LIVII L. L. HOMERI APICVLAR.

ĀPĬCŬLUM, i, n. 2. filum, quo Flamines velatum apicem gerunt, ut Paul. Diac. p. 23. 2. Müll. definit. Filum autem hoc loco velamen lanæ significat, ut in simili explicat Liv. 1. 32. Vult ergo Paulus Diac. apiculum dici velamen illud laneum, quo apex Flaminis circumdatus est, ut in APEX I. 2. diximus. Scaliger hæc Pauli verba licet defendi posse concedat, mallet tamen ita legere: Apiculum, filum, quo Flamines velati, apicem regerunt. Pone enim regerebant apicem, ne gravis esset summis æstatis caloribus: amentis enim, quæ offendices dicebantur, sub mentum adductis religabant, ut cum vellent, regererent, et pone pendere sinerent. Nam duarum rerum necessitate semper obstrictus erat Flamen, numquam nudo capite in publicum prodeundi, ac numquam apicem dimittendi. Ergo cum filo (h. e. velamine) propter æstus diei velati erant, apicem tamen gestabant, sed non in capite, ut dictum est. Hæc Scalig. Hoc itaque filum, seu velamen deminutiva voce apiculum dictum fuerit, quia ipso apice levius erat et subtilius.

ĀPĪLASCUS, ŭdis, dicitur aurum, quod postquam effossum est, pilis cuditur, et fingitur in lateres. Plin. 33. Hist. nat. 4. 21. (69). Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apilascudem vocant. Harduin. ex MSS. ostendit illud apilascudem ortum esse ex vitiosa repetitione illorum verborum ad pilas cudunt: itaque legendum: Uritur, molitur in farinam, ac pilis cudunt. Sane apilascudem monstrum vocis est. Sillig. vero ita edidit: Uritur, molitur; farinam apitascudem vocant etc.

ĀPĪNA et Trica, f. 1. duo fuere oppida Apuliæ a Diomede deleta funditus: sed et dum starent, adeo vilia et ignobilia, ut in proverbium de re qualibet vana, futili et nugatoria per ludibrium verterentur, teste Plin. 3. Hist. nat. 11. 16. (104). Fortasse eadem significatione vox est deducenda a Græca ἀφάνη, h. e. nugæ, omissa aspiratione, ut sæpe apud Latinos. Cf. voc. seq. Martial. 1. 114. Quæcumque lusi juvenis, et puer quondam, Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi, etc. Id. 14. 1. Sunt apinæ tricæque, et si quid vilius istis. V. TRICÆ.

ĀPĪNĀRIUS, ii, m. 2. scurra, vel ludius, qui tum dictis, tum gestibus ridiculis, et aliquid repræsentando oblectat ac risum movet. Duci fortasse potest ab apina, qua pro nugis ponitur. Salmas. tamen ad Trebell. Gallien. 8. censet dici a Græco ἄφανα, vel ἀφάνη, quod apud Suid. legitur, et rem ridiculam aut nugatoriam significat. Trebell. loc. cit. Cyclopea etiam luserunt omnes apinarii, ita ut miranda quædam et stupenda monstrarent. V. Salmas. loc. cit. ubi hac de re plura. Quidam leg. apenarius, aut apennarius.

ĀPĪNOR, āris, ari, dep. 1. scurram vel ludium agere. Gloss. Isid.

ĀPĬO. V. APO.

APĬOS ischas, est herba eadem quæ raphanos agria apud Plin. 26. Hist. nat. 8. 46. (2). V. RAPHANOS agria.

ĀPĪRŎCĂLUS, i, m. 2. ἀπειρόκαλος, hoc est decori rudis et imperitus, ineptus: vox Græca ab ἄπειρος imperitus, rudis, et καλός decorus, honestus. Gell. 11. 7. Alter quoque a lectionibus id genus paucis apirocalus. Vet. edition. Græce scribunt ἀπειρόκαλος et quidem rectius.

ĀPIS, is, f. 3. Priscian. 6. p. 704. Putsch., Probus p. 1470. ibid. et Servius ad Virg. 4. G. 257. putant, apes ita appellatas fuisse, quia sine pedibus esse videntur, quasi ab α privat. et pes: sed potior est eorum sententia, qui ab apo vel apio deducunt hanc vocem, quia plerumque connexæ inter se cohærere solent; hinc et examen apum derivandum. Döderlein vero a Gr. ἐμπίς culex deducit. — Nominativus singularis apes pro apis affertur quidem a Priscian. 3. p. 613. et 6. p. 703. Putsch. et a Probo l. c. tamquam usitatus, sed nullo confirmatur exemplo: contra Nominativus apis occurrit apud Ovid. 13. Met. 928. et 5. Trist. 4. 30., apud Colum. 9. R. R. 3. 2. et 12. 2. et alibi. Hinc putandum est citatos Grammaticos Nominativum apes ideo affirmasse, quod falsum etymon ab α et pes (V. sup.) comprobaret. — Genitivus pluralis fuit apium usque ad Ciceronis tempora, proindeque legitur apud eumd. Cic. 1. Off. 44. 157., Senect. 15. 54., 2. Acad. (post.) 17. 54., Harusp. resp. 12. 25. (ubi Forcellinus legebat apum) et 1. Divinat. 33. 73. (ubi Orellius legit apum contra auctoritatem Cod. Harl.), itemque apud Varron. 3. R. R. 16. 14., Ovid. 15. Met. 383., Sil. It. 8. 637. et Juvenal. 13. 68. Postea et apum et apium usuvenisse videtur: quamvis apium sæpius occurrat, ut apud Liv. 4. 33. et 27. 33., Colum. 9. R. R. 5. 5., 8. 8. 12., et apud Plin. 11. Hist. nat. 3. 2. (6)., 11. ibid. 11. 11. (27). et alibi, frequentius quam apum ut notat ipse Harduin.; apum vero certa lectione occurrit apud Liv. 21. 46. et 14. 10. et apud Colum. 9. R. R. 2. 2. — Ceterum apis est animal parvum, volatile, notum, mellis artifex (It. ape, pecchia; Fr. abeille; Hisp. abeja; Germ. die Biene; Angl. a bee). Hoc nomine appellabantur cum silvestres teste Varron. 1. R. R. 16. 19. et Colum. 9. R. R. 8. 7. seu feræ ut apud Varron. l. c. et Dig. 47. 2. 26. pr; tum cicures vel domesticæ teste Varron. l. c. — De earum origine hæc Varro 3. R. R. 16. Apes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Servius vero ad Virg. 1. Æn. 434. hujusmodi fabulam tradit. Apud Isthmum anus quædam nomine Melissa fuit (μέλισσα Græce apem significat). Hanc Ceres sacrorum suorum secreta cum docuisset, interminata est, ne cui ea, quæ didicisset, aperiret: sed cum mulieres accessissent, ut ab ea primo blanditiis, post precibus et promissis efficerent, ut sibi a Cerere commissa patefaceret, et illa in silentio perstaret, ab eisdem iratis discerpta est: quam rem Ceres, immissa pestilentia, ulta est; de corpore vero Melissæ apes nasci fecit. Tangit hanc fabulam etiam Colum. 9. R. R. 2. — De apium natura et solertia in mellificiis, deque earum servandarum ratione V. Varron. 3. R. R. 16. et seqq., Virg. 4. G., Colum. 9. R. R. 2. et seq., Plin. 11. Hist. nat. 5. 4. (11). et seqq., Pallad. 1. R. R. 37. et seqq. — De apium moribus seu vivendi agendique ratione V. Senec. Ep. 84. — Scribit Varro l. c. apes habitas esse Musarum volucres, quod, si quando dissipatæ sint, cymbalis et plausibus numero reducunt in locum suum. — Jungitur pluribus Substantivis. Cic. 2. Tusc. 22. 52. Apis aculeum sine clamore ferre non possumus. Plin. 11. Hist. nat. 10. 10. (20). Apium agmen. Id. ibid. bombus. Id. 11. ibid. 16. 16. (46). coitus. Colum. 9. R. R. 8. 2. commeatus. Cic. Har. resp. 12. 25., et Liv. 27. 23. et 24. 10. examen. Cic. 1. Off. 44. 157. et Senect. 15. 54. examina. Colum. 9. R. R. 10. 1. reges. Varro 3. R. R. 16. 14. sanitas. — Jungitur pluribus Adjectivis. Colum. 9. R. R. 14. 4. Ægræ apes. Ovid. 5. Trist. 4. 30. Attica. Virg. 4. G. 177. et Martial. 11. 43. Cecropiæ. Virg. 4. G. 139. fetæ. Ovid. 15. Met. 366. florilegæ. Colum. 9. R. R. 3. 2. grandior. Tibull. 2. 1. 49. leves. Horat. 4. Od. 2. 27. Matina. Ovid. 15. Met. 383. melliferæ. Virg. 1. G. 4. parcæ. Martial. 13. 104. populatrices Hymetti. Ovid. 13. Met. 928. sedula. Colum. 9. R. R. 13. 9. vetustate corruptæ. — Jungitur et nonnullis Verbis. Horat. 4. Od. 2. 29. Carpunt grata thyma per laborem plurimum. Virg. 2. G. 452. Condunt examina. Plin. 11. Hist. nat. 5. 4. (11). Confingunt favos. Id. ibid. 6. 5. (14). Exeunt ad opera. Ovid. 13. Met. 928. Ferunt collectos flores. Cic. 1. Off. 44. 157. Fingunt favos. Virg. 6. Æn. 708. Insidunt floribus. Plin. 11. Hist. nat. 18. 19. (59). Mellificant, mella faciunt. Virg. 4. G. 556. strident. — NB. De Api Deo V. ONOM.

ĀPISCOR, apisceris, aptus sum, ăpisci, dep. 3. (ab apere). Part. Apiscendus passiva significatione I. et II. — Sunt qui apud Cic., Serv. et Tac. loc. infra cit. fere adipisci substituunt: sed jamdiu est, cum queruntur critici hoc verbum tum in his, tum in aliis locis Sall., Varron. et Liv. (V. ADIPISCOR), a sciolis, aut ab imperitis librariis depravatum esse. — Ceterum Apiscor est idem fere quod adipiscor, sive consequor, obtineo, potior (It. afferrare, raggiungere, acquistare; Fr. atteindre, rejoindre, obtenir; Hisp. alcanzar, conseguir, obtener; Germ. an eine Person oder Sache erreichen, ergreifen oder fassen; Angl. to get, gain, acquire, procure).

I.) Proprie ponitur de iis, quæ manibus vel externo alio modo comprehenduntur atque obtinentur. Plaut. Epid. 5. 2. 3. Sine me hominem apisci. h. e. assequi. Sisenna apud Non. p. 68. 24. Merc. Postero die legatos Iguvium redeuntes apiscitur. h. e. invenit. Cic. 8. Att. 14. 3. Ait, cum nescio quo penetrasse itineribus, occultandi sui causa, an maris apiscendi. Lucret. 6. 1234. Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci Ex aliis alios avidi contagia morbi.

II.) Translate. ¶ 1. Apisci est consequi, obtinere, sed de abstractis ponitur. — a) Cum Accus. Plaut. Capt. 4. 1. 8. Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam. Ter. Heaut. 4. 3. 15. Apisci vitam deorum. Adde Pacuvium, Accium et Lucilium apud Non. p. 234. 25. Merc., iterumque Lucilium apud eumd. 74. 29. Servius Sulpic. apud Cic. 4. Fam. 5. 6. Vidimus magnam ex ea re te laudem apisci. Catull. 64. 145. dum aliquid cupiens animus prægestit apisci. Liv. 4. 2. Spes apiscendi summi honoris. Adde eumd. ibid. 6. Tac. 1. Ann. 31. Præbuit juveni facultatem apiscendi favoris. Id. 4. ibid. 1. Summa apiscendi libido. Id. ibid. 16. Qui id flaminium apisceretur. Id. ibid. 59. Apiscendæ potentiæ properus. Id. 16. ibid. 8. Apisci jus in quatuor ordinibus sedendi. Id. 11. ibid. 22. quæsturam. Manil. 3. 145. Ultimus et totam concludens ordine summam, Rebus apiscendis labor est, qui continet omnes Votorum effectus. h. e. opibus acquirendis. — b) Cum Genit. Tac. 6. Ann. 45. Apisci dominationis. Alii leg. adipisci. — c) Passive. C. Fannius apud Priscian. 8. p. 791. Putsch. Hæc apiscuntur. h. e. ἐπιτυγχάνονται, ut ipsimet Priscian. interpretatur: alii leg. adipiscuntur. Fabius Maximus apud eumd. 8. 4. p. 369. ed. Krehl. Amitti, quam apisci. passive sunt prolata, addidit Priscian.

APISION, i, n. 2. herba, alias isatis. Apul. Herb. 69.

ĀPĬUM, ii, n. 2. herba ab apibus dicta, quibus est gratissima. — a) Ejus plura sunt genera. Id enim, quod sponte in humidis nascitur, helioselinum vocatur (hoc est apium palustre, ἐλειοσέλινον, ab ἕλειος, palustris) uno folio, nec hirsutum. Rursus in siccis hipposelinum (ἱπποσέλινον, hoc est apium majus: ἵππος enim in compositione auget) pluribus foliis, simile helioselino. Tertium est oreoselinum (h. e. montanum, ab ὄρος, mons) cicutæ foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tantum. Item sativum, seu hortense, quod et ipsum differentias habet in folio denso, crispo, aut rariore et leviore: item caule tenuiore, aut crassiore. Et caulis aliorum candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius. Hæc ex Plin. 19. Hist. nat. 8. 37. (123). — b) Apii sativi multus est usus in condimentis, vocaturque alio nomine petroselinum (tametsi petroselinum etiam aliam herbam ab apio diversam significat). V. PETROSELINUM. Synonymias Vide, si lubet, suis locis. — De apii sativi cultura V. Colum. 11. R. R. 3. 33., Plin. 19. Hist. nat. 8. 46. (158). et Pallad. 5. R. R. 3. 2. Et Virg. 4. G. 120. Quoque modo potis gauderent intuba rivis Et virides apio ripæ. — c) Adhibebatur apium in coronamentis convivalibus, ut colligitur ex Horat. 1. Od. 36. 16., 2. ibid. 7. 24. et 4. ibid. 11. 3. et ex Virg. 6. Ecl. 68. — d) In magnis Græciæ ludis Nemeis atque Isthmicis corona ex apio donabatur qui vicisset, ut est apud Plin. 19. Hist. nat. 8. 46. (158)., Juvenal. 8. 226., Hygin. fab. 74., et Marcell. Empir. c. de apio, ubi addit, primum Herculem hujusmodi coronam meruisse: scribit etiam, ideo apium dictum, quod apex hanc (herbam) ferre solebat Victoris, veterum fieret dum more triumphus. Sed homini medico notationem ineptam afferenti ignoscendum est. Servius vero ad Virg. 6. Ecl. 68. hæc habet: Apud antiquos in agone erat species coronæ de apio, sed in Nemeo agone, qui in honorem Archemori institutus est; et volunt quidam hoc coronæ genus ad indicium mortis electum, aut quod humilis herba immaturum de Archemoro luctum os-

tendat, aut quod supra hanc herbam repians puer a serpente extinctus est. Sane in eo agone specialim apio coronantur poetæ.

ĂPĬUS, ii, m. 1. idem quod apium. *Pallad.* 5. *R. R.* 3. 2. et *Veget.* 3. *Veter.* 11. 1.

ĂPLĂNES, ἀπλανής, hoc est non vagus, non errans: vox Græca ab α privativo et πλάνη *error, erratio*; et apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 9. et 11. Latinis litteris scripta legitur: Sphæra prima illa stellifera apud Græcos aplanes vocatur.

ĂPLŪDA *vel* Appluda, æ, f. 1. proprie est ¶ 1. Palea minutissima frumenti, quæ et *acus* dicitur, quæ in terendis spicis in area excutitur et evolat. Ita dicta pro *aplauda* (ea ratione, qua *cludo* pro *claudo* dicitur) ab *applaudendo* (ab *a* vel *ab* et *plaudo*) hoc est excutiendo, quia terendo excutitur: ex quo malunt alii *appluda* scribere duplici *pp*: tametsi in libris *apluda* sæpius legitur (It. *lolla, pula*; Fr. *menue paille, fêtu*; Hisp. *miaja de paja*; Germ. *die Spreu*; Angl. *the chaff, husks*). *Paul. Diac.* p. 10. 11. *Müll.* Apluda est genus minutissimæ paleæ frumenti, sive panici: de qua *Nævius*: Non hercle apluda est hodie, quam tu, nequior. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 23. (99). Milii, et panici, et sesamæ purgamenta apludam vocant, et alibi aliis nominibus. Adde *Placidum* p. 433. *Mai.* ¶ 2. Accipitur etiam pro furfuribus (It. *crusca, semola*; Fr. *son*; Hisp. *salvado*; Germ. *die Kleie, Pollmehl*; Angl. *bran*), quia furfures cum aceribus quamdam habent affinitatem. Utraque enim frumenti purgamenta sunt: *apluda* cum in area teritur, *furfures* cum pinsitur, aut molitur in farinam. *Non.* p. 69. 33. *Merc.* et *Gell.* 11. 7. Apludam veteres rustici frumenti furfurem dixerunt. *Gell. loc. cit.* affert hæc verba cujusdam causidici sui temporis: *Hic eques Romanus apludam edit, et flocces bibit.* Addit autem tum is, tum *Non.* etiam a *Plauto* in *Astraba*, seu *Clitellaria* hanc vocem hoc sensu usurpatam fuisse, sed inter obsoletas esse censendam. ¶ 3. Denique *Paul. Diac.* p. 11. 1. *Müll.* addit, putare nonnullos apludam esse sorbitionis liquidissimum genus, quod flatu dejiciatur, et quasi adplaudatur. Sed hujus notionis nullum aliud suppetit testimonium.

APLUSTRA, orum, n. plur. 2. *V.* voc. seq.

ĂPLUSTRE, is, n. 3. *et sæpius in plur. num.* Aplustra, orum, n. 2. *vel* Aplustria, ium, n. 3. *Paul. Diac.* p. 10. 1. *Müll.* ait, esse navium ornamenta, ita dicta, quia erant amplius quam essent necessaria usu: ideoque et *amplustra* dicta; quæ scribendi ratio occurrit etiam in quibusdam *Silii It.* MSS. codicibus. Sed hoc etymon est omnino ineptum. *Voss.* mavult dici a Græco ἄφλαστον, hoc est summa puppis pars: cujus sententiæ recentiores plerique omnes assentiunt. Itaque *aplustre* significat navis ornamentum ex tabulis confectum, et in summitate puppis positum, et plerumque in modum pinnarum, aut cristæ formatum, et versus proram recurvum, cujusmodi in columna Trajana et in aliquot nummis conspicitur; affertusque ejus figura a *Scheffero de Milit. navali l.* 2. *c.* 6. In medio aplustris fixum erat baculum, cui alligatæ erant fasciæ et tæniæ versicoloriæ, quæ per aera ludebant; erantque veluti parva vela, ex quarum agitatione ventus cognosci poterat, cum mali vela submissa erant. Aplustria fuisse in puppi, ubi gubernator navis sedebat, constat ex hoc loco *Sidon.* 8. *Ep.* 12. Hic tuas laudes, modificato celeumate, simul inter transtra remiges, gubernatores inter aplustria canent. *V.* Dissert. de navigiis in edit. *Cæsaris* Paris. *T.* 4. p. 65., ubi idem affirmatur. — *a*) Plur. num. *Lucret.* 4. 438. Navigia, aplustris fractis, obnitier undis. Adde *eumd.* 2. 555. *Cic.* apud *Priscian.* 7. p. 769. *Putsch.* Navibus absumptis fluitantia quærere aplustra. *Salmas. Exercitat. Plin. p. m.* 573. legit: *Navibus aut summis etc.*; et *aplustra fluitantia* interpretatur fasciolas illas in aplustri positas et vento agitatas. Adde *Cæsarem Germanicum* apud *Priscian. l. c.*, et *Manil.* 1. 692. *Sil. It.* 14. 422. torquet Pœnorum aplustribus ignes. *Id.* 10. 325. Et transtra et mali lacero que aplustria velo. *Rutil. Itiner.* 1. 513. Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus: Mollia securo vela rudente tremunt. — *b*) Sing. num. *Lucan.* 3. 585. dum pugnat ab alta Puppe Tagus, Grajumque audax aplustre retentat. *Et ibid.* 672. at hi tortum validis aplustre lacertis, Avulsasque rotant excusso remige sedes. Adde *Juvenal.* 10. 136., *Apul. de dogm. Plat.* 3., ubi negat, aplustre esse partem navis, et *Sidon.* 8. ep. 12.

ĂPLYSIÆ, arum, f. plur. 1. pessimum spongiarum genus, quia elui non possunt: ab α privativo et πλύνω *lavo*. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 69. (150).

ĂPO, is, ere, a. 3. necto, alligo, vinculo connecto: a Græco ἅπτω *ligo*, ut docet *Voss. Etymol.* (Cf. sanscr. *âp*, quod significat *prehendere, arripere*). Est autem verbum antiquum et obsoletum, cujus mentio fit solum a quibusdam veteribus Grammaticis. *Paul. Diac.* p. 18. 9. *Müll.* Apex — dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo apere dicebant. *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 270. Apere veteres ritu Flaminum alligare dicebant: unde apicem dictum volunt. Adde *eumd.* ad *Virg.* 2. *ibid.* 683. — *NB.* Legitur etiam *Apio* in quibusdam antiquis Glossis. Hinc *Isid.* 19. *Orig.* 30. 5. Apex appellatus ab apiendo, id est a ligando. — Ab hoc verbo nasci participium *aptus*, docet *Paul. Diac. loc. cit.*; quemadmodum *apiscor* ejusque derivata.

ĂPŎCĂLO, hoc est recedo, legitur a quibusdam in *fragm. Tragur. Petronii* 67. *Burmann.*, ubi alii alia. Nihil enim certi eo loco statui potest. *V.* APOCULANIUS.

ĂPŎCĂLYPSIS, is, f. 3. ἀποκάλυψις, revelatio, manifestatio mysteriorum alicui facta, ab ἀποκαλύπτω *revelo, manifesto*. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 5. Apocalypsim Joannis Marcion respuit.

ĂPŎCARTĔRĒSIS, is, f. 3. ἀποκαρτέρησις, hoc est inediæ tolerantia usque ad vitam finiendam: ab ἀποκαρτερέω *inediam tolero*. Vox Græca, et Græcis litteris scripta legitur apud *Quintil.* 8. 5. 23.; at Latinis apud *Tertull. Apolog.* 46. Lycurgus apocarteresim optavit, quod leges ejus Lacones emendassent. Adde 1. *advers. Marcion.* 11. *ad fin.*

ĂPŎCĂTASTĂSIS, is, f. 3. ἀποκατάστασις, hoc est restitutio in pristinum statum seu formam: ab ἀποκαθίστημι *restituo, reddo, repono in locum pristinum*. Specialim dicitur de cursu solis, aut lunæ aliorumve planetarum, cum post præfinitum aliquod tempus sub idem signum redeunt. Græcis verbis scripta legitur apud *Colum.* 3. *R. R.* 6. et apud *Firmic.* 3. *Mathes.* 1.; at Latinis apud *Apul. Trismeg.* 13.

ĂPŎCĂTASTĬCUS, a, um, adject. ἀποκαταστατικός, in eumdem locum restitutus, ut *Apocatasticus Mars* apud *Sidon.* 8. *ep.* 11. *a med.* *V.* vocem præced. — Hinc *Capell.* 7. p. 240. docet numerum quinarium etiam apocatasticum esse, quia sive cum aliis imparibus, sive cum sui generis numeris sociatus, se semper ostendit, et licet per varias multiplicationes traductus, sese quodammodo restituit et conservat.

ĂPŎCHA, æ, f. 1. ἀποχή, acceptilatio, scriptum, quo creditor pecuniam se accepisse testatur, et debitorem liberat: ab ἀπέχω *recipio*: et est vocabulum JCtorum (It. *ricevuta, quitanza*; Fr. *quittance*; Hisp. *recivo, quitanza*; Germ. *die Quittung*; Angl. *a receipt*). *Ulp. Dig.* 46. 4. 19. inter acceptilationem et apocham illud esse discrimen docet, quod *acceptilatione* omni modo liberatio contigit, licet pecunia soluta non sit: *apocha* non alias, quam si pecunia soluta sit. *Scævola ibid.* 12. 6. 67. § 3. Cum reperiantur apochæ solutæ pecuniæ. *Ulp. ibid.* 47. 2. 27. Apocham alicui surripere. Adde *Cod. Theod.* 12. 1. 2. et 12. 6. 16. *Apoca* legitur in *Inscript. ined.* in *Giorn. Pis. T.* 16. p. 192. TABVLARIIS EX SINGVLIS APOCIS SVMM. XX. *V.* integram *Inscript.* in *V.* PROFESSIONARIUS. — Apochæ respondet *antapocha*, et est scriptum, quo debitor se pecuniam debitam creditori solvisse testatur, ἀνταποχή. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 21. 18. Apochæ susceptori antapocham reddere.

APOCHATICUS, a, um, adject. ad apocham pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim solummodo in *Not. Tir.* p. 151.

ĂPŎCHO, as, are, a. 1. verbum ab *apocha* deductum, et videtur idem esse, ac apocham conficere et debitori reddere. *Apochandi licentia et apochandi præsumptio* inhibetur et damnatur ab *Impp. Valentiniano et Valente Cod. Theod.* 11. 2. 1. et 2., quibus verbis intelligi videtur mos contra leges inductus, ut qui annonæ species conferre debebant, pecuniam pro iis solverent rectoribus provinciarum apochamque reciperent, tamquam legi satisfecissent, cum tamen ea ratione annonaria res Romæ non sublevaretur.

ĂPŎCHЎMA, ătis, n. 3. (ἀπόχυμα) eadem est ac zopissa, ut probatur ex *Dioscor.* 1. 98. Ejus meminit *Veget.* 3. *Veter.* 54. 4., 5. *ibid.* 27. 4. et 6. *ibid.* 11. 1.

ĂPŎCLĒTI, orum, m. plur. 2. *V.* APOLECTUS 3.

ĂPŎCŎLŎCYNTŌSIS, is, f. 3. ἀποκολοκύντωσις, quasi dicas incucurbitatio: ab ἀπό, et κολοκύντη *cucurbita*: titulus est libelli festivissimi, quem *Seneca* composuit de morte Claudii. Est autem, quemadmodum *apotheosis* relatio inter deos, sic *apocolocyntosis* quasi relatio inter cucurbitas: quam vocem commentus est *Seneca*, ut fatuum Claudii ingenium et cucurbitæ simile notaret.

ĂPŎCŎPĒ, es, f. 1. ἀποκοπή, hoc est amputatio, ab ἀποκόπτω *abscindo*, figura est Grammaticorum, qua in fine vocis una vel plures syllabæ detrahuntur: ut *Endo sua do* (pro domo). Item *Proras detondete et despoliate guberna* (pro gubernacula). Hæc *Mar. Victorin.* p. 2499. *Putsch.* Adde *Prob.* 1. p. 1438. *Putsch.* *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 502. Cum per apostropham apocopen verba patiuntur etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 156., 2. 661. et 11. 463.

ĂPŎCŎPUS, a, um, adject. ἀπόκοπος, abscissus, spado, eunuchus: ab ἀποκόπτω *abscindo*. *Firmic.* 3. *Mathes.* 11. n. 8. Inefficaces, et apocopos reddent, et qui nihil agere possint.

ĂPŎCRISIĀRIUS *vel* Apocrisarius, ii, m. 2. (ἀποκρισιάριος) legatus alicujus, vel procurator, qui pro eo respondet: ab ἀποκρίνομαι *respondeo*, a quo ἀπόκρισις *responsio*. *Justinian. Novell. Constit.* 123. 25. et *Julian. Epit.* 6. 26., 115. et 483.

ĂPŎCRŎTUS, a, um, adject. ἀπόκροτος, percussus, male tractatus, a κροτέω *pulso*. *Firmic.* 7. *Mathes.* 3. *in fin.* Nascentur servi, miseri, apocroti, oligochronii, et infelices.

ĂPŎCRUSTĬCUS, a, um, adject. ἀποκρουστικός, vim depellendi habens. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. *a med.* Frigida vero vel coercentia, quæ agrostica (*corrige* apocrustica) vocant, etiam igne sacro vexatis, admixta congrua efficiuntur.

ĂPŎCRЎPHUS, a, um, adject. (ἀπόκρυφος). *Apocryphi libri, apocrypha opera* dicuntur a Scriptoribus Ecclesiasticis, quorum occultus, aut incertus est auctor: ab ἀποκρύπτω *occulo*: adeoque carent auctoritate, et publice in Ecclesia legi prohibentur; et propterea canonicis et ἀγιογράφοις opponuntur: qua de re plura *Justus Fontaninus de antiquitat. Hortæ* l. 2. c. 3. Hac voce præter *Hieronym.*, *Augustin.* et *Isidor.* usus est etiam *Tertull. Anim.* 2. et *Resurr. carn.* 63.

ĂPŎCŬLĀNIUS Orcus pro homine valde bibaci, et qui pocula omnia tamquam Orcus absorbeat, putant quidam legi in *fragm. Tragur. Petronii* 62. *Burmann.*, ubi ait: *Erat autem miles fortis, tamquam Orcus apoculanius. Nos circa gallicinia* etc. Alii autem ita legunt: *Erat autem miles fortis tamquam Orcus. Apoculamus nos circa gallicinia*; hoc est recedimus, abimus, discedimus, ut sit verbum *apoculare* a Græco ἀποκυλίω, quod significat *amovere, amoliri volvendo*. Similiter autem legi putant *ibid.* 67. *Ego me apoculo.* Sed utrobique alii alia.

ĂPŎCЎNON, i, n. 2. (ἀπόκυνον) ¶ 1. Est ossiculum in ranæ rubetæ sinistro latere, quod si in aquam dejectum fuerit, statim fervere ferunt; amorem item et jurgia concitare, si in potionem addatur, etc. Sic dictum est, quoniam canum impetus eo cohibentur: ab ἀπό *ab*, et κύων, κυνός *canis*. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. (51). ¶ 2. Apud *eumd.* 24. *ibid.* 11. 56. (98). est etiam planta.

ĂPŎDECTA, æ, m. 1. (ἀποδέκτης) coactor seu susceptor tributi et vectigalis. *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. DLXXIV., apud *Murat.* 2004. 1. HANC ARCAM EGO PRINCIPIVS EX EPODECTA (*corrige* APODECTA) DE MEO PROPRIO, NVLLO HABENTE CONSORTE, XXVI. SOLID. COMPARAVI.

ĂPŎDERMUS, a, um, adject. Apodermum isicium apud *Apic.* 2. 2. est, in quo sunt nuclei et amygdala depilata: nam, ἀπόδερμον significat *cutem*, seu *corticem detractum*. Alii minus recte leg. *apothermum*, hoc est calidum, a θερμός *calidus*, quia, inquiunt, ad amygdala decorticanda calida aqua opus est.

ĂPŎDES. *V.* APUS.

ĂPŎDICTĬCUS, a, um, adject. (ἀποδεικτικός) apodixin, hoc est evidentem probationem habens. *Gell.* 17. 5. Usus esse existimabat argumento M. Tullium non probo, neque apodictico, sed etc. *Capell.* 5. p. 154. Fides apodictica. *Id.* 6. p. 227. Apodictica hujus pulveris erudita cognitio.

ĂPŎDIOXIS, is, f. 3. (ἀποδίωξις) rejectio est, seu rhetorica figura, qua eludimus ab adversario proposita, hac vel simili formula: *Quid attinet de his rebus dicere, cum ad causam nihil faciant?* Græca vox ab ἀποδιώκω *expello*. *Jul. Rufinian.* 12. p. 231.

ĂPŌDIXIS, is, f. 3. ἀπόδειξις, significat probationem evidentem, ut interpretatur *Quintil.*, apud quem modo Græcis, modo Latinis litteris scripta legitur 5. 10. Sic *Gell.* 17. 5. Apodixin vocari, cum ea, quæ dubia aut obscura sunt, per ea, quæ ambigua non sunt, illustrantur, etc. Rectius tamen Græce usurpatur: est enim Græca vox, ab ἀποδείκνυμι *ostendo, demonstro.* Latine scripsit etiam *Petron.* c. 132. Rogo te, mihi apodixin defunctoriam redde. *h. e.* redde mihi signum illud evidens, quo defungi soles munere tuo. *V.* si vacat *Gronov. l.* 4. *Observat. c.* 13. *ad fin.*

ĂPŌDŎSIS, is, f. 3. ἀπόδοσις, hoc est redditio. Est figura, qua singula periodi membra singulis redduntur et respondent, quæ *distributio* Latine dici potest, ut in illo *Ter. Andr.* 1. 5. 42. adeon' me ignavum putas? Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum, ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat etc? *Hæc Donat.* ad *Ter. l. c.* — *NB.* In *Forcellini* vet. edit. hæc addebantur: Sumitur interdum pro altera periodi parte, quæ respondet primæ, quæ *protasis* dicitur. — Item pro altera exordii parte. Fere autem Græcis litteris scribitur. Est enim Græca vox, ab ἀποδίδωμι *reddo.* — Huic respondet *antapodosis* (ἀνταπόδοσις, hoc est *redditio contraria*, ut interpretatur *Quintil.* 8. 3.) et fit cum præcedit similitudo, et res sequitur, propter quam explicandam similitudo allata est, ut in illo *Cic. Mur.* 13. 29. *Ut ajunt in Græcis artificibus eos auledos esse, qui citharœdi fieri non potuerint; sic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire.* Similitudo sine antapodosi est in illo *Virg.* 2. *Æn.* 356. *Inde lupi ceu Raptores atra in nebula, quos etc. Quintil. loc. cit.* semel Græcis, semel Latinis litteris scribit. *Servius* etiam ad *Virg.* 9. *Æn.* 454. Latine utitur, et fieri docet etiam tunc, cum commemorantur ea, quæ non sunt ante prædicta.

ĂPŎDȲTĒRĬUM, ii, n. 2. (ἀποδυτήριον) locus in balneis, in quo loturi deponebant vestes, quæ, interim dum lavabant, a capsariis servabantur: ab ἀποδύω *exuo. Cic.* 3. *Q. Fr.* 1. 1. §. 2. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Apodyterium balinei laxum et hilare excipit cella frigidaria. *Et paullo post.* Apodyterio superpositum est sphæristerium. *Inscript.* apud *Orell.* 3278. SATELLIA M. F. ANUS APODYTERIVM AD NOVITATEM *Restituit* EPISTYLIS CETERISQVE MARMORIBVS *Ornavit. V.* et **SPOLIARIUM.**

ĂPŎGÆUS, a, um, adject. ἀπόγειος et ἀπόγαιος, a terra veniens: ex ἀπό *ab*, et γαῖα *terra. Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 44. (114). Videmus, ventos, quos vocant altanos, e terra consurgere: qui quidem cum mari redeunt, tropæi vocantur; si pergunt, apogæi.

ĂPŎGRĂPHON, *et Latina positione* apographum, i, n. 2. (ἀπόγραφον) exemplar libri, vel tabulæ pictæ ab autographo descriptum: ab ἀπογράφω *describo. Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (125.) Hujus tabulæ exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit. *Cic.* 12. *Att.* 52. Græce scribit. Utitur autem de libris philosophicis a se quodammodo descriptis, non e Græca lingua in Latinam versis.

ĂPŎLACTIZO, as, a. 1. proprie significat calcibus ferire, aut calcare: est enim Græcum verbum ἀπολακτίζειν, ab adverbio λάξ, *calcibus ferire:* translate autem significat nihili facere, despicere, aspernari. *Plaut. Epid.* 5. 2. 13. Apolactizo inimicos omnes.

ĂPŎLAUSTUS, i, m. 2. ἀπολαυστός, voluptati serviens, in quo voluptas percepta est. Hinc factum est cognomen Romanum plurium libertinorum. *Capitolin. Ver.* 8. Habuit et Agrippum histrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem et ipsum ex Syria veluti tropæum Parthicum adduxerat; quem Apolaustum nominavit. *Lamprid. Commod.* 7. Cum etiam Apolaustus, aliique liberti aulici pariter interempti sunt. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 28. C. Varius Apolaustus.

ĂPŎLECTUS, adject. (ἀπόλεκτος). ¶ 1. *Apolecti*, orum, f. 2. (*subaudi* pelamides) dicuntur frusta pelamidum concisarum saliendi gratia: ab ἀπολέγω *seligo*, quia non omnes earum partes, sed selectæ conciduntur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (48). Pelamides in apolectos, particulatimque consectæ, in genera cybiorum dispertiuntur. ¶ 2. Ipsæ quoque pelamides, quæ sunt in suo genere maximæ, quia sunt aptæ, ut in frusta concidantur, *apolecti* dicuntur. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (150). ¶ 3. *Apolecti*, orum, m. 2. (ἀπόλεκτοι) in Ætolia dicebantur viri aliquot selecti, ex quibus constabat concilium civitatis, ad quod pertinebat decernere de plurimis rebus, quæ sine universo populi concilio transigi poterant: ab ἀπολέγω, *seligo. Liv.* 35. 34. Concilium quidem universæ gentis non habuerunt; per apolectos autem (ita vocant sanctius concilium: ex delectis constat viris) id agitabant, ut etc. *Id.* 36. 28. *ad fin.* In concilio delectorum, quos apolectos vocant. Pro *apolecti* plures alii malunt *apocleti*, ἀπόκλητοι, hoc est *vocati*, ab ἀποκαλέω *voco:* quam lectionem præferunt recentiores plerique.

ĂPOLLĬNĀRĬA, æ, f. 1. herba, quæ et strychnos appellatur. *Apul. Herb.* 74.

ĂPOLLĬNĀRIS, e, adject. ad Apollinem pertinens. *V.* ONOM. ¶ 1. Apollinaris herba, vel apollinaris absolute, vel apollinaris minor, est herba eadem, quæ hyoscyamus, teste *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 17. (35). et 26. *ibid.* 14. 87. (140). *Scribon. Compos.* 93. et 108. Apollinaris herbæ radix. *Id. Compos.* 90. et 121. Apollinaris radix. ¶ 2. Item est solani species, quam et dercean Græci vocant. *Apul. Herb.* 22., ubi addit, ita appellatam esse ab ipso Apolline, qui eam invenisse fertur.

ĂPOLLŌNOS gonos est herba eadem, quæ apollinaris. *Apul. Herb.* 90. *V.* voc. præced.

ĂPOLLŌNOS hȳdreuma. *V.* **HYDREUMA.**

ĂPŎLŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod *apologus*, hoc est fabulosa narratio, cujusmodi sunt Æsopi fabellæ. *Quintil.* 5. 11. 20. Αἴνον Græci vocant λόγους μυθικούς: nostrorum quidam, non sane recepto in usum nomine, apologationem.

ĂPŎLŎGĒTĬCUS, a, um, adject. ἀπολογητικός, ad defensionem causæ pertinens: ab ἀπολογέομαι. *V.* vocem sequentem. *Tertullianus* librum suum, quo Christianorum contra Gentiles causam tuetur, *Apologeticum* inscripsit. Est etiam Hieronymi *Apologeticon* ad Domnionem.

ĂPŎLŎGĬA, æ, f. 1. (ἀπολογία) oratio qua se quis et sua facta defendit, aut excusat, aliorumque accusationes et argumenta refellit, ab ἀπολογέομαι, *dicendo refello, refuto, confuto.* Est *Apuleji* liber hoc titulo inscriptus. Utitur etiam *Hieronym.* 2. *in Rufin.* 4. et 6. et alibi.

ĂPŎLŎGO, as, are, a. 1. *Seneca Ep.* 47. Retulit illi gratiam servus, ille in primam decuriam conjectus, et ipse illum invicem apologavit, et ipse non judicavit domo sua dignum. *Ablegavit* malebant quidam, tum quod *apologavit* insolens verbum est et semibarbarum, tum quod totus hic locus corruptus videtur: at *Lipsius* (quem recentiores plerique omnes sequuntur) ex consensu librorum *apologavit* retinet, et interpretatur, *convicio affecit*, vel *notavit*, a Græco ἀπολέγω, quod et *rejicere, repudiare* significat.

ĂPŎLŎGUS, i, m. 2. (ἀπόλογος) narratiuncula ficta et fabulosa, ea præsertim, in qua animalia rationis expertia, et plantæ loquentes inducuntur, quales sunt fabellæ *Æsopi*, *Phædri*, etc., ex quibus aliquod vitæ præceptum eruitur. Differt a *fabula*, quæ est narratio major, et proprie μῦθος dicitur; fere autem possibilia et verisimilia continet, qualia sunt hominum ac deorum facta. Ita porro se habent inter se, ut omnis apologus fabula dici possit, non tamen contra. Nam epopeja, v. gr., tragœdia, comœdia *apologi* dici non possunt. Itaque *fabula* est nomen tum generis, tum speciei; *apologus* speciei tantum. Dictus est ex ἀπό *ab*, et λέγειν *dicere*, quia in hujusmodi fabulis aliud significari volumus, ac ipsa sonat narratio, et ab illo, quem habent, sensu ad alium traducere: vel dictus est, quasi λόγος ἀπὸ λόγου, quia aliud aperte dicit, aliud innuit. (It. *favola, apologo*; Fr. *fable, apologue*; Hisp. *fabula, apologo*; Germ. *die Erzahlung*; Angl. *a fable, apologue*). *Plaut. Stich.* 4. 1. 32. Agere alicui apologum. *h. e.* narrare. Adde *ibid.* 38. 64. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. Incipere ab aliqua re, quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisionem. *Id.* 1. *Herenn.* 6. 10. apologum, et fabulam conjungit. *Id.* 2. *Orat.* 66. 264. Ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum. Usurpant præterea *Quintil.* 6. 3. 44., *Gell.* 2. 29. et *Sueton. illustr. Rhetor.* 1.

ĂPŌNO, is, ere, a. 3. idem ac depono, unico p, ex præpositione *a*, et *pono*: vel quasi *abpono*; diciturque ea ratione, qua *afui, afore, afuturus* pro *abfui*, etc. quæ *V.* suis loc. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 35. Onus urget. *Mi.* at tu apone. *Id. Cas.* 2. 6. 11. Apone hic sitellam. *Ter. Heaut.* 1. 1. 36. At istos rastros interea tamen apone, ne labora. Adde alia exempla ejusdem rationis, quæ *Pareus* in *Lex. Crit.* congerit: quibus nihil obstantibus *Salmas.* ad *Vopisc. in Aurel. c.* 7. et alii præterea eruditi viri (inter quos recentiores ferme omnes) dupliri p *appono* ubique scribendum censent; ita enim haberi in probatis MSS. et editis libris.

ĂPŎPHĂSIS, is, f. 3. ἀπόφασις, negatio, abnuentia, depulsio, ab ἀπόφημι *nego:* figura est rhetorica, quâ aliquid negare videmur vel omittimus, et tamen dicimus; cujus tale exemplum ponit *Quintil.* 9. 2. Non agam tecum jure summo, non dicam quod forsitan obtinerem. *Quintil. l. c.* Græcis litteris scribit; Latinis vero *Jul. Rufinian.* 8. — *Forcellinus* hæc addidit: ¶ 2. Est etiam index bonorum, vulgo *inventarium* dictum: et in hac significatione est ab ἀποφαίνω, *ostendo, exhibeo, profero.* Utroque autem modo Græca vox est, et Græce scribenda.

ĂPŎPHLEGMĂTISMUS, i, m. 2. ἀποφλεγματισμός, medicamentum ad exigendam ex capite pituitam; et ore excernendam: ex ἀπό *ab*, et φλέγμα *pituita*, *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Apophlegmatismum quoque adjicientes. Adde 2. *ibid.* 4. et 1. *Acut.* 15., et *Theod. Priscian.* 1. 6.

ĂPŎPHLEGMĂTIZO, as, are, 1. (ἀποφλεγματίζειν) apophlegmatismum adhibere. Usurpatur a *Theod. Priscian.* 2. 3.

ĂPŎPHŌNĒMA, ătis, n. 3. (ἀποφώνημα) figura est rhetorica, quâ brevis quædam sententia profertur, duobus membris constans, quorum alterum alteri respondet. *Jul. Rufinian.* 19. Apophonema sententia responsiva, ut apud Cælium: *Fac velis, perficies.*

ĂPŎPHŎRĒTA, æ, f. 1. (ἀποφόρητος) apud *Isid.* 20. *Orig.* 4. 12. est vas escarium planum, ferendis apophoretis aptum: sed caret adhuc exemplo idonei Latini scriptoris.

ĂPŎPHŎRĒTA, ōrum, n. plur. 2. (ἀποφόρητα). ¶ 1. Sunt munuscula, quæ Saturnalibus diebus dari solebant convivis in fine mensæ, domum asportanda: ab ἀποφέρω *aufero, asporto. Martialis* hoc titulo inscripsit librum suum decimum quartum, in quo recenset varias res, quæ pro apophoretis dari solebant, et singulis suum addit distichon. Explicat autem quid sint in primo epigrammate illis versibus: *Divitis alternas et pauperis accipe sortes: Præmia convivæ det sua quisque suo.* Italice hujusmodi munuscula post mensam data appellari solent *cestelle.* Neque Saturnalibus solum, sed et aliis temporibus, si libuisset, apophoreta dari, præsertim ab imperatoribus solebant. *Sueton. Vesp.* 19. Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita et calendis Martii feminis. *Id. Cal.* 55. Agitatori Eutycho, comissatione quadam, in apophoretis vicies HS. contulit. V. *Eumd. Aug.* 75. Legitur hæc vox etiam apud *Petron. in fragm. Tragur.* 40. 56. et 60. *Burmann.*; primo tamen loco usurpatur adjectivi modo. Porcelli ex coptoplacentis facti apophoreti fuerunt. *nisi forte legendum sit* apophoretici. ¶ 2. Præterea dicta sunt *apophoreta* etiam illa munera, quæ ab editoribus ludorum mitti solebant amicis post ludos confectos, ut *Lipsius l.* 1. *Saturn. c.* 16. docet ex *Symmacho* 2. *Ep.* 80. (*al.* 81.), additque ejusmodi munus etiam *apophoreticum* dici: quam vocem adjective usurpatam videmus ab eodem *Symmacho* 5. *Ep.* 54. (*al.* 56.) et 9. *Ep.* 109. (*al.* 119.)

ĂPŎPHŎRĒTĬCUS, a, um, adject. (ἀποφορητικός) ad apophoreta pertinens. *Apophoreticum* (subaudi *munus*) absolute usurpatur a *Symmach. V.* vocem præced. 2.

ĂPŎPHTHEGMA, ătis, n. 3. (ἀπόφθεγμα) brevis et acuta sententia, sive acutum dictum, sive responsio, non cujuslibet, sed illustrium tantum virorum. Est autem Græca vox ab ἀποφθέγγομαι *sententiose loquor*, et Græce scribenda. Latine dicitur *facete dictum*, et *breviter et commode dictum* a *Cic. Amic.* 1. et 1. *Offic.* 29., item *simpliciter dictum.* Hujusmodi ἀποφθεγμάτων volumina collegisse Catonem, indicat *Cic.* 1. *Offic.* 29.; idemque fecisse Cæsarem, scribit ad Pætum 9. *Fam.* 16. *Manutius* quoque et *Erasmus* hujusmodi collectiones edidere.

ĂPŎPHȲGIS, is, f. 3. (ἀποφυγή) pars summa, et infima scapi columnæ, qua basi, aut capitulo jungitur, in modum anuli facta totumque scapum cingens: de qua plura *Bald.* in *Lex. Vitruv.* ad 1. 7. 3. *Schneid.* ubi ea vox legitur. Addit *Barbarus ad l.* 3. *Vitruv. c.* 3. et cum eo *Philand. loc. cit.* in Dorica quidem, Jonica, et Corinthia columnarum ratione apophygim esse partem extremam scapi; at in Tuscana esse partem summam basis, qua columna incumbit, Italice *cinta.* Ratio hujus nominis est hujusmodi. Qui pri-

mum columnas ex integris arborum truncis fecere, earum capita ferreo anulo religabant quo essent firmiores, neque ad pondus finderentur. Ille anulus ἀποφυγή dictus est, h. e. effugium, remedium contra scissiones fissionesque columnarum: ab ἀποφεύγω effugio, evado. At *Schneider.* pro *apophygi* edidit *apophysis*, ab ἀπό et φύω *generor, fio.* — *NB. Vitruv.* 4. 1. pro apophygi *apothesim* nominat, eadem significatione, ut quidem *Philand.* et *Barbar.* interpretantur. Est autem ἀπόθεσις *depositio*, ab ἀποτίθημι *depono*: et ita dicta videtur ea columnæ pars, quia ibi se quodammodo columna deponit et incumbit.

ĂPŎPĪRAS, ătis, n. 3. (ἀπόπειρα) experimentum, remedium. Pluries hac voce utitur, et quidem neutro genere, quamvis ἀπόπειρα apud Græcos feminini generis sit, *Pelagon. Veterin.* 7. Aliud apopiras physicum. Hæc verba ita expressit loco simili *Veget.* 3. *Veterin.* 85. Adversus hujusmodi casum physicum remedium experimenta docuerunt. *Pelagon. ibid.* 9. Aliud apopiras Pelagonii. *Et mox.* Item si dorsum ab injuria aut imperitia sedentis intumuerit, Arcadii apopiras.

ĂPŎPLĂNĒSIS, ἀποπλάνησις, *i. e.* aberratio; figura rhetorica, qua differendo, obscurando, tergiversando judicem in errorem trahimus: quod *Cicero* facit in causa Cluentii, qui reus erat veneficii. Est autem Græca vox, et Græce scribenda: ab ἀποπλανῶμαι *aberro, evagor. Cic.* 3. *Orat.* 53. *ad fin.* vocat *erroris inductionem.* Latinis tamen litteris occurrit apud *Jul. Rufinian.* 13.

ĂPŎPLECTĬCUS, a, um, adject. (ἀποπληκτικός) apoplexiā ictus, stupidus, attonitus. *Firmic.* 3. *Mathes.* 14. *n.* 8. Morientur autem aut spastici, aut colobici, aut apoplectici, seu phrenetici. Adde 5. *n.* 8. et *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 5., ubi tamen non semel etiam *apoplectus* legitur, a Græco ἀπόπληκτος, quod idem est.

ĂPŎPLECTUS, a, um, adject. *V.* vocem præced.

ĂPŎPLEXĬA, æ, f. 1. *et*

ĂPŎPLEXIS, is, f. 3. (ἀποπληξία et ἀπόπληξις) subita percussio, qua totum corpus et mens stupet, et sensu ac motu privatur: ab ἀποπλήττω *percutio*, quod tamquam letali percussu repentinum faciat casum, ut *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 5., ubi de ipsa plurimis disserit, loquitur. Latini interdum quia credebant a sanguine proficisci, *ictum sanguinis* vocaverunt (ut *Aurel. Victor. Epit.* 16. Verus ictu sanguinis, quem morbum Græci ἀποπληξίαν vocant, extinctus est). *Capitolin. Anton. Philos.* 14. *in fin.* Apoplexi arreptus periit. *Al. leg.* apoplexia. *Id. Ver.* 9. Morbo, quem apoplexin vocant, correptus. *Cœl. Aurel. loc. cit.* Apoplexia dicta est, quod etc. *Tertull. Anim.* 53. Apoplexis interior ruina. *Firmic.* 3. *Mathes.* 7. *n.* 8. Mors illi per spasmum aut apoplexim fertur.

ĂPŎPRŎEGMĔNA, orum, n. plur. 2. *V.* PRODUCTUS.

ĂPOPSIS, is, f. 3. (ἄποψις) specula villæ, locus, ex quo prospectatur. *Front. de fer. Als.* 3. In apopsi jucundiores tibi esse videntur.

ĂPOR vetus verbum pro *apud. Paul. Diac. p.* 26. 5. *Müll.* Quidam censent legendum *aput*, ex quo mutato *r* in *d* factum sit *apud*: alii *apot. V.* AD sub init. et APUD.

ĂPŎRĒMA, ătis, n. 3. (ἀπόρημα). Ita definitur a *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 4. *p.* 730. Est autem philosophema quidem syllogismus demonstrativus, epichirema autem syllogismus dialecticus, sophisma vero syllogismus contentiosus, aporema autem syllogismus dialecticus contradictionis.

ĂPŎRĬA, æ, f. 1. (ἀπορία) dubitatio. ¶ 1. Generatim. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 27. 5. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. ¶ 2. Speciatim est figura rhetorica, eadem quæ dubitatio. *Rutil. Lup.* 5. 10. et *Jul. Rufinian.* 9.

ĂPŎRĬĀTĬO, ōnis, f. 3. dubitatio, hæsitantia animi, perplexitas, angustia animi, ab ἀπορία *anxietas. Tertull. advers. hæret.* 59. Quoniam ipse fuerit de aporiatione conceptus atque prolatus.

APORIES, ei, f. 5. idem ac aporia, paupertas. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim solummodo in *Not. Tir. p.* 157.

ĂPŎRĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ἀπορέω) hæsito, dubito. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 18. 6. Cum quieverit (homo), aporiabitur. *Ibid. Isai.* 59. 16. Aporiatus est, quia non est qui occurrat. Adde *ibid. Paul.* 2. *Corinth.* 4. 8., et *Ambros. Serm.* 85.

ĂPOSCŎPEUON, ontos. *V.* voc. seq.

ĂPOSCŎPON, ontis, ἀποσκοπῶν, hoc est in scopum intuens et collimans. Aposcoponta vocarunt celebrem Antiphili pictoris tabulam, in qua Satyrum fecerat ad scopum collimantem, ut est apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 40. (138)., ubi *Harduin.* ex MSS. legit *aposcopeuonta*, ἀποσκοπεύοντα, quod idem est; quam lectionem retinuit et *Sillig.* Porro hujusmodi gestum repræsentari putat *Visc.* in *Mus. Pio-Clement. T.* 7. *p.* 55. *tab.* x., quæ exhibet Herculem dextra aliquantisper elata, atque ad oculos ita admota, ut eos a nimiæ lucis radiis defendat, dum tres Nymphas ibidem adstantes conspicatur.

ĂPŎSĬŎPĒSIS, is, f. 3. ἀποσιώπησις, hoc est Latine reticentia, obticentia; ab ἀποσιωπάω *reticeo, in medio sermone conticesco*: figura est rhetorica, qua in media oratione aliquid tacetur vel ex ira, vel ex sollicitudine, et quasi religione, vel alia transeundi causa, ut in illo *Virg.* 1. *Æn.* 135. Quos ego: sed motos præstat componere fluctus. *Et* apud *Quintil.* 9. 2. 54. Communis autem: tametsi ignoscite mihi, judices, etc. *Id. ibid.* 3. 64. Hanc quidam aposiopesim putant, frustra. *Et mox.* Quæ si aposiopesis est, etc. Postremis his duobus locis docet *Quintil.* tum dici aposiopesim, cum quod reticetur, incertum est, vel certe longiori sermone explicandum. Cum enim patet quod omittitur, aut uno alterove tantum verbo suppletur, synecdoche grammaticalis, vel ellipsis rectius dicitur. Adde *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 100. et 101. Alia exempla hujus figuræ habes apud *Ovid. Heroid.* 13. *in fin.* et 20. 51., et apud *Sil. It.* 9. 55. et 10. 290., et *Stat.* 3. *Theb.* 280.

ĂPOSPHRĂGISMA, ătis, n. 3. (ἀποσφράγισμα) figura anuli palæ insculpta ad signandum. Vox Græca a σφραγίζω *signo, sigillum imprimo. Plin.* 10. *Ep.* 16. *in fin.* Signata est anulo meo, cujus est aposphragisma quadriga.

ĂPOSPLĒNOS, i, f. 2. ἀπόσπληνος, dicitur herba rosmarinus, apud *Apul. Herb.* 79., quia spleni exsiccando utilissima est: ex ἀπό *ab*, et σπλήν, ηνός *splen.*

ĂPOSTĂSĬA, æ, f. 1. generatim est defectio; speciatim autem defectio a vera religione, ἀποστασία; ab ἀφίσταμαι *deficio, recedo. Augustin.* in *Op. imperf. contra Julian.* 56. et 57., et *Salvian. de Gubernat. Dei* 6.

ĂPOSTĂTA, æ, m. 1. ἀποστάτης, desertor, qui duce suo deserto ad hostes transfugit: ab ἀφίσταμαι *deficio, recedo.* A Christianis scriptoribus ita nominatur, qui a Fide desciscit. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 11. Apostata Marcion. *Sedul.* 5. 138. *de Juda proditore*: Tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus. Adde *Cod. Theod.* 16. 7. 1., 16. 4. 1., 16. 7. *pr.* et alibi. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 5. Mares episcopus Chalcedoniæ impium apostatamque (*Julianum Aug.*) concitasse dicitur.

ĂPOSTĂTĬCĒ, adverb. ἀποστατικῶς, apostatarum more. *Imp. Justinian. Cod.* 1. *in ep. ad Joann. Papam* § 1. Ecclesiam contradicere Judaice et apostatice.

ĂPOSTĂTĬCUS, a, um, adject. ἀποστατικός, qui per apostasiam a Fide defecit. *Sedul.* 5. 375. Plebis apostaticæ Dominum quæ cæca negasset. — Hinc *apostaticus*, i, absolute. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 5. Facilius apostaticum invenias, quam Apostolicum. — Cl. *Furlanetto* in I. *Lex. Append.* hæc addit: ¶ 2. Item qui apostemate laborat. *Pelagon. Veterin.* 28. Potio ad (equos) apostaticos. Ita pro *apostatives*, quod mendum scripturæ est, legendum recte putat *Hieronym. Molin* in *Mem. sopra la Veterin. di Pelagon. p.* 49., quodque Italus interpres *Jos. Sarchiani*, veluti desperatæ lectionis verbum, in sua interpretatione prorsus omisit. — Hæc sane lectio confirmatur a Cod. Vindobon. palimpsesto, qui *apostaticos* habet; interpretatio vero cum voce minime convenit: an legendum *apostematicos?*

ĂPOSTĂTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. ἀφίσταμαι, ἀποστατέω, deficio. — Generatim. *Vulgat.* Vetus *Interpr.* ed. *Mai.* 1. *Petr.* 2. 21. Post notionem justitiæ apostatare a divino sibi tradito mandato. — Speciatim apud Christianos scriptores est a Fide deficere. *Cyprian.* 1. *Ep.* 2. *ad Cornel. de pace lapsor.* Inter eos, qui vel apostataverunt etc. *Commodian.* 50. *in lemmate.* Qui apostataverunt Deo. *Hæc autem lectio* confirmatur ab acrostide, ex qua componitur sequens carmen. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 13. *ante med.* Cum eis autem apostataverunt hi etc.

ĂPOSTĂTRIX, icis, f. 3. desertrix. *Vulgat. Interpr. Ezech.* 2. 3. Gentes apostatrices.

ĂPOSTĒMĂ, ătis, n. 3. ἀπόστημα, est vomica, abscessus, suppuratio, concursus mali humoris in aliquam partem corporis abscedens, et in pus ac saniem degenerans; vox Græca ab ἀφίσταμαι *abscedo. Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 12. (40). Utuntur ad omnia, quæ intumescunt, et quæ apostemata vocant. *Id.* 28. *ibid.* 15. 61. (217). Panos et apostemata sanguis ursinus discutit. Adde *eumd.* 20. *ibid.* 3. 8. (16). et *Veget.* 4. *Veterin.* 8. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 14. Sanies vero ex apostemate, quod etiam vomicam dicere poterimus, vel certe ex ulcere probatur venire.

APOSTEMATICUS, a, um. *V.* APOSTATICUS 2.

ĂPOSTŎLĀTUS, us, m. 4. (ἀποστολή) Apostoli officium, seu dignitas. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 20. Petrum, ceterosque columnas Apostolatus. *Sidon.* 7. *Ep.* 4. Apostolatus vestri patrocinio.

ĂPOSTŎLĬCUS, a, um, adject. (ἀποστολικός) ad Apostolos pertinens. *Tertull. Præscript. advers. hæret.* 32. Apostolica ætas. *Et ibid.* Ecclesiæ Apostolicæ. *Et ibid.* Apostolica doctrina. *Prudent. Hamartig.* 521. Oris Apostolici testis sententia prodit. *Cod. Theod.* 16. 1. 2. Apostolica disciplina. — Hinc

Apostolici viri, et interdum absolute *Apostolici* ¶ 1. Dicebantur Apostolorum fideles discipuli, et qui in Evangelio prædicando constantes adjutores erant, et orthodoxi. *Tertull. loc. cit.* Habere aliquem auctorem ex Apostolis, vel Apostolicis viris. ¶ 2. Item dicebantur cujusdam hæresis sectatores. *Augustin. de hæres.* 40. et *Isid.* 8. *Orig.* 5.

ĂPOSTŎLUS, i, m. 2. (ἀπόστολος) hoc est missus, dimissus; vox Græca ab ἀποστέλλω *mitto, dimitto.* ¶ 1. A JCtis *apostoli* dicuntur litteræ, quæ ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dantur, quæ scriptum habent, a quo datæ sint, qui appellet, et ad quem appellet, et adversus quem, et a qua sententia: et vocantur alio nomine *appellatoriæ*: item *dimissoriæ*, quia per eas causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur, ut *Modestin. Dig.* 50. 16. 106. explicat. *Macer ibid.* 49. *tit.* 6. *qui* De libellis dimissoriis *inscribitur*, l. 1. Quas litteras dimissorias, sive apostolos appellant. *Modestin. ibid.* 14. 9. Interea decessit rea; nihilominus tamen apostoli redditi sunt. *Paul. Sentent.* 5. 33. Litteræ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgo apostoli appellantur. Adde *Dig.* 49. 1. 1. § 4. *fr.* 5. § 1. *fr.* 7., et *Cod. Theod.* 11. 30. 67. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7. 62. 6. apostolos alicui dare ¶ 2. Apostolus dicebatur, qui a summo Judæorum sacerdote, ad tributa quædam ex peculiaribus synagogis colligenda mittebatur. *Cod. Theod.* 16. 8. 14. ¶ 3. Apud Christianos scriptores κατ᾽ ἐξοχήν Apostoli dicuntur Jesu Christi D. N. legati, missi per universum terrarum orbem ad evulgandum Evangelium gratiæ Dei. *Tertull. Præscript. advers. hæret.* 20. Apostoli, quos hæc appellatio missos interpretatur. *Prudent. Hamartig. v.* 508. Doctor Apostolus.

ĂPOSTRŎPHĒ, es, *et* Apostropha, æ, f. 1. ἀποστροφή, hoc est aversio, ab ἀποστρέφω *averto.* Est hoc nomine figura rhetorica (quam *Quintil.* itidem *aversionem* appellat 9. 2.) et fit cum in media oratione sermonem orator a judice, vel ab auditore avertit repente, et in alium convertit, ut in illo *Cic. Lig.* 3. *ad fin.* Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? Sic dicitur ἀποστροφή ab eod. *Quintil. ibid.* 3. illud *Virg.* 2. *G.* 170. hæc Decios, Marios, magnosque Camillos, Scipiadas duros bello, et te maxime Cæsar; ubi ex improviso mutatur incepta forma loquendi: atque hac persæpe utuntur poetæ. *Capell.* 5. *p.* 171. Apostrophe est in aliquem districta conversio, etc. *Pseudo-Ascon.* ad illa verba *Cic.* 3. *Verr.* 9. *Hic tu fortasse eris diligens*, etc. Apostropha ad ipsum Hortensium, qua ostendit, etc. Adde *Hieronym. in Hierem.* 13., *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 56., 5. 123. et 12. 503., *Aquilam Rom.* 9. et *Jul. Rufinian.* 23.

ĂPOSTRŎPHOS *et Latina positione* Apostrophus, i, m. 2. ἀπόστροφος, hoc est aversus, apud Grammaticos est semicirculus aversus ad summam litteram consonantem appositus, cui vocalis est subtracta, ut *Tanton' me crimine dignum?* Ita describit *Diomed.* 2. *p.* 130. *Putsch.* Adde *Priscian. in l. de accentib. p.* 1287. et *Donat. p.* 1742., qui omnes Latinis litteris scribunt.

ĀPOTACTĀTÆ, arum, m. plur. 1. dicuntur cujusdam hæresis sectatores a *Cod. Theod.* 16. 5. 11. et 16. 7. 3.

ĀPOTĀMĬA, æ, f. 1. Græca vox, quæ Latine cella penuaria: a ταμίας *promus condus.* Latine scripta legitur apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. Dehinc e cellario, quod Græci apotamiam vocant, etc.

ĀPOTĔLESMA, ătis, n. 3. ἀποτέλεσμα, hoc est effectio, effectus, ab ἀποτελέω *efficio, perficio.* Ab astrologis ita appellatur effectus stellarum, hoc est quidquid ex astrorum convenientia mutuoque respectu in natali cujusque efficitur boni vel mali. *Firmic.* 8. *Mathes.* 5. 18. et alibi sæpe.

ĀPOTHĒCA, æ, f. 1. ἀποθήκη (unde Itali derivarunt *bottega*, Franci *boutique*, Germani *Bude*) repositorium, cella, in qua aliquid servandum reponitur, ut sunt horreum, cella vinaria, carnarium, et alia ejusmodi in ædibus loca, in quibus cujuscumque generis fruges reconduntur: ab ἀποτίθημι *repono.* ¶ 1. Generatim. *Cic. Vatin.* 5. 12. Cum omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere. *Id.* 2. *Phil.* 27. 67. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum: apothecæ totæ nequissimis hominibus condonabantur. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 6. neque illic Aut apotheca procis intacta est, aut pecus. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. *a med.* Instructo fundo et bibliothecam, et libros qui illic erant, ut quoties venisset, uteretur, contineri constat: sed si quasi apotheca librorum utebatur, contra erit dicendum. *Servius* ad *Virg.* 4. *G.* 229. *Thesauris*, i. e. repositionibus: ac si diceret *apothecis.* Sermo est de apibus, quæ favos condunt. ¶ 2. Sæpe specialiter dicitur de cella in qua vina servantur. Est autem discrimen, licet fortasse non perpetuum, inter *cellam vinariam* et *apothecam*: nam *cella vinaria* constituitur in ima ædium parte, in qua fit vinum, et in cupis, doliis culleariis aliisque majoribus vasis servatur ad usum familiæ: at *apotheca* erat apud veteres in editiore ædium parte, quemadmodum et horrea, in qua recondebantur amphoræ et cadi, ceteraque minora vasa, servandis etiam in multos annos vinis accommodata. Hinc *Colum.* 1. *R. R.* 6. 9. partem villæ fructuariæ dividi ait in cellam oleariam, torculariam, vinariam, defrutariam, fœnilia, paleariaque, et apothecas, et horrea. Et paullo post monet, apothecas recte superponi fumario et balneis, ex quibus fumus exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quæ fumo præcocem maturitatem trahunt. *Plin.* quoque 2. *Ep.* 17. apothecam et horreum in edita turri esse sita testatur, in Laurentino suo. Hinc *Horat.* 3. *Od.* 21. 7. invitat amphoram, ut descendat Corvino jubente etc.; *et ibid.* 28. 7. vult, eam deripi horreo; *et ibid.* 8. 11. laudat amphoram fumum bibere institutam. Contra cellas vinarias, non in subterraneis, at certe in plano ædium fuisse satis indicant *Varro* 1. *R. R.* 13. *ad fin.*, *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (133)., *Colum. loc. cit.* et *Vitruv.* 6. 9. — Nunc exempla addantur, quibus apotheca pro vini repositorio accipitur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 16. (49). Apothecas fuisse, et diffundi solita vina, etc. *Et ibid.* 4. 6. (57). Tantum pecuniarum detinent vini apothecæ. Adde *eumd. ibid.* 18. 22. (118). *Ulp. loc. sup. cit.* Vina, quæ in apothecis sunt. *V.* integrum locum. *Id.* 47. 2. 21. In apotheca amphoras esse vini etc. Adde *Dig.* 19. 2. 11. § 3. et 40. 7. 40. *Arnob.* 7. 31. Vinum omne, quod in cellis atque apothecis est conditum. ¶ 3. Inter officia domus Augustæ fuit servus ab apotheca triclinii, quæ erat parva cella juxta triclinium, unde vina ad mensam commode inferri poterant. *Inscript.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 34., quæ est apud *Orell.* 2889. P. AVIDIO P. F. SERGIA MATRINIO CAES. N. AB APOTHECA TRICLINII etc. ¶ 4. Apotheca sequioribus sæculis dicebatur et taberna vinaria. *Salvian.* 4. *advers. Avar.* 4. Apothecæ ebriosorum vino replentur. *V.* EBRIOSUS.

ĀPOTHĒCĀRĬUS, ii, m. 2. qui mensæ inservit, qui cibos et vina ex apothecis ad mensas affert. *Cod.* 12. 58. 12. § 3.

ĀPOTHĒCO, as, are, a. 1. in apothecam recondo. Translate occurrit apud *Venant. epist. præf. carm.* 6. *l.* 5. Quod ille torcularet in fletu, iste apothecaret in fructu.

ĀPOTHEŌSIS, is, f. 3. (ἀποθέωσις) consecratio, seu relatio hominis demortui inter deos: Græca vox ab ἀποθεόω *inter deos refero, deum facio.* ¶ 1. Hanc primus instituit Augustus, qui Julium Cæsarem deum fecit et ut deum coli jussit, ut est apud *Sueton. Cæs.* 88. Ritus, qui in apotheosi servabantur, accurate *Herodian.* 4. 2. describit. *Tertull. Apolog.* 34. *extr.* Maledictum est, ante apotheosin deum Cæsarem nuncupari. — Hinc *Apotheosis* a *Capell.* 2. *p.* 36. fingitur mater *Athanasiæ*, h. e. immortalitatis. — De numero Augustorum quorum apotheosis facta est, vide *Borghes. Lettera* 15. *Febbr.* 1835. ad cl. *Furlanetto*, quæ MSS. servatur in Bibliotheca Seminarii Patavini. ¶ 2. *Apotheosis* inscriptum est *Prudentii* carmen, in quo agit de Divinitate Christi, et de aliis ad illam pertinentibus.

ĀPOTHERMUM. *V.* APODERMUS.

ĀPOTHESIS. *V.* in APOPHYGIS in fin.

ĀPOTŎMĒ, es, f. 1. (ἀποτομή) abscissio. Est vox ad musicam pertinens, qua significatur pars toni reliqua, postquam semitonium eidem demptum est. *Boeth.* 2. *Music.* 29. p. 1098. Reliqua igitur pars, quæ major est, apotome nuncupatur a Græcis, a nobis vero potest vocari decisio.

ĀPOXYŌMENOS, ἀποξυόμενος, hoc est destringens, abstergens: vox Græca ab ἀποξύω *derado, destringo.* Fuit hoc nomine celebris statua a Lysippo facta hominis se fricantis strigili in balneo et destringentis, de qua *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (62). *V.* DESTRINGO.

ĀPOZĔMA, ătis, n. 3. (ἀπόζεμα) decoctum, hoc est aqua, in qua aliquid decoctum sit: ab ἀποζέομαι *fervefio. Æmil. Macer. de Herb. c. de apio.* Vel semen potius, vel apozema proderit ejus. *Apozima* corrupte legitur in quibusdam editionib., ut et *Janus Cornar.* adnotavit. Adde *Theod. Priscian.* 3. 8.

ĀPOZȲMO, as, are, a. 1. hoc est fermentare, fervefacere, a ζυμόω *fermento*: verbum barbarum, quod legitur apud *Theod. Priscian.* 1. 19. Sales triti ac in linteolo ligati aceto infunduntur, et ex hoc vulnus tamdiu apozymandum est, vel infundendum, donec sanguinem eliciat. *h. e.* tamdiu aceti acrimonia irritandum, et accendendum, etc.

APPANGO *vel* adpango, is, ere, a. 3. ad aliquid pango, affigo. *Paul. Diac.* p. 8. 10. *Müll.* Antipagmenta valvarum ornamenta, quæ antis adpanguntur, id est adfiguntur. *V.* APPINGO.

APPĂRĀMENTUM *vel* adparamentum, i, n. 2. idem ac apparatus concreto, ut ajunt, sensu. *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCXLV., apud *Fabrett.* p. 609. *n.* 79., quæ est apud *Orell.* 2332. TAVROBOLIVM FECERVNT CVM SVIS HOSTIIS ET APPARAM. OMNIBVS.

APPĂRĀTĒ, adverb. Comp. *Apparatius.* Est cum apparatu, plurima cum cura (It. *con apparecchio e spesa*; Fr. *avec appareil*; Hisp. *con aparato*; Germ. *mit sorgfältiger Zubereitung*; Angl. *with great preparation*).

I). Proprie. *Cic.* 13. *Att.* 52. Edit et bibit ἀδεῶς et jucunde; opipare sane et apparate. *Liv.* 31. 4. Ludi scenici magnifice apparateque facti. *Plin.* 1. *Ep.* 15. Potes apparatius cœnare apud multos; nusquam hilarius.

II.) Translate de oratione dicitur, et est exquisite, affectate. *Cic.* 1. *Herenn.* 7. 11. Apparate dicere. *V.* APPARO in fin. *B.* 2.

APPĂRĀTĬO *vel* adparatio, ōnis, f. 3. apparatus (It. *apparecchio, apparato*; Fr. *préparation, apprêt*; Hisp. *aparato*; Germ. *die Zurüstung*; Angl. *a preparing, getting ready*).

I.) Proprie. — Generatim. *Vitruv.* 2. 10. 3. Quoniam de apparationibus est explicatum. *h. e.* de comparatione materiei, ex qua ædificia fiunt. — Speciatim de iis, quæ multa cura et diligentia fiunt. *Cic.* 2. *Off.* 16. 56. Laudare magnificentiam et apparationem popularium munerum.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Invent.* 18. 25. Exordium debet habere splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspicio quædam apparationis atque artificiosæ diligentiæ nascitur. *Id.* 1. *Herenn.* 8. 12. Alterum genus narrationis est quod intercurrit nonnumquam, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicujus apparationis, vel laudationis causa. *h. e.* cum in media oratione breviter narratur aliquid ad sternendam veluti materiam et præparanda ea, quæ dicturi deinceps sumus. Cf. *eumd. ibid.* 10. 17.

APPĂRĀTOR *vel* adparator, ōris, m. 3. qui apparat. *Liv.* 44. 9. Interdum plures ab apparatoribus ludi armati inducebantur. Plerique al. leg. *plures apparatioribus ludis* etc. *Inscript.* apud *Murat.* 511. 2. et *Marin. Iscriz. Alb.* p. 110. A. POSTVMIVS POSTVMIAE L. HERACLIDA ROGATOR MAG. QVINQ. COLLEG. APPARAT. ANNAL. ITERVM. Ipse *Murat.* quid sibi velit illud *Apparat.* se ignorare fatetur. *Inscript.* apud *Orell.* 2325. FRAEEVNTE AELIO ANTHOSA SACERDOTE SACERDOTIA AEMILIA SECVNDILLA TIBICINE FL. RESTITVTO APPARATORE — INCHOATVM EST SACRVM (*taurobolium*) etc. *Orellius* putat *apparatorem* esse unum cum *apparitore*; at cl. *Furlanetto* in suis MSS. *apparatorem* eum esse affirmat qui apparat.

APPĂRĀTŌRĬUM *vel* adparatorium, ii, n. 2. locus prope sepulcrum muro circumdatus ac tectus, ad lustrationem sepulcri, et cœnas anniversarias funebres inter propinquos amicosque celebrandas, ut quidem interpretatur *Fabrettus*, qui has affert *Inscriptiones* c. 3. *n.* 609. HOC ADPARATORIVM PERTINET AD MONIMENTVM Q. AQVILII DIONYSII etc. et *n.* 110. PORTICVM CVM APPARATORIO ET COMPITVM A SOLO PECVNIA SVA FECERVNT etc. *Gloss. Vet.* Ἐξαρτιστήριον, apparatorium, *scil. ab* ἐξαρτίζω, apparo, instruo. *Heinesius cl.* 17. *n.* 14. priorem Inscriptionem et ipse affert, et *adparatorium* interpretatur *ustrinum*, qui erat locus, in quo parabatur rogus ad cremanda cadavera: hoc autem male confirmat auctoritate *Servii*, quid ad *Virg.* 3. *Æn.* 22. docet, apparatum mortuorum vocari *funus*: non vero, ut *Heines.* asserit, funus mortuorum appellari *apparatum*. In altera (quæ habetur etiam in *Antiquit. Benevent. cl.* 6. *n. ult.* et explicatur ibid. p. 276., necnon apud *Orell.* 4132.) nulla est mentio sepulcri, sed epuli et lustrationis. — Itaque *apparatorium* proprie definiri potest locus, in quo aliquid paratur. — *Jo. Rhod.* in notis ad *Scribon. Compos.* 212. in priore Inscript. legit *apparitorium*, quod non habet hic locum.

APPĂRĀTRIX *vel* adparatrix, icis, f. 3. quæ apparat. *Hieronym. ep.* 18. *ad Damas. de Seraphim.* n. 14. Apparatrices in cælestibus virtutes.

APPĂRĀTUS *vel* adparatus, a, um. *V.* APPARO.

ĀPPĂRĀTUS *vel* adparatus, us, m. 4. idem ferme quod apparatio (It. *apparecchio, apprestamento, apparato*; Fr. *préparation, apprêt, appareil*; Hisp. *apresto, aparato*; Germ. *die Zurüstung*; Angl. *a preparing, getting ready, preparation*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit *a*) abstracto, et *b*) concreto, uti ajunt, sensu. — *a*) Abstracte, hoc est stricto sensu, apparatus est comparatio et dispositio illarum rerum, quæ alicui fini inserviunt. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 20. Requiro — ministros, machinas, omnem totius operis designationem et apparatum. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 14. 27., *Curt.* 3. 7. 13. et 8. 6. 11., et *Sueton. Ner.* 46. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 3. Totius belli instrumentum et apparatus. *Liv.* 10. 38. Sacri apparatus. — *b*) Concreto, uti ajunt, sensu apparatus dicuntur ea omnia instrumenta, quæ ad aliquid comparata ac disposita sunt. *Nep. Eumen.* 5. Apparatum et munitiones incendere et disjicere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Apparatus Darii. *h. e.* supellex. *Id.* 14. *ibid.* 19. 24. (120). Apparatus vini. *h. e.* ea quæ pertinent ad vinum servandum. *Id.* 36. *ibid.* 6. 5. (44). marmorum. *Id.* 22. *ibid.* 23. 47. (99). argenteus. *h. e.* vasa ex argento quæ mensæ adhibebantur. *Sueton. Aug.* 96. Apparatus rei divinæ. *h. e.* instrumenta sacrificii. *Ulp. Dig.* 14. 4. 5. tabernæ. *h. e.* instrumenta. Adde *Liv.* 5. 5. et 24. 33., et *Curt.* 3. 11. 26. — Hoc sensu dicitur etiam de animalibus. *Liv.* 9. 7. Dimissus deinde auxiliorum apparatus. *Id.* 25. 14. Plaustrorum et jumentorum apparatus. *Curt.* 3. 2. 13. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium — moles etc. ¶ 2. Speciatim ponitur de iis, quæ copiam et magnificentiam habent adjunctam; ac præcipue — *a*) De iis, quæ externo sui splendore hominum animos percellunt. *Cic.* 1. *Off.* 8. 25. Delectant enim magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia et copia. *Id.* 6. *Att.* 9. 2. Apparatus triumphi. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 1. 3. *Nep. Pausan.* 3. Apparatu regio uti. *Horat.* 1. *Od.* 38. 1. Persicos odi puer apparatus. — *b*) De ludis, spectaculis, conviviis aliisque hujusmodi, quæ magno fiunt sumptu. *Cic.* 2. *Off.* 16. 55. Ludorum venationumque apparatu pecunias profundere. *Liv.* 27. 6. Ludos magnifici apparatus facere. *Curt.* 3. 12. 14. Apparatus funerum. *Cic. Orat.* 25. 20. Epularum apparatus. *Id. Vatin.* 13. 31. Omitto epulum populi Rom., festum diem argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo. *Tac.* 2. *Hist.* 62. Exhausti conviviorum apparatibus principes. *Seneca Tranquill. anim.* 9. 5. Paretur librorum quantum satis sit, nihil in apparatum. *h. e.* ad ostentationem. — *c*) Item de solemni ratione, qua hospites accipiebantur. *Cic.* 6. *de republ.* 10. 10. Apparatu

regio accipere aliquem. *Id.* 9. *Fam.* 19. 1. Tenui apparatu contentum esse. Adde *Sueton. Vit.* 13.

II.) Translate, metaphorâ ductâ a super. p. 2., de oratione dicitur, et est ornatus. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 229. Dicere causam nullo apparatu, pure et dilucide. *Id. Brut.* 76. 263. Præcepta dicendi, quæ si minorem habent apparatum (sunt enim exilia), tamen habent ordinem et quasdam errare in dicendo non patientes vias.

APPĀRENTER *vel* adparenter, adverb. (appareo) specie tenus. *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 1. 7. p. 739. Dico autem sophisticam redargutionem et syllogismum existentem quidem, at apparenter accommodatum rei.

APPĀRENTĬA *vel* adparentia, æ, f. 1. ¶ 1. Est actus apparendi, manifestatio. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 19. Pax Evangelii illæsa et inconcussa ab apparentia Christi usque ad audaciam Marcionis. ¶ 2. Item externus rei aspectus, species. *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. Homines venusti, bene compositi, bonæ apparentiæ, et qui ornatis versibus delectentur.

APPĀREO *vel* adpareo, pāres, pārŭi, pārĭtum, pārere, n. 2. Verbum deductum ex *appario* et *apparo*, compositum ex *ad* et *pareo*, quam vocem *V.* — Part. *Apparens* I. 2. et 3.; *Appariturus* II. *A. c.* — Apparere proprie est se, tamquam coactum vel appellatum, parare atque alicui adstare et præsto esse; vel etiam si de expectata atque appetita re sermo est, significat rem ipsam prodire, quo sensu eidem opponitur *latitare* apud *Lucret.* 1. 877.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu et speciatim *apparere* et sæpius *apparere alicui* dicuntur, qui alteri ministrant, et præsto sunt ad obsequium, ut lictores, accensi, viatores magistratibus (ex quo et *apparitores* dicti) etc., item servi dominis, ministri principibus, et etiam sacerdotes diis. *V. Annali dell' Istit. Archeol. T.* 10. *p.* 238. — *a*) Absolute *Cl. Quadrigarius* apud *Gell.* 2. 2. Quod postea quam lictor ille, qui apparebat, cito intellexit, etc. — *b*) Cum Dat. personæ. *L. Piso* apud *Gell.* 6. 9. Cn. Flavius, patre libertino natus, scriptum faciebat: isque in eo tempore ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles subrogantur. *Nep. Eumen.* 13. Eumenes cum ab anno vigesimo septem annos Philippo apparuisset, et tredecim apud Alexandrum eumdem locum obtinuisset etc. *Liv.* 2. 55 Quatuor et viginti lictores apparere consulibus. *Id.* 3. 33. Collegis novem singuli accensi apparebant. Adde *eumd.* 9. 46. *Virg.* 12. *Æn.* 849. *de Diris.* Hæ Jovis ad solium sævique in limine regis Apparent. Adde *Val. Max.* 2. 2. 4. Hinc figurate *Cic. Cluent.* 83. 147. Quid sibi autem illi scribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt? — Et de sacerdotibus. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. SACERDOTES AVSPICIVM PRAEMONENTO OLLIQVE OBTEMPERANTO: DIVORVMQVE IRAS PROVIDENTO EISQVE APPARENTO. *Pomponius* apud *Gell.* 12. 10. Qui postquam tibi appareo atque æditumor in templo etc. ¶ 2. Hinc latiori sensu et generatim est prodire, adesse, presto esse: et occurrit. — *a*) Absolute ponitur cum de hominibus, tum de stellis aliisque, quæ prius ab oculis abscondebantur, neque patebant. *Plaut. Capt.* 2. 3. 97. Jam ego apparebo domi. *h. e.* adero. *Ter. Eun.* 4. 3. 18. Ille autem bonus vir nusquam apparet. *Cic.* 2. *Divinat.* 68. 140. Equus mecum una demersus, rursus apparuit. *Id. Sull.* 2. 5. In quibus subselliis hæc ornamenta ac lumina reipublicæ viderem, in his me apparere nollem. *Id. Flacc.* 12. 29. Si qua usplam navicula prædonum apparuisset. *Virg.* 1. *Æn.* 118. Apparent rari nantes in gurgite vasto. *Horat. Carm. secul.* 57. neglecta redire Virtus Audet, apparetque beata pleno Copia cornu. Adde *Galbam* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. 2. et *Sueton. Aug.* 10. — De stellis atque aliis hujusmodi. *Lucret.* 4. 157. quamque item contra speculum ponas, apparet imago. *Virg.* 1. *G.* 404. Apparet liquido sublimis in aere Nisus. *Cæs.* 7. *B. G.* 82. Cum lux appareret. Adde *Colum.* 11 *R. R.* 2. 39. et 40., *Tibull.* 4. 1. 65., et *Sueton. Vesp.* 23. — Item de inanimis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 162. AMPH. At cum cruciatu jam, nisi apparet (*patera*), tuo. ALC. Hæc quidem apparet. Adde *eumd. Men.* 2. 1. 14. *Cic. Parad. proœm.* 5. 5. Quoniam illud majorum vigiliarum opus in tuo nomine apparuit. — *b*) Cum Dativo, aut Accus. et præp. *ad*, personæ, cui quis apparet. *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 61. Anguis ille, qui Sullæ apparuit immolanti. *Tibull.* 4. 1. 65. Queis numquam candente dies apparuit ortu. *Varro* 1. *R. R.* 40. 1. Illud, quod apparet ad agricolas, id videndum diligenter. — *c*) Addito termino, a quo quid apparet. *Cic.* apud *Priscian.* 6. *p.* 706. *Putsch.* Unde appares, o Socrate? an quidem dubium non est, quin ab Alcibiade? *Sueton. Calig.* 51. Non mediocrem fore consternationem sicunde hostis appareat. *Manil.* 1. 302. Non apparentem pelago quærentibus orbem. ¶ 3. Item apparere dicitur id, quod externis sensibus evidens ac manifestum est. — *a*) De iis præcipue, quæ sub oculos cadunt. *Cato R. R.* 2. Ubi ea cognovit, rationem inire oporteat operarum, dierum, si ei opus non apparet. *h. e.* nisi opus manifestum sit, nisi quod debebatur præstitum sit. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 50. Fateor equidem esse me cocum carissimum, verum pro pretio facto, ut opera appareat mea, quo conductus veni. Cf. infra II. A. *Cic. Brut.* 21. 82. Itaque exaruerunt (*orationes*), vix jam ut appareant. *Id.* 2. *Phil.* 34. 85. Cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 224. Cum lamentamur non apparere labores Nostros. *Ovid.* 2. *Met.* 733. chlamydemque ut pendeat apte Collocat, ut limbus totumque appareat aurum. *Id.* 4. *Met.* 391. Tympana cum subito non apparentia raucis Obstrepuere sonis. *Sueton. Aug.* 73. Instrumenti ejus (*Augusti*) et supellectilis parsimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis. *Quintil.* 12. 8. 10. Nam ut medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam quæ latent etc. *Scribon. Compos.* 227. Cum apparuerint totæ (*hæmorrhoides*). — *b*) Interdum et de iis quæ auribus percipiuntur. *Macrob. Saturn. præfat.* 1. Singulorum latent voces, omnium apparent.

II.) Translate apparere dicuntur ea, quæ nostris mentibus manifesta sunt, quæ nobis constant, de quibus persuasio in nobis inest: atque hac significatione occurrit *A*) cum personaliter, *B*) tum impersonaliter.

A) Personaliter. — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 2. 6. 16. LESB. Nequaquam argenti ratio comparet tamen. STAS. Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. *h. e.* rationum computationes manifestum est rectas esse. *Ter. Eun.* 2. 3. 20. Fac sis nunc promissa appareant. *h. e.* ut præstes id quod promisisti; cf. sup. I. 3. *Id. Adelph.* 5. 9. 7. Res apparet. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Quid? in Numa Pompilio – num eloquentiæ vestigium apparet? Adde *eumd. Brut.* 25. 96. et 23. 91., 1. *Tusc.* 15. 33., 3. *Phil.* 11. 28., 1. *Nat. D.* 14. 37. et 1. *Fam.* 9. 20.; *Nep. Datam.* 1. et *Att.* 16.; *Liv.* 2. 28. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 249. — *b*) Cum Dat. personæ, cui quid manifestum est. *Liv.* 2. 31. Apparuit causa plebi, suam vicem indignantem magistratu abisse. *Id.* 32. 34. Apparet id quidem – etiam cæco. — *c*) Addito termino, a quo quid manifestum est. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (197). Ex quo apparet antiquior materiæ origo. *Liv.* 4. 60. Consilium specie prima melius fuisse quam usu appariturum. — *d*) Addito adjectivo, quo definimus qualem se res manifestet. *Horat.* 2. *Od.* 10. 22. Rebus angustis animosus atque Fortis appare. *Sueton. Rhet.* 1. Paullatim et ipsa (*rhetorica*) utilis honestaque apparuit. — *e*) Cum Infinito. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 33. Membra nobis ita data sunt, ut ad quamdam rationem vivendi data esse appareant. *Forcellinus* ad h. l.: pro appareat; δοκοῦσι, Græca constructio. *Varro* 1. *R. R.* 6. 2. Hæc apparent magis ita esse in latioribus regionibus, simplicia cum sunt. *Sueton. Ner.* 1. Quo facilius appareat ita degenerasse a suorum virtutibus Nero.

B) Impersonaliter. — *a*) Sæpissime cum Accus. et Infinito, addito interdum Dativo personæ. *Ter. Eun.* 3. 2. 33. Apparet servum hunc esse domini pauperis. *Cic.* 2. *Phil.* 34. 84. Non dissimulat; apparet esse commotum. *Nep. Eumen.* 10. Quas impendere, jam apparebat omnibus. Adde *Varron.* 7. *L. L.* 25. *p.* 129. *Müll.*; *Nep. Alcib.* 3., *Att.* 4. et *Ages.* 6., *Liv.* 4. 6. et 22. 2., et *Plin. Hist. Nat. præfat.* § 30. — *b*) Cum Pronom. aut Particula relativa, addito interdum Dativo personæ. *Lucret.* 1. 139. Nec quibus id faciant plagis apparet aperte. *Cic.* 4. *Fam.* 7. De quo quid sentiam nihil attinet dicere, cum appareat ipse quid fecerim. *Id.* 1. *Orat.* 16. 72. Apparet atque extat, utrum simus earum (*artium*) rudes, an didicerimus etc. *Nep. Pelop.* 1. Ne rudibus litterarum Græcarum minus lucide appareat, quantus fuerit ille vir. *Liv.* 42. 43. Appariturum, quibus populis societatem jungi displicuisset. Adde *Quintil.* 5. 12. 16. et 6. 3. 77. — Si pro Subjunctivo occurrit Indicativus, tunc constructio est inversa, quemadmodum apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 18. Animum denique illum spirabilem si quis quærat, unde habemus, apparet. — *c*) Absolute. *Cic. Flacc.* 16. 38. Neque in toto Æmonensium testimonio, sive hoc fictum est, ut apparet, sive missum domo est, ut dicitur, commovebor. — *d*) Addito termino, a quo quid manifestum est — Per Ablat. sine præp. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (175). Mulam LXXX annos vixisse Atheniensium monumentis apparet. *Id.* 12. *ibid.* 21. 46. (100). Ut ipso nomine apparet. *Id.* 35. *ibid.* 12. 44. (153). Quo apparet antiquiorem hanc fuisse scientiam. Adde *Quintil.* 3. 6. 30., 4. 5. 8. et alibi sæpe. — Per Ablat. et præp. *ex*. *Cic. Brut.* 25. 95. Fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. *Cels.* 1. *præfat.* Ex quo apparet has partes medicinæ – esse tentatas etc. *Quintil.* 1. 7. 28. Ex nuptialibus sacris apparet. *Plin.* 1. *Hist. nat. præfat.* § 30. Inde apparet paratos esse. Adde *Quintil.* 1. 6. 11. — Per Ablat. et præp. *in*. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. 102. De qua (*re*) Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur. *Nep. Datam.* 1. Datames – primum qualis esset, apparuit in bello, quod rex adversus Cadusios gessit. — Per Ablat. et præp. *ab*. *Scribon. Comp.* 185. Coriandrum datum apparet ab odore spirationis. — Per Accus. et præp. *per*. *Quintil.* 7. 6. 7. Per quæ appareat. — *e*) Interdum per Adverbia verbum ipsum magis definitur. *Lucret.* 1. 139. Apparet aperte. *Nep. Pelop.* 1. lucide. *Quintil* 10. 1. 53. manifesto. *Id.* 4. 2. 120. plane.

APPĀRESCO *vel* adparesco, is, ere, n. 3. Inchoativum ab *appareo*, h. e. apparere incipio. *Ennod.* 7. *Ep.* 19. Qui maximus apparescat in foribus.

APPĀRĬO *vel* adpario, is, ere, a. 3. est comparare, acquirere. *Lucret.* 2. 1197. Unde mare et terræ possent augescere, et unde Appareret spatium cæli domus.

APPĀRĬTĬO *vel* adparitio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Proprie et stricto sensu est officium, et obsequium ministri apparentis magistratui, et ad jussa exequenda parati, ut in voce APPAREO I. 1. dictum est. *Cic.* 13. *Fam.* 54. In longa apparitione singularem et prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam modestiamque cognovi. *h. e.* in munere interpretis. *Augustin. Ep.* 75. Vir spectabilis venit ad Ecclesiam, apparitione paucorum suæ potestati congrua comitatus. ¶ 2. Per metonymiam ponitur et pro ipsis apparitoribus. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 4. § 12. Quos ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti. *Ammian.* 15. 3. Apparitionis præfecturæ prætorianæ princeps. *Ulp. Dig.* 4. 2. 23. § 3. Apparitione præsidis interveniente. Adde *Cod. Theod.* 6. 26. 15. et 7. 20. 12. § 3., et *Symmach.* 6. 12. *Impp. Theod.* et *Arcad. Cod.* 11. 70. 1. Apparitione judiciaria aliquid alicui attribuere. *h. e.* præsentia et auctoritate judicis una cum suis apparitoribus et ministris rem transigentis.

APPĀRĪTOR *vel* adparitor, ōris, m. 3. (*V.* APPAREO I. 1.) nomen generale omnium, qui magistratui vel etiam sacerdoti alicui apparere solent, ejusque imperio præsto esse, ut accensi, viatores, interpretes, lictores, scribæ, præcones etc., item custodes corporis, qui principem comitantur. *Cato* apud *Fronton.* 1. *Ep. ad Anton.* 2. *p.* 149. *ed. Rom.* Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 4. § 13. Sit lictor non suæ, sed tuæ lenitatis, apparitor. *Id.* 2. *Phil.* 22. 82. Quis unquam apparitor tam humilis, tam abjectus? *Id.* 5. *Verr.* 25. 61. Hoc quoque attendite, apparitores a prætore assignatos habuisse decumanum. Adde *ibid.* 78. 182. *Liv.* 1. 40. Apparitores regii. Adde *eumd.* 1. 8. et 48. *Sueton. Tib.* 11. Prodire cum apparitoribus. *Prudent.* περὶ στεφ. 111. Apparitores sed furenti suggerunt. *Prudent.* constanter tertiam ab initio syllabam toto illo hymno semper corripit. *Inscript.* apud *Murat.* 185. 3. MATRI DEVM MAGNAE IDAEAE PALATINAE EIVSDEM RELIGIONIS APPARITOR CAIVS IANVARIVS. *Alia* apud *eumd.* 918. 3. Apparitor sacris. *Alia* apud *Gruter.* 1087. 6. Apparitor pontificum. Eædem habentur et apud *Orell. Inscript.* 3202., 3210. et 4921. — Interdum nomine *apparitorum* veniunt solum honoratiores servi magistratus, et distinguuntur a lictoribus, quorum officium erat vilissimum omnium. At hoc discrimen a *Forcellino* statutum recentioribus philologis minime arridet, neque injuriâ: in locis enim *Suetonii* et *Val. Max.*, quæ citantur, *lictores et apparitores* junguntur, ut sæpe species et genus. *Sueton. Domit.* 14. Ut quoties gereret consulatum, equites Romani præcederent cum inter lictores apparitores

que. Val. Max. 7. 3. 9. Procedere in modum lictorum et apparitorum. — De variis variorum magistratuum apparitoribus multa habes apud Gell. 12. 3. et Isid. 15. Orig. 14. et 19. ibid. 22. 23., in Cod. Justin. l. 12. a tit. 53., ubi tit. 55. enumerantur etiam apparitores militares, qui magistratibus militaribus inserviebant, de quibus et Auct. B. Afr. 37. Cæsar imperat, apparitores speculatoresque omnes ut sibi præsto essent. Adi Lamprid. Alex. Sever. 52.

APPĀRĬTŌRĬUM vel adparitorium, ii, n. 2. locus, ubi morantur apparitores, seu custodes corporis. Vetus lapis apud Rhod. ad Scribon. Compos. 212. Sed V. APPARATORIUM.

APPĀRĬTŪRA vel adparitura, æ, f. 1. munus et officium apparitoris, apparitio. Sueton. Gramm. 9. Orbilius Pupillus Beneventanus, primo apparituram magistratibus fecit, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.

APPĀRO vel adparo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et paro). Part. Apparans II. b; Apparatus I. 1. et in fin.; Apparandus I. b. — Apparo est externa et sensibilia paro, adorno, instruo, comparo ad finem aliquem obtinendum (It. preparare, allestire, mettere all'ordine; Fr. préparer, apprêter, disposer; Hisp. preparar, aparejar; Germ. Zurüstungen machen oder Vorbereitungen treffen; Angl. to prepare, get ready, put in order).

I.) Proprie de externis et sensibilibus ponitur — a) Absolute. Ter. Eun. 3. 5. 35. Dum apparatur, virgo in conclavi sedet. Id. Adelph. 5. 7. 2. In apparando consumunt diem. Adde Nep. Hann. 7. 1. — b) Sæpius cum Accus. Plaut. Men. 1. 2. 61. Mihi, tibi atque illi jubebo jam apparari prandium. Ter. Andr. 3. 2. 33. Postquam videt nuptias domi apparari. Adde eumd. Phorm. 4. 4. 20. Id. Heaut. 1. 1. 74. Lectos sternere, cœnam apparare. Id. Adelph. 5. 9. 3. Apparare de die convivium. Id. Andr. 5. 2. 6. Omnia apparata jam sunt. Cic. 3. Off. 14. 58. Ad cœnam tempori venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium. Id. 6. Verr. 20. 44. Ornare et apparare convivium. Id. 3. ad Q. fr. 8. 6. ludos. Id. pro leg. Manil. 12. 35. Ita tantum bellum — Cn. Pompejus extrema hieme apparavit —, media æstate confecit. Id. Mil. 10. 28. Apparare iter ad cædem faciendam. Id. 5. Phil. 19. 53. Facilius apparabitis ea, quæ tempus et necessitas flagitat. Horat. Epod. 2. 48. Dapes inemptas apparet. Cæs. 7. B. G. 17. Aggerem apparare —, turres tres constituere cœpit. Liv. 4. 1. Delectus haberi, bellum armaque vi summa apparari jubent, si quo intentius possit, quam T. Quinctio cos. apparatum sit. Id. 6. 21. et 7. 7., et Nep. Alcib. 3. et Ages. 3. Apparare bellum. Auct. B. Alex. 7. In apparanda fuga. Sueton. Calig. 51. Apparare fugam et subsidia fugæ. Id. Aug. 87. triumphum.

II.) Translate est in animo habere, agitare, moliri, conari: et occurrit — a) Cum Accus. Plaut. Pœn. 5. 2. 139. Nunc hoc consilium capio et hanc fabricam apparo. Id. Epid. 3. 2. 18. Apparare auxilium alicui. Id. ibid. 3. 3. 27. Hanc edepol rem apparabat. Cic. 2. ad Q. fr. 3. 6. De iis, quæ in Sextium apparabantur crimina. Nep. Eumen. 2. Non dubitans — magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. — b) Cum Infinito. Plaut. Asin. 2. 4. 23. Vah, delenire apparas. Cæs. 7. B. G. 26. Jamque hoc facere noctu apparabant, cum etc. Virg. 10. Æn. 453. pedes apparat ire Comminus. Id. 11. ibid. 117. si pellere Teucros Apparat. Stat. 4. Theb. 670. meamque exscindere gentem Apparat. Sueton. Aug. 47. Apparans trajicere. Et addito pron. pers. se, Plaut. Asin. 3. 3. 11. Qui sese parere apparant hujus legibus. — c) Addito fine, cui quid apparamus. Plaut. Aulul. 5. 1. 18. Abi, here, scio quam rem geras, lepide hercle animum tuum tentavi, jam ut eriperes apparabas. Cic. 1. Herenn. 3. 4. Apparare animum auditoris ad audiendum. Orell. ex optimis Codd. leg. constituere et omittit apparare, quæ duo alii conjunxerunt. — Hinc Part. præter. pass.

Apparatus, a, um, est etiam adject., unde Comp. Apparatior et Superl. Apparatissimus: et fere de rebus dicitur.

A) Proprie. ¶ 1. Addito Ablat. est adornatus, instructus. Cic. 1. Invent. 34. 58. Domus omnibus instructior rebus et apparatior. ¶ 2. Item apparatum dicitur quod magno sumptu et magnificentia præstatur. Cic. 7. Fam. 1. Ludi apparatissimi. Id. Sext. 54. 116. et Pis. 27. 65. Apparatissimi magnificentissimique ludi. Id. 1. Phil. 15. 36. Spectaculum apparatissimum. Liv. 23. 4. Plebem apparatis accipere epulis. Seneca Ep. 83. Epulæ apparatissimæ. Sueton. Ner. 9. Funus apparatissimum. Id. Tit. 7. Munus apparatissimum largissimumque.

B) Translate. ¶ 1. Ponitur de personis, et apparatus dicitur qui est ita affectus animo, ut promptus sit ad aliquid. Plaut. Merc. 5. 2. 10. Apparatus sum, ut videtis, abjicio superbiam. ¶ 2. Item de oratione, quæ summā curā ornata fuerit. Cic. 1. Herenn. 7. 11. In exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo, et usitata verborum consuetudo, ut non apparata oratio esse videatur. h. e. nimis exquisita et affectata. Et mox. Exordium nimis apparatis verbis compositum.

APPASCO vel adpasco, is, ere, a. 3. (ad et pasco) est juxta pascere. Auct. Itiner. Alex. M. 75. ed. Mai. Silphio facile adpasci oves floris ejus esu et usu frugis et radicium delectatas, ajunt.

APPATULUS vel adpatulus, a, um. Legitur apud Varron. 7. L. L. 26. p. 129. Müll.; sed locus ille corruptus videtur Criticis. V. Scaliger. in Conjectan. ad p. 76.

APPECTŎRO vel adpectoro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et pectus) pectori admovere. Occurrit tantum Part. præter pass. apud Solin. 26. de ursis. Carnes paullulas edunt, has lambendo sensim figurant et interdum appectoratas fovent.

APPELLĀTĬO vel adpellatio, ōnis, f. 3. actus appellandi. ¶ 1. Verbum forense, atque interdum significat accusationem, qua reum ante judicem vocamus. Cæs. 2. B. C. 28. Hanc nactus appellationis causam. ¶ 2. Actus nominandi, nominatio, nomen (It. appellazione, nome; Fr. dénomination, nom; Hisp. denominacion; Germ. die Nennung mit Namen; Angl. an appellation, naming, a name). Occurrit — a) De ratione alicujus formulæ. Cic. Rab. Post. 5. 11. Qua appellatione litium? in qua Postumi mentio facta nulla est. h. e. qua ratione ac formula litis sive intentandæ, sive æstimandæ. V. Klotz ad h. l. vol. 3. p. 1091.: ubi tamen alii conjiciunt legendum illatione, alii æstimatione. — b) Sæpius de ratione, quā quis nominatur. Cic. Dom. 50. 129. Regum appellationes venales erant. Id. 5. Att. 20. 4. Venit interim Bibulus. Credo, voluit appellatione hac inani nobis esse par. Curt. 10. 5. 11. Ingratos fuisse se confitebantur, quod aures ejus debitā appellatione fraudassent. Plin. 5. Hist. nat. 8. 8. (45). Neque nominum ullorum inter eos (Atlantes) appellatio est. h. e. non appellant se ullo nomine proprio. — c) Item, præcipue sub Imperatoribus, de ipso rerum nomine. Plin. 2. Hist. nat. 45. 45. (116). Sed mares appellatione quoque ipsā venti sunt. Id. 7. ibid. 13. 11. (59). Salutare aliquem appellatione patris. Id. 15. ibid. 30. 40. (136). Distinguere aliquid appellatione. Adde eumd. 6. ibid. 22. 24. (81)., Sueton. Aug. 100.; et plur. num. Quintil. 8. 3. 30. et 12. 10. 34. Tac. 3. Ann. 56. Ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. Et figurate Sueton. Cæs. 77. Nihil esse rempublicam; appellationem modo, sine corpore ac specie. — d) Apud Grammaticos appellatio est idem ac nomen substantivum, ut apud Quintil. 9. 3. 9. ad illud Persii 1. 8. nostrum istud vivere triste Aspexi; infinito verbo est usus pro appellatione. h. e. pro nomine, vivere pro vita. Et 1. 4. 19. scribit, fuisse, qui vocabulum ab appellatione diducerent, ut esset vocabulum corpus visu tactuque manifestum, ut domus, lectus; at appellatio, cui vel alterum deesset, ut ventus, cælum, vel utrumque, ut Deus, virtus. Ipse tamen tradit hæc sibi non approbari. Aliam differentiam tradit Scaurus apud Diomed. 1. p. 306. Putsch., sed et hæc nihil ad usum pertinet. Cæl. Aurel. Præfat. Acut. Etenim dicere absurdum est, quod secundum Asclepiadem causa ea scriptionum sive partitionum sit, quas Græci categorias appellant; non appellationum, quas iidem prosegorias vocant. V. ASCRIPTIO. — Item apud Grammaticos etiam nomina adjectiva dicuntur appellationes. Diomed. 1. p. 397. Putsch. Errant longe qui opinantur, moribundus, vitabundus, furibundus esse participia: sunt enim appellationes. ¶ 3. Appellatio litterarum est earum nominatio atque adeo pronunciatio. Cic. Brut. 74. 259. Suavitas vocis et lenis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat. Quintil. 11. 3. 35. Laudatur in Catulo suavis appellatio litterarum. V. APPELLO 8. ¶ 4. Sæpius, ut verbum forense, appellatio erat actus, quo quis adversus magistratum vel judicem, superioris magistratus vel judicis, ac præcipue tribunorum plebis auxilium invocabat. — a) Vigente Rom. republica appellatio differebat a provocatione (V. hanc vocem) et fiebat ad pl. tribunos vel ad populum; ita ut appellatione intercederetur. Cic. Quint. 20. 65. Intercessit appellatio tribunorum. h. e. ad tribunos. Id. Vat. 14. 34. Appellatio improbissima tribunorum. Liv. 3. 36. de decemviris. Appellatio collegæ. Id. 3. 56. Tollendæ appellationis causa. Id. 8. 13. Appellatio provocatioque adversus injuriam magistratuum. Id. 9. 26. Appellatio et tribunicium auxilium. Id. 42. 34. Appellationis jus usurpare. — b) Sub Imperatoribus appellatio erat provocatio ab uno ad alium judicem, quæ ab ipsa lege definita erat. Sueton. Aug. 33. Appellationes urbanorum litigatorum. Id. Cal. 16. Magistratibus liberam jurisdictionem et sine sui (h. e. Cæsaris) appellatione concessit. h. e. sine appellatione ad se. Id. Ner. 17. Cautum — ut omnes appellationes a judicibus ad senatum fierent. Scævola Dig. 40. 1. 24. Appellationem interponere. Ulp. ibid. 13. improbare. Martian. ibid. 6. admittere. Ulp. ibid. 5. 5. recipere.

APPELLĀTĪVUS vel adpellativus, a, um, adject. (appello). Apud Grammaticos appellativum nomen est, quod commune est pluribus, ut homo, virtus: cui opponitur proprium, quod uni tantum, ut Plato, Roma. Pseudo-Ascon. ad Cic. 3. Verr. 24. 63. p. 178. Bait. Janitorem cum dixisset, addidit quemdam, ut ostenderet, non appellativum nomen esse, sed proprium. Adde Charis. 2. p. 126. et Priscian. 2. p. 578. Putsch.

APPELLĀTOR vel adpellator, ōris, m. 3. qui appellat, hoc est — a) Vigente Rom. republica, qui intercedebat, ut tribunus pleb. Cic. 6. Verr. 65. 146. Nihil ægrius factum est, quam ut manus ab illo appellatore abstinerentur. — b) Sub Imperatoribus, qui ad alium judicem appellabat. Paul. Sent. 5. 4. 18. Convicium judici ab appellatoribus fieri non oportet. Adde Cod. Theod. 11. 31. 3. V. APPELLO, as 7.

APPELLĀTŌRĬUS vel adpellatorius, a, um, adject. ad appellationem pertinens, quæ fit ad alium judicem, ut Appellatoria tempora apud Ulp. Dig. 49. 5. 5. § 5., h. e. intra quæ permittitur appellatio. Et appellatorii libelli apud eumd. ibid. 49. 1. 1. § 4. et Cod. Theod. 11. 30. 2., de quibus V. APOSTOLUS 1.

APPELLĀTUS vel adpellatus, a, um. V. APPELLO, as.

APPELLĬTO vel adpellito, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentativum ab appellare. Part. Appellitatus. Tac. 2. Ann. 65. Montem cum Cælium appellitatum a Cæle Vibenna. Gell. 18. 9. in fin. Antiqui nostri narrationes sermonesque insectiones appellitaverunt. Apul. de mag. 10. Hoccine est, quod appellitabatis dæmonium? Paul. Diac. p. 27. 1. Müll. Appellitavisse appellasse. Adde fragm. orat. Claudii Imp. apud Grut. Inscript. 502. lin. 22. col. 1.

APPELLO vel adpello, as, āvi, ātum, are, a. 1. Ratione habita etymi, appellare et appellere inter se connectuntur ut jugare et jungere, aliaque hujusmodi; ac proinde appellare ad litteram est admovere, ad se pellere atque attrahere; unde factum est, ut significaret nominare, vocare. — Appellassis pro appellaveris dixit Ter. Phorm. 5. 1. 15. — Part. Appellans 9.; Appellatus 2.; Appellaturus 5; Appellandus 1. — Itaque appellare est alloqui, vocare, nominare; quamvis differat ab alloqui, affari et compellare, ut infra dicemus in Homonym. (It. parlare, chiamare, nominare; Fr. adresser la parole, apostropher; Hisp. enderezar la palabra; Germ. ansprechen, anrufen oder anreden; Angl. to call, name). ¶ 1. Generatim appellare est alloqui. — a) Viva voce, cum Accus. Plaut. Curc. 1. 2. 19. Censeo hanc appellandam anum. Adde eumd. Most. 5. 1. 26. Ter. Heaut. 4. 3. 22. Quo ore appellabo patrem? Adde eumd. Phorm. 5. 9. 22. Lucilius apud Non. p. 238. 22. Merc. Cum mei me adeunt servuli, non dominam ego appellem meam? Cic. 4. Acad. (2. pr.) 5. 13. Me autem nomine appellabat. Id. Cluent. 26. 72. Tum appellat hilari vultu hominem Balbus, ut blandissime potest: Quid tu, inquit, Pæte? etc. Cæs. 5. B. G. 33. Nulla in re saluti communi deerat, et in appellandis cohortandisque militibus imperatoris et in pugna militis officia præstabat. Cf. id. 7. ibid. 54. et Sueton. Ner. 25. Sall. Jug. 22. Adherbalis appellandi copia non fuit. Liv. 1. 26. Flebiliter nomine spon-

sum mortuum appellat. *Ovid.* 4. *Met.* 66. primo silet illa, nec audet Appellare virum virgo. — Hoc sensu pluribus jungitur Adverbiis. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 24. 62. Appellare aliquem asperius. *Plaut. Cas.* 2. 3. 12. blande. *Cic.* 13. *Phil.* 2. 4. comiter. *Sueton. Ner.* 41. populum coram. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 30. illepide aliquem. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. nominatim. *Cic.* 1. *Orat.* 56. 236. nomine. *Id. pro leg. Manil.* 5. 11. legatos superbius. *Id.* 5. *Verr.* 58. 134. aliquem graviore verbo. — Hoc sensu interdum occurrit et absolute. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 22. Adibo ad hosce atque appellabo Punice. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 9. Ea videtur. Adeamus, appellemus. — *b*) Item est per litteras alloqui. *Cic.* 15. *Fam.* 20. 2. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 1. Tu vero, ut me et appelles et interpelles et obloquare et colloquare velim. — *c*) Interdum et de absente occurrit. *Cic.* 1. *Phil.* 13. 31. Tu autem, M. Antoni, absentem enim appello, unum illum diem – non omnibus his mensibus – anteponis? ¶ 2. Speciatim, cum Ablat. et præp. *de*, est alloqui ad consilium de aliqua re capiendum. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 22. Paucis, Euclio, est quod te volo, de communi re appellare meá et tuá. *Cic.* 12. *Fam.* 28. 2. Senatus sæpius pro tua dignitate appellaretur, si absentibus coss. unquam, nisi ad rem novam cogeretur. *Sueton. Cæs.* 34. Appellatis de republ. patribus. ¶ 3. Item speciatim est alloqui, ut aliquem ad crimen adducamus. — *a*) Cum Ablat. et præp. *de*. *Liv.* 26. 38. Appellare aliquem de proditione. *Val. Max.* 6. 1. 7. et *Quintil.* 4. 2. 98. aliquem aut aliquam de stupro. *Val. Max.* 6. 1. 11. stupri causa. — *b*) Eodem sensu absolute. *Seneca* 2. *Controv.* 15. p. 199. *Bip.* et *Ulp. Dig.* 47. 10. 15. § 15. et 20. et 22. Appellare aliquam. *h. e.* blanda oratione feminæ alicujus pudicitiam attentare. ¶ 4. Sumitur etiam pro vocare, invocare, in auxilium rogare. — *a*) Absolute. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Mater, te appello, quæ curam somno suspensam levas, neque te mei miseret, surge et sepeli gnatum. Cf. *Cic.* 2. *Acad.* (*pr.*) 27. 88. et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 62. *Cic. Quinct.* 31. 98. Quem præter te appellet, habet neminem; tibi committit existimationem etc. *Id. ibid.* 30. 94. Qui deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda? *Id.* 7. *Verr.* 72. 188. Vos etiam atque etiam imploro et appello, sanctissimæ deæ, quæ etc. Adde *eumd. Mil.* 37. 101. *Id. Flacc.* 2. 4. Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? Senatumne? at is ipse auxilium petit a vobis etc. *Sall. Jug.* 14. Nunc vero exul patriâ – quo accedam aut quos appellem? Adde *eumd. ibid.* 113. — Interdum et *vultu*, ut apud *Cic. Flacc.* 42. 506. Qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quoddamodo flens fidem implorat. — *b*) Addito fine per Subjunctivum et part. *ut*. *Nep. Att.* 8. Itaque appellatus est a C. Flavio – Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. ¶ 5. Sumitur etiam pro debitorem sui debiti admonere, et rem debitam repetere; sive id judiciaria via fiat, sive alia quacumque ratione. — *a*) Absolute. *Cic. Quinct.* 12. 40. Anno et sex mensibus vero cum tibi cotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere appellas. Et *ibid.* § 41. Cum eum cotidie videres, post biennium denique appellas. Dubitabitur, utrum sit probabilius – an ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? *Id.* 1. *Att.* 8. *in fin.* Tulliola tuum munusculum flagitat, et me, ut sponsorem, appellat. *Id.* 13. *Att.* 22. Attributos quod appellas, valde probe. *Ad tribunos* quidam leg., sed minus recte: neque enim hoc loco de appellatione judiciaria sermo est, sed de conventione debitorum. Adde *eumd.* 16. *Fam.* 24. 1. *Seneca* 1. *Benef.* 2. Avarus exactor ad horam et diem appellat. *h. e.* præfiniendo diem et horam solvendi. Adde 4. *ibid.* 39. *Alphius* apud *Colum.* 1. *R. R.* 72. Vel optima nomina non appellando fieri mala, γνώμη. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Creditores in solidum appellabant. — *b*) Cum Ablat. et præp. *de*, aut sine præp. *Cic.* 1. *Phil.* 29. 71. Appellatus es de pecunia, quam pro domo – debebas. *h. e.* ut pecuniam solveres. Adde *Val. Max.* 6. 1. 7. *Quintil.* 5. 13. 12. Heres eras et pauper, et magnâ pecuniâ appellabaris a creditoribus. — *c*) Cum Accus. rei. *Juvenal.* 7. 158. Mercedem appellas. Quid enim scio? Et figurate *appellare solum* est cura et cultu illud sollicitare ad fructum reddendum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (142). *de cupressu*. In Creta, quocumque in loco terram moverit quispiam, vi naturali hæc gignitur protinusque emicat: illa vero etiam non appellato solo ac sponte, maximeque in Idæis montibus – plurima etc. ¶ 6. Sumitur interdum et pro in jus vocare. *Cic.* 1. *Off.* 25. 89. Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa sit, et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. ¶ 7. Hinc sæpe est verbum forense et ponitur generatim pro provocare ab uno ad alium judicem: quamquam — *a*) Vigente Rom. republ. *appellare* et *provocare* inter se differebant: appellari enim dicebantur præsertim tribuni pleb. quoties contra senatum vel alios magistratus in auxilium rogabantur (*V.* APPELLATIO 1.): atque hinc occurrit — Cum Accus. personæ. *Cic. Quinct.* 20. 93. Tribuni igitur appellabantur. — Hic te, inquit, teneo. Non est istud judicio pati, neque judicio defendere. *Id.* 7. *Verr.* 65. 146. Appellare prætorem. *Liv.* 1. 40. Cum regem appellarent. Adde *eumd.* 8. 33. et 2. 55., et *Plin.* 1. *Hist. nat. præfat.* § 10. De viro potente, qui in auxilium rogatur, dixit *Cic.* 6. *Verr.* 14. 36. — Cum Ablat. rei et præp. *de*. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. M. Cælius Rufus prætor, causa debitorum suscepta, – tribunal suum juxta C. Trebonii prætoris urbani sellam collocavit; et si quis appellasset de æstimatione et de solutionibus, quæ per arbitrum fierent, – fore auxilio pollicebatur. — Addito a quo quis appellat. *Cic. Quinct.* 20. 64. Cujus procurator a prætore tribunos appellare ausus sit. *Ad tribunos* leg. quidam, sed invitis plerisque Criticis et optim. Codic. — *b*) Sub Imperatoribus, qui potestatis plenitudinem habebant, appellare proprie erat provocare ab uno ad alium judicem. *Paul. Dig.* 4. 4. 39. Appellare ad imperatorem. *Ulp. ibid.* 49. 1. 1. *in fin.* et *Paul. ibid.* 9. 1. adversus aliquem. *Scævola ibid.* 1. 28. contra aliquem. *Modestin. ibid.* 48. 2. 18. adversus sententiam præsidis. *Paul. ibid.* 49. 8. 3. a sententia. *Quintil.* 11. 1. 76. ab aliquo. *Modestin. Dig.* 49. 1. 19. ex sententia aliqua. *Imp. Alex. Cod.* 7. 16. 4. de sententia judicis. ¶ 8. Quoniam quos alloquimur, eos nomine vocamus et verba proferimus; *appellare* est etiam litterarum potestatem voce et lingua assequi et suo sono pronunciare. *Cic. Brut.* 35. 133. Nam de sono vocis et suavitate appellandarum litterarum, noli expectare quid dicam. *Id.* 2. *Invent.* 20. 78. Is animadvertit sororem suam – sponsi nomen appellantem identidem Curiatii cum gemitu et lamentatione. ¶ 9. Hinc est etiam personæ aut rei mentionem facere. *Cic. Cæcin.* 19. 54. At utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 60. 155. et *Sext.* 50. 108. *Id.* 1. *Fam.* 9. 20. Iidem illi, quos sæpe significatione appello. *h. e.* designo, indico. ¶ 10. Denique est etiam personam aut rem nomine vocare, nominare (quam verbi significationem *Forcellinus* primo loco posuerat): et occurrit — *a*) Absolute, addito aut omisso Ablat. nomine. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 24. Quæ te intemperiæ tenent, qui me perperam perplexo appelles nomine? Adde *eumd. Amph.* 2. 2. 181. *Ter. Phorm.* 5. 1. 15. Ne me istoc posthac nomine appellassis. *Cic.* 9. *Fam.* 22. 1. Sed – placet Stoicis suo quamque rem nomine appellare. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (190). Colos appellavit chrysolithum aureus, chrysoprasum herbaceus, melleus melichrota. — *b*) Sæpius cum dupliei Accus. *Ter. Hec.* 4. 4. 30. Cum ex te esse taliquis, qui te appellaret patrem. *Cic. Amic.* 2. 6. Te sapientem et appellant et existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni: scimus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse sapientem. *Id.* 13. *Phil.* 10. 22. O Spartace! quem enim te potius appellem? *Id.* 5. *Att.* 17. Appellare aliquem regem. *Virg.* 5. *Æn.* 540. aliquem victorem. Adde *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 12.; *Cæs.* 7. *B. G.* 4.; *Nep. Eumen.* 13. et *Cat.* 3.; *Liv.* 40. 9.; et *Ovid.* 9. *Met.* 228. *Nep. Arist.* 1. Cognomine Justus est appellatus. Adde *eumd. Phoc.* 1. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 1. Venio ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum et insaniam, ut Siculi, latrocinium. — *c*) Addita re, a qua quid nominatur per Ablat. et præp. *ab*, aut raro *ex*. *Cic.* 2. *de republ.* 22. 40. Cum locupletes assiduos appellasset ab ære dando. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 6. 19. et *Liv.* 1. 17. *Cic.* 2. *Tusc.* 18. 43. Appellata est enim ex viro virtus. — *NB.* *Liv.* 3. 44. Virgini manum injecit, servá suá natam servamque appellans esse. *h. e.* affirmans. Sed ibi aliter est legendum. — Item apud *Non. p.* 238. 26. *Merc.* lege non *appellare*, sed *appellere*. *V.* APPELLO, is 1. in fin.

Homonym. *Appellare*, ut superius diximus § 1., generatim est verba facere alicui: differt tamen a verbis *alloqui*, *affari* et *compellare*. *Alloqui* enim occurrit quoties de communi vitæ ratione hominumque inter se societate agitur, ut apud *Cic. Cluent.* 61. 170. Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo audire, nemo alloqui, nemo aspicere vellet? — *Affari* proprium est amicorum, qui maxima benevolentia se invicem alloquuntur, ut apud *Cic. Senect.* 1. 1. Licet enim mihi versibus eisdem affari te, Attice, quibus affatur Flamininum *Ille vir* etc. Cf. *eumd. Brut.* 3. 13. — Denique *compellare* est verba facere improbando, ut apud *Nep. Timol.* 1. Neque aspexit mater, quin eum fratricidam impiumque detestans compellaret.

APPELLO *vel* adpello, pellis, pûli, pulsum, pellere, *a.* 3. (ad *et* pello). De præter. *appulsi* V. I. 1. Part. *Appellens* I. 2. b., *Appulsus* I. 2. a.; *Appellendus* I. 1. — Appello proprie est ad locum aliquem pello, adduco (It. *spingere*, *condurre*; Fr. *pousser*, *conduire vers*; Hisp. *pujar*, *conducir hácia*; Germ. *etwas an etwas oder wohin treiben*; Angl. *to drive to or towards*, *cause to go*.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Præcipue de gregibus. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Visum est in somnis pastorem ad me appellere pecus lanigerum eximia pulcritudine. *Varro* 2. *R. R.* 2. 11. Oves ad bibendum appellunt. *Id. ibid.* 5. 15. Armentum æstate ad aquam appellendum bis, hieme semel. *Ovid.* 11. *Met.* 353. Appellere ad littora juvencos. *Ulp. Dig.* 42. 19. 1. Si quis jus habens pecoris appellendi, plura pecora appulserit, non in omnibus etc. Ita edit. *Torrentin.* et al.; *Haloander* cum al. habet *appulerit*. *Id. ibid.* 43. 13. 1. § 11. Appellere pecus in flumen. Et absolute *Dig.* 43. 21. 2. jus appellendi. *De jure appellendi*, hoc est pecora ad aquam ducendi, de quo mentio fit *locc. citt.* et alibi, V. JCtos. *NB.* Apud *Ter. Andr.* 4. 5. 12. Haud auspicato huc me appuli. *al. leg.* attuli. — *b*) De inanimis, quæ tamen facile moventur. *Lucret.* 6. 750. Palladis ad templum Tritonidos almæ, Quo numquam pennis appellunt corpora raucæ Cornices. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Ibi turres – erigebat easque ad opera Cæsaris appellebat. *Manil.* 5. 685. Appellere fluctum ex æquore in aliquem locum. *h. e.* deducere, derivare. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Age, si quis, ne negare posses, ferrum appulit? *h. e.* gladium admovit, gladio minatus est. Et absolute *Lucilius* apud *Non.* p. 238. 26. *Merc.* Aggere in jaciundo si quo est vineis actis opus, primum id dant operam, ut quamprimum appellant. ¶ 2. Speciatim, et quidem frequentissime usurpatur in re nautica, et est applicare, admovere: occurrit autem — *a*) *Appellere navem*, *navigium*, *classem* etc., etiam passive. — Addito loco, ad quem quis applicat, per Adverbia aut Accus. cum præp. *ad* vel *in*, aut per Dat. *Afranius* apud *Non.* p. 238. 24. *Merc.* Abi tu, appellant huc ad molem nostram naviculam. *Cic.* 3. *Nat. D.* 43. 83. Cum ad Peloponnesum classem appulisset. *Id.* 2. *Phil.* 11. 26. Si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam naves appulisset. *Nep. Thrasyb.* 4. Cum prætor classem ad Ciliciam appulisset. *Liv.* 8. 3. Eo anno Alexandrum Epiri regem in Italiam classem appulisse constat. *Id.* 28. 42. In urbem sociorum classem appulisti. *Curt.* 10. 1. 10. Donec ad Euphratem appellerent classem. *Id.* 6. 2. 24. Contra Tyrii navigia – littori appellunt. — Passive. *Cic.* 13. *Att.* 21. Cum ad villam nostram navis appelleretur. *Id.* 7. *Verr.* 33. 86. Postea quam paullum provecta classis est et Pachynum quinto die denique appulsa. *Cæs.* 2. *B. C.* 23. Appulsâ ad proximum littus trireme. *Nep. Milt.* 4. Classe ad Eubœam appulsâ. *Liv.* 9. 38. Classis Romana cum appulsa Pompejos esset. Adde 45. 5. *Id.* 30. 10. Naves ita appulsæ ad muros. *Curt.* 4. 3. 18. Appulsaque sunt (*navigia*) littori, lacerata pleraque. *Tac.* 4. *Hist.* 84. Appulsæ littori naves. — Absolute. *Curt.* 4. 2. 22. Cum et removere et appellere scaphas in expedito esset. *Id.* 9. 9. 12. Hi contis navigia appellebant. *Id.* 9. 10. 1. Hinc adversum flumen subiit classis et altero die appulsa est haud procul lacu falso. *Tac.* 5. *Hist.* 21. Appulsæ lintres. — *b*) *Appellit aliquis*. — Additis Ablat. *classe*, *nave* etc. *Cic.* 3. *Verr.* 18. 48. Cum Persæ mille numero navium classe ad Delum appulissent. *Orell. leg.* classem. *Liv.* 30. 10. Sub occasum solis in portum classe appellere. *Sueton. Tit.* 5. Cum Puteolos – onerariâ nave appulisset. — Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 23. Biduo et noctibus tribus in navigatione consumptis appulit ad eum locum etc. *Liv.* 37. 21. Inde Phœceam petentes ad insulam,

quam Bachiam vocant, appulerunt. *Virg.* 7. *Æn.* 30. Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 12. Huc appelle: trecentos inseris. *Sueton. Tib.* 11. Appellere ad Rhodum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 27. *Mai.* Ita hominibus quoque et incolentibus et appellentibus urbem hanc fructuosissimam fore. Adde *Sueton. Ner.* 27. — c) *Appellitur aliquis.* — Addito Ablat. *navigiis* etc. *Cic.* 7. *Verr.* 56. 145. Ut eos, qui essent appulsi navigiis, interficere possent. — Absolute. *Cic.* 7. *Verr.* 28. 72. Quorum alios – ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse dicebat. *Vellej.* 2. 107. Ripæ suorum appulsus est. — d) *Appellit navis. Sueton. Galb.* 10. Ac subinde Alexandrina navis Dertosam appulit. *Tac.*, omissa præp. quæ inest in ipso verbo, 2. *Ann.* 24. Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 27.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super paragr. 1., appellere est aliquem invito animo adducere, ut aliquo se conferat. *Plaut. Rud.* 4. 3. 104. Quamquam ad ignotum arbitrum me appellis. *Virg.* 3. *Æn.* 715. Hinc me digressum vestris deus appulit oris. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2., hoc est a re nautica. Poetice *Virg.* 1. *Æn.* 375. Nos – Lybicis tempestas appulit oris. Et translate *Cic. Rab. perd.* 9. 25. Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos S. Titii afflictam navem videres. *Id.* 2. *Orat.* 37. 154. Valde hercule timide, tamquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam appulisti. ¶ 3. Hinc generatim est cogere, adigere. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 11. Quibus (*flagitiis*) patrem et me teque amicosque omnes affectas tuos ad probrum, damnum, flagitium appellere una et perdere. *Id. Asin.* 3. 3. 43. Appellere aliquem ad mortem. *Ter. Andr. prol.* 1. Poeta cum primum animum ad scribendum appulit. *h. e.* applicavit, adjunxit. *Id. ibid.* 2. 6. 15. Animum ad uxorem appulit. *Cic.* 2. *Orat.* 37. 154. Appellere mentem ad philosophiam.

APPENDĔO *vel* adpendeo, es, ere, 2. (ad *et* pendeo).

I.) Proprie et active est idem quod appendo. *Apic.* 8. 7. *ad fin.* Exossas porcellum, et aptabis sicut oenogaratum, et ad fumum suspendes, et appendeas, et quantum appendeas, tantum salis in ollam mittis etc.

II.) Improprie et neutraliter. ¶ 1. Est alteri rei adjungi, addi. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. Serviunt enim dominantibus (*morbis*) appendentia. ¶ 2. Est etiam pendēre, sive in dubio esse. *Dig.* 38. 17. 10. § 1. Quando in pendenti est, an quædam personæ possint obstare matri, et casus tulerit, ut non inducerentur: matri jus integrum erit, quod medio tempore appenderit.

APPENDĬCĬUM *vel* adpendicium, ii, n. 2. (appendo) proprie est id quod alteri appenditur; sed occurrit tantum figurate, et quidem — a) Generatim est appendix, additamentum. *Hieronym. Ep.* 10. *ad Furiam.* Pudicitia sine comitibus et appendiciis suis, continentia et parcitate, fidem sui facere non potest. — b) Specialim dicitur id, quod alicui morbo accedit. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. At si passionibus (*sermo est de lumbricis*) fuerint appendicia, quæ sæpe generandorum animalium fuerunt causæ, erunt congrua iisdem passionibus adhibenda. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 4. *V.* APPENDIX II. 1.

APPENDĬCŬLA *vel* adpendicula, æ, f. 1. *deminut. ab* appendix. Occurrit figurate tantum, et est breve additamentum, corollarium, accessio. *Cic. Rab. Post.* 4. 8. Est enim hæc causa, quo ea pecunia pervenerit, quasi quædam appendicula causæ judicatæ atque damnatæ.

APPENDĬUM *vel* adpendium, ii, n. 2. (appendo) pondus, quod reis ac debitoribus in sublime sublatis ad pedes suspendere solebant veteres. *Cassiod.* 10. *Variar.* 27. Appendia ipsa cruciatis debitoribus aliquando solvuntur; ista autem (*podagræ*) vincula, cum semel potuerint illigare captum, nesciunt in tota vita dissolvere. V. *Plauti loc. cit.* in DEPENDO.

APPENDIX *vel* adpendix, icis, f. 3. (appendo). *Paul. Diac.* p. 21. 6. *Müll.* scribit olim *ampendices dictos esse ab antiquis, quos nunc appendices appellamus*; ex quibus verbis colligi fortasse potest hanc vocem etiam masculino genere efferri: tametsi ejus rei nullum aliud exemplum adhuc vidimus. Proprie appendix est id quod alteri inhærens pendet.

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Apul.* 8. *Met.* 22. Seque in præaltissimum puteum, appendicem parvulum trahens, præcipitat. *h. e.* infantulum secum trahens sibi annexum et appensum, ἄρτημα. *Id.* 5. *ibid.* 24. Psyche – statim resurgentis ejus crure dextro manibus ambabus arrepto, sublimis evectionis appendix miseranda etc. *h. e.* appensa Cupidini in altum volatu ascendenti. Cf. *Plin.* in fine hujus vocis.

II.) Translate. ¶ 1. Appendix est quod alii adjunctum est, additamentum, accessio (It. *appendice, giunta, aggiunta*; Fr. *appendice, accessoire*; Hisp. *appendice*; Germ. *der Anhang, das Anhängsel, die Beigabe*; Angl. *an addition, accession, appendage*). *Cic.* apud *Non.* p. 42. 9. *Merc.* Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus, nihilque esse in eo magnum. *Varro* 1. *R. R.* 16. 1. vocat *appendices fundi* ea, quæ sunt quidem extra fundum, sed tamen ad ipsum pertinent, ut regio vicina, quam videndum est, an sit infesta, necne; via, apta ne sit ad exportandum et importandum quæ opus sunt; oppida et viciniæ, unde emere, aut ubi distrahere fundi fructus possis etc. *Id.* 3. *ibid.* 9. 2. vocat *appendicem* in tractatu De gallinis partem eam, in qua ostenditur ratio, quemadmodum saginentur. Quatuor enim in iis animadvertenda esse docet, de emptione, de fetura, de ovis et de pullis; hisce adjiciendam appendicem, partem quintam, de iis saginandis. *Liv.* 9. 41. Appendix belli Etrusci. *Id.* 21. 5. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum Vaccæorumque centum millia fuere. *h. e.* cum auxiliaribus. *Id.* 39. 27. Appendices majoris muneris. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 6. De iis tussiculis, quæ aliarum fuerint appendices passionum, singulatim scribentes docebimus. *V.* APPENDICIUM. *Apul. de mag. sub fin.* Has quoque appendices defensionis meæ idcirco necessarias, quia accusationi rependuntur, attente audis. *Nazar. Paneg.* 3. Cujus cum divina virtus, et ejus misericordia comes, appendixque victoria urbem Romam afflictam ac plane jacentem excitarit, recrearit, erexerit *h. e.* victoria, quæ virtutem semper subsequitur. *Appendices pluviæ* quænam sint, *V.* in PENDIX. ¶ 2. Est etiam genus spinæ, quæ *appendix* dicitur, quoniam baccæ puniceo colore in ea *appendices* vocantur, ut *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 70. (114). scribit. *Harduin.* putat esse eam, quam Galli vocant *aubépine* et vulgus officinarum *oxyacantham*: alii eam, quæ a Gallis dicitur *epine – vinette* et in officinis *Berberis dumetorum.* Cf. *Fée.* (*Op. cit.* vol. 3. p. 266., cf. p. 271.) hanc exhibet synonymiam: Ὀξυάκανθα, non Dioscor. 1. 123., Galen. de Fac. simpl. et *Spina appendix* Plin. l. c. sunt *Berberis vulgaris* L. Spec. plant. 471.

APPENDO *vel* adpendo, pendis, pendi, pensum, pendere, a. 3. (ad et pendo). Part. *Appendens* I. 2.; *Appensus* I. 1. et 2. Appendere significat ad aliquid pendere, hoc est suspendere (It. *appendere, sospendere*; Fr. *pendre, suspendre*; Hisp. *colgar, suspender*; Germ. *aufhängen*; Angl. *to weigh*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim raro admodum occurrit. *Venant. Fortun.* 10. *carm.* 10. 49. Rupes appensæ. Afferri solet et illud *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit. *Sed plerique omnes leg.* aptum. *Item afferuntur a multis Lexicographis hæc* Plinii *verba:* Atque uvas jam maturas ad solem appendere; *quæ nos adhuc invenire non potuimus.* ¶ 2. Specialim usurpatur pro suspendere in statera vel libras ad pondus cognoscendum (It. *pesare*; Fr. *peser*; Hisp. *pesar*; Germ. *zuwiegen*; Angl. *to weigh*). Occurrit autem — a) Absolute. 6. *Verr.* 25. 56. Aurificem jussit vocari in forum et palam appendit aurum. *h. e.* ad pondus dedit, ut *Varro* 3. *R. R.* 17. loquitur. *Id.* 2. *Phil.* 38. 97. Tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ. *Liv.* 5. 49. Nondum omni auro appenso. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 9. Promis et cellariis aliquid appendentibus, aut metientibus intervenire. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 55. 81. (171). Sex millia numero murænarum mutuo appendit. *h. e.* appensas mutuo dedit. *Id.* 33. *ibid.* 3. 13. (42). Appendere asses. Adde *Cod. Theod.* 12. 7. 1. — b) Cum Dat. personæ. *Cic. Rosc. Am.* 49. 144. Si tibi optimâ fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit. *Ulp. Dig.* 23. 3. 34. Pater puellæ id aurum in dotem viro appendit.

II.) Translate occurrit de verbis eique opponitur *adnumerare*, ita ut *appendere verba* sit verba proferre non ratione habita quantitatis vel numeri, sed qualitatis vel ponderis. *Cic. de opt. gen. or.* 5. 14. In quibus non verbo necesse habui reddere; sed genus omnium verborum vimque servari: non enim ea me adnumerare lectori putavi oportere, sed tamquam appendere. *V.* ANNUMERO.

APPENSOR *vel* adpensor, ōris, m. 3. (appendo) qui appendet, ponderator; sed occurrit figurate tantum. *Augustin.* 3. *contr. Crescon. Grammat.* 73. Callidus examinator appensorque verborum. Adde *eumd. Tract.* 20. *in Johann. ad fin.*

APPENSUS *vel* adpensus, a, um. *V.* APPENDO.

APPENSUS *vel* adpensus, us, m. 4. nomen verbale ab *appendo. Apul. de mundo.* Post lunam vero pars est, quæ sancti ætheris finibus coercetur, cujus mensu et appensu distincta est naturæ mutabilis regio etc. *Oudendorp.* rectius legit: Post eam vero partem, quæ etc., cujus mensa appensaque distinximus, est et natura immutabilis regio.

APPERTĬNĔO *vel* adpertineo, es, ere, n. 2. Idem quod pertineo, ad aliquam rem usque pertineo. *Innocent. de cas. litter.* p. 221. *Goes.* Medius fons ad ipsum adpertinet. *Et* p. 232. Aquam vivam habet et eidem adpertinet.

APPĔTENS *vel* adpetens, entis. *V.* APPETO.

APPĔTENTER *vel* adpetenter, adverb. (appeto). Occurrit tantum translate et est cum appetentia magnaque aviditate (It. *con brama, avidamente*; Fr. *avidement*; Hisp. *codiciosamente*; Germ. *mit Verlangen oder Begierde*; Angl. *with eager desire*). *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Ut ne cupide quid agerent, ne appetenter. nec *appeterent* alii malunt, sed prior lectio, præcipue a recentioribus, quemadmodum et olim a *Forcellino*, præfertur. *Apul.* 7. *Met.* 3. Partes subreptas clanculo et prægustatas a se potiones offerebat hilaris; at illa sumebat appetenter.

APPĔTENTĬA *vel* adpetentia, æ, f. 1. (appeto). Occurrit tantum translate, et est appetitio, cupiditas, desiderium (It. *appetenza, appetito, desiderio*; Fr. *appétit, désir, envie*; Hisp. *apetito, apetencia, anhelo*; Germ. *das Verlangen*; Angl. *appetency, eager desire*). Occurrit — a) Raro absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 7. 15. Lætitia profusam hilaritatem (*efficit*), libido effrenatam appetentiam. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. Ὄρεξιν, quam nos appetentiam dicere poterimus. — b) Sæpius cum Genit. *Cic.* 1. *de republ.* 2. 2. Appetentia laudis et honestatis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 72. (186). Appetentia ciborum. *Id.* 19. *ibid.* 8. 38. (127). Lactucæ cibi appetentiam faciunt. *Id.* 23. *ibid.* 1. 19. (32). Liberalium artium appetentia. *Aurel. Vict. Epit.* 15. gloriæ. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. Veneris.

APPĔTĪBĬLIS *vel* adpetibilis, e, adject. (appeto). Occurrit tantum translate, et est qui optari potest, expetibilis (It. *desiderabile*; Fr. *désirable*; Hisp. *deseable*; Germ. *verlangenswerth*; Angl. *desirable, appetible*). *Macrob.* 1. *Saturn.* 1. Sermones ut castitate integri, ita appetibiles venustate. *Apul.* 2. *Dogmat. Platon.* 13. Sollicitudinem et laborem appetibiles dicebat esse. *Cassiod.* 10. *Variar.* 14. Appetibilis grataque pinguedo.

APPĔTISSO *vel* adpetisso, is, ere, a. 3. (appeto) sollicite totisque viribus petere. *Accius* apud *Non.* p. 237. 22. *Merc.* Cur vetera tam ex alto appetissis discidia, Agamemno?

APPĔTĪTĬO *vel* adpetitio, ōnis, f. 3. actus appetendi, hoc est

I). Proprie actus tendendi et accedendi ad rem aliquam, ut prehendi et teneri possit. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur et abiret, ei magos dixisse – ex triplici appetitione solis triginta annos Cyrum regnaturum portendi.

II.) Translate et quidem sæpius est animi impetus ad rem aliquam cupiendo tendentis, appetitus, cupiditas, et Græco vocabulo ὁρμή respondet. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 8. 24. Illud perspicuum est, constitui necesse esse initium, quod sapientia, cum quid agere incipiat, sequatur: nam aliter appetitio (eam enim esse volumus ὁρμήν), qua ad agendum impellimur et id appetimus, quod est visum, moveri non potest. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 7. 23. et *Top.* 10. 62. *Id.* 2. *Off.* 5. 18. Cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant; appetitionesque, quas illi ὁρμάς, obedientes efficere rationi. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 32. Nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit et declinatio naturalis. *Id.* 1. *ibid.* 4. 13. Huic veri videndi cupiditati adjuncta est appetitio quædam principatus. *Id.* 3. *ibid.* 6. 30. Detractio, aut appetitio alieni. Adde *Cod. Theod.* 3. 16. 2. *Seneca Ep.* 124.

Appetitionis et fugæ arbitrium. *Id. ibid.* 9. Appetitio societatis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. Frigidi potus appetitio. — Pro appetentia ciborum, non absolute et specialim, sed ponitur ita ut ex orationis contextu hæc significatio innotescat. *Gell.* 16. 3. Post imperatam inediam tridui, omnis ejus appetitio pristina elanguit. — Interdum occurrit et pro Græco vocabulo βούλησις ponitur. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 12. Id cum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem.

APPĔTĪTOR *vel* adpetitor, ōris, m. 3. qui appetit adeoque delectatur aliqua re (It. *desideroso, dilettante*; Fr. *qui désire, qui recherche passionnément*; Hisp. *deseoso*; Germ. *der nach etwas verlangt*; Angl. *one who desires eagerly*). *Lamprid. Alex. Sev.* 40. Boni linteaminis appetitor fuit, et quidem puri. *Ammian.* 25. 5. Laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetitor. *Cod. Theod.* 9. 38. 6. Vultuum divinorum appetitor. *Arnob.* 4. 14. Incestorum appetitor.

APPĔTĪTUS *vel* adpetitus, a, um. *V.* APPETO.

APPĔTĪTUS *vel* adpetitus, us, m. 4. actus appetendi, hoc est

I.) Proprie actus invadendi, aggressio, irruptio. *Ammian.* 30. 5. E statione proxima reprimebat barbaricos appetitus.

II.) Translate est facultas partis inferioris animi, qua cupimus ea, quæ sunt naturæ accommodata, fugimus quæ sunt contra naturam; ideoque Græco vocabulo ὁρμή respondet. *Cic.* 1. *Off.* 28. 101. Duplex est enim vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμή Græce, quæ hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quæ docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet. *Id. ibid.* Efficiendum, ut appetitus rationi obediant. *Id. ibid.* Contrahere et sedare appetitus. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 34. Regere appetitus animi ratione. Adde *ibid.* 47. 122. et 1. *Divinat.* 32. 70. *Id.* 1. *Off.* 30. 105. Voluptatis appetitum dissimulare propter verecundiam. *Id.* 4. *Tusc.* 6. 11. Vehementior appetitus. *Pacat. Paneg. Theodos.* 12. Appetitus alienæ rei. *Capell.* 1. p. 23. Quos vitæ insignis elatio ingeniumque in appetitum cælitem extulerit. *h. e.* in desiderium rerum cœlestium.

APPĔTO *vel* adpeto, tis, tivi *vel* tii, titum, tere, 3. (ad et peto). Part. *Appetens* sub *A.* et in fine; *Appetitus* sub *B.* I. 2. et II.; *Appetendus* sub *B.* II. — Appeto proprie est ad aliquid accedere conor: et est verbum *A)* intransitivum, aut *B)* transitivum.

A) Appetere, ut verbum intransitivum ¶ 1. Refertur ad tempus atque occurrit figurate tantum pro adventare, instare, prope esse: hac autem significatione usurpatur tempus præsens et imperfectum solummodo apud alios scriptores præter Ciceronem. *Plaut. Most.* 3. 1. 114. Heus jam appetit meridies. *Id. Aulul.* 1. 1. 36. Quo pacto celem herilis filiæ probrum, propinqua partitudo cui appetit. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Dies appetebat septimus, quem ad diem constituerat, etc. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 82. *Liv.* 5. 44. Ubi nox appetit. Adde *eumd.* 8. 38., 10. 20. et 41. 28. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Appetente jam luce. *Seneca Consol. ad Marc.* 23. *extr.* Appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt. Adde *Curt.* 8. 6. 16. et 10. 1. 30.; et *Plin.* 5. *Ep.* 1., et V. *Drakenborg.* ad *Liv.* 10. 20. ¶ 2. Item jungitur Accusativo ratione præpositionis quæ in ipso inest, et de loco ponitur pro accedere. *Cic.* 1. *ad Brut.* 2. 1. Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 100. Mare terram appetens. *Liv.* 1. 8. Crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia appetendo loca. *Sueton. Cæs.* 42. Quo libentius et ipsi Urbem incolerent et ceteri appeterent. *Tac. Agric.* 10. Dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems appetebat. Et figurate *Liv.* 5. 19. Jam – Vejos fata appetebant. — Hinc

B) Ut verbum transitivum, occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est ad aliquid accedere prehendendi causa. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur et abiret. *V.* APPETITIO I. *Id.* 2. *ibid.* 41. 85. Puer lactens cum Junone, Fortunæ in gremio sedens, mammam appetens. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 51. 128. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (183). A. Manl. Torquatus obiit, dum in cœna placentam appeteret. Adde *Quintil.* 11. 3. 121. ¶ 2. Specialim, de hominibus præcipue, occurrit cum in bonam, tum in malam partem. — *a)* In bonam partem est ad aliquem accedere ejusque dexteram honoris vel benevolentiæ causa arripere, etc. *Cic. Senect.* 18. 63. Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, etc. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (250). Sicut dextra osculis aversa appetitur, in fide porrigitur etc. *h. e.* oscula ad dexteram diriguntur. — *b)* Sæpius in malam partem accipitur, et est aggredi, invadere. *Cic. Dom.* 5. 13. A quibus ille se lapidibus appetitum, etiam percussum esse dixit. *Id.* apud *Quintil.* 5. 10. 69. Cum Cottam appetisset, telum ei e manibus ereptum est. *Cæs.* 2. *B. C.* 35. Ubi ille – restitit, – humerum apertum gladio appetit. *Liv.* 7. 26. Sed quotiescumque certamen initum est, levans se alis os oculosque hostis rostro et unguibus appetit ales. *Virg.* 11. *Æn.* 277. Appetere ferro corpora. *Ovid.* 3. *Art. am.* 568. genas ungue. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (9). Aquilæ aquaticas aves appetit, mergentes se subinde, donec sopitas lassatasque rapiat. *Id.* 8. *ibid.* 16. 17. (1). Ungues nonnisi appetendo protendunt. *h. e.* non exerunt, nisi cum prædam invadunt. — Et figurate *Plaut. Cist.* 2. 1. 8. Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet. *Cic. Quinct.* 31. 98. E fundo dejectus, ignominiis omnibus appetitus. *Id. Rosc. Am.* 11. 30. Vita alicujus ferro et insidiis appetita. Adde *eumd. Planc.* 29. 71. *Ulp. Dig.* 38. 2. 14. Appetere aliquem judicio. *Id. ibid.* 48. 5. 27. aliquem per calumniam.

II.) Translate refertur ad animum, et significat vehementer petere ac velle, quærere, cupere, optare; eique opponuntur *declinare, aspernari, refugere* vel *fugere*, quæ omnia V. infra. Occurrit autem — *a)* De personis cum Accus. *Cic. Pis.* 28. 68. Non fugit ejus amicitiam, cum esset præsertim appetitus. *Id.* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur. *Liv.* 7. 30. Velle eum vobis amicum esse, qui vos appeteret. — *b)* Sæpius de rebus, etiam abstractis, et quidem — Cum Accus. tantum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 13. 33. Præterea nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit et declinatio naturalis: appetuntur autem, quæ secundum naturam sunt, declinantur contraria; et omne animal appetit quædam, et fugit a quibusdam. *Id.* 4. *Tusc.* 6. 13. Ut bona naturâ appetimus, sic a malis naturâ declinamus. *Id.* 1. *Fin.* 9. 30. Voluptatem appetere, dolorem aspernari. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 14. 39. et 2. *Legg.* 21. 52.; *Lucret.* 5. 1278.; *Sall. Cat.* 14., et *Nep. Pausan.* 2. *Cic. Rosc. Am.* 18. 50. Alienos agros cupidissime appetere. *Phædr.* 1. 4. 1. alienum. *Cic. Rosc. com.* 7. 21. aliquid per avaritiam. *Id. Dom.* 38. 101. regnum. *Id.* 2. *Leg. agr.* 31. 93. nomen consulis. *Id.* 7. *Verr.* 2. 5. partem aliquam laudis ex aliqua re. *Id. Harusp. resp.* 4. 7. Inimicitias non solum suscepit propter salutem meam, verum etiam appetivit. *Id. Mil.* 36. 101. Ego inimicitias potentium pro te appetivi. *Id.* 3. *Phil.* 13. 33. Quod agendum atque faciendum, idem non modo recusem, sed appetam etiam atque deposcam. *Sall. Jug.* 14. Appetere societatem alicujus. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. amicitiam alicujus cupidissime. *Auct. B. Alex.* 39. Conditiones, quas rejecerit, rursus appetere. *Seneca Thyest.* 471. Nec abnuendum imperium, nec appetendum. *Sueton. Aug.* 60. Appetere hereditates. *Id. Ner.* 2. mortem timore. *Id. Cal.* 11. artes scenicas studiosissime. *Id. Rhet.* 1. rhetoricam. *Id. Aug.* 76. Secundarium panem et pisciculos minutos, caseum bubulum manu pressum, et ficos virides, biferas maxime, appetebat. *Martial.* 9. 27. Appetitur posito vilis oliva lupo. — Addito interdum Dat. personæ, cui quid quæritur. *Cic.* 6. *Verr.* 54. 121. In hac partitione ornatus non plus victoria Marcelli populo Rom. appetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit. *Id.* 2. *Leg. agr.* 33. 60. Nihil sibi præcipue appetere. *Id.* 3. *Orat.* 32. 128. sibi aliquantum de præclarissimis artibus. — Cum Infinito. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Ut appetat animus agere semper aliquid, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. *Stat.* 1. *Theb.* 234. gremium incestare parentis Appetiit. Adde *Pallad.* 10. *R. R.* 13. 2. — *NB. Appetere ad aliquem* pro competere, hoc est pertinere, aut convenire. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *a med.* Aliuquin per se eorum scripta non talia extant, ut ea ad omnes adpetant. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* edidit, *ut ea omnes adpetant.* — Hinc Part. præs.

Appetens, entis, eadem occurrit significatione, hoc est translate, tamquam Adject., unde Comp. *Appetentior* et Sup. *Appetentissimus.* — *a)* Absolute. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 8. 20. Jubet Rullus, homo non cupidus, neque appetens, habere comitia Rullum. [illegible] *Id.* 2. *Orat.* 43. 182. Animus gratus, non appetens, non avidus. — *b)* Sæpius cum Genit. personæ aut rei. *Cic. pro leg. Manil.* 3. 7. Quoniam semper appetentes gloriæ præter ceteras gentes atque avidi laudis fuistis. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 14. 45. *Id. Amic.* 14. 50. Nihil est enim appetentius similium sui, nec rapacius, quam natura. *Id.* 2. *Tusc.* 24. 58. Sumus enim naturâ – studiosissimi appetentissimique honestatis. *Sall. Cat.* 5. Alieni appetens, sui profusus. *Id. Jug.* 7. Manu promptus et appetens gloriæ militaris. *Seneca Ep.* 9. Amicitiarum appetens. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 36. (69). Ægri appetentes vini. *Id.* 12. *ibid.* 17. 37. (73). Animal odoratorum fruticum appetentius. *Gell.* 16. 3. Appetens edendi. *Tac.* 4. *Hist.* 6. Famæ appetentior. *Plin.* 7. *Ep.* 31. Hunc hominem appetentissimum tui complectere, apprehende, immo et invita.

APPĔTO *vel* adpeto, ōnis, m. 3. qui immodice appetit, qui aggreditur, prædo. *Lucilius* (aliis *Laber.*) apud *Non.* p. 74. 8. *Merc.* Diverticulis prædiis viæ alienum appetonibus.

APPĬĔTAS, ātis, f. 3. vox ficta a *Cic.* 3. *Fam.* 7. 5. ad significandam per jocum nobilitatem generis, quam Appius Claudius jactabat, et Ciceronem novum hominem contemnebat. Idem dic de voce *Lentulitas*, quæ ibidem legitur. Verba *Cic.* sunt: Etiamne tu has ineptias, ullam Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis existimas?

APPINGO *vel* adpingo, gis, gere, a. 3. (ad *et* pingo. Posset etiam deduci a pango, a quo est compingo et impingo. V. *Müller* ad *Paul. Diac.* p. 8. 10. in notis). Est pingendo addo.

I.) Proprie. — *a)* Cum Dat. *Horat. Art. P.* 29. Qui variare cupit rem prodigialiter unam, Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum. — *b)* Absolute. *Fronto de eloq.* 1. p. 229. ed. *Niebh.* Ut colorem vetusculum adpingeres. Adde *eumd. ibid.* 2. p. 257. et *de laud. neglig.* 2. p. 371.

II.) Translate est adscribere, addere. *Cic.* 2. *Att.* 8. 2. Epistolam superiorem restitue nobis, et appinge aliquid novi.

APPINGO *vel* adpingo, gis, gere, a. 3. (ad et pango) idem quod compingo, vel compingendo appendo. *Paul. Diac.* p. 8. 10. *Müll.* Antepagmenta valvarum ornamenta, quæ antis appinguntur, id est affiguntur.

APPĬŌSUS, a, um, adject. *Veget.* 2. *Veterin.* 2. et 10. scribit, appiosum fieri animal, cum noxius sanguis ejus cerebri membranam ex una parte pertundit et dolore nimio prægravat: cujus morbi signa esse, cum in præsepio incumbit, oculos tensos habet, micat auriculis, visus caliginem patitur, et in gyrum agitur, tamquam si ad molam esset. In quibusdam MSS. legitur *oppiosus*. Cum vero etiam *opiosus* sit in libris antiquis, et jumentum hoc morbo affectum somnolentum sit, ab opio forte ita vocatum divinabat *Platnerus*, cujus conjectura probabilis videtur, ideoque a recentioribus plerisque omnibus recepta est.

APPISCOR *vel* adpiscor, ĕris, ĭtus sum, ari, dep. 1. (ad *et* piscari). Hanc vocem *Laurenb. Antiq.* affert tamquam translate usurpatam a *Lucilio* apud *Priscian.* Magnam inde appiscatus infamiam. *In Putschii edit. locum nondum invenimus.*

APPLARE. *V.* APALARE.

APPLAUDO *vel* adplaudo, dis, si, sum, dere, a. 3. *V.* et APPLODO (ad *et* plaudo). Part. *Applausus* 1. ¶ 1. Proprie et generatim significat allidere, seu collidere rem aliquam cum alia, ita ut sonitum edat. *Nemesian.* 3. 33. Applauditque manu mutilum caput. *h. e.* percutit. *Ovid.* 4. *Met.* 352. Ille cavis velox applauso corpore palmis Desilit in latices. *Tibull.* 2. 1. 66. applauso tela sonant latere. *Sil. It.* 16. 357. ipse asper, nec qui cervicis amaret Applausæ blandos sonitus. ¶ 2. Specialim est verbum intransitivum, et significat manuum, aut pedum, et vocis strepitu et plausu favorem ostendere. *Plaut. Pers.* 5. 2. 13. Agite, applaudamus. *Id. Pseud.* 5. 2. 32. Si vultis applaudere atque approbare hunc gregem et fabulam, in crastinum vos vocabo. *Id. Men.* 5. 9. 100. Valete et nobis clare applaudite. — Impersonaliter. *Cic. Sext.* 54. 115. Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi civium maxime applaudatur. *Nisi forte legendum plaudatur; quæ vox Ciceroni est magis usitata.*

APPLAUSOR *vel* adplausor, ōris, m. 3., qui ap-

plaudit, seu manuum et vocis strepitu favorem ostendit. Plin. Paneg. 46. Populus ille, aliquando scenici imperatoris spectator et applausor.

APPLAUSUS vel adplausus, a, um. V. APPLAUDO.

APPLAUSUS vel adplausus, us, m. 4. (applaudo) collisio manuum, aut pedum cum sonitu, item vocis murmur ad favorem significandum. Cic. 2. Divinat. 50. 104. Noster Ennius, qui magno applausu loquitur, assentiente populo. Alii, et recentiores plerique omnes leg. plausu, quæ vox Ciceroni est magis usitata.

APPLECTO vel adplecto, is, ere. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 107.

APPLEX vel adplex, icis, comm. gen. 3. adject., cujus Compar. est Applicior; a plico, as, eadem forma qua complex: idem est ac applicatus, conjunctus, adhærens. Apul. 10. Met. 22. Quoties nates recellebam, accedens toties nisu rabido et spinam prehendens meam, appliciore nexu inhærebat. Quidam ex conjectura leg. applicatiore; sed prior lectio constans est in libris. Ouderdorp. legendum putat applicitiore, ut sit Comparativum ab applicitus.

APPLĬCĀTĬO vel adplicatio, ōnis, f. 3. actus applicandi; sed occurrit translate tantum, et est — a) Animi adjunctio. Cic. Amic. 8. 27. A natura mihi videtur potius, quam ab indigentia orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum res illa utilitatis esset habitura. — Cum Dat. rei, cui animum adjungimus. Cæl. Aurel. 5. Tard. 11. in fin. Item præ ceteris vehemens, et major quam oportet, animi officiis sive curis applicatio: videmus enim ob has causas etiam studentium corpora fieri tenuiora. — b) In re civili jus applicationis vigebat inter Athenienses, apud quos si quis opulento ac potenti civi se applicuisset, hoc est in ejus se clientelam dedisset, ut ab eo defenderetur; isque intestato mortuus esset; poterat dives jure applicationis hereditatem defuncti clientis adire. Hujus juris meminit Cic. 1. Orat. 39. 177.

APPLĬCĀTUS vel adplicatus, a, um. V. APPLICO.

APPLĬCĬTUS vel adplicitus, a, um. V. APPLICO.

APPLĬCO vel adplico, plicas, plicāvi et plicui, plicātum et plicitum, plicare, a. 1. (ad et plico). — Formæ applicavi et applicatum apud antiquos omnes scriptores, nec non apud Ciceronem frequenter usurpantur: applicui et applicitum apud posteriores tantum usuvenerunt ex communi fortasse loquendi ratione, ut docet Zumpt. ad Cic. 4. Verr. 1. 2. et patet ex Priscian. 10. p. 860. Putsch. et Gell. 1. 7. in fin. — Part. Applicans I. 1.; Applicatus et Applicitus in omnibus ferme paragr.; Applicandus I. 1.; Appliciturus I. 2. — Applicare proprie est plicando adjungere; unde et simpliciter adjungere, admovere (It. attaccare, applicare, avvicinare; Fr. appliquer, attacher; Hisp. applicar, allegar; Germ. anschliessen, anfügen, anheften, anbilden; Angl. to apply, bring near or in contact with, attach, unite).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de inanimis, et est admovere, adjungere, conjungere. Occurrit — a) Absolute. Varro 2. R. R. 7. 5. Qualis futurus sit equus e pullo conjectari potest, si caput habet non magnum, si oculis est nigris, naribus non angustis, auribus applicatis. h. e. brevibus et capiti adhærentibus, non longis et dependentibus. Liv. 21. 28. Per stabilem ratem – acti in minorem applicatam transgressi sunt. Catull. 9. 9. Applicansque collum. Plin. 30. Hist. nat. 5. 14. (43). Stomachi dolorem sedant applicati sæpius. Adde Colum. 4. R. R. 6. 3., et 6. ibid. 12. 2. Scævola Dig. 32. l. 39. Domum meam cum horto applicito libertis meis concedi volo. Et figurate Virg. 10. Æn. 536. applicare ensem capulo tenus. — b) Sæpius cum Dat. rei aut personæ, cui quid adjungitur. — Generatim. Liv. 23. 27. Dum corporibus applicantur armaque armis jungunt. Id. 26. 44. et Curt. 4. 2. 9. Applicare scalas mœnibus. Ovid. 3. Fast. 750. asellum ulmo. Id. 3. Trist. 9. 10. remos vadis. Curt. 9. 5. corpus stipiti. Id. 8. 2. 28. se stipiti arboris. Id. 8. 4. 14. Applicati arborum truncis. Colum. 4. R. R. 17. 2. Applicandæ propagines palis. Id. ibid. 22. 2. Applicitus trunco palus. Id. 5. ibid. 6. 18. Applicare vitem ulmo. Quintil. 1. 2. 26. Applicatæ vites arboribus. Forcellinus legebat applicitæ. Justin. 12. 9. 9. Se trunco applicare. Petron. Satyr. 91. Applicitus parieti. — Specialim de iis, quæ corpori apponuntur medicinæ causa. Plin. 30. Hist. nat. 7. 20. (64). Applicare catulos stomacho ac pectori. Id. 33. ibid. 4. 25. (84). Aurum applicatur vulneratis et infantibus. Colum. 6. R. R. 12. 2. Applicare linamenta corpori. — Item specialim de regionibus, cubiculis etc., quæ sint contigua. Liv. 32. 30. Applicare castra flumini. Id. 33. 17. Leucas colli applicata. h. e. acclinis. Plin. 4. Hist. nat. 4. 5. (11). Applicata colli colonia. Id. 11. ibid. 37. 88. (217). Nervi applicati ossibus. Plin. 2. Ep. 17. a med. Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum. — Denique hæc apud Poetas figurate occurrunt. Horat. 3. Od. 11. 8. Applicare aures alicui. h. e. benigne ejus preces excipere. Id. carm. sæcul. 71. aures amicas votis. Ovid. 4. Fast. 851. oscula feretro. Virg. 12. Æn. 303. aliquem terræ. h. e. prosternere. — c) Cum Accus. et præp. ad. Cic. 5. Tusc. 27. 77. Indorum sapientes cum ad flammam se applicaverunt, sine gemitu aduruntur. Cæs. 6. B. G. 27. Ad eas (arbores) se applicant, atque ita paullummodo reclinatæ quietem capiunt. Adde Liv. 27. 2. et Curt. 4. 4. 3. Ovid. 5. Met. 160. Applicare humeros ad saxa. Colum. 11. R. R. 2. 19. Sarmenta egerere et ad sæpem applicare. Sueton. Ner. 25. sudarium ad os. — d) Cum Adverbiis. Ovid. 1. Fast. 543. Ecce boves illuc Erithеidas applicat heros. h. e. ducit, appellit. Plin. 11. Hist. nat. 2. 1. (2). Ubi gustatum applicabit? Plinius hoc loco de minutissimis insectis loquitur, et applicare gustatum est sensum gustandi in aliqua parte corporis collocare. ¶ 2. Specialim usurpatur in re nautica, et significat appellere, hoc est ad ripam aut littus admovere: et dicitur tum de navibus, tum de ipsis hominibus navigantibus; occurrit scilicet — a) Applicare navem, navigia, classem, ratem etc. Cic. 2. Invent. 51. 153. Misericordia commoti navim ad eum (naufragum natantem) applicarunt. Cæs. 3. B. C. 101. Applicatæ ad terram naves. Liv. 33. 17. Applicare naves ad Heræum. Id. 37. 12. ad fin. classem in Erithræam. Id. 28. 17. naves terræ. Adde Curt. 4. 5. 21. et 9. 4. 14. Et Ovid. 7. Met. 223. de Medea curru a draconibus advecta. Applicare angues Creteis regionibus. — b) Applicare absolute, ita tamen ut Accusativus se aut navem subintelligatur. — De hominibus. Liv. 26. 44. Dum applicant, dum partim exponunt scalas militesque etc. Auct. B. Hisp. 37. in fin. Applicare ad terram. Justin. 2. 4. 21. Cum Hercules ad littus Amazonum applicuit. Et ibid. 12. Quo applicituri erant, symbolos proponi curat. Et omissa præpositione, quæ inest in ipso verbo, Ulp. Dig. 1. 16. 4. Proconsuli necessitatem impositam, per mare Asiam applicare. Et figurate Ennius apud Cic. 3. Tusc. 19. 44. Arce et urbe orba sum: quo accidam? quo applicem? h. e. quo confugiam? Forcellinus legebat accedam. — De navibus. Liv. 44. 32. Ut quocumque littore applicuisse naves hostium audissent. — c) Applicari passive de hominibus. Ovid. 3. Met. 598. Forte petens Delon Ceæ telluris ad oras Applicor. Id. Heroid. 16. 126. Applicor in terras, Œbali nympha, tuas. Adde ibid. 7. 117. Et poetice Virg. 1. Æn. 616. quæ vis (te) immanibus applicat oris?

II.) Translate est adjungere, conjungere, addere; et occurrit — a) Applicare rem rei, præcipue de abstractis. Cic. 2. Fin. 12. 37. Nihil esse ei (voluptati) loci – ut ad honestatem applicetur. h. e. cum honestate conjungatur. Id. 1. Invent. 25. 36. Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluptate, occupatio. Liv. 32. 21. Applicare consilia fortunæ. Martial. 6. 28. unum annum bis senis mensibus. h. e. addere. Quintil. 4. 2. 117. de ornatu narrationis agens. In parvis rebus sit ille pressus et velut applicitus rei cultus. Id. 7. 3. 19. Applicare finitionem in rem. h. e. accommodare, aptare. Id. 5. 7. 27. priora sequentibus. Id. 7. 10. 17. verba verbis. h. e. apta complexione colligare. Nazar. Paneg. ad Constantin. 10. Pietas semper applicata prudentiæ. h. e. cum prudentia conjuncta. — Huc referri potest et illud Paul. Dig. 34. 2. 9. Demonstratio muliebria neque vesti, neque mundo applicari potest. h. e. dici de mundo, aut veste. V. integr. loc. — b) Applicare aliquid alicui. Plin. 10. Ep. 66. Applicare alicui crimina. h. e. reum aliquem facere. Paul. Dig. 19. 2. 54. et 22. 1. 17. alicui usuras. h. e. usurarum solvendarum onus alicui adjungere. Quintil. 4. 1. 30. personis non pignora modo, sed propinquitates, amicitias etc. Et Seneca 1. Benef. 11. Liberos, conjuges, penates ceteraque, quæ usque eo animus sibi applicuit, ut ab illis, quam a vita divelli gravius existimet. — c) Applicare aliquem alicui rei, hoc est præficere. Colum. 3. R. R. 10. 6. Applicare servum alicui officio. Pompon. Dig. 10. 2. 45. § 1. non idoneum servum rei communi. Et absolute Justin. 11. 15. 6. Applicito servo. h. e. ad interpretis officium adhibito; Forcellinus vero interpretatus est admoto, ad se arcessito. — Hinc et applicare aliquem ad aliquid et ad aliquid applicatum esse, quemadmodum apud Ter. Andr. 1. 2. 22. Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicant. Contra Plaut. Trin. 2. 1. 34. animum ad frugem. Cic. 4. Fin. 13. 34. Quid enim dicis omne animal – applicatum esse ad se diligendum? – quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum. — d) Se applicare significat se adjungere, se dedere, et occurrit — Raro absolute. Plaut. Men. 2. 2. 67. Post illa extemplo se applicant, agglutinant. Adde Pacuvium apud Priscian. 9. p. 860. Putsch. Cic. 2. Invent. 13. 43. Applicare se in itinere. h. e. comitem alicui se adjungere. Adde eumd. Amic. 9. 32. — Sæpius cum Accus. et præp. ad. — De personis, cum quibus quis conjungitur ratione civili, morali etc. Ter. Andr. 5. 4. 21. Ille egens applicat primum ad Chrysidis patrem se. Id. Heaut. 2. 4. 13. Hi se ad vos applicant. Cic. Brut. 91. 316. Me ad eumdem – Molonem applicavi. h. e. audiendi et discendi causa. Id. 1. Orat. 39. 177. Applicare se ad aliquem quasi patronum. V. APPLICATIO. Varro apud Priscian. 9. p. 860. Putsch. Deinde ad Siculos se applicavit. Cic. 4. Verr. 1. 2. Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Rom. applicavit. Id. 3. Fam. 11. 4. Applicare se ad ductum alicujus. Id. Cluent. 24. 46. ad familiaritatem alicujus. Nep. Arist. 12. Ut civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent. — De re, cui quis se dat. Cato apud Gell. 11. 2. Si quis in ea re studebat aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur. Ter. Heaut. prol. 23. Repente ad studium se applicasse hunc musicum. Cic. 1. Off. 32. 115. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant. Id. 2. Orat. 13. 55. se ad scribendam historiam. Id. Amic. 14. 18. Applicare et adjungere se ad virtutem. Ulp. Dig. 50. 6. 2. se ad munera et honores. — NB. In loco Mæcian. Dig. 36. 1. 7. Morbo applicitus. fortasse inest mendum et legendum implicitus, h. e. detentus.

APPLŌDO vel adplodo, dis, si, sum, dere, a. 3. (ad et plodo pro plaudo; eodem modo quo coda pro cauda dicitur, plostrum pro plaustrum, et lotus pro lautus etc.). Part. Applosus. Applodo idem est ac applaudo, sive ad aliquid pulso, allido; et occurrit — a) Absolute. Hygin. Fab. 126. Qui cum luctati essent, et Ulixes Irum applosisset. h. e. ad terram allisisset. Lamprid. Elagab. 6. Seriam applosam frangere. Paul. Diac. p. 11. 1. Müll. Sunt, qui apludam sorbitionis liquidissimum putent genus, quod flatu dejiciatur et quasi adplodatur. Voss. et Müll. ita leg.; alii applaudatur. Applodere pedem, hoc est pede terram pulsare, est apud Hieronym. Ep. 50. ad Domnion. 2. — b) Addito loco, ad quem quis applodítur. Apul. 6. Met. 27. Incussis in eam (anum) posteriorum pedum calcibus protinus applodo terræ. Et 9. ibid. 8. Arreptis ejus pedibus utrisque, sublimem elatum terræ graviter applodit. Alii utroque loco leg. applaudo. Spartian. Get. 3. Ovum applosum ad terram frangere. V. APPLAUDO.

APPLŌRO vel adploro, as, āvi, atum, are, n. 1. (ad et ploro). Idem ferme quod ploro, vel cum alio ploro et queror. — a) Cum Dat. Horat. Epod. 11. 12. Contraque lucrum nil valere candidum Pauperis ingenium querebatur applorans tibi. — a) Absolute. Seneca 4. Quæst. nat. 2. ante med. Cum jam adploraveris mersosque credideris, longe ab eo, in quem ceciderant, loco navigant.

APPLŌSUS vel adplosus, a, um. V. APPLODO.

APPLŪDA. V. APLUDA.

APPLUMBĀTUS vel adplumbatus, a, um, est part. præter. pass. ab inus. applumbo, plumbo conglutinatus. Scribon. Comp. 271. Vase operto et applumbato. Paul. Dig. 6. 1. 23. Non idem est in eo, quod applumbatum sit. Ulp. ibid. 47. 12. 2. Si statua neque applumbata fuerit, neque adfixa. Id. ibid. 19. 1. 17. Epistomia fistulis applumbata.

APPLUO vel adpluo, is, ere, n. 3. Idem ferme quod pluo. Plin. 9. Hist. nat. 16. 23. (36). Arundines, quamvis in palude prognatæ, non tamen sine imbre adolescunt, et alias ubicumque pisces in eadem aqua

assidui, si non adpluat, exanimantur. *Harduin.* ex omnibus libr. defendit scribendum esse *si non adfluat*, hoc est si nova subinde ac recens aqua non accedat: quam lectionem cum omnibus recentioribus retinuit et *Sillig.*

APPŌNO *vel* adpono, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (ad *et* pono). Præteritum *apposivi* pro *apposui* antiquum est et leg. apud *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 30.; quemadmodum *apposiverunt* pro *apposuerunt* occurrit in *Apul.* apud *Priscian.* 10. p. 898. *Putsch.* V. PONO. — Part. *Appositus* in omnibus paragr. et in fin.; *Appositurus* et *Apponendus* I. 2. — Appono est prope pono, admoveo, ante pono (It. *apporre, appressare;* Fr. *mettre auprès, apposer;* Hisp. *poner junto;* Germ. *etwas an etwas heranstellen, setzen oder legen;* Angl. *to place near, or by the side of*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de inanimis, et significat rem ita collocare, ut ad aliam pertineat: occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 35. SYN. At onus urget. MILPH. At tu appone et respice ad me. *Ter. Heaut.* 1. 1. 37. At istos rastros interea tamen appone. *h. e.* hic depone. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Gladium propter appositum e vagina eduxit. *Id.* 3. *Verr.* 55. 145. Omnes columnæ machina apposita dejectæ. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 36. 79. et *Liv.* 37. 5. — *b*) Addito termino, ubi quid apponitur. — Per Accus. et præp. *ad. Plaut. Men.* 2. 2. 55. Ire hercle melius est te intro atque accumbere, dum ego hæc appono ad Vulcani violentiam. *h. e.* ad ignem. *Cic. Pis.* 30. 7. Apponere notam ad malum versum. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. 4. manus ad os. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 28. 42. (103). Apposita aure ad glaciem. *h. e.* admota. — Per Dat. *Lucret.* 6. 1035. Aer omnibus est rebus circumdatus appositusque. Cf. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 6. Aer continuus terræ est, et sic appositus, ut statim ibi futurus sit, unde illa discessit. *Lucret.* 3. 374. Corporis atque animi primordia singula, privis Apposita, alternis variare et nectere membra. *Liv.* 31. 15. Statio portæ apposita. *Petron. Satyr.* 135. Cucumam foco apponere. *Quintil.* 1. 7. 2. syllabis apicem. *Juvenal.* 9. 98. candelam valvis. — Per locum generatim significatum. *Plaut. Most.* 1. 3. 50. Cedo aquam manibus, puer, appone hic mensulam. *Ter. Andr.* 4. 3. 10. Accipe a me hunc (*puerum*) ocius, atque ante nostram januam appone. *Forcellinus* putabat h. l. *apponere* esse pro simplici *ponere; Pareus* vero in *Lex. Crit.* legendum censet *apone* unico *p*, et idem esse ac *depone. V.* APONO. *Cic.* 13. *Fam.* 6. 2. Reliquis epistolis tantum faciam ut notam apponam eam, quæ mihi tecum convenit. *Propert.* 2. 9. 12. Et dominum lavit mœrens captiva cruentum Appositum flavis in Simoenta vadis. ¶ 2. Speciatim. — *a*) Sæpe est tricliniare verbum, et significat inferre mensæ et convivis edendum vel potandum dare. *Plaut. Asin.* 5. 1. 2. Pueri, mensam apponite. Adde *eumd. Pers.* 3. 1. 20. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 162. Quamquam appositum est ampliter. *Ter. Phorm.* 2. 2. 28. Cœna dubia apponitur. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 92. Abduxit legatos ad cœnam in Academiam: iis apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu. *Id.* 6. *Verr.* 22. 48. Is cœnam isti dabat apud villam in Tyndaritano. - Apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. *Id. ibid.* § 49. Cœnabat apud eum: argentum ille ceterum purum apposuerat. *Id.* 6. *Att.* 1. 13. Quid te in vasis fictilibus appositurum putem? *Id.* 14. *ibid.* 6. 13. et 21. 4. Apposita secunda mensa. Adde *Liv.* 1. 7. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 68. ne panis adustus, Ne male conditum jus apponatur. *Id. ibid. v.* 17. vina apposita. *Virg.* 4. *Æn.* 602. Apponere aliquid mensæ. *Ovid.* 8. *Met.* 570. Appositas mensas instruere. *Id.* 5. *Trist.* 3. 50. pocula apponere. *Id.* 2. *Amor.* 11. 49. apposito Lyæo. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 78. (210). Apponere solidum aprum in epulis. *Sueton. Cal.* 37. convivis panem et obsonia. *Id. Galb.* 12. cœnam lautiorem. — *b*) Interdum occurrit et de ornamentis, quæ rei adduntur. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 10. meretrix Appositâ populum submovet ante serâ. *Id.* 3. *Trist.* 1. 39. Cur tam appositâ velatur janua lauro. Adde *eumd. Heroid.* 7. 100. et 9. 60. — *c*) Denique sæpe de iis ponitur, quæ medicinæ causa corpori applicantur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 23. 94. (165). Et menstrua cient (*anemonæ*) cum ptisana sumptæ, aut vellere appositæ. *Sueton. Ner.* 49. Pœnula ad vulnus apposita. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. Radendum caput totum et multis partibus ejus cucurbitæ similiter apponendæ.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de rebus etiam abstractis, et est addere; quo sensu dixit *Plaut. Pseud.* 3. 2. 25. *de coquis.* Indunt coriandrum, fœniculum, allium, atrum olus; apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum. *Id. Mil. glor.* 3. 3. 31. Ad tua præcepta de meo nihil his novum apposivi. *Id. Trin.* 4. 3. 18. Apponere laborem ad damnum. *Cic.* 4. *Tusc.* 18. 42. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. *h. e.* qui vitia moderatur quidem, sed retinet, etc. *Horat.* 2. *Od.* 5. 14. et illi, quos tibi dempserit, Apponet annos. *Quintil.* 8. 6. 29. Epitheton, quod detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine. *Gell.* 1. 13. Instructius fore arbitramur theorematium hoc, si exemplum quoque P. Crassi apposuerimus. — Interdum hoc sensu *apponere* conjungitur cum Dat., ex. c. *gratiæ* vel *lucro*, et est gratiæ vel lucri loco addere, habere. *Ter. Andr.* 2. 1. 31. Neutiquam officium liberi esse hominis puto, cum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi. *Horat.* 1. *Od.* 9. 14. Quem sors dierum cumque dabit, lucro Appone. ¶ 2. Ponitur et de personis ac significat dare, lateri addere, quo sensu dicitur et addere. *V.* ADDO. — *a*) Cum Accus. appositionis, addito aut omisso Dat. personæ. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 16. 51. Apponere aliquem custodem alicui. *Liv.* 2. 18. Lartius moderator et magister consulibus appositus. *Sueton. Aug.* 91. Apponere aliquem alicui pro janitore. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 6. et 2. *ibid.* 68. — *b*) Absolute. *Accius* apud *Priscian.* 6. p. 685. *Putsch.* Custodem assiduum Ioni apposuit virgini. *Cic.* 2. *Phil.* 11. 25. Apponere sibi prævaricatorem. *h. e.* sibi comparare et corrumpere ad colludendum. Adde *Nep. Dion.* 4. *Sueton. Claud.* 2. Appositus alicui pædagogus. *h. e.* datus, ut doceat et observet. *Id. Aug.* 48. Apponere alicui rectorem. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 60. — *c*) Eadem ratione *apponere aliquem* est eum mittere, submittere, subornare ad aliquid faciendum. *Cic.* 5. *Verr.* 42. 99. Appositus erat ab isto Venulejus quidam, qui emeret. *Id.* 3. *ibid.* 29. 74. et 7. *ibid.* 41. Apponere accusatorem alicui. *Id.* 4. *ibid.* 10. 26. calumniatores. *Id.* 3. *Off.* 15. 61. licitatorem. *Id.* 3. *ibid.* 54. 141. mancipem. *Sueton. Claud.* 35. scrutatores salutatoribus. — Hinc

Appositus, a, um, part. præter pass. occurrit etiam adjective, unde Comp. *Appositior* et Sup. *Appositissimus* sub *B.* 2., et

A.) Proprie est prope positus, ac raro absolute, sæpius cum Dat. occurrit præcipue de locis. *Ovid.* 4. *Met.* 601. Donec in appositi nemoris subiere latebras. *Curt.* 4. 1. 26. Apposita urbi regio. *Id.* 10. 10. 4. Appositæ Thraciæ Ponticæ gentes. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 18. 22. (126). Decima regio Italiæ, Hadriatico mari apposita. *Id.* 12. *ibid.* 1. 5. (9). Platanus itineri apposita *h. e.* viæ vicina. *Id.* 37. *ibid.* 8. 33. (110). Callais gemma nascitur in rupibus, leviter adhærens, nec ut agnata petris, sed ut apposita. *Tac.* 2. *Ann.* 7. Castellum Luppiæ flumini appositum.

B.) Translate. ¶ 1. Appositus dicitur, qui inclinatus est ad aliquid, eique accedit et adhæret. *Cic.* 2. *Invent.* 54. 165. Fidentiæ contrarium est diffidentia, audacia non contrarium, sed appositum est ac propinquum. *Quintil.* 4. 3. 11. Judicis quoque noscenda natura est, juri magis, an æquo sit appositus. *h. e.* legum severitati, an æquitati magis accedat adhæreatque. Et *Seneca Ep.* 4. Parabile est, quod natura desiderat, et appositum: ad supervacanea sudatur. *h. e.* parabile et in promptu est. ¶ 2. Sæpius *appositus ad aliquid* dicitur qui positus est ad finem obtinendum; hinc pro apto, idoneo, accommodato; habetque hoc sensu suos gradus. Ad rem *Varro* 1. *R. R.* 7. 5. Nam ut alius (*ager*) est ad vitem appositus, alius ad frumentum, sic de ceteris alius ad aliam rem. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 23. 1. *Cic.* 3. *Verr.* 11. 30. Menses mihi tres cum eripuissetis ad agendum maxime appositos. *Id.* 3. *Att.* 14. Locus minime appositus ad tolerandam calamitatem. *Id.* 7. 41. 107. Homo bene appositus ad istius audaciam. *Id.* 2. *ad Q. Fr.* 2. 1. Appositum quiddam ad recordationem præteritæ memoriæ. *Id.* 6. *Verr.* 57. 126. Operarius multo appositior ad deferenda, quam ad auferenda signa. *Id.* 1. *Invent.* 14. 19. Firmamentum est firmissima argumentatio defensoris et appositissima ad judicationem. *Varro* 2. *R. R.* 10. 4. Non omnis apta natio ad pecuariam: Galli appositissimi, maxime ad jumenta. *Id.* 3. *ibid.* 9. 9. Appositissimæ gallinæ ad partum sunt anniculæ, aut bimæ. *Id.* 2. *ibid.* 7. 5. Equus æger appositus ad medendum. — *NB.* Pro seposito et reposito affertur locus *Senec.* 4. *Benef.* 20. Si quis intelligit, adeo per hoc se nihil consecuturum, ut multa etiam ex apposito acquisitoque perdenda sint, num libens in detrimenta descendet? *Alii leg. et quidem rectius* reposito.

Appositum, i, n. 2. absolute est id quod alteri apponitur, seu adjungitur: et speciatim in re grammatica et rhetorica est verbum vel sententia, quæ alteri ad explicandum adjicitur, ἐπίθετον, adjectivum. *Quintil.* 8. 2. 10. Apposita, quæ epitheta dicuntur, ut *dulce mustum*, et *cum dentibus albis*, etc. *Id.* 8. 6. 40. Ornat enim ἐπίθετον, quod recte dicimus *appositum*: a nonnullis sequens dicitur. Eo poetæ et frequentius et liberius utuntur etc. *Et paullo post.* Si dicas *ille qui Carthaginem et Numantiam evertit*, antonomasia est; si adjeceris *Scipio*, appositum. Adde *eumd.* 2. 14. 3. et 5. 10. 86.

APPORRECTUS *vel* adporrectus, a, um, part. præter. pass. ab inus. *apporrigo*, extensus, prope porrectus ad aliquid. *Ovid.* 2. *Met.* 561. et intus Infantemque vident apporrectumque draconem.

APPORTĀTĬO *vel* adportatio, ōnis, f. 3. actus apportandi. *Vitruv.* 2. 9. 16. Cujus materiei si esset facultas apportationibus ad urbem, maximæ haberentur in ædificiis utilitates. *h. e.* si hæc materies facile ad urbem afferri posset, etc.

APPORTĀTUS *vel* adportatus, a, um. *V.* voc. seq.

APPORTO *vel* adporto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* porto). Part. *Apportans* et *Apportandus* I. 1.; *Apportatus* I. 2. — Apportare est onerosum aliquid aliquo advehere (It. *portare;* Fr. *apporter, amener;* Hisp. *traer, llevar;* Germ. *anfahren, herbeischaffen oder bringen;* Angl. *to bring, carry, conduct, convey*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 3. *Verr.* 56. 147. Lapis aliquis cædendus et apportandus fuit machinâ suâ. *Id.* 1. *Off.* 42. 151. Mercatura multa undique apportans. *Id. pro M. Scauro.* Clitellis apporto columnas. *Varro* 3. *R. R.* 14. 4. Cocleæ, quæ de Illyrico apportantur. *Plin.* 35. *Hist nat.* 6. 25. (43). Indicum apportatur ex India. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 56. 57. (197). ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro afferre. *Plaut. Stich.* 3. 1. 11. Quoniam re bene gestâ redisse me videt, magnasque apportavisse divitias domum. *Cic.* 3. *Verr.* 21. 57. P. Servilius, quæ signa atque ornamenta ex urbe hostium capta, belli lege atque imperatorio jure sustulit, ea populo Rom. apportavit. *Id.* 7. *ibid.* 48. 127. In urbe nostra quod signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus victis capta atque apportata sit? Adde *Nep. Alcib.* 9. et *Sueton. Domit.* 6.

II.) Translate occurrit fere apud Comicos in magna animi commotione. *Plaut. Amph.* 3. 1. 5. Huc autem cum extemplo adventum apporto, illico Amphitruo fio. *h. e.* huc autem cum venio etc. Adde *eumd. Stich.* 2. 1. 23. et *Most.* 2. 2. 25. *Ter. Andr.* 1. 1. 46. Hei vereor ne quid Andria apportet mali. *Id. Heaut.* 4. 4. 25. Ille haud scit, paulum lucri quantum ei damni apportet. Adde *eumd. Phorm. prol.* 24. *Id. Adelph.* 5. 4. 2. Res, ætas, usus, semper aliquid apportat novi. *Cæcilius* apud *Cic. Senect.* 8. 25. Edepol senectus si nihil quidquam aliud vitii apportes tecum, cum advenis, unum id sat est. *Lucret.* 5. 222. Anni tempora apportant morbos. *Ter. Andr.* 3. 1. 18. Apportare nuncium alicui. *Id. ibid.* 5. 2. 17. Quidnam apportas? *Lucret.* 5. 101. Ubi insolitam rem apportes auribus ante.

APPOSCO *vel* adposco, is, ere, a 3. idem fere quod posco, vel ultra posco. *Ter. Heaut.* 4. 7. 10. Talenta dotis adposcent duo. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 100. si plus apposcere visus.

APPŌSĬTĒ *vel* adposite, adverb. quod translate tantum occurrit (*V. Appositus* 2. in fine verbi APPONO) pro apte, accommodate (It. *acconciamente;* Fr. *convenablement;* Hisp. *convenientemente;* Germ. *auf für etwas geeignete oder passende Weise;* Angl. *fitly, conveniently*). — *a*) Cum Accus. et præp. *ad. Cic.* 1. *Invent.* 5. 6. Dicere apposite ad persuasionem. *Et paullo post.* Medici officium est curare ad sanandum apposite. Adde *Quintil.* 2. 15. 5. — *b*) Absolute. *Cic.* 8. *Att.* 7. Cetera apposite tibi mandabo. *Gell.* 2. 23. Præclare et apposite et facete scribere.

APPOSĬTĪCIUS *vel* adpositicius, a, um, adject. qui appositus est. *Fragm. regular.* ex *Vet. Juris Cto* a *Schulting.* edit. in *Jurisprud. ante-Justin.* p. 803. Juris civilis ut quid appositicium appellatur, ex pluribus partibus constat.

APPŌSĬTĬO *vel* adpositio, ōnis, f. 3. actus apponendi, adjunctio.

I.) Proprie. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. Appositio cucurbitæ cum scarificatione. Et *Id.* alibi sæpe.

II.) Translate est additio. *Cic.* 1. *Parad.* 3. Sed hæc videri possunt obscuriora, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur. *Al. leg.* expositione: *alii illa omnia verba sine appositione exemplorum expungenda censent ex multorum MSS. auctoritate. Ascon.* p. 23. 21. *Bait.* Præsertim cum adjecerit illam appositionem et nomen intulerit alterum. *Quintil.* 5. 11. 1. Quo nomine et generaliter usi sunt in omni similium appositione. *V.* et EPEXEGESIS. *Lamprid. Commod.* 5. Criminis appositio.

APPŌSĬTĪVUS *vel* adpositivus, a, um, adject. qui aliis apponitur. *Priscian.* 17. *p.* 1093. *Putsch. Ipse* additivum vel appositivum (*pronomen*) dicitur. *Id.* 18. *p.* 1115. Hoc autem appositivum pronomen, id est *ipse*. V. et ADDITIVUS.

APPŌSĬTUM *vel* adpositum, i, n. 2. *V.* APPONO in fin.

APPŌSĬTUS *vel* adpositus, a, um. *V.* APPONO.

APPŌSĬTUS *vel* adpositus, us, m. 4. actus apponendi: semper tamen occurrit in re medica et in Ablativo casu, extra quem exempla nondum vidimus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 82. (161). Myrtidanum vulvæ prodest appositu, fotu, illitu. *Id.* 24. *ibid.* 5. 13. (22). Galbanum abortus non exeuntes trahit appositu, vel suffitu. Adde *eumd.* 24. *ibid.* 6. 15. (24). et *Arnob.* 2. 67.

APPOSTŬLO *vel* adpostulo, as, are, a. 1. (ad et postulo) est aliquid alicui petere. *Tertull. Monogam.* 10. Et pro anima ejus orat et refrigerium interim adpostulat ei.

APPŌTUS *vel* adpotus, a, um, adject. (ad *et* potus) qui multum potavit, bene potus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 126. Credo edepol solem dormire atque appotum probe. *Id. Curc.* 2. 3. 75. Postquam cœnavi atque appoti, talos poscit, provocat me. Adde *eumd. Rud.* 2. 7. 8. et *Gell.* 7. 7.

APPRĔCIĀTUS *vel* adpretiatus. *V.* voc. seq.

APPRĔCĬO *vel* adprecio *vel* adpretio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* precium *vel* pretium). ¶ 1. Est pretio æstimare. *Tertull. Resurr. carn.* 20. Appretiatus triginta argenteis. Adde *Vulgat. Interpr. Matth.* 27. 9. Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati. ¶ 2. Item attribuere, proprium sibi facere. *Tertull. Resurr. carn.* 9. Cujus passiones sibi appreciat.

APPRĔCOR *vel* adprecor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad *et* precor) precem alicui adhibere; et fere dicitur de precationibus quæ diis fiunt. *Horat.* 4. *Od.* 15. 28. Rite deos prius apprecati. *Apul.* 4. *Met.* 20. Deam floribus sertis et solutis adprecantur. *Id.* 11. *ibid. sub init.* Deam lacrimoso vultu sic adprecabar.

APPRĔHENDO *vel* adprehendo, dis, di, sum, dere, a. 3. (ad *et* prehendo). Et *apprendo* per contractionem usurpatur præcipue a Poetis. In nonnullis Codd. legitur et *apprækendo*. *V.* PREHENDO. — Part. *Apprehendens* et *Apprehensus* I. 1.; *Apprehendendus* II. 3. — Apprehendo est arripio, capio (It. *prendere, pigliare, stringere*; Fr. *prendre, saisir*; Hisp. *tomar, coger ó asir*; Germ. *angreifen, anfassen, ergreifen, fassen oder erfassen*; Angl. *to catch or lay hold of, take, seize*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 5. 1. 61. Apprendere angues manu. *Id. Rud.* 4. 4. 27. Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius est, quam meum? *Ter. Phorm.* 4. 7. 10. Pone apprehendit pallio, resupinat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Jam vero vites sic claviculis adminicula, tamquam manibus, apprehendunt atque ita se erigunt, ut animantes. *Id.* 1. *ibid.* 20. 54. Atomi – cohærescunt inter se et aliæ alias apprehendentes continuantur. *Sueton. Claud.* 15. Pede apprehenso detinere aliquem. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (206). Librat araneus se filo in caput serpentis – tantâque vi morsu cerebrum apprehendit etc. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 24. 28. (84). *Id.* 32. *ibid.* 2. 5. (11). Mordicus apprehendere aliquid. *Id.* 20. *ibid.* 15. 57. (162). Quantum apprehenderint tres digiti. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 43. et appressa traxisset fortius urna. Adde *Quintil.* 1. 2. 26. et 5. 10. 106. — *b*) Speciatim est alicujus manum arripere vel totum hominem complecti amoris gratia. *Sueton. Tib.* 72. Quod manum sibi osculandi causâ apprehendisset. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Conscientia exterritus apprehendit Cæcilium. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 8. *Sil. It.* 13. 653. Et nebulis similes animas apprendere certat. — *c*) Item speciatim est hominem capere, captivum facere; aut in re militari regionem occupare, potiri. — De personis. *Cæcilius* apud *Gell.* 15. 9. Nam si sunt inimici persumi, fronte hilaro, corde tristi, quos neque ut apprendas, neque ut mittas scias. *Gell.* 5. 14. *ad fin.* A militibus visus apprehensusque sum et ad dominum deductus. *Ulp. Dig.* 9. 2. 5. Apprehendere furem. Et *ibid.* 11. 4. 1. § 3. fugitivum. Et *ibid.* 48. 19. 8. Ne tempus duplicetur, quo adprehensus in carcere fuerit. — De regionibus in re militari. *Cic.* 10. *Att.* 8. 2. Necesse est enim – aut trahi id bellum, aut istum, ut confidere videtur, apprehendere Hispanias. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. Cæsar, hostibus in pugna occupatis militibusque expositis, Pharum apprehendit atque ibi præsidium posuit. — *d*) Denique et de cupiditatibus morbisque ponitur, quibus corripimur. *Cato R. R.* 156. Ubi libido veniet nauseæ eumque apprehendet, decumbat purgetque se. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Siquidem passio apprehendit etiam spinæ musculos. Adde *Dig.* 17. 1. 26. § 6.

II.) Translate. ¶ 1. Jungitur abstractis et est potiri. — *a*) Generatim. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (147). Is enim ante eum avidissime apprehenderat hanc palmam. *Ulp. Dig.* 13. 7. 11. Apprehendere possessionem alicujus rei. *Pacat. Paneg. Theodos.* 9. homines beneficiis. — *b*) Speciatim in oratione id apprehendi dicitur, quo tamquam præda pro causa nostra utimur. *Cic. Cluent.* 19. 52. Sed, ut quidquid ego apprehenderam, statim accusator extorquebat e manibus. *Quintil.* 10. 2. 3. Apprehendere aliquid cum judicio. Adde *eumd.* 6. 4. 18. ¶ 2. Item est comprehendere, complecti. *Jul. Dig.* 45. 1. 56. Personam filii apprehendere. *intellige* in stipulatione. *Pompon. ibid.* 28. 2. 10. casum aliquem testamento. *Et ibid.* 44. 2. 11. § 2. Omnes causæ cum petitione apprehendantur. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Una præceptione omnia apprehendere. ¶ 3. Apud serioris ævi scriptores est etiam intelligere, mente comprehendere. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. Convenit igitur, cum primum corpus invaserit (*aurigo*), sive tardaverit et in superpositionem veniens fuerit apprehensa, eam adhibere curationem etc. *Id.* 2. *Acut.* 37. Cum cibandi tempus venerit, quod summa cum cautione erit apprehendendum. *h. e.* observandum, animadvertendum. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 15. et *Tertull. advers. Valentinian.* 11.

APPRĔHENSĬBĬLIS *vel* adprehensibilis, e, adject. qui facile apprehendi potest: sed occurrit tantum translate apud serioris ævi scriptores et est qui mente facile percipitur et intelligitur. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. Dehinc aliarum passionum causæ apprehensibiles sunt –; istius autem passionis (*causa*) incomprehensibilis est. Adde *Tertull. advers. Valentinian.* 11.

APPRĔHENSĬO *vel* adprehensio, ōnis, f. 3. actus apprehendendi.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Macrob.* 3. *Saturn.* 2. in illud *Virg.* 12. *Æn.* 201. *Tango aras; medios ignes* etc. Eamdem vim nominis ex apprehensione significat. — *b*) Speciatim in re medica (*V.* APPREHENDO I. *d*). *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Vicina atque similis est lethargiæ passio, quam Græci κατάληψιν, nos apprehensionem vel oppressionem vocare poterimus. *Id.* 4. *Tard.* 8. Vocis amputatio (*similis*) lethargo – et apoplexiæ et epilepsiæ atque apprehensioni sensuum.

II.) Translate pro intellectione seu cognitione. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 28. Soranus autem, cujus verissimas apprehensiones latino sermone describere laboramus, totum inquirit etc. Adde *eumd.* 1. *Acut.* 8. et 5. *Tard.* 4.

APPRĔHENSUS *vel* adprehensus, a, um. *V.* APPREHENDO.

APPRENDO *vel* adprendo, dis, etc. *V.* APPREHENDO.

APPRENSO *vel* adprenso, as, are, a. 1. *frequent. ab* apprehendo. *Grat. Cyneget.* 239. Mandit (*equus*) humum, celsas adprensat naribus auras. Confer *Virg.* 1. *G.* 376.

APPRESSUS *vel* adpressus, a, um. *V.* APPRIMO.

APPRETIO *vel* adpretio, as, etc. *V.* APPRECIO.

APPRĪMĀ *vel* adprima, idem quod *apprime*: nomen adverbii vice positum a *Virg.* 2. *G.* 134. Flos apprima tenax: *quemadmodum* sera comantem narcissum, dixit 4. *ibid.* 122., *et*, pede terram crebra ferit, 3. *ibid.* 500. Ita *Servius* ad *Virg. G. l. c. Pierius* notat in aliquot codicibus legi *apprime*, quo casu ultima syllaba corripitur poeticâ licentiâ, ut in superne factum est a *Lucret.* 4. 440. et ab *Horat.* 2. *Od.* 20. 11., item *inferne* ab eodem *Lucret.* In his tamen locis nunc rectius legitur *superna* et *inferna*; quemadmodum, auctore et ipso *Forcellino*, in allato *Virg.* loco legendum est *ad prima* distinctis duabus vocibus, ut poeta verterit Græcum ἐπὶ τὰ πρῶτα. *V.* AD et PRIMUS.

APPRĪMĒ *vel* adprime, adverb. (ad *et* primus) ratione ad primum quomodocumque pertinente, hinc in primis, valde, per quam (It. *sopra ogni altra cosa, più che altro*; Fr. *principalement, avant tout*; Hisp. *principalmente*; Germ. *vorzüglich*; Angl. *above every thing else*). — *a*) Apud optimos prosæ orationis scriptores jungitur fere Adjectivis. *Plaut. Rud.* 3. 4. 3. Tu es homo apprime probus. *Ter. Eun.* 5. 5. 10. Scis, fratrem ejus esse apprime nobilem? Adde *Plaut. Cist.* 1. 2. 6. *Id. Andr.* 1. 1. 34. Id ego arbitror apprime in vita esse utile. *Id. Hec.* 2. 2. 5. Apprime obsequens. *Varro* 3. *R. R.* 2. 17. L. Alburius, homo, ut scitis, apprime doctus. *Nep. Att.* 13. Pari modo artifices ceteri – apprime boni. Adde *Gell.* 7. 7. et *Apul. de deo Socrat.* 23. — Cum superl. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 7. 11. Qui apprime summo genere gnatus erat. — *NB.* Apud *Cic.* 3. *Fin.* 9. 32. Id apprime recte dicitur. *legendum est* a primo. — *b*) Apud serioris ævi scriptores et cum Verbis. *Apul. de deo Socrat.* 20. Cur non apprime potuit Socrati obtingere? A *Forcellino* affertur etiam locus *Plaut. Trin.* 2. 2. 92.

APPRĪMO *vel* adprimo, primis, pressi, pressum, primere, a. 3. (ad *et* premo). Part. *Appressus*. Apprimo est idem ferme quod premo, sive rem contra rem aliam premo (It. *comprimere*; Fr. *presser, serrer contre*; Hisp. *aprensar, prensar*; Germ. *andrücken*; Angl. *to press, bring near*). Occurrit — *a*) Absolute. *Tac.* 16. *Ann.* 15. Hactenus manu servi usus ut immotum pugionem extolleret, appressit dextram ejus juguloque occurrit. *Auct. Priapej.* 82. 84. Apprimere femur lubricum. *M. Aurelius* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs.* 5. dentes. — *b*) Addito termino, cui quid apprimitur. — Per Accus. et præp. *ad*. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 5. (7). Apprimere carnes ad ossa. — Per Dat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 41. (68). Virgam – sedare ventris dolorem asseverat impositam ita, ut tunica cinctuque corpori apprimeretur. *Id.* 8. *ibid.* 36. 54. (128). Fetus rigentes apprimere pectori. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Scutum pectori appressum.

APPRĪMUS *vel* adprimus, a, um, adject. (ad *et* primus) proprie qui ad primum pertinet; unde longe primus, ceteris omnibus anteferendus. *Livius Andronicus* apud *Gell.* 7. 7. Ibi denique vir summus apprimus Patroclus. Cf. *Gell. l. c.*

APPRŎBĀTĬO *vel* adprobatio, ōnis, f. 3. approbandi actus, sive actus quo aliquid tamquam bonum, rectum, honestum etc. affirmamus, excipimus etc. (It. *approvazione*; Fr. *approbation, consentement*; Hisp. *aprobacion*; Germ. *die Billigung, Gutheissung, Genehmigung*; Angl. *an approving, approbation*). Occurrit autem *A*) ratione habita hominis approbantis, hoc est subjective; aut *B*) ratione habita rei quæ approbatur, hoc est objective, ut Scholastici ajunt.

A) Ratione habita hominis approbantis, hoc est subjective. ¶ 1. Generatim est actus, quo aliquid bonum, rectum etc. esse affirmamus et judicamus. *Cic.* 2. *Tusc.* 1. 3. Effectus eloquentiæ est audientium approbatio. *Id.* 1. *Off.* 28. 89. Movere approbationem alicujus. *Id. Orat.* 71. 236. Approbationes, admirationes, clamores, plausus movere. *Id. Brut.* 49. 185. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione judicari solet. *Liv.* 23. 23. CLXXVII cum ingenti approbatione hominum in senatum lectis. *Catull.* 45. 9. Hoc ut dixit, Amor, sinistrâ ut ante, dextrâ sternuit approbationem. ¶ 2. Speciatim sumitur pro interna rei, quam agimus, persuasione. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 17. 52. Ne vinolenti quidem, quæ faciunt, eâdem approbatione, quâ sobrii: dubitant, hæsitant, revocant se interdum iisque, quæ videntur, imbecillius assentiuntur. Adde *ibid.* 12. 37.

B) Ratione habita rei, quæ approbatur, hoc est objective, approbatio apud philosophos est pars argumentationis, per quam id, quod expositum est, rationibus firmatur (It. *prova*; Fr. *preuve*; Hisp. *prueba*; Germ. *der Beweis der Richtigkeit*; Angl. *proof, confirmation*). *Cic.* 1. *Invent.* 36. 62. Si quadam

in argumentatione satis est uti propositione et non oportet adjungere approbationem propositioni, quædam autem in argumentatione infirma est propositio nisi adjuncta sit approbatio, separatum est quiddam a propositione approbatio. *Id. ibid.* Indigere approbatione, nihil valere sine approbatione. *Id. ibid.* § 61. et 65. Hæc propositio indiget approbationis.

APPRŎBĀTOR *vel* adprobator, ōris, m. 3. qui approbat, comprobator (It. *approvatore*; Fr. *approbateur*; Hisp. *aprobador*; Germ. *der Billiger*; Angl. *an approver*). *Cic.* 16. *Att.* 7. 2. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti. *Gell.* 5. 21. Quos subscriptores approbatoresque hujus verbi habemus.

APPRŎBĀTUS *vel* adprobatus, a, um. *V.* APPROBO.

APPRŎBĒ *vel* adprobe, adverb. (ad *et* probe) valde probe, rectissime ac vere. *Plaut. Trin.* 4. 2. 115. Mihi concrederet, nisi me ille et ego illum nossem approbe. Adde *Gell.* 7. 7.

APPRŎBO *vel* adprobo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* probo). Part. *Approbans*, *Approbatus* et *Approbaturus* sub *A.*; *Approbandus* sub *B.* 2. — Approbare est aliquid tamquam bonum, rectum etc. affirmare, excipere, laudare, eique assentiri (It. *approvare*; Fr. *approuver*; Hisp. *aprobar*; Germ. *etwas gutheissen, genehmigen, billigen*; Angl. *to approve, commend*). Occurrit autem *A*) ratione habita hominis qui approbat, hoc est subjective; et *B*) ratione habita rei, quæ approbatur, hoc est objective, ut Scholastici ajunt.

A) Ratione habita hominis approbantis, hoc est subjective. *Plaut. Amph. prol.* 13. Hæc ut me vultis approbare, adnitier, – ita huic facietis fabulæ silentium etc. *Ter. Phorm.* 4. 5. 12. Non satis est tuum te officium fecisse, si non id fama approbat. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. 2. Ego vero meum consilium, si præsertim tu non improbas, vehementer approbo. *Id.* 2. *ibid.* 1. Approbare sententiam alicujus. *Id.* 3. *Fin.* 8. 29. Omnium assensu approbatus. *Id. Dejot.* 11. 30. Aliquid a tanta auctoritate approbatur. *Id. Pis.* 3. 7. Aliquid una voce et consensu approbare. *Id. Arch.* 10. 24. aliquid magno clamore. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 53. Falsa pro veris approbare. *Liv.* 7. 37. Legiones gramineam coronam obsidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt. Adde *ibid.* 41. *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 62. An verear, ne non approbet illa Getes. *Curt.* 6. 11. 29. Approbatoque consilio in hæc fides data est et accepta. *Plin. Paneg.* 60. In quo magis sis approbaturus etc. *Quintil.* 6. 2. 18. Virtutes etiam in litigatore approbare. — Interdum ponitur et de diis, qui rei bonæ, honestæ, rectæ etc. suo numine favent. *Cic.* 2. *Fam.* 15. 5. Quod actum est, dii approbent! *Id.* 1. *ibid.* 9. 19. Dis hominibusque approbantibus. *Id.* 7. *ibid.* 23. 2. Facere aliquid Musis omnibus approbantibus. Adde *Curt.* 10. 6. 9.

B) Ratione habita rei, quæ approbatur, hoc est objective. ¶ 1. Approbare est commendare, ostendere aliquid probum, vel probe factum. Hinc *approbare opus alicui* dicitur redemptor vel conductor, qui opus repræsentat locatori ita factum, ut conventum erat, ideoque bonum, rectum. *Vitruv.* 9. *præfat.* 9. *Schneid.* Is ad tempus opus manu factum subtiliter regi approbavit. Adde *Phædr.* 4. 24. et *Paul. Dig.* 19. 2. 24. Et generatim *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (240). Duobus Alpes generibus (*casei*) pabula sua approbant. *Id.* 34. *ibid.* 7. 18. (45). Approbare satis artem suam. *Tac. Agric.* 5. Prima rudimenta alicui approbare. *Id.* 15. *Ann.* 59. Dum ipse majoribus, dum posteris mortem approbaret. *Stat.* 2. *Silv.* 6. 47. Elin adit, primosque Jovi puer approbat annos. *h. e.* in certaminibus Olympicis Jovi offert eique gratos reddit. ¶ 2. Est etiam rationibus ostendere, argumentis confirmare, aut alia quacumque ratione demonstrare. Occurrit autem — *a*) *Approbare aliquid* vel *alicui aliquid*. *Cic.* 1. *Invent.* 36. 62. Quæ propositio in se quiddam continet perspicuum —, hanc velle approbare et firmare nihil attinet. *Id. ibid.* § 65. Hoc autem, quia ipsum ex re perspicitur et verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (193). Approbare aliquid monumentis. *Id.* 30. *ibid.* 13. 42. (122). Ossa anguium eumdem approbant effectum. *h. e.* ostendunt et præstant. *Sueton. Aug.* 46. Iis, qui e plebe sibi filios filiasve approbarent, singula nummorum millia dividebat. *h. e.* iis qui sibi ostendebant, se habere filios vel filias. *Id. Galb.* 6. Præsenti quoque Cajo talem et se et exercitum approbavit. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Approbare industriam et innocentiam alicujus. *h. e.* ostendere eum industrium et innocentem esse. *Id.* 3. *ibid.* 12. Vos oro, ne objecta crimina pro approbatis accipiatis. *Id. Agric.* 42. Operam suam in approbanda excusatione offerre. *Forcellinus* h. l. ad superior. paragr. retulit. Adde *Curt.* 8. 8. 20.; et *Senec.* 1. *de Clem.* 13. 4. et 5. *Benef.* 4. 1. — *b*) Cum Infinito. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 57. 83. (176). Motu demum corporum vivere eos approbant. *h. e.* ex motu corporum ostendunt eos vivere. *Sueton. Aug.* 17. Et quo magis degenerasse eum a civili more approbaret. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 6. Maxime cum meraca potio vexare nervos approbetur.

APPROBRAMENTUM. Falsa lectio. *V.* OPPROBRAMENTUM.

APPRŎBUS *vel* adprobus, a, um, adject. (ad *et* probus) valde probus, per quam probus. *Cæcilius* apud *Gell.* 7. 7. Hierocles hospes est mihi adolescens approbus.

APPRŎMISSOR *vel* adpromissor, ōris, m. 3. (appromitto) qui pro alio promittit, qualis est fidejussor. *Pompon. Dig.* 45. 1. 5. Satis acceptio est stipulatio, quæ ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, idest qui idem promittant. *Ulp. ibid.* 46. 3. 43. In omnibus speciebus liberationum et accessiones liberantur, puta adpromissores, hypothecæ, pignora. Cf. *Paul. Diac.* p. 15. 8. *Müll.*

APPRŎMITTO *vel* adpromitto, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (ad *et* promitto) ad alium accedo promittendo, pro alio promitto; et est verbum juris. *Cic. Rosc. Am.* 9. 26. Cum ille confirmaret sese nomen Sext. Roscii de tabulis exempturum, prædia vacua filio traditurum, cum id ita futurum T. Roscius Capito, qui in decem legatis erat, appromitteret, crediderunt. *V. Klotz* ad h. l. *Id.* 5. *Att.* 1. De Oppio factum est, ut volui, et maxime quod dccc. appromisisti. *plerique omnes hoc loco leg.* aperuisti *ex constanti codicum fide.* V. APERIO II. 1. *b.*

APPRŌNO *vel* adprono, as, are, a. 1. (ad et pronus) acclinare. *Apul.* 1. *Met.* 19. Oppertus paululo planiorem ripæ marginem, complicitus in genua appronat se. *h. e.* flexis genibus et prono corpore inclinat se.

APPRŎPERO *vel* adpropero, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Approperatus* sub *B.* idem quod propero, vel valde propero, festino (It. *far presto, affrettare*; Fr. *hâter, accélérer*; Hisp. *apresurar*; Germ. *schleunigst machen*; Angl. *to make great haste, hasten*). Occurrit *A*) intransitivum, et *B*) activum.

A) Est verbum intransitivum; et usurpatur — *a*) Sæpius absolute. *Plaut. Trin.* 4. 3. 3. Adde gradum, appropera. *Ter. Andr.* 3. 1. 16. Postquam ante ostium me audivit stare, approperat. *h. e.* aufugit. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 10. 4. Amabo te, advola – et adduc, si me amas, Marium. Sed approperate. *Id.* 4. *Att.* 6. 4. Eumque, ut approperet, adhorteris. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad.* *Cic. Mil.* 17. 45. Quem diem ille – nisi ad cogitatum facinus approperaret, numquam reliquisset. — *c*) Cum Infinito. *Ovid.* 15. *Met.* 583. portasque intrare patentes Appropera.

B) Ut verbum activum cum Accus. *Liv.* 4. 9. Cœptumque opus adeo approperatum est, ut sole orto etc. *Id.* 27. 25. Ita addita Virtutis ædes approperato opere. *Id.* 26. 15. Quæ (*res*) summa ope approperata erat, ne impediri posset. *Tac.* 16. *Ann.* 14. Atque ille, hausto veneno, tarditatem ejus perosus, intercisis venis mortem approperavit. *Id. Dial. de orat.* 87. Approperare promissum.

APPRŎPINQUĀTĬO *vel* adpropinquatio, ōnis, f. 3. actus appropinquandi. *Cic.* 5. *Fin.* 11. 32. Anguntur appropinquatione mortis confecti homines senectute. Adde *eumd. Senect.* 19. 66. *M. Aurelius* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs.* 45. Eo accedit appropinquatio partus Faustinæ.

APPRŎPINQUO *vel* adpropinquo, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* propinquus). Part. *Appropinquans* I. 2. Est propinquus fio, accedo (It. *avvicinarsi*; Fr. *approcher, s'approcher*; Hisp. *acercarse*; Germ. *herannahen, sich nähern, nahekommen*; Angl. *to draw nigh, approach, approximate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de loco dicitur; et occurrit — *a*) Absolute. *Nep. Eumen.* 9. Cum ex fumo castrorum ejus suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. Adde *Curt.* 4. 15. 5.; et *Sueton. Ner.* 49. — *b*) Addito termino, ad quem quis appropinquat — Per Accus. et præp. *ad.* *Cic.* 4. *Fin.* 23. 64. Propius fore eos quidem ad respiciendum, qui ad summam aquam appropinquent. Adde *Nep. Timoth.* 3.; *Liv.* 40. 58.; et *Auct. B. Hisp.* 2. — Per Accus. et præp. *in.* *Auct. B. Hisp.* 3. Iniquum in locum appropinquare. — Per Accus. sine præp. *Auct. B. Hisp.* 5. Fluminis ripas appropinquantes coangustati præcipitabantur. — Per Dat. *Cæs.* 2. *B. G.* 10. *ad fin.* Quod Divitiacum atque Æduos finibus Bellovacorum appropinquare cognoverunt. *Id.* 4. *ibid.* 10. Ubi (*Rhenus*) Oceano appropinquat. *Id.* 7. *ibid.* 82. Appropinquare munitionibus. *Sueton. Galb.* 10. castris. *Flor.* 1. 13. 8. mœnibus urbis. — Etiam passive impersonaliter. *Cæs.* 1. *B. C.* 79. Cum ejusmodi locis esset appropinquatum. ¶ 2. Ponitur et de tempore. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 1. Cum appropinquare tuus adventus putaretur. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 6. 3., et *Nep. Themist.* 2. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 11. Quibus ego confido impendere fatum aliquod – aut instare jam plane, aut certe jam appropinquare. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 1. Ejus rei maturitas neque dum venit, et tamen appropinquat. *Id.* 4. *Phil.* 4. 10. Illi pœna, nobis libertas appropinquat. *Id.* 5. *Fin.* 11. 31. Mors appropinquat. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 64. Appropinquante morte. *Id.* 3. *Cat.* 8. 19. occasus Urbis. *Id. Cluent.* 67. 191. judicium. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Jamque hiems appropinquabat. *Nep. Eumen.* 5. Ver appropinquabat. *Liv.* 3. 39. lux. *Quintil.* 8. 6. 22. nox. *Justin.* 31. 2. vesper.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Fin.* 14. 48. Nec catulus ille, qui jam appropinquat, ut videat, plus cernit quam is, qui modo est natus. *h. e.* cui appropinquat cernendi tempus. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquabant. *h. e.* qui prope erant, ut primos militiæ gradus consequerentur.

APPRŎPĬO *vel* adpropio, as, āvi, are, n. 1. (ad *et* propio *a* prope) prope accedo. *Coripp.* 5. *Johann.* 370. et appropians vitales invenit herbas. Hic autem *Petr. Mazzucchellius* hæc adnotat: Miror, *Forcellinum* ad calcem sui Lexici inter *verba barbara* rejecisse verbum *appropio*, quamvis *propio*, minus notatum ab antiquis scriptoribus, retinuisset. Sane apud ipsum *Vulgat. Interpr.* idem verbum adhuc superest duodecies usurpatum. *Sulpic. Sev.* 3. *Dial.* 6. Vidi quemdam, appropiante Martino, in aera raptum. *Vulgat. Interpr. Exod.* 3. 5. Ne appropies, inquit, huc. *Id.* 1. *Machab.* 11. 5. Et appropiavit Judas.

APPRŎPRĬĀTĬO *vel* adpropriatio, ōnis, f. 3. appropriandi actio. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Appropriatio ciborum. *h. e.* qua in succum et sanguinem cibi convertuntur. Alii minus recte leg. *appropiatio*, *h. e.* accessus. *V.* voc. seq.

APPRŎPRĬO *vel* adpropio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* proprium) proprium facio, assimilo, et de cibis tantum occurrit. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Ad perferendum atque corpori appropriandum cibum sumptum. *Et ibid.* Ne venter debilitate segnior plurimo laboret nisu, appropriando corpori quæ sumpserit.

APPROXĬMO *vel* adproximo, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ad *et* proximus) accedo, quam maxime appropinquo. *Tertull. advers. Jud.* 11. Approximavit vindicta civitatis. *Vulgat. Ital. Hierem.* 23. apud *Cyprian. de orat. dom.* 5. Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo.

APPUGNO *vel* adpugno, as, are, a. 1. (ad *et* pugno) a. 1. contra pugno, oppugno. *Tac.* 4. *Ann.* 88. Appugnare castra. *Id.* 13. *ibid.* 15. castellum.

APPULSUS *vel* adpulsus, a, um. *V.* APPELLO, is.

APPULSUS *vel* adpulsus, us, m. 4. est actus appellendi, h. e. aliquem aliquo agendi stimolando; et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. De accessu pecoris ad aquam bibendi causa, et de loco itemque jure appellendi pecoris ad eum locum. *Ulp. Dig.* 43. 19. 1. Cum amplior numerus pecoris ad aquam appelleretur, quam deceret appelli, posse universum pecus impune prohiberi, quia junctum pecus ei pecori, cui appulsus debeatur, totum corrumpat pecoris appulsum. Adde *ibid.* 8. 3. 1. § 1. et 31. 1. 14. § 3. *Apul.* 6. *Met.* 15. Savium appulsu linguæ blandientis longe mellitum. ¶ 2. Specialim in re navali usum habet, et est accessus, qui navigio fit ad terram. *Liv.* 27. 30. Hostem portubus et littorum appulsu arcere. *Tac.* 2. *Ann.* 6. Insula Batavorum, in quam convenirent, prædicta ob faciles appulsus. *Id.* 3. *ibid.* 1. Oppidum fidissimum appulsu.

II.) Translate de quocumque accessu. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Quod pars earum (*regionum*) appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo solis abscessu. *Id.* 2. *ibid.* 56. 141. Frigoris et calo-

ris appulsus sentire. Et active *Id.* 1. *ibid.* 30. 64. Tribus modis censet deorum appulsu homines somniare. *h. e.* diis accedentibus et rerum imagines immittentibus, sive deorum vi ac potentia.

ĂPRA, æ, f. 1. *V.* APER.

ĂPRĀRĬUS, a, um, adject. ad apros pertinens. *Paul. Dig.* 33. 7. 22. Retia apraria et cetera, quæ venationis instrumento continebuntur. Adde *eumd.* 3. *Sent. tit.* 6. § 45.

ĀPRĪCĀTĬO, ōnis, f. 3. (apricus) concessio ad solem in loco aprico animi relaxandi causa. *Cic.* 7. *Att.* 11. Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regna. *Id. Senect.* 16. 57. Calescere apricatione vel igni. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 4. Egredi ad apricationem.

ĀPRĪCĬTAS, ātis, f. 3. locus apricus (It. *luogo solatio, aprico*; Fr. *exposition au soleil*; Hisp. *exposicion al sol*; Germ. *der sonnige Zustand, das Sonnige*; Angl. *a sunny-place, place in the sunshine*). *Plin.* 6. *Hist. nat.* 16. 18. (46). Regio Margiane apricitatis inclita. *Justin.* 36. 3. Apricitas naturalis ac perpetua tepidi aeris. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 5. et 8. *ibid.* 15. 4. Apricitas diei. *h. e.* serenitas et calor.

ĀPRĪCLUS, i. *V.* APRICULUS.

ĀPRĪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. ¶ 1. Est apricum et soli expositum reddere. *Pallad.* 1. *R. R.* 38. 2. Sane ventis frigidioribus altus paries resistat, qui locum possit defensis sedibus apricare. ¶ 2. Hinc et calefacere, fovere. *Paulin. Nolan. carm.* 13. *ad Cyther.* 311. Martinianum suscepit fraternitas, Tectoque apricat et cibo.

ĀPRĪCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Apricans.* Apricari est in aprico loco esse, hoc est in loco soli exposito versari (It. *stare al sole*; Fr. *se tenir au soleil*; Hisp. *estar al sol*; Germ. *sich sonnen, der Sonne aussetzen*; Angl. *to bask in the sun, apricate*). *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 92. Alexander offecerat Diogeni apricanti. *Varro* apud *Non. p.* 76. 15. *Merc.* Licet videre multos quotidie hieme in sole apricari. *Colum.* 8. *R. R.* 4. 6. Habere clausam (*gallinam*) oportet amplum vestibulum, quo prodeat et ubi apricetur. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 60. (184).

ĀPRĪCŬLUS *et per syncopen* apriclus, i, m. 2. parvus aper. Est hoc nomine pisciculus quidam, ita dictus, quod quamdam cum terrestri apro habet similitudinem, Græce καπρίσκος. *Apul. de mag.* 34. Quæsitus venandis apris piscis apriculus. *Ennius* apud *eumd. ibid.* 39. dixit *apriclum* per syncopen metri causa, laudatque eum, qui apud Tarentum capitur. Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (267).

ĀPRĪCUS, a, um, adject. Comp. *Apricior* 1.; Sup. *Apricissimus* 2. — *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 312. vult esse ab α privativo et φρίκη *horror, frigus*, quia loca soli exposita etiam per hiemem tepescunt; rectius tamen *Paul. Diac. p.* 2. 7. *Müll.*, quamvis idem quoque etymon afferat, tamen putat *apricus* esse per syncopen pro *apericus* ab *aperio*, hoc est aperto cœlo et soli expositus, cui *opacus* opponitur sub 1. (It. *aprico, solatio, esposto al sole*; Fr. *exposé au soleil*; Hisp. *expuèsto al sol*; Germ. *offen und frei zur Aufnahme der Sonne, der Sonne ausgesetzt*; Angl. *sunny, exposed to the sun*). ¶ 1. Stricto sensu ponitur de locis, qui soli expositi sunt. *Cic. Partit. orat.* 10. 36. In locis et illa naturalia, plani an montuosi, leves an asperi, salubres an pestilentes, opaci an aprici. *Id.* 16. *Fam.* 18. Apricus hortus. *Liv.* 21. 37. et *Virg.* 9. *Ecl.* 49. colles. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 24. Nonnulli hanc eamdem (*brassicam*) locis apricioribus a Calend. Martiis deponunt. *Id.* 6. *ibid.* 22. 2. Aprica hiberna. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 15. Aggere in aprico spatiari. *Id.* 1. *Od.* 8. 3. et *Art. P.* 162.; et *Tibull.* 1. 4. 15. Apricus campus. *Horat.* 1. *Od.* 26. 7. flores. *Id.* 1. *Ep.* 14. 30. pratum. *Id.* 3. *Od.* 18. 2. rura. *Virg.* 6. *Æn.* 312. terræ. *Id.* 2. *G.* 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Ovid.* 4. *Met.* 331. Aprica arbor. *Propert.* 4. 10. 18. Lare aprico castra frigida ferre. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 34. (70). Aprici montium recessus. *Martial.* 1. 50. littora. ¶ 2. Ponitur interdum et de aeris statu pro sereno, calido. *Varro* 3. *R. R.* 6. 4. Præterea habere locum ante se, quo pastum exeant diebus apricis. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 13. Apricissimo die purgatis domiciliis. *Id.* 11. *ibid.* 2. 27. Apricus cœli status. *Id.* 1. *ibid.* 5. 8. Ædificium sinistrum soli et apricis flatibus. *h. e.* ventis qui veniunt a meridionali parte. ¶ 3. Item de animantibus, quæ apricis locis gaudent. *Virg.* 5. *Æn.* 128. apricis statio gratissima mergis. *Pers.* 5. 179. Aprici senes. — Hinc

Apricum, i, n. 2. absolute substantivorum more, eodem sensu, occurrit

1). Proprie. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 38. Rutam — mense Martio differre oportet in apricum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (71). Amat (*buxus*) frigida, aprica. *Id.* 21. *ibid.* 7. 20. (43). Aprica Alpium.

2) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 24. Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas. *h. e.* in lucem edet.

ĀPRĬFER, ra, rum, adject. qui apros fert, apris abundans. *Vet. Poeta* apud *Mar. Victorin.* 2. *p.* 2544. *Putsch.* Volat agile per aprifera (*scil.* loca), modo retulit ebria cibos.

ĀPRĪLIS, e, adject. Aprilis mensis erat secundus anni mensis apud veteres Romanos; ita dictus quasi *aperilis* quod terram aperiat ad producendas herbas et fruges: vel quasi *aphrilis*, ab ἀφρός *spuma*, quod Venus, cui sacer est, ex spuma maris orta dicitur ex quo et Ἀφροδίτη appellatur. *Ovid.* 4. *Fast.* 61. *et seq.*, ut qui omnia ad deos refert, secundum tantummodo etymon probat: at *Varro* 6. *L. L.* 33. *p.* 86. *Müll.*, *Cincius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. et *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 43. et 117. primum, negantes nomen Veneris, ne sub Regibus quidem, apud Romanos vel Latinum vel Græcum fuisse; et ideo non potuisse mensem a Venere nominari; quorum sententia certe præferenda est: ac propterea rejiciendum etiam etymon, quod *Voss.* in *Etymol.* tertium ex *Jos. Scalig.* affert, ab *aper*, eo enim mense porcus sacrificabatur. — Hic porro adjectivus de mense tantum occurrit, scilicet. — *a*) *Aprilis*, *is* subaudi *mensis*, vel *mensis Aprilis* usurpatur. *Cic.* 2. *Phil.* 39. 100. O præclaram illam percursationem tuam, mense Aprili atque Majo. *Horat.* 4. *Od.* 11. 15. Qui dies mensem Veneris marinæ Findit Aprilem. *Ovid.* 4. *Fast.* 901. Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebit. — *b*) *Aprilis*, *e*, est etiam ad Aprilem mensem pertinens. *Cic.* 3. *Fam.* 11. 1. Nonarum Aprilium. *Id.* 1. *ibid.* 9. 8. Nonis Aprilibus. *Id.* 2. *ad Brut.* 4. 1. Datis mane a. d. VI. Id. April. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi Kal. April. *Ovid.* 4. *Fast.* 621. Occupat Apriles Idus cognomine Victor Juppiter. — *NB.* De cognomine Rom. *V.* ONOM.

ĀPRĪLIS, is. *V.* voc. præced. sub *a*.

ĀPRĪNĔUS, a, um, adject. idem quod aprinus. *Hygin. Fab.* 69. Aprinea pelle opertus. *al. leg.* aprina.

ĀPRĪNUS, a, um, adject. ad aprum pertinens, aprugnus. *Lucilius* apud *Charis.* 1. *p.* 63. *Putsch.* Viscus aprinum. *MSS. tamen Codd. leg.* aprugnum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 62. (221). Aprinum fel. *Id. ibid.* (§ 222). pulmo. *Id.* 28. *ibid.* 15. 60. (215). vesica. *Apic.* 8. 1. *a med.* Aprina perna.

APROEGMENA. *V.* PRODUCTUS.

ĀPRŌNĬA, æ, f. 1. herba, quæ et bryonia dicitur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (27).

APROXIS, is, f. 3. herba, cujus radicem Pythagoras tradidit e longinquo ignes concipere. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 101. (158). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 295.) ad h. l. hæc ait: Dire ce qu'est l'*aproxis* n'est pas chose possible. Rien, en histoire naturelle, ne peut être mis à côté du phénomène rapporté par Pline, si ce n'est pourtant la flamme subite et passagère qui entoure la fraxinelle, *Dictamnus albus* L., quand, au moment de la floraison, on approche une lumière de cette plante. La capucine, *Tropæolum majus*, présente quelque chose de semblable, lorsqu'on approche une bougie allumée de ses fleurs. Enfin il y a des arbres si riches en huile essentielle, qu'ils pourraient s'enflammer avec presque autant de facilité que la naphthe.

ĀPRŪCO, ōnis, f. 3. herba, alias saxifraga. *Apul. Herb.* 97.

ĀPRŪGĬNĔUS, a, um, adject. idem quod aprugnus. *Solin.* 32. Hippopotamus ungulis bifidis, aprugineis dentibus.

ĀPRUGNA, æ, *V.* voc. seq.

ĀPRUGNUS *et interdum* āprūnus, a, um, adject. ad aprum pertinens. *Plaut. Pers.* 2. 5. 4. Aprugnum callum. Adde *eumd. Pœn.* 3. 2. 2. et *Caton.* apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (210). V. et *Lucilium* in voc. APRINUS. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 78. (210). Aprugnus lumbus. *Id.* 28. *ibid.* 11. 47. (167). adeps. *Salmas.* ad *Spartian.* in *Æl. Vero* 5. et ad *Capitolin.* in *Max. Jun.* 2. affirmat in antiquis quibusdam Codd. etiam *aprunus* legi. — Hinc

Aprugna vel *apruna*, æ, f. 1. absolute substantivorum more est aprugna caro. *Edict. Diocle*t. p. 15. Aprunæ Ital. p. I. X sedecim. *Capitolin. l. c.* Ut non nisi aprugnam, anates, grues et omnia captiva ederet.

APRUNA, æ, et ⎫ *V.* voc. præced.
APRUNUS, a, um. ⎭

APRUNCULUS deminut. ab aper. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 174.

APSINTHIĀTUS, APSINTHĪTES, APSINTHIUM. *V.* ABSINTHIATUS, ABSINTHITES, ABSINTHIUM.

APSIS, idis. *V.* ABSIS.

APSYCTOS *vel* apsyctus, i, f. 2. (ἄψυκτος) gemma est nigra ac ponderosa, quæ excalfacta igni dicitur septenis diebus calorem continere: ab α privativo et ψυκτός *refrigeratus*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (148). *V.* ABSYCTOS.

APTĀTŪRA, æ, f. 1. actio aptandi. *Edict. Dioclet.* p. 20. Mulomedico tonsuræ et aptaturæ pedum in capite uno X sex. *Hic videtur indicari actus, quo equorum vel jumentorum ungulæ resecantur ac pedes æquantur. V.* SOLEA.

APTĀTUS, a, um. *V.* APTO.

APTE, adverb. (aptus). Comp. *Aptius* II., Sup. *Aptissime* I. et II. — Proprie significat conjuncte, connexe, arcte (It. *unitamente, strettamente*; Fr. *solidement, étroitement*; Hisp. *estrechamente*; Germ. *genau angefügt oder abgepasst*; Angl. *closely, tightly, compactly*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 5. Atque ita apte cohæret (*mundi corpus*), ut dissolvi nullo modo queat. *Id.* 3. *Fin.* 14. 46. Cothurni laus est ad pedem apte convenire. *Liv.* 1. 34. Capiti apte reponere. *Et figurate Cic.* apud *Non.* p. 235. 18. *Merc.* Altera est nexa cum superiore et inde apteque pendens. *Id. Orat.* 44. 149. Collocabuntur igitur verba, ut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis.

II.) Translate sæpius generatim sumitur pro accommodate, congruenter, apposite, convenienter: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 41. 146. Ex ceteris similibus facile judicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet. *Id. ibid.* 1. 2. Quod est oratoris proprium apte, distincte, ornate dicere. *Id. Orat.* 44. Comprehensio numerose et apte cadat. *Liv.* 4. 37. Primo prœlio — non subsidiis firmata acie, non equite apte locato, concursum est. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 88. Qui doceant, apte quod tibi possit emi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (46). Plures existimavere oportere confici (*fetum apium*) floribus apte compositis et utiliter. *Id.* 2. *ibid.* 62. 62. (153). Qualia aptius suis referentur locis. *Id.* 19. *ibid.* 3. 24. (69). Seruntur — parilibus tamen aptissime (*cucurbitæ*). *Quintil.* 12. 10. 26. Si quid exierit numeris aptius. *Martial.* 13. 20. Aptius hæc puero, quam tibi, dona dabis. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad. Cic. Partit. orat.* 8. 30. Dicere aliquid ad tempus apte. *Id.* 1. *Orat.* 32. 144. Loqui ad rerum dignitatem apte. Adde *Liv.* 1. 10.

APTIFICO, as. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 54.

APTĬTŪDO, inis, f. 3. (aptus) habilitas. *Boeth.* in *Porphyr.* 4. p. 90. Quamdam quodammodo aptitudinem monstrat et ad faciendum aliquid vel non faciendum opportunitatem. *Et de unitat.* p. 966. Hic finis non accidit ex diversitate virtutis agentis, sed ex aptitudine materiæ suscipientis.

APTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. est frequentativum ab *apere*. — Part. *Aptans* I. 1.; *Aptatus* in omnibus paragr.; *Aptandus* II. — Aptare est aliquid rei alicui convenienter jungere, accommodare (It. *adattare, accomodare*; Fr. *adapter, appliquer, attacher*; Hisp. *adaptar, acomodar*; Germ. *genau anfügen oder anpassen*; Angl. *to fit, adapt, accommodate, adjust*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 5. 49. Suos in acervum conjicere sarcinas et arma aptare — jubet. Apud *eumd.* eodem sensu sæpissime occurrit in re militari, ut 10. 2., 22. 19. *Virg.* 11. *Æn.* 8. aptat rorantes sanguine cristas, Telaque trunca viri. *Curt.* 9. 9. 12. Aptare remos. *Colum.* 12. *R. R.* 56. 2. Deinde sic aptatam tabulam superponito, ut usque ad fundum — intra cistam deprimi possit. Cum autem eam tabulam sic aptaveris, gravia pondera superponito. *Ammian.* 23. 4. Testudo compaginatur, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata. *h. e.* colligata, compacta. *Quintil.* 10. 7. 23. Armamenta, vela aptare. *Sil. It.* 5. 166. Bellatore jubas aptante. — *b*) Addita re, cui quid

aptatur — Sæpius per Dat. Liv. 44. 34. Aptare arma corpori. Cels. 2. 11. Os cucurbitulæ corpori aptatur imprimiturque donec inhæreat. Virg. 10. Æn. 131. Aptare nervo sagittas. Id. 7. ibid. 731. tela flagello. Id. 9. ibid. 364. aliquid humeris. h. e. imponere asportandi causa. Horat. Epod. 7. 2. enses dexteris. Ovid. 10. Met. 381. vincula collo. Nemesian. Cyneg. 90. crura cothurnis. Sueton. Tib. 73. anulum digito. Seneca 3. Benef. 25. anulum sibi. Quintil. 6. 1. 36. personam Herculis et cothurnos infantibus. Dig. 10. 4. 7. § 1. rotam vehiculo. — Per Accus. et præp. ad. Ovid. 1. Amor. 13. 14. Aptat et armiferas miles ad arma manus. Seneca Agam. 425. Ad militares remus aptatur manus. h. e. miles ad remigandum se comparat. — Per præp. in et Ablat. loci, in quo quid aptatur. Colum. 8. R. R. 10. 2. Sed in eo transversæ perticæ parietibus adversis aptantur. Plin. 36. Hist. nat. 22. 50. (170). Quæ ex eo læsa fuerint, in subterranea structura aptantur aptius. — Per Accus. et præp. in. Frontin. 4. Strateg. 1. 7. Cibaria militum in fasciculos aptata. ¶ 2. Latiori sensu est parare, præparare, instruere; et occurrit — a) Absolute. Pomponius apud Non. p. 234. 30. Merc. Heus aptate, pueri, munde atque ampliter convivium. Liv. 21. 27. Jam paratas aptatasque habet pedes lintres. Virg. 4. Æn. 289. Classem aptent taciti sociosque ad littora cogant. Horat. 2. Sat. 2. 110. metuensque futuri, In pace, ut sapiens, aptavit idonea bello. Plin. Paneg. 18. Arma, mœnia, viros aptent. Sueton. Tib. 63. Aptare naves. — b) Addito Ablat. rei, quâ quid instruitur. Liv. 9. 31. Aptare se armis. Auct. B. Alex. 1. oppidi partes testudinibus ac musculis. Virg. 3. Æn. 472. classem velis. h. e., ajebat Forcellinus qui h. locum ad super. paragr. retulit, accommodare, ut vela facere possis; vel accommodare vela navibus, ut sit hypallage. Id. 8. ibid. 80. biremes remigio. Ovid. 11. Met. 456. pinum armamentis. — c) Addita re, cui quid instruitur et paratur — Fere per Dat. Liv. 22. 5. Ut vix ad arma capienda aptandaque pugnæ competeret animus. Virg. 10. Æn. 587. projecto dum pede lævo Aptat se pugnæ. Curt. 6. 2. 16. Sarcinas itineri aptare. Plin. 28. Hist. nat. 13. 55. (197). Sanguis hircinus cibo aptatus. h. e. præparatus in cibum. Id. 35. ibid. 10. 36. (81). Tabula amplæ magnitudinis in machina, aptata picturæ. — Per Accus. et præp. ad. Curt. 7. 8. 8. Jamque ad transeundum omnia aptaverant.

II.) Translate est accommodare, convenienter adjicere; et apud Cicer. occurrit tantummodo part. præter. pass. — a) Cum Accus. et præp. ad. Cic. 3. Orat. 40. 162. Non dixit cape, non pete –, sed rape. Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, non licet. Adde Liv. 33. 5., Virg. 10. Æn. 259. et Senec. Ep. 5. Quintil. 12. 2. 16. Aptare se ad primum velut aspectum orationis. Id. 10. 7. Aptatus ad præsens tempus. Id. 3. 8. 50. Ad quorum conditionem vitamque aptanda, quæ dicebantur, fuerunt. Ulp. Dig. 7. 9. 1. Hæc stipulatio ad fideicommissa etiam aptari debet. Adde ibid. 28. 2. 29. § 7. — b) Cum Dat. Horat. 1. Ep. 3. 12. fidibusne Latinis Thebanos aptare modos studet? Id. 2. Od. 12. 1. Nolis longa feræ bella Numantiæ – mollibus Aptare citharæ modis. Cf. Propert. 3. 3. 35. hæc carmina nervis Aptant. Seneca Ep. 59. In oratione pressa sunt omnia et rei aptata. Colum. 9. R. R. 14. 12. Qui (fusti) sunt aptati publicis sacrificiis. Quintil. 6. 5. 11. Aptare orationem locis, temporibus, personis. Id. 12. 10. 35. Aptare sententias vocibus. Dig. 5. 3. 20. § 6. interpretationem verbis singulis. Cæl. Aurel. 4. Tard. 8. Quæ singula suis temporibus aptanda probamus.

APTŌTA, ōrum, n. (ἄπτωτα). Aptota nomina sunt quæ carent casibus, ut fas, dicis: ab α privativo et πίπτω cado, quia a prima sui positione non cadunt, ut ait Diomed. 1. p. 287. Putsch. et Priscian. 5. p. 669. Putsch. Cf. et Donat. edit. sec. p. 1740. Putsch.

APTŌTE, adverb. (ἀπτώτως) sine casuum inflexione (V. vocem præced.) Probus grammat. ab A. Majo edit. in Class. Auct. T. 5. p. 155. Litterarum nomina genere neutro aptote, et numero tantum singulari declinanda sunt.

APTUS, a, um. Comp. Aptior et Sup. Aptissimus II. 3. — Aptus proprie est part. præter. pass. a verbo apere, a quo id ducit et Paul. Diac. p. 18. 9. Müll. et Non. p. 234. 31. Merc., Servius vero ad Virg. 4. Æn. 482. et 11. ibid. 202. ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι, quod est annecti, connecti, quorum certe et apere et aptus conjungenda sunt. Hinc aptus proprie est colligatus, vinctus, connexus, cohærens (It. legato, attaccato, connesso; Fr. joint, attaché; Hisp. junto, juntado, atado; Germ. angeheftet, angebunden, angefügt, genau angepasst, passend; Angl. fastened close, attached, connected, adhering tightly).

I.) Proprie. ¶ 1. Est colligatus, vinctus. Ennius apud Festum p. 157. 18. Müll. Veluti quando vinclis venatica velox apta (canis) solet etc. Lucret. 5. 806. Crescebant uteri terræ radicibus apti. ¶ 2. Speciatim est ita alteri rei adhærens, ut inde pendeat; et occurrit cum Ablat. et præp. ex, aut sine præp. Cic. 2. Tusc. 21. 62. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari setâ equinâ aptum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. appensum quidam leg., sed minus recte. Id. 5. ibid. 14. 40. Non satis optabilis est rudentibus apta fortuna. Lucret. 4. 830. Brachia tum porro validis ex apta lacertis. Adde Gell. 1. 15. Hinc Augustin. Ep. 5. 1. Aptum vero, cui ex adverso est ineptum, quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed ex eo, cui connectitur, judicatur. ¶ 3. Item speciatim aptum dicitur, quidquid est per se arctissime connexum compactumque. Cic. Tim. 5. Qua ex conjunctione cælum ita aptum est, ut sub aspectum et tactum cadat. h. e. compactum et suis partibus colligatum. Id. Orat. 71. 235. Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere. Adde eumd. 2. Nat. D. 38. 97. Lucret. 6. 1065. inter se singlariter apta. Id. 5. 556. et 559. conjuncta atque uniter apta. Adde Catull. 28. 1.; et Sall. apud Non. p. 235. 15. Merc. Gell. 6. 2. Ex quibus apta connexaque est. ¶ 4. Apud veteres et præcipue apud Poetas aptum addito Ablativo rei est quidquid eâ re conjuncte constat, ac proinde generatim ornatum, quemadmodum vestis auro aliave materia contexta atque ornata. Ennius apud Cic. 3. Off. 29. 105. O Fides alma, apta pinnis, et jusjurandum Jovis! h. e., ait Forcellinus, quæ pennas seu alas affixas habet: et alludit ad levitatem hominum in fide servanda; vel ad morem pingendi alatos multos deos. Fides autem pro dea a Romanis culta fuit. Lucret. 5. 1427. at nos nil lædit veste carere Purpureâ atque auro signisque rigentibus apta. — Hinc sæpe de cælo, quod tamquam vestimentum stellis distinctum Poetæ sibi repræsentabant. Ennius apud Macrob. 6. Saturn. 1. Cælum prospexit stellis fulgentibus aptum. Id. apud eumd. ibid. Hæc nox processit stellis ardentibus apta. Lucret. 6. 357. Autumnoque magis stellis fulgentibus apta Concutitur cæli domus. Virg. 4. Æn. 482. et 11. ibid. 202. axem torquet stellis fulgentibus aptum. Haud aliter Varro apud Non. p. 235. 9. Merc. Ubi lucus opacus teneris fruticibus aptus. NB. Ad loc. Virg. nuper cit. hæc Forcellinus addebat: h. e. cælum, cui sunt affixæ stellæ et adnexæ. stellisque micantibus æthera fixum dicit Lucret. 5. 1204. eodem sensu. Servius exponit conjunctum, vicinum; nam axem intelligit, non totum cælum, sed cæli cardines, circa quos cælum vertitur; in quibus nullæ sunt stellæ, sunt tamen iis vicinæ. Monet Pier. ad cit. 11. Æn. 202. in aliquot codicibus legisse se haptum cum aspiratione, vel quia sit ab ἅπτεσθαι, ut dictum est, vel quia ab ἅπτειν, quo significat accendere, inflammare. Quidam enim axem aptum stellis interpretati sunt accensum collucentemque stellarum lumine. Sed aspirationem appingere, usus vetat et ratio. Nam aptus, ut ut e Græco descendat, Latinissima vox est. ¶ 5. Denique aptus est qui convenienter alicui junctus est, accommodatus; et quamvis raro occurrat, de personis etiam dicitur. Cic. 1. Orat. 54. 231. Calcei apti ad pedem. Tibull. 1. 9. 69. auroque lacertos Vinciat et Syrio prodeat apta sinu. Et figurate Cic. 2. Orat. 13. 56. Scriptor verbis aptus et pressus. h. e. qui verba rebus ita proprie ac stricte accommodat, ut nihil redundet.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., aptus est ita alteri junctus et connexus, ut ab ipso pendeat. Cic. 5. Tusc. 12. 36. Nam cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quæ ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata est. h. e. qui totus ex seipso pendet, neque rebus externis indiget. Expressit autem illud Platonis in Epitaph. Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα etc. Eodem modo 2. Parad. 1. 7. locutus est. Id. 1. Off. 18. 60. Honestum, ex quo aptum est officium. h. e. a quo pendet officium. Id. Cæcin. 18. 52. Non ex verbis aptum pendere jus etc. quidam minus recte leg. totum. Id. 1. Legg. 21. 56. Vitâ modicâ et aptâ virtute perfrui. Adde eumd. 4. Acad. (2. pr.) 10. 31., 2. Fin. 14. 47., Fat. 15. 34. et 5. Tusc. 25. 70. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3., apta dicuntur, quæ per se arctissime connexa sunt et compacta. Ad rem Cic. 1. Off. 35. 139. Nec vero histrionibus – concedendum est, ut iis hæc apta sint, nobis dissoluta. Scænicorum quidem mos tantam habet vetere disciplinâ verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo etc. Id. Partit. orat. 39. 137. Tanta series artis est et sic inter se sunt pleraque connexa et apta. Id. 4. Fin. 19. 53. Ordo rerum conservatus, et omnia inter se apta et connexa. Id. Orat. 70. 233. Videsne, ut ordine verborum paullum commutato eisdem verbis, stante sententiâ, ad nihilum omnia recidant, cum sint ex aptis dissoluta, aut si – religas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum. Id. 3. Nat. D. 1. 4. Multa dicere etiamsi minus vera, tamen apta inter se et cohærentia. Adde eumd. Orat. 50. 168. et 68. 228., et Brut. 17. 68. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 5., aptus sæpissime sumitur pro accommodato, apposito, convenienti, idoneo: qua significatione occurrit — a) Addita re, cui quis est accommodatus atque idoneus — Per Accus. et præp. ad. Cic. 2. Nat. D. 55. 136. Quæ (ossa) subjecta corpori mirabiles commissuras habent et ad stabilitatem aptas et ad artus finiendos accommodatas. Id. 3. ibid. 34. 83. Pallium laneum injecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Orell. illud aptum omisit. Id. Milon. 20. 53. Videamus nunc id, quod caput est, locus ad insidias ille ipse – utri tandem fuerit aptior? Id. 1. Tusc. 2. 5. Aptus orator ad dicendum. Id. 4. Verr. 54. 134. et 1. Orat. 22. 99. Natum aptumque esse ad aliquid. Id. de opt. gen. orat. 5. 14. Verba apta ad nostram consuetudinem. Varro 1. R. R. 12. 3. Quæ demissa in aquam ad usum aptiora fiunt. Nep. Alcib. 1. 2. Alcibiades – ad omnes res aptus consiliique plenus. Cæs. 2. B. C. 37. Castra erant ad bellum ducendum aptissima. Liv. 36. 23. Fornices in muro erant apti ad excurrendum. Cels. 3. 4. Dies quartus aptissimus esse consuevit in pluribus ad initium cibi. Quintil. 6. 3. 104. Urbanitas – apta ad delectandos movendosque homines. Id. 11. 3. 95. Digitus aptus ad disputandum. Id. 10. 1. 63. Aptior comœdia ad oratores faciendos. — Per Accus. et præp. in. Liv. 38. 21. Et erant deprehensi genere pugnæ, in quod minime apti sunt. Ovid. de Vertumno 14. Met. 765. formas deus aptus in omnes. Quintil. 10. 3. 22. Aptissima in hoc nemora silvæque. Cels. 5. 19. Emplastrum hoc aptum. — Sæpius per Dat. Ennius 6. Ann. 11. Apta, dato signo, loca turritis elephantis explorant Numidæ. Cic. 1. Off. 4. 13. Ex quo intelligitur, quod verum, singulare sincerumque sit, id esse naturæ hominis aptissimum. Id. Brut. 95. 326. Hæc autem – genera dicendi aptiora sunt adolescentibus. Id. 1. Tusc. 36. 57. Cum id non habeas, quod tibi nec usu, nec naturâ sit aptum. Id. Orat. 22. 74. Aptum esse et consentaneum tempori et personæ. Id. Brut. 62. 223. Oratores aptissimi turbulentis concionibus. Id. 12. Fam. 30. O hominem, semper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam suavem! h. e. meæ naturæ et ingenio accommodatus. Nep. Att. 16. Cum Q. Hortensio et M. Cicerone sic vixit, ut judicare difficile sit cui fuerit aptissimus. (ubi Sup. pro Comp. positum est). Et Horat. 2. Sat. 5. 43. aptus amicis. Liv. 2. 23. Servilius, lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti quam frangi putabat cum tutius, tum facilius esse. Id. 3. 27. Aptum agmen viæ. Id. 1. 45. dies sacrificio. Virg. 2. G. 234. Si deerunt, rarum pecorique et vitibus almis Aptius uber erit. Horat. 2. Ep. 2. 6. Verna ministeriis ad nutus aptus heriles. Id. 1. Od. 7. 9. aptum Argos equis. Id. Art. P. 65. palus remis. Ovid. 1. Art. am. 44. Quærenda est oculis apta puella tuis. Id. 3. ibid. 122. ætas moribus. Id. 2. Amor. 3. 21. anni lusibus. Id. 2. Art. am. 126. aquæ remigio. Id. 1. ibid. 729. pallidus color amanti. Id. 14. Met. 25. ingenium aptius flammis. Id. 3. ibid. 596. portus puppibus. Id. 2. Pont. 2. 69. tempus precibus. Id. Heroid. 15. 49. verba joco. Propert. 3. 22. 19. tellus armis. Curt. 7. 7. 32. Silvestre iter aptum insidiis tegendis fuit. Id. 3. 7. Homo aptior prœlio. Cels. 4. 5. Vinum frigidum aptissimum est potui. Id. 2. 20. Aptus cibus stomacho. Id. 2. 32. papaver somno. Id. 2. 12. ægri curationi. Plin. 12. Hist. nat. 7. 15. (31). Lycion

aptissimum medicinæ, quod est spumosum. *Quintil.* 8. 6. 61. Aptum nomen orationis virtuti. *Id.* 9. 4. 128. periodos procœmiis. *Id.* 4. 2. 63. virtus narrationi. — Per verborum circumlocutionem, quæ fit pronomine relativo. *Cic. Amic.* 1. 4. Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quæ de illa ætate loqueretur, quam ejus qui etc. Adde *Ovid. Heroid.* 3. 70. — Per Infinitum. *Tibull.* 4. 1. 63. apta (*Circe*) vel herbis, Aptaque vel cantu veteres mutare figuras. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 20. Forma papillarum quam fuit apta premi. *Id.* 2. *Fast.* 254. *de ficu.* Non erat apta legi. Adde *eumd.* 1. *Art. am.* 10. — *b*) Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 55. 210. Nunc quid aptum sit, hoc est, quid maxime deceat in oratione, videamus. *Id. Senect.* 3. 9. Aptissima omnino sunt – arma senectutis artes exercitationesque virtutum. *Varro* 1. *R. R.* 13. 3. Cohortes in fundo magno duæ aptiores. *Liv.* 35. 19. Deinde melius esse ratus et percunctari causam repentinæ alienationis et purgare se tempore apto. *Id.* 10. 25. Profectus apto exercitu et eo plus fiduciæ ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat. *aptus exercitus*, ait *Forcellinus*, quasi habilis, *h. e.* expeditus et regi facilis, qualis est qui non ita multis militibus constat. *Horat.* 1. *Od.* 12. 43. Sæva paupertas, et avitus apto Cum lare fundus. *h. e.* lar parvus et qui facile coli potest. *Tibull.* 1. 7. 60. hic aptà jungitur arte silex. *Ovid.* 2. *Met.* 498. Dumque feras sequitur, dum saltus eligit aptos. *Id.* 4. *Fast.* 819. apta dies. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 20. (83). Et de Euphrate hoc in loco dixisse aptissimum fuerit. *Quintil.* 9. 3. 50. Apta figura. *Id.* 11. 3. 69. oratio. *Id.* 11. 3. 61. pronunciatio. *Id.* 9. 4. 144. verbum.

ĂPŬA, æ, f. 1. genus piscis. *V.* **APHYA**. Incertæ lectionis est *Catulli* locus 93. 7., quem ita legit *Jos. Scaliger*: Et Volusi Annales apuam porgentur ad ipsam: *ubi* apuam pisciculi genus interpretatur, quos pisciculos muria conditos chartis ineptis amiciebant, uti et hodie fit: hoc enim fatum est malorum librorum, ut ait in suis ad hunc locum Commentariis *Jo. Ant. Vulpius*, qui tamen *Vossium* secutus legere et scribere maluit: Aduam morientur ad ipsum. *V.* PADUA in ONOM.

ĂPŬD, præpositio quæ Accusativum regit. — *Apud* occurrit in pervetustis Latinæ linguæ monumentis, cujusmodi sunt *Inscriptio L. Cornelii Scipionis Barbati* in *Orell. Inscript.* 550., *Monum. Ancyr.* et *Fast. Prænest.*: *aput* vero pro *apud* scriptum legitur in aliquot Codicibus et Inscriptionibus recentioribus (V. *Orell. Inscript.* 4040., 4036., 4859.); itaque *aput* est forma posterior, testibus antiquis ipsis Grammaticis *M. Victorin.* p. 2457. et *Velio Longo* p. 2231. *Putsch.*; quorum sententiam nuperrime confirmavit *Wagner* in *Orthogr. Vergil.* vol. 5. p. 429. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* præp. *apud* recte deducitur ab ἀπό Græcorum, quæ præpositio nexum et copulam indicat, et particula δέ vel τέ: hinc ultima littera rejecta *apud* vel *aput* extitit. Rectius tamen juxta recentiores plerosque omnes præpositio *apud* ratione habita etymi referenda est ad verbum *apere* (cf. Gr. ἅπτω et sans. âp, quod postremum significat *arripere, prehendere*), hoc est conjungere, connectere; unde per syncopen facta est præpositio *ad* (*V.* AD in principio). Quamvis autem ab ipsis Latinæ linguæ incunabulis præpositiones *apud* et *ad* promiscue adhibitæ putandæ sunt, progressu tamen temporis atque usu factum est, ut *apud* proximitatem vel conjunctionem tantummodo in loco significaret, *ad* vero motum ad locum (*V.* et Homonym. in fin.).

Illud etiam præmonendum, præpositionem *apud* fere semper accusativum suum proxime antecedere, sed interdum aut ante alia vocabula poni quæ cum accusativo unum idemque constituant, aut inter plura vocabula interseri, aut encliticæ more accusativo suo postponi. *Plaut. Epid.* 2. 2. 7. Apud nescio quam fidicinam. *Tac.* 11. *Ann.* 8. *ad fin.* Bactrianos apud campos castra contulit. *Id.* 4. *ibid.* 5. Misenum apud et Ravennam. *Id.* 4. *ibid.* 5. Montem apud Erysum. *Id.* 6. *ibid.* 31. Ripam apud Euphratis. *Varro* 6. *L. L.* 78. p. 104. *Müll.* Sic item quæ fiunt apud fabros, fictores, item alios apud. *Sueton. Domit.* 9. Qui ante quinquennium proximum ærarium apud rependissent. *Alii*, *inter quos recentiores omnes*, *leg.* apud ærarium.

Itaque *apud* significat proximitatem in loco, prope, juxta (It. *appresso*; Fr. *près*; Hisp. *cerca, junto*; Germ. *bei*, *an*, *neben*; Angl. *at*, *close by*, *near*); et usurpatur *A*) de loco, et *B*) de personis.

A) De loco. ¶ 1. Stricto sensu *apud* loci proximitatem significat. — *a*) Generatim usurpatur de iis, quæ alicui loco vel rei proxima sunt aut eveniunt. *Nævius* apud *Priscian.* 10. p. 893. *Putsch.* Tibi servi multi apud mensam adstant. *Cato R. R.* 46. Fimo bubulo summam taleam oblinito signumque apud taleam apponito. *Plaut. Amph.* 1. 1. 199. Quid apud hasce ædes negoti est tibi? *Ter. Andr.* 1. 3. 17. Navem is fregit apud Andrum insulam. *Turpilius* apud *Non.* p. 522. 26. *Merc.* Utinam nunc apud ignem aliquem magnum assidam. *Sisenna* apud *eumd.* p. 68. 65. Dum pristinum vinum apud ignem per sudorem exhauserunt. *Cic.* apud *eumd.* p. 522. 30. Apud quem (*focum*) sedens Samnitium, quondam hostium, tum jam clientium suorum, dona relegaverat. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Paullisper apud oppidum morati. *Nep. Hann.* 2. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat. *Virg.* 11. *Æn.* 288. Quidquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ. — *b*) Speciatim jungitur nominibus urbium, insularum, regionum, fluminum, prope quæ res evenerunt. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 5. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? *Cæs.* 3. *B. C.* 57. Hæc cum in Achaja apud Dyrrhachium gererentur. *Nep. Pausan.* 1. Hujus illustrissimum est prœlium apud Plateas. *Sall. Jug.* 20. Certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat. *Cic. Arch.* 9. 21. Incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis. *Nep. Them.* 3. Quo factum est, ut – ex adversum Athenas apud Salaminam classem suam constituerent. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Quod præsentes sæpe di vim suam declarant, ut et apud Regillum bello Latinorum – in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt. *Nep. Tim.* 2. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit. — *c*) Item speciatim de locis, prope quæ imperatores Romani castra, etiamsi ipsi in urbe morarentur, locabant; ut apud *Cic.* 16. *Fam.* 3. 1. Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus. *hæc item epistola data est* Nonis Novembr. Alyziâ. *Id.* 15. *ibid.* 4. 8. Apud oppidum Cybistra castra feci. *Id. ibid.* § 9. Castra habuimus in radicibus Amani apud Aras Alexandri quatriduum. — Hoc porro sensu *apud urbem* idem est atque *in urbe*, ut apud *Tac.* 1. *Ann.* 5. Neque satis compertum, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem reppererit. *Id. ibid.* 9. et *Sueton. Aug.* 98. *dixerunt* Nolæ. — Huc et illa referri possunt *Liv.* 28. 29. Hunc finem exitumque seditio militum accepta apud Sucronem habuit. *alii aliter leg.*, *sed minus recte*, conferatur enim *cap.* 24. ejusd. libr. *Plin. Paneg.* 35. Juvabat prospectare statim a portu sparsa navigia, et apud illud ipsum mare agere principi gratias. *Tac.* 1. *Ann.* 17. Sed apud vexillum retentos alio vocabulo eosdem labores perferre. ¶ 2. Latiori sensu *apud* antiquissimis temporibus, in certis dicendi formulis (cujusmodi sunt *apud emporium*, *apud forum*, *apud villam*; et seriori ætate *apud ædem*, *apud rostra*, *apud ærarium* etc.) in vulgari tantum sermone, significavit rem esse aut hominem versari in aliquo loco. *Plaut. Amph.* 4. 1. 4. Apud emporium, in macello, in palæstra atque in foro, in medicinis, in tonstrinis, apud omnes ædes sacras sum defessus quæritando: nusquam inveni Naucratem. *Ter. Andr.* 1. 5. 19. Præteriens modo mi apud forum: Uxor tibi ducenda est, Pamphile, hodie, inquit, para. *Id. ibid.* 2. 1. 2. Apud forum modo e Davo audivi. *Id. ibid.* 4. 4. 6. Quid turbæ est apud forum? *Id. Adelph.* 4. 4. 1. CTES. Ain' patrem hinc abisse rus? SYR. Jamdudum. CTES. Dic sodes. SYR. Apud villam est. *Cic.* 6. *Verr.* 22. 48. Is cœnam isti dabat apud villam in Tyndaritano. V. *Klotz* ad *Cic. Rosc. Am.* 15. 44. *Tac.* 15. *Ann.* 74. Ipse eum pugionem apud Capitolium consecravit. *Id.* 4. *ibid.* 64. Statuam – majores apud ædem matris deûm consecravisse. *Id.* 16. *ibid.* 6. Apud rostra. *Id.* 3. *ibid.* 72. Apud theatrum Pompeji. *Sueton. Domit.* 9. Apud ærarium. — Hinc factum est, ut præpositio *apud* eadem prorsus significatione, hoc est pro *in*, jungeretur propriis locorum nominibus, raro admodum *Plauti* et *Ciceronis*, sæpius *Taciti* ætate atque apud seriores. *Plaut. Epid.* 2. 2. 66. Quin hodie allatæ tabellæ sunt ad eam de Stratippocle, eum argentum sumpsisse apud Thebas ab danista fenore. *alii aliter interpretantur, sed nimis acute.* *Cic.* 2. *Legg.* 16. 40. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur. *Id.* 6. *Att.* 7. 2. Ergo Laodiceæ quæstorem Mescinium expectare jussi, ut confectas rationes lege Juliâ apud duas civitates possim relinquere. *Tac.* 3. *Ann.* 71. Ita donum apud Antium statuitur. *Id.* 6. *ibid.* 11. Augustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem – cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. *Id.* 6. *ibid.* 20. Scientia Chaldæorum artis, cujus apiscendæ otium apud Rhodum magistrum Thrasyllum habuit. *Id.* 4. *ibid.* 14. Nam cives Romanos templo Æsculapii induxerunt, cum jussu regis Mithridatis apud cunctas Asiæ insulas et urbes trucidarentur. *Id.* 12. *ibid.* 61. Sententiam militum secuta patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. *Id.* 4. *ibid.* 13. Ut civitati Cibyraticæ apud Asiam, Ægiensi apud Achajam – subveniretur remissioni tributi. *Id.* 1. *Hist.* 49. Dum vigebat ætas, laude militari apud Germanias floruit. *Id.* 3. *Ann.* 15. Adjutor Germanico datus, rebus apud Orientem administrandis. *Sueton. Aug.* 92. Apud insulam Capreas veterrimæ ilicis demissos jam ad terram languentesque ramos convaluisse adventu suo adeo lætatus est, ut etc. *Id. Vesp.* 5. Apud Judæam Carmeli dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut etc.

B) De personis vel animantibus præp. *apud* cum proprie, tum translate varios habet elegantesque usus. ¶ 1. Generatim significat proximitatem localem. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 67. AG. Milphio, heus Milphio, ubi es? MILPH. Assum apud te, eccum. *Ter. Phorm.* 1. 1. 3. Erat ei de ratiuncula jampridem apud me reliquum pauxillulum nummorum. *Accius* apud *Non.* p. 522. 32. *Merc.* Assum apud te, genitor. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 12. Cum etiam tum in lecto Crassus esset et apud eum Sulpicius sederet etc. ¶ 2. Speciatim *apud aliquem* sæpe significat in ejus domo: et occurrit — *a*) Frequenter cum pronominibus person. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 66. Hic apud me hortum confodere jussi. *Ter. Heaut.* 1. 1. 109. Nunc si est commodum, Dionysia hic sunt hodie, apud me sis volo. *Id. ibid.* 3. 1. 21. MENED. Ubinam est, quæso? CHREM. Apud me hic domi. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Ille vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio etc. *Id.* 13. *Fam.* 69. Apud eum ego sic Ephesi fui, tamquam domi meæ. *Id.* 1. *Att.* 8. 1. Apud te est, ut volumus. Adde *eumd.* 4. *Att.* 10. 1., 5. *ibid.* 6. 1., 15. *ibid.* 3. 2. et alibi sæpe. *Varro* 3. *R. R.* 2. 7. Quem (*asinum*) mihi quadraginta millibus emptum ostendebas apud te. *Cæs.* 4. *B. G.* 8. Quorum legati sint apud se. *Nep. Eumen.* 12. Sese enim cum Eumene apud eum non futuros. — Etiam si dominus absit. *Cic.* 15. *Att.* 3. *ad fin.* Brutum apud me fuisse gaudeo: modo et libenter fuerit et sat diu. — *b*) Cum propriis aut communibus personarum nominibus. *Livius Andronicus* apud *Priscian.* 6. p. 685. *Putsch.* Apud nympham Atlantis filiam Calypsonem. *hoc est ex Homer.* 4. *Odyss.* 557. Νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς. *Cato* apud *Charis.* 1. p. 117. *Putsch.* Tu otiosus ambulas, quia apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem. *Ter. Eun.* 5. 2. 1. Apud Antiphonem uterque, mater et pater, quasi deditâ operâ, domi erant. *Cic.* 1. *Cat.* 4. 9. Fuisti igitur apud Leccam illa nocte, Catilina. *Id.* 1. *Att.* 7. Apud matrem recte est. Adde *eumd.* 1. *Fam.* 9. 3. et 4. *Att.* 9. 2. *Nep. Att.* 10. Latebatque apud P. Volumnium, cui paullo ante opem tulerat. — *c*) Interdum jungitur et deorum nominibus, et significat in eorum templis. *Tac.* 11. *Ann.* 27. Sacrificasse apud deos. — Huc referri possunt et illa *apud inferos*, hoc est in Erebo; et *apud superos*, hoc est in cælo. *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. Num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, trajectio Acherontis? *Vellej.* 2. 48. 2. Quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. ¶ 3. Item speciatim præpositio *apud* jungitur nominibus populorum civitatumque, et significat *inter*, sive in eorum re publica: hic autem sensus minime mutatur, etiamsi ratio temporis habeatur. *Monum. Scipion.* in *Orell. Inscript.* 550. CONSOL CENSOR AIDILIS QVEI FVIT APVD VOS. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 3. Nam cum apud Græcos antiquissimum e doctis genus sit poetarum –, serius poeticam nos accepimus. *Cæs.* 1. *B. G.* Apud Helvetios longe nobilissimus et ditissimus fuit Orgetorix. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 50. et 2. *ibid.* 2. *Nep. præfat.* Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia pu-

tantur. *Cels.* 1. *præfat.* Apud Græcos aliquanto magis, quam in ceteris nationibus exculta est medicina. *Tac.* 4. *Ann.* 72. In aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur. — Et ratione quoque habita temporis. *Ter. Eun.* 2. 2. 15. Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum prius. *Cic. Mur.* 36. 75. Fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros et honestus homo et nobilis Q. Tubero. Adde *eumd. Amic.* 2. 6., 2. *Off.* 24. 85. et 5. *Phil.* 17. 48. *Cels.* 3. *præfat.* 9. Apud antiquos quoque – fuit Petron quidam etc. *Tac.* 2. *Ann.* 33. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam. ¶ 4. Item *apud* usurpatur, cum sermo est de personis, quæ aliis subjectæ sunt, ut legati imperatoribus, discipuli doctoribus, etc. *Cic. Amic.* 20. 75. Si Lycomedem, apud quem erat educatus, – audire voluisset. *Nep. Att.* 6. Qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset. *Tac.* 2. *Hist.* 51. Ut legatione apud Cæcinam et Valentem fungeretur, minitantes orabant. *Sueton. Calig.* 24. Apud eosdem magistros institutus. *Dig.* 37. 4. 8. § 4. Apud patrem adoptivum procreatus. ¶ 5. Item in locutionibus *esse apud exercitum, habere aliquem apud exercitum*, quæ significant in exercitu. *Cic.* 6. *Verr.* 22. 49. Eupolemo Calactino –, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? *h. e.* est in exercitu Luculli amicitiæ causa, vel discendæ militiæ, non militandi. *Nep. Hann.* 7. Quod Hannibalem – etiam nunc cum imperio apud exercitum haberent. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 50. (143). Pompejum Paulinum, quod XII pondo argenti habuisset apud exercitum. ¶ 6. Est etiam *apud aliquem* in ejus scriptis. *Cic.* 1. *Divinat.* 26. 55. Ut scriptum apud eumdem Cœlium est. *Id.* 5. *Fin.* 10. 28. Ut ille apud Terentium, qui etc. *h. e.* in comœdia Terentii. *Id.* 2. *Legg.* 26. 64. De sepulcris nihil est apud Solonem amplius. *h. e.* in legibus Solonis. Adde *eumd. Senect.* 22. 79., 1. *Off.* 9. 28., 1. *Divinat.* 24. 50. et 5. *Tusc.* 12. 34. *Ascon.* ad *Cic. Milon. p.* 49. 2. *Bait.* Ut legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro IIII de vita ejus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 33. 39. (115). Aquas quoque – fertiliores ejus generis invenio apud auctores. — Raro admodum occurrit de hominum rumoribus. *Tac. Agric.* 22. Apud quosdam acerbior in conviviis narrabatur. *Id.* 1. *Ann.* 9. Apud prudentes vita ejus varie extollebatur arguebaturque. ¶ 7. Sæpissime præpositio *apud* regit accusativum personæ jungiturque verbis loquendi, et significat coram aliquo vel ante aliquem. *Plaut. Amph.* 2. 1. 43. Miserrima istæc miseria est servo bono, apud herum qui vera loquitur. *Ter. Heaut.* 3. 3. 13. Nemo est meorum amicorum hodie, apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam; apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti piget. *Cic.* 6. *Verr.* 22. 49. Tantum uniuscujusque de varia improbitate generis indicia apud vos et exempla profero. *Cæs.* 5. *B. G.* 27. Apud quos (*Romanos*) Ambiorix ad hunc modum locutus est. *Liv.* 7. 11. Consulibus in senatu et apud populum magnifice collaudatis – dictaturâ se abdicavit. — Reliqua fere omnia loquendi verba, quibus præp. *apud* jungitur, servato litterarum ordine, præ oculis ponimus. Accusare aliquem apud Amphictyonas *Cic.* 2. *Invent.* 23. 69. Contio apud milites *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Defendere causam apud judicem *Cic. Cluent.* 27. 76. Dicere causam apud centumviros *Id.* 2. *Orat.* 23. 98. Dicere pro reo apud consilium *Id.* 5. *Phil.* 5. 12. Dicere causam apud regem *Nep. Phoc.* 3. Evomere apud aliquem virus acerbitatis suæ *Cic. Amic.* 23. 87. Gratias agere alicui apud aliquem *Cic. Sext.* 4. 9. Jactare aliquid apud aliquem *Tac.* 15. *Ann.* 3. Jurare apud quæstores urbanos *Val. Max.* 2. 3. Laudare aliquem apud aliquem *Cic.* 2. *Att.* 25. Loqui de se apud aliquem. *h. e.* per epistolas *Id.* 1. *ibid.* 3. Loqui apud populum *Id. Orat.* 1. 11. Mentiri apud aliquem *Plaut. Pœn.* 1. 1. 24. et *Cic.* 2. *Orat.* 45. 189. Postulare apud tribunal prætoris *Dig.* 48. 19. 9. § 2. Profiteri aliquid apud aliquem *Curt.* 7. 7. 24. Queri apud aliquem per litteras *Cic.* 5. *Att.* 21. Reum facere aliquem apud judices *Id. Cluent.* 22. 59. Sermo est alicui apud aliquem *Id.* 2. *Legg.* 16. 41. Verba facere apud senatum *Id.* 4. *Verr.* 20. 48. ¶ 8. *Apud* præponitur et iis personis, quæ rei alicujus participes sunt eamque curarunt, ita ut *apud aliquem* significet quod *attinet ad aliquem*, vel etiam *ab aliquo*, quemadmodum apud *Plaut. Pseud.* 1. 5. 62. Cum apud te parum stet fides. *Ter. Phorm.* 5. 3. 27. Itan' parvam mihi fidem esse apud te? *Cic.* 1. *Off.* 11. 36. In quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut etc. *h. e.* a nostris. *Liv.* 8. 8. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum. Adde *eumd.* 24. 21., et 23. 43. ¶ 9. Hinc *est aliquid apud aliquem*, hoc est aliquid ab aliquo habetur, præcipue de abstractis occurrit. *Cic.* 2. *Legg.* 13. 33. Quæ (*scientia auguralis*) mihi videtur apud majores fuisse dupliciter, ut ad reipubl. tempus nonnumquam, ad agendi consilium sæpissime pertineret. *Nep. Phoc.* 2. Cum apud eum summum esset imperium populi. *Sall. Cat.* 20. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt, aut ubi illi volunt; repulsas nobis reliquere. *Liv.* 22. 33. Par gloria apud Hannibalem hostesque Pœnos erat. ¶ 10. Morali significatione *apud aliquem* idem est ac præ oculis alicujus, ex alicujus sententia. *Ter. Hec.* 4. 2. 8. Ut apud me præmium esse positum pietati scias. *Cic.* 2. *Att.* 19. Cosconio mortuo, sum in ejus locum invitatus: id erat vocari in locum mortui: nihil me turpius apud homines fuisset. *Id.* 1. *Fam.* 9. Præmia apud me minimum valent. *Id.* 4. *Att.* 1. Consequi gratiam apud viros bonos. *Id. Rab. Post.* 14. 40. Subinvisum apud malevolos Postumi nomen. *Nep. Con.* 2. Apud quem ut multum gratiâ valeret, multo labore multisque effecit periculis. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Ea tute tibi subjice et apud animum propone. *Sall. de ord. republ.* 2. Sic apud animum meum statuo. *Liv.* 34. 2. Atque ego sic statuere apud animum meum possum. *Id.* 2. 1. Quandoquidem est apud te virtuti honos. *Virg.* 1. *Æn.* 539. Et bene apud memores veteris stat gratia facti. *Curt.* 6. 7. 2. Dymnus modicæ apud regem auctoritatis et gratiæ. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Satis clarus est apud timentem quisquis timetur. ¶ 11. Denique translate *apud se esse* est compotem mentis esse, præsenti animo esse; et occurrit fere apud Comicos. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 36. Obsecro, quem amplexa sum hominem? perii, sumne apud me? *Ter. Andr.* 2. 4. 5. Proinde tu fac, apud te ut sies. *Id. ibid.* 5. 4. 34. Vix sum apud me; ita animus commotu' st metu. *Id. Heaut.* 5. 1. 48. Præ iracundia non sum apud me. Adde *eumd. Hec.* 4. 4. 85. et *Phorm.* 1. 4. 26. *Petron. Satyr.* 120. Ex qua hora injuriam accepit, apud se non est.

In compositione præpositio *apud* numquam invenitur (V. *Priscian.* 14. p. 989. *Putsch.*), sed semper *ad* tamquam brevior forma. *V.* AD in princip.

Homonym. In quo conveniant et in quo differant *ad* et *apud*, paucis jam diximus sub initium vocis AD. Hic tantum animadvertendum putamus, aliquid inter hasce præpositiones interesse discriminis etiam cum proximitatem loci significant et promiscue usurpari posse videntur: *ad* enim significat maximam locorum conjunctionem, *apud* vero propinquitatem solummodo. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 4. Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci. *h. l.* propinquitatem generatim significat. *Id. ibid.* 2. 2. Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter feci, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi. *h. l.* proximitatem, ne dicam castrorum conjunctionem cum Cybistræ oppido speciatim significat. — Discrimen vero inter *apud* et *penes* jam ipsi veteres definierunt. *Ulpianus* enim ait *Dig.* 50. 16. 63. Penes te amplius est quam apud te. Nam apud te est, quod qualiter qualiter a te tenetur; penes te est, quod quodam modo possidetur. Et *Paul. Diac.* p. 22. *Müll.* Apud et penes in hoc differunt, quod alterum personam cum loco significat, alterum personam et dominium ac potestatem. *Nep. Them.* 7. Ad ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum erat imperium, atque apud eos contendit falsa his esse delata etc. Inter se conferantur et duo *Cicer.* loca, *Brut.* 32. 152. Sic enim – existimo juris civilis magnum usum et apud Scævolam et apud multos fuisse. *Id. Orat.* 41. 142. Sin ea (*eloquentia*) non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam universam rempubl., cur etc.

APULIA. Falsa lectio. *V.* APPULIA in ONOM.

ĂPŪS, ŏdis, f. 3. (ἄπους). Hoc nomine vocantur aves, quæ et cypseli, ex genere hirundinum, ita dictæ ab α privativo, et πούς, ποδός pes, quod careant usu pedum, seu potius quod pedes habeant ita parvos, ut videri vix possint. Nidificant in scopulis. Hæ sunt, quæ toto mari cernuntur, nec umquam tam longo naves tamque continuo cursu recedunt a terra, ut non circumvolitent eas apodes. Cetera genera residunt et insistunt: his quies, nisi in nido, nulla: aut pendent, aut jacent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 39. 55. (114).

ĂPUT. *V.* APUD in principio.

ĂPȲRĒNUM, i. *V.* voc. seq.

ĂPȲRĒNUS *vel* apyrinus, a, um, adject. ἀπύρηνος, qui caret nucleo; ab α privativo, et πυρήν *nucleus*: et dicitur de pomis. Itaque *apyrenum* dicitur dulcis mali Punici genus, non quod nullos habeat nucleos seu grana, sed quod habeat minus lignosa et teneriora. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 15. et *Arbor.* 23. 1. Apyrenus fructus mali Punici. — Hinc

Apyrenum vel *apyrinum*, i, n. 2. absolute substantivorum more; subauditur enim *malum* et speciatim *malum Punicum*, quemadmodum apud *Senec. Ep.* 85. Sic sapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 19. 34. (112). Divisit et in genera (*mala Punica*), apyrenum vocando, cui lignosus nucleus abest. Cf. *Id.* 23. *ibid.* 6. 57. (106). *Martial.* 13. 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis.

ĂPȲRETUS, a, um, adject. ἀπύρετος, febri carens, ab α privativo et πυρετός *febris*. *Theod. Priscian.* 2. Si apyreti fuerint.

ĂPȲRĪNUS, a, um. *V.* APYRENUS.

ĂPȲROS, on, adject. ἄπυρος, hoc est qui ignem non est expertus; ab α privativo, et πῦρ *ignis*. Hinc *apyron sulphur* est genus sulphuris, quod et vivum appellatur, et nascitur solidum, hoc est gleba (cetera enim liquore constant et conficiuntur oleo incocta), quo solum ex omnibus generibus medici utuntur. Hæc *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (175). A *Celso* Græcis litteris scribitur 5. 18. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (66). Aurum apyron. *h. e.* igne non excoctum.

ĂPȲRŌTOS, on, *vel Latina terminatione* apyrotus, adject. ἀπύρωτος, hoc est non combustus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (92). Apyrotæ carbunculi. *Cod. Bamberg. legit* acaustoe. *V.* ACAUSTOS. *Klotz* recte putat, utrumque fortasse retinendum verbum, ita ut conjunctim legendum sit: Ob id a quibusdam acaustæ et apyrotæ vocati. V. *Theophr. de lapid.* § 33. et *Sillig.* ad h. l.

AQ

ĂQUA, æ, f. 1. — Putant quidam primam syllabam produci in illo *Lucretii* 6. 551. Fit quoque ubi in magnas aquæ vastasque lacunas. *Voss.* tamen *Etymol.* censet *aqua* hic esse trisyllabum ea ratione, qua *relliquus* vel *rellicuus* quadrisyllabum facit *Id.* 1. 550. et 2. 953., tametsi utrobique alii aliter legunt. — Genitivus et Dativus *aquai* pro *aquæ* et poeticus et antiquus est, legiturque apud *Lucret.* 1. 454. ubi est Dativus, 2. 463., 3. 428. ubi Genitivus, et alibi sæpe; item apud *Cic. Prognost.*, quorum aliquot versus recitat 1. *Divinat.* 9. — Aqua est humor gelidus, unum ex quatuor elementis, ex quibus mundus constat, juxta *Lucret.* 1. 568., *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 26., *Vitruv.* 2. 2. 1. et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 1. 1. (1). (It. *acqua*; Fr. *eau*; Hisp. *agua*; Germ. *das Wasser*; Angl. *water*). Occurrit autem *A*) generatim et *B*) speciatim.

A) Generatim.

I.) Proprie. — *a*) Sing. num. *Leg. XII. Tab.* in *Dig.* 40. 7. 21. 51. AQVA PLVVIA NOCET. *Ennius* 18. *Ann.* 1. terrai frugiferai Contemsit fontes, quibus exerugit aquæ vis. *Cato R. R.* 155. Per hiemem aquam de agro depelli oportet. – Prima auctumnitate cum pluvius est, tum maxime ab aqua periculum est. *Plaut. Most.* 1. 3. 150. Age, accumbe igitur. Cedo aquam manibus, puer. *Ter. Adelph.* 3. 3. 25. Congrum istum maximum in aqua sinito ludere. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 3. Ego locum æstate umbrosiorem vidi numquam, permultis locis aquam profluentem et eam uberem etc. *Id. ibid.* Ducere aquam per fundum alicujus. *Id.* 2. *Divinat.* 32. deducere ad utilitatem agri. *Id.* 2. *Nat. D.* 9. 25. trahere e puteo. *Id.* 3. *Verr.* 26. 67. Perfundere aliquem aqua. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Fossam aquâ ex flumine derivatâ implevit. *Varro* 1. *R. R.* 13. 3. Cohortes in fundo magno duæ aptiores, una ut interius compluvium habeat lacum, ubi saliat aqua etc. *Sall. Jug.* 98. Apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare jubet. *Liv.* 1. 4. Pueros in profluentem aquam mitti jubet. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 60. Haurire aquam. *Vi-*

truc. 2. 2. 1. Thales quidem primum aquam putavit omnium rerum esse principium. — b) Plur. num. aquæ significant plures rivos vel fluvios una simul profluentes, aut maximam aquæ præsertim pluviæ copiam. Liv. 44. 31. Quod (flumen) ortum ex monte Scodro multis et aliis auctum aquis mari Hadriatico infertur. Adde eumd. 5. 44., et Plin. 31. Hist. nat. 3. 27. (44). Liv. 30. 26. Annus insignis incendio ingenti – et aquarum magnitudine. Id. 24. 9. et 38. 28. Aquæ magnæ et ingentes eo anno fuerunt. — c) Jungitur pluribus, quibus definitur, Adjectivis; quæ litterarum ordine servato exhibentur. Plin. 2. Hist. nat. 103. 106. (230). Aqua acidula. Plaut. Trin. 4. 2. 100. adversâ. h. e. adverso flumine. Plin. 31. Hist. nat. 6. 32. (59). aluminata. Id. ibid. 2. 6. (10). albulæ. Curt. 9. 9. 6. et Plin. 31. Hist. nat. 3. 22. (36). amara. Horat. Epod. 5. 26. avernalis. Plin. 31. Hist. nat. 6. 32. (59). bituminata. Cato R. R. 73. bona. Liv. 4. 30. et 15. 2.; Horat. 3. Od. 10. 19. et Colum. 6. R. R. 22. 2. et alibi sæpe. cælestis vel cælestes. h. e. pluviæ. Plin. 31. Hist. nat. 3. 23. (40). calefacta. Cic. 2. Nat. D. 9. 25. et Colum. 7. R. R. 10. 5. calida. Plin. 31. Hist. nat. 2. 2. (4). calidæ. Colum. 6. R. R. 5. 2. candens. Seneca Ep. 86. et Cæl. Aurel. 2. Tard. 1. 3. cisternina. Ovid. 3. Amor. 6. 8. crassæ. Colum. 1. R. R. 2. 26. decocta. Id. ibid. 5. 3. deterrima. Cato R. R. 104. et 106. dulcis. h. e. marinæ opposita. Plin. 31. Hist. nat. 4. 29. (32). dulcior. Virg. 4. G. 61. dulces. Plin. 31. Hist. nat. 2. 2. (4). egelida. Cæl. Aurel. 2. Acut. 18. eliquata. Colum. 1. R. R. 5. 2. eximia. Plin. 28. Hist. nat. 16. 62. (226). ferraria. h. e. in qua ferrum ardens refrigeratum fuerit. Seneca 3. Quæst. nat. 2. ferratæ. h. e. ferri elementa in se habentes. Colum. 6. R. R. 22. 2. fluvialis. Plin. 31. Hist. nat. 3. 22. (37). fœtida. Cels. 2. 18. et Colum. 12. R. R. 9. 2. fontana. Ovid. Heroid. 21. 220. gelida. Plin. 31. Hist. nat. 3. 23. (40). frigida. Ovid. 2. Fast. 206. hibernæ. Cæl. Aurel. 2. Tard. 13. imbrialis. Ovid. 2. Amor. 15. 2. irriguæ. Sall. Jug. 94. jugis. Plin. 31. Hist. nat. 3. 21. (31). levissima. Id. ibid. 3. 28. (46). limosa. Cato R. R. 73. liquida. Colum. 1. R. R. 5. 2. manans. Cato R. R. 104., Cic. 1. Att. 16. et Plin. 2. Hist. nat. 103. 106. (224). marina vel marinæ. Cato R. R. 156., Colum. 12. R. R. 11. et Plin. 22. Hist. nat. 24. 51. (110). mulsa. Cæl. Aurel. 2. Tard. 7. naturalis. Plin. 31. Hist. nat. 3. 28. (47). nigra. Id. ibid. 6. 32. (50). nitrosa. Gell. 19. 5. nivalis. Colum. 1. R. R. 5. 3. palustris. Id. ibid. pestilens. Plin. 31. Hist. nat. 3. 21. (31) pigræ. Leg. XII. Tab. l. sup. c., Cic. Mur. 9. 22. et Ovid. 3. Art. am. 174. pluvia. Ovid. 8. Met. 335. et Colum. 1. R. R. 5. 2. pluvialis. Horat. 3. Od. 16. 29. pura. Colum. 1. R. R. 5. 2. putealis. Id. 12. ibid. 26. 1. et Plin. 14. Hist. nat. 9. 11. (82). puteans. Ulp. Dig. 43. 19. 1. quotidiana. h. e. qua quis quotidie uti potest. Virg. 6. Æn. 635. recens. Varro 3. R. R. 17. 8. resés. Horat. 1. Od. 1. 22. sacra. Colum. 12. R. R. 21. 4. salsa. Plin. 31. Hist. nat. 3. 22. (36). salmacidas. Horat. carm. sæcul. 31. et Colum 1. R. R. 5. 3. salubres. Lucret. 4. 213. serena. Plin. 31. Hist. nat. 3. 21. (31). stagnantes. Cels. 2. 29. tenera, quam Id. 2. 30. opponit duræ. h. e. quæ tarde putrescit. Ovid. 8. Met. 664. tepidæ. Horat. 1. Sat. 1. 60. turbata. Cic. 5. Tusc. 34. 97. et Plin. 31. Hist. nat. 2. 8. (12). turbida. Id. ibid. 3. 21. (31). utiliores, utilissimæ. Lucan. 8. 698. vadosæ. Plin. 31. Hist. nat. 3. 23. (40). vitiosa. Varro 1. R. R. 11. viva. h. e. quæ e terra erumpit ac decurrit. — d) Jungitur et Substantivis. Virg. 1. G. 322. Agmen aquarum. Cato R. R. 158. Aliquid aquæ. Horat. Art. P. 17. Ambitus properantis aquæ. Ovid. 11. Met. 567. Arcus aquarum. Id. 15. ibid. 508. Cumulus aquarum. Virg. 4. G. 136. Cursus aquarum. Lucret. 1. 284. Decursus aquæ e montibus. Inscript. apud Orell. 4017. Digitus aquæ. Ovid. 9. Met. 17. Dominus aquarum. Vitruv. 7. 14. Aquæ ductor. Cic. 13. Att. 6. Ductus aquæ. Id. Cæc. 26. 74. Haustus aquæ. Lucret. 2. 197. Humor aquæ. Ovid. 11. Met. 730. Incursus aquarum. Id. Heroid. 16. 133. Limes aquarum. Liv. 30. 26. Magnitudo aquarum. Virg. 1. Æn. 109. Mons aquæ. Id. 4. G. 365. Motus aquarum. Cic. Senect. 19. 71. Multitudo aquæ. Horat. 1. Ep. 19. 5. Potor aquæ. Colum. 7. R. R. 10. 5. Potus aquæ. Cic. 2. Nat. D. 10. 27. Respiratio aquarum. Ovid. 13. Met. 656. Rex aquarum. Horat. 3. Od. 16. 29. et Liv. 5. 44. Rivus aquæ. Plin. 31. Hist. nat. 3. 23. (36). Salubritas aquæ. Lucret. 4. 212. Splendor aquai. Scribon. Compos. 171. Timor aquæ. Cic. 2. Nat. D. 10. 27. Vapores aquarum.

II.) Translate seu figurate aqua occurrit in pluribus præcipue proverbiis. — a) Aspergere aquam alicui dicitur, qui dicto vel facto timorem ademit: locutio proverbialis ducta ex eo, quod animo defectis offusa aqua succurri solet. Plaut. Truc. 2. 4. 15. Ah, aspersisti aquam! jam redit animus. V. similem locum Mil. glor. 4. 8. 32. V. et ASPERGO. — b) Bibere aquam servam aut liberam dicitur, qui servus, aut liber est. Ovid. 1. Amor. 6. 25. sic unquam longa relevere catena, Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua. Petron. fragm. Tragur. 71. Tamen, me salvo, cito aquam liberam gustabunt. — c) Dare aquam manibus occurrit de manuum lotione, quæ ante cœnam fiebat, apud Plaut. Pers. 5. 1. 17. et Most. 1. 3. 150. — d) Aqua hæret proverbium est de eo, qui in re difficili et impedita versatur et progredi nequit: ductum ab aqua, quæ obice opposito sistitur et stagnat, sive ea in clepsydra sit, sive in alio quopiam profluente. Cic. 3. Off. 33. 117. Dicit ille quidem multa multis locis, sed aqua hæret. Id. 3. ad Q. fr. 8. 2. In hac causa mihi aqua hæret. — e) Aqua et ignis sunt duo elementa, quæ humanam vitam maxime continent: unde Cic. Amic. 6. 22. Non aquâ, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitiâ. Adde Lactant. Orig. error. 10. — Hinc aquam et ignem accipi, dicebatur sponsa nuptiarum die, cum a sponso propriam in domum induceretur: de quo more V. Paul. Diac. p. 2. 15. et 87. 11. Müll.; Varron. 5. L. L. 61. p. 24. Müll. et apud Non. p. 112. 26. et 182. 20. et 302. 5. Merc.; Ovid. 4. Fast. 791.; Stat. 1. Silv. 24.; Varron. apud Servium ad Virg. 4. Æn. 167.; et Scævol. Dig. 24. 1. 66. — Hinc etiam aquâ et igni interdicere alicui est in exilium pellere: quia sine his vivi non potest. Cic. 1. Phil. 9. 23. Leges, quæ jubent, ei qui de vi, itemque ei qui majestatis damnatus sit, aqua et igni interdici. Adde eumd. 11. Fam. 1. 2., Dom. 18. 47. et 31. 82., Cæs. 6. B. G. 44. et Vellej. 2. 45. Unde etiam aquæ et ignis interdictio apud Cic. Dom. 30. 78. et Dig. 48. 1. 2. § 1. V. et Pauly Real-Encycl. vol. 1. p. 658. V. etiam INTERDICO et INTERDICTIO. Servius vero ad Virg. 12. Æn. 119. scribit, quia aqua et ignis adhibentur in fœderibus incundis, ideo iis, quos a nostro consortio arcere volumus, aqua et igni interdici. — d) Jungere ignibus aquas proverbiale de re, quæ fieri nequit, occurrit apud Senec. Hippol. 568. — e) Aquam a pumice postulare est ab eo quid petere, qui omnino caret. Plaut. Pers. 1. 1. 42. Nam tu aquam a pumice nunc postulas, qui ipsus sitiat. — f) Aquam præbere (ὕδωρ παράγειν eodem sensu dixisse Athen. Lib. 4. notat Lambinus) est cœnam dare: nam aquæ seu calidæ, seu frigidæ multus erat usus in cœna, et qui convivium præbebat, idem et balneum exhibebat ante cibum, et aquam abluendis manibus etc. Horat. 1. Sat. 4. 87. E quibus unus amet (al. avet) quavis aspergere cunctos Præter eum qui præbet aquam. Sunt qui ita legunt: quavis aspergere cunctos, præter eum, qui præbet, aquâ. Et aqua quavis aspergere exponunt, undecumque petito risu lacessere, dictis perfundere. Quo pertinet illud Plaut. Cist. 1. 1. 35. Nostro (meretricum) ordini palam blandiuntur (matronæ); clam, si occasio usquam est, aquam frigidam subdole suffundunt. h. e. hominum erga nos calidum amorem minuunt, veluti aquam frigidam suffundendo. — g) Aquam frigidam suffundere. V. paullo sup. sub f. — h) In aqua scribere (καθ᾽ ὕδατος γράφειν. Lucian.) proverb. de re, quæ statim evanescit. Catull. 70. 3. de inconstant. fem. amor. cupido mulier quod dicit amanti, In vento et rapida scribere oportet aqua. — i) De rebus simillimis proverbiale est illud Plaut. Mil. glor. 2. 6. 70. Nam ex uno puteo similior numquam potest aqua aquæ sumi, quam hæc est atque ista hospita. V. OVUM. — l) Aquam terramque petere vel postulare, γῆν καὶ ὕδωρ αἰτεῖν, est dicendi ratio ab orientalibus populis arcessita, quæ significat regionum dominium, sive populorum subjectionem petere, adeoque bellum indicere. Liv. 35. 17. Persæ aquam terramque ab Lacedæmoniis petierunt. Adde Curt. 3. 10. 8. — m) Aquam dare est concedere causidico tempus ad agendam causam. Metiebantur enim tempus dicendi clepsydrâ, quæ, paullatim effundendo aquam, horarum spatia significabat. Plin. 6. Ep. 2. Equidem quoties judico, quantum quis plurimum postulat aquæ, do. — Hinc aquam perdere dicuntur qui tempus agendæ causæ inutiliter consumunt. Quintil. 11. 3. 52. Vitium nimiæ tarditatis et difficultatem inveniendi fatetur, et segnitie solvit animos, et (in quo est aliquid) temporibus præfinitis aquam perdit.

B) Speciatim. ¶ 1. Aqua est idem atque imber in illo Cic. 3. Orat. 46. 180. Nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est; ut, etiamsi in cælo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videretur. — Apud Poetas præcipue aqua sæpe occurrit pro aqua pluvia. Varro apud Non. 48. 2. Nubes – aquam vomentes inferam mortalibus. Horat. 3. Od. 17. 12. aquæ nisi fallit augur Annosa cornix. Adde Ovid. 2. Amor. 6. 34., 3. Fast. 286. et 6. ibid. 198. ¶ 2. Interdum et pro mari ponitur. Cic. 5. Verr. 83. 192. Enna mediterranea est maxime. Coge, ut ad aquam tibi frumentum Ennenses metiantur. h. e. ad littus maris. Ovid. 2. Pont. 730. laborum, Quos ego sum terra, quos ego passus aqua. Adde eumd. 3. Fast. 586., et figurate 2. ibid. 863. ¶ 3. Pro lacu. Cic. 1. Divinat. 44. 100. Aqua Albana. ¶ 4. Pro fluvio. Ovid. 4. Fast. 84. Tusca aqua. h. e. Tiberis. ¶ 5. Sæpius de aqua deducta, sive de aquæ ductibus, ut apud Cic. Cæcin. 26. 74. et Sueton. Aug. 37. — Hinc aqua data et aqua adtributa distinguuntur a Frontin. Aquæd. 129. Et in his hortis, prædiis, locis, quorum hortorum, prædiorum, locorum dominis possessoribusve aqua data vel adtributa est, erit, saliat, distribuatur, dividatur. Morcellus de stil. Inscript. Lat. T. 1. p. 281. edit. Patav. inter aquam datam et aquam adtributam hoc discrimen optime censet fuisse, ut aqua data ea diceretur quæ in privatorum fundos semper influeret, aqua vero adtributa, quæ nec quotidie, nec nisi aliquot horis derivari posset; aut, si quotidiana esset, quotidie quidem, ut ait Ulp. Dig. 43. 20. 1., ea quis uti posset, si vellet, quotidie tamen non duceretur. — Porro inter peculiares aquæductus, occurrunt Aqua Alsietina, Anien vel Anio, Appia, Claudia, Cærulea, Crabra, Marcia vel Aufeja, Tepula, Virgo: quas omnes V. suis locis in ONOM. ¶ 6. In plurali numero sæpe κατ᾽ ἐξοχήν aquæ dicuntur de Bajis et thermis. Cic. Planc. 27. 65. Destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent. Id. 16. Fam. 24. 2. Puto, utrumque ad aquas. M. Aurel. apud Fronton. 1. ad M. Cæs. 1. Si ad aquas proficisceris, et quando, et nunc ut commode agas, cito, oro, perscribe mihi. Varro 9. L. L. 68. 69. Müll. Aquæ caldæ. Plin. 2. Hist. nat. 103. 106. (227). calidæ. Seneca 2. Quæst. nat. 25. medicatæ. Martial. 5. 1. salutiferæ. — Sæpius definiuntur per Adjectivum vel Genitivum; quarum præcipuæ sunt Aquæ Albulæ, Apollinares vel Stygianæ, Aponi, Augustæ, Aureliæ, Bajæ, Calidæ, Ciceronianæ, Convenarum, Cumanæ vel Bajæ, Cutiliæ, Mattiacæ, Patavinæ vel calidæ Patavinorum, Neptuniæ, Pisanæ vel calidæ Pisanorum, Regiæ fons, Posidianæ, Puteolanæ, Segestanæ, Septem, Sextiæ, Sextiliæ, Sinuessanæ, Statiellæ vel Statiellorum, Sullanæ, Tarbellæ, Tauri vel Tauri thermæ, Taurianæ, Tibilinæ, Vetuloniæ. V. omn. suis locis in ONOM. ¶ 7. Aqua intercus est hydrops. Plaut. Men. 5. 4. 3. Num eum veternus, aut aqua intercus tenet? Adde Cic. 3. Off. 24. 92. et Sueton. Ner. 5. Dicitur etiam a Cels. 2. 1. et 2. 8. Aqua inter cutem. Et a Plin. 7. Hist. nat. 18. 18. (78). Aqua subter cutem fusa. Figurate Lucilius apud Non. p. 37. 2. Aquam in animo habere intercutem. ¶ 8. Dicitur et de lacrimis. Propert. 3. 6. 10. Illius ex oculis multa cadebat aqua. ¶ 9. Item de sidere, quod memorat Cic. Arat. 179. Hæ tenues stellæ perhibentur nomine Aquai. V. AQUARIUS in fine 3. ¶ 10. Aqua pro baptismo utitur Tertull. Baptism. 20. Deinde Dominus post aquam segregatus in deserta quadraginta dierum jejunia emensus. — NB. De urina intelligunt plerique illud Petron. Satyr. 89. Extra cellam processit, tamquam aquam peteret etc. Addunt et loca Ovidii 3. Art. am. 96. et 620., quæ tamen aliter explicanda putant Heins. ad Ovid. cit. 3. Art. am. 96. et alii.

ĂQUÆ, ārum. V. voc. præced. sub B. 6.

ĂQUÆDUCTIO vel aquæ ductio, ōnis, f. 3. aquæ deductio, aquæductus. Vitruv. 7. 14. a med. (8. 6. 9. Schneid.). Vehemens spiritus in aquæductione solet

nasci, ita ut etiam saxa perrumpat. *Ulp. Dig.* 39. 3. 10. Nihil interesse, utrum præcedat voluntas aquæductionem, an subsequatur.

AQUÆDUCTUS *vel* aquæ ductus, us, m. 4. significat ¶ 1. Aquarum deductionem, scilicet eam prædiorum servitutem, qua aliquo derivabatur aqua ad bibendum, aut ad irrigandum. *Cic. Cæcin.* 26. 74. Aquæ ductus, haustus, iter, actus. *h. e.* jus aquæ ducendæ ad agrum irrigandum, de quo etiam *Ulp. Dig.* 8. 3. 1. verba facit. Adde *Aggen. Urb. p.* 9. *Goes.* et *Paul. Sent.* 1. 17. 2. ¶ 2. Item ponitur pro ipsa structura, qua aqua deducitur, sive ea subterranea sit per cuniculos, sive ex opere arcuato: cujus duplicis aquæductuum generis antiquis usitati non una adhuc extant vestigia, Romæ præsertim. *Cic.* 13. *Att.* 6. 1. De aquæ ductu probe fecisti etc. *Vitruv.* 8. 6. 1. *Schneid.* Ductus aquæ. Et *ibid.* § 3. Aquarum ductus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 81. (224). Pinus, picea, alni ad aquarum ductus in tubos cavantur. Adde *Sueton. Claud.* 20. et *Inscript.* apud *Orell.* 3693. De aquæductibus urbis Romæ extat commentarius *Sexti Julii Frontini.*

AQUÆHAUSTUS, us, m. 4. *V.* HAUSTUS, us.

AQUÆLIBRĀTOR *vel rectius divisim* aquæ librator, ōris, m. 3. architectus, qui aquarum libramenta perquirit ad aquæductus faciendos. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13. 4. 2. Aurifices, specularii, carpentarii, aquæ libratores etc.

AQUÆLICIUM *vel* aquilicium, ii, n. 2. dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, ut quondam id creditur, manali lapide in urbem ducto. Ita exponit *Paul. Diac. p.* 2. 12. *Müll.* Hinc *aquælicium Jovi immolare* apud *Tertull. Apolog.* 40. est victimas Jovi immolare ad impetrandam pluviam in siccitatibus. Cf. *K. O. Müll. die Etrusker. vol.* 2. *p.* 340.

AQUÆMANĀLIS, e, adject. (aqua *et* mano) ad aquam manandam, hoc est effundendam pertinens. *Varro* apud *Non. p.* 547. 9. *Merc.* aquæmanale esse ait urceolum, quo in trulleum aqua effunditur.

AQUÆMANILE. *V.* AQUIMINALE et AQUIMINARIUM.

AQUĀGIUM, ii, n. 2. quasi *aquæ agium*, ut ait *Paul. Diac. p.* 2. 11. *Müll.*, est idem ac aquæductus. *Pompon. Dig.* 43. 20. 3. § 5. Is, qui jus aquæ quotidianæ habet, vel fistulam in rivo ponere, vel aliud quodlibet facere potest; dummodo ne fundum domino, aut aquagium rivalibus deterius faciat. Eadem fere habet *ibid.* 8. 3. 15. Ex quibus locis colligi videtur, differre aquagium ab aquæductu, quod illud natura factum sit, hic manu et arte.

AQUĀLICŬLUM, i, n. 2. *vel sæpius*

AQUĀLICŬLUS, i, m. 1. (aqua *et* elicio). Neutro gen. occurrit solummodo in *Edict. Dioclet.* Ungellæ quatuor, et aqualiculum pretio quo caro distrahitur. *h. e.* pellis aqualiculi. — Scripsere quidam *aqualiculum* proprie significare alveum, in quo porci sorbent; cui sententiæ proxime accedunt recentiores, qui affirmant aqualiculum esse vas ad aquam hauriendam. At *Forcellino* potior videbatur sententia *Causabon.* ad *Pers. loc. infra cit.* ideo imum ventrem ita vocatum, quia inde urina, quemadmodum ex aquali aqua, effunditur. *V.* et voc. seq. — Ceterum occurrit tantum — *a*) Pro ventriculo hominis, equi, porci. *Seneca Ep.* 90. Cibus cum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur; tunc demum corpori accedit. *Veget.* 1. *Veterin.* 40. Primum venter esse, qui aqualiculus nominatur, totius corporis obtinet dominatum, in cujus capacitate cibus potioque miscetur. *Hieronym.* 2. *in Jovinian.* 21. Rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium frontemque tornantur, protensus est aqualiculus, insurgunt humeri, turget guttur, et in obesis faucibus vix suffocata verba promuntur. Pro ventriculo porci occurrit apud *Isid.* 11. *Orig.* 1. 136., *Apic.* 7. 7. et *Scholiast. Pers.* ad 1. 57. — *b*) Pro imo ventre, in quo sordes excrementaque corporis continentur. *Pers.* 1. 57. cum tibi, calve, Pinguis aqualiculus suspenso sesquipede extet.

AQUALICUS, i, m. 2. idem ac *aqualiculus* qui illius est deminutivum, hoc est ventriculus. Et quidem pro ventriculo suis sumitur ab *Apic.* 7. 7., quam plerique putant propriam esse tum *aqualici* (si modo hæc vox certa est: nam apud *Apicium* tutior lectio est *aqualiculus*), tum *aqualiculi* significationem.

ĂQUĀLIS, e, adject. ad aquam pertinens. Ex conjectura legitur in *Varron.* apud *Non. p.* 46. 2. *Merc.* Nubes aquales frigido velo leves Cæli cavernas aureas subduxerant, etc. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *a med.* Aqualis pœna. *h. e.* submersio, qualem solent exequi maritimi homines, dum reum malo navis suspensum terque quaterque in aquam mergunt, usquedum pereat. — Hinc

Aqualis, is, comm. gen. 3., subintelligitur *urceus* vel *hama*; et est vas, quo aqua manibus datur. *Cato* apud *Festum* p. 169. 17. *Müll.* Quotiens vidi — pertusos aquales, matellas sine ansis. *Plaut. Curc.* 2. 3. 33. Datin' isti sellam, ubi assidat, cito, et aqualem cum aqua? *h. e.* vas aquæ plenum, quæ exanimato offundatur, ut resipiscat. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 20. Aqualis bilibris. *h. e.* hama. Adde *Lucilium* apud *Charis.* 1. *p.* 95. *Putsch.*, *Varron.* 5. *L. L.* 119. *p.* 47. *Müll.*, et V. *Aquarium* sub AQUARIUS.

ĂQUĀLIS, is. *V.* voc. præced. in fin.

ĂQUĀNUS, a, um, adject. qui est ex aqua. Occurrit apud *Tertull. de carne Christi* 9.: sed dubia omnino est lectio.

ĂQUĀRIŎLUS, i, m. 2. deminut., qui aquam gerit. Sed ¶ 1. Peculiariter sic appellati videntur ii, qui vilissimum exhibebant meretricibus ministerium aggerendi ipsis aquam, qua Veneri operatæ lavarent (Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. *ad fin.*): multus enim fuit aquæ usus in lupanaribus, cum lavare totum corpus solerent, quo fœditatem quoquo modo eluerent et ad alios excipiendos fierent paratiores. *Lamprid. Commod.* 2. *in fin.* Aquam gessit, ut lenonum minister; ut probris natum magis, quam ei loco eum crederes, ad quem fortuna provexit. ¶ 2. Inde traducta est appellatio ad eos quoque, qui turpi amore meretricibus addicti essent; et ad eos, qui lenonia arte viros ad eas pertraherent. *Paul. Diac. p.* 22. 12. *Müll.* Aquarioli dicti sunt mulierum impudicarum sordidi asseclæ. Sic *Apul. de mag. p.* 323. *Elmh.* aquariolum uxoris vocat eum, qui uxori suæ lenonis officium præstabat, ut ex ejus adulteriis ditior fieret. *Tertull. Apolog.* 43. Si qui forte vere de sterilitate Christianorum conqueri possint, primi erunt lenones, perductores, aquarioli. *V.* BACAR.

ĂQUĀRIUM, ii. *V.* voc. seq.

ĂQUĀRIUS, a, um, adject. ad aquam pertinens. *Cato R. R.* 13. 3. Urceus aquarius. *Id. ibid.* 11. 3. et *Paul. Sent.* 3. 7. *a med.* Rota aquaria. *h. e.* ad aquam hauriendam. *Cato R. R.* 11. 3. Situlus aquarius. *h. e.* quo aqua hauritur. *Varro* 5. *L. L.* 119. *p.* 47. *Müll.* et *Dig.* 33. 10. 3. Vas aquarium. *Cic. Vatin.* 5. 12. Cum tibi magno clamore aquaria provincia sorte obtigisset. *h. e.* exportandarum et importandarum mercium in portu Ostiensi et Puteolano (*V.* QUÆSTOR et NOTIALIS), sive provincia Ostiensis: cur autem addat *magno clamore*, *Lips. l.* 1. *Antiq. lection. c.* 12. rationem reddit. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 2. et 11. *ibid.* 2. 82.; *Pallad.* 10. *R. R.* 3. et *Dig.* 39. 3. 24. § 1. Aquarii sulci. *h. e.* per quos aqua ex agro decurrit, qui et *elices* appellantur. *Pallad.* 1. *R. R.* 42. Si aquæ copia sit, fusuras balnearum debent pistrina suscipere, ut, ibi formatis aquariis molis, sine animalium vel hominum labore frumenta frangantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (261)., 34. *ibid.* 14. 41. (146). et 36. 20. 38. (148). Aquariæ cotes. *h. e.* quæ in acuendo aqua perfunduntur. *Gell.* 16. 11. Psylli re aquaria defecti. *h. e.* aquæ inopia laborantes. — Hinc

Aquarius, ii, m. 2. absolute est ¶ 1. Servus qui aquam aggerit ad usus necessarios. *Juvenal.* 6. 331. veniet conductus aquarius. *Hieronym. Ep.* 108. *ad Eustoch. epitaph. Paulæ* 3. *a med.* Gabaonitas ob dolos et insidias in aquarios lignariosque damnavit. ¶ 2. Item qui aquarum curam habet, aquarum architectus, aut qui quocumque modo aquis publicis curandis inservit. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 4. Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem etc. Erat autem *Cœlius*, cum hæc scriberet, ædilis. *Imp. Zeno Cod.* 11. 42. 10. Universos autem aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylaces nominant, qui omnium aquæductuum custodes deputati sunt etc. Adde *Frontin. Aquæduct.* sæpe. *Inscript.* apud *Orell.* 3203. AQVARIVS AQVAE ANIONIS VETERIS. *Inscript.* apud *Henzen.* 7186. COLLEGIVM AQVARIORVM. ¶ 3. *Aquarius* est etiam nomen undecimi signi in cœlesti Zodiaco, qui Græce Ὑδροχόος dicitur, hoc est *aquam fundens*, in quod sol mense Januario ingreditur: constat stellis quatuordecim, et figuratur ut puer urnam habens et aquam effundens, quam repræsentant stellæ viginti quatuor: tametsi alii aliter numerant. Fabulantur poetæ hunc fuisse Ganymedem, qui Jovis pincerna fuit, ob id meritum inter astra collocatum. Alii fingunt esse Deucaliona, quod eo regnante magnum aquarum diluvium fuit. Alii denique alia commenti sunt. *V. Hygin.* 2. *Astron.* 29. et 3. *ibid.* 28., *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 28. et *Philargyr.* ad *Virg.* 3. *G.* 304. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 36. inversum contristat Aquarius annum. Adde *Cic. Arat.*, ubi sæpe *Aquari* in Genitivo usurpat pro *Aquarii* metri causa, v. 56., 172., 176., 179. et alibi. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 44. 112.; *Varron.* 1. *R. R.* 28. 1.; *Ovid.* 2. *Fast.* 457.; *Manil.* 4. 259., et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 64. (235).

Aquarium, ii, n. 2. absolute. ¶ 1. Est locus, in quo aquari possunt tum homines, tum animalia. *Cato R. R.* 1. Operariorum copia siet, bonumque aquarium, oppidum validum prope siet. *Alii perperam leg.* boumque, ibique aquarium. ¶ 2. Item vas ad aquam fundendam. *Hygin.* 3. *Astron.* 28. Effusio aquæ cum aquario ipso etc. *In quibusdam MSS.* aquali *legitur. Plin.* apud *Charis.* 1. p. 95. *Putsch.* quærit, *aquarium*, an *aqualium* dici debeat; et statuit *aquarium* rectius esse; dicique, ut a *laterale laterarium*, *scutale scutarium*, sic ab *aquale aquarium.*

ĂQUĀTĒ, adverb. (aquatus) dilute. Occurrit Comp. et Sup. *Plin. Valer.* 1. 10. Cerotum temperate aquatius. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Vinum aquatissime temperatum. *h. e.* multa aqua dilutum.

ĂQUĀTĬCUS, a, um, adject. generatim est ad aquam quomodocumque pertinens (It. *acquatico*; Fr. *aquatique*; Hisp. *aquatil*; Germ. *wasserartig, nach zum Wasser gehörig*; Angl. *aquatic*). Specialim est ¶ 1. Qui in aqua, vel circa aquam vivit, aut provenit. *Ovid.* 9. *Met.* 341. aquatica lotos. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (156). frutices. *Id. ibid.* 37. 67. (173). arbores. *Id.* 36. *ibid.* 40. 77. (209). ligna. *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (101). et 10. 3. 3. (9). aves. *Id.* 11. *ibid.* 37. 47. (130). corvi. ¶ 2. Ponitur etiam pro aquoso, humido. *Ovid.* 2. *Met.* 853. aquaticus Auster. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (103). panis. *h. e.* qui multa aqua subigitur. *V.* et infra *Aquatica.* ¶ 3. *Aquaticus color* est aquæ similis. *Solin.* 30. *sub fin.* Hyacinthus aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit. — Hinc

Aquatica, orum, n. plur. 2. absolute sunt loca humida, aquosa. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (165). In aquaticis natus calamus.

ĂQUĀTĬLIS, e, adject. generatim est ad aquam quomodocumque pertinens (It. *acquatico, acquatile*; Fr. *aquatique, qui vit dans l'eau*; Hisp. *aquatil*; Germ. *wasserartig, zum Wasser gehörend*; Angl. *aquatic, aquatile*). Specialim vero est ¶ 1. Qui in aqua, vel circa aquam vivit aut provenit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Vescimur bestiis et terrenis et aquatilibus et volatilibus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 73. 151. et 2. 48. 124. *Varro* 3. *R. R.* 3. 4. Aquatile genus. *Vitruv.* 1. 4. 7. piscium natura. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 7. pecus. *Id.* 7. *ibid.* 9. 7. silva. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (227). musculi. *Id.* 9. *ibid.* 32. 51. (101). cochleæ. *Inscript.* apud *Murat. p.* 1981. 15. di. *Cassiod. Instit. divin. litt.* 30. horologium. ¶ 2. Item aquatilis est aquæ naturam habens. *Varro* 1. *R. R.* 64. 1. Aquatilis humor. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. *sub init.* Mictus tarditas, aut difficultas, aut in toto guttæ aquatiles, quas ὑδατίδας vocant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 61. (186). Sunt acres succi saporesque cunilæ, origani; amari absinthii; aquatiles cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. — Hinc

Aquatilia, ium, n. plur. 3. absolute ¶ 1. Sunt ea omnia, quæ in aquis vivunt aut proveniunt, et præcipue animalia. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Aquatilium in medicina beneficia. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 8. 7. (23.), 12. 14. (40). et 52. 77. (166). ¶ 2. Item est morbus jumentorum. *Veget.* 2. *Veterin.* 40. 1. Si aquatilia in articulis vel in gambis fuerint. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 25. 6. *Gesnerus* putat aquatilia esse quæ appellantur hydatides; in lemmate vocantur *œdemata*: fortasse sunt quæ Itali vocant *le gare*; Germ. *die Wassergallen.*

ĂQUĀTĬO, ōnis, f. 3. actus aquandi, collectio et importatio et usus aquæ. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Off.* 14. 59. Hic aquatio (est). *h. e.* aqua hauritur: hæc tamen lectio a quibusdam sollicitatur. *Liv.* 41. 11. Qui (amnis) aquationem Istris præbebat. — *b*) Specialim et sæpius est militare vocabulum. *Cæs.* 4. *B. G.* 11. Quatuor millibus passuum aquationis causa procedere. *Auct.*

B. Hisp. 8. Regio habens copiosam aquationem. h. e. aquarum copiam ad usum exercitus. Auct. B. Afr. 51. Aquatione longa et angusta uti. Adde Liv. 30. 29. et 44. 39. ¶ 2. Item est locus opportunus, quo jumenta ad bibendum aguntur. Colum. 7. R. R. 5. 2. Mutare pabula et aquationes totius regionis. Plin. 6. Hist. nat. 23. 26. (102). A Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis. ¶ 3. Aquatio dicitur etiam inundans aquarum copia, sive naturâ, sive arte fiat. Plin. 32. Hist. nat. 7. 24. (76). Ranæ multæ variæque per aquationes auctumni nascentes. h. e. ex pluviis auctumnalibus. Pallad. 4. R. R. 17. 8. et 3. ibid. 19. 3. Salices aquationibus adjuvandæ. h. e. irrigationibus.

ĂQUĀTOR, ōris, m. 3. (aquor) qui aquandi ministerium, præsertim in exercitu, facit. Cæs. 1. B. C. 73. Aquatores ab equitatu premi nostro. Liv. 41. 1. Ut idem aquatoribus esset præsidium.

ĂQUĀTUS, a, um, proprie est part. præter. pass. ab aquare. Comp. Aquatior, et Sup. Aquatissimus in omnibus paragr. — ¶ 1. Aquatus est aquam referens, dilutus, fluidus; cui opponitur crassus, spissus, durus. Seneca 1. Quæst. nat. 3. ad fin. Purpura eodem conchylio non in unum modum exit: interest quamdiu macerata sit; crassius medicamentum, an aquatius traxerit. Pallad. 4. R. R. 1. 1. Cum vites non aquato, sed spisso humore lacrimabunt. Id. 1. ibid. 6. 9. Aquatus fructus oleorum. Plin. 28. Hist. nat. 9. 33. (124). Omne autem vernum (lac) aquatius æstivo. Gargil. de pom. vol. 3. p. 423. Mai. Nuces rotundæ, virides, utpote adhuc aquatioris humoris, stypticæ et frigidæ virtutis, stomacho aliquid vigoris adquirunt. Scribon. Compos. 35. Collyrium aquatum. h. e. maxime dilutum et fluidum. Id. Compos. 26. Collyrium aquatissimum. Id. ibid. Aquatus liquor ovi. Id. Compos. 42. Pastilli aquatiores. Cæl. Aurel. 2. Acut. 32. et 35. Sudor aquatus. cui paullo post opponitur viscosus. Id. 4. Tard. 3. Multum lac, sed aquatum faciant (capræ). Id. 2. Acut. 32. Si tenerum atque albidum et diffusum et pingue habuerit corpus et aquatum colorem. Theod. Priscian. 1. 16. Tumor humorem aliquando pinguem, aliquando aquatiorem mittens. ¶ 2. Aqua mixtus. Cæl. Aurel. 1. Tard. 1. Quiddam vini aquati offerendum. Hieronym. Ep. 22. n. 40. Aquatius vinum bibimus. Augustin. 6. Confess. 2. Potionem aquatam madidi nauseant. Et mox. Vinum aquatissimum.

AQUICELUS, i, seu potius plur. num. aquiceli, orum, m. 2. Plin. 15. Hist. nat. 10. 9. (36). scribit, nucleos pineos in melle decoctos aquicelos a Taurinis vocari.

ĂQUĬDŬCUS, a, um, adject. aquam ducens et exiccans: quo vocabulo Græcum ὑδραγωγός Latine reddidit Cæl. Aurel. 3. Tard. 8. a med. Uti aquiducis medicaminibus, quæ Græci hydragoga vocaverunt.

ĂQUĬFŎLĬA, æ, f. et) V. voc. seq.
ĂQUĬFŎLĬUM, ii, n.)

ĂQUĬFŎLĬUS, a, um, adject. (acus et folium). Scribitur et agrifolius (quia ilex aquifolia ἄγρια aliquando vocatur a Theophr.), acrifolius et acrufolius: sed minus recte. — Aquifolius est folia aculeata habens, quasi acuifolius. Hinc ilex aquifolia est ilicis genus folia aculeata habens et pungentia, quæ a scriptoribus modo inter frutices, modo inter arbores enumeratur, quia magna alibi, alibi parva provenit. Plin. 16. Hist. nat. 6. 8. (19). duo ilicis genera facit, alterum foliis oleæ similibus, quod in Italia provenit; alterum foliis aculeatis, quod in provinciis nascitur, et aquifolia ilex vocatur. Alii plura fecerunt genera: quos consule apud Aldrovand. et alios. — Est et alterum aquifoliæ ilicis genus, sed parvum, et frutici magis, quam arbori simile, facile in Hispania proveniens, ac ferens coccum tingendis lanis aptissimum, et ob id maxime pretiosum. Id. 16. ibid. 8. 12. (32). Cato R. R. 31. Vectes aquifolios (h. e. ex ilice aquifolia), ligneos, laureos, ulmeos, facito, uti sient parati. Adde Plin. 16. Hist. nat. 43. 84. (230)., ubi hæc eadem verba repetit. — De his duobus ilicis generibus, confer, si vis, cl. Fée Op. cit. vol. 1. p. 291., ubi plura disserit. — Hinc

Aquifolia, æ, f. 1. absolute est eadem ilex, de qua diximus. Plin. 16. Hist. nat. 18. 30. (73). Montes amant aquifolia, buxus, ilex, juniperus.

Aquifolium, ii, n. 2. absolute est eadem ilex. Plin. 16. Hist. nat. 25. 41. (98). Vere germinant aquifolium, terebinthus, paliurus. Id. ibid. 43. 84. (231). In laminas secantur buxum, palma, aquifolium, ilex.

ĂQUĬFŬGA, æ, comm. gen. 1. qui aquas fugit, idque facit ex morbo, qui hydrophobia appellatur. Cæl. Aurel. 3. Acut. 15. Aquifugas cito interire. Adde eumd. 3. ibid. 9.

ĂQUĬGĔNUS, a, um, adject. (aqua et gigno) in aquis natus. Tertull. 2. advers. Marcion. 12. Inter aquigena et terrigena animalia.

ĂQUĬLA, æ, f. 1. Aquilai pro Aquilæ in Genitivo sing. habet Cic. in Arateis 372. — Ratione habita etymi, vox deducenda videtur ab aquilus, h. e. niger; unde aquila, scilicet avis, est avis nigri coloris: unde Varro 8. L. L. 7. p. 169. Müll. Aquila mas et femina. — Aquila est avis ex genere rapacium, maximis valens viribus, ceterarumque pugnacissima et generosissima (Falco melanaetus L.): ob id avium regina appellata (V. Priscian. 5. p. 659. Putsch.): acutissimo ut creditur visu prædita, adeoque forti acie, ut contra solem stare apertis oculis et ne connivere quidem dicatur: eo experimento pullos suos agnoscens et aversantes rejiciens, tamquam degeneres (V. Lucan. 9. 902. et Claudian. præf. ad III. cons. Honor.); quod alii non acumini, sed obtusæ aciei adscribendum putant. Multa de aquilis Plin. 10. Hist. nat. 3. 3. (6). et seqq.; ubi sex earum genera facit et naturas describit (It. aquila; Fr. aigle; Hisp. aguila; Germ. der Adler; Angl. an eagle).

I.) Proprie. — a) De aquila generatim. Cic. 1. Divinat. 15. 26. Qui – aquilæ admonitus volatu. Horat. 4. Od. 4. 31. nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam. Adde Cic. 2. Divinat. 70. 144.; Varron. 3. R. R. 16. 4.; Liv. 1. 34.; Virg. 11. Æn. 751.; et Ovid. 1. Met. 506. — b) A poetis dicitur Jovis ministra et armigera, quæ ei fulmina suggerit. Plin. loc. cit. scribit, ideo eam Jovis armigeram judicari, quia numquam fulmine lædatur (V. et infra II. 4.). Cic. 2. Tusc. 10. 24. Jovis satelles. Plin. 10. Hist. nat. 3. 4. 15. et 5. 6. 18. Armigera Jovis. Adde Hygin. Astron. 2. 16. et Servium ad Virg. 1. Æn. 398. Horat. 4. Od. 4. 1. Qualem ministrum fulminis alitem etc. V. integrum locum. — c) Aquilæ senectus proverbio dicitur de senibus, qui magis bibaces sunt, quam edaces: dicitur enim aquila, cum ad senectutem pervenerit, quia superius rostrum adeo crescit, ut aduncitas aperiri non queat, aliquandiu quidem solo prædæ sanguine nutriri, paullatim vero eo nutrimento non sufficiente, fame extingui, quod et Plin. scribit 10. Hist. nat. 3. 4. (14). Legitur hoc proverbium apud Ter. Heaut. 3. 2. 10., de quo V. et Donat. ad h. l. — Alio sensu dicitur aquilæ senectus de iis, qui etiam in senectute actuosi sunt et reipublicæ prosunt; quia aquila vel vetula generositatem retinet: et eodem sensu ob eamdem rationem dicitur equi senectus. Utrumque conjunxit Auson. Profess. 4. 22.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Quoniam in auguriis volatus aquilæ omnium prosperrimus a Romanis habitus est, factum est, ut aquilæ signum in exercitu ferre instituerint. Itaque principem locum inter signa exercitus aquila obtinebat, quæ longæ infixa perticæ gestabatur, alis plerumque expansis et in unguibus habens fulmina; fere etiam ex argento conflata. Singulæ legiones suam habebant aquilam, sub qua etiam socii tum in agmine, tum in acie stabant; et quamvis ex aliis etiam animalibus signa militaria essent, apro, lupo, sphinge etc., tamen aliquando abdicata ea fuere: quod primum omnium fecisse C. Marium, scribit Plin. 10. Hist. nat. 4. 5. (16)., aquila semper retenta, et primarii signi loco habita. V. Servium ad Virg. 9. Æn. 564. Lips. de militia Rom. 4. Dial. 5., Stewech. ad l. 2. Veget. c. 6. et alios. Hinc Veget. Milit. 2. 6. Prima cohors suscipit aquilam, quæ præcipuum signum in Romano est semper exercitu et totius legionis insigne. — Hinc aquila et signa sæpe junguntur. Lucan. 1. 6. Infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis. Adde eumd. ibid. 241. et 7. 164.; Galbam apud Cic. 10. Fam. 30.; Plin. 13. Hist. nat. 3. 4. (23)., et Plin. Paneg. 82. — Absolute. Cic. 1. Cat. 9. 24. A quo etiam aquilam illam argenteam – scirem esse præmissam. Cæs. 5. B. G. 37. Aquilam projicere. Id. 4. ibid. 25. Aquilam hostibus prodere. Id. 3. B. C. 64. Aquilam conservare, defendere. Id. 4. B. G. 25. Aquilam ferre decimæ legionis. Ovid. 5. Fast. 586. Aquilæ Romanæ signifer. Inscript. apud Henzen. 5793. RECEPIT AQVILAS LEG. XXII. ¶ 2. Hinc per metonymiam aquilæ dicuntur ipsæ legiones. Auct. B. Hisp. 30. Erat acies tredecim aquilis constituta. Cf. Plin. 13. Hist. nat. 3. 4. (23). Lucan. 5. 238. victrices aquilas ferre alium in orbem. — Neque aliter ferme apud Juvenal. 14. 197. Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus Afferat. h. e. honorem et commoda primipili; cujus erat aquilam, legionis insigne, servare. Cf. Plin. 14. Hist. nat. 1. 3. (19). Centurionum in manu vitis et opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas. tardos scilicet ordines et lentas aquilas vocat, quia maturæ jam ætati centurionatus concedebatur. ¶ 3. Tac. 3. Hist. 71. memorat aquilas sustinentes fastigium Capitolii; et vel aquilas intelligit e ligno factas ornatus gratia, quibus templi fastigium innitebatur, vel certe mutulos ac trabes tabulatave ita disposita, ut vel aquilas, vel aquilarum alas aliqua ratione imitarentur: cujusmodi a Græcis ἀετοί et ἀετώματα appellantur, ut est apud Pollucem l. 7. c. 27. V. AETOMA. ¶ 4. Est etiam signum cœleste, quod memorant Cic. Arat. 372.; Manil. 1. 350. et 5. 486.; Colum. 2. R. R. 10. 17. et 11. ibid. 2. 45. et 53.; et Plin. 18. Hist. nat. 27. 67. (255). et 29. 69. (281). Hæc porro fabulantur Poetæ. Aquila non modo fulmina Jovi suggerere, sed etiam Ganymedem surreptum sublatumque ad eum attulisse fingitur: ipsum quoque Jovem, ne a Saturno devoraretur, clam in Cretam detulisse, et adversus Gigantes prœlianti in victoriæ augurium obvolasse telaque suppeditasse: ob quæ merita tandem in cœlo collocata sit, et factum sidus novem, et secundum alios undecim stellis constans, quod capite caudam Delphini, cauda viam lacteam pæne pertingit, alis autem hinc æquatorem, inde tropicum Cancri. Hæc pleraque ex Servio ad Virg. 1. Æn. 398.: qui ibid. addit aliam de aquila fabulam: nempe fuisse quemdam puerum formosissimum, nomine Ἀετόν, in Creta insula, Jovi valde carum, et a Junone ob zelotypiam in avem sui nominis conversum (ἀετός enim aquila est), et ab Jove tandem in cœlum translatum. Aliam et Hygin. 2. Astron. 16. Meropem quemdam Co insulæ regem, uxorem habuisse Ethemeam ex genere Nympharum. Hanc quia Dianam colere desiisset, ab ea sagittis figi cœptam, tandemque a Proserpina vivam ad Inferos abreptam. Ejus desiderio Meropem mortem sibi consciscere voluisse: misertam Junonem, ejus corpus in aquilam convertisse et inter sidera collocasse: ne si hominis effigie eum collocaret, conjugis adhuc memoria ac desiderio afflictaretur. Addit, nonnullos dixisse, hanc fuisse aquilam, quæ Jovis jussu, soccum Veneris in Acheloo lavantis, ad Mercurium ejus amore captum, in Amithaoniam detulerit: quem persequens Venus, ad eum pervenit: qui voti compos factus aquilam, cujus ope ad optata pervenerat, in cœlum transtulit. ¶ 5. Est etiam aquila genus piscis (Raja aquila L.), de quo Plin. 9. Hist. nat. 24. 40. (78). — NB. De cognomine V. ONOM.

ĂQUĬLĔGUS, a, um, adject aquam legens seu colligens, ut Rotæ aquilegæ apud Tertull. Anim. 33. sunt quæ situlis quibusdam aquam hauriebant et effundebant.

ĂQUĬLĔGUS, i, m. 2. recentiori forma est idem qui aquilex. Inscript. apud Gruter. 94. 3. ALEXIS AQVILEGVS V. S. L. M. Alia apud Murat. 480. 4. M. AVRELIVS VESTINVS AQVILEGVS. Adde Cassiod. 3. Variar. ep. 53., ubi narrat, qua industria hujusmodi homines ex Africa plerumque oriundi aquam subter latentem detegerent.

ĂQUĬLENTUS, a, um, adject. ab aqua, ut a mustum est mustulentus, a vinum vinolentus. Varro apud Non. p. 351. 27. Merc. de luna. Tum contremula, aquilenta, apud alta littora Oriris, ac relucens nobilis omnibus. h. e. pluviam inducens: vel marino humore conspersa, credebantur enim sol et luna marinis aquis tingi in ortu et occasu: vel rectius nebulis pluviam significantibus obducta. V. Oehler ad M. Ter. Varron. Sat. Menipp. reliq. p. 189. Etiam Ciceroni hæc vox tribuitur 2. Nat. D. 19. 50. Regio, quæ tum aquilenta est, tum australis. Gruter. enim et Gronov. ita in multis optimæ notæ MSS. haberi testantur. Editi tamen libri aquilonalis exhibent, vel aquilonaris, ut Orell. Fortasse legendum Aquilonia; in qua voce idem fere est litterarum ductus ac in aquilenta.

ĂQUĬLEX, ĕcis, vel ĕgis et recentior forma icis, m. 3. peritus scrutandi aquarum venas in usum puteorum et aquæductuum, quem aquarum indagatorem vocat Colum. 2. R. R. 2. 20., ita dictus ab aquis legendis, hoc est inquirendis. Varro apud Non. p. 69. 18. Merc. Tuscus aquilex. V. K. O. Müller. die

Etrusker vol. 2. p. 340. Plin. 26. Hist. nat. 6. 16. (30). Tussilago silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt; et hoc habent signum aquileges. Adde Senec. 3. Quæst. nat. 15. et Plin. 10. Ep. 26. — Habet etiam aquilicis in obliquis casibus, ut dictum est; et hac ratione, ajebat Forcellinus, dicitur ab aquis eliciendis; quamquam et a legendis aquis rectissime dici potest, ita ut etymon minime mutandum sit. Aurel. Arcad. Dig. 50. 6. 6. Aquilices, tubarii, cornuarii, arcuarii etc. Ita legitur in optimis editionibus Haloandri, Torrentini et aliis. Budeus reponendum putat aquileges. Tertull. 3. advers. Marcion. 5. Nec statim aquilicem et agricolam se Deus repromisit. Gloss. Vet. Aquilices, οἱ τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι. Servius ad Virg. 1. G. 109. Scrutatores vel repertores aquarum, aquilices dicuntur.

ĂQUĬLEX, icis, V. voc. præced.

ĂQUĬLĬCĬUM, ii. V. AQUÆLICIUM.

ĂQUĬLĬFER, fĕri, m. 2. (aquila et fero) qui aquilam, qui est signum præcipuum legionis, in exercitu portat, qui, ut ait Cæs. 4. B. G. 25., aquilam fert. Id. 5. ibid. 37. Cum aquilifer magna multitudine hostium premeretur, aquilam intra vallum projecit. Adde eumd. 3. B. C. 64. Sueton. Aug. 10. Aquilifero legionis suæ graviter saucio. Adde Tac. 4. Hist. 25., Veget. 2. Milit. 7., Inscript. apud Orell. 3380. et 4729., et apud Henzen. 6681.

ĂQUĬLĬGER, gĕri, m. 2. idem qui aquilifer. Habetur in quadam Inscriptione apud Reines. cl. 8. n. 30. Quamvis ibi aliger legatur, aquiliger corrigendum esse, idem Reines. recte censet.

ĂQUĬLĪNUS, a, um, adject. ad aquilam pertinens. Plaut. Pseud. 3. 2. 63. Aquilinæ ungulæ. Apul. 2. Met. 2. Aquilinus aspectus. h. e. visus valde acutus. V. AQUILA. — NB. Aquilinas pateras ex Varrone affert. Non. 15. 21. ed. vet., sed legendum culignæ, pateræ.

ĂQUĬLĬUS, a, um, adject. idem quod aquilus, a qua voce deducitur, hoc est fuscus, subniger. Arnob. 3. 14. Alios (deos effingitis) — pueros, aquilios, cæsios, ravos etc. Ita nonnulli ediderunt, freti auctoritate Gloss. Placidi. Di aquilii, inferi. Aquilios antiqui nigros dicebant. V. Oehler ad h. l. p. 136. Orellius tamen cum Forcellino consensit atque edidit aquilos.

ĂQUĬLO, ōnis, m. 3. Ratione habita etymi, Paul. Diac. p. 22. 6. Müll. Aquilo, ait, ventus a vehementissimo volatu ad instar aquilæ appellatur. Ab aquilus tamen, hoc est fuscus, subniger, quemadmodum et aquila, rectius deducitur, quippe aquilo nigras cœlo, terræ, marique tempestates inducit. — Aquilo est ventus septemtrionalis frigidissimus, qui Græco vocabulo Boreas appellatur (V. Gell. 2. 22.), et in ventorum rosa, uti ajunt, est inter Septemtrionem et Solanum (V. Vitruv. 1. 6. 5. Schneid.); rectius tamen flat inter Septemtrionem et ortum solstitialem contra Libotonum (Nord- Drittel - Ost), testibus Seneca 5. Quæst. nat. 16. et Plin. 2. Hist. nat. 47. 46. (119). — a) Latini Scriptores, et præsertim poetæ, eum cum Septemtrionali vento sæpe confundunt; plurali quoque numero usurpant; quin et per synecdochen pro omni vento usurpant, qui vehementissimi flatus sit. Accius apud Cic. Tusc. 29. 68. et apud Non. p. 348. 18. Merc. Sub axe posita (ora) ad stellas septem, unde horrifer aquilonis stridor gelidas molitur nives. Cic. 2. Nat. D. 10. 26. Itaque et aquilonibus reliquisque frigoribus — durescit humor. Virg. 4. Æn. 300. Et mediis properas aquilonibus ire per altum. Martial. 5. 9. Centum me tetigere manus aquilone gelatæ. Adde Nep. Milt. 1.; Vitruv. 8. 2. 5. Schneid.; Liv. 36. 43. et 37. 12.; Virg. 3. G. 196.; Horat. 2. Ep. 201.; Ovid. 3. Trist. 10. 17.; Curt. 8. 9. 12.; Senec. 3. Quæst. nat. 18., et Plin. 2. Hist. nat. 47. 47. (123). — b) Item Latini aquilonem nominantes, et septemtrionalem plagam designant, ob vicinitatem et affectuum similitudinem. Cic. 6. Verr. 48. 107. Etenim prope est spelunca conversa ad aquilonem. Adde eumd. 6. de republ. 22. 22. — c) De Aquilone hæc a poetis emanavit fabula, quæ et de Borea apud Græcos: Fuisse eum Orithyiæ maritum, quam ex Græcia in Thraciam rapuerat, patrem Chionæ, itemque Zethæ et Calais. Cum Latonam ex Jove gravidam Python serpens Junonis jussu persequeretur, Jupiter Aquilonis curæ eam commisit, qui statim sublatam puellam ad Neptunum pertulit, qui eam tutatus est. Hygin. fab. 140. et Philargyr. ad Virg. 4. G. 464. Addit Servius ad Virg. 3. Æn. 209. Aquilonem seu Boream dedisse filiam Cleobulam nuptui Phineo Thracum vel Arcadiæ regi, qui ex ea suscepit duos filios, quos postea, mortua matre, cum aliam duxisset uxorem, hujus falsa accusatione ambos obcæcavit: quam nepotum injuriam persequens Aquilo avus, Phineum pari cæcitatis pœna affecit et ad Pelagias insulas detulit, appositis insuper Harpyiis, quæ ei cibos abriperent somnosque turbarent. Hæc omnia alii aliter narrant. V. Cic. 1. Legg. 1. 3.; Melam 3. 5. 1.; Ovid. 7. Met. 3.; Val. Flacc. 4. 432.; et Senec. Med. 634.

ĂQUĬLŌNĀLIS, e. V. voc. seq.

ĂQUĬLŌNĀRIS, e, adject. ad Aquilonem, seu Septemtrionem pertinens. Cic. 2. Nat. D. 19. 50. Regio aquilonaris. ubi alii aquilenta; alii leg. aquilonalis. Certa tamen est lectio apud Vitruv. 9. 4. 3. Schneid. Piscis aquilonaris. h. e. alter piscium cælestium, qui septemtrionem versus collocatus est. Cf. Cic. Fragm. IV. 2. p. 580. Orell.

ĂQUĬLŌNĬGĔNA, æ, m. et f. 1. ab Aquilone genitus, hoc est in regionibus septemtrionalibus natus; et est poetica septemtrionalium populorum cognominatio. Auson. Mosell. 407. Aut Italum populos, aquilonigenasque Britannos.

ĂQUĬLŌNĬUS, a, um, adject. ad Aquilonem pertinens; et sæpe pro septemtrionali sumitur, ea ratione, qua in AQUILO dictum est. (It. aquilonare, boreale; Fr. et Hisp. septentrional; Germ. nördlich; Angl. northern). Occurrit — a) Ratione habita venti aquilonis. Varro apud Non. p. 139. 9. et 206. 21. Merc. Aquilonia frigedo. Colum. 11. R. R. 2. 24. et 63., et Plin. 18. Hist. nat. 36. 65. (237). Aquilonius piscis. V. AQUILONARIS. Plin. 17. Hist. nat. 2. 2. (12). hiems. h. e. frigus ab aquilone vento inductus. Id. 2. ibid. 49. 50. (133). typhon. Id. ibid. 97. 99. (215). luna. h. e. versus septemtrionem sita. Id. 15. ibid. 19. 21. (81). solum. Id. 27. ibid. 13. 118. (144). loca. Cæl. Aurel. 2. Acut. 37. Aquilonia pars. h. e. ea domus pars, quæ septemtrionem spectat. Capell. 8. p. 282. Aquilonia signa. — b) Quod ad fabulas attinet, (V. AQUILO sub c in fin.) dixit Propert. 1. 20. 25. Aquilonia proles. h. e. Aquilonis filii Zethus et Calais. Adde Val. Flacc. 4. 462. et 501. Et Stat. 3. Theb. 432. Ismarii, aquilonia pignora, fratres.

ĂQUĬLUS, a, um, adject. (unde aquila et aquilo) Comp. Aquilior. — Aquilus est fuscus, subniger (It. fosco, bruno; Fr. brun, noirâtre; Hisp. moreno, bruno; Germ. schwarz oder dunkel; Angl. dark, dun). Paul. Diac. p. 22. 2. Müll. Aquilus color est fuscus et subniger, a quo aquila dicta esse videtur. — Aquilus autem color ab aqua est nominatus. Nam cum antiqui duos omnino naturales nossent, id est album et nigrum, intervenerit autem is quoque, qui ita neutri similis est, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potissimum ab aqua eum denominarunt, cujus incertus est color. Hanc Paul. Diac. notationem rident alii, et ab aquila ducunt. Plaut. Pœn. 5. 2. 152. Statura haud magna, colore aquilo. Glossar. apud Steph. Aquilum, μέλαν, ὡς Ακυλλᾶς. Varro apud Non. p. 503. 30. Merc. Fluctu aquilo. Sueton. Aug. 79. Colorem inter aquilum candidumque. Casaubon. eum esse putat, qui est in iis, quos solis æstus torruit. Capell. 2. p. 40. Dii etiam, quos aquilos dicunt. Apul. de deo Socrat. 10. Atque ideo humectiores (aquæ) humilius meant, aquiliore agmine, tractu segniore: sudis vero sublimior cursus, — cano agmine, volatu perniciore. alii tamen aliter leg.; plerique vulgati libri habent aquilo agmine. V. et AQUILIUS.

ĂQUĬMĬNĀLE, is. n. 3. V. voc. seq.

ĂQUĬMĬNĀRĬUM, ii, n. 2. genus aquarii vasis, quod inter escaria, et ea, quæ ad mensam pertinent, contineri, docet Ulp. Dig. 34. 2. 19. § 12. et Pompon. ibid. fr. 21. § 2. Videtur autem esse vas lavandis manibus aptum: ex quo aquimanarium scribendum esse quidam censent, ab aqua scilicet et manare. Ideo autem inter escaria vasa enumeratur, quia ante et post mensam aqua manibus datur. In edit. Digest. Haloandri et Torrentini legitur aquiminarium tum locis citt., tum 33. 10. 3. Apud Paul. Sent. 3. 6. § 56. habetur aquiminale, item in aliis edit. apud Dig. 33. 10. 3.; pro quo Cujac. cum aliis mallet aquæmanile. V. et AQUÆMANALIS.

ĂQUĬPEDĬUS. V. ACUPEDIUS.

ĂQUĬPENSER. V. ACIPENSER.

ĂQUĬPES. V. AGIPES.

ĂQUĪVERGĬUM, ii, n. 2. (aqua et vergo) locus depressus, in quem aqua ex editiore parte defluit. Legitur apud Innocent. de Casis litter. p. 225. et 234. Goes.

ĂQUO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. Aquans sub B. — Aquare est aqua suffundere, irrigare. Occurrit autem

A) Passive, et significat aqua suffundi, repleri. Plin. 18. Hist. nat. 17. 45. (162). Quam diutissime aquari gaudet (solum), ut præpinguis et densa ubertas diluatur. h. e. crebros imbres bibere. Ita leg. Harduin. et Sillig., alii aliter. Cf. AQUATUS.

B) Media seu deponenti forma Aquor, āris, ātus sum, ari, est verbum fere militare, quod significat aquam haurire et comportare in usum militum. Cæs. 1. B. C. 78. Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur ægre. Auct. B. G. 8. 40. Oppidanorum multitudo aquatum unum in locum conveniebant. Sall. Jug. 93. Miles gregarius castris aquatum egressus. Adde Liv. 22. 44., 31. 42. et 44. 40. — Commode de apibus. Virg. 4. G. 193. Sed circum tutæ sub mœnibus urbis aquantur. Plin. 11. Hist. nat. 18. 19. (61). Apibus insidiantur aquantibus ranæ. Adde Pallad. 5. R. R. 8. 1.

ĂQUŌSĬTAS, ātis, f. 3. nimia aquosi humoris copia. Cæl. Aurel. 2. Acut. 35. Si defectione fuerit stomachus affectus, fluor sequitur salivarum et humecta aquositas et nausea.

ĂQUŌSUS, a, um, adject. (aqua). Comp. Aquosior et Sup. Aquosissimus 1. ¶ 1. Proprie et stricto sensu est aquæ copiam habens. Cato R. R. 34. et Plin. 18. Hist. nat. 17. 46. (163). Aquosus ager. Plin. ibid. aquosior. Cato R. R. 34. Aquosissimus locus. Id. ibid. Aquosa terra. Varro 1. R. R. 6. 6. locus. Liv. 9. 2. campus. Plin. l. c. solum. Id. ibid. et Virg. 10. Ecl. 66. hiems. Virg. 8. Æn. 429. et Ovid. 4. Met. 622. nubes. Virg. 4. Æn. 52. et Propert. 2. 16. 51. Orion. Virg. 4. G. 234. et Ovid. 10. Met. 165. piscis. h. e. signum cæleste. Horat. 3. Od. 20. 16. Ida. Id. Epod. 16. 56. Eurus. Ovid. Heroid. 3. 53. Mater aquosa. h. e. Thetis. ¶ 2. Ponitur et de hydrope. Horat. 2. Od. 2. 15. Languor aquosus. h. e. morbus hydropis. ¶ 3. Latiori sensu est nitidus et pellucens velut aqua. Propert. 4. 3. 52. Crystallus aquosa. Hinc Isid. 16. Orig. 13. 1. scribit crystallum esse aquosi coloris. Vel aquosam dicit, quia revera crystallus ex aqua nivali, frigoris vi concreta, fit, ut Plin. 37. Hist. nat. 2. 10. (28). docet.

ĂQUŬLA, æ, f. 1. deminut. pauca aqua. ¶ 1. Est minima aquæ quantitas. Plaut. Curc. 1. 3. 3. Suffundere aquulam. Et figurate Id. Cist. 2. 3. 87. Obsipat aquulam. h. e. recreat me, ut fit iis, qui animo defecti aquâ adspersâ recreantur. V. AQUA II. a. ¶ 2. Item est rivulus amœnus. Cic. 1. Orat. 7. 28. Platanus, quæ mihi videtur non tam ipsa aquula, quæ describitur, quam Platonis oratione crevisse. Et metaphorâ sumptâ a natantibus, Id. 2. ibid. 39. 162. Ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat.

AR

AR, præp. ex apor vel apur facta per syncopen, quemadmodum ex apud facta est ad: ar itaque est idem quod ad apud veteres; sed postea obsolevit. Plaut. Truc. 2. 2. 17. Ar me advenias. Alii aliter leg. V. AD in principio.

In compositione semper locum habuit in verbo arcesso aliisque. Plura enumerat verba Priscian. 1. p. 559. Putsch., in quibus olim ar pro ad dicebatur, ut arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfari, pro advenas, adventores, etc. Sic arfuerunt, arfuisse in S. C. de Bacchanalib. apud Fabrett. Inscript. c. 6. p. 427.; et arvorsarius in veteri Tab. apud Gruter. 507. l. 15.

ĀRA, æ, f. 1. Varro apud Macrob. 3. Saturn. 2. docet, prius asas dictas fuisse et commutatione litterarum factas esse aras, eo modo, quo Valesii et Fusii dicti sunt prius, quos nunc Valerios et Furios dicimus: hinc asa occurrit in Lege Numæ apud Gell. 4. 3. — Varias etymologi hujus vocis origines assignant, ut Varro 5. L. L. 38. p. 15. Müll., Servius ad Virg. 2. Æn. 515., Isid. 5. Orig. 1., et alii: quæ

omnia *Voss.* in *Etymol.* colligit. Certe videtur vox conjungenda esse cum Græca αἴρω *tollo*, *sustollo*; posset tamen deduci et ab *aggera* per syncopen, præcipue si alia forma *argera* admittatur (V. *Priscian.* 5. p. 559. *Putsch.*), eâ scilicet ratione, quâ *scala* a *scandela*, *mâla* a *mandela* per syncopen fiunt. — Ara est extructio, quæ ex saxis, terra, vel etiam lignis fit formâ quadratâ et superficie planâ. Hoc autem sensu occurrit *A*) generatim, et *B*) speciatim.

A) Generatim. ¶ 1. Ponitur pro pira vel rogo ad mortuorum corpora cremanda. Ita enim interpretatur *Servius* illud *Virg.* 6. *Æn.* 177. aramque sepulcri Congerere arboribus cœloque educere certant. Cf. *Sil. It.* 15. 388. *Ovid.* 3. *Trist.* 13. 21. funeris ara. *Id.* 8. *Met.* 480. aræ sepulcrales. ¶ 2. Item dicitur de urnis seu cippis sepulcralibus, quadrata forma extructis, quæ et signis distinguerentur. *Cic.* 14. *Phil.* 13. 34. Nec dispersis bustis humili sepulturâ crematos, sed contectos publicis operibus atque muneribus eâque extructione, quæ sit ad memoriam æternitatis ara virtutis. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 48.; *Curt.* 9. 3. 19.; et *Sueton. Ner.* 50. *ad fin.* *Fabrettus* quoque *Inscript.* c. 2. p. 107. et 108. plures affert inscriptiones, in quibus *ara* ponitur pro urna seu cippo sepulcrali: quibus adde *Inscript.* apud *Orell.* 4521., 4522., 4826. ¶ 3. Item aræ dicebantur saxa seu scopuli inter Siciliam et Carthaginem mari extantes, qui hodie *Zowa-Moore* vel *Zimbra* vocantur: qua de re hæc *Forcellinus*: *Aræ* ab Italis Latine dicta sunt saxa et crepidines pelagi tranquillo quidem mari extantes, et quæ facile cerni possunt, at agitato fluctibus latentes et pæne invisibiles, in quas incurrentia navigia diffinduntur. *Virg.* 1. *Æn.* 112. Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus, aras (qui tamen postremus versus a pluribus Criticis, utpote glossema, expungitur). *Varro* apud *Servium* ad *Virg. l. c.* Sciunt, periculose se navigare, ac verentur in pelago latentem insulam: quem locum vocant aras. *Servius* docet, dictas esse aras hujusmodi saxa sparsa inter Africam, Siciliam, Sardiniam et Italiam, quòd ibi Afri et Romani fœdus inierunt, et fines imperii sui illic esse voluerunt. Addit, quosdam tradere, insulam fuisse iis locis (quod indicare videtur et *Varro l. c.*), quæ tandem superfuso mari latuerit, extantibus tantummodo quibusdam saxis, super quæ Pœnorum sacerdotes rem divinam facere soliti fuerint. Denique subdit putare alios, hujusmodi appellationem tractam esse a Græcis, qui βωμοὺς, hoc est *aras*, ea saxa vocant. Verum in his etiam vocabulum a propria et generali significatione minime recedere videtur: quod confirmant *Claudius Quadrigarius* apud *Servium l. c.* Apud aras, quæ vocabantur Neptuniæ. Et *Sisenna* apud *eumd. l. c.* Aræ propitiæ. Cf. et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 7. 7. (42). et *V.* ÆGIMURUS in ONOM. ¶ 4. *Ara* dictus etiam fuit lapis terminalis. *Hygin. De limit. agror.* p. 19. *Goes.* Certis locis aras lapideas ponere.

B) Speciatim. ¶ 1. Ara, et magis definite *ara sacra* ut apud *Plaut. Aulul.* 4. 1. 20.; *sancta* apud *Ovid.* 3. *Met.* 733.; *deûm* apud *Varron.* 5. *L. L.* 38. p. 15. *Müll.*, est locus extructus sæpe quadrata forma, sacrorum seu victimarum immolandarum causa, quæ ab *altari* differebat ut genus a specie (V. quæ diximus in voce ALTARIA). — *a*) Generatim. *Lex Numæ* apud *Gell.* 4. 3. PELLEX ARAM IVNONIS NE TANGITO. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 45. Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguine turpari. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 101. Consecrare aram alicui deo. *Id. Dom.* 53. 136. Dedicare aram. *Id. Harusp. resp.* 13. 28. Detrahere sacerdotem ab ipsis aris et pulvinaribus. *Virg.* 4. *Æn.* 453. Imponere dona aris turicremis. *Id.* 2. *ibid.* 202. Mactare taurum ad aras. *Ovid.* 2. *Amor.* 13. 23. Dare tura aris fumosis. *Sueton. Aug.* 15. Extruere aram numini. *Tac.* 14. *Ann.* 30. Adolere aras cruore. Adde *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 1.; *Ter. Andr.* 4. 3. 11.; *Lucret.* 2. 417.; *Nep. Ages.* 4. et *Timoth.* 2.; *Liv.* 1. 7.; *Virg.* 1. *Ecl.* 8.; *Horat.* 4. *Od.* 11. 6.; *Ovid. Heroid.* 7. 113. et 13. 112.; *Curt.* 3. 12. 27.; et *Senec. Agam.* 394. — *b*) Speciatim animadvertendum est, aras non solum in templis, sed etiam in viis ac plateis sub dio fuisse: cujus rei testimonium extat apud *Plaut. Aulul.* 4. 1. 20. et *Most.* 5. 1. 45., et apud *Tertull. Pall.* 5. (*V.* in fine). — *c*) Quin et in ædibus, præcipue potentiorum, aræ habebantur, testibus *Ennio* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Cui nec aræ patriæ domi stant; fractæ et disjectæ jacent. Et *Plin. Paneg.* 68. Domesticæ aræ focique. — Porro hæ diis Penatibus sacrabantur: unde sæpissime occurrunt formulæ *aræ et foci*, *aræ ac foci*, *aræ atque foci*, *aræ foci*, *aræ focique*; quæ domesticum altare et domum, ac proinde figurate religionem et domum, religionem et patriam significant (V. *Ernesti Clav. Cicer.*, et *G. A. B. Hertzberg De diis Rom. Penatibus*, *Hal.* 1840. p. 64). *Plaut. Amph.* 1. 1. 74. Convenit, victi utri sint eo prœlio, urbem, agrum, aras focos seque uti dederent. *Cic. Dejot.* 3. 8. Te ejus di Penates acceperunt, te amicum et placatum Dejotari regis aræ focique viderunt. Adde *eumd.* 8. *Phil.* 3. 8., *Dom.* 40. 106. et 56. 143., 2. *Phil.* 30. 75., 4. *Catil.* 11. 24. et *Sext.* 42. 90. — Et figurate. *Cic.* 3. *Nat. D.* 40. 95. Est mihi tecum pro aris ac focis certamen et pro deorum templis atque delubris. *Sall. Cat.* 52. Qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere. *Liv.* 5. 30. Ut qui meminissent, sibi pro aris focisque ac deûm templis ac solo, in quo nati essent, dimicandum fore. — *d*) Mos erat precantium et jurantium aras tenere manibus, ut notant etiam *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 219. et *Macrob.* 3. *Saturn.* 2.; inde formulæ *tangere aras* et *tenere aras* quæ frequenter occurrunt. *Plaut. Rud.* 5. 2. 46. GR. Tange aram hanc Veneris. LA. Tango. GR. Per Venerem hanc jurandum est tibi. *Cic. Flacc.* 36. 90. Is, qui si aram tenens juraret, crederet nemo. Adde *Nep. Hann.* 2. *Virg.* 4. *Æn.* 219. Talibus orantem dictis arasque tenentem Audiit omnipotens. *Id.* 12. *ibid.* 201. Tango aras, medios ignes et numina testor. — Hinc *tactas aras rumpere* apud *Propert.* 3. 19. 15. est juramentum violare tacta ara dictum. Alii fortasse rectius leg. *pactas aras*, h. e. pacta ante aras et interpositâ religione firmata. — *e*) Rei, et præsertim servi, ad aras confugientes, perfugium ibi habebant et asylum, ut inde sine piaculo abstrahi non possent. Quod si eos aliquando avelli necesse esset, ignis admovebatur. Sic enim eos non ab hominibus, sed a deo divelli existimabant. Ejus rei testes sunt formulæ apud *Plaut. Most.* 5. 1. 45. Ego interim hanc aram occupabo. Et *ibid.* v. 48. Ne occupassis obsecro aram. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 25. Omnium talium rerum ratio reddenda est: quod vos cum facere non potestis, tamquam in aram, confugitis ad deum. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 35. 85. et *Nep. Pausan.* 4. ¶ 2. Hinc translate ara ponitur pro perfugio. *Ter. Heaut.* 5. 2. 22. Nemo accusat, Syre, te, nec tu aram tibi, nec precatorem pararis. *Cic.* 4. *Verr.* 3. 8. Ut numquam ante hoc tempus ad aram legum præsidiumque vestrum publico consilio confugerint. *h. e.* ad tribunal prætoris et ad judices, qui leges servant et vindicant. *Id. in Senat.* 5. 11. Qui nisi in aram tribunatus confugisset, vim prætoris effugere non potuisset. Adde *eumd.* 7. *Verr.* 48. 126. *Ovid. Heroid.* 1. 110. Tu citius venias portus et ara tuis. *Id.* 5. *Trist.* 6. 14. Quæ patuit, dextræ firma sit ara meæ. Adde 4. *ibid.* 5. 2. ¶ 3. Est etiam *ara* signum cœleste, quod et Græce Θυτήριον vel Θυμιατήριον dicitur, situm ad australem plagam sub cauda Scorpii prope circulum antarcticum, constans stellis quatuor secundum *Hygin.* et secundum alios septem: quod aliis nominibus *Turibulum* et *Sacrarium* et *Lar* appellatur. Fabulantur esse illam aram, in qua sacra fecerunt dii et societatem sanxerunt contra Titanas cœlo bellum inferentes, extructamque esse a Cyclopibus. *Cic. Arat.* 2. *Nat. D.* 44. 114. Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri. Adde *eumd. Arat.* 446. et 457. et 3. *Nat. D.* 16. 40.; *Ovid.* 2. *Met.* 139., et *Hygin. Astron.* 2. 39. et 3. 38. — *NB. Aram* pro *area* quidam putant usurpari a *Tertull. Pall.* 5. Soleo de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere. *h. e.* in viarum crepidinibus, vel areis seu plateis. Sed nihil prohibet, quin de ara proprie dicta intelligatur. Nam etiam in publicis viis et plateis aræ positæ erant, ut dictum est: et notat *Salmas.* ad h. l. licuisse aliquando iis pro suggestu uti. Apud *Varron.* quoque *aram* pro *area* usurpari credunt nonnulli 1. *R. R.* 54. Uva, quæ descendat in aram, ut in carnarium ascendat. *h. e.* quæ in area siccetur et siccata servetur in carnario ad edendum. At *Pontedera Opere post. T.* 1. p. 208. aram putat appellari locum in villa eminentem, qui fit palis in quadratum constitutis et transversis perticis alligatis, superposita crate storeave, in qua uva lecta disponitur, ut siccetur, exinde de carnario suspenditur. Hinc *Id. Varro* 5. *L. L.* 38. p. 15. *Müll.* aram ab area deduci posse indicat; quare non est absurdum *aram* pro *area* sumere. *Auson. Pompon.* pro *ara* legit *area* ex conjectura; quam lectionem retinuit et *Schneid.* — NB. Nonnulla sunt orbis terræ oppida, quæ ab aris ibi aliquando excitatis nomen accepere; quæ *V.* in ONOM.

ĂRĂBARCHES, æ. *V.* ALABARCHES.

ĂRĂBARCHĬA, æ, f. 1. dignitas et officium arabarchæ, seu rectius alabarchæ, quam vocem Vide. *Impp. Gratian.*, *Valentinian.* et *Theodos. Cod.* 4. 61. 9. Usurpationem totius licentiæ submovemus circa vectigal arabarchiæ per Ægyptum constitutum, nihilque super traductione animalium, quæ sine prohibitione solita minime permittenda est, temerarie per licentiam vindicari concedimus. Tò *arabarchiæ* videtur esse glossema in legem inductum: certe legendum saltem *alabarchiæ*.

ĂRĂBICĀRĬA, æ, f. 1. quæ odores Arabicos vendit vel tractat. *Inscript.* apud *Murat.* 939. 9. AVRELIA VALERIA ARABICARIA V. S. F. *h. e.* voto soluto fecit.

ĂRĂBICĒ, adverb. Arabico more. *Plaut. fragm.* apud *Diomed.* 1. p. 378. *Putsch.* Facite, olant ædes Arabice. *h. e.* ex odoribus Arabicis, ut et *Paul. Diac.* p. 28. 10. *Müll.* exponit. *Solin.* 33. Arabice sacri vocantur.

ĂRĂBĬCUS, a, um, adject. qui est ex Arabia (*V.* in ONOM). Hinc

Arabica, æ, f. 1. scilicet gemma. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (145). Arabica ebori simillima est: putant contra dolores nervorum prodesse habentibus. *Isid.* 16. *Orig.* 14. 15. Arabica ex patria dicta, adspecta eburnea est.

ĂRĂBĬLIS, e, adject. qui arari potest. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (41). Campus nullis, cum siccus est, arabilis tauris, post imbres vili asello.

ĂRĂCHIDNA, æ, f. 1. ἀραχίδνα, est planta, de qua hæc *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 52. (89). Arachidna quidem et aracos cum habeant radices ramosas ac multiplices, nec folium, nec herbam ullam, aut quidquam aliud supra terram habent. *Sprengel* visa est esse *Lathyrus amphicarpos* L.; cl. vero *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 55.) putat arachidnam *Plinii* definiri minime posse.

ĂRACHNĒ, es, f. 1. Ἀράχνη, nomen puellæ Lydiæ, quæ cum de lanificio ausa fuisset cum Pallade certare, a victrice dea percussa radio in araneam est commutata. *Ovid.* 6. *Met. init.* et *Probus* ad *Virg.* 4. *G.* 246. Scribit *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (196). Arachnem linum et retia, filium ejus Closterem fusos invenisse. *Suidas* docet, ἀράχνιον filum esse et licium tenuissimum, et ἀράχνην, fem. gen. telam, seu texturam, masc. vero gen. pusillum animal, dictum, quod rara molliaque habeat vestigia: derivatur enim *arachne* ab *Hebr.* ארג texuit, vel ab ἄρω, apto, et ἄχνα vel ἄχνη, lanugo, ita ut arachne ea sit, quæ adaptat fila instar lanuginis tenuia. Hinc itaque a poetis fabulæ occasio sumpta est. Hæc præcipue ad etymon vocabulorum, quæ ab hoc derivata sunt. — *Arachne* est genus horologii solaris, cujus inventorem alii *Eudoxum* astrologum fuisse tradunt, alii *Apollonium*, ut est apud *Vitruv.* 9. 8. (9). 1. *Schneid.* Videtur autem ita appellatum esse, quia lineas habebat ita dispositas, ut aranearum telas in orbem textas referrent.

ĂRACHNĒUS, a, um, adject. ad Arachnen sive ad texendum pertinens. *Auct. Epithal. Laur. et Mar.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 635. Serica arachneo densentur pectine texta.

ĂRĂCĬA, æ, f. 1. genus est ficus albæ, pediculo minimo, latissimæ, apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (70)., ubi alii, et recentiores præcipue, leg. *aratia*, a Græco Ἀράτειος, quasi a quodam Arato denominata sit. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 247.) putat hanc ficum a *Plin.* memoratam eamdem esse, quæ ἀράτεια et χαρίτεια Theophr. in Ath. 3. 3., et quæ fortasse *ficus sativa*, *fructu oblongo*, *albo*, *mellifluo* Tourn. Inst. p. 662.

ĂRĂCOS, i, f. 1. *V.* ARACHIDNA. Juxta *Sprengel.* aracos est *Lathyrus tuberosus*, qua de re valde dubitat cl. *Fée Op. cit.* vol. 3. p. 53.

ĂRÆOSTȲLOS, on. *V.* DIASTYLOS.

ĂRĀNĔA, æ, f. 1. ἀράχνη, vocis etymon *V.* in ARACHNE. ¶ 1. Idem ac araneus (It. *ragno*; Fr. *araignée*; Hisp. *araña*; Germ. *die Spinne*; Angl. *a spider*). *Plaut. Stich.* 2. 2. 24. Ut operam omnem aranearum perdam, et texturam improbam, dejiciamque earum omnes telas. *Virg.* 1. *G.* 247. aut invisa

Minervæ Lasos in foribus suspendit aranea casses. *Ovid.* 6. *Met.* 144. de quo (*ventre*) tamen illa remittit Stamen, et antiquas exercet aranea telas. *Val. Max.* 7. 2. 11. et *Juvenal.* 14. 61. Aranearum telæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. et *Seneca Ep.* 121. *sub fin.* solertiam ejus in texendo describunt. ¶ 2. Item aranei tela (It. *tela di ragno, ragnatela*; Fr. *toile d'araignée*; Hisp. *telaraña*; Germ. *das Spinngewebe oder die Spinnwebe*; Angl. *a spider's web, cobweb*). *Plaut. Aulul.* 1. 2. 6. Ita inanis sunt oppletæ (*ædes*) atque araneis. *Afranius* apud *Festum* p. 359. 27. *Müll.* Tamne arcula tua plena est aranearum? *Lucret.* 4. 728. Obvia cum veniunt, ut aranea bracteaque auri. *Ovid.* 4. *Met.* 178. non illud opus tenuissima vincant Stamina, non summo quæ pendet aranea tigno. Adde *Catull.* 13. 8. Et figurate pro tenuissimis filamentis *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 37. (56). Salicis fructus ante maturitatem in araneam abit. *h. e.* convertitur in tenuia filamenta, araneorum telis similia. Cf. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (220). *Fronto Laud. negl.* p. 329. ed. *Mai.* Texendi aranea diligentiores esse, quam Penelopen ullam, aut Andromacham. *V.* ARANEUM.

ĂRĀNEANS, antis, particip. verbi *araneo* inusitati. Figurate *Araneantes fauces* dictæ sunt ab *Apul.* 4. *Met.* p. 162. 31. per quas diu cibus non transiit atque ob id quasi obductæ sunt araneorum telis.

ĂRĀNEŎLA, æ, f. 1. parva aranea animal. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 113. Ut in araneolis aliæ quasi rete texunt, ut si quid inhæserit, conficiant; aliæ ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt.

ĂRĀNEŎLUS, li, m. 2. idem ac araneola. *Virg. Cul.* 1. Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia, Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum. — *NB.* Hunc versum quidam referunt etiam inter fragmenta *Petronii.*

ĂRĀNEŌSUS, a, um, adject. ad araneam pertinens. Hinc ¶ 1. Est araneorum telæ similis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (65). Araneosa fila. *Id.* 24. *ibid.* 12. 66. (108). Araneosa lanugine obducta folia. *Id.* 21. *ibid.* 15. 51. (87). Caulis araneosus in mandendo, cum coctus est. *h. e.* qui in minuta fila abit. *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (86). Asterii vomitus araneosus. *h. e.* asterion vomere materiam similem araneorum filis. ¶ 2. Item araneorum telis plenus. *Catull.* 25. 3. Situs araneosus. Et translate *Auct. Priap.* 83. 29. Araneosus obsidet fores situs. *h. e.* pædor ex senectute; loquitur enim de pudendo mulieris vetulæ.

ĂRĀNEUM, ĕi, n. 2. ¶ 1. Est aranearum tela (ἀράχνιον). *Phædr.* 2. 8. 23. Tollere hæc aranea quantum est laboris? Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (84). ¶ 2. Item morbus vitium et olivarum, cum veluti telæ araneosæ involvunt fructum et absumunt: *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (229)., qui morbus et Græce ἀράχνιον appellatur.

ĂRĀNEUS, a, um, adject. ad animal araneum pertinens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (156). Phalangion bestiola aranei generis. *Id.* 29. *ibid.* 4. 29. (86). Urina similis araneis textis. *Philargyr.* ad *Virg.* 4. *G.* 246. Aranea virgo. *h. e.* Arachne. — *Mus araneus* genus est parvi muris, morsum venenatum habentis, quem Græci μυγαλῆν et μυγαλέην vocant; a μῦς mus et γαλῆ, *mustela*, quia ex mure et mustela nasci creditur. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 1. Mus araneus, quem Græci μυγαλῆν appellant, quamvis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (223). In Italia muribus araneis venenatus est morsus. Adde *eund.* 29. *ibid.* 4. 27. (88. et 89).

ĂRĀNEUS, i, m. 2. (ἀράχνη) ¶ 1. Est animal notum, tenuem texens telam ad captandas muscas, etc. (It. *ragno*; Fr. *araignée*; Hisp. *araña*; Germ. *die Spinne*; Angl. *a spider*). Ejus plura genera persequitur *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. et solertiam texendi concinne admodum describit. Adde *Senec. Ep.* 121. *sub fin.* Si *Servio* credimus ad *Virg.* 4. *G.* 247., veteres animal ipsum masculino genere appellarunt. *hic araneus*; telam vero, quam faciunt, feminino genere. *Lucret.* 3. 384. Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila Obvia sentimus. *aranei* hoc loco trisyllabum est per synæresin; quo pacto *Virg.* 6. *Æn.* 280. Ferreique Eumenidum thalami. *Catull.* 23. 1. Furi, cui neque servus est, neque arca, Nec cimex, neque araneus, neque ignis. *Seneca l. c.* Aranei textura. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 14. 28. (79). Araneorum textura. ¶ 2. Araneus etiam dicitur piscis quidam spinis in dorso aculeo noxius, quem quidam eundem esse putarunt ac draconem marinum, sed [illegible] *Plin.* 9. *Hist. nat.* [illegible]. 72. (155)., ubi is de eo verba facit, ut et 32. *ibid.* 11. 53. (145). Est araneus idem ac draco, qui *Trachinus draco* L., Italice *dracèna*, Gallice *la vive*, Venetiis *varagno* appellatur.

ĂRAPENNIS, is. *V.* AREPENNIS.

ĂRĀTER, tri, m. 2. pro *aratrum* occurrit, sed raro. *Hygin. de Limit. constit.* p. 204. *Goes.* Mensura territorii usque fieri debet secundum legem D. Augusti: QVA FALX ET ARATER IERIT. Sic alibi.

ARATIA, æ. *V.* ARACIA.

ĂRĀTIO, ōnis, f. 3. (aro). Cf. Gr. ἄροσις. ¶ 1. Abstracte est ipse arandi actus, ipsa agrorum per aratrum cultura (It. *arazione, aratura*; Fr. *labour, labourage*; Hisp. *labor, labranza*; Germ. *das Pflügen oder die Bearbeitung des Ackers durch den Pflug*; Angl. *agriculture, aration*). *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 86. Nam ut quæstuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 64. Arationis iteratio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (180). Aratione per transversum iterata occatio sequitur. ¶ 2. Nonnumquam concreto, uti ajunt, sensu sumitur pro ipso arvo seu agro culto. Nam, ut recte inquit *Valla l.* 4. *Elegant.* c. 2. nomina, quæ positionem habent in io, latius significare solent, nec actionem modo, sed rem etiam et corpus significant. *Plaut. Truc.* 1. 2. 46. Non arvus hic, sed pascuus est ager, si arationes habituris, qui arari solent ad pueros ire melius est. *aratio* hic figurate est eadem ac *meretrix* [illegible]. *Colum.* 1. *præfat.* 24. Ut et segetum arationumque perciperet usum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 36. (38). *de calsa herba.* Nascitur in arationibus. ¶ 3. Speciatim *arationes* dicebantur agri publici populi Rom., qui aratoribus colendi dabantur, impositis decumis. *Cic.* 2. *Phil.* 39. 101. Hæ quondam arationes agri Campani et Leontini in populi Rom. patrimonio fructuosæ ferebantur. *Id.* 5. *Verr.* 98. 228. Arationes omnes totā Siciliā desertas atque a dominis omnes relictas esse cognoscitis. Adde *eund.* 5. *Tusc.* 21. 86. et *V.* ARATOR. 2.

ĂRĀTIUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. parva aratio, et occurrit concreto, uti ajunt, sensu tantummodo (*V.* ARATIO 2.) pro parvo agro arabili. *Plaut. Truc.* 1. 2. 45. Male vertit res pecuaria mihi apud vos: nunc vicissim volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos. *aratiuncula* hic translate accipitur pro *amica*.

ĂRĀTOR, ōris, m. 3. (aro; Cf. et Gr. ἀρότης et ἀροτήρ) qui arat (It. *aratore*; Fr. *laboureur, cultivateur*; Hisp. *labrador*; Germ. *der Pflüger*; Angl. *a plougher*). ¶ 1. Generatim sumitur pro eo qui terram colit arando: et ponitur — *a*) De homine qui aratro terram scindit. *Cic.* 3. *Phil.* 9. 22. Magister ejus ex oratore arator factus. *Virg.* 3. *Ecl.* 42. Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178). Arator nisi incurvus prævaricatur. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 9. 3. — *b*) Sæpe apud Poetas arator latiori sensu pro agricola. *Lucret.* 2. 1165. Jamque caput quassans grandis suspirat arator Crebrius in cassum magnum recidisse laborem. *Horat.* 1. *Od.* 4. 3. Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni. Adde *Virg.* 4. *G.* 511.; *Tibull.* 2. 1. 5.; et *Ovid.* 7. *Met.* 538. — *c*) Interdum per appositionem seu adjective et de animalibus ponitur arando aptis, ut apud *Hesiod.* βοῦς ἀροτήρ. *Ovid.* 1. *Fast.* 698. cedebat taurus arator equo. *Sueton. Vesp.* 5. Bos arator. ¶ 2. Speciatim *aratores* dicebantur non tam illi, qui arabant suum rus, quam opulenti homines, et fere equestris ordinis, qui maximas arationes habebant, publico arabili agro conducto: quibus opponebantur *pecuarii* (ut apud *Cic.* 4. *Verr.* 6. 17. et *Font.* 1. 2.), qui scilicet publica populi Rom. pascua conducebant. Videsis *Ph. Huschke Ueber die Stelle des Varro von den Liciniern.* p. 9. *not.* 23., et *Klotz* ad *Cic. Orationes vol.* 2. p. 745. Porro aratores *Cic.* 2. *leg. Agr.* 31. et sæpe in *Verrinis* laudat, utpote genus hominum honestissimum atque optimum. *Id.* 5. *Verr.* 55. 137. Scribit Metellus, aratorum esse penuriam. Hoc cum scribit, illud ostendit, dejectos, ejectos, fortunis omnibus expulsos esse populi Rom. socios atque amicos. Adde 3. *Verr.* 37. 93., 4. 13. 32., 5. 20. 50. et 50. 119. et 51. 120. et 98. 228.; et *Sueton. Aug.* 42. *Inscript.* apud *Orell.* 3308. [illegible] ¶ 3. Est etiam *Arator* signum cæleste in sphæra barbarica (*V.* SPHÆRA) sub signo Virginis, quem Orum Ægyptii vocant, qui dicitur esse Triptolemus, qui primus fruges serere et aratri usum homines docuisse fertur. *Nigidius* et *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 19.

ĂRĀTŌRIUS, a, um, adject. ad arandum pertinens. *Paul.* 3. *Recept.* 7. *ante med.* Boves aratorii. Adde *Cod. Theod.* 2. 30. 1. *Imp. Constantin. Cod.* 8. 17. 7. Instrumentum aratorium. — Hinc

Aratoria, orum, n. 2. absolute sunt arva. *Cod. Theod.* 9. 4. 27. Quid in vineis, olivis, aratoriis, pascuis, silvis fuerit inventum.

ĂRĀTRO, as, are, 1. est vox a *Plinio* efficta ad rusticum verbum *artrare* declarandum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 20. 49. (182). Salassi cum subjectos Alpibus depopularentur agros, panicum miliumque jam excrescens tentavere. Postquam respuebat natura, inararunt; at illæ messes multiplicatæ docuere quod nunc vocant artrare, id est aratrare, ut credo tunc dictum.

ĂRĀTRĬFRĂGIS vel aratrifrangis vel aratrifragus a *Plin. Valer.* 1. 22. 54. memoratur tamquam quædam vermium species.

ĂRĀTRUM, i, n. 2. (aro, cf. Gr. ἄροτρον). Alia forma ARATER vide suo loco. Est instrumentum, quo aratur, cujus inventor ab aliis Buzyges Atheniensis, ab aliis Triptolemus fuisse dicitur, ut apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (199). legitur; quocum confer *Virg.* 1. *G.* 19., ubi *Servius* inter inventores etiam Osirim enumerat (It. *aratro*; Fr. *charrue*; Hisp. *arado*; Germ. *der Pflug*; Angl. *a plough*). De aratri forma apud veteres, videsis *Pauly Real-Encyclop. vol.* 1. p. 665. *Cato R. R.* 5. Aratra vomeresque facito uti bonos habeas. Adde *eumd. ibid.* 135. *Lucret.* 5. 210. pressis terram proscindere aratris. Adde 1. 312. *Cic.* 2. *Phil.* 40. Ut aratrum circumduceres; cujus — vomere portam Capuæ pæne perstrinxisti. *Id. Hortens.* apud *Non.* 4. 439. *edit. vet.* Subigere terram aratris. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Vires boum ad aratra extrahenda. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 55. 128. et *Rosc. Am.* 18. 50. *Virg.* 1. *G.* 98. Perrumpere terram aratro. *Et* 494. Moliri terram aratro incurvo. *Et* 2. *ibid.* 513. Dimovere terram aratro. *Id.* 7. *Æn.* 539. Aratro terram vertere. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 1. 28.; *Tibull.* 2. 1. 51.; *Ovid.* 2. *Met.* 281. et 4. *Fast.* 819.; *Curt.* 7. 8. 17.; *Colum.* 2. *R. R.* 10. 33. et *Quintil.* 7. 8. 4. — Veteres novam condituri urbem, locum mœnium designabant aratro, quod a vacca et tauro sub jugo junctis trahebatur, illud suspendendo, ubi portæ locus futurus erat. Contra cum evertere vellent, disjectis mœnibus, aratrum solo inducebant, ut nulla urbis imago relinqueretur: unde *Horat.* 1. *Od.* 16. 20. imprimere aratrum muris. Cf. *Cato* apud *Isid.* 15. *Orig.* 2. 3., *Seneca* 1. *Clement.* 26. et *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 755. Hinc et *Propert.* 3. 9. 41. Mœnia cum Grajo Neptunia pressit aratro Victor Palladiæ ligneus artis equus.

ĂRĀTUS, a, um. *V.* ARO.

ĂRĀTUS, a, um, adject. Græca vox ἄρατος ab ἀράομαι devoveo; hinc devotus. *Inscript.* apud *Murat.* 20. 3. et 132. 3. GRATIAS AGENTES NVMINI ET ARATIS EORVM. *h. e.* Æsculapii et Hygiæ.

ĂRĀTUS, us, m. 4. idem quod aratio, hoc est arandi actus. *Dictys Cret.* 2. 41. Utraque pars aratui insistere, frumenta parare.

ARBILLA arvina, id est pinguedo corporis. *Paul. Diac.* p. 20. 19. *Müll.* Ad quæ verba notat *Voss. Etymol.* in v. Aries, *arbillam* dictam esse pro *arvillam* (facile enim *u* in *b* vertitur, ut diximus initio litteræ B) et esse deminutivum ab *arvina* ea ratione, qua ob *ovinus* est *ovillus*, a *suinus suillus*. V. ARVINA, et *Müll.* ad *Paul. Diac. l. c.*

ARBĬTER, tri, m. 3. (compos. ex *ar* pro *ad*, et *bitere* vel *betere*, quod significat *ire*). Ad litteram *arbiter* est qui, dum res accidit, advenit eamque inspicit, qui rei evenienti adventus adest, quin tamen ejusdem particeps sit, ita ut sine partium studio conspectus et testis rectius de re ipsa sententiam ferre possit. (*Forcellini* quoque temporibus etymologi volebant hanc esse primam et propriam hujus vocis significationem: at *Lennep.* (cui *Forcellinus* proxime accedere visus est) *Analog. Ling. Gr.* p. 273. contendebat arbiter, et Græce [illegible] esse ab inus. [illegible] pro [illegible] necto, compono). Hinc ¶ 1. Arbiter extra rem judicialem est inspector, spectator, ideoque conscius, testis, ita tamen ut et judicare possit, cujusmodi sunt spectatores theatri. — *a*) Sæpissime absolute. *Plaut. Amph. prol.* 15. Ita huic facietis fabulæ silentium, itaque æqui et justi eritis omnes arbitri. *h. e.* fabulæ spectatores iidemque judices. *Id. Trin.* 1. 2. 109. Circumspice dum te, ne qui adsit arbiter. *Id. Capt.* 2. 1. 15. CAPT. Cuum exorare

vos sinite nos. LOR. Quidnam id est? CAPT. Ut sine his arbitris atque vobis nobis detis locum loquendi. Adde *ibid. v.* 27. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 3. Mihi quidem jam arbitri vicini sunt, meæ quid fiat domi. *Cic.* 2. *Herenn.* 4. 7. Spes celandi quæ fuerit, quæritur ex consciis, arbitris, adjutoribus, liberis aut servis aut utrisque. *Id.* 3. *Off.* 31. 112. Surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. *Id.* 15. *Att.* 16. Hæc loca venusta sunt; abdita certe, et, si quid scribere velis, ab arbitris libera. Adde *Liv.* 2. 4. et 30. 11.; et *Curt.* 5. 11. 4. et 6. 11. 12. *Cic.* 7. *Verr.* 31. 80. Locus ab arbitris remotus. *Sall. Cat.* 20. Omnibus arbitris procul amotis. *Liv.* 1. 41. Arbitros ejicere. *Id.* 1. 21. Sine arbitris. *Id.* 27. 28., *Tac.* 16. *Ann.* 11. et *Justin.* 21. 4., quocum cf. *Plaut. Cas.* 1. 55. Agere aliquid sine arbitro. *Ovid.* 2. *Met.* 458. Procul est, ait, arbiter omnis. *Curt.* 4. 10. 32. Submotis arbitris. *Fronto Laud. fumi* p. 327. ed. *Mai.* Cogitet Jovi et Junoni cubantibus nubem ab arbitris obstitisse. *Vellej.* 2. 14. 3. Immunis ab arbitris domus. *Quintil.* 10. 3. 22. Locus arbitris liber. *Id. ibid.* 7. 16. Reformidare arbitros. — *b*) Cum Genitivo. *Curt.* 3. 12. 16. Secretorum omnium arbiter. *Id.* 6. 8. 11. Omnium arcanorum regis arbiter. — *c*) Figurate de inanimis *Horat.* 1. *Ep.* 11. 25. nam si ratio et prudentia curas, Non locus effusi late maris arbiter aufert. *h. e.* qui late prospectat mare. ¶ 2. Arbiter est qui inter litigatores sententiam fert, litemque dirimit: quo sensu speciatim — *a*) Arbiter dicebatur quicumque privatus ex æquo et bono, ut sibi videbatur, sententiam inter litigantes ferret ad controversias componendas, sed omnino extra rem judicialem. *Cæs.* 3. *B. C.* 109. De his rebus cum ageretur apud Cæsarem, isque maxime vellet pro communi amico atque arbitro controversias regum componere. *Liv.* 2. 33. Huic interpreti arbitroque concordiæ civium (*Agrippæ Menenio*), legato patrum ad plebem, reductori plebis Rom. in urbem sumptus funeri defuit. — *b*) Sæpius arbiter est judex non a lege datus, sed ab iis qui litigant electus, qui totius rei habet potestatem, ut de ea ex æquo et bono, ut sibi videbitur, sententiam ferat: in quo differt a *judice*, qui judicat secundum leges et juris formulas; *arbiter* vero et leges benigne interpretatur, et æquitatem magis sequitur, quam juris rigorem. Præterea *judex* ex officio causas judicat; *arbiter*, si velit, detrectare potest delatam causam. Quod postremum intelligendum est de iis, qui ab ipsis litigantibus eliguntur. Sunt enim arbitri, qui dabantur a prætore ex formula legis, de quibus idem est dicendum ac de ceteris judicibus. Habebant enim idem jus et potestatem in causis cognoscendis: sed dicuntur *arbitri*, quia dabantur fere in causis bonæ fidei, hoc est quæ arbitratu boni viri et ex æquo et bono æstimandæ ac definiendæ sunt; et in suis sententiis (quæ ob id arbitria appellantur) adscribebant formulas *ex fide bona*, vel *quantum æquius melius sit dari* etc., quibus significatur, sententias eas non ex stricto jure, sed ex æquitatis ratione proficisci. Causæ autem, ad quas dijudicandas dabantur arbitri a prætore, erant *familiæ herciscundæ*, *communi dividundo*, *finium regundorum*, *pro socio*, *tutelæ*, *rei uxoriæ*, et aliæ hujusmodi, de quibus Jurisconsulti. V. *Proculum Dig.* 17. 2. 76. Ceterum multa de discrimine inter arbitrum et judicem habent *Cic. Rosc. com.* 4., *Seneca* 3. *Benef.* 7. et *Paul. Diac.* p. 15. 1. *Müll.* V. et ARBITRIUM 2. *Leges XII. Tab.* apud *Festum* p. 273. 25. *Müll.* SI QVID HORVM FVAT VNVM IVDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFFENSVS ESTO. *Eædem* apud *eumd.* p. 378. 27. SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, STLITIS ET VINDICIARVM PRAETOR ARBITROS TRES DATO, EORVM ARBITRIO (REVS) FRVCTVS DVPLIONE DAMNVM DECIDITO. *Plaut. Rud.* 4. 3. 101. Ire ad arbitrum. *Et ibid. v.* 104. Ad arbitrum aliquem appellere. *Ter. Heaut.* 3. 1. 93. Simus et Crito vicini nostri hic ambigunt de finibus: me cepere arbitrum. *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Dare arbitrum aliquibus de re aliqua. Adde *Ter. Adelph.* 1. 2. 43. et *Cæs.* 3. *B. C.* 1. *Cic. Rosc. com.* 4. 12. In aliquam rem arbitrum esse, adire ad arbitrum. *Id. ibid.* Arbitrum aliquem sumere. *Id. ibid.* § 13. Ad arbitrum confugere. *Id. Cæcin.* 7. 19. Postulare arbitrum familiæ herciscundæ. *Id.* 3. *Off.* 16. 66. Arbitrum aliquem adigere. *Id.* 12. *Fam.* 26. Uti aliquo arbitro. *Id. Mur.* 12. 27. Jam illud mihi quidem mirum videri solet tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum, judicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret. *quæ, ut recte monet* Klotz *ad h. l., discrimen inter judicem et arbitrum minime auferunt, sed ad sequentem formulam, spectant, qua JCti uti solebant:* in diem tertium sive perendinum, judicem arbitrumve postulo uti des, quam rem sive litem dicere oportet. *Seneca* 3. *Benef.* 7. Judicem formula includit, et certos, quos non excedat, terminos ponit: arbitri libera et nullis adstricta vinculis religio et detrahere aliquid potest, et adjicere, et sententiam suam, non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas et misericordia impulit, regere. *Paul. Dig.* 4. 8. 19. Compromittere in arbitrum. Adde *Quintil.* 11. 1. 43. ¶ 3. Hinc sumptâ metaphorâ *arbiter* dicitur de quocumque judice. *Cic.* 5. *Tusc.* 41. 120. Quorum controversiam solebat, tamquam honorarius arbiter, judicare Carneades. Adde *eumd. Fat.* 17., 1. *Legg.* 20. 53. et 15. *Att.* 1. 2.; et V. *Klotz* ad *Cicer.* orationes vol. 2. p. 473. *Horat.* 3. *Od.* 20. 11. Arbiter pugnæ. *Ovid. Heroid.* 16. 69. *de Paride.* Arbiter es formæ: certamina siste dearum. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 17. Arbiter annonæ. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (97). Taurum montem appellat *innumerabilium gentium arbitrum*, hoc est tamquam *finium regundorum arbitrum*, quia multarum gentium regiones determinat. *Martial.* 7. 71. Sic palmam tibi de trigone nudo Unctæ det favor arbiter coronæ. *h. e.* favor, qui tamquam judex victoriam ludenti adjudicat. ¶ 4. Quia vero arbiter totius rei, de qua judicat, facultatem et arbitrium habet, ut *Paul. Diac.* p. 15. 1. *Müll.* loquitur, nonnumquam accipitur pro domino, et qui de re aliqua, ut libet, statuit et disponit: qua significatione occurrit fere apud Poetas, in prosa vero oratione apud *Tacit.* solummodo. *Horat.* 1. *Od.* 3. 15. Notum ventum vocat arbitrum Hadriæ. *Id.* 2. *ibid.* 7. 25. arbitrum bibendi appellat magistrum convivii et modimperatorem, qui legem bibendi convivis dabat. Et *Ovid. Heroid.* 9. 45. dicit Euristheum arbitrum iræ Junonis, quia pro arbitrio imperabat Herculi, quæ Junonis iram explerent. *Id.* 5. *Trist.* 2. 47. Augustum Cæsarem arbitrum imperii. *Et* 3. *Fast.* 73. Martem armorum arbitrum. Et *Seneca Herc. fur.* 582. Plutonem arbitrum mortis. *Tac.* 1. *Ann.* 26. An præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse? *Id.* 2. *ibid.* 73. Arbiter rerum. *h. e.* dominus. *Id.* 13. *ibid.* 14. Arbiter regni. *Id.* 15. *ibid.* 24. Di potentium populorum arbitri. *Inscript.* apud *Orell.* 1269. Juppiter fatorum arbiter.

Homonym. De discrimine inter *arbitrum* et *judicem* dictum est superius 2. *b*.

ARBĪTERIUM, ii, n. 2. idem ac arbitrium, hoc est arbitri judicium ac sententia. Ita legitur in *Pandectis Florentinis*, ex quibus fideliter *Torrentinus* exscripsit, *Dig.* 2. 8. 9., et 4. 8. 3. 7. 16. 19. et 21., et alibi: nec abhorret a Latina analogia, quemadmodum enim ab *adulter* fit *adulterium*, ita et ab *arbiter arbiterium*; tametsi in aliis editionibus *arbitrium* restitutum sit. Porro *arbiterium* pro *arbitrium* saltem vulgo usuvenisse confirmat *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 550. 1., et alia apud *Orell.* 4815.

ARBĪTRA, æ, f. 1. (arbiter) testis, conscia. *Horat. Epod.* 5. 50. O rebus meis Non infideles arbitræ Nox et Diana. *h. e.* testes, consciæ et simul præsides rerum mearum. — Adjectivi more occurrit in *edict. Dioclet. præf. n.* 1. Convenit prospicientibus nobis, qui parentes sumus generis humani, arbitram rebus intolerabilis curam admovere.

ARBĪTRALIS, e, adject. ad arbitrum pertinens. *Macrob.* 7. *Saturn.* 1. Ut inter te et Vettium velut arbitrali judicatione componam.

ARBĪTRANS, antis. *V.* ARBITROR.

ARBĪTRĀRIŌ, adverb. Occurrit translate tantum, et est dubie (*V.* vocem seq. 2.). *Plaut. Pœn.* 3. 3. 42. Nunc pol ego perii certo, non arbitrario.

ARBĪTRĀRIUS, a, um, adject. ad arbitrum pertinens. ¶ 1. In re judiciali arbitrarium est quidquid est apud arbitrum, ut ait *Paul. Diac.* p. 15. 15. *Müll.* Arbitrarium, cum adhuc res apud arbitrum geritur. *V.* ARBITER 2. *Ulp. Dig.* 13. 4. 2. Arbitraria actio. *h. e.* quæ ex arbitrio judicis pendet, qua, nisi arbitrio judicis, is, quo cum agitur, actori satisfaciat, condemnari debeat, ut *Justiniam. Institut.* 4. 6. 31. exponit. Et dicitur etiam *arbitraria actio*, cum in ea non restricte certum quid postulatur, sed id tantum quod æquius melius judici videbitur. *V.* JCtos, qui accuratius de his disputant. *Papinian. Dig.* 22. 1. 3. § 1. In his judiciis, quæ non sunt arbitraria. — *NB. Arbitraria communium parietum* apud *Vitruv.* 2. 8., juxta nonnullos, sunt judicia de pretio et valore communis parietis: tametsi alii legunt *arbitria*, et quidem rectius. ¶ 2. Translate ponitur de his, quæ a voluntate pendent, quæque propterea incerta sunt ac dubia. Hinc joculariter *Plaut. Amph.* 1. 1. 221. Hoc quidem profecto certumst, non est arbitrarium. *Gell.* 18. 10. *ad fin.* Motus in arteriis naturalis, non arbitrarius. *Capell.* 1. p. 19. Terrarum partem fictor arbitrarius variabat. *h. e.* Jupiter. — *Macrob. de differ. Gr. Lat. v.* p. 2759. *Putsch.* scribit verba, quæ a Græcis προαιρετικά, a Latinis *arbitraria* non absurde vocari posse, quia per ipsa significatur dispositionem seu amorem vel arbitrium subesse nobis rei adhuc incertæ, sed per adjunctionem rei alterius exprimendæ.

ARBĪTRĀTIO, ōnis, f. 3. (arbitror) idem quod arbitratus. *Gell.* 13. 20. hanc vocem ponit tamquam usitatam. Inquit enim: *Hic* allegatus et *hic* arbitratus *pro* allegatione *proque* arbitratione *dicuntur*. *Imp. Valentinian.* in lege agraria apud *Scriptor. Rei Agrar.* p. 312. *Goes.* Artis hujus peritis omne committimus sub fideli arbitratione judicium. *alii leg.*, *sed minus recte*, arbitrio meliorem. Certa est lectio hujus voc. in *Cod. Theod.* 2. 16. 4.

ARBĪTRĀTOR, ōris, m. 3. (arbitror) idem qui arbiter § 4., hoc est translate dominus et moderator. Hinc *pentapylon Jovis arbitratoris* locus fuit Romæ in regione decima, teste *P. Vict.* Sic et *Juppiter arbitrator* in *Inscript.* apud *Gud.* 7. 5. — *NB. Inscript.* apud *Gruter.* 1088. 7. Manilius Aug. libertus Xanthus æditus Æd. Mart. arbitrator. castrorum P. R. *lege:* æditus Ædis Martis arbitratoris etc. At hæc *Inscript.* ex *Ligorio* est, et plura continet, quæ spuriam esse ostendunt. Satis sit, quod Manilius dicitur Aug. libertus, cum nullus Augustus, vel Augusta ex ea gente fuerit, a quibus id nominis acciperet.

ARBĪTRĀTRIX, īcis, f. 3. (arbitrator) quæ summam alicujus rei potestatem habet eamque regit, moderatrix (*V.* ARBITER 4). *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 12. *in fin.* Justitia in Domino inventa est arbitratrix operum ejus.

ARBĪTRĀTUS, a, um, *V.* ARBITRO et ARBITROR.

ARBĪTRĀTUS, us, m. 4. (arbitror). Ἀρχαϊκῶς in *Inscript.* apud *Gruter.* 204. *lin.* 20., quæ apud *Orell.* est 3121. ARBITRATVV CENVATIVM. ubi scilicet duplex est u ad longam syllabam significandam. — *Abitratus* pro *arbitratus* per metaplasmum dempta littera r dixisse Poetas testatur *Consent. de barbar. et metapl.* ed. *A. G. Cramer.* 16. Ennius: Huic statuam statui majorum abitratu Athenis. *Sed de his* valde dubitandum. — Arbitratus est sententia, voluntas, libitum (It. *volontà*, *arbitrio*, *piacere*; Fr. *arbitrage*, *volonté*, *bon plaisir*; Hisp. *voluntad*; Germ. *die freie Wille*, *die Willkür*; Angl. *will*, *opinion*, *pleasure*). Apud optimos quosque scriptores in ablativo casu usurpatur. *Cato R. R.* 149. Si quid dominus emptori damni dederit, viri boni arbitratu resolvetur. Adde *ibid.* 145. et 148. *Id. ibid.* 144 Arbitratu domini. *Plaut. Asin.* 4. 1. 21. Tuus arbitratus sit; comburas, si velis. *Id. Rud.* 5. 2. 68. Meus arbitratus est, lingua quod juret mea. *Id. Amph.* 1. 1. 102. Dedunt se, divina humanaque omnia, urbem et liberos in ditionem atque arbitratum cuncti Thebano poplo. *Id. Aulul.* 1. 4. 20. Age dum, excutedum pallium. ST. Tuo arbitratu. *h. e.* faciam quomodo tibi placet. Adde *eumd. Capt.* 3. 4. 34. Arbitratu tuo. *Cic.* 1. *Invent.* 25. 35. In victu considerare oportet, apud quos et quo more et cujus arbitratu sit educatus. *Id.* 7. *Fam.* 1. 5. Vivere suo arbitratu. *Id.* 1. *Fin.* 21. 72. Facere aliquid suo arbitratu. Adde *eumd. Amic.* 1. 3.; *Sall. Jug.* 105.; *Liv.* 34. 14. et 38. 11.; *Sueton. Aug.* 35. et *Tib.* 34.; *Tac. dial. de orat.* 42. — *Inscript.* quæ extabat in sepulcro C. Cestii apud *Gruter.* 185. 2. OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO DIEBVS CCCXXX ARBITRATV PONTI P. F. CLA. MELAE HEREDIS ET POTHI L. Cl. *A. Mai, Class. Auct. T.* 2 p. 385., quia *arbitria funeris* sunt funeris impensæ (*V.* ARBITRIUM 3. *c.*), putat *arbitratu Pontii heredis* idem esse atque *impensis Pontii heredis*, non *pro tutelâ heredis*, ut plerique omnes interpretantur.

ARBĪTRIUM, ii, n. 2. (arbiter). De alia hujus vocis forma *V.* ARBITERIUM. ¶ 1. Proprie, ut diximus in ARBITER 1., arbitrium est testimonium, seu præsentia alicujus, qui aliquid audit aut videt. *Seneca Hipp.* 601. En locus ab omni liber arbitrio vacat. Hæc eadem legitur apud eumd. *Herc. Œt.* 481; sed

dubia sunt, nam et *arbitro* legere possumus. *Sever. Ætn.* 195. prohibent flammæ, custodiaque ignis illi operi est arcens aditus, divinaque rerum – cura sine arbitrio est. Adde *Grat. Cyneg.* 331. ¶ 2. Sæpius in re judiciali arbitrium est judicium et sententia, quæ ab arbitro datur, sive is a prætore, sive a litigantibus fuerit electus: *V.* ARBITER 2. Hinc res *esse in arbitrio* dicitur a *Pompon. Dig.* 10. 2. 47., quæ apud arbitrum disceptatur ejusque sententiam expectat. Et *recipere* aut *suscipere arbitrium* dicitur arbiter, qui causam suscipit dirimendam, apud *Ulp. Dig.* 4. 8. 9. et *Paul. ibid. l.* 4. et alibi. *Cic. Rosc. com.* 4. 10. Hic tu si amplius HS. nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti, propterea quod aliud est judicium, aliud est arbitrium. Judicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. *Id.* 3. *Off.* 17. 70. Q. Scævola summam vim esse dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur EX FIDE BONA. *Id. ibid.* 15. 61. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriæ AEQVIVS MELIVS etc. Adde *eumd. Top.* 17. 66. Et figurate *Seneca* 2. *Clement.* 7. Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex æquo et bono judicat. *Hinc formulæ*: Adigere aliquem arbitrium. *V.* ADIGO II. Et arbitrium pro socio condemnari apud *Cic. Quint.* 3. 13., *h. e.* condemnari judicio, quod dicitur pro socio, hoc est de societate, de quo V. *Dig. l.* 17. *c.* 2. Est autem concisa loquendi formula, a jure petita (V. *Klotz* ad *h. l. vol.* 1. *p.* 567.): tametsi alii mallent *arbitrii*, alii *arbitrio*, alii *ad arbitrium*; alii denique *arbitrium* tollendum putant, tamquam irrepserit ex glossemate. Huc referri potest et illud *Horat.* 4. *Od.* 7. 21. Cum semel occideris et de te splendida Minos Fecerit arbitria. ¶ 3. Ponitur etiam pro quocumque judicio, quod a libera pendeat voluntate: et occurrit — *a*) Generatim. *Ter. Heaut. prol.* 25. Arbitrium vestrum, vestra existimatio valebit. *Cic.* 15. *Att.* 13. Orationem tibi misi: ejus custodiendæ et proferendæ arbitrium tuum. *subaudi* est. *Forcellinus* hunc *Cicer.* locum, et sequentia *Livii*, præter primum et *Curtii* ad paragraphum proxime posteriorem retulit. *Liv.* 24. 45. Temporum oblitos homines in medio ardore belli, tamquam in pace, libera de quoque arbitria agere. *Id.* 37. 1. Permittere alicui liberum arbitrium de re aliqua. *Et* 32. 37. Liberum arbitrium pacis ac belli Quintio permissum. *Curt.* 6. 1. 19. Agere arbitrium alicujus rei. *h. e.* de ea pro voluntate statuere. — *b*) A personis transfertur interdum et ad res inanimas. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 108. Nam si ars ita definitur – ex rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio sejunctis scientiaque comprehensis, non mihi videtur ars oratoris esse ulla. *Horat. Art. P.* 71. si volet usus, Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi. *Gell.* 13. 20. Virgilius diversis in locis *urbes* et *urbis* dixit, arbitrio consilioque usus auris. — *c*) Specialim ponitur de solvendæ pecuniæ æstimatione, quæ ab aliquo libere fit. *Nep. Con.* 4. Permisit ei, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius, qui optime suos nosse deberet. *h. e.* illud judicium atque electionem. *Id. Arist.* 3. Ejus (*Aristidis*) arbitrio quadringenta et sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata. *Liv.* 2. 9. Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumptu ademptum privatis. — Hinc *arbitria funeris* sunt mercedes et pretia, quæ solvuntur vespillonibus aliisque ministris libitinariis pro funere. Et dicuntur *arbitria*, quia in locandis conducendisve funeribus solebat adhiberi arbiter, qui ea quanti locari conducive possent, spectatis facultatibus et dignitate defuncti, ex æquo et bono æstimaret: qua de re *Ulp. Dig.* 11. 7. 12. § 5. et alibi. *Cic. post red. in senat.* 7. 18. Nondum palam factum erat occidisse rempubl., cum tibi arbitria funeris solvebantur. Adde *eumd. Dom.* 37. 98. et *Pis.* 9. 21., et V. *Klotz* ad *Cicer.* orationes *vol.* 3. *p.* 926. ¶ 4. Sæpe sumitur pro voluntate, arbitratu, facultate et libertate faciendi aliquid. *Cic. Rosc. Am.* 45. 131. Cujus (*Jovis*) nutu et arbitrio cælum, terra mariaque reguntur. *Id. Orat.* 8. 24. Ad arbitrium et nutum alterius se fingere et accommodare. *Id.* 2. *Verr.* 10. 30. Magnas accusatoris minas magnamque expectationem judicii ad vestrum arbitrium lubidinemque eludemus. *Id.* 7. *ibid.* 63. 164. Secundum arbitrium tuum testes dabo. *Id. Mur.* 9. 19. Vivere ad arbitrium aliorum, non ad suum. *Id.* 2. *Orat.* 16. 70. Mentes eorum, qui audiunt, ad arbitrium suum movere. *Id. Parad.* 5. 1. 33. Si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi atque abjecti et arbitrio carentis suo, quis neget omnes leves, – omnes denique improbos esse servos? *Id.* 6. *Phil.* 2. 4. Quid enim ille unquam arbitrio suo fecit? *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Populum Rom. victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse. *Liv.* 37. 52. *ad fin.* et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 12. (33). Arbitrii mei est hoc facere. Adde *Nep. Alcib.* 7. et *Hamilc.* 12. *Horat.* 3. *Od.* 2. 20. Nec sumit aut ponit secures Arbitrio popularis auræ. Adde *eumd. ibid.* 6. 39. *Ovid.* 4. *Met.* 223. Res, ait, arcana est: famulæ, discedite, neve eripite arbitrium matri secreta loquendi. Adde *eumd.* 4. *Fast.* 818. et 5. *Trist.* 3. 17. *Seneca Ep.* 73. *a med.* Contigit illi pingue otium et arbitrium sui temporis. *Sueton. Claud.* 2. Alieni arbitrii esse. *Id. Tib.* 18. Nihil non de consilii sententia agit; semper alias sui arbitrii etc. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Agere omnia arbitrio alterius. *Id.* 15. *Ann.* 17. *in fin.* Relinquere aliquem arbitrio suo. *Id.* 4. *Hist.* 62. Esse in arbitrio alicujus. *Id.* 6. *Ann.* 51. Obtinere arbitrium rei Romanæ. *h. e.* imperium, summam potestatem. — Hinc *arbitria natalia* apud *Grat. Cyneg.* 135. dicitur conditio cujusque soli, in quo plantæ crescunt.

Homonym. In quo *arbitrium* differat a *judicio* V. hanc vocem sub 2. et ARBITER 2.

ARBĪTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (arbiter). Part. *Arbitratus* et *Arbitrandus* sub *B.* — Est antiquior forma, quam deinceps alia excepit, scilicet ARBITROR, quam vide infra quod ad significationem attinet. *Arbitro* enim fere occurrit pro judicare, æstimare, arbitri sententiam ferre: raro *A*) active, sæpius *B*) passive.

A) Active. *Plaut. Stich.* 1. 2. 87. Probiores, credo, arbitrabunt, si probis narraveris. Cf. *Non. p.* 470. 9. *Merc. Id. Pseud.* 4. 2. 57. Si te arbitrarem dignum, misissem tibi. *Plautina* exempla confirmat *Fragm. vatic. juris civil. p.* 42. *de excus.* teste *Mai.* Potiores nominare posse non arbitramus. Item *Fragm. antiquiss. ex palimps.* ed. *Mai.* (*Script. veter. T.* 3. p. 208.). Necessarium arbitravimus.

B) Passive. *Plaut. Epid.* 2. 2. 82. Continuo arbitretur uxor tuo gnato. *h. e.* oculis velut quæratur et prospiciatur; qua ratione *prospicere alicui maritum* dixit *Plin.* 1. *Ep.* 14.: vel eligatur deturque uxor filio tuo; ducta loquendi ratione a judicibus, qui arbitrando aliquid alicui adjudicant. *Cœlius* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur. ὑπολαμβάνονται, existimantur, ut *Priscian.* exponit. *Cic.* 7. *Verr.* 41. 166. Ut – cum ipse prædonum socius arbitraretur, aliis proditionis crimen inferret. V. *Zumpt.* ad h. l. *Id. Mur.* 16. 34. Cujus expulsi et ejecti vita tanti æstumata est, ut, morte ejus nunciatâ, denique bellum confectum arbitraretur. *Id.* 1. *Att.* 11. 2. Quod in epistola tua scriptum erat, me jam arbitrari designatum esse. *Gell.* 1. 13. Anceps quæstio et in utramque partem a prudentibus viris arbitrata. *h. e.* judicata. *Ulp. Dig.* 4. 8. 27. § 4. Si quis litigatorum defuerit, quia per eum factum est, quo minus arbitretur. *h. e.* arbitri sententia feratur. *Et ibid.* 11. 7. 12. § 5. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus vel dignitate defuncti. *h. e.* judicis arbitrio æstimantur: V. ARBITRIUM 3. *c.* in fin. Et *ibid.* 2. 15. 8. Modus autem pro ætate ejus, qui transigit, arbitrandus est.

ARBĪTROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (arbiter). *Arbitrarier* pro *arbitrari* dixit *Plaut. Aul.* 4. 1. 21. et alibi. — Part. *Arbitrans* et *Arbitratus* 4. *b*; *Arbitraturus* 1. — Arbitror ¶ 1. Est eventui adsum, testis et conscius sum, ausculto, speculor, observo (*V.* ARBITER). *Plaut. Aul.* 4. 1. 21. Hinc ego et huc et illuc potero quid agant arbitrarier. *Id. Capt.* 2. 1. 24. Secede huc procul, ne arbitri dicta nostra arbitrari queant. *Apul.* 4. *Met.* 21. Suspendit se fenestra, sagaciter prospecturus omnia, præsertim domus attiguæ fortunas arbitraturus. *h. e.* exploraturus. *Id.* 1. *ibid.* 7. Curiose arbitrari aliquid. ¶ 2. Hinc translate generatim est mente advertere, considerare, perpendere. *Ter. Eun.* 5. 5. 9. Here, primum te arbitrari quod res est velim; quidquid hujus factumst, culpâ non factumst meâ. *Gell.* 4. 11. Qui diligentius scitiusque carmina Empedoclis arbitrati sunt, κυάμους hoc in loco testiculos significare dicunt. — Addito autem Dativo personæ est adjudicare, sed occurrit tantum in formula *arbitrari fidem alicui*, hoc est fidem habere; quæ locutio petita est ab arbitris, qui arbitrando, hoc est sententiam dicendo, aliquid alicui adjudicant. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 41. Si pergis parvam (*al.* parum) mihi fidem arbitrarier. *Apul. de mag.* Cui ego fidem arbitratus, causam morbi esse etc. ¶ 3. Specialim ponitur de arbitris judicibus pro sententiam dare, judicare: et occurrit — *a*) Absolute. *Dig.* 45. 1. 43. Si quis arbitratu, puta Lucii Titii, sibi restitui stipulatus est; deinde ipse stipulator moram fecerit quo minus arbitretur Titius etc. *Et mox.* Quid ergo, si ipse, qui arbitrari debuit, moram fecerit? Adde *ibid.* 4. 8. 3. § 3. — *b*) Addito Dat. personæ vel rei, cujus quis arbiter est. *Dig.* 35. 1. 6. Si is, cujus arbitrium est, non vivat, vel adesse non possit, aut rei (*al.* ei) arbitrari nolit. — *c*) Addita per Infinitum sententia, quæ fertur. *Scævola Dig.* 4. 8. 44. Si arbitro paritum non esset, in eo, quod utroque præsente arbitratus esset, pœnam commissam. *Paul. ibid.* 6. 1. 35. Alioquin nec rem arbitrabitur judex mihi restitui. Adde *ibid.* 38. 1. 30., 2. 15. 8., 46. 18. 7. et alibi. ¶ 4. Sæpius arbitror est censeo, existimo, sed validis, quamvis tantummodo subjectivis, uti ajunt, argumentis innixus. Hac significatione — *a*) Proprie Verbo *arbitror* uti solebant testes, licet jurati aliquid deferrent; ea enim deferebant, quorum erant conscii et certi, quæque ipsi validis argumentis vera existimabant. *Cic. Font.* 9. 19. Credo hæc eadem Induciomarum in testimonio timuisse aut cogitavisse: qui primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, ARBITROR, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit atque omnia se scire dixit. Cf. *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 146. Sic apud *Liv.* 3. 13. extat testimonium M. Volscii per vocem *arbitror* conceptum. Et 4. 40. C. Julius trib. pleb. Sext. Tempanium excitat ad testimonium dicendum his verbis: Sexte Tempani, quæro te, arbitrerisne, C. Sempronium consulem aut in tempore pugnam iniisse, aut etc? Cf. *eumd. Liv.* 4. 41. — *b*) Hinc *arbitror* ad plurima translatum fuit, et est censeo, duco, compertum habeo. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Off.* 18. 62. Benefacta male locata malefacta arbitror. *Cato* apud *Priscian.* 7. *p.* 750. *Putsch.* Nunc ergo arbitror oportere restitui, quo minus duobus millibus ducentis ærum equestrium. *Plaut. Amph.* 2. 1. 2. Scelestissimum te arbitror. *Ter. Eun.* 1. 2. 30. PH. Civemne? TH. Arbitror: certum non scimus. *Cassius Hemina* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (86). In eo lapide insuper libros impositos fuisse, propterea arbitrari eos non computruisse. *Cic.* 1. *Divinat.* 2. 4. Furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati eorum decem interpretes delectos e civitatibus esse voluerunt. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. Ego, quod ad me attinet (idemque arbitror ceteros) idcirco taceo, quod etc. *Id.* 1. *ad Brut.* 2. Quinque cohortibus quid se nam facturum arbitratus est? Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 4, 8. et 13. 30. et 14. 32. et 26. 65. et alibi sæpissime. Hinc formula ut *arbitror*, quæ frequenter occurrit. *Cic. Cluent.* 63. 176. Tamen, ut arbitror, auctoritate advocatorum adducti in veritate manserunt. *Cæs* 1. *B. G.* 2. Pro multitudine autem hominum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur. *Id. ibid.* 4. Ut Helvetii arbitrantur. *Sall. Jug.* 60. Ubi – Numidas equites vident, rursus Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. *Nep. Alcib.* 9. Non satis tuta eadem loca sibi arbitrans. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Reges innumeri honore artium colebantur – immortalitatem sibi per illas prorogari arbitrantes.

Homonym. *V.* OPINOR in fin.

ARBOR, ŏris, f. 3. In recto casu Poetæ ad dignitatem dixerunt *arbos*, ut *Lucret.* 1. 767. et 6. 785.; *Virg.* 3. *Ecl.* 56. (V. *Wagner* ad h. l.) et 2. *G.* 57. et 3. *Æn.* 27. et alibi; *Ovid.* 2. *Met.* 212. et 1. *Fast.* 153.; et alii: tametsi *arbor* dixit *Horat. Epod.* 12. 20. et *Ovid.* 10. *Met.* 90. — In obliquis etiam casibus *arbosem* pro *arborem* dixisse olim veteres, testatur *Paul. Diac.* p. 15. 3. *Müll.* — Arbor significat plantas majores et solidiores, ut pinum, quercum, abietem, fraxinum et alias hujusmodi, quæ altius a terra exeunt, trunco eriguntur, et ramos protendunt (ut ait *Cic.* 3. *Orat.* 46. 19. Quid in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt – nisi ad suam retinendam conservandamque naturam ?), quæque ad plurimos durant annos; inter quas antiqui

et vitem recensebant, testibus Plin. 16. Hist. nat. 1. 2. (9). et 17. ibid. 1. 1. (7). et Dig. 47. 7. 3.; quamvis Colum. de arb. 1. 2. vitem medium esse inter arborem et fruticem affirmet (It. albero; Fr. arbre; Hisp. arbol; Germ. Baum; Angl. a tree).

I.) Proprie. — a) Generatim hoc nomen omnes prorsus complectitur arbores cum frugiferas, tum silvestres; quas omnes persequitur Plin. a lib. 12. ad 17. Hist. nat., frugiferas autem præcipue Scriptores Rei Rusticæ ac præsertim Colum. lib. 1. a cap. 3. ad 5. et in libro de arboribus, nec non Gargilius Martialis de arboribus pomiferis ed. Mai. (Class. Auct. T. 1. p. 387.): de arborum vero materia seu ligno ad opera facienda inter alios Vitruv. 1. 9. pluribus agit. — Quod ad Poetas attinet, plura arborum nomina collecta habes apud Ovid. 10. Met. 90. et seqq. et Stat. 6. Theb. 98.; aliquot apud Virg. 6. Æn. 180. et Sil. It. 10. 531. — Ennius apud Cic. 1. Tusc. 28. 69. Cælum nitescere, arbores frondescere, vites lætificæ pampinis pubescere. Cato R. R. 32. Vineas arboresque mature face ut incipias putare. — Arbores hoc modo putentur. Cæcilius Statius apud Cic. 1. Tusc. 14. 31. Serit arbores, quæ alteri sæculo prosient. Cic. Senect. 17. 59. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum et directos in quincuncem ordines etc. Id. ibid. Multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Id. 5. Fin. 14. 39. Arbor novella et vetula. Id. 2. Divinat. 14. 33. Arbores cædere. Id. 15. Att. 4. Excisa arbor, non evulsa. Horat. 2. Od. 14. 22. neque harum quas colis arborum Te præter invisas cupressus Ulla brevem dominum sequetur. Propert. 3. 21. 33. Penthea non sævæ venantur in arbore Bacchæ. h. e. ad quam confugerat, ut se a Baccharum furore tutaretur, ut est apud Theocrit. Idyll. 26. 10., vel ut earum sacra specularetur, ut est apud Euripid. in Bacchis 1093. Adde Lucret. 6. 782.; Cæs. 6. B. G. 27.; Nep. Milt. 5.; Varron. 1. R. R. 7. 4.; Virg. 3. Ecl. 56.; Tibull. 1. 5. 31.; Ovid. 4. Met. 15.; Curt. 6. 4. 3.; Colum. de arb. 1. 2.; Quintil. 8. 3. 70.; et Inscript. apud Orell. 961. — b) Interdum definitur Genitivo speciei, qui semper singularis est, etiamsi arbores plurali numero ponantur. Cic. Flacc. 17. 41., Colum. 5. R. R. 11. 11. et Pallad. 4. R. R. 10. 28. Arbor fici. Sueton. Aug. 94. palmæ. Id. Vesp. 5. cupressus. Pallad. 5. R. R. 5. 1. citri. Id. 3. ibid. 25. 4. piri. Id. 12. ibid. 7. 13. pruni. Id. 3. ibid. 25. 21. cydonii. — Varro 1. R. R. 1. 7. Arbores olei. Liv. 24. 3. Proceres abietis arbores. Occurrit tamen plur. num. apud Colum. 11. R. R. 2. 50. Arbores ficorum. — c) Interdum definitur etiam illius dei nomine, cui arbor est sacra. Plin. 11. Hist. nat. 1. 2. (3). Patula Jovis arbor. h. e. quercus. Ovid. 1. Met. 106. Arbor Phœbi. h. e. laurus. Id. 3. Fast. 193. Palladis. h. e. oliva. Virg. 2. G. 66. Arbor Herculea. h. e. Herculis, sive populus. — d) Denique ratione habita religionis, arbores infelices et damnatæ religione existimantur, quæ neque seruntur unquam, neque fructum ferunt, ut Plin. 16. Hist. nat. 26. 45. (1). docet. Earum aliquot enumerat Macrob. 2. Saturn. 16. Hinc arbores felices a Frontone ad Amic. 2. 6. vocantur, quæ baccis et pomis onustæ sunt.

II.) Improprie, sive ratione habita materiei, qua constat arbor, ejusque usus: de quibus hæc generatim Plin. 12. Hist. nat. 1. 2. (4). Mille præterea sunt usus earum (arborum), sine quis vita degi non possit: arbore sulcamus maria terrasque admovemus, arbore exædificamus tecta: ex arbore et simulacra numinum fuere etc. — Hinc speciatim ¶ 1. Per synecdochen in torculari arbores dicuntur bini stipites erecti, et parvo intervallo ita juncti, ut preli lingulam vel caput recipere possint. Cato R. R. 18. Inter duas arbores, quod loci supererit, robore expleto, eo plumbum infundito, superiorem partem arborum digitos sex altam facito sies. Adde eumd. ibid. 12. Plin. 18. Hist. nat. 31. 74. (317). Palis affixa arbori stella, a palis orsas arborum attollente secum arbore. ¶ 2. Similiter dicitur de arbore mali. Cum Genitivo usus est Virg. 5. Æn. 504. Arbor mali. ubi Servius advertit eodem modo locutum esse ac 8. Æn. 231., ubi montem Aventini dixit. — Absolute. Lucan. 9. 332. Arboribus cæsis flatum effudere prementem. Sil. It. 8. 120. pendentibus arbore nautis. Adde Juvenal. 12. 30. — In prosa oratione, serioris tantum ætatis scriptores dixerunt, ut Plin. 9. Ep. 26. Et Paul. Sent. l. 2. t. 3. Nave, vel arbore vi tempestatis amissa. Adde Dig. 14. 2. 3. ¶ 3. Item pro quacumque lignea materia. Virg. 10. Æn. 207. centenâque arbore fluctus Verberat assurgens. h. e. centum remis. Ovid. Heroid. 12. 8. Phryxeam petiit Pelias arbor ovem. h. e. navis Argo. Stat. 12. Theb. 769. ferratâque arbore magnos Molitur jactus. h. e. hasta. ¶ 4. Arbor infelix significat etiam crux, seu capitis pœna (V. supra I. d.). Cic. Rabir. perd. 4. 13. Tu, qui in campo Martio crucem ad civium supplicium defigi et constitui jubes. Id paullo post. Tu libentissime commemoras ea verba (antiquæ scilicet damnandi formulæ): CAPVT OBNVBITO, ARBORI INFELICI SVSPENDITO. Adde Liv. 1. 26., et V. B. G. Niebuhr, Röm. Gesch. vol. 1. p. 365; et Klotz ad Cicer. orationes vol. 2. p. 851. ¶ 5. Denique per similitudinem arbor est etiam nomen marini piscis in Oceano Gaditano, quem in tantum dispansum esse brachiis, veluti ramis, scribit Plin. 9. Hist. nat. 4. 3. (8).; ut ex ea causa fretum numquam intrasse credatur. Quo loco Plin. de marinis polypis fabulose loquitur. — NB. De urbis nomine V. ONOM.

ARBŎRĀRĬA, æ, f. 1. herba, aliter hedera nigra. Apul. Herb. 98.

ARBŎRĀRĬUS, a, um, adject. ad arborem pertinens. Cato R. R. 10. et 11., et Varro 1. R. R. 22. 5. Arborariæ falces. h. e. quibus arbores putantur. Hinc Freund recte putat apud eumd. Varron. 5. L. L. 137. p. 53. Müll. pro arboriæ legendum esse arborariæ. Tarquitius Priscus apud Macrob. 2. Saturn. 16. Ostentarium arborarium. h. e. liber, qui de externis arborum signis agit. Plin. 30. Hist. nat. 16. 53. (47). Picus arborarius. h. e. qui arbores rostro excavat. Solin. 11. et 23. Arborarii proventus. h. e. lignorum proventus.

ARBŎRĀTOR, ōris, m. 3. qui arbores putat, qui et frondator dicitur. Plin. 18. Hist. nat. 33. 76. (330). Frondem medio die arborator ne cædito. Adde Colum. 11. R. R. 1. 12.

ARBŎRESCO, is, ere, n. 3. arbor fio, in arborem cresco. Plin. 19. Hist. nat. 4. 22. (62). In Arabia malvas septimo mense arborescere.

ARBŎRĒTUM, i, n. 2. idem quod arbustum. Claudius Quadrigarius apud Gell. 17. 2. Convalles et arboreta magna erant. Gellius addit arbustum celebratius, hoc est usitatius verbum esse.

ARBŎREUS, a, um, adject. qui est arboris, ad arborem pertinens (It. arboreo; Fr. d'arbre; Hisp. de arbol; Germ. zum Baum gehörig, baumartig; Angl. arboreous). Plin. 16. Hist. nat. 36. 65. (162). Arundini Indicæ arborea amplitudo. Id. 21. ibid. 15. 51. (87). Arborea folia. Id. 12. ibid. 4. 9. (20). ebeni genus. Virg. 1. G. 55. et Ovid. 4. Met. 125. fetus. h. e. poma. Propert. 3. 10. 28. coma. h. e. frondes. Ovid. 1. Met. 632. frondes. Id. 8. ibid. 379. radix. Id. 10. ibid. 129. umbra. Virg. 1. Æn. 194. cervi cornibus arboreis. h. e. magnis et ramosis ad instar arborum. — NB. De loco Varron. 5. L. L. 137. V. ARBORARIUS.

ARBOS, ŏris, f. V. ARBOR sub init.

ARBŎSEM. V. ARBOR sub init.

ARBUSCŬLA, æ, f. 1. deminut. ab arbor.

I.) Proprie est parva atque elegans arbor. Varro 3. R. R. 15. 1. In eo arbusculas esse oportet, quæ ferunt glandem. Colum. 5. R. R. 11. 13. Arbuscula fici. Id. ibid. 10. 7. Transferre arbusculas. Adde eumd. 5. ibid. 4. 1. et 11. ibid. 2. 79.; Plin. 19. Hist. nat. 10. 58. (180).; et Plin. 1. Ep. 24. et 2. ibid. 11.

II). Improprie. ¶ 1. Arbuscula crinita, ob similitudinem, dicitur a Plin. 11. Hist. nat. 37. 44. (121). apex capitis pavonum. ¶ 2. Est etiam hoc nomine machina quædam lignea, seu potius machinæ pars, apud Vitruv. 10. 14. (20). 1. Schneid., et est lignum seu trabecula erecta habens in imo cavitatem, eique insertam rotam cum suo axe, in summo foramina duo, per quæ trajiciuntur vectes versandi causa. Hujusmodi machinæ subjiciuntur testudinibus aliisque militaribus machinis, ad eas, cum opus fuerit, quoquoversus ducendas. Græce dicuntur ἁμαξόποδες; hoc est curruum pedes, quia iis, tamquam pedibus, currus aliæque machinæ moventur. Figuras habes apud Baldum in Lex. Vitruv. et apud Joann. Anton. Rusconi l. 10. de Architect. c. 20. — NB. De nomine proprio V. ONOM.

ARBUSCULAR, hoc est locus arbusculis consitus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 119.

ARBUSTĀTUS, a, um. V. ARBUSTO.

ARBUSTĪVUS, a, um, adject. ad arbores pertinens ratione habita vineæ colendæ. Colum. 3. R. R. 13. 6. Ex omni sive arbustivo, sive silvestri loco quem vineis destinaverimus, etc. Heins. et Schneid. leg. arbusto. — Hinc arbustiva vitis dicitur (ab eodem Colum. 4. R. R. 1. 8. et a Pallad. 3. R. R. 10. 1. et 13. 1.), quæ arboribus applicatur, ut stare et crescere possit. Tria enim vitium genera enumerat Colum. de arb. 4. primum earum, quæ per se stant sine adminiculo; alterum earum, quæ humi projectæ repunt; tertium earum, quæ arboribus alligatæ in sublime procedunt. Hinc arbustiva positio apud eumd. 4. R. R. 1. 6. est, qua vitis in altum educitur: cui opponitur positio humilis. Et mustum arbustivum Amineum apud eumd. 12. R. R. 41. 1. quod ex aminea vite arbori alligata exprimitur. Id. ibid. § 2. Arbustivi Aminei urna.

ARBUSTO, as, are, a. 1. Part. Arbustatus. Est agrum arboribus consero, ad maritandas præcipue vites. Plin. 17. Hist. nat. 23. 35. (201). Transpadana Italia, præter supradictas, cornu, populo, tilia, acere orno, carpino, querce arbustat agros. Papyr. Rom. (a. 539.) apud Marini Pap. dipl. n. 114. lin. 11. Culti optimi arbustati jugera viginti. Adde ibid. n. 117. (a. 544.) lin. 4.: quæ Plinianum verbum confirmant.

ARBUSTUM, i, n. 2. (arbor vel arbos: cf. et ARBORETUM) locus arboribus, non tamen altissimis consitus. ¶ 1. Est locus arboribus plenus natura, non arte; qua significatione occurrit in plurali numero tantum apud Poetas pro ipsis arboribus. Nævius apud Non. p. 323. 1. Merc. Vos, qui regalis corporis custodias agitis, ite actutum in frundiferos lucos, ingenio arbusta ubi nata sunt, non obsita. Lucret. 1. 187). E terraque exorta repente arbusta salirent. Adde eumd. ibid. v. 352. et 806. Virg. 1. Ecl. 40. Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant. Adde eumd. 4. ibid. 2. ¶ 2. Item est locus arboribus consitus hominum manu sive arte ad aliquem finem. Cato R. R. 1. Vinea est prima —, septimo silva cædua, octavo arbustum, nono glandaria silva. Adde ibid. 7. ¶ 3. Item speciatim est locus, in quo sunt arbores sustinendis vitibus aptæ. Cato R. R. 7. In eodem fundo suum quidquid conseri oportet, arbustoque vitem copulari. Cic. Senect. 16. 54. Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis et pomariis. Plin. 7. Hist. nat. 23. 35. (199). Nobilia vina non nisi in arbustis gigni, et in his quoque laudatiora summis, sicut uberiora imis. V. ibi plura de arbustis. Adde Liv. 22. 15.; Virg. 3. Ecl. 10.; Horat. 3. Od. 1. 9.; Senec. Ep. 86.; Colum. 5. R. R. 6. 37. et 7. 1. et De arb. 1. 3. — Figurate expressa arbusto convicia dixit Horat. 1. Sat. 7. 28., hoc est ex pectore expressa, feraci maledictorum. Ducitur allegoria a vindemiatoribus ac frondatoribus, qui dum vindemiæ aut frondationi sunt intenti, in prætereuntes viatores, veluti decussa ex arbore, congerere convicia solent et ab iis vicissim dictis lacerari.

ARBUSTUS, a, um, adject. (arbos). Comp. Arbustior II. Arbustus est ad arborem quomodocumque pertinens.

I.) Proprie. ¶ 1. Arbustus est arboribus consitus. Cic. 5. de republ. 2. 3. Agri arvi et arbusti et pascui. Plin. 10. Hist. nat. 29. 41. (77). Larius lacus, amœnus arbusto agro. Colum. 3. R. R. 13. 6. Arbustus sive silvestris locus. V. ARBUSTIVUS. ¶ 2. Item arbori applicatus. Plin. 17. Hist. nat. 23. 35. (207). Arbusta vitis. h. e. arbustiva, V. ARBUSTIVUS.

II.) Translate res arbustiores dixit Tertull. 2. advers. Marcion. 29., hoc est feliciores et feraciores, sumptâ metaphorâ ab arbustis luxuriantibus: vel robustiores, validiores, quæque arbustis, non surculis similes sunt. Quidam putant legendum austeriores; alii arbustiviores.

ARBŪTEUS, a, um, adject. qui est ex arbuto arbore. Virg. 1. G. 166. Arbuteæ crates. Id. 11. Æn. 65. virgæ. Ovid. 1. Met. 632. frondes. Id. ibid. 104. fetus. h. e. fructus arbuti. Stat. 1. Theb. 584. clausa arbutei sub cortice libri Membra tepent. h. e., ut ait Forcellinus, arborei, lignei.

ARBŪTUM, i, n. 2. ¶ 1. Fructus arbuti arboris, qui et unedo dicitur (It. corbezzola; Fr. arbouse; Hisp. madroño, el fruto; Germ. Frucht des Erdbeerbaumes; Angl. the arbute). Lucret. 5. 938. quæ nunc hiberno tempore cernis Arbuta puniceo fieri matura colore. Adde eumd. 5. 963. Virg. 1 G. 147. cum jam glandes atque arbuta sacræ Deficerent silvæ. Adde eumd. 2. ibid. 520; et Varron. 1. R. R. 2. 4. ¶ 2. Pro ipsa arbore arbuti. V. ARBUTUS infra. (It.

corbezzolo; Fr. arbousier; Hisp. madroño, el arbol. Germ. die Meerkirsche; Angl. the arbute-tree). Virg. 3 G. 300. jubeo frondentia capris Arbuta sufficere. Id. 4. ibid. 181. de apib. pascuntur et arbuta passim Et glaucas salices etc. Rutil. 1. It iner. 31. fontes si mittere vocem, Ipsaque si possent arbuta nostra loqui. Forcellinus in hoc Rutil. loco arbu tum accepit pro quavis arbore per synecdochen; quod Zumpt. ad eumd. 1. negat.

ARBŬTUS, i, f. 2. Etiamsi, ratione habita etymi, hæc vox conjungenda sit cum arbos vel arbor; numquam tamen pro quavis arbore usurpatur (V. ARBUTUM in fin.): arbutus enim est specialis arbor folio citro similis, sed raris frondibus, et non deciduis, cujus fructus arbutum et unedo vocatur (It. corbezzolo; Fr. arbousier; Hisp. madroño, el arbol; Germ. der Meerkirschen-oder Erdbeerbaum; Angl. the arbute-tree). Virg. 2. G. 69. Inseritur vero ex fetu arbutus horrida. Ovid. 10. Met. 101. pomoque onerata rubenti Arbutus. Adde Virg. 3. Ecl. 82.; Horat. 1. Od. 1. 21. et 17. 5.; Colum. 7. R. R. 9. 6. et 8. ibid. 10. 4.; et Plin. 15. Hist. nat. 24. 28. (99). et 23. ibid. 8. 79. (151).

ARCA, æ, f. 1. In quadam Inscript. optimæ notæ apud Gruter. 1033. 8. legitur arka. — Ratione habita etymi vox conjungenda est cum Gr. ἄρκεω, cum Lat. arx et arceo, et cum Germ. sarg; cf. Varro 5. L. L. 128. p. 50. Müll. et 4. R. R. 28., et Döderlein Latein. Synon. vol. 6. p. 24. — Arca proprie et generatim dicitur quidquid hominibus aut rebus claudendis et custodiendis inservit.

I.) Proprie et quidem speciatim ¶ 1. Arcæ dicuntur loca secretiora et obscuriora, roboreis axibus munita (V. ROBUR), vel in publico carcere ad reos custodiendos, vel etiam in privatis domibus ad coercendos servos. Cic. Mil. 22. 61. Servi subito arrepti in quæstionem, tamen separantur a ceteris et in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Paul. Diac. p. 264. 12. Müll. Robus quoque in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis (h. e. tabulis in modum arcæ compactis) includebatur. ¶ 2. Sumitur et pro loculo seu sarcophago. Cassius Hemina apud Plin. 13. Hist. nat. 13. 27. (85). Lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquo versus. Plin. loc. cit. Cn. Terentium scribam repastinantem offendisse arcam, in qua Numa situs fuisset. Adde Liv. 40. 29.; Val. Max. 1. 1. 12.; Aurel. Vict. Vir. illustr. 42. in fin., et Inscript. apud Gruter. 482. 2. ¶ 3. Pro loculo, vel sandapila, in qua cadaver, præcipue pauperum, ad tempus reponitur, postmodum perpetuæ sepulturæ tradendum, est locus Cajl. Dig. 11. 7. 7. § 1. Adde Horat. 1. Sat. 8. 9. et Lucan. 8. 736. ¶ 4. Item pro receptaculo, in quo aliquid custoditur. Cato R. R. 11. Arca vestiaria. h. e. in qua vestes reponuntur. Cf. Horat. 2. Sat. 3. 119. Cic. 2. Divinat. 41. 86. Ex illa olea arcam esse factam, eoque conditas sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Cf. Sueton. Tib. 63. Cic. 2. Orat. 69. 279. Cum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat etc. h. e. cistam. Cf. Horat. 2. Sat. 7. 59., et Sueton. Cal. 59. ¶ 5. Quod ad artes attinet — a) Arca in organo hydraulico est conceptaculum aeris. Vitruv. 10. 8. (13). 1. Schneid. — b) Arca in tectis ædium videtur esse universa dispositio trabium, quæ tectum sustinent: referunt enim opercula arcarum sepulcralium, quæ fastigiata in modum culminis tecti visuntur. Ita Forcellinus interpretatur locum Vitruv. 6. 3. et 4. recentiores vero philologi, fortasse rectius, putant, arcam h. l. esse eam in tecto constructionem, quæ aquis pluviis excipiendis atque in impluvium vel puteum demittendis inservit. — c) Præterea arca dicitur machina lignea ex trabibus tabulisque in modum arcæ compacta, sed sine fundo, quæ in aquas demittitur; ejusque medium spatium (exclusa haustoriis machinis aqua) congestis cæmentis aliaque materia impletur: qua ratione fundantur moles ad concludendos portus muniendosque contra impetum fluctuum. Vitruv. 5. 12. — d) Denique agrimensoribus arcæ sunt limites quadrati in modum arcæ constructi. Hinc arca finalis, quadrifinalis, arca trifinia etc. apud Auctores Rei Agrar. p. 119., 221., 223., 271. Goes. et alibi passim. Alii tamen his in locis arcas sepulcrales intelligunt in agrorum finibus locatas, quæ terminorum vices supplerent. ¶ 6. Speciatim omnino arca frequentissime usurpatur pro receptaculo nummorum, quod, teste Juvenal. 11. 26. et 14. 259., ferro alio ve metallo muniebatur. Varro 5. L. L. 182. p. 70. Müll. Quod asses librales pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant. Horat. 1. Sat. 1. 66. nummos contemplor in arca. Juvenal. 11. 26. inter arcam et sacculum distinguit, ut illa sit locupletum, hic pauperum: Ignoras quantum ferrata distet ab arca Sacculus. Adde eumd. 13. 74. — Hinc ex arca domoque vel domo ex arca sua solvere est præsenti pecunia et ex domo sua debitum solvere: cui opponitur ex mensæ scriptura vel de mensæ scriptura, scil. ex mensa argentariorum, qui in foro erant et pecuniam debitoribus sub prædiorum pignore dabant. Donatus ad illud Ter. Adelph. 2. 4. 13. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam; hæc habet: Tunc enim in foro, et de mensæ scriptura, magis, quam ex arca domoque vel cista pecunia numerabatur. Id. ad illud Ter. Phorm. 5. 7. 30. Sed transi, sodes, ad forum, atque illud mihi argentum rursum jube rescribi; hæc adnotat: Per scripturam, id est de mensæ scriptura dari, unde hodie additur chirographis: domo ex arca sua vel ex mensæ scriptura. Hinc Paul. Dig. 12. 1. 40. init. Lecta est in auditorio Æmilii Papiniani Præf. prætorio JCti cautio hujusmodi: Lucius Titius scripsi me accepisse a Publio Mævio quindecim mutua numerata mihi de domo: et hæc quindecim proba recte dari Kal. futuris stipulatus est Publius Mævius, spopondi ego Lucius Titius. Seneca Ep. 26. § 7. Puta, me non dicere, unde sumpturus sim mutuum: scis cujus arca utar. Expecta pusillum, et de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus, qui ait etc. Inscript. apud Murat. 1439. 7. AVRELIA VICTORINA QVAE EMIT EX ARCA EX PROPRIO SVO. Papyrus apud Marin. Papir. diplom. n. 115. lin. 9. Auri solidi dati, numerati et traditi sunt domi ex arca vel ex sacculo suo, testibus præsentibus etc. Hæc fere ex Marin. Papir. Diplom. p. 337. V. MENSA. — Quare

II.) Translate arca accipitur pro pecunia, et præcipue pro pecunia præsenti cum privata, tum publica. — a) De privatorum pecunia. Cic. 1. Att. 9. 2. Quidquid ejusdem generis habebis —, ne dubitaris mittere et arcæ nostræ confidito. Id. Parad. 6. 1. 44. Animus hominis dives, non arca appellari solet. Adde eumd. 2. ad Q. fr. 12. 5.; Catull. 23. 1., et Plin. 3. Ep. 19. Colum 3. R. R. 3. 5. Arcam patrisfamilias exhaurire. Id. 8. ibid. 8. 9. complere. Apul. 7. Met. 4. Communi arcæ conferre aliquid. — b) Seriori ætate arca occurrit et pro pecunia publica seu fisco. Symmach. 10. Ep. 33. Cum fiscus in tempore, quod præbendum fuerat, non haberet ex arca quæstoria. Cassiod. 2. Variar. ep. 24. Arca Vicarianæ sedis. Imppp. Valentin. Theodos. et Arcad. Cod. 12. 50. 4. et Imppp. Gratian. Valentinian. et Theodos. Cod. Theod. 8. 1. 12. Arca fiscalis. h. e. in quam pecunia publicorum tributorum infertur. Symmach. 10. Ep. 42. Arca vinaria. h. e. in qua sunt pecuniæ vectigales ex vino. Sic arca olearia et frumentaria apud Hermogenian. Dig. 50. 4. 1. § 2. et Imppp. Valentinian. Theodos. et Arcad. Cod. Theod. 12. 11. 2. Et arca pontificum Rom. in Inscript. apud Orell. 2145. et 4549. Neque aliter arcam Numinis dixit Prudent. περὶ στεφ. 2. 122. publicam Ecclesiæ pecuniam intelligens. — NB. De urbis nomine V. ONOM.

ARCĀLIS, e, adject. ad arcam pertinens. Arcales tituli memorantur in Valentinian. Novell. Neque domum divinam etc. (inter Theodosian. tit. XXI.), opponunturque iis, quos sacri vel privati ærarii partibus deputavit vetustas.

ARCĀNĔ. V. voc. seq.

ARCĀNŌ, adverb. (arcanus). De Comp. et Sup. V. infra. Arcano est clam, occulte (It. segretamente; Fr. secrètement, en secret; Hisp. secretamente, ocultamente; Germ. auf verschlossene oder heimliche Weise; Angl. secretly, privily). Plaut. Trin. 2. 4. 117. Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat. Cic. 16. Att. 3. Hunc tu translatum in macrocollum, lege arcano convivis tuis. Ita legisse videtur etiam Charis. 2. p. 173. et 179. Putsch. Alii perperam leg. lege in Arcano convivis tuis, h. e. in villa Quinti fratris, quæ Arcanum appellabatur, de qua V. ARCANUM in ONOM. Cæl. 1. B. C. 19. Arcano cum familiaribus suis colloqui. — Arcane pro arcano, et inde arcanius, arcanissime non probantur ab eodem Charis. loc. cit. Nihilominus videtur arcanius usurpasse Colum., cujus hæc verba sunt 3. R. R. 2. 22. Sed de hac sententia, quamquam et ipse paullo ante idem censuerim, quid tamen arcanius judicem, suo loco mox dicam. h. e. quale sit occultius judicium meum et nulli adhuc manifestatum.

ARCĀNUM, i. V. ARCANUS in fin.

ARCĀNUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum arceo, arca et arx: unde et Paul. Diac. p. 16. 3. Müll. Arcani sermonis significatio trahitur sive ab arce, quæ tutissima pars est urbis; sive a genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum a notitia vulgari, ut ne litteris quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur; sive ab arca, in qua quæ clausa sunt, tuta manent, cujus ipsius origo ab arcendo pendet. Et Servius ad Virg. 1. Æn. 262. Arcana, secreta. Unde et arca et arx dictæ quasi res secretæ, a quibus omnes arceantur. — Arcanus itaque est clausus, occultus, ignotus, tacendus, ita ab hominum oculis abditus, ut nemo ejusdem particeps sit (It. arcano, segreto, occulto, nascosto; Fr. caché, secret; Hisp. secreto, oculto, escondido; Germ. unzugänglich, geheim gehalten, geheimnissvoll oder geheim; Angl. close, secret, hidden). — a) Generatim. Cic. 2. Fin. 26. 85. At quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia. Tecum optime: deinde etiam cum mediocri amico. Liv. 23. 22. Arcani quid sanctive ad silentium. Virg. 4. Æn. 422. arcanos tibi credere sensus. Id. 6. ibid. 72. Arcana fata. Horat. 3. Od. 21. 14. arcanum consilium retegere. Adde Liv. 31. 18. Propert. 4. 8. 19. Arcana taberna. Ovid. 2. Amor. 15. 15. tabellæ. Id. 9. Met. 516. littora. Curt. 6. 10. 28. Arcanum et occultum scelus. Plin. Paneg. 49. Arcana cubilia. Tac. 2. Ann. 54. Arcanus fons. Id. 12. Ann. 47. fœdus. h. e. sacrum; sacra enim celari mos erat. Sueton. Tib. 43. libidines. Plin. 20. Hist. nat. 1. 8. (21). præcepta. Sil. It. 6. 173. lucus. Martial. 5. 84. popina. Id. 7. 27. garum. h. e. reconditum et exquisitum. — b) Speciatim de sacris dicitur, quæ scilicet religionis causa celantur; et de iis quæ occultam et magicam atque adeo sacram vim habent. Horat. Epod. 5. 52.; Ovid. 10. Met. 436. et Heroid. 12. 79., et Tac. Germ. 18. Arcana sacra. Propert. 4. 7. 45. arcanas tollere salivas. Sil. It. 2. 427. arcanum libare cruorem. Stat. 2. Silv. 4. 92. arcanos iterat Cytherea liquores. Claudian. 3. Rapt. Pros. 402. arcano perfudit robora succo. Inscript. apud Orell. 2491. PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANAE REIP. ARCANAQVE VRBIS PRAESIDIA ANNVANT. Cf. Le sette cose fatali di Roma antica illustrate da F. Cancellieri. Roma 1812. in 8. — c) Hinc de ipsis ponitur diis, quorum aguntur mysteria. Horat. 3. Od. 2. 26. vetabo, qui Cereris sacrum Vulgarit arcanæ etc. — d) Raro admodum ponitur de personis, quæ aut occultæ sunt, aut suæ fidei commissa religiose custodiunt. — De personis, quæ occultæ sunt. Arcanus dictus est Juppiter, quia infans arcano subductus patri Saturno eum vorare cupienti, Curetum diligentia servatus est, et ob id aliquando arcanis sacris cultus. Hoc cognomine is appellatus est Præneste. Inscript. apud Donat. p. XLI. P. ACILIO P. F. MEN. PAVLLO CVLTORES JOVIS ARKANI. Adde aliam apud Fabrett. c. 5. n. 352. Cæsii Taur. vol. Fortun. Prænestin. 17. in Anthol. Burm. Fortunæ simulacra colens et Apollinis aras Arcanumque Jovem. Ovid. 1. Amor. 7. 10. Arcanæ deæ. h. e. Furiæ, quæ ceteris omnibus occultæ, uni apparebant Oresti. — De iis, quæ sibi commissa tegunt. Plaut. Trin. 2. 4. 134. ST. Cave sis dixeris, me tibi dixisse hoc. PH. Dixisti arcano satis. Plin. 7. Hist. nat. 52. 53. (178). Petit ut Pompejus ad se veniret, aut aliquem ex arcanis mitteret. h. e. ex iis, qui fidi erant et arcana servabant. Quod vero quædam edition. hab. a caris, rejicit Harduin. ex constanti MSS. auctoritate. Sil. It. 1. 140. Arcanum pectus. Similiter Ovid. Heroid. 9. 40. et Stat. 1. Silv. 3. 71. Arcana nox.

Arcanum, i, n. 2. substantivorum more pro re arcana et tacenda occurrit — a) Raro absolute. Horat 2. Sat. 1. 30. Arcana credere alicui. Curt. 6. 7. 3. Arcana et silenda afferre. Juvenal. 9. 116. prodere arcanum. Plin. Paneg. 23. proferre. Curt. 6. 10. tacere. Tac. 6. Ann. 21. Judicem arcani esse. — b) Sæpius cum Genit. Virg. 7. Æn. 123. Fatorum arcana volvere. Adde eumd. 1. ibid. 262. Horat. 1. Od. 28. 9. Jovis arcanis Minos admissus. Id. 1. Ep. 18. 37. Alicujus arcanum scrutari. Et ibid. commissum tegere. Curt. 4. 6. 5. Arcana regum mira fide celare. Quintil. 1. 12. 15. Arcana aliquorum perdiscere. Tac. 2. Ann. 36. Arcana imperii tentare. Id. 2. ibid. 59. Arcana dominationis. — Huc referri pot-

est et illud *Pallad. de insit.* 2. Si quid in arcano pectoris umbra tegit.

Homonym. Inter *arcanus* et *secretus* idem interest discrimen, quod inter *celare*, *occultare* et *abdere*, *abscondere*. Namque *arcana*, quia clausa, per se latent; *secreta*, quia in oculis hominum versabantur, remota sive abdita sunt, ut lateant. Præterea *arcana* habent fere semper in se aliquid sacri, religiosi et horrendi; *secreta* vero nihil ejusmodi habent, sed talia sunt quia in solitudine tractantur. *Tac.* 1. *Ann.* 6. Sallustius Crispus particeps secretorum – monuit Liviam, ne arcana domus vulgarentur. *Id. Germ.* 40. Numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit id quod tantum perituri vident. *Plin. Paneg.* 34. Præbeit – secretas illas et arcanas ac sub te primum communes opes. *Curt.* 7. 7. 24. Arcana mea et secreta te prudente cognovit. *Apul.* 3. *Met. p.* 58. *Bip.* Arcana dominæ meæ revelare secreta.

ARCĀRĬUS, a, um, adject. ad arcam pertinens, qui ex arca promitur (*V.* ARCA I. 6. et II.). *Cajus Instit. l.* 3. § 131. *edit.* a *Goeschenio*. Alia causa est eorum nominum, quæ arcaria vocantur; in his enim rerum, non litterarum obligatio consistit: quippe non aliter valent, quam si numerata sit pecunia; numeratio autem pecuniæ jure naturali facit obligationem: qua de causa recte dicemus, arcaria nomina nullam facere obligationem, sed obligationis factæ testimonium præbere. Unde proprie dicitur, arcariis nominibus etiam peregrinos obligari, quia non ipso nomine, sed numeratione pecuniæ obligantur, quod genus obligationis juris gentium est.

ARCĀRĬUS, ii, m. 2. Arcarii dicuntur, qui accepta et expensa arcarum tractant, sive publica, sive privata sit arca (It. *ministri alla cassa*, *cassieri*; Fr. *caissier*, *trésorier*; Hisp. *cazero*; Germ. *ein Cassenbeamter*, *Cassirer*; Angl. *treasurer*, *cofferers*). — a) De arcario fisci. *Lamprid. Alex. Sev.* 43. Arcarios instituit, qui de arca fisci ederent munera. *Fragm. Juris Antejustin.* a *Maio* edita *p.* 38. Arcarii Cæsariani, qui in foro Trajani habent stationes, ex sacris constitutionibus multifariam emissis habent immunitatem. *Symmach.* 1. *Ep.* 62. Arcarius pontificialis. *Inscript.* apud *Orell.* 2821. Arcarius provinciæ Achajæ. Adde *Paul. Sent.* 3. 6. 72. — b) De iis, qui privatam domini pecuniam administrant. *Scævola Dig.* 40. 5. 41. § 17. Stichus arcarius, probante domino, nomina fecit etc. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 641. 7. 8., quæ apud *Orell.* est 3346.

ARCĀTŪRA, æ, f. 1. arcæ structura; et occurrit tantum pro limite agrorum, sive pro arca finali (*V.* ARCA I. 5. d.). *Cassiod.* 3. *Variar.* 52. Miramur fuisse litigatum, quod aut terminis testibus, aut jugis montium, aut fluminum ripis, aut arcaturis constructis aliisque signis evidentibus constat esse definitum.

ARCĀTUS, *V.* ARQUATUS.

ARCEBĬON, ii, n. 2. quædam herba apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 25. (11). Est et alia herba proprio nomine onochites, quam alii anchusam vocant, alii arcebion. *V.* ANCHUSA.

ARCELA *seu potius*

ARCELĀCA vitis. *Arcellam*, vel, ut alii edidere, *arcelam* inter vitium genera enumerat *Colum.* 3. *R. R.* 21. 3., quam quidam putant dictam esse tamquam deminutivum ab *arcera*, quod ramis sese curvantibus, in similitudinem arceræ, disponi ab agricolis soleat. *Id. Colum. ibid.* 2. 27. et 7. 1. recenset itidem inter vites *arcellatam*; vel, ut in aliis editionibus legitur, *arcelatam*, seu *arcelacam*: quam dictam existimant pro *arculatam*, hoc est in modum arcus dispositam. Alii *arcellatam* exponunt arcella circumdatam, nempe quo radices terra tectiores et tutiores sint. Sane *arcella* seu *arcela*, et *arcelata* seu *arcelaca* idem omnino vitis genus significare apud *Columellam* videntur: sed unde dictæ sint, et quam tandem vitem designent, definire est admodum difficile. *Schneider.* in omnibus *Colum. loc. cit.* leg. *arcelaca*.

ARCELLA, æ, f. 1. parva arca, arcula. *Paul. Diac. p.* 25. 3. *Müll.* Arca diminutivum facit *arculam* et *arcellam*, ut a porco *porculum* et *porcellum* etc. Hinc non semel legitur apud Rei Agrariæ Scriptores, qui tum *arcellam*, tum *arcam* inter varias limitum agrariorum formas enumerant. *Frontin. de Colon. p.* 119. *Goes.* Adde *p.* 260. et 308. *V.* ARCA I. 5. d.

ARCELLĀRĬUS, a, um, adject. Lapis ex *Pighio* apud *Begerum* in *Spicilegio Antiquit. p.* 103. Atriensis arcellarius, fere idem ac topiarius. Arcellarii simpliciter non dicuntur, sed atrienses arcellarii. Hi ab *arcellis* dicti videntur, uti *arcarii* ab *arcis*.

ARCELLŬLA, æ, f. 1. deminutivum ab *arcella*: quo usi sunt veteres teste *Diomed.* 1. *p.* 313. *Putsch.*

ARCEO, ces, cui, cere, a. 2. *Arcērat* pro *arcuerat* apud *Paulin. Petroc. de visit. nep.* 26. Me quoque submotum pietas arcerat ab omni Officio. *Sed potius legendum* arcebat. Supinum *arcitum*, et per syncopen *arctum* seu *artum*, quod ab *arceo* derivare volunt nonnulli, inter quos *Priscian. p.* 1165. *Putsch.*, non est in usu: nisi quod *coerceo* facit *coercitum*. De adjectivo autem *artus*, *a*, *um*, V. quæ suo loco dicemus. — Part. *Arcens A.* I.; *Arcendus A.* II. — Ratione habita etymi, *Forcellinus* deducit ab ἀρκέω *propulso*, quod idem significat ac εἴργω vel εἴργω *prohibeo*, veto ne aliquis accedat, removeo, defendo. Latius tamen vox conjungi potest cum Gr. εἴργω, ἕρκος, et Lat. *arca*, *carcer* (cf. et Germ. *ferchen*, *pferchen*). — Arcere itaque est continere. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 31. Aliquando (*arcet*) significat et continet. *Enn.*: Qui fulmine claro Omnia per sonitus arcet. *id est* continet. Et *Paul. Diac. p.* 15. 9. *Müll.* Arcere est continere. Unde et arcus in ædificiis dictus est, quia se ipse continet. Et *Placid.* in *Gloss. p.* 435. *Mai.* Arcent, tenent, custodiunt: unde coercere. — Hinc factum est, ut eadem ratione qua dicimus *continere aquam ne ab alveo exeat*, *continere manus ab aliqua re* aliaque hujusmodi, *arcere* quoque significaret prohibere, vetare ne aliquis accedat, removere, defendere. Itaque

A) Arcere est

I.) Proprie continere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Alvus arcet et continet, sive illud aridum sit, sive humidum, quod recipit. *Id.* 6. *de republ.* 17. 17. Quorum (*orbium*) unus est cælestis, extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, arcens et continens ceteros. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 152. Nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus. *h. e.* ripis coercemus. — Huc pertinet et formula *arcere aquam pluviam*, hoc est impedire, ne e suo alveo exeat et vicini fundo noceat: qua de re *V.* JCtos in *Dig.* 39. *tit.* 3., qui est De aqua et aquæ pluviæ arcendæ. Hinc ille jocus *Cic. Muren.* 9. 22. Ille tenet et scit, ut hostium copiæ, tu, ut aquæ pluviæ arceantur. Adde *eumd. Top.* 10. 43.

II.) Translate est coercere, in officio continere. Huc pertinet lepidus jocus in illo *Plaut. Mil. glor.* 5. 33. Si posthac prehendero ego te hic, arcebo testibus. *h. e.* coercebo, puniam testiculos tibi avellendo: simulque ludit in ambiguo; posset enim et hoc modo explicari: propulsabo te hinc testibus adhibitis, et domum meam ultra accedere prohibebo, tamquam adulterum. *Cic. Harusp. resp.* 3. 4. Videbam illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem adolescentis furentis – non posse arceri otii finibus: erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem civitatis. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 48. Hos quidem, ut famulos, vinclis ac custodia arceamus. *Orellius* ex optimis codicibus *arceamus* omittit. *V.* et *NB.* in fine hujus vocis. *Paul. Diac. p.* 175. 3. *Müll.* Noverca dicitur, quam quis liberis sublatis novam uxorem ducit arcendæ familiæ gratia. *al. minus recte leg.* augendæ, *al.* arcessendæ. Cf. *Festus p.* 174. 10. *Müll.*

B) Arcere est etiam, ut diximus sub init., prohibere, vetare, ne aliquis accedat, removere, defendere, tum proprie, tum translate. Occurrit — 1.) Absolute, et ponitur — *a*) De hominibus. V. *Plaut. Mil. glor.* 5. 33. superius sub *A.* II., et *Cic. Muren.* 9. 22. sub *A.* I. *Liv.* 8. 29. Prædam militibus, quod eos neque portæ, neque muri hostium arcuerant, concessit. *Virg.* 2. *Æn.* 405. Ad cælum tendens ardentia lumina frustra, Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas. *h. e.* vetabant, ne palmas ad cælum tenderet. *Horat.* 3. *Od.* 1. 1. Odi profanum vulgus et arceo. *Ovid.* 2. *Met.* 301. Ille – Nescius extimuit, propiusque accedere aventi Vulnifico fuerat fixurus pectora telo. Arcuit omnipotens pariterque ipsosque nefasque Sustulit. *Tac.* 2. *Ann.* 48. Ignotos et aliis offensos procul arcebat. — *b*) De inanimis et abstractis. *Liv.* 3. 8. Arcere bellum. *Id.* 1. 40. contumeliam. *Id.* 26. 20. commeatus præsidii Romani. *Ovid.* 2. *Met.* 735. somnos. *Id.* 3. *Trist.* 10. 19. frigora pellibus et braccis sutis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (12). Platanus solem æstate arcet, hieme admittit. *Tac. Dial. de orat.* 22. Arcere imbrem et ventum. *Id.* 16. *Ann.* 10. mortem. *h. e.* medicamine. *Id.* 1. *ibid.* 39. vim extremam. *Id.* 4. *Hist.* 64. colloquia congressusque aliorum. *Vellej.* 2. 120. 6. arma. *Lucan.* 2. 295. furorem. — 2.) Addito termino, a quo quis vel quæ res prohibetur et removetur. — *a*) Per Ablat. et præp. *ab*. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 33. Tum tu, Juppiter –, hunc et hujus socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac mœnibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis. *Id.* 11. *Phil.* 2. 4. Aliquem a progressu arcere. *Id.* 1. *Legg.* 14. 40. Si homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet. *Id.* 1. *Off.* 34. 122. Adolescentia a libidinibus arcenda est. *Id. Parad.* 3. 2. § 23. Arcere homines ab improbitate. *Virg.* 4. *G.* 168. pecus a præsepibus. *Ovid.* 9. *Met.* 750. aliquem ab amplexu. *Id.* 6. *Fast.* 481. Quæ dea sit, quare famulas a limine templi Arceat, (arcet enim), libaque torta petat. — *b*) Per Ablat. sine præpos. *Cic.* 5. *Phil.* 13. 37. Qui illum non ut consulem recepit, sed ut hostem arcuit Galliis. *Id.* 1. *ibid.* 40. 104. Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus arcebit. *Id.* 1. *Tusc.* 37. 89. Arcere aliquem reditu. *Id.* 2. *Legg.* 10. 25. Quid est, cur paupertatem deorum adita arceamus? *Liv.* 3. 8. populationes sociorum agro. *Id.* 7. 35. et 9. 24. aliquem ascensu. *Id.* 26. 20. aliquem agro. *Id.* 26. 25. aliquem aditu. *Id.* 26. 41. transitu hostes. *Virg.* 1. *Æn.* 31. aliquem longe Latio. *Ovid.* 4. *Met.* 647. externos finibus suis. *Vellej.* 2. 33. *extr.* aliquem rapinis. *h. e.* impedire ne rapinas faciat. *Tac.* 3. *Ann.* 23. aliquem aqua et igni. *Sueton. Ner.* 46. Arceri progressu. — Interdum apud Poetas occurrit *arcere aliquem aliqua re* pro *arcere aliquam rem ab aliquo*, ut apud *Virg.* 8. *Æn.* 73. aliquem arcere periclis. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 10. quempiam veterno funesto. *h. e.* veternum ab eo propulsare. *Id. Art. P.* 64. classes aquilonibus arcet. — *c*) Per Dat. ejus, cujus commodo aliquid arcetur. *Virg.* 3. *G.* 155. Asilum Arcebis gravido pecori. — *d*) Per Infinitum, numquam tamen ante Ovidium. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 56. Quam lex furtivos arcet habere viros. *Id.* 3. *Met.* 88. plagamque sedere Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 34. nec te lugere severus Arceo. *Id.* 1. *Theb.* 455. tecto cælum prohibere quis iste Arcuit? Adde *Sil. It.* 13. 341. et 5. 51., et *Senec. Hippol.* 806. — In prosa oratione occurrit tantum apud *Tac.* 3. *Ann.* 72. Nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut exundantes opes ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre. — *NB. Arcere* visum est aliquando usurpari pro arcessere, arcire. *Cic. Quinct.* 22. 71. Præstituendæ horæ ad arbitrium nostrum: judex ipse arcebitur. *arcessetur* plerique habent; alii quidam malunt *arcibitur* ab *arcio* pro *accio*: priorem tamen lectionem recentiores cum *Orellio* tuentur, *judex ipse arcebitur*, hoc est in officio continebitur, coercebitur. *Müllerus* tamen putat τὸ *arcebitur* descendere ab *arcio* sive *accieo*, quod in usu fuisse *Plautus* et *Diomedes* testantur, elisa vocali *i*, ut factum est in verbo *arcesso*: hæc autem in notis ad locum *Festi p.* 321. 21. Sagmina vocantur verbenæ, id est herbæ puræ, quia ex loco sancto arcebantur a consule prætoreve, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum bellumque indicendum. *h. e.* arcessebantur: quod si corrigendum sit idem *Müllerus*, probabilius *Huschkius* corrigit *arcedantur*, collato *Liv.* 30. 43. et 1. 24. *Paul. Diac. p.* 320. 3. *Müll.* eadem ferme habet quæ *Festus*.

ARCERA, æ, f. 1. ab *arca* deducitur, ut docent *Varro* 5. *L. L.* 140. *p.* 54. *Müll.*, *Gell.* 20. 1. et *Non. p.* 55. 2. *Merc.*, et significat plaustrum tectum undique ex tabulis, quasi arca quædam magna, quo vehiculi genere senes et ægroti cubantes vectabantur. Ante lecticas in usu fuit, et his inventis postea desiit. Cum eo adhiberi opus erat, stragula veste sternebatur. Hinc illud in *Leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1. SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, QVI IN JVS VOCABIT, JVMENTVM DATO, SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO. Adde *Varron. l. c. Id. Varro* apud *Non. p.* 55. 7. Vehebatur cum uxore vehiculo semel aut bis in anno, cum arceram, si non vellet, non sterneret. V. *Oehler* ad h. l. in *Varr. Sat. Menipp. reliq. p.* 135. *Id. Non. ibid.* testatur etiam Ciceronem hoc vocabulo usum esse: nempe, addit *Furlanetto*, ex *Fragm. orat. pro Font.* 2. *in fin.* apud *Niebuhr.*, et apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 367., cujus videsis notam ibidem subjectam. Sed locus est omnino dubius. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 744. Arceram veteres vehiculum vocabant.

ARCERANEUS. *V.* ATTERRANEUS.

ARCESSĪTĬO, ōnis, f. 3. idem ac arcessitus. Translate pro morte usurpat *Cyprian. de mortalit. ad fin.* Cum arcessitionis propriæ dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus.

ARCESSĪTOR, ōris, m. 3. qui arcessit seu vocat. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *in fin.* Altius ibi otium et pinguius eoque securius: nulla necessitas togæ, nemo arcessitor ex proximo. ¶ 2. Speciatim est qui accusat, sive in judicium vocat. *Ammian.* 20. 1. *in fin.* Verba placentia arcessitori loqui.

ARCESSĪTUS, a, um. *V.* ARCESSO.

ARCESSĪTUS, us, m. 4. vocatus (It. *chiamata, invito*; Fr. *invitation de venir, appel*; Hisp. *cita ó llamamiento*; Germ. *das Herbeiholen oder Herbeirufen*; Angl. *a calling, sending for, inviting*). Extra Ablativum casum exempla notatum vidimus. *Plaut. Stich.* 2. 3. 3. Salve: tuo arcessitu venio huc. *Cic.* 1. *Nat. D.* 6. 15. Cum ad eum ipsius rogatu arcessituque venissem. *Ammian.* 31. 10. Docet, arcessitu Valentis Gratianum mox signa moturum.

ARCESSO, is, ivi *vel* ii, itum, ere, a. 3. Infinitum *arcessire* et speciatim passive *arcessiri* occurrit apud optimos quoque Scriptores in prosa oratione, ut notarunt *Heusinger* in *Observat. ant.* p. 431., *Oudendorp.* ad *Cæs.* 1. *B. G.* 3. aliique. — Legitur et *accerso* in multis libris tum MSS., tum editis; defenditurque a nonnullis doctis viris. *Charis.* 1. p. 227. *Putsch.* et *Diomed.* 1. p. 375., quos non pauci posterioris ætatis grammatici secuti sunt, ita distinguunt, ut *accerso* vocare significet, *arcesso* accusare. Verum *arcesso* multo firmiora habet argumenta: deducitur enim ab *arcio* pro *accio*, quod *advocare* significat, ex *ad* et *cio* (*ar* autem supra monuimus pro *ad* usurpari, præsertim in compositis). Quam etymologiam probant *Priscian.* 1. p. 559. *Putsch.*, *Velius Longus* p. 2232. *ibid.*, *Manut.* ad *Cic.* 7. *Fam.* 23., *Voss. Etymol.*, et alii quamplurimi. At nuper *Döderlein.* (*Latein. Synon. vol.* 3. *p.* 282.) compositum putat ab *ar* et *cedo*, unde causativum *cesso*: (quod enim *Diomed. arcesso* ab *arceo* derivat, futile videtur et absurdum; cum *arceo* contrariam habeat significationem). Præterea antiquiores multo et meliores sunt codices *Ciceronis* præcipue ac Cæsaris, in quibus *arcesso* legitur, ut *Manut. loc. cit.*, *Pier.* ad *Virg.* 10. *Æn.* 11., et inter recentiores *Wagner* in *Orthogr. Virgil.* p. 417. et *R. Dietsch.* ad *Sall. Cat.* 40. et *Jug.* 62. testantur. Quod si in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 381. *n.* LXXXVI.[1], quæ est apud *Orell.* 4221. legimus: QVI VIXIT ANN. IIII. M. VIII. DIES V. ACCERSITVS AB ANGELIS VII. ID. IAN.: in *Fastis Prænestinis*, qui profecto majoris pretii sunt, legimus apud *Orell. Inscript. vol. II.* p. 388. MATER . MAGNA . EX . LIBRIS . SIBVLLINIS . ARCESSITA . LOCVM . MVTAVIT . etc. Quod vero discrimen docuerunt *Charis.* et *Diomed.* sane nullum id est, cum passim *arcessere* et pro vocare et pro accusare usurpatum legatur; nam et qui accusat in judicium vocat. Ex his itaque omnibus, necnon ex *Orell.* et *Klotz.* ad *Cic.* 4. *Tusc.* 1. 2., *Orell.* ad *Cic.* 2. *Off.* 14. 51. et *Zumpt.* ad *Cic. Verr.* p. 740. et 771. facile colligere possumus, *arcesso* antiquiorem fuisse hujus verbi formam, cujus loco deinde, præcipue apud ceteros Italiæ populos extra Urbem et Latium, *accerso* dictum est. — Part. *Arcessens* I. 1.; *Arcessitus* I. 1. et in fine; *Arcessiturus* et *Arcessendus* I. 1. — Arcesso est advoco, adducendum seu afferendum curo (It. *chiamare, far venire*; Fr. *faire venir, appeler*; Hisp. *apelar, llamar*; Germ. *machen, dass Jemand herbei kommt, Jemanden herbei-herzu-oder herholen oder rufen lassen*; Angl. *to call, send for, invite, summon, fetch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de personis vel animalibus, et est advocare, adducendum curare. Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 5. 4. 30. Eamus intro, ut arcessatur faber. *Id. Rud.* 4. 4. 12. Abiisti hinc herum arcessitum. Adde *eumd. ibid.* 5. 1. 28. et *Cas.* 3. 2. 69. *Ter. Andr.* 3. 3. 14. Si in rem est utrique, arcessi jube. Adde *eumd. Adelph.* 3. 2. 56. *Cæcilius Statius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 32. 68. Cujus in manu sit; quem esse dementem velit, – quem contra amari, quem expeti, quem arcessier. *Cic.* 1. *Verr.* 9. 25. Siculos in eo sane liberos fuisse, qui quamobrem arcesserentur cum intelligerent, non venisse. *Id.* 1. *Att.* 18. Te expectamus, te desideramus, te etiam arcessimus. *Id.* 15. *ibid.* 13. Qui nunciaret Bassum arcessi, Cassium expectari. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Factum esse, ut ab Arvernis Sequanisque Germani mercede arcesserentur. *h. e.* conducerentur. Adde *Nep. Dion.* 2. et *Sall. Cat.* 40. *Liv.* 3. 45. Placere itaque, patrem arcessiri. *Id. ibid.* 9. *extr.* Consules extemplo arcessiti. *Id.* 38. 30. Jamdiu arcessentibus Ægiensibus. *Virg.* 5. *Æn.* 746. Extemplo socios primumque arcessit Acesten. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 261. Quo rediturus erat non arcessitus. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 640. *Justin.* 11. 10. *in fin.* Arcessitis auxiliis. — *b*) Addito termino, a quo quis arcessitur. *Plaut. Cas.* 3. 4. 10. Dixeras, tuam arcessituram esse hinc uxorem meam. *Cic. Rosc. Am.* 18. 50 Cum ab aratro arcessebantur qui consules fierent. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Chilonem arcessiveram Venafro. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. Arcessere auxilia a Vercingetorige. *Nep. Timol.* 3. Corintho colonos. *Sall. Jug.* 43. undique præsidia. *Val. Max.* 8. 15. 3. deum Pessinunte. *Ascon.* p. 23. 4. *Bait.* aliquem de exilio. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (18). aliquem a Gadibus columnisque Herculis. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 13. boves ex longinquo. — *c*) Addito termino, ad quem quis arcessitur. *Plaut. Cas.* 3. 2. 1. Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam. *Id. Cist.* 1. 1. 107. Arcessere aliquam ad matrem. *Id. ibid.* 1. 3. 48. Jussit arcessi eam domum. *Ter. Hec.* 2. 1. 109. Arcessere aliquem ad rem divinam. *Id. Adelph.* 5. 7. 6. uxorem domum. *Id. Eun.* 3. 5. 44. virginem lavatum. *Cic.* 2. *Att.* 20. aliquem ad laboris societatem. *Id. Dom.* 3. 7. aliquem in senatum. *Id. post red. in sen.* 11. 27. Quo die nos comitiis centuriatis arcessivit in patriam. *Sall. Cat.* 52. arcessere aliquam gentem ad bellum. *Nep. Att.* 21. Agrippam generum ad se arcessiri jussit. Adde *Ter. Eun.* 3. 3. 4. et *Cic.* 7. *Verr.* 44. 114. *Liv.* 10. 47. Inventum in libris, Æsculapium ab Epidauro Romam arcessendum. *Quintil.* 7. 3. 33. Arcessere aliquem trans mare. — *d*) Utrumque terminum conjunxit *Plaut. Stich.* 5. 3. 3. Domo dudum huc arcessita sum. ¶ 2. Speciatim sæpe sumitur pro in judicium vocare, et reum facere, accusare: quo sensu sequentes occurrunt dicendi modi: *judicio aliquem arcessere*, *nomine* vel *crimine alicujus rei arcessere*, aut cum Genitivo absoluto *capitis*, *majestatis* etc. *Cic. Rabir. perduell.* 9. 26. Arcessere quempiam in summum capitis periculum aliquo crimine. *Id.* 2. *Off.* 14. 51. Innocentem judicio capitis. *Id.* 4. *Verr.* 58. 142. aliquem statuarum nomine. *Id. Flacc.* 6. 14. aliquem judicio. *Id. Cæl.* 7. 16. aliquem ambitus crimine. *Id.* 4. *Verr.* 46. 113. aliquem magis invidioso crimine, quam vero. *Id. Dejot.* 11. 30. et 2. *Invent.* 31. 97. aliquem capitis. *Sall. Jug.* 37. aliquem pecuniæ captæ. *h. e.* accusare, quod pecunia se corrumpi siverit. *Sueton. Tib.* 53. aliquem veneni crimine. *Tac.* 2. *Ann.* 50. majestatis. *Id.* 4. *ibid.* 29. tumultus hostilis. Sic metaphorice *Nigidius* apud *Gell.* 19. 14. Græcos non tantæ inscitiæ arcesso etc.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Arcessere ponitur de inanimis, et significat adsciscere, comparare. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 120. Arcessere aurum. *Cic.* 7. *Fam.* 23. 3. Certiorem velim me facias ubi sint, quando arcessantur, quo genere vecturæ. *Id.* 7. *Verr.* 18. 45. Arcessere res transmarinas ex aliquo loco. *Id.* 16. *Att.* 11. 4. librum alicujus. *Sall.* apud *Priscian.* 10. p. 902. *Putsch.* argentum mutuum. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 6. vinum. *Colum.* 2. *R. R.* 16. 5. Arcessita et advecta humus. *Tac.* 4. *Hist.* 71. Arcessere tormenta et missilia tela. ¶ 2. Ponitur etiam cum de rebus non omnino materialibus, tum de abstractis; et est eas mutuas accipere, sibi adsciscere, comparare. Ad rem *Plaut. Amph.* 1. 1. 171. Illic homo a me sibi malam rem arcessit jumento suo. *h. e.* proverbialiter dictum pro: suâ operâ sibi ipsi calamitatem et damnum creat: Itali dicunt simili, non eadem sententia, *aguzzarsi il palo in sul ginocchio*. *Cic.* 7. *Verr.* 51. 115. Sacra ab exteris nationibus asciscere et arcessere. Adde *Liv.* 10. 47. et *Fastos Prænestinos* sup. citt. *Id.* 4. *Tusc.* 1. 2. Arcessere studia doctrinæ aliunde. *Id.* 2. *Orat.* 27. 117. A capite, quod velimus, arcessere, et unde omnia manant, videre. *h. e.* petere. *Id. Top.* 9. 39. Cum a genere ducetur argumentum, non erit necesse, id usque a capite arcessere. *h. e.* repetere. *Id. Brut.* 97. 332. Arcessere artes ex urbe aliqua. *Id.* 1. *ad Brut.* 16. 4. Aliquid ultro arcessere et attrahere. *Id.* 3. *Orat.* 38. 156. Translationes orationi splendoris aliquid arcessunt. *h. e.* augent, conciliant. V. *Arcessitus* in fin. *Liv.* 21. 4. Arcessere quietem molli strato aut silentio. *Virg.* 10. *Æn.* 11. tempus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 168. e medio res. *Propert.* 3. 15. 12. Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis Arcessitus erit somnus in ossa mea. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 37. Arcessere ventos. *Curt.* 3. 3. 2. per somnum species imminentium rerum. *Id.* 8. 13. 15. gloriam ex periculo. *Id.* 10. 5. 33. honores divinos. *h. e.* quærere, captare. *Cels.* 3. 18. somnum medicamentis. *Val. Max.* 4. 7. 4. causam sibi mortis. *Id.* 9. 12. 8. mortem. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Arcessita commendatio unguenti. *Quintil.* 8. 3. 30. Arcessere res extrinsecus. *Id.* 2. 4. 31. verbosissimos locos. *Id.* 5. 11. 42. aliquid aliunde. *Id.* 10. 2. 27. laudem. *Petron. Satyr.* 37. longe fabulas. — Hinc part. præter. pass.

Arcessitus, *a*, *um*, ut adjectivus translate occurrit si de oratione agatur, et est longe petitus, affectatus, de industria quæsitus. *Cic.* 2. *Orat.* 63. 256. Etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur. *Seneca* 1. *Controv.* 6. p. 114. *Bip.* Buteo longe arcessito colore usus est. *Quintil.* 8. *præfat.* § 23. Quia sunt optima minime arcessita. *Id.* 2. 4. 3. Arcessitæ descriptiones. *Id.* 9. 3. 74. Innatus, non arcessitus. *Et alibi sæpissime.* *Sueton. Claud.* 21. Ut – rogando ad hilaritatem homines provocaret – immixtis interdum frigidis et arcessitis jocis. *Petron. Satyr.* 139. Arcessito sermone lacessere aliquem.

ARCEUTHĬNUS, a, um, adject. (ἀρκεύθινος) ad juniperum pertinens, ex junipero ortus. *Interpr. Vulg.* 2. *Paralip.* 2. 8. Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arceutina, et pinea de Libano.

ARCHÆUS, a, um, adject. (ἀρχαῖος) antiquus. *Vet. Schol.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 4. 1. Hi primi archææ comœdiæ scripserunt: nempe Eupolis, Cratinus, Aristophanes. *Diomed.* 1. p. 482. *Putsch.* Satira est carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ charactere compositum, quale scripserunt Lucilius, Horatius et Persius.

ARCHĀGĀTĬON, ii, n. 2. Ita appellatur emplastrum seu malagma ab Archagatho, medico Peloponnesiaco, qui omnium primus Romam venit, teste *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 6. (12)., anno U. C. DXXXV. Ejus emplastri compositionem docet *Celsus* 5. 19. § 27. Hinc *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. *a med.* Item malagmata adhibet (*Themison*) constrictiva, ex quibus nunc plurimi laudant archagation appellatum medicamen.

ARCHAĬCUS, a, um, adject. (ἀρχαϊκός) antiquus. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 1. Si potes archaicis conviva recumbere lectis. *h. e.* humili brevique forma, quæ antiquorum simplicitatem referat. Recentiores plerique omnes leg. *Archiacis*, idest ab Archia artifice sic vocatis. Hinc enim habet *Porphyr. ibid.* Archias breves lectos fecit, inde Archiaci dicti, sicut a Boeto Boetos dicimus.

ARCHAISMOS *et Latina terminatione* archaismus, i, m. 2. (ἀρχαϊσμός) antiquitas. Figura qua veterum more, sed jam obsoleto, loquimur vel scribimus, ut illud *Ter. Eun.* 4. 3. 7. Nescio, quid absente nobis turbatum est domi. Est autem Græca vox, quæ Latinis litteris occurrit apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 3., 2. *ibid.* 541., et alibi sæpe.

ARCHANGĔLĬCUS, a, um, adject. (ἀρχαγγελικός) ad archangelum pertinens. *Hieronym.* in *Isajam l.* 7. c. 17. v. 13. Archangelicum fastigium.

ARCHANGĔLUS, i, m. 2. (ἀρχάγγελος) angelorum princeps ab ἀρχή et ἄγγελος. *Hieronym.* 1. *Rufin.* 6. Archangelus non dicitur, nisi qui prior est angelorum. Adde *Tertull. advers. Valentinian.* 19.

ARCHE, es, f. 1. ἀρχή, hoc est principium. Unus est ex æonibus Valentini hæretici apud *Tertull. advers. Valentinian.* 35. — *V.* et ONOM.

ARCHEBŪLĒUS *vel* archebulius, a, um, adject. ad Archebulum pertinens. *Archebuleum* vel *archebulium metrum* denominatum est a quodam Archebulo poeta, non quod ipse invenerit, sed quod eo solo carminis genere in suis poematis usus est. Nam et Stesichorus et Pindarus et Simonides promiscue adhibuerunt. Ejus autem metri tale ponit exemplum *Servius* in *Centim.* p. 1822. *Putsch.* Dea sonantibus boma Curriculo relucet. V. *Atil. Fortunatian. ibid.* p. 2673. Meminit etiam *Diomed.* 3. p. 513. *Putsch.*

ARCHĔŌTA *vel* archiota, æ, m. 1. (ἀρχειώτης) archivii curam gerens. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 10. Hi quoque, qui custodes ædium, ut archeotæ, vel logographi, vel tabularii, etc.

ARCHETȲPUS, a, um, adject. (ἀρχέτυπος) primigenius, seu primo ab ipso auctore factus, ab ἀρχή, *principium*, et τύπος *forma, imago*; et occurrit fere

de scriptura, aut de signis et tabulis pictis. *Juvenal.* 2. 7. Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas. *h. e.* tabulas quæ ex ipso Cleanthe adhuc vivo expressæ fuerant. *Martial.* 7. 10. *archetypas nugas* dixit epigrammata sua propria manu scripta. *Id.* 12. 70. Sic tamquam tabulas scyphosque, Paule, Omnes archetypos habes amicos. *h. e.* uteris amicis tamquam tabulis, aut signis archetypis, quibus delectaris sine impensa. — Hinc

Archetypon vel Latina terminatione *archetypum*, *i*, n. 2. substantivorum more est exemplar, quod Fr. *l'original* appellatur. *Varro* 3. *R. R.* 5. 8. Dic alterum genus ornithonis, qui constitutus a te sub Casino fertur, in quo diceris longe vicisse archetypon inventoris nostri etc. *Plin.* 5. *Ep.* 10. Ut pictores pulcram absolutamque faciem raro, nisi in pejus effingunt, ita ego ab hoc archetypo laboro et decido. *Macrob.* 7. *Saturn.* 14. Sic fit ut videatur imago archetypo suo grandior.

ARCHEZOSTIS, is, f. 3. (ἀρχέζωστις) planta eadem, quæ vitis alba, sive ampeloleuce. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. (21).

ARCHIĀTER *vel* archiatrus *vel Græca terminatione* archiatros, i, m. 2. ἀρχίατρος, vox Græca ab ἀρχή *principatus* vel ab ἄρχων *princeps*, et ἰατρός *medicus*. — Penultimam, sed minus recte, corripit *Paulin. Petrocor.* 2. 697. Miramur cito tam multa et tam magna videntes Archiatri fomenta pii, miremur et illam, Quam meruit medicus Christo medicante medelam. — Varie autem hanc vocem exponunt eruditi. Alii putant archiatrum dici medicum principis, alii principem in arte medica, vel alicujus medicorum collegii primarium et caput. Bene legenti *Cod. Theod.* 13. 3. 8. patet, non modo eos, qui principi in palatio inserviebant, sed et qui per urbem ægris curandis operam dabant, archiatros fuisse appellatos. Ceterum archiatrus sacri palatii non artem medicam solum exercebat, sed et judiciariam potestatem habebat ad dirimendas controversias inter subjectos sibi medicos obortas; et ob id in magna erat existimatione ac dignitate. V. *Hieronym. Mercurial. l.* 4. *variar. lection. c.* 1., ubi ex professo hac de re verba facit. Sed optime de archiatris disserit *Olivierius Marm. Pisaur. p.* 152., qui putat medicos fuisse appellatos qui medicinam suo periculo exercebant; archiatros vero, qui in municipiis et coloniis ab decurionibus electi salario publico honorabantur. Nuper *De archiatris* librum edidit *Lipsiæ* 1840 in 8. *Goldhorn.* — Ex his omnibus colligimus archiatrum fuisse principem seu primarium sacri palatii medicum, qui imperatori curando operam dabat; ut patet ex *Cod. Theod.* 13. 3. 14., 13. 12. 10., 6. 16. 1. et 11. 18. 1.: — præterea archiatros appellatos fuisse etiam illos, qui in municipiis et coloniis publice electi medicinam exercebant; quod patet ex *Inscript.* apud *Orell.* 3994. L. STAIO L. F. STEL. SCRATEIO MANILIANO PRIMO CER. I. D. QQ. FILIO EQ. ROMANI ARCHIATRI REXRV. etc. Item ex alia apud *eumd.* 4017. Item ex alia apud *Gruter.* 632. 4., quæ est apud *Orell.* 4226. M. LIVIO CELSO TABVLARIO SCHOLAE MEDICORVM M. LIVIVS EVTYCHVS ARCHIATROS etc. Alia *ibid.* 5. A. ACTIVS CALVS ARCHIATER S. ET IVLIAE PRIMAE CONJUGI INCOMPARABILI.

ARCHIĀTRĪA, æ, f. 1. (ἀρχιατρεία) dignitas et officium archiatri. *Imp. Julian. Cod. Theod.* 13. 3. 8. § 2. Qui archiatriæ ipsius dignitate dignus habeatur.

ARCHIĀTROS et **ARCHIĀTRUS**, i. } *V.* **ARCHIATER**.

ARCHIBUCCŬLUS, i, m. 2. (ἀρχιβούκολος) princeps victimariorum, ab ἀρχός *princeps* et βουκόλος *bubulcus*. Ita vocatus videtur primus inter sacerdotes Bacchi, sub tauri forma interdum culti (*V.* HEBON), ut archigallus inter sacerdotes Cybeles. *Inscript.* apud *Gruter.* 27. 4., quæ pertinet ad an. 376. a Chr. n., quæque est apud *Orell.* 2335. VLPIVS EGNATIVS FAVENTINVS — ARCHIBVCVLVS DEI LIBERI. Adde aliam anni ejusdem apud *eumd.* 28. 2., quæ est apud *Orell.* 2352. Aliam affert etiam *Odericius Dissert. p.* 131. 161. (quæ est apud *Orell.* 2351.), quæ multa habet de hoc sacerdotio, sed tamen nihil inde extricabis ad firmandam vocis significationem.

ARCHĬDĬĀCŌNUS, i, m. 2. (ἀρχιδιάκονος) primarius inter diaconos. *Hieronym. Ep.* 61. *ad Pammach.* 4. et *Ep.* 85. *ad Evag.*, et *Sidon.* 5. *Ep.* 25. — *Archidiācon* in recto casu dixit, sed minus recte, *Venant.* 3. *de vita S. Martini* 38. metri causa.

ARCHIĔPISCŎPUS, i, m. 2. (ἀρχιεπίσκοπος) primus episcoporum. In *epist. Justiniani ad Joann. summ. Pontif. Cod.* 1. 1. post. *leg.* 3. et alibi.

ARCHIĔREUS, ei, m. 2. (ἀρχιερεύς) sacerdotum primarius. *Lamprid. Alex. Sever.* 28. *in fin.* Lacessiverant eum conviciolis Syrum archisynagogum eum vocantes et archierea. *Inscript.* apud *Gruter.* 313. 8., quæ est apud *Orell.* 2160. AVRELIO APOLAVSTO AVGG. LIBERTO — ARCHIERI SYNHODI ET AVGG. etc. Adde alias *Inscript.* apud *Orell.* 2543. et 3627.

ARCHIĔRŌSȲNA, æ, f. 1. (ἀρχιερωσύνη) dignitas archierei. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 12. 12. 112. In consequenda archierosyna ille sit potior, qui patriæ plura præstiterit, nec tamen a templorum cultu observatione christianitatis abscesserit.

ARCHĬFLĀMEN, inis, m. 3. primus inter flamines. Legitur in *Inscript.* non optimæ notæ apud *Murat.* 525. 4. Est autem vox hybrida ex Græco ἄρχων et Latino *flamen*. Apud *Gruter.* 29. 12. dicitur *primus flamen*.

ARCHĬGALLUS, i, m. 2. (ἀρχίγαλλος) primus inter sacerdotes Cybeles, qui Galli vocabantur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (70). Parrhasius pinxit et archigallum, quam picturam amavit Tiberius princeps. *Fragm. Juris Antejustinian.* edita ab *A. Mai. p.* 40. Item is, qui in porta pro salute imperatoris sacrum facit ex vaticinatione archigalli, a tutelis excusatur. Adde *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. et 7. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 116. Archigalli Matris deûm cultores. *Tertull. Apolog.* 25. Cum, M. Aurelio apud Sirmium reipublicæ exempto die XVI. Kal. April., archigallus ille sanctissimus die IX. Kal. earumdem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute imperatoris Marci jam intercepti solita æque imperia mandabat. *Inscript.* apud *Gruter.* 30. 2. (et 308. 7.), quæ est apud *Orell.* 2320. C. CAMERIVS CRESCENS ARCHIGALLVS MATRIS DEVM MAGNAE IDAEAE. Alia apud *Henzen.* 6031. EX VATICINATIONE PVSONI IVLIANI ARCHIGALLI. Adde alias apud *Orell.* 2321. et 2325.

ARCHĬGĔRON, ontis, m. 3. (ἀρχιγέρων) princeps seniorum, ab ἄρχων *princeps* et γέρων *senex*: estque hæc appellatio primariæ cujusdam dignitatis in civitate. Legitur in *Cod. Justin. l.* 1. *t.* 4. *qui est* De episc. audent.; et in *Cod. Theod.* 14. 27. 1.

ARCHĬGŬBERNUS, i, m. 2. (ἀρχικύβερνος) nautarum præfectus, summus nauclerus. *Jabolen. Dig.* 36. 1. 48. Sejus archigubernus ex classe Britannica. *Haloander* edidit *archicubernius*; quidam alii minus recte *archigubernulus*. In celebri edit. *Torrentini* legitur *archigubernus*. *Inscript.* apud *Orell.* 3634. *V.* vocem sequent.

ARCHĬGYMNĀSĬUM, ii, n. 2. locus, in quo milites, aut athletæ nudi exercentur. *Inscript.* apud *Murat.* 796. 8. T. AVRELIO CANDIDO NAVARCHO ARCHIGYM. BERN. CL. PRAET. MISEN. Hic *Murator.* et *Rezzonicus Disquis. Plin. T.* 1. *p.* 177. explicant *archigymnasii verni classis Prætoriæ Misenensis*: at *Dorvillius* ad *Chariton. p.* 600. putat legendum *archigyberno classis* etc. (quod et *Orellio* placuit, qui eamdem *Inscript.* retulit n. 3654.), quemadmodum in *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 132. T. TITINIO IVLIANO GYB. IIII. FORT. *h. e.* gyberno quadriere Fortuna. *V.* ARCHIGUBERNUS.

ARCHĬLŎCHĬUS, a, um adject. (Ἀρχιλόχειος) ad Archilocum poetam pertinens.

I.) Proprie. *Archilochium metrum* dicitur, quo Archilochus frequenter usus est. Ejus plura sunt genera, quæ enumerant Grammatici, *Diomed.* 3. *p.* 509. et *seqq.*, *Servius* in *Centim. p.* 1819. et 1820. ed. *Putsch.*, et alii. — *Archilochius versus* memoratur in *Fragm. Varron. p.* 344. *Bip.*

II.) Translate ponitur pro maledico, contumelioso, conviciis pleno. *Cic.* 2. *Att.* 21. 4. Archilochia in illum (*Pompejum*) edicta Bibuli populo ita sunt jucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, præ multitudine eorum, qui legunt, transire nequeant de Archilocho. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 20. 2. *V.* ARCHILOCHUS in ONOM.

ARCHĬMĀGĪRUS, i, m. 2. (ἀρχιμάγειρος) princeps et magister coquorum, vel qui coquinæ præest; nam μάγειρος coquum significat. *Juvenal.* 9. 109. Finxerunt pariter librarius archimagiri etc. *Sidon.* 2. *Ep.* 9. Studiis hisce dum nostrum singuli, cuique ut liberat, occupabantur, ecce ab archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret. *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 13. *p.* 587., quæ est apud *Henzen.* 6302. T. AELIVS AVG. LIB. PRIMITIVVS ARCHIMAGIRVS. Idem *archimagirus* in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Veron.* 319. 3. appellatur *præpositus coquorum*, et apud *Gruter.* 580. 12. qui illius vice fungebatur, dicitur *vicarius supra cocos*.

ARCHĬMANDRĪTA, æ, m. 1. (ἀρχιμανδρίτης) præpositus monachorum, præfectus monasterii, quem nunc Syra voce abbatem appellant; ab ἀρχή *principatus* et μάνδρα *claustrum*, *septum*. Nam monachi in conclusis domibus degunt sub uno capite et moderatore totius familiæ. Μάνδρα exponitur etiam spelunca: et monachi olim in speluncis et cavis montium habitabant. *Sidon.* 8. *Ep.* 14. Parsimoniæ saltibus consequi affectans Memphiticos et Palæstinos archimandritas. Adde *Justinian.* in *epist. ad Joann. Pap. Cod. tit. De summa Trinit.* etc. et *Julian. epit. nov.* 7. 32.

ARCHĬMANDRĪTISSA, æ, f. 1. eadem quæ abbatissa. *Julian. epit. nov.* 7. 32.

ARCHĬMĪMA, æ, f. 1. mimarum princeps. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 707. *n.* 285., quæ est apud *Orell.* 4760. CLAVDIAE HERMIONAE ARCHIMIMAE SVI TEMPORIS PRIMAE. Adde aliam apud *Gruter.* 330. 4. ARCHIMIMA DIVRNA.; quam sine causa suspectam fuisse *Maffejo A. C. L. p.* 320., affirmat *Orellius* in not. ad *Inscript.* 2619.

ARCHĬMĪMUS, i, m. 2. (ἀρχίμιμος) mimorum, seu histrionum princeps. *Sueton. Vesp.* 19. Favo archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi. *Inscript.* apud *Gruter.* 1089. 6., quæ est apud *Orell.* 2625. NOBILIS ARCHIMIMVS COMMVNI MIMOR. ADLECTVS. Adde *Dig.* 28. 1. 25. § 1., *Augustin. de civit. D.* 6. 10. et *Inscript.* apud *Orell.* 2608. et apud *Henzen.* 6186.

ARCHĬNAUTA, æ, m. 1. nautarum primus. *Inscript.* apud *Murat.* 845. 4., quæ est apud *Orell.* 3635. M. PORCIVS M. F. CLAVD. SATVLLINVS ARCHINAVT. CLAS. RAVE. VIVVS FECIT SIBI. Hanc tamen inscriptionem spuriam esse putat *Cardinali Dipl. imp. p.* 171. *n.* 81. Idemque putat *Orell.* in not. ad *Inscrip.* 3635.

ARCHĬNEĀNISCUS, i, m. 2. (ἀρχινεανίσκος) Græca vox ab ἀρχή *principatus* et νεανίσκος *adolescens*: qua significatur princeps juventutis. *Inscript.* apud *Gruter.* 331. 5., TI. CL. DOMNIONI SVCINIANO ARCHINEANISCO. FECIT CL. IANVARIA SVO PATRI *h. e.* archineanisco Suciniano, seu magistro vel sacerdoti juvenum. Videtur hic fuisse primus ex sacrificulis ejus ordinis, qui Suciniani sunt creati. *V.* SUCINIANUS, et *cf. Henzen.* in not. ad *Inscript.* 5973.

ARCHIŌTA. *V.* ARCHEOTA.

ARCHĬPĪRĀTA, æ, m. 1. (ἀρχιπειρατής) prædonum dux. *Cic.* 2. *Off.* 11. 40. Ille qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficitur, aut relinquitur. Adde *eumd.* 7. *Verr.* 25. 64.; *Liv.* 37. 11. et *Quintil.* 9. 4. 64.

ARCHĬPĪRĀTĬCUS, a, um, adject. ad archipiratam pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim solummodo in *Not. Tir. p.* 79.

ARCHĬPRÆGUSTATOR, oris, m. 3. prægustatorum primus. *Inscript.* apud *Gud.* 201. 5. C. OCTAVIVS C. L. ANTILOCHVS AVG. ARCHIPRAEGVSTATOR ET ARCHITRICLINIARCHVS H. S. E. Hanc inscriptionem merito suspectam habet *Marin. Frat. Arv. p.* 617.; eam enim putat *Gudio* suppositam fuisse, ut alias multas, a *Ligorio* subiestæ fidei viro. Hinc ab his vocibus *Archipragustator* et *Architriclinïarchus* abstinendum.

ARCHĬPRESBȲTER, ĕri m. 2. (ἀρχιπρεσβύτης) primus inter presbyteros. *Hieronym. Ep.* 4. *ad Rusticum circa med.* Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi etc.

ARCHĬSĂCERDOS, ōtis, m. 3. primus inter sacerdotes: vox hybrida. *Venant.* 2. *carm.* 13. 1. Culmen honorificum, patrum pater, archisacerdos.

ARCHISELLIUM, **ARCHISYNAGOGA** et **ARCHISYNAGOGICUS** } sunt vocabula a Lexico expungenda; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 163., 193. et 9.

ARCHĬSȲNĀGŌGUS, i, m. 2. (ἀρχισυναγωγός) synagogæ præfectus, primus inter sacerdotes Judæorum. *Hadrian.* in *epist. ad Servian.*, quam refert *Vopisc.* in *Saturn.* 8. Nemo illic archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter etc. Adde *Lamprid. Alex. Sever.* 28. *in fin.*, et *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 16. 8. 13. et 14. *Inscript.* apud *Mommsen.* 3557., quæ est apud *Henzen.* 6144.... ALEXS IVDA ARCON ARCOSYNAGOGVS.

ARCHĬTECTA, æ, f. 1. quæ architecturæ arte valet. Translate occurrit apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 91. (196). In quo vel præcipua architectæ naturæ vis. *h. e.* naturæ opificis solertia. Ita legit ex MSS. et exponit *Harduin.*, atque inter recentiores *Sillig.* Alii leg. *præcipua naturæ architectio*, ut sit *architectio*, *onis*, f., hoc est architecturæ ars: alii *architectatio*. Sed, ajebat *Forcellinus*, utraque vox vitanda est, donec certior occurrat auctoritas. Dubium *Plinii* locum quodammodo confirmat *Aldhelmus* Anglus, scriptor sæculi septimi, in libro *de Septenario* ed. *Mai.* (*Class. Auct. T.* 5.). Illa proverbialis aula, cujus architecta et opifex sapientia.

ARCHITECTATIO. *V.* voc. præced.

ARCHĬTECTĀTUS, a, um. *V.* **ARCHITECTOR**, aris.

ARCHĬTECTĬCUS, a, um, adject. architectonicus. *Cassiod.* 3. *Variar.* 52. In astronomicis rebus et in musicis et in mechanicis et in architecticis aptam rationem ipsius disciplinæ (*geometriæ*) esse docuerunt.

ARCHITECTIO. *V.* **ARCHITECTA.**

ARCHĬTECTON, ŏnis, m. 3. (ἀρχιτέκτων, ονος) idem ac architectus: sed *architectus* positionis Latinæ est, *architecton* Græcæ.

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 3. 2. 73. Nam sibi laudasse hasce ait architectonem nescio quem, esse ædificatas has sane bene. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 87. 11. *Merc. Seneca Ep.* 90. Felix illud sæculum ante architectonas fuit. *Solin.* 32. *ad fin.* Quam metatus est Dinocrates architecton.

II.) Translate ponitur de homine astuto. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 150. Me quoque dolis jam superat architectonem.

ARCHĬTECTŎNĬCĒ, es, f. 1. (ἀρχιτεκτονική) ars ædificandi, architectura. *Quintil.* 2. 21. 8. Aliæ quoque artes minores habent multiplicem materiam, velut architectonice. Namque ea in omnibus, quæ sunt ædificio utilia, versatur.

ARCHĬTECTŎNĬCUS, a, um, adject. (ἀρχιτεκτονικός) ad architectonicen pertinens. *Vitruv.* 9. 1. (4). 1. *Schneid.* Rationes architectonicæ. *Sidon.* 6. *Ep.* 4. Parietes ad concinentiam architectonicam fabre locati. *architectoricam* quidam codices habent, sed minus recte. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 43. Nam Vitruvius, qui de architectonica scripsit etc. *h. e.* de arte architectonica.

ARCHĬTECTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (architectus). Part. *Architectatus* et *Architectandus*. — Architector est adhibita architecturæ arte construo (It. *architettare*, *fabricare*; Fr. *bâtir*, *édifier*; Hisp. *edificar*, *construir*; Germ. *etwas herstellen oder ausbauen*; Angl. *to construct*, *frame*).

I.) Proprie. — *a*) Deponentium forma. *Cic.* 3. *Herenn.* 19. 32. Cogitatio quamvis regionem potest amplecti, et in ea situm loci cujusdam ad suum arbitrium fabricari et architectari. *Vitruv.* 9. 1. (4). 2. *Schneid.* Naturalis potestas ita architectata est collocavitque cardines etc. — *b*) Passiva significatione. *Nep.* apud *Priscian.* 8. *p.* 792. *Putsch.* Ædes Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. *Vitruv.* 7. *præfat.* 17. Jovem Olympium architectandum Cossutius suscepisse memoratur. *h. e.* templum Jovis Olympii construendum.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 52. Architectari voluptates. *h. e.* comminisci, disponere, parare. Cf. *id.* 1. *ibid.* 10. 32.

ARCHĬTECTOR, ōris, m. 3. idem quod *architecton*. Tribuitur a quibusdam *Plauto*; nos tamen nondum vidimus. At vidit *A. Maius*, qui ad *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 23. p. 30., ubi ita legitur: Adhibitis aut architectoribus; *hæc habet*: Nota vocabulum *architector*, quod apud *Plaut. Most.* 3. 2. 73. legebat *Turnebus*. Hinc *Trid. Osann.* in *Mem. dell' Instit. Archeol. T.* 1. *p.* 340., probata hujusmodi *Maii* annotatione, subjungit: Neque injuria utrumque locum *Maius* consuluisse, vocisque *architector* formam singularem propter ipsius insolentiam et codicum consensum defendisse videtur. In *Plauto* quamquam hodie *architectonem* legatur, tamen *Pareus* ab auctoritate plurium codicum insolentiorem alteram formam retinuit; eamdem lectionem præterea vidi extare in libro MS. *Mostellariæ* Laurentiano optimæ notæ. Adde in *Amph. prol.* 4. 5. pro *architectus*, quod vulgatur, in nonnullis codicibus, quibus adjice duos a me collatos, Parisiensem et Londinensem, pariter *architector* offendi. — Ceterum quomodocumque se res habeat, *architector* certa lectione occurrit apud *Scholiast. vet.* MSS. *Mai.* ad *Stat.* 1. *Achill.* 89. Laomedon Trojam amplificare cupiens, architectores scrutatus est.

ARCHITECTORICUS. Falsa lectio. *V.* **ARCHITECTONICUS.**

ARCHĬTECTŪRA, æ, f. 1. (architectus). ¶ 1. Ut definitur a *Vitruv.* 1. 1. est scientia pluribus disciplinis et variis eruditionibus ornata, cujus judicio probantur omnia, quæ a ceteris artibus perficiuntur, opera. Ea nascitur ex fabrica et ratiocinatione. *Id. ibid.* 3. tres ejus enumerat partes, ædificationem, gnomonicen, et machinationem (It. *architettura*; Fr. *architecture*; Hisp. *arquitectura*; Germ. *die Baukunst*; Angl. *architecture*). *Cic.* 1. *Off.* 42. 151. Quibus artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura etc. ¶ 2. Interdum ponitur pro subtili atque ingeniosa construendi arte. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (82). Specus ipsa quâ concameratur architecturâ!

ARCHĬTECTUS, i, m. 2. ἀρχιτέκτων, vox Græca ad Latinam positionem traducta, qua proprie significatur præfectus, seu princeps structorum; ab ἀρχι *principatus* et τέκτων *faber*, *opifex*, quod a τεύχω *fabricor*, *struo*. Itaque accipitur pro eo, qui architecturæ artem callet, et in ædificiis aliisque structuris symmetriam, decorem ac distributionem omni studio consectatur: qua de re multa a *Vitruv.* 1. 1. et 2. disputantur (It. *architetto*, *proto*, *ingegnere*; Fr. *architecte*; Hisp. *arquitecto*; Germ. *der Baumeister im höheren Sinne*, *der Baukünstler*; Angl. *builder*, *architect*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 45. Hoc cogitato, ubi probus est architectus, bene lineatam si semel carinam collocavit, facile esse navem facere. *Cic.* 1. *Orat.* 14. 62. Philo architectus, qui Atheniensibus armamentarium fecit. *Id. Dom.* 18. 48. Uti iisdem operum architectis. Adde *eumd. Mil.* 27. 74.; *Varron.* 3. *R. R.* 17. 9.; *Vitruv. ll. cc.*; *Senec. Ep.* 90.; *Colum.* 5. *R. R.* 1. 3.; *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 42. (148).; *Dig.* 11. 6. 7. § 3. et 50. 6. 6.; et *Inscript.* apud *Orell.* 1145. et 2896. — Architecti apud Romanos plerumque parum ingeniosi habiti fuisse videntur. *Martial.* 5. 56. Si duri puer ingeni videtur, Præconem facias, vel architectum. *V.* **METALLICUS.** — *Architectus classis* occurrit in *Inscript.* apud *Mommsen.* 7293., quæ est apud *Henzen.* 6888. — *Architectus architecto invidet* proverbium de iis, qui in eadem arte versantur, cujus similitudo æmulationem ac invidiam conciliare solet. Usurpavit hoc proverb. *Virg.*, ut in ejus vita refert *Donatus.*

II.) Translate ponitur pro auctore, machinatore, artifice alicujus rei. Ad rem *Plaut. Amph. prol.* 44. Quis benefactis meus pater, deorum regnator, architectus omnibus. *Cic.* 1. *Leg. agr.* 4. 11. Architecti legis. *Id. Rosc. Am.* 45. 132. Architectus omnium quæ fiunt. *Id. Cluent.* 22. 60. Princeps atque architectus sceleris. *Id. Brut.* 31. 118. Stoici architecti pæne verborum. *Id.* 1. *Fin.* 10. 32. Inventor veritatis et quasi architectus beatæ vitæ Epicurus. *V.* et infra in Homonym. *Apul. de mag.* 74. Omnium simulationum architectus.

Homonym. *Architectus* differt a *fabro*, quod *faber* solam ponit in construendo operam manuariam; *architectus* præterea consilium et dispositionem totius operis. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 44. Adsunt fabri architectique haud imperiti. *Cic.* 9. *Fam.* 2. 5. Non deesse, si quis adhibere volet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros ad ædificandam rempublicam.

ARCHITRICLINIARCHUS. *V.* **ARCHIPRÆGUSTATOR.**

ARCHĬTRICLINIUM, ii. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 162.

ARCHĬTRĪCLINUS, i, m. 2. idem ac tricliniarchus. *Hieronym.* in *Isajam.* l. 1. c. 1. v. 23. Quod Dominus noster aquas in vinum verterit, et tale vinum, quod miretur architriclinus. Adde *Vulgat. Interpr. Johann.* 2. 9.

ARCHĪVĀLIS, e, adject. ad archivum pertinens. *Papyr. Ravenn.* (a. 551.) apud *Marini Pap. Dipl.* n. 119. *l.* 78. Allegandi quoque archivalibus gestis ubi ubi, vel quandoque elegeritis, omissa nostra professione, damus, tribuimus et concedimus licentiam. *h. e.* gestis, quæ in archivo municipali servantur. Cf. *ibid. Papyr. n.* 80. *col.* 2. *l.* 3.

ARCHĪUM vel Archivum, i, n. 2. ἀρχεῖον, Græca vox, ab ἀρχ. *principatus*: et significans primo ædes magistratuum, et regiam, et palatium, et judiciale forum: deinde locum, in quo tabulæ et acta publica asservantur, Latine *tabularium*; quia hujusmodi loca fere in principiis, aut magistratuum ædibus, et curia, aut iis vicina sunt. Posteriore hac significatione usurpatur a Latinis (It. *archivio*, *cancelleria*; Fr. *archives*; Hisp. *archivo*; Germ. *das Archiv*; Angl. *the archives*). *Ulp. Dig.* 48. 19. 9. § 6. Ne eo loci sedeant, quo in publico instrumenta deponuntur, archio forte vel grammatophylacio. Cf. *Paul. Sentent.* 4. 6. § 1. *Tertull. Apolog.* 19. Reseranda antiquissimarum gentium archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum etc. *Id.* 4. *advers. Marcion.* 7. De censu Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ Nativitatis Romana archiva custodiunt. *V.* **ORTHOGRAPHUS.** — Pro templo seu potius pro templi adyto, ubi congregabantur magistratus sacerdotum, accipi visum est a *Mela* 3. 8. 10. ut quidem *Is. Voss.* legit et exponit. Verba *Melæ* sunt: Cum adolevit (*Phœnix*), ossa pristini corporis inclusa myrrha Ægyptum exportat, atque in urbem, quam Solis appellant, fragrantibus archio bustis inferens, memorando funere consecrat. Alii pro *archio* legunt *nardo*. Recentiores plerique omnes priorem tuentur lectionem et *archium* pro tabulario accipiunt.

ARCHŎLEON, ontos, m. 3. genus quoddam leonum. *Capitolin. Gord. III.* c. 33. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti XXXII., leones mansueti LX., archoleontes X., camelopardali X. etc. *Salmas.* legendum censet *argoleontes*, *h. e.* leones albos, ab ἀργός *albus*; *Jos.* vero *Scalig.* legit *agrioleontes*, *h. e.* leones feros, ab ἄγριος *agrestis*.

ARCHON, ontis, m. 3. ἄρχων summus post reges exactos principatus Athenis (quemadmodum etiam apud Abydenos, Aphrodienses, Byzantinos, Daldianos aliosque, quos recenset *Marsanus Inscript. Regin.* p. 53.) sicut suffes apud Carthaginienses, Romæ dictator. Fuerunt, teste *Suida*, archontes novem, quorum sex *thesmothetæ*, hoc est legislatores dicebantur, unus *rex*, unus *polemarchus*, et præter hos unus princeps collegii et præfectus, qui per excellentiam *archon* et *hegemon* et *prytanis* vocabatur, quod prytanibus præerat. Ut enim Romæ prætor judicibus præerat, atque ideo judex quæstionis et quæsitor dictus est, ita hic summus archon Athenis, quod prytanibus judicibus præerat, prytanis etiam dicebatur. Prytanes quinquaginta viri erant, qui deni singulis mensibus in orbem vicem mutantes judicabant.

I.) Proprie. *Cic. Fat.* 9. 19. Moritur Epicurus archonte Pitharato. *Vellej.* 1. 2. 4. Codri filius Medon primus archon Athenis fuit. *Et ibid.* 8. 3. Tum Athenis perpetui archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon: cœperuntque in denos annos creari, quæ consuetudo in annos LXX. mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 42.

II.) Translate archontes dicuntur primarii et principales viri cujuscumque civitatis et populi. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 42. Astiterunt reges terræ et archontes congregati sunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Ita *Tertull.* ex *Psalm.* 2. 2., ubi apud *Vulgat. Interpr.* legitur *principes*, in textu vero Græco ἄρχοντες. Adde 5. *ibid.* 4. *a med.*

ARCI. *V.* **ARCUS.**

ARCĪFĪNĀLIS, le, adject. *Arcifinales* et *Arcifinii agri* a scriptoribus Rei agrariæ appellantur, qui a populis bello victoribus occupantur, et ejectis privatis dominis, sive hostes ii sint, sive non, excoluntur: unde et *occupatorii* dicti sunt. Vocantur autem *arcifinales* et *arcifinii*, quia nullis propriis finibus continentur, sed quantum quisque excoluit, aut spe excolendi sibi reservavit, arcendo a finibus suis vicinum, *arcifinalem* dixit. Ita *Sicul. Flacc. de Condit. agror.* p. 3. *Goes.* Adde *Frontin. de Agror. qualitat. ibid.* p. 38., ubi vocem *arcifinius* Varroni attribuit, et *Aggen. Urbic.* p. 45. — Aliam hujus appellationis rationem tradit *Isid.* 15. *Orig.* 13. Arcifinium agrum dici, quia certis linearum mensuris non continetur, sed arcentur fines ejus objectu fluminum, montium, arborum. *Boeth.* 1. *Geometr.* p. 1209. Flexuosa linea est multiformis, velut arborum, aut fluminum ceterorumque signorum, in quorum similitudine arcifiniorum agrorum finitur extremitas. — *Arcifinio more possidere agrum* apud *Hygin. Limit. constit.* p. 160. est agrum habere non servatis antiquis suis ac legitimis terminis, sed prout occupare libuit, ut dictum est.

ARCĬFĪNĬUS, a, um, adject. idem quod arcifinalis. *V.* vocem præced.

ARCĪO, is, ivi, a. 4. idem quod accio, et arcesso: ab *ar* pro *ad*, et *cio*, *is*. *Cic.* 5. *Att.* 1. Tu invita mulieres, ego arcivero pueros. *Al. leg.* accivero, *ab* accio, is. Adde *Liv.* 5. 8. *in fin.* cum eadem lectionis varietate. Recentiores in utroque loco malunt *accire*; quam vocem V.

ARCĪON, ii, n. 2. ἀρκεῖον, herba est quæ *persolata* Latine dicitur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 66. (113). Persolata, quam nemo ignorat; Græci vero arcion vocant.

ARCĬPŎTENS, entis, omn. gen. 3. adject. qui arcu potest, sagittandi peritus: epitheton Apollinis. *Val. Flacc.* 5. 17. Arcipotens adverte, precor, nunc denique Apollo. — In quodam epigrammate *de Signis cælestib.*, quod *Virgilio* tribui solet, legitur *arcupotens*, quod magis accedit ad analogiam. *V.* ARCITENENS 2.

ARCIRMA genus plaustri est modici, quo homo gestari possit. *Paul. Diac. p.* 15. 11. *Müll.* Ad quem locum *Scalig.* scribit, videri fuisse modicum plaustrum, unius hominis capax, quod a servis, non a jumentis traheretur; quale a *Petron.* vocatur *chiramaxium.* Idem *Scalig.* cum veteribus libris legebat *arcuma:* at *Voss. Etymol.* affirmabat in quodam MSS. leg. *arcirma*, et in *Gloss. Philox.* Arcirma ἁμαξίς, hoc est parvum plaustrum: quod ita fuerit appellatum a parva figura. Nisi potius sit ab *arceo*, *arca*, *arcera*.

ARCĪSELLĪUM, ii. *V.* ARTISELLIUM.

ARCĬTĔNENS vel arquitĕnens, entis, omn. gen. 3. adject. et substant. (arcus et teneo) est qui vel quæ arcum tenet, arcu ferit. ¶ 1. Est Apollinis et Dianæ epitheton, quod semper cum arcu et pharetra pingerentur; et respondet Gr. τοξοφόρος. *Nævius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Deus pollens sagittis, inclutus arcitenens sanctusque Delphis prognatus, Pythius Apollo. *Id.* apud *eumd. l. c.* Arcitenens, pollens sagittis dea. *Accius* apud *Non. p.* 341. 25. *Merc.* Quod utinam me suis arquitenens telis mactasset dea. *Hostius* apud *Macrob. l. c.* Invictus Apollo, arcitenens Latonius. *Ovid.* 1. *Met.* 441. deus arcitenens. — Et absolute pro Apolline *Virg.* 3. *Æn.* 75. Quam pius arcitenens oras et littora circum etc. *Arnob.* 1. 36. Arquitenentes Diana et Apollo. ¶ 2. Est etiam signum cæleste, hoc est Sagittarius, Gr. τοξευτήρ. *Cic. Arat.* 181. subeunt vestigia magni Arcitenentis etc. *V.* SAGITTARIUS et cf. ARCIPOTENS in fin.

ARCIVA avis. *V.* ARCULA.

ARCTĀTĪO, ōnis, } *V.* ARTATIO, ARTATUS, ARTE.
ARCTĀTUS, a, um, }
ARCTĒ. }

ARCTĬCUS, a, um, adject. Ἀρκτικός, ad Arctum, *h. e.* Ursam pertinens, quod est signum cæleste, in septentrionali plaga situm. Hinc *Circulus arcticus* est ad polum septentrionis: cui opponitur *antarcticus*, ἀνταρκτικός, positus in polo meridionali, et arctico recta oppositus. Circulus *arcticus* nobis, quibus sphæra est obliqua et latitudo septentrionalis, conspicuus est; *antarcticus* non apparet. *Hygin.* 1. *Astron.* 6. Circulus arcticus appellatur, quod intra eum Arcti simulacra, ut inclusa, perspiciuntur. *Et paullo supra.* Circulus, qui notius et antarcticus appellatur. *Apul. de Mundo.* Vertex antarcticus. *Capell.* 6. *p.* 193. Antarcticæ terræ.

ARCTIM. *V.* ARTIM.

ARCTĬON, ii, n. 2. (ἄρκτιον) *El. Iohanneau* ad *Plin. T.* 1. *p.* 357. edit. Paris. a. 1829. putat ita corrigendum: *Arctios*, *ii*, m. 2. — Est herba apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 16. (33). Arction aliqui arcturum vocant; similis est verbasco foliis, nisi quod hirsutiora sunt; caule longo, molli, semine cumini. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 430.) hanc exhibet synonymiam: Ἄρκτιον, οἱ δὲ ἀρκτοῦρον Dioscor. 4. 106. et Galen. de Fac. simpl. 6. 150., *Arctium seu arcturon* Plin. l. c. sunt *Verbascum ferrugineum* Ait. teste Spreng. (Comm. in Dioscor. 621.), vel *Celsia Arcturus* L. teste Honor. Bell. (ad Clus. *p.* 299).

ARCTO, as, āvi, etc. *V.* ARTO, as.

ARCTŎPHȲLAX, acis, m. 3. Ἀρκτοφύλαξ, alio nomine Bootes, signum juxta majorem Ursam, quod ex viginti et tribus sideribus constat. Hic Arcas est Callistus Ursæ majoris filius, qui puer xv. annorum cum in venatione in matrem incidisset, jam jam occisurus, ipso momento a Jove una cum matre in cælum translatus fuisse fingitur. Alias fabulas ad hanc rem pertinentes *V.* apud *Hygin.* 2. *Astron.* 4. et apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 67. Dicitur autem *Arctophylax*, idest custos Ursarum, ab Ἄρκτος *ursa*; et φύλαξ custos. Nam in cælo ita situs est, ut non solum majoris, sed etiam minoris Ursæ curam gerere videatur. Dicitur quoque Bootes, seu Vociferans, quia et in cælo magna voce videtur vociferari, et in Ursam ferri. Denique dicitur Ductor boum. Nam ut ex figura Ursa major etiam Plaustrum majus, et Ursa minor etiam Plaustrum minus dicitur, ita Arctophylaci etiam bubulci nomen impositum est, quia est instar bubulci, qui currum sequitur. *Cic. Arat.* 96. et 2. *Nat. D.* 42. 109. Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod temone quasi junctam præ se quatit Arcton. Adde *Manil.* 1. 215. — Pænultimam in obliquis produxisse creditur a nonnullis idem *Manil.* 1. 609. Permeat Arctophylaca petens per membra Draconis. Sed *Voss.* 2. *Grammat.* 38. putat legendum *Arctophylacia*: alii versum ipsum esse spurium.

ARCTOPHYLLUM, i, n. 2. ἀρκτόφυλλον, herba eadem ac cærefolium. *Apul. Herb.* 104.

ARCTOS, i, f. 2. Ἄρκτος, vox Græca, quæ ursum, vel ursam significat. — Interdum terminatione Latina *Arctus*, *i*, occurrere ajebat *Forcellinus*: sed recentiores optimis Codd. freti Græca tantum positione legi affirmant., unde Accus. sing. *Arcton*, Nom. plur. *Arctæ*.

I.) Proprie accipitur pro duobus signis cælestibus borealibus, quæ dicuntur Arctæ, vel Ursæ, item Septentriones, item Currus, vel Plaustra. Dicuntur Ursæ, quia Callisto in ursam mutata esse fingitur. Dicuntur Septentriones, quia ita hæ stellæ sitæ sunt, ut ternæ quæque proxime inter se trigonum, seu triangulum efficiant: vel a bobus junctis. *Triones* enim, ut scribit *Varro*, rusticorum vocabulo boves vocabantur, quasi *terriones*, hoc est, idonei arandæ terræ et colendæ. Dicuntur Currus, vel Plaustra, ἅμαξαι, quia plaustris similia videntur. Nam ex septem stellis duæ pariles uno in loco sunt, quæ pro bobus accipiuntur, reliquæ quinque plaustri figuram designant. *Ovid.* 3. *Fast.* 106. duas Arctos. *Id.* 3. *Met.* 45. geminas. — Arctæ septentrionali polo innixæ vehuntur (unde apud *Ovid.* 2. *Met.* 132. juncta aquilonibus Arctos), arctico circulo clausæ, et ita collocatæ, ut utraque resupinata alterius contegat caput, sed caput ejus, quæ superior est, ad caudam inferioris contendat. Una dicitur Ursa major, Plaustrum, vel Currus major, Septentrio major, Helice. Hæc Callisto fuisse fertur Lycaonis Arcadiæ regis filia, quæ studio venationis se Dianæ adjunxit, a qua mirifice amabatur; sed quodam die sola in silvis deprehensa a Jove compressa est, quod facinus cum aliquandiu celasset, tandem jussa cum ceteris virginibus lavari, tumore uteri crimine detecto, a Diana e choro expulsa est. Peperit in silvis filium, qui Arcas est appellatus. Statim a partu a Junone in ursam mutata est. Cum xv. annos vitam ferinam vixisset, quodam die in filium incidit, quo arcum intendente, a Jove et ursa et filius inter sidera translati sunt. Constat ex septem et viginti stellis. Hanc Græciæ populi in navigando observant. Fabulam narrat *Ovid.* 2. *Met.* 409. et 2. *Fast.* 155. — Altera dicitur Ursa minor, Plaustrum, vel Currus minor, Septentrio minor, et Cynosura, idest canis cauda. Hæc fuit Cynosura una ex illis Nymphis, quæ in Creta in monte Ida lacte caprino Jovem aluerunt. Hoc merito et ipsa et sorores in cælum translatæ sunt prope polum borealem. Alii quod *Ovid.* de Callisto, id de Cynosura tradunt, alteramque cum altera confundunt. Cynosuram Sidonii in navigando aspiciunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 41. 105. Circum polum Arctæ duæ feruntur, numquam occidentes. Ex his altera apud Grajos Cynosura vocatur, altera dicitur esse Helice. *Pleræque edition.* hic habent Ἄρκτοι Græce. Sed et apud *Germanic. Arat.* 25. et 62., legitur in recto casu plurali *Arctæ*, retenta Græca positione Ἄρκτοι; cui simile est *lirœ* apud *Plautum. V.* LIRŒ. *Virg.* 1. *G.* 138. Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton. *Id.* 6. *Æn.* 16. gelidas enavit ad Arctos. — Utrumque hoc sidus, quia intra circulum arcticum circa polum vertitur, (qui nobis est semper conspicuus) numquam occidit, sed singulis temporis horis supra nostrum horizontem visitur. Quæ res dedit locum fabulandi Poetis, Junonem cum vidisset pellices suas in cælum fuisse translatas, impetrasse a Thety nutrice sua, ne umquam in ejus aquis tingerentur. Hæc *Servius* ad illud *Virg.* 1. *G.* 246. Arctos Oceani metuentes æquore tingi. *Ovid.* 2. *Fast.* 192. canamque rogat Saturnia Thetyn, Mænaliam tactis ne lavet Arcton aquis. *Id.* 13. *Met.* 293. Arctos immunis aquæ. *Id.* 1. *Trist.* 2. 29. sicca. — De iis quæ ad utramque Arcton pertinent, videsis et *Hygin.* 2. *Astron.* 1. et 2., et *Manil.* 1. 301. et seqq.

II.) Translate. ¶ 1. Arctos ponitur pro nocte, noctu enim apparet. *Propert.* 2. 18. 25. Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos. *h. e.* duas noctes per quamdam metalepsin, eo modo quo dicimus *quatuor lunas*, hoc est quatuor menses. Adde *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 22. ¶ 2. Item pro frigida umbra, quæ inest locis ad septentrionem spectantibus. *Horat.* 2. *Od.* 15. 14. nulla decempedis Metata privatis opacam Porticus excipiebat Arcton. ¶ 3. Interdum Arctos ponitur pro regione vel pro populis septentrionalibus. *Lucan.* 3. 74. Gallorum tantum populis Arctoque subacta. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 335. Atque indignantes in jura redegerat Arctos. Adde *eumd. Laud. Stilich.* 1. 296.

ARCTŌUS, a, um, adject. (ἀρκτῷος) ad arctos pertinens, septentrionalis (It. *settentrionale*; Fr. et Hisp. *septentrional*; Germ. *nördlich*; Angl. *northern*). *Seneca Œdip.* 606. Arctoæ nives. *Id. Herc. Œt.* 1107. et *Martial. Spectac.* 15. polus. *Seneca Herc. Œt.* 1565. sedes. *Lucan.* 1. 53. orbis. *Id.* 10. 250. frigus. *Martial.* 5. 69. gens. *Id.* 10. 6. soles et sidera. *Capell.* 6. *p.* 143. conversio. *h. e.* septentrio.

ARCTŪRUS, i, m. 2. (ἀρκτοῦρος) est ¶ 1. Stella in signo Bootæ, et inter ejus crura posita, cujus ortus et occasus, justa veteres, tempestates faciebat. Oritur a canicula fere post diem quinquagesimum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 110. *ex suo carm. Arat.* (*v.* 99.). Huic (*Bootæ*) subter præcordia fixa videtur Stella micans radiis Arcturus nomine claro. — In fabulis est fuisse Icarium patrem Erigones, qui cum a quibusdam pastoribus, quod eos multo vino inebriaverat, fuisset fustibus occisus, in cælum translatus sit. Ita *Hygin. fab.* 130. — Sæpe autem non tam pro stella in signo Bootæ, quam pro toto ipso Boote ponitur a Poetis, qui ideo *Arcturus* dicitur, hoc est custos ursæ (ut dictum est in ARCTOPHYLAX) ab ἄρκτος ursa et οὖρος *custos*; ex quo intelligitur cur idem *Hygin. loc. cit.* Icarium scribat esse Arcturum, et 2. *Astron.* 4. esse Booten. *V.* ANTECANIS. — *Plaut. Rud.* Arcturum inducit prologum facientem. *Virg.* 1. *Æn.* 744. Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones. Adde *eumd.* 1. *G.* 204. *Horat.* 3. *Od.* 1. 27. Arcturi cadentis impetus. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 10. 21., 9. *ibid.* 2. 78.; et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 8. 16. (59). et 18. *ibid.* 31. 74. (311). — Pro ipso auctumni tempore, quo Arcturus oritur, accipi videtur in illo *Virg.* 1. *G.* 67. At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum Arcturum tenui sat erit suspendere sulco. ¶ 2. Est hoc nomine etiam herba, quæ alias arction dicitur. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 16. (33). *V.* ARCTION.

ARCTUM, i, n. *et* } *V.* ARTUS, a, um.
ARCTUS, a, um, adject. }

ARCUĀRIUS, a, um, adject. ad arcus sagittarios pertinens. *Veget.* 2. *Milit.* 11. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides omniaque armorum genera formabantur. *V.* FABRICA.

ARCUĀRIUS, ii, m. 2. qui arcus sagittarios facit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6. Tubarii, cornuarii, arcuarii.

ARCUĀTĬLIS, e, adject. arcuatus. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. In hiemale triclinium venitur, quod arcuatili camino sæpe ignis animatus pulla fuligine infecit.

ARCUĀTIM, adverb. in modum arcus, per arcus. *Festus p.* 352. 1. *Müll.* Vehementes projectiones sanguinis arcuatim fluentis. Cf. *Paul. Diac. p.* 353. 6. *Müll. Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (136). Millipeda animal est e vermibus terræ, pilosum, multis pedibus arcuatim repens. *h. e.* sinuatim et quosdam veluti arcus efficiendo dum repit.

ARCUĀTIO, ōnis, f. 3. (arcuo) structio in arcum formata. *Frontin. Aquæduct.* 18. Trajicere aquæductus substructionibus et arcuationibus. *Id. ibid.* 121. Partes ductuum, quæ arcuationibus sustinentur.

ARCUĀTUS, a, um. *V.* ARCUO et ARQUATUS.

ARCŬBALLISTA, æ, f. 1. genus quoddam minoris ballistæ, habentis inclusum arcum ligneum, ad jacienda missilia: nam quædam erant ballistæ, quæ non arcuato ligno, sed nervo, aut fune extenta, vel alia ratione jaciebant, ut videre est in figuris, quas *Lips.* 3. *Poliorcet. Dial.* 3. exhibet. *Veget.* 2. *Milit.* 15. Erant tragularii, qui ad manuballistas vel arcuballistas dirigebant sagittas. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 22.

ARCŬBALLISTĀRIUS, ii, m. 2. miles qui arcuballista missilia jacit. *Veget.* 4. *Milit.* 21. Admotis turribus, funditores lapidibus, sagittarii jaculis, ma-

aubalistarii vel arcuballistarii sagittis e muris submovent hostes.

ARCUBII qui excubabant in arce. *Paul. Diac.* p. 25. 6. *Müll.* Vulgati libri legunt *arcubiæ*. *Gloss. Isid.* **Arcubius** qui cubat in arce. *Voss.* derivat (*Etymol.* in V. *Arx*) ab *arx* et *cubare*; quod etymon et *Müllero* placuisse videtur, qui ad *Paul. Diac. l. c.* ait: Arcubii pro arcicubii dici poterant, ut stipendium pro stipipendio et similia. Contra *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 2. p. 162. *arcubiæ* dictum putat pro *accubiæ* ex *ad* et *cubo*.

ARCŬLA, æ, f. 1. deminut. parva arca in qua aliquid reponitur. Speciatim vero ponitur ¶ 1. Pro parvo sepulcro. *Inscript.* apud *Gruter.* 1031. 4. P. MINACIO P. F. OCRIC. ALBINO P. MINACIO FRATRI CARISSIMO ARCVLAM TIBVRTINAM etc. Adde *Martian. Dig.* 11. 7. 39. ¶ 2. Pro receptaculo, in quo aliquid custoditur. *Colum.* 12. *R. R.* 45. 5. memorat fagineas arculas ad vestes servandas. ¶ 3. Quod ad artes attinet — *a*) Arcula ponitur de tabula pictorum. *Varro* 3. *R. R.* 17. 4. Pictores loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sint ceræ. *Alii leg.* arculas eodem sensu. Ex *Tab.* 3. *T.* 7. *Mus. Borbon.*, in qua cernitur femina pingens Bacchum, patet, arculam non eamdem esse cum Italorum *tavolozza*, sed potius cum ea, quam rectius *cassetta* Italice dixeris; quo autem nomine Latini *tavolozza* Italorum indicarent, hactenus incompertum est. — *b*) In organo hydraulico est conceptaculum aeris, quod in Italia a multis dicitur *il sommiero*. *Vitruv.* 10. 8. (13). 4. *Schneid.* — *c*) In palæstris aliisque exercitiorum locis videntur fuisse arculæ, in quibus parata jacerent tela, jacula, hastæ, ut pharetræ sagittis continendis destinatæ erant. Hinc translate *Quintil.* 12. 3. 4. Neque ego sum nostri moris ignarus oblitusve eorum, qui ad arculas sedent et tela agentibus subministrant. *h. e.* suppeditant arma patronis causas agentibus. ¶ 4. Arcula ponitur et de nummorum receptaculo. *Afranius* apud *Festum* p. 359. 27. *Müll.* Tamne arcula tua plena est aranearum? Sic *Catull.* 13. 7. nam tui Catulli Plenus sacculus est aranearum. ¶ 5. Præcipue arcula ponitur pro parva atque eleganti capsa, quæ unguentis servandis et muliebri mundo inservit. *Plaut. Most.* 1. 3. 90. Cedo mihi speculum, et cum ornamentis arculam. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. Perscrutari arculas muliebres. Et metaphorice *Id.* 2. *Att.* 1. 1. Meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes ejus discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. *h. e.* arculas unguentarias ἀλληγορικῶς.

ARCŬLA dicebatur avis, quæ in auspiciis vetabat aliquid fieri. *Paul. Diac.* p. 16. 10. *Müll.* Vox derivatur ab *arcendo*. *Scalig.* pro *arcula* legit *arcira*, ex eadem origine. Sic enim haberi in *Vet. Gloss.* **Arcivus**, εἰρκτικός, κωλυτικός. *h. e.* arcens, vetans.

ARCŬLĀRIUS, ii, m. 2. qui arculas præsertim muliebres facit. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 45. Textores, limbolarii, arcularii ducuntur.

ARCŬLĀTA dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificiis fiebant. *Paul. Diac.* p. 16. 6. *Müll.* Certe ab arcuatione, id est incurvatione hæc ducta sunt. *Sphæra* apud *Isid.* 20. *Orig.* 2. 31. et *spærita* apud *Caton. R. R.* 82. similia sunt placentarum genera, sed quæ ad rem sacram non pertineant.

ARCŬLUS, i, m. (juxta *Forcellinum* vero Arculum, i, n.) 2. *Paul. Diac.* p. 16. 6. *Müll.* Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, quæ ad sacra publica capite portabantur. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 137. videtur dixisse *arculum* pro *inarculo*. *V.* INARCULUM.

ARCŬLUS putabatur etiam deus, qui tutelam gereret arcarum. *Paul. Diac.* p. 16. 9. *Müll.*

ARCUMA. *V.* ARCIRMA.

ARCŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (arcus). Part. *Arcuatus* in fin. — Arcuare est in modum arcus curvare. Occurrit tantum *arcuari* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (137). Illam autem (*millepedam*) quæ non arcuatur, sepa Græci vocant. *h. e.* quæ arcuatim non repit, ut paullo supra *Id.* loquitur. *V.* ARCUATIM. — Hinc. Part. præter pass.

Arcuatus vel *arquatus*, *a*, *um*, est in modum arcus curvatus, vel arcus et fornices habens. *Liv.* 1. 21. Ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi jussit. *h. e.* curru qui in modum arcus tectus erat. Cf. *Arnob.* 2. 23. Arcuata sellula. *Ovid.* 11. *Met.* 590. *de Iride.* arquatum curvamen. *Plin.* 10. *Ep.* 46. Perducere aquam arcuato opere. *h. e.* constructione, quæ arcubus insistat. Adde *Frontin. Aquæduct.* 3. 33. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. Ægrotantes (*in tormento*) arcuati convolutique plicantur. Adde *eumd. ibid.* 8.

ARCŬPŎTENS. *V.* ARCIPOTENS.

ARCUS vel arquus, us, m. 4., vel i, m. 2. — In feminino genere dixit *Ennius* de Iride loquens apud *Priscian.* 6. p. 712. *Putsch.* — Genitivus sing. *arci* vel *arqui* apud *Lucret.* 6. 526., et apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. 51. — In Dativo plurali facit *arcubus*; nam *arcibus* est ab *arx*, *arcis*, ut *Priscian.* 8. *ad fin.* et *Diomed.* 1. p. 285. *Putsch.* docent, nulla tamen freti auctoritate. — Arcus est instrumentum ex ligno, aut alia materia, quod intento nervo incurvatur et remittitur ad jaciendas sagittas (It. *arco*; Fr. *arc*; Hisp. *arco*; Germ. *der Bogen*; Angl. *a bow*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Intendit crinitus Apollo arcum auratum. *Plaut. Trin.* 3. 2. 49. Cum extemplo arcum mihi et pharetram et sagittas sumpsero. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 414. *Cic. Senect.* 11. 37. Intentum enim animum tamquam arcum habebat. *Virg.* 1. *Æn.* 318. namque humeris habilem suspenderat arcum Venatrix. *Id.* 11. *ibid.* 874. laxus. *Horat. A. P.* 350. Non semper feriet quodcumque minabitur arcus. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 29. Arcus flexibilis. Et 1. *ibid.* 1. 24. sinuosus. — Jungitur et aliis Verbis, quæ litterarum ordine subjiciuntur. *Virg.* 5. *Æn.* 507. Adducere arcum. *Horat.* 4. *Od.* 6. 34. Cohibere cervos arcu. *Ovid.* 2. *Art. am.* 191. et 6. *Met.* 286. Contendere arcum. *Virg.* 1. *Æn.* 187. Corripere arcum manu. *Id.* 11. *ibid.* 654. Dirigere spicula arcu. *Horat.* 4. *Od.* 9. 18. Dirigere tela arcu. *Pers.* 3. 60. Dirigere arcum in aliquem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (21). Emittere arcu sagittam. *Tac.* 4. *Ann.* 28. Expedire alimenta arcu. *h. e.* alimenta sibi venando comparare. *Ovid.* 8. *Met.* 381. Expellere arcu sagittam. *Seneca Herc. fur.* 1197. Flectere arcum. *Virg.* 5. *Æn.* 500. Incurvare arcum. *Id.* 8. *ibid.* 704. et 9. *ibid.* 665., *Cic. Sest.* 7. 15., *Curt.* 3. 4. et *Seneca Herc. Œt.* 430. Intendere arcum. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 24. Lunare arcum. *Stat.* 5. *Theb.* 380. Petere aliquem arcu. *Horat.* 3. *Od.* 27. 67. Remittere. *Ovid.* 2. *Met.* 419. et *Stat.* 4. *Silv.* 4. 30. Retendere. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 80. Stringere aliquem arcu. *Horat.* 2. *Od.* 10. 19. Tendere arcum. *V.* et *NB.* in fine hujus vocis.

II.) Translate ob similitudinem dicitur arcus quidquid ejusdem arcus formam præsefert. Hinc ¶ 1. Arcus dicitur Iris cælestis. *Ennius* apud *Priscian.* 6. p. 712. *Putsch.* Arcus ubi aspicitur, mortalibus quæ perhibetur. *Lucret.* 6. 526. Tum color in nigris existit nubibus arqui. *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. 51. Cur autem arci species non in deorum numero reponetur? Ita legunt plerique cum *Priscian.* 6. p. 712. *Putsch.* Quidam malunt *arqui*. *Id. ibid.* Arcus ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratus. *Liv.* 30. 2. Frusinone arcus solem tenui lineâ amplexus. Adde *eumd.* 41. 21. *Virg.* 5. *Æn.* 88. ceu nubibus arcus Mille trahit varios adverso sole colores. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 15. et *Ovid.* 11. *Met.* 232. *Virg.* 1. *G.* 381. et bibit ingens arcus. Adde *Propert.* 3. 3. 54. et *V.* BIBO. *Horat. A. P.* 18. pluvius arcus. *scil.* quia inter signa pluviæ habetur, ut *Virg. loc. cit.* docet. *Tibull.* 1. 4. 38. imbrifer. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 80. (353). Arcus cum sunt duplices, pluvias nunciant, a pluviis serenitatem non perinde certam. V. *eumd.* 2. *ibid.* 59. 60. (150). et seq. et *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 5. et 6., ubi plura de hac re. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 52. (110). Arcus cælestis. *Colum.* 10. *R. R.* 292. sidereus. ¶ 2. Primo figurate in rerum natura, deinde ex more in architectura *arcus* dicitur structura in modum arcus curvata. Hujusmodi sunt, qui a natura ipsa in antris formantur; qui substruuntur ad sustinendas ædes aut pontes; qui ad aquæ ductus erigendos, ubi locus depressior est; et qui eriguntur clari alicujus triumphi causa, ideo *triumphales* appellati, quorum aliquot adhuc visuntur Romæ et circa Urbem imperatoribus dicati ob insignes ab iis partas victorias. *Ovid.* 3. *Met.* 29. Et specus in medio — Efficiens humilem lapidum compagibus arcum. *Id. ibid.* 159. nam pumice vivo Et levibus tophis nativum duxerat arcum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 12. (27). Columnarum ratio erat, attolli supra ceteros mortales, quod et arcus significant novicio invento. *Sueton. Claud.* 1. Decernere alicui marmoreum arcum cum tropæis. Adde *eumd. Ner.* 25. et *Domit.* 13.; *Tac.* 2. *Ann.* 64. et 41. et 83.; et *Plin. Paneg.* 59. *Juvenal.* 3. 11. Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam. *Cenotaph. Pisanum C. Cæsaris Augusti.* VTIQVE ARCVS CELEBERRIMO COLONIAE NOSTRAE LOCO CONSTITVATVR ORNATVS SPOLIIS DEVICTARVM AVT IN FIDEM RECEPTARVM AB EO GENTIVM: SVPER EVM STATVA PEDESTRIS IPSIVS TRIVMPHALI ORNATV, CIRCAQVE EAM DVAE EQVESTRES INAVRATAE C. ET L. CAESARVM STATVAE PONANTVR. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 1025. et 1075. *Lucan.* 4. 15. Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu. *Inscript.* apud *Orell.* 703. TI. CLAVDIVS. DRVSI F. CAESAR. AVGVSTVS GERMANICVS. — ARCVS. DVCTVS AQVAE. VIRGINIS DISTVRBATOS — A FVNDAMENTIS NOVOS FECIT. AC RESTITVIT. ¶ 3. Item arcus dicitur et de lineis in arcum compositis. *Ovid.* 2. *Met.* 129. Nec tibi directos placeat via quinque per arcus. *Virg.* 2. *G.* 26. silvæ pressos propaginis arcus Exspectant. *h. e.* ramos in terram deflexos propagandæ stirpis causa. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 20. 17. *Ovid.* 11. *Met.* 568. Arcus aquarum. — Præcipue *in arcum* vel *in arcus* occurrit. *Virg.* 3. *Æn.* 533. portus curvatur in arcum. *Propert.* 4. 6. 25. acies geminos lunarat in arcus. *Ovid.* 3. *Met.* 42. *de serpente in cursum concito.* Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 51. et *Heroid.* 2. 131. ¶ 4. Arcus est etiam pars circuli apud Mathematicos. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 10. Coronam si diviseris, arcus erit; si direxeris, virga. *Colum.* 5. *R. R.* 2. 9. Esto arcus, cujus basis habeat pedes sexdecim. ¶ 5. Obscena metaphora ab arcu sagittario ducta usus est *Apul.* 2. *Met.* Arcum meum en ipse vigor attendit, et oppido formido, ne nervus rigoris nimietate rumpatur. — *NB.* Arcus, ajebat *Forcellinus*, videtur esse instrumentum nobis ignotum, arcendis foribus aptum. *Horat.* 3. *Od.* 27. 7. Hic, hic ponite lucida Funalia, et vectes et arcus Oppositis foribus minaces. *Alii leg.* harpas; *alii* hamos. Recentiores, inter quos *Ritter*, priorem lectionem tuentur, et *arcus* proprie accipiunt, quos non ideo minaces dixit poeta, ut fores sagittis transfigantur, quod fieri vix potest, sed ut servi et liberti limen obsidentes inde deturbentur.

ARDEA, æ, f. 1. (Cf. Gr. ἐρωδιός) avis quædam in aquaticis et piscosis locis degens, et pisces ostreasque devorans (It. *aghirone*, *airone*; Fr. *héron*; Hisp. *garza real*; Germ. *der Reiher*; Angl. *a heron*, or *hern*). Ejus tria genera ponit *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 79. (164). Primus est *leucon*, hoc est ardea alba, quæ Italice dicitur *garza*: alterum est *asterias*, hoc est ardea stellaris, ita dicta, quia sublimi volatu stellas petere videtur, secundum illud *Virg.* 1. *G.* 364. notasque paludes Deserit atque altam supra volat ardea nubem: ubi *Servius* haud recte putat *ardeam* dictam esse, quasi *arduam* ab arduo volatu. Tertium genus est *pellos*, hoc est ardea cinerea, ita dicta a colore pennarum, a πελλός *fuscus*. Ipse autem *Plin.* tum hic, tum alibi *ardeolam* pro *ardeam* deminutivo vocabulo appellat: *ardeam* vero 18. *Hist. nat.* 35. 87. (363). Adde *Virg.* 7. *Æn.* 411.

ARDĔLĬO, ōnis, m. 3. homo inquietus et huc atque illuc cursitans, omnia se scire prædicans, et omnibus negotiis se immiscens, nullum autem bene perficiens. Ducunt ab *ardea* pro *ardeola*, ut a *tabella* est *tabellio*, quod ardelio ejus avis more huc illuc volitet: alii, et quidem rectius, ab *ardendo*, hoc est festinando, nam et hanc verbo *ardeo* translatam notionem ipse *Non.* 4. 16. *edit. vet.* tribuit (It. *affannone*, *faccendiere*, *imbroglione*; Fr. *ardélion*, *qui fait l'empressé*; Hisp. *apresurado*; Germ. *ein geschäftiger Müssiggänger*; Angl. *a busy-body*, *meddler*, *trifler*). *Phædr.* 2. 5. 1. Est ardelionum quædam Romæ natio Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens, Sibi molesta et aliis odiosissima. *Martial.* 2. 7. Vis dicam, quid sis? magnus es ardelio. *V.* integrum epigramma, ut et 4. 79.: utroque enim loco ardelionis mores describuntur.

ARDĔLĬUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* ardelio. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 8. 144. Galero fusco et horrido ardeliunculo, quales sunt latrunculatorum. Hæc *Furlanetto* in suis MSS.: sed pro *ardeliunculo* puto legendum esse *bardocucullo*, quam vocem *V.*

ARDENS, entis. *V.* ARDEO.

ARDENTER, adverb. Comp. *Ardentius* et Sup. *Ardentissime* II. — Ardenter est cum calore, flagranter (It. *ardentemente*, *con calore*; Fr. *ardemment*, *avec ardeur*; Hisp. *ardientemente*; Germ. *auf brennende, feurige Weise*; Angl. *hotly*, *ardently*, *keenly*).

I.) Proprie. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (93). Austros ibi tam ardentes flare. *alii, inter quos Sillig., leg.* ardentes.

II.) Translate est vehementer, cupide, valde. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 39. Ardenter cupere aliquid. *Id.* 5. *ibid.* 6. 16. Gravius ardentiusque sitiens voluptates. *Sueton. Calig.* 25. Ardentius amare. *Plin.* 8. *Ep.* 10. Ardentius cupere libros. *Id.* 6. *ibid.* 4. et *Sueton. Domit.* 22. Ardentissime diligere.

ARDEO, es, arsi, arsum, ere, n. 2. Præteritum *ardui* pro *arsi*, quod legitur in quodam lapide apud *Gruter.* 121., non est facile usurpandum. Atqui habemus præteritum subjunct. *arduerint* in *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arval.* n. 43., quæ est apud *Orell.* 961. QVOD ICTV FVLMINIS ARBORES SACRI LVCI ATTACTAE ARDVERINT. V. *eumd. Marin. l. c. p.* 659. Ratione habita etymi, conjungi potest cum verbo *areo* ita ut *ardeo* sit causativum. — Part *Ardens* in omnibus paragr. et in fine; *Arsus* I. 2.; *Arsurus* I. 1. — Ardeo est idem ac flagro, conflagro, cremor (It. *ardere, bruciarsi*; Fr. *être en feu, brûler*; Hisp. *abrasar*; Germ. *brennen, entbrannt oder in Brand sein*; Angl. *to burn, be on fire*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur tum de iis quæ comburi possunt cum igne flagrant, tum de ipso igne accenso. *Cato R. R.* 130. Ita neque fumosa erunt (*ligna*) et bene ardebunt. *Cic. Dom.* 24. 62. Domus ardebat in Palatio non fortuito, sed oblato incendio. *Id.* 1. *Divinat.* 53. 121. Caput arsisse Servio Tullio dormienti, quæ historia non prodidit? Cf. *Liv.* 1. 39. *Lucret.* 2. 593. Nam multis succensa Jovis ardent sola terræ. *Id.* 3. 1077. tectis ardentibus auxilium ferre. *Liv.* 26. 27. Eodem tempore septem tabernæ – arsere. *Sall. Jug.* 61. Sudes, pila, præterea pice et sulphure tædam mixtam, ardentia mittere. *Virg.* 3. *G.* 490. impositis ardent altaria fibris. *Id.* 2. *Æn.* 311. jam proximus ardet Ucalegon. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 71. ubi sedulus hospes Pæne arsit, macros turdos dum versat in igne. *h. e.* incendio ædium conflagravit. *Et ibid* 8. 44. largior arserit ignis. *Id.* 1. *Ep.* 18. 84. paries proximus ardet. *Ovid.* 2. *Met.* 620. rogumque parari Sensit, et arsuros supremis ignibus arcus. *Id.* 2. *ibid.* 220. ardet Ætne. *Stat.* 8. *Theb.* 474. Igne tuo, Thebane, rogum concedimus: arde. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (65). Probatur (*tus*) candore – carbone, ut statim ardeat. *Tac.* 15. *Ann.* 50. Cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de iis quæ comburi nequeunt, et significat magno calore præditum esse. *Liv.* 22. 1. Præneste ardentes lapides cælo decidisse. *Virg.* 4. *G.* 425. Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. *Forcellinus* hæc addebat: Videtur activa significatione usurpari pro comburere; *Servius* enim exponit *siccabat*: potest tamen Accusativus *sitientes Indos* referri ad Participium *torrens*. *Id.* 7. *Æn.* 142. nubes ardens. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (93). Austros ibi tam ardentes flare. *alii leg.* ardenter. *Justin.* 2. 1. 6. Cum aliæ terræ nimio fervore solis arderent. *Martial.* 14. 94. Aqua ardens. *V.* et in fine *Ardens*. — Huc referri potest et illud *Plin. Valerian.* 2. 9. Ovi duri medium arsum manducare. *h. e.* tostum.

II.) Translate. ¶ 1. Ob similitudinem ponitur de oculis, coloribus aliisque, quæ micant, splendent ac fulgorem igni similem emittunt. *Plaut. Capt.* 3. 4. 62. Ardent oculi. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 62. 161.; *Liv.* 7. 33. et *Virg.* 4. *G.* 451. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. Cum spumas ageret, oculis arderet, voce maximâ – clamaret. *Virg.* 4. *Æn.* 262. Tyrioque ardebat murice læna. *Id.* 11. *ibid.* 602 campique armis sublimibus ardent. *Id.* 4. *G.* 98. Ardentes auro apes. Cf. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 2. *Virg.* 10. *Æn.* 261. Clypeus ardens. ¶ 2. Item de iis, quæ in animalium membra inflammandi vim exerunt. *Lucret.* 6. 1179. Ardentia morbis lumina. *Id. ibid.* 1171. Ardentia morbo membra. *Id.* 3. 663. Ardens vulneris dolor. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 93. Quos ille, – cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus pertulit! *Id.* 5. *ibid.* 31. 94. Is cum arderet podagræ doloribus. *Virg.* 3. *G.* 564. Ardentes papulæ. *h. e.* carnem adurentes et exedentes. *Liv.* 44. 38. *ad fin.* Ardentibus siti faucibus. *Phædr.* 3. 16. 15. et *Claudian.* 1. *Rufin.* 104. Ardere siti. ¶ 3. Sæpissime refertur ad animum, et dicitur de iis, qui cupiditate aliqua vehementi aguntur; et tum in bonam, tum in malam partem occurrit — *a*) Cum Ablat. *Plaut. Cas.* 5. 3. 1. Maximo ego ardeo flagitio. *h. e.* maximo scelere teneor et ejus invidia laboro. *Ter. Adelph.* 3. 2. 12. Ardere iracundiâ. *Id. Eun.* 1. 1. 27. et *Liv.* 3. 44. amore. *Cic.* 4. *Verr.* 47. 116. Ardebat amore illius hospitæ. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 5. § 16. studio et amore alicujus. *Id.* 16. *Att.* 13. C. § 2. studio historiæ. *Id.* 3. *Orat.* 32. *in fin.* Græci ardentes his studiis. *Id.* 2. *Legg.* 17. 43. Vidimus eos ardentes cum cupiditate, tum metu, tum conscientia. *Id.* 2. *Att.* 19. 5. Ardere dolore et ira. *Id.* 10. *ibid.* 4. 2. furore et scelere. Cf. *Liv.* 2. 29. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 37. desiderio alicujus rei. *Id.* 4. *Phil.* 2. 4. Antonius ardens odio vestri. Adde *Justin.* 8. 4. *Cic. Rosc. Am.* 51. Qui ardens avaritiâ feratur infestus in suos. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. *ad fin.* Res ardet invidiâ. *h. e.* laborat. *Liv.* 5. 11. Cum arderent invidiâ patres et tribuni. *Plin.* 4. *Ep.* 11. Ardere infamiâ. *Varro* 3. *R. R.* 17. 9. curâ. *Liv.* 29. 6. cupiditate ulciscendi. *Flor.* 3. 11. *in fin.* cupiditate auri. *Seneca Herc. Œt.* 370. Brevique in illas arsit Alcides face. *Val. Max.* 9. 3. 8. Ardens indignatione. Similiter *Cic.* 6. *Att.* 5. 3. Cum arderet Syria bello. *Id.* 4. *Fam.* 1. 2. Orbem terrarum – ardere bello. *Liv.* 28. 24. *in fin.* Totam Hispaniam arsuram bello. *Virg.* 7. *Æn.* 644. quibus (*Itala tellus*) arserit armis. *Flor.* 3. 5. Ardet novis motibus Asia. *Liv.* 28. 24. *in fin.* Furor, quo nunc omnia ardent. Huc pertinet et illud *Cic. Mil.* 15. 39. Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei. — *b*) Absolute. *Cæcilius* apud *Cic. Cæl.* 16. 37. Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur irâ. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 188. Tantum est flumen – verborum, tam integræ sententiæ, ut mihi non solum tu incendere judicem, sed ipse ardere videaris. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. Omnium animi ad ulciscendum ardebant. *Sall. Orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. sub fin.* Ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus. Adde *Liv.* 1. 46. *Sueton. Cæs.* 70. Ardente in Africa bello. *Virg.* 12. *Æn.* 3. ultro implacabilis ardet. *Id.* 10. *ibid.* 514. Ardens limitem agit ferro. *Ovid.* 6. *Met.* 609. ardet, et iram Non capit ipse suam. *Stat.* 4. *Theb.* 337. tunc bella tibi, ferrumque quod ardes, Ipsa dabo. — *c*) Sæpissime a Poetis de vehementi alicujus rei vel hominis amore usurpatur, et pluribus quidem modis, scilicet — Cum Accus. rei et præp. *in*. *Virg.* 12. *Æn.* 71. Ardet in arma magis. *Tac.* 1. *Hist.* 43. Nominatim in cædem ejus ardentes. — Cum Infinito. *Virg.* 4. *Æn.* 281. Ardet abire fugâ. Adde 1. *ibid.* 514. et 11. *ibid.* 895. *Ovid.* 5. *Met.* 166. Nescit utro potius ruat; et ruere ardet utroque. *Val. Flacc.* 6. 45. Nescius, heu! quanti thalamos ascendere monstri Arserit. — Cum Ablat. personæ et præp. *in*. *Ovid.* 8. *Met.* 50. merito deus arsit in illâ. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 724. et *Heroid.* 4. 99. — Cum Ablat. sine præp. *Horat.* 2. *Od.* 4. 7. Arsit Atrides medio in triumpho Virgine raptâ. *Id.* 3. *ibid.* 9. 5. Donec non aliâ magis arsisti. *Bentlej.* malebat *aliam*. Adde *eumd. Epod.* 14. 9. *Sil. It.* 5. 15. Nympha ardens puero. — Cum Accus. personæ. *Virg.* 2. *Ecl.* 1. Formosum pastor Corydon ardebat Alexin. *Horat.* 4. *Od.* 9. 13. comptos Arsit adulteri crines. *Gell.* 7. 8. Delphini pueros miris modis arserunt. — Absolute. *Ovid.* 8. *Met.* 62. Ex æquo captis ardebant mentibus ambo. *Id.* 14. *ibid.* 691. Miserere ardentis. *h. e.* amantis.

Ardens, entis, partic. præs. occurrit adjectivorum more, unde Comp. *Ardentior* et Sup. *Ardentissimus* in omnibus ferme paragr., iisdem significationibus, quibus Verbum ipsum, quorum singulæ conferantur paragr. Itaque

A) Proprie. ¶ 1. Ardens est qui flagrat, crematur. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 20. Circumstant cum ardentibus tædis. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de iis, quæ calore maximo prædita sunt atque alia calefaciunt. *Tubero* apud *Gell.* 6. 4. Post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant. *Ovid.* 1. *Met.* 46. quinta (*zona*) est ardentior illis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (123). Ardentissimum æstatis tempus. *Id.* 31. *ibid.* 3. 27. (45). Diei horæ ardentissimæ.

B) Translate. ¶ 1. Ob similitudinem de luce et coloribus usurpatur, et est valde splendens et ignem referens. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (16). Ardentissimus color. ¶ 2. Item de iis, quæ in animalium membra vim comburendi exerunt. *Horat.* 2. *Od.* 11. 19. ardentis Falerni pocula. Adde *Martial.* 9. 75. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 20. 81. (213). Ardens febri. *Id.* 27. *ibid.* 9. 46. (70). Cocco Gnidio color cocci, vis ardens. *h. e.* vis calefaciendi atque inflammandi. ¶ 3. Item de iis qui cupiditate aliqua vehementi aguntur, — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 61. Mortem ardentiore studio petere. *h. e.* vehementiore. *Id.* 4. *Phil.* 5. 11. Ardens et erectus ad libertatem recuperandam. *h. e.* inflammatus desiderio. *Sall. Cat.* 5. Animus ardens in cupiditatibus. *Virg.* 6. *Æn.* 5. juvenum manus emicat ardens. *Flor.* 4. 2. 12. et 1. 8. 2. Ardentissimus dux. *Quintil.* 4. 2. 96. Ardentissimus amor. — *b*) Cum Genit. *Stat.* 1. *Theb.* 661. ardentem, tenuit reverentia, cædis Latoidem. — *c*) Speciatim apud Rhetores tum de oratione, tum de oratore dicitur, et est vehemens, concitatus. *Cic. Orat.* 38. 132. Ardens oratio. *Id. ibid.* 9. 27. Verbum ardens. *Id. ibid.* 28. 99. Orator ardens. *Id. Brut.* 24. 93. Ardentior in dicendo. *sed tamen ex conjectura tantum ita legitur*. *Id.* 14. *Att.* 10. *ad fin.* Ardentes in eum litteras ad me misit. V. *Ernesti Lex. techn. lat. p.* 27.

ARDEŎLA, æ, f. 1. *deminut. ab* ardea (quam vocem V.) apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 79. (164.) et 11. *ibid.* 37. 52. (140).

ARDESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. ab* ardeo). Part. *Ardescens* I. 1. et II. 3. — Ardesco est ardere incipio, ardens fio, ignem concipio.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de iis quæ comburi possunt cum ignem concipiunt et flagrare incipiunt. *Lucret.* 6. 895. Quæ cum conveniunt, aut in tædai corpore adhærent, Ardescunt facile extemplo. *Id. ibid.* 174. Omnia motu Percalefacta vides ardescere. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 254. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 12. (51). Succinum rapacissimum ignium, et, si juxta fuerit, celerrime ardescens. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de iis, quæ comburi nequeunt, sed magnum calorem concipiunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (60). Præterea mirum, e paleâ citissime ardescere (*aurum*). *h. e.* calefieri.

II.) Translate. ¶ 1. Ob similitudinem dicuntur ardescere fulmina vel lumina, hoc est valde splendescere. *Ovid.* 11. *Met.* 523. Fulmineis ardescunt ignibus undæ. — Similiter dicitur mucro gladii ardescere, cum ejus acies adeo vehementer acuitur, ut candendo pæne urat. *Tac.* 15. *Ann.* 54. Pugionem vetustate obtusum asperari saxo, et in mucronem ardescere jussit. *Alii leg.* et mucronem ardescere jussit. Sic *Lucan.* 7. 139. Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper Exarsit mucro. ¶ 2. Interdum et de iis ponitur, quæ in animalia vim exerunt calefaciendi atque inflammandi. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. Ardescunt febres. ¶ 3. Sæpius refertur ad animum, et est concitari, inflammari, fervere. Occurrit — *a*) Cum Ablat. *Lucret.* 4. 1083. ardescit dira cuppedine pectus. *Id.* 5. 895. Ardescere Venere. *Virg.* 1. *Æn.* 717. Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo. *Ovid.* 12. *Met.* 240. ardescere cæde. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (181). Solus animalium eo stimulo ardescit. *Tac.* 3. *Ann.* 54. Æger et flagrans animus libidinibus ardescit. *Sil. It.* 11. 304. Ardescere Lyæo. — *b*) Absolute. *Virg.* 11. *Æn.* 607. Adventusque virum fremitusque ardescit equorum. *h. e.* augetur et urget. *Tac.* 5. *Hist.* 18. Ardescente pugnâ. *Id.* 16. *ibid.* 29. Voce, vultu, oculis ardescere. *Id.* 3. *Ann.* 17. Questus magis ardescebant. Adde *Lucan.* 5. 359. — *c*) Cum Accus. rei, in quam quis fertur, et præp. *in*. *Ovid.* 5. *Met.* 41. Tum vero indomitus ardescit vulgus in iras. *Tac.* 11. *Ann.* 25. Ardescere in incestas nuptias. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 17.

ARDIFER, fera, ferum, adject. Falsa lectio. *V.* voc. seq.

ARDIFĔTUS, a, um, adject. (ardere et fetus) ardore plenus. *Varro* apud *Non.* p. 243. 23. et 312. 3. *Merc.* Non videtis, unus ut parvulus Amor ardifetâ lampade aridâ agat amantes æstuantes. *Vulgati libri, Codicum auctoritate et ipso metro repugnante, habent* ardifera. *V. Oehler M. Terent. Varr. Sat. Menipp. reliq. p.* 140.

ARDOR, ōris, m. 3. (ardeo) vehemens calor et incendium (It. *ardore, incendio, calore*; Fr. *ardeur, chaleur*; Hisp. *ardor, calor intenso*; Germ. *das Entbranntsein, der Brand, die Gluth*; Angl. *heat, burning heat, fire*).

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 212. et *Cic.* 6. *de republ.* 20. 21. Ardor solis. *Lucret.* 5. 587. ignium. *Id. ibid.* 1092. flammarum. *Id. ibid.* 1098. flammai fervidus. *Id. ibid.* 1251. flammeus. *Cic. Senect.* 15. 53. Vitis vestita pampinis nimios solis defendit ardores. *Id.* 2. *Divinat.* 19. 44. Nubium conflictu ardor expressus. *Id.* 3. *Cat.* 8. 18. Ardor cæli. *Id.* 2. *Nat. D.* 15. 41. cælestis. *Id.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 37. 119. Fore

aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. *Id. Planc.* 40. 95. Domus ardore suo deflagrationem obi minatur. *Virg.* 3. *G.* 432. tellus ardore dehiscit. *Colum.* 10. *R. R.* 289. Sirius ardor.

II.) Translate. ¶ 1. Ob similitudinem ponitur de luce et similibus, pro fulgore et splendore. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. Concursusque graves stellarum ardore micantes. *Lucret.* 3. 289. Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira, Cum fervescit et ex oculis micat acribus ardor. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 107. et *Quintil.* 12. 5. 5. Ardor oculorum. *h. e.* fulgor, indicium erecti et acris animi. *Cic. Balb.* 21. 49. Ille imperatorius ardor oculorum. *Cic.* 1. *Divinat.* 37. 80. Ardor vultuum atque motuum. *Vellej.* 2. 35. oris. *Hygin.* 4. *Astron.* 14. Ardor officit oculis. ¶ 2. Item de iis, quæ combustionis dolore corpus afficiunt. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 18. (99). Refrigerare ardores corporum in morbis. *Id.* 23. *ibid.* 1. 3. (3). Ardores stomachi. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Ac si dolor occurrerit et singultus, ob ardorem atque sitim, fomentis utendum est. ¶ 3. Sæpissime refertur ad animum, et ponitur pro impetu, vehementia, cupiditate. — *a*) Generatim. *Cic. Brut.* 24. 93. Ardor animi non semper adest; isque cum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris extinguitur. *Id.* 1. *Fin.* 13. 43. Omnium cupiditatum ardore restincto. *Id.* 1. *Orat.* 30. 134. et 1. *Off.* 15. 47. Ardor amoris. *Id. Cæl.* 31. 76. Cupiditas vincendi et ardor mentis ad gloriam. *Liv.* 6. 13. Vultum hostis ardore animi micantem ferre non potuit. *Id.* 1. 53. Aliquid ardoris ad bellum armaque. *Id.* 22. 5. Ardor armorum. *Id.* 8. 16. et *Sueton. Oth.* 9. Ardor militum pugnam deposcentium. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 15. *Virg.* 4. *Æn.* 581. Idem omnes simul ardor habet. *Justin.* 3. 5. Injicere ardorem militibus. *Ovid.* 8. *Met.* 828. furit ardor edendi. *h. e.* immensa fames. — Huc pertinet et illud (ubi *Forcellinus* ex orationis contextu ardorem pro dolore accepit) *Lucret.* 3. 252. Sive voluptas est, sive est contrarius ardor. — Huc quoque referas et illud *Liv.* 34. 1. In medio ardore belli Punici. — *b*) Speciatim. Poetis ardor est amor. — Absolute. *Tibull.* 4. 12. 6. ardorem dissimulare suum. *Ovid.* 7. *Met.* 76. pulsus reciderat ardor. — Cum Genit. *Horat. Epod.* 11. 27. Sed alius ardor aut puellæ candidæ Aut teretis pueri longam renodantis comam. Adde *Ovid.* 9. *Met.* 101. et 140. — *c*) Immo per metonymiam ardor est ipsa mulier amata, qua significatione et *ignis* dicitur. *Ovid.* 2. *Fast.* 308. Hæc meus ardor erit. Adde *eumd.* 14. *Met.* 682. *Flor. de qualit. vit.* 12. in *Anthol. Burmann.* Quando ponebam novellas arbores mali et piri, Cortici summæ notavi nomen ardoris mei.

ARDŬĬTAS, ātis, f. 3. (arduus) qualitas, qua locus est arduus et ascensu difficilis. *Varro* 2. *R. R.* 10. 3. Neque enim senes, neque pueri callium difficultatem ac montium arduitatem atque asperitatem facile ferunt.

ARDUS, a, um, pro aridus. *V.* ARIDUS.

ARDŬUS, a, um, adject. Gradus *Arduior* et *Arduissimus* vetustæ voces sunt, quæ occurrunt apud *Caton.* V. infra I. 1. — Arduus est altus, acclivis et ascensu difficilis (It. *arduo, malagevole a salire*; Fr. *haut, élevé*; Hisp. *alto, elevado*; Germ. *von jäher Höhe, steil*; Angl. *high, lofty, steep*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de locis. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Via alta atque ardua. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Ardua Pergama. *Cato* apud *Priscian.* 5. p. 600. *Putsch.* Quod iter longius arduiusque erat a caria. *Id. ibid.* Asperrimo atque arduissimo aditu. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 51. Oppidum erat difficili ascensu atque arduo. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. Minime arduus ad munitiones ascensus. *Sall. Cat.* 7. Locus asper atque arduus. *Varro* 1. *R. R.* 18. 4. Ager confragosus atque arduus. *Liv.* 25. 13. Arduus ac difficilis ascensus. *Id.* 7. 34. Collis aditu arduus. *Id.* 44. 3. Via ardua et aspera et confragosa. *Ovid.* 2. *Met.* 63. Ardua via. *Id.* 1. *Fast.* 261. Arduus in valles clivus. *Id.* 1. *Met.* 316. mons. *Id.* 11. *ibid.* 150. arduus alto Tmolus in ascensu. *Tac.* 2. *Ann.* 80. collis. *Id.* 30. *Hist.* 30. urbis mœnia. V. *Arduum* in fin. ¶ 2. Latiori sensu, sed raro et fere apud Poetas, arduus est erectus, celsus, altus præcepsque. *Virg.* 1. *G.* 240. Mundus ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces Consurgit. *Horat.* 3. *Od.* 29. 10. arduæ nubes. *Ovid.* 1. *Met.* 151. æther. *Id. ibid.* 730. sidera. *Id.* 1. *Amor.* 14. 12. cedrus. *Virg.* 9. *Æn.* 53. *de Turno.* et campo sese arduus infert. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 74. Ardua per præceps gloria vadit iter. *Virg.* 3. *G.* 79.; *Horat.* 1. *Sat.* 2. 89., et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (48). Ardua cervix equi. *Sil. It.* 11. 245. ardua colla. *Gell.* 4. 1. Ardua supercilia. *h. e.* elata et superbiam indicantia.

II.) Translate ponitur pro difficili, periculoso, molesto, laborioso. *Cic. Orat.* 10. 33. Magnum opus omnino et arduum, Brute, conamur; sed nihil difficile amanti puto. *Id.* 3. *Tusc.* 34. 84. Magnum opus et difficile: quis negat? quid autem præclarum, non idem arduum? *Id.* 2. *Invent.* 54. 163. Rerum arduarum ac difficilium perpessio. *Id.* 1. *ibid.* 46. 86. Magna atque ardua cogitatio. *Id.* 1. *Legg.* 13. 38. Difficilis atque ardua secta Aristonis. *Sall. Cat.* 3. Ac mihi quidem – in primis arduum videtur res gestas scribere. *Gell.* ad hæc *Sall.* verba ita scribit 4. 13. Arduum Sallustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant, quod est tum difficile, tum molestum quoque et incommodum et intractabile. *Liv.* 8. 16. Corvus, quia id arduum factu erat, labore militum potius, quam periculo, peragere inceptum voluit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 46. 45. (117). Res ardua inventu. *Id.* 17. *ibid.* 4. 3. (28). Solum arduum opere, difficile cultu. *Id.* 8. *ibid.* 16. 21. (54). Capere eos (*leones*) ardui erat quondam operis. *Horat.* 2. *Od.* 3. 1. Æquam memento rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis. *h. e.* in adversis. *Id.* 1. *ibid.* 3. 37. Nil mortalibus arduum est. *alii leg.* ardui. *Id.* 3. *ibid.* 24. 44. virtus ardua. *Ovid.* 2. *Art. am.* 537. Ardua molimur, sed nulla nisi ardua vincunt. *Curt.* 6. 6. 27. Cum et progredi arduum et reverti periculosum esset. *Seneca* 3. *de Ira* 12. Nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat. *Id.* 3. *Quæst. nat.* 28. Nec in aquis arduum est. *Tac.* 1. *Hist.* 85. Arduus rerum omnium modus.

Arduum, i, n. 2. absolute, substantivorum more ponitur, et

A) Proprie est locus arduus. — *a*) Absolute. *Lucret.* 1. 660. Ardua tum metuunt, amittunt vera viai. *Liv.* 2. 65. Fixis in terram pilis, quo leviores ardua evaderent, cursu subeunt. *Virg.* 3. *G.* 315. pascuntur – amantes ardua dumos. *Horat.* 2. *Od.* 19. 21. cum parentis regna per arduum Cohors Gigantum scanderet impia. — *b*) Addito Genit. *Virg.* 5. *Æn.* 694. tonitruque tremiscunt Ardua terrarum et campi. *Ovid.* 8. *Met.* 693. ardua montis. *Tac.* 11. *Ann.* 9. Excidere ardua castellorum. *h. e.* castella in arduo loco sita. Cf. 2. *ibid.* 47. *Id.* 4. *Hist.* 79. Ardua Alpium.

B) Translate est difficultas. *Tac.* 12. *Ann.* 15. Nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostentantibus.

ĀRE, sive sit per syncopen ex Infinito *arere*, sive sit neutr. gen. ex inus. Adject. *aris, e*, unde *aridus*, occurrit tantum in composito verbo *arefacio*, quod vide.

ĀREA *vel interdum* ārĭa, æ, f. 1. Ratione habita etymi vox conjungenda est cum verbo *arere*: ait enim *Varro* 5. *L. L.* 38. p. 15. *Müll.* Ubi frumenta secta, ut terantur et arescant, area. Propter horum similitudinem in urbe loca pura areæ. Et *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 178. Sane *area* locus est vacuus aut naturâ, aut studio factus, ne quid inde edi nascive possit, quasi qui exaruerit. Adde *Paul. Diac.* p. 11. 6. *Müll.* Hinc

Itaque *area* generatim est locus vacuus et aridus; unde speciatim de pluribus dicitur, scilicet

I.) Proprie ¶ 1. Area est planities, in qua frumenta secta teruntur et arescunt. *Cato R. R.* 91. et 129., *Colum.* 2. *R. R.* 20. et *Pallad.* 7. *R. R.* 1. areæ conficiendæ rationem docent. *Cic.* 5. *Verr.* 8. 20. Ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis – grano uno possit arator – fraudare decumanum. Adde *eumd. ibid.* 14. 36.; *Varron. l. c.* et 1. *R. R.* 50. et 51., et *Colum.* 1. *R. R.* 23. *Virg.* 1. *G.* 178. Area cum primis ingenti æquanda cylindro, Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci. *Horat.* 1. *Od.* 1. 9. Hunc (*juvat*) si proprio condidit horreo Quidquid de Libycis verritur areis. *Id.* 1. *Sat.* 1. 45. Millia frumenti tua triverit area centum. Adde *Tibull.* 1. 5. 32. *Scævola Dig.* 34. 1. 15. Messium et arearum tempore. — Hinc apud *Vitruv.* 8. 3. 10. *Schneid.* Areæ salinarum. *h. e.* in quibus sal collocatur ut arescat. ¶ 2. Ab hujus similitudine area dicitur locus in urbe purus, hoc est vacuus, in quo ædificari potest, et quod dirutis ædibus manet: unde *Florentin. Dig.* 50. 16. 211. Locus sine ædificio in urbe area, rure autem ager appellatur. Adde *Varron. l. c.* sub init. hujus vocis. *Cato R. R.* 18. Aream ubi facies. Pedes v. fundamenta alta facito, lata pedes vi. aream etc. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 2. A puero ut discessi, in aream tuam veni: res agebatur multis structoribus. *Id.* figurate 2. *de republ.* 11. 21. Nam princeps ille – aream sibi sumpsit, in qua civitatem extrueret arbitratu suo. *Id.* 4. *Att.* 1. 7. Pontifices si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus. *Liv.* 1. 55. Ut libera a ceteris religionibus area esset tota Jovis templi. *Id.* 4. 16. Domum deinde, ut monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo jussit. *Vitruv.* 1. 7. 1. *Schneid.* Divisis angiportis et plateis constitutis arearum electio ad opportunitatem – civitatis est explicanda ædibus sacris, foro reliquisque locis communibus. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 13. ponendæ domo aream quærere. *Sueton. Vesp.* 8. Vacuas areas occupare et ædificare. *Ulp. Dig.* 7. 4. 10. Ædes ad aream redigere. *h. e.* solo æquare. *Inscript.* Pompejis reperta in urbis planitie, *Descriz. di Pompei Mus. Borbon. T.* 1. p. 14. M. TVLLI M. F. AREA PRIVATA. ¶ 3. Item area dicitur locus vacuus inter urbana ædificia, cujusmodi sunt plateæ etc. *Liv.* 22. 3. Cum – concilium tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet. *Sueton. Cal.* 22. Area Capitolina. *Gell.* 11. 10. Area Palatina. *Id.* 13. 24. Area fori. — In hujusmodi areis, ut et in Campo Martio, fiebant aliquando a juvenibus ludicra certamina et exercitationes, eoque conveniebant otiosi homines spectandi et confabulandi causa. *Horat.* 1. *Od.* 9. 18. nunc et campus et areæ Lenesque sub noctem susurri Compositâ repetantur horâ. Cf. loca *Ovidii* et *Martial.* quæ afferuntur sub II. ¶ 4. Præterea locus ipse vacuus relictus ante aut post optimatum ædes, vel in medio earum, area dicitur. Hæc area a tribus partibus cingebatur amplis porticibus, ut venientium turba consistere posset, antequam januam domus ingrederentur dominum summo mane salutaturi. Hæc area cum porticibus et tabernis vestibulum appellabatur. In his areis quadrigæ sæpe erant aeneæ, statuæ equestres aut signa deorum; hinc area Apollinis, area Mercurii, Spei, Isidis etc: erant nempe quæ Venetiis *campi* vocantur. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Resedimus in area domus. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 27. *Id.* 2. *ibid.* 17. Porticus in D litteræ similitudinem circumactæ, quibus parvula, sed festiva area includitur. *Ulp. Dig.* 43. 22. 1. Si area ab utraque parte ædium sit. *Cajus ibid.* 8. 2. 1. Avertere stillicidium in aream vicini. Adde *Paul. ibid. l.* 19. ¶ 5. *Area sepulturarum* apud *Tertull. ad Scapul.* 3. est locus in quo sunt sepulcra, cœmeterium. — Sic *area* pro loco rogi sumitur a *Stat.* 6. *Theb.* 57., et sensu eodem in plurimis Inscriptionibus, quas legere est apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 118. Item in *Inscript.* apud *Orell.*, 4400., 4511. et 4528. AREA ANTE SEPVLCRVM. In *Cenotaph. Pis.* hæc habemus: VTIQVE LOCVS APVD EAM AREAM, QVO EA STRVES CONGERANTVR, COMPONANTVR, PATEAT QVOQVOVERSVS PEDES XL. En igitur area posita prope sepulcra pro ustrino, seu loco quo strues lignorum in annuis parentalibus succensa congerebatur. ¶ 6. Est etiam spatium horto, sive arboribus frugiferis inserviens. *Cic. Parad.* 6. 3. § 51. Si isti callidi rerum æstimatores prata et areas quasdam magno æstimant. — Hinc speciatim in hortis *area* dicitur spatium quadratum et oblongum, cetero solo altius, bene subactum et complanatum, ubi semina jaciuntur; relictis circa semitis, per quas adiri commode possit. *Varro* 6. *L. L.* 64. p. 97. *Müll.* Olitor disserit in areas sui cujusque generis res. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 13. Humus refossa in areas dividitur, quæ tamen sic informandæ sunt, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perveniant. *Pallad.* 1. *R. R.* 34. Areæ faciendæ sunt angustiores et longæ, ut etc. Adde *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 20. (60). ¶ 7. Dicitur etiam area locus purgatus, in quo aucupes spargunt grana ad aves alliciendas. *Plaut. Asin.* 1. 3. 64. Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum: aves assuescunt. *Et ibid.* 67. Ædes nobis area est, auceps sum ego. ¶ 8. In cœlo area dicitur circulus fulgoris, qui aliquando solem, lunam et alia etiam sidera circumnectit, qui et *corona* appellatur. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 2. Tales splendores Græci areas (*nempe* ἅλωνας; *nam* ἅλων, *sive* ἀλῶν *aream significat*) vocavere, quia fere terendis frugibus loca destinata sunt rotunda. ¶ 9. Dicitur etiam de spatiis in Geometrarum figuris. *Quintil.* 1. 10. 43. Area quatuor lineis clausa. *Gell.* 1. 20. Planum est quod in duas

partes solum lineas habet, qua latum est et qua longum; qualia sunt triquetra et quadrata, quæ in area fiunt, sine altitudine. *h. e.* in planitie. ¶ 10. Denique *area* est morbus capitis, interdum et menti, cum summa ejus cuticula emoritur, pili primum extenuantur, deinde excidunt, et si ictus is locus sit, sanguis exit liquidus et mali odoris. Hujus duo sunt genera, alterum quod *alopecia* dicitur, alterum quod ὀφίασις. *Cels.* 6. 4. Arearum quoque duo genera sunt, etc. *V.* ibi reliqua. Sic autem dicitur, quod areas quasdam, hoc est loca pilis nudata efficiat. *Martial.* 5. de *quodam calvo.* Nudum est in medio caput, nec ullus In longa pilus area notatur.

II.) Translate. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 4. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 25. cane facta virorum: Hæc animo, dices, area digna meo. *h. e.* materia meo ingenio apta. Hac ratione usurpatur etiam *campus.* Cf. *Id.* 4. *Fast.* 10. *Martial.* 10. 24. Vitæ tribus areis peractis. *h. e.* tribus vitæ spatiis, pueritia, juventute et senecta, ut *Turneb.* exponit. *l.* 30. *c.* 30. Eodem sensu explicatur a *P. Scriver.* illud *ejusdem.* 7. 32. Per varias artes, omnis quibus area servit. *h. e.* omnis hominum ætas. Alii per aream intelligunt spatium viginti quinque annorum, quemadmodum in area Circi in ludis viginti quinque missus fiebant, ut *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *G.* 18. docet. Sed utroque *Martialis* loco alii aliter leg. (*V.* AUREUS), quamvis recentiores plerique omnes in priori loco *areis* legendum censent, quo sensu *Turneb.* exposuit.

ĀREĀLIS, e, adject. pertinens ad aream, in qua frumenta secta teruntur et arescunt. *Servius* ad illud *Virg.* 1. *G.* 166. *et mystica vannus Iacchi*, *h. e.* cribrum areale.

ĀRĔFĂCIO *vel* arfacio, făcis, fēci, factum, făcere, anom. *Arfacio* per syncopen occurrit apud *Caton.* V. infra. — Audaci transpositione divisit *Lucret.* 6. 962. Principio terram sol excoquit et facit are. — Part. *Arefaciens* et *Arefactus*; Pass. *Arefieri.* — Arefacio est aridum facio, sicco (It. *asciugare*, *seccare*; Fr. *faire sécher*, *dessécher*; Hisp. *secar*, *desecar*; Germ. *trocken machen*, *trocknen*; Angl. *to dry*, *make dry*). — *a*) Active. *Cato R. R.* 69. Postea amurcam eximito et arfacito: ubi arefit etc. Adde *eumd. ibid.* 125. et 157., et *Lucret. l. c. Varro* 5. *L. L.* 3. *p.* 15. *Müll.* Qui arefacit ardor est solis. *Vitruv.* 2. 1. 3. *Schneid.* Alii luteas glebas arefacientes struebant parietes. *Gell.* 12. 1. Istæ prodigiosæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis arefacere et extinguere laborant. Adde *Macrob.* 5. *Saturn.* 9. — *b*) Passive. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 26. (32). Arefieri in fumo. *Cels.* 5. 27. 7. Polium arefactum in duas potiones dividendum est. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (125). Caulis arefactus. *Id.* 34. *ibid.* 13. 35. (133). Mora immatura in sole arefacta.

ĀRĔFACTUS, a, um. *V.* voc. præced.

ĀRĔFĪO, fis, factus sum, fieri. *V.* AREFACIO.

ĂRĒNA, æ, f. 1. Scribitur et *harena* cum aspiratione: quam scriptionem admittunt *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 172., *Charis.* 1. *p.* 80. et *Vel. Long. Orthogr. p.* 2238. *Putsch.*, *Probus* ad *Virg.* 1. *G.* 70. et alii veteres Grammatici. Docent enim *arenam* esse ab *arendo*, at *harenam* ab *hærendo*, quod in fabricis hæreat. Et quidem *Charis. l. c.* scribit *harenam* gratius sonare. Nec desunt vetera monumenta, ut est apud *Manut. Orthogr.*, apud *Wagner Orthogr. Virg. p.* 441. et apud *Orell. Inscript.* 13. et 855. in quibus aspiratio adhibetur. Nihilominus *arena* sine aspiratione eruditis magis placet, tum quod ea origo ab *hærendo* levior sit et pæne futilis, tum quod consuetudo obtinuit, ut fere passim *arena* scriberetur: tametsi qui aspirationem addunt, damnari jure non possunt. — Arena itaque est minutissimus pulvis, ab *arendo* et *area* (quamvis prima syllaba corripiatur), quia caret omni humore et succo, unde et plurimum aquæ bibit (It. *arena*, *sabbia*; Fr. *sable*, *terre*; Hisp. *arena*; Germ. *der Sand*; Angl. *sand*, *grit*, *gravel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Arenæ tria sunt genera, ut *Vitruv.* 2. 5. 1. *Schneid.*, *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 54. (175). et *Pallad.* 1. *R. R.* 10. 1. docent, fossicia, fluviatilis et marina. — De arenæ usu in ædificiis multa *Plin.* et *Vitruv. l. citt.* — *a*) Sing. num. *Lucret.* 6. 725. magnus congestus arenæ. *Id.* 2. 376., *Virg.* 1. *G.* 114. et *Ovid. Heroid.* 19. 201. Arena bibula. *Horat.* 1. *Od.* 28. 1. numero carens. *Virg.* 5. *Æn.* 374. fulva. *Ovid.* 2. *Met.* 577. mollis. *Virg.* 4. *G.* 291. nigra. *h. e.* nigrâ humo mixta, ideoque fertilis. *Id.* 1. *ibid.* 105. pinguis. *Id. ibid.* 189. sicca. *Juvenal.* 3. 55. tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 30. Aliquando Cambyses ad Ammonem misit exercitum, quem arena Austro mota et more nivis incidens texit, deinde obruit. *Et paullo ante.* Ætna aliquando multo igne abundavit, ingentem vim arenæ urentis effudit. — *b*) Plur. num. *Horat.* 3. *Od.* 4. 32. arentes. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 21. 35. (115). auriferæ. *Virg.* 3. *G.* 350. torquens flaventes Ister arenas. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 47. molles. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 15. pingues. *Id.* 1. *ibid. præfat.* 24. putres. *Ovid.* 15. *Met.* 268. siccæ. *Virg.* 2. *G.* 232. summas æquabis arenas. Adde *Val. Flacc.* non semel, *Sueton. Aug.* 80., *Petron. Fragm.* et alios. Hæc ideo conservavimus, quia *C. Cæsar* in *lib. de Analogia* apud *Gell.* 19. 8. in plurali num. usurpari negavit. ¶ 2. Specialim ponitur — *a*) Pro loco arenoso. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 27. 71 Ut vero cum omnes urbes, - regna vendiderit, tum arenam aliquam aut paludes emat, id vos potestis, quæso, concedere? *Virg.* 1. *G.* 70. sterilem exiguus ne deserat humor arenam. Huc pertinet et proverbium *Arenæ mandare semina*, hoc est oleum et operam perdere. *Ovid. Heroid.* 5. 115. Quid facis, Œnone? quid arenæ semina mandas? Non profecturis littora bubus aras. — *b*) Pro desertis arenosis, fere plurali numero. *Ovid.* 4. *Met.* 617. Lybicæ arenæ. Adde *Propert.* 4. 6. 83., *Lucan.* 2. 417. et *Tac.* 2. *Ann.* 61. — *c*) Denique pro littore aut portu. *Virg.* 1. *Æn.* 176. Egressi optatâ potiuntur Troes arenâ. *Id.* 5. *ibid.* 34. Et tandem læti notæ advertuntur arenæ. *Id.* 6. *ibid.* 316. Arcere aliquem arenâ. *Ovid.* 12. *Met.* 38. Phrygiâ potiri arenâ. Adde *eumd.* in plur. num. 11. *ibid.* 56. *Lucan.* 5. 697. impingere aliquem arenæ.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam sumitur pro amphitheatro, aut circo, quia spargi arena solent, ne qui exercentur aut pugnant, labantur. — *a*) Addito Genit. *Sueton. Ner.* 53. et *Tit.* 8. Amphitheatri arena. — *b*) Absolute. *Sueton. Aug.* 43. Quodam - muneris die Parthorum obsides tunc primum missos per arenam mediam ad spectaculum induxit. Adde *eumd. Tib.* 72. *Martial. Spectac.* 21. Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi. *Juvenal.* 4. 100. quod comminus ursos Figebat Numidas Albana nudus arena. *Tac.* 14. *Ann.* 14. Operas arenæ promittere. *h. e.* ludos et pugnas in amphitheatro. *Triphon. Dig.* 11. 4. 6. Dare se in arenam. *h. e.* offerre se ad pugnandum cum bestiis, aut cum gladiatoribus. — *c*) Interdum opponitur *scænæ*, hoc est theatro. *Sueton. Tib.* 35. Operam scænæ arenæque edere. *Id. ibid.* 30. Scænæ arenæque devotus. ¶ 2. Interdum pro iis, qui in amphitheatro exercentur; aut potius pro pugnis in ipso editis. *Juvenal.* 3. 34. Quondam hi cornicines et municipalis arenæ Perpetui comites. ¶ 3. Hinc ductâ metaphorâ dicitur de quocumque alio loco, in quo pugnatur, aut quolibet exercitii genere luditur. *Plin.* 6. *Ep.* 12. Vectio Prisco quantum plurimum potero præstabo, præsertim in arena mea, hoc est apud centumviros. *Flor.* 4. 2. Prima civilis belli arena Italia fuit. Adde *eumd.* 3. 21. et *Lucan.* 6. 63.

ĂRĒNĀCĔUS, a, um, adject. qui est ex arena, arenosus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (43). Terra argillacea, tofacea, arenacea. *Id.* 30. *ibid.* 15. 47. (136). Arenacea duritia. *Id.* 21. *ibid.* 16. 58. (98). Arenaceum semen. *h. e.* arenæ simile.

ĂRĒNĀRĬA, æ, f. 1.) *V.* voc. seq.
ĂRĒNĀRĬUM, ii, n. 2.)

ĂRĒNĀRĬUS *vel* harenarius, a, um, adject. ad arenam pertinens. — Non imitanda licentia usus est, antepænultimam breviando, *Lucilius* apud *Non* 1. 78. *edit. vet.* Concursans uti arenarius clareque quiritans. *Sed ibidem inesse mendum videtur.*

I.) Proprie. *Arenarius lapis*, quem *Virg.* 2. *G.* 348. bibulum vocat, est lapis foraminibus plenus, hauriendoque humori idoneus. Hinc *Servius* ad *Virg. l. c.*

II.) Improprie arenarius est ad amphitheatri arenam pertinens. *Ammian.* 29. 1. In modum arenariæ feræ ad ultimam rabiem sævire. *h. e.* quæ in amphitheatri arena depugnat. *Inscript.* apud *Henzen.* 7209. COLL. VENATOR. DEENSIVM QVI MINISTERIO ARENARIO FVNGVNT. *h. e.* qui in amphitheatro pugnare solent. — Hinc

Arenarius, *ii*, m. 2. absolute.

A) Proprie. Primus numerorum arenarius apud *Tertull. Pall.* 6. est arithmeticus, qui prima supputandi elementa pueros docet; quem ita appellari plerique volunt, quia in arena fingebat ductus numerorum, chartæ deleticiæ loco. *Salmas.* scribit ex eo dici *arenarium*, quia arenæ sunt aliquando ψῆφοι, sive calculi, quibus olim ad computandum utebantur. *V.* ABACUS 1. Alii aliter exponunt.

B) Improprie *arenarius* est qui in amphitheatro contra bestias pugnat, idem ac bestiarius; cujus generis homines Romæ contemptui habebantur, ut patet ex *Petron. Satyr.* 126. Quædam feminæ sordibus calent: arenarius aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio. *Arcad. Dig.* 22. 5. 21. Si ea rei conditio sit, ut arenarium testem, vel similem personam admittere cogamur. Adde *ibid.* 38. 1. 38., *Firmic.* 8. *Astron.* 10., *Symmach.* 5. *Ep.* 59., *Capitolin. M. Aurel.* 10., *Tertull. Spectac.* 22. et *Inscript.* apud *Orell.* 2773. In *Inscript.* apud *eumd.* 4063. occurrit *Collegium arenariorum*, quin tamen certo constet quinam arenariorum nomine sint intelligendi. *Vitale in bin. Inscr. glad. p.* 21. recte, ut ajebat cl. *Furlanetto*, putat arenarios esse eosdem ac bestiarios. Ejusdem est sententiæ *Labusius* in *not.* ad *Cavedon. Marm. Mod. p.* 304. et in *Fast. della Chies. T.* 2. *p.* 482. At *Muratorius* ad *Inscript.* 511. 3., quæ est nuper allata ex *Orell.*, putat arenarios esse, qui arenam ex fodinis in fabricarum usum effodiebant; et *Zaccaria* in *Instit. lap. p.* 48. eosdem ac gladiatores.

Arenaria, *æ*, f. 1. subaudi *fodina*, et

Arenarium, *ii*, n. 2. (quod tamen in plurali numero tantum occurrit) absolute est locus ubi arena fossicia effoditur. *Cic. Cluent.* 13. 37. In arenarias quasdam extra portam Esquilinam perductus occiditur. *Varro* 1. *R. R.* 2. 23. Neque lapicidinæ, neque arenariæ ad agriculturam pertinent. *Vitruv.* 2. 4. 2. *Schneid.* Si non erunt arenaria, unde fodiantur. Et *ibid.* 6. 5. Arenariæ fossiciæ.

ĂRĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. inductio arenati, hoc est calcis arena mixtæ, in parietes. *Vitruv.* 7. 3. 9. ed. *Schneid.* Tectoria fundata arenationis et marmoris soliditate.

ĂRĒNĀTUS, a, um, proprie est Participium præter. pass. a verbo *arenare*, et est arena mixtus. Apud *Caton. R. R.* 18. bis legitur *calce arenato*, *h. e.* calce mixto cum arena, nam *calx* etiam masculino genere usurpatur. *V.* CALX. *Vet. Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 207. QVAE LITA NON ERVNT CALCE ARENATO, LITA POLITAQVE ET CALCE VDA DEALBATA RECTE FACITO. *V.* ARENO. — Hinc

Arenatum, *i*, n. 2. subaudi *opus*, absolute est calx arena mixta, qua in tectoriis parietum et pavimentis utimur, ut *marmoratum*, *i*, n. pro *opere marmorato*, et *tabulatum*, *i*, n. pro opere tabulato utuntur Latini scriptores. *Vitruv.* 7. 4. 3. *Schneid.* Pro arenato testa dirigatur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (176). Tectorium quidem nisi ter arenato et bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet. *Et mox.* Arenatum inducere. *V.* ARENO.

ĂRĒNĬFŌDĪNA, æ, f. 1. locus ubi arena effoditur, arenarium. *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. § 5. Lapicidinas, vel cretifodinas, vel arenifodinas instituere. Adde *ibid.* 24. 3. 7. § 14. Apud *Varron.* 5. *L. L.* 7. *p.* 4. *Müll.* dubia est lectio.

ĂRĒNĬVĂGUS, a, um, adject. (arena *et* vagor) qui per arenam, vel per arenosa deserta vagatur. *Lucan.* 9. 941. Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.

ĂRĒNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. induco arenam cum calce mixtam in parietes. *Hieronym. Amati* in *Giorn. Arcad. T.* 33. *p.* 333. putat vocabulum *arenato*, quod legitur tum in *Inscript.* in ARENATUS allata, tum bis apud *Caton. loc. ibid. cit.*, esse imperativum ex verbo *areno*, *as.*

ĂRĒNŌSUS, a, um, adject. Comp. *Arenosior* et Sup. *Arenosissimus.* — Arenosus est arena abundans (It. *arenoso*; Fr. *sablonneux*; Hisp. *arenisco*, *arenoso*; Germ. *voll Sand*, *sandreich*; Angl. *sandy*, *arenose*). *Virg.* 4. *Æn.* 257. Littus arenosum Libyæ. *Ovid.* 14. *Met.* 82. arenosa terra. *Id.* 1. *ibid.* 702. Ladon. *Vitruv.* 2. 6. 5. *Schneid.* materia. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 52. (84). littora. *Id.* 36. *ibid.* 16. 25. (129). regio. *Id.* 23. *ibid.* 3. 36. (73). urina. *Id.* 33. *ibid.* 6. 33. (101). Lapis scabrior et arenosior. *Id.* 27. *ibid.* 4. 5. (20). Ut quod sit arenosissimum subsidat. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Arenosum iter. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. 1. pulvis. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. et *Dig.* 39. 2. 24. § 2. locus.

ĀRENS, tis. *V.* AREO.

ARĒNŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab arena, h. e. arena tenuissima. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (24). Arenulæ, quæ inveniuntur in cornibus cochlearum.

ĀREO, es, ŭi, ere, n. 2. Perfectum *arui* occurrit tantummodo, sed pluries apud *Vulgat. Interpr.*, ut *Job.* 7. 5. et 30. 30., *Ps.* 21. 16. — Part. *Arens* sub b. — Areo est aridus sum, siccus et sine humore (It. *essere arido, secco*; Fr. *être sec, desséché*; Hisp. *estar seco, arido*; Germ. *trocken sein*; Angl. *to be dry, to grow dry or droughty*). — a) Hæc verbi tempora occurrunt præter Part. præs. *Cato R. R.* 76. In qualo, ubi arescant, tracta componito; ubi arebunt, componito pariter. *Id. ibid.* 69. Postea amurcam eximito et arfacito: ubi arebit, cummim pridie in aquam infundito. *Plaut. Rud.* 2. 6. 49. Utinam fortunâ nunc anatinâ uterer, uti cum exivissem aquâ, arerem tamen. *Virg.* 7. *Ecl.* 57. Aret ager. *Ovid.* 2. *Met.* 211. tellus Fissaque agit rimas et succis aret ademptis. *Id.* 6. *ibid.* 355. Et fauces arent, vixque est via vocis in illis. *Id.* 2. *Art. am.* 606. Garrulus in media Tantalus aret aqua. — b) Part. præs. *arens* sæpius occurrit. *Horat.* 3. *Od.* 4. 31. Arenæ arentes. *Virg.* 1. *G.* 109. arva. *Sil. It.* 10. 511. arentique cruore Squalebat barba. *Virg.* eodem sensu dixit *concretus sanguine crines*, 2. *Æn.* 277. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 1. culmi. *Liv.* 44. 32. arentibus siti faucibus. *Horat. Epod.* 14. 4. arente fauce trahere pocula. *Virg.* 3. *Æn.* 350. fluvius. *Tac.* 15. *Ann.* 42. loca. *Ovid.* 7. *Met.* 556. ora. *Id.* 14. *ibid.* 277. arenti ore haurire. *Seneca Herc. fur.* 319. plaga. *Virg.* 3. *Æn.* 350. rivus Xanthi. *Id.* 4. *G.* 268. rosæ. *Id.* 12. *Æn.* 522. ignes immissi in silvam arentem. *Ovid. Heroid.* 4. 174. arentem sitim levare unda. Cf. *Seneca Thyest.* 5. *Seneca* 3. *Benef.* 8. arentibus siti monstrare fontem.

ĀREŎLA *vel* ariola, æ, f. 1. *deminut. ab* area. *Ariola* habetur in *Vet. Inscript.* apud *Gruter.* 589. 4. ¶ 1. Est parva area, seu parvum spatium vacuum. *Plin.* 2. *Ep.* 6. Diæta cingit areolam, quæ quatuor platanis inumbratur. Adde *cit. Inscript.* apud *Gruter.* ¶ 2. Item est spatium quadratum in hortis, de quo *V.* in AREA. 6. *Colum.* 10. *R. R.* 362. Ter circum areolas et sepem ducitur horti. *Id.* 11. *ibid.* 2. 30. Semina in areolas disserere. — *NB.* Apud *Varron.* 3. *R. R.* 17. 4. nonnulli legunt *areolas* pro tabulis quibus utuntur pictores ad ceras discolores habendas: sed alii cum *Schneid.* leg. *arculas*, quod potius probandum.

ĀREŎPĀGĪTES *vel* Ariopagites, æ, m. 1. ἀρεοπαγίτης, judex Areopagi. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 19. p. 126. *Müll.* Areopagitæ quidem dedere æquam pugnam. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 14. Si Lysiades citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse. *Id.* 1. *Off.* 22. 75. Consilium Solonis, quo primum constituit Areopagitas. *Id. Balb.* 12. 30. Vidi nostros cives Athenis in numero judicum atque Areopagitarum. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 25. 54. et 13. *Fam.* 1. 5.; *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 55. (156). *Macrob.* 7. *Saturn.* 1. et *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 18. — Εἰρωνικῶς *Cic.* 1. *Att.* 16. 5. Clamare præclari Ariopagitæ, se non esse venturos nisi præsidio constituto.

ĀREŎPĀGĪTĪCUS *vel* Ariopagiticus, a, um, adject. ἀρεοπαγιτικός, ad Areopagitas pertinens. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. Gymnasia Areopagitica. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 19. p. 126. *Müll.* Areopagiticam ea de re vocant petram. *Scalig.* in *Conjectan ad Varr.* ita hunc locum legit; alii, inter quos *Müller.*, aliter omnino: *V.* AREOPAGITES.

ĀREŎPĀGUS *vel* Ariopagus, i, m. 2. Ἀρειόπαγος vel Ἄρειος πάγος vicus Athenarum, in quo judicia exercebantur. Sed fere accipitur pro ipso templo et loco judicii. Dictus est ab Ἄρης *Mars*, et πάγος *vicus*, quasi vicus Martis, quia in eo vico Marti templum constitutum fuerat. Sed aliqui dicunt, Martem, cum Halirrhotium Neptuni filium, qui vim Alcippæ filiæ suæ intulerat, occidisset, a Neptuno homicidii reum factum esse, causaque a duodecim diis in illo vico cognita, sex sententiis fuisse absolutum: hoc fuisse Athenis primum capitis judicium, exinde locum illum *Areopagum* cœpisse appellari. Ibi selecti judices severissimi et sapientissimi graviores causas, præsertim capitales, incorrupta justitia expediebant: cautumque erat lege inviolabili, ne qui causam dicebat, prooemio uteretur, ne moveret affectus, aliasque persuadendi subdolas artes adhiberet, eo consilio, ne cui plus in misericordia, quam in causa, spei esset, et ne judices a justa sententia averterentur. Quam ob causam, ipsi velamine ante se posito et fere noctu sententiam dabant, ut tantummodo facta cognoscerent, personas non viderent. Tacentes etiam judicabant: ex quo natum est Græcum proverbium: Ἀρεοπαγίτου στεγανώτερος, *Areopagita tectior*, *aut taciturnior*. Ob hæc summa erat Areopagitarum auctoritas, ad quos ex omnibus orbis terræ partibus non solum homines, sed deos quoque accessisse disceptaturos, fabulati sunt poetæ. Neque solum capitalia judicia, sed et graviora reipublicæ negotia eorum consilio administrabantur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 29. 74. Atheniensium rempublicam consilio regi Areopagi. *Id.* 1. *Divin.* 25. 54. Sophocles ascendit in Areopagum. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 27. 43., *Varron.* 7. *L. L.* 19. p. 126. *Müll.*, et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (200). *Seneca Tranquill. anim.* 3. *ad fin.* In qua civitate erat Areopagos, religiosissimum judicium. *Juvenal.* 9. 101. Areopagum appellat *curiam Martis*. Et *Tacit.* 2. *Ann.* 55. *Areum judicium*. Multa de Areopago disputat *Augustin.* 18. *Civ. D.* 10. — *NB.* De syllabarum quantitate hæc addidit *Forcellinus*. Penultima dubiæ est quantitatis. Et sane qui dicunt, Areopagum esse pagum, seu vicum Martis, producendam ajunt, quia prima in *pagus* producitur a Græco πηγή, Dorice παγά *fons*, ut *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 382. docet. Verum alii multo rectius Areopagum interpretantur saxum, seu rupem, aut collem Martis, quia curia Atheniensium, quæ erat Areopagus, in edito saxo sita erat: atque ita corripienda est penultima, quomodo corripitur prima in πάγος (saxum seu collis) in illo *Homeri Odyss.* ε. v. 405. Ἀλλ' ἀκταὶ προβλῆτες ἔσαν, σπιλάδες τε, πάγοι τε. Sed tamen observandum est, unam eamdemque esse originem vocis πάγος apud Græcos et alterius *pagus* apud Latinos. *V.* annotata ad voc. PAGUS. Apud *Eurip. Iph. in Taur.* v. 1470. vel 1483. est versus Iambicus: Καὶ πρίν γ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψήφους ἴσας; ex quo apparet brevem esse penultimam in *Areopagus*.

AREPENNIS *vel* arapennis, is, m. 3. Gallica vox, qua significatur semijugerum, vel semijugeri mensura, ut *Colum.* 5. *R. R.* 1. 6. docet. *Isid.* 15. *Orig.* 15. 4. ab *arando* ductam putat, sed cum eam *ibid.* Bæticam esse pronunciet, *Colum.* vero Gallicam, absurdum videtur ejus originem a Latinis deducere: *Scalig.* putat, Latinam quidem vocem esse, sed frequentius a Gallis usurpatam. *V. Voss. Etymol.* in *Arependitum*. Posterioribus temporibus et *arpennum* dixere et *agripennus* et *arpentum*: hinc Galli nunc vocant *arpent*. *Inscript.* apud *Orell.* 4350. D. M. LIBERORVM AC CONIVGIBVS PVBLICI CALISTI ET IPSIVS CONSECRATVM CVM BESE (*h. e.* besse) VINEAE ARRE. (*h. e.* arepennis) EX CVIVS REDITV etc. Cf. *Colum loc. cit.* Galli semijugerum quoque arepennem vocant — partes duæ tertiæ, pedes decem novem millia et ducentos, hoc est bes. *Vet. auct. grammat.* apud *Goes.* p. 321. Arapennis est, quem semijugerum dicunt; idem est, quod et actus major habens undiqueversum pedes cx. (*corrige* cxx.), perticas vero XII.

ARES. *V.* ARIES.

ARESCO, is, ere, n. 3. *inchoativum ab* areo. Part. *Arescens*. Aresco est aridus fio, arere incipio (It. *asciugarsi*, *inaridire*; Fr. *se sécher*, *se dessécher*; Hisp. *secar*, *secarse*; Germ. *trocken werden*; Angl. *to grow dry*, *become dry*). *Cato R. R.* 76. In qualo, ubi arescant, — componito; ubi arebunt, componito pariter. *Plaut. Rud.* 2. 7. 16. Da mihi vestimenti aliquid aridi, dum mea arescunt. *Cic. Partit.* 17. 57. Cito arescit lacrima, præsertim in alienis malis. Adde *eumd.* 1. *Invent.* 56. 109. et apud *Non.* p. 450. 1. *Merc. Tac.* 13. *Ann.* 57. Arescens unda. *et ibid.* 58. Mortuis ramalibus et arescente trunco. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 57. (137). Lyncum humor glaciatur, arescitque in gemmas carbunculis similes. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 14. et *Quintil.* 12. 10. 79.

ĀRĔTĀLŎGUS, i, m. 2. ἀρεταλόγος, placita loquens ad sui ostentationem et aliorum oblectationem. *Juvenal.* 12. 15. risum fortasse quibusdam Moverat, ut mendax aretalogus. *Sueton. Aug.* 74. Aut acroamata et histriones interponebat, ac frequentius aretalogos. Ad quem locum *Casaubonus*: Aretalogos censeo appellatos miseros philosophos, mera hominum mendicabula, sectæ fere Cynicæ, aut Stoicæ, qui cum scholam et sectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant, et Romulidas saturos variis de virtute et vitiis disputationibus oblectabant. Alii *aretalogos* ajunt esse circulatores quosdam, qui in compitis mira de suis pharmacis pollicentur: vel fabulosorum voluminum scriptores, ut *Amadisii*, et similium. *Salmas.* in not. ad *Vopisc. Aurel.* 42. enumerat inter varias mimorum species. *V.* ETHOLOGUS. Sed *Casauboni* sententiam confirmat *Porphyrion* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 1. 120. ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes. *ait enim*: Crispinus philosophiæ (Stoicæ, teste *Acron.* ad *eumd. l.*) studiosus fuit. Idem et carmina scripsit, sed tam garrule, ut aretalogus diceretur. Contra *Bothius* ad *Poet. Lat. com.* p. 205. cum *Salmasio* sentit, et putat, mimos ideo aretalogos esse vocatos, quia multa falsa de suis virtutibus prædicarent, qualis Plautinus ille Pyrgopolinices et Terentianus Thraso. Hinc *Auson. Ep.* 13. Axium Paulum rhetorem, quasi talis esset, traducere videtur, quem et aretalogum et poetam vocat, mimosque et carmina scripsisse et lautioribus cœnis delectatum passim innuit.

ARFĂCIO, facis, feci, etc. *V.* AREFACIO.

ARFERIA aqua, quæ inferis libabatur, dicta a ferendo, sive vas vini, quod sacris adhibebatur. *Paul. Diac.* p. 11. 14. *Müll.* ubi *Scalig.* notat, *arferiam* dici pro *adferiam*, ab *adferendo*, ea ratione, qua *arcio* pro *accio* seu *adcio* dictum est, *ar* adhibito pro *ad*. *Gloss. Philox.* Adferial, ὕδωρ τὸ ἐπὶ νεκροῖς σπενδόμενον.

ARFUI, fuisti, etc. *dixerunt veteres pro* adfui, adfuisti, etc. *V.* ASSUM.

ARGEMA, tis, n. 3. morbus oculorum, cum parvum quoddam ulcus in medio circulo oculi nascitur, partem quidem aliquam candidi, partem etiam nigri comprehendens. Id extra iridem rubicundum, intra vero candidum apparet: ex quo et nomen traxit, scilicet ab ἀργός *albus*. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 47. (106). Fel caprinum cum vino contra albugines, et caligines, et pterygia, et argema. *Id.* 25. *ibid.* 13. 92. (144). Anagallidis succus discutit argema rubens. Adde *eumd.* 20. *ibid.* 5. 20. (40). et *V.* ALBUGO.

ARGEMON, i, n. 2. ἄργεμον, herba est, quæ Latine *lappa canaria* dicitur, philanthropo non absimilis, quæ in usum medicinis adhibetur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 116. (176). De synonymia *V.* LAPPA.

ARGEMŌNĒ, es, f. 1. ἀργεμώνη, herba, quæ *inguinalis* a Latinis appellatur, quoniam inguinum morbis prodest, passim in vepribus nascens. Græcum hoc nomen ex eo nacta est, quod argema etiam et nubeculas oculorum discutiat. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 6. 59. (92). De synonymia *V.* INGUINALIS.

ARGEMŌNĪA, æ, f. 1. herba est folia habens, qualia anemone, divisa apii modo, caput in cauliculo papaveris silvestris, item radicem; succum croci colore acrem et acutum. Nascitur et in arvis apud nos. Nostri tria genera ejus faciunt, et id demum probant, cujus radix tus redoleat. Hæc *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 56. (102). A *Cels.* 5. 27. 10. dicitur *arginonia*. *Marcell. Empir.* 8. Herba, quam Græci sarcocollam, nos argemoniam appellamus, si viridis erit trita etc. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 346.) hanc exhibet synonymiam: Ἀργεμώνη Dioscor. 2. 208. et *Argemonia* Plin. l. c. sunt *Papaver Argemone* L. Spec. plant. 725.

ARGENNON argentum percandidum. *Paul. Diac.* p. 14. 19. *Müll.* Ad quæ verba recte monet *Scalig.* legendum esse *argennon*, *argenteum*, *percandidum*, hoc est vocem *argennon* significare argenteum, percandidum, a Græco ἀργεννός, quod ab ἀργός *albus*.

ARGENTĀBŬLUM, i, n. 2. bracteola seu scobs argentea, qua dapes, mensas, pavimenta, capillos etiam illuminare solebant ditiores Romani. *Petron. fragm. Tragur.* 56. Puer super hoc positus officium apophoreta recitavit: *Argentum sceleratum*: allata est perna, supra quam argentabula erant posita. *h. e.* perna argentata; dictum autem argentum *sceleratum* joculariter, nam Græce σκέλος est crus, seu perna. Italice *prosciutto inargentato*, aut *argento impresciuttato*. Ita locum, in quo *Cod. Tragur.* habet *acetabula*, restituendum et interpretandum putat *Fr. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna* T. 1. p. 114. *In præfat.* T. 5. *le Pitture d' Ercolano* affertur delineata et annotationibus illustratur perna ære ductili fabrefacta, cujus pars antica horologium sciotericum continet et bractea argentea obducta est: id mirum in modum *Orioli* conjecturam apprime confirmat.

ARGENTĀCEUS, a, um, adject. idem quod argentarius. *Apic.* 2. 2. Amygdala lota ex creta argentacea, ut ad candorem perducantur. *Alii leg.* argentaria, et quidem rectius.

ARGENTĀRIA, æ, f.) *V.* voc. seq.
ARGENTĀRIUM, ii, n. 2.)

ARGENTĀRIUS, a, um, adject. ad argentum pertinens. ¶ 1. Ad argentum pertinens, quà metallum ipsum significat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 26. (86). et 33. *ibid.* 7. 36. (111). Argentaria metalla. *h. e.* argentifodinæ. *Id.* 34. *ibid.* 9. 20. (97). et 17. 48. (160). Plumbum argentarium. *h. e.* album et argento simile, quale est stanni purgatioris quoddam genus. *Id.* 17. *ibid.* 8. 4. (45). et 35. *ibid.* 17. 58. (199)., et *Apic.* 2. 2. Creta argentaria. *h. e.* quæ nitorem argento reddit. *Javolen. Dig.* 34. 2. 39. Argentarius faber. *h. e.* qui circa argentum laborat et ex eo opera facit. *Inscript.* apud *Fabrett. c.* 4. n. 180., quæ est apud *Orell.* 7. FABER ARGENTARIVS. *Alia* apud *Murat.* 943. 5., quæ est apud *Orell.* 4147. ARGENTARIVS VASCVLARIVS. *Alia* apud *Murat.* 959. 3. NEGOTIATOR ARGENTARIVS VASCVLARIVS. ¶ 2. Ad argentum pertinens, quà nummos seu pecuniam significat. *Cato R. R.* 2. Rationes putare argentariam, frumentariam. *Plaut. Pseud.* 1. 13. 65. Argentaria inopia. *Id. Epid.* 5. 2. 7. Argentariæ opes. *Id. Pseud.* 1. 1. 103. Invenire alicui auxilium argentarium. *Id. Men.* 2. 3. 26. Sunt meretrices omnes elecebræ argentariæ. *h. e.* quæ pecuniam omnem amatorum eliciunt et ad se trahunt. *Ter. Phorm.* 5. 7. 3. Argentariam curam alicui adimere. *Liv.* 26. 11. Taberna argentaria. *h. e.* in qua pecunia fenori datur. Cf. *Dig.* 18. 1. 32. *Ulp. Dig.* 2. 13. 4. Argentariæ mensæ exercitor. *h. e.* argentarius, de quo mox. *Cajus ibid. l.* 10. Argentarias rationes edere. *Sueton. Vesp.* 1. Coactiones argentarias facere. *V.* COACTIO. *Scævola Dig.* 40. 7. 40. ad *fin.* Argentarius coactor. *V.* COACTOR, et Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 32. 52. Et *alia* apud eumd. 3226. HERCVLI AVG. SACRVM OFFICINATORES ET NVMMVLARI OFFICINARVM ARGENTARIARVM FAMILIAE MONETARI. *Inscript.* apud *Don. cl.* 1. n. 97. ARGENTARIA ET AVRARIA PONDERA. — Hinc

Argentarius, ii, m. 2. absolute. ¶ 1. Quà argentum significat ipsum metallum, argentarius est qui laborat circa argentum et ex eo opera facit, sive argentarius faber. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 248. 1. DE BASILICA VASCVLARIA AVRARIO ET ARGENTARIO. *Alia* apud *Murat.* 528. 1. EX CORPORE AVRARIORVM ET ARGENTARIORVM. Hic *Marinius* loc. cit. contendit sic legendum pro *pausariorum et argentariorum.* Adde *Cod. Theod.* 13. 4. 2. ¶ 2. Quà argentum significat nummos vel pecuniam, argentarius est is, qui in pecunia negotiator et lucrum quærit (It. *banchiere, cambiatore*; Fr. *banquier, changeur*; Hisp. *banquero, cambiador*; Germ. *Geldwechsler, Banchier*; Angl. *a banker, money-changer*). Late autem patet argentariorum professio. Nam ii erant, qui pecuniis permutandis, aut fenori dandis lucrum faciebant: item qui pecunias apud se depositas custodiebant, earumque rationes conficiebant, redditurі postea dominis, lucro aliquo accepto. Duplici autem de causa apud eos pecuniæ deponebantur; aut sine fenore propter fidem publicam, ut tutiore loco, quam in privatis ædibus, asservarentur, aut sub usuris ipsis credebantur, quas deinde fenori collocabant. Præterea etiam ad alios pertinentia negotia gerebant, fidejubebant, constituebant: et si quis, verbi gratia, pecunias fenori poneret, vel acciperet, emeret aliquid, vel venderet, solveret, aut crederet, accedebat ad argentarium, qui ejus contractus tabulas perscribebat, quod hodie publici tabularii facere solent. Nam argentariorum codicibus et tabulis plurimum habebatur fidei: ad quos probationis ergo decurrebatur. Ut enim loquitur *Cajus Dig.* 2. 13. 10., eorum officium atque ministerium publicam habet causam, atque adeo auctoritatem. Hujus rei gratia multæ erant Romæ in foro argentariorum tabernæ publice constitutæ, ut commodum esset hominibus ex tota urbe eo convenientibus, negotiorum suorum acta perscribenda curare, quæ argentarii apud se retinebant, quandocumque opus esset, exhibituri, accepto tamen lucello, quod eis ex lege præstituebatur. Ad has tabernas etiam auctiones fieri solebant, quibus argentarii intererant. Denique ii emendis vendendisque quibusdam rebus operam dabant, præsertim auri atque argenti speciebus, nimis veteribus, vasis cælatis, gemmisque et aliis, quæ vel ipsi emebant, majore pretio distracturi, vel ab aliis vendenda sumebant, ut reservato sibi lucro aliquo, pecuniam ex iis coactam dominis persolverent. Non modo privatos, sed etiam Imperatores Romæ, vel in municipiis sive coloniis argentariam per suos libertos exercuisse, constat ex *Inscriptione* quam legesis infra in *V.* COACTOR. Cf. *Pauly Real-Encycl.* vol. 1. p. 715. et seqq. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 53. Itur, putatur ratio cum argentario: impransus miles astat, æs censet dari. Ubi disputata est ratio cum argentario, etiam plus ipsus ultro debet argentario. Adde eumd. *Asin.* 1. 1. 103. et 113. *Cic. Cæcin.* 6. 16. Fundus addicitur Æbutio: pecuniam argentario promittit Æbutius. *Et paullo post* § 17. Se habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit. *Sueton. Ner.* 5. Argentarios pretiis rerum coemptarum fraudare. *Scævola Dig.* 46. 3. 88. Res vendendas per argentarios dedit: argentarii universum redactum venditionis solverunt. Adde *Formulam juris* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 19.; *Liv.* 7. 12.; *Senec. Controv. præfat.* p. 66. *Bip.*; *Sueton. Aug.* 2., *Legem* apud *Quintil.* 5. 10. 105.; *Quintil.* 11. 2. 24.; et *Dig.* 42. 1. 15. § 11.

Argentaria, æ, f. 1. absolute. ¶ 1. Subaudi *fodina*, et est argenti fodina. *Liv.* 34. 21. Pacatâ provinciâ vectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque. ¶ 2. Subaudi *taberna* vel *mensa*, et est ea in qua quis in argento, seu in pecunia negotiatur et lucrum quærit. *Plaut. Epid.* 2. 2. 13. Per omnem urbem sum defessus quærere, per medicinas, per tonstrinas, per myropolia et lanienas, circumque argentarias. Adde eumd. *Truc.* 1. 1. 47. *Liv.* 26. 27. Pluribus simul locis circa forum incendium ortum: eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque, et argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsere. *novas argentarias* dixit ad discrimen veterum, quas in eodem foro Tarquinius Priscus extruxerat, de quibus *Plaut. Curc.* 4. 1. 19. Sub Veteribus ibi sunt, qui dant quique accipiunt fenore. Adde *Liv.* 9. 40. et 40. 51. ¶ 3. Subaudi *negotiatio*, hoc est ars et officium argentarii, de quo *V.* in *Argentarius*, ii, 2. *Cic.* 7. *Verr.* 59. 155. et 3. *Off.* 14. 58. Argentariam facere. *Id.* 7. *Verr.* 64. 165. Rhegii argentariam maximam facere. *Id. Cæcin.* 4. 10. M. Fulcinius, qui Romæ argentariam non ignobilem fecit. *Id. ibid.* § 11. Argentariam dissolvere. *Ulp. Dig.* 2. 13. 4. § 2. facere, exercere. Et *ibid.* 5. 1. 19. § 1. administrare.

Argentarium, ii, n. 2. absolute, subaudi *scrinium*, est locus, in quo argentea vasa reponuntur. *Ulp. Dig.* 34. 2. 19. § 8. Quod non in argentario paterfamilias ponere solebat.

ARGENTĀTUS, a, um. *V.* ARGENTO.

ARGENTEŎLUS et argentiolus (sed minus recte), a, um, adject. *deminut.* ab argenteus. *Plaut. Rud.* 4. 4. 125. Post est sicilicula argenteola et duæ connexæ maniculæ. *Fronto de Orat.* 1. Laminæ interdum argentiolæ in cloacis inveniuntur: cave, ne cloacas purgandas redimemus.

Argenteolus, i, m. 2. substantive. *Vet. Schol.* ad *Juvenal.* 14. 291. In argenteolos, sive nummos. Cf. ARGENTEUS in fin.

ARGENTEUS, a, um, adject. qui est ex argento, vel argenti similitudinem præsefert (It. *argenteo*; Fr. *d'argent*; Hisp. *de plata*; Germ. *silbern*; Angl. *of silver*).

I.) Proprie. ¶ 1. Argenteus dicitur qui est ex argento. *Livius Andronicus* apud *Non.* p. 544. 23. *Merc.* Argenteum polubrum. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 98. drachmæ. *Id. Truc.* 1. 1. 33. vasum. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 1. vas. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 73., *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 16. (53). et *Tac. Germ.* 5. vasa. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 42. eculei. *Id.* 1. *Cat.* 9. 24. aquila. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (12). phaleræ. *Id.* 37. *ibid.* 7. 31. (105). bracteæ. *Id.* 33. *ibid.* 12. 54. (151). statua. Cf. *Sueton. Claud.* 21. Triton argenteus. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (47). nummus. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (38). denarius. *V.* et in fine *Argenteus* absolute. ¶ 2. Præterea argenteus dicitur qui argenti colorem refert, qui candidus et purus est æque atque argentum. *Virg.* 8. *Æn.* 655. Argenteus anser. *Ovid.* 2. *Met.* 536. niveis argentea pennis ales. *Id.* 10. *ibid.* 213. et *Heroid.* 21. 219., et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (146). color. *Plin.* 2. *ibid.* 25. 22. (90). Fit et candidus cometes argenteo crine. *Id.* 24. *ibid.* 19. 112. (172). Herba flore argenteo. *Ovid.* 3. *Met.* 407. fons nitidis argenteus undis. *De flumine* ARGENTEO *V.* ONOM. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (31). Argenteæ undæ.

II.) Translate. ¶ 1. Jlocaliter. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 44. Remittere alicui salutem argenteam. *h. e.* pecuniam. *Id. ibid.* 3. 103. Amica tua facta est argentea. *h. e.* vendita est, argento permutata est.

Argenteus, i, m. 2. absolute, subaudi *denarius*. *Tac. Germ.* 5. Numerus argenteorum facilior usui est promiscua et vilia mercantibus. *argenteus* valebat primo decem asses, qui fere respondent triginta solidis Venetis: deinde bello Punico secundo (*h. e.* ante Chr. n. anno CCXVIII.) assibus duarum unciarum percussis, valor argentei ad sexdecim asses ascendit. Ejus nota fuere bigæ et quadrigæ: inde bigati et quadrigati dicti. *V. Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (47)., et DENARIUS.

ARGENTĬEXTĔRĔBRŌNĬDES, æ, *vel divisis vocibus* Argenti exterebronides, vox localiter composita et ficta a *Plaut. Pers.* 4. 6. 21., significat eum, qui fraude et fallaciis argentum ab aliquo exterebrat, seu elicit et extorquet. Sunt qui legunt *extenebronides*, h. e. qui pecuniam in arcæ tenebris latere non patitur, sed vel furatur, vel prodige effuseque spargit. Ita *Gevart.* et *Lambin.*; sed non æque placet.

ARGENTĬFEX, ficis, qui circa argentum elaborat atque ex eo opera facit. *Varro* 8. *L. L.* 62. p. 188. *Müll.* hanc vocem affert, innuitque non esse usu receptam: neque enim, ut *aurificem*, sic *argentificem* dici.

ARGENTĬFŎDĪNA *vel divisim* argenti fodina, æ, f. 1. (argentum et fodio). *Varro* 8. *L. L.* 62. p. 188. *Müll.* Ubi fodiatur argentum, argentifodina dicitur, non, ubi fodiatur ferrum, ferrifodina. Adde *Vitruv.* 7. 7. 1. *Schneid.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 31. (98). *Varro* 1. *R. R.* 2. 22. Quemadmodum exerceri oporteat argenti fodinas. Adde *Dig.* 7. 1. 13. § 5.

ARGENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Præterquam apud *Paul. Sent.*, occurrit tantummodo Part. *Argentatus.* — Argentare est argento tegere vel ornare.

I.) Proprie. *Paul. Sent.* 5. 25. § 5. Qui æs inauraverit, argentaverit, falsi pœna coercetur. *Liv.* 9. 40. Argentati milites. *h. e.* habentes scuta argento cælata. *Val. Max.* 2. 4. 6. choragia. *Albinovan.* 2. 65. sandalia. *Lamprid. Elag.* 4. *extr.* sella. *Id. ibid.* 29. vehicula.

II.) Metaphorice et localiter *Plaut. Pseud.* 1. 3. 78. Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia. *h. e.* querere mecum, sed simul argentum affer.

ARGENTŌSUS, a, um, adject. argento abundans, plurimum argenti admixtum habens. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). Ita ferruminatur aurum, quod argentosum vocant.

ARGENTUM, i, n. 2. Ratione habita etymi vox conjungenda est cum Gr. ἀργός, quod significat *metallum album*, unde et ἀργύριον. — Argentum est metallum post aurum pretiosissimum (ut ait *Horat.* 1. *Ep.* 1. 52. Vilius argentum est auro, virtutibus aurum), candidissimi coloris; quod invenisse primum Erichthonium Atheniensem scribit *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (197)., vel, ut alii volunt, Æacum: *Cassiodor.* vero 4. *Variar. Ep.* 34. Indum Scythiæ regem primo reperisse tradit (It. *argento*; Fr. *argent*; Hisp. *plata*; Germ. *Silber*; Angl. *silver*). Animadvertendum tamen veteres argenti nomine et alia significasse *argenti metalla*, quæ a *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 31. (95). recensentur. *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 526. Quidam volunt, tria genera argenti vel auri poetam complexum, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis; factum, quod in vasis et signis —; infectum, quod in massis. Allato *Servii* discrimine innitimur in seqq. paragraphis.

A) Argentum infectum. ¶ 1. Ponitur de argento quod e terra effoditur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 33. (101). Argenti metalla. *Id. ibid.* 6. 31. (95). Argenti vena. De argenti fodina *V.* ARGENTIFODINA. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 6. 35. (105). Argenti scoria. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (106). et 34. (102). Argenti Scoria. *Id. ibid.* 10. 41. (137). Argenti differentiæ. *Id. ibid.* Argentum candidum, rufum, nigrum. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (144). Argenti nitor. *Id. ibid.* 4. 15. (2). Argenti pallor. ¶ 2. Item de argento in massis, quod nondum arte fuerit elaboratum. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 73. Argenti montes. *Liv.* 26. 47. et 37. 46., et *Dig.* 34. 2. 19. Argentum infectum. *Fœdus* apud *Gell.* 6. 5. Argentum purum putum. *h. e.* purgatissimum. *Cæs.* 6. *B. G.* 28. Argento circumcludere cornua. ¶ 3. *Argentum vivum* est genus quoddam metalli liquidi (unde ab *Isid.* 16. *Orig.* 19. 2. appellatur *argentum liquidum*), colore quidem argento similis, fluidâ vero naturâ aquæ. Ejus duplex est genus, alterum nativum seu fossicium, alterum facticium, quod ex minio excoquitur et *hydargyrus* vocatur. *Plin.* 33. *Hist. nat.*

6. 32. (100). Est et lapis in his venis (*argenti*), cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur, venenum rerum omnium. Exest ac perrumpit vasa, permanans tabe dira. Omnia ei innatant, præter aurum: id unum ad se trahit etc. Hactenus *Plin.* Adde *Vitruv.* 7. 8. 1. *Schneid.* ¶ 4. *Argentum lentum* est stannum cum ære fusum. *Virg.* 7. *Æn.* 634. Aut leves ocreas lento ducunt argento.

B) Argentum factum. — *a*) Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 62.; *Liv.* 26. 47., 34. 6. et 25. 52.: *Seneca* 1. *Benef.* 12. et *Dig.* 34. 2. 27. § 6. Argentum factum. *h. e.* vasa et alia instrumenta ex argento, quod *Valerian. Imp.* dixit apud *Trebell. Claud.* 14. argentum in opere. — *b*) Speciatim addito termino, quo ipsum opus definitur. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 52. et 5. *Tusc.* 21. 61. Argentum cælatum. *h. e.* signa et alia cælata ex argento. *Id.* 1. *Divinat.* 36. 79. Cælare aliquid argento. *Virg.* 9. *Æn.* 263. et 5. *ibid.* 267. Pocula perfecta argento. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (9). Tibias ex argento facere. — *c*) Sæpe argentum absolute sumitur pro opere aliquo argenteo, ut sunt vasa cujuscumque generis, aliaque instrumenta, quibus utimur, ex argento facta. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 29. Tu argentum eluito, idem strulto. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Nec pulcros illos ministratores aspiciebat, nec plenum artis argentum. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 14. 32. et 15. 33., *Lucret.* 2. 27. et *Virg.* 1. *Æn.* 644. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 180. Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas, Argentum, vestes Gætulo murice tinctas Sunt qui non habeant. *Id.* 1. *Sat.* 4. 28. Hunc capit argenti splendor, stupet Albius ære. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 6. 17. et 16. 76. *Seneca ad Helv.* 11. Argentum antiquis nominibus artificum nobile. *Id. Tranquill. anim.* 1. Argentum grave. *V.* GRAVIS. *Plin.* 3. *Ep.* 1. Apponitur cœna — in argento puro et antiquo. *h. e.* in vasis argenteis non cælatis. Eodem sensu *Juvenal.* 9. 141. Argentum purum. *Ulp. Dig.* 34. 2. 20. Argentum escarium. *Pompon. ibid. l.* 22. potorium. *Scævola ibid.* 4. viatorium. *Et ibid.* balneare. Hinc inter officia domus Augustæ enumeratur *servus ab argento* vel *ad argentum*, ut legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 582. 6. et 9., et 578. 5., et significat eum, qui argenteæ supellectilis curam habet.

C) Argentum signatum. — *a*) Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 62.; *Liv.* 26. 47., 34. 6. et 25. Argentum signatum. *h. e.* pecunia argentea, nummi ex argento. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 95. Nummus argenti. *Id. Pers.* 4. 6. 1. Argenti probati minæ. *Ter. Phorm.* 5. 3. 6. Talentum argenti. *Liv.* 33. 37. Argentum bigatum. — *b*) Speciatim et quidem sæpissime sumitur pro pecunia, itemque universim pro divitiis. Ideo autem Latini *argentum*, sæpius quam aurum, pro pecunia et divitiis sumunt, quia prius argentum, quam aurum habuere, ut *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (51). docet; et mos fuit, ut populus Romanus victis gentibus in tributo semper argentum imperitaret, non aurum. Latinos imitantur Galli: Itali vero aurum eo sensu usurpant. *Plaut. Trin.* 2. 4. 16. LE. Nequaquam argenti ratio comparet tamen. ST. Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. *Ter. Phorm.* 3. 3. 24. Quantum opus est tibi argenti? loquere. PHÆDR. Solæ triginta minæ. *Id. Adelph.* 5. 9. 20. Argentum sumere ab aliquo. *Id. ibid.* 4. 4. 18. solvere. *Id. ibid.* 3. 4. 43. numerare. *Id. Phorm.* 4. 4. 1. Emungere aliquem argento. *Sall.* apud *Senec. Ep.* 114. Exercitum argento fecit. *h. e.* pecunia paravit. *Liv.* 41. 6. Nihil inter se et argento parata mancipia interesse. *Id.* 34. 10. Argentum Oscense. *Id.* 45. 43. Argentum Illyrium. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 23. Quem tenet argenti sitis importuna famesque. *Id.* 1. *Sat.* 1. 86. cum tu argento post omnia ponas. — *c*) *Argentum ære solutum* dixit *Sall. Cat.* 33., cum nempe ex lege Valeria, lata ann. U. C. 668. a L. Valerio Flacco consule suffecto, de qua V. *Vellej.* 2. 33., debitoribus permissum est ut pro denario sestertium, hoc est pro asse quadrantem solverent. Ex quo patet, etiam sestertium æreum, non modo argenteum, in usu apud Romanos fuisse.

ARGESTES, is, m. 3. ἀργέστης (It. *Ponente maestro*, Gall. *Nord ouest*, Germ. *Westnordwestwind*) ventus spirans ab occidente solstitiali inter septentrionem et circium, seu inter thrasciam et zephyrum, recta contra eurum. Latine *corus* dicitur; Græce autem ἀργέστης, quia ἀργέστης etiam velocem significat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (120). At juxta *Vitruv.* 1. 6. 10. *Schneid.* argestes est ventus, quem Franci vocant *vent d'ouest un tiers sud-ouest*: itemque *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16. distinguit inter corum et argestem, quia, inquit, cori violenta vis est et in unam partem rapax; argestes fere mollis est, et tam euntibus communis, quam redeuntibus. Hæc *Seneca* scribit contra *Plin. loc. cit.* et *Aristot.* 2. *Meteor.* 6., qui asserunt caurum et argestem unum eumdemque ventum esse, et violentum ac sternacem spirare. Addimus et locum *Servii* (quamvis corruptus videatur) ad *Virg.* 8. *Æn.* 710. Quem (*Japyga*) Varro de Ora maritima *argesten* dicit, qui de occidente æstivo flat, hic in Apulia pestilens est.

ARGILLA, æ, f. 1. (ἄργιλλος, ex ἀργός *albus*) terra cretosa et tenax, qua figuli utuntur ad vasa facienda (It. *argilla, terra da stoviglie*; Fr. *argile blanche, terre de potier*; Hisp. *arcilla ó argilla, comunmente greda*; Germ. *weisser Thon oder Töpfererde*; Angl. *white clay, potter's earth, argil*). *Cic. Pis.* 25. 59. Quid cessat hic homullus, ex argilla et luto fictus Epicurus? *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Glandes ferventes ex argilla fossili fundis jacere in casas. *h. e.* testas glandibus similes ex argilla fossili, qualis est, ex qua statuæ fictiles fiunt. *Forcellinus* pro *fossili* leg. *fusili*. *Virg.* 2. *G.* 180. Argilla tenuis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 8. argilla quidvis imitaberis uda. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 11. 9.; *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 43. (151); et *Pallad.* 5. *R. R.* 34. 3.

ARGILLĀCEUS, a, um, adject. qui ex argilla est, aut qui tenax est in modum argillæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (43). Est enim alba terra argillacea, tofacea, arenacea.

ARGILLŌSUS, a, um, adject. ¶ 1. Est argilla abundans. *Varro* 1. *R. R.* 9. 2.; *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (47). et 12. *ibid.* 14. 30. (53). et *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 4. Terra argillosa. *Colum. Arbor.* 17. Colles sicci et argillosi. ¶ 2. Item argillæ colorem præseferens. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. (*In ictericis*) egestio albida atque argillosa.

ARGĪTIS, is, f. 3. genus vitis albam ferentis uvam (ab ἀργής *albus*), vastam materiam, et breve latumque folium mittens, cujus fructum nisi mature colligas, ad terram decidit et putrescit. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 21. et *Isid.* 17. *Orig.* 5. 23. Cf. *Virg.* 2. *G.* 97. Sunt etiam Amminææ vites, firmissima vina, Tmolius assurgit quibus et rex ipse Phanæus, Argitisque minor.

ARGO, us, f. 3. Ἀργώ, prima navis fuisse dicitur, qua Jason una cum flore juventutis Græcæ in Colchidem navigavit, vellusque aureum a Medea adjutus in Græciam reportavit; qua de re *V.* ONOM. A Minerva post peractam navigationem in cœlum translata est, quod sua ope et consilio facta fuerat, et quod prima omnium percurrisset pelagus. Est autem sidus constans secundum *Hygin. fab.* 14. stellis tredecim, secundum alios quadraginta quinque, aut sexaginta tribus. Sita est in parte australi post tropicum Capricorni, puppi prope Centaurum, prora tangens terga Canis majoris. *Cic. Arat.* 370. (126). At canis ad caudam serpens prolabitur Argo. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 44. 114. et 3. *ibid.* 16. 40. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 24. Decimo Cal. Octobr. Argo navis occidit: tempestatem significat, interdum pluviam.

ARGŎLICUS, a, um, adject. ad Argo pertinens, quâ sidus significatur (*V.* voc. præced.). *Cic. Arat.* 522. Inde pedes Canis, et simul amplam Argolicam retinet crebro cum lumine Navem. — Ceterum *V.* ARGOLICUS in ONOM.

ARGŎNAUTÆ, arum, m. 1. ab Ἀργώ et ναύτης, heroes illi, qui cum Jasone Argo navem conscenderunt, de quibus *V.* ONOM. Ludit in hac voce *Martial.* ad Græca verba respiciens, quibus ἀργοναύτης etiam pigrum nautam significat, ab ἀργός *ignavus, piger*. Itaque sic claudit epigramma De pigris nautis 3. 67. At vos tam placidas vagi per undas Tota luditis otium carina. Non nautas puto vos, sed argonautas.

ARGŪMENTĀBILIS, e, adject. ad argumentandum pertinens, qui demonstrari potest. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 27. p. 480. Manifestum nobis est, et quæ propositio facile, et quæ difficile argumentabilis est.

ARGŪMENTĀLIS, e, adject. ad argumenta pertinens, quibus aliquid probatur. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divinat. in Verr.* 1. 2. p. 100. *Bait.* Narrationem in exordio multi admirantur ac reprehendunt, sed non recte. Est enim argumentalis narratio ad priorem divisionem. *h. e.* quæ continet argumenta et probationes prioris divisionis.

ARGŪMENTĀLITER, adverb. per argumenta et probationes. *Aggen. Urbic. Commentar. in Frontin.* p. 64. *Goes.* Multa sunt, quæ generaliter pro veris observantur, multa quæ specialiter; quædam quæ argumentaliter, quædam conjecturaliter metiri artifices coguntur.

ARGŪMENTĀTĬO, ōnis, f. 1. (*argumentor*) probatio rei alicujus per argumenta (It. *argomentazione, prova*; Fr. *argumentation*; Hisp. *argumentacion*; Germ. *die Darlegung des Beweises, Beweisführung*; Angl. *argumentation, reasoning*). Duo autem significat, ut *Cic.* docet 1. *Invent.* 40. 74., scilicet primo ipsum argumentum seu inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium: deinde ejus inventi artificiosam explicationem et expolitionem, quæ fit pluribus verbis et amplificatione. Sæpius tamen in secunda significatione adhibetur. *Cic. Partit.* 13. 45. Argumentatio est explicatio argumenti. *Id. Rosc. Am.* 35. 97. Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda est, aut conjectura capienda? *Id.* 1. *Invent.* 34. 54. Concludere argumentationem. *Id.* 3. *Nat. D.* 4. 9. Perspicuitas argumentatione elevatur. *Id.* 5. *Fin.* 4. 9. Probabilis argumentatio. *Quintil.* 4. 2. 79. Nam expositio hæc longior esse debeat et paullo verbosior præparatione et quibusdam argumentis: argumentis dico, non argumentatione. Adde *eumd.* 2. 17. 17., 3. 11. 9., 5. 8. 3. et 11. 2.

ARGŪMENTĀTĪVUS, a, um, adject. rei, qua de agitur, argumentum exponens. *Donat. fragm. de trag. et com. a med.* Prologi species quatuor sunt: συστατικός commendaticius, quo fabula vel poeta commendatur; ἀναφορικός, relativus, quo aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur; ὑποθετικός, argumentativus, fabulæ argumentum exponens; μικτός omnia hæc in se continens.

ARGŪMENTĀTOR, ōris, m. 3. qui argumentis utitur. *Tertull. Anim.* 38. Auferenda est enim argumentatoris occasio. *Id. Car. Christi* 24. Multiformes argumentatores.

ARGŪMENTĀTRIX, icis, f. 3. quæ argumentis utitur. *Tertull. Spectac.* 2. Sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana.

ARGŪMENTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ARGŪMENTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Argumentatus* passiva significatione usus est *Aufustius* apud *Priscian.* 8. 792. *Putsch.* Omnia argumentata nomina, πιστωθέντα. *h. e.* argumentis probata et firmata. — Ceterum argumentor est argumentis utor ad aliquid probandum, et ipsa argumenta latius explico, *V.* ARGUMENTATIO (It. *argomentare, provare con argomenti*; Fr. *argumenter, raisonner, prouver*; Hisp. *argumentar, probar*; Germ. *zum Beweise sprechen oder etwas anführen*; Angl. *to argue, prove by argument*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Nat. D.* 4. 10. Affers hæc omnia argumenta cur dii sint, remque meâ sententiâ minime dubiam argumentando dubiam facis. *Id. Brut.* 80. 277. In respondendo cum essem argumentatus, quantum res ferebat etc. Adde *eumd. Mil.* 16. 45., 13. *Att.* 29. 3. et 1. *Fin.* 9. 31.; et *Quintil.* 2. 4. 41. et 4. 2. 108. — *b*) Cum Ablat. et præp. de. *Cic.* 2. *Invent.* 44. 128. Argumentari de voluntate alicujus. *h. e.* argumentis, vel conjecturis voluntatem alicujus ostendere. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 48. 119. — *c*) Cum Ablat. re vel causa et præp. *in*. *Cic.* 3. *Nat. D.* 4. 9. Neque ego in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo. *Id.* 4. *Herenn.* 35. 47. Quare, L. Cassi, si in causis testem — argumentari et conjectura prosequi pateris etc. *Orell.* verba *in causis* omittit. Adde *Quintil.* 5. 12. 8. — *d*) Cum Accus. *aliquid*, aut *illa*, *multa* etc. hoc est aliquid pro argumento et probatione afferre. *Cic. Cluent.* 24. 64. Atque ego illa non argumentabor, quæ sunt gravia vehementer, eum corrupisse, qui in periculo fuerit, eum qui metuerit, eum qui etc. *Liv.* 33. 28. Multaque in eam partem probabiliter argumentatus — numquam — facturum fuisse. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 14. Nec ego abnuerim hoc me instituisse argumentari. *Forcellinus* cum aliis leg. *in hoc*. — *e*) Cum Infinito. *Cic. Dom.* 9. 22. Cum etiam es argumentatus amoris hoc esse signum. — *f*) Sequente particula relativa. *Cic.* 3. *Att.* 12. 1. Tu quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum. *Id.* 3. *Verr.* 57. 150. Quid argumentamur, quo pecunia pervenerit? fecit ipse indicium. *Liv.* 39. 36. *in fin.* Nec, jure an injuriâ cæsi sint, argumentari refert.

ARGŪMENTŌSUS, a, um, adject. ¶ 1. *Quintil.* 5. 10. 10. docet, *argumentosum opus* dici, quod est

numerosum, hoc est copiosum, multi ingenii multæque operæ ac molis, et in quo perficiendo scriptor vel artifex multum insudaverit. ¶ 2. Argumentosus est etiam argumentis vel probatione abundans. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. Scripseras gravia mature, profunda sollicite, dubia constanter, argumentosa disputatorie. *Id. Carm.* 2. 175. Argumentosis dat retia syllogismis. *Acron* ad *Horat.* 2. *Sat.* 3. 70. *Nodosi.* Scrupulosi, diligentis in accipiendis cautionibus; vel argumentosi, qui multis vinculis teneat debitores. — *NB.* Quidam veteres editiones tribuunt et *Livio* 7. 2.; reliquæ omnes et MSS. abdicant.

ARGUMENTUM, i, n. 2. Secunda syllaba perperam corripitur in versu iambico a *Paulin. Nolan. carm.* 10. 94. Namque argumentum mutuum est Pietatis, esse Christianum; et impii, Non esse Christo subditum. — Ratione habita etymi, *argumentum* ab *arguo* deducitur, quasi *arguomenon*; ac propterea argumentum generatim est quidquid narrando vel scribendo vel pingendo etc. proponimus atque ostendimus, ut ab aliis sensibus percipiatur vel mente intelligatur, judicetur, teste ipso *Quintil.* 5. 10. 9. Hinc

A) Generatim argumentum est quidquid narrando, scribendo, pingendo etc. proponimus atque ostendimus. Itaque ¶ 1. Est ipsa rei expositio atque ostensio, sive oratione, sive alio quocumque modo fiat. *Ennius* Æsopi fabellâ narratâ hæc addit apud *Gell.* 2. 29. *ad fin.* Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm, ne quid expectes amicos, quod tute agere possies. *h. e.* quæ tibi narravi semper præ oculis habeas, ne etc. Recte monuit *Forcellinus*, male nonnullos hoc loco *argumentum* pro *documento* accepisse; additque conferenda esse loca *Phædri* 4. 10. et 15. et 5. 3. (quibus adde 2. 7. et 4. 7.), ubi *argumentum* idem omnino est ac fabula. *Cic.* 1. *Invent.* 19. 27. Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit. Hujusmodi apud Terentium: *Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia.* Cf. *eumd.* 1. *Herenn.* 8. 13.; et *Quintil.* 2. 4., qui tres enumerat narrationum species: fabulam, argumentum, historiam; argumentum autem esse dicit, quod falsum, sed vero simile comœdiæ fingunt. *Cic. Cœl.* 3. 8. Quis est qui isti ætati non possit quam velit petulanter, etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento, maledicere? *Id.* 2. *Off.* 23. 84. Tabulæ vero novæ quid habent argumenti, nisi ut emas meâ pecuniâ fundum? *Id. Cœl.* 29. 68. Scire cupio, quid habeat argumenti ista manumissio? Adde *eumd.* 4. *Verr.* 47. 115. *Id. Harusp. resp.* 4. 8. Cujus concionis primum universum argumentum sententiamque audite. *Liv.* 3. 49. Notam judicii fabulam petitor, quippe apud ipsum auctorem argumenti, peragit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (42). Neque Sauron atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa. Negata inscriptione, hoc tamen alio loco et modo usurparunt. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculptæ nominum eorum argumento (*al.* insculpta nominum eorum argumenta) lacerta atque rana. Scilicet lacertam Græci σαῦρον vel σαύραν, et ranam βάτραχον vocant. *h. e.* quod Franci vocant *arme parlante. Sueton. Cal.* 57. Quo (*spectaculo*) argumenta inferiorum explicarentur. ¶ 2. Præterea argumentum accipitur pro eo, quod narrando vel scribendo proponimus, *h. e.* pro materia omni ad scribendum destinata et de qua in aliquo opere tractatur, ut ait *Quintil.* 5. 10. 9. Et fabulæ ad actus scænarum compositæ argumenta dicuntur, et orationum Ciceronis thema velut exponens Pædianus, *Argumentum*, inquit, *tale est.* Et ipse Cicero ad Brutum ita scribit: Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid, etsi argumentum simile non erat. *Plaut. Trin.* 3. 2. 81. Hic agit magis et argumento et versus meliores facit. *Id. Amph. prol.* 51. Argumentum tragœdiæ. *Id. ibid.* 96. comœdiæ. *Ter. Andr. prol.* 5. Nam in prologis scribundis operam abutitur, non qui argumentum narret etc. *Id. Adelph. prol.* 22. Argumentum fabulæ. *Cic.* 15. *Att.* 4. 3. Sed et componendum argumentum est et scribendi tempus expectandum maturius. *Id.* 10. *ibid.* 15. 2. Dare alicui argumentum epistolæ. *Id. Cœl.* 12. 35. Mimorum argumenta. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 53. Tragici poetæ cum explicare argumenti exitum non possunt, confugiunt ad deum. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. 1. Scribendi argumentum habere. *Id.* 15. *Fam.* 12. Versari in uno argumento. *Id.* 9. *Att.* 10. 1. Nullo argumento proposito scribere. *Id.* 1. *ibid.* 19. 1. Quod nullam epistolam ad te sine absque argumento ac sententia pervenire. *Id. Cœl.* 27. 64. Velut hæc tota fabella – quam est sine argumento! *Liv.* 7. 2. Qui (*Livius*) ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 10. Sumque argumenti conditor ipse mei. *Quintil.* 10. 1. 100. Utinamque non inquinasset (*Afranius*) argumenta puerorum fœdis amoribus. ¶ 3. Item pro imagine, quæ fabellam vel historiam aliquam exhibet insculptam aut depictam. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 124. Ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in valvis: ea detrahenda curavit omnia. *Virg.* 7. *Æn.* 791. At levem clypeum sublatis cornibus Io Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos; Argumentum ingens. *Ovid.* 6. *Met.* 69. Illic – vetus in tela deducitur argumentum. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 685.; *Propert.* 3. 9. 13.; *Sueton. Tib.* 44. et *Ner.* 12. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (69). Pinxit et demon Atheniensium argumento quoque ingenioso.

B) Speciatim argumentum est ratio certa vel probabilis, indicium rei alicujus præstans, qua colligitur aliud per aliud, et id quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmatur, ut *Quintil.* 5. 10. loquitur: vel, ut brevius definit *Cic. Top.* 2. 8., est ratio, quæ rei dubiæ facit fidem, hoc est id quo innitimur ad aliud probandum. *Plaut. Rud.* 3. 3. 84. Quo argumento socius non sum, et fur sum, fac dum ex te sciam. *Id. Trin.* 2. 4. 121. Argumenta dicere alicui rei. *Lucret.* 1. 402. Multaque præterea tibi possum commemorando Argumenta fidem dictis conradere nostris. *Cic.* 3. *Nat. D.* 4. 9. Multis argumentis, deos esse, docere voluisti. *Et paullo post* § 10. Affers omnia argumenta, cur dii sint. *Id.* 3. *Cat.* 5. 13. Ac mihi quidem – cum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. *Id.* 2. *Verr.* 6. 17. Quæ res pertenui nobis argumento indicioque patefacta est. *Id.* 7. *ibid.* 19. 48. Si argumento est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent; sit argumento, tibi gratis constare navem, quia etc. *Id.* 2. *Phil.* 16. 40. Quod autem idem mœstitiam meam reprehendit, idem jocum, magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 1. 1. *Id. Cluent.* 41. 114. Aliquid est satis magno argumento. *Id.* 1. *Divinat.* 52. 119. maximo. *Id. Brut.* 78. 272. Argumenta firma ad probandum. *Id. Cœl.* 9. 22. Agere argumentis. *Id.* 3. *Tusc.* 6. 13. Adstringere breviter argumenta. *Id.* 2. *Orat.* 40. 167. Ducere argumenta ex conjunctis. *Id.* 3. *Fam.* 4. Exquirere aliquid argumentis. *Id.* 1. *Tusc.* 36. 88. Premere etiam atque etiam argumentum. *Id.* 1. *Orat.* 19. 88. Refellere aliquid argumentis. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 8. 32. Uti argumentis duribus ad probandum. *Liv.* 3. 55. Quod etsi jure non fiat –, tamen argumentum esse, non haberi pro sacrosancto ædilem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 42. 42. (111). Argumento haud dubio conjectari. *Id.* 15. *ibid.* 3. 3. (12). Argumentum est, quod nisi ante Favonium collectæ, novas vires resumunt. *Id. ibid.* 30. 40. (134). In argumentum, quoniam ibi libertatem publicam meruisset. *Id.* 10. *ibid.* 36. 52. (107). Mares negantur anno diutius durare, argumento, quia nulla - apparet nigritudo in rostro. *Juvenal.* 9. 82. Libris auctorum spargere gaudes Argumenta viri. *h. e.* liberos ex te natos. *Quintil.* 3. 5. 10. Testibus an argumentis major fides habenda? *Id.* 3. 6. 103. Colligere argumentis. *Id.* 5. 12. 7. Niti argumentis. *Id. ibid.* § 8. Onerare judicem argumentis. *Id.* 2. 17. 34. Solvere argumenta. *Sueton. Cal.* 8. Addit etiam pro argumento, aras ibi ostendi. *Tac.* 2. *Hist.* 72. Deterrimo quoque in argumentum fabulæ assumpto. — *NB. Forcellinus* plura, ex iis quæ attulimus, loca singulari et prima distinxit paragrapho, affirmans argumentum esse id, unde natura alicujus rei cognosci potest; signum, indicium, conjecturam: et præter alia illud quoque afferebat *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 35. (68). Unguentarii (*myrrham*) digerunt haud difficulter odoris atque pinguedinis argumentis. *h. e.*, ajebat *Forcell.* ex signis odoris aut pinguedinis diversa myrrhæ genera distinguunt. *Sed æque recte sic interpretari possumus*: argumentis ex odore atque pinguedine ductis. — Eadem ratione interpretari possumus et illa, quæ idem *Forcell.* alia paragrapho complexus est arbitratus argumentum esse perspicuam similitudinem duarum rerum; in his enim est argumentum ex analogia ductum. Hujusmodi sunt loca *Plin.* 22. *Hist. nat.* 15. 17. (39). Ex argumento nomen accepit scorpio herba. Semen enim habet ad similitudinem caudæ scorpionis. *Id.* 2. *ibid.* 4. 3. (9). Cælum quidem haud dubie cælati argumento dicimus. *h. e.* quia est sideribus distinctum et veluti cælatum. *Id.* 3. *ibid.* 8. 14. (87). Ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Græci nomen dedere oppido. *Et ibid.* 16. 20. (122). Padum Ligurum linguâ Bodincum vocari, quod significat fundo carentem: cui argumento adest oppidum vetusto nomine Bodincomagum.

Homonym. *Argumentum*, quæ significat causam sive id quo innitimur ad aliquid probandum, differt a ratione seu ratiocinatione. *Cic.* 2. *Orat.* 53. 214. Argumentum ratio ipsa confirmat, quæ simul atque emissa est, adhærescit. *h. e.* inventum probabile ad persuadendum confirmat ratiocinatio. *Id.* 2. *Divinat.* 11. 27. Argumentis et rationibus docere aliquid. *Id.* 4. *Verr.* 47. 115. Quid tandem habuit argumenti, aut rationis res, quamobrem etc.?

ARGUMINOS, i, f. 2. herba, aliter mercurialis. *Apul. Herb.* 82.

ARGUO, uis, ui, ūtum, uere, a. 3. Supinum est *argutum*. Hinc *argutum iri* apud *Paul. Diac. p.* 27. 3. *Müll.* est in discrimen vocari, accusari. — Reperitur tamen participium *arguiturus*, tamquam ab *arguitum*. *Sall.* apud *Priscian.* 10. *p.* 882. *Putsch.* Quos adversum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri. — Part. *Arguens* in omnibus ferme paragraphis. — *Charis.* 3. *p.* 231. et *Diomed.* 1. *p.* 376. docent hoc verbum passive sumptum mutuari præteritum a *convincor*: sed apud antiquos *argutus sum* legi. Hinc *Plaut. Amph.* 3. 2. 2. Ita me probri, stupri, dedecoris a viro argutam meo! *Id. Pseud.* 2. 4. 56. Argutus malorum facinorum. *Plautus* hoc loco ludit in ambiguo vocabulo. — Cæterum *Argutus, a, um*, adject. *V.* suo loco. — Ratione habita etymi, nonnulli deducebant ab *adgruo* vel *argruo*, idque, sed minus recte, confirmare putabant loco *Lucret.* 6. 405. (*V.* sub 3. infra): *Forcellino* vero et recentioribus ferme omnibus (*V. Döderlein Latein. Synonym.* vol. 5. p. 300.) videtur esse ab ἀργής *albus* vel *celer*, quique ideo facile in oculos incurrit; seu potius ab ἀργέω, quod ab ἀργός *lucidus*, ita ut *arguere* sit in luce collocare, manifestum reddere. Hinc ¶ 1. Arguo generatim est ostendo, demonstro rem aliter se habere, atque alii opinantur vel arbitrantur: hinc — *a*) Fere in malam partem accipitur. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 64. Sic est, ut loquor. Quin ego, cum peribat, vidi, non ex auditu arguo. Cf. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 66. *Cic. Parad.* 1. 3. § 20. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. *Virg.* 4. *Æn.* 13. Degeneres animos timor arguit. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 6. Laudibus arguitur vini vinosus Homerus. *Id. Epod.* 11. 9. Amantem languor et silentium Arguit. *Id.* 1. *Od.* 13. 4. Tum nec mens mihi, nec color Certa sede manent, humor et in genas Furtim labitur, arguens Quam lentis penitus macerer ignibus. *Curt.* 6. 11. 5. Eumdem Jovis arguisse mendacium Alexandrum filium agnoscentis. *Sueton. de ill. Gramm.* 1. Nam quod nonnulli tradunt duos libros se litteris – ab eodem Ennio editos, jure arguit L. Cotta, non poetæ, sed posterioris Ennii esse. — *b*) Raro in bonam partem. *Ovid.* 2. *Fast.* 395. Si genus arguitur vultu –, Nescio quem vobis suspicor esse deum. *Id.* 4. *Trist.* 3. 80. Apparet virtus arguiturque malis. ¶ 2. Item arguere est aliquid tamquam falsum, erroneum, incertum demonstrare; et occurrit — *a*) De rebus et abstractis. *Liv.* 35. 32. Quas (*leges*) ne usus quidem longo tempore argueret. *Ovid.* 15. *Met.* 73. primusque animalia mensis Arguit imponi. *Sueton. Tit.* 5. Velut arguens rumorum de se temeritatem. — *b*) De personis. *Sueton. Cal.* 8. Plinium arguit ratio temporum. *Tac.* 1. *Ann.* 12. Ut sua confessione argueretur unum esse reipublicæ corpus atque unius animo regendum. ¶ 3. Speciatim significat aliquem quasi manifestum reddere, hoc est accusare, reprehendere, ostendere aliquem reum esse, aliquid ei vitio et culpæ vertere, sive id judiciaria ratione fiat, sive extra judicium. Occurrit — *a*) Cum Accus. personæ tantum. *Ennius* apud *Rufin. de figur.* § 37. Tu delinquis, ego arguor pro malefactis. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 10. Tace. Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt. *Cic. Rosc. Am.* 41. 120. Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. *Liv.* 43. 5. Si coram eum arguere vellent. *Ovid.* 2. *Trist.* 3. 27. Arguor immerito. *Vellej.* 2. 83. 4. Quod adjeci, non ut arguerem, sed ne arguerer. *Quintil.* 7. 1. 3. Priusquam adversarium arguat. *Tac.* 15.

Ann. 51. Accendere et arguere conjuratos. — *b*) Cum Accus. rei tantum. *Plaut. Amph.* 3. 14. Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit. *Lucret.* 6. 401. In mare qua porro mittit (*Juppiter fulmen*) ratione? quid undas Arguit et liquidam molem camposque natantes? *h. e.* Juppiter, fulmina in mare jaculando, videturne ipsas undas tamquam reas reprehendere? *Cic. Sull.* 28. 69. Id quod tu arguis. *Liv.* 1. 28. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est. *Vellej.* 2. 68. 4. Dum arguunt in eo regni voluntatem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (54). In Luna veneficia arguente mortalitate. *Quintil.* 5. 7. 37. Venenum arguis. *Sueton. Cal.* 38. Arguebat et perperam editos census. *Id. ill. Gramm.* 22. Arguere solœcismum factum ab adversario. — *c*) Cum Accus. personæ et Genit. rei. *Plaut. Amph.* 3. 2. 1. Arguere aliquem probri, stupri, dedecoris. *Id. Pseud.* 2. 4. 56. malorum facinorum. *Cic. Rab. perd.* 9. 26. summi sceleris. *Id. Cœl.* 1. 1. facinoris. *Virg.* 11. *Æn.* 383. timoris. *Curt.* 10. 1. 29. avaritiæ, defectionis. Adde *Sueton. Cæs.* 53., *Aug.* 67., *Tib.* 49., *Claud.* 3. et *Oth.* 10.; et *Tac.* 3. *Ann.* 33. et 1. *Hist.* 46. — *d*) Cum Accus. personæ et Abl. rei. *Cic.* 7. *Verr.* 18. 45. Arguere quempiam aliquo crimine. Adde *Nep. Pausan.* 3. — *e*) Cum Accus. personæ et Ablat. rei præced. præp. de. *Cic.* 2. *Invent.* 11. 37. Argui de aliquo crimine. Adde *eumd. Rosc. Am.* 29. 82. — *f*) Cum duplici Accus. personæ et rei occurrit apud *Vulgat.* vet. ed. *Mai. Proverb.* 28. 23. Qui arguit hominem vias suas, gratiam habebit magis quam qui adulatur. — *g*) Sequente Infinito. *Cic. Rosc. Am.* 13. 37. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. *Id.* 2. *Verr.* 33. 85. Quod auctor illius injuriæ fuisse arguebatur. *Nep. Alcib.* 7. Nam corruptum a rege capere Cymen noluisse arguebant. *Liv.* 30. 23. M. Valerius Lævinus – speculatores, non legatos venisse arguebat. Adde *eumd.* 9. 46. *Curt.* 6. 11. 35. Qui proximi sceleris particeps esse arguebatur. *Quintil.* 7. 2. 18. Qui arguitur fecisse. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 297.; et *Sueton. Claud.* 16. *Ner.* 33. et *Galb.* 7. — *h*) Addito Participio, et interdum particulis *quasi, ut etc. Vellej.* 2. 33. 2. Cum neuter ab eo, quo arguebatur, mentitus argui posset. *Quintil.* 2. 4. 35. Qui non rite creatus tribunus arguebatur. *Id.* 9. 3. 67. Quod – quasi falsum arguitur. *Sueton Ner.* 7. Britannicum fratrem ut subditivum – arguere conatus est. *Justin.* 22. 3. Hunc ut dominum et tyrannum, illum ut proditorem arguentes.

ARGŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (argutus) acutus sonus vel strepitus. *Catull.* 6. 11. Tremulique quassa lecti Argutatio inambulatioque. *idest* crepitantis lectuli quasi garrulitas.

ARGŪTĀTOR, ōris, m. 3. (argutus) argutus sophista; acutulus et minutus doctor, in disserendo tamen non impiger. *Gell.* 17. 5. *in fin.* Processisset autem argutatori isti fortasse ea reprehensio, si etc.

ARGŪTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ argutat, seu loquax est. *Paul. Diac.* p. 117. 1. *Müll.* Lingulaca genus piscis vel mulier auguratrix. *Corrige* argutatrix *ex conjectura Fruterii, quem et* Müller. *sequitur. Hic* Paul. Diac. *respicit locum* Plaut. Cas. 2. 8. 61. Vin' lingulacas? st. Quid opus est, quando uxor domi est? Ea lingulaca est nobis, nam numquam tacet.

ARGŪTE, adverb. (argutus). Comp. *Argutius*, Sup. *Argutissime*. Argute est acute (ac fere de intellectu ac mente usurpatur, ideoque) ingeniose, subtiliter, astute. *Cato* apud *Charis.* 2. p. 181. *Putsch.* Argute loqui. *Plaut. Trin.* 4. 2. 132. Argute obrepere. *Cic. Brut.* 14. 53. Acute arguteque conjicere aliquid. *Id. ibid.* 93. 322. Argute includere adversarium. *Id. Cœl.* 8. 10. Acute arguteque respondere. *Id. Orat.* 28. 98. Callide arguteque dicere. *Id. Brut.* 11. 42. Ut aliquid dicere possint argutius. *Id. Orat.* 2. 4. Argutissime disputare de rebus difficillimis. *Arnob.* 5. 34. Argutius fingere aliquid.

ARGŪTĬA, æ. *et sæpius in plur. num.* argutiæ, arum, f. 1. (argutus). Juxta *Forcellinum* proprie dicitur de garrulitate soni, seu de subtili vocis varietate; sed cum *argutiæ* sint ab *argutus* et *arguo*, rectius fortasse generatim significant rei alicujus repræsentationem, quæ vividissimis fiat coloribus, ita ut in sensus atque animum plurimum possit. Ponitur autem ¶ 1. De iis, quæ sub sensus cadunt. *Cic. Orat.* 18. 59. Nulla mollitia cervicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens. *V.* in ARGUTUS 1. similem ejusdem *Cic.* locum, et cf. *Quintil.* 11. 3. 122. *Id. Quintil. ibid.* § 181. In gestu persequi omnes argutias. — Præcipue de ingeniosis inventis in artefactis; v. gr. in picturis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (67). Parrhasius primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli etc. *h. e.* vim, leporem, gratiam: *la galanteria del sembiante*, inquit *Carolus Dati in vitis Pictor.* in vita Parrhasii *n.* 8., ubi ejus adnotationes consule. *Id. ibid.* 10. 37. (117). Plurimæ præterea tales argutiæ facetissimi salis. *h. e.* minutissimæ res ingeniosæ ac maxima vi depictæ. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (65). *de Lysippo.* Propriæ hujus videntur esse argutiæ operum, custoditæ in minimis quoque rebus. — Item de sono. *Colum.* 9. *R. R.* 5. 6. Cavæ rupis aut vallis argutiæ, quas Græci ἠχοῦς vocant. *h. e.* vehemens sonus. Et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (85). *de luscinia.* Sed hæ tantæ tamque artifices argutiæ a quindecim diebus paullatim desinunt. ¶ 2. Ponitur et de intellectu, atque est acumen in re aliqua subtiliter, ingeniose, astute verbis repræsentanda, tum in bonam, tum in malam partem. — *a*) Plur. num. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 19. Argutias contra aliquem exordiri. *Id. Most.* 1. 1. 2. Exi e culina foras, mastigia, qui mihi inter patinas exhibes argutias. *h. e.* dicteria in me jacis; vel malitiosos sermones et fallacias profers, ut *Non.* 4. 14. *edit. vet.* exponit. *Cic. Amic.* 13. 45. Omnia persequi argutiis suis. *Id. Brut.* 45. 168. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum urbanitatis habent, ut etc. *Id. ibid.* Argutias in tragœdias transferre. *Id. Orat.* 31. 110. Argutiæ et acumen Hyperidis. *Id.* 1. *Legg.* 2. 7. Loquacitas habet aliquid argutiarum. — *b*) Sing. num. *Fronto* 1. *ad Marc. Cæs.* 7. Inventionis argutia. *Gell.* 3. 1. Importuna atque audax argutia. *Id.* 12. 2. Levis et quasi dicax argutia. *Pallad. Insit. in proœm.* 1. Scio, quod incinet argutia famulorum. Adde *Apul.* 1. *Met.* 1.

ARGŪTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* parva aut brevis argutia; *V.* ARGUTIA 2. *Gell.* 9. 14. *in fin.* Non enim puto argutiolam istam recipiendam, ut *die* dictum quasi *ex die* existimemus. *h. e.* subtiliorem et acutiorem interpretationem. *Id.* 2. 7. Argutiola frivola et inanis. *h. e.* subtilis sententiola. Adde *eumd.* 18. 1.

ARGŪTO, as, are, a. 1. (argutus) est aliquid acute astuteque proloquendo repræsentare. *Propert.* 1. 6. 7. Illa mihi totis argutat noctibus ignes (*h. e.* amorem), Et queritur nullos esse relicta deos. *V.* et voc. seq.

ARGŪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (argutus) est se acutum, promptum, celerem (ut *Servius* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 34. docet), vivacem præbere: et occurrit — *a*) *Argutari pedibus*, hoc est *subsilire* (ut exponit *Nonius*) pedes celeriter movendo in arte fullonia. *Titinnius* apud *Non.* p. 245. 30. *Merc.* Terra hæc est, non aqua, ubi tu solitus argutarier pedibus, cretam dum compescis vestimentaque eluis. *h. e.* fulloniam facis. — *b*) Sæpius *argutari verbis*, et est loquacem esse, loquendo obstrepere. — Absolute. *Ennius* apud *Non.* p. 245. 27. *Merc.* Exerce linguam, ut argutarier possies. *Plaut.* apud *eumd.* p. 67. 1. Superaboque omnes argutando præficas. *Id. Amph.* 1. 1. 192. mx. Ego tibi istam hodie scelestam comprimam linguam. so. Haud potes: bene pudiceque asservatur. mx. Pergin' argutarier? *Nævius* apud *Non.* p. 245. 29. Quando ad ludos venit, alii cum tacent, totum diem argutatur, quasi cicada. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* — Cum Accus. *Lucilius* apud *Non.* p. 239. 15. Agite, fures, mendacia argutamini.

ARGŪTŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* argutus, et est subtile aliquid atque acutum ingeniosumque in se continens. *Cic.* 13. *Att.* 18. Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem. *h. e.* qui subtiles et acutas disputationes de rebus abstrusis continent: significat autem quatuor libros Academicorum. *Apul.* 1. *Met.* 20. Fotis famula forma scitula et moribus ludicra et prorsus argutula. *h. e.* facete atque ingeniose loquax.

ARGŪTUS, a, um. Comp. *Argutior* et Sup. *Argutissimus* 2. Argutus proprie est participium præter. pass. ab *arguo*, quod tamen jam inde ab antiquis temporibus adjective usurpatum fuit; et est acute, ingeniose vividisque coloribus repræsentatus, adeoque maximam habens vim, acer, penetrans. Ponitur autem ¶ 1. De iis, quæ maximam in sensus vim exerunt: hoc est — *a*) In oculos. *Cic.* 3. *Orat.* 59. 218. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens. *h. e.* minus actuosa et mobilis, ut non singula verba, sed universam sententiam gestu declaret. Similiter *Gell.* 1. 5. Manus argutæ admodum et gestuosæ. *V.* ARGUTIA 1. *Cic.* 1. *Legg.* 9. 27. Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 9. *Id. Ovid.* 3. *ibid.* 2. 83. arguti ocelli. *Virg.* 3. *G.* 80. *de notis equi generosi.* illi ardua cervix, Argutumque caput, brevis alvus etc. *h. e.* ita apte compositum, ut equi generositatem vel primo aspectu satis ostendat. Tales autem solent esse qui breve caput habent. Unde *Servius* illud *argutum* interpretatur *breve*. *Pallad.* etiam 4. *R. R.* 13. 8. arguta corpora in pullis equinis eodem sensu dixit. *Et ibid.* § 2. Aures breves et argutæ. *Catull.* 68. 72. Arguta solea. *h. e.* bene aptata pecudi, ut ejus pulcritudinem ostendat. Aliter ac *Forcellinus* et recentiores ferme omnes. *Furlanetto* argutum h. l. pro *stridente* accepit, fretus loco *Hieronym. Ep.* 117. n. 7. Stridor caligæ. — *b*) Ratione habita aurium, argutus dicitur, fere a Poetis, is, qui multum sonat, stridulus et canorus est. *Nævius* apud *Non.* p. 9. 21. *Merc.* Argutæ linguæ. *Virg.* 7. *Ecl.* 24. fistula. *Id.* 1. *G.* 294. et 7. *Æn.* 14. pecten. *Id.* 1. *G.* 143. serra. *Id.* 7. *Ecl.* 1. ilex. *h. e.* quæ vento agitata strepit. Sic 8. *ibid.* 22. nemus. *Id.* 1. *G.* 377. hirundo. *Id.* 9. *Ecl.* 36. olores. *Propert.* 1. 18. 30. aves. *Ovid.* 1. *Art. am.* 80. argutum forum. *h. e.* strepitu plenum propter voces contentionesque litigantium. *Sil. It.* 17. 18. et *Martial.* 11. 22. ms. *Colum.* 9. *R. R.* 5. *in fin.* valles. *Id.* 10. *ibid.* 284. gramen. *Martial.* 11. 19. cicadæ. *Id.* 9. 35. passer. *Id.* 6. 89. Arguto pollice petere matellam. *h. e.* crepitante. — Hinc ponitur etiam de poetis et musicis, ac Gr. λιγύς respondet. *Horat.* 4. *Od.* 6. 25. Arguta Thalia. *Id.* 3. *ibid.* 14. 21. Neæra. *Id.* 2. *Ep.* 2. 90. poeta. *Martial.* 8. 73. Tibullus. — *c*) De iis, quæ olfactum vehementer afficiunt. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (18). Odor in tenui argutior, et is tamen etiam in optimo brevis. *h. e.* acutior, acrior. — *d*) De iis, quæ gustatum vehementer afficiunt. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 4. *de piro* et 4. *ibid.* 10. 26. *de ficu.* Argutus sapor. *h. e.* acutus, acer, penetrans. ¶ 2. Ratione habita intellectus, — *a*) Argutum dicitur quidquid ita vivide ostenditur tantaque in luce collocatum est, ut facile percipiatur. *Cic.* 2. *Divinat.* 12. 29. Sunt enim qui vel argutissima hæc exta esse dicant. *h. e.* ad significandum aptissima. Sic *Propert.* 2. 2. 34. Aureus argutum sternuit omen amor (tametsi *Macrobius* pro *argutum* legit *augustum*. *V.* STERNUO). *Id. Propert.* 1. 18. 26. Argutus dolor. *h. e.* ingeniose simulatus. — Hinc *argutæ litteræ* dicuntur, in quibus minute significatur et ostenditur aliquid, et de re tota diligentissime quis fit certior; ita enim res ipsa vividissimis repræsentatur coloribus. *Cic.* 6. *Att.* 5. Obvias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas. Sic *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. Quod tibi pollicitus sum, me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum, datâ operâ paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear, ne tibi nimium arguta hæc sedulitas videatur. — *b*) Item argutus est acutus, subtilis, quique est ingenio celer et promptus, ut rem aliquam propriis verbis ac coloribus celeriterque arguere, hoc est ostendere et subjicere oculis valeat; et dicitur tum de personis, tum de rebus et in bonam et in malam partem. *Plaut. Truc.* 2. 6. 13. Facunditas arguta. *Cic. Brut.* 17. 65. *de Catone.* Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserendoque subtilior? *Id. Pis.* 29. 70. Poema facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. *Id. Brut.* 70. 247. Argutus orator verbisque dulcis. *Id. Orat.* 12. 38. Arguti ambitus. *Id. Opt. gen. Or.* 2. 5. Argutæ sententiæ. *Id.* 2. *Orat.* 61. 250. Dicta argutissima. *Id. Brut.* 95. 325. Sententiosum et argutum dicendi genus. *Horat. Art. P.* 364. argutum judicis acumen. *Id.* 1. *Sat.* 10. 40. Arguta meretrix. *Id.* 1. *Ep.* 14. 42. calo. *Propert.* 1. 16. 16. blanditia. *Id.* 3. 20. 28. historia. *Quintil.* 7. 13. 14. cavillatrix. ut *Zumpt.* legit. *Martial.* 1. 1. libellus. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 45. ora. *Gell.* 15. 30. Nugæ argutissimæ. — *c*) Hinc generatim et pro vafro, callido, astuto. *Veget.* 3. *Milit.* 6. Fidelissimi et argutissimi milites. Huc pertinet et illud *Pallad.* 4. *R. R.* 11. 3. Boves arguti. Juxta *Forcellinum* huc pertinent et alia nonnulla paullo superius allata, et locus *Plaut. Pseud.* 2. 4. 56., quem vide infra. ¶ 3. Argutus verbis est celeriter et sæpe loquens, loquax,

verbosus? cf. ARGUTOR sub b. *Plaut. Truc.* 2. 6. 12. Strenui nimio plus prosunt populo, quam arguti et cati. Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit. Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica. *Id. Trin.* 1. 2. 162. Nihil est profecto stultius, neque stolidius, neque mendaciloquius, neque argutum magis, quam urbani assidui cives, quos scurras vocant. *Id. Pseud.* 2. 4. 56. PS. Ecquid argutus est? CH. malorum facinorum sæpissime. Ludit *Plaut.* in ambiguo. Cum enim interrogatio sit de loquaci et verboso (de astuto et vafro juxta *Forcellinum*), responsio indicat, accusatum sæpe fuisse et reprehensum etc.

ARGȲRANCHE, es, f. 1. (ἀργυράγχη) Græca vox ab ἀργύριον *argentum, pecunia*, et ἄγχω *strangulo*. Legitur apud *Gell.* 11. 9. *V.* SYNANCHE.

ARGȲRASPIS, idis, adject. (ἀργυράσπις). Apud *Lamprid. Alex. Sev.* 50. legitur et *argyroaspides*. Argiraspis est qui clypeum argenteis laminis tectum habet, ab ἀργύριον *argentum* et ἀσπὶς *clypeus*. — Hinc absolute *Argyraspides* dicebatur regia militum cohors, quæ argenteis clypeis utebatur. *Liv.* 37. 40. Ab eadem parte regia cohors erat: argyraspides a genere armorum appellabatur. Adde *Curt.* 4. 13. et *Justin.* 12. 7. 6.

ARGȲRIUM, ii, n. 2. ἀργύριον: videtur idem esse ac *argyritis* apud *Pelagon.* 1. *Veter.* 8. Argyrii unciæ tres.

ARGȲRITES lapis *fortasse legendum* apud *Veget.* 1. *Veter.* 20. 2. et 4. *ibid.* 12. 3.

ARGȲRĪTIS, tidis, f. 3. ἀργυρῖτις, hoc est argentea. Ita appellatur genus spumæ ex argento factæ, de qua *V. Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (106).

ARGȲRŎCŎRINTHIUS, a, um, adject. (ἀργυροκορίνθιος) ex illo ære Corinthio factus, quod nitore argento quam proxime accedere *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (6). tradit. *Inscript.* apud *Gruter.* 48. 1., quæ est apud *Orell.* 1541. SANCTISSIMO HERCVLI INVICTO CRATERAM ARGYROCORINTHIAM CVM BASI SVA ET MYRONEM MARMOREA SVA PECVNIA DONVM DEDERVNT etc.

ARGȲRŎDĂMAS, antis, m. 3. (ἀργυροδάμας) lapis adamanti similis, argenteo colore; ita dictus, quasi argenteus adamas. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (144).

ARGȲRŎPRĀTA, æ, m. 1. ἀργυροπράτης, hoc est qui argentum vendit, argentarius, ab ἀργύριον *argentum* et a themate verbi πιπράσκω *vendo*. Occurrit in *Justinian. Ep. nov.* c. 118. § 500.

ARGȲROS, i, f. 2. herba, aliter mercurialis. *Apul. Herb.* 82.

ARGȲRŎTOXUS, i, m. 2. (ἀργυρότοξος) argenteum arcum habens; ab ἀργύριον *argentum* et τόξον *arcus*: epithetum est Apollinis, qui arcu et sagittis armatus fingitur, et quia enascens per summum orbis ambitum, velut arcus quidam figuratur alba et argentea specie, ex quo arcu radii in modum emicant sagittarum: quæ sunt verba *Macrobii* 1. *Saturn.* 17. *V.* ARCIPOTENS et ARCITENENS.

ĀRHYTHMĀTUS *et*) *V.* ARRHYTHMATUS
ĀRHYTHMUS, a, um) et ARRHYTHMUS.

ĀRĬADNA, æ, *et Græca terminatione* Ariadne, es, f. 1. Ἀριάδνη, filia Minois regis Cretæ ex Pasiphae uxore. Thesei amore capta, qui ab Atheniensibus ex fœdere cum Minoe in Cretam Minotauro devorandus missus fuerat, ei arma et filum dedit, ut labyrinthi vias signaret, et monstro interfecto incolumis evaderet. Victor Theseus cum Ariadna in patriam reversus est. Sed beneficii immemor abductam in Chium, seu Naxon insulam ibi deseruit. A Baccho in uxorem ducta est. Interea Bacchus in Indiæ expeditionem proficiscitur. Indis victis, inter ceteras captivas duxit in Græciam regis filiam præstantissima forma. Ariadne igitur etiam a Baccho relicta est (V. *Hygin. fab.* 14., *Catull.* 64. 54., *Ovid.* 3. *Art. am.* 35. et *Melam* 2. 7. 12.). Cum in litore fleret, Bacchus eam in cœlum transtulit, et coronam quamdam, quam Venus Ariadnæ fuerat largita, novem gemmis ornatam astris intulit, gemmasque in novem stellas transformavit. Atque hæc est Corona septentrionalis, vel Gnossia, sita in parte cœli septentrionali, inter Booten et Herculem. *Cic. Arat.* 73. Adde *Propert.* 3. 17. 8. *Hygin.* 2. *Astron.* 5. Hæc (*corona*) existimatur Ariadnes fuisse, a Libero patre inter sidera collocata. V. *ibi plura hac de re.*

ĀRĬADNÆUS, a, um, adject. Ἀριαδναῖος, ad Ariadnam pertinens, quæ sidus significat. *Catull.* 66. 60. Ariadnæa tempora. *Ovid.* 5. *Fast.* 346. Bacchus amat flores. Baccho placuisse coronam, Ex Ariadnæo sidere nosse potes. *Manil.* 5. 21. Ariadnæa corona.

ĀRIĀNIS, idis, f. 3. ἀριανίς, herba ignei coloris, cujus tactu magi tradunt ligna oleo perunctа accendi. Nascitur apud Arianos Scythicam gentem. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (162). Juxta Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 296.) *arianis* fortasse est *Mespilus pixacantha* L.

ĀRĬDĒ, adverb. *Varro* apud *Non.* p. 243. 23. *Merc.* Non videtis, unus ut parvulus Amor ardifeta lampade aride agat amantes æstuantes. *h. e.* urat, cruciet que. *Alii rectius leg.* arida.

ĀRĬDĬTĀS, atis, f. 3. (aridus) siccitas vel humoris defectus (It. *aridità, siccità*; Fr. *aridité, sécheresse*; Hisp. *aridez, sequedad*; Germ. *die Trockenheit, Dürre*; Angl. *dryness, drought, aridity*).

I.) Proprie occurrit ¶ 1. Abstracte. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 35. 41. (117). Omnem humorem absorbens ariditatem ampliat. *Id. ibid.* 15. 29. (57). Myrtus siccata usque in ariditatem in umbra. *Arnob.* 2. 37. Ad terram decident imbres, ariditatibus temperamenta laturi. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. Ariditas linguæ. *h. e.* ex morbo. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est ipsa res arida. *Pallad.* 3. *R. R.* 21. 2. Rosaria dolabris circumfodiuntur, et ariditas universa reciditur. *Et ibid.* 4. Lenticula cum fimi ariditate miscenda est. *Colum.* hoc idem tradens 2. *R. R.* 10. *circa med.* Fimo arido permisceri debet. Simile est illud ejusd. *Pallad. ibid.* 9. *ad fin.* Si legatur maturitas cum acerbitate. *h. e.* maturæ uvæ cum acerbis.

II.) Improprie seu figurate pro eo, quod nutrimento caret, et exangue, exsuccum est, exile, dixit *Salvian.* 1. *Guber. Dei* 1. et 2. *V.* ARIDUS II.

ĀRĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* aridus. *Catull.* 64. 316. *de Parcis nentibus.* Laneaque aridulis hærebant morsa labellis.

ĀRĬDUS, a, um, adject. (areo). Veteres *ardus* dixere per syncopen, ut *Lucilius*, cujus verba *V.* infra I. 1.; et *Inscript.* apud *Gruter.* 207. Cæmenta arda. — Comp. *Aridior* et Sup. *Aridissimus* I. — Aridus est humore carens, atque ita præcipue ut ipsa res arida in minutissimas dissolvi queat particulas; unde differt *a siccus*, V. Homonym. in fine (It. *arido, asciutto, secco*; Fr. *aride, desséché, sec*; Hisp. *arido, seco*; Germ. *trocken oder dürre*; Angl. *dry, parched, dried up, thirsty, arid*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 31. Fibulæ, unde fiant corbulæ, aridæ fiunt ut in aquam conjiciantur. *Plaut. Rud.* 2. 7. 15. Da mihi vestimenti aliquid aridi, dum mea arescunt. *Id. Rud.* 3. 4. 50. Ficis aridis victitare. *Lucilius* apud *Non.* p. 74. 20. *Merc.* Aridum, miserrimum atque infelix lignum sambucum vocant. *Lucret.* 1. 809. nisi nos cibus aridus et tener humor Adjuvet. *Id.* 2. 88. Arida ligna. *Cic. Pis.* 40. 97. Ex illo — seminario triumphorum cum arida folia laureæ retulisses. *Id. Fat.* 4. 7. Loci exsiccati atque aridi. *Virg.* 1. *Æn.* 175. Arida nutrimenta ignis. *Id.* 1. *G.* 79. solum. *Id.* 1. *ibid.* 289. prata. *Horat.* 3. *Od.* 17. 13. Dum potis, aridum Compone lignum. *Id. Epod.* 17. 34. aridus cinis. *Id. ibid.* 5. 37. jecur. *Id.* 1. *Od.* 25. 19. et *Colum.* 7. *R. R.* 4. 2. frondes. *Propert.* 2. 13. 15. pulvis. *Tibull.* 1. 7. 26. herba. *Ovid. Heroid.* 5. 110. Tu levior foliis tum cum sine pondere succi Mobilibus ventis arida facta volant. *Id.* 14. *Met.* 510. arva. *Id.* 2. *ibid.* 238. Libye. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 52. In arbore quod aridissimum est. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (68). Montes Hispaniæ aridi sterilesque. *Id.* 2. *ibid.* 65. 66. (166). Terra arida et sicca. — *b*) Specialim ponitur de anhelitu, calore, febri, siti etc. *Lucret.* 4. 872. Aridus calor. *Id.* 3. 930. et 6. 1175. sitis. *Virg.* 3. *G.* 458. Aridus et sicco terram spuit ore viator. *h. e.* sitiens. Adde *eumd.* 5. *Æn.* 200. *Id.* 3. *G.* 197. nubila. *h. e.* quæ pluviam non effundunt. *Id. ibid.* 458. febris. *h. e.* quæ aridos et sitientes facit. *Ovid.* 10. *Met.* 663. anhelitus. *Veget.* 1. *Veterin.* 4. et 11. morbus. — *c*) Item specialim ponitur de animalium membris pro macro, exili. *Horat. Epod.* 8. 5. Aridæ nates. *Id.* 2. *Od.* 11. 6. canities. *Ovid.* 3. *Art. am.* 272. crura. *Auct. Priap.* 32. Uvis aridior puella passis. *cui opponitur quæ habet* corpus solidum et succi plenum, *ut est apud* Ter. Eun. 2. 3. 26. — *d*) Addito *visu, aspectu, colore* ponitur de ariditate, quæ oculis percipitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 35. (69). Myrrha Troglodytica aspectu aridior. *Id.* 16. *ibid.* 17. 37. (76). Ladanum visu aridum. *Id.* 12. *ibid.* 26. 59. (129). Arbor folio convoluto, arido colore. illud *arido* ad *folio* refertur, minime vero ad *colore*, ut *Furlanetto* acceperat. — *e*) Denique de sono et strepitu, qui proprius est lignorum aridorum cum franguntur. *Lucret.* 6. 118. Aridus unde aures terget sonus. *Virg.* 1. *G.* 357. aridus altis Montibus audiri fragor. *Non.* p. 245. *Merc.* interpretatur horridum, acutum: item *Servius* ad *Virg.* l. c. exponit nimium; docet enim aridum sonitum esse, qualis ex aridis arboribus, cum franguntur, fieri solet: omne enim quod aridum est, cum frangi cœperit, nimium sonum efficere.

II.) Translate. ¶ 1. *Aridus* ponitur de vivendi ratione pro exiguo, tenui, misero. *Cic. Rosc. Am.* 27. 75. Aridus victus. *Id. Quinct.* 30. 93. Vita horrida atque arida. *Martial.* 10. 75. Sportula arida. *Id. ibid.* 87. Aridus cliens. *h. e.* pauper. — Huc *Forcellinus* referebat et illud *Plaut. Rud.* 3. 4. 20. Uvidas tu senex si istas amas, huic arido argento est opus. *Non.* p. 245. 6. *Merc.* interpretatur purum, lucidum. Alias interpretationes ingeniose comminiscitur *Turneb. l.* 26. *c.* 2. At præstat ita explicare: Si istas mulieres a me velis abducere, argentum, hoc est pecunia mihi pauperrimo danda est. Hucusque *Forcellinus*. At *Klotz* aliique recentiores leg. *huc arido argento est opus*, atque scribunt pro arida ipsa argenti natura, ut opponatur τῷ *uvidas* mulieres. ¶ 2. Item pro præparco, tenaci, avaro; nihil enim ab avaris, quemadmodum nulla humoris gutta ab aridis, exprimitur. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 18. Pumex non æque est aridus, atque hic est senex. *Ter. Heaut.* 3. 2. 15. Habet patrem quemdam avidum, miserum atque aridum. ¶ 3. Sæpius occurrit de stilo seu scribendi et loquendi ratione, quæ succo, floribus ac vi careat. — *a*) De rebus. *Cic.* 4. *Herenn.* 11. 16. Aridum et exangue genus orationis. *Id.* 2. *Orat.* 38. 59. Genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. *Quintil.* 2. 4. 3. Narrandi ratio arida prorsus atque jejuna. *Id.* 4. 2. 46. Aridum compendium. *Tac. Dial. de orat.* 19. Aridissimi libri. — *b*) De personis. — De doctoribus. *Seneca* 5. *Controv.* 34. Græcus rhetor ex arido fatuus. *Quintil.* 2. 4. 8. Magister aridus. *Id.* 12. 10. 15. Aridi et exsucci et exangues oratores. — De discipulis. *Sueton. ill. Gramm.* 4. Ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. *Cf. Quintil.* 2. 8. 9.

Arida, æ, f. 1. hoc est terra. *Vulgat. Interpr. Genes.* 1. 9. Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida.

Aridum, i, n. 2. absolute dicitur de terra sicca, et opponitur mari aut flumini; sed tamen jungitur præpositioni. *Cæs.* 4. *B. G.* 24. Fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum: cum illi aut ex arido, aut paullulum in aquam progressi tela conjicerent. *Id. ibid.* 29. Subducere naves in aridum.

Homonym. *Aridum* differt a *sicco* et a *torrido*. *Siccum* enim est id, quod humore caret; *aridum* autem quod ita caret humore ut in minutissimas partes dissolvi possit; *torridum* denique quod externo aliquo ardore exiccatur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (46). In his probatio una, ne sint fragilia et arida potius quam sicca folia. *Id. ibid.* 15. 29. (57). Myrtus siccata usque in ariditatem in umbra. Et figurate *Claudian. IV. Cons. Honor.* 436. Aret humus cassæque solo torrentur arenæ. — Hinc *siccus* et *aridus* sæpe junguntur, ut apud *Cic. Fat.* 4. 7., *Virg.* 4. *G.* 96., *Catull.* 23. 12., *Colum.* 7. *R. R.* 4. 2, *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 66. (166).; quorum nonnulla *V.* sup. sub I. — Hinc etiam *arida* et *torrida humidis, sicca vero madidis* opponuntur. *Plaut. Rud.* 2. 7. 15. At vides me, ut sim ornatus vestimentis uvidis recipe me in tectum, da mihi vestimenti aliquid aridi. *Id. Pseud.* 1. 2. 51. Eo vos vestros panticesque adeo madefacitis? cum ego hic sim siccus.

ĀRĬĒNA, æ, f. 1. pomi nomen, quo sapientes Indorum vivunt. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 6. 12. (24). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 14.) ait arborem, quæ hujusmodi pomum afferat, definiri non posse; et sententias rejicit a *C. Bauhin* ac *Sprengel* probatas, qui eam *bananam* esse affirmabant.

ĀRĬES, ĕtis, m. 3. *Varro* 5. *L. L.* 98. p. 38. *Müll.* docet Veteres pro *arietem* dixisse *aren*, ut *Forcellinus* ex opt. editt. affirmabat: sed rectius ibi legendum Græcis litteris ἄρην. — In obliquis casibus a Poetis metri causâ tertia syllaba producitur, vel cum secunda producitur per synæresin, ut prima produci possit. *V.* loca *Virg.* 2. *Æn.* 491. et 12. *ibid.* 706. infra cit. II. 2.; quibus adde *Stat.* 2. *Theb.* 492. Apparet aut

celsum crebris arietibus urbis inclinare latus. — Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum Gr. ἄῤῥην, hoc est *mas*: aries enim est mas ovium, qui integer est et servatur ad generandam subolem (It. *montone*; Fr. *bélier*, *mâle de la brebis*; Hisp. *carnero*, *el macho de la oveja*; Germ. *der Widder*, *Schaafbock*; Angl. *a ram*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de animali terrestri. — *a*) Generatim. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Pecus lanigerum eximia pulcritudine: Duos consanguineos arietes inde eligi. *Varro* 2. *R. R.* 1. 24. Scire oportet in grege quot feminas habeat, quæ parere possunt, quot arietes. *Id. ibid.* 2. 13. Arietes quibus sis usurus ad feturam, etc. *Virg.* 3. *Ecl.* 95. Ipse aries etiam nunc vellera siccat. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 2. 4. et 3. 1. De ariete, qui mactabatur, *V.* SUBJICIO. — *b*) Speciatim occurrit et de Colchico aureo ariete. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. Argo, qua vecti Argivi delecti viri, Petebant illam pellem inauratam arietis. *Id.* apud *eumd. Orat.* 49. 163. Auratus aries Colchorum. Adde *Plaut. Bacch.* 2. 3. 7. et *Varron.* 2. *R. R.* 1. 6. ¶ 2. Est etiam *aries* inter marinas belluas, teste *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (10). et 44. 67. (145)., et 32. *ibid.* 11. 53. (144).; necnon *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 163.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Per similitudinem *aries* est unum ex duodecim signis Zodiaci, primumque locum in eo occupans, quod cum sol ingreditur, hiemem depellit, et læto vere annum aperit. De hoc hujusmodi fabulam narrat *Hygin. fab.* 133. Liber cum in India aquam quæreret, nec inveniret, subito ex arena aries dicitur exiisse, quo duce aqua inventa, petiit a Jove, ut eum arietem in astra referret. *Id.* 2. *Astron.* 20. scribit, putari illum arietem, qui Phrixum et Hellen per Hellespontum transtulit: qui pelle aurea instructus fuisse dicitur, quæ ei tamen, antequam in cælum transferretur, detracta fuit et Colchis reposita. Sunt tamen qui dicunt, non arietem illum fuisse, sed insigne ac nomen navis, qua Phrixus et Helle navigarunt, ut ex *Tacito* 6. *Ann.* 34. colligitur. Porro ipsum sidus constat stellis tredecim, positumque est inter Pisces et Taurum. *Cic. Arat.* 230. Exin contortis Aries cum cornibus hæret. Adde *ibid.* 244. et 535. *Vitruv.* 9. 3. 1. *Schneid.* Sol cum Arietis signum iniit. *Manil.* 2. 246. Ut Leo, et Arcitenens, Ariesque in cornua tortus. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 165. ¶ 2. Item a similitudine aries dicta est machina bellica ad muros subruendos apta, eratque prælonga et prægravis trabs, ferrata altera extremitate, in modum sæpe arietini capitis, quæ multa militum manu, magna vi repetitisque ictibus in muros impacta, facile quantumvis crassas structuras diruebat. De ejus inventione et usu lege *Vitruv.* 10. 13. 1. *Schneid.*, *Stewech.* ad *Veget.* 4. *Milit.* 14. et *Lips. l.* 3. *Poliorcet. dial.* 1. et *l.* 5. *dial.* 8., ubi variæ arietis formæ, exhibitis figuris, describuntur. Accuratam arietis descriptionem habes etiam apud *Ammian.* 23. 4. 8. *Cic.* 1. *Off.* 11. 35. Aries murum percussit. *Cæs.* 2. *B. G.* 32. Priusquam aries murum attigisset. *Id.* 7. *ibid.* 32. Ab ariete murum defendere. *Auct. B. Alex.* 1. 2. Arietes in ædificia immittere. *Liv.* 21. 12. Arietibus murum discutere. *Virg.* 2. *Æn.* 491. labat ariete crebro Janua, et emoti procumbunt cardine postes. *Id.* 12. *ibid.* 706. quique imos pulsabant ariete muros. Adde *Curt.* 4. 3. et 8. 2., et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). — Hinc *Cassiod.* 7. *Variar.* 6. vocat arbores mœnium *importabiles arietes*, quia tamquam machinæ bellicæ ipsa mœnia paullatim subruunt et evertunt. ¶ 3. Cæsar (4. *B. G.* 17.) in descriptione pontis sui super Rhenum effecti, sublicas obliquas adactas tignis rectis pontem sustinentibus, *pro ariete subjectas* dicit, quia scilicet arietis in aliquem irruentis figuram imitari videbantur. Græcus etiam interpres δίκην κριοῦ vertit. Alii minus recte legunt *pro pariete*. ¶ 4. Hinc translate *Cic. Top.* 17. 64. Jacere telum voluntatis est, ferire quem nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus: Si telum manu fugit magis, quam jecit. *h. e.* defensio, qua velut ariete adversarii accusationem evertitis. — NB. Quod nonnulli afferunt ex *Plaut. Pers.* 1. 2. 22. Albo ariete aliena oppugnare bona; *al. leg.* albo rete. *V.* in ALBUS.

ĂRĬĔTĀRĬUS, a, um, adject. ad arietem pertinens. *Vitruv.* 10. 13. 2. *Schneid.* Testudo arietaria. *h. e.* qua tegitur machina bellica, aries dicta. *Id. ibid.* 6. Arietaria machina.

ĂRĬĔTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus arietandi, concussio. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 13. Nonnumquam calor, quem modo sol fecit, modo ipsa arietatio magnorum inter se corporum conglobationem nubis rumpit.

ĂRĬĔTĪNUS, a, um, adject. ¶ 1. Est ad arietem pertinens. *Cic.* 3. *Herenn.* 20. 33. et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (87). Arietini testiculi. *Plin.* 29. *ibid.* 4. 27. (88). ungula. *Id.* 30. *ibid.* 8. 22. (72). pulmo. *Pallad.* 4. 3. *de ficu.* cornua. *Hygin.* 2. *Astron.* 20. arietina cornua dixit de arietis sidere. ¶ 2. Item arieti similis. Hinc *Arietinum cicer* est genus ciceris ita dicti, quia est arietino capiti simile. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 32. (124)., *Petron. Satyr.* 35. et *Colum.* 2. *R. R.* 10. 20., apud quem quidam leg. *arietillum*. *Arietinum oraculum* quid vocaverint veteres, intelligi potest ex *Gell.* 3. 3. Ex Freto, Plauti Comœdia, duos hos versus excripsimus, ut historiam quæreremus oraculi arietini. *Nunc illud est, quod arietinum responsum magnis ludis dicitur: Peribo, si non fecero; si faxo, vapulabo.* Videtur autem oraculum seu responsum arietinum dictum fuisse, quemadmodum *ceratinas* dixit *Quintil.* 1. 10. 5., seu cornutas argumentationes Stoicorum, vel dilemmata, quasi arietes gemino cornu ferientes. Ad ambiguitatem tamen oraculi Jovis Ammonis, cornuti scilicet, respicere etiam posset hujusmodi effatum. Narrat enim *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 196. Jovi Ammoni templum et simulacrum cum capite arietino constitutum, quod ideo fingitur, quia satis ejus involuta sunt responsa.

ĂRĬĔTO, as, āvi, ātum, are, 1. (aries). Metri causa *arietat* trisyllabum est per synæresin secundæ et tertiæ vocalis (*V.* ARIES sub init.) apud *Virg.* 11. *Æn.* 890., *Sil. It.* 4. 149. et *Val. Flacc.* 6. 368. — Part. *Arietatus* sub *B.* — Arietare est arietis, sive animalis, sive bellicæ machinæ more incurrere, impingere, percutere, et occurrit *A*) ut verbum neutrum, et *B*) activum.

A) Neutrorum more usurpatur — *a*) Absolute. *Seneca Ep.* 107. Longam viam ingressus es; et labaris oportet et arietes et cadas et lasseris et exclames. — *b*) Cum Accus. et præp. *in*. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Aries cornibus connititur et in me arietat. Cf. *Sil. It.* 4. 149. *Virg.* 11. *Æn.* 890. Arietare in portas. *Seneca* 2. *de Ira* 3. Acies arietant inter se. *h. e.* cum impetu concurrunt. *Val. Flacc.* 6. 368. in clipei orbem arietare. — *c*) Cum Ablat. et præp. *in* figurate *Seneca Vita beat.* 8. Arietare in aliqua re. *h. e.* incidere, incurrere, offendere. Adde *eumd. ad Marc.* 10.

B) Active. *Plaut. Truc.* 2. 2. 1. Quis est, qui tam proterve nostras ædes arietat? *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (198). Innoxium cum concurrentia tecta contrario ictu arietant. *Curt.* 9. 7. 22. Arietare aliquem in terram. *Seneca Ep.* 56. Arietata inter se arma. *Id.* 3. *de Ira* 4. Arietatos inter se dentes. Et figurate *Id. Tranquill. anim.* 1. *a med.* Ubi aliquid animum, insolitum arietari, percussit. *h. e.* turbari, agitari, vexari.

ĀRĬFĬCUS, a, um, adject. arefaciens, aridum reddens, exiccans. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. Phlebotomia est arifica carnis et mollifica corporis. *Quidam leg.* rarifica.

ĂRILĀTOR, ōris. *V.* ARRILATOR.

ARINCA, æ, f. 1. Gallicum vocabulum, quo significatur frumenti quoddam genus, quod nunc a Gallis in Delphinatu appellatur *riguet*, ut ex *Nic. Chorier.* *Harduinus* docet. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (81). Arinca Galliarum propria, copiosa et Italiæ est. Et *ibid.* 10. 20. (92). Ex arinca dulcissimus panis: ipsa spissior quam far et major spica; eadem et ponderosior etc. *Id. ibid.* et 22. 25. 57. (121). docet, Græce *olyran* dici. Hæc descriptio in *far adoreum* convenire videtur, de quo *Gesner.* ad *Colum.* 2. *R. R.* 9. Sed cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 124.) hæc ait: Quant à la plante nommée par Homère ὄλυρα, et qu'on a cru, à tort, être l'*arinca* de Pline, il paraît que c'est l'espèce de *triticum* connue sous le nom d'épautre. Nec multo post (*pag.* 126.) hanc exhibet synonymiam: Κριθὴ σχιδαλεῖς Hippocr. Morb. 3. 396.; Κριθὴ λευκὴ, et per syncopen Κρι Homer. Odyss. Δ. 41. et Iliad. Ε. 196. et Teophr. 8. 4.; *Hordeum* Catull. 35. et *Colum.* 2. *R. R.* 9.; *Hordeum* Plin. l. c. et *Arinca??* Ejusdem, sunt *Hordeum sativum* L. Spec. plant. 125.

ĂRĬŎLA, æ, et

ĂRĬŎLĀTĬO, ĂRĬŎLOR, ĂRĬŎLUS. *V.* HARIOLA, HARIOLATIO etc.

ARIPENNIS. *V.* AREPENNIS.

ARIS, idis, f. 3. (ἄρις) herba apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 94. (151). Est et aris, quæ in Ægypto nascitur, similis aro, minor tantum minoribusque foliis et utique radice, quæ tamen olivæ grandis magnitudinem implet. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 291.) hanc exhibet synonymiam: Ἀρίσαρον Dioscor. 3. 198. et *Aris* Plin. l. c. et Oribas. 2. sunt *Arum Arisarum* L. Spec. plant. 1370. *Sillig. leg.* Est et arisaros, quæ etc., *quod probandum*.

ĂRISTA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Gr. ἀθὴρ et ἀθέριξ, quæ idem significant et cum Germ. *ahre*; *Forcellinus* vero deducebat ab *areo*. — Ceterum arista est extrema spicæ pars, quæ prima arescit, veluti spinis seu aculeis constans, quibus frumentum ab avium minorum morsu tuetur (It. *resta*; Fr. *barbe ou pointe de l'épi*; Hisp. *aristas*; Germ. *die Achrenspitze*, *Granne*; Angl. *the beard of corn*, *the awn*). ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 48. 1. Arista, quæ ut acus tenuis longa eminet e gluma, proinde ut grani theca sit gluma, et apex arista. *Cic. Senect.* 15. 51. Fundit frugem spici ordine structam et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Virg.* 7. *Æn.* 808. Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas. *Ovid. Heroid.* 5. 111. Et minus est in te, quam summa pondus arista. *Id.* 4. *Trist.* 1. 57. Æstu numerare aristas. *proverb.* de re impossibili. *Hieronym. Ep.* 82. *ad Theoph.* 5. Super aristas gradi. *proverb.* de eo, qui gradum non figit, et sententiam certo non statuit: quia qui super aristas graditur, ne ab iis lædatur, pedem minime firmat. ¶ 2. Hinc quandoque accipitur pro spica ipsa, immo pro frumento. *Virg.* 1. *G.* 8. Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. *Id.* 4. *Ecl.* 28. Aristæ molles. *Id.* 1. *G.* 111. et *Ovid.* 1. *Met.* 110. gravidæ. *Virg.* 1. *G.* 348. maturæ. Item *Ovid.* 5. *Fast.* 357. maturis albescit messis aristis. *Juvenal.* 14. 147. virides. *Val. Flacc.* 7. 365. *de spicis*, *quas Hecate colligit.* validas scopulis effodit aristas. *h. e.* herbas aridas, inutiles ac silvestres. ¶ 3. Per metalepsin ponitur pro ætate vel anno. *Virg.* 1. *Ecl.* 70. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 371. necdum decimas emensus aristas. ¶ 4. Latiori sensu dicitur etiam de spica nardi, ut est apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (1). Et *Ovid.* 15. *Met.* 398. casias et nardi lenis aristas. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 43. odoratas nec Arabs decerpsit aristas. — Et de aliis quoque plantis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 63. (90). Holcus in saxis nascitur siccis; aristas habet in cacumine, tenui culmo, quale hordeum restibile. ¶ 5. Item pro ossiculis et spinis piscium. *Auson. Mosell.* 85. Squameus herbosas Capito interlucet arenas, Viscere præ tenero fartim congestus aristis. Adde *ibid.* 119. et cf. Gr. ἀθερίνη. ¶ 6. Et de pilis corporis, qui, cum inhorrescimus, erigi aristarum instar solent; ut ait *Varro* 6. *L. L.* 49. p. 91. *Müll.* In corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent. *Pers.* 3. 115. Alges, cum excussit membris timor albus aristas. *al. leg.* excussit.

ĂRISTARCHĒUS *vel* Ăristarchīus, a, um, adject. Ἀρισταρχεῖος, ad Aristarchum pertinens. — Hinc absolute *Aristarchei*, orum, m. plur. 2. qui Aristarchi more aliorum scripta et dicta carpunt. *Varro* 8. *L. L.* 63. p. 188. *Müll.* Relinquitur de casibus, in quo Aristarchei suos intendunt nervos. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 16. p. 242.

ĂRISTARCHUS, i, m. 2. Ἀρίσταρχος, nomen grammatici Alexandrini, qui tantum sibi in Homeri poemate permisit, ut versus, quos vellet, velut suppositicios partus ab Homeri familia submoveret, ut testatur *Cic.* 3. *Fam.* 11. 5. et 9. *ibid.* 10. 1.; et *Varro* 8. *L. L.* 68. et 9. *ibid.* 1. *Müll.* *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 23. Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto Magnus Aristarcho major Homerus erat. — Hinc figurate *Aristarchi* vocantur alienorum scriptorum censores et critici severi, etiam in bonam partem. *Cic. Pis.* 36. 73. Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare. *Id.* 1. *Att.* 14. 3. Orationum mearum quarum tu Aristarchus es. Adde *Horat. Art. P.* 450. et *V.* ONOM.

ĂRISTĀTUS, a, um, adject. aristam habens. *Paul. Diac.* p. 280. 9. *Müll.* Restibilis ager dicitur, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato:

quod ne fiat, solent, qui prædia locant, excipere. *Farreo spico* intelligere videtur omne genus seminis, quod aristam habet, ut far, triticum, hordeum, ut vult *Salmas.*, quæ genera humorem terræ valde exsugunt, et agrum macrum reddunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (92). docet far in Ægypto sine arista nasci.

ĂRISTE, es, f. 1. est nomen gemmæ, aliter *encardia*, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (159).

ĂRISTĔREON, ōnis, f. 3. ἀριστερεῶν, est species ex verbenacis apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 6. (21). et *Apul. Herb.* 302. Juxta cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 426.) *aristereon* Plin. est *Verbena officinalis* L. Spec. plant. 29.

ĂRISTĬDA. *V.* **HOLCUS.**

ĂRISTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. aristas ferens. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 51. Fundit opes ager ingenuas, Dives aristiferæ segetis.

ĂRISTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. aristifer. *Inscript.* apud *Murat.* 30. 3. CERERI ALMAE FRVGIFERAE ARISTIGERAE THESMOPHORAE etc. Hanc tamen Inscriptionem, qua sola nititur hujus vocis auctoritas, suspectissimam merito habet *Orell.* n. 1493.

ĂRISTŎCRĂTĬA, æ, f. 1. ἀριστοκρατία, optimatum principatus, cum scilicet respublica non unius, neque omnium, sed optimatum tantummodo prudentia, consilio et auctoritate geritur. Vox Græca est, et Græce usurpanda, ab ἄριστος *optimus*, et κράτος *imperium* vel κρατέω *imperium obtineo*. Idem, quod ad usum attinet, dicendum de adject. *Aristocraticus*, ἀριστοκρατικός, et de adverb. *Aristocratice*, ἀριστοκρατικῶς.

ĂRISTŎLŎCHĬA, æ, f. 1. (ἀριστολοχία) herba est, cujus quatuor genera *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 54. (95). enumerat: unum feminæ, tuberibus radicis rotundis, foliis inter malvam et hederam, nigrioribus mollioribusque: alterum masculæ, radice longa quatuor digitorum, baculi crassitudine: tertium longissimæ tenuitatis, vitis novellæ (*sarmentis*), cujus sit præcipua vis; quæ et clematitis vocatur: omnia colore buxeo, caulibus parvis, flore purpureo, et ferentia bacculas parvas, ut capparis. Quartum genus, quæ et pistolochia dicitur, tenuior quam proxime dicta, densis radicis capillamentis, junci plenioris crassitudine. Latine *malum terræ* appellatur; Græce autem ideo aristolochia dicta est, quia optime opitulari creditur puerperis in partu: ab ἄριστος *optimus*, et λοχὸς *gravida*, vel τὰ λόχια *purgamenta partus*. Habet præterea alios quamplurimos in medicina usus: V. *Plin. l. c.* Adjective *Cic.* 2. *Divinat.* 20. 47. Scammoneam aristolochiamque radicem. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 10. 16. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 345.) has exhibet synonymias. — I. Aristolochia rotunda. – Ἀριστολοχία θήλεια στρογγύλη Dioscor. 3. 4.; Ἀριστολοχία φύλλα κισσήεντα περικλυμένοιο φέρουσα Nic. de Ther. v. 509.; *Aristolochia rotunda seu malum terræ* Plin. l. c.; *Venenum terræ* Piscat., *Campaniæ* teste Plin. et *Aristolochia, malum terræ, absinthium rusticum* Dac. teste Apul. sunt *Aristolochia rotunda* L. Spec. plant. 1364. — II. Aristolochia longa. – Ἀριστολοχία ἄρρην, ἡ μακρά, ἡ δακτυλῖτις Dioscor. 3. 5. et Cæl. Aurel. 3. Tard. 5.; Ἀμπελοκλαδόρριζα, ἡ πικρόρριζα Græcor. recent., et *Aristolochia mascula radice longa* Plin. l. c. sunt *Aristolochia longa prima* Clus. Hist. pl. rar. 4. 70. et *Aristolochia longa* L. Spec. plant. 1364. — III. Clematitis. – Ἀριστολοχία κληματῖτις Dioscor. 3. 6.; Ἀριστολοχία? Theophr. 9. 13. 22.; et *Aristolochia Clematitis seu cretica* Plin. l. c. sunt *Aristolochia Clematitis* L., *seu Aristolochia cretica, seu Bætica, vix a priore diversa.* — IV. Pistolochia. – *Aristolochia pistolochia, seu polyrrhizos* Plin. l. c. est *Aristolochia Pistolochia* L. Spec. plant. 1364.

ĂRISTŎPHĂNĒUS vel Ăristŏphănius, a, um, adject. Ἀριστοφάνειος, ad Aristophanem comicum poetam pertinens. *Cic. Orat.* 56. 190. Ita factus est anapæstus is, qui Aristophaneus nominatur. *V.* **ANAPÆSTUS.** *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. § 19. Aristophaneus modus. *Mar. Victorin.* 3. p. 2580. *Putsch.* Aristophanius versus nuncupatur anapæstus, non quia conditor ejus Aristophanes fuit, nam et Æschylus et Cratinus priscæ comœdiæ scriptores eo usi sunt; sed quia plurimus in hoc metro Aristophanes invenitur. *Servius in Centimetr.* p. 1818. *Putsch.* Aristophanium metrum.

ĂRISTŎPHŎRUM vas, in quo prandium fertur, et discus. *Paul. Diac.* p. 27. 15. *Müll. h. e.* ab ἄριστον *prandium* et φέρω *fero*.

ĂRISTŌSUS, a, um, adject. aristis abundans. *Venant.* 9. *Ep.* 3. Ab hordeaceæ frugis aristosa cibaria fastidioso nimium dente transire.

ĂRITHMĒTĬCA, æ *et Græca positione* arithmetice, es, f. 1. (ἀριθμητική) subaudi *ars*, nam revera adjectivum est: est scientia tractans de numeris et supputandi ratione, ab ἀριθμὸς *numerus*. *Seneca Ep.* 88. Numerare me docet arithmetica, et avaritiæ commodare digitos. *Vitruv.* 1. 1. 4. *Schneid.* Per arithmeticen sumptus ædificiorum consummantur, mensurarum rationes explicantur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (76). Omnibus litteris eruditus, præcipue arithmetica et geometria.

ĂRITHMĒTĬCUS, a, um, adject. (ἀριθμητικός) ad numeros pertinens, seu ad arithmeticam artem. *Vitruv.* 10. 16. Nisi qui arithmeticis rationibus numeros et multiplicationes habent notas. *h. e.* regulis arithmeticæ. *Schneider. l. c.* (10. 11. 1.) *legit* geometricis.: sed cf. *id. Vitruv.* in v. **ARITHMETICA.** — Hinc

Arithmetica, orum, τὰ ἀριθμητικά, idem sunt ac scientia arithmetica. *Cic.* 14. *Att.* 12. 3. Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus.

Arithmeticus, i, qui arithmeticam callet. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 2.

ĂRITHMUS, i, m. 2. ἀριθμός, Græca vox numerum significans. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 23. et 28. appellat *Arithmos* eos libros Sacræ Scripturæ, qui Latine *Numeri* inscribuntur.

ARITHRILLIS, idis, f. 3. herba eadem ac mercurialis apud *Apul. Herb.* 82.

ĂRĪTŪDO, inis, f. 3. ariditas, siccitas. *Ennius* apud *Varron.* (minime vero ipse *Varro*, ut recte putavit et *Scalig.*) 5. *L. L.* 60. p. 24. et apud *Non.* p. 71. 21. *Merc.* Frigus calore atque humore aritudinem miscet. *Plaut. Rud.* 2. 6. 30. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam aritudinis. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 12. 3. *Aritudo* corrigendum videtur et in loco *Varron.* apud *Non.* p. 199. 26. *Merc.*

ARMA, ōrum, n. pl. 2. *Armum* pro *armorum* dixit *Pacuvius* apud *Cic. Orat.* 46. 155. et *Accius* apud *Non.* p. 495. 22. *Merc.*; sed *Cic. l. c.* improbat. — Ratione habita etymi, *Paul. Diac.* p. 3. 18., quocum confer *Festum* p. 364. 30. *Müll.*, *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 495. et *Isid.* 18. *Orig.* 5. 2. derivant ab *armus*, eo quod arma vel humeros tegunt, ut lorica et scutum, vel ab humeris pendent, ut gladius. *Varro* 5. *L. L.* 115. p. 45. *Müll.* deducit ab *arcendo*: proprie enim videntur significare ea quibus tegimur, ut lorica et scutum. Cl. *Klotz* putat hanc vocem fortasse derivatam esse ab obsoleto verbo *aro, arĕre*; ita ut generatim *arma* ab initio significarent quidquid manibus capitur et tractatur ad aliquid faciendum, sive cujuscumque artis apta instrumenta. *V.* **ARMAMENTA, ARMARIUM** et **ARMO**, necnon **ARTUS**, us. Hinc

A) Generatim *arma* sunt cujuscumque artis instrumenta; tametsi hac significatione raro admodum occurrit et fere apud Poetas, qui ita hac voce utuntur, ut ad specialem ejusdem sensum alludere videantur. *Virg.* 1. *G.* 160. Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma, Queis sine nec potuere seri, nec surgere messes. Similiter *Ovid.* 11. *Met.* 35. operisque relinquunt Arma sui, vacuosque jacent dispersa per agros Sarculaque rastrique graves longique ligones. *Virg.* 1. *Æn.* 181. Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma Expediunt. *h. e.* instrumenta panis conficiendi. *Id.* 5. *ibid.* 15. Colligere arma jubet validisque incumbere remis. *h. e.* vela, rudentes et alia ad naves pertinentia. *Id.* 6. *ibid.* 353. Navis spoliata armis. *h. e.* gubernaculo. Et *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Naves omni genere armorum ornatissimæ. *Ovid.* 2. *Art. am.* 49. *de Icaro.* Tractabat ceramque puer pennasque renidens, Nescius hæc humeris arma parata suis. *Martial.* 14. 36. Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis.

B) Speciatim arma sunt instrumenta, quibus utuntur homines in bello, ut corpus adversus hostium ictus muniant, vel ut hostes lædant: unde *Cic. Cæcin.* 21. 60. Arma esse – alia ad tegendum, alia ad nocendum. *Et* 2. *Tusc.* 16. 37. Nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt. *Et Nep. Iphicr.* 1. Namque ille pedestria arma mutavit: cum ante illum imperatorem maximis clipeis, brevibus hastis, minutis gladiis uterentur etc. — Jam vero prioris generis sunt galea, lorica, cassis, ocreæ, scutum etc. (*V. Liv.* 1. 43.); secundi gladius, hasta, telum, sagittæ etc. (*V. Festum* p. 364. 30. et *Paul. Diac.* p. 3. 13. *Müll.*, et *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 249. Itaque sæpius *arma* pro omni armorum genere usurpantur: nam ut docet *Cajus Dig.* 50. 16. 41. armorum appellatio non tantum utique scuta et gladios et galeas significat, sed et fustes et lapides (It. *arme, armi*; Fr. *armes*; Hisp. *armas*; Germ. *die Waffen*; Angl. *arms, armour*). Quod si quando *arma* et *tela* junguntur aut opponuntur, *telorum* nomine speciatim significantur cujuscumque generis jacula quibus hostem aggredimur, arma vero cetera omnia ut dixit *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Arma rigent, horrescunt tela. *Sall. Cat.* 43. Armorum atque telorum portationibus – plus timoris quam periculi offecerant. *Liv.* 1. 45. Agitatio anceps telorum armorumque. *Ovid.* 9. *Met.* 200. cui nec virtute resisti, Nec telis armisque potest. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 1. Tum jam seorsum arma ac tela reponebantur. *Tac. Germ.* 29. Velut tela atque arma.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Varron.* 6. *L. L.* 81. p. 106. *Müll.* Ter sub armis malim vitam cernere, quam semel modo parere. *Plaut. Amph.* 1. 1. 66. Teloboæ ex oppido legiones educunt suas nimis pulcris armis præditas. *Ter. Eun.* 4. 7. 19. Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet. *Accius* apud *Non.* p. 261. 17. Nisi esset qui armis secum vellet cernere. *Cic. Cæcin.* 21. 61. Qui tamquam si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Id se e Gallicis armis atque insignibus cognovisse. *Sall. Jug.* 45. Miles cibum et arma portaret. *Liv.* 1. 25. Ubi primo statim concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii etc. *Virg.* 10. *Æn.* 841. At Lausum socii exanimem super arma ferebant. *Curt.* 3. 2. 13. Vir viro, arma armis conserta sunt. *Albinov.* 1. 235. periit arma inter et enses. *Tac.* 11. *Ann.* 16. Armis equisque exercitius. *h. e.* tractandis cum armis, tum equis. — *b*) Jungitur pluribus verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 6. *Fam.* 2. 2. et *Nep. Chabr.* 4. Abjicere arma. *Virg.* 6. *Æn.* 184. Accingo armis. *Id.* 1. *ibid.* 478. Amittere arma. *Liv.* 8. 49. Aptare arma. *Cic. Rosc. Am.* 53. 153. et *Cæs.* 5. *B. G.* 20. Capere arma. *Virg.* 3. *Æn.* 234. Capessere. *Ennius* apud *Non.* p. 160. 7. *Merc.* et *Virg.* 12. *Æn.* 890. Certare armis. *Nep. Eumen.* 11. Conferre arma cum aliquo. *Liv.* 21. 1. Conferre arma inter se. *Cæs.* 1. *B. C.* 42. Conquiescere tota nocte sub armis. *Ennius* apud *Non.* p. 400. 28. *Merc.* et *Cic.* 7. *Att.* 6. Dare arma alicui. *Cæs.* 7. *B. G.* 6. Descendere ad arma. *Cic.* 7. *Att.* 3. et 6. Decernere, decertare armis. *Id.* 6. *Fam.* 2. Deponere arma. *Nep. Miltiad.* 1. Dimicare armis cum aliquo. *Cic.* 8. *Phil.* 11. 33. Discedere ab armis. *Id.* 1. *Cat.* 3. 7. et 8. *Att.* 11., et *Cæs.* 1. *B. G.* 49. et 2. *ibid.* 3. Esse in armis. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 37. Expedire arma. *Virg.* 7. *Æn.* 235. Experiri aliquem bello et armis. *Nep. Ages.* 4., *Vellej.* 2. 87. 2. et *Virg.* 9. *Æn.* 37. Ferre arma contra vel adversus aliquem. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 37. et *Virg.* 5. *Æn.* 412. Gerere arma. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 22. (67). Habere L millia peditum in armis. *Liv.* 30. 31. et *Ovid.* 14. *Met.* 798. Induere arma. *Virg.* 11. *Æn.* 83. Indui armis. *Nep. Hann.* 2. Inferre arma. *Virg.* 8. *Æn.* 80. Instruere aliquem armis. *Cic.* 8. *Fam.* 18. Ire ad arma. *Vulcat. Avid. Cass.* 6. Ludere armis. *h. e.* armis se exercere. *Cæs.* 1. *B. C.* 41. Morari sub armis. *Virg.* 2. *Æn.* 317. Mori in armis. *Auct. B. G.* 4. 85. Permanere in armis. *Cic.* 6. *Fam.* 2. 2. Ponere arma. *Id. Pis.* 21. 87. Præesse armis faciendis. *Liv.* 2. 10. Relinquere arma. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Requirere arma. *Curt.* 4. 13. et *Seneca Œd.* 586. Stare in armis. *Vellej.* 2. 85. Submittere arma. *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 86. Sumere arma. *Seneca Troad.* 775. Tractare arma. *Nep. Hamilc.* 1. et *Sueton. Vitell.* 10. Tradere arma. *Cic. Rabir. perduell.* 7. 21. Vocare ad arma. *Virg.* 9. *Æn.* 22. Vocare in arma. — *c*) *Ad arma* vox est incitantis ad arma capienda, ut addito verbo ait *Horat.* 1. *Od.* 35. 15. Ad arma cessantes ad arma Concitet imperiumque frangat. Absolute *Cæs.* 1. *B. C.* 69. Conclamatur ad arma, atque omnes copiæ exeunt. *Liv.* 3. 15. Alternæ voces *ad arma* et *hostes in urbe sunt* audiebantur. *Sil. It.* 11. 133. dixit sine præp. *Arma, arma!* V. *Heins.* ad h. l.

II.) Improprie et translate ¶ 1. Sæpe *arma* ca-

plantur pro bello et prœlio. Cic. 7. Att. 3. Armorum exitus semper incerti. Id. Milon. 4. 10. Silent leges inter arma. Id. 14. Fam. 5. Res spectat ad arma. Id. 6. Phil. 4. 11. Propter æs alienum venire ad arma. Id. 2. Fam. 16. Arma civilia. Liv. 9. 1. Pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. Id. 43. 3. Denunciatione armorum terrere urbes. Et ibid. 20. Avocare aliquem ab armis. Id. 9. 10. Arma spectare et bellum. Id. 3. 14. Ab externis armis otium est. Id. 7. 29. Arma mota adversus aliquem. Id. 21. 5. Romana arma movebantur. Id. 5. 35. Pace potius quam armis. Virg. 8. Æn. 114. pacemne huc fertis, an arma? Id. 1. Æn. 1. Arma virumque cano. Id. 2. ibid. 337. In flammas et in arma feror. Id. ibid. 87. Mittere aliquem in arma. Id. 6. ibid. 612. Sequi arma. Id. ibid. 815. Movere viros in arma. Horat. 1. Ep. 19. 7. Arma dicere. Curt. 3. 6. 3. Arma et acies in oculis erant. Tac. 2. Hist. 1. Aderant qui arma Vitellii bellumque affirmarent. Vellej. 2. 57. Principatum armis quæsitum, armis tenere. ¶ 2. Item arma ponuntur pro militibus vel armatis. Liv. 41. 12. Consuli nulla usquam apparuerunt arma. Id. 22. 47. Pugna levibus primum armis commissa. h. e. militibus levis armaturæ. V. Drakenborg. ad Liv. 22. 37. Liv. 9. 9. Romana arma. h. e. exercitus. Id. 21. 26. Locum armis obtinere. Ovid. 6. Met. 424. Auxiliaria arma. — Huc referri potest et illud Hygin. Gromat. de Castr. metat., qui arma inter castrensis munitionis genera enumerat; ait enim: Munitio æstivallium observatur generibus quinque; fossa, vallo, cervolis, armis, aggere. Et paullo post. Quoties cervoli desunt et est locus suspectior, armorum ordinibus quatuor castra muniuntur, et per singulos ordines vigiliæ crebrius ponuntur, et equites alterna vice castra circuire debent. Si in pacato, solummodo tuendæ disciplinæ causa unus ordo armorum sufficit, et vigiliæ rarius constituuntur. ¶ 3. Translate arma dicuntur ea omnia, quibus utimur vel ad muniendum, vel ad lædendum, seu quibus nitimur et quorum fiducia aliquid agimus. Ad rem Cic. 2. Tusc. 14. 33. Sin tectus Vulcaniis armis, id est fortitudine, resiste. — a) De brutis animalibus. Virg. 12. Æn. 6. Tunc demum movet arma leo. Id. Cul. 176. de serpente. naturæ comparat arma. Ovid. 15. Met. 471. Horrificum contra Borean ovis arma ministrat. h. e. vestes. — b) De abstractis ratione habita hominum. Cic. Brut. 2. 6. Equidem angor animo non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempubl., quæ didiceram tractare, quibusque me assuefeceram. Adde eumd. ibid. 9. 37. Id. 1. Orat. 38. 172. Armis prudentiæ defendere causas. Id. Senect. 3. 9. Aptissima sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum. Id. Harusp. resp. 4. 7. Arripere arma judiciorum atque legum. Virg. 2. Æn. 98. hinc spargere voces In vulgum ambiguas et quærere conscius arma. h. e. fraudes vel dolos, ut Servius exponit. Horat. 2. Sat. 3. 297. Hæc mihi Stertinius, sapientum octavus, amico Arma dedit, posthac ne compellarer inultus. Quintil. 5. 12. 21. Arma eloquentiæ. Id. 2. 16. 10. facundiæ. Id. 12. 2. 5. rhetorum. Petron. Satyr. 5. Demosthenis. — Huc pertinet et illud Cic. 2. Off. 24. 84. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum. h. e. omni conatu, ut viris equisque, remis velisque. ¶ 4. Arma in obscœnis usurpavit Propert. 3. 18. 18., 4. 8. 88. et 1. 3. 16., et Ovid. 1. Art. Am. 702. — NB. Arma sumi posse videntur pro insignibus nobilium domuum, quæ plerumque armis insculpta esse solent. Antiquus enim est mos ille figendi arma ante januas. Virg. 1. Æn. 247. Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit Troia. Id. 5. ibid. 360. clypeum Danais de poste refixum. Adde Horat. 1. Ep. 1. 4. Præterea Tiraquell. de nobilit. c. 6. n. 19. quatuor affert Virgilii loca 1. Æn. 187., 3. 469., 6. 307. et 10. 80., in quibus arma pro insignibus accipi posse putat. Sunt tamen ea loca ejusmodi, ut nihil inde certi conficiatur.

ARMĂMAXĂ, æ, f. 1. genus lecticæ, seu sellæ gestatoriæ undique clausæ, quæ apud Persas præcipue in usu fuit. Curt. 3. 3. 23. Quindecim inde, quas armamaxas appellant, sequebantur: in his erant liberi regis, et qui educabant eos. Tertull. Spectac. 7. indicat etiam in sacris pompis armamaxas locum habuisse. — Quidam scribunt harmamaxa, eo quod Græce spiritu aspero notetur, ἁρμάμαξα. Alii sine aspiratione scribendum putant, ducuntque ab ἅμαξα, currus, et αἴρω, tollo, subveho, quod humeris hominum tollatur: tametsi alii docent mulis junctis trahi solitam.

ARMAMENTA, ōrum, n. pl. 2. (arma). Armamentum pro armamentorum dixit Pacuvius apud Servium; V. infra sub. 2. — Armamenta sunt collectio instrumentorum, vel instrumenta ipsa quibus in aliqua arte utimur; et occurrit ¶ 1. Generatim raro. Plin. 18. Hist. nat. 11. 29. (112). vocat armamenta pilum et pilam, quibus grana teruntur. Sic armamenta vinearum appellat pedamenta et vincula, quibus vites sustinentur 17. ibid. 21. 35. (152). Denique armamenta ad inclusos cantus apud eumd. 16. ibid. 36. 66. (170). ubi de arundinibus loquitur ad tibias aptis, sunt ipsæ tibiæ, quæ sunt instrumenta, quibus sonus in iis inclusus variatur. Similiter armamenta sunt retia apud Grat. Cyneg. 48. At pauper rigui custos Alabandicus horti Cannabias nutrit silvas, quã commoda nostro Armamenta operi. h. e. retia venationi opportuna; ipse enim Plin. 19. Hist. nat. 9. 56. (174). hæc ait: Optima Alabandica (cannabis) plagarum præcipue usibus. ¶ 2. Speciatim armamenta navium sunt remi, vela, ancoræ, rudentes, antennæ et alia, quibus navis instruitur. — a) Addito navium nomine. Sueton. Aug. 17. Navis, in qua vehebatur, fusa armamenta et gubernaculum diffractum. Adde Plin. 19. Hist. nat. 1. 6. (23). — b) Absolute. Plaut. Merc. 1. 2. 62. ch. Quid alia armamenta? ac. Salva et sana sunt. Id. ibid. v. 80. Complicare et componere armamenta. Pacuvius apud Servium ad Virg. 1. Æn. 87. Stridor armamentûm. Cic. Arat. 107. Caute armamenta locare. Liv. 21. 49. tollere, demere. h. e. vela et antennas. Similiter Id. 33. 48. collocare et aptare. Id. 30. 39. Spoliare naves armamentis. Ovid. 11. Met. 456. Aptarique suis pinum jubet armamentis. Colum. 4. R. R. 3. 1. Navigia instruere armamentis. Adde Plin. 6. Hist. nat. 22. 24. (82)., Flor. 4. 2. 76. et Dig. 14. 2. 6. — c) Interdum tamen vela armamentorum nomine non comprehenduntur. Cæs. 3. B. G. 14. Cum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret. Liv. 36. 44. Vela contrahit, malosque inclinat, et simul armamenta componens opperitur insequentes naves. Seneca 6. Benef. 15. Stringere vela, demittere armamenta.

ARMĀMENTĀRIUM, ii, n. 2. (arma). Varro 5. L. L. 128. p. 50. Müll. ab arca deducit; ait enim: Arca, quod arceantur fures ab ea clausa. Armarium et armamentarium ab eadem origine, sed declinata aliter. Sed V. ARMA. — Armamentarium est repositorium armorum; et occurrit — a) De publico armorum repositorio, ad populum et milites, cum opus erat, in hostem instruendos. Cic. Rabir. perduell. 7. 20. Ex ædificiis armamentariisque publicis arma populo dare. Adde eumd. 1. Orat. 14. 62.; Liv. 26. 43., 29. 35. et 31. 23.; et Curt. 6. 7. 22. Seneca Tranquill. 3. Qui armamentario præest. Inscript. apud Fea, Var. di not. p. 87. c. VEDENNIVS C. F. QVI MODERATVS ANTIO..... ARCHITECTVS ARMAMENT. IMP. h. e. armamentarii imperatoris Vespasiani, vel Domitiani: nisi forte legendum sit architectus armamentarius. V. voc. seq. Alia apud Orell. 975. IMP. CAESAR M. ANTONIVS GORDIANVS P. F. AVG. — PRINCIPIA ET ARMAMENTARIA CONLAPSA RESTITVIT. Item Cic. Harusp. resp. 14. 31. Armamentarium Telluris. h. e. in æde Telluris. Et figurate Juvenal. 13. 83. Addit et Herculeos arcus hastamque Minervæ, Quidquid habent telorum armamentaria cœli. — b) De armorum repositorio, quæ publicis ludis inserviebant. Inscript. apud Orell. 2552. M. VLPIVS AVG. LIB. CALLISTVS PATER PRAEPOSITVS ARMAMENTARIO LVDI MAGNI. — c) De repositorio armorum navalium, quale fuit illud, quod Athenis Philon ædificavit mille capax navium, ut apud Plin. 7. Hist. nat. 37. 38. (125). legitur; quale item amplissimum est illud, quod hodie Venetiis cernitur. Cic. 1. Orat. 14. 62. Philonem illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat etc.

ARMĀMENTĀRIUS, a, um, adject. ad armamentarium pertinens, seu ad curam armorum. Inscript. apud Gruter. 253. 5. TITO AELIO HADRIANO PIO TRIB. POT. COS. DES. II. SCRIBAE ARMAMENTARII POSVERVNT. Alia ibid. 100. 7. C. AQVILIVS C. F. CLA. MELA EX DECVRIA ARMAMENTARIA. Hæc Juliæ Concordiæ erat, ibi enim sagittæ, Veronæ scuta, Mantuæ loricæ fiebant. Alia apud Mommsen. 4324., quæ est apud Henzen. 5162. M. ENNIVS. M. F. MEN. VICETINVS. SCR. AED. CVRVLIVM. ARMAMENTARIVS. DECVR. AQ. (h. e. Aquini) DECVRIO VICETIAE etc.

ARMĀRĬŌLUM, i, n. 2. deminut. ab armarium, parvum armarium. — a) De arca promptuaria. Plaut. Truc. 1. 1. 33. Aut empta ancilla, aut aliquod vasum argenteum, aut armariola Græca etc. — b) De repositorio librorum. Sidon. 6. Ep. 16. Per armariola et zotheculas nostras non remanserunt digna prolata. Adde Hieronym 3. in Matth. 21.

ARMĀRĬUM, ii, n. 2. (arma; V. et ARMAMENTARIUM sub init.) capsa, arca, repositorium, quod situm ad parietes fere in atrio collocabatur, et in quo vasa, nummi, libri aliaque recondebantur, ut ait Paul. Dig. 33. 10. 3. Capsas et armaria librorum, aut vestium, aut armorum gratiâ parata (It. armario, cassa, credenza; Fr. armoire pour serrer du linge, de l'argent etc.; Hisp. armario; Germ. ein Schrank; Angl. a chest, closet, study). Cato R. R. 11. Armarium promptuarium. Plaut. Epid. 2. 3. 3. Armarium occlusum atque obsignatum. Id. Capt. 4. 4. 10. Recludere armarium. Id. Men. 3. 3. 8. Surripere aliquid ex armario. Cic. Cluent. 64. 179. Cum esset in ædibus armarium, in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri, noctu armarii fundum exsecuit. Id. 6. Verr. 12. 27. De armario auferre aliquid. Id. Cæl. 21. 52. Aurum ex armario promere. Cf. Petron. Satyr. 29. Grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum et pyxis aurea non pusilla. Vitruv. 7. præfat. 7. Educere volumina ex armariis. Vopisc. Tacit. 8. Habet bibliotheca Ulpia in armario sexto librum etc. Plin. 29. Hist. nat. 5. 32. (101) Senectus anguium reposita in arcis armariisque (h. e. vestium) tineas necat. Hieronym. Ep. 22. ad Eustoch. n. 32. Stipare armaria vestibus. — Armarium muricibus præfixum, in quo Attilium Regulum inclusum fuisse scribit Gell. 6. 4., fuit instrumentum in modum arcæ, habens infixos tribulos ferreos aculeatos etc. — Armarium distegum inter loca sepulcralia recensetur in quadam Inscript. apud Gruter. 383. 4. et videtur fuisse cella condendis corporibus defunctorum comparata, vel potius ipsum monumentum in duas partes, velut in duas contignationes divisum. Hæc eadem Inscript. est apud Orell. 4549.

Homonym. Ex allato Pauli loco Dig. 33. 10. 3. armaria et capsæ differunt, in eo scilicet, quod capsæ plerumque parvæ sunt et mobiles; armaria etiam capaciora, et ædium parietibus interdum affiguntur, ut tolli non possint. — Item ex allato loco Plin. arcæ et armaria differunt, sed figurâ tantum, arcæ enim depressiores sunt et humi collocantur; armaria altiora, et plures in se velut arculas plutealque continent.

ARMĀTĬO, ōnis, f. 3. affertur, sed nullo confirmatur exemplo, a Priscian. de XII. vers. Æn. p. 1221. Putsch. A participio armatus est armatio, armatura, quæ rem ipsam significat.

ARMĀTŪRA, æ, f. 1. (arma) habitus armorum, vel ipsa arma (It. armatura; Fr. armure; Hisp. armadura; Germ. die Waffengattung; Angl. armature). ¶ 1. Abstracte. Cic. 7. Fam. 1. Armaturæ varia peditatus et equitatus. Id. 6. Att. 1. Dejotarus habet cohortes nostrâ armaturâ. Cæs. 2. B. G. 10. Numidæ levis armaturæ. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu armatura ponitur pro milite armato. Hinc levis armatura ponitur pro militibus leviter armatis, in quorum numero sunt ferentarii, sagittarii, funditores, ballistarii, ut Veget. 2. Milit. 2. docet. Illi enim missilia tantummodo leviora, brevesque parmas et gladios habent. Cic. 10. Phil. 6. 14. Nostræ sunt legiones, nostra levis armatura, noster equitatus. Id. Brut. 37. 139. Equites, pedites, levis armatura. Et figurate Id. 2. Divinat. 10. 26. Excursio levis armaturæ. Adde Galbam apud Cic. 10. Fam. 30; Nep. Datam. 8.; Liv. 32. 18., 28. 14. et 44. 2.; et in plur. num. Liv. 21. 55.; Curt. 6. 4. 15. et 6. 6. 21.; Sueton. Cæs. 66. et Flor. 4. 2. 49. Contra armatura gravis sunt milites gravioribus armis utentes, ut sunt legionarii, quorum arma sunt scutum, ensis, pilum, verutum, præterea galea, lorica, ocreæ aliaque gravis ponderis. Liv. 26. 5. Magna parte impedimentorum relicta in Brutiis, et omni graviore armatura. Meliores tamen Codd. leg. armatu. Adde Veget. loc. cit. 15. ¶ 3. Etiam armatura absolute pro milite, vel cujusdam generis militibus ponitur; sed apud serioris ævi scriptores tantummodo. — a) Pro milite tantum armaturam dictam esse docuit Borghesius, Iscriz. renane p. 6. et Ann. dell'Istit. Arch. 1839. Inscript. apud Henzen. 6794. C. IVL. MARIVS. ARA

(*h. e.* Ara Agrippinensi Ubiorum) ARMATURA LEG. XXIII. — *b*) Pro cujusdam generis militibus. *Armaturæ duplares* dicti sunt milites, qui binas annonas consequebantur, *simplares*, qui singulas, ut legitur apud *Veget.* 2. 7., ubi per *armaturas* intelligit milites juniores levis armaturæ, ut colligitur ex *Eod.* 2. 15. et 17. et 3. 14., et observat *Stewech. Inscript.* apud *Murat.* 801. 8. D. M. L. CALPVRNII TERTII VETERAN. LEG. II. L. CALPVRNIVS ARMORIOTIVS COMITATVS ARMATVRA LEG. EIVSDEM. Hinc *tribuni armaturarum* leguntur apud *Ammian.* 14. 11., et *rectores armaturarum*, 15. 4. Est tamen advertendum, non easdem esse apud *Ammian.* et apud *Veget.* armaturas. Nam *Vegetius* intelligit milites juniores exercitus leviter armatos, ut modo dictum est. *Ammian.* vero intelligit milites ex comitatu imperatoris (qualis nunc esse solet *il reggimento reale*, aut *la guardia del corpo*), qui erant sub magistro officiorum, et dividebantur in armaturas juniores et seniores: videnturque nomen habuisse ex eo, quod peculiari armaturæ insignioris genere armati essent. At ¶ 4. *Armaturæ* apud *Veget.* dicti sunt ex eo, quod armatura appellatur etiam ab eod. *Veget.* 1. 13. et 2. 23. exercitium militare, quo hujusmodi milites militarem artem a campidoctoribus docentur. *Salmas. Commentar. ad Spartian. Hadrian.* 26. docet non omne militare exercitium *armaturam* dici, sed illud solummodo, cum milites omnes armati sub signis decurrentes in campo proludunt, et veræ pugnæ simulacrum edunt: esse autem *exercitium armorum* cum singuli milites arma tractare discunt. De hac *armatura* multa disserit etiam *Vales.* ad *Ammian.* 14. 11. ¶ 5. Sed et *Sueton. Tit.* 8. appellat *armaturam Thracum* genus pugnæ, qua gladiatores ii pugnabant, qui Thraces, seu Threces dicebantur. *Inscript.* apud *Avellino, Bullett. Archeol. Nap. t.* 1. *p.* 95. D. M. MACEDONI THR. TIRO. ALEXANDRIN. NEN. NER. FEC. ARMATVRA THRECVM VNIVERSA. VIX. AN. XX. MEN. VIII. DIE. XII.

ARMĀTUS, a, um. *V.* ARMO.

ARMĀTUS, us, m. 4. idem quod armatura: sed extra Ablativum casum exempla nondum vidimus. ¶ 1. Abstracte. *Liv.* 37. 40. Eodem armatu Cares et Cilices mille et quingenti. *Id.* 33. 3. CCC Apolloniatæ haud dispari armatu. *Id.* 42. 55. Cretico armatu ad M. *Fronto princ. hist.* p. 341. Ne armatu quidem sustinendo adsueti milites. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, pro militibus armatis (*V.* ARMATURA 2.). *Liv.* 37. 41. Toto fere gravi armatu. *h. e.* omnibus gravis armaturæ milites. *Id.* 26. 5. Omni graviori armatu relicto. *al. leg.* armatura.

ARMĔNIĂCUS, a, um, adject. ad Armeniam pertinens (*V.* ONOM.). — Hinc

Armeniaca, æ, f. 1. subaudi *arbor*, ea est, quæ fructum *armeniacum* fert, de quo *V.* paullo inf. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 96. Possunt etiam his diebus cerasi et tuberes et armeniacæ ceteræque arbores, quæ primo florent, inseri commode.

Armeniacum, i, n. 2. subaudi *malum*, est fructus arboris Armeniacæ, ita appellatum quod ex Armenia primum advenerit, medius inter persicum et prunum. Osse enim ad prunum, carne ad persicum accedit: est etiam pruno rotundior, persico minor: nisi quod insitione cultus in majorem molem excreverit, et in quibusdam Italiæ locis *baricoccolo* appellatur. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 19. Sorbi quoque et armeniaci et persici non minima est gratia. Adde *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (41). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 229.) hæc ad rem: *Armeniaca (mala)*, la reine claude?? *Prunus claudiana.* Lamrk. Encycl.; à moins qu'on ne veuille penser qu'il s'agisse de l'abricot, bien différent de la prune, mais remarquable par son odeur suave.

ARMĔNIUS, a, um, adject. ad Armeniam pertinens (*V.* ONOM.). — Hinc

Armenium, ii, n. 2. absolute. ¶ 1. Subaudi *pigmentum*, et est genus pigmenti cærulei, quod ex quodam lapide fit ex Armenia advecto, ut *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 12. (30). docet. *Varro* 3. *R. R.* 2. 4. Nuncubi vides hic citrum, aut aurum? num minium, aut armenium? Adde *Vitruv.* 7. 5. 8. Multa de hoc *Salmas. Exercitat. Plin.* ad *Solin.* p. 1152. ¶ 2. Subaudi *malum*, et est idem atque Armeniacum (*V.* voc. præced.). *Colum.* 10. *R. R.* 404. Armeniisque et cereolis prunisque Damasci Stipantur calathi. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. *ante med.* Armenia prunis melius adhærescunt. Adde *Gargil. Mart. de arbor. pomif.* p. 394. *Mai.*

ARMENTA, æ, *V.* ARMENTUM.

ARMENTĀLIS, le, adject. ad armentum pertinens. *Virg.* 11. *Æn.* 571. Armentalis equæ. *h. e.* quæ inter armenta fetura causa pascitur, ut *Servius* exponit. *Symmach.* 6. *Ep.* 17. Reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellere. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 166. Armentales viri. *h. e.* qui armenta curant. *Id. Tetrastich.* 4. Armentale culmen. *h. e.* casa pastoralis. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Camena armentalis fistulæ septiforis. *h. e.* qua pastores canunt. *Rutil. Itiner.* 436. Armentale pecus. Adde *Calpurn.* 1. 29.

ARMENTĀRĬUS, a, um, adject. ad armenta pertinens. *Solin.* 5. *post. med.* Unguentum medicum contra armentarios morbos. *Apul.* 7. *Met.* 8. Armentarius equiso. *h. e.* custos armenti equarum.

Armentarius, ii, m. 2. absolute est armenti custos. *Lucret.* 6. 1250. Præterea jam pastor et armentarius omnis. *Varro* 2. *R. R.* 5. 18. Armentarium meum crebro, ut aliquid legat, curo. *Virg.* 3. *G.* 344. Armentarius Afer. — *Armentarius* cognomento dictus est Galerius Maximianus imperator, quia ortus erat ex parentibus agrariis, et pastor armentorum fuerat, ut est apud *Aurel. Vict. Epit.* 40.

ARMENTĪCĬUS vel armentitius, a, um, adject. idem quod armentalis. *Varro* 2. *R. R.* 5. 16. Pecus armenticium sic continendum, lactentes cum matribus ne cubent. *Id. ibid.* 10. 3. Greges armenticii et caprini, quibus rupes ac silvæ ad pabulandum cordi.

ARMENTĪVUS, a, um, adject. armentalis, armenticius. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 68. (232). Fimi taurini maxime, sed et bubuli; de armentivis loquor, etc. Quidam leg. *armentinis*, sed minus recte. *Veget.* 1. *Veter.* 18. *Schneid.* Armentiva animalia vel domita integro anno a morbo intacta servari.

ARMENTŌSUS, a, um, adject. armentis abundans. *Gell.* 11. 1. Italia armentosissima.

ARMENTUM, i, n. 2. Olim etiam *armenta*, æ, f. 1. usurpatum fuit, ut *Non.* et *Paul. Diac.* observant. *Livius Andronicus* apud *Non.* p. 190. 21. *Merc.* et apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 540. Tu pascere curvifrontes armentas soles. *Ennius* apud *Non. l. c.* et apud *Paul. Diac.* p. 4. 3. *Müll.* Ad armentas ipsius easdem. — *Verrius Flaccus*, quem sequitur *Varro* 5. *L. L.* 96. p. 37. *Müll.*, boves *armenta* vocari voluit, quasi *arimenta* tertiâ litterâ sublatâ, quod eorum præcipue operâ in arandis agris utamur. Sed *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 49. et *Paul. Diac.* p. 4. 3. *Müll.* scribunt *armentum* proprie id genus pecoris dici, quod est idoneum ad opus armorum, ut sunt equi et boves: nam equis in bellum curritur, clypei vero boum coriis armantur. Potest ab *armis* deduci, cum *arma* sint instrumenta, quibus aliqua in arte utimur; ita ut *armenta* sint animalia, quorum opera utimur. — Quidquid tamen sit de etymo, armentum est majorum bestiarum grex (It. *bestiame grosso*, *armento*; Fr. *bestiaux*, *gros bétail*; Hisp. *ganado*; Germ. *das Grossvieh*; Angl. *large cattle*). Occurrit — *a*) Sæpius ut nomen collectivum de grege equorum et boum, qui simul aluntur fetus et lactis casei que gratia; et quidem frequentius de grege boum. — In singulari numero haud sæpe. *Liv.* 1. 7. Armentum præ se agere. *Virg.* 3. *G.* 71. Sortiri armento sobolem. *Horat.* 3. *Od.* 3. 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum. Adde eumd. 1. *Ep.* 8. 6.; et *Ovid.* 2. *Met.* 842., 8. *ibid.* 882. et 11. *ibid.* 348., et 2. *Fast.* 277. *Colum.* 7. *R. R.* 1. 2. Asellus tardius deficit, quam ullum aliud armentum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (165). *de equis.* Amissa parente in grege armenti. *Id.* 11. *ibid.* 49. 110. (263). Testes pecori armentoque ad crura decidui. — In plurali numero sæpius. *Cic.* 7. *Att.* 7. Ut bos armenta, sic ego bonos viros sequar. *Id.* 3. *Phil.* 12. 31. Cædit greges armentorum reliquique pecoris, quodcumque nactus est. *Tac. Germ.* 21. Luitur homicidium certo armentorum ac pecorum numero. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Multi greges ovium, multa ibi equorum boumque armenta. *Pompon. Dig.* 50. 16. 89. Boves magis armentorum, quam jumentorum genere appellantur. — *b*) De boum grege tantummodo. *Liv.* 22. 17. Armenta accensis cornibus concitare. *Virg.* 2. *G.* 195. Armenta boum. *Ovid.* 5. *Met.* 165. Mugitus armentorum. *Id.* 15. *ibid.* 84. Quippe equus et pecudes armentaque gramine vivunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (125). Cornua mobilia, ut aures, Phrygiæ armentis. — *c*) De equorum grege tantummodo. *Virg.* 3. *Æn.* 540. Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (165). supr. cit. — *d*) Aliquando non ut collectivum, sed singulariter boves significat. — Generatim. *Varro* 2. *R. R.* 5. 7. Qui gregem armentorum emere vult. *h. e.* bubuli generis, scilicet vitulorum, juvencorum, boum. *Colum.* 3. *R. R.* 8. 3. Armentis sublimibus insignis Mevania est, Liguria parvis: sed et Mevaniæ bos humilis etc. Adde eumd. 6. *ibid.* 22. 2. et *Dig.* 10. 17. 89. — De singulis bobus perraro ponitur. *Hygin. fab.* 118. Hecatombe Græce dicitur, cum centum armenta occiduntur. *Lactant. Placid. Narrat. fab. Ovid.* 1. 10. Quia speciosior ceteris armentis. — *e*) Interdum dicitur de gregibus aliorum animalium. *Virg.* 1. *Æn.* 188. tres littore cervos Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (31). Armenta cynocephalorum. *Virg.* 4. *G.* 395. Armenta immania Neptuni. *h. e.* belluæ marinæ. — *NB.* De quocumque grege, etiam minuto, *Forcellinus* acceperat illud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (44). Omnium, quos venatus, aucupia piscatusque alebant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piscinæ, aviaria in cura erant. *Armenta* tamen hoc loco generale nomen est, quod significat greges boum, equorum, ovium etc. *V.* integrum locum.

ARMĬCUSTOS, ōdis, m. 3. custos armorum (*V.* CUSTOS). *Inscript.* apud *Cardinali Dipl. imp.* p. 327. n. 614., quæ est apud *Mommsen.* 2680. D. IVLIVS . DOLES . CONVEX EX ARMICVSTODE . VETERAN.

ARMĬDOCTOR, ōris, m. 3. qui armorum tractandorum artem milites docet; qui et *campidoctor* dicitur. *Salmas. adnotation.* ad *Lamprid. Alex. Sev.* 53. hanc vocem ex conjectura tribuit *Vegetio* 1. 13., ubi sic legit: *Illo exercitii genere, quod armaturam vocant et ab armidoctoribus traditur.* Alii autem leg. *a campidoctoribus*, alii *a primis doctoribus*, ut *Idem* testatur. *Not. Tir.* 75. exhibent hanc vocem, sed nullius sunt auctoritatis.

ARMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. ¶ 1. Qui arma fert, armatus, adeoque bellicosus. *Ovid.* 3. *Fast.* 681. *de Marte.* Armifer armiferæ correptus amore Minervæ Uror. *Id.* 14. *Met.* 475. et 4. *Trist.* 10. 13. Armifera Minerva. *Albinov.* ad *Liviam* 22. Dea armifera. *h. e.* Pallas. *Ovid.* 9. *Met.* 645. Armifera Leleges. *Id.* 2. *Art. am.* 5. Amyclæ. *Sil. It.* 4. 45. gentes. *Id.* 16. 76. Quirinus. Et figurate *Stat.* 1. *Silv.* 2. 96. Armiferos memorare labores. *h. e.* bellicos. *Id.* 6. *Theb.* 831. iræ. ¶ 2. Qui arma fert seu gignit. *Seneca Med.* 468. Arvum armiferum. *h. e.* arma ferens: alluditque ad dentes serpentis seminatos a Jasone, ex quibus armati homines extiterunt.

ARMĬGER, gĕra, gĕrum, adject. *Armigerus* in recto singulari habetur in *Inscript.* non opt. notæ apud *Murat.* 824. 6., quæ est apud *Orell.* 3631. — Est qui arma gerit. Occurrit *A*) Adjective et *B*) Substantive.

A) Adjective. ¶ 1. Simpliciter pro eo, qui arma habet, et etiam pro bellicoso. *Accius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 33. 1. Quod hæc pennigero, non armigero in corpore tela exerceantur. *Propert.* 3. 3. 8. Et solitum armigeri ducite munus equi. *Sil. It.* 8. 87. Phœbumque armigerumque deum primamque Dionem. *h. e.* Martem. *Id.* 10. 97. Armigera cohors. ¶ 2. *Armiger sulcus* dicitur a *Claudian. I. Cons. Stilich.* 324. eodem sensu, quo *armiferum arvum* a *Seneca.* V. ARMIFER 2. ¶ 3. Sæpius armiger est, qui lanceam, scutum galeamque ferens armatum dominum in prœlio sequitur: quod officium olim etiam a summis viris præstabatur. Nam Patroclus armiger Achillis fuit, Achates Æneæ. Adjective raro admodum occurrit. *Plaut. Cas.* 2. 3. 39. Armiger servus. — Sæpissime hoc sensu

B) Substantive. ¶ 1. Qui arma ferens dominum sequitur; V. paullo sup. 3. — *a*) Masc. gen. *Plaut. Merc.* 5. 2. 11. Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger. *Virg.* 9. *Æn.* 648. Hic Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit fidusque ad limina custos. *Id.* 2. *ibid.* 477. Armiger Achillis. *Ovid.* 5. *Met.* 148. regis. *Id.* 12. *ibid.* 363. genitoris tui. In filio *Statii* 2. *Silv.* 2. 78. Armiger hac magni patet Hectoris: significatur promontorium Miseni, quod a Miseno ibi sepulto nomen habet; fuit autem Misenus olim armiger Hectoris, postea tubicen Æneæ. V. *Virg.* 6. *Æn. a v.* 164. *Virg.* 9. *Æn.* 564. et *Ovid.* 15. *Met.* 386. Armiger Jovis. *h. e.* aquila. — *b*) Fem. gen. *Ovid.* 3. *Met.* 165. *de Diana.* Nympharum tradidit uni Armigeræ jaculum pharetramque arcusque retentos. Adde 5. *ibid.* 619. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 4. (15). Negant unquam solam hanc alitem (*aquilam*) fulmi-

ne exanimatam; ideo armigeram Jovis consuetudo judicavit. *Id.* 2. *ibid.* 55. 56. (146). Aquilam, quæ ob hoc armigera hujus teli (*fulminis*) fingitur. ¶ 2. Figurate *armiger* dicitur, qui alicui cæce adhæret. *Cic. Dom.* 5. 13. Sergius armiger Catilinæ. ¶ 3. Interdum *armigeri* respondent Gr. δορυφόρους, et sunt armati milites vel satellites ex regis vel principis comitatu. *Curt.* 8. 12. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum pervenit. *Mox* armatos *dicit et* satellites. Adde eumd. 4. 7. 21., 5. 4. 21. et 6. 8. 19.; et *Sueton. Aug.* 49.

ARMĪLAUSA, æ, f. 1. (ἀρμιλαύσιον). Legitur *armelausa* et *armilausia.* — Est vestis rubri plerumque coloris, militari sago similis, quæ armis superinduitur: ita dicta, quod ante atque retro divisa et aperta est, in armos tantum clausa, quasi *armiclausa*, ut *Isid.* 19. *Orig.* 22. *ad fin.* describit. *Paulin. Nolan. Ep.* 17. (*al.* 13.) 1. Quem primo monachali caliga et veste mirati, cum præterea facie non minus, quam armilausa ruberet. *Id. Ep.* 22. (*al.* 7.) 1. Sibi ergo ille habeat armilausam suam et suas caligas, etc. *Scholiast. Juvenal.* ad 5. 143. viridem *thoraca* exponit *armilausam*.

ARMĪLE. *V.* **ARMILLUM.**

ARMILLA, æ, f. 1. *Paul. Diac.* p. 25. 7. *Müll.* docet, putari dictam esse ab *armo*, quod antiqui humerum cum brachio armum vocabant: juxta *Priscian. p.* 1220 *Putsch.* etymon vocis est *arma.* — Armilla est ¶ 1. Brachiale, hoc est circulus, seu anulus ex auro, argento, aliave materia, quo brachia virorum et mulierum ornantur: et quo etiam milites olim virtutis causa ab imperatoribus donabantur. *Plin.* scribit 33. *Hist. nat.* 2. 10. (37). armillas datas fuisse tantum civibus Romanis, non vero externis. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 348. putat armillis sinistra tantum brachia ornari solita (It. *maniglia*, *smaniglia*, *braccialetto*; Fr. *bracelet*; Hisp. *brazalete*, *manilla*; Germ. *das Armband*; Angl. *a bracelet*). Occurrit — *a*) De virorum mulierumque ornamento. *Plaut. Men.* 3. 3. 13. Ubi illæ armillæ sunt, quas una dedi? *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 9. (41). Pueri qui primus ceciderit dens – inclusus in armillam et assidue in brachio habitus muliebrium locorum dolores prohibet. *Id. ibid.* 11. 47. (172). Vulpinam linguam habentes in armilla, lippituros negant. Adde *Dig.* 34. 2. 25. § 10. — *b*) De regio ornatu. *Nep. Datam.* 3. Ornavit etiam torque et armillis aureis ceteroque regio cultu. — *c*) Sæpius de iis, quibus milites virtutis causa donabantur. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Torque atque armillis decoratus. Adde *Cic.* apud *Priscian. p.* 1220. *Putsch. Liv.* 10. 44. Quatuor centuriones manipulumque hastatorum armillis aureisque coronis donavit. Adde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 39. (102). ¶ 2. A similitudine dicuntur *armillæ* ferrei anuli parvi, quibus aliquid ad firmitatem cingitur. *Cato R. R.* 21. Armillas IIII. facito, quas circum orbem indas, ne cupa et clavus conterantur intrinsecus. *Vitruv.* 10. 2. 11. *Schneid.* Ferreos cnodaces uti subscudes in capitibus scaporum implumbavit, et armillas in materia ad cnodaces circumdandos infixit. — *NB. Armilla petasonis* apud *Apicium* 7. 9. videtur esse caro armi, vel ut putat *Humelberg.*, pellis, quæ armo tanquam armilla inhæret.

ARMILLĀTUS, a, um, adject. armillis ornatus. *Sueton. Ner.* 30. Armillata turba. *Id. Cal.* 52. Manuleatus et armillatus in publicum processit. *Propert.* 4. 8. 24. Armillati canes. *h. e.* vincti colla collaribus, quæ sunt armillis similes; vel vincti colla armillis dominarum, ut alii interpretantur.

ARMILLUM, i, n. 2. genus est urceoli vinarii, ut *Varro* apud *Non.* p. 547. 15. *Merc.* interpretatur. *Paul. Diac.* p. 2. 5. *Müll.* addit adhibitum fuisse in sacris, docetque ita dictum, quod armo, hoc est humero deportetur. *Placidus Gloss.* ed. *Mai.* (*Class. Auct. T.* 3. *p.* 432.). Armillum vas vinarium. Hinc *anus ad armillum redit*: proverb. de iis, qui ad ingenium, ad notas artes et ad solita vitia revertuntur: anus enim in vinum valde propensæ sunt. *Lucilius* apud *Non.* p. 74. 13. *Merc.* Hinc ad me, hinc licet anus rursum ad armillum. *Apul.* 9. *Met.* 28. At illa ad armillum revertit, et ad familiares feminarum artes accenditur. *Id.* 6. *ibid.* 22. Interea Cupido amore nimio peresus ad armillum redit. Hoc loco *armile* veteres editiones legebant et quidam ducunt ab *armis*, et interpretantur instrumentum, seu armamentarium versutiarum ac fraudum; sed perperam.

ARMĪLUSTRIUM, ii, n. 2. Festum erat, ut ait *Paul. Diac.* p. 19. 6. *Müll.*, apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac, dum sacrificarent, tubis canebant. Celebrabatur armorum et exercitus lustrandi et expiandi causa a. d. XIV. Kal. Novembr., teste *Kalend. Maff.* apud *Orell. Inscript.* vol. 2. p. 411. *Varro* 6. *L. L.* 22. p. 82. *Müll.* Armilustrium ab eo quod in armilustrio armati sacra faciunt, nisi locus potius dictus ab his; sed quod de his prius, id ab ludendo aut lustro, id est quod circum ibant ludentes ancilibus armati. *Varro* dicit (ita *Müll.* ad h. l.) sive locus *armilustrium* a die, sive dies a loco dictus sit, id, quod prius eo nomine fuerit, aut ab ludendo aut ab lustrando dictum esse. *V.* voc. seq.

ARMĪLUSTRUM, i, n. 2. locus, in quo armilustrium (*V.* voc. praeced.) fiebat, qui erat in decima tertia Urbis regione, in ea enim apud *P. Vict. de regionibus Urbis Romæ* legitur *vicus Armilustri*, et in veteri monumento apud *Gruter.* 250., quod est apud *Orell. Inscript.* 5. habetur *Vico Armilustri.* *Varro* 5. *L. L.* 153. p. 50. *Müll.* Armilustrum ab ambitu lustri. Adde *Liv.* 27. 37.

ARMĬPŎTENS, entis, adject. omn. gen. qui armis et bello valde potest. Occurrit fere apud Poetas. *Lucret.* 1. 33. belli fera munera Mavors Armipotens regit. *Virg.* 9. *Æn.* 717. Armipotens Mars. *Id.* 2. *ibid.* 425. Divæ armipotentis ad aram. *h. e.* Palladis. *Id.* 6. *ibid.* 500. Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucrum. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 20. Ausonia armipotens. *Ulp. Dig.* 50. 15. 1. Syria.

ARMĬPŎTENTĬA, æ, f. 1. virtus armorum et belli. *Ammian.* 18. 5. Armipotentia fretus successibusque magnificis.

ARMĬSŎNUS, a, um, adject. qui armis sonat, aut strepit. *Virg.* 3. *Æn.* 544. Pallas armisona. *Claudian.* 3. *Rapt. Proserp.* 67. Antrum armisonum.

ARMITA dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togæ in humerum erat rejecta. *Paul. Diac.* p. 4. 1. *Müll. Scalig.* leg. *armata* (quam lectionem retinuit et *Forcellinus*) et ad hunc locum docet, virginem sacrificantem intelligendam esse maximam virginem Vestalem, quæ in veteribus nummis visitur sæpe habitu togæ pone rejectæ et disco libatorio dextra vinum invergens.

ARMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. De etymo *V.* **ARMA.** — Part. *Armatus* in omnibus ferme paragr. et in fin.; *Armandus* I. *a.* — Armare est iis omnibus instruere ac munire, quæ incepto alicui perficiendo inserviunt (It. *armare*; Fr. *équiper*, *armer*, *garnir*; Hisp. *guarnecer*, *armar*; Germ. *ausrüsten*, *waffnen*, *bewaffnen*; Angl. *to fit*, *strengthen*, *arm*).

I.) Proprie est militare et nauticum verbum, quod occurrit — *a*) Absolute. De terrestri exercitu vel manu. *Edictum prætor.* in *Dig.* 43. 16. Hominibus coactis armatisve. *Cic. Cæcin.* 21. 59. Armatos, si Latine loqui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis telisque parati ornatique sunt. *Id. ibid.* 12. 33. Multitudinem hominum cogere, armare, instruere. *Id. ibid.* 11. 33. Convocati homines et armati. *Cæs.* 1. *B. C.* 28. Armare milites. *Sall. Jug.* 13. maximas copias. *Id. Cat.* 56. Ut quemque casus armaverat. *Nep. Ages.* 3. Quo studiosius armarentur. *Virg.* 11. *Æn.* 682. Agrestes sparus armat manus. *Id.* 8. *ibid.* 397. Armare Teucros. *Ovid.* 13. *Met.* 214. doceo quo simus alendi Armandive modo. *Id.* 14. *ibid.* 464. Armare viros. *Sil. It.* 7. 3. Ausoniam. — De classe. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Armare naves. *Virg.* 4. *Æn.* 299. classem. *h. e.* armamentis instruere ad navigandum. *Id.* 1. *G.* 255. Armatæ classes. *Tac.* 12. *Ann.* 26. Armare triremes. — *b*) Addito Ablat. rei, quâ quis armatur. *Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 4. Armare milites armis iis, quæ etc. *Liv.* 9. 35. telis, saxis. *Virg.* 2. *Æn.* 395. se spoliis. *h. e.* armis hostium interfectorum. *Id.* 9. *ibid.* 678. Armatus ferro. *Id.* 4. *ibid.* 472. Facibus armata mater et serpentibus atris. *Propert.* 2. 9. 9. Manus armata sagittis. *Tibull.* 1. 4. 8. Armatus falce Priapus. *Ovid.* 2. *Met.* 848. dextra Jovis armata trisulcis ignibus. *Val. Flacc.* 2. 182. Armare manus ense. *Manil.* 5. 657. Armare pontum vinclis sequentem. *Curt.* 3. 2. Armati bipennibus levibusque scutis. *Id.* 8. 13. lanceis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (89). unguibus. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (128). cornu. *Id. ibid.* 28. 33. (96). Apes armantur aculeis. — Huc pertinent et illa, quæ fere omnia inter translata retulit *Forcellinus*. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 32. 87. Urbs armata muris. *Liv.* 30. 9. Armare propugnaculis muros. *Virg.* 12. *Æn.* 856. Sagitta armata felle veneni. *Id.* 10. *ibid.* 14. calamos veneno. *Et* 9. *ibid.* 773. ferrum veneno. *Justin.* 12. 10. 2. sagittas veneno. *Val. Flacc.* 8. 302. flammas unguine picis. *Martial.* 14. 9. thecam calamis. — *c*) Addito, in quem quis armetur, per Accus. et præp. *in*, *contra*. *Cic. Planc.* 35. 86. Armare servos in dominos. *Id. Mil.* 25. 67. totam rempublicam in hunc unum. *Id. ibid.* juventutem contra alicujus impetum. *Liv.* 3. 57. Armare dextram patris in filiam. *Id.* 4. 6. consules in tribunos. — *d*) Addito fine, ad quem quis armatur, per Accus. et præp. *in* vel *ad*, aut per Dat. *Cic.* 10. *Fam.* 23. Armare manus in alicujus perniciem. *Virg.* 7. *Æn.* 335. Armare in prœlia fratres. *Liv.* 35. 32. Asiam Europamque ad funestum bellum. *Virg.* 2. *Æn.* 540. equum bello.

II.) Translate ponitur pro munire, instruere ad contentionem; et fere abstractis jungitur. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Att.* 23. Si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, cum tribunum pl. fieri passus esset. *Vellej.* 2. 49. 2. Pompejum senatus auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia. — *b*) Addito Ablat. rei, quâ quis instruitur. *Cic. Dom.* 1. 2. Amentes ac perditos magistratus deorum religione armare. *Id. Mil.* 1. 2. temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica. *Id. Cluent.* 67. 191. accusatorem omnibus rebus. *Id.* 1. *Invent.* 1. 1. se eloquentia. *Id. Dom.* 55. Incredibili audacia armatos. *Nep. Dion.* 8. 3. Armare se imprudentia alicujus. *Liv.* 2. 35. plebem ira. *Id.* 4. 13. Armatus decreto consul. *Horat. Art. P.* 79. Archilocum proprio rabies armavit iambo. *Id.* 1. *Ep.* 18. 16. nugis armatus. *Ovid.* 13. *Met.* 544. Armare se ira. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (52). Armatus majestate. *Sil. It.* 11. 206. Armatum fide pectus. *Id.* 1. 188. Mens armata dolis. *Id.* 11. 186. nulla nos invida tanto Armavit natura bono. *Claudian. Cons. Prob. et Olybrii* 91. pulcherque severo Armatur terrore pudor. *Aurel. Vict. Vir. ill.* 73. Marius senatusconsulto armatus. *Cassiod.* 8. *Variar.* 12. *ante med.* Probatum est, quid utilitatis habeat moribus armata facundia. — *c*) Addito, in quem quis instruitur, per Accus. et præp. *in* vel *adversus*. *Cic.* 8. *Att.* 3. 3. Aliquem in rempubl. alere, augere, armare. *Nep. Hann.* 10. Armare et exercere (*al.* excitare) regem adversus Romanos. *Virg.* 10. *Æn.* 398. mittus dolor et pudor armat in hostes. — *d*) Addito fine, ad quem quis instruitur, per Accus. et præp. *ad* vel *in*. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. Te ad omnia summum atque excellens ingenium armavit. *Ovid.* 7. *Met.* 347. Armare aliquem in fata parentis. *Flor.* 3. 12. 13. Cupido dominandi Cæsarem et Pompejum furialibus in exitium reipubl. facibus armavit. *Id.* 4. 2. 1. in exitium suum. — Hinc Part. præter. pass.

Armatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Armatior* sub *B.*, Sup. *Armatissimus* sub *A.*

A) Proprie armatus est qui scutis telisque paratus est ornatusque, ut ait *Cic. Cæcin.* 21. 60. *V.* supra sub I. *a.* *Accius* apud *Non.* p. 426. 2. *Merc.* Stirpe draconis armata. *Lucret.* 2. 630. Armata manus. *Curt.* 7. 8. Armata semper gens. *Seneca* 6. *Benef.* 4. Tam tibi par sum, quam multis armatissimis nudi aut leviter armati. *Edict. prætor.* in *Dig.* 43. 15. 1. Vi armata uti adversus aliquem. *Ulp. ibid.* 47. 12. 3. *ad fin.* Manu armata aggredi aliquem. — *Armatum concilium*, in quo consultaturi conveniunt ferro et armis instructi: qui mos fuit Gallorum, quoties de re gravissima ageretur, ut videre est apud *Cæs.* 5. *B. G.* 54. et *Liv.* 21. 20. — *Armata Venus* culta est a Lacedæmoniis, ut est apud *Quintil.* 2. 4. Estque de ea lepidum *Ausonii* epigramma 42. et 43. Causa hujus ritus editur a *Lactant.* 1. 20. *a med.*, quod cum Lacedæmonii Messenios obsiderent, et illi furtim deceptis obsessoribus egressi ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus fusi fugatique sunt, *et quæ sequuntur*. Propter hujus facti memoriam ædem Veneri armatæ simulacrumque posuerunt. — *Armati anni* dicuntur, qui aguntur inter arma bellum gerendo. *Sil. It.* 11. 501. Ut longa imperia atque armatos proroget annos. — *NB.* De armata virgine sacrificante *V.* **ARMITA.**

B) Translate est munitus, instructus ad contentionem: ad rem *Cic. Marcell.* 10. 31. Qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum. *Accius* apud *Non.* p. 203. 18. Cum animatus iero, satis armatus sum. *Cic.* 7. *Phil.* 9. 26. At vero excitati, erecti, parati, armati animis jam esse debemus.

Id. 1. *Tusc.* 32. 78. Id igitur si acciderit, simus armati. *Augustin. Ep.* 15. 2. *ad fin.* Veruntamen illum maluerim aliquo modo mitiorem, quam te isto modo armatiorem.

Armatus, *i*, seu potius in plur. num. *Armati*, *orum*, m. 2. absolute sunt *homines armati*, ut eos appellat *Cic. Cæcin.* 21. 60. et 22. 62. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Gravibus armatis equus. *Idem* apud *Non.* p. 356. 16. Armatos educere foras. *Nep. Dion.* 9. Navem armatis ornare. *Id. Miltiad.* 5. Decem millia armatorum. *Liv.* 37. 28. *ad fin.* Armatos in littore exponere. Adde *eumd.* 42. 51. *Curt.* 9. 2. Agmen armatorum. *Sueton. Cæs.* 30. Armatos circumponere.

ARMON *vel* armos, f. 1. herba eadem, quæ armoracea apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (82).

ARMŎRĂCEA *vel* armoracia, æ, f. 1. et Armoracium, ii, n. 2. genus raphani silvestris, fronde copiosius, quam corpore. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (82). et 20. *ibid.* 4. 12. (22). armoraciam appellat; *Colum.* 6. *R. R.* 17. 8. et 9. *ibid.* 4. 5., et *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 5. et 11. *ibid.* 11. 4. armoraceam; *Colum.* 12. *R. R.* 9. 3. armoracium, ejusque cymæ condiendæ rationem tradit. De synonymia *V.* RAPHANUS.

ARMOS. *V.* ARMON.

ARMUS, i, m. 2. proprie significat humeri commissuram cum brachio, ut ait *Paul. Diac.* p. 25. 7. *Müll.*; est enim ab ἁρμὸς *compages* (quocum cf. Germ. *arm*): sed accipitur pro ipso humero: quin usus obtinuit, ut *armus* de brutis animalibus, humerus de homine tantum dicatur (It. *spalla*; Fr. *épaule*; Hisp. *espalda*, *hombro*; Germ. *der Oberarm*, *die Schulter*; Angl. *the arm or shoulder*). Occurrit — *a*) Pro humero, vel latiori sensu pro brachio hominis, raro admodum apud veteres et apud Poetas. *Paul. Diac.* p. 4. 1. *Müll.* Legibus etiam sanctum est, ne pomum ex alieno legatur in armum, id est, quod humeri onus sit. ubi pomum *in armum legere* est tantam pomorum vim legere, ut in humeros tollenda sit, si asportare velis. Cf. *Festum* p. 364. 32. *Müll. Virg.* 11. *Æn.* 644. latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolorem. *h. e.* per humeros. *Lucan.* 9. 831. Invaditque manum, quam protinus ille retecto Ense ferit, totoque simul demittit ab armo. *h. e.* a brachio. *Manil.* 1. 802. matrisque sub armis Miles Agrippa suæ. *h. e.* cum adhuc esset sub ulnis matris suæ. — *b*) Sed tamen, ut diximus, fere de brutis animalibus usurpatur; namque de homine *humerus* dicitur. *Ovid.* 10. *Met.* 699. *de Hippomene in leonem mutato.* digiti curvantur in ungues: Ex humeris armi fiunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 98. (243). Solus homo bipes: uni jugulum, humeri; ceteris armi. Cf. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 644. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 44. Armi leporis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 23. (63). pantheræ. *Id.* 11. *ibid.* 40. 95. (234). elephantis. *Id. ibid.* 39. 94. (229). leonis. *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (158). talpæ. — In illo *Virgilii* 6. *Æn.* 882. *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos*, ponuntur *armi* latiori sensu pro lateribus equi, quæ post anteriores ejus armos sunt; neque enim armi calcaribus fodi solent. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 106.

ARNA, æ, f. 1. vox Græca agnam significans: ab ἀρς, ἀρνός, ὁ καὶ ἡ, *agnus* et *agna*. *Paul. Diac.* p. 20. 25. *Müll.* Arnæ caput agnæ caput. *Alii leg.* agni *pro* agnæ, *inter quos* Müller.

ARNACIS, idis, f. 3. (ἀρνακίς) genus vestis puellaris, fortasse ex pellibus agninis, nam ἀρς, ἀρνός agnum significat. *Varro* apud *Non.* p. 543. 1. *Merc.*, ubi male *parnacis* a quibusdam editum est. *Suidas* τὴν ἀρνακίδα exponit pellem agninam una cum lana. Apud *Platon.* in *Sympos.* est genus calceamenti ex agninis pellibus.

ARNĬON, ii, n. 2. (ἄρνιον) herba eadem ac arnoglossa. *Apul. Herb.* 1.

ARNŎGLOSSA, æ, f. 1. (ἀρνόγλωσσα) herba eadem ac plantago. *Apul. Herb.* 1. et *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1.

ARNUS, i, idem ac agnus, a Græco ἀρς, ἀρνός, legitur a nonnullis in vetustissima quadam lege, quæ Numæ fuisse dicitur, apud *Gell.* 4. 3. his verbis. IVNONI CRINIBVS DEMISSIS ARNVM FEMINAM CAIDITO. *alii tamen rectius leg.* agnum. — *NB.* De Arno fluvio *V.* ONOM.

ĂRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. a Græco ἀρόω, ἀρῶ, quod idem significat. — Part. *Arans* et *Araturus* I. 1.; *Arandus* II. 1. — Arare est terram aratro scindere seminandi causa (It. *arare*; Fr. *labourer*; Hisp. *labrar*; Germ. *pflügen*; Angl. *to plough*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit cum de hominibus, tum de brutis. — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 61. Bene, male, bene et tempestive arare. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (174). *Plaut. Merc.* 2. 3. 21. Arare mavelim quam sic amare. *Ter. Heaut.* 1. 1. 17. Numquam — tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique. *Cic. Senect.* 16. 56. Si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum est etc. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 87. bos est enectus arando. *Tibull.* 1. 10. 46. Duxit araturos sub juga curva boves. — *b*) Cum Accus. *Cato R. R.* 61.; *Cic.* 2. *Leg. agr.* 30. 66.; *Horat.* 2. *Sat.* 6. 11.; et *Ovid.* 7. *Met.* 122. Arare agrum. *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50. Cum terra araretur et sulcus altius esset impressus. *Varro* 1. *R. R.* 2. 16. Arare terram, serere arbores. Adde *Ovid.* 1. *Fast.* 703. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 1. campum. *Virg.* 2. *G.* 244. Capuam. *Propert.* 3. 5. 5. Campaniam. *Colum.* 5. *R. R.* 9. olivetum. ¶ 2. Latiori sensu usurpatur pro colere; et *arare* dicuntur, qui agros publicos colunt, de quibus *V.* quæ dicta sunt in ARATOR. *Cic.* 5. *Verr.* 5. 11. Cives Romani, qui arant in Sicilia. *Id. ibid.* 47. 112. Non opinor quemquam minus esse professum, quam quantum arasset. *Horat. Epod.* 4. 13. Arat Falerni mille fundi jugera. Huc pertinet et illud *Sall. Cat.* 2. Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. *h. e.* quidquid homines quæstus causa aggrediuntur sive agros colendo, sive mercaturam per maria exercendo, sive ædificia construendo, etc. — Aliter *Cic.* 5. *Verr.* 47. 113. Quod si fieri non potest, ut plus quam decem medimna ex jugero ararent. *h. e.* agro colendo sibi acquirant: ubi tamen ex melioribus MSS. nunc legitur *exararent*. ¶ 3. *Arare littus* proverbio est operam perdere. *Ovid. Heroid.* 5. 16. et 5. *Trist.* 4. 48.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice transfertur ad navigationem. *Virg.* 2. *Æn.* 780. vastum maris æquor arandum. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 475. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 76. Latum mutandis mercibus æquor aro. *Id.* 3. *ibid.* 12. 36. Arare aquas. ¶ 2. Item ad rugas. *Ovid.* 2. *Art. am.* 118. Et venient rugæ, quæ tibi corpus arent. ¶ 3. In re venerea. *Plaut. Truc.* 1. 2. 48. pueros. *Id. Asin.* 5. 2. 24. alienum fundum. — *NB.* In illo *Tibull.* 1. 8. 16. Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas. *Brouckus.* censet *arare* positum esse pro disterminare, dividere, quia Taurus mons Cilicas a Pamphilia disterminat, ducta translatione a sulcis, quibus secatur ager et quodammodo dividitur. Alii tamen leg. *alat*.

ĀRŌMA, ătis, n. 3. (ἄρωμα). In Dativo et Ablativo plur., ut alia multa similia, habet *aromatis* pro *aromatibus* apud *Apul.* loco infra cit. et apud *Capell.* 2. p. 372. et 461. — Aromata sunt quarumdam herbarum fructus odoris et saporis gratissimi, quibus utimur vel ad fovendum ventriculum, vel ad appetentiam provocandam, ut sunt zinziber, piper, saccharum et similia, quæ vulgo species vocant. — *a*) In plur. num. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 4. Aromata contusa et cribrata paullatim insperges. *Apul.* 4. *Florid.* n. 19. Membra omnia aromatis perspersa. In *Dig.* 7. 5. 11. occurrit Gen. *aromatum*. — *b*) In sing. num. *Prudent.* περὶ στεφ. 72. Mollisque ephebus tinctus aromate. *Id. Apotheos.* 826. Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat. Adde *Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7.

ĀRŌMĀTĀRĬUS, ii, m. 2. qui in aromatis negotiatur. *Inscript.* apud *Orell.* 114. L. AFENTEIO L. F. ZMARAGDO AROMAT. QVI VASCVL. DVLCIAR. CCC. IT. HS. LX. TESTAM. REL. C. STATILIO PRAGO AROMAT. GENERO SVO VT AEGR. INOP. COL. FEL. LOR. PHARM. ET MVLS. S. PR. EROG. PLEBS VRBANA LOR. V. BENIGNISS. B. M. F. *h. e.* aromatario, qui vascula dulciariorum ccc., item HS. LX. testamento reliquit C. Statilio Prago aromatario, ut ægris inopibus coloniæ felicis Lorii pharmaca et mulsum sine pretio erogaret, plebs urbana Lorii viro benignissimo bene merenti fecit. *Alia* apud *Murat.* 511. 4. T. ANNIVS T. F. COL. PHILIPPVS MAGister QVINQVENN. COLLEGII AROMATARIorum.

ĀRŌMĂTĬCUS, a, um, adject. (ἀρωματικός) ad aromata pertinens. *Spartian. Hadrian.* 19. In honorem socrus suæ aromatica populo donavit. *supple* munera. *Sedul.* 5. 324. Cum munere matres Messis aromaticæ venere ad tumulum. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Dehinc aromaticas approbat potiones. — *NB. Aromaticum*, i, n. 2. absolute est collyrium ab *Oribasio* p. 50. et *Ætio* p. 650. memoratum. *Tochôn cachets des oculistes* p. 17. Psoricum, aromaticum, crocodes. *Sed hæc nullius in Latina lingua sunt auctoritatis.*

ĀRŌMĂTĪTES, æ, m. 1. (ἀρωματίτης) proprie est quidquid aromatis constat vel conditum est. Hinc ¶ 1. Subaudi *lapis*, et est gemma quædam, ita dicta ab odore et colore myrrhæ: quam quidam putant esse ambram. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (145). Aromatites et ipsa (*subaudi* gemma) in Arabia traditur gigni etc. ¶ 2. Subaudi *vinum*, et est vinum odoramentis conditum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (107). Aromatitem invenio factitatum etc. *V. ibid.* rationem ejus conficiendi. *Id. ibid.* 13. 15. (92). Aromatite delectari. *V.* ABROTONITES.

ĀRŌMĂTĬZO, as, are, a. 1. ἀρωματίζω, aromata spiro. Occurrit Part. præs. tantum apud *Vulgat. Interpr. Eccl.* 24. 20. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi.

ĂRON, i, n. 2. et

ĂROS, i, m. 2. genus bulbi in Ægypto maxime proveniens, scillæ proximum amplitudine, foliis lapathi, caule recto duum cubitorum, baculi crassitudine, radice mollioris naturæ, quæ editur et cruda. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (96). et 24. *ibid.* 16. 91. (142).; et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 14. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 318.) affirmat *aron* in locis *Plin.* cit. esse *Arum Colocasia*. L. Sper. plant. 1368., et *Plinium* ibid. in nonnullis errasse. Plura vide apud eumd. *Fée*, *Op. cit. vol.* 1. p. 114. § IX.

ARPĂGĬUS, ii, m. 2. pro *harpagius*, extrita, ut sæpe fit, aspiratione, raptus, ab ἁρπάζω *rapio*. Ita appellantur qui admodum juvenes moriuntur. *Inscriptio* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 506. C. CORFONIVS EPAFRODITVS CORFONIA MAXIMILLA FECERVNT FILIO SVO QVI VIXIT ANN. III. MENSIBVS SEX MATER ET PATER ARPAGI VIVAS. *h. e.* rapte, tamen in æternum vivas. *Alia* apud *Mazoch. de Ascia* p. 29. MVLTIS ANNIS VIVAT QVI DIXERIT ARPAGI TIBI TERRAM LEVEM.

ARQUATURA, idem ac arcuatio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 163.

ARQUĀTUS *vel* arcuātus, a, um, adject. (*arcus. V.* et ARCUO). Arquatus morbus idem est ac regius morbus, cum flava bilis per totum corpus et præcipue in oculos diffunditur et flavo colore inficit (It. *itterizia*; Fr. *jaunisse*; Hisp. *tiricia*, *ictericia*; Germ. *die Gelbsucht*; Angl. *the jaundice*). Dicitur autem *arquatus*, quia virorem quodammodo arqui Iridis imitatur, ut *Non.* 5. 14. edit. veter. putat. Hinc hodieque Neapoli hic morbus dicitur vulgo *solartato*. *Cels.* 3. 24. Æque notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 18. Vetus urina remedio est etiam pecori arquato. *Al. leg.* arcuato *eodem sensu*. — Hinc

Arquatus, *i*, m. 2. absolute substantivorum more est, qui arquato morbo laborat. *Varro* apud *Non.* p. 35. 16. *Mero.* Ut arquatis et veternosis, quæ lutea non sunt, æque ut quæ sunt, lutea videntur, sic etc. Adde *Lucret.* 4. 333. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 44. (115). Semen apii datur et arquatis ex vino albo.

ARQUĪTENENS, entis. *V.* ARCITENENS.

ARQUĪTES arcu prœliantes, qui nunc dicuntur sagittarii. *Paul. Diac.* p. 20. 18. *Müll.*

ARQUUS, i *vel* us. *V.* ARCUS.

ARRA, ARRĀBO, ARRĀLIS. *V.* ARRHA, ARRHABO, ARRHALIS.

ARRECTĀRĬUS *vel* adrectarius, a, um, adject. (arrigo) arrectus, ac proinde directus ad perpendiculum, cui contrarius est *transversarius*. *Vitruv.* 7. 3. 11. Sin autem in craticiis tectoriis erunt facienda, quibus necesse est etiam in arrectariis et transversariis rimas fieri, etc. *h. e.* in tignis vel asseribus rectis et transversis, ex quibus craticii parietes constant. Adde *eumd.* 2. 8. 20. *Schneid.*

ARRECTUS *vel* adrectus, a, um. *V.* ARRIGO.

ARRĔPO, is, etc. *V.* ADREPO.

ARREPTĪCĬUS *vel* adrepticius, a, um, adject. (arripio) fanaticus, spiritu malo correptus. *Vet. Scholiast.* ad illud *Lucan.* 1. 695. Hæc ait, et lasso jacuit (*matrona*) defecta furore; *adjungit*: Arrepticia. Cf. *Vulgat. Interpr.* 1. *Reg.* 16. 23. Spiritus Domini malus arripiebat Saul. — Hinc a Scriptoribus Ecclesiasticis arrepticii dicuntur harioli, conjectores, divini; hi enim malo spiritu seu dæmone correpti ducuntur. *Augustin.* 2. *Civ. Dei* 4. Veniebamus etiam nos aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque

sacrilegiorum; spectabamus arrepticios, audiebamus symphoniacos etc. *h. e.* hariolos, divinos; ut patet ex *Vulgat. Interpr. Hierem.* 29. 26. Ut sis dux in domo Domini super omnem virum arrepticium et prophetantem. Cf. *ibid. Hierem.* 29. 8. et 21. 23.

ARREPTO, as, etc. *V.* ADREPTO.

ARREPTUS *vel* adreptus, a, um. *V.* ARRIPIO.

ARRHA *vel* arra, æ, f. 1. *et*

ARRHĀBO *vel* arrabo, ōnis, m. 3. (ἀῤῥαβών). Qui cum aspiratione scribunt, Græcæ scriptioni adhærent: docent enim Ætymologi, et quidem recte, *arrham* ipsam dictam esse per apocopen ab *arrhabo*, ἀῤῥαβών; qui aspirationem exterunt, Latinam consuetudinem sequuntur, quâ nomina externa ad Latinam declinationem traducta, Latinis etiam litteris scribi solent. — Est Hebræa vox ab עָרַב *spondere, fidejubere*, a quo עֵרָבוֹן *arrhabon*: quam originem si species, producenda est penultima. *Forcellinus* videtur distinguere inter *arrham* et *arrhabonem*, ita ut *arrha* sit quod dari solet ad confirmationem contractus, *arrhabonem* vero id quod pignoris loco alicui datur. Sed inter duo vocabula discrimen tantummodo temporis, non vero sensus, interfuisse testatur *Gell.* 17. 2. hisce verbis: Sed nunc arrhabo in sordidis verbis haberi cœptus: ac multo videtur rectius *arrha*; quamquam arrha quoque veteres sæpe dixerunt. — Itaque arrha vel arrhabo est id quod dari solet ad confirmationem contractus: atque instituta videtur in auctionibus, cum æris aliquantum daretur, quia plaustra gravis æris eo vehi incommodum esset. *Isid.* 5. *Orig.* 3. hæc habet: Interest in loquendi usu inter pignus et arrham: nam pignus est, quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, statim pignus aufertur: arrha vero est, quæ primum pro re bonæ fidei contractu empta datur, et postea completur; est enim arrha complenda, non auferenda; unde qui habet arrham, non reddit, sicut pignus, sed desiderat plenitudinem (It. *caparra*; Fr. *arrhes, gage, à compte*; Hisp. *arras*; Germ. *Aufgeld, Angeld, Daraufgabe, Kaufschilling*; Angl. *earnest-money*).

I.) Proprie. — *a*) Arrhabo apud veteres. *Cato* (*Claud. Quadrigar.* juxta *Forcellinum*) apud *Gell.* 17. 2. Cum tantus arrhabo penes Samnites populi Rom. esset. Subdit *Gellius*: Arrhabonem dixit sexcentos obsides; et id maluit quam pignus dicere, quoniam vis hujus vocabuli in ea sententia gravior acriorque est. Huc pertinet et ille perridiculus, sed et frigidusculus jocus Stratilacis servi apud *Plaut. Truc.* 3. 2. 19. Tene hoc, tibi rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies. ASТ. Perii! rabonem? quam esse dicam hanc belluam? Quin tu arrabonem dicis? STR. *Ar* facio lucri, ut Prænestinis *conia* est *ciconia*. *Id. Most.* 3. 1. 114. Ædes quanti destinat? TR. Talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus; sed arrhaboni has dedit quadriginta minas. *Id. Rud. prol.* 45. Minis triginta sibi puellam destinat, datque arrhabonem, et jurejurando alligat. *Id. Pœn.* 5. 6. 22. Arrhabonem aliquid ferre. *Ter. Heaut.* 3. 3. 42. Reliquit filiam adolescentulam: ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. — *b*) Arrha apud recentiores. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (28). Argumento est consuetudo vulgi ad sponsiones etiamnum anulo exiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior. *Cajus Dig.* 18. 1. 35. Quod arrhæ nomine pro emptione datur, non eo pertinet, quasi sine arrha conventio nihil proficiat, sed ut evidentius probari possit, convenisse de pretio. *Id.* 3. *Instit.* 139. et *Dig.* 18. 3. 6. Arrhæ nomine aliquid dare. *Dig.* 14. 3. 5. § 15. Arrhæ nomine aliquid accipere. *Ibid.* 18. 3. 8. Arrham perdere. *Capitolin. Maximin. jun.* 1. Manserunt apud eum arrhæ regiæ. *h. e.* pignora sponsaliorum. *Cod.* 5. 1. 3. § 3. Arrhæ sponsaliorum nomine datæ. *Cod. Theod.* 3. 6. 1. Matrimonium arrhis obligare.

II.) Figurate est id, quod pignoris loco alicui datur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 11. Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (21). mortis arrham vocat id, quod veluti pignus pretii numerandi medicis datur, ut paullo post ægrum quasi sanaturi occidant.

ARRHĀLIS *vel* Arralis, e, adject. ad arrham pertinens. *Impp. Diocletian.* et *Maximian. Cod.* 4. 49. 3. Ex arrhali pacto personalis dumtaxat actio paciscentibus præparatur.

ARRHENĪCUM, i, n. 2. idem ac arsenicum: nam et Græce ἀῤῥενικὸν et ἀρσενικὸν idem sonant. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 60. (214). Vitia, quæ in eadem parte serpunt, jecur eorum combustum cum charta et arrhenico sanat. *Harduin.* ita legendum docet ex quamplurimis libris editis et MSS.; atque hanc lectionem retinuit *Sillig.*

ARRHENŎGONON, i, n. 2. ἀῤῥενόγονον, ita Græce cognominatur satyrion herba, quasi masculos generans, ab ἄῤῥην, ἄῤῥενος *masculus* et γονή *genitura*; quia cujusdam satyrii speciei semen testium simile est, ut *Theophrast. l.* 9. *c.* 19. prodidit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 63. (99). *V.* THELYGONON.

ARRHĒTOS, ἄῤῥητος, hoc est qui dici non potest, ab α privativo et ῥέω *dico*: unus est ex æonibus Valentini hæretici. *Tertull. advers. Valentinian.* 35.

ARRHYTHMĀTUS, a, um, *et*

ARRHYTHMOS (*vel Latina positione* arrhythmus), on, adject. qui est sine rhythmo vel numero, ab α privativo et ῥυθμός *numerus*. *Capell.* 9. p. 328. Temporum, quæ ad numeros copulantur, alia sunt, quæ enrhythmica (*al. leg.* enrhythmia) tempora nominantur; alia, quæ arrhythmata, tertia, quæ rhythmoides perhibentur. — Arrhythmata sunt, quæ sibi nulla omnino lege consentiunt, ac sine certa ratione conjuncta sunt. *Kopp.* putat corrupte legi *arrhythmata* et legendum *arrhythma*: cui et *Furlanetto* accessit in suis MSS. *Id. Capell.* 9. p. 327. Numeri genera sunt septem: — secundum de enumeratione verborum, quæ in numerum cadere non possunt, quæ rhythmoides, id est similia numeris judicantur, quæque tribus vocabulis discernuntur, hoc est enrhythmon, arrhythmon, rhythmoides.

ARRHYTHMĬA, æ, f. 1. ἀῤῥυθμία, h. e. dissonantia. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2485. *Putsch.* Cultus temporum communis est rythmo et arrhythmiæ, unde, si apte congruant spatia, rythmum faciunt; si contra, arrhythmiam.

ARRĪDEO *vel* adrideo, rīdes, rīsi, rīsum, rīdere, 2. (ad *et* rideo). Part. *Arridens* I. 2. — Arrideo est ad aliquid rideo (It. *ridere*; Fr. *rire à*; Hisp. *reir*; Germ. *dazu lachen*; Angl. *smile upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Arridere dicitur qui ridet dum alius ridet, sive ridenti ridens ipse additur. *Horat. Art. P.* 101. Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent (*al.* adsunt) Humani vultus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 201. Riserit, adride; si flerit, flere memento. *Id.* 3. *Met.* 45. Cum risi, adrides. ¶ 2. Arrideo est ad aliquid rideo, subrideo, et fere ridendo applaudo vel approbo; raro enim in malam partem occurrit. — 1.) In bonam partem. — *a*) Absolute. *Plaut. Truc.* 2. 1. 14. Oportet lenam probam adridere, quisquis veniat, blandeque alloqui. Adde *eumd. Capt.* 3. 1. 20. *Cic.* 6. *de republ.* 12. 12. Leniter adridens Scipio, Quæso, inquit etc. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 60. Hic cum quidam familiaris jocans dixisset: Huic quidem certe vitam tuam committis, arrisissetque adolescens, utrumque jussit interfici. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 33. 145. et 56. 229., et 1. *Nat. D.* 7. 17.; *Quintil.* 10. 3. 14., et *Tac. Dial. de orat.* 14. *ad fin.* — *b*) Cum Dativo personæ, cui ridetur. *Ter. Adelph.* 5. 4. 10. Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus. *Id. Eun.* 2. 2. 18. Hisce ego non paro me ut rideant, sed eis ultro arrideo, et eorum ingenia admiror: quidquid dicunt, laudo etc. *Priscian.* 18. p. 1201. *Putsch.* minus recte exponit *irrideo*. *Liv.* 41. 20. Notis familiariter arridere. *Sil. It.* 1. 398. Cui sævum arridens. — *c*) Cum Accus. personæ. *Auct. Dirarum* (*Val. Cat.*) 108. Vos nunc alloquitur; vos nunc arridet ocellis. Passive. *Cic. Opt. gen. Orat.* 4. 11. Cum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur: nam si arriderentur, esset id ipsum Atticorum. — 2.) In malam partem cum Accus. rei. *Piso* apud *Gell.* 6. 9. *ad fin.* Cn. Flavius Annii filius ædilis id arrisit. *h. e.* ridendo id se nihili facere ostendit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 79. Video quid arriseris.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de rebus, quæ nobis placent. — *a*) Cum Dat. personæ. *Cic.* 13. *Att.* 21. 3. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 88. Quibus hæc, sint qualiacumque, Arridere velim. — *b*) Absolute. *Plin.* 1. *Ep.* 23. Si modo arriserit pretium (*agelli*). ¶ 2. A Poetis arridere dicuntur ea, quæ nobis fausta et prospera sunt. *Lucret.* 2. 32. Præsertim cum tempestas arridet etc. *Petron. Satyr.* 133. Et quandoque mihi fortunæ arriserit hora, Non sine honore tuum patiar decus.

ARRĪGO *vel* adrigo, rigis, rexi, rectum, rigere, a. 3. (ad *et* rego). Part. *Arrectus* in omnibus fermo paragr. et in fine. — Arrigo est erigo, dirigo, in rectum atque altum tollo (It. *drizzare in alto, levare*; Fr. *dresser, relever*; Hisp. *erigir, elevar*; Germ. *auf-oder emporrichten*; Angl. *to lift or set up, to raise*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. Arma arrigunt: horrescunt tela. *Virg.* 10. *Æn.* 725. Gaudet, hians immane, comasque arrexit (leo). *Id.* 2. *ibid.* 230. Arrectæque horrore comæ. *Id.* 5. *ibid.* 426. Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. *Id.* 10. *ibid.* 892. Tollit se arrectum quadrupes. *Id.* 2. *ibid.* 206. Angulum pectora arrecta inter fluctus. *Id.* 9. *ibid.* 754. Serpens arrectis horret squamis. *Martial.* 11. 62. 10. Arrigere linguam non potest. — *b*) Speciatim *arrigere aures* dicuntur ii, qui rei audiendæ animum sensumque intendunt; ducta loquendi ratione ab animalibus, quæ aures mobiles habent, ut ait *Ovid.* 15. *Met.* 516. arrectisque auribus horrent Quadrupedes. *Plaut. Rud.* 5. 2. 6. Suo hic mihi sermone arrexit aures. Adde *Ter. Andr.* 5. 4. 30. *Virg.* 1. *Æn.* 152. arrectisque auribus adstant. — *c*) Item speciatim habet obscenum sensum. — Active cum Accus. *Auct. Priap.* 82. *extr.* Et inquietus inguina arrigat tumor. *Martial.* 10. 55. Arrectus penis. *Auct. Priap.* 60. Arrectus procus. *h. e.* qui arrectum penem habet. — Absolute et neutrorum more. *Antonius* apud *Sueton. Aug.* 69. Arrigere in aliquam. *Martial.* 3. 76. Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas. Adde *eumd.* 10. 91., 11. 46. etc.

II.) Translate occurrit *arrigere aliquem, animum alicujus, cupidinem, spem alicujus*, et significat animum addere, excitare. — *a*) Absolute. *Sall. Jug.* 86. Eos non paullum oratione sua Marius arrexerat. *Id. fragm. in Orat. Philippi contra Lepidum.* Etruria atque omnes reliquiæ belli arrectæ. *Id. Cat.* 60. Vetus certamen animos eorum arrexit. *Id. Jug.* 91. Postquam plebis animos arrectos videt. *Et* 98. Consulis animus paullulum arrectus. *Virg.* 12. *Æn.* 251. Arrexere animos Itali. *Id.* 1. *ibid.* 583. His animum arrecti dictis. *Id.* 5. *ibid.* 138. laudumque arrecta cupido. *Id.* 3. *G.* 105. Arrectæ spes juvenum. *Id.* 5. *Æn.* 643. mentes. *Id.* 11. *ibid.* 452. stimulis haud mollibus iræ. — *b*) Addito fine, ad quem quis excitatur. — Per Accus. et præp. *ad*. *Sall. Cat.* 23. Suos hortando ad virtutem arrigere. *Liv.* 8. 37. Adeo arrecti ad bellandum animi sunt. — Per subsequens relativum. *Tac.* 3. *Ann.* 11. Arrectâ omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo etc. *h. e.* intenta et excitata atque admirante, quam parum fidei in amicis Germanici, quanta fiducia reo esset. — Part. præter pass.

Arrectus, *a*, *um*, adjective occurrit, unde Comp. *Arrectior*, et est arduus. *Liv.* 21. 35. *ad fin.* Pleraque Alpium ab Italia ut breviora, ita arrectiora sunt. *Quidam leg.* arctiora. *Solin.* 14. Arrectiora saxa.

ARRILĀTOR *vel* arilator, ōris, m. 3. negotiator, mercator, qui empturiens data arra sibi postulat credi: ab *arra* ut *Scalig.* ad *Paul. Diac.* et *Voss. Etymol.* censent. *Paul. Diac.* p. 20. 12. *Müll.* Arilator, qui etiam cocio appellatur, dictus videtur a voce Græca αἶρε *tolle*, quia sequitur merces, ex quibus quid cadens lucelli possit tollere. Sunt etiam qui ab *ara* derivant, propterea quod in *Gloss. vel.* etiam βαροφόρος exponitur: alii a deminutivo *arula* et scribunt *arulator*. Legitur etiam *arulator* et *arrulator*. Sed utut origo et scribendi ratio dubia sit, vera certe esse videtur significatio, quam posuimus. Usus est hac voce *Laberius* apud *Gell.* 16. 7. V. *Voss. Etymol.*, et *Cavedoni* in *Bullett. Archeol. Nap. an.* v. p. 55. col. 1.

ARRĪPIDES *vel* adripides, is, m. 3. Vox per jocum composita patronymicorum more a *Plaut. Pers.* 4. 6. 23. Quod semel arripides, numquam postea eripides. *Arripides* ii dicuntur, qui aliena rapiunt per fraudem vel dolum.

ARRĬPĬO *vel* adripio, ripis, ripŭi, reptum, ripere, a. 3. (ad *et* rapio). Part. *Arripiens* et *Arrepturus* II. 2.; *Arreptus* I. 1. et 2. — Arripio est quasi ad me rapio, ideoque vi prehendo, cum impetu capio (It. *afferrare, prendere, togliere*; Fr. *saisir et tirer à soi*; Hisp. *agarrar, asir*; Germ. *an sich reissen, aufgreifen, mit Hast an sich nehmen, erfassen*; Angl. *to take by force or violence, to catch or snatch at*).

I.) Proprie est vi rapere et ad se trahere. *Plaut. Curc.* 5. 1. 7. Ut eum eriperet, manum arripuit mordicus. *Id. Rud.* 3. 4. 64. Arripere aliquem barba. *Id. Curc.* 2. 3. 79. Talos arripere, invocare Hercu-

lem, jactare baillicum. *Id. Capt.* 4. 4. 7. Arripere gladium. *Ter. Adelph.* 3. 2. 18. Sublimem medium arriperem et capite pronum in terram statuerem. Adde *Liv.* 1. 48. *Nep. Alcib.* 10. Hunc sequi se jubet, et id, quod in praesentia vestimentorum fuit, arripuit. *Liv.* 6. 8. Arripere aliquem manu. *Id.* 3. 48. cultrum. *Id.* 35. 36. arma. *Virg.* 9. *Æn.* 561. simul arripit ipsum Pendentem, et magna muri cum parte revellit. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 4. Arreptaque manu. *Ovid.* 6. *Met.* 552. Arreptamque coma, flexis post terga lacertis, Vincla pati cogit. *Id.* 5. *ibid.* 64. Arripere arcus. *Id.* 13. *ibid.* 386. ensem. *Curt.* 6. 9. saxum. *Sueton. Galb.* 20. caput capillo. *Id. Ner.* 26. pileum vel galerum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (81). penicillum. *Tac.* 3. *Hist.* 23. scutum e strage.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Ponitur cum de personis, tum de locis, et significat prehendere, capere, occupare, quin tamen eadem ad nos trahamus. Hac porro significatione occurrit plurimis rationibus, scilicet — 1.) De personis — *a*) Generatim. *Plaut. Merc.* 3. 3. 18. Coquum aliquem arripere, prandium qui praecoquat. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 159. Quae fortasse, quemcumque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset. *Nep. Them.* 8. Arripere filiam parvulam. *Liv.* 6. 8. equum. *Id.* 34. 20. Cohortes arreptas in urbem inducere. — *b*) Speciatim de carcere, rapina etc. *Liv.* 2. 23. Uno aut altero arrepto, quieturos alios. *Id.* 3. 56. Arripi a viatore. Et de militum irruptione *Tac.* 4. *Hist.* 17. *ad fin.* Proinde arriperent vacui occupatos, integri fessos. — *c*) Item speciatim pro rapere in jus accusando. *Cic. Planc.* 23. 54. Tu A. Plotium – in idem crimen vocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus. *Liv.* 2. 54. Consules abeuntes magistratu arripere. *Sueton. Caes.* 23. Statim quaestor ejus in praejudicium aliquot criminibus arreptus est. ubi *Torrentius*: Elegans verbum, et quod aviditatem accusatoris exprimit. *Id. Vitell.* 2. Inter Sejani conscios arreptus. — *NB.* Quae addunt plerique Lexicographi, *arripere ad quaestionem*, *arripi in carcerem*, *arripere ex foras*, et similia, rectius ad verbum *Abripio* pertinent: tametsi non desunt qui etiam in his *arripio* defendunt. — *d*) Item extra judicium ponitur pro maledictis, conviviis etc. carpere. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 69. *de Lucilio.* Primores populi arripuit populumque tributim. *h. e.* delegit, sumpsit, quos versibus carperet. *Id. ibid.* 3. 224. Arripere Nomentanum. — *e*) Item de morbis, quibus afficimur. *Lucret.* 6. 662. existit sacer ignis et urit Quamcumque arripuit partem. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 93. Nisi forte eum (*dolorem*) dicis, qui simul atque arripuit, interficit. Hinc *arreptus* apud *Veget.* 3. *Veter.* 52. est epilepsia correptus. — Huc referri potest et illud *Justin.* 11. 13. Confectum curis Alexandrum somnus arripuit. — 2.) De locis est occupare, invadere. *Virg.* 9. *Æn.* 13. turbata arripe castra. *Id.* 11. *ibid.* 531. Arripere locum. *Id.* 3. *ibid.* 477. et 10. *ibid.* 298. terram velis. *Tac.* 3. *Hist.* 91. naves. *h. e.* capere et conscendere. ¶ 2. Translate saepissime abstractis jungitur, et arripio est aliquid ita capio ac prehendo, ut id in mea sit potestate, penes me sit. — *a*) Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 67. Arripe opem auxiliumque ad hanc rem. *Ter. Eun.* 3. 5. 23. Submonuit me Parmeno ibi servus, quod ego arripui. *h. e.* quod ego statim amplexus sum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 11. 26. At enim quaerit apud Xenophontem Socrates unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo. *Id.* 2. *ibid.* 65. 162. Arripere aliquem ad reprehendendum. *Id. Dom.* 5. 12. causam aliquam ad incendia, caedem, rapinas. *Id.* 5. *Fam.* 12. causam totam et tempus. *Id. Flacc.* 8. 19. facultatem laedendi, quaecumque detur. *Id. Muren.* 6. 13. Arripere maledictum ex trivio. *Id.* 3. *Fin.* 2. 4. verba de foro. *Id.* 1. *Tusc.* 46. 110. similitudinem aliquam alicujus. *Id.* 1. *Orat.* 39. 252. vocem et gestum aliunde. *Id. ibid.* 57. 242. patrocinium aequitatis. *Id. Sext.* 32. 69. sibi cognomen ex aliorum imaginibus. *Liv.* 25. 12. *ad fin.* Et primam quamque occasionem recuperandi ea, quae bello amisissent, arrepturos. *Virg.* 11. *Æn.* 459. Arrepto tempore. *h. e.* occasione. *Auct. B. Hisp.* 42. Arripere sibi imperium. *Val. Max.* 1. 6. 3. omen. *Tac.* 11. *Ann.* 54. suspiciones. *Sueton. Rhet.* 6. Arripiente eo conditionem. — *b*) Speciatim refertur ad studia litterarum, et est res intellectu complecti ac cognoscere. *Cic.* 2. *Divinat.* 11. 26. Quod (*genus divinandi*) animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex divinatione. *Id. Senect.* 21. 78. Quod jam pueri – ita celeriter res innumerabiles arripiant. *Id. Rosc. Com.* 11. 31. Arripere aliquid celeriter. *Id. Mur.* 30. 62. hoc iter. *h. e.* rationem vivendi. *Id.* 7. *Att.* 13. *ad fin.* Hoc sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. *Id. Senect.* 8. 26. Avide arripere litteras Graecas. *Id. Mil.* 4. 10. legem ex natura ipsa. *Nep. Att.* 3. Litterarum studium etsi senior arripuerat, tamen etc.

ARRĪSĬO *vel* adrisio, ōnis, f. 3. actus arridendi, applausus risu factus. *Cic.* 1. *Herenn.* 6. 10. Interpellatio aut arrisio. *Cael. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Ad omnia quaeque facilis aegrotantis arrisio.

ARRĪSOR *vel* adrisor, ōris, m. 3. qui arridet, qui ridendo approbat. *Seneca Ep.* 27. Stultorum divitum arrosor et, quod sequitur, arrisor. *h. e.* adulator.

ARRŌDO *vel* adrodo, rōdis, rōsi, rōsum, rōdere, a. 3. (ad *et* rodo). Part. *Arrosus* I. — Arrodo est abrodo, circumrodo (It. *rodere, morsecchiare*; Fr. *ronger autour*; Hisp. *roer*; Germ. *an-oder benagen*; Angl. *to gnaw, gnaw round*).

I.) Proprie. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (137). Piger – spartum torquens, quod asellus arrodit. *Id.* 28. *ibid.* 10. 74. (242). Sanguis equi arrodit carnes septica vi. *Id.* 8. *ibid.* 57. 82. (221). Mures, arrosis Lanuvii clipeis argenteis, Marsicum portendere bellum. *Id.* 11. *ibid.* 30. 36. (109). Formicae semina arrosa condunt. *Id. ibid.* 37. 85. (213). Sues spirantes a muribus arrosi. *Cod. Theod.* 12. 7. 2. et 9. 22. 1. Solidi arrosi. *Jul. Obseq. Prodig.* 79. Frusinone aurum sacrum mures arroserunt. Adde *Jul. Capitolin.* in *Anton. P.* 7.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 33. 72. Ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempubl. conaretur adrodere. *Symmach.* 7. *Ep.* 6. Lupus ecclesiasticas caules clandestino morsu arrodit.

ARRŌGANS *vel* adrogans, antis. *V.* **ARROGO** in fin.

ARRŌGANTER *vel* adroganter, adverb. (arrogans). Comp. *Arrogantius*, Sup. *Arrogantissime*. — Arroganter est cum arrogantia et superbia, scilicet more illorum, qui sibi temere atque insolenter tribuunt, quae non habeant (It. *arrogantemente, superbamente*; Fr. *avec arrogance*; Hisp. *arrogantemente, soberbiamente*; Germ. *auf eine anmaassende Art und Weise, mit Anmaassung und Stolz*; Angl. *proudly, haughtily, arrogantly*). *Cic.* 6. *Att.* 1. Ad me autem, etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere. *Id. Ligar.* 10. 30. Arroganter petere aliquid. *Id.* 1. *ad Brut.* 4. Arroganter praejudicare aliquid et ad arbitrium suum revocare. *Id.* 2. *Invent.* 3. 10. Temere atque arroganter assentiri alicui rei. *Id.* 2. *Orat.* 88. 339., 1. *Off.* 1. 2., et *Quintil.* 4. 2. 86. Aliquid arroganter dicere. *Caes.* 1. *B. G.* 40. Arroganter facere. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. 4. Arroganter sustinere adversarios. *Tac. Agric.* 16. Arroganter consulere in deditos. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 36. (71). Insolentius et arrogantius uti gloria artis. *Gell.* 9. 15. Praefari arrogantius et elatius, quam decet. *Oros.* 7. 25. Arrogantissime excipere aliquem. *Et ibid.* 35. *in fin.* Arrogantissime praesumere. — *NB. Forcellinus* attulit et illud *Cic. Mur.* 37. 78. Nihil dicam arrogantius. *quod esse potest et adjectivum.*

ARRŌGANTĬA *vel* adrogantia, ae, f. 1. (arrogo) vitium, quo quis bona, quae non habet, sibi assumit (It. *arroganza, superbia, pretensione temeraria*; Fr. *arrogance, fierté, dédain*; Hisp. *arrogancia, presuncion*; Germ. *die Anmaassung, Prätension oder Dünkel, Heftigkeit*; Angl. *pride, haughtiness, presumption*). Occurrit — *a*) Raro admodum cum Genitivo rei, quam sibi quis temere assumit. *Cic. Divinat. in Q. Caecil.* 11. 36. Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. — *b*) Saepius absolute. *Cic. Cluent.* 39. 109. Gravis atque intolerabilis arrogantia. *Id. Mur.* 24. 49. Sermo plenus arrogantiae. *Id. Orat.* 38. 132. Extimescere crimen arrogantiae. *Id.* 1. *Herenn.* 5. 8. Laudare officium suum sine arrogantia. *Id. Brut.* 81. 282. Gravem esse sine arrogantia. *Id.* 1. *Herenn.* 1. 1. Assumere sibi aliquid inanis arrogantiae causa. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 6. Ad arrogantiam minuendam dictum esse. *Id. Rosc. com.* 2. 5. Suum codicem testis loco recitare, arrogantiae est. *Id.* 3. *Nat. D.* 10. 26. Id autem putare quemquam hominem, nihil homine esse melius, summae arrogantiae censet esse. *Caes.* 1. *B. C.* 85. Pertinacia atque arrogantia. *Id.* 1. *B. G.* 33. Sumere tantam arrogantiam. *Id. ibid.* 46. Uti arrogantia. *Liv.* 5. 8. Hujus arrogantiam pertinacia alterius aequabat. *Id.* 37. 56. *in fin.* Censuros se potius arrogantiae Antipatri, quam causam turbandae pacis praebituros. *Forcellinus* hoc loco arrogantiam accepit pro pertinacia, obstinatione. *Quintil.* 10. 3. 69. Dejecto (*capite*) humilitas, et supino arrogantia ostenditur. *Id.* 4. 1. 33. Laborare opinione arrogantiae. *Tac.* 13. *Ann.* 2. Arrogantia tristis. *Id. Agric.* 42. In arrogantiam compositus. *Et ibid.* 9. Exuere arrogantiam et avaritiam.

Homonym. *Arrogantia* differt a *superbia*, quia superbus turgescit iis bonis, quae re vera habet; arrogans temere et impudenter bona sibi vindicat, quae non habet. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Superbiam, fastidium arrogantiamque fugiamus. *Id.* 1. *Invent.* 54. 105. Tertius decimus locus est, si cum injuria contumelia juncta demonstratur, per quem locum in superbiam et arrogantiam odium concitatur. — Differt etiam ab *insolentia*, quae est ejus, qui affluentibus rebus et arridente fortuna, cui non est assuetus, aequam mentem servare nescit, et licere sibi omnia putat; unde fit, ut arrogantia ex insolentia venire soleat, ut ait *Cic.* 1. *Invent.* 28. 42. Quid quoque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: Ex arrogantia odium, ex insolentia arrogantia.

ARRŌGĀTĬO *vel* adrogatio, ōnis, f. 3. actus arrogandi. ¶ 1. Est actus assumendi adsciscendique aliquem in filium. Differt ab *adoptione*, quia *adoptio* est eorum, qui sub patria potestate sunt: *arrogatio* eorum, qui sunt sui juris. Illa per praetorem fit, haec per populum comitiis curiatis: unde et nomen traxit, quia per populi rogationem fit. Ejus autem rogationis formula haec est apud *Gell.* 5. 19. VELITIS, JVBEATIS, QVIRITES, VTI L. VALERIVS L. TITIO TAM JVRE LEGEQVE FILIVS SIBI SIET, QVAM SI EX EO PATRE, MATREQVE FAMILIAS NATVS ESSET; VTIQVE EI VITAE, NECISQVE IN EO POTESTAS SIET, VTI PATRI ENDO FILIO EST: HAEC VTI DIXI, ITA VOS, QVIRITES, ROGO. Adde *Modestin. Dig.* 1. 7. 1., ubi *Cajus ibid.* 1. 7. 2. aliam tradit rationem, cur *arrogatio* dicatur, nempe quia et is, qui arrogat, rogatur, idest interrogatur, an velit, eum qui arrogat, justum sibi filium esse; et is qui arrogatur, rogatur, an in id consentiat. *Id.* vero addit in *Instit.* 1. ed. *Goeschen.* § 99. Et quia populus rogatur, an id fieri jubeat. Ex quo patet, reipublicae tempore veram arrogationem fieri solitam, cum populus rogabatur; sub principibus autem, quorum auctoritate ea fiebat, tertia haec causa hujus nominis praetereunda foret. *Aurel. Vict. Caesar.* 2. Tiberius in Augusti liberos e privigno redactus arrogatione. Cf. et *Cajus* 1. *Instit.* 97. et 4. *ibid.* 77. et 78. et *Ulpian.* 8. 2. — Translata a populo in principes reipublicae administratione, hujus auctoritate arrogationes fieri coeptae sunt, ut ex *Cajo in Dig. loc. cit.* et ex *Justin.* in *Institut.* 1. *tit.* 11. colligitur. ¶ 2. Pro arrogantia occurrit tantum in *Cod. Theod.* 12. 1. 68. Nimia ordinarii judicis arrogatio. Adde *ibid.* 10. 4. 2.

ARRŌGĀTOR *vel* adrogator, ōris, m. 3. qui aliquem sibi in filium arrogatione assumit. *Cajus Dig.* 1. 7. 2. Subjici potestati arrogatoris. Adde *eumd.* 1. *Instit.* 107., *Ulp. Dig. l. c.* 19. et 22. et *Modestin. ibid.* 40.

ARRŌGĀTUS *vel* adrogatus, a, um. *V.* voc. seq.

ARRŌGO *vel* adrogo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* rogo). Part. *Arrogans* in fine; *Arrogatus* et *Arrogandus* 2. — Arrogo proprie et ad litteram est aliquid insuper rogo: unde ¶ 1. Stricto sensu cum duobus Accus., scilicet *arrogare aliquem aliquid*, quo modo et *rogare*, usurpatur. *Plaut. Rud.* 5. 2. 45. Accede dum huc: Venus haec volo arroget te. *Nam*, ut ait *Turneb. l.* 26. c. 2., in stipulatione est adstipulator plerumque, ut in promissione adpromissor: stipulator rogat, adstipulator adrogat: cujus vice Venus hoc loco fungitur, ad cujus aram initur pactum de reddendo vidulo accepta pecunia. ¶ 2. Item arrogare occurrit de personis, et est sibi attribuere propriumque facere per publicam rogationem. Hoc autem sensu occurrit — *a*) *Arrogare dictatorem consuli*, et est dictatorem creare et consuli inducere, ut in eum imperium habeat: quia etiam dictator per quamdam rogationis speciem a senatu aut a populo poscebatur, quamvis soli fere consuli eum dicere liceret. *Liv.* 7. 25. Cui unico consuli – dictatorem adrogari haud satis decorum visum est patribus. — *b*) Saepius *arrogare aliquem* est in propriam familiam assumere, ea ratione, quae in **ARROGATIO** 1. expli-

rata est. *Modestin. Dig.* 1. 7. 1. Adoptantur filii familiarum; arrogantur qui sui juris sunt. *Ulp. ibid.* § 22. Arrogare aliquem in locum filii. *Marcell. ibid.* 23. 2. 32. Dare se arrogandum alicui. *Aurel. Vict. Cæs.* 13. Nerva Trajanum arrogatum accepit. *Marcell. Dig.* 1. 7. 18. Si arrogatus permansisset in statu suo. Adde *Capitolin. Antonin.* 4. et *Gell.* 5. 19., ubi hac de re plura. Ideo autem *arrogare* dicitur, qui aliquem in filium assumit, quia in comitiis curiatis rogat, seu interrogat populum, ut suam arrogationem approbet, ut *Gell. ibid.* docet, et diximus in ARROGATIO; vel quia is, qui assumitur, interrogatur an velit, ut ex *Cajo ibid.* docuimus. Porro ex iis, quæ adnotata sunt in ADOPTIO 1., videtur ille qui arrogabatur, non mutasse plerumque nomen gentilicium, quemadmodum is qui adoptabatur. ¶ 3. Sæpissime *arrogare sibi aliquid* est per temeritatem attribuere et vindicare sibi aliquid, assumere id, cui impar sis. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere. *Id. Planc.* 1. 3. Quamquam mihi non sumo tantum, neque arrogo, judices, ut Cn. Plancium – impunitatem consecutum putem. *Id.* 4. *Fam.* 1. 2. Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo. *Id. Brut.* 85. 291. Arrogare sibi sapientiam. *Sall. Jug.* 88. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 35. Nec sibi cœnarum quivis temere arroget artem. *Quintil.* 11. 1. 20. Dicendi facultatem magis illi detraxit, quam sibi arrogavit. *Id. procem.* 1. 14. Arrogare sibi nomen insolentissimum. *Id.* 11. 1. 19. eloquentiam immodice. *Tac.* 1. *Hist.* 30. sibi nobilitatem aut modestiam. ¶ 4. *Arrogare aliquid alicui* est tribuere vel afferre; et in bonam quoque partem accipitur. Hoc tamen sensu occurrit tantum apud *Horat.* 4. *Od.* 14. 30. Fortuna Laudemque et optatum peractis imperiis decus arrogavit. *Id.* 2. *Ep.* 1. 35. Scire velim chartis pretium quotus arroget annus. *Id. Art. P.* 121. Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis. *h. e.* omnia in armorum vi posita esse putet.

Arrogans, antis, proprie est Part. præs., sed adjective quoque occurrit, unde Comp. *Arrogantior* et Sup. *Arrogantissimus*. Usurpatur autem quo sensu ARROGO 3.; itaque arrogans est qui sibi temere atque insolenter tribuit, quæ non habet. — *a*) Sæpissime absolute. *Cic.* 10. *Phil.* 9. 18. Quorum –, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. *Id. Dom.* 12. 33. Quid est enim tam arrogans, quam de religione, de rebus divinis, cæremoniis, sacris, pontificum collegium docere conari? *Id.* 3. *Verr.* 6. 15. et 60. 155. Homines arrogantes. *Id. Fontej.* 12. 26. Induciomarus iste minax atque arrogans. *Id.* 2. *Orat.* 39. 165. Arrogans consilium. *Id.* 5. *Fam.* 2. 4. crudelitas. *Id. Sull.* 8. 25. dictum. *Id. Harusp. resp.* 8. 16. beneficiorum prædicatio. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Ne arrogans in præcipiendo populi beneficio videretur. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Arrogans moderatio. *Quintil.* 2. 4. 16. de se persuasio. *Id.* 13. 3. 12. Pigritia arrogantior. *Sueton. Cæs.* 79. Factum arrogantius. *Quintil. Declam.* 8. 9. Persuasio arrogantissima. *Id. ibid.* 7. 12. Arrogantissime percussorum, evasisse te putabas. *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. Proverbium arrogantissimum. — *b*) Addito Dat. personæ. *Tac.* 11. *Ann.* 21. Adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis.

ARRŌRO *vel* adroro, as, etc. *V.* ADRORO.

ARRŌSOR *vel* adrosor, ōris, m. 3. qui arrodit; sed occurrit figurate tantum. *Seneca Ep.* 27. Stultorum divitum arrosor. *h. e.* qui eorum bona obligurit. *Lips.* in quodam suo codice legebat *abrasor* eodem sensu.

ARRŌSUS *vel* adrosus, a, um. *V.* ARRODO.

ARRŌTANS *vel* adrotans, antis, particip. præs. ab inus. *arroto*, circum torquens, idem ac rotans. *Sidon.* 6. *Ep.* 1. Quis febriens, arrotanti tactu pulsum distinguat incolumem? *h. e.* tactu incerto.

ARRUGIA, æ, f. 1. vox eorum propria, qui in aurifodinis operantur, qua significatur cuniculus subterraneus, ex quo effoditur aurum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (70). Arrugias id genus vocant: siduntque rimæ subito et opprimunt operatos. *Id. ibid.* Aurum arrugia quæsitum non coquitur, sed statim suum est. In *Supposititis Aul. Plaut.* legitur *arrogia*.

ARRULĀTOR. *V.* ARRILATOR.

ARS, artis, f. 3. *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 4. et *Isid.* 1. *Orig.* 1. vocis etymon ab ἀρετῇ virtus deducunt; alii minus recte ab ἄρος *utilitas*, quod est ab ἄρω *necto, apto*. — Ars est industria, solertia, atque adeo dexteritas in re aliquā agendā et perficiendā, usu fere quotidiano acquisita (It. *arte, destrezza*; Fr. *art, habilité*; Hisp. *arte, habilidad, destreza*; Germ. *Fähigkeit, Tüchtigkeit oder Kunst etwas zu thun oder zu behandeln*; Angl. *art, contrivance, skill, ability*). ¶ 1. Generatim est dexteritas in rebus agendis ac perficiendis, quæ quotidiano ferme usu cum sit acquisita, significat etiam consuetam vivendi agendique rationem. — *a*) In bonam partem. *Plaut. Trin.* 1. 2. 34. Nam si in te ægrotant artes antiquæ tuæ ac si demutant mores ingenium tuum –, omnibus amicis morbum tu incuties gravem. Adde *ibid.* 2. 1. 3. *Ter. Andr.* 1. 3. 506. Quid est, quod tibi mea ars (*h. e.* ars culinaria) efficere hoc possit amplius? SIM. Nil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro, sed iis, quas semper in te intellexi sitas, fide et taciturnitate. *Id. Adelph.* 4. 7. 21. MIC. Ita vita est hominum, quasi si ludas tesseris: si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit, illud, quod cecidit forte, arte ut corrigas. DEM. Corrector. Nempe tuā arte viginti minæ pro psaltria periere. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 115. Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a majoribus nominabantur. Et Stoicorum sensu *Id.* 6. *Verr.* 37. 81. Præcipue quod in his rebus pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit, æquitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum, quæ cognatio studiorum et artium propemodum non minus est conjuncta, quam ista, qua vos delectamini, generis et nominis. *Id. pro leg. Manil.* 13. 36. Non enim bellandi virtus solum in summo ac perfecto imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ hujus administræ comitesque virtutis. *Sall. Jug.* 82. Vir egregius in aliis artibus nimis molliter ægritudinem pati. *Id. Cat.* 2. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. Et *ibid.* Bona ars. *Liv.* 1. 39. Juvenis evasit vere indolis regiæ, nec cum quæreretur gener Tarquinio, quisquam Romanæ juventutis ulla arte conferri potuit, filiamque suam ei rex despondet. *Horat.* 3. *Od.* 3. 9. Hac arte Pollux et vagus Hercules Enisus (*al.* innixus) arces attigit igneas. *h. e.* justitia et constantia, sive fortitudine. *Id.* 4. *ibid.* 15. 11. emovitque culpam Et veteres revocavit artes. *Ovid. Rem. am.* 713. Nec solum faciem, mores quoque confer et artes. — *b*) In malam partem ponitur aut generatim pro vitiis, aut sæpius pro calliditate, dolo, fraudibus, quo modo et Græci dolos τέχνας dicunt, ut ait *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 657. *Tac.* 14. *Ann.* 57. Tigellinus malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret. Cf. *Sall. Cat.* 3. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 30. Paret artem et disciplinam, obtineat colorem. *Ter. Heaut.* 2. 3. 125. Hac arte tractabat virum. *Liv.* 4. 26. Eorum (*patrum*) ambitione artibusque fieri, ut obseptum plebi sit ad honorem iter. *Id.* 2. 51. Capti eadem arte sunt, qua ceperant Fabios. *Id.* 3. 10. Arte eludere libertatem populi Romani. *Virg.* 1. *Æn.* 657. At Cytherea novas artes, nova pectore versat Consilia. *Id.* 2. *ibid.* 152. Ille dolis instructus et arte Pelasga. *Ovid.* 1. *Art. am.* 241. Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro Simplicitas, artes excutiente deo. *Id. Heroid.* 12. 50. Decipere aliquem arte. *Id. ibid.* 17. 142. Ludere aliquem arte. *Sueton. Vitell.* 2. Aliquem summis artibus ad aliquid pellicere. ¶ 2. Speciatim est dexteritas aliquid faciendi sive de re mechanica, sive de liberalibus disciplinis agatur. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 32. 127. Eleus Hippias – gloriatus est – nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem et poetarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur; sed anulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. *Id.* 1. *Off.* 42. 150. Opificesque omnes in sordida arte versantur: nec enim quidquam ingenuum habere potest officina. Minimeque artes eæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, *cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores*, ut ait Terentius. – Quibus autem artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eæ sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ. *Id.* 1. *Tusc.* 18. 41. Quam quisque novit artem, in hac se exerceat. — *b*) Hinc speciatim ponitur de vilioribus et mechanicis artibus, quas *Cic.* 3. *Orat.* 32. 128. et 1. *Off.* 42. 150. *sordidas*; et *Arch.* 5. 10. *humiles* appellat. *V.* loca ejusdem *Cic.* paullo sup. cit. *Liv.* 39. 6. Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium et æstimatione et usu, in pretio esse, et quod ministerium fuerat, ars haberi cœpit. *Id.* 22. 25. Patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis filioque hoc ipso in servilia ejus artis ministeria usum. *Ovid.* 6. *Met.* 6. Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis Audierat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 54. (197). Artis quoque cujusdam est æqualiter spargere (*semina*). *Seneca Ep.* 88. et *Quintil.* 3. 6. 18. Ars vel artes ludicræ. *quæ pariter viles atque inhonestæ a Romanis ducebantur.* — Huc referri possunt et illa *Plaut. Capt.* 3. 1. 9. Ars parasitica. Et *Ter. Heaut.* 2. 1. 14. meretricia. — *c*) Item speciatim de artibus honestis et quæ magno sunt in pretio atque honore, quibus, ut ait *Cic.* 3. *Orat.* 32. 127. *l. c.*, liberales doctrinæ atque ingenuæ continentur. Hæ autem dicuntur a *Cic.* 4. *Fam.* 3. 4.; et *Ovid.* 3. *Fast.* 6., 3. *Amor.* 8. 1. et 2. *Art. am.* 121. Artes ingenuæ. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 4. elegantes et ingenuæ. *Cic.* 1. *Invent.* 25. 35. et *Plin.* 14. *Hist. nat. præfat.* 1. (5). liberales. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 32. bonæ. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 111. et 7. *Fam.* 3.; et *Nep. Dion.* 1. et *Att.* 12. optimæ. *Cic.* 1. *Orat.* 3. 9. laudatæ. — Item dicuntur a *Cic. Brut.* 1. 3. leviores et 1. *Orat.* 2. 6. mediocres, *quia et poesim et cetera, quæ ad oblectationem voluptatemque pertinent, complectuntur; et contra quæ humanæ vitæ aut reipublicæ utilitati consulunt, dicuntur ab eodem Cic. Orat.* 1. 4. magnæ. 2. *Fin.* 34. 112. gravissimæ. Et 1. *Orat.* 2. 6. maximæ. — Porro per Adjectivos vel per Genitivos nominis substantivi plures harum artium significantur, quarum præcipuas, servato litterarum ordine, proponimus. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 10. Ars Apollinea. *h. e.* medicina. *Quintil.* 2. 17. 33. armorum. *Liv.* 25. 40. belli artes. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (28). Arion citharœdicæ artis. *h. e.* qui citharœdicam artem callebat et profitebatur. *Tac. Agric.* 39. civiles. *h. e.* quibus domi et pacis tempore civilis vita excolitur, quibusque bellicæ opponuntur. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 107. et *Quintil.* 2. 17. 17. dicendi. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 157. bene disserendi. *h. e.* dialectica. *Quintil.* 2. 11. 4. eloquentiæ. *Cic.* 3. *Orat.* 7. 26. fingendi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 39. 40. (128). et 30. *ibid.* 2. 6. (18). ars grammatica. *Cic. Arch.* 3. 5. Græcæ artes ac disciplinæ. *Liv.* 25. 40. Græcarum artium opera. *Cic.* 1. *Fin.* 13. 42. ars gubernatoris. *Id.* 1. *Divinat.* 14. 24. et *Quintil.* 2. 17. 33. gubernandi. *Plaut. Most.* 1. 2. 73. gymnastica. *Quintil.* 2. 17. 34. imperatoria. *h. e.* imperandi. *Liv.* 25. 19. artes imperatoriæ. *h. e.* imperatoris propriæ. *Virg.* 4. *Æn.* 493. et *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 35. magica. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 1. (2). mathematicæ artes. *Ovid.* 2. *Art. am.* 735. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 3. (6). ars medendi. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 158. medentium. *Ovid. Heroid.* 5. 145. medicæ artes. *Varro* 5. *L. L.* 93. *p.* 36. *Mull.* ars medicina. *Tac.* 12. *Ann.* 2. artes militares. *h. e.* quibus bellum administratur. *Liv.* 25. 19. artes militares. *h. e.* militum propriæ. *Ter. Hec. prol. alt.* 15. 38. et *Phorm. prol.* 18. ars musica. *h. e.* poesis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (93). musica. *h. e.* quæ in sonis versatur. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 109. et *Quintil. præfat.* 17. Ars oratoria vel oratoris. *Quintil.* 2. 21. 11. palæstrica. *Cic.* 3. *Orat.* 7. 26. ars ratioque picturæ. *Quintil.* 3. 1. 1. ars rhetorica. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (33). et 36. *ibid.* 5. 4. (37). ars statuaria. *Quintil.* 2. 3. 3. ars tibiarum. *Liv.* 9. 42. artes urbanæ. *h. e.* civiles (*V.* sup.), quibus *militares* opponuntur. *Cic. Senect.* 3. 9. artes exercitationesque virtutum. *Id.* 5. *Fin.* 6. 16. ars vivendi. *h. e.* philosophia. — *d*) Generali significatione jungitur et pluribus Verbis. *Cic. Cæl.* 30. 72. Deditum esse disciplinis iisque artibus etc. *Ovid.* 1. *Art. am.* 459. Discere artes. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 44. Exercere artem. *Cic. Orat.* 43. 147. Factitare artem aliquam. *Ovid. Heroid.* 13. 364. Instruere aliquem arte. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 157. Tradere artem disserendi. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 14. Valere arte. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Versari in arte aliqua. ¶ 3. Ars est etiam scientia stricto sensu, sive abstracta ipsarum artium præcepta, quæ Græco vocabulo θεωρίας appellamus; adeoque præceptio, quæ dat certam viam rationemque faciendi aliquid. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 7. 30. Res mihi videtur esse facultate præclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quæ sciuntur; oratoris autem

omnis actio opinionibus, non scientiâ, continetur. *Id. ibid.* 11. 44. Sed non omnia, quæcumque loquimur, mihi videntur ad artem et ad præcepta revocanda. *Id.* 1. *ibid.* 41. 186. Nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Adde *ibid.* 20. 92. *Id.* 1. *de republ.* 2. 2. Nec vero habere virtutem satis est, quasi artem aliquam, nisi utare. Et ars quidem, cum eâ non utare, scientiâ tamen ipsa teneri potest; virtus in usu sui tota posita est. *Id. Orat.* 55. 183. Ita notatio naturæ et animadversio peperit artem. *Id.* 4. *Divinat.* 4. 10. Quod etsi ingeniis præditi quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior, quam natura. Hic *natura* et *ars*, ut sæpe alibi, opponuntur; quemadmodum et apud *Senec. Ep.* 90. Non enim dat natura virtutem, ars est bonum fieri. — *b*) Speciatim de certæ artis principiis ac præceptis. *Cic.* 1. *Herenn.* 2. 3. Ars est præceptio, quæ dat certam viam rationemque dicendi. Cf. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. Nos ea, quæ consecuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monumentis disciplinisque tradita. *Asper* p. 1725. *Putsch.* Ars est comprehensio præceptorum ad utilitatem usui accommodata per artificis sui exercitationem etc. — *c*) Item speciatim ars ponitur pro libris, in quibus aliqua ars traditur: et occurrit — De rhetorica modo addito adject., modo absolute. *Cic. Top.* 8. 34. Itaque in oratoriis artibus, quæstionis genere proposito, quot ejus formæ sint, subjungitur absolute. *h. e.* in præceptis artis oratoriæ. *Id.* 3. *Fin.* 1. 4. Ipsæ rhetorum artes, quæ sunt totæ forenses et populares, verbis tamen in docendo quasi privatis utuntur ac suis. *Id.* 1. *Invent.* 7. 9. et 4. *Fin.* 3. 7. Artem rhetoricam scribere. *Id.* 1. *Invent.* 6. 8. Neque eo dico, quod ejus (*Hermagoræ*) ars, quam edidit, mihi mendosissime scripta videatur; nam satis in ea videtur ex antiquis artibus ingeniose et diligenter electas etc. Adde *eumd.* 4. *Fin.* 3. 5. et 3. *de republ.* 4. 7. *Quintil.* 2. 15. 4. Hæc opinio originem ab Isocrate (si tamen revera ars, quæ circumfertur, ejus est) duxit. Adde *eumd.* 3. 1. 1. et *Juvenal.* 7. 177. — De libris, in quibus agitur de arte grammatica. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 96. In artibus grammaticis legimus superlativum gradum nonnisi genitivo jungi. *Id.* ad 1. *ibid.* 535. Sicut in artibus lectum est. *Id.* ad 7. *ibid.* 787. Legitur in arte, quod *tam*, *magis* positivo tantum junguntur. Sic *Phocæ ars* p. 1688. *Putsch.*, et *P. Cledonii ars* p. 1861. *Putsch.* ¶ 4. Item speciatim ars interdum ponitur pro exquisito artificio. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Nec plenum artis argentum (*aspiciebat*). *Virg.* 1. *Æn.* 639. Arte laboratæ vestes ostroque superbo. *Ovid. Heroid.* 3. 32. Et tripodas septem pondere et arte pares. *Martial.* 10. 47. Convictus facilis, sine arte mensa. — Huc referri possunt et illa *Ovid.* 1. *Art. am.* 113. plausus tunc arte carebat. *h. e.* erat simplex et sincerus. *Et* 2. 506. Qui canit arte, canat; qui bibit arte, bibat. *Cic.* 4. *Herenn.* 4. 7. Scribere ex arte. *Id.* 1. *Invent.* 6. 8. Dicere ex arte. *h. e.* artificiose. *Gell.* 8. 5. Capillus arte compositus. ¶ 5. Item de opere artis. *Virg.* 5. *Æn.* 359. Et clipeum efferri jussit, Didymaonis artes. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 17. I nunc, argentum et marmor vetus æraque et artes Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores. *Id.* 4. *Od.* 8. 5. divite me scilicet artium, Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas. ¶ 6. Artes, tamquam personæ, pro Musis, quæ artium præsides sunt. *Phædrus* 3. *prol.* 18. In quo (*jugo Pierio*) Tonanti sancta Mnemosyne Jovi, Fecunda novies, Artium peperit chorum.

ARSE VERSE averte ignem significat. Tuscorum enim linguâ a r s e averte v e r s e ignem constat appellari. Unde Afranius ait: *Inscribat aliquis in ostio arse verse.* Hactenus *Paul. Diac. p.* 18. 15. *Müll.* Unde apparet superstitio veterum, qui ad deprecandum incendium inscribebant in ostio id, quod ad eam rem faceret, ut testatur et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (20). Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. *Inscript.* apud *Orell.* 1384. ARSES VVRSES SETHLANL TEPHRAL APE TERMNV PISEST ESTV. Quæ verba ita explicantur: Avertas ignem, Vulcane, victimarum carne post terminum piatus esto. *vel:* Ignem avertas, Vulcane, in cinerem redigens (qui) apud terminum piatus esto. Porro *Arse* ab Hebr. הִרְחִיק *vertit*, et *Verse* ab אֵשׁ *ignis*, a quo, ut addito digammate, fit *Vesta* Romanorum dea, sic addito rursus *R* (quo Tusca vocabula redundant) fit *Versa* seu *Verse*. Hac de re videsis *Orioli s. ediz. di Etruria p.* 68.; *Ciampi de usu Linguæ Latinæ p.* 8.; *Rosini Dissert. isag. p.* 14. *n.* 14.; et *Bothium* in *Poet. Lat. com. p.* 197.

ARSELLA, æ, f. 1. herba, alias argemonia. *Apul. Herb.* 31.

ARSĔNĬCUM, i, n. 2. ἀρσενικόν, succus est mineralis, pinguis, inflammabilis, compositus ex pinguedine sulphurea, hydrargyro et spiritu salis candido. Duplex est, candidum, proprie *arsenicum*; et flavum, quod *auripigmentum* dicitur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 56. (178). *V.* **ARRHENICUM**, quod idem est, et **AURIPIGMENTUM**. Creditur dictum a mascula et prævalenti vi, quam habet, hominis interimendi. Nam ἀρσενικὸς Græce *masculum* significat.

ARSĔNŎGŎNON, i, n. 2. ἀρσενόγονον, idem quod **ARRHENOGONON**, quam voc. *V. Plin.* 26. *Hist. nat.* 15. 91. (162).

ARSINEUM, i, n. 2. est ornamentum capitis muliebris, ut *Paul. Diac.* p. 20. 16. *Müll.* interpretatur. *Cato* apud *Festum* p. 265. 1. *Müll.* Arsinea, rete, diadema, coronas aureas etc. Ita leg. *Scalig.* et *Müll.*; alii *arsinia*; alii aliter.

ARSIS, is, f. 3. ἄρσις, dicitur elevatio vocis, sicut θέσις positio est, ut in voce *arma*, *ar* elevatio est, *ma* positio, ut docet *Diomed.* 3. *p.* 501. *Putsch.*, et *Donatus p.* 1738. *Putsch.* Est autem Græca vox ab αἴρω *tollo*. *Diomed. l. c. p.* 471. Pes est poeticæ dictionis duarum ampliusve syllabarum cum certa temporum observatione modus, recipiens arsin et thesin, id est qui incipit sublatione, finitur positione. Adde *Terent. Maur. p.* 2412. *Putsch.*; *Capell.* 9. p. 328., et *Mar. Victorin.* 1. p. 2482. *Putsch.*

ARSURA, æ, f. 1. in lemmate *Apul. Herb.* 118. habetur: Ad arsuram stomachi. *h. e.* ad sitim sedandam. Donec alia afferatur hujus vocis auctoritas jure Latii donandam non esse equidem arbitror, cum minime innotescat quisnam et cujus ætatis sit illius lemmatis auctor.

ARSUS, a, um. *V.* **ARDEO**.

ARTĂBA, æ, f. 1. (ἀρτάβη) mensura aridorum apud Ægyptios, quæ tribus modiis Romanis et tertia unius parte constabat. *Rhemn. Fann. de ponder.* 89. Est etiam terris, quas advena Nilus inundat, Artaba, cui superat modii pars tertia post tres; Namque decem modiis explebitur artaba triplex. Adde *Isid.* 15. *Orig.* 26.

ARTĀTĬO vel arctatio, ōnis, f. 3. actus artandi. *Varro* 5. *L. L.* 6. *p.* 3. *Müll.* scribit verborum veterum et novorum differentiam spectari ex varia litterarum commutatione, quam qui animadverterit, facile posse scrutari verborum origines: commutari autem verba *litterarum demptione aut additione, artatione aut commutatione* etc. Artatio litterarum hoc loco, juxta *Forcellinum* qui hanc vocem ex vett. editionibus sumpserat, est, cum duæ litteræ in unam coalescunt, ut cum pro *quum*, *murus* pro *mœrus*. At *Müllerus* pro *artatione* legit *attractione*, et attractionem dici putat a *Varrone*, quam nos assimilationem vocamus.

ARTĀTUS, a, um. *V.* **ARTO**.

ARTE vel arcte, adverb. (artus, a, um, ubi *V.* quæ dicuntur cum de etymo, tum de scribendi ratione). Comp. *Artius* et Sup. *Artissime* I. — Arte est stricte, conjunctim, ita ut res rei admodum adhæreat; adeoque est etiam densatim (It. *strettamente, congiuntamente, densamente*; Fr. *étroitement, d'une maniere serrée*; Hisp. *estrechamente*; Germ. *in enger Fügung, enge gefügt, zusammengepresst, eng, dicht, fest*; Angl. *straitly tightly, closely, strictly*).

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 5. 2. 28. Arte colligare manus. *Id. Stich.* 4. 2. 39. Arte accubare. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Calorem artius continere. *Id.* 1. *ibid.* 46. 103. Artius aliquam complecti. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Arte continere aliquid. *Sall. Jug.* 52. Aciem arte statuere. *Id. Cat.* 59. Signa artius collocare. *Id. Jug.* 68. Pedes quam artissime ire jubet. *Horat. Epod.* 15. 5. Artius astringi atque hedera. *Curt.* 3. 6. 14. Spiritus arte meat. *Id.* 4. 13. 34. Artius ire, stare. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 22. Boves arte junctos habere. *Id.* 6. *ibid.* 2. 5. Boves arte ad stipites religare. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (16). Artissime serere plantas. *Gell.* 10. 6. Artius pressiusque conflictari.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Figurate est presse, anguste, vehementer. *Plaut. Asin.* 1. 1. 63. Arte contenteque aliquem habere. *Id. Merc. prol.* 64. Arte cohibere aliquem. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Arte et graviter dormire. *Id.* 2. *Invent.* 4. 14. Artius dormire. *Id. Parad.* 1. 4. Arte tenere aliquid accurateque defendere. *Id. Fat.* 14. 32. Artius astringere rationem. *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 10. Arte appellare aliquem. *h. e.* penultimam brevem proferendo. *Val. Max.* 2. 2. 8. Abstinentiam artissime constringere. ¶ 2. Translate. *Plin.* 6. *Ep.* 8. Arte diligere aliquem. *h. e.* ex corde, toto animo. *Id.* 2. *ibid.* 13. Arte et familiariter diligere aliquem.

ARTEMEDIUM, ii, n. 2. herba, aliter dictamnus. *Apul. Herb.* 62.

ARTEMĪSĬA, æ, f. 1. absolute, dicta est herba quædam insignis, absinthii modo fruticosa, majoribus foliis pinguibusque. Ejus duo sunt genera: alterum latioribus foliis; alterum tenuioribus et non nisi in maritimis nascens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellant, simplici caule, minimis foliis, floris copiosi erumpentis, cum uva maturescit, odore non injucundo, quam quidam botryn, alii ambrosiam vocant. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 36. (73). Artemisia uxor Mausoli (*de qua V.* ONOM.) adoptavit herbam, quæ antea parthenis vocabatur. Sunt qui ab Artemide Ilithyia cognominatam putant, quoniam privatim medeatur feminarum malis. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Fomentatio ex decoctione artemisiæ herbæ. Adde *Apul. Herb.* 10. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 335.) ait a *Dioscor.* 3. 127. quatuor enumerari *Artemisias*, quarum synonymia hæc videtur. — I. Ἀρτεμισία λεπτόφυλλος Dioscor. l. c. et *Artemisia foliis tenuioribus* Plin. l. c. sunt *Artemisia campestris* L. Spec. plant. 1185. — II. Ἀρτεμισία μονόκλωνος, εὐωδεστέρα Dioscor. l. c. et *Artemisia simplici caule* Plin. l. c. sunt *Artemisia camphorata* Vill. Fl. dauph. 3. 242. — III. Ἀρτεμισία λεπτότερα ἔχουσα τὰ φύλλα Dioscor. l. c. est *Artemisia pontica* L. Spec. plant. 1187. — IV. Ἀρτεμισία Hipp. in loc. var.; Ἀρτεμισία πλατύτερα ἔχουσα τὰ φύλλα Dioscor. l. c. et *Artemisia latioribus foliis* Plin. l. c. sunt *Artemisia chamæmelifolia* Vill. Fl. dauph. 3. 1242.

ARTĔMO vel artemon, ōnis, m. 3. (ἀρτέμων, ονος). *Lucil.* apud *Charis.* 1. *p.* 99. *Putsch.* et *Isid. loc.* infra *cit.* in recto casu singulari habent *artemo*: at *Labeo loc.* infra *cit.* habet *artemon*. ¶ 1. Est velum quoddam in navi, ab ἀρτάομαι *appendor, suspendor*: sed quale illud sit, non satis inter eruditos constat. *Bayfius de re navali p.* 121. putat esse velum majus, quod etiam Itali vocant *artimone*, ut est in Lexico Academicorum *della Crusca*. At *Scheffer. de milit. nav.* 5. *l.* 2. secutus *Isid.* 19. *Orig.* 3. tradit esse velum parvum, quod in summitate mali supra majus velum appenditur, et dirigendæ potius navis causa, quam agendæ adhibetur. Hinc *Labeonem* apud *Jabolen. Dig.* 50. 16. 242. docere, *malum navis esse partem, artemonem non esse*, quod *artemon magis additamento, quam pars navis sit.* Atque hæc videtur esse vera significatio hujus vocis: cui argumento sunt etiam ea, quæ *ibid. Labeo* addit. Inquit enim, ideo malum esse partem navis, quia sine eo pleræque naves sunt inutiles: quod idem dicendum esset etiam de artemone, si esset velum majus, ut putat *Bayfius*, quia sine hujusmodi velo navis non agitur: præsertim si loquamur de antiquorum navibus, quæ non erant tot velis instructæ, ut nunc sunt, navigandi arte ad summum perducta. — Sunt etiam qui putant, esse velum figuræ triangularis, quod ad puppim navis extenditur. Denique fuere qui *artemonem* malum ipsum navis interpretarentur. Sed vero propius, ut dixi, *Schefferus* accedit ¶ 2. Præterea, *artemon* dicitur trochlea pluribus orbiculis instructa et in ima parte tractoriæ machinæ collocata, cui respondet altera in summo machinæ posita: per quas trajiciuntur ductarii funes, qui manu hominum tracti, ingentia pondera facili negotio ad summum perducunt. Hujusmodi trochlea a *Dan. Barbaro* appellatur Italice *pastecca*, ab aliis *calcese*. V. eum, et *Rusconium in architect. Vitruv.* ubi figuram exhibent. Hoc sensu est ab ἀρτάω *tollo, suspendo*. *Vitruv.* 10. 2. 9. *Schneid.* In radice machinæ collocatur tertia trocleа: eam Græci ἐπάγοντα, nostri artemonem appellant.

ARTENA. *V.* **ARYTENA**.

ARTENCATA. *V.* **ATTERRANEA**.

ARTĒRĬA, æ, f. (ἀρτηρία). Aliam formam neutr.

gen. Vide infra 1. sub d. ¶ 1. Arteria est ductus, seu canalis, per quem animal spiritum ore in pulmones trahendo et expellendo respirat: ab ἀὴρ *aer*, et τηρέω *servo*, quia vitalem aerem servat (It. *aspera arteria*; Fr. *la trachée-artère*; Hisp. *traquiarteria*; Germ. *Luftröhre*; Angl. *the gullet or wind-pipe*). — *a*) Hæc dicitur *aspera arteria*, Gr. τραχεῖα ἀρτηρία, quod interius inæqualis est et scabra. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Cum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat adjunctum linguæ radicibus. *Cels.* 4. 1. Deinde duo itinera incipiunt: alterum asperam arteriam nominant, alterum stomachum. *b*) Absolute. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. (175). Arteria ad pulmonem atque cor pertinens. *Et ibid.* 51. 112. (267). Pulmone et arteria carere. *Id.* 20. *ibid.* 6. 22. (49). Porrum capitatum pulmonis et arteriæ vitia sanat. *Id.* 22. *ibid.* 25. 66. (136). Arteria exulcerata. *Id.* 27. *ibid.* 12. 105. (130). Arteriæ scabritia. Adde *Gell.* 17. 11. *Scribon. Compos.* 72. Exasperata arteria. *Id. Compos.* 74. Tumor arteriæ. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Ea pulmonis cannula, quam Græci arteriam vocant. *Et ibid.* 12. Ex arteria, hoc est pulmonis calamo. — *c*) Usurpatur sæpe in plurali numero, quia arteria in inferiore parte, qua pulmoni adnectitur, in plures dividitur ramos, quos βρόγχια Græci appellant: unde *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. Ad arteriam majorem, sive gutturis cannam, quam Græci βρόγχον appellant, facta eruptio spirationis ingerit difficultatem et tussiculam. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 21. Læduntur arteriæ, si acri clamore compleantur. *Et mox.* Arteriæ reticendo acquiescunt. *Et mox.* Vulnerantur arteriæ. *Gell.* 10. 26. Clamor per arterias, e-per fauces gradiens (*fauces* sunt ostia superiora arteriarum). *Sueton. Vitell.* 2. Arterias et fauces fovere. *Id. Ner.* 25. Adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 23. 48. (100). Arteriæ exasperatæ. — *d*) Reperitur etiam *arteria*, orum, neutr. gen. *Lucret.* 3. 529. Præterea radit vox fauces sæpe, facitque Asperiora foras gradiens arteria clamor. ¶ 2. Præterea sumitur *arteria* pro conceptaculo spiritus vitalis sanguine admixti, quod sub vena per totum corpus diffunditur. Differt a vena, quia per hanc sanguis influit in cor; per arteriam vero a corde in totum corpus diffluit: præterea vena quieta est et immobilis; *arteria* micat, et pulsu indicat motum cordis. Differunt etiam in structura; de qua *V.* Anatomicos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. *Et ibid.* § 139. Venæ et arteriæ a corde tractæ et profectæ. *Id. ibid.* 9. 24. Jam vero venæ et arteriæ micare non desinunt quasi quodam igneo motu. *Cels.* 2. 10. Juncta est vena arteriis, his nervi. *Et mox.* Arteria incisa non coit, neque sanescit. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 15. In nostris corporibus et venæ sunt et arteriæ: illæ sanguinis, hæ spiritus receptacula. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (219). Arteriarum pulsus citatos, aut tardos, etc. Quod vero mox subdit, *ibid.* 89. (220). Arteriæ carent sensu: nam et sanguine; hoc dicit ex veterum quorumdam medicorum opinione, quæ satis jam experientia confutata est. Verum diceret, si per *arterias* nervos intelligeret, qui sunt vera solius spiritus receptacula. Adde *Gell.* 18. 10.

ARTĒRĬĂCĒ, es, f. 1. (ἀρτηριακή) medicamentum ad fovendam ac sanandam asperam arteriam, ut verbi gratia cum asperata est et vocem amisit, etc. *Cels.* 5. 25. n. 17. Arteriace vero hoc modo fit: casiæ, iridis, cinnamomi, nardi p. 1. etc. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 71. (136). Fit ex pomo panchrestos sto matice, eadem arteriace appellata. Adde *eumd.* 20. *ibid.* 19. 79. (207)., et *Scribon. Compos.* 74. et 75.

ARTĒRĬĂCUS, a, um, adject. (ἀρτηριακός) ad asperam arteriam pertinens. *Vitruv.* 1. 6. 3. *Schneid.* Arteriaca gravitudo. *V.* ARTHRITIS. — *Arteriaca medicamenta* dicuntur, quæ tussim movent, et humorum in pectus labentium expulsionem irritant et adjuvant, Græce ἀρτηριακὰ dicta. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 6. Adhibere medicamenta arteriaca. *Pelagon.* 28. 18. Confectio arteriaca.

ARTĒRĬĀSIS, is, f. 3. idem quod raucedo. *Isid.* 4. *Orig.* 7. Raucedo est amputatio vocis. Hæc et arteriasis vocatur, eo quod vocem rauram et clausam reddat ab arteriarum injuria.

ARTĒRĬŎTŎMĬA, æ, f. 1. (ἀρτηριοτομία) sectio arteriæ a medico facta sanguinis mittendi causa; ab ἀρτηρία *arteria*, et τέμνω *seco*. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. ad fin. Item arteriotomiam probant et ustu-ram. Adde *Theod. Priscian.* 3. 2.

ARTHRĒSIS, is, f. 3. idem quod arthritis. Male corripuit pænultimam *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 495. Nodosa torquet quos podagra et arthresis.

ARTHRĪTĬCUS, a, um, adject. (ἀρθριτικός). ¶ 1. Generatim est ad articularem morbum pertinens. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Quidam mediri arthriticam passionem genus vocant, podagricam vero speciem. ¶ 2. Item qui articulari morbo laborat. *Cic.* 9. *Fam.* 23. Non enim arbitror coquum etiam te arthriticum habere. *Papinian. lib.* 4. § 130. p. 263. *Corp. Juris Ante Justin.* Si quando autem hujusmodi valetudo affirmetur, inspectio prætoris necessaria est. Sive autem quis arthriticus sit –, sive orbus, et his similia excusantur. — Et absolute. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Arthriticis vero convenit etiam digitis ceram emolliendam dare.

ARTHRĪTIS, idis, f. 3. (ἀρθρῖτις) morbus articulorum, ex humore aliquo vitioso in artubus decumbente, cujus species sunt *podagra*, *chiragra*, *ischias*, et alia id genus: Græca vox ab ἄρθρον *articulus*, *artus*. *Vitruv.* 1. 6. 3. *Schneid.* Vitia autem sunt, quæ difficulter curantur, gravitudo, arthritis, tussis, pleuritis, phthisis. Doctissimus *Morgagni* in *epist.* ad *Polenum Exerc. II. Vitruvian.* p. 142. legendum censet *ravitudo arteriæ*, seu *arteriarum*, vocemque *arthritis* et a vestigiis codicum primæque editionis, et a *Vitruvii* sententia omnino alienam existimat, et a *Vitruvii* sententia omnino ait recedere. Non enim *arthritis* locum habet inter vitia cetera, quæ hoc in loco a *Vitruvio* memorantur, quæque ad thoracem, pulmones, asperam arteriam, ad summum ad pituitariam membranam attinent. *Arthretis* primus dedit *Jocundus* in sua *Vitruvii* edit., quod postea in *Arthritis* commutatum est. *Schneiderus* habet *gravitudo arteriaca*. Viderint eruditi, quidnam retinendum sit. — Certa tamen est lectio hujus vocis apud *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Podagra pedum tantummodo dolor est: arthritis vero etiam cunctorum articulorum, sive multorum. *Et paullo post.* Arthritis non illico podagra dici potest; siquidem genua vel manus tenens γονάγρα aut χειράγρα dicitur, vel τενοντάγρα si majores tenuerit nervos.

ARTĬCŬLĀMENTUM, i, n. 2. occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu, et est articulorum commissura. *Scribon. Compos.* 206. Ad luxatum omne et ejectum et repositum articulamentum bene facit. *Id. ibid.* 214. Contusa, vel incisa articulamenta. *Et ibid.* 263. Articulamentorum dolor.

ARTĬCŬLĀRIS, re, adject. ad articulos pertinens. ¶ 1. Articularis morbus vel passio est idem omnino ac arthritis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (195). Anisum lenit articulares morbos. Adde *eumd.* 21. *ibid.* 21. 89. (157). *Sueton. Galb.* 21. Manibus pedibusque articulari morbo distortissimis. *Scribon. Compos.* 101. Prodest ad articularem morbum, quem ἀρθρῖτιν vocant. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Sequitur autem passione articulari tentatos torpor. Adde *Apul.* 5. *Met.* 10. ¶ 2. *Priscian.* 12. p. 938. *Putsch.* appellat *hic*, *hæc*, *hoc*, pronomen articulare, quia articuli vice fungitur. *V.* ARTICULARIUS 2.

ARTĬCŬLĀRĬUS, a, um, adject. idem ac articularis. ¶ 1. Est idem atque arthriticus. *Cato R. R.* 157. Articularium morbum purgat brassica. *Plin.* 23. *Hist. nat. præfat.* 3. (3). Folia vitium mitigant articularios morbos. *Id.* 25. *ibid.* 5. 22. (54). Helleborum nigrum medetur articularibus morbis. Adde 22. *ibid.* 13. 15. (34). — *Articularius*, ii, absolute dicitur, qui articulario morbo laborat. *In suppositis Mercat. Plauti, scæna quæ incipit: Syra non redit.* Nec podagricus, nec articularius est, quem rus ducunt pedes. ¶ 2. *Articularia pronomina* dicuntur a quibusdam Grammaticis *hic*, *iste*, quia more articulorum cum nominibus declinantur. *Servius in artem secund. Donat.* p. 1785. *Putsch.* et *Priscian.* 2. p. 574.; in quibus tamen illud *articularia* rectius deducitur ab ARTICULARIS.

ARTĬCŬLĀTĒ, adverb. per articulos, membratim: sed occurrit figurate solummodo de sermone, et est distincte, clare. *Gell.* 5. 9. Eoque nisu et impetu spiritus vitium nodumque linguæ rupit, planoque et articulate elocutus est. — *NB. Cic.* 6. *Att.* 5. *in fin.* Valebis igitur, et puellæ salutem articulate dices. *Mattius* hic, Erat, inquit, Adhuc infans Attica, quæ neque satis integre proloqui, neque loquentem quiret intelligere, nisi articulate pronunciasses. At optimæ editiones habent *Atticulæ*.

ARTĬCŬLĀTIM, adverb. per articulos, membratim (It. *a membro a membro, a brano a brano*; Fr. *membre à membre, par morceaux*; Hisp. *miembro a miembro*; Germ. *glieder-oder stückweise*; Angl. *from joint to joint*).

I.) Proprie. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 26. 67. Membra obtruncare, et articulatim dividere. *Ascon. argum. Milon. a med.* p. 36. 12. *Bait.* Articulatim consecare aliquem. Et figurate *Plaut. Epid.* 3. 4. 52. Istic homo articulatim te concidit. *Id.* apud *Gell.* 3. 3. Alicui diem articulatim comminuere.

II.) Translate occurrit de oratione, et est distincte, seorsum, scilicet dividendo per capita juxta Logices regulas. *Lucret.* 4. 557. necesse est verba quoque ipsa Plene exaudiri, discernique articulatim. *Cic.* 1. *Legg.* 13. 36. Quæ fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. *Varro* 10. *L. L.* 75. p. 261. *Mull.* Quod pleræque definitiones – non facile perspiciuntur, nisi articulatim sint explicatæ.

ARTĬCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (articulo).

I.) Proprie. ¶ 1. In arboribus est, cum veluti per articulos, seu nodos crescunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 23. 41. (101). Tunc cernitur excrescentium cacuminum articulatio. Adde 17. *ibid.* 21. 35. (163). ¶ 2. Est etiam morbus vitium peculiaris, qui tribus de causis accidere solet: una vi tempestatum germinibus ablatis; altera in supinum excisis; tertia culturæ imperitia læsis. Omnes enim earum injuriæ in articulis sentiuntur. Hæc *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (226).

II.) Translate occurrit de verborum pronunciatione seu vocis inflexione. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. Linguæ impedimentum atque locutionis inapprehensibilis articulatio.

ARTĬCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (articulus). Part. *Articulatus*. — Articulo proprie est in articulos veluti divido vel efformo: sed occurrit translate tantum de voce, quæ in verba distinguitur et profertur. *Lucret.* 4. 548. Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro Exprimimus, rectoque foras emittimus ore, Mobilis articulat verborum dædala lingua. *Apul. Florid.* 2. 12. Articulare verba. *Arnob.* 3. 13. Labia habere cum dentibus, quorum inflictu et mobilitate multijuga lingua sonos articulet et vocem in verba conformet. *Id.* 7. 9. Articulatas voces expromere. Adde *Augustin.* 3. *Doctrin. Christ.* 29. *Solin.* 52. *a med.* Psittacus articulata verba penitus eloquitur. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. Locutio non articulata, sed confusa. — Hinc *articulata* vox dicitur a *Priscian.* 1. p. 537. *Putsch.* quæ exit in verba et sensum aliquem ejus, qui loquitur, significat: sicut *inarticulata* quæ illi est contraria. Adde *Isid.* 1. *Orig.* 14. *Cassiod. de orthogr. præfat.* Vox articulata nos a pecoribus sequestrat: scribendi vero ratio ab imperitis dividit et confusis: ita perfectum hominem duo ista sibi vindicant ac defendunt.

ARTĬCŬLŌSUS, a, um, adject. articulis plenus.

I.) Proprie. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 93. (150). Radix articulosa. *h. e.* quæ plurimos habet nodos.

II.) Translate de oratione. *Quintil.* 4. 5. 24. Evitanda concisa nimium et velut articulosa partitio. *h. e.* in plurimos articulos et partes divisa.

ARTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* artus, us; ideoque est proprie parvus artus, seu junctura unius ossis vel membri cum alio, nodus (It. *articolo, giuntura, nodo*; Fr. *assemblage, jointure*; Hisp. *juntura*; Germ. *das kleine Glied oder Gefüge, die Gliederfügung oder das Gelenk*; Angl. *a small joint juncture or commissure*).

I.) Proprie. ¶ 1. Speciatim et stricto sensu est parvus artus seu nodus vel junctura unius ossis vel membri cum alio in animalium corporibus, ut ait *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (217). Nervi – nodos corporum, qui vocantur articuli, alibi interventu, alibi ambitu, alibi transitu ligantes. *Et ibid.* 67. (177). Cervix articulorum nodis jungitur. *Et ibid.* 43. 99. (244). 99. Hominis digiti articulos habent ternos, pollex binos. Hinc — *Cato R. R.* 157. Hac si uteris, omnes articulos poteris experiri. *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 79. Nævus in articulo pueri delectat Alcæum. *Id.* 1. *Att.* 5. et *Cels.* 5. 18. Dolores articulorum. *h. e.* arthritici. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 15. postquam illi justa chiragra Contudit articulos. Et *Pers.* 5. 58. cum lapidosa chiragra Fregerit articulos. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Crura sine nodis articulisque habent (*alces*). *Liv.* 27. 49. Ipso in articulo, quo jungitur capiti cervix. *Ovid.* 8. *Met.* 808. Auxerat articulos macies. *h. e.* in causa fuerat,

car articuli magis eminerent. *Seneca de Provid.* 6. Articulus ille, qui caput collumque connectit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (158). Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus! *Id.* 8. *ibid.* 45. 70. (183). Articulus suffraginis. *Id.* 10. *ibid.* 37. 52. (109). Articuli alarum. *Id.* 8. *ibid.* 41. 63. (153). Summus caudæ articulus. *Petron. Satyr.* 96. Caput miserantis stricto acutoque articulo percussi. *h. e.* talitro. *Articulorum crepitus* apud *Senec.* 3. *Ira* 4. est Italice *lo scroscio della nocca*. V. CONTERO et INFRINGO. *Quintil.* 11. 3. 142. Medios articulos non transeuntibus anulis. *Id.* 2. 12. 2. Gladiatorem vehementis impetus excipit adversarii mollis articulus. *h. e.* mollis flexus articulorum manus et corporis. — Hinc figurate *Id.* 11. 1. 70. Molli articulo tractare aliquem. *h. e.* eum leviter perstringere: quo sensu occurrit et *molli brachio objurgare aliquem*. V. BRACHIUM. Contra *Senecâ* 2. *Benef.* 6. Presso articulo venit telum. — *Exactum ad articulum* dicitur id, quod opposito digiti articulo experimur, num leve et recte fabrefactum sit. Eodem sensu dicitur homo *factus ad unguem*. V. UNGUIS. *Inscript.* in ænea statera Herculani reperta, edita a *Car. Rosinio Dissert. Isagog. p.* 55. *tab.* 8. TIberio CLAVdio CAESare AVGusto, VITELlio III. COnsulibus (*h. e.* an. 47. a Chr. n.) EXACTA AD ARTICulum CVRA AEDILium. Hæc nempe statera in ponderario Herculanensi ad examen revocata fuit ab ædilibus num congrueret cum archetypo; Itali dicunt *bollata*. — NB. In illo *Cels.* 8. 19. *extr.* Potest tamen conditus articulus canaliculo aliquo contineri: *articulus* non est junctura, sed os, quod in junctura alteri ossi adnectitur; eodem vero sensu usurpatur etiam positivum *artus*, quod *V*. ¶ 2. Per synecdochen, seu latiori sensu articuli et pro membris occurrunt. *Lucret.* 3. 697. salvas exsolvere sese (*animas*) Omnibus e nervis atque ossibus articulisque. *Cic. Orat.* 18. 59. Nulla mollitia cervicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 18. sollicitis supputat articulis. *h. e.* digitis. *Id. Heroid.* 11. 140. Litteraque articulo pressa tremente labat. Adde *Propert.* 2. 25. 80. et *Catull.* 69. 7. ¶ 3. Item specialim in plantis *articulus* dicitur nodus qui subinde excrescit ad similitudinem articuli digitorum. *Cic. Senect.* 15. 53. *de vitibus*. Exsilit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (241). Aut in pedes, hoc est radices, irrumpit vis morbi; aut in articulos, hoc est cacuminum digitos. *Id.* 16. *ibid.* 24. 36. (88). Folia nervos callumque et articulos in superiore habent parte. *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (159). et *Colum.* 2. *R. R.* 12. 9. Seges it in articulum. *h. e.* cum genicula seu nodos culmi profert. ¶ 4. *Articulos montium* dixit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (201). colles intelligens et clivos leniter assurgentes, ad similitudinem articulorum in corpore. Verba *Plinii* sunt: Italia principatum naturæ obtinens, nemorum salubritate, montium articulis ferorum animalium.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe transfertur ad orationem: et est — *a*) Distinctorum verborum conjunctio, sive minima periodi pars. *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 26. Articulus dicitur cum singula verba intervallis distinguuntur cæsa oratione, hoc modo: Acrimonia, voce, vultu adversarios perterruisti; item: Inimicos invidia, injuriis, potentia, perfidia sustulisti. *Julian. Dig.* 36. 1. 27. Si detracto hoc articulo: *Quisquis mihi heres erit*, substitutus ita fuerit etc. — Hoc autem sensu *articulus* differt a *membro*, quod pluribus constat articulis. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 186. Continuatio verborum hæc soluta multo est aptior atque jucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta. *Quintil.* 13. 3. 51. Non solum in membris causæ, sed etiam in articulis esse aliquam pronunciandi varietatem. — *b*) Articuli sunt eæ orationis particulæ, quæ a grammaticis conjunctiones dicuntur. *Cic.* 2. *Orat.* 88. 359. Multa enim sunt verba, quæ quasi articuli connectunt membra orationis. *Id.* 4. *Herenn.* 11. 17. Genus orationis fluctuans et dissolutum, eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc. — *c*) Item minimæ orationis partes dicuntur articuli. Sic *Varro* 8. *L. L.* 45. *p.* 182. *Müll.* articulos appellat *hic*, *hæc* et *quis*, *quæ*; et priorem quidem articulum finitum esse docet, posteriorem infinitum. Cf. *Priscian.* 2. *p.* 574. *Putsch. Pompon. Dig.* 35. 1. 4. Articulus *Tum* extremi quinquennii tempus significat. *Id. ibid.* 34. 2. 35. Articulus *Est* præsentis temporis demonstrationem continet. *Id. ibid.* 23. 5. 20. Hoc articulo *Quisque* omnes significantur. — *d*) Denique *articulus* peculiariter est ὁ, ἡ, τὸ apud Græcos; Latini vero hoc sensu articulos non habent, teste *Quintil.* 1. 4. 19. Noster sermo articulos (*h. e.* ὁ, ἡ, etc.) non desiderat: ideoque in alias partes orationis sparguntur. *Priscian.* 5. *p.* 670. *Putsch.* Mille indeclinabile est – et barbara plurima; sed magis omnia –. In his ergo, idest carentibus declinatione finalium syllabarum, quæ monoptota nominamus, videntur casus fieri non vocis, sed significationis dumtaxat. Itaque articulis diversis utimur pro varietate significationis, necnon etiam structuræ rationem servamus, sicut in declinabilibus per sex casus. Hic *Seb. Ciampi* in *Acroasi de linguæ Ital. p.* 34. putat, *articulos* esse idem ac *significationes*, quod postremum *segna casi* interpretatur; ideoque censet, *Prisciani* tempore vulgus Latinum habuisse usum articulorum, quemadmodum nunc Itali recentiores. Illum igitur consule, qui multa ibidem hac de re docte disputavit. ¶ 2. Sæpe ad tempus transfertur, et — *a*) Sumitur pro momento temporis, et opportuna rei gerendæ hora. — Addito termino, quo articulus definitur. *Plaut. Men.* 1. 2. 30. MEN. Non potuisti magis per tempus advenire, quam advenis. PEN. Ita ego soleo, commoditatis omnes articulos scio. *Cic. Quinct.* 5. 19. Tum iste, qui hunc in summas angustias adductum putaret, ut eum suis conditionibus in ipso articulo temporis astringeret, assem sese negat daturum. *Augustus* apud *Sueton. Claud.* 4. Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (216). Nec tamen in ipsis, quos dixi, temporum articulis, sed paucis post diebus. *Id.* 18. *ibid.* 15. 59. (222). Hi cardines singulis articulis temporum dividuntur. *Curt.* 3. 5. 10. In quo me articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. *Arnob.* 7. 36. (*al.* 39). Ventum est ergo, dum loquimur, ad ipsum articulum causæ, ventum ad rei cardinem. *h. e.* ad id, in quo causa vertitur et de quo maxime agitur. — Absolute. *Ter. Adelph.* 2. 2. 21. Illud vide, ut in ipso articulo oppressit. *h. e.* in maxima temporis ac rerum opportunitate. *Cod. Justin.* 1. 34. 2. In articulo. *h. e.* hoc ipso temporis momento, statim, nulla mora interposita. — *b*) Item generatim pro brevi temporis parte. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (11). Articulus austrinus. *h. e.* tempus, quo auster flat. *Id.* 18. *ibid.* 35. 79. (350). Octo articuli lunæ. ¶ 3. Denique transfertur et ad alia, quæ, in quosdam veluti articulos divisa, mente concipimus. — *a*) *Augustus* apud *Sueton. Claud.* 4. Quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus sit? *h. e.* per easdem honorum partes et gradus. — *b*) Apud serioris ævi scriptores, immo apud JCtos, *articuli* sunt singula rerum capita. *Julian. Dig.* 1. 3. 12. Non possunt omnes articuli singulatim aut legibus, aut senatus consultis comprehendi. *h. e.* omnes ad unam facti species, quæ occurrere possunt. *Cajus ibid.* 1. 8. 1. Summa rerum divisio in duos articulos diducitur. *h. e.* capita, sectiones. *Papinian. ibid.* 1. 5. 9. In multis nostri juris articulis.

Homonym. Discrimen inter orationis *articulum* et *membrum* V. sub II. 1. *a*.

ARTĬFEX, ficis, m. et f. 3. (ars et facio). Fem. gen. raro admodum occurrit. — Proprie est qui artem aliquam exercet; dictus ex eo, quod arte quidpiam faciat. Sumitur autem non solum pro eo, qui artem mechanicam exercet, sed etiam qui liberalem; ita ut bonis studiis ac disciplinis imbutus fuerit (It. *artista, artefice*; Fr. *artiste, artisan, ouvrier*; Hisp. *artista, artesano*; Germ. *der Kunstmeister oder Künstler*; Angl. *an artificer, artist*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Sine Genitivo rei, cujus quis est artifex. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 7. Minime miramur te tuis ut egregium artificem præclaris operibus lætari. *Id.* 5. *ibid.* 12. 7. Illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant. *Id. Mur.* 13. 29. Ut ajunt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint. *Id. Quinct.* 25. 78. Cum artifex ejusmodi sit (*Q. Roscius*), ut solus dignus esse videatur, qui in scena spectetur. *Id. Arch.* 5. 10. et *Sueton. Cæs.* 84. Artifices scenici. *h. e.* qui in scena fabulas agunt; qui et *artifices* absolute a *Plaut. Amph. prol.* 70.; *Liv.* 5. 1., 7. 2., 39. 22.; *Ovid.* 11. *Met.* 169., et *Sueton. Ner.* 49. dicuntur. *Nep. Att.* 13. Erant in ea familia pueri litteratissimi, anagnostæ optimi et plurimi librarii: pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. *Id. Chabr.* 1. Ex quo factum est, ut postea athletæ ceterique artifices his statibus statuis ponendis uterentur, quibus victoriam essent adepti. *Liv.* 42. 3. Quia reponendarum (*tegularum*) nemo artifex inire rationem potuerit. *Virg.* 1. *Æn.* 455. Artificumque manus inter se operumque labores Miratur. *Curt.* 5. 1. 22. Non vates, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant (*post hos*). *Seneca Ep.* 9. Artifici jucundius est pingere, quam pinxisse. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (186). Nec hoc gloriæ artificis (*h. e.* aurigæ) daretur. *Quintil.* 12. 10. 9. Phidias dis, quam hominibus efficiendis melior artifex. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Ut de pictore, sculptore, fictore nisi artifex judicare (*non potest*). *Gell.* 1. 5. Artifex rhetoricus. *h. e.* qui rhetoricam profitetur aliosque docet. *Petron. Satyr.* 109. Artifex peritus. *h. e.* suceps. — *b*) Addito Genitivo rei, cujus quis est artifex. *Cic.* 1. *Orat.* 6. 23. Græci dicendi artifices et doctores. *Liv.* 29. 35. Artifex talium operum. *h. e.* tormentorum. *Quintil.* 5. 12. 21. Artifices statuarum. — Et figurate *Cic. Tim.* 2. Artifex mundi Deus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Artifex omnium natura. *Propert.* 1. 2. 8. Artifex formæ. *h. e.* qui artis suæ ornamentis pulcritudinem auget. ¶ 2. Quoniam artifex is habetur præcipue, qui suæ artis præcepta optime callet; ita ponitur sæpe pro perito, docto. — *a*) Cum Genitivo rei. *Sall. Jug.* 35. Homines talis negotii artifices. *Sueton. Tit.* 7. Quidam ex gratissimis delicatorum tam artifices saltationis, ut mox scænam tenuerint. *Id. Cal.* 32. Miles decollandi artifex. *Propert.* 2. 1. 60. Artifex morbi. *h. e.* sanandi morbi peritus. *Tac.* 12. *Ann.* 66. Locusta artifex veneni. — *b*) Absolute. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. Confundit atque turbat hæc passio non solum inertes, sed etiam artifices. — *c*) Occurrit et de brutis. *Artifex equus* est freno assuetus et magistri arte peritus vehendi. *Ovid.* 3. *Art. am.* 555. Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas, Comparibus frenis artificemque rogat.

II.) Translate. ¶ 1. Artifex dicitur qui ad rem aliquam agendam ceteris præstat dexteritate. *Cic.* 7. *Verr.* 71. 183. Si qui sunt, qui – artifices ad corrumpendum judicium velint esse. *Id. Quinct.* 24. 77. Cum contra talem artificem (*Q. Hortensium*) dicturus essem. *Id.* 2. *Fin.* 35. 115. Artifex callidus voluptatum comparandarum. *Q. Cic. Petit. cons.* 12. 47. Cotta in ambitione artifex. *Liv.* 6. 36. Artifices tractandi animos plebis. Cf. *Quintil.* 11. 1. 85. Summus tractandorum animorum artifex. *h. e.* Cicero. *Ovid.* 1. *Art. am.* 656. Quam necis artifices arte perire sua. *Id.* 13. *Met.* 551. Artifex cædis. *Seneca Ep.* 9. faciendarum amicitiarum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (6). monstrorum. *Seneca Agam.* 975. sceleris infandi. *Tac.* 2. *Hist.* 86. serendæ in alios invidiæ. *Declam.* tributa *Quintil.* 10. 9. Artifex in lacrimas alicujus. *h. e.* qui ingeniosus est, ut alicui luctum creet. ¶ 2. Absolute accipitur interdum in malam partem pro vafro, callido, astuto. *Ter. Phorm.* 2. 1. 29. O artificem probum. *Virg.* 2. *Æn.* 125. et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus. *Id.* 11. *ibid.* 406. Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit Artificis scelus. *h. e.* artifex sceleratus, quo pacto a *Plauto scelus viri* dictum est. ¶ 3. Interdum ponitur de inanimis, et est quod arte plenum est, quod artis præcepta exhibet vel callet. *Cic. Brut.* 25. 95. Artifex stilus. *Id. Orat.* 48. 161. Consuetudo tam artifex suavitatis. *Ovid.* 15. *Met.* 218.; *Propert.* 4. 2. 62., et *Gell.* 12. 1. Manus artifices. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (55). Vir tam artificis ingenii. *Id.* 6. *ibid.* 30. 35. (187). Mobilitas ignea artifex ad formanda corpora. — Et cum Infinito. *Pers. prol.* 10. Magister artis ingeniique largitor Venter, negatas artifex sequi voces. ¶ 4. Hinc passive dicitur de eo, quod artificio elaboratum est. *Propert.* 2. 31. 8. Quatuor artifices vivida signa boves. *h. e.* summo artificio elaboratæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (85). *de lusciniæ cantu.* Tantæ tamque artifices argutiæ. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (115). Manus libratur artifici temperamento. *Id.* 8. *ibid.* 40. 61. (150). Artifex dimicatio. *Quintil.* 9. 4. 8. motus. *Pers.* 5. 40. vultus. *Solin.* 35. Artifici plaga vulnerare corticem.

ARTĬFĬCIĀLIS, e, adject. arte constans, ab arte scientiaque profectus, ἔντεχνος, ut Græci ajunt; cui opponitur *inartificialis*, ἄτεχνος. *Quintil.* 5. 1. 1. Artificiales probationes. *h. e.* juxta artis regulas constitutæ ac prolatæ. *Id.* 12. 8. 14. probationis genus. *Id.* 6. 4. 4. ratio. — Hinc

Artificialia, ium, n. 3. substantivorum more sunt

quæ ad artem pertinent. *Quintil.* 1. 8. 14. Artificialium commonere. *h. e.* vocabulorum artis.

ARTIFICIALITER, adverb. juxta artis præcepta, cui *inartificialiter* opponitur. *Quintil.* 2. 17. 42. Sed nec illa omittenda sunt, qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat.

ARTIFICIOLUM, i. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 89.

ARTIFICIOSE, adverb. Comp. *Artificiosius* et Sup. *Artificiosissime*. — Est juxta artis præcepta. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 186. Qui illa artificiose digesta componerent. *Id.* 3. *Fin.* 9. 32. Artificiose dicere aliquid. *Id.* 3. *Nat. D.* 11. 27. ambulare. *Id.* 3. *Herenn.* 10. 17. commutare aliquid. *Id.* 2. *Nat. D.* 22. 57. Quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere. *Id.* 4. *Herenn.* 4. 7. Artificiosissime facere aliquid.

ARTIFICIOSUS, a, um, adject. Comp. *Artificiosior* 2., Sup. *Artificiosissimus* 1. — Generatim est ad artem sive artificium pertinens. Hinc ¶ 1. Est arte plenus, vim artis possidens, arte atque ingenio pollens. *Cic.* 1. *Invent.* 35. 61. Rhetorum elegantissimi atque artificiosissimi. *Id.* 2. *Nat. D.* 22. 57. Zeno ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem viâ. ¶ 2. Artificiosum dicitur id, quod artem requirit. *Cic.* 4. *Herenn.* 4. 7. Si artificiosum est intelligere, quæ sunt ex arte scripta, multo est artificiosius ipsum scribere ex arte. *Forcellinus* hunc *Cic.* locum ad superiorem paragr. retulit. *Id.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Venæ toto corpore intextæ vim quamdam incredibilem artificiosi operis divinique testantur. *Id.* 2. *Fin.* 5. 15. Loqui de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici. Adde *Vitruv.* 9. 8. 2. *Schneid.* ¶ 3. Item arte constans, ab arte proveniens. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Ea genera divinandi non naturalia, sed artificiosa dicuntur. *Id.* 3. *Herenn.* 9. 17. Artificiosus ordo. *Id. ibid.* 10. 17. res. *Id. ibid.* 11. 19. dispositiones. *Id. ibid.* 16. 28. memoria. *Id.* 1. *Invent.* 5. 6. eloquentia. *Cf. Quintil.* 2. 17. 2.

ARTIFICIUM, ii, n. 2. (ars *et* facio) generatim est id, in quo artifex versatur vel versatus est. Hinc ¶ 1. Est ars vel artis exercitatio, professio artificis (It. *arte, mestiere, esercizio di arte*; Fr. *art, état, profession, métier*; Hisp. *arte, profesion*; Germ. *die Kunstübung*; Angl. *art, artifice, workmanship*). Occurrit *a*) Sæpius de sordidis. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 4. Atque ut omittam artes elegantes ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 144. Quo enim spectat illud, cum artificia tolli quereris, nisi ut opifices concitentur? *Id.* 1. *Off.* 42. 150. De artificiis et quæstibus qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus. *Id.* 7. *Verr.* 25. 64. Aliquid formæ, ætatis artificiique habere. *Id. Rosc. Am.* 17. 49. Artificium oblivisci (*agri colendi*) et studium deponere. Similiter *Seneca Ep.* 112. vocat *artificium* cultum vinearum et agriculturam. *Cic.* 1. *Orat.* 28. 129. Tenue et leve artificium (*scænicorum*). *Seneca* 6. *Benef.* 17. Sordidissimi artificii institor. *Quintil.* 2. 15. 25. Artificium coquorum, mangonum. *Martian. Dig.* 32. 1. 65. § 2. Scire plura artificia. *Et ibid.* Versari in artificio. *Callistrat. ibid.* 38. 1. 38. Exercere artificium. *Paul. ibid.* 6. 1. 31. Discere artificium aliquod. *Ulp. ibid.* 13. 7. 25. Instruere servos artificiis. — *b*) Raro de liberalibus. *Cic.* 7. *Fam.* 13. 2. Tantum metuo, ne artificium tuum (*jurisconsulti*) parum tibi prosit. *Id. Cluent.* 21. 57. Quod medici nihil præter artificium, oratores etiam auctoritatem præstare debent. *Id. Rosc. Am.* 17. 49. Artificium accusatorium. *Cf. Plin.* 2. *Ep.* 14. ¶ 2. Est etiam idem ac scientia, industria, ingenium, quod adhibetur ab artifice in opere faciendo; ac propterea ponitur etiam pro ipso opere ingeniose perfecto. *Cic.* 6. *Verr.* 33. 72. Simulacrum singulari opere artificioque perfectum. *Et ibid.* 21. 46. Omnia antiquo opere et summo artificio facta. — Et pro ipso opere. *Cic.* 6. *Verr.* 21. 46. Ut intelligatis in homine intelligentiam fuisse, non avaritiam; artificii cupidum, non argenti fuisse. *h. e.* emblematis, quod de turibulo argenteo avulserat. *Id. ibid.* 59. 132. Hic ornatus, hæc opera atque artificia, signa, tabulæ pictæ, Græcos homines nimiopere delectant. ¶ 3. Item generatim pro calliditate, arte, peritia, qua quis utatur in re difficili agenda: quo sensu occurrit — *a*) De iis, quibus uti licet. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 87. Non possum disposite istum accusare, si cupiam: opus est non solum ingenio, verum etiam artificio quodam singulari. *Cf. eumd.* 4. *Herenn.* 2. 3. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 86. *Id. Cluent.* 21. 58. Verba gravissima ex intimo artificio depromere. *Cæs.* 7. *B. G.* 29. Non virtute, neque acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et scientiâ oppugnationis. — *b*) De iis, quibus uti non licet; ac proinde artificium est pro dolo, fallacia, mala arte. *Cæsar* apud *Cic.* 9. *Att.* 8. c. § 2. Quorum artificiis effectum est, ut respublica in hunc statum proveniret. *Cic.* 1. *Orat.* 17. 74. Id ipsum, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus; ut et mihi, quæ ego vellem non esse oratoris, concederes, et ea ipsa etc. *Id.* 9. *Fam.* 16. 2. Non jam satis est consilio pugnare; artificium quoddam excogitandum est. *Id. Planc.* 9. 22. Vicinitas non assueta mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita artificio simulationis. *Seneca Ep.* 112. Rebus, non artificiis philosophus. ¶ 4. Denique ponitur pro scientia cujuscumque rei, quæ ex arte ac studio provenit, disciplina, institutione, præceptione. *Cic.* 1. *Orat.* 32. 146. Non esse eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum. *Id.* 2. *ibid.* 19. 83. Componere artificium de jure civili. *Id.* 2. *Herenn.* 31. 50. Artificium præceptorum. *Id.* 3. *ibid.* 16. 28. memoriæ.

ARTIFICUS, a, um, adject. idem ac artificiosus. *Mar. Victorin.* 1. p. 1938. *Putsch.* Modulatio est continuati sermonis in jucundiorem dicendi rationem artificus flexus, et in delectabilem auditus formam conversus, asperitatis vitandæ gratiâ. *Lindemann.* ita edidit; at *Putschius* perperam pro *artificus* habet *artificis*.

ARTIGRAPHUS, i, m. 2. qui artem grammaticam scripto libello docet: vox hybrida ex Latino *ars* et Græco γράφω *scribo*; quam usurpat *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 108., *Cassiod. Inst. div. litt.* 15., et *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1220.

ARTIM *vel* artim pro *arte* quidam legunt apud *Cic.* 12. *Att.* 44., sed perperam; nam pro *nec artim* legendum *Cartejæ*.

ARTIO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (artus, us). Part. *Artitus*, sed dubiæ lectionis. — Artio est arte immitto, adigo (It. *cacciar dentro strettamente*; Fr. *faire entrer de force*; Hisp. *hundir, ochar*; Germ. *fest einfügen*; Angl. *to drive in so as to fit tight*). Hæc vox usurpata fuisse videtur in vulgari tantum sermone. *Cato R. R.* 40. Surculum aridum, præacutum inter librum et stirpem artito primores digitos duos. *Et mox.* Surculum aridum, quem artiveras, eximito; eo artito surculum, quem inserere voles. *Et* 41. Duos surculos artito ad medullam. *Novius* apud *Non.* p. 505. 30. *Merc.* Artivit linguam in palatum. *Id.* apud eumd. *ibid.* Artire matri interfeminia. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 71. Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor, Et chalybs artita colla gravis ambit circulis. *Id. præf. Psychom.* 33. ruptis expeditus nexibus Artita bojis colla liber erigit. *In utroque tamen* Prudentii *loco alii rectius leg.* attrita.

ARTISELLIUM, ii, n. 2. (artus, us, *et* sella) sella brachiata, quæ scilicet ramos utrimque in brachiorum modum eminentes habet. *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* Artisellium de suo paravit et duas trullas. *Forcellinus* cum aliis legebat *arcisellium* et accipiebat pro sella arcuata, vel ita formata, ut posset et arcæ vicem præstare.

ARTITUS, bonis instructus artibus, ut *Paul. Diac.* p. 20. 14. *Müll.* exponit. *Gloss. Placidi* p. 435. *Mai.* Artitus, artibus edoctus. *Aliæ Gloss.* Artitus, πάντεχνος, δαίδαλος. Sunt tamen qui apud *Paul. Diac.* legunt *bonis artubus*; vel si *artibus* retineas, ab *artus* nihilominus deducendum existimant, non ab *ars* quia *artus* in Dativo plurali et *artubus* habet et *artibus*. Itaque *artitum* ajunt significare robustum. Hinc illud *Plauti Asin.* 3. 2. 19. Ubi sæpe causam dixeris, pendens adversus octo artitos, audaces viros, valentes virgatores. *Al. leg.* astutos. *Turneb. l.* 24. *c.* 31. probat. *artitos* ab *artibus*, hoc est disciplinis, atque ita loqui *Plautum* dicit, quasi ille in judicio se defenderit adversus disertos et eloquentes viros; sed simul ludere in ambiguo, cum *virgatores* subjungat. — *NB.* De partic. ab *artire* V. ARTIO.

ARTIUS, a, um, adject. Græca vox ἄρτιος, quæ significat integrum, perfectum, et, cum de numero agitur, significat parem; cui opponitur περισσός *imperfectus, impar.* Latinis litteris occurrit apud *Capell.* 9. p. 321. Item alia (*vocis spatia sunt*) cohibentia (*lege* convenientia), alia discrepantia, tuncque alia enarmonia, alia chromatica, alia diatonica; item alia artia, alia perissa; sed prima æqualia, secunda excurrentia memorabo. *Grotius* ediderat *aria*, quod *Kopp.*, ipso sensu jubente, in *artia* mutavit.

ARTO *vel* arcto, as, avi, atum, are, a. 1. (artus, a, um). Part. *Artans* I., *Artatus* in omnibus paragraphis. — Artare est stringere, constringere, in artum comprimere (It. *stringere, serrare, restringere*; Fr. *serrer fortement, lier étroitement*; Hisp. *atar, legar, cerrar*; Germ. *fest anfügen, festdrängen, zusammendrängen*; Angl. *to straiten, confine, draw tight or close, strain*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 1. 509. primordia rerum condenso conciliata artare. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 9. Transversos fustes spisse artare. *Cels.* 6. 18. Fasciæ artatæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (209). Vitis contineri debet vimine, non artari. *Id.* 3. *ibid.* 6. 13. (83). Etiamnum angustias eas (*maris*) artantibus insulis parvis. *Martial.* 1. 2. Libri, quos artat brevibus membrana tabellis. *h. e.* in artum colligatos continet. *Id.* 9. 90. Atriaque immodicis artat imaginibus. *h. e.* occupando veluti artiora et angustiora facit. *Lucan.* 4. 370. Artare animam. *Id.* 9. 35. pelagus artant carinæ. *Id.* 5. 234. Artatus pontus. *Stat.* 11. *Theb.* 30. vallum artatur denso fugientium examine. — *b*) Addita re, cui alia artatur. *Colum.* 10. *R. R.* 277. flores artare canistris. *Stat.* 4. *Theb.* 156. inexhaustis artantur tela pharetris. *Pallad.* 11. *R. R.* 8. 3. Artare foramini taleam. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (30). Artare cancellos in rugas.

II.) Translate est angustioribus limitibus circumscribere, imminuere. *Plaut. Capt.* 2. 2. 54. Fortuna humana fingit artatque, ut lubet. *Liv.* 45. 36. In præmiis, in honoribus omnia artata. *Vellej.* 2. 16. 5. Quod clarum fuit, artatum angustiis temporum. *Id.* 2. 10. 2. Artata numero felicitas. *Id.* 2. 10. 2. Artati temporis spatium. *Martial.* 12. 5. labor. *Petron. Satyr.* 85. Dies solemnis ludum artaverat. *h. e.* litterarium ludum angustioribus finibus circumscripserat. *Ulp. Dig.* 42. 1. 2. Artare, aut prorogare tempus. *Id. ibid.* 38. 9. 1. Artare aliquem. *h. e.* breve tempus ei præstituere. *Id. ibid.* 1. 11. 2. Artare se. *h. e.* ad temporis angustias se redigere. *Pacat. Paneg. Theod.* 32. *ad fin.* Artare annonam. *h. e.* annonæ caritatem inducere.

ARTOCOPOS vel **ARTOCOPUS**, i, m. } *V.* ARTOPTA.

ARTOCREAS, atis, n. 2. edulium pane et carne constans: vox Græca ab ἄρτος *panis*, et κρέας *caro*. *Pers.* 6. 50. Oleum, artocreasque popello largior. *h. e.* epulum populo præbeo. Quidam putant, viscerationem intelligi, in qua vero simile est, non solam carnem, sed et panem distribui solitum fuisse. Quod confirmat *Inscript.* apud *Amaduzzium Anecd. Rom.* T. 1. p. 464., quæ est apud *Orell.* 4937. DEDICATIONE ARTOCREA POPVLO CVRENSI DEDIT. Idipsum præcipue apparet ex his verbis *Vopisci* in *Aurelian.* 48. Statuerat, ut, quemadmodum oleum et panis et porcina gratuita præberentur, ita etiam vinum populo Romano daretur. *Gloss. Philox.* Visceratio, ἀρτόκρεας.

ARTOLAGANUS, i, m. 2. ἀρτολάγανος, panis genus delicatissimi, quod cum pusillo vino, lacte, oleo et pipere coquitur, ut *Athen. l.* 3. *c.* 28. docet: ab ἄρτος *panis*, et λάγανον *placenta*. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105). Panis varia genera, alias ab obsoniis appellati, ut ostrearii; alias a deliciis, ut artolagani; alias a festinatione, ut speustici. *Cic.* 9. *Fam.* 20. 2. Dediscendæ tibi sunt sportellæ et artolagani tui. *NB.* Quidam putant *artolaganos* esse quas Itali dicimus *frittelle*, nempe *pasta quasi liquida fritta nell' olio*.

ARTOPTA, æ, f. 1. (ab ἀρτόπτης, ut *authepsa* ab αὐθέψης) vas, in quo panis coquitur, nec quivis panis, sed lautior et delicatior: ab ἄρτος *panis*, et ὀπτάω *coquo, asso*. *Plaut. Aul.* 2. 9. 4. Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto a Congrione. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 28. (107). Artoptas jam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetæ sit illius. Quidam hoc *Plinii* loco perperam *artoptam* interpretantur de muliere panifica. *Juvenal.* 5. 72. dextram cohibere memento: Salva sit artoptæ reverentia. *h. e.* verere artoptam in domini delicias, velut in usum sacrum, comparatam, neque audeas tangere panem in ea coctum: ubi præsertim Græcam appellationem *Juvenalis* irridet more suo. Hic tamen interpretes fere omnes *artoptam* dicunt

panis dispensatorem et custodem, quasi sit ἀρτόπτης, masc. gen. ab ἄρτος, et ὄπτομαι video. Sed neque satyrica urbanitas, neque consequentium verborum contextus patiuntur, ut a prima significatione recedamus. *Henninius* panem assum intelligit, quam explicationem sumpsit a *Ferrario Elect. l.* 2. *c.* 10. Verum panis hujusmodi non *artopta*, sed *artopticius* dicitur, *h. e.* in artopta assatus, qua de re consulendi Græci scriptores *Pollux l.* 10. *c.* 25. et *Athenæus l.* 3. *c.* 28. Neque vero est prætermittendum in vet. edit. an. 1473. legi *artacopi* ab ἄρτος *panis* et κόπος, a κόπτω *seco*, id est servi, qui secando et distribuendo pani præpositi erant. In supra allato *Juvenalis* loco legendum profecto est: *Salva sit artocopi reverentia*; primum quia omnes omnino codd. et principes editiones *artocopi* habent, ac reipsa servus erat distribuendo pani, ut alter secandis carnibus præpositus; tum etiam quia jam in versu præcedente panis siligineus his verbis designatur: *Sed tener et niveus mollique siligine factus Servatur domino.* alioquin inutilis hæc esset et inelegans ejusdem rei repetitio. Adde locum *Firmic.* 8. *Mathes.* 20. Decima octava pars Tauri si in horoscopo fuerit inventa, faciet artocopos, vel pistores.

ARTOPTĪCIUS, a, um, adject. *Artopticius panis* dicitur a *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105). et *ibid.* 9. 20. (88)., qui in artopta coquitur, sicut furnaceus, qui in furno. V. *Athen. l.* 3. *c.* 28.

ARTŌTRŌGUS, i, m. 2. ἀρτοτρώγος, nomen est parasiti apud *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 9., ab ἄρτος *panis*, et τρώγω *rodo, comedo.*

ARTŌTYRĪTÆ, arum, m. plur. 1. ἀρτοτυρῖται dicti sunt hæretici quidam, qui panem et caseum ad altare offerebant: ab ἄρτος *panis*, et τυρὸς *caseus. Augustin. de Hæresib. n.* 28.

ARTRARE. *V.* ARATRARE.

ARTŪA. *V.* ARTUS, US.

ARTŪĀTIM, adverb., per artus, membratim. *Firmic.* 7. *Mathes.* 1. Intra viscera matris artuatim concisus.

ARTŪĀTUS, a, um, adject. artuatim dissectus, laniatus. *Firmic.* 6. *Mathes.* 31. *a med.* Ut sic artuatis visceris partibus, membra omnia crudelis artificii præsidio proferantur.

ARTUM, i. *V.* voc. seq. in fine.

ARTUS *vel* arctus, a, um, adject. Comp. *Artior* et Sup. *Artissimus* I. et II. — Notat *Pier.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 292. in veteribus pæne omnibus codicibus, non Virgilianis tantum, sed aliorum etiam auctorum, plerumque inveniri *artus* extrito *c*; quod ipsum docent alii permulti *Lambin., Dausq., Gronov.* apud *Drakenborg.* ad *Sil. It.* 7. 280. et *Brouckus.* ad *Tibull.* 1. 5. 53. Hanc ipsam scribendi rationem confirmat etymon, quod recentiores ferme omnes probarunt: veteres enim philologi volebant esse participium ab *arceo*, ea ratione quâ a *farcio farctus*; recentiores autem rectius putant, esse participium ab inus. *aro*, *arere*, ἄρω, quod significaret *ligo*, *conjungo*, *constringo*, quo ex fonte plura cum in Græcam, tum in Latinam linguam fluxere vocabula. — Itaque artus est colligatus, conjunctus, valde connexus, cui *laxus* opponitur, quemadmodum apud *Cic. Orat.* 65. 320. Nec tamen hæc ita sunt arta et astricta, ut ea, cum velimus, laxare nequeamus. — Hinc generatim est constrictus, angustus (It. *stretto*, *angusto*, *ristretto*; Fr. *étroit*, *serré*, *restreint*; Hisp. *estrecho*, *cerrado*; Germ. *knapp*, *enge*, *geschlossen*, *eingeschränkt*, *dicht*; Angl. *strait*, *tight*, *narrow*, *restrained*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De iis, quæ naturâ suâ constringunt. *Cic.* 3. *Verr.* 5. 13. Artioribus vinculis teneri. *Id.* 1. *Off.* 31. 111. Vinculum ad astringendam fidem artius. *Id.* 6. *Att.* 2. Artissima vincula amoris. *Id.* 3. *Off.* 6. 28. Artissimum societatis vinculum. *Virg.* 1. *Æn.* 297. arta compages. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 30. toga. *h. e.* quæ corpus constringit. *Tibull.* 4. 1. 91. frenum. *Ovid.* 3. *Fast.* 306. catena. *Id.* 6. *Met.* 242. nexus. — *b*) De locis angustis, vel ubi plurima inter se densa sunt et constricta. *Lucret.* 6. 120. Artæ regiones. *Id.* 1. 71. claustra portarum. *Cæs.* 7. *B. G.* 18. Impedimenta sua in artiores silvas abdere. *Virg.* 4. *G.* 297. Arti parietes. *Horat.* 3. *Od.* 12. 11. fruticetum. *Id.* 1. *Ep.* 5. 20. cavus. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 47. Symplegades. *Sueton. Ner.* 46. Artissimæ tenebræ. *Curt.* 3. 4. 2. Artissimæ fauces. *Id.* 7. 11. Artum os specus. *Id.* 5. 3. aditus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (86). Artissimus alveus. *Id.* 18. *ibid.* 11. 29. (115). Cernere aliquid artiore cribro. *Seneca Œd.* 277. Artis dumis obsitum iter. *Mela* 2. 7. 9. Eubœa, ubi artissima est. *Tac.* 12. *Ann.* 63. Artissimum inter Europam et Asiam divortium. *Ulp. Dig.* 21. 1. 14. § 7. Mulierem ita artam, ut mulier fieri non possit, sanam non videri constat. — *c*) De stipata hominum turba. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 29. Arta convivia. *h. e.* in quibus multi sunt convivæ et anguste accumbunt. *Id.* 2. *ibid.* 1. 60. Roma arto stipata theatro. *Tibull.* 1. 2. 99. turbâ artâ circumstare. *Stat.* 11. *Theb.* 273. Arta civibus urbs. *Lucan.* 6. 108. Arta obsidio.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de iis quæ non sunt laxa, sed vinculis præsertim moralibus homines tenent, ideoque severa sunt. *Lucret.* 5. 1146. leges artaque jura. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 4. 5. (12). leges. *h. e.* severæ et servatu difficiles. *Curt.* 3. 12. 14. Artâ propinquitate conjunctus. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Artâ familiaritate aliquem complecti. — Huc referri potest et illud *Cic.* 6. *de republ.* 10. 10. Artior somnus. *h. e.* magis profundus. ¶ 2. Item de iis, quæ non sunt perfecta, integra, abundantia, ac proinde circumscripta, exigua. *Liv.* 2. 34. et *Tac.* 4. *Ann.* 26. Arti commeatus. *Sueton. Tib.* 8. Arta annona. *h. e.* cara. *Curt.* 3. 2. 15. Tempora somni artiora, quam noctis. *h. e.* breviora. *Tac.* 4. *Ann.* 58. Artus comitatus. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 117. quamquam fortuna (*h. e.* facultates) parentum Artior expensis. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 2. Spes artior. *Liv.* 39. 32. Artior petitio. *h. e.* difficilis, ut *Forcellinus* exponit; alii vero accipiunt pro petitione, in qua quis suis desideriis nimis angustos fines ponit. ¶ 3. Denique artus est in angustias vel discrimen adductus, miser. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 82. artum solvere hospitiis animum. *h. e.* angustum, depressum, sollicitum. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 25. Rebus in artis ferre opem alicui. *Curt.* 3. 18. Omnia in dies artiora esse. *Tac.* 3. *Hist.* 69. Misso nuncio, qui circumsideri ipsos et, si subvenirentur, artas res nunciaret. *Flor.* 2. 6. Tam artis afflictisque rebus. *Sil. It.* 7. 280. Arta fames urget.

Artum, *i*, n. 2. absolute substantivorum more occurrit, semper tamen cum præpositionibus

A) Proprie, et significat locorum angustias. — *a*) In positivo. *Lucret.* 6. 158. franguntur in artum Concreti montes nimborum. *Liv.* 2. 50. Multiplicatis in arto ordinibus. *Id.* 34. 15. Suomet ipsi agmine in arto hærentes. *Lucan.* 2. 613. latus angustum jam se cogentis in artum Hesperiæ. — *b*) In Comp. et Sup. *Curt.* 7. 3. 7. Structura latior ab imo, paullatim in artius cogitur. *Id.* 5. 1. 14. Montes paullatim in artius coeunt. *Id.* 8. 2. 20. Qua in artissimum cogitur (*regio*). — *c*) Figurate. *Horat. Art. P.* 134. nec desilies imitator in artum, Unde pedem proferre pudor vetet. Cf. συνελαύνειν ἐς στενὸν apud *Lucian. Hermot.* 63. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (45). Quinquaginta ferme volumina collecta in artum. *h. e.* breviata, in epitomen redacta. *Id. Præfat.* § 37. in artum coacta rerum naturæ majestas.

B) Translate artum est angusta et misera rerum conditio. *Liv.* 26. 17. Ne in arto res esset. *Ovid.* 9. *Met.* 682. Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arto. *Claudian. B. Get.* 97. ne pejor in arto Sæviret rabies. *Et ibid.* 491. Sed numquam Mavors adeo constrinxit in artum Res, Alarice, tuas.

ARTUS, us, m. 4. Dativus et Ablativus plur. juxta optimos Codices habent *artubus*, quamquam et *artibus* olim scripsisse colligimus ex *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2229. et *Ter. Scauro* p. 2260. *Putsch.* Adde dicta in ARTITUS. — In singulari numero occurrit tantum apud *Lucan.* 6. 754. tunc omnis palpitat artus. Et apud *Val. Flacc.* 4. 310. qua primo cervix committitur artu. — Ceterum occurrit semper in plur. num. *artus*, *uum*. — Etiam *hæc artua* in neutro genere, tamquam a singulari *artu*, usurpatum legitur a *Plaut. Men.* 5. 2. 102. Ita mihi imperas, ut ego hujus membra atque ossa atque artua comminuam illo scipione. — Ratione habita etymi, vox deducenda est ab obsoleto *aro*, *arere*, ut dictum est in ARTUS, a, um, *sub init.*, unde et Græcum ἄρθρον; quemadmodum ait et *Paul. Diac. p.* 20. 17. *Müll.* Artus ex Græco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt; sive artus dicti, quod membra membris artentur. Hinc — Artus sunt commissuræ, quibus ossa et membra corporis junguntur: sed artus fere dicuntur commissuræ una simul cum ossibus et membris quatenus hæc mobilia sunt; *V.* Homonym. in fin. (It. *articoli, nodi, giunture*; Fr. *articulations*, *jointures des os*, *emboîtures*; Hisp. *juntura*; Germ. *die Zusammenfügung oder das Gefüge*; Angl. *the joints, or commissures*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Nævius* 3. *B. Punic.* 7. Sis Poinei contremiscunt artubus. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Excita cum tremulis anus attulit artubu' lumen. *V. Poeta* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 26. 67. Dum nati dissipatos artus captaret parens. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. *Id. Brut.* 60. 217. Dolor artuum. *Id.* 1. *Orat.* 26. 121. Equidem – in me ipso sæpissime experior, ut – tota mente atque omnibus artubus contremiscam. *Id.* 2. *Fin.* 28. 93. Quos ille –, cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat. *Virg.* 3. *G.* 84. Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus. *Ovid.* 3. *Met.* 40. occupat artus Attonitos tremor. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 37. (71). Luxata corpora in artus redeunt. *Id.* 11. *ibid.* 45. 101. (248). Artus suffraginum. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Artus elapsi in pravum. *Id.* 13. *Ann.* 35. Ambusti multorum artus vi frigoris. *Id.* 13. *Ann.* 16. Venenum ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus ejus raperetur. *Id. Agric.* 11. Rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus. *Id. ibid.* 37. Laceri artus. *Quintil.* 6. *præfat.* § 2. Artus moti loco. *Id.* 8. 2. 20. Suos artus morsu lacerare. *Scribon. Compos.* 104. Artus constringere. *h. e.* comprimendo perfricare. *V.* et Homonym. in fine. ¶ 2. A Poetis interdum artus pro membris usurpantur, quia sæpe solent ponere partem pro toto. *Lucret.* 3. 130. Est igitur calor ac ventus vitalis in ipso Corpore, qui nobis moribundos deserit artus. *Virg.* 2. *Æn.* 173. salsusque per artus Sudor iit. *Id. ibid.* 253. sopor fessos complectitur artus. *Id.* 4. *ibid.* 385. cum frigidâ mors animâ seduxerit artus, Omnibus umbra locis adero. *Ovid.* 9. *Met.* 268. ubi mortales Tyrinthius artus Exuit. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 250. *Id. Heroid.* 20. 117. corrumpere febribus artus.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate artus dicuntur et de vitibus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (13). Stat per se vitis artus suos in se colligens. *Sill. leg.* arcus. ¶ 2. Translate ponitur de robore et fortitudine. *Q. Cic. Petit. cons.* 10. 39. Quamobrem Ἐπιχάρμειον illud teneto, nervos atque artus esse sapientiæ non temere credere. *scilicet ex Gr.* ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Cf. *Cic.* 1. *Att.* 19. 8. — *NB. Phædrus Append. fab.* 4. tribuit *artus* nodis et laqueis retis. At nihili facienda hæc auctoritas; nam hujus Appendicis fabulæ, ut jam constat, non sunt e *Phædri* penu, sed a *Burmanno* ex antiquis codd., qui fabulas illas prosa oratione scriptas continebant, pro arbitrio numeris suis redditæ ac magna ex parte interpolatæ fuerunt.

Homonym. *Artus* differunt a *membris*: *artus* enim sunt commissuræ, quibus ossa et membra corporis junguntur; *membra* vero sunt singulæ animalis corporis partes inter se connexæ artubus, qui in earumdem extremitatibus existunt. *Seneca* 2. *Controv.* 13. Differebatur distortis manibus, emotis articulis: nondum in sua membra artus redierant. *Virg.* 5. *Æn.* 422. Et magnos membrorum artus magna ossa lacertosque Exuit. — Hinc *artus* et *membra* sæpe junguntur. *Lucret.* 2. 282. copia materiai Cogitur interdum flecti per membra, per artus. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 53. Exanimes artus et membra trementia vidi. *Val. Max.* 7. 6. *ext.* 2. Artus et membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. *Plin. Paneg.* 52. Cernere laceros artus, truncata membra. *Sueton. Cal.* 28. Membra et artus et viscera hominis tracta per vicos. *Gell.* 20. 1. Membra et artus inopis debitoris laniatu distrahere. *Forcellinus* hæc addebat: Iis et aliis in locis, in quibus artus et membra conjunguntur, non semper *artus* pro *juncturis* sumuntur, sed est quædam Latini sermonis proprietas, qua sæpe duæ voces idem significantes jungi solent.

ARUGA, æ. *V.* ARVIX.

ĀRULA, æ, f. 1. *deminut. ab* ara, parva ara. Hinc ¶ 1. Arulæ dicti sunt a Campanis, teste *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15. (77)., cumuli terræ adaggeratæ circa ulmos, quia superficie plana breves humilesque constabant. ¶ 2. Sæpius occurrit in sacris, et est parva ara ad sacrificandum. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. Ante hosce deos erant arulæ. *Jus Papinianum* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 11. Mensæ arulæque eodem die, quo ædes ipsæ, dedicari solent. *Inscript.* optimæ no-

tæ apud *Gruter*. 62. 8. SILVANO ET HERCVLI SANCTISSIMIS DEIS SACRVM. ARVLAM A SOL. DE SVA IMPENDIA CAJVS DOMITIVS MARCVS DONVM FECIT D. D. *Arnob.* 3. 24. Arulæ, pecorum sanguine delibutæ. Adde *Tertull.* 1. *ad nat.* 6. et *Inscript.* apud *Orell.* 1630.

ARULATOR. *V.* ARRILATOR.

ARULENSIS, e, adject. pertinens ad ignotum sodalicium in colonia Ostiensi, fortasse ab arula seu parva ara ita appellatum, quod sodales in minori alicujus numinis ara facerent sacra. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 56. L. LICINIO L. FIL. PAL. HERODI SODALI ARVLENSI. *Alia* apud *Gruter.* 398. 7. SODALIS ARV.....

ĀRUM, i. *V.* ARON.

ĀRUNCUS, i, m. 2. villus a caprarum mento dependens; a Græco ἄρυγγος Dorice pro ἤρυγγος. Hoc idem narrat *Aristot.* IX. 3. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (204). Dependet omnium mento villus, quem aruncum vocant: hoc si quis apprehensam ex grege unam trahat, ceteræ stupentes spectant. *V.* SPIRILLUM.

ĀRUNDĬFER vel harundifer, fĕra, fĕrum, adject. ferens arundines, arundinibus coronatus. *Ovid.* 5. *Fast.* 637. Tibris arundiferum medio caput extulit alveo. *V.* ARUNDO sub *A.*

ĀRUNDĬNĀCEUS vel harundinaceus, a, um, adject. similis arundini. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 5. (58). Frumentis folium arundinaceum.

ĀRUNDĬNĀRĬUS vel harundinarius, ĭi, m. 2. negotiator calamorum, et eorum fortasse, quibus aut Cnidiis, aut Memphiticis et Niloticis utebantur veteres ad scribendum: *V.* ARUNDO sub *B.* 11. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 27., quæ est apud *Orell.* 4199. A. AEMILIVS A. L. NICEPOR. HARVNDINARIVS. Ceterum *Valchius* ad eamdem *Inscript.* in *Act. Societ. Lat. Jen. T.* 4. *p.* 57. incertus hæret, num arundinarius sit negotiator fistularum, vel sagittarum, vel calamorum scriptoriorum, vel perticarum jugandis vitibus aut dimetiendis agris aptarum. *Hagembuchius* vero apud *Orell. n.* 4199. putat esse, qui arundines aut hamatas piscibus, aut viscatas avibus capiendis venumdat. *V.* ARUNDO sub *B.* 4. et 5.

ĀRUNDĬNĀTĬO vel harundinatio, ōnis, f. 3. suppositio arundinum ad ramos arborum fulciendos. *Varro* 1. *R. R.* 8. 3. Canusini in arundinatione in ficis. *Veteres editiones legebant* arundulatione; Pontedera *malebat* in harum jugatione; Schneiderus *mavult legere* arundinatione, *quod profecto probandum.*

ĀRUNDĬNĒTUM vel harundinetum, i, n. 2. ¶ 1. Proprie est locus arundinibus consitum (It. *canneto*; Fr. *lieu planté de roseaux*; Hisp. *cañaveral*; Germ. *das Röhricht*; Angl. *a place where reeds grow*). *Cato R. R.* 6. Ibi cacumina populorum serito et arundinetum. *Id. ibid.* 24. et *Varro* 1. *R. R.* 24. 1. Salicem Græcam circum arundinetum seri oportere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 10. (23). Ex silvis et arundinetis excitare aves. Adde *eumd. ibid.* 32. 47. (89).; *Colum.* 4. *R. R.* 30. 3. et 32. 1.; *Sueton. Ner.* 48.; et *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 324. *n.* LX., *ubi legitur* harundinetum. *V. Inscript.* apud *Orell.* 4401. ¶ 2. Arundinetum pro arundinibus dixit *Capell.* 9. *p.* 310. In carminis leporem Curam negat (*Cupido*) sagittis, Tenerumque arundinetum Nostrum in melos relinquit.

ĀRUNDĬNĔUS vel harundineus, a, um, adject. ad arundinem quomodocumque pertinens. Hinc

I.) Proprie — *a*) Qui est ex arundine. *Virg.* 10. *Æn.* 710. Arundinea silva. *Id.* 4. *G.* 265. et *Colum.* 9. *R. R.* 13. 7. canales. *Colum.* 2. *R. R.* 29. 10. cuneoli. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (117). paniculæ. *Stat.* 6. *Theb.* 174. ripæ. *h. e.* arundinibus consitæ. — *b*) Item arundini similis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 93. (150). Dracontion radice arundinea. — *Arundinea ficus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. est genus fici maculas habens arundinum foliis similes, ut est apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (70). Sunt qui apud *Macrob.* legendum putant *hirundinea*, ut sit eadem, quæ Chelidonia. Nam χελιδὼν *hirundinem* significat.

II.) Translate. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 12. Pastor arundineo carmine mulcet oves. *h. e.* sono fistulæ arundineæ, sive sono campestri.

ĀRUNDĬNŌSUS vel harundinosus, a, um, adject. arundinibus abundans. *Catull.* 36. 13. Quæque Ancona Cnidumque arundinosam Colis. Cf. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (157).

ĀRUNDO vel harundo, ĭnis, f. 3. Scriptionem cum aspiratione probat, præter *Apul. de not. aspir. p.* 91. *Osann.*, *Eutyches* apud *Cassiod. de Orthogr.* ... *Agroet. de Orthogr. p.* 2272. *Putsch.*, ubi ita distinguit, ut *arundo* sit frutex ab ariditate dicta; *harundo* sagitta: sed hoc discrimen nullum est. Legitur cum aspiratione etiam in quodam veteri Calendario apud *Gruter. p.* 138. Monet *Brisson. de verb. signif. l.* 8. in Pandectis Florentinis modo cum aspiratione legi, modo sine. Ceterum recentioribus usitatior multo et probatior est ea scriptio, qua omissa aspiratione scribitur. — Vocis etymon quidam deducunt ab ἀρόω *impello*, quippe quæ facillime a vento impellatur. — Arundo est aquaticus frutex in longam altitudinem excrescens, cortice lignoso et inarescente, fissili, præacuta semper acie, geniculatus, leni fastigio tenuatus in cacumine, crassiore paniculæ coma, radice vivaci et ipsa geniculata. Cetera, quæ ad accuratiorem ejus descriptionem pertinent, apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. legere poteris. In quo differat a *calamo* et a *canna* V. infra Homonym. (It. *canna*; Fr. *roseau*; Hisp. *caña*; Germ. *das Rohr*, *Schilfrohr*; Angl. *a reed or cane*). Sic autem rem totam complectemur, ut *A*) de arundine frutice, *B*) de arundinum usu dicamus.

A) De arundine frutice. De arundinum cultura, quarum in Italia præcipue plurimæ sunt species, multis disserunt *Cato R. R.* 6. et 47.; *Varro* 1. *R. R.* 24. 4.; *Colum.* 4. *R. R.* 33. 1. et *de arbor.* 29. 1. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 67. (173). *Cæs.* 3. *B. C.* 58. Arundinum radices. *Virg.* 7. *Ecl.* 12. arundo tenera. *Ovid.* 13. *Met.* 891. viva et procera. *Id.* 2. *Art. am.* 77. tremula. — Quoniam vero arundines amant aquam, ita a *Virg.* 2. *G.* 414. fluviales dicuntur. Hinc etiam fluviorum dii plerumque arundine coronati finguntur. *Virg.* 10. *Æn.* 305. velatus arundine glauca Mincius. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 34. *Ovid.* 9. *Met.* 2. cum sic Calydonius amnis Cœpit, inornatos redimitus arundine crines. Cf. *eumd.* 5. *Fast.* 637. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 391.) arundinum, quarum plura genera enumerat *Plin. l. c.*, has exhibet synonymias. — *a*) *Arundo* latissimo sensu Plin. l. c. et *Arundo vulgaris* Ejusd. 24. Hist. nat. 11. 50. (85).; קְנֵה אַגְמוֹן Bibl. sacr.; Καλαμος φραγμίτης καὶ χαρακίας Theophr. Hist. plant. 4. 12.; Καλαμος φραγμίτης Dioscor. 1. 114. et *Arundo* Latinorum Poetarum sunt *Arundo Phragmites* L. Spec. plant. 120. — *b*) *Arundo Rheni Bononiensis* Plin. l. c. est *Arundo micrantha* Lamrk. Encycl. illustr. gen. 1. 196. 1087. — *c*) *Donax* Plin. l. c.; Δόναξ Homer. Hymn. in Pan. 5. 15. pro fistula et Iliad. Λ. 584. pro sagitta; Καλαμος δόναξ καὶ σύριγξ καὶ εὐνουχίας καὶ αὐλητικὸς καὶ ζευγίτης Theophr. l. c.; Καλαμος δόναξ, καλαμος κύπριος καὶ συριγγίας Dioscor. 1. 114., et *Arundo* Latinorum Poetarum, sive pro fistula, sive pro sagitta usurpetur, sunt *Arundo donax* L. Spec. plant. 120. — *d*) *Arundo Epigeios* Plin. l. c.; Καλαμος ἐπίγειος Theophr. Hist. plant. l. c. sunt *Calamagrostis Epigeios* Roth. Germ. 2. 1. 91. et *Arundo Epigeios* L. l. c. — *e*) *Arundo, calamus sagittaria* Plin. l. c.; Καλαμος τοξικός Theophr. l. c.; Καλαμος ναστός Dioscor. l. c. sagittis opportunæ et *Arundo* Poetarum sunt grandiores arundines pertinentes ad genera *arundo*, *panicum* et *bambos*. — *f*) *Arundo arbor seu Indica* Plin. l. c. et Καλαμος Ἰνδικὸς σακχαροφόρος Dioscor. 2. 104. sunt *Bambos arundinacea* Lamrk. Encycl. et *Arundo arbor* C. Bauh. Pin. 18.

B) Plurimos arundinum usus persequitur *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (156). et seqq. Nos vero ab agrestibus incipientes gradum faciemus ad domesticos, medicos et militares. Itaque ¶ 1. Arundinibus veteres usi sunt ad casas contegendas. *Vitruv.* 2. 1. 3. *Schneid.* Alii luteas glebas arefacientes, struebant parietes —, vitandoque imbres et æstus, tegebant arundinibus et fronde. *Plin. l. c.* Tegulo earum (*arundinum*) domus suas septentrionales populi operiunt durantque ævis tecta alta; et in reliquo vero orbe et cameras levissime suspendunt. Cf. *Martial.* 14. 38. — Hinc interdum et milites in castris, tabernacula non habentes, casas arundine textas sibi extruxerunt. *Liv.* 35. 27. Cum ibi stativa essent et pauci tabernacula haberent, multitudo alia casas ex arundine textas fronde, quæ umbram modo præberet, texissent etc. Adde *eumd.* 27. 3. ¶ 2. *Varro* 1. *R. R.* 8. 2. docet arundine etiam vites fulciri, quod hodieque passim videre est in agro Romano. Cf. *Cato R. R.* 6. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 67. (173). ¶ 3. Arundine acuminata usi sunt veteres ad fructus secandos, teste *Colum.* 12. *R. R.* 7. 4. Olus atrum et ferulam et fœniculum cum legeris, sub tecto exponito, dum flaverscat: deinde folia et corticem omnem coliculorum detrahito. Caules si fuerint pollice crassiores, arundine secato et in duas partes dividito. *Id. ibid.* 14. 1. Mala et pira — in duas vel tres partes arundine vel osseo cultello divisa in sole ponuntur. ¶ 4. Magnus fuit arundinis usus in piscatu (unde *arundo piscatoria* apud *Plin. l. c.* § 172.); nam hamo et arundine lino appenso pisces captantur. *Plaut. Rud.* 2. 1. 5. Hice hami atque hæ arundines sunt nobis quæstu et cultu. *Tibull.* 2. 6. 23. Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces. Adde *Ovid.* 2. *Art. am.* 217. *Id.* 13. *Met.* 923. moderari arundine linum. *Id.* 8. *ibid.* 856. moderator arundinis. ¶ 5. Item in aucupio (unde *arundo aucupatoria* apud *Plin. l. c.* § 172.); nam calamis visco illitis insidiæ avibus tenduntur. Allegorice *Plaut. Bacch.* 1. 1. 17. Duæ unum expetitis palumbem: perii, arundo alas verberat. *Propert.* 4. 2. 33. Cassibus impositis venor: sed arundine sumptâ Faunus plumoso sum deus aucupio. *Petron. Satyr.* 109. Tectis arundinibus tangere volucres. Adde *eumd. ibid.* 40.; et *Martial.* 14. 218. et 9. 55. ¶ 6. Ponitur sæpe a Poetis et pro pastorali fistula, quia hæc ex arundine præcipue fiebat, teste *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (168). Tertia arundo est tibialis calami, quem auleticon dicebant. Cf. *Solin.* 5. *a med. Ovid.* 1. *Met.* 683. Junctisque canendo Vincere arundinibus servantia lumina tentat. *Tibull.* 2. 5. 31. Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo. *Ovid.* 11. *Met.* 154. Et leve cerata modulatur arundine carmen. Cf. *Id.* 1. *Remed. am.* 171. et *Sil. It.* 14. 472. *Virg.* 6. *Ecl.* 8. Silvestrem tenui meditabor arundine musam. *Sueton. Cæs.* 32. Arundine canere. — Et pro tibia occurrit apud *Ovid.* 6. *Met.* 384. Quem Tritoniacâ Latous arundine victum Affecit pœna. ¶ 7. Arundine ludebant pueri. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 248. Ludere par impar, equitare in arundine longa. ¶ 8. Arundine, tamquam baculo, usi sunt veteres ad puniendum. *Propert.* 4. 7. 25. Nec crepuit fissâ me propter arundine custos. *Petron. Satyr.* 134. Arundinem ab ostio rapuit iterumque nihil respondentem mulcavit: ac nisi primo ictu arundo quassata verberantis impetu minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset. ¶ 9. Item arundo setis munita domui verrendæ inserviebat. *Plaut. Stich.* 2. 2. 23. Efferte huc scopas simulque arundinem, ut operam omnem aranearum perdam et texturam improbam. ¶ 10. Arundine utebantur textores ad fila discernenda. *Ovid.* 6. *Met.* 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo. ¶ 11. Etiam ad scribendum arundine usi sunt veteres. Nam chartam exarabant calamis acuminatis et atramento illitis. *Pers.* 3. 11. Inque manus chartæ nodosaque venit arundo: Tunc querimur, crasso calamo quod pendeat humor etc. *Martial.* 1. 4. Neve notet lusus tristis arundo tuos. *h. e.* calamus severi scriptoris. *Auson. Ep.* 7. 49. Nec jam fissipedis per calami vias Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis. *Cnidiam arundinem* dicit, quia ex arundine Cnidi insulæ probatissimi fiebant calami ad scribendum, ut *Plin. loc. sæpius cit.* docet. Hinc *Martial.* 9. 14. *Acidaliam arundinem* dixit. *V.* ACIDALIUS. ¶ 12. Usus aliquos arundinum in medicina refert *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (267). et 24. *ibid.* 11. 50. (85). Ipse *Cato R. R.* 160. fissa arundine luxata ossa confirmari ait. Insignis vero est locus *Sueton. Aug.* 80. Coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat, ut sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio harenarum atque arundinum confirmabatur. *h. e.* fasciarum et fulcimentis arundineis. Ita legit et interpretatur *Baumgarten-Crusius* adnotat. ad hunc locum, cum alii aliter legant et interpretentur. ¶ 13. Arundinibus primo nudis, postea ferro armatis in bello multum usa est antiquitas, teste *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (159). Cf. et *Ovid.* 1. *Met.* 471. Hinc a Poetis per synecdochen arundo ponitur pro sagittis. *Virg.* 7. *Æn.* 499. actaque multo Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo. *Id.* 4. *ibid.* 73. hæret lateri letalis arundo. *Id.* 5. *ibid.* 544. volucris arundo. *Ovid.* 5. *Met.* 384. Inque cor hamatâ percussit arundine Ditem. *Id.* 10. *ibid.* 526. Inscius extanti distrinxit arundine pectus. Adde *Sil. It.* 5. 448. et 10. 261. ¶ 14. Occurrit et pro pertica mensorum. *Vulgat. Interpr. Apocalyps.* 21. 16. Et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia. Ad quæ respicit *Prudent. Psychom.* 826. Aurea planitiem spatiis percurrit arundo Dimensis. ¶ 15. In illo *Propert.* 2. 20. 71. Jam licet et Stygia

sedeat sub arundine remex etc., quidam *arundine* cymbam Charontis significari putant; et allusisse Poetam ad ea quæ scribit *Plin. loc. cit.* et 7. *Hist. nat.* 2. 2. (21). de arundinibus Indicis, quas arboreæ magnitudinis esse dicit, singulaque earum internodia navigiorum vicem præstare: et 7. *ibid.* 56. 57. (206). naves in Nilo fieri ex papyro, scirpo et arundine. Quo pertinet illud *Juvenal.* 5. 89. Canna Micipsarum prora subvexit acuta. Alii intelligunt de arundinetis circa Stygem enatis, quod præstat: alii de pertica seu virga, qua portisculus remigibus signa dat: alii denique de tuguriolo arundinibus tecto, sub quo Charon consisteret et cymbam subduceret.

Homonym. *Arundo* differt a *calamo* et a *canna*. *Calamus* enim non modo de arundine usurpatur, ut sit ipsius truncus internodiis distinctus, sed etiam de segete et arboribus; qua de re V. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. et 66. et CALAMUS. — *Canna* est et ipsa arundinis genus, sed minor graciliorque. *Ovid.* 8. *Met.* 335. tenet ima lacunæ Lenta salix, ulvæque leves, juncique palustres, Viminaque et longa parvæ sub arundine cannæ. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 7. Radiculæ degeneris arundinis, quam vulgus cannam vocat. *Id.* 4. *ibid.* 32. 3. Ea est autem arundineti senectus, cum vel exaruit situ, vel ita densatum est, ut gracilis et cannæ similis arundo prodeat.

ĂRUNDŬLĀTĬO vel barundulatio, ōnis. f. 3. *V.* **ARUNDINATIO.**

ĂRŬRA, æ, f. 1. ἄρουρα, vox Græca, qua significatur ager satus, vel ipsa seges, ab ἀρόω aro. *Caper de Orthogr.* p. 2240. *Putsch.* Filicem ita credo dictam, quod sit minus felix aruræ. *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Lacertæ, quæ in segetibus morantur, quas Græci aruras vocant.

ĂRUSPEX, ĂRUSPĬCA, ĂRUSPĬCĪNA, ĂRUSPĬCIUM. *V.* **HARUSPEX, HARUSPICA, HARUSPICINA, HARUSPICIUM.**

ĂRŬTÆNA, æ. *V.* **ARYTÆNA.**

ARVA, æ, *V.* **ARVUS.**

ARVĀLIS, le, adject. ad arvum pertinens. *Arvales Fratres* (quos *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (6). *arvorum sacerdotes* appellat) dicti sunt, qui sacra publica faciunt, propterea ut fruges ferant arva, quemadmodum *Varro* 5. *L. L.* 85. p. 33. *Müll.* docet. Cf. *Masurius Sabinus* apud *Gell.* 6. 7. Fuit autem collegium duodecim sacerdotum institutum a Romulo, qui nutrici suæ Accæ Laurentiæ, quod ipsa ex duodecim filiis maribus unum morte amiserat, in illius locum sese filium dedit, seque et ceteros ejus filios *Fratres Arvales* appellavit. *Marinius* in *præfat.* p. XVII. ad *Fratr. Arv.* putat hos quartum locum occupasse inter majora collegia sacerdotum; sed *Borghesi* in *Dec. num.* 7. *oss.* 7. p. 25. id negat probatque Arvales numquam inter majora collegia annumeratos fuisse. Gestabant pro insigni spiceam coronam vitta alba illigatam, eorumque honor nonnisi vita finiebatur, et exules etiam comitabantur, ut apud *Plin. loc.* superius *cit.* Verosimile videtur duodecim semper numero fuisse, licet in *Inscriptionibus*, quæ de iis supersunt, modo quinque, modo sex, modo octo, ad summum novem, numquam plures numerentur. In demortui locum cooptabatur novus Frater Arvalis a collegio in æde Concordiæ in Capitolio, aut in Regia congregato, et quidem per suffragia, præmissa quadam precatione cooptationis; aliquoties tamen renunciabatur ab imperatoribus per tabellas, quæ Fratribus Arvalibus mittebantur in hæc verba: TI. CLAVDIVS CAESAR AVGVSTVS FRATRIBVS ARVALIBVS COLLEGIS SVIS SALVTEM. IN LOCVM N. N. FRATREM ARVALEM COLLEGAM VOBIS NOMINO N. N. Collegii præses vocabatur magister, qui annuus erat, licet iterum et tertio idem munus obire potuerit. Eligebatur is die secunda festi Deæ Diæ, *h. e.* XIV. vel IV. Kal. Jun. in luco ejusdem Deæ; magisterium vero inibat XVI. Kal. proximi Januarii, quo die scilicet celebrabantur Saturnalia. Magistri vice, quoties hic valetudine aliave causa impeditus adesse non poterat, fungebatur unus ex Fratribus Arvalibus, qui promagister dicebatur. Eadem die tamen flamen eligebatur, qui annuus itidem erat; hujus vicem agebat proflamen. Erat etiam qui prætoris nomine in quibusdam sacris operabatur: (sed nuper cl. *G. Henzen*, in *Bullett. dell' Istit. Archeol.* ann. 1851. p. 110. Fratribus Arvalibus falso prætorem tribui demonstravit). Sacrorum ministri erant pueri quatuor, patrimi et matrimi, ingenui, et senatorum filii qui quidem sacrificiis adstabant modo prætextati, modo riciniati. Erat etiam æditumus, qui et a sacris Fratrum Arvalium vocabatur; erant præterea calatores, publici, *h. e.* servi, commentarienses et scriba. Fratres igitur Arvales quotannis celebrabant sacrificium Deæ Diæ, quæ quidem Ceres fuisse videtur. Id per triduum fiebat, nempe XVI. XIV. et XIII., vel VI. IV. et III. Kal. Jun. Indicebatur vero populo hujusmodi festum primis anni diebus in Capitolio, in pronao ædis Concordiæ a collegii magistro, qui lautis prius manibus, et velato capite, sub divo columine, *h. e.* sub atrii fastigio, contra orientem hæc pronunciabat: QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVM SALVTAREQVE SIT IMPERATORI, CONIVGI EIVS, TOTIQVE DOMVI EORVM, POPVLO ROMANO, QVIRITIBVS, FRATRIBVSQVE ARVALIBVS MIHIQVE, SACRIFICIVM SOLEMNE DEAE DIAE HOC ANNO ERIT ANTE DIEM XVI. KAL. IVNIAS DOMI; XIV. KAL. IVNIAS IN LVCO ET DOMI; XIII. KAL. IVNIAS DOMI CONSVMMABITVR. Animadvertendum porro est, hoc festum modo XVI. XIV. et XIII., modo vero VI. IV. et III. Kal. Junias celebratum fuisse; qua vero de causa, incompertum adhuc est. Primo die Romæ in domo magistri, aut promagistri, vel in Palatio in templo Augusti Fratres Arvales prima luce sumptis prætextis et coronis spiceis vittatis sacrificium Deæ Diæ concipiebant ture et vino tantum, Deam unguentabant, fruges aridas et virides, *h. e.* spicas novas illuc libatas, panesque laureatos tangebant, iterum Deam unguentabant, deinde in cathedris consedebant prætextati, ibique prætextis positis ad balneum se se conferebant; post meridiem a balneo iterum in cathedris consedebant, mox lotis manibus cœnatoria alba accipiebant, et in tricliniaribus discumbebant; post epulas prætextas recipiebant, et super toralibus sementatis discumbentes ture et vino faciebant, ministrantibus pueris prætextatis, et per eosdem et publicos ad aram perferebant libatas fruges, et unguenta et coronas accipiebant, et facibus accensis cum mantelis campas, *h. e.* canistra, in quibus erant fruges, tangebant, quas per calatores domum quisque suam cum rosis mittebant. Deinde bellariorum secunda mensa afferebatur et dividebatur inter præsentes sacerdotes et ministros, sportulas etiam accipiebant singuli sacerdotes denarios C., pueri vero XXV., divisisque rosis *feliciter* clamabant, domumque redibant. XIV. autem vel IV. Kal. Junias in lucum Deæ Diæ ad V. ab Urbe lapidem via Campana conveniebant prima luce, ibique magister ad aram duas porcilias, quæ piaculares vocabantur, immolabat luci coinquiendi et operis faciundi gratia; mox vacca alba, quæ honoraria appellatur, ad foculum immolata, in tetrastylo, *h. e.* in portico quadrata, in subselliis marmoreis una cum sacerdotibus consedebant, tum reversus ad aram reddebat extas porciliares antea elixas et ex haruspicina rite inspectas: item in Circo, in foculo, argenteo cespite ornato, extam vaccinam reddebat, et in tetrastylum reversus in codice cavebat, *h. e.* nomen suum in libro ad hoc posito scribebat, quo constaret se ibi adfuisse et sacrum fecisse, mox prætextam deponebat, et in papilionem suum redibat. Post meridiem sacerdotes prætextati conveniebant in tetrastylum, et in subselliis consedebant, cavebantque se adfuisse et sacrum fecisse, et positis prætextis porciliis piacularibus et sanguinem earum epulabantur; tum sumptis iterum prætextis, capite velato, vittis spiceis coronati lucum escendebant, submoto prius per publicos populo, ibique per magistrum vel promagistrum et flaminem immolabant agnam opimam, et hostiæ litationem inspiciebant. Perfecto sacrificio, omnes ture et vino faciebant, deinde reversi in ædem in mensa sacrum instaurabant ollis, et ante ædem in cespite magister tantum et flamen sacrificabant. Item foras ad aram reversi dabant thesauros (quidnam hi fuerint, ignoratur); item magister et flamen scyphos argenteos cum simpuviis et acerras ferentes ture et vino faciebant, et ante ostium stabant; tunc duo ex eorum collegio cum publicis ad fruges petendas a populo prospectante discedebant, et reversi easdem dextera dabant, læva recipiebant, deinde ad alterutrum sibi reddebant, publicisque tradebant; iterum in ædem intrabant, et ollas, in quibus exta coqui solebant, precabantur, et ostiis apertis per clivum jaciebant; deinde in subselliis marmoreis consedebant, et panes laureatos, et alia quædam per publicos partiebantur, et spiceis coronis, quibus redimiti erant, ante aram projectis, Deas iterum unguentabant, *h. e.* Deam Diam, et Junonem Diæ (quæ fuisse videtur ejus filia Proserpina), deinde ædes claudebatur, omnibus præter sacerdotes foras egressis. Tunc Fratres Arvales, intus clausi succinctique, libellis acceptis, carmen tripodabant, *h. e.* saltando concinebant, in verba hæc:

(*ter*) ENOS LASES IVVATE.
(*ter*) NEVE LVERVE MARMAR SINS INCVRRERE IN PLEORIS.
(*ter*) SATVR FVRERE MARS LIMEN SALI, STA BERBER.
(*ter*) SEMVNIS ALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS.
(*ter*) ENOS MARMOR IVVATO.
(*quinquies*) TRIVMPE.

Post tripodationem, signo dato, et ostiis apertis, publici ingrediebantur, et libellos e manibus sacerdotum recipiebant. Mox novus anni sequentis magister et flamen eligebantur, deinde prætextis positis in tetrastylo discumbentes epulabantur apud magistrum, *h. e.* in papilione magistri, ibique post epulas, sportulas, coronas convivales et bellaria inter se partiebantur. Porro aliquantisper ibidem commorati, ad Circum, qui in loco Deæ Diæ erat, progrediebantur, et unus ex quatuor pueris ingenuis patrimis et matrimis aut prætextatus aut riciniatus, soleatus coronatusque, populo prius submoto, supra carceres escendebat, signumque cum mappa alba mittebat bigis, quadrigis et desultoribus, iis ludis præsidente uno ex Fratribus Arvalibus, et victores palmis et coronis argenteis honorabantur. Quibus peractis vespere jam adventante Romam redibant, et in domo magistri ea omnia peragebant, quæ primo die fecerant, cœna tantum excepta, nam hæc in luco celebrata fuerat. Tertio tandem et ultimo festi die, *h. e.* XIII. vel III. Kal. Junias in domum magistri ad consummandum Deæ Diæ sacrificium conveniebant, eaque omnia instaurabant, quæ primo die peregerant. — *Cajet. Marinius* videtur addubitare, num reapse Fratres Arvales ambarvale sacrum facerent: etenim veteres scriptores, qui Arvales memorant, numquam eos ambarvale fecisse affirmant, quique ambarvale sacrum nominant, nullam Arvalium Fratrum mentionem faciunt. Præterea certum omnino est, ambarvale quotannis factitatum ad agros suovetaurilibus lustrandos, hasque hostias ter circum novas fruges perferri solitas, unde ambarvalis et lustrationis nomina; sed nihil horum agebatur in hisce sacris arvalibus, et suovetaurilia ab Arvalibus immolabantur ad lucum dumtaxat lustrandum. Putat igitur, eodem ferme tempore, quo festum Deæ Diæ publice, ambarvale sacrum a singulis patribusfamilias in arvis suis privatim celebratum fuisse, in eoque carmen cantari consuevisse ab arvali diversum. Cum vero minime liceret in lucum Deæ Diæ ferrum inferre, sacrificium piaculare fiebat ut a Diis operandi venia impetraretur; nec tamen ideo totum Arvalium collegium, sed calatores tantum et ceteri ministri in lucum sese conferebant. In hujusmodi sacrificio immolabatur porca et agna opima, ob ferrum scilicet illatum scripturæ et sculpturæ marmoris causa; opere autem perfecto, aliud huic simile sacrificium fiebat, quod appellabatur ob ferrum elatum. Constat ex *Inscriptionibus* in lucum ivisse Fratres Arvales vel ad festum Deæ Diæ peragendum, vel ad insculpenda in marmore collegii acta, vel ad eruendam ficum, quæ in fastigio ædis Deæ Diæ innata erat, ædemque reficiendam, vel ad expiandas et eruendas arbores attactas a fulmine, aut vetustate collapsas, et ad reficiendas temporales luci aras. Ad hæc duo postrema, causa operis inchoandi, piaculum fiebat suovetaurilibus majoribus, *h. e.* hostiis adultis, non lactentibus, deinde aliæ hostiæ, in variis luci locis, pluribus Diis Deabusque immolabantur. Nempe Arvales ante ostium ædis Deæ Diæ eidem immolabant boves feminas II., Jano patri arietes II., Jovi verveces II. altilaneos, Marti arietes altilaneos II., Junoni Deæ Diæ (*h. e.* Proserpinæ) oves II., Deo sive Deæ oves II., Virginibus Divis oves II., Famulis Divis verveces II., Laribus verveces II., horum Matri oves II., Deo sive Deæ, in cujus tutela erat lucus locusque, oves II., Fonti verveces II., Deo Summano (*h. e.* Plutoni, cum ageretur de fulminibus nocturnis) verveces II., Floræ oves II., Vestæ oves II., Vestæ Matri oves II., Adolendæ, Commolendæ vel Coinquendæ, et Deferundæ (quæ quidem Deæ ipsæmet sunt) oves II., deinde ante Cæsareum, sacellum scilicet imperatoribus eorumque uxoribus et filiis sacrum, totidem verveces, quot ipsi numero erant, quibus peractis licebat ferro uti in luco vel in æde Deæ Diæ, perfectoque opere eadem reficiebantur iisdem hostiis immolatis, ut prius factum fuerat opere nondum inchoato. Hæc erant, quorum causa in lucum sese conferebant Fratres Arvales. —

Romæ vero conveniebant plerumque in Capitolio, ibique aut in æde Deæ Opis, aut in pronao ædis Concordiæ, aut apud aram Providentiæ, modo ante cellam Junonis reginæ; aliquando in Regiam in via sacra, modo ante domum Domitianam, aut in Palatium in æde nova, modo in templum Divis Imperatoribus dicatum, præter domum magistri, de qua supra diximus. Hæc in loca conveniebant, ut festum Deæ Diæ indicerent, ut referrent quidquid accidisset in ejusdem Deæ luco, ut collegas cooptarent, ut votivis ludis adessent, ut vota nuncuparent ob salutem, securitatem et incolumitatem imperatoris, ob ejus natalem, consulatum, itum et reditum in urbem, quod Pater patriæ fuisset appellatus, quod filium adoptasset, quod uxorem creandorum liberorum causa duxisset, ob Augustæ partum et incolumitatem ejusque consecrationem, ob detecta nefaria consilia contra imperatorem, ad honorandam memoriam Cn. Domitii Aenobarbi, ob restitutionem et dedicationem Capitolii ab Tito imperatore habitam, ac tandem ob solemnia vota, quæ concipiebantur quotannis III. Non. Januar. propter felicitatem Domus Augustæ. Tunc vero maximo religionis apparatu, præeunte præcentore, fiebat precatio Jovi, Junoni, Minervæ et aliquoties etiam Deæ Saluti. — Dii, quibus sacrificabant hisce in festis Fratres Arvales, sunt Juppiter, Juno, Minerva, publica Salus, Salus Augusti, Populi R., Deorum Providentia, Concordia, Fecunditas, Felicitas, Spes, Fortuna ducis, Dii Penates, Lar vialis, Genius imperatoris, Juno Augustæ, Divus Augustus, Diva Augusta, Divus Claudius. Diis maribus bovem, raro taurum; feminis vaccam, et quandoque geminam unicuique hostiam immolabant. — Collegium Fratrum Arvalium permansisse constat ex *Inscriptionibus* usque ad Gordiani tempora, *h. e.* circiter ad an. Chr. 235. Num viguerit postea, ignoratur; vero tamen simile est, ad an. Chr. circiter 400. desiisse una cum reliquis gentilium sacerdotum collegiis. — Hæc ex opere *Cajetani Marinii*, cui titulus: *Degli Atti e Monumenti de' Fratelli Arvali scolpiti già in tavole di marmo, ed ora raccolti, diciferati e comentati. Roma*, 1795. *Tom.* 2. in 4. — Hinc plurimas sumpsit Inscriptiones *Orellius*, quibus nuper alias addidit *Henzen.*: quarum omnium indicem subjicimus: *Fratres Arvales* 800., 807., 810., 858., 903., 1170., 2268., 2366., 3042., 3382. et 3851. apud *Orell.*, 6485. et 7419. apud *Henzen. Magister Fratrum Arvalium* 961., 1798., 1812., 2265., 2269., 2270., 2426. et 2537. apud *Orell. Promagister Fr. Arv.* in Inscript. 2271. et 5054. apud *Orell. Flamen Fr. Arv.* ibid. *Prætor Fr. Arv.* 2204. *Acta Fr. Arv.* 947., 961., 1798., 1812., 2265-2271. et 5054. apud *Orell.*, et 7419. apud *Henzen. Carmen Fr. Arv.* 5054. *Circus Fr. Arv.* 2271. *Coronæ spiceæ* 2270. *Prætextæ Fr. Arv.* 2270. et 2271. *Vota nuncupata a Fr. Arvalibus* pro salute (adoptione?) Neronis 7419. apud *Henzen.*

ARVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, *a.* 1. idem ac adveho, *ar* enim olim pro *ad* dictum est, *V.* AD sub init. *Cato R. R.* 138. Boves feriis conjungere licet. Hoc licet facere: arvehant ligna, fabalia, frumentum. *Et* 135. Trapetum ubi arvectum erit, ubi statues, ibi et commodato.

ARVIGA, æ, f. 1. aries, qui hostia immolatur. *Varro* 5. *L. L.* 98. *p.* 38. *Müll.* Aries quod eum dicebant ἄρην veteres, nostri arviga, hinc arvignus. *Et paullo post.* In hostiis eum dicunt arvigam (*libri habent* arvigem), quæ cornua habeat etc. *Voss. Etymol.* in voce *Aries* putat *arviga* esse Accusativum Græcæ positionis a Nominativo *arvix*, et Latinum Accusativum esse *arvigem*, qui, ut notavimus, paullo post occurrit in ipsius *Varronis* libris. *Paul. Diac.* p. 100. 6. *Müll.* scribit *harviga*, et de ea sic loquitur. Harviga dicebatur hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta. *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 4. 4. 28. habet *haruga*, et interpretatur *hostiam ab hara, in qua concluditur et servatur*; nisi forte mendosa ea lectio est. *Vel. Long.* in *Orthogr.* p. 2233. *Putsch.* habet *ariuga*. *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varr. l. c.* putat legendum *aringa*, quod tamen librorum consensu refellitur.

ARVIGNUS, a, um, adject. ad arietem hostiam pertinens. *Varro* 5. *L. L.* 98. p. 38. *Müll. V.* vocem præced.

ARVĪNA, æ, f. 1. significat, ut interpretatur *Sueton.* in *lib. de Vitiis corpor.* apud *Servium* ad *Virg.* 7. *Æn.* 627., durum, pingue, quod est inter cutem et viscus, *h. e.* inter cutem et carnem. Alii pro larido accipiunt, quod est pingue suillum; unde et generatim pro pinguedine accipitur. *Virg. l. c.* et clipeos et spicula lucida tergent Arvina pingui. *Pierius* monet in quodam cod. legi *arbina*; ex qua ortum est deminutivum *arbilla*, quod occurrit apud *Paul. Diac.* p. 20. 19. *Müll.* Arbilla arvina, id est pinguedo corporis. *Aloys. Lanzius, Saggio di Ling. Etr. T.* 2. *p.* 678., putat, arvinam esse adipem cujuscumque victimæ, sebum vero ruminantium tantum, ut ait *Nonius* 5. 22. edit. vet.; arvinam vero appellari, quod victimis cæsis apertis ἀρύεται, h. e. trahitur, interposito nempe digammate v. ἀρύω, inde *arvio*, *arvignus*. At *Müllerus* ad *Paul. Diac. l. c.* hæc habet: Siculorum vocabulum fuisse docuit *Scalig.* collato *Hesychio* v. ἀρβίννη· κρέας, Σικελοί. Ac vix dubito equidem, quin illud *arvio*, id est arviom, vel plurali numero ἀρϜία, quod in monumentis Umbricius diis in sacrificio offertur, adipem, πίονα δημόν, significet, qui in aris adolebatur. Hæc certe interpretatio formularum, quæ ibi leguntur, structuræ melius convenit, quam ea, quam *Grotefendius* proposuit, de arviga. Hactenus *Müll.* Ceterum *arvina* est pinguedo apud *Placidum* in *Gloss.* p. 428. *Mai.*; et in *Glossar. Labb.* p. 201. λίπος ἄνευ σαρκός et ὀξύγγιον, vel *arbina*, quod *ibid.* p. 200. ὀξύγγιον, id est axungia, explicatur. Eodem referendum quod legitur in *Gloss. Isid.* Arvinulis adipibus. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 9. Arvina putrem ne resudans crapulam, Obstrangulatæ mentis ingenium premat. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. Æstuans turgidi ventris arvina. *Cyprian. Ep.* 1. Impletur in succum cibis fortioribus corpus et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit. — NB. De Arvina agnomine *V.* ONOM.

ARVĪNŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* arvina. *Vulgat. Interpr. Levit.* 8. 16. Renunculos cum arvinulis adolevit super altare. *V.* et vocem præced.

ARVIX, igis. *V.* ARVIGA.

ARVŎCĬTAT sæpe advocat. *Paul. Diac.* p. 27. 8. *Müll. V.* AD sub init. et AR.

ARVUM, i, n. 2. *V.* vocem seq.

ARVUS, a, um, adject. pro *arvus* ab *aro*, ut *carduus* a *cædo*, *riguus* a *rigo* etc., teste ipso *Varrone* 5. *L. L.* 39. *p.* 16. *Müll.* Ager arvus et arationes ab arando. — *Arvus* est idem ac aratus vel arabilis (It. *arato o arativo*; Fr. *propre au labourage, arable*; Hisp. *laborado, fructifero*; Germ. *gepflügt oder zum Pflügen bestimmt*; Angl. *arable*). Figurate *Plaut. Truc.* 1. 2. 47. Non arvus hic, sed pascuus est ager. *Cic.* 5. *de republ.* 2. 3. Ob eas causas agri arvi et arbusti et pascui, lati atque uberes definiebantur, qui essent regii, quique colerentur sine regum opera et labore, ut eos nulla privati negotii cura a populorum rebus abduceret. *Isid.* 15. *Orig.* 13. Omnis ager, ut Varro docet, quadrifariam dividitur. Aut enim arvus est ager, id est sationalis; aut consitus, id est aptus arboribus; aut pascuus, qui herbis tantum et animalibus vacat; aut floreus, in quo sunt horti apibus congruentes et floribus. Adde *Servium* ad *Virg.* 1. *G. in proœm.* — Hinc

Arva, æ, f. 1., subaudi *terra*, absolute est campus aratus vel arabilis. *Nævius* apud *Non.* p. 192. 30. *Merc.* Quaque incedunt, omnes arvas obterunt. *Pacuvius* apud *eumd. l. c.* Postquam calamitas plures annos arvas calvitur.

Arvum, i, n. 2., subaudi *solum*, absolute stricto sensu significabat campum aratum, necdum satum, ut ait *Varro* 1. *R. R.* 29. 1. Seges dicitur, quod aratum, satum est; arvum, quod aratum, necdum satum est. Cf. *Paul. Diac.* p. 25. 12. *Müll.* Sed brevi factum, ut latiori polleret significatione et acciperetur pro agro, sive is aratus satusve, aut consitus fuerit, sive non; atque interdum opponeretur pascuis, interdum vineis et olivetis, quæ duo postrema deinde complexum est, quia et ipsis aratione opus est.

A) Proprie. *Livius Andronicus* apud *Festum* p. 181. 21. *Müll.* Celsosque ocris arvaque putria et mare magnum. *Ennius* apud *Cic. Orat.* 49. 163. Frugifera et ferta arva Asia tenet. *Lucret.* 5. 932. Nec robustus erat curvi moderator aratri Quisquam, nec scibat ferro molirier arva. *Id.* 2. 211. Conserere arva. *Cic.* 1. *Nat. D.* 41. 122. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. *Varro* 1. *R. R.* 7. 2. Majores nostri ex arvo æque magno, sed male consito, et minus multum et minus bonum faciebant vinum et frumentum. *Sall. Jug.* 95. Numidæ pabulo pecoris, magis quam arvo student. *Liv.* 2. 14. Convecto ex propinquis ac fertilibus Etruriæ arvis commeatu. *Virg.* 1. *G.* 82. mutatis requiescunt fetibus arva. *Id.* 5. *Ecl.* 33. et *Horat.* 3. *Od.* 4. 15. Arvum pingue. *Virg.* 2. *G.* 353. hiulca siti findit canis æstifer arva. *Id.* 1. *ibid.* 125. Subigere arva. *Id.* 2. *ibid.* 263. optima putri Arva solo. *Id.* 1. *ibid.* 21. Arva tueri. *Id. ibid.* 95. juvare. *Id. ibid.* 99. Imperare arvis. *Id. ibid.* 507. squalent abductis arva colonis. *Id. ibid.* 316. cum flavis messorem induceret arvis Agricola. *Forcellinus* hoc in loco arva per metonymiam pro segete accepit. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 2. Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti, Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ. *Ovid.* 1. *Art. am.* 401. Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis. *Id.* 7. *Met.* 129. Arvum fetum. *Id.* 4. *Pont.* 15. 7. fertile. *Id.* 2. *ibid.* 5. 33. sterile. *Id.* 3. *Fast.* 151. Arva olivifera. *Id.* 15. *Met.* 125. Renovare arvum. *Quintil.* 1. 12. 7. Ne arva simul et vineta — colant. *Sueton. Domit.* 7. Existimans nimio vinearum studio negligi arva. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Arvorum sacerdotes, *h. e.* Fratres Arvales. *Sil. It.* 7. 207. Arva uvifera. *al. leg.* vitifera; *al.* vinifera.

B) Improprie et translate. ¶ 1. Eleganter transfertur ad muliebrem naturam, quemadmodum et Græcum ἄρουρα. *Lucret.* 4. 1100. ut muliebria conserat arva. *Virg.* 3. *G.* 135. *de equa.* Genitale arvum. ¶ 2. Latiori sensu per synecdochen a Poetis ponitur pro regione, terra. *Lucret.* 2. 1158. Haud — enim mortalia sæcla superne Aurea de cælo demisit funis in arva. Adde *eumd.* 3. 786. et 5. 923. *Virg.* 5. *Æn.* 702. Siculisne resideret arvis — Italasne capesseret oras. *Id.* 2. *ibid.* 209. Fit sonitus spumante salo jamque arva tenebant (*angues*). *h. e.* littus, ut monet *Servius* ad h. l. *Id.* 6. *ibid.* 744. *de Elysiis.* læta arva. *Ovid.* 12. *Met.* 209. Peneia arva. *Id.* 14. *ibid.* 348. Circæa. *Propert.* 4. 9. 19. arva boaria. *h. e.* in quibus prius boves morabantur. — Et sing. num. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 3. Aspicis, en, præses, quali jaceamus in arvo. — Figurate *Arva Neptunia* pro mari posuit *Virg.* 8. *Æn.* 695. eo modo, quo 6. *ibid.* 724. campos liquentes.

ARX, arcis, f. 3. Dicta est, auctoribus *Varron.* 5. *L. L.* 151. *p.* 58. *Müll.*, *Priscian.* p. 1264. *Putsch.*, *Servio* ad *Virg.* 1. *Æn.* 20. et *Isid.* 15. *Orig.* 2. 32., ab *arcendo*, quod is sit locus munitissimus urbis, a quo facillime possit arceri hostis: sed fortasse verior est vocis notatio, quam *Gesnerus* protulit, per metathesin ab ἄκρις, ἄκρα, ἄκρος, unde et ἀκρόπολις, nam propria et primaria ejus notio est summus et excelsus locus, cacumen, vertex (It. *altezza, cima*; Fr. *lieu élevé*; Hisp. *altura, eminencia*; Germ. *die höchste Spitze, der Höhepunct, die äusserste Höhe*; Angl. *a lofty place, height, steep, top or summit of a hill*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de altitudine et vertice montium et collorum. *Virg.* 1. *Æn.* 56. celsa sedet Æolus arce Sceptra tenens. *Id.* 2. *G.* 534. rerum facta est pulcherrima Roma Septemque una sibi muro circumdedit arces. *h. e.* septem colles. *Id.* 1. *ibid.* 240. Mundus ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces Consurgit. *Id.* 4. *ibid.* 461. flerunt Rhodopeiæ arces. *Id.* 3. *Æn.* 291. Arces aeriæ Phæacum. *Id.* 1. *ibid.* 250. Nos tua progenies, cæli quibus annuis arces. *Horat.* 3. *Od.* 3. 9. Hac arte Pollux et vagus Hercules Enisus arces attigit igneas. *Ovid.* 1. *Met.* 467. Impiger umbrosa Parnassi constitit arce. *Id.* 5. *Trist.* 3. 19. Arces ætheriæ. *Id.* 3. *Amor.* 10. 21. Siderea mundi arx. *Id.* 1. *Met.* 27. et 163. Summa arx. *Val. Flacc.* 3. 565. Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos Depulerat. *Sil. It.* 3. 469. Primus inexpertas adiit Tirynthius arces. *h. e.* Alpium cacumina. *Stat.* 1. *Theb.* 114. abrupta qua plurimus arce Cithæron Occurrit cælo. *Petron. Satyr.* 116. Ex quo (*monte*) haud procul impositum arce sublimi oppidum cernimus. ¶ 2. Speciatim est pars munitissima urbis, eadem omnino atque ἀκρόπολις apud Græcos, quia fere in editiori loco construi solebat, vel in ipsa urbe, vel prope: hinc interdum et urbi opponitur. Neque audiendus est *Solin.*, qui c. 1. docet, arcem ab Arcadibus esse appellatam, quod ii in editis montium jugis habitaverint. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 14. 44. Arce et urbe orba sum: quo accidam? quo applicem? *Plaut. Bacch.* 4. 8. 59. Illa autem in arcem hinc abiit ædem visere Minervæ. *Ter. Hec.* 5. 3. 3. Dum expecto in arce Callidomidem. *Accius* apud *Non.* p. 357. 20. *Merc.* Omnes qui arcem astuque accolunt. *Cic.* 2. *Orat.*

67. 273. Cum Tarento amisso arcem tamen Livius relinquisset. *Id. Pis.* 34. 84. Cum oppido desperassent, munire arcem coegerunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 66. Ita minora castella, inclusa majoribus, castelli atque arcis locum obtinebant. *Id. Pelop.* 1. Arcem oppidi occupare. *Id. Timol.* 3. Munire arcem ad urbem obsidendam. *Liv.* 1. 33. Arx Romana. *Virg.* 2. *G.* 172. et 4. *Æn.* 234. Arces Romanæ. *h. e.* Roma una cum suis munitionibus. — *b*) Romæ arx erat in colle Capitolino. *Liv.* 6. 20. Arx Capitolina. Cf. *Tac.* 3. *Hist.* 78. — *Arx* tamen differebat a *Capitolio*, unde hæc duo sæpe junguntur, ut apud *Cic.* 4. *Cat.* 9. 18. et 7. *Verr.* 72. 184.; *Liv.* 2. 7., 3. 18. et 5. 47.; et *Gell.* 5. 12. — Præsertim cum de auguriis accipiendis sermo est, de arce Capitolina intelligendi sunt Latini scriptores. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Cum in arce augurium acturi essent augures. *Liv.* 1. 18. Numa deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. *Id. ibid.* 24. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. *V.* AUGURACULUM. — *c*) *Arces sacræ* sunt templa apud *Horat.* 1. *Od.* 2. 3. rubente Dexterâ sacras jaculatus arces Terruit Urbem (*pater*). *nisi malis intelligere* Capitolium, *quod et* Forcellino *magis probandum videbatur*. Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 35. Juppiter ipse suos lucos jaculatus et arces. — Porro templa et arx sæpe junguntur. *Virg.* 2. *Æn.* 319. Panthus Othryades, arcis Phœbique sacerdos. *Cic. Parad. proœm.* § 5. Non est enim, ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiæ. *Nep. Them.* 2. Arcem sacerdotibus — tradunt, reliquum oppidum relinquunt. — Huc referri potest *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 116. n. 297. P. AELIO P. F. PAL. TIRONI SALIO ARCIS ALBANAE. *Alia* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 663. SEVERAE Virgini Vestali MAXIMAE ARCIS ALBANAE. — *d*) *Arcem* absolute pro urbe Roma dixit *Prudent.* 1. *in Symmach.* 4. — Pro urbe vel oppido generatim *Forcellinus* affirmabat dixisse *Horat. Art. P.* 398. Amphion Thebanæ conditor arcis. — *e*) Interdum arx significat sedem regis vel tyranni. *Lucret.* 5. 1107. Condere cœperunt urbes arcemque locare Præsidium reges ipsi sibi. Adde *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (47). *V.* infra sub II. 4.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1., arx est fastigium, apex, et quidquid est summum in re qualibet. Hoc tamen sensu occurrit tantum apud argenteæ vel posterioris ætatis Scriptores. *Seneca Œdip.* 185. tum vapor ipsam Corporis arcem flammeus urit. *h. e.* caput, quia ceteris membris altius est, ibique tamquam in arce omnia sensuum organa natura collocavit: unde et *Claudian. IV. Cons. Honor.* 231. hanc (*animam*) alta capitis fundavit in arce. Porro hæc videntur hausta a *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Plato triplicem finxit animum, cujus principatum, id est rationem, in capite sicut in arce posuit. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 131. celsa mentis ab arce Despicis errantes. *Sil. It.* 13. 770. quæ te via, fare, superbum Ad decus et summas laudum perduxerit arces. *Lucan.* 7. 593. Attingere arcem juris. *h. e.* summum imperium tenere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (101). Ut appareret a quibus initiis ad arcem ostentationis opera sua pervenissent. *Quintil.* 12. 11. 28. Cicerone arcem tenente eloquentiæ. *Tac. Dial. de orat.* 10. Cum natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat. *Sidon.* 2. *Carm.* 173. Platonis ingenium, quod in arce fuit. *Priscian. Præfat. Grammat.* Arcem musicæ possidere. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *a.*, arx ponitur de loco, qui munitione et potentia ceteris antecellit, unde præsidium opemque petere licet, et quo, ut in tutum, perfugere. — *a*) Fere proprie. *Cic. Pis.* 5. 11. Cui (*latroni*) templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, castellum forensis latrocinii etc. *Id.* 4. *Cat.* 6. 11. Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium etc. *Id.* 1. *Leg. agr.* 6. 18. Templum Jovis optimi maximi atque hæc arx omnium gentium. *Id. post red. in senat.* 1. 2. Arx omnium terrarum (*curia*). *Id. Ligar.* 7. 22. Africa omnium provinciarum arx, nata ad bellum contra hanc urbem gerendum. *Liv.* 7. 29. Arcem ipsam finitimorum, Campanos, adorti. *Id.* 22. 32. Caput atque arx Italiæ urbs Romana. *Id.* 1. 55. Arx imperii caputque rerum. *Id.* 37. 18. Ad caput arcemque regni oppugnandam. *Id.* 33. 14. Urbem pro arce habere adversus Græciæ civitates. — *b*) Improprie. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 5. 18. Hanc habent arcem (*socii, legem repetundarum*). *Id. Sull.* 28. 79. Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum. *Id. Cluent.* 57. 156. Constituere præsidia defensionis in arce legis. *Id.* 1. *Divinat.* 6. 10. Arcem Stoicorum defendere. *Id.* 1. *Fam.* 9. 8. Invadere in arcem causæ. *h. e.* aggredi ad infirmandum id, quo maxime causa adversarii nitatur. *Liv.* 6. 37. Tribunicium auxilium et provocatio duæ arces libertatis tuendæ. *Id.* 7. 31. Arx spei salutisque. *Id.* 7. 11. Arx belli Gallici. *Id.* 28. 42. Caput atque arx totius belli. *Tac.* 3. *Hist.* 13. Arx commeatuum classis. *Id.* 14. *Ann.* 31. Arx æternæ dominationis. ¶ 3. *Arcem ex cloaca facere* proverbium, *h. e.* rem abjectam verbis nimis extollere et amplificare. Habetur apud *Cic. Planc.* 40. 95. ¶ 4. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. sub *e*, arx ponitur pro sede potentiæ, vis, tyrannidis. *Seneca* 4. *Controv.* 27.; *Quintil.* 7. 4. 22. et *Tertull. Apol.* 4. 4. — Hinc arx est ipsa violenta dominatio. *Seneca Thyest.* 342. Nescitis, cupidi arcium, regnum quo jaceat loco. Adde *Lucan.* 7. 594. et 8. 489.

ĂRȲTÆNA *vel* arutena *et per syncopen* artena, æ, f. 1. est vas ab hauriendo sic appellatum, ut ait *Paul. Diac.* p. 21. 3. *Müll.* Arytænam sive artenam vas ab hauriendo sic appellabant. Est nempe ab ἀρύτω *haurio*, a quo ἀρύταινα, quam inter vasa balneatoria *Pollux l.* 7. *c.* 33. et *l.* 10. *c.* 17. enumerat. Quidam putant esse speciem matulæ. In *Gloss. Philox.* dicitur esse vas in sacrificiis adhibitum. Apud *Lucil.* teste *Charis.* 1. *p.* 95. *Putsch.* legitur *arutena* (Arutænæque aquales) Latino more Græcam υ in u vertendi. *Scalig.* ad *Paul. Diac.* l. c. *artena* legendum censet.

ĂRȲTHMĂTUS, a, um, et) *V.* **ARRYTHMATUS**
ĂRȲTHMOS *vel* arythmus) et **ARRYTHMOS.**

AS

AS, assis, m. 3. Recentioris ævi scriptores in recto casu singulari dixerunt *assis* pro *as*, ut *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 1. 1. 9. et vetus *Persii Scholiastes* ad 2. 59. — As est a Græco εἷς *unus*, pro quo Dores et Siculi dixerunt αἷς, Tarentini ἵς; adeoque as significat unitatem sine qua nullus est numerus, nulla est certa mensura: hanc autem cum recentioribus etymologiam præferendam esse censemus; quamvis *Varro* 5. *L. L.* 169. p. 66. *Müll.* doceat *as* esse ab *æs* extrita altera diphthongi vocali (It. *la unità*; Fr. *l'unité*; Hisp. *la unidad*; Germ. *der Einer oder die Einheit*; Angl. *the unity*). Ad rem totam expediendam *A*) primum de asse generatim, deinde *B*) speciatim dicemus.

A) Generatim. ¶ 1. As erat unitas ad rem quamlibet metiendam, ponderandam, pretio æstimandam. — *a*) As, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 169. p. 66. *Müll.*, ita numerabatur:

As *vel* assipondium, *h. e.* 1.
Dupondius *vel* dupondium, *h. e.* 2. asses.
Tressis, *h. e.* 3. asses.
Quadressis (sed dubia lectione), *h. e.* 4. asses.
Quinquessis, *h. e.* 5. asses.
Sexis, *h. e.* 6. asses.
Septissis, *h. e.* 7. asses.
Octussis, *h. e.* 8. asses.
Nonussis, *h. e.* 9. asses.
Decussis, *h. e.* 10. asses.
Bicessis, *h. e.* 20. asses.
Tricessis, *h. e.* 30. asses. Reliqua conveniunt proportione usque ad
Centussis, *h. e.* 100. asses; quo majus æris proprium vocabulum non est. — Nihil tamen obstabat, quominus hæc eadem aliter efferrentur; pro *tressis* enim *tres asses* dixit *Varro* apud *Non. p.* 531. 10. *Merc.* — *b*) Porro partes assis pondus libræ habentis sunt duodecim, quot scilicet sunt *unciæ*: enumeranturque ab *Ulp. Dig.* 28. 5. 48. ita:

Uncia, *h. e.* duodecima pars assis. = 1/12.
Sextans, *h. e.* sexta pars assis, nempe unciæ duæ = 2/12 = 1/6.
Quadrans, *h. e.* quarta pars assis, nempe tres unciæ, quæ quater ductæ efficiunt duodecim = 3/12 = 1/4.
Triens, *h. e.* tertia pars assis quatuor habens uncias, quia quatuor ter ductæ duodecim conficiunt = 4/12 = 1/3.
Quincunx, *h. e.* quinque unciæ, seu sextans cum quadrante = 5/12.
Semis *vel* semissis, *h. e.* quasi *semi as* seu dimidia pars assis = 6/12 = 1/2.
Septunx, *h. e.* septem unciæ, seu quadrans cum triente = 7/12.
Bes *vel* bessis, *h. e.* beis seu binæ partes assis, octo uncias significat = 8/12 = 2/3.
Dodrans, *h. e.* novem unciæ seu terni quadrantes, quibus deest quadrans ut as sit = 9/12 = 3/4.
Dextans, *h. e.* decem unciæ seu quini sextantes, quibus deest sextans ut as sit = 10/12 = 5/6.
Deunx, *h. e.* undecim unciæ, quibus deest uncia ut as sit = 11/12.

— *c*) Ipsa quoque *uncia* dividitur in partes minores, quæ sunt

Semuncia = 1/2 unciæ = 1/24 assis.
Duella = 1/3 unciæ = 1/36 assis.
Sicilicus = 1/4 unciæ = 1/48 assis.
Sextula = 1/6 unciæ = 1/72 assis.
Drachma = 1/8 unciæ = 1/96 assis.
Scripulum = 1/24 unciæ = 1/288 assis. Hac de re V. præcipue *Colum.* 5. *R. R.* 1. 8. — *d*) Mathematici præsertim Pythagorici, qui senarium numerum omnium perfectissimum esse dicunt, eumdem vocant *assem*, et in sex partes dividunt, ut est apud *Vitruv.* 3. 1. 6., quarum nomina hæc sunt: *sextans*, *triens*, *semissis*, *bes*, *quintarium*. Unciæ respondet *sextans*, quia est sexta pars assis: *triens* duo significat, et est tertia pars: *semissis* est assis dimidium, hoc est tres: *bes* est quatuor, hoc est duæ tertiæ assis partes: *quintarium* sunt quinque. Supra sex si addas unitatem, appellant ἔφεκτον, ab ἐπί *supra*, et ἕκτος *sextus*: si addas duo, *tertiarium*, Græce ἐπίτριτον, ab ἐπί *supra*, et τρίτος *tertius*, quia est tertia pars supra sex, seu assem: si addas tria, *sesquialterum*, Græce ἡμιόλιον, ab ἥμισυ *dimidium*, et ὅλος *totus*, quia est integer as cum dimidia parte: si addas quatuor, appellant *bes alterum*, Græce ἐπιδίμοιρον, ab ἐπί *supra*, et δίμοιρον, quod significat duas partes totius in tres divisi; quatuor autem addita ad sex continent assem et duas ejus partes: quod si assi addas quinque, eum numerum dicunt *quintarium alterum*, Græce ἐπιπεντάμοιρον, ab ἐπί *supra*, πέντε *quinque*, et μοῖρα *portio*, *pars*: denique διπλασίονα appellant senarium senario, seu assem assi additum, hoc est numerum perfectum duplicatum, a διπλοῦς *duplex*. *Vitruvius* autem hæc omnia enarrans assem pro unitate sumit, dum inquit: Cum ad supputationem crescat, supra sex adjecto asse, ἔφεκτον. Quod (addebat *Forcellinus*) illorum opinionem probat, qui putarunt *as* esse a Græco εἷς *unus*. Nos hoc loco hæc addidimus, non quod quidquam faciant ad Latinum sermonem, quia Latini assem semper in duodecim secant partes, ut dictum est; sed ut hæc ipsa conjunctim explicata habeantur, quæ deinceps iterum occurrent, fere omnia suis locis. ¶ 2. Porro hujusmodi as libralis cum suis partibus accipitur frequenter pro toto aliquo, quod in partes duodecim dividi possit; et — *a*) Præcipue pro hereditate. *Ulp. Dig.* 28. 5. 13. § 1. Paterfamilias distribuere hereditatem in tot partes potest, in quot voluerit, sed solemnis assis distributio in duodecim uncias fit. Et *Papinian. ibid. l.* 66. Asse nominatim dato, vel duodecim unciis distributis, residua portio non invenitur. Hinc *Quintil.* 7. 1. 20. Ex asse heres. *h. e.* cui omnia defuncti bona relicta sunt. *Plin.* 5. *Ep.* 5. Instituere aliquem heredem ex asse. *Martial.* 7. 66. Relinquere aliquem heredem ex asse. *Ulp. Dig.* 36. 3. 3. Debere legatum ex asse vel ex parte. *Martian. ibid.* 34. 9. 2. Auferre hereditatem ex asse. — Illis opponuntur seqq. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Facere aliquem heredem ex dodrante et semuncia, ex duabus sextulis. *Sueton. Cæs.* 83. Instituere heredes ex dodrante, ex quadrante. *Ulp. Dig.* 28. 5. 13. § 3. Ex semisse heredem scriptum esse. *Papinian. ibid.* 28. 5. 48. Assis residuum accipere. — *b*) In re agraria *as* accipitur pariter pro toto, sive est idem ac jugerum, ut docet *Colum.* 5. *R. R.* 1. 13. Jugerum (*efficit*) pedes viginti octo millia et octingentos, hoc est as, in quo sunt scripula CCLXXXVIII. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178). Justum est proscindi sulco dodrantali jugerum uno die, iterari sesquijugerum, si sit facilitas soli, si minus, proscindi semissem, iterari assem. *Modestin. Dig.* 20. 6. 9. Vendere fundum in

assem. *h. e.* in totum, in integrum: cui opponuntur illa *Julian. Dig.* 21. 2. 39. Bessem fundi emere ab aliquo. *Paul. ibid.* 6. 1. 8. Quadrans et semissis fundi. — *c*) Pro pede pluries usurpat *Colum.*, scilicet 5. *R. R.* 3. 2. His utrisque summis semper singulos asses adjicio. Adde *ibid.* § 3., 4. et 5. — *d*) Accipitur etiam as cum suis partibus pro certo quodam plenoque pondere, quale est libræ, ut *Fannius Ponder.* v. 41. et *Auson. in Eclogar. de rat. lib.* 10. docent. *Ovid. Medicam. fac.* 55. Par ervi mensura decem madefiat ab ovis, Sed cumulent libras hordea nuda duas. Et quæ prima cadunt vivaci cornua cervo, Contere: in hæc solidi sexta fac assis eat. — *e*) Hinc illæ dicendi rationes, quæ tum proprie, tum translate occurrunt: scilicet — *In assem*, hoc est in totum, in integrum, in solidum. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 8. Fit tum in assem consummatum pretium sestertiorum XXIX. millium. Adde *ibid.* § 9. *Scævola Dig.* 30. 5. 35. Quæsitum est, utrum in assem Sticho actio detur eorumdem nominum, quæ in peculio habuit, an utrisque heredibus pro portionibus hereditariis. *Ulp. ibid.* 36. 4. 5. Satisdare in assem. *Id. ibid.* 42. 7. 1. Si non in assem, in aliquid tamen satisfacere creditoribus. — *In asse* eodem sensu dixit *Colum.* 2. *R. R.* 12. 7. Ut sit in asse auctumnalis satio modiorum CCL. *Forcellinus* legebat *in assem. Id. ibid.* § 9. Sic in asse fiunt octo menses et dies decem. — *Ex asse*, hoc est omnino, prorsus, universim. *Macer. Dig.* 2. 8. 15. Ex asse, aut ex parte possidere aliquid. *Sidon.* 2. *Ep.* 1. Ut sanguinem fortunasque miserorum, quas ille ibi ex parte propinaverat, hic ex asse misceret. *Id.* 6. *Ep.* 12. Metiri ex asse vota alicujus. *Id.* 8. *ibid.* 6. *circa med.* Rem ex asse cognoscere. *Id.* 2. *ibid.* 2. Ex asse turbatus. *Id.* 9. *ibid.* 14. Ex asse vegetus.

B) Specialim as — *a*) Significat pecuniam ex ære factam (V. *Varron.* 5. *L. L.* 169. *p.* 66. *Müll.*), qua usi sunt Romani prioribus quidem temporibus rudi, postea signata: illa appendebatur libra (unde *as libralis* apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (42), et *asses librarii* apud *Festum p.* 347. 16. *Müll.*) ita ut tot dicerentur asses, quot essent libræ æris (unde emere *per æs et libram*, de quo *V.* in MANCIPIUM), hæc numerabatur. Duravit illa usque ad tempora Servii Tulli, qui primus, teste *Plin. loc. cit.* et *Varron.* 2. *R. R.* 1. 9., assem ad certam figuram et magnitudinem conformavit, et signavit nota pecudum (ovis, aut bovis, aut vervecis, aut suis) unde et *pecunia* dicta: habuitque libræ pondus (unde *æs grave*; *V.* GRAVIS) usque ad bellum Punicum primum: quo tempore imminutum est, et constitutum ut asses sextantali pondere, hoc est duarum unciarum ferirentur, detractis a libra quinque partibus: atque ita ex libra una æris, quæ prius unicum assem efficiebat, sex asses cusi sunt. Hanc deminutionem *Festus* in *Sextantarii p.* 347. 13. *Müll.* (*asses sextantarii*) factam esse ait bello Punico secundo, *Plin. loc. cit.* § 44. (*asses sextantario pondere*) primo: quod verius est. Mutata etiam fuit prior nota, et ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis impressum. Deinde bello Punico secundo A. U. 536., Q. Fabio Max. dictatore, iterum imminutum est assis pondus, detracta uncia: itaque ex una libra æris asses duodecim, unciæ pondere cusi sunt (*Plin. loc. cit.* § 45. hos vocat *asses unciales*). Denique circa A. U. 563. L. Cornelio Scipione, C. Lælio Nepote coss. lege lata a C. Papirio Carbone trib. pleb. statutum est, ut asses, qui unciales erant, semunciales fierent, quorum meminit *Plin. loc. cit.* § 46.; atque hac ratione ex una æris libra asses viginitiquatuor fecere. Quod assis pondus etiam sub imperatoribus, Plinii tempore, multoque etiam post duravit. Hæ ponderis assium imminutiones factæ sunt ob inopiam pecuniæ, qua respublica laborabat: ideoque detracto assis pondere, mansit semper idem pretium, quod ad Venetæ pecuniæ valorem redactum, fere valet duos solidos, vel Romanam monetam, quæ *bajocco* dicitur. — *b*) Minores hujusce assis partes hæ numerabantur:

Uncia, *h. e.* duodecima pars = 1/12 assis.
Sextans, *h. e.* unciæ duæ = 1/16 assis.
Quadrans, et posterioribus temporibus teruncius (*Plin. loc. cit.* § 45.), *h. e.* tres unciæ seu quarta pars = 1/4 assis.
Triens, *h. e.* quatuor unciæ = 1/3 assis.
Quincunx, *h. e.* quinque unciæ = 5/12 assis.
Semis, *h. e.* sex unciæ = 1/2 assis.
Dodrans, *h. e.* novem unciæ = 3/4 assis. — *c*) His, quæ attulimus, hæc pertinent. *Cic.* 2. *Off.* 17. 58. Ne M. quidem Sejo vitio datum est, quod in caritate annonæ asse modium populo dedit. *Varro* apud *Non.* *p.* 531. 10. *Merc.* Nubentes veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre etc. *scilicet*, ut postea *id. Varro* narrat, horum alterum ipsi marito dabant, alterum in pede habentes in foco Larium familiarium ponebant, tertium in sacciperione tenebant et mox in compito vicinali donabant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (54). Cibus uno asse venalis. *Id.* 12. *ibid.* 23. 49. (107). Ammoniaco optimo pretium in libras asses XL. *Id.* 33. *ibid.* 13. 57. (163). Lomentum quinis assibus æstimatum. *Gell.* 20. 1. Crumena assium plena. *Plin.* 10. *Ep.* 62. Duodenis assibus debere. *h. e.* pecuniam mutuam ex usura centesima accipere. — *d*) As accipitur etiam pro minimo argenti seu pecuniæ quantitate, pro minimo pretio. *Cato* apud *Senec. Ep.* 94. Quod non opus est, asse carum est. *Cic. Quinct.* 5. 17. Tum iste vir optimus – assem sese negat daturum, nisi prius etc. *Id. Rosc. com.* 17. 49. Dic us ccclↄↄↄ dedisse, qui assem nullum dedit. *Catull.* 5. 3. Rumoresque senum severiorum Omnes unius æstimemus assis. *h. e.* vili pretio. Sic *Id.* 42. 13. Non assis facere aliquid. *h. e.* nihil æstimare. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 43. Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem. Quo pertinet et illud *Assem habeas, assem valeas*, proverb. apud *Petron. fragm. Tragur.* 77. *Burmann.*, quo significatur tanti fieri homines, quantum possident divitiarum. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 27. omnia perdere ad assem. *Plin.* 1. *Ep.* 15. Reddere impendium ad assem. — Hinc *ab asse quæsitus* est ex parvo ære pluries seposito sibi conquisitus. *Inscript.* apud *Murat.* 2023. 7. et apud *Fabrett. p.* 408. *n.* 331. V. F. Q. MINICIVS FABER AB ASSE QVAESITVM VI. VIR. AVG. REQVIE (*h. e.* requie) ET MEMORIAE DIVTVRNAE LOLLIAE SEVERAE VXORI. P. MINICIVS MARMVRIS QVRAM EGIT (*h. e.* marmoris curam egit). IN FR. P. L. IN AG. P. L. Ex his patet, Q. Minicium Fabrum cognomine et professione, sevirum Augustalem, ex artis suæ compendio, utpote qui in ipso lapide repræsentatur dolabra rotam fabricans, monumentum fecisse Lolliæ Severæ et Flaviæ Priscæ uxoribus suis, Festæ filiæ et tribus filiis suis, quibus Marci, Salvilli et Messoris cognomen fuit; atque hujus marmoris, quod titulum sepulcri præfert, curam egisse, post mortem Quint. Minicii, quemdam Publium Minicium qui illius affinis et heres fuisse videtur; huic autem monumento concessum esse terræ spatium quaquaversus quadratum pedum quinquaginta. *Alia* apud *Gruter.* 652. 1. VIBIA L. L. CHRESTA MON. FECIT SIBI ET SVIS ET C. RVSTIO C. L. THALASSO FILIO ET VIBIAE Ɔ. L. CALYBENI LIBERTAE LENAE AB ASSE QVAESITVM LVCRO SVO SINE FRAVDE ALIORVM. H. M. H. N. S. Vides itaque, Vibiam Chrestam Lucii libertam monumentum fecisse sibi et suis, nempe C. Rustio Thalasso Caji liberto, filio suo, et Vibiæ Calybeni Cajæ (*h. e.* suæ) libertæ, quæ, quamdiu ipsa artem meretriciam exerceret, lenoniam operam eidem sedulo præstiterit, ideoque ab ea libertate donata fuerit; addit autem, hoc monumentum sibi ab asse quæsitum, *h. e.* ex mercede meretricia, quæ plerumque asse constabat, (ut habetur apud *Martial.* 1. 104. Asse cicer tepidum constat, et asse Venus. *Et* 2. 53. Si plebeja Venus gemino tibi jungitur asse.); adjicit etiam id ipsum ex lucro tantum suo et sine fraude seu damno aliorum a se factum fuisse; tandem jubet, ut illud heredem suum minime sequatur, sibique soli et filio suo Thalasso et Calybeni lenæ et libertæ suæ reservetur. *V.* CALYBA. — *e*) *Assem elephanto porrigere* proverbialis locutio ab *Augusto* usurpata in quemdam militem, qui libellum ei supplicem sed admodum timide porrexerat. Elephanti enim, ut narrat *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (14)., ita aliquando cicurabantur, ut stipem a populo oblatam proboscide exciperent, quam tamen, qui dabant, non sine timore aliquo et trepidatione porrigebant. Referunt hoc proverbium *Sueton. Aug.* 53., *Quintil.* 6. 3. 59. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 4 — Huc referri potest et illud *Plin.* 2. *Ep.* 20. Assem para et accipe auream fabulam. *h. e.* præmium: et videtur alludere ad circulatores, qui assis mercede fabellas populo venditabant. — *f*) *As* et *as publicus* ponitur pro tributo aut vectigali apud *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11. 28. 12. et *Cassiod.* 12. *Variar. Ep.* 10. — *g*) *As ligneus* dicitur operculum ligneum assis figura formatum. *Veget.* 5. 13. 1. *Schneid.* Si sanguis interdum nimis per venam, cum percussa fuerit et claudi non potuerit, erumpit, remedium est stercus ipsius animalis superponere fluentibus venis, aut si perseveraverit, urere cauterio subtiliter, ne nervi lædantur. Floccum etiam competenti oleo tinctum venæ admoveto: etiam assem ligneum in vena, qua sanguis profluit, ponis et ligas; præsens est remedium. *Gesner.* asserculum interpretatur, sed minus recte; intelligitur enim nummus ex simili loco *Hippiatr. p.* 42. ἀφόδευμα αὐτοῦ τοῦ ἵππου ταῖς ῥεούσαις φλεψὶν ἐπιτίθεις. — ἢ νόμισμα ξύλινον ποιήσας ἐπὶ τῇ αἱμοῤῥοούσῃ φλεβὶ ἐπιτίθει.

ĀSA, æ, f. 1. Idem quod ara. *V.* ARA in principio.

ĂSĂRON, i, n. 2. ἄσαρον, Græca positione occurrit apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 16. (30). et *Veget.* 6. *Veter.* 13. 3. Latina positione est asarum. *V.* ASARUM.

ĂSĂRŌTĬCUS, a, um, adject. asaroti opere elaboratus, tessellatus. *Sidon. carm.* 23. 56. aureasque portas Exornas asaroticis lapillis.

ĂSĂRŌTOS, on, adject. *et Latina positione*

ĂSĂRŌTUM, i, n. 2. ἀσάρωτον, genus pavimenti tessellati, hoc est parvis lapillis varii coloris strati: Græca vox, et per se adjectivum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 60. (184). Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami stravit quem vocant asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, veluti relicta, fecerat parvis e testulis, tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, et aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliæ, scabentes sese in canthari labro. Hactenus *Plin.* Dictum est autem *asarotum* ab α privativo, et σαίρω *verro, scopis purgo*, quoniam in hujusmodi pavimento, quasi purgamenta cœnæ remansissent humi, sic erant depicta et expressa. Hinc

Asarota, orum, n. 2. absolute dixit *Stat.* 1. *Silv.* 3. 54. Splendor ab alto Defluus, et nitidum referentes aera testæ Monstravere solum, varias ubi picta per artes Gaudet humus, superatque novis asarota figuris. *Alii* minus recte hunc locum vexant; at *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 7. *p.* 228. *edit. Mediol.* ita legendum probat; additque, ea verba, *testæ referentes aera nitidum*, significare fenestras vitro clausas aut lapide speculari; deinde poetam affirmasse *humum pictam*, seu musivum opus *superare* novis exquisitisque figuris mirabile illud asarotum Pergami a Plinio laudatum.

ĂSĂRUM, i, n. 2. ἄσαρον, teste *Plin.* 12. *Hist.* 13. 27. (47). herba folia habens similia hederæ, rotundiora tamen et molliora, florem purpureum, radicem Gallici nardi, semen acinosum, saporis calidi et vinosi. Aliqui nardum silvestre vocant, quia nardi vim habet. *Id.* 21. *ibid.* 6. 16. (30). dicit ideo asarum vocari, quia in coronas non additur; nempe ab α privativo et σαίρω, quod etiam *ornare* exponitur. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. *Æmil. Macer* 46. 34. Sic asari succum colatum trade bibendum. *Plin.* postremo loco, et *Veget.* 6. *Veterin.* 13. 3. Græca positione *asaron* usurparunt. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 27.) putat *Asarum* Plin. esse *Asarum europæum* recentiorum; negat vero idipsum bis in anno florere. Cf. id. *Fée Op. cit. vol.* 2. *p.* 17. et seqq., et *V.* BACCHAR et VULGAGO.

ASBESTĪNUM, i, n. 2. (ἀσβέστινον) subintellige *linum*, dicitur genus quoddam lini, quod igne non absumitur: ab α privativo et σβέννυμι *extinguo, consumo. Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (20). Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant; ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile texta propter brevitatem. Rufus de cetero colos, splendescit igni. Cum inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur a Græcis asbestinum, ex argumento naturæ. Hæc *Plinius*. Videtur idem vocari et *amiantus*, quam V. videsis. Multa de asbestino habet cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 269. et seqq.), quæ videsis. Unum tantummodo hic adnotamus: *Plinius* videtur putare asbestinum esse plantam, ait enim *nascitur*; contra *Fée* sine ulla dubitatione affirmat asbestinum

inter gemmas esse recensendum, et silice, magnesia, calce atque alumine constare.

ASBESTOS, i, m. 2. (ἄσβεστος) subaudi *lapis*, nomen gemmæ apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (146)., quæ in Arcadiæ montibus invenitur, coloris ferrei; ita dictæ, ut docent *Solin.* 7. *ante med.* et *Augustin.* 21. *Civ. Dei* 7., quia semel accensa nequit extingui: ab α privativo et σβέννυμι *extinguo.* Est autem idem atque *amiantus* teste ipso *Plin l. c.* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

ASCĂLĀBŌTES, æ, m. 1. ἀσκαλαβώτης, animal ex genere stellionum, in Italia non nascens, plenus lentiginosis maculis, et stridorem acerbum habens. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 28. (90). Latine dicitur *Stellio*, quam vocem *V.* Est *Lacerta Gecko* L.

ASCĂLĬA, æ, f. 1. ἀσκαλία, est inferior pars cacti seu cardui sativi, hoc est cinaræ carduncuii, quæ vulgo esui inservit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 57. (97).

ASCALPO, is, ere, a. 3. (ad et scalpo) scabere, fricare. Occurrit tantum Part. præs. apud *Apul.* 6. *Met.* 9. Ascalpens aurem dexteram.

ASCĂRĪDA, æ, 1. vel *Græca positione* ascaris, idos, 3. (ἀσκαρίς, ἴδος, ἡ) est lumbricorum genus, quod memorat *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. Hæc est lumbricorum significatio: sed ob curationem in iis, quos ascaridas vocavimus (*lege* vocamus, *nulla enim antea est ascaridum mentio*), si tumor in longaone fuerit constitutus, oportet injectionem olei adhibere. *Id. ibid.* 9. Etiam a Clodio historia curationis data ascaridarum esse perspicitur, quos de lumbricis scribentes vermiculos esse docuimus longaonis in partibus natos.

ASCAULES, æ, m. 1. (juxta *Forcellinum* ascaules, is, m. 3.) ἀσκαύλης, tibicen, latine *utricularius*, qui tibiâ utri insertâ inflataque sonat, ab ἀσκός *uter* et αὐλός *tibia*. *Martial.* 10. 3. 8. credis hoc, Prisce, Voce ut loquatur Psittacus coturnicis, Et concupiscat esse Canus ascaules? *Canus* fuit choraules nobilissimus tempore Galbæ, cujus meminit *Id. Martial.* 3. 5. et *Sueton. Galb.* 12. *Id. Sueton. Ner.* 54. hujusmodi artificium vocat *utriculariam*, nempe artem.

ASCENDENS *vel* adscendens, entis. *V.* ASCENDO.

ASCENDĬBĬLIS *vel* adscendibilis, e, adject. qui ascendi potest. *Pomponius in armor. judicio.* Tum præ se portant ascendibilem semitam, quam scalam vocant. Ita refert *Lactant.* seu *Lutat.* vel *Scholiast. Statii ad* 10. *Theb.* 841., quem penes hujusce rei sit fides. Videntur autem verba illa, *quam scalam vocant*, ab alio adjecta esse explicandi gratia.

ASCENDO *vel* adscendo, scendis, scendi, scensum, scendere, 3. (ad et scando). Part. *Ascendens* I. *a.*, et in fine; *Ascensus* et *Ascensurus* I. *c.*; *Ascendendus* I. *b.* — Ascendo est sursum sive ad aliquid editum scando (It. *ascendere*, *salire*, *montare*; Fr. *monter sur*, *gravir*, *escalader*; Hisp. *ascender*, *montar*; Germ. *aufsteigen oder hinaufsteigen*; Angl. *to ascend, mount, climb*).

I.) Proprie ponitur de persona aut re, quæ se moventes sursum scandunt: et occurrit — *a*) Absolute *Cæs.* 1. *B. C.* 79. Quod ex locis superioribus, qui antecesserant, desuper ascendentes protegebant. *Liv.* 5. 47. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 10. Ascendens admissarius. *Martial.* 11. 99. Sedeas in alto tu licet tribunali Et e curuli jura gentibus reddas: Ascendet illa basiator atque illa. *Dig.* 47. 2. 54. § 4. Scala ad ascendendum. *Vitruv.* 10. 13. 3. Ascendens machina. *h. e.* quæ occulto quodam artificio et expeditis machinationibus in sublime crescit; cujus usus præcipue erat in oppugnationibus urbium. — *b*) Addito termino, in quem quis ascendit — Per Accus. et præp. *in*. *Plaut. Merc.* 2. 1. 35. Ascendere in lembum. *Cic.* 2. *Orat.* 24. 100. Lex peregrinum vetat in murum ascendere. *Id.* 15. *Fam.* 4. 8. Ascendere in Amanum. *Id.* 15. *Fam.* 4. Ascendere in oppidum. *Id.* 1. *Att.* 16. 12. in castella. *Id. Vatin.* 14. 34. et *Liv.* 2. 28. in tribunal. *Cic.* 4. *Att.* 2. 3. et *Liv.* 3. 49. in concionem. *Cic. Senect.* 10. 34. in equum. *Id. Amic.* 23. 88. et *Mil.* 35. 97. in cælum. *Nep. Alcib.* 4. in triremem. *Id. Them.* 8. et *Epam.* 4. in navem. *Liv.* 10. 7. in Capitolium. *Virg.* 2. *Æn.* 192. in urbem. *Ovid.* 11. *Met.* 518. in cæli plagas. *Curt.* 4. 4. 10. in turrem. *Id.* 3. 8. 22. in jugum montis. — Raro per Accus. et præp. *ad*. *Liv.* 42. 38. Ascendere ad Gitanas Epiri oppidum decem millia ab mari. *Sall. Cat.* 55. ad lævam paullatim. — Cum nominibus propriis locorum per Accus. sine præp. *Liv.* 41. 22. Ascendere Delphos. — Per Adverbia localia. *Ovid.* 8. *Met.* 17. Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi. Adde *eumd.* 11. 394. *Id.* 7. *ibid.* 220. Quo simul ascendit. Adde *Flor.* 4. 12. 4. — Per Dativum. *Sil. It.* 13. 181. Tunc saxeus imber Ingruit et summis ascendunt turribus hastæ. — *c*) Sæpe locus, qui ascenditur, ponitur in Accus., et tunc verbum est activum, et occurrit etiam forma passiva. *Ter. Adelph.* 4. 5. 69. et *Phædr.* 4. 21. 9. Ascendere navem. *Lucret.* 6. 469. montes. *Id.* 5. 1300. currum. Cf. *Sueton. Tib.* 2. Ascenso simul curru. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 58. Adversam ripam equo ascendere. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. jugum montis. *Id.* 1. *ibid.* 79. Si mons erat ascendendus. Adde *Juvenal.* 1. 82. et *Flor.* 4. 12. 49. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. et *Quintil.* 4. 4. 4. murum. *Liv.* 23. 14. et *Sueton. Cæs.* 61. equum. *Virg.* 9. *Æn.* 507. scalis ascendere muros. *Id.* 1. *ibid.* 419. collem. *Propert.* 4. 3. 63. Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris. *h. e.* ne tanti æstimes partam gloriam ob subacta Bactra. *Id.* 4. 10. 3. ascendere magnum iter. *Tibull.* 4. 1. 12. Deus ascensurus Olympum. *Vitruv.* 3. 3. Ascendere primum gradum dextro pede. *Curt.* 8. 10. 13. verticem montis. *Sueton. Cæs.* 37. Capitolium. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (88). Cœnacula clivis excelsa; porticus quoque ascenduntur nonagenis gradibus. *Forcellinus* ita fermo legebat. *Sillig.* vero, meliorum codicum auctoritate et collato *Isid.* 15. *Orig.* 2. 36., legit *descenduntur*. *Manil.* 2. 853. Tarda supinatum lassatis viribus arcum Ascendens. Figurate *Val. Flacc.* 6. 45. Ascendere thalamum. *h. e.* matrimonium inire.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 61. 227. Hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est. *Id. Brut.* 81. 281. Quæ si ille audire voluisset, maxima cum gratia – ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater ejus fecerat. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. 4. Itaque timeo de consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet tuis decretis, quam inde, si consul factus sit, descensurum. *Plin. Paneg.* 58. An consularis viri triumphalisque filios, cum tertio consul creatur, ascendit? *Quintil.* 8. 4. 26. Nam, etiamsi non per gradus ascendant (*verba ac sententiæ idem significantes*), tamen veluti acervo quodam allevantur. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 6. Ascendente passione atque erumpente, distentio dura et durities partium fit. — *b*) Addito termino, quo quis ascendit. — Per Accus. et præp. *in*. *Cic. Orat.* 36. 125. Ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia. *Curt.* 9. 8. 24. In quam (*fortunam*) postea ascendit. *Vellej.* 2. 76. 4. Nisi in id ascendisset, e quo infra se et Cæsarem videret et rempubl. *Id.* 1. 17. 6. Mature, quod summo studio petitum est, ascendit in summum. — Per Accus. et præp. *ad*. *Cic. Partit. orat.* 4. 12. Ascendere a minoribus ad majora. *cui ibid. opponitur* A majoribus ad minora delabi. *Id. Brut.* 68. 241. ad honores. *Lucret.* 2. 137. Sic a principiis ascendit motus et exit Paullatim nostros ad sensus. *Curt.* 7. 1. 28. Ascendere ad gradum aliquem amicitiæ. *Quintil.* 12. 10. 67. ad fortiora. *cui ibid. opponitur* Ad tenuiora demitti. *Plin. Paneg.* 61. propius ad aliquid. — Per Accus. et præp. *super* vel *supra*. *Vellej.* 2. 53. 3. In id evecti, super quod ascendi non potest. *Tac. Germ.* 25. Ascendere super ingenuos et super nobiles. *Id. Dial. de orat.* 7. supra præturas et tribunatus et consulatus. — *c*) Cum Accus. absoluto, tamquam verbum activum. *Cic. Muren.* 27. 55. Ascendere unum gradum dignitatis. *Id.* 2. *Off.* 18. 62. Non ut ne affligantur, sed ut altiorem gradum ascendant. *al. leg.* ad altiorem. *Id. Cluent.* 55. 150. Ascendere summum locum civitatis. *Forcellinus* ex vett. libris legebat *in summum locum* etc. *Plin.* 3. *Ep.* 2. Altissimum gradum. — Hinc

Ascendentes, ium, m. 3. absolute dicuntur a JCtis in linea consanguinitatis parentes et majores, a quibus procreati sumus; sicut *descendentes*, qui a nobis nati sunt. *Paul. Dig.* 23. 2. 68. Incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit. Adde *Cod. Theod.* 3. 13. 3.

ASCENSĬBĬLIS *vel* adscensibilis, e, adject. qui ascendi potest. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. Si ægrotantes ascensibili itinere gradiantur.

ASCENSĬO *vel* adscensio, ōnis, f. 3. ascendendi actus (It. *salimento*, *ascesa*; Fr. *action de monter*, *montée*; Hisp. *el acto de ascender*, *montada*; Germ. *die Handlung des Aufsteigens*. *das Auf – oder Hinaufsteigen*; Angl. *the act of ascending, an ascent*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 1. 6. Ad hirundininum nidum visa est simia, ascensionem ut faceret, admolirier. *Vitruv.* 9. 1. 5. *Schneid. de sideribus.* Per graduum ascensionem percurrere.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 36. 137. Quorum (*oratorum*) quæ fuerit ascensio et quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio etc. *h. e.* profectus, progressus. *Alii leg.* assensio.

ASCENSOR *vel* adscensor, ōris, m. 3. qui ascendit. *Hieronym.* 1. *in Rufin. in fin.* Ascensor montis Dominici.

ASCENSUS *vel* adscensus, a, um. *V.* ASCENDO.

ASCENSUS *vel* adscensus, us, m. 4. significat tum actum ascendendi, tum ipsum locum quo ascenditur (It. *ascesa*, *salita*; Fr. *action de monter*, *montée*; Hisp. *el acto de ascender*, *montada*; Germ. *das Herauf – oder Hinaufsteigen*, *der Auf – oder Heraufgang*; Angl. *the act of ascending, an ascent*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est ascendendi actus et occurrit — *a*) Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 32. Ascensu prohibere aliquem. *Liv.* 25. 36. Hosti aditum ascensumque difficilem præbere. *Id.* 36. 24. Scalis ascensus tentare. *Id.* 27. 18. Planitiem crepido haud facilior in ascensum ambibat. *Id. ibid.* Mollioris ascensus viam invenire. *Virg.* 2. *Æn.* 303. summi fastigia tecti Ascensu supero. *Claudian. III. cons. Honor.* 46. Ascensu vincere montes. *Eumen. Paneg. ad Constantin.* 19. Quod supererat ascensui, extentis corporibus æquabant. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. Præfocatio vero ex matrice cum ascensu matricis efficitur, quem Græci ἀναδρομήν vocant. *Ascensus siderum* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 15. (59). est eorum exortus et elevatio supra nostrum horizontem, vel cum versus arcticum polum elevantur. *Sillig* vero pro *ascensus* legit *assensu*. — *b*) Cum Genit., aut cum præpositione. *Cic. Dom.* 21. 54. Repellere aliquem ab aditu atque ascensu templi. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 10. Sui tergoris ascensum minori quadrupedi præbere. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 14. (57). Gallorum in Capitolium ascensus. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu ascensus est ipse locus, quo ascenditur. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 51. Ipse in oppidum accedere noluit, quod erat difficili ascensu atque arduo. *Id.* 1. *Orat.* 61. 261. Inambulans atque ascensu ingrediens arduo. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Qualis esset natura montis et qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent misit. *Id.* 7. *ibid.* 50. Milites alio ascensu mittere. *Liv.* 9. 24. Hoc quidem ascensu vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint. *Id.* 41. 27. Gradibus ascensum ab Tiberi in emporium facere. *Id.* 5. 47. Saxum ascensu æquo. *Auct. B. G.* 8. 14. Tantus collis ascensus. *Ovid.* 11. *Met.* 150. Nam freta prospiciens late riget arduus alti Tmolus in ascensu. *Vitruv.* 5. 6. 2. *Schneid.* Cunei spectaculorum in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum – dirigant ascensus scalasque inter cuneos ad primam præcinctionem.

II.) Translate. ¶ 1. Abstracte. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. Ollisque ad honores ampliores gradum is primus ascensus esto. *Id. Harusp. resp.* 20. 43. Hic primus est aditus ad popularem jactationem atque ascensus. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu. *Cic. Planc.* 25. 60. In virtute multi sunt ascensus.

ASCĒNUS, a, um, adject. ἄσκηνος, qui laribus et tecto caret. *Ennod.* 9. *Ep.* 20. Scitis, pro ascinis a quo veniat retributio, si juventur. *ascinis* pro *ascenis* scribitur ex vulgi pronunciatione. Porro *Ennod.* commendat clientes patrono eorum, qui domo sua per vim ejecti fuerant.

ASCĒTĒRIUM, ii, n. 2. ἀσκητήριον. Asceteria sunt loca, in quæ secedunt homines divinarum rerum contemplationi addicti, ab ἀσκέω *exerceo*, quod ibi in piis exercitationibus occupantur. Quidam putant eadem esse ac monasteria, sed manifesto distinguuntur in *Cod. Justinian.* 1. 3. 33. et 41.

ASCĒTRĬA, æ, f. 1. ἀσκήτρια. Ascetriæ sunt mulieres Deo dicatæ, et divinarum rerum contemplationi addictæ, atque ob id a ceterorum hominum cœtu solitariam vitam degentes: ita dictæ ab ἀσκέω *exerceo*, quia in divinis exercitationibus occupantur. Harum fit mentio in *Novell. Constitut.* 123. *Justin.*

ASCHĔTOS, i, m. 2. ἄσχετος, nomen est equi apud *Stat.* 6. *Theb.* 524., ita dicti a velocitate et im-

pelu: ab α privativo et σχεῖν *habeo, retineo*; ita ut proprie sit qui retineri nequit, impotens.

ASCIA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, videtur esse ab ἀξίνη *securis*; vel ab assula vel ab asse, eo quod ea assulas eximit vel asses secando exæquat. — Ascia generatim significat quodcumque instrumentum findendo, secando, fodiendo, evellendo, percutiendo idoneum. Speciatim vero ¶ 1. Raro admodum ascia occurrit pro instrumento ferreo, simili dolabræ, quo utuntur rustici terræ fodiendæ, herbis evellendis, radicibus extirpandis (It. *zappetto, piccone*; Fr. *houe, pioche*; Hisp. *azada*; Germ. *die Hacke*; Angl. *a spade, hoe, adz*). *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 3. Secures simplices vel dolabratas; sarculos vel simplices, vel bicornes; vel ascias in aversa parte referentes rastros. *Murator.* mallet *rostrum*. *Mazzochius* rejicit: at nihil mutandum. ¶ 2. Sæpius est instrumentum ferreum, quo utuntur fabri lignarii ad ligna dolanda et polienda, ferrum habens latum et incurvum, manubriumque breve, ita ut tractari una manu possit: quod inventum fuisse a Dædalo *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (198). scribit: licet alii alium inventorem assignent. Ejus figura visitur in vet. lapide apud *Gruter.* 644. 2. et alibi; item apud *Murat. Inscript.* 534. (It. *asce, ascia*; Fr. *hache, hachette*; Hisp. *hacha, segur*; Germ. *die Axt*; Angl. *a chip-axe, hatchet*). *Lex XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. ROGVM ASCIA NE POLITO. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (207). Tilia citissime ascias retundit. Cf. loca *Vitruvii* et *Pallad.* in seq. paragr. allata — Hinc *Asciam suis cruribus illidere*, proverb. apud *Apul.* 3. *Met.* 6. de iis, in quorum perniciem vertitur si quid moliuntur, quod pariter Itali dicunt: *darsi della scure sul piè*. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann.* Ipse mihi asciam in crus impegi. ¶ 3. Item instrumentum, quo utuntur fabri cæmentarii in calce maceranda, rutrum. Est autem ejusdem fere figuræ cum illo fabri lignarii, nisi quod longius manubrium habet et aciem obtusiorem. *Vitruv.* 7. 2. 2. Sumatur ascia, et quemadmodum materia dolatur, sic calx in lacu macerata ascietur: si ad asciam offenderint calculi, non erit temperata, etc. *Pallad.* 1. *R. R.* 14. Ascia calcem, quasi lignum dolabis. — Videtur etiam esse ferramentum lapicidarum ad saxa polienda. *Hieronym. Ep.* 106. *in fin.* Λαξευτήριον pro quo Latinus *asciam* vertit, nos genus ferramenti interpretamur, quo lapides dolantur. Huc enim pertinere putantur lapides plurimi inscriptionum sepulcralium, in quibus aut ascia depicta est, aut adjecta verba *sub ascia posuit*, ut apud *Gruter.* 760. 3., aut *consummatum hoc opus sub ascia est*, ut apud *Reines. cl.* 6. *n.* 112., aut *ad asciam dedicatum posuerunt*, ut apud *Gud.* 237. 6., aut, *hoc sax. sub asc. ded. est*, ut apud *Gruter.* 709. 5., aut denique, quod frequentissimum est in Gallicis monumentis, præsertim Lugdunensibus et viciniæ, *sub ascia dedicavit*, vel per notas *S. A. D.* Postrema hæc formula hucusque valde torsit eruditorum ingenia: variasque ejus interpretationes commenti sunt. *Alex. Symmachus Mazzochius* edita epistola sane longa, in qua XXX. et amplius doctorum virorum interpretationes recitat, suam adjicit, et *dedicare* ait esse usui tradere, encæniare: quod fit cum primum sepulcro cadaver infertur (tunc enim religiosum esse incipit ut *Martian. Dig.* 1. 8. 6. et *Gallus Ælius* apud *Festum* in *Religiosus* docent). *Asciam*, qua significat instrumentum fabrum cæmentariorum, per metonymiam sumi pro ipsa muri structura et fabrica: quam sententiam recentiores ferme omnes tuentur, inter quos *Hieronym. Amati* in *Dissert. dell' Acad. Archeol. di Roma T.* 1. *p.* 101., *Guarini Comment.* XV. *p.* 3.-42., et *Cavedoni Marm. Mod. p.* 127. Itaque *sub ascia dedicare* esse sub ipsa sepulcri structura, *h. e.* statim ac perfectum est, vel cum parum abesset, ut perficeretur (V. *Plin.* 6. *Ep.* 10.), usui traditum esse, cadavere vel cineribus eo illatis. Quod legitur in *Inscript.* apud *Murat.* 537. 3. SE VIVO AB ASCIA FECIT MONIMENTVM MVRO CINCTVM: *ab ascia* esse a primo asciæ usu, cum fundamenta substruuntur, seu ab initio structuræ. (Contra vero quod legitur in lap. apud *Maff. Mus. Ver.* 166. 1. A SOLO ET AB ASCIA; ipse *Maffejus* significari vult a principio constructionis ad finem). Pergit *Mazzochius*, similia esse *sub ascia posuit* apud *Gruter.*, et *consummatum sub ascia est*; item *ad asciam dedicatum posuerunt*: quæ supra indicavimus. Quoties vero in hujusmodi lapidib. alius est qui sepulcrum posuit, alius qui dedicavit, ut apud *Gruter.* 631. 7. DIVITIA POMITIOLA CONJVGI KARISSIMO PONENDVM CVRAVIT, ET FILII SVB ASCIA DEDICAVERVNT: sententiam esse, positum quidem fuisse a Divitia sepulcrum, sed a filiis cadavere patris eo statim condito dedicatum. Si quando legatur aliquis *vivus sibi sub ascia dedicavisse*, ut apud *Gruter.* 646. 14. et 991. 4. et apud *Spon. Antiquit. Lugdun.* 4. *p. m.* 60., sic intelligendum, ut vivus monimentum extruxerit, et statim post moriens illatus sit, epigraphe ab alio posita. Si quæratur, cur in Lugdunensib. potissimum inscriptionib. asciæ mentio fiat, respondet *Mazzochius* nusquam magis, quam in ea provincia sepulcra violari consuevisse, vel diruendo, vel inarando, vel alienum mortuum inferendo, præsertim si vel imperfecta essent, vel vacua, et nondum usurpata. Itaque et asciam appingere, et formulam adscribere morem fuisse, ut sciretur, eum locum jam esse religiosum, ac proinde non violandum. Exemplum haberi ejus rei apud *Sidon.* 3. *Ep.* 12. *NB.* Allatæ Inscriptiones plerasque omnes nuper collegit *Orell. n.* 210., 4464., 4465., 4466., 4467., 4468. etc. — *Muratorius* in fine *T.* 1. *Inscription. Thesaur.*, omnium qui hac de re scripsere, hoc est *Aldi Manutii, Reinesii, Fabretti, Mazzochii, Maffeji* et *Mabillonii* conjecturas refert, et sibi non placere fatetur. suam autem profert. Cum enim asciæ figura, quæ in lapidibus appingitur, sæpe ligonis, aut securiculæ formam referat, ait, putare se, illud *sub ascia* continere hortationem et preces ad posteros, ut locum sepulcri purgatum servent, nec sinant stirpibus, herbis, vepribus horrescere et impediri. Hoc pluribus copiose confirmat, quæ ibi legenda prostant. — Alia ratione *Jac. Facciolatus* magister meus hæc intelligenda putat. Nam S. C. et decreto pontificum cautum erat, ut postquam mortui cadaver, aut cineres in sepulcrum illati essent, liceret nemini locum illum religiosum factum attingere, aut mutare, nisi a præside provinciæ venia peteretur, et ad collegium pontificum referretur. Id cum provincialibus Roma longe dissitis perincommodum esset, asciam sepulcris et formulam apponebant, ut significarent, ædificatum quidem esse sepulcrum et usui traditum; sed non exædificatum, et extrema manu politum, et adhuc sub ascia positum, quo liceret domino aut heredibus mutare aliquid, addere, ampliare, aut transferre, tamquam inchoatum tantummodo et imperfectum. — *Morcellus*, qui rem hanc postremo attigit, *de Stilo Inscript. Latin. T.* 2. *p.* 76. *edit. Pat.*, litem jam diremptam existimat a *Maffejo*, cujus opinionem probat, ac per eam formulam *sub ascia dedicavit* nihil aliud significari ait, quam *novum intactumque addixit*, sive *ab ascia* statim tribuit, adsignavit. Hanc autem explicationem novo exemplo confirmat. Citat enim radulam aeneam *Musei Kircheriani*, quam templi donarium fuisse putat, et in qua legitur SVB ASCIA F., per quæ verba significari putat, *instrumentum ante dicatum, quam quisquam uteretur*. Ex hoc autem exemplo illud etiam se didicisse addit, *asciam* pro quocumque instrumento accipi, quo opus quodlibet perficiatur.

ASCĬA, ōrum, n. plur. 2. subaudi *loca*, ἄσκια, dicuntur ea, in quibus nullæ sunt solis umbræ, quod contigit cum sol est in meridie, et vertici incolentium imminet, ut fit sub torrida zona statis anni temporibus. Græca vox ab α privativo et σκιά *umbra*. Legitur apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 73. 75. (185).

ASCIO, as, are, a. 1. ascia dolare, cum de ascia lignaria sermo est: item calcem subigere, cum de ascia cæmentariorum fabrum loquimur. V. locum *Vitruv.* in ASCIA 3.

ASCĬŎLA, æ, f. 1. parva ascia: *Isid.* 19. *Orig.* 19. Ascia ab astulis dicta, quas a ligno eximit; diminutivum nomen est asciola. Hæc vox legitur etiam in *Not. Tir. p.* 193.

ASCISCO *vel* adscisco, sciscis, scivi, scitum, sciscere, a. 3. (ad et scisco). *Adscisti* per syncopen pro *adscivisti* usurpat *Fronto ad Verum Imp. Ep.* 1. — Animadvertendum est Præteritum *ascivi* et Supinum *ascitum* et Participium *ascitus* esse repetenda a verbo *ascio* vel *adscio*, cum *ascisco* careat Præterito et Supino, quod usuvenit omnibus verbis in sco desinentibus, quippe quæ Jonice flectantur, ut colligitur ex *Gell.* 6. 15.; ea vero a Grammaticis vocantur inchoativa, ut a *labo labasco*, a *ferveo fervesco*, a *dormio dormisco*: idem obtinet in lingua Græca, in qua verba in σκω finita defectiva sunt, hoc est nullum habent tempus præter Præsens et Imperfectum in omnibus modis. — Part. *Asciscens* sub *B.*; *Ascitus* sub *A.* et *B.*; *Asciturus* sub *A. b.*; *Asciscendus* sub *A.* et *B.* — Ascisco est aliunde assumo, adjungo, arcesso, recipio; et vim habet approbantis et ad se recipientis, *scisco* enim est probare, sancire, constituere (It. *prendere, ammettere, ricevere, approvare*; Fr. *prendre avec soi, recevoir, admettre*; Hisp. *tomar, recibir, admitir*; Germ. *annehmen*; Angl. *to take, receiv, admit, approve*). Servata eadem significatione occurrit *A*) de personis, et *B*) de rebus.

A) De personis occurrit fere in jure civili de iis, quos alicujus rei, juris, societatis etc. participes facimus. — *a*) Absolute. *Cic. Arch.* 2. 4. Perficiam –, ut hunc – non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam si non esset, putetis asciscendum fuisse. *Id. Balb.* 11. 27. Asciscí ab aliqua civitate. *Id.* 2. *Tusc.* 10. 23. Asciscere manus Mulciberi. *h. e.* in auxilium sibi ad opus perficiendum. *Id.* 6. *Verr.* 10. 21. sibi oppidum. *h. e.* societatem cum ipso inire. *Id.* 2. *de republ.* 13. 25. alienigenam sibi regem. *Lucret.* 5. 88. dominos acres. *Auct. B. G.* 8. 30. Exulibus omnium civitatum ascitis. *Sall. Cat.* 25. Eâ tempestate plurimos cujusque generis homines ascivisse dicitur. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 127. Tu certe scis hæc, superis ascite, videsque, Cæsar. *Tac.* 4. *Ann.* 57. Precibus uxoris Tiberio Germanicum, sibi Tiberium asciscere. *Id.* 3. *Hist.* 5. *in fin.* Asciscere tribunos centurionesque et vulgus militum. *Id.* 2. *ibid.* 8. militum multos. — *b*) Cum Accus. appositionis. *Cic. Balb.* 13. 30. Asciscere aliquem civem. *Id. Pis.* 11. 25. aliquem patronum. *Id. Amic.* 14. 50. binos sibi quasi propinquitate conjunctos et naturâ. *Cæs.* 1. *B. G.* 5. et 3. *ibid.* 9., et *Sall. Cat.* 48. aliquos sibi socios. *Auct. B. Alex.* 52. aliquem ducem. *Virg.* 11. *Æn.* 472., *Liv.* 21. 2. et *Tac.* 1. *Hist.* 59. *in fin.* aliquem generum. *Plin. Paneg.* 7. aliquem filium. *Sueton. Tib.* 23. aliquem successorem. — *c*) Addito ordine in quem, aut fine propter quem quis asciscitur — Per Accus. et præp. in. *Liv.* 6. 40. Ascitos in civitatem et patres. *Tac.* 11. *Ann.* 24. Asciscere aliquem in civitatem Romanam et in familias patriciorum. *Curt.* 4. 13. 28. aliquem in societatem. *Id.* 7. 5. 21. in societatem rei. *Id.* 6. 6. 9. in societatem facinoris. *Tac.* 1. *Hist.* 25. in conscientiam facinoris. *Id.* 1. *Ann.* 60. in commilitium. *Id.* 11. *ibid.* 24. in numerum patriciorum. *Id.* 2. *Hist.* 53. in senatum. *Inscript.* apud *Marin. Fratr. Arv. p.* 530., quæ est apud *Orell.* 799. et 3048. IN ORDINEM EQVIT. ROMAN. ADSCITVS. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver. p.* 379. 8. MARCO SALONIO A TIB. CLAVDIO CAESARE AVGVSTO GERMANICO CENSORE ADLECTO IN SENATVM ET INTER TRIBVNICIOS RELATO AB EODEM ADSCITO IN NVMERVM SALIORVM SALONIA MATER FILIO PIENTISSIMO VIVA FECIT. Ita legenda hæc inscriptio, quæ mutila habetur apud *Maff. loc. cit.*, quæque integra a. 1827. Vicetiæ extabat apud *Arnaldum Tornieri*. *Justin.* 38. 8. Asciscere virginem in matrimonium. *Sueton. Claud.* 39. Asciturus in nomen familiæ suæ Neronem. *Id. Galb.* 17. Ascitus testamento in bona et nomen. *Tac.* 1. *Hist.* 15. Asciscere sobolem alicujus in penates suos. *Id.* 1. *Ann.* 31. in cognomentum alicujus imperatores. — Per Accus. et præp. *inter*. *Tac. Agric.* 9. Asciscere aliquem inter patricios. — Per Accus. et præp. *ad*. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 8. Asciscere aliquem ad incredibile sceleris fœdus. *Liv.* 4. 31. voluntarios ad spem prædæ.

B) De rebus — *a*) Generatim ponitur de iis, quæ aliunde assumimus ac recipimus. *Cic. Balb.* 8. 21. Ut cum jussisset populus Romanus aliquid, si id ascivissent socii populi ac Latini, ut tum lege eadem is populus teneretur. *Et mox.* Innumerabiles aliæ leges sunt latæ: quas Latini voluerunt, asciverunt. *Id.* 2. *Legg.* 8. 20. Asciscere effata fatidicorum et vatum. *Id.* 7. *Verr.* 72. 187. Sacra a Græcis ascita et accepta tueri. *Id. Harusp. resp.* 13. 27. Sacra ex Phrygia ascita. *Id. Brut.* 57. 209. Asciscere aliquam consuetudinem. *Id. Orat.* 8. 25. aptum suis auribus dictionis genus. *Nep. Att.* 3. Amitti civitatem Romanam alia ascita. *h. e.* acquisita vel accepta. *Liv.* 1. 20. Peregrinos ritus asciscendo. *Ovid.* 15. *Met.* 625. Coroniden (*h. e.* Æsculapii cultum) sacris Romuleæ urbis asciscere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 119. Asciscere nova (verba), quæ genitor produxerit usus. *Colum. R. R. præfat.* § 25. hanc quasi agriculturæ partem. *Quintil.* 8. 3. 73. aliquid similitudinis gratiâ. *Id.* 8. 6. 3. Translatio recte ascita. *Id.* 9. 4. 58. Varietas gratiâ compositionis ascita. *Priscian.* 18. *p.* 1136. *Putsch.* Verba eosdem casus asciscentia. — *b*) Speciatim de iis ponitur, quæ lubente recipiuntur, quia recta sunt et omnino probanda

Cic. 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 25. Tu vero ista ne asciveris, neve fueris commenticiis rebus assensus. *h. e.* ne admiseris, probaveris, credideris. *Id.* 2. *ibid.* 45. 138. Ne – aliquid asciscam et comprobem incognitum. *Id.* 3. *Fin.* 5. 17. Quæ prima sunt ascita naturâ. *Et mox.* Eas igitur (*rerum cognitiones*) ipsas per se asciscendas arbitramur. *Id.* 1. *Legg.* 11. 31. Sic ab errore mentis, tamquam salutare aliquid, asciscitur (*voluptas*). Juxta *Klotz* huc pertinet et illud *Grat. Cyneg.* 16. Ascivere tuo comites sub nomine divæ. *h. e.* ascivere *hanc vitam*, quæ verba in prioribus versibus habentur: *Furlanetto* in suis MSS. putat legendum *sub numine* et verbum *ascivere* neutrorum more usurpatum affirmat: alii interpretantur *ascivere se tibi comites*: alii alia. — *c*) Item speciatim de iis occurrit, quæ quis injuriâ sibi arrogat. *Cic. Dom.* 36. 59. Asciscendæ laudis causâ. *Id.* 1. *Orat.* 19. 89. Asciscere sibi prudentiam. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 6. sibi tyranni nomen. *Liv.* 4. 25. imperium. *Id.* 33. 31. regium nomen. *Tac.* 14. *Ann.* 52. sibi eloquentiæ laudem. — *d*) Item de iis quæ propria non sunt, sed acquisita atque aliunde petita; quo sensu occurrit præcipue Part. præter. pass. adjectivorum more. *Nep. Att.* 4. Tanta erat suavitas sermonis Latini, ut appareret in eo nativum quemdam leporem esse, non ascitum. *h. e.* non aliunde aut ab arte, aut a consuetudine acceptum, sed a natura. *Ovid.* 6. *Fast.* 172. aliturque cibis, quibus ante solebat; Nec petit ascitas luxuriosa dapes. *h. e.* longe petitas. *Curt.* 10. 3. 6. Geniti alicui, non asciti milites. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 23. Ascita proles. *h. e.* in adoptionem recepta.

ASCĪTÆ, ārum, m. 1. hæretici quidam. *V.* in ASCODROGITÆ. *V.* et ONOM.

ASCĪTES, æ, m. 1. ἀσκίτης, species hydropis, cum humoris aquosi copia in membrana abdominis interiore, velut in utre quodam, continetur. Græca vox ab ἀσκός *utris*. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. et *Plin. Valer.* 3. 12. *Celsus* enim 3. 21. Græcis litteris scribit.

ASCĪTUS *vel* adscitus, a, um. *V.* ASCISCO.

ASCĪTUS *vel* adscitus, us, m. 4. asciscendi actus. *Cic.* 5. *Fin.* 7. 17. Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris: alii censent primum adscitum, non dolere, et primum declinatum dolorem. *Alii leg.* primum adscitum doloris vacuitatem. Sed incerta omnino est lectio (V. *Madvig* ad *h. l.*); et locum, sicut attulimus, restituit ex Codd. *Goerenzius.*

ASCĪUS, a, um. *V.* ASCIA, orum.

ASCLĒPIĀDĒUS *vel* Asclepiadius, a, um, adject. Ἀσκληπιάδειος, ad Asclepiadem pertinens. *Asclepiadeum metrum* dictum est ab Asclepiade poeta Græco, qui fuit discipulus Isocratis, et aliquot tragœdias scripsit; atque hoc metrum vel invenit, vel frequentavit. Tale est illud *Horatii* 1. *Od.* 1. 1. Mæcenas atavis edite regibus. *Diomed.* 3. *p.* 508. *Putsch.* — *Asclepiadeos* absolute, h. e. *versus*, dixit *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *sub init.* Poscis, et Horatiana incude formatos Asclepiadeos tibi quospiam transmittam.

ASCLĒPIĀDĬCUS, a, um, adject. idem ac Asclepiadeus, ut *Asclepiadicum metrum* apud *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2494. *Putsch.*

ASCLĒPĬAS, ădis, f. 3. ἀσκληπιάς, herba est folia hederæ habens, ramos longos, radices numerosas, tenues, odoratas; floris virus grave, semen securidacæ; nascitur in montibus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 18. (35). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 431.) ait qualitates a *Plinio* allatas minime sufficere ad herbam hanc definiendam. Sed si quid audendum, hanc exhibet synonymiam: Ἀσκληπιάς Dioscor. 3. 106.; Κισσὸς, οἱ δὲ κισσόφυλλον Græcor., et Dioscor. in nothis; et *Asclepias* Plin. l. c. suntne *Asclepias Vincetoxicum* L. Spec. plant. 314?

ASCLEPIODOTON, i, n. 2. ἀσκληπιόδοτον, medicamentum præstantissimum et exquisita arte compositum, præsentissimum ægro remedium, tamquam si ab ipso Æsculapio datum sit: ab Ἀσκληπιὸς *Asclepius*, seu Æsculapius, et δίδωμι *do*. Gentiles ita appellabant ea medicamenta, quibus sumptis statim convalescebant. Legitur apud *Tertull. Apolog.* 23. Iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, alia die morituris Socordio et Thanatio et Asclepiodoto vitæ subministrator, nisi se dæmonem confessus fuerit Christiano mentiri non audens, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundit. — Sed locum *Tertulliani* attentius legenti apparebit, Asclepiodotum non pharmaci, sed hominis nomen esse ab Æsculapio in vitam revocati. Si tamen cum *Forcellino* velis esse pharmacum quoddam, cur non ille *Socordium* et *Thanatium* suis locis posuit et interpretatus est, cum non minus, quam Asclepiodoton, pro pharmacis debeant agnosci?

ASCLĒPĪON, ii, n. 2. panacis herbæ genus sic dictum, quod Asclepius seu Æsculapius filiam suam Panaceam appellavit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 11. (30). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 325.) hanc exhibet synonymiam: Πάναξ ἀσκληπίειον Theophr. Hist. plant. 9. 12. et Dioscor. 3. 56., et *Panax Asclepion* Plin. l. c. sunt *Laserpitium hirsutum* Lamrk. Fl. fr. 3. p. 648. et *Panax* Gouan. Ill. 13.

ASCŌDROGĪTÆ, ārum, m. plur. 1. hæretici quidam, qui in suis ecclesiis utrem inflatum ponebant et coopertum venerabantur, circaque eum lascivientes more bacchantium discurrebant, quorum mentio fit in *Cod. Theod.* 16. 5. 65. et in *Cod.* 1. 5. 18.: et ita appellati sunt ab ἀσκός *uter*; unde et *Ascitæ* dicuntur, ut est apud *Augustin. Hæres.* 62.

ASCŌPĒRA, æ, f. 1. sacculus coriaceus in modum utris factus, quo viator pedes necessaria utensilia secum portat; sicut *hippopera* dicitur, qua viator eques utitur. Græca vox ἀσκοπήρα, ab ἀσκός *uter* et πήρα *pera*. *Sueton. Ner.* 45. Ascopera collo deligata.

ASCRĪBO *vel* adscribo, scribis, scripsi, scriptum, scribere, a. 3. (ad *et* scribo). Part. *Ascriptus* in omnibus ferme paragr.; *Ascripturus* I. 1.; *Ascribendus* II. — Ascribere proprie significat scribendo addere, subscribere (It. *aggiungere scrivendo, sottoscrivere*; Fr. *ajouter en écrivant, écrire en sus*; Hisp. *añadir escribiendo*; Germ. *dazuschreiben, zuschreiben, schreibend hinzufügen*; Angl. *to annex by writing, add to a writing, subscribe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est scriptis alia verba scribendo addere vel marmori aliive rei verba subscribere. Itaque occurrit — *a*) Generatim de iis, quæ scribendo adduntur aliis jam scriptis. — Absolute. *Cic.* 3. *Att.* 5. 8. Terentia – et te et sororem tuam et matrem maxime diligit salutemque tibi plurimam ascribit. *Id.* 5. *ibid.* 20. 9. Alexis, quod mihi toties salutem ascribit, est gratum. *Id.* 1. *Divinat.* 16. 29. Illud minime auxuris, quod ascripsit, ob eam causam populum Romanum calamitatem maximam cepisse! *Id.* 2. *Leg. agr.* 20. 53. P. SERVILIVS RVLLVS TRIB. PLEB. DECEMVIR S. D. CN. POMPEIO CN. F. Non credo ascripturum esse MAGNO. *Id.* 5. *Verr.* 66. 154. Hoc quidem non reprehendo, quod ascribit ACCENSVS. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 26. (62). Herba Mithridatis ipsius manu ascripta. *h. e.* addita catalogo aliarum herbarum et descripta. — In illo *Phædr.* 4. 10. 7. Tamen, scelestæ, spiritu culpam lues, Olim cum adscriptus venerit pœnæ dies. *adscriptus* est scriptus a fatis, fatalis, definitus, præscriptus. — Addito in quo quid ascribitur per Ablat. aut Accus. et præp. *in*, aut per Dat. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Antiquior dies in tuis erat ascripta litteris, quam in Cæsaris. *Id.* 3. *Att.* 23. Ascribere diem in epistola. *Id. Cæcin.* 33. 95. Nam nisi esset, hoc in omnibus legibus non ascriberetur. *Id. ibid. paullo ante.* Hoc tibi respondeo, ascripsisse eumdem Sullam in eamdem legem: *Si quid jus non esset* etc. *Id. Dom.* 44. 116. Non est ausus suum nomen emptioni illi ascribere: posuit scilicet Scatonem illum etc. *Id. Balb.* 8. 20. Ascribere pœnam fœderibus. *Liv.* 39. 42. notam motis senatus. *h. e.* infamiæ notam addere. *Curt.* 4. 1. 7. sibi regis titulum, nec eumdem alterius nomini. *Sueton. Galb.* 2. statuarum titulis se pronepotem Q. Catuli. *Quintil.* 1. 7. 17. litteram *a* dativis casibus in ultima parte. — *b*) Speciatim, cum sermo est de testamentis, *ascribere aliquid alicui* est pro aliquo legatum addere testamento. *Plin.* 4. *Ep.* 10. Sabinam – servo sic ascripsisse legatum: *Modesto, quem liberum esse jussi.* *Sueton. Ner.* 17. Cautum – ne quis alieni testamenti scriptor sibi legatum ascribat. Cf. *Dig.* 48. 10. 4. Falso sibi legatum ascribi curare. *Sueton. Vitell.* 14. Libertus coheres alteri ascriptus. — Huc pertinent et illa, quæ pariter testamentis addebantur, *Cic. Cluent.* 12. 34. Ascribere aliquem tutorem alicui. *Dig.* 27. 1. 32. Cujus filium faceret heredem, cum tutorem liberis non ascripsit. — *c*) Denique ponitur et de iis, quæ alicui monumento inscribuntur, sive scribendo adduntur, cum Dativ. aut Accus. et præp. *ad*. *Phædr.* 5. *prol.* 6. Ascribere marmori Praxitelem. *h. e.* Praxitelis nomen. *Sueton. Aug.* 12. *in fin.* aliquid tumulo. *Id. Ner.* 45. columnis. *Id. Aug.* 70. ad statuam alicujus. ¶ 2. Latiori significatione ascribi dicuntur ii, qui alicui albo annumerantur; unde generatim usurpat *Sueton. Tib.* 51. Ascribere aliquem albo, et *Ner.* 21. in albo: et figurate *Horat.* 3. *Od.* 3. 35. et ascribi (*Romulum*) quietis Ordinibus patiar deorum. Speciatim vero — *a*) Ponitur de iis, qui non origine, sed allectione in civitatem asciscuntur et occurrit cum Dat., cum Ablat. et prætpos. *in*, aut Accus. et præpos. *in*. *Cic. Arch.* 4. 8. Archias Heracliæ ascriptum. *Et paullo post.* Legati hunc ascriptum Heracliensem dicunt. *Lex* apud *eumd. ibid.* § 7. Ascribere aliquem fœderatis civitatibus. *Id. ibid.* 5. 10. In civitatibus aliis ascriptum esse. *Id. ibid.* 4. 6. Ascribere aliquem in civitatem. — *b*) Item ascribere est homines in coloniam mittendos alicui agro attribuere et veteribus colonis addere, ut *Paul. Diac. p.* 14. 11. *Müll.* docet. *Liv.* 8. 14. In agrum senatorum coloni missi, quibus ascriptis speciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt. Et Antium nova colonia missa cum eo, ut Antiatibus permitteretur si et ipsi ascribi coloni vellent. *Id.* 31. 49. Colonos Venusiam ascribere. *Id.* 32. 7. Colonosque eo trecentos ascripserunt. *Id.* 35. 9. Tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, novos colonos ascribere possent. Adde *eumd.* 33. 24. et 38., et 34. 42. *Tac.* 14. *Ann.* 27. Veterani Tarentum et Antium ascripti. — *c*) Item ascribi dicebantur et milites qui aut militiæ nomen cum darent ejusdem quoque onera suscipiebant (ut apud *Tac.* 2. *Hist.* 94. Urbanæ militiæ ascribi); aut inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset, et legionum numerum supplerent, de quibus *V.* ASCRIPTIVUS; aut denique extra ordinem et ita asciscebantur, ut commodis fruerentur, labore carerent, ut apud *Lamprid. Alex. Sev.* 15. Jurejurando deinde se constrinxit, ne quem ascriptum haberet, ne annonis rempublicam gravaret. — Huc pertinent et illa *Phædr.* 4. 17. 16. Ascribere legatos. Et *Cic. Flacc.* 30. 74. rebus tutorem. ¶ 3. Latissimo sensu sumitur pro adjungere, annumerare, addere; et occurrit cum Accus. et præp. *ad* aut *in*, cum Ablat. et præp. *in*, aut sæpius cum Dat. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Si quem forte tui cognosti amantiorem, hunc ad tuum numerum libenter ascribito. *Id.* 3. *Off.* 10. 45. Ascribere aliquem tertium ad amicitiam. *Id.* 2. *Orat.* 66. 264. Ad hoc genus ascribuntur narrationes apologorum. *Id. Rabir. Post.* 1. 1. Ascribat ad judicium suum meam sententiam. *Id.* 2. *Phil.* 13. 33. Tu vero ascribe me talem in numerum. *Lucret.* 4. 1183. Ascriptum esse in amore. *Cic.* 5. *Tusc.* 22. 63. Ascribere aliquem tertium quibusdam. *Id. pro leg. Manil.* 19. 58. aliquem comitem alicui belli. *Id. Opt. gen. orat.* 6. 16. alicujus sententiam suæ. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 4. poetas Satyris Faunisque. *Curt.* 6. 2. 13. Scythas Asiæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (18). aliquem numinibus. *Id.* 13. *ibid.* 22. 42. (122). ferulam arborum generi. *Quintil.* 12. 5. 3. affectum vitiis. *Tac. Germ.* 46. Peucinorum (*al.* Fennorum) nationes Germanis an Sarmatis ascribam, dubito. *Id. Dial. de orat.* 17. aliquem antiquis temporibus.

II.) Improprie ascribere ponitur pro attribuere, imputare. *Cic.* 1. *Invent.* 49. 91. Quare hoc incommodum Scipioni ascribendum videtur. *Id.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Bonos exitus ascribere et attribuere diis immortalibus. *Al. aliter. leg.*; Orellius pro ascribere *leg.* arripere. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 11. (30). Panaces diis inventoribus ascriptum. *Id.* 10. *ibid.* 5. 6. (18). Jovi aquila ascribitur. *Pacat. Paneg. Theod.* 8. Bellicæ rei gloriam fortunæ ascribere. *Claudian.* I. *Cons. Stilich.* 70. nec si quid iners atque impia turba Audeat, ascribis juveni. *Papir. Just. Dig.* 49. 1. 21. Ascribere alicui damnum. Juxta *Klotz* huc pertinet et illud *Phædr.* 4. 2. 5. Qui, facere quæ non possunt, verbis elevant, Ascribere hoc debebunt exemplum sibi. *h. e.* sibi attribuere. *Schefferus* autem putat verbum ex re nummularia desumptum: solebant enim, ait ille, creditores apud mensarium summam jubere transcribi in suas tabulas et hoc proprie *ascribere*, idemque est ac accipere velut ex debito et suum facere.

ASCRIPTĪCIUS *vel* adscripticius, a, um, adject. ascriptus, ascitus, annumeratus, allectus. — *a*) Ascripticius civis opponitur originario. *Cic.* 3. *Nat. D.* 15. 39. Quos quasi novos et ascripticios cives in cælum receptos putant. — De ascripticiis militibus *V.* ASCRIPTIVUS. — *b*) *Ascripticii servi*, seu *coloni* dicuntur, qui alicui agro colendo ascripti et attributi sunt, ut ei agro adhærescant, et quasi ipsius prædii

pars sint, bonaque omnia agri domino acquirant: differuntque ab *originariis*, qui ibi nati sunt et ab ipsa nativitate ei colendo addicti. *Imppp. Valentinian. Valens et Gratian. Codd.* 11. 47. 6. *Ibid.* 3. 38. 10. Ascriptitiæ conditionis servi, coloni. *Ibid.* 1. 3. 37. Ascripticii agricolæ.

ASCRIPTĬO *vel* adscriptio, ōnis, f. 3. — *a*) Adjectio in scriptura; et occurrit concreto, uti ajunt, sensu. *Cic. Cæcin.* 33. 95. Declarat ista ascriptio, esse aliquid, etc. *Dixerat autem antea*, ascripsisse Sullam in eamdem legem: *Si quid jus non esset, rogari* etc. — *b*) *Cœlius Aurelian.* in *præfat. Acut.* ait, Asclepiadi *ascriptiones* idem esse ac partitiones seu scriptiones, seu verba ab appellationibus, hoc est nominibus ipsis, efficta; ut puta, φρενῖτις est appellatio, φρενιτίζειν est ascriptio. Addit ascriptiones Græce vocari *categoriæ*, appellationes autem *prosegoriæ*.

ASCRIPTĪVUS *vel* adscriptivus, a, um, adject. idem quod ascripticius, ascriptus, allectus. *Ascriptivi milites* dicti sunt, qui olim ascribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset, et legionum numerum supplerent (It. *soprannumerario*; Fr. *surnuméraire*; Hisp. *supernumerario*; Germ. *neu oder überzählig eingetragen*; Angl. *supernumeraries*). Ita *Varro* 7. *L. L.* 56. *p.* 142. *Müll.* ad illud *Plauti Men.* 1. 3. 1. Extra numerum es mihi. ℞. Idem istuc aliis ascriptivis ad legionem fieri solet. *Paul. Diac. p.* 14. 13. *Müll.* hos eosdem appellat *ascripticios*, quos et *accensos*, et *velatos*, et *ferentarios*, et *rorarios* appellatos fuisse, docet. Quamquam *ferentarii*, et *rorarii* ab his distincti fuisse videntur. — *Lamprid. Alex. Sev.* 15. et *Trebell. Poll.* in xxx. *Tyrann.* 18. et *vacantes* et *ascripticios* appellant milites supernumerarios, ad commoda solum participanda inter milites relatos.

ASCRIPTOR *vel* adscriptor, ōris, m. 3. qui ascribit, subscriptor: et translate qui aliquid approbat, favetque. Nam qui subscribit, approbat id, cui subscribit. *Cic. Dom.* 19. 49. Ille novicius Ligur, venalis ascriptor et subscriptor tuus. *Id. post red. in senat.* 4. 9. Dubitatis, quo animo fuerit in me conservando futurus, cum in restituendo auctorem fuisse ascriptoremque videatis? *Et ibid.* 10. 46. Non modo salutis defensor, verum etiam ascriptor dignitatis meæ. *Hotomann.* monet, his duobus posteriorib. *Cic.* locis tangi morem in senatu servari solitum, ut senatusconsultis apponerentur eorum nomina, quorum de sententia facta essent. *Klotz* vero ad *Cic. Orationes vol.* 3. *p.* 930. rectius putat in superioribus locis tangi morem in legibus ferendis seu proponendis solitum, ut legis auctori suum nomen ascriberent, qui eidem favebant; quod patet ex eodem *Cic.* 2. *leg. Agr.* 9. 22. Collegas suos ascriptores legis agrariæ non repudiabat.

ASCRIPTUS *vel* adscriptus, a, um. *V.* ASCRIBO.

ASCȲROĪDES, is, n. 3. ἀσκυροειδές, herba ascyro similis, majores tamen ramos habens, ferulaceos, omnino rubentes, capitula parva, lutea, semenque in caliculis pusillum, nigrum, resinosum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 20. (37). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 433.) inter ascyron et ascyroides nullum interesse discrimen putat; hanc enim exhibet, etsi aliqua cum dubitatione, synonymiam: Ἄσκυρον, οἱ δὲ ἀσκυροειδές, οἱ δὲ ἀνδρόσαιμον Dioscor. 3. 172. et Orib. 11. 101., et *Ascyron et ascyroides* Plin. l. c. sunt *Hypericum Androsæmum* L. Spec. plant. 1102.

ASCȲRON, i, n. 2. ἄσκυρον, herba quæ et *androsæmon* appellatur. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 10. (26). *V.* ANDROSÆMON.

ĀSELLA, æ, f. 1. *deminut. ab* asina, ut asellus ab asinus; parva asina. *Ovid.* 3. *Art. am.* 290. Ut rudit ad scabram turpis asella molam. — NB. De cognomine *V.* ONOM.

ĀSELLŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* asellus, *quod est deminut. ab* asinus. *Arnob.* 3. 16. Si aselluli, canes, porci humanum aliquid saperent.

ĀSELLUS, i, m. 2. *deminut. ab* asinus, parvus asinus (It. *asinello*; Fr. *petit âne, ânon*; Hisp. *asnillo, borriquillo*; Germ. *ein Eselchen, kleiner Esel*; Angl. *an ass-colt, a little or young ass*).

I.) Proprie. Asellus est domesticum animal omnibus notum. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 51. In mentem venit te bovem esse et me asellum. *Cic.* 1. *Att.* 16. 12. Asellus onustus auro. *Varro* 2. *R. R.* 6. 5. Aselli dossuarii. *h. e.* qui onera portant. *Virg.* 1. *G.* 273. Sæpe oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 20. Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus Cum gravius dorso subiit onus. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 15. Asellus auritus. *Id.* 14. *Met.* 179. lente gradiens. *Id.* 4. *ibid.* 27. pandus. *Colum.* 7. *R. R.* 1. 1. vilis vulgarisque. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (41). vilis. — Apud *Petron. Satyr.* 31. *asellus Corinthius cum bisaccio in promulsidari positus* non est vas, aut amphora aurita, sed vere asellus ex ære Corinthio factus, et ad ornamentum luxumque in mensa positus, ut saniores docent interpretes. — *Narrare fabellam asello surdo* proverbialiter dixit *Horat.* 2. *Ep.* 1. 199., et est rem narrare iis, qui ne auribus quidem, nedum mente quidquam percipiunt. — *Asellus in via cum lassus fuerit, diverticula quærit* proverbialiter dixit *Hieronym. Ep.* 107. *ad Lætam n.* 10.: et sensus est, a nimio labore et fatigatione abstinendum, ne pertæsi omnia deponamus.

II.) Improprie. ¶ 1. Obsceno sensu *bipes asellus* dicitur de homine magnis conditionibus instructo. *Juvenal.* 9. 92. atque alium bipedem sibi quærit asellum. *Hieronym. Ep.* 27. *n.* 3. Verum revertimur ad nostros bipedes asellos. — Idem obscenus sensus latet et in illo, quod proverbii modo legitur apud *Petron. Satyr.* 24. Post asellum diaria non sumo. *h. e.* post pretiosum et delicatum cibum non comedo vilia. — Eodem ferme sensu pro corpore humano ad libidinem prono dixit *id. Hieronym. Vit. S. Hilarion.* Ego, aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere; per æstus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. ¶ 2. Asellus est etiam nomen piscis marini, ita dicti, quod sit colore cinericio, ut *Varro* docet 5. *L. L.* 77. *p.* 31. *Müll.* Ejus duo genera docet esse *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 18. (61)., alterum quod appellatur *callarias*, mole minor, alterum *bacchus* dictus, qui non nisi in alto capitur. Hujus magnum pretium fuit apud antiquos post acipenserem et lupum, ut *Nepos* et *Laberius* apud *Plin. ibid.* tradidere. *Harduin.* eorum opinionem rejicit, qui putant asellum eumdem esse ac *merluche* Gallorum. Nec minus fortasse errant, qui eum faciunt, qui ab Italis *nasello* dicitur. *Ovid. Halieut.* 131. Et tam deformi non dignus nomine asellus. Adde *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. ¶ 3. Præterea est *asellus* nomen duarum stellarum in signo Cancri. Juppiter enim bello adversus gigantes edixit, ut omnes dii sibi opem ferrent. Adfuerunt Satyri quoque et Sylvani asinis insidentes, qui, cum in conspectu hostium essent, consternati sunt, eoque perstrepuere tumultu, ut gigantes metu perterriti diffugerent. Asini ergo princeps causa victoriæ diis fuerunt. Hoc merito a Jove inter sidera collocati sunt. Exiguum inter has duas stellas spatium nubecula occupat, quam *Præsepia* dicunt. Porro hanc fabulam narrat *Hygin.* 2. *Astron.* 23., ubi etiam addit aliam de iisdem hoc modo. Bacchus furore objecto a Junone cum fugeret per Thesprotiam, ad Jovis Dodonæi templum tendens, pervenit ad paludem quamdam, quam duorum asellorum ope feliciter transvectus, eos inter astra collocavit (*V.* etiam *Lactant.* 1. 21.). *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 80. (353). Sunt in signo Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli appellatæ, exiguum inter illas spatium obtinente nubecula, quam Præsepia appellant. Hæc cum sereno cælo apparere desierit, atrox hiems sequitur. — *NB.* Nonnulli *asellum* accipiunt pro furca, pertica, fulcro alicui rei sustinendæ, in illo *Pallad.* 1. *R. R.* 18. 2. Cupas – asellis altioribus impositas – possumus collocare. *Schneider.* leg. *basellis*; sed in notis hæc addit: Fluctuat lectio inter *asellis* et hanc semilatinam formam *basellis*: asellos tamen in hoc usu aliunde ignoramus. — De Asello nomine proprio *V.* ONOM.

ĀSĒMUS, a, um, adject. ἄσημος. Asemæ tunicæ sunt tunicæ simplices, nullamque purpuram intextam, nullum clavum assutum habentes; ab α privativo, et σῆμα *signum, nota*. *Lamprid. Alex. Sev.* 33. *in fin.* Chlamydes hirtas Severi et tunicas asemas, vel macrocheras, ex purpura non magna, ad usum revocavit suum.

ĀSĒNA, æ, f. 1. pro *arena* dixisse veteres colligimus ex *Varron.* 7. *L. L.* 27. *p.* 130. *Müll.*

ĀSĬA, æ, f. 1. Secale, quod est genus frumenti, Taurini sub Alpibus *asiam* vocant, teste *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 40. (141). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 167.) hanc exhibet synonymiam: Τίφη Theophr. Hist. plant. 8. 1. et 2. et 4.; Βρίζα Galen. de Fac. alim. 1. 312.; Σίκαλι Græcor. recentior.; *Siligo* Colum. 2. R. R. 6. 9. teste Sprengel, et *Secale et asia* Plin. l. c. sunt *Secale cereale* L. Spec. plant. 124. De hac vero synonymia idem *Fée* vehementer dubitat quod ad asiam attinet. *V. l. c.* — *NB.* De Asia nomine proprio *V.* ONOM.

ĀSĬĀNĒ adverb. asiano more. *Quintil.* 12. 10. 17. Neque Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes. *V.* voc. seq.

ĀSĬĀNUS, a, um, adject. ad Asiam pertinens, *V.* ONOM. Generali significatione *Quintil.* 8. *proœm.* 17., 9. 4. 103. et 12. 10. 16. *asianos* appellat eos, qui dicendi genus *Asiaticum* sequuntur. *V.* ASIATICUS infra.

ĀSĬARCHA, æ, m. 1. ἀσιάρχης, qui asiarchiæ dignitate decoratus est: occurrit apud *Imppp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15. 9. 2. Item in *Inscript.* apud *Henzen.* 6156. CN. DOTTIO DOTTI MARULLINI FIL. SER. PLANCIANO PATR. COL. FLAM. IIVIR VIR II. QQ. MUNER. II. ET AGONOTHE. PERP. CERTAM. QQ. TALANT. (*h. e.* munerario iterum et agonothetæ perpetuo certaminis taliantæi) ASIARCH. TEMPL. SPLEND. CIVIT. EPHES. (*h. e.* asiarchæ templorum splendidissimæ civitatis Ephesi) EX LICENT. SUA ELECT. AGONOTHET. PERP. AB IMP. DIVO MARCO CERTAM. SACR. HADRIANIOS (*h. e.* certamen sacrum Hadrianion, ἀγὼν ἱερὸς τῶν Ἁδριανείων) EDIDIT POSTUL. POPULO OB MERIT. EIUS VIC. GERMALUS.

ĀSĬARCHĬA, æ, f. 1. ἀσιαρχία, supremum Asiæ sacerdotium annuum, et omnium sacrorum, ludorum, spectaculorum certaminumque publicorum præsidatus; quæ dignitas nonnisi opulentissimis et nobilissimis viris concedi solebat, propterea quod sumptuosissima erat et magno splendore administranda. Occurrit hæc vox in *Dig.* 27. 1. 6. § 14., et 50. 5. 8. *pr.* Ceterum V. vocem præced. et *Eckel. D. N. V. T.* 4. *p.* 207.

ĀSĬĀTĬCUS, a, um, adject. ad Asiam pertinens. *V.* ONOM. Hinc

Asiatica, orum, n. plur. 2. sunt mala ex Asia, quæ *Plin.* 15. *Hist. nat.* 12. 11. (39). appellat *Asiatica persica*. *Colum.* 10. *R. R.* 412. Frigoribus pigro veniunt Asiatica fetu.

Asiatici oratores dicuntur a *Cic. Brut.* 13. 51. et *Opt. gen. orat.* 3. 8., et ab *Cæsare Augusto* apud *Sueton. Aug.* 86., qui genus dicendi tumidum nimisque redundans sequuntur, quod *Asiaticum genus* ab eodem *Cic.* appellatur *Brut.* 95. 325. Nam cum Asianorum ingenia inaniora esse soleant, ut est apud *Liv.* 45. 23., ut eloquentia e Piræeo evecta est, et tota Asia peregrinari cœpit, facile fuit, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis, quasi sanitatem, perderet et in ubertatem verborum nimis luxuriantem degeneraret. *Quintil.* 12. 10. 16. Antiqua quidem illa divisio inter Asianos et Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; et in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset. — Porro *Asiaticum dicendi genus* duplex fuit: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis: alterum non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, qualis Ciceronis tempore Asia tota fuit, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum. Cf. *Cic. Brut.* 95. 325.

ASIDA, æ, f. 1. Hebraica vox הַחֲסִידָה vel חֲסִידָה, quam et Septuaginta ἀσίδα verterunt. *Vulgat. ital. ed. Mai. Hierem.* 8. 7. Asida in cœlo cognovit tempus suum. *Hieronym.* vertit *milvus*: alii alia; *V.* Interppr.

ĀSĪLUS, i, m. 2. genus muscæ gregibus infestissimæ, quam aculeum in ore habere *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (100). tradit (It. *assillo*; Fr. *taon*; Hisp. *tábano*; Germ. *die Bremse*; Angl. *a horse-fly, gad-fly*). *Virg.* 3. *G.* 146. Est lucos Silari circa ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo Romanum est, œstrum Graji vertere vocantes: Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis Diffugiunt armenta, etc. *Nigidius* apud *Philargyr.* ad *Virg. l. c.* Asilus est musca varia tabanus (*forte legendum* vulgo tabanus), bubus maxime nocens. Hic apud Græcos prius myops vocabatur: postea magnitudine incommodi œstrum appellarunt. Adde *Philargyr.*, *Servium* et *Probum* ad *Virg. l. c.* Ceterum *Seneca Ep.* 58. docet, hanc vocem suo tempore desiisse usurpari tamquam nimis antiquam: quod et *Plin. loc. cit.* significat, ubi asilo nominato, sive tabanum.

inquit, *dici placet*. Ex quibus patet *asilum* fuisse vocem propriam rusticorum et eorum qui in historia naturali versabantur.

ĂSĬNA, æ, f. 1. femina asini (It. *asina*; Fr. *ânesse*; Hisp. *borrica*; Germ. *die Eselin*; Angl. *a she-ass*). *Varro* 2. *R. R.* 8. 1. Ex equo et asina fit hinnus. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 37. 4.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (171). et locum infra cit.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 16. *Paul. Dig.* 33. 7. 18. Asina molendaria. — In Dativo et Ablativo plurali habet *asinis* magis Latine, quam *asinabus*. Nam, ut docent grammatici, nomina feminina primæ declinationis in iis casibus desinunt in *is*: sic *filiis* rectius dicitur quam *filiabus*, *equis* quam *equabus*, *libertis* quam *libertabus*. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 40. 95. (233). Mammæ asinis a fetu dolent. — Hoc intellige (addidit, nec tamen recte, cl. *Furlanetto*; nulla enim auctoritate confirmat) cum aut epithetum, aut ipsa verborum constructio satis per se genus indicat, nec ullam parit ambiguitatem. Nam ad distinctionem adhibendam et vitandam ambiguitatem licet aliquando hac positione in *abus* uti. Et sic legimus *filiabus*, *equabus*, *libertabus* etc. *V.* suis locis. — *NB.* De cognomine. *V.* ONOM.

ĂSĬNĀLIS, e, adject. asinarius. *Apul.* 4. *Met.* 3. Asinali verecundia ductus.

ĂSĬNĀRIUS, a, um, adject. ad asinum pertinens. *Cato R. R.* 10. Molas asinarias duas, trusatiles unas. *h. e.* quæ ab asinis versantur. Adde *eumd. ibid.* 11. — *Asinaria herba* vocatur in *Gloss. Philox.* rhododaphne, quæ et rhododendron dicitur, Italice nunc *oleandro*; ejus autem appellationis causa repetenda est ex eo, quod ejus flos, qui rosa laurea vocatur, letalis est cuncto pecori, ac præcipue asinis, si comederint, ut habes apud *Apul.* 4. *Met.* p. 240. *Oudendorp.* V. et *Isid.* 17. *Orig.* 7. 54. — *Apul.* 7. *Met.* 8. Mulierem putantes asinariam (*h. e.* quæ asinos pascit et agit), concedebant liberos abitus. — Hinc

Asinarius, ii, m. 2. absolute ¶ 1. Est qui asinos pascit, custodit et agit. *Cato R. R.* 10. et 11., et *Varro* 1. *R. R.* 18. 1. Bubulcum, asinarium, subulcum. Adde *Sueton. Aug.* 87. *Inscript.* apud *Mommsen.* 391., quæ est apud *Henzen.* 7206. T. METIO. POTITO VIXIT. ANN. XVIII. COLL. MVL. ET ASINAR. *h. e.* collegium mulionum et asinariorum. Porro hæc Inscript. reperta est Potentiæ in fundamentis antiquæ ædiculæ S. Stephani, circum quam ædiculam muliones et asinarii Potentini in anniversario Sancti mulos asinosque circumagere consueverunt usu antiquissimo necdum abolito. ¶ 2. *Asinarii* per convicium dicuntur Christiani apud *Tertull. Apolog.* 16. et *advers. Gent.* 11. crimine, ut ibi ostenditur, ab Judæis tracto, qui adorare caput asininum falso credebantur, vulgata nempe a *Tac.* 5. *Hist.* 4. fabula. *Tertull. Apolog.* 16. Hoc forsitan improbandum, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus.

Asinaria, æ, f. 1. subaudi *fabula*, inscribitur una ex *Plauti* Comœdiis, quia in ea memoratur pecunia ex asinorum venditione collecta. *Varro* 7. *L. L.* 79. p. 150. *Müll.* — *NB.* De Asinaria via. *V.* ONOM.

ĂSĬNĪNUS, a, um, adject. ad asinum pertinens (It. *asinino*; Fr. *relatif à l'âne*, *d'âne*; Hisp. *asnino*; Germ. *vom Esel herrührend*; Angl. *asinine*). *Varro* 2. *R. R.* 8. 2. Asininus pullus. *Id. ibid.*, *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (204)., et *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. lac. *Varro* 2. *R. R.* 38. 2. stercus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (72). pilus. *Id.* 17. *ibid.* 9. 6. (54). fimum. *Id.* 29. *ibid.* 17. 67. (230). carnes. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 9. aures. — *Asinina pruna* cognominata sunt a vilitate, ut docet *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (41). sunt enim sine gustu, iisque rustici saginare sues solent. Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 229.) *Pruna asinina* Plin. l. c. sunt *Prunus asinaria* var. γ L. et *Pruna asinina* Trag. 1020.

ĂSĬNĪVRHIDA. *V.* CALYBA.

ĂSĬNUS, i, m. 2. jumentum equo simile in multis, minus tamen et deformius, pilo longiore et horridiore, prælongis auriculis insignique tarditate; sed idem laboris omnium patientissimum (It. *asino*; Fr. *âne*; Hisp. *asno*, *borrico*; Germ. *der Esel*; Angl. *an ass*).

I.) Proprie. — *a*) Inter multa asinorum genera celebres fuere apud veteres Arcadici (*V.* ARCADIA) et Reatini, ut *Plin.* docet 8. *Hist. nat.* 43. 68. (167)., ubi plura etiam de horum cultura, quemadmodum apud *Varron.* 2. *R. R.* 6. 1. et *Colum.* 7. *R. R.* 1. 1. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 58. Hoc magnum est periculum me ab asinis ad boves transcendere. *Cato R. R.* 10. Asini ornati clitellarii. *Id. ibid.* 11. Asini plostarii II, asinus molarius. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 159. Mulorum utilitates et asinorum, quæ certe ad hominum usum paratæ sunt. *African. Dig.* 32. *l.* 88. et *Ulp. ibid.* 33. 7. 12. Asinus machinarius. *V.* MACHINARIUS. — *b*) Hoc animal Priapo sacrum est, eique immolabatur, seu quia hortis est inimicus; avidissime enim olera appetit, et areolas nullo discrimine proculcat: seu quia olim dicitur cum Priapo de conditionis magnitudine certasse, victusque pœnas morte dedisse, ut *Hygin.* 2. *Astron.* 23. narrat; tametsi *Lactant.* 1. 21. victum fuisse ipsum Priapum asserit: seu tandem quia ruditu eumdem Priapum detexerit, cum Vestæ dormienti insidiaretur, ut apud *Ovid.* 6. *Fast.* 320. legitur. *Id. ibid.* 345. Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo: Apta asini flammis indicis exta damus. Hoc tamen distichon eruditi plerique *Ovidio* abjudicant, sed minus recte. — *c*) Per convicium dicitur de homine stulto, stupido, tardo, duro. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 4. Neque ego homines magis asinos unquam vidi. *Ter. Heaut.* 5. 1. 3. In me quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Cic. Pis.* 30. 73. Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis, sed fustibus. *Cic.* 4. *Att.* 5. 3. Scio te voluisse, et me asinum germanum fuisse. *h. e.* stupidum, qui quæ suasisti, non feci, nec salutaria esse intellexi. Cf. *Ter. Eun.* 3. 5. 49. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem: Qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum. *V. Eumd. Eun.* 3. 5. 50. — *d*) *Asinus ad lyram*, ὄνος λύρας, subaudi ἀκροατής, proverbium de homine hebete et ad litteras minime nato. Ductum est ex eo, quod cum pleraque animalia lyræ sono delectari quodammodo videantur, solus asinus nihil prorsus eo movetur: sumptumque est ex *Varron.*, qui quamdam e suis satyris Ὄνος λύρας inscripsit. *Gell.* 3. 16. refert fragmentum ex alia ejusdem satyra, quæ inscribitur *Testamentum*, his verbis: *Si filii erunt* ὄνοι λύρας, *exheredes sunto*. *Hieronym. Ep.* 27. *ad Marcellam* 1. Asino lyra superflue canit. — *e*) In illo *Catull.* 97. 10. Et non pistrino traditur atque asino: *asinum* volunt multi significare metam molendariam, quæ a Græcis quoque ὄνος dicitur. In his est *Vulpius*, qui locum præclare illustrat. — *f*) *Asinus albus* de homine maledico, qui aliorum scripta carpit, dixit *Quintil.* 6. 3. 57. — *g*) Qui asinum non potest, stratum cædit, Italice *chi non può battere il cavallo, batte la sella*. proverb. apud *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* de iis, qui cum non possunt verum injuriæ acceptæ auctorem ulcisci, in debiliorem et innocentem sæviunt. — *h*) Asinus in tegulis apud *Eumd. ibid.* 63. videtur esse proverbium de re nova, insolita, stupenda ac prodigiosa.

II.) Improprie asinus significat corpus humanum ad libidinem proclive. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 617. Sic fortis anima mortificans asinum suum. *V.* ASELLUS II. 1.

ĂSĬNUSCA, genus est quoddam uvæ parvi pretii, nec aspectu gratæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). et *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 165.) hæc habet: Aurait'on donné à ce raisin dédaigné cette épithète comme méprisante? Pline dit que l'*uva asinusca* n'est point estimée. Daléchamp veut, au contraire, que ce raisin soit nommé *asinusca* à cause de sa couleur grisâtre qui rappelle la nuance de couleur du poil de l'âne.

ĀSĬO, ōnis, m. 3. genus avis, seu potius noctuæ, de quo ita *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (68). Otus bubone minor est, noctuis major, auribus plumeis eminentibus: unde et nomen illi (*nempe* ab οὖς, ὠτός *auris*); quidam Latine asionem vocant: imitatrix alias avis ac parasita, et quodam genere saltatrix. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (117). Asio noctuarum est genus, quibus pluma aurium modo micat.

ASMA, ătis, n. 3. ᾆσμα, Græca vox, quæ cantilenam significat. *Mar. Victorin.* 3. *p.* 2564. *Putsch.* Vides subjectum metron sapphico hendecasyllabo et per ordinem ejusdem asmatis similes clausulas haberi. *Et* 4. p. 2610. *ibid.* Accepta semel asmatum structione. *Et* p. 2616. *ibid.* Monostropha vocantur hæc asmata. *Et* p. 2618. *ibid.* Per totum autem asma diligentiâ poeticâ id observatum est.

ĀSŎLŒCUS, a, um, adject. ἀσόλοικος, non vitiosus, ab α privat. et σόλοικος *barbarus*. *Caper de Orthogr.* 2245. *Putsch.* Sic militis puer Galearius recte dicitur, nam Galearia solœcismus; non est puer galearia; ac sic rite voces *puer est galearius*, hic asolechus. *lege* asolœcus; et *V.* GALEARIUS et GALEARIA.

ĀSŌMĂTUS, a, um, adject. ἀσώματος, incorporeus: Græca vox ab α privativo et σῶμα *corpus*. Legitur apud *Capell.* 3. *init.*

ĀSŌTĬA, æ, f. 1. prodigalitas, luxus, incontinentia in sumptibus. ἀσωτία et ἀσωτεία. *V.* ASOTUS. *Gell.* 10. 17. Est persona divitis avari et parci, sumptum plurimum asotiamque adolescentis viri deplorantis. *Veteres edit. Græce habent* ἀσωτίαν τε. *Id.* 19. 9. Ut in tali asotia atque nequitia artium vinceretis.

ĀSŌTUS, a, um, adject. ἄσωτος, incontinens in sumptibus voluptatum parandarum causa, luxus et ganeæ studio perditus, nepos. Vox Græca ab α privativo et σώζω *servo*, *salvum et incolumem reddo*. Est enim ἄσωτος ὁ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος, ut interpretatur Aristoteles *l.* 4. *de Morib. c.* 1., hoc est qui per se suaque opera perit. *Cic.* 2. *Fin.* 7. 22. et 8. 23. non semel hanc vocem Latine usurpat et, qui sint asoti, demonstrat. *Id.* 3. *Nat. D.* 31. 77. asotis opponit *acerbos*, hoc est eos, qui voluptatem omnem etiam honestam excludunt, et acerbam quodammodo tristemque vitam vivunt.

ASPĂLĂTHUS, i, m. 2. ἀσπάλαθος, spina candida, in Ægypto nascens, magnitudine arboris modicæ, flore rosæ, cujus radix ob odoris suavitatem in unguentis expetitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 52. (110). Ex hac fit etiam oleum, ut *Id.* 15. *ibid.* 7. 7. (30). docet. Usi sunt etiam ad condiendum vinum aromatiten, teste *Eod.* 14. *ibid.* 16. 19. (107). — Alius ab hoc videtur esse frutex eodem nomine appellatus, quem describit *Id. l.* 24. *c.* 13., et in Nisyro et Rhodiorum insulis nasci tradit. Fortasse est is, quem nunc lignum Rhodium appellant. Cl. vero *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 51.) nullum putat interesse discrimen inter aspalathum Ægyptium et Rhodium, atque hanc exhibet synonymiam: Ἀσπάλαθος Dioscor. 1. 23. et *Aspalathus* Plin. in omnibus locis super. cit. sunt *Lignum Rhodianum* Offic., bois de Rhodes, et abusivement bois de roses, *Convolvulus scoparius* L. Spec. plant. 135.

ASPĂLAX, ăcis, f. 3. inter herbas hortenses enumerat *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 31.; sed quæ ea sit, incompertum esse notat *Harduinus*. Cl. vero *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 318.) cum *Harduino* consentit, atque inter cetera hoc addit, hujusmodi herbam enumerari etiam a *Theophr. Hist. plant.* 7. 2. ἀσπάλαξ

ASPĂRĂGUS, i, m. 2. (ἀσπάραγος vel ἀσφάραγος). Latine quoque, sicut Græce, scribitur *asphara-gus*, et ita legitur apud *Apul. Herb.* 84. — Apud *Non.* 204. 25. *Merc.* in verbis *Varron.*, quæ ibi recitat, legitur *sparagus*; quod, nisi mendum est ut *Forcellinus* putavit, certe vocabulum fuit vulgari sermone corruptum. — Ceterum asparagus (a particula α intensiva et σπαράσσω *lacero*, quia ejus caulis terram lacerat ut surgat, vel quod trahitur e terra antequam maturescat) herba est fœniculi folio, nudum caulem, seu turionem prius emittens, quam folia, parvis baccis et, cum maturuerint, rubris: cujus duplex est genus, silvestre alterum, quæ et *corruda* dicitur; alterum hortense. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 6. Ibi corrudam serito, ut asparagi fiant. *Id. ibid.* 161. *Schneid.* Asparagus quomodo seratur etc. *Varro* 1. *R. R.* 23. 5. Umbrosis locis alia seras, ut corrudam, quod ita petit asparagus. Adde *eumd.* apud *Non l.* superius *c. Colum.* 10. *R. R.* 246. Et bacca asparagi spinosa prosilit herba. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 3. 45. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (145). Omnium hortensiorum laudatissima cura asparagis. *V.* ibi plura de his. *Id. ibid.* 4. 19. (54). Silvestres fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim: ecce altiles spectantur asparagi. *Juvenal.* 11. 69. et montani Asparagi, posito quos legit villica fuso. — *Velocius quam asparagi coquantur*, proverb. ad exprimendam festinatæ rei velocitatem. Augustus Cæsar frequenter eo utebatur, ut narrat *Sueton. Aug.* 87. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 344.) hanc de asparago hortensi exhibet synonymiam: Ἀσπάραγος Galen. l. c. et Dioscor. 2. 142., et *Asparagus* Plin., Juvenal., et Latinorum ll. cc. sunt *Asparagus officinalis* L. Spec. plant. 448. — De asparago silvestri *V.* CORRUDA. ¶ 2. Latiori sensu asparagi nomine Latini, haud aliter ac Græci, intelligunt quoscumque teneros caules ad fructus aut seminis productionem

crescentes, ut docet *Galen. l. 2. Aliment. facult. c.* 58. Hinc *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (27). Vitis nigræ seu bryoniæ asparagos Diocles prætulit veris asparagis in cibo, urinæ ciendæ. *Id.* 21. *ibid.* 15. 54. (91). In totum spina est asparagus, scorpio: nullum enim folium habet.

ASPARGO *vel* adspargo, sparginis, etc. *V.* ASPERGO, sperginis, etc.

ASPECTĀBILIS *vel* adspectabilis, e, adject. (aspecto). Comp. *Aspectabilior* 2. Est qui videri potest; unde ¶ 1. Qui sub aspectum cadit, visibilis. *Cic. Tim.* 4. Deus animal unum, aspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. *Et paullo post.* Corporeum autem et aspectabile, itemque tractabile necesse est esse, quod natum est. ¶ 2. Item dignus qui aspiciatur. *Apul. de Mag.* 14. An tu ignoras, nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam?

ASPECTĀMEN *vel* adspectamen, inis, n. 3. idem ac aspectus. *Claud. Mamert. de statu anim.* 2. 12. *a med.* Suntne hæc omnia genti mortalium vel convenientia usui, vel jucunda aspectamini? *Al. leg.* expectamini *eodem sensu.*

ASPECTĬO *vel* adspectio, ōnis, f. 3. actus aspiciendi. *Festus p.* 333. 9. *Müll.* S p e c t i o in auguralibus ponitur pro aspectione.

ASPECTO *vel* adspecto, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequent. ab* aspicio. — Part. *Aspectans* I. — Aspecto est sæpe, attente ac diligenter specto atque intueor; admiratus, stupens atque attentus intueor.

I.) Proprie. *Ennius* 10. *Ann.* 21. Aspectabat virtutem legionis suspectans. *Id.* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 39. Hiccine est ille Telamo, modo quem gloria ad cælum extulit? quem aspectabant? cujus ob os Graji ora obvertebant sua? *Plaut. Amph.* 1. 1. 114. Cælum aspectare. *Id. Most.* 4. 3. 32. Quæso edepol huc me aspecta et responde mihi. *Id. Epid.* 5. 1. 16. Estne ut tibi dixi? aspecta. *Id. Amph.* 4. 2. 8. Quid me aspectas, stolide? *Ter. Eun.* 3. 5. 11. Satine sanus? Quid me aspectas? *Cic. Planc.* 42. 101. Quid me aspectas, quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? *Lucret.* 3. 75. Macerat invidia, ante oculos illum esse potentem, Illum aspectari claro qui incedit honore. *Forcellinus* hunc *Lucret.* locum singulari paragr. distinxerat, ibique *aspectare* acceperat pro suspicere, admirari. *Virg.* 3. *G.* 228. Et stabula aspectans regnis excessit avitis. *Id.* 10. *Æn.* 251. Aspectare supera convexa. *Id.* 6. *ibid.* 185. silvam immensam. *Stat.* 3. *Theb.* 82. Nunc trucis ora tyranni, Nunc ferrum aspectans.

II.) Improprie occurrit — *a*) De abstractis, et est animum intendere, advertere. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Omnes, exutâ æqualitate, jussa principis aspectare. *h. e.* diligenter attendere. — *b*) De locis, e quibus regio aliqua videri potest. *Virg.* 1. *Æn.* 420. collem, qui plurimus urbi imminet, adversasque aspectat desuper arces. *Tac.* 12. *Ann.* 32. Mare, quod Hiberniam insulam aspectat.

ASPECTUS *vel* adspectus, a, um. *V.* ASPICIO.

ASPECTUS *vel* adspectus, us, m. 4. (aspicio). Olim *aspectus*, *uis*, declinatum est: unde, extritâ *s*, Genitivus *aspectui*, pro quo *aspecti* bis dixit *Accius* apud *Non. p.* 485. 21. *Merc.* et apud *Priscian.* 6. *p.* 712. *Putsch.* — In Dat. *aspectu* pro *aspectui* dixit *Virg.* 6. *Æn.* 465., qua ratione *anu* pro *anui*, *concubitu* pro *concubitui*, *ornatu* pro *ornatui* usurpatum legitur, ut *Gell.* 4. 16. et *Non.* 9. 15. edit. veter. adnotarunt. His adde *jussu, nutu, venatu, manu, victu* etc., quæ *V.* suis locis. Sic enim olim a multis declinabantur hujusmodi nomina. — Ceterum aspectus occurrit *A*) Active, et *B*) Passive.

A) Active. ¶ 1. Aspectus est aspiciendi actus, sive actus quo aliquid oculis intuemur: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Att.* 3. 1. E quibus (*litteris tuis*) primo aspectu voluptatem cepi, quod erant a te ipso scriptæ. *Id.* 2. *Nat. D.* 35. 90. Primo aspectu in animum quiddam se putat videre. *Id. Brut.* 54. 200. Uno aspectu. Et figurate *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 35. Quod cuique occurrit et primo quasi aspectu probabile videtur. Item figurate *Quintil.* 10. 2. 16. Ad primum velut aspectum orationis. *Virg.* 1. *Æn.* 617. Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido, Casu deinde viri tanto. *Tac.* 15. *Ann.* 61. *in fin.* Voci tamen et aspectui pepercit. *h. e.* ab ejus præsentia et conspectu abstinuit. — *b*) Addito Genitivo aut alio vocabulo ad aspectum ipsum definiendum; et tunc aspectus accipi etiam potest pro præsentia, conspectu. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 17. Carere aspectu civium. *Et ibid.* Hominum aspectum præsentiamque vitare. *Id. Sull.* 26. 74. Hominum aspectum lucemque vitare. *Id. Harusp. resp.* 5. 8. Violare sacra Bonæ Deæ aspectu virili. *Virg.* 9. *Æn.* 657. Mortales medio aspectus sermone reliquit. *Id.* 6. *ibid.* 465. Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro. *Seneca Hippol.* 734. Fugere aspectum alicujus. *Tac.* 16. *Ann.* 28. *in fin.* Exuere aspectum alicujus rei. *h. e.* se subtrahere alicujus rei aspectui. *Id.* 3. *ibid.* 59. Gravari aspectu civium. *Id.* 13. *ibid.* 16. Vesci in aspectu propinquorum. *Id.* 5. *Hist.* 17. Esse in aspectu. *Aurel. Vict. Cæsar.* 21. Dare se aspectui alicujus. ¶ 2. Item ipsa oculorum in aliquid intentio seu conversio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 141. Natura lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent et aspectum quo vellent facile inverterent. *Id. Prov. consul.* 16. 36. Referre aspectum in curiam. *Id.* 3. *Herenn.* 15. 27. Aspectu acri uti. ¶ 3. Item ipsa videndi vis seu facultas, videndi sensus, visus. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 52. Sed mihi neutiquam cor consentit cum oculorum aspectu. *Cic. Tim.* 4. 9. Sub aspectum tactumque cadere. *Id.* 2. *Orat.* 87. 358. Venire sub aspectum. *Id.* 1. *Off.* 4. 14. Aspectu sentiri. *Id. Arch.* 6. 13. Proferre aliquid in aspectum et lucem. *h. e.* in publicum edere. *Id.* 2. *Orat.* 87. 357. Res ab aspectus judicio remotæ. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 73. Amittere aspectum. ¶ 4. Item totum illud spatium, quo usque oculorum acies intendi potest, Græce ὁρίζων. *Cic.* 1. *Divinat.* 44. 92. Illi orbes, qui cælum quasi medium dividunt et aspectum nostrum definiunt, qui a Græcis ὁρίζοντες nominantur, a nobis *finientes* rectissime nominari possunt. Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (143). In sexdecim partes cælum in eo aspectu divisere Tusci. *Sillig.* vero leg. *respectu*. *Cic.* 6. *Verr.* 52. 117. Et portus habet prope in ædificatione aspectuque urbis inclusos. Et figurate *Q. Cic. Petit. cons.* 1. 1. Ut ea, quæ in re dispersa et infinita viderentur esse, ratione et distributione sub uno aspectu ponerentur.

B) Passive aspectus est alicujus rei visio et præsentia: et ponitur ¶ 1. Pro ipsa rei alicujus visione tantummodo, pro re ipsa, quæ se offert aspicienda. *Cic.* 4. *Fam.* 9. 3. Nec eam (*patriam*) diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius, nec eam multis claris viris orbata privare etiam aspectu tuo. *Id.* 6. *Verr.* 62. 139. Quod posteaquam dixi, tantus est gemitus factus aspectu statuæ et commemoratione etc. *Nep. Iphicr.* 3. Fuit autem et animo magno et corpore imperatoriâque formâ, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui. *Curt.* 4. 4. 5. Utrisque lætus fuit aspectus belluarum. *Id.* 8. 14. 12. Regis aspectus. *Id.* 3. 9. 10. Funditorum aspectu territi milites. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 68. 68. (172). Aspectus siderum. *h. e.* eorum apparentia et præsentia: aspicere enim nos videntur, cum a nobis conspiciuntur. *Id.* 11. *ibid.* 52. 114. (274). Aspectus morum. *h. e.* signa et indicia in vultu et ore alicujus, ex quibus ejus mores licet cognoscere. — Hinc *ad aspectum* vel *aspectu* sunt dicendi modi, qui passim occurrunt. *Cic.* 6. *Verr.* 62. 117. Situs urbis præclarus ad aspectum. *Id. Orat.* 68. 128. Res vehusta ad aspectum. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 26. Sagana et Canidia horrendæ aspectu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (47). Apes horridæ aspectu. *Id.* 13. *ibid.* 22. 40. (93). Cortex tristis aspectu. *Id.* 34. *ibid.* 3. 6. (17). Fœdus aspectu. (Nisi malis his et aliis hujusmodi locis *aspectu* pro supino accipere). ¶ 2. Item pro rei specie et figura. *Accius* apud *Non. p.* 485. 21. *Merc.* Abducite intro: nam mihi miseritudine commovit animum excelsa aspecti dignitas. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. Quadrupes — cervice anguina, aspectu truci. *Cic. ibid.* 63. 158. Pomorum jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et aspectus. *Id.* 2. *Phil.* 29. 73. Aspectus miserabilis auctionis. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Horridiore aspectu esse in pugna. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (162). Bucephalus torvo aspectu. *Id. ibid.* 45. 70. (181). Tauris generositas in aspectu. *Id.* 9. *ibid.* 9. 11. (35). Tristitia aspectus. *Id.* 35. *ibid.* 10. 37. (83). Urbes pingere blandissimo aspectu. *Id.* 31. *ibid.* 2. 20. (61). Colomore aspectu discolori. *Id.* 24. *ibid.* 19. 113. (234). Herba aspectu roris marini. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (76). Carbunculi aspectus nigrioris. *Id.* 10. *ibid.* 40. 56. (132). Caprimulgi grandioris merulæ aspectu. *Quintil.* 6. 3. 26. Aspectus et habitus oris non inurbanus. *Tac.* 14. *Ann.* 10. Vultu et aspectu exterrere legiones. *Id. ibid.* 32. Oceanus cruento aspectu. *Gell.* 14. 4. Aspectu vehementi et formidabili esse.

ASPELLO *vel* abspello, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (ab, abs et pello). Part. *Aspellens* II. *Abspulsus* affert *Corn. Fronto de different. vocabul.*, sed nullo confirmat Latini Scriptoris exemplo. — Aspello est repello, arceo, removeo (*It. cacciar via, rimuovere*; *Fr. chasser, éloigner*; *Hisp. echar fuera, apartar*; *Germ. fort-hinweg-davon-treiben*; *Angl. to drive away, remove, banish*).

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 1. 2. 5. Simul autem plenissime eos, qui adversum eunt, aspellito, detrude, deturba in viam. *Id. Amph.* 3. 4. 17. Aspellere virum inde.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 3. 2. 46. Ille qui aspellit, compellit: ille qui consuadet, vetat. *Id. Capt.* 3. 3. 4. Aspellere alicui metum. *Cic. vertens a Græco versus Æschili* 2. *Tusc.* 10. 25. Sed longe a leto numine aspellor Jovis. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. Apollinem aspellentem mala intelligas.

ASPENDĬOS, ii, f. 2. ἀσπένδιος, genus vitis, ex qua libare aris vinum nefas putabant: unde et nomen habuit, nempe ab α privativo et σπένδω *libo*. Ferunt etiam eam nec ab alite ulla attingi. Hæc *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (117).

ASPER, ĕra, ĕrum, adject. — *Aspra* et *asprum* per syncopen dixerunt *Ennius* apud *Apul. de mag.* 39., *Virg.* 2. *Æn.* 379. et *Pallad. Insit.* 67. Cf. ASPRETUM, ASPRITUDO etc. — Comp. *Asperior* et Sup. *Asperrimus* I. 2. *a.* — *Forcellinus* hæc de etymo: Proprie dici videtur de loco saxis, sentibus et squalore obsito, partesque inæquales et salebrosas habente, atque adeo ad culturam inepto. Græci enim agricolæ hujusmodi loca ἀσπόρους appellabant, ut *Jul. Scalig.* docet apud *Voss. Etymol.*, ab α privativo et σπείρω *semino*. Hoc sensu *Cic. Partit. orat.* 10. 36. In locis autem et illa naturalia, maritimi, an remoti a mari; plani, an montuosi; lēves, an asperi; salubres, an pestilentes etc. *Doderlein* vero (*Latein. Synon. vol.* 6. *p.* 29.) rectius fortasse putat *asperum* deducendum esse ab ἀσπαίρω *reluctor, resisto*; quippe hæc vox, ut ipse *Forcellinus* addidit, universim accipitur pro omni eo, quod inæqualitate superficiei et scabritie tactum lædit eique reluctatur ac resistit (*It. aspro, ruvido*; *Fr. âpre au toucher, rude, raboteux, pointu*; *Hisp. aspero, escabroso, fragoso*; *Germ. rauh, nicht glatt*; *Angl. rough, rugged, harsh*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu asperum est id quod inæqualitate superficiei et scabritie tactum lædit; cui opponitur *lēvis*, ut apud *Cic.* loco super cit., et apud *Lucret.* 2. 471. Et quod mixta putes magis aspera levibus esse Principiis etc. Occurrit autem — *a*) De locis. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107.; *Pacuvius* apud *Mar. Victorin.* 2. p. 2522. *Putsch.*; *Lucret.* 4. 116.; *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 23. et *Ovid.* 6. *Met.* 76. Aspera saxa. *Cic.* 12. *Att.* 15. Silva densa et aspera. *Cæs.* 3. *B. C.* 43. et *Quintil.* 12. 9. 2. colles. *Sall. Cat.* 57. montes. *Id. ib.* 59. rupes. *Id. ib.* 3., et *Horat. Epod.* 5. 76. loca. *Sall. Jug.* 94. ascensus. *Liv.* 25. 36. solum. *Curt.* 8. 11. 7. ripæ. *Id.* 7. 11. 14. aditus. *Id.* 8. 9. 8. os. *h. e.* aditus. *Lucan.* 1. 42. Leucas. — *b*) De aliis, quæ tactum lædunt. *Ennius* apud *Apul. de mag.* 39. Aspra ostrea. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. et *Cels.* 4. 1. Arteria aspera. *Græce* ἀρτηρία τραχεῖα. *Lucret.* 6. 1149. lingua aspera tactu. *Virg.* 3. *G.* 508. et *Ovid.* 7. *Met.* 556. lingua aspera. Cf. *Lucan.* 4. 325. ora squamosis aspera linguis. *Virg.* 10. *Ecl.* 49. glacies. *Horat.* 2. *Od.* 20. 9. pelles. *Colum.* 12. *R. R.* 46. 1. et *Scribon. Compos.* 180. linteum. *Pallad. Insit.* 67. velamen. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (13). terra. *Ovid.* 3. *Art. am.* 223. lapis. *Martial.* 6. 13. manus. *Id.* 11. 87. Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat Assidue tussis. — *c*) Item de iis quæ acuta sunt, et ad pungendum aut cædendum apta. *Virg.* 2. *Æn.* 379. asprіs sentibus anguem promere. *Id.* 3. *Ecl.* 89. Rubus asper. *Id.* 1. *G.* 152. de zizaniis. silva. *Tibull.* 1. 9. 32. nec amplexus aspera barba terit. Cf. *Horat. Epod.* 5. 27. Asperi capilli. *Lucan.* 7. 139. Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper Exarsit mucro. — *d*) Item a Poetis ponitur, ut a Græcis τραχύς, de argenteis, aureis etc. vasis aliisve, quæ habent signa extantia et quæ iisdem superficiem inæqualem reddunt. *Virg.* 5. *Æn.* 267. et 9. *ibid.* 263. pocula argento perfecta atque aspera signis. *Ovid.* 12. *Met.* 235. crater signis extantibus asper. *Id.* 13. *ibid.* 700. inaurato crater asper acantho. *Propert.* 2. 6. 17. po-

cula aspera. *Seneca Hippol.* 899. partis asperum signis ebur. *Val. Flacc.* 5. 578. balteus asper. *Sil. It.* 11. 279. aspera pondera cælati auri. *Id.* 2. 431. aspera signis Spartana cohors. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 89. cingula baccis aspera. — *c*) Hinc *asper nummus* dicitur, qui bene percussus est et alte expressas notas habet, quales sunt recenter cusi et qui manibus hominum nondum detriti sunt, totumque pondus suum retinent. *Sueton. Ner.* 44. Exegit ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum etc. *Pers.* 3. 69. Quis modus argento, quid fas optare, quid asper Utile nummus habet? *Seneca Ep.* 19. Nec voles, quod debeo, nisi in aspero et probo accipere. ¶ 2. Latiori sensu aspera dicuntur quæ non tactum solummodo, verum etiam ceteros hominis sensus lædunt; quibus *lenia* opponuntur: qua significatione occurrit — *a*) Generatim de iis, quæ sensus lædunt quæque propterea, ut ait *Forcellinus*, periculosa sunt, infesta, molesta: ac præcipue de mari procelloso, de anni tempestatibus ac cæli temperie. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Et Neptunus sævus undis asperis pausam dedit. *Liv.* 37. 16. Nec ante hostium portus in salo stare poterant aspero mari et nocte imminente. *Virg.* 6. *Æn.* 351. maria aspera juro Non ullum pro me tantum cepisse timorem. *Ovid.* 3. *Fast.* 580. Asperior quovis æquore frater erat. *Id.* 11. *Met.* 490. Aspera crescit hiems omnique e parte feroces Bella gerunt venti. *Lucret.* 6. 133. aspera nubila. *Sall. Jug.* 37. hiems. *Vellej.* 2. 113. 3. Asperrimæ hiemis initio. *Justin.* 2. 1. Asperum cælum. *Tac. Germ.* 2. Germania aspera cælo. — *b*) Speciatim dicitur de saporibus: est autem proprie *asper sapor*, qui terreum gustum reddit, ut docet *Jul. Scalig. ad l.* 2. *Theophr. de causis plant.* c. 18. Quo pertinet fortasse illud *Plauti Capt.* 1. 2. 85. Asper meus victus sane est. PAR. Sentes ne esitas? HE. Terrestris cœna est, multis oleribus etc. Ubi et tenuem esse suam cœnam significat, et ex natis terrâ herbis paratam. Rectius tamen *asper* dicitur quicumque sapor palatum offendit. *Cato R. R.* 157. Hæc (*brassica*) est aspera et natura bona ad curationem. *Ter. Heaut.* 3. 1. 49. Asperum, pater, hoc est (*vinum*): aliud lenius sodes vide. *Cic.* 2. *Fin.* 12. 36. Quid judicant sensus? Dulce amarum, lene asperum, prope longe, stare movere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 100. 101. (287). Asper sapor maris. *Id.* 19. *ibid.* 6. 34. (95). Allium asperi saporis: quo plures nuclei fuere, eo asperius. *Id.* 12. *ibid.* 7. 14. (48). Asperrimum piper. *Id.* 25. *ibid.* 13. 101. (253). Herba asperrimi gustus. *Id.* 20. *ibid.* 9. 39. (79). Acetum quam asperrimum. — *c*) Item de odoribus insuavibus et nimis acribus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 41. (92). Herba odoris asperi. — *d*) Item de sonis. *Cic.* 3. *Orat.* 56. 216. Lene asperum (*vocis genus*), contractum diffusum. *Quintil.* 8. 3. 17. Verba etiam ipso auditu aspera. *Id.* 11. 3. 15. Lenis et aspera vox. *h. e.* quæ inæqualis et rudis ex asperatis faucibus emittitur. *Id. ibid.* § 63. In ira et aspera et densa vox. — *Aspera littera* dicitur *r* ab *Ovid.* 5. *Fast.* 481., eique *lenis littera*, scilicet *l*, opponitur. *Quintil.* 9. 4. 37. Consonantes asperiores. *Id. ibid.* § 34. Vocales asperiores. — *Asper spiritus* dicitur a Grammaticis, qui syllabæ sonum vehementiorem et asperiorem quodammodo reddit, et in Græcis vocibus appingi solet figurâ parvæ ῾: cui contrarius est lenis, cujus nota est ᾿ inversa. *Priscian.* 2. *p.* 572. *Putsch.* — Hinc figurate apud Rhetores *aspera* oratio dicitur, quæ non fluit et præfracta est, salebrosa, inculta. *Cic. Orat.* 5. 20. Aspera, tristis, horrida oratio, neque perfecta, neque conclusa. cui *ibid. opponitur* lēvis et structa et terminata. *Seneca Ep.* 114. Compositio præfracta et aspera. *Quintil.* 9. 4. 142. Compositio dura et aspera.

II.) Translate ponitur de hominibus, belluis et rebus præcipue abstractis. ¶ 1. De hominum vivendi agendique ratione, et de belluarum indole ac natura, *asper* ponitur pro immiti, duro, intractabili, fero, sævo, crudeli. — *a*) De hominum vivendi agendique ratione. *Cic.* 4. *Fin.* 28. 78. Horridiores evadunt (*Stoici*), asperiores, duriores et oratione et verbis. *Id. Planc.* 16. 40. Eodemque adjungas, quos naturâ putes asperos atque omnibus iniquos. *Id. Muren.* 29. 60. Doctrina non moderata nec mitis, sed paullo asperior et durior. *Sall. Jug.* 18. Gætuli et Libyes asperi incultique. *Liv.* 22. 59. Patres vestros asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen – Tarentum misisse. *Id.* 39. 40. Asperi animi esse. *Virg.* 5. *Æn.* 730. gens aspera cultu. *Id.* 1. *ibid.* 279. aspera Juno. *Id.* 2. *ibid.* 96. odia aspera. *Horat. Art. P.* 163. juvenis monitoribus asper. *Id.* 2. *Sat.* 6. 82. (*hospes*) asper et attentus quæsitis. *Tibull.* 1. 5. 1. Asper eram et bene discidium me ferre loquebar. *Ovid.* 13. *Met.* 830. acrior igni (*Galatea*), Asperior tribulis, fetâ truculentior ursâ. *Quintil.* 4. 1. 17. Mores asperi, lenes, jucundi. — *b*) De belluarum natura. Cf. *Horat. Epod.* 6. 11. infra sub 2. *Virg.* 3. *G.* 57. Bos aspera cornu. Cf. *Pallad.* 4. *R. R.* 12. 4. Asper bos mansueto conjungitur. *Virg.* 4. *G.* 245. asper crabro. *Id.* 3. *ibid.* 434. anguis asper siti atque exterritus æstu. *Horat.* 3. *Od.* 2. 10. asperum tactu leonem. *Id.* 1. *ibid.* 23. 9. aspera tigris. *Tibull.* 1. 6. 20. Aspera turba canum. *Ovid.* 11. *Met.* 402. lupus dulcedine sanguinis asper. — Cum Infinito. *Sil. It.* 3. 387. *de equo*. Asper frena pati aut jussis parere magistri. ¶ 2. Item de hominibus ponitur pro acri, mordaci, maledico. *Cic. Brut.* 34. 129. Licinius asper, maledicus, genere toto paullo fervidior. *Id. Planc.* 14. 33. Facetiis asperioribus perstringere aliquid. Cf. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Asperis facetiis illusus. *Horat. Epod.* 6. 11. Cave, cave; namque in malos asperrimus Parata tollo cornua. *Tibull.* 4. 4. 14. Dicere verba aspera in aliquem. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 8. Aspera verba. Adde *Quintil.* 8. 3. 17. *Curt.* 7. 1. 22. Si – aliqua vox asperior esset accepta. ¶ 3. Item pro severo, acri, forti, cui *opponitur* remissus, mollis, effeminatus. *Virg.* 1. *Æn.* 14. Carthago – dives opum studiisque asperrima belli. *Justin.* 2. 3. Gens laboribus et bellis aspera. *Seneca Med.* 87. Virgo aspera. *h. e.* Diana virilibus severisque studiis dedita et muliebres artes aversata. Eodem modo *aspera* dicitur Camilla a *Virg.* 11. *Æn.* 664. Sic *asperiora studia* apud *Horat.* 3. *Od.* 24. 53. opponuntur pravis elementis Cupidinis. *Virg.* 8. *Æn.* 318. Venatus asper. *Liv.* 3. 40. Asperior sententia. *Vellej.* 1. 10. Aspera censura. *Quintil.* 4. 3. 9. lex. *Sil. It.* 7. 51. virtus. — Huc referri potest et illud *Virg.* 8. *Æn.* 364. Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum Finge deo, rebusque veni non asper egenis. *Forcellinus* h. l. asperum pro aspernatore ac fastidiente accepit. ¶ 4. Item de rebus præcipue abstractis ponitur pro difficili, calamitoso. *Cic. Balb.* 9. 22. In periculis et asperis temporibus. *Id.* 1. *Off.* 23. 80. Res asperæ. *Id. Rosc. com.* 4. 11. Asperum est aliquid in judicio. *Sall. Cat.* 10. Dubias atque asperas res tolerare. Adde *eumd. ibid.* 52. et *Jug.* 7. *Id. Jug.* 103. Asperum negotium. *Id. Cat.* 21. Mala res, spes multo asperior. *Id. Jug.* 41. Asperius acerbiusque otium. *Id. ibid.* 48. Bellum asperrimum. *Liv.* 45. 36. Militia horridior asperiorque. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 7. Aspera bella. *Virg.* 1. *Æn.* 295. Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis. *Id.* 11. *ibid.* 623. et 12. 124. pugna. *Id.* 6. *ibid.* 883. fata. *Quintil.* 11. 1. 3. causæ. *Id.* 6. 4. 4. dimicatio. ¶ 5. Dicitur præterea asperum generatim quidquid grave est, et molestiam ac fastidium creat. *Val. Flacc.* 5. 489. aspera regum juga perpeti. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. Dominatio nimia atque aspera. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

Asperum, *i*, n. 2. substantivorum more occurrit

A) Proprie — *a*) De locis, fere in plur. num. *Curt.* 7. 11. 16. Per aspera (*saxorum*) enixis duriora restabant et crescere altitudo petræ videbatur. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (53). et *Quintil.* 6. 1. 52. Aspera et confragosa. *h. e.* loca. *Sueton. Tib.* 60. A tergo insulæ per aspera et devia crepere. *Id. Tit.* 8. In asperrima insularum devehi. — *b*) De maris procella. *Tac.* 4. *Ann.* 6. Maris asperis obviam ire. *Id.* 3. *ibid.* 5. Asperrimo hiemis.

B) Translate *aspera* sunt res adversæ. *Sall. Jug.* 89. Majora et magis aspera aggredi. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 21. aspera multa perferre. *Propert.* 1. 18. 13. aspera multa alicui debere.

ASPĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus asperandi, exasperatio. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *sub fin.* Calor sensum occupat, et gustatum linguæ fervor interpedit: ideo ex asperatione oris præventa suavitas excluditur. *Recentiores ferme omnes conjunctim leg.* exasperatione. Certa tamen lectione, sed translate, occurrit apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 7. (*Membranas capitis*) jugiter excitare, sine dubio asperatio passionis est.

ASPĔRĀTUS, a, um. *V.* ASPERO.

ASPĔRĒ, adverb. (asper). Comp. *Asperius* et Sup. *Asperrime* II. Proprie est inæqualiter.

I.) Proprie raro admodum occurrit de sono. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 45. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis – afferre videatur: ex quo sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores; non aspere, – non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et æquabiliter et leniter. *Quintil.* 1. 1. 37. Syllabæ aspere coeuntes.

II.) Translate est dure, severe, rigide, acerbe. *Cic.* 1. *Fam.* 5. 6. Aspere et acerbe accusare aliquem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 6. § 1. Aspere tractare aliquem. *Id.* 1. *Orat.* 53. 227. Aspere et vehementer loqui. *Id. ibid.* Asperius loqui aliquid. *Id.* 2. *Att.* 22. 5. Asperrime loqui in aliquem. *Id. Planc.* 13. 33. Aspere et ferociter et libere dicta. *Id.* 9. *Att.* 15. Asperius scribere de aliquo, quam etc. Adde *Quintil.* 6. 3. 28., 8. 3. 40. et 11. 3. 23. *Liv.* 3. 50. Aspere agere aliquid. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Aspere accipere aliquid. *Seneca* 3. *Ira* 37. Asperrime pati aliquid. *Vellej.* 2. 7. Asperrime sævire in aliquem.

ASPERGO *vel* adspergo *vel* aspargo, ĭnis, f. 3. *Aspargine* pro *aspergine* legitur a *Callistrat. Dig.* 14. 2. 4. in edit. *Torrentini*, quod et in loco *Virg.* infra cit. legit *Vel. Long. Orthogr. p.* 2234. *Putsch.* et *Non. p.* 405. 5. *Merc.*, et plures exhibent Codices (cf. tamen *Wagner* ad *Virg.* loc. infra cit. et in *Orthogr. Virg. p.* 381.): idem et alii adstruunt in *Tertull. advers. Jud.* 6. et alibi ex quibusdam MSS. — *Priscian.* 5. p. 658. *Putsch.* docet, antiquissimos etiam in masculino genere usurpasse. — Ceterum aspergo est aspersio (It. *lo spruzzare*; Fr. *aspersion, arrosement*; Hisp. *aspersion*, *regadio ó regadura*; Germ. das *Anspritzen*; Angl. *a sprinkling with water, besprinkling*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte. — *a*) Generatim. — Absolute. *Ovid.* 3. *Met.* 86. Sanguis virides aspergine tinxerat herbas. *Id.* 1. *ibid.* 572. Impluere aspergine silvas. *Id.* 3. *ibid.* 683. Multa aspergine rorare. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 48. (167). Aspergine et gelu pruinisque rumpi. *Dig.* 14. 2. 4. § 2. Aspergine res deteriores factæ. — Addito Genitivo. *Ovid.* 7. *Met.* 108. Aspergine aquarum ignem concipere. *Petron. Satyr.* 102. Nec aquæ asperginem imposituram aliquam corpori maculam. *Plin.* 5. *Ep.* 17 Buxus –, quamquam longinqua aspergine maris, inarescit. — *b*) Speciatim de parietibus. *Cato R. R.* 128. Delutare parietes ne aspergo noceat, neque mures cava faciant. *Schneiderus* tamen *curculio* legendum pro *aspergo* probat. *Vitruv.* 5. 11. 1. *Schneid.* Uti – non possit aspergo in interiorem partem pervenire. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 30. (63). Trichomanes umbrosas petras parietumque asperginés sequitur. *h. e.* nascitur in parietibus aquæ guttis aspersis et humentibus. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est res ipsa quæ alii aspergitur, stilla aut gutta aspersa. *Lucret.* 6. 522. Hic, ubi sol radiis – Adversâ fulsit nimborum aspergine contra. *Virg.* 3. *Æn.* 534. Objectæ salsa spumant aspargine cautes. *Ovid.* 14. *Met.* 796. Flammiferâ gemini fumant aspergine postes. *Id.* 4. *ibid.* 729. Madescere aspergine. *Id. ibid.* 125. aspergine cædis In atram verti faciem.

II.) Translate. *Fronto* 2. *ad Am.* 6. *a med.* Infamiæ aspergo inquinat simul multos et dedecorat. *Prudent. Apotheos.* 1005. Fraude carens, omni culparum aspergine liber.

ASPERGO *et* aspargo *vel* adspergo, spergis, spersi, spersum, spergere, a. 3. (ad *et* spargo). — De forma *aspargo*, quæ occurrit apud *Marcell. Empir.* 36., vide quæ dicta sunt sub initium vocis præced. — Part. *Aspersus* in omnibus ferme paragr. — Aspergo est respergo, conspergo, perfundo (It. *spruzzare, spruzzolare, aspergere*; Fr. *arroser*, *asperger*; Hisp. *regar*, *rociar*, *ruciar*; Germ. *anspritzen*, *ansprengen*, *anstreuen*; Angl. *to sprinkle*, *besprinkle*, *bedew*, *asperse*).

I.) Proprie — *a*) Occurrit cum Accusativo rei, quæ aspergitur, ut puta cum Accus. guttæ, aquæ, etc. — Absolute. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 13. et *Truc.* 2. 4. 15. Aspergere aquam (proverbialiter hoc dicit, *V.* AQUA). *Lucret.* 1. 713. virus ab undis. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. Pigmenta temere aspersa in tabula. *Forcellinus* putabat hoc in loco et duobus proxime sequentibus aliisque apud alios *aspergere* esse idem ac spargere. *Propert.* 1. 12. 16. Aspersæ lacrimæ. *Sueton. Aug.* 18. Aspersi flores. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 37. Aspergere pini semen. *Quintil.* 6. 3. 19. salem. *Id.* 9. 3. 4. condimentum. Et figurate *Claudian. Cons. Honor. VI.* 175. alas. *h. e.* extendere. — Addita re, cui aliquid aspergitur, per Dat., aut per Adverbium, aut per Ablat. et præp. *super*. *Cic. Cluent.* 26. 76. Aspergere gut-

tum bulbo (hic festive jocatur Cic. in nominibus Gallæ et Bulbi. V. integrum locum). Virg. 3. G. 419. Aspergere virus pecori. h. e. pecora viru inficere. Plin. 8. Hist. nat. 38. 57. (136). corpus adustum leontophoni aliis carnibus. Id. 12. ibid. 8. 18. (34). Liquor aspersus oculis. Id. 18. ibid. 26. 63. (232). glandem bubus. h. e. dare. Scribon. Compos. 54. semen carbonibus. Virg. 4. G. 62. Huc tu jussos asperge sapores, Trita melisphylla et cerinthæ ignobile gramen. Scribon. Compos. 47. Aspergere aliquid super aliqua re. — b) Occurrit etiam cum Accusativo personæ aut rei, cui aliquid aspergitur, et quidem — Absolute. Propert. 4. 11. 34. Aspergere comas. Scribon. Compos. 207. aliquid minutatim. Quintil. 6. 3. 90. Aspersus ab equo suo. — Addita re, qua aliquid aspergitur, per Ablativum. Plaut. Epid. 4. 1. 28. Guttulà alicui pectus aspergere (et hoc proverbialiter dicit. Cf. AQUA). Lucret. 3. 20. sedes nimbis. Cic. 3. Nat. D. 36. 88. aram sanguine. Ovid. 5. Met. 40. et Curt. 8. 7. 5. mensas sanguine. Colum. 12. R. R. 53. 2. carnem minuto et trito sale. Plin. 15. Hist. nat. 6. 6. (21). olivam sale. Liv. 41. 13. Aspersa vacca semine. Horat. 1. Ep. 11. 12. imbre lutoque aspersus. Curt. 8. 1. Aspersus sanguine. Fronto p. 100. ed. Mai. Paullulum pluviæ aspersi sumus. — Et figurate Juvenal. 5. 104. Tiberinus (piscis) aspersus maculis. Cf. Claudian. Bell. Gild. 494. Ora licet maculis asperserit occiduus sol. Mela 1. 18. 2. Mons parvis urbibus aspersus. Seneca Herc. Fur. 135. Aspersa die dumeta. h. e. illustrata.

II.) Translate est leviter immiscere, furtim addere, participem facere; et fere in malam partem. — a) Occurrit aspergere aliquid. — Cic. 2. Fam. 16. 7. Hoc asperei, ut scires me tamen in stomacho solere ridere. h. e. addidi epistolæ, immiscui, leviter attigi. — Cum Accus. rei et Dat. personæ. Cic. Vatin. 17. 41. Clarissimo viro nonnullam laudatione sua labeculam aspergis. Id. 6. ibid. 15. Aspergere labem dignitati alicujus. Cf. Ulp. Dig. 37. 14. 17. notam alicui. Cic. 2. ad Q. fr. 10. 2. alicui aliquid molestiæ. Id. Cæcin. 6. 17. alicui sextulam. h. e. de hereditate. V. SEXTULA. Id. Orat. 26. 87. sales orationi. Id. Mur. 31. 66. comitatem et facilitatem gravitati et severitati. Quintil. 8. 3. 25. auctoritatem vetustatis arti inimitabilem. — Cum Ablat. Cic. Balb. 25. 56. Aliquid in omni parte orationis suæ arti aspergere. — b) Occurrit etiam aspergere aliquem aut aliquid aliqua re, et fere in malam partem. — Addito Ablat. Cic. Planc. 12. 30. Hunc tu vitæ splendorem maculis aspergis istis? Id. 2. Orat. 59. 241. Aspergere mendaciunculis genus facetiarum. Id. Cœl. 10. 23. Aspersus suspicione, aut infamia. Nepos Alcib. 3. et Sueton. Ner. 3. infamia. Liv. 23. 30. Aspergere aliquem suspicione. Curt. 10. 10. 18. Rumor aspergit aliquem. — Hinc Cic. 4. Herenn. 49. 63. Aspergere aliquem linguâ. h. e. conviciis insectari. Id. 6. Fam. 6. 9. Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, e quo sit leviter aspersus. Sic Horat. 1. Sat. 4. 87. aqua quavis aspergere cunctos. V. AQUA II. a. — Hinc aspergere aures alicujus gemitu, nimis longe petita translatione, dixit Val. Max. 3. 3. ext. 1. pro obstrepere auribus gemendo. Similiter Aspersum esse auditione alicujus rei, est ea esse leviter imbutum. Gell. 13. 19. Etiamsi hunc M. Catonem, quis fuerit, ignoras, auditiuncula tamen quadam de Catonis familia aspersus es.

ASPĔRĬTAS, ātis, f. 3. (asper) inæqualitas superficiei, quæ tactum lædit; cui contraria est lēvitas (It. asprezza, ruvidezza; Fr. aspérité, inégalité; Hisp. desabrimiento, asperidad; Germ. die Rauhheit oder Rauhigkeit; Angl. roughness, ruggedness, harshness).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de rebus, quæ inæqualitate superficiei tactum lædunt. — a) Generatim. Cic. 2. Nat. D. 39. 98. et Curt. 6. 4. 5. Asperitates saxorum. Vitruv. 2. 3. 1. Schneid. Asperitas luti. Id. 2. 4. 1. arenæ. Plin. 11. Hist. nat. 37. 79. (201). Asperitas denticulata ventris. Id. 11. ibid. 37. 64. (172). Asperitas imbricata linguæ. Gell. 2. 6. Asperitas squamarum. — b) Speciatim de iis, quæ arte ficta habent signa extantia ideoque superficiem inæqualem. Plin. 33. Hist. nat. 11. 49. (139). Vasa anaglypta in asperitatemque excisa. aspera signis dixit Virg. 9. Æn. 263. — c) Item speciatim de locis inæqualibus, salebrosis et aditu difficilibus. Cic. 9. Phil. 1. 2. et Liv. 43. 21. Asperitas viarum. Sall. Jug. 78. et Liv. 32. 12. in fin. Oppidani locorum asperitate muniti. Quintil. 2. 13. 3. Si collibus, silvis, asperitate alia prohibebitur. — d) Item speciatim de faucium raucedine et respirationis gravitate. Plin. 30. Hist. nat. 4. 11. (32). Lenire asperitatem faucium. Id. 22. ibid. 24. 51. (111). Asperitatem animæ mitigare succo dulciore. Et absolute Id. 27. ibid. 12. 105. (130). Bibitur rhacoma contra asperitates. Sillig hæc omittit. Similiter Seneca Ep. 61. 7. Fick. Asperitas oculorum. h. e. oculi phlogosi laborantes. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de iis, quæ non tactum, sed ceteros lædunt sensus. — a) Generatim. Ovid. 4. Pont. 4. 22. et ibid. 14. 36. Asperitas iniqua loci. h. e. regionis horror. Sall. Jug. 17. et Curt. 7. 3. 6. locorum. Ovid. 4. Fast. 88. frigoris. Tac. Agric. 12. frigorum. Id. 4. Ann. 56. hiemis. Forcellinus hæc omnia translate accepit. — b) Speciatim de saporibus, qui palatum insuavitate offendunt; cui opponitur lenitas. Plin. 9. Hist. nat. 35. 58. (120). Asperitas aceti. Id. 12. ibid. 9. 20. (37). Asperitas aquarum. h. e. salsitudo. Id. 14. ibid. 19. 24. (120). Mitigare asperitatem vini. Id. 12. ibid. 10. 21. (38). pomi. — c) Item speciatim de iis, quæ auditum lædunt; cui opponitur levor. Lucret. 4. 553. Asperitas vocis. Tac. Germ. 3. vocis. — d) De iis, quæ visum lædunt. Vitruv. 7. 5. 5. Schneid. Cum aspectus ejus scenæ propter asperitatem eblandiretur omnium visus. h. e. propterea quod lumina et umbræ ita erant disposita, ut pulchre inter sese viderentur contendere; Italice pel contrasto del chiaroscuro. Id. 3. 3. 9. Schneid. Ut aspectus propter asperitatem intercolumniorum haberet auctoritatem. h. e. Italice: acciocchè la vista si rendesse con maestà pel dirotto che incontrasi negli intercolunnii.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe refertur — a) Generatim ad animum et ad mores, qui inurbani sint ac rudes. Cic. Amic. 23. 87. Si quis asperitate ea est et immanitate naturæ, congressus ut hominum fugiat atque oderit. Cic. 4. Fin. 28. 79. Stoicorum tristitia atque asperitas. Nep. Att. 5. Habebat avunculum difficillima natura, cujus sic asperitatem veritus est, ut etc. Horat. 1. Ep. 18. 6. Asperitas agrestis et inconcinna gravisque. Id. 2. ibid. 1. 129. Asperitatis et invidiæ corrector et iræ. Ovid. 9. Met. 752. Asperitas patris. Id. 1. Pont. 6. 8. artibus ingenuis Pectora mollescunt asperitasque fugit. Id. 2. Art. am. 146. Asperitas odium sævaque verba movent. Vellej. 2. 89. 4. Senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus. Val. Max. 5. 8. 1. Patres tragicæ asperitatis. cui opponuntur patres comicæ lenitatis. — b) Speciatim apud rhetores ponitur de oratione. Cic. 2. Orat. 53. 212. Nulla est temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur. Id. ibid. 15. 64. Genus orationis – cum lenitate quadam æquabili profluens sine hac judiciali asperitate et sine sententiarum forensibus aculeis. Ovid. 14. Met. 526. Asperitas verborum. Adde Quintil. 1. 5. 42., 2. 5. 8. et alibi sæpe. — c) Item speciatim de belluarum immanitate occurrit in Dig. 9. 1. 1. § 5. ¶ 2. Ponitur et de temporum locorumque difficultate. Cic. 1. Orat. 1. 3. In his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis. Sall. Jug. 21. Asperitas belli. Id. ibid. 78. Supervadere omnes asperitates. Tac. 1. Ann. 44. Asperitas remedii. Dig. 48. 18. 15. § 1. quæstionis.

ASPĔRĬTER, adverb. idem quod aspere. Nævius apud Non. p. 513. 21. Merc. Ubi tu nequaquam cubares asperiter. Plautus quoque usus est, teste Priscian. 15. p. 1010. Putsch.

ASPĔRĬTŪDO, inis, f. 3. idem quod asperitas. V. ASPRITUDO.

I.) Proprie. Tertull. Pœnit. 11. Asperitudo sacci et horror cineris.

II.) Translate. Apul. 1. Met. 2. Asperitudinem fabularum lepida jucunditas levigabit.

ASPERNĀBĬLIS, e, adject. (aspernor). Comp. Aspernabilior. — Est dignus quem asperneris, contemnendus, contemptibilis (It. sprezzabile; Fr. méprisable; Hisp. despreciable; Germ. verwerflich, verächtlich; Angl. contemptible). Accius apud Non. p. 179. 33. Merc. Facere aliquem aspernabilem. Gell. 16. 8. sub fin. Cognitio aspernabilis et insuavis. Adde eumd. 11. 3. et 20. 1.; Capitolin. Max. et Balb. 6.; et Arnob. 6. 17. Augustin. Mor. Manich. 8. Quid stercore aspernabilius?

ASPERNĀMENTUM, i, n. 2. aspernatio, contemptus. Tertull. 4. advers. Marcion. 14. et Pudic. 8. Aspernamento habere aliquid. Moss. et Romm. LL. Collatio 5. § 1. Qui manserit cum masculo mansione muliebri aspernamentum est, ambo moriantur. Idem aliis verbis habetur in Levit. 20. 13.

ASPERNANTER, adverb. (aspernor). Comp. Aspernantius. Est contemptim (It. con disprezzo; Fr. avec mépris; Hisp. con menosprecio; Germ. mit Hohn, Verachtung und Widerstreben; Angl. contemptuously). Ammian. 31. 4. Quæ res aspernanter a nostris inter initia ipsa accepta est. Sidon. 7. Ep. 2. Haud aspernanter resalutari. Augustin. 4. Music. 9. Hos pedes aspernantius poetæ, soluta libentius assumit oratio.

ASPERNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus aspernandi et rejiciendi (It. ributtamento, rigettamento; Fr. mépris, dédain; Hisp. menosprecio; Germ. die Vonsichweisung, Verachtung, Verschmähung; Angl. a despising, disdaining). Cic. 4. Tusc. 14. 32. Animorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Seneca Ep. 121. ad fin. Naturales a contrariis aspernationes sunt.

ASPERNĀTOR, ōris, m. 3. qui aspernatur et rejicit (It. disprezzatore, rigettatore; Fr. qui méprise, qui dédaigne; Hisp. menospreciador; Germ. der Verachter; Angl. a despiser, scorner). Tertull. 4. advers. Marcion. 15. Divitum aspernator, mendicorum advocator. Ambros. 4. in cap. 4. Lucæ post med. Aspernator enim Dominus invidorum est. Servius ad Virg. 8. Æn. 365. Non asper; non aspernator, i. e. fastidiosus.

ASPERNĀTUS, a, um. V. ASPERNOR.

ASPERNO, as, V. ASPERNOR.

ASPERNOR, āris, ātus sum, ari (a vel ab et sperno: Forcellinus vero ex ad et sperno compositum affirmat, quasi valde aut prorsus sperno, sæpe enim ad in compositione auget). Part. Aspernans sub A 2.; Aspernatus sub A 1. et B; Aspernaturus sub A 2.; Aspernandus sub B. — Aspernor est nutando a me removeo, rejicio, respuo, aversor, fugio (It. rigettare, ributtare, ricusare; Fr. écarter, éloigner, repousser, rejeter; Hisp. alejar, rempujar; Germ. von sich weisen, zurückweisen, verwerfen; Angl. to turn away from, reject, avoid, shun, spurn). Occurrit autem A) ut verbum deponens, et B) ut verbum passivum, quasi ab asperno.

A) Ut verbum deponens. ¶ 1. Stricto sensu occurrit, addito Ablat. loci aut personæ, a quibus aliquid removemus. Cic. Cluent. 68. 194. Cujus ego furorem atque crudelitatem deos immortales a suis aris atque templis aspernatos esse confido. Id. Rosc. Am. 53. 153. Hanc vero (proscriptionem) – nisi a vobis rejicitis et aspernamini, videte etc. ¶ 2. Latiori sensu cum Accus. tantum personæ aut rei est contemnere, negligere, despicere, aversari. — a) Addito, ut diximus, Accus. Ter. Phorm. 2. 3. 23. Numquam tam graves inimicitias caperem in vestram familiam, quam is aspernatur nunc tam illiberaliter. Id. Pis. 20. 45. Nemo – civis est –, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur. Id. 3. Orat. 25. 99. Gustatus, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit. Adde eumd. Fat. 20. 47. Id. 2. Fin. 10. 31. Animal appetit voluptatem, aspernatur dolorem. Id. 2. Orat. 37. 154. Philosophiam hæc civitas aspernata numquam est. Id. Rabir. Post. 16. 44. Virtutem non modo non aspernari ac refutare, sed complecti et augere. Id. 6. Verr. 51. 113. Aspernari, contemnere, negligere querimonias alicujus. Id. 5. Tusc. 32. 91. et 4. Fam. 9. 4. Aspernari liberalitatem alicujus. Id. 7. Att. 16. litteras alicujus. Id. Cluent. 16. 47. sermonem alicujus. Id. Sext. 13. 30. preces. Id. 4. Acad. (2. pr.) 43. 148. sententiam alicujus. Id. 15. Att. 12. frumentariam rem. Id. Cœl. 17. 42. oculis pulcritudinem. Id. Pis. fragm. 1. colore ipso patriam, oratione genus, moribus nomen. Id. 3. de republ. 22. 33. naturam hominis. Varro 2. R. R. 4. 13. Quod matres aspernantur (porcos). M. Brutus apud Cic. 1. ad Brut. 17. 4. Servitutem, honorificam modo, non aspernatur. Nepos Miltiad. 1. Is cum talem conditionem aspernaretur. Sall. Cat. 3. Quæ (vitia) tametsi animus aspernabatur etc. Liv. 8. 28. Postquam aspernabantur flagitium aures. Id. 4. 45. Aspernari curam urbis ut ingratam. Id. 6. 4. et Curt. 10. 2. imperium. Id. 8. 13. pacem. Id. 7. 3. placamina iræ. Virg. 3. G. 393. vocantem. Id. 1. ibid. 228. curam lentis. Phædr. 5. 4. 4. reliquias hordei. Propert. 2. 10. 41. Interea cave sis nos aspernata sepultos. Curt. 5. 10. 6. Si – proditionem aspernatus esset. Vellej. 2. 65. 1. Si Cæsar ejus asper-

naretur concordiam. *Quintil.* 8. 3. 33. Quæ cur tantopere aspernemur? *Id.* 12. 11. 27. Aspernari laudem. *Sueton. Vesp.* 8. aliquem nutu. *Id. Ner.* 48. panem. *Id. Cæs.* 53. oleum. *Justin.* 39. 1. 5. regem. *Tac.* 3. *Hist.* 80. Aspernante milite conditiones pacis. *Id.* 1. *Ann.* 27. Aspernari flagitia militiæ. *Id.* 15. *ibid.* 27. legatos. *Id.* 11. *ibid.* 10. militiam longam. *Id.* 2. *Hist.* 52. rumorem falsum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 2. 6. Vultusque ipsos nostros religione præteritæ consuetudinis minime aspernaturum. — *b*) Cum Infinito. *Tac.* 4. *Ann.* 46. Quod pati dedecus et validissimum quemque militiæ nostræ dare aspernabatur. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 105. Illa refert vultu non aspernata rogari. — *c*) Omisso Accus., qui tamen facile ex præcedentibus subaudiatur. *Cic.* 15. *Fam.* 10. 1. Peto a te illud, quod facillimum factu est, non aspernante, ut confido, senatu, ut – senatusconsultum – faciundum cures. *Liv.* 1. 23. Haud aspernatus Tullus – in aciem educit. Adde *eumd.* 21. 38. et *Tac.* 3. *Hist.* 68.

B) Ut verbum passivum, quasi ab *asperno*, aspernari est despici, contemni, rejici. *Cic.* apud *Priscian.* 8. *p.* 792. *Putsch.* Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur. *Id.* 15. *Fam.* 16. 2. Hanc habent rationem, ut non nimis concupiscendus honos, sed tamen, si deferatur a senatu, minime aspernandus esse videatur. *Virg.* 11. *Æn.* 106. haud aspernanda precantes. *Auct. B. Afr.* 93. 3. Postquam – intellexit – regem vagum ab suisque desertum ab omnibus aspernari. *Liv.* 34. 40. Quem Quinctius aspernatum excedere castris jussit. *Al. leg.* aspernatus. Adde 11. 22. *extr.* dubia pariter lectione. *Arnob.* 5. 25. Aspernatam sumit atque ebibit potionem. *Dictys Cret.* 4. Aspernatum certamen.

ASPĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (asper). Part. *Asperatus* in omnibus paragr., et etiam forma *Aspratus* I. 1. et 2.; *Asperandus* I. 3. — Aspero est asperum facio, superficiem, quæ plana est, inæqualem reddo (It. *rendere aspro, ruvido, scabroso*; Fr. *rendre âpre, raboteux*; Hisp. *hacer aspero, escabroso*; Germ. *eine Sache rauh, uneben, holperig machen*; Angl. *to make rough or harsh, to roughen*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 52. 1. Tribulum fit e tabula lapidibus aut ferro asperata. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 6. Asserculi paullum formatis gradibus asperantur, ne sint advolantibus lubrici. *Cels.* 6. 6. 26. Specillo asperato radere palpebras. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 34. (106). Alopeciæ folio ficulneo asperatæ. *h. e.* perfricatæ. Cf. *Sil. It.* 4. 776. Asperat hæc fœdata genas etc. *Pallad.* 1. *R. R.* 11. 2. Asperati parietes. *Sidon.* 2. *Carm.* 418. Hic domus auroræ, rutilo crustante metallo, Baccarum præfert leves asprata lapillos. *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 275. Minervæ pectus asperare hydris. *h. e.* asperum atque horribile facere. — Huc pertinet et illud *Varron.* 3. *R. R.* 16. 20. Asperantur apes propter laborem. *h. e.* ex morbo contrahuntur, horridæ fiunt et macescunt; sicuti e contrario nitidæ sunt, cum optime valent. Cf. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. 2. — Item illud *Pallad.* 3. *R. R.* 31. 2. Limum dysentericæ passionis medicabiliter asperare. *h. e.* duriorem adeoque asperum reddere; cui contrarium est *levare*, unde *levitas intestinorum. V.* LEVITAS. ¶ 2. Hinc significat etiam acuere. *Tac.* 15. *Ann.* 54. Pugionem vetustate obtusum saxo asperare. *Id. Germ.* 46. Sagittas inopiâ ferri asperant ossibus. *Lucan.* 7. 801. Abrupta saxa asperare. *Sidon.* 4. *Ep.* 8. Lima asprata polire aliquid. ¶ 3. Latiori sensu ponitur, quæ cum sensibus aspera sive inæqualia redduntur, simul incitantur et vehementiora fiunt. *Virg.* 3. *Æn.* 285. Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas. *h. e.* mare antea quietum et planum, motis undis miscet et procellosum reddit. Adde *Val. Flacc.* 2. 435. et *Lucan.* 8. 195. *Val. Flacc.* 5. 368. Sirius asperat ignes. *h. e.* vehementiores facit et molestiores calores accendit. — Huc pertinet et illud *Quintil.* 9. 4. 31. Asperandæ compositionis (*in oratione*) gratiâ. *h. e.* minus æquabilem, ideoque vehementiorem compositionem reddendo.

II.) Translate est acerbare, irritare, augere, acuere. *Tac.* 1. *Ann.* 72. Hunc – asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in sævitiam etc. *Id.* 2. *ibid.* 29. *in fin.* Ne lenire, neve asperare crimina videretur. *h. e.* atrociora facere. *Id.* 3. *ibid.* 12. Asperare juvenem contumacia et certaminibus. *Id.* 2. *Hist.* 48. iram victoris. *Id.* 3. *Hist.* 38. Vitellius asperatus. *Id. ibid.* 82. Asperatus prœlio miles. *Stat.* 1. *Theb.* 137. Asperat indomitos præceps discordia fratres. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 64. Asperare indignationem.

ASPERSĬO vel adspersio, ōnis, f. 3. actus aspergendi (It. *aspersione*; Fr. *aspersion, arrosement*; Hisp. *aspersion, regadio*; Germ. *das Hin-oder Anspritzen*; Angl. *a sprinkling, besprinkling*). *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. Nam etiam Veneris Coæ pulcritudinem effingi posse aspersione fortuitâ putas? *Id.* 2. *Legg.* 10. 24. Aspersio aquæ. Adde *Macrob.* 3. *Saturn.* 1.

ASPERSUS vel adspersus, a, um. *V.* ASPERGO.

ASPERSUS vel adspersus, us, m. 4. aspersio. Extra Ablativum casum exempla nondum vidimus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 56. (135). Calidæ aquæ aspersu. *Id.* 11. *ibid.* 53. 115. (279). olei. *Id.* 13. *ibid.* 12. 26. (82). aceti. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (124). picis.

ASPĔRŪGO, ūginis, f. 3. herba lappagini, sive lappæ canariæ similis, asperioribus tamen foliis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 65. (102). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 407.) hæc habet: Une borraginée est depuis longtemps en possession de représenter nominalement l'*asperugo* des anciens; c'est l'*Asperugo procumbens* de Linné; mais cette désignation, quoique fort ancienne, est fautive. – On voit évidemment, par la comparaison qui en est faite avec le *lappago* et le *mollugo*, qu'il doit être question d'une rubiacée, et non d'une borraginée; les plantes de cette famille ont un port tout-à-fait différent.

ASPHALTĬON, ii, n. 2. ἀσφάλτιον, trifolium majore folio, ita dictum ab odore gravi et bituminoso, asphalti simile, ut *Colum.* 6. *R. R.* 17. 2. docet. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 30. (54). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 34.) hanc exhibet synonymiam: Τρίφυλλον, ὀξύφυλλον, μινύανθες, ἀσφάλτιον Dioscor. 3. 123. (non Theophr.); Μινύανθες Schol. de Nicand. in Theriac. v. 522.; *Trifolium acutum, seu asphaltion* et *Trifolium simonianum* Colum. l. c.; *Minyanthes, asphaltion, oxytriphyllon* Plin. l. c. sunt *Psoralea bituminosa* L. Spec. plant. 1075.

ASPHALTUS, i, m. 2. ἄσφαλτος, bitumen. *Pelagon. Veterin.* 6. *circa med.* Sandaracæ uncia una et asphalti una.

ASPHŎDĔLUS, i, m. 2. ἀσφόδελος. Apud *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 2. legitur et *asphodilus*. Est herba, alio nomine anthericon dicitur, cum sermo est de spica ejus florescente. Ejus duæ sunt species, sexu discretæ: marem albucum nominant, feminam hastulam regiam, quod, dum floret, regii sceptri effigiem referat. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 68. (108). de eo plura, et 22. *ibid.* 22. 32. (67). enumerat varios ejus usus in medicina. Ejus flores albi in spicæ formam dispositi, fragrantissimo odore præditi (hinc eos *Hesych.* εὐόδμους vocat) apibus gratissimi, *Colum.* 9. *R. R.* 4. 4. Alimon etiam dicitur quia antiquitus Græci tuberibus hujus plantæ vescebantur, dictus etiam a *Plutarch. Conviv. VII. Sapientum* ἄλιμος et ἄδιψος, quod ea planta Epimenides vitam protraxerit. Male igitur eos carpit *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 33. (73). qui alimon eamdem plantam esse putaverint ac asphodelum. Hinc Græci gratissimis his tuberibus nec mortuorum manes post mortem carere posse autumabant; cumque fama esset, Hispaniam, quæ manes post mortem exciperet, hoc cibo imprimis abundare, orta esse videtur fabula de pratis asphodeli in Hade sive in Inferno occurrentibus. Hinc etiam *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 68. (108). narrat, asphodelum ante portas villarum satum esse remedium contra veneficiorum noxas. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 71.) hanc exhibet synonymiam: Ἀσφόδελος Hesiod. Oper. et dies v. 40., Homer. Odyss. 11. 539. et aliis locis, Theophr. Hist. plant. 7. 12., Pythag. in Plin., Hipp. de Ulcer. 882., Nicand. Theriac. v. 73. et Ἀνθέρικον Ejusd. v. 535., Theocr. Idyll. 6. 68. et 52., Callim. Hymn. v. 493., Athen. l. 11. p. 462., Dioscor. 2. 199. (non Galen.); Flos Ἀνθέρικον vocatur: Geop. c. 19. 5. et 7., Pausan. 10. 38.; Ἀσφόδελος Hesych. col. 1325.; Ἀσφόδελω Græcor. recent.; *Asphodelus* Colum. et Plin. locis citt.; et *Asphodelus* Pallad. l. c., Apul. 32. et Scribon. Compos. 154. sunt *Asphodelus ramosus* L. Spec. plant. 444.

ASPHŎDĬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. sub init.

ASPĬCĬO vel adspicio, spicis, spexi, spectum, spicere, a. 3. (ad et specio). *Aspexit* pro *aspexerit* videtur dixisse *Plaut. Asin.* 4. 1. 25., cujus verba *V.* infra sub. I. 1. — Part. *Aspiciens* I. 1. *c*; *Aspectus* I. 2.; *Aspecturus* I. 1. *c*; *Aspiciendus* II. 2. — Aspicio proprie est visum vel oculos in rem aliquam verto, intueor, video (It. *guardare, mirare, vedere*; Fr. *regarder, porter sa vue, ses regards sur quelque chose*; Hisp. *mirar, ver*; Germ. *den Blick auf etwas richten, hinblicken, anblicken*; Angl. *to look at, behold, see*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit. — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 2. Ad lævam vidīto, aspicito limis oculis, ne ille nos se videre sentiat. *Ter. Eun.* 5. 1. 22. Vide, amabo, si non, cum aspicias, os impudens videtur. Adde *eumd. Heaut.* 4. 1. 43. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 53. (152). Cancri in obliquum aspiciunt. — *b*) Addito termino, ad quem visus advertitur per Accus. et præp. *ad* aut per Adverbia loci. *Plaut. Cist.* 4. 2. 25. Hoc age, ad terram aspice et dispice. *Id. Capt.* 3. 4. 38. Quæso, hercle, agedum, aspice ad me. *Epigramma Pacuvii* apud *Gell.* 1. 24. Adolescens, tamen etsi properas, hoc te saxum rogat, utei ad se aspicias. *Cic. Harusp. resp.* 1. 2. et *Varro* 1. *R. R.* 2. 26. Aspicere ad aliquem. *Plaut. Merc.* 5. 2. 38. ad sinistram. — *Plaut. Amph.* 2. 2. 146. Age, aspice huc, sis, nunc jam. *Ter. Andr.* 2. 2. 28. Accessi: intro aspexi. — *c*) Cum Accusativo tantum. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 4. Aspice hoc sublime candens. *Id.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 9. *p.* 120. *Müll.* Aspicere templum Cereris ad lævam. *Plaut. Asin.* 4. 1. 25. Si quem alium aspexit, cæca continuo siet. *Id. Pseud.* 1. 2. 9. Aspicere faciem alicujus. *Id. Most.* 5. 1. 55. Surge, aspice dum contra me. *Id. Amph.* 2. 2. 118. Sosia, age, me huc aspice. *Pacuvius* apud *Non. p.* 470. 20. *Merc.* Cum neque me aspicere æquales dignarent meæ. *Cic. Sull.* 27. 74. Aspicite ipsum, contuemini os. *Id.* 3. *Cat.* 5. 13. Furtim nonnumquam inter se aspiciebant. *Id.* 2. *Phil.* 30. 76. At etiam aspicis me, et quidem, ut videris, iratus. *Id.* 2. *Tusc.* 10. 23. Aspicere aliquem vinctum. *Nep. Epam.* 8. Quos (*Lacedæmonios*) ante se imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere in acie. *Liv.* 9. 7. Ut nemo eorum forum aut publicum aspicere vellet. *Virg.* 4. *Æn.* 372. Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis. *Ovid.* 4. *Met.* 464. rursus ab illo Sisyphon aspiciens. *Id.* 3. *Fast.* 184. Aspice de canna straminibusque domum. *Sueton. Aug.* 16. Rectis oculis aciem aspicere. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 238. cupidas non aspectura sorores. — Huc pertinent et illa, quæ figurate occurrunt apud *Cic.* 3. *Att.* 7. Odi celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum. Et alio sensu *Id. Rosc. Am.* 22. 63. Ut propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce privarit. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 38. 96. et *Brut.* 3. 12. ¶ 2. Speciatim aspicere, quemadmodum et *aspectare*, est mirando verendoque intueri. *Nepos Chabr.* 4. Chabrias privatus omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumque magis milites, quam qui præerant, aspiciebant. *Tac. Agric.* 40. *in fin.* Ut plerique viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur. Part. præter. *aspectus* occurrit et apud *Sidon.* 8. *Ep.* 14. ¶ 3. Item speciatim, cum sermo est de diis aut principibus inter homines, aspicere est benevolentiam significare. *Virg.* 2. *Æn.* 689. Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis, Aspice nos hoc tantum et, si pietate meremur, Da deinde auxilium. *Inscript.* in *Bollett. dell' Istit. Arch. a.* 1836. *p.* 152. EX OMNIBVS NOS AEQVO SINCEROQ. ANIMO ASPICERE AC FOVERE DIGNETVR. ¶ 4. Item sæpe est animadvertere (It. *avvedersi, accorgersi*; Fr. *apercevoir, remarquer*; Hisp. *advertir, notar*; Germ. *auf eine Person oder Sache sie blicken und sie erblicken, ihrer ansichtig werden*; Angl. *to perceive*). *Plaut. Amph.* 1. 1. 164. Perii, si me aspexerit. *Ter. Andr.* 1. 1. 91. Forte unam aspicio adolescentulam. Adde *eumd. Eun.* 1. 2. 4. et *Adelph.* 3. 3. 19. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Subito exaudivit hinnitum, respexitque, et equum alacrem lætus aspexit. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 90. Quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus etc. *Ovid.* 2. *Met.* 443. Aspicit hanc visamque vocat. — Et cum Infinito. *Ter. Hec.* 3. 3. 7. Postquam me aspexere ancillæ advenisse, illico omnes simul lætæ exclamant.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de situ rerum inanimatarum. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 2. Sed in edito fieri tabulatum oportet, quod aspiciat hibernum meridiem. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 6., et *Tac. Agric.* 24. et *Germ.* 5. ¶ 2. Aspicere est etiam oculis aliquid intueri, ut id animo inspiciamus atque observemus. *Ter. Hec.* 3. 3. 16. Postquam aspexi, o facinus indignum. In-

quam, etc. *Cic.* 2. *Verr.* 20. 43. Dilue sane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas aspicere possim. *Liv.* 42. 37. Marcio et Acilio Epirus et Thessalia circumeundæ assignantur: inde Bœotiam atque Eubœam aspicere jussi. *Id.* 32. 5. Cum situm omnem regionis aspexisset. *Id.* 42. 67. In Bœotia res aspiciendæ. Adde *eumd.* 42. 5. et 42. 42. *Id.* 26. 51. Nunc operibus aspiciendis operam dabat. *Ovid.* 6. *Met.* 14. Aspicere opus admirabile. ¶ 2. Item est mente atque animo inspicere, considerare. — *a*) Cum. Accus. tantum. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 124. Neque tanta tamen est in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit. *Id.* 1. *ibid.* 35. 161. Tantus cursus verborum fuit et sic evolavit oratio, ut ejus vim et imitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim –. Sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta ejus ingenii – perspexi, sed ea contemplari cum cuperem, vix aspiciendi potestas fuit. *Ovid.* 6. *Fast.* 29. Si genus aspicitur. Adde *eumd.* 5. *Met.* 190. *Seneca Med.* 82. Si forma velit aspici. *Id.* 6. *Provid.* 3. Quos pro felicibus aspicitis. *Tac.* 14. *Ann.* 62. Quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. — *b*) Sequentibus Relativis. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 76. Qualem commendes, etiam atque etiam aspice. *h. e.* inspice, considera. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 7. 96. et 2. *ibid.* 2. 92. *Ovid.* 7. *Met.* 70. quin aspice, quantum Aggrediare nefas. *Albinov.* 1. 345. Quid deceat Drusi matrem, matremque Neronis, Aspice: quo surgas, aspice, mane toro.

ASPĪLĀTES, æ, m. 1. ἀσπιλάτης, gemma ignei coloris, quam Democritus tradit in Arabia gigni et in avium quarumdam nido inveniri, eamque ex cameli pilo spleneticis alligatam malo illorum mederi. Est et altera eodem nomine, argentei coloris, lymphaticis utilis. Utriusque meminit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (146). *Sillig.* vero legit *aspisatim*.

ASPĪRĀMEN *vel* adspiramen, inis, n. 3. flatus, motus aeris ad aliquem locum flantis.

I.) Proprie. *Cassiod. de anim.* 9. *circa med.* Odoratus diversos odores assumens, vim redolentium corporum, quasi quodam invisibili fumo narium suscepto, competenti aspiramine perpendit.

II.) Translate. *Val. Flacc.* 6. 465. Da, precor, artificis blanda aspiramina formæ Ornatusque tuos. *h. e.* blandam formæ venustatem.

ASPĪRĀTĬO *vel* adspiratio, ōnis, f. 3. actus aspirandi.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est actus flandi ad aliquem locum, item motus aeris ad aliquem locum flantis, adeoque vis, quam idem actus et motus in res exserunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 83. Animantes autem aspiratione aeris sustinentur. Cf. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Æqualis atque ordinata aspiratio (*in homine*). *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 130. Pingue et concretum esse cælum, ut ejus aspiratio gravis et pestilens futura sit. *Id.* 1. *ibid.* 36. 79. Et sunt partes agrorum aliæ pestilentes, aliæ salubres; aliæ quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ retusa: quæ omnia fiunt et ex cæli varietate et ex disparili aspiratione terrarum. *h. e.* exhalatione. *Lactant.* 7. 3. *in fin.* et 4. Aspiratio ventorum. ¶ 2. Speciatim a Grammaticis aspiratio dicitur littera *h*, quâ syllaba vehementiore et quodammodo asperiore sono pronunciatur; item ejusmodi pronunciatio. *Cic. Orat.* 48. 160. Ego ipse cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros* – *Cartaginem* dicerem. *Quintil.* 1. 4. 9. Nota aspirationis. *Id. ibid.* 5. 6. inter varias barbarismi species *aspirationem* enumerat, ut si quis, verbi gratia, *chommoda* et *hinsidias* diceret pro *commoda* et *insidias*, ut ille apud *Catull. carm.* 84. Adde *eumd.* 1. 6. 21., 6. 3. 55. et 12. 10. 57. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 330. Amabant majores, ubi aspiratio erat, *s* ponere, ut ἑπτὰ *septem*, vel *h*, ut Ἑλένη *Helena*. Adde *eumd.* ad *Virg.* 3. *G.* 223.

II.) Translate est favor. *Ammian.* 15. 2. Superni numinis aspiratio. — Hinc apud auctores Christianos est inspiratio seu gratia divina. *Cassiod.* 11. *Variar.* 2. *ad fin.* Novit divinitas magna præstare. Ipsa retundat invidos, ipsa nobis faciat cives cælesti aspiratione gratissimos.

ASPĪRO *vel* adspiro, as, āvi, ātum, are, 1. (ad *et* spiro). Part. *Aspirans A.* I. 1. — Aspiro est afflo, spiritum emitto ad aliquem locum (It. *soffiare*, *spirare*; Fr. *souffler vers ou sur*; Hisp. *soplar hácia*; Germ. *an-oder zuhauchen*, *an-oder zuwehen*, *an-oder zublasen*; Angl. *to breathe or blow upon any thing*). Occurrit *A*) ut verbum intransitivum, et *B*) ut transitivum.

A) Ut verbum intransitivum.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et stricto sensu occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2 *Nat. D.* 55. 136. Qui (*pulmones*) tum se contrahunt aspirantes (*h. e.* internum aerem emittentes), tum respiratu dilatant. *Catull.* 68. 62. Hic velut – nautis Lenius aspirans aura secunda venit. *Virg.* 1. *Æn.* 698. ubi mollis amaracus illum Floribus et dulci aspirans complectitur umbra. *Id.* 7. *ibid.* 8. Aspirant auræ in noctem. *h. e.* flatu secundo spirant. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (124). Si minima aspiret aura, intumescunt corpora. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Varro* 1. *R. R.* 57. 1. Ad quæ (*granaria*) nulla aura humida ex propinquis locis aspiret. *Cels.* 2. 17. Curiose vestimentis involvendus est, ut ne ad eum (*ægrotum*) frigus aspiret. *Horat. Art. P.* 202. Tibia – tenuis simplexque foramine pauco Aspirare et adesse choris erat utilis etc. *h. e.* sono suo tonum præbere choris, sive histrionibus in scena agentibus, qui ad tibiam fabulas recitabant, ideoque eos adjuvare. *Forcellinus* hunc locum retulit ad II. 1. proxime seqq. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos significat syllabam vehementiore sono et quodammodo asperiore pronunciare; item spiritum asperum appingere. *Nigidius* apud *Gell.* 13. 6. 3. Rusticus fit sermo, si aspires perperam. *Quintil.* 1. 5. 20. Diu servatum, ne consonantibus aspiraretur, ut *Graccis* et *triumpis*. *Id. ibid.* 4. 14. Græce aspirare solent φ.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro favere, ductum a ventis secundo flatu spirantibus. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Herenn.* 35. 45. Magno se prædicat auxilio fuisse, quia paullulum in rebus difficillimis aspiravit. *h. e.* paullulum auxilii afflavit. *Curt.* 3. 8. 20. Qua fortuna aspirante res tam prospere gesserat. Adde *eumd.* 4. 14. 19. — *b*) Cum Dat. *Virg.* 2. *Æn.* 385. Aspirat primo fortuna labori. *Id.* 9. *ibid.* 525. Vos o Calliope, precor, aspirate canenti. *Tibull.* 2. 1. 35. Huc ades aspiraque mihi. Adde *eumd.* 2. 3. 71. *Ovid.* 1. *Met.* 3. Di cœptis – Aspirate meis. *Val. Max.* 3. 8. *ext.* 2. Casus pravo consilio propitius aspirat. ¶ 2. Sæpissime sumitur pro *accedere*; quæ loquendi ratio ab iis ducitur, qui insequentes spiritu suo proximos afflant, ut *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 352. docet. Inest tamen vis quædam major, quam in *accedo*, et voluntatem vel conatum quemdam seu cupiditatem significat tendentis ad rem aliquam, ut docet *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divinat. in Verr.* 5. 20. Accedere est proximum fieri, aspirare in eam partem, qua quid quæsitum est, vultum et oculos ac spiritum oris advertere. — *a*) Absolute. *Cic. Cæcin.* 14. 39. Cum mihi ante occurratur, ne non modo intrare, verum etiam aspicere, aut aspirare possim. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 9. Ne coluber, ne vipera felisque, aut etiam mustela possit aspirare. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Lucilius* apud *Non. p.* 288. 31. *Merc.* Has e fenestris in caput dejiciam, qui propius ad ostium aspiraverint. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 27. Occupavi, inquit, te fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses. *Id.* 7. *Fam.* 10. Subinvideo tibi, ultro te etiam arcessitum ab eo, ad quem ceteri propter occupationem aspirare non possunt. *Id. Pis.* 5. 11. Erat domus mea civitate omni referta, cum tu non modo ad eum Ciceronem, quem etc., nunquam aspirasti, sed etc. *Id. Brut.* 21. 84. Ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest. *Id.* 3. *Verr.* 54. 142. Quid enim quisquam ad meam pecuniam me invito aspirat? quid accedit? *Id. Divinat. in Verr.* 5. 20. Quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam causam invitis iis, quorum negotium est, accedere aut aspirare audeat? *Dig.* 3. 1. 1. § 5. Aspirare ad novum magistratum. *Cod. Theod.* 1. 9. 1. ad scholam. — Etiam de inanimis. *Cic. Orat.* 41. 140. Sed hæc – ad eam laudem, quam volumus, aspirare non possunt. *Gell.* 14. 3. *ad fin.* Postea ex alieno certamine ad eos quoque ipsos contagium certationis aspirat. — *c*) Cum Accus. et præp. *in*. *Cic. Sull.* 18. 52. Quis tum dicat, in campum aspirasse Sullam? *Id.* 3. *Verr.* 31. 76. Quando autem homo tanta luxuria atque desidia, nisi februario mense aspirabit in curiam? — *d*) Cum Adverbiis loci. *Cic.* 7. *Verr.* 37. 97. Quo neque Carthaginensium gloriosissimæ classes – unquam aspirare potuerunt. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 5. 13. — *e*) Cum Dat. *Virg.* 12. *Æn.* 352. nec equis aspirat Achilles. *Val. Flacc.* 7. 564. sed non incendia Colchis Aspirare sinit.

B) Ut verbum transitivum.

I.) Proprie. — *a*) Cum Accus. rei et Dat. personæ. *Virg.* 5. *Æn.* 606. Irim de cælo misit – Saturnia Juno Iliacam ad classem ventosque aspirat eunti. — *b*) Cum Accus. et Ablat. *Lucret.* apud *Quintil.* 3. 1. 4. prius ora pocula circum Aspirant mellis dulci flavoque liquore. — *c*) Absolute et passive. *Solin.* 22. Insula aspiratur freto Gallico.

II.) Translate est inspirare, infundere. Ad rem declarandam *Ammian.* 19. 6. Aspiravit auram quamdam salutis fortuna. *Virg.* 8. *Æn.* 373. dictis divinum aspirat amorem. *h. e.*, ut *Servius* exponit, dictis addit venustatem, ut amabiliter sua audiatur oratio. *Quintil.* 4. *procem.* 5. Ut quantum nobis expectationis adjecit, tantum ingenii aspiret.

ASPIS, idis, f. 3. ἀσπίς. *Aspida* et *aspidas* Accusativi sunt Græcæ positionis. — Est genus serpentis parvi, tardo motu hebetique visu præditi, sed cujus morsus præsentissimum venenum habet, et per torporem ac somnum inducit mortem, ut *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 18. (65). docet (It. *aspide*; Fr. *aspic*; Hisp. *aspid*; Germ. *die Natter*; Angl. *an asp*). ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Rabir. Post.* 9. 23. Demetrium, aspide ad corpus admota, vita esse privatum. *Id.* 3. *Nat. D.* 19. 47. Boves igitur et equos, aspidas, crocodilos, in deorum numero reponemus. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 18. 59. *Lucan.* 9. 701. Aspida somniferam tumida cervice levavit. Adde *Val. Flacc.* 4. 418. — Plura sunt aspidum genera, de quibus *Solin.* 27. *circa med.*, ut *dipsas*, ita dicta quia siti necat, *hypnale*, quia somno; *ptyas*, quia venenum inspuit, etc. — *Aspis a vipera mutuatur venenum prov.* *Tertull.* 3. *adv. Marcion.* 8. Desinat nunc hæreticus a Judæo, aspis, quod ajunt, a vipera mutuari venenum. ¶ 2. Latiori sensu hæc vox Græce etiam scutum significat, et hoc sensu adhibetur a *Justiniano novell. Constitut.* 85. *sub fin.* — *NB.* Pro curvatura, aut fornice, *V.* in ABSIS. — De Aspide oppido et insula *V.* ONOM.

ASPĪSĀTIS, is. *V.* ASPILATES.

ASPLĒNON *vel* asplenum, i, n. 2. ἄσπληνον, herba est folia multa habens trientalia, radicem limosam, et cavernosam sicut filicis, candidam, hirsutam, caule, flore et semine carens; nasciturque in petris, et parietibus opacis et humidis. Hujus foliorum in aceto decocto, per dies quadraginta poto, lienem absumi ajunt: unde et nomen traxit. (ab α privativo, et σπλὴν *lien*.) *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 17. (34). *V.* etiam *Vitruv.* 1. 4. 10. et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. *V.* et vocem seq. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 431.) hanc exhibet synonymiam: Ἡμιόνιον Theophr. Hist. plant. 9. 19.; Ἄσπληνον, οἱ δὲ σπλήνιον, οἱ δὲ ἡμιόνιον Dioscor. 3. 152.; Σκορπίδι Græcor. recent.; *Asplenion hemionion* Plin. l. c., et *Calcifraga* Scribon. Compos. 150. sunt *Asplenium Ceterach* L. Spec. plant. 1538.

ASPLĒNOS, i, f. 2. pro *asplenon* dixit *Isid.* 17. *Orig.* 9. 87.

ASPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus asportandi. *Cic.* 6. *Verr.* 49. 110. His signis pulcritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio atque asportatio perdifficilis videbatur.

ASPORTĀTUS, a, um. *V.* vocem seq.

ASPORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (abs *et* porto, teste ipso *Priscian.* 2. *p.* 571. *Putsch.* asporto pro absporto. *V.* et A, AB, ABS in fine de compositione). — *Asportarier* parazoge pro *asportari* occurrit apud *Plaut.*, ut infra. — Part. *Asportatus* et *Asportandus*. — Asportare est abducere, avehere; præcipue si curru aut navi id fiat. (It. *portar via*, *condur via*; Fr. *emporter*, *transporter*; Hisp. *alzar*, *llevar*, *transportar*; Germ. *weg-oder fortschaffen*, *weg-oder fortführen*; Angl. *to carry off or away*). *Plaut. Merc.* 2. 3. 19. Atque illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet. *Id. Rud. prol.* 67. Quoniam video virginem asportarier. *Ter. Phorm.* 3. 3. 18. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi. *Cic.* 6. *Verr.* 49. 110. Hoc (*simulacrum*) e signo Cereris avellendum asportandumque curavit. *Id.* 3. *ibid.* 20. 53. Signa plaustris evecta et asportata. *Id. Divinat. in Verr.* 9. 28. Non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur, sed asportare (*h. e.* furtim subducere) te velle ex Sicilia litteras suspicantur. *Id. Parad.* 1. 1. 8. Cum ceteri ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent. *Nepos Themist.* 2. Sua omnia, quæ moveri poterant, partim Salamina, partim Trœzena asportant. *Liv.* 2. 4. Quibus (*vehiculis*) regum asportarent res. *Id.* 21. 26. Alexandriam ad virum uxorem, ad pa-

trem filias asportare. — NB. Apud *Virg.* 2. *Æn.* 778. nec te hinc comitem asportare Creusam Fas, aut ille sinit etc. *asportare* est falsa lectio, quæ *Servii* tantum auctoritate innititur; omnes enim Codices aliter legunt: qua de re V. *Wagner* ad h. l.

ASPRĀTĬLIS, e, adject. asper, asperam habens superficiem. Hinc *aspratilis terminus* est ex lapide non perdolato apud *Var. Auct. Limit. p.* 305. *Goes.* Sic *aspratilis petra, ibid. p.* 228. — Speciatim *aspratiles pisces* dicuntur, qui asperas squamas habent. *Plin. Valer.* 5., 8., 10., 25., 36. et 41. *Edict. Dioclet.* p. 15. Piscis aspiratilis marini Ital. p. 1. X viginti quatuor, piscis secundi Ital. p. 1. X sedecim. *Hi manifesto sunt pisces majores, qui propterea asperiores habent squamas et spinas.*

ASPRĀTUS. *V.* ASPERO.

ASPRĒDO, inis, f. 3. aspritudo, asperitas, seu faucium morbus, qui Græce τραχύτης. *Cels.* 5. 28. *n.* 2. Aspredine quadam et magnitudine sua. Ita in plerisque opt. editionib. principe a. 1478., Gryphiana, Almelov. et al. Sunt tamen qui ex quibusd. MSS. reponere malunt *aspritudo.*

ASPRĒTUM, ti, n. 2. locus asper, inæqualis, difficilis, saxis, aut spinetis impeditus. *Liv.* 9. 24. Saxa erant et temere jacentia, ut fit in aspretis, et de industria etiam, quo locus tutior esset, ab oppidanis congesta. *Id.* 35. 28. Tabernacula statuere in aspretis, et inæquabili solo, difficile erat. Adde *eumd.* 9. 35., 27. 18. et 36. 15. *ad fin. Grat. Cyneg.* 241. Aspretis medius qua clauditur orbis.

ASPRĬO, ōnis, m. 3. monetæ species, cujus mentio est in *Papyr. n.* 80. quæ pertinet ad a. a Chr. n. DLXIV. apud *Marin. Pap. ant. p.* 124. Sagma valente asprione aureo uno.

ASPRĬTŪDO, inis, f. 3. idem quod asperitudo, a qua voce per syncopen hæc facta est. Occurrit apud Medicos tantum de corporis membris, quæ morbo aliquo aspera fiunt. *Cels.* 5. 28. *n.* 15. Nam modo circa totum corpus partemve aspritudo quædam fit, similis iis pustulis etc. *Pleræque optimæ editt. leg.* aspredo. *Id.* 6. 6. *n.* 26. Extenuare aspritudinem oculorum. *Et mox.* Ex aspritudine lippitudo fit atque ipsam deinde aspritudinem auget. Adde *Scribon. Compos.* 32., 33. et 35. *Cels.* 7. 23. Aspritudo linguæ. *Scribon. Compos.* 26. et 36. palpebrarum. *Id. Compos.* 113. Cum ungui nulla pateat aspritudo.

ASPŬO *vel* adspuo, is, ere, n. 3. (ad *et* spuo) est spuere versus aliquem vel in aliquem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (39). Nos si – illa credamus rite fieri –, si dormiens spectetur infans, a nutrice terná (*precatione*) adspui.

ASSA, ōrum. *V.* ASSUS, a, um.

ASSĀMENTA, ōrum, n. plur. 2. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (210). Rigorem fortissime servat ulmus: ob id cardinibus assamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur: permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. *h. e.* tabulis sectilibus. Ita habetur in omnibus fere *Plin.* editionibus etiam antiquis a. 1470. et 1472. At iis antiquior a. 1469. habet *crassamentis*, quod et in omnibus MSS. suis legi testatur *Harduinus.* Sunt autem *crassamenta* hoc loco crassiora tigna directa et transversa, quibus foris munitur. Multo autem aptius cohæret hæc vox, et significatio cum ceteris *Plinii* verbis, quam *assamenta.* Hactenus *Forcellinus*; at *Schneider.* in *Ind. Scriptor. R. R.* in *Assis* probat legendum *axamentisque. h. e.* axibus: hi cardinem superiorem et inferiorem extantem habebant, qui liminis superioris et inferioris foramini velut axis currûs modiolis rotæ inserebatur in eoque vertebatur. Id colligitur ex loco simili *Teophr. Hist. Pl. l.* 5. *c.* 4., quem Plinius respexit. Vides igitur, amandandas esse variantes lectiones hic a *Forcellino* allatas. Contra vero hanc *Furlanetti* sententiam *Sillig* lectionem *Harduini* tuetur. — Sunt etiam *Assamenta* quædam poematum genera. *V.* ASSO.

ASSARĀTUM. *V.* ASSIRATUM.

ASSĀRĬUS, a, um, adject. *Cato R. R.* 132. 2. Daps Jovi assaria pecunia, urna vini Jovi caste. Ita legendum probat *Pontedera Op. post. T.* 1. *p.* 283., nempe *assaria pecunia* ea dicitur, quæ as pendeat, *h. e.* libralis, ab asse. *Alii minus recte legunt:* Daps Jovi assir a peru in urna vini. *Rectius tamen legendum:* Daps Jovi assaria pecuina. *h. e.* dapes pecuinæ assatæ vel assandæ.

ASSĀRĬUS, ii, m. 2. ab antiquis dicebatur pro *as*, ut docent *Varro* 8. *L. L.* 71. *p.* 191. *Müll.* et *Charis.* 1. *p.* 58. *Putsch.*, qui addit subaudiri *nummus.* Ex *Varrone* autem colligitur, in usu fuisse, ut in genitivo plurali *assarium* diceretur pro *assariorum*, ut *Equum publicum mille assarium.*

ASSĀTŪRA, æ, f. 1. Occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu, et significat cibos non elixos, sed assatos, sive ii tosti sint, sive frixi. Ita enim exponere videtur *Salmas.* ad illud *Vopisci in Aurel.* 49. Convivium de assaturis maxime fuit. Adde *Apicium* 7. 5. *Vet. Scholiast.* ad *Pers.* 2. 43. Solet etiam porcina eodem genere condita servari, aut ad assaturarum jura.

ASSĀTUS, a, um. *V.* ASSO.

ASSĔCLA *vel* adsecla, *et* assĕcŭla *vel* adsecula, æ, m. 1. *Charis.* 1. p. 37. *Putsch.* docet asseclam esse communis generis; nullo tamen allato exemplo confirmat. — Assecla est assectator, comes, ab *assequendo* dictus, et significat eum, qui alicujus commodi spe alterum sequitur, et dicitur plerumque in contemptu (It. *seguitatore*, *partigiano*; Fr. *suivant*, *sectateur*; Hisp. *siguiendo, sequaz*; Germ. *der Anhänger*, *Parteigänger*; Angl. *a mean attendant, slave, menial*). *Cic.* apud *Ascon. p.* 79. 17. *Bait.* Pauci præterea assentatores eorum atque asseculæ subsequuntur. *Id.* 6. *Att.* 3. 6. Qui – potentissimorum hominum contumaciam numquam tulerim, ferrem hujus asseculæ. *Id. Sext.* 64. 135. Cum hæc optima lex et ab illo socero ejus et ab hoc assecula negligatur. *Id.* 2. *Divinat.* 37. 79. Cum ei tetrarchiam eripuisset et asseclæ Pergameno nescio cui dedisset. *Id.* 3. *Verr.* 25. 65. Asseclæ legatorum. *Id.* 5. *ibid.* 12. 30. Asseculæ Verris. *Nepos Att.* 6. Assecla prætoris. *Auct. Declam. in Sall.* 8. Omnium mensarum assecla. *Juvenal.* 9. 48. Vos humilis asseculæ vos indulgebitis umquam etc. *Quidam leg.* adseclæ *pœnultima longa.*

Homonym. *Fronto p.* 2193. *Putsch.* docet, *comitem* esse proprie qui in itinere alterum sequitur; *sodalem* esse nomen adolescentiæ; *asseclam* qui sequitur potentiorem: ita *comitem* esse tutum; *sodalem* amicum; *asseclam* officiosum. Hæc tamen discrimina non semper vera sunt.

ASSĔCO *vel* adseco, sĕcas, sĕcui, sectum, sĕcare, a. 1. (ad *et* seco). Occurrit tantum Part. *Assectus* et est aliquo versus sectus. *Ammian.* 31. 8. Assecto ore. *h. e.* facie unguibus secta. Alii tamen leg. *affecto*, alii *objecto:* sed minus recte.

ASSECTĀTĬO *vel* adsectatio, ōnis, f. 3. actus assectandi (It. *accompagnamento*, *corteggio*; Fr. *action d'accompagner*, *cortège*; Hisp. *acompañamiento*, *cortejo*; Germ. *das aufmerksame Nachgehen*; Angl. *an attending, waiting on, or accompanying*). ¶ 1. Dicitur fere de comitatu, qui officii causa alicui præstatur. *Cic. Mur.* 34. 70. Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut proferendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. 34. Et quoniam assectationis mentio facta est, id quoque curandum est, ut quotidiana cujusque generis et ordinis et ætatis utare. ¶ 2. Dicitur et de rebus, pro observatione, animadversione; qui enim alterum assectatur, observandi et adnotandi occasionem habet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 20. 18. (82). Latet plerosque, magna cæli assectatione compertum a principibus doctrinæ viris superiorum trium siderum ignes esse, qui etc.

ASSECTĀTOR *vel* adsectator, ōris, m. 3. qui assectatur et comitem se præbet (It. *seguitatore*, *compagno*, *corteggiatore*; Fr. *celui qui accompagne*; Hisp. *acompañador*, *cortejador*; Germ. *der aufmerksame und unablässige Nachgänger*; Angl. *an attendant, follower*). Speciatim — *a*) In rationibus politicis assectator est qui alteri comitem amicumque se præbet officii atque interdum utilitatis causa. *Cic.* 4. *Verr.* 11. 29. Cum ab eo quidam vetus assectator et ex numero amicorum non impetraret, uti etc. *Id. Balb.* 27. 62. Cum ducibus ipsis, non cum comitatu assectatoribusque confligant. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. 34. Hujus autem rei (*assectationis*) tres sunt partes: una salutatorum cum domum veniunt; altera deductorum: tertia assectatorum. *Et paullo post.* Assidua assectatorum copia. Adde *Quintil.* 1. 5. 8., et *Plin.* 3. *Ep.* 11. et 8. *ibid.* 23. — *b*) Cum de doctoribus sermo est, assectator est discipulus, aut qui alterius dogmata probat atque amplectitur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (167). Apollodorus assectator Democriti. *Id.* 20. *ibid.* 14. 57. (160). Porcii Latronis clari inter magistros dicendi assectatores. *Gell.* 5. 10. Auditor assectatorque Protagoræ. Hinc etiam dixit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 21. (59). et 18. *ibid.* 28. 68. (274). Assectator sapientiæ alicujus. *Id.* 29. *ibid.* 1. 5. (8). eloquentiæ alicujus. — *c*) Denique ponitur et de iis, qui rem aliquam assequi conantur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 42. 66. (142). Assectator dapis cancer. *Seneca Tranquill.* 1. Assectator comesque patrimoniorum pereuntium populus.

ASSECTOR *vel* adsector, sectāris, sectātus sum, sectari, 1. (ad *et* sector) assidua frequentia sequi (It. *accompagnare*, *corteggiare*; Fr. *accompagner*, *suivre, faire cortège*; Hisp. *acompañar*, *cortejar*; Germ. *einer Person unablässig nachgehen*, *sich ihr begleitend anschliessen*; Angl. *to follow after*, *attend*, *wait upon*, *accompany*). Occurrit *A*) Deponentium forma, et *B*) Passive.

A) Deponentium forma.

1.) Proprie. ¶ 1. Generatim cum Accusativo personæ aut etiam absolute est aliquem assidua frequentia sequi. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 6. Cum assectaretur: Num quid vis? occupo. *Tac.* 2. *Hist.* 93. Omnisque inferioris Germaniæ miles Valentem assectabatur. *Id.* 6. *Ann.* 19. Assectari putrefacta corpora, dum in Tiberim traherentur. — *Assectari feminam* aut *puerum prætextatum* apud JCtos dicitur is, qui tacitus frequenter sequitur: ideoque injuriarum tenetur, quia assidua frequentia quasi præbet nonnullam infamiam, aut potius quia assidua frequentia assectatos ad inhonesta allicere putabatur. Ita *Ulp. Dig.* 47. 10. 15. § 19. et 22., et *Cajus* 3. *Instit.* 220. ¶ 2. Speciatim assectari dicitur, qui alteri se reverentem comitem amicumque præbet alicujus incepti causa. *Cic.* 1. *Orat.* 56. 239. Cum ædilitatem P. Crassus peteret, eumque major natu, etiam consularis, Ser. Galba assectaretur. *Suelon. Cæs.* 19. Omnibus officiis Cn. Pompejum assectatus est. *Q. Cic. Petit. cons.* 8. 33. Studia adolescentulorum in suffragando, in obeundo, in nunciando, in assectando etc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Cum Arellium Fuscum celebritate assectarentur adolescentium scholæ. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 14. et *Tac. Dial. de orat.* 2.

II.) Translate cum abstractis occurrit apud sequioris ævi Scriptores tantummodo. *Hygin.* 3. *Fab.* 232. ed. *Mai.* Venationem execrans, agriculturam assectatus est. *Augustin. Ep.* 112. 5. *in fin.* Multum enim miror, si eo usque progrediuntur, qui existimant impios visuros Deum –, ut eos et mundo corde esse, et pacem et sanctificationem cum omnibus assectari asseverent.

B) Passive. *Ennius* apud *Priscian.* 8. *p.* 792. *Putsch.* Assectari se omnes cupiunt. ἀκολουθεῖσθαι. *Alpheus Philologus ibid.* Themistocles cum a formoso assectaretur. — NB. *Paul. Diac. p.* 2. 10. *Müll.* Assectata femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata; vel in malam, quasi ad extremum periculum adducta. *Jos. Scalig.* testatur, in vet. editionibus haberi *affectata*, et ita prorsus legendum esse: adducitque in hanc rem locum *Plaut. Rud.* 2. 4. 4. Accipiam hospitio, si nox venis, item ut affectatam. Ita nimirum ea verba emendanda esse censet, quæ alii aliter ediderunt. Est enim is locus crux Interpretum. *V. Taubmann.* At *Müller* pro *affectata* aut *assectata* legit *affecta.*

ASSECTUS *vel* adsectus, a, um. *V.* ASSECO.

ASSECŬLA *vel* adsecula, æ. *V.* ASSECLA.

ASSECŪTOR *vel* adsecutor, ōris, m. 3. qui assequitur, comes. *Capell.* 9. p. 306. Himeros Cupidinis assecutor.

ASSECŪTUS *vel* adsecutus, a, um. *V.* ASSEQUOR.

ASSĒDO *vel* adsedo, ōnis, m. 3. idem quod assessor. Hanc vocem affert *Non.* p. 62. 23. *Merc.*, sed nullo confirmat Latini scriptoris testimonio.

ASSEFŎLĬUM, ii, n. 2. herba alio nomine gramen dicta et Græce agrostis. *Apul. Herb.* 77.

ASSELLO *vel* adsello, as. *V.* voc. seq. in fin.

ASSELLOR *vel* adsellor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad *et* sella) ad sellam familiaricam ire alvi exonerandæ causa. *Veget.* 1. *Veter.* 12. Deinde sale et melle mixtis in anum infundes, ut assellandi augeat voluntatem. *Id.* 3. *ibid.* 3. Si jumentum assellatum fuerit sanguinem. *Id.* 1. *ibid.* 50. Si multum stercoris assellatus ediderit. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 22., et 3. *ibid.* 9. et 44. et 50.; et *Theod. Priscian.* 4. 1. et alibi. — *Assello* active legitur in *cod. quodam Corbejense*, cujus meminit *Scheneider.*, apud *Veget.* 5. *Veter.* 44. et 36. tantum.

ASSĔNESCO *vel* adsenesco, escis, escere, n. 3. (ad *et* senesco) senex fio. *Tertull. Exhort. ad castit.* 13. Feminæ Cereris, cui sponte abdicato matrimonio adsenescunt.

ASSENSĬO *vel* adsensio, ōnis, f. 3. actus assentiendi, assensus, approbatio (It. *assenso, approvazione*; Fr. *assentiment, adhésion*; Hisp. *adhesion*; Germ. *die Beistimmung, Beipflichtung*; Angl. *the act of assenting or approving, assent*). ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 30. 114. Genus orationis exile, nec satis populari assensioni accommodatum. *Id. ibid.* 84. 290. Cum surgit is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium: deinde crebræ assensiones, multæ admirationes. *Id. Mil.* 5. 12. Universi ordinis assensiones. *Id.* 1. *Invent.* 31. 51. Inductio est oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem ejus, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quidem res, propter similitudinem earum rerum quibus assensit, probetur. *Seneca Ep.* 7. 9. Plurium assensio. *Quintil.* 6. 3. 73. simulata. *Plin.* 3. *Ep.* 4. clarissima senatus. *Id.* 4. *ibid.* 12. Assensio et laus. ¶ 2. Speciatim ab Academicis philosophis assensio dicitur actus, quo quis rerum sensibilium perceptione perculsus, easdem approbat; quam Græci συγκατάθεσιν vocant, teste *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 12. 37. Vitia in ipsorum esse potestate, nec peccare quemquam nisi assensione. *Id. Fat.* 18. 42. Assensio non potest fieri, nisi commota viso. Adde *eumd. ibid.* 17. 40., 19. 43. et alibi. *Id.* 1. *Nat. D.* 1. 1. A rebus incertis assensionem cohibere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 59. Assensionis retentio.

ASSENSOR *vel* adsensor, ōris, m. 3. qui assentitur, approbator (It. *chi consente, chi approva*; Fr. *approbateur*; Hisp. *aprobador*; Germ. *der Beipflichter, oder Beistimmer*; Angl. *one who assents*). *Cic.* 6. *Fam.* 21. 1. Quotidie commemorabam te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem et me tibi. *Id.* 3. *Herenn.* 23. 38. Non omnes habere assensores. *Val. Max.* 6. 3. 6. Assensor vindictæ. *Seneca Hippol.* 1207. Tuque semper, genitor, iræ facilis assensor meæ. *h. e.* vota a me irato facta exaudiens.

ASSENSUS *vel* adsensus, a, um. *V.* ASSENTIO.

ASSENSUS *vel* adsensus, us, m. 4. assentiendi actus, consensus. ¶ 1. Abstracte occurrit apud Academicos philosophos tantum, et est actus, quo quis rerum sensibilium perceptione perculsus, easdem approbat. Cf. ASSENSIO 2. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 57. Assensum retinere. *Id. ibid.* § 59. tollere. *Id. ibid.* 29. 94. cohibere a rebus certis et illustribus. *Id. ibid.* 33. 107. Se ab assensu retinere. *Id. ibid.* 34. 108. Obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere. *Id.* 3. *Fin.* 9. 31. Assensus suos firme sustinere. ¶ 2. Sæpius occurrit concreto, uti ajunt, sensu, et est approbatio, quæ plausu, voce aliove modo fit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 4. Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius? *Aspice hoc sublime candens* etc. *Id. Brut.* 49. 185. Vulgi assensu et populari approbatione judicari solet. *Liv.* 3. 74. Ingens assensus alacritasque cuncta approbantium. *Id.* 5. 9. Omnium assensu comprobata oratio. *Id.* 8. 5. Assensu populi excepta vox consulis. Adde *Curt.* 5. 9. 2. *Liv.* 32. 22. Murmur aliorum cum assensu. *Id.* 27. 51. L. Veturius planius omnia, quæ acta erant (*in pugna et victoria*) exposuit cum ingenti assensu, postremo etiam clamore universæ concionis, cum vix gaudium animis caperent. *Forcellinus* hunc locum singulari paragr. distinxit; affirmavit enim *assensum* esse cum non tam approbandi, quam gaudendi sensus exprimitur. *Virg.* 10. *Æn.* 97. Tremere assensu vario. *Ovid.* 1. *Met.* 244. Dicta Jovis pars voce probant – alii partes assensibus implent. *Id.* 8. *ibid.* 605. Concutere assensibus undas. *Plin. Paneg.* 71. Jam quo assensu senatus, quo gaudio exceptum est etc. *Tac.* 14. *Ann.* 12. Brevis assensus. *Id.* 13. *ibid.* 22. Assensu sententiam celebrare. *Sueton. Aug.* 68. Assensu maximo comprobare aliquid. Adde *eumd. Tib.* 45. ¶ 3. Ad sonorum consensum transtulit *Virg.* 7. *Æn.* 615. Æreaque assensu conspirant cornua rauco. *h. e.* quasi approbantia ardorem euntium ad pugnam. Et de Echo *Id.* 3. *G.* 45. Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. Adde *Claudian. VI. Cons. Honor.* 615.

ASSENTĀTĬO *vel* adsentatio, ōnis, f. 3. actus assentandi, hoc est assentiendi, assensus (It. *assenso*; Fr. *consentement, approbation*; Hisp. *consentimiento*; Germ. *die entschiedene Beistimmung, oder Beipflichtung*; Angl. *the act of assenting, consenting*). ¶ 1. Raro est assentiendi actus, in quo nihil inest mali. *Vellej.* 2. 128. 3. Qui M. Tullio tantum tribuere, ut pæne assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret. *h. e.* modo ipse assentiret, seu commendatione, favore, suffragio. *Petron. Satyr.* 17. Tacentibus adhuc nobis et ad neutram partem assentationem flectentibus. *Quidam leg.* assensionem. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 10. 3. 5. Si cui adversus præcepta hujus sanctionis veniendi aditum assentatione præstiterit. ¶ 2. Sæpius sumitur pro blando assensu, quo aliquis alterius gratiam captat, blandis mendaciis et sermone ad gratiam composito (It. *lusingheria, piacenteria, adulazione*; Fr. *flatterie, adulation*; Hisp. *lisonja, adulacion*; Germ. *die Beistimmung des Schmeichlers, die Schmeichelei*; Angl. *flattery, adulation, wheedling*). *Plaut. Bacch.* 3. 3. 7. Hei mihi – istæc illum perdidit assentatio. *Cic. Amic.* 24. 89. Assentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur. *Id. ibid.* 25. 91. Nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. *Id. ibid.* § 94. Callida assentatione capere aliquem. *Id. ibid.* 26. 99. Assentatio faceta parasitorum. *Id.* 13. *Att.* 28. 2. turpis. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. § 16. Græci diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. *Id. Cluent.* 13. 36. Blanditiis et assentationibus immergere se penitus in consuetudinem alicujus. *Liv.* 24. 6. Inflatus assentationibus. *Curt.* 8. 5. 6. Quorum (*regum*) opes sæpius assentatio, quam hostis evertit. *Tac.* 1. *Hist.* 15. Assentatio erga quemcumque principem sine affectu peragitur. *Plin. Paneg.* 85. Cujus (*amicitiæ*) in locum migraverant assentationes, blanditiæ et pejor odio amoris assentatio. *Vellej.* 2. 102. 3. Vitia assentatione alere.

Homonym. In quo *assentatio* differat ab *adulatione*, *V.* ADULATIO in fin.

ASSENTĀTĬUNCŬLA *vel* adsentatiuncula, æ, f. 1. *deminut.* parva assentatio, quo sensu hæc vox paragr. 2. accipitur. *Plaut. Stich.* 1. 3. 75. Assentatiunculæ et perjuratiunculæ parasitivæ. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 6. Ac non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar.

ASSENTĀTOR *vel* adsentator, ōris, m. 3. qui assentit. ¶ 1. Raro pro assensore ponitur. *Fronto de ep. am.* 2. *p.* 221. ed. *Mai.* Potius dusi infrequens amicus esse, quam frequens assentator. *Nisi forte hæc referenda sint ad paragr. infer. Tertull. advers. Hermog.* 10. Etsi non auctor, sed assentator mali invenitur Deus. *h. e.* qui malum non quidem vult, sed permittit. ¶ 2. Sæpius sumitur pro adulatore, qui ad gratiam captandam alteri in omnibus assentitur. *Cic. Amic.* 26. 98. Semper enim auget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem loquitur, vult esse magnum. *Id. ibid.* § 97. et 1. *Off.* 26. 91. Patefacere aures assentatoribus. *Id.* 1. *Off.* 14. 42. Assentatores perniciosi. *Id.* 5. *Fam.* 12. 6. Aliquem assentatorem arbitrari. *Id. Cæcin.* 5. 14. Assentator mulierum. *Gulielmius* inclinabat in *assectator*, ut notat *Gruter. Horat. Art. P.* 420. Assentatores jubet ad lucrum ire poeta. *Vellej.* 2. 83. 1. Cum fuisset humillimus assentator reginæ et infra servos cliens. — In politicis etiam rationibus. *Cic. Amic.* 25. 95. Concio – judicare solet, quid intersit inter popularem, id est assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem. Adde *eumd.* 2. *Off.* 18. 63.

ASSENTĀTŌRĬĒ *vel* adsentatorie, adverb. cum assentatione, adulatorum ratione. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. B. § 3. Dubitare te non assentatorie, sed fraterne veto.

ASSENTĀTRIX *vel* adsentatrix, īcis, f. 3. quæ assentatur, adulatrix. *Plaut. Most.* 1. 3. 100. Nunc assentatrix scelesta est; dudum adversatrix erat.

ASSENTĬA *vel* adsentia, æ, f. 1. idem atque assensio. *Lactant. Placid. Gloss.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 429. Adsentiæ, adsentationes, id est consensio: ut si quis tibi de aliqua re dicat, et tu illi adsentias, ipsæ res adsentiæ nuncupentur.

ASSENTĬO *vel* adsentio, sentis, sensi, sensum, sentire, 4. (ad *et* sentio). Part., *Assensus* 2. — Part. vero præsens *Assentiens* ad ASSENTIOR referendum putavimus. — Assentire est consentire, approbare; in prosa tamen oratione usitatior fuit forma deponens *assentior*, teste *Varron.* apud *Gell.* 2. 25. *Sentior* nemo dicit et id per se nihil est; *assentior* tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus *assentio* in senatu dicebat et eum postea multi secuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt. Cf. *Quintil.* 1. 5. 13. et *Diomed.* 1. *p.* 377. *Putsch.* (It. *assentire, acconsentire, approvare*; Fr. *approuver, donner son assentiment*; Hisp. *aprobar, consentir*; Germ. *beistimmen, oder beipflichten*; Angl. *to assent, consent, approve*). ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 4. 3. 36. Assentio. *Accius* apud *Non. p.* 469. 18. Assensit silens. *Pomponius* apud *eumd. l. c.* Omnes una assentiant. *Cic.* 2. *Att.* 1. 8. Censuit hoc Cato: assensit senatus. *Auct. B. Afr.* 88. Quorum cum partem assentire – intellexisset. *Ovid.* 9. *Met.* 259. Assensere dei. Adde 14. *ibid.* 592. *Curt.* 5. 12. 3. Darius vultu assentiebat. *Sueton. Vesp.* 6. Assensere cuncti. *Tac.* 5. *Hist.* 3. Assensere, atque omnium ignari etc. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 19. Si assenserit humor. — *b*) Cum Dativo personæ. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 2. Philippus assensit Lentulo. *Id.* 9. *Att.* 9. 1. Assentio tibi, ut in Formiano potissimum commorer. *Id.* 5. *Fam.* 2. 9. Sedens iis assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt. Et impersonaliter *Id.* 1. *ibid.* 2. 1. Quatenus de religione dicebat, – Bibulo assensum est. *Liv.* 1. 54. Cum de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis diceret. De alio *Liv.* loco 41. 24. *V.* ASSENTIOR 1. *b. Ovid.* 3. *Met.* 406. assensit precibus Rhamnusia justis. *Curt.* 4. 13. 7. Omnes fere Parmenioni assentiebant. *Quintil.* 9. 3. 49. Inveni qui et hoc vocaret κλοπήν: cui non assentio. — *c*) Cum Accus. rei et Dat. personæ, aut cum Accus. tantum, sed per Pronomina aut similes particulas, et significat alicui, quod ad rem aliquam attinet, consentire. *Plaut. Amph.* 2. 2. 193. Mihi quoque assunt testes, qui illud, quod ego dicam assentiant. *Gell.* 6. 5. Hoc ergo assentimus. Cf. et paragr. seq. ¶ 2. Speciatim ab Academicis philosophis assentire dicitur, qui rerum sensibilium delectatione perculsus, eisdem consentit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 99. Multa sequitur (*sapiens*) probabilia, non comprehensa, neque percepta, neque assensa. — *NB. Assentire* pro *assentari* dixisse *Persium* 1. 36. (Assensere viri) affirmavit *Forcellinus*.

ASSENTĬOR *vel* adsentior, sentiris, sensus sum, sentiri, dep. 4. Part. *Assentiens* 1., et *Assensurus* 2. — Idem quod *assentio*, sed magis usitatum, teste *Varron.* V. ASSENTIO sub init. (It. *assentire, acconsentire*; Fr. *approuver, donner son assentiment*; Hisp. *aprobar, consentir*; Germ. *beistimmen, beipflichten*; Angl. *to assent, consent, approve*). ¶ 1. Generatim est alicujus opinioni seu sententiæ adhærere: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* apud *Priscian.* 8. *p.* 801. *Putsch.* In quibus assentior sollicitam et periculosam justitiam non esse sapientis. *Id.* 2. *Divinat.* 50. 104. Ennius, qui maximo plausu loquitur assentiente populo. *Sueton. Cæs.* 80. Ne assentiri necesse esset. *Tac.* 14. *Ann.* 48. Ceteris inde assentientibus. — *b*) Cum Dativo. *Lucilius* apud *Priscian.* 8. *p.* 801. *Putsch.* Assensus sum homini. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 3. Huic assentiuntur omnes consulares præter Servilium – et Afranium, qui assentitur Volcatio. Et *ibid.* Advertebantur Pompeji familiares assentiri Volcatio. *al. leg.* assentire. *Id.* 1. *Orat.* 49. 214. Assentiri alicui maximis de rebus. *Id.* 7. *Att.* 13. alicui de Vennonianis rebus. *Id.* 16. *ibid.* 15. 3. valde alicui in aliqua re. *al. aliter leg. Id.* 1. *Orat.* 24. 110. vehementer alicui. *Id.* 3. *Nat. D.* 25. 65. Iis, quæ dicta sunt, vehementer. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 28. famæ. *Id.* 10. *Fam.* 16. Sententiæ assentiri ad unum. *Varro* 2. *R. R.* 3. 10. Quibus assentiri putant id, quod usuvenit Gaberio equiti Rom. *Sall. Cat.* 52. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assentiebantur. *Liv.* 41. 24. *sub fin.* Cum idem huic orationi, qui litteris regis assensi erant, assentirentur. Quidam pro *assensi erant* legebant *assentierant*; qui error ortus est ex prava scriptione litteræ *t* et conjunctione vocum. *Id.* 25. 30. Omnes assensi sunt partibus dividundis. *Curt.* 7. 2. 3. At hæc elocuto universa concio assensa est. *Quintil.* 9. 3. 90. Ita iis, quæ ab auctoribus claris traduntur –, non assentio. — *c*) Cum Infinito. *Cic.* 14. *Att.* 19. 1. Assentiri alicui esse aliquid. — *d*) Sequente particula *ut*. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 11. Assentiri alicui, ut aliquid sit. — *d*) Cum Accusativo rei, qui fere Pronomen est, et Dativo personæ, aut cum Accus. tantum; et significat alicui assentiri quod attinet ad rem aliquam. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 35. Cetera, inquit, assentior Crasso. *Id. ibid.* 20. 91. Quorum ego alterum illi facile assentiebar nihil me didicisse. *Id. ibid.* 28. 126. Illud vero – valde tibi assentior. *Id.* 2. *ibid.* 56. 227. Qua-

re tibi – utrumque assentior. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 21. 68. Cum tam vitiosum esse constet assentiri quidquam aut falsum aut incognitum. *Id.* 3. *Nat. D.* 25. 64. Non habeo autem quid tibi assentiar. ¶ 2. Speciatim apud Academicos philosophos assentiri dicitur is, qui rerum sensibilium perceptione perculsus, eisdem consentit; quo sensu occurrit cum Dat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 21. 67. Si ulli rei sapiens assentietur umquam, aliquando etiam opinabitur: nulli igitur rei assentietur. Adde *eumd. ibid.* 20. 66.

ASSENTOR *vel* adsentor, āris, ātus sum, āri, dep. 1. Part. *Assentans* 2. Est intensivum ab *assentior* ideoque significat totis viribus atque omnino assentiri. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Most.* 1. 3. 89. Nunc ne ejus causa vapulem, tibi potius assentabor. *Quidam leg.* assentiar. Cf. *Amph.* 2. 2. 71. *Vellej.* 2. 48. 1. Iis, qui a Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur; iis, qui ab ipso quoque, adversabatur. *Tertull. Exhortat. ad castit.* 4. Cui ergo consilio assentabimur? Et de assentatione per manus data *Quintil.* 11. 3. 102. Cæsim manus lenior promittit et assentatur, citatior hortatur. ¶ 2. Speciatim, sæpius et elegantius sumitur pro ad voluntatem et gratiam loqui, assensum dare alicui in omnibus, obsequendi et placendi causa, adulari (It. *piagentare, lusingare, adulare*; Fr. *donner toujours raison, flatter*; Hisp. *lisonjear, alabar*; Germ. *Jemandem in Allem und mit voller Selbstverleugnung beipflichten*; Angl. *to fawn upon, flatter*). Occurrit — *a*) Absolute, aut cum Dat. personæ. *Ter. Adelph.* 2. 4. 5. Vereor coram in os te laudare amplius, ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existumes. *Id. Eun.* 3. 2. 37. Nam qui huic animum assentari induxeris. *Cic. Amic.* 26. 99. Quippe qui etiam adversando sæpe assentetur et litigare se simulans blandiatur. *Id.* 9. *Fam.* 12. 1. Nisi forte (*Bajæ nostræ*) te amant et tibi assentantur. *Curt.* 8. 8. 21. Callisthenes – haudquaquam aulæ aut assentantium accommodatus ingenio. *Justin.* 12. 6. Rerum suarum magnitudinem extollere cœlo tenus cœpit, assentante majore convivarum parte. — *b*) Cum Accus. *Ter. Eun.* 2. 2. 20. Negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi egomet mihi, omnia assentari. Hoc eodem sensu occurrit *ipsum sibi assentari*, h. e. ipsum sibi indulgere, se ipsum decipere. *Ter. Adelph.* 5. 9. 31. Assentando atque indulgendo et largiendo. *Cic.* 3. *Fam.* 11. 2. Mihi ipse assentor fortasse, cum ea esse in me fingo. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 14. 45. Ut nihil nobis assentati esse videamur. Adde *eumd. Amic.* 26. 97.

ASSEPTUM *vel* adseptum, i, n. 2. idem quod septum, sepimentum. *Adsepta Coptica* appellat *Apul.* 2. *Met.* 6. sepimenta ab hirundinibus facta adversus Nili aquas inundantes, ut est apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (94). Alii legunt rectius *adoperta*.

ASSEQUELA *vel* adsequela, æ, f. 1. id quod sequitur. *Mar. Victorin.* p. 2500. *Putsch.* Nam neque per se versus hexameter sine sequente pentametro elegiacum metrum implebit; neque in epodis singuli versus sine clausulis suis et assequelis audiri poterunt ἐπῳδοί.

ASSEQUOR *vel* adsequor, sĕquĕris, sĕcūtus *vel* sequutus sum, sĕqui, dep. 3. (ad *et* sequor). Part. *Assequens* II.; *Assecuturus* I. *a*. — Assequor est ad eum, quem sequor, pervenio, consequor (It. *giungere, arrivare, raggiungere*; Fr. *poursuivre, parvenir à, atteindre, attraper*; Hisp. *alcanzar, conseguir*; Germ. *nachkommen, einholen, erreichen*; Angl. *to come up with, reach, join, arrive at, find*).

I.) Proprie de loco ponitur — *a*) Absolute. *Plaut.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 73. *p.* 102. *Müll.* Nunc sequere, assequere (*h. e.* insequere, pone sequere) Polybadisce, meam spem cupio consequi. *Ter. Phorm.* 5. 8. 89. Assequere ac retine, dum ego huc servos revoco. *Liv.* 25. 20. In Bruttios raptim, ne Gracchus assequeretur, concessit. *Id.* 28. 16. Adeo citato agmine ducti sunt, ut si viâ rectâ vestigia sequentes issent, haud dubie assecuturi fuerint. Adde *eumd.* 38. 8. et *Tac.* 3. *Hist.* 66. — *b*) Cum Accusativo. *Cic.* 3. *Att.* 5. Si enim es Romæ, jam me assequi non potes; sin es in via, cum eris me assecutus, coram agemus. Et figurate *Id.* 1. *Tusc.* 39. 94. Nonne modo pueros, modo adolescentes, in cursu a tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus? *Curt.* 3. 12. 1. Rex diu Darium persequendo fatigatus, postea quam et nox appetebat et eum assequendi spes non erat etc. *Id.* 4. 10. 11. Assequi agmen refugientium. *Id.* 5. 13. 15. vehiculum Darii. *Tac.* 2. *Ann.* 75. Pisonem – apud Coum insulam nuncius assequitur, excessisse Germanicum. Adde *Vellej.* 2. 59. 3.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim assequi dicimur personam aut rem, quam tamquam exemplar ante oculos habemus, ut eam teneamus et exæquemus. *Cic.* 1. *Legg.* 2. 7. Eum tamen velle duntaxat imitari (*videatur*), quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. *Id.* 1. *Fam.* 4. 3. Qui si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videor tuorum meritorum assecutus. *Id.* 6. *ibid.* 4. 5. Quæ cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. *Id. Harusp. resp.* 9. 18. Ut satis superque prudentes sint, qui illorum prudentiam non dicam assequi, sed quanta fuerit perspicere possint. *Id.* 3. *Herenn.* 20. 28. Ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius assequatur et exæquet. *Quintil.* 10. 2. 16. Cum iis felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur. *Plin.* 4. *Ep.* 8. Alicujus ingenium aliqua ex parte assequi. ¶ 2. Speciatim ac sæpius assequi ponitur de fine, ad quem tendimus et conamur, et est illum obtinere. — *a*) Cum Accus. rei. *Cic.* 1. *Off.* 31. 110. Neque enim attinet naturæ repugnare, nec quidquam sequi, quod assequi non queas. *Id.* 1. *Fam.* 7. 10. Quæ ne per populum quidem sine seditione se assequi arbitrantur. *Id. Pis.* 1. 2. Assequi magistratus omnes sine repulsa. Adde *Sall. Jug.* 4. *Cic. Planc.* 25. 60. gradus honorum. *Id.* 1. *Orat.* 30. 134. nihil egregium sine studio. *Id. ibid.* § 135. aliquid precibus, insidiando, speculando. *Id. ibid.* 29. 132. aliquid in dicendo. *Id. Planc.* 37. 90. immortalitatem. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 50. maturitatem. Huc pertinet et illud ejusdem *Cic.* 3. *Verr.* 57. 149. Quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequetur? *Pseudo-Asconius* explicat, *quomodo accurret ad diem?* quæ scilicet operi cuidam faciendo erat præstituta. *Sall. Cat.* 5. Hunc – lubido maxima invaserat reipubl. capiundæ, neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. *Curt.* 5. 10. 7. Itaque quod non poterant vi, fraude assequi tentant. *Id.* 4. 6. 3. Assequi regnum. *Quintil.* 10. 1. 87. In iis, per quæ nomen assecutus. *Id.* 2. 16. 19. Tantum laudis et gloriæ assequi etc. — *b*) Sequente part. *ut vel ne. Cic.* 1. *Brut.* 15. 1. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quæ gerantur, quam tibi is exponet? *Id. Rosc. Am.* 34. 95. Qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus audacia tua cognoscatur. *Justin.* 2. 4. Assecutus virtute, ne segniores viris feminas habere Scythæ viderentur. Adde *Quintil.* 8. 3. 3., 10. 1. 10. et 11. 1. 85. ¶ 3. Item speciatim *assequi aliquid animo, cogitatione, conjectura, suspicione etc.*, aut absolute *assequi aliquid* ponitur pro intelligere, percipere. *Cæcilius* apud *Gell.* 20. 1. Obscuritates non assignemus culpæ scribentium, sed inscientiæ non assequentium. *Cic.* 4. *Verr.* 73. 181. Ac ne forte – omnia ita condita fuisse atque ita abdite latuisse videantur, ut hæc diligentia – nihil eorum investigare, nihil assequi potuerit. *Forcellinus* passive legebat cum vet. edition. *hac diligentia – investigari*; variantem tamen lectionem afferebat. *Id.* 2. *Invent.* 47. 139. Eâ re legis scriptorem – judices certa ætate præditos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent –, sed qui cogitatione assequi possent et voluntatem interpretari. *quidam leg.* cogitationem. *Id.* 7. *Att.* 13. A. § 4. Reliquum est, ut et quid agatur – explores scribasque ad me, et quid ipse conjecturâ assequare. *Id.* 5. *Verr.* 86. 200. Hæc quam sint gravia, – credo vos – ex vestris rebus rusticis conjecturâ assequi posse. *Id.* 8. *Att.* 11. D. § 5. Nam suspicione assequi non potui. *Curt.* 4. 16. 10. Quis tot ludibria fortunæ – aut animo assequi queat, aut complecti? *Gell.* 3. 1. Quid istuc sit, videor ferme assequi.

ASSER, ĕris, m. 3. Ratione habita etymi hæc vox conjungi potest cum v. *axis* et *assis*; unde legitur aliquando antique scriptum *axeres* pro *asseres*. — Asser est medium aliquid inter trabem et palum, seu est tignum parvum integrum vel fissum, columnæ similitudinem habens semperque arte elaboratum (It. *stangone, pancone*; Fr. *ais, solive, chevron, pieu*; Hisp. *tabla, viga, cabrio*; Germ. *Bohle, Sparren, Stange, Latte*; Angl. *a pole or piece of wood, a small beam, pale*). ¶ 1. Generatim. *Plaut. Aulul.* 2. 6. 8. STAPH. Ligna hic apud nos nulla sunt. STROB. Sunt asseres? STAPH. Sunt pol. STROB. Sunt igitur ligna, ne quæras foris. STAPH. Quid – cœnæne causâ – nos nostras ædes postulas comburere? *Quidam in hoc* Plaut. *loco* asseres *pro* tabulis *accipiendos esse putant, sed perperam ut ipse adnotavit* Forcellinus. *Idem dicendum de loco* Vitruv. 4. 2. 1. infra *allato: apud* Colum. *vero* 6. R. R. 19. *pro* asseribus *legendum est* axibus. Paul. Diac. *quidem* p. 16. 11. Müll. asseres *tabulas esse censet: scribit enim ita dictos esse*, quod assideant parieti trabibusque; *quod etymon non quilibet stomachus facile concoquet. Cæs.* 2. *B. C.* 2. Asseres pedum XII. cuspidibus præfixi – in terra defigebantur. *Liv.* 41. 5. Longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur: in eos transversi incumbentes tigni injungebantur. *Id.* 30. 10. Asseres ferreo unco præfixi: harpagones vocant. *Id.* 38. 5. Asseribus falcatis detergere pinnas murorum. *Vitruv.* 4. 2. 1. Supra cantherios templa; deinde insuper sub tegulas asseres ita prominentes (*ponuntur*), uti parietes projecturis eorum tegantur. *Id.* 7. 3. 1. Asseres directi disponantur – et hi maxime cupressini. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (141). Utraque (*cupressus*) immittitur in perticas asseresque. *Tac.* 4. *Hist.* 30. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam prætoriæ portæ propinquantem promoti contra validi asseres et incussæ trabes perfregere. *Inscript.* apud *Gruter.* 207. 2. TRABECVLAS INASSERATO ASSERIBVS ABIEGNEIS SECTILIBVS CRASSIS QVOQVE VERSVS VNCIIS QVATVOR. ¶ 2. Speciatim ponitur pro vectibus, quibus lecticæ gestantur. *Juvenal.* 7. 132. Perque forum juvenes longo premit assere Medos. Adde *eumd.* 3. 245.; *Sueton. Cal.* 58. et *Martial.* 9. 23. 9.

ASSERCŬLUM, i, n. 2. *deminut. ab* asser, parvus asser. *Cato R. R.* 152. Facito scopas virgeas ulmeas aridas, in asserculo alligato. *Id. ibid.* 12. Capistra V., asssercula V.

ASSERCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* asser, parvus asser. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 4. Asserculos inter se distantes semipedalibus spatiis supra solum ponito et cannas diligenter spisse textas injicito. *Id.* 8. *ibid.* 3. 6. Ascensus avibus ad tabulata datur junctis parieti modicis asserculis.

ASSERO *vel* adsero, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere, a. 3. (ad *et* sero, qua jungere et nectere significat). Part. *Asserens* sub *A.* 1. *a*; *Assertus* sub *A.* 1. *b*. et in fin.; *Asserturus, Asserendus* sub *B.* 2. — Asserere proprie est adjungere, annectere: sed occurrit juridico tantum sensu, quo *asserere aliquem manu* est prehendere et ad se trahere; et dicitur de cognatis vel iis qui dominium in aliquem sibi tribuebant, quique aliquem in libertatem ex servitute vindicabant, quia is, qui aliquem ex servo liberum facere volebat, eum manu prehensum ad se adjungebat manuque capiti ejus imposita liberum esse ajebat: qua de re V. *Varron.* 6. *L. L.* 64. p. 98. *Müll.* Occurrit autem *A*) hoc, quo diximus, juridico sensu; et *B*) extra jus generatim.

A) Juridico sensu ¶ 1. Occurrit de libertatis pronunciatione — *a*) Absolute *asserere aliquem liberali causâ manu*, vel *liberali manu*, vel *manu*, vel *asserere aliquem in liberali causa*, vel denique *asserere aliquem*. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 83. Manu eas asserat suas populares liberali causâ. *Id. ibid.* 5. 2. 142. Manuque liberali causâ ambas asseras, quasi filiæ tuæ sint ambæ. *Ter. Adelph.* 2. 1. 39. Neque vendendam censeo, quæ libera est, nam ego liberali illam assero causâ manu. Ubi *Donatus*: Ordo est: Ego, liberali causâ, manu assero: et sunt verba juris; a quibus etiam assertores dicuntur vindices libertatis. — *Plaut. Curc.* 5. 2. 68. Si quisquam hanc liberali asseruisset manu. — *Id. Pœn.* 5. 6. 11. Neminem venire, qui istam assereret manu. Huc refer illud ejusdem *Rud.* 4. 3. 33. Pisces cum capio, si quidem cepi, mei sunt; habeo pro meis: nec manu asseruntur, neque illinc partem quisquam postulat. *h. e.* nec quisquam est qui suos esse dicat et manu ad se trahat. *Forcellinus* huc referebat et loc. *Martial.* 1. 16. 8., quem infra § 3. invenies. *Plaut. Pers.* 1. 3. 83. Continuo tu illam a lenone asserito manu. — *Cic. Flacc.* 17. 40. Cum in causa liberali eum, qui asserebatur, cognatum suum esse diceret, non crediderunt. — *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 3. Scilicet asserui jam me fugique catenas. *alii leg.* rupique. *Quintil.* 4. 2. 45. Parasitus ter abdicatum a divite filium et absolutum tamquam suum filium asserit. *Sueton. Vesp.* 3. Ingenuam et civem Romanam – pronunciatam patre asserente. Adde *eumd. de illustr. Gramm.* 21. — *b*) Additis *in liberta-*

tem, in ingenuitatem, ingenuitati etc. *Varro* 6. *L. L.* 64. *p.* 98. *Müll.* Hinc asserere manu in libertatem, cum prendimus. *Liv.* 3. 45. In his, quæ asserantur in libertatem. *Sueton. Vitell.* 10. Quoscumque libuisset in libertatem asserebant. *Id. Aug.* 74. Excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem. *Ulp. Dig.* 47. 10. 11. § 9. Qui servus dicitur seque asserit in libertatem. *Masur. Sabin. ibid.* 40. 14. 2. § 1. Qui se ex libertinitate ingenuitati asserant. ¶ 2. Occurrit etiam de dominii seu proprietatis pronunciatione, sed hac tantum formula *asserere aliquem in servitutem*, hoc est in servitutem rapere. *Liv.* 3. 44. M. Claudio clienti negotium dedit (*Appius*) ut virginem in servitutem assereret. Adde *eumd.* 34. 18. et 35. 16. *Sueton. Tib.* 2. Claudius Appius virginem ingenuam – in servitutem asserere conatus.

B) Extra jus generatim est sibi arrogare, assumere. Hinc ¶ 1. Pro ad se adjungere, addicere, vindicare, suum facere. — *a*) Absolute. *Ovid.* 1. *Met.* 462. Tu face nescio quos esto contentus amores Irritare tuâ, nec laudes assere nostras. *Martial.* 1. 16. 9. Gaudia non remeant, sed fugitiva volant. Hæc utraque manu complexuque assere toto. — *b*) Cum Dativo, scilicet *asserere aliquem alicui loco vel rei*, et sæpius *asserere aliquid sibi vel alicui*. *Ovid.* 1. *Met.* 761. At tu – Ede notam tanti generis meque assere cœlo. *h. e.* meam originem e cœlo ductam palam fac, confirma. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Quin tu humiles et sordidas curas aliis mandas; et ipse te in alto isto pinguique secessu studiis asseris? *h. e.* addicis, das. *Curt.* 10. 10. 14. Asserere omnia ab altero data sibi. *Val. Max.* 8. 14. 4. totam sibi laudem alicujus rei. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (137). sibi cognomen Felicis. *Quintil.* 12. 1. 20. sibi nomen sapientis. *Id.* 9. 3. 64. Sed hæc adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint. *Sueton. Oth.* 9. Asserere sibi dominationem. *Id. Cal.* 22. sibi majestatem divinam ex aliqua re. *Justin.* 44. 3. Gallæci Græcam sibi originem asserunt. *Seneca Constant. sap.* 10. Hæc non nego sentire sapientem: nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus. *h. e.* assignamus, tribuimus. — *c*) Cum Accusativo appositionis. *Curt.* 8. 1. 42. Ad ultimum Jovis, quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens. — Et sine Dat. *Vellej.* 2. 60. 1. Sed asserebant salutaria reipubl. terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis. *Val. Max.* 4. 4. 4. Quos pericula reipubl. imperatores asserebant, angustiæ rei familiaris bubulcos fieri cogebant. ¶ 2. Item pro vindicare, tueri, defendere, veluti manu capiendo et tenendo. — *a*) Absolute. *Sueton. Cæs.* 16. In asserenda dignitate. *Id. Claud.* 10. Consules Capitolium occuparant, asserturi communem libertatem. *Quintil.* 6. 5. 8. Asserere libertatem reipubl. *Id. Declam.* 5. 6. aliquid in aliquo per mutuas auxiliorum vices. *h. e.* tueri et a calamitate vindicare. *V.* locum. *Flor.* 1. 11. Latini quoque Tarquinios asserebant. *Id.* 3. 16. Saturninus Gracchanas leges asserere non destitit. *Id. ibid.* 17. Asserere senatum. Et *ibid.* 20. Pudorem Romanum Crassus asseruit. *Lucan.* 3. 56. Asserere urbes. *Martial.* 14. 142. Hoc focale tuas asserat auriculas. *h. e.* foveat et audiendis malis carminibus liberet. *Id.* 11. 99. Non te cucullis asseret caput tectum. *h. e.* tutum a basiis non reddet. — *b*) Addito Ablat. rei, a qua aliquem tuemur, liberamus, eripimus. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Habe ante oculos mortalitatem, a qua asserere te hoc uno monimento potes. *Id.* 3. *ibid.* 5. Asserere aliquem ab injuria oblivionis. ¶ 3. Denique asserere ponitur pro aliquid tamquam verum affirmare, verum esse contendere, ideoque dicere, affirmare: hoc tamen sensu occurrit apud argenteæ et præcipue sequioris ætatis Scriptores. — *a*) Cum Accus. rei tantum. *Martial.* 10. 35. 5. Non hæc Colchidos asserit furorem, Diri prandia nec refert Thyestæ. *h. e.* non narrat et quodammodo approbat. — *b*) Cum Acc. et Infin. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (89). Epicharmius testium et genitalium malis hanc utilissime imponi asserit. *Sed dubia est lectio.* *Tac.* 2. *Ann.* 83. Asseruit Tiberius, solitum paremque ceteris (*clypeum*) dicaturum. *Seneca* 7. *Controv.* 1. *ad fin.* Quod Passienus non probabat, asserens minus verecundum esse etc. *Quintil. Declam.* 7. 6. Non vacat asserere quæ finxeris, cum vix prodest et verum fateri. *Pallad.* 2. *R. R.* 3. 3. Quæ terra si tunc aretur, asseritur per triennium sterilis fieri. Adde *Veget.* 1. *Veter.* 17. 4. et 5., et 5. *ibid.* 25. 1.; *Arnob.* 1. 32., *Aurel. Vict. Cæsar.* 21. aliosque. *V.* et *Assertum* infra. — NB. Afferri solent pro hac notione alia, etiam meliorum Scriptorum, exempla, ut *Cic.* 3. *Off.* 13. 55. Qui proscribunt villam (ut ipsi asserunt) bene ædificatam. Sed vetus editio sine loco et anno aliæque longe optimæ, inter quas *Orell.*, non habent, *ut ipsi asserunt*. Leguntur tamen in illa a. 1477. Huic addunt *Vet. Poetam* apud *eumdem* 2. *Orat.* 59., *Caton. in quodam fragm.*, *Varron.* 4. *L. L.* 10. edit. vet., *Plaut. Rud.* 3. 3. 3., *Cic.* 4. *Herenn.* 46., *Cæs.* 3. *B. C.* 15., *Justin.* 38. 2. et alios: quibus omnibus locis ita dubia est lectio, ut etiam probabilior ea videatur, quæ *assero* excludit: qua de re multa *Cellar.* et uterque *Borrich.*, qui miras hac de re lites excitarunt. — A Part. præter pass.

Assertum, *i*, n. 2. substantivorum more pro affirmatione seu confirmatione et probatione dixit *Capell.* 6. *p.* 195. Terram in medio mundi immobilem stare, multiplicibus monstratur assertis. *Id. ibid. p.* 96. Memorans hanc admodum sobriam a nullo posse, cum asserta protulerit, derideri.

ASSĔRO *vel* adsĕro, sĕris, sēvi, sĭtum, sĕrere, a. 3. (ad *et* sero, quo seminare significat). Part. *Adsitus*. — Est juxta sero (It. *seminare o piantare da presso*; Fr. *semer ou planter à côté*; Hisp. *sembrar ó plantar cerca*; Germ. *zu etwas hinzupflanzen*; Angl. *to sow, plant, sow near*). *Cato R. R.* 32. Arbores facito uti bene maritæ sint vitesque uti satis multæ asserantur. *Varro* 1. *R. R.* 26. Neque propter olus asserunt vites, quod hæc inter se inimica. *Id. ibid.* 16. 6. Vitis adsita ad olus. *Catull.* 61. 106. Adsitæ arbores. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 170. populus adsita certis limitibus. Adde *Dig.* 7. 1. 7. § 3. *Auct. Priap.* 52. 7. Non mala truncis asserenda Picenis. *Alii rectius leg.* inserenda.

ASSERTĬO *vel* adsertio, ōnis, f. 3. proprie est asserendi, sive adjungendi et annectendi actio, sed occurrit tantum

A) Significatione juridica et est actio qua quis servum in libertatem vindicat, liberum esse pronunciat, vindicatio in libertatem, καρπισμός, ut est in *Vet. Gloss.* Cf. *Priscian.* 18. *p.* 1208. *Putsch.* *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 72. Ideo nec assertionem denegandam iis, qui in libertatem vindicabuntur, puto. *Quintil.* 3. 6. 57. Sitne liber qui est in assertione. *Id.* 5. 2. 1. Aut cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis, et assertione secunda et partibus sextumviralium. *Assertio secunda*, quam memorat etiam 11. 1. 78., est judicium secundum, in quo de libertate alicujus agitur. Licebat enim in hujusmodi causis provocationem facere atque iterum judicio agere. *Sueton. Domit.* 8. Se perfusoriis assertionibus accommodare. Cf. *Fragm. Vatic. juris* § 324. et *Cod. Theod.* 4. 8. 8. et 6. 4. 16.

B) Extra jus, apud serioris ævi Scriptores est affirmatio. *Arnob.* 1. 32. Cum in eadem culpa sit et assertio talis rei et abnegatio refutatoris increduli. *Id.* 4. 21. O deorum assertio religiosa! *h. e.* ratio probandi deos esse. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 8. Singulorum judicium atque assertionem pertractantes, expugnabimus libris, quos de passionum causis scribemus. *Cod. Theod.* 16. 1. 3. Trinitatis ordo, personarum assertio. *Capell.* 2. p. 30. Atque assertio nostri. *h. e.* quam nobis vindicamus. *Id. ibid. p.* 43. *de sole.* Deus atque assertio divum. — *NB.* Ciceronem quoque afferunt quidam 1. *Acad.* (*post.*) 12. 45. et 3. *ibid.* 12.; sed ibi legendum est *assensio*.

ASSERTOR *vel* adsertor, ōris, m. 3. proprie est qui asserit, sive adjungit et annectit: sed occurrit

A) Juridico sensu. ¶ 1. Est qui aliquem ex servitute in libertatem asserit, vindex libertatis, ut ait *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 2. 1. 40. (*V.* ASSERO sub *A.* 1. *a.*). Et *Asconius* p. 63. 21. *Bait.* Cumque interim quemdam civem idem Metellus, servum suum esse contendens, vi arripuisset ac verberibus affecisset, Curio assertorem ei comparavit. Adde *Cajum* 4. *Instit.* 14., *Paul. Sent.* 5. 1. § 5., et *Cod.* 7. 17. 2. ¶ 2. Item qui in servitutem trahit. *Livius* 3. 44. et 45. appellat *assertorem puellæ* et *virginis* M. Claudium, qui Virginii filiam, quasi servam suam, repetebat.

B) Generatim extra jus ponitur pro liberatore, vindice, defensore. — *a*) Ita ut ad juridicum sensum allusio fiat. *Seneca Ep.* 13. Catoni gladium assertorem libertatis extorque. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 57. (160). Paullo ante Julium Vindicem assertorem illum a Nerone libertatis. *Sueton. Cæs.* 80. Populo detrectante dominationem atque assertores flagitante. *Martial.* 1. 53. 4. *de libellis suis.* Si de servitio gravi querantur, Assertor venias satisque præstes etc. Adde *Lucan.* 4. 214. et *Ovid. Remed. am.* 73. — *b*) Nulla ad juridicum sensum allusione facta. *Sueton. Tib.* 2. Claudios omnes assertores dignitatis ac potentiæ patriciorum semper fuisse. *Id. Galb.* 9. Assertorem humano generi ducemque se accommodare. *Quintil.* 1. 6. 39. Verba a vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed etc. *Martial.* 1. 25. Qui loquitur Curios assertoresque Camillos. *Tac.* 2. *Hist.* 61. Assertor Galliæ. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. Assertor quæstionis. *h. e.* qui de re, quæ ambigitur, perite et docte disputare et definire potest, et veritatis quodammodo assertor esse. *Hieronym.* in *Isaiam* 1. 16. *c.* 58. *v.* 6. Non ergo præcipit, ne exigat unusquisque quod debitum est, maxime quod juste dedit et juste repetit; alioquin tribuniciæ esset seditionis assertor. *h. e.* approbaret populi Romani seditionem, qua tribuni plebis facti sunt. *Id.* 1. *advers. Jovinian.* n. 48. Epicurus voluptatis assertor. *Eutrop.* 4. 16. Viriathus assertor contra Romanos Hispaniæ. *h. e.* vindex. *Cod. Theod.* 16. 6. 4. § 2. Dogmatis catholici assertor. In nummo Galbæ apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 298. Mars adsertor. In alio *ibid.* Hercules adsertor.

ASSERTŌRĬUS *vel* adsertorius, a, um, adject. ad assertionem juridicam pertinens, ut *assertoriæ lites* apud *Imp. Justinian. Cod.* 7. 17. 1., *h. e.* in quibus de asserenda alicujus libertate agitur.

ASSERTUM *vel* adsertum, i, et ASSERTUS *vel* adsertus, a, um. } *V.* ASSERO primo loco.

ASSERVĀTUS *vel* adservatus, a, um. *V.* ASSERVO.

ASSERVĬO *vel* adservio, servis, servire, n. 4. (ad *et* servio). Occurrit translate, et est opitulari, auxilium afferre. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 56. Quid? qui volunt exclamare majus – toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis asserviunt. V. *Klotz* ad h. l. in additionibus, *Leipzig* 1843. p. 107.

ASSERVO *vel* adservo, servas, servāvi, servātum, servare, a. 1. (ad *et* servo). Part. *Asservatus* 1. et 2., *Asservandus* 3. — Asservo est idem quod servo, custodio; nisi quod *ad* auget significationem (It. *tener chiuso, guardare, custodire*; Fr. *observer, garder de près, surveiller*; Hisp. *guardar, conservar*; Germ. *aufbewahren, aufheben*; Angl. *to take care of, watch over, keep*). ¶ 1. Stricto sensu ponitur de corporali custodia, quâ personas aliquo in loco servamus ac ne abeant detinemus. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 28. Asservare aliquem vinctum domi. *Ter. Andr.* 5. 2. 24. et *Cic.* apud *Quintil.* 5. 3. 28. aliquem vinctum. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 19. Ut domi meæ te asservarem, rogasti. *Id.* 5. *Verr.* 22. 55. Imperat, dum res judicetur, hominem ut asservent. *Id.* 7. *ibid.* 30. 77. Asservare aliquem liberis custodiis. *Liv.* 8. 20. aliquem in carcere. *Id.* 40. 23. aliquem dissimulanter. *Curt.* 5. 1. 4. captivos diligenti custodia. ¶ 2. Item stricto sensu ponitur de rebus inanimis, quas aliquo modo incorruptas servamus, conservamus. *Plaut. Merc.* 2. 2. 75. Asservare aliquid. *Cic. Arch.* 5. 9. Cum Appii tabulæ negligentius asservatæ dicerentur. *Liv.* 5. 40. Sacra fideli custodiâ asservat locus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 16. (75). Asservare corpora mortuorum in conditorio. *Id. ibid.* 56. 57. (198). ignem in ferula. *Id.* 9. *ibid.* 15. 18. (48). thynnos sale. *Id. ibid.* 25. 41. (80). Piscis in sale asservatus. ¶ 3. Latiori sensu est observare, speculari, oculis custodire; et occurrit — *a*) De personis. *Plaut. Capt.* 1. 2. 5. Sinito ambulare, si foris, si intus volent (*captivi*); sed uti asserventur magna diligentia. *h. e.* dummodo intentis oculis observentur. *Id. Rud.* 3. 4. 72. Hunc quoque asserva ipsum, ne quo abitat. *Ter. Heaut.* 3. 3. 32. Atqui nunc, here, hic tibi asservandus est. *Cic.* 10. *Att.* 16. 2. Consilium nostrum spero vacuum periculo fore. Nam et dissimulabimus (etsi, ut opinor, acerrime asservabimur), et quæ quidem consilio provideri poterunt, cavebuntur. *Schützius* ita legit pro *asservabimus*, quod locum obscurabat. *Id. ibid.* 18. 1. Mirificæ tranquillitates – majori impedimento fuerunt, quam custodiæ, quibus asservor. *Catull.* 17. 16. Et puella tenellulo delicatior hædo, Asservanda nigerrimis diligentius uvis. — *b*) De rebus inanimis. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Asservare portas murosque. *Curt.* 9. 7. 2. Arce, quæ quasi negligentius asservata erat, occupata. — *c*) Figurate *Cic. Cæcin.* 27. 73. Quod (*jus*) si non modo oppressum, sed etiam desertum aut negligentius asservatum erit.

ASSESSIO *vel* adsessio, ōnis, f. 3. actus assidendi seu sedendi et commorandi apud aliquem. — *a)* Generatim. *Cic.* 11. *Fam.* 27. 4. Oblitum ne me putas, qua celeritate ad me Tarento advolaris? quæ tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miseriarum metu? — *b)* Speciatim in jure est assessoris officium. *Cod.* 1. 51. 14. *pr.* § 1.

ASSESSOR *vel* adsessor, ōris, m. 3. proprie est qui assidet, sive qui juxta alium sedet. — *a)* Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 95. Lacedæmonii regibus suis augurem assessorem dederunt. — *b)* Speciatim in jure est qui ab habente judicandi potestatem assumitur in consilium, ut sibi in causarum cognitione, in libellis, edictis, decretis, epistolis assideat et laborum partem sustineat. *Seneca Tranquill. anim.* 3. *ante med.* An ille plus præstat, qui – prætor urbanus adeuntibus assessoris verba pronunciat? *Sueton. Galb.* 14. Cornelius Laco ex assessore præfectus prætorii. Adde *Dig. l.* 1. *t.* 22. qui est *De officio assessoris*, et *Cod. Theod.* 1. 12. Videsis et *Pauly's Real-Encycl. T.* 1. *p.* 872.

ASSESSŌRIUS *vel* adsessorius, a, um, adject. ad assessorem pertinens, sed speciatim tantum in jure. *Ulp. Dig.* 47. 10. 5. § 8. Sabinus in assessorio ait etc. h. e. in libro De officio assessoris. *Ibid.* 2. 14. 12. Puteolanus lib. I. assessoriorum scribit etc.

ASSESSŪRA *vel* adsessura, æ f. 1. officium assessoris. *Ulp. Dig.* 50. 14. 3. *pr.*

ASSESSUS *vel* adsessus, a, um. *V.* ASSIDEO.

ASSESSUS *vel* adsessus, us, m. 4. actus assidendi, sive juxta aliquem sedendi. *Propert.* 4. 11. 49. Quamlibet (*alii leg.* Quam libet) austeras de me ferat urna tabellas: Turpior assessu non erit ulla meo. *h. e.* nulli feminæ, quicum assidere mihi concessum fuerit, dedecori ero.

ASSESTRIX *vel* adsestrix, īcis, f. 3. quæ assidet. *Afranius* apud *Non. p.* 73. 29. *Merc.* Dimittit assestricem, me ad sese vocat. Adde *eumd. Non. p.* 150. 29. *Merc.* Est autem *assestrix* eadem quæ obstetrix, quia puerperæ assidet. Ita interpretatur *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron. p. m.* 78.; at *Bothe* in *Fragment. poet. scæn. p.* 173. *conciliatricem* intelligit. *Vulgat. Interpr. Sap.* 9. 4. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. In textu Græco legitur πάρεδρον, ut suspicari liceat, hic *assistricem* esse pro *assestricem*.

ASSEVĒRANTER *vel* adseveranter, adverb. Comp. *Asseverantius.* — Est cum asseveratione, affirmate, scilicet non per jocum, sed severe et ex animo (It. *seriamente, asseverantemente*; Fr. *très-sérieusement, positivement*; Hisp. *seriamente, positivamente*; Germ. *ernstlich, mit ernstlicher Betheuerung*; Angl. *positively, confidently, assuredly*). *Cic.* 15. *Att.* 19. 2. Statius scripsit ad me, locutum secum esse Q. Ciceronem valde asseveranter, se hæc ferre non posse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 61. Hæc Antonius fere et Alexandriæ tum, et multis annis post, multo etiam asseverantius in Syria etc.

ASSEVĒRĀTĒ *vel* adseverate, adverb. Idem quod asseveranter. *Gell.* 7. 5. Polus histrio tragœdias poetarum nobilium scite atque asseverate actitavit. *h. e.* eleganter, audacter ac fidenter, quod est illorum, qui ea, quæ recitant, probe intelligunt et ex animo pronunciant. *Apul. de Mag.* 25. Alicui crimina asseverate objectare.

ASSEVĒRĀTĬO *vel* adseveratio, ōnis, f. 3. actus asseverandi, scilicet ¶ 1. Est severitatis species. *Tac.* 4. *Ann.* 19. Igitur multa asseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul, aut illud respublica esset, coguntur patres. *h. e.* multam severitatem præferendo. *Id.* 2. *ibid.* 31. Asseveratione eadem peragere accusationem. *Id.* 4. *ibid.* 12. Magna asseveratione uti. *Id.* 6. *ibid.* 2. Asseveratione multa censere. *Fronto Laud. fum.* Summa in hoc genere orationis virtus est asseveratio. ¶ 2. Speciatim, cum de sermone agitur, asseveratio est affirmatio severa, quæ scilicet ex animo fit. *Cic.* 13. *Att.* 23. 3. Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, majori offensioni esse – possessiunculas meas. *Id.* 4. *Herenn.* 3. 4. Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione. *Quintil.* 4. 2. 94. Cum – quorumdam probatio sola sit in asseveratione et constantia. *Id.* 11. 3. 2. Nulla probatio tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis, *h. e.* acri confidentique pronunciatione, cujusmodi est illorum, qui dicunt ex animo. *Plin. Paneg.* 67. Quæ enim illa gravitas sententiarum, quam inaffectata veritas verborum, quæ asseveratio in voce, quæ affirmatio in vultu! *Tac.* 4. *Ann.* 52. Secuta asseveratione Cæsaris, qua suo jure disertum eum appellavit. — Cum Accus. et Infinito. *Id. Tac.* 4. *Ann.* 15. Adeo ut procurator Asiæ – causam dixerit, magna cum asseveratione principis, non se jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse. ¶ 3. Item speciatim a Grammaticis quibusdam dicta est *asseveratio* particula orationis exprimens vehementem affectum et intentionem, atque adeo affirmationem dicentis, ut *heu* vel *eheu*. *Quintil.* 1. 4. 20. Adjiciebant et asseverationem, ut *heu*.

ASSEVĒRO *vel* adsevero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*ad et severus*). Part. *Asseverans* 2. c. — ¶ 1. Proprie est severum reddere. Apud *Apul.* non semel hoc sensu reperitur. Nam *asseverare frontem* dixit 3. et 8. *Met.*, hoc est caperare, ad severitatem componere. ¶ 2. Speciatim in agendo et loquendo est constanter serioque agere et affirmare, eique *jocari* opponitur. — *a)* Absolute. *Cic. Brut.* 85. 293. Bella ironia, si jocaremur; sin asseveramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium diceremus. Passive impersonaliter *Id.* 4. *Verr.* 10. 26. Quæ est ista defensio? Utrum asseveratur in hoc, an tentatur? *Quintil.* 9. 3. 59. Nisi quod frequentius asseverat, quam eludit. — *b)* Cum Ablat. et præp. *de*. *Cic. Brut.* 57. 208. Quemadmodum adversarius de quaque re asseveret. *Id. Orat.* 71. 208. Neque hoc meum judicium, de quo tantopere hoc libro asseveravi, umquam affirmabo esse verius etc. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 25. — *c)* Cum Accus. rei, quæ serio affirmatur. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 163. Sed iidem homines numquam dicunt, quamquam appositum est ampliter: Jube illud demi; tolle hanc patinam; remove pernam –: neminem eorum hæc asseverare audias. *h. e.* serio dicere et, velle se, ostendere. *Cic.* 10. *Att.* 14. 3. Unum illud firmissime asseverabat – in exilium se iturum. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 3. Illud – ipse non expertus asseverare non audet. *Tac.* 14. *Ann.* 16. Ut contraria asseverantium discordiæ eruerentur. *Id.* 3. *Hist.* 22. Ordinem agminis disjecti per iram ac tenebras asseverare non ausim. *h. e.* affirmate dicere, qualis fuerit ordo agminis. — Hinc ponitur et de iis, quæ non verbis, sed re ipsa serio affirmamus atque ostendimus. *Tac.* 13. *Ann.* 18. Nec defuere qui arguerent viros gravitatem asseverantes. *h. e.* affectantes, ostentantes, præ se ferentes. *Id. Agric.* 11. Namque rutilæ – comæ, magni artus Germanicam originem asseverant. *h. e.* confirmant. *Forcellinus* hunc locum singulari paragr. distinxit. — *d)* Cum Accus. et Infinito. *Cic. Cluent.* 26. 72. Pulcre asseverat se ab Oppianico destitutum. Adde 4. *Verr.* 25. 61.; *Colum.* 5. *R. R.* 1. 1.; *Plin.* 12. *Hist. nat.* 18. 41. (183).; *Sueton. Vesp.* 5.; *Tac.* 4. *Ann.* 55. et 4. *Hist.* 49., aliusque.

ASSĪBĬLO *vel* adsibilo, as, are, 1. (*ad et sibilo*) per vicem alicui sibilare (It. *sibilare*; Fr. *adresser des sifflements à, répondre en sifflant*; Hisp. *silbar, chiflar hácia*; Germ. *zuzischen*; Angl. *to hiss, hiss at, whistle*). Occurrit autem

A) Neutrorum more. — *a)* Absolute. *Auson. Mosell.* 258. Aura crepat motoque assibilat aere ventus. — *b)* Cum Dat. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 68. Et platani platanis alnoque assibilat alnus. Adde *eumd. II. Rapt. Pros.* 225.

B) Active. *Stat.* 5. *Theb.* 578. Implorantem animam dominis assibilat aris (*serpens*).

ASSICCĀTUS *vel* adsiccatus, a, um. *V.* ASSICCO.

ASSICCESCO *vel* adsiccesco, is, ere, n. 3. (*ad et siccesco*) simul vel prorsus siccesco. *Colum.* 12. *R. R.* 9. 1. Caules – expressos in cratibus pandere, dum assiccescant. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 9. 18., variant. tamen lect.

ASSICCO *vel* adsicco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*ad et sicco*). Part. *Assiccatus.* — Est idem quod sicco, vel probe sicco; nam *ad* vim verbo addit. *Seneca Ep.* 85. Repetitur et per assiccata viscera recens dimittitur sanguis. *Id. Consol. ad Polyb.* 26. Assiccare lacrimas. *Colum.* 12. *R. R.* 15. 5. Tum rursus in sole assiccant (*ficus*), et ita in vasis recondunt. *Id. ibid.* 16. 3. Uvam passam foliis ficulneis involvere et assiccare. Et *ibid.* 15. 5. Assiccare aliquid in sole. *Id. Arbor.* 28. 4. Semen in umbra assiccare. *Id.* 1. *ibid.* 6. 22. Plurimum refert non assiccato succo flatum vires continere. *Id.* 12. *ibid.* 9. 2. Faseoli assiccati. *Id.* 4. *ibid.* 19. 2. Qui (*venti*) nebulam et rorem pestiferum celeriter assiccant.

ASSĬCŬLUS, i. *V.* AXICULUS.

ASSĪDĀRIUS. *V.* ESSEDARIUS.

ASSIDELÆ mensæ vocantur, ad quas sedentes flamines sacra faciunt. *Paul. Diac. p.* 19. 12. *Müll.*

ASSĬDĔO *vel* adsideo, sides, sēdi, sessum, sidere, n. 2. (*ad et sedeo*). Juxta *Forcellinum* in Præterito et Supino *assideo* frequentius in usu est, quam *assido*: quidam recentiores aliter putant. Nos omnia præterita huc retulimus. — Part. *Assidens* I. 1.; *Assessus* I. 4. — Assideo est prope sedeo, juxta aliquem sedendo moror (It. *sedere appresso*; Fr. *être assis auprès*; Hisp. *asentarse junto*; Germ. *bei einer Person oder Sache sitzen oder sitzend sich aufhalten*; Angl. *to sit, sit downe, sit near or by the side of*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit modo absolute, modo addito termino, quem prope assidemus. *Plaut. Rud.* 2. 6. 43. Ut fortunati sunt fabri ferrarii, qui apud carbones assident, semper calent. *Id. Bacch.* 3. 3. 28. Assidere in sella. *Cic. Brut.* 55. 200. Intelligens dicendi existimator non assidens et attente audiens, sed uno aspectu et præteriens de oratore sæpe judicat. *Id. Rosc. Am.* 22. 60. Peroravit aliquando: assedit; surrexi ego. *Id.* 2. *Divinat.* 3. 8. Tum in bibliotheca, quæ in Lyceo est, assedimus. *Id.* 1. *Orat.* 22. 102. Assidere in schola. *Id.* 2. *Fin.* 18. 59. Si scieris – aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam assidere. *Sall. Jug.* 11. Sed Hiempsal – dexterâ Adherbalem assedit. *Liv.* 9. 46. Consensu nobilium adolescentium, qui ibi assidebant. *Horat. Epod.* 5. 92. Nocturnus occurram furor – Et inquietis assidens præcordiis Pavore somnos auferam. *Ovid.* 3. *Fast.* 45. Assidet inde Jovi, Jovis est fidissima custos (*majestas*). *Curt.* 10. 5. 20. Assidebat ei altera ex neptibus. *Sueton. Aug.* 64. Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto (*nepotes*) assiderent. *Id. Ner.* 53. Assidere humi. *Quintil.* 8. 4. 21. Senes et prudentissimi et Priamo assidentes. *Aurel. Vict. Cæsar.* 10. Se utrumque assidere jussit. *h. e.* apud se sedere. ¶ 2. Speciatim *assidere* vel *assidere alicui* est adesse, officii, custodiæ, auxilii consiliive causa adsistere, præsto esse. Occurrit — *a)* De iis qui ægris operam præstant interdum absolute, sæpius cum Dat., raro cum Accus. — Absolute. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 81. Si – alius casus lecto te affixit, habes qui Assideat, fomenta paret, medicum roget etc. *Propert.* 4. 3. 41. Assidet una soror. *Tac. Agric.* 45. Assidente amantissima uxore. — Cum Dat. *Liv.* 21. 53. Hæc assidens ægro collegæ, hæc in prætorio concionabundus agere. *Ovid. Heroid.* 20. 137. Ille manus castas effingit et assidet ægræ. *Curt.* 10. 6. 17. Neque enim unum assedisse morienti. Adde *eumd.* 9. 8. 25. *Seneca Ep.* 9. Non ad hoc –, ut habeat qui sibi ægro assideat –, sed ut habeat aliquem, cui ipse ægro assideat. Adde *eumd.* 4. *Controv.* 25. *Plin.* 7. *Ep.* 19. Angit me Fanniæ valetudo. Contraxit hanc dum assidet Juniæ Virgini. *Tac. Agric.* 45. Mihi filiæque auget mœstitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem – non contigit. Adde *eumd.* 6. *Ann.* 20. — Cum Accus. *Apul.* 8. *Met.* 11. Quasi parentem assideret ægrotum. Adde 1. *ibid.* 22. — *b)* Item de iis, qui præsto sunt ad auxilium et tutamen in periculis. Ad rem *Horat. Epod.* 1. 19. Ut assidens implumibus pullis avis Serpentum allapsus timet. *Cic.* 7. *Verr.* 43. 111. Morte propositâ cum lacrimans in carcere mater noctes diesque assideret. *h. e.* sedendo moneret. *Id. Planc.* 11. 28. Qui (*principes civitatum Macedoniæ*) – hujus repentino periculo commoti huic assident, pro hoc laborant. — *c)* Item de iis, qui alicui in fungendo officio inservit. *Cic. Pis.* 32. 80. Cum (*Cn. Pompejus*) – P. Lentulo consuli auctori salutis meæ frequens assideret. — *d)* Hinc ponitur pro fungi officio assessoris. Ad rem *Sueton. Tib.* 33. Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se (*Tiberius*) offerebat consiliarium assidebatque juxtim vel ex adverso. *Tac.* 1. *Ann.* 75. Judiciis assidere. *Assidere* absolute eodem sensu usurpatum legitur a *Tac.* 2. *Ann.* 57., et a *Paul.*, *Marcian.*, *Papin.* *JCtis* in *Dig.* 1. 22. 1., 2., 3., 4., 6. et alibi. ¶ 3. Item speciatim *assidere alicui rei* est assiduum esse in re aliqua, ei operam dare. *Seneca Ep.* 72. Omnia alia negligenda sunt, ut huic (*philosophiæ*) assideamus, cui nullum tempus satis magnum est. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *ad fin.* Assidere totâ vitâ litteris. *Id. Paneg.* 81. gubernaculis. ¶ 4. Usurpatur etiam de diuturna exercitus aliquo in loco mansione, ac præcipue pro obsidere. — *a)* De diuturna exercitus

aliquo in loco mansione. Tac. 3. Hist. 35. Ceterum assidere sepultæ urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit. Adde eumd. 13. Ann. 24. et 25. — b) Pro obsidere occurrit absolute, cum Dat., aut cum Accus. — Absolute. Liv. 26. 20. Sed assidendo diutius artiorem annonam sociis, quam hosti faciebat. Tac. 2. Hist. 22. Ne irrisus ac sanus isdem castris assideret. — Cum Dativo. Liv. 23. 19. Gracchus assidens tantum Casilino – nihil movebat. Id. 21. 25. Intactis muris assidere. Curt. 4. 3. 1. Ne segniter assideri uni urbi videretur. Plin. Paneg. 12. An audeant? qui sciant te assedisse ferocissimis populis etc.? h. e. castris prope positis eos compressisse. Virg. Cir. 268. Ille, vides, nostris qui mœnibus assidet hostis? — Cum Accus. etiam passive. Sall. apud Priscian. 8. p. 830. Putsch. Amisumque assidere sine prœliis audiebat. Virg. 11. Æn. 304. cum muros assidet hostis. Tac. 6. Ann. 43. Assidere castellum. Gell. 7. 1. Assidebat oppugnabatque oppidum. Val. Flacc. 5. 536. tempore – quo me gravis assidet hostis. Sil. It. 12. 453. Assessos Capuæ muros. h. e. obsidione cinctos. Al leg. obsessos: sed nihil mutandum. Id. 9. 623. ut qui castella per altos Oppugnat munita locos atque assidet arces. Quidam leg. obsidet: Heins. vero et alii assidet acriter tuentur ex MSS. et quibusdam etiam editis libris. — Forcellinus addebat et Liv. 26. 22. Vix dum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses assederint prope mœnia Romana. Alii tamen aliter legunt.

II.) Translate. Horat. 1. Ep. 5. 13. Parcus ob heredis curam nimiumque severus Assidet insano. h. e. insano est similis, perinde ac in eodem gradu vel ordine sederet.

ASSĪDO vel adsido, sīdis, sēdi, sessum, sidere, n. 3. idem omnino quod Assideo et ejusdem usus: nisi quod in Præterito et Supino assideo, juxta Forcellinum, frequentius in usu est, ut in Assideo sub init. diximus. Occurrit autem modo absolute, modo addito termino in quo quis assidet. Plaut. Stich. 1. 2. 35. Asside hic pater. AN. Non sedeo istic: vos sedete. Forcellinus legebat asside; sed rectius asside legendum. Id. Rud. 3. 3. 26. Assidite hic in ara. Id. Bacch. 3. 3. 28. In sella apud magistrum assideres. Ter. Heaut. 1. 1. 72. Assido: occurrunt servi, soccos detrahunt. Cato R. R. 157. 11. Eo mulier assidat. Varro 3. R. R. 16. 6. Nulla apum assidit in loco inquinato. Adde eumd. 3. ibid. 5. 3. Cic. 1. Acad. (post.) 4. 14. Et simul assidamus, inquam, si videtur.

ASSĬDŬĒ vel adsidue, adverb. (assiduus). Sup. Assiduissime. — Est idem ac continenter, non intermisse, sæpissime, usque (It. assiduamente, costantemente, sempre; Fr. assidûment, continuellement; Hisp. continuamente, incesablemente; Germ. fortwahrend, beständig, fleissig, immer, sehr oft; Angl. constantly, perpetually, assiduously). Ter. Adelph. prol. 6. Homines nobiles eum adjutare assidueque una scribere. Id. Heaut. prol. 29. Assidue aliquid agere. Id. Hec. 2. 1. 20. Assidue esse alicubi. Id. ibid. 3. 1. 53. exedere aliquem. Cic. 1. Divinat. 34. 74. Gallos gallinaceos sic assidue cantare cœpisse, ut nihil intermitterent. Id. 5. Fam. 15. Litteræ, quibus assidue utor. Id. Mil. 34. 93. Assidue audire aliquid. Id. 4. Herenn. 56. 69. Frequenter et assidue consequi aliquid. Id. Brut. 91. 316. Assiduissime mecum fuit Dionysius. Senatusconsultum apud Frontin. Aquæduct. p. 104. VT SALIENTES PVBLICI QVAM ASSIDVISSIME AQVAM IN VSVM POPVLI FVNDERENT. Id. apud eumd. ibid. p. 252. SALIENTES (aquæ) ASSIDVISSIME INTERDIV ET NOCTV. Q. Cic. Petit. cons. 13. 50. Assidue ac diligenter petere. Virg. 2. Ecl. 4. Assidue veniebat. Plin. 24. Hist. nat. 1. 1. (3). Innumera præterea alia, quæ suis locis dicentur assidue. h. e. diligenter et pluribus verbis. Id. 11. ibid. 53. 115. (277). Assidue recens. h. e. semper. Sueton. Aug. 74. Assidue convivari. Id. ibid. 91. frequentare ædem. Id. Cal. 52. gestare aliquem ornatum. Inscript. apud Gruter. 950. 8. deflere aliquem.

ASSĬDŬĬTAS vel adsiduitas, ātis, f. 3. (assiduus) est frequens præsentia, adeoque perseverantia et diligentia continua in re aliqua. Occurrit ¶ 1. De personis: et — a) Speciatim dicitur de frequenti præsentia ejus, qui aliquem honoris et officii causa assectatur, eique frequens assidet, ut asseclæ et clientes solent: item amicorum, qui candidatos in petitionibus comitantur iisque præsentia sua favorem conciliant. Cic. Planc. 11. 27. Qualem hunc putent, assiduitate testimonioque declarant. Adde eumd. Sext. 3. 6. Id. Dejot. 15. 42. Præbere assiduitatem alicui. Id. 1. ad Q. fr. 3. 8. Summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana aliquem insidiosissime tractare. Q. Cic. Petit. cons. 1. 3. Quotidiana amicorum assiduitas et frequentia. Id. ibid. 13. 50. Hominum nobilium voluntas, adolescentulorum frequentia, eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipiis multitudo eorum, quos tua causa venisse appareat. Sueton. Tib. 10. Ut vitato assiduitatis fastidio auctoritatem absentia tueretur. — b) Item de eo, qui magistratus honoresve petiturus quotidie in foro comparet, et ob oculos versatur nullique officio deest. Cic. Mur. 9. 21. Assiduitatis et operarum harum quotidianarum putat esse consulatum. – Primum ista nostra assiduitas – nescis quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. Id. 3. Verr. 39. 101. Nisi forte dubium est, quomodo iste prætor factus sit: homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione præclara, aut denique, id quod levissimum est, assiduitate. Id. Planc. 27. 67. Assiduitate valere. Q. Cic. Petit. cons. 11. 41. Dicendum de illa altera petitionis parte, quæ in populari ratione versatur: ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem. V. quæ ibi paullo post sequuntur. — c) Item de perseverantia et diligentia continua, qua quis in officio suo versatur. Cic. 12. Att. 32. 2. Medici assiduitas, et tota domus in omni genere diligens. Id. 2. ibid. 13. 4. Terentiæ pergrata est assiduitas tua et diligentia in controversia Mulviana. Id. 7. Fam. 6. 1. Assiduitate et virtute consequi aliquid. Id. Rosc. Am. 51. 149. Assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perficere aliquid. Id. 1. Fin. 15. 49. Nec patientia, nec assiduitas, nec vigiliæ, nec industria, nec fortitudo. Quidam, inter quos et Forcellinus, legebant assiduitates. ¶ 2. Ponitur et de actibus, et est eorumdem perseverantia, frequentia, crebra repetitio. Cic. 2. Nat. D. 38. 96. Sed assiduitate quotidiana et consuetudine oculorum assuescunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident. Id. 1. Acad. (post.) 5. 20. Assiduitas exercitationis. Id. 16. Att. 5. 2. Commutatus est totus et scriptis meis quibusdam, et assiduitate orationis, et præceptis. Id. 1. Invent. 3. 4. Assiduitas dicendi. Id. 2. Off. 21. 74. Assiduitas bellorum. h. e. frequentia. Id. Rosc. Am. 53. 154. molestiarum. Id. 16. Fam. 25. epistolarum. Id. 4. Herenn. 12. 18. Vitare ejusdem verbi assiduitatem nimiam. h. e. crebram repetitionem. Sueton. Aug. 43. Assiduitas spectaculorum. Tac. Dial. de orat. 5. contubernii. Cod. Theod. 7. 1. 3. laborum.

ASSĬDŬO vel adsiduo, as, āvi, ātum, are, a. 1. assidue ac diligenter facere. Vulgat. Interpr. Eccli. 30. 1. (item Vulgat. Ital. ed. Mai. ibid.). Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.

ASSĬDŬŌ vel adsiduo, adverb. idem quod assidue. Plaut. Mil. glor. 1. 1. 50. Dum talem facies, qualem adhuc, assiduo edes. Id. Truc. 2. 4. 67. Postidea ego tota tecum usque ero assiduo. Id. Cist. 1. 3. 37. Assiduo alicui rei operam dare. Id. Most. 4. 2. 60. perpotare. Plin. 26. Hist. nat. 3. 8. (16). quærere aliquid. Dig. 40. 4. 44. adesse.

ASSĬDŬUS vel adsiduus, a, um, adject. Comp. Assiduior sub A. 1.; Sup. Assiduissimus sub A. 2. Est A) qui jugiter adest alicui rei, et B) locuples.

A) Assiduus est qui adest alicui rei, frequens, diligens: et ab assum vel adsum derivat Varro 7. L. L. 99. p. 158. Müll. Itaque qui adest assiduus. Rectius tamen ab assideo deducit Paul. Diac. p. 9. 9. Müll. Assiduus dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. (It. assiduo, continuo, incessabile; Fr. qui est ou se tient continuellement quelque part, assidu, permanent, constant; Hisp. asiduo, continuo; Germ. der irgendwo festsitzt und fleissig da ist; beständig ist oder verweilt; Angl. assiduous, continual, incessant, unceasing, unremitting). ¶ 1. Ponitur de hominibus aliisque animalibus. — a) Generatim. Cato R. R. 144. Assiduos homines L præbeto, II partes strictorum præbeto. Plaut. Trin. 1. 2. 165. scurras definit urbanos assiduos cives, intelligens eos, qui per fora urbis assidue vagantur, omnia otiosorum hominum conciliabula frequentant, omnium sermonibus assunt, et sese immiscent, vera et falsa excipientes narrantesque. Cic. Rosc. Am. 7. 18. Cum hic assiduus in prædiis esset. Id. ibid. 18. 51. Ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum rure assiduus semper vixerit. Id. 2. Orat. 39. 162. Ego autem, si quem nunc plane rudem instituí ad dicendum velim, his potius tradam (magistris) assiduis uno opere eamdem incudem diem noctemque tundentibus. Id. 4. Att. 8. B. § 3. Audivi, Romæ esse hominem, et fuisse assiduum. Id. Cæl. 4. 10. Fuit assiduus mecum prætore me. Id. Cæcin. 22. 63. Homines assidui ac domestici. Id. Rosc. Am. 24. 67. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ. Id. ibid. 16. 47. Assidui agricolæ. Id. Brut. 5. 18. Flagitator non ille quidem molestus, sed assiduus tamen et acer. Id. 1. Verr. 12. 36. Assiduus accusator. Id. Senect. 16. 56. Bonus et assiduus dominus. Varro 2. R. R. 9. 16. Villatico gregi satis esse duo (canes), marem et feminam; ita enim sunt assiduiores. Id. 2. ibid. 10. 6. Quæ (mulieres) – cibaria pastoribus expediant eosque assiduiores faciant. Liv. 34. 9. Cujus (portæ) assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat. Id. 1. 20. Flamen Jovi assiduus. Id. 2. 48. Vejens hostis assiduus magis, quam gravis. Propert. 2. 9. 16. Assiduusque meo sanguine bella gerit. h. e. assidue. Ovid. 6. Met. 219. Planus erat – campus Assiduis pulsatus equis. Vellej. 1. 9. 6. Quam sit assidua eminentis fortunæ comes invidia –, etiam hoc colligi potest. Quintil. 1. 3. 14. Si assiduus studiorum exactor astiterit. Sueton. Tib. 11. Cum circa scholas – assiduus esset. Pallad. 1. R. R. 29. 3. Allio rostra phasianorum debebis assiduus perfricare. — b) Speciatim assidui dicuntur, qui candidatis assunt officii causa eisque assectatione sua favorem conciliant. Q. Cic. Petit. cons. 9. 37. Qui per ætatem ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint. V. ASSIDUITAS 1. b. ¶ 2. Ponitur et de actibus, qui summa perseverantia et crebra repetitione fiunt. Plaut. Asin. 2. 1. 22. Quia triduo hoc unum modo foro operam assiduam dedi absens. Adde Varron. 7. L. L. 99. Müll. et Lucret. 4. 971. Cic. 13. Att. 16. 1. Ita magnos et assiduos imbres habebamus. Adde Lucret. 5. 342. Id. 3. Orat. 15. 58. Labor assiduus et quotidianus. Adde Martial. Spectac. 1. Cic. 1. Orat. 33. 150. Assidua ac diligens scriptura. Id. 3. Verr. 39. 101. Assidua commemoratio. Id. 13. Att. 12. 3. cursus. Id. Cluent. 6. 16. et Dom. 23. 59. fletus. Id. Planc. 8. 21. frequentia. Id. 4. Fam. 7. lacrimæ. Id. 1. Fin. 12. 41. recordatio. Id. Pis. 26. 64. Quotidiana, assidua urbanaque vita. Plancus apud Cic. 10. Fam. 21. 7. Qui ex labore in febriculam incidit assiduam et satis molestam. Nepos Hamilc. 4. 3. Namque Hannibal – assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut etc. Liv. 1. 49. Duo assidua bella insequens annus habuisset. Id. 4. 25. Assiduæ conciones. Id. 1. 21. deorum cura. Lucret. 1. 993. assiduo motu res quæque geruntur. Adde Ovid. 15. Met. 179. Virg. 2. G. 149. Hic ver assiduum atque alienis mensibus æstas. Id. 7. Æn. 12. Assiduus cantus. Id. 9. ibid. 245. venatus. Horat. Epod. 15. 13. Non feret assiduas potiori te dare noctes. Tibull. 1. 1. 6. Dum meus assiduo luceat igne focus. Propert. 3. 9. 56. assiduo lingua sepulta mero. Id. 2. 16. 11. Assidua libido. Id. 1. 19. 24. ruinæ. Id. 2. 1. 68. aqua. Ovid. 2. Met. 70. assidua rapitur vertigine cælum. Id. 1. ibid. 66. contraria tellus Nubibus assiduis pluvioque madescit ab Austro. Id. 3. Trist. 2. 28. Assiduum frigus. Id. 1. Pont. 4. 14. fructus. Id. 2. Met. 486. gemitus. Vellej. 2. 109. 2. Assiduis adversus finitimos bellis exercendo majori – operi præparabat. Quintil. 10. 5. 14. Assidua contentionum asperitate. Id. 1. 1. 13. Assidua consuetudo. Id. 2. 13. 15. lectio. Id. ibid. § 25. studium. Sueton. Aug. 71. Vasa aurea assiduissimi usus. Id. Vesp. 8. Assiduus barbarorum incursus. Id. Claud. 18. sterilitates. Plin. 15. Hist. nat. 21. 23. (85). Sorborum genus assiduum proventu. h. e. semper ubertim proveniens. Tac. 5. Hist. 11. Assidua damna. Id. Agric. 43. adulationes. Id. Dial. de orat. 38. tranquillitas. Juvenal. 5. 96. Retibus assiduis penitus scrutante macello. Claudian. Cons. Mall. et Theod. 58. Assidui honores.

B) Olim ponebatur etiam pro locuplete, ita tamen ut proletario opponeretur, juxta populi Rom. divisionem a Servio Tullio factam, ut infra dicemus; et ita usurpatum invenitur in leg. XII. Tabul., ut refert Gell. 16. 10. ASSIDVO VINDEX ASSIDVOS ESTO – PROLETARIO QVOIQVIS VOLET VINDEX ESTO. Cic. Top. 2. 10. Cum lex assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim est assiduus.

ut ait Ælius, appellatus ab asse dando (*h. e.* lex XII. Tabular.; nam *Ælia Sentia*, quod additur in plerisque editionibus, glossema est.) *Cicero* his verbis tum notionem vocis ostendit, tum notationem. Est enim ab *assibus dandis*, ut *Gell. loc. cit.*, *Quintil.* 5. 10. 55., et *Charis.* 1. p. 58. *Putsch.*, *Isid.* 10. *Orig.* 17. et *Paul. Diac.* p. 9. 10. *Müll.* adnotarunt: quamvis, neque immerito, aliter sentiant *Varro* 7. *L. L.* 99. p. 158. *Müll.* et *Verrius Flaccus* apud *Paul. Diac.* p. 9. 9. *Müll.* Recte igitur *proletarius* et *assiduus* opponuntur, quia *assidui* divites, *proletarii* pauperes erant. Hoc sensu usurpavit etiam *Plaut. Amph.* 1. 1. 14. Hoc magis miser est divitis servus: noctesque diesque assiduo satis superque est, quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis. *Varro* apud *Non.* p. 67. 23. *Merc.* Quibus erant pecuniæ satis locupletes, assiduos, contrarios proletarios. — Huc pertinet illud *Paul. Diac. l. c.* docentis, *adsiduum militem* dictum esse existimari, qui sumptu proprio militabat. Translate *Gell.* 19. 8. *ad fin.* Classicus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius. *h. e.* notæ auctoritatis, non e vulgo. Volunt autem *Gell.* et *Charis. l. c.* hanc esse primam propriamque significationem; ab ea alias, quas posuimus, derivari; nec unquam *adsiduus*, sed *assiduus* scribendum esse. Verba *Charisii* sunt: Assiduus quidam per d scribunt, quasi sit a *sedendo* figuratum: sed errant. Nam cum a Servio Tullo populus in quinque classes esset divisus, ut tributum, prout quisque possideret, inferret; ditiores, qui asses dabant, *assidui* dicti sunt: et quoniam soli in negotiis publicis frequentes aderant, eos, qui frequentes assunt, assiduos ab assibus dixerunt. Hactenus *Charisius*, cujus sententiæ suffragatur locus *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Majo*) 22. 40. Servius verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui cum locupletes assiduos appellasset ab ære dando, eos, qui aut non plus mille quingentum æris, aut omnino nihil in suum censum præter caput attulissent, proletarios nominavit. — Nihilominus *adsiduus* passim legitur tum in MSS., tum in editis lib. et in vet. inscript. optimæ notæ apud *Grut.* 484. 6. et 950. 6., tum etiam in cod. palimpsesto *Cic. de Rep. l. c.* Quin et *atsiduus* scriptum vidisse se testatur *Pier.* ad 2. *Ecl.* 4. in aliquot *Virgil.* cod., tametsi et ipse fatetur per duplex ss scribi. Concludendum itaque (ait *Forcellinus*, sed minus recte) *assiduus* scribendum, cum de eo loquimur, qui assem dat; *atsiduus* vel *adsiduus* cum de eo, qui adsidet.

ASSIGNĀTĬO *vel* adsignatio, ōnis, f. 3. actus assignandi (It. *assegnamento*, *assegnazione*; Fr. *assignation*; Hisp. *asignacion*, *constitucion*; Germ. *die Anweisung*; Angl. *an assignment*, *assignation*). Occurrit — *a*) Generatim, et est actus quo quid alicui attribuitur. *Ulp. Dig.* 38. 4. 1. Sed et si exheredato filio libertum quis assignaverit, valet assignatio. Adde *ibid.* 48. 10. 22. § 8. et *V.* ASSIGNO I. 2. *Ibid.* 43. 20. 1. § 15. Assignatio aquæ. *Cod. Theod.* 4. 8. 3. penult. *Inscript.* apud *Gruter.* 1. 6. L. VENTORIVS ZELOTVS POST ADSIGNATIONEM AEDIS FORTVNAE SIGNVM PANTHEVM SVA PECVNIA D. D. — *b*) Speciatim de *agris*, qui coloniis attribuuntur. *Cic.* 13. *Fam.* 8. 2. Cæsar Sullanas venditiones et assignationes ratas esse velit, quo firmiores existimentur suæ. *Id.* 2. *Leg. agr.* 30. 84., 4. *Phil.* 4. 9. et 6. *ibid.* 5. 14. Assignatio agrorum. *Val. Max.* 4. 3. 7. Popularis assignationis modus.

ASSIGNĀTOR *vel* adsignator, ōris, m. 3. qui aliquid alicui assignat seu attribuit. *Ulp. Dig.* 38. 4. 3. § 1. Præferri filio nepotem assignatoris.

ASSIGNĀTUS *vel* adsignatus, a, um. *V.* ASSIGNO.

ASSIGNĬFĬCO *vel* adsignifico, as, are, a. 1. (ad *et* significo) idem fere quod significo, ostendo. *Varro* 2. *R. R.* 11. 10. Olim tonsores non fuisse, adsignificant antiquorum statuæ, quod etc. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 1. 10. *Id.* apud *Gell.* 10. 1. Aliud est *quarto* prætorem fieri et *quartum*; quod *quarto* locum adsignificat et tres ante factos, *quartum* tempus adsignificat et ter ante factum.

ASSIGNO *vel* adsigno, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et signo). Part. *Assignans* I. 1.; *Assignatus* I. 2.; *Assignaturus* II. 1; *Assignandus* II. 2. — Assigno proprie et stricto sensu est obsigno, sigillum alicui rei imprimo (It. *sigillare*; Fr. *sceller*, *signer*; Hisp. *sellar*; Germ. *untersiegeln*; Angl. *to seal*): latiori autem sensu est signo aliquo vel nota quacumque aliquid alicui attribuere, dare (It. *assegnare*, *attribuire*; Fr. *assigner*, *attribuer*; Hisp. *asignar*, *atribuir*; Germ. *etwas Jemandem anweisen*; Angl. *to assign*, *appoint*, *allot*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est obsignare, sigillum imprimere. *Pers.* 5. 81. Assigna, Marce, tabellas. *Scævola Dig.* 26. 8. 20. Præsente tutore, sed non assignante instrumento divisionis. *Paul. ibid.* 45. 1. 126. § 2. Scripsi coram subscribente et assignante domino. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 995. 9. ¶ 2. Latiori sensu est signo aliquo vel nota quacumque aliquid alicui ex jure attribuere, dare: et occurrit — *a*) Generatim. *Cic. Dom.* 44. 116. Inferiorem ædium partem assignavit non suæ genti Fonteiæ, sed Clodiæ, quam reliquit. *Id.* 3. *Att.* 19. 3. Mihique ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest. *Id.* 5. *Verr.* 25. 61. Hoc quoque attendite, apparitores a prætore assignatos habuisse decumanum. *Id. Pis.* 36. 88. Quid? per tuum servulum ordines assignatos? *Liv.* 42. 33. Quem cuique ordinem assignari e republ. esset, eum assignare. *Id.* 5. 7. Quibus census equester erat, equi publici non erant assignati. *Nec multo post.* Equiti certus numerus æris est assignatus. *Id.* 5. 22. Juvenibus deportandam Romam reginam Junonem assignare. *Id.* 42. 33. *in fin.* Assignare alicui ordinem aliquem in militia. *Curt.* 5. 5. jumenta aliquibus. *Scævola Dig.* 20. 1. 32. Assignati ei servi culturæ necessarii. *Ulp. Dig.* 38. 4. 1. *pr.* alicui libertum. (*Is titulus totus est* De assignandis libertis). *Assignare libertum* apud JCtos est testificari, cujus ex liberis libertum eum esse quis voluit, ut *Modestin. Dig.* 50. 16. 107. exponit. *Ulp. ibid.* 28. 2. 13 Assignare alicui patrem adulterum. *In nummo Trajani* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 439. Regna adsignata. — *b*) Speciatim dicitur sæpissime de agris, qui suis limitibus signati, hoc est divisi et definiti alicui tribuuntur. *Cic.* 5. *Phil.* 19. 53. Uti consules rationem agri habeant, qui sine injuria privatorum dividi possit; isque militibus ita daretur, assignaretur, ut quibus militibus amplissime dati, assignati essent, etc. *Id.* 3. *leg. Agr.* 3. 12. *recitans legem Rulli.* Quæ post Marium et Carbonem coss. publice data, assignata, vendita, concessa sunt. Cf. 1. *ibid.* 6. 17. *Id.* 2. *Phil.* 17. 43. Assignare duo millia jugerum campi Leontini rhetori. *Id.* 11. *Fam.* 20. 3. agros legionibus. *Liv.* 26. 21. urbem agrumque colonis. Adde *eumd.* 21. 25. et V. *Sicul. Flacc.* p. 18. *Goesii*, ubi multa *de divisis et assignatis agris*. Hinc figurate *Horat.* 2. *Ep.* 1. 7. aspera bella (*heroes*) Componunt, agros assignant, oppida condunt. ¶ 3. Hinc latissimo sensu est juris ratione tradere, alicujus curæ committere. *Modestin. Dig.* 18. 1. 62. Res aversione empta ad periculum emptoris pertinebit, etiamsi assignata non sit. *Ulp. ibid.* 4. 9. 1. § 8. Recipit autem salvum fore, utrum si in navem res missæ ei assignatæ sunt, an etsi non sint assignatæ, hoc tamen ipso, quod in navem missæ sunt, receptæ videntur? *Justin.* 14. 4. *ad fin.* Eumenem assignari custodibus præcepit. *Id.* 13. 4. Alicui curam castrorum assignare.

II.) Improprie. ¶ 1. Metaphorā sumptā a super. paragr. 1., est statuere, destinare: occurrit autem — *a*) *Assignare aliquid alicui*, hoc est aliquid ei constituere ac destinare. *Cic.* 6. *de republ.* 15. 15. Ne munus humanum assignatum a deo defugisse videamini. *Curt.* 4. 11. 21. Id quamque habiturum, quod proximæ lucis assignatura fortuna. *Cels.* 3. 18. Alii corporis affectus, qui certis partibus assignari possunt. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 6. Unumquodque facilius consideratur cum est assignatum suo loco. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 72. (141). Quibus (*animalibus*) rerum natura cælum assignaverat. *Quintil.* 9. 4. 96. Pæon, cui clausulam assignant. *h. e.* cui locum dant in clausulis. *Id.* 12. 10. 14. Cuique rei sua nomina assignare. *Tac.* 2. *Hist.* 60. Transfugæ – imperium assignabunt? *Id. Germ.* 13. alicui dignationem principis. — *b*) *Assignare aliquem alicui rei*, hoc est aliquem alicui rei destinare. *Cic.* apud *Colum.* 12. *R. R. præfat.* § 5. Et quoniam hunc sexum custodiæ et diligentiæ assignaverat. *Quintil.* 10. 3. 1. Cui sententiæ personam L. Crassi – assignando judicium suum cum illius auctoritate conjunxit. *Tac. Dial. de orat.* 36. Assignatæ etiam domibus inimicitiæ. ¶ 2. Translate est imputare, tribuere, ascribere, causam in aliquem transferre, seu culpæ, seu laudi vertatur. *Cic.* 10. *Att.* 4. 6. Quoquo modo – se res habebit, nihil assignabis nec patruo, nec patri. *Id. Brut.* 19. 74. Hæc si minus apta videntur huic sermoni, Brute, Attico assigna. *h. e.* id Attico culpæ verte. *Id. Rabir. Post.* 10. 27. Nec – vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putavit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 1. Ne improbitati et sceleri meo potius, quam imprudentiæ miseriæque assignes. *Id.* 6. *Fam.* 7. 3. Quidquid detrahes, aut infirmitati, aut invidiæ assignare. *Id.* 7. *Verr.* 50. 131. Culpæ fortunam (*al. leg.*, *sed minus recte*, culpam fortunæ) assignare, calamitatem crimini dare. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. 2. Hoc omne assignatum iri aut pertinaciæ meæ aut timori videbam. *Liv.* 28. 42. Patere nos omnia – tuo consilio assignare. *Id.* 35. 31. Unius amentiam civitati assignare. *Nigidius* apud *Gell.* 4. 9. Ea res vitio assignabatur. *Vellej.* 2. 38. Cypri devictæ nulli assignanda gloria est. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 8. (26). Inventionem ejus (herbæ) Mercurio assignat (*Homerus*). *Quintil.* 5. 13. 53. Hominum vitia rebus assignare. *Id.* 11. 1. 23. Modo id virtuti senatus, modo providentiæ deorum immortalium assignat. *Tac. Germ.* 14. Assignare fortia facta gloriæ principis. *Id.* 2. *Hist.* 60. Pleraque fortuita fraudi suæ assignantes. *Gell.* 11. 9. Gloriæ quoque hoc sibi assignavit. ¶ 3. Metaphorā sumptā a super. paragr. 3., assignare est committere, tradere. *Seneca Ep.* 110. Sive assignati sumus (*h. e.* suo quisque deo in custodiam traditi), sive neglecti et fortunæ dati. *Plin.* 6. *Ep.* 23. Mire concupisco bonos juvenes ostendere foro, assignare fortunæ. Hinc *Quintil.* 9. 4. 29. Sæpe est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiæ latet, transiri intentione et obscurari circumjacentibus solet; in clausula positum assignatur auditori et infigitur. *h. e.* injicitur et veluti obsignando imprimitur, sive in manus velut traditur ut attentius animadvertatur.

ASSĬLĬO *vel* adsilio, silis, silui, sultum, silire, n. 4. (ad *et* salio). — Præteritum *assilii* pro *assilui*, quod teste *Priscian.* 10. p. 906. *Putsch.* analogiæ repugnat, in MSS. Codicibus fere numquam occurrit: V. *Jahn.* ad *Ovid.* 11. *Met.* 526. — Part. *Assiliens* I. — Assilio est ad aliquid salio, saliendo accedo (It. *saltare verso, o sopra qualche cosa, accostarsi saltando*; Fr. *sauter, s'élancer sur*; Hisp. *saltar, brincar cerca*; Germ. *an etwas heran-oder hinauf-oder herbeispringen*; Angl. *to leap or jump, towards or upon any thing*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Ovid.* 3. *Fast.* 591. Assiliunt fluctus imoque a gurgite pontus Vertitur. *Id.* 5. *ibid.* 611. Sæpe puellares subduxit ab æquore plantas Et metuit tactus assilientis aquæ. Adde *eumd.* 6. *Met.* 107. *Id.* 1. *Trist.* 10. 7. Assilientia æquora. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 9. Assilientem admissarium calcibus proturbat. *Curt.* 9. 7. 21. Antequam ille hastam transferret in dextram, assiluit et stipitem mediam eam fregit. Adde *Sil. It.* 16. 63. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 42. 67. (143). Torpedo – cornicula – exerit, assultantes pisciculos attrahens, donec tam prope accedat, ut assiliat. *Tac.* 4. *Hist.* 77. Pars montibus, alii viam inter Mosellamque flumen, tam improvisi assiluere, ut etc. *Val. Flacc.* 1. 257. Ut puer ad notas erectum Pelea voces Vidit, et ingenti tendentem brachia passu, Assiluit caraque diu cervice pependit. *Sil. It.* 4. 315. Undique nudi assiliunt frenis. *Id.* 15. 605. Assilit, audito tristis clamore ruinæ, Hasdrubal etc. — *b*) Addito termino, cui quis assilit. — Sæpius cum Dat. *Ovid.* 11. *Met.* 526. miles Cum sæpe assiluit defensæ mœnibus urbis. *Sil. It.* 7. 700. Alipedem planta currum premit atque volanti Assilit a tergo. — Cum Accus. et præp. *in*. *Sil. It.* 10. 2. Ceu fera, quæ, telis circumringentibus, ultro Assilit in ferrum. — Cum Accus. absoluto. *Stat.* 3. *Theb.* 56. innumeris (*insulis*), quas spumifer assilit Ægon.

II.) Translate est ab una re ad aliam quam citissime gradum facere. *Cic.* 2. *Orat.* 53. 213. Neque assiliendum statim est ad aliud genus orationis. *Seneca* 5. *Controvers. præfat.* Primo libenter assilui (*ad ea studia*), velut optimam vitæ meæ partem reducturus.

ASSĬMĬLANTER *vel* adsimilanter. *V.* ASSIMULANTER.

ASSĬMĬLĀTĬO *vel* adsimilatio. *V.* ASSIMULATIO.

ASSĬMŬLĀTUS *vel* adsimulatus, a, um. *V.* ASSIMULO.

ASSĬMĬLIS *vel* adsimilis, e, adject. (ad *et* similis) idem quod similis, vel valde similis (It. *simile*; Fr. *semblable*; Hisp. *semeja*, *semejable*; Germ. *ähnlich*, *vergleichbar*; Angl. *like*, *similar*). Occurrit — *a*)

Absolute. Lucret. 2. 493. Inde sequetur assimili ratione etc. Adde eumd. 4. 426. — b) Addito termino, cui quid est simile. — Per Genit. Plaut. Merc. 5. 3. 12. Quasi tu numquam quidquam assimile hujus facti feceris. Lucret. 4. 312. Flexura assimilis lateris nostri. Ovid. 1. Trist. 5. 27. Assimilemque sui fecit. — Sæpius per Dat. Cic. 2. Nat. D. 55. 136. In pulmonibus inest raritas quædam et assimilis spongiis mollitudo. Virg. 6. Æn. 602. cadentique imminet assimilis (silex). Ovid. 2. Pont. 2. 85. Fratribus assimilis. Plin. 24. Hist. nat. 8. 36. (54). Juniperus cedro assimilis. Sueton. Ner. 1. Capillus æri assimilis. Id. Galb. 18. Sonus assimilis mugitui. Id. Vesp. 7. Assimilis Vespasiano imago. — Sequente quasi. Plaut. Truc. 2. 7. 12. Nam hoc assimile est quasi de fluvio qui aquam derivat sibi.

ASSĬMĬLĬTER vel adsimiliter, adverb. (adsimilis) similiter, vel prorsus similiter. Plaut. Bacch. 4. 9. 27. Assimiliter mi hodie obtigit.

ASSĬMĬLO vel adsimilo. V. ASSIMULO.

ASSĬMŬLANTER vel adsimulanter, vel assimilanter et adsimilanter, adverb. De scriptione V. ASSIMULO. — Est cum similitudine, per analogiam. Nigidius apud Non. p. 40. 25. Merc. Sunt etiam assimulanter dicta hæc: canatim, suatim, bovatim, quæ ab animalibus sumuntur.

ASSĬMŬLĀTĪCĬUS vel adsimulaticius, a, um, adject. (assimulo) idem ac assimulatus, non verus, sed fictus. Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod. 6. 22. 5. Qui insignibus consularium emendicatis atque assimulaticiis vestiuntur.

ASSĬMŬLĀTĬO vel adsimulatio, vel assimilatio et adsimilatio, ōnis, f. 3. (assimulo). De scribendi ratione V. ASSIMULO. — Est similitudo, seu potius actus faciendi vel reddendi aliquid alteri simile. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. Plin. 11. Hist. nat. 49. 109. (262). Mulierum paucis prodigiosa assimulatio, sicut hermaphroditis utriusque sexus. ¶ 2. Latiori sensu Rhetores appellant assimulationem eam licentiæ speciem, quæ astutiore ratione comparatur, cum aut ita objurgamus eos, qui audiunt, quo modo ipsi se cupiunt objurgari, aut id quod scimus facile omnes auditoros, dicimus nos timere quomodo accipiant, sed tamen veritate commoveri, ut nihilo secius dicamus. V. Cic. 4. Herenn. 37. 50. et quæ ibid. sequuntur. ¶ 3. Item est comparatio, sive actus duas res inter se componendi. Cod. 2. 18. (19). 24. et cf. Cod. Theod. 16. 2. 18.

ASSĬMŬLĀTOR vel adsimulator, ōris, m. 3. qui assimulat, fingit ut alios decipiat. Donatus ad Ter. Andr. 1. 2. 4. Nemo in diversis actibus semper lenis est, nisi forte fictus assimulator et callidus.

ASSĬMŬLĀTUS vel adsimulatus, a um. V. voc. seq.

ASSĬMŬLO vel adsimulo, vel assimilo et adsimilo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad et simulo a similis). Assimilo et assimulo unum idemque sunt; Latini enim, præcipue priscis temporibus, in pluribus vocibus i vel u sine ullo discrimine usurpabant, ut maximus et maxumus, proximus et proxumus etc. Diomed. vero 1. p. 362. Putsch. assimulo scribendum esse contendit; idemque analogia fretus probavit cl. Freund in Jahn's Jahrbb. V. 7. p. 284. et in suo Lexico. — Assimularier pro assimulari dixit Ter. Andr. 3. 2. 20. Eho an tute intellextin hoc assimularier. Part. Assimulans 2.; Assimulatus in omnibus paragr.; Assimulandus 2. — Assimulo est rem rei similem facio vel reddo (It. far simile, assomigliare; Fr. fair semblable, assimiler; Hisp. hacer semeja; Germ. ähnlich oder vergleichbar machen; Angl. to make like, to assimilate). ¶ 1. Proprie et stricto sensu est rem rei similem facere, rem aliquam ita imitari, ut cum eadem maxima sit similitudo. — a) Absolute. Cic. 4. Verr. 77. 189. Litteræ lituræque omnes assimulatæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. Ovid. 15. Met. 412. Protinus (chamæleon) assimulat tactu quoscumque colores. Cf. Claudian. carm. de Hystrice 5. os longius illi Assimulat porcum. Plin. 8. Hist. nat. 30. 44. (105). Multa præterea mira traduntur, sed maxime sermonem humanum – assimulare (hyænas) nomenque alicujus addiscere. Quintil. 7. 10. 9. Percepta simul imitandi ratione, assimulabit (pictor) quidquid acceperit. Id. 9. 2. 31. Sermones hominum assimulatos dicere διαλόγους malunt. Tac. Germ. 9. Nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimulare. — b) Cum Dat., præcipue Part. præter pass. Lucret. 2. 914. Linquitur, ut totis animalibus assimuletur. Id. ibid. 980. principia totis mortalibus assimulata. Id. 6. 189. Montibus assimulata nubila. Plin. 3. Hist. nat. 5. 6. (43). Est ergo folio maxime querno assimulata (Italia). Id. 37. ibid. 10. 66. (179). Phloginos – ochræ Atticæ assimulata invenitur in Ægypto. Tac. 11. Ann. 11. Fabulosa et externis miraculis assimulata. — c) Part. præter. cum Accus. Virg. 12. Æn. 224. formam assimulata Camerti. ¶ 2. Latiori sensu est oratione vel mente rem rei similem facere, ideoque rem cum re componere, conferre, comparare. — a) Absolute. Cic. 1. Invent. 28. 42. Simile autem ex specie comparabili aut ex conferenda atque assimulanda natura judicatur. Sueton. Tib. 57. Quam (naturam) Theodorus Gadareus et perspexisse primus sagaciter et assimulasse aptissime visus est. — b) Cum Dat. Ovid. 1. Trist. 5. 28. Grandia si parvis assimulare licet. Id. 5. Met. 6. Inque repentinos convivia versa tumultus Assimulare freto possis. Tac. 1. Ann. 28. Suis laboribus defectionem sideris assimulans. Id. Agric. 10. Formam totius Britanniæ – oblongæ scutulæ vel bipenni assimulavere. ¶ 3. Item est simulare, fingere ad decipiendum: et occurrit — a) Cum Accus. rei. Ter. Andr. 1. 1. 141. Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias. Nepos Eumen. 9. Ut – assimulata castrorum consuetudine suspicionem injiciant hostibus etc. Virg. 10. Æn. 636. Tum dea – clypeumque jubasque Divini assimulat capitis. Ovid. 14. Met. 655. Innitens baculo, positis per tempora canis, Assimulavit anum. Tac. 4. Ann. 8. Igitur Sejanus – deligit venenum, quo paullatim irrepente fortuitus morbus assimularetur. Adde eumd. 4. ibid. 59. Sil. It. 7. 136. retroque abitum fictosque timores Assimulat. — b) Absolute, præcipue Part. assimulatus, cui verus opponitur. Ter. Phorm. 1. 4. 33. Quid si assimulo? satin est? Cic. Cluent. 13. 36. Assimulata familiaritas. Id. Cœl. 6. 14. Species quædam virtutis assimulatæ. Liv. 26. 19. Multa alia ejusdem generis, alia vera, alia assimulata. Quintil. 10. 2. 12. Materia vera, assimulata. Id. 9. 1. 27. Assimulatus et arte compositus. Tac. 16. Ann. 17. Assimulatæ litteræ. — c) Cum duplici Accus. Plaut. Epid. 3. 3. 40. Ego illic me autem sic assimulabam quasi stolidum, cum bardum me faciebam. Ter. Heaut. 5. 1. 15. Assimulare se lætum. Id. Phorm. 1. 2. 78. se paternum amicum. Paul. Sentent. 5. 21. 1. se dei plenos. — d) Cum Accus. et Infinito. Plaut. Men. 5. 2. 79. Ego me assimulem insanire, ut illos a me absterream? Id. Truc. 2. 5. 19. Quæ me gravidam esse assimulavi militi Babylonio. Id. Mil. glor. 2. 1. 74. Verum alia esse assimulabitur. Adde eumd. ibid. 3. 1. 196., Pœn. 3. 1. 57., et Truc. 2. 4. 86. et 2. 5. 11. Ter. Andr. 4. 3. 20. Hinc ab dextera venire me assimulabo. Adde eumd. Heaut. 2. 3. 117., Hec. 2. 1. 38., Phorm. 5. 7. 10 — e) Cum Infinito tantum. Plaut. Cist. 1. 1. 98. Assimulare amare oportet: nam si ames, extemplo melius illi multo, quam ames, consulas, quam rei tuæ. Pacuvius apud Cic. 3. Off. 26. 98. Furere assimulare, ne coiret, instituit (Ulysses). — f) Sequente quasi. Plaut. Epid. 2. 2. 41. Atque assimulabo quasi per urbem totam hominem quæsiveris. Adde eumd. Pœn. 3. 2. 23. et Stich. 1. 2. 27. Ter. Eun. 3. 2. 8. Adibo, atque assimulabo quasi nunc exeam.

ASSĪPĔRE (vel adsipere) et præsipere dicebant antiqui, sicut nos quoque modo dicimus ab æquo iniquum, ab quærendo inquirere. Paul. Diac. p. 21. 11. Müll.

ASSĪNUS, a, um, adject. idem ac assus. Cato R. R. 157. Ubi esse volet, carnem assinam dato. Ita legit Pontedera Op. post. p. 291., non improbante ipso Schneider, pro assam dato, fretus auctoritate codicum, qui habent asinam prisca scribendi ratione unico s, quemadmodum ex juncus est juncinus.

ASSĬPONDĬUM, ii, n. 2. juxta Forcellinum; verum juxta recentiores

ASSĬPONDĬUS, a, um, adject. (as et pondus) assis, hoc est libræ pondus: as enim habuit a principio libræ pondus. Varro 5. L. L. 169. p. 66. Müll. Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur; id ideo, quod as erat libræ pondus.

ASSIR. V. voc. seq.

ASSĬRĀTUM apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem assir vocarent. Paul. Diac. p. 16. 12. Müll. Alii leg. assaratum, et in Vet. Glossar. legitur Asser αἷμα, pro assir, ut Scalig. refert. Voss. tamen in Etymol. reponit assir, additque assiratum esse adjectivum et subintelligi vinum. Porro ipsum assir usurpatum fuisse putat a Catone R. R. 132., quem locum in v. ASSARIUS, a, um, attulimus.

ASSIS vel axis, is, f. 3. In multis optimis codicibus eorum auctorum, quos inferius afferemus, habetur axis pro assis. — Apud Cæsar. et Gell. quædam editiones habent axeribus, et apud Pallad. axeres: quod Scalig. ad Paul. Diac. in Asseres antiquæ declinandi rationis esse existimat. Veteres enim, sicut suis sueris, Jovis Joveris, bovis boveris; ita axis axeris declinasse. Neque putet aliquis axeres esse a recto axer pro asser: nam asser non tabulam sectilem, sed tignum seu tigillum significat, ut suo loco dictum est. — Ceterum assis est tabula sectilis, vel lignum dissectum planum aut quadratum (It. asse, tavola; Fr. ais, planche; Hisp. tabla, el madero cortado delgadamente; Germ. das Bret, die Bohle oder Pfoste; Angl. a board, plank). Cæs. 1. B. C. 9. Supra ea tigna directo transversas trabes injecerunt, easque assibus religaverunt. Vitruv. 7. 1. 2. Ne commisceantur asses æsculini quernis. Varro 1. R. R. 58. 1. Ex dentatis assibus. Colum. 6. R. R. 30. 2. Assibus roboreis constrata stabula. Id. ibid. 19. 1. Roboreis assibus compingere solum. Plin. 36. Hist. nat. 25. 62. (187). Pavimentum quernis assibus contabulare. Id. 26. ibid. 11. 74. (121). Mandragoræ radix secatur in asses, ut cucumis. Harduin. ita hoc loco legendum censet; eamdemque lectionem tuetur et Sillig. Lucan. 3. 455. Stellatis assibus aggerem erigere. Adde Sil. It. 13. 109. Pallad. 1. R. R. 9. 2. Ut asses quernæ cum æsculeis non misceantur. Gell. 2. 12. Leges Solonis assibus ligneis incisæ.

ASSIS, is pro As in recto casu. V. AS sub init.

ASSISTO vel adsisto, sistis, stiti, sistere, n. 3. (ad et sisto). Præteritum astiti commune est cum asto, eadem fere significatione. — Part. Assistens in omnibus paragr. — Assisto est prope seu ad aliquid sto, sisto me proximum, adsto (It. stare o stare appresso; Fr. se mettre, se placer, s'arrêter auprès; Hisp. estar junto; Germ. sich an etwas hinstellen und dort zu stehen kommen oder stehen bleiben; Angl. to stand, stand near, by, or by the side of). ¶ 1. Generatim occurrit — a) Absolute. Plaut. Most. 4. 2. 2. Mane tu atque assiste illico. Cic. vertens carmen Sophoclis 2. Tusc. 9. 21. Accede, nate, assiste, miserandum aspice Evisceratum corpus. Id. 3. Fin. 16. 54. Ita jacere talum, ut rectus assistat. Lucret. 2. 359. complетque querelis Frondiferum nemus, assistens. Ovid. 7. Met. 640. Ac se tollere humo rectoque assistere trunco. h. e. stare erecto corpore. Id. 13. ibid. 125. donec Laertius heros Astitit. Plin. 36. Hist. nat. 16. 25. (127). Ut propius venit, assistit (ferri materia). — b) Addito termino, cui quis assistit. — Per Adverbia aut Præpositiones. Plaut. Pseud. 1. 3. 23. Pseudole, assiste altrinsecus atque onera hunc maledictis. Adde eumd. Merc. 5. 4. 16. Id. Pseud. 1. 2. 23. Assistite omnes contra me, et quæ loquor, advertite animum. Cic. 2. Legg. 4. 10. Ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret. Ter. Adelph. 2. 1. 15. Hic propter hunc assiste. Sall. Cat. 59. Propter aquilam assistere. Virg. 10. Æn. 490. Quem Turnus super assistens. Sueton. Vitell. 9. Assistere alicui supra humerum et deinde in capite. Cæs. 6. B. G. 17. Assistere in publico in conspectu patris. Cic. 3. Verr. 26. 66. Assistere ad fores. — Per Dat. Lucret. 1. 964. Nec refert quibus assistas regionibus. Horat. 1. Sat. 6. 113. vespertinumque pererro Sæpe forum: assisto divinis: inde domum me etc. Ovid. 5. Fast. 457. Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto. Et 1. ibid. 631. Si quis amas ritus veteres, assiste precanti. Tac. 13. Ann. 4. Consulum tribunalibus Italia et publicæ provinciæ assistunt. h. e. comparent jura accepturi. — Per Accus. sine præpos., quæ inest in ipso verbo. Val. Flacc. 5. 640. Quantus ibi deus experiere, nec illas Astiteris impune trabes. Stat. 3. Theb. 296. soli cui tanta potestas Divorumque hominumque meis occurrere telis Impune, et media quamvis in cæde frementes Hos assistere equos. ¶ 2. Specialim in re militari assistere est idem quod consistere, sive contra stare. Tac. 2. Ann. 16. Ut ordo – assisteret. Adde eumd. 2. ibid. 17. et 19.; 2. Hist. 80., 3. ibid. 82. et alibi sæpe. ¶ 3. Item assistere dicitur, qui

publicis negotiis et rebus interest, quin tamen eorumdem particeps sit: quo sensu occurrit Part. præs. *assistentes*. *Quintil.* 9. 2. 76. Quanto minus aut ipsi, in quos dicimus, aut judices, aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciviam etc. *Id.* 2. 12. 6. Assistentium aures permulcere. *Id.* 11. 1. 68. In quibus vel judici, vel etiam assistentibus ratio nostræ moderationis probari debet. ¶ 4. Item ponitur pro adesse opitulandi gratia. — *a*) Generatim. *Sueton. Domit.* 17. Puer assistens curæ Larium cubiculi. *Tac.* 3. *Hist.* 31. Assistere deprecatorem causæ. *Quintil.* 1. 2. 12. Neque enim ediscenti, scribenti, cogitanti præceptor assistat. *Id.* 1. 3. 14. Assiduum studiorum exactorem assistere. Adde *eumd.* 1. 11. 14. — *b*) Speciatim ponitur pro adesse alicui in judicio patrocinandi causa. *Plin.* 7. *Ep.* 6. Assistebam Vareno jam tantum, ut amicus, et tacere decreveram. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 85., *Ulp. Dig.* 6. 1. 54., et *Cod.* 5. 44. 1. et 8. 45. 21.

ASSISTRIX *vel* adsistrix, icis. *V.* ASSESTRIX.

ASSĬTUS *vel* adsitus, a, um. *V.* ASSERO.

ASSĬTUS *vel* adsitus, a, um, adject. (ad *et* situs) prope positus vel locatus. *Auson. Mosell.* 335. Atria pratis assita. *Apul.* 1. *Flor.* 2. p. 161. *Hildebr.* edit. Proxime assita cernere.

ASSO, as, āvi, ātum, are a. 1. (assus). Part. *Assatus* et *Assandus*. — Asso est assum coquo (It. *arrostire*; Fr. *faire rôtir*; Hisp. *asar*; Germ. *braten*; Angl. *to roast, broil*). *Apul.* 2. *Met.* 9. Cum paratus sim super istum ignem porrectus assari. *Apic.* 2. 1. Assare jecur porcinum. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. Pumex assatus. *Id. ibid.* 3. Ovorum vitella, quæ sint carbonibus assata. *Id. ibid.* Quæ singula erunt postea apte coquenda, aut mediocriter assanda, ne lignosa fiant et digestioni officiant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 2. — *NB.* *Assare* etiam dicuntur tibicines, cum canunt tibia, nulla aliorum voce admixta. Poetæ quoque *assare* dicebantur, cum in unum solum hominem poema condebant. Et illa poemata dicta sunt *assamenta*, ut est maxima pars silvarum *Statii*, et olim Saliorum fuit. Erant enim *assamenta* Janualia, Junonia, Minervia; priva poemata, et carmina in singulos eos deos conscripta. Hæc omnia docet *Scalig.* in *Conjectan. ad Varr.* 6. *L. L.* p. 78. edit. vet., additque in illo *Ennii* apud *Varr. loc. cit.* *Subulo finitimas propter astabat aquas*; pro *astabat* legi posse *assabat*. *V.* AXAMENTA, et AXARE. — Denique *assare* esse tabulis tegere, contabulare, docent plerique Lexicographi, afferuntque *Vitruv.* 7. 1. *Cum assatum fuerit* etc., sed ibi passim legitur *coassatum*, vel *coaxatum* etiam in vetustis exemplarib. quæ vidimus.

ASSOCĬĀTUS *vel* adsociatus, a, um. *V.* ASSOCIO.

ASSŎCĬĔTAS *vel* adsocietas, ātis, f. 3. (associus) est idem ferme quod societas. *Cod. Theod.* 13. 5. 14. § 2. Navicolariorum, ex fide, nobis nomina, loca, substantiæ nuncientur, brevibus duplici ratione conscriptis: quot videlicet de veteribus, quotque sint et quales recenti adsocietate decti.

ASSOCĬO *vel* adsocio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* socius). Part. *Associatus* et *Associandus* I. — Est in socium adscire, socium adjungere (It. *associare*; Fr. *associer*; Hisp. *asociar*; Germ. *beigesellen*; Angl. *to associate*).

I.) Proprie. *Aurel. Arcad. Dig.* 1. t. 11. 1. pr. Cum dictatores magistros equitum sibi eligerent, qui associati principali curæ militiæ gratia etc. *Cassiod.* 8. *Variar.* 12. *ante med.* Talis associandus fuit, qui parem in suis studiis non haberet.

II.) Figurate est jungere, annectere. *Pallad. de insit.* 71. Punica non alios umquam dignata sapores Mala, nec externis associata comis. *h. e.* quæ in pirum vel aliam arborem inseri nequeunt. *Stat.* 3. *Theb.* 452. juxtaque Amythaone cretus Jam senior, sed mente virens, Phœboque Melampus Associat passus. *h. e.* jungit gradum. Est autem in his verbis allegoria: *V.* integrum locum. *Claudian. B. Gild.* 480. ipsique rudentes Expediunt, et vela legunt, et cornua summis Associant malis. *h. e.* annectunt.

ASSŎCĬUS *vel* adsocius, a, um, adject. (ad *et* socius) idem quod socius, vel similis. *Cassiod.* 3. *Variar.* 47. Salamandra subtile ac parvum animal, lubricis lumbricis associum. *Capell.* 4. p. 94. Nil normale putans, ni fuat associum.

ASSŎLEO *vel* adsoleo, sōles, sōlere, n. 2. (ad *et* soleo) idem fere quod soleo, nisi quod præpositio ad vim quamdam addit significationi (It. *solere, esser solito*; Fr. *avoir coutume*; Hisp. *haber costumbre*; Germ. *bei irgend etwas gewöhnlich sein oder zu geschehen pflegen*; Angl. *to be accustomed or in the habit of, to be wont*). Occurrit *A*) Personaliter et *B*) Impersonaliter.

A) Personaliter usurpantur *assolet* et *assolent* tantum. *Plaut. Pers.* 5. 1. 7. Statuite hic lectulos: ponite hic quæ assolent. *Id. Epid.* 1. 1. 5. EP. Venire salvum gaudeo. TH. Quid ceterum? EP. Quod eo assolet, cœna tibi dabitur. *Ter. Andr.* 3. 2. 1. Adhuc, Archilis, quæ assolent quæque oportet signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Cic.* 2. *Invent.* 42. 122. In testamento ita scripsit: *Si mihi filius genitus unus pluresve, is mihi heres esto.* Deinde quæ assolent. *h. e.* quæ addi solent in testamentis. *Liv.* 5. 53. *in fin.* Comitia centuriata – ubi auspicato, nisi ubi assolent, fieri possunt? *Id.* 40. 54. *ad fin.* Cum multa assoleat veritas præbere vestigia sui.

B) Impersonaliter. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 10. Gracchus ad senatum retulit: senatus, quos assoleret, referendum censuit. *Al. rectius cum Orell. leg.* quos ad soleret. *Liv.* 34. 44. Ludosque magnos – tantā pecuniā, quantā assoleret, faciendos. — Sæpius usurpatur formula *ut assolet*, hoc est ut fieri solet, ut fit. *Cic.* 2. *Phil.* 33. 82. Prima classis vocatur: renuntiatur: deinde, ut assolet, suffragia. *Id. Amic.* 2. 7. Cum in hortos Bruti commentandi causa, ut assolet, venissemus. Adde *eumd.* 2. *Legg.* 9. 21.; *Liv.* 1. 28., 37. 14. et alibi sæpe; *Sueton. Vesp.* 7.; et *Tac.* 1. *Ann.* 24., 3. *ibid.* 1. et alibi.

ASSŎLO *vel* adsolo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* solum) solo æquare. *Tertull.* 1. *adv. Nation.* 10. Sæpe censores inconsulto populo (*deum*) adsolaverunt. Certe Liberum patrem consules tota Italia eliminaverunt. *h. e.* solo dei templum æquaverunt; alii vero, minus recte, sic interpretantur: solum et sine cultu esse deum jusserunt. *Id. ibid. ad fin.* Majestatis fastigium adsolant. *h. e.* solo allidunt. Adde eumd. *Apolog.* 13.

ASSŎNO *vel* adsono, as, are, 1. (ad *et* sono) alteri sonare, sonando respondere: occurrit

A) Neutrorum more cum Dat. *Ovid.* 3. *Met.* 507. Planxerunt Dryades, plangentibus assonat Echo. Adde *Pers.* 1. 102.

B) Active. *Apul.* 11. *Met.* 7. Ut canoræ aviculæ concentus suaves adsonarent. *h. e.* canerent, ederent.

ASSŪCTUS *vel* adsuctus, a, um. *V.* ASSŪGO.

ASSŪDASCO *vel* adsudasco. *V.* voc. seq.

ASSŪDASSO *vel* adsudasso, is, ere, n. 3. (*intensivum ab ad* et *sudare*) valde sudare. *Plaut. Cas.* 2. 6. 9. Stimulus eo nunc sum tibi: eo dico, corculum assudassit jam ex metu. (*Juvenal.* eadem ratione 1. *sub fin.* rubet auditor, cui frigida mens est Criminibus: tacita sudant præcordia culpa). *Alii leg.* assudascit, *ut sit ab* assudasco; *vel* assudescit *ab* assudesco. *Alii vero, quia ex metu frigus potius oritur et tremor, mallent* corculum assultascit jam ex metu, *quod præstat.*

ASSŪDESCO *vel* adsudesco, is, ere, n. 3. (*inchoat. ab ad* et *sudare*) sudare incipio. *Varro* 5. *L. L.* 109. p. 43. *Müll.* Dictum assum, quod ab igni assudescit. *V.* et voc. præced.

ASSUĒFĀCIO *vel* adsuefacio, facis, fēci, factum, facere, a. 3. (assueco *et* facio). Part. *Assuefactus*. — *Assuefio* passive, cum Genitivo Græcorum more. *Lucilius* apud *Non.* 1. 172. *edit. vet.* Publicarum rerum assuefiam, ut scripturarius. *Sed non solum dubia, verum etiam rejicienda est hæc lectio; namque Id. Non. aliter hæc verba refert* 4. 315. *ibid.* Publicanus vero ut Asiæ fiam scripturarius etc. — Assuefacio est assuetum reddo, usu doceo (It. *assuefare, avvezzare*; Fr. *accoutumer, habituer*; Hisp. *acostumbrar, avezar*; Germ. *machen, dass Jemand an etwas gewöhnt, ihn an etwas gewöhnen*; Angl. *to accustom, habituate, inure, use to a thing*). Occurrit — *a*) Cum Ablativo. *Cic.* 3. *Orat.* 10. 39. Quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latine. *Id. Brut.* 59. 213. Puro sermone assuefacta domus. *Id.* 2. *Cat.* 5. 9. Stuprorum ac scelerum exercitatione assuefactus. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. A pueris nullo officio aut disciplina assuefacti. *Id.* 1. *B. C.* 44. Genere quodam pugnæ assuefacti. *Val. Max.* 8. 7. *extern.* 15. Themistocles – Persico sermone se assuefecit. *Al. leg.* sermoni: *immo Wunder in Rhein. Mus. Jahrg.* 3. p. 255. censet in locis omnibus hucusque citatis Dativum pro Ablativo restituendum esse; aliter vero cum plerisque sentit *Haase* ad *Reisig's Vorlesungen* p. 700. — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 24. 48. Operi aliisque justis militaribus assuefacere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (121). Corvus sermoni assuefactus. *Tac. Dial. de orat.* 29. Nec probitati, nec modestiæ parvulos, sed lasciviæ et libertati assuefacere. *Id.* 12. *Ann.* 5. Luxui aut voluptatibus assuefactus. *Frontin.* 4. 2. 4. disciplinæ. — *c*) Cum Ablativo vel Dativo; id enim definiri nequit. *Cic.* 4. *Fam.* 13. 3. Orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me et voluntas et consuetudo assuefecerat. *Id. Brut.* 2. 7. Quæ (*arma*) tractare didiceram quibusque me assuefeceram. *Val. Max.* 4. 6. *extern.* 1. Assuefacere equo se et armis. *Quintil.* 11. 2. 42. manus ponderibus plumbeis. *Id.* 10. 5. 17. inanibus se simulacris. *Sueton. Aug.* 64. filiam et neptes lanificio. — *d*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Liv.* 3. 52. *in fin.* Nec suo sanguine ad supplicia patrum plebem assuefaciant. — *e*) Cum Infinito. *Cic. Prov. cons.* 13. 33. Ceteras (*nationes*) – imperio populi Rom. parere assuefecit. *Cæs.* 6. *B. G.* 24. Paullatim assuefacti superari multisque victi prœliis. *Id.* 4. *ibid.* 2. Equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt. *Liv.* 22. 12. Assuefacere militem minus fortunæ suæ pœnitere. *Curt.* 5. 2. 19. neptes conficere vestem.

ASSUĒSCO *vel* adsuesco, suescis, suevi, suetum, suescere, 3. (ad *et* suesco). *Assuētus* quatuor syllabarum per diæresin occurrit apud *Phædr.* 3. *prol.* 14. *V.* infra. — *Assuerit* pro *assueverit* dixit *Horat.* 1. *Sat.* 2. 109.; *assuerant* pro *assueverant* *Ovid.* 8. *Met.* 335. et *Sueton. Aug.* 49.; *assuestis* pro *assuevistis* *Liv.* 5. 6.; quæ omnia *V.* infra. — Part. *Assuetus* sub *B* et in fine; *Assuescendus* sub *A*. — Assuesco est verbum *A*) intransitivum et *B*) transitivum.

A) Assuesco, utpote verbum intransitivum, est usu aliquid disco, assuetus fio (It. *assuefarsi, avvezzarsi*; Fr. *s'accoutumer, s'habituer à*; Hisp. *acostumbrarse*; Germ. *sich an eine Person oder Sache gewöhnen oder sich etwas angewöhnen*; Angl. *to accustom one's self, be in the habit of, inure one's self*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 38. 96. Sed assiduitate quotidianā et consuetudine oculorum assuescunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 57. Sic tu internosces (*geminos*), si assueveris. *Id.* 9. *Fam.* 22. 5. Ego servo et servabo (sic enim assuevi) Platonis verecundiam. Adde *Cels.* 1. 3. — *b*) Cum Ablativo. *Liv.* 31. 35. Genus pugnæ, quo assueverant. *Flor.* 4. 12. 17. Ille barbarus (*populus*) et signis militaribus et disciplinā, armis etiam Romanis assueverat. — *c*) Cum Dativo. *Liv.* 38. 34. Disciplinā Lycurgi, cui per LXX. annos assueverant, sublatā. *Propert.* 3. 4. 6. Assuescent Latio Partha tropæa Jovi. *Curt.* 6. 5. 23. Cui et Darius fuerat assuetus, et mox Alexander assuevit. *h. e.* consuetudinem libidinis habuit. *Cels.* 8. 10. *ad fin.* Deligando cogit os assuescere vetustæ sedi. *Quintil.* 2. 5. 6. Assuescere pronuntiationi. *Id.* 1. 1. 29. mori. *Id.* 11. 1. 88. bellis magis quam paci. *Sueton. Aug.* 38. reipublicæ. *Tac. Agric.* 21. Per voluptates quieti et otio assuescere. — Et passive impersonaliter. *Liv.* 2. 1. Caritas ipsius soli, cui longo tempore assuescitur. — *d*) Cum Ablativo vel Dativo; id enim definiri nequit. *Liv.* 1. 19. Assuescere legibus. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 7. aquis. *Curt.* 7. 12. 2. amicis. *Quintil.* 2. 7. 3. optimis rebus. *Id.* 10. 1. 59. Optimis (*scriptoribus*) assuescendum est. — *e*) Cum Accus. et præp. *ad* vel *in*. *Cæs.* 6. *B. G.* 28. Uri assuescere ad homines et mansuefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. *Quintil.* 2. 4. 17. In hoc assuescere. *Forcellinus* pro Ablat. accepit. — *f*) Cum Infinito. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 5. Ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. *Liv.* 5. 6. Quidquid tribunus pleb. loquitur –, assuestis audire. *Virg.* 1. *G.* 42. votis jam nunc assuesce vocari. Adde *eumd.* 8. *Æn.* 517. *Ovid.* 8. *Met.* 335. Qua se demittere rivi Assuerant pluvialis aquæ. *Id.* 2. *Trist.* 504. Assuescunt oculi multa pudenda pati. Adde *eumd.* 3. *Pont.* 1. 91. *Vellej.* 2. 33. Lucullum Pompejus Xersem togatum vocare assueverat. *h. e.* solebat. *Sueton. Aug.* 49. Cohortes circa finitima oppida dimittere assuerat. *Quintil.* 1. 2. 18. Puer assuescat a tenero non reformidare homines. Adde *eumd.* 1. 9. 5. — *g*) Cum Accusativo rei per hypallagen. *Virg.* 6. *Æn.* 833. Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella. *pro* ne assuescite animos tantis bellis. Cf. *Liv.* 21. 33. Galli justa assueti invia ac devia.

B) Active pro assuefacere occurrit interdum apud Poetas, et præcipue apud sequioris ævi Scriptores, ita tamen, addit *Forcellinus*, ut semper verbum aliquod subintelligatur. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 109. qui Pluribus assuerit mentem corpusque superbum. *Vellej.* 2. 79. 1. Ædificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi navalibusque assuescendo certaminibus atque exercitationibus præfectus est M. Agrippa. *Lucan.* 5. 776. Adde quod assuescis fatis tantumque dolorem – me ferre doces. *V. Priscian.* 8. *p.* 798. *Putsch. Stat.* 4. *Theb.* 655. et Icariâ Rhodopen assueverat umbrâ. *V.* ICARIUS in ONOM. *Flor.* 4. 12. 43. Armenios – in hoc unum servitutis genus Pompejus assueverat, ut rectores a nobis acciperent. *Phædr.* 4. 7. 7. Omne adsuevi ferrum quæ (*lima*) corrodere. *Prudent.* 1. *in Symmach.* 541. remque Quirini Assuescit supero pollere in sæcula regno. — Hinc Part. præter. pass.

Assuetus, *a*, *um*, est etiam adject., unde Comp. *Assuetior* 1. *c.*; et occurrit ¶ 1. De hominibus aut ceteris animalibus, et est assuefactus, suetus. — *a*) Cum Ablat. *Cic.* 3. *Orat.* 15. 58. Homines labore assiduo et quotidiano assueti. *Liv.* 21. 16. Hannibale duce acerrimo assuetus. *Virg.* 7. *Æn.* 746. Gens assueta multo venatu nemorum. *Ovid.* 13. *Met.* 554. Prædæ amore assuetus. *Curt.* 5. 12. 9. Assueti custodia ejus. Adde *eumd.* 3. 9. 4. *Id.* 6. 3. 8. Tot gentes alterius imperio ac nomine assuetæ. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Piratæ crudeles et humano sanguine assueti. *Flor.* 1. 1. 7. Aves assuetæ sanguine et præda. *Justin.* 31. 1. 8. Immoderata licentia militari assuetus. *Fronto pr. Hist. fragm.* 2. Ne armati quidem sustinendo assueti. — b) Cum Dat. *Virg.* 7. *Æn.* 490. mensæque assuetus herili. *Curt.* 10. 5. 8. Corporis custodiæ. *Vellej.* 2. 117. bellicæ militiæ. — *c*) Cum Ablativo vel Dativo; id enim definiri nequit. *Cic. Planc.* 9. 22. Vicinitas non assueta mendaciis. *Liv.* 22. 18. Hispanorum cohors assuetior montibus. *Virg.* 7. *Æn.* 33. Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo. *Curt.* 4. 7. 31. Assuetus regio imperio. *Quintil.* 11. 3. 26. Assueta gymnasiis et oleo corpora. *Lucan.* 8. 152. sceptris. — *d*) Cum Accus. et præp. *ad* vel *in*. *Sall.* apud *Priscian.* 6. *p.* 707. *Putsch.* Male assuetus ad omnes vis controversiarum. *Seneca Troad.* 152. Manus assuetæ ad sceptra. *Liv.* 24. 5. Jam inde a puero in omnia familiaria jura assuetus. *Al. leg.* assumptus. Cf. *Flor.* 4. 12. 43. et *Quintil.* 2. 4. 17. — *e*) Cum Genitivo. *Liv.* 38. 17. Romani Gallici tumultus assueti. — *f*) Cum Infinito. *Liv.* 23. 40. Assuetus facile vinci. *Virg.* 9. *Æn.* 511. Assueti longo muros defendere bello. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 11. Assuetos græcari. *Curt.* 3. 10. 9. et 4. 8. 3. rapto vivere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (91). Polypus assuetus exire e mari. *Sueton. Domit.* 15. Assuetus dare lætam sortem. ¶ 2. Ponitur et de rebus pro solito, sive pro eo cui quis assuevit. *a*) Addito termino rei, cui quis assuevit, fere per Dat. *Liv.* 5. 54. Assueta oculis regio. *Id.* 25. 17. Motus corporum cuique genti assueti. *Vellej.* 2. 120. Assuetam sibi causam suscipit. *Seneca Troad.* 1067. Turris assueta Priamo. *h. e.* quam Priamus sæpe scandere solebat. *Stat.* 6. *Theb.* 707. Gestamen assuetum dextræ. — b) Absolute. *Liv.* 25. 9. Assueta portula. *Propert.* 1. 1. 36. amor. *Id.* 2. 2. 12. jugum. *Phædr.* 3. *prol.* 14. otium des corpori, Ut assuetam fortius præstes vicem. *Cels.* 1. 3. Sumere cibum assueto leviorem. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 36. Tempus et assueta ponere in arte juvat. *Id.* 11. *Met.* 690. Assuetus vultus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 13. 68. (169). Nec nisi assuetos potant fontes. *Sil. It.* 5. 312. Assueto belli de more. *Ulp. Dig.* 19. 2. 15. Solis fervor non assuetus.

Assuetum, *i*, n. 2. absolute, id quod solitum est; ed in Ablat. tantum occurrit adverbii more. *Ovid. Heroid.* 6. 72. Longius assueto lumina nostra vident. *Stat.* 12. *Theb.* 300. assueto propior premat orbita terras.

ASSUETŪDO *vel* adsuetudo, inis, f. 3. (assuetus) consuetudo, habitus (It. *assuefazione, uso, abitudine*; Fr. *habitude, accoutumance*; Hisp. *habitud, costumbre*; Germ. *die Gewöhnung an etwas*, *die Angewohnung von etwas*; Angl. *an accustoming, inuring, custom*, *habit*, *use*). *Varro* 9. *L. L.* 20. *p.* 203. *Müll.* Amor assuetudinis ad nova vestimenta traducit. *Liv.* 25. 26. Assuetudine mali efferaverant animos. *Id.* 27. 18. Assuetudo succedendi. *Id.* 27. 39. Duodecim annorum assuetudine perviis Alpibus factis. *Id.* 26. 4. Assuetudo quotidiana. *Ovid.* 10. *Met.* 173. longaque alit assuetudine flammas. *Id.* 2. *Art. am.* 345. nihil assuetudine majus. *Tac.* 2. *Hist.* 62. Degenerabat a labore ac virtute miles assuetudine voluptatum et contemptu ducis. *Id.* 13. *Ann.* 46. Nero assuetudine Actes devinctus. *h. e.* turpi consuetudine libidinis causa. *Id.* 1. *Ann.* 11. Tiberio, seu naturâ sive assuetudine, suspensa semper et obscura verba. *Gell.* 11. 18. Assuetudo furandi.

ASSUETUS *vel* adsuetus, a, um. *V.* ASSUESCO in fin.

ASSŪGO *vel* adsugo, sūgis, suxi, suctum, sūgere, a. 3. (ad *et* sugo) idem ferme quod sugo. Occurrit Part. *Assuctus* apud *Lucret.* 4. 1190. Tenet assuctis humectans oscula labris.

ASSŬLA, æ, f. 1. In locis *Plin.* infra citatis 16. *Hist. nat.* 11. 22. (54). et 29. *ibid.* 2. 9. (34). legitur *astula* pro *assula* in editionib. princip. a. 1469., 1470. et 1472., ut et in MSS. quos *Harduin.* habuit. *V.* ASTULA sub init. — Assula est segmentum, seu fragmentum, quod e ligno aut asse, aut marmore, aut alia materia in longitudinem dissecatur, teste *Paul. Diac. p.* 84. 16. *Müll.* Fomites sunt assulæ ex arboribus, dum cæduntur, excussæ. – Pari modo assula, quæ sunt securibus excussæ. Et *Servius* in *Virg.* 1. *Æn.* 176. Sane fomites sunt assulæ, quæ ab arboribus cadunt, quando inciduntur, quod foveant ignem. (It. *scheggia, scheggiuola*; Fr. *rognure, copeau, ais, planchette*; Hisp. *cercenadura, acortadizo, retazo*; Germ. *Span*; Angl. *a thin board or lath*, *a pannel*, *shingle*, *a chip or thin piece of wood*). Occurrit. — *a*) De fragmento ligni. *Plaut. Merc.* 1. 2. 20. At etiam cesso foribus facere hisce assulas? *h. e.* fores in fragmenta comminuere. *Id. Most.* 2. 2. 23. Pultando pedibus pæne confregi assulas. *Quidam* assulas *pro parvis assibus acceperunt*; *sed plerique rectius leg. cum Taubm.* hasce ambas: *subaudi* fores. *Catull.* 17. 1. O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo, Et salire paratum habes; sed vereris inepta Crura ponticuli assulis stantis in redivivis etc. *Ita plerique leg. cum Vossio: alii pro* assulis stantis in redivivis *leg.* assulitantis, irredivivus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (48). Melandrya vocantur, cæsis quercus assulis simillima. *Id.* 16. *ibid.* 11. 22. (54). Flos crudus resinæ cum multa assula tenui brevique avulsus. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (34). Assulis tædæ subjectis. — *b*) De fragmento lapidis. *Vitruv.* 7. 6. 1. Cæmenta marmorea, sive assulæ dicuntur, quæ marmorarii ex operibus dejiciunt. — *c*) Singularis est locus *Furii Bibaculi* apud *Sueton. Gramm.* 11. Si quis forte mei domum Catonis (*Valerii*), depictas minio assulas (*videt*) etc. *Forcellinus* assulas *pro parvis assibus accepit*; *alii pro tecto ex assibus*; *alii denique pro ipsa domo*, *quæ tota ex ligni fragmentis sive assulis constaret*, *quod præstat.* — *d*) De ciborum fragmentis translate dixit *Apic.* 2. 1.

ASSŬLĀTIM, adverb. per assulas, per fragmenta, minutatim (It. *a schegge*, *in briccioli*; Fr. *par fragments*, *en morceaux*; Hisp. *en pedazi*; Germ. *splitterweise*, *in kleinen Stückchen oder Spänen*; Angl. *in shivers or splinters*). *Plaut. Capt.* 4. 2. 52. Aperite hasce ambas fores, priusquam pultando vel assulatim foribus exitium affero. *Id. Merc.* 5. 2. 105. Securim capiam ancipitem, atque hunc senem exossabo, dein dedolabo assulatim viscera. — Huc fortasse referendus et locus *Nævii* vel *Lævii* apud *Non. p.* 72. 24. *Merc.*

ASSŬLĪTANS *vel* adsulitans, antis, particip. ab inus. *assulito* pro assulto. Legebatur apud *Catull.* 17. 1., quem locum attulimus paullo supra in ASSULA: sed lectio, nisi falsa, certe est omnino dubia.

ASSŬLŌSĒ, adverb. idem quod assulatim. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 22. 48. (105). Calamus, qui assulose potius, quam raphani modo frangitur. *h. e.* in multas assulas.

ASSULTIM *vel* adsultim, adverb. (assultus) per saltus, saltando (It. *a salti*, *saltellando*; Fr. *en sautant*, *en bondissant*, *par bonds*; Hisp. *saltando*, *á saltillos*, *á brincos*; Germ. *auf-oder emporspringend*; Angl. *by bounds, jumps, or leaps*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (79). Phalangia assultim ingredientia.

ASSULTO *vel* adsulto, as, āvi, ātum, are, n. 1. (v. *intensivum ab* assilio). Part. *Assultans* in omnib. paragr. — Assulto est totis viribus vel magno impetu saltans accedo (It. *saltare con forza verso qualche luogo*, *assaltare*; Fr. *sauter*, *s'élancer vivement sur*, *assaillir*; Hisp. *saltar*, *acometer*, *atacar*; Germ. *mit aller Gewalt heran-oder emporspringen*; Angl. *to jump or leap towards any place*, *to jump upon*, *assault*, *attak*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 83. 85 (199). Duo montes inter se concurrerunt crepitu maximo assultantes. *Id.* 9. *ibid.* 42. 66. (142). Assultant illi (*pisciculi*) protinus. *Id.* 8. *ibid.* 40. 61. (150). Canis assultans contraque belluam exurgens. *Tac.* 11. *Ann.* 31. Feminæ – assultabant ut – Bacchæ. ¶ 2. Speciatim adhibetur in re bellica de equite vel pedite in hostem currentibus: et occurrit — *a*) Absolute. *Tac.* 12. *Ann.* 35. Hi telis assultantes, hi conferto gradu. *Id.* 13. *ibid.* 40. Assultare ex diverso Tiridates. *Id.* 4. *Hist.* 22. Assultante per campos equite. — *b*) Addito cui quis assultat — Per Dat. *Tac.* 2. *Ann.* 12. Tertiâ vigiliâ assultatum est castris. *Sil. It.* 7. 401. Jam cernes Libycum hunc vallo assultare leonem. *Tac. Agric.* 26. Assultare tergis pugnantium. — Per Accus. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Assultare latera et frontem exercitus. *Stat.* 11. *Theb.* 243. Portarumque moras frenis assultat et hastis.

ASSULTUS *vel* adsultus, us, m. 4. assultandi actus: occurrit in re bellica: *V.* ASSULTO 2. *Virg.* 5. *Æn.* 441. Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum, et variis assultibus irritus urget. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Assultibus et velocitate corporum uti in prælio.

ASSUM *vel* adsum, ades, adfui *vel* affui, adfuturum *vel* affuturum esse *et* adfore *vel* affore, adesse, (ad *et* sum). Ratione habita orthographiæ hæc animadvertenda sunt. Sequente *s* post præpositionem, *d* raro in *s* mutatur; quamquam antiquissimis saltem temporibus vulgo proferebatur *assum*, *assim* etc. pro *adsum*, *adsim*: quod patet ex frigido illo joco *Plaut. Pœn.* 1. 2. 67. AG. Milphio ubi es? MI. Assum apud te eccum. AG. Ego, elixus sis volo. Sic *assiem*, *es*, *et* pro *adsiem* etc. legitur apud *eumd. Pseud.* 4. 1. 16. et 4. 7. 13. Verum cum post præpositionem sequitur *f*, sæpe *d* in *f* mutatur: itaque passim legitur *adfui* et *affui*, *adfore* et *affore*, *adfuturus* et *affuturus*; quod verbo *absum* non est concessum propter amphibologiam. Præterea veteres dixerunt *arfui*, *arfuisse*, *arfuturum* pro *adfui* etc., ut legimus in *Senatusconsulto de Bacchan.* Vide etiam AD sub init. Denique in eodem *Senatusconsulto* occurrit *adesent* pro *adessent*. — Ratione habita formæ sive conjugationis, a veteribus ac præsertim a Comicis *adsiem*, *ies*, *iet* etc. dictum est pro *adsim*, *is*, etc.: ut a *Plaut. Pseud.* 4. 1. 16. et 4. 7. 13.; et a *Ter. Phorm.* 1. 5. 83. et *Adelph.* 4. 4. 10.; quæ loca, saltem aliqua, infra afferuntur. Præterea *adforem*, *es*, *et* imperfectum est conjunctivi modi pro *adessem*, *es*, *et*; ut apud *Virg.* 1. *Æn.* 576. *V.* infra. Denique *adfore* futurum est infiniti pro *adfuturum* ut apud *Cic.* 9. *Fam.* 26. 2. Non mehercule suspicatus sum illam affore. *V.* alia et infra. — *Adesdum* V. supra suo loco. — Participium Præsentis nullum est: Futuri *Adfuturus*, ut apud *Cic.* 1. *Legg.* 19. 52. Quam diu adfutura sint, certum sciri nullo modo potest. *V.* et infra. — Ceterum *adsum* est præsens sum; eique semper *absum* opponitur, ut apud *Cic.* 5. *Att.* 18. 2. Hæc igitur, si es Romæ; sin abes, aut etiam si ades, hæc negotia sic se habent. Et apud *eumd. Amic.* 7. 23. Quocirca (*amici*) et absentes adsunt et egentes abundant (It. *esser presente o da presso a qualcheduno o a qualche cosa*; Fr. *être present*, *être près de quelque chose*; Hisp. *estar presente*, *estar cerca*, *al lado*, *junto*; Germ. *bei einer Person oder Sache anwesend*, *zugegen*, *da sein*; Angl. *to be present*, *on the spot*, *at hand*, *to be here*).

I.) Proprie et stricto sensu. ¶ 1. Ponitur de personis. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 51. Visus Homerus adesse poeta. *Senatusconsultum de Bacchan. v.* 5. DVM . DE . MINVS . SENATORIBVS . C . ADESENT. *Plaut. Rud.* 4. 4. 6. Quoniam ego adsum, faciet nemo injuriam. *Id. Amph.* 1. 1. 48. Nam cum pugnabant maxume, ego fugiebam maxume: verum, quasi adfuerim, tamen simulabo atque audita eloquar. *Ter. Andr.* 1. 1. 1. Vos istæc intro auferte, abite: Sosia, adesdum: paucis te volo. *h. e.* hic mane. *Cic.* 2. *Orat.* 10. 41. Nam Crassus heri, cum vos, Catule et Cæsar, non adessetis, posuit breviter etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Hac oratione a Divitiaco habita, omnes, qui aderant, magno fletu a Cæsare petere cœperunt etc. *Nepos Att.* 3. Quam diu adfuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. *Varro* 7. *L. L.* 99. *p.* 158.

Mill. Itaque qui adest, assiduus. *Liv.* 2. 10. Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigrant. *Virg.* 1. *Æn.* 574. Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem Adforet Æneas. *Curt.* 4. 16. 8. Quippe hostem jam adfore nunciabatur. *Seneca Ep.* 53. (*Philosophia*) ordinaria est, domina est, adest et jubet. *Quintil.* 12. 3. 3. Si forte peritus juris non aderit. *Sueton. Cæs.* 36. Quem (*Pharnacem*) – intra quintum, quem adfuerat, diem – una profligavit acie. — *b*) Additis per Adverbia vel adjectiva (ut *præsentem*, *præsto*, *coram*, *ante oculos*, *frequentem*, *multum adesse*), quibus præsentia ipsa vehementius rectiusque definitur. *Plaut. Most.* 5. 427. Si quidem pol me quæris, assum præsens præsenti tibi. *Ter. Adelph.* 3. 3. 39. Non quia ades præsens, dico hoc. *Cic. Dom.* 15. 39. Adest præsens vir singulari virtute – M. Bibulus. *Cæs.* 7. *B. G.* 62. Ut – ipsum Cæsarem – præsentem adesse existimarent. — *Ter. Eun.* 5. 8. 20. PH. Sed ubi est frater? CH. Præsto adest. Adde *Cic.* 4. *Verr.* 27. 65. et *Curt.* 7. 1. 4. — *Cic.* 15. *Fam.* 16. 1. Fit enim nescio qui, ut quasi coram adesse videare, cum scribo aliquid ad te. *Id.* 5. *Att.* 18. Video enim te, et quasi coram adsis etc. *Virg.* 1. *Æn.* 595. coram, quem quæritis, adsum Troius Æneas. *Curt.* 8. 10. 1. Ipsum coram adesse cernique. — *Virg.* 2. *Æn.* 270. In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector Visus adesse mihi. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 635. — *Ter. Andr.* 1. 1. 90. Ibi tum filius cum illis – una aderat frequens. *Cic. Cluent.* 19. 54. Aderat frequens, advocabat, omni studio – pugnabat. Adde *Liv.* 45. 35. — *Sall. Jug.* 96. In operibus, in agmine multus adesse. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 55. — *c*) Addito loco, ubi quis adest, per Adverbia, ut *hic*, *domi* etc.; vel per præpos. *apud*, *ad*, *in*; vel per Dat. — Per Adverbia loci. *Plaut. Epid.* 2. 2. 74. Nam ille quidem aut jam hic aderit, credo hercle, aut jam adest. *Id. Amph.* 1. 3. 47. Prius ego tuâ opinione hic adero. *Ter. Andr.* 4. 2. 32. Jam inquam hic adero. *Id. Heaut.* 3. 1. 93. Continuo hic adsum. *Id. Adelph.* 3. 1. 4. Geta hic non adest. *Id. Eun.* 3. 2. 54. Domi adsitis, facite. — Per præpos. *apud*, *ad*, *in*. *Plaut. Amph.* 2. 1. 27. Et apud te assum Sosia idem. *Id. ibid.* 2. 1. 29. Domi sum, et apud te assum. *Id. Pœn.* 1. 2. 67. Assum apud te eccum. — *Id. Amph.* 1. 3. 6. Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Petere, ut mane ad portam adesset. — *Plaut. Amph.* 1. 1. 284. Nec quisquam alius affuit in tabernaculo. *Ter. Eun.* 2. 3. 76. Aderit una in unis ædibus. *Id. Andr.* 4. 4. 31. Dis pol habeo gratias, cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ. *Cic.* 7. *Att.* 15. 2. Sed tamen ait in senatu se adesse velle. — Per Dat. *Ter. Eun.* 4. 7. 41. Quin redeamus: jam hæc tibi aderit supplicans ultro. *Cic. Sull.* 4. 12. Omnes hi, quos vides huic adesse. *Virg.* 2. *Æn.* 330. Portis adesse. ¶ 2. Ponitur etiam de rebus inanimis et de abstractis, ac præcipue de externis rationibus, de vario corporis aut animæ statu, ac demum de tempore; semperque significat esse apud aliquam personam aut rem. — *a*) Generatim de rebus inanimis et de abstractis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 21. Omnia adsunt bona, quem penes est virtus. *Ter. Eun.* 3. 2. 11. Ubi sis dona adsunt tibi a Phædria. *Cic.* 1. *Off.* 4. 11. Quod hæc (*bellua*) – ad id solum, quod adest quodque præsens est, se accommodat. *Id.* 1. *Fin.* 17. 55. Nam corpore nihil, nisi præsens et quod adest, sentire possumus. *Horat.* 3. *Od.* 29. 32. Quod adest, memento componere æquus. *Id.* 2. *Sat.* 6. 13. Si, quod adest, gratum juvat. *Ovid.* 1. *Met.* 560. *de laurea corona.* Tu ducibus Latiis aderis, cum læta triumphum Vox canet. *Horat.* 1. *Od.* 15. 9. Quantus sudor adest equis. *Liv.* 29. 10. Majorem multo victoriam, quam cujus ex spoliis dona portarant, adesse. *Quintil.* 11. 3. 40. Cui aderit lateris firmitas. — *b*) Speciatim de externis rationibus ac vario corporis aut animæ statu. *Plaut. Cas.* 3. 3. 8. Rogitare oportet prius et percontarier assitne animus ei necne assit, quem advocet: si negat adesse, exanimatum amittat domum. Cf. *Liv.* 9. 13. Suus cuique – animus adhortator aderat. *Ter. Andr.* 4. 1. 6. In denegando modo quis pudor paullulum adest, post ubi etc. *Lucret.* 5. 1404. Et vigilantibus hinc aderant solatia somno. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 96. Tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum, ut etc. *Virg.* 10. *Æn.* 547. vim adfore verbo Crediderant. *Vellej.* 2. 61. Vis ad resistendum nulli aderat. *Quintil.* 2. 5. 23. Cui multa virtus adest. *Id.* 7. 10. 14. Cum omnia affuerint, natura, doctrina, studium. *Tac.* 14. *Ann.* 63. Illis robur ætatis adfuerat. *Cic. Amic.* 24. 89. In obsequio autem – comitas assit, assentatio – procul amoveatur. *Virg.* 2. *Ecl.* 68. Quis enim modus adsit amori? *Horat.* 1. *Sat.* 3. 117. adsit Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas. *Id.* 2. *ibid.* 2. 28. cocto num adest honor idem? *Ovid.* 6. *Met.* 18. tantus decor affuit arti. *Id.* 5. *ibid.* 400. Tantoque simplicitas puerilibus affuit annis. *Tibull.* 1. 4. 13. Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi Virgineus teneras stat pudor ante genas. *Id.* 4. 5. 6. Si tibi de nobis mutuus ignis adest. *Sueton. Cal.* 32. Animum remittenti eadem sævitia aderat. *Tac.* 3. *Ann.* 33. Si licentia adsit. — *c*) Item speciatim de temporis rationibus. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 14. Jam aderit tempus, cum sese etiam ipse oderit. Cf. *Ter. Hec.* 4. 1. 28. At pol jam aderit tempus, se quoque etiam cum oderit. *Plaut. Capt.* 2. 3. 63. Nunc adest occasio benefacta cumulare. *Ter. Andr.* 1. 1. 125. Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi. *Id. Adelph.* 4. 4. 11. Rogito, Pamphila quid agat, jamne partus adsiet. Cf. *Ovid.* 9. *Met.* 674. cum jam partus adesset. *Cic. Quinct.* 14. 47. Quæ mehercule omnia – adesse atque impendere videntur, neque vitari ullo modo posse. *Lucret.* 1. 179. Dum tempestates adsunt. *Virg.* 4. *Ecl.* 48. Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 256. Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus, Quo etc. *Catull.* 62. 1. Vesper adest, juvenes. *Liv.* 3. 13. Aderat judicio dies. *Virg.* 9. *Æn.* 107. Ergo aderat promissa dies. *Ovid.* 12. *Met.* 150. Festa dies aderat. *Id.* 9. *ibid.* 285. cum jam natalis adesset Herculis. *Id.* 8. *ibid.* 63. Prima quies aderat. *Tibull.* 2. 3. 46. Negligat hibernas piscis adesse minas. *Liv.* 2. 29. Adest ingens seditio. *Id.* 3. 10. Ingens aderat certamen. Cf. *Curt.* 4. 11. 24. Dimissi nunciant adesse certamen. *Liv.* 5. 1. In armis erat tanta ira odioque, ut victis finem adesse appareret. Cf. *Curt.* 7. 7. 19. Si jam adest meæ vitæ finis. *Liv.* 2. 55. Apparebatque omne discrimen adesse. — *NB.* Nonnulli, inter quos *Forcellinus*, arbitrati sunt, *adesse* interdum poni pro simplici *esse*; afferebantque loca *Plaut. Amph.* 2. 1. 20. et 2. 2. 21., *Cic.* 2. *Fin.* 30. 96., et *Vellej.* 2. 61., quæ et nos superius retulimus: sed et in his etiam, si recte perpendantur, *adesse* significat esse apud aliquem, prope esse.

II.) Latiori sensu, verbum adesse, quamvis semper significet præsentem esse, prope esse, esse apud aliquam personam aut rem, tamen ex præcedentibus aut consequentibus, quibus jungitur, factum est, ut alias præterea significationes sibi vindicasse videatur; quæ facile ad tres redigi possunt: scilicet *A*) adesse ponitur pro venire; *B*) adesse significat non solum præsentia, sed opera etiam et consilio præsto esse; denique *C*) occurrit formula *adesse animo*, hoc est tota mentis acie ac vi.

A) Adesse ponitur et pro venire. — *a*) Generatim. — Addito termino, a quo aut etiam ad quem quis advenit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Adsum atque advenio Acherunte vix viâ altâ atque arduâ per speluncas saxis structas asperis. *Ovid.* 2. *Met.* 513. Quæritis, ætheriis quare regina deorum Sedibus huc assim? *Cic.* 11. *Att.* 15. 1. Hi autem ex Africa jam affuturi videntur. *Virg.* 11. *Æn.* 100. Jamque oratores aderant ex urbe Latina. *Id.* 8. *ibid.* 657. Galli per dumos aderant. Et cum Accus. sine præpos. *Apul.* 2. *Met.* 10. Sed prima face cubiculum tuum adero. *Id.* 5. *ibid.* 5. Scopulum istum protinus aderunt. — *b*) Speciatim *ades*, *adeste*, *huc ades* formulæ sunt invitantis et ad se vocantis. *Ter. Andr.* 2. 2. 7. Dave, ades, resiste. *Id. Hec.* 3. 5. 60. Philippe, ades, audi paucis. *Catull.* 62. 5. Hymen, ades. *Virg.* 2. *Ecl.* 45. Huc ades, o formose puer. *Id.* 7. *ibid.* 9. Huc ades, o Melibœe. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 598. — Huc pertinet et formula *ecce adest*, ut apud *Ovid.* 2. *Met.* 497. Ecce Arcas adest.

B) Adesse significat non solum præsentia, sed opera etiam et consilio præsto esse. ¶ 1. Generatim significat agentem in promptu esse. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 19. Primum omnium meipsum vigilare, adesse, providere reipubl. *Flor.* 3. 5. 6. Aderat, instabat, sævitiâ quasi virtute utebatur. — *b*) Sæpius actio ipsa rectius definitur — Per Adjectiva. *Sall. Cat.* 52. Jam omnes feroces aderunt. *Id. Jug.* 50. Numidæ – infensi adesse atque instare. *Liv.* 25. 34. Massinissa assidue dies noctesque infensus aderat. — Per Præpositiones aut per Casus absolutos. *Sall. Jug.* 94. Quod omnes, sicut aliis diebus, adversus hostes aderant. *Tac.* 4. *Ann.* 25. Simulque cœptus dies et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros. *Id. ibid.* 72. Rapti qui tributo aderant milites et patibulo affixi. *h. e.* qui tributo exigendo præsto erant. — Per Infinitum. *Sil. It.* 9. 532. Non Teucros delere aderam. ¶ 2. Speciatim adesse dicitur, qui quacumque ratione aliis opitulatur: et occurrit — *a*) De diis, qui adesse dicuntur, cum homines defendunt ac tuentur. — Additis, e quibus deos ipsos propitios esse constet. *Virg.* 1. *G.* 18. Adsis, o Tegeæe, favens. *Id.* 4. *Æn.* 578. Adsis o placidusque juves. *Tibull.* 1. 7. 49. Huc ades et centum ludos Geniumque choreis Concelebra. *Id.* 1. 5. 21. frugumque aderit mea Delia custos. — Raro absolute. *Ovid.* 7. *Met.* 198. Dique omnes nemorum dique omnes noctis adeste. — Sæpius cum Dat. personæ aut rei, cui deus opitulatur. *Liv.* 1. 9. Satis scio origini Romanæ deos adfuisse. *Id.* 3. 25. Nostrisque et nunc querelis adsint (*dii*) et mox armis. *Id.* 5. 51. Tam evidens numen hac tempestate rebus Romanis adfuit. *Horat. Epod.* 5. 5. Si vocata partubus Lucina veris adfuit. *Id.* 3. *Od.* 27. 66. Aderat querenti Perfidum ridens Venus. — Interdum tamen occurrit et de diis iratis atque infensis. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 46. Ille nec iratos sensit adesse deos. *Curt.* 7. 5. 25. Ille deos sui sceleris ultores adesse confessus. *Val. Flacc.* 4. 34. sævæque aderunt tua numina matri. — *b*) Item adesse dicitur imperator, dux, socius, custos etc. qui aliis in prælio, periculis etc. auxiliatur: et occurrit fere cum Dat. *Cæs.* 7. *B. G.* 62. Ipse dux hostium – suis aderat atque eos hortabatur. *Nepos Pelop.* 4. Omnibus præterea periculis adfuit. *Sall. Jug.* 14. Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis. *Id. ibid.* 85. Egomet in agmine, in prælio consultor idem et socius periculi vobiscum adero. *Liv.* 8. 7. Aderunt in tempore (*consules et exercitus consulares*) et cum illis aderit Juppiter ipse. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 82. Ipse mihi – custos aderat (*pater*). *Vellej.* 2. 85. 2. Cæsar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat. — *c*) Item adesse dicitur, qui publicis concionibus, comitiis aliisque similibus interest eorumque particeps est: et occurrit — Addito, cui quis interest, per aliquam particulam aut præpos. *Senatusconsultum de Bacchan.* Adesse cum aliquid consulitor. *Cato R. R.* 83. Mulier ad eam rem divinam ne adsit. *Liv.* 45. 25. Adesse ad suffragium. *Ter. Hec.* 3. 3. 49. Hanc minime est opus in hac re adesse. — Interdum absolute. *Ter. Adelph.* 3. 1. 3. Jam nunc times, quasi nusquam adfueris, numquam tute pepereris. — Sæpius cum Dat. *Cic.* 1. *Att.* 10. 6. Adesse comitiis. *Liv.* 7. 26. et *Curt.* 9. 5. 21. pugnæ. *Curt.* 6. 6. 19. funeri. *Id.* 8. 5. 14. sermoni alicujus. *Sueton. Tib.* 61. convivio. *Id. Aug.* 45. spectaculo. *Id. Tib.* 62. quæstioni. *Tac.* 4. *Ann.* 55. senatui. — Hinc *adesse scribendo* dicuntur, qui adsunt, cum publice aliquid decretum perscribitur. Hinc narrat *Lamprid. Elagab.* 4. Matrem suam in senatum rogari jussit; quæ cum venisset, vocata ad consulum subsellia, scribendo adfuit, id est senatusconsulti conficiendi testis. *Scribendo adfuerunt* est formula, quæ initio apponi solet. *Senatusconsultum de Bacchan.* SC. ARF. (*h. e.* arfuerunt pro adfuerunt) M. CLAVDI. etc. Adde *Cenotaphia Pisana* apud *Noris. Senatusconsultum* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 5. SCRIB. AFFVERVNT L. DOMITIVS etc. Adde *eumd. ibid.* § 6., 3. *Orat.* 2. 5., 15. *Fam.* 6. 2., 7. *Att.* 1. 7. et *post red. in senat.* 4. 8. *Id.* 12. *Fam.* 29. 2. Adesse alicui senatusconsulto scribendo. *Id. Flacc.* 18. 43. decreto scribendo. Ex his aliisque quamplurimis locis tum apud Latinos Scriptores, tum in Inscriptionibus colligitur, eos potissimum scribendo adfuisse, quorum intererat maxime decretum illud, quod perscribebatur. Plerumque duo tantum aderant, licet quandoque etiam plures; nam quinque adsunt scribendo decreto in *Inscript.* apud *Murat.* 571, 2. At *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 12. 1. 151. *Municipalia gesta* non aliter fieri volumus, quam trium principalium præsentia excepto magistratu et exceptore publico: semperque hic numerus in actorum testificatione servetur. Aliquando qui scribendo adessent, sorte ducebantur, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 2263. M. MACRIO BASSO L. RAGONIO QVINTIANO COS. (*h. e.* ann. a Chr. n. CCLXXXIX) K. IVNIS CVMIS IN TEMPLO DIVI VESPASIANI IN ORDINE DECVRIONVM, QVEM M. MALLONIVS FVNDANVS ET Q. CLAVDIVS ACILIANVS PRAEFECTI COEGERANT, SCRIBVNDO SORTE DVCTI ADFVERVNT COELIVS PANNYCHIVS,

CVRTIVS VOLIVOS, CONSIDIVS FELICIANVS: REFERENTIBVS PRAEFECTIS etc. Quandoque etiam cuncti scribendo aderant, quo plus auctoritatis accederet decretis, ut *Cic. Harusp. resp.* 7. 13. Cum omnes iidem scribendo adessent. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 7. *n.* 15. SCRIBENDO ADFVERE CVNCTI. *Alia* apud *Visc. Mon. Gab. p.* 81. *edit. Mediolan.* SCRIBENDO ADFVIT VNIVERSVS ORDO. Hinc si quando *adfuerunt* tantummodo scribitur in decretis municipalibus, ita significantur omnes adfuisse. *V. Minervini Lap. Napol. p.* 45 – 51., qui statuit plerumque tres scribendo adfuisse. — d) Item adesse dicitur, qui personæ alicujus vices facit, eamque defendit ac tuetur. *Cic.* 6. *Fam.* 14. 3. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis. *Id.* 2. *Phil.* 37. 95. Semper enim absenti adfui Dejotaro. *Liv.* 6. 38. Dictator intercessioni adero. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 97. Hoc facit, ut misero faveant adsintque Tomitæ. — e) Hinc *adesse* vel *adesse alicui in consilio* dicuntur illi, qui judici aut quæsitori apud Romanos, aut magistratui generatim apud alios populos adstant consulendi. *Cic. Quinct.* 25. 79. Quod abs te, C. Aquili, et a vobis, qui adestis in consilio, quæso, ut diligenter attendatis. Cf. *ibid.* 1. 4. *Nepos Eumen.* 1. Utrique autem in consilio semper adfuit. *Id. Dion.* 1. Aderat in magnis rebus ejusque consilio multum movebatur tyrannus. ¶ 3. Hinc in jure Romano formulæ *adesse alicui rei*, *in aliqua causa*, *ad defendendam causam*, vel etiam absolute *adesse*; quæ dicebantur de advocato aut patrono, qui clientis causam defendebant eique præsidio erant. — a) Generatim. *Ter. Eun.* 4. 6. 26. Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. *Id. Phorm.* 2. 1. 82. Inde ibo ad forum atque aliquot mihi amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient. *Id. ibid.* 2. 1. 30. Hic in noxia est, ille ad defendendam causam adest. *Cic. Quinct.* 8. 30. Recusabant, qui aderant tum Quinctio. *Id. Senect.* 11. 38. Adsum amicis, venio in senatum frequens. *Id.* 4. *Verr.* 29. 71. Negat se quemquam retinere eorum, qui Petillio vellent adesse. *Id.* 2. *Phil.* 29. 81. Adfuerunt, inquit, Catilinæ, illumque laudabant –, defendebant amicum, aderant supplici. – At ille non adfuit alio in judicio, quum adessent ceteri. *Id. Rosc. Am.* 1. 1. Quos videtis adesse in hac causa. *Cœlius* apud *Quintil.* 11. 1. 51. Qui ad rem agendam adsunt. *Liv.* 3. 14. Benigne salutare, alloqui plebis homines, domum invitare, adesse in foro etc. *Ovid.* 3. *Art. am.* 531. jus qui profitebitur adsit. *Id. Remed. am.* 663. Forte aderam juveni; dominam lectica tenebat etc. Jamque vadaturus etc. *Seneca* 5. *Benef.* 8. Nemo, quamvis pro se dixerit, affuisse sibi dicitur. *Quintil.* 6. 1. 17. Qui patri adfuisset. *Id.* 4. 1. 19. Adfuisse Ciceronem tali causæ. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Aderam Arionillæ, Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici. *Id.* 5. *ibid.* 4. Adesse alicui gratis. *Et.* sex millibus nummum. *Sueton. Aug.* 56. Affuit et clientibus, ut scutario cuidam, – qui postulabatur injuriarum. *Tac.* 3. *Ann.* 11. Pisoni patronos petenti M. Lepidus –, Livenejus Regulus adfuere. — b) Additis adversariis per præpos. *contra* vel *adversus*. *Cic.* 1. *Att.* 1. Rogavit me Cæcilius, ut adessem contra Satrium. *Sueton. Claud.* 38. Quod ille adversus privatum se intemperantius adfuisset. *Quintil.* 6. 3. 32. Contra quem judicio liberali aderat. *Plin.* 1. *Ep.* 7. Nec fidei, nec constantiæ nostræ – convenit adesse contra provinciam, quam tot officiis – devinxerim. — c) Et figurate. *Liv.* 8. 31. Adessent in sua causa omnium libertati. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (162). Cui sententiæ adest Dicæarchus – regum curâ permensus montes. *Id.* 18. *ibid.* 1. 1. (1). Qua in parte primum omnium patrocinari terræ et adesse cunctorum parenti juvat. *Quintil.* 12. 1. 26. In pecuniariis quæstionibus veritati contra calumniam aderit. ¶ 4. Item speciatim *in judicio* vel *ad judicium adesse* vel absolute *adesse* est comparere in judicio ad causam agendam et sese defendendum. *Cato* apud *Priscian. vol.* 1. *p.* 462. *ed Krehl.* Veneficii postridie jussisti adesse in diem, ea die non ausi (*h. e.* non sum ausus) recusare. *Cic.* 3. *Verr.* 1. 1. Hanc opinionem populi Rom. fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non esse, neque ad judicium adfuturum. – quod iste certe statuerat ac deliberaverat non adesse. *Et ibid.* § 2. Nam si iste id fecisset, quod prius statuerat, ut non adesset. *Id. Dom.* 21. 54. Quum eos, qui – verba de salute mea fecerant, adesse jussisti eorumque advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti. *Id. ibid.* 18. 46. Qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus. *Vellej.* 2. 10. 1. Qui (*censores*) – Lepidum Æmilium augurem – adesse jusserunt. — Hinc interdum etiam *adesse in judicio* dicitur, qui alterum accusat. *Cic.* 6. *Verr.* 51. 113. Sin autem ea non reddidisset, tum ut in judicio adessent. *V. Zumpt.* ad *h. l.* ¶ 5. Denique *adesse ad aliquid* significat præsto esse ad id faciendum aut patiendum. *Cic.* 9. *Fam.* 25. 2. Nunc ades ad imperandum vel ad parendum potius. *Tac.* 3. *Hist.* 55. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat.

C) Formula *adesse animo* ponitur. ¶ 1. Pro attente advertere. *Cic. Sull.* 11. 33. Adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentiâ magnopere lætor: erigite mentes auresque vestras. *Id. Cæcin.* 10. 30. Verumtamen is testis, ut facile intelligeretis eum non adfuisse animo –, sed tantisper de aliquo reo cogitasse. *Id.* 8. *Phil.* 10. 30. Summa laus consularium, vigilare, adesse animo, etc. ¶ 2. Item pro animo forti esse, non timere, præsenti animo esse. *Cic.* 6. *de republ.* 10. 10. Quem ut agnovi, equidem cohorrui: sed ille, ades, inquit, animo et omitte timorem, Scipio, et quæ dicam, trade memoriæ. *Id. Mil.* 2. 4. Quamobrem adeste animis, judices, et timorem, si quem habetis, deponite.

ASSUM, i, *n.* 2. *V.* ASSUS, a, um.

ASSŪMENTUM *vel* adsumentum, i, *n.* 2. (assuo) id quod assuitur. *Interpr. Vulg. Marc.* 2. 21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit.

ASSŪMO *vel* adsumo, sūmis, sumpsi, sumptum, sūmere, *a.* 3. (ad *et* sumo). Pro *assumptus* scribitur et *assumtus*; sic *emtus*, *promtus* et alia id genus: qua de re plura *Dausquius* in *Emtum*. — Part. *Assumptus* in omnibus fere paragr.; *Assumendus* 2. — Assumo est *A*) ad me sumo, capio (It. *prendere*, *assumere*; Fr. *prendre avec soi ou pour soi*; Hisp. *tomar*, *coger ó asir*; Germ. *etwas annehmen*, *an sich oder zu etwas hinzunehmen*; Angl. *to take*, *take to one's self*, *assume*). Item *B*) est insuper sumere, addendo sumere.

A) Est ad me sumo, capio; et

I.) Proprie stricto sensu de rebus inanimis ponitur, quas ad nos ipsi sumimus. — a) Generatim. *Ovid.* 3. *Art. am.* 141. Alterius crines humero jactentur utroque: Talis es assumptâ, Phœbe canore, lyrâ. Cf. *Tac.* 14. *Ann.* 20. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et cæstus assumant? *Ovid.* 11. *Met.* 789. utque novas humeris assumpserat alas, Subvolat. *Id.* 15. *ibid.* 383. fetus Melliferarum apium sine membris corpora nasci Et seroque pedes serasque assumere pennas. — b) Speciatim occurrit de iis, quæ corpora naturæ ipsius viribus propria sibi reddunt iisque aluntur. *Lucret.* 2. 1124. Plura sibi assumunt quam de se corpora mittant. *Id.* 4. 1087. Nam cibus atque humor membris assumitur intus. Cf. *Cels.* 3. 24. *Ovid.* 7. *Met.* 79. Ut solet a ventis alimenta assumere (*favilla*). — c) Hinc a Medicis assumi dicuntur cibi et medicamenta. *Cels.* 1. 3. Assumere cibum bis die. *Id. ibid.* Assumere per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia. *Id.* 3. 15. aquam calidam. *Id.* 5. 27. *n.* 17. Si fungos inutiles quis assumpsit. *Scribon. Compos.* 200. Assumere medicamenta.

II.) Sæpius improprie ¶ 1. Ponitur 1.) de hominibus et 2.) de rebus, ac præcipue de abstractis. — 1.) Assumere aliquem est aliquem socium, administrum, conscium, participem sibi adjungere ad finem aliquem obtinendum. Occurrit — a) Absolute. *Cic.* 10. *Att.* 12. 6. Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse video. *Liv.* 37. 17. Rhodii – Eumene etiam rege assumpto – pervicerunt, ut etc. *Curt.* 3. 1. 24. Ipse assumptis, qui ex Macedonia nuper advenerant, Cappadociam petit. — b) Cum addito qualis quis assumatur. *Sall. Jug.* 29. Socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus. *Liv.* 21. 49. Socios assumere. *Id.* 2. 4. Præterea et nobiles aliquot adolescentes conscii assumpti. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 51. Assumere aliquem amicum. *Sueton. Tib.* 65. Nam primo, ut a se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumpsit in quinto consulatu. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Ut a C. Musonio – gener assumeretur. *Id. Paneg.* 7. et 8. Assumere aliquem sibi filium. *h. e.* adoptare. *Id. ibid.* 83. uxorem. *Tac.* 12. *Ann.* 5. conjugem. — c) Addito in quod quis assumitur per præp. *in* et Accus. *Liv.* 2. 4. Assumere aliquem in societatem consilii. *Id.* 2. 22. Hernicos in societatem armorum. *Justin.* 10. 1. 5. in societatem facinoris. *Plin.* 3. *Ep.* 19. in consilium rei familiaris. *Id. Paneg.* 7. in laborum curarumque consortium. *Vellej.* 2. 32. 4. præclaros viros in id bellum. *Plin.* 8. *Ep.* 18. aliquem in nomen. *h. e.* adoptare. *Tac.* 1. *Ann.* 8. aliquem in familiam nomenque. *Justin.* 2. 4. aliquam in matrimonium. — 2.) De rebus, ac præsertim de abstractis assumere aliquid est id veluti ad se trahere et sibi adjungere ad aliquem finem; et occurrit modo absolute, modo addito ad quid aliquid assumitur. *Cic.* 7. *Fam.* 25. 2. Atque equidem jam aliquantum etiam noctis assumo. *Id. Orat.* 62. 109. Genus autem hoc orationis neque totum assumendum est ad causas forenses, neque omnino repudiandum. *Id.* 2. *ibid.* 39. 163. Assumere aliquid foris ad probandum, vel refellendum. *Id. Top.* 2. 8. Assumere locos extrinsecus. *Quintil.* 10. 2. 25. vim Cæsaris, asperitatem Cœlii in quibusdam locis. *Id.* 7. 4. 7. auxilia extrinsecus. *Id.* 2. 18. 3. ex ceteris artibus multum. *Id.* 5. 11. 5. aliquid ad ornamentum. *Id.* 10. 2. 11. aliquid in exemplum. *h. e.* ad imitandum. *Plin. Paneg.* 8. hominum judicia in consilium. *Tac.* 15. *Ann.* 54. uxoris consilium. — Huc pertinet et illud *Quintil.* 10. 1. 121. Tanta verborum, etiam quæ assumpta sunt, proprietas. *h. e.* apud Rhetores verba extrinsecus petita, aliunde mutuata. V. *Spalding* ad h. l. Hinc in re Grammatica *assumpta verba* dicuntur adjectiva, ut a *Cic. Partit. orat.* 7. 23. ¶ 2. Item assumere aliquid est suum propriumque facere, sibi tribuere. — a) Generatim. *Cic.* 3. *Off.* 5. 23. Cui (*legi divinæ*) parere qui velit –, numquam committet, ut alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. *Id. Mur.* 14. 31. Assumere sibi laudem ex Asiæ nomine. *Id. Balb.* 24. 55. Sacra Cereris assumpta de Græcia. *Ovid.* 13. *Met.* 296. Fecimus ut vires assumeret Acis avitas. *Id.* 3. *ibid.* 705. Assumere pugnæ amorem. *Id.* 5. *ibid.* 121. robora. *Curt.* 9. 7. 3. Qui (*Athenodorus*) regis quoque nomen assumpserat. *Id.* 9. 8. 23. Assumere nihil ex fastu regio. *Vellej.* 2. 27. 5. Occiso enim demum eo, Felicis nomen assumpsit. *Id.* 1. 11. 1. Assumptis regni insignibus. *Tac.* 2. *Hist.* 90. Abnuentique nomen Augusti expressere ut assumeret. *Id.* 15. *Ann.* 71. Assumere sibi conservatoris nomen. *Id. Agric.* 3. Nec spem, modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit. — b) Speciatim apud philosophos assumere est αἱρεῖν Græcorum. *h. e.* eligere, cui *repellere* opponitur. *Cic.* 1. *Fin.* 10. 33. Omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus. — c) Sæpius est sibi arrogare, etiam injuriâ. *Cic.* 1. *Off.* 1. 2. Si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. *Id. Planc.* 23. 56. Ut eorum reprehensionem vos vestræ prudentiæ assumere, meæ modestiæ remittere debeatis. *Id. Sull.* 30. 85. Dico illud, quod in his causis conjurationis non auctoritati assumam, sed pudori meo. *Id.* 1. *Fam.* 9. 17. Neque vero ego mihi postea quidquam assumpsi, neque hodie assumo, quod quemquam jure possit offendere. *Id.* 1. *Herenn.* 1. 1. Assumere sibi aliquid inanis arrogantiæ causa. *Liv.* 1. 54. Ipse identidem belli auctor esse, in eo sibi præcipuam prudentiam assumere. *Ovid.* 3. *Met.* 558. Assumptumque patrem commentaque sacra fateri. *h. e.* adscitum et fictum.

B) Assumere est aliquid insuper sumere; qui sensus clarius patere debet ex præcedentibus. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 28. Butram tibi Septiciumque et nisi cœna prior – Sabinum detinet, assumam. *Cic.* 3. *Nat. D.* 36. 87. Cum dis gratias egimus, tum nihil nostræ laudi assumptum arbitramur. *Id.* 1. *Orat.* 50. 217. Ut in aliqua arte et facultate excellens aliam quoque artem sibi assumpserit. *Id.* 1. *ibid.* 37. 170. Assumere dicendi copiam. Hinc ¶ 2. Speciatim in argumentationibus *assumi* dicitur id, quod in Scholis *medius terminus* argumenti appellatur, quia ad id, quo de agitur, probandum assumitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 52. 107. Assumit autem Cratippus hoc modo: Sunt autem innumerabiles etc. Adde *eumd. ibid.* 53. 109. et 1. *Invent.* 36. 63., et *V.* ASSUMPTIO sub *B.*

ASSŪMPTĬO *vel* adsumptio, ōnis, *f.* 3. actus assumendi: occurrit improprie tantummodo, scilicet

A) Qua assumere est ad se sumere, capere, ¶ 1. Assumptio est actus, quo aliquid agendum suscipimus. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 13. Assumptio culturæ. *scilicet* qua quis agros colendos suscipit. ¶ 2. Item est actus, quo quis aliquid sibi tribuit et arrogat. — a) Generatim. *Dig.* 50. 1. 6. *pr.* Assumptio originis, quæ

non est. *Cod. Theod.* 9. 35. 1. Palatini nominis assumptio. *Id.* 16. 5. 5. sacerdotalis. — *b*) Speciatim apud philosophos est electio (*V.* ASSUMO sub *A.* II. 3.). *Cic.* 3. *Fin.* 5. 18. Artes propter se assumendas putamus, quia est in his aliquid dignum assumptione.

B) Quâ assumere est insuper sumere. ¶ 1. *Assumptio* in argumentationibus dicitur minor propositio, quæ ad id, quo de agitur, probandum assumitur, ut ex *Cic.* 1. *Invent.* 37. 64., *Quintil.* 5. 14. 5. et *Isid.* 2. *Orig.* 9. 2. colligitur. ¶ 2. Item est adjectum, seu quod scripturæ adjicitur. *Martian. Dig.* 28. 5. 46. § 3. Si in patre, vel patria, vel alia simili assumptione falsum scriptum est, dum de eo, qui demonstratus sit, constet, institutio valet.

ASSUMPTĪVĒ *vel* adsumptive, adverb. *Capell.* 5. p. 147. ubi *de constitutione causæ assumptiva* disserit. *V.* voc. seq. Sed *Kopp* rectius legit *assumptivæ*; ideoque hæc vox omnino rejicienda.

ASSUMPTĪVUS *vel* adsumptivus, a, um, adject. qui assumitur; sed occurrit apud Rhetores tantum, et est idem qui Græce προσληπτικός. Constitutio juridicialis assumptiva est ea probationum pars, in qua ratio externa ad defensionem recte facti, vel ad accusationem male facti assumenda est, ut Ann. Milo recte Clodium occidit, qui vitæ suæ insidiatus est. *Cic.* 1. *Invent.* 11. 15. Constitutio juridicialis in duas distribuitur partes, absolutam et assumptivam. Absoluta est, quæ ipsa in se continet juris et injuriæ quæstionem. Assumptiva est, quæ ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem; foris autem aliquid defensionis assumit. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 24. 71. *Id.* 1. *Herenn.* 14. 24. Assumptiva juridicialis constitutionis pars. *Quintil.* 7. 4. 7. Alterum defensionis genus, in quo factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxiliis tuemur: id vocant προσληπτικήν. Latini hoc quoque non ad verbum transferunt: assumptiva enim dicitur causa. Adde *Capell.* 5. p. 146. et *Isid.* 2. *Orig.* 5. 5.

ASSUMPTOR *vel* adsumptor, ōris, m. 3. qui aliquid assumit. Improprie occurrit apud *Ennod. Dict.* 1. *sub init.* Non enim debet notari velut avaræ laudis assumptor, apud quem res obnoxia pudoris stimulis adacta completur.

ASSUMPTUS *vel* adsumptus, a, um. *V.* ASSUMO.

ASSUMPTUS *vel* adsumptus, us, m. 4. idem ac assumptio. *Boeth. in Porphyr.* 1. p. 56. Qui vero id in divisionibus et abstractionibus atque assumptibus ab his rebus, in quibus sunt, efficit, falsus non est.

ASSUO *vel* adsuo, sŭis, sŭere, a. 3. (ad *et* suo) insuper suo, suendo addo: occurrit figurate tantum apud *Horat. Art. P.* 14. Inceptis gravibus plerumque et magna professis Purpureus, late qui splendeat, unus et alter Assuitur pannus.

ASSŪRA, æ, f. 1. *Varro* 3. *R. R.* 9. Ego quæ requiro sarsuræ, assuræ, membra de palumbis, de gallinis, dic sodes, Merula. Ita habetur in multis editionib., et ita legit *Turneb. l.* 24. *c.* 22., et *assuram* interpretatur assiduitatem et diligentiam in nutricando, curando, habendo: nam assas nutrices dici, quod fere semper assint iis, quos nutriunt, nec vel exiguo divellantur, ut *Non. p.* 57. *Merc.* interpretatur. *Sarsuram a sarciendo* deduci ait; et sensum esse: peto, ut sarcias et expleas membra omnia, quæ ad hanc nutricationem pertinent. In editione principe a. 1472. legitur: Egoque requiro farturæ a sura membra de palumbis. De gallinis, etc. Alii alia comminiscuntur. Videtur *Victorio* desperatus locus, item *Schneidero.* Recentiores plerique leg. *arsuræ*, quod præstat. *V.* ARSURA.

ASSURGO *vel* adsurgo, surgis, surrexi, surrectum, surgere, n. 3. (ad *et* surgo). Part. *Assurgens* I. 1. — Assurgo est sursum erigor, rectus extollor (It. *levarsi in piedi, alzarsi*; Fr. *se lever*; Hisp. *levantarse, ponerse en pie*; Germ. *sich auf-oder emporrichten, erheben, aufstehen*; Angl. *to rise, rise up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de hominibus et brutis animantibus. — *a*) Generatim. *Cic. Cluent.* 69. 196. Quæ dum laudatio recitatur, vos, quæso, qui eam attulistis, assurgite. *Liv.* 3. 21. et *Tac.* 2. *Hist.* 99. Ex quo semel fuerit æger, non modo visum, sed ne assurrexisse quidem ex morbo. *Liv.* 21. 36. Manibus in assurgendo se adjuvare. *Id.* 4. 19. Assurgentem ibi regem umbone resupinat. *Virg.* 10. *Æn.* 797. Jamque assurgentis dextra (*h. e.* dextram attollentis) plagamque ferentis Æneæ subiit mucronem. *Id.* 11. *ibid.* 283. quantus in clipeum assurgat, quo turbine torqueat hastam. *Curt.* 4. 6. 16. Ille assurgere supplicem — jussit. *Quintil.* 11. 3. 125. Ad singulas sententiarum causas assurgentes. *Id.* 2. 2. 9. Assurgendi exultandique in laudando licentia. *Val. Flacc.* 3. 476. Intortis assurgens arduus undis. *Claudian. Epithal. Pallad. et Celer.* 29. Mollibus assurgit stratis. *Al. leg.* exurgit. — *b*) Speciatim *assurgere* est ad conspectum alicujus surgere honoris causa: et occurrit forma activa, passive impersonaliter, et passive quoque, fere cum Dat. personæ. — Activâ formâ. *Piso* apud *Gell.* 6. 9. In conclave postquam introivit —, assurgere ei nemo voluit. *Cic. Pis.* 12. 26. An — quisquam in curiam venienti assurrexit? *Sall.* apud *Non.* 4. 5. *edit. vet.* Assurgere de sella alicui. *Al. rectius leg.* surgere. *Virg.* 6. *Ecl.* 66. Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis. *Sueton. Cæs.* 78. Quidam putant retentum a Cornelio Balbo cum conaretur assurgere, alii — etiam admonentem C. Trebatium, ut assurgeret, minus familiari vultu respexisse. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 53. Ruricolæ Cereri teneroque assurgite Baccho. *Stat.* 2. *Theb.* 60. Assurgere numinis honori. — Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 48. Ut majoribus natu assurgatur. *Liv.* 9. 46. Cum — assurrectum ei non esset. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 5. (13). Ludos ineunti semper assurgi, etiam ab senatu, in more est. *Sueton. Aug.* 56. Eidem prætextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro. — Passive *assurgi* per figuram ζεῦγμα dictum est a *Cic. Senect.* 18. 63. Hæc enim ipsa sunt honorabilia — salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, etc. *assurgi* enim non eadem ratione efferri potest, qua *salutare, appetere* et alia, quæ activa sunt. Aliter *Sueton. Vesp.* 13. Demetrium — neque assurgere, neque salutare se dignantem. — *c*) Hinc figurate pro cedere, primas dare. *Virg.* 2. *G.* 98. Sunt et Aminneæ vites, firmissima vina, Tmolius assurgit quibus et rex ipse Phanæus. ¶ 2. Latiori sensu ponitur et de rebus inanimis pro extolli, crescere. — *a*) De plantis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 42. (123). Ferula assurgens in altitudinem. Adde *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 244. — *b*) De montibus et collibus. *Liv.* 22. 4. Paullo latior patescit campus, inde colles assurgunt. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 1. Collis clementer et molliter assurgens. *Tac.* 13. *Ann.* 38. Colles clementer assurgentes. *Id.* 4. *Hist.* 23. Pars castrorum in collem leniter assurgens. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 22. (66). Delos assurgit Cynthio monte. *Id.* 2. *ibid.* 65. 65. (162.). Haud ignaro quosdam Alpium vertices longo tractu nec breviore quinquaginta millibus passuum assurgere. *Id.* 36. *ibid.* 12. 17. (80). Pyramis assurgit trecentis sexaginta tribus pedibus. — *c*) De ædificiis atque aliis, quæ extruuntur. *Virg.* 4. *Æn.* 86. Non cœptæ assurgunt turres. *h. e.* non extruuntur. *Id.* 3. *G.* 354. Sed jacet aggeribus niveis informis et alto Terra gelu late septemque assurgit in ulnas. *Id. ibid.* 109. Assurgere in auras. — *d*) De astris, quæ oriuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 539. subito assurgens fluctu nimbosus Orion. *Val. Flacc.* 5. 566. Assurgens nox aurea. — *e*) Denique de aliis, quæ naturâ suâ crescunt et attolluntur. *Cels.* 2. 8. Tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 20. Pulsus assurgens manifestior fit.

II.) Translate occurrit — *a*) De affectuum vehementia atque impetu. *Virg.* 10. *Æn.* 95. nunc sera querelis Non justis assurgis. *Id.* 12. *ibid.* 494. Tum vero assurgunt iræ. *Flor.* 3. 1. Assurgere in ultionem. — *b*) De animi sublimitate. *Stat.* 10. *Theb.* 227. Gaudet in adversis animoque assurgit Adrastus. *Quintil.* 1. 8. 5. Interim sublimitate heroici carminis animus assurgat. — *c*) De ingenii sublimitate. *Quintil.* 10. 1. 52. Raro assurgit Hesiodus. *h. e.* raro utitur sublimi dicendi stilo. *Id.* 10. 2. 22. Nec comœdia in cothurnos assurgit. — *d*) De honorum sublimitate. *Vellej.* 2. 51. 3. Assurgere in triumphum et pontificatum.

ASSUS, a, um, adject. *Varro* 5. *L. L.* 109. p. 43. *Müll.* dictum putat, quod ab igne assudescit. *Non. p.* 77. 2. *Merc.* docet, ideo assos dici cibos igni tostos, quia sunt sine pigmento saporis alieni et solo suo sapore conditi; *assus* enim etiam solum significat. Alii derivant ab *ardeo*, quasi *arsum*. Sed recentiores rectius putant esse ab ἄζω, idem ac ἀάζω *halo, torreo*, ut sit quasi *aridus*; unde et *arere* derivant: hinc — Assus est aridus, siccus, assus (It. *arido, secco*; Fr. *aride, sec*; Hisp. *arido, seco*; Germ. *trocken, gedörrt*; Angl. *dry*).

I.) Proprie. ¶ 1. De cibis ponitur, qui sine aqua aliove humore igni coquuntur; hinc assus est igni tostus, eique elixus opponitur, ut *Varro* 5. *L. L.* 109 p. 43. *Müll.* docet (It. *arrostito*; Fr. *rôti*; Hisp. *asado*; Germ. *gebraten oder geröstet*; Angl. *roasted, broiled, toasted*). Occurrit — *a*) Adjective. *Plaut. Most.* 5. 1. 66. Ne faxis: nam elixus esse, quam assus soleo suavior. Cf. *eumd. Pœn.* 1. 2. 67. *Id. Curc.* 2. 3. 88. Assa bubula. *Varro l. c.* et *Cels.* 2. 30. Assa caro. *Cels.* 2. 18. Res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam frixa. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 51. Assi mergi. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 51. (145). Assus pulmo (*vulpis*) præsumptus. *Scribon. Compos.* 221. Assa ova. — *b*) Hinc *assum*, i, absolute substantivorum more. *Cic.* 9. *Fam.* 20. 1. Integram famem ad ovum affero. Itaque usque ad assum vitulinum opera perducitur. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 73. simul assis Miscueris elixa. ¶ 2. Ponitur et de sudationibus ac balneis. Hinc — *a*) *Assus sol* dicitur sol siccus, hoc est sine unctione adhibitus. *Cic.* 12. *Att.* 6. 2. Pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus. *h. e.* tu in nostro pratulo siccus ad solem inambulasti, neque antea lavisti, aut unxisti corpus: nos non contenti erimus uno et sicco sole, sed prius lavari et ungi volemus. Veteres enim solebant uncti nudum corpus ad solem exponere; idque maxime ad præsidium valetudinis. — *b*) *Assus humor* apud *Varron.* 5. *L. L.* 109. *Müll.* est humor, qui uno tantum calore producitur. — *c*) *Assæ sudationes* dicuntur a *Celso* 3. 27., quæ solo et sicco calore eliciuntur; et opponuntur iis, quæ balneo fiunt, ut ipse exponit 2. 17. Græci ξηροὺς ἱδρῶτας appellant. Hinc locus vel cella, in qua hujusmodi sudor elicitur, *assum* appellatur. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 2. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium esset subjectum cubiculis. *Gloss. vet.* Assa cella, ἀφιδρωτήριον. *Seneca Ep.* 51. *sudatorium* appellat, *in quod siccus vapor corpora exsuturus includitur.* — *d*) *Assi lapides* sunt sicci, hoc est sine cæmento, quibus maceria construitur, quæ ab Italis dicitur *macia, muriccia. Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 417.

II.) Improprie. ¶ 1. *Assa nutrix* dicitur sicca, hoc est quæ lac non præbet infantibus, sed solum diligentiam et munditiam adhibet, ut docet *Vet. Scholiastes* ad illud *Juvenal.* 14. 208. Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ. *Sic enim is ibi legit, cum in vulgatis etiam antiquis edition. habeatur* pueris poscentibus assem. Ipse *Non. p.* 57. *Merc.* ratione tantum habita etymi *assam nutricem* aliter interpretatur: nempe ita dictam putat quod assit infantibus, ut supra in ASSURA dictum est. *Fronto ad Antonin. Imp.* 1. *Ep.* 5. Assæ nutricis est infantem magis diligere, quam adultum: succensere etiam pubertati stulta nutrix solet, puerum de gremio sibi abductum et campo aut foro traditum. *Inscript.* apud *Murat.* 1512. 6. VOLVMNIAE DYNAMIDI VOLVMNIA C. F. PROCVLA NVTRICI ASSAE ET LIB. V. A. CV. *h. e.* et libertæ. Vixit annos cv. ¶ 2. Hinc assus etiam solum significat; quæ notio ex eo fortasse ducta est, quod cibi assi solo suo condiuntur sapore, sine pigmento saporis alieni, ut *Non. p.* 77. 2. *Merc.* loquitur. Hinc *assa vox* dicitur sola vox, hoc est ore tantummodo prolata, non adhibitis aliis vocibus tibiæ, aut alterius musici instrumenti, ut *Non. loc.* super *cit.* docet. *Varro* apud *eumd. ibid.* In conviviis pueri modesti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, et assa voce et cum tibicine. *Id.* (aut *Cato*) *ibid.* Melos alterum in cantibus est bipartitum, unum quod est in assa voce, alterum quod vocant organicon. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divinat. in Cæcil.* 17. 55. Canl remigibus celeuma per symphoniacos solebat et per assam vocem, id est ore prolatam et, ut in Argo navi, per citharam. — Simili ratione *assæ tibiæ* dicuntur, quæ solæ adhibentur sine voce hominis. *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 417. Assæ tibiæ dicuntur, quibus canitur sine chori voce. *Paul. Diac.* p. 28. 12. *Müll.* Assa dicebantur cantus tibiarum, *quæ mutila esse videntur.*

ASSUSPĪRO *vel* adsuspiro, as, are, n. 1. (ad *et* suspiro) idem fere quod suspiro sive suspirando respondere. Occurrit Part. præs. *Assuspirans* tantum apud *Apul.* 4. *Met.* 25. Sic assuspirans altius infit. Et *ibid.* 27. Tunc fletibus ejus assuspirans anus.

ASSYRIUS, a, um, adject. ad Assyriam pertinens; *V.* ONOM. Generatim pro orientali occurrit apud *Avien. Descript. orb.* 534. Assyrius axis. *V. Wernsdorf* ad h. l.

AST. V. AT.

ASTA, æ. V. HASTA.

ASTABILIS vel adstabilis, e, adject. qui astat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 40.

ASTĂCUS, i, m. 2. ἀστακός, genus cancri marini, fluviatili cancro valde similis, sed majore tamen mole, colore violaceo exsaturato et ad nigrum accedente, maculisque variis cæruleis, rubris, candidis asperso. Non unum est astacorum genus: sed Plinius marini tantum meminit 9. Hist. nat. 31. 51. (97)., ut Harduin. adnotat. Adde Isid. 12. Orig. 8. 9. — NB. De Astaco nomine proprio V. ONOM.

ASTANS vel adstans, antis. V. ASTO.

ASTĂPHIS, idis, f. 3. ἀσταφίς ¶ 1. Græcâ voce est uva passa. Plin. 23. Hist. nat. 1. 12. (12). Uva passa, quam astaphida vocant, stomachum – tentaret, nisi etc. ¶ 2. Astaphis agria, ἀσταφὶς ἀγρία, eadem quæ uva taminia seu staphis apud Plin. ibid. 13. (17). V. STAPHIS. Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 168. et 169. putat vocabulum astaphis Attice prolatum esse pro staphis, idemque significare; atque hanc exhibet synonymiam: Σταφὶς ἀγρία Hippocr. Nat. mul. 584. et Dioscor. 4. 150.; φθειροκτόνον Græcor.; Staphis et Astaphis agria Plin. locc. citt. sunt Herba pituitaria, abusive Uva taminia, Staphisagria C. Bacch. pin. 324. et Delphinium Staphisagria L. Spec. plant. 750.

ASTĀTOR vel adstator, ōris, m. 3. qui astat, adest, seu præest. Inscript. apud Fabrett. c. 3. n. 297. DEO SANCTO NVMINI DEO MAGNO LIBERO PATRI ET ADSTATORI ET CONSERVATORI HVJVS COLL. (h. e. collegii) VELABRENSIVM.

ASTEISMUS, i, m. 2. ἀστεϊσμός, Latine urbanitas, est tropus multiplex numerosæque virtutis. Nam asteismus putatur quicquid rustica simplicitate caret et faceta satis urbanitate exponitur, ab ἄστυ urbs, vel ἀστεῖος urbanus, ut illud Virg. 3. Ecl. 90. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi. Aliud hujus schematis exemplum affert Diomed. 2. p. 458. Putsch. Adde Charis. 4. p. 247. ibid. Scribitur et Astismus: sed utcumque scribas, Græca vox est et Græce usurpanda; licet Latinis litteris legatur apud Servium ad Virg. 2. Æn. 547.

ASTER, ĕris, m. 3. est Græca vox ἀστήρ stellam significans, atque ¶ 1. Hoc sensu Latine legitur apud Macrob. 1. Somn. Scip. 14. ¶ 2. Est etiam, cognomento Atticus, herba cauliculum habens foliis oblongis duobus, aut tribus, in cacumine capitula stellæ modo radiata, unde et nomen traxit. Prodest ad inguinum tumores: unde et bubonion a βουβών inguen et tumor inguinis; et Latino vocabulo inguinalis herba appellatur. Plin. 27. Hist. nat. 5. 19. (36). et Apul. Herb. 60. Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 433.) hanc exhibet synonymiam: Ἀστὴρ ἀττικός Dioscor. 4. 120.; Βουβώνιον Galen. de Fac. simpl. med. 6. 79.; Δωδεκαμινιτις Zacynth.; Amellus Colum. 9. R. R. 120.; Aster et Bubonion Plin. loc. cit.; et Asterion, Astericon, Aster atticus, Bubonion hyophthalmon, Herba inguinalis Apul. loc. cit. sunt Aster Amellus L. Spec. plant. 1226. ¶ 3. Aster, cognomine Samius, genus est terræ Samiæ, de qua Plin. 35. Hist. nat. 16. 53. (191).

ASTERĪA, æ, f. 1. nomen gemmæ, quæ inclusam lucem pupillæ modo quamdam continet, ac transfudit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eademque contraria soli regerens candicantes radios: unde nomen invenit, nempe ab ἀστήρ stella vel scintillans radius (Itali vocant girasole; Germani das Katzenauge). Plin. 37. Hist. nat. 9. 47. (131). Eadem dicitur et ASTERITES, quam vocem V. sub 2. — NB. De Asteria nom. pr. V. ONOM.

ASTERĪĂCE, es, f. 1. a Celso 5. 14. enumeratur inter ea medicamenta simplicia, quæ carnem alunt et ulcus implent. Videtur autem intelligere ipsum asterem Samium, cui eamdem vim tribuit Galen. Compos. pharmac. secundum loc. l. 7. c. 4.; at hoc in loco variant codd., hinc Targa censet, fortasse legendum erythace pro asteriace.

ASTĔRĬAS, æ, m. 1. ἀστερίας, genus est ardeolarum, de quo diximus in ARDEA, et cujus meminit Plin. 10. Hist. nat. 60. 79. (164).

ASTERĬCON, i, n. 2. idem quod Aster apud Apul. Herb. 60. V. ASTER 2.

ASTERĬCUM, i, n. 2. ἀστερικόν, herba a Latinis urceolaris dicta (fortasse quia tergendis urceis apta sit) folio similis ocimo, nigrior tantum, nasciturque in tegulis parietinisque: Latine perdicium dicitur. Plin. 22. Hist. nat. 17. 20. (43). Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 111.) ait astericum esse unum idemque cum helxine, hoc est parietaria, de qua Plinius agit lib. 21. Hac de re idem Fée plura exhibet ibid. p. 109. et 110.

ASTĔRĬON, ii, n. 2. ἀστέριον. ¶ 1. Est genus phalangii, subnigro colore virgulis albis intertexto, cujus morsus genua labefactat. Plin. 29. Hist. nat. 4. 27. (86). ¶ 2. Asterion est etiam herba eadem quæ aster apud Apul. Herb. 60. V. ASTER 2. — NB. De nomine proprio V. ONOM.

ASTERISCUS, i, m. 2. ἀστερίσκος, parva stella. Sumitur pro notula in modum parvæ stellæ sic * formata, quæ in libris ad distinctionem aliquam appingi solet. Isid. 1. Orig. 21. docet, asteriscum apponi in iis locis, in quibus aliquid deest. Hieronym. 2. in Rufin. 8. Omnia veteris instrumenti volumina obelis asteriscisque distinguere. Augustin. Ep. 10. ad Hieronym. 2. Asteriscis notasti quæ in Hebræo sunt et in Græco desunt; obeliscis autem quæ in Græco inveniuntur et in Hebræo non sunt. V. STELLULA.

ASTERĪTES, æ, m. 1. ἀστερίτης. ¶ 1. Est genus basilisci stellatam cutem habentis, qui quidquid viderit, arefacere et occidere dicitur. Apul. Herb. 128. ¶ 2. Est etiam gemma eadem quæ Asteria apud Isid. 16. Orig. 10. 3.; quam Capell. vocat Astriten 1. p. 19., et Plin. 37. Hist. nat. 9. 47. (131). Asteriam. V. ASTERIA. Legitur et apud Mythogr. Vatic. p. 203. 5. et 27., et p. 204. 12. Bod.

ASTERNO vel adsterno, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. (ad et sterno). Part. Astratus I. et II. — Est juxta sterno.

I.) Proprie. Ovid. 2. Met. 342. Non auditurum miseras Phaetonta querelas Nocte dieque vocant adsternunturque sepulcro. Juvenc. 1. 13. Cetera nam foribus plebes astrata rogabat.

II.) Translate astratus est allectus, adscriptus. Vet. Scholiast. in Juvenal. 16. 8. Quicumque non est astratus ad militiam, non audet injuriam referre militanti. h. e. allectus, adscriptus, ut exponit D. A. G. Cramerus qui edidit.

ASTHMĂTĬCUS, a, um, adject. ἀσθματικός, qui suspirio, seu difficultate spirandi laborat, quæ Græce ἆσθμα dicitur (de qua Cels. 4. 4. n. 2.). Plin. 20. Hist. nat. 21. 84. (230). Asthmaticis ac dysentericis in vino bibendam dedit. Id. 20. ibid. 7. 19. (34). Hyssopum asthmaticis. Adde Theod. 12. et Priscian. 3. V. ANHELATOR.

ASTĬCUS, a, um, adject. V. ASTYCUS.

ASTIFER. V. HASTIFER.

ASTIPULĀTĬO vel adstipulatio, ōnis, f. 3. actus astipulandi, sive alicui stipulanti et spondenti quidquam accedendi simulque stipulandi. At occurrit translate tantum, et est actus, quo quis alteri omnino assentitur ejusque opinionem approbat et confirmat, assensio atque affirmatio. Plin. 29. Hist. nat. 9. 5. (10). Videbamus senes consulares usque in ostentationem rigentes. Qua de re extat etiam Annæi Senecæ astipulatio. Quintil. 11. 3. 175. Annon hæc misellus et pauperculus summissâ atque contractâ, fortis et vehemens et latro erectâ et concitatâ voce dicenda sunt? Accedit enim vis et proprietas rebus tali astipulatione: quæ nisi adsit, aliud vox, aliud animus ostendat. h. e. affirmatione et vi vocis remissæ, aut contentæ. Cod. Theod. 12. 1. 177. Incorrupta ordinis astipulatio. h. e. assensio.

ASTĪPULĀTOR vel adstipulator, ōris, m. 3. qui alteri stipulanti et spondenti quippiam accedit et simul cum eo astipulatur, quo pacta et conventa firmiora sint; estque valde similis fidejussori.

I.) Proprie. Cajus 3. Instit. 110. ed. Göschen. Possumus ad id, quod stipulamur, alium adhibere, qui idem stipuletur, quem vulgo astipulatorem vocamus. Id. ibid. 117. Astipulatorem fere tunc solum adhibemus, cum ita stipulamur, ut aliquid post mortem nostram detur quod stipulando nihil agimus. Adhibetur autem astipulator, ut is post mortem nostram agat: qui, si quid fuerit consecutus, de restituendo eo mandati judicio heredi tenetur. Adde eumd. ibid. § 112., 114., 215. et alibi. Auct. Ep. ad Octavium sub fin. Esse quemdam, cujus avus fuerit argentarius, astipulator pater; uterque vero precarium quæstum fecerit, etc. Designari videntur hoc loco ii, qui in foro ad argentariorum tabernas assistebant, et, mercede aliqua accepta, aliorum contractus sua astipulatione et fide firmabant. — Hinc in judiciis astipulator dicitur, qui actori aut reo vadimonii facti vel constituti, vel etiam alterius cujuspiam forensis actionis testis accedit, et simul cum eo adpromittit seu stipulatur. Cic. Quinct. 18. 58. Litteræ P. Quinctii, testes tot – cum astipulatore tuo comparabuntur? Id. Pis. 9. 18. Qui isto non modo propugnatore, tutiorem se, sed advocato aut astipulatore, paratiorem fore putaret.

II.) Translate est qui alteri omnino assentitur ejusque opinionem approbat et confirmat. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 21. 69. Illud falsum esse et Stoici dicunt et eorum astipulator Antiochus. Val. Max. 7. 1. 2. Dum astipulatorem vanæ opinionis Deum habere concupiscit. Adde Sidon. 1. Ep. 9. et 64.

ASTĪPŬLĀTUS vel adstipulatus, us, m. 4. idem quod astipulatio, pariterque translate tantum occurrit et in sexto casu sing. Plin. 7. Hist. nat. 47. 48. (152). Consecratus est oraculi jussu et Jovis deorum summi astipulatu.

ASTĪPŬLO vel adstipulo, as, are, a. 1. idem quod astipulor; sed translate tantum occurrit apud Jul. Valer. res gest. Alex. M. 1. 23. ed. Mai. Quæso, ut istud astipulare præsenti mihi, ut filio, præsies. h. e. adpromittere: nisi forte mendosa sit lectio.

ASTĪPŬLOR vel adstipulor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad et stipulor) alicui stipulanti et spondenti quidquam accedo simulque stipulor.

I.) Proprie. Ælius Gallus apud Festum p. 273. 20. Müll. Reus stipulando est idem qui stipulator dicitur, quippe suo nomine ab altero quibus pepulatus est (hæc mendosa sunt), non is qui alteri adstipulatus est. Cajus 3. Instit. 112. ed. Göschen. Si verbi gratia ego ita stipulatus sim: Dari spondes? astipulator sic astipulari potest: Idem fide tua promittis? vel, Idem fidejubes? vel contra. Idem minus astipulari potest, plus non potest.

II.) Translate est omnino assentior, alterius sententiam approbo et confirmo. Liv. 39. 5. Astipulari irato consuli. Plin. 7. Hist. nat. 48. 49. (154). Hellanicus (prodit) quosdam in Ætolia cc. annos explere: cui astipulatur Damastes, memorans Pictoreum etiam ccc. vixisse. Adde Cod. Theod. 6. 22. 1. et 7. 2. 1.

ASTĪTŬO vel adstituo, stituis, stitui, stitūtum, stituere, a. 3. (ad et statuo). Part. Astitutus. — Astituere est statuere seu collocare apud aliquid (It. collocare, porre appresso; Fr. mettre, placer auprès; Hisp. poner, colocar junto; Germ. wohin anstellen, hinstellen; Angl. to place, place or set near). Occurrit — a) Absolute. Plaut. Capt. 4. 2. 66. Juben an non jubes astitui aulas, patinas elui? Id. Cas. 5. 2. 49. Continuo in genua astituto pectus mihi pedibus percutit. — b) Addito termino, ubi quis astituitur. Cic. 3. Herenn. 20. 33. Astituere reum ad lectum ægroti. Apul. 9. Met. 11. Die sequenti molæ matutinus astituor. Id. 3. ibid. 2. Ejusque tribunal astituor.

ASTĪTŪTUS vel adstitutus, a, um. V. ASTITUO.

ASTO vel adsto, stas, stiti, stare, n. 1. (ad et sto). Perf. astiti commune habet cum assisto. — Astarint pro adsteterint legitur apud Paul. Diac. p. 26. 3. Müll., qui, ut recte monuerat Scalig., corrupta verba Adstassent statuerunt, ita ex optimis Codd. restituit. — Part. Astans I. a. — Astari passive Sall. apud Non. 14. 11. edit. vet. Postquam ex sarcinis paludamenta astari et delectæ cohortes intelligi cœpere. astari hic fortasse positum est pro astitui, collocari; sed totus locus depravatus videtur. In editionib. princip. a. 1476. et 1480. legitur ciostari. Alii etiam aliter leg. — Asto est idem ferme quod sto, vel prope aut præsens sto, assisto (It. stare ritto in piedi, stare appresso o presente; Fr. être ou se tenir debout auprès, être present, être là; Hisp. estar derecho, estar presente; Germ. irgendwo in aufrechter Stellung sich befinden, da stehen; Angl. to stand, take one's stand, stand by or near).

I.) Proprie occurrit — a) Absolute. Plaut. Pseud. 3. 2. 74. Si iste ibit, ito: stabit, astato simul. Id. ibid. 1. 4. 1. Postquam illinc hic abiit, tu astas solus, Pseudole. Id. Epid. 1. 1. 61. Abeo. Ep. Asta: abire hinc non sinam. Id. Bacch. 5. 2. 15. Sic sine astent. Id. Cist. 2. 3. 53. Adolescens, asta atque audi. Id. Amph. 2. 2. 116. Tute istic, etiam astante hoc Sosia, audivistin tu me narrare hæc hodie? Id. Most. 1. 4. 11. Cave ne cadas: asta. Id. Capt. 3. 4. 10. Tu subsultas: ego miser vix asto præ formidine. Ter. Phorm. 5. 6. 27. Ad fores suspenso

gradu ire perrexi; accessi, astiti, animam compressi, aurem admovi. *Id. ibid.* 4. 3. 2. Sed patruum video cum patre astantem. *Cic. post. red. in senat.* 10. 25. Astante (*h. e.* præsente stante) atque audiente Italia tota. *Id. Harusp. resp.* 6. 12. Maxima frequentia – civium astante. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 14. Inter aliena servitia et tot astantium visu. *Liv.* 3. 22. Cum ad id spectator pugnæ adstitisset eques. *Virg.* 2. *Æn.* 302. Excutior somno – atque arrectis auribus asto. *Id.* 3. *G.* 545. attoniti squamis astantibus hydri. *h. e.* erectis, hirtis. *Id.* 3. *Æn.* 123. Hoste vacare domos sedesque adstare relictas. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 93. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (53). Phidias – fecit et ex ebore æque Minervam Athenis, quæ est in Parthenone astans. *h. e.* erecta, pedibus stans. — *b*) Addito termino, ad quem quis astat. — Per præpositiones. *Ennius* apud *Festum p.* 300. 5. *Müll.* Subulo quondam marinas propter astabat plagas. *Plaut. Truc.* 1. 2. 72. Astare ante ostium. *Id. Men.* 4. 3. 2. ante ædes. *Lucret.* 1. 83. ante aras. *Virg.* 3. *Æn.* 150. ante oculos. *Id. ibid.* 194. Cum mihi cæruleus supra caput astitit imber. *Id.* 4. *ibid.* 702. Iris supra caput astitit. *Cic. Arch.* 10. 24. Cum Alexander in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset. Adde *Lucret.* 2. 972. *Plaut. Cas.* 5. 2. 41. Astare in genua. *Ovid.* 3. *Met.* 187. in latus obliquum. *Sueton. Tib.* 32. et *Oth.* 3. pro foribus. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 3. in conspectu alicujus. *Ovid. Heroid.* 14. 69. et *Tac.* 2. *Ann.* 9. in ripa. *Tac.* 14. *Ann.* 14. apud templa. *Seneca Herc. fur.* 356. juxta præsides deos. — Per Dativum aut Ablat. sine præp., aut per Adverbia loc. *Plaut. Capt.* 3. 5. 6. Ut confidenter mihi contra astitit. Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 194. *Ter. Heaut.* 5. 2. 7. Hic patrem astare ajebas? *Virg.* 7. *Æn.* 181. Astare vestibulo. *Id.* 12. *ibid.* 93. mediis ædibus. *Id. ibid.* 133. portis sublimibus. *Sueton. Tib.* 61. et *Martial.* 8. 56. 13. mensæ. *Tac.* 12. *Ann.* 36. tribunali. *Id.* 15. *ibid.* 37. Crepidinibus stagni lupanaria astabant. *Stat.* 9. *Theb.* 606. tum limine divæ Astitit et tali nequidquam voce precatur. *Sil. It.* 17. 646. curru. *Id.* 17. 478. Astare præsentem alicui. — Per Accus. sine præp.: nam *Priscian.* 18. p. 1181. *Putsch.* docet Latine dici *Astitit illum locum*, et *illo*, et *illi*, et *circa illum*. Hinc *Plin. Paneg.* 23. Occursantium populus te quoque, te immo maxime astabat. Cf. et ASSISTO.

II.) Translate. ¶ 1. Asto est adsum, præsto sum, opitulor; quod ex orationis contextu patet. *Plaut. Amph.* 3. 4. 10. Amanti supparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo. *Id. Cas.* 3. 3. 4. Contrivi diem, dum adsto advocatus cuidam cognato meo. ¶ 2. Figurate. *Lucret.* 3. 1092. finis vitæ mortalibus astat. — *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Vidi ego te, astante ope barbarica. *h. e.* manente, vigente, incolume; sive Priami dum regna manebant, ut *Virg.* 2. *Æn.* 22. loquitur.

ASTŎMACHĒTUS, a, um, adject. ἀστομάχητος, ab α privativo, et στόμαχος *stomachus*, stomachi vitio, et translate animi ægritudine carens. *Inscript.* apud *Grut.* 750. 14. P. AELIO CELERI CLODIA HELPIS CONJUGI BENEMERENTI, QUI VIXIT ANNIS XC. ASTOMACHETUS. Alia apud *Reines. cl.* 12. *n.* 124. FUIT HIC VITAE NITIDUS, CULTU (*leg.* cultu) DECORATUS, FORMAE (*leg.* forma) SPECIOSUS, QUI ET ASTOMACHETUS. Similis sententiæ est illa *Inscript.* apud *Oderic. Syllog.* p. 181. Φλ. Καλήμερα ἀμέμπτως πρὸς τὸν ἄνδρα ἀστομαχήτως βιώσασα. h. e. *sine bile*, quod frequens legitur in *Inscriptt.* Latinis.

ASTRĂBA, æ, f. 1. ἀστράβη, Græca vox. In *Gloss. Isid.* exponitur tabella, ubi pedes requiescunt. In *Gloss.* etiam *Lat. Gr.* legitur: *Astrama*, σανὶς ὑποπόδιον: ubi *Salmas. not. ad Spartian. in Carac.* 7., *Voss. Etymol.* et alii emendant *astraba*; et putat *Salmas.* intelligi gradus ligneos, vel ferreos, quibus in equum ascenditur; aut lignum illud in ephippiis, quod sessor manu tenet. Ita enim exponitur ab *Hesychio*, et in magno Etymologico ἀστράβη τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων τιθέμενον ξύλον, ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι. Significat etiam clitellas, quæ asinis vel mulis imponuntur ad vehenda onera: item quodvis jumentum clitellas ferens (ut ex eodem *Hesychio* constat), quod *dossuarium* et *clitellarium* Latine dicitur. Ducitur ab α privativo et στρέφω *verto, torqueo*, quia clitella onus, aut equitem regit, ne labatur. Hinc *Astraba*, et Latine *Clitellaria* inscripta est una ex fabulis *Plauti* deperditis, cujus aliquot solum fragmenta ad nos pervenere. *Probus* in *vita Virgilii* (si modo aliqua est ei habenda fides) docet, *astrabam* esse vehiculum quoddam (*V.* et voc. seq.); et ideo a *Plauto* inscriptam fuisse eo nomine fabulam, quia in ea mulieres in ejusmodi vehiculis induxit. *Gell.* 11. 7. et *Non.* p. 69. 33. *Merc.* dubitant, an ea comœdia inter genuinas *Plauti* referenda sit: *Varro* 6. *L. L.* 73. et 7. *ibid.* 66. *Müll.* et *Festus* p. 306. 2. *Müll.* non dubitant.

ASTRĂBĬCOS, a, on, *vel*

ASTRĂBĬCUS, a, um, adject. ad astrabam pertinens. *Probus* in *vita Virg. sub init.* Hoc idem carmen (*bucolicum in sacris Dianæ Caryatidis*) astrabicon dictum est a forma sedilis, quo advecti fuerant qui illa cantaturi erant.

ASTRÆA, æ, f. 1. justitiæ antistita vel dea, de qua *V.* ONOM. Est hujus deæ signum in cœlesti Zodiaco, quod et *Libra* appellatur. *V.* LIBRA. *Lucan.* 9. 534. aut Aries donat sua tempora Libræ, Aut Astræa jubet lentos descendere Pisces.

ASTRĂGĂLIZONTES, um, m. plur. 3. ἀστραγαλίζοντες, hoc est astragalis, seu talis ludentes; ab ἀστραγαλίζω *talis ludo*. Ita appellabatur signum a Policlete factum duorum puerorum talis ludentium: quo opere nullum absolutius plerique judicarunt: *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55).

ASTRĂGĂLUS, ii, m. et Astragalum, i, n. 2. De genere hujus nom. *V.* sub fin. paragr. 1. Ἀστράγαλος, Græca vox significans talum pedis tum in homine, tum in animalibus. Item talum lusorium. Habet etiam alias notiones: sed tum istæ, tum aliæ Græcorum sunt. Usurpatur Latine ¶ 1. A *Vitruvio* pro membro architecturæ, quod figura astragalum imitatur: habetque locum in basibus columnarum, in superciliis, in coronis, et alibi. *Vitruv.* 3. 5. 3. *Schneid.* Astragali faciendi sunt octavæ partis trochili. *Id.* 4. 6. 2. In hyperthyro scalpendum est cymatium, astragalum Lesbium sima scalptura. *Schneid.* et hoc loco astragalum masc. gen. profert: et porro recentiores philologi putant *astragalum Lesbium* esse membrum, quod anuli formam præsefert atque ex insculptis fructibus constat. ¶ 2. Est etiam *astragalus* herba, quæ folia habet longa incisuris multis, et obliqua circa radices, caules tres aut quatuor foliorum plenos, florem hyacinthi, radices villosas, implicatas, rubras, prædurас. Nascitur in petrosis, apricis et iisdem nivalibus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 29. (46). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 391.) hanc exhibet synonymiam: Ἀστράγαλος Dioscor. 4. 62. et *Astragalus* Plin. loc. cit. sunt *Lathyrus tuberosus* L. Spec. plant. 1033.

ASTRĀLIS, le, adject. ad astra pertinens, astricus. *Avien. Phænom.* 609. Seu nox astrales adolet cum cærula flammas. *Augustin. Civ. Dei* 5. 7. *extr.* Falsæ et noxiæ opiniones de astralibus fatis. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

ASTRANGULĀTUS. *V.* ASTRANGULO.

ASTRANGULO *vel* adstrangulo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* strangulo) idem fere quod strangulo: occurrit autem tantummodo Part. *Astrangulatus* apud *Minuc. Fel.* 1. 30. Filios astrangulatos elidere.

ASTRĂPĒ, es, f. 1. ἀστραπή, Græca vox fulgetrum significans: nomen est tabulæ, in qua Apelles fulgetrum pinxit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (96). Pinxit et quæ pingi non possunt, tonitrua fulgetraque: Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant.

ASTRĂPĬAS, æ, m. 1. ἀστραπίας, gemma nigri, aut cyanei coloris, discurrentibus e medio fulminis radiis: unde et nomen habet; ab ἀστραπή *fulgetrum*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (189).

ASTRĂPŎPLECTUS, a, um, adject. ἀστραπόπληκτος, hoc est fulgetro seu fulgore ictus; ab ἀστραπή *fulgetrum* et πλήσσω *percutio, ferio*. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 15. Ab his (*fulgoribus*) tecta videmus icta sine fulmine, quæ astrapoplecta Græci vocant.

ASTRĀTUS *vel* adstratus, a, um. *V.* ASTERNO.

ASTREANS, antis, adject. radios lucemque astri instar emittens. Vox est pæne monstrosa a *Capell.* usurpata 8. *p.* 273. Astreans Urania. At probabilis est *Grotii* conjectura, (quam secutus est et *Kopp.*) qui ex Cod. Basil. legendum putat: *Astræamque aut Uranien certe Libyssam apparuisse rati.* Hic enim in editionibus legitur: *Astreantemque Uranien.*

ASTRĔPO *vel* adstrepo, strĕpis, strĕpui, strĕpitum, strĕpere, 3. (ad *et* strepo) apud aliquem strepo vel simul strepo (It. *fare strepito*; Fr. *faire du bruit auprès*; Hisp. *retumbar, resonar cerca*; Germ. *dabei oder dazu rauschen oder ein Geräusch machen*; Angl. *to make a noise*). Est verbum *A*) Intransitivum et *B*) Transitivum.

A) Ut verbum intransitivum occurrit — *a*) Absolute. *Seneca Hippol.* 1022. totum mare immugit, omnes undique scopuli astrepunt. *Tac.* 1. *Ann.* 18. Astrepebat vulgus diversis incitamentis: hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. *Id.* 2. *Hist.* 90. Vulgus, solitas adulationes edoctum, clamore et vocibus astrepebat. *h. e.* applaudebat. — *b*) Cum Dat. personæ, et est strepitu ac murmure assentiri et applaudere. *Tac.* 11. *Ann.* 17. Astrepebat huic alacre vulgus. Et 12. *ibid.* 34. Hæc dicenti astrepere vulgus. — *c*) Cum Accus. *Plin. Paneg.* 26. Plerique irritis precibus surdas principis aures astrepebant.

B) Ut transitivum *astrepere aliquid* est murmure et clamore dicere, aut repetere. *Tac.* 4. *Hist.* 49. Magnâ voce, læta Pisoni omnia, tamquam principi, continuare; obvios et subitæ rei miraculo attonitos, ut eadem astreperent, hortari.

ASTRICTĒ *vel* adstricte, adverb. (astrictus). Comp. *Astrictius.* — Est idem atque arcte, stricte, strictim (It. *strettamente*; Fr. *d'une manière étroite*; Hisp. *estrechamente*; Germ. *angezogen, knapp*; Angl. *closely, strictly*). Sed translate tantum occurrit de oratione. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 184. Illud assentior Theophrasto, qui putat, orationem, quæ quidem sit polita, atque facta quodammodo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere, *h. e.* non stricte ligatam numeris, ut versus. *Plin.* 3. *Ep.* 18. *ad fin.* Cum ea potius, quæ pressius et astrictius, quam illa, quæ hilarius et quasi exsultantius scripsi, possint videri, etc. *Senec. Ep.* 8. *sub fin. Alienum est omne, quidquid optando venit.* Hunc versum a te dici non paullo melius et astrictius memini. *Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.* h. e. pressius, It. *con un parlar più stretto. Plin* 1. *Ep.* 20. Non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra; qui astrictius, quam qui effusius dicit. *Quintil.* 10. 1. 106. Densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictius, hic latius.

ASTRICTĬO *vel* adstrictio, ōnis, f. 3. actus astringendi: sed translate tantum occurrit. ¶ 1. De iis ponitur, quæ sunt acerbi gustus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 59. (83). Herba odoris tetri, gustus amari cum astrictione. *h. e.* cum vi astringendi. ¶ 2. Est etiam acuendi actus in *Cod.* 1. 4. 3. ¶ 3. Item coactio. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. Non novam esse passionem plurimi dixerunt, sed ob adstrictionem probandæ novæ passionis, ajunt neminem veterum hanc memorasse passionem. *h. e.* ne novam passionem probare cogerentur: plerique alii tamen *adstrictionem* pro difficultate accipiunt.

ASTRICTŌRĬUS *vel* adstrictorius, a, um, adject. astringendi vim habens. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 71. (117). Paliuri folia astrictoriam vim habent.

ASTRICTUS *vel* adstrictus, a, um. *V.* ASTRINGO.

ASTRĬCUS, a, um, adject. ἀστρικός, ad astra pertinens. *Varro* apud *Non.* p. 135. 37. *Merc.* Astrica corona. *Id. ibid.* p. 371. 14. Repente noctis circiter meridiem Cum pictus aer fervidis late ignibus Cæli choreas astricas ostenderet, etc. *Id. ibid.* p. 451. 8. Chorea astrice. *Græca terminatione dixit*, χορεία ἀστρική. *V. Oehler. in M. T. Varron. Sat. Menipp. reliq.* p. 156.

ASTRĪDO *vel* adstrido, stridis, stridere, n. 3. (ad *et* strido) idem quod strido, vel prope aut in aliquem strido. Occurrit Part. *Astridens* tantummodo apud *Stat.* 11. *Theb.* 494. *de Tisiphone.* premit astridentibus hydris, Intentatque faces.

ASTRĪFER, a, um, adject. poet. (astrum *et* fero). ¶ 1. Est qui astra fert. *Stat.* 8. *Theb.* 83. astriferos inclinat Juppiter axes. *Val. Flacc.* 6. 752. Nox simul astriferas profert mortalibus umbras. *h. e.* quæ stellas afferunt. *Capell.* 9. p. 301. Astrifer thalamus. *h. e.* cælestis. ¶ 2. Item qui in astra translatus est. *Martial.* 8. 28. Quem (*Timavum*) prius astrifero Cyllarus ore bibit. *h. e.* ore, quod postea una cum Castore inter astra positum fuit, seu quod modo astra sustinet.

ASTRĪFĬCO, as, are, a. 1. astra facio. Occurrit Part. *Astrificans* tantum apud *Capell.* 6. *p.* 191. Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus, Archimedea astrificante manu.

ASTRĪFĬCUS, a, um, adject. astra faciens. *Capell.* 2. *init.* Sed purum astrificis cælum scandebat habenis Nox, revocans merso fulgentia sidera Phœbo. *Id.* 6. *p.* 191. Astrificum peplum.

ASTRĪGER, a, um, adject. poet. astra gerens,

astrifer. *Stat.* 10. *Theb.* 828. astrigeros Capaneus tollendus in axes. *Claudian. B. Get.* 245. astrigera senior cum conjuge Cepheus. *h. e.* Cassiopea. *Solin. fragm.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 385. *Burm.* tibi primum candidus æther Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo. *Capell.* 1. *p.* 22. Ni nostra, astrigeri (*h. e.* dii), nota benignitas etc. *Id.* 2. *p.* 44. Astrigerumque sacro sub nomine noscere cœlum.

ASTRĬLŎQUUS, a, um, adject. qui de astris loquitur. *Capell.* 8. *p.* 273. Villaque astriloquæ præfers commenta puellæ. *h. e.* astronomiæ.

ASTRĬLŪCUS, a, um, adject. lucens ut astrum, vel inter astra fulgens. *Capell.* 9. *init. p.* 302. Ruricolæ omnes, cunctique fluctigenæ, quamplures etiam astriluci assensere divi.

ASTRINGO *vel* adstringo, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (ad *et* stringo). Part. *Astringens* I. 2.; *Astrictus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Astringendus* II. 1. — Astringo est idem quod stringo, vel valde stringo, vel juxta aut ad aliquid stringo, arte ligo (It. *stringere, legare stretto*; Fr. *serrer, astreindre, lier*; Hisp. *atar, legar, estrechar*; Germ. *straff anziehen*; Angl. *to bind close or straitly, to tie, fasten, gird, streiten, tigthen, clinch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de iis, quæ vinculo aliquo arte inter se colligantur. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 3. 5. 9. Astringite isti, sultis, vehementer manus. *Cic. Tim.* 4. Sed vinculorum id est aptissimum – quod ex se atque ex iis, quæ astringit, quam maxime unum efficit. *Horat. Epod.* 15. 5. Artius atque hederâ procera astringitur ilex. *Ovid.* 11. *Met.* 76. Plangitur (*capta avis*) ac trepidans astringit vincula motu. *Curt.* 3. 1. 15. Notabile erat jugum adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis et celantibus nexus. Et *ibid.* § 17. Quippe serie vinculorum ita astricta, ut etc. *Cels.* 5. 26. *n.* 24. Fascia sic deliganda est, ut et contineat, nec astringat. *Seneca* 3. *Ira* 16. 1. Sic laqueos fera dum jactat, astringit. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 17. Arboris autem perpetua cultura est; – quidquid frondis enatum fuerit, alternis annis aut ferro amputare, aut astringere, ne nimia umbra viti noceat. *Forcellinus* hunc locum ad seq. paragr. retulit, et *astringere* pro contrahere, in angustum cogere accepit. *Lucan.* 2. 362. Balteus haud fluxos gemmis astrinxit amictus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 146. Astrictæ comæ. *Astringere flumen ponte* pro jungere dixit *Sil. It.* 13. 765. — *b*) Addito termino, ad quem quis astringitur. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 25. Abducite hunc intro, atque astringite ad columnam fortiter. *Cic.* 6. *Verr.* 42. 92. Quis est hic, qui ad statuam astrictus est? ¶ 2. Latiori sensu et generatim est, quocumque modo colligare, obturare, claudere, contrahere, in angustum cogere, ideoque et siccare humoresque depascere. *Virg.* 1. *G.* 91. Seu durat magis et venas astringit hiantes (*terræ*), Ne tenues pluviæ etc. *Horat.* 3. *Od.* 8. 10. Corticem astrictum pice dimovere. Cf. *Curt.* 5. 1. 29. Coctili latere(c)ulo specus structi sunt: totum opus bitumine astringitur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 174. Soccus astrictus. *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 2. Astringens digitos orbe minore tuos. *Id.* 3. *ibid.* 1. 50. Limen astrictum. *h. e.* janua obserata et custodita. *Id.* 4. *Fast.* 929. Conatusque aliquis vagina educere ferrum Astrictum longâ sentiet esse morâ. *Id.* 1. *Art. am.* 361. Pectora astricta dolore. *Curt.* 4. 8. 8. Astricti crepidis pedes. *Id.* 3. 13. Astrictæ vestes. *Tac.* 4. *Ann.* 70. Quantum astrictis faucibus niti poterat, clamitans. *Lucan.* 8. 67. Astringere complexibus artus. Cf. *Petron. Satyr.* 9. *extr.* toto pectore aliquem. *h. e.* arte complecti. *Quintil.* 11. 3. 81. Astringere, aut diducere labra. *Seneca Ep.* 106. frontem. *h. e.* contrahere. Adde *Martial.* 11. 40. *Quintil.* 8. 3. 10. Equus, cujus astricta sunt ilia. *Id. Proœm.* 8. 19. Astrictum corpus. *Id.* 11. 3. 160. Vultum superciliis astringere. *Cels.* 2. 2. Astricta tempora. ¶ 3. Speciatim a Medicis *astringere* dicuntur ea, quæ alvum sistunt. Ad rem *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Exque (*alvus*) tum astringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit et confundit. *Cels.* 1. 3. Alvum astringit labor, sedile, etc. – Contra solvit aucta ambulatio et esca. Adde *eumd.* 2. 30. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Item decoctione corticis pini – aut cujuslibet materiæ vehementius astringentis. *Id.* 1. *ibid.* 1. Succo quolibet admixto, qui sine repercussu valeat astringere. *V.* et *Astrictus* in fin. ¶ 4. Item speciatim astringere dicuntur ea, quæ sunt acerbi gustus, qualia sunt poma immatura et acida, quæ dentes et linguam quodammodo stringunt et ligant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 60. (85). Ea (*radix glycysides*) gustu astringit. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (34). Mutantes aquam, donec linguam astringat leniter, nec mordeat. *h. e.* vellicet, leniter titillet. *Id.* 27. *ibid.* 12. 96. (121). Polygala palmi altitudinem petit, in caule summo foliis lenticulæ, gustu astricto. *h. e.* astringente, acerbo. — Huc pertinet et illud ejusdem *Plin.* 36. *ibid.* 26. 65. (190)., ubi dicuntur arenæ Beli amnis *astringi morsu marino*, cum undis maris alluuntur, et salis acrimoniam ac mordacitatem imbibunt. Huc quoque referri potest et illud *Scribon. Compos.* 256. Malagma, quod confirmat partem et astringit. *h. e.* siccat ejusque humores depascit. ¶ 5. Item speciatim dicitur etiam de frigore, quia contrahit et cogit. *Ovid.* 9. *Met.* 222. nivibus quoque molle rotatis Astringi – corpus. *Id.* 3. *Pont.* 3. 20. Et coit astrictis barbarus Ister aquis. *h. e.* gelu contractis. *Id.* 3. *Trist.* 4. 4. 8. astricto terra perusta gelu. *Curt.* 7. 3. 13. Quæ (*corpora*) – vis frigoris ita astringebat, ut rursus ad consurgendum conniti non possent. *Id.* 8. 4. 6. Imbrem vis frigoris concreto gelu astrinxerat. *Lucan.* 5. 436. Stat iners Scythias astringens Bosporos undas. *Id.* 6. 750. Astrictus cruor. *h. e.* concretus. ¶ 6. Hinc ponitur etiam pro refrigerare. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Si natare tepidius velis, in area piscina est; in proximo puteus, ex quo possis rursus astringi, si pœniteat teporis. *Al. perperam leg.* abstergi. *Martial.* 1. 50. 11. remissum corpus astringes brevi Salone, qui ferrum gelat. *Astringor* hac significatione eleganter habet in præterito *astrinxi* pro *astrictus sum*; ea ratione, qua *lavi* dicimus pro *lautus sum*, et alia. Ita enim consuetudo obtinuit. Hæc *Varro* apud *Gell.* 2. 25. ¶ 7. Denique *astringi* color dicitur a *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (135). qui minus splendidus fit et quodammodo pressior: cui contrarium est *excitari*.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim de moralibus vinculis ponitur, quibus cum aliis conjungimur, et per quæ morali coactione tenemur et ad aliquid adigimur. Ad rem *Cic.* 3. *Off.* 31. 111. Nullum enim vinculum ad astringendam fidem jurejurando majores artius esse voluerunt. Et *Id. Prov. cons.* 14. 34. Sed tamen una atque altera æstas vel metu, vel spe, vel pœna, vel præmiis, vel armis, vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis astringere. Cf. *Quintil.* 5. 10. 101. Hac autem significatione occurrit. — *a*) Generatim. *Plaut. Trin.* 3. 2. 73. Ubi affinitatem inter nos nostram astrinxeris. *Ter. Eun.* 1. 2. 23. Hac lege tibi meam astringo fidem. *Cic. Orat.* 65. 220. Nec tamen hæc ita sunt arta atque astricta, ut ea, cum velimus, laxare nequeamus. *Id.* 10. *Att.* 6. Pater – nimis indulgens, quidquid ego astrinxi, relaxat. *Sall. Jug.* 73. Omnes res exequi solitus, quæ Jugurthæ fesso aut majoribus astricto superaverant. *h. e.* majoribus negotiis detento. *Liv.* 39. 1. Inops regio, quæ parcimoniâ astringeret milites. *Lucret.* 4. 1180. Astrictum esse in amore. *Ovid. Heroid.* 20. 27. Te mihi compositis – Astrinxit verbis ingeniosus amor. *h. e.* subdidit, obnoxium reddidit. *Curt.* 6. 8. 12. Nicomachum religione quoque deorum astrictum, conscientiam suam exonerare properasse. — *b*) Sæpius addito, quo quis astringitur, per Ablat., aut interdum, quod idem est, per Genit. *Cic. Planc.* 30. 74. Hujus tanti officii servitutem astringam testimonio sempiterno. *h. e.* obligabo, confirmabo. *Id. Pis.* 13. 30. Quorum mens oppressa præmio, lingua astricta mercede. *Id. Quinct.* 6. 19. Astringere aliquem suis conditionibus. *Id. Brut.* 10. 40. disciplinam legibus. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. § 11. aliquem legibus. *Id. Cluent.* 57. 155. Lege et quæstione astringi. *Id.* 3. *Orat.* 44. 173. Orationem numeris astringere. *Id.* 1. *Nat. D.* 7. 18. Nulla necessitate astrictus. *Id.* 6. *Verr.* 42. 90. Religione devinctus atque astrictus. *Ita legit* Orell.; *al. minus recte* religioni vinctus et astrictus. *Id.* 2. *Legg.* 19. 48. Sacris astringi. *h. e.* teneri lege de sacris familiæ servandis. *Id.* 4. *Phil.* 4. 9. Astringere se scelere. *Id. Sext.* 50. 108. Scelere astringi. *Id. Sull.* 29. 82. Tanto scelere astrictis hominibus statuerunt nihil auxilii ferre oportere. Adde *Pis.* 39. in *fin.*, ubi alii leg. *obstrictus*. *Quintil.* 2. 2. 4. Astringere mores disciplinæ severitate. *Val. Max.* 2. 10. 8. Exiguum patrimonium, astricti continentiâ mores. *Flor.* 4. 12. Astringere hostes obsidibus. *h. e.* datis acceptisque obsidibus obnoxios tenere. *Ulp. Dig.* 50. 6. 2. et *Arcad. ibid.* 4. *l.* 18. Astringi. *h. e.* obligari ad munera præstanda. — Interdum et per Genitivum, quod idem est; namque aut ponitur Græcorum more, aut est antiqua Dativi forma ut *furti* pro *furtoi*. Sic *Plaut. Rud.* 4. 7. 34. Astringere se et alium furti. Adde *eumd. Pœn.* 3. 4. 27. et Cf. *Ter. Eun.* 4. 7. 39. — *c*) Item addito, ad quod quis astringitur, fere per Accus. et præp. *in* vel *ad*. *Ovid. Heroid.* 16. 319. Astringere se in sacra jura. *Quintil.* 2. 16. 9. se ad servitutem juris. *Id.* 7. 3. 16. se ad certa verba. *Sueton. Aug.* 49. milites ad certam stipendiorum formulam. *Id. Tib.* 18. Commeatus ad certam formulam astrictus. *Plin.* 7. *Ep.* 1. *in fin.* Astringi ad temperantiam. *Sueton. Cæs.* 84. Astringere se jurejurando pro salute alicujus. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores astringere est paucis colligere, breviter dicere. *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 13. Breviter astringere argumenta. *Id. Fat.* 14. 32. Artius astringi ratio non potest. *Quintil.* 10. 4. 1. Humilia extollere (*in oratione*), luxuriantia astringere. *Id.* 3. 4. 4. Rem tam late fusam tam breviter astringere. *V. Astrictus* in fin. — Hinc Part. præter. pass.

Astrictus vel *adstrictus, a, um*, omnibus, quibus verbum, significationibus occurrit; sed adjectivorum quoque more usurpatur, unde Comp. *Astrictior*.

A) Proprie apud Medicos *alvus astricta* est quæ difficillime potest exonerari. *Cels.* 1. 3. Alvus fusior aut astrictior. *Id.* 3. 6. Corpus astrictum. *Id.* 1. *præfat.* Genus morbi astrictum. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Venter nimis astrictus.

B) Translate. — 1.) Astrictus est in sumptibus parcus. *Propert.* 2. 18. 73. nec poscet garrula, quæ te Astrictus ploret sæpe dedisse pater. Adde *Cic.* 3. *Fam.* 8., ubi tamen plerique leg. *restrictus*. *Tac.* 3. *Ann.* 55. Præcipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit. *h. e.* parsimoniæ. *Justin.* 44. 2. Astricta parsimonia. — 2.) Apud Rhetores *astricta oratio* est brevis. *Cic. Brut.* 90. 109. Dialectica quasi contracta et astricta eloquentia putanda est. *Id. ibid.* 25. 94. Simplex quidem L. Mummius et antiquus; Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen astrictior; fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. *Id.* 1. *Orat.* 16. 70. Est finitimus oratori poeta, numeris astrictior, verborum autem licentiâ liberior. *Id. ibid.* 60. 254. Histrio astrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum. *Id. Brut.* 95. 327. Comprehensio verborum astricta et perfecta exercitatione. *Quintil.* 8. 6. 61. Astrictior circuitus eloquendi.

ASTRĬOS, ii, f. 2. subaudi *gemma*, ἀστρίος, gemma est candida, inquit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 48. (132). crystallo propinqua, in India nascens, et in Pallenes littoribus; intus a centro ceu stella lucet fulgore lunæ plenæ. Quidam causam nominis tradunt, quod astris apposita fulgorem rapiat ac regerat. *Isid.* 16. *Orig.* 13. 7. Astrios ex India est, crystallo propinqua, etc.

ASTRĬSŎNUS, a, um, adject. *Capell.* 9. *p.* 308. Astrisonus Juppiter. *h. e.* qui volvendo astra sonum edit.

ASTRĪTES, æ, m. 1. ἀστρίτης, gemma siderum fulgorem referens. *Capell.* 1. *p.* 19. *V.* ASTERITES 2.

ASTRŎARCHĒ, es, f. 1. ἀστροάρχη, *h. e.* astrorum princeps: sic a Phœnicibus dicta est dea, quæ ab Afris Urania seu Cœlestis dicitur, nempe Venus. *Capell.* 8. *p.* 273., ubi alii aliter leg.

ASTRŎBŎLOS, i, f. 2. gemma esse dicitur oculis piscium similis, candida luce in sole radians. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 50. (133).

ASTRŎCȲON, ynos, m. 3. ἀστροκύων, ab ἄστρον *stella* et κύων *canis*. *Vet. Scholiast.* ad *Germanic. Arat.* 352. Canis Icarii, qui ululans ante pedem pendentis Virginis mortuus est, astrocyon nominatur, quod nos canis stellam dicimus.

ASTRŎĪTES, æ, m. 1. ἀστροΐτης, gemma est celebrata miris laudibus a magis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 49. (133).

ASTRŎLŎGĬA, æ, f. 1. ἀστρολογία, scientia tractans de natura et motu astrorum, quæ et *astronomia* dicitur. Aliqui ita distinguunt, ut *astronomia* sit, quæ de motu astrorum disserit; *astrologia*, quæ influxum siderum spectat, et ex astris prædicit futura contingentia circa vitam et fortunam hominum. Hinc *Hieronym.* 1. *advers. Pelagian.* 8. tanquam duas diversas artes enumerat. Sed tamen fere ¶ 1. Latini scriptores *astrologiæ* nomine utramque complexi sunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 87. Eudoxus Platonis auditor, in astrologia facile princeps. (Hujus meminit etiam *Petron. Satyr.* 88.). *Id.* 1. *Orat.* 16. 69. Ignarus astrologiæ. Adde 1. *Offic.* 6. 19. et 1. *de republ.*

11. 22. *Varro* 2. *R. R.* 17. Quas Capras etiam astrologia in cælum recepit, non longe ab Tauro. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 4. 5.; *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (203)., et *Quintil.* 2. 18. 1. *Astrologiæ* inventor dicitur fuisse Atlas Libyæ filius: alii Ægyptiis eam inventionem tribuunt, alii Assyriis, et Belo Babiloniæ regi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (203). et 6. *ibid.* 26. 30. (121). *Inscript.* apud *Rosmin. Stor. di Milano T.* 4. p. 466. M. VALERIVS MAXIMVS SACERDOS D. S. I. M. (*h. e.* Dei Solis invicti Mithræ) STVDIOSVS ASTROLOGIAE SIBI ET SEVERIAE AFRAE VXORI H. M. H. N. S. (*h. e.* hoc monumentum heredem non sequitur). — Item libri de astrologia tractantes. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (313). Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus (nam hujus quoque nomine exstat Astrologia) tradidit fieri, cum etc. ¶ 2. Item ars, quæ influxum siderum spectat, et ex astris prædicit futura contingentia, ut apud *Hieronym. l. c.* sub init.

ASTRŎLŎGĬCUS, a, um, adject. ἀστρολογικός, ad astrologiam pertinens. *Boeth. Cons. Philos.* 2. *pros.* 7. Omnem terræ ambitum, sicut astrologicis demonstrationibus accepisti, ad cæli spatium, puncti constat obtinere rationem.

ASTRŎLŎGUS, i, m. 2. ἀστρολόγος, qui astrologiæ scientiam habet. ¶ 1. Qui de natura et motu astrorum disserit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *de republ.* 18. 30. Astrologorum signa in cælo, quid sit, observat etc. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 129. Iste novus astrologus, qui non tam cæli rationem, quam cælati argenti duceret. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 42. 88.; *Varron.* 2. *R. R.* 1. 7., et 3. 7., et apud *Non. p.* 82. 32. *Merc.*; et *Colum.* 11. *R. R.* 1. 31. — Hercules *astrologus* dictus est, quod eo die se flammis injecit, quo futura erat obscuratio solis, inquit *Paul. Diac.* p. 100. 14. *Müll.*; vel potius quod astrologiæ peritus fuit, quam eum doctum fuisse ab Atlante *Servius* tradit ad *Virg.* 1. *Æn.* 745. Unde et pro ipso cælum sustinuisse fingitur. ¶ 2. Item qui influxum siderum spectat, et ex astris prædicit futura contingentia circa vitam et fortunam hominum. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Non habeo nauci Marsum augurem, Non vicanos haruspices, non de circo astrologos etc. *Cic.* 1. *Divinat.* 6. 12. Augurum aut astrologorum prædictio. *Id.* 6. *Fam.* 6. 7. Ut augures et astrologi solent. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 59. 85. et 2. *ibid.* 42. 88.; *Sueton. Ner.* 36. et *Juvenal.* 6. 554.

ASTRŎNŎMĬA, æ, f. 1. ἀστρονομία, scientia quæ ex ratione motus siderum aliquid colligit, et ad usum vitæ transfert: v. g. ad rationem temporis, dierum, mensium, anni constituendam; item ad navigationem, etc. Græca vox, ut et *astrologia*: sed *astronomia* Latini scriptores parcius usi sunt. *Petron. Satyr.* 88. Ubi est dialectica? ubi astronomia? ubi sapientiæ consultissima via? *Seneca Ep.* 95. Scita, vel placita, quæ in geometria et in astronomia invenies. Adde *Augustin.* 18. *Civ. Dei* 39. et *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 4.

ASTRŎNŎMĬCUS, a, um, *vel potius* astronomica, ŏn, n. plur. adject. ad astronomiam pertinens, ἀστρονομικός. *Astronomicôn* est liber vel opus de astronomia tractans. Ita inscribitur *Manilii* poema: quemadmodum *Poeticôn astronomicôn libri II* inscribitur *Hygini* opus.

ASTRŎNŎMUS, i, m. 2. ἀστρονόμος, astronomiæ peritus. *Firmic.* 5. *Mathes.* 13. Faciet divinos sortilegos, astronomos. Adde *ibid.* 15.

ASTRŌSUS, a, um, adject. infelix. *Isid.* 10. *Orig.* 13. Astrosus, ab astro dictus, quasi malo sidere natus. Cf. *Id.* in *Gloss.* Astrosus, lunaticus.

ASTRUCTĬO *vel* adstructio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus astruendi: sed translate tantum occurrit. *Capell.* 5. p. 149. Illa autem ratio ex oratoris plerumque astructione colligitur. *h. e.* ex probationibus, quas orator addit. *Id.* 9. p. 314. Bene modulandi solertia, quæ rhythmicis et melicis astructionibus continetur. *h. e.* compositionibus musicis. *Augustin. Ep.* 254. 4. Hoc non est docere, sed id, quod perverse sentitur, sine ulla documentorum astructione proponere. *Capell.* 6. p. 200. Cum rotundum telluris orbem astructio superior ratioque monstrarit. ¶ 2. Significat etiam recorporationem. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. § 137. Plurimi autem astructiones corporum aspernantes solius detrahendi humoris intentione traducti, quoquo modo id perficiendum crediderunt.

ASTRUCTOR *vel* adstructor, ōris, m. 3. qui astruit; sed translate tantum occurrit. *Venant.* 2. *de vita Mart. ad fin.* Assertor validus, superans fora, jura, togatos, Nobilis astructor, facundus concionator. *h. e.* argumentorum ac rationum inventor ingeniosus ad probanda ea, de quibus dicit.

ASTRUM, i, n. 2. ἄστρον, Græca vox, quæ proprie significat *sidus*, h. e. constellationem, seu signum pluribus stellis constans (ab ἀστήρ *stella*, cui opponitur), sicut *aster* unam stellam significat; et ita sæpe usurpatur a Græcis, ut *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 14. docet: *V.* SIDUS (It. *costellazione*, *segno celeste*; Fr. *astre*, *constellation*; Hisp. *constelacion*; Germ. *das Gestirn*, *Sternbild*; Angl. *a constellation*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est constellatio. *Virg.* 1. *G.* 231. orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra. *Id. ibid.* 218. averso cedens Canis occidit astro. *Martial.* 8. 21. Astrum Ledæum. *h. e.* sidus Castoris et Pollucis. *Id. ibid.* 55. Herculeum astrum. *h. e.* signum Leonis. Adde *Manil.* 3. 318., 2. 666. et alibi sæpe. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius ponitur pro stella, quia stella et proprium habet nomen, et per se ipsa cæleste signum efficit. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 62. Et astra suspeximus, tum ea, quæ sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia. *Id.* 2. *Nat. D.* 46. 117. In æthere astra volvuntur. *Id. ibid.* 7. 19. Cursus astrorum dispares. *Id.* 1. *Divinat.* 41. 91. Antecellere cognitione astrorum. Adde *eumd.* 7. *Verr.* 10. 27. et *Tim.* 12. *Virg.* 9. *Ecl.* 47. Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. *Servius* ad *h. l.*: Sane *astrum* Græce dixit; nam stellam debuit dicere. *Virg.* 8. *Æn.* 590. Astrorum ignes. *Id.* 4. *ibid.* 352. Astra ignea. *Id.* 5. *ibid.* 838. ætheriis delapsus ab astris. *Horat.* 3. *Od.* 21. 24. fugat astra Phœbus. — *Forcellinus* huc refert et illa, quæ rectius fortasse ad superiorem paragr. pertinent, *Horat.* 2. *Ep.* 187. Natale astrum. *h. e.* sub quo quemque nasci credidit antiquitas; quod influere unicuique vel faciles vel duros mores, prosperam vel adversam afferre sortem putabatur. *Id.* 2. *Od.* 17. 21. Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum. *Petron. Satyr.* 44. Malo astro natum esse. — De sole et luna. *Cic.* 6. *de republ.* 22. 24. Homines annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur. *Censorin. de die Nat.* 23. Babylonii a solis exortu ad exortum ejusdem astri diem statuerunt. *astri diem* in quibusdam codicibus desunt. — In illo *Stat.* 1. *Silv.* 1. 97. Ibit in amplexus natus fraterque paterque Et soror; una locum cervix dabit omnibus astris: *astra* ponuntur pro hominibus inter deos relatis; alluditque *Stat.* ad Julium Cæsarem, post cujus mortem stella crinita, quæ per aliquot dies in cælo apparuit, ejus anima esse in astrum conversa credita est, ut narrat *Suetonius* in ejus vitæ fine.

II.) Figurate. ¶ 1. Astra ponuntur ad maximam loci altitudinem significandam. *Virg.* 2. *Æn.* 460. turris educta sub astra. *Id.* 3. *ibid.* 567. Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra. *Ovid.* 1. *Met.* 316. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus. ¶ 2. Item ponuntur ad maximam famæ celebritatisque altitudinem significandam, quia scilicet præclaros antiquitatis viros in astra conversos fabulati sunt Poetæ. *Cic.* 2. *Att.* 25. 1. Tollere in astra laudes alicujus. *Id.* 2. *ibid.* 21. 4. Ex astris decidere. *h. e.* ex maximo honoris famæque gradu. *Virg.* 5. *Ecl.* 52. Daphnin ad astra feremus. *Id.* 9. *Æn.* 641. sic itur ad astra. *h. e.* in cælum ascenditur. Cf. *Seneca Ep.* 73. et *Stat.* 1. *Silv.* 1. 97., qui postremus locus sub I. 2. relatus est. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 29. absentem rusticus urbem Tollit ad astra. *Id.* 4. *Od.* 2. 23. Educere aliquem in astra. *h. e.* laudibus in cælum ferre et æterna fama donare. *Ovid.* 9. *Met.* 272. et 15. *ibid.* 846. Inferre aliquem astris.

ASTRŬO *vel* adstruo, struis, struxi, structum, struere, a. 3. (ad *et* struo). Part. *Astructus* II. — Astruo est in altitudinem struo, et etiam juxta struo, prope struo (It. *fabbricare in alto o appresso*; Fr. *bâtir en haut ou auprès*; Hisp. *edificar*, *construir arriba ó junto*; Germ. *auf-oder emporbauen*, *dazu-oder daranbauen*; Angl. *to build near*).

I.) Proprie. ¶ 1. Astruere est in altitudinem struere. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum passum est, laterculo astruxerunt. *h. e.* laterculo in altum extructo munierunt. Et figurate *Justin.* 23. 3. Sicut ante secunda fortuna Italiæ Siciliæque imperium et tot de Romanis victorias astruxerat; ita nunc adversa destruxit quæ cumulaverat etc. ¶ 2. Item juxta vel prope struo, struendo addo; cum Dat. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 10. Astruere recens ædificium veteri. *Plin.* 9. *Ep.* 7. *ad fin.* Hæ mihi causæ utrique (*villæ*) quæ desunt astruendi.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime sumitur pro fingendo addere, superaddere: et occurrit — *a*) *Astruere aliquid alicui rei.* — Generatim. *Ovid.* 2. *Art. am.* 119. Jam molire animum, qui duret, et astrue formæ. *quidam leg.* formam. *Vellej.* 2. 55. 2. aliquid gloriæ alicujus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (119). aliquid magnificentiæ alicujus. *Plin.* 3. *Ep.* 2. aliquid dignitati alicujus. *Id.* 4. *ibid.* 17. famæ alicujus. *Id. Paneg.* 74. felicitati alicujus. — Speciatim de iis quæ dictis adduntur. *Plin. Paneg.* 35. Astruere aliquid edicto alterius. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 6. 6. (17). his aliquid. *Id.* 12. *ibid.* 18. 41. (83). Periti rerum astruxerunt, non ferre tantum annuo fetu etc. Ita habetur in editionibus antiquis a. 1470. et 1472., et in omnibus MSS., quos vidit *Harduinus*: in editione a. 1469. et in aliis fere omnibus etiam recentioribus legitur *asseverant.* Hanc tamen notionem affirmandi, ut *Forcellinus* ajebat, seu potius addendi aliquid iis quæ affirmata sunt, recte defendere possumus, eamque huic verbo tribuunt *Agroetius Orthogr. p.* 2268. *Putsch.* et *Beda ibid. p.* 2331. — Eodem ferme sensu *Astruere sibi aliquid* est affingere, imaginando superaddere. *Quintil.* 8. 3. 64. An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut cum illa in Verrem legit (*Cic.* 7. *Verr.* 33.): *Stetit soleatus prætor populi Romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in littore*, non solum ipsum os intueri videatur et locum et habitum, sed quædam etiam ex iis, quæ dicta non sunt, sibi ipse astruat? — Item absolute *astruere alicui rei*, ut apud *Sil. It.* 4. 8. Astruit auditis, docilis per inania rerum Pascere rumorem vulgi, pavor. Adde *Tac. Agric.* 4. *Apul.* 11. *Met.* 23. Ad istum modum fusis precibus et astructis lamentationibus. *Scribon. Compos.* 227. Cumulare et astruere medicamentum. — *b*) Item *astruere aliquid alicui*, ut apud *Plin. Paneg.* 46. Astruere laudem alicui. *Tac.* 1. *Hist.* 78. nobilitatem ac decus alicui. ¶ 2. In oratione est etiam attribuere, *h. e.* aliis superaddere. *Vellej.* 1. 17. 2. Ut Livium quoque priorum ætati astruas? *h. e.* annumeres. *Martial.* 3. 20. 4. An quæ Neroni falsus astruit scriptor? *h. e.* attribuit. ¶ 3. *Astruere aliquem alicui rei* est eum effingere, subornare, instruere. *Curt.* 10. 1. 27. Namque gentis ejusdem levissimos falsis criminibus astruxit, monitos, tum demum ea deferre, cum ipse jussisset.

ASTU *vel* asty, nomen est neutrum indeclinabile (V. *Priscian.* 15. *p.* 1012. *Putsch.*) a Græco ἄστυ, εος, τό, *urbs*, υ in u mutata ex Latinorum consuetudine (quamquam et *asty* interdum, servatis Græcis litteris, legitur), et dicitur per antonomasiam de urbe Athenarum, quemadmodum πόλις de Alexandria apud eosdem Græcos, et *urbs* apud Latinos de Roma; tametsi proprie *Astu* pars Athenarum fuit, cui *Acropolis* opponitur. *Accius* apud *Non.* 357. 14. *Merc.* Omnes qui arcem astuque accolunt cives. *Ter. Eun.* 5. 6. 17. An in astu venit? *Cic.* 2. *Legg.* 2. 5. Ut vestri Attici priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, et in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit etc. *Nep. Themist.* 4. Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit astu, idque, nullis defendentibus, incendio delevit. *Id. Alcib.* 6. Postquam astu venit. *Vitruv.* 8. 3. Et in asty, et ad portum Pyræeum ducti sunt salientes. *Id.* 7. *Præfat.* sub fin. In asty. *sed casu ablat.*

ASTŬLA, æ, f. 1. idem omnino quod assula, quam vocem vide. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (54). Flos resinæ cum multa astula tenui brevique avulsus. *et ibid.* 12. 23. (57). Nec corpori ipsi (*piceæ*) parcitur, quoniam astula in fructu est. *h. e.* etiam astula piceæ abscissa utilitatem habet. Ita posteriore hoc *Plinii* loco habetur in MSS. omnibus, quos vidit *Harduin.*, et utroque in editionib. princip. a. 1469. 1470. et 1472., nisi quod in his addita aspiratione *hastula* editum est. Alii quidam *assula* malunt. Eadem varietas lectionis est apud *Celsum* 5. 26. *n.* 35. Eadem offensa etiam in filicis astula est. *Casaubon.* enim hanc veram lectionem esse ait: at *Almeloveen.* edidit *in filice est*: multo rectius. Legitur præterea *astula* apud *Paulin. Nolan. Carm.* 25. *in natal. Fel.* 10. 137. vicit brevis astula flammam. (*Voss. Etymol.* legit *assula*). Et *Ep.* 31. (*al.* 11.) In segmento pæne atomo astulæ brevis. Et *Plin. Valer.* 1. 36. Tædas pingues in astulas concides. — *Isid.* 17. *Orig.* 6. scri-

bit, astulam a tollendo esse nuncupatam, quasi *abstulam*. Sed *Voss. Etymol.* docet *astulam* pro *assulam* ea ratione dictam esse a Latinis, qua *pultare* pro *pulsare*, *aggretus* pro *aggressus*, et similia. — *NB.* De astula regia *V.* in HASTULA.

ASTŬLŌSUS, a, um, adject. ut *resina astulosa* apud *Marcell. Empir. Medicam. sub fin.*, ubi fortasse intelligit resinam ex astulis piceæ, de qua *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (54)., cujus verba in voce superiori retulimus.

ASTŬPEO *vel* adstupeo, es, ui, ere, n. 2. (ad *et* stupeo) idem quod stupeo, vel valde stupeo, vel ad aliquam rem stupeo (It. *stupirsi*; Fr. *s'étonner*; Hisp. *asombrar*; Germ. *bei etwas staunen*; Angl. *to be amazed at*). Occurrit — *a*) Cum Dat. *Ovid.* 3. *Met.* 418. Astupet ipse sibi. *Seneca Tranquill.* 8. Non te pudet quisquis divitiis astupes? *Stat.* 3. *Theb.* 405. cui fida manus proceresque socerque Astupet oranti. — *b*) Absolute de rebus inanimis. *Stat.* 2. *Theb.* 13. Tum steriles luci, possessaque Manibus arva, Et ferrugineum nemus astupet, ipsaque tellus Miratur patuisse retro.

ASTUR, ŭris, m. 3. genus avis, quem Itali dicunt *terzuolo* et *astore*, Fr. *autour*, Germ. *ein Habichtsart*, Angl. *a hawk or buzzard*, ex accipitrum genere, cujus formam naturamque *Aldrovand. l.* 5. *Ornithol. c.* 1. describit; et putat derivari a Græco ἀστερίας. *Firmic.* 5. *Mathes.* 7. *sub fin.* Accipitres, falcones, astures, aquilas alere. — *NB.* De Asture nom. pr. *V.* ONOM.

ASTURCO, ōnis, m. 3. equus ab Asturibus Hispaniæ gente, unde venit, appellatus, molli et glomerato alternantium crurum passu incedens, et sessorem non succutiens, atque ob id magno in pretio habitus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 67. (166). In Hispania Gallaica gens est, et Asturica: equini generis, (hi sunt quos thieldones vocamus, minori forma appellatos asturcones) gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio etc. *Martial.* 14. 199. cui titulus est *Asturco*. Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues, Venit ab auriferis gentibus Astur equus. *Sil. It.* 3. 336. Aut inconcusso glomerat vestigia dorso, Aut molli pacata celer rapit esseda collo. *Cic.* 4. *Herenn.* 50. 63. Asturconi locus ante ostium suum detur. *Seneca Ep.* 87. Non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis præferres unicum illum equum ab ipso Catone defrictum? Adde *Sueton. Ner.* 46., *Veget.* 2. *Veter.* 29. 38. et V. *Schneider.* ad h. l. — Etiam de aliis, qui tolutim, ac molliter gradum glomerant, *asturco* dicitur. Hinc *asturconem Macedonicum* legimus apud *Petron. Satyr.* 86., tametsi alii ibi aliter lectionem mutare conati sunt. V. *Varior.* notas in *Petronio Burmanni*.

ASTUS, a, um. *V.* ASTUTUS.

ASTUS, us, m. 4. Origo, ut ait *Paul. Diac.* p. 6. 3. *Müll.*, est a Græco ἄστυ *urbs*, quia qui in urbibus versantur assidue, cautiores et acutiores esse videntur, quam qui in agris et pagis degunt. Itaque astus est calliditas, astutia (It. *astuzia*, *accortezza*, *furberia*; Fr. *adresse*, *ruse*, *fourberie*; Hisp. *destreza*, *astucia*; Germ. *die Schlauheit*, *Gewandtheit*, *List*; Angl. *craft*, *subtilty*, *cunning*, *knavery*). Usurpatur — *a*) Sæpissime a Poetis antiquis in Ablativo singulari et quodammodo adverbialiter. *Plaut. Capt.* 2. 1. 26. Doli non doli sunt, nisi astu colas. *Id. Pœn. prol.* 111. Docte atque astu aliquid quærere. Adde *eumd. ibid.* 5. 4. 53., *Epid.* 4. 1. 19. et *Trin.* 4. 2. 123. *Ter. Andr.* 1. 3. 3. et *Phorm.* 1. 4. 5. Astu providere aliquid. *Id. Eun.* 5. 4. 2. Astu rem tractare. *Virg.* 11. *Æn.* 704. Consilio versare dolos ingressus et astu. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 522. — *b*) Posteriores usi sunt etiam in prosa oratione, in Abl. sing., in recto et quarto casu plurali, interdum et cum adjectivis. *Liv.* 35. 14. Perplexum Punico astu responsum. *Id.* 42. 47. Astu magis, quam vera virtute. *Seneca Troad.* 527. Callidos astus nectere. *Id. ibid.* 618. Astus, fraudes, dolos advocare. *Tac.* 2. *Ann.* 20. Astus hostium in perniciem ipsis vertebat. *Id.* 12. *ibid.* 45. Nil tam ignarum barbaris, quam machinamenta et astus oppugnationum. *Id.* 2. *ibid.* 64. Astu aggredi aliquem. *Id.* 5. *Hist.* 17. Astu ducis. *Id.* 14. *ibid.* 2. Libertæ astu disjectum. *Quintil.* 9. 1. 20. Astu carere. *Val. Flacc.* 2. 555. Acris astus. *Id.* 5. 122. Exequi astus. *Sil. It.* 16. 32. Non ars, aut astus belli, vel dextera deerat. *Id.* 7. 744. Astus exuere. *Gell.* 11. 18. Firmare animum ad astus insidiarum. *Petron. Satyr.* 97. Ulixem astu simillimo vicit. — *Ciceroni* quoque tribuerunt quidam 3. *Off.* 16. 68. Non placuisse majoribus nostris astus. *Sed ibi passim ac rectius legitur* astutos. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

ASTŪTĒ, adverb. (astutus) Comp. *Astutius* et Sup. *Astutissime*. — Astute est callide, versute (It. *astutamente*; Fr. *avec ruse*, *adroitement*; Hisp. *astutamente*; Germ. *auf listige, schlaue Art*; Angl. *craftily*, *slily*, *cunningly*). *Plaut. Epid.* 2. 2. 96. Astute comminisci aliquid. *Id. Most.* 3. 1. 21. Docte atque astute captare. *Id. Rud.* 4. 7. 14. Consulte, docte atque astute cavere. *Ter. Andr.* 1. 2. 13. Id voluit, nos – oscitantes opprimi –: astute. *Id. Eun.* 3. 3. 3. Astute labefactare aliquem. *Id. Phorm.* 5. 8. 75. Satis astute aggredi aliquem. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 1. Nihil enim nec temere dicere, nec astute reticere debeo. *Id.* 10. *Att.* 6. 1. Astute nihil agere. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. 3. Astute agere. *Varro* 9. *L. L.* 1. *Müll.* Sed ne astutius videar posuisse etc. *Gell.* 18. 4. *ad fin.* Levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componere. *Lactant.* 1. 22. Astutissime excogitare.

ASTŪTIA, æ, f. 1. (astutus) calliditas et solertia, qua rem nostram provide prudenterque agimus, ideoque esse potest aut urbana, qua nocemus nemini, aut perverso ingenio in inveniendis dolis et fallaciis (It. *astuzia*, *furberia*; Fr. *astuce*, *adresse*; Hisp. *astucia*, *destreza*; Germ. *die Schlauheit*, *Verschlagenheit*, *Listigkeit*, *List*; Angl. *craftiness*, *archness*). Occurrit — *a*) Fere in singul. numero. *Plaut. Capt.* 2. 1. 59. Inest spes nobis in hac astutia. *Id. ibid.* 3. 4. 7. Astutiam atrocem sibi reperire. *Id. ibid.* 3. 3. 15. Machinari corde astutiam aliquam. *Id. Epid.* 3. 2. 27. et *Mil. glor.* 2. 2. 82. Instituere astutiam. *Ter. Andr.* 4. 3. 8. Nunc opus est tuâ mihi ad hanc rem exprompta malitiâ atque astutiâ. *Id. Heaut.* 4. 3. 32. Vim tantam in se et potestatem habere tantæ astutiæ. *Pacuvius* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. 31. Quibus (*feris*) abest ad præcavendum intelligendi astutia. *h. e.* acumen, perspicacia, ut interpretatur *Forcellinus*, qui h. l. singulari paragr. distinxit. *Cic. Cluent.* 65. 183. Quod si aut confidens astutia, aut callida esset audacia, vix ullo obsisti modo posset. *Id.* 3. *Fam.* 10. 9. Quæ tamen ego omnia in repetenda (*al.* expetenda) amicitia tua non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia secutus sum. *Forcellinus* h. l. astutiam pro urbana quadam calliditate et solertia accepit, eamdemque singul. paragr. distinxit. — *b*) Interdum et in numero plur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 78. In regionem astutiarum mearum te induco. *Id. Epid.* 3. 2. 39. Permeditatus dolis astutiisque onustus. Adde *Ter. Andr.* 3. 4. 25. *Cic.* 3. *Off.* 17. 68. Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias.

Homonym. *Astutia* differt ab *astu*, ut actus ab habitu; *astutia* enim habitum significat, *astus* actum.

ASTŪTŬLUS, a, um. adject. *deminut. ab* astutus. *Apul.* 6. *Met.* p. 181. *Elm.* Nec tamen astutulæ anus milvinos oculos effugere potui. *V.* STULTULUS.

ASTŪTUS, a, um, adject. Est vox ab *astus* formata, ut *fortuitus*, *gratuitus* etc., per syncopen ut *versutus*, *cinctutus* etc. Comp. *Astutior*; Sup. *Astutissimus*. — Astutus primo significat urbane callidum, solertem, sagacem, et quod in rem suam est diligentissime providentem: scilicet ab ἄστυ *urbs*; nam in urbe degentes sagaciores cautioresque esse solent, quam qui in agris, ut ex *Paul. Diac.* in *Astus* sub init. diximus. (Quod in eodem *Paul. Diac.* legitur *Astutus*, *arte tutus*, ne ipsi quidem *Vossio* placet). Sæpius tamen in malam partem accipitur pro versuto, malitioso, ad decipiendum alios ingenioso, doli machinandi perito (It. *astuto*, *accorto*, *furbo*; Fr. *adroit*, *rusé*, *astucieux*; Hisp. *astuto*; Germ. *schlau*, *verschlagen*, *listig*; Angl. *cunning*, *crafty*, *sagacious*, *arch*, *sly*). *Plaut. Amph.* 1. 1. 112. Malus, callidus, astutus admodum. *Id. Cas.* 5. 1. 6. Nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta. *Id. Asin.* 3. 2. 19. Astuti viri. *Ter. Heaut.* 5. 1. 1. Ego me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id scio. Adde *eumd. ibid.* 2. 1. 10. et *Adelph.* 2. 2. 13. *Cic. Orat.* 19. 64. Oratio philosophorum nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum. *Id.* 2. *Verr.* 11. 34. Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta; meum hoc consilium necessarium. *Pseudo-Ascon. ibid.* *Astuta*, urbana, etenim urbs ἄστυ dicitur. *Cic. Mur.* 4. 8. Labores, per quos præmia ceperis, cum adeptus sis, deponere, esset hominis et astuti et ingrati. *Id.* 3. *Off.* 13. 57. Hoc celandi genus est hominis non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Adde *eumd. ibid.* 16. 68. *Id.* 3. *Fam.* 8. 6. Quod si quis me astutiorem fingit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 62. pro bene sano etc. non incauto fictum astutumque vocamus. *Id.* 2. *ibid.* 3. 186. Astuta vulpes. *Propert.* 3. 9. 54. Parthorum astutæ tela remissa fugæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (192). Ut est astuta et ingeniosa solertia. *Quintil.* 9. 3. 65. Cum te pro astuto sapientem appelles. *Tac. Germ.* 22. Gens non astuta, nec callida. *Gell.* 5. 10. Consilium astutum capere. *Martial.* 12. 89. 4. Homo solers et astutus. *Augustin. Serm.* 17. *de sanctis* 4. Astutissimus adversarius. *Id.* 21. *Civ. Dei* 6. Astutissima calliditas. — *NB.* Adjective *astus*, *a*, *um* pro astutus. *Accius* apud *Non.* p. 16. 16. *Merc.* Nisi ut asta ingenium lingua laudem. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 80. Misera timeo, quid hoc sit negotii: mea soror ita stupida est sine animo asto. Ita *Cujacius* refert hæc duo loca ad *lib.* 1. *de Feud. tit.* 2.; sed aliter res se habet. Rectius enim alii plerique optimi Codicis auctoritate freti priore quidem loco legunt *astu* pro *asta*; posteriore autem sic: *Misera timeo quid hoc sit negotii, mea soror: ita stupida sine animo asto*; ut *asto* vel *adsto* sit verbum. Addunt alii et illud ejusdem *Plauti Truc.* 4. 4. 39. Næ istum ecastor hodie astis confertum fallaciis: *subaudi* dimittam: *sed alii leg.* astutis; et sane recte, id enim et versus postulat.

ASTY. *V.* ASTU.

ASTȲCUS *vel* asticus, a, um, adject. ἀστυκός, ad *asty*, seu *astu*, hoc est urbem Athenarum pertinens. Hinc *astyci ludi* ludi videntur fuisse, quos Athenienses in honorem Bacchi in urbe instituerant. *Jul. Scalig.* 5. *Emend. temp.* scribit, fuisse ludos scenicos. Ad horum imitationem etiam Caligula *Syracusis astycos ludos edidisse* legitur apud *Sueton. in ejus Vita* 20., ubi alii leg. *asticos* æque recte; nam et ἀστικός Græce scribitur. Quidam cod. habent *Atticos*, alii *Actiacos*: quidam etiam *hasticos*, quod quidam interpretantur ludos militares, in quibus simulacro quodam pugnæ hastis luderetur, quemadmodum in gladiatoriis gladio dimicabatur. Alii denique *iselasticos* reponendum putant, quod unice probandum *Forcellino* videbatur; at recentiores nihil mutandum esse censent.

ASTȲLIS. *V.* infra ASTYTIS.

ASTȲNŎMUS, i, m. 2. ἀστυνόμος, curator urbis, ædilis: ab ἄστυ urbs et νόμος *lex*. *Inscript.* apud *Romanelli Topogr. Napol. T.* 1. *p.* 360. et apud *Orell.* 3802. AGATHOSTRENI AEGINENSI SACR. CVRAT., QVOD MINERVAM PER ANNOS QVADRAGINTA SANCTE COLVERIT, TEMPLVM CORONIS ORNAVERIT, JVXTA ARAM ASTYNOMI VEIIENSES .....

ASTYSMUS, i, m. 2. urbanitas sine iracundia (ab ἄστυ, urbs). Ita *Isid.* 1. *Orig.* 37.; nisi forte hic reponendum sit *asteismus*, quam vocem *V.*

ASTȲTIS, idis, f. 3. ἀστυτίς, ita appellata ab α privativo et στύω *arrigo*, quia Veneri refragatur, genus lactucæ rotundæ minima radice, latis foliis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 38. (127)., ubi alii leg. *astylis*: sed *astitis* defenditur ab *Harduino* auctoritate *Eustathii* ad *Iliad.* χ, itemque a *Sillig.* qui Græcis litteris edidit. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 335.) hæc ait: *L'astytis* est une sorte de gui, nommé par Theophraste (*de Causis* 3. 16.) στελίς. *V.* et EUNUCHION.

ASȲLA, æ, f. 1. herba est Latine *ferus oculus* dicta. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 92. (145). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 363.) hæc ait: Pline a vraisemblablement mal compilé quelques auteurs contemporains; peut-être cet auteur disait-il que, quand les animaux avaient été piqués par la mouche asyle, *asylus*, ils en cherchaient aussitôt le remède dans l'*anagallis*.

ASȲLUM, i, n. 2. ἄσυλον, templum, aliusve quivis locus inviolabilis, consecrationis lege tutus, ad quem confugientes sine summo piaculo avelli non poterant: ab α privativo et συλάω *spolio*, *rapio*: vel quasi asyron, ab α privat. et σύρω *traho*, quod inde extrahi neminem fas esset, ut *Servius* docet ad *Virg.* 2. *Æn.* 761. — Asylum primum Athenis sibi constituerunt Herculis posteri, veriti vim eorum, qui ab illo fuerant vexati, ut *Serv.* scribit *loc. cit.* Alii a Cadmo primum Thebis apertum fuisse putant. Deligebantur autem ad hoc templa præcipue, et tum propter religionem, quæ talia loca magis veranda reddit et tuta. Tale fuit tem-

plum et lucus Apollinis in Delo insula, *ea religione et jure sanctum, quo sunt templa, quæ asyla Græci appellant*, ut *Liv.* 35. 51. loquitur. — Græcos imitatus Romulus, et ipse asylum in ipso urbis primordio Romæ constituit, inter Capitolium et arcem, loco densis arboribus septo; quo ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine, liber, an servus esset, avida rerum novarum perfugit: idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit, ut *Liv.* 1. 8. narrat: idem vero carpit *Juvenal.* 8. 272. Et tamen ut longe repetas longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis asylo. — Confugientes in asylum rei a legibus tuti erant; neque abstrahi inde poterant, ne loci sanctitas violaretur.

I.) Proprie. *Tacit.* 4. *Ann.* 60. Crebrescebat Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obærati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. *Liv.* 1. 8. Aperire asylum. *Cic.* 3. *Verr.* 33. 85. Confugere in asylum. *Virg.* 2. *Æn.* 761. Junonis asylum. *Id.* 8. *ibid.* 342. lucum asylum referre. *Tac.* 3. *Hist.* 71. Lucus asyli. *Gell.* 6. 2. *ad fin.* Perfugiunt ad fati necessitatem tamquam in aliquod asylum.

II.) Translate est ¶ 1. Domicilium. *Lucan.* 1. 97. Exiguum dominos commisit asylum. *h. e.* parva urbs commisit in prælia Romulum et Remum: est tamen allusio ad asylum per eos constitutum. *V.* COMMITTO. ¶ 2. Est etiam tutum perfugium. *Auct. de Fortun. viciss.* 93. ed. *Wernsdorf.* Credite, quis fidum Fortuna videtur asylum, Non erit hoc (*al. leg.* hæc), non fuit illa mihi. *Æl. Lamprid. Sever.* 2. Qui Papinianum juris asylum et doctrinæ legalis thesaurum – occidit.

ĀSYMBŎLUS, a, um, adject. ἀσύμβολος, qui symbolum non dedit, hoc est nullo collato pretio una cum aliis convivio adest, quem *Horat.* 4. *Od.* 12. 23. vocat *immunem*: ab α privativo et σύμβολον, vel συμβολή *collatio, collecta*, quæ fit a singulis ad communes dapes. *Ter. Phorm.* 2. 2. 25. Te ne asymbolum venire, unctum atque lautum a balneis, otiosum ab animo? Adde *Gell.* 6. 13.

ĀSYNDĔTĒ, adverb. ἀσυνδέτως, sine copula. *Pompejus* grammaticus *Comment. art. Donat. sect.* 28. p. 377. Huic rei contrarius est ille tropus asyndetus. Dicunt asyndete, tropum faciunt.

ĀSYNDĔTUS, a, um, *vel* asyndetos, on, adject. ἀσύνδετος, hoc est non colligatus. ¶ 1. *Asyndeton*, *i*, absolute neutrorum more apud Grammaticos est figura (Latine *dissolutio*) qua, demptis conjunctionibus, dissoluta plura dicuntur, ut *Cic.* ait *Orat.* 39. 135. Talis est illa apud *eumd.* 4. *Herenn.* 30. 41. Gere morem parenti, parce cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Et apud *Quintil.* 9. 3. 42. Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi: in senatu sunt positi etc. *Asyndeton* est ab α privat. et σύνδετος *colligatus*, a συνδέω *simul ligo*. Alii leg. *Asyntheton* ab α privativo et σύνθετος, *compositus, coagmentatus*, a συντίθημι *compono, conjungo*. Quamquam, *asyntheton* hoc schema recte dici, negat *Voss.* 5. *Instit. Orat.* 2. Latinis litteris occurrit apud *Diomed.* p. 440. *Putsch.* et *Jul. Rufin. de schem. lex.* 18. p. 252. *Frotsch.* Ceterum Græcis litteris legitur. — Dicitur præterea ἀσύνδετον a *Charis.* 4. p. 250. *Putsch.* cum pluralis dictio singulari verbo concluditur, ut in illo *Virg.* 1. *Æn.* 20. *hic illius arma, Hic currus fuit.* Debuit enim dicere *fuerunt.* ¶ 2. *Asyndetus Mercurius* apud *Sidon.* 8. *Ep.* 11. est astrologorum propria vox, quibus signum aliquod asyndetum dicitur, cum nulla ratione aut aspectu cum alio signo jungitur.

ĀSYNTHĔTUS, a, um, adject. ἀσύνθετος, incompositus. *Capell.* 9. p. 321. In spatiis alia sunt composita, alia disjuncta atque asyntheta: composita sunt, quæ per ordinem currunt; incomposita, quæ ex diversis sibi invicem copulantur. *V.* vocem præced. 2.

ĀSYNTRŎPHON, i, n. 2. quoddam fruticis genus. *Apul. Herb.* 87.

ĀSYSTĂTOS, a, um, adject. ἀσύστατος *instabilis*, ab α privat. et συνίστημι, *constituo*. *Lactant.* 3. 6. Arcesilas introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον, quod Latine instabile, sive inconstans possumus dicere. *Id. paullo post.* Quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum.

AT

AT *vel* ast, conjunctio adversativa. — *a*) Ratione habita scriptionis, olim *at* et *ad* promiscue scribebatur et usurpabatur ob affinitatem, quam litteræ *t* et *d* inter se habent: idque observasse se non in codicibus solum, sed etiam in antiquis monumentis testatur *Pierius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 1. *At regina gravi*: ubi *Ad regina* in antiquo codice legisse se ait; et in illo 3. *Æn.* 371. *meque ad tua limina*, scriptum esse *at tua limina*. Sic *adque* pro *atque* legitur in antiq. Inscript. Quæ scribendi ratio etiam tempore *Quintiliani* vigebat, ut colligitur ex ejus verbis 1. 7. *sub init.* Sed Grammatici eam postea legem statuerunt, ut præpositio per *d*, *ad*; conjunctio per *t*, *at* scriberetur. Quæ lex ita paullatim receptissimo usu firmata est, ut nequaquam sit ab ea recedendum. — *b*) *Ast* (quod fortasse librariorum inscitia vel oscitantia sæpe in *at* mutatum est) occurrit non modo apud antiquissimos quosque, ut in *Lege Servii Tullii* apud *Festum* p. 230. 15. *Müll.*, in *Lege XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. et apud *Festum* p. 102. 18. *Müll.*, in *Ennio* apud *Non.* p. 516. 16. *Merc.*, *Plaut. Capt.* 3. 5. 25. et *Trin.* 1. 2. 37., in *Formula* apud *Liv.* 10. 19., atque in *Legis formula* apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 9. et 10. et alibi; verum etiam interdum in familiari sermone occurrit, ut apud *Cic.* 1. *Att.* 16. 10. et 6. *ibid.* 5. 2.; sæpius tamen apud Poetas, ut *Cic.* in *Prognosticis* apud *Priscian.* 16. p. 1034. et 18. p. 1170. *Putsch.*, *Lucret.* 5. 515. et alibi, *Virg.* 3. *Æn.* 330. et alibi, *Horat.* 1. *Sat.* 6. 125., *Ovid.* 6. *Met.* 685. et alibi *Val. Flacc.* 8. 255. et alibi, *Sil. It.* 9. 161., 10. 548. et alibi. Cf. *Hand. Tursell.* I. p. 417.-451. — *NB.* Alios, præter inferius allatos, hujus conjunctionis usus refert *Charis.* 1. p. 204. *Putsch.*, ubi scribit se in Glossis antiquitatum reperisse, usurpatam fuisse pro atque, ac, ergo, tamen, tum, cum; sed nullo hæc exemplo confirmat. — *c*) Particula *at* naturâ suâ in principiis debet collocari; a Poetis tamen interdum per licentiam alicui vocabulo postponitur. *Virg.* 7. *Ecl.* 67. Sæpius at si me, Lycida formose, revisas. *Id.* 3. *G.* 331. Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 47. Tutior at quanto merx est in classe secunda. *Id. ibid.* 8. 37. Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis Corvorum. *Propert.* 1. 6. 22. Semper at armatæ cura fuit patriæ. *Val. Flacc.* 8. 255. Gramineis ast inde toris discumbitur. *Stat.* 4. *Theb.* 116. Major at inde etc. — *d*) Sæpe cum apud Poetas, tum apud oratores elegans hujus particulæ repetitio occurrit. *Cic.* 2. *Fam.* 15. 4. Puerum, inquis? at quæstorem, at nobilem adolescentem, at omnium fere exemplo. *Id.* 5. *Verr.* 4. 8. Si non virtute –, non pudicitia, at sermone, at litteris, at humanitate delectamini. *Id.* 10. *Att.* 12. 4. At semel? At una in re? *Virg.* 2. *G.* 467. At secura quies –, at latis otia fundis –, at frigida Tempe etc. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 32. at est bonus –, at tibi amicus, at ingenium ingens etc. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 1. — *e*) Ratione habita originis, ab ἀτὰρ (quod eamdem fere habet significationem) derivari putat *Voss. Etymol.* in *Ad.* Recentiores vero philologi rectius censent *at* esse pro *ait*, et *ast* pro *ais tu* (quemadmodum *an* pro *ain*, hoc est *aisne*, *V.* AN sub init.), ac primo quidem particulas *at* vel *ast* usurpatas fuisse tamquam adversativas ad ea significanda quæ ab aliis objicerentur, ita ut *at* esset pro *ait ille*, *ast* pro *ais tu*. Et sane plerisque in locis pro *at* rectissime reponi potest *ait* vel *inquit ille*, ut apud *Horat.* 1. *Sat.* 1. 49. *Vel dic, quid referat intra Naturæ fines viventi, jugera centum An mille aret? At suave est ex magno tollere acervo.* Ubi æque recte poeta dicere poterat: *Suave est, inquit, ex magno tollere acervo*: quemadmodum et 1. *ibid.* 4. 73. dixit: *Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus; Non ubivis coramve quibuslibet. – Lædere gaudes, inquit, et hoc studio pravus facis.* Progressu vero temporis atque usu factum est, ut non modo particula *at* cum additis *inquies* et *inquit* conjungeretur (ut in *Bruto* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. 2. At hoc ipsum, inquies, inique facis, qui appelles. Et in *Cic. Parad.* 5. 2. At sumus, inquit, civitatis principes.); verum etiam usurparetur, quin alterius personæ aliquid objicientis ratio haberetur (ut apud *Cic.* 2. *Phil.* 9. 21. At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicæ sine suasore non posset. – At lætatus sum. Quid? ergo in tanta lætitia etc.); ideoque generatim adhiberetur ad oppositionem vel objectionem significandam, licet hanc ipse sibi faciat qui loquitur (It. *ma*; Fr. *mais*; Hisp. *pero*, *mas*; Germ. *allein, aber, doch, dagegen*; Angl. *but, yet*). Itaque *at* vel *ast* est semper conjunctio adversativa; et

I.) Proprio ac stricto sensu usurpatur cum objectio interseritur, hoc est aliqua præcedentibus adversantia subduntur, sive ab aliis allata putentur, sive a nobis ipsis proferantur: et cum anteoccupationi, tum subjectioni servit: et occurrit — 1.) Interdum cum et alii et nos adversamur. *Plaut. Epid.* 5. 2. 24. At mihi magis lubet solutum te rogitare. EP. At nihil scies. *Cic.* 2. *Fin.* 27. 88. Dempta enim æternitate nihil beatior Juppiter, quam Epicurus; uterque enim summo bono fruitur, id est voluptate. – At enim hic etiam dolore. – At eum nihili facit. *Id. Senect.* 11. 25. At multi ita sunt imbecilli senes, ut nullum officii – munus exequi possint. – At id quidem non proprium senectutis vitium est, sed commune valetudinis. — 2.) Sæpius *at* occurrit, cum aliquis unus tantum adversatur præcedentibus. *Plaut. Epid.* 1. 1. 30. EP. Edepol, facinus improbum. TH. At jam ante alii fecerunt idem. Adde *eumd. Bacch.* 1. 1. 41. et 68. et alibi. *Ter. Andr.* 1. 2. 6. DAV. Qui (*herus*) – numquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tulit. SIM. At nunc faciet, neque, ut opinor, sine tuo magno malo. *Cic.* 7. *Att.* 11. 3. «Non est, inquit, in parietibus respubl.». At in aris et focis. *Id. Mil.* 6. 15. Quid porro quærendum est? factumne sit? At constat. A quo? at paret. *Id.* 3. *Verr.* 55. 143. Quid ita? ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua. Ne parum locuples esset? at erat, et esset amplius, si velles. *Id.* 6. *Fam.* 6. 10. Numquam, nisi honorificentissime Pompejum appellat (*Cæsar*). – At in ejus persona multa fecit asperius. – Armorum ista et victoriæ sunt facta, non Cæsaris. – At nos quemadmodum est complexus! *Id.* 1. *Catil.* 11. 28. Quid tandem impedit te? mos ne majorum? At persæpe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt. An leges? At numquam in hac urbe etc. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 29. 62. *Sall. Cat.* 51. An quia lex Porcia vetat? At aliæ leges etiam condemnatis civibus – exilium permitti jubent. *Nep. Phoc.* 4. Is cum lacrimans dixisset: O quam indigna perpeteris! hinc ille: At non inopinata, inquit. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 40. At Novius collega gradu post me sedet uno. — 3.) Jungitur eleganter aliis particulis, quæ vim augent, et sunt *enim, etiam, vero, pol, edepol, hercle*; aut quibusdam verbis, ut *credo, puto* etc. — *a*) *At enim* occurrit quoties propositionem adversativam ad rem præsentem referimus eique tamquam fundamento inniti esse volumus. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 25. POEN. Quid est –? quid vis? expedi. AG. At enim volo hoc narr. POEN. At enim ago istuc. Adde *eumd. Trin.* 3. 2. 77. et *Most.* 3. 3. 19. *Ter. Phorm.* 3. 2. 2. Audi quod dicam. DO. At enim tædet jam audire eadem millies. Adde *eumd. Heaut.* 1. 1. 20. et 4. 3. 21., et *Adelph.* 2. 1. 14. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Bene Pericles, cum casu formosus puer præteriret dixissetque Sophocles: O puerum pulcrum, Pericle! At enim prætorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. *Id.* 3. *Orat.* 12. 47. Id si feceris, multa hic hodie vitia ponemus. At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprehendere. Adde *eumd. ibid.* 49. 187. et *Mil.* 6. 15. *Id.* 2. *Phil.* 2. 3. At enim te in disciplinam meam tradideras (sic enim dixisti), domum meam ventitaras. Næ tu si id fecisses, melius famæ consuluisses. *Liv.* 21. 18. At enim eo fœdere, quod cum Hasdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur. Adde *eumd.* 4. 4. et alibi sæpe, et *Curt.* 6. 9. 16. — Sequente quoque interrogatione. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 45. Si dare vis mihi, magis erit solutum, quam ipsi dederis. HA. At enim scin quid est? reddere hoc, non perdere herus me misit. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 4. 15. At enim cur a me potissimum hoc auxilium petiverunt? *Sall. Cat.* 51. At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipubl. decretum est? *Liv.* 6. 15. At enim quid ita solus ego civium curam ago? *Id.* 3. 19. *ad fin.* At enim divinis humanisque obruti sceleribus legem vos hoc anno perlaturos dictitatis? — *b*) *At etiam* servit fere admirationi, quod aliquid ceteris accesserit. *Plaut. Capt.* 3. 4. 31. At etiam, furcifer, male mihi loqui audes? *Id. Trin.* 4. 2. 149. At etiam maledicis? At

de eumd. Asin. 5. 2. 73., Capt. 2. 3. 98., Rud. 3. 4. 6. et Mil. glor. 4. 4. 6. Id. Amph. 1. 1. 218. At mentiris etiam etc. Ter. Andr. 4. 5. 13. At etiam rogas? Cic. 2. Phil. 30. 76. At etiam aspicis me, et, ut videris, iratus. Id. ibid. 34. 86. Quid indignius, quam vivere eum, qui imposuerit diadema? – At etiam ascribi jussit in fastis, C. Cæsari dictatori Antonium cons. populi jussu regnum detulisse. Adde eumd. 1. Nat. D. 41. 115., 7. Verr. 30. 77. et 2. Cat. 6. 12. — c) *At vero* affirmationi servit. Cic. 2. Phil. 15. 38. At vero Cn. Pompeji voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit etc. Id. Rosc. Am. 40. 116. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariæ socium fefellit. — d) *At pol, at edepol, at hercle, at hercule* etc. affirmationi pariter inserviunt. Plaut. Amph. 1. 1. 220. Non edepol volo profecto. MERC. At pol profecto ingratiis. Adde eumd. Capt. 3. 4. 64. et Cas. 2. 3. 15. Id. Pæn. 3. 1. 68. At edepol nos tibi in lumbos linguam atque oculos in solum (deciderimus). Liv. 34. 31. At hercle in ea controversia, quæ de Argis est, superior sum. Plin. 7. Hist. nat. 50. 51. (169). At hercules reliquis omnibus per singulas membrorum partes – certis pestifer calor remeat horis. Adde eumd. 29. ibid. 6. 39. (142)., et Tac. 1. Ann. 3. et 3. ibid. 54. — e) Interdum verba quædam interseruntur, ut *credo, puto,* quibus propositio adversativa quodammodo lenitur et per hypothesin proferri videtur. Cic. Dejot. 6. 16. At, credo, hæc homo inconsultus et temerarius non videbat. Ovid. 2. Met. 566. At, puto, non ultro nec quidquam tale rogantem Me petiit. Adde eumd. 3. ibid. 266. et 11. ibid. 425., et Virg. 7. Æn. 297.

II.) Particula *at* usurpatur etiam, cum quis vehementiori animi motu perculsus, ex abrupto ab una ad aliam rem prorsus diversam et priori adversantem auditores rapit: ideoque — 1.) *At* inservit exclamationi, quæ fiat ob stuporem, indignationem vel dolorem, aut lætitiam quoque sed raro. Plaut. Aulul. 1. 1. 13. At ut scelesta sola secum murmurat! Id. Mil. glor. 2. 4. 46. At, Sceledre, quæso, ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit! Id. ibid. 3. 1. 21. At hoc me facinus miserum macerat, meum cor corpusque cruciat! Id. Rud. 1. 2. 80. Ejecit alteram. At in vado est: jam facile enabit. Id. Bacch. 4. 2. 12. Nimis iracunde. PI. At scin', quam iracundus siem? Id. Amph. 1. 1. 20. At scin' quomodo? faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. Id. Trin. 5. 2. 63. At jam posthac temperabo. Cic. Senect. 9. 27. Qui cum jam senex esset –, aspexisse lacertos suos dicitur illacrimansque dixisse: At hi quidem mortui jam sunt! Id. 9. Fam. 20. 2. Habuisses enim non hospitem, sed contubernalem. At quem virum! Id. Cluent. 70. 199. Horum omnium studium – una mater oppugnat. At quæ mater! Id. ibid. 49. 136. At quid est decretum? quam juste! quam sapienter! quam diligenter! Id. 6. Verr. 10. 22. Etiam erat inimica improborum (Mamertina civitas), quæ C. Catonis, illius qui consul fuit, impedimenta retinuit. At cujus hominis? clarissimi ac potentissimi etc. Id. 3. ibid. 46. 118. At per deos immortales, quid est, quod de hoc dici possit? Id. Mil. 17. 45. Vidit necesse esse Miloni proficisci illo ipso die; itaque antevertit: at quo die? Sall. Cat. 40. Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum –, miseriis suis remedium mortem exspectare: At ego, inquit, vobis – rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis. Horat. Epod. 5. 1. At, o deorum quidquid in cælo regit terras et humanum genus, quid iste fert tumultus? Ovid. 3. Amor. 7. 1. At non formosa est, at non bene culta puella, At, puto, non votis sæpe petita meis! Stat. 2. Silv. 4. 11. At tibi quanta domus rutila testudine fulgens! — Interdum sequente interrogatione, additur *etiam*, quo vis augetur. Ter. Eun. 4. 4. 1. Exi, scelerate, foras. At etiam restitas, fugitive? — 2.) Sæpe inservit exhortationi atque admonitioni, præcipue addito pronomine secundæ personæ. Plaut. Merc. 5. 4. 53. Satis habeo: at quæso hercle etiam vide. Id. Capt. 3. 5. 89. At unum hoc quæso, si huc rebitet Philocrates, ut mihi ejus faciundi copiam. Id. Pseud. 1. 1. 30. CALL. Non adest. PS. At tu cita! Id. Merc. 1. 2. 16. At tu edepol sume laciniam atque absterge sudorem tibi! Cic. 7. Fam. 24. 2. At vide quid succenseat. Id. Dom. 44. 115. At videte hominis intolerabilem audaciam cum projecta quadam et effrenata cupiditate. Liv. 1. 12. At tu, pater deum hominumque, hinc saltem arce hostes. Catull. 8. 19. At tu, Catulle, destinatus obdura. Id. 1. 7. At tu, natalis, multos celebrande per annos, Candidior semper candidiorque veni. Virg. 8. Æn. 572. At vos, o superi, et divum tu maxime rector Juppiter, Arcadii, quæso, miserescite regis Et patrias audite preces. Horat. 2. Sat. 2. 40. At vos, præsentes Austri, coquite horum obsonia. Id. 1. Od. 28. 23. At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ. Tibull. 1. 2. 89. At, tu, qui lætus rides mala nostra, caveto Mox tibi. Ovid. 12. Met. 367. At inferias, juvenum gratissime Crantor, Accipe. Id. Rem. am. 371. At tu, quicumque es –, Si sapis, ad numeros exige quidque suos. — 3.) Interdum usurpatur — a) Cum quis bona precatur. Plaut. Pers. 4. 3. 18. At tibi di beneficiant omnes! Id. Men. 5. 7. 32. At tibi di, adolescens quisquis es, faciant bene! Tibull. 1. 7. 55. At tibi succrescat proles etc. Apul. 3. Met. 16. At mi scelus istud depellant cælites. — b) Cum quis exsecratur malaque imprecatur. Plaut. Most. 1. 1. 37. At te Juppiter dique omnes perdant! Ter. Hec. 1. 2. 59. At te di deæque perduint cum isto odio, Laches. Id. Eun. 3. 1. 41. At te di perdant. Id. Andr. 4. 1. 42. At tibi di dignum factis exitium duint. Catull. 3. 13. At vobis male sit, malæ tenebræ Orci. Virg. 2. Æn. 535. At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis, Di – persolvant grates dignas et præmia reddant Debita. Justin. 14. 4. 10. At vos, ait, devota capita, respiciant di perjuriorum vindices.

III.) *At* servit etiam transitioni, ideoque usurpatur cum in oratione ab una ad alias res gradum facimus, quæ tamen res non per objectionem proferuntur, sed tantummodo præcedentibus quomodocumque adversantur. — 1.) Generatim. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 107. Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam Solus avem servat. At Romulus pulcher in alto Quærit Aventino, servans genus altivolantium. Cic. Arat. 364. Hic fugit, ictus Horrificos metuens rostri tremebundus acuti. Nam Canis infesto sequitur vestigia cursu – Curriculum numquam defesso corpore sedans. At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo etc. Cæs. 5. B. G. 3. In ea civitate duo de principatu inter se contendebant, Induciomarus et Cingetorix: ex quibus alter simul atque de Cæsaris legionumque adventu cognitum est, ad eum venit, se suosque omnes in officio futuros – confirmavit, quæque in Treviris gererentur ostendit. At Induciomarus equitatum peditatumque cogere, iisque, qui per ætatem in armis esse non poterant, in silvam Arduennam abditis – bellum parare instituit. Adde eumd. 6. ibid. 40. et 2. B. C. 7. Cels. 5. 17. Ubi facta sunt, quæ separatim fieri debuerunt, in unum omnia miscentur. At pastilli hæc ratio est. Adde Curt. 3. 8. 3.; et Tac. 1. Ann. 38., 4. ibid. 13. et alibi sæpe. Virg. 1. Æn. 689. Paret Amor dictis caræ genitricis et alas Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli. At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat etc. Id. 1. ibid. 305. At pius Æneas per noctem plurima volvens etc. Adde eumd. 1. ibid. 657., 4. ibid. 1., 296., 393., 504., et alibi. — 2.) A Poetis sæpe usurpatur, quoties transitio fit ad rem prorsus admirabilem, aut quam auditorum animi jam diu exspectabant. Virg. 2. Æn. 225. At gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt etc. Id. ibid. 486. At domus interior gemitu miseroque tumultu Miscetur etc. Id. ibid. 559. At me tum primum sævus circumstetit horror. Id. 3. ibid. 225. At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt Harpyiæ. Tibull. 2. 5. 33. At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua. Adde Val. Flacc. 8. 252. et Stat. 1. Silv. 1. 46. — 3.) Item a Poetis præsertim usurpatur, cum in plurium rerum enumeratione auditorum animos ad aliquam præcipue attentos reddere volunt. Virg. 1. G. 56. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur, molles sua tura Sabæi, At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum? Id. 2. ibid. 446. Viminibus salices fecundæ, frondibus ulmi, At myrtus validis hastilibus et bona bello cornus. Sueton. Domit. 4. In circo, ubi – prælium etiam duplex equestre ac pedestre commisit, at in amphitheatro navale quoque. — Hinc Servius ad Virg. 7. Æn. 363. et 9. ibid. 144. docet aliquando *at* non tam conjunctionis vim habere, quam incipiendi et ad ornatum pertinere. Hinc Forcellinus affirmat Apul. sæpe *at enim* usurpare pro *autem*, ut 9. Met. At enim casulæ parvulæ conterminos agros magnos possidebat vicinus dives.

IV.) Sæpe *at* usurpatur ad oppositionem significandam; et occurrit aut ipsa una tantum particula, aut cum aliis conjuncta. — 1.) Una tantum particula *at*. Plaut. Capt. 3. 5. 251. Si ego hic peribo, ast ille, ut dixit, non redit, at erit mihi hoc factum mortuo memorabile. Ter. Adelph. 4. 5. 53. Jam id peccatum primum magnum, magnum, at humanum. Cato R. R. præfat. § 3. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quærendæ existimo, verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur. Cic. 14. Phil. 12. 32. Brevis a natura nobis vita data est: at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. Id. 9. Att. 10. 3. Nefarius Hippias –, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna recte, immo jure fortasse. Id. 1. Off. 11. 35. Majores nostri Tusculanos, Æquos – in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. Cæs. 7. B. G. 80. Item ex reliquis partibus nostri cedentes usque in castra insecuti sui colligendi facultatem non dederunt. At ii, qui ab Alesia processerant, mœsti prope victoria desperata se in oppidum receperunt. Id. 2. B. C. 7. Quæ omnes (naves) citeriorem Hispaniam petiverunt: at ex reliquis una præmissa Massiliam etc. Sall. Cat. 52. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assentiebantur: at M. Porcius Cato – hujuscemodi orationem habuit. Nepos præfat. 4. Neque enim Cimoni fuit turpe – sororem germanam habere in matrimonio. – At id quidem nostris moribus nefas habetur. Virg. 6. Æn. 541. Dextera (via) quæ Ditis magni sub mœnia tendit; Hac iter Elysium nobis: at læva malorum Exercet pœnas et ad impia Tartara mittit. — 2.) Jungitur et aliis particulis, quæ oppositionem confirmant. — a) *At contra*, ut apud Cic. 7. Verr. 26. 66. Ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, ut videre piratam captum non liceret? At contra, quacumque iter fecit, hoc jucundissimum spectaculum omnibus vinctorum captorumque hostium præbebat. Sall. Cat. 12. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant –: at hi contra ignavissimi homines – omnia ea sociis adimere etc. Adde Lucret. 1. 367. et 2. 235.; Ovid. 2. Art. am. 603.; Quintil. 2. 15. 11. et 8. 6. 33.; et Tac. 4. Ann. 28. — b) *At e contrario* apud Nepot. Eumen. 1. Apud nos – mercenarii scribæ existimantur: at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur etc. Adde Colum. 11. R. R. 3. 41. — c) *At vero, at enim vero,* ut apud Cic. 2. Off. 23. 80. Quid? nostros Gracchos – nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At vero Aratus Sicyonius jure laudatur, qui etc. Id. Marcell. 4. Nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non consumat vetustas. At vero hæc tua justitia et lenitas animi florescet quotidie magis. Adde eumd. 2. Off. 20. 70., 1. Fin. 10. 33. et 5. Att. 11. 1. Liv. 5. 9. In quam sententiam cum pedibus iretur, ceteri tribuni militum nihil contra dicere: at enim vero Sergius Virginiusque – primo deprecari ignominiam, deinde etc. — d) *At tamen*, ut apud Ter. Andr. 4. 1. 12. At tamen ubi fides, si roges, nil pudet. Adde eumd. ibid. 4. 2. 23. et V. TAMEN.

V.) Particula *at* etiam pro *saltem* usurpatur, ac propterea objiciendi atque opponendi vim etiam tunc retinet. Hoc autem sensu occurrit — 1.) Post propositionem, quæ simpliciter concedit. Plaut. Pseud. 1. 3. 93. Nolo victimas: at minimis me extis placari volo. Ter. Andr. 4. 1. 55. Parum procedit quod ago: at facio sedulo. Id. Adelph. 2. 1. 7. Leno sum, at ita, ut usquam fuit fide quisquam optima. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 18. 56. Non cognoscebantur foris, at domi: non ab alienis, at a suis. Id. 2. Phil. 5. 12. Non placet M. Antonio consulatus meus; at placuit P. Servilio. Id. 4. Verr. 43. 106. Cognitorem adscribit Sthenio. quem? cognatum aliquem aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honestum hominem ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor dignitasque esset? minime. — 2.) Post propositionem, quæ sub conditione concedit. Cato R. R. 2. Si non eo die, at postridie. Plaut. Bacch. 2. 3. 131. Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum domi est. Cic. 7. Verr. 27. 69. Si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. Id. 5. ibid. 86. 195. Neque enim est fere quidquam – quin ejus facti, si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. Id. Mil. 34. 93. Si mihi republ. bona frui non licuerit, at carebo mala. Id. Quinct. 31. 97. Obsecravit – ut aliquando aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non ho-

minis, at humanitatis rationem haberet. Adde *eumd. Dom.* 50. 129., 9. *Fam.* 6. 3. et *Cæl.* 3. 8. *Cæs.* 6. *B. G.* 40. Et si pars aliqua circumventa ceciderit, at reliquos servari posse confidunt. *Liv.* 1. 40. Si tua re subitâ consilia torpent, at tu mea sequere. *Id.* 3. 17. Si vos urbis – nulla cura tangit, at vos veremini deos vestros. Adde *eumd.* 9. 1. et 10. 26. *Catull.* 30. 9. Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides. *Virg.* 1. *Æn.* 542. Si genus humanum et mortalia temnitis arma, At sperate deos memores fandi atque nefandi. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 615., 6. *ibid.* 406. et 4. *G.* 206. et 239. — 3.) Interdum aliis particulis jungitur et majorem vim acquirit: hinc — *a*) *At saltem*, ut apud *Plaut. Merc.* 3. 4. 52. At saltem hominis faciem exquireres. *Curt.* 3. 8. 2. Si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles. — *b*) *At certe*, ut apud *Cels.* 2. 15. Si ne id quidem est, at certe uni pedi lecti fulcimentum subjiciendum est. *Sueton. Cal.* 12. Etsi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio professum. Adde *Quintil.* 12. 11. 31. — *c*) *At tamen*, ut apud *Ter. Eun.* 5. 2. 26. Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus, qui faceres, tamen. *Cic.* 3. *Orat.* 4. 14. Atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamque referamus.

VI.) *At*, inquit *Festus* (scilicet *Paul. Diac. p.* 13. 1. *Müll.*) notat etiam rerum differentiam, ut cum dicimus: *Scipio est bellator*; *at M. Cato orator*: qua ratione vim disjunctivæ *et* habere videtur. Hucusque *Forcellinus*. Sed, quamvis *at* pro *et* usurpari videatur atque orationis continuationi inserviat, semper tamen oppositionem significat, quæ nisi in rebus ipsis, certe inest in ipsius orationis membrorumque ordine ac dispositione, ita ut *at* sit pro aliunde, altera ex parte. — *a*) Generatim. *Lex Servii Tullii* apud *Festum p.* 230. 15. *Müll.* SI PARENTEM PVER VERBERIT, AST ILLE PLORASSIT, PVER DIVIS PARENTVM SACER ESTO. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. NEVE AVRVM ADDITO. QVOI AVRO VINCTI DENTES ESVNT, AST IM CVM ILLO SEPELIRE VREREVE SE FRAVDE ESTO. *Formula* apud *Liv.* 10. 19. BELLONA, SI HODIE NOBIS VICTORIAM DVIS, AST EGO TEMPLVM TIBI VOVEO. *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 105. Ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur; at illa sicut acerbissimam rem mæret. — *b*) Sæpius occurrit cum quis alteri respondens inducitur. *Cic.* 1. *Phil.* 5. 12. Nisi pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. *Nepos Att.* 8. Itaque appellatus est a C. Flavio – Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille – respondit etc. *Curt.* 3. 2. 11. At ille, et suæ sortis et regiæ superbiæ oblitus: Verum, inquit, et tu etc. *Catull.* 45. 10. At Acme – Sic, inquit, mea vita etc. — *c*) Apud Poetas *at ille* hac ratione non raro occurrit. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 58. O tua cornu Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum Sic mutilatus tu minitaris? At illi fœda cicatrix Setosam lævi frontem turpaverat oris. *Propert.* 4. 7. 11. Spirantesque animos et vocem misit: at illi Pollicibus fragiles increpuere manus. Cf. *Hand. Tursell.* I. *p.* 422. et seqq.

ĂTĂBŬLUS, i, m. 2. ventus Apuliæ peculiaris, frigidissimus, qui si flavit circa brumam, omnia exurit arefaciens, ut nullis postea solibus recreari possint, ut ait *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (232). Videtur derivari posse ab ἄτη, *damnum* et βάλλω *infero*, quia satis perniciem affert. Hunc *Gell.* 2. 22. vocat *Horatianum*, quia ejus meminit *Horat.* 1. *Sat.* 5. 77. Incipit ex illo montes Apulia notos Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos etc. Fortasse idem fuit ac Japyx, de quo *Id.* 1. *Od.* 3. 4. *V.* SCIRON; et cf. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 17. et *Quintil.* 8. 2. 13.

ĂTĂGEN. *V.* ATTAGEN.

ATANUVIUM. *V.* ATHANUVIUM.

ĂTĂT *vel* atāt *vel* ătat, *unde et* attat *conjunctim* (præcipue in infra allatis aliisque *Plauti* locis), interjectio, quæ constat ex repetita particula *at* quæque propterea etiam *at at* scribitur. Hinc est interjectio adversativa, ideoque, quamvis variis affectibus serviat, est tamen semper aliquid de improviso deprehendentis, aut rem diu non cognitam tandem intelligentis. — *a*) Generatim. *Plaut. Cas.* 2. 7. 11. Atat concedam huc: audio aperiri fores. *Forcellinus* hoc in loco *atat* simpliciter adversativam esse ait. *Id. Aulul.* 4. 8. 12. Atat senem eccum ipsum. *Id. Truc.* 2. 7. 21. Atat, eccam adest propinque. *Id. Cas.* 3. 4. 29. Attat, quid illuc clamoris, obsecro, in nostra domo est? Adde *eumd. Pœn.* 4. 1. 5. *Id. Curc.* 3. 19. Atat, quem quærebam. *Id. Pers.* 4. 7. 12. Attat oblitus sum intus dudum edicere. Adde *eumd. Curc.* 4. 4. 27. et *Cist.* 4. 2. 34. *Ter. Andr.* 1. 1. 98. Atat hoc illud est; hinc illæ lacrimæ, hæc illa est misericordia. *Id. Eun.* 4. 5. 1. Atat data hercle verba mihi sunt. *Cato* apud *Frontin. p.* 149. *Mai.* Atat, noli, noli scribere, inquam, istud nolunt audire. — *b*) Interdum est timentis. *Plaut. Aulul.* 3. 1. 8. Atat, perii hercle ego miser. *Ter. Eun.* 4. 6. 17. Militem secum ad te quantas copias adducere? Atat. *h. e.* sed timeo vehementer. Adde *eumd. Phorm.* 5. 8. 70.; et *V. Hand. Tursell.* I. *p.* 451. *et seq.* — *NB.* Huc pertinent et duæ sequentes interjectiones.

ĂTATTĂTÆ, interjectio, eadem quæ atat. *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 213. *Putsch.* Atattatæ cave cadas, amabo. *Forcellinus* libentius legeret *at attate* vel *attate* solummodo.

ĂTATTĂTĂTTĂTÆ, interjectio, eadem quæ atat. *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.*, ubi *at attate* vel *attate* solummodo emendandum *Forcellino* videbatur.

ĂTĂVĬA, æ, f. 1. (atavus) abavi vel abaviæ mater, tam ex parte paterna, quam materna; cui respondet *adneptis*. *Cajus Dig.* 38. 10. 1. § 7. et *Paul. fragm.* 10. § 16., et *Paul.* 4. *Sentent.* 11. 5. (It. *bisarcavola, quarta nonna*; Fr. *quatrième aïeule*; Hisp. *quarta abuela*; Germ. *die Mutter des Urgrossvaters oder der Urgrossmutter*; Angl. *a fourth grandmother*).

ĂTĂVOS *vel*

ĂTĂVUS, i, m. 2. *Paul. Diac.* p. 13. 12. *Müll.* scribit *atavum* dici, quia *atta est avi* (al. minus recte *tata est avi*; al. *tata est abavi*), id est pater seu potius avus avi, ut pueri usurpare solent. Sed hoc etymon ineptum *Forcellino* videtur, cum *atavus* sit pro *adavus*, ex *ad* nempe et *avus*; ut *adnepos* ex *ad* et *nepos*. — Ceterum atavus est abavi vel abaviæ pater tam ex parte paterna, quam materna; cui respondet *adnepos*, ut docent *Cajus Dig.* 38. 10. 1. § 7. et *Paul. fragm.* 10. § 16., *id. Paul.* 4. *Sentent.* 11. § 5., et *Isid.* 9. *Orig.* 5. 9. et 6. 23. et 25. (It. *bisarcavolo, quarto avo*; Fr. *quatrième aïeul*; Hisp. *quarto abuelo*; Germ. *der Vater des Urgrossvaters, der Urältervater*; Angl. *a fourth grandfather*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Plaut. Pers.* 1. 2. 5. Pater, avos (*h. e.* avus, et sic deinceps), proavos, abavos, atavos, tritavos. *Cic. Cæl.* 14. 33. Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, proavum, atavum audieras consules fuisse? — *NB.* Nonnulli pro abavo sumebant apud *Vellej.* 1. 2. Duces recuperandi imperii fuere Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum atavus (*Hercules*) fuerat. *At liquet scribendum esse* abavus, *quod habent recentiores editiones.* ¶ 2. Latiori sensu universim dicitur de majoribus. *Ter. Phorm.* 2. 3. 48. Primus esse memoriter progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens. *Virg.* 7. *Æn.* 7. Turnus avis atavisque potens. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 17. Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris. *Inscript.* apud *Orell.* 1140. A PROAVIS ATAVISQ. *Alia* apud *eumd.* 3164. AB ATAVIS PATRONVS. — Hinc adjective *atavi reges* apud *Virg.* 7. *Æn.* 474.; et apud *Horat.* 1. *Od.* 1. 1. Mæcenas atavis edite regibus. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 19. Veteres illi Sabini atavique Romani.

ĀTELLĀNĬCUS, a, um, adject. ad Atellanas fabulas pertinens. *Sueton. Tib.* 45. Atellanicum exodium. *Petron. fragm. Tragur.* 68. *Burmann.* Atellanici versus. *V.* ATELLANUS.

ĀTELLĀNĬŎLUS, a, um, deminut. ab *Atellanus*. *M. Aurel.* apud *Front.* 2. *ad M. Cæs.* 3. Sed cum leges sexaginta inibi sint et Novianæ, et Atellaniolæ (*h. e.* fabulæ), et Scipionis oratiunculæ, ne tu numerum nimis expavescas.

ĀTELLĀNĬUS, a, um, idem quod Atellanicus. *Cic.* 9. *Divinat.* 10. 25. Atellanius versus. *Macrob.* 1. *Saturn.* 10. Atellania ars. *Utroque loco quidam leg.* Atellanicus. *V.* vocem sequent.

ĀTELLĀNUS, a, um, adject. ad Atellam oppidum pertinens, de quo *V.* ONOM. — Quidam scribunt *Attellanus* duplici *t*, sed minus recte. — Hinc

Atellana, æ, f. 1. absolute (subaudi *fabula*), genus est poematis maxime jocosum et ridiculum, ideo ita appellatum, tum quia primo et diu Atellanis fabellis, hoc est ab Atellanis petitis, consertum fuit, ut *Liv.* 7. 2. docet; tum quia Oscorum dialectus in eo servabatur; tum demum quia qui illud agebant, Osco more personati inducebantur. Atella autem Oscorum urbs fuit. Hujusmodi fabulæ agebantur fere in fine comœdiæ, aut tragœdiæ (unde et *Exodia* dicebantur) ad exhilarandos animos affectu aliquo vehementi turbatos, quemadmodum a Græcis Satyræ, et ab Italis nunc ea, quæ *Intermezzi* appellamus. *V. Diomed.* 3. p. 487. *Putsch. Cic.* 9. *Fam.* 16. 7. Atellanam introducere. *Al. leg.* Atellanum, ut *infra* in *Atellanus*. *Varro* 7. *L. L.* 29., 84. et 95. *Müll.* In Atellanis. *Liv.* 7. 2. Atellanarum actores. *Juvenal.* 6. 71. Urbicus exodio risum movet Atellanæ. *Sueton. Ner.* 39. Histrio Atellanarum. *Id. Cal.* 27. Atellanæ poeta. *Gell.* 17. 2. Novius in Atellana, quæ Parcus inscripta est. *Id.* 12. 10. Pomponii fabula Atellana est, quæ ita inscripta est Æditumus. De Atellanis earumque exodiis consule *Vincentium De Muro* in *Dissert. delle favole Atellane* in *Mem. della Società Pontaniana T.* 1. p. 61.-94.

Atellanus, i, m. 2. Atellanæ fabulæ actor. *Sueton. Galb.* 13. Atellanis notissimum canticum exorsis. Adde *Festum p.* 217. 23. *Müll.*; *Val. Max.* 2. 4. 4.; et *Quintil.* 6. 3. 47. *Cic.* 9. *Fam.* 16. 7. Nunc venio ad jocationes tuas, cum tu secundum Œnomaum Accii, non, ut olim solebat, Atellanum, sed ut nunc fit mimum introduxisti. (Verum, ut superius monuimus, recentiores cum *Orellio* leg. *Atellanam* pro *Atellanum*). Hoc *Ciceronis* loco innuitur discrimen inter *Atellanas* et *Mimos*. Nimirum *Mimi* fabulæ erant Latinæ, sed valde lascivæ et dicacissimæ: contra *Atellanæ* modestiores multo, et vetusta rudique ac severa elegantia scriptæ. Præterea Mimos agebant histriones, Atellanas sibi Romana juventus retinuit, nec ab histrionibus pollui passa est, ut *Liv. loc. sup. cit.* scribit. Id quidem locum habuisse videtur priscis temporibus, quibus *Livius* scribebat; at ex loco *Sueton. Ner.* 39. superius cit. sub *Atellana*, æ, constat, imperante Nerone, histriones etiam Atellanas actitasse. *V.* plura apud *Manut.* in cit. *Cicer.* loc. *Hieronym. Ep.* 147. *n.* 5. Quod nec mimus fingere, nec scurra ludere, nec Atellanus possit effari. Et universim de Atellanis fabulis consule *Voss. Institution. poetic. l.* 2. *c.* 35.; *Ed. Munk De fabulis Atellanis, Lips.* 1840.; et *Klotz Handb. der latein. Litt.-Gesch. P.* I. *p.* 224. — Adjective dixit *Tertull. Spect.* 17. Atellanus gesticulator.

ĀTER, ātra, ātrum, adject. Comp. *Atrior* leg. tantummodo apud *Plaut. Pœn.* 5. 5. 11. et *Lactant.* 5 3.; Superl. nusquam occurrit. — Ratione habita etymi, hæc vox conjungi potest cum αἴθω *uro, torreo*, unde αἰθός, αἰθήρ etc. — Ater est niger æque ac res tosta vel usta, (unde proprie differt a *niger*, *V.* Homonym. in fine), niger ut carbo (quemadmodum ait *Ter. Adelph.* 3. 3. 63. Tam excoctam reddam atque atram, ut carbo est), vel niger ut Æthiops (quemadmodum ait *Plaut. Pœn.* 5. 5. 11. Ita replebo (*illam*) atritate, atrior multo ut siet, quam Ægyptii) (It. *atro, oscuro*; Fr. *noir, sombre*; Hisp. *negro, obscuro*; Germ. *schwarz, gebräunt, dunkel, finster*; Angl. *black, coal-black, sable, dark, brown*).

I.) Proprie. — *a*) Interdum *albo* opponitur. *Plaut. Men.* 5. 5. 17. Album an atrum vinum potas. Adde *Caton. R. R.* 157. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 114. Democritus, luminibus amissis, alba scilicet et atra discernere non poterat. — *Hinc proverbium*: Ignorare, nescire, utrum albus an ater aliquis sit, *h. e.* hominem prorsus non noscere. *Catull.* 92., quocum cf. *Quintil.* 11. 1. 38., *Cic.* 2. *Phil.* 16. 41. et *Apul. de Mag.* 16. *V.* ALBUS 1. — Aliquando et *niveo* opponitur, sed eadem significatione, ut *atri capilli* apud *Ovid.* 15. *Met.* 42., quocum cf. *ibid. v.* 45. — *b*) Sæpius absolute occurrit, ita tamen ut ex ipsius orationis contextu innotescat, quo gradu ipse ater color sit accipiendus. Nomina, quibuscum jungitur, servato litterarum ordine subjiciemus. *Virg.* 12. *Æn.* 450. agmen. *h. e.* pulveris nube coopertum, ut *Servius ibid.* exponit. *Plaut. Capt.* 3. 4. 64. et *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. bilis. Cf. *Paul. Diac.* p. 29. 7. *Müll. Sil. It.* 1. 419. cæde atra perfusus. (Frequenter Poetæ *sanguinem* vel *cruorem* atrum vocant, præcipue illum, qui in cædibus effunditur). *Ovid.* 15. *Met.* 45. calculus. *Virg.* 11. *Æn.* 36. caligo. *Ter. Phorm.* 4. 4. 25. canis. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 9. capillus. *Horat.* 2. *Od.* 14. 17. Cocytus. *Ovid.* 4. *Met.* 165., et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (16). color. *Catull.* 108. 5. gutture atro corvus. *Horat. Epod.* 17. 31. cruor. *Id. ibid.* 8. 3. dens. *Sil. It.* 6. 107. Eridanus ater stragibus. *Lucret.* 6. 1146. et *Sil. It.* 6. 198. fauces. *Id.*

9. 570. fera. h. e. elephas. Cato R. R. 8. ficus. Ovid. 1. Amor. 13. 31. filius. Virg. 5. Æn. 2. fluctus. Id. 7. ibid. 214. hiems. Sil. It. 5. 165. jubæ. Horat. 1. Ep. 7. 6. lictores. h. e. atrati, seu ministri libitinarii, qui pullis vestibus utebantur. Tac. 5. Hist. 6. liquor. Virg. 7. Æn. 457. lumen. h. e. obscurum propter fumum. Horat. 2. Sat. 2. 16. mare. h. e. procellosum, quia mare agitatum ventis nigrescit. Virg. 1. Æn. 160. nemus. h. e. umbrosum. Id. ibid. 89. et Horat. Epod. 10. 9. nox. Tac. Germ. 43. noctes. Lucret. 6. 178., Virg. 10. Æn. 264. et 662., et Horat. 2. Od. 16. 2. nubes. Colum. 11. R. R. 3. 36. olus. V. OLUSATRUM. Ter. Eun. 5. 4. 17. panis. Sil. It. 15. 96. pennæ. Plaut. Capt. 3. 4. 65. pix. Horat. 2. Sat. 8. 55. pulvis. Sil. It. 5. 154. ripæ. h. e. cruore conspersæ. Id. 7. 423., quocum cf. Virg. 2. G. 130. et Ovid. 3. Met. 64. serpens. Horat. 3. Od. 27. 18. sinus Hadriæ. h. e. procellosus. Virg. 8. Æn. 258. specus. Id. 1. ibid. 60. spelunca. Lucret. 3. 979. Tartara. Id. 6. 258. et Virg. 5. Æn. 693. tempestas. scilicet quia nubes solem tegunt et tenebras inducunt. Lactant. 5. 3. Cimmeriis, ut ajunt, tenebris atrior. Virg. 2. G. 130. venena. h. e. quia vel nigri sunt succi, vel nigra reddunt corpora, quæ infecerint. Petron. Satyr. 133. et Sil. It. 11. 259. vestis. Tibull. 1. 3. 46. viscus. Sil. It. 6. 68. vulnera.

II.) Translate. ¶ 1. Ater est infelix, tristis. — a) In prosa oratione occurrit tantum ater dies vel atri dies, h. e. ominosi, infelices: cujus appellationis ratio est, quod veteres felicia omnia albo, tristia et infausta atro colore notabant; unde Ovid. 1. Amor. 4. 18. Ultima namque dies atro signanda lapillo. V. quædam huc pertinentia in ALBUS II. 1. Itaque atri dies erant infelices, in quibus gravis aliquando calamitas reipublicæ acciderit: quales erant Romanis dies omnes postridie calendas, nonas, idus, et ante diem quartum calendas, nonas, idus, ut Varro 6. L. L. 29. Müll., Verrius Flaccus apud Gell. 5. 17., Festus p. 178. 8. et p. 278. 14. Müll., et Macrob. 1. Saturn. 15. in fin. et ibid. 16. docent, ejusque rei causam ibidem tradunt. Addit Gell. l. c. hos dies imperite a vulgo nefastos appellari. Differunt enim. Nam omnes quidem atri dies erant nefasti, sed non omnes nefasti erant atri: verbi gratia, dies festi erant nefasti, sed non atri. Atri dies neque prœliares erant, neque puri, neque comitiales. Varro l. sup. cit. Dies postridie calendas, nonas, idus appellati atri, quod per eos dies novi inciperent. Turneb. legendum putat nihil novi inciperent, ut constet sententia; quod et probavit et codicum auctoritate confirmavit Müll. Afranius apud Non. p. 73. 33. Merc. Septembris heri calendæ, hodie ater dies. Adde Liv. 22. 10. — b) A Poetis ponitur pro funesto, infelici, lugubri, molesto, noxio, tristi, quemadmodum a contrario albus pro læto, felici, ut apud Horat. 2. Ep. 2. 189. Genius — vultu mutabilis, albus et ater. — Generatim. Sil. It. 3. 211. bellum. Horat. 3. Od. 1. 40. cura. Id. 3. ibid. 14. 13. et 4. ibid. 11. 35. curæ. Id. 2. Sat. 7. 115. comes atra. h. e. cura. Claudian. 1. Laud. Stilich. 279. fames. Lucret. 4. 174. et 6. 254. formido. Horat. Art. P. 423. lites. Sil. It. 7. 366. lues. h. e. incendium. Virg. 12. Æn. 391. odor. h. e., ut exponit Servius, qui ex atra re ambusta exit. Virg. 7. Æn. 525. atraque late Horrescit strictis seges ensibus. Virg. 2. G. 130. et Ovid. 3. Met. 64. serpentes. Stat. 1. Achill. 129. signa. Virg. 4. G. 407. tigris. h. e. terribilis, metuenda. Id. 9. Æn. 719. Immisitque fugam Teucris atrumque timorem. Horat. 3. Od. 4. 17. viperæ. — Speciatim occurrit de morte ac diis inferis. Horat. 2. Sat. 1. 58. alæ mortis. Virg. 3. Æn. 64. cupressus. Id. 6. ibid. 429. abstulit atra dies. Propert. 2. 8. 34. extremi funeris atra dies. Ovid. Heroid. 10. 103. Erynnis. Horat. 2. Sat. 6. 32. Esquiliæ. Id. 2. Od. 3. 16. fila Parcarum. Lucret. 2. 580. funus. Seneca Herc. fur. 693. luctus. Id. Hippol. 1212. lux. Horat. 1. Od. 28. 13. mors. Sil. It. 2. 549. planctus. Id. 8. 51. pyra. ¶ 2. A Poetis accipitur interdum et pro fœdo, turpi. Horat. Art. P. 3. ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne. Adde quod pisces permulti sunt atri coloris. Virg. 3. G. 430. Atra ingluvies. ¶ 3. Item pro livido, maligno, maledico. Horat. 1. Ep. 19. 30. atris versibus oblinere aliquem. Id. Epod. 6. 15. atro dente aliquem petere. Cf. Serpentes atræ. Sil. It. 2. 355. atram mentem stimulare. ¶ 4. Item pro obscuro et intellectu difficili. Stat. 5. Silv. 3. 156. tu pandere doctus Carmina Battiadæ latebrasque Lycophronis atri.

Homonym. Ater proprie differt a nigro, sicut albus a candido (V. Homonym. sub init. vocis ALBUS). Nam ater et niger sunt ejusdem coloris, sed ater non nitet, niger vero nitet.

ĀTĔRAMNOS, on, adject. (ἀτέραμνος), subaudi herba, est enim herba quædam apud Plin. 18. Hist. nat. 17. 44. (155). Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, qua in macro, cum udam quidem ventus afflavit. Dalechampius aliique censent, hanc herbam nusquam omnino gentium fuisse, cum vox ateramnos, sicuti et teramnos, ex male intellecto Theophrasti loco l. 4. de Caus. plant. c. 14. satis ridicule a Plinio conficta fuerit. Harduinus tamen Plinium a tam supinæ negligentiæ culpa purgare conatus est: sed perperam; cf. enim Fée (Op. cit. vol. 2. p. 180) eamdem Plinio notam inurit. Sillig. vero legit ateramon et teramon.

ATERCAUTA. V. ATTERRANEA.

ĀTHĀNĀSIUS, a, um, adject. ἀθανάσιος, h. e. immortalis vel immortalem reddens. Theod. Priscian. 4. 1. Athanasia potio. nisi forte ita dicta sit a quodam Athanasio. V. et ONOM.

ATHANUVIUM est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani. Ita Paul. Diac. p. 18. 11. Müll., ubi alii leg. Atavium. In Glossis Isidori legitur: Atanulum et Attanabo, genus vasis. Et in Glossis Philox. Atnanulus, ἀγγεῖον ἱερέως σκεῦος χαμηλόν. Quæ voces aliquam inter se similitudinem habent et eamdem rem significare videntur. V. Voss. Etymol. Legitur etiam Attanulum, quod ab Athanuvium factum esse putat Salmas. Solin. p. 830.

ATHENIPPIUM vel

ATHENIPPUM collyrium occurrit apud Scribon. Compos. 26. et 27. Rhodius suspicatur Athenippium rectius dicendum esse, ab auctore nempe Athenippo.

ĀTHĒNŎGĔRON, ontis, m. 3. ἀθηνογέρων, senex scholasticus, qui in senectute litteris operam navat: ab Ἀθήνη Minerva et γέρων senex. Hieronym. 3. in Rufin. n. 6. Nec tibi, ut dicis, ferulas adhibeo, neque athenogeronta meum scutica et plagis litteras docere contendo.

ĀTHĔOS vel atheus, i, m. 2. ἄθεος, proprie qui est sine Deo, seu qui nullum esse Deum putat, ab α privativo et Θεός Deus. Cic. 1. Nat. D. 23. 63. Diagoras, ἄθεος qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Forcellinus Latinis litteris protulit Codd. auctoritate refragante. Arnob. 3. 28. Nos impios, irreligiosos vocetis, aut atheus. Id. 5. 30. Quemquam ex his atheum.

ĀTHĒRA, æ, f. 1. ἀθήρα, pulmenti seu potius medicamenti genus, quod ex olyra, vel farre et lacte conficitur. Plin. 22. Hist. nat. 25. 57. (121). Olyram arincam diximus vocari: hæc decocta fit medicamentum (Forcellinus legendum putat pulmentum) quod Ægyptii atheram vocant, infantibus utilissimum, sed et adultos illinunt eo. Hieronym. Quæst. in Genes. 45. 21. Porro θήραν venationem magis potest sonare, quam fruges; tametsi moris fit Ægyptiorum θήραν etiam far vocare, quod nunc corrupte atheran nuncupant. Videtur fuisse idem cibi genus, de quo Plin. 22. Hist. nat. 21. 28. (56). Est et lotometra, quæ fit ex loto sata, ex cujus semine simili milio fiunt panes in Ægypto a pastoribus, maxime aqua vel lacte subacto. Colum. 2. R. R. 9. Milium pultem præbet maxime cum lacte non fastidiendam. Jablonsk. Opusc. T. 1. p. 14. putat, atheram esse, quam etiamnum Ægyptii vocant dora, doura, vel dourra, nos miglio d'India.

ĀTHĔRŌMA, atis, n. 3. ἀθέρωμα, abscessus, seu tuberculum in capite fere nascens, cum folliculo, in quo quiddam pulti simile continetur, peculiari tunica inclusum. Cels. 7. 6. Ἀθερώματι subest quasi tenuis pulticula; melicridi liquidior humor. Forcellinus Latinis litteris legebat. Veget. 2. Veterin. 30. 1. Atheroma est tuber, in quo farinosa congeries invenitur.

ĀTHĔUS. V. ATHEOS.

ĀTHLA, æ. V. ATHLON.

ĀTHLĒTA, æ, m. 1. ἀθλητής, Græca significatione est qui gymnicis in certaminibus lucta, pugilatu, cursu, saltu et disci vel jaculi projectione pugnat; et præcipue qui lucta et pugilatu. Ita enim videtur a Latinis plerumque usurpari. Est ab ἆθλος certamen, vel ab ἀθλέω certo, pugno. — Primam syllabam in athleta licenter corripit Tertull. 2. advers. Marcion. 172. In stadio ligni fortis congressus athleta.

I. Proprie. Certabant athletæ in circo, in gymnasiis, in amphitheatris, subligaribus virilia tecti Romæ, at in Græcia nudi omnino (Dionys. Halic. l. 7. p. 473.), oleo seu ceromate uncti et pulvere conspersi corpus, cujus vires ut alerent servarentque, simplici cibo et ad nutriendum saginandumque apto utebantur, summoque studio ab iis abstinebant, quæ viribus officere possent: artem vero athleticam diligenter perdiscebant a magistris assiduisque exercitationibus excolebant. Athletas, quia non lucri, sed virtutis causa se exercent, artem ludricam non facere, ideoque ignominiosam non esse, statuunt Jurisconsulti apud Ulp. Dig. 3. 2. 4. Cic. Senect. 9. 27. Milo, cum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, etc. Id. Orat. 68. 228. Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores, videmus, nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quamdam etc. Id. 2. Tusc. 23. 6. In stadio cursores exclamant, quam maxime possunt: faciunt idem, cum exercentur, athletæ: pugiles vero, etiam cum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt. Et ibid. 17. 40. Aniculæ sæpe inediam biduum aut triduum ferunt: subduc cibum unum diem athletæ; Jovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit; ferre non posse clamabit. Adde Varron. apud Non. p. 528. 3. Merc. Nepos Epam. 2. Magnitudo virium ad athletarum usum pertinet. Adde eumd. Chabr. 1. Liv. 39. 22. Athletarum quoque certamen tum primo (nempe ann. U. C. 568., ante Chr. 186.) Romanis spectaculo fuit. Val. Max. 2. 4. 7. Athletarum certamen a M. Scauri tractum est munificentia (nempe ann. U. C. 695., quo is ædilitate functus est). Adde Horat. 2. Ep. 1. 95.; Plin. 11. Hist. nat. 53. 118. (283).; Quintil. 5. 12. 21. et alibi sæpe. Sueton. Aug. 44. Athletarum spectaculo muliebre secus omne summovit. Adde eumd. Cæs. 39.

II.) Translate generatim ponitur pro strenuo ac peritissimo in re quacumque. Varro 2. R. R. 1. 2. Vos, qui estis Epirotici, pecuarii athletæ. h. e. diligentes et strenui in re pecuaria procuranda. Id. 3. ibid. 5. 18. Nos athletæ comitiorum. Justinian. in Epist. ad Theophil. Doroth. etc. præfixa libris Digest. a med. Optimi athletæ judiciorum. h. e. strenue pugnantes in forensibus judiciorum certaminibus.

ĀTHLĒTĬCĒ, adverb. ἀθλητικῶς, athletarum more. Per jocum usurpat tantummodo Plaut. Bacch. 2. 3. 14. Bene ne usque valuit? CH. Pancratice atque athletice. Id. Epid. 1. 1. 18. Pugilice atque athletice valere.

ĀTHLĒTĬCUS, a, um, adject. ἀθλητικός, ad athletam pertinens. Cels. 4. 6. in fin. Athletico victu corpus firmare. h. e. iis cibis, quibus utuntur athletæ ad vires firmandas et conservandas. V. COLIPHIUM. Cæl. Aurel. 1. Acut. 14. Habitudinem athleticam negat esse tutam. Gell. 15. 16. Cum Milo jam grandis natu artem athleticam desiisset. — Hinc

Athletica, æ, f. 1. absolute est athletica ars. Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (205). Hercules Olympiæ athleticam instituit.

ĀTHLON, i, n. 2. ἆθλον, Græca vox, qua significatur præmium certaminis, quod victori datur: item aliquando labor, quod perfert quis in certamine. — a) Sæpius in plur. numero usurpatur, ut a Varron. apud Non. p. 528. 3. et p. 82. 32. Merc. Item a Manil. 3., 162., 172., 193., etc. ubi apud Astrologos athla sunt opera, res, labores, studia, certamina et quicumque casus in vita humana possunt contingere; quorum duodecim classes fecerunt Astrologi et singulis signis cælestibus assignarunt. Hygin. Fab. 30. Herculis athla XII. ab Eurystheo imperata. Ampel. 2. Sunt qui dicant (geminos esse) Herculem et Theseum, quod similia athla sint adepti. — b) In singulari numero legitur athlon apud Hygin. Fab. 91. In athlo funebri, quod ei fiebat. Forcellinus masc. gen. acceperat. — c) In fem. gen. Petron. fragm. Tragur. 57. in fin. Burmann. Et habebam in domo, qui mihi pedem apponerent hac illac: tamen enatavi. Hæc est vera athla. Plerique tamen leg. Hæc sunt vera athla. Vetus Scholiast. ad Virg. 3. G. 4. ed. Mai. (Class. Auct. T. 7.). Rex argivorum Herculi athlas XII. imperavit. ubi tamen mendum inesse potest. — d) Athla fori translate dicuntur causidicorum concertationes. Vet. Poeta in Anthol. Latin.

T. 1. *p.* 628. *Burmann.* Cur post athla fori togæque pompam, Verso et munere dignitatis, optas Admissarius esse, quam patronus?

ĀTHLOS, i, m. 2. *V.* ATHLON sub *b.*

ĀTHRISMUS *vel* athræsmus, i, m. 2. ἀϑροισμός, figura est, qua plures sensus breviter expediti in unum locum coacervantur; ab ἀϑροίζω *congrego, congero:* ut in illo *Cic.* 3. *Cat. init.* Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, *et quæ sequuntur.* Est autem Græca vox et Græce usurpanda.

ĀTĪNIUS, a, um, adject. ad Atinium pertinens, de quo *V.* ONOM. — Atinia dicitur etiam species ulmi, fortasse a quodam Atinio. Ulmorum cum duo sint genera, gallicum et vernaculum, illud *atinia*, hoc nostras dicitur. Atinia lætior et procerior est, quam nostras; uberiorem etiam frondem emittit et bubus gratiorem. Fructum fert rariorem, quam nostras, et inter frondes latitantem; adeo ut quidam sterilem eam, neque ullam ferre sameram putaverint. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 2. et 9. (ubi *atiniam ulmum* adjective appellat) et *de arborib.* 16.; et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 17. 29. (72)., ubi absolute *atiniam* dicit.

ĀTIZŌE, es, f. 1. (subaudi *gemma*), aut juxta alios,

ĀTIZŌES, æ, m. 1. ἀτιζόης, gemma argenteo nitore fulgens, magnitudine trium digitorum, ad lenticulæ figuram, odoris jucundi. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (147).

ĀTLANTIĀDES, um, f. plur. 3. Ἀτλαντιάδες, eædem, quæ Atlantides, seu Plejades. *Sil. It.* 16. 136. Aurora obscuri tergebat nubila cœli, Vixque Atlantiadum rubefecerat ora sororum. *V.* voc. seq.

ĀTLANTĪDES, idum, f. plur. 3. Ἀτλαντίδες, filiæ Atlantis (*V.* ATLAS et ATLANTIS in ONOM). Atlas duas uxores habuit, Plejonem et Æthram sorores, filias Oceani et Tethyos, ut alii malunt Deucalionis. Ex Plejone septem filias genuit, Electram, Alcyonem, Celæno, Majam, Asteropem, Taygetem, Meropem, ex Æthra filium suscepit nomine Hyanthem, et septem filias, Ambrosiam, Eudoram, Pasithoem, Coronidem, Plexauridem, Pytho, Tychem. Omnes a Jove honoribus cælestibus dignatæ sunt. Illæ, quæ ex Plejone Atlanti natæ sunt, positæ fuere ante genua Tauri, et *Plejades* atque *Vergiliæ* dicuntur: quæ ex Æthra, in Tauri capite collocatæ sunt, partim in ore, partim juxta cornua, et dicuntur *Hyades* et *Suculæ*. *Vitruv.* 6. 7. 6. *Schneid.* et *Hygin. Fab.* 192. et 2. *Astron.* 21. Hinc *Virg.* 1. *G.* 221. Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur. *Servius* et *Probus* monent, intelligi hoc loco Plejades seu Vergilias. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 54. *V.* alia huc pertinentia in HYADES et PLEJADES.

ĀTLANTĪON, ii, n. 2. nomen est extremæ colli vertebræ, dorso proximæ, ita dictæ tum quia sustinet reliquas colli vertebras, tum quia in ferendis dorso oneribus plurimum laborat, ad similitudinem Atlantis, qui cælum humeris sustinere dicitur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (99). Hunc spinæ articulum, sive nodum, atlantion vocant: est autem primus.

ĀTLANTIS, idis, f. 3. adject. ad Atlantem pertinens, *V.* ONOM. Absolute *Val. Flacc.* 2. 72. Jamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes Albet ager. *h. e.* Luciferi, quam plerique stellam Veneris dicunt, quidam autem fabulantur dictam esse ab Hespero Atlantis fratre. *V.* HESPERUS et sup. ATLANTIDES.

ĀTLAS, antis, m. 3. Iapeti filius ex Clymene (de quo *V.* ONOM.), qui in montem mutatus, cælum sustinere dicitur. Hinc per metonymiam dicitur de homine magnæ staturæ. *Juvenal.* 8. 32. Nanum cujusdam Atlanta vocamus, Æthiopem Cycnum, pravam extortamque puellam Europen. *Atlanta* Accusativus est Græcæ positionis pro *Atlantem.*

ATNEPOS, otis. *V.* ADNEPOS.

ATNEPTIS, is. *V.* ADNEPTIS.

ĀTŎCĪON *vel* atocium, ii, n. 2. ἀτόκιον, medicamentum, quod feminarum conceptus impedit, et sterilitatem inducit; ab α privativo et τόκος *partus:* estque per se adjectivum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (85). Vis ea annua est; quam solam ex omni atocio dixisse fas sit. *subaudi* medicamento.

ĀTŎMUS, um, *vel* atomos, on, adject. ἄτομος, qui sectionem non recipit, individuus; ab α privativo et τέμνω *divido.* Hinc *tus atomum* apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (62). est genus quoddam turis, quod sectionem passum non est, indivisum, integrum. *Paulin. Nolan. Ep.* 31. (*al.* 11.). In segmento pane atomo astulæ brevis. — Hinc

Atomus vel *atomos*, i, f. 2. absolute (subaudi *pars, particula*, aut *substantia*, aut aliquid simile). Est corpusculum minutissimum, quod sectionem non recipit. *Democritus* excogitavit innumerabilia quædam individua corpuscula, quæ *atomos* appellavit, quædam levia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quædam, et quasi adunca, quæ huc et illuc casu et temere in inani concursarent, et aliquando cohærescerent inter se, et aliis alia apprehendentibus continuarentur: ex his mundum et omnes mundi partes factas esse, et omnia fieri, quæ in mundo gignuntur: motum atomorum æternum esse; omnia necessitate fieri, ne ab atomis naturalis motus avellendus sit. Hunc et *Epicurus* secutus est. Refellit *Lactant.* mox citandus. *Cic.* 1. *Fin.* 17. 19. Ille atomos, quas appellat, idest corpora individua etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 54. In hac immensitate infinita vis volitat atomorum, quæ, interjecto inani, cohærescunt tamen inter se, et aliæ alias apprehendentes continuantur. *Id. Fat.* 11. 24. De ipsa atomo dici potest etc. Adde *eumd.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 6. et 1. *Nat. D.* 24. 68. *Vitruv.* 2. 2. 1. Democritus atomos, quos nostri insecabilia corpora vocitaverunt. *Lactant. Ira Dei* 10. Lucretius quasi oblitus atomorum, quos asserebat. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. Primordia namque corporis primo (*Asclepiades*) constituerat atomos, corpora intellectu sensa etc. Adde *Isid.* 13. *Orig.* 2. 1., et *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 746. et 6. *Ecl.* 31. *Paulin. Nolan. carm.* 20. *Nat.* 7. *S. Fel.* 277. Nec minimæ perferre (*in oculo*) atomum duramus arenæ.

Atomum, i, n. 2. hoc est momentum temporis; sed occurrit tantum adverbial. *in atomo*, Græc. ἐν ἀτόμῳ. *Tertull. Resurr. carnis.* 42. et 51. et 1. *Corinth.* 15. et 3. *advers. Marcion.* 24. In atomo, in momentaneo motu oculi.

ATQUE *et* ac — *a*) De quantitate pluribus disseruit *Probus* 1. p. 82. *Lindemann.* — *b*) Ratione habita scriptionis, primo videntur antiquissimi scripsisse *adque*, constat enim ex *ad* et *que*, haud aliter atque *absque, deque, susque: V. Gell.* 10. 29. Hinc *adque* occurrit non modo in Inscriptionibus, ut apud *Orell.* 612., 1052., 1077., 3300. 4040.; verum etiam in antiquissimis Codd. MSS., ut notat *A. Mai.* ad *Cic.* 1. *de republ.* 7. *p.* 24. *edit.* 2.: quamquam tum in iisdem Inscriptionibus, tum in MSS. Codicibus *atque* sæpius occurrat. Progresso enim temporis factum est, ut nulla habita etymi ratione, sed usu tantummodo, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi ac scribendi, propter frequentem mutationem litteræ *d* in *t* et *t* in *d*, *atque* pro *adque* scriberetur. Hinc in *Inscript.* apud *Orell.* 4040. semel *adque*, quater autem *atque* legitur. Hac de re *V.* et *A. Mai. l. c.* et *Peyron. M. T. Cic. orationum fragm. p.* 197.; et *V.* in hoc Lexico D et T. — *c*) Quod attinet ad discrimen particularum *atque* et *ac*, illud est animadvertendum, *ac*, per elisionem vulgo familiarem, ex *atque* factam esse. Sequente namque vocali pro *atque* veteres dicebant *atqu'*; sed cum sequente consonante *atqu'* durum aliquid et asperum sonaret, pro *atqu'* per consuetam litterarum assimilationem dixerunt *acc* et deinde *ăc*. Hinc patet, cur et in Inscriptionibus et in optimis Codicibus *atque* occurrat ante omnes voces, sive a vocali, sive a consonante incipientes; et e contrario *ac* occurrat ante voces a consonante tantummodo incipientes. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 540. ATQVE INTERIM. *Ibid.* 558. ATQVE INGENIVM. *Cenotaph. Pisan. ibid.* 642. AC TVM DEMVM. — ADQVE ANIMO. *Ibid.* 643. AC SIMILLVMVM. — AC TAM INPROVISAE — RELATA ATQVE CONDITA. — IVSSV AC VOLVNTATE. Et in una eademque *Inscript.* apud *eumd. Orell.* 1110. OFFICIIS AC FACTIS. — AMPLISSIMVS ADQ. CLARISSIMVS. ATQ. OMNEM. — PERACTA ATQ. PERFECTA. — AC SENATORIAM. AC PER HOC. — AC SI. — ATQ. HOC. — PROCREAVIT ATQ. FORMAVIT. — AC VOLVNTATE. Fatemur equidem aliquando occurrere et *ac* sequente vocali, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 199. AC IN AQVAS., nec non in *Cn. Pompejo* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 4., *Vitruv.* 3. 1. 5., *Varron.* 2. *R. R.* 8. 2. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 35. 53. (125).; quem usum defendit *Müllerus* ad *Varron.* 9. *L. L.* 9. p. 199.: sed et hæc exempla tam pauca numero sunt, ut fere nihil habeant auctoritatis, et librariorum oscitantia et inscitia facillime fieri potuit, ut quod prius *atq.* scribebatur, in *ac* mutaretur. — *d*) Ratione habita etymi, *atque*, ut diximus, videtur esse pro *adque* teste ipso *Gell.* 10. 29. et *Apul. de Orthogr. p.* 132. *Mai.*, ideoque constat ex *ad* et *que*. Proprie igitur significat *et insuper, et præterea, ad hæc, item:* quæ significatio patet etiam ex loco *Ennii*, ubi *atque atque* repetitum adverbii modo occurrit, apud *Gell.* 10. 29. Atque atque accedit muros Romana juventus. h. e. Romana juventus ad muros magis magisque accedit. Ipse *Gell. l. c.* ait: *Atque*, gemina si fiat, auget intenditque rem, de qua agitur. *Nonius* tamen, sed minus recte, p. 530. 3. *Merc.* in loco *Ennii* interpretatur *festine, intrepidanter* (*It. e inoltre, e oltracciò; Fr. et, et de plus, et même;* Hisp. *y, y de mas;* Germ. *und dazu, unde zwar;* Angl. *and, and besides, over and above, moreover*).

I.) Proprie. ¶ 1. *Atque* vel *ac* usurpantur, cum rem, quæ accidit, non simpliciter accidere significamus, sed eidem aliquid insuper addi. — 1.) In oratione continuata. — *a*) Nullo prorsus addito. *Plaut. Amph.* 1. 1. 131. Credo edepol equidem dormire Solem atque appotum probe. *Ter. Eun.* 3. 5. 43. Ego illud vero ita feci ac lubens. *Id. Heaut.* 4. 5. 15. Faciam boni tibi aliquid pro ista re ac lubens quidem. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 67. Isne tu huc mecum intro, atque ut eis delicta ignoscas? *Ter. Andr.* 1. 5. 61. Propera, atque audin? verbum unum cave de nuptiis. *Id. Adelph.* 2. 1. 31. Mitte ista atque ad rem redi. *Cic.* 1. *Legg.* 10. 28. Di immortales! quam tu longe juris principia repetis, atque ita, ut ego – facile patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere. *Id.* 1. *Off.* 44. 157. Atque ut apium examina – cum congregabilia naturâ sint, fingunt favos; sic homines, ac multo etiam magis natura congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam. *Cæs.* 1. *B. C.* 50. Quod ex totis ripis in unum atque angustum locum tela jaciebantur. *Sall. Jug.* 92. Deinde multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem aggreditur. *Id. ibid.* 95. Sulla – litteris Græcis atque Latinis juxta, atque doctissime, eruditus. *Sueton. Ner.* 10. Omnes ordines subinde ac memoriter salutavit. *Cels.* 7. 23. Urgent enim febres ardentes et vomitus; præter hæc ingens sitis et linguæ aspritudo. – Atque neque assumi facile cibus, neque contineri potest. *Leo Targa* in utraque editione habet *Ac neque.* — *b*) Interdum jungitur Pronominibus *hic, idem, is, eo* etc., quæ vim augent. *Cic.* 1. *Att.* 14. 1. Sed tamen distinebar, ut huic vix tantulæ epistolæ tempus habuerim, atque id ereptum e summis occupationibus. *Id.* 5. *ibid.* 12. 1. Negotium magnum est navigare, atque id mense Quinctili. *alii omittunt* id. *Id.* 1. *Fam.* 2. 2. Multi rogabantur, atque id ipsum consulibus invitis. *Cæs.* 1. *B. C.* 17. Maximis defixis trabibus atque eis præacutis. Adde 2. *ibid.* 2. *Id.* 3. *ibid.* 70. Angustis portis atque iis a Cæsaris militibus occupatis. Adde *eumd.* 5. *B. G.* 15. *Id. ibid.* 18. Flumen uno omnino loco pedibus atque hoc ægre transiri potest. *Id. ibid.* 1. Paullo facit humiliores (*naves*), quam quibus in nostro mari uti consuevimus, atque id eo magis, quod etc. *Cels.* 1. 2. Cursus ambulatio atque hæc non utique plana. — 2.) In dialogis. — *a*) Nullo prorsus addito. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 49. PS. Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. Atque acidissimi. *Id. Bacch.* 3. 6. 9. PIST. Num quæ advenienti ægritudo objecta est? MN. Atque acerruma. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 66. PA. Nempe tu istic ais esse herilem concubinam? SC. Atque arguo, eam me vidisse osculantem hic intus cum alieno viro. *Id. Bacch.* 3. 6. 40. Qui duæ? P. Atque ambas sorores. *Ter. Eun.* 5. 3. 6. PYTH. Amabo, quid ait? cognoscitne? CHR. Ac memoriter. *Id. Phorm.* 5. 3. 7. DEM. Bina quæso? NAUS. Ac rebus vilioribus multo tamen talenta bina. — *b*) Addito *quidem*, quo vis augetur. *Plaut. Epid.* 1. 1. 28. TH. Pol illis ad hostes transfugerunt. EP. Armane? TH. Atque quidem cito. *Id. Mil. glor.* 2. 4. 13. PHIL. Tun' me vidisti? SCEL. Atque his oculis quidem. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 12. M. Quo si civitas careat –, id estne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. ¶ 2. *Atque* vel *ac* vim habet intensivam pro *et immo, et quidem, et præcipue, et in primis, et adeo.* — *a*) Sine addito. *Cic. Orat.* 16. 52. Rem difficilem, di immortales! atque omnium difficillimam. *Id.* 5. *Tusc.* 15. 45. Hebeti ingenio atque nullo. *Id.* 3. *Legg.* 14. 31. Pauci enim atque admodum pauci. *Id.* 1. *Cat.* 5. 11. Magna dis immortalibus habenda est gratia atque huic ipsi Jovi Statori etc. *Id.* 4. *ibid.* 9. 18. Ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte. *Sall. Cat.* 52. Alii intra mœnia atque in sinu urbis sunt hostes. — *b*) Addito *adeo* vel *adeo etiam.* *Plaut. Truc.* 2. 4. 6. Vapulo hercle ego nunc atque adeo male. *Id. Curc.* 2. 3. 51.

Respondit mihi paucis verbis atque adeo fideliter, quod tibi est, item sibi esse, magnam argenti inopiam. *Ter. Hec.* 3. 3. 37. Ut etiam eveniat partus patrem atque adeo omnes. *Cic.* 1. *Cat.* 2. 5. Ducemque hostium intra mœnia atque adeo in senatu videmus. *Id. Planc.* 19. 48. Insector, posco atque adeo flagito crimen. *Id.* 5. *Verr.* 50. 118. Quo id jure atque adeo quo id potius more fecisti? *Id.* 13. *Att.* 13. Quod ad te antea atque adeo prius scripsi. *Id. Divinat. in Q. Cæcil.* 21. 68. Hoc institui atque adeo institutum referri ac renovari moleste ferunt. *Liv.* 10. 5. Non petentem atque adeo etiam absentem creatum credidere quidam. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 140. 6. *Merc.* — c) Addito *etiam* vel interdum *quoque*. *Ter. Adelph.* 2. 2. 1. Cupide accipiat faxo atque etiam bene dicent secum esse actum. *Id. ibid.* 4. 5. 28. Factum a vobis duriter immisericorditerque atque etiam, si est, pater, dicendum aperte, illiberaliter. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 3. 8. Quod asperius antea populo videri solebat, – id jam populare atque etiam plausibile factum est. *Id.* 6. *Fam.* 22. Hæc quamquam nihilo meliora sunt nunc atque etiam multo desperatiora. *Sall. Cat.* 52. Misereamini, censeo –, atque etiam armatos dimittatis. *Liv.* 3. 46. Ne Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant. *Liv.* 44. 22. In omnibus circulis, atque etiam, si dis placet, in conviviis sunt qui exercitum in Macedoniam ducant. *Quintil.* 4. 2. 73. Quorum pater vivit, atque etiam liberis adest. *Cels.* 5. 28. n. 17. Oriuntur in pedibus et manibus, atque ungues quoque infestant.

II.) Sæpissime propria hujus particulæ vis imminuitur, et tunc *atque* vel *ac* est conjunctio copulativa, quæ scilicet in oratione subsequentia cum antecedentibus connectit; ita tamen, ut *atque* vel *ac* huic eidem conjunctioni plus roboris addat quam *et*, ideoque sit pro *et quoque, haud minus quam, haud aliter quam*. Ita et gr. *Ter. Eun.* 1. 1. 11. Etiam atque etiam hoc cogita. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 14. 46. Invidiam vide modo: etiam atque etiam considera. *Sall. Jug.* 60. Unæ atque alteræ scalæ. *h. e.* unæ et alteræ quoque. *Id. Cat.* 30. Omnia honesta atque inhonesta. *h. e.* honesta pariter et inhonesta, honesta non minus quam inhonesta. *Liv.* 21. 4. Caloris ac frigoris patientia par. *h. e.* caloris haud aliter quam frigoris. — Hæc autem particula naturâ suâ, initio propositionis vel membri est collocanda: Poetæ tamen per licentiam interdum alibi collocarunt. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 361. verba atque obscena profatur. *Lucret.* 3. 530. Scinditur atque animo natura etc. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 111. Millibus atque aliis etc. *Id. ibid.* 7. 12. animosum atque inter Achillem. *Id. ibid.* 4. 107. Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque Viverem uti contentus etc. *Id. ibid.* 6. 65. Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis Mendosa est natura. — ¶ 1. *Atque* vel *ac* — a) Conjungunt singula vocabula vel orationis articulos. *Nævius* apud *Priscian.* 6. p. 679. *Putsch.* magnique Atlantes, Rhuneus atque Purpureus, filii Terras. *Id.* apud *Paul. Diac.* p. 320. 4. *Müll.* Scopas atque verbenas sagmina sumpserunt. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 63. Cupido cepit miseram nunc me proloqui cælo atque terræ Medeai miserias. *Id.* apud *Non.* p. 112. 2. *Merc.* Fortunatim, feliciter ac bene vortat. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. divum pater atque hominum rex. *Id. Annal.* 8. 13. Deque totondit agros lætos atque oppida cepit. *Id.* apud *Non.* p. 505. 19. *Merc.* Id ego æquum ac jus fecisse expedibo atque eloquar. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Secundæ res lætitiâ transversum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. *Id.* apud *Festum* p. 282. 27. *Müll.* Servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet. *Id.* apud *Gell.* 13. 17. Sæpe audivi inter os atque offam multa intervenire posse, verum vero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est. *Plaut. Amph.* 1. 1. 40. Id vi et virtute victum atque expugnatum oppidum est, imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume; præda atque agro adoreaque affecit populares suos. *Id. Bacch.* 2. 3. 114. Deos atque amicos it salutatum ad forum. *Ter. Andr.* 1. 1. 35. Sic vita est: facile omnes perferre ac pati. Et *ibid.* v. 47. Primum hæc pudice vitam, parce ac duriter agebat. *Id. Eun.* 1. 2. 95. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres. *Id. ibid.* v. 67. Ut suis restituam ac reddam. *Cic.* 15. *Att.* 11. 2. Quod ita rempubl. geris ac gessisti. *Id. Divinat. in Q. Cæcil.* 1. 2. Quare nunc populati atque vexati cuncti ad me publice sæpe venerunt. *Id. ibid.* 2. 4. Qui opem a me atque auxilium petiissent. *Id.* 2. *Verr.* 20. 54. Id quoque (*fanum*) a te nudatum ac spoliatum esse, ex ipsa Diana, quod habebat auri, detractum atque ablatum esse dico. *Id. ibid.* 21. 56. Oppida pacata sociorum atque amicorum diripienda ac vexanda curasti. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important. *Id.* 1. *ibid.* 12. Id (*flumen*) Helvetii ratibus ac lintribus junctis transibant. *Nepos præfat.* 3. Hi si didicerint non eadem omnibus esse honesta atque turpia. *Sall. Cat.* 20. Nobiles atque ignobiles. *Liv.* 6. 41. Bello ac pace. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 32. Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu. *Virg.* 1. *G.* 209. Et medium luci atque umbris jam dividit orbem. — b) Quoniam *atque* et sono est pleniore et majori vi copulativa, veteres, ac præcipue *Cato*, in prosa oratione ad quamdam amplificationem eodem *atque* repetito vel maxime delectati sunt; quod in posterum optimi oratores ac poetæ sunt imitati. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. *Id.* apud *Festum* p. 242. 20. *Müll.* Dicere possum quibus villæ atque ædes ædificatæ atque expolitæ maximo opere citro atque ebore atque pavimentis Pœnicis stent. Hinc *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* 16. Ego tibi de patrono meo M. Porcio gratias ago, quod eum crebro lectitas: tu mihi de C. Crispo timeo ut unquam gratias agere possis. Nam uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum *atque* unde putas? Ex ipso furor. *V. Meyer. Fragm. orat. Rom.* p. 105. edit. Turic. 2. *Plaut. Amph.* 4. 1. 4. Apud emporium atque in macello, in palæstra atque in foro. *Cic.* 5. *Verr.* 82. 189. Ex hujusmodi principio atque ex liberalitate atque accommodatione magistratuum consuetudo æstimationis introducta est. *atque ex* in quibusd. Codd. desunt et *Orell.* delenda videntur. *Id.* 1. *Fam.* 5. 8. Dignitatem tuam in virtute atque in rebus gestis tuis atque in tua gravitate positam existimare. *Id.* 3. *Legg.* 9. 20. Atque ut C. Flaminium atque ea, quæ jam prisca videntur, propter vetustatem relinquam. *Catull.* 68. 152. Hæc atque illa dies, atque alia atque alia. *Virg.* 4. *G.* 461. flerunt Rhodopeiæ arces atque Getæ atque Hebrus et Actias Orithyia. *Id.* 5. *Ecl.* 22. Atque deos atque astra vocat crudelia mater. — Idem ferme valet et de *ac*, quamvis breviori sit forma et minori sono: illud tamen animadvertendum, quod *ac* vel *atque* vocabula arctius conjungunt, quam *et*, quæ postrema particula accessionem potius quam conjunctionem significat. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 95. Totamque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia et in omni virtute ponamus. *Id. Mil.* 10. 28. Magno et impedito et muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu. *Id.* 3. *Off.* 1. 1. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna! *Id.* 1. *Orat.* 40. 184. Hunc igitur – ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore atque vultu huc atque illuc intuentem vagari cum magna caterva toto foro, præsidium dicentibus atque opem amicis et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est? — c) *Atque* vel *ac* usurpatur etiam aliquando loco particulæ *nec*, seu post particulam negativam. *Cato* apud *Fronton.* p. 149. Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi, neque eos malo publico divites feci. *Cic. Quinct.* 6. 26. Nullum esse officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. *Id. ibid.* 1. 5. Profecto nihil est jam sanctum atque sincerum in civitate. *al. leg.* neque sincerum. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Sic neque agri cultura, nec ratio atque usus belli intermittitur. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 68. Si neque avaritiam neque sordes ac mala lustra Objiciet vere quisquam mihi. *Martial.* 11. 33. Nec puer aut senior, nulla est ancilla, nec infans, Nec sera, nec clavis, nec canis atque calix. ¶ 2. *Atque* vel *ac* sæpissime conjungit inter se orationis sententias, et — a) Simpliciter est copulativa. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 108. Sic expectabat populus atque ora tenebat. *Id.* apud *eumd. Brut.* 15. 58. Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Jussit vestimenta detrahi (*decemviris*) atque flagro cædi. *Id.* apud *Fronton.* p. 184. edit. *Rom.* Si quis strenue fecerat, donabam honeste – atque in concione verbis multis laudabam. *Id.* apud *Rufinian. de fig.* p. 204. Communem rem agi putatote ac vos huic rei præpositos esse. *Plaut. Amph.* 1. 1. 18. Verum quasi adfuerim tamen simulabo atque audita eloquar. *Id. Bacch.* 1. 2. 29. Tace, atque sequere, Lyde, me. *Id. ibid.* 1. 2. 39. Omitte, Lyde, ac cave malo. *Id. ibid.* 3. 3. 103. Nam jam domum ibo, atque aliquid surripiam patri. *Ter. Andr. prol.* 13. Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia fatetur transtulisse atque usum pro suis. Id isti vituperant factum atque in eo disputant, contaminari non decere fabulas. *Id. Adelph.* 4. 3. 15. Se me reprehendi tamen, ne quid de fratre garrulæ illi dicerem ac fieret palam. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 23. Abhorrent enim (*libri*) a communibus præceptis, atque omnem antiquorum Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur. *Id.* 1. *Tusc.* 49. 117. Quæ cum ita sint, magnâ tamen eloquentiâ est utendum, atque ita velut superiore e loco concionandum, ut etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Qui eo tempore principatum in civitate obtinebat ac maxime plebi acceptus erat. *Id.* 1. *ibid.* 33. Qui – in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent. *Sall. Cat.* 20. Catilina – in abditam partem ædium secedit, atque ibi – orationem hujuscemodi habuit. *Nepos Milt.* 2. Nam – summa æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit. *Liv.* 22. 6. Quæ Punicâ religione servata fides ab Hannibale est, atque in vincula omnes conjecit. — Interdum et fere per anacoluthum *neque* – *ac* sibi invicem respondent. *Sueton. Vesp.* 12. Mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam ac frequenter etiam præ se tulit. *Tac. Agric.* 10. Naturam Oceani atque æstus neque quærere hujus operis est ac multi retulere. — b) Raro hæc particula est adversativa et ponitur pro *tamen*, quocum interdum jungitur. *Ter. Andr.* 1. 3. 20. Mihi quidem hercle non fit verisimile; atque ipsis commentum placet. *Donatus* quoque ad *h. l.* ait *atque* esse pro *tamen*. *Id. ibid.* 3. 2. 44. Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem; atque haud scio, an quæ dixit sint vera omnia. *Id. ibid.* 5. 1. 22. Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui dicere. *Cic.* 3. *Off.* 11. 48. Cyrsilum quemdam – lapidibus cooperuerunt: atque ille utilitatem sequi videbatur. *Id.* 3. *Orat.* 10. 35. Etenim videmus ex eodem quasi ludo – exisse discipulos dissimiles inter se, ac tamen laudandos. *Id. Pis.* 1. 3. Sed nihil comparandi causa loquar: ac tamen ea, quæ sunt longissime disjuncta, comprehendam. — c) Sæpe propositioni negativæ et aliquando etiam affirmativæ propositio affirmativa conjungitur per particulam *atque* vel *ac*, quæ ponitur pro *et potius*, quocum interdum jungitur. *Cic. Mur.* 34. 72. Ipsi denique non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt, atque hæc a nobis petunt omnia. *Id.* 3. *Orat.* 33. 132. Ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret. *Id. Orat.* 31. 112. Illud tamen – meminerimus, nihil nos præcipiendi causa dicturos, atque ita potius acturos etc. *Id.* 2. *Orat.* 18. 74. Qui numquam sententias de manibus judicum – extorsimus, ac potius – tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus. *Id.* 1. *Legg.* 6. 18. Non est ita, Quincte, ac potius ignoratio juris litigiosa est, quam scientia. *Id.* 1. *Fam.* 1. 1. Ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus. *Id.* 3. *Att.* 15. Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi. — d) Sæpe propositioni affirmativæ negativa subditur per particulam *atque* vel *ac*, quæ haud raro est pro *et immo non, et non potius*, cui aliquando jungitur. *Ter. Heaut.* 4. 4. 6. Decipiam, ac non veniam. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 54. Perparvam vero controversiam dicis, ac non eam, quæ dirimat omnia. *Id.* 1. *Att.* 16. Nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. *Liv.* 8. 27. Tarentini – velut destituti, ac non qui ipsi destituissent, increpare Palæpolitanos. — *Atque non* sæpissime occurrit apud *Plin.* majorem, ut 27. *Hist. nat.* 9. 55. (78). Filix singularis, atque non fruticosa. Et 7. *ibid.* 25. 26. (94). Concremasse ex optimâ fide, atque non legisse. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (29). Ceu vero id certum esset atque non fabulosum. Adde 22. *ibid.* 24. 50. (108)., 31. *ibid.* 7. 39. (74). et alibi. — *Ac non* occurrit præcipue post particulam conditionalem. *Ter. Eun.* 1. 2. 29. Si idem habeat se iri præpositum tibi apud me, ac non id metuat etc. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 54. Probe quidem sentis, si re ac non verbis dissiderent. *Id.* 2. *Verr.* 31. 80. Si quam Rubrius injuriam suo nomine ac non impulsu tuo – fecisset. *Id. Dom.* 50.

128. Si illa lex est, ac non vox sceleris et crudelitatis tuæ. *Id. Rosc. Am.* 33. 92. Quasi nunc id agatur, quis – occiderit, ac non hoc quæratur etc. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 30. 72. et 47. 113., 2. *Nat. D.* 6. 17., 3. *Fam.* 2. 2., 2. *Leg. agr.* 37. 101. et alibi. — Addito *potius*. *Cic.* 2. *Cat.* 6. 12. Quis denique ita aspexit ut perditum civem, ac non potius ut importunissimum hostem? *Id.* 5. *Verr.* 79. 183. Quamobrem enim scriba deducat, ac non potius mulio? — *c*) Particula *atque* vel *ac* sæpissime temporis quoque rationem significat, ita ut uno eodemque hoc et illud fiat, ac propterea ponitur pro *tum*, *statim*, *continuo*, *illico*, *celeriter*, quemadmodum illud *Virg.* 1. *G.* 201., quod inferius attulimus, interpretantur *Servius*, *Gell.* 10. 29. et *Non.* 12. 44. ed. vet. *Plaut. Capt.* 3. 1. 19. Salvete, inquam, quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent. *Id. Most.* 2. 2. 55. Abimus omnes cubitum, condormivimus, lucernam forte oblitus fueram extinguere: atque ille exclamat derepente maximum. *Id. Epid.* 2. 2. 33. Cum ad portum venio, atque ego illam illic video præstolarier. *Id. Bacch.* 2. 3. 44. Forte ut assedi in stega, dum circumspecto ibi, atque ego lembum conspicor longum, strigore maleficum, exornarier. *Id. Most.* 5. 1. 9. Quem (*senatum*) cum convocavi, atque illi me e senato segregant. *Id. Merc.* 2. 3. 47. Nunc si dico ut res est, atque illam mihi me emisse indico; quemadmodum existimet me? Atque illam abstrahat, trans mare hic venum asportet. *Id. ibid.* 2. 1. 32. Postquam hic id, quod volui transegi, atque ego conspicior navem ex Rhodo. *Ter. Andr.* 4. 1. 16. Ingeram mala multa? atque aliquis dicat: Nil promoveris. Multum: molestus certe ei fuero. *Forcellinus* affirmavit h. l. *atque* servire præoccupationi. *Cic.* 4. *Herenn.* 29. 39. In me quidquid libet, statuite, dicite, atque obtemperabo. *Id. Cluent.* 28. 75. Summa omnium expectatio, quidnam sententiæ ferrent leves ac nummarii judices: atque illi omnes sine ulla dubitatione condemnant. *Liv.* 26. 39. *a med.* Hic Quinctium incautum hasta transfigit: ille atque præceps cum armis procidit ante proram. *Virg.* 1. *G.* 201. Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit, si brachia forte remisit, Atque illum in præceps prono rapit alveus amni. *Stat.* 9. *Theb.* 481. Dixerat atque illi sese deus obtulit ultro. *Id.* 2. *ibid.* 26. Illos ut cæco recubans in limine sensit Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus. *Tac.* 1. *Hist.* 82. Tum Otho ingredi castra ausus: atque illum tribuni centurionesque circumsistunt. *Id.* 3. *ibid.* 17. Firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos: atque illi consternantur. ¶ 3. *Atque* vel raro admodum *ac* connectit etiam periodos et majores orationis partes, et præter hanc conjunctionem significat ea quæ sequuntur magni esse ponderis. — *a*) Generatim. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Non Rhodienses modo id noluere, sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haud scio an partim eorum fuerint, qui etc. *Plaut. Amph.* 1. 3. 47. Nunc te nox, quæ me mansisti, mitto, ut cedas diei, ut mortalis illucescas luce clara et candida. Atque quanto nox fuisti longior hac proxuma, tanto brevior dies ut fiat faciam etc. *Cic.* 6. *Verr.* 39. 85. Ille prætoris arcessitus nuncio rem demonstrat: negat ullo modo fieri posse. Atque hæc (nihil enim prætermittendum de istius impudentia videtur) agebantur in conventu palam, de sella ac de loco superiore. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. Quod ubi Cæsar animum advertit, naves longas – paulum removeri – jussit, quæ res magno usui nostris fuit. Nam – retulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus – qui decimæ legionis aquilam ferebat contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: Desilite, inquit, commilitones etc. *Nepos Lys.* 4. Atque hoc loco non est prætereundum factum Pharnabazi satrapis regii. *Liv.* 5. 21. Atque ille dies cæde hostium ac direptione urbis opulentissimæ est consumptus. — *b*) Speciatim usurpatur, cum aliquid magna vi affirmamus, aut optamus, aut etiam cum exclamamus. — Cum affirmamus est fere pro *certe*, *sane*. *Plaut. Stich.* 4. 2. 4. Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est. *Id. Truc.* 1. 2. 24. Dinarchusne illic est? atque is est. *Ter. Eun.* 4. 6. 10. CH. Apage; sis. Egon formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus. TH. Atque ita opust. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 53. Atque ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi. *Forcellinus* h. l. pro *atqui* accipiebat, ut apud *eumd. Cas.* 2. 6. 12.: hæc tamen exempla, ajebat, non ita clara sunt, ut rem conficiant. *Id. Curc.* 4. 4. 15. Atque edepol. *Cic. pro leg. Manil.* 1. 3. Atque illud in primis mihi lætandum jure esse video, quod etc. *Id.* 1. *Tusc.* 21. 46. Atque ea profecto etc. — *Atque utinam* occurrit apud *Cic. Orat.* 7. 22., *Brut.* 17. 68. et 19. 75., et 3. *de republ.* 5. 8.; *Liv.* 21. 42.; *Virg.* 10. *Ecl.* 35.; *Propert.* 2. 9. 47., aliosque. — *Atque eccum* est exclamantis apud *Ter. Andr.* 3. 3. 48., *Eun.* 3. 2. 2. et *Hec.* 4. 1. 8. — *c*) Item eadem particula inservit celeri narrationis continuationi et cum *adeo* conjungitur. *Ter. Andr.* 3. 3. 52. Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam. *Id. Eun.* 5. 4. 42. Atque adeo autem cur non egomet intro? *Cic.* 4. *Verr.* 1. 2. Atque adeo, antequam – dico, pauca mihi videntur esse de provinciæ dignitate dicenda. — *d*) Usurpatur etiam, cum alicujus rei causam dicendam aggredimur, aut comparationem aliquam instituimus. *Cic. pro leg. Manil.* 8. 20. Atque ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro etc. – dico etc. Adde *eumd. Cluent.* 14. 43. *Id.* 3. *Phil.* 9. 24. Ac ne sine causa videretur edixisse etc. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 46. 191., 2. *Fin.* 35. 118. et 5. *Fam.* 12. 30.; *Horat.* 1. *Ep.* 1. 13. et 2. *ibid.* 1. 208., aliosque. — In comparationibus *atque ut* occurrit apud *Cic.* 2. *Off.* 5. 16.: *ac veluti* vel *ac velut* apud *Catull.* 68. 63.; *Virg.* 1. *Æn.* 148., 2. *ibid.* 626. et alibi sæpe; *Horat.* 3. *Od.* 28. 6.; *Val. Flacc.* 6. 664., aliosque. — *e*) In transitionibus ad generalia vel universalia, addito fere *omnis*, *omnino*, *sæpe* etc. *Cic.* 3. *Orat.* 59. 223. Atque in iis omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam vis a natura data. Adde *eumd. Orat.* 59. 200., 2. *Orat.* 64. 257. et *Senect.* 14. 50.; *Cels.* 5. 8. et 3. 3.; et *Quintil.* 10. 2. 2. — *f*) Item in transitionibus ad particularia: unde *ac primum*, *ac primo*, *atque* vel *ac quidem* sæpe occurrunt. *Cic.* 2. *Orat.* 7. 27. Atque id primum in poetis cerni licet. *Id.* 1. *de republ.* 21. 42. Atque horum trium generum quodvis etc. *Id.* 1. *Orat.* 2. 4. Ac mihi repetenda est veteris cujusdam memoriæ non sane satis explicata recordatio. *Nepos Ages.* 7. Atque in hoc illud in primis fuit admirabile etc. — *Ac primum* occurrit apud *Cic.* 1. *Orat.* 23. 107., *pro leg. Manil.* 13. 36., *Orat.* 23. 75. et 44. 149.; et *Cels.* 5. 28. — *Ac primo* occurrit apud *Cic.* 3. *Orat.* 16. 61. — Addito *quidem*. *Cic.* 1. *Orat.* 4. 14. Ac primo quidem totius generis ignari. *Id.* 3. *ibid.* 10. 38. Atque eorum quidem, quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari a me puri dilucidique sermonis. *Id. ibid.* 26. 117. Atque eæ quidem disceptationes etc. — *g*) Item in transitionibus ad rem aliquam novam, unde particulæ *atque* junguntur *etiam*, *quoque*. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 133. Atque occidi quoque, potius quam cibum præhiberem. *Id. Amph. prol.* 30. Atque ego quoque etiam – contagione mei patris metuo malum. *Cic. Orat.* 40. 139. Atque alias etiam dicendi virtutes sequitur. *Id.* 2. *Orat.* 61. 151. Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 32. Atque ex hoc quoque intelligi poterit etc. Adde *eumd.* 1. *Off.* 20. 90., 2. *Nat. D.* 11. 30.; *Cels.* 2. 3. et 3. 22.; et *Colum.* 2. *R. R.* 2. 3. et 13. 3. — *h*) Item cum orator ad propriam sententiam proferendam transit; et *quidem* aliquando additur. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Atque ego quidem arbitror Rhodienses noluisse etc. *Cic. Balb.* 2. 5. Ac mihi quidem hoc dignum rei videtur. *Id. Sext.* 2. 3. Atque ego sic statuo, judices. Adde *eumd.* 3. *Cat.* 2. 3., *Brut.* 49. 181., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 5.; *Sall. Cat.* 51.; *Liv.* 21. 43. et *Quintil.* 10. 2. 20. — *i*) Si quando transitio fit ad ea, quæ antecedentibus minime respondent, immo quodammodo adversantur, particulæ *atque* additur *tamen*. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adjuvere. *Cic.* 3. *Off.* 33. 118. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. *Id.* 6. *Verr.* 24. 43. Ac tamen, ut posset dicere se emisse, Archagatho imperat, ut etc. *Id. Prov. cons.* 15. 38. Ac tamen his sententiis Piso in provincia permanebit.

III.) Particula *atque* vel *ac* a prima propriaque significatione magis magisque aberrat ac recedit, quoties ad comparationis rationem significandam usurpatur; quemadmodum ex. gr. apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 30. Si parem sapientiam hic habet ac formam. Et *Nævius* apud *Non. p.* 211. 4. Convenit, regnum simul atque locos haberet. Et *Tac. Agric.* 35. In speciem simul ac terrorem. Itaque — *a*) Ponitur pro *æque atque* vel *sicut*, quamvis raro, nulla antecedente comparationis particula. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 20. Sicut est hic, quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi. *Id. Cas.* 4. 4. 21. Nebula haud mollis est atque cutis hujus est. *C. Cassius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 13. 1. Neque enim omnium judicio malim me a te commendari, quam ipse tuo judicio digne ac mereor commendatus esse. *Auct. Priapeor.* 32. 7. Quæ succo caret atque putris pumex. *Solin.* 22. *sub fin.* Gagates lapis attritu calefactus applicita detinet, atque succinum. *Paul. Dig.* 2. 4. 4. § 3. Conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset. Adde *ibid.* 19. 2. 54. *pr.* et 23. 3. 76. *Inscript.* apud *Orell.* 4047. VT – COMMODISQ. PVBLICIS AC SI DECVRIO FVVERETVR. — *b*) Sæpius ponitur post plura vocabula, quæ similitudinem vel dissimilitudinem, æqualitatem vel discrimen, accessionem vel recessionem significant; quæque servato litterarum ordine exhibemus. — *Æque atque* vel *ac*, ut apud *Plaut. Bacch.* 2. 2. 36. Quam ego fabulam æque ac me ipsum amo. *Cic.* 13. *Fam.* 69. 1. Me colit æque atque illum ipsum patronum suum. Adde *Plaut. Aul.* 2. 4. 18.; *Ter. Andr.* 4. 2. 19. et *Phorm.* 1. 2. 43.; *Cic.* 2. *Fam.* 2., 1. *Fin.* 20. 67., *Amic.* 6. 22., *Brut.* 71. 248., 3. *Nat. D.* 10. 45. et 1. *Divinat.* 22. 45.; et *Tac.* 4. *Hist.* 5. — *Æque ac si*, ut apud *Cic.* 13. *Fam.* 43. 3. Egnatii absentis rem ut tueare æque a te peto, ac si mea negotia essent. Adde *eumd.* 2. *Herenn.* 13. 19.; *Nepot. Eumen.* 5.; *Liv.* 10. 7. et 41. 22.; et *Colum.* 9. *R. R.* 5. 2. — *Æquus atque*, ut apud *Plaut. Trin.* 2. 4. 92. Æquo mendicus atque ille opulentissimus censetur censu ad Acherontem mortuus. *Cic.* 5. *Verr.* 19. 49. Cum æquam partem tibi sumpseris, atque populo Romano dederis. Adde *Cæs.* 2. *B. C.* 15. et *Liv.* 39. 37. — *Alio atque*, ut apud *Nep. Them.* 6. Hoc longe alio spectabat atque videri volebant. — *Aliorsum atque*, ut apud *Ter. Eun.* 1. 2. 2. Aliorsum atque ego feci. — *Aliter atque*, ut apud *Cic.* 2. *Fam.* 3. 2. Aliter atque ostenderam facio. Adde *Ter. Heaut.* 2. 3. 23., *Adelph.* 4. 3. 6. et *Phorm.* 3. 2. 45.; *Cic.* 16. *Att.* 13. et 4. *Fin.* 22. 60.; *Nepot. Hamilc.* 2.: et sequente subjunctivo *Cic.* 6. *Att.* 3. et *Mil.* 9. 23; et *Nepot. Alcib.* 2. — *Aliter atque ut*, ut apud *Cic.* 3. *Verr.* 46. 119. Quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset. (ut hic redundat, ajebat *Forcellinus*). Adde *eumd.* 3. *Tusc.* 30. 73. et 2. *Att.* 18. 2. — *Non* vel *nec aliter ac si*, ut apud *Cic.* 13. *Att.* 51. 1.; *Colum.* 2. *R. R.* 14. 8.; *Sueton. Oth.* 6.; et *Dig.* 47. 10. 17. § 9. — *Aliter atque si*, ut in *Dig.* 9. 2. 32. § 1. et 21. 1. 43. § 5. — *Alius atque*, ut apud *Plaut. Pseud.* 4. 7. 35. Illi sunt alio ingenio atque tu. *Cic.* 2. *Legg.* 7. 17. In aliis rebus aliisque sententiis versaris, atque ille. Adde *Ter. Andr.* 3. 3. 13.; *Cic. Cæl.* 28. 67. et 3. *Orat.* 53. 203.; *Cæs.* 3. *B. G.* 9.; *Nepot. Hann.* 2. aliosque. — *Alius modi atque*, ut apud *Cic.* 2. *Invent.* 6. 21.; et *Cæs.* apud *Priscian.* 6. p. 694. *Putsch.* — *Consimilis atque*, ut apud *Plaut. Bacch.* 3. 3. 50. Haud consimili ingenio atque ille est, qui etc. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 287. — *Contra atque*, ut apud *Cic.* 3. *Cat.* 8. 20. Simulacrum Jovis –, contra atque ante fuerat, ad orientem convertere. Adde *eumd. Sull.* 24. 69. et 6. *Verr.* 6. 11.; *Cæs.* 4. *B. G.* 13.; *Varron.* 1. *R. R.* 7. 6.; *Sall. Cat.* 60.; et *Quintil.* 9. 2. 45. — *Contrarius atque*, ut apud *Cic.* 6. *de republ.* 17. Orbes qui versantur contrario motu, atque cælum. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 46. 120. — *Non dissimilis atque*, ut apud *Cic.* 2. *Att.* 3. Quod non est dissimile, atque ire in Solonium aut Antium. — *Non dissimilis ac si* occurrit apud *Liv.* 5. 5. — *Idem atque* vel *ac*, ut apud *Caton. R. R.* 48. Pomarium seminarium ad eumdem modum atque oleaginum facito. *Ter. Heaut.* 2. 3. 24. Animus erga te idem ac fuit. *Cic.* 2. *Invent.* 23. 70. In hunc argumentationes ex iisdem locis sumendæ sunt, atque in causam negotialem. — *Idem ac si*, ut apud *Cic. Sull.* 18. 51. At accusat C. Cornelii filius, idemque valere debet ac si pater indicaret. — *Ita atque*, ut apud *Plaut. Merc.* 3. 1. 34. Ita edepol deperit te, atque hodie primum vidit. *h. e.* simul atque, statim ut. — *Item atque*, ut apud *Varron.* 10. *L. L.* 74. p. 260. *Müll.* Analogia non item ea definienda, quæ dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quæ ad usum loquendi. *h. e.* non eodem modo atque illa, quæ etc. Adde *eumd.* 2. *R. R.* 7. 15. — *Juxta atque*, ut apud *Liv.* 28. 20. Trucidant inermes juxta atque armatos. Adde *Sall. Cat.* 37. et *Jug.* 95.; et *V. Drakenborg.* ad *Liv.* 1. 54. — *Juxta ac si* occurrit apud *Cic. post red. in sen.* 8. 20.;

et Sall. Jug. 45. — Par atque, ut apud Nepot. Datam. 3. Pari eum, atque illos, imperio esse jussit. Adde Plaut. Mil. glor. 4. 6. 36.; Cic. 3. Nat. D. 1. 3.; Cæs. 1. B. G. 28.; et Nepot. Hann. 5. — Pariter atque, ut apud Plaut. Men. 5. 1. 52. Ecastor pariter hoc, atque alias res soles. Adde Ter. Adelph. 5. 8. 34.; Cic. Parad. 6. 2.; Sall. Jug. 113.; Liv. 2. 33.; et Quintil. 12. 2. 28. — Pariter ac si occurrit apud Sall. Jug. 46. — Perinde atque, ut apud Pompon. Dig. 26. 7. 61. Perinde haberi debet, atque ipse deminuisset. Adde Cic. 16. Att. 5.; Cæs. 3. B. C. 60.; et Liv. 5. 12. et 7. 3. — Perinde ac si, ut apud Cic. Rosc. com. 5. 15. et Partit. orat. 24. 84. — Pro eo ac, ut apud Cic. 4. Cat. 2. 3. Debeo sperare omnes deos —, pro eo mihi ac mereor, relaturos esse gratiam. Adde Sulpicium apud Cic. 4. Fam. 5. et Dig. 28. 1. 22. § 4. — Pro eo ac si occurrit apud Cic. 1. Invent. 32. 54. — Proinde atque, ut apud Plaut. Trin. 3. 2. 33. Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias. Adde Cic. 5. Tusc. 2. 6. et Lucret. 3. 1018. — Proinde ac si occurrit apud Cic. 3. Att. 13. 1. et Cæs. 3. B. C. 1. — Proxime atque, ut apud Cic. 9. Fam. 13. 2. Non possum ego non aut proxime atque ille, aut etiam æque laborare. — Secus atque, ut apud Cic. Orat. 14. 43. Dicendum aliquanto secus, atque in tradenda arte dici solet. Adde eumd. 3. Orat. 30. 119. — Non secus atque sæpius occurrit, ut apud Cic. 2. Orat. 6. 24. et Planc. 1. 3.; et Horat. Art. P. 149. — Non secus ac si occurrit apud Cic. Mur. 4. 10. et 3. Fam. 5. 4. — Numquam secus ac si apud Ter. Hec. 2. 3. 5. — Haud secus ac si apud Sall. Jug. 97.; et Virg. 3. Æn. 236. — Similis atque, ut apud Cic. 5. Verr. 83. 193. Aliquid ab isto simile, atque a ceteris esse factum. Adde Ter. Phorm. prol. 38.; Cic. Rabir. perd. 5. 14.; Liv. 6. 28.; et Colum. 5. R. R. 7. 3. — Similiter atque, ut apud Cic. 1. Phil. 4. 9. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. — Similiter ac si occurrit apud Cic. 3. Nat. D. 3. 8. — Simillime ac, ut apud Cic. 1. Leg. Agr. 4. 13. — Talis atque, ut apud Ter. Phorm. 5. 8. 30. Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio. Adde Cic. Vatin. 4. 10. — Totidem atque, ut apud Nepot. Miltiad. 7. Ut cum totidem navibus, atque erat profectus, Athenas rediret. — c) Ad proxime superiorem paragraphum sub b referenda sunt et sequentia, quamvis in iis ratio æquitatis aut discriminis minus clare pateat. Plaut. Amph. 1. 1. 118. Neque se luna quoquam mutat, atque uti exorta est semel. h. e. neque alibi est, quam ubi erat prius. Id. Mil. glor. 3. 1. 168. Haud centesimam partem dixi atque, etiam rei si sit, possim expromere. Id. ibid. 4. 3. 37. Numquam videtur demutare, atque ego dixi. — d) Eadem ferme est ratio, cum duo temporis momenta per particulam atque vel ac conjunguntur; unde sæpissime occurrunt simul ac vel simul atque, ut apud Plaut. Asin. 2. 4. 73.; Cic. 4. Acad. (2. pr.) 16. 51. et Quinct. 5. 18.; Cæs. 5. B. G. 3.; Virg. 1. Æn. 9.; Horat. 1. Sat. 1. 67., aliosque: V. SIMUL. — Sic principio atque occurrit apud Plaut. Merc. 1. 1. 40.; et statim atque in Dig. 16. 1. 24. et 21. 1. 25. § 8. — e) Apud Poetas et in familiari sermone, quemadmodum apud Comicos, ponitur atque vel ac etiam post comparativa, haud aliter atque ἤ apud Græcos. — Veteres tamen nonnisi post negationem usi sunt. Plaut. Merc. 5. 2. 56. Amicior mihi nullus vivit atque is est. Id. Cas. 5. 1. 7. Nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta, atque ut hæc est fabre facta a nobis. Ter. Andr. 4. 2. 15. Non Apollinis magis verum atque hoc responsum est. Catull. 61. 176. Illi non minus ac tibi pectore uritur intimo flamma. Virg. 3. Æn. 561. Haud minus ac jussi faciunt. Horat. 1. Sat. 1. 46. Non tuus hoc capiet venter plus ac meus. al. leg. quam. Id. 1. ibid. 2. 23. ita ut pater ille — non se pejus cruciaverit atque hic. — Post affirmationem. Horat. Epod. 15. 5. Arctius atque hederâ procera astringitur ilex. Id. 1. Sat. 5. 5. altius ac nos præcinctis unum (iter). Adde eumd. 1. ibid. 6. 130. Sueton. Cæs. 14. Sententiam — velut gravius, atque ipse sensisset, acceptam.

ATQUI, conjunctio adversativa. — Olim scribebant et adqui. Vide D. et T. — Propria hujusce conjunctionis forma est atqui, ut testatur ipse Caper de Orthogr. p. 2241. Putsch.: at occurrit etiam atquin, quod nisi ubique est error librarii, ut est reapse in Plaut. Rud. 3. 4. 55., Flor. 4. 2., et Ulp. Dig. 1. 14. 3.; a serioribus per euphoniam factum esse videtur, ut apud Lactant. Mort. persecut. 23. Atquin homo impius misertus est illis. Tertull. Apolog. 2. Atquin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Adde eumd. ibid. 8. et 41. et Patient. 3., in quibus tamen mendum esse videtur; et Prudent. Prœm. Cathemer. 34. — Ratione habita etymi, atqui componitur ex at et qui pro quoi seu quo, haud aliter ac Græcum ἀλλά τοι est pro ἀλλὰ τῷ: hinc atqui est at aliquo modo, at aliqua ratione (V. Lindemann. Spec. IV. de adverb. Lat. p. 4.; Klotz ad Cic. 5. Tusc. 10. 28., 18. 53. et 20. 57.; et Hand. Tursell. I. p. 513.); ideoque est attamen, et tamen, sed enim (It. ma, ma pure, e pure; Fr. cependant, pourtant; Hisp. noobstante; Germ. allein oder aber gewissermaassen, aber doch, aber in der That; Angl. but, but yet, and yet, however). Occurrit ¶ 1. Proprio et stricto sensu in dialogis, cum quis alteri adversatur. Plaut. Bacch. 4. 7. 26. NIC. Numquam auferes hinc aurum. CHRYS. Atqui ultro jam dabis. Id. Pers. 4. 4. 30. Salvus sis adolescens. SA. si quidem hanc vendidero pretio suo. TO. Atqui aut hoc tempore vendes pulcre, aut alio non potes. Hoc loco nonnullis atqui videbatur accipienda pro certe, profecto; posse tamen et aliter explicari, ipse Forcellinus monuit. Id. Rud. 3. 4. 14. DÆM. Cum istoc primum, qui te novit, disputa. LABR. Tecum ago. TRACH. Atqui mecum agendumst. Id. ibid. v. 55. Atqui, quia vetas, utramque jam mecum abducam. Hoc loco quidam pro ideo acceperunt: sed Forcellinus affirmavit posse et aliter explicari. Ter. Phorm. 1. 4. 26. ANT. Non sum apud me. GET. Atqui opus est nunc cum maxime, ut sis, Antipho. Id. Eun. 3. 4. 31. PARM. Nescio. PYTH. Atqui sic inventast. Id. Heaut. 4. 4. 7. Atqui tu hanc jocari credis? Faciet, nisi caveo. Adde eumd. Eun. 5. 1. 9. et Adelph. 5. 5. 5. Cic. 1. Tusc. 7. 11. A. Quis enim non in ejusmodi causa? aut quid negotii est hæc poetarum et pictorum portenta convincere? M. Atqui pleni libri sunt contra ista ipsa disserentium philosophorum. Id. 4. ibid. 4. 8. A. Prorsus non arbitror. M. Atqui, si ista perturbare animum sapientis non potest, nulla poterit. Id. 1. Orat. 36. 167. Ego vero istos, inquit —, non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim. Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia. Id. Senect. 17. 59. Tum dixisse, mirari se solertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta: et ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus. Et addita ironia Id. 3. de republ. 5. 8. Atqui id tibi, inquit Lælius, verendum est —, ne sic etiam sentire videare. Liv. 8. 9. Decio caput jecinoris — cæsum haruspex dicitur ostendisse, alioqui acceptam dis hostiam esse. Manlium egregie litasse. Atqui bene habet, inquit Decius, si ab collega litatum est. Horat. 1. Sat. 9. 52. Magnum narras, vix credibile! — Atqui sic habet. Plin. 15. Hist. nat. 18. 20. (75). Cum inter omnes recentem esse constaret (pomum): Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptam Carthagine. Sueton. Vesp. 23. Et illo negante: Atqui, inquit, e lotio est. ¶ 2. Usurpatur etiam extra dialogos in oratione perpetua: — a) Generatim cum quis alterum sibi loquentem fingit, atque ipse deinde ejusdem sententiæ adversatur, ut revera Cic. 8. Att. 3. 6. O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem. Atqui explicanda est. Plaut. Asin. 3. 3. 79. Quam vero indignum visum est! Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur. Ter. Eun. 4. 6. 2. Credo equidem illum jam adfuturum, ut illam a me eripiat: sine veniat. Atqui, si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur. Cic. 5. Tusc. 20. 57. Qua pulcritudine urbem, quibus autem opibus præditam servitute oppressam tenuit civitatem! Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse ejus in victu temperantiam etc. Id. Sext. 36. 78. Cum omnia vi et armis egeris, accuses eum, qui se præsidio munierit, non ut te oppugnaret, sed ut vitam suam posset defendere? Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sextius etc. Id. Arch. 8. 18. Hunc ego non diligam? — non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus etc. Forcellinus in h. loco et in illo Milon. 4. 9. (Atqui si tempus est ullum jure hominis necandi, quæ multa sunt; certe illud est etc.) ajebat atqui continuationi orationis servire non secus quam atque et atque etiam, sed vi quadam majore. Id. 7. Att. 7. 1. Illud — non adscribis: et tibi gratias egit. Atqui certe ille agere debuit. Id. 4. Verr. 59. 144. Modum statuarum haberi nullum placet? Atqui habeatur necesse est. Adde eumd. 2. Nat. D. 7. 18. — Hinc interdum servit et præoccupationi, ut in illo Cic. Brut. 83. 287. Atqui eæ sunt notæ optimæ. Credo: sed nimia vetustas etc. — b) Eleganter adhibetur in assumptionibus, sive in propositione minore argumentationis. Cic. Parad. 3. 1. § 21. Quod si virtutes pares sunt inter se, paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes — facillime potest perspici. Adde eumd. ibid. § 22. et 1. Fin. 18. 58. et 2. ibid. 2. 5. Id. 3. Tusc. 7. 14. Qui fortis est, idem est fidens. — Qui autem est fidens, is profecto non extimescit. — Atqui in quem cadit ægritudo, in eumdem timor. — Ita fit, ut fortitudini ægritudo repugnet. Adde eumd. 5. ibid. 14. 40. et Senect. 19. 66.

ATQUIN. V. ATQUI sub init.

ĀTRACTȲLIS, idis, f. 3. ἀτρακτυλίς, herba est alio nomine cnicos silvestris, in Ægypto maxime proveniens, contra venenata animalia maxime utilis, itemque adversus fungos. Nomen habet ex eo, quod caule ejus rigido antiquæ mulieres ad colus faciendas utebantur; ab ἄτρακτος colus. Plin. 21. Hist. nat. 15. 53. (90). et ibid. 32. 107. (184). Sed Plinius perperam confundit cnicum cum atractylide. Theophr. Hist. Pl. l. 6. c. 4. narrat, cnici agrestis caule feminas usas pro fuso involvendo subtemini: ᾧ καὶ ἀτράκτοις ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. Dioscorides vero l. 3. c. 107. narrat, alias usas atractylide ad fusos staminum (ἀτράκτους). Male porro Plinius κρόκην accepit pro colo, cum reapse significet filum subteminis fuso involutum, ac etiam fusum ipsum, qui alveolo includitur; ἄτρακτος vero est fusus quo stamina nentur. Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 58.) hanc atractylidis exhibet synonymiam: I.) Ἀτρακτυλὶς ἡ φόνος; Theoph. 6. 4.; Κνῆκος ἀγρία quorumdam, præcipue Galen. de Simpl. facul. 6. p. 161.; Cnicos silvestre sive cnicos mitius Plin. l. c. sunt Carthamus mitissimus L. Spec. plant. 1164. et Carduncellus mitissimus Decand. 3004. — II.) Ἄκορνα Theoph. Hist. plant. 6. 4.; Ἀτρακτυλὶς Dioscor. 3. 107., et Cnicos silvestre et hirsutum Plin. l. c. sunt Centaurea lanata seu benedicta Decand. 3058. et 3059.

ĀTRĀMENTĀRIUM, ii, n. 2. vas illud, quod atramentum scriptorium continet. Interpr. Vulg. Ezech. 9. 2. Vir unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus. Gloss. Philox. Atramentarium. Caper de verb. dub. p. 2247. Putsch. Atramentarium, non atramentale, ut lignarium, armarium.

ĀTRĀMENTUM, i, n. 2. (ater) succus seu liquor atri coloris, quicumque sit naturâ aut hominum arte paratum, ut docet Plin. 36. Hist. nat. 6. 25. (41). Hinc ¶ 1. Generatim. Plaut. Most. 1. 3. 102. SCA. Unâ operâ ebur atramento candefacere postules. PHIL. Lepide dictum de atramento atque ebore, eugepæ! Illud unâ operâ ebur atramento candefacere postulas proverbium est de eo, qui in re aliqua operam perdit, et contra potius quam optat, rem evenire facit. Huic affine est Laterem laves. Cic. 2. Nat. D. 50. 127. Aliæ fuga se, aliæ occultatione tutantur; atramenti effusione sepiæ, torpore torpedines. Cf. Plin. 9. Hist. nat. 19. 45. (84)., 9. ibid. 51. 74. (163). et 11. ibid. 3. 2. (8). Horat. 2. Ep. 1. 235. veluti tractata notam labemque remittunt Atramenta. Proverbial. Lactant. 5. 3. ad fin. Cui (scil. Anaxagoræ) nives atramentum fuerunt. ¶ 2. Speciatim atramentum triplex est, librarium seu scriptorium, sutorium et tectorium. — a) A. librarium est quo utimur in scribendo. Scripsere veteres calamo et atramento in libris arborum, in lineis pannis, in papyro: stilo autem in tabulis ceratis, aliquando etiam in plumbeis laminis. Plin. 27. Hist. nat. 7. 28. (52). Atramentum librarium ex diluto ejus (absinthii) temperatum litteras a musculis tuetur. — Occurrit etiam aliquando ita, ut ex ipsius orationis contextu atramentum, quo de agitur, librarium esse constet: quemadmodum apud Vitruv. 7. 10. 2.; et Plin. 35. Hist. nat. 6. 25. (43). — Sæpius absolute. Cato apud Rufinian. de fig. 6. p. 227. Calamo et atramento militare. Cic. 2. ad Q. fr. 15. n. § 1. Calamo et atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. Petron. Satyr. 102. Eumolpus, tamquam litterarum studiosus, utique atramentum habet. Hujus atramenti meminit Capell. 3. p. 49. In quo medicamine et cera fago illita et gallarum gummeosque commixtio et Niloticæ fruticis collemata notabantur. h. e. in quo erat tabula faginea cerâ illita, et atramentum ex gallis et gummi, et Niloticæ papyri; nulla autem mentio est chalcanthi, quia, ut affirmat

Winckelmann. T. 7. *p.* 16. et 222. *edit. Pratens.*, illo non utebantur veteres Romani. — *b*) *A. Sutorium* est, quo sutores utuntur in coriis tingendis. Est autem duplex, fossile et facticium. Illud dicitur Italice *vitriolo*. Est enim, ut *Plin.* docet 34. *Hist. nat.* 12. 32. (123). colore cæruleo, perquam spectabili nitore; vitrumque esse creditur: diluendo fit atramentum tingendis coriis. Facticium fit pluribus modis: habetque utrumque varios usus in medicina, sed maxime fossile. V. *Plin. l. c.* et 20. *ibid.* 12. 48. (123).; *Cels.* 6. 8.; et *Scribon. Compos.* 228. et 230. ubi absolute ponitur. *Cic.* 9. *Fam.* 21. 3. Pater ejus accusatus a M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. Ἀλληγορικῶς loquitur: nam sutorio atramento, hoc est veneno sumpto, morte voluntaria a judicio liberatus fuit. — *c*) *A. tectorium*, quod et pictorium dici potest, adhibetur parietibus illinendis et incrustandis: cujus conficiendi rationem *Vitruv.* 7. 10. 1. (qui et absolute usurpat 7. 4. 4.) docet, nempe ex fuligine collecta, ex resina aut pice exusta, vel ex carbonibus cum glutino tritis, vel denique ex vini fæce arefacta et in fornace excocta ac glutino trita: quæ etiam *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (43). refert. Hoc utuntur etiam pictores. *Id. ibid.* 10. 36. (97). narrat, Apellem consuevisse illinere opera sua absoluta atramento ita tenui, ut idipsum repercussu claritates colorum excitaret, custodiretque a pulvere et sordibus; ad manum intuenti demum appareret. Hoc *Carolus Dati* in *vitis Pictor.* vertit *vernice.* — Huc pertinet et atramentum Indicum (quod *Forcellinus* inter colores, Italice *indago*, enumeravit); de quo hæc *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (42). Apportatur et (*atramentum*) Indicum ex India, inexploratæ adhuc inventionis mihi. *Id. ibid.* 6. 27. (48). Indicum ex India venit, arundinum spumæ adhærescente limo; cum teritur, nigrum: at in diluendo mixturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit.

ĀTRĀTUS, a, um, part. præter. pass. ab inusit. *atrare* (quod ab *ater*), ut *Varro* 8. *L. L.* 18. *Müll.* docet: hinc atro colore infectus (It. *fatto nero*, *annerito*; Fr. *rendu noir*, *noirci*; Hisp. *negrecido*; Germ. *geschwärzt*; Angl. *blackened*). Occurrit autem ¶ 1. Generatim. *Propert.* 3. 3. 56. Solis et atratis luxerit orbis equis. *h. e.* obscuris, alludit enim ad eclipses solares. — Apud *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 98. Quid, quod fluvius Atratus sanguine fluxit? *Atratus* est nomen proprium cujusdam fluenti apud Romam; cf. *eumd.* 2. *ibid.* 27. 58.: *Forcellinus* vero *atratus* pro adjectivo hoc in loco acceperat. ¶ 2. Speciatim et sæpius atratus est atris seu pullis vestibus indutus, ut fit in luctu ob alicujus mortem. *Cic. Vatin.* 12. 30. et 13. 31. Cedo, quis unquam cœnarit atratus? *Tac.* 3. *Ann.* 2. Atrata plebs, trabeati equites. Adde *Sueton. Ner.* 47. et *Galb.* 18.; et *Macrob.* 3 *Saturn.* 15.

ATRIĀRIUS, ii, m. 2. servus atrii custos, idem qui *atriensis*; quamvis juxta *Forcellinum* sit qui opera mediastini fungitur, atque adeo vilioris officii sit, quam atriensis. *Ulp. Dig.* 4. 9. 1. § 5. et 7. 1. 15. § 1., et *Inscript.* apud *Henzen.* 6445.

ĀTRĬCĂPILLUS, a, um, adject. (ater et capillus) atros capillos habens. *Atricapillæ aves* sunt ex genere ficedularum, colore pennarum cinereo, excepto capite, quod habent nigerrimum; hæ et *melancoryphi*, sumpto a Græcis vocabulo, appellantur: μελαγκόρυφοι, a κορυφή caput et μέλας niger. *Paul. Diac. p.* 124. 15. *Müll.* Sed *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 44. (86). docet hujusmodi aves *ficedulas* vocari auctumno; aliis temporibus *melancoryphos*.

ĀTRĬCŎLOR, ōris, adject. qui est atri coloris. *Ovid.* 11. *Met.* 611. Plumeus, atricolor, pullo velamine tectus. *al. aliter leg. Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (17). Alios esse grandævos semperque canos; alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos. *Harduin.* edidit *atri coloris* ex MSS. suis omnibus; quod et *Sillig.* retinuit. *Auson.* 7. *Ep.* 52. Cadmi filiolis atricoloribus. *h. e.* litteris atramento depictis.

ATRĬENSIS, se, adject. ad atrium pertinens. *Atriensis servus*, et absolute *Atriensis*, est, cui atrii, seu potius totius domus custodia demandata est: V. *Varron.* 8. *L. L.* 61. *Müll.* Erat is inter servilia honoratior, qui aliquod etiam imperium in alios servos habebat, ut colligitur ex *Plaut. Asin.* multis in locis. Custodiebat quidem atrium, et observabat, ne quid ex imaginibus, stemmatibus ac ceteris, quæ in atrio reponi solent, deperiret; supellectilem ædium exponebat, simulque, atrium ut mundum ac nitidum esset, curabat: sed et alia honoratiora munia aliquando exsequebatur, quæ ad actores pertinere solent, vendebat, emebat servabatque pecuniam domini, exigebat a debitoribus, etc.: cui aliquo modo respondet is, quem Itali dicimus *maestro di casa.* V. *Plaut. loc. cit.* præsertim *a.* 2. *sc.* 2. et 4. et *Pœn.* 5. 4. 4. Hinc *Cic.* 5. *Parad.* 2. Ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii, etc. *Et paullo post.* Si Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, utrum illum civem excellentem, an atriensem diligentem putaret? Adde *eumd. Pis.* 27. 67.; *Plin.* 3. *Ep.* 19.; *Sueton. Cal.* 57. et *Petron. Satyr.* 29., 53. et 72. — De atriensibus rusticis villæ *Colum.* 12. *R. R.* 3. 9. Insistere atriensibus, ut supellectilem exponant (al. *expoliant*), et ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur, etc. *Phædr.* 2. 5. 11. Ex alticinctis unus atriensibus, Cui tunica ab humeris linteo Pelusio Erat destricta, cirris dependentibus, Alveolo cœpit ligneo conspergere Humum æstuantem etc.

ATRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut.* parvum atrium. *Cic.* 1. *Att.* 10. 3. Typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere. *Id.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 1. § 2. Quo loco in porticu te scribere ajunt, ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat. Neque enim satis loci esse videbatur atriolo: neque fere solet nisi in his ædificiis fieri, in quibus est atrium majus: nec habere poterat adjuncta cubicula et ejusmodi membra. *Inscript.* apud *Orell.* 4500. D. M. AELIAE DIONYSIADIS CONJVGIS KARISSIMAE P. AEL. AVGG. LIB. CHRYSANTHVS FECIT ET SIBI LIB. LIBERTABVSQ. POSTERISQVE EORVM. ITEM HORTVLVM MACERIA CINCTVM CVM MONIMENTIS ET DIETA MEMBRORVM V. ET ATRIOLO.

ĀTRĬPLEX, plicis, n. 3. cf. Gr. ἀτράφαξις, genus oleris, quod octavo die, postquam satum est, nascitur flexa radice, in multa primum veluti capillamenta erumpens, mox folia emittens brassicæ similia, florem aureum, semen vero foliaceum et latum: duplex est, sativum et silvestre: coctum estur sativum, ut olus molle. Hæc ex *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 31. (99). et *ibid.* 7. 35. (117). et 20. *ibid.* 20. 83. (219)., ubi etiam varios ejus usus in medicina refert: item 27. *ibid.* 8. 43. 66., ubi Græco vocabulo *chrysolachanum* appellat. *h. e.* olus aureum: a λάχανον olus, et χρυσός aurum, propter colorem aureum floris. *Colum.* 10. *R. R.* 377. Et gravis atriplici consurgit longa phaselus. *h. e.* longa theca foliacea in modum phaseli plena seminibus. *Id.* 11. *ibid.* 3. 42. Chærephyllum, itemque olus atriplicis, quod Græci vocant ἀτράφαξιν. Adde *Pallad.* 5. *R. R.* 3. — Feminino genere. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. Atriplex, quam Græci ἀνδράφαξιν (*lege* ἀτράφαξιν) vocant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 10. *Æmil. Macer. cap. de Atripl.* Atriplicem tritam cum nitro *etc.* — Masc. gen. *Plin. Valer.* 4. 7. Atriplex crudus, sive coctus, impositus etc. — *Paul. Diac.* p. 29. 3. *Müll.* ponit *atriplexum*: et antiquiorem vocem esse, quam *atriplex*, *affirmat.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 438.) hanc exhibet synonymiam: Ἀτράφαξις Theoph. Hist. plant. 7. 1.; Ἀτράφαξις χρυσολάχανον Dioscor. 2. 145.; *Atriplex* Colum. et Plin. ll. cc. et *Adripia* Cæl. Aurel. 5. *Tard.* 11. sunt *Atriplex hortensis* L. Spec. plant. 1493.

ĀTRĪPLEXUM, i, n. 2. herba, quæ nunc atriplex dicitur. *Paul. Diac.* p. 29. 3. *Müll.*

ĀTRĪTAS, ātis, f. 3. ater color, nigredo. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 11. Ita replebo atritate, atrior ut multo siet, quam Ægyptii. Adde *Paul. Diac. p.* 28. 19. *Müll.*

ATRITUUS, ui, est vocabulum a *Varron.* 8. *L. L.* 61. *Müll.* confictum et improbatum pro *atriensis.* Si ab æde et tuendo æditumus est; cur ab atrio et tuendo non atrituus sit potius, quam atriensis?

ATRĬUM, ii, n. 2. locus intra ædes (ita dictum, ut *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.*, quocum cf. *Paul. Diac. p.* 13. 11. *Müll.*, putat, ab Atriatibus Tusciæ populis, unde ejus exemplum sumptum: et unde etiam Græcum αἴθριον, V. *W. A. Becker*, *Gall. vol.* 1. *p.* 84.) in quem universi tecti pluvia collecta incidit, porticibus cinctus, sed aream habens sub dio patentem, in quam exterior ac major ædium janua infert.

A) Ponitur de privatorum domibus. ¶ 1. Græci, teste *Vitruv.* 6. 10., atria non habebant, sed ab janua introeuntibus itinera faciebant latitudinibus non spatiosis, et ex una parte equilia, ex altera cellas ostiariis constituebant etc. At Romanorum ædes (ditiorum et nobiliorum intellige: V. *Vitruv.* 6. 8.) ita dispositæ erant, ut ante januam esset vestibulum, (quod quidam perperam cum *atrio* confundunt, ut *Gell.* 16. 5. monet; nam vestibulum extra ædes est, atrium intra): post januam vero atrium continens aream vel quadratam, vel rotundam, vel alia quapiam figura: circa eam erant vel porticus tectæ, columnisque fultæ, laquearibus ornatæ, vel etiam alæ ædificii vicem porticus præbentes (V. *Vitruv. l. c.*, *Val. Max.* 5. 8. 2., *Senecam* 3. *Benef.* 28. 1. et *Quintil.* 11. 2. 20.); in quibus solebant servare imagines majorum suis armariis conditas (V. *Ascon.* ad *Cic. Mil.* 5. 13., *Val. Max. l. c.*; *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (6). et *Juvenal.* 8. 19.), item tabulas pictas, signa aliamque pretiosam supellectilem et ostentui servientem, necnon armarium pecuniæ (V. *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 730. et 9. *ibid.* 648.). Antiquissimis saltem temporibus in atrio tota versabatur familia ibique culinam habebat et cœnabat (teste *Catone* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 726.); in atrio materfamilias cum ancillis femineas artes ac præcipue lanificium exercebat (V. *Ascon. l. c.* et *Arnob.* 2. 77); in atrio erat et *lectus genialis*, qui et *lectus adversus* dicebatur quod e regione januæ sisteretur (V. *Propert.* 4. 11. 85. ibique interpretes, et *Ascon. l. c.*); in atrio excipiebantur amici (V. *Val. Max. l. c.*); in atrio clientes patronum salutaturi mane conveniebant (V. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 31. et *Juvenal.* 7. 7. et 90.). Majorum imaginibus, signis, aliique pretiosæ supellectili servandæ totique atrio custodiendo præerat servus, qui inde *atriensis* vel *atriarius* appellabatur. Atrium itaque repræsentabat eam ædium nobiliorum partem, quæ nunc in monasteriis Itali vocant *chiostro*, in cujus medio area erat *cavædium* appellata. *V.* CAVÆDIUM. — Neque vero putandum est, omnes Romanorum ædes atrium habuisse: diversæ enim, ut et nunc, architecturæ ratione aliæ atque aliæ fiebant: hinc *Plin.* 2. *Ep.* 17. Laurentinum suum describens, alia ratione ei atrium attribuit. Illud certum est, antiquissimis temporibus Romanorum atrium fuisse simplex et frugi: postea vero, ac præcipue inde ab extremis reipubl. diebus, ornatu regio decoratum fuit, quoniam ibidem cives visuri atque allocuturi excipiebantur (V. *Ascon.* ad *Cic. Scaur. p.* 27. 4. *Bait.*, *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). et 35. *ibid.* 2. 2. (6).). Hinc *Plin.* 5. *Ep.* 6. Atrium ex more majorum. *Id.* 2. *ibid.* 17. Atrium frugi, nec tamen sordidum. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Et contra *Virg.* 2. *Æn.* 483. Apparet domus intus et atria longa patescunt. *Id.* 1. *ibid.* 725. atria ampla. *Id.* 4. *ibid.* 665. ampla. *Ovid.* 14. *Met.* 260. Excipiunt famulæ perque atria marmore tecta Ad dominam ducunt. *h. e.* per porticus atrii. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 5. *Juvenal.* 8. 19. Tota licet veteres exornent undique ceræ Atria. *Vitruv.* 6. 5. 2. *Schneid.* Atria regalia, alta. *Varro* apud *Non. p.* 370. 12. *Merc.* Atria divitis Crassi. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 2. Majus atrium. *Seneca Ep.* 55. laxum. *Horat.* 3. *Od.* 1. 46. Atrium novo ritu moliri. ¶ 2. Hinc figurate pro loco ornatissimo. *Ovid.* 1. *Met.* 172. deorum Atria nobilium. *Stat.* 1. *Theb.* 197. Atria cœli. *Ovid.* 13. *Met.* 968. atria Circes. ¶ 3. Per synecdochen accipitur et pro totis ædibus. *Ovid.* 16. *Heroid.* 184. Nec capient Phrygias atria nostra nurus.

B) De atriis ædium publicarum. — *a*) Erant et templis sua atria. *Cato* apud *Festum p.* 241. 13. *Müll.*; *Cic.* 4. *Att.* 16. 14. et *Mil.* 22. 59.; *Liv.* 25. 7., 43. 16. et 45. 15.; *Sueton. Aug.* 29.; *Tac.* 1. *Hist.* 31.; et *Inscript.* apud *Orell.* 1154. Atrium Libertatis, quod *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 72. et 4. *Fast.* 624. *dixit* atria libertatis. *Plin.* 7. *Ep.* 19. et *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 153. Atrium Vestæ. idem quod dicitur a *Liv.* 26. 27. et 27. 11. Atrium regium; et ab *Ovid.* 6. *Fast.* 263. atria Vestæ. — *b*) Item atrium erat aliis ædificiis, in quo scholas celebratas legimus. V. *Pitisc.* in *Lexic. Antiq. Liv.* 39. 44. Atrium Mænium, Titium. *Id.* 24. 10. Atrium publicum in Capitolio. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 235. Atrium Palatii. *Fasti Prænest.* apud *Orell. Inscript. vol.* 2. *p.* 386. Atrium sutorium. — *c*) Denique memorari debet atrium auctionarium, locus nempe publicis auctionibus attributus. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 3. 7. At hoc etiam nequissimi homines, consumptis patrimoniis, faciunt, ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis aut in compitis auctionentur. *Id. Quinct.* 3. 12. et 6. 25. Atria Licinia. — Præterquam Romæ, alibi etiam hujusmodi atria fuerunt; ac tale apud Co-

ranos cives suos fieri testamento jussit T. Pompulius ex *Inscript.*, quam refert *Morcellus Op. Epigraph. T.* 1. *p.* 228., quæ est apud *Orell.* 3439. T. POMPVLLIVS L. F. LAPPA EX TESTAMENTO ATRIVM AVCTIONARIVM FIERI ET MERCVRIVM AVGVSTVM SACRVM PONI JVSSIT ARBITRATV EPAPHRAE LIBERTI.

ĀTRŎCĬTAS, ātis, f. 3. (atrox) est abstracta qualitas personæ aut rei, quâ eadem est aspera, immitis inhumana, crudelis, quaque alteri ad perniciem usque nocere conatur: cui apud *Tac.* 12. *Ann.* 32. opponitur *clementia* (It. *atrocità, durezza, crudeltà*; Fr. *atrocité, cruauté*; Hisp. *atrocidad*; Germ. *das unheilvolle, gefahrdrohende, rauhe Wesen, die unläugbare Gefährlichkeit, die starre, unbeugsame Härte und Strenge*; Angl. *cruelty, atrocity, barbarity*). Occurrit — *a*) Fere in numero singulari. — Absolute. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. 136. Atrocitas quidem ista tua quomodo in veterem Academiam irruperit, nescio. quod scilicet sapientis animus nullo affectu debeat commoveri. *Quintil.* 6. 1. 15. Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, a quo, in quem etc. — Sæpius cum Genitivo. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 11. Ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor (quis enim est me mitior?), sed singulari quadam humanitate et misericordia. *Id. Quinct.* 16. 32. et 6. *Verr.* 40. 87.; et *Quintil.* 6. 1. 32. Atrocitas rei. *Cic.* 2. *Invent.* 16. 51. facti. *Id.* 2. *Herenn.* 6. 9. peccati. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 6. invidiosa verborum. *Sall. Cat.* 22.; et *Curt.* 8. 1. 50. et 3. 15. sceleris. *Curt.* 10. 1. 6. criminum. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 10. Atrocitas maris objecta crepidinis frangitur. *Quintil.* 7. 4. 37. Atrocitas formularum. *Sueton. Cal.* 12. facinoris. *Id. Domit.* 11. pœnæ. *Id. Tib.* 48. Mitigare atrocitatem temporum. *Id. Cal.* 6. Atrocitas insequentium temporum. *Id. ibid.* 29. Immanissima facta augere atrocitate verborum. *Id. ibid.* 48. Consilium nefandæ atrocitatis. *Tac.* 4. *Ann.* 13. Atrocitas morum. *h. e.* asperitas. — *b*) In plurali numero *Apul.* 10. *Met.* 28. Crudelissimæ mulieris cunctis atrocitatibus diligenter expositis. — *NB.* De atrocitate in jure Romano V. *Klotz* ad *Cic. orat. vol.* 1. *p.* 476., 457. et 469.

ĀTRŎCĬTER, adverb. (atrox). Comp. *Atrocius*; Sup. *Atrocissime*. — Est crudeliter, sæve, graviter, aspere, ita ut alteri pernicies afferatur (It. *atrocemente, crudelmente, aspramente*; Fr. *cruellement, violemment*; Hisp. *cruelmente*; Germ. *auf unheilvolle, gefahr- und verderbenbringende Art, auf rauhe und harte Weise*; Angl. *cruelly, fiercely, atrociously*). *Cic.* 7. *Verr.* 62. 159. Nimis atrociter minitari alicui. *Id. Orat.* 18. 56. Contenta voce atrociter dicere, et submissa leniter. Cf. *Gell.* 10. 3. Hæc M. Tullius atrociter, graviter, copiose apteque miseratus est. *Id.* 13. 24. Unam eamdemque rem pluribus verbis vehementer atque atrociter dicere. *Cic. Mil.* 8. 21. Legem atrociter ferre. *h. e.* legem ferre plenam severitatis et atrocitatis. *Id. Rosc. Am.* 53. 154. Atrociter fit aliquid. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 16. 2. De ambitu cum atrocissime ageretur in senatu multos dies, quod ita essent progressi candidati consulares, ut non esset ferendum. *Sall. Jug.* 41. Seditionibus tribuniciis atrociter agitare rempubl. *Liv.* 3. 9. Atrociter invehi in aliquem. *Sueton. Tib.* 59. Multa facere atrociter. *Id. ibid.* 58. Leges atrocissime exercere. *Tac.* 13. *Ann.* 19. Atrociter deferre crimen. *Id.* 1. *Hist.* 2. Atrocius sævire. *Id.* 2. *ibid.* 56. Gravius et atrocius afflictari. *Id.* 1. *ibid.* 23. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur. *h. e.* iniquiore animo.

ĀTRŎPHĬA, æ, f. 1. ἀτροφία, morbus est ex defectione nutrimenti proveniens, cum corpus ex cibo non alitur, et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, et, nisi occurritur, tollit. Ita *Cels.* 3. 22., sed ipsa voce Græce utitur; (quæ ab α privativo et τρέφω *nutrio*): Latino autem generali vocabulo *tabem* vocat. At Latine *atrophiam* usurpat more suo *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 14. et 3. *ibid.* 7.; et *Theod. Priscian.* 2. 11. *V.* SYNTEXIS.

ĀTRŎPHUS, um, adject. ἄτροφος, — *a*) Quoniam atrophia aliquando in aliqua tantummodo corporis parte contingit, *atropha* dicuntur membra tali vitio laborantia. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 73. (151). Ervum tostum corrigit vitia jocineris, tenesmon, et, quæ cibum non sentiant, atropha appellata. *Id.* 27. *ibid.* 8. 40. (63). Atropha carnosiora facere. — *b*) Hinc atrophi dicuntur qui atrophia laborant. *Plin* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (120). Lac bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, quos atrophos vocant. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (122). In balineis uti solio nitri prodest atrophis, opisthotonis, tetanis.

ĀTRŌR, ōris, m. 3. atritas, ater color. *Gell.* 2. 26. Rubidus autem est rufus, atrore et nigrore multo mixtus. *Alii leg. rectius* rufus atrior et nigrore multo inustus.

ĀTRŌTUS, um, adject. ἄτρωτος, invulnerabilis: vox Græca ab α privativo et τιτρώσκω *vulnero*. *Hygin. Fab.* 28. Alii auctores dicunt, Neptuni et Iphimedes filios fuisse atrotos. *Id. Fab.* 30. Leonem atrotum necare.

ĀTROX, ōcis, omn. gen. 3. adject. Comp. *Atrocior*; Superl. *Atrocissimus*. — Ratione habita etymi hæc *Forcellinus*: Proprie crudum significat, ut *Festus* (h. e. *Paul. Diac.*) et *Non. p.* 76. 6. *Merc.* docent. Est enim origine Græca, ab α privativo et τρώγω *edo*, a quo fit ἄτρωξ, ὠμὸς *crudus*, esui ineptus. *Nævius* apud *Non. l. c.* Simul atrocia porricerent exta ministratores. Recentiores tamen philologi rectius deducunt ab *ater*, ut *ferox* a *ferus*, *velox* a *velum*; et syllaba *ox* pro *oculus* ab ὤψ deducit *Döderlein Latein. Synon. vol.* 1. *p.* 38.; quamvis hujus vocis significatio non semper appareat. Itaque atrox proprie est qui atro obscuroque est aspectu; ac propterea crudelis, sævus, immanis, noxius, perniciosus, adeoque rigidus, horridus, asper, horrendus, funestus: quæ omnia *Forcellinus* pluribus paragr. distinxit (It. *atroce, crudele, fiero, nocevole, severo, aspro*; Fr. *affreux, farouche, sauvage, terrible, cruel, atroce*; Hisp. *atroz, espantoso, feroz, cruel*; Germ. *gefahrdrohend, unheilschwanger, verderbenkündend, schreckhaft, grässlich, arg, hartnäckig und trotzig*; Angl. *savage, atrocious, fierce, barbarous, cruel*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 3. 4. 7. Atrocem astutiam reperire. *h. e.* audacem et animo atroci ac timoris experti dignam. *Ter. Heaut.* 3. 3. 17. Incredibilis res atque atrox. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Atrox fortuna. *Cic. Rosc. Am.* 22. 62. Res scelesta, atrox, nefaria. *Id. Cæcin.* 13. 37. Res tam insignis tamque atrox. *Id. ibid.* 13. 36. Res atrocissima. *Id. Marcell.* 7. 21. Atrocissima suspicio. *Id.* 2. *Orat.* 49. 201. Admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci illud alterum lenitatis et mansuetudinis. *h. e.* acri, aspero. Cf. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Atrox peroratio. Et *Petron. Satyr.* 4. Verba atroci stilo effodere. *h. e.* valde censorio et nihil indulgente. *V.* etiam ATROCITER. *Cic.* 9. *Fam.* 25. 3. Repente percussus est atrocissimis litteris, in quibus scriptum erat etc. *h. e.* acerbissimis, funestissimis. *Sall. Jug.* 5. Bellum magnum et atrox. *Id. Cat.* 30. Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. *h. e.* in re magni momenti, metusque et periculi plena. *Liv.* 39. 49. Facinus sævum atque atrox. *Id.* 2. 60. Atrox discordia. *Id.* 3. 1. certamen. *Id. ibid.* 11. ingenium. *Id.* 24. 16. Atrocior cædes. *Virg.* 1. *G.* 408. Atrox inimicus. *Horat.* 2. *Od.* 1. 23. Et cuncta terrarum subacta Præter atrocem animum Catonis. *h. e.* severum, rigidum et constantem usque ad necem. Cf. *Sil. It.* 6. 378. *de M. Atilio Regulo.* Atrox illa fides. *Horat.* 3. *Od.* 13. 9. Flagrantis atrox hora caniculæ. *h. e.* vehemens, molesta. Cf. *Claudian.* 2. *in II. Cons. Stilich.* 460. nec brachia Cancri Urat atrox æstas. *Ovid.* 9. *Met.* 274. Atrox odium. *Cels.* 1. *præfat. circa med.* Atrocissima pestis. *Vellej.* 2. 119. Atrocissima calamitas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 80. (353). Atrox hiems. *h. e.* rigida, horrida. *Id.* 8. *ibid.* 21. 30. (74). Atrocissimi tauri silvestres. *Quintil.* 11. 3. 73. Atrox Medea. *Id.* 6. 3. 31. causa. *Id.* 8. 4. 19. Res atrocissimæ. *Val. Flacc.* 9. 662. nec credere falsus Audet atrox vultus. *h. e.* ejus qui obfirmat animum contra amorem. *Plin. Paneg.* 53. Atrocissima effigies sævissimi domini. *Sil. It.* 9. 186. Gradivus atrox. *Tac.* 4. *Ann.* 45. facinus. *Id.* 11. *ibid.* 31. tempestas. *Id.* 2. *Hist.* 99. Atrocibus undique nunciis exterritus. *Id.* 1. *ibid.* 54. rumor. *Id.* 2. *ibid.* 54. Atroci mendacio universos perculit, affirmans etc. *Id.* 3. *ibid.* 39. invidia. *Id.* 3. *Ann.* 64. valetudo. *h. e.* gravis et periculosus morbus. *Gell.* 20. 1. Atrocior injuria. *Flor.* 3. 2. 2. Atrox cælum, perinde ingenia. *Dig.* 4. 2. 3. § 1. Vis atrox. *V.* ATROCITAS in fin. — *b*) Cum præp. *ad* et Accus. termini, quo alicujus atrocitas pervenire potest. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (90). Animal atrox ad conficiendum hominem. — *c*) Cum Ablat. causæ, qua quis est atrox. *Tac.* 14. *Ann.* 61. Poppæa semper odio, tum et metu atrox. *Id.* 16. *ibid.* 10. Filia longo dolore atrox. *h. e.* quæ longo dolore tristem et quodammodo horrendum vultum, truceque atque pæne feros mores induit. *Id.* 4. *ibid.* 50. Nox nimbo atrox. — *d*) Cum Genitivo Græca constructione. *Tac.* 12. *Ann.* 22. Atrox odii Agrippina ac Lolliæ infensa.

ATRUSCA, æ, f. 1. genus quoddam est uvæ apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16.

ATTA, æ, m. 1.

A) dicitur, docente *Paul. Diac. p.* 12. 9. *Müll.*, qui propter vitium crurum aut pedum summis plantis insistit, et attingit magis terram, quam ambulet. *Voss. Etymol.* putat esse Sabinam vocem, et derivari ab ἄττω *subsilio, subsulto*, quia qui pedum plantis laborat, stare loco nescit, sed semper quasi subsilit. Hinc nonnullis cognomen adhæsit, de quo *V.* ONOM.

B) Est præterea *atta* vox, qua juniores pro reverentia senes compellant, quasi patris aut avi eos nomine honorantes. Hoc quoque docet *Paul. Diac. p.* 12. 11. et *p.* 13. 18. *Müll.* Est autem Græca vox ἄττα, πάτερ, qua usus est *Homer.* non semel. Habent autem quamdam inter se affinitatem *atta* et *tata*, qua etiam patrem appellant. *Eusthat.* ad *Iliad.* 1. 603. τὸ ἄττα γλώσσης φασὶ Θετταλῶν οἱ παλαιοί, προσφώνημα ὂν ἐκ τινος νεωτέρου εἰς πρὸς τροφέα. Quem ad locum sic *Schol. Ven. Villois.* τὸ ἄττα προσφώνησις ἐστὶ πρὸς τροφέα ἀμεταφράστος.

ATTACEO, es, ere, idem fere quod taceo. Creditur a nonnullis *Cicero* hoc verbum usurpasse *Flacc.* 25. 61. Liceat hoc nobis, si oblivisci non possumus, attacere. *Sed rectius multo leges* at tacere.

ATTACTUS *vel* adtactus, a, um. *V.* ATTINGO.

ATTACTUS *vel* adtactus, us, m. 4. (attingo) idem fere quod tactus; sed extra Ablativum casum exempla nondum vidimus. *Varro* 2. *R. R.* 5. 8. Corium attactu non asperum ac durum. *Virg.* 7. *Æn.* 349. *de angue.* Ille inter vestes et lævia pectora lapsus Volvitur attactu nullo fallitque furentem. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 11. Frequenti attactu. *Paul. Rec. Sentent.* 1. 21. § 12. Neque juxta monumentum, neque supra monumentum habitandi jus est; attactu enim conversationis humanæ piaculum admittitur. *Seren. Sammon.* 50. 930. Horridus (*cimex*) attactu, sed gustu commodus apto. *Ackermann.* leg. et edidit attractu.

ATTĂCUS, i, m. 2. ἀττακός, est quoddam genus locustæ, apud *Interpr. Vulgat. Levit.* 11. 22.

ATTĂGEN, ēnis, m. 3. et

ATTĂGĒNA, æ, f. 1. ἀτταγήν. Nonnulli scribunt et unico *t*, sed minus recte. Avis est, quam quidam putant appellari ab Italis *francolino*, a Gallis *gelinotte de bois*, a Germanis *das Haselhuhn*, ab Anglis *a heath-cock, or wood-cock*, hoc est gallinam silvestrem; quæ est *Tetrao francolinus* Linn. Quidam etiam *bonosam* dicunt. Fuit autem in ciborum deliciis, et Jonicus maxime celebratus est. vocalis alias, captus vero obmutescens, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 48. 68. (133). scribit. — *a*) Masc. gen. *Horat. Epod.* 2. 53. Non Afra avis descendat in ventrem meum Non Attagen Jonicus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Carnis etiam quiddam, sed neque indigestibilis, neque difficilis —, sed ejus, quæ sit et digestionis facilis et corporis densabilis ac nutribilis et sufficiens levamento fortitudinis extinctæ, ut sunt pulli columbarum, attagenes, quorum omnium pectora magis offerenda. — *b*) Fem. gen. *Varro* apud *Gell.* 7. 16. *Martial.* 2. 37. 3. Communemque duobus attagenam. Adde *eumd.* 13. 61. 2. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Item volantium non pinguia, ut sunt pectora turdorum, — item columbarum, aut attagenarum, aut perdicum.

ATTĂGUS, i, m. 2. hircus, lingua Phrygum. *Arnob.* 5. 6., *ubi alii leg.* atazus. *V. Petav.* ad *Julian. or. vol.* 5. *p.* 39.

ATTĂLĬCUS, a, um, adject. ad Attalum ditissimum Pergami regem pertinens, de quo *V.* ONOM. Hinc — *a*) Ratione habita divitiarum, Attalicus est amplissimus atque opulentissimus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 11. Gaudentem patrios findere sarculo Agros Attalicis conditionibus Numquam dimoveas ut trabe Cypria Mirtoum pavidus nauta secet mare. *Tertull. Jejun.* 15. sub *fin.* Attalicæ divitiæ. — *b*) *Attalica aulæa, Attalicæ vestes* sunt quibus aurum intextum est; id enim Attalum invenisse tradit *Plin.* loco infra cit. *Cic.* 6. *Verr.* 12. 27. Attalica peripetasmata. *Propert.* 2. 32. 12. et *Sil. It.* 14. 659. aulæa. *Id.* 3. 18. 19. vestes. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (115). vestis. *Propert.* 2. 13. 22. torus. *Id.* 4. 5. 24. tori. — Hinc

Attalica, orum, n. plur. 2. absolute sunt vestimenta vel aulæa auro intexta. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (196). Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus, unde nomen Attalicis. Adde *eumd.* 33. *ibid.* 3. 19. (63). *Inscript.* apud *Orell.* 48. M. VALERIVS MESSALLA CORVINVS, P. RVTILIVS LVPVS —, D. MARIVS NIGER HEREDES C. CESTI — EX EA PECVNIA QVAM PRO SVIS PARTIBVS RECEPERVNT EX VENDITIONE ATTALICORVM QVAE EIS PER EDICTVM AEDILIS IN SEPVLCRVM C. CESTI EX TESTAMENTO EJVS INFERRE NON LICVIT. Hæc inscriptio erat in basibus, quibus olim statua C. Cestii imposita erat.

ATTĂMEN, conjunctio. *V.* AT et TAMEN.

ATTĂMĪNO *vel* adtamino, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* taminare *seu* tagminare, *quod a* tangere) proprie est attingere; sed occurrit translate tantum pro sumere quod non licet, contaminare, polluere, corrumpere. *Capitolin. Gordian.* 27. Civitates integras suis civibus redderet, ita ut nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. *Justin.* 21. 3. Attaminare virginem. *Imppp. Gratian., Valens et Theodos. Cod. Theod.* 3. 1. 5. Attaminare aliquem sacramentis Judaicis. *Augustin. Ep.* 59. 2. ex *Vet. Ital. Vulgat. Paul.* 2. *Coloss.* 21. Quod enim scriptum est: *Ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne attaminaveritis;* tamquam præceptum putatur Apostoli, nescio quid tangere, gustare, attaminare prohibentis. — De verbis dixit *Aurel. Vict. Cæsar.* 16. Attaminare facta et consulta alicujus imprudentiâ.

ATTAT. *V.* ATAT.

ATTĂTÆ *vel* attatē, ἀτταταῖ, interjectio eosdem fere usus habens, quos *atat*: itaque est jam intelligere incipientis et ob id quodammodo admirantis. *Plaut. Epid.* 3. 4. 21. Attate: nunc demum scio ego hunc, qui sit. *Id. Merc.* 2. 3. 31. Attate! meus pater hic quidem est: ibo, alloquar. *at alii aliter leg. Id. Cas.* 3. 1. 14. Attate! cædundus tu homo es: nimias delicias facis. *hoc loco habet aliquid minitantis.* V. *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.*

ATTĔGIA, æ, f. 1. casa, tugurium. Vox Arab.; nam طحي *tetendit*, unde الطحية *tentorium*. *Juvenal.* 14. 196. Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum. *Inscript.* apud *Gruter.* 64. 11., quæ est apud *Orell.* 1396. DEO MERCVRIO ATTEGIAM TEGVLICIAM COMPOSITAM SEVERINIVS SATVLLINVS (*leg.* Catullinus) C. F. EX VOTO POSVIT L. L. M. At *Marini Pap. dipl.* p. 321. *c.* 2. hanc inscriptionem spuriam esse putat.

ATTEGRARE (*vel* adtegrare) est vinum in sacrificiis augere. Integrare enim et attegrare minus factum est in statum redigere. *Paul. Diac.* p. 12. 3. *Müll.*

ATTĔLĂBUS, i, m. 2. ἀττέλαβος et ἀττέλεβος, ab ἄττω *subsilio*, locustarum minimum genus, sine pennis, quod cum pico Martio peculiares gerere inimicitias, scribit *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 29. (92).

ATTEMPĔRĀTĒ *vel* adtemperate, adverb. accommodate. *Ter. Andr.* 5. 4. 13. Itane attemperate venit hodie in ipsis nuptiis, ut veniret antehac numquam? *h. e.* ita temperando et disponendo adventum suum, ut adesset in ipso nuptiarum articulo.

ATTEMPĔRĀTUS *vel* adtemperatus, a, um. *V.* ATTEMPERO.

ATTEMPĔRĬES *vel* adtemperies, ēi, f. 5. (attempero) modus, moderatio. *Cod. Theod.* 9. 3. 2.

ATTEMPĔRO *vel* adtempero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* tempero). Part. *Attemperatus.* — Est accommodare, aptare, disponere. *Vitruv.* 10. 7. (*al.* 12.) 2. *Schneid. de Ctesibica machina.* Supra catinum pænula, ut infundibulum inversum, est attemperata. *Seneca Ep.* 30. Sic gladiator tota pugna timidissimus jugulum adversario præstat et errantem gladium sibi attemperat. *h. e.* accommodat, ultro corpus vulneri objiciens et aptans: quod facere cogebantur gladiatores victi, si ita populus jussisset, ut docet *Lips. l.* 2. *Saturn. c.* 22.

ATTEMPTO *vel* adtempto, as, āvi, etc. *V.* ATTENTO.

ATTENDO *vel* adtendo, tendis, tendi *et raro* tetendi, tentum, tendere, a. 3. (ad *et* tendo). Part. *Attendens* I. et II. 2.; *Attentus* I. et in fin.; *Attendendus* II. 2. — Proprie est intendo, extendo, valde tendo (It. *stendere, distendere*; Fr. *tendre, diriger vers*; Hisp. *tender, extender*; Germ. *anspannen, hinstrecken, spannend oder streckend wohin richten*; Angl. *to stretch, stretch towards, extend*).

I.) Proprie de inanimis ponitur. — *a*) Absolute. *Accius* apud *Non.* p. 238. 10. *Merc.* Simul autem attendo, ut quirem exaudire amplius. *Apul.* 2. *Met.* 16. Arcum meum et ipse vigor attetendit. — *b*) Addito quo quid attenditur. *Hygin.* 3. *Astron.* 20. Taurus genu defigere ad terram videtur, caput eodem habens attentum. *Quintil.* 11. 2. 29. Hoc enim est – non inutile attendere signa ad eos, qui excidunt, sensus, ancoram – si de nave dicendum esset etc. *Apul.* 11. *Met.* 13. Cælo manus attendentes testantur. *Id.* 6. *ibid.* 11. Videsne illud nemus, quod fluvio præterluenti ripisque longis attenditur? *h. e.* ad flumen usque pertinet. *Id.* 4. *ibid.* 6. Ante fores exigui tramites vice structi parietis attenduntur.

II.) Translate ad animum. ¶ 1. *Animum vel animos attendere* est intendere, advertere, convertere, applicare animum ad aliquid, attentum esse. — *a*) Absolute. *Ter. Eun. prol.* 44. Date operam, cum silentio animum attendite, ut pernoscatis quid sibi Eunuchus velit. Adde *eumd. Phorm.* 5. 6. 28. *Cic.* 3. *Off.* 8. 33. Si, cum animum attenderis, turpitudinem videas. *Id.* 2. *Verr.* 10. 28. Quo tempore igitur aures judex erigeret animumque attenderet? — *b*) Addito quo quis animum attendit. — Per Accus. et præp. *ad. Pacuvius* apud *Non.* p. 238. 15. *Merc.* Cum animum attendo ad quærendum, quid siet. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 15. 38. Attendite animos ad ea, quæ consequuntur. *Nepos Alcib.* 5. Attendere animum ad cavendum. — Per Dativum. *Lucilius* apud *Non.* p. 239. 13. *Merc.* Animum attendere dictis. *Id. ibid.* p. 238. 11. animos dictis. — Per relativum. *Ter. Phorm. prol.* 25. Nunc quid velim animum attendite. *Liv.* 10. 4. Jubet peritos linguæ attendere animum, pastorum sermo agresti an urbano propior esset. ¶ 2. *Attendere* (et semel *attendere animo* apud *Apul. Florid.* 1. *n.* 9. Quid istud sit, animo attendatis: diligentius et accuratius disputabo.) usurpatur pro attendere animum. — *a*) Absolute. *Ter. Hec.* 2. 2. 25. Nam postquam attendi magis. *Cic.* 4. *Tusc.* 32. 68. Hæc lætitia quam turpis sit satis est diligenter attendentem penitus videre. *Id. Orat.* 13. 53. Non æque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo. Adde *eumd. Partit. orat.* 35. 121. *Id. Planc.* 41. 98. Audi, audi, atque attende, Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam. *Id. Mil.* 9. 23. Rem gestam vobis dum breviter expono, quæso, diligenter attendite. *Id.* 15. *Att.* 26. 4. Attendere bene. *Juvenal.* 11. 16. interius. *Quintil.* 8. 3. 5. magis. — *b*) Cum Accus. personæ aut rei. *Cic. Sull.* 11. 33. Erigite mentes auresque vestras, et me dicentem attendite. *Id.* 3. *Verr.* 10. 37. Quis nos magnopere attendit unquam in hoc genere causarum? *Id.* 3. *Fin.* 12. 40. Attendere aliquem studiose. *Id.* 5. *ibid.* 3. 7. aliquem satis belle. *Id. Orat.* 56. 189. semetipsos. *Id. Arch.* 8. 18. aliquem diligenter in aliquo genere dicendi. *Id. Rabir. Post.* 6. 14. Attendere primum versum legis. Et passive *Id.* 3. *Orat.* 50. 192. Nam versus æque prima et media et extrema pars attenditur. *Id.* 2. *Phil.* 12. 30. Sed stuporem hominis attendite. *Id.* 7. *Verr.* 57. 148. Aliquid neque attendere, neque intelligere. *Id.* 2. *Orat.* 63. 256. Attendere et aucupari verba. *Id.* 4. *Fam.* 13. 4. Curare attendereque aliquid. *Sall. Jug.* 93. Suorum et hostium res pariter attendere. Adde *Stat.* 12. *Theb.* 250. *Quintil.* 4. 1. 74. aliquid diligenter. *Lucan.* 8. 622. Sæcula Romanos numquam tacitura labores Attendunt. *Aurel. Vict. Epitom.* 48. Annonæ curam sollicitius attendere. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 2. Attendendam etiam consuetudinem ajunt. — *c*) Cum Accus. et Infinito, aut Relativo. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 34. 111. Non attendere, superius illud ea re a se esse concessum. *Ter. Hec. prol. alt.* 20. Nunc quid petam, meâ causâ æquo animo attendite. *Cic.* 2. *Fam.* 7. 5. Si paullo diligentius – Athenodoris, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. *Id. Sull.* 11. 33. Attende jam, quam ego defugiam etc. Adde *eumd. Quinct.* 20. 63. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 53. *Phædr.* 2. 1. 1. Attende, cur negare cupidis debeas. Adde *Sall. Cat.* 53. et *Juvenal.* 10. 251. *Ascon.* in *Cic. pro Scauro* 3. *ed. Mai.* Quo autem casu acciderit – neque perspicere potui et attendendum esse valde puto. — *d*) Apud serioris ævi scriptores occurrit etiam cum Dativo personæ aut rei. *Plin. Paneg.* 65. Jurat in legem attendentibus diis: nam cui magis, quam Cæsari attendant? *Id.* 7. *Ep.* 26. Attendere sermonibus malignis. *Sil. It.* 8. 591. nullo attendente deorum Votis tunc vestris. ¶ 3. Attendere ponitur aliquando et pro cogito, assequi conor, quæro, contendo. — *a*) Cum Accus. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 160. Quid est, Cotta? inquit, quid tacetis? Nihilne vobis in mentem venit, quod præterea ab Crasso requiratis? Immo id hercule, inquit, ipsum attendo. *Non.* 2. 20. *edit. vet.* interpretatur *cogito*, nec absurde. — *b*) Cum Infinito. *Accius* apud *Non.* p. 238. 19. *Merc.* Puer, ne attenderis petere a me, id quod nefas sit concedi tibi. *Pomponius* apud *eumd. ibid. v.* 17. Quid futurum est, si pol ego hanc discere artem attenderim? — *c*) Cum Ablat. et præp. *de. Cic. Partit. orat.* 24. 84. Et cum de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. *Id.* 12. *Phil.* 11. 26. Animus tamen erit sollicitus, ut nihil possit de officiis legationis attendere. — *d*) Cum Dat. rei pro incumbere, operam dare, adeoque conari assequi. *Sueton. Cal.* 53. Attendere minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum. *Id. Galb.* 5. juri. *Id. Ner.* 56. extispicio. — Hinc Part. præter. pass.

Attentus vel *adtentus*, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Attentior* 1. et 2., Superl. *Attentissimus* 1.: sed translate (propria significatione Part. *Attentus* vide supra sub I.) tantum. — 1.) Significat intentum, diligentem, excitatum ad aliquid, intellectuales vires in aliquid intentas habentem. *Ter. Andr.* 2. 1. 3. Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit. *Lucret.* 6. 921. Quo magis attentas aures animumque reposco. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 19. Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem. *Cic.* 1. *Off.* 37. 131. Si animos attentos ad decoris conservationem tenemus. *Id.* 1. *Fin.* 17. 57. Acri animo et attento intueri aliquid. *Id. Orat.* 59. 197. Animis attentis admirari aliquid. *Id.* 3. *Orat.* 5. 17. Acerrima atque attentissima cogitatio. *Id.* 3. *Orat.* 79. 323. et 2. *ibid.* 19. 81.; et *Quintil.* 4. 1. 33. Attentum facere judicem. *Cic.* 3. *Nat. D.* 1. 1. Se attentum auditorem præbere. *Id.* 1. *Herenn.* 4. 7. Auditores attentos facere. *Quintil.* 4. 5. 21. Judex circa jus nostrum attentior. *Val. Max.* 6. 9. *ext.* 1. Attento studio facere aliquid. *Id.* 2. 2. 7. Attentissimâ curâ aliquid examinare. *Id.* 4. 3. 9. Attenta disciplina majorum. — 2.) Ponitur et de animi intensione, qua quis aliquid assequi contendit et conatur, ac speciatim de eo qui rei augendæ et lucro studet, parcus, frugi. *Ter. Adelph.* 5. 3. 48. Attentiores sumus ad rem omnes (*in senectute*), quam sat est. *Id. ibid.* 5. 8. 31. Nimium ad rem in senecta attenti sumus. *Cic.* 3. *Verr.* 48. 126. Qui in re adventicia et hereditaria tam diligens, tam attentus esset. *Id.* 9. *Fam.* 16. 7. Tum enim, cum rem habebas, quæsticulus te faciebat attentiorem. *Id. Quinct.* 3. 11. Quinctius ceterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus. *Id. Rosc. Am.* 15. 44. Attenta vita et rusticana. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 82. Asper et attentus quæsitis. *Id.* 1. *Ep.* 7. 91. durus nimis attentusque videris. *Val. Max.* 2. 5. 5. Antiqui attenti continentiæ.

ATTENTĀTĬO *vel* adtentatio *vel* attemptatio, ōnis, f. 3. actus attentandi, tentatio, tentamentum. *Symmach.* 6. *Ep.* 9. Inanis attentatio comprimatur. Adde *Cod. Theod.* 10. 3. 5. et 16. 2. 36.

ATTENTĀTUS *vel* adtentatus *vel* attemptatus, a, um. *V.* ATTENTO.

ATTENTĒ *vel* adtente, adverb. (attentus). Comp. *Attentius*, Sup. *Attentissime.* — Occurrit translate tantum, et est attento animo, magna diligentia magnoque studio (It. *attentamente, con attenzione*; Fr. *attentivement, avec attention*; Hisp. *atentadamente*; Germ. *aufmerksam, in Spannung, mit Anstrengung*; Angl. *attentively, deliberately, diligently*). *Ter. Heaut.* 1. 1. 14. Attente officio servorum fungi. *Cic. Brut.* 54. 200. Assidens et attente audiens. Adde *eumd.* 16. *Fam.* 4. 14., *Dom.* 12. 32. et *Cæl.* 11. 25. *Id. Cluent.* 23. 63. Ut numquam benignius et attentius quemquam auditum putem. *Id.* 1. *Orat.* 61. 259. Attentissime audire aliquem. *Id.* 7. *Fam.* 19. Attente legere aliquid. *Id.* 5. *Fin.* 2. 4. Acrius et attentius cogitare. *Sall. Cat.* 56. Attentius agere aliquid. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 197. Spectare aliquid attentius. *Plin.* 3. *Ep.* 16. Attentius aliquem custodire. *Gell.* 4. 15. Parum attente dicere.

ATTENTĬO *vel* adtentio, ōnis, f. 3. (attendo) ¶ 1. Est intentio animi ad aliquid. *Cic.* 2. *Orat.* 35. 150. Cura, attentio animi, cogitatio. Absolute eodem sensu occurrit apud *Quintil.* 4. 1. 34. ¶ 2. Pro indicio vel indicatione, juxta interpretes, dixit *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. In exterioribus attentionem recentis vulneris judicamus.

ATTENTO *vel* adtento *vel* attempto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* tento). Part. *Attentatus* II. — Proprie est totis viribus summoque conatu aliquid tendere vel intendere (It. *stendere o distendere con tutta forza*; Fr. *tendre ou étendre avec force*; Hisp. *tender, entejar, extender con fuerza*; Germ. *mit aller Anstrengung oder Gewalt spannen*; Angl. *to stretch, stretch towards, extend*).

I.) Proprie occurrit tantum apud *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 217. Attentare arcum digitis. *h. e.* tendere ad flectendum.

II.) Translate est tento, pertento, experior si obtinere possim. ¶ 1. Sæpius in malam partem accipitur, et est personam aut rem aggredi et circumvenire ad corrumpendum ac damna inferenda. *Pacuvius* apud *Non.* p. 322. 18. *Merc.* Quæ ægritudo insolens mentem attentat tuam? *Cic.* 4. *Verr.* 54. 135. Omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare. *Id. Sext.* 4. 9. Quam urbem (*Capuam*) propter plurimas belli opportunitates illa impia et scelerata manu attentari suspicabamur. *h. e.* suspicabamur Capuam circumveniri et corrumpi ad suam perniciem. *Id. post red. ad Quir.* 7. 17. Quia suam classem attentatam magno cum suo periculo vidit. *classem populi* intellige suffragia ferentis, quam corrumpere quidam conati fuerant. *Id. Orat.* 61. 208. Cum is est auditor, qui non vereatur, ne compositæ orationis insidiis sua fides attentetur. *Id. Harusp. resp.* 8. 16. Attentare aliquid linguâ. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 23. Si tamen attentas meorum facientia jura. *h. e.* labefactare et convellere conaris. *Phædr.* 5. 2. 4. Cedo, inquit, illum: jam curabo sentiat (*latro*) Quos attentarit. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 7. Primum est non attentari; secundum est lacessitum fortiter et perseveranter vindicari. *Val. Flacc.* 4. 11. Tum precibus, tum me lacrimis et supplice dextra Attentare veto. *Val. Max.* 7. 8. 3. Attentare testamentum alicujus. *Id.* 9. 1. 9. Nefarie attentatæ patriæ pœnas dare. *Tac.* 13. *Ann.* 25. Attentare aliquem vi. *Stat.* 4. *Theb.* 71. aliquem bello. *h. e.* aggredi, belli fortunam cum eo experiri. *Ulp. Dig.* 12. 6. 23. § 1. sententiam judicis. *Paul. ibid.* 47. 10. 10. pudicitiam. *Ulp. ibid.* 47. 11. 6. Attentare et vexare annonam. *h. e.* lucri causa conari cariorem facere. *Apul. de Mag.* 50. Helluo et crapula attentatur. *h. e.* male se habet. *Id. ibid.* Attentari morbo. *h. e.* invadi. ¶ 2. Aliquando et generatim usurpatur pro incipere, experiri; et de oratione præcipue. *Cic.* 3. *Orat.* 28. 110. Sed neque vim, neque naturam ejus, nec partes, nec genera proponunt: ut præteriri omnino fuerit satius, quam attentatum deseri. *Liv.* 23. 15. Consensus attentatæ defectionis. *Val. Max.* 5. 3. 5. Ruinam ejus majorem esse, quam ut manu mea attentari debeat, memini. *h. e.* quam ut aggredi ad eam verbis explicandam debeam. *Quintil.* 12. 8. 14. Argumentorum locos singulos attentare. *Tac. Dial. de Orat.* 22. *de Cicerone.* Primus excoluit orationem; locosque lætiores attentavit, et quasdam sententias invenit. *h. e.* tentavit in orationem inducere eamque iis ornare.

ATTENTUS *vel* adtentus, a, um, part. præter. pass. ab **ATTENDO**, quam vocem *V.*

ATTENTUS *vel* adtentus, a, um, part. præter pass. ab **ATTINEO**, quam vocem. *V.*

ATTENTUS *vel* adtentus, us, m. 4. (attendo) actus attendendi, intentio. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. *ante med.* Extensio colli atque vultus cum rubore et oculorum suspenso attentu.

ATTENUĀTĒ *vel* adtenuate, adverb. (attenuatus). Occurrit translate tantum de oratione, et est tenuiter et demisse. *Cic. Brut.* 55. 201. Oratorum bonorum duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium.

ATTENUĀTĬO *vel* adtenuatio, ōnis, f. 3. actus attenuandi, extenuatio, deminutio (It. *estenuazione*; Fr. *diminution, affaiblissement*; Hisp. *diminucion, merma*; Germ. *die Abschwächung, Verminderung*; Angl. *a lessening, diminishing*). *Cic.* 2. *Herenn.* 2. 3. Defensoris narratio simplicem et dilucidam expositionem habere debet, cum attenuatione suspicionis. *Id.* 4. *ibid.* 11. 16. Qui non possunt in illa facetissima verborum attenuatione versari. *h. e.* in stilo simplici ac tenui. Supra dixerat *cap. præced.* § 15. Erat enim et attenuata verborum constructio quædam, et item alia in gravitate, alia posita in mediocritate. *V.* et **ATTENUO** II. *b.* et *B.*

ATTENUĀTUS *vel* adtenuatus, a, um. *V.* **ATTENUO**.

ATTĔNŬO *vel* adtenuo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* tenuis). Part. *Attenuans* I. 1.; *Attenuatus* in omnibus paragr. et in fin. — Attenuare est tenuem facere, extenuare, deminuere (It. *assottigliare, estenuare, diminuire*; Fr. *amincir, amoindrir, diminuer, atténuer*; Hisp. *apocar, disminuir, minorar, menguar*; Germ. *dünn oder fein machen, verdünnen, abschwächen, kleiner oder geringer machen*; Angl. *to lessen, diminish, thin, reduce, attenuate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ea inanima dicuntur attenuari, quibus quocumque modo partes aliquæ detrahuntur. *Lucret.* 1. 310. tum portas propter aëna Signa manus dextras ostendunt attenuari Sæpe salutantum tactu. *Catull.* 64. 41. Non falx attenuat frondatorum arboris umbram. *Liv.* 22. 1. Sortes sua sponte attenuatæ. Adde *eumd.* 21. 62. et *V. Alschefski* ad *h. l.* vol. 3. p. 267. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 7. Attenuare vepres. *Id.* 3. *ibid.* 17. 2. Attenuata cacumine sagitta. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 16. (30). Foliorum exilitas attenuata usque in fila. *Id.* 36. *ibid.* 6. 9. (53). Ita sectæ attenuantur crustæ. *Id.* 11. *ibid.* 37. 65. (172). Linguæ imbricatæ asperitatis, attenuans lambendo cutem hominis. *Martial.* 14. 104. Attenuare nives norunt et lintea nostra. *h. e.* percolare et liquare. ¶ 2. Latiori sensu et quidem sæpius attenuari dicuntur ea omnia, quæ, cum magna sint, labore, vigiliis vel alia quacumque ratione minuuntur. *Cic. pro leg. Manil.* 11. 30. Quod bellum expectatione ejus (*Cn. Pompeji*) attenuatum atque imminutum est. *Cæs.* 3. *B. C.* 89. Legio prœliis attenuata. *Augustus* apud *Sueton. Tib.* 21. Attenuatum esse continuatione laborum. *Liv.* 39. 49. Diutino morbo viribus admodum attenuatis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 735. Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes. *Id.* 3. *Met.* 489. attenuatus amore. *Id.* 8. *ibid.* 843. et 4. *Pont.* 5. 38. Attenuare opes. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 2. 1. (17). Provincia attenuata bellis.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Horat.* 1. *Od.* 34. 12. valet ima summis Mutare, et insignem attenuat deus Obscura promens. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 16. et 6. 18. Attenuare curas. *Albinov. ad Liv.* 342. luctus. — *b*) Speciatim de oratione. *Cic.* 3. *Herenn.* 3. 6. Attenuare aliquid dicendo. cui ibid. *opponitur* amplificare. — Hinc Part. præter. pass.

Attenuatus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Attenuatissimus* sub *A.*

A) Proprie, sed latiori sensu, ut superius diximus I. 2. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Herenn.* 41. 53. Fortuna rei familiaris attenuatissima. — *b*) Speciatim de voce, cujus sonus redditur acutissimus. *Cic.* 3. *Herenn.* 14. 24. Paullulum attenuata voce uti. *Id. ibid.* 12. 21. Acuta atque attenuata nimis acclamatio.

B) Translate ponitur de oratione simplici, demissa, humili, tenui; cui opponitur sublata, magnifica, ampla. *Cic.* 4. *Herenn.* 8. 11. Attenuata (*oratio*) est, quæ demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem. *Id. Brut.* 82. 283. Oratio nimia religione attenuata. *Id.* 4. *Herenn.* 10. 15. Attenuata verborum constructio. *Id. ibid.* 11. 16. Attenuatum orationis genus. *V.* **ATTENUATIO**.

ATTERMĬNO *vel* adtermino, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* termino) definire, finibus vel limitibus circumscribere. *Arnob.* 3. 13. Deos humano filo atterminare.

ATTĔRO *vel* adtero, tĕris, trīvi *vel* tĕrŭi, trītum, *vel* tĕrĭtum, tĕrere, a. 3. (ad *et* tero). Præter. *atteruisse* pro *attrivisse* occurrit apud *Tibull. loco* infra *cit.* I. 2.; ubi quidam *attenuasse* reponunt; sed præteritum *terui* pro *trivi* agnoscit etiam *Vel. Long. Orthogr.* p. 2231. *Putsch.*, quamvis fateatur, *trivi* magis ex consuetudine esse. — Part. *Atteritus* pro *attritus* legitur in quibusdam codicib. MSS. apud *Tac.* 1. *Hist.* 10. Mox atteritis opibus. *alii passim hab.* attritis. — Part. *Atterens* I. 1. et 2.; *Attritus* in fin. — Attero proprie est rem aliquam ad aliam tero, adfrico (It. *fregare a qualche cosa*; Fr. *frotter contre*; Hisp. *flotar, estregar*; Germ. *etwas reibend wohin bringen*; Angl. *to rub against or upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est rem aliquam ad aliam tero. — *a*) Absolute. *Horat.* 2. *Od.* 19. 30. Cerberus – leniter atterens caudam. — *b*) Addito, cui quid atteritur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 93. (201). Asinus spinetis se scabendi causa atterens. *Id.* 9. *ibid.* 51. 74. (161). Atterere se scopulis. ¶ 2. Hinc est etiam utendo et terendo minuere et consumere. *Plaut. Pers.* 4. 9. 11. Tuan ego causâ, carnufex, cuiquam mortali libero aures atteram? *scilicet* alludit ad morem antestandi, *V.* **ANTESTOR**. *Virg.* 4. *G.* 11. aut errans bucula campo Decutiat rorem et surgentes atterat herbas. *Forcellinus* interpretatur proterere, calcare, frangere. *Tibull.* 1. 4. 48. Nec te pœniteat duros subiisse labores, Aut opere insuetas atteruisse manus. *V.* sub init. hujus voc. *Propert.* 4. 3. 23. num teneros urit lorica lacertos? Num gravis imbelles atterit hasta manus? *Colum.* 11. *R. R.* 2. 16. Ne – tumentes gemmæ lædantur et oculi atterantur. *Id.* 5. *ibid.* 6. 12. Demissum palmitem inferior atteret et fructum decutiet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (158). Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus. *scilicet* in gemmis anulorum elaborandis. *Id.* 9. *ibid.* 35. 56. (112). Conchylia et purpuras omnis hora atterit. *h. e.* omnibus horis homines conchyliatas vestes et purpureas induunt et consumunt. *Id.* 7. *ibid.* 16. 15. (70). Dentes usu atteruntur. *Id.* 28. *ibid.* 15. 61. (218). Femina atteri adurique equitatu notum est. *Id.* 8. *ibid.* 5. 5. (11). *de elephantis.* Amnem transituri minimos præmittunt, ne, majorum ingressu atterente alveum, crescat gurgiti altitudo. *Cels.* 1. *Præfat.* Alii atteri cibum in ventre contendunt: alii putrescere. — *NB.* Hoc sensu sæpissime occurrit Part. *Attritus*: V. in fin.

II.) Translate est imminuere, attenuare, infirmare. *Sall. Jug.* 5. Quo (*bello Punico secundo*) – Hannibal – Italiæ opes attriverat. *Id. ibid.* 81. Postquam utrimque legiones, item classes sæpe fusæ, et alteri alteros aliquantum attriverant. *Id. ibid.* 85. Pars exercitus attrita est. *Id. Cat.* 16. Atterere famam atque pudorem alicujus. *Curt.* 4. 6. 31. Namque proliis etiam secundis atterebantur copiæ. *Flor.* 3. 5. Attritæ vires validissimi regni. *Quintil.* 8. *proœm.* § 2. Eo tempore, quo præcipue alenda ingenia atque indulgentia quadam nutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur. *Id.* 10. 1. 27. Velut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime talium rerum blanditiis reparantur. *Tac.* 1. *Hist.* 89. Quæ (*belli incommoda*) motu Vindicis haud perinde plebem attriverant. *Id. Germ.* 29. Nec publicanus atterit (*Germanos*). *Juvenal.* 16. 50. Nec res atteritur longo sufflamine litis. — Sæpe hoc sensu usurpatur Part. præter. pass.

Attritus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Attritior* sub *A.* 2.

A) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est ad aliam rem tritus, confricatus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 107. 111. (239). Attrita inter se ligna. *Sillig.* vero legit: Attritu que inter se ligni. ¶ 2. Sæpius est attenuatus, usu deterior factus, consumptus, imminutus, ut fit in iis, quæ assidua tractatione paullatim minuuntur et consumuntur. — *a*) Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. Mentum ac rictum simulacri paullo attritius, quod in precibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. *Virg.* 6. *Ecl.* 17. Et gravis attrita pendebat cantharus ansa. *Id.* 1. *G.* 46. sulco attritus vomer. *Catull.* 6. 10. Attritus pulvinus. *Propert.* 4. 5. 50. manus. *Ovid. Heroid.* 18. 133. Jam patet attritus solitarum limes aquarum, Non aliter, multa quam via pressa rota. *h. e.* calcatus, protritus. *Id.* 2. *Met.* 456. attritas versabat rivus arenas. *h. e.* contritas, minutas. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 55. (157). Usque attritæ cælaturæ, ne figura discerni possit. *Martial.* 10. 72. Attrita labella. *Id.* 14. 125. Attritâ veniet sportula sæpe togâ. *Ita editt. omnes: sed legendum omnino* A trita etc. *Juvenal.* 6. 108. Attritus galeâ. *Id.* 8. 16. tenerum attritus pumice lumbum. *Petron. Satyr.* 126. Facies medicamine attrita. *Id. ibid.* 81. Libidinibus mutuis attriti amatores. *V.* **TERO**. — *b*) Speciatim Medici *attrita membra* appellant, quæ et fricatione et pressione eroduntur fractaque cute vulnerantur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 28. (43). Mastiche lentisci medetur et attritis partibus. — Hinc et absolute *attrita*, h. e. membra. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 22. (70). Attritis medetur cinis muris silvatici cum melle. *Id.* 20. *ibid.* 5. 20. (39). Cæpæ attrita sanant. — *c*) Figurate *attrita frons* est perfricta, inverecunda. *Juvenal.* 13. 242. quando recepit Ejectum semel attrita de fronte pudorem?

B) Translate est imminutus, debilitatus, fractus. — *a*) Generatim. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (182). Attrita bellis Æthiopia. *Sueton. Aug.* 40. Attritum patrimonium. *Id. Galb.* 3. facultates. *Tac.* 2. *Hist.* 56. Attritæ Italiæ res. *Id.* 3. *ibid.* 50. Attrita regio bello. *Sil. It.* 6. 301. Africa attrita opes. *Id.* 12. 83 Sic ductor fessas luxu attritasque secundis Erigere et verbis tentabat sistere mentes. *h. e.* animos abjectos

et imminutæ virtutis. *Petron. Satyr.* 116. Attritæ bellis frequentibus opes. *Id. ibid.* 133. Attritis rebus egenus. — b) Speciatim de oratione. *Tac. Dial.* de *orat.* 8. Calvus orator exanguis et attritus. *Cic. Brut.* 82. 283. dixit *attenuatus*.

Attrita, orum, absolute. *V.* sup. *Attritus* sub *A.* 2. *b.*

ATTERRĀNEUS *vel* adterraneus, a, um, adject. (ad *et* terra). *Atterranea fulmina* dicuntur a *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 49., quæ in incluso fiunt. Quo loco miro variant codices. Alii enim habent *artencata*, alii *atercauta*, *attertania*, *attercanta*: quæ verborum monstra sunt. Sunt qui putant legendum esse *attegiana* ab *attegia*: sunt qui *arceranea* ab *arcera*, quæ est genus plaustri undique tectum: sunt denique qui *ateranea* malunt, ab *ater*, scilicet a nigro colore. At prius *atterranea* præstat, nam e terra interdum fulmina exilire constat, ut probavit *Scip. Maffejus* in opere, cui titulus: *Della formazione dei fulmini, Verona* 1747. 4.°

ATTERTIĀRĪUS *vel* adtertiarius, a, um, adject. (ad *et* tertius). *V.* EPITRITUS.

ATTERTIĀTUS *vel* adtertiatus, a, um, partic. ab inus. *attertio, as. Plin. Valer.* 1. 20. Lixivium attertiatum. *h. e.* ad tertias usque decoctum.

ATTESTĀTĬO *vel* adtestatio, ōnis, f. 3. actus attestandi, testimonium. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 9. Sed describi hoc nostra attestatione non debuit, cujus situs nobis incognitus perseverat. *Trebell.* xxx. *Tyrann.* 30. *de Zenobia.* Hac se attestatione defendit. Adde *Cod. Theod.* 6. 27. 4., et alibi; et *Theod. Priscian.* 3. 16.

ATTESTĀTOR *vel* adtestator, ōris, m. 3. qui attestatur. *Plin.* 6. *Ep.* 17. Quis uno te reverentior hujus operis, quis benignior attestator? *Ita legitur in quibusdam antiq. codicibus teste* Grutero: *sed plerique alii habent* æstimator, *quod præstat.*

ATTESTĀTUS *vel* adtestatus, a, um. *V.* voc. seq.

ATTESTOR *vel* adtestor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ad *et* testor). Part. *Attestans* et *Attestatus.* — Attestor est testimonium do, testimonio sum, testimonio comprobo (It. *attestare, fare testimonianza*; Fr. *attester, prouver*; Hisp. *atestar, testificar*; Germ. *dazu bezeugen, bescheinigen*; Angl. *to bear witness, to attest*). Occurrit raro. *Phædr.* 1. 10. 3. Hoc attestatur brevis Æsopi fabula. *Plin. præfat. Hist. nat.* § 10. Scipio hoc attestabatur, vel inimico judici se probari posse. *Gell.* 4. 12. M. Cato id sæpe numero attestatus est. *Capell.* 6. p. 199. Attestante Artemidoro assertionibus meis. *Attestata fulgura* vel *fulmina* dicuntur, quæ prioribus consentiunt, hoc est quæ iterato fiunt et significationem priorum attestantur et comprobant. *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 49.; et *Paul. Diac.* p. 12. 5. *Müll.* Haud aliter videtur hanc vocem usurpare *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Catalepticis autem pulsus major, sed plenus atque celer et vehemens invenitur, palpebrarum attestante distantia. *h. e.* quasi teste adstante. *Id. ibid.* 3. Exprimere etiam quæ loquitur non valeat (*æger*) nullo corporis attestante defectu: manus impatienter extendat, attestante tremore atque membrorum saltu. *Id.* 2. *Tard.* 13. Ac si etiam intra diatriti tempus fuerit attestata partium gravedo, vel dolor etc. *h. e.* apparuerit, adfuerit. — *NB.* Apud *Cic. Mil.* 25. *in fin.* Te, Magne, tamen attestaretur (*h. e.* in testem vocaret); et apud *Paul. Recept. Sentent.* l. 2. *tit.* 27. Attestando vicinos. *alii rectius leg.* antestari. — Item plerique cum *Orellio* aliter leg. apud *Cic. Sull.* 29. 82. Attestante memoria omnium, neminem esse etc. — Significatione passiva *attestatus* est testimonio comprobatus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (121). Reddatur et corvis sua gratia, indignatione quoque populi Romani attestata, non solum conscientia. *Ita habetur in multis edition., etiam princip. a.* 1470. *et* 1472. *Sed antiquior a.* 1469. *habet* testata, *atque* ita etiam edidit *Harduin.* et nuperrime *Sillig.*

ATTEXO *vel* adtexo, texis, texŭi, textum, texere, a. 3. (ad *et* texo). Part. *Attextus* I. et II. — Attexo est idem fere quod texo, vel texendo addo (It. *tessere insieme*; Fr. *tisser contre, garnir d'un tissu*; Hisp. *texer junto*; Germ. *anflechten oder weben*; Angl. *to weave, add by weaving*).

I.) Proprie. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. Turres contabulantur, pinnæ loricæque ex cratibus attexuntur. *Apul.* 11. *Met.* 8. Alius – attextis capite crinibus – feminam mentiebatur.

II.) Translate est arcte addere atque conjungere. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. Ita barbarorum agris quasi attexta quædam videtur ora esse Græciæ. *Id. Tim.* 11. *in fin.* Vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. *Varro* 2. *R. R.* 5. 2. Nos interea secundum actum de majoribus attexamus. *Apul.* 5. *Met.* 6. Exordio sermonis hujus quam concolores fallacias attexamus.

ATTHIS, idis, f. 3. adject. Ἀτθίς, Atticam, seu Atheniensem significat: *V.* ONOM. — Hinc substantive per metonymiam ¶ 1. Est luscinia avis, in quam Philomela Pandionis Atheniensium regis filia versa est. *Martial.* 1. 54. 9. Sic ubi multisona fervet sacer atthide lucus. ¶ 2. Item hirundo, quia in hirundinem mutata dicitur Progne soror Philomelæ. *Martial.* 5. 67. Hibernos peterent solito cum more recessus Atthides, in nidis una remansit avis.

ATTĬCĒ, es, f. 1. adject. Ἀττική, genus est ochræ, seu silis, ceterorum generum laudatissimi, quod in argentifodinis Atticæ regionis olim inveniebatur. *Cels.* 5. 18. *n.* 19. Miscetur ochra, quæ Attice nominatur, cum duabus partibus similæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 66. (179). *ochram Atticam* dixit, et 33. *ibid.* 12. 56. (158). *sil Atticum.*

ATTĬCĒ, adverb. Atticorum more; sed de oratorum genere tantum occurrit. *V.* ATTICUS. *Cic. Brut.* 84. 290. Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed ut omnes qui bene, iidem etiam Attice dicant. Adde *eumd. Opt. gen. or.* 3. 8. et 4. 11.; et *Quintil.* 12. 10. 22. *Id. Quintil.* 8. 1. 2. Attice loqui. *Id.* 12. 10. 18. Attice pressus orator.

ATTĬCISMUS, i, m. 2. Ἀττικισμός, proprietas et elegantia Attici sermonis. *Quintil.* 6. 3. 107. Qualis apud Græcos Atticismus ille redolens Athenarum proprium saporem. *Cic.* 4. *Att.* 17. Græce usurpat. Et fortasse etiam apud *Quintil.* Græce Ἀττικισμός legendum est. Nam optimæ quædam edition. etiam anni 1471. habent *Atticismos* Græca positione: hinc et recentiores hanc vocem Græcis litteris exhibent.

ATTĬCISSO, as, are, n. 1. ἀττικίζω. Scribitur et *atticizo*: *V.* BADIZO. Atticisso est Atticos imitor, atticorum more ago. *Plaut. Men. prol.* 12. Atque adeo hoc argumentum græcissat, tamen non atticissat, verum sicilicissat. *h. e.* non proponitur attica verborum elegantia. *Apul. Florid.* 4. *n.* 18. *ad fin.* Quamvis optime Latine possit (*Persius*), tamen hodie vobis atticissabit. *h. e.* Græce loquetur.

ATTĬCURGĒS, ēs, *gen.* is, adject. Ἀττικουργής, Attico opere seu modo factus: Græca dictio ab ἔργον opus et Ἀττικός *Atticus*. In architectura *atticurges* dicitur illud opus, quod Attica ratione est perfectum. Attici enim, licet Corinthia ædificandi ratione uterentur, habebant tamen aliquid peculiare, quo a Corinthiis differebant. Hinc *Atticas columnas quaternis angulis pari laterum intervallo* Plin. 36. Hist. nat. 23. 56. (179). memorat. *Vitruv.* 3. 3. 2. Altitudo ejus (*columnæ*), si Atticurges erit, ita dividatur etc. *Et mox.* Altitudo, uti Atticurgis. *Id.* 4. 6. 1. Genera thyromatum sunt Doricum, Jonicum, Atticurges. *Et post.* Atticurges iisdem rationibus perficiuntur.

ATTĬCUS, a, um, adject. Ἀττικός, ad Atticam et ad Athenas pertinens: *V.* ONOM. — Atticæ provinciæ caput erant Athenæ, sedes quondam ac regnum optimarum artium, ac præsertim puri sermonis et eloquentiæ. Hinc genus dicendi Atticum, quod erat medium inter Asiaticum et Laconicum, hoc est neque nimis fusum, neque nimis pressum, sed prudens, acutum, sincerum, solidum, sanum. *Plaut. Pers.* 3. 1. 66. Dabuntur dotis tibi sexcenti logi; atque Attici omnes; nullum Siculum etc. *Alludit ad Græca verba, quæ purgatissima et nitidissima in Attica lingua erant.* *Ter. Eun.* 5. 8. 63. Attica elegantia. *Cic. Brut.* 17. 67. Attica subtilitas; Atticum dicendi genus. *Martial.* 3. 20. Lepore tinctos Attico sales narrat. (Hinc *Id.* 4. 87. Si vis auribus Atticis probari. Et *Cic. Orat.* 9. 27. Atticorum aures teretes et religiosæ. Et *Virg.* in *carm.* apud *Quintil.* 8. 3. 28. Attica febris. *h. e.* frigidus, exsuccus, et insulsus sermo. Et perstringit malum rhetorem, qui Atticus videri volebat, sed frustra. V. *Heynii* adnot. ad *Virg. Catal.* 2.). *Quintil.* 12. 10. 19. Atticus sapor. — Hinc apud Rhetores etiam Romanos divisio inter *Atticum* et *Asiaticum dicendi genus*, quam explicitis verbis memorat *Quintil.* 12. 10. 16. Et *Cic. Opt. gen. or.* 3. 8. Illos potius imitemur, qui incorrupta sanitate sunt, (quod est proprium Atticorum), quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. *Id. Orat.* 26. 90. Quidquid est salsum aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est. *Quintil.* 12. 10. 14. Et antiqua quidem illa divisio inter Asianos et Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur. *Et mox.* Attici limati et emuncti etc. *V.* ibi: et *Cic. Orat.* 7. 23. et 23. 75., *Opt. gen. or.* 3. 7., 2. *Tusc.* 1. 3. et *Brut.* 82. 284., ubi multa cum de stilo seu dicendi genere Attico, tum de Atticis oratoribus.

ATTĬGO *vel* adtigo, tigis, tigere, a. 3. (ad *et antiquo* tago pro tango). In *Turpilio* apud *Non. p.* 75. 30. *Merc.* legimus: *Ne me attiga*; unde nonnulli arbitrati sunt esse et aliam hujus verbi formam, scilicet *attigo, attigare*, 1.; sed *Turpilii* lectio nimis incerta est, tum quia *Nonius ibid.* unam tantummodo formam *attigo, attigere* probat, tum quia illud *attiga* mendum esse potest pro *attigas*. — Ceterum attigo est idem quod attingo (It. *toccare*; Fr. *toucher*; Hisp. *tocar*; Germ. *anrühren, berühren*; Angl. *to touch, lay hands on*). *Plaut. Asin.* 2. 2. 106. Hercle vero tu cavebis ne me attigas: si me tagis, ne hodie malo cum auspicio nomen commutaveris. *Id. Bacch.* 3. 3. 41. Ne attigas puerum ista causa. Adde eumd. *Epid.* 5. 2. 58. et *Truc.* 2. 2. 21. *Id. Most.* 2. 2. 37. Ædes ne attigatis. *Alii leg.* attingite, *sed minus recte, priorem enim lectionem probat ipse Diomed.* 1. *p.* 378. *Putsch.* Adde *Ter. Andr.* 4. 4. 50.; *Pacuvium* apud *Non.* p. 246. 5. *Merc.* et apud *Diomed.* 1. p. 378. *Putsch.*; et *Accium* apud *Non.* p. 75. 32. *Merc.* — *NB.* Nonnulli addunt et locum *Propert.* 1. 17. *in fin.* Si quando vestras labens Amor attigit undas etc. *Sed illud* attigit *est præteritum ab* attingo.

ATTĬGŬUS *vel* adtiguus, a, um, adject. (attingo) contiguus, proximus (It. *contiguo, vicino*; Fr. *contigu, voisin, attenant*; Hisp. *contiguo, vecino*; Germ. *anstossend, angränzend*; Angl. *bordering upon, touching, contiguous*). *Apul.* 4. *Met.* 12. Attigua domus. *Id. ibid.* 28. regiones. *Id.* 6. *ibid.* 12. nemus. Adde *Aggen. Urb. p.* 68. *Paulin. Nolan. in Nat. carm.* 15. 291. Ut facile attiguo posset decerpere ramo Natum sponte cibum.

ATTILLO *vel* adtillo, as, are, a. 1. (ad *et antiquo* tillo, *unde* titillo) idem ac titillo. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* ed. *Mai.* 3. 41. Quæ dicta cum et natura hominis meum quoque animum attillarent.

ATTĬLUS, i, m. 2. piscis est ingens, Padi fluminis proprius, inertiâ pinguescens ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus. Ita *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (44). Hic piscis (*Acipenser huso* L.), quem Veneti vulgo *copese* (*V.* ICHTHYOCOLLA), Padi accolæ *ládano* seu *l'adano* appellant, similis est illi, quem Itali *storione* vocant, sed est rostro acutiore.

ATTĪNÆ *vel* adtinæ, ārum, f. plur. 1. termini agrorum facti ex lapidibus in speciem maceriæ congestis, ut describit *Siculus Flacc. de Condit. agror. p.* 4. *et* 6. *Goes.*; ubi idem *Goes.* et *Rigalt.* in *Glossis* docent, dictas esse ab *attinendo*, quod ii lapides se mutuo suo ipso pondere attineant. Addit *Rigalt.* locum *Palladii* 6. *R. R.* 3. Si lapidosus ager fuerit, per macerias saxorum attinas collectas et purgari poterit et muniri. *Sed editi libri, quos vidimus, habent* saxorum turba collecta.

ATTINCTUS *vel* adtinctus, a, um. *V.* ATTINGUO.

ATTĬNEO *vel* adtineo, tines, tinŭi, tentum, tinere, 2. (ad *et* teneo). Part. *Attentus* sub *A.* 2.; *Attinendus* sub *A.* 3. — Est verbum *A*) activum, et *B*) neutrum.

A) Active. Attineo est teneo, detineo, ad aliquem locum teneo (It. *tenere, trattenere*; Fr. *tenir près, retenir, arrêter*; Hisp. *tener, retener*; Germ. *anhalten, fest – oder aufhalten oder überhaupt halten*; Angl. *to hold, keep, keep hold of, detain*). Illud vero animadvertendum putamus, active hoc verbo numquam usos esse optimos Latinos Scriptores, *Terentium*, *Ciceronem*, *Cæsarem*, etc.; sed idipsum in familiari tantum sermone usuvenisse, a quo cum veteres Poetæ, tum quisque nimius antiquitatis studiosus, ut *Sallustius*, *Tacitus*, *Fronto* mutuati sunt. — Qua diximus significatione occurrit proprie et improprie ¶ 1. Stricto sensu de rebus inanimis. *Plaut. Men.* 5. 1. 29. Ac mihi negabas dudum surripuisse te, nunc eamdem (*pallam*) ante oculos attines, num te pudet? *h. e.* eamdem pallam hic tenes et habes ante meos oculos. *Id. Capt.* 2. 2. 16. Nunc senex est in tonstrina, nunc jam cultros attinet. *h. e.* tonsor cultros ei admovet. *Id. Truc.* 4. 3. 63. Heus solutus

causam dicit: testes vinctos attines. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Inopia rei nummariæ –, quia signatum argentum fisco vel ærario attinebatur. *h. e.* custodiebatur, servabatur. *Id.* 2. *ibid.* 52. Lectos et armatos viros castris attinere. *Id.* 6. *ibid.* 19. aliquem carcere. *Id.* 3. *ibid.* 36. aliquem publicâ custodiâ. *Id.* 6. *ibid.* 23. Attineri in palatio. ¶ 2. Speciatim attinere impedimenti quoque significationem in se continet. *Plaut. Men.* 4. 2. 20. Sicut me hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit, neque quod volui agere quidquam licitum est, ita me attinuit, ita me detinuit. *Sall. Jug.* 116. Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide – simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse. *Id. or. Phil.* 16. Maneas in sententia et retineas arma, te hortor, neu prolatandis seditionibus inquies ipse nos in sollicitudine attineas. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Elatumque ferrum deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 10. *Id.* 6. *ibid.* 27. Attinere aliquem, ne pergat. *Id.* 2. *Hist.* 14. *in fin.* Deletæ omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis. *Id.* 13. *Ann.* 50. Attinere impetum alicujus. *Et ibid.* 53. Ne tamen segnem militem attineret, ille inchoatum aggerem absolvit. *Id.* 15. *ibid.* 24. Attineri religione. *Id.* 1. *ibid.* 50. discordiis. *Id.* 14. *ibid.* 56. Rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiæ studiis attineretur *Apul.* 9. *Met.* 16. Licet forensi negotio officinator noster attentus ferias nobis fecerit. *Id.* 7. *ibid.* 6. Mihi vero per diem laboriosæ machinæ attento furfures apponebat. *Forcellinus* in hisce duobus *Apul.* loc. interpretatur *detentum*, *occupatum*, et ab *attineo* deducit: num rectius ab *attendo* deducendum? ¶ 3. Item speciatim et possessionis significationem complectitur. *Vet. Poeta* apud *Cic. Orat.* 47. 157. Quam cara sintque, post carendo intelligunt, Quamque attinendi magni dominatus sient. *Tac.* 4. *Ann.* 5. Et Thraciam Rhœmetalces – ripamque Danubii legionum duæ in Pannonia, duæ in Mœsia attinent. — Et figurate. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 3. Ita me vadatum amore vinctumque attines. *Id. Mil. glor.* 4. 8. 17. Forma hujus, mores, virtus animum attinuere hic tuum. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 6. Sed me Cæsaris oratio uncis unguibus attinet.

B) Neutrorum more attinere est pertingere, pertinere, pervenire, extendi; et occurrit

I.) Proprie. *Curt.* 6. 2. 13. Qui in Europa sunt (*Scythæ*), a lævo Thraciæ latere ad Borysthenem atque inde ad Tanaim, alium amnem, rectâ plagâ attinent.

II.) Improprie occurrit impersonaliter, in tertia persona tantum singularis et aliquando etiam pluralis numeri, et significat pertinere, e re esse, interesse, opus esse. Usurpatur — *a*) Cum Accus. et præp. *ad*. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Rhodienses superbos esse ajunt. – Sint sane superbi. Quid id ad nos attinet? *Plaut. Bacch.* 2. 2. 52. Negotium hoc ad me attinet. *Id. Men.* 1. 2. 36. Sed quid istæ picturæ ad me attinent? *Id. Pers.* 4. 2. 27. DO. Hæ (*tabellæ*) quid ad me? TO. Immo ad te attinent et tua refert. *Id. Pœn.* 3. 3. 24. Facete dictum, sed quid istuc ad me attinet? *Id. Rud.* 3. 1. 19. Nunc quam ad rem dicam hoc attinere somnium? *Id. Most.* 1. 3. 4. Quid ea messis attinet ad meam lavationem? *Ter. Heaut.* 1. 1. 23. Chreme, tantumne ab re tuast oti tibi, aliena ut cures eaque quæ nihil ad te attinent? *Id. Eun.* 4. 6. 6. Scin tu, turbam hanc propter te esse factam; et adeo ad te attinere hanc omnem rem? *Id. Andr.* 1. 2. 16. Comperiebam, nihil ad Pamphilum quidquam attinere. Adde *eumd. Adelph.* 2. 1. 32. et alibi. *Cic.* 4. *Fin.* 14. 38. Cætera, quæ ad colendam vitam attinebunt. *Lucret.* 3. 864. Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante Qui fuimus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 27. tamquam ad rem attineat quidquam. *Val. Max.* 1. 1. 14. In his, quæ ad custodiam religionis attinent. *Forcellinus* hunc locum legebat sine præpos. — Sæpius eleganter inseritur orationi formula *quod attinet ad*, hoc est quod pertinet ad, ratione habita alicujus rei aut personæ. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 8. Certo enim, quod quidem ad nos duas attinuit, pulcræ pacisque potentes, soror, fuimus. *Ter. Phorm.* 3. 1. 16. Ut ajebat, de ejus consilio sese velle facere, quod ad hanc rem attinet. *Cic.* 5. *Att.* 17. Sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam. *Id.* 1. *Fam.* 2. 4. Quod ad popularem rationem attinet, id videmur consecuti, ut etc. *Id.* 4. *Verr.* 5. 15. Vobis alio loco, ut se tota res habeat, quod ad eam civitatem attinet, demonstrabitur. *Id. Rosc. Am.* 41. 120. Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. *Liv.* 42. 10. Nec quidquam rei publicæ acturos, præterquam quod ad provinciarum administrationem attineret. *Curt.* 10. 1. 34. Quod ad me attinet, ipse hoc bustum antea non videram. — *b*) Absolute occurrit *attinet aliquid* vel *attinet* cum Infinito, et fere cum particula negativa; et significat interest, opus est, e re est. — Attinet aliquid simpliciter. *Cic.* 12. *Att.* 18. Ea re non venit, quia nihil attinuit. *Id.* 1. *Herenn.* 1. 1. Nam illi – ea conquisierunt, quæ nihil attinebant. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 19. 12. *Quintil.* 10. 1. 105. Neque enim attinet. — Attinet cum Infinito verbi neutr. aut pass. *Cic.* 4. *Fin.* 22. 60. Sin autem eos non probabat; quid attinuit cum iis, quibus re concinebat, verbis discrepare? *Liv.* 23. 13. Nec victoribus mitti attinere puto. Cf. *Horat. Epod.* 4. 17. *Curt.* 5. 11. Dici plura non attinet. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 6. Sin protinus usui destinantur (*frumenta*), nihil attinet repoliri. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (83). Non omisisset idem, si attineret meridianam cæli partem signare in cortice. *Quintil.* 2. 15. 37. Omnes persequi neque attinet, neque possum. — Attinet cum Infinito et Accus. ipsius Infiniti, qui a nonnullis accipitur pro accusativo sine præpos. *Cic.* 3. *Herenn.* 11. 20. Quapropter de magnitudine vocis – nihil nos attinet commonere, nisi ut etc. *Id. Quinct.* 19. 60. Neque enim quisquam divinare poterat –, neque quemquam attinebat id recusare.

ATTINGO *vel* adtingo, tingis, tigi, tactum, tingere, a. 3. (ad *et* tango). Est et alia forma minus usitata ATTIGO, de qua *V.* suo loco. — *Paul. Diac.* p. 26. 13. *Müll.* ait *attingē* vel *attingē* pro *attingam* olim dictum esse: ex emendatione vero *Scalig.* et *Lips.* *attingem* pro *attingam*. V. *Müll.* ad h. l. — Part. *Attingens* I. 1. *c.*; *Attactus* I. 2. *c.* — Illud initio statim animadvertendum putamus, hoc verbum usurpatum fuisse cum Accusativo absoluto; raro tamen a Poetis cum Accus. et præpos. *ad* (*V.* sub II. 2.), aut cum Dat. in Inscript. (*V.* sub I. 2. *c.*). Ceterum attingo est idem fere quod tango, contingo (It. *toccare*; Fr. *toucher à*, *toucher*; Hisp. *tocar*; Germ. *anrühren*; Angl. *to touch gently*, *come in contact with*, *reach*, *gain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de iis, quæ physice et simpliciter tanguntur. — *a*) Generatim. *Porcius Licinius* apud *Gell.* 19. 9. Si digito attigero, incendam silvam simul omnem. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. Mento summam aquam attingere. *Lucret.* 4. 625. ubi levia sunt manantis corpora succi, Suaviter attingunt etc. *Cic. Cæcin.* 17. 49. Potestne detrudi quisquam, qui non attingitur? *Id.* 2. *Legg.* 3. 6. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim. *Id.* 2. *Att.* 1. 7. Attingere cælum digito. *Cæs.* 2. *B. G.* 32. Prius quam aries murum attigisset. *Nepos Eumen.* 5. Prioribus pedibus terram attingere. *Liv.* 28. 27. Invitus ea tamquam vulnera attingo. *Propert.* 1. 17. 27. Si quando vestras labens Amor attigit undas. *Nonnulli minus recte illud* attigit *accipiunt pro præsenti ab* attigo. *Sueton. Aug.* 5. Attingere solum nascentem. *Quintil.* 1. 2. 7. Si terram attigerint (*pueri*), e manibus utrimque sustinentium pendent. *Tac.* 6. *Ann.* 50. Manum complexus pulsum venarum attigit (*medicus*). *Seneca Thyest.* 886. Attingere superbo vertice polum. *Gell.* 14. 6. aliquem manu. — *b*) Speciatim ponitur de iis, qui in locum aliquem perveniunt. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. § 24. Ut primum Asiam attigisti. *Cæs.* 4. *B. G.* 23. Ipse horâ diei circiter quartâ cum primis navibus Britanniam attigit. *Nepos Dion.* 5. Post diem tertium, quam Siciliam attigerat. *Catull.* 64. 75. ferox quo ex tempore Theseus Egressus curvis e litoribus Piræi Attigit injusti regis Gortynia regna. *Ovid.* 2. *Met.* 415. Miles erat Phœbes, nec Mænalon attigit ulla Gratior hac Triviæ. *Curt.* 7. 8. 16. Quid nobis tecum est? Numquam terram tuam attigimus. *Tac.* 4. *Ann.* 45. Postquam saltuosos locos attigerat. — Huc referri possunt et illa, quæ de voce occurrunt. *Manil.* 1. 326. ceperat Orpheus Omne, quod attigerat cantu. *Val. Flacc.* 2. 452. vox attigit aures. *alii leg.* accidit. *Claudian. B. Get.* 412. et qua sonus attigit aurem. — *c*) Item speciatim attingere dicuntur, qui sunt alteri conterminí. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 4. Per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret. *Id. Pis.* 16. 38. Macedonia, quæ tantis barbarorum gentibus attingitur. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo terminatur. *Cæs.* 2. *B. G.* 15. Eorum fines Nervii attingebant. *Id.* 1. *ibid.* 1. Attingit etiam (*una pars*) ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum. *Inscript.* apud *Morcell. Op. Epigraph. T.* 2. p. 291. *edit. Patav.*, quæ pertinet ad a. Chr. 119. et est apud *Orell.* 3314. ITEM COLLEGIA QVAE ATTINGVNT EIDEM FORO. ¶ 2. Latiori sensu attingere complectitur etiam significationem lædendi, quocumque modo id fiat. — *a*) Generatim ac præcipue de iis, quæ ad furandum attinguntur. *Ter. Adelph.* 2. 1. 24. SANN. Tetigin tui quidquam? AESCH. Si attigisses, ferres infortunium. *Cic.* 2. *Fam.* 17. 4. De præda mea teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. *Id.* 6. *Att.* 9. 2. Procura – Precianam hereditatem prorsus ille ne attingat. *Nepos Thrasyb.* 2. Nil attigit nisi arma, quorum indigebat. — *b*) De iis, quæ ad esum tanguntur. *Cic. Rosc. Am.* 26. 71. Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur. *Virg.* 5. *Ecl.* 26. nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam. *Tac.* 4. *Ann.* 54. Atque illa – nullos attingere cibos. — *c*) De adversis, quæ accidunt. *Plaut. Cas.* 5. 2. 30. Nisi quidquid erat calamitas profecto attigerat numquam. *h. e.* grando numquam icerat. *Inscript.* apud *Marin. Fratr. Arv.* 43., quæ est apud *Orell.* 961. QVOD .... ICTV FVLMINIS ARBORES ATTACTAE ARDVERINT. *Festus* p. 333. *Müll.* Sacellum attactum fulmine. *Id.* p. 193. 5. *Müll.* Obstitum Cloatius et Ælius Stilo esse ajunt violatum attactumque de cælo. *Sil. It.* 11. 147. Stare inter prœlia nullis Attactum telis. — *d*) De iis, qui aliorum corpora pulsant, ut ait *Quintil.* 8. 4. 1. Contraque eum, qui pulsavit, attigisse – (*per minuendi speciem*) dicimus. *Ter. Phorm.* 2. 3. 91. Si tu illam attigeris secus quam dignum est liberam. *Id. Eun.* 4. 6. 2. Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur. *Cic.* 5. *Tusc.* 19. 55. Lælius, si digito quem attigisset, pœnas dedisset. — *e*) Item generatim pro lædere ponitur. *Sall. Jug.* 101. Sulla, quem primum hostes attigerant. *Liv.* 8. 29. Quos (*populos*), si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes. — *f*) Denique attingere, si sermo est de mulieribus, est rem cum ipsis habere. *Ter. Hec.* 1. 2. 61. Nocte illâ primâ virginem non attigit. Adde *eumd. Phorm.* 5. 9. 29.; *Catull.* 67. 20.; et *Tibull.* 1. 6. 53.

II.) Translate. ¶ 1. Attingere dicuntur ea, quæ ad nos simpliciter perveniendo et accedendo, nos ipsos quodammodo tangunt atque afficiunt. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 19. Egon ut, quod ab illo me attigisset nuncius, non impetratum id advenienti ei redderem. *Forcellinus* putabat hunc locum pertinere ad dicendi seu commemorandi significationem (*V.* infra sub 3. *b.*); hæc tamen addebat: nisi malis sic exponere: nuncius ab illo veniens ad me pervenisset ac nunciasset. Simili ratione *Id. ibid.* 3. 5. 3. Si a me tetigit nuncius etc. *Lambinus* tamen legit *attulisset*. *Id. Merc.* 1. 1. 20. Hæc – quemquam attigit, magno atque solido mactat infortunio. *Cic.* 3. *Fam.* 10. 10. Quo studio providit, ne quæ me illius temporis invidia attingeret. Cf. *Liv.* 27. 11. Erant perpauci, quos ea infamia attingeret. *Cic.* 3. *Fin.* 5. 16. Id ita esse sic probant, quod antequam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 9. 22. Laboremne fugiebat? at iste nec attingit deum, nec erat ullus. *Id.* 1. *Tusc.* 33. 91. In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? alteri nulli sunt, alteros non attinget. Cf. *Apul. de Mag.* 100. Ne si quid eam humanitus attigisset. *h. e.* si mortua fuisset: quod *Cic.* dixit: *Si quid mihi humanitus accidisset*. V. ACCIDO II. *B.* 3. *b.* *Cic.* 9. *Att.* 11. A. § 2. Si qua de Pompejo nostro tuendo – cura te attingit. *h. e.* afficit. *Lucret.* 3. 935. Nec desiderium nostri nos attigit ullum. ¶ 2. Sumitur etiam pro assequi, attinere, pertinere, conjunctionem aliquam cum alio habere. *Plaut. Merc.* 1. 1. 32. Quæ nihil attingunt ad rem, nec sunt usui. *Cic.* 2. *Legg.* 1. 3. Nimirum me alia quoque causa delectat, quæ te non attingit. *Id.* 1. *Off.* 6. 18. Primus ille (*locus*), qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. *Id.* 2. *ibid.* 20. 72. Partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim singulos ut attingant. *Id.* 2. *Orat.* 39. 163. Ab eo, quod rem attingit, plures sunt argumentorum sedes. *Id.* 5. *Fin.* 9. 24. Cum animal –, quatenus quidquid se attingat ad seque pertineat, perspicere cœpit. *Id.* 2. *Legg.* 5. 13. Multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in

populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam si etc. *h. e.* quæ populi scita non magis legis nomine appellari possunt et inter leges adnumerari, quam etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 25. 64. Attingere aliquid suspicione. *h. e.* suspicione assequi, conjicere. Cf. *Plaut. Truc.* 4. 4. 11. Ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit! *Idem eodem sensu alibi dixit* acu rem tangere: *V.* ACUS. *Forcellinus* h. l. ad proxime infer. paragr. retulit sub *b. Colum.* 1. *R. R.* 8. 3. Attingere senectutem. *h. e.* senescere. *Propert.* 1. 19. 9. Attingere gaudia. *h. e.* frui. *Sil. It.* 8. 293. Sed genus admotum superis summumque per altos Attingebat avos cælum. *Cic.* 7. *Verr.* 32. 83. Segestana et Centuripina civitas, quæ cum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt. *Id.* 4. *ibid.* 10. 27. Attingere aliquem cognatione, affinitate, necessitudine aliquâ. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. § 6. Summa necessitudine attingere aliquem. Adde *eumd.* 13. *Fam.* 7. 4. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Attingere aliquem sanguine. ¶ 3. Item est aliquid aggredi in eoque suas facultates expromere et experiri. Hinc — *a*) Generatim est alicui rei operam dare, in eam incumbere, eam tentare. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. § 17. Quæ res ad officium imperii tui – pertinebant, de iis rebus ne quid attingat (*servus*). *h. e.* ab iis rebus servus omnino amoveatur. *Id. Cæl.* 12. 28. Attingere aliquod genus vitæ extremis digitis. *Id.* 1. *Orat.* 19. 87. philosophiæ studia ne primoribus quidem labris. *Id. ibid.* 18. 82. Egomet, qui sero ac leviter Græcas litteras attigissem. *Id.* 2. *Orat.* 1. 1. Lucium Crassum non plus attigisse doctrinæ, quam quantum prima illa institutione potuisset. *Id.* 2. *Att.* 1. 1. Strictim attingere aliquem librum. *Id. Sest.* 31. 68. aliquam partem sceleris Clodiani. *Id. Orat.* 13. 41. et *Arch.* 8. 17. Attingere orationes. *Id.* 2. *Att.* 22. 3. rempublicam. *h. e.* reipublicæ administrandæ se dare. *Id.* 5. *Fam.* 8. 3. et *Mur.* 9. 21. forum. *h. e.* in forum ad agendum accedere. *Id.* 2. *leg. Agr.* 12. 30. rem militarem. *Id.* 9. *Att.* 11. A. § 2. non ullam partem belli. *Nepos Att.* 18. Attigit quoque poeticen. *Liv.* 3. 10. Latinos, ne pro se quidem ipsis – attingere arma passi sumus. *Sall. Jug.* 47. Statuit non prius bellum attingere. *Ovid.* 2. *Art. am.* 701. Attingere Venerem seram. *Sueton. Ner.* 52. Liberales disciplinas omnes fere puer attigit. *Id. Aug.* 85. Poeticam summatim attingere. *Id. de illustr. Gramm.* 9. studia non leviter. *Id. Cal.* 43. militiam resque bellicas. *Id. Tib.* 13. aliquam partem curamve reipubl. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 17. Attingere volumina. *Id. ibid.* § 22. Plerique ex iis, quos attigi. *h. e.* ex iis scriptoribus, a quibus delibavi, quæ in meam historiam conferrem. — *b*) Speciatim dicitur de iis, qui dicendo aut scribendo de aliqua re agunt, et significat breviter commemorare, paucis tractare. *Cic. Rosc. Am.* 28. 59. Quem (*Chrysogonum*) simul atque attigi, statim homo se erexit. *Id.* 2. *Orat.* 49. 201. Aliquid breviter perstringere atque attingere. *Id. Arch.* 11. 28. Res gestas versibus attingere atque inchoare. *Id.* 2. *Fam.* 4. Scriberem plura, nisi etc.; et hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed etc. *Nepos Pelop.* 1. Quod vereor, si res explicare incipiam, ne – historiam videar scribere; si tantummodo summas attigero, ne etc. *Sall. Jug.* 17. Res postulare videtur, – eas gentes, quibuscum nobis bellum aut – amicitia fuit, attingere. *Liv.* 28. 27. Invitus ea, tamquam vulnera, attingo: sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. *Lucret.* 3. 262.; *Quintil.* 10. 1. 44., et *Pacat. Paneg. Theodos.* 8. Attingere aliquid summatim. *Catull.* 39. 13. aut Transpadanos, ut meos quoque attingam. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (55). Attingere aliquid breviter atque capitulatim. *Sueton. Galb.* 3. Aliquid breviter. *Quintil.* 7. 3. 92. Aliquid leviter in transitu. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Ut seditionem attigit. *h. e.* ut de seditione verba facere cœpit. *Gell.* 14. 1. Attingere aliquid oratione.

ATTINGUO *vel* adtinguo *vel* adtingo, tinguis, tinxi, tinctum, tinguere, a. 3. (ad *et* tinguo *vel* tingo). Occurrit tantum Part. præter. pass. *attinctus*, hoc est intinctus, madefactus. *Veget.* 1. *Veter.* 11. 7. Post hæc melle, butyro, axungia, salibus et picula, affis pro æqua omnium portione confectis, succo ptisanæ ac passo involutis attinctum animal replebis.

ATTĪTŬLO *vel* adtitulo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* titulus) titulum addo. *Gennad. de vir. illustr.* 13. Prudentius composuit et libellos, quos Græca appellatione attitulavit ἀποθέωσιν, ψυχομαχίαν, ἁμαρτιγένειαν, id est de divinitate, de compugnantia animæ, de origine peccatorum. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 40. Theophronius quidam Cappadox fecit libros, quos de exercitio mentis attitulavit. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 11.

ATTOLLENTĬA *vel* adtollentia, æ, f. 1. (attollo) superbia. *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 82. Ut quamdiu concorditer et sine attollentia (*Romani*) se haberent, crescerent et starent; quando vero discordare et superbire cœpissent, omnino caderent.

ATTŎLĔRO *vel* adtolero, as, are, a. 1. (ad *et* tolero) sustineo, sustollo. *Apul.* 2. *Met.* 4. Atria pulcherrima, columnis quadrifariam per singulos angulos stantibus, attolerabant statuas palmaris deæ. *h. e.* Victoriæ. *Alii minus recte leg.* attollebant. *Hildebr. min.* attollerabant.

ATTOLLO *vel* adtollo, tollis, tollere, a. 3. (ad *et* tollo). Præteritum *attuli* et Supinum *allatum V.* in AFFERO. *Attollo* autem mutuatur *sustuli* a *sustollo.* — Part. *Attollens* I. *a.* et *d.* et II. 2. *a.* — Initio statim animadvertendum putamus, optimos ætatis aureæ Scriptores in prosa oratione hanc vocem de industria vitasse, ut plerisque videtur. — Attollo est erigo, sustollo, sursum fero (It. *levare*, *alzare*; Fr. *lever*, *hausser*, *soulever*; Hisp. *alzar*, *elevar*; Germ. *emporheben*, *in die Höhe heben*, *aufheben*, *erheben*; Angl. *to lift or raise up*, *to raise*, *elevate*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Cas.* 4. 4. 1. Sensim super attolle limen pedes, nova nupta. *Id. Cas.* 2. 6. 5. Signa propius attollere. *Ter. Eun.* 4. 6. 31. Attolle pallium. *Liv.* 10. 36. Inter hæc consul, manus ad cælum attollens, – templum Jovi Statori vovet. *Virg.* 4. *G.* 217. Et sæpe (*apes*) attollunt humeris (*regem*). *Horat.* 1. *Ep.* 17. 58. Nec semel irrisus triviis attollere curat Fracto crure planum. *Propert.* 1. 15. 37. Et contra magnum potes hos (*ocellos*) attollere solem? *Ovid.* 7. *Met.* 847. corpusque meo mihi carius ulnis Mollibus attollo. *Id.* 9. *ibid.* 387. Attollere parvum natum. *Cels.* 1. *præfat.* Tum, requirunt etiam quare venæ nostræ modo submittant se, modo attollant. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 12. (27). Columnarum ratio erat, attolli supra ceteros mortales. *Id.* 11. *ibid.* 39. 95. (232). Attollere partus suos. *Quintil.* 11. 3. 174. Pueros attollere, propinquos producere (*in peroratione*). — *b*) Speciatim et sæpius ponitur de corporis membris, quæ sursum movemus. *Ovid.* 5. *Met.* 503. et *Halieut.* 70.; et *Sil. It.* 2. 314. Attollere caput. Et figurate *Liv.* 6. 18. Ut caput attollere Romana plebes posset. *Ovid.* 2. *Met.* 448. Attollere oculos humo. Et figurate *Id.* 6. *ibid.* 605. sed non attollere contra Sustinet hæc oculos. Et *Liv.* 6. 16. Nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant. Cf. *Curt.* 6. 9. 32. Tum dicere jussus Philotas – non attollere oculos, non hiscere audebat. *Ovid.* 4. *Met.* 144. Attollere vultus jacentes. *Id.* 10. *ibid.* 293. timidum ad lumina lumen. *Virg.* 1. *Æn.* 358. ora pallida. *Sil. It.* 1. 508. lumina cælo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 48. (103). cornua e mari. *Quintil.* 11. 3. 78. Attollere aut demittere frontem. Adde *Sil. It.* 3. 105. *Id.* 11. 3. 115. Manus summittere, attollere. *Id.* 11. 3. 125. Attollere pedem. *Sil. It.* 16. 445. mollia crura. — *c*) Eodem sensu occurrit sæpe *attollere* se vel *attolli* mediorum forma. *Liv.* 8. 7. Attollere se a gravi casu. *Virg.* 4. *Æn.* 690. Ter sese attollens cubitoque innixa levavit. *Id.* 10. *ibid.* 856. Attollere se in femur. *Id.* 9. *ibid.* 714. Miscent se maria et nigræ attolluntur arenæ. *Ovid.* 4. *Met.* 721. modo se sublimis in auras Attollit, modo subdit aquis. *Id.* 2. *ibid.* 822. Attollere se recto trunco. *Sil. It.* 15. 352. sese in equos. *Tac.* 5. *Hist.* 6. Periti imperitique nandi perinde attolluntur. Cf. *Id. ibid.* 14. Germanos fluminibus suetos levitas armorum et corporum proceritas attollit. — *d*) Item, præcipue apud Poetas, ponitur de rebus inanimis, quæ altiores fiunt, cujusmodi sunt ædificia, flumina, plantas, loca etc. *Virg.* 2. *Æn.* 185. Hanc tamen immensam Calchas attollere molem Roboribus textis cæloque educere jussit. *Id.* 3. *ibid.* 134. arcem attollere tectis. *Id.* 5. *ibid.* 829. malos attollere. — *Tac.* 6. *Ann.* 37. Euphrates nulla imbrium vi sponte et in immensum attolli. *Id. Agric.* 10. Mare ventis attollitur. — *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 36. (62). Nyctegretum (*herbam*) inter pauca miratus est Democritus – nec a terra se attollentem etc. Adde *eumd.* 24. *ibid.* 10. 49. (82). — *Virg.* 3. *Æn.* 552. attollit se diva Lacinia contra. ubi *Servius*: quia appropinquantibus montes surgere videntur. Cf. *Sil. It.* 15. 214. lux – Sensim attollebat propius subeuntibus arces Urbis. *h. e.* lux in causa erat ut, quo propius urbi accedebant, eo majores ejusdem arces viderentur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (6). E mediis arenis hunc (*Atlantem*) in cælum attolli prodiderunt. *Id. ibid.* 29. 31. (115). Attollitur (*Ephesus*) monte Pione. *Id.* 12. *ibid.* 14. 30. (53). Attolluntur colles alti. *Id.* 4. *ibid.* 6. 10. (22). Regio attollitur in montes LXXVI. *Sillig.* vero leg. *extollitur.* *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (30). Attollitur (*opus*) in altitudinem XXV cubitis. *Tac.* 5. *Hist.* 11. Turres – in LX pedes attollebantur.

II.) Translate. ¶ 1. Attollere est erigendo producere. *Virg.* 2. *Æn.* 381. Serpens attollens iras. *h. e.* quia et corpus attollit dum irascitur. Similiter *Colum.* 8. *R. R.* 2. 1. *de serpente.* Attollere minas. *Quintil.* 11. 3. 65. Attollere vocem. Adde *eumd.* 1. 81., ubi etiam *summittere* opponitur. *Id.* 10. 5. 4. orationem. ¶ 2. Item est magnum altumque facere. — *a*) Generatim. *Virg.* 12. *Æn.* 4. Attollere animos. *Plin. Paneg.* 44. Rectos ac vividos animos non contundere ac deprimere, sed fovere et attollere. Adde *Sil. It.* 1. 105. *Auct. declam. in Cic.* 2. Attollere alicui animos. *h. e.* animum superbia replere. *Liv.* 22. 26. Attollere animos ad spem consulatus. *Id.* 21. 58. Se ex aliqua strage attollere et levare. *Quintil.* 1. 2. 18. Attollere mentem. *Propert.* 4. 6. 51. Frangit et attollit vires in milite causa. *Plin. Paneg.* 14. Attollere campum alacritate, discursu, pulvere. *Tac.* 1. *Hist.* 52. rempubl. bello armisque. *Id.* 3. *Ann.* 72. aliquem insignibus triumphi. *Id.* 4. *Hist.* 59. aliquem ordinibus altis et præmiis. *Virg.* 4. *Æn.* 49. Punica se quantis attollet gloria rebus! *Sil. It.* 13. 224. se attollere facto. *Id.* 1. 613. facta animosa viros attollunt. *Id.* 13. 301. socios voce attollere. *h. e.* erigere, animum addere. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. Si se corporis fortitudo attollere cœperit. — *b*) Speciatim ponitur de oratione, qua aliquid amplificatur. *Lucan.* 7. 11. Attollique suum lætis ad sidera nomen Vocibus. *Cels.* 5. 26. Histrionis est parvam rem attollere. *Vellej.* 2. 63. Quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur. *Quintil.* 8. 6. 68. Res per similitudinem attollimus, aut per comparationem etc. *Id.* 12. 7. 6. Attollere minores contra dignitatem. *Tac.* 1. *Hist.* 70. famam alicujus rei. *Id.* 3. *ibid.* 37. aliquem adulationibus. *Id.* 15. *Ann.* 33. cuncta in majus. *Id. Agric.* 25. sua facta, suos casus. — *NB. Forcellinus* addebat et sequentia: Pro auferre antiquum est. *Pacuv.* apud *Non.* 4. 35. *edit. vet.* Custodite istum vos, ne eum quis attollat, neve attigat. *Id. ibid.* Pro imperio agendum est: quis vetat, quisve attollat? *Grotius*, ut refert *Vossius*, legendum putat: *Pro imperio agendum est: nequis attollat, veta:* qua ratione multo clarior est sententia. At, juxta recentiores, hæc aliter legenda sunt ac potius referenda ad verbum ABSTOLLO, quod *V.* suo loco.

ATTONDĔO *vel* adtondeo, tondes, tŏtondi *vel* tondi, tonsum, tondere, a. 2. (ad *et* tondeo). In præterito *attotondi* habere potest, quemadmodum *detondeo* et *detondi* facit et *detotondi* teste *Priscian.* 9. p. 868. *Putsch.* Itaque *attotonse* per syncopen pro *attotondisse* legitur in *Catal. Virg. carm.* 8. 9. *de Sabino.* Ubi iste post Sabinus, ante Quinctio Bidente dicit attotonse (*comata colla*) forcipe. *Alii tamen leg.* attondisse. *Scalig.* ex conjectura etiam aliter, sed *attotonse* metrum postulat. — *Attondi* pro *attonderi* dixit *Veget.* 2. *Veter.* 28. 36. — Part. *Attondens*, *Attonsus* et *Attonsurus* I. — Attondeo est idem fere quod tondeo, circum tondeo, rado, reseco, recido (It. *tosare*, *tagliare*; Fr. *tondre*, *raser*; Hisp. *esquilar*; Germ. *anscheeren*, *beschneiden oder bescheeren*; Angl. *to clip*, *shear*, *shave close*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Virg.* 2. *G.* 406. et curvo Saturni dente relictam Persequitur vitem, attondens, fingitque putando. *Id.* 10. *Ecl.* 7. Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ. Adde *eumd.* loco super. cit. *Cels.* 4. 5. Caput attonsum habere. *Scribon. Compos.* 10. Attondere ad cutem. *Veget.* 2. *Veter.* 28. 36. setas. *Lucan.* 6. 84. Arva attonsa. *h. e.* herbis nudata. *Auson. Mos.* 203. Attonsa prata. — *b*) Sæpe est barbam radere, sed figurate tantum occurrit. *Plaut. Capt.* 2. 2. 16. Nunc senex est in tonstrina, nunc jam cultros attinet. – Sed utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio: verum, si frugi est, usque admutilabit probe. *h. e.* circumveniet et per fraudem argentum auferet. Similiter *Id. Bacch.* 5. 1. 9. Is me usque attondit doctis dolis. Item *Id.* jocatur in ambiguo *ibid.* 3. 2.

7. Attonsæ hæ quidem ambæ usque sunt (oves). *Id. Epid.* 2. 3. 5. Quod pol ego metuo, si senex resciverit, ne ulmos parasitos faciat, quæ usque attondeant. *h. e.* ne virgas ulmeas paret, quæ tergum meum, ut parasiti alienas mensas solent, attondeant et concidant.

II.) Translate. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 5. *Tusc.* 17. 49. Consiliis nostris laus est attonsa Laconum. *h. e.* imminuta, aut accisa: quod ex Græco mutuatum est: Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν.

ATTONITE *vel* adtonite, adverb. (attonitus). *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 4. (13). Britannia hodieque eam (*magicen*) attonite celebrat tantis cæremoniis, ut etc. *h. e.* ad stuporem usque superstitiose et defixa.

ATTONITUS *vel* adtonitus, a, um. *V.* ATTONO.

ATTONITUS *vel* adtonitus, us, m. 4. (attono) stupor. *Venant.* 8. *Carm.* 6. 133. Bis duodena senum concursat gloria vatum Attonitu, sensu plaudere, voce, manu. *Nisi forte mendum sit, ibique legendum* Attonito *vel potius* Attoniti.

ATTŎNO *vel* adtono, tŏnas, tŏnui, tŏnitum, tŏnare, a. 1. (ad *et* tono). — Part. *Attonitus* in fine. — Proprie est tonitru quatere aut afflare. *Mæcenas* apud *Senec. Ep.* 19. Ipsa altitudo attonat summa. *h. e.*, ut ipsemet *Seneca ibid.* exponit, attonita habet summa. Allegorice autem illud dicit, magnam fortunam magnis casibus expositam esse et in magno metu versari. — Item est stupidum reddere haud aliter quam qui corpore ac mente rigescit ex casu vicini fulminis, a quo afflatus sit et pæne tactus et sonitu tonitruum stupefactus, ut *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 27. et *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 172. docent. Quo sensu hoc verbum effictum esse videtur juxta Græcum ἐμβροντᾶν; apud Latinos enim tunc tantum occurrit, cum jam Latina lingua græcissabat. *Ovid.* 3. *Met.* 531. Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras Attonuit mentes? *Id. Heroid.* 4. 49. Aut quas semideæ Dryades Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo. — Sæpius occurrit Part. præter. pass.

Attonitus vel *adtonitus, a, um*, quod usurpatur

A) Proprie. *Curt.* 8. 4. 2. Erat prope continuus cæli fragor, et passim cadentium fulminum species visebatur, attonitisque auribus stupens agmen. *Petron. Satyr.* 101. Intremui post hoc fulmen attonitus.

B) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de eo, qui ex quacumque causa stupet et mente percellitur, ut ex morbo, ex metu, ex admiratione alicujus rei, ex subito aliquo casu, etc.: unde *Cels.* 3. 26. Attonitos quoque raro videmus, quorum et corpus et mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo; hunc ἀποπληξίαν Græci appellant. Occurrit — *a*) Addito, quo quis attonitus est — Fere per Ablat. *Liv.* 3. 68. *in fin.* Nisi — hunc belli terrorem, quo nunc vos attoniti estis, transtulero. *Id.* 1. 47. Attonitus novitate ac miraculo. *Id.* 7. 36. nocturno pavore. *Id.* 39. 15. vino, strepitibus clamoribusque nocturnis. *Virg.* 3. *Æn.* 172. Talibus attonitus visis ac voce deorum. *Id.* 5. *ibid.* 659. monstris. *Ovid.* 8. *Met.* 682. Attoniti novitate pavent. *Id.* 7. *ibid.* 614. turbine rerum. *Curt.* 5. 10. 13. Sed attonitus mœstitia simul et desperatione tabernaculo se inclusit. *Tac.* 4. *Hist.* 49. Attonitus subito rei miraculo. *Albinov. ad Liv.* 1. 85. Vidimus attonitum fraterna morte Neronem. — Per Genit. Græcorum more. *Sil. It.* 6. 231. omnis anhelat Attonitus serpentis equus. — *b*) Absolute. *Liv.* 10. 29. Ut magna pars integris corporibus attoniti considerent. *Virg.* 5. *Æn.* 529. Attonitis hæsere animis. *Ovid.* 5. *Met.* 510. Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces, Attonitæque diu similis fuit. *Curt.* 8. 2. 3. Vigiles attoniti et stupentibus similes procul stabant. *Seneca Troad.* 442. Mentis attonitæ stupor. *Quintil.* 11. 3. 73. Ut sit in tragœdia attonitus Ajax. *Sueton. Cæs.* 28. Attonitis jam omnibus. — *c*) Tribuitur aliquando et rebus inanimis poetice ac per translationem. *Virg.* 6. *Æn.* 53. Attonitæ magna ora domus. *h. e.* stupendæ et attonitos facientis. Loquitur de antro, ubi Sibylla responsa dabat. *Val. Flacc.* 1. 45. attonitæ mactat solemnia mensæ. *h. e.* convivis ob id attonitis. *Sil. It.* 4. 7. Attonitæ arces. *Martial.* 8. 30. *de Scævola.* attonito regnet in igne manus. ¶ 2. Attoniti etiam sunt, qui numine afflati dicuntur, quales sunt vates, Bacchæ et hujusmodi. *Virg.* 7. *Æn.* 580. Attonitæ Baccho matres. Cf. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 116. primi cui jus venerabile thyrsi Bacchus et attonitæ tribuit vexilla catervæ. *Horat.* 3. *Od.* 19. 13. Qui Musas amat impares, Ternos ter cyathos attonitus petet Vates. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 1. 8. (28). Contra attonitas quorumdam persuasiones, qui prodesse nisi pretiosa, non putant. *h. e.* persuasiones eorum, qui res pretiosas, velut attoniti admirantes, eas solum prodesse putant, ut *Forcellinus* interpretatus est: aut, juxta recentiores, persuasiones religioso quasi stupore in animis infixæ. *V.* ATTONITE. ¶ 3. Hinc interdum accipitur pro furenti, turbato, incitato. *Petron. Satyr.* 82. Attonito vultu efferatoque nil aliud, quam cædem et sanguinem cogito. *Albinov. ad Liv.* 1. 317. Quo raperis laniata comas, similisque furenti Quo ruis? attonita quid petis ora manu?

ATTONSUS *vel* adtonsus, a, um. *V.* ATTONDEO.

ATTORQUEO *vel* adtorqueo, torques, torquere, a. 2. (ad *et* torqueo) idem fere quod torqueo. Occurrit Part. præs. tantummodo apud *Virg.* 9. *Æn.* 52. En, ait, et jaculum adtorquens emittit in auras. *Alii minus recte leg.* abtorquens.

ATTORREO *vel* adtorreo, torres, torrere, a. 2. (ad *et* torreo) idem fere quod torreo, asso. *Apic.* 4. 2. Attorrere nuces. *Id.* 7. 5. Attorrere aliquid in clibano.

ATTRACTĬO *vel* adtractio, ōnis, f. 3. (attraho) contractio.

I.) Proprie. *Pallad.* 5. *R. R.* 4. 3. Recenter lecta poma si guttis vini veteris perfundas, efficitur, ne ea rugarum deformet attractio. *h. e.* rugarum se invicem crispantium contractio.

II.) Translate. *Varro* 5. *L. L.* 6. p. 3. *Müll.* Litterarum attractio. *h. e.* assimilatio, quâ scilicet altera littera alteram ad se quodammodo attrahit. — *NB.* De loco *Quintil.* 1. 4. 20. *V.* ATTRECTATIO.

ATTRACTĪVUS *vel* adtractivus, a, um, adject. qui attrahendi vim habet. *Cassiod.* 10. *Variar.* 29. *a med.* Exteriora attractativâ virtute libera fiunt. Adde *eumd. de anim.* 6.

ATTRACTŌRIUS *vel* adtractorius, a, um, adject. attrahendi vim habens. *Æmil. Macer* 4. 19. *de sulphure.* Virtus est ejus, ut dicunt, extenuatrix, Et diaphoretica, simul attractoria, calda.

ATTRACTUS *vel* adtractus, a, um. *V.* ATTRAHO.

ATTRACTUS *vel* adtractus, us, m. 4. actus attrahendi. Occurrit Ablativus tantummodo. *Sammon.* 50. 931. cimex Horridus attractu, sed gustu commodus apto. *Alii rectius leg.* attactu cum Humelbergio. *Dictys Cret.* 5. 11. Ima rotis suspenderat, scilicet quo attractu motus facilius foret.

ATTRĂHO *vel* adtraho, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (ad *et* traho). Part. *Attrahens* I. *b.*; *Attractus* I. *b.* et in fin. — Attraho est ad me traho, adduco (It. *tirare a sè, attrarre*; Fr. *tirer à soi, attirer*; Hisp. *tirar, atraer, traer hacia sí*; Germ. *anziehen, an sich ziehen*; Angl. *to draw, draw towards, attract*).

I.) Proprie ponitur — *a*) De personis. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 61. Adducitur a Veneriis atque adeo attrahitur Lollius. *Liv.* 29. 9. *ad fin.* Pleminius impotens iræ — tribunos attrahi ad se jussit. *Ovid.* 3. *Met.* 563. Ite, ducemque Attrahite huc vinctum. *Martial.* 6. 66. 6. Attraxit prope se manu negantem (*puellam*). *Apul.* 9. *Met.* 8. Complicitis pedibus in superius cœnaculum attractus. — *b*) De rebus. *Virg.* 3. *G.* 505. attractus ab alto spiritus gemitu gravis. *Ovid. Remed. am.* 397. Attrahere lora. *Et ibid.* 435. arcus contentius. *Cels.* 6. 8. Spiritu succum (*per nares*) attrahere. *Id.* 7. 29. Uncus fronti injicitur, deinde attractus infantem educit. *Seneca* 3. *de Ira* 38. *in fin.* Catoni cum in frontem mediam, quantum poterat attracta pingui saliva, inspuisset Lentulus. *Id.* 6. *Benef.* 7. Vultus tuus colligit rugas et attrahit frontem. *V. Attractus* in fin. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. (188). Animam attrahere ac reddere. *h. e.* respirare, scilicet inspirare et expirare. *Id.* 36. *ibid.* 16. 25. (120). Lapis magnes attrahens ferrum.

II.) Translate est adducere, advocare, ut ait *Cic. Amic.* 14. 50. Nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo. — *a*) De personis. *Cic.* 7. *Fam.* 10. 4. Nihil nobis duobus est stultius me, qui te non Romam attraham; te, qui non huc advoles. *Id.* 10. *Att.* 1. 3. Te ipsum me putare attractum iri, si de pace agatur. *Id.* 4. *Verr.* 1. 1. Recepi enim causam Siciliæ: ea me ad hoc negotium provincia attraxit. *Virg.* 11. *Æn.* 250. Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos. *Ovid.* 14. *Met.* 63. Sed quos fugit, attrahit una. *Id.* 5. *ibid.* 93. Aliquem in partes attrahere. *Id.* 3. *Fast.* 830. novos discipulos. — *b*) De rebus. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 17. 4. Id ipsum, quod verearis, ultro arcessere et attrahere (*malum*). *Val. Max.* 7. 2. *ext.* 10. Attrahere benevolentiam alicujus largitione ad se. *Seneca* 4. *Controv.* 25. convivium in forum, an forum in convivium. — Hinc Part. præter. pass.

Attractus, a, um, est etiam adject., unde Comp. *Attractior* apud *Senec.* 4. *Benef.* 31. Cum Pollionis attractiorem vidisset frontem.

ATTRECTĀTĬO *vel* adtrectatio, ōnis, f. 3. actus attrectandi, contrectatio, palpatio (It. *il toccare, palpare, maneggiare*; Fr. *attouchement, maniement*; Hisp. *tocamiento, manoseo*; Germ. *die Antastung oder Berührung*; Angl. *a touching, feeling, handling*).

I.) Proprie. *Gell.* 11. 18. Furtum sine ulla quoque attrectatione fieri posse, sola mente atque animo, ut furtum fiat, annitente. *Pallad.* 4. *R. R.* 12. 1. *de bobus domandis.* Cum teneri fuerint, frequenti manus attrectatione mansuescant. *Lamprid. Elagab.* 12. Exoletorum attrectatione et tactu præcipue gaudebat. *Apul. de deo Socrat.* Dii nulla attrectatione nostra contaminantur. — Addunt quidam et locum *M. Senec.* 4. *Controv.* 25. *a med.*, ubi alii *tractationem* legunt, alii *tractionem*.

II.) Translate in re grammatica attrectatio est vocabuli forma, quâ multa simul contracta et congregata significantur (unde alii in loco *Quintil.* infra allato legunt *attractionem*); vel, ut alii putant, attrectatio est vocabuli forma, quâ utimur, cum singulas res aut manu aut mente quasi apprehendimus et contrectamus. *Quintil.* 1. 4. 20. Adjiciebant (*Grammatici quidam*) et asseverationem, ut *heu*, et attrectationem, ut *fasceatim*: quæ mihi non approbantur. *Fasceatim* significat per multos fasces, ut est apud *Charis.* 2. p. 166. *Putsch.*; vel, ut alii putant, per multas fascias, legunt enim *fasciatim*. V. *Spalding* ad h. l.

ATTRECTĀTUS *vel* adtrectatus, a, um. *V.* ATTRECTO.

ATTRECTĀTUS *vel* adtrectatus, us, m. 4. attrectatio. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 50. jam jam mittite: nam attrectatu et quassu sævum amplificatis dolorem.

ATTRECTO *vel* adtrecto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* tracto). In multis Codicibus *Liv.* 5. 22. et *Virg.* 2. *Æn.* 719. teste *Pierio* legitur et *attractare* et *adtractare* V. *Wagner. Orthogr. Virg.* p. 381. — Part. *Attrectans* et *Attrectatus* I. — Attrecto est manibus tracto, tango, contrecto (It. *toccare, maneggiare, palpare*; Fr. *toucher, manier*; Hisp. *tocar, manosear, tentar*; Germ. *antastend berühren, antasten*; Angl. *to touch, touch gently, feel, handle*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim, sed figurate *Cic. Planc.* 12. 29. Facilis est illa occursatio et blanditia popularis; aspicitur, non attrectatur, procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur. *M. Aurel.* apud *Fronton. ad M. Cæs.* 1. 1. Neque me fortuna sinit ipsum pedem, quantum sine incommodo fieri posset, attrectare sensim. *h. e.* pedem arthritide ægrotantem leniter contrectare. — *b*) Sæpe de iis, quæ indecore tanguntur. *Plaut. Rud.* 2. 4. 6. Sed quid ais, mea lepida, hilara. AM. Aha, nimium familiariter me attrectas. *Cic. Cæl.* 8. 20. Fore qui dicerent, uxores suas a cœna redeuntes attrectatas esse a Cælio. Cf. *Sueton. Ner.* 26. *Cic. Harusp. resp.* 13. 26. Contaminatis manibus attrectare libros. *Liv.* 5. 22. Quod id signum — attrectare non esset solitus. *Virg.* 2. *Æn.* 718. Me — attrectare nefas (*sacra patriosque penates*), donec me flumine vivo Abluero. *Curt.* 10. 10. 13. Ut jus fasque esset mortalibus attrectare eum. *Tac.* 1. *Ann.* 62. Attrectare feralia. *Apul. de Mundo.* Indecore attrectans cominus cuncta. — *c*) Item de iis quæ furandi aut rapiendi causa tanguntur. *Sabinus JCtus* apud *Gell.* 11. 18. Qui alienam rem attrectavit, cum id se invito domino facere judicare deberet, furti tenetur. *Gell. ibid.* Res furti faciendi causa attrectata. — Hinc et absolute. *Liv.* 31. 4. Attrectare regias gazas. *Id.* 28. 24. insignia summi imperii, fasces securesque. *Flor.* 3. 5. 3. Causam belli prætenderat, attrectari terminos suos a Nicomede Bithynico. *h. e.* violari, invadi. *Tac.* 3. *Ann.* 52. Indecorum, attrectare aliquid quod non obtineretur. *h. e.* tentare, aggredi. *Forcellinus* hunc *Tac.* locum inter translata retulit.

II. Translate est dicendo attingere. *Nazar. Paneg. Constant.* 3. Attrectare virtutes alicujus. Adde *Pacat. Paneg. Theodos.* 47.

ATTRĔMO *vel* adtremo, trĕmis, trĕmere, n. 3. (ad *et* tremo) idem quod tremo, ad alicujus vocem

contremisco. *Stat.* 8. *Theb.* 80. *de Plutone*. Dixerat: atque illi jamdudum regia tristis Attremit oranti, suaque, et quæ desuper urget, Nutabat tellus. *Sidon.* 6. *Ep.* 1. Cum censuræ tuæ attremat etiam turba collegii.

ATTRĔPĬDO *vel* adtrepido, as, are, n. 1. (ad *et* trepido) idem fere quod trepido. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 41. Attrepidate saltem: nam vos approperare haud postulo. *h. e.* senili et trepido gradu, ut potestis, festinate.

ATTRĪBŬLO *vel* adtribulo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ad *et* tribulo) tribulo terere. Occurrit tantum Part. *Attribulatus* apud *Æmil. Macr.* 4. 6. Folliculus bene tritus et attribulatus.

ATTRĬBŬO *vel* adtribuo, tribŭis, tribŭi, tribūtum, tribuere, a. 3. (ad *et* tribuo). Part. *Attributus* et *Attribuendus* I. — Attribuo occurrit in prosa tantum oratione, et est idem fere quod tribuo, do, assigno, ascribo (It. *attribuire, consegnare, assegnare, dare*; Fr. *assigner, allouer, donner, appliquer*; Hisp. *asignar, atribuir*; Germ. *zuertheilen*, *zuweisen*, *zutheilen oder zu ordnen*; Angl. *to attribute, assign, bestow, give, ascribe*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 12. *Att.* 28. Et velim aliquando – Lentulum puerum visas eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas. *Id. ibid.* 30. Pueros attribue ei, quot et quos videbitur. *Id.* 2. *Cat.* 3. 6. Attribuere alicui Apuliam. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 11. Insulæ, quæ erant sub Sulla Rhodiis attributæ. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Gladiatores libertati confirmat, eisque equos attribuit. *Id.* 1. *ibid.* 24. Attribuere servis equos. *Id.* 7. *B. G.* 81. Nostri – ut cuique erat locus attributus, ad munitionem accedunt. *Sall. Jug.* 90. Pecus – equitibus auxiliariis agendum attribuit. *Liv.* 1. 20. Pontificem ex patribus legere, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuere. *Id.* 26. 49. Attribuere curam alicujus rei alicui. *Id.* 24. 21. juventutem præsidio alicujus loci. *Gran. Licinian.* p. 31. ed. *Pertz.* Antiochi Epiphanis regnum senatus filio Antiochi, Antiocho puero, attribuit. *Curt.* 5. 5. 21. Consenserunt petendum esse a rege, ut aliquam ipsis attribueret sedem. *Id.* 8. 8. Attribuere alicui agrum. *Id.* 9. 7. coloniam. *Id.* 10. 1. regnum. *Id.* 6. 2. satrapiam. *Tac.* 2. *Ann.* 25. Cum – loca (*tribunorum*) clientibus suis – attribueret. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (28). Sidera singulis attributa nobis. — *b*) Speciatim *attribui* dicuntur populi aut urbes, quæ proprium forum non habent, sed alteri urbi adjunguntur, ut inde jura petant, eoque accedant ad tributa solvenda et alia subeunda munia publice imposita. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 20. 24. (134). Camuni compluresque similes finitimis attributi municipiis. *Et ibid.* Non sunt adjectæ Cottianæ civitates: item attributæ municipiis lege Pompeja. Adde *Liv.* 1. 43. — *c*) Item speciatim *attribui pecunia* dicebatur, quæ publice alicui numerabatur in usus publicos insumenda: verbi gratia, quæ a quæstoribus assignabatur præsidibus in provincias euntibus, ut ex ea viatici impensas solverent, stipendium darent militibus, aliisque provinciæ usibus inservirent; item ea, quæ dabatur redemptoribus, quibus opus aliquod publicum faciendum locabatur etc. Cf. et ASSIGNO. Occurrit — Cum Dat. personæ. *Cic.* 9. *Phil.* 7. 16. Consules statuam faciendam: quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori solvendam attribuendamque curent. *Id.* 14. *ibid.* 14. 38. Monumentum quam amplissimum faciundum curent: quæstores ad eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere jubeant. Adde *Liv.* 40. 46. *in fin.* *Cic. Pis.* 35. 86. Nonne sestertium centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseras, ex ærario tibi attributum, Romæ in quæstu reliquisti? — Absolute. *Id.* 3. *Verr.* 13. 34. Quæstor ex senatusconsulto provinciam sortitus est: pecunia attributa, numerata est: profectus est quæstor in provinciam: venit in Galliam expectatus ad exercitum consularem cum pecunia. *V. Pseudo-Ascon. ibid.*, et adde *Liv.* 40. 51. V. *Attributum* in fine. — Cum Dat. rei. *Liv.* 39. 44. His rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. *Sueton. Tit.* 8. Bona oppressorum restitutioni afflictarum civitatium attribuere. — Transfertur etiam a rebus publicis ad privatas; et significat dare alicui pecuniam alteri solvendam. *Cic.* 13. *Att.* 2. Faberius si venerit, videbis, ut tantum attribuatur, si modo attribuatur, quantum debetur. — Denique occurrit etiam *attribuere aliquem alicui*, scilicet, assignare alicui debitores suos, qui pecuniam eidem solvant. *Cic.* 13. *Att.* 22. Attributos quod appellas, valde probo. *h. e.* quod exigis a debitoribus meis, quos ego tibi assignavi, ut pecuniam mihi debitam tibi solverent, bene facis. Quidam vet. cod. habent *ad tribunos quod appellas*: quæ lectio non videtur hic locum habere. *Inscript.* in *vet. Tab. æn.* apud *Murat.* 582. *a med.* QVI EAM VIAM TVENDAM REDEMERIT, TANTAE PECVNIAE EVM EOSVE ATTRIBVITO SINE DOLO MALO: SI IS, QVI ATTRIBVTVS ERIT, EAM PECVNIAM .... EI, CVI ATTRIBVTVS ERIT, NON SOLVERIT, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Jungitur cum abstractis et est addere, adjicere. Occurrit — *a*) Cum Accus. et præp. *ad*, et significat insuper addere. *Cic.* 3. *Tusc.* 30. 73. Nunc illud satis est, non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram, ne illos plus quam ipsi velint si sentiant, plus certe quam nosmetipsos, diligamus. *Cicero* hoc in loco hortatur homines, ne amicorum morte plus æquo contristentur. — *b*) Cum Dat. personæ, et significat eidem qualitatem aliquam addere. *Cic. Rosc. Am.* 4. 9. Timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit. *Id. Font.* 6. 12. Attribuere auctoritatem cupido. *Id.* 1. *Invent.* 52. 99. Attribuere alicui legi, loco, urbi, monumento orationem. *h. e.* loquentem inducere. *Catull.* 22. 20. suum cuique errorem. *Quintil.* 12. 10. 40. verbis officium. — Hinc in re Grammatica *attributa alicui rei* sunt, quæ ad ejus rei naturam vel circumstantias aliquo modo pertinent, et *adjuncta* etiam appellantur, quæ scilicet de re aliqua prædicantur. *Cic.* 1. *Invent.* 24. 34. Omnes res argumentando confirmantur aut ex eo quod personis, aut ex eo quod negotiis est attributum. Ac personis has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Et *ibid.* 26. 37. Negotiis autem quæ sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio etc. Huc pertinet illud *Gell.* 4. 1. *in fin.* Massurius Sabinus etiam quod jumentorum causa apparatum esset, quibus dominis uteretur, penori attributum dicit. *h. e.* ad penus pertinere, penoris nomine contineri. ¶ 2. Item est aliquid culpæ aut laudi alicui dare. *Cic. Senect.* 1. 3. Qui (*Cato*) si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in libris suis, attribuito Græcis litteris. *Id.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Attribuere bonos exitus diis immortalibus. *Id.* 7. *Verr.* 41. 105. alicui causam calamitatis. *Id. ibid.* 51. 134. culpam. *Id.* 2. *Att.* 1. 10. quod aliquid – fit alicui. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 3. 14. *Id.* 2. *Fam.* 17. sibi soli, quod est commune cum alio. — Hinc

Attributum, i, n. 2. substantivorum more occurrit pro pecunia ex ærario in reipublicæ usus insumenda alicui data. Hinc *Varro* 5. *L. L.* 181. *p.* 70. *Müll.* docet attributum dictum esse æs, quod erat assignatum tribunis ærariis, ut militi in stipendium daretur.

ATTRĬBŪTĬO *vel* adtributio, ōnis, f. 3. actus attribuendi, assignatio, datio (It. *assegnazione*; Fr. *action d'assigner*; Hisp. *asignacion*; Germ. *die Zuertheilung*; Angl. *an attribute*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim pro cujuslibet rei assignatione. *Apul. de Mundo* 38. Græci Fatum μοῖραν vocant, quod ex partibus constet. Hinc νέμεσιν, quod unicuique attributio sua sit adscripta. *h. e.* suæ sortis cuilibet facta sit assignatio. — *b*) Speciatim adhibetur in re pecuniaria, et significat assignationem pecuniæ, quæ fit alicui, ut alteri inde solvatur, ac præcipue si agatur de publico ærario. *Cic.* 16. *Fam.* 24. 1. De attributione conficies: de repræsentatione videbis. *Id.* 15. *Att.* 13. 5. Scripsit ad me, sese de attributione omnia summa fecisse. *Id.* 16. *ibid.* 1. 6. Ait enim, attributionem in idus (*supple esse dilatam*), se autem urgeri acriter. Adde *ibid.* 3. 5.

II.) Translate occurrit in re Grammatica tantum, et est idem ac prædicatum vel adjunctum, circumstantia, et quidquid rem aliquam vel antecedit, vel comitatur, vel consequitur. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 38. Ex his etiam attributionibus, sacer an profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit an fuerit. *V.* integr. loc. et 2. *ibid.* 13. 42.

ATTRĬBŪTUM *vel* adtributum, i, n. 2. et **ATTRĬBŪTUS** *vel* adtributus, a, um. Part. } *V.* ATTRIBUO.

ATTRĪTĬO *vel* adtritio, ōnis, f. 3. actus atterendi. ¶ 1. Est contritio, in minutas particulas fractio. *Lamprid. Elagab.* 19. Rosatum ab aliis acceptum pinearum etiam attritione odoratius reddidit. *h. e.* pineas etiam in ipso atterens. ¶ 2. Item fricatio. *Capell.* 3. *p.* 50. Lima scabros dentes levi sensim attritione purgare.

ATTRĪTUS *vel* adtritus, a, um. *V.* ATTERO.

ATTRĪTUS *vel* adtritus, us, m. 4. actus atterendi; et occurrit ¶ 1. Abstracte. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (212). Sues indurantes attritu arborum costas. *Id.* 9. *ibid.* 45. 68. (147). Pisces attritu petræ scalpentes pruritum. *Id.* 16. *ibid.* 40. 77. (208). Teritur lignum ligno ignemque concipit attritu. *Id.* 37. *ibid.* 3. 11. (43). Succino pineus in attritu odor. Adde *Senec.* 3. *de Ira* 4. *Nemesian. Cyneg.* 224. Tunc virosa tibi sumes multumque domabis Castorea, attritu silicis lentescere cogens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (162). Attritu subigere cibum. *Forcellinus* hoc in loco attritum accipit pro contritione, in minutas particulas fractione: potest tamen æque accipi priori significatione. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu a Medicis attritus dicitur ea pars corporis, quæ, erosa cute ex pressione aut affrictione, vulneratur; unde *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (105). Ulcera ex attritu facta. *Id.* 28. *ibid.* 16. 62. (222). Urina asini attritus calceamentorum sanat. *Id.* 26. *ibid.* 8. 58. (90). Sedis vitia et attritus celerrime sanat plantago.

ATTŬBERNĀLIS *vel* adtubernalis *vel etiam* attibernalis, is, m. 3. qui in domo lignea habitat, sive habitator tabernæ. *Paul. Diac.* p. 12. 6. *Müll.* Adtibernalis habitator continuæ tabernæ, quod genus domicilii antiquissimum Romanis fuisse testimonio sunt exteræ gentes, quæ adhuc tabulatis habitant ædificiis, unde etiam tecta castrensia, quamvis pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur.

ATTŬBUS. *V.* ATYPUS.

ATTŬLO *vel* adtulo, tŭlis, tŭlere, a. 3. (ad *et* tulo) idem quod affero: antiquum et obsoletum verbum, a quo tantummodo præteritum *attuli* in usu nunc est, de quo *V.* in AFFERO.

I.) Proprie. *Nævius* (al. *Novius*) apud *Diomed.* 1. p. 376. *Putsch.* Dotem ad nos nullam attulat.

II.) Translate. *Pacuvius* apud *eumd. ibid.* p. 378. *Putsch.* Custodite hunc vos, ne quis vim attulat, neve attigat. *Plerique alii, sed minus recte, leg. cum* Nonio p. 246. 3. Merc. ne eum quis attollat.

ATTUNDO *vel* adtundo, tundis, tŭdi, tūsum, tundere, a. 3. (ad *et* tundo) idem fere quod tundo. Occurrit tantum Part. *Attusus* apud *Veget.* 3. *Veter.* 2. 4. *Schneid.* Vitio lumborum medetur hemina seminis brassicæ cum sextario polentæ attusa ex aqua frigida etc.

ATTŪRĀTĬO *vel* adturatio, ōnis, f. 3. (ad *et* tus) turis ustio. *Gloss. Philox.* Atturatio, λιβανωτία, θυσία.

ATTŪSUS *vel* adtusus, a, um. *V.* ATTUNDO.

ATȲPUS, um, adject. ἄτυπος, qui linguæ vitio laborat, ita ut sonos verborum indistinctos confusosque exprimat, propterea quod debilitate ac torpore quodam linguæ non bene feriat palatum, ut articulate proferat, vel quia ejus verba non distincte et expresse serem feriant, ut intelligi clare et unum ab altero seorsum exaudiri possint. Græca vox ab α privativo et τύπτω *ferio, pulso* (It. *balbo, scilinguato*; Fr. *qui n'articule pas distinctement, bègue*; Hisp. *tartamudo, balbuciente*; Germ. *der minderdeutlich oder artikulirt spricht*; Angl. *stuttering, stammering*). *Cælius Sabinus* apud *Gell.* 4. 2. Balbus autem et atypus vitiosi magis, quam morbosi sunt. *Ulp. Dig.* 21. 1. 10. § 5. Quæsitum est, an balbus et blæsus et atypus isque qui tardius loquitur, et varus et vatius sanus sit? et opinor eos sanos esse. — *NB*. Pro *atypus* scribitur *attubus* conversa Græca υ in *u* Latinum, et geminata, quamvis minus recte, consonante, ac *p* in *b* (quæ sunt valde affines litteræ) mutato. Hinc *vet. Gloss.* Attubus μογιλάλος. *Auson.* 22. *Ep.* 9. Canus, comosus, hispidus, trux, attubus. *Artubus* olim in plerisque libris legebatur; sed emendavit *Scaliger.* in *Lection. Auson.* 2. 9. Etiam in locis allatis *Gellii* et *Dig.* aliter atque aliter habetur in quibusdam codicib. Nam et *atraphus* et *atrophus* et *aphthicus* et *alphicus* etc. legitur vel ex librariorum errore, vel ex quorumdam conjectura. Verum *atypus* et verior est et in meliorib. lib. constantior.

AU

AU est

A) Diphthongus Latina, quæ conferri potest cum Græca αυ, unde αὔρα *aura*, θησαυρόν *thesaurus*

etc.; quæque — a) Unum idemque est cum av, quacum sæpe mutatur, ut in caveo et cautum, navita et nauta, auceps pro aviceps et Cauneas pro cave ne eas (V. Cic. 2. Divinat. 40. 84. et litteras U et V in hoc Lexico). Aut — b) Au est pro ab atque in duobus solummodo verbis componendis locum habet, aufero et aufugio: nam abfero et abfugio turpe visum est veteribus, ut Cic. docet Orat. 47. 158., qua de re etiam Quintil. 1. 5. 69. et Gell. 15. 3. verba fecerunt: V. AUTUMO sub init., Cf. Schneider Latein. Gramm. I. 1. p. 364., et V. A, AB, ABS in hoc Lexico in fin. de Compositione. — Ceterum diphthongus au ut celerius efferretur, præcipue in familiari sermone et in vocabulis derivatis ac propterea longioribus, mutata est in ō; sic dicitur Claudius et Clodius, plaustrum et plostrum, caudex et codex aliaque sexcenta, sic caulis et colis, atque inde coliculus. V. Festum p. 182. 14. Müll., et Sueton. Vesp. 22.

B) Au vel hau et ahu est etiam interjectio, quam Priscian. sub fin. lib. 15. enumerat inter eas, quas ipse vocat sonituum illitteratorum imitationes, ut sunt haha, heu, ohe et similia. Variis animi affectibus exprimendis idonea est: sed generatim videtur admirantis ac stupentis propria. Plaut. Cist. 3. 15. Hau, voluisti istuc severum facere? Id. Stich. 1. 3. 104. Hau, nulla tibi lingua est, quæ quidem dicat: Dato. Ter. Eun. 4. 3. 14. Au, obsecro, mea Pythias, quod istuc nam monstrum fuit? — Forcellinus tamen ita distinxerat: — a) Est consternati animi. Ter. Andr. 4. 4. 12. Dicturan'es quod rogo? MY. Au. Id. Eun. 5. 2. 60. Au, tace, obsecro. Adde ibid. 4. 1. 13. Ita autem ubique exponit Donatus, et a Græcis ἰοὺ dici eodem sensu docet. — b) Item abominantis vel avertentis. Id. Phorm. 5. 1. 27. Quid? duasne is uxores habet? SO. Au, obsecro: unam ille quidem hanc solam. Id. ibid. 5. 3. 20. Au, obsecro, vide, ne in cognatam pecces. — c) Item admonentis cum indignatione et increpatione. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 62. Vigila: tibi ego dico: au! feriatus ne sis. Al. aliter. leg. — d) Item appellantis et excitantis. Afranius apud Charis. 2. p. 214. Putsch. Au, mi homo, immo edepol vos supremum meum concelebratis diem. Ceterum V. Hand. Tursell. I. p. 524. et seq. — NB. Quod addunt quidam ex Plaut. Merc. 2. 2. 3. Au tergo meo. leg. al. plerique Væ tergo meo.

AUCELLA et aucilla, æ, f. 1. deminut. duplicatum ab avis, unde avicula et avicella, parva avis. Aucella legitur a quibusdam apud Apic. 4. 5., 5. 3. et 8. 7., ubi alii reponunt avicella; quos reprehendit inter alios Elmenhorstius, qui apud Apul. quoque 9. Met. 33. aucillam defendit ex quibusdam MSS. et ex auctoritate Papiæ et Vet. Glossæ. Etiam Oudendorp. p. 636. edidit aucilla. Pricæus tamen male edidit aucilla p. 200., quem et alii sequuntur. Ut ut se res habeat, neque aucella aut aucilla, neque avicella voces sunt, quas adamare Latinus scriptor debeat et propter eas vadimonium deserere. Certe Varro 8. L. L. 79. Müll. negat avicellam in consuetudine Latina esse.

AUCEO, es, ere, a. 2. attente observo, idem atque aucupo. Capell. 2. p. 46. Zeno aucebat feminam providentem. At Kopp rectius legit ducebat; ideoque verbum auceo a Lexico expungendum est.

AUCEPS, aucŭpis, m. 3. (est pro aviceps ab avis et capio). Vel. Long. Orthogr. p. 2235. Putsch. mallet aucipis dici in Genit. quam aucupis: sed consuetudo contra obtinuit. — Est avium venator (It. uccellatore; Fr. oiseleur; Hisp. pazarero; Germ. der Vogelfanger; Angl. a bird-catcher, fowler).

I.) Proprie. ¶ 1. Est qui aves venatur et capit. Plaut. Trin. 2. 4. 7. Olitores, myropolæ, aucupes. Varro apud Non. p. 25. 9. Merc. Cohortes coquorum atque aucupum. Horat. Art. P. 458. Si veluti merulis intentus decidit auceps In puteum foveamve etc. Ovid. 3. Art. am. 669. Non avis aucupibus monstrat qua parte petatur. Adde eumd. 1. ibid. 47. et Column. 8. R. R. 10. 1. Pacat. Paneg. Theod. 14. Ut taceam, infami sæpe dilectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse convivis. ¶ 2. Item qui aves vendit. Horat. 2. Sat. 3. 227. pomarius, auceps, Unguentarius ac Tusci turba impia vici. h. e. Romæ in vico Tusco prope forum.

II.) Translate dicitur de eo, qui nimis diligenter aliquid quærit et captat. Plaut. Mil. glor. 4. 1. 9. Circumspicito dum, ne quis auceps nostro hic sermoni siet. Cf. eumd. Stich. 1. 2. 45. Cic. 1. Orat. 55. 237. Legulejus quidam acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. Id. apud Augustin. 3. contra Acad. 7. Peritissimus auceps voluptatum. V. AUCUPOR.

AUCETA sæpe aucta. Paul. Diac. p. 25. 15. Müll. Voss. Etymol. in Augeo conjicit legendum esse auctata: quod sane confirmat codex MSS., in quo legitur auata.

AUCILLA. V. AUCELLA.

AUCTĀRĬUM, ii, n. 2. (augeo) quod supra mensuram aut pondus justum adjicitur, ut exponit Paul. Diac. p. 14. 17. Müll. Plaut. Merc. 2. 4. 22. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? CH. Auctarium adjicito, vel mille nummum plus quam poscet.

AUCTĒ, adverb. (augeo) multum, valde. De positivo nondum exempla vidimus. De comparativo Apul. 4. Met. 7. Puella auctius ejulans sese et assiduis singultibus illis quatiens. Ita Elmenhorst. p. 153. At Pricæus p. 80. cum aliis recte altius. Addunt quidam locum Horat. 2. Sat. 6. 3. auctius atque Di melius fecere: sed hoc loco est adjectivum.

AUCTĪFER, fĕra, fĕrum, adject. (auctus et fero; auctus autem est ab augeo pro gigno) producens, ferax. Cic. ex Græco Homeri apud Augustin. 5. Civ. Dei 8. Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse Juppiter auctiferas lustravit lumine terras. h. e. mentes hominum tali lumine vigent et cognoscunt, quale Juppiter terris infudit, unde sunt orti. Versus hos ex Odyss. l. 18. v. 135. memorat Aristot. l. 3. Anim. c. 3., ubi agit de mentis humanæ cognitione. Credibile est autem a Cicer. translatos fuisse in libros Academicos, qui desiderantur, cum philosophi hujus sententiam referret. Porro auctiferas terras dixit, ut responderet voci ἐπιχθόνιος terrestris, quam Homerus eo loco tribuit hominibus.

AUCTĪFĬCO, ficas, ficare, a. 1. (auctum et facio) auctiorem facio, augeo, augifico. Arnob. 7. 17. usurpat in re sacrificali pro mactare. Cibis nŏvis auctificatis deos, nidoribusque cohonestatis et succis. Et ibid. Viscera taurorum, quibus honor a vobis auctificatur deorum. Et ibid. 27. Hoccine ergo superas honorat et auctificat dignitates? V. AUGEO.

AUCTĪFĬCUS, a, um, adject. (auctum et facio) augens. Lucret. 2. 571. Nec porro genitales auctificique Motus perpetuo possunt servare creata. h. e. motus, quibus corpora alimentorum accessione augentur.

AUCTĬO, ōnis, f. 3. (augeo) actus augendi, augmentum (It. accrescimento; Fr. augmentation, accroissement; Hisp. aumentacion, acrecentamiento; Germ. die Vermehrung oder Zuname; Angl. the act of adding to, increasing, or enlarging). Occurrit ¶ 1. Stricto et generali sensu admodum raro; pro Græco αὔξησις Paul. Diac. p. 17. 17. Müll. Αὔξησις, quod nos dicimus rerum crescentium auctionem. Tac. Agric. 19. Frumenti et tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumcisis, quæ in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. h. e. augmentum frumenti ex tributo præstandi. Alii intelligunt venditionem publicam. Alii, inter quos Forcellinus, mallent legere exactionem. Macrob. 1. Saturn. 14. Modo auctio, modo retractio dierum proveniebat. ¶ 2. Speciatim ac sæpius sumitur pro publica venditione rerum privatarum, in qua proposito pretio addicitur res ei, qui id pretium plus ceteris auget (It. incanto; Fr. enchère, encan; Hisp. puja, almoneda; Germ. die Versteigerung, der Verkauf durch Aufstrich; Angl. an auction, public sale). Indicebatur autem per præconem, ut plures ad licitandum convenirent. Hoc sensu occurrit — a) Abstracte. Plaut. Men. 5. 9. 94. Vis conclamari, auctionem fore? quo die? M. SV. Die septimi. MES. Auctio fiet Menæchmi mane sane septimi. Venibunt servi, supellex, fundi, ædes; omnia venibunt, quiqui licebunt præsenti pecunia. Venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit. Cic. Quinct. 4. 15. Auctionem Narbone se facturum esse proscribit. Adde eumd. 6. Verr. 6. 11. et 12. Att. 3. 2., et Auct. B. Afr. 97. Plaut. Stich. 1. 3. 12. Auctionem prædicare. Cic. Cæcin. 5. 13. et 1. leg. Agr. 3. 7. constituere. Id. Rosc. Am. 8. 32. Bona alicujus, auctione constituta, vendere. Id. 13. Att. 37. Auctionem proscribere. Id. 13. ibid. 13. proferre. Id. 2. Phil. 29. 74. prohibere. Id. 13. Att. 14. Auctionis diem obire. Id. Cæcin. 5. 13. et Apul. 9. Met. 5. Auctio hereditaria. Liv. 2. 14. Auctio fortunæ regiæ. Plin. 29. Hist. nat. 4. 30. (96). Vendere aliquid in auctione. Pseudo-Ascon. ad Cic. 3. Verr. 20. Vendere bona alicujus auctione. Sueton. Cæs. 50. Prædia ex auctionibus hastæ addicere alicui. Id. Cal. 39. Sedere in auctione. h. e. in loco, ubi auctio fit. Quintil. 6. 3. 99. Auctionem proponere. Id. 11. 2. 24. dimittere. Paul. Dig. 41. 5. 2. Emere aliquid ex auctione. — b) Concreto, uti ajunt, sensu auctio significat res ipsas, quæ publice proposito pretio venduntur. Cic. Quinct. 5. 19. Vendere auctionem. V. Klotz ad h. l.

AUCTĬŌNĀLIS, e, adject. ad auctionem pertinens. Hinc absolute Auctionalia, ium, n. plur. 3. est actio legitima, qua alicujus bona auctioni subjicienda vulgantur. Dig. 27. 3. 1. § 3. Alii rectius leg. Actionalia.

AUCTĬŌNĀRĬUS, a, um, adject. ad auctionem pertinens. Cic. 1. leg. Agr. 3. 7. Ut in atriis auctionariis, potius quam in triviis aut in compitis auctionentur. h. e. in atriis, in quibus auctiones fieri solent. Inscript. apud Orell. 3439. T. POMPVLLIVS L. F. LAPPA — EX TESTAMENTO ATRIVM AVCTIONARIVM FIERI ET MERCVRIVM AVGVSTVM SACRVM PONI IVSSIT. V. ATRIUM. Cic. 2. Cat. 8. 18. Proferre tabulas auctionarias. h. e. in quibus alicujus bona auctioni subjicienda perscribuntur.

AUCTĬŌNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (auctio). Part. Auctionans sub A. — Est auctionem facio, auctionem vendo, auctioni subjicio (It. mettere o vendere all'incanto, incantare; Fr. faire une vente à l'encan; Hisp. almonedar; Germ. eine Versteigerung halten; Angl. to sell by auction, put up to public sale). Occurrit

A) Ut verbum intransitivum. Cic. 1. leg. Agr. 3. 7. Ut in atriis — potius quam in triviis auctionentur. Id. 2. ibid. 20. 62. Ponite ante oculos vestros Rullum in Ponto — hastā positā cum suis formosis finitoribus auctionantem. Id. Quinct. 4. 16. Sext. Nævius hominem multis verbis deterret ne auctionetur. Id. ibid. 6. 23. Ait se auctionatum esse in Gallia. Id. Dejot. 9. 25. Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus sit, seque expoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare. Adde eumd. 2. Phil. 29. 73. Cæs. 3. B. C. 20. Difficultas auctionandi.

B) Ut verbum transitivum. Pseudo-Ascon. ad Cic. 3. Verr. 23. 61. p. 177. Bait. Sectores sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur. h. e. auctione emebant.

AUCTĬTO, as, are, a. 1. frequentativum ab aucto; h. e. totis viribus aliquid augere conor.

I.) Proprie. Tac. 6. Ann. 16. Fenore auctitare pecunias.

II.) Translate est magnificare, amplificare. Arnob. 7. 13. Sacris numinum potentiam auctitare. Forcellinus vero hoc loco speciatim acceperat in re sacrificali, eadem significatione qua AUCTIFICO, quod V.

AUCTĬUNCŬLA, æ, f. 1. parva auctio. Gloss. Isid. Aunicula (lege auctiuncula) auctio minor supra fundum. Furlanetto addebat et Not. Tir. p. 94.

AUCTO, as, are, a. 1. frequentativum ab augeo, h. e. vehementer augere, tota vi augere. Plaut. Amph. prol. 4. Ut res rationesque vestrorum omnium bene expedire vultis — bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro. Lucret. 1. 50. Unde omnes natura creet res, auctet alatque. Catull. 67. 2. Salve teque bonā Juppiter auctet ope. Cf. Paul. Diac. p. 25. 15. Müll. V. AUCETA.

AUCTOR, ōris, comm. gen. 3. nomen verbale ab auctum supino verbi augeo; quare rectissime per ct scribitur, non per t simplex, aut th. Sunt enim qui autor scribi volunt, et vel ab audeo deducunt, vel ab aveo, vel ab αὐτουργός per syncopen vel ab αὐτός, quia a se ipse pendet et ab eo rursus alii pendent. Alii malunt author cum aspiratione, et derivant ab αὐθέντης. Verum ea omnium probabilissima etymologia est, qua, ut diximus, ab augeo deducitur, et auctor per ct scribitur: quam scriptionem probant Charis. 1. p. 30. Putsch., Apul. gramm. p. 134. ed. Mai. (Auctor per .c. ante .t., nomen primigenium communis generis.), Dion Cass. 55. 1.; ac præterea Valer. Prob. in Cathol., Isid., Voss. in Etymol., Manut., Dausq., Cellar. in Orthograph., Pier. ad Virg. 12. Æn. 159. et alii. Sed omni exceptione majus est testimonium veterum monumentorum et lapidum, quorum plurimos afferunt iidem Manut., Dausq. et Pier., itemque Gruter.; quibus addendum Cenotaphium Pisan. C. Cæsaris v. 41., et nummus Commodi apud Eckhel. D. N. V. T. 7. p. 118., et codex Virgil. Mediceus, et Pandectæ Florent. teste

Torrentino in editione Digest.; in quibus omnibus auctor constanter legitur, ut jam nihil certius in Latina orthographia esse videatur. Nam quod objiciunt quidam in Notis Rom. Valerii Probi legi Aut. Autoritas, non est is libellus ita ab omni errorum et depravationis suspicione liber, ut certam auctoritatem facere possit. — Quod ad genera attinet, auctor — a) Apud optimos quosque scriptores occurrit cum nominibus generis feminini. Cic. 1. Divinat. 15. 27. Sibique eas aves, quibus auctoribus officium et fidem secutus esset, bene consuluisse. Liv. 40. 4. Et auctor mortis instabat (femina). Virg. 12. Æn. 159. Auctor ego audendi (Juno). Ovid. 5. Fast. 192. Optima tu proprii nominis auctor eris. Id. 8. Met. 108. meritorum auctore relictâ. Id. Heroid. 15. 3. auctoris nomina Sapphûs. Seneca Med. 979. ipsa (Medea) auctor sceleris horrendi. Justin. 7. 1. Regni auctores (capræ). — b) Jungitur et abstractis. Plaut. Trin. 1. 2. 70. Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo. Cic. 5. Verr. 10. 49. Hæc vos antea – ita audistis, ut auctorem rumorem haberetis sermonemque omnium. Liv. 7. 40. Omissis irâ et spe fallacibus auctoribus. Ovid. Heroid. 14. 109. quorum mihi cana senectus Auctor. — c) Item dicitur de rebus inanimis. Ammian. 22. 15. appellat alveum auctorem eum, per quem totus decurrit amnis, et ex quo in alios minores canales aquæ derivantur. — d) Denique jungitur interdum et nominibus neutrius generis. Cic. 1. Orat. 45. 198. Qui, cum ingenio sibi auctore dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo jure auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio valerent. Virg. 10. Æn. 67. Italiam petiit fatis auctoribus. — Hæc autem omnia huc congerenda esse putavimus, ut uno intuitu perciperentur; quamvis horum nonnulla etiam inferius afferemus. — Quod ad significationem attinet, hoc vocabulum latissime patet ratione habita rei, ad quam refertur: sed generatim auctor dicitur et est quicumque rem aliquam auget, hoc est eidem incrementum, vim, robur, firmitudinem ac stabilitatem præbet. Porro latissima hæc significatio ad quatuor summa capita redigi potest; auctor enim I.) ratione habita rerum corporearum, est qui gignit ac producit; II.) ratione habita rumorum, famæ, opinionum, sententiarum, est qui aliquid dicit, nunciat, testatur, affirmat; III.) ratione habita rerum gerendarum inceptique alicujus, est is, cujus auctoritate aut imperio, item consilio, opera, impulsu, suasu, vel etiam periculo aut exemplo aliquid fit, uno verbo, qui aliquo modo causa est aliquid faciendi; IV.) denique ratione civili est qui juxta leges aliquid per se aut pro aliis agit.

I.) Ratione habita rerum corporearum, auctor est qui gignit ac producit: et occurrit — a) Generatim. Virg. 1. G. 26. et te maximus orbis Auctorem frugum tempestatumque potentem Accipiat. Id. 9. Æn. 748.; et Ovid. 5. Met. 133. et 8. ibid. 417. Auctor vulneris. Virg. 9. Æn. 421.; Ovid. 8. Met. 349. et Sil. It. 4. 466. teli. Ovid. 3. Met. 329. plagæ. Sil. It. 9. 105. cæci ictus. Ovid. 1. Fast. 439. clamoris. Id. 4. Met. 257. lucis Apollo. — Huc et illa pertinent Ovid. 10. Met. 199. Auctor funeris. Id. 8. ibid. 449. et 9. ibid. 214. necis. Id. 8. ibid. 493. mortis. Id. 1. Art. am. 704. stupri. Id. 2. Met. 88., 5. ibid. 657., 7. ibid. 157. et 11. ibid. 125. muneris. Id. 10. ibid. 214. honoris. Id. 8. ibid. 108. meritorum. Sic Tertull. 5. advers. Marcion. 8. Christus viri auctor. h. e. creator. Sic Julianum imperatorem senatus Rom. alloquens, auctorem ejus Constantium fratrem patruelem vocat, qui eum Cæsarem dixerat, ut est apud Ammian. 21. 10.; qui 16. 17. apparitoris auctorem dicit eum, qui apparitorem creavit. Quo pertinet illud Auson. Cæsar. epigr. 23. Principis hic custos, sumptum pro principe ferrum Vertit in auctorem cæde Macrinus iners. — b) Speciatim est qui aliquid ædificavit vel urbem aliquam condidit, aut artem aliquam reperit, aut rem aliquam instituit vel fecit primus. Liv. 4. 20. Prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliorum suorum Cæsarem, ipsius templi auctorem, subtrahere testem. Virg. 8. Æn. 134. Dardanus Iliacæ primus pater urbis et auctor. h. e. conditor. Id. 3. G. 36. Trojæ Cynthius auctor. Id. 8. Æn. 269. primusque Potitius auctor. scilicet sacri in honorem Herculis institutor. Id. 12. ibid. 405. nihil auctor Apollo Subvenit. scilicet medicinæ inventor. Cf. Cels. præfat. Primoque medendi scientia sapientiæ pars habebatur, ut et morborum curatio et rerum naturæ contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit. Tibull. 4. 2. 13. Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo. Cf. Ovid. 6. Fast. 709. Sum tamen inventrix auctorque ego carminis hujus. Et Id. 7. Met. 148. agis Carminibus grates et dis auctoribus horum. Propert. 4. 6. 43. murorum Romulus auctor. Ovid. 15. Met. 9. Graja quis Italicis auctor posuisset in oris Mœnia quærenti sic ex senioribus unus Rettulit. Id. 1. Art. am. 72. porticus auctor. Vellej. 1. 8. Certamen – Olympiorum initium habuit auctoremque Iphitum Elium. Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (118). Quid enim miretur quisque in hoc (amphitheatro M. Scauri) primum? Inventorem an inventum? artificem an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare an suscipere? parere an jubere? Id. præfat. § 27. Quo apparet summam artis securitatem auctori placuisse. Id. 34. ibid. 8. 19. (93). Status auctoris incerti. Id. ibid. 7. 18. (45). Auctor statuæ et tabulæ pictæ. Id. 22. ibid. 2. 3. (5). Auctores imperii Romani conditoresque. Lucan. 9. 661. Mercurius – auctor citharæ liquidæque palæstræ. — c) Item speciatim is a quo gens aliqua originem duxit, progenitor. Cic. 4. Tusc. 1. 2. L. Brutus – præclarus auctor nobilitatis suæ. Virg. 4. Æn. 375. Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor. Id. 7. ibid. 49. isque parentem Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor. Horat. 3. Od. 17. 5. Auctore ab illo ducit originem, Qui etc. Cf. 1. ibid. 2. 36. Ovid. Heroid. 10. 131. Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ Filius; auctores saxa fretumque tui. Id. 4. Met. 640.; et Sueton. Vit. 2. Auctor generis. Ovid. 3. Fast. 157. propaginis tantæ. Et absolute Id. 6. Met. 172. Mihi Tantalus auctor. Curt. 4. 7. 8. Quem (Jovem) generis sui auctorem – aut credebat esse, aut credi volebat. Sueton. Claud. 25. Ilienses Romanæ gentis auctores. Id. Ner. 1. Auctor originis. Colum. 6. R. R. 27. 1. Quibus cordi est educatio generis equini, maxime convenit providere auctorem industrium et pabuli copiam.

II.) Ratione habita rumoris, famæ, opinionum, sententiarum, auctor est qui aliquid dicit, nunciat, testatur et affirmat. ¶ 1. Generatim auctor est qui rumori, famæ, sententiæ vim ac certitudinem addit, qui rei affirmatæ vadimonium quoddamodo præstat. Plaut. Trin. 1. 2. 70. Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo. Cic. Planc. 23. 57. Sed si quid sine capite manabit, aut quid erit ejusmodi, ut non extet auctor: qui audierit, aut ita negligens vobis esse videbitur, ut, unde audierit, oblitus sit; aut ita levem habebit auctorem, ut memoriâ dignum non putarit; hujus illa vox vulgaris: Audivi, ne quid innocenti reo noceat, oramus. Id. 12. Fam. 4. Fama nunciabat te esse in Syria: auctor erat nemo. Id. 5. Verr. 10. 49. Hæc vos antea – ita audistis, ut auctorem rumorem haberetis sermonemque omnium. Id. 14. Att. 8. Sibi insidias fieri: se id certis auctoribus comperisse. Id. 2. ibid. 11. Quidam boni nuncii, non optimis tamen auctoribus. Id. 10. Att. 12. Non credo, ut est luculentus auctor. Cæs. 2. B. C. 38. His auctoribus (perfugis oppidanis) temere credens consilium commutat. Liv. 5. 5. ad fin. Sed auctorem levem, nec satis fidum super tanta re patres rati decrevere etc. Id. 1. 16. Auctor gravis rei magnæ. Id. 2. 1. Auctor vani sermonis. — Et cum Infinito Liv. 10. 14. Ab Sutrio auctores, concilia de pace haberi. — Huc et illa pertinent, in quibus auctor est idem ac nuncius. Ovid. 2. Amor. 6. 34. aquæ pluviæ graculus auctor. Cf. Virg. 1. G. 432. Propert. 4. 3. 32. auctores lucis aves. h. e. galli gallinacei. Seneca Herc. fur. 1071. futuri pessimus auctor Somnus. Pallad. 1. R. R. 6. 1. Auctor incertus bonitatis terræ color. ¶ 2. Speciatim, ratione habita litterarum scientiarumque, auctor est — a) Qui alicujus rei tamquam exemplar habetur. Ter. Andr. prol. 18. Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant, quos hic noster auctores habet. Cic. 5. Verr. 93. 216. Dicito potius, quoniam habes auctorem idoneum, quod Antonius – fecerit, id istum per triennium fecisse, et istius innocentiam M. Antonii facto atque auctoritate defendito. Id. 2. Orat. 71. 290. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores et Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. Id. 1. Tusc. 12. 26. Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri, uti optimis possumus. Id. 1. Acad. (post.) 7. 26. Audebimus ergo – novis verbis uti, te auctore, si necesse erit. Id. 7. Att. 3. 10. Cæcilius malus auctor latinitatis. Id. 4. Acad. (2. pr.) 2. 5. Auctor litterarum Græcarum, philosophiæ. Id. Orat. 3. 10. Dicendi gravissimus auctor et magister Plato. Id. 4. Fin. 16. 44. Cato omnium virtutum auctor. Varro 3. R. R. 16. 10. Auctorem aliquem in re aliqua habere. — b) Item est ductor, magister. Cic. 2. Off. 2. 8. Quamquam in antiquissima – philosophia, Cratippo auctore, versaris. Id. 4. Acad. (2. pr.) 32. 102. Explicavi paullo ante, Clitomacho auctore, quomodo ista Carneades diceret. Id. Orat. 57. 196. Quoniam optimus auctor ita censet. — c) Item qui rem aliquam investigat ac scrutatur. Horat. 1. Od. 28. 14. non sordidus auctor Naturæ verique. Vellej. 2. 26. 2. Divini humanique juris auctor celeberrimus. Gell. 2. 10. et Dig. 19. 1. 39. Juris civilis auctor. Cajus 2. Instit. 37. Diversæ scholæ auctores. ¶ 3. Item speciatim, ratione habita rerum gestarum vel sententiarum, quæ scriptis mandata sunt, auctor est — a) Qui rem aliquam affirmat ejusdemque quasi vadem se sistit. Cic. 3. Off. 26. 97. Nam apud Homerum optimum auctorem talis de Ulixe nulla suspicio est. Id. 12. Att. 18. 1. Etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant fieri id oportere. — b) Sæpius auctor usurpatur de historiæ scriptoribus, hi enim rerum a se narratarum fidem faciunt. Cic. Brut. 11. 44. Ego cautius posthac historiam attingam, te audiente, quem rerum Rom. auctorem laudare possum religiosissimum. Cf. Tac. 3. Ann. 30. Sallustius rerum Rom. florentissimus auctor. Et id. ibid. 3. Auctores rerum. Cic. Brut. 12. 47. Locuples auctor scripsit Thucydides. Id. 3. Off. 32. 113. Polybius bonus auctor in primis. Nepos Them. 10. Sed nos potissimum Thucydidem auctorem probamus. Liv. 2. 8. Apud quosdam veteres auctores non invenio Lucretium consulem. Id. 4. 20. Libri lintei, quos Macer Licinius citat identidem auctores. Id. 25. 11. In diversum auctores trahunt. Id. 29. 27. Discrepat inter auctores. Tac. 3. Hist. 29. Inter omnes auctores constat. — c) Item generatim auctor dicitur quicumque scriptor alicujus sententiæ veluti sponsor ac fidejussor sit. Cic. 1. Divinat. 19. 37. Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste. Id. Opt. gen. or. 6. 17. Quem (Isocratem) divinus auctor Plato – admirabiliter in Phædro laudari fecit ab Socrate. Id. Mur. 14. 30. Ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus. Seneca Tranquill. anim. 9. Multo satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. — Hoc sensu occurrit et cum Infinito. Liv. 4. 26. Sunt qui male pugnatum ab his coss. in Algido auctores sint. Id. 2. 48. ad fin. Auctores sumus, tutam majestatem Romani nominis fore. h. e. vobis pollicemur, vos certos facimus ejusdemque rei fidem in nobis ipsis recipimus, tutam etc. Adde eumd. 8. 20. Plin. 11. Hist. nat. 21. 24. (73). Auctores sunt, ter novenis punctis interfici hominem. h. e. scribunt, tradunt. Id. 7. ibid. 43. 44. (135). Quamquam Masurius auctor est, bis in triumpho ductum. Sueton. Aug. 94. Auctor est Julius Marathus – prodigium Romæ factum publice. Tac. 3. Hist. 51. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus irreverentiam fuisse etc. Adde eumd. 13. Ann. 20. — d) Denique cum Genitivo, aut cum aliis additis, quibus id facile innotescat, auctor est qui librum aliquem in lucem edidit, scriptor: quamquam proprie auctor et scriptor inter se differant. V. Homonym. in fine sub 1. Horat. A. P. 45. Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. Ovid. 5. Trist. 1. 68. ulli nec scripta fuerunt Nostra nisi auctori perniciosa suo. Quintil. 8. 6. 27. Auctor carminum. Id. 10. 1. 66. Auctores comœdiæ. Id. 10. 1. 93. elegiæ. Id. 12. 10. 2. Suos hæc operum genera ut auctores, sic etiam amatores habent. Sueton. Aug. 89. Utriusque linguæ auctores evolvere. Id. Cæs. 56. Belli Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor. Id. Aug. 31. Quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur. Id. Domit. 8. Scripta famosa abolevit – non sine auctorum ignominia. Id. Aug. 70. Sine auctore notissimi versus. Id. Gramm. 8. Evulgare libros nomine auctoris. — NB. Huc referri possent et illa, in quibus auctor est artis alicujus inventor, ut superius diximus sub I. b.; artis enim inventor est etiam ejusdem defensor ac sponsor.

III.) Ratione habita rerum gerendarum inceptorumque auctor est qui hortatur, fovet, consilia dat, adjuvat, consentit, vel etiam qui rem ipsam curat, veluti dux agit, aut tuetur. ¶ 1. Generatim significat eum, cujus consilio, opera, impulsu, suasu, vel etiam periculo aut exemplo aliquid fit: et occurrit

— *a*) Absolute, præcipue in formula *auctore aliquo facere aliquid*, hoc est aliquid facere alicujus causâ, imperio, periculo, etc. *Plaut. Stich.* 4. 2. 23. Non me quidem faciet auctore, hodie ut illum decipiat. *Ter. Eun.* 5. 7. 12. An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset adolescens? *Cic.* 3. *Orat.* 14. 54. Quare omnes istos me auctore deridete atque contemnite. *Id.* 14. *Att.* 9. 1. Sed tamen ea ratio ædificandi initur, consiliario quidem et auctore Vestorio. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Auctore atque agente eo. *Liv.* 9. 14. Auctoribus dis, ut videtis, ad rem gerendam proficiscimur. *Id.* 2. 2. Res tuas tibi non solum reddunt cives tui auctore me. *Sueton. Aug.* 81. Auctore Antonio Musa. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Auctore eodem deo. — *b*) Addito, cujus quis est auctor. — Sæpissime per Genitivum. *Cic.* 11. *Fam.* 27. 8. Non suscipiendi belli gravissimum auctorem fuisse. *Id.* 12. *ibid.* 2. Auctorem esse alicujus interficiendi. *Id. post red. ad Quir.* 6. 16. Non solum ad me confirmandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt. *Id. Dom.* 14. 38. Auctores comitiorum centuriatorum et curiatorum. *Id.* 1. *Orat.* 48. 211. Reipubl. rector et consilii publici auctor. *Id. Balb.* 2. 4. Facti auctor et prædicator. *Id.* 8. *Att.* 2. Auctor reipubl. ac dux. *Id. Haruсp. resp.* 9. 18. Religionum colendarum auctores et magistri. *Nepos Pelop.* 3. Cadmeæ occupandæ auctores. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Auctor profectionis. *Liv.* 41. 18. et *Ovid.* 5. *Met.* 8. belli. *Liv.* 45. 31. Criminum auctores delatoresque. *Id.* 9. 20. Auctor pacis per omnem Apuliam populo Rom. præstandæ. *Virg.* 12. *Æn.* 159. *de Junone.* Auctor ego audendi. *Ovid.* 3. *Met.* 18. viæ. *Curt.* 8. 6. 23. Auctores scelesti consilii. *Id.* 6. 6. 34. et 10. 1. 9. defectionis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 59. 85. (181). spei. *Vellej.* 1. 13. Doctrinæ auctor et admirator. *Id.* 2. 10. præclari facinoris. *Tac.* 6. *Ann.* 31. mittendi nuncios. — Per Dativum. *Ter. Adelph.* 4. 5. 37. Auctor his rebus quis est? *Cic.* 8. *Att.* 3. Ille legibus Cæcilii Metelli per vim et contra auspicia ferendis auctor. — Per Accus. et præp. *ad. Cic. Dom.* 12. 30. Hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit. — Per Ablat. et præp. *in. Cic. post red. in sen.* 4. 9. Cum in restituendo auctorem fuisse adscriptoremque videatis. ¶ 2. Speciatim *auctorem alicui esse* significat alicui in re aliquâ consilia dare, consiliorum suorum auctoritate aliquem ad aliquid hortari vel etiam impellere: qua significatione *auctor* a *suasore* differt; *V.* Homonym. in fine sub 2. Occurrit autem — *a*) Raro absolute. *Tac.* 3. *Hist.* 71. Furens miles aderat nullo duce: sibi quisque auctor. — *b*) Sæpius addito, ad quod aliquem hortamur, — Per Accusativum, hoc est fere per Pronomina *quid*, *id* etc.; additis aliquando etiam ad explicandum pluribus verbis. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 1. AG. Quid mihi nunc es auctor, Milphio? MILPH. Ut me verberes atque auctionem facias. *Id. Mil. glor.* 4. 3. 1. Quid mihi nunc es auctor, ut faciam de concubina? *Id. Pseud.* 1. 3. 2. Quid mihi es auctor, hunc ut mittam? *Id. ibid.* 4. 7. 70. Quid mihi nunc es auctor, Simo? *Ter. Adelph.* 5. 8. 16. Idne estis auctores mihi? *Cic.* 6. *Fam.* 8. 2. Quibus (*litteris*) a me consilium petis, quid sim tibi auctor, in Siciliane subsidas, an ut — proficiscare? — Per particulas *ut* vel *ne*. *Plaut. Stich.* 1. 2. 71. Mihi auctores ita sunt amici, ut vos abducam hinc domum. Adde *eumd.* locis paullo sup. citt. *Cic.* 15. *Att.* 5. 2. Mihique, ut absim, vehementer auctor est. *Id.* 1. *Legg.* 20. 53. Tibi magnopere auctor sum, ut etc. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 11. 2. Nam illi ita sentienti de republ. magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis suæ. *Sueton. Galb.* 10. Auctor singulis universisque conspirandis simul, et ut — communem causam juvarent. *Et omisso Dat. personæ Cic.* 15. *Att.* 11. 1. Sed auctor non sum, ut te urbi committas. *Liv.* 3. 44. Auctoribus, qui aderant, ut sequeretur. — Per Infinitum. *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 5. Ego quidem tibi non sim auctor, si Pompejus Italiam relinquit, te quoque profugere. *Ovid.* 10. *Met.* 83. Ille etiam Thracum populis fuit auctor amorem in teneros transferre mares. — Per Dativ. personæ et Genit. rei. *Cic.* 9. *Att.* 11. A. § 2. Qui et illi (*Pompejo*) semper et senatui, cum primum potui, pacis auctor fui. *Liv.* 44. 16. Pacis semper auctor regi fuerat. *Id.* 7. 23. Auctor patribus scribendi alterius exercitus. *Sueton. Vesp.* 11. Auctor fuit senatui decernendi. — Per Dativ. personæ et Accus. rei cum præp. *ad. Cic.* 9. *Att.* 11. A. § 2. Eo tempore non modo ipse fautor dignitatis tuæ fui, verum etiam ceteris auctor ad te adjuvandum. — Per Dativ. personæ et Ablat. rei cum præp. *de. Cic.* 11. *Att.* 6. Auctorem esse alicui de re aliqua.

IV.) In re civili ¶ 1. *Auctor legis* vel *senatusconsulti* — *a*) Dicitur is, qui legem fert vel in causa fuit cur senatusconsultum factum sit. *Liv.* 6. 36. Quarum legum auctor fuerat, earum suasorem se haud dubium ferebat. *Id.* 24. 43. Auctore Fabio cos. *h. e.* juxta cujus relationem factum est senatusconsultum. *Ovid.* 15. *Met.* 101. leges captis justissimus auctor imposuit. *Id.* 15. *ibid.* 833. animum ad civilia vertet Jura suum legesque feret justissimus auctor. *Vellej.* 2. 23. 2. Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor. *Quintil.* 1. 10. 15. Lycurgus durissimarum Lacedæmoniis legum auctor. — *b*) Item qui de lege aut senatusconsulto faciendo refert, id proponit, vel auctoritate sua atque oratione tuetur ac suadet. *Cic. Flacc.* 7. 15. Quæ scisceret plebs, aut quæ populus juberet, summota concione, distributis partibus, — auditis auctoribus, re multos dies promulgata et cognita, juberi vetarique (*majores*) voluerunt. V. *Klotz* ad h. l. *Id. Brut.* 27. 106. Multarum legum aut auctor aut dissuasor. Adde *eumd. Dom.* 30. 80., 2. *leg. Agr.* 5. 12., 1. *Att.* 19. 4. et 3. *Legg.* 16. 37.; *Sueton. Cæs.* 5. et *Oth.* 8.; et *Tac.* 1. *Ann.* 39. *Liv.* 37. 47. Ut coloniæ duæ deducerentur, retulit; et auctore eo patres censuerunt. Huc pertinet et illud *Cic. Sext.* 50. 107. Productus est ab eo Cn. Pompejus, qui se non solum auctorem meæ salutis, sed etiam supplicem populo Romano exhibuit. — *c*) Hinc in senatu dicebantur patres *auctores fieri*, cum legem aliquam a populo sciscendam in senatu proponebant et approbabant (ex quo dicta est *senatus auctoritas*). *Cic. Brut.* 14. 55. M.' Curius cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegit. *Liv.* 8. 12. Ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent. *Id.* 1. 17. Patres deinde, si dignum crearitis, auctores fient. Adde *eumd.* 1. 22., et 2. 54. et 56. ¶ 2. In re judiciali auctor sæpe dicitur ille, in quo est princeps consilium et juridica facultas atque auctoritas alicujus rei faciendæ; ad quem pertinet approbare interventu et voluntate sua rem aliquam vel suo nomine, vel alterius qui ea facultate careat. — *a*) Generatim. *Cic. Flacc.* 15. 38. Præclarus auctor suæ civitatis. *h. e.* qui pro sua civitate negotia gerebat atque agebat. Et *ibid.* 22. 53. Si hunc habent auctorem Tralliani doloris sui, si hunc custodem litterarum, si hunc testem injuriæ, si hunc auctorem querelarum etc. *Id. Planc.* 13. 32. Auctor societatum. *Id.* 4. *Cat.* 5. 9. Auctor et cognitor sententiæ. *Id. Mur.* 2. 3. Is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor beneficii populi Rom. defensorque periculi esse debebit. *Id. Dom.* 29. 77. Cum hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit. *Et mox.* Te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ necisque potestatem haberet, ut in filio. *Paul. Dig.* 26. 8. 3. Etiamsi non interrogatus tutor, auctor fiat, valet auctoritas ejus, cum se probare dicit id, quod agitur: hoc est enim auctorem fieri. *Ulp. ibid.* 1. Regula juris civilis est, in rem suam auctorem tutorem fieri non posse. V. *plura huc pertinentia toto eo titulo.* — *b*) Hinc speciatim habet locum in venditionibus et alienationibus. Nam qui aliquam rem emit, aut alio quocumque legitimo jure acquirit, *auctoritatem* seu jus dominii super ea re sibi comparat: et qui eam rem ei tradit, *auctor* dicitur; est itaque idem ac venditor, seu alienator. Hac etiam ratione *auctor* ab *augendo* apte descendit: nam qui dat alteri quidpiam, eum auget ea re et ditiorem facit. *Cic. Cæcin.* 10. 27. P. Cæsennius auctor fundi. *Id.* 7. *Verr.* 22. 56. Se id quod a malo auctore emissent, diutius obtinere non posse. *Scævola Dig.* 19. 132. § 3. Quæro, an pila, quæ ab auctore domui conjuncta erat, ad emptorem quoque jure emptionis pertineat. — Hujusmodi *auctor* dicitur *auctor primus*: nam est etiam *auctor secundus*, qui fidejussionem facit pro evictione rei ab altero venditæ. *Ulp. Dig.* 21. 2. 4. An is, qui mancipium vendidit, debeat fidejussorem ab evictionem dare, quem vulgo auctorem secundum vocant. — Eodem sensu *auctor* etiam absolute dicitur. *Plaut. Curc.* 4. 2. 10. *de lenonibus.* Alienos mancupatis, alienos manumittitis alienisque imperatis: nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli. Adde *eumd. Epid.* 3. 2. 21. — *c*) Denique auctor dicitur tutor et curator pupillorum et feminarum, qui auctoritate et consensu suo illorum acta approbat et rata esse confirmat. *Cic. Cæcin.* 25. 73. Deberi viro dotem, quam (*mulier*) nullo auctore dixisset. Et *ibid.* § 72. Quod mulier sine tutore auctore promiserit. Cf. *eumd. Top.* 11. 46. *Liv.* 34. 2. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum. Hinc apud *Cic. Cluent.* 5. 14. Nuptiarum auctores. Cf. *Ter. Adelph.* 4. 5. 36. *Ulp. Dig.* 26. 8. (*qui est de auctoritate et consensu tutorum et curatorum*) 3. Pupillus obligari tutori, eo auctore, non potest. — *NB.* Juxta nonnullos *auctor rerum* non solum significat scriptorem rerum, ut supra dictum est, sed etiam eum, qui res gessit. *Sall. Cat.* 3. Tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum. *Alii tamen leg.* actorem. — *Salmas.* in *Commentar.* ad *Trebell. Gallien.* 12. docet, *auctorem* aliquando significare etiam eum, qui operam suam locat, et se auctorat ad pugnandum cum bestiis: affertque locum *Firmici* his verbis: *Faciet auctores, audaces, periculosos.* Et alio loco: *Faciet sceleratos, reos facinorum, auctores vel tortores.* — *Auctor summarum* male legitur in quibusdam edition. *Sueton. Domit.* 11.; namque ibi legendum est *Actor summarum.* V. ACTOR II. 7.

Homonym. *Auctor* differt 1.) a scriptore; 2.) a suasore.

1.) *Auctor* (*V.* supra sub II. 3. *d.*) differt a *scriptore*; *scriptor* enim est is qui aliquid verbis narravit vel protulit eaque chartis mandavit; *auctor*, qui sua scripta edidit eaque suâ fide tuetur, ut patet ex *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 57. Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus etc. V. *Klotz* ad h. l. *Liv.* 8. 40. Nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur. *Quintil.* 3. 1. 7. Est infinita dissensio auctorum — adjicientibus ad ea, quæ invenissent, scriptoribus.

2.) *Auctor* (*V.* supra sub III. 2.) et *suasor* in eo differunt, quod *suasor* consilium solummodo et hortationem adhibet; *auctor* vero addit auctoritatem, et aliquando etiam imperium. Hinc in *suasore* solum quid dicat, attenditur; in *auctore* dignitas quoque ac potestas. *Cic.* 3. *Off.* 30. 109. Atque hujus deditionis ipse Postumius suasor et auctor fuit. *Liv.* 6. 36. Fabius quoque — quarum legum auctor fuerat, earum suasorem se haud dubium ferebat. *Sueton. Tib.* 27. Adulationes adeo adversatus est, ut etc. Alium dicentem *sacras ejus occupationes*, et rursus alium *auctore eo senatum se adiisse*; verba mutare, et pro *auctore suasorem*, pro *sacris laboriosas* dicere coegit.

AUCTŌRĀMENTUM, i, n. 2. *Auctorari* est, se alicui ex contractu, mercede pacta, obligare: hinc *auctoramentum* est ¶ 1. Contractus et nexus quo quis se, mercede pacta, ad aliquid obligat; cujusmodi est obligatio mercenariorum, item contractus gladiatorum qui se ludo addicebant, atque ipse nexus, quo se miles obligabat ad stipendia facienda. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Illiberales autem et sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Est enim illis ipsa merces auctoramentum servitutis. *Seneca Ep.* 37. Illius turpissimi auctoramenti verba sunt: *Uri, vinciri ferroque necari. Petron.* quoque *Satyr.* 117. hoc idem refert. *Cod. Theod.* 9. 35. 1. Auctoramentum militiæ. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 558. *Ipse pater famulum voveo*: bene ipse pater, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent. ¶ 2. Item est ipsa merces, quâ quis se ad aliquid obligat; ac proinde accipitur pro quocumque præmio aut commodo. *Sueton. Tib.* 7. Munus gladiatorium dedit, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum millium. *Seneca* 4. *Benef.* 37. Subinde ex præda aliquid ei (*militi*) virtutis causa donaverat, et hominem venalis animæ crebris auctoramentis accendebat. *Vellej.* 2. 28. 3. *de Sullana proscriptione.* Ut jugulati civis Rom. publice constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis, uberius foret præmium; fieretque quisque merces mortis suæ. *Id.* 2. 66. 3. Auctoramento funebri ad alicujus necem irritare. *Tertull. Apolog.* 39. Parasiti affectant ceenas ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi. — Et figurate. *Seneca Ep.* 69. Nullum sine auctora-

mento malum est: avaritia pecuniam promittit; luxuria voluptates; ambitio purpuram et plausus. Adde *eumd.* 2. *Ira* 13. 2. *Apul. de Mag.* Merces et auctoramentum impudentiæ. *Eumen. Paneg. ad Constant.* 12. Auctoramentum discriminis.

AUCTORATICIUS, a, um, adject. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 70.

AUCTŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. (auctoro) famulandi sive aliquid præstandi obligatio, aut venditio; et speciatim ea, qua gladiatores ludo se addicebant. Sed præter *Acronem Scholiast. Horat.* ad 2. *Sat.* 7. 59. et *Glossas Isid.* nullum alium, quod sciam, scriptorem Latinum auctorem habet.

AUCTŌRĀTUS, a, um. *V.* AUCTORO.

AUCTŌRĬTAS, ātis, f. 3. (auctor). De orthographia V. in AUCTOR sub init. — Hæc vox occurrit in prosa tantum oratione: et generatim significat eam qualitatem, qua persona aut res aliqua maxima pollet potestate ac legitima facultate; vi, potentia, pondere ac momento valet. Occurrit autem *A*) stricto et *B*) latiori sensu.

A) Stricto sensu auctoritas est I.) jus ac dominium, fidejussio, fides; II.) hortatio, consilium, pondus, quibus aliquis valet ad aliquid faciendum; III.) sententia atque decretum; IV.) facultas ad aliquid faciendum.

I.) Omnino proprie. ¶ 1. Auctoritas est jus et dominium super re aliqua legitime acquisita, seu ipsius dominii validitas. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 1. *Off.* 13. 37. ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS (ESTO). *h. e.* adversus peregrinum, ita ut is contra civem Rom. usucapere non possit, sed rei dominium penes hunc perpetuo sit. *Lex Atinia* apud *Gell.* 17. 7. QVOD SVBREPTVM EST, EIVS REI AETERNA AVCTORITAS ESTO. *h. e.* æternum dominium sit apud dominum, ita ut ab eo, qui surripuit, usucapi numquam possit, ut *Paul. Dig.* 41. 3. 4. exponit. Cf. et *Cajus* 2. *Instit.* 6. 2. — In posterum, ipsa usucapio sive jus ab usucapione manans dicebatur *usus et auctoritas*, ut est apud *Cic. Cæcin.* 19. 54. Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium. Vel etiam *usus auctoritas*, ut apud *eumd. Top.* 4. 23. Usus auctoritas fundi biennium est: sit etiam ædium. Vel etiam simpliciter *auctoritas*, ut apud *eumd. Harusp. resp.* 7. 14. Habere aliquid jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi. *h. e.* jure ex legitima usucapione acquisito. *Id. Cæcin.* 26. 74. Aquæ ductus, haustus, iter, actus a patre; sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. *Scævola Dig.* 13. 7. 43. Exhibere instrumentum auctoritatis. *h. e.* legitimæ possessionis. — Huc pertinet et illud *Paul.* 2. *Sentent.* 17. Venditor si ejus rei, quam vendiderit, dominus non sit, pretio accepto, auctoritatis manebit obnoxius. hic *auctoritas* sumitur pro fidejussione seu præstatione periculi in possessionis jure. Cf. *Fragm. Vatic.* § 10. ¶ 2. Cum agitur de rumoribus, opinionibus, sententiis, testibus atque aliis hujusmodi, auctoritas significat ea omnia, quibus aliquis fide dignus habetur: sed quamvis cum *fide* sæpe jungatur, ut apud *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 113. et 2. *Off.* 9. 34. et apud *Quintil.* 12. 5. 7., 12. 9. 12. et alibi; tamen ab ipsa differt. *Plaut. Trin.* 1. 2. 80. Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, unde quidque auditum dicant etc. *h. e.* si quæratur, quis primus fuerit auctor rei quæ narratur, et quantam fidem habeat. *Cic. Flacc.* 22. 53. Desinant putare auctoritatem esse in eo testimonio, cujus auctor inventus est nemo. *Id.* 5. *Fam.* 12. 1. Auctoritas testimonii tui. *Id. Prov. cons.* 20. 47. Auctoritas decretorum vestrorum. *Id.* 1. *Divinat.* 17. 33. auspiciorum. *Id.* 2. *ibid.* 59. 123. somniorum. *Id. Arch.* 5. 9. Publicarum tabularum auctoritatem obtinere. *Id.* 2. *Divinat.* 55. 113. Auctoritatem et fidem commenticiis rebus adjungere. *Id. Fontej.* 6. 12. Auctoritatem testi attribuere. *Id. Top.* 19. 73. Ad faciendam fidem auctoritas quæritur. Sed auctoritatem aut natura aut tempus affert. Naturæ auctoritas in virtute inest maxime. In tempore multa sunt, quæ afferant auctoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus etc. *Id.* 2. *Divinat.* 31. 110. Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum putatis? *Id. Sull.* 3. 10. Defensioni auctoritatem tribuere. *Curt.* 6. 10. 35. Num ullam auctoritatem ejus litteræ habuerunt? *Sueton. Cal.* 8. Publici instrumenti auctoritas. *Quintil.* 10. 1. 111. Jam in omnibus, quæ dicit (*Cicero*), tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat. *Id.* 5. 7. 32. Auferre testibus auctoritatem. *Id.* 11. 3. 67. Auctoritas verbis deest. — Et de rebus inanimis. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 39. Fulmen auctoritatis est, ubi post rem factam venit, quam futuram bono malove significat. — Hinc etiam speciatim et concreto, uti ajunt, sensu auctoritas est ipsa subscriptio alicujus, qui rem a se subscriptam affirmat ac tuetur. Hinc a *Cic.* 3. *Orat.* 2. 5. et a *Cælio* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 4. Auctoritatis perscriptæ, *scilicet* subscriptiones eorum, quæ a senatu decreta fuerunt. ¶ 3. Cum agitur de scientiis, artibus, moribus, consuetudinibus et similibus, auctoritas est id, quo quis alicujus rei auctor fuit, eam instituit ac propria existimatione firmavit fovitque: hinc *auctoritas* et cum *exemplo* conjungitur, ut apud *Cic. Balb.* 13. 31. Cujus (*Romuli*) auctoritate et exemplo numquam est intermissa – communicatio civitatis. *Id.* 1. *Invent.* 28. 43. Ejus facti qui sint principes et inventores, qui denique auctoritatis ejus et inventionis comprobatores et æmuli. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 53. 101. *Id.* 3. *Nat. D.* 38. 91. Utrum poetæ Stoicos depravarint, an Stoici poetis dederint auctoritatem, non facile dixerim. *Id.* 1. *Divinat.* 1. 2. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, trajectiones motusque stellarum observitaverunt. *Id.* 5. *Verr.* 19. 48. Quod – duriora edicta interposuerit, omnium superiorum auctoritatem repudiarit. *Id. Harusp. resp.* 21. 45. Ut – eo fecisse auctore se diceret, cujus auctoritatis neminem posset pœnitere. *Id. Cluent.* 51. 140. et 2. *Fin.* 13. 39.; *Cæs.* 1. *B. C.* 35.; *Curt.* 7. 6. 14. et *Quintil.* 3. 6. 80. Auctoritatem alicujus sequi. *Cic.* 5. *Verr.* 93. 216. Alicujus facto atque auctoritate aliquid defendere. *Id.* 7. *ibid.* 32. 85. Majorum auctoritas. *Id.* 1. *Legg.* 13. 36. Aliorum auctoritati parere. *Id.* 3. *Nat. D.* 4. 9. Auctoritates contemnere, ratione pugnare. *Curt.* 8. 5. 18. Scilicet ego et tu, Cleo, deos facimus! a nobis divinitatis suæ auctoritatem accepturus est rex! *Quintil.* 1. 6. 11. Præter auctoritatem oratorum atque historicorum, analogiâ quoque dictum tueri. *Priscian.* 8. p. 836. *Putsch.* Nec incongruum vel absonum mihi videtur posse verba quoque ex his ipsis (*nominibus*) ad similitudinem eorum, quibus usa est auctoritas, proferre. *h. e.* quibus usi sunt auctores Latini. — Etiam speciatim in jure. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 180. Num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est in medio jure civili versari? *Dig.* 1. 3. 38. Consuetudo, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritas. Cf. *ibid. fr.* 36. *Cod.* 8. 53. 2. Usus longævi auctoritas. ¶ 4. Cum agitur de inceptis, consiliis, vel actibus, auctoritas est id quod res ipsas validas ac ratas facit, hinc est consensio, favor, exhortatio, opera ad aliquid agendum. — *a*) Generatim. *Plaut. Pers.* 1. 1. 17. AG. Si tibi lubido est aut voluptati, sino: suspende, vinci, verbera, auctor sum, sino. SA. Si auctoritatem postea defugeris, ubi dissolutus tu eris, ego pendeam. Cf. *Ter. Eun.* 2. 3. 98. Jubeo, cogo, atque impero: numquam defugiam auctoritatem. *h. e.* numquam negabo vel recusabo me auctorem esse hujus rei: quidam, minus recte, verba illa *numquam defugiam auctoritatem*, alteri personæ, nempe servo respondenti tribuunt, et exponunt *numquam recusabo obtemperare*. Et *Cic. Sull.* 11. 33. Attende jam, quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei. *Ter. Hec. prol. alt.* 39. Facite, ut vestra auctoritas meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit. *Cic.* 3. *Verr.* 42. 107. Jure, legibus, auctoritate omnium, qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat. *Id.* 9. *Att.* 10. 10. Scribis Peducæo quoque nostro probari, quod quierim, cujus auctoritas multum apud me valet. *Id. Harusp. resp.* 9. 18. Auctoritates rerum gerendarum. *h. e.* auguria; cf. *Val. Max.* 1. 1. 1. *Id. Sull.* 13. 37. Auctoritates principum colligere. *h. e.* nomina eorum, qui fidem faciant et rei vades quodammodo se sistant. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. His rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti. *Nepos Pelop.* 3. Bello Peloponnesio hujus consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt. *Liv.* 38. 3. Ut per auctoritatem civitatium earum suæ preces nuper repudiatæ faciliorem aditum ad senatum haberent. — *b*) Speciatim in jure auctoritas est ea, qua tutor pro pupillo aliquid legitime agens id validum ratumque facit. *Julian. Dig.* 26. 7. 17. Interponere auctoritatem tutoris. *Ulpian. ibid.* 1. Tutores pro his, qui supra septimum annum ætatis sunt, auctoritatem præstent. *Id. ibid.* 8. 1. Accommodare auctoritatem pupillæ. *et l.* 2. Intervenit auctoritas tutoris. — Inter officia domus Augustæ fuit *servus ab auctoritate*, h. e. qui facultatem habebat a domino transigendi aliquid. *Inscript.* apud *Gruter.* 590. 7. *et* 8. EPAPHRODITO AVG. LIB. FELIA AB AVCTORITA. RATION. HEREDIT. *Gesnerus* in *Thesaur. Ling. et Erud. Rom.* putat servum ab auctoritate appellatum fuisse, qui ad fidem faciendam tabulis quibusdam et ad signandum adhibebatur. At *Marin. Frat. Arv.* p. 522. neutrum probat. *Orellio* vero *Inscript.* 2895. servus sive libertus ad auctoritatem vel ab auctoritate is fuisse videtur, qui tabulas ac chirographa accepti et expensi, minutarum præsertim summarum, vice domini ipsius signaret; et Italice, ipse ait, commodissime compares *colui che ha la procura di una casa*. Nam tali quoque molestiæ opulentissimos quosque sese subtraxisse, omnino est consentaneum. ¶ 5. Sæpius auctoritas est opinio, sententia, cujus quis auctor est; immo interdum et cum sententia conjungitur, ut apud *Cic. pro leg. Manil.* 20. 59., *V.* infra sub *b.* — *a*) Generatim. *Cic. Cluent.* 50. 139. Errat vehementer, si quis in orationibus nostris auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. *Id. Cæcin.* 18. 51. Si ad verba rem deflectere velimus, consilium autem eorum, qui scripserunt, et rationem et auctoritatem relinquamus. *Id. ibid.* § 52. Non ex verbis aptum pendere jus, sed verba servire hominum consiliis et auctoritatibus. *Id.* 6. *Fam.* 1. 5. Dolebamque pilis et gladiis, non consiliis neque auctoritatibus nostris de jure publico disceptari. *Id.* 1. *ibid.* 7. 4. Quare ea, quæ scribam, sic habeto, me cum illo re sæpe communicata de illius ad te sententia atque auctoritate scribere. — Per metonymiam ponitur et de sententia scriptis prolata. *Cic. Cæl.* 22. 55. Ipsius jurati religionem auctoritatemque percipite atque omnia diligenter testimonii verba cognoscite. Recita L. Lucceji testimonium. — *b*) Speciatim ponitur de alicujus sententia in senatu aut in judiciis prolata. *Cic. pro leg. Manil.* 17. 51. At enim – Q. Catulus itemque – Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt, quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse et valere oportere confiteor; sed in hac causa tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem. *Id. ibid.* 20. 59. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur. *Id.* 4. *Verr.* 44. 100. Quod illi judices multo in leviore causa statuerunt, vos id statuere in gravissima causa, præsertim aliorum auctoritate jam confirmatum, dubitabitis? Hinc *Impp. Honor., Theodos. et Constant. Cod. Theod.* 2. 27. 1. Auctoritatem postibus debitoris affigere. — *c*) Item de populi aut civitatum voluntate verbis prolata. *Cic. pro leg. Manil.* 22. 63. Quare videant, ne sit periniquum – illorum auctoritatem de Cn. Pompeji dignitate a vobis comprobatam semper esse, vestrum ab illis de eodem homine judicium populique Romani auctoritatem improbari, præsertim cum jam suo jure populus Rom. in hoc homine suam auctoritatem – possit defendere. *Id. ibid.* § 64. Aliquando isti principes et sibi et ceteris populi Rom. universi auctoritati parendum esse fateantur. *Vellej.* 2. 62. 3. et 2. 91. 2., et *Dig.* 1. 2. 2. § 4. Auctoritas publica. — Per metonymiam ponitur et de populi vel civitatum voluntate scriptis mandata. *Cic.* 2. *Verr.* 3. 7. Videt etiam tot – ab amicissimis civitatibus legationes cum publicis auctoritatibus testimoniisque convenisse. *Id.* 5. *ibid.* 61. 140. Nihil putas valere in judiciis conjecturam –, nihil virorum bonorum testimonia, nihil civitatum auctoritates ac litteras. — *d*) Item de collegiorum aut aliorum, qui publicis muneribus funguntur, sententia, cujusmodi sunt sacerdotes, augures, censores etc. *Cic.* 2. *Legg.* 19. 48. Hæc jura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia venerit. Adde *eumd. Harusp. resp.* 7. 14., *Cluent.* 42. 117. et *Dom.* 45. 117.; et *Liv.* 34. 44. — *e*) Sæpius tamen occurrit *senatus auctoritas*, hoc est communis senatorum sententia, quæ maximi habebatur: occurrit autem — Modo generatim. *Cic.* 3. *Legg.* 12. 28. Cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit. *Id. Sext.* 65. 137. Senatum reipubl. custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt: hujus auctoritate uti magistratus et quasi ministros gravissimi consilii esse voluerunt. — Modo ponitur pro senatus sententia vel decreto per suffragia lato, sed generali significatione, ita ut interdum *senatus auctoritas* et *senatusconsultum* idem fer-

me significent; hinc id, quod a *Liv.* 39. 18. appellatur *senatusconsultum de Bacchanalibus*, a *Cic.* 2. *Legg.* 15. 37. *senatus vetus auctoritas* dicitur. *Cic. Pis.* 21. 48. Auctoritatem senatus, jussa populi Rom. vendere. *Id.* 3. *Off.* 30. 109. Sine auctoritate senatus fœdus facere. *Id. Pis.* 2. 4. Interpositam senatus auctoritatem sustinere. *Id. ibid.* 2. 5. Provincia senatus auctoritate exercitu et pecunia instructa. *Liv.* 26. 2. Imperium non ex populi jussu, non ex auctoritate patrum datum. *Id.* 7. 31. Ex auctoritate senatus respondere. — Hinc etiam *senatusconsulti auctoritas*, quod per litteras s. c. a. occurrit apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 5. — Modo denique *senatus auctoritas* vocabatur decretum a senatu factum, cui aliqua deesset conditio, quominus senatusconsultum legitimum esset, hoc est cui tribunus aliquis intercessisset. *Cic.* 8. *Fam.* 8. 8. Si quis huic senatusconsulto intercessisset, auctoritas perscriberetur. Cf. *ibid.* § 6. et 7., et 1. *ibid.* 2. 4. *Id.* 5. *Att.* 2. 3. De his rebus – senatus auctoritas gravissima intercessit, cui cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta. Eam ad te missam esse arbitror. *Liv.* 4. 57. Si quis intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum. *V.* SENATUSCONSULTUM. ¶ 6. Item auctoritas est potestas seu facultas faciendi aliquid, quæ legitime tributa sit. *Cic.* 4. *Verr.* 49. 121. Qui habet imperium a populo Rom., auctoritatem legum dandarum ab senatu. *Id.* 3. *Nat. D.* 35. 85. Invita in hoc loco versatur oratio: videtur enim auctoritatem afferre peccandi. *Id.* 8. *Phil.* 8. 23. Senatus enim faciem secum attulerat auctoritatemque populi Rom. *Id.* 7. *Verr.* 58. 152. Tantum sibi auctoritatis in republ. suscipere. *Liv.* 26. 21. et 42. 21. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut etc. *Vellej.* 2. 125. 5. Cum ei – auctoritas quæ sentiebat obtinendi superesset. Hinc apud *Cic.* 1. *Att.* 19. 2. Legatos cum auctoritate mittere (*h. e.* plena præditos potestate libere faciendi quæ vellent) *opponitur* Legatos cum mandatis mittere, *h. e.* definitis ac certis quibusdam facultatibus præditos. ¶ 7. Hinc auctoritas est etiam potentia, jussum, imperium. *Cic. pro leg. Manil.* 18. 55. Omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos præstare poteramus. *Id.* 10. *Fam.* 28. 31. Ad alicujus auctoritatem se conferre. *Id.* 3. *Phil.* 3. 7. Persequi alicujus auctoritatem. *h. e.* alicujus jussa sequi eique obtemperare. Eodem sensu *Liv.* 3. 21. Nec ante moverunt de sententia consulem, quam tribuni se in auctoritate patrum futuros esse policiti sunt. Adde *eumd.* 4. 26. *Id.* 9. 14. Se in auctoritate Tarentinorum manere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (53). Satellites lictoresque assidui custodes auctoritatis.

II.) Latiori sensu auctoritas ponitur pro existimatione, pondere, momento, dignitate personæ aut rei alicujus: et occurrit ¶ 1. De personis pro existimatione, qua quis apud alios valet ac pollet. — *a*) Generatim. *Cic. Senect.* 18. 62. Non cani, nec rugæ repente auctoritatem arripere possunt, sed honeste acta superior ætas fructus auctoritatis capit ipsa extremos. *Cæs.* 1. *B. G.* 17. Esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimum valeat, qui privatim plus possint, quam ipsi magistratus. *Nepos Milt.* 8. Sed in Miltiade erat – magna auctoritas apud omnes civitates. *Liv.* 1. 7. Evander tum ea – auctoritate magis quam imperio regebat loca. *Curt.* 6. 8. 7. Patrem ejus Parmenionem, tanti ducem exercitus et inveterata apud milites tuos auctoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum etc. *Vellej.* 2. 32. 1. Digna est memoria Q. Catuli cum auctoritas, tum verecundia. *Val. Max.* 2. 9. 3. Et poterat inhiberi respectu consulatus, quem is gesserat, atque auctoritate fratris ejus viri clarissimi T. Flaminini. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 5. (9). Cui (*Antonio Castori*) summa auctoritas erat in ea arte nostro ævo. *Sueton. Cæs.* 11. Quorum (*optimatium*) auctoritatem ut – invicem deminueret, tropæa C. Marii – restituit. — *b*) Hac significatione auctoritas occurrit in plurimis dicendi rationibus, quarum præcipuas hic exhibemus. *Cic.* 1. *Off.* 1. 1. Summa auctoritas et doctoris et urbis. *Id. Senect.* 18. 64. Præmia auctoritatis. *Id.* 2. *Orat.* 37. 154. Auctoritate gravior. *Nepos Timoth.* 3. Auctoritati majorum natu cedere. *Cic. Rosc. Am.* 1. 2. Summa auctoritas est in aliquo. *Curt.* 8. 12. 13. Eminet auctoritas in aliquo. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (120). Esse in auctoritate. *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 62. Vincere aliquem auctoritate. *Nepos Chabr.* 1. Auctoritate omnes anteire. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Præstare auctoritate inter aliquos. *Nepos Dion.* 3. Auctoritate multum apud aliquem posse. *Cic.* 6. *Fam.* 6. 13. et *Nepos Con.* 2. Valere apud aliquem auctoritate. *Cic. pro leg. Manil.* 16. 46. Valet alicujus auctoritas apud aliquem. *Id. ibid.* 15. 13. Valet auctoritas in aliqua re multum. *Id. Amic.* 13. 44. Adhibere auctoritatem ad aliquid faciendum. *Id. Top.* 19. 73. et 3. *Nat. D.* 35. 85. Afferre auctoritatem. *Id.* 3. *Nat. D.* 38. 91. dare. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Amplificare auctoritatem alicujus apud omnes. *Id.* 1. *B. C.* 32. Attribuere auctoritatem domi. *Nepos Con.* 5. Constituere sibi magnam auctoritatem inter aliquos aliqua re. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 2. Defendere auctoritatem alicujus. *Quintil.* 11. 1. 88. Detrahere alicui auctoritatem. *Cic. pro lege Manil.* 15. 43. Facere auctoritatem. *h. e.* parere. *Id.* 4. *Fam.* 13. 2. Florere auctoritate. *Tac.* 4. *Ann.* 35. Gliscit auctoritas. *Cic. Flacc.* 25. 61. et 11. *Phil.* 10. 26. Habere auctoritatem apud aliquem. *Id.* 2. *Orat.* 37. 156. Imminuere auctoritatem alicujus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 22. 69. Levare auctoritatem. *Id. Senect.* 11. 37. Tenere auctoritatem. *Quintil.* 11. 3. 184. Perdere auctoritatem. Cf. *eumd.* 12. 11. 3. *Cic. Flacc.* 6. 14. et 7. 17., *Sext.* 31. 57. et 3. *Verr.* 48. 126. Sua auctoritas. *h. e.* ratio ac reverentia sui habita. — *c*) Hinc etiam *Cic.* 2. *Divinat.* 67. 139. Nec cognovi quemquam, qui majore auctoritate nihil diceret. *Id.* 2. *Leg. Agr.* 17. 44. Tenui auctoritate homo. *Id.* 3. *Off.* 29. 105. Maxima auctoritate philosophi. *Curt.* 6. 7. 2. Dymnus modicæ apud regem auctoritatis. — *d*) Denique abstractum pro concreto auctoritas est vir auctoritate præditus. *Cic. Dejot.* 11. 30. Nam ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata. *Id. Marcell.* 3. 10. Parietes – hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his – sedibus. Cf. *Id.* 12. *Phil.* 9. 23. Scimusne igitur – quibus in locis nunc sit Lentonis Cæsennii septemviralis auctoritas? — Hinc apud serioris ævi scriptores qui maximis dignitatibus publicisque muneribus excellebat, auctoritas vocabatur. *Cod. Theod.* 5. 13., 7. 7. et *alibi.* Auctoritas tua. V. *Dircksen Manuale* p. 80. ¶ 2. Ponitur et de rebus, et quidem sæpius intellectuali ratione pro pondere ac momento, quod habent res legitime, sapienter ac prudenter constitutæ, ut sunt leges, decreta senatus, responsa prudentum, res præclare gestæ, sententiæ clarorum virorum etc. *Cic.* 1. *Orat.* 43. 194. Et docemur – auctoritate nutuque legum domitas habere libidines. *Id. ibid.* 44. 195. Bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus – et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. *Id. Flacc.* 4. 9. Totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant. *Id.* 2. *Legg.* 7. 18. Quo plus auctoritatis habeant antiquiora (*verba*). Cf. *Dolabella* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. 3. Et meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. *Cic.* 1. *Divinat.* 18. 34. Auctoritas vetustatis. *Id.* 3. *Off.* 30. 109. honestatis. *Id.* 1. *Fam.* 7. 2. officii major. *Id. pro leg. Manil.* 1. 1. loci. *Id. Orat.* 34. 120. orationis. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 9. 33. veteris Academiæ. *Quintil.* 1. 6. 39. antiquitatis. *Id.* 10. 1. 102. historiæ. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Et neminem docere in auctoritatem scientiæ est. *h. e.* existimationem ac pondus acquirit scientiæ. Cf. *Sueton. Claud.* 30. ¶ 3. Item de rebus materiali ratione, sed raro, ponitur pro pretio. *Varro* 2. *R. R.* 5. 3. Nam bos in pecuaria maximæ debet esse auctoritate. *Vitruv.* 3. 3. 6. *Schneid.* Sic enim habebit et figurationis aspectum venustum – et circa cellam ambulatio auctoritatem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139). Achates magna fuit in auctoritate, nunc in nulla. *Id. ibid.* 2. 11. (30). Eamdemque hæc omnia, quam gemmæ, auctoritatem obtinent. *Id.* 9. *ibid.* 17. 28. (61). Auctoritas præcipua lupo pisci. *Id.* 8. *ibid.* 43. 68. (170). Auctoritas saporis. *Id.* 13. *ibid.* 1. 2. (4). unguentorum. *Pallad.* 8. *R. R.* 7. 6. dulcis mellis. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 147. 2. SI MAJOR AVCTORITAS PATRIMONII MEI FVISSET, AMPLIORI TITVLO TE PROSECVTVS FVISSEM, FILISSIME PATER. *h. e.* majores facultates et reditus. Hinc apud *Vitruv.* 1. *præfat.* 2. *publicorum ædificiorum auctoritates* sunt ædificiorum rationes ita apte dispositæ, ut auctoritatem dare et pro exemplo aliis esse possint.

AUCTŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (auctor). De scribendi ratione *V.* in AUCTOR sub init. Part. *Auctoratus* in omnibus ferme paragr. Occurrit *A*) generatim, et *B*) speciatim.

A) Generatim auctorare est auctorem facere, qui scilicet alicujus rei fidem ac periculum in se recipiat. Hinc ¶ 1. De personis, passive tantum, *auctorari* idem est atque *auctorem fieri*, sive auctoritatem accommodare et interponere. *Pompon. Dig.* 26. 8. 4. Si tutor auctoretur, cui administratio tutelæ concessa non est, id ratum a prætore haberi non debet. *Ulp. ibid.* 27. 6. 9. Dandam actionem adversus eum, qui dolo malo adhibuit, ut alius auctoraretur inscius. *Ita habetur utroque loco in optimis editionib.* Torrentini, Haloandri et al. ¶ 2. De rebus occurrit figurate tantum apud *Tertull. Cor. mil.* 2. Observatio satis auctorata consensus patrocinio. *h. e.* satis auctoritatis habens, satis comprobata et authentica facta.

B) Speciatim ac sæpius significat vendere, alicui addicere pretio accepto: ab *auctor* qua venditorem significat. Hinc *auctorare se* dicebantur, qui mercede pacta addicebant se alicui rei faciendæ, quemadmodum gladiatores ludo et pugnæ: quo pertinet id, quod legitur in *Gloss. Philox.* Αὐκτωράτος, εἰς δοῦλον (corrige λοῦδον) ἑαυτὸν βάλλων. Auctoratus, ὁ πρὸς τὸ σίδηρον πραθείς, ὅ ἐστιν ὁ μονομάχος. Usurpatur autem 1.) Active. — *a*) Proprie. *Quintil.* in argum. *Declam.* 302. Quidam, ut patrem sepeliret, auctoravit se. et in *ipsa Declam.* Illum majores prohibuerunt theatro, qui utilitate, qui gula se auctorasset. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 18. Non vitæ amore gladio vos ad lanistas auctoratis, sed etc. *Id. ad Martyr.* 5. Jam et ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent. *V.* TUNICA. — *b*) Figurate *auctorare sibi mortem* est mortem quasi mercede sibi quærere et arcessere. *Vellej.* 2. 30. 1. Romanis certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. 2.) Passive occurrit tantum Part. præter. pass. *auctoratus*, h. e. venditus, mercede conductus et addictus, alteri pacta mercede obligatus. — *a*) Proprie. Generatim. *Val. Max.* 6. 9. 8. Ultimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentare. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (10). Vindemiator auctoratus. *Quintil. Declam.* 302. Auctoratus ad sepeliendum patrem. — Speciatim *auctorati* dicuntur gladiatores, qui se ludo vendiderunt, ut docet *Acron Scholiast. Horatii* ad illud 2. *Sat.* 7. 58. Quid refert, uri virgis ferroque necari Auctoratus eas? etc. *Seneca Apocolocynt.* Proximo munere inter novos auctoratos, ferulis vapulare placet. Cf. *Apul.* 2. *Met.* p. 125. *Elmenh.* Hic auctoratus ad custodiam mariti tui fidenter accessit. *Inscript.* apud *Donat.* 275. 9., quæ est apud *Orell.* 4104. MVNICIPIBVS SINGVLIS INCOLISQVE LOCA SEPVLTVRAE DE *sua pecunia* (*Orellius* legit C. S. P. *h. e.* centum sua pecunia) DAT EXTRA AVCTORATIS ET QVEI SIBI LAQVEO MANVS ATTVLISSENT ET QVEI QVAESTVM SPVRCVM PROFESSI ESSENT. *h. e.* gladiatoribus, suimetipsius interfectoribus lenonibusque. Apud *Reines. cl.* 7. *n.* 20. legitur mendose *auctoritateis.* Hinc *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (117). Postremo jam die discedentibus tabulis et cornibus in se coeuntibus faciebat amphitheatrum et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Rom. circumferens. — *b*) Metaphorice. *Liv.* 36. 10. Et pignore velut auctoratum sibi proditorem ratus est. *Manil.* 5. 340. Atque auctoratos in tertia jura ministros.

AUCTŌROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Idem quod auctorare, h. e. vendere, addicere, alteri mercede pacta obligare. *Apul.* 9. *Met.* p. 225. *Elmenh.* Mulier execrando metallo pudicitiam suam protinus auctorata est. *Tertull. ad Scapul.* 1. Ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus.

AUCTRIX, īcis, f. 3. Docent Grammatici *Charis.* 1. *p.* 29. et 30. *Putsch.*, *Valer. Prob. in Cathol.* p. 1452. et *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 159. vocem *auctrix* esse femininum ab *auctor*, quæ ab *augeo* descendit, ut *auctrix divitiarum*, *auctrix patrimonii*: at cum *auctor* aliunde derivatur et significat eum, qui causa est, principium, aut impulsor alicujus rei faciendæ, non habere femininum, sed esse communis generis, ut allatis exemplis in voce AUCTOR sub init. ostendimus. Rectius tamen inter philologos constat, *auctrix* esse femininum ab *auctor* a serioris tantum ævi scriptoribus usurpatum. ¶ 1. Auctrix est quæ aliquid gignit ac producit, ejusque causa est. *Tertull. advers. Hermogenian.* 5. Materia auctrix universitatis. *Id. Anim.* 57. Auctrix opinionum istarum Magica. *Id. advers. Marcion.* 10. Anima auctrix operum carnis. *Id. Spectac.* 18. Comœdiæ scelerum et libidi-

num auctrices. *auctrices* possis hic intelligere etiam, quæ augent et fovent scelera. *Scioppius* mallet *actrices*. ¶ 2. Item in jure civili est quæ vendidit vel fidejussit. *Impp. Diocleт.* et *Maximian. Cod.* 8. 45. 16. Nam super pretio evictæ portionis non eum, qui dominium evicerit, sed auctricem conveniri consequens est.

AUCTUM, i, n. 2. augmentum, auctus. *Gell.* 20. 8. Cæpe solum olerum omnium contra lunæ aucta atque damna vices minuendi et augendi habet contrarias. *Quidam MS. Codex, et fortasse rectius, habet* augmenta. In illo *Livii* 27. 26. *in fin.* Auctum etiam visum in capite, nec id sane haruspici placuisse, etc. *auctum*, ait *Forcellinus*, significat incrementum visum in capite jocinoris, ut colligitur etiam ex *Val. Max.* 1. 6. 9., ubi de hac eadem re verba faciens, narrat, duplex jocinoris caput in ea hostia fuisse. Adde *Lucan.* 1. 627. Sed utroque loco *auctum* potest esse Accusat. ab *auctus*, us, aut fortasse etiam Part. præter. pass.

AUCTUM vocabatur spatium circi, quod super definitum modum victoriæ adjungitur. *Paul. Diac.* p. 14. 17. *Müll.*

AUCTUMNAL. *V.* voc. seq. sub init.

AUCTUMNĀLIS *vel* autumnalis, e, adject. *Auctumnal* neutr. gen. pro *auctumnale*, eadem ratione, qua *animal*, *capital* etc. dixit *Varro* juxta *Plinium* apud *Charis.* 1. *p.* 94. *Putsch.* Æquinoctium auctumnal. — Auctumnalis est ad auctumnum pertinens (It. *autunnale*; Fr. *d'automne*; Hisp. *autumnal*; Germ. *herbstlich*; Angl. *autumnal*). *Varro* 1. *R. R.* 28. 2., *Liv.* 31. 47. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (215). Auctumnale æquinoctium. *Varro* 1. *R. R.* 28. 1. dies. *Id.* 1. *ibid.* 39. 1. tempus. *Cic. Arat.* 285. lumen. *Propert.* 4. 2. 15. pruna. *Ovid.* 8. *Met.* 665. et 13. *ibid.* 816. corna. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 11. agnus. *Id.* 4. *ibid.* 9. *ad fin.* putatio. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (116). cœlum. *Id.* 19. *ibid.* 3. 13. (37). imbres. *Id.* 15. *ibid.* 15. 16. (54). pira. *Id.* 21. *ibid.* 4. 10. (19). rosa.

AUCTUMNAT *vel* autumnat. *V.* AUCTUMNO.

AUCTUMNASCIT *vel* autumnascit. *V.* voce seq.

AUCTUMNESCIT *vel* autumnescit, escebat, ere, n. 3. auctumnus incipit. *Capell.* 6. p. 190. Cum hic ver pubescit florentibus pratis, illic edomita æstas temporibus auctumnescit. *Al. leg.* auctumnascit.

AUCTUMNĬTAS *vel* autumnitas, ātis, f. 3. ad litteram est auctumni conditio: hinc ¶ 1. Est auctumni tempus. *Cato R. R.* 155. Prima auctumnitate cum pluvius est (*h. e.* mons, ut ait *Schneiderus*), tum maxime ab aqua periculum est. *Id. ibid.* 5. Circum oleas auctumnitate oblaqueato. *Varro* apud *Non.* p. 71. 15. et *p.* 103. 19. *Merc.* Quod auctumnitas in anni tetrachordo præterierat. *Arnob.* 2. 74. Æstas atque auctumnitas. ¶ 2. Item auctumni proventus. *Varro* apud *Non. p.* 71. 17. *Merc.* (ut legit *Scalig.* in *Conjectan. ad Varron. p.* 47.). Cape hanc caducam Liberi mollem dapem De fronde Bromiæ auctumnitatis uvidam. *Arnob.* 1. 21. Ex olivis atque vinetis plenam faciant auctumnitatem fundi. Adde *Symmach.* 3. 23.

AUCTUMNO *vel* autumno, as, are, n. 1. dies auctumnales facere, auctumnum inducere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (124). Corus auctumnat. *Id. ibid.* 50. 51. (136). Mobilior aer mitiore hieme et æstate nimbosa semper quodammodo vernat vel auctumnat.

AUCTUMNUM *vel* autumnum, i, n. 2. fortasse ab initio fuit adjectivum neutr. gen., cui subaudiendum est *tempus*; idem quod auctumnus. *Varro* apud *Non.* p. 71. 20. *Merc.* Etesiæ diutius et uberius flaverant et auctumnum ventosum fuerat. *Charis.* quoque 1. p. 91. *Putsch.* auctumnum neutro genere agnoscit. *Tertull. Resurr. carn.* 12. *ante med.* Revolvuntur et hiemes et æstates et verna et auctumna.

AUCTUMNUS *vel* autumnus, a, um, adject. ad auctumnum pertinens, auctumnalis (It. *autunnale*; Fr. *rélatif à l'automne, d'automne*; Hisp. *autumnal*; Germ. *herbstlich*; Angl. *autumnal*). *Cato R. R.* 5. Auctumnus imber. *Al. leg.* auctumni. *Ovid.* 3. *Met.* 720. frondes auctumno frigore tactæ. *Manil.* 2. 269. Auctumna sidera. *Id.* 2. 425. tempus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 33. (108). æquinoctium. *Gell.* 19. 6. tempestas. *Auson. Idyll.* 8. 10. pruinæ. Adde *Cod. Theod.* 2. 8. 2.

AUCTUMNUS *vel* autumnus, i, m. 2. Est vocabulum compositum ex *auctus annus* (eadem ratione qua *solemnis* pro *solennis* a *soleo* et *annus*), quasi adultus annus, vel quod, auctore *Paul. Diac.* p. 23. 11. *Müll.*, eo tempore maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus. Hinc ratione habita etymi scribendum est *auctumnus*: verum usus obtinuit, ut sine *c* scriberetur; quod et *Scalig.* ad *Paul. Diac. l. c.* et *Dausq.* in *Orthogr.* approbant. — Auctumnus est unum ex quatuor anni temporibus, medium inter æstatem et hiemem, quo tempore vindemiæ et majoris partis frugum collectio fit. Incipit, secundum veteres Latinos agricolas et teste *Tabula Cæsaris Dictatoris*, III. (vel VI. aut VII. juxta *Forcellinum*) Id. Augusti, occasu Fidiculæ, ut *Varro* 1. *R. R.* 28. 1., *Colum.* 11. *R. R.* 2. 57. et 83., et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (171). docent: desinit cum occasu Vergiliarum, nempe IV. Id. Novembr., ideoque diebus LXXXXI. constat. (It. *autunno*; Fr. *l'automne*; Hisp. *otoño*; Germ. *der Herbst*; Angl. *autumn*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 5. Per auctumnum evehito (*stercus*). *Id. ibid.* 5. Auctumni imber. *Al leg.* auctumnus. *Cic. Partit. Orat.* 11. 37. Illa, quæ temporis quasi naturam notant, ut hiems, ver, æstas, auctumnus. *Cæs.* 3. *B. C.* 87. Multos auctumni pestilentia in Italia consumpsit. *Id. ibid.* 2. et *Horat.* 2. *Sat.* 6. 19. Auctumnus gravis. *Varro* 1. *R. R.* 27. 3. Auctumno siccis tempestatibus vindemias ac silvas excoli commodissime. Adde *eumd.* 6. *L. L.* 9. *Müll.* *Lucret.* 1. 109. Præterea cur vere rosas, frumenta calore, Vites auctumno fundi suadente videmus? *Virg.* 1. *G.* 311. Quid tempestates auctumni et sidera dicam? Adde *eumd.* 4. *ibid.* 134. et 143. *Id.* 3. *ibid.* 479. Auctumni æstus. *Id.* 2. *ibid.* 321. Auctumni frigora. *Id.* 2. *ibid.* 5. Pampineus auctumnus. *Horat.* 2. *Od.* 5. 11. Distinguit auctumnus racemo Purpureo varius colore. *Id.* 4. *ibid.* 7. 11. Pomifer auctumnus fruges effudit. *Ovid.* 2. *Met.* 29. Auctumnus calcatis sordidus uvis. *Id.* 15. *ibid.* 120. maturus. *Juvenal.* 4. 56. letifer. *scilicet* quia eo tempore solent morbi ingravescere. Cf. *Cels.* 2. 1. Auctumnus plures opprimit. *Ovid.* 2. *Art. am.* 315. sub auctumno. *Al. leg.*, *inter quos et Forcellinus*, sub auctumnum. *Tac.* 11. *Ann.* 31. Adulto auctumno. *Id. ibid.* 4. vergente. *Id.* 5. *Hist.* 23. Flexu auctumni. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 36. 43. (120). Insecta auctumno moriuntur. *Id. ibid.* 29. 35. (101). Locustæ pariunt auctumni tempore. — In plurali numero. *Horat.* 2. *Od.* 14. 15. per auctumnos nocentem Corporibus metuemus Austrum. *Ovid.* 1. *Met.* 117. Inæquales auctumni. *h. e.* qui modo serenos et calidos dies, modo pluvios et gelidos habent. *Id.* 3. *ibid.* 326. Septem auctumni. *h. e.* septem anni per metalepsin.

II.) Per metonymiam ponitur pro fructibus auctumni; *V.* AUCTUMNITAS 2. *Martial.* 3. 58. 7. Et multa fragat testa senibus auctumnis. *h. e.* vino vetere.

AUCTUS, a, um. *V.* AUGEO.

AUCTUS, us, m. 4. (augeo) id quo aliquid augetur, augmentum, teste *Varron.* 5. *L. L.* 90. *Müll.* Auxilium appellatum ab auctu, quum accesserant ei, qui adjumento essent, alienigenæ. Cf. *Sueton. Aug.* 7. (It. *accrescimento, aumento*; Fr. *accroissement, augmentation, crue*; Hisp. *acrecentamiento, aumento*; Germ. *die Mehrung, Zunahme, das Wachsthum, die Vergrösserung*; Angl. *increase, augmentation*).

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 1120. Nam quæcumque vides hilarem grandescere ad auctum (*corpora*). *Id. ibid.* 482. infinitus corporis auctus. Adde *eumd.* 5. 1170. *Liv.* 29. 27. Eaque vos (*divi divæque*) bene juvetis, bonis auctibus auxitis. Cf. *Fronto de fer. Als.* (edente iterum *Mai*) *p.* 208. *ad fin.* Quid majores vestri, qui rempublicam et imperium Romanum magnis auctibus auxerunt? *Liv.* 4. 2. Maximis semper auctibus crescere. *Vellej.* 2. 129. Magni etiam terroris bellum Africum et quotidiano auctu majus – brevi sepultum est. *Seneca Ep.* 38. Quod (*semen*) quamvis sit exiguum – vires suas explicat et ex minimo in maximos auctus diffunditur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 19. 17. (81). Bis permutatis spatiis in auctum diei. *Id.* 4. *ibid.* 12. 21. (280). Danubius immenso aquarum auctu. *Tac.* 1. *Hist.* 8. Tiberis auctus. *Id.* 2. *Ann.* 33. Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes. — Et apud Poetas abstractum pro concreto. *Lucret.* 6. 166. cædere si quem Ancipiti videas ferro procul arboris auctum. *h. e.* ipsam arborem adultam et grandem. *Lucan.* 9. 797. distenti corporis auctum. *h. e.* tumorem corporis veneno inflati.

II.) Figurate. *Vellej.* 2. 40. 4. Hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit. *Tac.* 4. *Hist.* 28. At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat. *Seren. Sammon.* 61. 1062. Vel quicumque tuo carpetur lividus auctu. *h. e.* tua utilitate.

AUCŬPĀBUNDUS, a, um, adject. attente aucupans, captans. Occurrit translate tantum apud *Tertull. Anim.* 39. Spiritus nequam ab ipsa etiam nativitatis janua animas aucupabundus.

AUCŬPĀLIS, e, adject. ad aucupium pertinens. *Paul. Diac.* p. 21. 5. *Müll.* Amitæ perticæ aucupales.

AUCŬPĀTĬO, ōnis, f. 3. actus aucupandi. Item ipsa præda aucupio parta. *Quintil. Declam.* 13. 8. Multa, quæ libera fuerant, transeunt in jus occupantium, sicut venatio et aucupatio. *Al. leg.* occupatio, *sed minus recte*.

AUCŬPĀTĪVUS, a, um, adject. ad aucupium pertinens. Hinc

Aucupativa, æ, f. 1. absolute est ars ipsa aucupandi. Translate *Boeth. Aristot. Elench. Sophist.* 1. 10. *p.* 742. Qui gloriæ gratia, quæ in divitiis est, sophistici sunt; nam sophistice est pecuniarum quædam aucupativa ab apparente sapientia.

AUCŬPĀTOR, ōris, m. 3. qui aucupatur, auceps. Occurrit translate tantum et est captator. *Boeth. Aristot. Elench. Sophist.* 1. 2. *p.* 734. Est enim sophistice apparens sapientia, non existens autem; et sophista pecuniarum aucupator ab apparente sapientia, et non existente.

AUCŬPĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad aucupium aptus, aucupio inserviens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (169). *de calamis aquaticis.* Cum anno permansit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem. *h. e.* adeo crassescunt, ut possint aucupio quoque inservire. *Id. ibid.* (172). Aucupatoria arundo. *Martial.* in lemmate *epigr.* 218. *l.* 14. Calami aucupatorii.

AUCŬPĀTUS, a, um. *V.* AUCUPO.

AUCŬPĀTUS, us, m. 4. idem quod aucupatio. *Capitolin. Anton. philos.* 4. Amavit pugilatum, luctamina et cursum et aucupatus.

AUCUPEX, icis, pro auceps, et

AUCUPIAMEN, inis, pro aucupium, sunt vocabula a Lexico expungenda; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 151.

AUCŬPĬUM, ii, n. 2. (auceps) avium captatio (It. *uccellagione, uccellanda*; Fr. *chasse aux oiseaux, oisellerie*; Hisp. *oficio de cazar*; Germ. *das Aufstellen auf Vögel, das Vogelstellen oder der Vogelfang*; Angl. *bird-catching, fowling*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est aucupandi actus vel exercitatio. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. Piscatu, aucupio, venatione. *Id. Senect.* 16. 56. Aucupium atque venatio. *Id.* 5. *Fin.* 11. 32. Propagare vitam aucupio. ¶ 2. Abstractum pro concreto, est — *a*) Aucupandi instrumenta. *Propert.* 4. 2. 34. arundine sumptâ Faunus plumoso sum deus aucupio. *Pallad.* 13. *R. R.* 6. 2. Tendere aucupium. *Id.* 10. *ibid.* 12. Parare aucupium noctuæ. — *b*) Item sumitur et pro ipsa præda, quæ aucupio capitur. *Catull.* 114. 3. Aucupia omne genus. *Cels.* 2. 26. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus, pomis etc. *Seneca Provid.* 3. In ventrem suum longinqui littoris pisces et peregrina aucupia congerere.

II.) Translate aucupium est actus vel ars aliquid attente captandi. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 43. Viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus? *h. e.* attente subauscultare aliorum sermones. *Ter. Eun.* 2. 2. 16. Hoc novum est aucupium. *h. e.* nova ratio parandi sibi alimenta et cetera adjumenta vitæ. *Cic. Orat.* 58. 97. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium et quadrandæ orationis industria. *h. e.* studium delectandi alios oratione elaborata. Adde *eumd. ibid.* 25. 84. *Id. Cæcin.* 23. 65. Aucupia verborum. *h. e.* subtilium verborum captiunculæ, quibus JCti in rebus definiendis uti solent. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 9. Mercenarii salutatoris mendosissimum aucupium. *Id.* 3. *ibid.* 2. 31. Aucupium nomenclationis. *h. e.* studium et inquisitio vocabulorum, quibus singulæ res appellantur. Hinc *Capell.* 5. *p.* 165. Nec indecore Virgilius vitandæ humilitatis aucupio (*h. e.* studio) lychnos pro lucernis ait. *scilicet* 1. *Æn.* 726. dependent lychni laquearibus aureis.

AUCŬPO, as, āvi, ātum, are a. 1. (auceps). Est antiquissima verbi forma, quæ Augusteo ævo in desuetudinem abiit, teste ipso *Servio* ad *Virg.* 1. *G.* 184. Veteres *populo*, *munero*, *aucupo*, *lucto* dicebant; nos addita *r* littera pronunciamus. — Part. *Aucupa-*

fus sub fin. — Aucupo est aves capio: sed translate tantum occurrit pro attente observare, captare, studiose quærere. — *a)* Absolute. *Plaut. Men.* 4. 1. 12. Hoc concedamus, ex insidiis aucupa. *Id. Truc.* 5. 72. Lepide mecastor aucupavi. *Accius* apud *Non.* p. 467. 10. *Merc.* Ego me extollo in abietem, alte ex tuto prospectans aucupo. — *b)* Cum Accus. rei. *Ennius* apud *Non. l. c.* Fructus verborum aures aucupant. *Plaut. Most.* 2. 2. 42. Circumspice dum, num quis est, sermonem nostrum qui aucupet. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 483. Circumspice agedum, ne quis arcana aucupet. *Pacuvius* apud *Non l. c.* Dein omnes partes prospectum aucupo. *Accius* apud *eumd. ibid.* Nunc in consilio id reges Argivum aucupant, id quærunt. *Titinnius* apud *eumd. ibid.* Id ego aucupavi, plenas aures adfero. — *c)* Cum Accus. personæ. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 5. Qui aucupet me quid agam. — *d)* Cum Relativo tantum. *Plaut. Asin.* 5. 2. 31. Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant. — *e)* Passive. *Lactant.* 5. 22. Multa, quæ ad religionem pertinent, divulgata ac per rumorem vicissim aucupata discuntur.

AUCŬPOR, ăris, ātus sum, ari, dep. 1. Idem quod *aucupo*, sed frequentioris usus apud Augustei ævi scriptores. *V.* AUCUPO sub init. — Part. *Aucupans* et *Aucupaturus* II. — Aucupor est aves capio (It. *uccellare*; Fr. *chasser aux oiseaux*; Hisp. *cazar pájaros*; Germ. *sich Vögel zu erhaschen suchen*, *vogelstellen*; Angl. *to go a fowling*).

I.) Proprie. — *a)* Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 23. 5. Alio loco ut seras ac colas silvam cæduam, alio ubi aucupere. *Cajus Dig.* 41. 1. 3. § 1. In alienum fundum venandi aucupandive gratiâ ingredi. Adde *ibid.* 47. 10. 13. § 7. — *b)* Latiori sensu. *Colum.* 3. *R. R.* 8. 8. Aucupari examina apum.

II.) Translate est captare, consectari, quærere, observare. — *a)* Raro admodum absolute. *Plaut. Rud.* 4. 4. 40. Viden, scelestus ut aucupatur. — *b)* Sæpius cum Accus. *Cic.* 6. *Att.* 8. 2. Nos longis navibus tranquillitatem aucupaturi eramus. *Id.* 2. *Orat.* 14. 59. Atqui – non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans horum libros et nonnullos alios, sed delectationis causa – legere soleo. *Id. Orat.* 19. 63. Delectationem aliquam dicendo aucupari. *Id. Pis.* 24. 57. Inanem aucupari rumorem et omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari. *Id.* 3. *Legg.* 16. 35. Aucupans omnes rumusculos populari ratione. *Id. Cluent.* 38. 105. Aucupari rumusculos imperitorum hominum. *Id.* 2. *Orat.* 7. 30. errores hominum. *Id.* 5. *Fam.* 12. 6. gratiam alicujus assentatiunculâ quadam. *Id. Flacc.* 37. 92. alicujus imbecillitatem epistolis. *Id. Rosc. Am.* 8. 22. Observare occupationem alicujus et aucupari tempus. *Id.* 1. *Verr.* 3. 9. Omnia colligere et aucupari. *Id.* 2. *Fin.* 22. 71. opinionem. Cf. *eumd.* 2. *Orat.* 7. 30. *Id. Sext.* 56. 119. ex omni genere orationem, et omnes undique flosculos capere. *Id.* 1. *Herenn.* 13. 23. similitudinem quamdam ab aliis legibus. *Id. Cæcin.* 18. 52. verba inter se. *Id.* 2. *Orat.* 63. 253. Attendere et aucupari verba. *Id. ibid.* 14. 59. utilitatem aliquam ad dicendum. *Varro* apud *Non.* p. 325. 16. Vosque in theatro, qui voluptatem auribus hac aucupatum concucurristis domo, adeste. *Auct. B. Afr.* 58. Legiones cohortatus signo dato accessum hostium aucupabatur. *Id.* 3. Aucupari occasionem. *Ovid. Heroid.* 13. 107. Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos. *Sueton. Aug.* 86. voces reconditas. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (32). Dum juvenalem famam apud principem popinarum pœnis aucupatur. *Id.* 1. *ibid. præfat.* § 30. Aucupari sibi famam contrectatione alienæ scientiæ. *Flor.* 3. 13. 1. Studium populi ac favorem agrariis, frumentariis legibus aucupabatur. *Justin.* 29. 4. Aucupari absentiam alicujus. *Seneca Phæn.* 361. verba rumoris vagi. *Cod. Theod.* 7. 20. 11. popularem plausum alienis spoliationibus.

AUDĀCIA, æ, f. 1. (audeo) animi securitas, qua quis malum neque futurum timet, neque præsens horrescit (It. *ardire*, *ardimento*, *audacia*; Fr. *audace*, *courage*, *hardiesse*; Hisp. *audacia*, *ardimiento*; Germ. *Kühnheit*, *Keckheit*, *Verwegenheit*; Angl. *boldness*, *courage*, *intrepidity*, *audacity*). ¶ 1. Interdum accipitur in bonam partem, et est fidentia vel animus ad omnia paratus. *Sall. Cat.* 52. 17. Majores nostri, P. C., neque consilii, neque audaciæ unquam eguere. *Id. ibid.* 52. 2. Quanta cujusque animo audacia naturâ aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Adde *eumd. ibid.* 9. et *Jug.* 94. *Liv.* 1. 12. Et alia Romana acies audaciâ regis accensa fundit Sabinos. *Id.* 25. 38. Non enim frangere audaciam vestram, sed differre in majorem gloriam atque opportunitatem volui. Adde *eumd.* 2. 10. *Propert.* 2. 8. 9. Quod si deficiant vires, audacia certe Laus erit: in magnis et voluisse, sat est. *Curt.* 8. 11. 11. Vir audaciæ promptæ conversus ad corporis custodes sequi se jubet. *Tac.* 1. *Hist.* 49. Unam in audacia spem salutis. *Id. Agric.* 11. Audacia in deposcendis periculis. Adde *Justin. præfat.*, et 2. 9., et 12. ad *fin.* ¶ 2. Sæpius in malam partem; et quidem — *a)* Audacia est temeritas, imprudentia, nimia licentia. *Cic. Dejot.* 8. 25. Vide quid licentiæ, Cæsar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. *Plin.* 1. *Hist. nat. præfat.* § 4. Itaque cum ceteris in venerationem tui pateant omnia illa, nobis ad colendum te familiarius audacia sola superest. *Sueton. Gramm.* 10. *in fin.* Vitare obscuritatem Sallustii et audaciam in translationibus. — *b)* Item audacia est immanis temeritas, impudens petulantia: ut ait *Cic.* 1. *Off.* 19. 63. Animus paratus ad periculum si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habet, non fortitudinis. Et 2. *Invent.* 54. 165. Audacia non contrarium (*fidentiæ*), sed appositum ac propinquum, et tamen vitium. — Singulari num. *Plaut. Amph.* 1. 1. 215. Ne tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis advenisti, audaciai columen, consutis dolis. Adde *eumd. Men.* 5. 1. 13. *Ter. Andr.* 1. 2. 21. Audire eorum est operæ pretium audaciam. *Id. Heaut.* 2. 3. 72. O hominis impudentem audaciam! *Id. Phorm.* 5. 7. 84. Affectum esse audacia. *Cic.* 4. *Verr.* 30. 74. Homo incredibili importunitate et audacia. *Id. Dom.* 55. 141. Incredibili armatus audacia. Adde *ibid.* 45. 116. et 55. 140. *Id. Flacc.* 15. 35. Audacia atque impudentia fretus. *Id. Cluent.* 65. 183. Audacia callida. *Id.* 13. *Phil.* 5. 10. Immanis ad omne facinus. *Id. Cluent.* 65. 184. Abundare audaciâ. *Id. Cæcin.* 1. 2. Audaciæ cedere. *Id.* 10. *Phil.* 5. 11. Furentis hominis conatum atque audaciam comprimere. *Id.* 13. *ibid.* 13. 29. Contundere et frangere audaciam alicujus. Adde *Quintil.* 2. 16. 7. *Sall. Jug.* 14. Audacia intoleranda. *Liv.* 44. 4. pertinax. *Id.* 28. 22. vecors. *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 17. ingens. *Curt.* 6. 11. 2. Stolidâ audaciâ ferocem esse. *Id.* 8. 13. Temeritate atque audacia insignem esse. *Tac.* 1. *Ann.* 57. Audaciâ promptus. *Id.* 3. *Hist.* 66. Accingi in audaciam. — In plurali numero fere significat actiones audaces ac temerarias. *V. Caton.* apud *Paul. Diac.* p. 27. 6. *Müll. Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ ac tolerandæ. *Id. Sull.* 27. 70. Quantas audacias, quam incredibiles furores etc. *Id.* 5. *Verr.* 89. 208. Istorum audacias ac libidines resecare. *Cod. Vatican.* habet *audaciam*. *Id.* 9. *Att.* 7. 5. Libidines, audacias, sumptus sustinere. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 74.

AUDĀCITER, adverb. Per syncopen ab *audaciter* factum est *audacter*, ejusdem omnino significationis, sed multo usitatius. — Comp. *Audacius* et Sup. *Audacissime* in fin. sub *c* et *d*. — Audaciter vel audacter est cum audacia, fidenter, animose (It. *audacemente*, *arditamente*; Fr. *audacieusement*, *hardiment*; Hisp. *atrevidamente*, *osadamente*; Germ. *aus Kühne*, *verwegene oder dreist Weise*; Angl. *boldly*, *confidently*, *courageously*). Occurrit tum in bonam, tum in malam partem. — *a)* *Audaciter* pro *audacter* ex analogia, aureo quoque Latinæ linguæ ævo usurpasse Scriptores, testatur *Quintil.* 1. 6. 17., qui præterea reprehendit quorumdam molestissimam diligentiæ perversitatem, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur. *Cic. Rosc. Am.* 36. 104. Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti. Ita legit *Priscian.* 15. p. 1014. *Putsch.*, item *Gruter.*, *Græv.* et alii ex optimis Codicibus. Alii *audacter* reponunt. *Id. Fontej.* 1. 1. Audaciter aliquid dicere. *Id. Cæl.* 6. 13., et *Sall.* apud *Priscian. l. c.* vivere. *Liv.* 22. 25. ferre de re aliqua. *Alii leg.* audacter. Adde *eumd.* 40. 55. *Seneca* 3. *Contr.* 20. dicere. *Id. Provid.* 4. spectare aliquid. — *b)* *Audacter* est usitatius. *Plaut. Capt.* 3. 4. 95. Audacter aliquid dicere. *Id. Amph.* 2. 2. 207. juvare. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 33. loqui. *Ter. Phorm. prol.* 11. lædere. *Id. Heaut.* 1. 1. 6. Audacter et familiariter monere aliquem. *Cic. Rosc. Am.* 11. 31. Libenter, audacter libereque dicere aliquid. *Id.* 2. *Fin.* 9. 28. Audacter defendere aliquid. *Id.* 15. *Fam.* 2. 6. deferre aliquid. *Id.* 4. *Acad.* (pr. 2.) 25. 81. respondere alicui. *Id.* 4. *Verr.* 54. 131. Callide, audacter, impudenter facere aliquid. *Id. Brut.* 68. 241. Magis audacter, quam parate ad dicendum venire. *Lucret.* 2. 48. Audacter versari inter aliquos. *Cæs.* 4. *B. G.* 24. tela conjicere. *Id.* 1. *B. C.* 1. Audacter ac fortiter dicere. *Liv.* 9. 34. Audacter dictatorem creare. *Id.* 44. 4. committere aliquid. *Catull.* 55. 16. edere. *Ovid. Heroid.* 21. 195. blandiri. — *c)* Compar. *Plaut. Capt.* 2. 2. 98. Concredere filium suum alicui audacius. *Cic. Orat.* 60. 202. Poetæ transferunt verba tum crebrius, tum etiam audacius. *Id. ibid.* 8. 26. Audacius exultare. *Cæs.* 1. *B. G.* 15. subsistere. *Id.* 1. *ibid.* 18. Liberius atque audacius dicere. *Nepos Epam.* 9. Audacius instare hostibus. *Quintil.* 9. 2. 42. imaginari. — *d)* Superl. *Ter. Phorm.* 3. 3. 28. Audacissime oneris quidvis impone. *Cæs.* 2. *B. G.* 10. Audacissime transire. *Id.* 5. *ibid.* 15. prorumpere. *Auct. B. Afr.* 6. concurrere. *Liv.* 30. 30. incipere omnia.

AUDACTER. *V.* AUDACITER.

AUDĀCULUS, a, um, *deminut. ab* audax; teste ipso *Paul. Diac.* p. 27. 7. *Müll.* A u d a x diminutivum facit a u d a c u l u s. *Gell.* 5. 21. Audaculus reprehensor verborum. *Id.* 15. 5. Rabula audaculus. *Firmic. præfat.* Audacula nimis pollicitatio.

AUDAX, ācis, adject. (audeo). — Comp. *Audacior* et Superl. *Audacissimus* I. — Audax est confidens, audens, præditus animo ad pericula etiam sponte obeunda parato (It. *audace*, *ardito*, *franco*, *animoso*, Fr. *audacieux*, *hardi*; Hisp. *audaz*, *atrevido*; Germ. *zum Wagen geneigt, bereit und entschlossen*; Angl. *bold*, *confident*, *resolute*, *audacious*). Occurrit tum in bonam, tum in malam partem. ¶ 1. De personis. — *a)* Absolute. — Primo quidem ac generatim audax est fidens ac promptus ad aliquid faciendum cum imprudentia quoque ac periculo, quin tamen hoc vocabulum per se aliquid injuriæ habeat. *Plaut. Amph.* 1. 1. 1. Qui me alter est audacior homo, aut qui confidentior? *Id. ibid.* 2. 2. 207. Quæ non deliquit, decet audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui. *Cic. Rosc. Am.* 1. 2. Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? *Nepos Dion.* 9. Adolescentes quosdam eligit cum audacissimos, tum viribus maximis. *Catull.* 50. 18. Nunc audax cave sis, precesque nostras, Oramus, cave despuas, ocelle. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 182. Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam. *Tibull.* 4. 1. 98. Jam simul audacis venient certamina Martis. *Ovid.* 4. *Met.* 96. Audacem faciebat amor. *Id.* 13. *ibid.* 196. Mittor ad Iliacos audax orator ad arces. — Speciatim in familiari sermone a priscis inde temporibus usurpatum est hoc idem vocabulum ad injuriam in aliquem proferendam. *Ter. Andr.* 4. 4. 30. O hominem audacem. *Id. Eun.* 4. 4. 14. O scelestum atque audacem hominem. *Id. ibid.* 5. 4. 26. Rogitas, audacissime? Hinc *Cic.* 1. *Invent.* 3. 4. Temerarii atque audaces homines. *Id.* 1. *Fin.* 18. 61. Petulantes, audaces, protervi. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 4. 1. Homo petulans et audax. *Id. Flacc.* 20. 48. Homo audacissimus pertimuit. *Eodem teste* 14. *Phil.* 3. 7. In consuetudine forensi *improbos* et *audaces* appellabant eos, qui ejiciebant vicinos, qui testamenta subjiciebant, qui adolescentulos circumscribebant. *Nepos Lysand.* 1. Factiosus audaxque. *Horat.* 1. *Od.* 3. 25. Audax Iapeti genus. *Id.* 2. *Sat.* 3. 165. Ambitiosus et audax. *Tibull.* 1. 10. 35. Audax Cerberus. — *b)* Addito, ad quod quis audax est. — Per Accus. et præp. *ad*. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 9. Paullo ad facinus audacior. — Per Infinitum. *Horat.* 1. *Od.* 3. 25. Audax omnia perpeti. *Propert.* 4. 5. 13. Audax cantatæ leges imponere Lunæ. Adde *Senec. Herc. Fur.* 547.; *Lucan.* 7. 246.; et *Sil. It.* 1. 409. et 3. 321. — *c)* Addita qua re quis audax est. — Per Ablat. *Virg.* 5. *Æn.* 67. viribus audax. *Id.* 4. *G.* 565. Audax juventâ. *Sil. It.* 14. 417. irâ. *Stat.* 10. *Theb.* 495. audax animis Spartana juventus. *Al. leg.* animi. *Quintil.* 10. 1. 96. Audax verbis. — Per Genit., Græca constructione. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 64. et 5. *ibid.* 3. 135. Audax ingenii. *Claudian.* II. *Rapt. Pros.* 4. Audax animi. ¶ 2. Occurrit et de inceptis, aut hominum conditionibus, aut de abstractis; et est — *a)* In bonam partem, animo plenus, pericula spernens. *Liv.* 35. 35. Consilium temerarium magis, quam audax. *Id.* 26. 38. Res audacior. *Virg.* 1. *G.* 40. Da facilem cursum atque audacibus annue cœptis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 51. Audax paupertas. *Id.* 4. *Od.* 2. 10. Audaces dithyrambi. *Ovid. Heroid.* 11. 40. manus. *Id.* 8. *Met.* 223. volatus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). Spes audacior. *Quintil.* 10. 1. 104. Audaces sententiæ.

Id. 8. 6. 11. hyperbole. Id. 10. 5. 4. Verba poetica libertate audaciora. Stat. 5. Silv. 3. 48. aeriam educere molem Cyclopum scopulos ultra atque audacia saxa Pyramidum. h. e. audaci conatu extructa. Claudian. III. Cons. Honor. 56. Fregit Hyperboreas remis audacibus undas. — b) In malam partem. Ter. Andr. 2. 3. 27., Eun. 4. 3. 2. et Phorm. 1. 2. 4. Audax facinus. Sall. Cat. 5. animus. Virg. 11. Æn. 812. factum. Seneca Agamemn. 13. Impium atque audax caput.

AUDENS, entis. V. AUDEO.

AUDENTER, adverb. (audeo). Comp. *Audentius*. — Est fidenter, intrepide, audacter (It. *arditamente, francamente*; Fr. *hardiment, résolûment*; Hisp. *atrevidamente, libremente*; Germ. *auf Kühne, verwegene Art und Weise*; Angl. *boldly, bravely*). Scævola Dig. 28. 2. 29. § 14. Nisi (quod audenter licet) possis dicere, etc. Ulp. ibid. 5. 4. 1. § 5. Non audenter tamen dicetur. Tac. 13. Ann. 40. Audentius progredi. Id. 4. ibid. 68. Audentius onerare aliquem. Id. 2. Hist. 78. Audentius circumsistere. Id. Dial. de orat. 18. Agere aliquid fortius et audentius. Adde Quintil. 8. 3. 27.

AUDENTĬA, æ, f. 1. (audeo) animi fidentia, audacia (It. *ardire, animosità*; Fr. *hardiesse, courage, résolution*; Hisp. *atreviamento, animo, ardimiento*; Germ. *die Bereitwilligkeit zum Wagen, Herzhaftigkeit, Kühnheit*; Angl. *boldness, confidence, spirit*). Nonius p. 431. 6. Merc. recte docet, audentiam in bonam partem sumi et esse fortitudinis: audaciam plerumque in malam accipi et esse temeritatis. Occurrit apud Scriptores argenteæ ætatis tantummodo. Tac. 15. Ann. 53. Tribuni et centuriones, ut quisque audentiæ habuisset, accurrerent. Id. Germ. 34. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus. Adde eumd. ibid. 21. Et figurate Plin. 8. Ep. 4. Si datur Homero et mollia vocabula et Græca ad lenitatem versus contrahere, extendere, inflectere; cur tibi similis audentia negatur?

AUDEO, es, ausi, *sed sæpius* ausus sum, ausum, ere, 2. Olim habuit in præterito *ausi*. Cato apud Priscian. 9. p. 868. Putsch. Non ausi recusare. — Hinc *ausim, is, it* (quod ex *auserim* per syncopen esse videtur) frequenter usurpatur. Et sane *ausim* occurrit apud Plaut. Pœn. 5. 6. 21.; Ter. Eun. 5. 2. 43. et 65.; Cic. Brut. 5. 18. (ubi tamen nonnulli Codd. MSS. legunt: *Non ausus sim*. Cf. Ter. Andr. 1. 2. 32.); Lucret. 2. 178. et 5. 197.; Liv. Proœm.; Virg. 3. Ecl. 32. et 2. G. 89.; Tibull. 4. 1. 193.; Propert. 2. 5. 24. et 2. 19. 21.; Ovid. 2. Amor. 4. 1.; Quintil. 6. 3. 11. et 7. 4. 28.; Plin. 4. Ep. 4. ad fin.; Tac. Agric. 43. *Ausis* occurrit in Accio apud Non. 4. 62. Merc.; Lucret. 2. 981. et 4. 511.; et Paul. Diac. p. 27. 5. Müll. *Ausit* occurrit apud Plaut. Bacch. 4. 4. 47.; Catull. 61. 65. et 66. 28., Liv. 5. 3. ad fin.; et Ovid. 6. Met. 465. *Ausint* occurrit apud Stat. 11. Theb. 126. — Ipsum vero *auserim* usurpatum legitur ab Auctore cujusdam carminis *de Passione Domini* (quod quidam *Lactantio* tribuunt) v. 66. Efficient ne spe captatus inani Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus Auseris, aut vitæ sperare fugacibus annis. Cellarius tamen edidit *ausis*. — Part. *Audens* in fin.; *Ausus, Ausurus* et *Audendus* sub a. — Ratione habita etymi *audeo* conjungi potest cum *aveo* et *avidus*; significat enim maxima cupiditate aliquid conari, fidentem esse ad aliquid faciendum (It. *ardire, arrischiarsi, imprendere con coraggio e risoluzione*; Fr. *oser, entreprendre, tenter avec hardiesse et courage*; Hisp. *osar, atreverse, abalanzarse*; Germ. *wagen, sich unterfangen, mit Kühnheit und Entschlossenheit unternehmen*; Angl. *to dare, adventure, attempt, endeavour*). Usurpatur — a) Cum Accus. rei. Ennius apud Cic. 6. Att. 2. 8. Ausus es hoc ex ore tuo. *hic tamen* videtur verbum aliquod subaudiendum: Forcellinus autem putat *audere aliquid* idem esse atque aggredi, tentare, conari facere: eique videtur ellipsis esse, ut subintelligendum sit *facere*, aut *aggredi*, aut aliquid simile. Ter. Eun. 5. 4. 37. Qui audaciâ tantum facinus audet? Cæs. 2. B. G. 8. Quotidie – quid nostri auderent, sollicitationibus periclitabatur. Liv. 3. 2. Desperatio audere ultima et experiri cogit. Id. 26. 40. Exules obærati, capitalia ausi plerique. Id. 23. 14. Capitalem fraudem ausi. Virg. 3. Ecl. 16. Quid domini faciant, audent cum talia fures? Id. 12. Æn. 814. pro vita majora. Ovid. 1. Met. 199. Confremuere omnes studiisque ardentibus ausum Talia deposcunt. Id. 13. ibid. 244. eadem. Id. 3. Trist. 9. 15. multa nefanda manu. Sil. It. 6. 209. magna. Vellej. 2. 47. 1. Quantas (res) audere vix hominis, perficere pæne nullius nisi dei fuerit. Quintil. 1. 5. 32. Audentes plus quam possunt. Id. 7. 4. 22. aliquid novi sceleris. Id. 2. 4. 6. Audeat hæc ætas plura et inveniat et inventis gaudeat. *hic* transfertur ad orationem et scriptionem: quemadmodum et 2. 4. 14. Audere aliquid licentius et lætius. Id. 3. 8. 45. rem sceleratissimam. Tac. 3. Hist. 76. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi. h. e. aggressi machinis oppugnatoriis uti. Id. 4. ibid. 15. Multa hostilia ausus. Id. 2. Ann. 12. Ausuros hostes castrorum oppugnationem. Id. 12. ibid. 29. Obvius hostis et aciem ausus. Id. ibid. 55. vim alicui *et* in aliquem. Id. 2. ibid. 40. pœnam alicujus. Id. ibid. 62. ultionem. Id. 1. Hist. 55. Nihil ultra fremitum et minas ausæ legiones. Justin. 5. 9. Audendum aliquid pro patria etiam cum periculo ratus. — Hinc passive, et passiva itidem significatione ipsa participia *ausus* et *audendus*. Liv. 39. 8. Multa dolo, pleraque per vim audebantur. Id. 23. 9. Audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. Id. 35. 35. Agenda res est audendaque. Vellej. 2. 56. *sub fin.* Antonius omnibus audendis paratissimus. Sueton. Domit. 14. Ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem. Tac. 3. Ann. 67. Defensionem sui deseruit, ausis ad Cæsarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat. Apul. Florid. 7. Multa sublimia facinora vel belli ausa vel domi provisa. — b) Sæpius, immo de more, cum Infinito. Ennius 7. Ann. 6. Nos ausi reserare (*fores*). Cato apud Priscian. 9. p. 868. Putsch. Non ausi recusare. Plaut. Men. 1. 2. 40. Ecquid audes de tuo istuc addere. *Quidam putant hoc loco* audere *esse* pro velle. Adde eumd. ibid. 4. 3. 23. Id. Truc. 4. 3. 44. Lapideus sum; commovere me miser non audeo. *Quidam putant hoc loco* audere *esse pro* posse. Ter. Andr. 3. 2. 25. Itaque hercle nil jam muttire audeo. Adde eumd. ibid. 3. 5. 7., Heaut. 5. 1. 80. et Phorm. 5. 1. 31. Cic. pro lege Manil. 9. 25. Mithridates tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare. Adde eumd. ibid. 5. 12. Id. Lig. 3. 8. Vide, quæso, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Adde eumd. 5. Fin. 28. 84., Brut. 5. 18. et alibi sæpe. Brutus ad Cic. 1. ad Brut. 16. 1. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis istas esse preces. Lucret. 1. 68. Primum Grajus homo mortales tollere contra Est oculos ausus primusque obsistere contra. Adde eumd. 2. 1036. Et cum passivo de rebus inanimis Id. 6. 1070. Vitigeni latices in aquai fontibus audent Misceri, cum pix neque et gravis et leve olivum. h. e. possunt. Sall. Cat. 6. Qui pulsi loco cedere ausi erant. Liv. 9. 17. Nihil aliud quam bene ausus vana contemnere. Id. Proœm. Nec si sciam, dicere ausim. Catull. 81. 6. quem tu præponere nobis Audes. Horat. 2. Ep. 2. 148. Quod quanto plura parasti, Tanto plura petis, nulline faterier audes. Plin. 2. Hist. nat. 1. 1. (3). Furor est, mensuram ejus (*mundi*) animo quosdam agitasse atque prodere ausos. Quintil. 1. 5. 9. Quod eodem nomine appellare non audent. — c) Semel occurrit præcedente particula negativa et subsequente *quin* cum Conjunctivo. Plaut. Asin. 1. 1. 11. Ita me obstinate aggressus, ut non audeam profecto, percunctanti quin promam omnia. — d) Occurrit etiam sine addito, et significat magno animo esse ad rem aliquam, tentare, conari, periclitari. — Absolute; ita tamen, ut aliquid subintelligatur. Cic. 3. Orat. 25. 94. Hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent. Sall. fragm. Hist. 4. 12. Gerl. Audendo et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti (*Romani*). Liv. 21. 40. Ne nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. Virg. 9. Æn. 320. Euryale, audendum dextrâ. Id. 12. ibid. 159. Auctor ego audendi. Horat. 2. Ep. 1. 166. Nam spirat, tragicum satis et feliciter audet. Quintil. 1. 5. 72. Audendum tamen. Adde eumd. 8. 3. 35. et 12. 6. 3. Tac. 4. Hist. 49. Sed duo itinera audendi, seu mallet etc. — Interdum aliquid jungitur per præpositiones vel adverbia. Nepos Miltiad. 4. Id si factum esset, et civibus animum accessurum –, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, audere adversus se tam exiguis copiis. Forcellinus cum veteribus editt. legebat *auderi tam exiguis copiis dimicare*; sed *dimicare* esse glossema ostendit Klotz, Jahrb. für Philol. und Pädag. T. 10. p. 60. Virg. 2. Æn. 349. Quos ubi confertos audere in prælia vidi, Incipio super his. Tac. 2. Hist. 25. Modica silva adhærebat, unde rursus ausi, promptissimos interficere. Id. 5. ibid. 11. Judæi sub ipsos struxere aciem, rebus secundis longius ausuri, et, si pellerentur, parato perfugio. Id. 4. Ann. 59. Velle id populum Rom., cupere exercitus, neque ausurum contra Sejanum, qui nunc – insultet. Id. 2. Hist. 71. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi, ut adversus Neronem ausus, et Virginii extimulator. — Hinc Part. præs.

Audens, entis, adjectivorum quoque more usurpatur, unde Comp. *Audentior* et Sup. *Audentissimus*. Fere in bonam partem accipitur. Virg. 4. Æn. 284. Audentes fortuna juvat. Ovid. 10. Met. 586. Audentes deus ipse juvat. Adde eumd. 1. Art. am. 608. et 2. Fast. 780. Virg. 6. Æn. 95. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Tac. 14. Ann. 58. Nil gravius audenti quam ignavo patiendum esse. Id. Agric. 33. Audentissimus quisque miles. Gell. 7. 2. Hannibal ille audentissimus atque fortissimus. — Et figurate. Val. Flacc. 4. 284. Spes audentior. Quintil. 12. 10. 23. Æschines latior et audentior et excelsior. Tac. Dial. de orat. 14. Oratio læta et audentior, poetarum, quam oratorum similior. Id. 2. Hist. 2. Syriam audentioribus spatiis petere. — In malam partem. Pacat. Paneg. Theodos. 35. Tanto ceteris satellitibus audentior, quanto etc.

Ausum, i. Vide suo loco.

AUDĬBĬLIS, e, adject. qui audiri potest. Boeth. Arist. Top. 1. 13. p. 670. Similiter et candidum in corpore quidem color, in voce autem bene audibile. Adde Theod. Priscian. p. 316. ed. A. Manut. Et Priscian. 4. p. 632. Putsch. Quæ vere (*nomina denominativa*) a verbis secundæ vel tertiæ vel quartæ conjugationis nascuntur, si habeant antepænultimam i, eam quoque corripiunt, ut *doceo docibilis, utor utibilis, sentio sensibilis, audio audibilis*. At Quicherat aliique antepænultimam in Lexico suo producunt.

AUDĬENS, entis. V. AUDIO.

AUDĬENTĬA, æ, f. 1. audiendi actus, attentio in audiendo. ¶ 1. Generatim. *Audientiam facere* est silentium audiendi causa indicere, silentium auditorum et attentionem conciliare. Plaut. Pœn. prol. 11. Exurge, præco, fac populo audientiam. h. e. fac, ut populus audire possit. Cic. 4. Herenn. 55. 68. Illi præco faciebat audientiam. Liv. 43. 16. Audientiam facere præconem jussit. Cic. Divinat. in Verr. 13. 42. Audientiam orationi meæ improbitas illius factura est. Id. Senect. 9. 28. Facit persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. Id. 2. Orat. 80. 325. Audientia fit alicui. Apul. 3. Met. 14. Audientiam tribuere alicui. ¶ 2. Speciatim accipitur pro auditione et cognitione causarum, quæ fit ab habente jurisdictionem. Cod. 7. 25. 1. Ad primam legum audientiam venire. Et 2. 13. 1. Inter litigatores audientiam tuam impertiri debebis. Et 3. 13. 2. Præbere audientiam direptorum negotiorum. Adde tit. 4. lib. 1., qui est *De episcopali audientia*, hoc est de iis, de quibus cognoscere ad episcopos pertinet. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. (edente Wenckio) 1. 5. 13. Ad audientiam viri illustris comitis sacri ærarii ferro obrutus dirigatur. Auct. Declamat. cui titulus: Tribunus Marianus 9. An enim erat ad audientiam admittendus? ¶ 3. Sumitur etiam pro quacumque auditione. Arnob. 3. 20. Janus, quem in cunctis antepositis precibus, et viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis. Id. 6. 4. Ita quoque convenit audientiam numinum nulli esse clausam linguæ. Adde eumd. 5. 29. Id. 1. 29. Utinam daretur, in unius speciem concionis toto orbe contracto, oratione hac uti et in humani generis audientia collocari. Forcellino videbatur hoc loco audientia ad ipsam auditorum coronam transferri. ¶ 4. Sic dicitur ipsa audiendi facultas. Prudent. 10. περὶ στεφ. 954. Surdis fruendam reddere audientiam. ¶ 5. Denique, quo modo *dicto audientem esse alicui* est ei obtemperare, *dicto audientia* est obedientia. Vulg. Ital. edente Mai. 1. Reg. 15. 22. Quia dicto audientia melior est quam sacrificium, et audientia mandatorum quam adeps.

AUDĬO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. In Præterito et *audiri* habet et *audii*, ut dictum est: sic in aliis temporibus ab eo nascentibus modo *v* retinet, modo abjicit. Quamquam *audiveram, audivissem, audiverim, audivero, audivisse* magis apud veteres in usu fuerunt, ut monet Quintil. 1. 6. 17. et eum secutus Diomed. 1. p. 349. Putsch. Hinc *audit* pro *audiit*

apud *Propert.* 4. 9. 39. Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ? — Futurum *audibo* pro *audiam* dixit *Ennius* apud *Non.* p. 506. 1. *Merc.* Et *audibis* pro *audies* dixerunt *Id. Ennius* apud *Non. l. c.*; *Plaut. Capt.* 3. 4. 86. et *Pœn.* 1. 2. 97.; *Cæcilius Statius* apud *Gell.* 7. 17. *in fin.* et apud *Non. l. c.* V. *Struve, Ueber die latein. Declinat. und Conjug.* p. 152. — *Audibant* pro *audiebant* occurrit apud *Catull.* 84. 8. Audibant eadem hæc leniter et leviter. *Audibat* pro *audiebat* apud *Ovid. Heroid.* 14. 36. Et tamen audibam, quodque verebar, erat. — Part. *Audiens* sub *B.* 1. et in fine; *Auditus* sub *A.* 1. *b.* et in fine; *Auditurus* sub *B.* 3.; *Audiendus* sub *B.* 1. — Ratione habita etymi vox conjungenda est cum *auris*, Græce οὖς, et in dialecto Lacedæmonia αὔς; quod et ipse *Varro* 6. *L. L.* 83. *Müll.* docet: Latini enim, præcipue antiqui, sæpe *r* in *d*, et *d* in *r* verterunt, ut in *arfuisse* pro *adfuisse*, *arbiter* pro *adbiter* etc. *V.* AD et AR. Alii minus recte deducunt ab αὐδή vox, quam vocem effingunt ab αὔω *clamo*, unde ipsi et αὐδάω et αὐδίω sibi fingunt. — Audio est auribus sentio, percipio (It. *udire, ascoltare*; Fr. *ouïr, écouter*; Hisp. *oir, eschucar*; Germ. *hören*; Angl. *to hear, hearken*).

A) Generatim. ¶ 1. Stricto sensu audio est auribus sentio, percipio: et occurrit — *a*) Absolute. — Audire est vim seu facultatem audiendi habere. *Cato R. R.* 157. 7. Auribus si parum audies, terito cum vino brassicam, succum exprimito, in aurem intro tepidum instillato: cito te intelliges plus audire. *Cic.* 6. *de republ.* 18. 19. Ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 79. 89. (193). Pisces quidem auditus nec membra habent nec foramina; audire tamen eos palam est. *Id. ibid.* 69. 88. (191). Liquidius audire. *Id. ibid.* 70. 89. (193). Clarissime audire. — Item est aures præbere alicui. *Ennius* apud *Non.* p. 506. 1. More antiquo audibo atque aures tibi contra dabo. *Vetus Poeta* apud *Varron.* 6. *L. L.* 83. p. 107. *Müll.* Audio, ausculto. *Ter. Phorm.* 3. 21. PHAEDR. Dorio, audi, obsecro. DOR. Non audio. PHAEDR. Parumper. *Id. ibid.* 1. 3. 7. Non potitus essem: fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies: at non quotidiana cura hæc angeret animum. PHAEDR. Audio. *Hic* est quædam ironia, ut *Donat.* monet. Hinc *audisne* vel *audin?*, *audi*, *audite* etc. frequentissime occurrunt. *Plaut. Epid.* 3. 3. 19. Atque audin? *Ter. Heaut.* 2. 3. 2. Mulier tibi adest, audin Clinia? Adde *eumd. Andr.* 5. 2. 24. *Id. Adelph.* 2. 1. 30. Audi, si vis, nunc jam. *Id. Hecyr.* 3. 7. 60. Philippe ades, audi paucis. *Id. Eun.* 5. 8. 37. Prius audite paucis. *Liv.* 1. 32. Audi, Juppiter, inquit, audite, fines —, audiat fas. — Interdum per ellipsin omittitur id, de quo sermo est, quodque facile subauditur. *Ter. Andr.* 1. 4. 1. Audivi, Archylis, jam dudum, Lesbiam adduci jubes. *Id. ibid.* 3. 2. 31. Audivi et credo. *Id. Eun.* 3. 1. 32. Plus millies audivi. *Cic.* 1. *Att.* 1. 25. In quo, ut audio, magnum odium Pompeji suscepistis. *Liv.* 45. 23. Ut audimus. — *b*) Addito, quod auditur. — Per Accusativum rei. *Ennius* apud *Non.* p. 506. 1. *Merc.* A. Quo nunc me ducis? B. Ubi molarum strepitum audibis maximum. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 97. Jam numquam audibis verba tot tam suavia. *Ter. Andr.* 1. 5. 5. Miseram me, quod verbum audio? *Titius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Ubi redit (*judex*), ait se omnia audivisse, tabulas poscit. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285. Potest etiam fieri, inquit, ut omnino, quod te audisse dicis, numquam audieris. *Id.* 9. *Att.* 3. 2. Ille confidebat, et eo magis, quod audita navicularis hominis liberalitas esset. *Lucret.* 2. 580. neque noctem aurora secuta est, Quæ non audierit mixtos mugitibus ægris Ploratus. *Cæs.* 4. *B. G.* 5. Est autem hoc Gallicæ consuetudinis, ut — quod quisque eorum de quoque re audierit aut cognoverit, quærent. *Id.* 3. *ibid.* 27. Hac audita pugna, maxima pars Aquitaniæ sese Crasso dedidit. *Liv.* 42. 52. Auditis hostium copiis, respicerent suum ipsi exercitum. *Ovid. Heroid.* 4. 106. Et tenuis tellus audit utrumque mare. — Adjecto et alio Accusativo appositionis. *Cic.* 9. *Fam.* 10. 11. Te enim, ut spero, propediem censorem audiemus. *Liv.* 6. 2. Tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat. — Per Accusativum personæ, quam, vel cujus vocem auditu percipimus. *Ter. Eun.* 5. 8. 30. Quem ego hic audio? *Id. Phorm.* 2. 3. 84. Egon tuam expetam amicitiam? aut te visum aut auditum velim? *Quintil.* 11. 3. 7. Quid si ipsum audissetis? — Per Accusat. cum Infinito. *Plaut. Epid.* 2. 2. 65. Post ubi illic audivi loqui. *Ter. Adelph.* 2. 2. 2. Quid istuc est, quod te audio nescio quid concertasse. *Id. ibid.* 4. 2. 19. Laudarier te audit libenter. *Cic. Mur.* 28. 58. Sæpe hoc majores natu dicere audivi. *Id. Pis.* 28. 68. Audisti profecto dici, philosophos Epicureos omnes res — voluptate metiri. Adde *ibid.* 8. 60. *Liv.* 28. 26. Cum ex obviis auditum, postero die omnem exercitum — proficisci. *Horat.* 1. *Od.* 2. 21. Audiet cives acuisse ferrum. *Petron. Satyr.* 104. *extr.* Audio, non licere cuiquam in nave neque ungues, neque capillos deponere. *Hinc apud Historicos absolute occurrit* audito, *h. e.* re audita, vel postquam auditum est. *Sall.* apud *Priscian.* 18. p. 1130. *Putsch.* Audito, Q. Marcium in Ciliciam tendere. *Liv.* 28. 7. Audito, Machanidam tyrannum refugisse Lacedæmonem. *Tac.* 14. *Ann.* 7. Audito, venisse nuncium. *Et Passive cum Nominativo et Infinito*; ut apud *Cic.* 5. *Att.* 18. 1. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. *Tac.* 4. *Ann.* 23. Missis levibus copiis, quæ ex longinquo in majus audiebantur. — Per Accusativum cum Participio. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 90. Idque Socratem — audio dicentem. *Nepos Att.* 17. Quum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suæ (*Atticum*) — se numquam etc. *Id. Timol.* 4. Ut neque eum querentem quisquam audierit. *Catull.* 9. 6. audiamque Hiberum Narrantem loca, facta, nationes. *Liv.* 45. 23. Nec ob id quemquam fulmine ictum audimus. — Per periphrasin, eleganter huic verbo subjectâ particulâ *cum* aut *dum*. *Cic. Dom.* 35. 93. Quis umquam audivit, cum ego de me nisi coactus ac necessario dicerem? *Sueton. Domit.* 4. Auditus est certe, dum ex eo quærit. — Per Ablat. et præp. *de*, ita ut *audire de aliquo* vel *de re aliqua* sit sermonem de aliquo vel de re aliqua audire. *Ter. Adelph.* 3. 4. 25. Videlicet de psaltria hac audivit. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 53. De quo (*Aspendio*) sæpe audistis id, quod est Græcis hominibus in proverbio etc. *Id. Senect.* 23. 83. Neque eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 4. Delectabatur mirifice lectione librorum, de quibus audiebat. *Id.* 7. *Att.* 21. 1. De malis nostris tu prius audis, quam nos. *Nepos Eumen.* 9. 5. Credit de suo adventu esse auditum. — Contra *audire in aliquem* est turpia, inhonesta, indecora etc. de aliquo audire. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285. Cum læsisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset. *h. e.* se audisse de crimine in eum illato. Dixerat enim Silus, se audisse, qui affirmarent, Pisonem revera crimen illud admisisse, de quo accusabatur. Itaque elegans ellipsis in his inesse *Forcellino* videbatur. — *c*) Addita persona, a qua sive a cujus ore aliquid auditur. — Per Ablat. et præp. *ab*, quoties significare volumus, unde aliquid hausimus. *Cic. Senect.* 13. 43. Sæpe audivi a majoribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quod — audisset a Thessalo Cinea esse quemdam Athenis etc. *Nepos Themist.* 7. A quibus cum audisset, non multum superesse munitionis etc. *Sueton. Claud.* 15. Illud quoque a majoribus natu audiebam etc. — Per Ablat. et præp. *de*, quum significare volumus, a quo audivimus ea, quæ tamquam nostra proferimus. *Cic.* 3. *Orat.* 33. 133. Equidem sæpe hoc audivi de patre et de socero meo. *Id.* 3. *Off.* 19. 77. Fimbriam consularem audiebam de patre nostro puer judicem — fuisse. *Id. Brut.* 26. 100. Audivi ista de majoribus natu. — Per Ablat. et præp. *ex*, quum significare volumus personam, ex cujus ore aliquid audivimus. *Ter. Andr.* 2. 4. 2. Apud forum modo e Davo audivi. *Cic.* 1. *Off.* 30. 109. Audivi ex majoribus natu hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica. *Id.* 2. *Orat.* 33. 144. Ex eo audivi, cum diceret, sibi certum esse, etc. *Id.* 5. *Att.* 17. Tamen etsi hoc te ex aliis audire malo. Adde *Liv.* 28. 26. *Quintil.* 1. 2. 7. Nos docuimus, ex nobis audierunt. — Per Adverbia *inde*, *unde*, etc. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285. Potest fieri, inquit. Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit. ¶ 2. Interdum *audire* ponitur etiam pro videre, oculis percipere; quam sensuum, ut ita dicam, mutationem in nonnullis commode locum habere potest. *Cic.* 3. *Fam.* 11. 1. Tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ litteræ, non solum quia planius loquebantur et uberius quam vulgi sermo, sed etiam quia magis videbar tibi gratulari, cum de te ex te ipso audiebam. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 11. 1. Denique malo in hanc partem errare, ut, quæ non desideres, audias, quam quidquam, quod opus, prætermittatur (*in commentario rerum urbanarum*). *Virg.* 2. *Æn.* 705. et jam per mœnia clarior ignis Auditur. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 1. Rescripsi epistolæ maximæ: audi nunc de minuscula. *Id.* 9. *Att.* 10. Audi igitur ad omnes (*epistolas*). *V.* AUDITOR. ¶ 3. Hinc ponitur et pro subintelligi, subaudiri. *Quintil.* 8. 6. 24. Ut Volcanum pro igne vulgo audimus. *Id.* 9. 3. 58. Cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur, ut Cœlius in Antonium: *Stupere gaudio Græcus*. Simul enim auditur *cœpit*. *Id.* 8. 5. 12. *Eras dignus, ut haberes integram manum*. Sic enim auditur, *ut depugnares*. *V.* SUBAUDIO. ¶ 4. Hinc etiam, et quidem sæpe, *bene*, *male*, *minus commode audire* est bonam vel malam existimationem habere, laudari vel vituperari, quemadmodum apud Græcos καλῶς, ἢ κακῶς ἀκούειν. *Bene* et *male audire* simul junxit *Cic.* 6. *Att.* 1. 2. Hæc nonnulli amici Appii ridicule interpretantur, qui me idcirco putant bene audire velle, ut ille male audiat. — *Bene audire* occurrit apud *Ter. Phorm. prol.* 21. Benedictis si certasset, audisset bene. *Cic.* 1. *Legg.* 19. 50. Innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant et rumorem bonum colligant. *Id.* 3. *Fin.* 17. 57. Esse hominis ingenui et liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris. — *Male audire* occurrit apud *Ter. Hec.* 4. 2. 24. Sine me, obsecro, hoc effugere vulgus, quod male audit, mulierum. Adde *eumd. Phorm.* 2. 3. 12. Et facete *Cicero* in ambiguo ludens 5. *Tusc.* 40. 116. Erat surdaster M. Crassus; sed aliud molestius, quod male audiebat, etiamsi, ut mihi videbatur, injuriâ. Adde *Nep. Dion.* 7. 3.; et *Quintil.* 12. 10. 13. — *Minus commode audire* dixit *Cic.* 5. *Verr.* 58. 134. Quod illorum culpâ se minus commode audire arbitrarentur. — Denique *male audire in aliqua muliere* est turpem consuetudinem cum eadem habere apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. Cf. *Quintil. Declam.* 377. ¶ 5. Interdum audire est dici, appellari, perhiberi; ea ratione, qua Græci κλύειν vel ἀκούειν pro λέγεσθαι usurpant. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 38. Sæpe verecundum laudasti rexque paterque Audisti coram. *Id. ibid.* 16. 17. Tu recte vivis, si curas esse quod audis. Et cum Vocat. *Id.* 2. *Sat.* 6. 20. Matutine pater, seu Jane libentius audis. Et cum Infinito. *Catull.* 68. 111. Quod quondam cæsis montis fodisse medullis Audit falsiparens Amphitryoniades.

B) Speciatim. ¶ 1. Audire dicuntur tum qui in concione adsunt dum orator causam agit, vel testimonia, litteræ aliaque ejusmodi publice leguntur; tum præcipue judices, qui de causa cognoscunt. — *a*) De iis, quæ in concione publice recitantur. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 14. Audietur a populo Rom. vir primarius, eques Rom., L. Flavius. *Id.* 6. *ibid.* 24. 53. Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. *Id. Divinat. in Verr.* 12. 39. Perficiendum est, si quid agere aut proficere vis, ut homines te non solum audiant, verum etiam lubenter studioseque audiant. *Id. Cluent.* 23. 63. Etsi a vobis sic audior, ut numquam benignius neque attentius quemquam auditum putem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Egit (*Lupus*) causam agri Campani satis accurate. Auditus est magno silentio. *Liv.* 10. 45. Litteræ consulum ingenti lætitia et in curia et in concione auditæ. *Id.* 5. 6. Auctores signa relinquendi et deserendi castra non uni aut alteri militi, sed universis exercitibus palam in concione audiuntur. Adeo quidquid tribunus plebis loquitur — assuestis audire. — *b*) Præcipue audire dicuntur judices, qui de causa cognoscunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Quæ judicia, aliis audientibus judicibus, aliis sententiam ferentibus, singulis diebus erant perfecta. *Cic. Flacc.* 39. 98. Nemo illorum judicum clarissimis viris accusantibus audiendum sibi de ambitu putavit. *Virg.* 6. *Æn.* 567. de *Rhadamantho*. Castigatque auditque dolos subigitque fateri. *Seneca* 2. *Benef.* 12. Audire de capite alicujus. *Sueton. Domit.* 11. Servum nequissimum audire. *h. e.* interrogare de crimine ad judicium ferendum. *JCti* hac ratione sæpe usurpant. — Hinc etiam *audiri* vel *non audiri debere*, *audiendus* vel *non audiendus esse* dicitur ab iisdem *JCtis*, qui aliquid apud judicem postulat, offert, agit, quod vel justum vel injustum sit. Exempla passim habentur in *Digestis*, ut ex *Papiniano* 28. 6. 10., ex *Paul.* 39. 21. 18. et 4. 4. 24. et alibi. Sic *non facile apud judicem audiri* apud *eumd. Paul. Dig.* 11. 3. 14. *in fin.* ¶ 2. Item audire dicuntur discipuli, qui scholam alicujus frequentant. *Cic.* 1. *Off.* 1. 1. Quamquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum — abundare oportet præceptis institutisque philosophiæ. *Id.* 1. *Nat. D.* 14. 37. Cle-

anthes autem, qui Zenonem audivit. *Id. Fat.* 2. 4. Ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo. *h. e.* de quo te disputantem et ad illud pertinentia disserentem audiam. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 7. Ponere jubebam, de quo quis audire vellet: ad id aut sedens aut ambulans disputabam. *Id. Fat.* 2. 4. Aliquem audire in rhetoricis. Adde *eumd. ibid.* et 1. *Tusc.* 4. 8. *Quintil.* 12. 6. 7. Audire aliquem Romæ. *Id.* 1. 10. 4. geometrem. *Sueton. Tib.* 32. aliquem extra ordinem. *V.* AUDITIO et AUDITOR. ¶ 3. Cum sermo est de precibus, votis etc., audire est exaudire, locum precibus dare. — *a*) Generatim. *Cæs.* 2. *B. C.* 42. Curio, ubi perterritis omnibus neque cohortationes suas, neque preces audiri intelligit etc. — *b*) Sæpius de precibus, quæ diis fundebantur. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 9. Quod precarer deos, nisi meas preces audire desissent. *Id. Pis.* 19. 43. In quo di immortales meas preces audiverunt. *Liv.* 1. 12. Veluti sensisset auditas preces. *Virg.* 9. *Æn.* 65. Audiit, et cœli genitor de parte serena Intonuit lævum. *Horat.* 4. *Od.* 13. 1. Audivere, Lyce, di mea vota. *Id.* 3. *ibid.* 22. 3. puellas. *Tibull.* 3. 3. 28. Audiat aversa non meus aure deus. *Ovid.* 5. *Fast.* 684. Non audituri numina magna Jovis. *Id.* 1. *Amor.* 6. 27. orantem. ¶ 4. Similiter audire est assentiri, obsequi, obedire (nam et *obedio* ab *audio* est). — *a*) Proprie ponitur de personis. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 65. Nec Homerum audio, qui Ganymedem ab dis raptum ait propter formam. *Forcellinus* recte accepit pro *assentiri, approbare*; adjecitque illud *ejusd. Cic. pro Marcell.* 8. 25. Sæpe venit ad aures meas, te istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse: credo; sed tum id audirem, si tibi soli viveres. *At* in postremo hoc loco *audire* posset accipi generali significatione. *Cic.* 7. *Att.* 1. 2. Ac vellem a principio te audisse amicissime monentem. *Id.* 13. *Phil.* 3. 6. Nec ego sapientiam istam, quamvis sit erudita, non audiam. *Id.* 1. *Orat.* 15. 68. Si me audiet. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 55. Tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut etc. *Id.* 1. *Tusc.* 38. 92. Si fabulas audire volumus. *Id.* 2. *Fam.* 7. 2. Te audi, tibi obtempera. *Liv.* 9. 9. Si me audiatis. *Horat.* 1. *Od.* 13. 13. Si me satis audias. — Hinc illa formula *audio*, hoc est concedo. *Cic. Rosc. Am.* 18. 52. «Immo vero, inquit, est. Nam istum exheredare in animo habebat». Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 59. 144. et 5. *ibid.* 27. 69.; et addita particula negativa *Ter. Andr.* 5. 2. 22. et *Cic.* 5. *Verr.* 34. 79. — Participio *audiens* adjicitur Genitivus. *Plaut. Truc.* 1. 2. 25. Tibi servio atque audiens sum imperii. — *b*) In hac parendi significatione tribuitur figurate rebus inanimis, sed fere apud Poetas. *Virg.* 1. *G.* 514. Fertur equis auriga, neque audit currus habenas. Cf. *Claudian. Cons. Mart. Theod.* 184. Desidis aurigæ non audit verbera currus. *Ovid.* 5. *Met.* 381. de mille sagittis Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla, Nec minus incerta est, nec quæ magis audiat arcum. Adde *Senec. Herc. Œt.* 975.; et *Lucan.* 3. 594. et 9. 934. *Stat.* 5. *Theb.* 412. clavumque audire negantem Lassat agens Tiphys. *Plin.* 16. *Hist.* 43. 83. (226). Nec cohærent sibi similia naturæ, ut si quis lapidem lignumque conjungat. Cornum maxime audit sorbus, carpinus, buxus, postea tilia. *h. e.* admittit, et glutino accedente facile adhæret. — *c*) Eodem sensu occurrit et cum Dativo: per zeugma in *Pacuvio* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 131. Nam istis – magis audiendum, quam auscultandum censeo. *Apul. de Mag.* 83. Improbo ac nefario homini – ne auscultarent, sibi potius audirent. *Vetus Vulg. Ital.* ed. *Mai. Exod.* 15. 26. Si audieris præceptis ejus. *ex Græco* ἐὰν ἐνωτίσῃ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ. — *d*) Hinc formula *dicto audientem esse*, hoc est alicujus verbis seu præceptis obtemperare: et occurrit — Modo simpliciter *dicto audientem esse*, quemadmodum apud *Plaut. Pers.* 3. 1. 71. Dicto sum audiens. *Id. Asin.* 3. 1. 40. Audiens dicto filia. *Cic. Dejot.* 8. 23. Qui dicto audientes in tanta re non fuissent. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Nonnulli etiam Cæsari renunciabant – non fore dicto audientes milites. — Modo, immo sæpius, additur et Dat. personæ, cui quis obtemperat. *Cato R. R.* 142. Villicus domino dicto audiens sit. *Cic.* 3. *Verr.* 44. 114. Si habes, qui te audiat: si potest tibi dicto audiens esse quisquam. *Id.* 7. *ibid.* 32. 85. Quorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse jussisti. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 12. 27. *Nepos Agesil.* 4. Audiens dicto fuit jussis magistratuum. *Id. Lysand.* 1. Quod dicto audientes imperatoribus suis non erant. Adde *eumd. Iphicr.* 2. *Liv.* 5. 3. Nec plebs nobis dicto audiens atque obediens sit. Adde *eumd.* 1. 41., 4. 26., 29. 20. et alibi. Putarunt quidam dici etiam *alicujus dicto audientem esse*, afferentes illud *Nep. Datam.* 2. *Is regis dicto audiens non erat.* Sed plerique alii legunt *regi.* — Hinc

Audiens, *entis*, part. præs. omnibus verbi significationibus occurrit, eique præcipue, quam sub *B.* 4. *d.* retulimus. — Speciatim porro et absolute ponitur pro auditore. *Cic. Brut.* 23. 89. Ad animos audientium permovendos. *Id. Orat.* 17. 55. Audientis animum movere. *Id. Brut.* 80. 279. Animos audientium inflammare. *Liv.* 21. 10. Assensus audientium. *Quintil.* 1. 10. 25. Movere audientium affectus. — Hinc apud Scriptores ecclesiasticos est idem ac catechumenus. *Tertull. Pœnit.* 6. An alius est intinctis (*h. e.* baptizatis) Christus, alius audientibus? — Sup. *Audientissimus* est in fragm. *Inscript.* apud *Don. cl.* 6. *n.* 194.

Auditus, *a*, *um*, part. præter., cujus exempla superius attulimus: quibus addi possunt illa *Cic. Balb.* 6. Cujus audita virtus dubitationi locum non daret, hujus præsens, experta atque perspecta obtrectatorum voce lædetur? Et *Tac.* 5. *Ann.* 10. Auditum id Poppæo Sabino. — Adjective quoque occurrit, præcipue præcedente particula negativa. *Horat.* 3. *Od.* 1. 2. Carmina non prius audita. *V.* INAUDITUS. — Hinc

Auditum, *i*, absolute usurpatur pro re ipsa audita, pro fama vel rumore. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 65. Quin ego, cum peribat, vidi, non ex audito arguo. *Id. Merc.* 5. 2. 62. Vidistin? an ex audito nuncias? *Quidam utroque Plauti loco minus recte leg.* auditu. *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Si verum est Labeonem (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis a senatu datum. *Forcellinus* hoc loco *auditum* putat esse Accus. masc. gen. ab *Auditus, us*: recentiores philologi aliter sentiunt. *Vellej.* 2. 25. 3. Ut post victoriam audito fuerit crudelior.

AUDITAVI sæpe audivi. *Paul. Diac. p.* 28. 15. *Müll.*; ubi *Scalig.* monet male in quibusdam libris legi *auditavi.*

AUDĪTĬO, ōnis, f. 3. actus audiendi (It. *l'udire, udizione, udita*; Fr. *action d'entendre, audition*; Hisp. *el acto de oir, audiencia*; Germ. *das Hören*; Angl. *the act of hearing, a hearing*). ¶ 1. Stricto sensu est ipse auditus vel audiendi sensus, itemque actus. — *a*) Absolute. *Apul. Dogm. Plat.* Auditionem aeriæ naturæ participem, aeriis nunciis percipere sonores. — *b*) Relative cum Genitivo. *Cic.* 5. *Fin.* 15. 42. Fabellarum auditione duci. *Id.* 2. *Orat.* 30. 131. Auditio et cogitatio. *cui ibid. opponitur* usus. *Forcellinus* hunc *Cic.* locum refert ad poster. par. 4. *Quintil.* 10. 1. 10. Lectio atque auditio. Adde *eumd.* 2. 2. 11. ¶ 2. Speciatim ponitur pro fama vel rumore. *Cic.* 6. *Verr.* 46. 102. Quid ergo? hoc solum auditione expetere cœpit, cum id ipse non vidisset? *Id.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Famâ et auditione accipere aliquid. ¶ 3. Item per metonymiam ponitur universim pro quacumque re, quæ auditur. *Cic. Planc.* 23. 46. Ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis. *Cæs.* 4. *B. G.* 5. His rumoribus atque auditionibus permoti. *Id.* 7. *ibid.* 42. Levem auditionem habere pro re comperta. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. Romam cum venissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. *Quintil.* 5. 7. 5. Genus testimoniorum de auditionibus. *Tac.* 4. *Ann.* 11. Falsas auditiones depellere. ¶ 4. Item sumitur pro auditione magistrorum in scholis; atque hinc per metonymiam pro acroasi seu ipsa disputatione, quæ a magistro fit. *V.* sup. sub 1. *b. Seneca Suas.* 3. *p.* 25. *Bip.* Ab auditione alicujus venire. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 2. 6. (12). Sedere in scholis auditioni operatos gratius erat, quam etc. *Gell.* 14. 1. Egressus ex auditione propere adnotavi etc. *Id.* 19. 18. Obire auditiones. *Id.* 18. 2. Easdem auditiones eosdemque doctores colere. *Id.* 20. 5. Illas vero ἐξωτερικὰς auditiones exercitiumque dicendi eodem in loco vesperi faciebat. *V.* ACROASIS.

AUDĪTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* auditio, brevis auditio, seu doctrina, quam quis audiendo didicit. *Gell.* 13. 19. Auditiuncula quadam de Catonis familia aspersus es.

AUDĪTO, as, āvi, are. *V.* AUDITAVI.

AUDĪTOR, ōris, m. 3. qui audit, audiens (It. *uditore*; Fr. *auditeur*; Hisp. *oidor*; Germ. *der etwas hört*; Angl. *a hearer, auditor*). ¶ 1. Stricto sensu qui aliquid auribus percipit. *Cic. Dom.* 24. 64. Quod illi ne auditores quidem suæ gloriæ, ego etiam spectator meæ laudis esse potuissem. *Id.* 3. *Nat. D.* 1. 2. Præbere se auditorem attentum alicui. *Id.* 16. *Att.* 2. *in fin.* Bonos auditores nactus. *Id.* 1. *Nat. D.* 7. 17. Nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem. παρονομασία. *Forcellinus* hunc locum ad poster. paragr. 3. retulit. *Id. Orat.* 35. 122. Conciliare, aut erigere auditorem. *Id. ibid.* 8. 24. Auditorum prudentia. *Quintil.* 4. 1. 5. Auditorem præparare. Adde *Sueton. Aug.* 36. et *Juvenal.* 1. 1. — Hinc in *Cicer. Disp. Tusc.* aliisque dialogis A. occurrit pro *Auditor.* V. A sub II. 2. ¶ 2. Et qui librum legit, *auditor* quodammodo dici potest. *V.* AUDIO sub *A.* 1. *d. Varro* 6. *L. L.* 1. *p.* 72. *Müll.* Atque si qua erunt ex diverso genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti geremus morem. ¶ 3. Item discipulus. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 54. Ptolemæus Teophrasti auditor. *Id.* 1. *Nat. D.* 14. 38. Perseus Zenonis auditor. *Id. Brut.* 51. 191. Habere aliquem auditorem. *Forcellinus* hunc locum ad super. paragr. 1. retulit. Adde *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 87. et *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 35. *Seneca* 4. *Controv.* 25. *ad fin.* Initio contumeliæ causa a deridentibus discipuli Latronis auditores vocabantur: deinde in usu verbum esse cœpit et promiscue poni pro discipulo auditor. ¶ 4. Item judex qui causam cognoscit. *Cod. Theod.* 11. 31. 7. et 9.

AUDĪTŌRĬĀLIS, e, adject. ad auditorium seu scholam pertinens, ut *Scholastici auditoriales* apud *Augustin.* 2. *contr. Pelag. c. ult.* et 6. *ibid.* 11.

AUDĪTŌRĬUM, ii, n. 2. proprie est adject. gen. neutr. absolute usurpatus, et subauditur *ædificium*: hinc est locus, in quem conveniunt homines alicujus audiendi causa. Ponitur autem ¶ 1. De magistrorum scholis. *Quintil.* 2. 11. 3. Cujus rei gratia plenum sit auditorium. *Id.* 10. 1. 36. Non eamdem esse conditionem litium ac disputationum, fori et auditorii, præceptorum et periculorum. Adde *eumd.* 2. 21. 21. *Sueton. Tib.* 11. Cum circa scholas et auditoria professorum assiduus esset. Adde *eumd. Aug.* 85. et *Claud.* 41. *Tac. Dial. de Orat.* 9. Auditorium extruere. ¶ 2. De locis, in quibus causæ aguntur; ac præcipue in quibus sedent judices, cum causas audiunt. *Tac. Dial. de Orat.* 34. Auditorium (*h. e.* Forum) semper plenum, semper novum. Adde *Quintil.* 10. 1. 79. *Paul. Dig.* 42. 1. 54. Qui ad majus auditorium vocatus est, si litem inchoatam deseruit, contumax non videtur. *h. e.* ad majus tribunal. *Id. ibid.* 49. 9. 1. Non oportet per alium causam agi, sed ipsum adesse auditorio debere sciendum est. ¶ 3. Speciatim de loco, in quo Imperatores causas et preces audiebant. *Ulp. Dig.* 4. 4. 18. § 1. Auditorium principis. Adde *ibid.* 4. 8. 41. et 12. 1. 40. *pr.*; et *Cod. Theod.* 11. 30. 44. ¶ 4. Per metonymiam auditorium ponitur pro auditorum turba, concione. *Plin.* 4. *Ep.* 7. Nuper, adhibito ingenti auditorio, librum de vita ejus recitavit. *Apul. de Mag.* Mox auditorio misso.

AUDĪTŌRĬUS, a, um, adject. ad audiendum pertinens. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 3. Sensuales aurium viæ, sive auditoriæ cavernæ, quas Græci ἀκουστικοὺς πόρους appellant. Adde *Theod. Priscian.* p. 316. ed. *A. Manut.*

AUDĪTUS, a, um. *V.* AUDIO.

AUDĪTUS, us, m. 4. audiendi sensus et actus (It. *l'udito, l'udire*; Fr. *l'ouïe*; Hisp. *oido*; Germ. *das Hören oder das Gehör*; Angl. *the faculty of hearing*). ¶ 1. Stricto sensu est ipse audiendi sensus. *Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. Aspectu, auditu, tactu, odoratu, gustatu. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Auditus autem semper patet: ejus enim sensu etiam dormientes egemus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (114). Cervi cum erexere aures acerrimi auditus. *Id.* 10. *ibid.* 70. 89. (193). Foramina auditus. *Id.* 23. *ibid.* 4. 42. (85). Auditus gravitatem discutere. *Id.* 24. *ibid.* 11. 50. (87). Obtundere auditum. — In plurali numero *Apul. Dogm. Plat.* 1. 1. Auditus hominum deorumque mulcens. ¶ 2. Item audiendi actus, auditio. *Cic. Marcell.* 4. 12. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ipse cogitans sentio. *Quintil.* 8. 2. 6. Non auditu, sed intellectu aliquid perpendere. *Id.* 8. 3. 17. Verba etiam ipso auditu aspera. *Id.* 11. 3. 40. Vox ad auditum accommodata. *Tac.* 4. *Ann.* 69. Quonam modo ea plurium auditu acciperentur. *h. e.* a pluribus audirentur. *Id.* 2. *Hist.* 59. Brevi

audita quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. *Cod. Theod.* 12. 12. 10. Suo auditui aliquid reservare. *Forcellinus* huc retulit et locum *Cic.* 1. *Off.* 10. 33., quem Vide in voc. AUDIO in fin. sub *Auditum*, i. ¶ 3. Per metonymiam ponitur pro iis, quæ audiuntur, sive pro fama, rumore. *Tac.* 1. *Hist.* 76. Prior auditus. *Nonnulli, minus recte, huc referunt illa* Plaut. Bacch. 3. 3. 65. *et* Merc. 5. 2. 62.; *quæ Vide in voc.* AUDIO in fin. sub *Auditum*, i. ¶ 4. Item per metonymiam auditus dicitur ipsa doctrina, quæ traditur auditoribus. *Lucan.* 10. 180. si Cecropiam sua sacra Platonem Majores docuere tui, quis dignior unquam Hoc fuit auditu?

AUFERO, aufers, abstŭli, ablātum, auferre, a. anom. (ex *au* pro *ab*, de quo *V.* A, AB, ABS in fine de Compositione, et *fero*: Cf. Gr. ἀποφέρω). — Part. *Auferens* I. 2.; *Ablatus* II. 1.; *Ablaturus* III. 3.; *Auferendus* II. 2. — Aufero est tollo, adimo, detraho, abduco (It. *togliere, portar via*; Fr. *emporter, emmener*; Hisp. *alzar, llevar*; Germ. *weg-fort-davontragen*; Angl. to *take* or *bear away*, *carry off*). Plures hujusce verbi significationes ad quatuor commode redigi possunt: auferre enim est I.) Amovere, asportare, rem aut personam a loco, ubi ipsa est, ad alium ferre; II.) Abripere, rapere, per vim ferre: III.) Eximere, subducere, ac præcipue de medio tollere; IV.) Per vim consequi, extorquere.

I.) Auferre est amovere, asportare; et quidem ¶ 1. Proprie et stricto sensu est rem aut personam a loco, ubi ipsa est, ad alium ferre: et occurrit modo absolute, modo addito unde aut quo aliquid aufertur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 206. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *Id. Aulul.* 3. 6. 46. Auferre aulam in fanum. *Id. Asin.* 2. 4. 18. stercus ab janua. *Id. Men.* 4. 2. 63. Aufer manum. *h. e.* abstine manum, ne tangas. *Id. Amph.* 2. 2. 175. Auferre mensam. *Id. Men.* 4. 3. 16. Tibi habe, aufer, utere. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 165. Remove, abi, aufer. *Ter. Andr.* 1. 1. 1. Vos istæc intro auferte, abite. *Id. ibid.* 5. 6. 15. Propere arcesse, hinc qui auferant eam. *Edictum* apud *Cic. Quinct.* 27. 84. Quod non poterunt recte custodire, id auferre et abducere licebit. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 28. Itaque erant exitus ejusmodi, ut alius inter manus e convivio tamquam e prælio auferretur, alius tamquam occisus relinqueretur. *Id.* 2. *Fin.* 8. 22. Asoti, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur. *Id. Orat.* 8. 27. Quis eum ferret? aut quis potius non juberet auferri? *Id. Rosc. Am.* 8. 23. Auferre multa domum suam. *Id.* 2. *Orat.* 66. 265. Auferre poculum in ventrem. *h. e.* in ventrem insumendam. *Lucret.* 5. 460. multos secum levis (æther) abstulit ignes. *Liv.* 3. 13. Inter manus domum ablatus. Cum Ablat. sine præposit. *Phædr.* 1. 8. Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput Incolume abstuleris, et mercedem postules. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 13. (16). Si auferatur a conspectu templi. *Id.* 16. *ibid.* 30. 53. (124). Arbor non aufert solum. *Tac. Agric.* 31. Hi per delectus alibi servituri auferuntur. — Hinc *auferendi casus* apud Grammaticos est Ablativus. *V. Voss.* l. 3. de *Gramm.* c. 45. ¶ 2. Figurate, præcipue apud Geographos, *terram terræ auferre* est separare. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 24. (75). Mare septem stadiorum intervallo Europam auferens Asiæ. *h. e.* ab Asia separans. *Id.* 6. *ibid.* 9. 9. (25). Armenia Euphrate amne aufertur Cappadociæ. *Id.* 6. *ibid.* 29. 34. (177). Sunt et qui ulteriorem ripam Æthiopiæ auferant annectantque Africæ. ¶ 3. *Auferre se* in familiari sermone frequenter occurrit, et est abire, amovere se, abripere se. *Plaut. Rud.* 4. 3. 93. Te obsecro hercle, aufer te modo. *Id. Asin.* 2. 4. 63. Aufer te domum, abscede hinc, molestus ne sis. *Ter. Phorm.* 3. 3. 26. Aufer te hinc. *Virg.* 4. *Æn.* 389. seque ex oculis avertit et aufert. *Sil. It.* 12. 729. oculis sese abstulit. Adde *eumd.* 2. 173.

II.) Auferre est arripere, capere, quo sensu passive sæpissime occurrit ¶ 1. Proprie de inanimis, quæ per vim abrepta alio feruntur. *Liv.* 29. 27. Vento – celeriter e conspectu terræ ablati sunt. *Id.* 35. 21. In agris passim inundatis pecua ablata, villarum strages facta est. *Virg.* 3. *Æn.* 256. Dixit et in silvam pennis ablata refugit. *Id.* 11. *ibid.* 867. Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum. *Id. ibid.* 713. conversisque fugax aufertur habenis. *Propert.* 1. 8. 14. Cum tibi provectas auferet unda rates. *Ovid.* 1. *Met.* 75. Ne te citus auferat axis. *Id.* 9. *ibid.* 592. Auferor in scopulos. *Curt.* 8. 13. 16. Qui effugerant hostem, aut impetu amnis ablati sunt, aut verticibus impliciti. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 16. (35). Bubo volat nunquam quo libuit, sed transversus aufertur. *Quintil.* 12. *Proœm.* Auferri in altum. *h. e.* provehi: ductum a navigantibus. *Flor.* 2. 6. Hannibalem aut fatum Urbis, aut ipsius mens mala in diversum abstulerunt. *h. e.* post Cannensem pugnam ab Urbe recedere coegerunt. *Tac.* 1. *Ann.* 73. Milites – pavore fugientium auferebantur. *Sil. It.* 10. 72. mediosque aufertur in hostes. *Id. ibid.* 260. Auferre equum calcaribus. *h. e.* subducere, alio agere. *Id.* 6. 257. Equus arte regendi ablatus. *Id. ibid.* 57. Silvis ablati. *h. e.* per silvas dispersi. ¶ 2. Translate ponitur de personis, quæ ad aliquid agendum quasi per vim se abripi patiuntur, vel re aliqua nimium alliciuntur: ad rem *Quintil.* 10. 7. 23. Id potius, quam se inani verborum torrenti dare quasi tempestatibus quo volent auferendum. *Cic.* 2. *Fam.* 7. 1. Hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. *h. e.* transversum agant et a recta sententia dimoveant. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 17. 1. Nam mihi sentio bonam mortem iracundia et amore ablatam. *Liv.* 35. 40. Abstulerunt me velut de spatio Græcæ res immixtæ Romanis. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 83. puellam Ad mediam noctem expecto; somnus tamen aufert Intentum Veneri. *Ovid. Remed. am.* 343. Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur Omnia. *h. e.* allicimur ad amandas puellas ab earum cultu et decipimur. *Id. Heroid.* 6. 131. o demens Colchisque ablate venenis. *Curt.* 7. 2. 4. Quem inter equites tormentis Philotæ conturbatos alienus terror abstulerat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (115). Aufert animum et digredi cogit contemplatio etc. *Id.* 27. *ibid.* 13. 120. (146). Quæ contemplatio aufert rursus nos ad ipsorum animalium naturas. *h. e.* rapit, trahit. *Id.* 28. *ibid.* 1. 1. (1). Auferre aliquem transversum. *h. e.* vi et impetu quodam ab instituto deducere. *Quintil.* 8. 3. 5. Admiratione auferri. *Id.* 4. 5. 6. Auditorem ab intentione auferre.

III.) Auferre est eximere, subducere ad aliquem finem. ¶ 1. Raro admodum de iis occurrit, quæ defendendi et custodiendi causa alio transferimus. *Liv.* 5. 39. Flaminem sacerdotesque Vestales sacra publica a cæde, ab incendiis procul auferre. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Non moratus ultra proripit se effusoque cursu periculo aufertur. *Flor.* 1. 3. 5. Sed abstulit virtus parricidam. ¶ 2. Interdum est subducere tegendi obscurandique causa. *Sil. It.* 9. 326. cælumque et sidera pendens Abstulit – nox. Sic figurate in illo *Corn. Severi* in *fragm.* de *morte Cicer.* apud *Senec. Suasor.* 7. sed enim abstulit omnes, Tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago. *auferre* est tegere, obscurare, ita perstringere oculos, ut ad alia non advertant. ¶ 3. Sæpius est per vim abripere ad damnum vel etiam ad necem, de medio tollere. — *a)* Hinc eleganter ipsa mors *auferre* dicitur: et *auferre* cum *tollere* aliquando conjungitur. *Varro* apud *Non. p.* 407. 9. et 422. 22. *Merc.* Num quis patrem decem annorum natus non modo aufert, sed tollit nisi veneno? *Lucret.* 6. 825. Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert. *Catull.* 3. 15. Tam bellum mihi passerem abstulistis (*malæ tenebræ*). *Liv.* 7. 8. Quidquid hinc vel illinc communis Mars belli aufert. *Horat.* 2. *Od.* 16. 29. Abstulit clarum cita mors Achillem. Adde *eumd. Epod.* 5. 66. et 1. *Sat.* 9. 31. *Ovid.* 8. *Met.* 710. Et quoniam concordes egimus annos, Auferat hora duos eadem. Adde 15. *ibid.* 157. *Id.* 9. *ibid.* 263. Interea quodcumque fuit populabile flammæ, Mulciber abstulerat. Adde 14. *ibid.* 575. *Vellej.* 2. 55. *in fin.* Labienum Varumque acies abstulit. *Flor.* 3. 17. 9. Drusum – matura – mors abstulit. — *b)* Generatim. *Plaut. Amph.* 2. 1. 53. Formam una cum nomine auferre. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. auriculam mordicus. *Liv.* 23. 45. et *Virg.* 9. *Æn.* 332. alicui caput. Cf. *Pers.* 1. 100. Et raptum vitulo caput ablatura superbo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (123). Auferre arbori cacumen. ¶ 4. Hinc translate et cum abstractis sæpissime occurrit pro adimere, detrahere et quandoque impedire. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 31. Hi ludi dies quindecim auferent. Cf. *Ovid. Remed. am.* 538. Illa tibi noctes auferat, illa dies. *Cic.* 2. *Verr.* 7. 20. Id sum assecutus –, ut alter dies amicis istius ac defensoribus non modo spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis auferret. *Id.* 7. *ibid.* 45. 118. Ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu spiritus ei auferatur? *Id.* 3. *Off.* 2. 10. Oris enim pulcritudo (*in Coa Venere Apellis*) reliqui corporis imitandi spem auferebat. *Id. Amic.* 23. 87. Aufert solitudo fructum voluptatum omnium. *Liv.* 28. 29. Auferat omnis irrita oblivio, si potest. *Horat.* 2. *Od.* 16. 15. somnos timor aut cupido Sordidus aufert. Adde *eumd. Epod.* 5. 96. *Curt.* 4. 15. 32. Sed prospectum oculorum nubes pulveris, quæ ad cælum ferebatur, abstulerat. — Pluribus aliis jungitur nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Quintil.* 5. 7. 32. Auctoritatem alicui auferre. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (181). auditum alicui. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 26. curas. *Tibull.* 3. 6. 3. dolorem medicando. *Auct. B. Alex.* 7. dubitationem. *Vellej.* 2. 66. 4. famam gloriamque alicui. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 6. (10). fastidium. *Liv.* 3. 12. fervorem et audaciam. *Quintil.* 6. 5. 9. fidem alicui. *Flor.* 3. 10. 3. fugam alicui. *h. e.* impedire, ne fugiat. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (147). gloriam alicui. *Quintil.* 6. 5. 9. gratiam alicui. *Curt.* 4. 16. iter fugientibus. *Quintil.* 4. 5. 6. judicium cognoscenti. *Virg.* 12. *Æn.* 316. metum. *Tac.* 3. *Ann.* 85. misericordiam. *Sil. It.* 2. 634. necem parentis Pœno. *Quintil.* 10. 1. 72. nomen. *Plaut. Amph.* 2. 1. 80. obsequia. *Ovid.* 6. *Met.* 617. pudorem. *Cels.* 1. 9. somnum. *Catull.* 68. 19. et *Horat.* 3. *Od.* 12. 6. studium. *Curt.* 9. 9. usum oculorum, aurium. *Ovid. Heroid.* 21. 187. et *Quintil.* 9. 2. 105. vitam. ¶ 5. Interdum in modo imperativo auferre est omittere, linquere, ab aliqua re desistere. — *a)* Cum Accus. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 11. Cavillam aufer: non ego nunc nugas ago. *Id. Curc.* 2. 1. 30. Aufer istæc, quæso, atque hoc responde, quod rogo. *Id. Pers.* 5. 2. 19. Jurgium hinc auferas. *Truc.* 4. 4. 8. Aufer nugas. *Ter. Phorm.* 5. 6. 17. Quin tu hinc pollicitationes aufer. *Id. ibid.* 1. 4. 47. Aufer mi *oportet*: quin tu, quod faciam, impera. *h. e.* omitte illud *oportet*. *Accius* apud *Non. p.* 227. 31. *Merc.* Proinde istæc tua aufer terricula atque animum iratum comprime. *Lucret.* 3. 967. Aufer abhinc lacrimas – et compesce querelas. *Phædr.* 3. 6. 8. Quapropter aufer frivolam insolentiam. — *b)* Cum Infinito. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 43. Aufer me vultu terrere. — *c)* Absolute. *Ter. Adelph.* 5. 8. 14. Insanis? aufer. *h. e.* cessa, desiste: *Donatus* vero interpretatur: aufer vel te, vel manum; aut pro eo, quod est *abi*, ut sit *aufer te*. Quam interpretationem ipse *Forcellinus* probasse videtur.

IV.) Denique auferre est etiam per vim consequi, extorquere. ¶ 1. Generatim est aliquid tollere suumque facere. *Ter. Eun. prol.* 26. Personam parasiti ex aliqua fabula auferre. *Cic.* 13. *Att.* 13. 1. Totam Academiam a viris nobilissimis auferre transferreque ad sodalem. *Id.* 3. *Orat.* 1. 4. Auferre pignora. *Id.* 7. *Att.* 21. 2. pecuniam de sanctiore ærario. Adde 6. *ibid.* 1. 7. ¶ 2. Specialim est furtim aut per vim aliena rapere. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 11. Qui duas, tres minas auferunt suis heris. *Id. Aulul.* 4. 4. 7. EV. Verberabilissime etiam rogitas, non fur, sed trifur? STR. Nihil equidem tibi abstuli. EV. At illud, quod tibi abstuleras, cedo. *Ter. Eun.* 4. 3. 18. Etiam hoc misera suspicor aliquid domo abeuntem abstulisse. *Turpilius* apud *Non. p.* 422. 20. *Merc.* Simul circumspectat: ubi præter se neminem videt esse, tollit, aufert. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. § 21. Cogebantur Sullani homines, quæ per vim et metum abstulerant, reddere. *Id. Divinat. in Verr.* 5. 19. Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit –, id mihi tu, C. Verres, eripuisti atque abstulisti. *Id.* 6. *ibid.* 16. 35. Ab hoc abaci vasa omnia abstulit. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 12. 29., 14. 32., 20. 42. et 43., et alibi sæpe. *Nepos Alcib.* 9. Qui ea, quæ apportarat, abstulerunt. *Liv.* 7. 18. Ablato post a plebe consulatu. *Id.* 6. 41. Auspicia a patribus aufert. *Id.* 23. 5. Ut quod a nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat. ¶ 3. Hinc est etiam magno conatu ac per vim aliquid ab aliquo impetrare, consequi, obtinere, seu potius extorquere: qua significatione occurrit — *a)* Sæpius cum Accus. *Plaut. Aulul.* 4. 8. 15. Ut illud, quod me oras, impetratum ab eo auferrem. *Id. Curc.* 3. 58. Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto. *Id. Pseud.* 4. 7. 127. De improbis viris auferri præmium et prædam decet. *Id. Pseud.* 1. 5. 71. Ecquas viginti minas per sycophantiam atque per dolos doctos paritas ut auferas a me? *Id. Epid.* 2. 2. 9. Auferre argentum ab aliquo. *Id. Rud. prol.* 20. litem. *h. e.* litem vincere. *Ter. Phorm.* 5. 8. 62. Hiccine ut a nobis tantum hoc argenti auferat? *Cic. Rosc. Am.* 4. 12. Quis unquam ad arbitrum quantum petiit, tantum abstulit? *Id. Quinct.* 5. 20. Quinctius a Scapulis paucos dies aufert. *Id. ibid.* 9. 32. Ad talem tamen virum

venlendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiæ. *Id.* 16. *Att.* 16. A. § 5. Verba fecimus pro Buthrotiis: liberalissimum decretum abstulimus. *Id.* 1. *Orat.* 56. 239. Responsum auferre ab aliquo. *Id.* 6. *Fam.* 12. 3. diploma. *Id. Mil.* 23. 63. gloriam secum sempiternam. *Id. ibid.* 25. 95. alicujus occursationes, studia, sermones secum. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 56. Aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti. *Sueton. de ill. Grammat.* 17. Propositâ non solum materiâ, quam scriberent, sed et præmio, quod victor auferat. — b) Sequente particula *ut*. *Cic.* 4. *Verr.* 59. 145. Verum quoties et quot nominibus a Syracusanis statuas auferes? ut in foro statuerent, abstulisti; ut in curia, coegisti. — c) Cum Accus. et Infinito. *Cic.* 3. *Verr.* 8. 21. Quis est in populo Rom., qui hoc non ex priore Actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia – vix cum hujus parva parte æquari conferrique posse? *h. e.* non didicerit, cognoverit. *Asconius:* pro certo habuerit, persuasum sibi crediderit. ¶ 4. Denique auferri dicuntur etiam ea, sive bona, sive mala sint, quæ ab aliis persuadendo consequimur. *Plaut. Most.* 4. 1. 22. Bene merens hoc pretium inde abstuli, ita abii foras. Et joculariter id. *Plautus* de eo, qui malum aliquod reportat, *Amph.* 1. 1. 298. Si me irritassis, lumbifragium hinc auferes. *Id. Asin.* 4. 2. 7. Suspendas potius me, quam tacita hæc auferas. *h. e.* obtineas, ut hæc a me taceantur. *Ter. Andr.* 3. 5. 4. Ego pretium ob stultitiam fero; sed inultum id numquam a me auferet. *Id. Adelph.* 3. 4. 8. Ni faciunt, quæ illos æquum est, haud sic auferent.

AUFUGIO, fugis, fugi, fugere, 3. (ex *au* pro *ab*, de quo *V.* A, AB, ABS in fin. de Compositione, et *fugio*). — Part. *Aufugiens* sub *b.* — Aufugio est alio fugio, diffugio, abscedo (It. *fuggire, fuggire altrove o via, scampare*; Fr. *s'enfuir, s'échapper*; Hisp. *huirse, escaparse, acogerse*; Germ. *fort-davonfliehen, wegfliehen*; Angl. *to flee or run away, fly from, shun*). Occurrit — a) Absolute seu neutrorum more; sæpe addito, unde vel quo quis aufugit. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 16. Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet. *Id. Men.* 5. 3. 5. Ne me indicetis, quâ plateâ aufugerim. *Id. Capt.* 4. 2. 95. Aufugere domo. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 99. Jam aliquo aufugiam. *Id. Pseud.* 4. 3. 14. Aufugere exulatum. *Ter. Hec.* 3. 4. 10. Denique hercle aufugerim potius quam redeam. *Q. Catulus* apud *Gell.* 19. 19. Aufugit mi animus. *Cic.* 13. *Fam.* 73. 3. Cum multos libros surripuisset, aufugit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 4. § 14. Præterea Æsopi – Licinius servus tibi notus aufugit. *Liv.* 1. 55. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat. *Apul. de Mag. ad fin.* Aufugere ad aliquem. *h. e.* confugere; si tamen salva est lectio. — b) Cum Accus. rei aut personæ, a qua quis aufugit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 111. Andromeda aufugiens aspectum mœsta parentis. *Al. leg.* haud fugiens; *al.* Andromede fugiens. *Propert.* 1. 9. 30. Quisquis es, assiduas aufuge blanditias. *Al. leg.* effuge; *al.* ah fuge. *Petron. Satyr.* 81. Aufugi judicium. *Al. leg.* effugi; *al.* an fugi. *Hygin. Fab.* 258. Quas sol, ne pollueretur, aufugit. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 3. 23. 1. Ab his –, quos aufugit, comprehensus.

AUGENTER, adverb. pro *valde* usurpatur a *Frontin.* 2. *Limit. p.* 308. *Goes.*; ubi tamen alii, et quidem rectius, aliter legunt.

AUGEO, auges, auxi, auctum, augere, 2. Ratione habita etymi cf. Gr. αὐξάνω, cujus thema videtur fuisse inus. αὔγω, eadem significatione qua Lat. *augeo*; et si vis etiam Germ. *wachsen*. — *Auxim, is, it* olim dictum est pro *augeam, as, at* Conjunctivi præsentis, vel rectius, ut alii volunt, pro *auxerim, is, it* per syncopen. *V.* infra *Vet. Formulam* apud *Liv.* 29. 27. sub *B.* I. 2. *b.* — Part. *Augens* sub *B.* I. 1.; *Auctus* sub *A.* et *B.* I. 2.; *Aucturus* sub *B.* I. 2. *a.*; *Augendus* sub *B.* I. 3. *a.* — Augeo *A*) Neutrorum more ponitur pro *crescere*; *B*) Active autem augeo est majus facio, amplifico, crescere facio.

A) Neutrorum more augeo est cresco, sed antiquitatem redolet. *Cato* apud *Gell.* 18. 12. Eodem convenæ complures ex agro accessitavere: eo res eorum auxit. *h. e.* crevit. *Sall. fragm.* 1. *Hist. in orat. Philipp. contra Lepid.* Ignoscendo populi Rom. magnitudinem auxisse (dicebant). *auxisse* videtur esse præter. perf. ab *augesco*. *Lucret.* 2. 1163. Usque adeo pereunt fetus augentque labores. *at dubia est lectio.* Nonnulli, inter quos *Forcellinus*, huc referunt illud *Catull.* 64. 324. O decus eximium magnis virtutibus augens, et pro *auctus* accipiunt: sed *augens* active hoc in loco usurpatur: *V.* integr. loc. Idem dicendum est et de loco *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 54. (122)., ubi *auxere* pariter active usurpatur. Denique dubia est lectio in loco *Tac.* 4. *Ann.* 41.; de quo *V. Orell.* ad *h. l.*

B) Active augeo est majus facio, amplifico, crescere facio (It. *accrescere, aumentare, amplificare*; Fr. *augmenter, accroître, grossir*; Hisp. *aumentar, acrecentar, ampliar*; Germ. *das Gedeihen, Wachsthum oder die Zunahme einer Sache befördern*; Angl. *to increase, augment, amplify, magnify, enlarge*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est alicui rei naturale incrementum ac prosperitatem præbere et adquirere. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 131. Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat, sepelit recipitque in sese omnia etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Tum autem concretus in nubes cogitur (*aer*), humoremque colligens terram auget imbribus. *Id. Harusp. resp.* 27. 57. Eodem tempore suscipimur in lucem et hoc cælesti spiritu augemur. *Id. Arat.* 358. Nam quorum stirpes tellus amplexa prehendit, Hæc augens animâ vitali flamine mulcet. *Lucret.* 1. 222. reductum (*animale genus*) dædala tellus Unde alit atque auget, generatim pabula præbens? Adde eumd. 1. 852. *Id.* 5. 323. Nam quodcumque alias ex se res auget alitque, Deminui debet, recreari, cum recipit res. *Forcellinus* in hoc loco accepit pro *gignere*. *Id.* 2. 1158. Quæ (*pabula*) nunc vix nostro grandescunt aucta labore. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (41). Corpus augere volentibus – conducit inter cibos bibere. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (95). Annis auctus. ¶ 2. Latiori sensu *augere aliquid* est majus facere, amplificare: et occurrit — a) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 156. Metuo ne numerum augeam illum. *Ter. Adelph.* 2. 1. 65. Si augeam aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 38. Omni autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem, ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit. *Id. Brut.* 76. 266. Sileamus de istis, ne augeamus dolorem. *Id. Cœl.* 19. 44. Vitium ventris et gutturis non minuit ætas, sed auget. *Cæs.* 3. *B. C.* 64. Quodcumque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium terrorem et periculum augebat. *Nepos Thrasyb.* 2. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. *Sall. Jug.* 20. Ceterum quo pergebat –, prædas agere, suis animum, hostibus terrorem augere. *Liv.* 3. 6. Et auxere vim morbi terrore populationis pecoribus agrestibusque in urbem acceptis. *Id.* 22. 60. Quæ apud vos aucturus sum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 71. Nunc i, rem strenuus auge. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 28. Augetur remis cursus euntis aquæ. *Curt.* 4. 7. 30. Rerumque gestarum famam, dum augere vult appellatione, corrumpit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (83). His commentis augentes rerum pretia. *Quintil.* 1. 2. 30. A laude crescit et impetu augetur animus. *Plin.* 5. *Ep.* 3. Quibus ego, ut augeam meam culpam, ita respondeo. *Tac.* 12. *Ann.* 14. Nondum satis aucto exercitu. — Huc pertinet et desiderantis formula *augeat tibi Juppiter annos*; quæ solemnis fuit acclamatio populi Rom. imperatoribus suis. *Ovid.* 1. *Fast.* 613. Augeat imperium nostri ducis, augeat annos. *Tertull. Apolog.* 35. De nostris annis tibi Juppiter augeat annos. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arval.* p. 651. Sæpe de nostris annis augeat tibi Juppiter annos. — Jungitur præterea pluribus Substantivis, quorum præcipua servato litterarum ordine exhibemus. *Tac.* 3. *Ann.* 25. ærarium augere. *Quintil.* 1. 2. 26. affectus. *Cic.* 10. *Att.* 14. 3. animum alicujus. *h. e.* animum addere. Cf. *Stat.* 10. *Theb.* 23. animos. *h. e.* sumere animos et fiduciam. *Ovid.* 8. *Met.* 807. articulos. *h. e.* ita facere, ut articuli facilius aliorum oculos in se convertant. *Sueton. Tib.* 10. auctoritatem alicujus. *Cic. Amic.* 9. 30. benevolentiam auget consuetudo. *Sueton. Ner.* 3. classem. *Cic.* 10. *Fam.* 11. et *Vellej.* 2. 130. dignitatem alicujus. *Cic.* 11. *Att.* 22. dolorem alicui. *Ovid. Heroid.* 3. 30. Auxerunt blandæ grandia dona preces. *h. e.* donis additæ sunt preces, quo plus illa valerent. *Quintil.* 1. 11. 13. et 2. 1. 9. eloquentiam. *Liv.* 1. 44. Esquilias. *Cic.* 1. *Off.* 34. 123. exercitationes animi. *Tibull.* 1. 7. 55. farta parentis. *Quintil.* 2. 16. 18. et 10. 7. 17. facultatem orandi, dicendi. *Liv.* 1. 39. familiaritatem. *Curt.* 8. 10. formidinem. *Cic.* 4. *Cat.* 9. 19. fortunas auctas exaggeratasque. *Sueton. Aug.* 21. gloriam. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (241). gratiam casei fumo. *Sillig* vero pro *augere* hoc loco legit *acuere*. *Ter. Adelph. prol.* 25. industriam poetæ ad scribendum. *Curt.* 9. 4. incendium. *Liv.* 10. 46. et *Tac.* 12. *Ann.* 8. invidiam. *Sueton. Cæs.* 65. iter. *Id. Cal.* 17. lætitiam. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. licentiam alicui. *Cic.* 1. *Fat.* 1. linguam. *h. e.* novis vocabulis ditare. *Nepos Phoc.* 1. luxuriam augere aleremque. *Curt.* 6. 1. metum. *Cic. Brut.* 1. 2. et *Flacc.* 12. 29. molestiam. *Ter. Hec.* 3. 1. 54. morbum. *Cic. Orat.* 17. 54. munus cumulatius. *Nepos Ages.* 6., *Liv.* 1. 7. et *Sueton. Aug.* 37. numerum. *Ovid.* 2. *Fast.* 630. opes per scelus. *Cæs.* 5. *B. G.* 57. opinionem. *Quintil.* 8. 3. 21. orationem. *Plaut. Most.* 4. 1. 2. peculium ex pauxillo. *Nepos Att.* 12. possessiones suas. *Ter. Heaut.* 4. 5. 49. rem bene. *Cic. Rabir. Post.* 2. 3. et *Horat.* 1. *Ep.* 16. 68. rem. *Nepos Dion.* 3. simultatem alicujus. *Curt.* 9. 3. speciem. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. et *Curt.* 6. 1. spem. *Ter. Eun.* 3. 1. 46., *Cic.* 6. *Verr.* 15. 33. et *Sueton. Tit.* 5. suspicionem. *Curt.* 10. 5. terrorem. *Cic.* 10. *Att.* 11. 2. timorem. *Sueton. Vesp.* 16. tributa provinciis. *Ovid.* 5. *Met.* 301. turbam volucrum. *Cæs.* 1. *B. C.* 33. vectigalia belli. *Propert.* 3. 7. 32. vias fortunæ. *Lucret.* 6. 342., *Ovid.* 9. *Met.* 757. et *Stat.* 8. *Theb.* 937. vires. *Sueton. Claud.* 33. vocem. — b) Addito per Ablativum quo quid augetur. *Vetus precationis formula* apud *Liv.* 29. 27. Divi divæque, vos precor, quæsoque, uti quæ in meo imperio geruntur, ea vos omnia bene juvetis, bonis auctibus auxitis. Cf. *Fronto Fer. Als.* p. 208. ed. *Mai.* *Cic.* 13. *Fam.* 62. in fin. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. *Id.* 5. *Tusc.* 1. 4. Augere omnia adversa, cum venientis metu, tum mœrore præsentis. *Id. Rosc. Am.* 18. 50. rempubl. et agris et urbibus et nationibus. *Lucret.* 5. 723. partem lunæ ignibus. *Nepos Dion.* 1. divitias a patre relictas muneribus tyranni. *Id. Timoth.* 1. gloriam a patre acceptam virtutibus. *Id. Att.* 2. officium alia liberalitate. *Sall. Cat.* 6. rem aliquorum civibus, moribus, agris. *Tac.* 15. *Ann.* 9. naves turribus. *Id.* 2. *ibid.* 6. Naves – augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. — c) Addito quousque aliquid augetur per Accus. et præp. *ad* vel *in*. *Liv.* 29. 25. Augere ad immensam multitudinis speciem. *Id.* 20. 3. aliquid in majus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (227). Feminarum aviditates augere ad infinitum. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (122). Numerum augere ad infinitum. *Tac.* 3. *Hist.* 2. cognomentum in barbarum. *Id.* 3. *Ann.* 56. aliquid in falsum. *Id.* 2. *ibid.* 82. in deterius. — Augere est etiam verbum sacrorum. Itaque *augere aram* est aliquid aræ imponere sacrificii causa. *Plaut. Merc.* 4. 1. 11. Aliquid cedo, qui hanc vicini nostri aram augeam. Sic *Virg.* 9. *Æn.* 407. Si qua tuis unquam pro me pater Hirtacus aris Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi. *Id.* 8. *ibid.* 284., 11. *ibid.* 50. et alibi, eadem ratione *cumulare aras* dixit. *Arnobius* quoque hoc sensu usus est vocibus *auctifico, augmen* et *augmentum*. Huc etiam referuntur *Macto* et *Mactus*. Quod vero addi solet ex *Sueton. Aug.* 96. *augere hostias*; eo loco solum significat augere et multiplicare hostiarum numerum. ¶ 3. Item latiori sensu *augere aliquem* est promovere, fovere, instruere, ornare, rem aliquam ei adjicere, qua instructior, major, clarior, honoratior fiat: et occurrit — a) Absolute. *Plaut. Men.* 3. 3. 27. Di me equidem omnes adjuvant, augent, amant. *h. e.* provehunt ad ea quæ opto, compotem voti faciunt. Adde eumd. *Epid.* 2. 2. 8. *Cic.* 2. *Off.* 6. 21. Quæcumque – homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benevolentiæ gratiâ faciunt etc. *Id.* 7. *Fam.* 17. Te augendum atque ornandum putavi. *Nepos Phoc.* 2. Auctus adjutusque a Demosthene. *h. e.* promotus. *Sall. Jug.* 96. Quod ab eo genere celebratus auctusque erat. *Sueton. Claud.* 12. In semet augendo parcus atque civilis. *h. e.* in recipiendis honoribus. — b) Addito quo quis instruitur atque ornatur. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Fin.* 4. 14. Tantâ lætitiâ auctus sum, ut nihil constet. *Cic.* 11. *Phil.* 14. 37. Eos non tueri solum, sed etiam augere commodis debeo. *Id.* 2. *leg. Agr.* 26. 68. Augere aliquem divitiis. *Id. Cluent.* 15. 15. Mulier aucta pecuniâ. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. Quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis. *Id.* 14. *Phil.* 6. 16. Idem dies me celeberrima populi Rom. gratulatione auxit. *Id. Senect.* 6. 17. Senectus consilio, auctoritate, sententiâ augetur. *Id. Harusp. resp.* 26. 56. et 9. *Phil.* 6. 15.; et *Sueton. Cæs.* 52. Augere aliquem

honore. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 11.; *Ovid.* 2. *Trist.* 9. 23.; *Tac.* 6. *Ann.* 8.; et *Plin.* 3. *Ep.* 8. aliquem honoribus. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 6. 26. cives suos copiâ rerum. *Id.* 7. *Verr.* 31. 80. prædâ auctus. *Id. Rosc. Am.* 3. 8. spoliis ornatus auctusque. *Id.* 1. *ad Brut.* 1. 1. Auctus beneficio. *Plaut. Truc.* 2. 6. 35.; *Seneca Œd.* 881.; et *Tac.* 3. *Ann.* 29. Auctus liberis. *Cic.* 1. *Att.* 2. 1. Filiolo auctus. Cf. *Tac. Agric.* 6. filiolâ. *Catull.* 64. 25. Teque adeo eximie tædis felicibus aucte. *Nepos Timoth.* 1. Ille cives suos agris atque urbibus augeri maluit, quam id sumere. *Auct. B. Afr.* 34. Cæsar duplici lætitia ac voluptate uno tempore auctus. *Curt.* 5. 7. 12. His copiis auctus (*rex*) Darium persequi statuit. *Tac.* 12. *Ann.* 26. Augetur Agrippina cognomento Augustæ. *Id.* 1. *ibid.* 3. Privignos imperatoriis nominibus augere. *Id.* 13. *ibid.* 18. Augere largitione potissimos amicorum. *Id.* 3. *ibid.* 8. aliquem liberalitate. *Id.* 4. *ibid.* 66. Civilis societate Agrippinensium auctus. *Id.* 2. *ibid.* 14. Auctus omine. *h. e.* animo confirmatus ob faustum omen. — Huc pertinet et illud *Lucan.* 8. 250. Auctus opes. *h. e.* opibus: Græca dictio. — Huc referri possunt et illa *Lucret.* 3. 627. et 631. Certe ut opinor eam (*animam*) faciundum est sensibus auctam. Et *Catull.* 64. 165. quæ (*auræ*) nullis sensibus auctæ Nec missas audire queunt, nec reddere voces. — c) A Comicis interdum in malam partem usurpatur. *Plaut. Stich.* 1. 1. 47. Scio atque in cogitando mœrore augeor. *Ter. Heaut.* 4. 1. 15. Ergo herus damno auctus est. *h. e.* damnum passus, damno affectus est.

II). Translate *augere aliquid* significat verbis amplificare. *Cic. Orat.* 36. 125. Alteram (*pono*) in augendis amplificandisque rebus, quæ ab eisdem αὔξησις est nominata. *Id.* 2. *Off.* 20. 70. Neque vero verbis auget munus suum –, sed etiam extenuat. *Id.* 1. *Orat.* 21. 94. Eum statuebam eloquentem, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare quæ vellet. *Id. Partit. orat.* 6. 22. Cum aut augendi alterius, aut minuendi sui causâ alia dici ab oratore, alia existimari videntur. *Id. Brut.* 12. 47. Rem augere laudando, vituperando rursus affligere. *Id.* 2. *Herenn.* 6. 9. Augere atrocitatem peccati. *Id.* 1. *Invent.* 50. 94. hostium vim et copiam et felicitatem. *Quintil.* 8. 6. 75. Naturâ est omnibus augendi res vel minuendi cupiditas insita. *Id.* 8. 4. 9. Augere quod est infra. *Plin. Paneg.* 38. Augeo principis munus, cum ostendo etc. — Hinc Part. præter. pass.

Auctus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Auctior*, et Superl. *Auctissimus* etsi perraro. *Plaut. Capt.* 4. 2. 2. Ægritudo auctior. *Lucret.* 3. 451. Auctior animi vis. *h. e.* firmior, validior ad agendum. *Liv.* 3. 68. Re fortunâque auctior. *Id.* 4. 2. Auctior et amplior majestas. *Id.* 25. 16. Res Romana in dies melior atque auctior. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 3. auctius atque Di melius fecere. *Trebell. Gallien.* 18. Etiam equos et currum fieri jusserat pro qualitate staturæ atque in auctissima base poni. *h. e.* amplissima. Ita enim legendum docte monet *Salmas.* Vulgo legitur *acutissima*.

AUGESCO, is, ere, n. 3. *inchoativum ab* augeo. Part. *Augescens* 1. et 2. — Est augeri incipio, cresco (It. *crescere, incominciare a crescere ed aumentarsi*; Fr. *commencer à croître, croître, grandir*; Hisp. *comenzar á crecer, crecer, aumentarse*; Germ. *zu wachsen oder grösser zu werden anfangen*; Angl. *to increase, grow greater*). ¶ 1. Stricto sensu de iis ponitur, quæ alimentis a natura præbitis sibi adjectis augentur et crescunt. *Cic. Senect.* 15. 53. Quæ (*uva*) et succo terræ et calore solis augescens primo est peracerba gustatu. *Id.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Quibus (*rationibus*) doceri possit –, ea (*semina*) temperatione caloris et oriri et augescere. *Id. ibid.* 19. 50. Animantes aluntur et augescunt. *Lucret.* 2. 1109. Unde mare et terræ possent augescere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 54. 118. (283). Augescunt corpora dulcibus atque pinguibus et potu; minuuntur siccis et aridis frigidisque ac siti. *Tac. Agric.* 3. Ut corpora lente augescunt, cito extinguuntur. *Id.* 2. *Hist.* 34. Augescente flumine. ¶ 2. Latiori sensu usurpatur de omnibus, quæ incrementum ac vim majorem accipiunt. *Nævius* apud *Priscian.* 5. *p.* 617. *Putsch.* Fames acer augescit hostibus. *Ennius* apud *Gell.* 3. 17. Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis. *Ter. Heaut.* 3. 1. 14. Mihi quidem quotidie augescit magis de filio ægritudo. *Lucret.* 2. 76. Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur. *Sall. Jug.* 38. *in fin.* Jugurthæ – animi augescunt. *Liv.* 27. 17. Cum hostium res tantis augescere incrementis cerneret. Adde *Tac.* 5. *Hist.* 4. *Plin.* 9. *Ep.* 37. Augescunt vitia. *Tac.* 4. *Hist.* 61. Augescente superstitione. *Id. ibid.* 1. Augescente licentia.

AUGĪFICO, as, are, a. 1. (augere *et* facio) idem ferme quod augeo. *Ennius* apud *Non. p.* 76. 1. *Merc.* Quid fit? seditio tabetne, an numerus augificat suos? *Alii minus recte leg.* Quid fit seditio? tabesne etc.

AUGĪNOS, i, f. 2. herba, communiori vocabulo hyoscyamos appellata; ita dicta a splendore floris, ab αὐγὴ *splendor*. *Apul. Herb.* 4.

AUGĪTES, æ, m. *vel* f. 1. αὐγίτης, nomen cujusdam gemmæ, ita dictæ a splendore; nam αὐγὴ *splendorem* significat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (147).

AUGMEN, inis, n. 3. (pro *augumen* vel *augimen* ab *augeo*) augmentum, incrementum. Occurrit tantum apud *Lucret.* 6. 607. Augmen æquoris. *Id.* 5. 1306. Addere alicui augmen. *Et ibid.* 680. cum noctes augmina sumunt. *Id.* 3. 269. perfectum corporis augmen. *h. e.* moles corporis. Adde *eumd.* 1. 428., 2. 72. et 495. — In sacris augmen pro nomine libi, quo in sacrificiis ara augetur, dixit *Arnob.* 7. 24.

AUGMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. augmentandi actus, incrementum. *Boeth. Aristot. Top.* 4. 2. p. 687. Si enim ambulatio neque augmentationem, neque diminutionem, neque alios motus participet, manifestum est, quoniam lationem participabit.

AUGMENTĀTOR, ōris, m. 3. qui augmentat. *Cassiod.* 8. *Variar.* 22. Hunc provectus sui auctorem meruit, ut nos augmentatores dignissime reperiret.

AUGMENTĀTUS, a, um, *V.* voc. seq.

AUGMENTO, as, are, a. 1. Part. *Augmentatus*. — Est augmentum do, augeo. *Firmic.* 5. *Mathes.* 6. Ut thesauros suos augmentent. Adde *Cod.* 1. 27. 2. § 5. Et *Cassiod.* 9. *Variar.* 10. Subtrahimus pecuniam, quod augmentetur gloriæ. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1214. Quorum (*laterum*) si unum per se augmentatum excreverit septingentorum et octoginta quatuor summa consurget. *h. e.* multiplicatum.

AUGMENTUM, i, n. 2. In locis *Varron.* et *Pallad.* infra citatis, item apud *Ulp. Dig.* 26. 7. 8. *ad fin.* legitur et *augumentum*. In quibusdam libris apud *Arnob.* 7. 25. legitur et *agumentum*, quod tamen mendum esse videtur. — Augmentum est incrementum (It. *aumento, accrescimento*; Fr. *augmentation, accroissement*; Hisp. *aumentacion*; Germ. *das Wachsthum, die Zunahme*; Angl. *increase, augment, increment*). Occurrit. — a) Generatim. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 21. (81). Alii summo fulgoris augmento colores pigmentorum æquavere. *Pallad.* 13. *R. R.* 6. 1. Augmentum lunæ. *Dig.* 23. 3. 31. § 4. dotis. *Ibid.* 33. 7. 5. *pr.* Medii temporis augmenta. *Ibid.* 30. *l.* 8. Augmentum fundi. *Ibid.* 2. 13. 8. Augmentum aut deminutio. *Apul. Dogm. Plat.* 1. Multiplicatis augmentis. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 495. Impia continui cessant augmenta tributi. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Si corpus viderimus augmenta carnis accepisse. *Id.* 1. *Acut.* 6. Quomodo phrenetici aliqui augmento passionis in lethargiam – devenerint. — In re sacra augmentum est illa animalis hostiæ pars, quæ speciatim offertur, seu qua aræ augentur. *Varro* 5. *L. L.* 112. p. 44. *Müll.* et *Arnob.* 7. 25.

AUGUR, ŭris, comm. gen. 3. Ratione habita etymi, testibus *Paul. Diac. p.* 2. 1. *Müll.* et *Servio* ad *Virg.* 5. *Æn.* 523. *augur* est ab *avis* et *gero*; quam vocabuli compositionem veteres confirmasse videntur, qui *auger* et *augeratus* pro *augur* et *auguratus* scribebant, ut docet *Priscian.* 1. *p.* 554. *Putsch.*: adde, quod cum *augur* et *auspex* junguntur, *augur* generatim, *auspex* autem speciatim usurpatur, V. *Non. p.* 429. 26. *Merc.* — Ceterum

I). Proprie augur masc. gen. est qui auctoritate publica sacras aves alit, custodit atque observat, et ex iis futura divinat. Multus fuit augurum et usus et honos apud Romanos, præsertim post insigne illud experimentum auguralis scientiæ ab Accio Navio datum, de quo *Liv.* 1. 36. Nam tanta inde sacerdotio augurum accessit auctoritas, ut nihil postea belli domique Romani gererent, nisi prius per augures deorum voluntatem explorassent. Augures initio tres fuerunt, creati a Romulo (*Cic. Vatin.* 8. 20. et 2. *Divinat.* 38. 80.) at *Liv.* 4. 4. et *Flor.* 1. 2. a Numa institutos fuisse affirmant); ad quinque autem a Numa creati (*Cic.* 2. *de republ.* 14. 26.); deinde anno U. C. CCCCLIV., teste *Liv.* 10. 6., novem fuerunt; tandem a Sulla iidem quindecim numero (*Liv. Epit.* 89.). Cæsar, teste *Dione l.* 42. c. 51., uno addito, augurum collegium ampliavit; Augustus, eodem teste *l.* 51, quotquot vellet, ut adderet, a senatu obtinuit. Eorum officium erat deorum mentem ex avibus explorare: de prodigiis, somniis, oraculis responsa dare: quæ ad expiationes procurationesque prodigiorum pertinebant, curare, edicere, vatum libros exponere et alia, quæ in lege augurali apud *Cic.* 2. *Legg.* 8. et 9. leguntur. Tanta autem fides eorum dictis habebatur, ut si quid affirmarent a diis non probari, id agere summa esset religio. Itaque comitia eorum monitis, præliaque (si eundum in hostes esset, non vero si aggressus hostis repellendus) in aliud tempus differebantur; abdicabant se magistratus, etiam summi, si vitio creatos dixissent, etc. V. *Cic. l. c. cap.* 12. § 31. Si quis iis non paruisset, capitale erat. Sacerdotium numquam amittebant, tametsi judicio aliquo damnati fuissent; sed usque ad mortem retinebant. Utebantur assidue trabea, gestabantque coronam in capite. Augurium captaturi in loco puro sub mediam noctem, sereno cœlo stantes, ac lituo templum seu circulum in cœlo designantes, tamdiu expectabant, donec aves a dextra, aut sinistra advolantes aut addicerent, aut vetarent. V. *Rosin. l.* 3. *c.* 8. et 9., *Pitisc.* in *Lexic. Antiq. Rom.*, et alios. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 81. Augures nunciationem solum habent; magistratus etiam spectionem. Et *ibid.* 33. 83. Confecto negotio bonus augur alio die, inquit. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 4. 10., *Brut.* 1. 1., 3. *Fam.* 10. 9. et 13. *Phil.* 5. 12.; *Varron.* 3. *R. R.* 3. 5. et 7. 1., et 6. *L. L.* 64. *Müll.*; *Festum* p. 261. 27. *Müll.*, aliosque. *Inscript.* apud *Avellino Bullett. Arch. Napol. anno* 4.° *p.* 74. Augur publicus populi Rom. Quiritium. — Augures etiam in coloniis et municipiis erant decem numero. *Cic.* 2. *Leg. Agr.* 35. 96. Huc (*Capuam*) isti decemviri cum quingentos colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint. Præterea *Barptol. Borghesi* in *Giorn. Arcad. T.* 3. p. 61. probat, augures fuisse etiam Fabrateriæ, Spoleti, Brundusii, et alibi; et *Aldini Lap. Ticin. p.* 100. etiam Ticini, nunc *Pavia*; et *De Minicis* in *Annal. dell' Istit. archeol. T. II. a.* 1839. p. 60. etiam Phaleriæ in Piceno; et *Orelli Inscript.* 2163. etiam Tridenti.

II.) Improprie est communis generis, ut *Prob.* in *Cathol. p.* 1455. *Putsch.* et *Phocas ibid.* 1695. docent; et dicitur augur quicumque rem aliquam divinat. — a) Masc. gen. *Accius* apud *Gell.* 14. 1. et apud *Non. p.* 95. 8. *Merc.* Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant alienis, suas ut auro locupletent domos. *Horat.* 1. *Od.* 2. 32. Augur Apollo. *Id. Carm. secul.* 61. Phœbus. *Id.* 3. *Od.* 16. 11. Augur Argivus. *h. e.* Amphiaraus. *Propert.* 2. 21. 3. Dodonâ verior. *Ovid.* 12. *Met.* 19. augur veri providus Thestorides. *h. e.* Calchas. *Id.* 3. *Amor.* 5. 31. nocturnæ imaginis augur. *h. e.* nocturni visi, seu somnii interpres. *Stat.* 3. *Theb.* 6. Pessimus in dubiis augur timor. — b) Fem. gen. *Horat.* 3. *Od.* 17. 12. aquæ augur annosa cornix. *Stat.* 9. *Theb.* 629. simque augur cassa futuri.

AUGŪRA pro *auguria*, ut sit a recto *augurum*, *i*, n. 2. usurpavit *Accius* apud *Non. p.* 488. 3. *Merc.* Ejus verba ita leguntur ex emendatione *Vossii* et *Merc.* Pro certo arbitrabor sortis (*h. e.* sortes), oracla, adytus, augura. At *Bothe* legendum putat *oracla aditus, augurum*.

AUGURACULUM appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur. *Paul. Diac.* p. 18. 14. *Müll.* V. ARX, et TURACULUM.

AUGŪRĀLE, is. *V.* voc. seq.

AUGŪRĀLIS, e, adject. ad augures seu ad auguria pertinens. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. et 3. *Fam.* 11. 3. Augurales libri. *h. e.* qui de augurum arte tractant. *Id. Brut.* 77. 267. Auguralis juris peritus. *Id.* 7. *Fam.* 26. 2. et *Varro* 3. *R. R.* 6. 6. Auguralis cœna. *h. e.* quæ dabatur ab augure, quo primum die eam dignitatem suscipiebat. *V.* ADITIALIS. *Liv.* 10. 7. Insignia auguralia. *Sueton. Claud.* 4. et *Gramm.* 12. verbum. *Capell.* 1. *p.* 11. Augurales alites. *h. e.* cycni. *Servius* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 13. disciplina. *Id. ad* 3. *Æn.* 117. et 265. species. *Id.* 4. *ibid.* 262. amictus. *Id.* 1. *ibid.* 398. Auguralis avis *et* Augurales Commentarii. — Hinc *Augurale*, *is*, n. 3. absolute. ¶ 1. Apud *Senec. Tranquill.* 11. *a med.* ponitur *augurale* pro insignibus augurum; et præcipue pro lituo, quod est clarissimum auguratus insigne, inquit *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. ¶ 2. *Tac.* 2. *Ann.* 13. Nocte cœpta, egressus augurali, per occulta et vigilibus ignara etc.

Id. 15. *ibid.* 30. Structam ante augurale aram subdita face accendit. *Augurale* est locus in castris prope prætorium, vel potius ipsius prætorii pars dextra, ubi imperator auspicia captabat. Nisi malis per *augurale* totum ipsum prætorium significari, ut ab ea parte, quæ sanctior erat, et auspiciis (quæ solius erant imperatoris) dicata, denominatum sit. Hinc *Quintil.* 8. 2. 8. Cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre proprie *nænia*, et tabernaculum ducis *augurale*. Alii male leg. *augustale*. V. *Orell.* ad *Tac.* 2. *Ann.* 13. et AUGURATORIUM.

AUGŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus augurandi, auspicium. *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 65. Quæ tandem ista auguratio est ex passeribus? *Lactant.* 2. 16. Eorum inventa sunt astrologia et haruspicina et auguratio. *h. e.* disciplina augurandi.

AUGŬRĀTŌ, adverb. capto augurio, auspicato. *Augurato* aliquid agere est capto prius rite augurio et diis approbantibus. *Liv.* 1. 18. Sicut Romulus augurato in urbe condenda regnum adeptus est. *Sueton. Aug.* 7. Aliquid augurato consecrare.

AUGŬRĀTOR, ōris, m. 3. qui auguratur, qui rem aliquam divinat. *Coll. Legum Mos. et Rom.* 15. 1. 2. Non inveniatur in te augurator, nec inspector avium, nec maleficus aut incantator.

AUGŬRĀTŌRĬUM, ii, n. 2. locus seu ædificium auguriis capiendis destinatum. *Inscript.* apud *Gruter.* 128. 4., quæ est apud *Orell.* 2286. IMP. TRAIANUS HADRIANUS COS. III. AVGVRATORIUM DILAPS. A SOLO RE..... Fortasse est illud idem *auguratorium*, quod a *P. Victore de regionibus Urb. R.* in regione decima ponitur. — In castris auguratorium erat idem atque augurale. *Lipsius* ad *Tac.* 2. *Ann.* 13. affert locum *Hygini*, a *Schelio* emendatum ad *Hygin. Gromat.* p. 52. et *p.* 5. *col.* 1. ed. *Schel.* Aris institutis in formam partis imæ, auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit: parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat et exercitum felici auspicio adloquatur.

AUGŬRĀTRIX, icis, f. 3. quæ auguratur. *Paul. Diac.* p. 117. 1. *Müll.* Lingulaca genus piscis, vel mulier auguratrix. *Quidam leg.* garrulatrix: *at corrigendum* argutatrix ex *Müll.*, quem V. ad h. l. *V.* et ARGUTATRIX. Certa est lectio *Hieronym.* in *Isaj.* 16. 57. Quod verbum Hebraicum עֹנְנָה, nos juxta Symmachum in *auguratricem* vertimus, quod scilicet semper Jerusalem, quæ est mater audientium, idololatriæ dedita fuerit.

AUGŬRĀTUS, a, um. *V.* AUGURO et AUGUROR.

AUGŬRĀTUS, us, m. 4. ¶ 1. Est dignitas et officium auguris. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. Lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus. *V.* hac de re *Borghesi Dec.* 7. oss. 7. p. 24. et *Cavedoni Append. not.* 66. *Cic. ibid.* § 32. Scientia auguratus. *Id. Vatin.* 8. 22. Auguratus alicujus. *Tac.* 1. *Ann.* 62. *ad fin.* Auguratu præditus. *Plin.* 4. *Ep.* 8. Auguratum accipere. *Inscript.* apud *Jo. Labus, Ara antica in Hainburgo* p. 5. T. FL. T. F. SERG. PROBVS OB HONOREM AVGVRATVS T. FL. PROBI FIL. SVI. ¶ 2. Item augurium, prædictio. *Tertull. Anim.* 26.

AUGŬRĬĀLIS, e, adject. ad auguria pertinens. *Apul. de not. asp.* § 8. Augurialis avis.

AUGURIONALIS, e, adject. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 92. et 70.

AUGŬRĬUM, ii, n. 2. De forma *augura* pro *auguria* V. loco suo. — Augurium proprie atque ad litteram est sacrarum avium educatio, animadversio atque ex iis rerum futurarum divinatio; unde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (203). Auguria ex avibus invenit Car, a quo Caria appellata: adjecit ex ceteris animalibus Orpheus. — Deinde factum est, ut ipsam auguris actionem et dignitatem significaret. Hinc

I). Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est signum et divinatio rei futuræ; et proprie ea, quæ fit ex avium volatu, pastu, tripudio: latiore autem significatione ea, quæ fulminibus, fulguribus, tonitribus, item ex ceteris animalibus aliisque rerum signis capitur. His enim creditum est deorum voluntatem circa actiones humanas significari: quod ita in hominum animis inhæsit, ut auguria adhuc observarent consules anno a Chr. n. CCCCLV. *V.* PULLARIUS. Ex volatu avium capiebant Romani augurium prosperum quidem, si a sinistra parte auguris advolassent, adversum solem, si dextera (*V.* OSCEN, PRÆPES et ALES). Ita ex fulmine lævo lætum, ex dextero triste augurium esse putabant (*V.* LÆVUS et SINISTER). Si pulli avide pascerentur, felicia portendi; si contra, adversa existimabant (*V.* TRIPUDIUM). Similiter a læva vel dextera parte cæli auditum tonitruum, occursus quadrupedis cujuspiam ominosi aut læti inter felicia vel infelicia auguria habebantur. V. *Rosin.* l. 3. *Antiq. Rom.* c. 9., ubi plura de his. — Sæpe *augurium* et *auspicium* junguntur, differunt enim inter se: *V.* Homonym in fine et exempla ibidem allata; quibus adde *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 28. Multa auguria, multa auspicia – negligentiâ collegii amissa plane et deserta sunt. *Liv.* 26. 41. Iidem auguriis auspiciisque et per nocturnos etiam visus omnia læta ac prospera portendunt. — Sæpissime *augurium* tantum occurrit. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Cum in arce augurium augures acturi essent. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 17. 32.; et Cf. *Varron.* 6. *L. L.* 42. *p.* 89. *Müll.* Augures augurium agere dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 105. Augurium addubitare. *Id. ibid.* decantare. *Id. ibid.*; *Festus* p. 161. 21. *Müll.*; *Sueton. Aug.* 31.; et *Tac.* 12. *Ann.* 23. Augurium salutis. *V.* SALUS. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 9. Disciplina augurii. *Liv.* 1. 34. et 10. 40; et *Val. Flacc.* 1. 161. Augurium accipere. *Liv.* 10. 7.; et *Sueton. Aug.* 95. capere. *Liv.* 1. 7. nunciare. *Id. ibid.* Venit mihi augurium. *Id.* 1. 8. Augurio imperium portendere. *Virg.* 3. *Æn.* 89. et 703.; et *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 36. Augurium alicui dare. *Virg.* 5. *Æn.* 7. triste. *Sueton. Vit.* 18. Augurium factum. *Flor.* 1. 5. 3. Experiri aliquid augurio. *Tac. Agric.* 44. Augurio votisque ominari aliquid. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 22. (55). Augurium naturæ. *Id.* 28. *ibid.* 6. 19. (68). valetudinis ex urina. *Val. Flacc.* 6. 729. inane. ¶ 2. Latiori sensu sumitur pro munere ac dignitate auguris, seu potius pro ipsa augurii scientia. *Virg.* 12. *Æn.* 393. acri quondam cui captus amore Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo, Augurium citharamque dabat celeresque sagittas. *suas artes* dixit, quia Apollo augurorum deus et augurum præses habitus est, ut *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 20. docet. Etiam *Hygin. augurium alicui dare* hoc sensu dixit *Fab.* 19. *Virg.* 9. *Æn.* 328. *de Rhamnete augure.* Sed non augurio potuit depellere pestem. *Flor.* 1. 5. Accius Navius, vir summus augurio. ¶ 3. Item pro interpretatione augurii. *Ovid.* 1. *Met.* 395. Conjugis augurio quamquam Titania mota est. ¶ 4. Item pro ipso præsagio. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 31. (56). Thymum augurium mellis est.

II). Improprie sumitur pro quocumque indicio, divinatione, præsensione rei futuræ. *Cic.* 10. *Att.* 8. Auguria quoque me incitant quadam spe non dubiâ, non hæc collegii nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis. *Id.* 1. *Tusc.* 15. 33. Sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum. *Id.* 6. *Fam.* 6. Constitui apud te auctoritatem augurii et divinationis meæ. *Id.* 2. *Phil.* 35. 89. O mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum! *Ovid. Heroid.* 17. 234. Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Homonym. Inter *augurium* et *auspicium* non unum tradi solet discrimen. Quidam docent *augurium* esse, quod ex avium garritu seu cantu capitur; *auspicium*, quod ex avium pastu aut volatu. Sed nulla profecto hæc differentia est. Nam utraque vox passim de utroque dicitur a scriptoribus. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 398. tradit hoc interesse, quod *augurium* et petitur et certis avibus ostenditur; *auspicium* qualibet avi demonstratur et non petitur: hoc ipsum tamen speciem augurii esse. *Id.* ad 3. *ibid.* 20. *auspicia* sit esse omnium rerum, *auguria* certarum. Nam auspicari cuivis etiam peregre licere; *auguria* agere, nisi in patriis sedibus, non licere. Hinc putarunt alii illud statui posse, ut *augurium* diceretur, quod in urbe capitur; *auspicium*, quod in agro. Denique *Non.* p. 429. 26. *Merc.* scribit *auspicium* esse avium inspectionem et quod ex volatu avium significetur et vocibus; *augurium* autem rerum omnium conjecturas prudenter ac diligenter amplecti. Fortasse unum aliquod horum discriminum verum est (licet nullum sit perpetuum). Nam aliquando hæ duæ voces a scriptoribus, tamquam inter se diversæ, adhibentur. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 105. Quibus nulla videbatur in auguriis aut auspiciis præsensio, aut scientia veritatis futuræ. *Varro* 7. *L. L.* 8. *Müll.* Dictum templum locus augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Curantes magna cum cura, concupientes regni, dant operam simul auspicio augurioque. (Adde loca superius allata sub I. 1. init.). Cum dixit *Plaut. Asin.* 2. 1. 15. Quantum ex augurio auspicii intelligo; per *augurium* interpretationem auspicii intellexit, ea ratione, qua *Ovid.* supra allatus. Possis etiam hoc modo interpretari: quantum intelligo ex augurio, quod ex avium spectione cepi; nam *auspicium* proprie *spectionem avium* significat. Hæc *Forcellinus*: ex quibus recte inferre nobis licet, inter *augurium* et *auspicium* id interesse discriminis, quod *augurium* est genus, cujus *auspicium* est species.

AUGŬRĬUS, a, um, adject. ad augures pertinens. *Jus augurium* est augurandi scientia. *Cic.* 3. *Fam.* 9. 3. Cognitionem juris augurii consequi cupio. Adde *eumd. Senect.* 4. 12. Et *Gell. præfat.* 13. Paucula remotiora super augurio jure et pontificio. Adde *eumd. Gell.* 6. 6.

AUGŬRO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Auguratus.* I. 6. — Auguro est augurium capio, augurium ago et ex eo futura prædico.

I). Proprie. — *a*) Active. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. SACERDOTESQVE VINETA VIRGETAQVE ET SALVTEM POPVLI AVGVRANTO. — *b*) Passive. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 45. Nam quod – præpotens, pulcherrime auguratum est, rem Romanam publicam summam fore. *L. Cæsar* apud *Priscian.* 8. *p.* 791. *Putsch.* Certæque res augurantur. οἰωνοσκοποῦνται. *Cic. Vatin.* 10. 24. In Rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco etc. *h. e.* de quo augurium rite captum est. Cf. *Liv.* 8. 5. *Id. Liv.* 5. 54. Augurato locum liberare. *V.* AUGURATO, quod adverbii more usurpatur.

II). Translate est aliquid diligenter animadvertere, indeque divinare, conjicere, præsentire: et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Cist.* 4. 2. 26. Hoc age, ad terram aspice et dispice, oculis investigans astute augura. *h. e.* circumspice diligenter in omnem partem, ut augures faciunt, cum augurium ex avibus volantibus expectant. *Accius* apud *Non.* p. 469. 5. *Merc.* Si satis recte aut verâ ratione augurem. *Cic.* apud *Non. l. c.* Cui quidem utinam vere, fideliter, abunde ante auguraverim. — *b*) Cum Accus. *Ennius* apud *Non. l. c.* Hoc ego tibi dico et conjecturâ auguro. *Accius* apud *Non. l. c.* Atque ex conjecturâ auguro. *Virg.* 7. *Æn.* 273. hunc illum poscere fata, Et reor, et (si quid veri mens augurat) opto. *Val. Flacc.* 3. 355. sed quis non prima refellat Monstra deum, longosque sibi non auguret annos? — *c*) Cum Ablat. et præp. de, aut cum relativo. *Pacuvius* apud *Non. l. c.* Propemodum animus conjecturâ de errore ejus augurat. *Cic.* apud *Non. l. c.* Præsentit animus et augurat quodam modo, quæ futura sit suavitas.

Homonym. Inter *auguro* et *auguror* ponit *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 273. hoc discrimen ex *Plinio in lib. dub. serm.*, quod *auguro* dicamus, cum præsagio mentis futura colligimus; *auguror* vero, cum futura veris captamus auguriis. Sed tum ex modo allatis exemplis, tum ex iis, quæ in voce sequenti afferemus, satis apparet, id aut verum, aut perpetuum non esse. Illud tamen certum est *auguror* usitatius fuisse, quam *auguro*.

AUGŬROR, āris, ātus sum, ari, Dep. 1. *V.* Homonym. in fine vocis praeced. — Part. *Augurans* et *Augurandus* I. *a.* — Auguror proprie est augurium ago et ex eo futura prædico.

I). Proprie occurrit — *a*) Cum Accus. rei. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 72. Ut apud Homerum Calchas, qui ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Quamquam aves quasdam – rerum augurandarum causâ esse natas putamus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 35. (192). Motu ejus (*canis*) imperia augurantes. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. Ille mihi videtur igitur vere augurari. *Id. ibid.* 41. 90. Et in Persis augurantur et divinant Magi. Cf. *eumd.* 6. *Fam.* 6. 7. *Curt.* 3. 3. 5. Quidam contra augurabantur etc. *Sueton. Oth.* 7. In augurando. *Id. Gramm.* 1. Augurandi disciplina.

II.) Translate est quovis modo futura prædicere, conjicere, ominari, existimare, judicare; hoc tamen verbum majorem quamdam ac peculiarem præsefert vim, quam *suspicari*, *opinari*, *conjecturâ assequi* et similia. Ad rem *Cic.* 6. *Fam.* 6. 7. Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu sinistro oscinis –, nec ex tripudiis solistimis aut soniviis tibi auguror; sed ha-

beo alia signa, quæ observem etc. Occurrit — *a*) Cum Accus. rei. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 96. Augurari alicui mortem. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 64. Animi futura augurantur. *Id. Orat.* 13. 41. Augurari aliquid de aliquo. *Curt.* 4. 10. 10. falsa per metum. *Id.* 10. 5. 13. bella civilia mentibus. *Id.* 4. 13. 25. vultu alicujus interrito spem victoriæ. *Tac. Germ.* 3. futuræ pugnæ formam ipso cantu. *Id.* 2. *Hist.* 50. Vespasianum et arma Orientis. — *b*) Cum Ablat. et præp. *de*, cum Accus. et Infinito, aut cum relativo. *Cæsar* apud *Cic.* 9. *Att.* 16. 2. Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum), nihil a me abesse longius crudelitate. *Cic.* 4. *Verr.* 6. 18. Cum ex nomine istius, quid ille in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur. *Id. Amic.* 12. 41. De C. autem Gracchi tribunatu quid expectem non lubet augurari. *Curt.* 9. 9. 2. Quam placidum amnis os, quam patiens longarum navium esset, anceps et cæca æstimatio augurabatur. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 79. Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas: Hac ego contentos auguror esse deos. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 9. 133. *Curt.* 4. 4. 4. Macedones iter jaciendo operi monstrasse eam augurabantur. — *c*) Absolute, sive cum Accus. quantitatis tantum. *Cic. Mur.* 31. 65. Quantum ego opinione auguror. *Id.* 1. *Orat.* 21. 95. Ego enim, quantum conjectura auguror, non despero, fore etc.

AUGUSTA, æ, f. 1. Ex quo Romani Imperatores honoris causa *Augusti* nominari cœpere, eorum quoque uxores *Augustæ* dictæ sunt: cujus rei testimonia in nummis et lapidibus passim extant. Neque solum uxores, sed et matres aliquando, filiæ, sorores, etc., ut videre est apud *Tac.* 1. *Ann.* 8., 4. *ibid.* 8. et 16., 12. *ibid.* 26., 15. *ibid.* 23., et 2. *Hist.* 89.; *Sueton. Cal.* 10. et *Claud.* 3. et 11.; *Plin. Paneg.* 84. aliosque. — NB. Multæ etiam urbes *Augustæ* vocatæ sunt, de quibus *V.* ONOM.

AUGUSTĀLE, is, n. 3. tabernaculum ducis in castris. Legunt nonnulli apud *Quintil.* 8. 2. 8., ubi tamen alii rectius *augurale* reponi malunt. *V.* AUGURALIS in fin.

AUGUSTĀLES, ium. *V.* AUGUSTALIS, sub *c*, *d* et *e*.

AUGUSTĀLIA, ōrum. *V.* AUGUSTALIS, sub *b*.

AUGUSTĀLIĀNUS, a, um, adject. ad Præfectum Augustalem in Ægypto pertinens. *Impp. Theodos. et Valentinian. Cod. Theod.* 11. 5. 3. Augustalianum officium. Et *ibid.* 24. 6. *pr.* Augustalianum judicium.

AUGUSTĀLICIUS, a, um, adject. qui augustalitate jam functus; ut quinquennalicius, qui quinquennalitate, ædilicius, qui ædilitate functus est. *Inscript.* apud *Fabrett.* c. 6. n. 163. OB QVARVM DEDICATIONEM HEREDES EX TESTAMENTO EJVS DECVRIONIBVS SINGVLIS X IIII, AVGVSTALICIS X III., PLEBEI INTRA MVRVM HABITANTIBVS X II., LIBERIS OMNIVM EORVM DIMIDIVM DEDERVNT. Lapis habet *augustalicis* pro *augustaliciis*, gemino scilicet I ex more veterum Latinorum in unum contracto; hic vero *augustalicius* illum significat, qui augustalitate fungebatur, tum etiam qui functus jam fuerat.

AUGUSTĀLIS, e, adject. ad Augustum pertinens. — *a*) Generatim. *Cod.* 2. 47. 3. Augustalis majestas. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Augustales milites. *h. e.* milites ab Augusto ordinariis juncti. *V.* AUGUSTANUS et AUGUSTIANUS. — *b*) Speciatim *Augustales ludi*, qui memorantur a *Tac.* 1. *Ann.* 15. et 54., erant ludi in honorem Augusti instituti, qui in vet. quodam Calendario apud *Gruter.* 133. et apud *Orell. Inscript. vol.* 2. p. 411. die 12. Octobris *Augustalia* absolute appellantur. Sed duplex fuit festum in honorem Augusti institutum, quod *Augustalia* dicebatur. Etenim Augustalia pro reditu Augusti ex Asia instituta fuerunt ann. U. C. DCCXXXV. celebranda quotannis IV. Id. Octobr., ut refert *Dion l.* 54. c. 10. Hinc *Kalend. Maffæor.* IV. Id. Oct. Augustalia. *Kalend. Amitern.* IV. Id. Oct. ludi in circo, feriæ ex S. C., Q. E. D. (*h. e.* quod ea die) Imp. Cæs. Aug. ex transmarinis provinciis urbem intravit, araque Fort. Reduci constit. *h. e.* constituta est. *Inscript.* apud *Gruter.* 11. 2. P. QVINTILIVS SEX. F. VARVS PONTIF. COS. (*scilicet* anno DCCXLI.) LVDOS VOTIVOS PRO REDITV IMP. CAESARIS DIVI F. AVGVSTI JOVI OPTIMO MAXIMO FECIT CVM TI. CLAVDIO NERONE CONLEGA EX S. C. *Alia* apud *eumd.* 11. 1. TI. CLAVDIVS TI. F. NERO PONTIFEX COS. ITERVM (*scilicet* anno DCCXLVII.) IMP. ITERVM LVDOS VOTIVOS PRO REDITV IMP. CAESARIS DIVI F. AVGVSTI PONTIFICIS MAXIMI JOVI OPTIMO MAXIMO FECIT EX S. C. At anno DCCLXVII., quo defunctus est Augustus, ut ait *Tac.* 1. *Ann.* 15., Tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi, Augustales nominarentur. Eadem vero narrat *Dion l.* 56. c. 46. Augustalia autem pro natali Augusti, quæ celebrabantur XIV. Kal. Oct., instituta fuerunt anno DCCXLIII., ut refert *Dion l.* 54. c. 34. *Kalend.* vero *Maffæor.* XIV. K. Oct. H. D. Augusti natalis, ludi circenses. *Kalend. Pincian.* XIV. K. Oct. ludi ex S. C., quod is dies Imp. Cæsar. natalis est. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 115. Pontica me tellus, quantis hæc possumus ora, Natalem ludis scit celebrare dei. *Sueton. Aug.* 57. Equites Romani natalem ejus sponte atque consensu biduo semper celebrarunt. Ex *Inscript.* apud *Gruter.* 11. 1. et 2. nuper allatis apparet, consules his ludis præesse solitos fuisse; sed ex loco *Tac.* 1. *Ann.* 15. supra allato anno DCCLXVII. statutum est, ut ludis natalicii consules quidem, ludis vero pro reditu tribuni plebis iidem præessent. — *c*) Item *Sodales Augustales* erant sacerdotes viginti et unus a Tiberio instituti, quibus postea quatuor supra numerum adjecti, qui sacra curarent in honorem Augusti inter deos relati: hi collegium constituebant: hæc ex *Tac.* 1. *Ann.* 54. et 3. *ibid.* 64.; et *Sueton. Claud.* 6. et *Galb.* 8. Cf. etiam *Inschrift b. Mommsen in Bergk's und Cäsar's Zeitschrift.* 1845. *Tac.* 2. *Ann.* 83. *Sacerdotes Augustales* appellat; et 2. *Hist.* 95. et 3. *Ann.* 64., necnon *Colum.* 11. *R. R.* 1. 2. absolute *Augustales*. In loco tamen *Colum.* a nonnullis *Augustalis* pro cognomine accipitur. Hi Augustales adjecti sunt quatuor collegiis summis. V. *Borghesi Dec.* 7. oss. 7. p. 25. Bucranium est eorum symbolum, quod iidem sedem suam, ubi templum gentis Boviliæ, habebant. — *d*) Item *Augustales*, ium, m. plur. In coloniis quoque ac municipiis Augustalium collegia instituta fuere ad eumdem finem: in quibus sex primo nominati, *Seviri Augustales* dicebantur, creabanturque a decurionibus. Postea cum ad multo plures excrevissent, in plura collegia partiti sunt, nempe juvenum ac seniorum, quibus distincti VI. Viri præerant. De his mentio fit in *Petron. Satyr.* 30. et in quamplurimis antiquis Inscriptionibus (V. *Orell. Inscript.* 3939., 3959. aliasque), quarum multas affert *Norisius* in *Cenotaph. Pis. dissertat.* 1. et 6.; ubi etiam refellit eorum opinionem, qui Augustales fuisse magistratus, non sacerdotes arbitrati sunt. *V.* ibi plura erudite disputata. At constat, Augustales primo fuisse institutos in municipiis et coloniis, uti Romæ, in honorem Augusti, et sacris eidem faciendis præfectos; mox progressu temporis medios fuisse (ut Romæ equites inter senatum et populum) inter decuriones et plebem, et novum ordinem civium ex his constitutum, ideoque etiam ipsos equestrem ordinem fuisse appellatos. Id patet ex *Inscript.* apud *Gruter.* 431. 1. SEX. LIGVRIVS SEX. F. GALERIA MARINVS CVRATOR *civium romanorum* PROVINCIAE LVG*dunensis*, QV*æstor*, IIVIRALIB. ORNAMENTIS SVFFR*agio* SANCTISSIMI ORDINIS HONORATVS, IIVIR DESIGNATVS EX POSTV*latione* POPVLI OB HONOREM PERPETVI PONTIF*icatus* DAT, CVJVS DONI DEDICATIONE DECVRIONIBVS X. V., ORDINI EQVESTRI IIIIII. VIRIS AVG*ustalibus* NEGOTIATORIBVS VINARIIS X. III., ET OMNIBVS CORPORIBVS LVG*duni* LICITE COEVNTIBVS X II., ITEM LVDOS CIRCENSES DEDIT. L. D. D. D. — *e*) Ab his omnino diversi fuerunt sacerdotes Augustales, quorum collegium ex libertis constabat atque ab ipso Augusto institutum fuit, ut Larium ac Penatium sacra compitalia curaret, testibus *Porphyr.* et *Acron.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 3. 281. — *f*) Denique *Præfectus Augustalis* dictus est Præfectus Ægypti, quia, lege ab Augusto lata, datum est ei imperium ad similitudinem proconsulis, ut *Ulp.* loquitur *Dig.* 1. *t.* 17. qui est *De Officio Præfecti Augustalis.* Qua de re extat etiam testimonium *Tac.* 12. *Ann.* 60. Hic idem *vir spectabilis Augustalis* vocatur *Cod.* 10. 31. 57. et 59. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

AUGUSTĀLĪTAS, ātis, f. 3. Est — *a*) Dignitas sacerdotis augustalis in Larium honorem instituti: *V.* AUGUSTALIS sub d. *Inscript.* apud *Gruter.* 215. 2. Subire onus augustalitatis. Et *ibid.* 354. 7. Decernere alicui honorem augustalitatis. Cf. *Orell. Inscript.* 1838., 3213. et 3678.; quibus adde *Inscript.* apud *Henzen.* 5260., 5776. et 6604. — *b*) Dicta est etiam *Augustalitas* dignitas præfecti Ægypti. Ita enim accipienda videtur in *Cod. Theod.* 13. 11. 11. *V.* AUGUSTALIS sub *f*.

AUGUSTĀNEUS, a, um, adject. Augustanus. Legitur apud *Var. Auct. Limit.* p. 265. ed. *Goes.*

AUGUSTĀNUS, a, um, adject. ad Augustum pertinens. *Tac.* 14. *Ann.* 15. *de Nerone.* Tunc primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui, etc. Videntur hi iidem fuisse, qui memorantur a *Sueton. Ner.* 20. *V.* AUGUSTIANUS in fin. — Ceterum *V.* ONOM.

AUGUSTĀTUS, a, um. *V.* AUGUSTO.

AUGUSTĒ, adverb. Comp. *Augustius.* — Est rite, augurato, sancte, religiose (It. *religiosamente, piamente, santamente*; Fr. *saintement, religieusement*; Hisp. *santamente, religiosamente*; Germ. *auf hehre, ehrfurchtsvolle, feierliche Weise*; Angl. *venerably, with religious awe*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 24. 62. Liber, quem nostri majores auguste sancteque cum Cerere et Libera consecraverunt. Et 3. *ibid.* 21. 53. Deos omnes auguste sancteque venerari. *Id. Brut.* 21. 83. Non quod de religione dici possit augustius.

AUGUSTEĀNUS, a, um, adject. ad Augusteum pertinens. *Frontin. Colon.* p. 140. *Goes.* Ager limitibus Augusteanis pro parte assignatus. *V.* vocem seq.

AUGUSTĒUS, a, um, adject. ad Augustum pertinens. *Sueton. Claud.* 11. Currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit. *Al. leg.* Augusto; *recentiores codicum auctoritate freti leg.* Augustino. *Frontin. Colon.* p. 119., 121. et 122. *Goes.* Augustei termini. *h. e.* rotundi ad modum columnæ, ita dicti, quia Augustus eos recensuit, ut in *Gloss. Rigalt.* exponitur. *Id. ibid.* p. 124. Ager lege Augustea assignatus. *Isid.* 6. *Orig.* 10. 2. Charta Augustea. *h. e.* regia. *Id.* 16. *ibid.* 5. 4. Marmor Augusteum. *Faustin. Corsi* in *Pietr. ant.* p. 159. docet, hoc marmor nunc Romæ vulgo appellari *verde ranocchia ondato*; de quo iterum hæc *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (55). Augusteum marmor in Ægypto Augusti primum principatu repertum. Differentia ejus ab ophite, cum sit illud serpentium maculis simile, Augusteum undatim crispum in vertices. *V.* AUGUSTUS, a, um, sub B. — NB De Augusteo *V.* ONOM.

AUGUSTIĀNUS, a, um, adject. Augustanus. *Frontin. Colon.* p. 1., 106. et 139. *Goes.* Augustianum bellum. *Inscript.* apud *Gruter.* 590. 7. PRAEPOSITVS VELABRORVM DOMVS AVGVSTANAE. Ita *Gruter.*; at *Gudius* in ipso lapide *Augustianæ* se vidisse testatur, ut et in alio in quo habetur PRAEPOSITVS OFFICIORVM DOMVS AVGVSTIANAE. — Hinc

Augustiani, orum, absolute, subaudi *equites*. *Sueton. Ner.* 25. Sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, Augustianos militesque se triumphi ejus clamitantibus. *V.* tamen AUGUSTANUS.

AUGUSTĪNUS, a, um, adject. ad Augustum pertinens. *Sueton. Claud.* 11. Augustinus currus. *Al. leg.* Augusteus, *quam vocem V.* — *NB.* Ceterum *V.* ONOM.

AUGUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Augustatus* 2. — Est ¶ 1. Augustum ac venerabilem reddo, glorifico. *Arnob.* 6. 16. Jamdudum istos videretis deos, quos exterior levitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum fatilium esse crates etc. ¶ 2. Item est consecrare. In *Papiriano Jure* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 11. In templo Junonis Populoniæ augustata mensa est. *h. e.* dedicata, consecrata et veluti augusta facta. Ita legit cum aliis quibusdam *Turneb. l.* 18. c. 4.; sed plerique alii *augusta*.

AUGUSTUS, a, um, adject., quod ab augeo (vel ab avium gestu gustuve, quibus auguria captantur, ut *Sueton. Aug.* 7. docet) derivatur, habet Comp. *Augustior* et Sup. *Augustissimus* 2.; et ¶ 1. Proprie dicitur de loco, aliave re aut persona auguralis, sacris, religiosis, sanctis, ut monet ipse *Dio Cass.* 53. 116. Ἀλλ᾽ – Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὢν ἐπεκλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα αὔγουστα καλεῖται. Et *Ovid.* 1. *Fast.* 609. Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur Templa, sacerdotum rite dicata manu. Hujus et augurium dependet origine verbi; Et quodcumque sua Juppiter auget ope (It. *augusto, venerabile, sacro*; Fr. *auguste, vénérable, saint*; Hisp. *augusto, venerable, santo*; Germ. *hehr, hoch, erhaben, heilig, Ehrfurcht einflössend, ehrwürdig*; Angl. *august, venerable, sacred*). *Ennius* apud *Varron.* 3. *R. R.* 1. 2. Augusto augurio postquam inclita condita Roma est. *augustum augurium*, ait *Forcellinus*, potest etiam exponi magnum et propitium, quo quis bono aliquo augetur. *Accius* apud *Non.* p. 206. 1. et 357. 15. *Merc.* Ut omnes ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, ore obscena dicta segregent. *h. e.* religiosam. *Cic. Dom.* 53. 137. Ara con-

secrata in loco augusto. Cf. *Paul. Diac. p.* 1. 17. *Müll. Id.* 1. *Nat. D.* 42. 119. Eleusis sancta illa et augusta. *Forcellinus* ad proxime poster. paragr. retulit. *Liv.* 38. 13. Augustum fanum. *Id.* 1. 29. et 42. 3. templum. *Virg.* 7. *Æn.* 153. Augusta ad mœnia regis. *h. e.* augurio consecrata, ut et *Servius* exponit. *Plin. Paneg.* 52. Aræ augustiores. ¶ 2. Generatim ponitur pro venerabili, magno, majestate pleno, quales sunt religiosæ res et sacræ; ita tamen ut in ipso aliquid sacri et religiosi inesse significetur. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 37. Ex hoc Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio. *Liv. præfat.* § 5. Miscendo humana divinis primordia urbium augustiora facere. *Id.* 1. 8. Cum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumptis fecit. *Virg.* 7. *Æn.* 170. Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis. *Id.* 4. *G.* 228. Sedes apum augusta. *h. e.* nobilis et quasi majestatis plena, ut *Servius* explicat. Nam: Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus Ætherios, dixere quidam, ut *ibid.* 220. habetur. *Ovid.* 9. *Met.* 279. de *Hercule inter deos relato.* majorque videri Cœpit, et augusta fieri gravitate verendus. *Sueton. Ner.* 1. Juvenes gemini augustiore forma. *Plin. Paneg.* 60. Augustissimum tribunal consulum. *Stat.* 4. *Silv.* 8. 20. Ausoniæ pater augustissimus urbis. — Hinc

Augustus, *i*, m. 2. Primo quidem *Augustus* honoris causa appellatus est a senatu Cajus Julius Cæsar Octavianus post devictos triumphatosque undique Rom. imperii hostes, clauso Jani templo, firmataque per orbem pace A. U. 727., ipso VII., M. Vipsanio Agrippa III. coss., cum, quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem Urbis, prævaluisset Munatii Planci sententia, ut *Augustus* potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, ut ait *Sueton. in ejus Vita* 7., ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine ac titulo consecraretur (Græce σεβαστός), ut ait *Flor.* 4. 12. *in fin.*, et ὡς καί πλεῖόν τι, ἢ κατὰ ἀνθρώπους, ὤν, ut est apud *Dion. l.* 53. *c.* 16.; quibuscum cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 607. Quo die *Augustus* sit appellatus statuit *Jo. Labus Decur. Bress.* p. 20., nempe XVII. Kal. Febr. ann. U. C. DCCXXVI. — Ejus deinde successores et ipsi *Augusti* sunt appellati eorumque uxores *Augustæ* (*Ovid.* 15. *Met.* 860. et 4. *Fast.* 676.; et *Vellej.* 2. 91. 1.): quin crescente adulatione jam inde a Probo *perpetui Augusti* vel *semper Augusti*, ut est apud *Auct. Paneg. ad Maximian. et Constantin. cap.* 1., et apud *Symmach.* 2. *Ep.* 30. — Hinc

Augustus, a, um, novum derivatum adject. ¶ 1. Est ad Cæsarem Augustum Octavianum pertinens. — *a*) Generatim. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 18. et *Vellej.* 2. 126. Augusta pax. *h. e.* ab Augusto parta. *Ovid.* 15. *Met.* 869. caput. *Id.* 2. *Pont.* 2. 76. domus. *Id.* 1. *Fast.* 590. nomen. *Id.* 1. *Pont.* 2. 117. aures. *Id.* 4. *ibid.* 5. 10. forum. *h. e.* ab Augusto ædificatum in regione Urbis octava, cum æde Martis ultoris, ut est apud *Sueton. in ejus Vita* 29., quod forum inter magnifica Urbis opera *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (102). recenset. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 13. Augustum numen. *Id.* 1. *Met.* 562. postes. — *b*) Speciatim mensis Sextilis in ejusdem Octaviani honorem *Augustus* dictus est, quia eo mense primum consulatum inierat, tres triumphos in Urbem intulerat, Ægyptum in ditionem populi Rom. redegerat, finemque imposuerat bellis civilibus, ut est in ipso senatusconsulto hac de re lato, quod a *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. *ad fin.* refertur. Cf. *Sueton. Aug.* 31. Hoc porro factum esse narrat *Censorin. de die nat.* 22. anno U. C. DCCXLVI. ante Chr. n. VIII. Adjective. *Juvenal.* 3. 9. Augusto recitantes mense poetas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (123). Ante calendas Augustas. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 2. et *Inscript.* apud *Gruter.* 731. 3. *Martial.* 12. 68. Augustis redit idibus Diana. — *b*) Item speciatim *Augusta aqua* dicta est, quam Augustus in supplementum Marciæ perduxit, et in ipsam Marciam immisit, ut est apud *Frontin. Aquæduct.* 12. et in *Monum. Ancyr.* apud *Gruter.* 232. — Alia est *Augusta aqua* ab eodem Romam perducta, quæ ex Alsietino lacu concipiebatur. *Frontin. ibid.* 11. *V.* ALSIETINUS in ONOM. — *c*) *Via Augusta*, ab auctore nominata, in Faliscis fuisse dicitur, et per Anniam in Flaminiam desiisse. *V.* ANNIA in ONOM. — *d*) Præterea *Augustum* dictum est genus marmoris sub Augusto in Ægypto repertum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (55). Idem marmor ab *Isid.* 16. *Orig.* 5. 4. appellatur *Augusteum*. V. TIBERIUS, a, um. — *e*) Denique inter varia ficorum genera *augustas* enumerat *Macrob.* 2. *Saturn.* 16., et fortasse intelligit ficos virides biferas, quas Augustus maxime appetebat, ut narrat *Sueton. in ejus Vita* 76. ¶ 2. Item est ad Imperatores Romanos pertinens, imperialis. — *a*) Generatim. *Martial.* 7. 30. Augusta aula. *h. e.* Domitiani. — *b*) Speciatim apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (129). et 17. *ibid.* 10. 11. (60). dicitur *augusta laurus*, quæ amplissima est et arbore et folio, baccis gustatu quoque non asperis: *regia* etiam ob id appellata. — *c*) Item speciatim *augusta charta* vocata est ea, quæ, officinis Romam translatis, tota ibi diligentius et retractata est; tenuitque aliquamdiu principatum, donec sub Claudio melior excogitata est. Antea *hieratica* dicebatur, religiosis tantum voluminibus dicata. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (74). — *d*) Præterea *Historia Augusta* est historia Augustorum. *Vopisc. Tac.* 10. Cornelius Tacitus scriptor historiæ Augustæ.

AULA, *æ*, f. 1.

A) A veteribus *aula* pro *olla* dicebatur, teste ipso *Paul. Diac. p.* 23. 13. *Müll.*, facile enim *au* in *o* longum vertebatur, ut a *caudex codex*, a *plaustrum plostrum*, etc. *V.* AU. Est itaque vas illud, quod posterioris ævi scriptores *ollam* dixerunt (It. *pentola*, *pignatta*; Fr. *pot*, *marmite*; Hisp. *vasija*, *olla*; Germ. *der Topf*; Angl. *a pot*). *Cato R. R.* 86. Postea in aulam indat et aquam puram, coquatque. *Id. ibid.* 52. In aulas propagare. *Id. ibid.* 81. Aula aenea. *Id. ibid.* 85. nova. *Plaut. Curc.* 2. 3. 80. Poculum grande, aula magna. *Id. Cas.* 4. 1. 16. Aulas pervortunt, ignem restinguunt aqua. *Id. Capt.* 1. 1. 21. et apud *Non. p.* 543. 8. *Merc.* Frangere aulas in caput. Adde eumd. in *Aulul.* sæpe.

B) Aula, (cujus Genitivus Græci moris *aulai*, diphthongo soluta per diæresin, occurrit apud *Virg.* V. infra sub 3. et cf. *Quintil.* 1. 7. 18.) Græce αὐλή, est etiam idem quod Latine *cohors* vel *chors* (It. *corte, cortile*; Fr. *cour d'une maison*; Hisp. *corte*; Germ. *der Hof oder das Gehöfte*; Angl. *a hall*, *court-yard*). ¶ 1. Est spatium illud terræ sub dio, sepibus fere munitum, circa villas. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 66. venaticus, ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus. *Propert.* 3. 11. 39. vacuam pastoris in aulam Dux aries saturas ipse reduxit oves. — Hinc ponitur et de caveis, quæ viminibus contextæ animalibus custodiendis inserviunt. *Petron. Satyr.* 119. Tigris aurata gradiens vectatur in aula. *h. e.* in cavea. *V.* locum et *Burmanni* notas. *Gratius* quoque in *Cyneg.* 167. aulam vocat septum, ubi custodiuntur canes venatici. — Hinc generatim *aulæ* etiam dicuntur, si *Servio* credimus ad *Virg.* 9. *Æn.* 60., septa in sacris ædibus et in tribunalibus, quæ turbas prohibent. ¶ 2. Aula in Græcorum ædificiis est idem quod atrium, seu locus sub dio in ædibus. Docet enim *Vitruv.* 6. 7. 5. *Schneid.* ubi de eorum ædificiis disserit, mesaulas dici itinera inter eorum peristylia et hospitalia, *quod inter duas aulas media sunt interposita*, hoc est per quas ab uno ad aliud atrium transitur. *Forcellinus* huc referebat illud *Virg.* 3. *Æn.* 353., quod proxime inferiori paragr. exhibemus. Huc potius pertinet illud *Horat.* 1. *Ep.* 1. 87. lectus genialis in aula est. *h. e.* in atrio. V. ATRIUM. ¶ 3. Hinc speciatim, quia domus principum utpote amplior ceteris, plures aulas seu atria habere solet, factum est, ut *aulæ* nomine a Latinis appellaretur. *Virg.* 3. *Æn.* 353. Illos porticibus rex accipiebat in amplis: Aulai in medio libabant pocula Bacchi. *Horat.* 2. *Od.* 10. 8. tutus caret obsoleti Sordibus tecti, caret invidendâ Sobrius aulâ. *Id.* 4. *ibid.* 6. 16. Aula læta Priami. *Id. ibid.* 14. 36. vacua. Adde *Propert.* 4. 4. 55. *Seneca* 2. *Ira* 33. Rarissimam rem in aula consequi, senectutem. *Lucan.* 8. 494. exeat aulâ Qui volet esse pius. *Seneca Octav.* 219. Aula alta. *Id. Troad.* 772. regalis. *Id. Hippol.* 981. sublimis. *Martial.* 5. 6. sanctior. Hinc *aula regia* erat locus in scenæ medio ceteris ornatior, qui regum (præsertim in tragicis) domicilium referebat. *Vitruv.* 5. 6. 8. *Schneid.* Græci βασίλειον dicunt et οἶκον ἔνδοξον. — Hinc poetice *aulæ* dicuntur etiam deorum domicilia. *Horat.* 3. *Od.* 11. 16. Cessit immanis tibi blandienti Janitor aulæ. *h. e.* Cerberus regiæ Plutonis domus custos. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 18. 30.; *Propert.* 4. 11. 5., et αὐλὴν νεκύων apud *Euripid.* *Virg.* 1. *Æn.* 144. illa se jactet in aula Æolus et clauso ventorum carcere regnet. *Quidam putant antrum hoc voce significari, quemadmodum* apud *Sil. It.* 6. 216. Jamque ubi feralem strepitu circumtonat aulam etc., *ubi sermo est de antro, in quo immanis serpens degebat. Verum aptius dicemus aulam Æoli ejus regiam esse, ubi ventis imperat; aulam serpentis locum, in quo cædibus et veneno quodammodo regnat.* — *Virgilius* aulam vocat etiam sedem et cellam regis apum. 4. *G.* 201. Ipsæ regem parvosque Quirites Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt. ¶ 4. Hinc per metonymiam *aula* dicuntur ipsi principum ac regum servi et ministri. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 6. Ut – sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulæ communitâ, regnum cum dignitate obtineret (*rex*). *Horat.* 1. *Od.* 29. 7. puer ex aula. *Val. Flacc.* 7. 102. Infida aula. Adde *Curt.* 8. 8. 21. *Tac.* 2. *Ann.* 43. Divisa et discors aula erat, tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. *Id.* 6. *ibid.* 43. Aulâ et novo rege potiri. *Id.* 1. *Hist.* 13. *ad fin.* Prona in eum aula. *Sueton. Ner.* 6. Esse inter ludibria aulæ.

AULÆA, *æ*, f. 1. idem quod aulæum. *Curt.* 8. 5. Cum post aulæam, quæ lectos obduxerat, staret etc. At *Oudendorp.* ad *Apul.* 5. *Met. p.* 356. et probabili conjectura scribendum putat: *Post aulæa quæ lectis obduxerat.*

AULÆUM, i, n. 2. αὐλαία. Usurpatur potius in plurali numero, quam in singulari. — Aulæum ¶ 1. Generatim est velum intextum et picturatum, quo parietes ædium teguntur, lecti et mensæ insternuntur, peripetasma, peristroma: ita dictum, quod illo aulæ ornari solent (It. *arazzo*, *tappeto*, *cortinaggio*; Fr. *tapis, rideau, draperies*; Hisp. *tapiz, cortina*; Germ. *der Vorhang oder Behang*, *Ueberhang*, *Teppich*, *die Tapisserie*; Angl. *arras*, *tapestry*, *hangings*, *painted curtains*). *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 25. et 1. *Æn.* 697. docet, *aulæa* dicta esse a Latinis ab aula Attali regis, in qua primum hujusmodi vela inventa sunt, cum ejus hereditatem populus Romanus adiit; quod etiam *Varro* indicat apud *Non. p.* 537. 15. *Merc.* Quod ex hereditate Attalica aulæa, chlamydes, pallæ aureæ. *Virg.* 1. *Æn.* 701. Cum venit, aulæis jam se regina superbis Aureâ composuit spondâ. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 54. Aulæa suspensa. Adde eumd. 3. *Od.* 29. 14. *Propert.* 2. 23. 46. Porticus aulæis nobilis Attalicis. *Curt.* 9. 15. Lectis circumdare aulæa, purpurâ auroque fulgentia. Adde eumd. 8. 7. 13. et 8. 5. 21. ¶ 2. Speciatim ponitur et de sipario, quo scena obtegebatur, quodque initio fabulæ demittebatur, in fine vero tollebatur. *Cic. Cæl.* 27. 55. Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur. *Virg.* 3. *G.* 25. Vel scena ut versis discedat frontibus, utque Purpurea intexti tollant aulæa Britanni. *Phædr.* 5. 7. 23. Aulæo misso. *Horat. Art. P.* 154. Si plausoris eges aulæa manentis etc. *Id.* 2. *Ep.* 189. Quattuor aut plures aulæa premuntur in horas. *h. e.* demittuntur. *Ovid.* 3. *Met.* 111. ubi tolluntur festis aulæa theatris. *h. e.* removentur. *Juvenal.* 14. 262. ergo omnia Floræ Et Cereris licet et Cybeles aulæa relinquas. *h. e.* ludos, Floralia, Cerealia etc. Adde eumd. 6. 67.; et *Ammian.* 16. 6. et 26. 6. ¶ 3. Poetice per metaphoram ponitur de toga lata et sinuosa. *Juvenal.* 10. 39. et pictæ Sarrana ferentem Ex humeris aulæa togæ. Cf. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22., et *V.* VELUM.

AULAR, aris, n. 3. aulæ vel alterius vasis operculum. *Varro* 3. *R. R.* 15. 2. Cum aular impositum est in doliis, fiunt pingues. Ita *Scalig.* ex conjectura emendat; nam edit. fere omnes habent *cum cumulatim*: at *Pontedera* legit *cum affatim positum est.*

AULAX, acis, f. 3. αὖλαξ, ακος, ἡ, Græce est sulcus, qui aratro fit in agro. *Auson. Ep.* 10. 9. Et si Pierias patitur lirare sorores, Numquam ipse torquet aulaca. *Aulaca* Accusativus est Græcæ positionis, et in plurimis optimis editionibus Græce legitur. Certior est lectio apud *Veget.* 1. *Veterin.* 56. *sub fin.*, hoc est 2. *ibid.* 28. 38. *Schneid.* In sicco æqualique solo digeritur creta ad similitudinem stadii, quod aulacibus asperius sit. *Et mox.* In quo spatio cum equus frequentissime exerceri cœperit, in illas aulacas necessario offendit et ungulas impingit. *Veteres editiones utrobique legebant* aulix, icis, masc. gen.; *at* Schneider. aulax *reposuit*, Græcam vocis αὖλαξ derivationem secutus. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

AULĒTES, *æ*, m. 1. αὐλητής, idem ac tibicen; ab αὐλός *tibia*. Legunt quidam perperam apud *Cic. Mur.* 12. 29. et *Rabir. Post.* 10. 28. *V.* AULÆDUS et *Klotz* ad *loc. cit. Rabir. Post.* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

AULĒTĬCA, æ, f. 1. αὐλητική, herba eadem ac chamæmelon. *Apul. Herb.* 23.

AULĒTĬCUS, a, um, adject. αὐλητικός, ad tibiam pertinens, quæ Græce αὐλός dicitur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (164). Orchomenius calamus est continuo foramine pervius, quem auleticum vocant: hic tibiis utilior.

AULICOCIA exta, quæ in ollis coquebantur, dicebant (*antiqui*), id est elixa. *Paul. Diac.* p. 23. 13. *Müll. Alii legunt* Aulicoqua, *alii* Aulicoctia.

AULICOCTIUS et

AULICOQUUS. *V.* voc. præced.

AULĬCUS, a, um, adject.

A) Aulicus ab aula est, ad aulam, seu domum principis pertinens. *Sueton. Domit.* 4. Aulicus apparatus. *Id. Ner.* 45. iactatores. *Id. Oth.* 2. libertina. *Sedul.* 1. 193. convivia. *Spartian. Hadrian.* 11. domus. *Capitolin. Pio* 10. ministri. — Hinc

Aulici, ōrum, m. plur. 2. absolute, sunt servi et ministri aulæ. *Nepos Datam.* 5. Aulicorum invidia. *Sueton. Cal.* 19. Aulici interiores. Adde *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 11. et 19.

B) Aulicus ab αὐλός *tibia* est idem atque auleticus. *Capell.* 9. *p.* 314. Ischiadas quis nesciat expelli aulica suavitate? *Id. ibid.* p. 306. Aulicæ dulcedinis cantus insonuit.

AULISCUS, i, m. 2. parva tibia, tubulus, fistula, a Græca voce αὐλός *tibia*. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *sub fin.* Clysteris auliscum, quem nos tibiam dicere poterimus, faucibus inquit immittendum.

AULIUM, ii, n. 2. parva aula seu olla. Afferunt quidam locum *Catonis* apud *Varron.* 2. *R. R.* 4. In Italia in scrobes terna atque quaterna millia aulia succidia. At *Scalig.* monet legendum *a vila* pro *villa*: nam antiqui non geminabant consonantes. Verum nihil inde extricas, cum locus corruptissimus sit. — *NB. Aulium* pro *aulæum* est vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 172.

AULIX, icis. *V.* AULAX.

AULŒDUS, i, m. 2. αὐλῳδός, qui alicui tibias inflanti vocem accommodat: ab αὐλός *tibia*. *Cic. Mur.* 13. 29. Ut ajunt in Græcis artificibus, eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint. Ita *Manut.* edidit, et ita legit *Quintil.* 8. 3. 79. hunc eumdem locum referens: at *Victorius* perperam *auletas*. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 66. ed. *Mai.* Uni tibicinum forte consilium subit aptare tibias et melos quam posset flebile canere; tunc *aulœdus* ille manibus extensis etc.

AULŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab *aula*, parva olla. *Apul.* 5. *Met.* 20. Lucernam claro lumine præmicantem subde aliquo claudentis aululæ tegmine. Ita habent optimæ editiones, ac præsertim *Oudendorpii*, quod profecto rectius est, quam *aulæ*, vel *aulææ*, vel *auleæ*, quæ duo postrema procul dubio mendosa sunt. *Hildebrand.* leg. *cauculæ*. *V.* AULULARIA in ONOM.

AULUS, i, m. 2. piscis quidam e pectinum genere, ita appellatus a similitudine tibiæ, quæ Græce αὐλός dicitur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 32. (103).

AUMĀRĬUM, ii, n. 2. *Petron. fragm.* p. 868. *Burmann.* In aumarium memet conjeci. *Fulgent. de prisco serm. in fin.* interpretatur *locum secretum publicum, sicut in theatris aut circo*: v. c. latrinam publicam. Alii leg. *aumatium* eodem sensu. *Turneb.* *l.* 26. *c.* 10. suspicatur legendum *automatium*, ut locus significetur theatri vel circi, ubi erant machinæ, quæ *automata* a Græcis vocantur. Alii putant corruptum esse ex *armarium*.

AUMĀTĬUM. *V.* voc. præced.

AURA, æ, f. 1. Græca vox, sed usu Latina facta, αὔρα vel αὖρα, ab ἄω, ἄημι *spiro*, ut multi Græci etymologi docent, aut ab ἀήρ *aer* et ῥέω *fluo*, ut alii minus recte putant. — Genitivo *aurai* pro *auræ* soluta diphthongo usus est. *Virg.* 6. *Æn.* 747. atque aurai simplicis ignem. — *Auras* etiam pro *auræ* legit *Servius* apud *eumd.* 11. *Æn.* 801. nihil ipse, nec auras etc.; atque hanc esse antiquam lectionem asserit. Nam apud majores ductum fuisse aliquando Genitivum singularem a Græco τῆς αὔρας. Sic *Sallust.* dixisse *custodias* pro *custodiæ*: et *familias* pro *familiæ* adhuc in usu esse, junctum nominibus *pater*, *mater*. Veteres tamen Codices MSS. habent *auræ*, teste *Pierio*, et sic passim in editis quoque legitur. — Aura est aer leniter spirans, aut aliquid aliud tenuissimum atque aeri simillimum spirans, teste *Isid.* 13. *Orig.* 11. 17. Agitatus aer auram facit. (It. *lo spirare dell' aria, l'aria che spira*; Fr. *le souffle de l'air, souffle leger*; Hisp. *soplo, soplar del ayre*; Germ. *die Strömung, Bewegung oder das Wehen der Luft*; Angl. *a gentle gale, breath of air, gust of wind*).

I.) Proprie est spiramen vel agitatio et motus lenis *A*) aeris, aut *B*) alicujus rei tenuissimæ aerique simillimæ.

A) Est ¶ 1. Spiramen vel agitatio et motus lenis aeris; ut ait *Plin.* 2. *Hist. nat.* 45. 45. (116). Flatus, qui non aura, non procella, sed venti sunt. *Cf. Plin.* 5. *Ep.* 6. Semper aer spiritu aliquo movetur: frequentius tamen auras, quam ventos habet. *Cic. Arat.* 327. Hæc climata magis paullo est aquilonis ad auras. *Lucret.* 1. 11. Et reserata viget genitabilis aura Favoni. *Catull.* 62. 282. propter fluminis undas Aura parit flores tepidi fecunda Favoni. *Virg.* 2. *Æn.* 726. Et me, quem dudum non ulla injecta movebant Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji, Nunc omnes terrent auræ. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 4. 51.; *Ovid.* 2. *Art. am.* 649., et *Quintil.* 10. 3. 24. — Hinc *aeris auras* sæpe dixit *Lucretius*, ut 1. 207., 2. 203., 3. 753., 6. 1225. etc. (quorum cf. *Ovid.* 10. *Met.* 246. tenuatus in auras Aeraque humor abit.): sic *auras aerias* non semel, ut 5. 502. et 4. 931., et *Virg.* 5. *Æn.* 520. et *Tibull.* 4. 1. 137.: qua loquendi ratione ostenditur, *auram* proprie significare aerem spirantem et se moventem. — Hinc, præcipue post *Lucretium*, aura apud Poetas occurrit pro aere seu vento leniter aut vehementer spirante. *Virg.* 3. *Æn.* 356. auræ Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro. Cf. *id.* 9. *Ecl.* 53. Omnes ventosi ceciderunt murmuris auræ. *Id.* 7. *Æn.* 8. Aspirant auræ in noctem. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 209. et 13. *ibid.* 807. *Id. Ovid.* 1. *ibid.* 529. retro dat aura capillos. *Id. Heroid.* 18. 45. dat aura cursum. *Id.* 4. *Met.* 136. æquor stringitur aurâ. *Lucan.* 2. 698. sibilat aura. *Id.* 5. 529. colligere auras velis. Hac significatione pluribus jungitur Adjectivis, quorum præcipua servato litterarum ordine subjicimus. *Virg.* 5. *Æn.* 844. Æquatæ auræ. Cf. *Val. Flacc.* 4. 615. Æqualis aura. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (80). Cereales. *Ovid. Heroid.* 18. 45. facilis. *Lucret.* 3. 291. frigida. *Id.* 3. 301. gelida. *Val. Flacc.* 4. 722. glaciales Boreæ. *Ovid. Remed. am.* 808. grandior. *Catull.* 4. 20. læva, dextera. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 2. languida. *Catull.* 62. 84. lenis. *Ovid.* 1. *Met.* 502. levis. Cf. *Seneca Med.* 304. *de navigantibus.* Animam levibus auris credere. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 18. nivales. *Lucret.* 6. 110. petulantes. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 25. secunda. *Val. Flacc.* 2. 586. stridentes. *Ovid. Fac. med.* 57. ventosæ. *Id. Heroid.* 6. 109. verna. *Stat.* 6. *Theb.* 157. violentior cœli. — Huc referri potest et illud *Ovid.*, ubi aura, pro flatu ponitur, qui expiratur ab animali, 5. *Fast.* 507. Ipse genu posito flammas exsuscitat aurâ. ¶ 2. Hinc generatim ponitur pro aere: et quidem — *a*) Dicitur de aere, quem ipsi inspirando vivimus. *Lucret.* 3. 406. Vivere et ætherias vitales suscipere auras. *Id.* 5. 855. vesci vitalibus auris. *Virg.* 1. *Æn.* 556. aurâ ætheriâ vesci. *h. e.* vivere. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 339. *Id.* 1. *ibid.* 391. Auras vitales carpere. *Lucret.* 3. 406. Reducere naribus auras. *Virg.* 1. *G.* 376. Captare naribus auras. Cf. *Liv.* 3. 37. Libertatis auram captare. *Seneca Œdip.* 599. Trahere auras. *h. e.* spiritum ducere. *Quintil. Proœm.* 6. 12. Auram communem haurire. Sic *ferre auras* est aeri et cœlo assuescere apud *Virg.* 2. *G.* 422. *de oleis.* Ut semel hæserunt arvis aurasque tulerunt. — *b*) *In auras, ad auras, sub auras, per auras* est in altum, per aera. *Virg.* 4. *Æn.* 176. Se attollere in auras. *Id.* 3. *G.* 109. Assurgere in auras. *Id.* 2. *ibid.* 47. *de arboribus.* Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras. *h. e.* crescunt. *Id.* 2. *ibid.* 363. se agere ad auras. *Id. ibid.* 291. Tendere ad auras ætherias. *Id.* 6. *Æn.* 554. stat turris ad auras. *Id. ibid.* 194. Dirigere cursus per auras. *Id.* 4. *ibid.* 307. Deferre aliquid per auras. *Id.* 3. *ibid.* 422. Erigere fluctus sub auras. *Seneca Agamemn.* 854. Fugere in auras. — *c*) Interdum auræ opponuntur Orco vel Inferis, et significant nostrum orbem. *Virg.* 4. *G.* 486. superas venire ad auras. *Id.* 6. *Æn.* 128. superas evadere ad auras. *Ovid.* 5. *Met.* 641. superas educere ad auras. *Id.* 10. *ibid.* 11. Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras Deflevit vates, ne non tentaret et umbras, Ad Styga — est susus descendere etc. — *d*) Item aura ponitur pro luce. Sic de nativitatis die *Ovid.* 9. *Met.* 703. Ut dolor increvit seque ipsum pondus in auras Expulit. Sic *ferre aliquid sub auras* apud *Virg.* 2. *Æn.* 158. est vulgare, manifestare. Sic *reddere ad auras*, in apertum educere, *ibid.* 259. Contra *fugere auras* est diem hominesque vitare, abdere se, apud *eumd.* 4. *Æn.* 388.

B) Aura ponitur et de aliis rebus, quæ tenuissimæ aerique simillimæ spirant. Huc occurrit ¶ 1. De odoribus, qui diffunduntur. *Lucret.* 2. 851. reperire inolentis olivi Naturam nullam, quæ mittat naribus auram. Adde *eumd.* 4. 1174. *Virg.* 3. *G.* 251. Si tantum notas odor attulit auras. *Servius* ad *h. l.* monet, hypallagen esse pro, si auræ odorem apportaverint notum. Nam aura est, quæ odores diffundit, et pro odore ponitur. *Id.* 4. *G.* 415. et liquidum ambrosiæ diffundit odorem, Quo totum nati corpus perduxit: at illi Dulcis compositis spiravit crinibus aura. *Horat.* 2. *Od.* 8. 24. tua ne retardet Aura maritos. *Orellius* cum plerisque hic intelligit odorem et corpore puellæ misso, quo aliarum mulierum maritos ad se alliceret, ducta nempe metaphora a juvencis. *Servius* vero pro splendore et pulcritudine accepit, et retulit ad illud *Virg.* 6. *Æn.* 204., quod *V.* infra sub 4. Adde *Val. Flacc.* 5. 589. Sic *Martial.* 3. 65. 2. Quod de Corycio quæ venit aura croco. *Stat.* 10. *Theb.* 46. pinguesque ab ovilibus auræ. ¶ 2. Accipitur etiam pro repercussu vocis, quæ *echo* dicitur, quia medio aere fit. *Propert.* 1. 20. 50. Sed illi Nomen ab extremis fontibus aura refert. Adde *eumd.* 2. 27. 15. et 3. 10. 26. ¶ 3. Interdum est mixtum quid ex aere et calore. *Varro* apud *Non.* p. 245. 24. *Merc.* Simul ac languido corpori solis calidior vim est aura. ¶ 4. Denique aura significat tenue quiddam et varium ex aere et lumine, aut colore resultans, sive splendor. *Virg.* 6. *Æn.* 204. Discolor unde auri per ramos aura refulsit. *Servius* huc trahit illud *Horat.* 2. *Od.* 8. 24., de quo *V.* paullo sup. sub 2. *Priscian. Perieg.* 1020. Aurâ viridi, quæ splendet iaspis.

II.) Translate frequenter occurrit, ductâ metaphorâ aut ab iis, quæ ab aura afferuntur, aut sæpius a navigantibus qui secundo aut adverso vento utuntur. *Cic. Mur.* 17. 35. Sæpe perturbat omnia et totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris. Sic *Virg.* 7. *Æn.* 646. Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura. *h. e.* tenuis rumor. — Translatione ducta a navigantibus dixit *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 25. En ego non paucis quondam munitus amicis, Dum flavit velis aura secunda meis. *h. e.* dum prospera utebar fortuna. *Cic.* 2. *Verr.* 13. 35. Sperat sibi auram posse aliquam afflari in hoc crimine voluntatis assensionisque eorum, quibus Cn. Carbonis nomen odio sit. *h. e.* favorem. *Cf. Liv.* 6. 11. *Cic. Sext.* 47. 101. Quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu dimovere. *Liv.* 42. 39. Levi aura spei objecta. *h. e.* spe instar auræ aspirante. *Horat.* 1. *Od.* 5. 11. Nescius auræ fallacis (*amoris*). *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 33. incerta Cupidinis aura. — Speciatim ac sæpius occurrit *aura popularis* et est favor et plausus vulgi, qui fere in dies mutatur. *Cic. Harusp. resp.* 20. 43. Sulpicium longius, quam voluit, popularis aura provexit. *Liv.* 3. 33. Omnis popularis auræ captator. *Id.* 42. 30. Auræ popularis homo. *h. e.* popularis homo, qui populo placebat ac studebat. Adde *eumd.* 30. 45. *Virg.* 6. *Æn.* 817. jam nimium gaudens popularibus auris. *Horat.* 1. *Od.* 5. 11. Arbitrio popularis auræ. Cf. *Quintil.* 11. 1. 45. *Lucan.* 1. 132. Impelli popularibus auris.

AURĀRĬA, æ. *V.* voc. seq.

AURĀRĬUS, a, um, adject. (aurum) ad aurum pertinens. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 51. Negotium hoc ad me pertinet aurarium. *h. e.* efficiendi aurum, seu inveniendi pecuniam. *Varro* apud *Non.* p. 455. 21. *Merc.* Auraria statera. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 34. (132). fornax. *h. e.* in qua aurum purgatur. *Id.* 37. *ibid.* 12. 74. (193). metalla. *h. e.* ex quibus aurum effoditur. Adde *Justin.* 8. 3. 12. *Inscript.* apud *Orell.* 6. SVBVENTOR CIVIVM NECESSITATIS AVRARIAE. *Cod. Theod.* 11. 20. 6. pr. præstatio. *Ibid.* 12. 1. 173. § 1. susceptor. *Ibid.* 11. 16. 13. et *Cod.* 10. 47. 10. Aurarius canon. *h. e.* præstatio pecuniæ, quæ a mercatoribus et negotiatoribus conferebatur principi; quæ *auraria pensitatio* appellatur in *Cod.* 11. 61. 2., et *auraria* absolute in *Cod. Theod.* 12. 6. 29. — Hinc

Aurarius, ii, m. 2. absolute est ¶ 1. Faber aurarius, aurifex. *Inscript.* apud *Gruter.* 12. 6., quæ est apud *Orell.* 3096. PRO S. IMPERATORIS COLLEG. AVRARIORVM L. CALPVRNIVS D. D. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 4065. *Inscript.* apud *Mommsen. I. N.* 6913.,

quæ est apud Henzen. 7218. DE BASILICA VASCVLARIA AVRARIO ET ARGENTARIO. ¶ 2. Item qui tributa exigebat. Novell. Valent. III. 2. 35. 1. § 3.

Auraria, æ, f. 1. absolute est ¶ 1. Femina in auro negotians, vel aurifex. Inscript. apud Murat. 964. 1., quæ est apud Orell. 4148. MARCIA T. F. SEVERA AVRARIA ET MARGARITARIA DE VIA SACRA. ¶ 2. Item est aurifodina, fodina enim subauditur. Tac. 6. Ann. 19. Publicare aurarias alicujus. Adde Inscript. apud Orell. 3235., 1284. aliasque. ¶ 3. Denique est etiam idem quod *aurarius canon* in Cod. Theod. 12. 6. 29., ut superius diximus sub AURARIUS, a, um in fin.

Aurarium, ii, n. 2. absolute, est locus, in quo auraria vasa reponuntur. V. Argentarium. Est tamen vox Lexico expungenda, occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 126.

AURĀRIUS, ii, m. 2. est fautor, si Servio credimus ad Virg. 6. Æn. 817., ducta appellatione ab aura populari.

AURĀTA, æ, f. 1. Scribitur et *orata*, au in o converso, teste Festo p. 182. 13. Müll. — Est piscis ita dictus, quia aurata habet supercilia, *Sparus aurata* L.: quem tamen quidam negant eum esse, quem nos Itali *orata* dicimus (Fr. *dorade*; Hisp. *dorado, dorada*; Germ. *die Goldforelle*; Angl. *a gilthead or dory*). Cels. 2. 18. et 28.; Plin. 9. Hist. nat. 16. 25. (58)., et Martial. 13. 90. Scribit idem Plin. 32. ibid. 5. 16. (43), iis, qui mel venenatum comederint, auratam pro antidoto esse. — NB. De cognomine Romano V. ONOM.

AURĀTĬLIS, e, adject. aureum colorem habens. Solin. 15. ad fin. Mares punctilis ad gratiam interlucentibus auratilis pulvisculus variat.

AURĀTOR, ōris, m. 3. qui aurum in rem aliquam inducit. Gloss.

AURĀTŪRA, æ, f. 1. inductio auri in rem aliquam. Quintil. 8. 6. 28. Quia non est nisi pars auratura. Al. leg. aurata. Vetus Inscript. apud Gruter. 583. 4. M. VLPIO AVG. LIB. DIONYSIO QVI FVIT AB AVRATVRIS etc.

AURĀTUS, a, um. V. AURO.

AURĔA, æ, f. 1. frenum. Paul. Diac. p. 27. 4. Müll. A u r e a s dicebant frenos, quibus equorum aures religantur. Id. Paul. hoc confirmat in voce A u r e a x p. 8. 12. Müll.; ubi addit *oreas* seu *orias* dictas, quibus equorum ora coercebantur. Nonnullis videntur *aurea* et *oria* unum et idem esse, et eo modo dici, quo *plaustrum plostrum*, *caudex codex* et similia, ut adnotavit Salmas. ad Vopisc. Carin. 19. Nemo enim fortasse putet, frenos equorum auribus unquam inditos; at constat antiquitus auribus equos regi solitos, ut postea freno in os indito. V. AURIGA.

AURĔĀTUS, a, um, adject. Sidon. Carm. 9. 396. In castris hederā ter aureatus. h. e. decoratus, ornatus.

AUREAX auriga. Paul. Diac. p. 8. 12. Müll. In Gloss. Philox. exponitur ἱππαστής, quæ vox et de equite, et interdum etiam de equo ipso dicitur. In Gloss. Isid. A u r e a x, equus solitarius. V. AURIGA et CELES. *Aureax*, acis declinatur in Thesaur. N. Latinitat. ab A. Mai edito in Class. Auct. T. 8. p. 18.

AURĔŎLUS, a, um, adject. deminut. ab aureus.

I.) Proprie. ¶ 1. Est auro constans. Plaut. Epid. 5. 1. 34. Aureolus anellus. Id. Rud. 4. 4. 122. ensiculus. Catull. 2. 12. malum. ¶ 2. Item auro ornatus. Lucilius apud Non. p. 553. 2. Merc. Aureolus cinctus. Prudent. 9. περὶ στεφ. 196. Tecta corusca super rutilant De laquearibus aureolis. ¶ 3. Item auri colorem referens. Varro 3. R. R. 9. 4. Galli salaces, lacertosi, rubenti crista, rostro brevi, collo vario, aut aureolo. (quod *ex auro flavum* dixit Colum. 8. R. R. 2. 10). Id. Colum. 9. ibid. 3. 2. Aureolus color.

II.) Translate ponitur pro formoso, pulcro, eximio, præstanti. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 44. 135. Est enim non magnus, verum aureolus et ad verbum ediscendus libellus. Id. 3. Nat. D. 17. 43. Aureola oratiuncula. Catull. 61. 166. Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes.

Aureolus, i, m. 2. absolute (subaudi *nummus*) idem est atque *aureus*, licet deminutivum ab eo sit. Martial. 12. 36. 3. Aureoli manu crepantes. Adde eumd. 5. 19. 14. — NB. De nomine proprio V. ONOM.

AURESCO, is, ere, n. 3. inchoat., aureum colorem sumo. Varro 7. L. L. 83. p. 152. Müll. Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo, quod ab igne solis tum aureo aer aurescit.

AURĔUS, a, um, adject. Etiam *aurius* pro *aureus* legitur in Inscript. apud Gor. Inscr. Etr. T. 1. p. 335. EVMOLPVS CAESARIS A SVPELLECTILE DOMVS AVRIAE. scilicet domus aureæ Neronis, de qua Sueton. Ner. 31. — *Aureas, aureos, aureā, aureō* etc. in principio aut in fine versuum duabus tantum syllabis per synezesin efferuntur, apud Virg. 1. Æn. 701. et 7. ibid. 190., apud Ovid. 7. Met. 151. aliosque. — Aureus est qui est ex auro (It. *d'oro, aureo*; Fr. *d'or, en or*; Hisp. *de oro*; Germ. *golden, aus oder von Gold*; Angl. *of gold, golden*).

I.) Proprie. ¶ 1. Qui ex auro constat. Ovid. 2. Met. 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo. — *a*) Generatim hac significatione pluribus jungitur nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. Cic. 5. Verr. 80. 185. et 10. Fam. 32. 2.; Plin. 3. Hist. nat. 1. 4. (11)., et Sueton. Cæs. 39. anulus. Plin. 33. Hist. nat. 1. 3. (7). arma. Curt. 9. 1. baculus. Plaut. Rud. 4. 4. 127. et Plin. 33. Hist. nat. 1. 4. (10). bulla. Nepos Hann. 7. corona. V. et infra. Virg. 4. Æn. 139. fibula. Lucret. 2. 1155. funis. Ter. Eun. 3. 5. 37. imber. Lucret. 5. 33. et Varro 2. R. R. 1. 6. māla Hesperidum. Id. ibid. pelles. Ovid. 11. Met. 87. Pactolus. Cf. Varro apud Non. p. 243. 20. Merc. Pactolus aureas undas habens. Plaut. Amph. 1. 1. 104. et 263. patera. Cic. 6. Verr. 24. 54. pocula. Id. ibid. scaphia. Lucret. 2. 24. simulacra. Virg. 1. Æn. 701. sponda. Plaut. Amph. prol. 144. torulus. Nepos Pausan. 1. tripus. Cic. 6. Verr. 24. 54. vas. Curt. 10. 1. et Plin. 33. Hist. nat. 1. 4. (12). vasa. Virg. 7. Æn. 190. virga. Ovid. 11. Met. 42. vis. — *b*) Specialim *aureus nummus*, et absolute *aureus*, i, est pecunia ex auro. Plin. 33. Hist. nat. 3. 13. (47). Aureus nummus post annum LXII. percussus est, quam argenteus (nempe an. U. C. 547. M. Livio Salinatore, C. Claudio Nerone coss.), ita ut scrupulum valeret vicenis sestertiis, quod effecit (*lucri*) in libras, ratione sestertiorum qui tunc erant, sestertios noningentos. Post hæc (nempe intra annos U. C. 700. et 705., ut probavit Letronne Considérations sur l'évaluation des monnaies Grecq. et Rom. p. 76.) placuit X. XL. signari ex auri libris: paullatimque pondus imminuere principes; minutissime Nero (*corrige* vero) ad XLV. h. e. ad quintam et quadragesimam partem libræ. Ex quo Plinii loco patet, an. U. C. 547., ante Chr. 207., Romæ primum nummos aureos percussos fuisse pondere scrupulari, qui, licet auri scrupulum tunc Romæ vulgo quaternis denariis, sive sestertiis sedecim valeret, ut affirmat Id. 19. Hist. nat. 1. 4. (21). *Quaternis denariis scrupula byssi permutata quondam, ut auri, reperio*; tamen vicenis sestertiis permutabantur; ac proinde, cum auri libra scrupulis CCLXXXVIII. constet, his quater in se ductis fit summa sestertiorum MCLII., quibus si dempseris sestertios CCLII. in monetæ cudendæ manipretium insumendos, reliqui erunt sestertii noningenti, quos lucri fecit respublica in singulas auri libras. Hi vero nummi signati sunt numero XX. (nempe sestertiorum), duplares XXXX., et triplares LX., ratione habita ad scrupulare pondus; verum intra spatium temporis, quod est inter an. 700. et 705. U. C., nummi aurei XL. tantum percussi sunt ex singulis libris, quemadmodum ex eisdem denarii argentei LXXXIV.; deinde subsecuti imperatores ita eorum pondus paullatim imminuerunt, ut Plinii tempore, nempe Vespasiano imperante, XLV. ex singulis libris percuterentur. Hinc aureus nummus viginti quinque drachmis argenteis constabat. Cic. 12. Phil. 8. 20. Cum aquilæ primipili nummos aureos daret, de meis bonis se dare dixit. Sueton. Cal. 42. Super aureorum acervos volutari. Id. Domit. 7. Addidit et quartum stipendium militi, aureos ternos. Adde locum Livii paullo infr. allatum. (Hinc *aureus* sumitur pro numero XXV. in illo Martial. 10. 24. vitæ tribus aureis peractis. h. e. annis LXXV. ætatis completis. Alii tamen aliter explicant. V. AREA.). *Aureus nummus* dicitur etiam *denarius aureus*. Petron. Satyr. 33. Pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebant denarios. Plin. 34. Hist. nat. 7. 17. (37). Lysippum solitum ex manipretio cujusque signi denarios seponere aureos singulos. Id. 37. ibid. 1. 3. (6). Indicatus sex aureis denariis smaragdus. Id. 33. ibid. 3. 13. (42). *denarium ex auro* dixit. Atque Harduin. affirmat, *denarium aureum* idem omnino esse ac *nummum aureum*. Alii vero *denarium aureum* ideo appellatum recte putant, quod apud Græcos drachmam unam auri (h. e. aureum) decem argenteis valeret, ut constat ex Liv. 38. 11. Pro argento si aurum dare mallent, darent convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret. Plura de his V. apud Gronov. de Pecun. Veter., Sperling., Hotoman. et præcipue apud Letronne Considérat. sur l'évaluat. des monnaies Grecq. et Rom. — *c*) *Aurea corona* apud Romanos donabantur milites, qui in acie strenue pugnando victores fuissent. Liv. 7. 37. Consul P. Decium, præter militaria alia dona, aureā coronā et centum bobus eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat. Inscript. apud Murat. 310. 1., quæ est apud Orell. 363. DONATO BELLO DACICO DENIS MILITARIBVS CORONA MVRALI VALLARI CLASSICA AVREA. ¶ 2. Est etiam *aureus* idem ac inauratus, auro ornatus: hinc Quintil. 8. 6. 28. Cum aurata tecta aurea (dico), pusillum a vero discedo, quia non est nisi pars auratura. Cf. Sueton. Aug. 52. Nævius apud Probum ad Virg. 6. Ecl. Victima aurea pulcra. Cic. 2. Phil. 34. 86.; Nepos Eumen. 7. et Propert. 4. 1. 5. sella. Virg. 8. Æn. 347. Capitolia. Id. 1. ibid. 492. cingula. Horat. Epod. 9. 21. currus. Propert. 4. 15. templa. Curt. 8. 9. 24. lectica. ¶ 3. Item auri colorem habens, seu colorem, qui oculos perstringit. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 108. simul aureus exoritur sol. Cf. Varron. 7. L. L. 83. p. 152. Müll. Lucret. 5. 462. Aurea lumina solis. Id. 6. 205. liquidi color aureus ignis. Varro apud Non. p. 46. 2. Merc. cœli cavernæ. Catull. 61. 99. et Ovid. 12. Met. 395. coma. Virg. 8. Æn. 659. cæsaries. Id. 3. Ecl. 71. māla. h. e. poma ea, quæ vulgo *aurantia* dicimus, ut quidam putant. Id. 1. G. 481. et Ovid. 2. Met. 722. Phœbe. Virg. 1. G. 232. sol. Id. 2. Æn. 488. sidera Horat. Epod. 17. 41. sidus. Manil. 5. 379. olor. h. e. oloris signum in cœlo. Ovid. 10. Met. 448. luna. Id. 12. ibid. 395.; Plin. 37. Hist. nat. 5. 20. (76). et Gell. 2. 26. color. Val. Flacc. 5. 566. nox. h. e. stellis refulgens. Martial. 3. 60. turtur. h. e. pinguis: pinguedo enim aureum colorem refert.

II.) Translate ponitur pro eximio, pulcherrimo, optimo; sicut aurum est optimum et præstantissimum metallorum. Lucret. 3. 12. Dicta aurea. Cic. Rosc. Am. 43. 124. nomen Chrysogoni. εὐφημικῶς dictum. Virg. 10. Æn. 16. et Ovid. 10. Met. 277. Venus. Virg. 4. Ecl. 9. gens. Id. 6. Æn. 794. et 8. ibid. 324.; et Ovid. 2. Art. am. 277. sæcula. Horat. Epod. 16. 64. tempus. Cf. Albinov. 2. 23. Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo. h. e. Astræa. Et Ovid. 1. Met. 89. ætas. Horat. 1. Ep. 12. 28. Copia. Id. 1. Od. 5. 9. Qui nunc te fruitur credulus aureā. Qui semper vacuam, semper amabilem Sperat. h. e. credens, te esse moribus aureis et fide stabili. Id. 2. ibid. 10. 5. Aurea mediocritas. Id. 4. ibid. 2. 23. mores. Tibull. 1. 7. 64. (al. 1. 6. 58.) iras aurea vincit anus. h. e. optima, et quæ auro contra non est cara, ut Plaut. Epid. 3. 3. 30. loquitur. Ovid. 2. Amor. 18. 36. Aureus Amor. Martial. 11. 80. litus. h. e. pulcrum, amœnum. Colum. 6. R. R. 14. 5. medicamentum. — Hinc

Aureus, i, m. 2. absolute ponitur pro aureo nummo seu denario. V. sup. sub I. 1. *b*.

AURĬCHALCUM, i, n. 2. V. ORICHALCUM.

AURĬCHALCUS, a, um. V. ORICHALCHUS.

AURĬCILLA vel oricilla, æ, f. 1. deminut. duplic. ab auris. Catull. 25. 1. mollior cuniculi capillo, Vel anseris medullula, vel imula oricilla. h. e. ima parte auriculæ, quæ mollissima est. Ita legit et interpretatur Scalig. V. AURICULA 2. Est autem *oricilla* dictum pro *auricilla*, eo modo quo *auricularius* et *oricularius*, *plaustrum* et *plostrum*, *caudex* et *codex* etc. dicuntur. Recentiores tamen apud Catull. leg. *auricilla*.

AURĬCOCTOR, ōris, m. 3. Potest et divisim legi *auri coctor*. Est faber qui igne aurum purgat. Inscript. apud Murat. 976. 6. SELIVS ALEXANDER AVRICOCTOR. Gloss. Philox. Auricoctor χρυσεψητής.

AURĬCŎLOR, ōris, adject. m. et f. 3. aureum colorem habens. Juvenc. 1. in Evang. de bapt. Chr. 359. Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra.

AURĬCŎMANS, antis, adject. m. et f. 3. comam habens aurei coloris. Auson. 6. Edyll. 11. En crocus auricomans et murice pictus Adonis.

AURĬCŎMUS, a, um, adject. auricomans. Virg. 6. Æn. 141. Auricomi fetus arboris. h. e. ramus aureus. Sil. It. 3. 608. Batavus auricomus. Val. Flacc. 4.

92. Sol auricomus. *Capell.* 1. p. 6. Hinc Apollo vocitatur auricomus; nam solis augustum caput radiis perfusum circumactumque flammantibus velut auratam cæsariem rutili verticis imitatur.

AURĪCŬLA *vel* oricula, æ, f. 1. *deminut. ab* auris. — *Oricula* dictum est ut *oricularius* pro *auricularius*, *plostrum* pro *plaustrum* etc. *Trogus* apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (276). Oricularum magnitudo loquacitatis et stultitiæ nota est. *Festus* p. 182. 15. *Müll.* Aurum rustici orum dicebant, ut auriculas oriculas. ¶ 1. Auricula ponitur deminutive pro aure. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 14. Cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas versarentur. *Lucret.* 4. 595. Humanum genus est avidum nimis auricularum. *h. e.* cupidus audiendi. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 9. 20.; *Trogum* apud *Plin. l. c.*; ipsum *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 50. (136). aliosque. ¶ 2. Sæpius speciatim sumitur, ac fere per contemptum, pro exteriore auris parte. Huc pertinet proverbium *auricula infima mollior* de homine valde remisso ac leni in agendo, non acri, non iracundo. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 4. Tu quemadmodum me censes oportere esse in republica et in nostris inimicitiis; ita et esse et fore auriculâ infimâ scito molliorem. Apud *Ammian.* 28. 12. usurpatur de eo, qui levis est ingenii et valde mobilis. Huc etiam pertinet, quod attulimus ex *Catullo* in **AURICILLA**, ubi *imula oricilla mollior* dicitur homo mollis ingenii et effeminati. *Plaut. Asin.* 3. 3. 78. et *Pœn.* 1. 2. 163. Sine te prendam auriculis, sine dem savium. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. 2. Auriculam alicui mordicus auferre. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 77. Opponere auriculam. *Id.* 2. *ibid.* 5. 32. Auriculæ molles. *Id.* 1. *Ep.* 2. 53. collectâ sorde dolentes. *Id.* 1. *ibid.* 8. 16. Præceptum auriculis instillare. *Sueton. Aug.* 69. Auriculæ rubentes. *Martial.* 3. 28. Garrire alicui in auriculam. *Pers.* 2. 29. qua tu mercede deorum Emeris auriculas. *h. e.* obtinueris, ut tibi faciles aures dii præberent. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

AURĪCŬLĀRIS, e, adject. ad aures pertinens, vel aures habens. *Cod.* 10. 50. 2. Morbus auricularis. *Al. leg.* articularis. Certa est lectio apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Otico clystere, quem nos auricularem dicere poterimus. *h. e.* aures habens. *V.* voc. seq.

AURĪCŬLĀRIUS *vel* oricularius, a, um, adject. auriculas habens, vel ad aures pertinens. *Cels.* Clyster oricularius. *V.* AURICULARIS. *Id.* 7. 30. Auricularium specillum. *Ulp. Dig.* 50. 13. 1. § 3. Medici, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur, ut puta, si auricularius, si fistulæ, si dentium. *Inscript.* apud *Orell.* 4227. T. ÆLIVS AMINTAS AVG. LIB. MEDICVS AVRICVLARIVS. *V.* et **ORICULARIUS**. — Hinc

Auricularius, ii, m. 2. absolute, qui est a consiliis. *Vulg. Interpr.* 2. *Reg.* 23. 23. Fecitque eum sibi David auricularium a secreto.

AURĬFER, fĕra, fĕrum, adject. aurum ferens, aut producens. *Cic.* 2. *Tusc.* 9. 22. *vertens Sophoclem.* Aurifera arbor. *h. e.* aurea poma ferens in hortis Hesperidum. Adde *Sil. It.* 4. 639. *Tibull.* 3. 3. 29. Lydius aurifer amnis. *h. e.* Pactolus. Cf. *Catull.* 29. 19. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 34. Tagus aurifer. Cf. *Sil. It.* 16. 25. Aurifera arva. *h. e.* Hispania, in qua Tagus aurifer. Et *Plin.* 4. *Hist. nat.* 22. 35. (115). Tagus auriferis arenis celebratur. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (4). Auriferum nemus. *Flor.* 4. 12. 60. Natura regionis aurifera.

AURĬFEX, ĭcis, m. 3. (aurum *et* facio) — In *Inscript.* apud *Gruter.* 639. 1. scriptum est aurufex. — Est faber aurarius. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 34. Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius. Adde *eumd. Men.* 3. 3. 2. *Cic.* 6. *Verr.* 25. 66. Cum vellet sibi annulum facere, aurificem jussit vocari, et ei palam aurum appendit. *Id.* 2. *Orat.* 38. 159. Quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Adde *Varron.* 8. *L. L.* 68. *Müll.*; *Caj. Inst. Comment.* 3. 146.; *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 19. (63).; et *Quintil.* 9. 2. 61. *Inscript.* apud *Gruter.* 258. 7., quæ est apud *Orell.* 4149. Collegium aurificum.

AURĬFĬCUS, a, um, adject. (aurum et facio) deauratus. *Inscript.* apud *Gruter.* 67. 2. T. VIBIVS ZOTICVS VI. VIR AVGVSTAL. LIBERVM PATREM CVM REDIMICVLO AVRIFICO ET THYRSO ET CANTHARO ARGenteis P. II. S $\overset{=}{\circ}$ (*h. e.* pondo bilibri, semisse et duabus unciis) TESTAMENTO PONI IVSSIT. Hanc vero *Inscript.*, cujus unius auctoritate nititur hoc vocabulum, pro spuria habet *Orell. n.* 1181.

AURĬFLŬUS, a, um, adject. auro fluens. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 604. Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Iberus.

AURĬFŎDĪNA *vel* auri fodina, æ, f. 1. locus ubi aurum effoditur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (74). Lex censoria Victimulorum aurifodinæ in Vercellensi agro. Adde *Dig.* 3. 4. 1. pr. et alibi. *V.* aurifodinæ descriptionem apud *Cassiod.* 9. *Variar.* 3.

AURĬFOSSOR, ōris, m. 3. qui aurum fodit. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 15. Persæ aurifossores, quos a Romanis ad mercedem acceperant, reddere contemnebant.

AURĬFUR, ŭris, m. 3. qui aurum furatur. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 55. Et mihi hic aurifur est. *Alii, et quidem rectius, divisim scribunt* auri fur.

AURĪGA *vel* origa, æ, comm. gen. 1. Etymon vocis repetendum ab *aureæ* vel *oreæ*, quæ ab *auris*, et *ago*; nam primi homines, antequam frenum equorum ori inderent, equos auribus huc illuc ductabant, inde appellati centauri ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τὰ αὔρα. *V.* CENTAURUS et AUREA. Itaque auriga est qui equos habena regit, præcipue in curru sedens (It. *cocchiere*, *palafreniere*; Fr. *conducteur de char*, *cocher*, *palfrenier*; Hisp. *cochero*, *palafrenero*; Germ. *der Zügelführer*, *der Lenker*, *der Pferdlenker*, *Wagenlenker*; Angl. *a charioteer*, *a horseman*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est qui equos habena regit. — *a*) Generatim in masc. et fem. gen. qui equos habena regit in curru sedens. *Virg.* 12. *Æn.* 24. In faciem soror conversa Metisci Aurigæ, currumque et equos et lora regebat. *Id. ibid.* 918. Nec currus usquam videt aurigamque sororem. Cf. *Priscian. initio lib.* 6. *Horat.* 1. *Od.* 15. 24. Sthenelus sciens Pugnæ, sive opus est imperitare equis, Non auriga piger. *Ovid.* 2. *Met.* 327. Phaeton currus auriga paterni. *Id.* 3. *Amor.* 12. 37. hunc eumdem absolute *aurigam* vocat. — *b*) Speciatim aurigæ dicti sunt, qui in ludis Romanorum equis seu curribus insidentes cursu certabant. Cujus rei summum erat studium fervensque vincendi contentio: ipsaque aurigandi ars magna diligentia addiscebatur: victores summis honoribus afficiebantur, non secus ac qui apud Græcos Olympia vicissent. Quatuor autem erant in Circo aurigarum factiones a colore vestis, quo earum aurigæ utebantur, appellatæ, *Prasina*, *Veneta*, *Russata*, *Albata*; quibus Domitianus duas addidit, *Auratam* et *Purpuream*, ut *Sueton.* narrat *in ejus Vita* 7. *V.* FACTIO. *Cic.* apud *Non. p.* 292. 32. *Merc.* Ut auriga indoctus e curru trahitur, opteritur, laniatur, eliditur. Cf. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. *Virg.* 1. *G.* 514. Fertur equis auriga, neque audit currus habenas. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 115. Instat equis Auriga suos vincentibus, illum Præteritum temnens extremos inter euntem. *Sueton. Cal.* 54. Sed et aliorum generum artes studiosissime et diversissimas exercuit. Trax et auriga, idem cantor atque saltator. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 5. *n.* 26. M. AVRELIVS MOLLICIVS TATIANVS NATIONE VERNA QVI VIXIT ANNOS XX. M. VIII. D. VII. QVI VICIT PALMAS N. CXXXIII. SIC IN RVSSEO LXXXIX. IN PRASINO XXXII. IN VENETO N. V. IN ALBO N. VII. PRAEMIA XXX. *V.* OVUM. — NB. Adjective affertur *Tertull. Spectac.* 9. Merito et aurigis coloribus Idololatriam vestierunt. *Alii tamen leg.* et aurigas coloribus Idololatriæ vestierunt. — *c*) Aliquando sumitur pro equite, qui solitarium equum insidet et regit. *Auct. Paneg. ad Pison.* 49. Sic auriga solet ferventia Thessalus ora Mobilibus frenis in aperto flectere campo, Qui modo non solum rapido permittit habenas Quadrupedi, sed calce citat etc. — *d*) Aurigæ sunt etiam agasones et curatores equorum, ut et *Servius* adnotavit ad locum *Virg.* mox citandum. *Varro* 2. *R. R.* 8. 4. Eodem tempore, quo — ut (*equi*) ineant equas, per origas curamus. *Virg.* 12. *Æn.* 85. Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt. ¶ 2. Est etiam *auriga* signum cæleste, Græco nomine ἡνίοχος, constans stellis, secundum *Hygin.* XI., secundum alios XIV., secundum alios XXVII. aut XXXI., quarum præcipua est in sinistro ejus humero et *capella* appellatur; deinde duæ in sinistra manu, quas *hædos* vocant. Situm est in Lactea via, inter Perseum et Geminos, dextrum pedem habens super sinistrum Tauri cornu. Fabulantur esse Erichthonium, qui primus quadrigas invenisse fertur, et ob id fingitur lora tenens et verber: V. *Hygin.* 3. *Astron.* 12. *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 110. ex *Arat.* Auriga Sub læva Geminorum obductus parte feretur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 73. Quarto non. Octobr. Auriga occidit mane. Adde *Vitruv.* 9. 4. 2. *Schneid.* ¶ 3. De gubernatore navis. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 10. Aurigam video vela dedisse rati.

II. Translate est qui alios regit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 9. Velut auriga rectrixque membrorum anima. Cf. *Prudent. Psychom.* 411. *de Luxuria.* fertur resupina reductis Necquidquam loris auriga.

AURĪGĀBUNDUS, a, um, adject. qui sæpe aut vehementer aurigatur. *Supplem. Jul. Valer.* ed. *Mai.* in *Spicil. T.* 8. *p.* 519. Imperiosis motibus aurigabundus huc atque aliter circumduerit.

AURĪGĀLIS, e, adject. ad aurigam pertinens. *Edict. Dioclet. p.* 26. Corrigiam aurigalem [illegible]. duobus.

AURĪGANS, antis, est aut *A*) ab *aurigare*, aut *B*) ab *auro*.

A) Si est ab *aurigare*, proprie est ejus Part. præs., quod et absolute occurrit pro auriga, qui currus et equos habenis regit. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 43. Perfectum est, ut brevi omnis ille curruum numerus teneretur una equis et aurigantibus fisis. *Auct. Itiner. Alex. M.* 26. Sensim in latera demissi aditum quidem transituris dabant, utrimque tamen equos, bigas, aurigantesque facile contixerunt. *V.* et AURIGO, as.

B) Si ab *auro*, *aurigans* vel *aurugans* est auro collucens. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* ed. *Mai.* 3. 36. (*al.* 1. 58.) Aquæ quoque aurigantem colorem.

AURĪGĀRIUS, ii, m. 2. *Sueton. Ner.* 5. Mercede palmarum aurigarios fraudare. *Torrentius* suspicatur, significari hoc loco non ipsos aurigas, sed eorum ministros, nimirum qui ornandi instruendique eos curam gerebant, ut *auriga* apud *Virg.* 12. *Æn.* 85.; quam sententiam recentiores philologi plerique omnes tuentur. At *Forcellinus* ait aurigarios esse qui in circo aurigantur, affertque præterea *Inscript.* apud *Donat.* 225. 3., quæ est apud *Orell.* 2596. Q. VIVIVS VOLSCINIVS PROC. COLLEG. AVRIGARIORVM IIII. FACT. Hæc tamen Inscriptio ab *Henzen.* in Indice spuria habetur.

AURĪGĀTIO, ōnis, f. 3. actus aurigandi. *Sueton. Ner.* 35. Ex aurigatione sero reversus. Et generatim *Gell.* 7. 8. Delphici amantis et pueri non abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes, aurigationes.

AURĪGĀTOR, ōris, m. 3. — *a*) Est qui aurigat. *Inscript.* apud *Gruter.* 340. 3. M. VIPSANIO [illegible] AVRIGATORI etc. Alia apud *Reines. cl.* 10. *n.* 12. COLLEGIVM AVRIGATORVM. — *b*) Item Auriga, sidus cæleste. *Avien. Phænom. Arat.* 405. Aurigatorem par sit quoque cura videre.

AURĪGĔNA, æ, comm. gen. 1. ex auro genitus, auri filius. *Ovid.* 5. *Met.* 250. Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri etc. *h. e.* Perseo filio Danaes, quam Juppiter imbris aurei figurâ delapsus matrem fecisse dicitur. Adde *Sidon. Carm.* 6. 14.

AURĪGER, gĕra, gĕrum, adject. idem quod aurifer. *Cic.* vertens quædam *Homeri* carmina 2. *Divinat.* 30. 63. Aurigeris divum placantes numina tauris. *h. e.* aurata habentibus cornua, ut in victimis ornandis mos fuit. *Val. Flacc.* 8. 110. Aurigera arbor. *h. e.* in qua suspensum erat vellus aureum.

AURĪGĬNEUS, a, um. *V.* AURUGINEUS.

AURĪGĬNŌSUS, a, um. *V.* AURUGINOSUS.

AURĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *et raro*

AURĪGOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Aurigans* I. et II.; *Aurigaturus* I. — Est currum et equos rego præcipue in Circensibus.

I.) Proprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 27. (90). Visum est Neronis principis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni, cum ipse concolori panno aurigaturus esset. *Sueton. Ner.* 24. Aurigavit quoque plurifariam: Olympiis vero etiam decemjugem. Adde eumd. *ibid.* 4., 22. et 53., *Cal.* 18. et 54., et *Vitell.* 4. et 17. *V.* et AURIGANS suo loco. *Macrob. De diff. Gr. Lat. verbi p.* 2757. *Putsch.* Qui enim Olympiacæ palmæ desiderium habuit, domi residens ipse, certatum equos suos cum aurigante filio misit etc.

II.) Translate est regere, moderari. *Varro* apud *Non.* p. 70. 17. *Merc.* Asse vinum, asse pulmentarium, sed eo quo natura aurigatur, non necessitas. *h. e.* moderatur ac regit, ut et *Non.* exponit. Alii leg. *sed edas quo natura* etc. Alii *sed ita quo* etc. *Muretus Var. Lect. l.* 7. *c.* 5. fortasse sagacius ita legit: *Sed eas quo naturæ aurigatur necessitudo.* Ceterum hic unus est locus, in quo *aurigari* deponentium formâ occurrat. *Gell.* 14. 1. Si homines nihil sua sponte faciunt, sed ducentibus stellis et aurigantibus.

AURĪGO, inis. *V.* AURUGO.

AURĪGOR, āris, etc. *V.* AURIGO, as.

AURĬLĔGŬLUS, i, m. 2. Occurrit et *auri legulus* divisim metri causa apud *Paulin. Nolan. carm.* 17. *ad Nicet.* 262. — Est qui aurum legit. Dicti sunt *aurileguli*, qui aurum inter arenas, ubi abundabat, scrutabantur; item generatim quicumque in metallis auri effodiendi causa laborant. *Impp. Valent. et Theodos. Cod.* 11. 6. 5. et *Cod. Theod.* 11. 19. 9. Et *Paulin. Nolan. l. c.* Callidos auri legulos in aurum Vertis, et Bessos imitaris ipse, E quibus vitam fodiente verbo Eruis aurum.

AURĬPIGMENTUM, i, n. 2. genus est arsenici flavum colorem et auro similem habentis, quo pictores quoque utuntur. Ex eo aurum fieri posse, parvi tamen ponderis, *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 22. (79). docet. *Vitruv.* 7. 7. 5. Auripigmentum, quod ἀρσενικὸν Græce dicitur, foditur in Ponto. Adde *Cels.* 5. 5. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Erit tentandum multo tempore simplicibus uti injectionibus, hoc est iis quæ sine calce, quam ἄσβεστον vocant, vel auripigmentum, quod arsenicon appellant, conficiuntur.

AURIS, is, f. 3. et in plur. num. Aures, ium. — Antiqui pro *auris* scribebant *ausis*. — Ratione habita etymi, quibusdam dicta videtur ab *aura*, quam in audiendo recipit. *Lactant.* vero *De opif. Dei* 8. Auribus est inditum nomen a vocibus hauriendis, unde *Virg.* 4. *Æn.* 359. *Vocemque his auribus hausi.*, aut quia vocem ipsam Græci αὐδὴν vocant ab auditu, per immutationem litteræ *aures* velut *audes* sunt nominatæ. At potius *auris* ducenda ab αὖς *auris*, quæ Laconum dialecto pro οὖς efferebatur, quæque magis accedit ad antiquorum formam *ausis*. Adde quod αὔρoι apud *Suidam* et *Hesych.* sunt lepores, qui nempe *auriti* vocantur. *V.* AURITUS. — Auris est membrum duplex in capite animalis utrimque positum, quo sonus et voces percipiuntur (It. *orecchia, orecchio*; Fr. *oreille*; Hisp. *oreja*; Germ. *das Ohr*; Angl. *the ear*.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 157. Auribus si parum audies, terito cum vino brassicam, succum exprimito, in aurem intro tepidum instillato. Adde *Plaut. Pseud.* 1. 5. 54. *Ter. Hec.* 3. 5. 32. Sermo accessit ad aures meas. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatæ sunt. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 50. (136). *Auris rimosa* apud *Horat.* 2. *Sat.* 6. 46. opponitur *tutæ* apud eumd. 1. *Od.* 27. 18. — *b*) Hac eadem significatione pluribus jungitur verbis, quorum præcipua servato litterarum ordine præ oculis ponimus. *Plaut. Trin.* 4. 1. 9., *Ter. Hec.* 3. 3. 3.; *Cic.* 1. *Orat.* 50. 318. et 8. *Phil.* 10. 28., et *Nepos Timol.* 2. Accipere aliquid auribus. *h. e.* audire. Cf. *Plin.* 4. *Ep.* 19. Excipere aliquid avidissimis auribus. *Plaut. Cas.* 2. 8. 41. Adhibere aures aliquo. *Lucret.* 1. 45. Adhibere vacuas aures ad aliquid. Adde *Cic. Arch.* 3. 5., sed alia ratione. *Tac.* 11. *Ann.* 32. Adire aures alicujus. *h. e.* convenire alloquendi causa. *Ter. Phorm.* 5. 6. 29. et *Cic.* 2. *Orat.* 36. 153. Admovere aures. *Cic. fragm. Acad.* apud *Augustin.* 3. *contr. Acad.* 7. Admovere aures huc et illuc. *Propert.* 1. 1. 37. Advertere aures monitas. *Lucret.* 6. 183. Allicere. Cf. *capere* paullo inf. *Horat.* 3. *Od.* 11. 8. et *Carm. sæc.* 71. Applicare aures. *Ter. Andr.* 5. 4. 30. Arrigere aures. *h. e.* ad audiendum attente. Adde *Virg.* 1. *Æn.* 156. *Accius* apud *Non. p.* 238. 10. *Merc.* et *Horat.* 2. *Sat.* 1. 19. Attendere aurem. *Plaut. Pers.* 4. 9. 11. Atterere aures alicui. *Tibull.* 3. 3. 28. Avertere aurem. *Cic. Orat.* 51. 170. Capere aures. *h. e.* delectare, tenere, jucunda auditu proferendo. Adde *Phædr.* 2. *prol.* 6. Cf. *Ovid. Met.* 271. *Cic.* 4. *Tusc.* 1. 2. Claudere aures ad voces. *Id. Amic.* 24. 90. alicui rei. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 40.; *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 53. et *Seneca Hippol.* 600. Commodare aurem alicui rei. *Ennius* apud *Non. p.* 506. 1. *Merc.*; *Cic.* 1. *Att.* 4.; *Seneca Hippol.* 413. et *Val. Flacc.* 7. 419. Dare aures alicui. *h. e.* præbere se auditorem. Sic *Cic. Arch.* 10. 26. Dedere aures alicui. *Catull.* 62. 14. Dividere alio mentes, alio aures. *Cic. Sull.* 11. 33. Erigere aures. *h. e.* attente audire. *Cic.* 2. *Orat.* 84. 344. Ferire aures. Sic legunt quidam: alii, inter quos *Orellius*, aliter. *Sueton. Cal.* 15. Aures habere alicui. *h. e.* præbere. *Tac.* 4. *Hist.* 7. Imbuere aures honestis sermonibus. *Id.* 1. *ibid.* 90. Implere aures populi. *Cic.* 2. *Orat.* 5. 19. Inculcare se auribus alicujus. *Id. Amic.* 25. 96. Influere in aures alicujus. *Ovid.* 5. *Met.* 561. et *Quintil.* 12. 10. 52. Mulcere aures alicujus. *Plaut. Cist.* 1. 1. 120. Obtundere aures. *Ter. Phorm.* 5. 9. 41. Oggannire ad aures. *Cic. Orat.* 44. 150. Offendere aures. *Curt.* 4. 10. *a med.* Parcere auribus alicujus. *h. e.* reticendo ea, quæ auditu gravia essent. *Cic. Amic.* 26. 97. Patefacere aures suas alicui. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. § 25. et 14. *Phil.* 7. 20. Patent aures alicui rei. *Id.* 3. *Fam.* 36. ad aliquid. *Nepos Miltiad.* 3. et *Ovid.* 2. *Art. am.* 449. Pervenit aliquid ad aures alicujus. *Liv.* 38. 53. et 40. 8.; et *Ovid.* 3. *Met.* 692. Præbere aures. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 22.; *Propert.* 2. 21. 15.; *Ovid.* 7. *Met.* 821.; *Sueton. Cal.* 22. et *Plin.* 2. *Ep.* 14. Præbere aurem. *Martial.* 11. 25. Præstare aurem alicui. *Vellej.* 2. 130. Queri apud aures deorum. *Cæs.* 2. *B. C.* 27. Servire auribus alicujus. *h. e.* loqui ad voluntatem, adulari. Et eodem sensu *Trebon.* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. 1. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. *Ter. Heaut.* 2. 3. 89. Surdas reddere aures alicui. Cf. alio sensu *Tac.* 3. *Hist.* 67. Aures surdæ ad fortia consilia. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 25. Tundere aures. *Tac.* 4. *Ann.* 69. Vitare aures. *h. e.* colloquia hominum. — *c*) *In aurem, in aure, ad aurem dicere aliquid* est secreto et submissa voce aliquem alloqui. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 9. In aurem Dicere nescio quid puero. *Cic.* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 12. In aurem Pontius: Scipio, inquit, vide quid agas. *Id.* 2. *Fin.* 21. 69. Admonere aliquem ad aurem. *Juvenal.* 11. 59. pultem Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. Adde *Martial.* 1. 90. — *d*) *Aurem vellere* admonendi causa. *Virg.* 6. *Ecl.* 3. Cum canerem reges et prælia, Cynthius aurem Vellit et admonuit etc. Sic *aurem pervellere* apud *Senec.* 4. *Benef.* 36. et *Ep.* 94. Est enim, ut ait *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (251)., in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur. *V.* ANTESTOR. — *e*) *Dormire in utramvis aurem*, ἐπ' ἀμφότερα τὰ ὦτα καθεύδειν, proverbio de summa alicujus securitate. *Ter. Heaut.* 2. 3. 100. Ademptum tibi jam faxo omnem metum, in aurem utramvis otiose ut dormias. *Plaut.* dixit eodem sensu jlocaliter, in utrumvis oculum conquiescere. *Pseud.* 1. 1. 121. Eodem sensu *Plin.* 4. *Ep.* 21. Nihil est, quod in dexteram aurem fiducia mei dormias. *dexteram aurem* dixit, quia nobilior est et quia in eam partem dormire arctius et commodius homines solent. — *f*) Item proverbio *tenere auribus lupum* apud *Ter. Phorm.* 3. 2. 21. de eo dicitur, qui aliquid nec retinere, nec amittere vult. Græcum proverbium, ait *Donatus* ad h. l. τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον, οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι. Id explicat ipse *Ter. v.* 22. Nam neque quo amittam a me invenio, neque uti retineam scio. — *g*) Denique *frangere aures*, quod solebant facere ephebis magistri, sive exercitores in gymnasio. *Martial.* 7. 32. At juvenes alios fracta colit aure magister. — *h*) *Aures regiæ*. V. OTACUSTA.

II.) Translate. ¶ 1. Aures sumuntur pro judicio, quod fit de rebus auditis, præcipue in re litteraria: ad rem *Cic. Cluent.* 24. 66. Dicere aliquid, quod sit dignum auribus alicujus. *h. e.* dignum quod audiatur. Hinc *Id. Orat.* 44. 150. Superbissimum aurium judicium. *Id. ibid.* 9. 27. Atticorum aures teretes et religiosæ. Cf. eumd. *de Opt. gen. orat.* 4. 11. *Id. Brut.* 32. 124. Hæc oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes; veruntamen nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate tolerabiles. *Gell.* 13. 19. Arbitrio consilioque auris uti. Cf. *Horat. Art. P.* 386. si quid tamen olim Scripseris, in Metii descendat judicis aures Et patris et nostras. Et *Martial.* 6. 1. Tergere libellum aure diligenti. ¶ 2. Per similitudinem *aures* in aratro sunt duo asses circa vomerem utrimque aptati, quibus sulcus latior fit et lira seu porca elatior. *Virg.* 1. *G.* 172. Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 1. aratra ita facta appellat *aurita*, et locis planis apta esse dicit. Nam iis sata celsiore sulco attolli contra stationes humoris hiberni.

AURISCALPĬUM, ii, n. 2. (auris *et* scalpo) instrumentum, quo scalpuntur et purgantur aures. *Martial.* 14. 23. cui titulus *Auriscalpium*. Si tibi morosa prurigine verminat auris, Arma damus tantis apta libidinibus. *V. Mus. Borbon. T.* 9. *tav.* 15. *n.* 18. — Hoc instrumento utebantur etiam chirurgi ad easdem fere res, ad quas specillo. *Scribon. Compos.* 41. *ad aurium dolorem*. Injicere medicamentum per lanam et auriscalpium. *Id. ibid.* 230. Uvam nimis jacentem sine periculo per auriscalpium lana involutum peruncíam etc. Et *ibid.* 228. *ad hæmorrhoidas*. Sensim tentare auriscalpio averso; quam partem κυαθίσκον Græci vocant.

AURĪTŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* auritus. Occurrit tantum *Auritulus*, i, m. 2. absolute pro asello. *Phædr.* 1. 11. 6. hic auritulus Clamorem subito totis tollit viribus. *Al. aliter leg., at nihil mutandum: quamquam* A. Mai., Class. Auct. T. 3. p. 310., auriculos *legendum contendat: sed consule* Schwabe ad Phædr. T. 1. excurs. VII. ad lib. 1. 11. 6.

AURĪTUS, a, um, adject. proprie est auribus præditus, munitus (It. *orecchiuto*; Fr. *qui a des oreilles*; Hisp. *orejudo*, Germ. *geöhrt, mit Ohren begabt*; Angl. *having long or large ears*).

I.) Proprie ac generatim de iis ponitur, quæ auribus, *h. e.* instrumento vel sensu ad audiendum apto prædita sunt, ut docet *Paul. Diac.* p. 8. 14. *Müll.* Hinc specialim ¶ 1. Ratione habita exteriorum auditus partium, de animalibus ponitur, quæ magnas habent aures. *Afranius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. *ex persona Priapi*: Nam, quod vulgo prædicant aurito me parente natum, non ita est. *h. e.* lepore patre natum, fortasse quia Priapus *pulpamentum quærere* dicitur, ut est apud *Ter. Eun.* 3. 1. 36. Possis tamen *auritum parentem* interpretari *asinum*, ut creditus sit Priapus asini filius esse propter ingens peculium. *Virg.* 1. *G.* 308. Auritosque sequi lepores. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 15. Auritus asellus. *Martial.* 7. 86. 1. glaucopis. *Apul.* 4. *Met.* p. 151. canes. — Hinc absolute *Auritus*, i, m. 2. pro lepore dixit *Avien. Phænom. Arat.* 788. ¶ 2. Ratione habita internæ auditionis, active auritus ponitur pro auribus aliquid percipiente, auribus attento, audiente. *Plaut. Truc.* 2. 6. 8. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. *auritus testis* est, qui de re audita testimonium dicit. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 14. Ne quis nostro consilio venator adsit cum auritis plagis. *h. e.* auribus, tamquam retibus, venans et aucupans dicta nostra. *Id. Asin. prol.* 4. Fac jam tu, præco, nunc omnem auritum populum. *Horat.* 1. *Od.* 12. 11. *de Orpheo*. auritas fidibus canoris Ducere quercus. *h. e.* sensum audiendi habentes. Cf. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 308. *Sidon. carm.* 16. 4. *de Amphione*. auritos erexit carmine muros. ¶ 3. Item ratione habita internæ auditionis, sed passive, auritus est auribus exceptus, auditus. *Prudent. Apotheos.* 835. Auritæ leges. *Forcellinus* pariter interpretatur auribus exceptas; sed addit: vel verbis et voce prolatas et intimatas.

II.) Improprie. ¶ 1. Auritus dicitur ad similitudinem aurium factus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 70. (136). Gryphes aurità aduncitate rostri. *Aurita aratra* quid sint apud *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 1. *V.* AURIS II.

Auritus, i, m. 2. *V.* supra sub I. 1. in fin.

AURĪVŎMUS, a, um, adject. (aurum *et* vomo), ut *Cassis aurivoma* apud *Sil. It.* 4. 518., *h. e.* cassis aurea fulgorem emittens. Alii leg. *auricoma*; alii melius *Aurunca*.

AURO, as, āvi, ātum, are, a. 1. — Part. *Auratus*. — Auro est auro obduco, inauro (It. *indorare*; Fr. *dorer*; Hisp. *dorar*; Germ. *zu Gold machen, mit Gold belegen oder vergolden*; Angl. *to gild, overlay with gold*). *Tertull. Cor. Mil.* 12. Hinc auratur lamnulis, unguentis delibuitur. *Al. aliter leg.* Agnoscit hoc verbum etiam *Priscian.* 8. p. 828. *Putsch.*, nullum vero affert exemplum. — Sæpissime tamen occurrit Part. præter. pass.

Auratus, a, um, etiam adjective usurpatum, unde Comp. *Auratior* sub 1. ¶ 1. Est auro obductus, inauratus; et universim auro ornatus. *Cic. post red. in Senat.* 11. 27. Auratus currus. *Id. Parad.* 6. 3. 49. tecta in villis. *Lucret.* 2. 28. templa. *Liv.* 9. 40. milites. *h. e.* scuta habentes auro cælata. *Id.* 45. 39. legiones. *Id.* 4. 16. bos. *Id.* 7. 39. cornua. *Virg.* 12. *Æn.* 536. tempora. *h. e.* tecta galeà auratâ. *Tibull.* 3. 3. 16. trabes. *Propert.* 3. 3. 14. et *Ovid.* 8. *Met.* 15. lyra. *Propert.* 3. 11. 57. Auratos lacertos gerere. *Ovid.* 3. *Art. am.* 299. Aurata est; ipso tibi sit pretiosior auro. *h. e.* induta vestibus auro intextis. *Id.* 2. *Fast.* 310. Auratus sinus. *Id.* 8. *Met.* 448. vestes. *Id.* 14. *ibid.* 263. amictus. *Id.* 1. *ibid.* 470. telum. *Curt.* 4. 7. navigium. *Id.* 8. 9. columnæ. *Juvenal.* 6. 122. *de Messalina*. tum nuda papillis Constitit auratis. *h. e.* monili aureo collum et mamillas ornata. *Stat.* 7. *Theb.* 661. Aurata cassis. *Tertull. Idolol.* 6. *in fin.* Saginatiorem et auratiorem et majorem hostiam cædere. ¶ 2. Interdum est idem atque aureus. *Lucret.* 6. 812. Aurata metalla. *Catull.* 64. 5. Auratam optantes Colchis avertere pellem. *h. e.* vellus

aureum arietis Phryxei. *Ovid.* 5. *Met.* 52. ornabant aurata monilia collum. *Claudian. II. Cons. Stilich.* 226. Auratos Rhodiis imbres, nascente Minerva, Indulsisse Jovem perhibent. — Huc pertinet et illud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 66. (179). Gemma nunc sanguineis, nunc auratis guttis. *Forcellinus* singulari paragr. h. l. distinxit atque *auratum* accepit pro aureum colorem habente.

AURO, onis, m. 3. abrotonum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (239). Nec viscum prodest et cytisus, nec auro, quod halimon Græci vocant. *Harduin.* legendum probat: *et cytisus necatur eo, quod etc. Sillig.* lectionem *Harduini* retinuit.

AURŎCLĀVĀTUS *vel divisim* auro clavatus, a, um, adject. aureis clavis ornatus, ut *Auroclavatæ vestes* apud *Vopisc. Tacit.* 11.; et *Auroclavata tunica* apud *eumd. Bonos.* 15.

AURŎCLĀVUS, a, um, adject. aureis clavis ornatus. *Scholiast. Juvenal.* ad *Sat.* 6. 482. *ed. Cramer.*

AURŌRA, æ, f. 1. (aurum) initium diei, quo aer ab igne solis tum aureo aurescit, ut ait *Varro* 7. *L. L.* 83. *p.* 152. *Müll.* At argute magis, quam vere *Cavedoni Append. al Sagg. p.* 144. *in nota:* Aurora ab αὔρας ὥρα. — Est autem vox fere poetica (It. *aurora;* Fr. *aurore;* Hisp. *aurora;* Germ. *die Morgenröthe*, *der Tagesanbruch*, *der früher Morgen;* Angl. *the dawn*).

I.) Proprie. — *a*) De aurora in rerum natura. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 8. Nos usque ab aurora ad hoc quod diei est numquam concessavimus. *Accius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 83. *Müll.* Jamque auroram rutilare procul cerno. *Cic.* 1. *Divinat.* 8. 14. Cum primum gelidos rores aurora remittit. Adde *Lucret.* 2. 143. *Liv.* 1. 7. Hercules, ad primam auroram somno excitus etc. *Virg.* 3. *Æn.* 521. Jamque rubescebat stellis aurora fugatis. Adde *Mæcenatem* apud *Quintil.* 9. 4. 28. et *Ovid. Heroid.* 19. 195. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 12. 12. (30). Prima aurora folia arborum melle roscida inveniuntur. — *b*) In fabulis Aurora, Græce Ἠώς, est filia Hyperionis et Æthræ seu Thiæ, vel ut alii volunt, Titani et Terræ, uxor Tithoni filii Laomedontis (*Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 489. fratrem Laomedontis fuisse dicit), quem, eximia ejus pulcritudine capta, rapuisse dicitur, et ex eo suscepisse filium Memnonem, qui postea ad Priamum missus auxilii causa, belli Trojani tempore, quamvis esset armis a Vulcano factis munitus, ab Achille occisus fuit; quem mater deflere quotidie matutino rore dicitur. Porro Tithonus cum diu vixisset, jam decrepitus in cicadam conversus traditur. Dicitur etiam Aurora amasse Cephalum (*V.* CEPHALUS in ONOM.): Astræum quoque, unum ex Titanibus, ex quo ventos genuit, Argestem, Zephyrum, Boream et Notum. Quadrigis seu bigis roseis vehi fingitur, quas albi equi trahunt: et pro sceptro facem aut lampada habere. *Virg.* 4. *Æn.* 585. Tithoni croceum linquens Aurora cubile. *Id.* 6. *ibid.* 535. roseis Auroræ quadrigis etc. *Id.* 7. *ibid.* 26. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. Adde *Ovid.* 1. *Fast.* 461. et 7. *Met.* 703.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro regione orientali. *Ovid.* 1. *Met.* 61. Eurus ad auroram Nabathæaque regna recessit. Adde *Claudian. Laud. Seren. Reg.* 116. ¶ 2. Item pro populis Orientis. A *Forcellino* citatur *Ovid.* 5. *Fast.* 160.; at locum minime inveni. *Claudian. I. Cons. Stilich.* 154. totam pater undique secum Moverat Auroram. Adde *Sidon. carm.* 2. 432.

AURORESCO, is, ere, n. 3. auroræ in modum fulgeo. *Adelhelm. de Virginit.* 30. Cum Evangelii splendor auroresceret. *Sed est vox a Lexico expungenda; Anglus enim* Adelhelmus *vixit sæculo septimo post Chr. n. ad finem vergente; obiit enim ann. post Chr. n.* 709.

AURŌSUS, a, um, adject. aureum colorem habens, auro similis. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. 1. Aurosus pulvis. *Lamprid. Elagab.* 31. in *fin.* arena. *Veget.* 3. *Veter.* 17. 1. color.

AURŬGANS, antis. *V.* AURIGANS sub *B.*

AURŬGĬNEUS *vel* aurigineus, a, um, adject. auruginis colorem habens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. In dextera parte præcordiorum dolor cum colore aurugineo sequitur eos, qui ex jecore fluunt.

AURŪGĬNO *vel* aurigino, as, are, n. 1. aurugine laboro. *Tertull. Anim.* 17. Qui redundantia fellis auruginant, amara sunt omnia.

AURŪGĬNŌSUS *vel* auriginosus, a, um, adject. qui aurugine laborat. *Apul. de Orthogr.* p. 137. ed. *Mai.* Auruginosus, cui color et oculi virentes. *Gloss. Isid.* Auruginosus, arquatus. *Utrobique tamen legitur* auriginosus. Item apud *Marcell. Empir.* 22. *ante med.* legitur *auriginosus.*

AURŪGO *vel* aurigo, inis, f. 3. (aurum) morbus regius, seu arquatus; ita dictus a colore auri, quo æger inficitur, flava bile ad cutem sese effundente (It. *itterizia:* Fr. *jaunisse;* Hisp. *tiricia*, *ictericia;* Germ. *die Gelbsucht;* Angl. *the jaundice*). *Varro* hac voce usus est, si credimus *Isidoro*, cujus hæc sunt verba 4. *Orig.* 8. 13. Auruginem vero Varro appellari ait a pallore auri. *auriginem* hoc loco alii legunt. *Scribon. Compos.* 110. Aurugo, quam quidam regium, quidam arquatum morbum vocant. Adde *ibid.* 127. *Apul. Herb.* 85. Herba Sabina auruginem discutit. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. et *Vulg. Interpr. Jerem.* 30. 6.

AURŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* aura. Occurrit improprie tantum. *Tertull. Anim.* 28. Quid si defectæ jam traditionis superstites aliquas famæ aurulas hausit? *Hieronym. Ep.* 34. *ad Marcellam* n. 3. Græcarum quoque litterarum quamdam aurulam ceperat. *Alii leg.* auram.

AURŬLENTUS, a, um, adject. aureum colorem habens. *Prudent.* 6. περὶ στεφ. 49. Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.

AURUM, i, n. 2. Sabini dicebant *ausum* teste *Paul. Diac. p.* 9. 3. *Müll.*: rustici vero Latini *orum*, ut *oricola* pro *auricula*, teste *Festo p.* 182. 15. *Müll.* — Ratione habita etymi, hæc vox conjungenda videtur cum Græca θησαυρός, quæ constare videtur ex τίθημι a rad. θέω *pono*, et antiquo vocabulo αὖρος *aurum;* quod deducunt, ut *auram*, ab ἄω, αὔω *accendo*, *splendeo*, *fulgeo.* — Ceterum aurum est metallum omnium pretiosissimum, colore flavum, quod unum nihil igne deperit, quin immo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Ob id enim maxime præcipuam gratiam huic materiæ esse *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (58). scribit. *Cassiod.* 4. *Variar.* 34. Primi dicuntur aurum Æacus, argentum Indus rex Scythiæ reperisse, et humano usui summa laude tradidisse (It. *oro;* Fr. *or;* Hisp. *oro;* Germ. *das Gold;* Angl. *gold*).

I.) Proprie distinguitur a Latinis *A*) in aurum naturale vel infectum; *B*) in aurum factum vel cælatum; *C*) et in aurum signatum, *h. e.* pecuniam.

A) Aurum naturale aut in fodinis invenitur, aut e fodinis erutum in laminas elaborandum conflatur. — *a*) De auro, quod in fodinis quæritur et invenitur, multis disserit *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (66). *Lucret.* 6. 808. Venas auri sequi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Nos æris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus. *Id.* 9. *Fam.* 16. Quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici potest. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 53. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* præf. 2. (4). Aurum eruere terrā. *Ovid.* 3. *Art. am.* 123. Aurum terræ subducere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (78). Auri fodina. *Id. ibid.* (66). Aurum Indicum. *Id. ibid.* (68. et 88). canalicium seu canaliense. *Id. ibid.* (66). absolutius. *Id. ibid.* (77). suum. *Al. leg.* sudum. *Id. ibid.* (79). excellens. *Id. ibid.* (69). Auri scoria. *Id. ibid.* (67. et 77). Aurum quærere. *Id. ibid.* (73). fodere. *Id. ibid.* (67). Indicium auri. *Sil. It.* 1. 233. Concolor auro. *h. e.* pallidus. — *b*) Aurum quod a fodinis erutum in laminas elaborandum conflatur a Latinis dicebatur etiam *aurum infectum*, ut a *Liv.* 34. 52., *Virg.* 10. *Æn.* 528., et *Dig.* 34. 2. 27. § 4. *Lex XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. QVOI AVRO DENTES VINCTI ESVNT. *Nævius* apud *Isid.* 19. *Orig.* 22. 20. Pulcramque ex auro vestemque citrosam. *Ter. Phorm.* 1. 2. 18. Montes auri polliceri. proverb., quod nos Itali dicimus *promettere mari e monti* et *promettere Roma e Toma. Cic.* 6. *Verr.* 1. 1. Aliquid ex auro facere. *Liv.* 7. 10. Auro cælare aliquid. *Virg.* 6. *Æn.* 32. Effingere aliquid in auro. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (63). Aurum nere ac texere. *Id. ibid.* Aurum intexere Attalicis. *Ovid.* 6. *Met.* 166. intexere vestibus. *Id.* 3. *Art. am.* 131. insuere vestibus.

B) Aurum, ex quo constabant, simulacra, muliebria ornamenta, vasa aliaque hujusmodi, dicitur generatim *aurum factum* a *Liv.* 34. 6. et 52.; *Virg.* 10. *Æn.* 528.; *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (51)., et *Dig.* 34. 2. 27. § 4.: speciatim vero dicitur *aurum cælatum* a *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. Hinc — *a*) Generatim. *Inscript.* apud *Gruter.* 582. 9., quæ est apud *Orell.* 2897. M. VLPIO ERIDANO AVG. L. AB AVRO ESCARIO PRAEPOSITO. *h. e.* servo qui aureæ supellectilis ad mensam adhibendæ curam habebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 582. 5. PHILETAERO AVG. LIB. PRAEPOS. AB AVRO GEMMATO. Adde *Inscript.* apud *Don. cl.* 17. n. 17., *Stat.* 3. *Silv.* 4. 94., et *Martial.* 14. 109. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (63). Aurum textile. *h. e.* quod in fila minutum vestibus intexebatur. Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 483. picturatas auri subtegmine vestes. Et *Horat.* 4. *Od.* 9. 14. et aurum vestibus illitum Mirata. — *b*) Speciatim ponitur pro monilibus, inauribus, anulis, ceterisque hujusmodi ex auro ornamentis præcipue muliebribus. *Cato* apud *Gell.* 11. 18. Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque in purpura. Cf. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 26. *Id. Plaut. Most.* 1. 3. 124. Agedum contempla aurum et pallam. *Ter. Eun.* 4. 1. 13. Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam. *Id. Heaut.* 3. 1. 43. Ancillæ oneratæ veste atque auro. Adde *eumd. ibid.* 2. 3. 7. et 47. *Liv.* 34. 7. Cum insignes eas esse (*vident*) auro et purpura. *Virg.* 4. *Æn.* 138. crines nodantur in aurum. *h. e.* veluti reticulum, quod colligit comas, quæ Græce κεκρύφαλος dicitur, ut *Servius* exponit. *Id.* 9. *ibid.* 163. Purpurei cristis juvenes auroque corusci. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 132. *Ovid.* 14. *Met.* 394. Fibula quod fuerat vestemque momorderat aurum. *Juvenal.* 1. 28. Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum. *h. e.* anulum. *Curt.* 3. 2. 12. Nitet purpura auroque (*exercitus*). *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 5. (15). Cum auro pugnare. *h. e.* armis auro ornatis. *Id. ibid.* 3. 12. (39). Aurum pedibus gestare. — *c*) Item speciatim ponitur pro iis omnibus, quæ ex auro conflata domum ornabant, et mensæ ac supellectili inserviebant. *Lucret.* 2. 27. Nec domus argento fulget auroque renidet. Adde *Liv.* 41. 20. et *Ovid.* 2. *Met.* 1. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. Abacosque complures ornavit argento auroque cælato. *h. e.* vasis argenteis et aureis. Cf. *Curt.* 8. 8. 9. *Virg.* 2. *G.* 192. qualem (*laticem*) pateris libamus et auro. V. *Heyne* ad *h. l.* Adde *eumd.* 1. *Æn.* 743., *Ovid.* 6. *Met.* 488., et *Senec. Hippol.* 519. *Stat.* 5. *Theb.* 188. Vacuare aurum mero. *h. e.* poculum. *Id.* 3. *Silv.* 4. 2. Aurum coronatum. *h. e.* pyxis alludere aureum vas. Adde *ibid.* 11. — *d*) Item pro habenis vel freno aureis. *Virg.* 5. *Æn.* 817. Jungit equos auro genitor. *Id.* 7. *ibid.* 279. fulvum mandunt (*equi*) sub dentibus aurum. — *e*) Denique et de aureo vellere dixit *Ovid.* 7. *Met.* 155. et auro heros Æsonius potitur. Adde *Val. Flacc.* 1. 290.

C) Aurum et pro pecunia ponitur, diciturque *aurum signatum* a *Liv.* 40. 43., *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (42)., et *Dig.* 34. 2. 27. § 4. — *a*) Generatim. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 4. et 10. Aula onusta auri. *Id. Epid.* 3. 3. 30. Non carust (*servus*) auro contra. Adde *eumd. Rud.* 5. 3. 53. et *V.* CONTRA. *Cic.* 12. *Att.* 6. Vide quæso, ne qua lacuna sit in auro. Adde *eumd. Flacc.* 28. 69. *Id.* 3. *Att.* 16. Asellus onustus auro. *Id. Cluent.* 64. 179. Auri quinque pondo. *Id. Flacc.* 28. 68. Auri pondo centum. *Liv.* 34. 46. Auri pondo mille quadringenta. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 47. Auri acervus. *Tac.* 1. *Ann.* 16. Aurum et opes præcipuæ bellorum causæ. — *b*) Absolute *aurum* et pro rerum pretio ponitur, præcipue si de ingenti pondere agitur. *Liv.* 1. 11. Virginem auro corrumpit Tatius. *Virg.* 3. *Æn.* 56. quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? *Horat.* 2. *Sat.* 2. 25. quia veneat auro Rara avis. *Id.* 2. *Od.* 18. 36. Auro captus. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 349. Amore auri cæcus. *Propert.* 3. 11. (*al.* 13.) 48. Aurum omnes, victa jam pietate, colunt. Auro pulsa fides, auro venalia jura, Aurum lex sequitur etc. *Spartian. Sever.* 12. Cum magnam partem auri per Gallias, per Hispanias, per Italiam imperator fecisset etc. *Cassiod.* 9. *Variar.* 3. de auri *fodinis.* Aurum siquidem per bella quærere, nefas est; per maria, periculum; per falsitates, opprobrium; in sua vero natura, justitia. — *c*) Speciatim *aurum captivum* apud *Liv.* 45. 40. et *Curt.* 8. 7. 11. est pecunia bello tamquam præda capta. — *d*) Item speciatim *aurum coronarium* dicebatur, quod stante Rep. Rom. coronæ aureæ loco a provinciis dabatur ducibus exercituum triumphantibus; seu pecunia, quam provinciales conferebant, prætextu coronæ inde faciendæ. Mos enim fuerat primum, ut provinciales, socii amicique populi Rom. imperatori suo victori coronas e lauru mitterent gratulationis ergo: mox eæ cœptæ ex auro fieri: deinde missa pecunia eo titulo. Hujusmodi autem coronæ in triumpho præferebantur. Cu-

jus rei exemplo habemus apud *Cic. Pis.* 37. 90., 1. *Leg. Agr.* 4. 12. et 2. *ibid.* 22.; *Liv.* 38. 37. et 39. 7.; et in *lapide Ancyrano* Augusti Cæsaris apud *Gruter.* 230. 4. AVRI CORONARII PONDO TRIGINTA ET QVINQVE MILLIA MVNICIPIIS ET COLONIIS ITALIAE CONFERENTIBVS AD TRIVMPHOS MEOS QVINTVM CONSVL REMISI ET POSTEA QVOTIESCVMQVE IMPERATOR APPELLATVS SVM AVRVM CORONARIVM NON ACCEPI. Adde *Gell.* 5. 6. Procedente tempore, quod erat muneris, in tributum transiit atque exigi cœptum est. De hoc auro coronario multa disputat *Eckel. D. N. V. T.* 7. p. 0. *et seqq.* Cf. *Franz et Zumpt* in *Mon. Ancyr. Aug.* p. 74. Quod vero docet *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 721. dictum esse *coronarium*, quod a victis gentibus imperatori dabatur propter concessam impunitatem, de suis temporibus intelligendus est, quibus mutata ratione rei publicæ, hoc quoque mutari potuit. Quamquam nihil prohibet, quin utrumque *coronarium* diceretur, et quod a provincialibus sociisque, et quod a victis conferebatur. — *d*) Item *aurum Judaicum* erat pecunia, quam Judæi in Romano imperio degentes ad publicum ærarium in Hierosolymorum templo constitutum quotannis mittebant. *Cic. Flacc.* 28. 66. — *e*) Item *aurum Tolosanum* proverbio dictum est de re exitiosa et habenti funesta: eadem ratione qua *equus Sejanus*. Narrat *Justin.* 32. 3. Gallos Tectosagos, cum in Asia grandem vim auri sacrilega præda collegissent, reversos in antiquam patriam Tolosam, pestifera lue fuisse comprehensos, nec ante solutos, quam illud aurum, monitu haruspicum, in Tolosensem lacum mergerent. Id postea Q. Servilius Cæpio consul R. expiscari jussit, excidiumque sui atque exercitus sibi ipse molitus est. Romanos vero insecutus est Cimbricus tumultus, velut ultor illius pecuniæ. Fuere argenti pondo centum decem millia, auri quinquies decies centum millia. Adde *Gell.* 3. 9. Meminit et *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 74. — *f*) De auro macerato *V.* COMICUS. — *g*) De nummo ex auro *V.* AUREUS I. sub *b.*

II.) Translate. ¶ 1. Aurum ponitur pro splendore, fulgore, qualis ab auro emicat, itemque pro colore auri. *Ovid.* 9. *Met.* 688. cum spicis nitido flaventibus auro. *Id.* 3. *ibid.* 32. anguis cristis præsignis et auro. *Val. Flacc.* 5. 369. novo cum nox accenditur auro Luciferas crinita faces. ¶ 2. Et pro aurea ætate. *Horat.* 4. *Od.* 2. 39. quamvis redeant in aurum Tempora priscum. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 114. et 15. *ibid.* 260. et *V.* ÆTAS.

ASCAURIPEDA, æ, f. 1. Est falsa lectio apud *Varron.* 7. *L. L.* 65. *Müll. V.* SCAURIPEDA.

AUSCŬLOR, āris, etc. *V.* OSCULOR.

AUSCULTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus auscultandi. ¶ 1. Est actus audiendi, et aliena dicta ex insidiis aucupandi apud *Senec. Tranquill.* 12. Illud deterrimum vitium auscultatio et publicorum secretorumque inquisitio. ¶ 2. Item actus auscultandi et dictis alicujus parendi. *Plaut. Rud.* 2. 6. 18. Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?

AUSCULTĀTOR, ōris, m. 3. qui auscultat. ¶ 1. Est auditor, qui aliquem dicentem audit. *Cic. Partit. orat.* 3. 10. Causa auditorum genere distinguitur: nam aut auscultator est modo, qui audit: aut disceptator, id est rei sententiæque moderator. ¶ 2. Item qui obtemperat. *Apul.* 7. *Met.* 10. Pastor mandati dominici serus auscultator.

AUSCULTĀTUS, us, m. 4. auscultatio, auditio. *Apul.* 6. *Met.* 13. Nec auscultatu pœnitendo diligenter instructa. *Fulgent. Continent. Virgil.* Quæ mensualibus stipendiis grammatici distrahunt puerilibus auscultatibus.

AUSCULTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. ab *aus* pro αὐς, οὐς h. e. *auris* vel *auris* (*V.* AURIS sub init.) et *colo*, *colito*, *culto*; ad litteram aures ad audiendum parare. — Part. *Auscultans* 2. — Ausculto est generatim auribus accipio; et plus est quam *audire*, ut infra dicemus 2. sub init. (It. *udire*, *ascoltare*; Fr. *écouter*, *entendre*; Hisp. *eschuchar*; Germ. *auf eine Person oder Sache hören*; Angl. *to listen*, *ear*). ¶ 1. Ausculto est attente audio ut quæ dicuntur intelligam; hinc auscultare est etiam clam atque ex insidiis aliorum sermones excipere; et occurrit — *a*) Absolute. — Activa forma. *Cato* apud *Gell.* 1. 15. Ita est cupidus orationis, ut conducat qui auscultet. *Plaut. Stich.* 4. 1. 40. Ausculto atque animum adverto sedulo. Adde *eumd. Trin.* 3. 3. 50. et *Truc.* 2. 4. 46. *Ter. Andr.* 3. 3. 4. SIM. Ausculta paucis, et quid te ego velim et quod tu quæris scies. CH. Ausculto: loquere quid velis. *Id. Adelph.* 5. 3. 20. Ausculta paucis, nisi molestumst, Demea. *Pomponius* apud *Non.* p. 246. 15. *Merc.* Atque auscultare disce, si nescis loqui. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 1. Jamdudum ausculto et cupiens tibi dicere servus Pauca reformido. — Et pro clam atque ex insidiis aliorum sermones excipere. *Plaut. Truc.* 1. 2. 1. Ad fores auscultato atque serva has ædes (*Forcellinus aliique* auscultate atque asservate ædes), ne quis adventor gravior abeat, quam adveniat. *Afranius* apud *Non.* p. 246. 17. *Merc.* Videt ludos: hinc auscultavi procul. *Nonius* exponit *spectavi*; vereor ut satis apte: al. leg. *huic auscultavi.* — Passive impersonaliter. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 14. Die undevigesimo animadvertat, an pulli rostellis ova pertuderint, et auscultetur, si pipiant. — *b*) Construitur — Cum Accus. personæ. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 22. Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens. *Id. Pœn.* 4. 2. 19. Nimis cum ausculto libens. Adde *Afranium* apud *Non.* p. 246. 14. *Merc. Catull.* 67. 39. Auscultare populum. — Cum Accus. rei. *Plaut. Merc.* 2. 4. 9. Omnia ego istæc auscultavi ab ostio. *Id. Pseud.* 1. 5. 12. Auscultare crimina. *h. e.* audire et fidem habere criminibus de aliquo delatis. Adde *Ter. Heaut.* 4. 5. 23. et *Fronton. Arion.* § 3. — Cum Relativo pron. *Plaut. Curc.* 2. 2. 29. Hinc auscultemus quid agat. *Id. Pœn.* 4. 1. 6. Quid habeat sermonis, auscultabo. *h. e.* audiam clam atque ex insidiis. ¶ 2. Sæpe plus est quam *audire*: significat enim non solum auribus accipere, sed etiam fidem habere dictis alicujus, eique aliquid præcipienti aut monenti obtemperare, obsequi: ut docet ipse *Varro* 6. *L. L.* 83. *Müll.* Ab *audiendo* etiam *auscultare* declinatum, quod hi auscultare dicuntur, qui auditis parent, a quo dictum poetæ: *Audio, ausculto.* Hac significatione occurrit — *a*) Cum Accus. personæ aut rei. *Cato* apud *Gell.* 1. 15. Itaque auditis, non auscultatis, tamquam pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur, verum ei se nemo committit, si æger est. *Plaut. Trin.* 3. 2. 36. Nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis. *Cæcilius* apud *Non.* p. 246. 12. *Merc.* Audire ignoti quod imperant soleo, non auscultare. — *b*) Cum Dat. personæ, et est obtemperare. *Ennius* apud *Non.* p. 246. 11. *Merc.* Mihi ausculta, nate, pueros cremari jube. *Cato R. R.* 5. Cui jussus siet, auscultet. *Plaut. Curc.* 2. 1. 8. Si recte facias, Phædrome, auscultes mihi atque istam exturbes ex animo ægritudinem. Adde *eumd. Bacch.* 4. 8. 14. et *Asin.* 1. 1. 50. *Ter. Adelph.* 5. 8. 12. Quid? tu autem huic, asine, auscultas? Adde *eumd. Andr.* 1. 3. 4. et *Heaut.* 3. 3. 24. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 132. Nam istis, qui linguam avium intelligunt, — magis audiendum, quam auscultandum censeo. *V.* et *Non.* p. 246. 10. *Merc. Cic. Rosc. Am.* 36. 104. Mihi ausculta: vide ne tibi desis. *Incert. Auct. Itiner. Alex. M.* 28. ed. *Mai.* Quibus auscultans. — *c*) Absolute, sed passive impersonaliter tantum. *Plaut. Merc.* 2. 3. 127. Ad portum ne bitas, dico jam tibi. CH. Auscultabitur.

AUSIM, is, it etc. *V.* AUDEO.

AUSPEX, icis, comm. gen. 3. est quasi *avispex* ab *aves* et *spicio*, qui spiciendis, hoc est spectandis avibus, ex eorum volatu, cantu aut pastu deorum voluntatem interpretatur, res futuras prædicit ac præcipue ad magnum aliquod inceptum aggrediendum aut omittendum hortatur atque auctor est.

I.) Proprie raro admodum occurrit: cujus rei causa videtur afferri a *Plutarch. Quæst. Rom.* 72. Τοὺς ἐπ' οἰωνοῖς ἱερεῖς αὔσπικας πρότερον αὐγούρας δὲ νῦν καλοῦσιν. — *a*) De hominibus, qui auspicia captant. *Cic.* 2. *Att.* 7. 2. Si — bitem id commovet et latoribus et auspicibus legis curiatæ. *h. e.* et Cæsari qui legem tulit, et Pompejo qui pro ea ferenda de cælo servavit. Et figurate *Horat.* 3. *Od.* 27. 8. ego cui timebo Providus auspex — Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu. — *b*) Item de avibus, quæ auspicia præbent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (49). *de gallis gallinaceis.* Hi magistratus nostros quotidie regunt: hi fasces Romanos impellunt, aut retinent: jubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices.

II.) Improprie auspex generatim est, qui omnibus recte ac mature perpensis de re aliqua magni ponderis judicium effert, eamque faustam ac felicem futuram pollicetur, ideoque auctor est, ut eadem fiat. Specialim vero ¶ 1. In nuptiis auspex est conciliator ex parte viri (sicut *pronuba* ex parte mulieris), cujus ductu et consiliis matrimonium contrahitur, quique adest dum dos adnumeratur, tabulæ nuptiales conficiuntur, et cetera conjugii solemnia celebrantur. Quod ex eo ductum est, quia apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto: quo ex more etiamnum auspices interponuntur; qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant, ut *Val. Max.* 2. 1. 1. loquitur. Hoc idem docent etiam *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 28. et *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 346. Hujusmodi auspex dicitur Græce παράνυμφος. *Plaut. Cas. prol.* 85. Argentum si quis dederit — ultro ibit nuptum, non manebit auspices. *Cic. Cluent.* 5. 14. Nubit genero socrus nullis auspicibus etc. Adde *Liv.* 42. 12. *Sueton. Claud.* 26. Messalinam C. Silio nupsisse, dote inter auspices consignata. Adde *Tac.* 11. *Ann.* 27. et 15. *ibid.* 37.; *Juvenal.* 10. 336.; *Lucan.* 2. 731.; et denique *Claudian.* 1. *in Rufin.* 83., ubi in feminino genere usurpat, loquitur enim de Megæra, qua auspice nuptiæ celebratæ sunt inter Œdipum et illius matrem Jocastam, et inter Thyesten et illius filiam Pelopeam. ¶ 2. Item occurrit sæpe in formula *auspice aliquo*, præcipue *deo*, *aliquid facere*, et significat diis bona quasi auspicia dantibus ac faventibus, diis auxilium pollicentibus, faventibus bonoque omine conatus nostros secundantibus. *Virg.* 3. *Æn.* 19. Sacra Dionææ matri divisque ferebam Auspicibus cœptorum operum. *Id.* 4. *ibid.* 45. Dis equidem auspicibus reor et Junone secunda etc. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 13. fidibusne Latinis Thebanos aptare modos studet auspice Musa? *Id.* 1. *Od.* 7. 27. Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro. *Forcellinus* hoc in loco auspicem accepit pro auctore et principe alicujus rei faciendæ; ductum a more Romanorum, apud quos soli magistratus summi, et in bello summus imperator auspicia captabant et habere auspicia dicebantur: *V.* AUSPICIUM I. *Ovid.* 1. *Fast.* 615. Auspicibusque deis tanti cognominis heres, Omine suscipiat, quo pater orbis, onus. *Id. ibid.* 26. te auspice. *h. e.* te, Cæsar Germanice. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 39. Auspice Phœbo. ¶ 3. Hinc apud serioris ævi scriptores auspex dicitur, qui alicujus rei initium præbet, eamque faustam lætamque portendit: et occurrit — *a*) Cum Genit. *Eumen. Paneg. ad Constant.* 3. O Calendæ Martiæ, sicuti olim annorum volventium, ita nunc æternorum auspices imperatorum! *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 3. Ille felicitatis publicæ auspex dies. — *b*) Absolute. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 610. Auspice mox lætum sonuit clamore tribunal. *Id. VI. Cons. Honor.* 653. Auspex victoria. *Id. in ep. ad Serenam* 51. Auspex purpura. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

Homonym. In quo *auspex* differat ab *augure*, vide in fine v. AUGURIUM.

AUSPĬCĀBĬLIS, e, adject. bonum præbens auspicium, vel cujus auspicium optabile est. *Arnob.* 4. 7. Cujus horrenti fascino vestras inequitare matronas et auspicabile ducitis et optatis. Adde *eumd.* 7. 32.

AUSPĬCĀLIS, e, adject. ad auspicium pertinens, vel potius qui auspicium præbet. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Res est enim auspicalis pisciculus. *h. e.* unde auspicium peti potest. *Mamert. Paneg. ad Maxim.* 6. Primus consulatus tui auspicalis dies. *V.* AUSPICOR II. *a.* Hinc *auspicalis lapis* dicitur qui primus auspicii causa statuitur in fundamentis alicujus operis inchoandi. *Inscript.* apud *Gruter.* 39. 5. LAPIS AVSPICALIS SACER Q. CAECILIO METELLO PONT. MAX. SOLLEMNI CVM PRECATIONE PALAM POPVLO ROMANO CONJECTVS IN FVNDAMENTA PORTICVS MINERVAE AVENTINENSIS. De hoc ritu V. *Tac.* 4. *Hist.* 53. Idem mos auspicandi ædificii cujusvis fuit et apud Græcos; hoc enim probat *Létronne Recueil des Inscr. de l'Egypt. T.* 1. p. 6. afferendo epigraphen Græcam in lamina aurea punctim insculptam, quæ reperta est Canopi, reposita inter duos lateres sub Ptolemæo Evergete. Ceterum initium Inscriptionis hic allatæ ita legit *Orell.* 44. *Lapis auspicato sub* etc.; eaque illi suspectissima habetur, ut et *Maffejo Art. crit. lap.* p. 376., licet proba et sincera videretur *Norisio* et *Morcellio*, qui postremus eadem fere hujus lapidis verba in sua inscriptione usurpat *De stili inscr. Lat. T.* 2. p. 20. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

AUSPĬCĀLĬTER, adverb. auspicato, auspicio prius capto. *Hygin. Limit. constit.* p. 153. *Goes.* Posita auspicaliter groma.

AUSPĬCĀTŌ, proprie est Ablat. absol. ab *auspicatus*, *a*, *um*, quod ab *auspicari*; sed occurrit adverbialiter tantum, unde Comp. *Auspicatius* 11. —

Auspicato proprie est captis auspiciis, augurato, avibus servatis.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 2. 3. Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 29. 51.; *Liv.* 5. 52. et 28. 28.; et *Tac.* 3. *Hist.* 72. *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 28. Nihil unquam gerere, nisi auspicato. Adde *Liv.* 1. 36. *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 76. Auspicato rem bellicam administrare. *Id. Mur.* 1. 1. aliquem consulem renunciare. *Liv.* 6. 41. magistratum creare. *Id.* 5. 38. aciem instruere. *Tac.* 1. *Hist.* 84. aliquid instituere.

II.) Improprie, quia quod captis prius auspiciis fit, feliciter evenire creditur, hinc et pro feliciter, prospere ponitur. *Plaut. Pers.* 4. 4. 56. Vide ut ingrediare auspicato. *Ter. Andr.* 4. 5. 12. Haud auspicato huc me appuli. *Cic.* 3. *Verr.* 40. 104. Qui auspicato a Chelidone surrexisset. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 9. 7. (47). Auspicatius enecta parente gignuntur. *Id.* 3. *ibid.* 11. 16. (105). Auspicatius mutato nomine.

AUSPICĀTUS, a, um. *V.* AUSPICOR.

AUSPICĀTUS, us, m. 4. Idem atque auspicium. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 18. 20. (40). Pici Martio cognomine insignes et in auspicatu magni. Ita *Harduin.* et *Sillig.*; alii leg. *auspiciis*. *Cic.* 2. *de republ.* 29. 59. 51. In ea re publica, quam auspicatu Romulus condiderit. Ita *Cod.* a prima manu, mox factum *auspicato*; quæ lectio melior, ut observat *A. Mai*, qui et sic edidit; sed et illa haud prorsus absurda.

AUSPĬCIUM, ii, n. 2. *Auspiciis* trisyllab. pro *auspiciis* usus est *Capell.* 1. *p.* 23. in carm. Jungantur paribus, nam decet, auspiciis. Latini enim veteres litteram i numquam geminabant — Auspicium (quasi *avispicium*, a spiciendis seu aspiciendis avibus) est avium observatio, et ex earum volatu, cantu, pastu etc. prædictio futurorum. Credebant enim voluntatem deorum per hujusmodi signa hominibus manifestari. Quomodo differat ab *augurio*, in ea voce dictum est. Occurrit *A*) Abstracte, et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est, ut diximus, avium observatio et ex earum volatu, cantu, etc. futurorum prædictio: quod *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (203). *auspicium avium* appellat. *Nævius* apud *Non.* p. 468. 27. *Merc.* Verum prætor advenit, auspicat auspicium prosperum. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Dant (*Romulus et Remus*) operam simul auspicio augurioque. Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam Solus avem servat. Adde *Formulam* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 34. 71. et *Cic.* 1. *ibid.* 47. 105.; *Liv.* 6. 41.; et *Plin.* l. c. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 108. Auspicio stabilire aliquid. *Cic.* 2. *Divinat.* 34. 72. Adhibere aliquem in auspicium. *Id.* 2. *leg. Agr.* 12. 31. Comitia auspiciorum causâ adumbrata. *Id. Vatin.* 6. 15. et *Liv.* 6. 41. Auspiciis condere urbem. *Cic. Mur.* 1. 1. Auspiciis consecrare aliquid. *Id. Vatin.* 8. 20. Auspicio dissolvere. *Id.* 1. *Nat. D.* 44. 122. Præesse auspiciis. *Id.* 2. *Divinat.* 33. 71. Auspicio uti. *Liv.* 10. 40. Pullarium in auspicium mittere. *Id.* 8. 34. Auspicia observare. *Id.* 4. 2. Auspiciorum perturbationem afferre. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (223). Dirimere auspicia. ¶ 2. Speciatim *Auspicia habere* dicuntur, qui auspiciorum captandorum jus habent. Hi autem apud Romanos fuere omnes urbani magistratus, secundum illud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 10. OMNES MAGISTRATVS AVSPICIVM IVDICIVMQVE HABENTO. Cf. *Liv.* 4. 6. Sed in militia unus imperator auspicia habebat. *V.* AUGURATORIUM. Nam legati aliique imperatori subjecti, licet aliquando rem militarem administrarent, non tamen suis, sed imperatoris auspiciis omnia gerere dicebantur. Neque vero minor inde laus imperatoribus ipsis contingebat, quod vel morbo vel publica alia causa impediti ab exercitu abfuissent. Credebatur enim ab iis ipsis felix rei eventus provenisse, quibus deorum voluntatem per auspicia aucupari, et omnium, quæ vel per se, vel per alios gessissent, approbationem quodammodo obtinere contigisset. Hinc quibus aliquid pro se gerendum mandassent, suos ipsi deos tradere dicebantur, ut est apud *Horat.* 4. *Od.* 14. 33. et apud *Ovid.* 2. *Trist.* 173. Hinc — *a*) Si ipsi per se gessissent, *ductu et auspiciis suis* vel *imperio et auspiciis suis* gessisse dicebantur; si per alios, *auspiciis* tantum. *Plaut. Amph.* 1. 1. 41. Gessit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo. Cf. *ibid.* v. 45. et 2. 2. 26., et figurate *Id. Epid.* 3. 4. 15. Vetus *Inscript.* apud *Liv.* 41. 28. TIB. SEMPRONII GRACCHI CONSVLIS IMPERIO AVSPICIOQVE LEGIO EXERCITVSQVE POPVLI R. SARDINIAM SVBEGIT. Cf. *Liv.* 41. 17. et 8. 31. Alia apud *Plin.* 3. *Hist. nat.* 20. 24. (136). EIVS DVCTV AVSPICIISQVE GENTES ALPINAE SVB IMPERIVM POP. ROM. REDACTAE. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 253. tuisque (*Auguste*) Auspiciis totum confecta duella per orbem. *h. e.* bella adversum Germanos et Pannonios Drusi et Tiberii ductu confecta. *Curt.* 6. 3. 2. Alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui. Cf. *Vellej.* 2. 40. 1. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (167). Septemtrionalis Oceanus majore ex parte navigatus est auspiciis D. Augusti, *scilicet* ductu Drusi, aut Tiberii. *Sueton. Aug.* 21. Domuit partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam etc. *Tac.* 2. *Ann.* 41. Recepta signa ductu Germanici, auspiciis Tiberii. Cf. *Liv.* 7. 40.; *Ovid.* 15. *Met.* 822.; *Vellej.* 2. 115. 3. et 2. 129. 4.; et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 45. (140). — *b*) Hinc sæpe *imperium auspiciumque* junguntur, namque unum idemque, *h. e.* summam rei militaris significant. *Liv.* 28. 27. Imperium auspiciumque ad aliquem deferre. *Curt.* 9. 6. 9. Auspicium atque imperium alicujus sequi. — Hinc

II.) Improprie. ¶ 1. Auspicium sumitur pro potestate, jure, imperio. *Virg.* 4. *Æn.* 102. Communem hunc ergo populum regamus Auspiciis. *Servius* interpretatur æquali potestate; et ductum ait a comitiis, in quibus iisdem auspiciis creati, licet non simul crearentur, parem tamen habebant honorem: unde et consules pares sunt, cum necesse esset, ut unus prior crearetur. ¶ 2. Aliquando etiam sumitur pro privato cujusque arbitrio ac potestate. *Virg.* 4. *Æn.* 340. Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, et sponte meas componere curas, etc.

B) Concreto, uti ajunt, sensu.

I.) *Proprie auspicium est augurium ex quacumque re captum.* *Plaut. Epid.* 2. 2. 2. Liquido exeo foras auspicio, avi sinistrâ. *Id. Stich.* 3. 2. 6. Auspicio optimo exivi foras: mustela murem mihi abstulit præter pedes. *Id. Men.* 5. 9. 48. Auspicium melius. *Id. Aulul.* 3. 2. 33. et *Cic. Vatin.* 16. 39. malum. *Cic. Senect.* 4. 11. Augurque cum esset dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro reipubl. salute gererentur; quæ contra rempubl. fierent, contra auspicia fieri. *Id.* 2. *Divinat.* 18. 43. Fulmen omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuerit. *V.* LÆVUS. *Id.* 1. *Att.* 16. 13. Legem bono auspicio hominem claudum promulgare. *Id.* 1. *Divinat.* 16. 29. Ementiri auspicia. Cf. *Liv.* 10. 40. mentiri. *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 77. Auspicium juge. Cf. *Paul. Diac.* p. 104. 1. *Müll.* *Cic. Prov. cons.* 19. 45. Salvis auspiciis. *Id.* 2. *Divinat.* 38. 80. Cur aliis a læva, aliis a dextra datum est avibus, ut ratum auspicium facere possint? *facere auspicia* dicuntur ea, ex quibus auspicium capitur. Cf. *Liv.* 1. 34.; et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 85. cui si vitiosa libido Fecerit auspicium etc. *h. e.* si eum incitarit et, velut avis, auspicium lætum obtulerit. *Liv.* 8. 34. Auspicia dubia. *Id.* 8. 30. incerta. *Catull.* 45. 19. Ab auspicio bono proficisci. *Horat.* 4. *Od.* 14. 16. Auspicia secunda. *Propert.* 1. 3. 28. vanum. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 160. favens. *Id.* 1. *Fast.* 219. utile. *Sueton. Ner.* 41. Frivolo auspicio mente recreata, cum annotasset insculptum monumento etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (119). Fabam e frugibus referre auspicii causa. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Addicentibus auspiciis. *Justin.* 1. 10. 8. Felix auspicium equus domino primus emisit. *Id.* 18. 5. 16. Auspicium fructuosæ terræ. *Stat.* 11. *Theb.* 340. Auspicium infelix. — De variis auspiciorum generibus *caduco*, *jugi*, *pedestri* etc. *V.* suis locis.

II.) Translate auspicium est initium, exordium. *Justin.* 26. 2. 2. Auspicia belli a parricidio incipere. *Id.* 27. 1. Auspicia regni a parricidio capere. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 8. Quid si militiæ jam te, puer inclite, primæ Clara rudimenta et castrorum dulce vocaret Auspicium? *Capell.* 8. *p.* 280. Atque ita eorum (*colurorum*) primus, qui ab æquinoctiali parte sumit auspicium, etc.

AUSPĬCO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Auspicatus* vide in fine vocis AUSPICOR. — Auspico est auspicium capio, avium inspectionem facio ad divinanda futura. Occurrit semper propria significatione, translate enim *auspicari* usurpatur. — *a*) Absolute. *Cato* apud *Festum* p. 234. 30. *Müll.* Domi cum auspicamus, honorem me deûm immortalium velim habuisse. *Cæcilius* apud *Non.* p. 468. 26. *Merc.* Ut magistratus publice cum auspicant. *Atta* apud *Non.* l. c. Atque ut auspicetis. — *b*) Cum Dat. rei, propter quam auspicamus. *Plaut. Pers.* 4. 6. 7. Lucro faciendo ego auspicavi in hunc diem. *h. e.* auspicium cepi pro lucro faciendo. *Id. Rud.* 3. 4. 12. Non hodie isti rei auspicavi, ut cum furcifero fabuler. *Tabula censoria* apud *Varron.* 6. *L. L.* 86. *Müll.* Ubi noctu in templum censuræ auspicaverit etc. V. *Müll.* ad h. l. Similiter *Gell.* 13. 14. Urbis condendæ gratiâ auspicare. *Id.* 3. 2. Auspicare super aliqua re. — *c*) Cum Accus. rei, in quam tamquam auspicium offendimus. *Nævius* apud *Non.* p. 468. 27. *Merc.* Verum prætor advenit, auspicat auspicium prosperum. *Plaut. Stich.* 2. 3. 46. Eam (*mustelam*) auspicavi ego in re capitali mea. V. *Auspicatus* in fine v. seq.

AUSPĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Auspicans* I. et II.; *Auspicandus* II.; *Auspicatus* II. et in fin. — Auspicor est auspicium capio, avium inspectionem facio ad divinanda futura.

I.) Proprie et stricto sensu occurrit absolute tantum. — *a*) De hominibus, qui auspicium sumunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 11. Quod cum pomœrium transiret, in redeundo – auspicari esset oblitus. *Id.* 1. *Divinat.* 35. 77. Cum tripudio auspicaretur, pullarius diem prœlii committendi differebat. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 36. 77. et 2. *ibid.* 34. 72. *Liv.* 4. 6. Quod auspicari tamquam diis immortalibus invisi negarent posse. *Id.* 27. 16. Fabio auspicanti aves non addixere. Adde *eumd.* 6. 41. et *Sueton. Ner.* 46. — *b*) De rebus, quæ auspicium faciunt. *Hygin.* 2. *Astron.* 16. Sacrificanti ei aquila auspicatur.

II.) Improprie. Quoniam ad aliquam magni momenti rem aggrediendam incipiendamque auspicia sumebantur; factum est, ut *auspicari aliquid* vel etiam absolute *auspicari* significaret incipere, inchoare, aggredi. — *a*) Absolute. Credebant veteres, ea prospere toto anno successura, quæ ipso anni initio, hoc est Kal. Jan., inchoassent. Quare eo die suam quisque artem leviter et tantum boni ominis causa tractare solebant: id cum facerent, auspicari dicebantur, isque dies *auspicalis* vocabatur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 98. Per hos quoque dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolæ, ita tamen ut ipsis Kal. Januariis auspicandi causâ omne genus operis instaurent, ceterum differant terrenam molitionem usque in proximas Idus. V. *Senec. Ep.* 83. et *Ovid.* 1. *Fast.* 165. *et seqq.*, ubi hoc idem diserte tradit. — Sed et aliis temporibus, cum novi aliquid inchoandum erat, prima die delibare aliquid solebant auspicii causâ, ut primo die initi magistratus, et hujusmodi. *Tac.* 4. *Ann.* 37. Feriarum Latinarum diebus præfectus Urbis Drusus auspicandi gratiâ tribunal ingressus etc. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi. *h. e.* non leviter et auspicii tantum causa, sed etc. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 1. Nihil enim prohibet nos – de iisdem rebus dicturos celeberrimi carminis auspicari principio. Et *Solin.* 52. Ab Emodis montibus auspicatur India. *h. e.* incipit. — *b*) Cum Accus. *Vellej.* 2. 101. 3. Quem militiæ gradum ante sub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auspicatus in Thracia Macedoniaque – perfruor. *Seneca Ep.* 47. Senatorium per militiam auspicantes gradum. *h. e.* ad senatorium ordinem per militiæ gradus accedentes et ex ea velut auspicium capientes ad eum obtinendum. *Plin.* 7. *Hist. nat. præfat.* § 8. Auspicari vitam a suppliciis. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 2. 3. *Sueton. Ner.* 37. In auspicando opere Isthmi. *Forcellinus* interpretatus est in capiendo auspicio pro Isthmo inchoando. *Id. Aug.* 38. Auspicari militiam. *Id. Ner.* 7. jurisdictionem. — *c*) Cum Infinito. *Seneca Ep.* 83. Qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem (*aquam*) desilire. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 24. (41). Primus eam (*aquam*) in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius. *Sueton. Ner.* 22. Auspicatus est cantare. Adde *Tac. Dial. de orat.* 11. — Hinc Part. præter. pass.

Auspicatus, *a*, *um* adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Auspicatior* et Sup. *Auspicatissimus* sub 2. ¶ 1. Stricto sensu est idem atque auguratus, capto auspicio rite factus aut consecratus. *Cic. Rabir. perduell.* 4. 11. Qui in campo Martio, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi jubes. *Liv.* 26. 2. Auspicata comitia. *Horat.* 3. *Od.* 6. 9. Jam bis Moneses et Pacori manus Non auspicatos contudit impetus Nostros. *V. Cic.* 1. *Divinat.* 16. Cf. AUSPICATO. ¶ 2. Generatim ponitur pro fausto, felici et boni ominis; talia enim esse credebantur, quæ captis prius rite auspiciis fiebant, tamquam a diis approbata.

Catull. 45. 25. Quis ullos homines beatiores Vidit? quis Venerem auspicatiorem? *h. e.* amorem feliciorem. *Vellej.* 2. 79. 2. Auspicatis ominibus ducere uxorem. *Justin.* 4. 5. 3. Neque in bello male auspicato amplius perseverandum. *Id.* 18. 5. 16. Urbs toto orbe auspicatissima. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 38. (118). Auspicatior arbor. *Quintil.* 10. 1. 85. Auspicatissimum exordium dare. *Tac. Germ.* 11. Auspicatissimum initium rebus gerendis. Adde *Plin.* 10. *Ep.* 28. et *V.* AUSPICATO.

AUSTELLUS, i, m. 2. *deminut.* ab auster, parvus Auster, tenuis, lenis. *Lucilius* apud *Non.* p. 98. 22. *Merc.* Rex Cotys ille duos ventos, Austrum atque Aquilonem Novisse ajebat solos se, demagis istos Ex nimbo Austellos, nec nosse putare necesse.

AUSTER, ra, rum. *V.* AUSTERUS sub init.

AUSTER, stri, m. 2. Etymon vocis *V.* in AUSTERUS sub init. — Est ventus meridionalis humidus et calidus, Græco vocabulo Notus dictus; cui contrarius est a septemtrione spirans Septemtrio seu Aparctias (It. *Ostro*, *vento di mezzodi*; Fr. *vent du sud*, *du midi*; Hisp. *ostro*; Germ. *der Südwind*; Angl. *the South wind*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim de hoc vento pluribus disserunt *Vitruv.* 1. 6. 4. *Schneid.*; *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 18. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (338). et *ibid.* 35. 78. (343). *Macrob.* vero 2. *Somn. Scip.* 5. docet, hunc ventum natura quidem frigidum esse, sed quia per calida Africæ loca ad nos permeat, calidum fieri. *Cato R. R.* 31. Sine vento Austro. *Et mox.* Vento Austro caveto ne quam materiem, neve vinum tractes. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. cum spiritus Austri imbricitor Aquiloque – fluctus extollere certant. *Lucilius* apud *Non. V.* in AUSTELLUS. *Cic.* 16. *Att.* 7. 1. Rejectus sum Austro vehementi ad eamdem Leucopetram *Cæs.* 3. *B. C.* 26. Nacti Austrum naves solvunt. *Lucret.* 5. 744. Altitonans Volturnus et Auster fulmine pollens. — *b*) Multis jungitur adjectivis (præsertim apud Poetas), quorum præcipua servato litterarum ordine exhibemus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 202. Adversis Austris. *Ovid.* 3. *Met.* 853. aquaticus. *Virg.* 5. *Æn.* 764. aspirans. *Id.* 3. *ibid.* 70. crepitans. *Id.* 5. *ibid.* 696. densi. *Id.* 4. *G.* 261. et *Propert.* 2. 20. 36. frigidus. *Virg.* 1. *Æn.* 55. furens. *Tibull.* 1. 1. 41. hibernus. *Virg.* 1. *G.* 462. humidus. *Plaut. Merc.* 5. 2. 35. imbricus. *Virg.* 3. *Æn.* 70. lenis. *Seneca Med.* 588. nebulosus. *Virg.* 3. *G.* 278. nigerrimus. *Horat.* 2. *Od.* 14. 16. nocens corporibus. *Ovid.* 11. *Met.* 663. nubilus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 18. plumbeus. *Ovid.* 7. *Met.* 532. pluvius. *Virg.* 1. *Æn.* 540. procaces. *Seneca Hippol.* 21. tepidus. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 15. validus. — *c*) Animadvertendum est a *Virgilio* interdum poni pro quolibet vento, ut 1. *Æn.* 51.; quod Poetis est familiare. — *d*) *Floribus Austrum et liquidis immittere fontibus apros*; proverbialis locutio apud *Virg.* 2. *Ecl.* 58. de eo, qui ipse sibi malum creat: nam Auster ob violentiam flatus et nimium humorem flores corrumpit, apri fontes cœno perturbant. Cf. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 129. — *e*) Apud Poetas Auster interdum tamquam deus repræsentatur, cujus Athenis erat simulacrum juvenili specie decorum urnam gerens super ventorum turrim inversam. *Mela* 1. 8. 1. Rupes quædam Austro sacra.

II.) Improprie aliquando ponitur pro regionibus ad meridiem sitis. *Cic.* 6. *de republ.* 20. 22. Quis in reliquis orientis aut obeuntis solis ultimis aut Aquilonis Austrive partibus tuum nomen audiet? Adde *Varron.* 9. *L. L.* 25. *Müll. Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (43). Luna nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta.

AUSTĔRALIS, is, f. 3. herba eadem quæ sisymbrium apud *Apul. Herb.* 105.

AUSTĔRĒ, adverb. αὐστηρῶς. Comp. *Austerius.* — Occurrit figurate tantum, et est severe, duriter. *Cic. Mur.* 35. 74. At enim agit mecum austere et Stoice Cato. *Vulgat. Interpr.* 2. *Machab.* 14. 30. Austerius agere cum aliquo.

AUSTĔRĬTAS, atis, f. 3. est abstracta qualitas, qua aliquid est aliquantisper acerbum et ingratum: *V.* AUSTERUS sub init. (It. *austerità*, *asprezza*; Fr. *âpreté*, *dureté*; Hisp. *asperidad*, *desabrimiento*; Germ. *die Herbheit oder Rauhheit*; Angl. *harshness*, *rougness*, *sourness*).

I.) Proprie. — *a*) Ponitur de saporibus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 68. Quædam genera uvarum numquam dulcedinem capiunt propter austeritatem nimiam. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (24). et *ibid.* 6. 8. (65). Austeritas vini. *Id.* 19. *ibid.* 6. 32. (105). cæpæ. *Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (17). picis. *Gargil. de re hort.* 1. 3. ed. *A. A. Scottio.* Eadem (*cydonea*) Dioscorides et diuretica existimat austeritatis beneficio. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 11. Austeritate fugare serpentes. *h. e.* re aliqua sapore austera. *Id.* 1. *ibid.* 35. 8. Aqua lupinorum psilotri austeritatibus juncta. — *b*) Item ratione habita visus, ponitur de coloribus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (97). Ne colorum claritas oculorum aciem offenderet et eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occulte daret. *Id.* 9. *ibid.* 38. 62. (134). Buccinum pelagio admodum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam nitoremque, qui quæritur, cocci. *h. e.* quamdam saturitatem coloris. Adde *eumd.* 37. *ibid.* 5. 17. (65). et 5. 18. (67).

II. Translate de hominibus ponitur, et est severitas, nimia gravitas, triste ac durum ingenium. *Quintil.* 2. 2. 5. *de præceptore.* Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 5., ubi *austeritati* opponitur remissio frontis.

AUSTĔRŬLUS, a, um, adject. *deminut.* ab austerus. *Apul. Florid.* 4. 20. Cratera musicæ dulcis, dialecticæ austerula.

AUSTĔRUS, a, um, adject. *Auster* in recto singul. apud *Scribon. Compos.* 188. Aconiti gustus est auster atque subamarus. *At fortasse ibi mendum est, ut adnotavit* Jo. Rhodius. Quamquam dixit et *Cassiod. Complex. ad* 1. *Petr.* 6. Servos commonet obedire dominis suis, non tantum placidis, sed etiam qui videntur austeres. — Comp. *Austerior* I. et II.; Sup. *Austerissimus* I., *Austerrimus* II. — Austerus est ab αὐστηρός, quod fortasse ab αὔω sicco, arefacio; hinc *Auster* apud Latinos est ventus urens: consuetudine vero Latina vox facta; et dicitur præcipue de saporibus, non quidem acerbis et ingratis, sed linguam tamen adstringentibus et contrahentibus; qualis est gustus meri vini, sed non dulcis, et sapor pomorum, quæ nondum plenam maturitatem consecuta, sunt tamen satis matura. Huic opponitur sapor lenis. (It. *aspro*, *lazzo*, *austero*; Fr. *âpre*, *rude*, *dur*; Hisp. *aspero*, *acerbo*, *violento*; Germ. *herbe*, *streng*, *rauh*; Angl. *harsh*, *severe*, *austere*).

I.) Proprie. — *a*) Præcipue, ut diximus, ponitur de saporibus. *Cato R. R.* 126. et *Cels.* 3. 24. Vinum nigrum austerum. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 10. Vinum austerius. *Cf. eumd.* 12. *ibid.* 39. 2. et *Scribon. Compos.* 142. Vinum austerissimum. *Quintil.* 2. 4. 9. Musta austera. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 20. (45). Herba austero sapore. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 2. Austerior gustus. Huc referri potest et illud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Dehinc austero fumo ægros implendos existimat, quo sæpe etiam sani præfocatione afficiuntur. *Fortasse austerus fumus est densus; ideoque hæc aptius ad c referenda.* — *b*) Dicitur etiam de odoribus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (120). Balsami succus debet esse lenis, non subacidus: odore tantum austerus. — *c*) Item de coloribus: est autem *austerus color* qui saturior est et lucet obscurius; cui opponitur floridus et eximie fulgens. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 12. (30). Sunt autem colores austeri aut floridi. — Et per metonymiam *Id. ibid.* 11. 40. (134). Athenion pictor et austerior colore et in austeritate jucundior. Item de statuaria ratione *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (66). *de Euthycrate Lysippi filio et discipulo.* Quamquam is constantiam patris potius æmulatus, quam elegantiam, austero maluit genere, quam jucundo placere.

II). Translate. — *a*) Ponitur de moribus hominum pro severo, rigido, gravi; et quidem in utramque partem. *Cic. Pis.* 29. 71. Si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior et gravior esse potuisset. *Id.* 3. *Orat.* 25. 98. Austeri. *h. e.* qui de rebus severe judicant. *Id. Cæl.* 14. 33. Austero more ac modo agere cum aliquo. *Propert.* 3. 14. 24. Austerus vir. *Quintil.* 11. 3. 74. Senes austeri ac mites. *Messala Corvinus de progen. Aug.* 5. Austerrimus rex. — *b*) Dicitur etiam de rebus, præcipue abstractis, quæ tristia sunt, gravia, molestia. *Propert.* 4. 11. 49. Quælibet austeras de me ferat urna tabellas. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 12. Austerus labor. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 28. (43). Æger omnem austeram curationem recusans. — *c*) Item ponitur de genere dicendi graviore et minus voluptatis habente. *Horat. Art. P.* 342. Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 103. Ita sit nobis ornatus et suavis orator, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. *Quintil.* 9. 4. 128. Austera periodus.

AUSTRĀLIS, e, adject. ad Austrum pertinens, meridionalis (It. *australe*, *meridionale*; Fr. *austral*, *méridional*; Hisp. *austral*; Germ. *zum Südwind gehorig*, *südlich*; Angl. *southern*). *Cic. Fragm.* p. 580. ed. *Orell.* Australis axis. *Id.* 6. *de republ.* 20. 21. cingulus. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 68. ora. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 50. regio. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 1. nimbi. *Id.* 2. *Met.* 132. et *Seneca Herc. Œt.* 1101. polus. *Claudian. Eutrop.* 1. 403. annus. *Capell.* 8. p. 276. circulus.

AUSTRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. australes flatus vel pluvias ferens. *Sil. It.* 12. 2. austrifero nebulosam vertice frontem Immitis condebat hiems.

AUSTRĪNĀLIS, e, adject. idem atque australis. *Sicul. Flacc.* p. 20. *Goes.* Limites diagonales, montani, austrinales.

AUSTRĪNUS, a, um, adject. australis. *Virg.* 2. *G.* 271. Austrini calores. *h. e.* calores solis meridiani. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 37. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (12). dies. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (11). flatus. *Id.* 2. *ibid.* 47. 47. (123). tempus. *h. e.* quo Auster flat et humidi sunt dies. *Id.* 16. *ibid.* 26. 46. (109). cælum. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (230). pluviæ. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 11. ser. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 63. Quarto Non. Septembr. piscis austrinus desinit occidere. *h. e.* alter ex piscibus cælestibus, qui ad australem polum versus est. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 68. 68. (172). Austrinus vertex. *h. e.* polus australis. — Hinc

Austrina, orum, n. plur. 2. absolute pro locis ad meridiem conversis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (213). Austrina Cypri. *Et ibid.* (214). Sardiniæ. *Et ibid.* (215). Cappadociæ.

AUSTROĀFRĬCUS, i, m. 2. ventus est Africo et Austro utrimque junctus, ut *Isid.* 13. *Orig.* 11. 7. docet: qui ita est appellatus a serioris tantum ævi scriptoribus; antea enim Græca appellatione dicebatur Libonotus: ut patet ex *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (120). Inter Liba et Noton, compositum ex utroque, medium inter meridiem et hibernum occidentem, Libonoton. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16. *extr.* A meridiano axe Euronotus est: deinde Notus, Latine Auster: deinde Libonotus, qui apud nos sine nomine est. *Alii hic leg.* Leuconotus. Contra *Vetus Lapis* apud *Gruter.* 137. Αὐσ̆ρόνοτος, Austroafricus.

AUSTRŎNŎTĬUS, a, um, adject. idem quod australis. *Isid.* 3. *Orig.* 33. 1. Sphæræ motus unus boreus, alter australis. qui numquam videtur, et austronotius dicitur. *Id. ibid.* 37. et 13. *ibid.* 5. 5. Polus australis, qui austronotius dicitur. *Alii leg.* austronotus, i, *absolute pro ipso polo australi; sed minus recte.*

AUSUM, i, n. 2. (audeo) factum quod quis aggredi audet, tum in bonam, tum in malam partem. Est autem vox fere poetica, nempe *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 535. in prosa dici posse negat, et ad *eumd.* 12. *Æn.* 351. neminem ante Virgilium usurpasse affirmat. (It. *attentato*, *impresa ardita*; Fr. *entreprise hardie*; Hisp. *acto atrevido*; Germ. *das Wagniss*, *Wagstück*; Angl. *an attempt*, *enterprise*). *Virg.* 2. *Æn.* 535. At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis Di – persolvant grates dignas. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 351. *Id.* 9. *ibid.* 281. Fortia ausa. *Id.* 6. *ibid.* 624. Ausi omnes immane nefas ausoque potiti *Forcellinus* accepit *auso* pro Ablat. Part. præter. *ausus*, *a*, *um* passiva significatione usurpati. Sed cf. *Ovid.* 11. *Met.* 242. Potiri auso. *Id. Ovid.* 9. *ibid.* 348. magnis excidere ausis. *Id.* 1. *Art. am.* 379. Indulgere ausis. *Id.* 9. *Met.* 620. ausorum semper memor esse meorum. *Id. Heroid.* 14. 49. Ausa crudelia. *Id.* 11. *Met.* 14. furialia. *Sil. It.* 11. 386. compos memorabilis ausi. *Stat.* 4. *Theb.* 368. magnique fugit non inscius ausi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 108. 112. (247). Ausum improbum. *Tac.* 13. *Ann.* 47. Ausi nullius capax natura. *Aurel. Vict. Cæsar.* 3. Comprimere ausa.

AUSUS, a, um. *V.* AUDEO.

AUSUS, us, m. 4. idem quod ausum. *Val. Flacc.* 3. 613. Jamque moræ impatiens, cunctantes increpat ausus, Tiphys. Cum *Val. Flaccus* pluries usurpet vocem *ausum*, i, verosimile non est hic tantum adhibuisse *ausus*, us: ad hæc, quid sibi velint *cunctantes ausus*, nescio. Videtur igitur optime conjecisse *Harlesium* heic legendum actus. *Val. Max.* 4. 7. 5. Pari inclitæ amicitiæ ausu. *Petron. Satyr.* 123. et 184. Insolito ausu. *Impp. Leo et Anthemius Cod.* 1. 2. 14. Qui protervo ausu ecclesiastica prædia acquirere tentarit.

AUT, particula disjunctiva vel separativa, qua scilicet duo propositionis membra, vel duas etiam integras propositiones, fere semper alteram alteri oppositam disjungimus (It. *o*, *ovvero*, *o veramente*; Fr. *ou*, *ou bien*; Hisp. *ó*; Germ. *oder*; Angl. *or*, *or else*, *eithe*). — Initio statim animadvertendum putamus, hanc particulam naturâ suâ primum sibi in oratione locum vindicare; sed tamen aliquando apud Poetas per licentiam secundo loco, scilicet post aliquod aliud vocabulum fuisse positam. *Tibull.* 1. 3. 18. Saturni aut sacram me tenuisse diem. *Propert.* 3. 21. 29. Persequar aut studium linguæ etc. *Lucan.* 2. 362. Balteus aut fluxos gemmis adstrinxit amictus etc. — Contra in prosa oratione, apud optimos etiam Scriptores, interdum *ut aut* et *si aut* ibi occurrunt, ubi rectius vocabulorum ordo *aut ut*, *aut si* postulare videtur. *Cic. Orat.* 44. 149. Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se aptissime cohæreant extrema cum primis –, aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum, aut ut comprehensio etc. *Liv.* 2. 27. Postulabant, ut aut referret ad senatum, aut ut auxilio esset consul civibus suis. *Cic.* 2. *Fin.* 5. 15. Quod duobus modis sine reprehensione fit, si aut de industria facias –, aut cum rerum obscuritas, non verborum, facit ut etc. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (*pr.* 2.) 17. 53.; et V. *Hand. Tursell.* 1. *p.* 554. et *Madvig.* ad *Cic. Fin. l. c. p.* 162. — Ceterum totam rem, ut rectius expedire possimus, ad quatuor summa capita redigendam censemus: namque particula *aut* in oratione I. aut semel occurrit; aut II. bis vel pluries occurrit, ita ut altera *aut* alteri respondeat; aut III. aliis particulis, ut puta *neque*, *vel* etc., respondet; aut denique cum aliis particulis, ut puta *certe*, *etiam* etc., arcte conjungitur.

I.) Sæpe particula *aut* ¶ 1. Semel tantum occurrit. — *a*) Quoties duæ rerum notiones vel duæ propositiones recta sibi invicem opponuntur. *Cato R. R.* 6. Qui locus crassus erit aut nebulosior, ibi Aminæum majus aut Murgentinum – serito. *Plaut. Most.* 4. 2. 37. Nam nisi hinc hodie emigravit aut heri, certo scio hic habitare. *Id. Pseud.* 4. 2. 38. Nam necesse hodie Sicyoni me esse, aut cras mortem exsequi. *Ter. Andr.* 1. 1. 56. Observabam mane illorum servulos venientes aut abeuntes. Adde *eumd. Phorm.* 2. 1. 46. *Cic.* 1. *Tusc.* 7. 14. Id ergo est pronunciatum, quod est verum aut falsum. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Se ita a patribus – suis didicisse, ut magis virtute quam dolo contenderent aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et internecione exercitus nomen caperet aut memoriam proderet. *Sall. Jug.* 31. Existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit. *Nepos præfat.* 1. Cum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari, saltasse eum commode. *Liv.* 6. 18. Audendum est aliquid universis, aut omnia singulis patienda. *Liv.* 21. 43. Hic vincendum aut moriendum, milites. *Curt.* 9. 2. 34. Ego hic a vobis desperatæ victoriæ aut honestæ morti locum inveniam. — *b*) Particula *aut* interdum usurpatur etiamsi nulla sit in rerum notionibus recta oppositio; immo cum qui loquitur unum pro altero sine ulla differentia accipit vel accipiendum esse putet. *Cato R. R.* 6. Hoc genus oleæ in xxv aut in xxx pedes conserito. *Cic.* 3. *Off.* 5. 21. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum etc. Adde *eumd. Amic.* 12. 41., 1. *Tusc.* 17. 38. et alibi. — *c*) Si particula *aut* subjicitur alicui particulæ negativæ, omnia orationis membra vel propositiones, quæ ab eadem *aut* pendent, negative sunt accipienda. *Plaut. Most.* 1. 2. 43. Sibique aut materiæ ne parcunt. *Cic. Amic.* 18. 65. Neque vero qui – consentit, fidus aut stabilis potest esse. *h. e.* qui consentit, neque fidus, neque stabilis potest esse. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 31.; *Nepot. Att.* 14.; *Sall. Jug.* 13.; *Liv.* 3. 16.; *Tac.* 13. *Ann.* 39. *V.* infra sub II. c. — *d*) Hinc factum est, ut particula *aut* sæpe pro *alioqui* posita sit. *Cic.* 2. *Divinat.* 7. 18. et 19. Si enim scit, certe illud eveniet: sin certe eveniet, nulla fortuna est: est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla præsensio est. Aut si negas esse fortunam –; muta definitionem divinationis, quam dicebas præsensionem esse rerum fortuitarum. *Virg.* 10. *Æn.* 630. Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri Vana feror. *Propert.* 4. 1. 75. Certa feram certis auctoribus; aut ego vates Nescius ærata signa movere pila. *Al. leg.* haud, *quod minus elegans est. Ovid.* 10. *Met.* 50. *de Orpheo et Eurydice.* Hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros, Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas Exierit valles; aut irrita dona futura. *Id.* 18. *Heroid.* 189. Aut ego non novi, quam sit temerarius, aut me In freta non cautum tunc quoque mittet Amor. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 70. 71. (179). Neque enim mundus hoc polo excelsiore se attollit; aut undique cernerentur hæc sidera. *Id.* 19. *ibid.* 5. 30. (96). Effodiuntur bulbi ante ver; aut deteriores illico fiunt. Adde *Lucret.* 1. 1010.; *Quintil.* 2. 17. 9.; et *Tertull. Orat.* 13. — *e*) Particula *aut* locum habet etiam in interrogationibus, et — Modo duas interrogationes ita conjungit, ut unum quodammodo efficiat, et videtur esse dubitativa ac pro *an* posita. *Plaut. Aulul.* 2. 6. 10. Quid, impurate, – commune causâ, aut tuæ mercedis gratiâ nos nostras ædes postulas comburere? Adde *eumd. Men.* 4. 2. 56. *Ter. Andr.* 1. 5. 1. Hoccinest humanum factum aut inceptum? *Cic. Brut.* 44. 162. Erit, inquit Brutus, aut jam est iste, quem expectas? *Id. Rosc. Am.* 21. 59. Quæsivit num ille, aut ille defensurus esset? Adde *eumd. Parad.* 1. 3. § 15. et *Orat.* 8. 27.; et *Varron.* 3. *R. R.* 2. 14. *Plin. Paneg.* 84. Dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum bene institui, aut feliciter nasci. *Quintil.* tamen 1. 5. 49. monet minus recte hac ratione adhiberi. — Modo, immo sæpius particula *aut* usurpatur, cum plures fiunt interrogationes suaque completæ. *Plaut. Most.* 2. 2. 47. Quid istuc est, sceleste? aut quis id fecit? Cedo. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 1. *Cic.* 1. *Tusc.* 6. 10. Quis enim non in ejusmodi causa? aut quid negotii est hæc poetarum et pictorum portenta convincere? *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quod si furore atque amentia impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? aut cur de sua virtute, aut de ipsius diligentia desperarent? ¶ 2. Interdum particula *aut* repetitur, ea tamen de causa, quia non duæ tantum res vel orationis membra sibi invicem opponuntur, sed plura; ita ut eamdem prorsus habeat vim, quam habet cum semel tantum occurrit, nisi adesset multarum rerum enumeratio. *Cato R. R.* 1. Oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, – aut via bona celebrisque. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 48. Si apud te evenat de subito prandium, aut potatio forte, aut cœna etc. *Ter. Heaut.* 1. 1. 15. Neque tam vesperi domum revortor, quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 65. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut Juventate pocula ministrante lætari arbitror.

II.) Particula *aut* bis vel pluries occurrit, ita ut altera alteri respondeat. — *a*) Cum bis occurrit, eâdem prorsus vi pollet, ac si semel usurparetur; repetitur tamen, præcipue in orationis conclusione, quoties aliorum animis aliquid altius imprimendum curamus. *Plaut. Amph.* 2. 2. 156. Aut pol hæc præstigiatrix multo mulier maxima est, aut pateram hic inesse oportet. *Ter. Andr.* 3. 1. 5. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 1. Sed meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 96. Quod ita effabimur: *aut vivet cras Hermachus, aut non vivet*, cum dialectici sic statuant, omne, quod ita disjunctum sit, quasi *aut etiam aut non*, non modo verum esse, sed etiam necessarium. *Id. Senect.* 23. 82. Non multo melius fuisset otiosam ætatem et quietam sine ullo aut labore, aut contentione traducere? *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. *Horat. A. P.* 333. Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ. — Huc pertinent etiam illa, in quibus particula *aut* bis occurrit non modo in propositionibus præcipuis, sed insuper in aliis orationis membris, quæ præcedenti particulæ *aut* subjiciuntur. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 5. Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Lælii soceri mei, aut de hujus generi aut arte aut gloria detraham. *Id. Pis.* 39. 94. Res ipsa et reipubl. tempus aut me ipsum, quod nolim, aut alium quempiam aut invitabit aut dehortabitur. *Id. Amic.* 27. 77. Sin autem aut morum aut studiorum commutatio quædam – facta erit, aut in reipubl. partibus dissensio intercesserit. *Id. Sull.* 19. 54. Quid ergo indicat, aut quid affert aut ipse Cornelius aut vos, qui ab eo hæc mandata defertis? — *b*) Particula *aut* etiam ter et pluries repetitur. *Ter. Andr.* 1. 1. 29. Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos. Adde *eumd. Heaut.* 1. 1. 34. et *Adelph.* 1. 1. 7. *Cic. Partit. orat.* 14. 50. Alii autem aut naturâ corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii ac mortis vim tormentorum pertulerunt. Adde *eumd. ibid.* § 52. et 1. *Off.* 9. 20.; et *Liv.* 8. 16. — *c*) Si particula *aut* etiam repetita alicui negativæ particulæ subjicitur, omnia, quæ ab eadem *aut* pendent, negative sunt accipienda, ut superius quoque diximus sub I. *c. Ter. Adelph.* 1. 1. 11. Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit, aut perfregerit aliquid. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 15. Neque enim sunt aut obscura, aut non multo commissa postea. Adde *eumd.* 1. *Off.* 20. 66. et 2. *Orat.* 45. 189. *Curt.* 4. 15. 28. Nec aut Persæ aut Macedones dubitavere, quin ipse rex esset occisus. — *d*) Eadem prorsus ratione particula *aut* repetitur etiam in interrogationibus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 22. Quomodo aut geometres cernere ea potest, quæ aut nulla sunt, aut internosci a falsis non possunt; aut is, qui fidibus utitur, explere numeros et conficere versus? Adde *eumd. Rosc. Am.* 40. 118., 1. *Orat.* 9. 37. et 1. *Nat. D.* 43. 121.

III.) Particula *aut* proprie alteri *aut* respondere debet: quod si aliis interdum particulis, ut puta *neque*, *vel* etc., respondet, id aut non est ita reapse, sed tantum ita esse videtur, aut solummodo apud serioris ævi Poetas occurrit. — *a*) Interdum *neque* et *aut* sibi invicem respondent. *Lucan.* 1. 286. Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 66. Nam neque plebejam, aut dextro sine numine cretam Servo animam. — Hæc autem sumpta videntur a quibusdam prosæ orationis locis, in quibus tamen res aliter se habet, particula enim *aut* particulæ *neque* non respondet, ut apud *Cic.* 2. *Fam.* 19. 1. Sed neque unde, nec quo die datæ essent (*litteræ tuæ*), aut quo tempore te expectarem, significabant: nec is, qui attulerat, a te acceperat, ut ex eo scirem, quo ex loco aut quo tempore essent datæ. Adde *Sall. Jug.* 18. et *Liv.* 1. 18. — Apud Poetas vero ne sæpius *neque* repetatur, ad varietatem *aut* infertur et proximo *neque* subjicitur. *Horat.* 3. *Od.* 23. 5. Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis, nec sterilem seges Rubiginem, aut dulces alumni Pomifero grave tempus anno. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 12. 1.; 1. *Sat.* 9. 31., et 2. *Sat.* 1. 15. et 2. 22.; et *Virg.* 4. *Æn.* 339. et 500. — *b*) Interdum particulæ *aut* respondet particula *vel*. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Ne contra Caji quidem, aut Claudii vel Neronis domum exurgimus. *Forcellinus* hunc affert locum, quem tamen recte et aliter interpretari possumus. *V.* quæ paullo infra huic paragrapho annotantur. *Martial.* 8. 3. 3. Ipsam crede deam verbis tibi dicere nostris: Aut aperi faciem, vel tunicata lava. *Id.* 4. 77. 6. Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes. Apud *Ovid.* 1. *Met.* 546. pro *aut* plerique omnes legunt *ait*. — Ceterum *Martialis* hanc formam videtur ab aliquibus antiquorum Scriptorum locis sumpsisse, in quibus tamen *aut* et *vel* nullo modo sibi invicem respondent: ut apud *Plaut. Asin.* 3. 1. 19. Quoties te vetui Argyrippum filium Demæneti compellare aut contrectare, colloquive aut contui. *Horat. Epod.* 9. 33. Capaciores affer huc, puer, scyphos, Et Chia vina aut Lesbia, Vel quod fluentem nauseam coerceat Metire nobis Cæcubum. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 600.; *Sil. It.* 16. 32. et *Tac. Dial. de orat.* 28. Alia ratione dixit *Propert.* 3. 21. 25. Illic vel studiis animum emendare Platonis Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis. Cf. *eumd.* 2. 2. 6., et *V. Hand. Tursell.* 1. *p.* 549. — *c*) Aliquando particulæ *aut* nihil omnino in oratione respondet per anacoluthum. *Cic.* 4. *Fin.* 28. 77. Quasi vero aut concedatur et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua – P. Scævolam; et quasi nihil – intersit. *ubi* aut nihil intersit *unusquisque secuturum putaret*. Cf. *eumd. Brut.* 14. 53., *Orat.* 69. 229. et 1. *Off.* 3. 9. *Lucret.* 6. 716. Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem, Aut quia sunt æstate aquilones ostia contra. Est quoque, ut possit etc. *Quintil.* 5. 13. 28. Aut pluribus propositionibus junctis – Interim per partes dissolvitur. Apud *eumd.* 3. 6. 41. particula *aut* ponitur secundo loco. *V. Hand. Tursell.* 1. p. 546.; *Madvig. Excurs.* ad *Cic. Fin.* 1. p. 806., et *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 14. 53. — *d*) Addit *Diomedes* 1. *sub fin.* (quocum confer *Priscian.* 18. p. 1170. *Putsch.*) aliquando *aut* esse deminutivum, ut in illo *Virg.* 1. *Æn.* 73. Incute vim ventis submersasque obrue puppes, Aut age diversas. Petit enim Juno primum quod gravius est, deinde quod minus:

hinc *aut* est pro *aut saltem*. Verum hoc minime a particula *aut*, sed ab ipso orationis contextu intelligitur; et locus ad n. I. referendus est. — Aliquando comminativam, ut *Id. Virg.* 7. *Ecl.* 21. Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen, Quale meo Codro, concedite: proxima Phœbi Versibus ille facit: aut si non possumus omnes, Hic arguta sacra pendebit fistula pinu. *At hoc* pariter ab orationis contextu pendet, minime vero a particula *aut*; et locus ad n. II. referendus. — Aliquando conjunctivam pro *et*, *atque*, ut *Virg.* 1. *G.* 410. Tum liquidas corvi presso ter gutture voces Aut quater ingeminant. pro *terque quaterque*. Sed hoc quoque ad n. I. referri potest: præterea aliqui Codd. leg. *Atque ter ingeminant*.

IV.) Particula *aut* jungitur aliquando aliis particulis, quibuscum arcte cohæret: scilicet — *a*) Jungitur adverbio *certe*, h. e. *aut saltem*; quo fit, ut quæ sequuntur majori præ antecedentibus vi ac magis definite propugnentur. — Aliquando particula *aut* semel tantum occurrit. *Cels.* 1. 2. Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo. Adde *eumd.* 5. 26.; et *Quintil.* 10. 4. 4., 10. 3. 32., 9. 2. 94. et 9. 3. 60. — Aliquando *aut* repetitur. *Cic. Orat.* 3. 11. Ac video hanc primam ingressionem meam – aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis esse habituram. Adde *eumd. Top.* 17. 64. et *Brut.* 73. 254.; *Dolabell.* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. 2.; *Liv.* 2. 1.; *Propert.* 3. 21. 29.; et *Quintil.* 9. 1. 11. et 10. 1. 4. — *b*) *Aut etiam* cum junguntur, sequentia quodammodo augentur. — Interdum *aut* semel tantum occurrit. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 16. Quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur. *Id. Orat.* 3. 12. Si modo sim, aut etiam quicumque sim. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 17. 76.; *Lucret.* 1. 1007.; *Cels.* 4. 18.; et *Quintil.* 7. 9. 3. — Interdum repetitur. *Cic.* 5. *Tusc.* 18. 51. Quid ergo aut hunc prohibet, aut etiam Xenocratem etc. *Id.* 1. *Off.* 9. 28. Nam aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus suscipere nolunt, aut etiam negligentiâ – impediuntur. Adde *eumd.* 4. *Att.* 1. et *Partit. orat.* 14. 51. — *c*) *Aut vero* usurpatur præsertim ironice. *Cic.* 6. *Verr.* 35. 78. Quem tibi aut hominem, invitis dis immortalibus, aut vero deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas? Adde *eumd.* 1. *Orat.* 9. 36. — *d*) *Aut ne – quidem* arctissime interdum junguntur. *Cic.* 3. *Att.* 22. Ego jam aut rem, aut ne spem quidem expecto. — *e*) *Aut denique* si jungantur, infirmiora præ antecedentibus sequuntur atque oratio crescit. *Cic. Arch.* 6. 12. Tot annos ego vivo, judices, ut ab nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. Adde *Ter. Heaut.* 1. 1. 15.; *Cœlium* apud *Quintil.* 11. 1. 51.; et *Cæs.* 2. *B. G.* 33. — *f*) *Aut quidem* quoque junguntur; qua de re *V.* QUIDEM.

Homonym. Particula *aut* differt a 1.) *vel* seu *ve*, et 2.) a *sive*

1.) Particula *aut* in eo differt a *vel* seu *ve*, quod *aut* duo vel plura separat ac disjungit, quæ sibi invicem recta opponuntur, aut certe sunt reapse diversa inter se; contra *vel* seu *ve* duo vel plura disjungit, quæ naturâ suâ neque sibi invicem opponuntur, nec reapse inter se diversa sunt, sed quæ auditori ita proponuntur, ut hoc vel illud pro lubitu sibi sumere possit. *Cic. Senect.* 16. 57. Ubi enim potest illa ætas aut calescere vel apricatione melius vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? *Id.* 1. *Orat.* 12. 53. Quis enim nescit maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? *Id. Orat.* 1. 4. Nam in poetis non Homero soli locus est aut Archiloco aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. *Id.* 3. *Tusc.* 19. 44. Hæc Epicuro confitenda sunt, aut ea, quæ dixi, tollenda de libro, vel totus liber potius abjiciendus.

2.) Particula *sive* naturâ suâ ab *aut* distinguitur; namque differentiam notat non rerum, sed vocabulorum tantummodo; et si quando rerum differentiam notat, eæ sunt ejusmodi, ut in negotio de quo sermo est, nihil intersit, utrum una sit vel altera. *Cic.* 8. *Att.* 3. 3. Quid perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissimâ fugâ? *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Ita sive casu sive consilio deorum immortalium – ea (*civitas*) princeps pœnas persolvit.

AUTĂCHĀTES, æ, m. 1. gemma, quæ pro achate est, mulieribus grata, quod cum uritur, myrrham redolet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139). *Alii leg. antachates; quæ vox occurrit etiam apud Theod. Priscian.* p. 3135. ed. *Manut.*

AUTEM, est conjunctio adversativa. — Ratione habita etymi, videtur Accusativus ab αὖτις, unde etiam Græce αὖτε *iterum*, *autem*. — Encliticæ naturam præsefert, ac propterea semper postponitur uni, interdum etiam pluribus verbis, ut docet ipse *Quintil.* 1. 5. 39. — Ceterum *autem* est particula molliter adversativa, ideoque differt ab *at* vel *ast*, *sed*, *vero*: *V.* Homonym. infra (It. *ma*, *poi*, *d'altronde*; Fr. *mais*, *d'une autre part*, *cependant*; Hisp. *pero*, *mas*, *de otra parte*; Germ. *dagegen*, *aber*, *andererseits*; Angl. *but*, *yet*, *nevertheless*, *however*). Hæc particula occurrit I.) cum absolute duo inter se molliter opponuntur; II.) cum præcedentibus alia, leviter quidem adversantia, adduntur; III.) denique cum aliis particulis hæc jungitur.

I.) Particula *autem* usurpatur, cum absolute duo inter se molliter opponuntur; et tunc hac particulâ ad verborum proxime collocatorum significationem auditorum attentio advocatur. Hoc autem pacto occurrit apud antiquissimos fere Scriptores — *a*) In propositione simpliciter affirmativa. *Plaut. Truc.* 5. 10. Puero opust cibum, opus est matri autem quæ puerum lavit. *h. e.* ex hac parte puero opus est cibum, ex alia vero opus est et matri, quæ etc. *Id. Cas. prol.* 27. Ratione utuntur: ludis poscunt neminem, secundum ludos reddunt autem nemini. *Id. Bacch.* 4. 9. 136. I, fer filio, ego ad forum autem hinc ibo. *Id. Capt.* 3. 4. 121. Ille servum se adsimulabat, hic sese autem liberum. *Id. Most.* 3. 2. 91. Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex. *Id. Amph. prol.* 143. Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas, tum meo patri autem torulus inerit aureus sub petaso. *Ter. Phorm.* 4. 4. 27. Interdixit hariolus: haruspex vetuit ante brumam autem novi negoti incipere. *Forcellinus* in aliquot horum locorum *autem* pro *etiam* accepit. — *b*) Præcipue locum habet in interrogationibus. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 27. Quid tibi negoti autem est cum istac? Adde *eumd. ibid.* 5. 6. 7. *Ter. Heaut.* 2. 3. 10. Quæ res te sollicitat autem? Adde *eumd. Phorm.* 4. 2. 11. et *Adelph.* 2. 1. 31. *Cic. Cluent.* 60. 167. Per quem porro datum venenum? unde sumptum? Quæ deinde interceptio poculi? Cur non de integro autem datum? *Id.* 5. *Verr.* 80. 208. Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? Desinite dubitare etc. *Virg.* 2. *Æn.* 101. Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo? *Servius* in hoc loco putat *autem* abundare. Cf. *Ter. Eun.* 5. 4. 42. Atque adeo autem cur non egomet intro?

II.) Sæpius particula *autem* continuandæ orationi inservit, atque usurpatur cum præcedentibus alia, leniter quidem adversantia, adduntur. ¶ 1. In propositione simpliciter affirmativa. — *a*) Generatim. *Cato R. R. præfat.* § 2. Et virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum: amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quærendæ existimo, verum – periculosum et calamitosum. *Plaut. Cist.* 1. 1. 69. Si quid est quod doleat, dolet; si autem non est, tamen hoc hic dolet. *Ter. Andr.* 1. 5. 33. Laborat e dolore, atque hoc misera sollicita est, diem quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ. Tum autem hoc timet, ne deseras se. *Cic.* 1. *Tusc.* 21. 49. Ut enim rationem Plato nullam afferret –, ipsa auctoritate me frangeret; tot autem rationes attulit, ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur. *Id.* 1. *Orat.* 16. 70. Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentiâ liberior; multis vero ornandi generibus socius ac pæne par. *Id.* 2. *Divinat.* 56. 115. Crœsus hostium vim se perversurum putavit; pervertit autem suam. *Id. Cæcin.* 6. 16. Cum pecunia Cæsenniæ deberetur; eam porro in prædiis collocari maxime expediret; essent autem prædia, quæ mulieri maxime convenirent; ea venirent etc. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. *ad fin.* Subgrande cubiculum autem valde probavi. *Cæs.* 1. *B. G.* 37. Legati ab Æduis et a Treviris veniebant: Ædui questum, quod Harudes – fines eorum popularentur –, Treviri autem, pagos centum Suevorum ad ripas Rheni consedisse etc. *Nepos Att.* 4. Secum habuit (*Sulla*) Pomponium, captus adolescentis et humanitate et doctrina. Sic enim Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quemdam leporem esse, non ascitum. Adde *Sall. Cat.* 19. *Liv.* 1. 44.; *Curt.* 3. 1. 19.; *Senec. Ep.* 2. aliosque. — Hinc nihil mirum si ante particulam *autem* non unum tantummodo, sed plura quoque verba ponantur, quæ per se unum aliquid efficiant ac significent; ut apud *Cic. Brut.* 79. 275. QVA DE RE AGITVR autem illud, quod multis locis in jurisconsultorum includitur formulis, id ubi esse videbat. *Id.* 2. *Off.* 1. 4. Nihil agere autem cum animus non posset. *Id. Orat.* 28. 98. Medius ille autem, quem modicum et temperatum voco. *Id.* 1. *Tusc.* 46. 110. Non possum autem dicere. *Id.* 4. *ibid.* 14. 32. Inter acutos autem et inter hebetes interest. — Id præcipue accidit, si verbum substantivum occurrat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 25. 65. Vinctus est autem a Jove. *Id.* 2. *Legg.* 7. 16. Utiles esse autem opiniones has. *Id.* 2. *Fin.* 7. 21. Id est autem malum. — Denique nihil mirum, si hæc particula etiam sæpius occurrat; quod fit præcipue in oratione temperata. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13. Quæ autem sine ratione et cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus: est igitur metus a ratione aversa cautio. Præsentis autem mali sapientis affectio nulla est: stulta autem ægritudo est ea etc. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 8. 17. et 9. 21., 5. *ibid.* 16. 47. et 3. *ibid.* 17. 58. — *b*) Speciatim hæc particula sæpissime occurrit in narrationibus, quoties orationem a pluribus, de quibus disserimus, in re aliqua peculiari cogimus et concludimus; eodem pacto, quo Græci utuntur particula δέ. *Cato* apud *H. Meyer. in Fragm. Orat. Rom.* p. 65. ed. 2. Aquam Anienam in sacrarium inferre oportebat. Non minus autem XV. millia Anien abest. *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse. Adde *Nepot. Att.* 1. et *Curt.* 4. 6. 2. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum et loci naturâ et colle munitum. Sed celeriter – cives Romani – sese munierunt. — Hinc usurpatur etiam in parenthesi instituenda. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 24. Quæ autem nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet (illi autem appellant κατορθώματα), omnes numeros virtutis continent. Adde *eumd. Amic.* 7. 24.; et *Liv.* 6. 1. et 7. 41. — Usurpatur pariter, si oratio cogatur in vocabulo aliquo prius prolato. *Cic. Pis.* 38. 94. Admoneri me satis est. Admonebit autem nemo alius, nisi reipubl. tempus. — *c*) Item speciatim adhibetur in assumptione syllogismi. *Cic. Top.* 14. 56. Aut hoc, aut illud: non autem hoc: illud igitur. *Id. ibid.* 2. 9. Jus civile est æquitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas; ejus autem æquitatis utilis est cognitio. Utilis est ergo juris civilis scientia. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 8. 25., 3. *Fin.* 20. 65., et 2. *Nat. D.* 30. 77. — *d*) Item speciatim in plurium rerum enumeratione, particula *autem* additur — Aut rei, quæ præcedenti opponitur quomodocumque, ut ipsa eadem emineat; quemadmodum apud *Plaut. Men.* 5. 3. 9. Ait, se obligasse crus fractum Æsculapio, Apollini autem brachium. Adde *eumd. Most.* 3. 2. 91. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 17. Speusippum sororis filium Plato philosophiæ quasi heredem reliquisset, duos autem præstantissimos studio et doctrinâ etc. — Aut, si de tempore agitur, ei parti additur, quæ majoris momenti esse videtur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 22. 58. Primum, ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum; deinde, ut nulla re egeat; maxime autem, ut in eo eximia pulcritudo sit. Adde *eumd. Mur.* 13. 29. — Pariter jungitur adverbiis *post*, *postea*, *porro*, *tum*, etc. *Plaut. Cist.* 2. 1. 49. Postea autem cum primo luci cras nisi ambo occidero. *Id. Men.* 5. 2. 85. Post autem illic hircus alius, qui etc. *Sall. Cat.* 47. Porro autem anxius erat, quid facto opus esset. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 14. Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis. Adde *Plaut. Merc.* 2. 1. 95., *Aulul.* 1. 1. 33., *Capt.* 4. 2. 38. et *Cist.* 1. 5. 25.; *Ter. Adelph.* 3. 3. 65. et *Eun.* 5. 5. 63.; *Cic.* 1. *Legg.* 5. 15. et 2. *Divinat.* 23. 51. aliosque. — *e*) Item speciatim *autem* additur Pronominibus — Sive hæc eadem Pronomina sibi invicem opponantur; ut apud *Plaut. Men.* 2. 1. 43. Tu magnus amator mulierum es, Messenio: ego autem homo iracundus, animi perditi. Adde *eumd. Bacch.* 4. 8. 58. — Sive generatim tantummodo eaque lenis admodum fiat oppositio. *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 59. Ego autem majore etiam quodam modo memoriam admiror. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 46. 111., 4. *Fam.* 14. 1., 9. *Phil.* 1.

3., et *Orat.* 3. 13. et 19. 60.; et *Liv.* 21. 18. — Sive oppositio locum habeat in dialogis. *Plaut. Rud.* 3. 4. 21. LA. Tu, senex, si istas amas huic avido argento est opus. DAE. Hæ autem Veneri complacuerunt. LA. Habeat, si argentum dabit. *Forcellinus* h. l. accepit pro *at, atqui. Cic. Amic.* 7. 24. LAEL. Hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere: si qua præterea sunt –, ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quæritote. FANN. Nos autem a te potius: quamquam etc. *Madvig.* juxta nonnullos Codd. leg. *nos vero.* V. *Hand. Tursell.* 1. *p.* 574. ¶ 2. In interrogationibus. — *a*) Generatim cum præcedenti propositioni alteram, etsi leniter adversantem, addimus. *Plaut. Pers.* 5. 1. 11. Cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es? Adde *eumd. Capt.* 3. 4. 24. et *Epid.* 2. 2. 95. *Ter. Eun.* 3. 2. 21. Quid tu ais, Gnatho? — Quid tu autem, Thraso? Adde *eumd. Phorm.* 3. 2. 18. et *Hecyr.* 1. 1. 14. *Cic. Cluent.* 60. 167. Quid unquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? Quid autem magnopere Oppianicum metuebat? Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 71. 146. — *b*) Speciatim cum orationem in re aliqua peculiari cogimus et concludimus. Ita apud *Plaut.*, postquam alter se deum esse jactavit, alter contra ita interrogat. *Asin.* 3. 3. 127. Quem te autem nominem deum? *Cic. Pis.* 37. 91. Arsinoen, Stratum, Naupactum – nobiles urbes atque plenas fateris ab hostibus esse captas. Quibus autem hostibus? Adde *eumd. Mur.* 33. 68.; *Sall. Cat.* 51. et *Flor.* 3. 10. 11. — *c*) Item speciatim in interrogationibus servit correctioni. *Cic. Rabir. Post.* 5. 10. Num quis testis Postumum appellavit? Testis autem? Num accusator? *Id.* 5. *Att.* 13. Quid in republ. fiat: fiat autem? immo vero etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 2. et 7. 1. *Liv.* 21. 44. Parum est, quod Siciliam ademit, nisi adimat etiam Hispaniam: et, si inde cessero, in Africam transcendet: transcendet autem dico? duos consules etc. Adde *Plin. Paneg.* 28. — Aliquando tamen omittitur. *Cic.* 12. *Att.* 43. Sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus? immo vero etiam adjuvandus. — In dialogis quoque eadem particula eadem ratione occurrit. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 70. Metuo credere. PSEVD. Credere autem? Adde *Ter. Eun.* 4. 7. 28., *Adelph.* 5. 8. 11. et *Hecyr.* 1. 2. 23. ¶ 3. Interdum usurpatur etiam in propositione, quæ admirantis est. *Plaut. Stich.* 1. 3. 68. Quot potiones mulsi! quot autem prandia! *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 5. Quam brevi tempore quot et quanti poetæ, qui autem oratores exstiterunt! Adde *eumd.* 5. *ibid.* 20. 57. — Hinc aliquando interjectionibus jungitur. *Plaut. Amph.* 3. 2. 18. ALC. Ita ingenium meum est, inimicos semper osa sum obtuerier. AMPH. Heja autem inimicos. *Id. Men.* 5. 2. 34. Ecce autem litigium. Adde eumd. *Most.* 3. 1. 131. *Ter. Adelph.* 1. 2. 72. Sperabam jam defervisse adolescentiam; gaudebam: ecce autem de integro etc. Adde *eumd. Phorm.* 2. 1. 34. et *Eun.* 2. 3. 6.; *Cic.* 1. *Verr.* 6. 17., *Cluent.* 5. 14., 1. *de republ.* 35. 55. et 1. *Fin.* 18. 61.; *Virg.* 2. *Æn.* 203. aliosque.

III.) Particula *autem* aliis interdum particulis jungitur; unde occurrunt — *a*) *At* vel *ast autem*, *sed autem*; quæ Vide infra in Homonym. — *b*) *Atque adeo autem*, quæ vide supra sub I. in fin. — *c*) *Et autem*, quæ — Aut simpliciter junguntur, et significant *et e contrario*, ut apud *Plaut. Truc.* 4. 3. 64. Solvite istas, agite, abite, tu domum et tu autem domum. *Lucret.* 1. 1008. Quia corpus inani, Et quod inane autem est, finiri corpore cogit. — Aut inserviunt orationi in re aliqua singulari cogendæ. *Seneca Ep.* 58. 12. In rerum, inquiunt, natura quædam sunt, quædam non sunt. Et hæc autem, quæ non sunt, rerum natura complectitur. Adde *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (91). et 6. *ibid.* 27. 30. (114). — *d*) *Et autem – et*; ita ut *et et* sibi invicem respondeant, *autem* ad præcedentia referatur; simulque sumptæ significent *haud aliter quam*, *tamquam*, ut apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 12. 13. (42). Et hæc autem et persica et cerina ac silvestria – usque ad alia nascentia ætatem sibi prorogant. *Sueton. Aug.* 73. Et forensia autem et calceos etc. Adde *eumd. Vesp.* 22.; *Quintil.* 4. 1. 66. et *Gell.* 10. 24. — *e*) *Et – et... autem*, quæ significant *tam ex hac parte, quam ex illa*; ut apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 13. Facile istuc quidem est, si et illa vult et ille autem cupit. *Id. Pœn.* 4. 2. 19. Et adire lubet hominem: et autem nimis eum ausculto libens. Adde *eumd. ibid.* 4. 2. 105. — *f*) *Neque – autem*; ut apud *Plaut. Aulul. prol.* 30. Illa illum nescit, neque compressam autem pater. Adde *Cels.* 2. 17. — *g*) *Nec* vel *neque – neque autem*; ut apud *Cic.* 5. *Fam.* 12. 6. Neque enim tu is es, qui, qui sis, nescias. Neque autem ego sum ita demens, ut etc. Adde *Lucret.* 3. 822., 5. 369. et 6. 779.; et *Apul. Florid.* 9. — *h*) *Neque autem – neque*; ita ut *neque neque* sibi invicem respondeant, *autem* ad præcedentia referatur. *Cels.* 3. 23. Neque sorbitiones autem his – neque caro – convenit. Adde *eumd.* 7. 9.; *Senec. Ep.* 89.; et *Quintil.* 4. 1. 60. et 6. 3. 31. — *i*) *Autem etiam*, hoc est sed etiam, contra etiam; ut apud *Cic.* 1. *Fin.* 18. 61. Ecce autem alii minuti et angusti –, alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti. Adde *Cels.* 4. 4.

Homonym. Particula *autem* differt a particulis *at* vel *ast*, et *sed*. Namque *at* vel *ast*, ut suo loco diximus, objectioni atque oppositioni directe atque omnino inserviunt; *sed* plura sibi adversantia dividit ac secernit: contra *autem* est tantum molliter adversativa, ideoque *at* et *sed* quandoque jungitur. *Cic.* apud *Priscian.* 18. *p.* 1170. *Putsch.* Ast autem tenui quæ candet lumine Phatne. *Plaut. Rud.* 2. 5. 15. Sed autem, quid si hanc hinc abstulerit quispiam sacram urnam Veneris? Cf. *eumd. Truc.* 2. 3. 14.; *Ter. Phorm.* 2. 3. 14. et *Virg.* 2. *Æn.* 101. — Præterea *autem* differt etiam a *vero*; particula enim *vero* animi persuasionem significat ideoque semper aliquid affirmat, sed *autem* nullam prorsus animi persuasionem significat, sed eo tantummodo tendit, ut alterum e regione alterius ponat. Denique, si quis velit, animum advertat ad illud *Cicer.* in quo variæ insunt ejusmodi particulæ variis rationibus usurpatæ. 1. *Tusc.* 3. 5. At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum; post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Lælium doctos fuisse traditum est, studiosum autem eum, qui iis ætate anteibat, Catonem: post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos: inde ita magnos nostram ad ætatem, ut non multum aut nihil omnino Græcis cederetur.

AUTHĒMERUM, i, n. 2. αὐθήμερον, *h. e.* medicina vel pharmaca quotidiana. *Inscript.* apud *Orell.* 4231. *V.* MONEMERUM.

AUTHENTA, æ, m. 1. αὐθέντης, Græca vox, qua significatur dominus, qui pro arbitrio quidlibet agere potest, nec ab ullo alio pendet: item auctor, cui refragari nemo potest. *Fulgent. Continent. Virgil. de Virgilio.* O vatum Latiaris authenta! ita ne tuum ingenium clarissimum, etc?

AUTHENTĬCUS, a, um, adject. αὐθεντικός. Apud JCtos *authenticum* dicitur, quod auctoritatem indubitatam et legitimam habet, qualia sunt instrumenta, quæ vulgo dicimus originalia. *Ulp. Dig.* 10. 2. 4. Heredem enim exemplum debere dare, tabulas vero authenticas ipsum tenere. *Id. ibid.* 29. 3. 12. Testamentum authenticum. *Id. ibid.* 10. 2. 8. rationes. *Cod.* 1. 23. 3. rescripta. *Pelagon.* 30. 10. Oculare authenticum, faciens ad magnam lippitudinem. — Hinc

Authenticum, i, m. 2. absolute ponitur pro instrumento vel libro authentico. *Paul. Dig.* 22. 4. 2. Quicumque a fisco convenitur, non ex indice et exemplo alicujus scripturæ, sed ex authentico conveniendus est. *Tertull. Monog.* 11. Sciamus, non sic esse in Græco authentico.

Authentici, ōrum, m. plur. 2. absolute, sunt vel libri, vel Scriptores S. Scripturæ utriusque Testamenti, *Sidonio* 7. *Ep.* 9., et *Claud. Mamert.* 1. *de statu anim.* 2. et 2. *ibid.* 9. *in fin.*

AUTHEPSA, æ, f. 1. αὐθέψης, vas duos habens fundos, in quorum superiore ponitur aqua cum iis cibis, qui coquendi sunt; in inferiore ignis, qui ita inclusus majorem vim habet ac minima impensa rem conficit: ita dictum ab αὐτός *ipse* et ἕψω *coquo*, *elixo*, quia ipsum per se coquit, foculi simul et vasis vicem præstans. *Cic. Rosc. Am.* 46. 133. Domus referta vasis Corinthiis et Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. *Lamprid. Elagab.* 19. Primus authepsas argenteas habuit. *Al. hic aliter leg.* V. hoc de vase *C. A. Böttiger Sabina. T.* 2. *p.* 30.

AUTHOR, *et*

AUTHORITAS cum derivatis. *V.* AUCTOR, AUCTORITAS.

AUTOCHTHŎNES, um, m. plur. 3. αὐτόχθονες, populi in ipsa terra seu regione orti, quam incolunt, non aliunde adverti; quales esse se prædicabant Athenienses, de quibus ita loquitur *Justin.* 2. 6. Soli, præterquam incremento, etiam origine gloriantur: quippe non advenæ, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit, sed eodem innati solo, quod incolunt; et quæ illis sedes, eadem origo est. *Tac. Germ.* 2. etiam Germanos hujusmodi fuisse dicit. Est autem Græca vox ab αὐτός *ipse* et χθὼν *terra*. *Apul.* 11. *Met. p.* 259. Autochthones Attici Cecropiam Minervam nominant. *V.* CICADA.

AUTŎGENIS, e, adject. αὐτογενής, per se nascens. *Apul. Herb.* 65. Narcissus a Græcis dicitur anhydros, autogenis.

AUTŎGRĂPHUS, a, um, adject. αὐτόγραφος, proprie alicujus manu scriptus, non aliunde descriptus: vox Græca ab αὐτός *ipse* et γράφω *scribo*. *Sueton. Aug.* 71. Autographa quadam epistola, Cœnavi, ait, mi Tiberi, etc. *Et ibid.* 87. Litteræ ipsius autographæ ostentant. — Hinc

Autographum, i, n. 2. absolute, quod *Gell.* 9. 14. *idiographum librum* appellat. *Symmach.* 2. *Ep.* 11. Vetustatis exemplum de autographo tuo sumere.

AUTŎMĂTĀRĬUM, ii, n. 2. opus ex automato constans, machina ita perfecta ut per se ipsa moveatur. *Paul. Dig.* 30. *l.* 41. *ad fin.* Sed et automataria et canthari, per quos aquæ saliunt, poterunt legari. *Forcellinus* adjective accepit *automataria* et subaudivit *opera*.

AUTŎMĂTĀRĬUS, a, um, adject. ad automaton pertinens. Hinc *automatarius faber*, qui automata facit. *Inscript.* apud *Gruter.* 642. 5. et *Fabrett. c.* 10. n. 385. C. CAECILIO SATVRNINO FABRO AVTOMATARIO P. DOMITIVS MAXIMVS AMICO. *Inscript.* apud *Murat.* 933. 8., quæ est apud *Orell.* 4130. AVTOMATARIVS KLEPSIDRARIVS. *V.* CLEPSIDRARIUS.

AUTŎMĂTŎPŒĒTUS, a, um, adject. αὐτοματοποιητός, automatorum ad instar factus, qui per se ipse movetur. *Vitruv.* 9. 8. 4. *Schneid.* Machinæ automatopœetæ. In multis Codd. occurrit Græcis litteris.

AUTŎMĂTUS, a, um *vel* automatos, on, adject. qui per se movetur, spontaneus (*V.* etymon infra sub *Automatum*). *Petron. Fragm. Tragur.* 50. *Burmann.* Plausum post hoc automatum familia dedit. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 724. Automata Venus, *h. e.* quæ sponte affuit favitque Alexidi et Melibœæ, de quorum nuptiis historiam ibi narrat. *V.* EPIDÆTIA. — *NB.* De nomine servili *V.* ONOM. — Hinc

Automatum vel *automaton*, i, n. 2. absolute, αὐτόματον, quod ab αὐτός *ipse* et inus. μάω *moveo*, unde μαιμάω *vehementer cupio*. ¶ 1. Est machina ita artificiose contexta, ut, dispositis intus ingeniosis rationibus, ipsa sua sponte moveri videatur, qualia sunt horologia et aliæ id genus machinæ versatiles. *Sueton. Claud.* 34. Si automaton, vel pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. *Quædam optimæ editiones habent Græce* αὐτόματον. ¶ 2. Item motus ad instar automati. Obsceno sensu *Petron. Satyr.* 140. Dum frater sororis suæ automata per clostellum miratur. *h. e.* motus sororis, quæ, cum ab alio extolleretur, per se videbatur surgere.

AUTŎPRACTOR, ōris, m. 3. αὐτοπράκτωρ, qui aliquid per se gignit aut perficit. *Cod. Theod.* 11. 1. 34. et 11. 22. 4.

AUTŎPȲROS *vel* autopirus, i, m. 2. panis cibarius, hoc est factus ex farina, cui nihil, aut sane parum admodum furfuris demptum sit, ut *Cels.* 2. 18. docet: ubi tamen Græce utitur. Est enim ab αὐτός *ipse* et πυρός *triticum*. Latine legitur apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (138). et apud *Petron. Fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* Et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 11. Panem damus frigidum, fermentatum, autopyrum: est enim minus nutriens, et magis si fuerit veteratus.

AUTOR cum derivatis. *V.* AUCTOR.

AUTUMNĀLIS, AUTUMNASCIT, AUTUMNĬTAS etc. *V.* AUCTUMNALIS etc.

AUTŬMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Nigidius* apud *Gell.* 15. 3. docuit factum esse ex *ab* et *æstumo* seu *æstimo*: quod *Gellius* improbat. *Voss.* putat derivari ab antiquo et obsoleto *auquo*, quod videtur significasse, ad agendum aliquem meo consilio et auctoritate impello; vel ab *auctor* eliso *c*, ut *autumare* proprie sit *auctorem esse*. Recentiores philologi, fortasse rectius, putant derivari ab *ajo*, ut *negumare* a *nego*. — Illud autem animadvertendum hoc verbum sæpe a *Plauto* fuisse usurpatum, sed in posterum ita

raro, ut ejusdem usus *tolerabilis* a *Quintil.* fuerit judicatus 8. 3. 26. juxta *Spalding.* lectionem, alii enim ibid. aliter legunt. — Ceterum ¶ 1. Autumare est aliquid affirmando dicere, narrare; ac proinde opponitur verbo *negare*, ut apud *Ter. Heaut. prol.* 18. Factum hic esse id non negat, et deinde facturum autumat. Adde *Plaut. Pseud.* 4. 1. 20. Occurrit — *a*) Cum Accus. *Plaut. Men.* 5. 2. 7. Res plurimas pessimas affert, quas si autumem omnes, nimis longus sermo sit. *Id. Trin.* 2. 2. 43. Ob eam rem hæc, pater, autumavi, quia etc. *Id. Capt.* 4. 2. 111. Iterum natus videor, si vera autumas. Adde *Pacuvium* apud *Non. p.* 237. 3. *Merc.* — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Plaut. Amph.* 1. 1. 150. Quatuor viros sopori se dedisse autumat. *Id. Pseud.* 4. 2. 28. Quem hanc misisse ad me autumas? Adde *Lucilium* apud *Non. l. c.* et *Catull.* 44. 2. — *c*) Passive cum Nomin. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 31. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, quasi salsa muriatica esse autumantur etc. — *d*) Cum duplici Accus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 43. Quem mala stultitia et quæcumque inscitia veri Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus et grex Autumat. Adde *Vellej.* 1. 6. 4. — *e*) Absolute. *Apul. de Mag.* p. 276. Ut Plato autumat. *h. e.* affirmat, affirmando dicit, sive putat, namque ¶ 2. Autumare est etiam mente affirmare, sive censere, judicare, putare, quia mente sic censemus et judicamus, ut verbis affirmantes dicimus ac narramus: quo sensu *autumare* opponitur verbo *dicere* in *Vet. Poeta* apud *Cic. Orat.* 49. 166. Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. *V.* apud *eumd. Cic. Top.* 13. 55. — *Nonius* 237. 11. *Merc.* pro *sperare* positum esse ait in illo altero *Pacuvii* loco: *Aut hic est, aut hic adfore actutum autumo*: sed commodius ad hanc putandi notionem trahitur, et *Nonius* totam potius sententiam interpretatus esse videtur.

AUXĒSIS, is, f. 3. αὔξησις, Græca vox et Græce usurpanda, quæ significat augmentum, incrementum. Sumitur a *rhetoribus* pro parte orationis, in qua amplificamus et dicendo augemus rem aliquam. Hucusque *Forcellinus.* Latinis tamen litteris legitur apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 705. Unde apparet, aut a Lucano ad auxesin illius, qui occidendus fuerat, esse dictum; etc. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

AUXĬLIĀBUNDUS, a, um, adject. qui auxiliatur, vel ad auxilium ferendum intentus. *Apul. de Deo Socrat.* Hinc illa Virgiliana Juturna, quæ mediis millibus auxiliabunda fratri conversatur.

AUXĬLIĀRIS, e, adject. qui auxilium fert, vel ad auxilium ferendum aptus (It. *ajutativo*, *soccorrevole*, *ausiliario*; Fr. *qui secourt*, *auxiliaire*; Hisp. *el que soccorre*, *auxiliar*; Germ. *hülfreich*, *helfend*, *Hülfe bringend*; Angl. *assisting*, *aiding*, *auxiliary*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Ovid.* 9. *Met.* 698. *de Lucina.* Dea sum auxiliaris opemque Exorata fero. *Id.* 7. *ibid.* 137. Neve parum valeant a se data gramina, carmen Auxiliare canit. *Id.* 1. *ibid.* 275. Auxiliares undæ. *Id.* 6. *ibid.* 427. arma. *Lucan.* 6. 523. numen. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 39. *ad fin.* fulmina. *h. e.* quæ sunt advocata, seu advocantium bono veniunt. — *b*) Addito cui quis auxiliatur. *Ovid.* 4. *Met.* 334. Cum frustra resonant æra auxiliaria lunæ. *h. e.* lunæ eclipsi laborantis. Cf. *eumd. Medic. fac.* 41. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 40. (82). Oleum auxiliare lethargicis. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (21). Carmen auxiliare luxatis membris. *Id.* 23. *ibid.* 1. 11. (14). Acetum auxiliarem contra eadem vim habet. ¶ 2. Speciatim *auxiliares milites* in exercitu sunt, qui ab sociis et fœderatis gentibus in auxilium mittuntur. *Cæs.* 1. *B. C.* 63. et *Tac.* 12. *Ann.* 39. Auxiliares cohortes. *Tac.* 1. *ibid.* 39. equites. *Id.* 11. *ibid.* 18. Gannascus dux auxiliaris et diu meritus. *V. Orell.* ad *h. l.* et v. AUXILIUM. — Hinc

Auxiliares, ium, m. plur. 3. absolute iidem milites dicuntur. *Cæs.* 3. *B. G.* 25. Auxiliares, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 78. *Liv.* 30. 34. Auxiliares terga dant repente. *Vellej.* 2. 112. Legiones nostræ auxiliaresque. Adde *Tac. Agric.* 18., *Justin.* 2. 9. 9. et *Paul. Diac.* p. 17. 16. *Müll.*

AUXĬLIĀRIUS, a, um, adject. idem quod auxiliaris. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 1. 6. Magisque adeo ei consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius. *h. e.* consiliis verbisque magis quam opera eum adjuvat. ¶ 2. Speciatim *auxiliarii milites*, qui in auxilium ad exercitum accedunt, *V.* AUXILIUM. *Cic. Prov. cons.* 7. 15. Res in Sicilia a proprætore una cohorte auxiliaria gesta. *Auct. B. Alex.* 62. Auxiliariæ cohortes. *Sall. Jug.* 50. equites. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32. *ad fin.* Militem non modo legionarium, sed ne auxiliarium quidem ullum quoquam misi. *Liv.* 40. 40. Auxiliarii milites.

Auxiliarii, ōrum, m. plur. 2. absolute ¶ 1. Sunt milites auxiliares. *Interpr. Vulgat. Judith* 3. 8. Assumpsit sibi auxiliarios. ¶ 2. *Auxiliarii Ostienses* in *Inscript.* apud *Gruter.* 398. 7. et in *alia* 1077., et in *alia* apud *Fea Viagg. ad Ostia p.* 47. sunt iidem ac levamentarii, quam vocem vide suo loco.

AUXĬLIĀTĬO, ōnis, f. 3. auxilium. Usurpatur a *Non. p.* 385. 6. *Merc.* Est etiam qui legit apud *Liv.* 2. 33. *Quibus auxiliatio adversus consules esset.* Sed plerique omnes *auxilii latio.*

AUXĬLIĀTOR, ōris, m. 3. qui auxiliatur. *Quintil.* 12. 3. 2. Litigantium auxiliator. *Tac.* 6. *Ann.* 37. Ornospades Tiberio auxiliator. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 23. *de Æsculapio.* maximus ægris Auxiliator adest. *Petron. Satyr.* 89. *in carmine.* Infirmus auxiliator.

AUXĬLIĀTRIX, īcis, f. 3. quæ auxiliatur. *Cassiod.* 2. *Ep.* 40. Auxiliatrix gratia. *Lactant. Plac.* 2. *fab.* 113. ed. *Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 120. Virtus, auxiliatrice sapientia, omnes terrores vincit.

AUXĬLIĀTUS, a, um. *V.* AUXILIO.

AUXĬLIĀTUS, us, m. 4. idem quod auxilium. *Lucret.* 5. 1038. Alituum porro genus alis omne videmus Fidere et a pennis tremulum petere auxiliatum.

AUXĬLĬO, as, āvi, ātum, are, 1. idem quod auxilior. — *a*) Activa forma. *C. Gracchus* apud *Diomed.* 1. p. 395. *Putsch.* Quibus ego primus quomodo auxiliem? Adde *Priscian.* 8. p. 797. *Putsch.* — *b*) Passive occurrit Part. *Auxiliatus*, qui auxilium accepit. *Lucilius* apud *Priscian.* 8. p. 791. et 11. p. 927. *Putsch.* A me auxiliatus si est. *Vitruv.* 5. 8. 2. *Schneid.* Vox ab imis auxiliata, cum incremento scandens, ingreditur ad aures.

AUXĬLĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Auxilians* et *Auxiliatus* 1. — Auxilior est auxilium do, opem fero (It. *ajutare*, *soccorrere*; Fr. *aider*, *secourir*, *assister*; Hisp. *ayudar*, *asistir*, *socorrer*; Germ. *zu Hülfe kommen*, *helfen*; Angl. *to assist*, *help*, *aid*, *succour*, *abet*). Occurrit ¶ 1. Generatim tum de personis, tum de rebus. *Plaut. Trin.* 2. 2. 96. Neque commodius ullo pacto ei poteris auxiliarier. *est consueta paragoge pro auxiliari. Ter. Heaut.* 5. 1. 50. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, tibi non posse auxiliarier? Adde *eumd. Adelph.* 5. 4. 9. *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37. Nihil Nomentinis vires corporis auxiliatæ sunt. *Id.* 5. *Fam.* 4. 2. Si mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari licuerit. *Cæs.* 7. *B. G.* 50. *ad fin.* Conantibus auxiliari suis, frustra, inquit, meæ vitæ subvenire conamini. *Id.* 4. *ibid.* 29. Neque ulla nostris facultas auxiliandi dabatur. *Sall. Jug.* 26. Neque mihi patris mei beneficia, neque vestra decreta auxiliantur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 9. (22). Columbæ contra naturam accipitris auxiliantes sibi. ¶ 2. Speciatim ponitur de auxilio in medicina. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 23. Tollere nodosam nescit medicina podagram, Nec formidatis auxiliatur aquis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (125). Ferulam quibusdam morbis auxiliari dicunt medici. *Id.* 27. *ibid.* 13. 98. (124). Phalangitis flore vel semine auxiliantur contra scorpionum ictus. *Id.* 23. *ibid.* 1. 26. (53). In pestilentia magnam vim auxiliandi habere.

AUXĬLĬUM, ii, n. 2. In illo *Horat. Epod.* 1. 21. non ut adsit, auxili Latura plus præsentibus, *auxili* pro *auxilii* dictum est, contractis per synæresim duabus vocalibus, metri causa. Sic *oti* pro *otii* dixit *Virg.* 4. *G.* 564. et *peculi* pro *peculii* 1. *Ecl.* 33. — *Auxilium* est ab *augeo*, ut docet ipse *Varro* 5. *L. L.* 90. *Müll.*: ac propterea est quidquid alteri adjicitur ad opem eidem ferendam, adjumentum, subsidium (It. *ajuto*, *soccorso*; Fr. *secours*, *aide*, *assistance*; Hisp. *ayuda*, *asistencia*, *auxilio*; Germ. *die Unterstützung*, *Hülfsleistung*, *Hülfe*, *der Beistand*; Angl. *assistance*, *help*, *succour*). Occurrit ¶ 1. Generatim, tum abstracte, tum concrete, uti ajunt, sensu; et est quidquid adjuvat et opitulatur, persona aut res, quæ subsidio est. — *a*) *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Quid petam præsidi aut exequar? quove nunc auxilio exili aut fugâ fretus sim? *Plaut. Pseud.* 1. 1. 103. Spero alicunde hodie me — tibi inventurum esse auxilium argentarium. *Pacuvius* apud *Non. p.* 262. 31. *Merc.* Unde exoritur? quo præsidio fretus? auxiliis quibus? *Cic. Planc.* 35. 86. Dixisti enim, non auxilium, sed me auxilio defuisse: ego vero fateor mehercule, quod viderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse. *Id. Rosc. Am.* 40. 16. Auxilium sibi se putat adjunxisse, qui rem cum altero communicavit. *Cæs.* 3. *B. G.* 15. Reperire auxilium alicui rei. *Nepos Miltiad.* 4. Auxilio alicujus facere aliquid. *Sall. Jug.* 57. Noctis auxilio integri abeunt. *Liv.* 27. 1. *extr.* Est mihi plus auxilii in te, quam in illo. *Id.* 3. 37. Civitas ultima experiens auxilia dictatorem dixisset. *Id.* 2. 33. Auxilii latio. *Al. leg.* Auxiliatio, *quam vocem* V. suo loco. *Sueton. Aug.* 10. Contrahere milites in auxilium rei publicæ. *Id. Cæs.* 34. Emendicare pecuniam in auxilium æris alieni. *Quintil.* 7. 4. 13. Auxilia liberorum. Adde *Curt.* 4. 3. 19. — *b*) Jungitur pluribus verbis, quorum præcipua servato litterarum ordine exhibemus. *Ter. Adelph.* 3. 2. 2. Afferre nihil auxilii. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 65. Arripere opem auxiliumque ad aliquid. *Cic. Pis.* 9. 19. Convertere auxilium ad perniciem alicujus. *Virg.* 2. *Æn.* 691. Dare auxilium. *Liv.* 30. 32. Effundere supremum auxilium. *Ovid.* 13. *Met.* 71. Egere auxilio. *Cic. Pis.* 9. 19. et *Virg.* 9. *Æn.* 129. Eripere auxilium alicui. Cf. *Sueton. Cæs.* 60. Eripere alicui auxilium fugæ. *Plaut. Curc.* 2. 2. 17. Esse auxilium alicui. *Ennius* apud *Non. p.* 111. 16. *Merc.*, *Plaut. Pœn.* 5. 3. 18., *Ter. Heaut.* 5. 2. 39., *Nepos Miltiad.* 5., *Horat.* 1. *Sat.* 4. 141., et *Ovid.* 12. *Met.* 90. Esse auxilio alicui. *Ter. Andr.* 2. 1. 19. Expetere auxilium. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Acad.* (pr.) 28. 89., *Plaut. Stich.* 2. 2. 5., *Ter. Adelph.* 2. 1. 1., *Cic.* 4. *Verr.* 3. 9., *Cæs.* 1. *B. G.* 13., *Lucret.* 3. 1077., *Liv.* 8. 35., *Horat. Epod.* 1. 21., *Ovid.* 2. *Met.* 580. et *Quintil.* 3. 8. 12. Ferre auxilium alicui personæ aut rei. *Ter. Andr.* 1. 1. 115. vitæ alicujus. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 19. alicui contra aliquem. *Virg.* 4. *Æn.* 617. Implorare auxilium. *Tac.* 15. *Ann.* 59. Invocare auxilia libertati. *Cic. Balb.* 9. 23. Juvare aliquem auxilio laboris et commeatus. *Nepos Timol.* 1. Mitti auxilio alicui. *Cic. Mur.* 39. 83. Orbari auxilio. *Id. Orat.* 41. 141. et *Nepos Miltiad.* 4. Petere auxilium ab aliquo. *Cic.* 10. *Att.* 5. salutis suæ. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 178. et *Juvenal.* 15. 150. *Quintil.* 10. 7. 1. Polliceri in publicum auxilia. *Ovid.* 13. *Met.* 325. Promittere. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44., *Propert.* 1. 1. 26. et *Ovid.* 1. *Met.* 368. Quærere. *Ovid.* 7. *Met.* 90. Rogare. *Id. ibid.* 507. Sumere. *Nepos Timoth.* 1. Proficisci auxilio alicui. *Id. Thrasyb.* 3. Venire auxilio. *Virg.* 5. *Æn.* 222. Vocare aliquem auxilio. *Quintil.* 6. 5. 9. Uti auxilio legis. — *c*) Interdum auxilium significat ea omnia, per quæ quis dejectus posset seipsum erigere. *Liv.* 31. 30. Auxilia elephantorum. *Id.* 31. 33. Magna auxilia detrahere alicui. *Tibull.* 1. 8. 53. magica. *Quintil.* 7. 4. 7. assumere extrinsecus. — *d*) De re omnino corporea dixit *Ovid.* 3. *Art. Am.* 259., ubi ait: navis gubernatorem auxiliis suis assidere. *h. e.* gubernaculo aliisque instrumentis, in quibus est auxilium contra tempestates. Huc pertinet et illud *Apul.* 11. *Met.* 8. Antistes manibus ambabus gerebat altaria, idest auxilia, quibus nomen dedit proprium deæ summatis (*Isidis*) auxiliaris providentia. *V.* PASTOPHORI. ¶ 2. Speciatim ac sæpe dicitur de ope et remedio, quod ex medicina adhibetur morbis; ut ex *Celso* 2. 9. discimus. *Id. ibid.* 11. *in fin.* Nec posse vehementi malo nisi æque vehemens auxilium succurrere. *Id. Præfat.* 1. *sub init.* Auxilia adversæ valetudinis. *Id.* 5. 26. n. 21. Auxilium adversus profusionem sanguinis. *Id.* 4. 22. Valentissimum auxilium. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 3. 6. (20). Reperta auxilio est herba, quæ vocatur Britannica. ¶ 3. Item speciatim *auxilia* plur. num. in re militari sunt — *a*) Generatim militares vires et copiæ. *Cæs.* 3. *B. C.* 106. Sed Cæsar confisus fama rerum gestarum infirmis auxiliis proficisci non dubitaverat. *Justin.* 1. 6. Astyages contractis undique auxiliis ipse in Persas proficiscitur. Adde *Flor.* 2. 8. — *b*) Præcipue ac sæpius *auxilia* sunt milites sociorum et fœderatorum, qui augendarum virium et opis ferendæ causa ad exercitum se adjungunt. Tales erant in Romano exercitu pedites et equites sociorum et Latini nominis, qui levis armaturæ loco habebantur, obtinebantque in acie proprium ordinem extra legiones: *V.* hac de re *Cic. Parad.* 6. 1. § 45., *Sueton. Aug.* 49. et *Veget.* 2. *de re Milit.* 2. Interdum tamen auxilia a sociis distinguuntur, et *auxiliorum* nomine significantur milites exterarum nationum; *sociorum* vero Latini nominis et Italici. V. *Lips. l.* 1. *Milit. Rom. Dial.* 7. et in

Analect., et alios. Porro nonnulli putant, hanc esse primam et propriam hujus vocis significationem: *auxilia* enim dicta esse ab *augendo*, quod augeant exercitum et vires ejus, ad quem accedunt, ut *Varro* 5. *L. L.* 90. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 17. 10. *Müll.* tradiderunt. Cæterum legitur passim hac significatione apud Latinos scriptores, præsertim historicos. Figurate *Plaut. Epid.* 5. 2. 10. Duodecim dis plus, plus quam in cælo est deorum immortalium, mihi nunc auxilio adjutores sunt et mecum militant. Quidquid ego malefeci, auxilia mihi et suppetiæ sunt domi. Cf. *Lucret.* 5. 1442. *Cic. Parad.* 6. 1. § 45. Tueri sex legiones, et magna equitum ac peditum auxilia. *Id. Dejot.* 8. 22. et *Sall. Jug.* 7. Mittere auxilia alicui. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 3. Comparare auxilia. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Duplici acie instituta, auxiliis in mediam aciem conjectis. *Id. ibid.* 9. *in fin.* Auxilia ex Britannia arcessere. Cf. *Sall. Jug.* 39. *Sall. Jug.* 8. Auxilia dimittere. *Liv.* 2. 31. Longinquis auxiliis indigere. Adde *Nepot. Hamilc.* 2. et *Auct. B. Afr.* 5. *Virg.* 8. *Æn.* 8. Cogere auxilia. *Sueton. Aug.* 49. Legiones et auxilia provinciatim distribuere. — *c*) In sing. num. *Ovid.* 11. *Met.* 386. colloque infusa mariti, Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur Et lacrimis. ¶ 4. Apud veteres *Auxilium* deus fuit, quemadmodum Salus, Fides, Victoria etc. Hunc deum *Plautus* prologum facientem inducit *Cist.* 1. 3. 6. hisce quoque verbis: Nam mihi est Auxilio nomen. *Inscript.* Mutinæ reperta a. 1840., V. *Bollett. di Arch.* a. 1846. p. 28. ATILIA SYMPYCHE PRO T. ATILIO PAVLLO AVXILIIS V. S. L. M.

AUXILLA olla parvula. *Paul. Diac.* p. 24. 17. *Müll. V.* AULA sub *A.*

AUXIM, is, it, etc. *V.* AUGEO sub init.

AV

ĂVA, æ, f. 1. eadem quæ avia, patris vel matris meæ mater. *Venant.* 8. *carm.* 18. 8. Inter avam et neptem tu mediator agas.

ĂVĀRĒ, adverb. (avarus). Comp. *Avarius* et Sup. *Avarissime*. Avare est avide, tenaciter, sordide. *Ter. Heaut. prol.* 48. Si numquam avare pretium statui arti meæ. *Cic.* 3. *Off.* 9. 37. Nihil avare, nihil injuste esse faciendum. *Nepos Lysand.* 4. Multa crudeliter avareque facere. *Liv.* 21. 1. Superbe avareque imperitare victis. Adde *Curt.* 4. 7. 1. *Liv.* 43. 4. Crudelius avariusque bellare. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 1. Avarius exigere a colonis opus, quam pensiones. *Seneca Const. Sap.* 32. Horas suas avarissime servare.

ĂVĀRĬTER, adverb. Apud antiquos occurrit pro avare, hoc est avide. *Claudius Quadrigarius* apud *Non.* p. 510. 21. *Merc.* Crudeliter illi, nos misericorditer; avariter illi, nos largiter. Adde *Caton.* apud *eumd. l. c. Plaut. Rud.* 4. 7. 12. Avariter poscere escam. *Id. Curc.* 1. 2. 35. Ingurgitare in se merum avariter.

ĂVĀRĬTIA, æ, f. 1. (avarus) aviditas, immodica rei alicujus cupiditas (It. *avidità*, *desiderio smoderato*; Fr. *cupidité*, *avarice*, *désir insatiable*; Hisp. *concupiscencia*, *deseo*, *avaricia*; Germ. *die Gier oder das leidenschaftliche Verlangen, womit man nach etwas trachtet*; Angl. *greedy desire*, *covetousness*, *avarice*). Occurrit ¶ 1. Generatim cum Genit. rei, quæ vehementer appetitur. *Plaut. Rud.* 4. 7. 12. Si quis avidus poscit escam avariter, decipitur in transenna avaritiâ suâ. *Curt.* 9. 2. 9. Avaritia gloriæ. *Seneca Const. Sap.* 12. Pueris talorum nucumque avaritia est; viris argenti aurique et urbium. ¶ 2. Speciatim absolute est immodica habendi seu divitiarum cupiditas. — *a*) Usurpatur fere in sing. num. *Ter. Phorm.* 2. 3. 12. Vide avaritia quid facit. *Cic.* 4. *Tusc.* 11. 26. Est autem avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi petenda sit, inhærens et penitus insita. *Id.* 4. *Herenn.* 25. 35. Avaritia est injuriosa appetitio alienorum. *Id.* 2. *Orat.* 40. 171. Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda luxuries. *Id. Rosc. Am.* 31. 88. Homo ardens avaritiâ. *Id.* 3. *Fin.* 11. 36. Quis unquam fuit avaritia tam ardenti, ut etc. *Id. Dom.* 23. 60. Omnium fortunas spe et avaritia devorare. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. Avaritiâ hiante atque imminente esse. *Id.* 2. *Off.* 22. 77. Avaritiâ perire. *Sall. Jug.* 82. Cæcus avaritiâ. *Et ibid.* 83. Avaritia profunda. Adde *eumd. Cat.* 3.; *Nepot. Lysand.* 4. et *Liv. præfat.* § 11. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 26. Ob avaritiam laborare. Adde *Curt.* 9. 11. 20., *Plin.* 33. *Hist. nat. præfat.* 2. (4)., et *Quintil.* 9. 3. 89. *Sueton. Cal.* 39. Avaritiæ aliquem increpare. *Tac. Agric.* 30. Exuere avaritiam. — *b*) In plur. num. *Cic.* 4. *Fin.* 27. 75. Nec enim, omnes avaritias, si æque avaritias esse dixerimus, sequetur, ut etiam æquas esse dicamus.

ĂVĀRĬTĬES, ei, f. 5. idem atque avaritia. *Lucret.* 3. 59. Denique avarities et honorum cæca cupido, Quæ miseros homines cogunt transcendere fines Juris. Adde *Claudian. III. Cons. Honor.* 185.

ĂVĀRUS, a, um, adject. *Avarum mulierum* pro *avararum* est apud *Plaut. Truc.* 2. 8. 9.; ubi tamen est qui aliter legit, et quidem rectius. — Comp. *Avarior* et Superl. *Avarissimus* 2. — Avarus est ab *aveo*, ut docet ipse *Gell.* 10. 5., ubi *Nigidius* specialim, sed minus recte, ait avarum ita dictum esse quasi avidum æris; itaque avarus est avidus, rei alicujus immodice appetens (It. *avido*, *avaro*; Fr. *cupide*, *avide*, *avare*; Hisp. *avido*, *codicioso*, *avaro*; Germ. *gierig oder leidenschaftlich nach etwas verlangend*; Angl. *covetous*, *greedy*, *avaricious*). Occurrit ¶ 1. Generatim est cujuscumque rei avidus, et usurpatur cum Genit. *Horat. Art. P.* 323. Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui, præter laudem nullius avaris. *Id.* 2. *Ep.* 1. 79. animus laudis avarus. *Tac.* 1. *Hist.* 47. Publicæ pecuniæ avarus. *Claudian. B. Get.* 606. miles cædis avarus. ¶ 2. Sæpius speciatim et absolute usurpatur, et est avidus pecuniæ, alieni appetens, tenax, sordidus. — *a*) Addito Substant. *Ter. Heaut. prol.* 39. Avarus leno. *Id. Eun.* 5. 4. 5. et *Catull.* 110. 7. meretrix. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 208. Homo avarus et furax. *Id.* 3. *Verr.* 82. 190. Avariores magistratus. *Id.* 3. *ibid.* 37. 94. Homo avarissime et spurcissime. Adde *Gell.* 5. 5. *Virg.* 1. *G.* 47. Avarus agricola. *Horat. Epod.* 1. 33. Chremes. *Id.* 2. *Ep.* 2. 157. Viveret in terris te si quis avarior uno. *Ovid.* 13. *Met.* 4. 34. Avarus animus. — *b*) Usurpatur et substantivorum more absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 56. Semper avarus eget. Cf. *Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet*, γνώμη apud *Quintil.* 8. 5. 6. et *Hieronym.* 153. *ad Paulin. in fin.* Adde *Horat.* 2. *Ep.* 2. 191.; *Quintil.* 3. 7. 28. Pro avaro parcum. Cf. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 8. vigil avarus. *Tibull.* 3. 1. 7. avaræ. h. e. avidæ amicæ. ¶ 3. Tribuitur et rebus inanimis, nec non abstractis, sed præcipue apud Poetas. *Virg.* 2. *G.* 492. Avarus Acheron. *Id.* 3. *Æn.* 44. Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum. h. e. ubi habitant avari homines. *Horat.* 3. *Od.* 29. 61. mare. *Id.* 1. *Ep.* 15. 32. Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro. *Id.* 4. *Od.* 9. 37. Avara fraus. *Id. ibid.* 11. 25. spes. *Propert.* 2. 21. 56. ignis. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 52. Nec avara Tibullo Tempus amicitiæ fata dedere meæ. *Id.* 2. *Amor.* 6. 39. Avara manus. *Id.* 11. *Met.* 208. Troia. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 25. vitis. *Plin. Paneg.* 41. adulationes. *Martial.* 5. 38. Avara lex fatorum. *Id.* 5. 29. nec avaræ verna catastæ. h. e. in qua servi venales magno pretio emuntur. *Id.* 3. 58. Nec avara servat crastinas dapes mensa. *Claudian. I. in Rufin.* 165. Avarus intuitus. *Id. I. Rapt. Pros.* 21. opes.

ĂVE. *V.* AVEO.

ĀVECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĀVĔHO, vehis, vexi, vectum, vĕhere, a. 1. (ab et veho). Haud raro in MSS. Codicibus legitur *abvehi* et *abvectus* pro *avehi* et *avectus* apud *Plaut. Men.* 5. 9. 50. et *Virg.* 1. *Æn.* 516., ut et ipse *Pierius* ad h. *Virg.* l. testatur. — *Avexti* pro *avexisti* dixit *Plaut.*, cujus verba vide sub *A.* — Part. *Avectus* in omnibus ferme paragr.; *Avecturus* sub *A.* — Aveho est asporto, abduco, curru, equis aut nave aliquem aut aliquid ab aliquo loco ad alium veho (It. *portare o condur via*; Fr. *emmener*, *emporter*, *transporter*; Hisp. *llevar*, *traer á otra parte*; Germ. *fortfahren*, *fortführen*, *fortschaffen*; Angl. *to carry off or away*). Occurrit *A*) Active, et *B*) Forma passiva, sed more verborum mediorum apud Græcos.

A) Active. Usurpatur — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 3. 6. 22. PLEVS. Rogas? quine arrhabonem a me accepisti ob mulierem, et eam hinc avexti. LABR. Non avexi. PLEVS. Cur negas? LABR. Quia pol provexi; avehere non quivi miser. *Ter. Adelph.* 4. 5. 10. Avehere secum virginem. *Virg.* 2. *Æn.* 178. numenque reducant, Quod pelago et curvis secum avexere carinis. *Id.* 11. *ibid.* 205. Avecta corpora. *Sueton. Cæs.* 71. Avehere aliquem lectica sua. *Val. Flacc.* 1. 783. leves umbras. *Tac.* 6. *Ann.* 34. Jason post avectam Medeam etc. *Justin.* 20. 2. Obtentoque quod petebant, haud secus læti, quam si deos ipsos secum avecturi essent. — *b*) Addito unde quis avehitur. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 2. Amicam secum avexit ex Samo. *Id. Men.* 5. 9. 56. Avehere aliquem a patria. *Id. Mil. glor.* 2. 1. 38. Ubi amicam herilem Athenis avectam scio. — *c*) Addito quo quis avehitur, etiam per Accus. sine præpos. *Plaut. Men. prol.* 27. Avehere aliquem ad mercatum. *Liv.* 5. 51. *sub fin.* Sacra, avecta in finitimas urbes, amovimus ab hostium oculis. *Id.* 45. 33. Avehere aliquid domum. *Sueton. Cæs.* 66. Nave impositos quocumque vento in quascumque terras avehere. *Id. Tit.* 8. in asperrimas insularum. *Tac.* 5. *Hist.* 3. in alias terras. *Stat.* 6. *Theb.* 188. juvencum duras avexit pastor ad aras. *Sil. It.* 4. 319. Tyrias alas retro. — Sine præp. *Liv.* 31. 43. *a med.* Equites mercede conductos Ægyptum avexit. *Virg.* 1. *Æn.* 516. penitusque alias avexerat oras. — Et figurate *Sil. It.* 17. 383. Aliquem instanti leto avehere.

B) Passiva forma, sed more verborum mediorum apud Græcos, *avehor*, *avectus sum*, *avehi* est equo vel navi alio discedere, recedere. *Liv.* 27. 16. Cum citato equo ex prælio avectus esset. *Id.* 9. 27. Avehi a suis. *Virg.* 2. *Æn.* 43. Creditis avectos hostes? *Sil. It.* 6. 239. victorque catervas Longius avectas premebat.

AVELLĀNA, æ, f. 1. parvæ nucis genus, molli barba protectæ, putamen habentis et nucleum solidæ rotunditatis, et in medio nucleo intus germen, velut umbilicum. Ita *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (88). describit. Sunt etiam Avellanæ putamine et nucleo oblongo et ex crasso in acutum desinente. *Auct. Priapeor.* 51. Nucemve longam, quam vocant Avellanam. — *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. docet *avellanam* esse fructum arboris, quæ dicitur *corylos*, quod et *Servius* admittit ad illud *Virg.* 2. *G.* 65. Plantis et duræ coryli nascuntur etc. Sed *Harduin.* ad loc. *Plin. cit.* et *Dalecamp. in not. ad Hist. plant. Theophrast.* id negant, asserentes *Avellanæ*, quam coryli, specialius nomen esse. — Porro *avellana*, ut *Plin. ibid.* scribit, primum dicta est *Abellina* ab *Abellino* Campaniæ oppido (de quo *Id. Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (63). verba facit), ubi abundat. *Servius* autem *loc. cit.* tradit dictam esse ab *Avellano* altero ejusdem Campaniæ oppido: quod est idem ac *Abella* apud *Virg.* 7. *Æn.* 740. et *Avella* apud *Sil. It.* 8. 543. ut est in quibusdam libris. Dicta est etiam *Prænestina*, teste *Macrob. loc. cit.* Hinc, natio quædam hominum circa Prænestinum agrum *Carsitani* vocati sunt ἀπὸ τῶν καρύων. *Plin.* tamen 17. *Hist. nat.* 13. 21. (97). Avellanas nuces a Prænestinis distinguit. Appellatur etiam *Pontica nux*, quia in Asiam Græciamque ex Ponto advenit, ut *Plin. l. c.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (88). narrat. — Ceterum hæc vox adjectiva est, et dictam arborem aut ejus fructum significat: usurpatur autem — Addito nucis nomine. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (120). Quædam arbores sunt fruticosi generis, ut paliurus, myrtus, item nux Avellana. Adde *Caton. R. R.* 8. et 133.; *Colum.* 5. *R. R.* 10. 14.; *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. et *Scribon. Compos.* 167., ubi legitur nux *Abellana*. — Interdum absolute ponitur et nux intelligitur, ut apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (56). Avellanæ nucleos. Adde *eumd. l. c.* 16. *ibid.* 30. 53. (120). *Gargil. de pom.* ed. *Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 423. Avellanæ Prænestinæ stringunt. — Cf. *Fée* ad *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (88). (in *Op. cit.* vol. 1. p. 256.) hæc habet de nucibus Avellanis: Voici ce que l'on peut donner de plus exact sur la synonymie du noisetier: Κάρυα [illegible] Hipp. Morb. 3. 49.; Ἡρακλεωτικὴ καρύα Theoph. 3. 15.; Κάρυα ποντικὰ et Λεπτοκάρυα Dioscor. 1. 180.; *Prænestinæ nuces* Macrob. Saturn.; *Corylus* Virg. 2. G. 65., 299. et alibi; *Nuces Avellanæ* Catull. 8. et Plin. l. c. et alibi sunt *Corylus Avellana* L. Syst. 1417. His addit et sequentia: Le noisetier franc à fruits ronds, dont Pline parle au commencement de ce paragraphe, est la variété designée par Willdenow, *Spec.* 4. 470., sous le nom de *Corylus Avellana maxima*. Theophraste parle de deux variétés de ce fruit, l'une ronde et l'autre oblongue. Cette dernière est rapportée par Sprengel, *Hist. Rei herb.* 1. 103., au *Corylus tubulosa* Willd. Spec. 4. 470.

ĀVELLO, vellis, velli *vel* vulsi *vel* volsi, vŭlsum *vel* volsum, vellere, a. 1. (ab et vello). Perfectum raro

admodum occurrit, scilicet *avelli* apud Curt. 5. 6. 5., et *avulsi* apud Lucan. 9. 762. — Part. *Avulsus* in omnibus paragr.; *Avellendus* I. — Avello est vi vello, abstraho, divello (It. *staccare, spiccare, strappare, separare a forza*; Fr. *arracher, détacher*; Hisp. *arrancar, quitar con violencia*; Germ. *ab- oder losreissen, etwas reissend von wo abtrennen*; Angl. *to pull, tear, or drag away, to pluck off*).

I.) Proprie est rem aliquam ab alia per vim abstrahere: et occurrit — a) Absolute. Cic. 6. Verr. 22. 48. Avellere sigilla. Lucret. 6. 241. signa trabesque. Virg. 9. Æn. 490. Avulsa membra. Horat. 2. Sat. 8. 89. Avulsi armi leporum. Id. 1. ibid. 1. 48. Cum ripa simul avulsos rapit Aufidus amnis. Ovid. 2. Met. 351. Avellere frondes. Id. 3. ibid. 727. caput. Curt. 5. 6. 5. Abrupta simulacrorum membra, ut quisque avellerat, trahebat. Lucan. 9. 764. sepem Avulsitque manu piloque adfixitque arenæ. Al. leg. avellitque. Plin. 3. Hist. nat. 8. 14. (86). Quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsa (*Sicilia*). — b) Addito termino, a quo quid avellitur. — Per Accus. et præp. e. Cic. Senect. 19. 61. Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt. Id. 6. Verr. 49. 110. Simulacrum e sinu Cereris avellendum asportandumque curavit. Plin. 4. Hist. nat. 12. 23. (70). Thera insula: ex ea avulsa postea Therasia. — Per Ablat. sine præp. Virg. 2. Æn. 165. Avellere sacrato templo Palladium. Id. 2. ibid. 558. Avulsumque humeris caput. Propert. 4. 1. 116. Quam vetat avelli veste Minerva suâ. Stat. 3. Theb. 299. ensem dextrâ. — Cum Dat. Plin. 7. Hist. nat. 15. 13. (65). Bitumen non quit sibi avelli. Id. 17. ibid. 10. 13. (67). Avulsi arboribus stolones. Id. 4. ibid. 12. 21. (63). Eubœa avulsa Bœotiæ. Sil. It. 5. 417. Avulsa hosti cervix. Apul. 1. Met. Cor ipsum mihi avelli putavi.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de violenta carorum sejunctione. Ter. Andr. 2. 3. 21. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum ita magnæ, ut sperem posse avelli. Id. Hec. 4. 1. 39. Avellere sese ab amica derepente. Cic. Fontej. 17. 36. Num etiam de matris hunc complexu – avellet atque abstrahet? Id. Dom. 57. 145. Ut perpetuum dolorem, avulsus a meis, sustinerem. Cf. Ovid. 1. Trist. 3. 81. Non potes avelli. Virg. 4. Æn. 616. complexu avulsus Iuli. Seneca Med. 945. Filii sinu matris avulsi. Tac. 1. Ann. 44. Ut avellerentur castris trucibus (*veterani*). Sil. It. 16. 143. Avellere aliquem Tyriis. Plin. 2. Hist. nat. 7. 90. (190). Gentes avulsæ ac solitariæ. h. e. a ceterarum nationum commercio secretæ, disjunctæ. Cf. eumd. 5. ibid. 2. 1. (17). ¶ 2. Cum agitur de fundo aliquo, est auferre. Ter. Eun. 2. 3. 14. Credo ei placere hoc (*rus*): sperat a me avellere. Marcian. Dig. 23. 7. 17. Fundus emptori avelli non potest. Ulp. ibid. 40. 7. 3. § 9. Avelli nummi ei, qui accepit, non possunt. ¶ 3. Generatim est rem aliquam aut personam inde abstrahere, ubi radices fixisse videtur. Cic. 3. Off. 21. 83. Convicio avellere aliquem ab errore. Id. 4. Tusc. 11. 24. Quæ (*morbus et ægrotatio*) avelli inveterata non possunt. Horat. 1. Sat. 2. 104. An tibi mavis – pretium avellier ante Quam mercem ostendi? paragoge pro avelli. Tac. 4. Ann. 20. Libertatem Augusti avellere. Adde Cod. Theod. 6. 4. 15.

ĀVĒNA, æ, f. 1. Ut Forcellinus ait, *avena* est ab *aveo*, hoc est cupita: sed rectius fortasse hanc vocem conjunges cum Græca αὖος, quæ significat *aridus*. Priscian. super XII. Virg. Æn. p. 1254. Putsch. ait vocabulum *avena* et sine aspiratione esse et per u (hoc est per v) scribi. — Avena proprie est culmus seu stipula cujuscumque herbæ (It. *gambo, stelo, paglia*; Fr. *chaume, tuyau de paille*; Hisp. *rastrojo, paja*; Germ. *der Halm, Stengel*; Angl. *any straw, pipe, stem, blade, reed*). ¶ 1. Stricto sensu ac generatim est cujuscumque herbæ culmus seu stipula. Plin. 19. Hist. nat. 1. 1. (5). de lino. Tam parvo semine nasci, tam gracili avena, tam vero alte a tellure tolli. Id. 21. ibid. 18. 103. (168). Eriphiam multi prodidere. Scarabeum hæc in avena habet, sursum deorsum decurrentem cum sono hædi: unde et nomen accepit. *scilicet* ἐρίφιον parvum hædum *significat*. ¶ 2. Speciatim avena dicitur herba quædam peculiaris, cujus duplex est genus. Altera enim est sponte nascens ac sterilis, eadem fere forma cum sativa, nisi quod asperiores longioresque aristas habet, et in folliculis fere vacuis semen evanidum. Hæc inter vitia segetum enumeratur. Hujus meminerunt Cato R. R. 37.; Cic. 5. Fin. 30. 91.; Virg. 5. Ecl. 37.; Symmach. 10. Ep. 61., et fusius Plin. 18. Hist. nat. 17. 44. (149). Virg. 1. G. 154. Interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur avenæ. — Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 168.) hanc exhibet synonymiam: Βρόμος πόα καὶ αἰγίλωψ Dioscor. 4. 140.; Ἀγριόβρομος Attic. recent.; *Avena Græca* Plin. l. c.; *Ægylops prima* Matth. in Dioscor; et *Avena Græca* Cæs. sunt *Avena fatua* L. Spec. plant. 118. sive *Avena sterilis* ejusd. ibid. ¶ 3. Item speciatim, altera sativa est et esculenta, quæ jumentis in cibum datur, folio et stipula tritico similis; cujus serendæ rationem Colum. 2. R. R. 11. 9. tradit. Hujus meminit Virg. 1. G. 77. Urit enim lini campum seges, urit avenæ. Adde Horat. 2. Sat. 6. 84., et præcipue Plin. 18. Hist. nat. 7. 10. 61. et 17. 44. (149). — Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 159.) hanc exhibet synonymiam: Βρόμος Hipp. de Vict. rat. 356.; Βρῶμος Dioscor. 2. 116.; *Avena* Plin. l. c. et *Bromos* ejusd. 22. Hist. nat. (V. BROMOS in hoc Lex.) sunt *Avena sativa* L. Spec. plant. 118. ¶ 4. Item speciatim sumitur pro ipsius avenæ culmo seu stipula, quæ a Plin. dicitur *avenæ calamus*, qui intus vacuus est, ut arundinum: hinc Id. Plin. 6. Hist. nat. 30. 35. (188). scribit, quoddam hominum genus uno tantum foramine spirans, potum calamis avenæ trahere. — Quoniam vero hujusmodi calamis inæqualibus, atque in unum compactis facta est fistula seu tibia; ita apud Poetas avena pro fistulæ calamis ponitur. Ovid. 8. Met. 191. Sic rustica quondam Fistula disparibus paullatim surgit avenis. Et 2. ibid. 677. et structis cantat avenis. Adde eumd. 1. ibid. 677. et 5. Trist. 10. 25. — Hinc avena et pro ipsa fistula seu tibia ponitur. Virg. 1. Ecl. 2. Silvestrem tenui Musam meditaris avena. Tibull. 3. 4. 71. pellucenti cantus meditabar avena. Adde eumd. 2. 1. 53. et Martial. 8. 3. in fin.

AVĒNĀCĔUS, a, um, adject. qui est ex avena: V. AVENA 3. Plin. 22. Hist. nat. 25. 67. (137). Avenacea farina decocta in aceto nævos tollit. Adde eumd. 30. ibid. 8. 22. (75).

AVĒNĀRĬUS, a, um, adject. ad avenam pertinens: V. AVENA 3. *Avenaria cicada*, item *frumentaria* dicitur a Plin. 11. Hist. nat. 26. 32. (94). genus cicadæ apparens simul cum frumentis arescentibus.

AVĒNO, as, are, a. 1. avena, h. e. herbis alere. Pelagon. 12. Veterin. 3. p. 50. Hæc omnia comminues, et postea fauces ejus (*equi*) melle, butyro, axungia, sale medico avenabis. *nisi forte mendum sit.*

AVENS, entis, V. AVEO.

ĀVENTER, adverb. cupide. Ammian. 18. 5. et 19. 9. Aventer suscipere aliquem. Sidon. 2. Ep. 2. Contubernio nostro aventer insertus.

ĀVĔO vel haveo, es, ere, 2. Part. *Avens* 2. — Teste Paul. Diac. p. 14. 9. Müll., aveo est gaudeo, bene vel optime me habeo, lætus sum. Occurrit autem ¶ 1. Generatim in formulis *ave, aveto, avete, avere te jubeo*, quibus præcipue utebantur Latini in salutationibus: quod Seneca 6. Benef. 34. appellat *vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis*. Videtur autem *ave* significare *vive*, si verum docent Etymologi, et duci ab Hebræo חָיָה, quod est *vivit*. — Scribitur et *have* cum aspiratione, et quidem sæpius, quam sine ea, in antiquis monumentis, ut monet Manut. Orthogr. allatis tredecim veteribus lapidibus, quibus adde alios apud Gruter. 661. 6., 822. 7., 1123. 2., et alibi. Favet etiam Hebraica vox allata, quæ primam litteram aspiratam habet. Adde Quintiliani ætate *havē* receptum fuisse, *avē* autem obsoletum, qui 1. 6. 21. reprehendit multum litteratum, qui sine aspiratione et producta secunda syllaba salutavit *avē*. Nihilominus aspirationem abjiciendam putat Dausq. in Orthogr., cujus sententiam, præter cetera, usus communior, qui nunc est, confirmare videtur. — Itaque *ave* idem est quod Græcum χαῖρε et Latinum *vale*, scilicet *bene te habe, salve, cupio te bene esse*. Usurpabatur — a) Cum quis salutans alterum adibat sive accedentem salutabat. Cælius apud Cic. 8. Fam. 16. 4. Cæsar audierat, ac simul atque *Ave* mihi dixit, statim quod de te audisset, exposuit. Adde Augusti epist. apud Gell. 15. 7. et Sueton. Claud. 21. Martial. 3. 95. Numquam dicis *ave*, sed reddis, Nævole, semper. Id. 3. 5. Marcus avere jubet. Adde eumd. 9. 8. Mamert. Gratiar. act. ad Julian. 28. Cum enim eum salutans Imperator dixisset *Ave consul amplissime*, respondit is: c. 29. Aveo plane, Imperator, et avebo: Neque enim eventus esse potest optati hujus ambiguus, cum is avere jubeat, qui jam fecit, ut averem. — Præcipue autem adhibebatur in salutationibus matutinis amicorum et clientum: nam in vespertinis dicebant *vale*, ut Sueton. Galb. 4. docet. Martial. 1. 56. Et matutinum portat ineptus ave. Id. ibid. 109. Mane tibi pro me dicat avere liber. Id. 4. 79. nec ulla cathedra est, Cui non mane feras irrequietus ave. Adde 7. 39. — b) *Ave* dicebant etiam discedenti. Catonis epist. apud Sall. Cat. 36. Aveto. — Speciatim *ave* dicebant mortuis, quemadmodum et *vale*. Catull. 101. 10. Atque in perpetuum, frater, ave atque vale. In illo Martial. 9. 8. non vis, Afer, avere, vale. *avere* accipiendum est eo sensu, quo vivos salutamus; *vale* eo, quo mortuos. Inscript. apud Gruter. 735. 6. AVETE ANIMAE INNOCENTISSIMAE. Adde Inscript. apud Orell. 4731., 4732., 4734., 4735. et plures alias, quæ ibidem sequuntur. — Est festiva ambiguitas apud Sueton. Claud. 21., ubi narrat, commissâ a Claudio naumachiâ, cum naumacharii ante pugnam proclamassent: *Ave, Imperator; morituri te salutant*; isque respondisset: *Avete vos*; recusasse illos post hanc vocem dimicare, putantes se ab eo esse dimissos venia pugnandi data: namque etiam discedenti *ave* dicere mos fuit, ut superius exposuimus. Sed Claudius ad morem salutandi mortuos respexerat; illisque pugnæ ac morti proximis dixerat *avete vos*. ¶ 2. Speciatim *avere* est vehementer gaudere et lætari in re aliqua agenda (V. Paul. Diac. p. 14. 9. Müll.), ac propterea eamdem vehementer cupere atque expetere. Occurrit — a) Absolute. Ennius apud Varron. 6. L. L. 83. Müll. Jamdudum ab ludis animus atque aures avent, avide expectantes nuncium. h. e. gaudent ac lætantur, ideoque avide etc. Quo sensu usurpatur præcipue Part. *avens*, quod pro *libens* seu *lubens* usurpavit Lævius apud Gell. 19. 7. Horat. 2. Sat. 4. 1. Non est mihi tempus aventi Ponere signa novis præceptis. Val. Flacc. 2. 123. Talem diva sibi scelerisque dolique ministram Quærit avens. Aurel. Vict. Cæsar. 3. Caligula aventibus cunctis deligitur. — b) Cum Accus. Cic. 15. Att. 11. 4. Aveo genus legationis, ut cum velis introire, exire liceat. Lucret. 3. 1096. dum abest, quod avemus. Adde eumd. ibid. 970. Horat. 1. Sat. 1. 93. finire laborem Incipias, parto quod avebas. Sil. It. 9. 371. Aspera semper avens. Al. leg. amans. — c) Cum Infinito. Cic. 1. Att. 15. 2. Aveo scire quid agas. Id. 2. ibid. 18. 1. Quam suspenso animo scire averes, quid esset novi. Id. 2. Fin. 14. 46. Etiam quid in cælo fiat, scire avemus. Adde eumd. 2. Off. 4. 13. et 1. Divinat. 6. 11.; Lucret. 3. 260., 4. 780. et 1099.; Varron. 6. L. L. 83. Müll.; Catull. 46. 7.; et Liv. 33. 32. et 45. 39. Horat. 1. Sat. 4. 87. E quibus unus avet quavis aspergere cunctos. h. e. toto animo ac libentissime in eo est negotio, ut aspergat etc. Al. tamen leg. amet. Id. 4. Od. 11. 7. (*ara*) avet spargier agno. Ovid. 2. Met. 503. propiusque accedere aventi Vulnifico fuerat fixurus pectora telo. Colum. 3. R. R. 21. 6. Si capere fructum aveat. Tac. 4. Ann. 71. Avebat animus anteire. — d) Cum Accus. et Infinito. Lucret. 2. 216. Illud in his quoque rebus cognoscere avemus, Corpora – spatio decedere paullum.

ĀVERRO, verris, verri, versum, verrere, a. 3. (ab et verro) verrendo amoveo. Occurrit translate tantum pro auferre, asportare. Licinius Macer apud Priscian. 10. p. 900. Putsch. Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt.

ĀVERRUNCASSO, is, etc. V. voc. seq.

ĀVERRUNCO, as, āvi, are, a. 1. (ab et verrunco, *hoc est* verto). Part. *Averruncandus*. — *Averruncasso, is*, etc. antique pro *averruncavero*, is occurrit, ut *levasso, impetrasso* etc. V. infra. — Item *averruncassere* Futurum est Infiniti antiquis usitatum pro *averruncaturum esse*, ut *impetrassere, expugnassere*, et alia. — Averrunco est averto, depello, prohibeo: usurpatur tantummodo in re sacra et religiosa, ut Varro 7. L. L. 102. Müll. docet; diciturque fere de malis, quæ averti a nobis optamus. Cato R. R. 142. Mars pater, te precor quæsoque, uti – calamitates intemperiasque prohibessis, defendas averruncesque. Pacuvius apud Varron. 7. L. L. 102. Müll. Dei monerint meliora atque amentiam averruncassint. h. e. averruncaverint. Cf. Paul. Diac. p. 373. 4. Müll.; et Non. p. 74. 24. et 507. 26. Merc. Id. Pacuvius apud Non. p. 74. 25. Possum ego istam capite cladem averruncassere? h. e. averruncaturum esse: ubi notandus est Ablativus omissa præpositione, quæ inest in ipso verbo; simulque advertendus modus hic con-

jungendi Futurum Infiniti cum verbo *possum* per archaismum. *Cic.* 9. *Att.* 2. A. § 1. Contra igitur? Dii, inquis, averruncent. *Liv.* 8. 6. Placuit averruncandæ deûm iræ victimas cædi. *Id.* 10. 23. Eo anno prodigia multa fuerunt, quorum averruncandorum causâ supplicationes in biduum senatus decrevit. *Arnob.* 1. 32. Hæc procul a nobis, ut dicitur, averruncetur amentia.

ĀVERRUNCUS, i, m. 2. qui mala depellit, avertit, arcet: sed occurrit speciatim tantummodo, non aliter atque ἀποτρόπαιος apud Græcos, et *averruncus* dicebatur a Latinis deus malorum depulsor. *Varro* 7. *L. L.* 102. *Müll.* A vertendo, averruncare: ut deus, qui iis rebus præest, averruncus. Itaque ab eo precari solent, ut pericula avertat. *Gell.* 5. 12. *in fin.* In istis autem diis, quos placari oportet, uti mala a nobis, vel a frugibus natis amoveantur, Averruncus quoque habetur et Robigus.

ĀVERSĀBĬLIS, e, adject. dignus quem aversemur, fugiendus, abominandus. *Lucret.* 6. 389. Scelus aversabile. *Quidam leg.* adversabile; *sed minus recte.* *Arnob.* 7. 42. Aversabilis fœditas.

ĀVERSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus aversandi, recusatio, fastidium. *Seneca Tranquill. anim.* 2. *a med.* Aversatio alienorum processuum et suorum desperatio. *Quintil.* 8. 3. 65. Mihi cernere videor et deformes utriusque blanditias, et eorum, qui aderant, tacitam aversationem ac timidam verecundiam.

ĀVERSĀTRIX, īcis, f. 3. quæ aversatur atque odit. *Tertull. Anim.* 51. Non reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis aversatrix.

ĀVERSĀTUS, a, um. *V.* **AVERSOR.**

ĀVERSIM, adverb. avertendo. *Cl. Mamert. de statu anim.* 1. 25. Duabus paribus lineis sive aversim positis, sive a capite contingentibus figura non clauditur. *Al. leg.* adversim, *h. e.* ex adverso, *et fortasse rectius:* *V.* **ADVERSIM.**

ĀVERSĬO, ōnis, f. 3. actus avertendi: et occurrit

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Auct. B. Hisp.* 22. Ex aversione legatos jugularunt. *h. e.* legatos a tergo aggressi jugularunt: alii tamen aliter legunt; et *Forcellinus* accepit pro animo averso, odio. — *b*) Speciatim est actus removendi rem aliquam a loco suo. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Affectandam igitur corporis laxationem, non aversionem materiæ ejus dicimus. *hæc explicantur iis, quæ ibid. paullo superius habentur:* Sinapismum adhibet ultimis membrorum partibus, sive summitatibus articulorum, ob avertendam materiam. *Cf. Id.* 1. *Tard.* 4. Facilius est enim imminentium aversionem, quam præsentium depulsionem facere. — *c*) Item speciatim apud JCtos *aversione*, vel *per aversionem emere* vel *vendere* est aliquid simul et acervatim uno pretio emere vel vendere, sive illud sit unius tantum generis, v. gr. vinum in multa quantitate; sive plurium generum, ut supellex aliqua, instrumenta domus et hujusmodi: quod facere solebant sectores, qui, ut ait *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 23. *extr.*, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis; ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. De hac re multa *Cajus Dig.* 18. 1. 35. Videtur autem *Hotomano* hæc notione *aversio* non ab *avertendo*, sed ab *averrendo* deduci: quia omnia simul uno tempore quasi averriculo averruntur. Sed utriusque verbi notatio una eademque est: ideoque fortasse putandum est, *per aversionem* significare *rebus ipsis non adspectis atque attente consideratis, sed quasi a tergo tantummodo visis ac propterea, quæcumque demum eæ sint, sine ullo discrimine emptis vel venditis.* *Modestin. Dig.* 18. 1. 62. § 2. Res aversione empta, vel si non dolo venditoris factum sit, ad periculum emptoris pertinebat. *Ulp. ibid.* 6. 4. § 2. Vino per aversionem vendito finis custodiæ est avehendi tempus. — Item *aversione* vel *per aversionem locare* vel *conducere aliquid* est ita locare vel conducere, ut non per partes vel mensuras, sed universim locetur vel conducatur. Verbi gratia si navem amphorarum duorum millium aversione conduxisti, pro duobus millibus pretium debes: si pro numero impositarum amphorarum merces constituta est, contra se habet; nam pro tot amphoris pretium debes, quot portasti, inquit *Labeo Dig.* 14. 2. 10. § 2. et *Paulo*. Simili ratione opus aliquod aversione conductum, donec approbetur, conductoris periculo est. Quod vero ita conductum sit, ut in pedes mensurasve præstetur, eatenus conductoris periculo est, quatenus admensum non sit. Ita *Florentin. ibid.* 19. 2. 36. Sic *Ulp. ibid.* 14. 1. 1. Navem a domino per aversionem conducere. — Sunt qui has locutiones ita explicant, ut *aversione vendere* vel *locare* dicatur is, qui rei venditæ vel locatæ periculum omne a se in emptorem vel conductorem avertit: et *aversione emere* vel *conducere*, qui rei emptæ vel conductæ periculum omne in se suscipit. Sed eodem recidit. Nam qui in universum aliquid vendit vel locat, nullum ejus rei periculum præstare solet: et qui ita emit, in se recipere consuevit. Sunt etiam qui *adversionem* malunt, ut *adversione emere* significet emere aliquid eo jure, ut omnis ejus rei fructus in ementis commodum vertantur. Atque in hunc sensum trahunt locum *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 13., quem tamen alii aliter explicant. Sed in optim. edition. Digest. *Torrentini*, *Haloandri* et aliis *aversio*, non *adversio* constanter legitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est hoc nomine figura Rhetorum, quæ a proposita quæstione abducit audientem, ut in illo *Virg.* 4. *Æn.* 425. Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem Aulide juravi. Est hoc schema species quædam apostrophes, et fit multis et variis figuris, cum aut aliud expectasse nos, aut majus aliquid timuisse simulamus, aut plus videri posse ignorantibus, quale est proœmium pro Cœlio. Hæc ex *Quintil.* 9. 2. 39. Adde *Aquilam Rom.* 9. p. 192. *Frotsch.* ¶ 2. Apud serioris ævi Scriptores transfertur etiam ad animum, qui a re aliqua abhorret. *Arnob.* 7. 25. Aversionibus stomachorum dii laborant, et ad expellenda fastidia saporum varietas quæritur, ut modo tosta esse, modo cruda ponantur, semicocta modo et semicruda. *Forcellinus* recte accepit pro fastidio; et distinxit ab iis quæ sequuntur. *Dictys B. Trojan.* 4. 18. Non metu mortis se patriam deserere, sed deorum coactum aversione. *h. e.* animo averso, odio.

ĀVERSOR *vel* avorsor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ab et verto seu vorto). Part. *Aversans* sub *a*; *Aversatus* sub *b* et *d*; *Aversandus* sub *d*. — Averto est vultum alio verto et fastidium aut indignationem significo; ideoque generatim refugio, recuso, abominor (It. *voltarsi in altra parte e mostrare avversione, ricusare, abborrire*; Fr. *se détourner en repoussant, en dédaignant*; Hisp. *alejar rempujando, desdeñando*; Germ. *sich mit aller Gewalt von einer Person oder Sache abzuwenden streben, besonders sich aus Scham, Unwillen, Verachtung von ihr abwenden, sie zurück-oder von sich weisen, sie nicht anerkennen*; Angl. *to turn from in disgust, refuse, decline, shun, avoid, abhor*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 3. 2. 1. Sta illico, noli aversari, neque te occultassis mihi. *Cic.* 4. *Verr.* 76 187. Quærere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius: hærere homo, aversari, rubere. *Al. leg.* adversari; *al., inter quos et Zumpt.*, versari. *Id. Cluent.* 63. 177. Aversari advocati et jam vix ferre posse. *Quintil.* 11. 3. 113. Aversantes in lævam partem velut propellemus manus. — *b*) Cum Accus. personæ aut rei. — Cum Accus. pers. *Liv.* 8. 7. Extemplo filium aversatus. *Id.* 36. 31. principes Syracusanorum. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 5. afflictum non aversatus amicum. *Id.* 1. *Met.* 478. et 14. *ibid.* 672. Aversari petentes. *Id.* 10. *ibid.* 394. rogantem. *Curt.* 4. 7. 31. immortalitatem affectantem contumacius. *Id.* 10. 5. 14. neptem nepotemque. *Tac. Dial. de orat.* 20 dicentem. Et cum duplici Accus. *Liv.* 3. 50. aliquem ut parricidam liberûm. *Curt.* 8. 7. 13. Philippum patrem. — Cum Accus. rei. *Liv.* 3. 12. *in fin.* Aversari preces. *Ovid.* 1. *Fast.* 5. honorem. *Id.* 3. *Amor.* 11. 38. crimina. *Curt.* 6. 7. 10. scelus. *Id.* 8. 3. 14. facinus. *Id.* 8. 6. 23. et toto domum. *Id.* 8. 10. 2. imperium. *h. e.* detrectare. *Quintil.* 11. 3. 70. aliquid vultu. *Sueton. Tib.* 27. adulationes. *Id. Vesp.* 2. latum clavum. *Tac.* 14. *Ann.* 51. aspectum alicujus. *Id.* 6. *ibid.* 26. sermonem. *Plin. Paneg.* 46. effeminatas artes. — *c*) Cum Infinito. *Auct. B. Hisp.* 14. *in fin.* Prælium facere aversatus. — *d*) Passive occurrunt Part. *Aversatus* apud *Aurel. Vict. Epitom.* 28. Petulantius cachinnantem vultu notare aversato. Et *Aversandus* apud *Cyprian. Ep.* 1. 12. Sed ne nos videamur eligere fortasse pejora, et studio destruendi per ea oculos tuos ducere, quorum tristis atque aversandus aspectus ora et vultus conscientiæ melioris offendat etc. *Augustin. Ep.* 112. 21. Istos omni modo aversandos censeo.

ĀVERSOR, ōris, m. 3. qui aliquid avertit et intercipit. *Cic.* 7. *Verr.* 58. 151. Verres aversor pecuniæ publicæ.

ĀVERSUS, a, um. *V.* **AVERTO.**

ĀVERTA, æ, f. 1. ἀορτής (ab ἀείρω suspendo) pera, mantica, quæ equo imponitur in itinere. Ita *Acron* ad *Horat.* 1. *Sat.* 6. 106. interpretatur. Videbatur autem *Forcellino* inde nomen sumpsisse, quod in aversa, seu posteriore equi parte ferri solet: at rectius ab allata Græca voce ἀορτής hæc facta fuisse videtur, ut *Avernus* ab ἄορνος. Ceterum etiamnum apud villicos in Sabina et Campania dicitur *verta* sacculus sive pera ex linteo grossiore, in qua panis diurnus et obsonia reponuntur. (It. *valigia*; Fr. *sac, valise*; Hisp. *balija, maleta*; Germ. *der Mantelsack*; Angl. *the cloak-bag*). *Imp. Leo Cod.* 12. 51. (*al.* 50) qui est *De cursu publico*, 12. Sexaginta libras sella cum frenis, sexaginta ibidem averta non transeat. In *Cod. Theodos.* 8. 5. 47. § 1. hæc eadem verba habentur. *Imppp. Valentinian., Theodos. et Arcad. ibid. l.* 49. Sint præterea duo palatini prosecutores singulorum rhedarum, cum tribus servis, habentes quinquagenarum librarum avertas, etc. *Edict. Dioclet.* p. 24. Avertæ primæ formæ mille quingentis. Ex quibus satis liquet, perperam a *Bud.* in *Adnotation. poster.* in *Pandect.* accipi *avertam* pro loro latiore, quod per terga equi excurrit, sub alis ejus succinctum: et ab *Accursio* et *Alciato* pro pectorali equi, vel ornamento, quo habenæ figuntur. *V.* **ZABERNA.**

ĀVERTĀRĬUS, ii, m. 2. subaudi *equus*, est qui in ferendis avertis seu manticis in itinere assumitur. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 8. 5. 22. § 1. Ut parhippum, vel avertarium nullus accipiat, nisi etc.

ĀVERTENS, entis, part. præs. ab *averto*, ubi videsis. Hinc *avertentes dii* sunt, qui præsunt malis avertendis et propulsandis, qui et *Averrunci* dicuntur. *Tarquitius Priscus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Arbores quæ inferum deorum avertentiumque in tutela sunt.

ĀVERTO *vel* avorto, vertis, verti, versum, vertere, a. 3. (*ab et* verto). Antiqui efferebant et scribebant *abverto*, quæ scribendi ratio adhuc in aliquot MSS. occurrit: sed paullatim abiit in leniorem *averto*, ut docet *Quintil.* 12. 10. 32. — Part. *Avertens* I. *f.*; *Aversus* I. *e.* et in fin.; *Aversurus* II. 2. *b.*; *Avertendus* II. 2. *a.* — Averto est ab una in aliam partem verto, abduco, removeo; cui contrarium est *adverto* (It. *volgere ad altra parte, allontanare, divertire, distogliere*; Fr. *tourner d'un autre coté, détourner, éloigner*; Hisp. *volver, dar vuelta, alejar*; Germ. *ab-oder wegwenden, ab-oder wegkehren, wenden*; Angl. *to turn off or away, avert, withdraw, remove*).

I.) Proprio et stricto sensu avertere est personam aut rem aliquam alio vertere, eamdem scilicet alio dirigendo: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Phil.* 14. 38. Cum, Antonio diadema Cæsari imponente, se avertit (*Lepidus*). *Id. Balb.* 5. 11. Removere oculos et se totum avertere. *Id.* 3. *Orat.* 59. 221. Theophrastus quidem, Tauriscum quemdam, dixit, actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid, pronunciaret. *h. e.* solitum esse pronunciare, quasi populo dorsum obverteret. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 152. Flumina arcere, dirigere, avertere. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 49. et *Auct. B. G.* 8. 40. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Avertit hic casus vaginam. *Id.* 7. *ibid.* 22. Avertere falces laqueis. *Nepos Hann.* 11. puppes. *Liv.* 41. 11. Amnem novo alveo avertit. *Id.* 22. 28. Avertere oculos alicujus. *Ovid.* 5. *Met.* 179. vultum. — *b*) Addito, unde quid avertitur, per Ablat. cum præp., per Ablat. sine præp., et interdum etiam per Dat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Avertere aliquid ab oculis naribusque alicujus. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. iter ab Arare. *Id.* 3. *B. C.* 21. *in fin.* sese eo itinere. Adde 3. *ibid.* 79. *Lucret.* 4. 1266. atque locis avertit seminis ictum. *Sall. Cat.* 58. arma ab hostibus. *Virg.* 4. *Æn.* 389. se ex oculis avertit et aufert. *Id.* 1. *ibid.* 42. Nec posse Italiâ Teucrorum avertere regem. *Ovid.* 15. *Met.* 586. faciem a mœnibus urbis. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 10. Ne femina admissario ascendenti avertere se possit. *h. e.* vertere se a suo loco contra admissarium. *Propert.* 3. 23. 9. Quod mihi non patrii poterant avertere amici. *h. e.* a me avellere. *Val. Flacc.* 3. 491. Avertere aliquem alicui. *h. e.* abducere. — *c*) Addito, quo quid avertitur, per Accus. cum aut sine præp. *Plaut. Amph.* 3. 2. 18. Te volo, uxor, colloqui: quonam te avortisti? ALC. Ita ingenium meum est: inimicos semper osa sum obtuerier. *Liv.* 1. 50. Aversi omnes ad Tarquinium salutandum. *Id.* 6. 23. Avertere

tota in se castra. *Id.* 21. 49. naves in fretum. *Virg.* 1. *Æn.* 478. equos in castra. *Id.* 4. *ibid.* 106. regnum Libycas oras. — *d*) Additis simul, unde et quo quid avertitur. *Plaut. Rud.* 1. 2. 76. Ab saxo avortit fluctus ad littus scapham. *Liv.* 2. 5. A ceteris – consulis liberi omnium in se averterant oculos. Cf. *eumd.* 4. 20., et *Cic.* 2. *de republ.* 35. 60. — *e*) Passiva forma, sed more verborum mediorum apud Græcos, *averti* occurrit — De persona, quæ se alio vertit. *Virg.* 6. *Æn.* 469. Illa solo fixos oculos aversa tenebat. *Quintil.* 11. 3. 127. Averti a judicibus. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 7. Odistique chelyn surdâque averteris aure. *h. e.* audire recusas. *Gell.* 1. 8. Tali – magnitudine ictus expavidusque Demosthenes avertitur. — Item occurrit *averti aliquid* de rebus, quas fastidimus, et idem ferme est quod *aversari*, quam vocem V. *Virg.* 3. *G.* 499. Equus fontes avertitur. *h. e.* avertit se et fontes fastidit. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 192. *Petron. Satyr.* 121. Mitis turba deûm terras exosa furentes Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen. — *f*) Nonnumquam *avertere* usurpatur sine casu, more neutrorum et significatione passiva; ita tamen ut Accusativus aliquis facile subintelligatur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 48. Ecce autem avortit nisus læva etc. Adde *eumd. ibid.* 4. 2. 83. *Virg.* 1. *Æn.* 406. Dixit et avertens roseâ cervice refulsit. *h. e.* avertens se. *Id. ibid.* 108. tum prora avertit et undis Dat latus. *Gell.* 4. 18. Id cum dixisset, avertit et ire in Capitolium cœpit. Adde *Sil. It.* 13. 587. et *Sever. Ætn.* 150.

II.) Latiori sensu et improprie. ¶ 1. Avertere generatim est rem aut personam alicunde removere vel repellere atque alio dirigere ac vertere. *Cic.* 2. *de republ.* 35. 50. Censores multis dicendis vim armentorum a privatis in publicum averterant. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 19. Avertere orationem. *h. e.* rem, de qua loquimur, omittere atque ad aliam transire. *Liv.* 23. 32. Magonem cum classe in Hispaniam. *Id.* 6. 20. preces ab hominibus ad deos. *Id.* 3. 24. certamen ab lege in disceptationem comitiorum. *Curt.* 4. 6. 9. aliquid a sensu alicujus. *Cels.* 5. 27. locum materiæ per cataplasmata. *Quintil.* 9. 4. 25. impetum a potioribus. ¶ 2. Speciatim ponitur — *a*) Sæpissime in re militari pro repellere. *Cic. Cæcin.* 12. 33. Aliquem armis repellere, fugare, avertere. *Id.* 1. *ad Brut.* 3. 1. Avertere Antonium ab urbe. *Id. ibid.* 15. 7. aliquem a cervicibus alicujus. *Cæs.* 6. *B. G.* 42. barbaros ab ipso vallo portisque. *Liv.* 22. 19. classem hostium in fugam. *supple* a prælio, *ait* Forcellinus; *in his enim et similibus subintelligitur semper Ablativus aliquis. Id.* 34. 15. dissipatos in fugam. *Id.* 7. 16. primo quoque impetu hostem. *Quintil.* 12. 1. 39. grassatorem ab homine occidendo. — Et absolute. *Sall. Jug.* 107. Bocchus statim avertitur. *h. e.* fugatur. *Liv.* 9. 19. Mille acres, graviores etiam – avertit averteque. Adde *Virg.* 11. *Æn.* 703. — *b*) Item ponitur de periculis, malis, culpis, morbis etc., quæ repelluntur. Hinc generatim. *Cic.* 6. *Phil.* 7. 18. Avertere conatus alicujus a republica. *Id.* 4. *ibid.* 1. 3. furorem alicujus a pernicie reipubl. *Id.* 1. *Nat. D.* 36. 101. pestem ab aliquo. *Liv.* 31. 7. Aversuri bellum. *Id.* 1. 58. Avertere noxam ab aliquo in auctorem delicti. *Id.* 31. 11. culpam omnem in fraudem Carthaginensium. Cf. *Quintil.* 11. 1. 65. culpam in alium. *h. e.* a se avertere et in alium transferre. *Id.* 7. 2. 10. crimen in alium. *Virg.* 4. *Æn.* 394. curas dictis. *Sueton. Claud.* 29. Ad avertendum transferendumque periculum. *Id. Oth.* 3. suspicionem. *Tac.* 15. *Ann.* 45. a se invidiam. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 136. morbos. *Id.* 1. *Sat.* 5. 14. ranæque palustres Avertunt somnos. — Hinc speciatim *Dii omen avertant*, formula deprecantis malum omen. *Cic.* 12. *Fam.* 6. Qui si conservatus erit, vicimus: sin (quod di omen avertant) omnis omnium cursus est ad vos, etc. *Id.* 4. *Phil.* 4. 10. Quibus M. Antonius (o di immortales avertite et detestamini, quæso, hoc omen) urbem se divisurum esse promittit. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 5. 11. et *Virg.* 3. *Æn.* 265. Hinc absolute di *avertentes* et *averrunci*: V. AVERTENS et AVERRUNCUS suo loco. ¶ 3. Item speciatim *avertere pecuniam* aut rem hujusmodi alium, est intervertere, intercipere, auferre; cf. AVERSIO sub I. c. *Cic.* 3. *Verr.* 4. 11. Reperiemus, quibus probemus, istum in quæstura pecuniam publicam, Carboni consuli datam, avertisse. Adde *Liv.* 6. 14. et *Tac.* 1. *Hist.* 53. *Cic.* 12. *Fam.* 26. 2. Ne patiare, Erotem Turium, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam avertere. Cf. 13. *ibid.* 26. 2. *Id.* 5. *Verr.* 19. 49. Avertere aliquid domum suam. *Id. ibid.* 69. 163. magnum frumenti numerum a republ. *Cæs.* 3. *B. G.* 59. Stipendium equitum fraudabant et prædam omnem domum avertebant. *Liv.* 37. 8. *extr.* Ingentem prædam intra paucos dies averterunt. Adde *eumd.* 1. 7. *Virg.* 10. *Æn.* 78. Avertere prædas. *Id.* 8. *ibid.* 208. tauros a stabulis. *Catull.* 64. 5. Auratam optantes Colchis avertere pellem. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 37. carâ pisces avertere mensâ. *Dig.* 47. 20. § 1. merces. *Ibid.* 15. 1. 21. peculium. — Huc pertinet *oneris aversi actio* apud JCtos: et dicitur ea, quæ datur adversus nautam, cujus in nave onus seu sarcina aliqua ejus culpa interversa ac surrepta sit. *Alfen. Dig.* 19. 2. 31. An ceteri pro sua parte frumenti cum nauta agere possent oneris aversi actione etc. ¶ 4. Item *avertere aliquem* vel *alicujus animum, mentem, cogitationem, orationem* etc. *ab aliqua re* est alicujus animum vel facultates ab eo, quod agit, avocare. *Plaut. Amph.* 3. 2. 45. Avortere aliquem ab impudicis dictis. *Cic.* 16. *Att.* 7. 5. aliquem ab infamia. *Id. Amic.* 1. 5. animum parumper ab aliquo. *Id. Orat.* 40. 138. animos ab eo, quod agitur. *Id.* 6. *Fam.* 1. 1. cogitationem a miseriis. *Id. Sext.* 31. 67. mentem alicujus a defensione alterius. *Id. Mur.* 21. 43. opinionem populi a spe adipiscendi. *Id.* 8. *Att.* 15. se totum a sermone alicujus. *Liv.* 23. 18. aliquem ab incepto. *Id.* 1. 28. animum a certamine. *Id.* 9. 24. animos a spe recuperandæ arcis. *Id.* 25. 38. animum ab assiduo mœrore. *Id.* 36. 7. In universi belli cogitationem oratione avertere. *Curt.* 10. 9. 7. aliquem ab ordine. *Id.* 8. 13. 18. oculos hostium a custodia alicujus opportunitatis. *Quintil.* 6. 3. 1. animum ab intentione rerum. *Sueton. Ner.* 52. aliquem a philosophia. — Et absolute. *Liv.* 40. 57. *in. fin.* Romanis aversis in Basternarum bellum, recuperaturum se quæ amisisset. *Id.* 43. 18. Ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset. ¶ 5. Item *avertere aliquem* vel *alicujus animum, mentem* etc. *ab aliquo, ab aliqua societate* etc. est alienare. *Cic.* 9. *Att.* 10. Avertere aliquem ab amore. *Id.* 10. *Phil.* 3. 6. Legiones a C. Antonii scelere avertere et ad rempubl. sua auctoritate traducere. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Qua ex re futurum, uti totius Galliæ animi a se averterentur. Adde *Nepot. Alcib.* 4.; *Liv.* 7. 5. et *Curt.* 10. 2. 19. *Cæs.* 1. *B. C.* 4. Avertere se totum ab amicitia alicujus. *Id.* 3. *ibid.* 79. civitates ab alicujus amicitia. *Sall. Jug.* 89. oppida ab hostibus. *Id. ibid.* 119. animos popularium. *Id.* in *fragm. Epist. Mithrid. ad Arsac.* aliquem per dolum concessione alicujus rei. *Catull.* 64. 407. mentem deorum alicui. — Huc pertinent et illa *Virg.* 8. *Ecl.* 66. Sacris magicis avertere sensus sanos alicujus. *h. e.* incantamentis a sanitate mutare, pervertere. *Quintil.* 6. 1. 7. Sic a vero judicem averti. *Stat.* 7. *Theb.* 110. animumque avertere veris. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 92. *Petron. Satyr.* 110. Libidine averti usque ad furorem. *h. e.* præ libidine a recto et honesto discedere usque ad furorem. — Hinc Part. præter. pass.

Aversus, a, um, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Aversior* et Sup. *Aversissimus* sub *B.* b.

A) Proprie stricto sensu ut verbum usurpatur hoc Participium. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 80. 82. (193). Aversus fluminum cursus. *Id.* 4. *ibid.* 12. 28. (89). sol. *h. e.* qui jam occidit. — Adjective *aversus* est qui in posteriorem partem versus est; cui opponitur *adversus*, ut apud *Cic.* 2. *Orat.* 63. 256. Si tu et adversus et aversus impudicus es. Item apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 47. (131). Ab aversa parte. cui *opponitur* a priori. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 1. 2. 27. Sed dextrovorsum aversa it in malam crucem. *Galba* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. 3. Aversos equites aggredi. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. Aversum hostem videre. *Id.* 2. *ibid.* 26. Aversus ab hoste circumveniri. *Nepos Datam.* 11. Aversum ferro transfigere. *Liv.* 33. 8. et *Curt.* 4. 15. 21. Aliquos aversos cædere. *Liv.* 1. 27. Aversum hostem invadere. *Id.* 1. 7. Aversos boves in speluncam trahere. Adde *Propert.* 4. 9. 12. *Curt.* 4. 15. 22. Averso alicui instare. *Varro* 2. *R. R.* 2. 11. Averso sole pecus agere. *Virg.* 6. *Æn.* 224. subjectam more parentum Aversi tenuere facem. *Ovid. Heroid.* 12. 63., *Juvenal.* 6. 475. et *Martial.* 11. 43. Aversum vel aversam jacere. Cf. *Capitolin. Albin.* 11. Aversa Venus. *V.* VENUS. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Ursi arborem aversi derepunt. *Id.* 11. *ibid.* 45. 103. (250). et 28. *ibid.* 4. 11. (45). Aversa manus. *h. e.* inversa. *Val. Flacc.* 4. 332. averso siccabat vulnera cæstu. *Quintil.* 11. 3. 104. Averso pollice. *Martial.* 8. 62. Scribere in charta aversa. *h. e.* in tergo, ut ait *Juvenal.* 1. 6. — *b*) Construitur — Cum præp. *ab* et Ablat., ut Participium. *Cic.* 15. *Fam.* 4. Cum viderem copias a Cappadocia aversas. *h. e.* quæ terga verterant Cappadociæ et ab ea discesserant. — Adjective. *Virg.* 4. *G.* 423. juvenem in latebris aversum a lumine Nympha Collocat. *Curt.* 4. 10. Aversa ab hoste porta. *Id.* 5. 3. Aversum ab urbe iter. *Colum.* 12. *R. R.* 4. 4. Locus a sole aversus. *Id. ibid.* 52. 13. Status cœli maxime a frigidis ventis aversus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 14. 11. (58). Aversa a sole cornua. — Cum aliis præp. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (11). Homines aversis post crura plantis. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (117). Theatra duo inter se aversa. *h. e.* a postica parte se respicientia. — Cum Dat. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 8. Soli aversa vallis. *Al. malunt legere sole. Tac.* 1. *Ann.* 66. Aversa hosti porta.

B. Translate significat alienum, abhorrentem, iratum, inimicum, contrarium. — *a*) Raro admodum occurrit de animi facultatibus a negotio, in quo versantur, remotis. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Milites aversi a bello. *Liv.* 2. 8. *in fin.* Aversus a proposito. *h. e.* digressus, seu omittens id, quod agebat. — *b*) Sæpissime ponitur de animi sententia, studio, propensione. — Cum præp. *ab* et Ablat. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Motus aversi a ratione et inimicissimi mentis. *Id.* 3. *Cat.* 9. 21. Aversus a vero. *Id. Arch.* 9. 20. a Musis. *Id.* 11. *Att.* 5. 4. Quintus aversissimo a me animo – fuit. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 2. Di aversi a salute populi Romani. *Liv.* 37. 7. Vir a comitate aversus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 4. a venereis amoribus. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. a contubernio uxoris. *Al. omittunt præp., inter quos et* Forcellinus. *Quintil.* 5. 12. 19. Aversa ab opere suo providentia. *Seneca Ep.* 50. Aversissimus ab istis prodigiis sum. *Scribon. Compos.* 186. Aversus ab omni esca stomachus. — Cum Ablat. sine præp. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 107. Aversus mercaturis. *Id.* 2. *Od.* 4. 19. Aversa lucro. *V.* et *Colum.* paullo sup. allatum. — Cum Dat. *Tac.* 14. *Ann.* 26. Quosque nobis aversos animi cognoverant. *animi* est Genit. more Græc., al. tamen leg. *animis*. — Absolute. *Liv.* 7. 3. Velut aversis jam dis aspernantibusque placamina iræ. *Id.* 24. 26. Aversis auribus animisque. *Tibull.* 3. 3. 28. Aversâ aure audire. *Virg.* 2. *Æn.* 170. fractæ vires, aversa deæ mens. *Id.* 12. *ibid.* 647. Aversa voluntas. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 29. aversos componere amicos. *Curt.* 9. 2. 30. Aversi animi. *Tac.* 4. *Hist.* 80. animus. *Seneca* 2. *de Ira* 24. Vultus aversior. *Petron. Satyr.* 141. Stomachus aversus. *h. e.* cibum fastidiens. — Hinc

Aversum, i, n. 2. absolute substantivorum more usurpatur, sed fere cum aliqua præpos. — *a*) Raro admodum in num. sing. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 101. (248). Suffraginum artus in aversum. *Id. ibid.* 47. 107. (256). Circumagere collum in aversum. — *b*) Sæpius in plur. num. *Liv.* 5. 29. Liberam per aversa urbis fugam dare. *Id.* 37. 26. Circumvehi ab urbe ad aversa insulæ. *Vellej.* 2. 63. Per aversa castrorum. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (41). Obtinere aversa montis. *Id.* 37. *ibid.* 8. 33. (110). Nasci post aversa Indiæ. *h. e.* ultimas et longinquiores regiones Indiæ.

ĂVĬA, æ, f. 1. (avus) est

A) Patris vel matris meæ mater (It. *avola, nonna*; Fr. *grand'-mère, aïeule*; Hisp. *abuela*; Germ. *die Grossmutter*; Angl. *a grandmother*). *Dig.* 38. 10. 10. § 13. Avia tam paterna, quam materna. Adde *ibid.* 50. 16. 51. *Plaut. Truc.* 4. 3. 34. Matres duas habet et avias duas. *Curt.* 3. 11. 25. Anus avia. — Metonymice. *Pers.* 5. 92. Dum veteres avias tibi de pulmone revello. *h. e.* inveteratas et diu conceptas animo opiniones, quas vel ab avia puer didicisse videri potes.

B) Est etiam nomen cujusdam herbæ. *Colum.* 6. *R. R.* 11. 6. *ex Celso.* Herba, quæ vocatur avia, cum sale trita et imposita. *Veget.* iisdem utitur verbis 4. *Veter.* 14. 2. et 15. 4. — Si divinare quis velit, non absurde dicere possit, aviam esse eamdem ac senecionem, quam ita appellarunt Latini, quod vere canescat, et ob id ipsum Græci ἠριγέροντα. Juvat hanc conjecturam *Apul. Herb.* 74., ubi tradit, senecionis flores a Græcis πάππους vocari, a nobis anus dici posse. *Pontedera Antiq. Græc. Latin.* p. 512. aviam apud *Colum.* dictam putat errore librarii, quæ apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 14. 16. (37). *lamia* seu *lamium* appellatur. At *Schneiderus* neutrum probat.

ĂVĬĀRĬUM, ii, n. 2. (ab *avis*, ut docet ipse *Varro* 8. *L. L.* 54. *Müll.*) locus in quo aves versantur et degunt. — *a*) De avium cubilibus in silvis. *Virg.* 2.

G. 430. Sanguineis inculta rubent aviaria baccis. Adde Servium ad h. l. et Isid. 17. Orig. 6. 9. — b) Saepius est locus conclusus, in quo aves altiles custodiuntur et aluntur; de quo multa Varro. 3. R. R. 3. 7. et 5. 1. et seq., ubi docet hoc nomine primum significatam esse eam villæ partem, quæ et gallinis et columbis alendis assignata erat; postea ita dictum esse locum, in quo alebantur delicatiores aves, ut turdi, pavones et hujusmodi, ad luxum cœnarum. Cf. eumd. 1. ibid. 58. 2. Colum. vero 8. R. R. 1. 3. tradit, aviaria appellari etiam piscinas, in quibus nantes volucres servantur, ut anates, anseres; quamvis hæc loca proprium insuper nomen habeant. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 1. § 1. Nihil ei restabat præter balnearia et ambulationem et aviarium. Plin. 10. Hist. nat. 50. 72. (141). Aviaria primus instituit inclusis omnium generum avibus M. Lænius Strabo, equestris ordinis, Brundusii. Eadem narrat Varro 3. R. R. 5.

ĂVĬĀRĬUS, a, um, adject. ad aves pertinens. Varro 3. R. R. 5. 13. Pro pariete rete aviarium est objectum.

ĂVĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui aviarii curam gerit. Colum. 8. R. R. 3. 4. de gallinariis. Aviarius subinde debet speculari aut incubantis, aut parturientis fetus. Adde eumd. 8. ibid. 5. 14. et 11. 12. Inscript. apud Murat. 971. 6., quæ est apud Orell. 2860. PRISCVS L. VARI AMBIBOLI AVIARIVS ALTILIARIVS. h. e. qui altilia curat et farcit, qui et fartor avium dictus est.

ĂVĬĀTĬCUS, a, um, adject. ad avum et aviam pertinens. Consultat. vet. JCti a Schulting in Jurisprud. ante-justin. edita p. 822. Luce clarius constitit patefactum, circa nepotem munus aviaticum perpetua liberalitate mansurum. Respons. Papian. tit. 22. Sciendum tamen, donationes tam aviaticas, quam nuptiales gestorum solemni allegatione firmandas. V. Ducang. Lex. med. et inf. Latinit.

AVICELLA. V. AUCELLA, et voc. seq.

ĂVĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. ab avis, parva avis. Varronis tempore hæc vox nondum usuvenerat; ipse enim ait 8. L. L. 79. Müll. Item minima in quibusdam non sunt, ut avis, avicula, avicella. Gell. 2. 29. Aviculæ nidulus. Apul. 11. Met. p. 260. Aviculæ canoræ. Cœl. Aurel. 1. Tard. 1. Dabimus (ægrotanti) et aviculas, ut sunt turdi etc. — NB. Quidam putarunt esse etiam deminutivum ab avia, afferentes illud Cic. Flacc. 36. extr. Festivus filius aviculæ minime suspiciosæ etc. Sed ibi legendum est aniculæ.

ĂVĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. idem quod aviarius, apud Apic. 8. 7.

ĂVĬDĒ, adverb. (avidus). Comp. Avidius, Superl. Avidissime. — Avide est cum aviditate, cupide (It. avidamente, bramosamente; Fr. avidement; Hisp. codiciosamente; Germ. mit leidenschaftlichem Verlangen, auf hastige oder gierige Art und Weise; Angl. eagerly, earnestly, ravenously). Ennius apud Varron. 6. L. L. 83. Müll. Jamdudum ab ludis animus atque aures avent avide expectantes nuncium. Cic. 12. Att. 41. 2. Avide sum affectus de fano. h. e. vehementer cupio, ut fanum fiat. Id. Senect. 8. 26. Græcas litteras sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. Id. ibid. 20. 72. Avide appetere aliquid. Id. 12. Fam. 4. 2. et 16. Att. 10. 2. Avide expectare aliquid. Id. 14. Phil. 1. 1. Avidissime expectare aliquid. Lucret. 4. 1102. Avide affligere corpus. Liv. 28. 27. Avide credere aliquid. Id. 2. 6. se offerre certamini. Id. 34. 15. Extra ordinem avidius procurrere. Id. 23. 18. Avidius immergere se in voluptates. Id. 41. 2. Vino ciboque corpora avidius onerare. Horat. 1. Sat. 6. 127. Avide prandere. Ovid. 3. Art. am. 659. edere. Curt. 7. 5. 8. haurire humorem. Id. 3. 6. 17. Avidius intueri aliquem. Id. 4. 16. 29. persequi. Sueton. Tib. 59. Avide bibere. Id. Cal. 18. Hilarius et avidius vesci. Plin. 17. Hist. nat. 2. 2. (12). Avide esurire. Id. 5. ibid. 1. 1. (4). Avidissime credere aliquid. Id. 14. ibid. 22. 28. (147). Avidissime apprehendere palmam. Petron. Satyr. 111. Avide replere se cibo. Id. ibid. 22. Avidius cicari.

ĂVĬDĬTAS, ātis, f. 3. (avidus). In plur. num. occurrit apud Plin. 11. Hist. nat. 6. 5. (15). Alveum illinunt amarioribus succis contra aliarum bestiolarum aviditates. Adde eumd. 20. ibid. 21. 84. (227)., quem locum in fine hujus vocis attulimus. — Aviditas est cupiditas, desiderium (It. avidità, brama, voglia ardente; Fr. desir vif, avidité; Hisp. golosina, deseo desreglado; Germ. die Hast, Gier, Begierde; Angl. ardent desire, eagerness, avidity). Occurrit — a) Generatim atque relative, h. e. addita re, in quam cupiditas fertur, — Per Genit. Cic. Senect. 14. 46. Senectus mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Id. 3. Fin. 2. 7. Inexhausta aviditas legendi. Id. 1. ad Q. fr. 1. 16. § 45. Infinita aviditas gloriæ me tenet. Id. Parad. 6. 1. § 43. Aviditas pecuniæ. Liv. 31. 48. rapiendi per occasionem triumphi. Plin. 12. Hist. nat. 14. 32. (61). diripiendi. Tac. 1. Hist. 52. imperandi. Id. 3. ibid. 16. navandæ operæ. — Per Accus. et præpos. ad. Plin. 20. Hist. nat. 16. 65. (173). Aviditas ad cibos. Id. 17. ibid. 18. 30. (134). ad coitus. — b) Speciatim atque absolute; ita tamen ut ab ipso orationis contextu cujusmodi sit aviditas, qua de agitur, pateat. — Ponitur pro nimia pecuniæ aviditate. Plaut. Merc. prol. 29. Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria. Cic. 2. Off. 11. 38. Ad divitias plerique inflammati aviditate rapiuntur. Adde eumd. 5. Phil. 7. 20.; Liv. 28. 38. et Tac. 1. Ann. 65. Huc pertinet et illud ejusdem Tac. 2. Hist. 93. Aviditas fluminis. — Item pro appetentia cibi; de qua Cels. præfat. p. 8. 13. Ritt. Plin. 23. Hist. nat. 1. 7. (12). Uvæ in ollis servatæ et os et stomachum et aviditatem excitant. Adde 31. ibid. 9. 45. (98). Id. 23. ibid. 8. 75. (144). Amygdalæ aviditatem faciunt. Id. 20. ibid. 7. 26. (64). Lactuca in cibis aviditatem incitat inhibetque eadem. — Item pro dominandi cupiditate. Curt. 7. 8. 12. Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent; orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. — Denique et pro appetitu venereo. Plin. 20. Hist. nat. 21. 84. (227). Adeo malvæ Veneri nascuntur, ut semen unicaulis aspersum genitali feminarum aviditates augere ad infinitum Xenocrates tradat.

ĂVĬDĬTER, adverb. avide. Valerius Antias apud Arnob. 5. 1. Invadere aviditer pocula. Apul. 4. Met. 7. Merum ventri aviditer ingurgitare.

ĂVĬDUS, a, um, adject. (aveo) Comp. Avidior et Sup. Avidissimus sub A. a. — Avidus est cupidus (quamquam hæc inter se differant, ut infra dicemus in Homonym.), vehementer appetens (It. avido, bramoso, voglioso; Fr. qui désire, avide; Hisp. avido, codicioso; Germ. gierig, hastig auf etwas, leidenschaftlich verlangen nach etwas; Angl. eager, earnest, ardent in the pursuit of, desirous, greedy). Occurrit A) Relative et B) Absolute.

A) Relative, hoc est addita re, cujus quis est avidus. — a) Cum Genit. Pluribus jungitur nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus, Comparativum et Superlativum ad finem subjicientes. Ovid. 1. Met. 161. Avidus belli. Sall. Jug. 35. belli gerundi. Cic. 3. Phil. 1. 2. celeritatis. Curt. 4. 16. 23. certaminis. Ter. Eun. 5. 4. 16. cibi. Curt. 5. 1. 19. cognoscendi regem. Id. 4. 8. 3. cognoscendæ vetustatis. Sall. Jug. 13. divitiarum. Cf. Ovid. 1. Trist. 2. 75. divitias sine fine parandi. Horat. A. P. 172. futuri. Curt. 4. 7. 29. gloriæ. Sall. Jug. 15. honoris. Cic. pro leg. Manil. 3. 7. laudis. Horat. 1. Od. 18. 11. libidinum. Sall. apud Servium ad Virg. 9. Æn. 343. malefaciundi. Plin. 12. Hist. nat. 1. 5. (12). novitatis. Cf. Liv. 1. 8. novarum rerum. Id. 8. 30. et 39. 50. pœnæ. Sall. Jug. 13. potentiæ. Tac. 13. Ann. 6. sermonum. Cic. 3. Phil. 1. 2. victoriæ. Ovid. 10. Met. 57. videndi. Justin. 9. 8. vini. Cic. Senect. 12. 39. voluptatis corporis. — Comp. Cic. 9. Fam. 14. 2. Avidior gloriæ. Sall. fragm. 4. Hist. 30. properandi. Ovid. 1. Met. 161. cædis. — Superl. Cic. Marcell. 8. 26. Avidissimus gloriæ. Sall. in orat. Cott. p. 167. 17. ed. Orell. privatæ gratiæ. — b) Cum Infinito. Ovid. 10. Met. 472. avidus cognoscere amantem. Id. 5. ibid. 75. committere. Plin. 7. Hist. nat. 55. 56. (189). Avidus numquam desinere. Lucan. 6. 696. Et Chaos innumeros avidum confundere mundos. — c) Cum præp. ad aut in et Accus. aut Ablat. Ter. Eun. 1. 2. 51. Ejus frater aliquantum ad rem est avidior. Liv. 22. 21. Hispanorum inquieta avidaque in novas res ingenia. Id. 5. 20. Avidæ in direptiones manus. Tac. 2. Hist. 56. Avidus in omne fas et nefas. Cic. 5. Phil. 8. 22. Avidus in pecuniis locupletium. — d) Cum Dat., aut cum Genit. rei, qua quis est avidus. Tac. 1. Hist. 7. Servorum manus subitis avidæ. Lucret. 4. 595. Humanum genus est avidum nimis auricularum.

B) Sæpe etiam absolute ponitur, ita tamen ut ex ipso orationis contextu, cujus rei quis sit avidus, pateat. — 1.) Generatim. Cic. Orat. 29. 104. Avidæ et capaces aures. h. e. avidæ audiendi. Cf. Ovid. 3. Pont. 9. 19. Avidis auribus captare aliquid. Catull. 66. 83. Avidus amor. Horat. 2. Od. 2. 9. spiritus. Id. 3. ibid. 4. 58. Vulcanus. Ovid. 7. Met. 143. amplexus. Id. 3. Trist. 11. 58. cor. Id. Heroid. 9. 161. pectus. Id. 1. Trist. 11. 31. rapina. Curt. 6. 9. 11. spes regni. Id. 5. 7. 4. Rex quoque fuit avidior, quam patientior. Plin. 14. Hist. nat. 22. 28. (141) Avidi oculi. Tac. 1. Ann. 51. legiones. — 2.) Speciatim. — a) Ponitur pro nimis cupido pecuniæ. — Adjective. Plaut. Pers. 2. 3. 14. Triparcos homines, vetulos, avidos. Id. Pseud. 5. 2. 24. Novi: me dices avidum esse. Id. Trin. 4. 1. 6. Avidis moribus esse. Id. Aulul. prol. 9. Avido ingenio esse. Ter. Heaut. 3. 2. 15. Sed habet patrem quemdam avidum, miserum atque aridum. Cic. 2. Orat. 43. 82. Animus gratus, non appetens, non avidus. Lucret. 3. 71. Divitias conduplicant avidi. Horat. 2. Sat. 3. 151. Heres avidus. Id. 4. Od. 7. 19. Avidæ manus heredis. Id. 1. ibid. 28. 18. Avidi nautæ. Curt. 5. 1. 6. Gens avidissima. — Substantivorum more. Cic. Rosc. com. 7. 21. Callidum imperitus, liberalis avidum fraudavit. — b) Item avidus est cibi vinique appetens. Horat. 1. Sat. 5. 75. Avidi convivæ. Adde eumd. 3. Od. 23. 4. Ovid. 11. Met. 123. avido dapes convellere dente. — c) Hinc a Poetis avidæ dicuntur etiam feræ cibi et sanguinis appetentes. Ovid. Heroid. 9. 37. leones. Id. 1. Trist. 1. 78. lupus. Id. 4. Met. 724. morsus. Lucan. 6. 487. tigris. — d) Item a Poetis avida dicuntur ea omnia, quæ in rerum naturâ alia corripiunt et quodammodo vorare videntur. Lucret. 1. 1030. et Horat. 1. Od. 28. 18. Avidum mare. Lucret. 6. 1235. morbus. Tibull. 1. 3. 4. manus mortis. Ovid. 14. Met. 75. Charybdis. Id. Heroid. 4. 15. et 9. Met. 234. ignis. Id. 9. Met. 172. flammæ. — e) Denique in illo Lucret. 5. 201. quantum cœli tegit impetus ingens, Inde avidam partem montes silvæque ferarum Possedere etc. avidam partem interpretari possumus vastam, ingentem, quia avidus magna appetit: nisi malis esse hypallagen, et avidam partem dici, hoc est avide occupatam. Al. leg. aliam, al. habitant. Similiter apud eumd. 2. 1064. et 5. 471. avidum complexum ætheris intelligunt nonnulli vastum, ingentem.

Homonym. Avidus et cupidus inter se differunt. Cupidus enim est qui aliquid vehementer optat seque voti compotem futurum confidit; avidus vero est qui temere et festino ardoris impetu in optata fertur ac rapitur; ideoque cupidus interiorem animi affectum, avidus exteriorem corporis actum potius significat. Cic. Senect. 8. 26. Græcas litteras sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. Cf. Tac. 1. Hist. 7. Servorum manus subitis avidæ et tamquam apud senem festinantes.

AVILLAS agnus recentis partus. Hæc Paul. Diac. p. 14. 7. Müll. At Forcellinus legendum putavit anillas, quod pro ovillas esse ajebat: ductum enim videbatur ab ἄρνες, quasi anillas sit pro arnillas.

ĂVĬPES, ĕdis, comm. gen. idem atque alipes, qui pedibus velocibus instar avis alis præditus est. Serenus apud Capell. 5. p. 109. Peritavit (corrige periit, abiit) avipedis animula leporis. Eumdem versum proceleusmaticum adducunt, omisso auctoris nomine, Terentian. p. 2415. et Victorin. bis p. 2546. et p. 2595. Putsch. Alii perperam legunt alipedis.

ĂVIS, is, f. 3. In Ablativo singulari potest avi vel ave dici sine reprehensione, ut Varro 8. L. L. 66. Müll., Priscian. 7. p. 765. Putsch. et Rhemn. Palæmon. p. 1371. Putsch. docent: quamquam Charis. 1. p. 98. Putsch. id negare videatur. Ovid. 2. Amor. 6. 62. Ora fuere mihi plus ave docta loqui. — Ratione habita etymi, conjungenda est hæc vox cum Gr. ἀετός aquila et ἄημι spiro, sibilo juxta Döderlein. Latein Synonym. T. 6. p. 33.; sed juxta Furlanetto cum Hebr. עוֹף oph, volucer. — Ceterum avis est volucris omnis, quæ ova parit et pennis prædita est: itaque hoc nomine veniunt etiam gallinæ, anates, anseres: hinc Paul. Dig. 32. l. 63. docet, avibus legatis, anseres, phasianos et gallinas et aviaria deberi. Unus Varro 3. R. R. 16. 3. apes aves appellat. Differunt autem inter se avis, volucris et ales, ut infra dicemus in Homonym. (It. augello; Fr. oiseau; Hisp. ave, pasaro; Germ. der Vogel; Angl. a bird, fowl). Occurrit ¶ 1. Generatim. — a) De avium natura variisque generibus, itemque de variis avium volandi ratio-

nibus fuse et curiose agit *Plin.* 10. *Hist. nat.* 1. 1. (1). et seqq. De avium, præcipue domesticarum, cultura disserit *Varro* 3. *R. R.* 3. et seqq. et *Colum.* 8. *R. R.* 1. et seqq. — *b)* *Plaut. Capt.* 1. 2. 7. Liber captivus avis feræ consimilis est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 70. 144. *de aquila.* Ista enim avi volat nulla vehementius. *Virg.* 3. *G.* 328. Avia dum resonant avibus virgulta canoris. Adde *Cic.* 4. *Herenn.* 21. 29. *Horat. Art. P.* 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. *Id.* 1. *Ep.* 3. 19. Grex avium. *Id.* 3. *Od.* 1. 20. Avium cantus. *Lucret.* 5. 1378. et *Quintil.* 1. 6. 37. Avium voces. *Quintil.* 5. 9. 16. Concentus avium. — *c)* Pluribus jungitur Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 26. Avis aeria. *Horat. Epod.* 2. 53. Afra. *Liv.* 5. 6. æstivæ. *Propert.* 1. 18. 30. arguta. *Virg.* 2. *G.* 320. candida. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 22. fluminea. *Virg.* 12. *Æn.* 248. littoreæ. *Plaut. Rud.* 3. 4. 65. magnæ. *Ovid.* 2. *Met.* 564. noctis avis. *h. e.* noctua. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 36. (73). percones, semestres, trimestres. *Horat.* 4. *Od.* 4. 2. vagæ. *Propert.* 3. 11. 32. varia. *h. e.* variis coloribus prædita. — *d)* *Alba avis* proverb. de re admodum rara et fausta. Paucæ enim eo colore aves sunt. *Cic.* 7. *Fam.* 28. 2. Quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre. *V.* ALBUS I. 1. — *e)* In illo *Plaut. Pæn.* 5. 2. 15. Sed quænam illæc est avis, quæ huc cum tunica advenit? *avis* dicitur tunicatus homo, et in tunica habens manicas alarum instar. ¶ 2. Speciatim de avibus, — *a)* Qua præcipuum habebant in auguriis locum. *Nævius* apud *Probum* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Postquam avem aspexit templo Anchises. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam Solus avem servat. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160.; *Liv.* 1. 12.; *Ovid.* 4. *Fast.* 814. aliosque. Hinc — *b)* *Bona*, *secunda* etc. *avis* pro bono omine, *adversa*, *mala* etc. pro malo ponitur. *Plaut. Cas.* 3. 4. 26. Qua non ego hunc amorem mihi esse avi dicam datum. *Id. Epid.* 2. 2. 2. Avi sinistrâ exire. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 29. Adversâ avi solvere. *Liv.* 6. 12. Dii, qui secundis avibus in prælium miserint. *Horat.* 1. *Od.* 15. 5. Malâ ducis avi domum etc. *Tibull.* 2. 2. 21. Hac avi. *Ovid.* 1. *Fast.* 513. Este bonis avibus visi natoque patrique. *Id.* 5. *Met.* 147. Falsâ avi. *Id.* 2. *Amor.* 6. 32. Obscenæ aves. *Claudian. in Eutrop.* 2. 230. Dira avis. ¶ 3. Avis est etiam signum cæleste, scilicet aquila. *Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 112. Inde est ales Avis lato sub tegmine cœli.

Homonym. *Volucres*, *aves* et *alites* differunt. *Volucres* enim appellantur omnia prorsus animalia, quæ volant, ac propterea vespæ quoque, muscæ, papiliones et cetera hujusmodi, volucres sunt etiam ipsa, haud aliter quam gallinæ, anates etc; *aves* vero, ut diximus, sunt volucres omnes, quæ ova pariunt et pennis præditæ sunt; *alites* (*h. e.* quæ alis eunt) speciatim a poetis et in re augurali dicuntur aves majores, ut aquila, et illæ a quibus auspicia capiebantur, qua postrema significatione *alitibus* opponuntur *oscines* quippe in alitibus volatus, in oscinibus cantus et tripudium observabatur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 410. Jovis in multas devolat ales aves. *Horat.* 4. *Od.* 4. 1. Qualem ministrum fulminis alitem, Cui rex deorum regnum in aves vagas Permisit etc. *Virg.* 12. *Æn.* 247. volans rubra fulvus Jovis ales in æthra Littoreas agitabat aves. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Aves quasdam et alites et oscines, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus. Cf. *eumd.* 1. *Divinat.* 53. 120. et 6. *Fam.* 6.

AVĬSPEX, ispicis, qui aves inspicit auguriis capiendis. *V.* EXTISPICUS.

ĂVĪTĒ, adverb. ab avo. *V.* PATRICE. *Tertull. advers. Valentinian.* 39. Dominus Jesus filius hominis avite pronunciatus. *Alii tamen aliter legunt et quidem rectius.*

ĂVĪTĬUM, ii, n. 2. grex avium, quemadmodum *servitium* servorum turbam significat. *Apul. Florid. sub fin.* Tam pulcra ales, quæ ex omni avitio longe præcellit.

ĂVĪTUS, a, um, adject. (avus) qui ab avis et majoribus nostris ad nos pervenit, ad avos majoresque pertinens (It. *degli avi, avito*; Fr. *du grand-père, des aïeux*; Hisp. *de l'ahuelo*; Germ. *vom Grossvater herrührend, grossväterlich*; Angl. *relating to a grandfather or other ancestor*). Occurrit — *a)* Fere de hominibus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 30. 82. Paternæ atque avitæ possessiones. *Id. Cæcin.* 14. 34. Bona paterna et avita. *Id.* 1. *Verr.* 5. 13. Res patrita et avita. *Id.* 1. *Tusc.* 19. 45. Patria atque avita philosophia. V. *Klotz* ad h. l. *Id.* 13. *Fam.* 34. Avitum mihi hospitium est cum Lysone. *Id. pro leg. Manil.* 8. 12. et *Liv.* 1. 15. Avitum regnum. *Varro* apud *Non. p.* 161. 5. *Merc.* Avitus ac patritus mos. *Liv.* 1. 6. Avitum malum regni cupido. *Catull.* 68. 121. et 25. 8. Avitæ divitiæ. *Propert.* 2. 19. 23. Sanguine avito nobilis. *Id.* 4. 11. 29. Avita tropæa. *Virg.* 7. *Æn.* 169. et *Ovid.* 6. *Met.* 650. solium. *Horat.* 1. *Od.* 12. 43. fundus. *Id.* 1. *ibid.* 37. 6. cellæ. *Ovid.* 6. *Met.* 239. aviti nominis heres. *Id.* 1. *Fast.* 43. Avitæ umbræ. *Id.* 2. *Art. am.* 696. merum. *h. e.* vetus, quasi ab avis conditum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (117). spes. *Justin.* 1. 1. gentium mos. *Tac.* 2. *Ann.* 38. nobilitas. — *b)* De brutis animalibus. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 4. Ubi asinâ et onagro natus admittitur equæ, quidquid ex eo provenit, paternam formam et modestiam, fortitudinem celeritatemque avitam refert. *Id. ibid.* § 7. Avitus color. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

ĀVĬUS, a, um, adject. (ab et via) qui est sine via vel a via remotus (It. *senza strada o lontano dalla strada, che fuorvia*; Fr. *éloigné du chemin, écarté, détourné*; Hisp. *apartado del camino*; Germ. *vom Wege ab liegend oder befindlich, vom Wege seitwärts oder abseits liegend oder sich befindend*; Angl. *without way or passage, devious, unfrequented*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de loco, qui est sine via vel a via remotus. *Plaut. Aulul.* 4. 6. 8. Avius lucus. *Lucret.* 1. 925. et 4. 1. loca. *Id.* 2. 144. et 5. 1385. nemora. *Sall. Jug.* 58. Nocturnis et aviis itineribus Metellum sequitur. Cf. *Sueton. Aug.* 96. *Liv.* 9. 19. Avia commeatibus loca. *Virg.* 3. *G.* 328. Avia tum resonant avibus virgulta canoris. *Horat.* 1. *Od.* 23. 2. et *Curt.* 9. 4. 25. Avii montes. *Curt.* 4. 16. 14. lacuna. *Vellej.* 2. 55. 4. solitudines. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 73. valles. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de persona quæ a via recedit. *Virg.* 12. *Æn.* 480. volat avia longe (*Juturna*). Cf. *eumd.* 11. *ibid.* 810. Continuo in montes sese avius abdidit altos, Occiso pastore, lupus. — Hinc

II.) Translate. ¶ 1. Avius dicitur qui a recto rationis, virtutis etc. tramite aberrat. *Lucret.* 2. 81. Avius a vera longe ratione vagaris. Adde 2. 229. et 740. *Id.* 3. 464. Quin etiam morbis in corporis avius errat Sæpe animus: dementat enim deliraque fatur. *Sil. It.* 12. 493. Init nunc avia cœpto Consilia. *h. e.* quæ a cœpto abducunt. ¶ 2. Hinc avius est inusitatus apud *Terentian.* 135. *p.* 2386. *Putsch.* Y quam memorant, vocibus avia est Latinis. — Hinc

Avium, ii, n. 2. substantivorum more usurpatur pro locis aviis. — *a)* Raro admodum in num. sing. *Cic.* 4. *Herenn.* 21. 29. Avium dulcedo ducit ad avium. Cf. *Quintil.* 9. 3. 70. — *b)* Sæpius in plur. num. — Absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 736. namque avia cursu Dum sequor et nota excedo regione viarum etc. *Ovid.* 1. *Met.* 701. et 2. *ibid.* 306. per avia. *Tac.* 6. *Ann.* 21. Per avia ac derupta præire. *Val. Flacc.* 5. 475. horrenda avia. *Sil. It.* 12. 352. latebrosa. — Cum Genit. *Ovid.* 1. *Met.* 479. avia nemorum. *Vellej.* 2. 75. 3. Per avia itinerum vitare militum gladios. *Tac.* 4. *Hist.* 70. Avia Belgarum circumire. *Id.* 13. *Ann.* 37. Avia Armeniæ. *Id.* 2. *ibid.* 15. Oceani. *Et ibid.* 68. saltuum.

ĀVŎCĀMENTUM, i, n. 2. (avoco) id, quo ab aliqua re avocamur et abstrahimur. *Plin.* 8. *Ep.* 23. Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta exemit, excussit, eripuit dolor. *Et ibid.* 5. Admittere avocamenta doloris. Adde *eumd. Paneg.* 82. et *Apul. de Mag.*

ĀVŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. (avoco) actus avocandi et abstrahendi ab aliqua re, qua animus detinetur. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. 33. Levationem ægritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates. *Seneca Ep.* 56. *ante med.* Quæ me sine avocatione circumstrepunt. *h. e.* quin mei attentio animi vel paruper imminuatur.

ĀVŎCĀTOR, ōris, m. 3. qui avocat. *Tertull. Carn. Christ.* 5. *in fin.* Nec mortuorum suscitator, sed vivorum avocator.

ĀVŎCĀTRIX, īcis, f. 3. quæ avocat. *Tertull. Anim.* 1. Vis perniciosissima, omnis veritatis avocatrix.

ĀVŎCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĀVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ab et voco). Part. *Avocans* II. 1. *b.*; *Avocatus* I. *b.* et II. 1. *c.*; *Avocandus* II. 1. *b.* — Avoco proprie est aliquem a loco aliquo revoco (It. *chiamare altrove*; Fr. *rappeler, éloigner par la parole*; Hisp. *llamar hácia*; Germ. *ab-fort-oder wegrufen*; Angl. *to call off or away, call aside*).

I.) Proprie et stricto sensu occurrit *a)* Addito unde quis avocatur. *Messala* apud *Gell.* 13. 15. Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest. *h. e.* concionem abducere a magistratu, qui eam advocavit. *Id. ibid. sub fin.* Nec avocare alius alii posset, si concionem habere vellet. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 31. Avocare milites a signis. *Petron. Satyr.* 72. canem cibo. — *b)* Addito, quo quis avocatur. *Liv.* 3. 63. Avocare senatum in prata Flaminia. *Id.* 1. 6. pubem Albanam in arcem. *Id.* 4. 61. Pars tribunorum ad Volscum avocata bellum.

II.) Improprie. ¶ 1. In plurimis usurpatur dicendi rationibus atque abstractis sæpissime jungitur; et significat aliquem a re, in qua versatur vel qua detinetur, abstrahere, abducere, avertere. — *a)* Addito unde quis avocatur, per Ablat. et præp. *ab.* *Cic.* 2. *Phil.* 10. 22. Nihil prætermisi, quin Pompejum a Cæsaris conjunctione avocarem. *Id. Rosc. Am.* 32. 90. Quos jam ætas a prœliis avocabat. *Id.* 2. *Phil.* 45. 115. Ne metus quidem te a fœdissimis factis potest avocare. *Id. Arch.* 6. 12. Avocare aliquem ab alicujus tempore aut commodo. *Id.* 3. *Tusc.* 16. 35. a contuendis malis. *Id.* 2. *Legg.* 4. 9. Vocare aliquem ad recte facta et avocare a peccatis. *Id. Fat.* 5. 11. a vitiis. *Id. Harusp. resp.* 9. 18. Deterrere atque avocare animos a religione. *Id. Balb.* 26. 59. aliquem a certamine et contentione. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 15. Avocare philosophiam a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, et ad vitam communem adducere. *Id. Orat.* 14. 45. Avocare controversiam a propriis personis et temporibus. Adde *Quintil.* 3. 5. 15. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 49. 111. Avocare se a corpore. Cf. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 5. animum ac cogitationem suam a rebus. — Et absolute sine Accus. *Cic. Senect.* 5. 15. Senectus avocat a rebus agendis. *Id.* 1. *Fin.* 1. 2. Avocare a philosophia omnino. — *Nepos Epam.* 5. Avocare aliquem a bello. *Al. leg.* sevocare. *Quintil.* 10. 3. 23. aliquem ab intentione operis destinati. *Sueton. Aug.* 40. plebem a negotiis. — *b)* Addito, quo quis avocatur. *Liv.* 37. 9. Ad Antiochum multitudinis animos avocantibus. *aliquot MSS. Cod. leg.* advocantibus. *Seneca Ep.* 56. *ante med.* Animum cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa. *Quintil.* 6. 4. 20. Avocandus judex in aliam quæstionem. — *c)* Absolute est animi attentionem alio flectere, animum relaxare. *Seneca Ep.* 56. *ante med.* Magis mihi vox avocare videtur, quam crepitus. *Plin.* 9. *Ep.* 2. Quæ (*negotia*) simul et avocant animum et comminuunt. Adde *ibid.* 36. *Seneca Consol. ad Polyb.* 36. *sub fin.* Luctum suum intempestivis avocare lusibus. *Arnob.* 7. 8. Parvuli pusiones, ut abstineant ploratibus, passerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare se possint. ¶ 2. Item est rem aliquam alio asportare, abducere, auferre. *Quintil.* 9. 1. 10. Avocare arma. Similiter *avocare aquam alicujus cuniculo vel fossâ* apud *Paul. Dig.* 39. 2. 26. est ab una in aliam partem derivare et abducere. Ita enim ibi legitur in opt. edition. *Torrentini.* Nam *Haloander* habet *evocare.* Neque aliter *avocare possessionem* est revocare, recipere, auferre ab aliquo. *Scævola Dig.* 22. 3. 6. Ut partem ejus, quod in fraudem datum esset, posset avocare. *Pompon. ibid.* 19. 1. 3. *pr.* Avocare possessionem. Adde *ibid.* 12. 6. 15. § 1. *Paul. Dig.* 35. 2. 1. *a med.* Si legatarius possessionem nactus est et non potest avocari ei res, etc. Hinc ¶ 3. *Avocare factum alicujus* est revocare, efficere ut factum non sit. *Ulp. Dig.* 39. 5. 6.

ĀVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ab et volo). Scribitur etiam *abvolo* et *afvolo*: V. *Paul. Diac.* p. 26. 2. *Müll.* Hinc facilius factum, ut librariorum errore in MSS. Codicibus legatur *advolo* pro *avolo*, ut apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. et 2. *Fin.* 32. 106.; *Liv.* 1. 57.; *Virg.* 11. *Æn.* 712. aliosque. — Part. *Avolans* I. — Avolo est volando fugio, evolo; et proprie ponitur de volucribus (It. *volar via*; Fr. *s'envoler*; Hisp. *volarse*; Germ. *fortfliegen, sich fliegend fortbewegen*; Angl. *to fly away*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. Sublime avolans (*aquila*) Pinnatâ caudâ nostrum adulat sanguinem. *Al. leg.* advolans. *V.* sub init. hujus vocis. Adde *Catull.* 66. 55. et *Sueton. Galb.* 18. *in fin. Cajus Dig.* 41. 1. 5. § 5. Pavones, qui ex consuetudine avolare et revolare solent.

II.) Translate est celeriter fugere; et occurrit — *a*) De personis. *Cic.* 9. *Att.* 10. 3. Experiar certe, ut hinc avolem. *Id.* 1. *Tusc.* 43. 103. *de mortuis.* Hinc avolare. *Virg.* 12. *Æn.* 712. avolat ipse, Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis. *Liv.* 1. 57. Citatis equis avolant Romam. *Id.* 3. 61. Avolat deinde ad equites. *Utroque loc. al.* advolant. *Utraque lectio proba. V.* sub init. hujus vocis. — *b*) De abstractis. *Cic.* 2. *Fin.* 32. 106. Fluit voluptas corporis et prima quæque avolat.

ĀVOLSĬO, ōnis, **ĀVOLSOR**, ōris, **ĀVOLSUS**, a, um, } *V.* **AVULSIO**, **AVULSOR**, **AVULSUS**.

ĀVONCŬLUS, i. *V.* **AVUNCULUS**.

ĀVORSUS, a, um, **ĀVORTO**, vortis, etc. } *V.* **AVERSUS** et **AVERTO**.

ĀVOS, i. *V.* **AVUS**.

ĀVULSĬO *vel* avolsio, ōnis, f. 3. avellendi actus (*It. staccamento, strappata*; Fr. *action d'arracher*; Hisp. *el acto de arrancar*; Germ. *die Abreissung, Absenkung*; Angl. *a plucking off, tearing away*).

I. Proprie. Inter sex modos, quos enumerat *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 9. (58)., quibus arbores et plantæ per artem proveniunt, unus est *avulsio*, qua stolones una cum fibris et radiculis e stirpe vel corpore arboris abscinduntur, et sulcis seu scrobibus mandantur. *Id. ibid.* 13. 21. (98). Sabina herba propagine seritur et avulsione. *Virg.* de hac avulsione intelligendus est 2. *G.* 23. Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum Deposuit sulcis.

II.) Translate. *Cyprian. lib. de mortalit.* 13. Sit de uxore, de liberis, de excedentibus caris funebris et tristis avulsio.

ĀVULSOR *vel* avolsor, ōris, m. 3. qui avellit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 69. (168). *de spongiis.* Intellectum inesse his apparet, quia ubi avulsorem sensere, contractæ multo difficilius abstrahuntur.

ĀVULSUS *vel* avolsus, a, um. *V.* **AVELLO**.

ĀVUNCŬLUS *vel* avonculus, i, m. 2. *Avonculus* legitur in duobus lapidib. apud *Maff. Mus. Ver. p.* 308. 10. et 310. 7. et in alio apud *Murat.* 1441. 6. — Est *deminut. ab* avus; et proprie est minor avus, parvus avus, testibus *Paul. Diac. p.* 14. 1. *Müll.* et *Isid.* 9. *Orig.* 6. 17. Est vox ita vulgaris et familiaris, ut *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 343. eam improbet, tamquam sublimi oratione et epico poemate indignam. — Quamvis autem *avunculus* proprie sit parvus avus; familiari tamen usu factum est, ut *avunculus* sit matris meæ frater, ut docet *Dig.* 38. 10. 10. § 14. (nam patris mei frater *patruus* appellatur): porro dictus videtur avunculus, quasi minor avus, quia minus habet auctoritatis in filios sororis, quam avus in nepotes (It. *zio materno*; Fr. *oncle maternel*; Hisp. *tio materno*; Germ. *der Mutter Bruder*; Angl. *a maternal uncle*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Cic.* 2. *Orat.* 84. 341. P. Tubero Africanum avunculum laudans. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 2. 6.; *Virg.* 3. *Æn.* 343.; *Plin.* 5. *Ep.* 8. et 6. *ibid.* 20.; et *Dig.* l. sup. c. ¶ 2. *Avunculus magnus* est frater aviæ, ut *Cajus Dig.* 38. 10. 1. et *Paul. ibid.* 38. 10. 10. § 15. docent. *Cic. Brut.* 62. 222. M. Drusus tuus magnus avunculus. Quamquam *avunculus magnus* etiam *avunculus* absolute dicitur a *Sueton. Aug.* 8. et 10. et 68. Et contra interdum Latini scriptores ponunt *avunculum majorem* pro *avunculo magno*, hoc est pro fratre aviæ, non proaviæ. Sic *Sueton. Claud.* 3. Augustum vocat avunculum majorem Claudii. Erat autem Augustus frater Octaviæ, ex qua nata est Antonia minor Claudii mater. Eadem ratione C. Julius Cæsar dictator ab eodem *Sueton. Aug.* 7. et *Vellej.* 2. 59. 3. dicitur avunculus major Augusti, licet esset tantummodo avunculus magnus, nempe frater Juliæ minoris, quæ fuit mater Atiæ, ex qua Augustus genitus est. ¶ 3. *Avunculus major* est frater proaviæ, qui et proavunculus dicitur, ut *Paul.* et *Cajus* in *Dig. ll. citt.* docent. *Avunculus* absolute pro *avunculo majore* usurpatur a *Tac.* 4. *Ann.* 75. *V.* et paragr. præced. ¶ 4. *Avunculus maximus* est frater abaviæ, qui et *abavunculus* nominatur. *Paul.* in *Dig. loc. cit.* ¶ 5. Accipitur aliquando *avunculus* latiore significatione pro marito sororis matris meæ. Sic enim adhibetur a *Seneca Consol. ad Helv.* 17.

ĀVUS *vel* avos, i, m. 2. *Avûm* pro *avorum* habet *Stat.* 3. *Theb.* 560. — Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Hebr. אב Abba, *pater.* — Avus est patris, vel matris meæ pater, ut *Paul. Dig.* 38. 10. 10. (It. *avolo, avo, nonno*; Fr. *grande-père*; Hisp. *abuelo*; Germ. *der Grossvater*; Angl. *a grandfather or grandsire*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Plaut. Pers.* 1. 2. 5. Pater, avos (*h. e.* avus), proavos, abavos, atavos, tritavos. *Post tritavos carent proprio nomine et appellantur* majores. *Ter. Phorm.* 2. 3. 48. Progeniem usque ab avo et atavo proferens. *Cic. Mur.* 7. 15. Et proavus L. Murænæ et avus prætores fuerunt. Adde *eumd. Cæl.* 14. 34. et *Dig.* 38. 10. 1. *Sueton. Tib.* 7. et *Cajus* 3. *Instit.* 71. Avus maternus. *Ulp.* 6. 2., et *Paul.* 4. *Sentent.* 8. § 10. et 11. § 2. Avus paternus. ¶ 2. Interdum latiori significatione *avos* dicunt Poetæ quoscumque majores, sive consanguinei sint, sive non. — *a*) De hominibus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 3. Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus, Olim qui magnis legionibus imperitarent. *Forcellinus* hunc locum ad super. paragr. retulit. *Ovid. Heroid.* 16. 173. Plejada, si quæras in nostra gente, Jovemque Invenies: medios ut taceamus avos. *Id.* 4. *Pont.* 8. 17. equites ab origine prima Usque per immensos inveniemur avos. *Id.* 2. *Fast.* 30. Hoc apud intonsos nomen habebat avos. *Id.* 1. *Pont.* 9. 39. Clarum nomen avorum. *Seneca Herc. fur.* 339. Nobiles avi. *Albinov.* 2. 4. Longius annoso vivere dignus avo. *h. e.* homine sene. — *b*) De apibus. *Virg.* 4. *G.* 209. Stat fortuna domus et avi numerantur avorum.

AX

AXAMENTA dicebantur carmina Saliaria, quæ a Saliis sacerdotibus canebantur, in universos semones composita. Nam in deos singulos versus facti a nominibus eorum appellabantur, ut Januli, Junonii, Minervii. Hæc *Paul. Diac. p.* 3. 6. *Müll. Gloss. Cyrill.* Axamenta, στίχοι ἐπὶ [illegible] Ἡρακλέους. Legitur et *assamenta.* Contraria *Paulo Diac.* docuit *Jos. Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.*, nempe assamenta fuisse carmina in unum solum hominem condita, etc. Ejus verba *V.* in **ASSO**, as. *V.* et **ASSAMENTA** et **AXARE**.

AXARE nominare. *Paul. Diac. p.* 8. 9. *Müll.* Sed ibi fortasse legendum est *anaxare.* Legitur et *assare.* Ab hoc videtur duci *axamenta*, fortasse quia in iis nominabantur illi, de quibus ea carmina composita erant. *Scaliger* tamen, quem sequitur *Voss.* in *Etymol.*, *axamenta* seu *assamenta* ideo dicta putat, quia ea carmina in *axibus* seu *assibus*, hoc est tabulis describebantur, quemadmodum Solonis leges ab Atheniensibus (*V.* **AXON**). Quia enim legitime concepta erant illa carmina, propterea non minus ediscebantur a Saliis, quam a Legulejis actiones et juris formulæ: et Cicero ait a pueris prætextatis carmen Saliare, tamquam legitimas formulas, disci solitum. Hæc *Scalig.*

AXE agglomerati universi stantes, id est cohortibus aut legionibus. *Paul. Diac. p.* 25. 18. *Müll.* Illud *axe* quid sit, nemo interpretum docet: nec vero expedire facile est. Hæc *Forcellinus*: at *Müller.* ad *Paul. l. c.* hæc habet: Explicatio a verbis *id est* incipit. Itaque hæc omnia e scriptore quodam, puto e poeta tragico ducta sunt, qui ea versu quadrato potuit comprehendere. *Axem*, militare esse vocabulum, quod genus aciei significet, alii viderunt: similiter *Virg.* 12. *Æn.* 458. densi cuneis se quisque coactis Agglomerat.

AXEĀRIUS, ii, m. 2. qui axibus fabricandis artificium exercet, vel qui axes vendit. *Inscript.* apud *Murat.* 977. 7., quæ est apud *Orell.* 4151. M. SERGIVS M. L. EVTYCHVS AXEARIVS SIBI ET M. SERGIO M. L. PHILOCALO AXEARIO PATRONO. *Forcellinus*, quamquam in lapide sit *axearius*, putabat legendum *axiarius.*

AXĔDO, ōnis, 3. videtur esse idem, quod axis vel asserculus, formâ rotundi ad operiendum. *Marcell. Empir.* 33. *sub fin.* Ubicumque minxerit, supra lotium ejus objicem, id est axedonem ex usu figes.

AXIĀRIUS. *V.* **AXEARIUS**.

AXĬCĬA, æ, f. 1. forfex, qua tondentur capilli. Videtur dicta esse a secando; nam seco in compositis mutat aliquando *e* in *i*, ut *exsico* pro *exseco* apud *Plaut. Rud.* 1. 2. 34., et *prosico* pro *proseco* apud *eumd. Pæn. n.* 2. *v.* 8. Itaque a *seco* fit *adsico* seu *assico*, a quo *assicia*, quæ paullatim in *axiciam* transiit cognatione litterarum. *Plaut. Curc.* 4. 4. 21. At ita meæ volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum bene me amassint, meaque axicia linteumque extersui. Pro *axicia* quidam leg. *exicia* vel *exicia* eodem sensu, ut sit ab *exseco* seu *exsico*, *as*, quod verbum certe est in usu, non item *assico. Lambinus* de suo reposuit *excutia*, exponens parvam scopam, qua excutitur pulvis e vestibus. Sed ejus conjectura minus placet *Vossio Etymol.* in *Prosecta*, et aliis.

AXĬCŬLUS *vel* assiculus, i, m. 2. *deminut. ab* axis *vel* assis. Hinc ¶ 1. Est parvus axis, circa quem aliquid vertitur. *Vitruv.* 10. 9. 2. *Schneid.* Tympanum versatile, in cultro collocatum, et in axiculo conclusum. *Id.* 10. 15. 4. *Schneid.* Axiculi ex torno facti duo, e quibus funes religati retinebant arietem. *Forcellinus* hunc postremum locum ad seq. paragr. retulit, et interpretatus est trabeculam, vectem, palum. ¶ 2. Item parva tabula sectilis. *Colum.* 6. *R. R.* 19. 2. Ut velut in caveam quadrupes possit induci, nec exire alia parte prohibentibus axiculis. *Forcellinus* etiam in hoc loco *axiculum* accepit pro trabecula, vecte, palo. *Ammian.* 16. 8. Dionysius ædem, ubi cubitare solebat, aliâ circumdedit fossâ, eamque ponte solubili superstravit; cujus disjectos asseres et axiculos secum in somnum abiens transferebat. *Id.* 21. 2. Axiculis, queis orbis (*h. e.* scutum) erat compaginatus, in vanum excussis, ansa remanserat sola.

AXIES mulieres sive dii dicebantur una agentes. *Paul. Diac. p.* 3. 4. *Müll.* Sed legendum est *Axites mulieres sive viri etc.*, ut *Scalig.*, *Voss. l.* 5. *Grammat. c.* 41. et *Müll. l. c.* docent. *Axites* autem est ab *axim* antique dicto pro *egerim*, ut *Paul. Diac. ibid.* tradit.

AXILLA, æ, f. 1. locus sub brachiis concavus, ubi enascuntur pili. Vox obsoleta, pro qua *alam* Latini elegantiæ causa usurpant, ab ea per syncopen factam. *Cic. Orat.* 45. 153. Quomodo enim vester *axilla*, *ala* factus est, nisi fuga litteræ vastioris? quam litteram etiam e *maxillis*, et *taxillis*, et *vexillo*, et *paxillo*, consuetudo elegans Latini sermonis evellit. — *NB.* De cognomine *V.* **ONOM.**

AXIM *pro* egerim. *V.* **AGO** sub init.

AXĪNOMANTĪA, æ, f. 1. ἀξινομαντεία, divinatio, quæ per secures et ascias fit; ab ἀξίνη, *ascia*, *securis*, et μαντεία *divinatio. Plin.* enim 30. *Hist. nat.* 2. 5. (14). species magices seu divinationis enumerat per aquam, aerem, lucernas, pelves, secures, etc. *Id.* 36. *ibid.* 19. 34. (142). Hoc dicuntur uti magi in ea, quam vocant axinomantiam. *Salmas.* in *Solin.* legit *causimomantiam*, hoc est divinationem per ea, quæ uri possunt, a καύσιμος. Putabant enim magi, si aliquid, quod facile comburi solet, in ignem injectum peruri nequiret, significare id eventurum quod quis in votis haberet. Plerique tamen optimi Codd. exhibent *axinomantiam*, atque ita edidit etiam *Sillig.*

AXĬŌMA, ătis, n. 3. ἀξίωμα, Græca vox, quæ Latine *pronunciatum*, *enunciatio*, *enunciatum*, *effatum* a *Cic.*; *profatum*, *proloquium* a *Varron.*, *verbum* etiam a *Ter. Eun.* 1. 2. 95. teste *Donato* appellatur: est autem oratio seu propositio, aut dictum absolutam aliquam sententiam complectens, quam necesse est aut veram, aut falsam esse, ut si dicam: *Scipio Numantiam delevit*; *Neque bonum voluptas est, neque malum.* Ejus varia genera faciunt dialectici, de quibus *Gell.* 16. 8. et *Apul. Dogm. Plat.* 3. seu *De syllog. categor.* Hæc vox Græce occurrit apud *Cic.* 1. *Tusc.* 7. 14. et alibi. Nimis licenter pænultimam syllabam corripit *Capell.* 4. *p.* 94. et scholicum præstruit axioma. — *NB.* Dicitur etiam ἀξίωμα in disciplinis effatum verum per se et clarum, nec ulla indigens probatione, quod vulgo *principium* vocant, quale est illud: *Quæ eidem sunt æqualia, inter se quoque æqualia esse necesse est.* Hac tamen significatione numquam occurrit apud Latinos scriptores.

AXIS *vel* assis, is, m. 3. ἄξων, ab *agendo* dictum. De scriptione *V.* in **ASSIS**. — Axis est res quæcumque, circa quam alia res vertitur (It. *perno, stelo, asse*; Fr. *essieu, axe*; Hisp. *exe*; Germ. *die Achse, Welle, Klappe*; Angl. *the axletree on which a*

wheel turns). Tria tamen præcipue significat, scilicet.

A) Axis est id, circa quod alia res vertitur. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 9. 8. 8. *Schneid.* Tympano medio axis versatilis est inclusus; inque eo axe mollis catena est involuta etc. *Id.* 10. 7. 1., ubi describit machinam Ctesibicam ad extollendam aquam, appellat *axem* epistomium, vel potius tabellam, qua epistomii vicem reddente obturatur os, seu naris canalis aquam effundentis. Ejus verba sunt hæc: In quo catino fiunt axes, in superioribus naribus fistularum, coagmentatione subtili collocati, qui præobturantes foramina narium, non patiuntur exire id, quod spiritu in catinum fuerit expressum. *Id.* 3. 5. 7. Axes volutarum ne crassiores sint, quam oculi magnitudo. *V.* Interpretes. Adde *Stat.* 1. *Theb.* 346. jam claustra rigentis Æoliæ percussa sonant, *etc.* venti transversa frementes Confligunt, axemque emoto cardine vellunt. *h. e.* ferrum illud, in quo januæ cardo vertitur: *V.* ASSAMENTA. Adde *Axe* loco suo. ¶ 2. Speciatim est lignum illud teres, circa quod rota currus vertitur. *Cato R. R.* 97. Amurcā decoctā axem unguito. Cf. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (34). *Liv.* 37. 41. Ab axibus rotarum (*quadrigæ*) utrimque binæ deligabantur faces. *Virg.* 3. *G.* 172. valido nitens sub pondere faginus axis Instrepat. *Id. ibid.* 107. fervidus axis. *Ovid.* 2. *Met.* 317. temone revulsus Axis. *Id.* 2. *ibid.* 75. Axis citus. *Juvenal.* 1. 60. citatus. Adde *Martial.* 2. 77. *Veget.* 3. *Veterin.* 47. Impulsu axium vel rotarum in Circo vel in aliis locis varietate casuum animalium crura franguntur, aut coxæ, aut articuli. ¶ 3. Per synecdochen a Poetis accipitur pro ipso curru. — *a*) Sæpius in num. sing. *Ovid.* 4. *Heroid.* 160. *de sole.* Purpureo tepidum qui movet axe diem. *Id.* 2. *Met.* 59. In ignifero axe (*solis*) consistere. *Id.* 1. *Amor.* 13. 2. pruinosus (*Auroræ*) axis. *Propert.* 3. 3. 13. spoliis oneratо Cæsaris axe. *Seneca Herc. Œt.* 1442. Phœbeus axis. *Sil. It.* 16. 360. Sinuare axem. *Et ibid.* 407. propellere. Adde *Val. Flacc.* 5. 431. — *b*) Interdum et in plur. num. *Ovid.* 4. *Met.* 632. qui solis anhelis Æquora subdit equis et fessos excipit axes. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 148. *Juvenal.* 4. 117. Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes. *hoc loco* sunt qui putant significare clivum, montem, locum editum, ducta fortasse significatione a polo septemtrionali, qui nobis sublimis est et proprie axis dicitur: sed *axes* rectius alii exponunt currus et rhedas illac transeuntes. Aliter etiam explicandus locus *Claudian.*, quem vide in paragr. 6.: apud *Propertium* vero 4. 1. 125. Scandentisque axis consurgit vertice murus. *alii rectius leg.* arcis. — *c*) De cœlesti signo, quod et Bootis currus dicitur, *axis* occurrit apud *Varron.* 7. *L. L.* 74. *Müll.* ¶ 4. Item speciatim *axis* dicitur linea imaginaria, quæ ab uno cœli cardine seu polo, per centrum terræ transiens, in alterum terminatur: circa quam universa mundi machina circumvolvi dicitur. Simili ratione tribuitur aliis minoribus sphæris, seu circulis in ipso cœlo contextis. Omnes enim circa proprium axem verti dicuntur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 39. 123. Terra circum axem se summa celeritate convertit et torquet. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 52. Mundus versatur circum axem cœli admirabili celeritate. Adde *eumd. Tim.* 10. 33. et *Manil.* 1. 286. *Lucret.* 6. 1106. Axis mundi. *Lucan.* 4. 333. Axis Cancri. *h. e.* Tropicus Cancri. *Sever. Ætn.* 231. *de luna et sole.* Hæc brevior cur bissenos cita pervolet axes, Annuus ille meet. *h. e.* duodecim signa Zodiaci. ¶ 5. Hinc per metonymiam accipitur pro ipso polo, seu cardine cœli, ubi axis infigitur. — *a*) Per *axes* itaque intelligitur uterque polus arcticus et antarcticus. *Vitruv.* 6. 1. 4. *Schneid.* Meridianus axis. *Lucan.* 7. 422. Te geminum Titan procedere vidit in axem. *Id.* 8. 175. Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto. *Id.* 9. 876. Imus in adversos axes. — *b*) Interdum etiam *axem*, aut cum addito, aut absolute, dicimus polum arcticum, quia is a nobis semper cernitur, cum alter sub terra lateat. *Accius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 68. Globum terræ duabus oris habitabilem: quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita; altera australis ignota nobis. Adde *Lucret.* 6. 721. *Virg.* 2. *G.* 270. qua parte calores Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 351. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 1. Missus es Euxinas quondam, Vestalis, ad undas, Ut positis reddas jura sub axe locis. Adde *Manil.* 4. 589. et *Val. Flacc.* 5. 517. ¶ 6. Hinc aliquando accipitur pro aliqua cœli plaga, regione, climate. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 41. Axis boreus. *h. e.* regio septemtrionalis. *Id.* 4. *Met.* 214., *Lucan.* 3. 350. et *Sil. It.* 1. 130. Hesperius axis. *h. e.* Occidens, vel Hispania. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Exustus sideribus axis. *h. e.* zona torrida. *Seneca Herc. Œt.* 1184. Scythicus axis. *Val. Flacc.* 5. 204. nivalis. *Claudian. Cons. Mall. Theod. in proœm.* 16. Contulit alternas Pythius axis aves. *h. e.* mons Parnassi, ut nonnulli volunt; sed alii commodius interpretantur oram, regionem. ¶ 7. Frequenter sumitur et pro toto cœlo. *Virg.* 4. *Æn.* 482. maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 46. Æthereus axis. *Stat.* 5. *Theb.* 86. serenus. *Id.* 10. *ibid.* 758. in terras supero demissus ab axe. — Hinc *sub ætheris axe* aliquando est sub dio, sub aere aperto. *Virg.* 2. *Æn.* 512. Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe. *Id.* 8. *ibid.* 28. in ripa gelidique sub ætheris axe.

B) *Axis* vel potius *assis* est etiam trabs, palus, tabula: hinc *axis stellatus* significat rotam radiatam, cui humi positæ agger seu turris latericia inædificatur, quæ, phalangis suppositis, urbis expugnandæ mœnibus admovetur: cujus fabricandæ rationem docet *Cæs.* 2. *B. C.* 9. et 10. *Lucan.* 3. 455. Stellatis axibus agger Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres Accipit: hæ nullo fuerunt robore terram, Sed per iter longum causa (*al.* cursu) repere latenti. *Sil. It.* 13. 109. Hic latera intextus stellatis axibus agger. *h. e.* agger, sive turris tum in basi, tum in lateribus tignis cancellatim in stellæ modum dispositis colligabatur. — *NB.* Alias hujus vocabuli significationes *V.* in ASSIS.

C) Axis, is, f., nomen est feræ in India, hinnulei pelle, pluribus candidioribusque maculis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 31. (76).

AXĪTES mulieres sive viri dicebantur una agentes. *Paul. Diac.* p. 3. 4. *Müll.* V. AXIES.

AXĪTIO, ōnis, f. 3. conspiratio, factio. *Placid. Gloss.* ed. *Mai.* p. 433. Ad exitiarum (*corrige ex Reg. Cod.* 7641. Axitionum), conspirationum, factionum. Hæc recte conjecit *Müll.* in *Festi* edit. p. 383.

AXĪTIŌSUS, a, um, adject. est qui una cum aliis negotium aliquod agit ac tractat, ab *ago*, ut docet ipse *Varro* 7. *L. L.* 66. *Müll.*, qui *axitiosum* ait idem significare, quod *factiosus*. *Plautus* (apud *eumd. ibid.*) *in Astraba*: Axitiosæ annonam caram e vili concinnant viris. *Idem in Sitellitergo*: Mulier es, uxor. – Cuja vis? – Ego novi, scio axitiosam. *Claudius*: Axitiosæ demonstrari consupplicatrices. *Paul. Diac.* p. 3. 3. *Müll.* Axitiosi factiosi dicebantur, cum plures una quid agerent, facerentque; ab antiquo *axit* pro *egerit*. *V.* UXORCULO.

AXON, ŏnis, m. 3. ἄξων, proprie est Græca forma pro Latina *axis*. et speciatim tantum occurrit; scilicet ¶ 1. Axon in horologiis solaribus est linea πρὸς ὀρθὰς posita radio æquinoctiali, ita dicta a mathematicis ad similitudinem axis cælestis. *Vitruv.* 9. 7. (*al.* 8.) 5. *Schneid.* ¶ 2. Item unum ex membris ballistæ in modum axis rotæ formatum. *Vitruv.* 10. 11. (*al.* 17.) 7. *Schneid.* ¶ 3. *Axones* sunt axes, seu tabulæ, in quibus descriptæ erant leges Solonis, ut *Gell.* 2. 12. docet. Atque ob id ipsæ leges *axones* dicuntur ab *Ammiano* 16. 5. 1. — *NB.* De flumine *V.* ONOM.

AXUNGIA, æ, f. 1. adeps suillus inveteratus, ita dictus ab *ungendis axibus*, ut *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (141). docet, quia eo perunguntur curruum axes, ut rotæ facilius vertantur. Græci quoque recentiores ἀξούγγιαν et ὀξύγγιον appellant sumpto a Latinis vocabulo, ut *Plin. ibid.* testatur; ubi varios ejus usus in medicina percenset (It. *sugna*, *sugnaccio*; Fr. *axonge*, *graisse pour les essieux*; Hisp. *exundia*, *unto*; Germ. *Achsen-oder Wagenschmiere*, *Theer oder Fett*; Angl. *swine's grease*). *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 43. (156). Axungiam cum calce tusam admovere. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 17. 3.; et *Veget.* 4. *Veterin.* 10. 3. et 12. 9. *Edict. Diocl.* p. 24. Axungiæ Ital. P. unum Ж duodecim. — Est autem et *axungia caprina*, cujus meminit *Veget.* 4. *Veterin.* 10. 2.

AZ

AZANIÆ nuces pineæ dicuntur, quæ, si non decerpantur in tempore, se ipsæ in arbore dividunt. Estque hæc Græca vox ab ἀζάνω *arefio*, quia longiore mora in arbore aridiores factæ dehiscunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 44. (107).

AZŌNI di (ἄζωνοι) dicuntur, qui certas in cœlis zonas seu sphæras non habent, ut habent Juppiter, Venus, Mars, Saturnus *etc.*; ab α privativo et ζώνη *zona*. *Capell.* 1. p. 17. Ex cunctis igitur cœli regionibus advocatis diis, ceteri, quos azonos vocant, ipso commonente Cyllenio convocantur. *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 118. Dii communes sunt, qui ἄζωνοι dicuntur, id est, qui cœli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur; ubique enim eos esse manifestum est; ut mater deûm, cujus potestas in omnibus zonis est et cum omnibus est communis. *V.* COMMUNIS.

AZȲMUS, a, um, adject. ἄζυμος, non fermentatus; ab α privativo et ζύμη *fermentum*: et dicitur de pane. *Scribon. Compos.* 133. Cibos assæ carnis dare cum pane azymo. — *Azymon*, *i*, n. 2. Græca positione dictum est pro *azymum*. et absolute neutrorum more positum est pro pane azymo. *Prudent. Apotheos.* 421. Lascivire choris, similaginis azymon esse, Cum fermentati turgescant crimine mores. In voce *azymon* pænultima correpta est: Græci tamen producere, ut *Nicand.* in Ἀλεξιφάρμ. v. 521. Μὴ μὲν δὴ ζύμωμα κακὸν χθονὸς ἀνέρα κήδοι. Quare si quis Latine proferret longa pænultima, haberet quo se tueretur, nam *Prudentius* malus habendus prosodiæ auctor. Quamquam itidem corripit *Paulin. Nolan. carm.* 21. 650. In veritatis azymis. *Et carm.* 23. 45. Inde fugæ memores etiam nunc azyma sumunt.

De littera B

B, *b* est

A) Secunda littera Latini alphabeti, et quidem muta, quæ non in sonum suum, sed in sonum *e* litteræ finitur et effertur *be*, ut docet *Terentian.* p. 2387. *Putsch.*; quocum cf. *Ænigm. in Sympos. Lactant.* n. 12. — *a*) Ipsa et scriptione et sono litteræ Græcæ βῆτα omnino respondet: V. *K. L. Schneider ausführl. Gr. d. Lat. Sprach. T.* 1. *p.* 216. et seqq. Gerit virtutem et potestatem mediam inter *p* et *ph*. Quare nos ob litterarum affinitatem dictiones Græcas traducentes nonnumquam *p* et *ph* in *b* convertimus, ut πύξος *buxus*, ἀμφω *ambo*. Et e contrario, quod illi β scribunt, nos cum *ph* traducimus, ut θρίαμβος *triumphus*. — Immo in ipsis vocabulis mere Latinis interdum *b* mutatur in *f*, quæ littera apud Latinos est ferme una eademque cum *ph*, ut in *afvolo* pro *abvolo*, in *af* pro *ab* (V. A, AB, ABS sub init.). — *b*) *B* sæpe transit in *v*, cujus rei exempla multa habentur in veteribus Inscriptionibus etiam probæ ætatis. Hinc *ababus* pro *abavus*, *abe* pro *ave*, *bixit* pro *vixit*, *curbatus* pro *curvatus*, et alia sexcenta apud *Gruter.*, *Reines.* et *Orell.* V. eorum Indices, et *Pier.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 627. His adde *habeo* pro *aveo* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 8. *ad fin.* ex optimis MSS. Codicib. — Sæpius vero in derivatis *v* transit in *b*; sic a *movi* est *mobilis*, a *novi nobilis*, aliaque hujusmodi. — *c*) *B* respondet etiam syllabæ *du*; unde *duis* et *bis*, *duellum* et *bellum*, et cetera hujusmodi unum idemque sunt. — *d*) Quod attinet ad composita, *b* in præpositione *ab* in duobus tantum verbis mutatur in *u*, *aufero* et *aufugio*, ut advertit *Cic. Orat.* 47. 158. (*V.* A, AB, ABS in fine, et AU). In aliis transit etiam in *c*, ut *occurro*; in *f*, ut *sufficio*; in *g*, ut *suggero*; in *m*, ut *summitto*; in *p*, ut *suppono*, *nubo nupsi*, etc.

B) *B* est etiam inter notas præcipue lapidum inscriptorum, et significat — *a*) *Bene*, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 99. B. M. *h. e.* bene merens. *Ibid.* 235. B. M. P. *h. e.* bene merenti posuit. *Ibid.* 2437. B. D. S. M. *h. e.* bene de se meritæ. *Ibid.* 4816. B. V. V. *h. e.* bene vale, vale! — *b*) *Bonus*, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 1524., 2427. et 2822. B. D. *h. e.* bona dea. *Ibid.* 1136. et 3385. B. M. *h. e.* bonæ memoriæ. *Ibid.* 5033. B. M. *h. e.* bonâ mente. *Ibid.* 1102., 1112. et 5035. B. R. P. N. *h. e.* bono rei publ. natis. *Valer. Prob.* p. 1499. *Putsch.* B. F. C. *h. e.* bonâ fide contractum. *Notæ ex Papii gloss.* p. 1641. ed. *Putsch.* B. P. *h. e.* bona paterna. — *c*) *Beneficiarius*, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 3489. et 1650. B. *vel* BF. *h. e.* beneficiarius. *Ibid.* 3486. B. B. *h. e.* beneficiarii.

Ibid. 1806. s. cos. *h. e.* beneficiarius consulis. — *d) Balbus*, ut docet *Valer. Prob.* p. 1499. *Putsch.* — *NB.* Si quis plura velit, consulat *Grammat.* ed. *Putsch.* p. 1490., 1543., 1586., 1642. et 1667.; et *Inscript. Orell.* vol. 2. p. 451. et seqq.

BA

BA, interjectio avertentis, aut fastidientis. *Plaut. Asin.* 1. 1. 24.; ubi plerique omnes leg. *ah.* Certa tamen lectione *ba* dixit *Asper jun.* p. 1736. ed. *Putsch.*

BĂBÆ *vel* păpæ, Græce βαβαί, παπαί, est interjectio admirantis, plaudentis et approbantis (It. *capperi!* Fr. *oh! ah! fort bien!*; Hisp. *o! ah!*; Germ. *potz tausend, ei der tausend*; Angl. *o! strange! wonderful! rare!*) — *a) Babæ* occurrit apud *Plaut. Pers.* 5. 2. 25. Hui! babæ! basilice te intulisti et facete. *Id. Pseud.* 1. 3. 130. CA. Fur. BA. babæ. PS. fugitive. BA. bombax. CA. fraus populi. BA. planissime. Adde *eumd. Stich.* 5. 7. 3., ubi *babæ, tatæ, papæ* sunt voces hilariter ludentium, saltantium atque invicem plaudentium. Adde et *Petron. Satyr.* 37. — *b) Papæ* occurrit apud *Plaut. Bacch.* 2. 2. 20. PI. rogas? Immo unice unum plurimi pendit. CH. papæ! Adde *eumd. Epid.* 1. 1. 52., *Men.* 5. 5. 20., *Rud.* 5. 2. 33., *Stich.* 3. 1. 24. et *Truc.* 2. 6. 26.; et *Ter. Eun.* 2. 1. 23. et 2. 2. 48.

BĂBĔCĂLUS *vel* babæcalus, i, m. 2. Est vox a Græco βάβαξ; hinc Latine in *Gloss. Philoxeni* legitur *babit* gloriatur, et *babiger*, *baburris* (al. *baburrus*) in *Gloss. Isid.* et 10. *Orig.* 31. unde recte derivatur *babecalus* vel *babæcalus* Campana fortasse pronunciatione. Itali dicunt *babbaccio, babbione*; quæ omnia stultum, ineptum, nugatorem denotant. Frustra itaque sunt, qui lectionem sollicitant. Ejusdem originis est *babulus*, quam *V.* infra. *Arnob.* 4. 22. Pellicibus atque amiculis delectatus impatientiam suam spargebat passim, ut babecali adolescentes solent. *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Videtis, inquit, mulieris compedes? Sic nos babæcali despoliamur. Adde *eumd. ibid.* 37. *in fin.* Recentiores tamen nonnulli pro *babecalus* ubique legunt *bibaculus*, quam vocem *V.*

BĂBŬLUS, i, m. 2. stultus, ineptus. *Apul.* 4. *Met.* 14. Tunc e re nata subtile consilium ego et iste babulus tale comminiscimur. *Alii leg.* baburris *vel* baburrus *eadem significatione.*

BĂBURRIS, stultus, ineptus. *Isid.* 10. *Orig.* 31. et in *Gloss.* *V.* et BABULUS.

BĂBȲLŌNĬCUS, a, um, adject. ad Babyloniam pertinens: *V.* ONOM. — Hinc

Babylonicum, i, et frequentius *Babylonica*, orum, n. 2. absolute sunt vestes Babylonis arte pictæ: quippe Babyloniorum inventum fuit (teste *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (196).) et subtiliter exculta ars in vestibus texendo figuras exprimendi, non secus ac pictores in tabulis penicillo. Hinc *babylonica peristromata* apud *Plaut. Stich.* 2. 3. 54.; et *Babylonica picta superbe texta* apud *Martial.* 8. 28. 17. Ceterum absolute legitur sing. num. in *P. Syro mimogr.* apud *Petron. Satyr.* 55. Plumato amictus aureo Babylonico. *Al. leg.* aulæo *pro* aureo. Et plur. num. *Lucret.* 4. 1023. Cum Babylonica magnifico splendore rigantur. *Ulp. Dig.* 34. 2. 26. § 3. Stragula et Babylonica, quæ equis insterni solent. *Haloander* edidit *Babylonicas*, ut sit femininum pluralis numeri. Ceterum hæc ad rem *Tertull. Habit. Mulier.* 1. Si Milesii oves tonderent, et Seres nerent, et Tyrii tingerent, et Phryges insuerent, et Babylonii intexerent. *Unde* patet, Babylonios solitos fuisse vestes variis coloribus et auro intexere, Phryges acu easdem ornare.

BĂCA, æ, *V.* BACCA.

BĂCĀLĬA, **BĂCĀLIS**, etc. } *V.* BACCALIA, BACCALIS, etc.

BACAR vas vinarium simile bacrioni. *Paul. Diac.* p. 31.2. *Müll. Scalig.* docet scribendum esse *baccar* duplici cc. Nam legi in *Gloss. Isid.* Baccarium, vas aquarium. In *Gloss.* tamen *Philox.* Bacar, εἶδος ἀγγείου. Adde βῖκος, βικίον, βικίδιον idem significare quod poculum, Italice *bicchiere.* Hinc est in *Gloss. Philoxeni* Bacario, χοροδιάκονος, *h. e.* meretricibus aquam infundens. *V.* AQUARIOLUS.

BACCA, æ, f. 1. Scribitur et *baca*, unico *c*. Putant autem nonnulli, sed minus recte, *baccam* scribi cum fructum arboris significat; *bacam* vero, cum unionem. Aliis semper *baca* scribi placet. Sed et *bacca* optima scriptura est: immo frequentius in libris reperitur et est consuetudine usitatior; occurrit enim in MSS. Codd. *Caton.*, *Cic.*, *Virg.*, *Horat.* aliorumque. *V.* et *Wagner De Orthogr. Virgil.* p. 418. — Bacca est nomen generale, quo significantur minutiores ac rotundiores fructus arborum, præsertim silvestrium, ut oleæ, lauri, corni, myrti, platani etc., item quarumdam herbarum, ut hyssopi, ebuli etc. (It. *bacca, coccola, orbacca*; Fr. *baie, menu fruit*; Hisp. *baya, baca*; Germ. *die Beere*; Angl. *a berry*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Cato R. R.* 101. Virgas murteas si voles cum baccis servare. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. et 3. *Orat.* 38. 154. Rami baccarum ubertate incurvescere. *Cic.* 1. *Tusc.* 14. 31. Arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet baccam ipse numquam. Adde *Lucret.* 5. 1362. et *Virg.* 1. *G.* 305. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 127. Semen inclusum est in intima parte earum baccarum, quæ ex quaque stirpe funduntur. *Id.* 1. *Divinat.* 51. 116. et *Senect.* 2. 5. Fruges terræ baccæque arborum. *Id.* 1. *Legg.* 8. 25. Fruges atque baccæ. *Ovid.* 10. *Met.* 98. baccis cærula Tinus. — *b)* Jungitur pluribus adjectivis vel arborum nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. *Ovid.* 14. *Met.* 525. Amaræ baccæ (*oleastri*). *Id.* 11. *ibid.* 234. bicolores (*myrti*). *Plin.* 24. *Hist. nat.* 5. 11. (19). cedri. *Id.* 16. *ibid.* 27. 50. (116). cupressi. *Id.* 32. *ibid.* 2. 11. (22). curalii. *Virg.* 10. *Ecl.* 27. ebuli. *Sil. It.* 15. 535. felices. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 4. hederaceæ. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 70. (114). et 12. 76. (124). hyssopi. *Id.* 12. *ibid.* 7. 14. (28). juniperi. *Virg.* 1. *G.* 306. lauri. *Vitruv.* 8. 3. 13. *Schneid.* piperis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (29). platani. — *c)* Speciatim dicitur de bacca oleæ, quia est omnium utilissima hominibus. — Interdum addito arboris nomine. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 16. Agricola, cum florem oleæ videt, baccam quoque se visurum putat. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 69. et 1. *Ep.* 16. 2. et *Ovid.* 6. *Met.* 81. Bacca olivæ. — Interdum absolute, ita tamen ut ex ipso orationis contextu oleam significari pateat. *Horat.* 2. *Od.* 6. 14. ubi non Hymetto Mella decedunt viridique certat Bacca Venafro. *Virg.* 2. *G.* 519. teritur Sicyonia bacca trapetis. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 10. Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos. *Id.* 8. *Met.* 665. bicolor bacca Minervæ. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 653. et *Martial.* 13. 101.

II.) Improprie per similitudinem dicitur de variis rebus baccæ vel globuli figuram habentibus: scilicet ¶ 1. Pro unionibus aut gemmis. *Virg. Cul.* 66. Indi conchea bacca maris. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 241. Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ — aceto Diluit insignem baccam. Adde *eumd. Epod.* 8. 14. *Ovid.* 10. *Met.* 116. parilesque ex ære nitebant Auribus in geminis circum cava tempora baccæ. Adde *eumd. ibid.* 265. *Petron. Satyr.* 55. Indica bacca. ¶ 2. Similiter vinculorum nodi et catenarum anuli *baccæ* dicuntur. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 46. Carcer illigata duris colla baccis impedit. *Id. Psychom. procem.* 33. Artita baccis colla liber erigit. *bojis* utroque loco alii legunt. ¶ 3. Item caprini stercoris globuli. *Pallad.* 2. *R. R.* 14. 3. Si caprini stercoris baccam subula subtiliter excavaveris et in ea semen lactucæ immiseris.

BACCĀLĬA *vel* bacalia, æ, f. 1. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (129). scribit *baccaliam* appellari a nonnullis lauri illud genus, quod vulgatissimum est baccarumque fertilissimum. *V.* vocem seq.

BACCĀLIS *vel* bacalis, e, adject. baccas ferens, ut *baccalis laurus* apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (60).; quam 15. *ibid.* 30. 39. (129). appellavit *baccaliam*, nempe laurum feminam, quæ baccas fert, seu Cypria; non triumphalem, vel Delphicam, quæ mas est ideoque sterilis.

BACCĀLŪSĬA *vel* bacalusia, æ, f. 1. vox composita a *bacca* et *lusia*, hoc est bacca quæ per lusum comedi solet. Erat fortasse carica, præcipue Thebaica, quam otiosi convivæ comedebant, ut hodie edimus ciceres virides, qui vulgari sermone Italice *spassapensieri* appellantur. *Petron. fragm. Tragur.* 11. Postquam itaque omnes baccalusias consumpsi, duravi interrogare etc. *Burmannus* habet *babazusias*; at *Cod. Tragur.* diserte *baccalusias*. Hæc deprompta ex *Francisco Orioli* in *Opusc. Letter. di Bologna T.* 1. p. 65., qui putat id nominis impositum principio quidem veris dumtaxat baccis, postea latius usurpatum fuisse ad indicandos edules fructus omnigenos, quorum usus in epulorum pausis erat, ne scilicet, dum carnes scinderentur, otiarentur maxillæ.

BACCAR, aris. n. 3. *et*

BACCĂRIS, is, f. 3. βάκκαρις. Scribitur etiam *bacchar* et *baccharis* cum aspiratione. Nam apud Græcos quoque et βάκχαρις apud *Hesych.* et βάκχαρις apud *Dioscor.* legitur. ¶ 1. Est herba alio nomine *nardum rusticum*, radice tantum odorata, ex qua ab antiquis unguenta fiebant: odorem habet cinnamomo proximum, provenitque gracili solo, nec humido. Usum habet in coronamentis. Creditur etiam habere vim contra fascinationes. Quidam vulgo appellant *chirothecas D. Mariæ* teste *Ruellio*, alii *Digitalem*. *Sprengelius* putat esse *Valerianam celticam* Linn. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (45). Baccaris vocatur nardum rusticum. *Id.* 21. *ibid.* 6. 16. (30). Combretum procerius, quam baccar. *Virg.* 7. *Ecl.* 27. baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. Adde *Curt.* 3. 10. 14. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 20.) hanc exhibet synonymiam, tametsi non sine aliqua dubitatione: Βάκχαρ vel Βάκχαρις Dioscor. 3. 51., Hipp. de Nat. mul. text. 6. p. 362., Galen. in Interpr. voc. Hipp. p. 88., Athen. Dipnosoph. 15. 16., Arist. in fab. 15. 16.; *Baccaris* vel *Bacchar* Virg. et Plin. loc. citt. et *Nardum rusticum* Plin. l. c. sunt *Digitalis purpurea* L. Spec. plant. 866. ¶ 2. Est et alia herba hoc nomine, quam Græci *asaron* vocant. *V.* ASARUM. Hanc rectius, quam priorem, nardum rusticum appellari posse docet *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 16. (30).

BACCĀTUS *vel* bacatus, a, um, adject. baccas habens, baccis præditus. Occurrit translate tantum (*V.* BACCA II. 1.): hinc *Monile baccatum* apud *Virg.* 1. *Æn.* 659. et *Sil. It.* 8. 134. est margaritis consertum. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 41.

BACCHA, æ, f. 1. tria diversa significat: scilicet

A) Baccha et *Græca terminatione* Bacche, es, Βάκχη (quæ vox Græce *furore percitam* significat) appellatur mulier Bacchi sacra celebrans. Conveniebant enim statis temporibus, hoc est singulis trienniis, mulieres (maxime in Thracia et Thebis) thyrsis pro hasta armatæ, viteis et hederaceis ramis caput coronatæ, cervinaque pelle ad sinistrum latus pendente amictæ, ut est apud *Ovid.* 6. *Met.* 591., discurrebantque passis capillis per vias furentium more, validis ululatibus adstrepentes et Bacchi laudes canentes; et si quos obvios habuissent, thyrsis cædentes. Vagabantur per agros, nemora et montes, in quibus sacra Bacchi cæsis victimis perficiebant. Hujuscemodi comitatum habuisse dicebatur is deus, cum ad expeditionem Indicam proficisceretur: unde legimus apud *Varron.* 7. *L. L.* 87. *Müll.* Liber, quojus comites Bacchæ. Immiserat enim iis ejusmodi furorem, quo hostibus terribiles, licet feminæ, videri possent. Quem ipsum furorem, quæ illud sacrum celebrabant, omnibus insanientis animi signis imitari studebant: adeo ut aliquando ipsæ sibi brachia pectusque crebris vulneribus perfoderent, ut ex *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 41. et *Val. Flacc.* 3. 20. colligitur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 71. Bacchæ bacchanti si velis adversarier, ex insana insaniorem facies: feriet sæpius: si obsequare, una resolvas plaga. *Proverbium* de eo, qui furenti obsistere velit. Adde *Senatuscons. de Bacchan. Cic.* 7. *Fam.* 23. 2. Bacchas istas (*h. e.* Baccharum signa) cum Musis Metelli comperas? *Liv.* 39. 13. Matronas Baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim. *Horat.* 3. *Od.* 25. 140. Naiadum potens Baccharumque, valentium Proceras manibus vertere fraxinos! Adde *Propert.* 3. 21. 31. *Ovid.* 10. *Heroid.* 48. Qualis ab Ogygio concita Baccha deo. *Id.* 9. *Met.* 640. Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ. *Id.* 4. *Trist.* 1. 41. Utque suum Bacche non sentit saucia vulnus Dum stupet Edonis exululata jugis. *Al. leg.* Bacchis. Adde *eumd.* 4. *Met.* 25. et 6. *ibid.* 587. *Lucan.* 5. 74. Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ. — Hinc *Initiare aliquam Bacchis* apud *Liv.* 39. 9. et 10. et 14. est initiare sacris Bacchanalium, quibus Bacchæ sacerdotes præerant. — Hinc etiam *Baccham* pro muliere furiosa dixit *Plaut. Bacch.* 3. 1. 4. Bacchides, non Bacchides, sed Bacchæ sunt acerrimæ. Cf. *eumd. ibid.* 1. 1. 19.

B) Baccha dicebatur vinum in Hispaniis, teste *Varron.* 7. *L. L.* 87. *Müll.* Et vinum in Hispania *baccha.*

C) Denique *baccha* est etiam aper femina. *Inscript.* apud *Phil. a Turre Monum. Vet. Antii* p. 392

BACCHĀBUNDUS, a, um, adject. bacchans, Baccharum more agens. ¶ 1. Est vino et comissationibus deditus, hilari crapula amens. *Curt.* 9. 10. 17. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit. ¶ 2. Item clamans, obstrepens Baccharum more. *Apul. de Mag. p.* 326. 8. *Hildebr. min.* In medio foro bacchabundus.

BACCHĀNAL, is, n. 3. Cf. Græc. Βακχεῖον. In antiquis monumentis occurrit etiam unico *c.* ¶ 1. Est locus, quo Bacchæ conveniunt sacra facturæ. *Plaut. Aulul.* 3. 1. 3. Ad Bacchas veni in Bacchanal. *Et ibid. v.* 8. Aperit Bacchanal. *Senatuscons. de Bacchan.* BACANAL HABERE. *Ibid.* BACANALIA DISMOTA SIENT. Cf. *Liv.* 39. 18. Omnia Bacchanalia Romæ et per totam Italiam diruere. ¶ 2. Item ipsum Bacchi sacrum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 44. Vos in cella vinaria Bacchanal facitis. *Id. Bacch.* 1. 1. 19. Quia, Bacchis, Bacchas metuo et Bacchanal tuum. *Id. in supposit. Amph. scæna, quæ incipit* Tun' me mactes? *v.* 12. Bacchanal te exercuisse oportuit senex. *h. e.* Bacchi sacris adfuisse atque ibi in furorem actum esse. — Hac tamen significatione, teste *Sall.* apud *Non. p.* 489. 25. *Merc.*, rectius et frequentius usurpatur in num. plurali. *V.* voc. seq.

BACCHĀNĀLIA, ium *et* iōrum, n. quibus de formis *V.* in SATURNALIA.

I). Proprie. *Bacchanalia*, Gr. Βακχεύματα, sunt festa et sacra in honorem Bacchi: quibus initiati, præter insanos ritus, omnibus se vitiis polluebant, quæ fuse persequitur *Liv.* 39. 9. et *seqq.*, ubi narrat de iis sacris Romæ detectis et abolitis, nempe anno U. C. 568., ante Chr. n. 186., Sp. Postumio et Q. Marcio coss. *Cic.* 2. *Legg.* 15. 37. Quo in genere severitatem majorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, et consulum, exercitu adhibito, quæstio animadversioque declarat. *Sall.* apud *Non. p.* 489. 25. *Merc.* Exauditique sonus Bacchanaliorum. *Liv.* 39. 41. Reliquias Bacchanalium quæstionis cum omni exsecutus est cura. *Tac.* 2. *Hist.* 68. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinæ et castris propiora.

II.) Translate *vivere bacchanalia* est dissolute ac luxuriose vitam agere. *Juvenal.* 2. 3. Qui Curios simulant et bacchanalia vivunt.

BACCHANĀLIS, e, adject. ad Bacchanalia pertinens. *Val. Max.* 1. 3. 1. Bacchanalium sacrorum mos. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Bacchanale festum. *Aurel. Vict. Cæsar.* 3. et *Epit.* 5. Bacchanalis chorus. *Al. minus recte leg.* torus.

BACCHANS, antis. *V.* BACCHOR.

BACCHAR, ăris, n. et **BACCHĂRIS**, is, f. } *V.* BACCAR.

BACCHĀTIM adverb. Bacchantium more. *Apul.* 1. *Met. p.* 108. Quin igitur, inquit, soror, hunc primum bacchatim discerpimus?

BACCHĀTIO, ōnis, f. 3. (bacchor). Est

I.) Proprie bacchantum ludus et furor. *Hygin. Fab.* 4. 8.

II.) Translate est luxuriandi actus Bacchantum more. *Cic.* 3. *Verr.* 12. 33. Nocturnæ bacchationes ac vigiliæ.

BACCHĀTUS, a, um. *V.* BACCHOR.

BACCHĒUS, a, um, adject. βάκχειος. Legitur et *Bacchæus*, et est ad Bacchum pertinens. *V.* ONOM. — Item est ad Bacchas pertinens. *Stat.* 1. *Theb.* 328. Ogygiis ululata furoribus antra Deserit et pingues Baccheo sanguine colles. *h. e.* fuso a Bacchantibus cum Pentheа discerperent.

BACCHĪACUS, a, um, adject. qui pedibus bacchiis constat. *Terentian. p.* 2607. *Putsch.* Hoc metrum choriambicum est, quod pars bacchiacum vocant. V. *Santen.* ad h. l. p. 360. *Mar. Victorin. p.* 2583. *Putsch.* Instruendi sane sumus, nonnumquam choriambo, si res exegerit, iambicam basim immisceri, quod genus bacchiacum musici dicunt: exemplo erit versus ille: *Cui reserata mugiunt aurea templa mundi.*

BACCHĪCUS, a, um, adject. βακχικός, ad Bacchum pertinens. *V.* ONOM. — *Bacchicum metrum* est tale: *Lætare, baccare præcinge frontem.* Hoc mihi videtur magis ad prosam convenire. Et sane multis pedibus in oratione utimur. Hæc *Diomed.* 3. *p.* 513. *Putsch.*

BACCHILIDIUM metrum constat dimetro hypercatalecto, ut *Floribus corona texitur. Servius in Centimetr. p.* 1819. *Putsch.*

BACCHIS, idis, f. 3. mulier Bacchi sacerdos. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 41. Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus, etc. *Quidam rectius leg.* Bacche. — *V.* et ONOM.

BACCHĪSŎNUS, a, um, adject. Bacchum sonans, Bacchicus. *Paulin. Nolan. Nat. XI. S. Fel.* ed. *Murat.* 281. Evoe bacchisonum fractis imitantur anheli Vocibus.

BACCHĪUS, a, um, adject. βακχεῖος, ad Bacchum pertinens. *V.* ONOM. — *Bacchius pes* vel *bacchius* absolute est pes metricus trisyllabus, constans prima brevi et duabus longis, ut *Catones.* Ita *Donat. p.* 1739. *Putsch.*, *Quintil.* 9. 4. 82. et *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divinat. in Verr.* 7., ubi illam Ciceronis clausulam *cujus ego causa laboro* ex spondeo et duobus bacchiis constare docet. Alii contra definiunt, quod constet duabus longis et brevi, ut *Romanus.* Ita *Terentian.* apud *Putsch. p.* 2414. et *Atil. Fortunatian. ibid. p.* 2687. Sed satius est definire cum *Val. Probo* p. 1491. *bacchium a brevi* eumdem esse atque *antibacchum; bacchium* vero *a longa* fuisse a *Terentiano* vocatum simpliciter *bacchium.* Dictus est autem *bacchius*, quia præcipue in iis canticis, in quibus laudatur Bacchus, locum habebat; vel quia aptissimus erat saltationibus Baccharum. Idem pes dicitur etiam *pariambus*, quam vocem *V.*

BACCHO, as, are, n. 1. idem quod bacchor, sed minus usitatum. *Commodian.* 32. 7. Auro licet censeantur, bacchent aulica semper.

BACCHOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. βακχεύομαι. — Part. *Bacchans* I. *a.* et II. *b.*; *Bacchatus* I. *c.* — Proprie significat Bacchi sacris operam dare Baccharum ritu, furere Baccharum more.

I.) Proprie occurrit — *a*) Intransitive. *Plaut. Amph.* 2. 2. 71. Bacchæ bacchanti si velis advorsarier, ex insana insaniorem facies. *Horat.* 2. *Od.* 7. 26. non ego sanius Bacchabor Edonis: recepto Dulce mihi furere est amico. *Forcellinus* hoc loco accepit pro furere, impotenter se gerere in aliqua re, impetu ferri, more Baccharum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (8). Lusum Liberi Patris, aut Lysam cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniæ. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit. *h. e.* Bacchantium indumentis ornatus. — Hinc *Bacchantes, um* vel *ium*, f. 3. absolute sunt ipsæ Bacchæ. *Ovid.* 3. *Met.* 702. Vadit, ubi electus facienda ad sacra Cithæron Cantibus et clara Bacchantum voce sonabat. *Curt.* 8. 10. 15. Ut passim hederæ ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore similes Bacchantibus vagarentur. *Id.* 9. 10. 24. Bacchantium lusus. — *b*) Transitive. *Catull.* 64. 61. et 255. Bacchari evhoe. *h. e.* bacchando *evhoe* inclamare. — *c*) Passive, præcipue Part. præter. *bacchatus* haud aliter atque Gr. βακχευθείς, dicitur de loco, in quo Bacchi festa celebrata sint. *Virg.* 2. *G.* 487. et virginibus bacchata Lacænis Taygeta. *Id.* 3. *Æn.* 125. Bacchata jugis Naxos. *Val. Flacc.* 3. 20. Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis. *Santra* apud *Non. p.* 78. 28. *Merc.* Ita obsoletum sono furenter ab omni parte bacchatur nemus. *Forcellinus* h. l. accepit pro violentius commoveri et concuti. *Claudian.* I. *Rapt. Pros.* 206. Ululatibus Ide Bacchatur. — De persona nonnulli loguunt apud *Propert.* 3. 15. 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris: Da mihi bacchato vela secunda, pater. *Sed al. melius leg.* pacato.

II.) Translate, generatim est furere, impotenter se gerere in aliqua re, impetu ferri violentiusque commoveri et concuti, more Baccharum: speciatim vero ponitur — *a*) De personis earumque inceptis. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 26. Hic tu qua lætitia perfruere! quibus gaudiis exultabis! quanta in voluptate bacchabere! *Id.* 4. *ibid.* 6. 11. Bacchari in cæde. *Id. Orat.* 28. *ad fin.* Furere apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. *Lucret.* 5. 821. atque animal prope certo tempore fudit Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim. *Virg.* 4. *Æn.* 300. Sævit inops animi, totamque incensa per urbem Bacchatur. *Id. ibid. v.* 666. concussam bacchatur fama per urbem. *Colum.* 10. *R. R.* 197. Nunc amor ad coitus properat, nunc spiritus orbis Bacchatur Veneri, stimulisque Cupidinis actus etc. *Sueton. Cal.* 56. Ita bacchantem (*h. e.* sævientem) atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri. *Claudian. B. Get.* 155. cum viliis Spartacus omne Per latus Italiæ ferro bacchatus et igni. *Id.* 2. *Laud. Stilich.* 213. Ense bacchari. *Cassiod.* 3. *Variar.* 20. Prætorii præfectus bacchari non est in humilis læsione permissus. — Eleganter dicitur de actione et oratione oratoris nimis ardenti. *Cic. Brut.* 80. 276. Quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur. Adde *Quintil.* 12. 10. 73. — Item de iis, qui divino furore intus agi dicuntur, cujusmodi sunt Sybillæ, vates, poetæ. *Virg.* 6. *Æn.* 77. At Phœbi nondum patiens immanis in antro Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse deum. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 257. tecum similes junctæque Camenæ, Stella mihi, multumque pares bacchamur ad aras. Eadem significatione cum Accus. rei dixit *Juvenal.* 6. 636. Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu. — *b*) Ponitur et de elementis, et est furere magno cum strepitu ac sibilo. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 43. Ubi bacchabatur aula, cassabant cadi. *Al. leg.* hama. *Horat.* 1. *Od.* 25. 11. Thracius ventus bacchans. *h. e.* vehementius flans ac sibilans. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 29. gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto. *Val. Flacc.* 6. 632. velut hiberno promptus ab arcu Imber agens scopulos, nemorumque operumque ruinas; Donec ab ingenti bacchatus vertice montis Frangitur.

BACCHUS, i, m. 2.

A) Βάκχος, filius Jovis et Semeles, qui vitium colendarum rationem mortales docuisse dicitur: ex quo vini repertor et præses habitus est: *V.* plura in ONOM. Itaque cum vini deus haberetur, teste *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 60. et 3. *Orat.* 41. 167., factum est ut per metonymiam ¶ 1. Poneretur pro vitibus. *Virg.* 2. *G.* 112. apertos Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi. *Horat.* 2. *Od.* 6. 19. et amicus Aulon fertili Baccho. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 38. *Manil.* 5. 238. Et te, Bacche, tuas nubentem junget ad ulmos. *Lucan.* 9. 433. ora vicina perusti Ætheris exurit messes et pulvere Bacchum Enecat. ¶ 2. Sæpissime pro vino. *Lucret.* 3. 222. Bacchi cum flos evanuit. *Virg.* 2. *G.* 143. Bacchi humor. Et *Ovid. Remed. am.* 803. Bacchi munus. Et *Colum.* 10. *R. R.* 302. Bacchi merum. — Hinc sæpius absolute. *Virg.* 5. *Ecl.* 69. Et multo in primis hilarans convivia Baccho. *Id.* 1. *G.* 344. Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 101. et 279. *Horat.* 3. *Od.* 16. 34. Nec Læstrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi. Adde *Tibull.* 3. 6. 5.; *Ovid.* 13. *Met.* 639., 4. *ibid.* 765., 6. *ibid.* 488., 7. *ibid.* 246. et 450; *Senec. Herc. fur.* 697. et *Val. Flacc.* 2. 69.

B) Bacchus est etiam nomen piscis cujusdam marini, qui non nisi in alto capitur, ideoque pretium habet: alio nomine *myxon* dicitur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 28. (61)., 32. *ibid.* 7. 25. (77). et 11. 53. (145).

BACCĪFER *vel* bacifer, fĕra, fĕrum, adject. baccas ferens. — *a*) Generatim. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 20. (50). Taxus baccifera. *Seneca Œdip.* 414. Hedera baccifera. — *b*) Speciatim est ferax olivæ, quæ sæpe absolute *bacca* dicitur. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 8. Baccifera Pallas. *Sil. It.* 3. 596. Bellatrix gens baccifero nutrita Sabino.

BACCĪNA, æ, f. 1. herba, quæ a baccis ita videtur appellari, atque alio nomine *Apollinaris* dicitur. *Apul. Herb.* 22.

BACCŬLA *vel* bacula, æ, f. 1. *deminut. a* bacca, parva bacca. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 51. (96). Ferunt bacculas parvas, ut capparis. *Arnob.* 5. 6. Pomisatque aliis bacculis sustentatur. Adde *eumd.* 2. 21. et 1. 2.

BĂCEŌLUS, a, um, adject. stultus, forte a Græco βάκηλος, quod ab *Hesych.* exponitur etiam ἀνόητος: cf. et Germ. *Faseln.* Hac voce utebatur *Augustus* teste *Sueton.* in *ejus Vita* 87., ubi alii minus recte leg. *bateolum*, alii *bacelum.* Juxta *Forcellinum* est deminut. a *baceo*, quod certe inusitatum est; unde Italicum *baggéo, uomo inetto e scipito.*

BĂCĪBALLUM *vel* baccibaltum, i, n. 2. vox composita ex *baca*, quæ significat gemmam pretiosam, et βάλλω *jacio.* Dicitur translate de puella amata, quæ Gallice *bijoux*, Italice *giojello* dici posset. *Petron. Fragm. Tragur.* 61. *Burmanni.* Noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimam bacjballum. Ita interpretatur *Franc. Oriolius Opusc. Letter. Bologn. p.* 223., itaque habet *Cod. Tragur.*, quod perperam alii aliter efferunt. Haud tamen spernenda est lectio *basiobalium*, quam nonnulli tuentur, quoque ferme idem significaretur, hoc est puella quæ basia suaviter jacit.

BĂCĪFER, a, um. *V.* BACCIFER.

BĂCILLUM, i, n. 2. *deminut. a* baculo, parvus baculus, virga (It. *bastoncello, bacchetta*; Fr. *petit bâton, baguette*; Hisp. *varilla, baqueta*; Germ. *ein kleiner Stab, Stöckchen oder Stäbchen*; Angl. *a little staff, stick, baton*). Occurrit — *a*) Genera-

tim. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 33. Bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 17. 30. Apud *Varron.* 1. *R. R.* 50. 2. bacillum ligneum incurvum, in quo sit extremo serrula ferrea, est idem ac merga, instrumentum scilicet metendis spicis. Hic quædam editiones habent perperam *batillum*, sed *Schneiderus* probavit *bacillum* reponendum. *V.* MERGÆ. *Juvenal.* 3. 27. pedibus me Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo. — *b*) Speciatim *bacilla* sæpe dicuntur virgæ lictorum. *Cic.* 7. *Verr.* 54. 142. Sex lictores eum circumsistunt valentissimi, cædunt acerrime virgis: denique proximus lictor, converso bacillo, oculos misero tundere vehementissime cœpit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Anteibant lictores non cum bacillis, sed, ut hic prætoribus anteeunt, cum fascibus duobus. *h. e.* non cum solis bacillis sine securibus, sed cum duobus fascibus virgarum, cum quibus secures colligatæ erant. *Orellius* tamen utrobique pro *bacillo* reposuit *baculum*. — *NB.* De loco *Vitruv.* 2. 4. 3. *V.* BACULUM in fine.

BĂCILLUS, i, m. 2. pro *bacillum* legitur apud *Isid.* 20. *Orig.* 13. A baculo bacillus per diminutionem.

BACRIONEM dicebant genus vasis longioris manubrii: hoc alii trullam appellant. *Paul. Diac.* p. 31. 1. *Müll.* Al. leg. *Baccionem*; al. *Batrionem.* Videtur autem esse idem, quod in *Gloss.* dicitur *Baccario*; et in *Gloss. Isid.* legitur *Baccarium.*

BACTRŎPĒRĪTA, æ, m. 1. βακτροπηρίτης, qui baculum et peram gestat, et dicitur de philosophis Cynicis, qui contemptores sæculi et omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehebant, ut loquitur *Hieronym.* 1. *in Matth.* 10. 10. Græca vox est a βάκτρον *baculus* et πήρα *pera, saccus.* Ibi enim legitur: Nolite possidere peram in via, neque virgam. *h. e.* baculum.

BĂCŬLUM, i, n. 2. De recentiori forma *baculus* vide suo loco. — Ratione habita etymi vox est conjungenda cum Græca βάκτρον, unde et βακτηρία; quæ a βάζω vel inusit. βάω *eo, vado*; nam viatores olim baculo semper usi sunt, præcipue homines agrestes et pastores. — Ceterum baculum generatim est idem, quod scipio, virga, fustis (It. *bastone*; Fr. *bâton*; Hisp. *baston*; Germ. *Stab*, *Stock*; Angl. *a staff*, *stick*, *baton*). Occurrit — *a*) Pro lictorum virga apud *Cic.* 7. *Verr.* 54. 142. et 2. *leg. Agr.* 34. 93.; ubi alii legunt *bacillum*: *V.* BACILLUM. — *b*) Pro quocumque scipione, viatorum præcipue ac pastorum. *Liv.* 1. 18. Baculum sine nodo aduncum. *Id.* 1. 54. Baculo decutere aliquid. Cf. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 4. Baculis excutere aliquid. Adde *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 44. (129). *Cels.* 8. 20. Habenas ad valida bacula deligare. *Ovid.* 8. *Met.* 218. et 14. *ibid.* 655. Inniti baculo. *Id.* 8. *ibid.* 693. Levare membra baculo. *Id.* 6. *ibid.* 27. Sustinere artus baculo. *Id.* 15. *ibid.* 655. Baculum agreste. *Id.* 2. *ibid.* 681. silvestre. *Sil. It.* 13. 334. pastorale. — *c*) Item pro sceptro. *Sueton. Ner.* 24. In tragico quodam actu cum elapsum baculum resumpsisset. *Flor.* 4. 11. Aureum in manu baculum, ad latus acinaces, purpurea vestis, diadema, etc. Adde *eumd.* 3. 19., et *Curt.* 9. 1. 30. — *d*) Ponitur etiam pro instrumento ferreo, quo utuntur tectorii operis artifices, quod Itali vocant *mazzuola*, *mazzapicchio. Vitruv.* 2. 4. 3. *Schneid.* Arena fluviatica propter macritatem, uti Signinum, baculorum subactionibus in tectorio recipit soliditatem. *Id.* 7. 3. 7. Sed et baculorum subactionibus fundatæ soliditates. *Alii utrobique legunt* bacillorum; *alii vero* liaculorum, *quod præstat. V.* LIACULUM.

BACŬLUS, i, m. 2. est recentior ac minus usitata forma pro *baculum*; eadem autem significatione. *Ovid.* 1. *Fast.* 177. incumbens baculo, quem dextra gerebat. Adde *eumd.* 2. *Met.* 789. *Apul.* 7. *Met.* 16. Baculo, quem gerebat, obverberans. — *Pera et baculus* fuere velut insignia Cynicorum philosophorum. His enim solum instructi divitiarum contemptum præ se ferebant. *Apul. de Mag.* p. 288. Hoc Diogeni et Antistheni pera et baculus, quod regibus diadema. *Auson. Epigr.* 53. Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arta supellex Ista fuit Cynici. Adde *Martial.* 4. 53. et *V.* BACTROPERITA. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BĂDĬUS, a, um, adject. Badius est a βαΐς, quæ in *Gloss.* est palma, seu palmæ ramus, spadix; quæ et βάϊς et βάϊον; unde *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 82. Spadices, quos phœnicatos vocant, pressos, myrteos; ipsi sunt badii. Vox tamen non Græcæ originis est, sed Ægyptiacæ; nam apud Ægyptios, ut probat *Jablonskius Opusc. T.* 1. p. 48., *bai* ramum palmæ significat. — Ceterum badius est color rubeus cum exuberantia et splendore; qui dicitur etiam phœniceus, et spadix (It. *di color bajo*; Fr. *brun, châtain, marron*; Hisp. *moreno, castaño*; Germ. *braungelb*; Angl. *of a brown, bay, or chesnut colour*). Occurrit de brutis animantibus tantum. *Varro* apud *Non.* p. 80. 2. *Merc.* Equi colore dispares ita dati, hic badius, iste gilvus, ille murinus. *Grat. Cyneg.* 536. *de canibus venaticis.* optima nigri Crura illi, badiosque legunt in pectore crines. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 13.

BĂDĪTIS, idis, f. 3. herbæ nomen, cujus appellationis origo latet. *Marcell. Empir.* 33. *ad fin.* Herba est, quæ Græce nymphæa, Latine clava Herculis, Gallice baditis appellatur: ejus radix contunditur et ex aceto edenda datur puero per continuos decem dies: mirandum in modum fiet eunuchus.

BĂDIZO, as, are, n. 1. βαδίζω, Græcum verbum, quod ire, incedere, ambulare significat. *Plaut. Asin.* 3. 3. 116. Demam hercle jam de hordeo, tolutim ni badizas. — Scribi potest et *badisso*, quemadmodum et *patrisso* pro *patrizo* dicitur, et *atticisso* pro *atticizo*; sic *lachanisso*, *sicilisso*, *betisso*, *obrussa*, et alia. Sæpe enim Latini, teste *Priscian.* 1. p. 552. *Putsch.*, Græcum ζ in duas ss vertere solent. Quod si *Isidoro* habenda fides est 1. *Orig.* 4., fuit hic scribendi modus apud antiquos usque ad Augusti tempora. Quare utraque scriptio probabilis est, immo vero probabilior quæ duplex ss adhibet; nam z Græca littera est, non Latina.

BÆTĬCĀTUS, a, um, adject. Indutus vestibus ex lana provinciæ Bæticæ. Ibi enim oves lanam ferebant coloris rutili valde grati et satis se sine alia tinctura commendantis. *Martial.* 1. 97. Et Bæticatus et leucophæatus.

BÆTŬLI *vel* betuli gemmæ, Gr. βαίτυλοι, dicebantur gemmæ quædam ex lapidibus fulmine ictis, vel una cum fulmine in terram delapsis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 11. (135). Sotacus et alia duo genera facit ceraunıæ gemmæ, nigræ rubentisque, ac similes eas esse securibus; iis, quæ nigræ sunt et rotundæ, urbes expugnari et classes, easque betulos vocari; quæ vero longæ sunt, ceraunias. *Ita legunt atque interpretantur recentiores philologi.*: V. *Pauly's Real-Encycl. Vol.* 1. *p.* 1044. *At* Forcellinus *aliter et legebat et interpretabatur*: V. BÆTYLUS in ONOM.

BAGAUDA *vel* Baraudа, æ, m. 1. Vox Gallica, agrestem et latronem significans. Hujusmodi enim hominum magna manus, ducibus Eliano Amandoque, temporibus Diocletiani cœpit in Gallia rapinis et cædibus grassari, populatisque late agris, plerasque etiam urbes tentare; quos Maximianus magna clade fudit, ut est apud *Aurel. Vict. Cæsar.* 39. et *Eutrop.* 9. 20. — Hæc vox ab aliis aliter effertur: nam et *Baganda*, et *Baucauda*, et *Bagoda*, et *Vocanda* legitur. Sed nihil hæc ad Latinam linguam.

BAGAUDĬCUS, a, um, adject. ad Bagaudas pertinens. *Eumen. pro restaur. schol.* 4. Civitas latrocinio Bagaudicæ rebellionis obsessa.

BAGOAS, æ, m. 1. *vel*

BĂGŌUS, i, m. 2. Βαγώας et Βαγῶος, vox Persica, spadonem feminarum vel gynecei custodem significans, ut ait *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (41)., ubi legitur *Bagou* in Genitivo singulari retenta Græca positione τοῦ Βαγώου, hisce verbis: Babylone natæ (*palmæ*) uno in horto Bagou: ita enim vocant spadones, qui apud eos etiam regnavere. *Quintil.* 5. 12. 21. Statuarum artifices pictoresque numquam in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent. V. *Spalding.* ad h. l. Erant autem hujusmodi semimares, qui ingenuis quoque puellis custodes apponebantur, teste *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 1. Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe.

BĀJÆ, ārum, f. plur. 1.

A) Græce Βαΐαι, oppidum Campaniæ littorale, inter Cumam et Puteolos, cum portu: locus celebris amœno situ, et aquis calidis tum ad voluptatem, tum ad morbos sanandos accommodatissimis; de quo *V.* plura in ONOM. — Hinc quibuscumque aliis balneis calidis, et locis amœnis ac voluptariis, item lacubus, quos privatim ditiores in hortis suis habere solebant deliciarum causa, *Bajarum* nomen aliquando datum est. *Cic. Cæl.* 15. 35. Accusatores quidem lubidines, amores, adulteria, Bajas, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia jactant. *Id. ibid.* 16. 38. Cujus in hortos, domum, Bajas jure suo lubidines omnium commearent. Cf. *Tibull.* 3. 5. 3.; et V. *Zell* Bajæ, *ein römisch. Badeort*, *Ferienschr.* 1. p. 145., et *A. W. Becher Gallus* 1. p. 133.

B) *Bajæ* etiam dicuntur folia palmarum, ab Ægyptia voce, ut ostendit *Jablonskius* in *Lex. Ægypt.*, unde etiam Græcis βαΐς vocatur ramus palmæ. *Hieronym.* 2. *in Jovinian.* 13. Ægypti sacerdotibus cubile de foliis palmarum, quas bajas vocant, contextum erat.

BAJONULA. *V.* BAJULONA.

BĀJŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad bajulandum aptus. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. Ut sella bajulatoria leniter atque mediocriter moveantur. *Id. ibid.* 15. Sufficiens erit motus bajulatoria sessione adhibitus.

BĀJŬLO, as, are, 1. Est pro bacolo, ab eodem themate a quo *baculum*, quemadmodum et Græcum βαστάζω *fero, porto.* — Part. *Bajulans* I. *b.* — Bajulare est proprio corpore, vel propriis humeris ferre (It. *portare*; Fr. *porter*; Hisp. *llevar*, *traer*; Germ. *mit den Schultern tragen*; Angl. *to bear or carry as a porter*).

I. Proprie occurrit — *a*) Absolute et est bajuli officium præstare. *Plaut. Asin.* 3. 3. 70. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis. Adde *eumd. Merc.* 3. 1. 10. — *b*) Cum Accus., et est proprio corpore ferre. *Phædr.* 3. 20. Asinus bajulans sarcinas. *Quintil.* 6. 1. 47. Ego te bajulare non possum. *Cajus Dig.* 50. 16. 235. pr. Aliquid corpore suo bajulare.

II.) Translate. *Cod. Theod.* 5. 15. 3. Adjectionem debiti alieni bajulare.

BĀJŬLŌNA, æ, f. 1. *Isid.* 20. *Orig.* 11. Bajulona est lectus, qui in itinere bajulatur, a bajulando, id est deportando. *Al. leg.* bajonula.

BĀJŬLUS, a, um, adject. V. *Cyprian. loc. cit.* in VITEUS.

BĀJŬLUS, i, m. 2. Legitur et *bajolus*. De etymo *V.* BAJULO. — Bajulus proprie est qui corpore portat, Græce ἀχθοφόρος; teste *Gell.* 5. 3. Vecturas onerum corpore suo factitavisse: quod genus Græci βαστάζοντας vocant; Latine *bajulos* appellamus. (It. *facchino*, *bastaggio*; Fr. *portefaix*, *journalier*; Hisp. *bracero*, *ganapan*; Germ. *den Last-träger*; Angl. *a carrier*, *porter*). Occurrit ¶ 1. Generatim et omnino proprie. *Plaut. Pœn.* 5. 6. 17. Sume hinc quidlubet. Collo rem solvam jam omnibus, quasi bajulus. *Cæcin.* apud *Cic.* 2. *Orat.* 10. 40. Remex aut bajulus. *Cic.* 3. *Parad.* 2. Utrum bonis est quærendum, quid bajuli atque operarii, an quid homines doctissimi senserint. *Id. Brut.* 73. 257. Operarii, aut bajuli. Cf. *Paul. Diac.* p. 35. 8. *Müll.* Bajolos dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios. Unde adhuc bajolari dicitur. ¶ 2. Speciatim apud serioris ævi scriptores *bajulus* dictus est etiam tabellarius, qui litteras ad aliquem defert. *Hieronym. Ep.* 6. *ad Julian.* n. 1. Objurgatus de silentio litterarum dicam: Sæpe scripsi, sed negligentia bajulorum fuit? *Id. Ep.* 15. *ad Damas.* n. 5. Et ne forte obscuritas loci, in quo dego, fallat bajulos litterarum, ad Evagrium, quem optime nosti, dignare scripta transmittere. Adde *Cod. Theod.* 2. 27. 1. § 2. ¶ 3. Item speciatim bajuli dicti sunt vespillones, ut docet *Fulgent. De prisc. serm.* n. 2. Hinc *Sidon.* 3. *Ep.* 12. Ut locum auderent corporum bajuli rastris funebribus impiare. *Ammian.* 14. 7. Ejulans bajulorum præcentor. Adde *Augustin. Ep.* 19. *ad Hieronym.* 2.

BĀLÆNA, æ, f. 1., a Græco φάλαινα teste *Paul. Diac.* p. 31. 4. *Müll.*, est piscis, seu potius bellua marina ingentis magnitudinis, quæ pilos in cute habet, et vivum animal, non ova parit, fetusque suos mammis nutrit, ut *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (21). et *ibid.* 13. 15. (41). et 11. *ibid.* 40. 95. (235). tradit. (It. *balena*; Fr. *baleine*; Hisp. *ballena*; Germ. *der Wallfisch*; Angl. *a huge fisch*). *Juvenal.* 10. 14. Quanto delphinis balæna Britannica major. Adde *Plaut. Rud.* 2. 6. 61.; *Ovid.* 2. *Met.* 9.; et *Auson. Mos.* 144. — *NB.* De sidere cælesti *V.* in CETE.

BĀLÆNĀRĬUS, a, um, adject. ex balæna factus. *Petron. Satyr.* 21. Quartilla balænariam tenens virgam alteque succincta jussit infelicibus dari missionem. Hic *Petronius* meretricem inducit, quæ domi suæ virgam ex balænæ cartilagine factam manu tenens, et tunica tantum ad poplites usque succincta, more palæstrici doctoris aut lanistæ, adolescentibus

illactenus Veneris palæstra defatigatis a voluptaria pugna missionem dat. *Alii perperam leg.* balænatam, *vel* balænatiam.

BĂLĂNĀTUS, a, um, adject. unguento balanino perfusus. *Pers.* 4. 37. cum maxillis balanatum gausape pectas etc. *V.* MAXILLA.

BĂLĂNĬNUS, a, um, adject. βαλάνινος, qui est ex balano. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Balaninum oleum. *V.* BALANUS.

BĂLĂNĪTES, æ, m. 1. βαλανίτης, dicitur lapis, seu gemma a figura glandis. Hujusmodi gemmarum duo sunt genera apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (149)., nempe subvirides, et Corinthii æris similitudine; illæ Copto, hæ ex Troglodytica venientes, secante medias flammea vena.

BĂLĂNĪTIS, ĭdis, f. 3. balani, seu glandis figuram referens. Hinc *balanitis castanea*, quæ rotundior et oblonga est et glandi similis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (93).

BĀLANS, antis. *V.* BALO sub I.

BĂLĂNUS, i, f. 2. Occurrit etiam masculino genere, sed raro, scilicet apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (42). et 15. *ibid.* 23. 25. (93).. et *Metell.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. — Balanus est Græca vox βάλανος idem significans, quod *glans* Latine (It. *ghianda*; Fr. *gland*; Hisp. *bellota*; Germ. *Eichel*; Angl. *a sort of mast or acorn*). Itaque ¶ 1. Generatim occurrit de arborum fructu, quæ glandes ferunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (21). de *quercu*. Probatur et ea, cujus in balano, utrimque ex longitudine, extrema lapidescit duritia. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (151). de *æsculo*. Nascitur e balano, sed nonnisi æsculi. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 4. 9. (42). — Idem *Plin.* 26. *ibid.* 8. 34. (54). tribuit chamæcisto *balanum*, quam alias *acinum*, alias *baccam* dixit. ¶ 2. *Balani* quoque aliquando dicuntur genera quædam castanearum excellentioris magnitudinis, quæ Italice vulgo *marroni* dicuntur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (93). ¶ 3. Speciatim *balanus* dicitur, et ejus succus *myrobalanus*, glans cujusdam arboris simile heliotropio folium habentis, et fructum magnitudine nucis Avellanæ. Est ea plurium generum, ut apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 21. 46. (100). videre est: succumque, seu oleum habet grati odoris, quod unguentarii é cortice premunt. *Horat.* 3. *Od.* 29. 4. Pressa tuis balanus capillis. At fallitur *Plinius*, cum *l. c.* affirmat, balanum esse ex arbore foliis heliotropio similibus, ita et sibi minime constat, cum 23. *ibid.* 5. 52. (98). ait, myrobalanum esse fructum ex palma Ægyptia. *Myrobalanus* enim est *Phyllanthus Emblica* L., quam Itali *mirabolani* vocant, quæque nascitur in *Cochinchina*. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 46.) ad *Plin.* 12. *Hist. nat.* 31. 46. (100). hanc exhibet synonymiam: Βαλάνου δένδρον Theophr. 4. 2.; βάλανος μυρεψική Dioscor. 4. 160.; *Balanus myrepsica* Cord. Hist.; *Glans unguentaria* C. B. 402.; *Moringa oleifera* Lamrk. Encycl. 1. 398. et *Hyperanthera* Forsk. sunt *Myrobalanus* Plinii. — Medici etiam nucleum tundunt, effusa paullatim aqua calida, et tum eo, tum oleo ex cortice expresso ad varios morbos utuntur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 20. 23. (49). *de radice anchusæ*. Datur et ad renum dolores drachma ejus potui in vino; aut, si febris sit, in decocto balani. *Id.* 23. *ibid.* 8. 74. (143). Nuclei nucis pineæ bilem pellunt, poti ex balanorum decocto. — Arbor quoque balanum ferens vocatur *balanus* ab eodem *Plin.* 13. *ibid.* 9. 17. (61). ¶ 4. Item speciatim *balanus* est medicamentum rotundum et oblongum, glandis figura, quod in anum immittitur alvi subducendæ causa. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 20. (43). Cepæ ventrem molliunt, suppositæ pro balanis. *Id.* 26. *ibid.* 8. 34. (54). Solvit alvum cyclaminos ex aqua pota, aut balanis subditis. Adde *eumd.* 24. *ibid.* 6. 21. (31). *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 10. Alii collyria ex ipso (*helleboro*) facientes, quæ appellaverunt balanos, podici supponunt. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 12., et 3. *ibid.* 8. et 16. et 17. ¶ 5. Balanus est etiam genus piscis marini ita dicti, quia querneæ glandis figuram refert, ut docent *Colum.* 8. *R. R.* 16. 7. et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). Ab ichthyographis refertur inter testacea: estque non unius generis: nam *Metellus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. describens pontificalem cœnam, enumerat inter alia *patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos*, etc. *Plaut.* quoque in *Rud.* 2. 1. 8. inter testacea recenset. *V.* CHAMA. ¶ 6. Balanus dicitur etiam glans virilis, quam et Itali nunc *ghianda* vocant, a *Marcell. Empir.* 33. *ad fin.*

BĂLĀTRO, ōnis, m. 3. vox incertæ significationis; varie enim a variis explicatur. Illud certum est dici de vilibus, nugatoriis, nequam, perditis hominibus, quales sunt scurræ, decoctores, parasiti et hujusmodi popelli fex. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 2. Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne Mæstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli. *Vopisc. Carin.* 21. Ne patrimonia sua, proscriptis legitimis heredibus, mimis et balatronibus deputarent. *Paul. Diac.* p. 34. 4. *Müll.* docet, olim *balatrones* et *blateas* dictas esse bullas luti ex itineribus, aut quod de calceamentorum soleis eraditur. *Vetus Horatii Scholiast.* tradit luxuriosos et perditos homines *balatrones* esse appellatos a Servilio Balatrone, qui luxu perditam vitam duxit (de quo multa *Id. Horat.* 2. *Sat.* 8.). Sed veri similius est ipsum Servilium ita cognominatum fuisse a luxuria vivendi, non balatronibus nomen dedisse. Idem addit, legi etiam *baratrones*, quod bona sua devorando, quasi in barathrum mittant: item *blaterones* a *blatiendo*, quia hujusmodi homines vaniloqui sunt. Sed profecto *balatrones* et *blaterones* longe diversa nomina sunt. Usurpat hanc vocem etiam *Varro* pro convicio leniter et jocose mordentis, potius quam acerbe pungentis. Ejus verba sunt 2. *R. R.* 5. 1. Cum alius cum salutasset, alius convicíatus esset, qui tam sero venisset ad constitutum: Videbo jam vos, inquit, balatrones, et huc afferam meum corium et flagra.

BĂLĀTUS, us, m. 4. vox ovium et caprarum (It. *belamento*; Fr. *bêlement*; Hisp. *balido*; Germ. *das Blöken oder Möckern*; Angl. *a bleating*). *Lucret.* 2. 36. tremulis cum vocibus hœdi Cornigeras norunt matres, agnique petulci Balatum pecudes. *Virg.* 9. *Æn.* 62. tuti sub matribus agni Balatum exercent. Adde *eumd.* 3. *G.* 554.; et *Ovid.* 7. *Met.* 319., et 7. *ibid.* 540. ubi in plur. numero usurpat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 55. (156). Pulegium gustatum a pecore caprisque balatum concitat. *Auson.* 76. *Epigr.* 3. Caprigenumque genus – balatu assimilas. Adde *Stat.* 10. *Theb.* 46. *Mamertin. jun. Gratiar. act.* 10. Læta camporum balatu, hinnitu, mugitibus persona.

BALAUSTINUS, a, um, adject. *V.* vocem seq.

BĂLAUSTĬUM, ii, n. 2. βαλαύστιον, flos mali Punicæ seu granatæ (It. *fiore del pomo granato*; Fr. *fleur de grenadier*; Hisp. *flor de granado*; Germ. d. *Blüthe des wilden Granatbaumes*; Angl. *the flower of the pomegranate*). *Plin.* 13. *Hist. nat.* 19. 34. (113). Flos balaustium vocatur, et medicinis idoneus et tingendis vestibus, quarum color inde nomen accepit. Quod *Plin.* dixit: (*Quarum color inde nomen accepit*, putant quidam Lexicographi, probari posse adjectivum *balaustinus, a, um*, ut scilicet *color balaustinus* sit; id tamen nullo auctore confirmant. — Græci scriptores, ut *Harduin.* notat, *balaustium* dicunt esse florem mali Punicæ silvestris, non domesticæ: *Plin.* promiscue et silvestris et domesticæ, tum *loc. cit.*, tum 23. *Hist. nat.* 6. 60. (112). *Columella* tamen Græcos sequi videtur, *sterile* cognominans 10. *R. R.* 297. Carpite narcissique comas sterilisque balausti. *balausti* dixit pro *balaustii*, ut *peculi* pro *peculii*, *auxili* pro *auxilii* etc. per synæresim. *Balaustii* mentio fit et a *Scribon. Compos.* 83. et 112.; et a *Veget.* 3. *Veter.* 16. 1. *Schneid.*

BALBĒ, adverb. proprie est balbutiendo.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1021. Vocibus et gestu cum balbe significarent.

II.) Translate est obscure, involute, implicate. *Varro* apud *Non.* p. 80. 7. *Merc.* Præterquam duobus in primis scriptum est balbe, spectare velit potius etc. *Sunt qui illud* balbe *omittunt.*

BALBUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, *balbus* a *balando* dictus videtur: est autem blæsus, hoc est qui propter hæsitantiam linguæ verba profert inarticulata et indistincta; quales sunt qui *r* litteram exprimere non possunt, sed pro ea *l* dicunt: porro *balbo* opponitur *planus*, ut apud *Cic.* primo loco infra cit. (It. *balbo, scilinguato*; Fr. *qui balbutie, qui bégage, bègue*; Hisp. *tartamudo, balbuciente*; Germ. *stammelnd oder stotternd, mit der Zunge anstossend und abgerissen sprechend*; Angl. *stammering, stuttering, lisping*). *Cic.* 1. *Orat.* 61. 260. Demosthenes cum ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. Adde *eumd.* 2. *Fam.* 10. 7.; et *Lucret.* 4. 1160. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 126. Os tenerum pueri balbumque. *Id.* 1. *ibid.* 20. 18. et *Dig.* 21. 1. 10. § 5. Balba senectus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 274. et *Tibull.* 2. 5. 94. Balba verba. *h. e.* balbe prolata. *Pers.* 1. 33. Balba de nare loqui. *h. e.* ita vocem per nares loquendo emittere, ut difficiliter sermo intelligatur. *V.* HILLUS. — *Balbus melius balbi verba cognoscit*, proverbium apud *Hieronym. Ep.* 50. *ad Domnion.* 4., quod significat, barbare loquentem melius intelligi a barbaro, quam ab ullo alio. — *NB.* Ex hoc linguæ vitio orta sunt Romana cognomina *Balbus* (qui occurrit in gente *Ampia, Atia, Cornelia, Octavia* et *Thoria*), *Balbinus*, *Balbilius*, *Balbutius* etc., quæ omnia videsis loco suo in ONOM.

BALBŪTĬO, is, ire, 4. (balbus). Part. *Balbutiens* II. *a.* et *b.* — Balbutio est ambigue pronuncio, inarticulata verba profero, teste *Non.* p. 80. 13. *Merc.* (It. *balbettare, scilinguare*; Fr. *balbutier, bégayer*; Hisp. *tartamudear*; Germ. *stammeln oder stottern*; Angl. *to statter, stammer, lisp*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cels.* 5. 26. 31. Balbutiendo vix sensus suos explicare. *Cod.* 15. 6. 23. Lingua balbutit. De avibus haud recte canentibus dixit *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 42. (80). Merula canit æstate, hieme balbutit. καταγεῖ, καὶ φθέγγεται θορυβώδες, dixit *Aristot. l.* 9. *Hist. animal.* c. 49. — *b*) Cum Accus., et est aliquid balbutiendo proferre vel nominare. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 48. Balbutit Scaurum prave fultum male talis.

II.) Translate est obscure loquor, aut inepte dissero. — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 75. Academici balbutire desinant aliquando, aperteque et clara voce audeant dicere, etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 3. 5. Epicurus balbutiens de natura deorum. — *b*) Cum Accus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 45. 137. Stoicus perpauca balbutiens.

BĂLĪNĔA. *V.* BALINEÆ et BALINEUM.

BĂLĪNĔÆ *et per syncopen* balneæ, ārum, f. plur. 1. — Sunt qui putant pænultimam producendam esse. Ducunt enim a Græco βαλανεῖον, quod idem significat. Quæ origo si vera est, Latini alteram diphthongi vocalem extriverunt. — Ceterum balineæ sunt balnea (It. *bagni*; Fr. *bain*; Hisp. *baño*; Germ. d. *Bad*, d. *Badeanstalt*; Angl. *baths*). ¶ 1. Fere balinearum nomine veniunt balnea publica; nam quia, ut *Varro* docet 8. *L. L.* 48. et 9. *ibid.* 68. *Müll.*, publica balnea duobus constabant ædificiis, in quorum altero viri, in altero mulieres lavabant; ideo *balíneas* in plurali dicere consueverunt. Aliquando tamen vitio corruptorum temporum mulieres cum viris lavasse legimus: quam licentiam multi principes severis legibus coercuerunt. Hadrianus enim lavacra pro sexibus separavit, teste *Spartian. Hadrian.* 18. Alex. Severus balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit, quod quidem jam ante prohibitum Elagabalus fieri permiserat. *Lamprid. Alex. Sev.* 24. — *a*) *Balneæ* occurrunt apud *Plaut. Asin.* 2. 2. 90., *Most.* 3. 2. 68., *Rud.* 2. 3. 51., *Trin.* 2. 4. 5. et alibi; *Ter. Phorm.* 2. 2. 25.; *Cæcilium* apud *Non.* p. 194. 12. *Merc. Cic. Cæl.* 25. 62. Constitutum factum esse cum servis, ut venirent ad balneas Senias. Et *ibid.* 26. 62. Cur enim balneas publicas potissimum constituerat? *Id. Rosc. Am.* 7. 18. Occiditur ad balneas Palatinas rediens a cœna Sext. Roscius. Adde *eumd. Cluent.* 55. 141. et 2. *Orat.* 55. 223.; *Varron.* 1. *R. R.* 55. 4.; *Vitruv.* 6. 5. 1. *Schneid.*; *Liv.* 23. 7.; *Quintil.* 1. 6. 44.; *Sueton. Ner.* 35.; *Gell.* 10. 3.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3772. — *b*) *Balineæ* occurrunt in *Kal. Prænestin.* apud *Orell. Inscript. vol.* 2. p. 388.; apud *Sueton. Ner.* 31. et apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (168). Ut qui primus pensiles invenerit balineas. *V.* et quæ infra § 2. et 3. citantur. — *c*) *Balnea* in singulari numero occurrit in *Inscript.* apud *Reines. cl.* 11. n. 115. L. PAVLLVS L. L. AVCTVS A BALNEA CVSTOS H. S. E. L. PAVLLO MELAMPO MVLIO. *balnea* hic privatum balneum significat. ¶ 2. Dicuntur etiam de balneis privatis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (22). Spargi parietes balinearum unguento. *Id.* 33. *ibid.* 12. 54. (153). Stratas argento mulierum balineas. ¶ 3. Nonnumquam ponuntur pro ipsa lavatione in balineis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (256). Caventur pridianæ balineæ. *Id.* 20. *ibid.* 14. 57. (160). Cuminum morbo regio in vino albo a balineis datur. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 15. 30. (99). et 24. *ibid.* 19. 118. (181).

BĂLĬNĔĀRĬUS, a, um, adject. ad balineas pertinens, ut *Balinearius locus* in *Inscript.* apud *Gruter.* 171. 8.

BALĬNĔUM *et per syncopen* balneum, ei, n. 2.

βαλανεῖον. — Etiam *Balineium*, Græca scilicet positione, scriptum fuisse videtur pro mendoso *balingium* in *Inscript.* apud *Gruter.* 73. 5. VIRIVS LVPVS BALINGIVM VI IGNIS EXVSTVM RESTITVIT. Hæc autem Inscriptio pertinet ad tempora Septimii Severi et Caracallæ, nam in alia apud *eumd.* 191. 3. Virius Lupus dicitur eorum imperatorum legatus pro prætore. — De quantitate penultimæ *V.* in BALINEÆ sub init. — *Balnea* in plur. numero apud antiquissimos Latinos minime usuvenit, teste *Varron.* 8. *L. L.* 48. et 9. 68. *Müll.*; sed inde ab Augusti ævo propter dactylum a Poetis frequenter usurpari, ac deinde paullatim in prosa quoque oratione recipi cœpit. Præterea *Id. ibid.* docet, *balneas* vel *balineas* dici ad significandas publicas lavationes, ut supra in BALINEÆ dictum est. *Balneum* autem privatam lavationem notat. Verum hanc consuetudinem poetæ non servant, apud quos balnea et de publicis et de privatis usurpantur. — Ceterum *balineum* erat locus, in quo sanitatis, aut voluptatis causa, simul ut abstergerent sordes, corpora lavare veteres consueverunt. Hujus ædificii plures erant cellæ: *frigidaria*, *tepidaria* et *caldaria* ad lavandum: aqua ita disposita, ut ex frigidaria in tepidariam influeret, ubi modico igne calefiebat; inde majore addito calore in caldariam: item *assa cella*, vehementius calefacta, sed sine aqua ad sudandum: *apodyterium*, ubi vestes deponebant: *unctuarium* seu *unctorium*, ubi ungebantur: præterea *sphæristerium*, ubi pilæ lusu se exercebant etc. Quæ omnia *V.* suis locis. In cellis ad lavandum destinatis erant vel *labra* aquam continentia, vel *alvei*, in quos per gradus descendebatur; ibique solium erat sedendi causa. Plura de balneis *V.* apud *Mercurial. De art. gymn. l.* 1. *c.* 10.; *Ferrar.* in *Dissertat. de baln.*; *Pitisc.* in *Lex. Antiquit*; *Vitruv.* 5. 10., et alios (It. *bagni*; Fr. *bain*; Hisp. *baño*; Germ. d. *Bad*; Angl. *baths*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu ponitur de loco, in quo corpora lavare veteres consueverunt. — *a*) *Balineum* occurrit apud *Cic.* 14. *Fam.* 20. Labrum si in balineo non est, ut sit. Adde *eumd.* 2. *Att.* 3. *ad fin.*, ubi tamen alii leg. *balneum*. *Id.* 15. *fam.* 13. 5. Cum e balineo exissem. *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 76. In balineo manducare aliquid. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 38. (115). Egredi e balineo. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (122). Gratuita præbita balinea centum septuaginta. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Balinei cella frigidaria. *Et ibid.* Balinea meritoria tria. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3., 5. *ibid.* 6. et 7. *ibid.* 1.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3324. et 4328. — *b*) *Balneum* occurrit apud *Cic.* 13. *Att.* 52. 1. Inde ambulavit in littore (*Cæsar*). Post horam VIII. in balneum. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 91. mutat cœnacula, lectos, Balnea, tonsores. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 11. 13. et 14. 15.; et *Ovid.* 3. *Art. am.* 640. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 19. Balnea rustica. Cf. *Martial.* 12. 50. Daphnonas, platanos, ac aerias cyparissos, Et non unius balnea solus habes. Adde *eumd.* 9. 20. et *Juvenal.* 1. 143. *Val. Max.* 9. 1. 1. Balnea pensilia. *Seneca Ep.* 90. Suspensuræ balneorum. *Servus a balneis* fuit inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Spon. Miscell.* p. 213. — *c*) Reperitur etiam *balineus* gen. masc., nisi forte mendum sit. Inscript. apud *Marin. Frat. Arval.* 332. IN PRAEDIIS AVRELIAE FAVSTINIANAE BALINEVS LAVAT MORE VRBICO ET OMNIA HVMANITAS PRAESTATVR. ¶ 2. Nonnumquam per metonymiam balnea ponuntur pro ipsa lavatione in balneis. — *a*) *Balineum* occurrit apud *Liv.* 23. 18. Somnus — et vinum et epulæ et scorta balineaque et otium — ita enervaverunt corpora, etc. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. A balineo reverti. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 19. 77. (248).; et *Plin.* 2. *Ep.* 8., 3. *ibid.* 14. et 7. *ibid.* 26. — Sæpius occurrit in formula *a balineo*, ut apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 43 (87).; aut *a balineis*, ut apud *eumd.* 13. *Hist. nat.* 15. 30. (99). et 20. *ibid.* 14. 57 (160). — *b*) *Balneum* occurrit apud *Cels.* 1. 6. Continua balnea. *Horat. Art. P.* 298. Vitare balnea. *Inscript.* apud *Orell.* 4816. BALNEA, VINA, VENVS. ¶ 3. *Balneum Venereum.* V. VENEREUS.

Homonym. Differunt *balnea* a *thermis*. Nam *thermæ* sunt loca aquis sponte calentibus instructa, ut in Aponi fonte et in Bajis; vel etiam subjecto igne calefacta ad lavandum et sudandum, a θερμός calidus. In *balneis* autem sunt etiam frigidariæ cellæ, quæ *thermarum* nomine venire non possunt. (Aliquando tamen *balneum* pro cella frigidaria, et *thermæ* pro caldaria unius ejusdemque balnei sumitur. Lege *Martial.* 9. 70. de *balneo Tuccæ*: ubi hac ratione usurpari videntur). Præterea *balnea* et publica et privata sunt: *thermæ* nonnisi publicæ. Interdum tamen promiscue usurpantur: *V.* THERMÆ.

BĂLĪNIÆ, ārum. Alia forma pro BALINEÆ, quam voc. *V.*

BĀLĬŎLUS, a, um, adject. deminut. qui colore fusco est. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 22. Non pudet puellam amplexari baiolum in media via? *Plaut.* hoc loco Afrum hominem alloquitur: Afri enim fusci coloris sunt. Est autem *baiolus* ab inus. *baius* pro *badius*, ut *Voss.* in *Etymol.* docet. Porro badius color licet splendoris aliquid habeat, ad fuscum tamen accedit. At *Bothe* hic legit *alliolum*, nempe allium olentem, nam idem homo infra v. 34. dicitur *plenior allii ulpicique, quam Romani remiges.* Ceterum quidam *baiuum* dicunt esse colorem tritici: qui sane a *badio* non longissime recedit.

BĂLIS, is *et juxta Forcell.* idis, f. 3. βάλις. Est Græcum nomen cujusdam herbæ, de qua *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 5. (14). Xanthus historiarum scriptor in prima earum tradit, occisum draconis catulum revocatum ad vitam a parente herba, quam balin nominat: eademque Thylonem, quem draco occiderat, restitutum saluti.

BĂLISTA cum derivatis, *V.* BALLISTA.

BALITANS, antis, particip. frequentat. a *balans*. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 5. Pastor harum dormit, cum hæ eunt sic a pecu balitantes. *Plerique alii leg.* palitantes, *quod præstat.*

BALLĀTĬO, ōnis, f. 3. βαλλισμός, ballandi actus, saltatio. *Gloss. Isid.* Choreis, ballationibus.

BALLĀTOR, ōris, m. 3. qui ballat, a verbo βάλλω, jacio nempe corpus. Sic vero vocati sodales, seu cultores Cybeles, qui etiam *gallantes* appellantur a *Varrone* (*V.* GALLO), quia Galli, sive evirati erant. Hinc *Lamprid. Elagab.* 7. Jactavit caput inter præcisos fanaticos, et genitalia sibi devinxit, et omnia fecit, quæ Galli facere solent. Et *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 24. Itane tympanum, turres, Galli, jactatio insana membrorum vitam cuiquam pollicentur æternam? Illi etiam *fanatici* vocabantur. *V.* FANATICUS. *Inscript.* apud *Murat.* 185. 4., quæ est apud *Orell.* 2237. T. FLAVIO CITTVRSO (lege ex *Margarino, Inscript. Basil. S. Pauli* p. 52. *n.* 570. C. F. TVRVSO) PATRONO SODALES BALLATORES CYBELAE BENEMERENTI FECERVNT. *Orellius* n. 2337. ex *Saxio* pro mendoso *Citturso* legit C. F. TVRVSO.

BALLATRIX, icis, f. 3. quæ ballat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 151.

BALLĒMĂTĬA, æ, f. 1. actus ballandi. *Isid.* 3. *Orig.* 22. Cymbala dicta, quia cum ballematia simul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt cymbala ballematica.

BALLĒMĂTĬCUS, a, um, adject. ad saltationes pertinens. *V.* voc. præced.

BALLISTA *vel* balista, æ, f. 1. — *Balista* unico *l* occurrit in veteribus MSS. et in Inscriptionibus, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 4066.: sed duplici *ll* tutiorem esse scriptionem affirmavit *Forcellinus.* — Legitur et *balistra* in *Vet. Gloss.*, quam scriptionem *Lips. Poliorcet. l.* 3. *dial.* 3. præ aliis probare videtur: tametsi consuetudo *s* extrivit. — Ceterum ballista, a βάλλω *jacio*, est militaris machina, qua ingentia saxa mirabili impetu torquentur (It. *spingarda*, *balestra a bolzoni*, *balista*; Fr. *baliste*; Hisp. *honda*; Germ. d. *Schleuder-oder Wurfwaffe*, *d. grossere Wurfwerk*; Angl. *a sort of cross-bow*). ¶ 1. De ballista stricto sensu accepta *V.* multa apud *Ammian* 23. 4., ubi totam machinam diligenter describit; *Vitruv.* 10. 10. 6. et 11. 1. et 11. 9. *Schneid.*; *Lips. Poliorcet. l.* 3. *dial.* 2. et 3.; et *Stewech.* in *Commentar. ad Veget.* 4. *R. M.* 22., ubi etiam figuras exhibent. — In quo autem *ballista* differat a *catapulta*, V. Homonym. in fin. — *Plaut. Capt.* 4. 2. 17. Meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi, humerus aries. *Lucilius* apud *Non.* p. 555. 25. *Merc.* Ballistæ centenariæ, *h. e.* quæ jaciunt saxa pondo librarum centum. *Sisenna* apud *Non. l. c.* talentariæ, *h. e.* quæ jaciunt saxa pondo librarum quinquaginta. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Ballistæ lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius. Adde *Liv.* 21. 11. et 24. 40.; et *Vitruv.* 10. 16. 1. *Schneid. Tac.* 4. *Hist.* 23. Et assa ballistis saxa. *Sil. It.* 1. 334. adductis stridula nervis Phocais effundit vastos ballista molares. ¶ 2. Interdum ballista sumitur pro ipso telo, quod ballista jacitur. *Plaut. Trin.* 3. 2. 42. Ita est amor: ballista ut jacitur: nihil sic celere est, neque volat. — Hinc translate *Id. Plaut. Pœn.* 1. 1. 73. Cui jam infortunii intenta ballista est probe. *Id. Bacch.* 4. 4. 58. De ducentis nummis primum intendam ballistam in senem. — *NB.* De Ballista nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. *Ballista* differt a *catapulta*; ballistā enim ingentia saxa, *catapultā* tela et grandiores sagittæ jaciuntur. *Tac.* 12. *Ann.* 56. Catapultas ballistasque tendere. *Gell.* 6. 3. Ballistis atque catapultis oppugnare. *Vitruv.* quoque hanc differentiam agnoscit describens 10. 15. catapultas, quibus sagittæ, et *ibid.* ballistas, quibus saxa emittuntur. — Nihilominus non raro promiscue usurpantur, *ballista* quæ sagittas et alia id genus tela majora, *catapulta* quæ saxa emittit. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. Asseres cuspidibus præfixi atque hi maximis ballistis missi. *Id. ibid.* 9. Ne saxa ex catapultis latericium discuterent. *Lucan.* 3. 464. lancea tenso ballistæ turbine rapta. *Id.* 2. 686. ballista multifidas jaculata faces. *Sidon. Carm.* 22. 123. stridentes torquet catapulta molares.

BALLISTĀRĬUM vel balistarium, ii, *V.* voc. seq.

BALLISTĀRĬUS, a, um, adject. — In Glossis legitur et *ballistrarius.* — Ballistarius est ad ballistas pertinens. — Hinc

Ballistarius vel *balistarius*, *ii*, m. 2. substantivorum more. ¶ 1. Ballistarii sunt artifices, qui ballistas faciunt. *Tarrunt. Patern. Dig.* 50. 6. 6. Naupegi, ballistarii, specularii, fabri etc. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 10. *n.* 6., quæ est apud *Orell.* 4066. COLLEGIVM BALISTARIORVM ET FERRARIORVM. ¶ 2. *Veget.* 2. *Milit.* 2. recenset ballistarios cum ferentariis, sagittariis, funditoribus, qui omnes sunt levis armaturæ milites. Fuere autem ii, qui seriori ævo minoribus ballistis missilia jaciebant; quos *Id.* 4. 21. *manuballistarios* vel *arcuballistarios* appellat. *Ammian.* 16. 2. Et ne qua interveniret mora, adhibitis cataphractariis solis et ballistariis, Autosidorum pervenit. In *Gloss.* legitur *Ballistrarii* σφενδονῆται.

Ballistarium vel *balistarium*, *ii*, n. 2. substantivorum more est locus, in quo ballistæ servantur. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 73. Cui jam infortunii intexta ballista est probe, quam ego haud multo post mittam e ballistario. *Lips. Poliorcet. l.* 3. *dial.* 2. legit *ballisterium*, et interpretatur ipsam machinam; *ballistam* autem *intentam* id quod emittitur.

BALLISTEA *vel* balistea, ōrum, n. plur. 2. saltationes, vel potius carmina in saltationibus canenda. Vox est origine Græca, a βαλλίζω *salto*, quod a βάλλω *jacio*, *jacto*. Nam saltantes τὰς χεῖρας βαλλίζουσι, *h. e.* manus jaciunt. *Vopisc. Aurel.* 6. Adeo ut etiam ballistea pueri et saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent: Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus etc.

BALLISTERIUM. *V.* BALLISTARIUS.

BALLISTRA *vel* balistra, *et*

BALLISTRĀRĬUS. *V.* BALLISTA *et* BALLISTARIUS.

BALLO, as, are, n. 1. βάλλω: *V.* BALLATOR. Est choreas ducere. *Augustin. Serm.* 215. Davidico more ballare, et saltare paganorum observatione.

BALLŌTE, es, f. 1. βαλλωτή, herba fruticosa, angulosis caulibus nigris, hirsutis foliis vestientibus, majoribus quam porri et nigrioribus, graveolentibus. Vis ejus efficax adversus canis morsus, ad condylomata, etc. Alio nomine *porrum nigrum* et *marrubium nigrum* dicitur. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 30. (831). De synonymia *V.* MARRUBIUM.

BALLŪCA vel bāluca, æ, f. 1. In *Cod. Theod.* 10. 19. 3. et 4. occurrit tamquam recentior forma vocis sequentis, quam *V.*

BALLUX *vel* bālux, ūcis, f. 3. Videtur esse Hispanica vox. — Dicta est et *balluca.* — Ballux est arena aurosa, seu minuta auri ramenta terræ mixta et nondum excocta. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (77). Palacras Hispani, alii palacranas: iidem quod minutum est balucem vocant. *Impp. Valentin. et Valens Cod.* 11. 6. 1. Octones scrupulos in balluca, quæ Græce χρυσάμμος appellatur, exsolvere. Adde *ibid.* 2. Quæ referuntur etiam *Cod. Theod.* 10. 19. 3. et 4. *Martial.* 12. 57. Hinc balucis malleator Hispanæ. *Justin.* 44. 1. *de Hispania.* Amnes plerique etiam divites auro, quod in balucibus vehunt. Ita *Turneb.* in loco *Mart.* ... legendum putat *l.* 30. *Advers. c.* 26

et *Salmas.* in *Exercit. Plin.* in loco *Justini*. Nam passim in editis habetur *paludis* et *paludibus*. Et quod pertinet ad *Martial.*, quidam eum loqui putant de lino et sætabo, quod in paludosis Hispaniæ locis seritur, et maceratum siccatumque fuste in saxo confringitur. Locus *Martialis* integer est: Illinc paludis malleator Hispanæ Tritum nitenti fuste macerat saxum. Magis tamen placet prior lectio: nam malleator ad metalla et monetam refertur in *Inscript.* apud *Gruter.* 1070. 1., neque ad lini artifices apte referri potest. Huc fortasse spectat locus desperatissimus *M. Aurel.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs. Ep.* 23. Ἀπιθανος ὑπεθεσις videtur mihi, quod plane baluceis, qualem petieram. *A. Maius* et ipse nihil inde extricat et prodigiosam corruptionem vocat, quam eruditis emendandam propono.

BALNEÆ, ārum. *V.* BALINEÆ.

BALNEĀRIS, e, adject. ad balneas pertinens *Paul. Dig.* 34. 2. 33. § 7. fr. 40. § 1. Balneare argentum. *h. e.* vasa et supellex argentea, qua in balneis utebantur. *Charis.* 1. *p.* 59. *Putsch.* urceus, solea. *Lamprid. Alex. Sev.* 42. vestis. *h. e.* tunica, vel alia quæpiam, qua a balneo exire solebant sine toga. *Spartian.* 17. jocus. — Hinc

Balnearia, ium, absolute, subaudi *instrumenta*. *Apul.* 3. *Met.* Milo, jussis balnearibus adsequi, producit me ad lavacrum proximum. *h. e.* balnearum instrumentis, nempe ampullis, oleo, strigilibus, linteis, etc.

Balneare absolute est vectigal quod pro lavatione solvebatur. *Gloss. Isid.* Captura, deceptio, vel locus piscosus; et ubi sedet actuarius, qui balneare exigit.

BALNEĀRIUS, a, um, adject. idem quod balnearis. *Catull.* 33. 1. O furum optime balneariorum. *h. e.* qui ad balneas stabant, et lavantium vestes depositas subripiebant, de quibus est titulus 17. *De furibus balneariis* inscriptus *l.* 47. *Paul. ibid.* 3. In furto balneario deprehensus. *Martian. ibid.* 33. 7. 13. § 1. fr. 17. §. 2. Instrumentum balnearium. — Hinc

Balnearia, *orum*, absolute, subaudi *cubicula*, sunt locus balneis destinatus, atque adeo ipsum balneum. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. Nihil ei restabat præter balnearia et ambulationem et aviarium. *Et paullo post.* In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi. Adde *eumd.* 13. *Att.* 29. 2. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 9. Minora balnearia et minora miliaria citius calefiunt. Adde *eumd. Tranquill.* 9.; *Colum.* 1. *R. R.* 6. 2.; et *Dig.* 8. 2. 13. *pr.*

BALNEĀTICUM, i, n. 2. pretium, quod pro lavatione in balneis meritoriis solvitur. Usus est *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad 2. 152., sed parvam admodum eamque valde incertam auctoritatem habet.

BALNEĀTOR, ōris, m. 3. — Potest etiam *balneator* feminino genere efferri, si vera est *Servii* doctrina. Is enim ad *Virg.* 12. *Æn.* 159. docet, nomina in *tor*, si a verbo descendant, habere femininum in *trix*, ut *lector lectrix*, *doctor doctrix*: si a verbo non descendant, utroque genere usurpari posse, ut *hic et hæc senator*, *hic et hæc balneator*. Fatemur tamen *balneatrix* usurpari a *Petronio*. Cf. *Probus p.* 1452. *Putsch.* — Balneator est qui balnei curam habet, ejusque usum præbet advenientibus. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 9. Faciam, ubi tu laveris, ibi ut balneator faciat unguentariam. Adde *eumd. Truc.* 2. 3. 4. *Cic. Cœl.* 26. 62. Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Adde *eumd.* 13. *Phil.* 12. 36.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (156).; *Dig.* 3. 2. 4. § 2., 7. 1. 15. § 1. et 19. 2. 30. § 1. *Inscript.* apud *Fabrett. c.* 2. *n.* 67. Faber balneator. — Figurate *Plaut. Rud.* 2. 6. 43. Edepol, Neptune, es balneator frigidus.

BALNEĀTŌRIUS, a, um, adject. balnearius. *Paul.* 3. *Sentent.* 6. 65. Instrumentum balneatorium. *Martian. Dig.* 33. 7. 17. § 1. *fr.* 17. § 2. Instrumento balneatorio legato, dictum est, balneatorem sic instrumento contineri balneario etc. *Ita legitur apud* Torrentin. *At* Haloander *habet* balneario *etiam primo loco.*

BALNEĀTRIX, icis, f. 3. quæ balneas curat. Usus est hac voce *Petron.*, teste *Servio* ad *Virg.* 12. *Æn.* 159. *V.* BALNEATOR sub init.

BALNEŎLÆ, ārum, f. plur. 1. deminut. parvæ balneæ. *Cicero* apud *Non. p.* 194. 13. *Merc.* Primus balneolas suspendit, inclusit pisces. *Plerique alii tamen leg.* balneola. *Augustin.* 3. *contra Acad.* 4. Certe vel istæ balneolæ aliquam decoris gymnasiorum faciunt recordationem.

BALNEŎLUM, i, n. 2. deminut., parvum balneum. *Seneca Ep.* 86. Balneolum angustum, tenebricosum, ex consuetudine antiqua. *Juvenal.* 7. 4. Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos. Adde locum *Cic.* in voce præced. allatum.

BALNEUM, i. *V.* BALINEUM.

BĀLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Particip. BALANS I. — Verbum exprimens vocem ovium: pro quo et *belo* dicitur (minus tamen frequenter), quod ad eam vocem propius accedit. Oves enim clamando *bee* dicunt. Hinc *Varro* 2. *R. R.* 1. 7. Oves enim sua voce (*Græci*) appellarunt μῆλα. Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed alia littera (vox earum non *me*, sed bee sonare videtur) ovis *belare* vocem efferentes dicunt, extrita littera, uti in multis. Ita hunc locum refinxit *Pontedera Oper. post. T.* 1. *p.* 219. probante *Schneidero*, cum antea in editionibus aliter legeretur (It. *belare*; Fr. *bêler*; Hisp. *balar*; Germ. *bäh schreien oder blöken*; Angl. *to bleat*).

I.) Proprie. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 19. Oves ætate credo esse mutas: ne balant quidem, cum a pecu cetero absunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 740. Factaque fumanti sulphure balet ovis. *Quintil.* 1. 5. 72. Jam ne *balare* quidem, aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi judicio vetustatis niterentur. — Hinc sæpe occurrit apud Poetas Part. *balans*. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. Balantes hostiæ. *Phædr.* 3. 15. 1. agnus. *Juvenal.* 13. 233. pecus. — Et substantive *balantes* sunt ipsæ oves. *Lucret.* 2. 369. Balantum pecudes. *Id.* 6. 1131. Ægri balantes. *Virg.* 1. *G.* 272. Balantumque gregem fluvio mersare salubri. *Id.* 3. *ibid.* 457. Ima dolor balantum lapsus ad ossa.

II.) Translate ponitur et de hominibus, et est ¶ 1. Blaterare. *Varro* 2. *R. R.* 3. 1. Quoniam satis balasti, inquit, o Faustule noster, accipe a me de capellis, et quemadmodum oporteat breviter dicere, disce. Festive *Varro* et locutum illum esse de ovibus indicat, et nimis multa dixisse, et quasi blaterasse, lepide arguit. V. *Cavedoni, Sagg. num. p.* 170. *in not.* ¶ 2. Item *balare* dicitur, qui absurda dicit et more pecudis stulte loquitur. *Arnob.* 3. 39. Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, Cornificius balare convincitur. *Alii tamen leg.* labare.

BALSĂMEUS, a, um, adject. ad balsamum pertinens. *Auct. carm. de Phœnice* 118. Unguine balsameo myrrhaque et tore soluto Condit, et in formam conglobat ore pio.

BALSĂMINUS, a, um, adject. βαλσάμινος, balsamo constans. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 47. (92). Balsaminum (*subaudi* oleum) longe pretiosissimum omnium, contra omnes serpentes efficax.

BALSĂMŌDES, is, adject. βαλσαμώδης. *Balsamodes casia* apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 43. (97). est quædam casiæ species, ab odore balsami ita appellata, amara gustu, atque utilis in medicinis.

BALSĂMUM, i, n. 2. βάλσαμον. Proprie est vox Hebraica, composita ex בַּעַל princeps et שֶׁמֶן oleum, conjunctim *baal-semen*, quasi oleorum princeps vel rex. — Ceterum balsamum ¶ 1. Est succus cujusdam arbusculæ, quæ in Judæa solum nascitur, viti similior, quam myrto, cujus tria genera: alterum tenui et capillacea coma, quod vocant *eutheriston*: alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius, quod *trachy* appellant: tertium, quod dicunt *eumeces*, reliquis procerius, lævi cortice. Semen fert vino proximum gustu, colore rufum, nec sine pingui. Ramum crassiorem habet, quam myrtus. Folium proximum rutæ, perpetua coma. Malleolis seri dicitur, et implet colles vinearum modo: tondeturque similiter fruticans, ac rastris nitescit. Ex ejus cortice ita leviter inciso, nihil ut ultra cum lædatur, (aliter enim emoritur) succus manat, quem *opobalsamum* vocant, suavitatis eximiæ, principatum inter unguenta obtinens, multi quoque usus in medicina. Fit autem incisio vel vitro, vel lapide, vel osseis cultellis, quoniam ferro lædi vitalia odit. Ipsa quoque sarmenta in merce sunt: coquuntur enim in unguentis, vocaturque *xylobalsamum* qui inde exprimitur liquor. Præcipua autem gratia lacrimæ (*opobalsamo*), secunda semini (*carpobalsamo*), tertia cortici, minima ligno (*xylobalsamo*). Hæc ex *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (111). et *Solin.* 35., apud quos plura de hac re videsis. *V.* et *Theophr. Hist. plant. l.* 9. *c.* 6. et *Dioscor. l.* 1. *c.* 18. Fere autem hac voce ipse succus significatur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (11). Unguentum appellatum megalium ex oleo balanino, balsamo, calamo, junco, xylobalsamo, casia, resina. Adde *Justin.* 36. 3. — Apud Poetas occurrit in plur. numero, ut apud *Virg.* 2. *G.* 119. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque etc. *Martial.* 3. 63. Balsama qui semper, cinnama semper olet. ¶ 2. Ipsa etiam arbor balsamum dicitur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Semen balsami. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 25. 54. (111). *Tac.* 5. *Hist.* 6. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si ferri vim adhibeas, pavent venæ etc. Adde *Servium* ad *Virg. l. c.* — NB. *Oleum balsamum* dixit *Apul.* quasi vox adjectiva sit, 10. *Met.* De stanneo vasculo multo sese perungit oleo balsamo. *Nisi forte mendum sit pro balsameo.*

BALTEĀRIUS, ii, m. 2. qui balteos facit. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 69., quæ est apud *Orell.* 3501. M. CRITONIVS M. F. APOLLONIVS MILES EX ARMAMENTARIO AVGVSTORVM BALTEARIVS FECIT SIBI ET SVIS LIBERTIS. *Spon. Miscell. antiq. p.* 253. intelligit eum, qui in armamentario Augustorum balteis curandis præerat, sive iis conservandis, sive subministrandis, sive resarciendis vel ornandis incumberet. Sic *cassidarius ex armamentario Cæsaris Domitiani*, qui eamdem curam circa cassides gerebat, ut docet alia *Inscript.* apud *eumd. Spon. p.* 254.

BALTEĀTUS, a, um, adject. cinctus, cinctutus. *Capell.* 5. *init.* Pectus exquisitissimis gemmarum coloribus balteatum. *Al. legunt* subbalteatum; *quod idem est.*

BALTĔO, as, are, a. 1. *Gloss. Isid.* Balteat cingit.

BALTĔŎLUS, i, m. 2. deminut., parvus balteus. *Capitolin. Maximin.* 2. Propositis præmiis argenteis, idest armillis, torquibus et balteolis.

BALTEUM *vel* baltheum, i, n. 2. *et*

BALTEUS vel baltheus, i, m. 2. — Dysillabum facit *Auct. epitom. Iliad.* 632. Accipit insignem vario cælamine balteum. — Quod discrimen tradit *Plin.* apud *Charis.* 1. *p.* 59. *Putsch.* inter *balteus* et *balteum*, ut ille vinculum significet, hoc lora ad ligandum, subtilius profecto est quam verius, ut et *Voss.* censet *l.* 3. *Grammat. c.* 36. — *Forcellinus* putat hanc vocem rectius scribi sine aspiratione, cum Latina sit, vel saltem longissima consuetudine Latina facta. Sic enim optime scribitur *silva*, *stilus*, *caritas* Latinis litteris, licet, si earum originem spectes, *stylus*, *sylva*, *charitas* scribendum sit. Voces enim externæ si Latine diu usurpentur, Latino etiam more scribi plerumque solent. Adde, si etymon mox afferendum admiseris, nullum esse aspirationi locum. — In singulari numero fere est generis masculini, in plurali vero communis, auctore ipso *Servio* ad *Virg.* 10. *Æn.* 494.; etsi usitatius sit *baltea*, quam *baltei*. Sed tamen *Vitruv.* 3. 3., *Tac.* 1. *Hist.* 57. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). *balteos* dixere, ubi tamen *Sillig.* ex optimorum codicum auctoritate *baltea* legit. — Ratione habita etymi, *Varro* apud *Charisium* 1. *p.* 59. *Putsch.* tradit, esse Tuscum vocabulum; at *Id.* 5. *L. L.* 116. *Müll.* docet ex eo dici, quod bullatum est: ejus verba *V.* infra sub I. Juxta *Forcellinum* fortasse est a βάλλω *injicio*, cujus præter. pass. inus. βέβαλται. — Ceterum *balteus* generatim est cingulum (It. *cintola*, *ciarpa*; Fr. *ceinture*; Hisp. *ceñidor*, *cinta*; Germ. *d. Gurt oder d. Gürtel*; Angl. *a girdle*, *sahs*).

I. Proprie et stricto sensu. — *a*) Fere dicitur de cingulo militari, quod aliquando ab humero dextro sub sinistrum brachium descendens, transversum pectus cingit, sæpius tamen medium hominem ambit zonæ modo; e corio plerumque factum, et bullis æreis argenteisve aut auratis distinctum, a quo arma dependent, teste *Varron.* 5. *L. L.* 116. *Müll.* Balteum, quod cingulum e corio habebant bullatum, balteum dictum. *Accius* apud *Non.* 194. 9. *Merc.* Auctoribus manuleos, baltea, macheras. *Varro* apud *Non. l. c.* Tragica vincula baltea sunt. *Livius* apud *Non. l. c.* Auratæ vaginæ aurata baltea illis erant. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Transfigitur scutum Pulfioni et verutum in balteo defigitur. *Virg.* 5. *Æn.* 313. Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis Threiciis, lato quam circumplectitur auro Balteus, et tereti subnectit fibula gemma. *Id.* 12. *ibid.* 941. infelix humero cum apparuit alto Balteus, et notis fulserunt cingula bullis. *Id. ibid.* 273. teritur qua sutilis alvo Balteus, et laterum juncturas fibula mordet. *Propert.* 4. 10. 22. Præbebant cæsi baltea lenta boves. *V.* infra sub *d. Val. Flacc.* 5. 579. quem balteus asper Subligat. Adde *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152).; *Tac.* 1. *Hist.*

57.; *Quintil.* 11. 3. 140.; *Senec. Herc. fur.* 7.; *Pers.* 4. 44.; et *Sil. It.* 10. 181. — b) Raro et de mulierum cingulo dicitur. *Ovid.* 9. *Met.* 101. Thermodontiaco cælatus balteus auro. *h. e.* Hippolytæ reginæ Amazonum ad Thermodonta fl. habitantium. *Lucan.* 2. 361. *de Marcia Catonis uxore.* Balteus aut fluxos gemmis adstrinxit amictus, Colla monile decens. Adde *Martial.* 14. 207., ubi de Veneris cesto usurpat. — c) *Claudian. Epigr.* 21. et *Apul.* 10. *Met.* balteum dixere zonam, qua ephippia equorum dorso adstringuntur; vel potius lorum pectorale, quod bullis ornari solet. — d) Translate baltea sunt verbera loreis cingulis, seu generatim loris inflicta, apud *Juvenal.* 9. 111. quod enim dubitant componere crimen In dominos? quoties rumoribus ulciscuntur Baltea? — e) *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 68. (174). *de salicibus.* In proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas, pariuntque balteo corticis vincula. *h. e.* cortice in baltei modum secto in longas tænias, et vinculorum usum præbente.

II). Improprie apud artifices ¶ 1. In opere pistorio balteus est id, quo cingitur placenta, seu est ipsum illius solum replicatum. *Cato R. R.* 76. *de placenta facienda.* Indito mellis boni P. IV. S., id una bene commisceto cum caseo. Postea in tabula pura balteum ponito, folia laurea uncta supponito, placentam fingito. Adde *ibid.* 78. ¶ 2. Apud Astronomos est Zodiacus. *Manil.* 1. 677. Sed nitet ingenti stellatus balteus orbe. Adde 3. 361. ¶ 3. Apud *Vitruv.* 3. 3. 7. *baltei pulvinorum* in capitulo Jonico sunt veluti funes, aut cingula, quibus volutarum pulvini terminantur, et veluti ligantur, Italice *cordoni* vel *cinte.* ¶ 4. A *Tertull. Spectac.* 3. dicuntur *baltei* in theatris, quas *præcinctiones* appellat *Vitruv.* 5. 3., et Græco vocabulo *diazomata ibid.* 6. 7. *Schneid.*, nempe quasi transversa cingula; erantque latiores areolæ cum altiore gradu totum amphitheatrum ambientes, quibus aliquot graduum ordines ab aliis separabantur. *V.* plura apud *Lips. de Amphith. c.* 13., ubi et figuram exhibet. Quod vero *Tertull. loc. cit. cardines balteorum* dixit, videtur intelligere ipsarum præcinctionum fores, per quas in ipsos balteos spectaturi ingrediebantur. De hoc theatri balteo est etiam locus *Calpurnii Ecl.* 7. 47., quem *V.* Consule etiam *Maff. Ver. illustr. par.* 4. *l.* 2. *c.* 8.

BĂLUX. *V.* **BALLUX** et **BALLUCA.**

BAMBĂLIŌ, ōnis, m. 3. vocabulum est ignominiosæ appellationis, usurpatum a *Cic.* 3. *Phil.* 6. 16. Tuæ conjugis Bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit. Adde *eund.* 2. *ibid.* 36. 90. In his autem *Cic.* loquitur de M. Fulvio Bambalione Fulviæ M. Antonii uxoris patre, de quo plura *Garaton.* in adnot. ad hunc locum. Est autem *bambalio* a Græco βαμβαλειν vel βαμβαλίζειν, quæ apud *Hesych.* significant *tremere labiis aut dentibus*; quod facere videntur ii, qui ore tumultuantur, balbutiunt et hæsitantes loquuntur. Illud etiam huc pertinere potest, quod in eodem *Hesych.* legitur, βαμβαλον apud Phryges significare τὸ αἰδοῖον.

BAMBATÆ. Apud *Colum.* ita in libris paucis legitur 12. *R. R.* 34. quod *de aceto scyllitico* inscribitur. *Qui scylliticum acetum facere volunt, decem bambatæ in tres amphoras musti mitis etc.*: sed locus plane corruptus est et vox *bambatæ* monstro similis. Emendandus itaque, et assumptis aliquot verbis (quæ perperam divulsa sunt) ex fine capitis præcedentis, legendum. *Alii hoc ipsum scyllæ pondus, quod supra dixi, in aceti duas urnas adjiciunt, et per XL. dies inesse patiuntur, qui scylliticum acetum facere volunt.*

De Embammate. Cap. 34.

In tres amphoras musti mitis aceti acris congium etc. Ita recte præter alios *Hieronym. Mercurial. l.* 1. *variar. lection. c.* 14., quidquid ingeniose magis, quam vere, ut *bambatæ* vocem defenderet, commentus sit *Turneb. l.* 17. *Advers. c.* 13. Vide *Jo. Bapt. Morgagni epist.* 4. *in Auct. R. R.* § 1., ubi rem totam luculenter exequitur. Idem probat *Pontedera Op. post. T.* 2. *p.* 251.

BAMPLUS, i, m. 2. *Fulgent. de prisco serm. n.* 44. Celocem dicunt genus naviculæ modicum, quod bamplum dicimus. *Alii rectius leg.* lembum.

BANCHUS *vel* bancus, i, m. 2. piscis genus, cujus mentio est apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Item ex mari mullos, squillas, bancos, acus, labraces. *Quidam etiam* banchus *legere malunt apud Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 32. (102). et *ibid.* 11. 53. (145)., ubi tamen editio *Harduini* et *Sillig.* habet *bacchus*; quod fortasse reponendum in loco cit. *Cæl. Aurel.* V. BACCHUS sub *B.*

BANNANĪCA vitis memoratur a *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (37)., et fallax esse dicitur, hoc est incerti proventus. Unde autem nomen duxerit, adhuc est incompertum.

BĂPHE, es. *V.* voc. seq. in fin.

BĂPHĒUM *vel* baphium, ii, n. 2. βαφεῖον, tinctorum officina, eorum præcipue, qui murice et fuco tingunt (It. *tintoria*; Fr. *teinturerie*; Hisp. *tintoreria*; Germ. *Färberei*; Angl. *a dye-house*). *Lamprid. Alex. Sev.* 40. Purpura, quæ vulgo Probiana dicitur, idcirco quod Aurelius Probus baphiis præpositus id genus muricis reperisset. *Impp. Theod. et Valentin. Cod.* 11. 8. 5. et *Cod. Theod.* 10. 20. 18. Ad baphia Phœnices ad certum tempus mitti præcipimus. *Cod. Theod.* 11. 28. 3. Publicani etiam et telonarii, præpositi thesaurorum atque baphiorum etc. *Inscript.* apud *Carli Antich. Ital. T.* 3. p. XIV., quæ est apud *Orell.* 4272. Q. C. PETRONIO M. C. PETRONII F. VI. VIRO AVGVSTALI PROC*uratori* BAPHII CISSAE HISTRIAE ET COLLEGII PVRPVR*ariorum* CISSENS*ium* HISTRIAE PATRONO T. CORNELIVS CHRYSOMALVS PVRPVRARIVS AVG*usti* LIBER*tus*. Adde *Servium* ad *Virg.* 4. *G.* 335. — *NB.* In loco *Lampridii* citato alii leg. *baphis præpositus*, hoc est tincturis seu tingendis lanis præpositus; βαφή enim tincturam seu colorem significat: sed ex aliis allatis locis et inscriptione apparet *baphiis* esse retinendum.

BĂPHEUS, ei, m. 2. disyll. βαφεύς, tinctor, et præcipue qui murice tingit, a βάπτω *tingo. Imp. Constantin. Cod.* 11. 7. 2. Baphei et gynæciarii. *Alii leg.* baphii et gynæcii, quod *præstat.*

BAPTÆ, ārum, m. plur. 1. βάπται, fuerunt Athenis molles et effeminati sacerdotes Cotyttus impudicitiæ deæ, cui nocturna sacra faciebant omni petulantis licentiæ et prodigiosarum libidinum genere lascivientes, non secus atque in Bacchanalibus Romæ deprehensis Bacchæ. In hos Eupolis Græcus poeta comœdiam scripsit, βάπτας inscriptam, in qua omnia eorum flagitia depinxit: quam ob causam ab ipsis in mare præcipitatus est, vel, ut tradit *Vet. Scholiast. Juvenal.*, ab Alcibiade necatus est, quod eum præcipue perstrinxerat. Dicti sunt a βάπτω *tingo*, quia mulierum instar faciem fuco tingebant. *Juvenal.* 2. 92. Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto. Ille supercilium madida fuligine tectum Obliqua producit acu, pingitque trementes Attollens oculos etc.

BAPTES, æ, m. 1. gemma est colore veluti artificiali tincta, mollis alioqui, odore excellens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (149).

BAPTISMA, ătis, n. 3. βάπτισμα. ¶ 1. Proprie et generatim est ablutio, a βαπτίζω *mergo, abluo. Prudent. Psychom.* 103. Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro Victricem victrix, abolens baptismate labem Hostilis juguli. ¶ 2. Speciatim per excellentiam ita appellatur primum novæ Legis sacramentum, quo per externam corporis ablutionem significatur et efficitur interior ablutio animæ a sordibus peccatorum. *Cod. Theod.* 16. 6. 2. *pr.*, *Tertull. Bapt.* 1., *Augustin.*, *Hieronym.* et alii. De ritu baptismatis consule *Tertull. Cor. mil.* 3. *ante med.*

BAPTISMUM, i, n. 2. apud Scriptores Ecclesiasticos est idem quod baptisma, qua primum novæ Legis sacramentum significat. *Tertull. Bapt.* 15. Quoniam unus Dominus, et unum baptismum, et una Ecclesia in cœlis. *Casp. Schop. in not. ad Tertull. legit* baptisma. *Augustin. Serm.* 36. *de Temp. a med.* Quale est hoc baptismum, ubi purior est fonte ille, qui mergitur?

BAPTISMUS, i, m. 2. βαπτισμός, idem quod baptismum. *Cod. Theod.* 16. 6. 1. et *Scriptores Eccl.*

BAPTISTA, æ, m. 1. βαπτιστής, qui abluit et baptizat. Ita per excellentiam dictus est D. Joannes Christi præcursor, tum quia baptizare instituit, tum quia Christum ejus sacramenti auctorem baptizavit. *Sedul.* 2. *De op. Pasch.* 143. Hunc baptista potens ut vidit ab amne Joannes.

BAPTISTĒRIUM, ii, n. 2. βαπτιστήριον. ¶ 1. Proprie et generatim erat ampla piscina prope cellam balinei frigidariam ad natandum. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Balinei cella frigidaria, spatiosa et effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur abunde capacia, si innare in proximo cogites. *Id.* 5. *ibid.* 6. Cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum. *Sidon.* 2. *Ep.* 1. Huic basilicæ appendix piscina forinsecus, seu, si græcari mavis, baptisterium ab oriente connectitur, quod viginti circiter modiorum millia capit. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiasticos Scriptores est locus, in quo baptismi sacramentum solemni ritu administratur. *Sidon.* 4. *Ep.* 15. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari. Hinc originem habuerunt *li Battisteri di Firenze, di Pisa, di Cremona*, quæ adhuc remanent. V. *Lupi Antonmaria Dissert.* 1., ubi plurima habes de baptisteriis christianis.

BAPTIZĀTIO, ōnis, f. 3. baptizandi actus. *Ambros. Serm. de Temp.* 17. *p.* 23. Baptizatio Christi.

BAPTIZĀTOR, ōris, m. 3. qui baptizat. *Tertull. Bapt.* 12. Joannes baptizator. Adde *Augustin. Ep.* 23. *a med.*

BAPTIZĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

BAPTIZO, as, āvi, ātum, are, a. 1. βαπτίζω. — Part. *Baptizatus* 2. — ¶ 1. Proprie et generatim est in aquam immergere, aquâ aspergere, abluere. *Theod. Priscian.* 1. 21. Vulnus ex aceto baptizare. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiasticos Scriptores est baptismi sacramentum administrare. *Augustin. Ep.* 23. Parvuli baptizati. Adde *Tertull.*, *Hieronym.* et alios.

BĂRĂTHRO, ōnis, m. 3. homo insatiabilissimus atque avidissimus, qui omnia in ventrem tamquam in barathrum congerit et absumit. *Lucret.* 3. 968. Aufer abhinc lacrimas, barathro, et compesce querelas. Ita *Lambinus.* Alii leg. *barde*, alii *barathre*, V. BARATHRUS. Adde dicta in voce BALATRONES.

BĂRĀTHRUM, i, n. 2. βάραθρον, Græca vox, qua significatur locus in altissimam profunditatem depressus, qualis fuit Athenis profunda vorago, in quam noxios morti damnatos præcipitabant, ut *Suidas* docet. Latini scriptores ita appellant locum omnem profundum et præcipitem, unde evadere difficile est (It. *baratro, abisso, profondità immensa*; Fr. *abime, gouffre, profondeur*; Hisp. *abismo, profundidad*; Germ. d. *Erd-oder Meeresschlund, Abgrund*, d. *Schlucht, bodenlose Tiefe*; Angl. *a deep pit, gulph, abyss*).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Vitruv.* 10. 16. 11. *Schneid.* Quibus locis fossa non potuerat fieri intra murum, barathrum longitudine et amplitudine, uti piscinam, fecerunt etc. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 41. O barathrum ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens! Adde *eund. Rud.* 2. 7. 12., et *Lucret.* 3. 979. *Forcellinus* in duobus *Plauti* locis nuper cit. *barathrum* pro Inferis accepit. *Lucret.* 6. 606. Ferri in barathrum. *Catull.* 68. 108. Abruptum barathrum. *Id. ibid.* 117. amor altior barathro. *Virg.* 3. *Æn.* 420. Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 166. quid enim differt, barathro ne Dones quidquid habes, an numquam utare paratis? *h. e.* in profundissimam voraginem, unde nihil redire potest, projicias: *Forcellinus* translate hæc accepit atque ita interpretatus est: In ventrem congeras, absumas, perdas. *Sil. It.* 9. 497. se postquam Ætnæ mersit candente barathro. Adde *Val. Flacc.* 2. 192. — In plurali numero apud *Phædr. fab.* 30. *edit. a Jannellio.* O sortem miseram, ductam de barathris, ait. Hic loquitur papilio ad vespam: *barathri* nempe sunt folliculi, quibus bombyces, antequam papiliones fiant, sese includunt. Ceterum versus ille pæne totus est ex conjectura *Jannellii*, quod codex ibi pluribus scatet lituris. — b) Speciatim dicitur de Inferorum locis. *Virg.* 8. *Æn.* 245. superque immane barathrum Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes. *Val. Flacc.* 2. 86. pœna barathri. *Claudian. I. Rapt. Pros.* 37. ferale barathrum.

II.) Translate. ¶ 1. Barathrum dicitur insatiabilis venter vel stomachus. *Plaut. Curc.* 1. 2. 29. Age, effunde hoc cito in barathrum. *h. e.* in ventrem: est enim sermo de anu bibacissima. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 31. Pernicies et tempestas barathrumque macelli. *Martial.* 1. 88. Extremo ructus cum venit a barathro. *h. e.* ab imo stomacho. ¶ 2. Apud *Martial.* 3. 81. barathrum femineum est τὸ αἰδοῖον.

BĂRĀTHRUS, i, m. 2. βάραθρος, homo nullius pretii, abjectus, vilissimus, ruinâ et barathro dignus. *Lucret.* 3. 967. Aufer abhinc lacrimas, barathre, et compesce querelas. V. *Forbiger* ad h. l. Alii leg. *barde*, alii *barathro.*

BARBA, æ, f. 1. Cf. Germ. *bart.* Juxta nonnullos

fortasse est a παρειὰ seu παρεὰ *maxilla*, mox παρεϜὰ, tum παρϜὰ, ac tandem, mutato π in β, barba. — *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 311. et *Vel. Long. in Orthogr. p.* 2243. *Putsch.* docent *barbam* in singulari numero dici de hominibus, in plurali vero de brutis animalibus: quod sane discrimen aut falsum est, aut certe non perpetuum. Nam ipse *Virg.* 3. *G.* 366. de hominibus *impexas barbas* dixit, ut et *Charis.* observavit 1. *p.* 74. *Putsch.* (licet *Servius* aliter explicare malit), cui adde *Senec. Herc. Œt.* 1763., *Sil. It.* 13. 310., *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (93)., *Apul.* 4. *Met. p.* 156., et *Petron. Satyr.* 99., ubi *barbas horrentes* uni tantum nautæ attribuit. Contra in singulari de pluribus etiam hircis *barbam* dixit *Plin.* 28. *Hist. nat.* 13. 56. (198). — Ceterum barba sunt pili in facie, ac præcipue in mento hominis; quamquam et de brutis animalibus dicatur (It. *barba*; Fr. *barbe*; Hisp. *barba*; Germ. *d. Bart*; Angl. *a beard*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de hominibus tantum. — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 15. Cano capite atque alba barba. *Sisenna* apud *Non. p.* 130. 8. *Merc.* Barba immissâ et intonso capillo. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. Capillatior, quam ante, barbâque majore. *Id.* 4. *Verr.* 25. 62. Maximâ barbâ et capillo. *Nepos Datam.* 3. Capillo longo barbâque promissâ. Adde *Liv.* 2. 23. et 5. 41. — *b*) Jungitur pluribus Adjectivis. *Plin.* 1. *Ep.* 10. cana. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 12. hirquina. *quod est in conviciis*; *Plauti verba sunt*: Heus tu, qui cum hirquina astas barba. *Ovid.* 13. *Met.* 766. hirsuta. *Cic. Cœl.* 14. 33. et *Virg.* 4. *Æn.* 25. horrida. *Petron. Satyr.* 99. horrentes. *Virg.* 2. *Æn.* 593., *Ovid.* 12. *Met.* 351. et *Quintil.* 12. 3. 12. immissa. *Virg.* 3. *G.* 366. impexæ. *Ovid.* 12. *Met.* 395. incipiens. *Virg.* 12. *Æn.* 300. ingens. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (162). intonsa. *Ovid.* 15. *Met.* 656. longa. *Varro* 2. *R. R.* 11. 10. magna. *Gell.* 9. 2. porrecta ad pubem usque. *Seneca Hippol.* 648., *Sueton. Ner.* 12. et *Juvenal.* 8. 166. prima. *Virg.* 8. *Ecl.* 34. prolixa. *Id.* 10. *Æn.* 838. propexa in pectore. *Ovid.* 1. *Fast.* 259. propexam ad pectora. *Virg.* 2. *Æn.* 277. squalens. — *c*) Jungitur et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, subjicimus. — Neutr. *Virg.* 1. *Ecl.* 29. cadit barba tondenti. *Lucret.* 6. 945. crescit. *Lucan.* 2. 376. increscit genis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 4. 3. (36). provenit. — Activ. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (162). abradere barbam. *Lamprid. Elagab.* 31. *a med.* accurare psilothro. *Ovid.* 15. *Met.* 656. deducere dextrâ cæsariem barbæ. *Lucret.* 5. 673. et *Dig.* 47. 10. 15. § 27. demittere malis. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 17. depectere prominentem. *Lamprid. Elagab.* 31. *extr.* facere novaculâ. *h. e.* radere, quod et Itali dicunt *far la barba*. *Petron. Satyr.* 102. figurare peregrinâ ratione. *Ovid.* 1. *Fast.* 259. mulcere manu. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 35. pascere. *Id. Art. P.* 298., et *Sueton. Calig.* 5. et 10. et *Ner.* 12. ponere. *Liv.* 6. 16. et *Tac.* 2. *Ann.* 31. promittere. *Sueton. Aug.* 79. et *Cæs.* 47., *Gell.* 3. 4. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 59. 59. (211). radere. *Gell.* 3. 4. rasitare. *Ovid.* 13. *Met.* 767. recidere. *Id.* 1. *Art. am.* 518. resecare. *Tac. Germ.* 31. summittere. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. tondere. — *d*) Speciatim *aurea barba* ornari solebant deorum statuæ, quos maxime colere quis volebat. Ea enim re valde iis gratificari credebant. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Idemque Æsculapii Epidauri (*simulacri*) barbam auream demi jussit. *Pers.* 2. 56. nam fratres inter ahenos, Somnia pituita qui purgatissima mittunt, Præcipui sunto; sitque illis aurea barba. *Petron. Fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Aut ego me non novi, aut non deridebis, licet barbam auream habeas. *h. e.* deus sis: vel ditissimus et potentissimus. Hinc Italorum proverbium *fare la barba d'oro*. — *e*) Apud *Juvenal.* 16. 31. dicitur aliquis *dignus esse barba et capillis majorum*, qui probis est moribus et antiquis. Prisci enim homines, qui castigatissimis moribus fuisse dicuntur, neque barbam, neque capillum tondere consueverunt. Primi enim tonsores in Italia fuisse dicuntur post an. U. C. CCCCLIV., ut *Varro* 2. *R. R. sub fin.* et ex eo *Plin.* 7. *Hist. nat.* 59. 59. (211). narrat: quo tempore ex Sicilia in Italiam venere tonsores; primusque omnium radi quotidie instituit Africanus sequens, ut *Plin. ibid.* tradit. Inde mos inductus, ut viri raderent, adolescentes alerent. Hinc barbatuli juvenes apud *Cic.* 1. *Att.* 14. — Cæterum primam barbam solebant Romani, ut primum totondissent, diis consecrare, præsertim Apollini, Jovi et Veneri. Fere autem id fiebat circa vigesimum secundum ætatis annum (comam enim aliquot annis ante id tempus detondere atque itidem diis dicare mos fuit), eratque ille dies solemnis ac lætus, et celebrabatur coacto consanguineorum atque affinium cœtu, conviviis missisque ultro citroque muneribus etc., tamquam alter natalis dies. Videbantur enim quodammodo pueritiam exuere et ad virilem statum transire. *Sueton. Ner.* 12. Barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem et pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit. *Juvenal.* 3. 186. Ille metit barbam: crinem hic deponit amati: Plena domus libis venalibus. Adde *Petron. Satyr.* 29. — Contra *barbam plenam habere* est barbam omnem emisisse perfectæque ætatis esse. *Spartian. Antonin.* 10. Nulli vitem, nisi robusto et bonæ famæ daret, nec tribunum, nisi plena barba, faceret. — Barbam vero a feminis radi interdictum esse a Legg. XII. Tab. narrat *Plin.* l. c. in GENA. — *f*) *Barba* et *pallium* fuere velut insignia philosophorum, præsertim Stoicorum, quibus se commendare populo et verendos reddere studebant, vultu ipso habituque morum severitatem gravitatemque præ se ferentes. Hinc de quodam, qui se philosophum ementiebatur, *Gell.* 9. 2. Video barbam et pallium: philosophum nondum video. *Quintil.* 11. 1. 34. Philosophiam ex professo ostentantibus parum decori sunt plerique orationis ornatus. Verba exquisitiora non conveniunt barbæ illi atque tristitiæ. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 34. sapientem pascere barbam. *h. e.* Stoicum philosophum profiteri. Adde *Lactant.* 3. 25. — *g*) *Barbam alicui vellere*, τὸν πώγωνα τίλλειν τινί, atrox injuria magnumque ludibrium est. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 133.; *Pers.* 1. 133. et 2. 28. ¶ 2. Latiori sensu dicitur etiam barba de brutis animalibus, quæ vel villos habent a mento pendentes, vel aliquid barbæ simile. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 42., ubi de veneficiis agit Canidiæ et Saganæ, lupis quoque *barbam* tribuit; et videtur significare partem rostri inferiorem, vel totum rostrum, parte pro toto accepta. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (74). Barbæ hircorum. *Id.* 26. *ibid.* 8. 30. (47). caprarum. *Id.* 30. *ibid.* 11. 29. (97). gallorum gallinaceorum. *Id.* 9. *ibid.* 17. 30. (64). Mulli barba gemina insigniuntur inferiori labro. *Id. ibid.* 30. 48. (93). Polyporum barbæ. *h. e.* crines, cirri, flagella barbæ modo e capite pendentia.

II.) Translate. *Barba* dicitur de summis arborum ramulis seu tenuioribus foliis extremis, de lanugine in plantis, et similibus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (202). Rami a projectu digitorum modo subrigi, tonsili in his tenuium quoque virgultorum barba, ne obumbrent. *Id.* 15. *ibid.* 22. 24. (89). Ponticas nuces mollis protegit barba.

BARBĂRA, æ, f. 1. genus emplastri, de quo *Scribon. Compos.* 207. *Forcellinus* accepit neutr. gen. *V.* BARBARUS in fine.

BARBĂRĒ, adverb. (barbarus) βαρβαρικῶς, βαρβαριστί. ¶ 1. Græca significatione est more vel ritu exterorum gentium, non Græce. *Plaut. Asin. prol.* 10. Huic nomen Græce est Onagos fabulæ: Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare. *h. e.* Latine. *Id. Trin. prol.* 19. Philemo scripsit, Plautus vortit barbare. ¶ 2. Latina significatione est non Romane, sed exterorum more, atque adeo aspero agrestique modo: et refertur tum ad sermonem, tum ad mores. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 12. Si grammaticum se professus quispiam, barbare loquatur. Adde *Quintil.* 1. 5. 9. *Id.* 1. 6. 45. Barbare exclamare. *Horat.* 1. *Od.* 13. 14. Barbare lædens oscula.

BARBĂRI, ōrum. *V.* BARBARUS.

BARBĂRĬA, æ, f. 1. In recto casu sing. num. dicitur etiam *barbaries*, quemadmodum et in Accus. *barbariem*. — Barbaria generatim est et dicitur quidquid externum est. Hinc

A) Ratione habita gentis, barbaria dicitur omnis externa regio; item gentes ibidem incolentes. ¶ 1. Græca significatione, est omnis externa regio non Græca, ideoque antiquis temporibus etiam Italia dicebatur barbaria. *Plaut. Pœn.* 3. 2. 21. Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves. *h. e.* in Italia; est enim Græcus homo, qui ibi loquitur. Adde *eumd.* apud *Festum p.* 372. 27. *Müll. Cic.* 5. *Fin.* 4. 11. Omnium fere civitatum non Græciæ solum, sed etiam barbariæ ab Aristotele mores, instituta, disciplinas cognovimus. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 27. 77., 1. *de republ.* 3. 5., 1. *Nat. D.* 29. 81. et 2. *ibid.* 50. 126. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 7. Græcia barbariæ lento collisa duello. *h. e.* Phrygiæ. Adde *Curt.* 6. 3. 3. et *Justin.* 9. 5. ¶ 2. Latina significatione, barbaria est omnis externa regio præter Græciam et Italiam. *Cic.* 2. *Fin.* 15. 49. A quo (*philosopho*) non solum Græcia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est. Adde *eumd.* 3. *Cat.* 10. 25. Ab *eodem Fontej.* 16. 34. dicitur de Galliis; et 2. *Nat. D.* 34. 88. de Scythia et Britannia; a *Val. Max.* 5. 5. 3. de Germania. *Ovid.* 15. *Met.* 829. Quid tibi barbariem gentesque ab utroque jacentes Oceano numerem? *Lucan.* 8. 812. Adde subactam Barbariem gentesque vagas. *Tertull. advers. Judæos* 7. et *Virgin. vel.* 2. hoc sensu in plur. numero usurpavit.

B) Latiori sensu occurrit de re quacumque aspera, inculta, agresti; et speciatim — *a*) De vitio sermonis. *Cic. Brut.* 74. 258. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. *Id.* 1. *Orat.* 26. 118. Si multitudo litium, si varietas causarum, si hæc turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus. *h. e.* turba illitterata et barbara. — *b*) Item de barbaris ac feris moribus. *Cic. Balb.* 19. 43. Inveteratam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delere. *Liv.* 30. 28. Cum Syphace inconditæ barbariæ rege. *Ovid.* 2. *Art. am.* 551. Oscula vir dederat (memini) suus; oscula questus Sum data: barbarie noster abundat amor. *h. e.* feritate quadam et nimia zelotypia. *Id.* 3. *Trist.* 9. 7. Inhumana barbaria. *Quintil.* 11. 3. 69. Capite prædura ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur. Cf. *Petron. Satyr.* 68. *Flor.* 4. 12. *de Sarmatis.* Tanta barbaries est, ut pacem non intelligant. — *c*) De rusticitate, ignorantia, aut stultitia. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 3. Ingenium quondam fuerat pretiosius auro: At nunc barbaries grandis habere nihil. *Justin.* 43. 4. Ab his igitur Galli et usum vitæ cultioris, deposita et mansuefacta barbaria, et agrorum cultus didicerunt.

BARBĂRĬCA, æ. *V.* BARBARICUS sub *A.* 2.

BARBĂRĬCĀRIUS, ii, m. 2. Barbaricarii sunt iidem qui Phrygiones, hoc est textores artificesque barbaricæ vestis, exprimentes ex auro et coloratis filis hominum formas, et diversorum animalium et specierum imitatam subtilitate veritatem. Ita *Donat.* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 777. Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum. Ubi *Servius* quoque de textura Phrygionum intelligit. *V.* BARBARICUS *A.* 1. *a.* *Inscript.* apud *Murat.* 971. 5., quæ est apud *Orell.* 4152. HERMES BARBARICARIVS MINISTRATOR. *h. e.* qui vestes barbaricas servabat. Legitur præterea in *Cod. Justin.* 12. 24. 7. § 1. et in *Cod. Theod.* 10. 22. 1., ubi *barbaricarii* sunt, qui aurum argentumve operibus illinunt.

BARBĂRĬCĒ, adverb. (barbaricus) βαρβαρικῶς, Barbarorum, non Græco aut latino more. *Capitolin. Ver.* 10. Barba prope barbarice demissa.

BARBĂRĬCUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

BARBĂRĬCUS, a, um, adject. βαρβαρικός, qui externus est, non nostras. Hinc

A) Ratione habita gentis, qui alius est gentis, et quidem ¶ 1. Græca significatione qui Græcus non est: et speciatim ponitur — *a*) Pro Phrygio. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. O pater, o patria, o Priami domus! Vidi ego te, astante ope barbarica, Tectis cælatis etc. *h. e.* dum staret regnum Phrygum incolume. *Virg.* 2. *Æn.* 504. Barbarico postes auro spoliisque superbi. Ubi *Servius*: aut multo, quia Barbari copiæ magis quam elegantiæ student: aut a Barbaris capto: aut vere barbaro, id est Phrygio; nam et *Homerus* Phrygas *Barbaros* appellat. Cf. *Lucret.* 2. 499. Barbaricæ vestes. *h. e.* Phrygio more pictæ. *Seneca Herc. fur.* 475. Auro decorum syrma barbarico. *Ovid.* 5. *Met.* 507. Barbarica tela. *Id. Heroid.* 3. 1. Quam legis, a rapta Briseide littera venit: Vix bene barbarica Græca notata manu. *h. e.* Phrygiæ Briseidis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 61. (185). pavimenta. *Forcellinus* h. l. ait: Quia nempe ab exteris regionibus in Italiam primum invecta fuerint. At pro Phrygiis esse intelligenda conjicimus ex *Ennio* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. *Apul.* 10. *Met.* amicula. — *b*) Item barbaricus est Asiaticus vel Orientalis. *Virg.* 8 *Æn.* 685. Hinc ope barbarica variisque Antonius armis. *h. e.* Orientalium nationum exercitu contra Romanos bellum ferens. *Vitruv.* 1. 1. 6. *Schneid.* Barbaricus vestis ornatus. *h. e.* Persicus. *Prudent. Apotheos.* 211. Barbarici sinus. *h. e.* vestes Babyloniæ. — *c*) Item est Latinus vel Romanus. *Plaut. Capt.* 4. 2. 104. Quid tu per barbaricas urbes juras? *h. e.* Latinas: Græcus enim ibi homo loquitur. *Id. Capt.* 2. 3.

32. Barbarica lege jus suum persequi. *h. e.* Romanâ. *Id. Cas.* 3. 6. 19. Barbarico ritu esse. *h. e.* edere. *V.* BARBARUS. ¶ 2. Latina significatione barbaricus est externus, hoc est non Græcus, nec Romanus. *Sall. orat.* 1. *ad Cæs. De republ. ordin.* 3. *extr.* Neque barbarico ritu cæde cædem, sanguine sanguinem expiandum. *Sueton. Claud.* 47. Barbarica nomina. *h. e.* Germanica. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 16. (56). pyra. *Id.* 21. *ibid.* 6. 16. (29). errasse eos dicit. qui baccaris radicem *barbaricam* appellavere, quia nempe in Italia non proveniret, sed solummodo in externis regionibus: ita enim ibi interpretatur *Harduin*; quamquam *Salmas.* in *Exercit. Plin.* p. 1068. aliter legendum putat, sed minus recte. *Lucan.* 1. 476. barbaricæ Cæsaris alæ. *Sil. It.* 15. 693. cor. *Ammian.* 18. 2. sermo. *Veget.* 4. *Veterin.* 7. equi. De *sphæra barbarica* V. SPHÆRA.

B) Ratione habita cultus, barbaricus est rudis, incultus, ferus. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 226. Barbarica vita. *h. e.* Barbarorum similis et plena feritatis. Cf. *Flor.* 3. 3. Barbarica stoliditas. Hinc *barbarica silva* ab agricolis dicebatur, quæ conseminea erat, et aut nulla, aut certe levi cultura colebatur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 83. Silvam si quis barbaricam, id est conseminеam velit facere. — Hinc

Barbaricum, i, n. 2. absolute substantivorum more ¶ 1. Subaudi *solum*, et est externa regio non subjecta Romanis. *Ammian.* 18. 2. Visus in barbarico miles. *Eutrop.* 9. 4. Uterque in barbarico interfecti. *Spartian. Sever.* 47. Milites expeditionis tempore sic disposuit, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria XVII. dierum, nisi in barbarico. ¶ 2. *Barbaricum* appellatur clamor exercitus, videlicet quod eo genere Barbari utuntur. Hæc *Paul. Diac.* p. 31. 10. *Müll.* Hic clamor *barritus* etiam appellatur barbaro vocabulo, ut infra in BARRITUS dicemus. ¶ 3. Denique *barbaricum* adverbii more, tamquam Accus., pro *barbarice* ponitur. *Sil. It.* 13. 418. Barbaricum atque immane gemens.

BARBARĬES. *V.* BARBARIA.

BARBARISMUS, i, m. 2. βαρβαρισμός (Græca vox, Latine *sermo rusticus* teste *Gell.* 13. 6.) vitium orationis, quod fit in singulis verbis: nam si in plurium verborum constructione fiat, *solœcismus* dicitur. Fit autem pluribus modis, ut cum peregrinam et barbaram vocem usurpamus; vel utimur quidem vocibus Latinis, sed eas corrumpimus declinatione aut conjugatione, ut si *legebo* dicamus pro *legam*, vel *carmini* pro *carminis*; vel pronunciatione, longam v. gr. pro brevi proferendo; vel scriptione, ut si adspirationem adscribamus, ubi locum non habet; vel denique alio quopiam modo verba invertamus: qua de re plura Grammatici. V. *Quintil.* 1. 5. 5.; *Charis.* 4. *init.*; *Diomed.* 2. *p.* 446. *Putsch.* et alios. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 17. Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiose effertur. *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* 1. *ad fin.* ed. *Mai.* Epistulam matri tuæ scripsi, quæ mea impudentia est, Græce, eamque epistulæ ad te scriptæ implicui. Tu prior lege: et si quis inest barbarismus, ut qui a Græcis litteris recentior es, corrige. *Sidon.* de eo, qui sermonis Germanici notitiam facillime arripuisset, ita 5. *Ep.* 5. Te præsente formidat facere linguæ barbarus barbarismum. Adde *Gell.* 5. 20. *Martial.* 6. 17. Cinnam, Cinname, te jubes vocari: Non est hic rogo, Cinna barbarismus? *Gell.* 13. 6. hæc animadvertit: Id vocabulum quod dicitur vulgo barbarismus, qui ante divi Augusti ætatem pure atque integre locuti sunt, an dixerint, nondum equidem inveni. — Potest etiam ad animi naturam referri: et quemadmodum *barbarum* dicimus, qui est incultis ac feris moribus, ita *barbarismum* pro feritate et barbarie usurpare licebit. *Quintil.* enim *loc. cit.*, ubi *barbarismi* genera enumerat, Alterum, *inquit*, genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura, ut is a quo insolenter quid, aut minaciter, aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimetur. *Sidon.* 9. *Ep.* 4. Quidam barbarismus est morum sermo jucundus et animus afflictus. — Denique si qui apud Poetas inveniantur *barbarismi*, schematismos, schemata, metaplasmos appellari docent *Quintil.* 1. 8., *Charis.* 4. *init.* et *Diomed.* 2. p. 440. et 449. *Putsch.* V. METAPLASMUS.

BARBARIZO, as, are, n. 1. βαρβαρίζω, barbarice loquor. *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 1. 3. p. 734. Hoc autem est facere secundum locutionem, barbarizare ex oratione.

BARBĂRŎLEXIS, is, f. 3. βαρβαρόλεξις, vitium est orationis barbarismo simile: in eo tamen differens, quod barbarismus fit in nostra loquela, inquit *Charis.* 4. *init.*, βαρβαρόλεξις in peregrina, hoc est, ut *Isid.* 1. *Orig.* 31. 2. explicat, barbarismus in verbo Latino fit dum corrumpitur; quando autem barbara verba Latinis eloquiis inseruntur, βαρβαρόλεξις dicitur. Refertur autem inter figuras orationis: ac tales sunt *gaza* et *magalia* apud *Virgil.*

BARBĂRUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

BARBĂRUS, a, um, adject. βάρβαρος. — *Barbarum* pro *barbarorum* in Genitivo plur. dixit *Phædr.* 4. 6. 11. In perniciem Grajum et Barbarûm. — Comp. *Barbarior* sub *B.* — Ratione habita etymi, est a Græca voce allata, quæ, ut *wirrewarr* apud Germanos, initio fuit onomatopœia βαρβαρ, ficta ab Atheniensibus, cum exteros irridere vellent, quod eorum sermo vernaculus inconcinnus videretur, et quod loqui Græce volentes, difficulter, duriter asperaque Græca sonarent: *V. Ovid.* 5. *Trist.* 10 37. et *Strabon.* 14. *p.* 455. Hinc generatim barbarus est externus, non nostras (It. *forestiere, straniero*; Fr. *étranger*; Hisp. *extraño, extrangero*; Germ. *ausländisch, fremd*; Angl. *extraneous, foreign*).

A) Ratione habita gentis occurrit etiam substantivorum more, præcipue in numero plur. et ¶ 1. Græca significatione, barbari erant omnes exteræ gentes, præter Græcos; præcipue quod nulli præter ipsos viderentur eleganter loqui; nam πᾶς μὴ Ἕλλην βάρβαρος ut est apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 504. — *a*) Generatim. *Cato* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 7. (14). Jurarunt inter se (*Græci*) barbaros necare omnes medicinâ. – Nos quoque dictitant barbaros et spurcius nos, quam alios Opicos, appellatione fœdant. Cf. *Cic.* 1. *de republ.* 37. 58. *Plaut. Rud.* 2. 7. 25. Barbarum hospitem mihi in ædes: nihil moror, sat litium est. *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. *Sophoclem vertens.* Non Graja vis, non barbara ulla immanitas etc. *Nepos Eumen.* 3. Ut – his persuaderet se contra quosdam barbaros proficisci. Adde *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 37.; *Phædr.* 4. 6. 11. *sub init. cit.*; *Curt.* 5. 5. 19. et 3. 7. 3.; et *Senec.* 3. *de Ira* 2. 2. *Tac.* 3. *Ann.* 33. Tam inter Græcos, quam inter barbaros potens. — *b*) Speciatim est Latinus vel Romanus. Et sane apud *Plaut.*, qui in suis fabulis plerumque Græcos homines loquentes inducit, legitur *Barbaria* pro Italia, et *Barbaricæ urbes* pro Italicis. Sic *Mil. glor.* 2. 2. 56., ubi poetam barbarum memorat, *Nævium* Latinum poetam intelligit: Cf. *Paul. Diac.* p. 36. 2. *Müll. Id. Plaut. Bacch.* 1. 2. 15. 1, stultior tu es barbaro Potitio. Et *Stich.* 1. 3. 40. Hæc verba subigunt me, mores ut barbaros discam, atque ut faciam præconis compendium: itaque auctionem prædicem, ipse veneam. *h. e.* mores omnino inusitatos in Græcia et peregrinos, qualis est, ut qui præconem agit et auctionem facit, ipse se vendat. — Hinc *barbari casus* dicuntur, qui terminationem habent tantum Latinam, non vero Græcam. *Cic. Orat.* 48. 160. Et cum *Phrygum* et *Phrygibus* dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus Græcam litteram adhibere, aut recto casu solum Græce loqui; tamen et *Phryges* et *Phrygum* aurium causa diximus. *Gesnerus* in *Thesaur. L. L.* in V. *Casus* censet, Ciceronem vocasse casus barbaros *Phrygum* et *Phrygibus*, quod eos Latini cum Græcis communes non habent; *Phryx* enim et *Phryges* casus recti, etiam Græci sunt, in his igitur Græcæ litteræ *ph* et *y* ferri possunt; ergo, ait *Cicero*, cur non eædem retineri possint etiam in barbaris casibus *Phrygum* et *Phrygibus*, aurium scilicet causa? — *c*) Item de incolis Asiæ minoris; hinc barbarus est Lydus vel Phrygius. *Plaut. Curc.* 1. 2. 60. Pessuli gerite amanti mihi morem: fite meâ causâ Lydi barbari. *V.* LYDUS in ONOM. *Lucret.* 4. 546. Barbara tuba. *Catull.* 64. 264. tibia. *Virg.* 11. *Æn.* 777. Pictas acu tunicas et barbara tegmina crurum. *V.* BARBARICUS sub *A* 1. *b. Horat. Epod.* 9. 5. Sonante mixtum tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis barbarum. *Ovid.* 14. *Met.* 163. prora. *Nepos Trasyb.* 4. Aspendios dixit barbaros. — *d*) Item Persæ. *Nepos Milt.* 7. Ut insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur. Adde eumd. *Arist.* 2. et *Ages.* 17.; et *Curt.* 2. 11. 16. Sic *Nepos Themist.* 4. barbarum dixit Xersem; et *Conon.* 4. Pharnabazum; et *Ages.* 3. Tissaphernem. — *e*) Denique *Curt.* 4. 6. 16. barbaros dixit Arabas; *Nepos Milt.* 2. Thracios; *Curt.* 6. 5. 29. Amazones. ¶ 2. Latini quoque barbarus dixerunt omnes externas gentes, Græcis exceptis (V. *Seneca* 3. *de Ira* 2. 2.) Græcis enim hunc honorem habuere propter culturam litterarum, legum et artium, quas ab iis acceperant. Ita porro alias gentes appellarunt, non ob eam solum rationem, quod externæ essent, sed tum propter asperiorem sermonem, tum propter rudia ingenia, stultitiam, ignorantiam litterarum, agrestem duramque vivendi rationem. Tribuitur autem non solum hominibus, sed etiam rebus ac locis ipsis. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 46. Cum pueros Lacedæmone, adolescentes Olympiæ, barbaros in arena videris excipientes gravissimas plagas etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 4. 11. An vos Tusci ac barbari auspiciorum populi Romani jus tenetis? Adde *eumd.* 11. *Att.* 7. 3., *Lucret.* 5. 37. et *Liv.* 6. 42. Hinc Latini *barbaros* dixere eos omnes, qui Romano imperio subjecti non essent: qua ratione etiam Itali in Gallia comata, in Liguribus etc. interdum significantur. Cujus rei testimonia occurrunt non modo apud *Cic.* et *Liv. loc. citt.*, sed etiam apud *Flor.* et *Ammian.*, item in *libb. Dig.* et *Cod. Justin.*, ut est apud *Brisson. de V. S. Cic. Fontej.* 11. 23. *de Galliis.* Barbarus atque immanis terror verborum. *Horat.* 1. *Od.* 35. 11. te profugi Scythæ Urbesque gentesque et Latium ferox Regumque matres barbarorum Et purpurei metuunt tyranni. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (126). Urorum cornibus barbari septemtrionales potant. *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (99). Pantheras perfricata carne aconito barbari venantur. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 15. 30. (99). *Tac. Germ.* 18. Barbarorum soli prope Germani singulis uxoribus contenti. — *b*) Speciatim de Indis. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Calanus Indus, indoctus ac barbarus – sua voluntate vivus combustus est. *Horat.* 2. *Od.* 19. 17. Mare barbarum. — *c*) Seriori ævo de Germanis occurrit, ut apud *Sueton. Aug.* 21. et *Tib.* 9. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Barbaræ aræ. *h. e.* a barbaris extructæ. *Trebell. XXX. Tyrann.* 23. *de Saturnino.* Victoriæ barbaræ. *h. e.* de barbaris reportatæ. Al. tamen aliter leg.

B) Ratione habita cultus, barbarus est rudis, incultus, ferus, sævus: ad rem *Cic.* 6. *Verr.* 50. 112. Neque tam barbari linguâ et natione illi, quam tu naturâ et moribus. Et *Vellej.* 2. 108. 2. Maroboduus – natione magis, quam ratione barbarus. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 13. O Lyde, es barbarus, quem sapere nimio censui plus quam Thalem. *Cic.* 5. *Verr.* 9. 23. Ut Apronius, qui aliis inhumanus ac barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur. *Id. Fontej.* 10. 21. Quis enim ignorat eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? *Id. Marcell.* 3. 8. Gentes immanitate barbaræ. *Id. Mil.* 9. 20. Servi agrestes et barbari. *Virg.* 1. *Æn.* 539. patria tam barbara. *Horat.* 1. *Od.* 27. 2. mores. *Id. Epod.* 5. 61. Medea. *Id.* 4. *Od.* 12. 7. libidines. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 78. Sacra suo facio barbariora loco. *Id. ibid.* 2. 100. barbara corda. *Id.* 11. *Met.* 579. ignis. *Curt.* 5. 5. litteræ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 35. (69). Species mirrhæ sordida et barbara. *Quintil.* 2. 11. 7. Et servi et barbari. *Id.* 1. 6. 30. Barbara ab emendatis discernere. *Petron. Satyr.* 96. Rabiosa et barbara voce perorare.

Barbarum, i, n. 2. absolute ¶ 1. Substantivorum more est genus emplastri, de quo *Cels.* 5. 19. n. 1. et *ibid.* 26. *n.* 23. *a med.* et *Scribon. Compos.* 207. *V.* BARBARA. ¶ 2. *In barbarum* est in morem barbarorum. *Tac.* 6. *Ann.* 42. Civitas non in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. *Id.* 5. *Hist.* 2. Accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Judæos vocitari.

BARBĀTŌRĬA, æ, f. 1. barbæ recisio. *Barbatoriam facere* apud *Petron. fragm. Tragur.* 73. *Burmann.* est primam barbam ponere, quod solemni ritu fieri solebat, ut in BARBA 1. d. dictum est. Verba *Petronii* sunt: Amici, inquit, hodie servus meus barbatoriam fecit. Itaque usque in lucem cœnemus.

BARBĀTŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a barbatus. Est qui barbæ florem habet, sive barbam non magnam sed elegantem. Occurrit ¶ 1. De hominibus, ac præcipue de iis, qui florem barbæ habebant in extrema genarum parte prope aures, quem Itali vocant *li pizzi delle guance*. Fr. *échantillons*. Ita vero *Barptol. Borghesius Dissert. della gente Arria* p. 67. et seqq. Romæ vocatos fuisse probat adolescentes, qui ornatus gratia barbulam illam circa genas alebant, quam etiamnum gerere solent nostri juvenes venerei nepotuli, donec ad plenam virilitatem pervenerint, quamque maturiores annis tandem deponunt.

Cic. 1. Att. 14. 5. Concursabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ. Id. ibid. 16. 11. Ut nostri isti comissatores conjurationis, barbatuli juvenes, illum (Pompejum) in sermonibus Cnæum Ciceronem appellent. Porc. Latr. in Catil. 20. Ut tu homo recens severitate illarum (legum) cum barbatulis tuis abutereris. V. Senecæ locum cit. in INTERVELLO. Hieronym. Ep. 117. ad matr. et fil. n. 6. Dabit tibi barbatulus quilibet manum, sustentabit lassam, et pressis digitis aut tentabitur, aut tentabit. Et n. 10. An tu negligens, dissoluta, contemptrix, quæ annos nata XXV. adolescentem necdum bene barbatulum ita brachiis tuis, quasi cassibus, inclusisti? V. BARBULA 1. ¶ 2. De piscibus. Cic. 5. Parad. 2. Barbatulos mullos de piscina. V. BARBULA 2.

BARBĀTUS, a, um, adject. barbam habens (It. barbato, barbuto; Fr. barbu; Hisp. barbon, barbado; Germ. mit einem Bart versehen, bärtig; Angl. having a beard, bearded).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de hominibus. — a) Generatim, et barbato imberbis opponitur. Cic. 1. Nat. D. 30. 83. Juppiter barbatus, Apollo imberbis. Cf. 1. ibid. 36. 100. Id. 2. Cat. 10. 22. Juvenes aut imberbes aut bene barbati. — b) Speciatim dicitur de antiquis hominibus, quia veteres nec capillum tondere, nec barbam radere solebant: V. BARBA I. 1. b. Cic. Mur. 12. 26. Hæc jam tum apud illos barbatos ridicula, credo, dicebantur. Id. Sext. 8. 19. Unum aliquem ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis intueri. Id. Cæl. 14. 33. Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus. Adde eumd. 4. Fin. 23. 62. Juvenal. 4. 103. facile est barbato imponere regi. h. e. stulto, aut minus astuto, simplici ac rudi: tales enim prisci illi fuere. — c) Item speciatim barbatus dicitur qui adultus perfectæque ætatis est. Plaut. Cas. 2. 8. 25. Solet hic barbatos sane sectari senex. Horat. 2. Sat. 3. 248. Ludere par impar, equitare in arundine longa Si quem delectet barbatum, amentia verset. Adde Juvenal. 6. 16. et 13. 56. — d) Item de philosophis, qui barbam alere solebant. Pers. 4. 1. barbatum hæc crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ. h. e. Socratem. Adde Juvenal. 14. 12. — Hoc sensu barbatus etiam substantive occurrit. Martial. 14. 81. Ne mendica ferat barbati prandia nudi, Dormiat et tetrico cum cane pera rogat. h. e. philosophi Cynici. Petron. fragm. Tragur. 40. Burmann. Non ille Carpus accessit, sed barbatus ingens fasciis cruralibus alligatus. — e) Item est technica vox de deorum imaginibus barbam habentibus. Sic de Fortuna barbata, h. e. viri barbati specie culta, cujus ædiculam fuisse Romæ in II. regione affirmat Panvinius, extat figura et vet. Inscript. apud Spon. Miscell. p. 104. et apud Murat. p. 81. Hujusmodi numen fuisse Jovem hoc titulo veneratum, apparet ex Augustin. 4. Civ. Dei 11. Ipse Juppiter sit et Fortuna barbata, quæ adultos barba induat; quos honorare noluerunt, ut hoc qualecumque numen saltem masculum deum, vel a barba Barbatum, sicut a nodis Nodotum, vel certe non Fortunam, sed quia barbas habet, Fortunium nominarent. Servius ad Virg. 2. Æn. 632. et Macrob. 3. Saturn. 8. Barbata Venus. ¶ 2. De brutis animalibus. Cic. 2. Att. 1. 7. Si mulli barbati sint, qui ad manum accedant. Catull. 19. 16. Barbatus hirculus. Plin. 10. Hist. nat. 3. 3. (11). inter varias aquilarum species enumerat etiam barbatam, quam a Tuscis ossifragam appellari ait. — Phædr. 4. 8. 10. absolute barbatum pro hirco posuit.

II.) Translate. Barbata nux dicitur a Plin. 19. Hist. nat. 1. 2. (11). quæ lanugine, ceu barba, tegitur. Martial. 14. 84. Ne toga barbatos faciat vel penula libros. h. e. assiduo attritu libros villosos reddat, dum sinu gestantur.

Barbatus, i, m. 2. absolute. V. supra sub. I. 1. d. et 2. — De cognom. Romano V. ONOM.

BARBĬGER, gera, gĕrum, adject. (barbam et gero) qui barbam fert; et dicitur fere de capris. Lucret. 5. 898. Barbigeræ pecudes. Id. 6. 970. capellæ.

BARBĬO, is, ivi, ire, n. 4. barbam emitto. Theod. Priscian. 4. 2. Eunuchi barbire non possunt, quia semen non emittunt. Et mox. Neque mulieres barbire possunt: quamquam enim semen emittere videantur, non tamen ita emissionis tempore, ut viri, moventur, quo possit cutis fieri laxamentum.

BARBĪTĬUM, ii, n. 2. idem ac barba. Apul. 5. Met. p. 162. Juvenis lanoso barbitio genas inumbrans. Id. 11. ibid. p. 260. Hircino barbitio philosophum fingere.

BARBĪTOS, i, m. et f.; et **BARBĪTON**, i, n. 2. ὁ καὶ ἡ βάρβιτος et βάρβιτον τό. Accus. sing. est barbiton; Voc. sing. barbite; in plur. num. est neutr. gen. barbita. — Est genus musici instrumenti multas chordas habentis (nam Theocritus appellat πολύχορδον) et graviorem edentis sonum; unde et βαρύμιτον dicitur, ut Poll. l. 4. c. 9. docet, a βαρύς gravis, et μίτος, quæ vox tum filum, tum fides seu nervos significat. A Latinis Poetis pro lyra sumitur, præcipue cum cantu conjuncta: cumque Græca vox sit, libenter Græca positione effertur. Horat. 1. Od. 1. 34. nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton. Id. 1. ibid. 32. 3. age dic Latinum, barbite, carmen. Id. 3. ibid. 26. 3. defunctumque bello Barbiton hic paries habebit. Ovid. Heroid. 15. 7. Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen. Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas. Auson. Epigr. 44. ad Philomus. Grammat. Hoc genere et chordas et plectra et barbita conde. Claudian. proœm. ad Epithal. in nuptiis Honor. et Mar. 9. Terpsichore facilem lascivo pollice movit Barbiton. Capell. p. 13. Barbito aurataque chely ac doctis fidibus personare.

BARBŬLA, æ, f. 1. deminut. a barba, exigua barba, qualem Romæ alebant adolescentes: V. BARBATULUS. 1.

I.) Proprie de hominibus ponitur. Cic. Cæl. 14. 33. Aliquis ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida etc.

II.) Translate de plantis. Plin. 21. Hist. nat. 8. 25. (49). Bellio flos pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur. Id. 27. ibid. 11. 74. (98). Gerit juxta folia singulas veluti barbulas. — NB. De cognomine V. ONOM.

BARBŬLUS, i, m. 2. piscis, quem Histri vulgo vocant mormora, Veneti improprie dentale, et est Gadus barbatus L. Gloss. Philox. Φάγρος ἰχθύς, dentatus, barbulus, puellius, dentex.

BARBUS, i, m. 2. piscis fluviatilis et marinus, idem qui mullus, vel ex mullorum genere (unde barbatos mullos dixit Cic. 2. Att. 1. 7.); ita appellatus, quia veluti barba gemina insignitur in labris, et est Cyprinus barbus L. (It. pesce barbo, triglia; Fr. barbeau; Hisp. barbo; Germ. die Barbe; Angl. a barbel, mullet). Auson. Mosell. 94. Liberior laxos exerces, barbe, natatus. Et ibid. 134. Propexique jubas imitatus gobio barbi. — NB. De cognomine V. ONOM.

BARCA, æ, f. 1. Est fortasse a βάρος pondus; hinc inus. βάρω fero, et præter. perf. βέβαρκα: V. BARIS. Genus parvi navigii, phaselo aut scaphæ simile, et vehendis oneribus aptum. Scribit Isid. 19. Orig. 1. 19. barcam esse, quæ cuncta navis commercia ad littus portat; eamque in pelago, propter nimias undas, in navi ipsa vehi. Sed barca in Latina lingua vox est recentioris ævi. Paulin. Nolan. carm. 21. (al. 13.) 95. ad Cyther. Ut mox salubri barca præsidio foret Puppi superstes obrutæ. — De nomine pr. V. ONOM.

BARCĀRIUS, ii, m. 2. qui in barcis militat. Notit. dignit. utriusque Imper. p. 65. Barcariorum classis præfectus. Adde n. 63.

BARDĀĬCUS, a, um, adject. Juvenal. 16. 13. Bardaicus judex datur hæc punire volenti Calceus, et grandes magna ad subsellia suræ. h. e. miles habens calceum Bardaicum et grandes suras datur judex, etc. Est autem Bardaicus vox deducta a Bardæis, qui fuere populi Illyrici; apud quos fortasse militares illi calcei vel inventi sunt, vel in magno usu fuere. Hinc Bardaicum absolute pro Bardaico calceo posuit Martial. inter ea, quæ mali sunt odoris, enumerans, 4. 4. Lassi bardaicus quod evocati. — Sunt qui aliter verba Juvenal. interpretantur, nempe ut Bardaicus ad judicem referatur, non ad calceum. Qua ratione Bardaicus judex esse dicitur miles cucullo amictus, quæ vestis est militaris vilior a Bardæis itidem denominata, et alio nomine bardocucullus dicta. Hinc bardaicos cucullos legimus apud Capitolin. Pertin. 8., ubi multa Salmas. in hanc rem. Similiter apud Martial. exponunt bardaicum non calceum, sed bardocucullum, qui diu a milite gestatus, et sudore perfusus, satis habet tetri odoris. Itaque Liburnici cuculli, qui apud eumd. Martial. leguntur in lemmate epigr. 139. lib. 14., iidem esse videntur qui Bardaici. Nam et Liburnia in Illyrico est. — Plura qui volet ad hæc loca, quæ varie præterea a variis exponuntur, ipsos adeat eorum interpretes. — Sunt qui ubique legunt Bardiacus, eodem tamen sensu: sed Bardaicus, magis placet eidem Salmas., Gruter. et aliis, quia ut ab Achæus fit Achaicus, sic a Bardeus vel Bardæus (ut mallet legi Salmasius) fit Bardaicus.

BARDĀĬCUS, i, m. 2. V. voc. præced.

BARDI, ōrum, m. plur. 2. apud Gallos dicti sunt, qui poeticæ studiosi erant, et carminibus celebrabant laudes virorum fortium, magno ob id a suis in honore habiti, ut Paul. Diac. p. 34. 11. Müll. et Suid. l. 14. tradunt. Est autem hæc appellatio non gentis, aut loci, sed sectæ, seu ordinis. Tria enim hominum genera apud Gallos honestissima fuisse, docent Suidas, Diodor. Sic. l. 5. c. 31. et Strabo l. 14; nempe Euhages, qui sacrificiis, et præterea contemplandæ naturæ operam dabant (V. EUHAGES); Druidas, qui præter hanc philosophiam de moribus etiam disceptabant; et Bardos. Lucan. 1. 447. Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas Laudibus in longum vates dimittitis ævum, Plurima securi fudistis carmina Bardi. Ammian. 15. 9. Per hæc loca viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, et Euhages, et Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Euhages vero scrutantes seriem et sublimia naturæ pandere conabantur: inter hos Druidæ ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodaliciis adstricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, et despectantes humana pronunciarunt animas immortales. Hic Valesius ex auctoritate Athenæi, Appiani, etc., ostendit solitos fuisse Bardos castra sequi, et regum ac ditiorum mensas, veluti parasitos et scurras, consectari, carmina in eos laudum plena, et conviciorum in hostes fundendo, quibus se commendabant.

BARDIACUS. V. BARDAICUS.

BARDĪTUS. V. BARRITUS.

BARDŎCŪCULLUS, i, m. 2. genus vestis e viliore ac villoso panno, quæ cucullum, seu tegmen capitis assutum habet, qua utebantur rustici, milites et servi viliores pluvio tempore, et in ea etiam, si opus esset, cubabant. Sunt qui putant non vestem, sed solum capitis tegmen significari. Quod probari videtur illo Juvenal. 8. 145. Tempora Santonico velas adoperta cucullo; ubi bardocucullum procul dubio designat, quemadmodum et ejusdem Scholiast. h. l. affirmat. Aptius tamen pro tota veste sumitur tegmen capitis habente. Fiebant hujusmodi vestes præcipue in Gallia apud Santones et Lingones: putantque nonnulli denominatas esse a Bardis, de quibus dictum est in V. BARDI, orum: alii tradunt dictas esse a Bardeis populis Illyrici, et esse easdem, quas Capitolin. Pertin. 8. appellat cucullos Bardaicos. V. BARDAICUS. Videtur esse vestis eadem, qua modo utuntur Venetiis piscatores et nautæ, quæque cappotto appellatur; eademque fortasse palla Gallica dicitur a Martial. 1. 93. Dimidiasque nates Gallica palla tegit. Strabo l. 4. Οἱ Βέλγαι ἀντὶ χιτώνων σχιστοὺς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων, καὶ γλουτῶν. Martial. 14. 128. Gallia Santonico vestit te bardocucullo. Cercopithecorum pænula nuper erat. Id. 1. 54. Sic interpositus villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

BARDUS, a, um, adject. Comp. Bardior. — Vox a βραδύς, facta metathesi, ut in superl. βάρδιστος, quemadmodum Non. p. 10. 3. Merc. et Paul. Diac. p. 34. 9. Müll. docent. Quaprŏpter initio bardus erat tardus, deinde qui tardus est ingenio, hebes, stolidus, stupidus, stultus. Plaut. Bacch. 5. 1. 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. Id. Pers. 2. 1. 2. Barda et rustica mulier. Adde eumd. Epid. 3. 3. 39. Cic. Fat. 5. 10. Zopyrus stupidum esse Socratem dixit et bardum. Adde Pers. 2. 1. et Cæcil. Stat. apud Non. l. c. Tertull. advers. Hermog. 36. Pictor te bardior non est. Capell. 6. p. 211. Thraciæ incolæ bardi.

BARDUS, i, V. BARDI.

BARGINA vel barginna homo vitiosæ gentis. Vel. Long. p. 2245. Putsch. et Glossar.

BARGUS, i, m. 2. est nomen cujusdam pisciculi, qui definiri nequit. Adamantius apud Vel. Long. p. 2239. Putsch.

BARINŬLÆ, ārum, m. plur. 1. sunt scrutatores et repertores aquarum, qui usitatiore vocabulo aqui-

lices dicuntur. Legitur apud *Serv.* ad 1. *G.* 100. Sed est tamen dubiæ admodum auctoritatis.

BARIPPE, es. *V.* BAROPTENUS.

BĀRIS, idis, *et Græca positione* idos, f. 3. *barca*, βᾶρις, genus navigii apud *Ægyptios*, quod contis propellitur, magnorum quidem ponderum capax, sed Nilo tamen solummodo, non mari idoneum. *Propert.* hoc nomine appellat naves, quibus Cleopatra cum Antonio contra Augustum pugnavit: non quod revera *barides* fuerint; nam maximas eas fuisse et munitissimas, nec contis, sed pluribus remorum ordinibus actas, ex *Floro* 4. 11. constat: sed ad irridendas Ægyptiorum opes, qui cum fortissima atque invicta Romanorum classe concurrere ausi fuerint. Locus *Propertii* est 3. 9. 41. Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin, Et Tiberim Nili cogere ferre minas. Romanamque tubam crepitanti pellere sistro, Baridos et contis rostra Liburna sequi. — De vocis etymo, num Ægyptia, an Persica ea sit, disputat *Sturzius de dialecto Maced. et Alex.* p. 89., quem videsis.

BARĪTUS. *V.* BARRITUS.

BĀRO, ōnis, m. 3. vox est contumeliæ, et significat stultum, bardum, fatuum, hebetem. Legitur non semel apud *Cic.* 2. *Fin.* 23. 77. Hæc cum loqueris, nos barones stupemus. 2. *Divin.* 70. 144. Huic equidem Antipho, baro, inquit, te victum esse non vides? Quidam leg. *tu vero, inquit*, quod *Victorius* valde improbat. 9. *Fam.* 26. 3. Ille baro te putabat quæsiturum, unum cælum esset, an innumerabilia. Al. leg. *ille vero*. Quidam *ille non*: sed a *Victor. Manut.* et aliis rejicitur. 5. *Att.* 11. 6. Apud Patronem et reliquos barones te in maxima gratia posui. *Pers.* 5. 138. eheu, Baro regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 53. et 63. *Burmann.* — Sunt qui in omnibus hisce exemplis pro *baro* reponunt *varo* vel *varro*, eadem tamen manente sententia: nam *b* et *v* sæpissime commutantur, ut initio hujus litteræ diximus. *Varo* enim vel *varro* significat stipitem non dolatum, prædurum atque enodem: a quo *vallum* dictum est. Recte itaque *varo* seu *baro* pro hebeti ac stolido usurpatur, cum etiam *stipes* eleganter eum sensum habeat. Posset etiam deduci a *vara*, quæ lignum, aut perticam significat. *Vetus Persii Scholiast.* docet, *barones* seu *varones* Gallorum lingua dici servos militum, qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum. Hoc sensu *Hirt. B. Alex.* 53. Concurritur ad Cassium defendendum: semper enim barones compluresque evocatos cum telis secum habere consueverat. *Al. leg.* Berones. *V.* BERONES. Rectius tamen hæc vox deducitur a βαρὺς et βραδὺς, ut BARDUS, quam voc. *V.* — Quidam scripserunt *baronem* fuisse mulierem philosophiæ studiosam, et ab ea hanc convicii appellationem ortam esse. Sed ridet hoc *Gruter.* in notis ad 5. *Att.* 11., rejicit etiam *Voss.* in *Etymol.* — Porro quod in quibusdam *Gloss.* exponeretur *baro*, ἀνὴρ et *vir fortis in laboribus*, putarunt quidam, *baronem* vocabulum esse dignitatis et honoris, qua ratione hodieque apud Germanos usurpatur: *Ciceronem* autem ac *Pers.* per ironiam aut jocum locutos fuisse: sed hæc significatio ad corruptæ Latinæ linguæ ætatem referenda est. V. *Du Fresne in Glossario.* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BAROPTĒNUS, gemma est nigri coloris, sanguineis et albis notis: alio nomine *barippe* dicta. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150).

BARŌSUS, i, m. 2. Ex *Gloss. Philox.* βαιηλος, σοβαρός, stultus, mulierosus, mollis. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Barosus 7. Ret. Tir. *h. e.* centurio retiariorum tiro.

BARRĪGĔNÆ, ārum, f. plur. 1. antistites quædam in Sena, nunc *Sein*, insula maris Britannici, de quibus sic *Mela* 3. 6. Sena in Britannico mari, Osismicis adversa litoribus, Gallici numinis oraculo insignis est; cujus antistites perpetua virginitate sanctæ numero novem esse traduntur; Barrigenas vocant, putantque ingeniis singularibus præditas, maria ac ventos concitare carminibus, seque, in quæ velint animalia, vertere, sanare quæ apud alios insanabilia sunt, scire ventura et prædicare: sed non nisi deditas navigantibus, et in id tantum, ut se consulerent. *Alii leg.* Gallicenas, *quod præstat.* Has vero virgines *Vopisc. Aurelian.* 44. vocat *Gallicanas Druidas.*

BARRĪNUS, a, um, adject. ad barrum, seu elephantem pertinens. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Gerit aures immanitate barrinas.

BARRĬO, is, ire, n. 4. verbum exprimens vocem barrorum, seu elephantorum, ut *Paul. Diac.* p. 30. 7. *Müll.* docet. *Spartian. Get.* 5. Elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt. Adde *Auct. carm. de philom.* 53. et *Glossar.*

BARRĪTUS, us, m. 4. ¶ 1. Verbum exprimens vocem barri, seu elephanti, quam *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (269). similem esse ait tubarum raucitati. *Apul. Florid.* n. 16. Taurorum mugitus, elephantorum barritus, equorum hinnitus. *Isid.* 12. *Orig.* 2. 14. Elephas apud Indos a voce barrus vocatur, unde et vox ejus barritus dicitur, et dentes ebur. ¶ 2. Est præterea clamor ingens et inconditus, quem edere solent milites ipso pugnæ initio ad terrendos hostes. *Veget.* 3. *Milit.* 18. Clamor autem, quem barritum vocant, prius non debet attolli, quam acies utraque se junxerit. *Ammian.* 16. 12. Cornuti et bracati barritum ciere vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens, paullatimque adulescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. *Id.* 26. 7. *in fin.* Pro terrifico fremitu, quem Barbari dicunt barritum. — Ex postremo hoc loco apparet *barritum* non esse Latinam vocem, sed barbaram: quod confirmatur 31. 7., ubi tradit, Romanos clamorem edidisse, quem *gentilitate appellant barritum*, hoc est lingua gentium, seu Barbarorum. Quod vero ibidem subdit: *Barbari vero majorum laudes clamoribus stridebant inconditis*, explicat illud idem, quod de Germanis narrat *Tacit.* ita loquens *Germ.* 3. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barritum vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. *Lips.* hoc loco legi mallet *baritus* unico *r*. Putat enim Germanicam vocem esse, a verbo *beren* seu *barren*, quod *clamare* significat. Alii leg. *barditum*, derivantque a *Bardis*, qui apud Gallos sequi exercitum et versus canere solebant (*V.* BARDI); sed minus recte.

BARRUS, i, m. 2. elephantus. *Gloss. Philox.* Ἐλέφας, elephantus, barrus. Ita etiam exponitur a *Cassiod. Orthogr.* 5. ex *Adamant. Mart.* et ab *Acrone* ac *Porphyr.* ad illud *Horat. Epod.* 12. 1. Quid tibi vis, mulier, nigris dignissima barris? Ubi *Horat.* vel revera elephantos intelligit; vel potius, ut placet *Turnebo l.* 14. *c.* 30., *Torrentino*, et aliis, significat sordidos, deformes ac valentes amatores, quibus libidinosa illa anus digna esse videbatur. *V.* BARRITUS 1. Adde *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 592., et *Isid.* 12. *Orig.* 2. 14. *Barrus* legendus est etiam apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 31. *Mai.* — Hæc vox non est Latina, sed barbara, ab Afris, aut Indis petita, quemadmodum barbarum est animal, cujus appellatio est. *Vossius* tamen more suo a Græcis, vel ab Hebræis ducere conatur. Conjungi tamen potest cum Germ. *bär* et cum Gr. φὴρ *fera* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BĂRȲCÆ. *V.* voc. seq.

BĂRȲCĔPHĂLUS, a, um, adject. βαρυκέφαλος. *Barycæ* et *barycephalæ ædes* dicuntur a *Vitruv.* 3. 3. 5. *Schneid.* quæ sunt aræostylæ, quæ cum raras habeant columnas, non possunt in magnam altitudinem attolli, ne pondere ipso fatiscant: itaque humiles fiunt et latæ. Ductæ sunt eæ voces a βαρὺς *gravis*, et κεφαλὴ *caput*, quia ejusmodi ædes, quasi graviores sint, non ascendunt, neque caput extollunt: ducta fortasse similitudine a brutis animalibus, quæ quo crassius graviusque caput habent, eo in terram proniora ingrediuntur. Ædem hujusmodi Itali nunc vocant *baracca*, olim Romæ plebs *baraca*; nam Dorica dialectus, quam imitati sunt Latini, *υ* sæpissime in *α* mutat, teste *Theocrito Eid.* 15. *v.* 88. ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα. V. *Schneid.* ad *Vitruv. l. c.*

BĂRȲPĪCRON, i, n. 2. βαρύπικρον, cognominatur a Græcis absinthium, propter gravem amaritiem, a βαρὺς *gravis* et πικρὸς *amarus*. *Apul. Herb.* 100.

BĂRȲTHON, ōnis, m. 3. βαρύθων, herba, quæ alias herba Sabina vocatur. *Apul. Herb.* 85.

BĂRȲTŎNUS, a, um, adject. βαρύτονος, qui est gravis toni. *Priscian.* 8. *p.* 838. *Putsch.* Videmur in præterito perfecto plerumque barytona quoque Græcorum imitari in commutatione consonantium. Adde *Macrob. p.* 190. *Eicheus.*

BASALTES, is, m. 3. *basalte*, marmor Ægyptium, de quo *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (57). Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant basalten, ferrei coloris atque duritiæ. Unde et nomen ei dedit. Hebr. ברזל, *barzel*, ferrum significat, unde primum *barzalten*, dein *basalten* derivatum videtur: Æthiopibus vero *basal* dicitur. Cf. *Isid.* 16. *Orig.* 5. 6.

BĂSĂNĪTES, æ, m. 1. Basanites Lapis, βασανίτης λίθος, *paragone* (a βάσανος, quod idem significat) est lapis Lydius, cujus tactu aurum argentumque exploratur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 38. (147). et *ibid.* 22. 43. (157). et cf. *Isid.* 16. *Orig.* 4. 36.

BASCAUDA, æ, f. 1. vas Anglicum, in quo escæ ponebantur, aut calices et cacabus lavabantur, ut est apud *Vet. Scholiast.* ad illud *Juvenal.* 12. 46. Adde et bascaudas, et mille escaria etc. — Ipsa quoque vox Britannica est, ut indicat *Martial.* 14. 99. Barbara de pictis veni bascauda Britannis: Sed me jam mavult dicere Roma suam. Anglice est *basket*.

BASELLA, æ, f. 1. *deminut. a* basi, parva basis. *Pallad.* 1. *R. R.* 18. 2. *de cella vinaria.* Medium spatium cupis deputabitur, quas ne ambulacra prohibeant, basellis altioribus impositas, etc. *Al.* minus *recte leg.* asellis. *V.* ASELLUS.

BĀSĬĀTĬO, ōnis, f. 3. actus basiandi. Occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu. *Catull.* 7. 1. Quæris, quot mihi basiationes, etc. Adde *Martial.* 7. 95. *ad fin.* et 2. 23. 4.

BĀSĬĀTOR, ōris, m. 3. qui basiat. *Martial.* 11. 98. 1. Effugere non est, Basse, basiatores. Adde *ibid.* *v.* 13. et 16.

BĀSĬĀTUS, a, um. *V.* BASIO.

BASICULA, æ, f. 1. parva basis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* *p.* 163.

BĀSĬLĬA, ōrum, n. plur. 2. τὰ βασίλεια, hoc est regia, ad reges spectantia. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 14. Sic et retro in Basiliis, Anna mater Samuelis, etc. *h. e.* in libris S. Scripturæ, qui Regum inscribuntur.

BĀSĬLĬCA, æ, f. 1. βασιλική, vox Græca est, quæ proprie domum regiam significat, a βασιλεὺς *rex*. Est autem per se adjectivum, et subintelligitur Græce στοά, Latine *domus*. — Scribitur etiam *basilice*, es. *Inscript.* apud *Murat.* 158. 1. OB CVIVS DEDICATIONEM DEDIT DECVRIONIBVS X. III. CVM OFFICIO BASILICES. — Licenter ob metri necessitatem primam syllabam produxit *Paulin. Nolan. carm.* 25. 35. Basilicis hæc juncta tribus patet area cunctis. ¶ 1. Quia vero regum ædes ampliores esse solent atque ornatiores, Latini æque ac Græci *basilicas* appellarunt ædes publicas spatiosis membris (quæ Itali dicunt *sale*) et ambulationibus instructas porticibusque amplis sæpe circumdatas: quarum multæ in Foris Urbis Romæ diversis temporibus extructæ fuere, et eorum, qui extruxerunt, nominibus appellatæ. Ceterum alia hujus vocabuli ratio quærenda est ab ea, quam attulit *Forcellinus*. Etenim basilicarum usus antiquior Athenis, quam Romæ fuit, ideoque Latini idem nomen mutuati sunt a Græcis, qui βασίλειον στοὰν vocabant porticum, in qua secundus ex archontibus, βασιλεὺς appellatus, jus dicebat in causis impietatis et homicidii. V. *Pausan. l.* 1. *c.* 3. et *Hesych.* in βασίλειος στοά. Porro prior basilica Porcia Romæ ædificata est anno U. C. DLXVIII. M. Porcio Catone et C. Valerio Flacco censoribus, ut narrat *Liv.* 39. 44. Ea vero combusta est incendio, quod ex funere P. Clodii excitatum fuit, ut habetur apud *Ascon.* in *argum. Milon.* Etenim *Liv.* 26. 27. affirmat, anno U. C. DXLIV. Marcello et Lævino consulibus, tunc basilicas nondum Romæ fuisse. Omnium postrema fuit basilica, quam Maxentius ædificavit, ut legitur apud *Aur. Victor.* in *Cæs.* 40., quamque deinceps ob merita Constantini M. patres sacravere et Constantinianam appellarunt. Basilicæ faciendæ rationem pluribus docet *Vitruv.* 5. 1. 5. *Schneid.*, ex quo earum forma, quæ Romæ fuere, facile colligere licet. Erant autem hujusmodi ædificia ad populi commodum facta, ut haberet, quo convenire posset, ab aeris injuriis munitus et negotia sua sub tecto agere. Nam in basilicis plura judiciorum genera exercebantur, v. gr. Centumviralia, ut ex *Quintil.* 12. 5. 6. et ex *Plin.* 2. *Ep.* 14. et 6. *ibid.* 33. apparet. Tribunos etiam plebis in basilica Porcia jus dixisse, testatur *Plutarch.* in *Cat. min.* Præterea conveniebant eo negotiatores vendendi emendive causa, mercesque suas venales proponebant, ut ex *Paul. Dig.* 34. 2. 33. colligitur. *Cic.* 7. *Verr.* 58. 153. Forum plenum et basilicas istorum hominum videmus. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 3. 6., 4. *Att.* 16. 14. et *Mur.* 34. 70.; *Senec. Controv.* 4. *proœm.*, 3. *de Ira* 33. et *Brev. vitæ* 11.; *Petron. Satyr.* 57.; et *Apul. de Mag.* p. 320. *Varro* 6. *L. L.* 4. p. 73.

Müll. Basilica Æmilia et Fulvia. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 4. (13). Æmilia. *Quintil.* 12. 5. 6. et *Sueton. Cal.* 37. Julia. *Varro* 5. *L. L.* 156. p. 61. *Müll.* Opimia. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (102). Pauli. *Liv.* 39. 44. et *Ascon.* ad *Cic. Milon.* p. 34. *Bait.* Porcia. *Sueton. Aug.* 29. Caji et Lucii. — Hinc de loco, quo magna hominum multitudo convenit, dixit *Cic.* 2. *Att.* 14. 2. Basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum. *h. e.* adeo frequentes ad me accedunt Formiani, ut non in villa mea esse, sed in publica basilica videar. ¶ 2. Accipitur aliquando pro parte ædis ampla, columnis ornata, aut pro porticu, in qua ambulare et spatiari licet. *Capitolin. Gordian.* 32. Villa Gordianorum Prænestina, ducentas columnas in tetrastylo habens: in qua basilicæ centenariæ tres. *h. e.* centum pedum longitudinis. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 704. n. 252. RESPVBLICA POPVLVSQVE CONFINIENSIS SACELLVM LVCCEIVM VETVSTATE DILAPSVM ADJECTIS BASILICIS SVA PECVNIA RESTITVIT DECRETO DECVRIONVM. *h. e.* adjectis porticibus ad sacelli ipsius latera, vel e regione extructis. — Hinc est etiam locus tecto ac porticibus instructus ad equestres exercitationes aptus. *Inscript.* apud *Henzen.* 6736. IMP. CAES. M. AVRELIO SEVERO ALEXANDRO PIO FEL. AVG. PONT. MAXIMO TRIB. POT. COS. P. P. COH. I. AEL. HISPANORVM M. EQ. DEVOTA NVMINI MAJESTATIQVE EJVS (*quod*) BASILICAM EQVESTREM EXERCITATORIAM JAM PRIDEM A SOLO COEPTAM AEDIFICAVIT CONSVMMAVITQVE. — Apud *Pallad.* 1. *R. R.* 18. 2. pro *basilica* legendum esse *basella* (quam voc. *V.*), plerique omnes putant. ¶ 3. Apud Christianos scriptores *basilica* dicitur ædes sacra augustior et celebrior. *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. sac.* 33. *de Helena Constantini matre.* Mox usa regni viribus, basilicam in loco Dominicæ passionis et resurrectionis et ascensionis constituit. *Id. ibid.* 38. In basilica martyrum, extra oppidum sita. ¶ 4. *Hieronym. Ep.* 60. *ad Heliodor.* n. 12. appellat *basilicas Ecclesiæ* minora sacella, seu ædiculas in ipsa Ecclesia positas: quam significationem confirmat *Inscript.* apud *Henzen.* 7373. C. NONIVS FLAVIANVS PLVRIMIS ANNIS ORATIONIBVS PETITVS NATVS VIXIT ANNO VNO M. XI. IN CVJVS HONOREM BASILICA HAEC A PARENTIBVS ADQVISITA CONTECTAQVE EST.

BĂSĬLĬCĒ, adverb. *βασιλικῶς*, more regio, regie, magnifice. *Plaut. Pers.* 4. 2. 1. Euge euge, exornatus basilice! Tiara ornatum lepide condecorat tuum. *Id. ibid.* 1. 1. 29. Basilice agito eleutheria. *Et* 5. 2. 25. Hui! babæ! basilice te intulisti et facete! *h. e.* regio quasi fastu. Et per ironiam *Id. Epid.* 1. 1. 54. Dii immortales, ut ego interii basilice! *h. e.* omnino, funditus, magna ruina perii: nam reges si quando adversa utantur fortuna, de magno statu decidunt.

BĂSĬLĬCĒ, es. *V.* BASILICA et BASILICON.

BĂSĬLĬCĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui otiandi causa sub basilica Romæ moratur, otiator, otiosus, ut *Glossar.* explicant. Cf. SUBBASILICANUS.

BĂSĬLĬCŎN, i, n. 2. nomen collyrii cujusdam Euelpidis apud *Cels.* 6. 6. n. 31., quod ad oculos scabros mire facit. — Apud *Scribon. Compos.* 210. est *basilicon* emplastrum nigrum Tryphonis, quod facit ad contusa, ad canis morsus, ad furunculos, etc. Hoc ab *eodem Compos.* 238. appellatur *basilice*, es.

BĂSĬLĬCŬLA, æ, f. 1. parva basilica, seu ædes sacra. *Paulin. Nolan. ep.* 32. *ad Sever. n.* 17. Basiliculam consecrare. *Alcim. Ep.* 6. sub *init.* Istud, quod de oratoriis vel basiliculis privatis interrogasti, perinde ut de ecclesiis eorum (*hæreticorum*) difficile definitur.

BĂSĬLĬCUM, i. n. 2. *V.* voc. seq. sub *b.*

BĂSĬLĬCUS, a. um, adject. *βασιλικός*, regalis, splendidus, magnificus. — *a*) Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 43. Statum vide hominis, Callipho, quasi basilicum. CA. Bene confidenterque adstitisse intellego. *Id. Capt.* 4. 2. 31. Basilicas edictiones atque imperiosas habet. *Id. Pers.* 1. 1. 52. Veni, vives mecum: basilico accipiere victu. *Id. Trin.* 4. 3. 23. Basilica hic quidem facinora inceptat loqui. *Id. Rud.* 2. 4. 18. At ego basilicus sum, quem nisi oras, guttam non feres. *h. e.* ditissimus sum. — *b*) Apud *Eumd. Epid.* 2. 2. 48. refertur *basilicum* inter varia vestimentorum nomina: et certe significat vestem quamdam magnificam et plane regalem. — *c*) In ludo talorum *basilicus* absolute dicitur jactus qui est omnium fortunatissimus, et victoriam dat: et videtur esse idem, qui *Venerius. Id. Curc.* 2. 3. 79. Talos arripio: invoco almam meam nutricem Herculem: jacto basilicum. — *d*) *Basilica* dicitur a Dyrrachinis vitis, quam Hispani cocolobin vocant, rariorem ferens uvam, æstus austrosque tolerantem; capiti inimicam, copia largam. Suntque ejus duo genera: unum oblongo acino, alterum rotundo. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (30); *Colum.* 3. *R. R.* 2. 19. et 28., et *ibid.* 9. 1. *Isid.* 17. *Orig.* 5. 22. uva. — *e*) Tradit idem *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (87). inter nucum juglandium genera, quod optimum est, *basilicon* appellari. *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. docet ipsam juglandem a Græcis *basilicam* vocari. — *f*) Apud *Petron. Satyr.* 57. Neapolis dicitur *colonia basilica*, h. e. colonia Augusta, quam honoris denominationem civitatibus senatus Romanus concedere solebat. V. *Dionem. l.* 54. *c.* 23.

BĂSĬLĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. sub c.

BĂSĬLISCA, æ, f. 1. herba est, Latino vocabulo *regula* dicta, in illis locis nascens, ubi fuerit serpens basiliscus, et vim antidoti contra ejus venenum habens. Est autem similis rutæ, foliis oblongioribus, angustis, asperis et nigrioribus, radice pedis ursini simili, flore coloris aurei simul et crocei, lacteque suroso simili chelidoniæ. *Apul. Herb.* 128.

BĂSĬLISCUS, i, m. 2. *βασιλίσκος*, genus serpentis, in Cyrenaica Africæ regione præcipue nascentis duodenum non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate. Sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici, ut reliquæ serpentes, corpus impellit, sed celsus et erectus in medio incedens: necat frutices, non contactos modo, verum etiam afflatos: exurit herbas, rumpit saxa. Hæc *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 33. (78)., et est *Lacerta basiliscus* L. Sed *Apul. Herb.* 128. tria basiliscorum genera enumerat, quorum primus est totus aurei coloris, et afflatu nocet: alter stellatus, nocetque solo visu: tertius coloris sanguinei, ut minium, capite tamen aureo; et quidquid viderit vel tetigerit, defluere facit, ut si animal tangat, ossa sola remaneant, carne in tabem resoluta. — Dicitur autem *basiliscus*, h. e. parvus rex: id enim sonat Græca vox. Hinc a quibusdam *regulus* Latine dicitur. *Lucan.* 9. 725. late sibi submovet omne Vulgus, et in vacua regnat basiliscus arena. Adde *ibid.* 828. Cf. et *Solin.* 27. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BĂSĬLĬUM, ii, n. 2. *βασίλειον*, hoc est res quælibet magnifica et regalis.

I.) Proprie. Est ornamentum capitis, quod regi vel reginæ convenit. *Inscript.* apud *Murat.* 139. 1., quæ est apud *Orell.* 2510. ISIDI FABIA L. F. FABIANA AVIA IN HONOREM AVITAE NEPTIS ORNAMENTA IN BASILIO VNIO ET MARGARITA N. VI. SMARAGDI DVO CYLINDRI N. VII. GEMMA CARBVNCVLVS GEMMA HYACINTHVS GEMMAE CERAVNIAE DVAE. — *NB.* Cum nulla confirmetur auctoritate, a Lexico expungendum est memoratum a *Forcellino* collyrium, quod basilicon vocat *Galenus de compos. pharm. sec. loc.* p. 156. *Tochón, cachets des oculistes* p. 72. C. Julii Flori basilium ad chermosin.

II.) Translate puella appellatur basilium Floræ, quæ nempe in pueritia obiit. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Veron.* 203. 2. LICINIAE Q. F. LAMPETIAE BASILIO FLORAE C. MESSIVS CHRYSONICVS ET AVRELIA SOTERIS NVTRITORES LACTANEI. Item *basileum* puer in *Inscript.* Aquilejensi apud *Murat.* 1134. 2. T. AQVILEJENSIS STRATONICVS SIBI ET NVMISIO TIBERIO BASILEO FILIO PIISSIMO QVI VIXIT ANN. XXXVI. M. V. D. XIIX.

BĀSĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Basiatus* et *Basiandus.* — Juxta *Forcellinum* etymon est ab inus. *βάω* pro *βαίνω premo*; at rectius fortasse est verbum per onomatopœiam fictum, exprimens sonum, qui basiando editur. — Basiare est basium dare, osculari; et dicitur tum de officiosis, tum præcipue de impudicis osculis: est tamen verbum minus, ut ita dicam, civile quam *osculor*, et poeticum magis quam oratorium (It. *baciare*; Fr. *baiser*, *donner des baisers*; Hisp. *besar*; Germ. *küssen oder abküssen*; Angl. *to kiss*). Occurrit — *a*) Cum Accus. personæ aut rei. *Catull.* 8. 18. Quem basiabis? cui labella mordebis? *Martial.* 1. 95. Basianda non es. *Id.* 7. 95. Audes tu tamen osculo nivali Omnes obvios hinc et hinc tenere, Et totam, Line, basiare Romam. Adde 11. 98., ubi morem basiandi obvios acerrime detestatur. *Id.* 12. 59. Hinc sutor modo pelle basiata. *Petron. Satyr.* 18. Basiare aliquem spissius. *Et ibid.* 135. Semel iterumque basiare aliquem. — *b*) Cum duobus Accus. *Catull.* 7. 9. Basiare aliquam multa basia. Et similiter *Id.* 48. 1. Basiare oculos alicujus usque ad millia trecenta.

BĀSĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* basio, parvum basium. *Petron. Satyr.* 85. Aliquot basiolis invadere aliquem. Adde *Apul.* 10. *Met. p.* 248.

BĂSIS, is, f. 3. *βάσις*. *Valer. Prob.* in *Cathol.* p. 1472. *Putsch.* docet etiam *basidis* in Genitivo dici posse: nullum tamen affert exemplum. Accus. num. sing. est *basim* et interdum *basin*; Ablat. est *basi*: in *Inscript.* tantum occurrit Accus. *basem* et Ablat. *base*, ut apud *Gruter.* 52. 2. et 63. 3., et *Reines.* in *Append.* n. 3. Sed tamen Accus. *basidem* occurrit apud *Venant.* 8. *Ep.* post *carm.* 17. Ut causa universalis Ecclesiæ talem vos habens basidem, ut nullus ventorum turbo succlinans possit illic etc. In Ablat. vero etiam *baside* habet *Inscript.* apud *Gruter.* 16. 14. I. O. M. VENVSTINVS SVMM. (*h. e.* summarum *scil.* magister, *vel* summus magister ex sententia *Avellino Opusc. T.* 3. p. 53.) SIGNVM LARVM. CVLTORIB. CVM BASIDE D. D. Nisi forte legendum sit CVM BASI D. D. D. — Nimis licenter primam syllabam produxit *Corippus*, cujus locum vide in CAPITOLIUM. — *Basis* a Græca voce allata (quæ fortasse a *βαίνω incedo, ingredior*, quia basis est veluti pes, quo animal sustinetur et ingreditur) apud Latinos est vox artium propria, et significat fulcrum et veluti pedem, qui a fundamento consurgit, et columnas, statuas aliaque hujusmodi sustinet; immo proprie est idem ac fundamentum. (It. *base*, *basamento*, *sostegno*; Fr. *base*, *fondement*, *assise*; Hisp. *basa*, *fundamento*; Germ. d. *Tritt oder Fusstritt*; Angl. *the base*, *a foundation*). Occurrit ¶ 1. De quacumque fabrica. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. 55. Topiarium laudavi: ita omnia convestit hedera, qua basim villæ, qua intercolumnia ambulationis. *basim villæ* appellat imam parietum partem, quæ super substructionem a solo emergit. Huc referri potest et illud *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 8. Aliqui igitur cerebrum pati dixerunt; aliis ejus fundum sive basin, quam nos sessionem dicere poterimus. — *b*) Speciatim ac sæpius ponitur de monumentis, statuis etc. *Cic.* 4. *Verr.* 63. 154. Videmus in basi statuarum maximis litteris incisum. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 66. 160., 6. *ibid.* 34. 74. et 9. *Phil.* 7. 16. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 52. Quoque minus dubites, stat basis orba deâ. Adde *Phædr.* 2. *epil.* 2.; *Vitruv.* 10. 2. 13. *Schneid.*; *Plin.* 17. *Hist. nat.* 25. 38. (244).; *Sueton. Vesp.* 23.; et *Inscript.* apud *Orell.* 49. *Cic. Pis.* 38. 92. Basis tropæorum. *Id.* 5. *Tusc.* 23. 66. Basis columellæ. — Cum de columnis sermo est, *basis* duo significare potest, tum ipsum stylobaten, quo sensu intelligenda est in allato *Ciceronis* exemplo 5. *Tusc.*; tum ipsas spiras, quæ scapo columnæ subjiciuntur et stylobatæ imponuntur, ut docet *Philand.* ad *Vitruv.* 4. 1. 6. *Schneid.*, qua ratione usurpatur a *Paul. Diac.* p. 331. 7. *Müll.* et a *Servio* ad *Virg.* 2. *Æn.* 217. Quod vero *Id. Vitruv. loc. cit.* basim scapi appellavit et paulio post *basi spiram supposuerunt* etc., utroque loco *basis* intelligenda est de ima parte ipsius scapi, quæ ideo *basis* dicitur, quia est inferior columnæ pars. — *c*) De basibus vasorum *V.* dicta in ABAX. — *d*) *Metiri aliquem cum sua basi* proverbiali locutione est prava mensura metiri. Nam si statuæ magnitudinem scire volens, metiendo basim quoque comprehendas, justo major illa videbitur. Eleganter hoc proverbio utitur *Seneca Ep.* 76. *sub fin.* ¶ 2. Apud Mathematicos *basis trianguli* aut alius figuræ, est ima pars, qua triangulum aut alia figura sedet. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi ventis adjuvatur. Cf. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 12. *Id. Colum.* 5. *ibid.* 2. 9. Esto arcus, cujus basis habeat pedes sexdecim. ¶ 3. Radix alicujus verbi derivati est ipsa vox simplex, unde illud derivatur; eaque *basis* dicitur a Grammaticis, ut a *Varron.* apud *Non.* p. 79. 33. *Merc.* ¶ 4. Apud Rhetores *basis* est id, quo narratio aliqua innititur, ut patet ex *Donat.* ad *Ter. Eun.* 1. 2. 36. ¶ 5. In re metrica *basis* est duorum pedum conjunctio. *Mar. Victorin.* p. 2489. *Putsch.* ¶ 6. Denique in re veterinaria, *bases* animalium sunt pedum plantæ. *Veget.* 1. *Veterin.* 25. 6. et *ibid.* 26. 1. *Schneid.*

BĀSĬUM, ii, n. 2. (basio) osculum, suavium; et usurpatur sæpissime de osculo venereo et impuro: interdum tamen et de officioso (It. *bacio*; Fr. *baiser*; Hisp. *beso*; Germ. d. *Kuss*; Angl. *a kiss*). *Catull.* 16. 12. Multa millia basiorum. *Id.* 7. 9. Basia multa basiare aliquam. *Id.* 7. 12. Basia mala fascinare lingui. *Id.* 99. 16. Basia surripere alicui. *Id.* 5. 7.;

Martial. 2. 20. et 11. 99.; et *Petron. Satyr.* 110. Basium dare alicui. *Phædr.* 5. 7. 28. et *Juvenal.* 4. 118. Jactare basia. *Martial.* 12. 55. Blandiri alicui longo basio. *Id.* 11. 98. Nuptiale basium. *Petron. Satyr.* 31. Spississima basia alicui impingere. *Id. ibid.* 24. Disterere aliquem basiis. *Et ibid.* 23. Conspuere aliquem basio immundissimo.

Homonym. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 3. 2. 3. ita distinguit, ut *basium* sit pudici affectus, *osculum* officii, *suavium* libidinis. *Servius* vero ad *Virg.* 1. *Æn.* 260. scribit, quosdam docere, *osculum* filiis dari, uxori *basium*, scorto *suavium*. Sed hæc discrimina vera non sunt: *V.* allata superius, et OSCULUM et SUAVIUM.

BASTĀGA, *vel minus recte* Bastagia, æ, f. 1. vox a Græco βαστάζω, hoc est *porto*, *bajulo*, *veho*, deducta, quæ significat *onus*, *sarcinam*, βαστάγη: sumitur in *Cod. Justinian.* pro munere et officio transvehendi jumentis res publicas aut principis de uno in alium locum. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12. 58. 3. Jubemus eos non ad sollicitudinem bastagæ, non ad functionem navicularıam devocandos. *Al. leg.* bastagiæ. Adde *Cod. Theod.* 3. 4. 11.

BASTĀGĀRĬUS, ii, m. 2. qui bastagis, hoc est oneribus transvehendis præest. *Impp. Valentin. et Valens Cod.* 11. 7. 4. Quintum animal bastagariis pro reportatione præbeatur. Adde *Cod. Theod.* 10. 20. 11.

BASTERNA, æ, f. 1. genus lecticæ muliebris, tectæ, binos asseres utrimque prominentes habentis, quæ a duobus jumentis gestatur. *Incertus Poeta in Anthol. lat. l.* 3. *epigr.* 183. Aurea matronas claudit basterna pudicas, Quæ radians patulum gestat utrimque latus. Hanc geminus portat duplici sub robore burdo, Provehit et modico pendula septa gradu. Provisum est caute, ne per loca publica pergens, Fuscetur visis casta marita viris. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. 3. A tergo vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum. *Lamprid. Elagab.* 21. Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas et rhedas. Adde *Ammian.* 14. 6. et *Hieronym. Ep.* 22. *ad Eustoch. n.* 16., ubi *caveas basternarum* appellat: quia hujusmodi vehicula undique clausa erant et tecta, in caveæ modum. *Salmas. in commentar. ad loc. Lamprid. cit.* multa disserit de hac voce, et derivari putat a βαστός, quo significari ait quidquid ferendo est: unde et βαστάζω ortum esse. — Aliquando virorum etiam usui fuit, ut colligitur ex *Symmacho*, cujus verba vide in voce sequenti. — De discrimine inter lecticam et basternam multa disputat *Jo. Christoph. Strodtmannus* in *Act. Soc. Lat. Jen. T.* 2. *p.* 53. et seq.

BASTERNĀRĬUS, ii, m. 2. auriga mulorum basternam ferentium. *Symmach.* 6. *Ep.* 15. Itaque fratrem vestrum continuo ad vos opto dimittere, cui basternarios mox præbere dignemini, ut festinationi ejus jumentorum adminiculis adjuvetur.

BAT, *Charis.* 2. *p.* 213. *Putsch.* ex *Cæsellio Vindice* docet, esse sonum cornicinis lituum ex ore eximentis. Usurpat *Plaut. Pseud.* 1. 3. 6., sed pro sono vocis, qua irridet alterum, qui *at* pronunciaverat. Verba *Plauti* sunt: PS. Potin' aliam rem ut cures? CA. at. PS. bat. CA. crucior. PS. cor dura.

BĂTĂLĀRĬUS, a, um, adject. qui cum sonitu pertundit, ut *batallium* barbare, Italice *battaglio*; a βάταλος *effeminatus*, quod a βατεύειν ineo. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 7. 134. Silataria purpura: *hæc habet*: Illecebrosa. Ennius: Et melior navis, quam quæ silataria portat; id est, multisonalis, quæ vulgo dicitur batalaria.

BĂTHRUM, i, n. 2. Græca vox βάθρον, hoc est scamnum, fundamentum, basis. *Inscript.* apud *Henzen.* 7365. VESTIBVLVM ET AMBITVS MONVMENTI (*sepulcr.*) A BATHRO CLATROR. INTRA LORICAM QVAE SPECTAT IN MERID. AD VIAM MVNITAM LONG. P. XXIII. LAT. P. LV. ET A BATHRO CLATROR. A PARTE DEXT. ET SINIST. ET A POST. (*h. e.* postico) OMNIVM ANGVLOR. IIII. LAT. P. QVINOS DENOS.

BĂTĬA, æ, f. 1. βατίς, piscis genus, cujus fel auribus est utilissimum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 25. (77).

BATIACA. *V.* BATIOLA.

BATILLUM *vel* vatillum, i, n. 2., et apud *Marcell. Empir.* 27. *a. med.* batillus, i, m. 2. — Dicitur *batillum* et *vatillum*; sunt enim valde affines *b* et *v*: ut dictum est initio hujus litteræ. — Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Gr. σπάθη et Germ. *spaten*, eadem significatione. Probabilius autem videtur deminutivum a *vas*, haud aliter ac *vasculum*. — Ceterum batillum generatim est instrumentum ferreum ad palæ similitudinem (It. *paletta*, *badile*, *pala*; Fr. *pelle*; Hisp. *pala*; Germ. *d. Schaufel*; Angl. *a shovel or spade*). Speciatim ¶ 1. In re agraria et in auri fodinis est instrumentum, quo utuntur ad purgandum et egerendum, ad ignem circumferendum, vel in foco miscendum etc. *Varro* 3. *R. R.* 6. 5. de *pavonibus*. Utrumque locum purum esse volunt hæ volucres. Itaque pastorem earum cum batillo circumire oportet ac stercus tollere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 8. 44. (127). Batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permaneat probatur. Adde *eumd.* 34. *ibid.* 11. 26. (112). *Trebell. Claud.* 14. Ligni quotidiani pondo mille: coctilium quotidiana batilla quatuor. *Marcell. Empir.* 27. *a med.* Deinde super batillum candentem defundes et coques. — Juxta *Forcellinum* fuit etiam hoc nomine lignum incurvum et batilli forma, in extremo habens serrulam ferream, quæ comprehendens spicarum fascem desecat, et stramenta stantia relinquit, ut postea subsecentur. Eo Picentes olim usi sunt. *Varro* 1. *R. R.* 50. At hic *Schneiderus* probat legendum, ut in quibusdam editt. et codd., *bacillum*. ¶ 2. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 35. de *Aufidio Lusco*, *qui Fundis prætor erat*. Insani ridentes præmia scribæ, Prætextam et latum clavum prunæque vatillum. Ridet *Horat.* Aufidii insaniam, qui sibi prætori a Fundanis præferri jubebat foculum in batillo, ad instar virorum principum, quibus ejusmodi ignis prælatus summæ potestatis et auctoritatis index erat. Quidam hoc loco docent, jus fuisse hujusmodi prætoribus prunas e publicis balneis in usum culinæ accipere. Alii putant, *vatillum* fuisse vasculum ferreum, in quo pro felici hospitum adventu accensis odoribus, Jovi hospitali sacra fiebant. Postremam hanc sententiam plerique omnes recentiores philologi defendunt; cum iisque convenire videtur et *Ritter*, qui hæc habet: In prunæ vatillo tura adolebantur auspicandæ jurisdictionis causa.

BATĬŎLA, æ, f. 1. genus poculi. *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 545. 20. *Merc.* Batiolam auream octo pondo habebat. *Id. Stich.* 5. 4. 11. Quibus divitiæ domi sunt, scaphio, et cantharis, batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio tamen vivimus. — *Al. leg.* *batioca* pro *batiola*, ut est in *Gloss. Isid.*, ubi habetur: *batioca*, *patera*. Alii mallent *batiaca*, propterea quod apud *Athen. l.* 11. *c.* 10. βατιακή et βατιάκιον inter poculorum genera enumeratur, et magnum esse, latum, auribusque patulis, significatur. Apud *Arnob.* quoque 2. 23. alii *batiaca* leg., alii *batiola*; alii etiam omittunt. Sunt et qui scribant *battiola* duplici *tt*.

BĂTIS, idis, f. 3. βατίς, genus piscis marini, alio nomine *raja*; ita dictum a similitudine rubi, quem βάτον Græci vocant. Est enim aculeis aspera, præcipue in cauda. Ejus meminit *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145)., ubi tamen *Sillig.* legit *batia*.

BĂTIS *vel* battis, is, f. 3. est genus herbæ, quam in duo genera dividit *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 50. (86). marinam et hortensiam: hanc quidam Gallicum asparagum nominant; illam portulacam sativam, cujus species quædam est *crethmos*, de quo *V.* suo loco. *Colum.* 12. *R. R.* 7. 2. Flos nepetæ et lapsanæ et batis. *Id. ibid.* 13. 2. Olus cordum, quod quidam sativum batim vocant. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 27. 101. (174). *batim* vim habere ad emolliendam alvum et adversus podagram docet. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 21.) ait *batim marinam* juxta nonnullos esse *Crithmum maritimum* L., juxta vero alios esse *Atriplicem Halymum*: atque addit *Batim hortensem* sive *Asparagum Gallicum* juxta nonnullos esse *Portulacam oleraceam* L. — Apud *Isid.* 19. *Orig.* 21. est *batis* inter vestes sacerdotales, nempe linea feminalia usque ad genua pertingentia: at ibi rectius legitur *badim* seu *baddim* ab Hebr. בַּדִּים *linea feminalia*.

BĂTRĂCHĬON, ii, *V.* BATRACHIUM.

BĂTRĂCHĪTES, æ, m. 1. βατραχίτης, gemma ita dicta a similitudine ranæ, quæ Græce βάτραχος dicitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (149). et *Isid.* 16. *Orig.* 4. 20.

BĂTRĂCHĬUM *et Græca positione* Batrachion, ii, n. 2. βατράχιον, herba Latino vocabulo *ranunculus* appellata, (βάτραχος enim *ranam* significat; et videtur ideo appellari, quia iis plerumque locis nascitur, ubi ranæ degere solent) cujus quatuor genera enumerat *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 109. (172). Unum pinguioribus, quam coriandri, foliis, et ad latitudinem malvæ accedentibus, colore livido, caule alto, gracili, radice alba: nascens in limitibus humidis et opacis. Alterum genus foliosius, pluribus foliorum incisuris, altis caulibus. Tertium minimum omnium, gravi odore, flore aureo. Quartum simile huic, flore luteo. Omnibus vis caustica, si cruda folia imponantur, pustulasque, ut ignis, faciunt. Ideo ad lepras et psoras eis utuntur, etc. Hæc *Plin.*, pergens deinde varios ejus usus in medicina describere. *V.* etiam *Scribon. Compos.* 174. et *Apul. Herb.* 8. et 9. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 372.) hanc exhibet synonymiam: I. Βατράχιον Hippocr. de nat. mul. 570.; Βατράχιον χορίου φύλλοις, ἄνθος ὑπόλευκον Dioscor. 2. 206.; Ἀγριοσέλινον Cypriot. recent.; *Ranunculus coriandri foliis* Plin. l. c. et *Strumea herba* Latinor. teste Plin. l. c. sunt *Ranunculus asiaticus* L. Spec. plant. 777. — II. Βατράχιον χνοωδέστερον Dioscor. l. c.; Σαρδονία Ejusd. 6. 4.; *Herba sardoa* Virg. 7. Ecl. 41.; *Ranunculus alter* Plin. l. c.: *Apiastrum* Ejusd. 20. 45.; *Scelerata herba Græci batrachion, alii rhuselinum, alii selinum agrium, iidem apium risus, iidem apiastellum* Apul. Herb. 8. sunt *Ranunculus Philonotis* Retz obsv. DC. Fl. franç. 4619. et *Ranunculus sardous* Crantz. Fl. austr. p. 111. — III. Βατράχιον τρίτον μικρὸν χρυσανθεμον Dioscor. l. c.; Φουρδακούλα Arcad. recent.; Ζοχαδόχορτον Attic.; Βατράχιον ἢ χρυσάνθεμον Pseudo-Democrit. in Geopon. 12. 6.; *Ranunculus minimus* Plin. l. c. et *Ranunculus tertius* Apul. Herb. 8. sunt *Ranunculus muricatus* L. Spec. plant. 780. — IV. Βατράχιον τέταρτον, ἄνθος γαλακτίζον Dioscor. l. c. et *Ranunculus quartus floreo luteo* Plin. l. c. (*lacteo secund.* P. Hard.) sunt *Ranunculus aquatilis* L. Spec. plant. 781.

BĂTRĂCHUS, i, m. 2. genus piscis marini, inter aculeatos recensitum a *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). Nomen habet a similitudine ranæ, quæ Græce βάτραχος. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

BATTĀLIA, ium. *V.* BATTUALIA.

BATTŎLŎGĬA, æ, f. 1. βαττολογία, Græca vox: vitium est orationis, quo idem verbum, vel eadem sententia sine causa iteratur. Dicta est a quodam *Batto* inepto poeta, qui, ut legitur apud *Suid.*, longos hymnos condidit, et inanis loquacitatis plenos, idem sæpe repetens, et farciens potius, quam componens. Hæc eadem dicitur etiam *tautologia*. Græca vox utraque adhibetur a Grammaticis. De battologia, et Batto, tum et de Battaro inde derivato, multa docte disserit *Wernsdorf.* ad *Poet. Lat. min. T.* 3. *p.* XLVIII. et seqq.

BATTŪĀLĬA, quæ vulgo *battalia* dicuntur, exercitationes militum vel gladiatorum significant. Inde etiam **battuatores** τοὺς βασανιστάς dici puto. *Adamantius* apud *Cassiod.* c. 2300. *Putsch. Charis.* 1. *p.* 20. *Putsch.* et *Grammat. incert. p.* 99. *Eichenf.* **Battualia**, αἱ γυμνασίαι τῶν μονομάχων.

BATTŪĀTOR, ōris. *V.* voc. præced.

BATTŪO. *V.* voc. seq.

BĂTŪO *vel* battuo, is, ui, ere, 3. *Forcellinus* duplici *tt*, ceteri unico scribendum putant: *V.* BATTUALIA. — Part. *Batuens* sub *b.* — Hæc vox in rustico sermone usuvenit et raro admodum a Latinis scriptoribus adhibetur: significat idem, quod Fr. *battre*, h. e. concidere, verberare, contundere (It. *battere*, *percuotere*; Fr. *battre*; Hisp. *sacudir*; Germ. *klopfen*, *stossen oder schlagen*; Angl. *to strike*). Occurrit — *a*) Cum Accus. *Nævius* apud *Fulgent. p.* 562. 33. *Merc.* Latera sculponeis batuere. *Plaut. Cas.* 2. 8. 61. Qui, quæso, potius quam sculponeas, quibus batuatur tibi os, senex nequissime. Apud *Marcell. Empir.* 36. *batuere* est contundere in mortario; et apud *Apic.* 4. 2. *n.* 108. est contundere carnem, ut facilius meliusque coquatur. — *Batuere ulcera* pro comprimere, arcte stringere, exponi solet in illo *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (104). Sal imposuere crocodilorum morsibus ex aceto in linteolis, ita ut batuerentur antehac ulcera. *Harduin.* tamen ex conjectura aliter legendum putat. *Sillig.* tamen *batuerentur* retinuit. — *b*) Absolute dicitur de iis, qui velitandi causa pugnant armisque se invicem verberant. *Sueton. Cal.* 54. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat etc. *Et ibid.* 32. Mirmillonem e ludo rudibus secum batuentem et sponte prostratum confodit ferrea sica. — Habet præterea obscœnum sensum, idemque valet, quod

βαττεῖν; a quo etiam derivari *Voss.* in *Etymol.* existimat. *Cic.* 9. *Fam.* 22. 4. Batuit, inquit, impudenter, depsit multo impudentius.

BĂTUS, i. ¶ 1. **Batus** genus herbæ, inquit *Paul. Diac.* p. 30. 15. *Müll.* Fortasse eadem est ac *batis*: vel significat rubum, sentem, qui Græce βάτος dicitur. *Gloss. Philox.* Batum, πράσον, *h. e.* porrum. *Gloss. Isid.* Batus, genus oleris. ¶ 2. Apud Hebræos est mensuræ genus, *h. e.* decima pars cori, quia decem bati corum faciunt, ut habetur apud *Hieronym.* in *Isaj. l.* 2. *c.* 5. *v.* 10., ubi locum *Ezech.* 45. 14. explicat. *Auct. gromat. p.* 324. *Goes.* Batus (*mensura aridorum*) constat modiis duobus totidemque sextariis. Duo bati metretam faciunt, qui sunt sextarii centum.

BAUBOR, āris, ari, dep. 1. βαΰζω, latrare: verbum exprimens vocem canum, qui latrantes *bau bau* proferunt: qua ratione etiam Græcum βαΰζω formatum est. *Lucret.* 5. 1070. Et cum deserti baubantur in ædibus.

Homonym. Differunt *baubari* et *latrare*. Latrant canes cum irati sunt: baubantur sine ira, sed potius cum queruntur: quod ex ipso *Lucretio* colligitur. V. *ibid.* 1058. *et seqq. Vet. Scholiast. Theocr. ad Edyll.* 6. docet, ὑλακτεῖν, quod est *latrare*, proprie dici de canibus jam adultis: βαΰζειν, quod est *baubari*, catulorum.

BAUCĀLIS, is, m. 3. βαυκάλις, vas fictile ad aquam et vinum refrigerandum: est vox Alexandrina, unde recentiorum Italorum boccale derivatum est. Eaque per onomatopœiam ficta videtur, a sonitu nempe liquidorum, quæ, dum per angustum vasorum os delabuntur, *bau bau* iterare solent. V. *Cassiani loc. cit.* in *Gillo.*

BAXĔA, æ, *et sæpius plur. num.* baxeæ, arum, f. 1. Legitur et *baxa.* — Est genus calceamenti crepidis simile, quo philosophi potissimum usi sunt. *Plaut. Men.* 2. 3. 40. Peniculus, qui extergentur baxeæ. *Apul.* 2. *Met. p.* 127. Linteis amiculis intectus, pedesque palmeis baxeis indutus. *Id. ibid.* 11. *p.* 260. Qui pallio baculoque, et baxeis et hircino barbitio philosophum fingeret. *Id. Florid. n.* 9. Vestem de textrina emere, baxeas de sutrina præstinare. — In singulari numero *Tertull. Pall.* 4. Si philosophus in purpura, cur non in baxea Tyria calceare, etc. Adde *Idolol.* 8. et cf. *Isid.* 19. *Orig.* 34. 6. et 13. — Videtur orta esse a Græco πάξ, quod *Hesych.* interpretatur ὑπόδημα εὐτόδητον, hoc est calceamentum, quod facile indui potest.

BAXEĀRIUS vel Baxiārius, ii, m. 2. qui baxeas conficit. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 12. COLLEGIUM FABRUM SOLIARIUM BAXIARIUM. *h. e.* soleariorum baxeariorum.

BD

BDELLIUM, ii, n. 2. Græca vox βδέλλιον, ut docet ipse *Priscian.* 1. *p.* 564. *Putsch.* — A *Marcell. Empir.* 19. dicitur et *bedella*, quam voc. *V.* — ¶ 1. Est arbor nigra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu et natura caprifici, exsudans odoratum gummi, quod habet magnum usum in unguentis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (35). et *Isid.* 17. *Orig.* 8. 6. ¶ 2. Item unguentum, quod ex bdellii gummi fit. *Veget.* 6. *Veterin.* 14. 1. et 5. Bdellium Arabicum. — Et figurate pro re carissima et gratissima *Plaut. Curc.* 1. 2. 6. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocinum et casia es, tu bdellium. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 90.) ait, bdellium *Plin.* aliorumque antiquorum esse unum idemque cum bdellio, cujus commercium et hodie nobis est.

BDELLĬCUS, a, um, adject. ad bdellium pertinens. *Vulgat. interpr. Num.* 11. 7. Erat autem man quasi semen coriandri, coloris bdellii. *At nihil obstat, quominus* τὸ bdellii *sit Genit. a* bdellium.

BE

BĔĀTĒ, adverb. (beatus). Comp. *Beatius* et Sup. *Beatissime.* — Est feliciter, sine ulla calamitate, ita ut contenti simus (It. *beatamente, felicemente;* Fr. *heureusement;* Hisp. *dichosamente;* Germ. *auf glückselige Art, auf glückliche Weise, auf vollkommen zufriedenstellende Art;* Angl. *happily*). *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 9. 33., 2. *Fin.* 27. 86., 2. *Tusc.* 12. 29. et 2. *Divinat.* 1. 2. Beate vivere. *Id.* 1. *Parad.* 3. Profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere. εὖ καὶ καλῶς ζῆν. *Catull.* 14. 10. Non est mi male, sed bene ac beate. *Seneca Ep.* 92. Rectius vivat oportet, ut beatius vivat. *Id. Consol. ad Helv.* 9. Beatissime vivens. — In plausibus *beate* significat feliciter, prospero successu. *Martial.* 2. 27. Effete, graviter, cito, naviter, euge, beate. — Figurate. *Seneca procem.* 5. *controv. de Albucio declamatore.* Locum beate implebat. *h. e.* nihil ei deerat ad implendam orationem, et causam perorandam.

BĔĀTĬFĬCO, as, are, a. 1. ¶ 1. Est beatum facio, beo. *Augustin.* 14. *Trinit.* 14. et 8. *Genes. ad lit.* 12. ¶ 2. Item beatum puto. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *a med.* Cunctis militibus ad illius poculi claritatem inhiantibus, et beatificantibus (*Theodosium*), qui esset bibiturus.

BĔĀTĬFĬCUS, a, um, adject. qui beatum facit. *Apul.* 1. *Doct. Plat.* Deus beatus et beatificus. Adde *Augustin.* 2. *Confess.* 5.

BĔĀTĬTAS, ātis, f. 3. beatitudo, felicitas, beata vita. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 95. vocabula *beatitatis*, et *beatitudinis* omnino quidem dura esse ait, verumtamen usu putat posse molliri: quod et *Quintil.* 8. 3. 32. adnotavit. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 9. Ad beatitatem pervenire. *Apul.* 2. *Doct. Plat.* Virtutes, quarum beatitas fructus est.

BĔĀTĬTŪDO, ĭnis, f. 3. ¶ 1. Est beata vita, felicitas. Judicium *Cicer.* et *Quintil.* de hac voce *V.* in voce præced. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann.* Vides tot culcitas? nulla non aut conchyliatum, aut coccineum tomentum habet: tanta est animi beatitudo. *h. e.* divitiæ: nam et *beatus* sæpe pro divite ponitur. *Al. leg.* Tanta est homini beatitudo. *Apul.* 6. *Met.* Vitæ totius beatitudo. *Nazar. Paneg. ad Constant.* 33. Cumulatissima urbis beatitudo. *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 23. Beatitudo præstantior. *Imp. Constantin. Cod.* 12. 47. 1. Augere beatitudinem militum. *h. e.* commoda vitæ. Adde *Cod. Theod.* 7. 20. 2. *pr.* ¶ 2. Sequioris Latinitatis tempore *beatitudo* fuit blanda et reverens appellatio episcoporum, ac præcipue summi pontificis Romani, cui nunc soli propria est. *Cassiod.* 3. *Variar.* 37. ad *Petrum episc.* Si in alienis causis beatitudinem vestram convenit adhiberi. *Hieronym. Ep.* 15. *n.* 5. ad *Damasum pap.* Quamobrem obtestor beatitudinem tuam, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. *V.* SANCTITAS.

BĔĀTŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* beatus. *Pers.* 3. 103. tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, etc.

BĔĀTUS, a, um. *V.* in fine v. BEO.

BEBER. *V.* CASTOR.

BEBRA, æ, f. 1. genus pili, aut hastæ, qua Barbari utuntur, et binas, ac ternas in prœlis portant: quod teli genus prorsus hoc tempore ignotum esse, docet *Stewech. in commentar.* ad *Veget.* 1. *Milit.* 20., ubi hæc vox legitur.

BEBRĪNUS, a, um, adject. ad castorem seu fibrem pertinens. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 12. 34. Bebrinæ pelles.

BEBRUS, i, m. 2. idem qui fiber. Hæc vox nullum habet alium auctorem Latinum præter *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad 12. 34.

BECCUS, i, m. 2. syllaba prima latiore sono prolata Italice *becco*, Gallice *bec*, Gallica vox, rostrum galli gallinacei significans, quo cognomine appellatus fuit Antonius Primus, qui Vitellium oppressit. *Sueton. Vitell.* 18. Antonius Primus Tolosæ natus, cui cognomen in pueritia Becco fuerat: id valet gallinacei rostrum. — Item significat hircum, syllaba prima breviore sono pronunciata. *Inscript.* apud *Amoretti Viagg. ai tre laghi p.* 90. VIVUS FECIT BECCO MOCCONIS FILIUS SIBI, ET VTILIÆ VECCATI *filiæ* VXORI, ET FRONTONI FILIO, ET GRACCÆ LIVONIS *filiæ* VXORI, ET MASCIO FILIO, ET PRIMÆ OCTAVII *filiæ* VXORI, ET SEXTO *filio.* Hic lapis, qui hodieque Mediolani extat, apud *Gruter.* 838. 9. habet *Vecco* pro *Becco* (facile enim *v* in *b* mutatur); eidemque in fronte insculptus est hircus, qui nomini *Becco* ex consuetudine respondet: quemadmodum apud *Gruter.* 624. 2. inscriptio T. Statilii Apri aprum, et apud *Morell. Fam. Rom.* nummus Q. Voconii Vituli vitulum habet. Adde Pana pastorum Deum, qui hircipes fuit, eodem nomine fuisse apud Phrygas appellatum. *Tertull.* 1. *ad nation.* 8. Prima loquela Bekkos renunciata est: interpretatio ejus Panis apud Phrygas nomen est.

BĒCHĬCUS, a, um, adject. βηχικός, tussicularis. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. *ante med.* Potandos dicit ægrotantes tussiculari medicamento, quod bechicum appellant.

BĒCHĬON, ii, n. 2. βήχιον, herba eadem quæ *tussilago*: a βήξ, βηχός, tussis, quia tussim sedat. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 6. 16. (30). — De hujus herbæ synonymia. *V.* TUSSILAGO.

BEDELLA, æ, f. 1. videtur idem esse ac bdellium. *Marcell. Empir.* 19. Balsama, peucedanum, spicam, crocum, atque bedellam.

BEE, vox ovium balantium. *Varro* 2. *R. R.* 1. 7. *V.* BALO.

BĒLA, ōrum, oves, antiquo nomine. *Varro R. R.* 1. 7. Græci appellarunt μῆλα. Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed ab alia littera, *bela* vocarunt: non enim *mee*, sed *bee* sonare videntur oves vocem efferentes; a quo belare dicunt, extrita littera, ut in multis.

BELBA, æ. *V.* BELLUA.

BELBUS, i, m. 2. idem atque hyæna. *Capitolin. Gordian.* 33. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti XXXII., alces X., tigres X., leones LX., leopardi XXX., belbi, id est hyænæ X. Al. leg. *belbi*, *item hyænæ*, X., qua ratione essent belbi hyænis dissimiles. *Salmas.* primam lectionem tuetur, docetque *belbos* dictos esse pro *beluos* (facile enim *u* in *b* mutatur), *beluos* autem pro *beluas*, eo modo quo *luscinius* et *luscinia* dicitur, *simius* et *simia*, etc. Porro *beluas* pro hyænis usurpasse videtur *Arnob.* 7. 16. Cur non et canes, ursos et vulpes, camelos et beluas et leones? Ubi alii leg. *benuas* eodem sensu: alii *belbas*, ut sit *belba*, æ, f. quod præstat. *Gloss. Philox.* Ὕαινα, ζῶον, bellua. Scribe *belva*, seu *belba*.

BELLANS, antis. *V.* BELLO.

BELLĀRĬA, ōrum, n. plur. 2. cupediarum omne genus, poma, nuces, cibi sacchari aut melle conditi, aliaque hujusmodi irritamenta gulæ: qualia sunt, quæ secundis mensis inferri solent. Videntur autem ita appellari, quia *bella* sunt, hoc est gulæ valde grata, jucundaque stomacho, præsertim si solidioribus cibis satur jam sit. Hinc *bellissimas res* dixit eodem sensu *Ter. Adelph.* 4. 2. 51., ut *Donatus* adnotavit: et *pulcralia* appellavit *Cato* apud *Fest.* in *Pulcralibus.* Eademque ratione Græci ὡραῖα dixerunt cupedias, ut *Scalig.* ad *Fest.* in *Etymol.* docent: ὡραῖος enim etiam pulcrum significat. *Varro* apud *Gell.* 13. 11. Bellaria ea maxime sunt mellita, quæ mellita non sunt. πέμμασιν enim cum πέψει societas infida. *Plaut. Truc.* 2. 5. 27. Fer huc verbenam mihi, tus et bellaria. *Sueton. Ner.* 25. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestaque aves ac lemnisci et bellaria. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 10. Bellaria adorea. — Addit *Gell. loc. cit.* etiam vina dulciora hoc nomine significata olim fuisse, dictaque esse *Liberi bellaria*: ejusque rei exempla in antiquioribus comœdiis inveniri: quod ab eo excripsit *Macrob.* 2. *Saturn.* 8.

BELLĀRĬUM et **bellaria** res aptas bellis appellabant. Ita *Paul. Diac. p.* 35. 10. *Müll. Scaliger* autem putat legendum: *Bellarium et Bellaria res bellas appellabant*; et significari cupedias secundæ mensæ. Alii leg. *res aptas epulis appellabant*, eodem sensu. *V.* vocem præced.

BELLĀTOR, ōris, m. 3. (bello). Apud veteres erat et alia forma *duellator*, quæ occurrit apud *Plaut. Capt. prol.* 68. — Bellator est qui bello est aptus, bellicosus, pugnax, qui intimo ac vehementi ipsius animi ardore in bella fertur, ac proinde differt a *milite*, quem ipsa respubl. ad bella legit; bellator itaque est etiam heros, vir bello illustris, animosus strenuusque pugnator (It. *guerriero, combattitore, eroe;* Fr. *guerrier, combattant, héros;* Hisp. *guerreador, heroe;* Germ. *wer Krieg führt, d. Krieger, Kriegsheld, wackerer oder muthiger Streiter;* Angl. *a warrior, a hero*). Occurrit ¶ 1. Absolute, tamquam naturâ suâ substantivum. *Plaut. Truc.* 2. 7. 54. Si tu ad legionem bellator clues, at ego in culina Ares. Adde *eumd. ibid.* 3. 2. 97. et 2. 7. 68., *Mil. glor.* 4. 2. 85., *Curc.* 4. 3. 21., *Bacch.* 4. 9. 3., *Epid.* 3. 4. 56. *Id.* figurate pro acri potatore *Men.* 1. 3. 5. In eo uterque pro illo potabimus, Uter ibi melior bellator erit inventus cantharo. *Cic.* 4. *Tusc.* 24. 53. Quis est,

qui aut bellatori, aut imperatori, aut oratori quærat aliquid, neque eos existimet sine rabie quidquam fortiter facere posse? Adde eumd. 4. ibid. 19. 43., 8. Att. 12. 4. et Balb. 23. 54. Liv. 7. 26. ad. fin. Nec Græci terra, nec Romanus mari bellator erat. Adde eumd. 1. 59., 8. 8., 9. 1.; Curt. 9. 8. 23.; Vellej. 2. 25. 3.; Quintil. 3. 7. 12; Tac. 1. Ann. 67.; et Juvenal. 8. 10. et 13. 165. — De calculis, quibus in ludo utebantur, Ovid. 3. Art. am. 359. Bellatorque suo prensus sine compare bellat Æmulus. ¶ 2. A Poetis tamquam adjectivum nominibus jungitur. — a) Interdum cum nomine personæ. Virg. 12. Æn. 614. Bellator Turnus. Id. 9. ibid. 7. 21. Bellatorque animos deus incidit. h. e. Mars. — b) Sæpissime de equo. Virg. 2. G. 145., 10. Æn. 891. et 11. ibid. 89.; Ovid. 15. Met. 368. et 2. Fast. 12.; Val. Flacc. 2. 385. Bellator equus. — Et absolute Juvenal. 7. 126. ipse feroci Bellatore sedens curvatum hastile minatur. — Huc referri potest et illud Stat. 12. Theb. 603. Bellator taurus. — c) Raro admodum de rebus ad pugnandum aptis. Sil. It. 13. 376. Bellator ensis. Stat. 8. Theb. 378. campus. h. e. ubi prælia fiunt. V. VENATOR. — De nomine pr. V. ONOM.

BELLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad bellandum pertinens. Plin. 7. Ep. 9. Sed non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stilum suaserim. Ammian. 23. 5. Bellatoria jumenta.

BELLĀTRIX, īcis, f. 3. (bellator) bello et pugnæ apta, bellicosa, pugnax, heroina: V. BELLATOR Occurrit — ¶ 1. Absolute apud Virg. tantum 1. Æn. 497. Bellatrix. h. e. Penthesilea. — ¶ 2. Sæpius nominibus tamquam adjectivum jungitur, ut figurate apud Cic. 4. Tusc. 24. 54. Bellatrix iracundia. — Frequentius a Poetis usurpatur. Ovid. 1. Trist. 5. 76. Bellatrix diva. h. e. Pallas. Id. 8. Met. 364. Minerva. Id. 1. Trist. 2. 321. Roma. Stat. 6. Theb. 262. cohors. Flor. 2. 6. 38. Hispania. Sil. It. 9. 576. bellua. h. e. elephas. — Raro de inanimis. Stat. 7. Theb. 57. bellatricesque carinæ. Et Val. Flacc. 7. 612. Bellatrix gleba. h. e. quæ armatos viros emittit. V. VENATOR.

BELLĀTŬLUS, a, um, adject. deminut. quasi a bellatus, idem ac bellulus: et adhibetur in blanditiis. Plaut. Cas. 4. 4. 28. Bella bellatula. Sunt qui aliter legi mallent. In Inscript. apud Grut. 350. 4. Bellatula est nomen propr. mulieris. Et ibid. 943. 3. cognomen.

BELLAX, ācis, adject. bellicosus. Lucan. 4. 406. Illic bellaci confisus gente Curetum. Cf. Priscian. 12. p. 1263. Putsch.

BĔLLĒ, adverb. Sup. Bellissime sub a et e. — Belle est deminut. dictum a bene, ut docet Paul. Diac. p. 36. 4. Müll. Differt tamen aliquo modo a bene, quia belle commodum, venustatem et convenientiam significat; bene omnimodam perfectionem in genere quolibet: præterea adverbium belle externam rerum formam, bene autem internam eorum indolem naturamque spectat: itaque belle significat aliquid minus, quam bene: V. locu Cic. sub f in fine, et Martial. 10. 46. sub d. — Ceterum belle est apte, commode, scite, eleganter, venuste, jucunde. — a) Generatim. Plaut. Truc. 2. 2. 35. Quis istas buccas tam belle purpurissatas habes. h. e. tam venuste. Cic. 3. ad Q. Fr. 1. 1. Aquam belle sane fluentem vidi. Id. 5. Fin. 2. 6. Belle aliquem attendere. Id. 1. Att. 1. in fin. Hermathena belle posita. h. e. venuste. Id. 16. ibid. 34. Prædiola belle ædificata. Id. 16. Fam. 9. Inde Corcyram bellissime navigavimus. h. e. percommode. Id. 7. Att. 2. Ita belle nobis flavit lenissimus ventus. h. e. tam apte. Id. 14. Fam. 14. Modo ut hæc vobis loca tenere liceat, bellissime vel mecum, vel in nostris prædiis esse poteritis. h. e. percommode. Id. 4. Att. 16. Dices tu: ergo hæc quo modo fers? Belle mehercule: et in eo me valde amo. h. e. æquo animo, sine ulla cura et sollicitudine. Id. 5. ibid. 10. Persuasum est omnibus, serviendum esse famæ meæ: belle adhuc. h. e. hucusque bene. Id. 13. ibid. 33. 4. Horum ego vix attigi pænulam: tamen remanserunt; ceciditque belle. h. e. opportune. Id. 12. ibid. 37. Belle venit aliquid in mentem. Id. 2. Divin. 31. 66. Hæc non tam mirabilia sunt, quam conjecta belle. h. e. ingeniose. Id. 6. Att. 1. 22. Epistola belle scripta. Id. ibid. § 25. Hæc te volui παριστορῆσαι: sumus enim ambo belle curiosi. h. e. scite diligentes in aliorum negotiis perscrutandis. Et 12. ibid. 37. Attica belle se habet. Cf. Dolabella apud Cic. 9. Fam. 9. Terentia minus belle habuit. Id. 14. Att. 16. Belle est alicui. Et 7. Fam. 18. Sed ut ad epistolas tuas redeam, cætera belle, illud miror etc. Scribon. Compos. 136. Purgat belle chamæléa. h. e. sine incommodo. Id. ibid. 150. Calcifraga ad calculosos belle facit. h. e. prodest. Seneca 1. Benef. 2. 10. Belle facere ad versum. P. Syrus. apud Gell. 17. 14. Pars beneficii est, quod petitur si belle neges. h. e. cum venustate et gratia. Cf. Q. Cic. Petit. consul. 11. ad fin. et Seneca 3. Controv. præfat. Quintil. 6. 3. 100. Uti belle contumeliis. h. e. ad rem. Id. ibid. 48. Verba, quæ belle respondent. — b) Belle tractare, et belle tangere aliquam apud Plaut. Cas. 4. 4. 25. et Rud. 2. 4. 12. est molliter, placide, et blandiendo contrectare et tangere. Lucret. 1. 637. Aures belle tractare. — c) Belle ire est pedetentim, placideque ingredi, molli quadam gravitate incedere. Plaut. Asin. 3. 3. 66. I sane bella belle. Id. Curc. 4. 2. 33. Sequere istum bella belle. — d) Belle facere aliquid interdum non tam significat bene facere, quam venuste, scite, eleganter et ad speciem jucunde. Martial. 2. 7. Causas agis, Attale, belle. Et Componis belle mimos, epigrammata belle. Sic Belle cantare, belle saltare, ibid. V. integrum epigramma. Huc pertinet illud Ejusd. 10. 46. Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando Et bene: dic neutrum: dic aliquando male. Apud Cic. quoque Quint. 30. 93. belle dicere hoc sensu legitur. — e) Belle nonnumquam idem est ac facete, salse et simul apposite. Martial. 5. 78. Narratur belle quidam dixisse, Marulle, Qui te ferre oleum dixit in auriculam. Seneca præf. 3. Excerpt. controvers. Declamat tam male, ut videar belle optasse, cum dixi: Numquam surgas. Et paullo post. Id quod bellissime Censorinus ajebat, etc. — f) Est etiam vox plaudentium recitantibus. Pers. 1. 48. Sed recti finemque, extremumque esse recuso Euge tuum et belle: nam belle hoc excute totum, etc. Cic. 3. Orat. 26. 101. Quare bene et præclare, quamvis nobis sæpe dicatur: belle et festive, nimium sæpe nolo. bene et præclare refertur ad orationem gravem et perfectam; belle et festive ad dulcem et floridam.

Homonym. In quo belle differat a bene, vide sub init. hujus voc.

BELLĬCŌSUS, a, um, adject. Comp. Bellicosior et Sup. Bellicosissimus sub a. — Proprie est valde bellicus; et occurrit — a) De personis, et est ad bella gerenda aptus, bellica virtute valens. Porcius Licinius apud Gell. 17. 21. Gens bellicosa. Cic. Prov. cons. 13. 33. Gentes barbaræ et bellicosæ. Adde eumd. 5. Fam. 11.; Cæs. 1. B. G. 10.; Nepot. Hann. 10.; Sall. Jug. 18.; Curt. 6. 4. 16.; Quintil. 1. 10. 20.; et Sueton. Grammat. 1. Cæs. 3. B. G. et Nepot. Hamilc. 4. Bellicosissima gens. Idem Superl. occurrit et apud Cic. pro lege Manil. 10. 28.; Cæs. 1. B. C. 85.; Curt. 5. 6. 17. Horat. 3. Od. 3. 57. Sed bellicosis fata Quiritibus Hac lege dico. Adde 2. 11. 1. Liv. 37. 8. Gallogræci bellicosiores ea tempestate erant. — b) De rebus. Liv. 10. 9. Bellicosus annus. h. e. bellis plenus, cui imbellis annus opponitur apud eumd. 9. 1. Id. 9. 6. in fin. Cepisse eos non Romam, sicut ante Gallos, sed quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem ferociamque. h. e. quod magis bellicam virtutem ostenderit.

BELLĬCREPAM SALTATIONEM dicebant quando cum armis saltabant: quod a Romulo institutum est, ne simile pateretur, quod fecerat ipse, cum a ludis Sabinorum virgines rapuit. Paul. Diac. p. 35. 3. Müll.

BELLĬCUM, i. V. voc. seq. in fin.

BELLĬCUS, a, um, adject. Antiquior forma duellicus occurrit apud Plaut. Epid. 3. 4. 14. et Lucret. 2. 661. — Bellicus est ad bellum pertinens (It. militare, di guerra, bellico; Fr. rélatif à la guerre, de guerre; Hisp. guerrero; Germ. zum Kriege gehörend, den Krieg betreffend; Angl. relating to war). Jungitur pluribus substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, subjicimus. Liv. 1. 32. cærimoniæ. Flor. 4. 12. 58. certamina. Vellej. 2. 38. 3. civitas. h. e. quæ in bello versatur, vel bellicosa. Paul. Diac. p. 23. 8. Müll. columna. h. e. quæ Romæ posita erat ante templum Bellonæ, et super quam hastam jaciebant bellum indicturi. Plin. 16. Hist. nat. 4. 4. (10). corona. h. e. quæ in bello dantur victoribus. Ovid. 2. Met. 752. et 3. Fast. 814. dea. h. e. Pallas. Id. 2. Fast. 408. deus. h. e. Romulus. Cic. 2. Nat. D. 64. 161. disciplina. Propert. 4. 4. 14. et Lucret. 2. 661. equus. Tac. 1. Ann. 52. gloria. Ovid. 2. Amor. 3. 8. hasta. Liv. 30. 5. ignis. Cic. 2. Legg. 18. 45. insignia. Id. 3. Off. 29. 107. jus. Id. Brut. 21. 84., Cæs. 6. B. G. 24., et Seneca Troad. 709. laus. Quintil. 8. 4. 20. laudes. Cic. Balb. 20. 47. legationes. Ovid. 3. Fast. 1. Mars. Legg. XII. Tabul. apud Cic. 2. Legg. 24. 60. mors. h. e. in bello obita. Propert. 2. 15. 43. navis. Flor. 3. 8. 1. nomina. h. e. bello parta, ut Africanus, Macedonicus, Creticus etc. Claudian. Laud. Seren. 196. nubes. Ovid. 5. Met. 46. Pallas. Cic. 2. Divinat. 36. 76.; Horat. 4. Od. 3. 6.; Sueton. Cal. 43. res. Tibull. 2. 3. 40. rostra. Ovid. 3. Met. 705. tubicen. Propert. 3. 14. 13. turma. Quintil. 1. 10. 18. usus. Ovid. 4. Met. 754. virgo. Cic. Mur. 10. 22.; Nepos Ages. 4. et Plin. 33. Hist. nat. 1. 4. (9). virtus. — Hinc

Bellicum, i, n. 2., subaudi signum, absolute dicitur sonus tubæ ad arma vocans.

I.) Proprie occurrit tantum bellicum canere, hoc est milites tubæ cantu ad bellum et prælia animare. Cic. Mur. 14. 30. Simul atque aliquis motus novus bellicum canere cœpit. Liv. 35. 18. A Macedonia Philippum, ubi primum bellicum cani audisset, arma capturum. Justin. 12. 15. 11. Bellicum canere inter aliquos. Adde Apul. de mundo.

II.) Translate est verbis, quasi bellicâ tubâ, excitare atque inflammare. Cic. Orat. 12. 39. Thucydides incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. Adde eumd. 7. Phil. 1. 3.; et Quintil. 9. 4. 11. et 10. 1. 33.

BELLĪFER, a, um, adject. belliger, bellicosus. Claudian. 1. Eutrop. 429. quid belliferam communibus urunt Italiam maculis? etc.

BELLĬFĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem quod gratificor, belle alicui facio, belle cum aliquo ago. Cæl. apud Cic. 8. Fam. 10. Quare tibi suadeo, quicumque est istic status rerum, diligenter et caute perscribas, ne aut bellificatus alicui dicaris, aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Velificatus leg. plerique alii, et quidem rectius.

BELLĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (bellum et gero) qui bellum gerit, bellicus, bellicosus (It. guerresco, guerriero, bellicoso; Fr. guerrier; Hisp. guerrero; Germ. kriegführend, mit Krieg umgehend, kriegerisch; Angl. warlike). Occurrit — a) De hominibus aliisque animantibus. Ovid. 3. Trist. 11. 13. Belligeræ gentes. Sil. It. 1. 38. Hannibal. Id. 3. 124. viris ignobile letum Belligeris in pace mori. Stat. 12. Theb. 717. Belligeræ acies. Id. 1. Achill. 504. numen. Sil. It. 11. 567. fera. h. e. elephas, qui et armatos gerit et in acie pugnat. — b) De inanimis et abstractis. Ovid. 3. Met. 534. Belliger ensis. Id. 2. Art. am. 717. manus. Val. Flacc. 5. 617. labores. Sil. It. 3. 162. mens. Id. 8. 261. ars. Id. 1. 434. currus. Id. 17. 491. axis. Id. 13. 362. æs. h. e. tuba. Id. 7. 292. ritus. Martial. 5. 25. hasta.

BELLĬGĔRĀTOR, ōris, m. 3. bellator, bellicosus. Avien. Perieg. 55. Belligeratores nutrit tellus Arimaspas. Adde eumd. ibid. 583. Venant. 3. De vita Martinis. 370. Belligeratori valeat ne femina jungi.

BELLĬGĔRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (bellum et gero). Part. Belligerans 1. — Deponentis forma certe occurrit tantum apud Hygin. Fab. 274. in fin. Belus Neptuni filius gladio belligeratus est. — Ceterum est idem quod bellum gerere, sed est verbum antiquum et quadam vehementiori vi pollet (It. guerreggiare, far guerra; Fr. faire la guerre, guerroyer; Hisp. guerrear, hacer guerra; Germ. Krieg führen; Angl. to wage war, carry on war).

I.) Proprie. Ennius apud Cic. 1. Off. 12. 38. Nec cauponantes bellum, sed belligerantes, Ferro, non auro, vitam cernamus utrique. Vet. Poeta apud Quintil. 9. 4. 39. Belligerare po' meridiem. Plaut. Capt. prol. 24. Postquam belligerant Ætoli cum aliis. Adde eumd. Truc. 2. 7. 67. Cic. Fontej. 12. 26. Excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Indutiomaro isti par in belligerando esse possit. Liv. 21. 16. Cum Gallis tumultuatum verius quam belligeratum. Tac. 4. Ann. 46. Belligerare adversum accolas. Adde eumd. 3. ibid. 73. et 2. ibid. 5.; et Sueton. Aug. 94. — Apud Cæs. 6. B. G. 22. dubia est lectio.

II.) Translate. Plaut. Truc. 1. 2. 80. Isti, qui cum geniis suis belligerant, parcipromi. Cic. post red. ad Quir. 8. 19. Belligerare cum fortuna. V. Klotz ad h. l.

BELLĬGĔROR, āris, ātus sum, āri. V. voc. præced. sub init.

BELLĬO, ōnis, m. 3. flos pratensis, lutei coloris, pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis, ut est apud Plin. 21. Hist. nat. 8. 25. (49). Cf. Fée (Op.

cit. vol. 3. p. 3.) ait, bellionem juxta nonnullos esse Chrysanthemum segetum, juxta quosdam vero Caltham palustrem: porro addit, hujusce floris aliorumque in eodem capite memoratorum nomina, ipso Plinio idem affirmante, esse nimium incerta. — NB. De cognomine V. ONOM.

BELLIPOTENS, entis, adject. in bello potens. Ennius apud Cic. 2. Divin. 56. 116. stolidum genus Æacidarum Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes. Virg. 11. Æn. 8. tibi magne tropeum Bellipotens. h. e. Mars. Stat. 1. Silv. 4. 33. captivaque tela Bellipotens (accipit). Id. 2. Theb. 715. Diva Bellipotens. h. e. Pallas. Adde Val. Flacc. 1. 529.

BELLIS, idis, f. 3. herba in pratis nascens, flore albo, aliquatenus rubente. Plin. 26. Hist. nat. 5. 13. (26). et Apul. Herb. 57. Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 384.) minime absonum arbitratur, bellidem Plin. esse Bellidem perennem L., quæ passim viget in Europa, quamque Græci ignorasse videntur.

BELLISONUS, a, um, adject. bella sonans. Paulin. Nolan. Natal. S. Felicis 8. carm. 23. sub fin. Sic modo bellisono venientes flumine pugnas De nostris averte locis.

BELLITUDINEM, sicut magnitudinem Verrius dixit. Paul. Diac. p. 35. 11. Müll.

BELLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. — Part. Bellans sub a; Bellaturus sub c. — Deponentis forma semel tantum occurrit apud Virg., cujus verba V. sub f. — Bellare proprie dicitur de duabus gentibus vel partibus, quæ inter se inimicitiis et armis contendunt, et est in bello versari, bellum facere, inchoare et perficere (It. guerreggiare; Fr. faire la guerre; Hisp. guerrear, hacer guerra; Germ. kriegen, Krieg beginnen; Angl. to war, wage or carry on war). Occurrit — a) Absolute. Cic. pro lege Manil. 12. 32. Fuit proprium populi Rom. longe a domo bellare. Nepos Con. 2. Cum Agesilaum bellatum misissent in Asiam. Id. Hamilc. 3. Bellandi causam reperire. Id. Hann. 2. Cupiditate bellandi incendere aliquem. Cæs. 1. B. G. 2. Homines bellandi cupidi. Auct. B. Afr. 61. Gaudium bellantibus fortuna tribuere non decrevit. Adde Nepot. Them. 5. et Epam. 8.; et Liv. 9. 18., 40. 47. et 42. 59. Horat. 3. Od. 2. 7. Matrona bellantis tyranni. Id. carm. sæcul. 51. Imperet bellante prior, jacentem Lenis in hostem. Ovid. 3. Art. am. 359. Bellatorque sua prensus sine compare bellat. Adde eumd. 5. Met. 101. et Quintil. 10. 1. 114. Tac. 2. Hist. 46. Non ad pugnam, sed ad bellandum proficisci. Id. 12. Ann. 62. Bellare de aliqua re. Id. 1. Hist. 89. In unius sollicitudinem aut decus. Plin. 5. Hist. nat. 1. 1. (11). Romana arma primum Claudio principe in Mauritania bellavere. Sil. It. 5. 100. Astu bellare. — b) Impersonaliter. Tac. 1. Hist. 1. Postquam bellatum est apud Actium. Adde Liv. 6. 31. et 42., 29. 26., 43. 4. et 44. 29. — c) Cum præpos. aliqua et nomine alterius partis, quacum bellatur. Præpositiones, servato litterarum ordine, subjiciuntur. Nepos Them. 9., et Liv. 7. 29. et 44. 29. adversum vel adversus aliquem bellare. Liv. 9. 42. pro aliquo adversus aliquem. Val. Flacc. 6. 373. contra aliquem. Cic. 6. Verr. 33. 72. Cum illa civitas cum Pœnis suo nomine ac sua sponte bellaret. Adde eumd. Arch. 11. 27. et Senect. 2. 5. Nepos Hann. 1. Bellare animo cum aliquo. Adde eumd. Tim. 2.; Liv. 6. 42., 9. 41. et 10. 30.; et Curt. 8. 12. 12. Claudian. 1. Cons. Stilich. 321. Messis cum proprio mox bellatura colono. Curt. 9. 4. 15. inter se bellare. — d) Poetice cum Dativo. Sil. It. 9. 503. et bellare maniplis Jussa lætatur rabie. Adde eumd. 16. 565. Stat. 8. Theb. 505. citius me fulmina contra (Infandum) ruere et magno bellare parenti Aspiciat. — e) Cum Accus. bellum, quo modo et Græce πόλεμον πολεμεῖν. Liv. 8. 39. in fin. Hoc bellum a consulibus bellatum est. Est qui legit debellatum; sed minus recte. Fronto Princip. Hist. Bella igitur duo maxima a duobus maximis imperatoribus adversum Parthos nostra memoria pari eventu bellata contendere inter sese pergant. — f) Apud Poetas occurrit cum Ablat. armorum, et significat pugnare, potius quam bellum gerere. Virg. 11. Æn. 660. et pictis bellantur Amazones armis. Sil. It. 2. 235. Bellare ense. Id. 8. 498. manu. Stat. 6. Theb. 829. cæstu.

BELLŌNĀRIA, æ, f. 1. dicta est herba solanum, sive solata, quia ea utebantur olim in bello ad tingendas cuspides: vel potius quia eam adhibebant Bellonarii, putantes ejus auxilio facilius se vaticinaturos. Apul. Herb. 74.

BELLŌNĀRII, ōrum, m. plur. 2. sacerdotes Bellonæ. Hi statis temporibus (præsertim IX. cal. April. qui dicebatur dies sanguinis, teste Trebell. Claud. 4.) sacra ei faciebant, œstroque perciti, quem ab ipsa dea sibi immitti credebant, cultris humeros et brachia sua secabant, proprio cruore se aliosque aspergentes: quo tempore futura etiam vaticinabantur. Cujus rei meminere Juvenal. 4. 123., Lucan. 1. 565., Tertull. Apolog. 9., Lactant. 1. 21. et alii. Apud Lamprid. Commod. 9. legitur, Commodum ex studio crudelitatis præcepisse, ut Bellonæ servientes vere exsecarent brachia. Ex quo intelligimus, plerumque ficta et simulata fuisse tantum vulnera Bellonariorum. Ipsa vox Bellonarii legitur apud Acronem vel. Horat. Scholiast. ad 2. Sat. 3. 223., ut est in ejus edit. Basil. apud Valentin. Curion. 1527. 8. p. 685. et Scholiast. Juvenal. 6. 105. Ceterum videsis adnotat. Heynii ad Tibull. 1. 6. 43. et Jablonsk. opusc. T. 2. p. 285.

BELLŌNE, es, f. 1. quæ legitur apud Hygin. fab. 274. et prima acum invenisse dicitur, videtur esse eadem, quæ Bellona. Sed fortasse legendum est Belōne, a Græco βελόνη, quod acum significat. Unde et piscis quidam, qui acus Latine dicitur, Græce belone appellatur, ut est apud Plin. 9. Hist. nat. 51. 76. (166). V. ACUS, I.

BELLOR, āris. V. in BELLO, sub init.

BELLŌSUS, a, um, adject. idem quod bellicosus. Cæcil. apud Non. p. 80. 33. Merc. Tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus.

BELLŪA vel belua, æ, f. 1. — Juxta Forcellinum rectius scribitur duplici ll; ita enim frequentius legitur, placetque Manut. et Cellar. Confirmatur auctoritate Paul. Diac. qui bellum a belluis ductum putat. Si unico scribatur, prima corripi potest. Varro apud Non. 8. 69. edit. vel. Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci, An colubræ, an beluæ? Hucusque Forcellinus: at apud Varron., si sana est lectio, num potius belvæ pro bēluæ legendum? — Ratione habita etymi, hæc vox conjungi potest cum Germ. bull. — Ceterum bellua proprie dicitur de bruto animali, præcipue immani et formidabili, ut sunt leones, elephanti, tigres, apri, item pisces majores, ut balænæ, delphini, phocæ et hujusmodi (It. bestia, belva; Fr. animal, bête; Hisp. animal, bestia; Germ. das Thier; Angl. a beast).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de quocumque bruto animali. Plaut. Aul. 3. 6. 20. Quo quidem agno sat scio magis curiosam nusquam esse ullam belluam. Cic. 2. Nat. D. 11. 29. In homine mentem, in bellua quiddam simile mentis. Adde eumd. 1. ibid. 27. 77., 2. ibid. 47. 122. et 3. ibid. 16. 40.; et Lucret. 4. 141. Cic. 1. Off. 30. 105. Pecudes reliquæque bellum. Id. 2. ibid. 5. 16. Multitudo belluarum. Id. 2. Nat. D. 39. 99. Immanitas belluarum. Id. 2. Divinat. 20. 45. Altrix bellua. h. e. lupa, quæ Romulum et Remum aluisse dicitur. Id. 4. Acad. (2. pr.) 31. 108. Fera et immanis bellua. Id. 4. Tusc. 20. 41. tetra et immanis. Horat. 1. Od. 12. 23. sævæ. Id. 2. Sat. 3. 315. ingens. ¶ 2. Speciatim, ita tamen ut id ex totius orationis contextu innotescat, dicitur — a) De elephanto. Ter. Eun. 3. 1. 25. Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? Cic. 1. Nat. D. 35. 97. Elephanto belluarum nulla prudentior. Adde eumd. 2. de republ. 40. 57. et 7. Fam. 1. 4.; Curt. 8. 14. 33. et alibi sæpe; Sil. It. 11. 543. et Flor. 1. 18. 10. Sic Ovid. 4. Trist. 6. 7. Inda bellua. Juvenal. 10. 158. Gætula. — b) De hyæna. Arnob. 7. 16. V. BENA. — c) De immanibus ferocibusque bestiis cum terrestribus, tum marinis. Cic. 2. Nat. D. 39. 100. In mari quot genera quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium! Adde Curt. 9. 10. 10. et Tac. Germ. 17. Hinc de immanibus feris, quæ ante diluvium exstiterunt Sueton. Aug. 72. in fin. Immanium belluarum ferarumque membra prægrandia. — d) Denique de monstris, quæ commenti sunt præsertim Poetæ. Cic. 1. Divinat. 24. 49. Tum visam belluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tesqua pervertere. Liv. 29. 17. de Scylla. Bestia et bellua immanis. Virg. 6. Æn. 287. bellua Lernæ. Horat. 2. Od. 13. 34. centiceps.

II.) Translate. ¶ 1. Adhibetur in conviciis ad notandum hominem imprudentem, stultum, sæpe etiam audacem ac talem, qui feræ sit similis. Plaut. Trin. 4. 2. 112. Næ tu edepol me arbitrare belluam, qui quidem non novisse possim, quicum ætatem exegerim. Cf. eumd. Most. 3. 1. 78. Id. Rud. 2. 6. 59. Impurata bellua. Ter. Phorm. 4. 2. 11. Sed quid pertimui autem belluа? h. e. stultus et insipiens ego. Adde eumd. Eun. 4. 4. 36. Cic. 7. Verr. 42. 109. Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro? Id. Pis. 1. 1. Jam ne vides, bellua, jam ne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? Id. 3. Legg. 9. 22. Impura bellua. Adde eumd. Harusp. resp. 3. 5. et 8. Phil. 4. 13. Liv. 7. 10. Si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, me ex ea familia ortum, quæ etc. ¶ 2. Raro de abstractis occurrit: ad rem Cic. 4. Acad. (2. pr.) 34. 108. Quod, ut feram et immanem belluam, sic ex animis nostris assensionem — extraxisset. Sall. Orat. 2. ad Cæs. de republ. ordin. 54. Ceterum avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est. Sueton. Tib. 24. Principatum recusavit, adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset imperium.

BELLUĀLIS vel belualis, le, adject. belluinus. Macrob. 5. Saturn. 11. Educatio bellualis et aspera.

BELLUĀTUS vel beluatus, a, um, adject. Plaut. Pseud. 1. 2. 14. Alexandrina belluata conchyliata tapetia. h. e. belluarum imaginibus picta. V. BELLUTUS et POLYMITUS.

BELLUĪLIS vel beluilis, le, adject. idem ac belluinus; sed occurrit Accusativus tantum neutr. gen. adverbii more. Jul. Valer. Res gest. Alex. M. (edente A. Maio) 3. 84. Ac prorsus belluile sævientes. Gloss. Philox. Belluile, Θηριῶδες.

BELLUĪNUS vel beluinus, a, um, adject. ad belluas pertinens, belluæ similis. Gell. 19. 2. Qui istis belluinis voluptatibus sese dediderunt. Prudent. 7. Cathemer. 111. Belluinæ fauces.

BELLŬLĒ, adverb. deminut. a belle. Apul. 11. Met. sub fin. Liberali deûm providentia jam stipendiis forensibus bellule fotus. Id. 10. ibid. Bellule suffarcinatus. Id. 5. ibid. in fin. Ætatem portat bellule. Plautus quoque hac voce usus est, teste Paul. Diac. p. 36. 4. Müll.

BELLŬLUS, a, um, adject. pulchellus: deminut. a bellus. Plaut. Mil. glor. 4. 1. 42. Ædepol hæc quidem bellula est. Adde eumd. Pœn. 1. 2. 134. Id. Cas. 4. 4. 22. Edepol papillam bellulam, hei misero mihi! Inscript. apud Murat. 1514. 3. BELLVLE CVKSCK PVER.

BELLUM, i, n. 2. Olim duellum dictum est, ut est apud Paul. Diac. p. 66. 17., quocum cf. Cic. Orat. 45. 153., Varron. 5. L. L. 73. et 7. ibid. 49. Müll. et Quintil. 1. 4. 15.; ea nimirum ratione, qua a duis factum est bis, a duonum bonum, a Duellona Bellona. — Putat Paul. Diac. l. c. ductum esse a belluis, quia earum propria est dissensio. Alii tradidere bellum dictum esse quia sit minime bellum. Sed hæc levia sunt. Illud potius statuendum est bellum vel duellum ductum esse a duo, quia scilicet bellum est dissensio duorum populorum, qui propterea arma sibi mutuo inferunt (It. guerra; Fr. guerre; Hisp. guerra; Germ. d. Krieg; Angl. war).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim bellum, ut diximus, est duorum populorum vel partium dissensio, cum arma sibi mutuo inferunt; eique recta opponitur pax, ut apud Ter. Eun. 1. 1. 16. Bellum, pax rursum. Cic. Balb. 6. 15. Belli jure atque pacis. Sall. Cat. 8. Vel bello vel pace clarum fieri. Liv. 1. 1. Animus vel bello vel paci paratus. — Hac autem significatione — a) Occurrit generatim. Nævius apud Macrob. 6. Saturn. 5. Silvicolæ homines bellique inertes. Ennius apud Horat. 1. Sat. 4. 60. Postquam discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit. Cf. Porphyr. ad Horat. l. c. et Servium ad Virg. 7. Æn. 622. Cato apud Festum p. 182. 6. Müll. Propter id bellum cœpit Cluilius pr. Albanus. Plaut. Amph. 1. 1. 55. Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere. Ter. Heaut. 1. 1. 59. Atque ibi simul rem et gloriam armis belli reperi. Cic. pro leg. Manil. 2. 6. Quibus (vectigalibus) amissis et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis. Id. 5. Verr. 18. 47. Hæ terræ, in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. Nepos Datam. 1. Vir manu fortis et bello strenuus. Id. Epam. 5. Bello exercitatus. — b) Jungitur pluribus Adjectivis — Ex generica belli natura petitis. Ovid. 76. 646. Bella arria. Horat. 2. Ep. 1. 7. aspera. Cic. 9. Att. 10. crudelissimum et maximum. Sueton. Cæs. 35. difficillimum. Cic. Balb. 2. durissimum. Id. pro leg. Manil. 2. 4.

grave et periculosum. Id. ibid. 19. 58. maritimum. Id. ibid. 10. 28. navale. Liv. 24. 48. pedestria. Cic. 8. Att. 14. pestiferum. Id. 1. Divinat. 47. 105. triste ac turbulentum. — Item sæpius Adjectivis ex natione petitis, quacum bellum agitur. Cic. 7. Att. 13. et pro leg. Manil. 10. 28. Bellum civile. Nepos Att. 7. Cæsarianum civile bellum. Cæs. 5. B. G. 9. domesticum. Cic. 2. Cat. 13. 28. intestinum ac domesticum. quibus opponuntur apud eumd. 5. Fam. 12. 2. hostilia externaque bella. Cf. Quintil. 8. 3. 78. Cic. Senect. 4. 12. domestica bella et externa. Id. pro leg. Manil. 10. 28. servile. Liv. Epit. 71. et Plin. 2. Hist. nat. 83. 85. (199). sociale. Cic. pro leg. Manil. 10. 18. Africanum, Transalpinum, Hispaniense. Ascon. in Cornel. p. 68. Ezit. et Plin. 35. Hist. nat. 11. 40. (144). Iliarum. Horat. Epod. 9. 23. et Plin. 9. Hist. nat. 35. 59. (123). Jugurthinum. Cic. 2. leg. Agr. 33. 90. Marsicum. Id. 6. Att. 1. 3. Parthicum. Id. 1. Off. 24. 84. Peloponnesiacum. Id. ibid. 11. 37. Persicum. Id. Mur. 39. 84. et Varro 1. R. R. 10. 2. Punicum. Sueton. Vitell. 1. Samniticum. Horat. 1. Ep. 2. 1. Trojanum. Cic. 1. Divinat. 44. 100. et Liv. 4. 58. Vejens. — c) Jungitur et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. Liv. 21. 6., Horat. 1. Sat. 3. 104., Curt. 10. 8. 18. et Tac. 4. Hist. 32. Absistere bello. Liv. 8. 19. Abstinere bellum ab aliquo. Id. 2. 16. jus belli ab aliquo. Tac. 4. Hist. 1. Accendere. Cic. pro lege Manil. 20. 61. Administrare bellum cum aliquo. h. e. contra aliquem. Cæs. 1. B. C. 25., Nepos Chabr. 2., Liv. 10. 24. et Vellej. 2. 61. 4. Administrare. Liv. 10. 38. Adornare. Cæs. 3. B. G. 28., Nepos Hann. 8., Ovid. 1. Art. am. 182., Curt. 4. 10. 29., Mela 1. 16. 1. Agere. Plancus apud Cic. 10. Fam. 23. 1., Liv. 31. 15. et Curt. 7. 7. 16. Alere. Cic. pro leg. Manil. 12. 35.; Nepos Alcib. 3. et Liv. 6. 21. Apparare. Cic. 4. Fam. 1. 2. et 6. Att. 5. 3. et Liv. 28. 24. Ardere bello. Cic. pro leg. Manil. 11. 30. attenuare bellum. Liv. 8. 29. Bellare bellum. Ennius apud Cic. 1. Off. 12. 38. Belligerare bellum. Cic. 7. Verr. 8. 20. et 9. Fam. 13. Commovere tumultum aut bellum. Id. 3. Phil. 1. 1., Nepos Ages. 2. et Liv. 2. 29. Comparare. Pollio apud Cic. 10. Fam. 33. 3. et Nepos Hamilc. 1. Componere. Cic. 15. Fam. 4. 6., Auct. B. G. 8. 22., Nepos Hann. 4. et Liv. 5. 5. Conciare. Cic. 6. de republ. 11. 11. et Prov. cons. 8. 19., Cæs. 1. B. G. 54., Sall. Cat. 51. et Liv. 21. 40. Conficere. h. e. finire. Cæs. 7. B. G. 67. et Virg. 4. Æn. 108. Contendere bello cum aliquo. Liv. 24. 12. in fin. Contrahere bellum alicui cum aliquo. Cf. Lucret. 2. 574. Cic. 11. Phil. 8. 18. Dare alicui bellum. h. e. belli gerendi facultatem atque imperium tradere: eodem sensu Id. ibid. Deferre bellum ad aliquem. Liv. 41. 7. Decernere bellum. Cic. Amic. 3. 11. et Nepos Alcib. 8. Delere. Cic. Senect. 6. 18., 1. Off. 11. 36. et 12. Fam. 24. Denunciare. Nepos Chabr. 2. Devincere insulam bello. Cic. 7. Fam. 3. 2., Cæs. 1. B. G. 33. et 2. B. C. 18. et Nepos Alcib. 8. Ducere. h. e. in longum trahere. Plaut. Amph. 1. 1. 35. Est bellum alicui cum aliquo. Cic. Ligar. 1. 3., Liv. 40. 58. et Vellej. 2. 104. 2. Exardescit bellum. Plin. 7. Hist. nat. 26. 27. (96). Extinguere bellum civile. Cic. 10. Fam. 25. 1. Extinguere reliquias belli. Cato apud Non. p. 64. 18. Merc., Cic. 3. Verr. 31. 79. et 3. Cat. 9. 22., Nepos Dion. 4. et Ages. 2., Liv. 1. 32. et Tac. 3. Ann. 18. Facere bellum alicui. et absolute Cæs. 3. B. G. 29., Cic. 7. Verr. 8. 18. et Arruntius apud Senec. Ep. 114. Facere bellum. Ter. Andr. 5. 4. 32. Fugere. Cic. Balb. 20. 47., Cæs. 1. B. G. 41. et Sall. Jug. 46. Gerere bellum vel bella. Liv. 5. 5. gerere molliter et per dilationes. Seneca Suasor. 5. gerere prospere. Cato apud Rufin. p. 199. gerere epistolis. Nepos Chabr. 3. gerere adversus aliquem cum aliquo. Cic. Sext. 2. 4. et 1. Divinat. 46. 103. gerere cum aliquo. Cæs. 1. B. G. 1. gerere continenter cum aliquo. Cic. 1. de republ. 16. gerere inter se summa contentione. Nepos Lys. 1. gerere in aliquem. Cic. 5. Phil. 10. 26. Gubernare. Seneca Suasor. 5. Habere. Cic. 2. leg. Agr. 6. 14. habere cum aliquo. Quintil. 12. 1. 43. Imminet bellum. Cic. 6. Att. 2. 6. Impendet bellum ab aliquo. Id. Prov. cons. 8. 19. Inchoare bellum. Id. 3. Verr. 31. 79. et 1. Off. 11. 36., et Liv. 1. 32. Indicere alicui. Cic. 9. Att. 1. 3., Nepos Reg. 1., Virg. 3. Æn. 248. Inferre alicui terrâ marique. Plaut. Truc. 5. 42. obsceno tamen sensu: Inire bellum. Cic. 11. Phil. 10. 24. Instat bellum. Id. 2. leg. Agr. 28. 77. Instruere bellum. Id. pro leg. Manil. 9. 23. Lacessere aliquem bello. Virg. 1. G. 509. et Horat. 4. Od. 1. 2. Movere bellum. Liv. 5. 52. et Tac. 2. Ann. 34. Obire bellum. Liv. 21. 8. Oboritur bellum. Cic. 9. Att. 13., Cæs. 3. B. G. 9., Nepos Hann. 2., Sall. Jug. 75., Ovid. 7. Met. 456. et Quintil. 12. 3. 5. Parare bellum. Nepos Alcib. 9. parare alicui. Liv. 3. 24. et 26. 1. Perficere. Nepos Con. 4. Persequi aliquem bello. Cæs. 5. B. G. 1. persequi civitatem bello. Virg. 3. Æn. 603. Petere aliquem bello. Cæs. 4. B. G. 1. Premere aliquem bello. Liv. 9. 37. Profligare bellum. Cic. 11. Fam. 9. Redintegrare bellum. Id. ibid. 14. Renascitur bellum. Id. 12. ibid. 8. Renovare bellum. Nepos Datam. 8. in fin. Sedare bellum. Liv. 21. 10. Serere bella ex bellis. Lucret. 1. 465. et Nepos Hann. 3. Subigere aliquem bello. Sall. Jug. 83., Liv. 1. 43. et 38. 19., et Tac. 2. Ann. 4. Sumere bellum. Liv. 42. 47. Superare aliquem bello. Cic. Sext. 27. 58. superare aliquem magna belli contentione. Id. 10. Att. 8., Sall. Jug. 23. et Liv. 9. 27. Trahere bellum. h. e. in longum trahere. — Huc referri possunt et illa, quæ poesim sapere videntur, bellum navigare, ascendere etc. Cic. pro leg. Manil. 12. 34. Quam celeriter, Pompejo duce, belli impetus navigavit. Flor. 2. 2. Regulo duce jam in Africam navigabat bellum. Id. ibid. Serpente latius bello. Id. 4. 12. Alpes et nives, quo bellum non posset ascendere. — d) In bello (cui opponitur in pace) est tempore belli, dum bellum agitur. Ter. Adelph. prol. 20. In bello, in otio, in negotio. Cic. 9. Fam. 5. 2. Magis illos, qui in bello occiderunt. Id. 13. ibid. 10. 2. Ut fit in bello. Nepos Thrasyb. 2. Nihil in bello oportere contemni. Sall. Cat. 9. et Liv. 5. 52. in bello – in pace. — Item absolute bello, h. e. tempore belli, cui opponitur domi, h. e. tempore pacis. Cic. 2. Off. 5. 16. bello, domi. Liv. 1. 34. ad fin. Notitiamque eam brevi in familiaris amicitiæ adduxerat jura, ut publicis pariter ac privatis consiliis bello domique interesset. Drakenb. mavult legere belli. Id. 9. 26. sub fin. Post res tot domi belloque gestas. — Sæpius tamen Ablat. bello absolute occurrit eodem sensu, si cum aliquo Adjectivo vel Genitivo jungatur. Porcius Licinius apud Gell. 17. 21. Pœnico bello secundo. Cic. 2. Nat. D. 2. 6. Ut apud Regillum, bello Latinorum, cum Postumius cum Octavio Manilio prælio dimicaret. Id. 1. Divinat. 44. 100. Vejenti bello, cum lacus Albanus præter modum crevisset. Id. ibid. § 99. Marsico bello. Id. 7. Verr. 47. 124. Omnibus Punicis Siciliensibusque bellis. Sall. Cat. 32. Bello Gallico. Liv. 10. 24. Romano bello. Id. 10. 28. et Val. Max. 1. 7. 3. Bello Latino. Plin. 2. Hist. nat. 57. 58. (148). Bellis Cimbricis. — Item sæpe occurrit antiqua Ablativi forma belli, quæ per syncopen facta est a belloi pro bello (V. Klotz in d. Zeitschr. f. die Alterthüm. u. Jahrg. 1835. p. 742. ad Cic. 1. Tusc. 22. 51.): sæpius vero si cum domi, cui opponitur, jungatur. Cic. 2. de republ. 32. Magnæ res temporibus illis – belli gerebantur. Id. 2. Off. 24. 85. Præterea quibuscumque rebus vel belli, vel domi poterunt, rempublicam augeant. Adde eumd. Brut. 73. 256. Sall. Jug. 43. Paucorum arbitrio belli domique agitabatur. Adde Plaut. Capt. prol. 68.; et Liv. 1. 36., 3. 19., 3. 43., 9. 34., 2. 50., 3. 63. ¶ 2. Bellum tamquam persona vel deus occurrit apud Virg. 6. Æn. 279. Cf. Ennius apud Horat. 1. Sat. 4. 60. ¶ 3. Speciatim aliquando bellum pro prælio ponitur: V. Homonym. in fine hujus vocis sub a. ¶ 4. Item de iis rebus, quibus bellum geritur. Ovid. 12. Met. 24. Permanet Aoniis Nereus violentus in undis, Bellaque non transfert. Heins. mavult legi velaque; fatetur tamen in omnibus libris bella haberi. Huc trahi potest illud Sil. It. 7. 472. Sed victæ fera bella deæ vexere per æquor etc. h. e. arma et milites. Stat. 9. Theb. 490. quid faciat bellis obsessus et undis? h. e. armis et hostibus.

II.) Translate bellum ponitur pro discordia, dissensione, inimicitia, odio, animo hostili. Cic. 2. Nat. D. 49. 125. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo. Id. 12. Fam. 22. Bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma verbis. Id. 2. leg. Agr. 6. 14. Bellum nescio quod habet susceptum tribunatus cum consulatu. Id. Sull. 9. 28. Suscipere æternum bellum cum improbis. Id. Dom. 23. 60. Inferre bellum parietibus, tectis, columnis ac postibus alicujus. Cic. Dejot. 11. 30. Indicere bellum propinquo, omnibus familiis. Id. 2. Orat. 37. 155. philosophiæ. Horat. 1. Sat. 5. 7. ventri. Liv. 3. 25. Falsum testem justo ac pio bello persequebatur.

Homonym. Bellum differt a) a prælio et b) a tumultu.

a) Differt a prælio, quod bellum significat totum illud tempus, quo homines sunt in armis, etiamsi cessetur a conflictu: prælium vero est, cum acies utrimque congrediuntur; itaque prælium belli pars est. Lucilius apud Non. p. 437. 15. Merc. Ut populus Rom. victus vi et superatus prœliis sæpe est multis, bello vero numquam, in quo sunt omnia. Cic. 2. Nat. D. 28. 70. Nec vero dii bellis præliisque caruerunt. Id. Orat. 9. 30. Thucydides et bella narrat et prælia. Liv. 30. 35. in fin. Hannibal fassus in curia est, non prælio modo se, sed bello victum. Adde eumd. 9. 18.; Virg. 11. Æn. 541.; et Tac. 12. Ann. 39. et Germ. 30. — Aliquando tamen bellum pro prælio, seu pro dissensione et contentione, non inter populos, sed inter singulos homines ponitur. Varro 7. L. L. 58. Müll. Rorarii dicti ab rore, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat quam pluit. Cf. Frontin. 1. 11. 2. Liv. 22. 51. Hannibali victori cum – suaderent, ut tanto perfunctus bello – quietem et ipse sumeret et fessis daret militibus. Virg. 2. Æn. 439. Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam Bella forent etc. Justin. 2. 12. Artemisia inter primos duces bellum acerrime ciebat. Adde Horat. 1. Sat. 7. 16.; Ovid. Heroid. 1. 60.; Lucan. 4. 43.; Stat. 3. Theb. 606.; Flor. 3. 5. 11.; et Justin. 18. 1. in fin. et 24. 8. Huc referri potest et illud Liv., ubi, uti Forcellinus ait, bellum est pro oppugnatione, 21. 8. Itaque acrius de integro obortum est bellum. V. integr. locum. Illud tamen non est prætereundum, in his omnibus locis bellum non proprie prælium vel pugnam, sed aliquid aliud significare, ut recte adnotarunt Drakenborg. ad Liv. 3. 61. et Dietsch. ad Sall. Cat. 9. — Aliquando vicissim prælium pro bello ponitur. Liv. 31. 2. Consultatio de Macedonico bello integra ad consules, qui in prælio cum Bojis erant, rejecta est. Petron. Satyr. 89. Decenne prælium. h. e. bellum Trojanum. Adde Justin. 3. 6. In his vero prælium latiori quidem significatione, sed tamen propria usurpatur.

b) Bellum differt et a tumultu eadem ratione, qua generale differt a particulari, solitum ab insolito; hæc enim ait Cic. 8. Phil. 1. 2. Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant, tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest enim esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor (al. tumor) oriatur, unde etiam nomen ductum est tumultus? Itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum (tumultum) nominabant. Gravius autem esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent. Hæc Cic., qui 5. Phil. 12. 31. Rem, inquit, administrandam arbitror sine ulla mora et confestim gerendam (censeo); tumultum decerni, justitium edici, saga sumi dico oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in Urbe et in Italia. Hisce verbis Cicero omnia tumultus signa expressit, quibus apparet, omnia in tumultu præpropere administrari publice privatimque solita, cum bellum urgens et quasi mœnibus imminens solemnes actus non admitteret.

BELLUOSUS vel beluosus, a, um, adject. belluis abundans. Horat. 4. Od. 14. 47. belluosus qui remotis Obstrepit Oceanus Britannis. Adde Avien. Ora marit. 204.

BELLUS, a, um, adject. — Comp. Bellior 2.; Sup. Bellissimus 1. et 2. deminutive factum a bonus (quod pro benus, unde bene et benignus, V. Voss. in Etymol.), ut docet Priscian. 1. p. 556. et 3. sub fin. Putsch., quocum confer Plaut. Capt. 5. 2. 3. et Martial. 1. 10. — Itaque bella dicitur res vel persona quæ in conditione tam bona versatur, ut externâ suâ specie grata sit, placeat animumque delectet; ac propterea bellus generatim est aptus, commodus, appositus, congruens, idoneus (It. bello, atto, confacevole, proprio, comodo; Fr. gentil, joli, charmant, convenable; Hisp. hermoso, bello, agradable, convenible; Germ. ganz schön, ganz köstlich, allerliebst, ganz nett oder gefällig; Angl. pretty, charming, handsome, nice, spruce, trim). ¶ 1. Generatim ponitur de rebus, quæ externâ specie oculis gratæ sunt ac pulcherrimæ animumque delectant, ut patet ex Varron. 8. L. L. 31. p. 177. Müll. Quodvis si

tienti poculum homini idoneum, humanitati nisi bellum, parum. — *a*) Generatim. *Id. ibid.* Non solum vasa ad victum habilia, tia, sed etiam figurâ bella. *h. e.* affabre facta. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 73. Nimis hic bellus atque ut esse maxime optabam locus. *Varro* apud *Non.* p. 248. 19. *Merc.* Socius es hostibus, socius bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas. *h. e.* quidquid est boni et pulchri. *Lucilius* apud *Non.* p. 248. 9. *Merc.* Ætatem istuc tibi laturam, et bellum, si hoc bellum putas. *Catull.* 3. 14. Malæ tenebræ Orci, omnia bella devoratis. *Cic.* 5. *Att.* 17. 3. Dum in æstivis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus. *Id.* 13. *ibid.* 20. 2. Theatrum quidem sane bellum habuisti. *h. e.* locum et occasionem commodam. *Id.* 2. *de republ.* 40. 67. Est tibi ex eis ipsis, qui adsunt, bella copia. *Id.* 4. *Att.* 16. 10. Recordor enim quam bella paulisper nobis gubernantibus civitas fuerit. *h. e.* quam tranquillus et jucundus reipublicæ status. *Id.* 10. *ibid.* 44. 2. Hæc potius conquire de Hispaniis, de Massilia: quæ quidem satis bella Servius affert. *Id.* 15. *ibid.* 11. 4. Bella est hujus juris quinquennii licentia. *h. e.* mihi admodum placet et commoda est. *Id.* 1. *Orat.* 60. 255. Subsidium bellissimum existimo esse senectuti otium. *Id.* 4. *Att.* 6. 4. Epistola valde bella. *h. e.* quæ scite scripta est et apposite ad impetrandum. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 114. deprensi non bella est fama Treboni. *h. e.* nec bona, nec commoda. *Martial.* 2. 7. Historias bellas, carmina bella facis. *h. e.* carmina in speciem elegantia et ingeniosa. *Petron. Satyr.* 25. Occasio bellissima. — *b*) Speciatim *belli cibi* dicuntur, qui suaves et delicati sunt: ex qua notione *bellariorum* nomen ortum est. *Ter. Adelph.* 4. 2. 51. Ego jam – unum quidquid, quod quidem erit bellissimum, carpam. *Colum.* 12. *R. R.* 19. 2. Vinum bellissimum. — *c*) Item speciatim *bellum est* cum Infinito occurrit pro commodum est, utile, jucundum est. *Cic.* 9. *Fam.* 2. 3. Mihi jampridem venit in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea, quæ agebantur hic quæque dicebantur, nec viderem, nec audirem. *Id.* 1. *Orat.* 58. 247. Etiam sine cognitione juris, quam sit bellum cavere malum, scire possumus. *Id.* 13. *Att.* 49. *in fin.* Est bellum aliquem libenter odisse. Adde *Cod.* 6. 35. 11. ¶ 2. Speciatim ponitur de personis, quæ externa specie, externisque actibus ac moribus placent; ideoque *bella puella* est quæ corporis pulcritudine micat; et *bellus homo* dicitur, qui lepidus est, facetus, festivus, urbanus, blandus, suavis. Hinc speciatim — *a*) Refertur ad pulcritudinem corporis. *Plaut. Asin.* 3. 3. 84. Nimis bella es atque amabilis. *Id. ibid.* v. 86. I sane bella belle. *Id. Rud.* 2. 5. 6. Accipe aquam, mea tu bella. *Cic.* 6. *Att.* 4. 3. Piliæ et puellæ Cæciliæ bellissimæ salutem dices. *Catull.* 8. 16. Quis nunc te adibit? cui videberis bella? *Id.* 69. 8. et 78. 4.; *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 6. et *Martial.* 1. 65. bella puella. *Id. Martial.* 2. 87. Dicis amore tui bellas ardere puellas. *Et Catull.* 78. 4. Bellus puer. *Varro* apud *Non.* p. 248. 17. *Merc.* Quid enim est, quod homo masculus lubentius videre debeat, quam bellam uxorem? — *b*) *Bellus* quoque est qui bene se habet, et sano corpore ac mente hilari est. *Cic.* 16. *Fam.* 18. 1. Fac bellus revertare. Adde *Plaut. Curc.* 1. 1. 20. Hinc *belle habere*, hoc est valere. *V.* BELLE. — *c*) Sæpius refertur ad mores, et est lepidus, urbanus, elegans. *Plaut. Capt.* 5. 2. 3. Fui ego bellus, lepidus; bonus vir numquam, neque frugis bonæ. Cf. eumd. *Curc.* 1. 1. 20. Bellissimum hercle vidi et taciturnissimum (*ostium*). *Id. Bacch.* 2. 3. 111. Hospes bellus. *Cic.* 14. *Fam.* 7. 3. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. *Id.* 2. *Fin.* 31. 102. Hæc non possum dicere, non esse hominis et belli et humani; sapientis vero nullo modo. *Id.* 7. *Fam.* 16. 2. Homo bellus. *h. e.* Franc. *galant homme. Id.* 1. *Att.* 1. 4. Durius accipere hoc mihi visus est, quam homines belli solent. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 248. 10. *Merc.*; *Catull.* 24. 7. et *Martial.* 3. 63. *Catull.* 22. 9. Hæc cum legas tu, bellus ille et urbanus Suffenus unus caprimulgus aut fossor rursus videtur. *Varro* apud *Non.* p. 176. 20. *Merc.* Omnes videmur nobis esse belli, festivi, saperdæ cum simus σαπροί. *Id. ibid. p.* 77. 30. Venio nunc ad alterum genus testamenti, quod dicitur [illegible], in quo Græci belliores, quam Romani nostri. *h. e.* meliores, ut ipse *Non.* exponit, sive rectius elegantiores, urbaniores. Jocus est in illo *Martial.* 1. 10. Bellus homo et magnus vis idem Cotta videri: Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est. *bellus* enim cum sit deminutivum a *bonus*, ut dictum est, deminutiva autem de rebus parvis dicantur, non potest idem et bellus et magnus esse. — *d*) Interdum *bellus* dicitur, qui amoribus deditus est. *Plaut. Merc.* 4. 5. 10. Tuus pater bellissimus amicam adduxit intro in ædes. *Id. ibid.* 4. 1. 22. Illam esse amicam tui viri bellissimi. Adde *Catull.* 78. 3.

BELLŪTUS *vel* belutus, bestiæ similis. *Paul. Diac.* p. 34. 13. *Müll.* Suspicatur *Voss.* in *Etymol.* legendum esse *belluatus*. At potius idem est ac vellutus, qui nempe ob pilorum densitatem ac prolixitatem bellum similis est. *V.* VELLUTUS.

BELLŬUS *vel* beluus, a, um, adject. belluinus. Legitur tum in *Gloss. Isid.*, tum apud *Augustin. Gramm. c. de particip. p.* 2012. *Putsch.*, cujus hæc sunt verba: Nam ubi geminata *u* littera nominativus est, nomen est, non participium, ut *fatuus*, *ingenuus*, *arduus*, *carduus*, *exiguus*, *belluus*, ut Cicero dixit.

BĒLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. idem quod balo. *V.* locum *Varronis* in v. BALO.

BELŎĂCOS vel bĕlŏtŏcos, herba, alias dictamnus. *Apul. Herb.* 62.

BĒLŌNE. *V.* BELLONE.

BĒLUA cum derivatis. *V.* BELLUA.

BĒLUS, i. *V.* ONOM. — Est gemma *Beli oculus* dicta, quam vulgo *felis oculum* appellant, albicanti colore pupillam cingens nigram, et e medio aureo fulgore lucentem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (149).

BĔNE, adverb. Comp. *Mĕlius* et Sup. *Optĭmē* sub *A* in omnibus ferme paragr. — *Bene* est ab antiquo et obsoleto *benus*, quo pro *bonus* usos fuisse veteres, tradunt etymologi (*V.* BELLUS sub init.); quemadmodum et *hemo* pro *homo* et *Apello* pro *Apollo* dixere. Latissime autem patet ejus vis et significatio; dicitur enim de omnibus iis rebus, quæ aliquo modo bona sunt: itaque *bene* est recte, probe, apte, commode, convenienter, ad rem, decenter; eique recta opponitur *male*, ut apud *Varron.* 1. *R. R.* 6. 1. (It. *bene*, *convenientemente*, *attamente*; Fr. *bien*, *juste*, *à propos*, *convenablement*; Hisp. *bien*, *à proposito*, *convenïblemente*; Germ. *wohl*, *gute*, *tüchtig*, *gehörig*, *ordentlich*; Angl. *well*, *aptly*, *conveniently*). Jungitur autem *A*) Verbis, et aliquando *B*) Adjectivis vel Adverbiis.

A) Jungitur Verbis. ¶ 1. Generatim. — *a*) *Cato R. R.* 157. Brassicam macerato bene, postea in aulam conjicito, defervefacito bene. Ubi cocta erit bene, aquam defundito: eo addito oleum bene et – pollinem polentæ. Postea fervo bene facito. Adde eumd. *ibid.* 1. et 3. *Id. ibid.* 1. De domino bono colono bonoque ædificatore melius emetur. *Id. ibid.* 7. Eæ (*oleæ*) optime conduntur, vel virides in muria vel in lentisco contusæ. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 42. 168. At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, Corde suo trepidat. *Id.* apud *Festum* p. 352. 18. *Müll.* Topper quam nemo melius scit. *Plaut. Capt.* 4. 2. 120. HEG. Cura quam optime potes. ERG. Bene ambula et redambula. *Ter. Eun.* 5. 2. 43. Ita me di bene ament! *Id. Heaut.* 3. 1. 95. Aliena ut melius videant et dijudicent, quam sua. *Id. Phorm.* 1. 3. 1. Qui mi consultum optime velit esse. *Cic.* 3. *Off.* 13. 56. Villa bona beneque ædificata. *Id.* 4. *Fam.* 13. 7. Sed hæc tu melius vel optime omnium. *Cæs.* 1. *B. G.* 45. Neque suam – consuetudinem pati, uti optime merentes socios desereret. *Nepos Att.* 13. Neque tamen non in primis bene habitavit. *Sall. Cat.* 3. Pulcrum est bene facere reipublicæ, etiam bene dicere haud absurdum est. — *b*) Hinc adverbium *bene* aliis pluribus jungitur Verbis, quorum præcipua servato litterarum ordine exhibemus; ejusdemque adverbii significatio ex ipsa Verborum conjunctione facilius clariusque innotescit. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 18. Bene accidit aliquid. *Cato R. R.* 3. Bene ædificatam habere villam rusticam. Cf. *Cic.* 3. *Off.* 13. 56. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 24. Optime affectum animal. *Id. Senect.* 3. 9. et *Seneca Ep.* 77. *ad fin.* Bene acta vita. *Varro* apud *Non.* p. 201. 7. Bene animatum esse. *Cic.* 6. *Fam.* 6. melius. *Cato R. R.* 130. Bene ardebunt (*ligna*). *Ter. Andr.* 1. 1. 141. Bene assimulare aliquid. *Id. Heaut.* 4. 5. 50. augere rem. *Virg.* 9. *Ecl.* 67. et *Quintil.* 10. 1. 91. Melius canere. *Ter. Andr.* 1. 1. 105. Bene celare aliquid. *Lucilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24., *Catull.* 13. 1. et *Horat.* 1. *Ep.* 6. 56. cœnare. *Cic.* 9. *Att.* 19. cognitum esse. *Id.* 13. *Fam.* 28. *in fin.* et 2. *Off.* 20. 70. collocare beneficium. *Varro* 1. *R. R.* 1. 2. et *Cic. Senect.* 16. 57. colere agrum, fundum. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 12. comitatum esse. *Lucilius* apud *Cic.* 13. *Att.* 52. 1. coquere, condire aliquid. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 31. curare ætatem suam. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 15. cutem. *Quintil.* 12. 8. 4. discere causam. *Ter. Andr.* 1. 1. 105. dissimulare aliquid. *Cato R. R.* 141. et *Cic.* 5. *Fam.* 6. 2. evenit aliquid. *Cic.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. 3. ferre ætatem. *Horat.* 3. *Od.* 27. 74. ferre magnam fortunam. *Cic. Rosc. com.* 11. 32. et *Quint.* 10. 62. gerere negotium suum. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 42. 168., *Ter. Adelph.* 5. 4. 12. et *Virg.* 9. *Æn.* 157. gerere rem. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 2. et *Mil. glor.* 3. 1. 127. Habet bene aliquis. *Id. Epid.* 5. 2. 31., *Ter. Phorm* 2. 2. 83., *Cic. Mur.* 6. 14. et *Liv.* 6. 35. Habet bene aliquid. *Cic.* 11. *Att.* 7. 4. Melius se habere. *Id.* 4. *Fin.* 14. 38. optime. *Id.* 14. *Att.* 15. Incipit res melius ire. *Plaut. Most.* 4. 3. 42. et *Pers.* 5. 1. 4. Bene juvare aliquem. *Liv.* 6. 23. Dis bene juvantibus. *Plaut. Truc.* 2. 1. 16. Bene loqui lingua. *Ovid.* 8. *Met.* 525. Melius lugere. *Cic.* 1. *Off.* 41. 149., *Planc.* 33. 80. et *Brut.* 72. 253. Bene mereri de aliqua re. *Virg.* 4. *Æn.* 317. de aliquo. Absolute *Seneca* 1. *Benef.* 1. 9. Bene mereri. *Liv.* 9. 3. Bene mori. *Lucret.* 2. 7. munire aliquid. *Cic. Rosc. Am.* 20. 57. et 2. *Acad.* (*pr.*) 6. 16., *Horat.* 1. *Sat.* 9. 22. et *Quintil.* 12. 9. 19. Bene nosse aliquem vel aliquid. *Virg.* 6. *Æn.* 849. Melius orare causas. *Ter. Phorm.* 5. 3. 5. Bene parere aliquid. *Cato* apud *Cic.* 2. *Off.* 25. 89. Bene pascere. *Ter. Adelph.* 3. 4. 70. Bene præcipere aliquid. *Id. ibid.* 5. 6. 9. Bene procedit aliquid. *Id. ibid.* 2. 1. 47. promerere. *Id. Heaut.* 4. 1. 25. Bene prospicere aliquid. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 47. Melius scribere. *Quintil.* 10. 3. 3. Optime scribi ceris. *Cic.* 1. *Off.* 41. 149. Bene sentire de aliqua re. *Ter. Adelph.* 5. 4. 1. Bene subducere rationem. *Id. ibid.* 2. 4. 23. Bene succedit aliquid. *Plaut. Trin.* 1. 2. 14. et *Pœn.* 5. 6. 21., et *Cic.* 15. *Att.* 1. Bene valere. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 33. melius. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 43. optime. *Plaut. Pseud.* 4. 3. 7. et *Ter. Heaut.* 5. 2. 6. Bene velle alicui. *Id. Eun. prol.* 7. Bene vertere comœdias. *Cic. Fat.* 15. Viator bene vestitus. *Nepos Cim.* 4. Minus bene vestitus. *Id. Hann.* 4. Non bene uti oculo. — *c*) Jungitur eleganter cum aliis Adverbiis, quæ similem habent significationem. *Ennius* apud *Non.* p. 112. 2. *Merc.* Vobis – res fortunatim, feliciter ac bene vortant. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 106. Eveniet bene ac feliciter. *Id. Amph.* 1. 1. 193. Bene pudiceque asservare linguam. *Id. Pseud.* 1. 5. 106. Bene atque amice dicere. *Id. Most.* 3. 2. 129. Bene benigneque facere. *Id. Cas.* 5. 1. 1. Bene et commode accipere aliquem. *Ter. Eun.* 5. 9. 53. Accipit homo nemo melius prorsus neque prolixius. *Id. Andr.* 1. 5. 39. Bene et pudice doctum atque eductum ingenium. *Cic.* 5. *Phil.* 15. 40. Respublica et bene et feliciter gesta. Adde *Liv.* 28. 9. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Bene planeque percipere. *Sall. Cat.* 55. Bene et composite disserere. *Plin. initio Paneg.* Bene ac sapienter majores instituerunt. ¶ 2. Speciatim *Bene* jungitur etiam aliis Verbis, quæ singulis paragraphis, servato tamen litterarum ordine, exhibentur, unde peculiares quædam dicendi rationes animadversione digne. — *Bene agere cum aliquo*, *bene agitur inter aliquos* vel *cum aliquo* etc. est — *a*) Agere ex jure et æquitate. *Cic. Quinct.* 25. 79. Bene agis. — *b*) Item est negotia pertractare. *Vetus formula* apud *Cic.* 3. *Off.* 17. 70. VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAVDATIONE. *V.* AGO III. 2.° *C.* 3. — *c*) Item generatim tractare aliquem. *Val. Max.* 5. 3. *ext.* 3. Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si etc. *Cic.* 5. *Fam.* 18. Ut optime cum eo actum videatur, si etc. *V.* AGO III. 2.° *C.* 3. *e.* ¶ 3. *Bene audire* est bonam famam habere. *Ter. Phorm. prol.* 21. Benedictis si certasset audisset bene. *Cic.* 1. *Legg.* 19. 50. Ut bene audiant et rumorem bonum colligant. *V.* plura in AUDIO sub *A.* 4. ¶ 4. *Bene credere* dicitur qui credendo non decipitur. *Liv.* 1. 50. Quod si sui bene crediderint cives –, credere et Latinos debere. Adde *Dig.* 17. 1. 12. § 13. et 22. 3. 25. § 1. ¶ 5. *Bene dicere* significat — *a*) Recte dicere atque affirmare. *Plaut. Curc.* 4. 2. 27. Indignis si male dicitur, male dictum id esse dico; verum si dignis dicitur, bene dictum est meo quidem animo. *Ter. Adelph.* 5. 8. 30. Quod tu, Micio, bene et sapienter dixti dudum. *Id. ibid.* 3. 2. 52. Quid istuc? accedo, ut melius dicas. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 4. Qui quid sit pulcrum – Planius

ac melius Chrysippo et Crantore dicit. Et omisso verbo per ellipsin *Nepos Thrasyb.* 4. Bene ergo Pittacus ille – cum Mitylenæi multa millia jugerum ei agri munera darent, Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare etc. Cf. *Quintil.* 10. 1. 56., 3. 8. 25. et 9. 2. 91. — *b)* Item significat ornate dicere, quod oratoris est præcipue. *Cic.* 1. *Orat.* 6. 21. Professio bene dicendi. Adde 2. *ibid.* 2. 5. *Id.* 1. *ibid.* 26. 119. Qui optime dicunt. *Quintil.* 10. 1. 19. Optime dicta. — *c)* Item *bene dicere* absolute in formulis *bene dice* (h. e. benedic) et *bene dicite*, haud aliter atque Græca εὐφήμει et εὐφημεῖτε, est bona verba dicere et boni ominis; quod et *Bona verba quæso* dicebant. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 37. Bono animo es et bene dice. *Id. Cas.* 2. 5. 37. Quid si sors aliter, quam voles, evenerit? st. Bene dice! dis sum fretus, deos sperabimus. *Id. Asin.* 3. 3. 135. Heja, bene dicite: ite intro cito, valete. — *d)* *Benedico* est etiam bene de aliquo loquor, laudo: *V.* BENEDICO loco suo. ¶ 6. *Bene emere* aut *vendere* est ita emere aut vendere, ut magnum inde emolumentum capiamus, Fr. *à bon marché*. *Plaut. Pers.* 4. 4. 38. sa. Vin' bene emere? do. Vin' tu pulcre vendere? Cf. *Cic.* 1. *Att.* 13. 6. et 12. *ibid.* 23. 3. et apud *Sueton. Cæs.* 50. *Plaut. Curc.* 4. 2. 34. Quid stulta ploras? ne time, bene hercle vendidi ego te. *Cic.* 3. *Off.* 12. 51. Velle quam optime vendere. *V.* MALE et PULCRE. ¶ 7. *Bene esse.* — *a)* *Bene est* interdum significat bonum est, bene se res habet. *Plaut. Bacch.* 3. 4. 3. Illum exoptavit potius, habeat: optime est. Adde *eumd. ibid.* 4. 6. 13., *Cas.* 5. 2. 44. et *Trin.* 1. 2. 14.; et *Cic.* 14. *Fam.* 55. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 4. auctius atque Di melius fecere: bene est; nihil amplius oro. — *b)* *Bene est*, *melius est*, *optime est*, est formula, quâ externa alicujus conditio felix esse significatur. Hinc *Cic. sæpe in principiis epistolar.* Si vales, bene est, ego valeo. *Pacuvius* apud *Cic.* 5. *Tusc.* 37. 108. Patria est est ubicumque est bene. — Absolute. *Plaut. Truc.* 1. 2. 87. Immo edepol melius jam credo fore, ubi te videbit. *Afranius* apud *Priscian.* p. 804. *Putsch.* Cum salvos venis meliusque est, gratulor dis. *Ter. Adelph.* 5. 5. 3. dem. Quid fit? quid agitur? syr. Recte. dem. Optime est. — Cum Dativo personæ, quæ in felici conditione versatur. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 32. 79 Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest. *Plaut. Curc.* 4. 2. 31. Quæso ut hanc cures, bene ut isti sit. *Id. Pseud.* 4. 7. 36. Qui neque tibi bene esse patere, et illis, quibus est, invides. Adde *eumd. Men.* 4. 2. 30. *Id. Most.* 3. 2. 21. Melius hoc anno mihi non fuit domi. *Ter. Adelph.* 1. 1. 9. Tibi bene esse soli, sibi cum sit male. Adde *eumd. Phorm.* 1. 2. 101. *Id. Andr.* 2. 5. 15. Verum illud verbum est, omnes sibi melius malle esse, quam alteri. *Afranius* apud *Charis.* p. 185. *Putsch.* Nemini nimium bene est. *Cic. Parad.* 2. § 19. Ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse non potest. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 88. jurat, bene solis esse maritis. Adde *eumd.* 3. *Od.* 16. 44. et *Catull.* 23. 15. — Raro admodum cum Dativo rei, quæ in melius procedit. *Plaut. Cist.* 1. 1. 75. Bono animo es: erit isti morbo melius. — Eodem sensu occurrit *Fit alicui melius*, ut apud *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 86. Factum est melius. h. e. convaluit, nunc a morbo bene se habet. — Cum Dat. personæ et Ablat. rei, cujus causa alicui bene est; quam dicendi rationem *Forcellinus* accepit pro abundare. *Plaut. Cas.* 2. 3. 37. Ubi illi bene sit ligno, aquâ calidâ, cibo, vestimentis etc. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 120. bene erat, non piscibus urbe petitis, Sed pullo atque hædo. — *c)* *Bene sum* personaliter est idem ac bene vivo. *Plaut. Men.* 3. 2. 20. Minore nusquam bene fui dispendio. *Id. Truc.* 4. 2. 28. De eo nunc bene sumus tuâ virtute. ¶ 8. Ex locutione *bene esse* factum est, ut, omisso verbo per ellipsin *bene* vel *optime* usurparetur — *a)* Eodem omnino significatione, qua *bene* vel *optime est*. *Cic.* 2. *Legg.* 11. 28. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 9. 2. Si perficiant, optime. — *b)* Speciatim in plausibus et acclamationibus. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 101. Quare *bene* et *præclare* quamvis nobis sæpe dicatur, *belle* et *festive* nimium sæpe nolo. *V.* BELLE sub *f.* Eodem sensu, sed εἰρωνικῶς *Ter. Andr.* 5. 2. 7. — *c)* Item in precationibus et ominibus, quæ a bibentibus fieri solent, cum Dat. aut cum Accus. — Cum Dat. *Plaut. Pers.* 5. 1. 20. Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ. Adde *Ovid.* 1. *Art. am.* 601. — Cum Accus. perinde ac si *bene te esse* aut *valere jubeo* diceretur. *Plaut. Stich.* 5. 4. 27. Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostrum etiam Stephanium! Adde *Tibull.* 2. 1. 31. *Ovid.* 2. *Fast.* 636. Parca precaturæ sumite vina manus, Et bene nos, patriæ, bene te, pater, optime Cæsar, Dicite: suffuso sint rata verba mero. ¶ 9. *Bene facere* — *a)* Est aliquid recte ac probe facere, et occurrit modo cum Accus., modo absolute. — Cum Accus. *Afranius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Quodque me non melius posse facere credidi. *Cic.* 2. *Orat.* 20. 86. Alterum, vel non facere, quod non optime possis, vel facere, quod non pessime facias, humanitatis. *Quintil.* 1. 12. 9. Qui in sua quidque arte optime faciant. — Sæpius absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 201. Bene facit: quia nos eramus peregre, tutatust domi. *Ter. Andr.* 1. 1. 78. O factum bene! Adde *eumd. ibid.* 5. 6. 11. *Id. Hecyr.* 3. 5. 6. Bene factum, te advenisse, Pamphile. *Cic.* 1. *Att.* 24. 1. Bene fecit Silius, qui transegerit. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 6. 3. — *b)* *Bene facis* vel *fecisti*, *facitis* vel *fecistis*, *factum est* etc. sunt approbantis, laudantis et gratias agentis. *Plaut. Most.* 3. 2. 129. Bene benigneque arbitror te facere. *Ter. Eun.* 5. 9. 61. Bene fecisti: gratiam habeo maximam. *Id. ibid.* 1. 2. 106. Merito te amo. ph. Bene facis. Ubi *Donatus*: in consuetudinem venit, *bene facis* et *bene fecisti* non judicantis esse, sed gratias agentis. Adde *Ter. Adelph.* 2. 8. 22.; *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 7. 25. et 3. *Fin.* 4. 16.; et *Liv.* 6. 18. — *c)* *Bene facere* dicuntur etiam medicamenta, quæ prosunt et sanant. *Cato R. R.* 157. Id bene faciet et mali nihil sinet in corpore consistere, et alvum bonam faciet. *Scribon. Compos.* 1. Ad capitis dolorem bene facit serpyllum. Adde *ibid.* 5., 9., 13., 41., 42. etc., ubi etiam *benefacit* junctis vocibus scriptum legitur. — *d)* *Bene facere alicui, aliquid alicui*, vel etiam absolute *bene facere* *V.* in BENEFACIO loco suo. ¶ 10. *Bene habere.* — *a)* *Bene* aut *male habere aliquem* est tractare. *Plaut. Men.* 5. 2. 50. et 4. 1. 11. *V.* HABEO. — *b)* *Bene habere* absolute dicitur qui bene vivit, bene se tractat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 120. Huic homini dignum est divitias esse, qui et rem servat, et qui bene habet, suisque amicis vult bene. *Id. Aulul.* 2. 8. 2. Ut bene haberem filiæ nuptiis. — *c)* Item *Bene habemus* est bene nobiscum agitur, res nobis bene procedunt. *Cic.* 2. *Att.* 8. Bene habemus: nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. *et est hoc loco ironia.* — *d)* Hinc illud *Ter. Phorm.* 2. 3. 82. Bene habent tibi principia. *h. e.* succedunt. — *e)* Hinc *bene* vel *optime habet* sæpe occurrunt pro bene vel optime est. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 24. Ornatus hic satis me condecet? pseud. Optime habet. *Cic. Mur.* 6. 14. Bene habet: jacta sunt fundamenta defensionis. *Liv.* 8. 6. Bene habet: di pium movete bellum. *Juvenal.* 10. 72. bene habet: nil plus interrogo. *Stat.* 11. *Theb.* 557. bene habet: non irrita vovi. ¶ 11. *Bene vertere aliquid* vel absolute *bene vertere* est formula deprecantis, ut res bene succedat. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 58. Quæ res tibi et gnatæ tuæ bene feliciterque vortat. *Ter. Eun.* 2. 3. 97. Di vortant bene! *Liv.* 34. 34. Bene vertat, inquit, obsideamus Lacedæmonem. *Virg.* 9. *Ecl.* 6. quod nec bene vertat. ¶ 12. *Bene vivere* est feliciter vivere. *Ter. Hec.* 3. 5. 11. Vixit, dum vixit bene. *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 12. Potes igitur – quem bene fateare, eum negare beate vivere? *Horat.* 2. *Od.* 16. 13. Vivitur parvo bene. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 6. 25. et *V.* BEATE. ¶ 13. Interdum *bene* ita jungitur nonnullis Verbis, ut actio aut qualitas, verbis iisdem significata, bona rectaque affirmetur. *Ter. Andr.* 2. 3. 36. Bene mones. *h. e.* jure mones, admonitio tua justa est. *Id. Eun.* 5. 3. 7. et *Cic.* 13. *Att.* 33. 2. Bene narras. *h. e.* bonum est quod narras. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 20. Bene nuncias. *h. e.* quæ nuncias, bona sunt. *Id. Eun.* 4. 7. 43. Bene putas. *h. e.* opinio tua recta est. *Plaut. Men.* 2. 3. 30. Bene vocas. *h. e.* quod me incitas, bonum est. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 147. Bene promittis. *h. e.* large, liberaliter. Cf. *Cic.* 2. *Divinat.* 17. 38. Quæ autem inconstantia deorum, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? *h. e.* prospere. *Sall. Cat.* 42. Ceteros adeant, bene polliceantur. *Cic. Dejot.* 14. 38. Jubes enim bene sperare et bono esse animo. *h. e.* bonam spem animo concipere, multa sperare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (31). De nostris moribus bene sperare est. *Ovid. Heroid.* 2. 61. melius sperare. ¶ 14. Cum sermo est de rerum mensura, bene idem est atque abundanter, quantum satis est. *Plaut. Men.* 1. 2. 12. Lanam, aurum, vestem bene præbere. *h. e.* large, abundanter. *Cato R. R.* 157. Oleum bene addere. Huc pertinet et illud *Ovid.* 12. *Met.* 616. parvam quod non bene compleat urnam. *h. e.* non omnino, non plene. Et illud *ejusd.* 5. *Fast.* 277. Vix bene desieram. *h. e.* vix omnia omnino verba protuleram. Adde *eumd.* 2. *Met.* 47. et 3. *ibid.* 14. ¶ 15. Si adverbium *bene* ac præcipue ejusdem Superl. *optime*, jungitur Verbis *adesse*, *advenire*, *offerre se alicui*, *videre aliquem*, idem est atque opportune, ad rem. *Ter. Eun.* 5. 2. 66. Adest optime ipse frater. Adde *eumd. Andr.* 4. 2. 3. et 2. 1. 35. *Id. Hecyr.* 2. 2. 4. Davum optime video.

B) Adverbium *bene* jungitur etiam Adjectivis atque aliis Adverbiis, ut quæ per Adjectiva ipsa et Adverbia significantur, in bonam partem accipiantur; ex. gr. *bene sanus*: hinc bene est valde. — *a)* Cum Adjectivis. *Cato R. R.* 3. Si oletum bonum beneque frequens cultumque erit. *Ennius* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 3. *Od.* 21. 50. Accipe daque fidem fœdusque feri bene firmum. *Plaut. Capt.* 5. 2. 13. Bene morigerus fuit puer. *Id.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 77. *Müll.* Inde hic bene potus primo crepusculo. Adde *Cic.* 7. *Fam.* 22. *Cic.* 5. *ibid.* 12. Qui semel fines verecundiæ transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. *Id.* 2. *Orat.* 88. 361. Sermo bene – longus. *Id. Divinat. in Verr.* 15. 48. In clamando bene robustus atque exercitatus. *Id.* 2. *Fin.* 29. 94. Dolor bene longinquus. *Id.* 14. *Att.* 7. Litteræ bene longæ. *Id. Brut.* 21. 81. Antiquitatis bene peritus. *Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. 4. Inermes bene multi. *Auct. B. Hisp.* 4. Bene magna multitudo. *Id.* 13. Bene magna pars muri. *Id.* 12. Bene magnum tempus. *Et ibid.* Bene multa vulnera. *Liv.* 28. 44. Bene tutus a perfidia. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 44. Paucorum hominum et mentis bene sanæ. *Id.* 1. *Ep.* 6. 25. Bene notus. *Id. ibid.* v. 38. Bene nummatus. — In hujusmodi formulis adverbium *bene* tam arcte cum Adjectivo cohæret, ut neque ipsis præpositionibus inde disjungatur. *Cic. Mur.* 33. 69. Cum bene magna caterva. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 61. pro bene sano. — Interdum tamen apud Poetas adverbium *bene* post adjectivum occurrit. *Lucret.* 5. 706. pleno bene lumine. — Denique aliquando inter adverbium *bene* et adjectivum *aliquid* interseritur, quod in causa est, cur ipsius adverbii vis minuatur. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 82. Cum tonuit lævum bene tempestate serenâ. *Cic.* 6. *Phil.* 7. 18. Itaque senatum bene suâ sponte firmum firmiorem vestrâ auctoritate fecistis. *Id.* 2. *Tusc.* 19. 44. Bene plane magnus mihi quidem videtur (*dolor*), sed tamen non summus. *ubi τὸ plane adverbio bene* vim addit. *Horat.* 2. *Od.* 12. 15. et bene mutuis fidum pectus amoribus. — *b)* Cum Adverbiis. *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Qui cum bene sæpe libenter mensam sermonesque suos rerumque suarum comiter impertit. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 169. Bene penitus. *Id.* 2. *Orat.* 64. 259. Bene ante lucem. *Id.* 4. *Att.* 9. 2., 10. *ibid.* 16. 1. et 14. *ibid.* 18. 1. Bene mane. *Auct. B. Hisp.* 25. Bene longe.

BĔNĔDĪCĔ, adverb. bonis et lenibus verbis. *Plaut. Asin.* 1. 3. 54. Cum illiciebas me ad te blande ac benedice.

BĔNĔDĪCO et *rectius divisim* bene dico, cis, xi, ctum, cere, 3. Part. *Benedicens*, *Benedictus* et *Benedicendus* sub *B.*

A) *Benedicere* divisis vocibus occurrit apud optimi ævi scriptores, et est bene de aliquo loqui, laudare; eique opponitur *male dicere* ut apud *Plaut. Rud.* 32. 25., et *Q. Metellum Numidicum* apud *Gell.* 6. 11. — *a)* Absolute. *Ter. Adelph.* 5. 4. 11. Omnes bene dicunt, amant. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 155. Ad bene dicendum delectandumque redacti. — *b)* Cum Dativo sæpius, aut *inter se*, interjectis etiam aliis verbis. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 31. Omnes bene valete et vivite: bene, quæso, inter vos dicatis et mihi absenti tamen. *Id. Rud.* 3. 2. 20. Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eveniant, precor. Adde *Q. Metellum Numidicum l. c. Cic. Sext.* 52. 110. Cui bene dixit unquam bono? bene dixit? immo quem fortem et bonum civem non petulantissime est insectatus? *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 9. Nec tibi cessaret doctus bene dicere lector. V. *Benedictum* in fine hujus vocis. — *NB.* Ceterum *V.* BENE sub *A.* 5.

B) Apud inferioris ævi Scriptores, et Ecclesiasticos præcipue, raro admodum occurrit cum Dativo, ut apud *Vulgat. Interpr. Ps.* 112. 2.; sed fere cum Accusativo personæ aut rei, et junctim scribitur. ¶ 1.

Benedicere Deum aut aliquem est laudare. *Apul. Trismeg. sub fin.* Restat hoc solum nobis, ut benedicentes Deum orantesque ad curam corporis redeamus. *Id. ibid.* Nomen unum, quo solus Deus benedicendus. *Tertull. Orat.* 3. Benedici Deum omni tempore condecet ob debitam memoriam beneficiorum ejus. *Inscript.* apud *Gruter.* 875. 3. HIC SVPER OSSA CINERESQVE TVOS BENEDICTA QVIESCIS. — *NB.* Sunt qui putant cum Accusativo legi apud *Tibull.* 2. 1. 31. Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat. Sed illud *bene Messalam* formula est bene precantis, in compotationibus usurpata. *V.* BENE sub *A.* 5. ¶ 2. Benedicere aliquid est consecrare, sanctum reddere. *Lactant.* 7. 14. Perfectis operibus, requievit die septimo eumque bene dixit. *Sulpic. Sever. De vita S. Martini dial.* 2. c. 2. Cum altarium benediceret. *Tertull. Martyr.* 1. Benedicti martyres. *Hieronym. Vit. Hilarion. a med.* Oleum benedictum. ¶ 3. Item est salutare. *Tertull. advers. Marcion.* 4. 24. Quemcumque conveneris in via, ne benedixeris eum, id est, ne salutaveris. *V.* BENEDICTIO 4. — Hinc

Benedicta, æ, f. 1. ¶ 1. *Benedicta herba* dicitur ab *Apul. Herb.* 61., quæ *lagopus* et *leporinus pes* appellatur. ¶ 2. *Benedicta* est etiam nomen dignitatis sive gradus in sacris Mithriacis. *Inscript.* apud *Donat.* 79. 1. CLAVDIA JANVARIA BENEDICTA SACRORVM HIC SITA EST. V. *Le Bas*, *Restitution des Inscript. Gr. et Lat. de Cagliari* p. 2.

Benedictum, i, n. 2. ¶ 1. Generatim est quidquid recte, prudenter, aut ornate dictum est. *Cic. Brut.* 93. 322. Qui philosophiam complexus esset matrem omnium bene factorum beneque dictorum. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *ad fin.* Cascellii scripta non extant, nisi unus liber Bene dictorum. *V.* BENE sub *A.* 5. *Bachius* in *Histor. Jur. Rom.* l. 2. c. 1. § 40. in ejus libri titulo *Benedicta* explicat de responsis facetis et urbanis, quoniam *bona dicta* jam ab *Ennio* (teste *Cic.* 2. *Orat.* 54.) de salibus et jocis (*bons mots*) usurpata erant, ut simpliciter *dicta* (V. *Pontanus* ad *Macrob.* 2. *Saturn.* 1.); quam *Bacchii* sententiam secutus est et *Weichert.* in opere, cui titulus *Poetarum Latin. Hostii, Lævii* etc. *reliquiæ.* Lipsiæ 1830. p. 115. ¶ 2. Speciatim significat bona verba, laudem; et *maledicto* opponitur. *Plaut. Curc.* 4. 2. 27. Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico: verum si dignis dicitur, benedictum est meo quidem animo. *Id. Pers.* 4. 3. 24. Benedictis tuis benefacta aures meæ auxilium expostulant. *Cf. Ter. Phorm. prol.* 21. ¶ 3. Item speciatim a Scriptoribus Ecclesiasticis ponitur pro benedictione. *Paulin. Nolan. Ep.* 43. c. 4. Ut ficus, quæ sterilis fuerat benedicto Domini, fieret arida maledicto.

BĔNĔDICTA, æ. *V.* voc. præced. in fin.

BĔNĔDICTĬO, ōnis, f. 3. actus benedicendi. Occurrit apud inferioris ævi Scriptores, præsertim Ecclesiasticos, et ¶ 1. Cum sermo est de Deo, est præconium, laus. *Apul. Trismeg.* Deus ab hominibus laudum præconiis benedictionibusque celebretur. Adde *Tertull. Testim. anim.* 2. ¶ 2. Quemadmodum apud Græcos εὐλογία donum aliquando significat, ita apud Christianos Scriptores benedictio. *Sulpic. Sever. De vita S. Martini dial.* 2. c. 12. Dicens, benedictionem illius minime respuendam, quæ etc. ¶ 3. Denique per metonymiam, quemadmodum eadem εὐλογία aliquando sumitur pro re benedicta et consecrata, ita et benedictio. Hinc *Paulin. Nolan. Ep.* 32. c. 8. *benedictionem crucis* vocat frustum sanctæ crucis pro sacra reliquia asservatum. ¶ 4. Item est mutua salutatio. *Tertull. advers. Marcion.* 4. 24. Quæ est enim inter vias benedictio, nisi ex occursu mutua salutatio?

BĔNĔDICTUM, i. *V.* BENEDICO in fin.

BĔNĔDICTUS, a, um. *V.* BENEDICO.

BĔNĔFĂCĬO *et rectius divisim* bene facio, facis, fēci, factum, facere, 3. Part. *Benefaciens* 2. et *Benefactus* 1. ¶ 1. Generatim est recte facere vel agere. *Sall. Jug.* 85. Mihi – bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit. *Gell.* 5. 3. Cum ingenium benefaciendi habeas. *Cic. Tim.* 13. Nisi quatenus ipse (*humanus animus* vel *homo*) benefactus (*h. e.* recte et sapienter factus), suâ culpâ sibi aliquid miseriæ quæreret. *Al. leg.* beneficiis sua culpa: *al.* beneficio suo, *h. e.* culpa sua. — *NB.* De hac significatione aliisque, quæ hic omittuntur, *V.* BENE sub *A.* 9. ¶ 2. Speciatim est boni aliquid facere, bene mereri, beneficium conferre: qua significatione est verbum usitatissimum; et occurrit — *a*) Absolute. *Seneca* 1. *Benef.* 7. 1. Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent. *Id.* 2. *ibid.* 19. 2. Benefaciendi animus. *Id.* 1. *ibid.* 2. 12. Magnitudo benefacientis. — *b*) Sæpius occurrit *benefacere aliquid alicui*, aut cum Dat. tantum personæ. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 22. Malo si quid bene facias, id beneficium interit. *Id. Trin.* 5. 2. 4. Si quid amicum erga bene feci. *Id. ibid.* 2. 2. 67. Bene si amico feceris, ne pigeat fecisse. *Id. Mil. glor.* 5. 27. et *Pers.* 1. 3. 18. Di tibi benefaciant. *Ter. Adelph.* 5. 8. 25. Bene nos aliquid facere illi decet. Adde *eumd. Hecyr.* 5. 7. 19. *Cic.* 1. *Invent.* 55. 109. Quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus bene fecerimus. *Sall. Cat.* 3. Benefacere reipublicæ. *Liv.* 36. 35. ingratis. — *c*) Passive. *Plaut. Capt.* 2. 2. 108. Quod bonis bene fit beneficium. — Hinc

Benefactum, i, n. 2. substantivorum more usurpatur, fere in plurali numero. ¶ 1. Generatim est recte, prudenter, honeste, fortiter factum. *Plaut. Trin.* 2. 2. 41. Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 64. Omnia enim benefacta in luce se collocari volunt. *Id. Senect.* 3. 9. Conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio. *Sall. Jug.* 87. Benefacta mea reipublicæ procedunt. *Marius* ipse loquitur. *Id. Fragm.* 1. 10. p. 221. *Gerl.* Gentis Æmiliæ benefacta extollere. *Liv.* 25. 31. Non plura – benefacta Hieronis, quam – maleficia eorum etc. *Id.* 45. 24. Priorum nostrorum benefactorum cumulus. *Id.* 37. 1. Veteribus benefactis nova pensare maleficia. *Virg.* 3. *G.* 525. Quid labor aut benefacta juvant? *Propert.* 2. 1. 24. Cimbrorumque minas et benefacta Mari. *Ovid.* 15. *Met.* 850. Benefacta nati (*Augusti*). *Quintil.* 3. 7. 13. Benefactis gloriam parare. *Plin.* 1. *Ep.* 8. Benefacta sua verbis adornare. ¶ 2. Speciatim pro beneficiis ponitur. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Off.* 18. 62. Benefacta male locata malefacta arbitror. *Plaut. Capt.* 5. 1. 20. Pro benefactis ejus uti ei pretium possim reddere. *Id. ibid.* 2. 3. 63. Nunc adest occasio benefacta cumulare.

BĔNĔFACTĬO, ōnis, f. 3. actus benefaciendi, beneficium. *Tertull.* 4. *contr. Marcion.* 12. *sub fin.* Ipsum sabbati diem benedictionem patris a primordio sanctum, benefactione sua effecit sanctiorem.

BĔNĔFACTOR, ōris, m. 3. qui benefacit. *Coripp. Laud. Anastas. Quæst.* 19. fons maximus aulæ Communis benefactor herus. Adde *eumd. Laud. Justin.* 1. 314.

BĔNĔFACTUM, i, *et*

BĔNĔFACTUS, a, um. *V.* BENEFACIO.

BĔNĔFĬCĒ, adverb. cum beneficentia, benigne. *Gell.* 17. 5. *ad fin.* Benefice liberaliterque facere.

BĔNĔFĬCENTĬA, æ, f. 1. Est vocabulum, quod abstracte tantum et in philosophica dicendi ratione occurrit, pro benignitate, liberalitate, propensione ad benefaciendum et bene merendum: cui *maleficentia* opponitur apud *Lactant. de ira Dei* 1. (It. *beneficenza*; Fr. *bienfaisance*; Hisp. *beneficencia*; Germ. *die Gutthätigkeit, Wohlthätigkeit*; Angl. *kindness*). *Cic.* 1. *Off.* 7. 20. Huic (*justitiæ*) conjuncta beneficentia, quam eamdem vel benignitatem, vel liberalitatem appellari licet. (*Beneficientia* hoc loco legitur in quibusdam MSS.; est enim a *beneficiens* ea ratione, qua ab *efficiens efficientia* fit, et a *despiciens despicientia*. Consuetudo tamen in *beneficientia* medium *i* extrivit: recte enim deducitur a *beneficus*). *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 122. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate et beneficentia? *Id.* 1. *Off.* 14. 42. et 2. *ibid.* 15. 52. Beneficentia ac liberalitas. *Id.* 2. *Orat.* 84. 343. Comitas ac beneficentia. *Id.* 2. *Off.* 15. 52. Consuetudo beneficentiæ. *Seneca Ep.* 90. Beneficentia augebat ornabatque subjectos. *Tac.* 12. *Ann.* 20. Uti beneficentia adversus aliquem. — *NB.* Apud *Cic.* 1. *Fam.* 7. 9. pro *beneficientiis*, quod exhibent MSS. codices, recte *beneficiis* legitur.

BĔNĔFĬCĬĀLIS, e, adject. idem ac beneficus. *Cassiod.* 2. *Variar.* 30. Beneficialem esse principem licet; nec intra regulas constitui potest munificentia regalis arctari. *Id. ibid.* 39. Quæ (*balnea*) ideo Aponum Græca lingua beneficialis nominavit antiquitas, ut causam tanti remedii æger cognosceret, cum de tali nomine dubium non haberet. *Id.* 11. *ibid.* 40. *a med.* Cognoscite, quam beneficialis sit bona conversatio.

BĔNĔFĬCĬĀRĬUS, a, um, adject. ad beneficium pertinens. *Seneca Ep.* 90. Res beneficiaria, *h. e.* quæ beneficiis seu peculiari aliquo favore constat. — Hinc

Bĕnĕfĭcĭārĭus, ii, m. 2. qui beneficium accepit: sed speciatim tantum occurrit in re militari. In militia enim *beneficiarii* dicuntur, qui ad militarem aliquem gradum aut commodum beneficio tribuni, prætoris, proconsulis, aut consulis alteriusve magistratus promoti sunt. *Cæs.* 1. *B. C.* 75. Petrejus (*qui legatus Pompeji erat*) cum prætoria cohorte barbarisque equitibus, beneficiariis suis, quos suæ custodiæ causa habere consueverat, improviso ad vallum advolat. *Veget.* 2. *Milit.* 7. 19. Beneficiarii ab eo appellati, quod promoventur beneficio tribunorum. *Inscript.* apud *Gruter.* 525. 3., quæ est apud *Orell.* 182. L. AUFIDIO FELICI B. F. COS. etc., *h. e.* beneficiario consulis. Alia *ibid.* 130. 5., apud *Orell.* 929. P. ÆLIVS VERANVS B. F. PROC. *h. e.* beneficiarius proconsulis. Alia *ibid.* 555. 4. apud *Orell.* 1301. L. OCTAVIVS L. F. POB. MARCELLINVS BENEFICIARIVS PRÆTOR etc. *Ibid.* 393. 5. C. COELIO ANICETO MIL. COH. II. PR. SING. TRIB. SPE BENEFICIAR. etc. *h. e.* cui tribunus promiserat, eum se promoturum. — Dicebantur etiam *beneficiarii*, qui militaris muneris vacationem præmii loco acceperant, ut est apud *Paul. Diac.* p. 33. 5. *Müll.* De quibus intelligendum quidam putant illud *Cæs.* 3. *B. C.* 88. Cohortes evocatorum circiter duæ, quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum convenerant. In loco *Pauli* citato ubi legitur: *Beneficiarii dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio*; sententia obscura videtur *Lipsio De milit. Rom.* l. 5. *dial.* 6. Quare legendum putat, *qui vacabant muneribus, beneficio* (quin potius lege *munere, ducis beneficio*). Docet autem, duo fuisse immunium genera in militia: unum eorum, qui ex lege et more ab opere faciendo vacabant, ut tribuni, centuriones, equites, veterani, evocati: alterum eorum, qui beneficio imperatorum eam immunitatem obtinebant, quos *beneficiarios* hoc loco *Paulus* vocat. — Hujusmodi beneficiariis militaribus varia officia posterioribus temporibus assignata fuisse leguntur. Nam et exhibitio cursus publici, et vectigalium exactio, reorum conquisitio, et alia id genus munera iis demandabantur, ut est apud *Tertull. Fug. in persecut.* 13., *Cod. Theod.* 8. 4. 7. et *Spartian. Hadrian.* 2., ubi *V.* quæ adnotavit *Salmas.* — Præter milites, qui muneris vacationem acceperant, dicti sunt etiam, ut aliquibus placet, *beneficiarii* quicumque magistratibus et curatoribus negotiorum publicorum apparebant; quo sensu vox hæc nihil militare sonat. Hoc vero colligi videtur ex iis, quæ scribit *Plin.* ad *Trajan.* 10. *Ep.* 36. Maximus libertus et procurator tuus, Domine, præter decem beneficiarios, quos assignari a me Gemellino, optimo viro, jussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. *Plinius* enim de *Virbio Gemellino* loquitur procuratore Augusti ad comparationem frumentorum; quo in munere a *Maximo* ejusdem Augusti liberto adjuvabatur, ut apparet ex *Trajani* responso *ejusd. lib. Ep.* 37. Verum hoc etiam in loco *beneficiarii militares*, *h. e.* milites, qui a munere vacabant, intelligi possunt, quibus, uti diximus, alia atque alia hujusmodi officia posterioribus temporibus demandata sunt; videturque proinde hoc verbum ad eos semper referri, quibus stipendia dabantur vel ob honestiorem in militia locum, in quo alicujus beneficio essent, vel ob exactam de more ac secundum leges militiam, vel ob immunitatem a militiæ muneribus imperatorum dono acceptam.

BĔNĔFĬCĬŌSUS, a, um, adject. beneficia elargiens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 56.

BĔNĔFĬCĬUM, ii, m. 2. (bene et facio). Occurrit I.) Abstracte, et II.) Concreto, uti ajunt, sensu.

I.) Abstracte beneficium est bona rectaque actio, benevola actio facientis quod alteri prosit; eique *maleficium* opponitur. *Cato R. R.* 5. Si villicus passus erit familiam male facere, dominus impune ne sinat esse; pro beneficio gratiam referat, ut aliis recte facere libeat. *Ter. Eun.* 1. 2. 69. Cupio aliquos parare amicos beneficio meo. *Id. Phorm.* 2. 2. 21. Et sapiunt meâ sententiâ, pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere. Cf. *Sall. Jug.* 31.; et *Liv.* 5. 3. et 37. 1. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (14). *de Democrito.* Innumeros quidem credere (*deos*) atque etiam ex vitiis hominum, ut – Pœnam et Beneficium, majorem ad socordiam accedit. — Præcipue vero beneficium est benevola actio dantis aliquid liberaliter juvand

causa: qua significatione beneficium ab officio et a ministerio differre sic statuit Seneca 3. Benef. 18. Sunt qui ita distinguunt, quædam beneficia esse, quædam ministeria. Beneficium esse, quod alienus det; alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare: officium esse filii, uxoris et earum personarum, quas necessitudo suscitat et ferre opem jubet: ministerium esse servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quæ præstat, imputet superiori. — Hinc amplius occurrit

II.) Concreto, uti ajunt, sensu, et est benefactum, munus, meritum (It. *benefizio*; Fr. *bienfait*, *service*; Hisp. *beneficio*; Germ. *Wohlthat*, *Vergünstigung*, d. *Verdienst*; Angl. *a kindness*). Usurpatur autem *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim. ¶ 1. Beneficium est meritum vel alicujus opera laudabiliter in alium impensa, alicujus favor et gratia, quâ quis aliquid utilitatis consequitur. Plaut. Trin. 3. 2. 12. Nullum beneficium duco id, quod, cui facias, non placet. Ter. Andr. 5. 1. 5. Ut beneficium verbis irritum dudum, nunc re comprobes. Id. Andr. 1. 1. 17. Immemor beneficii. Cic. Planc. 33. 81. Equidem nihil tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione alligari; nihil porro tam inhumanum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Nepos Att. 11. Idem immortali memoriâ percepta retinebat beneficia; quæ autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. Ter. Adelph. 2. 3. 1., Cic. 2. Off. 20. 69., Nepos Att. l. mox cit. et Seneca 1. Benef. 1. Accipere beneficium ab aliquo. Ter. Adelph. 1. 1. 47. Adjungere sibi aliquem beneficio. Cic. 1. leg. Agr. 4. 3. et 10. Fam. 14. Afficere aliquem beneficio. Id. 13. Fam. 62. in fin. Augere beneficium magno cumulo. Cic. 2. Off. 20. 69. Collocare beneficia. Seneca 1. Benef. 1. 1. male collocare. Cic. 2. Off. 20. 70. collocare apud aliquem. Cic. Planc. 33. 82. Complecti aliquem beneficio. Id. 5. Verr. 83. 191. Concedere alicui aliquid per beneficium et gratiam. Id. ibid. 48. 115. Concedere alicui aliquid beneficii gratiæque causa. Sueton. Galb. 14. Concedere beneficium. Cic. 1. Off. 14. 45. Conferre beneficia in aliquem. Nepos Datam. 10. Contineri mutuis beneficiis. Cic. 1. Off. 15. 48. et 2. ibid. 20. 69., 13. Fam. 8. et 14. Att. 15. Dare beneficium alicui. Seneca 1. Benef. 1. 1. Dare beneficia. Cælius apud Cic. 8. Fam. 8. 1. Dare alicui aliquid pro beneficio. Cælius apud Cic. 8. Fam. 12., Seneca 1. Benef. 1. 3. et Petron. Satyr. 126. Debere beneficia. Cic. 1. Off. 15. 45. Deferre beneficia. Id. 4. Verr. 11. 29. Deferre alicui aliquid in beneficii loco. h. e. tribuere alicui aliquid beneficii nomine. Seneca 1. Benef. 2. 1. Effundere beneficia in vulgus. Gell. 7. 20. Facere petitum beneficium. Cic. Amic. 9. 31. et Seneca 1. Benef. 1. 10. Fenerare beneficium. Ter. Phorm. 3. 2. 8. Feneratum pulcre beneficium. Cic. 7. Verr. 21. 53. Figere beneficium trabali clavo. Id. 16. Fam. 4. Habere aliquid pro beneficio. Seneca 1. Controv. 1. Habere beneficium alicujus. Cic. 5. Verr. 48. 115. Impetrare aliquid in summo beneficio. h. e. per summam gratiam. Seneca 1. Benef. 1. 3. Infitiari beneficia. Poeta apud eumd. 1. Benef. 2. 1. Largiri beneficia in vulgus. Plaut. Capt. 5. 1. 14. Munerare beneficia alicui. Cic. 4. Cat. 10. 22. Obligare aliquem beneficio in perpetuum. Id. Dom. 45. 118. Obstringere aliquem beneficio. Curt. 6. 8. Odisse beneficia quædam. Cic. post red. ad Quir. 5. 12. Ornare aliquem maximis beneficiis. Ter. Eun. 5. 2. 32. Parare sibi beneficium solidum. Nepos Att. 11. Percipere beneficia. Seneca 1. Benef. 1. 1. et Quintil. 12. 7. 12. Perit beneficium. Cic. 5. Verr. 48. 114. Petere aliquid in beneficii loco. Id. 4. Cat. 10. 22. Placare aliquem beneficio. Cic. 13. Fam. 26. 4. Ponere beneficium bene apud aliquem. Seneca 1. Benef. 1. 2. Projicere magis, quam dare beneficia. Cic. Mur. 34. 70. Promerere aut proferre beneficia. Seneca 1. Benef. 1. 11. Recipere beneficium. Ter. Phorm. 3. 3. 5. et Seneca 1. Benef. 1. 1. Reddere beneficium. Liv. 4. 7. ad fin. Relinquere aliquid in beneficio. Cic. post red. ad Quir. 9. 22. Remunerari beneficium. Seneca 1. Benef. 1. 3. Repetere beneficia. Cic. post red. in sen. 9. 24. Respondere beneficiis. Nepos Att. 11. Retinere memoriâ beneficia. Cælius apud Cic. 8. Fam. 12. 1. Solvere. Plin. 3. Ep. 4. Subvertere. Cic. 2. Fam. 5. Sustinere alicujus in se innumerabilia beneficia. Nepos Att. 11. 5., Curt. 7. 8. 26. et Seneca 1. Benef. 1. 2. Tribuere alicui. Cic. Cæl. 3. 7. Tueri suum erga aliquem beneficium. Id. 3. Nat. D. 28. 70. Uti perverse deorum beneficio. Sall. Jug. 9. Vincere aliquem beneficiis. ¶ 2. Aliquando beneficium est favor seu gratia, quæ pendet a rerum adjunctis; quâ significatione occurrit fere Ablat. *beneficio*, h. e. per beneficium, per auxilium, ope. Ter. Heaut. 2. 4. 12. Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretumst viro, cujus mos maxime est consimilis vostrum, hi se ad vos applicant: hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini. h. e. tali pacto, tali modo vobis favente. Cic. 2. leg. Agr. 23. 61. Beneficio isto legis — nihil utitur. Id. 11. Fam. 22. Nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. Id. 1. ad Q. fr. 1. 1. 6. Nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur. Cæs. 1. B. G. 53. Sortium beneficio se esse incolumem. Auct. B. G. 8. 20. Silvarum beneficio. Plancus apud Cic. 10. Fam. 4. 2. Fortunæ beneficio. Curt. 8. 10. 18. Quis neget eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ, quam virtutis esse beneficium? Quintil. 3. 1. 9. Gorgias Leontinus beneficio longissimæ ætatis cum multis simul floruit. Id. 2. 11. 2. et 5. 10. 121. Beneficio ingenii. Tac. Dial. de orat. 8. eloquentiæ. Paul. 3. Sentent. 4. 8. et Cajus 3. Instit. 122. Beneficio legis Corneliæ. Adde Dig. 20. 2. 48. § 1. et Cod. Theod. 8. 18. 9. pr. ¶ 3. Apud serioris ævi Scriptores *beneficio* ponitur pro causa, occasione, culpa; quod per quamdam ironiam dictum putabat Forcellinus, sed cf. GRATIA et Gr. χάριν. Ulp. Dig. 39. 2. 40. § 1. Consequens est dicere detrimentum hoc, quod beneficio ejus contigit, ipsum sarcire debere. Id. ibid. 47. 2. 47. pr. Res quæ beneficio furis abfuit. — Huc pertinere quidam putant Inscript. apud Gruter. 687. 5. MATER MISERA ET IN LVCTV AETERNALI BENEFICIO NOVERCAE. Sed verius est *beneficio* scriptum esse pro *veneficio*: nam sæpe b et v in lapidib. commutantur. Orellius tamen Inscript. 4604. hoc postremum improbat, et *beneficium* accipiendum putat pro vitio, culpa.

B) Speciatim. ¶ 1. Apud Romanos beneficium ponitur pro jure et facultate promovendi seu eligendi aliquem ad aliquod munus: item pro ipsa promotione seu electione: hæc enim populi Romani benevolentia seu favore fiebant. Cic. pro leg. Manil. 24. 69. Quidquid hoc beneficio populi Romani atque hac potestate prætoriâ — possum. Id. Amic. 25. 96. Meministis quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur: cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Id. 2. Phil. 36. 91. Ne qua post idus Martias immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur. Adde eumd. Mur. 1. 2. et 7. Verr. 70. 180.; Cæs. 1. B. C. 9. et Sall. Jug. 31. Liv. 9. 30. Ut tribuni XVI. a populo crearentur, quæ antea dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia. ¶ 2. Est etiam militaris vox, et — *a*) Significat promotionem ad aliquem militiæ gradum, vel commodum, quod qui adepti essent, *beneficiarii* dicti sunt. Ideo autem *beneficium* vocatur, quia ex gratuita promoventis benignitate provenit: nam si virtute sua quis ad altiores ascendat gradus, minus proprie *beneficium* id dicetur. Auct. B. Afr. 54. Cum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute consecuti, ita vos gesseritis etc. Cf. Val. Max. 4. 7. 3. Sueton. Tib. 12. Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones. h. e. per quosdam, quos ipse, tamquam sibi devinctissimos, centuriones creaverat. Tac. 1. Hist. 25. Primores militum, per beneficia Nymphidii, ut suspectos stimulant. Id. 4. ibid. 48. Æquatus inter duos beneficiorum numerus. — *b*) Præterea *beneficium* dicitur opera laudabiliter impensa in rempublicam ab eo, qui duci vel legato in provincia præsto fuisset diligenterque inservisset. Ipse autem dux vel legatus in Urbem reversus bene meritorum nomina deferre ad ærarium solebat tum honoris, tum commendationis causa, ut prodesset illis aliquando quod publicæ rei adjutores fuissent. Cic. 5. Fam. 20. Quod scribis de beneficiis, scito, a me et tribunos militares et præfectos et contubernales dumtaxat meos delatos esse. Cf. eumd. Arch. 5. 11. Et in beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo prætore et consule. V. Klotz ad h. l. T. 1. p. 665. et T. 3. p. 1066.; et v. ÆRARIUM. ¶ 3. Beneficium sæpe apud JCtos accipitur pro privilegio aut jure. Sueton. Claud. 15. et Dig. 49. 8. 1. § 2. Beneficium liberorum. Triphonin. Dig. 48. 5. 42. annulorum. Ulp. ibid. 29. 1. 3. Qui voluit jure communi testari, statim beneficio militari renunciavit. Modestin. ibid. 3. 3. 18. Beneficium religionis. — Hinc *liber beneficiorum*, cujus meminit Hygin. Limit. constit. p. 193. Goes., erat, in quo perscripti erant agri beneficio principis concessi, aut assignati coloniis. Hic liber dictus est etiam *beneficium*. Arcad. Aug. inter vet. auctor. De limitib. ibid. p. 260. Qui beneficium nostrum legerit, hoc observet etc. Huc pertinet *servus a commentariis beneficiorum* in Inscript. apud Gruter. 578. 1., qui commentarii non solum quot agros princeps concessisset, sed alia quæcumque largitus esset, continere poterant. ¶ 4. *Facere aliquid beneficii sui* est aliquid ita administrare et distribuere, ut tamquam beneficium ab aliis accipiatur. Sueton. Claud. 23. Commeatus a senatu peti solitos beneficii sui fecit. Justin. 13. 14. Reversus inde inter principes provincias dividit, simul ut et removeret æmulos et munus imperii beneficii sui faceret. — Et figurate Seneca 3. Benef. 18. 4. Adeo quidem dominis servi beneficia possunt dare, ut ipsos sæpe beneficii sui fecerint. Quintil. 10. 2. 6. Sed nihil habebimus, nisi beneficii alieni.

BENEFĬCUS, a, um, adject. (bene et facio). Cuidam Grammatico apud Vel. Long. Orthogr. p. 2235. Putsch. placebat, ut *benificus* per i scriberetur: sed hoc consuetudo repudiavit. — Gradus essent *beneficior* (quod nusquam occurrit) et *Beneficissimus*, quod V. infra. Usitatiora tamen sunt *Beneficentior* et *Beneficentissimus* ab inusitato *beneficiens*, extrita i littera, quæ tamen legitur in quibusdam MSS. cum Cic., tum Senecæ loc. inferius allatis. — Beneficus est qui bene alicui facit, benignus, liberalis (It. *benefico*, *liberale*; Fr. *bienfaisant*; Hisp. *benefico*; Germ. *gut-oder wohlthätig*; Angl. *beneficent*). Cato apud Priscian. 3. p. 603. Putsch. De Ptolemæo rege optimo et beneficissimo. Plaut. Epid. 1. 2. 14. Nam quid te igitur rettulit beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuumst? Cic. 1. Legg. 18. 49. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? Id. 1. Off. 14. 42. Qui gratificantur cuipiam quod obsit, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt. Id. Mil. 8. 20. Beneficus, salutaris, mansuetus civis. Id. 2. Divinat. 49. 102. Di benefici generique hominum amici. Adde eumd. 9. Amic. 31. et cf. Gell. 17. 5. Cic. 2. Off. 9. 32. Benefica voluntas. Id. Amic. 14. 51. Liberalissimum esse et beneficentissimum. Adde eumd. 2. Nat. D. 25. 64. Seneca 2. Benef. 34. 4. Benefica actio. Id. 1. ibid. 4. 5. Beneficentior gratiorque adversus bene merentes.

BENEFĪO, fis, factum, fieri. V. BENEFACIO.

BENEMĔRENS, **BENEMĔREOR**, **BENEMĔRĬTUS** } V. MEREO.

BENEŎLENS et *rectius divisim* bene olens, entis, part. a bene et oleo, qui bene olet. Virg. 2. Ecl. 48. Narcissum et florem jungit bene olentis anethi. Propert 3. 15. 27. per mediam bene olenti flumine Naxon.

BENEPLĂCEO, es, cŭi, citum, cere, n. 2. Part. *Beneplacens* et *Beneplacitus*. — Beneplaceo est multum placeo. Vulgat. Interpr. 1. Cor. 10. 2. Quod ei beneplacuerit. Id. Rom. 12. 2. Voluntas Dei bona et beneplacens. Id. Eccli. 24. 21. Non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. — Hinc

Beneplacitum, i, n. 2. absolute substantivorum more est id quod beneplacet. Vulgat. Interpr. Ephes. 1. 9. Secundum beneplacitum ejus.

BENEPLĂCĬTUM, i, et **BENEPLĂCĬTUS**, a, um } V. voc. præced.

BENESUĀDUS et *rectius divisim* bene suadus, a, um, adject. qui bona suadet. Apul. Apolog. Paupertas habitu secura, cultu simplex, consilio bene suada. Paulin. Nolan. carm. 1. 142. ed. Mai. (Class. Auct. T. 3. p. 375.). sit pietas, sit bene suadus amor.

BENEVĂLENS et *rectius divisim* bene valens, entis, part. qui bene valet. Augustus apud Gell. 15. 7. Quem spero lætum et bene valentem celebrasse quartum et sexagesimum natalem meum. Al. leg. benevolentem. Sed nutantem hujus vocis auctoritatem obfirmat Inscript. apud Gruter. 546. 3. SECVNDIA SERVATA SIBI ET IVLIIS ALFINO ET ALFINAE FILIIS BENEVALENTIBVS F. C. h. e. faciendum curavit.

BENEVŎLĒ vel benivole, adverb. De ratione scribendi V. in BENEVOLUS. — Sup. *Benevolentissime*. — Benevole est cum benevolentia, amice (It. *af-*

fettuosamente, amorevolmente; Fr. *avec bienveillance, affectueusement*; Hisp. *afectuosamente, amorosamente*; Germ. *mit Wohlwollen oder wohlwollender Gesinnung*; Angl. *benevolently, kindly*). Cic. 1. *Fin.* 10. 34. Amice et benevole erga aliquem aliquid facere. *Id.* 13. *Fam.* 21. 2. Fideliter benevoloque præsto esse alicui. *Id. Amic.* 24. 88. Benevole fit aliquid. *Seneca* 2. *Benef.* 35. 1. Aliquid benevole excipere. *Augustin. Ep.* 64. *ad Aurel.* Benevolentissime accipere. Adde eumd. *Ep.* 28. *ad Hieronym.*

BENEVŎLENS *vel* benivolens, entis, adject. (bene et volo). De ratione scribendi *V.* in BENEVOLUS. — Comp. *Benevolentior* 1., et Sup. *Benevolentissimus* 1. et 2. — *Benevolens* occurrit apud antiquissimos tantum Scriptores; qui enim Augusti tempore floruerunt, pro *benevolens* usurparunt *benevolus*; sed tamen a *benevolens* retinuerunt gradus *Benevolentior* et *Benevolentissimus*. — Benevolens est qui bene vult alicui (It. *affettuoso, amorevole*; Fr. *bienveillant, favorable*; Hisp. *benevolo*; Germ. *wohlwollend*; Angl. *benevolent, wellmeaning, kind*). Occurrit ¶ 1. Adjective. — a) Absolute. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 7. Benevolens homo. *Id. Bacch.* 3. 3. 71. sodalis. *Id. Merc.* 5. 2. 46. Amicus multum benevolens. *Id. Mil. glor.* 4. 8. 41. Ita cum dis benevolentibus. *h. e.* propitiis. *Id. Epid.* 1. 1. 72. Benevolentem cum benevolente perire. *Cic.* 13. *Fam.* 60. Benevolentior, quam semper fui, esse non possum. *Sueton. Tit.* 8. Titus benevolentissimus naturâ. — b) Cum Dat., aut cum Accus. et præp. *inter*. *Plaut. Truc.* 2. 2. 61. At pol hero benevolens ut is est suo! (Est qui hoc loco legit *benevolentus*, sed minus recte). *Id. Bacch.* 3. 6. 24. Qui is est? MNES. Benevolens vivit tibi. *Id. Cist.* 1. 1. 25. Benevolentes inter se. ¶ 2. More substantivi. *Plaut. Cist.* 2. 3. 42. Se quamdam ajebat mulierem suam benevolentem convenire. *Id. Trin.* 1. 2. 8. et 5. 2. 24. Tuus benevolens. *Id. Capt.* 2. 3. 30. Alius benevolens. *Id. Most.* 1. 3. 38. et *Trin.* 5. 2. 53. Amicus et benevolens. *Ter. Phorm.* 1. 2. 47. Neque benevolens, neque notus, neque cognatus. *Cic.* 5. *Fam.* 16. *in fin.* Fungi officio benevolentissimi atque amicissimi.

BENEVŎLENTĬA *vel* benivolentia, æ, f. 1. (benevolens). De ratione scribendi *V.* in BENEVOLUS. — Benevolentia est benevolus animus, amor, caritas (It. *benevolenza, affetto, amorevolezza*; Fr. *bienveillance, bonté, affection*; Hisp. *benevolencia, amor*; Germ. *das Wohlwollen*; Angl. *benevolence, goodwill, kindness*). ¶ 1. Proprie et generatim. *Ter. Heaut.* 1. 1. 63. Putavit me et ætate et benevolentiâ plus scire et providere, quam se ipsum sibi. *Cic.* 2. *Off.* 9. 32. Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi, benevolentiæ præcepta videamus, quæ quidem beneficiis capitur maxime, secundo autem loco voluntate beneficâ benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit. Cf. eumd. 1. *Fam.* 9. *Id. post red. ad Quir.* 10. 24. Colere memoriam beneficii benevolentiâ sempiternâ. *Id.* 2. *Off.* 6. 23. Fidelis benevolentia. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Quintil.* 3. 8. 7. Acquirere benevolentiam. *Cic. Sext.* 3. 6. Adimere alicui benevolentiam. *Id. Mur.* 20. 41. Adjungere sibi benevolentiam hominum aliqua re. *Id.* 2. *Off.* 14. 48. Allicere animos multitudinis ad benevolentiam. *Id.* 1. *ad Herenn.* 4. 6. Capere benevolentiam. *Id. ibid.* 5. 8. Captare ab aliqua re benevolentiam. *Id. ibid.* Colligere benevolentiam. *Id.* 2. *Off.* 15. 54. Comparare. *Id.* 6. *Fam.* 14. 1. Complecti aliquem benevolentiâ. *Id.* 2. *Orat.* 43. 182. Conciliare benevolentiam. *Id. ibid.* Conciliare aliquem ad benevolentiam erga aliquem. *Id.* 10. *Fam.* 6. Conferre benevolentiam erga aliquem. *Id. Amic.* 8. 20. Conjungere benevolentiam. *Id.* 2. *Off.* 15. 53. Consectari largitione. *Id.* 5. *Att.* 18. Consentire ad benevolentiam erga aliquem. *Nepos Datam.* 5. Consequi magnam alicujus benevolentiam. *Cic.* 3. *Fam.* 7. Conservare. *Quintil.* 4. 1. 6. Ducere ab aliqua re. *Cic.* 10. *Fam.* 20. et *Sueton. Cal.* 3. Esse benevolentiâ singulari in aliquem. *Sueton. Aug.* 66. Exigere mutuam ab amicis. *Cic.* 1. *Fam.* 7. Experiri fidem et benevolentiam alicujus erga se. *Id.* 2. *Off.* 6. 21. Facere aliquid benevolentiæ gratiâ. *Id.* 1. *ibid.* 15. 47. Habere benevolentiam erga aliquem. *Quintil.* 12. 7. 12. Mutuâ uti benevolentiâ. *Nepos Dion.* 5. Munitum benevolentiâ imperium. *Cic.* 1. *Fam.* 7. et 9. *ibid.* 16. Perspicere alicujus benevolentiam erga se. *Quintil.* 4. 1. 25. Petere benevolentiam judicis. *Cic.* 4. *Fam.* 11. Præstare alicui singularem benevolentiam. *Nepos Att.* 5. et 20. Retinere alicujus benevolentiam. *Id. Timoth.* 3. Tenere aliquid benevolentiâ. — In illo *Cic. Orat.* 1. 1. Quod quoniam me sæpius rogas, aggrediar, non tam perficiendi spe, quam experiendi voluntate. Malo enim, cum studio tuo sim obsecutus, desiderari a te prudentiam meam, quam, si id non fecerim, benevolentiam. *Forcellinus* benevolentiam accepit pro satisfaciendi desiderio. ¶ 2. Apud JCtos, cum sermo est de Cæsare vel principe, benevolentia ponitur pro benignitate, clementia. *Marcian. Dig.* 20. 2. 52. *pr.* Interponere se suam benevolentiam, divus Pius rescripsit, et si filiusfamilias adierit, perinde habeatur atque si paterfamilias adiisset. Adde *ibid.* 28. 5. 62. *pr. Justinian.* 2. *Institution. tit.* 20. *a med.* Quod plerique prudentum contra benevolentiam introducebant. *h. e.* æquitatem et benignam juris interpretationem. ¶ 3. Concreto, uti ajunt, sensu et quidem in plur. num. *benevolentiæ* sunt benevolentiæ, favoris et gratiæ actus. *Spartian. Caracall.* 1. Non ille in litteris tardus, non in benevolentiis segnis. *Arnob.* 6. 2. Individuas cunctis benevolentias exhibere.

Homonym. Inter benevolentiam, caritatem et amorem quid differat, diximus in v. AMOR.

BENEVOLENTUS. *V.* BENEVOLENS 1.

BENEVŎLUS *vel* benivolus, a, um, adject. (bene et volo). *Benevolus, benevolentia* etc. rectius scribatur, an *benivolus, benivolentia*, difficilis diremptu controversia est. *Eutyches* apud *Putsch.* p. 2152., *Beda ibid.* p. 2331., *Isid.* 12. *Orig.* 1. et 10. *ibid.* 26., *Lips., Voss.*, et *Dausquius*, quibus adde *Oudendorp.* ad *Sueton. Aug.* 66., malunt i in secunda vocali, confirmantque tum auctoritate multorum vet. libror., Pandect. Florent. et *Inscription.* apud *Gruter.* 443. 6. ubi *benivolentiæ*, et 6. 51. ubi *benivolentibus* legitur (quibus adde *Inscript.* apud *Orell.* 4040); tum ratione, quia in compositionibus verborum fere e in i mutatur. Sed quia vox *bene* in aliis compositis e retinet, ut in *beneficium, benedico*, videtur omnino consuetudo adhuc recepta retineri posse; quæ *Cellarii*, præter alios, sententia est. — Comp. et Sup. gradus fiunt a BENEVOLENS, quam vocem *V.* — Ceterum *benevolus* pro antiquo *benevolens* aurea ætate usuvenit, et est amicus, animo in aliquem propensus (It. *benevolo, affettuoso, amorevole*; Fr. *bienveillant, favorable*; Hisp. *benevolo, bien intencionado*; Germ. *wohlwollend*; Angl. *benevolent, wellmeaning, amicable*). Occurrit — a) Absolute. *Cic.* 2. *Verr.* 8. 23. Benevolo animo facere aliquid. *Id.* 2. *Orat.* 79. 322. Benevolus efficere, apud quos agetur. Adde eumd. 1. *Invent.* 15. 20. et *Quintil.* 3. 7. 24. *Cic.* 1. *Herenn.* 4. 7. Benevolus auditor. Adde *Quintil.* 4. 1. 5. et 10 1. 48. *Val. Max.* 6. 8. 7. Benevolo studio facere aliquid. *Seneca* 1. *Benef.* 6. 1. Benevola actio. — b) Cum Accus. et præp. *erga*, aut sæpius cum Dat. *Plaut. Capt.* 2. 2. 100. Benevolum esse erga aliquem. *Ter. Hec.* 5. 1. 35. Reddere aliquem sibi facilem et benevolum. *Cic.* 2. *Orat.* 19. 80. Ut eum, qui audit, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum. *Id. Cluent.* 63. 176. Illum servum et sibi benevolum esse et patri fuisse arbitrabatur. Adde eumd. 2. *Invent.* 53. 161.

BENIGNĒ, adverb. (benignus). Comp. *Benignius* 1., 2. et 5.; Sup. *Benignissime* 3. et 5. — Benigne est liberaliter, comiter, benefice, libenti et propenso animo, quod proprium est ejus, qui ex corde facit plus quam ex jure aut officio debeat.; eique opponitur *maligne*, quod proprium est ejus, qui injuria et inique agit (It. *benignamente, cortesemente, liberalmente, volonterosamente*: Fr. *avec bienveillance, amitié, bonté*; Hisp. *benignamente, liberalmente*; Germ. *aus freundliche, gütige, theilnehmende, bereitwillige oder zuvorkommende Art und Weise*; Angl. *kindly, amicably, courteously, liberally*). ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 4. *in fin.* et *Cic. Flacc.* 23. 53. Benigne aliquem defendere. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 36. Benignius salutare aliquem. *Cic.* 13. *Phil.* 2. 4. Salutare benigne, comiter appellare. Adde *Sall. Jug.* 101. *Cic. Balb.* 16. 36. Benigne, non gravate viam monstrare. *Id.* 3. *Att.* 4. et *Val. Max.* 1. 8. 2. Benigne invitare. *Cic. Cluent.* 3. 8. Benigne attenteque audire. Cf. *Sueton. Aug.* 89. Benigne et patienter audire. *Et Liv.* 1. 9. Benigne audire aliquem. *Sall. Jug.* 11. et *Liv.* 27. 4. Benigne respondere. *Sall. Jug.* 121. habere aliquem. *Liv.* 1. 22. et 2. 35.; et *Tac.* 1. *Ann.* 57. Blande et benigne excipere aliquem. *Liv.* 1. 28. Benigne alloqui. Cf. *Curt.* 8. 6. 19. Benignius alloqui. *Liv.* 3. 26. Plebs benigne arma cepit. *h. e.* libenter. *Catull.* 67. 3. Benigne servire alicui. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 11. Benignius tractare se. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 50. (143). Benigne vivere inter se. *h. e.* se invicem libenter juvando. *Val. Max. præfat.* Benigne fovere aliquem. ¶ 2. Specialim *benigne facere* est tractare aliquem amice, comiter, liberaliter, maxima cum facilitate ac gratia eique benefacere: et occurrit — a) Modo absolute, ut apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 100.; *Ter. Adelph.* 5. 4. 24.; *Cic.* 1. *Legg.* 18. 49. et 2. *Off.* 15. 53.; *Catull.* 72. 3.; *Senec.* 5. *Benef.* 19.; et *Gell.* 17. 5. — b) Modo cum Dativo personæ, ut apud *Cic.* 1. *Invent.* 55. 109. et 13. *Fam.* 67.; *Liv.* 4. 14. et 28. 39. — Passive *benigne fit alicui* occurrit apud *Cic.* 1. *Off.* 14. 42. et 2. *ibid.* 15. 52. ¶ 3. Item specialim, quoties jungitur verbis, quæ rerum mensuram quomodocumque significant, *benigne* est idem atque abundanter: ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 16. 8. si rubicunda benigne Corna vepres et pruna ferant. *h. e.* abundanter, feraciter. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 2. Quod opus sit, benigne præbeatur. Adde *Plaut. Curc.* 4. 2. 37. et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 31. 36. (133). *Cic.* 1. *Verr.* 11. 33. Benignissime communicare aliquid cum aliquo. *Sall. Jug.* 68. Benigne ostentare prædam. *Liv.* 9. 31. prædam concedere. *Id. ibid.* 32. commeatus advehere. *Id.* 45. 44. Ædes benigne aliquem recipiunt. *Horat.* 1. *Od.* 9. 6. atque benignius Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota. *h. e.* largius. (Contra *Liv.* 39. 9. Maligne omnia præbentibus suis. *h. e.* parciter, illiberaliter). *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Aquæ emicant benigne passimque in plurimis terris. *h. e.* abundanter et in utilitatem telluris. *Mela* 3. 6. 5. Benignius alere. *V.* BENE. — Hinc in formulis *benigne polliceri, promittere* etc. benigne est idem atque amice, libenti animo. *Cic.* 4. *Fam.* 13. 3. et *Liv.* 6. 6. Benigne polliceri. *Cic.* 4. *Verr.* 4. 12. Benignissime promittere. *V.* BENE *A.* 13. ¶ 4. Item *benigne dicis* vel absolute *benigne* — a) In responsionibus est gratias agentis pro benignitate et comitate. *Plaut. Truc.* 1. 2. 27. AS. Peregre cum advenis, cœna detur. DI. Benigne dicis. *h. e.* gratias tibi ago. *Ter. Phorm.* 5. 9. 62. At ego exastor posthac tibi, quod potero, et quæ voles, faciamque et dicam. PH. Benigne dicis. — b) Recusantes etiam cum gratiarum actione oblatum beneficium, hac formula eleganter utuntur. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 60. dic Ad cœnam veniat. non sane credere Mena: Mirari secum tacitus. quid multa? benigne Respondet. Negat ille mihi? etc. Et *ibid.* v. 15. vescere sodes. Jam satis est, at tu quantum vis tolle. benigne. Cf. *Cic.* 5. *Verr.* 85. 196. Benigne ac liberaliter. *V.* BENE *A.* 9. *b.* ¶ 5. Denique apud JCtos benigne pro ex æquo et bono, seu clementer: cf. BENEVOLENTIA 3. *Paul. Dig.* 50. 17. 155. In pœnalibus causis benignius interpretandum est. *Ibid.* 34. 7. 1. § 13. accipere aliquid. *Ibid.* 37. 14. 4. Benignissime rescribere.

BENIGNĬTAS, ātis, f. 3. (benignus). ¶ 1. Generatim est optima animi indoles, animi bonitas, facilitas comitasque, qua quis inclinat ad præstandum plus quam ex jure aut officio debeat (It. *benignità, inclinazione a far servigio*; Fr. *bienveillance, bonté, services*; Hisp. *benevolencia, buena voluntad*; Germ. *die Gutartigkeit oder Gutmüthigkeit, Herzensgüte, Zuvorkommenheit*; Angl. *kindness, bounty, inclination to oblige*). *Plaut. Merc. prol.* 15. Si advertendum ad animum adest benignitas. *Ter. Andr.* 5. 1. 7. Modus benignitatis. *Cic. Sext.* 13. 31. Etsi me attentissimis animis summa cum benignitate auditis. *Id. Dom.* 14. 32. Vestra in me audiendo benignitas. *Id. Cæcin.* 3. 9. Nimiæ vestræ benignitati pareremus, si alia ratione jus nostrum recuperare possemus. *Id.* 5. *Verr.* 83. 191. Qui benignitate adducti, per beneficium et gratiam civitatibus concesserunt, ut etc. *Id. Rosc. com.* 12. 33. Nunc, Deûm immortalium benignitate, omnium fortunæ sunt certæ. *Tac.* 2. *Hist.* 30. Benignitas animi. *Plin.* 8. *Ep.* 12. Magna benignitate auditoria frequentare. *V.* et Homonym. in fin. ¶ 2. Specialim cum agitur de ope ferenda, benignitas est animi bonitas, qua quis ad aliis subveniendum inclinat, alacritas in subveniendo, adeoque beneficentia et liberalitas. *Plaut. Truc.* 1. 2. 80. Non istæc mea benignitas docuit te fabulari, sed isti – parcipromi. Et in num. plur. *Id. Stich.* 4. 2. 53. Vides ut annona est gravis! Vides benignitates hominum ut periere et prothymiæ! *Ter. Eun.* 1. 2. 83. Num so-

lus ille dona dat? num ubi meam benignitatem sensisti in te claudier? V. *Donat.* ad h. l. *Cic.* 2. *Off.* 15. 52. Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur. *Id.* 1. *ibid.* 14. 24. Videndum, ne major benignitas sit, quam facultates. *Id.* 2. *Nat. D.* 53. 131. Quanta benignitas naturæ, quod tam multa ad vescendum gignit! *Id.* 4. *Att.* 2. *in fin.* Amicorum benignitas exhausta. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. Plurimum benignitatis in aliquem conferre. *Nepos Timoth.* 2. Benignitatis memoria. *Liv.* 9. 42. Volumnius prædæ erat largitor et benignitatem per se gratam comitate adjuvabat. *Horat. Epod.* 1. 31. Satis superque me benignitas tua ditavit. *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 71. Benignitas mea me ad cælestem gloriam efferat. *Curt.* 10. 1. Benignitas eximia in regem. *Id.* 10. 5. in amicos. *Seneca fragm.* p. 102. ed. *Niebhur.* Sic properabat benignitas ejus, sic irascebatur. ¶ 3. Item speciatim apud JCtos benignitas est gratia, clementia. *Martian. Dig.* 48. 19. 11. In gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Adde *ibid.* 1. 3. 25.

Homonym. Si stricta significatione accipiantur, ajebat *Forcellinus*, differunt inter se *liberalitas* et *benignitas*. Nam *liberalitas* versatur tantummodo in largitione, *benignitas* significat inclinationem ad benefaciendum quocumque modo possumus. Differunt etiam a *comitate*: hæc enim consistit in blandis ac benevolis verbis; illæ in re et factis. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Justitia, cui adjunctæ sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas.

BENIGNĬTER, adverb. idem quod benigne. *Titinius* apud *Non.* p. 510. 13. *Merc.* Nimium te patrocinari censeo benigniter. Cf. *Priscian.* 15. p. 1010. *Putsch.*

BENIGNUS, a, um, adject. ex *bene* et *gigno* vel *geno*, ut ait etiam *Paul. Diac.* p. 33. 7. *Müll.* Hinc ad litteram *benignus* est qui specie sua vel natura bonus est; cui recta opponitur *malignus*. — Comp. *Benignior* 1. 2.; Sup. *Benignissimus* 1. 2. — Ceterum benignus dicitur, qui tali est cordis bonitate, facilitate, comitate, ut proclivis sit ad præstandum plus quam quod ex jure aut officio debeat; hinc ponitur pro facili, comi, humano, æquo (It. *benigno, inclinato a far servigio*; Fr. *bon, doux, affectueux, bienveillant*; Hisp. *benigno, bien intencionado*; Germ. *gütig, zuvorkommend, mild*; Angl. *kind, amicable, disposed to oblige*). ¶ 1. Generatim, ut diximus, benignus est facilis, comis, humanus. — a) Absolute. *Ter. Phorm.* 5. 2. 2. Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos. Adde *eumd. Hec.* 5. 3. 39. *Cic. Balb.* 16. 36. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur. *Id.* 2. *Off.* 14. 48. Oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam allicere. *Propert.* 1. 10. 24. et 3. 13. 42. Verba benigna. *Liv.* 21. 19. Verba benigniora. *Id.* 30. 14. Benigno vultu excipere aliquem. Adde *eumd.* 9. 6. et 28. 26. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 20. vultum servat fortuna benignum. *Id.* 4. *Od.* 4. 74. Quas et benigno numine Juppiter Defendit. *Id. ibid.* 2. 52. Benigni divi. *Seneca fragm.* ed. *Niebhur.* p. 102. Cogitationibus pessimis facies benignissima obducitur. *Plin. Hist. nat. procem.* § 41. Est enim benignum et plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris. *Id.* 35. *ibid.* 2. 2. (11). Benignissimum inventum. *Forcellinus* pro beneficentissimo accepit. *Gell.* 7. 3. Benevolos benignosque sibi auditores parare. — b) Cum Accus. aut Abl. et præp. *in*. *Ter. Hec.* 3. 5. 22. Fideli animo et benigno in aliquem esse. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (87). Apelles et in æmulis benignus. ¶ 2. Speciatim benignus est idem fere ac liberalis; nisi quod *benignus* est is, qui ad quocumque modo juvandum propensus est, latiusque patet, cum *liberalis* in largiendo tantummodo spectetur. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Legg.* 18. 48. Quid? liberalitas gratuitane est an mercenaria? si sine præmio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta: nec est dubium, quin is, qui liberalis benignusque dicitur, officium, non fructum sequatur. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. 8. Sed nescio quo modo faciliius in timore benigni, quam in victoria grati reperiuntur. *Id.* 1. *Nat. D.* 45. 123. Homines benefici et benigni. *Id.* 1. *Off.* 14. 44. Qui benigniores volunt esse, quam res patitur. *Id.* 6. *Verr.* 3. 6. Uti aliquo ad commodandum benigno. *Seneca* 7. *Benef.* 14. 1. Hic benignissimus, qui dicat: Mitte hanc de pectore curam. — b) Cum Accus. et præp. *ergu*, aut cum Dat. personæ. *Plaut. Rud.* 5. 3. 33. Benignum esse erga aliquem. *Id. Trin.* 3. 3. 12. et *Pers.* 4. 4. 34.; et *Horat.* 3. 29. 52. alicui. *Plaut. Trin.* 2. 4. 58. Benigniorem esse alicui. — c) In illo *Plaut. Truc.* 1. 1. 20. Atque est benignus potius, quam frugi bonæ, *benignus* est reprehendentis, ac propterea in malam partem sumitur pro prodigo. — d) Cum Genitivo Græca constructione, seu potius antiquissima Ablativi forma. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 3. vini somnique benignus. *h. e.* vino et somno large indulgens. ¶ 3. Item speciatim ponitur de rebus pro largo, abundanti, copioso, feraci, fertili. — a) De inanimis. *Tibull.* 3. 3. 6. Et magnas messes terra benigna daret. *Horat.* 1. *Od.* 17. 15. hinc tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorem opulenta cornu. *Id. Epod.* 17. 66. Egens benignæ Tantalus semper dapis. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 56. Benignus ager. *Id.* 5. *Fast.* 174. præda. *Liv.* 42. 38. Benigna materies gratias agendi. *Seneca* 2. *Ira* 1. 1. Benignior materia. *Id. de Constant.* 18. pr. Materia risus benignissima. *Mela procem.* Longa magis, quam benigna materies. *h. e.* quæ dicendo facile excoli et facunde tractari possit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Quæque alia præter arbores aut frutices benigna tellure proveniunt. — b) Aliquando et de animo ponitur pro divite, copioso. *Horat.* 2. *Od.* 18. 10. ingenii benigna vena. *Id.* 1 *Ep.* 5. 11. Æstivam sermone benigno tendere noctem. *Forcellinus* in hoc postremo *Horat.* loco benignum pro jucundo, grato accepit. ¶ 4. Item interdum pro fausto, felici. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 108. Benignus dies. *Id.* 10. *Theb.* 116. nox. ¶ 5. Apud JCtos benignus est clemens, ex æquo bonoque, non ex summo jure. *Ulp. Dig.* 39. 5. 16. Dominium ad libertos benigna interpretatione pertinere dixi. *h. e.* ex æquitate. *Id. ibid.* 32. l. 5. Fideicommissum valere, benignum est. *Papinian. ibid.* 37. 6. 8. Benignior sententia. *Cajus ibid.* 36. 1. 10. Benignius est, intelligi tunc translatas videri actiones. *V.* BENIGNITAS 3.

BENNA linguâ Gallicâ genus vehiculi appellatur, unde vocantur combennones eâdem bennâ sedentes. *Paul. Diac.* p. 32. 14. *Müll.* Addit *Voss.* in *Etymol.* hodieque a Gallis et Belgis vocari *benne*, vel potius *banne* (ut et a rusticis nostris *bena*) corbem, cistam, item vehiculum vimineum quadratum, duabus rotis volubile. Legitur apud *Caton. R. R.* 23., ubi enumerat, quæ ad vindemiam opus sunt. In *Edit. Jensoniana* 1472. habetur hoc loco *mœnæ* pro *bennæ*, quod mire placet *Auson. Popmæ* et *Pontederæ*, atque adeo *Schneidero*, qui ita edendum curavit.

BEO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Beatus* in fin. — Ratione habita etymi, hæc habet *Ulp. Dig.* 50. 16. 49. Naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est beatos faciunt: beare est prodesse. Sed *beo* rectius conjungitur cum themate *feo*, unde *femina*, *fetus*; nisi quod *beo*, haud aliter quam *felix* a *feo*, de animo tantummodo dicitur: itaque beare est animum lætitia afficere (It. *beare, far beato*; Fr. *rendre heureux*; Hisp. *hacer dichoso, feliz*; Germ. *glücklich machen, beglücken, erfreuen*; Angl. *to make happy, bless*).

1.) Proprie occurrit — a) Absolute et est solari, recreare. *Plaut. Amph.* 2. 2. 12. Hoc me beat saltem, quod perduelles vicit, et domum laudis compos revenit: id solatio est. *Id. Capt.* 1. 2. 34. Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi: foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat. — Hinc in familiari sermone formula *beas*, *h. e.* id me juvat, ut apud *Plaut. Asin.* 2. 2. 66. *Ter. Andr.* 1. 1. 78. O factum bene! beasti: metui a Chryside. *beasti* responsum est audientis bonum nuncium. Sic *Id. Eun.* 2. 2. 46. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam: ecquid beo te? *h. e.* affero ne tibi lætum ac jucundum nuncium, ac tale prorsus, ut recreeris, et beatus ac felix tibi videaris? — b) Cum Accus. personæ et Ablat. rei, et est lætum et felicem reddere. *Horat.* 2. *Od.* 3. 6. Seu te in remoto gramine per dies Festos reclinatum bearis Interiore nota Falerni. *Id.* 4. *ibid.* 8. 29. Cælo Musa beat (*illos*). *Id.* 1. *Ep.* 18. 75. Beare aliquem munere.

II.) Translate. Quia divitiæ maxime omnium recreare hominemque felicem reddere putantur, accipitur etiam pro ditare; eademque ratione *beatus* (*V.* infra) pro divite ponitur. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 121. Fundet opes Latiumque beabit divite linguâ. — Sæpius occurrit Part. præter. pass.

Beatus, a, um, quod Adjectivorum more usurpatur: unde Comp. *Beatior* et Sup. *Beatissimus* in omnibus ferme paragr.

A) Proprie. Beatus generatim est felix, nullo malo pressus, cui bene est ab omni parte, teste *Cic.* 5. *Tusc.* 10. 28. Neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio (It. *beato, felice*; Fr. *heureux, fortuné*; Hisp. *dichoso, feliz*; Germ. *beglückt, glückselig oder glücklich*; Angl. *happy, blessed*). ¶ 1. Generatim — 1.) De personis earumque rationibus. — a) Absolute. *Ter. Phorm.* 1. 3. 18. Beatus, ni unum hoc desit. *Afranius* apud *Non.* p. 517. 17. *Merc.* Quam beatæ scænicæ videntur mihi mulieres. *Cic.* 5. *Tusc.* 8. 23. Qui beatus est, non intelligo, quid requirat, ut sit beatior. Si est enim quod desit, ne beatus quidem est. Cf. *Catull.* 45. 26. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Illi beati, quos nulli metus terrent. *Id. Amic.* 7. 23. Illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. *Id.* 6. *de republ.* 13. 13. Beatum sempiterno ævo frui. *Id.* 5. *Fin.* 28. 84. Beatum, inquit. Etiam beatissimum. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 6. 22. et 4. *ibid.* (2. *pr.*) 43. 134. Vita beatissima. *Id.* 2. *Fin.* 13. 41., 5. *Tusc.* 5. 13. et 1. *Acad.* (*post.*) 6. 22.; et *Nepos* apud *Lactant.* 3. 15. 10. Vita beata. *Cic.* 6. *Fam.* 12. 4. Victor beatus. *Virg.* 1. *Æn.* 94. O terque quaterque beati Queis ante ora patrum etc. *Horat. Epod.* 2. 1. Beatus ille, qui procul negotiis etc. *Id.* 2. *Od.* 2. 18. Beatorum numero eximere aliquem. *Ovid.* 3. *Met.* 136. dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet. *Id.* 7. *ibid.* 797. Beatum tempus. *Tac. Agric.* 44. Sæculum beatissimum. *Quintil.* 12. 11. 12. Vita honesta beataque. — b) Addita re, qua quis est beatus, fere per Ablat. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 74. Divitiis homines an sint virtute beati. *Id.* 2. *Ep.* 1. 139. Agricolæ prisci fortes parvoque beati. *h. e.* contenti et felices. *Id. ibid.* 2. 108. quidquid scripsere beati. *Catull.* 22. 15. neque idem unquam æque est beatus ac poema cum scribit. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 158. Omni laudum cumulo beatus. — 2.) Item de inanimis et abstractis, quæ aut per se felicia sunt, aut alios felices reddunt. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. § 29. Plato tum denique fore beatas respublicas putavit si etc. *Id.* 5. *Fam.* 21. 3. Beata civitas et libera. *Liv.* 24. 28. Status reipubl. fortunatior beatiorque. *Catull.* 23. 24. Commoda beata. *Id.* 65. 14. Ne amplius a misero dona beata petas. *h. e.* carmina consolatoria, quibus a tristitia animum tuum liberes. *Virg.* 6. *Æn.* 638. amœna vireta Fortunatorum nemorum sedesque beatas. *Horat.* 2. *Od.* 16. 28. nihil est ab omni Parte beatum. *Id.* 1. *Ep.* 10. 14. Novistine locum potiorem rure beato? *Id.* 2. *Od.* 6. 21. Beatæ arces. *Martial.* 9. 12. nectar. ¶ 2. Speciatim quia divites omnium felicissimi videntur, quod in divitiis omnia vitæ commoda constare videntur, *beatus* sæpe pro divite ponitur; ut ait *Varro* 4. *L. L.* 7. *Müll.* Dives a Divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur: beatus, qui multa bona possidet. Cf. *Plaut. Curc.* 3. 1. et seqq. et *Pœn.* 1. 2. 90.; et *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 93. — a) De personis. *Cic.* 1. *Att.* 19. 6. Beati homines. *Id.* 2. *Invent.* 1. 1. Crotoniatæ cum primis beati. *Nepos Ages.* 8. Ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. *Catull.* 10. 17. Unum beatiorem se facere. *Horat.* 3. *Od.* 9. 4. Persarum rege beatior. *Id. ibid.* 7. 8. Thynâ merce beatus. *Id.* 2. *Sat.* 8. 1. Nasidieni cœna beati. *Id.* 2. *Od.* 4. 13. Nescias, an te generum beati Phyllidis flavæ decorent parentes. *beati* hoc loco *nobiles* significare quibusdam videtur. *Juvenal.* 1. 39. vetulæ vesica beatæ. — b) De inanimis et abstractis. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 81. Civitas opulentissima et beatissima. *Propert.* 2. 16. 25. Munera beata. *Horat.* 3. *Od.* 29. 11. mitte mirari beatæ Fumum et opes strepitumque Romæ. *Id.* 1. *ibid.* 29. 1. Beatæ Arabum gazæ. *Id. Epod.* 16. 41. arva, beata Petamus arva. *Ovid.* 12. *Heroid.* 24. Regna beata. *Id. ibid.* 16. 175. Ora beatior. *Id.* 1. *Amor.* 15. 34. auriferi ripa beata Tagi. *Id.* 2. *Pont.* 8. 5. Argentum felix omnique beatius auro. *h. e.* pretiosius. *Id.* 4. *ibid.* 8. 33. urbes. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 11. 12. (65). Arabia beatæ cognomine inclita. *Martial.* 9. 76. Idem beatas lautus extruit thermas. *h. e.* sumptuosas. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 44. Opes beatæ.

B) Translate. ¶ 1. Ponitur pro affluenti, abundanti. *Quintil.* 10. 1. 19. Immortalis ingenii beatissima ubertas. *Id. ibid.* § 61. Beatissima rerum verborumque copia. *Id.* 11. 3. 40. Ornata est pronunciatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata (*h. e.* plena, abundans), flexibilis, firma, dulcis, durabilis,

clara, pura. ¶ 2. Apud serioris ævi Scriptores aliquando beati dicuntur mortui, ut Græce μακαρῖται; idque 'εκ' εὐφημισμοῦ ad evitandum mali ominis vocabulum. Ammian. 25. 3. Anatolium quæsivit Officiorum magistrum: quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset præfectus, intellexit occisum. V. FELIX. Huc quidam trahunt etiam illud Horat. Epod. 8. 11. Esto beata: funus atque imagines Ducant triumphales tuum. Plerique tamen accipiunt pro nobili genere nata ornataque magnifice. — Aliter omnino apud Christianos Scriptores beatæ memoriæ vir dicitur, qui pie vita functus est. Hieronym. Ep. 24. ad Marcell. laud. Asellæ et Ep. 76. ad Abigaum. ¶ 3. Item apud Christianos Scriptores beatissimus dicitur, quicumque præcipua aliqua Ecclesiastica dignitate eminet, ac præcipue Romanus pontifex. Cassiod. 8. Variar. 24. Ad beatissimi papæ judicium prius conveniat audiendus aliquis ad clerum pertinens. Adde Cod. 1. 4. 13. pr.; Julian. Epit. nov. c. 7. § 34., c. 51. § 193. et c. 52. § 194. V. BEATITUDO 2. — Hinc

Beatum i, n. 2. absolute substantivorum more idem est quod beatitas. Cic. 5. Fin. 28. 84. In qua (virtute) sit ipsum etiam beatum. Adde eumd. 5. Tusc. 15. 45. et cf. Seneca Quæst. nat. præfat.

BERBĒCĪNUS. V. VERVECINUS.

BERBECULUS, i, m. 2. parvus berbex. Petron. fragm. Tragur. 37. et 67. Burmann. et Arnob. 4. 22.; sed utroque loco incerta est lectio. V. BABECALUS.

BERBEX pro Vervex legitur apud Petron. fragm. Tragur. 57. Burmann. Apud Vopisc. Aurelian. in fin. legitur berbicem in accusativo pro berbecem in quodam optimo cod., ut adnotavit Salmas.

BĔRĔNĪCĒ, es, f. 1. Βερενίκη. Legitur et Berenoce, ut Græce Βερονίκη. Utraque autem scribendi ratio suos habet auctores, ut videre est apud Dausq. in Orthogr., qui eo inclinare videtur, ut Beronicen præferat. Berenice videtur esse Φερενίκη, victoriam referens. Sed Beronice scribitur etiam cognomen Ulpiæ in Inscript. apud Gruter 926. 12. — Berenice fuit Ptolemæi Philadelphi et Arsinoes filia, quæ Ptolemæo Evergetæ fratri nupsit. (At E. Q. Viscontius Iconogr. Gr. T. 3. p. 320. edit. Mediol. probat, hanc Berenicen fuisse filiam Maga, fratris Ptolemæi Philadelphi, regisque Cyrenarum, et Apames uxoris ejus quæ Ptolemæo Evergetæ fratri patrueli nupsit.). Hæc cum Ptolemæus expeditionem in Asiam suscepisset, vovit, se comam sibi detonsuram, qua nihil pulcrius unquam visum est, Venerique dicaturam, si incolumis reverteretur. Igitur Ptolemæo reverso Berenice abscissos crines tulit in templum Veneris. Cum postridie coma non apparuisset, ægre id ferente rege, Conon mathematicus regis gratiam per adulationem captans, inter sidera collocatam affirmavit, septem ei figura vacuas ad caudam leonis ostendens stellas, in quas Berenices comam mutatam asserebat. Hæc et alia etiam narrat Hygin. 2. Astron. 24. Extat etiam de hac Berenices coma elegans Catulli carmen, n. 66. — Etiam Plin. 2. Hist. nat. 70. 71. (385). memorat crinem Berenices, sed cum stellam esse dicat, quam Italia non videt, procul dubio aliam a coma Berenices intelligit, ut et Harduin. adnotavit. — NB. Ceterum V. ONOM.

BERĪNUS. V. CERINUS.

BERNA, pro verna scribi volunt Cassiodor. et Beda De orthogr. p. 2299. et 2330. Putsch., quando significat domi genitum, verna vero a vere, ut verna tempora. Sed contra est consuetudo. Ceterum legitur in Inscript. apud Fabrett. p. 651. n. 437. M. TITVCIVS DAPHNVS BERNIS SVIS B. M. F. Ita vero lapidem insculptum fatetur Petrus del-Signore, Marmi Riccard. p. 315., qui etiamnum Florentiæ exstat.

BERULA, æ, f. 1. herba quædam apud Marcell. Empir. 36. ad med. Appones herbam, quæ in aquæ jugis decursu nascitur, quam Latine berulam, Græce cardaminen vocant.

BĒRYLLOS vel

BĒRYLLUS, i, m. 2. βήρυλλος. Primam corripuit Prudent. Psychom. 856. Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum. — Beryllus est gemmæ, seu lapidis pretiosi nomen. Beryllorum multa genera Plin. 37. Hist. nat. 5. 20. (76). et seq. enumerat. Probatissimos dicit esse, qui colore viriditatem puri maris imitentur: proximos qui vocantur chrysoberylli, et sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vide ibi reliqua. Id. ibid. India berillos gignit, raro alibi repertos. Et ibid. Indi et alias quidem gemmas adulterare repererunt, sed præcipue beryllos. Juvenal. 5. 37. ipse capaces Heliadum crustas, et inæquales beryllo Virro tenet phialas. h. e. beryllo undique inserto asperas. Propert. 4. 7. 9. Et solitum digito beryllon adederat ignis. beryllon Accusativus est Græcæ positionis pro beryllum. Adde Dig. 39. 4. 16. § 7.; Solin. 53. et Isid. 16. Orig. 7. 6. — NB. De nomine pr. V. ONOM.

BES, bessis, m. 3. In recto casu sing. occurrit et bessis, quamvis raro, ut apud Paul. Diac. p. 33. 1. Müll., Cod. Theod. 9. 42. 8. § 1., et Priscian. de ponder. p. 1348. Putsch. — De hujus vocabuli etymologia hæc habet Varro 5. L. L. 172. Müll., ubi de assis partibus verba facit: Reliqua obscuriora, quod a deminutione; et ea, quæ deminuuntur, ita sunt, ut extremas syllabas habeant, ut a duodecim una dempta, deunx: dextans dempto sextante; dodrans dempto quadrante, bes, ut olim des, dempto triente. Paul. Diac. l. c. Docet bes dictum esse, quod bis triens sit: sed ineptam et duram esse ajunt Voss. et Scalig., qui priorem Varronis probant. Tertium etymon ponit Voss., quod dicatur ab obsoleto des, quasi de asse, quia partes assis (quas V. in AS) usque ad septimam nominantur ab unciarum additione et augmento, reliquæ deinceps detrahendo ab asse appellationem trahunt, ut est etiam in allatis verbis Varronis. Alii denique afferunt quartum, quod bes conflatum sit ex bis et as, quia ex tribus assis partibus, quæ sunt trientes, duas continet: quod etymon sane probandum ex ipsius Varronis verbis, namque ex duo et as ab antiquis conflatum est dues seu des, quod deinceps transiit in bes, ut duellum in bellum, aliaque hujusmodi. — Bes itaque est pars assis duos trientes significans, h. e. 2/3, sive octo uncias, h. e. 8/12; as enim in duodecim uncias dividitur; cf. verba Varronis superius allata. Et Paul. Diac. l. c. Bessis octo sunt unciæ, triens quatuor. Al. leg. trientis pro triens. Bessis porro pretium repræsentat nummus æreus gentis Cassiæ apud Barpt. Borghesium Decad. num. 4. oss. 7., in cujus parte antica est Bacchi caput hedera et corymbis coronatum, in postica rostrum navis, in utraque vero parte visitur S:, h. e. nota bessis, qua docemur hujusmodi nummum bessem valuisse, quemadmodum in alio ejusdem gentis nummo apud Eckhel. D. N. V. T. 5. p. 168. S: est nota dodrantis. ¶ 1. Apud Latinos bes, sive agatur de pondere, sive de mensura, sive de ratione alia quacumque, significat duas tertias partes totius alicujus, adhibita ea proportione, quæ est octavi numeri ad duodecimum. Cic. 4. Att. 15. 7. Fenus ex triente Idibus Quint. factum erat bessibus. Manil. 3. 367. Bisque novem (annos), Nemeæe, dabis bessemque sub illis. h. e. 18. annos et menses octo. Colum. 5. R. R. 1. 11. Partes duæ tertiæ (partis) pedes decem novem millia et ducentos (efficit), hoc est bes, in quo sunt scripula CXCII. scilicet as constat ex 288. scripulis. Plin. 18. Hist. nat. 11. 26. (102). In binos semodios farinæ satis esse bessem fermenti. Scribon. Compos. 157. Ceræ pondo libram et trientem, magmatis pondo bessem. Id. Compos. 126. Bes sextarii. h. e. octo cyathorum mensura. Plin. 7. Ep. 24. Heres ex besse. Procul. Dig. 17. 2. 76. Ut tu ex triente socius esses, ego ex besse. Ulpian. ibid. 1. 12. Exsolvere bessem pretii. Julian. ibid. 21. 2. 39. § 2. Bessem fundi emere. Cod. Theod. 9. 42. 8. § 1. Bessis patrimonii. Capell. 8. p. 292. Luna circuit totum signiferum diebus viginti septem et besse. h. e. et horis octo, quæ sunt partes duæ tertiæ unius diei. — Hinc bes alterum Latina computandi ratione est as cum duobus trientibus, h. e. unciæ viginti, sive 1 8/12. Festus p. 363. 31. Müll. Qua consuetudine hodieque utimur, cum lignum bes alterum dicimus, id est pedem et bessem latitudinis habens. ¶ 2. Per metonymiam, cum bes sit, ut diximus, pars assis duos trientes significans, h. e. 8/12, absolute pro octo usurpavit Martial. 11. 36. Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus, Caius ut fiat Julius et Proculus. h. e. bibamus quinque, sex et octo cyathos: totidem enim sunt litteræ in illis nominibus Caius, Julius, Proculus. V. BIBO. ¶ 3. Apud Mathematicos, Græca computandi ratione, cum numerus perfectus sive as, hoc est unitas accipiatur pro senario numero, bes est δίμοιρος, nempe quatuor significat. Vitruv. 3. 1. 6. Schneid. V. AS A. 1. d. Hinc bes alterum est as cum besse, h. e. si senarius numerus pro asse sumatur, bes illius erit quaternarius; addito igitur ad sex hoc besse, orientur decem, et denarius relatus ad senarium erit bes alterum. Vitruv. l. c. Duabus partibus additis et decussi facto, bes alterum fit, quem ἐπιδίμοιρον vocitant.

BESSĀLIS, le, adject. a bes, bessis deductum. Vitruv. 5. 10. 2. et 7. 4. 2. Schneid. Laterculis bessalibus pilæ struantur. h. e. octo unciarum, seu pollicum. Pedis enim mensura in duodecim uncias, seu pollices dividitur. Adde locum Petronii, qui affertur in v. BETALIS, ubi bessalis metaphorice accipitur. Martial. 8. 71. Bessalis scutula. h. e. vas octo unciarum capax.

BESSĬCĬLĬCUS, i, m. 2. Hæc habet Mæcian. de asse § 58. Undecias hac nota scribas (Ӿ S =) appellesque bessicilicus, nam bessicilici toties (h. e. sedecies) undeciæris efficiunt.

BESTĬA, æ, f. 1. generatim significat animalia ratione carentia, et homini opponitur (It. bestia; Fr. bête; Hisp. bestia; Germ. d. Thier; Angl. a beast). ¶ 1. Generatim ponitur de quibuscumque brutis animalibus: V. Cic. 1. Tusc. 10. 21., 2. Nat. D. 11. 31. et 2. leg. Agr. 4. 9. a) Stricto sensu. Id. 5. Tusc. 13. 38. Natura alias bestias nantes, aquarum incolas esse voluit; alias volucres cœlo frui libero; serpentes quasdam, quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas; immanes alias, quasdam autem cicures; nonnullas abditas terraque tectas. Id. Amic. 21. 81. Hoc apparet in bestiis volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris. Id. 2. Nat. D. 48. 124. Bestiæ aquatiles. Inter quas ibid. enumerat etiam testudines. Id. 1. Fin. 21. 71. et Liv. 7. 4. mutæ. Cic. 2. Herenn. 19. 29. fera. Sic Nepos Datam. 3. Feram bestiam captam ducere. Adde Liv. 26. 13. Cic. 1. Divinat. 7. 13. Herbarum genera et radicum ad morsus bestiarum. Id. Rosc. Am. 20. 56. Canes, tametsi bestiæ sunt, tamen etc. Sic Plaut. Pœn. 5. 2. 75. bestiam de serpente dixit; et Id. Cist. 4. 2. 62. de involvulo: atque ita Auct. B. Afr. 72. et Liv. 33. 9. vocaverunt elephantos; et Sueton. Aug. 69. dixit asinum. — b) Neque aliter in conviciis de homine Plaut. Bacch. 1. 1. 21. Mala tu es bestia. Adde eumd. Pœn. 5. 5. 13. — c) Pro malo hirci odore dixit Catull. 69. 8. ¶ 2. Speciatim dicitur de animalibus, quæ naturâ fera sunt et hominibus noxia, ut Ulp. Dig. 3. 1. 1. et ibid. 9. 1. 1. docet, ut ursi, leones, apri, tigres, item canes feri, serpentes venenatæ, aranei et hujusmodi alia, quæ aliquo modo in hominem sæviunt: illa vero, quæ per se quidem fera sunt, sed domari tamen possunt, ut cameli, elephanti, quadrupedum aut pecudum nomine, postquam domita sunt, contineri possunt, ut Idem tradit cit. lib. 9., quamquam in lib. regular. tit. De dominio et acquisitionib. rer. camelos et elephantos bestiarum numero esse affirmat, h. e. vocabulum generatim accipiendo, non vero speciatim. Cf. hac de re et Plin. 10. Hist. nat. 1. 1. (1). et Isid. 12. Orig. 2. 1. — Hinc vocabulum bestia ferme occurrit de feris, quæ apud Romanos in ludis pugnabant. Cic. 7. Fam. 1. 3. Cum homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. Cf. Liv. 44. 9. et Senec. 2. Benef. 19. 1. Cic. Pis. 36. 89. Populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociosque misisti. h. e. qui cum bestiis depugnarent in ludis: V. BESTIARIUS. Asinius Pollio apud Cic. 10. Fam. 32. 3. Bestiis cives Romanos objicere. Sueton. Cal. 27. et Claud. 14. Condemnare aliquem ad bestias. h. e. ut ab iis laceretur. Gell. 5. 14. et Modestin. Dig. 48. 8. 11. Dare aliquem ad bestias. h. e. cum bestiis committere depugnandi causa. Gell. ibid. Servus ad pugnam bestiarum datus. Modestin. ibid. Tradere aliquem ad bestias depugnandas. Dig. 48. 13. 6. Bestiarum damnatio. Tertull. Apol. 46. et Resurr. carn. 16. Pronunciare ad bestias. ¶ 3. Pro sidere, cui nomen lupus, bestia occurrit apud Vitruv. 9. 5. 1. Schneid. — NB. De cognomine V. ONOM.

Homonym. Juxta Forcellinum differt bestia a bellua, quod in hac magnitudinem, in illa feritatem spectamus. Quod tamen speciatim tantummodo verum est.

BESTĬĀLIS, e, adject. ad bestias pertinens, animalis, belluinus (It. bestiale; Fr. et Hisp. bestial; Germ. thierisch; Angl. of a beast, bestial).

I.) Proprie. Prudent. 7. Cathemer. 153. Impexa villis virgo bestialibus.

II.) Translate. Sidon. 4. Ep. 1. Bestialium rigidarumque nationum corda cornea.

BESTĬĀRĬUS, a, um, adject. ad bestias pertinens.

Seneca Ep. 70. Jam ego istam virtutem habere tam multa exempla in ludo bestiario, quam in ducibus belli civilis ostendam. *h. e.* in ludo, in quo homines cum bestiis depugnant. Adde *eumd. ibid. paullo post.* — Hinc

Bestiarius, ii, absolute, qui cum bestiis pugnat. Duplex fuit bestiariorum genus: alterum eorum, qui mercede conducebantur, ut cum bestiis pugnarent, vel ipsi ultro virium et virtutis ostentandæ causa in arena cum bestiis congrediebantur, populi oblectandi causa. Hi certis utebantur armis, quibus bestias confoderent, quarum tamen ictibus ita expositi erant, ut maximus esset virtuti locus: itaque victores si evasissent, præmio et laude afficiebantur. Eorum pugna *venatio*, ipsi etiam *venatores* dicti sunt. Alterum genus erat eorum, qui ob admissa scelera damnabantur ad bestias, ut ab iis lacerarentur: hi plerumque inermes contra eas prodire cogebantur, nonnunquam etiam colligati iis discerpendi objiciebantur, ut ex *Tertull. Pudic.* 22. colligitur. *Cic. Sext.* 64. 135. Præclara ædilitas: unus leo, ducenti bestiarii. Hujusmodi dictum, in quo explicando *Manutius* atque *Abramus* incassum laboraverant, ita enucleat *Vet. Scholiast.* ab *A. Mai.* editus in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 158. Cum Vatinius invidiam sibi magnam conflasset de apparatu gladiatorum, simulaverat se bestiarios potius habere, quam gladiatores; et unum gladiatorem confitebatur, cui nomen Leoni fuit. Hanc igitur astutiam M. Tullius irridens, unum leonem dicit, ducentos bestiarios, id est venatores; sine dubio volens intelligi, hanc manum gladiatoriam seditionis causa comparatam. *Id.* 2. *ad Q. Fr.* 6. 5. Vindex gladiatorum et bestiariorum. Adde *eumd. Vat.* 17. 40.; *Senec.* 2. *Benef.* 19.; *Sueton. Claud.* 34.; et *Tertull. Apolog.* 9., ubi de bestiariis secundi generis mentio fit. De variis bestiariorum generibus eorumque artificiis in bestiarum certamine usitatis, consule *Cassiod.* 5. *Variar.* 42.

BESTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a bestia, parva bestia: et dicitur de quibuscumque minutis animalibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 39. 94. 110. *Varron.* 1. *R. R.* 12. 2. et *Senec. Ep.* 70. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 81. (163). Leguminibus innascuntur bestiolæ venenatæ. *Id.* 18. *ibid.* 17. 64. (156). Bestiola aranei generis. Adde 11. *ibid.* 6. 7. (15). et 19. *ibid.* 10. 57. (177).

BESTIUS, a, um, adject. idem ac bestialis, belluinus. *Commodian.* 31. 17. Sed sic quasi bestius erras.

BĒTA, æ, f. 1. genus oleris, quod omnium hortensiorum levissimum esse *Plin.* scribit 19. *Hist. nat.* 8. 40. (132)., simplici et carnosa radice, foliis viridibus et succulentis, caule candido. Ejus duo sunt genera, vernum et auctumnale, a temporibus satus: quamquam et Junio seritur. Græci distinguunt in nigrum et candidius. Gemina quoque ei natura, oleris, hoc est brassicæ, (unde *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Olerum betæ) et bulbi capite ipso radicis exsilientis: species summa in latitudine, quæ adjuvatur imposito lapillo latiore, aut testa fictili, quo pondere pressa beta in latum adeo folia extendit, ut nulli alii hortensiorum latitudo major contingat. In binos enim aliquando pedes expanditur. De betæ cultura, præter *Plin. l. c.*, agit *Colum.* 11. *R. R.* 3. 18. (It. *bietola*; Fr. *bette*; Hisp. *acelga legumbre*; Germ. *Mangold oder Beete*; Angl. *the beet*). *Plaut. Pseud.* 3. 2. 26. Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum. *Cic.* 7. *Fam.* 26. Ita ego, qui me ostreis et murænis facile abstinebam, a beta et a malva deceptus sum. Adde *Catull.* 67. 21. *Colum.* 10. 254. folio viridis, pede candida beta. Adde *ibid. v.* 326. *Martial.* 13. 13. Ut sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ, etc. *fatuæ* dicuntur, quia per se insipidæ sunt, nisi probe condiantur. *Id.* 3. 47. Pigroque ventri non inutiles betas. V. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 27. (69). ubi varios betæ in medicina usus recenset.

BĒTA, indeclinab., nomen secundæ Græcorum litteræ, βῆτα.

I.) Proprie. *Juvenal.* 14. 209. Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellæ. — Declinatur aliquando *beta*, æ. *Auson. Technopægn. cap. de litt. monosyll.* Dividuum betæ monosyllabon Italicum B. — Etymologi putant, *betam* herbam ita esse appellatam, quod ejus semen, cum turget, figuram Græcæ B referat. Paullo aliter *Colum.* 10. 251. Nomine tum Grajo, ceu littera proxima primæ, Pangitur in cera docti mucrone magistri; Sic et humo pingui ferratæ cuspidis ictu Deprimitur folio viridis, pede candida beta. — Latini efferebant hanc litteram *Be* tantum. *Sympos. Ænigm.* 42. Tota vocor Græce, sed non sum tota Latine.

II.) Translate ponitur pro secundo, ut *alpha* pro primo: *V.* ALPHA. *Martial.* 5. 26. beta togatorum.

BĒTĀCEUS, a, um, adject. ad betam herbam pertinens. *Varro* 1. *R. R.* 2. 27. Quemadmodum pedes betaceos seri oporteat.

Betaceus, i, m. 2. *Charis.* 1. p. 24. *Putsch.* et 2. p. 128., item *Priscian.* 3. *in fin.* docent dici substantive *hic betaceus*, i: eademque ratione a malva *hic malvaceus*, i: et ὑποκοριστικῶς, hoc est diminutive, dici pro parva beta, aut malva. *Apic.* 3. 2. Facies betaceorum fasces, etc. Et mox eamdem vocem repetit, et *Varronem* citat. Hæc autem sunt verba *Apicii* citantis *Varronem*: Betaceos Varronis (varro-betaceos), sed nigros coques. Videntur verba uncis inclusa insiticia esse, atque ii betacei indicari, qui a *Varrone* citantur sub I. *Arnob.* 4. p. 133. Cur enim Deus præsit melli uni tantummodo, non ficis (*lege viciis*), betaceis, caulibus? *Al. male leg.* betis. *Turneb. l.* 11. *c.* 3. putat, cum *betaceus* absolute dicitur, subintelligi *pes*: qua ratione *betaceus* potest deminutiva vox dici, quia *beta* integram herbam significat: *betaceus* autem *pes* solum caulem, vel radicem: quam sententiam plerique recentiores sequuntur, et confirmant loco *Plin.* 1. *Ep.* 15.

BĒTĀLIS, le, adject. betaceus. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Longe tibi sit comula ista betalis. *h. e.* mollis et diffusa, qualis est beta. Alii rectius leg. *bestalis*, hoc est vilis et parvi pretii.

BĒTIS, is, f. 3. herba eadem ac beta. *Seren. Sammon.* 56. 1010. Carica, vel betis lento cum melle jungatur. — *NB.* De nomine fluvii *V.* BÆTIS in ONOM.

BETĪSSO *vel* Bētizo, as, are, n. 1. a *beta*, pro languere usurpare solitus est *Augustus*, teste *Sueton. in ejus Vita* 87. Beta enim tenerrimum ac mollissimum caulem et folia habet. Quo pertinet illud *Catulli* 67. 21. Languidior tenera cui pendens sicula beta, etc. — De ratione scribendi *V.* in BADIZO.

BĒTO, is, ere, n. 3. Ratione habita etymi conjungitur cum Gr. βαίνω, βατεῖν. At si sana est lectio *Lucil.* apud *Vel. Long. Putsch.*, ut legendum sit *abbire* et *adbire* (*V.* ABBIRE), *beto* vel *bito* essent *frequentativa* a *bio*, quod derivari potuit a Græco εἶμι eo, themate ἴω, unde bio haud aliter quam vio. — Ceterum — *a*) *Beto* est idem quod eo, ambulo. *Pacuvius* apud *Non. p.* 77. 21. *Merc.* Vos hinc defensum patriam foras betite. *Id. ibid.* Si ire conor, prohibet betere. *Varro* apud *eumd. ibid.* Multos foras betere jussit. — *b*) Est etiam *Bito*, is, eod. sensu. *Plaut. Merc.* 2. 3. 127. Ad portum ne bitas, dico jam tibi. *Id. Curc.* 1. 2. 52. Qui me in terra æque fortunatus erit, si illa ad me bitet? *Id. Pseud.* 1. 3. 23. Licet ne, obsecro, bitere, an non licet? *vs.* vah manta. Ita legendum censet *Lips. epistolic. quæst. l.* 1. *ep.* 14., alii *vivere* retinent, quod est in codicib. passim. Adde *Stich.* 4. 2. 28., ubi *Pareus* legit *ebito*, h. e. exeo. — *c*) Etiam *Bitio*, *is*, *ire*, usurpatum fuisse videtur, a quo *Bitienses*, hoc est assidue peregrinantes, apud *Paul. Diac. p.* 35. 7. *Müll.* Ita monet *Scalig.* ad *Paul. Diac.* Sed cum nullum aliud suppetat hujus conjugationis argumentum non est ea facile usurpanda.

BĔTONICA *et* Vetonica *seu* Vettonica, æ, f. 1. herba de qua *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 46. (84). Vettones in Hispania (*invenere*) eam, quæ vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, a Græcis cestros aut psychrotrophon, ante cunctas laudatissima. Exit anguloso caule cubitorum duum, e radice spargens folia fere lapathi, serrata, semine purpureo. Folia siccantur in farinam plurimos ad usus. Fit vinum ex ea, et acetum stomacho et claritati oculorum. Tantumque gloriæ habet ut domus, in qua sata sit, tuta existimetur a piaculis omnibus. Hæc *Plin.*, qui aliis in locis passim infinitos prope ejus usus in medicina refert, ut factum sit apud Italos proverbio locus: *aver più virtù, che la bettonica*. *Seren. Sammon.* 14. 202. Vetonicæ mansus siccabit lumina succus. — Ad scriptionem quod attinet, rectius *vettonica* scribitur, cum sit a *Vettonibus*: reperitur tamen et *vetonica*; et, propter affinitatem litterarum *b* et *v*, etiam *betonica*. — Extat de ea libellus *Antonii Musæ*, qui Augusti medicus fuit, nomen præferens: indignus tamen ea ætate, in qua Latina lingua maxime floruit. Cl. *Fee* (*Op. cit. vol.* 3. p. 310.) hanc exhibet synonymiam: Κέστρον καὶ ψυχοτρόφον, Ῥωμαῖοι οὐεττονίκη *Dioscor.* 4. 1.; *Vettonica, serratula, cestros psychotrophon* Plin. l. c. et βεττονικη Græcor. recent. sunt *Betonica Alopecuros* L. Spec. plant. 811.

BĒTŬLA *vel* **BĒTULLA**, æ, f. 1. arbor Gallica lentissima, mirabili candore, atque tenuitate: ex qua olim consulares fasces plerumque fiebant. Eadem circulis flexilis, item corbium costis, hoc est crassioribus et firmioribus viminibus, quibus reliqua, quæ tenuiora sunt et subtiliora, firmantur atque nectuntur. Bitumen quoque ex ea Galliæ excoquunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). et 37. 69. (176). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 338.) hanc exhibet synonymiam Σημύδα? Theophr. 3. 14. et *Betula* vel *Betulla* Plin. l. c. sunt *Betula alba* L. Spec. plant. 1393.

BĒTULUS. *V.* BÆTULUS.

BI

BI occurrit in compositionibus pro *bis*. *V.* BIS.

BIÆON vinum. *V.* BION.

BIÆOTHANATOS. *V.* AHORUS, et BIOTHANATUS.

BĬARCHIA, æ, f. 1. βιαρχία, officium biarchi. *Imper. Constantin. Cod.* 1. 31. 1. Ad biarchiam nemo suffragio perveniat.

BĬARCHUS, i, m. 2. βίαρχος, militaris gradus est ejus, qui commeatibus comparandis præest; a βίος *victus*, *annona*, et ἄρχων *præfectus*. *Hieronym. advers. Joann. Hierosol.* n. 19. Ante primicerius, deinde senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tiro. *Imp. Leo Cod.* 14. 20. 3. Biarchorum nomen meritumque. Adde *ibid.* 12. 20. 3. et 1. 27. 2. § 20. *Inscript.* apud *Henzen.* 6734. FL . IOVINVS . EX PP (*h. e.* ex PræPosito) MILITVM HISTRICORVM ET . FL . PAVLVS . BIARCVS PATER . ET . FILIVS . DOMVM A . FVNDAMENTIS IVSSERVNT . FABRICARI. *Henzen.* ibidem annotat, biarchorum tertium gradum inter *agentes in rebus* fuisse: cf. *Cod.* 3. *de agent. in reb.* 12. 20.; 2. § 20. *de off. Pr. Pr. Afr.* 1. 27., et *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* 6. 27. 7.

BIBACULUS, a, um, adject. *deminut.* a bibax, aliquantum proclivis ad bibendum. Ita cognominati sunt quidam apud Romanos, quod poculis delectarentur, ut M. Furius, quem inter grammaticos *Sueton.* referre videtur de *Gramm.* 4. et inter poetas *Quintil.* 10. 1. 96. enumerat: de quo *Plin. Procem.* 1. *Hist. nat.* § 4. Ut qui bibaculus erat, et vocabatur. Nonnulli leg. et apud *Arnob.* 4. 22. pro BABÆCALUS, quam voc. *V.* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BIBARIUS, a, um, adject. qui bibendo aptus est. Hinc *bibaria*, *orum*, n. plur. ea omnia, quibus animantes et homines in bibendo utuntur, ut *cibaria* sunt ea, quibus utuntur in cibo. *Not. Tir.* p. 109. Bibit, bibaria, bibulus. *At hæc omnia a Lexico expungenda.*

BĬBAX, ācis, comm. gen. 3. adject. bibendi avidus. *Gell.* 3. 12. Bibendi avidum P. Nigidius in commentariis grammaticis bibacem et bibosum dicit. Bibacem ego, ut edacem, a plerisque aliis dictum lego: bibosum dictum etiam nusquam reperi, nisi apud Laberium. Hæc *Gellius*.

BĬBER, vox indeclinabilis, quæ ab infinito *bibere* mutilata videtur, et significat potum. *Hinc* dare alicui biber, h. e. potum ei præbere. *Titinnius* apud *Charis.* 1. p. 99. *Putsch.* Date illi biber: iracunda hæc est. *Fannius* 8. *Ann. ibid.* Jubebat biber dari. Adde *Caton. Origin. ibid.*

BĬBERĬUS pro *Tiberius* jlocaliter dictus est Tiberius Nero imperator ob nimiam vini aviditatem. Appellabatur enim *Biberius Caldius Mero* pro *Tiberius Claudius Nero*, ut est apud *Sueton.* in *ejus Vita* 42.

BĬBESĬA, æ, f. 1. *Festus* in *Peredia p.* 214. 28. *Müll.* Perediam et Bibesiam Plautus finxit sua consuetudine, cum intelligi voluit cupiditatem edendi et bibendi. *Plauti* locus est *Curc. a.* 3. *v.* 74., ubi Curculio ridicule refert inter varia provinciarum et populorum nomina has etiam voces, quasi et ipsæ provinciæ sint. Pro *bibesia* legitur passim *perbibesia*, sed minus recte. *V.* PEREDIA.

BĬBĬLIS, le, adject. qui bibi potest. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 11. *ad fin.* Cibum damus varium atque bibilem, ut ovum sorbile, etc.

BĬBIO, ōnis, m. 3. ¶ 1. Est parva musca, quæ in vino nascitur. *Isid.* 12. *Orig.* 8. 16. Biblones sunt, qui in vino nascuntur, quos vulgo mustiones a musto appellant, unde et *Afranius*: Ad me cum spectas, fabularique incipis, Ex ore in oculos tuos bibiones involant. *Salmas.* ad *Spartian.* in *Hadrian.* 16. legit *bibones*, et interpretatur culices; at *culex* genus est, cujus species est *bibio* ex vino natus. ¶ 2. *Bibiones* legitur etiam apud *Plin.* 1. *Hist. nat.* in indice *l.* 10. *n.* 69., sed ibi significat *vipiones*, hoc est minores grues, ut est apud *Eumd.* 10. *ibid.* 49. 69. (135).

BĬBĪTOR, ōris, m. 3. qui bibit. *Sidon.* 1. *Ep.* 8. Quem utique raro bibitor Araricus inspexerim.

BĬBĪTUS, a, um, particip. *V.* BIBO.

BIBLĪNUS, a, um, adject. βίβλινος, qui est ex biblo, seu papyro, ut epistolæ biblinæ, apud *Hieronym.* *Ep.* 51. *n.* 1. h. e. papyraceæ. *V.* hic interpretes.

BIBLIŎPŌLA, æ, m. 1. βιβλιοπώλης. *Bybliopola* Græca positione legitur in *Inscript.* *V.* in fin. — Bibliopola est librorum venditor: Græca vox a βίβλιον *liber*, et πωλέω *vendo* (It. *librajo*; Fr. *libraire*; Hisp. *librero*; Germ. *Buchhändler*; Angl. *a bookseller*). *Plin.* 9. *Ep.* 11. Bibliopolas Lugduni esse non putabam. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. *Martial.* 4. 72. Exigis, ut donem nostros tibi, Quincte, libellos: Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon. *Inscript.* apud *Fabrett.* c. 10. *n.* 380., quæ est apud *Orell.* 4151. M. VLPIVS AVG. LIB. DIONYSIVS BYBLIOPOLA F. S. ET S. De ratione scribendi vide vocem sequent. sub init.

BIBLIŎTHĒCA, æ, f. 1. βιβλιοθήκη, Græca vox a βίβλιον *liber* et θήκη *repositorium*. — Dicitur etiam *bibliothece*, ex positione Græca; et Accus. *bibliothecen* occurrit apud *Cic.* 13. *Fam.* 77. 3.; Ablat. in *Inscript.* apud *Gruter.* 584. 2. ALEXIO CAESARIS AVG. AB BYBLIOTHECE. — Quod vero *bybliothece*, quemadmodum *bybliotheca* in pluribus serioris ævi *Inscript.*, per Græcam υ scribitur, ex eo factum est, quia charta, ex qua libri constabant, ex papyro olim fiebat: papyrum autem Græci βύβλον vocant, eodemque vocabulo *librum* significant. Quia tamen consuetudo obtinuit, ut etiam βίβλος (et quidem sæpius) per ι scriberetur, etiam Latine *bibliotheca* ex eadem consuetudine scribi consuevit. Quare ea scribendi ratio, quæ *y* adhibet, neque improbari omnino potest, neque sane contra consuetudinem passim imitanda videtur. — Ceterum, testibus *Isid.* 15. *Orig.* 5. 5., *Paul. Diac.* p. 34. 6. *Müll.* et *Dig.* 32. 3. 52. § 8., bibliotheca dicitur et de loco, in quo libri studiorum causa asservantur, et de armario seu pluteo, in quo libri ponuntur, et demum de ipsa librorum multitudine: quæ omnia locis mox citandis confirmantur. *Cic.* 1. *Att.* 10. 4. Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris. *Id.* 7. *Fam.* 28. 2. Abdere se in bibliothecam. *Id.* 13. *ibid.* 77. 3. Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, aufugit. *Id.* 1. *Att.* 7. Conficere bibliothecam alicui. *Id.* 2. *Divinat.* 3. 8. Assidere in bibliotheca. *Id.* 4. *Att.* 10. 1. Pasci bibliotheca alicujus. *Id.* 1. *Orat.* 44. 195. Bibliothecas omnium philosophorum superare. Adde *ibid.* c. 57. § 245. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. 5. Bibliothecam supplere. *Id.* 3. *Fin.* 2. 7. E bibliotheca alicujus libris uti. *Vitruv.* 7. *præfat.* § 7. *Schneid.* Supra bibliothecam constituere aliquem. *Id. ibid.* § 4. Bibliothecam instituere. Adde *eumd.* 1. 2. 7. et 6. 4. 1. *Sueton.* *Aug.* 56. *in fin.* et *Gramm.* 22. ordinare. *Id.* *Gramm.* 21. Præesse bibliothecæ. *Id.* *Aug.* 29. Bibliotheca Latina Græcaque. *Quintil.* 11. 3. 4. Ut, quibus (*poetis*) nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. *Id.* 10. 1. 104. Bibliothecas excutere. *Id.* 10. 1. 57. Indicem ex bibliotheca sumere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (115). M. Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est. *Id.* *procem.* 1. *Hist. nat.* narrat, Diodorum, Græcum scriptorem, historiam suam βιβλιοθήκην inscripsisse. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Parieti ejus in bibliothecæ speciem armarium insertum est. *Paul.* *Dig.* 30. *l.* 41. Bibliothecæ parietibus inhærentes. Adde *Ulp.* *ibid.* 32. *l.* 50. *a med.* — *Servus a bibliotheca* est, qui bibliothecæ custodiendæ et curandæ præpositus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 584. 6., quæ est apud *Orell.* 41. ANTIOCHVS TI. CLAVDII CAESARIS A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS. Et apud *Gruter.* 584. 4., apud *Orell.* 40. HYMENAEVS MEDICVS A BIBLIOTHECIS. Adde alias apud *Gruter.* 584. 7., 576. 9. et 578. 5.; et apud *Orell.* 1172. *Inscript.* apud *Maff.* *Gall. antiq.* p. 188. PROC. BIBLIOTHECAR. GRAEC. ET LATIN.

BIBLIŎTHĒCĀLIS, le, adject. ad bibliothecam pertinens. *Sidon.* 8. *Ep.* 4. Thesauris bibliothecalibus large refertus. *h. e.* ampla bibliotheca instructus. *Capell.* 2. p. 55. Bibliothecalis copia.

BIBLIŎTHĒCĀRIUS, ii, m. 2. bibliothecæ custos, a bibliotheca. *M. Aur.* apud *Fronton.* *ad M. Cæs.* 4. 5. Tiberianus bibliothecarius tibi subigitandus. De hac Bibliotheca Tiberiana mentio est apud *Gell.* 13. 19. Adde *Gloss. Isid.* Bibliothecarius, qui codices secat (*corrige* servat).

BIBLIŎTHĒCŬLA, æ, f. 1. parva bibliotheca. *Symmach.* 4. *Ep.* 18. Sume ephemeridem C. Cæsaris decerptam bibliothecula meæ, ut tibi muneri mitteretur.

BIBLIS. *V.* BYBLIS.

BIBLOS *vel* **BIBLUS**, i, f. 2. βύβλος, papyrus, ex qua charta primum facta est. Ita enim significat Græca vox allata. *Lucan.* 3. 222. Nondum flumineas Memphis contexere biblos Noverat. *flumineas biblos* dixit, quia papyrus in palustribus Ægypti locis circa Nilum nascitur, ut *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 22. (71). docet. Per metonymiam *Sedul.* 1. 6. Plurima Niliacis tradunt mendacia biblis. *h. e.* litteris mandant. — Quod vero *biblus* scribitur, non *byblus*, ut est in Græca voce, id consuetudini tribuendum est. *V.* dicta in BIBLIOTHECA sub init.

BĬBO, bibis, bibi, bibitum, bibere, 3. Part. *Bibens* I. *B. c.*; *Bibitus* et *Bibiturus* I. *B. a.*; *Bibendus* II. Illud tamen advertendum, part. *Bibitus* et *Bibiturus* seriori tantum ævo usuvenisse; optimi enim scriptores pro *bibitus* dixerunt *potus*, ut *Ovid.* 15. *Met.* 334. Nocte nocent potæ, sine nora luce bibuntur. — Bibo est verbum per onomatopœiam effictum, quod conjungi potest cum Gr. πίνω ex sententia ipsius *Varron.* 6. *L. L.* 84. *Müll.* — Significat autem potum ore assumere, et ponitur cum de hominibus, tum de brutis animalibus (It. *bere*, Fr. *boire*; Hisp. *beber*; Germ. *trinken*; Angl. *to drink*).

I.) Proprie occurrit *A*) neutrorum more sive absolute, et *B*) cum Accus.

A) Neutrorum more sive absolute. — *a*) Generatim. *Plaut.* *Stich.* 5. 4. 27. Bibe, si bibis. *formula hortantis alium, ut sine mora bibat: cui similis est illa* Ite, si itis, *apud* eumd. Pœn. 5. 4. 67. *Id.* *Stich.* 5. 4. 38. Bibere pro summo. *h. e.* totum haurire poculum usque ad fundum. *Forcellino* vero est strenue bibere, tamquam pro ultima vice potaturi simus; sed idem ipse addit, alios aliter explicare. *Ter.* *Phorm.* 2. 2. 28. Prior bibas, prior decumbas. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. Darius in fuga cum aquam turbidam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius. Numquam videlicet sitiens biberat. *Id.* 13. *Att.* 52. 1. Edere et bibere ἀδεῶς et jucunde. *Horat.* 2. *Od.* 7. 25. quem Venus arbitrum Dicet bibendi? *Id.* 2. *Sat.* 8. 34. Bibere damnose. *Ovid.* 2. *Amor.* 506. qui bibit, arte bibat. *Id.* 3. *Fast.* 274. Bibere exiguis haustibus. *Id.* *ibid.* v. 532. ad numerum. *Seneca* *Ep.* 122. Post prandium aut cœnam bibere, vulgare est. *Et paullo ante.* Jejunum bibere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (105). Proprium – turturum, cum bibant, colla non resupinare largeque bibere jumentorum modo. *Id.* *ibid.* 46. 63. (129). Suctu, morsu bibere. *Juvenal.* 1. 49. ab octavâ (*horâ*). *Dig.* 19. 1. 11. § 4. Qui jumenta vendidit, solet ita promittere: ESSE, BIBERE, VT OPORTET. — *b*) Speciatim impersonaliter. *Horat.* 1. *Od.* 37. 1. Nunc est bibendum. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Discumbitur: fit sermo inter eos, et invitatio, ut Græco more biberetur. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 41. 104. Ceterum *bibere Græco more* est merum cyathis libare, salutando deos primum, deinde amicos nominatim, et ad singula nomina bibendo, ut *Ascon.* exponit ad *Cic.* 3. *Verr.* *l. c.* Sed et illud Græci moris erat, præsertim apud Athenienses, ut minoribus primo poculis biberent, deinde, ut fit, majoribus, postquam invalescentibus animis invicem ad bibendum provocabantur. Solebant enim alter alterum propinando nominare: qui toties respondere cogebatur, eodemque poculo paria facere. — *c*) Item speciatim addito, unde potus sumitur. *Propert.* 2. 20. 32. Bibere ex una aqua. *Id.* 4. 4. 14. ex fonte. Cf. *Martial.* 12. 11. ab amne. *Propert.* 3. 3. 26. e gemma. *h. e.* poculo ex gemma facto. *Virg.* 2. *G.* 506. gemma. *Varius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. *a med.* ex solido auro. *Juvenal.* 2. 95. vitreo Priapo. *Id.* 12. 47. cælato. *Plin.* 33. *Hist. nat.* *præfat.* 2. (5). per obscenitates. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (12). ossibus humanorum capitum. *Flor.* 3. 4. 2. in ossibus capitum. *Dig.* 34. 2. 21. in argento potorio. — *d*) *Dare bibere, bibere ministrare* sunt formulæ ex vulgari sermone depromptæ. *Cato R. R.* 89. Meridie bibere dato. *Plaut.* *Pers.* 5. 2. 40. Bibere da usque plenis cantharis. Adde *Ter.* *Andr.* 3. 2. 4. *Liv.* 40. 47. Ut bibere sibi juberet dari. *In hac formula occurrit etiam* biber dare: *V.* BIBER loco suo. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 65. Ut Jovi bibere ministraret. Adde *Caton.* *R. R.* 103.

B) Cum Accus. rei, quæ bibitur. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 156. Si voles in convivio multum bibere –: bibesque quantum voles. *Id.* apud *Gell.* 10. 23.; *Plaut.* *Pers.* 2. 1. 3.; *Ter.* *Eun.* 4. 5. 1.; *Ovid.* 12. *Met.* 322. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (89). Bibere vinum. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. aquam. *Id.* 11. *Phil.* 5. 10. sanguinem. *Horat.* *Epod.* 9. 1. Cæcubum. *Id.* 1. *Od.* 20. 10. uvam prelo domitam. *Id.* 2. *Sat.* 2. 16. mella Falerna diluta. *Id.* 3. *Od.* 3. 12. nectar. *Id.* 1. *Ep.* 2. 34. et *Tibull.* 1. 5. 50. pocula. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 18.; *Curt.* 8. 13. et *Quintil.* 6. 3. 93. aquas. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 22. et 9. *Met.* 377. lac. *Fronto* *Fer. Als.* p. 181. mulsum. *Quintil.* 7. 2. 17. potionem. *Id.* 8. 5. 31. venenum. *Curt.* 6. 10. medicamentum. *Scribon.* *Compos.* 189. cantharidas. *Id.* *ibid.* 193. ephemeron. *Martial.* 11. 36. 7. sex cyathos. *Apul.* 2. *Met.* *post init.* eamdem nutricem. *h. e.* lac a nutrice sugere. *Æmil. Macer.* *c. de porro.* Commixtus pueri succus lacti muliebri Et bibitus tussim fertur sedare vetustam. *Plin.* *Valer.* 2. 18. Equi lingua inveterata ex vino bibita valet. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Tunc post bibitum lac nullum potum sumere debent ægrotantes. *Hieronym.* *in Isaj.* *l.* 8. *c.* 25. *v.* 8. Vinum, quod se Dominus cum sanctis suis in regno Patris sui bibiturum esse promisit. — *b*) Addito, unde potus sumitur. *Propert.* 1. 14. 2. Bibere vina Mentoreo opere. *Seneca* *Thyest.* 453. venenum in auro. *Juvenal.* 10. 25. aconita fictilibus. — *c*) *Bibere nomen alicujus.* In hilarioribus conviviis mos fuit, ut compotores amasiorum et amicarum nomina proferrent, ac tot haurirent pocula, quot litteris ea constabant. *Martial.* 8. 51. Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam. *Id.* 1. 71. Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur, Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus. Adde *eumd.* 9. 94. et 11. 36. *V.* QUINCUNX et SEPTUNX. — *d*) *Bibere mandata* est præ nimio potu oblivisci quod mandatum fuerat. *Plaut.* *Pers.* 2. 1. 3. Quamquam ego vinum bibo, at mandata non consueri simul bibere unâ. *V.* similem locum apud *eumd.* *Amph.* 2. 1. 84. — *e*) Poetice *bibere flumen* vel *aquam aliquam* dicuntur ii, qui ei flumini vel aquæ appositam regionem incolunt. *Virg.* 7. *Æn.* 715. Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit Nursia etc. *Id.* 1. *Ecl.* 64. Ante, pererratis amborum finibus exul Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim. *Horat.* 4. *Od.* 15. 21. qui profundum Danubium bibunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 10. 1. et 1. *Ep.* 18. 105. *Lucan.* 8. 213. populosque bibentes Euphraten.

II.) Translate. ¶ 1. *Aut bibat, aut abeat*, ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, jocosa lex in conviviis Græcorum, qua jubebantur convivæ omnes ei, qui modimperator erat, (quem *Horat.* 2. *Od.* 7. 25. arbitrum bibendi appellat) parere, et singuli aliorum in bibendo conditionem subire. Transiit autem in proverbium, quo admonemur, ut aut tempori locoque nos accommodemus, aut hominum consuetudinem fugiamus. *Cic.* 5. *Tusc.* 41. 118. Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur: aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte: aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi; aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: sic injurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. — ¶ 2. Bibere etiam dicuntur inanima, quæ humorem hauriunt et ad se trahunt. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 100. Id si feceris, metreta oleum non bibet. Cf. COMBIBO. *Horat.* 2. *Od.* 8. 11. Amphora fumum bibere instituta. *V.* FUMARIUM. *Quintil.* 11. 3. 23. Nobis – fuligo lucubrationum bibenda. — *b*) Speciatim arcus cælestis *bibere* dicitur. Veteres enim vulgo credebant, Iridem demissis in terram cornibus aquam haurire e mari et fontibus, quam postea in altum sublatam per nubes effunderet. Hinc inter varia pluviæ signa *Virg.* enumerat, cum *bibit ingens arcus*, 1. *G.* 380. Adde *Propert.* 3. 5. 32. et *Stat.* 9. *Theb.* 405. Hinc festive *Plaut.* de anu

ob ætatem curva, simulque bibacissima, Curc. 1. 2. 41. Ecce autem bibit arcus: pluet credo, hercle, hodie. — c) Item speciatim de terra et plantis, quæ aquam aliumve humorem absorbent. Virg. 3. Ecl. 111. Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt. ἀλληγορικῶς dicit: jam cantare cessate: satiati enim audiendo sumus. Adde eumd. 4. G. 32.; Tibull. 2. 1. 44.; Ovid. 1. Pont. 8. 60. Colum. 10. R. R. 40. Terra bibat fontes. Plin. 13. Hist. nat. 4. 7. (28). Palma toto anno bibere amat. Sil. It. 17. 413. genitlemque bibit tellus invita cruorem. Adde eumd. 16. 216. — d) Item de colore, quo aliquid inficitur. Plin. 8. Hist. nat. 48. 73. (193). Lanarum nigræ nullum colorem bibunt. Id. 31. ibid. 11. 47. (123). Spongiæ ad pruinas sternuntur inversæ, ut candorem bibant. Adde eumd. 34. ibid. 9. 20. (98). — e) Hinc poetice ponitur et de armis, quæ cruore asperguntur. Virg. 11. Æn. 803. Hasta sub exsertam donec perlata papillam Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem. Adde Sil. It. 6. 293. et 15. 632.; et Petron. Satyr. 120. Huc referri potest et illud Plin. 9. Hist. nat. 36. 60. (126). Purpuræ flos liquoris est minimi in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens. ¶ 3. Denique frequenter, præcipue a Poetis, usurpatur cum abstractis, et significat in se admittere, animo capere. — a) Generatim. Plaut. Aulul. 2. 3. 12. Bibere mærorem. Virg. 1. Æn. 753. Infelix Dido, longumque bibebat amorem. Stat. 1. Achill. 393. totisque novum bibit ossibus ignem. Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 231. Maternosque bibit mores. Quintil. 1. procem. § 24. Nudæ illæ artes omnem succum ingenii bibunt. Id. 12. 2. 31. Bibere justitiæ haustus. Petron. Satyr. 5. fontem Mæonium felici pectore. Prudent. adv. Symmach. 1. 201. errorem cum lacte. — b) Speciatim aure bibere aliquid est avide ac studiose audire. Horat. 2. Od. 13. 31. Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus. Propert. 3. 4. 8. Incipe: suspensis auribus ista bibam. Ovid. 3. Trist. 5. 14. Bibere verba auribus. Et absolute Id. 3. ibid. 4. 40. fida verba.

BĬBO, ōnis, m. 3. bibax. Apul. 2. Met. p. 166. Oudend. Dumque bibones solita risui postulant. Firmic. 5. Mathes. 4. sub fin. Homines vitiosi, epulones et bibones. — Bibones alio sensu V. supra in BIBIO 1.

BĬBŌSUS, a, um, adject. bibendi avidus. Laber. apud Gell. 3. 12. Non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax. Adde P. Nigid. ibid. V. BIBAX.

BĬBRĔVIS, e, adject. Pes bibrevis apud Diomed. 3. p. 471. et 472. Putsch. Latine est idem, qui Græce Dibrachys. V.

BĬBŬLUS, a, um, adject. qui facile bibit, bibendi cupidus, ad bibendum proclivis.

I.) Proprie de animalibus. Horat. 1. Ep. 18. 91. Potores bibuli media de nocte Falerni Oderunt porrecta negantem pocula. Id. ibid. 14. 34. cum Genit. rei. Quem bibulum liquidi media de nocte Falerni Cœna brevis juvat.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de inanimis, h. e. de plantis, pannis, nubibus etc., quæ facile humorem aliquem sorbent. Lucret. 2. 376.; Virg. 1. G. 114. et Ovid. 13. Met. 901. Bibula arena. Virg. 6. Æn. 227. favilla. Id. 2. G. 348. lapis. h. e. lapis arenarius bibendo humori idoneus, ut Servius exponit. Nam alii ideo dictum putant, non quod ipse humorem bibat, sed quod per eum humor ad radices arborum admittatur. Cf. Colum. 3. R. R. 15. 4. Ovid. 1. Amor. 233. Cupidinis alæ. Id. Heroid. 17. 130. littus. Id. 4. Met. 743. medulla. Id. 14. ibid. 368. nubes. Id. 6. ibid. 9. lanæ. Id. 14. ibid. 632. radix. Id. 4. ibid. 744. talaria. Colum. 12. R. R. 43. 12. Ollæ bibulæ et male coctæ. Plin. 8. Ep. 15. Charta bibula. Lucan. 4. 136. Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. Martial. 11. 32. palus. h. e. canna palustris. Stat. 4. Silv. 3. 54. lacunæ. Val. Flacc. 1. 289. vestes. Sueton. Aug. 76. Caseus bibulus. h. e. recens, quia tunc conditurum facile imbibit. Sed alii rectius leg. bubulus. Incerta est etiam lectio apud Plin. 13. Hist. nat. 12. 25. (81). ¶ 2. Figurate Pers. 4. 50. Necquidquam populo bibulas donaveris aures. h. e. ad audiendum paratas et avidas.

BĬCAMĔRĀTUS, a, um, adject. duas habens contignationes. Hieronym. 1. advers. Jovinian. 17. Si arca plures habuit mansiones, et nidulos, et bicamerata, et tricamerata, et diversas bestias, etc. h. e. duplici et triplici contignatione seu fornice. V. TRICAMERATUS.

BĬCAPS, bicĭpitis, omn. gen. 3. adject. idem ac biceps. Inscript. in Giorn. Pis. T. 12. p. 79. HERMES AVG. LIB. VILICVS EIVSDEM LOCI ARAM ET CRATERAM CVM BASI BICAPITI D. D. Gloss. Philox. Bicapites, δικέφαλοι.

BĬCEPS, bicĭpitis, omnium generum 3. adject. (bis et caput). Veteres bicipes in recto dixere, ut testatur Priscian. 6. in fin. et 7. p. 754. Putsch., eo modo, quo ancipes pro anceps, præcipes pro præceps. — Biceps est duo capita habens.

I.) Proprie. Cic. 1. Divinat. 53. 121. Si puella nata biceps esset. Liv. 41. 21. In Vejenti agro biceps natus puer. Id. 28. 11. Biceps porcus. Ovid. 1. Fast. 65. et 4. Pont. 4. 23. Janus. Plin. 10. Hist. nat. 62. 82. (169). serpens. Tac. 15. Ann. 47. partus. Septim. Seren. apud Terentian. 1893. Putsch. Jane pater, Jane tuens, dive biceps, biformis. Figurate Ovid. 2. Met. 221. et Pers. prol. 2. Biceps Parnassus. h. e. duos vertices habens.

II.) Translate. Varro apud Non. p. 454. 23. Merc. et Flor. 3. 17. 3. Civitas biceps. h. e. in duas partes divisa. Apul. Florid. n. 18. Argumentum biceps. h. e. dilemma.

BĬCEPSOS, l. Varro 5. L. L. 50. Müll. affert plura nomina hujus positionis, quæ sunt primiceps, bicepsos, tercicepsos (corrige terticepsos), quadricepsos, quinticepsos, sexticepsos, septicepsos. Videtur autem nonnullis ibi sermo esse de septem collibus Urbis Romæ. Putat Scaliger in Conjectan. legendum ubique biceps, terticeps, quadriceps, etc.: alii contra priorem lectionem ita retinent, ut et primam vocem primiceps in primicepsos vel princepsos mutandam censeant. Utcumque vero legas, nihil aliud significare plerique putant, quam primum caput, seu cacumen, seu verticem montis, secundum caput, et sic deinceps. Sed Jo. Baptista Brocchius, Memor. sullo stato fisico del suolo di Roma, p. 47. et seqq. probat, bicepsos, terticepsos, etc. esse voces compositas ex caput, quod idem significat ac Italice capostrada, initium viæ. Hinc apud Varr. loc. cit. legere est caput Sacræ viæ, apud Victor. de Reg. U. R. n. 12. caput viæ novæ, apud Rufum de Reg. U. R. n. 3. caput Suburæ: et apud eundem Varr. ibid. verba bicepsos simplex significant secondo capostrada, quod nec bivium, nec trivium habet. Varro autem ibid. postquam narrasset, antiquitus urbem Romam in IV. tribus, et in XXVII. partes divisam fuisse, ac totidem extructa sacraria, quæ Victor et Rufus vocant ædiculas, Itali nunc cappelle seu capitelli, hæc habet: Cum Cælio conjunctæ Carinæ; sed inter eas, quem locum Ceriolensem appellatum apparet, quod primæ regionis quartum sacrarium scriptum sic est: Ceriolensis quarticeps circa Minervium. Adde, ædem Junonis Lucinæ, teste Ovid. 2. Fast. 435., fuisse monte sub Exquilio, quod confirmavit vetus hæc Inscript. apud Marin. Iscriz. Alb. p. 1. P. Servilio, L. Antonio Cos. (h. e. an. U. C. 713.) A. D. IV. K. Sext. locavit Q. Pedius Q. Urb. murum Junonis Lucinæ HS. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ (h. e. sestertiorum CCCLXXX. millibus) eidemque probavit. Hæc reperta est an. a Chr. n. 1770. ad radices montis Oppii, qui fuit unus e montis Exquilii verticibus. Varr. loc. cit. Cispius mons: septiceps apud ædem Junonis Lucinæ. Hinc patet, septicepsos significare septimum caput viæ, sive il settimo capostrada, verticis Cispii, quod vertici Oppio et templo Junonis Lucinæ conterminum erat. Aloys. Nardius in Giorn. Arcad. T. 23. p. 318. et seqq. putat, vocem septiceps idem significare ac septicepsos, hac vero vulgus, illa cultiores homines usos fuisse; idemque hanc affert Ariminensem Inscript. Exquilinus vicus. septiceps Herculi Victori. h. e. settimo capostrada dedicato ad Ercole Vincitore. Hucusque Forcellinus. Sed allatæ voces primiceps, bicepsos etc. sunt falsæ lectiones. V. Müll. ad Varron. l. c.

BĬCESSIS, is, m. 3. idem valet ac duo decusses. Varro 5. L. L. 50. Müll., ubi al. leg. vicessis, hoc est viginti asses. Nam duo decusses viginti asses continent. Cf. Priscian. de fig. num. c. 3. § 15., ubi pariter vicessis legitur.

BĬCĬNIUM, ii, n. 2. (bis et cano) cantionis genus, quod fit una simul a duobus. Isid. 6. Orig. 19. 6. Cum unus canit, Græce monodia, Latine sincinium dicitur; cum vero duo canunt, bicinium appellatur; cum multi, chorus.

BĬCHORDŬLUS, a, um, adject. duas habens chordulas. V. BICODULUS.

BĬCLĪNIUM, ii, n. 2. cœnatio, in qua duo tantum lecti sunt ad discumbendum: vel lectus, qui duos discumbentes capit, ut triclinium tres. Est autem hybrida vox, ut et Quintil. docet 1. 5. 68. ex Latino bis, et Græco κλίνη lectus. Plaut. Bacch. 4. 4. 59. Ubi est biclinium vobis stratum. Et ibid. 102. Jam facite, in biclinio cum amica sua uterque accubitum eatis.

BĬCODŬLUS, a, um, adject. (bis et cauda vel coda) qui duplicem habet codam, seu caudam. Apul. Apolog. Sauri, illices bicodulæ. h. e. iynges, quæ caudam vibrando duplicare videntur, Græce σεισοπυγίδες; ut serpentes bilingues dicti a linguæ vibratione. Alii minus recte leg. Aureæ illices bichordulæ, alii bitortilæ.

BĬCŎLOR, ōris, omn. gen. 3. adject. (bis et color) qui duorum est colorum. Ovid. 8. Met. 664. Ponitur hic bicolor sinceræ bacca Minervæ. Id. 10. ibid. 98. Bicolor myrtus. Virg. 5. Æn. 566. Equus bicolor albis maculis. Plin. 10. Hist. nat. 52. 74. (144). Intus omne ovum volucrum bicolor. Pers. 3. 10. Bicolor membrana. V. locum Isid. 6. Orig. 11. in v. CROCO. Cf. et voc. seqq.

BĬCŎLŌRĬUS, a, um, et

BĬCŎLŌRUS, a, um, adject. idem ac bicolor. Vopisc. Aurelian. 13. Hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor. Al. leg. bicoloria a recto bicolorius. Sic apud Apul. Apolog. Tæniæ alterplices, bicoloriæ. Sed hic quoque alii aliter.

BĬCŌMIS, e, adject. (bis et coma) duplicem habens comam, ut Equus bicomis apud Veget. 2. Veterin. 28. 36. Schneid. hoc est, qui comam habet utrimque dependentem: hoc autem verbum bicomis vulgus usurpabat, ut Id. ait ibid.

BĬCORNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. idem ac bicornis. Ovid. 13. Heroid. 33. Ut quas pampinea tetigisse bicorniger hasta Creditur. h. e. Bacchus, qui bicornis fingitur.

BĬCORNIS, e, (bis et cornu) bina habens cornua. Occurrit A) Adjective et B) Substantive.

A) Adjective. ¶ 1. Stricto sensu. Ovid. Heroid. 4. 49., et 2. Fast. 268. et 5. ibid. 99. Faunique bicornes. Id. 15. Met. 304. caper. Plin. 11. Hist. nat. 46. 106. (255). animal. Tertull. 3. advers. Marcion. 18. Non utique rhinocerus destinabatur unicornis, nec Minotaurus bicornis. V. MINOTAURUS. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de iis omnibus, quæ bina habere cornua videntur: ad rem Cels. 8. 1. ante med. Maxillæ partes extremæ quasi bicornes sunt. Virg. 1. G. 264. et Ovid. 7. Met. 647. Furcæ bicornes. Horat. carm. sæc. 35. luna. Virg. 8. Æn. 727. Rhenus bicornis. ubi Servius: Aut quia communis est omnibus fluviis (cornua enim omnibus tribuunt poetæ), aut quia duplici alveo fluit, uno qua Romanum imperium est, altero qua interfluit Barbaros et insulam Batavorum facit. Ovid. 11. Met. 763. Granicus. h. e. qui per duo ostia in mare influit. Stat. 1. Theb. 62. jugum. h. e. Parnassus.

B) Substantivorum more bicornes absolute, appellantur bos et aries ad aram stantes, in qua taurobolium et criobolium celebratur. Inscript. apud Gruter. 27. 4., quæ est apud Orell. 2335. VOTA FAVENTINVS BIS DENI SVSCIPIT ORBIS, VT MACTET REPETENS AVRATA FRONTE BICORNES. Cf. Tertull. sub A. 1.

BĬCORPOR, corpŏris, adject. (bis et corpus) duo habens corpora. Cic. vertens quosdam versus Sophoclis 2. Tusc. 9. 22. Hæc dextra Lernam tetram, mactata excetra, Placavit; hæc bicorporem afflixit manum. h. e. Centauros ab Hercule interfectos, ut est apud Hygin. fab. 34. Versus autem Sophoclis his respondentes sunt: Λερναίαν θ' ὕδραν, διφυῆ τ' ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν θηρῶν. Accius apud Priscian. 6. p. 699. Putsch. Pallas bicorpor anguium spiras trahit. Nævius ibid. p. 679. Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes.

BĬCORPŎREUS, a, um, adject. idem ac bicorpor. Firmic. 2. Mathes. 12. Gemini est signum in cœlo masculinum, bicorporeum, bipes, rationale, etc.

BĬCORS, cordis, adject. omn. gen. (bis et cor) qui duplici corde præditus est, h. e. figurate fallax, subdolus. Commodian. 11. 8. Officio vervecis potuit scire bicordem. h. e. Apollo potuit officio haruspicis, qui vervecis exta inspicit, scire Cassandram esse bicordem.

BICRŌTA. V. DICROTUM.

BĬCŬBĬTĀLIS, e, adject. (bis et cubitus) duorum

cubitorum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 94. (253). Meum foliis aneto simile, et caule aliquando bicubitali.

BICCBITUS, a, um, adject. bicubitalis. *Apul. Herb.* 72. Herba ramulis tenuibus, bicubitis, etc.

BIDENS, entis, (bis *et* dens) qui duos habet dentes. — Nulla prorsus habita significationis ratione, Ablat. sing. est *bidente* et *bidenti*, testibus *Lucret.* 5. 207., *Pomponio* apud *Gell.* 16. 6., *Tibull.* 2. 3. 6. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (159).; Genit. autem plur. num. est *bidentium* et *bidentum*, testibus *Horat.* 3. *Od.* 23. 14. et *Ovid.* 15. *Met.* 575. — Occurrit *A*) Adjective, et *B*) Substantive.

A) Adjective. ¶ 1. Stricto sensu. *Auct. Priapeor.* 83. Bidens amica, Romuli senis memor. *h. e.* anus, cui duo tantum supersunt dentes. *Pomponius* apud *Gell.* 16. 6. Mars, tibi voveo, me facturum, si unquam redierit, bidenti verre. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Bidentes hostiæ. Adde *Hygin.* apud *Gell.* l. c. et *V.* infra sub *B.* 2. *Paul. Diac.* p. 35. 2. *Müll.* bos. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de iis omnibus, quæ duobus uncis, tamquam dentibus, instructa sunt. *Virg. Catal.* 8. Bidens forfex. *V.* ATTONDEO. *Id. Cir.* 213. ferroque manus armata bidenti. *h. e.* forfice. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Ancoram (*invenit*) Eupalamus: eamdem bidentem Anacharsis. — Hinc

B) Substantivorum more ¶ 1. *Bidens*, *entis*, m. 3. absolute est instrumentum rusticum ferreum, duobus velut dentibus ex una parte instructum, aptumque ad terram fodiendam (It. *sarchio*, *marra*; Fr. *espèce de houe*, *hoyau à deux dents*; Hisp. *azada*, *azadon de hierro con dos dientes*; Germ. *zweizackige Hacke oder Karst*; Angl. *a sort of hoe or drag, to break up clods with*). *Lucret.* 5. 207. valido bidenti ingemere. *Virg.* 2. *G.* 400. glæbaque versis Æternum frangenda bidentibus. *Id.* 2. *ibid.* 355. duros jactare bidentes. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 17. 8. *Tibull.* 2. 3. 6. Versarem valido pingue bidente solum. *Id.* 1. 10. 51. bidens vomerque. *Ovid.* 4. *Fast.* 927. Sarcula nunc durusque bidens et vomer aduncus, Ruris opes, niteant. *Colum.* 1. *R. R.* 14. 1. Bidentibus soli terga convertere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (159). Bidente pastinare solum vineæ. *Juvenal.* 3. 128. bidentis amans. *h. e.* agriculturæ studiosus. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Bidentes cuprei. Adde *Dig.* 33. 7. 8. *pr.* ¶ 2. Præterea *bidens*, *entis*, f. 3. (quæ ab antiquis dicebatur et *duidens*, teste *Paul. Diac.* p. 66. 6. *Müll.*) est ovis bima, apta ad sacrificium. Fere enim dicitur de ove, quæ in hostiam eligitur. Ratio autem hujus appellationis est, vel quia duorum annorum ætas in hujusmodi pecore requiritur; quod neque majores, neque minores licebat hostias dare, ut *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 57. docet: itaque dicta est (si *Servio* et *Nigidio* apud *Gell.* 16. 6. et *Macrob.* 6. *Saturn.* 9. credimus) primo *bidennis*, d littera immissa, quasi *biennis* a *bis* et *annus*; tum longo usu loquendi corrupta vox est, et ex *bidenni* facta *bidens*. Vel potius appellata est *bidens* a *bis* et *dens*, quia oportet, ut ovis, quæ hostia est, habeat dentes octo, et in his duos ceteris eminentiores, qui nonnisi circa bimatum apparere solent, per quos apparet ex minore ætate in majorem transcendisse: quæ sententia est *Julii Hygini* apud *Gell. loc. cit.*, *Servii* tum *loc. cit.*, tum ad 6. *Æn.* 39., *Isidori* 12. *Orig.* 1., et *Paul. Diac.* p. 4. 17. *Müll.* (cujus hæc sunt verba: Ambidens, sive bidens ovis appellabatur, quæ superioribus et inferioribus est dentibus. Cf. *Nigidius* apud *Non.* p. 53. 26. *Merc.*); probaturque a *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.* p. 45. et a *Voss.* in *Etymol.* Quod enim putarunt nonnulli, *bidentes* esse, quæ duos tantum dentes habeant, absonum et falsum est, ridenturque a *Gell. loc. cit.*, *Macrob.* 6. *Saturn.* 9. et *Non. loc. cit.* *Virg.* 4. *Æn.* 57. mactant lectas de more bidentes Legiferæ Cereri. *Id.* 7. *ibid.* 93. Centum lanigeras mactabat rite bidentes. *Id.* 12. *ibid.* 170. intonsamque bidentem Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris. *Horat.* 3. *Od.* 23. 14. Tentare multa cæde bidentium Deos. *Laberius* apud *Non.* p. 3. 25. *Merc.* Bidentes facere. *Ovid.* 10. *Met.* 227. Amathusiacæ bidentes. *Id.* 15. *ibid.* 575. mactatarum exta bidentum consulere. Hinc *Plin.* (superius cit. sub *A.* 1.) 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Coruncanius ruminales hostias, donec bidentes fierent, puras negavit. — Illud etiam animadvertendum, quod *Nigidius loc. cit.* scripsit, non solas oves, sed omnes bimas hostias *bidentes* vocari. Quo pertinet illud *Pomponii* super. cit. sub *A.* 1. — Dicitur interdum *bidens* generatim de quacumque ove et extra sacrificium. *Phædr.* 1. 17. Bidens jacentem in fovea prospexit lupum.

BĪDENTAL, ālis, n. 3. (bidens). *Paul. Diac.* p. 33. 10. *Müll.* Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus sacrificaretur. *Id.* Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis, aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant. Ergo per *Paulum Diac.* omnia minora templa quibuscumque Diis sacra, in quorum medio ara est ad bidentes sacrificandas, bidentalia dici videntur. *C. Rosinius Dissert. Isagog. Tab.* 18. mutilam inscriptionem (quæ est apud *Orell.* 2483.), sed probabili conjectura a se suppletam affert, quæ reperta est prope duo ædificia, quorum alterum parvi templi formam referebat cum cella, alterum duplex, cujus bina septa uno aditu patebant, et aram mediam solidam ac cubicam, minime vero putealia, sive aras cylindricas pertusas, habebant. *Inscriptio* vero talis est: D. D. *M.* CASSIVS DAPHNVS *duo bident*AL. NVCERIAE, ET *vetustam* AEDEM GENI STABIAE. *labantibus* MARMORIB. VEXATA *provide* RESTITVIT. At *Guarini*, *Comment.* VII. p. 29. ann. 1830. iterum edit., probabili conjecturâ proponit legendum *Augustal.* pro *duo bidental.* Et recte: nam si conferatur *Nigidius* apud *Non.* p. 53. 27. *Merc.*, et quæ scripsit cl. vir *K. O. Müller.* de Etruscis *T.* 2. p. 170. et seqq., bidental nihil aliud est, nisi templum illud, quod sepimenti loco circa puteal, sive aram fulguritam statuebatur, idque ad aliorum templorum discrimen *triste* et *evitandum* appellabatur. *Horat. Art. P.* 471. Minxerit in patrios cineres, an triste bidental Moverit incestus. *Pers.* 2. 27. Triste jaces lucis evitandumque bidental. *Apul. de Deo Socrat.* Tuscorum piacula, fulguritorum bidentalia. *Sidon. carm.* 9. 189. Nec, quæ fulmine Tuscus expiato, Septum numina quærit ad bidental. Idem *Rosinius ibid. Tab.* 19. et 20. habet figuram bidentalis Pompejis effossi, quod puteal medium, et templum rotundum octo columnarum sine tecto, sed epistylio tantum ornatum habebat, cum inscriptione Oscis litteris exarata quæ Latine ita sonat: Nitrebes ter meddix tuticus septo conclusit.

BĪDENTĀLIS, le, adject. *Sacerdotes bidentales* dicti sunt, qui Herculi et fortasse etiam aliis Semonibus, h. e. diis minorum gentium, erant sacri, quibus minora templa, bidentalia appellata, statuebantur: hi in decuriam redacti fuerunt. *Inscript.* apud *Gruter.* 96. 5. SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM SEX. POMPEIVS SP. F. COL. MVSSIANVS QVINQVENNALIS DECVR. BIDENTALIS DONVM DEDIT. *Et ibid.* 6. SANCTO SANCO SEMONI DEO FIDIO SACRVM DECVRIA SACERDOTVM BIDENTALIVM RECIPERATIS VECTIGALIBVS.

BĪDENTĀTĬO, ōnis, f. 3. agrorum cultura, quæ bidente fit. *Gloss.* V. BIDENS II. *A.*

BIDCANCCLUS, a, um, adject. Videtur esse deminutivum a BIDUANUS; quid tamen significet, eruditis definiendum relinquo. *Mar. Victorin.* 1. p. 2468. *Putsch.* PR. quoties *prætorem* significare vultis, nolite interpungere, ne fiat *populus Romanus*: nec composita, qualia sunt *levianima*, *biduancula*, *tardigrada*; hæc enim fiunt specie et significatione unum.

BĪDUĀNUS, a, um, adject. bidui tempus habens. *Alcim. Ep.* 70. Præsentia domui patris, gloriæ vestræ biduana occupatione detentus aliquatenus portitorem tardius ordinavi.

BĪDŬUM, ui, n. 2. (bis *et* dies). Primam syllabam licenter producit *Sever. Sanct.* 18. Et, longus peperit quæ labor omnibus Vitæ temporibus, perdita biduo. — Biduum est duorum dierum tempus (It. *spazio di due giorni*; Fr. *espace de deux jours*; Hisp. *espacio de dos dias*; Germ. *die Zeit von zwei Tagen*; Angl. *the period of two days*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 96. Sinito biduum aut triduum consudent (oves). *Ter. Eun.* 1. 2. 110. In hoc biduum Thais vale. *Id. Andr.* 2. 6. 9. Sollicitudo bidui aut tridui. *Cic.* 2. *Nat. D.* 38. 96. Tantæ tenebræ finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret. *Id.* 4. *Verr.* 52. 129. Biduum eximere ex mense, biduo mensem longiorem facere. *Id.* 4. *Att.* 3. Concio biduo nulla. *Id.* 2. *Orat.* 38. 96., *Liv.* 30. 8. et *Quintil. proœm.* § 7. Per biduum. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 7. *Nepos Hann.* 6. Biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit. *Id. Att.* 22. Cum biduum cibo se abstinuisset. *Liv.* 10. 23. Supplicationes in biduum decretæ. *Id.* 27. 24. Cum senatus biduum ad considerandum tempus peteret. biduum per appositionem *tempori* adjicitur. *Sueton. Cæs.* 31. et *Aug.* 10. Post biduum. *Id. Cæs.* 16. Biduo post. *Id. Cal.* 19. Biduo continenti. *Ammian.* 30. 1. Biduum et binoctium. *Dig.* 50. 16. 217. § 1. In biduo. — *b*) Speciatim occurrit in locorum distantiis definiendis. *Cic.* 8. *Att.* 14. In his locis, quæ a Brundusio absunt propius, quam tu, biduum, aut triduum. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 17. 1. Ventidius bidui spatio abest ab eo. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 33. (163). Bidui navigatio. — Hac significatione occurrit et *bidui*, hoc est antiq. *biduoi* pro *biduo*. *Cic.* 5. *Att.* 16. 4. Castra, quæ aberant bidui. *Id. ibid.* 17. 1. Castra, a quibus aberam bidui.

BĪENNĀLIS, le, adject. biennium durans. *Cod. Theod.* 11. 20. 4. § 1. Biennalis pensio. *Ibid.* 12. 43. 3. culpa. *Justinian. Cod.* 5. 37. 27. meta.

BĪENNIS, ne, adject. (bis *et* annus) duorum annorum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (196). Cum quidam annuo et bienni spatio duraverint. Al. leg. *biennii*. Ita enim habent tres editiones princip. A. 1469. 1470. et 1472. *Aldus*, et alii. *Harduin.* cum aliis quibusdam edidit *annuo et biennio spatio*. At *Sueton. Galb.* 15. Bienni spatio determinaturus senatoria et equestria officia. Alii tamen leg. *biennii spatio*. Ceterum vox *biennis* affertur etiam a *Beda De orthogr.* p. 2331. *Putsch.*; et *Nigidius* apud *Gell.* 16. 6. docet, *bidentes primo dictas* bidennes, d *littera immissa*, *quasi* biennes.

BĪENNĬUM, ii, n. 2. (bis *et* annus) duorum annorum tempus, sicut *triennium* trium (It. *spazio di due anni*; Fr. *espace, laps de deux ans*; Hisp. *espacio de dos años*; Germ. *ein Zweijahr*, *zwei Jahre als Zeitraum*; Angl. *the space of two years*). *Cato R. R.* 133. Ubi biennium erit, ramum tenerum infra præcidito. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 4. Hoc factum est ferme abhinc biennium. *Id. ibid.* 2. 1. 1. Biennio postquam hinc abii. *Id. Merc.* 3. 1. 35. Jam biennium est, cum mecum rem cœpit habere. *Ter. Hec.* 1. 2. 12. Biennium ibi perpetuum misera illum tuli. *Cic.* 5. *Phil.* 3. 7. Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Cæsaris, ille biennii, iste sexennii. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 3. *Liv.* 5. 14. Comitia biennio habita. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 6. Intra tempus biennii. *Quintil.* 1. 12. 9. Intra biennium. *Sueton. Aug.* 26. Biennio post. *Id. Gell.* 7. Biennio provinciam obtinere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 21. 24. (73). Biennio durare.

BĪENNĬUS, a, um. *V.* BIENNIS.

BIERIS, is, f. 3. idem ac biremis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 177.

BĪFĀRĬAM, adverb. Proprie est Accusativi forma a *bifarius* et subauditur nomen *partem*. — Bifariam est idem ac bipartito (It. *in due luoghi o parti*; Fr. *vers deux côtés*, *en deux parts*; Hisp. *hacia dos partes*; Germ. *zweifach*, *nach zwei Seiten*, *auf zwei Seiten*; Angl. *in two places or parts, into two parts*).

I.) Proprie occurrit de loco. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 3. Ut dispartirem obsonium hic bifariam. *Cic.* 3. *Tusc.* 11. 24. Bifariam quatuor perturbationes æqualiter distributæ sunt. *Id. Tim.* 9. Quam (*inflexionem*) bifariam contrarie simul procedentia efficiebant. *Varro* 2. *R. R.* 4. 14. Annus divisus bifariam. Adde *Liv.* 25. 32. et 41. 19.; *Ascon.* p. 29. 3. *Bait.*; et *Paul. Diac.* p. 33. 12. *Müll.* *Liv.* 10. 21. *a med.* Jam castra bifariam facta esse, quia unus locus capere tantam multitudinem non possit. *Id.* 3. 23. *in fin.* Bifariam coss. ingressi hostium fines. *Id.* 3. 63. Gemina victoria duobus bifariam præliis parta. *Messala* apud *Gell.* 13. 15. Bifariam cum populo agi non potest. *Forcellinus* h. l. bifariam pro duobus modis, vel duabus vicibus accepit. *Sueton. Aug.* 100. Bifariam laudatus est: pro æde D. Julii a Tiberio et pro rostris veteribus a Druso.

II.) Figurate est duobus modis, dupliciter. *Apul. Dogm. Plat.* 3. *ad fin.* Quoniam utraque acceptio bifariam tollitur. *Modestin. Dig.* 38. 10. 4. § 2. Cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligitur: nam quædam cognationes jure civili, quædam naturali continentur.

BĪFĀRĬĒ, adverb. idem ac bifariam. *Cassiod. de orat.* 1. *ad fin.* Qualitas bifarie dividitur in ea pronomina, quæ vocantur finita.

BĪFĀRĬUS, a, um, adject. duarum partium, vel duorum generum, duplex: est a δίφασιος, mutata littera *s* in *r*, ex consuetudine Latinorum. *V.* litteram.

R. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* 3. Ut bifaria sit sublata illatio. Al. leg. *bifariam. Ammian.* 18. 4. Ratione bifaria. Adde *Commodian. Instruct.* 24.

BĬFAX, difax διπρόσωπος. *Gloss. Lat. Gr.*

BĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (bis *et* fero: cf. Gr. δίφορος). Rectus casus singularis rectius est *bifer*, quam *biferus*. Nam composita a *fero* frequentius hoc modo desinunt, *æstifer, anguifer, armifer, falcifer, furcifer, letifer, pestifer* et alia. Quamquam et *biferus* defendi potest, cum *mortiferus* et *pestiferus* apud *Cels.* legantur 2. 6. et 4. 2. n. 2. — Ceterum *bifer* est qui bis in anno fructum fert, et occurrit — *a*) Stricto sensu de plantis. *Virg.* 4. *G.* 119. biferique rosaria Pæsti. *Cato R. R.* 7. Biferæ arbores. *Varro* 1. *R. R.* 7. 7. Malus bifera in agro Consentino, vites biferæ apud mare Smyrnæ. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 50. (115). *Cato R. R.* 10. et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 41. (121). et 16. *ibid.* 27. 50. (114). Ficus biferæ. *h. e.* arbores fici bis ferentes. *Sueton. Aug.* 76. Caseum bubulum et ficos virides biferas maxime appetebat. *h. e.* fructus arborum fici biferarum. *Solin.* 8. Bifera violaria. — *b*) *Manil.* 4. 230. signum sagittarii vocat *biferum Centauri corpus*, quia constat equina et humana forma.

BĬFESTUS, a, um, adject. a *bis* et *festus*. *Prudent.* 12. περὶ στεφ. 66. festum SS. Petri et Pauli vocat *diem bifestum*.

BĬFIDĀTUS, a, um, adject. idem ac bifidus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 6. (30). Folia cultrato mucrone, lateribus in sese bifidatis.

BĬFĬDUS, a, um, adject. (bis *et* findo) in duas partes fissus, seu divisus. *Ovid.* 14. *Met.* 303. setæque cadunt, bifidosque relinquit Rima pedes. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 4. radices. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (171). Lacertis lingua bifida et pilosa. *Id.* 17. *ibid.* 20. 31. (150). Bifida stirps. *Id.* 16. *ibid.* 39. 76. (195). Bifidi venarum cursus. *Val. Flacc.* 1. 570. In bifidum discessit iter.

BĬFĪLUM, i, n. 2. duplex filum. Affertur a *Servio* ad illud *Virg.* 12. *Æn.* 375. *bilicem loricam*: sed nullo confirmatur Latini scriptoris exemplo.

BĬFISSUS, a, um, adject. (bis *et* findo) idem ac bifidus. *Solin.* 52. 38. Sunt præterea (*in India*) boves solidis ungulis nec bifissis.

BĬFŎRIS, re, adject. (bis et foris) binas habens fores, seu valvas. ¶ 1. Stricto sensu. *Ovid.* 2. *Met.* 4. Bifores valvæ. *Id.* 3. *Pont.* 3. 5. Nox erat, et bifores intrabat luna fenestras. — Item duo habens foramina, seu portas. *Solin.* 2. *ad fin.* Nidos moliuntur bifori accessu. *Apul. Dogm. Plat.* 1. Nares, quarum bifori via odor cum spiritu commeat. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 618. Bifores tibiæ. — Hinc ¶ 2. Latiori sensu biforis est qui a duobus foraminibus exit, h. e. qui duos habet sonos diversos. *Virg.* 9. *Æn.* 617. O vere Phrygiæ, neque enim Phryges: ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum. ubi *Servius*: bisonum, imparem. Et servavit eis tibiarum suarum, idest Phrygiarum naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, et æquales habent cavernas; aut Phrygiæ, quæ et impares sunt, et inæquales habent cavernas. Ergo *biforem*, dissonum, dissimilem: non enim sunt pari modulatione compositæ. Ut enim ait *Varro*, Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem. Hæc *Servius*. *Stat.* 4. *Theb.* 668. Æraque, tympanaque, et biforem reticere tumultum imperat.

BĬFORMĀTUS, a, um, adject. idem ac biformis. *Cic.* vertens aliquot versus ex *Sophocle* 2. *Tusc.* 8. 20. non biformato impetu Centaurus, ictus corpori inflixit meo. V. *Klotz.* ad h. l.

BĬFORMIS, e, adject. (bis *et* forma) duas habens formas. *Virg.* 6. *Æn.* 25. mixtumque genus prolesque biformis, Minotaurus adest. *Id. ibid.* 286. Centauri in foribus stabulant Scyllæque biformes. *Horat.* 2. *Od.* 20. 2. Non usitata, nec tenui ferar Penna biformis per liquidum æthera Vates. *h. e.* et cycnus et vates. *Ovid.* 2. *Met.* 664. Biformis pater. *h. e.* Chiron Centaurus. *Id.* 9. *ibid.* 121. Nessus. *Id.* 12. *ibid.* 457. Odites. *Id.* 8. *ibid.* 156. monstrum. *Id.* 2. *Amor.* 12. 19. populus. *Id.* 1. *Fast.* 89. Janus. *Colum.* 10. *R. R.* 427. Fanes. *Tac.* 12. *Ann.* 64. hominum partus. *Justin.* 2. 6. Cecrops. *Mamertin. Genethl. Maximian.* 3. *sub init.* Biformium bella monstrorum. *h. e.* Gigantum *V.* et BICEPS.

BĬFŎRUS, a, um, adject. idem ac biforis, hoc est binas habens fores, seu valvas. *Vitruv.* 4. 6. *ad fin.* Ipsaque forium ornamenta non fiunt cerostrota, neque bifora, sed valvata.

BĬFRONS, ontis, adject. duas habens frontes. *Virg.* 7. *Æn.* 180. Saturnusque senex, Janique bifrontis imago. Adde 12. *ibid.* 198.

BĬFURCIUM, ii, n. 2. (bis *et* furca) locus bifariam divisus. *Auct. de limit. p.* 270. *Goes.* Si B in termino inveneris, bifurcium ostendit, aut trivium significat.

BĬFURCUS, a, um, adject. duas habens cuspides, seu acumina. *Liv.* 33. 5. *ad fin.* Bifurci valli. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (122). Bifurcæ arbores. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 16. Pastinum vocant agricolæ ferramentum bifurcum. *Ovid.* 12. *Met.* 442. Ramus bifurcus. — Hinc

Bifurcum, i, n. 2. absolute substantivorum more de iis dicitur, quæ furcarum modo inter se junguntur. *Colum.* 4. 24. Vocatur focaneus palmes, qui solet in bifurco medius prorepere. *Veget.* 3. *Veter.* 40. 2. *Schneid.* Duæ autem venæ a capite descendunt, et conveniunt se sub maxillis usque ad gulam; ne bifurcum tangas, et jumentum occidas. Et *Petron. Satyr.* 62. Mihi sudor per bifurcum volabat. *h. e.* per femora et crura, quæ in homine furcam assimilant, seu potius per inferiorem maxillarum partem usque ad gulam.

BĪGA, æ, f. 1. Ratione habita etymi est vocabulum per syncopen factum a *bijuga* (*V.* BIJUGUS); ideoque longam habet priorem syllabam. *V. Fronton. loc. cit.* in QUADRIGA. — Apud Augustei ævi Scriptores usurpatur in plur. num.; hinc *Varro* 9. *L. L.* 2. *Müll.* negat usurpari in singulari numero: ratio enim exigit, ut quæ pluribus constant, plurali tantum dicantur. In sing. tamen num. occurrit apud argentei ævi Scriptores: *V.* sub *c*. — Biga est duo equi ad currum juncti sub uno jugo, vel etiam duo alterius generis animalia, sive currus duorum equorum, a parte postica apertus, quo fere utebantur antiqui in Circo seu stadio ad spectaculum percurrendo aut etiam in publicis supplicationibus; quemque Phryges invenisse tradit *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). Bigas primum junxit Phrygum natio: quadrigas Erichthonius. — *a*) Generatim in plur. num. *Varro* jculariter *bigas cornutas* dixit duo boves aratores, quos ad aratrum junxerat Triptolemus qui frumenti sementem mortales docuit, apud *Non. p.* 164 23. *Merc.* Dum in agro studiosius ruror, aspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas. *Catull.* 55. 26. Rhesi niveæ citæque bigæ. *Virg.* 5. *Æn.* 721. Et nox atra polum bigis subvecta tenebat. *Id.* 7. *ibid.* 26. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. *Id.* 12. *ibid.* 164. bigis it Turnus in albis. *Id.* 2. *ibid.* 272. Hector raptatus bigis. *Lucan.* 1. 78. Agitare bigas. *Seneca Hippol.* 312. Bigæ nocturnæ Lunæ. Cf. *Isid.* 18. *Orig.* 36. 1. *Val. Flacc.* 2. 295. Bigæ soporiferæ Dianæ. *Stat.* 12. *Theb.* 297. lunares. *Id.* 6. *ibid.* 698. anhelæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (158). Bigis vehi. *Inscript.* apud *Orell.* 2545. Bigas statuere alicui. — *b*) Bigæ fuerunt etiam nota argenti seu pecuniæ, teste *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (46). *V.* BIGATUS. — *c*) In sing. num. *Sueton. Tib.* 26. Unius bigæ adjectione. *Tac.* 1. *Hist.* 86. Omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 46. olorinaque jubet considere biga. Adde *eumd.* 1. *Theb.* 338.; *Senec. Herc. Œt.* 1520; *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (89). et 35. *ibid.* 11. 40. (141).; et *Inscript.* apud *Gruter.* 352. 1. et 440. 1., et apud *Orell.* 2545. et alibi. — *d*) Accipitur interdum et pro ipsis equis. *Symmach.* 6. *Ep.* 40. Bigarum ferocia. *h. e.* equorum bigis junctorum. — *e*) *Pigras bigas* vocat duas syllabas longas pedis spondei *Sidon.* 9. *Ep.* Pigrasque bigas et quaterna tempora spondeus addat.

BĬGĀMUS, a, um, adject. Hybrida vox a *bis* et γαμεῖν; idem ac digamus. *Isid.* 9. *Orig.* 7. 15.

BĪGĀRIUS, ii, m. 2. qui bigam agit. *Inscript.* apud *Murat.* 621. 2. FLORVS EGO HIC IACEO QVONDAM BIGARIVS INFANS, QVI CITO DVM CVRRVS CVPIO, CITO DECIDO AD VMBRAS. Ita legit *Car. Fea* ex MS. *Chigiano T.* 4. *p.* 300. operum *Jo. Aloys. Bianconi edit. Mediol.* — Item bigarum artifex. *Arnob.* 2. 38. Bigarii, salinatores, unguentarii, aurifices. At rectius leg. *cybiarii*.

BĪGĀTUS, a, um, adject. *Bigatus nummus*, et *bigatus* absolute est, qui bigæ notam impressam habet. Idem appellatus etiam fuit *quinquessis* et *Victoriatus*. V. has voces suo loco. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (46). Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: et inde bigati quadrigatique dicti. Cf. *Paul. Diac. p.* 98. 3. *Müll. Liv.* 23. 15. *in fin.* Læto juveni bigatos quingentos quæstorem numerare jubet. *Tacit. Germ.* 5. Pecuniam probant veterem, et diu notam, serratos bigatosque. — *Argentum bigatum* est pecunia argentea cum nota bigæ. *Liv.* 33. 23. Æris translata ducenta et quinquaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia.

BĬGEMMIS, e, adject. duas habens gemmas. ¶ 1. Dicitur de arboribus. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 11. Pro custodibus autem bigemmes reseces fiunt. ¶ 2. Ponitur et de petra. *Valerian. in epist.* apud *Trebell. Claud.* 14. Balteum inauratum unum, anulum bigemmem uncialem, etc. *Al. leg.* bigemmeum.

BIGENER vel bigenerus a, um, adject. διγενής, qui est duorum generum. *Paul. Diac. p.* 33. 14. *Müll.* Bigenera animalia dicuntur ex diverso genere nata, ut leopardus ex leone et panthera, mulus ex equa et asino. *Varro* 2. *R. R.* 8. 1. Nam muli et hinni bigeneri atque insiticii, non suopte genere ab radicibus.

BIGERRĪGA seu Bigerrica vestis est ex villi, crasso panno et villoso: ita dicta a Bigerris populis, qui ea maxime usi sunt adversus frigora et nives Pyrenæas. *Sulp. Sever. Dial.* 2. c. 1. A proximis tabernis bigerricam vestem, brevemque atque hispidam, quinque comparatam argenteis rapit. *Venant.* 3. *De vita S. Martini* 49. Induitur sancto hirsuta bigerrica palla. In *Gloss. Isid.* legitur: *Bigerra*, vestis *gufa*, vel *villata*. Ubi *Salmas.* in not. ad *Capitolin. in Pertin.* 8. docet, *bigerram* corrupte dici pro *bicirram*, hoc est utrimque cirros seu villos habentem, δίμαλλον. Pro *gufa Faustin. Arevalo* legendum monet *rufa*.

°**BIGNÆ** (*h. e.* bigenæ) gemini dicuntur, quia bis unâ die natæ sunt. *Paul. Diac. p.* 33. 13. *Müll.*

BĬGRADUM διβάθμιον. *Gloss. Gr. Lat.*

BĪGUS, a, um, adject. per syncopen a *bijugus* fictum. *Bigi equi* sunt duo equi uno jugo ad currum juncti. *Manil.* 5. 3. Quadrijugis et Phœbus equis, et Delia bigis (*meant*).

BĬJŪGIS, e, adject. Prior syllaba brevis est, quia olim Latini *biugis* scribebant; numquam enim ii sic geminabant. — Bijugis est idem ac bijugus; ut *bijuges equi*, h. e. duo equi uno jugo ad currum juncti: et *bijugis currus*, h. e. currus tractus a duobus equis uno jugo junctis.

I.) Proprie. *Virg.* 3. *G.* 91. Martis equi bijuges. *Ovid.* 4. *Met.* 24. tu bijugum pictis insignia frenis Colla premis lyncum. *Sueton. Cal.* 19. Commeavit quadrigario habitu curriculoque bijugi famosorum equorum.

II.) Translate. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 233. Atque uno bijuges tolli de limine fasces. *h. e.* una de domo consulibus fratribus simul procedentibus duodecim lictores alios post alium uno ordine præcessisse.

BĬJŪGUS, a, um, adject. (bis *et* jugum). Sic *Bijugi equi*, *leones* etc. sunt duo equi, leones etc. uno jugo ad currum juncti. *Virg.* 10. *Æn.* 253. bijugique ad frena leones. Adde *Lucret.* 2. 602. *Lucret.* 5. 1298. bijugo curru belli tentare pericla. *h. e.* curru, quem duo equi uno jugo juncti trahunt. *Virg.* 5. *Æn.* 144. Non tam præcipites bijugo certamine campum Corripuere ruuntque effusi carcere currus. *h. e.* certamen, quod in Circo editur curribus bijugis. *Val. Flacc.* 7. 218. quæ te bijugis serpentibus egit Hinc fuga? *Martial.* 1. 13. 8. Bijugi equi. *Stat.* 2. *Theb.* 723. qua te bijugo temone frementem Intemeratarum volucer rapit axis equarum. Adde *Sil. It.* 2. 83. — Hinc

Bijugi, ōrum, m. 2. absolute sunt duo equi uno jugo ad currum juncti. *Virg.* 10. *Æn.* 586. ut pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos. *Id. ibid.* 299. bijugis fugiens Rhœteus. Et *ibid.* 453. Desiluit Turnus bijugis. *h. e.* curru a bijugis tracto.

Bijugum, i, n. 2. absolute pro curru, quem duo equi uno jugo juncti trahunt, legit *Wakef.* in illo *Lucret.* 5. 1298., quem superius attulimus.

BĬLAMNA, æ, f. 1. (bis *et* lamna?) quid hujusmodi vox significet, eruditis inquirendum relinquo. *Var. auct. de limit. p.* 261. *Goes.* Constituimus in bilamnis et olivastellum, in ipsis bilamnis fossam fecimus.

BĬLANX, ancis, comm. gen. adject., libra duas habens lances. *Capell.* 2. *p.* 42. Sine bilance libra.

BILBIO, is, n. 4. verbum est factum a similitudine sonitus, qui fit in vase. *Paul. Diac. p.* 34. 5. *M...*

Bilbit factum a similitudine sonitus, qui fit in vase. Nævius: *Bilbit amphora*, inquit.

BILBIS. *V.* BILLIS.

BĪLĪBRA, æ, f. 1. duarum librarum pondus. *Liv.* 4. 15. Bilibris farris sperasse libertatem se civium suorum emisse. Al. leg. *bilibre*, ut sit *Bilibre, is*, n. *V.* SELIBRA. De bilibra *V. Secchi*, *Campione p.* 25.

BĪLĪBRIS, e, adject. — *a*) Mensuram continens duarum librarum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 30. Aqualis bilibris. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 61. oleum cornu ipse bilibri Caulibus instillat. — *b*) Item pondus habens duarum librarum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 26. (103). Bilibres offæ. *Martial.* 3. 45. mullus. — Hinc

Bilibris, is, f. 3. absolute est pars vel portio duarum librarum pondus habens. *Veget.* 3. *Veter.* 6. 6. et 10.

BĪLINGUIS, e adject. (bis et lingua) qui duas habet linguas.

I.) Proprie. Jlocaliter *Plaut.* de mutuo osculantibus, *Pseud.* 5. 1. 14. Ubi amans complexus est amantem, ubi labra ad labra adjungit, ubi alter alterum bilingui manifesto inter se prehendunt. *h. e.* μανδαλωτῷ *V.* PROSERPO. Figurate *Varro* apud *Non. p.* 229. 24. *Merc.* Bilingues tibiæ. *h. e.* quibus duæ linguæ sunt. Al. leg. *bilinguæ* quasi a *bilinguus*, *a*, *um*: sed minus recte.

II.) Translate. ¶ 1. Bilinguis est duarum linguarum peritus. *Paul. Diac. p.* 35. 5. *Müll. Bilingues Bruttates* Ennius dixit, quod Brutii et Osce et Græce loqui soliti sint. Cf. *Lucil.* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 10. 29. Corvinus patriis intermiscere petita Verba foris malis Canusini more bilinguis. *Curt.* 7. 5. 29. Sed jam bilingues erant, paullatim a domestico externoque sermone degeneres. — *NB.* De bilinguibus *Inscriptionibus* egit *Cl. Biagi* in *Monum. Gr. et Lat. p.* 133. 154. ¶ 2. Præterea bilinguis est ambiguus, qui duplici modo intelligi potest, ut apud *Arnob.* 5. p. 228. Bilingues fabulæ. *h. e.* allegoricæ. — Hinc fere in malam partem accipitur, et est qui subdole loquitur et fide parum sincera, fraudulentus, fallax. Ad rem *Plaut. Truc.* 4. 3. 6. Edico prius, ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem. *Id. Pers.* 2. 4. 28. Tamquam proserpens bestia est bilinguis et scelestus. *Virg.* 1. *Æn.* 665. Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilingues. *Phædr.* 2. 4. 25. Quantum homo bilinguis sæpe concinnet mali. *Firmic.* 1. *Astron.* 1. Bilingues Afrorum animi. *Sil. It.* 16. 15. 7. socii. *Claudian. B. Gild.* 284. insidiæ.

BĪLIŌSUS, a, um, adject. bile abundans. *Cels.* 2. 8. Nihil plus adversus surditatem, quam biliosa alvus, potest. *Id. ibid.* 6. Sputum biliosum et purulentum. *Id.* 1. 3. Vomitus utilis plenis et biliosis omnibus. Cf. *Isid.* 10. *Orig.* 30. *Scribon. Compos.* 186. Biliosa rejicere.

BĪLIS, is, f. 3. Originalis Ablativi forma *bilei* apud veteres transiit in *bili*, quemadmodum apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 95., *Lucret.* 4. 665. et *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11.; deinde vero in aliam *bile*, quæ occurrit apud *Horat.* 1. *Od.* 13. 4., *Plin.* 22. *Hist. nat.* 20. 28. (49). et *Petron. Satyr.* 124. 2. — Ratione habita etymi *bilis* conjungi potest cum *fel* (eodem modo, quo *beare* cum *felix*, *V.* BEO), nisi quod *fel* significat potius biliosi humoris vesicam seu vas, *bilis* autem ejusdem humoris effusionem. — Itaque bilis nomen est commune duobus humani corporis humoribus, quorum alter, qui calidus est et siccus, ab aureo colore *flava bilis* appellatur, præcipuam in vasis hepatis sedem habens; alter qui frigidus est, *atra bilis*: quamvis uterque sæpius *bilis* absolute dicitur. Sed plures præterea a medicis recensentur *bilis* colores, prout ex morbosa aliqua causa varie tingitur: hinc *Cels.* 7. 18. Nonnumquam stomachus quoque affectus primum rufam bilem per os reddit, deinde viridem, quibusdam etiam nigram. (It. *bile*; Fr. *bile*; Hisp. *hiel*, *bile*; Germ. *d. Galle*, *d. Gallenerguss*; Angl. *bile*). ¶ 1. Generatim. — *a*) De quacumque bile. *Cato R. R.* 156. Tantum bilis pituitæque ejiciet. *Lucret.* 4. 665. Quippe ubi cui febris bili superante coorta est. *Cic.* 4. *Tusc.* 10. 23. Cum – pituita redundat aut bilis, in corpore morbi – nascuntur. Adde eumd. 1. *ibid.* 24. 56., *Colum.* 6. *R. R.* 30. 8. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. Secernere bilem a cibo. *Horat. Art. P.* 302. Purgare bilem. *Id.* 2. *Ep.* 2. 137. Expellere bilem helleboro. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 18. curare. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 74. (142). Nuclei nucis bilem pellunt. *Id.* 27. *ibid.* 4. 10. (27). Androsæmon bilem trahit. *Id. ibid.* 12. 93. (119). Peplis semine bilis detrahitur. — *b*) *Bilis suffusa* vel *bilis suffusio* est regius morbus, et *bile suffusus* dicitur, qui regio morbo laborat, bile flava exundante et ad cutem effusa, ictericus. *Seneca Ep.* 95. Luridæ bilis suffusio. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 26. (54). Anthemis inflationes, jocinorum vitia, bilem suffusam sanat. *Id. ibid.* 20. 23. (49). Datur anchusæ radix et bile suffusis. — *c*) *Biles* in plur. numero cum dicuntur, non modo utraque bilis atra et flava intelligitur, verum etiam earumdem morbus significatur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (84). Biles trahere brassicam non percoctam putant. *Id.* 26. *ibid.* 8. 46. (73). Biles extrahere vomitione. *Scribon. Compos.* 136. Biles purgare. ¶ 2. Speciatim *bilis* absolute sæpe ponitur pro ira aut indignatione, quia accendendis et concitandis spiritibus inservit. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 8. Non placet mihi cœna, quæ bilem movet. *Id. in suppos. Amph. scœna*: Dii vostram fidem, *v.* 40. Vetus est adagium: Fames et mora bilem in nasum conciunt. *Cic.* 2. *Att.* 7. 2. Si, ut scribis, bilem id commovet. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 140. maledicit utrique, vocando Hanc furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis. *Id.* 1. *Od.* 13. 4. Fervens difficili bile tumet jecur. *Id.* 1. *Sat.* 9. 66. meum jecur urit bilis. *Id.* 1. *Ep.* 19. 20. Movere bilem alicui. Adde *eumd. Epod.* 11. 16. et *Juvenal.* 15. 15. *Sueton. Tib.* 59. Quasi – non tam ex animi sententia, quam bile et stomacho fingerentur. *Plin.* 4. *Ep.* 11. Cui sententiæ tantum bilis, tantum amaritudinis inest, ut etc. *h. e.* ea sententia adeo plena est indignationis, etc. *Seneca* 2. *Ira.* 25. Bilem habere. *h. e.* irasci, moveri ad iracundiam. Adde *eumd. Ep.* 53. *Pers.* 3. 9. turgescit vitrea bilis: Findor. *Id.* 4. 6. commota fervet plebecula bile. *Juvenal.* 5. 159. Effundere bilem. Adde *eumd.* 13. 143.; et *Martial.* 5. 26. *Inscript.* apud *Gruter.* 787. 2. et 1040. 3. Q. CAVIVS SEVERVS RVTILIAE PRIMITIVAE CONJVGI SVAE DVLCISSIMAE CVM QVA VIXIT ANNIS XX. SINE BILE. *h. e.* sine stomacho. ¶ 3. Item speciatim *atra bilis* vel *nigra bilis*, Græce μελαγχολία, ponitur interdum pro furore, quia furoris causa est. *Plaut. Amph.* 2. 2. 95. AMPH. Delicat mulier. SOS. Atrā bili percita est. Cf. *eumd. Capt.* 3. 4. 64. *Seneca Ep.* 94. Bilis nigra curanda est, ipsa furoris causa removenda. — De μελαγχολίᾳ tantum. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Quem nos furorem, μελαγχολίαν illi (*Græci*) vocant. Quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 356. 16. et *Scribon. Compos.* 104.

BĪLIX, icis, adject. (bis *et* licium) duobus constans liciis. *Isid.* 19. *Orig.* 22. 23. Trilicis vestis a tribus liciis quia est simplex et bilix. *Bilicem loricam* cum dixit *Virg.* 12. *Æn.* 375. duplicem loricam significavit, hoc est duplici textura munitam ducta similitudine a pannis, quæ duplici licio contexta spissiora sunt et firmiora. Nisi malis intelligere loricam linteam duplicis texturæ. Nam veteribus hujusmodi munimenta corporis in usu fuere. Itaque loricæ linteæ mentio fit a *Sueton. Galb.* 19., *Liv.* 4. 20., *Sil. It.* 9. 587. et *Nep. Iphicr.* 1., qui narrat, Iphicratem genus loricarum mutasse, et pro ferreis atque æneis linteas militibus dedisse, quo expeditiores essent ad pugnam. Docet autem *Casaubon. ad loc. cit. Sueton.*, hujusmodi linteas loricas fieri consuevisse ex lino, quod aceto, vel vino austero cum sale maceratum esset, deinde ita probe coactum et multoties complicatum (vel in funiculos contortum) ut crassitiem et soliditatem acquireret, et contra aciem ferri posset resistere. Plura hac de re *V.* apud *Lips. Milit. Rom. l.* 3. *dial.* 6. At *Heynius* ad *Virg. loc. cit.* putat potius fuisse contextam ex binis liciis, seu filorum ordinibus, lineis, aut æneis; bracteolis nempe, catenulis, squamis, quemadmodum idem *Virg.* 6. *Æn.* 467. vocat loricam trilicem consertam hamis auroque.

BILLIS apud Afros appellatur semen humanum humi profusum. *Paul. Diac.* p. 34. 1. *Müll.*, ubi *Scalig. ad Priap. p. m.* 461. legit *bilbis*, aut *bilbit*. At بل *bal*, Arabice, et בָּלַל *balal*, Hebraice significat *madefecit*, unde vox *billis*, non *bilbis* ducta videtur. — *NB.* De Billi nom. pr. *V.* ONOM.

BĪLONGUS, a, um, adject. qui duas habet syllabas longas. *Mar. Victorin. Art. Gramm.* 1. *p.* 2486. *Putsch.* Brevis syllabæ loco, quæ sit unius temporis, ponatur: bilongæ autem syllabæ loco, quæ sit temporum duum.

BĪLUSTRIS, e, adject. (bis *et* lustrum) duo lustra durans, hoc est decem annos. *Ovid.* 2. *Amor.* 12. 9. Pergama cum caderent bello superata bilustri. Adde *Sidon. carm.* 23. 299.

BĪLYCHNIS, e, adject. δίλυχνος, (bis et lychnus) duos habens lychnos. *Petron. Satyr.* 30. Etiam lucerna bilychnis de camera pendebat. Adde *vet. Testament.* apud *Gruter.* 215. 2., quod est *Inscript.* apud *Orell.* 36. 78. COMPARARI VOLO CANDELABRA ET LVCERNAS BILYCHNES.

BĪMAMMIUS, a, um, adject. *Bimammiæ vites*, de quibus *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (40)., ita dictæ sunt, quia geminas semper uvas ferunt, quæ crassitudine mammas æmulantur, colore autem purpureæ sunt. Eædem *bumasti* etiam appellantur, et *bumammæ*. V.

BĪMĂRIS, re, adject. (bis *et* mare) duo habens maria.

I.) Proprie. *Bimaris* dicitur Corinthus, quia cum in parte septentrionali Peloponnesi sita sit, ab occidente Ionium mare prospectat, ab oriente mare Græcum, seu Ægæum. *Horat.* 1. *Od.* 7. 2. bimarisve Corinthi Mœnia. Adde *Ovid.* 5. *Met.* 407. *Id.* 12. *Heroid.* 27. Hic Ephyrem bimarem etc. *Ephyre* est Corinthus. *Id.* 7. *Met.* 407. bimarem pacaverat Isthmon. *h. e.* Isthmum Corinthiacum, qui a duobus illis maribus alluitur. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 419. *Auson. Ep.* 24. 60. bimaris Pyrenæus.

II.) Translate *bimaris morbus* dicitur libido eorum, qui simul pathici et drauci sunt. *Auson. Epigr.* 131. bimarem nisi quod patientia morbum Appetit: et tergo femina, pube vir es.

BĪMĂRĪTUS, i, m. 2. (bis *et* maritus) qui duas habet uxores. Est vocabulum, quod ab alio effictum, refertur a *Cic. Planc.* 12. 30. Jacis adulteria, quæ nemo non modo nomine, sed ne suspicione quidem possit agnoscere: bimaritum appellas, ut verba etiam fingas, non solum crimina. Eo utitur tantum *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 49. Legant, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum.

BĪMĀTER, tris, m. 3. διμήτωρ, qui duas habet matres: cujusmodi dicitur esse Bacchus, qui a Semele genitus, et ab Jove in lucem editus fingitur. *Ovid.* 4. *Met.* 11. Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque, Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem. Adde *Hygin. Fab.* 167. — *Bimāter* occurrit in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 11. *Burmann.* Semeleie Bacche, Thyrsitenens, bimater, trieterice, Nysie, Liber.

BĪMĀTUS, us, m. 4. (bimus) duorum annorum ætas. *Varro* 2. *R. R.* 5. 17. Vitulos castrare non oportet ante bimatum. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 4. Cum bimatum expleverint. *Id.* 7. *ibid.* 3. 6. Post bimatum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (93). Bimatu non longior vita. *Id.* 11. *ibid.* 21. 24. (73). Bimatum non transire. *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (89). Polypi ultra bimatum non vivunt.

BĪMEMBRIS, e, adject. (bis *et* membrum) duplicia habens membra: et fere de Centauris dicitur, quia supra humana, infra equina specie fingebantur. *Cornificius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Centauros foedere bimembres. Adde *Sil. It.* 3. 41. *Ovid. Heroid.* 9. 99. forma bimembris. *Juvenal.* 13. 64. Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri Hoc monstrum puero, vel mirandis sub aratro Piscibus inventis et fetæ comparo mulæ. *Vetus Poeta Anthol. Latin. T.* 2. p. 59. *Burmann.* Monstrum feminei bimembre sexus. *h. e.* hermaphroditus. — Hinc

Bimembris absolute ¶ 1. In plur. num. sunt Centauri. *Virg.* 8. *Æn.* 293. Nubigenas bimembres. *Ovid.* 15. *Met.* 283. illic lavere bimembres Vulnera. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 240. et 494.; et *Stat.* 12. *Theb.* 554. ¶ 2. Item Minotaurus. *Auct. carm.* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 666. *Burmann.* Obsequitur (*Pasiphae*) votis, et procreat, heu nefas! bimembrem.

BĪMENSIS, is, m. 3. duorum mensium tempus. *Liv.* 45. 15. Ut ad sarta tecta exigenda anni et bimensis tempus prorogaretur.

BĪMENSTRUUS, a, um, adject. idem quod bimestris. *Gloss. Cyrill.*

BĪMESTRIS, e, adject. (bis *et* mensis) duos menses durans. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. *ad fin.* Consulatus bimestris. *Liv.* 9. 43. Bimestre stipendium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (70). Triticum bimestre. *h. e.* quod intra duos menses seritur et metitur. — Sextus casus et in *e* et in *i* desinit. *Horat.* 3.

Od. 17. 15. cras Genium mero Curabis et porco bimestri. *Ovid.* 6. *Fast.* 158. Extaque de porca cruda bimestre tenet.

BĪMĔTER, tra, trum, adject. δίμετρος, duobus metris constans: vox hybrida, ex Latino *bis*, et Græco μέτρον conflata. *Dimeter* autem (quam *V.* suo loco) idem significans, tota Græca est. *Sidon.* 9. *Ep.* 15. Litteræ bimetræ. *h. e.* in quibus duo genera carminum insunt, cujusmodi est ejusdem libri decima tertia. *Id. ibid.* 13. Bimetra quod arte texens.

BĪMŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a bimus, qui duos annos ætatis habet. Proprie de iis dicitur, teste *Valla Elegant. l.* 1. *c.* 5., quæ post eam ætatem adhuc incrementum possunt accipere. Exempl. grat., puer proprie *bimulus* dicitur; bos, aut canis non ita. *Catull.* 17. 12. Nec sapit pueri instar bimuli. Adde *Sueton. Cal.* 8.

BĪMUS, a, um, adject. Vox est facta per syncopen a *biannus* (unde *bī* longa est), *n* in *m* mutata, quo modo *solennis* in *solemnis* transiit: non enim probandum videtur etymon a *bis* et *hiems*, quod affert *Eutyches* apud *Cassiod. de orthogr.* 9. — Bimus dicitur, qui est duorum annorum (It. *di due anni*; Fr. *de deux ans*; Hisp. *de dos años*; Germ. *zweijährig, zwei Jahre alt, von zwei Jahren*; Angl. *of two years*). *Cato R. R.* 17. Bimæ nuces. *Varro* 2. *R. R.* 5. 12. Taurum unum anniculum, alterum bimum. *Id. ibid.* 1. 13. vacca. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. 3. In castris Bruti una veterana legio, altera bima octo tironum. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 9. Hortensium roges, ut si unquam mea causa quidquam aut sensit, aut fecit, de hac quoque sententia bima recedat. *h. e.* qua agitur de prorogando mihi imperio provinciæ ad biennium. *Forcellinus* hunc locum inter translata recensuit. *Horat.* 1. *Od.* 19. 15. Bimum merum. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 16. nix. *Id.* 4. *Pont.* 9. 63. Bimus honor. *h. e.* consulatus. *Al. minus recte leg.* binus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 54. (195). Semen optimum anniculum, bimum deterius, trimum pessimum, ultra sterile. *Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (105) Bimi surculi. *Id.* 35. *ibid.* 14. 49. (170). Lateres ædificiis nonnisi bimos probant. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. Bimæ plantæ. *Martial.* 12. 32. pensio. *h. e.* pensio duorum annorum jam transactorum. *Pompon. Dig.* 33. 2. 8. Æstimatio bima ususfructus. *h. e.* qua æstimatur quanti sit duorum annorum ususfructus. *Ulp. ibid.* 33. 1. 3. Legatum relictum bima die. *V.* DIES.

BĪNĀRĬUS, a, um, adject. (binus) duo continens. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Formas binarias, ternarias, et quaternarias resolvi præcepit. *h. e.* typos nummorum, qui binis aureis valebant, aut ternis, aut quaternis.

BĪNI, æ, a. *V.* BINUS.

BĪNĬO, ōnis, m. 3. numerus binarius, et dicitur de duobus punctis, quæ in jactu tesserarum exsistunt. *Isid.* 18. *Orig.* 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trio, quatrio, quinio, senio. *V.* SENIO.

BĪNOCTĬUM, ii, n. 2. duarum noctium tempus. *Tacit.* 3. *Ann.* 71. Plusquam binoctium abesse. *Ammian.* 30. 1. Biduum et binoctium.

BĪNŌMĬNIS, e, adject. m. et f. (bis *et* nomen) duo habens nomina, διώνυμος. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 11. urbs ripæ vicina binominis Istri. *h. e.* qui et *Danubius* dicitur. *Id. Ib.* 417. fortuna binominis Iri. *h. e.* qui et *Arnæus* est appellatus. *Id.* 14. *Met.* 609. sub Ascanii ditione binominis. *h. e.* qui et Iulus vocabatur. — Rectus *casus binominis* probatur auctoritate *Servii* ad *Virg.* 6. *Æn.* 382., et analogia adjectivi *cognominis*. Adde auctoritatem *Paul. Diac.*, cujus hæc sunt verba, p. 36. 1. *Müll.* B i n o m i n i s, cui geminum est nomen, ut Numa Pompilius, Tullus Hostilius. *Al. legebant* Binomius: *at* Scalig. *volebat legi* binominis.

BINOMIUS. Falsa lectio; *V.* voc. præced.

BĪNŪBUS, a, um, adject. (bis *et* nubo) digamus. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 38. *ad fin.* Novatiani circa Phrygiam binubos non recipiunt.

BĪNUS, a, um, adject. factum a *bis*; neque enim audiendus *Priscian.*, qui 4. p. 627. *Putsch.* et 17. p. 1039. *ibid.* putat *binus* esse pro *biunus*. — Proprie ac stricto sensu *binus* est qui dupliciter est: occurrit autem *A)* raro admodum in num. sing., *B)* sæpissime et naturâ quidem suâ in num. plur.

A) In num. sing. ponitur pro duplici. *Lucret.* 4. 450. Binaque per totas ædes geminare supellex. *Id.* 5. 877. Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo Esse queat duplici natura et corpore bino Ex alienigenis membris compacta potestas. — Quod ex *Ovid.* quidam huc addunt, 4. *Pont.* 9. 63. Inque domo binus conspicietur honor. *bimus* multo rectius alii plerique reponunt. — Pro duplici *Lucret.* dixit etiam in num. plur. 4. 550. uti videantur Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo, Bina lucernarum florentia lumina flammis. *V.* infra sub *B.* 1. in fin.

B) Sæpissime naturâ suâ usurpatur in num. plur., tamquam *numerale distributivum*, et significat duo (It. *due*; Fr. *deux*; Hisp. *dos*; Germ. *je zwei, allemal zwei*; Angl. *two*). — Illud tamen animadvertendum pro Genitivo *binorum* qui nusquam occurrit, usurpari *binûm*, quo utitur *Sisenna* apud *Non.* p. 80. 4. *Merc.*; *Sall.* apud *eumd.* p. 552. 2.; *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 31. (87). et 36. *ibid.* 9. 14. (69).; et *Scribon. Compos.* 8. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 18. Aut binas (*trabeculas*) pro singulis eo supponito. Adde *eumd. ibid.* 19. *Ter. Phorm.* 5. 3. 6. Nam ex iis prædiis talenta argenti bina statim capiebat. DEM. Bina, quæso? NAVS. Ac rebus vilioribus multo tamen talenta bina. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 133. Describebat censores binos in singulas civitates. *Id.* 2. *leg. Agr.* 31. 85. Unicuique binos pedes assignare. *Id.* 7. *Fam.* 1. Venationes binæ per dies quinque. Adde *eumd.* 7. *Att.* 14. 2. *Cæs.* 1. *B. C.* 25. *in fin.* In quarta quaque earum turres binorum tabulatorum excitabat. *Nepos Hann.* 7. Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. Adde *Sall. Cat.* 6. *Liv.* 3. 69. Bini senatores singulis cohortibus præpositi. *Virg.* 2. *Ecl.* 42. Bina die siccant ovis ubera. *Sall.* apud *Non.* p. 555. 2. *Merc.* Verutum pedum binûm. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 31. (57). Crassitudo binûm digitorum. — Et in neutro genere absolute sine addito. *Lucret.* 1. 533. Nam neque collidi – posse videtur Quidquam, nec frangi, nec findi in bina secando. Adde *eumd.* in loco cit. sub *A. Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 49. Quæ, si bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe non diceret. *Ovid.* 3. *Art. am.* 764. nec quæ sint singula, bina vide. ¶ 2. Speciatim pro numero cardinali duo, jungitur fere cum nominibus, quæ singulari numero carent: hinc *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 168. narrat *Ciceronem* per epistolam culpasse filium, quod dixisset *Direxi duas litteras* pro *binas* contra *epistolas duas* dici, non *binas*, quia *litteræ* pro *epistola* numeri tantum pluralis sunt. Item jungitur cum iis, quæ numerum aut mensuram significant. *Cic.* 6. *Att.* 1. 9. Credo, te binas meas litteras accepisse, unas a Pindenisso, alteras a Laodicea. Adde *eumd.* 19. *Fam.* 15. 1. *Id.* 12. *Phil.* 11. 27. Pompejus – cum P. Vettio Scatone duce Marsorum inter bina castra collocutus est. Adde *Val. Max.* 1. 6. 2. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. Binæ hostium copiæ. *Id.* 4. *Verr.* 54. 130. Inter binos ludos. *Id.* 5. *ibid.* 70. 165. Fenerari binis centesimis. *h. e.* ita ut pro quaque centesima sit ususfructus duorum. *V.* CENTESIMUS. *Liv.* 1. 10. *in fin.* Bina spolia. *Sueton. Oth.* 10. Bini codicilli. *Sisenna* apud *Non.* p. 80. 4. *Merc.* Ad binûm millium sauciis utrimque factis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 9. 14. (69). Alii duo (*obelisci*) sunt quadragenûm binûm millium. *Quintil.* 6. 3. 77. Bina millia passuum ambulare. *Martial.* 12. 55. Quater bini nummi. *h. e.* octo. *Scribon. Compos.* 8. Salis, nitri, mellis, aceti, singulorum P. binûm. ¶ 3. Item speciatim ponitur, quoties agitur de personis aut rebus, quæ cum ejusdem sint generis vel speciei ac sibi simillima sint, simul sumpta unum aliquid efficiunt, quo sensu It. dicunt *un pajo*; Fr. *paire, couple*; Hisp. *un par*; Germ. *ein Paar*; Angl. *a pair, brace*. *Cato R. R.* 18. Bini stipites. *Plaut. Pers.* 2. 5. 16. Boves bini hic sunt. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Binos scyphos habebam: jubeo promi utrosque. *Id.* 6. *Att.* 1. 9. Quibus de rebus propter casum navigandi, per binos tabellarios misi Romam litteras. *h. e.* per duos tabellarios, qui eadem nunciarent. Adde *eumd.* 10. *Fam.* 33. 3. *Id.* 3. *Orat.* 51. 198. Itaque illi veteres, cum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent, terna, aut bina, aut nonnulli singula etiam verba dicebant etc. *Virg.* 1. *G.* 172. Binæ aures. *Id.* 3. *Ecl.* 30. fetus. *Id.* 1. *Æn* 317. Bina manu lato crispans hastilia ferro. *Servius* ad illud 1. *Æn.* 317. duplices tendens ad sidera palmas: *duplices* duas dicebant, ut hoc loco; et *binos* duos; et *utrosque* pro utrumque. Rursus *Virg.* 8. *Æn.* 168. Bina frena. *Ovid. Rem. am.* 441. binas amicas habere. ¶ 4. In illo *Cic.* 9. *Fam.* 22. 3. Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus: at cum bini, obscenum est etc. ambiguum est in voce *bini*. quæ potest etiam esse imperativum βίνει a βινέω liberis operam do.

BĬŎCŌLȲTA, æ, m. 1. Βιοκωλύτης, officialis præpositus violentiis cohibendis: cujus mentio fit apud *Justinian. Novell. constitut.* 145. Est autem Græca vox a βία *vis, violentia*, et κωλύω *prohibeo*.

BIONĪAS. *V.* BRYONIA.

BĪOS, i, m. 2. βίος, h. e. vita. *Bion*, genus quoddam vini celebratissimi apud Græcos, et ad plurimos valetudinum usus excogitati, quos recenset *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 26. (53). Ejus autem conficiendi rationem docet 14. *ibid.* 8. 10. (77). Videtur ita appellatum a βίος *vita*, quoniam valetudini tuendæ utilissimum creditum est. A *Dioscor. l.* 5. *c.* 12. vocatur οἶνος ὀμφακίτης, quia fit ex uva paullo ante maturitatem decerpta, et sole acri siccata per triduum, quarto die expressa, dein in cadis sole inveterata. — Sunt qui legunt *Biæon*, sunt qui *Abion*, sed contra omnes libros tum MSS. tum editos, *Harduino* teste: cujus lectionem sequitur *Sillig*.

BĬŎTHĂNĂTUS, a, um, adject. βιοθάνατος, violenta morte occumbens: a βία *violentia* et θάνατος *mors*. *Lamprid. Elogab.* 33. Prædictum eidem erat a sacerdotibus Syris, biothanatum se futurum. *Firmic.* 3. *Mathes.* 14. *in fin.* Damnari, ac biothanatos interire. Adde *eumd.* 4. 1. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 386. Dicunt Physici biothanatorum animas non recipi in originem suam nisi vagantes legitimum tempus fati compleverint; quod poetæ ad sepulcrum transferunt, ut (6. *Æn.* 329). *Centum errant annos.* Hoc ergo nunc dixit Dido: Occisura me ante diem sum etc. — Apud *Tertull. Anim.* 57. *Biæothanatus* legitur eodem sensu, nempe a βιαιος *violentus*; additque *Tertull.* esse proprium magicæ artis vocabulum. Magi enim inter varias de hominum vita prædictiones βιοθανασίας ponebant. — *Biothanatum* perperam *Isid.* 10. *Orig.* interpretatur *bis mortuum*: putat enim conflatum esse a Latino *bis*. At editio *Arevali* habet *vi mortuum*, quod retinendum. — Aliter est interpretandus locus *Commodian.* 14. 8. Secede ab istis, qui sunt biothanati facti. *h. e.* qui, peracto vitæ curriculo, præcipitantur in mortem æternam; cum e contrario Christiani de morte ad vitam vocantur immortalem.

BĬŌTĬCUS, a, um, adject. βιωτικός, ad vitam pertinens: Græca vox a βίος *vita*. Hinc *bioticum metrum*, de quo ita *Diomed. sub init. l.* 3. Metrum tripliciter auditur, nam aut βιωτικόν est, aut ποιητικόν, aut commune. Bioticum metrum est, quod in usibus est conversationis humanæ. Adde *Mar. Victorin.* 1. *Art. Gramm.* p. 2491. *Putschii.* Eadem ratione *Servius* bioticos epilogos *in fin.* 3. *Æn.* (v. 718). vocat, in quibus *Virgilius* posuit res in vita evenire solitas. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BĬPĀLĬUM, ii, n. 2. (bis *et* pāla). Semel tantum occurrit Accus. num. sing. apud *Colum.*; ceterum Ablat. num sing. tantummodo. — Bipalium est instrumentum rusticum ferreum, palæ instar latum, et ligneo oblongo manubrio præfixum, ad terram versandam et fodiendam (It. *vanga, vanghetto, badile*; Fr. *bêche, houchet*; Hisp. *pala de hierro*; Germ. *d. Doppelspatenstich oder das Rajolen d. Gärtner*; Angl. *a mattock, or pick – axe with two bills, a hoe*). *Cato R. R.* 45. Locus bipalio subactus siet. Cf. *Colum.* 2. *R. R.* 5. 3. Agrum bipalio subigere. *Cato R. R.* 6.; *Varro* 1. *R. R.* 37. 5. et *Colum. Arbor.* 1. 5. Terram bipalio vertere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 62. (230). Solum seminariis bipalio præparare. *Liv.* 3. 26. Fossam fodiens bipalio innixus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 17. Solum ad bipalium defodere. *Id. ibid.* 3. *non longe ab init.* Ubi copia est rigandi, satis erit non alte bipalio, id est minus quam duos pedes, ferramento novale converti. — Cl. *Furlanetto* ait, bipalium etiam dici mensuram aliquam seu modum fossionis, non ipsum instrumentum fossioni aptum. Ex locis mox citatis, sic ille, et *Colum.* 3. *R. R.* 5. et 11. *ibid.* 2. et *Arb.* 1. 5. apparet, bipalium esse mensuram duorum pedum semis: altum vero bipalium esse plus quam duorum pedum semis. *V.* SESTERTIUS. — *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (159). Solum apricum bidente pastinari debet ternos pedes bipalio alto. *Plin.* hoc loco non bipalio, sed ipsius dentis ferramentum intelligit, fortasse quia bidentes aliquando ita fieri solent, ut ex una parte ferrum palæ instar expansum habeant, ex altera in duos dentes seu cornua divisum. *V. Klotz.* in *Archiv. f. Phil.* una

Pal. *T.* 1. p. 320. Bipalii simplicis figuram exhibet marmor apud *Fabrett.* c. 8. n. LX.

BIPALMIS, e, adject. duorum palmorum mensuram habens. *Varro* 3. *R. R.* 7. 4. Tabulæ bipalmes. *Liv.* 42. 65. Spiculum bipalme.

BIPALMUS, a, um, adject. idem ac bipalmis. *Apul. Herb.* 7. Thyrsi bipalmi.

BIPARTIOR *vel* bipertior, iris, itus sum, iri, dep. 4. (bis et partio). Part. *Bipartitus.* — Exempla omnia confirmant verbum hoc inter deponentia recensendum esse, significatione mediorum apud Græcos, minime vero inter activa, quod putabat *Forcellinus.* — Bipartior est in duas partes dividor (It. *dividersi in due*; Fr. *se diviser, se partager en deux parts*; Hisp. *dividirse en dos partes*; Germ. *sich in zwei Theile scheiden oder trennen*; Angl. *to divide into two parts*). *Colum.* 11. *R. R.* 2. 36. XI. Kalendas Majas ver bipartitur. Plerumque occurrit Part. præter. *Cic.* 2. *Cat.* 2. 5. Atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. *Id. Top.* 21. 85. Bipartitum orationis genus. *Varro* 5. *L. L.* 17. *Müll.* Bipartita divisio. *Id.* apud *Non.* p. 77. 7. *Merc.* Bipartitum melos. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 5. VI. Kalendas Febr. Leonis quæ est in pectore clara stella occidit: nonnumquam significatur hiems bipartita. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (43). Bipertiti Æthiopes.

BIPARTITE, adverb. idem ac bipartito. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 3. p. 709. Ut parem numerum definivit, qui bipartite secatur: nam et bipartite sumptum est a duobus, quæ paria sunt.

BIPARTITIO, ōnis, f. 3. (bipartio) divisio alicujus rei in duas partes. *Simplic.* p. 82. *Goes.* Omne genus controversiarum ex quadam materiali bipartitione generatur: constat autem hæc bipartitio aut in fine, aut in loco.

BIPARTITO *vel* bipertito, adverb. (bipartior) in duas partes. *Cic. Flacc.* 14. 32. Classis bipartito distributa. *Id.* 2. *Invent.* 29. 86. Id fit bipartito. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Romani conversa signa bipartito intulerunt. *Id.* 5. *ibid.* 32. Collocare insidias bipartito in silvis. *Liv.* 40. 32. Equites bipartito in aliquos emittere. *Ovid. Rem. am.* 443. Secta bipartito cum mens discurrit utroque. *h. e.* diducta et ad duo intenta.

BIPARTITUS *vel* bipertitus, a, um. *V.* BIPARTIOR.

BIPATENS, entis, particip. ab inusit. *bipateo*, qui duabus partibus aperitur, vel qui habet duos aditus. *Virg.* 2. *Æn.* 330. portis alii bipatentibus adsunt. *Id.* 10. *ibid.* 5. Considunt tectis bipatentibus. Ubi *Servius*: Physice dixit: nam cœlum patet ab ortu et occasu. Est autem sermo Ennianus, tractus ab ostiis, quæ ab utraque parte aperiuntur: unde et modo *bipatentibus* apertis intelligimus, quod intrantibus et exeuntibus pateant. Vel potius *geminatæ* intelligendæ sunt, ut Veronæ adhuc extant, duplices enim portæ sunt sibi invicem proximæ, ex quarum una editus in urbem, ex altera exitus pateret. Ita erant portæ Scææ in urbe Troja.

BIPEDA, æ, f. 1. (bis et pes) lapis, vel later quadratus, aut oblongus, binûm pedum mensura, quo pavimenta sterni solent. *Pallad.* 1. *R. R.* 19. 1. Solum omne bipedis sternatur, vel minoribus laterculis, quos suffuso testaceo pavimento debemus imprimere. *Et ibid.* 40. 2. Aream bipedis sternere. *Et ibid.* 40. 5. Bipedas constitues ferreis ancoris colligatas. *Id.* 6. *ibid.* 11. 2. Antequam rudus siccetur, bipedas, quæ per omnia latera canaliculos habeant digitales, jungemus, ita ut calce viva ex oleo temperata bipedarum canales, qui inter se connectendi sunt, impleantur, etc. Loquitur hic *Palladius* de pavimentis, quæ sub dio fiunt: descripsit autem a *Vitruv.* 1. 7. 5., qui, quas *Palladius* bipedas, bipedales tegulas appellat. *Bipedæ* vox legitur etiam in inscriptione coctilis lateris apud *Fabrett.* p. 511. n. 159.

BIPEDALIS, e, adject. (bis et pes) mensuram habens duorum pedum. *Cato R. R.* 14. Clathri in fenestras bipedales. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 20. Sol bipedalis, *at nunc rectius hic legitur* pedalis. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Musculum ex materia bipedali facere instituerunt. *Id.* 4. *B. G.* 17. Bipedales trabes. *Vitruv.* 1. 7. 5. tegulæ. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 308. modulus. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 7. latitudo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (57). hiatus.

Bipedale, is, n. 3. absolute usurpatum, est later duorum pedum longus. *Sueton. Aug.* 43. Bipedali minor. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 500. n. 39. C. AQVILII APRILIS EX PRAEDIIS CAESARIS BIPEDALE DOLIARE.

BIPEDANEUS *et* Bipedānus, a, um, adject. idem ac bipedalis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 32. (143). Populus alba seritur bipedaneo pastinatu. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 1. Altitudo bipedanea. *Et ibid.* 30. 5. Spatium bipedaneum *Id.* 5. *ibid.* 5. 2. et 11. *ibid.* 2. 28. latitudo. *Id.* 4. *ibid.* 1. 2. scrobs. *Id.* 2. *ibid.* 2. 21. Bipedana humus. Ita editum est ab *Aldo*, *Commelino*, *Gryphio*, atque etiam *Jenson.* a. 1472. At *Schneid.* legit *bipedanea.*

BIPENNIFER, fĕra, fĕrum, adject. bipennem ferens. *Ovid.* 8. *Met.* 391. Bipennifer Arcas. *Id.* 4. *ibid.* 22. bipenniferumque Lycurgum. Adde *eumd.* 5. *Trist.* 3. 39.

BIPENNIS, e, adject. (bis et penna *vel* pinna) qui binas utrimque alas habet.

I.) Proprie. *Varro* apud *Non.* p. 79. 15. *Merc.* Bipennis passerculus. *V.* infra BIPINNIS. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 27. 33. (98). Nullum insectum, cui aculeus in alvo, bipenne est.

II.) Figurate *bipennis* est utrimque aciem habens; a *bis* et *pinna*, quæ rem etiam acuminatam significat, ut *Quintil.* 1. 4. 12. docet. Sic *Isid.* 19. *Orig.* 19. 11. Bipennis dicitur, quod ex utraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas. Pennum autem antiqui acutum dicebant: unde et avium pennæ, quia acutæ. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 1. 46. Sed tamen translatio est a *penna* vel *pinna.* Hoc autem sensu occurrit *A*) Adjective et *B*) Substantivorum more.

A) Adjective. *Varro* apud *Non.* p. 79. 19. *Merc.* Ferens ferream humero bipennem securim. *Virg.* 11. *Æn.* 135. ferro sonat icta bipenni Fraxinus.

B) *Bipennis*, is, f. 3. (hoc est *securis* teste *Priscian.* 5. p. 652. *Putsch.*) absolute substantivorum more, significat securim utrimque cædentem, vel etiam punctim et cæsim teste *Veget.* 4. *de re milit. in fin.* Hac autem significatione Accus. num. sing. est *bipennem*, sed *bipennim* dixit *Ovid.* 8. *Met.* 766.; Ablat. est *bipenne*, sed *bipenni* dixit *Tibull.* 1. 7. 53. ubi pro novacula seu cultro usurpat. *Virg.* 2. *Æn.* 479. Ipse inter primos correptâ dura bipenni Limina perrumpit. Adde *ibid.* v. 627. *Id.* 5. *ibid.* 307. cælatamque argento ferre bipennem. *Id.* 11. *ibid.* 651. valida bipennis. *Horat.* 4. *Od.* 4. 57. Duris ut ilex tonsa bipennibus. *Ovid.* 12. *Met.* 611. Thermodontiacâ cadere bipenni. *Phædr.* 4. 6. 7. Thessalâ bipenni concidere. *Seneca Herc. Œt.* 798. Impressâ fugax taurus bipenni Vulnus et telum ferens. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. (26). Alterum poplitem dextra cædit præacutâ bipenni. *Tac. Agric.* 10. Formam totius Britanniæ — oblongæ scutulæ vel bipenni assimulavere. *Sil. It.* 16. 264. Victimaque admotæ stabat subjecta bipenni. *Petron. Satyr.* 89. Bipenni latera pertentare.

BIPENSILIS, le, adject. (bis et pensilis). *Varro* apud *Non.* p. 99. 21. *Merc.* Hic bipensiles forcipes, dentarpagæ. *h. e.* quæ cum duo manubria habeant, utraque suspendi possunt.

BIPERTIOR cum derivatis. *V.* BIPARTIOR.

BIPES, pĕdis, adject. (bis et pes). Ultimam corripuit *Auson.*, cujus verba vide infra. — Bipes est qui duos habet pedes (It. *bipede*; Fr. *à deux pieds*; *bipède*; Hisp. *en dos pies*; Germ. *zweifüssig*; Angl. *with two feet, two-footed*). *Virg.* 4. *G.* 389. Et juncto bipedum curru metitur equorum. *V.* EQUUS. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 65. 85. (187). Ægyptii mures bipedes ambulant. *h. e.* duobus tantum pedibus. *Quintil.* 5. 10. 61. *Animal* genus, *mortale* species, *terrenum* vel *bipes* differens. *Auson. Eidill.* 11. 39. Qui bipes et quadrupes foret et tripes, omnia solus. *Martial.* 12. 32. Bipes mensa. *Juvenal.* 9. 92. Bipes asellus. *h. e:* homo stultus.

Bipedes, dum, plur. absolute substantivorum more de hominibus dicitur in contemptum. *Cic. Dom.* 19. 48. Omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum impurissimus. *Modestus* apud *Plin.* 1. *Ep.* 5. Regulus omnium bipedum nequissimus. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 9. et *Apul.* 4. *Met.*

BIPINNA, æ. *V.* PIPINNA.

BIPINNIS, e, adject. est idem quod *bipennis*, hoc est qui binas utrimque alas habet. *Varro* apud *Non.* p. 79. 17. *Merc.* ut ciconiæ, Quarum bipinnes fulminis plumas vapos Perussit alte. V. *Oehler M. Ter. Varron. Sat. Menipp. reliq.* p. 157., qui *bipinnis* legit et cum voc. *fulminis* conjungit.

BIPLEX, duplex, διπλοῦς. *Gloss. Græc. Lat.*

BIPRORUS, a, um, adject. (bis et prora) qui duas habet proras. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (82). memorat naves utrimque proram habentes, quarum usus in angustis fretis et canalibus, ut si revertendum sit, utrimque possint procedere. *Hygin. fab.* 168. Tum primum dicitur Minerva navem fecisse biproram, in qua Danae profugeret. Adde *fab.* 277. *in fin.*

BIREMIS, e, adject. (bis et remus) duos remos habens, vel duos remorum ordines. Priori modo intelligendum est illud *Horat.* 3. *Od.* 29. 62. Tunc me biremis præsidio scaphæ, etc. Neque enim scapha duplicem remorum ordinem capere potest. Item illud *Liv.* 24. 40. Lembis biremibus centum viginti flumine adverso subvectus. *Al. leg.* levibus biremibus. *Bayfius* ex *Appiano* docet, biremes leves easdem esse ac Liburnicas. *V.* DECEMREMIS. — His adde *biremis* absolute in illo *Lucani* (ut monet *Scheffer. De milit. nav.* l. 2. c. 2.) 8. 562. non longa vecta biremi Appulerat scelerata manus. Hanc enim eamdem mox 565. *parvam ratem* appellat, *Et ibid.* 611. *alnum:* quin *Plutarch. in Pomp.* ἀκάτιον, hoc est scapham, cymbam, lembum fuisse narrat. Adde 10. 56., ubi quam *parvam biremem* vocat, *Plutarch. in Cæs.* ἀκάτιον μικρὸν nominat, quod est navigiolum, magnitudine lembum, aut etiam scapham non excedens. — Hinc

Biremis, is, f. 3. subaudi *navis*, est ¶ 1. Navis duos remos habens. *V.* locum *Lucani* paullo superius allatum. ¶ 2. Item ac quidem sæpius navis major, duobus remorum ordinibus instructa, mari trajiciendo, itemque agendis bellis idonea (Cf. *Isid.* 19. *Orig.* 1.), quam Erythræos primum invenisse *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (207). scribit. *Cic.* 7. *Verr.* 20. 51. Quid censetis in hoc fœdere faciundo voluisse Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis adscriberetur etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Quatuor biremes, subjectis scutulis, impulsas vectibus transduxit. *Virg.* 1. *Æn.* 185. Anthea si quem Jactatum vento videat Phrygiasque biremes. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 799. et 8. *ibid.* 79. *Tac.* 5. *Hist.* 23. Complet quod biremium, quæque simplici ordine agebantur. Adde *Sueton. Cæs.* 39., *Aug.* 16. et *Cal.* 15.

BIROTUS, a, um, adject. (bis et rota) duas habens rotas. *Non.* p. 86. 30. *Merc.* Cisium vehiculi biroti genus. — Hinc

Birota, æ, f. 1. absolute (subaudi *rheda*, aut aliquid simile). *Imp. Constantius Cod. Theod.* 8. 5. 8. § 1. Rhedæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta, veredo triginta: non enim ampliora onera perpeti videntur. Octo mulæ jungantur ad rhedam, æstivo videlicet tempore, hiemali decem: birotis trinas sufficere judicavimus. Adde *ibid.* 6. 29. 2. § 2. — In genit. plurali *birotûm* pro *birotarum. Ibid.* 8. 5. 9. Nec passim rhedarum tractorias, vel evectiones birotum faciat. *V.* DIRODIUM.

BIRRUS, a, um, adject. (πυῤῥός). Scribitur et *byrrhus*, quod est Græcis Litteris inhærere; item *burrus* Græco υ in u Latinum converso. *Hieronym.* vero *de Prato* ad *Sulpic. Sev.* *T.* 1. p. 364. putat, *birrum* esse appellatum quasi *bicirrum*, quod utrimque villosus, idemque ac amphibolus fuerit. *V. ibid.* multa hac de re disputata. — Ceterum *birrus*, quemadmodum et Gr. πυῤῥός, significat rufus. Quare *lacernum birrum*, quod ex *Actis S. Cypriani* affert *Salmas.* ad *Vopisc. Carin.* 20., significat lacernam rufam. *Lacernum* autem pro *lacernam*, cadente latinitate, aliquando dictum est. — Hinc

Birrus, i, m. 2. absolute est genus vestis, vel lacernæ simile, vel idem omnino ac lacerna, quod aliis vestibus superinjicitur, et pro toga gestatur: a Græco πυῤῥός *rufus*, quia fere isto colore fuit: in quo differt a lacerna, quæ certum colorem non habuit. Quemadmodum autem lacernæ materia aliæ aliis pretiosiores fuerunt, ita birri, alii nempe lanei, alii serici. Celebres fuere *Atrebatici*, qui ab Atrebatibus conficiebantur, et *Canusini* ex Canusina lana, quorum meminit *Vopisc. Carin.* 20., ubi multa adnotavit *Salmas.* V. Etiam *Ferrar. De re vestiar.* Hujus vestis mentio est etiam in *Edict. Diocl.* p. 20. Pro birro qualitatis primæ .... pro birro qualitatis secundæ ✱ quinquaginta. Adde *Cod. Theod.* 14. 10. 1. § 1.

Birrum, i, neutro genere absolute eodem sensu dixit *Augustin. in Serm.* 1. *de vita et moribus Cleric., qui est* 49. *De divers.*

BIS, adverb. *Bis* syllabam naturâ suâ corripit *Ovid.* 1. *Fast.* 603. Triticeos fetus passuraque farra bis ignem Hordeaque ingenti fenore reddat ager. — Ratione habita etymi, est ab antiquo *duis*, ut *Cic.* docet *Orat.* 45. 153. Ut duellum bellum et duis bis. Cf.

Paul. Diac. p. 66. 15. *Müll.*, et Græc. δύες, δίς. — *Bis* occurrit *A*) de numero, et *B*) de modo.

A) Bis proprie occurrit de numero, et significat duabus vicibus; ideoque usurpatur, quoties volumus significare eamdem actionem duabus vicibus factam esse (It. *due volte*; Fr. *deux fois*; Hisp. *dos veces*; Germ. *zweimal*; Angl. *twice*). ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 37. Frumenta face bis sarias runcesque arenamque destringas. *Ter. Phorm.* 2. 3. 58. Bis judicium adipiscier. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 6. Ludos apparat magnificentissimos; stulte bis terque non postulatus. *Id.* 9. *Fam.* 16. De quo mihi scripseras bis eodem exemplo. *Id.* 5. *Verr.* 77. 179. Non semel, sed bis. *Nepos Thrasyb.* 2. Hanc (*Munychiam*) bis tyranni oppugnare sunt adorti. *Virg.* 6. *Æn.* 32. Bis conatus erat casus effingere in auro, Bis patriæ cecidere manus. *Horat. A. P.* 439. melius te posse negares, Bis terque expertum frustra. *Ovid. Heroid.* 6. 36. Hic tibi bisque æstas bisque cucurrit hiems. *Quintil.* 10. 5. 7. Bis ac sæpius. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 39. 63. (137). Dibapha tunc dicebatur, quia bis tincta esset. ¶ 2. Speciatim occurrit in formula *bis consulem esse*; *a*) Stricto sensu differt ab *iterum*; etenim *bis consul* est qui duos consulatus gessit, quia *bis* refertur ad numerum; *iterum consul* est, qui secundum consulatum gerit, quia *iterum* refertur ad tempus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 13. C. Flaminius, qui legem agrariam tribunus plebis tulerit, et postea bis consul factus sit. *Id. Amic.* 11. 39. Bis una consules. Adde *Liv.* 23. 30. et 31. et 34., et 25. 5. *Sueton. Ner.* 35. Messalina Tauri bis consulis abneptis. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicæ? *Val. Max.* uno loco utramque notionem complexus est, 4. 1. 3. M. Rutilius Censorinus iterum censor creatus ad concionem populum vocatum, quam potuit gravissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset. — *b*) Latiori sensu *bis* pro iterum ponitur in illo *Martial.* 10. 48. De Nomentana vinum sine fæce lagena, Quæ bis Frontino consule prima fuit. Adde *Collat. Legg. Mos. et Rom.* 1. § 11. ¶ 3. Item speciatim sæpe jungitur cum aliis vocabulis numerum significantibus, hoc est — *a*) Cum Numer. Distribut. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 46. Si bis bina quot essent didicisset Epicurus. *h. e.* quatuor. *Lucret.* 5. 1209. Bis bini. *Virg.* 2. *Æn.* 126.; *Ovid.* 3. *Fast.* 124. et *Martial.* 10. 75. 3. bis quini. *Virg.* 2. *Ecl.* 46. bis seni. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (127). bis septeni. *Ovid.* 5. *Met.* 50. bis octoni. *Virg.* 1. *Æn.* 381.; *Propert.* 2. 9. 3. et *Martial.* 9. 78. bis deni. *Martial.* 12. 67. bis quinquageni. — *b*) Cum Adverbiis numeral. *Auct. B. Afr.* 90. et *Liv.* 38. 55. Bis millies. *quæ dicendi formula constans est.* Adde *Val. Max.* 3. 7. 1. — *c*) Cum Numer. Cardinal., præcipue apud Poetas. *Ovid.* 13. *Met.* 642. bis duo. *Horat. Epod.* 4. 8. bis tres. *Al. leg.* ter. *Ovid.* 12. *Met.* 15. bis quatuor. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 24. et *Ovid.* 8. *Met.* 500. bis quinque. *Varro* apud *Probum* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31.; *Virg.* 11. *Æn.* 9. et *Ovid.* 6. *Met.* 72. bis sex. *Virg.* 1. *Æn.* 71. et *Ovid.* 11. *Met.* 302. bis septem. *Ovid.* 14. *Met.* 253. bis novem. *Id.* 5. *ibid.* 208. bis centum. *Lucret.* 4. 409. et *Horat. Epod.* 9. 17. bis mille. ¶ 4. Item jungitur Adjectivis quantitatis æstimationem significantibus, cujusmodi sunt *tanto*, *tantum*, *minus* etc. *Plaut. Amph.* 3. 2. 62. Bis tanto amici sunt inter se quam prius. Eadem ratione *Men.* 4. 3. 6. et *Merc.* 2. 2. 26. locutus est. *Varro* 3. *R. R.* 2. 15. Bis tantum reddit ea pars villæ, quam tuus fundus. *Virg.* 6. *Æn.* 578. Tartarus ipse Bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad æthereum cæli suspectus Olympum. *Gell.* 12. 6. Bis minus. Cf. *Martial.* 4. 37. Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus. ¶ 5. Item addito tempore, quo quid bis fit. — *a*) De more apud optimos Scriptores cum præp. *in*. *Cato R. R.* 26. et 87. et 89.; *Cic.* 5. *Tusc.* 35. 100.; *Liv.* 44. 16.; et *Cels.* 7. 4. 4. Bis in die. *Varro* 2. *R. R.* 11. 8. Quidam oves hirtas in anno bis tondent. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (59). et *Sueton. Aug.* 35. Bis in mense. — *b*) Apud Poetas et alios etiam in prosa oratione occurrit Abl. sine præp. *Virg.* 3. *Ecl.* 34., *Horat.* 4. *Od.* 1. 25.; *Tibull.* 1. 3. 31.; *Cels* 1. 1. et 8., et 3. 27. 2.; et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (146). bis die. *Quintil.* 9. 2. 34. bis eodem die. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 73. 75. (184). bis anno. ¶ 6. Item additis Adverbiis Numeral. definitis, ut *semel* – *iterum*, *primo* – *rursus* etc. *Cic. Dom.* 52. 134. Audierat ex illo se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. Adde *Sueton. Cæs.* 36., *Aug.* 25., *Tib.* 6. et *Claud.* 6. *Id. Aug.* 17. Tempestate in transjectu bis conflictatus: primo inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliæ, rursus circa montes Ceraunios. Adde *eumd. ibid.* 22. et 28., et *Tib.* 48. ¶ 7. Item *Bis ad eumdem* (supple *lapidem offendere*, quæ omnia habes in *Auson. Ep.* 11.) ex Gr. Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον, proverb. apud *Cic.* de iis, qui in eadem re bis errant. 10. *Fam.* 20. 2. Culpa enim illa: *Bis ad eumdem*, vulgari reprehensa proverbio est. ¶ 8. Denique *Bis pueri senes*, δὶς παῖδες οἱ γέροντες unum est ex illis proverbialibus dictis, quibus *Varro* Saturas suas inscripsit; et dicitur de iis, qui etiam provecta ætate puerilia consectantur, vel de senibus puerorum more desipiscentibus.

B) Bis ponitur etiam de modo, et significat duplici modo, duplici ratione. *Plaut. Truc.* 1. 1. 26. Bis periit amator, ab re atque animo simul. *Ter. Hec.* 3. 2. 8. Nam qui amat cui odio ipsus est, bis facere stulte duco: laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert. *Cic.* 7. *Verr.* 23. 59. Ita in una civitate bis improbus fuisti, cum et remisisti quod non oportebat, et accepisti quod non licebat. *Id.* 8. *Phil.* 4. 12. Bis falleris. *P. Syrus* v. 321. Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. *Martial.* 3. 6. Dies bis celebranda. *Id.* 6. 27. Bis vicinus. — Hinc bis cincta mulier est, quæ duplici zona utitur, una nempe ad mammas, alia ad ventrem. *Auson. Epigr.* 39. 4. Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere. Hinc *Claudian. Rapt. Pros.* 2. 33. Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu.

In compositione. *Bis*, quemadmodum et Gr. δίς, ultimam litteram fere semper amittit, atque *i* brevis est, ut in *biceps*, *bidens* etc.: nativam autem significationem retinet ac significat semper duo; sic *biceps* est duo capita habens.

BĬSACCĬUM, ii, n. 2. (bis et saccus) duplex saccus, seu mantica. *Petron. Satyr.* 31. In promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras.

BĬSACŪTUS, a, um, adject. utrimque acutus, ut bisacutus gladius, *Augustin.* 12. *Confess.* 14. — At rectius divisim scribitur *bis acutus*.

BISCENARIUS, a, um, adject. idem ac ducenarius, qui nempe ducena seu bis centena millia nummum stipendii nomine accipiebat pro exigendis reditibus publicis aut fisci principis; Latine enim tam ducentum, quam bis centum usurpatur. *V.* DUCENARIUS. *Inscript.* apud *Guarin. Comment.* 12. p. 28. P. (*corrige* Q.) ARRVNTIO P. (*corrige* Q.) F. VOL. IVSTO Q. AED. FAT. COL. ORDO ET POPVLVS CVR. AG. ROGATO BISC. STAT. HEREDITAT. *h. e.* curam agente Rogato biscenario stationis hereditatium. Hæc clarissimus *Furlanetto* in *Append.* At idem doctissimus vir in notis MSS. ait, *biscenarius* esse vocabulum a Lexico expungendum, namque ex *Gervasio*, *Due Iscriz. Sipont.* p. 33. postrema verba ita legenda sunt: CVR. AG... GATO FISC. STAT. HEREDITATI. curam agente togato fisci stationis hereditatium.

BĬSELLĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui honorem bisellii est consecutus. *Inscript.* apud *Gruter.* 1099. 2. CN. PLAETORIO VI. VIRO AVGVSTALI BISELLIARIO HONORATO ORNAMENTIS DECVRIONALIBVS POPVLVS ABELLINVS, etc. Adde aliam *ibid.* 1103. 6. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 4045., 4047. et 3921.

BĬSELLĬĀTUS, us, m. 4. dignitas illius, qui honorem bisellii est consecutus. *Inscript.* apud *Murat.* 484. 3., quæ est apud *Orell.* 4043. M. SENLIO (*lege* SENTIO) CRISPINO C. V. OMNIBVS HONORIBVS IN R. P. FVNCTO ORDO ET VNIVERSVS POPVLVS OB MERITA ET LABORES EIVS HONOREM BISELLIATVS ET ORNAMENTA DECVRIONATVS GRATVITA OBTVLERVNT.

BĬSELLĬUM, ii, n. 2. sella plicatilis, latior, et duorum capax, quamvis unus tantum in ea sederet. Accipitur pro sella splendida atque honesta, et honoris causa præclaris viris concedi solita, atque Augustalium in municipiis et coloniis propria, ut publice in ea sederent, in ludis, in theatro, in foro, in curia, ea ratione, qua Romanis magistratibus sella curulis, cui simillima erat. *Varro* 5. *L. L.* 128. *Müll.* Ab sedendo appellantur sedes, sedile, sella, deinde ab his subsellium. Ut subsipere, quod non plane sapit, sic quod non plane erat sella, subsellium dictum: ubi in ejusmodi duo bisellium dictum. Hactenus *Varro*. Ejus forma et mensura innotescit ex marmoreo cenotaphio Pompejis in suburbio inter reliqua sepulcralia monumenta an. 1812. reperto, lato pedes Parisiacos tres, alto unum, cum parvo suppedaneo, sine anconibus et reclinatorio. Id affabre delineatum exhibuit *F. Mazois* in opere, cui titulus: *Les ruines de Pompéi. P.* 1. *Tab.* 24. Superius hæc legitur *Inscriptio*, quæ est apud *Orell.* 4044. C. CALVENTIO QVIETO AVGVSTALI: HVIC OB MVNIFICENT. DECVRIONVM DECRETO ET POPVLI CONSENSV (ἀρχαϊκῶς *pro consensu*) BISELLII HONOR DATVS EST. Alia (quæ pertinet ad an. a Chr. n. 26.) apud *Fabrett.* c. 3. n. 324., quæ est apud *Orell.* 4046. CENTVMVIRI MVNICIPII AVGVSTI VEIENTIS ROMAE IN AEDEM VENERIS GENETRICIS CVM CONVENISSENT, PLACVIT VNIVERSIS PERMITTI C. IVLIO DIVI AVGVSTI *liberto* CELOTI HONOREM IVSTISSIMVM DECERNI, VT AVGVSTALIVM NVMERO HABEATVR, AEQVE AC SI EO HONORE VSVS SIT, LICEATQVE EI OMNIBVS SPECTACVLIS MVNICIPIO NOSTRO BISELLIO PROPRIO INTER AVGVSTALES CONSIDERE etc. Alia apud *Gruter.* 475. 3., quæ est apud *Orell.* 4047. C. TITIO CHRESIMO AVG*ustali* II. HVIC ORDO DECVRIONVM HONOREM BISELLII ET TITIO CHRESIMO FILIO EIVS OB MERITA PATRIS HONOREM DECVRIONATVS GRATVITVM DECREVIT. Adde aliam apud *Fabrett.* c. 3. n. 604. Q. LARGENNIVS CHRESIMVS OB HONOREM BISELLII HS. L̄ N. REI P. PISANOR. DEDIT. Quia vero hæ inscriptiones ad Augustales tantum pertinent, putat *Fabrettus*, non absurde conjici posse, honorem bisellii fuisse proprium Augustalitatis, non quod omnibus Augustalibus communiter daretur, sed iis, qui in eadem Augustalitate honoratiores et digniores essent. Sed potior est eorum sententia, qui putant, bisellium eorum decurionum proprium fuisse, qui maximo in municipiis suis magistratu functi essent, et ejusdem usum ex privilegio quibusdam etiam Augustalibus concessum fuisse.

BĪSĒTA, porca dicitur, cujus a cervice setæ bifariam dividuntur, cum jam esse incipit major sex mensium. *Paul. Diac.* p. 33. 12. *Müll.*

BĬSEXTĬĀLIS, le, adject. qui duos sextarios continet. *Marcell. Empir.* 15. Manipulum tenerum urticæ unipetiæ in ollam rudem bisextialem cum aqua mittes. — Sunt qui scribunt *bisextialem*.

BISEXTIUM, ii, n. 2. duplex sextarius. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 147.

BĬSŎLIS, le, adject. (bis *et* solea) binas soleas habens. *Edict. Diocl.* p. 20. Gallicæ virilis rusticanæ bisolis par ✕ octoginta, Gallicæ virilis monosolis par ✕ quinquaginta. *V.* VISOLUS.

BĬSEXTUS, a, um, adject. *Bisextus* unico *s* scribendum docet *Heusingerus* in *Observ. antibarb.*, ideoque primam syllabam corripiendam, ut in *Biseta*, *Bisellium*, *Bisulcus*. — *Bisextus* est dies intercalaris, qui quarto quoque anno mense Februario inseritur post diem vigesimum quartum: a *bis* et *sextus*, quia bis, hoc est duobus diebus continuis, nempe 24. et 25., *sexto calendas Martias* dicimus, duos dies pro uno computantes. *Ulp. Dig.* 4. 4. 3. § 3. Proinde etsi bisexto natus est (sive priore, sive posteriore die) Celsus scribit nihil referre: nam id biduum pro uno die habetur, et posterior dies Calendarum intercalatur. *V.* tamen *Danieli*, *Numism. Capuan.* p. 106., qui hos jurisconsultos hallucinatos fuisse censet. Adde *Celsum Dig.* 50. 16. 98. *pr.* — *Bisextus annus* est, in quo dies ille intercalaris inseritur. *Augustin. Ep.* 119. *ad Januar.* 7. Non plantem hoc anno vineam, quia bisextus est. V. *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. — Hinc

Bisextum, i, n. 2. *Censorin. de die nat.* 20. Dies unus intercalatur, quod bisextum vocatur. *Ammian.* 26. 1. Bisextum vitans Februarii mensis tunc illucescens.

BĬSŌMUS locus, et Bisōmum, Trisomus, Quadrisomus, aut Tetrasomus, sepulcrum duo, tria, quatuor corpora continens: vel in duas, tres, quatuor partes, seu membra divisum: a *bis*, etc. et σῶμα *corpus*. Voces sunt partim hybridæ, h. e. ex Latino et Græco conflatæ; et omnes parum Latinæ: quæ leguntur apud *Reines.* in quibusdam Christianis et sequioris ævi lapidib. *cl.* 2. *n.* 40. 43. 116. et 437. Sic vas disomum apud *De Vita*, *Antiquit. Benevent. cl.* 9. *n.* 2. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 8.

BĪSON, ontis, m. et f. 3. βίσων, bos ferus cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius, magisque directum his, quæ nobis nota sunt, cornibus; ab ejus summo rami quam late diffunduntur. Eadem est feminæ, marisque natura; eadem forma, magnitudoque cornuum. Ita tacito te-

men nomine Cæs. 6. B. G. 26. describit. Plin. inter alia ferorum boum genera, quæ in silvis Germanorum nascuntur, recenset bisontes jubatos, 8. Hist. nat. 16. 16. (38). Et Seneca Hippol. 63. villosos appellat. Solin. 20. setosa illis colla tribuit, et horridas jubas. Martial. Spectac. 23. Illi cessit atrox bubalus, atque bison. — Est quibusdam Cervus tarandus L., idemque ac rheno apud Cæs. 6. B. G. 21. V. RHENO. Ceterum recentiores Historiæ naturalis scriptores in ea sunt sententia, ut bison, Italice bisonte, sit animal e boum genere, et a Plinio loc. cit. Aristotelem Hist. Nat. l. 9. c. 41. secuto bonasus appellatus fuerit, ideoque sit Bos bison L.

BĬSŎNUS, a, um, adject. duplicem habens sonum. Servius ad illud Virg. 9. Æn. 618. biforem dat tibia cantum, exponit bisonum, imparem.

BISPELLIO, ōnis, m. 3. versutus, versipellis, fraudulentus, quasi duas habens pelles. Marcell. Dig. 47. 3. 72. Num et si bispellionem, aut alias turpem dederit hominem, idem sit. — Dicitur et vispellio. Facile enim b in v mutatur, ut dictum est initio hujus litteræ. Mæcian. Dig. 36. 1. 7. Sed et salutis et dignitatis ratio habenda erit. Quid enim si morbo implicitus Alexandriam jussus sit adire, vel nomen vispellionis testatoris ferre? Ulp. ibid. 21. 2. 31. Si ita quis stipulanti spondeat sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse, etc. Ita tribus hisce locis legitur in edit. Torrentini: at Haloander ubique edidit vespillo; nisi quod postremo loco monet ab aliis legi versipellem. Mallet Hotomanus ubique reponi bipellio: vespillonem autem ideo rejiciendum putat, quia vespillones liberos homines fuisse constat; in allatis autem exemplis de servis sermo est. — In vet. Glossar. bispelliones exponuntur vespillones, a binis palliis, quia lugubres vestes suis superinducebant, cum ad efferenda cadavera admovebantur.

BISQUĪNI et rectius divisim bis quini, æ, a, adject. decem. Coripp. 6. Johann. 370. bisquinos Africus ignes Auxerat, ignivagis exurens cuncta procellis.

BISSĒNUS, a, um, adject. bis senus. Auson. Monosyll. Eidyll. 12. Bissenas partes quis continet æquiparesʔ as. Prudent. 12. Cathemer. 192. Bissena fratrum semina. — In singulari numero Stat. 3. Theb. 574. Bisseno premit ora die. — Frequentius ac rectius divisim scribitur: V. BIS et SENUS.

BISSEXTĬĀLIS, le. V. BISEXTIALIS.

BISSEXTUS et rectius divisim bis sextus, a, um, adject. duodecimus. Bissextus honos apud Stat. 4. Silv. 1. 9., est consulatus, in quo bis sex lictores cum fascibus præferuntur. — Ceterum V. supra BISEXTUS.

BĬSULCĬLINGUA, æ, m. 1. linguam habens bisulcam, et translate qui duplici lingua loquitur, fraudulentus. Plaut. Pœn. 5. 2. 72. Hercle esse te oportet et sycophantam et subdolum, qui huc advenisti nos captatum, migdilybs, bisulcilingua, quasi proserpens bestia. V. BILINGUIS.

BĬSULCUS, a, um, adject. (bis et sulcus) bifidus, in duas partes divisus, quasi duplicem habens sulcum. — a) Generatim. Pacuvius apud Non. p. 506. 17. Merc. Linguæ bisulcæ jactu crispo fulgere. Al. minus recte leg. Linguæ bisulcis (perinde ac si rectus casus sit bisulcis, e) actu crispo fulgere. Ovid. 9. Met. 65. Linguæ bisulcæ. Colum. Arb. 26. 3. surculi. Plin. 9. Hist. nat. 29. 46. (85). cauda. Id. 11. ibid. 28. 34. (97). Cornua bisulcis dentata forcipibus. — b) Specialim ponitur de bifidis pedum ungulis, quibus animalia quædam prædita sunt. Lucret. 2. 356. Bisulci pedes. Ovid. 7. Met. 113. pes. Adde Plin. 11. Hist. nat. 45. 105. (254). Varro apud Non. p. 353. 18. et p. 438. 6. Merc. unguiæ. Plin. 8. Hist. nat. 21. 30. (73). et 10. ibid. 1. 1. (1). ungula. Solin. 31. Animal bisulco vestigio. — Hinc

Bisulcum, i, et sæpius in plur. num. *Bisulca*, orum, n. absolute dicuntur bruta animalia, quæ bifidas habent pedum ungulas, quibus opponuntur solidipedes. Plin. 11. Hist. nat. 37. 85. (212). Cornigera sevo pinguescunt, bisulca adipe. Id. 10. ibid. 63. 84. (184). Contra naturam solidipedum aut bisulcorum. Adde eumd. 11. ibid. 46. 106. (255).

Bisulcum, i, n. 2. absolute est forfex tonsoria. Tertull. Pœnit. 11. Cedo pulverem dentibus elimandis, et bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis.

BĬSULTOR, ōris, m. 3. Martis cognomen, a bis ulciscendo. Augustus enim, cum Brutum et Cassium vicisset, et signa a Parthis recepisset, Marti templum dedicavit, quem Bisultorem cognominavit, quod primum C. Cæsaris, deinde Crassorum M. patris et F. filii necem ultus esset. Ovid. 5. Fast. 595. Rite deo templumque datum, nomenque Bisultor. Al. leg. bis ultum. Ex meliorib. lib. bis ulto reposuit Heinsius. Hanc Heinsii conjecturam confirmat Fogginius ad Verr. Flacc. Fast. p. 119.

BĬSYLLĂBUS, a, um, adject. δισύλλαβος, duas habens syllabas. Varro 9. L. L. 91. Müll. Sic socer, macer, quod in transitu fiat ab altero trisyllabum soceri; ab altero bisyllabum macri.

BĪTEMPŎRIS, e, adject. qui est duorum temporum, atque ita dicitur vocalis, quæ est brevis et longi temporis. Priscian. 7. p. 753. Putsch. Latini autem omnes vocales bitempores, id est διχρόνους habentes, ad genitivum respicientes etc. Male apud Putsch. legitur bitemporeas, ut Krehl. ostendit.

BĪTHȲMUM Mel dicitur, quod ex utriusque thymi candidi et nigri floribus apes conficiunt. Plin. 11. Hist. nat. 15. 15. (38). Album mel non fit, quod bithymum est, sed oculis et ulceribus aptissimum existimatur. Harduinus, quod in nullo MS. hæc verba extare comperit, spuria et supposititia esse judicavit, et in sua editione omisit; quem secutus est Sillig.

BITIENSES dicuntur, qui peregrinantur assidue. Paul. Diac. p. 35. 7. Müll. Al. leg. Bitientes. V. BETO.

BĪTO. V. BETO.

BĪTUÆ dictæ sunt feminæ in Scythia, δίκοροι, hoc est singulis in oculis binas pupillas habentes: a bis et tueor. Legit hanc vocem Salmas. 3. exercitat. Plin. in Solini 1. et in Plin. 7. Hist. nat. 2. 2. (17)., sed utroque loco alii aliter.

BĪTŪMEN, inis, n. 3. Videtur esse a πίττα pix, quia ei simile est, quasi πίττωμα; unica autem littera t scribitur, quia vetustissimi Latinorum, et etiam vulgares homines cujuscumque nationis, unica semper consonanti, tum scribendo, tum loquendo utebantur, et etiam nunc utuntur. — Ceterum bitumen est limus pinguis et sulphureus, lentus tamen ac tenax, qualis in Asphaltide lacu Judææ, et qui oleacei liquoris specie gignitur in Agragantino fonte Siciliæ (It. bitume; Fr. bitume; Hisp. betun; Germ. Erdpech; Angl. bitumen). Bitumine abundans est supra ceteras Assyriæ et Chaldæorum regio; adeo ut etiam e terra emergat pluribus locis: quod crebris fulminibus in ea loca incidentibus tribuendum putat Servius ad illud Virg. 8. Ecl. 82. et fragiles incende bitumine lauros. (Nam bitumen hoc loco interpretatur divinum ignem, qualis est fulminum, quæ ab Jove immittuntur.) Unde Semiramis Babylonis muros bitumine pro arena et calce struxisse dicitur, ut est apud Justin. 1. 2. 7. et Vitruv. 8. 3. 1. Schneid. De variis bituminum generibus, deque eorum usu in medicina multa disserit Plin. 35. Hist. nat. 15. 51. (178). et 5. ibid. 16. 15. (72).; et specialim de bitumine lacus Judææ Tacit. 5. Hist. 7. Bitumen memorant Lucret. 6. 806.; Virg. 3. G. 451.; Horat. Epod. 5. 82.; Ovid. 9. Met. 660.; Curt. 4. 3. 2.; Cels. 3. 27. 2.; Val. Flacc. 3. 124.; aliique. — Bituminis, quod igni admotum arderet (facile autem accenditur, quod sulphur habet admixtum) usus erat in sacris, quæ incantamenti et veneficii, aut expiationis causa diis inferis fiebant: quod nigra illa flamma delectari eos crederent, et quod purgationibus aptissima est. Huc pertinet locus allatus Virg. 8. Ecl. 82. Sic Claudian. VI. Cons. Honor. 324. Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum Sulphure cæruleo nigroque bitumine fumat, Circum membra rotat doctus purganda sacerdos.

BĪTŪMĬNĀTUS, a, um, adject. bitumine mixtus. Plin. 31. Hist. nat. 6. 32. (59). Est utilis aqua bituminata, aut nitrosa, bibendo atque purgationibus.

BĪTŪMĬNEUS, a, um, adject. bitumine mixtus. Ovid. 15. Met. 350. de Ætnæ ignibus. Sive bituminæ rapiunt incendia vires.

BĪTŪMĬNŌSUS, a, um, adject. bitumine abundans. Vitruv. 8. 3. 4. Schneid. Cum per bituminosam terram vis erumpit aquæ. Id. ibid. § 9. Bituminosi fontes.

BĬŪRUS, i, m. 2. quasi diurus, hoc est duplicem habens caudam; a bis et οὐρά cauda. Plin. 30. Hist. nat. 15. 52. (146). M. Cicero tradit, animalia biuros vocari, qui vites in Campania erodant. — Quidam byturus scripsere; et minus recte.

BĪVERTEX, icis, omn. gen. adject. qui binos vertices habet; et solet esse epithetum Parnassi, cujus duo juga sunt, Helicon et Cytheron. Stat. 1. Theb. 628. Delius insurgit, summasque biverticis umbræ Parnassi residens etc. Sidon. in carm. epist. 15. l. 9. Montemque victor ipse per biverticem.

BĪVĪRA, æ, f. 1. quæ vidua cum esset, alteri nupsit, cui univira opponitur. Varro apud Non. p. 79. 21. Merc. Ad biviram venio.

BĪVĬUM, ii. V. voc. seq. in fine.

BĪVĬUS, a, um, adject. (bis et via) qui duas habet vias. Virg. 11. Æn. 516. Ut bivias armato obsidam milite fauces. Val. Flacc. 5. 395. Bivii calles. — Dii bivii, trivii, quadrivii in Inscript. apud Gruter. 84. 5. et 1015. 1. (cf. Inscript. apud Orell. 2105.) sunt biviorum, triviorum et quadriviorum præsides similes iis, qui Viales et Semitales appellantur. — Hinc

Bivii, orum, m. plur. absolute dicuntur iidem biviorum dii in Inscript. apud Orell. 389. et 2104.

Bivium, ii, n. 2. dicitur locus ubi duæ viæ concurrunt.

I.) Proprie. Virg. 9. Æn. 238. Qui patet in bivio portæ. Adde Plin. 6. Hist. nat. 28. 32. (144). Nonnulli hanc vocem leg. et apud Liv. 38. 45.; sed ibi dubia est lectio.

II.) Translate. Varro 1. R. R. 18. 7. Bivium enim nobis ad culturam dedit natura, experientiam et imitationem. Et ibid. 55. 4. Olea, ut uva, per idem bivium redit in villam: alia ad cibum eligitur, alia ut eliquescat. Ovid. Rem. am. 486. Ut tuus in bivio distineatur amor.

BIXIT, pro vixit legitur in vet. Inscript. apud Gruter. 307. 6. et alibi. V. initium hujus litteræ.

BL

BLĂCTĔRO, as, are, n. 1. verbum est exprimens vocem arietis. Auct. carm. Philom. 56. Blacterat hinc aries, et pia balat ovis. Voss. in Etymol. in V. Blaterones putat legendum esse braterat ex quodam MS. Al. leg. blaterat. Sed blaterare proprium est camelorum, ut docet Paul. Diac.; et blactero ratione etymi conjungi potest cum Gr. βληχᾶσθαι.

BLÆSUS, a, um, adject. Græca vox βλαισός, quæ distortum significat: at blæsus Latine ad linguam tantummodo refertur, et est qui linguam impeditam habet, et aliquam litteram, ut R, pronunciare non potest, vel in pronunciando aliquam litteram excludit, vel male profert (It. scilinguato, borbottante; Fr. bègue, qui balbutie; Hisp. tartamudo, balbuciente; Germ. lispelnd, undeutlich redend; Angl. stammering, lisping, faultering). Hanc vocis pronunciationem puellæ delicatiores affectabant Ovidii ætate, ut ipse innuit 3. Art. am. 294. Juvenal. 15. 48. Blæsis atque mero titubantibus. Martial. 10. 65. Os blæsum, tibi, debilisque lingua est. Ovid. 3. Art. am. 294. Blæsa lingua. Id. 2. Amor. 6. 24. de psittaco. Reddebas blæso tam bene verba sono. — Ab hoc vitio factum est cognomen Romanum in gente Sempronia, ut C. Sempronius Blæsus in Fastis Capitol. apud Gruter. 292. Ceterum V. ONOM.

Homonym. *Blæsus*, *balbus* et *atypus* inter se aliquantum differunt. Hæc enim habentur apud Ulp. Dig. 21. 1. 10. § 5. Quæsitum est, an balbus et blæsus et atypus isque qui tardius loquitur, et varus et vatius sanus sit? Balbus itaque est, qui propter hæsitantiam linguæ verba omnia laborans profert; blæsus, qui linguam impeditam habet et aliquam litteram pronunciare non potest; atypus, qui verba minus recte articulat.

BLANDĒ, adverb. (blandus). Comp. Blandius et Sup. Blandissime. — Blande idem est ac blandiendo, suaviter, placide, comiter; et fere de oratione usurpatur (It. lusinghevolmente, piacevolmente, carezzevolmente; Fr. d'une manière flatteuse, caressante, agréable; Hisp. con lisonja, con caricia; Germ. auf eine sich anschmiegende, gefügige, liebkosende oder schönthuende Art und Weise; Angl. kindly, courteously, soothingly). Nævius apud Non. p. 335. 2. et 474. 7. Merc. Blande et docte percontat. Plaut. Amph. 1. 3. 9. Observatote quam blande mulieri palpabitur. Id. Truc. 1. 2. 60. et Cic. 2. Off. 14. 48. Blande appellare aliquem. Plaut. Pœn. 3. 3. 73. compellare aliquem. Ter. Adelph. 5. 4. 23. Blande dicere. Afranius apud Non. p. 515. 30. Merc.

Quam perspicace, quam benigne, quam cito, quam blande, quam materno vivis pectore! *Lucret.* 2. 320. Et satiati agni ludunt blandeque coruscant. *Al. leg.* coniscunt. *Id.* 5. 1368. fructusque feros mansuescere terrà Cernebant indulgendo blandeque colendo. *h. e.* paullatim et molli cultura. *Id.* 5. 1066. Blande lambere linguà. *Cic.* 16. *Att.* 2. 2. Sed amabo te, mi Attice —, videsne quam blande! *Id. Rosc. Am.* 16. 49. Blande et concinne rogare. *Id.* 1. *Orat.* 24. 112. Petere aliquid blandius. *Id. Cluent.* 26. 72. Appellare aliquem blandissime. *Liv.* 1. 22. Excipere aliquem hospitio blande ac benigne. *Cælius* apud *Quintil.* 4. 2. 124. Blandius ad aurem invocare. *Horat.* 1. *Od.* 24. 13. Moderari fidem blandius Orpheo. *Ovid.* 1. *Art. am.* 273. Blande tentare aliquem. *Sueton. Cal.* 32. quærere. *Quintil.* 1. *Declam.* 13. Suspensa manu blande flectere cardinem sonantem. *h. e.* placide ac lente.

BLANDĬCĔLLUS, a, um, adject. *deminut. dupl.* a blandus. *Paul. Diac.* p. 35. 9. *Müll.* Blandicella verba.

BLANDĬCŬLĒ, adverb. *deminut.* a blande. *Apul.* 10. *Met.* 22. Blandicule respondere.

BLANDĬDĬCUS, a, um, adject. qui blanda verba dicit, blandiloquus. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 10. Nunc mihi blandidicus es: heri in tergo meo tres facile corios contrivisti bubulos.

BLANDĬFĬCUS, a, um, adject. blandum faciens. *Capell.* 9. p. 301. Blandificaque libens stringere corda face.

BLANDĬFLŬUS, a, um, adject. blande et suaviter fluens. *Venant.* 3. *carm.* 12. *ad fin.* Blandifluas stupidis induxit collibus uvas. *Id.* 11. *carm.* 10. *v.* 10. Blandifluus odor.

BLANDĬLŎQUENS, entis, particip. verbi inusit. *blandiloquor*, qui blande loquitur, blandidicus. *Laberius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Viri excellentis mente clemente edita Submissa placide blandiloquens oratio.

BLANDĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. blandus sermo, suavia verba. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 61. Nam ut ego illis supplicarem tantà blandiloquentià?

BLANDĬLŎQUENTŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a blandiloquens. *Plaut. Trin.* 2. 1. 13. Amor ab re consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, avarus.

BLANDĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. blandiloquentia. *Augustin. Ep.* 19. *ad Hieronym.* 4. Insidiosum blandiloquium.

BLANDĬLŎQUUS, a, um, adject. blandiloquens, blandidicus. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 54. Ut blandiloqua est! hei mihi, metuo. *Seneca Agamemn.* 289. Quid voce blandiloqua mala consilia dictas?

BLANDĬMENTUM, i, n. 2. actus blandiendi, seu ejus qui molliter contrectando et palpando alicui adulatur eique placere studet, illecebræ (It. *lusinghe, carezze*; Fr. *flatterie, caresses*; Hisp. *lisonja, caricia*; Germ. *Reiz-oder Schmeichelmittel, Annehmlichkeit*; Angl. *an allurement, blandishment, charm*).

A) In singulari numero raro admodum occurrit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 13. 21. (98). Hoc blandimento impetratis radicibus etc. *h. e.* hac blanda cultura. *Tac.* 14. *Ann.* 4. Blandimentum sublevavit metum. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Erit igitur locandus ægrotans, si totum caput doluerit, supinus; si autem ex parte, ex parte quæ patitur. Mitigatur enim quodam blandimento straminum pars in dolore constituta.

B) In plurali numero sæpius usurpatur; et quidem ¶ 1. Generatim. *Cic. Cæl.* 17. 41. Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret interdum. *Id.* 1. *de republ.* 1. 1. Blandimenta voluptatis. *Liv.* 2. 9. Multa blandimenta plebi per id tempus ab senatu data; annonæ in primis habita cura. Cf. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 8. (14). *Id. Plin.* 7. *ibid.* 16. 15. (71.). Blandimenta fortunæ. *Tac.* 15. *Ann.* 64. et 2. *Hist.* 53. vitæ. *Pallad.* 10. *R. R.* 17. æstivi caloris. *Veget.* 1. *Veter.* 56. 37. vecturæ. — Blandimenta in cibis sunt condimenta. *Petron. Satyr.* 141. Aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus. *Tac. Germ.* 23. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. ¶ 2. Speciatim ponitur de orationis illecebris. *Plaut. Rud.* 2. 6. 23. Pessum dedisti me blandimentis tuis. *Id. Truc.* 2. 2. 63. Mutare aliquem blandimentis. *Cic.* 5. *Tusc.* 31. 87. Sequetur igitur vel ad supplicium beata vita virtutem, nec eam minimis blandimentis corruptam deseret. *Ovid.* 2. *Met.* 815. Jactare blandimenta et preces. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Captus blandimentis. *Tac.* 13. *Ann.* 13. Aggredi aliquem per blandimenta. *Id.* 1. *Hist.* 74. Muliebribus blandimentis infectæ epistolæ. *Id.* 12. *Ann.* 64. Devincire aliquem blandimentis.

BLANDĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (blandus). Part. *Blandiens* I. 1. et II.; *Blanditus* passiva significatione in fine. — Blandior est molliter contrectando et palpando alicui adulor et placere studeo (It. *lusingare, accarezzare*; Fr. *flatter, caresser*; Hisp. *lisonjear, acariciar*; Germ. *einer Person zu Gefallen handeln und reden, schmeicheln mit Worten und Gebehrden*; Angl. *to soothe, caress, please, compliment, fawn upon, wheedle, flatter*).

I.) Proprie occurrit de personis vel animalibus quibuscumque. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic. Amic.* 26. 99. Nec enim facillime agnoscitur (*callidus*), quippe qui etiam adversando sæpe assentetur et litigare se simulans blandiatur. *Horat.* 3. *Od.* 11. 15. Cessit immanis tibi blandienti Janitor aulæ Cerberus. *Ovid.* 10. *Met.* 416. Et modo blanditur, modo si non conscia fiat, Terret. *Id. Heroid.* 21. 195. Et minus audacter blanditur, et oscula rara Accipit. Adde eumd. 1. *Amor.* 8. 103. et 9. *Met.* 560., et *Senec. Octav.* 368. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 7. (12). Oratione blandiens. Adde eumd. 18. *ibid.* 17. 21. (89).; *Quintil.* 11. 3. 63. et *Justin.* 1. 4. 12. — *b*) Cum Dativo personæ, cui quis blanditur. *Plaut. Cist.* 1. 1. 35. Nostro ordini palam blandiuntur: clam, si occasio usquam est, aquam frigidam subdole suffundunt. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 2. De Commageno rege, quod rem totam discusseram, mirifice mihi et per se et per Pomponium blanditur Appius. Adde *Liv.* 21. 1. *Cic.* 1. *Orat.* 20. 90. Blandiri et suppliciter insinuare alicui. *Ovid.* 4. *Met.* 531. Venus sic patruo blandita suo est. *h. e.* blande rogavit. Adde eumd. 6. *ibid.* 440. et 14. *ibid.* 705. *Id.* 2. *Art. am.* 527. Postibus et duræ precibus blandire puellæ. *Al. rectius* supplex blandire puellæ. Adde eumd. 1. *Amor.* 6. 15. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (120). Blandiri avibus cibo. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (88). Infans blandiens matri mortuæ. *Id.* 10. *ibid.* 37. 52. (109). Columbæ blandiuntur inter se. *Plin.* 1. *Ep.* 2. *in fin.* Blandiri auribus alicujus. ¶ 2. Speciatim *blandiri sibi* est in sua causa sibi aliquid vani persuadere, sibi indulgere. *Ulp. Dig.* 26. 7. 3. § 2. Blandiuntur enim sibi qui putant honorarios tutores omnino non teneri etc. Huc pertinet illud *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 53. Omnia pro veris credam, sint ficta licebit: Cur ego non votis blandiar ipse meis?

II.) Translate ponitur de inanimis et abstractis, quæ grata et jucunda videntur ac nos quoddammodo alliciunt atque invitant. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 45. 139. Video quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur. *P. Syrus v.* 226. Fortuna cum blanditur, captatum venit. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 12. Blanditur cœptis fortuna. *h. e.* favet cœptis et ad ulteriora tentanda invitat. Cf. et *Seneca Octav.* 378. *Ovid.* 10. *Met.* 555. Opportuna suà blanditur populus umbrà. *Cels.* 5. 28. 2. *a med.* Imponendo lenia medicamenta, quæ quasi blandiantur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 17. (60). Pomi suavitas blanditur. *Id.* 31. *ibid.* 2. 19. (27). Quædam aquæ blandiuntur aspectu. *Quintil.* 14. *Declam.* 4. Levior est calamitas, cui blanditur aliquid de voluptate lætitia. *Id.* 4. 1. 53. Si aliqua sententia blandiatur. Adde eumd. 4. 2. 90., 8. 5. 22. et 10. 4. 2. *Sueton. Ner.* 20. Blandiente profectu, prodire in scænam concupivit. *h. e.* invitante. *Tac.* 5. *Hist.* 4. Blandiente inertià. *Id. Agric.* 16. Vitia blandientia. — *NB.* Cum Accusativo legunt nonnulli apud *Colum.* 7. *R. R.* 5. Lac caprinum infusum tantum valet, ut et blandiatur igneam sævitiem. At *Gesnerus* et *Schneiderus* pro *et blandiatur*, ut est in antiquis editionibus, reponunt *eblandiatur*. — Hinc

Blanditus, a, um, part. præter. ¶ 1. Passiva significatione. *Verrius* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Blanditusque labor molli curabitur arte. κολακευθείς, ut idem *Priscian.* exponit. Cf. *Seneca Hipp.* 134. Blandiendo dulce nutrivit malum. ¶ 2. Interdum transit in nomen, et ponitur pro grato, jucundo et allicienti. *Propert.* 4. 6. 72. Blanditæque fluant per mea colla comæ. *Forcellinus* cum aliis ita legebat; at *Hertzberg* fortasse rectius: Blanditiæque fluant per mea colla rosæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (67). Hanc initio blandita peregrinatione avide profectam, pœnitentia in volatu, cum labore scilicet, subit.

BLANDĬTER, adverb. idem quod blande. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 3. Magis cogito, sæviter, blanditerne alloquar. *Id. Asin.* 1. 3. 69. Compellare blanditer. *Titinius* apud *Priscian.* 15. p. 1010. *Putsch.* et apud *Non.* p. 510. 6. et 256. 15. *Merc.* Cum aliqua blanditer comparare colloquia.

BLANDĬTĬA, æ, f. 1. actus blandiendi, adulatio, illecebra (It. *carezze, lusinghe, moine*; Fr. *caresse, flatterie, cajolerie*; Hisp. *lisonja, caricia*; Germ. *das sich anschmiegende, schmeichelnde, liebkosende Wesen, d. Schönthun, das unbedingte Hingebung*; Angl. *a soothing, caressing, alluring*). ¶ 1. In singulari numero usurpatur potius abstracte. *Plaut. Truc.* 2. 7. 19. Velut meretrix meum herum miserum suà blanditià intulit in pauperiem. *Id. Bacch.* 1. 1. 16. Viscus merus vostra est blanditia. *Cic. Amic.* 25. 91. Sic habendum est, nullam in amicitiis esse pestem majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. Adde eumd. apud *Non.* p. 194. 27. *Merc.*; et *Q. Cic. Pet. cons.* 11. 41. *Cic. Planc.* 12. 29. Illa occursatio et blanditia popularis. *Propert.* 1. 16. 16. Argutà referens carmina blanditià. *Quintil.* 10. 1. 27. Rerum talium blanditia. ¶ 2. Sæpius usurpatur in plurali numero et concretà potius significatione. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 8. Tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet, gerræ germanæ. Adde eumd. *Truc.* 1. 1. 7. *Ter. Hec.* 1. 1. 10. Nemo illorum quisquam scito ad te venit, quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis quam minimo pretio ut voluptatem expleat. *Lucret.* 5. 1017. puerique parentum Blanditiis facile ingenium fregere superbum. *Cic.* 5. *Verr.* 26. 65. Tantum apud te quæstus Apronii, tantum ejus sermo inquinatissimus et blanditiæ flagitiosæ valuerunt. *Id. Amic.* 17. 64. Benevolentiam civium blanditiis et assentando colligere. *Id.* 1. *Att.* 19. 9. Suis blanditiis ab aliquo nummulorum aliquid exprimere. *Id.* 3. *Off.* 18. 74. Hereditates malitiosis blanditiis quærere. *Id. Cluent.* 13. 36. Se blanditiis atque assentationibus in alicujus consuetudinem penitus immergere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Elici blanditiis ad judicium. *Id.* 1. *Fin.* 10. 33. Blanditiis voluptatum delinitus. *Liv.* 1. 9. Accedebant blanditiæ virorum factum purgantium cupiditate atque amore. *Id.* 24. 4. Circumsessus dies noctesque muliebribus blanditiis. *Id.* 30. 7. Blanditiis satis potentibus ad animum amantis. *Tibull.* 1. 1. 86., et *Ovid. Heroid.* 13. 153. et 3. *Amor.* 7. 11. Blanditias dicere alicui. *h. e.* blanda verba. *Tibull.* 1. 2. 91. Blanditias tremulà componere voce. *Propert.* 3. 13. 33. Emere blanditiis oscula. *Ovid.* 6. *Met.* 631. Blanditias admovere. *Id. ibid.* 695. Nihil agitur blanditiis. *Id.* 10. *ibid.* 259. Blanditias adhibere. *Id.* 1. *Art. am.* 480. legere. *Id.* 2. *Amor.* 19. 17. parare. *Id. Heroid.* 17. 91. Flecti et capi blanditiis. *Id.* 6. *Met.* 626. Blanditiæ puerilès. *Id.* 1. *Amor.* 4. 66. Blanditiæ taceant. *Sueton. Ner.* 34. Dicere aliquid per blanditias. *h. e.* blandiendo. Adde eumd. *Aug.* 53.; *Senec.* 4. *Quæst. nat.* 1. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (14). *Tac.* 1. *Ann.* 15. Adulatio, blanditiæ. *Id.* 14. *ibid.* 56. Velare odium fallacibus blanditiis. *Id.* 2. *Hist.* 59. vernilibus.

BLANDĬTĬES, ei, f. 5. idem ac blanditia. *Apul.* 9. *Met.* 28. Talis sermonis blanditie cavillatum deducebat etc.

BLANDĪTIM, adverb. blande, blanditer. *Lucret.* 2. 173. Ut res per Veneris blanditim sæcla propagent. *Al. leg.* blanditum, *sed minus recte.*

BLANDĪTOR, ōris, m. 3. qui blanditur, assentator. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 90. Qui epulo accubabat una blanditoribus regis.

BLANDĪTUS, a, um. *V.* BLANDIOR.

BLANDĪTUS, us, m. 4. blanditia. Quidam hanc vocem leg. in illo *Lucret.* 2. 173. Ut res per Veneris blanditum sæcla propagent. *Sed plerique omnes leg.* blanditim.

BLANDŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a blandus. *Hadrian. Imp. in carm.* apud *Spartian. in ejus Vita* 25. Animula vagula, blandula, Hospes, comesque corporis. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BLANDUM adverbii more. *V.* voc. seq. in fin.

BLANDUS, a, um, adject. Comp. *Blandior* sub *A*; Sup. *Blandissimus* sub *B*. — Ratione habita etymi cf. Germ. *blenden*. — Blandus est placens, gratus, suavis, lenis, alliciens, interdum etiam qui pollet arte persuadendi et impetrandi (It. *carezzevole, lusinghiero, piacevole, persuadente*; Fr. *caressant, flatteur, insinuant*; Hisp. *halagueño, cariñoso, lisonjero*; Germ. *schönthuend, gefallig sich darl*—

tend, schmeichlerisch, liebkosend, bisw. gefällig, nachgiebig oder auch schönredend oder zu überreden bemüth; Angl. *kind, gentle, soothing, flattering*). ¶ 1. De personis et brutis animalibus ponitur — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 2. 3. 55. Tu eum orato: ego autem orabo villicum. Jam hic erit: nunc experiemur uter nostrum sit blandior. Adde *ibid.* 3. 3. 21. *Ter. Hec.* 5. 4. 24. Ut unus omnium homo te vivat nusquam quisquam blandior. *Lucret.* 4. 995. catulorum blanda propago. *Cic.* 12. *Att.* 5. 4. Scis me minime esse blandum; itaque minus aliquando dico, quam sentio. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 3. 1. *Id. Amic.* 25. 95. Amicus blandus. *cui opponitur verus. Id.* 3. *Verr.* 9. 25. Filius blandus et gratiosus. *Id.* 2. *Off.* 10. 37. Voluptates blandissimæ dominæ. *Nepos Alcib.* 1. Affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens. Adde *Ovid.* 2. *Art. am.* 411.; *Quintil.* 9. 4. 133., 11. 1. 30. et 11. 3. 72.; et *Val. Flacc.* 7. 123. *Propert.* 2. 3. 10. Blandus amator. *Virg.* 2. *G.* 496. canes. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 25. doctores. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 34. puella. *Id. Rem. am.* 11. puer. *Id.* 1. *Amor.* 15. 17. meretrix. *Claudian. I. Rapt. Pros.* 209. blandasque leones Submisere jubas. *Id. IV. Cons. Honor.* 163. Blandi angues. *Id. ibid.* 604. irent blandæ sub vincula tigres. — *b*) Cum addito: scilicet — Addita persona, cui quis blandus est, fere per Dat. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 10. Nemini credo, qui large blandust dives pauperi. *Cic.* 12. *Att.* 3. 1. Unum te puto minus blandum esse, quam me, et, si uterque nostrum est aliquando adversus aliquem, inter nos certe numquam sumus. *Liv.* 34. 2. An blandiores (*feminæ*) in publico, quam in privato, et alienis au privatis estis? Adde *Quintil.* 6. *proœm.* 8. — Addita per Infinitum re, quæ blanditiis obtinetur. *Horat.* 1. *Od.* 12. 11. *de Orpheo.* Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. Adde *Stat.* 5. *Theb.* 456. — Addito quo quis est blandus seu pollet: per Genit. *Stat.* 2. *Achill.* 236. blandusque precum compellat Ulixes. Per Accus. Græco more. *Id.* 9. *Theb.* 155. Blanda genas vocemque. Per Ablat. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 134. Poscit opem chorus — Cœlestes implorat aquas doctâ prece blandus. *Stat.* 11. *Theb.* 104. blandamque precatu Antigonem timeo, ne etc. ¶ 2. Ponitur etiam de inanimis et abstractis. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41. Quamquam multa manus ad cœli cærula templa Tendebam lacrimans et blanda voce vocabam. Adde *Lucret.* 6. 1243.; *Virg.* 1. *Æn.* 670.; et *Plin. Paneg.* 25. *Cic.* 7. *Phil.* 9. 26. Blandâ aut supplici oratione falli. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (32). Saltu, quod alias est blandissimum his, nullus conatur evadere. *Sueton. Tib.* 27. Si quid blandius de se diceretur. — Jungitur pluribus nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Quintil.* 7. 4. 27. Actio blanda. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 46. Alea. *h. e.* quæ delectat. *Lucret.* 1. 20. et *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 49. Amor. *Propert.* 4. 1. 137. Arma Veneris. *Ovid.* 4. *Met.* 344. Aquarum blandarum temperies. *Id.* 1. *Art. am.* 362. Arte blanda subit Venus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (117). Aspectus blandissimus. *h. e.* pulcherrimus. *Val. Flacc.* 6. 4. 47. Aspiramina blanda. *Ovid.* 15. *Heroid.* 27. Carmina blandissima. *Id.* 14. *Met.* 258. Caudæ blandæ. *Id.* 3. *Fast.* 221. Clamor. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122). Color aspectu leniter blandus. *Id.* 2. *ibid.* 18. 16. (79). Color lunæ. *Seneca Octav.* 158. Doli. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 191. Fluctus blandi. *h. e.* tranquilli. *Id. Epithal. Pallad. et Celer.* 1. Frigore blando quæsitus somnus. *Virg.* 5. *Æn.* 827. Gaudia. *Val. Flacc.* 4. 353. Ignes. *h. e.* amores. *Virg.* 3. *G.* 127. Labori blando (*h. e.* grato) superesse. *Ovid.* 2. *Met.* 100. Lacertis blandis tenere colla alicujus. *Virg.* 3. *G.* 185. Laudibus blandis gaudere. *Ovid. Heroid.* 15. 55. et *Val. Flacc.* 8. 63. Lingua. *Lucret.* 2. 846. Liquor blandus amaracini. *h. e.* suavem spirans odorem *Stat.* 3. *Silv.* 5. 9. Littora blandissima. *h. e.* amœnissima. *Ovid.* 2. *Met.* 691. Manu blanda seducere aliquem. *Cod. Theod.* 10. 10. 12. § 1. Ministerium. *Sabin.* 1. *Ep.* 36. Modi. *Seneca Octav.* 84. Obsequium. *Liv.* 23. 18. Otium consuetudine in dies blandius. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (145). Oculi blandi. *Petron. Satyr.* 126. Oratio blandissima. *Ovid.* 13. *Met.* 555. et *Val. Flacc.* 8. 36. Os blandum. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 20. Pabula. *Val. Flacc.* 2. 317. Pocula. *Horat. Art. P.* 395. Prece blandâ ducere aliquem. *Tibull.* 3. 4. 75. Querelas adhibere blandas. *Ovid.* 3. *Fast.* 19. et *Stat.* 2. *Silv.* 2. 111. Quies. *Ovid.* 2. *Art. am.* 334. Sedulitas. *Seneca Troad.* 1071. Sinu blando fovere aliquem. *Ovid.* 1. *Fast.* 157. *de verno tempore.* Soles blandi. *Id. Rem. am.* 332. Sonis blandis peccari. Adde *Manil.* 2. 147. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Succi blandiores. *h. e.* mitiores et suaviores. *Ovid.* 14. *Met.* 787. Tabellæ blandæ. *Tibull.* 3. 3. 2. Tura blanda. *h. e.* quibus dii placantur. *Ovid.* 1. *Art. am.* 455. Verba. *Cic.* 4. *Tusc.* 3. 6. et 2. *Off.* 10. 37.; *Lucret.* 4. 1258. et *Ovid.* 2. *Art. am.* 477. Voluptas. — *b*) Addita persona, cui quid blandum est, per Dat. *Plin.* 1. *Hist. nat. præfat.* § 12. Res blanda legentibus. *Stat.* 10. *Theb.* 836. blandæ superûm mortalibus iræ. — *NB.* De cognomine. *V.* ONOM. — Hinc

Blandum adverbialiter positum pro *blande*. *Martial.* 14. 203. Tam tremulum crissat, tam blandum prurit. *Capell.* 8. *p.* 270. Blandum stertens. *Id.* 9. p. 306. Te blandum Venus docens solabitur. *Petron. Satyr.* 127. Delectata illa risit tam blandum, ut etc.

BLAPSĬGŎNĬA, æ, f. 1. *βλαψιγονία*, morbus est apum, cum prolem non generant ad familiam propagandam: Græca vox a *βλάπτω lædo*, et *γονεία fetura*: et Latine legitur apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 20. (64).

BLASPHĒMĀBĬLIS, le, adject. dignus conviciis et vituperationibus. *Tertull. Cult. fem.* 12. Quanto blasphemabile est, si, quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ?

BLASPHĒMĀTĬO, ōnis, f. 3. *βλασφημία*, convicium, probrum, vituperatio. *Tertull. Cult. fem.* 12. Optemus ne justæ blasphemationis causa simus.

BLASPHĒMĬA, iæ, f. 1. *βλασφημία*, convicium, obtrectatio, dictum lædens famam: a *βλάπτω lædo*, et *φήμη fama*. *Hieronym. Ep.* 62. *n.* 2., et *Augustin. Verb. Dom. serm.* 11. c. 14. *et* 15. et 2. *Mor. Manich.* 10., quo posteriore loco intelligit tum quod in Deum, tum quod in homines convicium dicitur: licet alioquin sæpius dicatur de eo, quod in Deum ingeritur. — *Prudent.* neutro genere extulit *blasphemium* in *Psychom.* 715. Non tulit ulterius capti blasphemia monstri Virtutum regina Fides.

BLASPHĒMĬUM, ii, n. 2. *V.* BLASPHEMIA in fin.

BLASPHĒMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *βλασφημεῖν*, convicium in aliquem dico, alterius famam dictis lædo. *Prudent. Apoth.* 415., et *Augustin. Tract.* 27. *in Joann. ad fin.* Inter illos malos, qui blasphemant Christum. *Tertull. advers. Jud.* 13. *ad fin.* Nomen Domini per ipsos blasphemaretur. Adde *Hieronym. Ep.* 61. *n.* 4.

BLASPHĒMUS, a, um, adject. *βλάσφημος*, qui dictis alterius famam lædit. *Prudent.* 1. *περὶ στεφ.* 75. Blasphemus satelles. Adde *Tertull. Resurr. carn.* 26. ubi substantive usurpatur.

BLĂTEAS bullas luti ex itineribus aut quod calciamentorum soleis creditur, appellabant. *Paul. Diac.* p. 34. 4. *Müll.*

BLĂTĔRĀTUS, a, um. *V.* BLATERO.

BLĂTĔRĀTUS, us, m. 4. actus blaterandi, stulta loquacitas, ineptus sermo. *Sidon.* 9. *Epist.* 11. *in fin.* Redeamus ad causam, super cujus abundante blateratu precor, ut etc. *Capell.* 9. *in fin.* Jurgis caninos blateratus pendere. *ubi licenter primam produxit.*

BLĂTĔRO, as, āvi, ātum, are, 1. Sunt qui *blattero* scribunt duplici *tt*, sed invito *Horatio* qui primam corripuit, et *Dausq.* in *Orthogr. Capell.* tamen licenter primam produxit: *V.* BLATERATUS, us. — Part. *Blaterans* et *Blateratus*. — Ratione habita etymi, nonnullis videtur esse a Gr. *βλάξ, ακός*, *h. e.* stultus, hebes, stupidus: aliis a *blatio*, *is*, quod eamdem habet significationem; et quidem rectius, cum utraque vox facta sit per onomatopœiam a sono naturali (Cf. Germ. *plappern*); unde, teste *Paul. Diac.* p. 34. 2. *Müll.*, cameli, cum vocem edunt, *blaterare* dicuntur, et apud *Sidon.* 2. *Epist.* 2. *post med.* ranæ. Quidam etiam tribuunt arieti: *V.* BLACTERO. — Ceterum *blaterare* est vox Comicorum aut irridentium propria et significat stulte et percupide loqui, inani loquacitate obtundere (It. *ciarlare, chiacchierare*; Fr. *bavarder, babiller*; Hisp. *chacarrear, baladronear*; Germ. *schwäbein, schwafeln, schwatzen*; Angl. *to babble, talk idly, bawl, blatter*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut.* apud *Non.* p. 44. 15. *Merc.* Ubi tu es, quæ blaterasti jam vicinis omnibus? *Cæcilius* apud *eumd.* p. 79. 2. Desine blaterare: nihil agit in amore inermus. *Nonius* exponit *blaterare* hoc loco esse confugere per mendacia. Ita et in loco *Afranii* sub *b.* *Pacuvius* apud *Fulgent. de prisco sermone* p. 561. 17. *Merc.* Ni ego te blaterantem aspicerem, his nuncium indicassem. *Fulgent. l. c.* docet *blaterare* esse verba trepidantia metu balbutire: at ad unam eamdemque notionem et hic *Pacuvii* locus reduci potest. *Afranius* apud *Non.* p. 78. 32. *Merc.* Quid est istuc te blaterare atque obsequi? *Varro* apud *eumd.* p. 40. 2. Quid est? quid blateras? quid rabis? *Al. leg.* latras. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 35. ecquis Audit? cum magno blateras clamore furisque? *Terentian.* v. 110. p. 2386. *Putsch.* Ut quivero, versu blaterabo sotadeo. — *b*) Cum Accus. *Afranius* apud *Non.* p. 78. 32. *Merc.* Illud memento, ne quod in primis blateres. *V.* supra sub *a.* *Gell.* 1. 15. Homines stulta et immodica blaterantes. *Apul. Florid.* 9. Incondita et vitiosa verba blaterare. *Id.* 10. *Met.* At ego perspiciens malum istum verberonem blaterantem atque inconcinne causificantem etc. *Id.* 4. *ibid.* His et similibus blateratis. Addde *eumd.* 8. *ibid.* *Id de Magia.* Quæ etsi ab his futiliter blaterata etc.

BLĂTĔRO, ōnis, m. 3. stulte loquax, immoderate ac temere in verba profusus, levis, futilis et importunus locutor. *Gell.* 1. 15. Neque minus insigniter veteres nostri hoc genus homines in verba projectos, locutulejos et blaterones et lingulacas dixerunt.

BLĀTĬO *vel* blattio, is, ire, n. 4. idem quod blatero. Vox per onomatopœiam efficta: *V.* BLATERO sub init. *Plaut. Amph.* 2. 1. 79. Qui, malum, intelligere quisquam potis est? ita nugas blatis. Adde *Curc.* a. 3. v. 82., ubi *blattis* legitur. *Id. Epid.* 3. 1. 13. Aliquid blattis. Cf. *Non.* p. 44. 11. *Merc.*

BLATTA, æ, f. 1. duo plane diversa significat; scilicet

A) Blatta insectum est nauseosum fœdique odoris, in humidis locis nascens, lucisque inimicum, scarabæo gryllove simile: cujus tria genera *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (139). et seqq. enumerat, alias molles, quas in oleo decoctas, verrucis efficaciter illini ajunt: alterum genus *mylœcon* dictum (a *μύλη mola*, et *οἶκος domus*) circa molas fere nascens: tertium genus et odoris tædio invisum, exacuta clune: has autem omnes varius habere in medicina usus, tradit *Virg.* 4. *G.* 242. nam sæpe favos ignotus adedit Stellio, lucifugis congesta cubilia blattis. Adde *Colum.* 9. *R. R.* 7. 5. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (99). — Est ex iis ea blatta, quæ vestes chartasque erodit, *Horat.* 2. *Sat.* 3. 119. cui stragula vestis Blattarum et tinearum epulæ, putrescat in arca. *Martial.* 14. 37. Constrictos nisi des mihi libellos, Admittam tineas trucesque blattas. Hinc proverbium *Laberii* apud *Non.* p. 545. 26. *Merc.* Amore cecidi, tamquam blatta in pelvim. *Schneiderus* adnotat. ad *Varron.* p. 379. mallet legere *Amorem incidi.* Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 4. et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 60. (108).

B) Blatta, apud sequioris ævi scriptores, accipitur pro panno colore purpuræ. Cujus appellationis eam esse rationem putat *Voss.* in *Etymol.*, quod purpureus color illi colori similis est, quo apprehensa *blatta* manum hominis tingit. *Turneb.* vero *l.* 28. *Adversar.* c. 33. *in fin.* docet, *blattam* non purpuræ, sed cocci colorem esse: blattas enim esse vermiculos, qui e cocci granis rubentes erumpunt, quorumque cruore floridissimus inficitur color. Sed *blattam* et coccum diversos colores esse, satis ostendit illud *Lamprid. Elagab.* 33. Paraverat funes blatta, et serico et cocco intortos, etc. *Salmas.* in *Adnotat. ad Vopisc.* in *Aurelian.* 46. tradit, ideo *blattam* pro purpura accipi, quia aliquando sanguinis concreti bullam significat: unde in *Gloss.* legitur: Blatta, *θρόμβος αἵματος*. Purpuræ autem color ille laudatissimus est, qui sanguinem concretum refert, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens, ut *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (135). docet. Quæ sententia ceteris præferenda videtur. Hac vero de re præcipue consulendus est *Pasqual. Amatius*, qui in opere, cui titulus *De restitut. purpurar.* c. 18., probabili conjectura arguit, Latinos sequioris ætatis rostrum conchæ purpurariæ primum, et postea ipsam concham nomine blattæ donasse, et mox nomen ipsum blattæ et purpuræ a chonchis blattis et purpuris ad purpureos ipsos colores, qui ex illis efficerentur, significandos transduxisse. Immo etiam putat, blattam fuisse appellatam ipsam purpuram, quia concha purpuraria rostro suo reliquas conchas ita pertundere solet, ut eas devoret, ideo a *βλάπτω percutio, lædo*, ita nuncupatam fuisse. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theod. Cod.* 4. 40. 1. Purpura, quæ blatta, vel oxyblatta, vel hyacinthina dicitur. *Impp.*

Theodos. et Valentinian. Cod. Theod. 10. 20. 18. Trecentas libras blattæ sericæ. *Sidon. carm.* 5. 48. Pontus castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus, Sardinia argentum defert. Adde *Cassiod.* 1. *Variar.* 2. Eadem dicitur et **BLATTEA**, quam vocem *V.* suo loco.

BLATTĀRĬUS, a, um, adject. ad blattam insectum pertinens. Hinc *Blattariæ balneæ* dicuntur, quæ tenebrosæ sunt, quia blattæ in humidis locis, et præcipue in balneis nascuntur, et tenebras amant, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (99). tradit. *Seneca Ep.* 86. At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant. — *Blattaria* herba est verbasco similis, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo: sic appellata, quia abjecta blattas in se contrahit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 60. (108). Juxta nonnullos *herba blattaria* est *Phlomis Lychnitis*, sed tamen refragante cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 349.), quem videsis.

BLATTĔA, æ, f. 1. est idem ac *blatta*, hoc est purpura. *Venant.* 2. *carm.* 3. 19. Serica cui niveis agnata est blattea telis.

BLATTĔUS, a, um, adject. blattæ, hoc est purpuræ colorem habens. *Vopisc. Aurelian.* 46. Concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent. *Eutrop.* 7. 9. *de Nerone.* Retibus aureis piscabatur, quæ blatteis funibus extrahebat. *Sueton. Ner.* 30. hanc eamdem rem narrans *funes purpurâ coccoque nexos* appellat.

BLATTĬĀRĬUS *seu* blattearius, ĭi, m. 2. qui sericum purpureo colore tingit. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13. 4. 2. Fusores, blattiarii, tessellarii. *Alii leg.* bractearii, *quod probandum videtur.*

BLATTĬFER, fĕra, fĕrum adject. blattam, hoc est purpuram ferens. *Sidon. carm. l.* 9. *ep.* 16. Blattifer senatus.

BLATTŎSĒRĬCUS, a, um, adject. serico textus, et purpura tinctus. *Vopisc. Aurelian.* 45. Cum ab eo uxor sua peteret, ut pallio blattoserico uteretur. Ita legit *Salmas.* ex veteri edit. Al. *blatteo serico.* Adde *Imppp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 1. 20. 18., ubi pro *blattoserico* al. leg. *blattæ sericæ.* — Eodem sensu legitur *sericoblattus* in *Cod. Theod.* 10. 20. 13. et in *Cod. Justin.* 11. 7. 10.

BLECHNON, i, n. 2. βλῆχνον, herba quædam, de qua *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 55. (78). Pterin Græci vocant, alii blechnon, cujus ex una radice complures exeunt filices. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 449.) hanc exhibet synonymiam: βλῆθρον Nicand. de Ther. v. 39.; βλαχνον Phan. in Athen. 2.; Πτέρις, οἱ δὲ βλῆχνον, οἱ δὲ πολύῤῥιζον Dioscor. 4. 186.; *Pteris seu blechnon* Plin. l. c. et *Avia?* Cels. apud Colum. 6. R. R. 14. sunt *Polypodium Filix mas* L. Spec. plant. 1551.

BLĒCHON, onis m. 3. βλήχων, herba, cujus meminit *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 55. (156). Pulegium gustatum a pecore caprisque balatum concitat. Unde quidam Græci littera mutata blechona vocaverunt. *De synonymia* V. **PULEGIUM.**

BLENDĬUS, ĭi, m. 2. pisciculus quidam marinus, cujus meminit *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 32. (102). Ceterum *Plinii* locus in omnibus editionibus, præter *Harduini*, habet *blennius*, quod magis verosimile; nam ab *Athen. l.* 8. *c.* 10. hic idem pisciculus vocatur βέλεννος, ab *Oppian.* vero βλέννος, fortasse a βλέννα *mucus*, quia mucosus est. At *Codex Bamb.* habet *blaend.*; et in *Ind. lib.* 1. *p.* 108. *Sillig.* legitur *blendea.*

BLENNUS, a, um, adject. stultus, stupidus, ignavus vecors. Videtur esse a Græco βλέννα *mucus*, qui per nares emittitur: nam stupidi et ignavi homines sordidi etiam esse solent et muco madentes. At potius est a Gr. βλέννος, quod idem fere significat. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Paul. Diac.* p. 35. 14. *Müll.* Blennos stultos esse, Plautus indicat, qui ait: Stulti etc. — *Dentes blenni* sunt stupidi, rubiginosi, et tamquam mucosa illuvie obsiti. Tales habere se dentes ait famelicus ille diu esuriens apud *Plaut. Curc.* 2. 3. 39. Os amarum habeo, dentes blennos; lippiunt fauces fame. *Alii rectius leg.* plenos.

BLĪTĔUS, a, um, adject. insulsus, fatuus, stultus: a *blitum*, ut exponit ipse *Non. p.* 80. 24. *Merc. Plaut. Truc.* 4. 4. 1. Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam. *Laberius* apud *Non. p.* 80. 26. *Merc.* Bellua blitea.

BLĪTUM, i, n. βλίτον, genus est oleris insipidi gustus, celerrime nascens, radice flexa, plurimis capillamentis, semine adeo abundans, ut ejus dejectione per multos annos ipsum se reparet, ut etiam si velis, vix possit aboleri, ut *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 17. loquitur, ubi male *blitus* vulgo legitur. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 26. Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum. *Varro* apud *Non. p.* 550. 15. *Merc.* Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 93. (254). Blitum iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla. *Pallad. loc. cit.* Hoc mense blitum seritur solo qualicumque, sed culto. Adde *Paul. Diac.* p. 34. 8. *Müll.*, *Non. p.* 80. 24. *Merc.* et *Isid.* 17. *Orig.* 10. 15. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 454.) hanc exhibet synonymiam: βλίτον Hipp. Affect. 506., Theoph. Hist. plant. 1. 9., Dioscor. 2. 143. et Apollon. apud Galen. 2. 1.; βλίτον μωρὸν εἶναι δοκεῖ λάχανον Aristoph., Scholiast.; *Blitum* Menand. teste Plin.; *Blitum insipidum.* Plin. l. c.; *Blitea lutea* Plaut. Truc. 4. 4. 1. et *Blitum* Pallad. l. c. sunt *Blitum capitatum* L. Spec. plant. 7.

BO

BŎA, æ, f. 1. In quibusdam codicib. apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 18. 75. (244). et 30. *ibid.* 15. 47. (138). et apud *Paul. Diac.* scriptum est *bova.* ¶ 1. *Boa* vel *bova* genus est serpentis aquatilis, in miram magnitudinem crescentis, adeo ut in unius Claudio principe occisi alvo integer infans inventus sit, testib. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (37). et *Solin.* 2., qui ideo hoc nomine appellari scribunt, quod boum lacte mire delectetur. Adhæret enim vaccis, easque exsugit usque ad sanguinem. Alii ita dictum putant, quod qui ejus morsu icti sunt, boum instar fœde turgescant. Adde *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 47. (138). et *Paul. Diac. p.* 30. 13. *Müll. Hieronym. in Vita Hilarion. n.* 39. tradit, boas dici, quia tam grandes evadunt, ut boves glutire soleant. *Salmasio in Solin. p.* 87. hæc omnia fabulosa videntur. Docet autem, *boam* esse a Græco δύης, pro quo Æoles βύης dixere, unde *boa* factum esse. Porro δύης idem est ac δύτης, hoc est *urinator*, a δύνω seu δύω *subeo.* In Gloss. quibusdam vet. *boa* eadem est, quæ *natrix.* ¶ 2. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 35. (53). docet, *boam* appellari morbum papularum cum rubent corpora: quod confirmat 26. *ibid.* 11. 73. (120). *Id.* vero 28. *ibid.* 18. 75. (244). scribit, ita vocari hunc morbum, quia boum fimo sanatur. De *boa* qua morbum significat, intelligendum est illud *Lucilii* apud *Festum p.* 360. 21. *Müll.* Inguen ne exsistat, papulæ, tama, ne boa noxit. Adde *Paul. Diac. p.* 30. 13. *Müll.*

BŎĀRĬUS, a, um, adject. βοάριος, ad boves pertinens. *Inscript.* apud *Gruter.* 265. 2. *sub Severo Imp.*, quæ est apud *Orell.* 913. Negotiantes boarii. — *Forum boarium* Romæ fuit in regione octava prope Circum maximum, partem Velabri continens: quo loco nunc esse creditur Ædes S. Georgii in Velabro. Dictum est *boarium*, quia ibi boves vendebantur, ut *Paul. Diac. p.* 30. 5. *Müll.* docet, quod confirmat *Nardini Roma ant. T.* 2. *p.* 257.; vel quia in eo positum erat signum bovis ex ære Æginetico, ut *Plin.* narrat 34. *Hist. nat.* 2. 5. (10). Hinc *Ovid.* 6. *Fast.* 477. Pontibus et magno juncta est celeberrima Circo Area, quæ posito de bove nomen habet. Vel tandem quia eo loco Hercules quondam boves suas, Caco interempto, ad pascendum dimiserat, ut innuere videtur *Propert.* 4. 9., *ubi v.* 19. *arva boaria* appellat. *Liv.* 21. 62. In foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte scandisse. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 146. *Müll.*; *Liv.* 33. 27. et 35. 40.; *Val. Max.* 1. 6. 5. et 2. 4. 7.; et *Tac.* 12. *Ann.* 24. Cf. *W. A. Becker. röm. Alterth. P.* 1. *p.* 473. et seqq. — *Lappa boaria* herba est apud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 66. (105). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. *p.* 408.) hæc ait: On ne sait à quelle plante rattacher ce *lappa boaria*; peut-être est-ce la même chose que le *lappa* rapporté, avec assez de vraisemblance, au *Galium Aparine* L.

BŎĀTIM. *V.* **BOVATIM.**

BŎĀTUS, us, m. 4. (boo) mugitus, clamor, βόημα. *Apul.* 3. *Met.* Præconis amplo boatu citatus accusator. *Auson. Eidill.* 20. 20. Melpomene tragico proclamat mœsta boatu. *Capell.* 2. p. 24. Fama Jovis magno dum complet tecta boatu.

BOBSEQUA. *V.* **BUBSEQUA.**

BOCAS piscis genus est a boando, idest vocem emittendo appellatus. *Paul. Diac. p.* 30. 6. *Müll.* Quidam leg. *Boca.* Videtur autem esse idem qui *box* dicitur a *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). tergum habens pictum, Græce βώξ, et βόηξ, et βόαξ παρὰ τὴν βόην, hoc est a voce, quam edit: item βόωψ ab oculis prægrandibus. *Rondeletius* tradit in Gallia Narbonensi appellari *bogue.* *V.* **BOX.**

BODŌNES, um, sunt termini agrarii quoddam genus. *Paul. Sentent. lib.* 5. *tit.* 23. Qui terminos effodiunt, vel exarant, arboresve terminales evertunt, vel qui convellunt bodones etc. Videntur idem esse ac *botones*, *botontini* et *botontones*: quæ voces leguntur apud auctores rei agrariæ. *Faust.* et *Valer.* apud *Goes. p.* 306. In limitibus vero, ubi rariores terminos constituimus, monticellos plantavimus de terra, quos botontinos appellavimus. — Sunt tamen hæ cadentis Latinitatis voces.

BŒŌTARCHES, æ, m. 1. Βοιωτάρχης, h. e. Bœotorum princeps: nomen supremi magistratus apud Bœotos. *Liv.* 33. 27. et 42. 43.

BŎĒTHĒMA, ătis, n. 3. βοήθημα, auxilium, auxiliare medicamentum. *Capell.* 2. *p.* 27. Quam (*Phronesin*) cum virgo conspiceret, ad eam accurrens honorandumque pectus exosculans, præparatorum boethematum consciam fecit. *Ita pro poematum legendum monent Grotius et Kopp. ex Codicum etiam auctoritate.*

BŎĒTHUNTES, um, n. plur. 3. βοηθοῦντες, accurrentes cum clamore ad auxilium ferendum; titulus fuit comœdiæ *Sext. Turpilii* poetæ, cujus meminit *Non. p.* 23. 5. *Merc.* Turpilius Boethuntibus: Non ago hoc per sagam pretio conductam, ut vulgo solent. Adde *ibid. p.* 179. 24.

BŎĒTHUS, i, m. 2. βοηθός, adjutor, auxiliator. Specialim ita appellantur adjutores scribarum. *Impp. Theod. et Valentin. Cod.* 10. 69. 4. Boethi, logistæ. — *NB.* De cognomine *V.* **ONOM.**

BOJÆ, ārum, f. plur. 1. Recte putant etymologi bojas dictas esse a βόειος *bubulus*; et proprie significare vinculum colli ex corio bubulo factum, quo noxiorum colla adstringuntur. *Plaut. Asin.* 3. 2. 5. Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas. *Prudent. præf. Psychom.* 34. Attrita bojis colla. *Hieronym.* 5. *in Hierem. n.* 27. Fac tibi vincula et catenas, sive κλοιούς, qui Hebraice appellantur *mothot*, et sermone vulgari bojas vocant. — *Bojus est*, *Bojam terit* dictum est jocose a *Plauto* de quodam servo compedito. Ejus verba, obsceno sensu intelligenda sunt *Capt.* 4. 2. 107. ER. Stalagmus cujus erat tunc nationis cum hinc abiit? HE. Siculus. ER. at nunc Siculus non est: Bojus est, Bojam terit: liberorum quærundorum causa ei, credo, uxor data est. *h. e.* nunc est in vinculis, boja constrictus. Ludit autem in ambiguo. Videtur enim velle dicere, uxorem eum ex Bojorum gente duxisse. Cui simile est illud, *Gallam subigere*, dictum a quodam sutore apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 2.

BOLBĪTON, i, n. 2. βόλβιτον, vox Græca quoddam fimum bubulum, medicinæ usibus inserviens significans. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 68. (232). Fimi taurini, sed et bubuli, (de armentivis loquor) quod bolbiton vocant, cinis, etc. *V.* **IMBULTITO.**

BŌLĒTAR, āris, n. 3. vasis genus, in quo boleti apponebantur; sed usurpatum est pro quolibet escario vase. *Martial.* 14. 101., cui titulus *Boletaria.* Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen, Prototomis (pudet heu!) servio cauliculis. *Trebell. Claud.* 17. Boletar haulieuticum argenteum librarum XX. *Salmas.* putat ideo *haulieuticum* dici, quia ἁλιέα, hoc est piscatorem haberet insculptum. In vet. editionib. quibusdam legitur *voletar*: facile enim *b* in *v* transit, ut diximus initio hujus Litteræ. Sunt qui legendum putant *boleter haulieuticum*, et exponunt rete, aut quidpiam simile ad pisces capiendos. Ceterum *boletar* legitur etiam apud *Apic.* 2. 1., 5. 2. et 8. 7., et ubique vas escarium seu culinarium significat.

BŌLĒTUS, i, m. 2. βωλίτης, genus fungi omnium optimi, sed simul maxime periculosi, ut qui facillime venenum attrahit, ut *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (92). ostendit. Dictus est a βῶλος, vel qua glebam significat, quia figura sua globosa rotundæ glebulæ similis est; vel qua rubricam significat propter colorem. *Plaut. Curc.* 5. 2. 13. Quin tu is in malam crucem cum boletis, cum bulbis! Adde *Tac.* 12. *Ann.* 67. *Martial.* 3. 60. Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos. — Nascitur primo tuberis figura, quam volvam dicunt, colore albo; intus est boletus rubei coloris, ceu in ovo est luteum. Ipsa quoque tunica boleti

adhuc infantis gratiam habet in cibis. Boleto nascente ea rumpitur; mox increscente in pediculi corpus absumitur. Hæc ex *Plin. loc. cit.* — Hoc fungorum genere Claudius imperator, Agrippinæ fraude sublatus dicitur: quam rem tamquam certam narrat *Plin. loc. cit.*, *Martial.* 1. 21., *Juvenal.* 5. 147. et alii; ut dubium affert *Sueton. Claud.* 44. — In magno pretio tale cibi genus olim fuit. *Martial.* 13. 48. Argentum atque aurum facile est lænamque togamque Mittere; boletos mittere difficile est. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 136.) hanc exhibet synonymiam: *Boletus* Juvenal., Martial., Sueton. et Plin. ll. citt. est *Agarici volvacei* Auct. recent., præcipue *Agaricus aurantiacus* Bull. et *A. Pseudo-agaricus* Bull. t. 122.

BOLIMUS. *V.* **BULIMUS.**

BŎLIS, idis, f. 3. *βολίς*, Græca vox, quæ significat missilem hastam, seu jaculum: a *βάλλω jacio*. Hinc *bolides* dicuntur cælestes faces, totæ ardentes, et longum limitem trahentes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 25. (96).

BŎLĪTES, æ, m. 1. *βολίτης*, vocatur ab Asianis radix lychnidis herbæ. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 26. 98. (171).

BŎLŒ, ôn, m. 2. *βῶλοι*, gemmæ sunt, quæ nimbo cadere dicuntur, glebæ similitudine, unde et appellatæ sunt, *βῶλοι* enim significant *glebas*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150).

BŎLŌNÆ, ārum, m. plur. 1. *Arnob.* 2. 38. Cyblarios, salinatores, bolonas, unguentarios, etc. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 2. 2. 26. *Cetarii*, *lanii*, *coqui*, etc. Cetarii, qui cete, idest magnos pisces venditant, et bolonas exercent. *Muretus* docet *bolonas exercere* dici eos, qui solent non singulos pisces, sed universos retis jactus simul vendere: a *βόλος retis jactus*; quod a *βάλλω jacio*. Ceterum *bolonas* in hoc *Donati* loco femin. gen. prolatum videtur. In *Gloss. Isid.* Bolonæ dicuntur, qui diversa genera piscium emunt. In *Gloss. Philox.* bolonæ exponuntur *μεταπράται*, *παλιγκάπηλοι*, hoc est qui emunt, ut postea vendant. — In quibusdam *Arnob. codicib.* legitur *volones*: sed facile *b* in *v* transit, ut dictum est initio hujus Litteræ.

BŎLUS, i, m. 2. *βόλος*, Græca vox, quæ jactum significat: a *βάλλω jacio*. Latine sumitur

I.) Proprie. ¶ 1. Aliquando pro jactu talorum. *Plaut. Rud.* 2. 3. 29. O Neptune lepide salve, nec te aleator ullus est sapientior. Profecto nimis lepide jecisti bolum. *Id. Curc.* 5. 2. 12. Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. *Auson. Professor.* 1. 26. Enumerare bolos. ¶ 2. Item pro jactu retis, et pro piscibus, qui uno retis jactu capiuntur. Ad hanc item notionem pertinet locus *Plauti Rud.* 2. 3. 29. in § 1. allatus. *Sueton. Rhet.* 1. Adolescentes urbani littus ingressi piscatores trahentes rete adierunt, et pepigerunt, bolum quanti emerent.

II.) Translate accipitur pro præda aut lucro. *Plaut. Pers.* 4. 4. 106. Satin ut meminit libertatis, dabit hæc tibi grandes bolos. Adde *eumd. Truc.* 4. 2. 12. *Ter. Heaut.* 4. 2. 6. Crucior bolum tantum mi ereptum tam desubito e faucibus. *Varro* 3. *R. R.* 14. 5. Cochleæ magnum bolum deferunt æris. *Id.* 3. *ibid.* 2. 16. Sed ut ad hunc bolum pervenias, opus erit tibi aut epulum aut triumphus alicujus etc. — Hinc *tangere*, *multare* etc. *aliquem bolo* est circumvenire, decipere, damno afficere, sive prædam et lucrum ab ipso exprimere; ducta fortasse translatione a piscatoribus, qui rete jaciendo pisces decipiunt et capiunt. *Plaut. Pœn. prol.* 101. Quia amare cernit, tangere hominem vult bolo. *Id. Truc.* 4. 3. 70. Verum hoc ego te multabo bolo: sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia. Adde *eumd. ibid.* 1. 1. 10. *Lucilius* apud *Non.* p. 36. 49. *Merc.* In me illis spem esse omnem, quovis posse me emungi bolo.

BŌLUS, i, m. 2. *βῶλος*. *Paul. Diac.* p. 35. 14. *Müll.* Botulus genus farciminis propter connexionem a bolis sic appellatur. h. e. a glebæ similitudine, nam Gr. *βῶλος* est gleba. Ita saltem videtur.

BOMBĀLIUM, ii, n. 2. instrumentum musicum, quo bombus editur. *Auct. Epithal. Laur. et Mar.* 61. in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 636. *Burmann.* Cymbala, bombalium, cornus et fistula, sistrum, Quæque pererratas inspirant carmina voces. *Bambalium* hic mendose pro *bombalium* legitur.

BOMBAX! Interjectio est hominis læte, vel cum admiratione approbantis, vel etiam negligentis et contemnentis. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 131. Fur. s. babæ. r. fughive. s. bombax. r. fraus populi. s. planissime. — Etiam Græci hoc habent adverbium *βομβάξ*, a quibus mutuatus est *Plautus*. Legitur enim apud *Aristoph. in Thesmophoriaz.* v. 46. ubi vim habet irridentis et contemnentis.

BOMBĪCO, as, are, n. 1. Part. *Bombicans*. — Bombico est bombum edo, idem ac bombito. De barpa usurpat *Venant. præfat. lib.* 1. *a. med.* Ubi mihi tantummodo valebat raucum gemere, quod cantare; apud quos (*barbaros*) nihil dispar erat aut stridor anseris, aut canor oloris; sola sæpe bombicans, barbaros leudos harpa relidebat, ut inter illos egomet non musicus poeta, sed muricus, deroso flore carminis, poema non canerem, sed garrirem, quo residentes auditores inter acernea pocula salute bibentes insana, Baccho judice, debaccharent. Hucusque cl. *Furlanetto*. At illud *bombicans* potest esse falsa lectio pro *bombitans*.

BOMBĪCUM, i, n. 2. bombus, clamor. *Venant.* 4. *de Vita Martini* 450. Intolerabilium per inania bombica jactans.

BOMBĪLO. *V.* **BOMBITO.**

BOMBINATOR. *V.* **BOMBITATOR.**

BOMBITATIO. *V.* **BOMBIZATIO.**

BOMBĪTĀTOR, ōris, m. 3. qui bombum edit instar apum. *Capell.* 9. p. 336. Ipsoque dum bombitatore flosculo. h. e. qui ex apibus circum volitantibus bombum edere videtur. *In editionib. passim legitur perperam* dudum bombinatore flosculo. Cl. *Furlanetto* placebat *bombizatore* (V. BOMBIZATIO), ut ex ejus MSS. patet.

BOMBĪTO, as, are, n. 1. *βομβῶ*, bombum edere, quod est apum. *Auctor. carm. Philom.* 36. Bombitat ore legens munera mellis apis. Ita enim legendum, non *bombilat*, ut monuit *Giphanius* ad *Lucret.* 2. 1114. in voce *Perfice*, et *Voss.* in *Etymol.* in *Bombus*.

BOMBIZĀTIO, ōnis, f. 3. *Paul. Diac.* p. 30. 2. *Müll.* Bombizatio est sonus apium, ab ipso sonitu dictus, ut mugitus boum, hinnitus equorum. Ita pro *bombitatio* edidit *Müllerus*, quasi ab insitato *bombizo*.

BOMBIZATOR. *V.* **BOMBITATOR.**

BOMBUS, i, m. 2. *βόμβος*, Græca vox a sono ficta. Dicitur de quocumque sonitu rauco et profundo; hinc de pedum sono, de tubarum cantu, de murmure apum, de clamore plaudentis turbæ. *Fortunatian. in Dialectic.* Verbum enim cum dicimus —, prima ejus syllaba verum significat, secunda sonum; hoc enim volunt esse bum. Unde Ennius sonum pedum bombum pedum dixit. Cf. *Ennius* 8. *Ann.* 51. *Lucret.* 4. 545. Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit Et revocat raucum retro cita barbara bombum. *Varro* 3. *R. R.* 16. 32. Ex apibus conjecturam capiunt, si intus faciant bombum. *Catull.* 64. 263. Multi raucisonis efflabant cornua bombis. Adde *Pers.* 1. 99. *Capell.* 2. p. 34. Ut Musarum cantus aliquando bombis tympani obtusior redderetur. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 23. Organorum bombi. *Sueton. Ner.* 20. narrat, tria plausuum genera edi solita ab adolescentibus, quos ut sibi cantanti acclamarent, Nero delegerat, vocata fuisse *bombos*, et *imbrices*, et *testas*. *Bombi* autem fuisse videntur cum eadem vox ab omnibus simul magna voce bis terque repetebatur: *imbrices* plausum significabant ad similitudinem pluviæ super tegulas crepitantis obstrepentem: *testæ* ideo fortasse dictum est tertium plausuum genus, quod testarum collisarum crepitus similem sonum edebat. Hæc ex *Casaub. ad Sueton.*

BOMBȲCĪNĀTOR, ōris, m. 3. *Gloss. Isid.* Bombycinatores purpuram facientes.

BOMBȲCĪNO, as, are, 1. *Gloss. Isid.* Bombycinare purpuram facere.

BOMBȲCĪNUS, a, um, adject. (bombyx) qui est ex bombyce; ideoque differt a serico: *V.* BOMBYX et SERICUS. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 22. 26. (76). Bombycina vestis. *Id.* 24. *ibid.* 12. 66. (108). vestes. *Juvenal.* 6. 258. Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. *Martial.* 14. 24. Tænia ne madidos violet bombycina crines. *Apul.* 8. *Met.* 27. Bombycinæ mitellæ. *Paul. Sentent. l.* 3. *t.* 7. *a med.* Veste legata, ea cedunt, quæ ex lana et lino texta sunt, item serica et bombycina. *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. § 1. Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina. — Hinc

Bombycinum, *i*, n. 2. absolute est vestis serica apud *Isid.* 19. *Orig.* 22. 13. — Et sæpius *bombycina*, *orum*, plur. num., ut apud *Martial.* 11. 50. Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt. Adde *eumd.* 8. 68.

BOMBȲCIUS, a, um, adject. *βομβύκιος*. *Bombyciæ arundines* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (586). dicuntur, quæ lanugine bombycis simili obductæ sunt. At rectius *arundines bombyciæ* sunt illæ, quæ formandis avenis inserviunt, *βόμβυξ* enim est *avena*, *tibia*. Alii putant Nominativum esse *bombycias*, et Gen. *bombyciæ* masc. gen., innixi loco *Theophr.* 4. *Hist. plant.* 12. *βομβυκίας κάλαμος*.

BOMBȲLIUS, ii, m. 2. *βομβύλιος*. V. in voce sequent. § 1. in fin.

BOMBYX, ȳcis, m. 3. *βόμβυξ*. Fem. gen. occurrit apud *Tertull. Pall.* 3. (*V.* infra sub 1.) et apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (78). (V. infra sub 2.). — ¶ 1. Primo ita appellatur insectum quoddam ex vesparum genere, in Assyria proveniens, majus tamen, quam vespa. Nomen habet a *bombo*, quem apum instar edit. Nidum luto fingit salis specie, applicatum lapidi, tanta duritie, ut spiculis perforari vix possit. In eo ceram largius, quam apes, facit; deinde majorem vermiculum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 22. 25. (75). — Secundo *bombyx* dicitur aliud insectum e grandiore nascens vermiculo, et gemina protendente cornua. Hoc primum eruca fit; deinde quod vocatur bombylius (al. leg. *bombylis*) et eo necydalus; ex hoc in sex mensibus bombyx. Telam araneorum modo texit ad vestem luxumque feminarum; quæ bombycina appellatur. Hujusmodi telas redordiri, rursusque texere prima invenit in Ceo insula mulier Pamphila, Latoi filia. *Plin. loc. cit.* Vide tamen, quæ in fine hujus paragraphi dicentur. — Etiam in Co insula bombycas nasci traditur ex floribus cupressi, terebinthi, fraxini, et quercus imbre decussis et putrefactis. Fieri autem primo papiliones parvos nudosque: mox frigorum impatientia villis inhorrescere, et adversum hiemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radendo lanuginem foliorum. Hanc ab iisdem cogi unguium carminatione, mox trahi inter ramos, et tenuari ceu pectine: postea apprehensam corpori involvi nido seu folliculo volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusque vasis tepore et furfurum esca nutriri; atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Eam vero lanuginem nidi forma coactam aqua macerari, ut lentescat, mox in fila tenuari junceo fuso: inde vestes confici. *Plin. ibid.* 23. 27. (18). — Ex his satis apparet, quos nunc habemus bombyces (It. *bachi da seta*, *bigattoli*, *cavalieri*; Fr. *ver à soie*; Hisp. *gusano de seda*; Germ. d. *Seidenwurm*; Angl. *silkworm*), alterius quidem speciei esse ab iis, quos *Plinius* memorat, similes tamen, ut eadem omnibus appellatio aptissime tribui possit. Putat nihilominus *Salmas.* ad *Tertull. Pall.* 3., nec absurde, bombyces *Plinii* eosdem omnino fuisse cum nostris, sed *Plinium*, cum apud falsum quemdam scriptorem eam invenisset descriptionem, quam attulimus, sine delectu arripuisse, quod veram esse putaverit. *Salmasii* porro sententiam recentiores plerique omnes amplexi sunt; quippe ipsam confirmant loca *Martial.* 8. 33. 16., *Servii* ad *Virg.* 2. *G.* 121.; *Isid.* 12. *Orig.* 5. 8. et 19. *ibid.* 27. 3., nec non *Tertull.*, qui *bombycem* femin. gen. usurpat *Pall.* 3. Prorsus haud latet, bombycem, quæ per aerem aliquando araneorum more etc. (*V.* et SCOPÆ). Hinc *bombylius* apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 22. 26. (76). est ipse bombyx in altero suæ metamorphoseos stadio, *Aristotele* auctore. ¶ 2. Sæpius *bombyx* sumitur pro veste ex bombyce, vel pro ipsa bombycis lanugine. *Propert.* 2. 2. 25. Nec si qua Arabio lucet bombyce puella. *Arabium bombycem* appellat, quia in Arabia felici bombycinæ vestes optime texebantur. *Lucere* autem puella dicitur, quia ex bombyce fiebant vestes pellucidæ et visum transmittentes: iisque ditiores feminæ et luxui deditæ utebantur; quod et *Plin.* adnotavit 11. *Hist. nat.* 22. 26. (129)., queriturque *Seneca Ep.* 90. et 7. *Benef.* 9. nihil in iis esse, quo defendi corpus, aut denique pudor possit. *Martial.* 8. 68. Femineum lucet sic per bombycina corpus. — *Bombyx* cum pro lanugine, aut veste bombycina ponitur, etiam feminino genere effertur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (78). Assyria tamen bombyce adhuc feminis cedimus. — Lis est inter eruditos non levis, utrum *serica* et *bombycina* antiquorum idem sint vestis genus, an diversum. Distincta esse putat *Lips.* in *Excurs. I.* ad *Tacit.* 2. *Ann.*: bombycina enim e verme, serica ex arborum lana fuisse. Distinguit etiam *Paul. Sentent. l.* 3. *t.*

7. *a med.* Illis verbis: Veste legata, ea cedunt, quæ ex lana et lino texta sunt, item serica et bombycina. Cui adde *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. Contra *Salmas. in exercitat. Plin.* ad *Solin.* 24., in *adnotationib.* ad *Tertull. Pall.* 3. et *ad Vopisc. Aurelian.* 45. pluribus ostendit, sericum et bombycinum eamdem omnino rem esse. Quod enim Seres, a quibus *sericum* denominatum est, lanuginem arborum depectere dicuntur tum a *Virg.* 2. *G.* 121., tum a *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (54). et aliis, eam ipsam lanuginem nihil aliud esse, quam telam ac texturam bombycum, quos in ramis arborum texere idem *Plin.* tradit, ut supra dictum est. Re itaque hæc duo idem esse, nomine tamen distincta, quia sericum dictum sit, quod a Seribus texebatur; bombycinum, quod in Cea insula. *Salmasio* adstipulantur *Isid.* 19. *Orig.* 27. 5. et *Servius* ad *loc. Virg. cit.*, eaque sententia vero propior videtur. — Ex his autem omnibus omnino apparet, sero admodum Romanos Italosque ceteros, omnesque Occidentis regiones cognovisse, quale esset bombycinum opus, quid serica materies. Putabant enim lanuginem esse, quæ ex arborum frondibus depecteretur, quemadmodum mollis illa et alba lana, quam *gossipion* dicunt, nos vero *cotone*. *Virg.* 2. *G.* 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (54). Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem. *Ammian.*, qui vixit sæculo Christi IV. sub Constantio proximisque imperatoribus usque ad Theodosii tempora, 23. 6. Apud Seres silvæ sublucidæ, a quibus arborum fetus aquarum adsperginibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum. Tradit vero *Zonaras Annal. l.* 14. *c.* 9., imperante Justiniano, *h. e.* circa dimidium sæculi VI., ova bombycum a Monachis quibusdam ex India in Græciam translata fuisse, ac tunc primum apud nos integrum animalium opus, totumque sericum artificium innotuisse. *Isid.* 19. *Orig.* 27. 5. Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, a quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græce *βόμβυκες* nominantur. Hac de re legenda omnino est adnotatio *Camilli Silvestri* ad *v.* 66. *sat.* 2. *Juvenalis*, ubi pluribus verbis et firmissimis argumentis ostendit, sericum multo nobilius fuisse bombyce, quippe quod respondeat illi filo, quod nos *orsojo*, bombycem vero illi materiæ quam *bavella*, *bavelline* aut *capecciole* nominamus. ¶ 3. Aliquando accipitur pro quavis tenuiore ac molliore lanugine. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (14). *de frutice ferente gossypium.* Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.

BŌMISCUS, i, m. 2. *βωμίσκος*, parva ara. *Boeth.* 2. *Arithm.* 25. p. 1033. Quidam hos bomiscos vocant, id est quasdam arulas, quæ in Ionica Græciæ regione hoc modo formatæ fuerunt, ut neque altitudo latitudini, neque hæc longitudini conveniret.

BŌMŎNĪCÆ, ārum, m. plur. 1. *βωμονῖκαι*, a *βωμός ara*, et *νικάω vinco*, ita appellati Lacedæmone pueri impuberes, qui super aram Dianæ sive Artemis Orthiæ impositi contendebant de sustinendis verberibus, donec ex eorum corpore sanguis efflueret, qui instar esset sacrificii. *Hygin. fab.* 261. Ad Laconas Diana translata est, ubi sacrificii consuetudo adolescentum verberibus servabatur, qui vocabantur bomonicæ, quia aris superpositi contendebant, qui plura posset verbera sustinere. Hæc eadem leguntur apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 116. Adde *Lactant.* ad *Stat.* 8. *Theb.* 437., ubi tamen Græce scribit. *Plaut. Capt.* 3. 1. 12. *plagipatidas* appellat. *V.* SPARTANUS in ONOM., et consule *Fr. Thiersch Epochen d. bildenden Kunst p.* 72.

BŎNA, ōrum. *V. Bonum* in fine voc. BONUS.

BŎNĀSUS, i, m. 2. *βόνασσος* et *βόνασος*, fera esse traditur in Pæonia nascens juba equina, cetera tauro similis, cornibus tamen ita in se flexis, ut sint inepta pugnæ: quapropter fuga sibi auxiliari, fimum in ea reddens, interdum et trium jugerum longitudine, cujus contactus insequentes, ut ignis aliquis, amburat. Hæc *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 16., (368)., cui similia habet *Solin.* 40., ubi al. male leg. *Banacus* et *Bonnacus*, quæ mutuata ab *Aristot. Hist. Anim. l.* 9. *c.* 45. V. BISON 2.

BŎNĒ, adverb. idem ac bene, *καλῶς*. *Lucret.* 2. 7. Sed nil dulcius est, bone quam munita tenere. *Id.* 4. 573. Quæ bone cum videas, etc. *Id.* 6. 993. bone confirmata atque locata. Ita *Gifan.* edidit ex quibusd. vet. codicib., addens etiam a *Sosipatr. Charis.* hoc adverbium probari. Alii passim *bene* reposuerunt, et quidem rectius.

BŎNĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. illecebra. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Abripere quosdam eorum ad postem propriam per boniloquia festinant.

BŎNĬTAS, ātis, f. 3. est abstracta qualitas personæ vel rei, quæ in bona conditione versatur, sive in conditione naturæ suæ admodum conveniente (It. *bontà*; Fr. *bonté*; Hisp. *bondad*; Germ. *die Güte, gute Beschaffenheit oder d. gute zustand einer Person od. Sache*; Angl. *goodness*). ¶ 1. Ponitur de inanimis et abstractis. — *a*) De inanimis. *Lucret.* 5. 1245. Bonitas terræ. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 16. 42. et *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Bonitas agrorum. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 28. 76. agri et oppidi. *Id. Rosc. Am.* 7. 20. et *Dig.* 50. 16. 86. prædiorum. *Phædr.* 8. 4. aquæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (55). vini. *Id.* 11. *ibid.* 14. 14. (33). mellis. *Id.* 13. *ibid.* 9. 17. (61). Materies Persicæ arboris bonitate, firmitudine nihil differens a loto. *Id.* 37. *ibid.* 8. 37. (116). Bonitates gemmarum distinguere. *Id.* 34. *ibid.* 12. 32. (125). Atramentum quantum colore, tantum bonitate deterius. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (59). Aurum, quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. *Id.* 13. *ibid.* 12. 23. (76). Charta pondere, non bonitate venalis. *Id.* 12. *ibid.* 19. 42. (91). Præcipua bonitas virgultorum. *Id. ibid.* 13. 28. (48). Secunda bonitas amomi. Adde *Dig.* 45. 1. 75. § 2. *Pompon. Dig.* 12. 1. 3. Mutuum eadem bonitate solvatur, qua datum est. — *b*) De abstractis. *Cic. Dom.* 22. 57. An eam causam probare non poteram, cujus tanta bonitas est, ut ea ipsa – etiam me absente probavit? *h. e.* causa quæ justa est, et facile probari ac defendi potest. *Id. Orat.* 49. 164. Bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Græcorum. *Id.* 3. *Off.* 3. 14. Bonitas ingenii. *Id.* 1. *ibid.* 32. 118. Nonnulli sive felicitate quadam, sive bonitate naturæ, sive parentum disciplina rectam vitæ consecuti sunt viam. Adde *eumd. post red. in sen.* 10. 25. *Id. Orat.* 18. 59. vocis. *Quintil.* 5. 10. 75. sapientiæ. ¶ 2. Sæpius refertur ad hominum animos et mores, et est probitas, honestas, virtus, integritas, cui *fraus* opponitur apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 75. *Cic. Dom.* 42. 110. Vir singulari bonitate et modestia præditus. *Id. Quinct.* 17. 54. Si recte vestram bonitatem atque prudentiam cognovi. Adde *eumd.* 3. *leg. Agr.* 3. 13. et 3. *Fin.* 20. 66. *Id.* 3. *Off.* 19. 77. Bonitatem alicujus laudare. *Id.* 13. *Fam.* 1. Commendare aliquid fidei, justitiæ et bonitati alicujus. *Id.* 2. *Orat.* 84. 342. Bonitas et moderatio. *Nepos Timol.* 5. Hominis excellens bonitas. *Id. Miltiad.* 8. Non erat enim vi consecutus – eamque potestatem bonitate retinuerat. *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 27. Bonitas perennis. Adde *Quintil.* 12. 1. 24, et 6. 2. 18. ¶ 3. Item de hominibus specialim sumitur pro benignitate, liberalitate, clementia: et occurrit. — *a*) Absolute. *Ter. Phorm. prol.* 33. Quem actoris virtus nobis restituit locum bonitasque vestra adjutans atque æquanimitas. *Cic. Ligar.* 12. 37. Nihil est tam populare, quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior misericordiâ est. Adde *eumd. Rosc. com.* 7. 28. *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 122. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate et beneficentiâ? *Id. Rosc. com.* 10. 27. Homo liberalis et dissolutus et bonitate affluens. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 84. Uti bonitate deorum. *Nepos Att.* 21. Multas hereditates nullâ aliâ re, quam bonitate est consecutus. Adde *eumd. ibid.* 9. et *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 48. *Phædr.* 3. 15. 18. Facit parentes bonitas, non necessitas. *Seneca Ep.* 79. Nec bonitas est, pessimis esse meliores. *Tac.* 1. *Hist.* 52. Et Vitellius apud severos humilis. Id comitatem bonitatemque faventes vocabant etc. — *b*) Addito, erga quem bonitas adhibetur. *Plaut. Capt.* 2. 1. 54. et *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 60. Bonitas alicujus erga aliquem. Huc pertinet et illud *Cic. Partit. orat.* 22. 78. Justitia erga deos, religio; erga parentes, pietas, vulgo autem bonitas; creditis in rebus, fides nominatur. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

BŎNUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

BŎNUS, a, um, adject. Antiqui pro *bonus* dicebant *duonus* (unde *bonus* factum est qua ratione a *duellum bellum*, etc.) teste *Festo p.* 105. 30. *Müll.* et 352. 23., quorum cf. *Paul. Diac.* p. 67. 1. — Comp. *Melior* (quod a Gr. *μᾶλλον* derivari videtur) et Sup. est *Optimus*, fortasse ab *optatissimus* per syncopen, (qui gradus in omnibus fermo paragr. exhibentur), docentibus *Varrone* 8. *L. L.* 75. *Müll.* et *Priscian.* 3. p. 601. *Putsch.*: hinc *Cic. Parad.* 1. 3. § 14. Quidquamne bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? *Id. Opt. gen. orat.* 2. 6. Si quidem, quod omnes laudes habet, id est optimum. *Ulp. Dig.* 45. 1. 75. Si quis ita stipulatus sit, *vini boni amphoras centum*, incertum videtur stipulari, quia bono melius inveniri potest, quod ipsum quoque bonum est: at cum optimum quis stipulatur, id stipulari intelligitur, cujus bonitas principalem gradum bonitatis habet: quæ res efficit, ut ea appellatio certi significativa sit. — Ceterum latissime patet ejus vis, et significatio; dicitur enim non solum de hominibus, sed de omnibus rebus, quæ absoluta sunt, perfecta, convenientia naturæ, et quæ gratiam, voluptatem, utilitatem, commoditatem aliquam habent (It. *buono*; Fr. *bon*; Hisp. *bueno*; Germ. *gut*; Angl. *good*). Ut vero hæc ad summa capita redigamus, de hoc adjectivo agemus I.) qua externam, II.) qua internam significat bonitatem.

I.) Bonus, qua externam significat bonitatem, ¶ 1. Generatim ponitur de rebus physicis et physica ratione consideratis. — Hoc sensu pluribus jungitur Nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur: in fine vero addentur peculiaria nonnulla atque animadversione digna. *Plaut. Most.* 1. 2. 26. Ædes bonæ. *Ter. Heaut.* 1. 1. 12. Ager melior. *Cato R. R.* 136. Ager optimus. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Ager optimus totius Galliæ. *Cato R. R.* 114., 156. et 157. Alvus bona. *Id. ibid.* 73. Aqua. *Propert.* 2. 33. 28. Aquæ. *Cato R. R.* 1. Aquarium. *Id. ibid.* 135. Aratra. *Id. ibid.* 4. Bubilis. *Id. ibid.* 1. Cælum. *Sueton. Cal.* 33. Cervix. *Catull.* 13. 3. Cœna. *Varro* 3. *R. R.* 7. 10., *Lucret.* 2. 418. et *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 9. Color. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (41). Color melior. *Cato R. R.* 135. Coria bona. *Plaut. Truc.* 2. 1. 14. Dentes. *Cic.* apud *Quintil.* 6. 3. 69. Dextra bona, sinistra mala. *Seneca Vit. beat.* 22. Dies. *Cato R. R.* 53. Fœnum optimum. *Id. ibid.* 135. Fiscinæ. *Ter. Andr.* 1. 1. 92. et 2. 5. 17. et *Heaut.* 3. 2. 13., et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 52. Forma bona. *Catull.* 34. 19. Fruges. *Cato R. R.* 4. Fundus melior. *Horat. Art. P.* 68. Iter melius. *Cato R. R.* 135. Juga optima. *Id. ibid.* 96. Lana melior. *Id. ibid.* 38. Lapis bonus. *Id. ibid.* 1. Locus bonus. *Id. ibid.* 34. Lupinum. *Id. ibid.* 76. Mel. *Plin.* 2. *Ep.* 20. Mors bona, *h. e.* levis, dulcis. *Ter. Eun.* 2. 3. 24. Natura. *Ennius* apud *Scholiast. Juvenal.* 7. 130. Navis melior. *Cic.* 2. *Off.* 23. 91. Nummi boni. *quibus* ibid. *opponuntur* adulterini. *Propert.* 2. 28. 12. Oculi. *Cato R. R.* 5. Oletum. *Id. ibid.* 3. Oleum bonum. *Id. ibid.* 64. Oleum melius *Id. ibid.* 65. Oleum optimum. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 11. Ovis bona. *Cato R. R.* 18. Pavimentum. *Catull.* 17. 5. Pons. *Plaut. Most.* 3. 2. 140. Postes. *Cato R. R.* 1. Prædium. *Id. ibid.* 4. Præsepes. *Id. ibid.* 1. Regio. *Lucret.* 1. 722. Rebus bonis opima regio. *Gell.* 16. 19. Re bona multâ copiosus. *h. e.* divitiis affluens. *V.* et in fine hujus paragr. *Cato R. R.* 107. Sapa quam optima. *Cato R. R.* 59. Sculponeæ bonæ. *Varro* apud *Non p.* 225. 29. *Merc.* Seges bona. *cui* ibid. *opponitur* mala. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 13. Succus melior. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 4. Tempestas bona. *Cato R. R.* 3. Torcularia. *Id. ibid.* 141., *Lucret.* 3. 103., *Cic. Amic.* 6. 20. et *Quintil.* 10. 3. 26. Valetudo bona. *cui* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 37. 80. *opponitur* mala. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Valetudo optima. *Cato R. R.* 1. Via bona. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 34. Vina. *Cato R. R.* 6. Vitis optima. *Id. ibid.* 5. Vomeres. *Id. ibid.* 135. Vomis. *Quintil.* 11. 3. 13. Vox bona firmaque. *cui* ibid. *opponitur* mala et imbecilla. *Cf. Plaut. Most.* 3. 1. 49. Scio te boni esse voce, ne clama. — *Bona ætas* est adolescentia et juventus, et *mala ætas* (*V.* MALUS) senectus. *Cic. Senect.* 14. 48. Voluptatibus bona ætas fruitur libentius. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 6. 2. Eodem fere sensu *Virg.* 3. *G.* 66. Optima quæque dies. Et per ironiam *bona ætas* est, quæ vergit ad senium, apud *Senec. Ep.* 76. Bona, inquis, ætate. Quidni bona? qui autem stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? — *Res bonæ* sunt res elegantes, delicatæ, exquisitæ. *Nepos Agesil.* 8. Præter vitulina et hujusmodi genera obsonii nihil accepit: unguenta, coronas secundamque mensam servis dispertiit: cetera referri jussit. Quo facto eum Barbari magis contempserunt; quod eum ignorantiâ bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur. *Cf. Lucret.* 3. 1016. Naturam explere bonis rebus. ¶ 2. Item generatim subliniori ratione

ponitur cum de hominibus, tum de eorum actionibus aliisque abstractis. — *a*) De hominibus, bonus est peritus, doctus, strenuus, ut apud *Cic.* 14. *Att.* 20. Nemo fuit poeta aut orator, qui quemquam meliorem, quam se, arbitraretur. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Accusator sat bonus. *Id.* 2. *Verr.* 39. 99. Accusatores meliores. *Quintil.* 5. 13. 10. Advocatus bonus. *Cato R. R.* 1. Ædificator. *Id. ibid. proœm.* Agricola. *Quintil.* 6. 3. 10. Altercator. *Nepos Them.* 9. et *Tac.* 4. *Hist.* 7. Amicus. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 102., 12. *Att.* 5. et 3. *Off.* 32. 113. Auctor. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 57. Auctores. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 3. Auctores meliores. *Cic.* 3. *Off.* 26. 97. Auctor optimus Homerus. *Id.* 2. *Legg.* 19. 42. Augur bonus. *Id.* 1. *Fam.* 9. 10., *Nepos Iphicr.* 3. et *Quintil.* 12. 11. 1. Civis. *Cato R. R. proœm.* Colonus. *Cic.* 7. *Phil.* 2. 5. Consul. *Quintil.* 5. 13. 3. Defensor. *Cato R. R.* 14. Dominus. *Cic.* 3. *Off.* 27. 100. Duces. Adde *Quintil.* 12. 1. 43. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Effector dicendi optimus. *Ennius* apud *Non.* p. 170. 9. *Merc.* Famul optimus. *Catull.* 33. 1. Furum balneariorum optimus. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 33. Gladiator melior. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 31. 100. Gubernator bonus. *Id.* 1. *Orat.* 33. 150. Magister dicendi optimus. *Apul.* 8. *Met.* 24. Mancipium bonum et frugi. *Cic. Cluent.* 21. 57. Medicus nobilissimus atque optimus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 130. Modulator optimus. *Ennius* apud *Cic. Mur.* 14. 30. et apud *Gell.* 20. 9. Orator bonus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 105. Pater optimus. *Nepos Att.* 13. Pater familias bonus. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 194. Poeta. *Id. Dom.* 40. 105. Pontifices. *Quintil.* 5. 13. 41. Præceptor. *Id.* 10. 1. 104. Scriptores. *Cic.* 1. *Orat.* 2. 8. Senator. *Liv.* 24. 48. Socius. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 132. Sutor. *Cic. Top.* 1. 4. Testis optimus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 132. Vicinus bonus. — *b*) De actionibus aliisque abstractis. *Plin.* 1. *Ep.* 20. Actio bona. *Quintil.* 9. 4. 142. Compositio. *Ter. Eun.* 2. 3. 82. Consilium melius. *Plaut. Stich.* 2. 2. 75. Dictum melius. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 222. Dicta bona. *h. e.* salse et ingeniose dicta. V. *Dictum* in fine v. DICO. *Cato R. R.* 5. Disciplina. *Plaut. Pœn. prol.* 16. et 45., et *Sueton. Cæs.* 80. et *Vit.* 14. Factum bonum. *V. Factum* in fine v. FACIO. *Cic. Senect.* 8. 26. Indoles. *Cato R. R.* 41. Insitio vitis optima. *Tac. Germ.* 19. Leges bonæ. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 62. Lex melior. *Cic.* 8. *Att.* 4. Memoria bona. *Id.* 1. *Tusc.* 6. 13. Memoria melior. *Cato R. R.* 5. Modus bonus. *Cæs.* 3. *B. C.* 59. Operâ alicujus optimâ et fortissimâ uti. *Plin.* 1. *Ep.* 20. et *Quintil.* 6. 1. 7. Oratio bona. *Cic. Orat.* 8. 26. Oratio longe optima. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 29. Sripta Græcorum optima. *Virg.* 2. *Æn.* 35. Sententia melior. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Tempus melius. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. Verba valde bona. ¶ 3. Speciatim *bonus* cum iis Nominibus, quæ quantitatem significant, ponitur pro multo vel magno; atque interdum, hoc sensu, cum alio Adjectivo conjungitur; sic apud *Plaut. Amph. prol.* 6., *Ter. Eun.* 1. 2. 43., *Val. Max.* 2. 9. 7. Bonus atque amplus, Bona magnaque pars. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 14. Etenim Scævolam ita dicere ajebat, bonam partem sermonis hunc in diem esse dilatam. Adde *Lucret.* 6. 1246.; *Horat.* 1. *Sat.* 1. 61. et 4. *Od.* 2. 46., et *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 74. *Virg.* 9. *Æn.* 156. melior quoniam pars acta diei. *Horat. Epod.* 16. 15. communiter aut melior pars Malis carere quæritis laboribus. *Id.* 1. *Ep.* 18. 109. Sit bona librorum et provisæ frugis in annum Copia. Et tamquam persona occurrit apud *Ovid.* 9. *Met.* 88. Bona Copia. Sic in formula apud *Cic.* 9. *Fam.* 16. 7. Ejurare bonam copiam. *h. e.* jurando profiteri, sibi non suppetere facultates seu copiam dissolvendi æs alienum. ¶ 4. Item speciatim *bonus* de prospera conditione vel bono statu, in quo sunt personæ, aut res: et quidem — *a*) Ratione habita facultatum, in familiari sermone boni dicuntur divites et felices, quique nimirum quocumque tempore solvere possunt. *Plaut. Capt.* 3. 4. 51. Est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis. *Id. Curc.* 4. 1. 14. Boni homines atque dites. *Cic.* 8. *Att.* 1. 3. Ut, quemcumque fors tulerit casum, subeam potius cum iis, qui dicuntur esse boni, quam videar a bonis dissentire. Etsi propediem video bonorum, id est lautorum et locupletium, urbem refertam fore. *Id.* 9. *ibid.* 12. 3. Prætores jus dicunt, ædiles ludos parant, viri boni usuras perscribunt. *Id.* 2. *Off.* 25. 90. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia — commodius a quibusdam optimis viris ad Janum medium sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Hinc apud *Cic.* 5. *Fam.* 6. 2. Bonum nomen. *h. e.* debitor fidelis: *V.* NOMEN. — *b*) Ratione habita generis, bonus idem est fere ac nobilis. *Plaut. Pers.* 4. 4. 93. Bono genere natus. Cf. *Cic. Mur.* 7. 15. *Ter. Phorm.* 1. 2. 64. Illam civem esse Atticam bonam, bonis prognatam. *Optimatum* appellatio hinc orta est. — *c*) Ratione habita civitatis vel reipublicæ, boni dicuntur nobiles, optimates, immo divites, atque interdum qui de re publica bene sentiunt. *Cic.* 3. *Legg.* 9. 20. Quid juris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? Adde *eumd. ibid.* 17. 39. *Nepos Thrasyb.* 2. Nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. Adde *eumd. Att.* 22. *Sall. Cat.* 37. Nam semper in civitate, quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt. *Cic.* 1. *Off.* 28. 99. Adhibenda est igitur quædam reverentia adversus homines et optimi cujusque et reliquorum. *Liv.* 35. 34. In civitatibus principes, optimum quemque, Romanæ societatis esse. Hinc *optimi* sunt iidem qui *optimates* apud *Cic.* 3. *Legg.* 17. 37. Mihi vero nihil unquam populare placuit: eamque optimam rempublicam esse duco, quam hic consul constituerat, quæ sit in potestatem optimorum. — *d*) Ratione habita virtutis militaris, bonus, cui apud *Sall. Cat.* 11. opponitur *ignavus*, est fortis, strenuus. *Ennius* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 4. *G.* 188. Non possunt mussare boni, qui farta labore Nixi militiæ peperere. *Id.* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 3. 1. 1. Optima cum pulcris animis Romana juventus. *Sall. Jug.* 53. In victoria etiam ignavis gloriari licet, advorsæ res etiam bonos detrectant. Adde *eumd. ibid.* 57. et 86. *Id. Cat.* 33. *ad fin.* Libertatem nemo bonus nisi cum anima simul amittit. *Id. in Orat. Philippi contra Lepid.* p. 166. 6. *Orell.* Fortuna meliores sequitur. *Horat.* 1. *Od.* 15. 28. Tydides melior patre. Adde *Justin.* 9. 2. Neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent. *Sall. Jug.* 92. Optimus quisque cadere aut sauciari. — *e*) Ratione habita valetudinis, Comp. *melior* ad eos pertinet, qui convalescunt. *Cels.* 3. 20. *de lethargico.* Neque enim vigilando melior fit, sed per se, si melior est, vigilat. *Id. ibid.* 6. Scire, quando æger febricitet, quando melior est, quando deficiat. *V.* MELIUSCULUS et BENE. ¶ 5. Bonitas personæ aut rei sæpe clarius definitur per additum. — *a*) Per Ablat. sine præp., aut raro admodum cum præp. *in. Sall. Jug.* 13. et *Liv.* 24. 8. Sic pace bonos, sic bello fieri. *Liv.* 4. 3. Pace belloque bonus. *Id.* 38. 15. Longe optimus bello. Adde *Lucan.* 7. 218. *Sall. Jug.* 13. et 53. Plures Hadherbalem sequuntur: sed illum alterum bello meliores. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Melior militiâ. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 34. pugnâ. *Id.* 3. *Od.* 6. 16. missilibus sagittis. *Virg.* 5. *Æn.* 68. jaculo. *Id.* 9. *ibid.* 556. At pedibus longe melior Lycus. *Id.* 6. *ibid.* 430. motu pedum. *Sil. It.* 10. 76. plantâ. *Sall. Jug.* 7. consilio. *Virg.* 11. *Æn.* 338. linguâ. *Horat.* 3. *Od.* 1. 11. hic generosior Descendat in campum petitor, Moribus hic meliorque famâ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (84). Boethus argento melior. *h. e.* in argento elaborando præstantior. Et cum præp. *in. Id. ibid.* (71). Praxiteles Calamidis quadrigæ aurigam suum imposuit, ne melior in equorum effigie, defecisse in homine crederetur. — *b*) Comp. *Melior* usurpatur et cum Genit. Græcorum more. *Tac.* 3. *Ann.* 74. Ille robore exercitus impar, furandi melior. *Sil. It.* 5. 333. Nec fati melior Mamercus. *Id.* 7. 619. melior dextræ Torquatus. *Apul.* 8. *Met.* 27. Sui melior. Gr. ἑαυτοῦ κρείττων. — *c*) Cum Dat. *Cato R. R.* 6. Bonus ager oleto conserundo. *Id. ibid.* Locus vino optimus. *Id. ibid.* 26. Tempus ei rei optimum. *Sall. Jug.* 17. Ager bonus pecori. *Liv.* 29. 31. Mons pecori bonus alendo. *Virg.* 2. *G.* 447. At myrtus validis hastilibus, et bona bello Cornus. — *d*) Cum Accus. et præp. *ad. Cato R. R.* 157. Optima est (*brassica*) ad hujuscemodi vulnus. Adde *eumd. ibid.* 161. *Varro* 1. *R. R.* 9. 1. Terra, cujusmodi sit, refert, et ad quam rem bona, aut non bona sit. *Liv.* 9. 19. Quis ad tolerandum laborem melior? *Quintil.* 12. 10. 49. Alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuisse. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Campi militi ad prœlium boni. — Huc referri potest et illud *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 199. Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem. — *e*) Apud Poetas et cum Infinito. *Virg.* 5. *Ecl.* 1. boni quoniam convenimus ambo, Tu calamos inflare leves, ego dicere versus. Adde *Sil. It.* 14. 453. *Val. Flacc.* 1. 424. Araque Thessalico melior contundere freno. *Pers.* 4. 16. Anticyras melior sorbere meracas.

II.) Bonus, qua internam significat personæ aut rei bonitatem, ¶ 1. Generatim ponitur pro utili, opportuno, commodo, salutari et aliquando etiam felici. *Cato R. R.* 157. Eodem silphium irradito: bonum est. *Plaut. Curc.* 1. 3. 20. Bonum est pauxillum amare sane, insane non bonum est. *Id. Most.* 5. 1. 20. Nunc te videre melius est, quid agas, Tranio. *Id. Men.* 5. 2. 51. Melius sanam est, mulier, mentem sumere. *Id. Trin.* 2. 4. 84. Semper cogites id optimum esse, tute ut sis optimus: si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus. *Id. Aulul.* 3. 6. 30. Cædundum illum ego conduxi. EV. Tum te illum optimum est loces efferendum. *Id. Asin.* 5. 2. 58. In oculos invadi nunc est optimum. *Id. Capt. prol.* 10. Jam hoc tenetis? optimum est. *Ter. Phorm.* 5. 9. 16. Di melius duint. *Cic.* 3. *Legg.* 15. 34. Deinde vi opprimi in bona causa est melius, quam malæ cedere. *Id.* 1. *Brut.* 18. An id tibi conducere putaremus, an commorari te melius esset. *Sall. Cat.* 32. Optimum factu credens exercitum augere. *Al. leg.* factum. *Liv.* 3. 46. Proinde quiesse erit melius. *Id. ibid.* 41. Non erit melius, nisi de quo consulimus, vocem misisse. (*non* referri debet ad *misisse*, inquit *Gronovius*, quia sermo est irati et turbate loquentis). *Forcellinus* ad hæc duo *Livii* loca ait *Erit melius* esse formulam, qua magistratus utitur, cum non parenti iratus minitatur malum. — Usurpari tamen potest et ab aliis, qui superiores aliqua re sint. *Ter. Adelph.* 2. 1. 26. Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium. Nam si molestus pergis esse, jam intro arripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris. Urbane *Horat.* 2. *Sat.* 1. 41. Qui me commorit (melius non tangere, clamo) Flebit. — *P. Syrus* v. 104. Bonum est fugienda aspicere in alieno malo. *Horat.* 4. *Od.* 2. 38. Quo nihil majus meliusve terris Fata donavere. *Curt.* 3. 5. 13. Vel mori strenue, quam tarde convalescere mihi melius est. *Ulp. Dig.* 5. 1. 61. Melius est dicere, id venire in judicium, de quo etc. *Id. ibid.* 11. 7. 14. Melius est legatarium non lucrari, quam emptorem damno affici. *Id. ibid.* 42. 1. 15. *a med.* Melius erit, si se non interponant. — Hinc *Quod bonum, felix, faustum fortunatumque siet* solemnis præfatio bene precandi in omnibus pæne rebus agendis. Legitur apud *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 102.; *Liv.* 1. 17., 3. 34. et 54. et alibi; *Inscript.* apud *Orell.* 2489. et 2268. Dicebant etiam *quod faustum felixque sit*, teste *Donato* ad *Ter. Phorm.* 1. 2. 81.; item *quod bonum atque fortunatum sit*, ut est apud *Plaut. Cas.* 2. 6. 30. V. plura apud *Brisson. de formul. l.* 1. — Hoc sensu jungitur pluribus Nominibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Catull.* 61. 20. Bonâ cum alite. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 640. et 1. *Fast.* 513. Bonis avibus. *Virg.* 5. *Æn.* 483. Anima melior. *Quintil.* 12. 1. 7. Ars. *Sall. Cat.* 11., *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 32., et *Tac.* 6. *Ann.* 46. et 15. *ibid.* 45. Artes bonæ. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 111. et *Nepos Dion.* 1. Artes optimæ. *Cic.* 11. *Att.* 14. 1. Meliore in causa esse. *h. e.* in meliore conditione seu statu. Adde *eumd.* 3. *Off.* 27. 100. *Cic.* 2. ad *Q. fr.* 2. 2. Conditio valde bona (*emendi*). *Dig.* 21. 1. 54. Bonis conditionibus emere aut distrahere. *Cic. Senect.* 19. 68. Meliore conditione esse. *Id.* 3. *Verr.* 54. 142. Optima conditione esse. *Id.* 4. *ibid.* 59. 144. Optima conditione locare aliquid. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. 9. Prædia, quæ optima conditione sunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 11. Meliore conditione uti. *Ovid.* 1. *Fast.* 72. Dies bonus. h. e. prosper, felix. *Varro* 1. *R. R.* 1. 6. Eventus. *Horat.* 4. *Od.* 8. 34. Exitus boni. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 2. Exitus meliores. *Id.* 7. *Att.* 25. et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 61. Fama bona. *Virg.* 4. *Æn.* 221. Fama melior. *Id.* 6. *ibid.* 546. Fata meliora. *Ter. Eun.* 2. 3. 31. Felicitates bonæ. *Liv.* 27. 14. Fortuna bona. cui ibid. opponitur mala. *Cic.* 1. *Brut.* 1. 2. Fortuna optima. *Martial.* 1. 114. Horas bonas male collocare. *P. Syrus* v. 93. Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala. *Cic. Brut.* 34. 128. Initia bona. *Id.* 1. *Off.* 31. 111. Jure optimo aliquid facere. *V.* infra sub 4. *a. Id. Harusp. resp.* 28. 61. et 1. *Brut.* 3. 1. Loco meliore esse. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 102. Nomen bonum. *h. e.* boni ominis. *Colum. Arb.* 4. Notæ bonæ vinum. *Catull.* 63. 28. de meliore nota. *Plaut. Amph. prol.* 8. Nuncii boni. *Ovid. Heroid.* 11. 105. Parca melior. *Liv.* 30. 21. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 102. Pax bona. *h. e.* quæ homines felices reddit. *Plaut. Trin.* 2. 4. 45. Res bonæ. *h. e.* opportuna rerum ad-

juncta, res felices, quibus *malæ res* ibid. opponuntur, hisce verbis: Bonis tuis rebus meas res irrides malas. Cic. 12. Att. 21. 5. Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam. Adde Horat. 2. Od. 3. 2. et 2. Sat. 6. 110.; et P. Syrum v. 96. Raro admodum in num. sing., ut Laberius apud Gell. 10. 17. in fin. Ne in re bona videam esse nequam filium. Cato R. R. 4. et Cic. 9. Fam. 7. 1. Salus bona. Cic. 15. Att. 1. 8. et 2. Fin. 35. 117.; et Horat. carm. sæc. 74.; et Tac. 12. Ann. 68. Spes bona. Cf. Cic. 14. Att. 22. 2. Melius sperare. Horat. 1. Sat. 9. 68. Tempus melius. h. e. magis idoneum atque opportunum. Cic. Cluent. 35. 95. Tempora optima. ¶ 2. Ratione habita morum, bonus est probus, justus, verax, honestus, teste Cic. Parad. 1. 1. 6.; atque interdum simul junguntur *bonus et honestus*, quo rectius respondeant Græcæ formulæ καλὸς κἀγαθός, ut apud Cic. Quint. 6. 24. et alibi. Plaut. Merc. 3. 1. 16. Quasi dicas nullam mulierem bonam esse. Cato R. R. proœm. Et virum bonum cum laudabant (*majores nostri*), ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Ennius apud Priscian. 17. p. 1303. Putsch. Optima cælicolûm Saturnia magna dearum. Ter. Andr. 5. 4. 12. CHREM. Bonus est hic vir. SIM. Hic vir sit bonus? Cic. 5. Tusc. 10. 28. Quid dicam bonos perspicuum est: omnibus enim virtutibus instructos et ornatos cum sapientes, tum viros bonos dicimus. Adde eumd. 1. Legg. 14. 61. Id. 13. Fam. 60. 1. Bona benevolentia hominum. Id. 3. Legg. 15. 34.; Ovid. 5. Met. 220., et Lucan. 4. 259. causa. Cic. 1. Off. 33. 121. consilium. Id. 3. ibid. 16. 66.; Plaut. Most. 3. 1. 140.; Ter. Heaut. 4. 5. 13; et Sueton. Aug. 42. Fides bona. Cf. Ovid. Rem. am. 649. Fides melior. Et Plin. 7. Hist. nat. 25. 26. (94). Fides optima. Sall. Jug. 5. Amicitia bona. Id. Cat. 42. mos. Cf. Seneca Agam. 242.; Quintil. 6. 1. 7. et Tac. Germ. 19. in fin. mores. Liv. 30. 42. et 39. 16. Mens bona. Cf. Ter. Adelph. 3. 3. 79. Mens melior. Liv. 21. 4. Pars melior. Horat. 2. Sat. 3. 15. Vita melior. Id. 1. ibid. 2. 73. Monere meliora. Celsus apud Quintil. 2. 15. 32.; Tac. Agric. 28.; Quintil. 6. 1. 33. et 9. 2. 93. Bona conscientia. Plin. 1. Ep. 12. 3. Conscientia optima. Quintil. 12. 1. 4. Ejusdem hominis (*non est*) bonum esse ac malum. Id. ibid. Cogitare optima simul ac deterrima. Dig. 4. 3. 1. § 3. Bonus dolus. ¶ 3. Ratione habita animi sive affectuum, bonus est benignus, benevolens, amicus, favens, propitius, hinc interdum junguntur *bonus atque benignus*, ut apud Horat. 1. Sat. 2. 51. et *bonus et mitis* ut apud Quintil. 6. 2. 18. Hoc sensu occurrit — a) Addito, cui quis est bonus. Cato R. R. 4. Vicinis bonus esto. Plaut. Capt. 5. 1. 19. Qui (*servus*) mihi melior, quam sibi semper fuit. Cic. 10. Att. 8. 10. Eo velim tam facili uti possem et tam bono in me, quam Curione. Adde Cæs. 1. B. G. 6. Virg. 5. Ecl. 65. Sis bonus o felixque tuis. Id. 12. Æn. 647. vos o mihi Manes Este boni. — b) Absolute. Ennius apud Servium ad Virg. 6. Æn. 219. Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit. Ter. Andr. 3. 1. 8. LESB. Bonum ingenium narras adolescentis. MYS. Optimum. Plancus apud Cic. 10. Fam. 21. 4. Scripsique tibi biduo ante confidere me bono Lepido esse usurum. Id. ibid. 8. 3. Bona voluntas. Cf. Seneca 1. Clem. 13. Bonæ et fidæ voluntatis ministri. Horat. 2. Sat. 4. 5. Des bonus veniam. Ovid. 8. Met. 678. Bonus vultus. Id. 7. ibid. 862. melior. Et figurate Edictum Nervæ apud Plin. 10. Ep. 66. Quem vultu meliore respexit fortuna imperii. *Bona* vocatur a Ter. Heaut. 2. 4. 8. meretrix, quæ nullam pro concubitu mercedem exigit; ut a Tibull. 2. 4. 45., ubi opponitur *avaræ*. At bona, quæ nec avara fuit, centum licet annos Vixerit; ardentem flebitur ante rogum. Id. Ter. ibid. 2. 2. 4. vocat *matrem* meretricis *malam*, quæ avara est. — c) Interdum hoc sensu bonus dicitur, qui est benignus, bene sentiens, benevolens, at non prudens, non animosus etc.: itaque bonus inservit oppositioni. Cic. 1. Brut. 3. 4. Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. h. e. probos viros et bene de republica sentientes, sed non strenuos, fortes, animosos. Id. Quinct. 3. 12. Viro bono, verumtamen non ita instituto, ut etc. Id. 1. Tusc. 3. 6. Latini libri scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Quintil. proœm. § 7. Alterum (*librum*) — boni juvenes, sed nimium amantes mei, temerario editionis honore vulgaverant. — d) Denique eodem sensu bonus ponitur de rebus et rationibus, quæ a benevolentia et æquitate procedunt; idque præcipue in certis quibusdam formulis. Ter. Phorm. 4. 3. 17. Bona gratia. h. e. favor, qui ab amore et benevolentia procedit, cui ibid. opponitur *mala*: cf. Plaut. Truc. 2. 7. 14. et Dig. 24. 1. 32. § 10. Liv. 9. 10., 1. 24. et 8. 21. Bona pax. h. e. quæ scilicet *æquo fœdere* (V. ÆQUUS) inita est, cui opponitur *obnoxia*, quæ *iniquo fœdere* inita est. Carmen vetus apud Caton. R. R. 134. et 139. Bonæ preces. Ter. Phorm. 2. 2. 31.; Cic. 3. Legg. 15. 34. et Liv. 6. 40. et 10. 17. Bona venia. Ter. Adelph. 1. 2. 33., et P. Syrus v. 105. Bona verba. h. e. amica, benigna, boni ominis. Item Tibull. 2. 2. 1. et Ovid. 3. Trist. 13. 24. Bona verba. h. e. precantis verba. Cf. Ovid. 5. ibid. 5. 6., 1. Fast. 72. et 3. Pont. 4. 47. ¶ 4. Speciatim bonus conjungitur certis quibusdam Nominibus, quorum præcipua hæc sunt: — a) *Animus bonus* ponitur — De animo virtutibus prædito. P. Syrus v. 106. Bonus animus numquam erranti obsequium accommodat. — Item de animi benevolentia, benignitate etc. Cæs. 1. B. G. 6. Bono animo esse in aliquem. Nepos Ages. 7. 2. Bono animo facere aliquid. — Denique de animo impavido. Plaut. Pseud. 1. 5. 37. Bonus animus in mala re dimidium est mali. Adde eumd. Capt. 2. 1. 8. Ter. Phorm. 5. 8. 72. Bono animo es. Adde Cic. 5. Att. 18. 3. Liv. 26. 43. Bono animo transire ad oppugnandam Carthaginem. Ovid. 9. Met. 432. Meliore animo ferre aliquid. — b) *Jure optimo, Lege optima.* — *Jure optimo* est plenissimo jure et sine ulla exceptione. Cic. 1. Off. 31. 11. Ne jure optimo irrideamur. — Hæc formula locum habet præcipue in re juridica ad inviolabilem juris sanctitatem significandam. Cic. 3. leg. Agr. 2. 9. Optimo jure ea sunt profecto prædia, quæ optima conditione sunt: libera meliore conditione sunt, quam serva. Id. ibid. § 7. EA OMNIA EO IVRE SINT — VT QVAE OPTVMO IVRE PRIVATA SVNT. Etiamne meliore, quam paterna et avita? Meliore. Adde eumd. Harusp. resp. 7. 14. et Liv. 9. 34. — Eodem ferme sensu dicitur *optima lege*. Namque, teste Festo p. 189. 21. et p. 198. 7. Müll. *optima lex* est, quæ plenissimum alicui jus et sine exceptione tribuit. Itaque optima lege creari dictus est dictator, donec sine provocatione creatus fuit. Postquam vero provocatio ab eo ad populum data est, desitum est dici optima lege, utpote ejus jure imminuto. Etiam in formula capiendæ Vestalis Fabius Pictor apud Gell. 1. 12. habet. Uti quæ optima lege fuit (*Al. leg.* quod optima lege fiat), ita te, amata, capio. Adde Cic. 2. leg. Agr. 11. 29. — Hinc eodem sensu *melior* et *optimus* de fundo dicuntur. Proculus Dig. 50. 126. Si, cum fundum tibi darem, legem ita dixi, uti *optimus maximusque esset*, et adjeci, jus fundi deterius factum non esse per dominium, præstabitur liber. h. e. ab omni servitute immunis. Cic. 3. leg. Agr. 2. 8. Sed ita latum est, ut melior tui soceri fundus Hirpinus sit — quam meus paternus — fundus Arpinas. Inscript. apud Murat. 996. 7. HANC CASAM — CVM AGRO — ET POMARIIS — OPTIMAM MAXIMAMQVE EMI etc. Alia apud Orell. 4417. HI HORTI ITA VTI OPT. MAXIMIQVE SVNT CINERIBVS SERVIANT MEIS. — c) *Vir bonus* dicitur — Ratione habita honestatis ac morum, qui integris probatisque moribus est. Cato R. R. 144. Si quid redemptoris opera domino damni datum erit, resolvito. Id viri boni arbitratu deducetur. Adde Ter. Phorm. 4. 3. 33.; Cic. Quinct. 6. 51., 1. Legg. 14. 41. et 3. Off. 15. 64.; et P. Syrum v. 95. et 103.: et V. *Bonus, i* in fin. Eodem sensu occurrit *vir optimus* apud Cic. 8. Fam. 13. 1. et Liv. 29. 14. — Ratione habita civitatis, *vir bonus* est qui bene sentit de re publica ac patriæ amantissimus est, ut apud Cic. 16. Fam. 12. (V. superius sub I. 2. b.): qua significatione animadvertendum est profecto quanam sententia fuerit ipse qui loquitur aut scribit. — *Bonus* aliquando dicitur eleganter et per quamdam ironiam, sed fere in hac formula Plauti Curc. 5. 2. 12. Quid ais, bone vir? Ter. Andr. 3. 5. 10. Ehodum bone vir, quid ais? viden' me consiliis tuis miserum impeditum esse? Cic. Quinct. 4. 16. et 5. 19., et Rosc. Am. 8. 23. eodem sensu dixit *vir optimus*. ¶ 5. Item speciatim *boni*, honoris gratia, appellantur — a) Numina et heroes. Nævius apud Varron. 7. L. L. 51. Patrem suum supremum optimum appellat. h. e. Jovem. Ennius apud Fest. p. 301. 21. Müll. Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit. Cf. Id. apud Philargyr. ad Virg. 3. G. 35. Ter. Andr. 2. 2. 1. di boni, boni quid porto? Adde eumd. Adelph. 3. 3. 80. Cic. 1. Att. 16. 5. O di boni, rem perditam! Horat. 4. Od. 2. 38. boni divi. Virg. 1. Æn. 738. Bona Juno. Hinc et BONA DEA, de qua V. in ONOM. — *O bone Deus*, exclamandi formula, quæ idiotismum sapere videtur, legitur apud Scribon. Compos. 84. in fin. Dubitat autem Rhodius, an aliunde irrepserit: non enim sibi videri, ætati Scribonii congruere. — *Optimus maximus* est præcipua Jovis appellatio. Cic. 2. Nat. D. 25. 64. Juppiter a majoribus nostris dictus est optimus maximus: et quidem ante optimus, idest beneficentissimus, quam maximus, quia majus est certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere. Id. Dom. 57. ext. Juppiter Capitoline, quem propter beneficia populus Rom. optimum, propter vim maximum nominavit etc. — Occurrit tamen et de aliis numinibus. Inscript. apud Murat. 32. 6. MATRI DEVM OPTIMAE MAXIMAE SACRA. Et 40. 4. D. O. M. IANO. — Item de imperatoribus Romanis, quorum primus ita est appellatus Caligula, testibus Sueton. Cal. 22. et Quintil. 1. 7. 21., deinde Trajanus, Hadrianus aliique permulti, ut Marin. Frat. Arv. p. 359. probat. Papinian. Dig. 27. 1. 30. Optimi maximique principes nostri constituerunt etc. h. e. Caracalla et Geta. Id. ibid. 31. 80. 1. Optimus maximusque princeps noster Severus Augustus. — b) Denique ponitur etiam de majoribus, parentibus etc. Horat. 1. Sat. 4. 105. Insuevit pater optimus hoc me. Cic. 3. Legg. 11. 25. Optime et dulcissime frater. ¶ 6. Item speciatim *bone, o bone* etc. est compellantis; et occurrit — a) In bonam partem. Horat. 4. Od. 5. 5. Dux bone. Id. 2. Sat. 6. 51. o bone (nam te Scire, deos quoniam propius contingis, oportet) Numquid de Dacis audisti? Et ibid. 95. quo, bone, circa, Dum licet, in rebus jucundis vive beatus. Adde eumd. 2. ibid. 3. 31. et 2. Ep. 2. 37.; et Pers. 6. 43. — b) Sæpe dicitur et per ironiam. Plaut. Bacch. 4. 6. 6. Bone serve, salve. V. *Bone vir* supra sub II. 4. c. Cic. 7. Verr. 6. 12. Quid ais, bone custos defensorque provinciæ? Id. Rosc. Am. 21. 58. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator? Adde Sil. It. 2. 240. et Stat. 2. Theb. 460. ¶ 7. Denique *bonus* per ironiam, quo pacto egregius et similia, dicitur pro malo. Ter. Phorm. 2. 1. 28. Bonæ nuptiæ. Liv. 5. 5. Boni tribuni pleb. Id. 21. 10. Bonus imperator.

Bonus, i, m. 2. absolute multis iisque diversis usurpatur significationibus; est enim probus atque honestus, nobilis, dives, de republica bene sentiens, etc.; quæ omnia superius in BONUS suis locis indicavimus et confirmavimus. Hic satis est animadvertere, his significationibus occurrere fere — a) *Boni, orum*, in plur. num. Cic. 5. Tusc. 10. 28. Omnes bonos semper beatos volumus esse. Adde eumd. Amic. 16. 50., 1. ad Q. fr. 2. 9., 1. Fam. 9. 3. et Sext. 16. 22.; Nepot. Thrasyb. 2. et Att. 22.; P. Syrum v. 102. aliosque. Horat. 1. Ep. 16. 52. Oderunt peccare boni virtutis amore. — Et in sing. num. Id. 1. Ep. 4. 5. Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est. Quintil. 5. 10. 64. Proprium est boni recte facere. — *Bona, æ*, f. sing. absolute pro nobili legitur semel tantum apud Ter. Phorm. 1. 2. 66. — b) Comp. *Meliores* in plur. num. Phædr. 2. Epil. Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere. Horat. 2. Sat. 5. 19. Haud ita Trojæ me gessi, certans semper melioribus. — In sing. num. Id. 1. Ep. 1. 48. meliori credere non vis? — c) Sup. *Optimi, orum*, in plur. num. apud Cic. 3. Legg. 17. 37. et alibi. — In sing. num. semel tantum apud eumd. Sext. 45. 96. Optimus quisque.

Bonum, i, n. 2. absolute, id quod est honestum, aut utile, aut jucundum, perfectum in suo genere et naturæ consentiens. — Absolute pariter usurpantur Comp. *Melius* et Sup. *Optimum*. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. Plaut. Amph. prol. 47. Sed mos ille numquam fuit patri meo, ut exprobraret quod bonis faceret boni (h. e. beneficium conferret). Gratum arbitratur esse id a vobis sibi meritoque vobis bona se facere quæ facit. Id. Stich. 5. 4. 46. Optimum atque æquissimum istud esse, jure judico. Ter. Andr. 1. 1. 70. Uno ore omnes omnia bona dicere et laudare fortunas meas. Id. Phorm. 1. 2. 57. Ni vis boni in ipsa inesset forma. Cic. 3. Fin. 10. 33. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod esset natura absolutum. Adde Horat. 2. Sat. 6. 76. et Quintil. 8. 3. 56. Cic. 14. Att. 22. Millies mori melius huic præsertim ætati. Adde eumd. Amic. 6. 20. Id. Senect. 14. 47. Di meliora. Adde Ter. Phorm. 5. 9.

16. et *Liv.* 39. 10. *Cic.* 8. *Phil.* 3. 10. Quid nos? nostris exercitibus quid pollicemur? Multo meliora atque majora. *Id.* 14. *Att.* 10. Assentior tuis litteris speroque meliora. *Id. Brut.* 36. 137. In omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio. *Sall. in orat. C. Licinii M. ad pleb. p.* 172. 16. *Orell.* Melius habent mercede delinquere, quam gratis recte facere. *Liv.* 12. 20. Prodigium vertetur in bonum. Adde *eumd.* 2. 31. et *Cæs.* 3. *B. C.* 70. *Virg.* 3. *Æn.* 188. Meliora sequi. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 73. Meliora monere. *Id.* 1. *ibid.* 2. 90. ne corporis optima Lyncei Contemplere oculis, Hipsæa cæcior illa Quæ mala sunt spectes. *Plin.* 9. *Ep.* 39. Ædes Cereris reficere in melius et in majus. *Quintil.* 12. 1. 26. Errorem ad meliora ducere. *Id. procem.* § 14. Optima facere, quam promittere maluerunt. *Id.* 12. 11. 30. Ad optima niti. *Id.* 10. 1. 122. Ad optima tendere. *Id.* 1. 8. 5. et 2. 8. 2. Optimis imbui. *Id.* 2. 3. 6. Optimorum electio. *Sil. It.* 2. 276. Et sperare jubet belli meliora. Cf. *Tac.* 12. *Ann.* 39. Legionum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 787. 5. L. BAEB. PARDVS OMNI BONO DE SE MERITAE FECIT. *h. e.* omni beneficio. — *Plaut. Cas.* 2. 8. 34. Favere sibi bona multa. *h. e.* genio suo valde indulgere. — *Cato* apud *Gell.* 10. 3. et *Quintil.* 1. 6. 32. Boni consulere aliquid. *V.* CONSULO. — Ratione juridica *bonum* cum *æquo* conjungitur. *Plaut. Pers.* 3. 1. 71. Bonum æquumque oras. Cf. *Ter. Heaut.* 4. 1. 27.; et *V.* ÆQUUM. — *b*) Relative *bonum* est felicitas, fortuna, utilitas, commodum; eique *malum* aut *incommodum* opponitur. *Cic.* 1. *Brut.* 18. 9. Nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni. Sic *Quintil.* 5. 10. 33. Bonorum adeptio, malorum evitatio. *Cic. Amic.* 13. 48. Ut et bonis amici quasi diffundantur et incommodis contrahantur. Sic *bonum* aliquando more interjectionis interseritur et exultantem lætitiam significat; *malum* autem contrario sensu. *Apul.* 10. *Met.* 16. Sciscitatus denique, quid, bonum! rideret familia etc. Et contra *Id.* 4. *ibid.* Anus subiratior dicere eam jubebat, quid, malum! fleret. — Hoc sensu *bonum* de pluribus ponitur. *Plaut. Most.* 2. 1. 23. Quid mihi sit boni, si mentiar? *h. e.* quam copiam utilitatem etc. (Simile est illud: *Quod bonum est? h. e.* quæ utilitas est? quod multoties legitur apud JCtos. *Ulp. Dig.* 37. 4. 10. Quod enim bonum est, eis favere, ut partem faciant, nihil habituri? Adde *Cajum ibid.* 16. 1. 13. et alibi. Sed ubique alii legunt *quo bonum est?*). *Ter. Andr.* 4. 3. 2. Summum bonum esse heræ deputabam hunc Pamphilum. *Id. ibid.* 5. 4. 35. Bonum tantum tam repentinum. *Id. Heaut.* 1. 2. 19. Quid reliquist quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona? parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias. *Cic.* 5. *Tusc.* 30. 85. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. Bona animi et corporis. *Id.* 3. *Fin.* 6. 21. Summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum, positum est in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellamus convenientiam. *Id.* 5. *Tusc.* 23. 67. Bonum mentis est virtus. *Id. Tim.* 14. Philosophiam adepti sumus, quo bono nullum optabilius, nullum præstantius. *Id.* 5. *Tusc.* 30. 84. Bona prima, maxima. *Id.* 1. *Off.* 41. 148. Magna et divina bona. *Id. Brut.* 34. 130. Naturale bonum stirpis. *Id.* 3. *Nat. D.* 36. 87. Bonum fortuitum. *Id. Marcell.* 6. 19. excellens. *Id.* 15. *Fam.* 14. Bono litterarum uti. *Nepos Thrasyb.* 1. Quæ ille universa naturali quodam bono fecit lucri. *Sall. Cat.* 44. Maximum bonum in celeritate putare. *Id. ibid.* 39. Bonum publicum simulare. *Liv.* 34. 5. Facere aliquid bono publico. Adde *eumd.* 9. 38., et cf. *Plin.* 1. *Hist. nat. procem.* § 32. Quia occupationibus tuis bono publico parcendum erat. Adde *Sueton. Tib.* 7. *Liv.* 36. 31. Pax bono omnium parta. *Lucret.* 5. 955. Commune bonum. *Ovid.* 2. *Art. am.* 113. fragile. *Seneca Thyest.* 205. Maximum regni bonum. *Quintil.* 2. 8. 10. Bonum ingenitum. *Id.* 1. *procem.* Eloquentiæ bonis male uti. *Id. ibid. in fin.* Bona ingenii studiique corrumpere. *Id.* 11. 3. 19. Bona vocis. *Tac.* 3. *Hist.* 81. pacis. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 32. Morum bonis cavere. — Sequioris Latinitatis tempore frequentissima est in titulis Imperatorum et Cæsarum formula illa *bono reipublicæ natus. Inscript.* apud *Gruter.* 284. 5. IMP. CAESARI FLAV. VAL. CONSTANTIO PIO FEL. INVICTO AVG. DIVI CONSTANTINI PII AVG. FILIO FOR. CL. VAL. (*h. e.* Forum Claudium Vallensium) BONO REIPVBLICAE NATO. *Alia* apud *Murat.* 2011. 8. D. N. MAGNO DECENTIO NOBILISSIMO ET FLORENTISSIMO CAESARI B. R. P. N. M. P. XXXII. *h. e.* bono reipublicæ nato millia passuum triginta duo. Eadem fere significatione et *optimum* absolute occurrit, si sana est lectio, apud *Fronton. de nep. amisso Ep.* 2. *ante med.* Victorinus vir sanctus, cujus similes quamplurimos gigni optimum publicum fuerit, carissimo filio privatus est. — *Bono esse alicui* est utile aut commodum alicui esse. *Cic. Rosc. Am.* 5. 13. Accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit. *Liv.* 8. 12. Quin etiam bono fuisse Romanis adventum eorum constabat. Adde *Phædr.* 5. 4. 12. — Hinc *Cui bono fuerit*, dictum celebre est L. Cassii, summæ severitatis viri, qui quoties quæsitor judicii alicujus erat, in quo quæreretur de homine occiso, suadebat atque præibat judicibus, ut quærerent, cui bono fuisset perire eum, de cujus morte quærebatur, hoc est cuja interfuisset, e cujus re fuisset, qui bonum aliquod ex ea morte sperasset: eum enim probabiliter reum esse. *Cic. Rosc. Am.* 30. 84., *Mil.* 12. 32. et 2. *Phil.* 14. 35.; et *Ascon.* ad *Cic. Mil. p.* 46. 11. *Bait.* ¶ 2. Speciatim ponitur pro facultatibus, fortunis, patrimonium. — Raro admodum in num. sing. *Plaut. Trin.* 4. 1. 3. Quos penes mei potestas boni navisque foret et meæ vitæ. — Sæpissime in num. plur. V. *Cic. Parad.* 1. 1. § 7. *Ennius* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 25. Bona alterius abligurire. *Plaut. Trin.* 4. 2. 29. Bona edere. Cf. *Ter. Eun.* 2. 2. 4. Bona patria abligurire. *Plaut. Trin.* 2. 2. 71. Bona multa bene parta habemus. *Ter. Andr.* 1. 5. 61. Bona nostra hæc tibi permitto. *Id. Heaut.* 4. 7. 13. Labore inventa alicui dare bona. *Id. ibid.* 5. 1. 69. Omnia sua bona doti alicui dicere. *Cic. Quinct.* 20. 89. Omnia autem bona possessa non esse constitui, quod bonorum possessio spectetur non in aliqua parte, sed in universis, quæ teneri ac possideri possunt. *Id. ibid.* 10. 36. Possidere bona alicujus ex edicto. *Id. Cæcin.* 13. 38. Ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium. *Id. Quinct.* 31. 98. In alicujus paternis bonis dominari. *Id. Cæl.* 14. 34. Bona paterna et avita. *Id. Rosc. Am.* 29. 80. Sectores collorum et bonorum. *Id.* 2. *Off.* 23. 83. Bona civium voci subjicere præconis. *Id. Top.* 3. 17. Usumfructum bonorum suorum alicui legare. *Id. Cæcin.* 7. 19. Esse in possessione bonorum. *Id.* 13. *Fam.* 30. 1. Nullam arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum; et est hodie in bonis. *h. e.* est in possessione bonorum. *Sall. orat. Lepidi cons. p.* 159. 14. *Orell.* At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum. *Liv.* 2. 14. Inter cetera solemnia manet bonis vendendis bona Porsenæ regis vendendi. *V.* PORSENA in ONOM. *Nepos Ages.* 7. et *Hann.* 7., et *Liv.* 4. 15. Publicare bona alicujus. *Liv. l. c.* Bona alicujus vendere atque in publicum redigere. *Id.* 38. 60. In bona alicujus possessum publice quæstores mittere. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 40. Bona comedere. *Tac.* 2. *Ann.* 48. Bona alicujus in fiscum petere. *Id.* 4. *ibid.* 21. Exuere aliquem bonis. *Quintil.* 11. 3. 173. Bona alicujus uno sestertio addicere. *Id.* figurate 8. 3. 89. In bona alicujus invadere. *Id.* 6. 1. 19. Bonis cedere. *Ulp. Dig.* 50. 16. 49. Naturaliter bona ex eo dicuntur bona quod beant, hoc est quod beatos faciunt: beare est prodesse. *Id. ibid.* 27. 10. 10. Habere in bonis. *h. e.* possidere. *Cajus ibid.* 1. 8. 1. Quod divini juris est, id nullius in bonis est. *h. e.* in nullius patrimonio. Sic *Paul. ibid.* 40. 12. 38. Servus, quem venditor emptori tradidit, et nondum pretio soluto, in bonis emptoris esse cœpit. *h. e.* in emptoris patrimonio.

BŎNUSCŬLA, ōrum, n. plur. 2. deminut. a *bona*, scil. possessiones. *Sidon.* 9. *Ep.* 6. Quantum de bonusculis avitis et paternis sumptuositas domesticæ Charybdis abligurisset. *Imppp. Honor.*, *Theod.* et *Constant. Cod. Theod.* 10. 10. 29. § 1. Uno petitorio singulorum bonuscula jubemus adscribi.

BŎO *et inserto digammate* bŏvo, as, are, n. 1. Est et alia forma boo, is, de qua *V.* infra suo loco. — Part. *Boans* et *Bovans.* — *Varro* 7. *L. L.* 104. *Müll.* ductum ait vocabulum a boum voce; *Paul. Diac. p.* 30. 3. *Müll.* a Gr. βοᾶν; est autem, quemadmodum et Gr. βοᾶν, per onomatopœiam a naturali sono effictum; et significat resonantem clamorem edere, ideoque etiam clamare, vociferari (It. *rimbombare, gridare fortemente*; Fr. *retentir, crier*; Hisp. *retumbar, gritar*; Germ. *brüllen, laut schreien, stark ertönen*; Angl. *to roar aloud, to cry aloud*). *Ennius* apud *Varron. l. c.* clamore boventes. *Plaut. Amph.* 1. 1. 77. Boat cœlum fremitu virûm. *Ovid.* 3. *Art. am.* 449. Redde meum, clamant spoliatæ sæpe puellæ, Redde meum, toto voce boante foro. *Apul.* 5. *Met.* Quam maxime boans, honesta, inquit, hæc etc. *Id. Florid.* n. 17. Tragœdi identidem boando purgant ravim.

BŌO, is, ere, n. 3. idem quod boare. *Pacuvius* apud *Non.* p. 79. 5. *Merc.* Clamore et sonitu colles resonantes bount. *Varro* apud *eumd. ibid.* Exeunt citi, strepunt, bount. *Nisi forte ubique reponendum sit* boant.

BŎŌPES, is n. 3. βοῶπες; herbæ genus. *Apul. Herb.* 104. Græci pæderota vocant, alii boopes, alii arctophyllon, Latini cærefolium.

BŎŌTES, *genit.* æ, *vel* i, *vel* is, m. Βοώτης. — Genit. *Booti* dixit *Cic.* apud *Priscian.* 6. *p.* 706. *Putsch.*; *Bootæ* legitur apud *Ovid.* 2. *Art. am.* 55., *Lucan.* 2. 722., *Juvenal.* 5. 23. et *Martial.* 4. 3. 5.; denique *Bootis* apud *Hygin.* 3. *Astron.* 24., et *Avien. Perieg.* 405., 456. et 846., nisi malis, ait *Forcellinus*, esse adject. *Bootis*, idis, ut *Mæotis.* — Dat. *Booti* occurrit apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. 109. — Accus. *Booten* apud *Ovid.* 5. *Fast.* 733., et *Claudian. III. Rapt. Pros.* 225. — Voc. *Boote* apud *Ovid.* 2. *Met.* 172. — Ceterum Bootes, Latine *Bubulcus*, ἀπὸ τοῦ βόας ὠθεῖν, hoc est *boves et plaustrum agere*; vel, minus recte, *vociferans* a βοᾶν *clamare*; est idem sidus, quod et ARCTOPHYLAX dicitur, quam vocem *V.*, teste *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 109. Arctophilax, vulgo qui dicitur esse Bootes. *Ovid.* 5. *Fast.* 733. Auferat ex oculis veniens Aurora Booten. *Juvenal.* 5. 23. illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ. Adde *Virg.* 1. *G.* 229.; *Ovid.* 10. *Met.* 447. et 3. *Fast.* 405.; *Val. Flacc.* 2. 60., et loca superius cit. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

BORBŎRĪTA, æ, m. 1. βορβορίτης, cœnosus, a βόρβορος *cœnum. Prosper. Aquitan.* in *Chron.* ad ann. a Chr. n. 139. Gnosticos quidam borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Hæc cl. *Furlanetto.* Hæc tamen vox a Lexico amandanda videtur, ratione habita ætatis, qua floruit auctor.

BORBŎRYGMUS, i, m. 2. βορβορυγμός. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 19. Tormentum intestinorum cum sonitu, quem Græci borborygmon vocant.

BŎRĔAS, æ, m. 1. Βορέας ita dicitur Græca appellatione ventus *Aquilo* (de quo *V.* suo loco) testibus *Gell.* 2. 22. et *Non. p.* 50. 31. *Merc.*, quia dictum putat a βοή *clamor, pugna*, quod sonorus sit et procellosus: at rectius ejus etymon deducas ab inus. βόρω, pro quo βιβρώσκω *voro*, est enim ventus vorax. Ceterum Boreas melius definitur a *Vitruv.* 1. 6. 10. *Schneid.*, *Senec.* 5. *Quæst. nat.* 16. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). et est ventus inter Septemtrionem et Occasum tertius. Sed tamen ¶ 1. Latini Scriptores fere omnes Boream eumdem fecerunt ac Septemtrionem ex adverso Noti. *Nepos Miltiad.* 2. Ventus Boreas. *Liv.* 31. 45. Sæviente Borea. *Virg.* 1. *G.* 93. Boreæ frigus. *Id.* 3. *Æn.* 687. Ecce autem Boreas angusta e sede Pelori etc. *Id.* 2. *G.* 316. tellus Boreâ rigida spirante. *Id.* 4. *Æn.* 442. Boreæ Alpini. *Id.* 1. *G.* 370. Boreas trux. *Catull.* 23. 3. sævus. *Ovid.* 15. *Met.* 471. Horriferum contra Borean ovis arma ministrat. *Borean* Græca positione dixit pro *Boream.* Adde *eumd.* 1. *ibid.* 65. *Id.* 1. *Trist.* 2. 29. Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto. Adde *eumd.* 2. *Amor.* 11. 10. *Manil.* 4. 589. Asper ab axe ruit Boreas: fugit Eurus ab ortu. *Colum.* 10. *R. R.* 288. Boreas nubifugus. *Seneca Troad.* 395. Arctous. *Id. Thyest.* 127. Sarmaticus. *Id. Herc. Œt.* 1109. siccus. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 82. hibernus. *Id.* 5. *Theb.* 346. Scythicus. *Sil. It.* 10. 10. Rhodopeius. *Claudian. I. Rapt. Pros.* 70. gravis. ¶ 2. Figurate ponitur etiam pro regione septemtrionali. *Horat.* 3. *Od.* 24. 38. si neque fervidis Pars inclusa caloribus Mundi, nec boreæ finitimum latus Durataeque solo nives Mercatorem abigunt. — *NB.* De Borea nom. pr. personæ myth. *V.* ONOM.

BŎRRĔTIS. *V.* voc. seq.

BŎRĔŌTIS, idis, f. 3. βορεῶτις, idem ac borealis. *Priscian. Perieg.* 577. Ast aliæ oceani juxta boreotidas actas Sunt geminæ. *h. e.* geminæ insulæ Albion et Hibernia juxta littora oceani borealis. At legendum est *boreetidas* juxta Gr. βορεητίδας.

BŎRĔUS vel borius, a, um, adject. βόρειος, se-

ptemtrionalis. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 41. Vita procul patria peragenda sub axe boreo est. — Pænultima correpta, extrita nempe altera vocali diphthongi, *Priscian. Pe-rieg.* 271. Oceanum boreo contingunt frigore durum. *Et ibid.* 315. Et Mysi Thracum boreis in finibus orti. *Id. ibid.* 789. Ad latus istorum boreum sunt mœnia clara. — Hac ratione scribitur et *borius* vel *borios* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 9.

BŎRĪNUS, a, um, adject. idem ac boreus. *Licent. carm.* 57. Nec fera tempestas zephyrûm fremitusque Borini, *subaudi* venti.

BŎRĬOS *et* / **BŎRĬUS** } *V.* **BOREUS.**

BŌRITH, n. indecl. ab Hebr. בֹּרִית herba fullonum. *Vulgat. Interpr. Jerem.* 2. 22. Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.

BORRAS, æ, m. 1. idem quod *Boreas*, quia Græce etiam βοῤῥᾶς dicitur: occurrit tamen apud sequioris ævi scriptores tantummodo. *Prudent. Psychom.* 847. algida Borræ ætas. *h. e.* senectus. *Paulin. Nolan. carm.* 17. (*al.* 30.) 245. Te patrem dicit plaga tota Borræ. *Male alii utroque loc. leg.* Boreæ.

BORRĪO *vel* burrio, is, ire, n. 4. βρύω: verbum per onomatopœiam effictum, ad significandum undantium formicarum susurrum, ab *Apul.* 8. *Met. p.* 211. *Oudendorp.* Cujus (*arboris*) in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificis borriebant et ultro citro commeabant multijuga scaturigine. *Ita legitur in plerisque MSS. et Edition. princip.; atque hanc lectionem defendit ipse* Barthius L. XXXVI. *Advers. c.* 13.: *alii tamen leg.* bulliebant, *alii aliter.*

BORSŸCĪTES, æ, m. 1. juxta cl. *Klotz*, *vel*

BORSŸCĪTIS, idis, f. 3. juxta cl. *Furlanetto*, est gemma quædam, in qua nominis rationem esse negat *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (191).; ideoque barbarum esse videtur vocabulum, vel cujus etymon incompertum illi fuerit.

BORTUNĀLE, is, n. 3. fortasse malvæ calyx. *Plin. Valerian.* 1. 23. Malvæ bortunale, sive agrestis folia spoliata.

BOS, bŏvis, comm. gen. 3. — In recto sing. reperitur et *bovis* (quem et *Varro* affert 8. *L. L.* 74. *Müll.*) apud *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Miles meus jacebat in lecto, tamquam bovis. — In Genit. plur. habet *boum* per syncopen pro *bovum*, ut *Priscian.* 7. p. 773. et 774. *Putsch.* docet. In MSS. tamen Codicibus sæpius occurrit *bovum* vel *bovom*, ut apud *Cic.* 2. *de republ.* 9. 16. *cod. Vat. a pr. m.*; *Virg.* 1. *G.* 3., 3. *ibid.* 211. et 419., 4. *ibid.* 555. et 2. *Æn.* 306.; et *Colum.* 6. *R. R.* 17. 6. et alios. V. *Wagner. Orthograph. Virgil. p.* 419. Veteres autem olim dixerunt etiam *bŏvĕrum* pro *boum* teste *Varron.* 8. *L. L.* 74. *Müll.* Sic enim declinabant, *boves boveris.* Itaque *quot juga boverum*, legendum censet *Turneb. l.* 6. *c.* 23. apud *Caton. R. R.* 62., ubi plerique editi haud recte habent *boum.* Denique reperitur etiam *bubum* pro *boum. Ulp. Dig.* 32. 55. *a med.* In quibusdam provinciis et edita bubum ad hanc rem utuntur. Ita leg. in celebri editione *Torrentina*: at *Haloander* edidit *boum.* — In Dat. plur. habet *bōbus* et *būbus* per syncopen pro *bovibus. Būbus* occurrit apud *Caton. R. R.* 6., *Plaut. Most.* 1. 1. 59., *Lucret.* 6. 1128., *Liv.* 22. 10. aliosque: *bōbus* vero apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159, ubi al. leg. *bubus*, *Horat.* 3. *Od.* 6. 43., *carm. sæc.* 43. et *Epod.* 2. 3.; cf. *Priscian.* 7. p. 773. et 774. *Putsch.* Prima in *bobus* et *bubus* producitur, ut docet etiam *Servius* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 86., quia ex *bovibus* contracta est. Corripuit tamen *Auson. Epigr.* 62. Æs veluti spirans cum bubus exagites. — Ceterum *bos*, idem quod Gr. βοῦς, βοὸς, et Æolic.-Dor. βῶς (V. *Varron.* 5. *L. L.* 96. *Müll.* et *Priscian.* 6. *p.* 709. *Putsch.*) est vocabulum per onomatopœiam a boum mugitu effictum; et significat animal notum, quo agri coluntur (It. *bue, vacca*; Fr. *bœuf, vache*; Hisp. *buey, vaca*; Germ. *als m. d. Ochse, als f. d. Kuh*; Angl. *an ox or cow*).

I.) Proprie. — *a*) Ponitur de bobus, qui pecori propagando inserviunt, ut apud *Caton. R. R.* 53, 60. et 70.; *Varron.* 1. *R. R.* 20. 1., 2. *ibid.* 1. 12. et 5. 2.; *Virg.* 3. *G.* 56.; *Colum.* 6. *R. R.* 1. 1.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (176) et *Pallad.* 3. *R. R.* 11. 1. — *b*) Animadvertendum est, in prosa oratione hanc vocem esse fere generis masc.; ac propterea quoties de fem. genere sermo est *bos femina* dicitur, ut apud *Varron.* 2. *R. R.* 1. 17.; *Liv.* 25. 12.; *Colum.* 6. *R. R.* 24. 3.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 46. 70. (186)., et in plur. num. *boves feminæ* apud *Liv.* 27. 37. et *Tac. Germ.* 40.: contra historici, ut *Liv.* 1. 7. et Poetæ etiam fem. genere usurpant. — *c*) Generatim. *Cato R. R.* 6. Ulmos serito et partim populos, uti frondem ovibus et bubus habeas. *Plaut. Pers.* 2. 5. 16. Boves bini hic sunt in crumena. Quod *Plin.* scribit 18. *Hist. nat.* 3. 3. (12). Servium regem primum effigie ovium boumque æs signasse, putarunt quidam, *boves* esse nomen pecuniæ bovem impressum habentis: verum *Plaut.* non binos nummos eo loco intelligit, sed binum boum pretium. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Boum cervices natæ ad jugum; tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda. *Id. Senect.* 10. 33. Olympiæ per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum. *Lucret.* 6. 1129. Consimili ratione venit bubus quoque sæpe Pestilitas. *Virg.* 1. *G.* 3. quæ cura boum, qui cultus habendo Sit pecori. *Id.* 3. *ibid.* 211. Sive boum, sive est cui gratior usus equorum. *Horat.* 3. *Od.* 6. 43. et juga demeret Bobus fatigatis. *Id.* 1. *Ep.* 7. 87. bos est enectus arando. *Ovid.* 1. *Fast.* 545. vagantur Incustoditæ lata per arva boves. *Id. Heroid.* 5. 16. Non profecturis littora bubus aras. — *d*) Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sueton. Vesp.* 5. Bos arator. *Dig.* 8. 3. 3. *pr.* aratorii. *Liv.* 4. 16. et 7. 37. aurati. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 34. cerebrosi. *Horat. Epod.* 8. 6. cruda. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 11. cubitor. *Cato R. R.* 103. curati bene. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 28. et *Colum.* 6. *R. R.* 15. 2. disjunctus. *Liv.* 1. 7. eximius pulcritudine. *Id.* 7. 37. eximius unus, albus, opimus. *Ovid.* 4. *Fast.* 631. fecunda. *Horat. Epod.* 2. 63. fessi. *Varro* 6. *L. L.* 15., *Ovid.* 4. *Fast.* 631. et *Colum.* 6. *R. R.* 24. 3. forda. *Ovid.* 1. *Art. am.* 296. formosæ. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 1. idonei seminandis armentis. *Ovid.* 3. *Met.* 11. immunis aratri. *Id.* 3. *Amor.* 13. 4. et *Colum.* 6. *R. R.* 2. 12. indigena. *Val. Flacc.* 4. 362. indomita. *Horat. Epod.* 9. 22. intactæ. *Ovid.* 6. *Met.* 323. lecti. *Juvenal.* 14. 146. macri. *Colum.* 6. *R. R.* 1. 3. novelli. *Cic.* 1. *Divinat.* 52. 119. opimus. *Ovid.* 2. *Met.* 10. nullum passa jugum. *Varro* 2. *R. R.* 1. 5. perferi. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 43. piger. *Ovid.* 1. *Fast.* 3. 84. ruricolæ. *Cato R. R.* 70. sani. *Ovid.* 1. *Amor.* 13. 16. tardi. *Virg.* 3. *G.* 51. torva. *Juvenal.* 10. 268. vetulus. — *e*) *Bovi clitellas imponere* est proverbium, ab aliquo poeta mutuatum, apud *Cic.* 5. *Att.* 15. 3., *h. e.* munus alicui imponere, quod ei accommodatum non sit. Boum enim terga ipsa declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata, ut *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 159. loquitur. *Quintil.* 5. 11. 21. Non nostrum, inquit, onus: bos clitellas. Huc pertinet illud *Horatii* 1. *Ep.* 14. 42. *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus*, quo significatur neminem sua sorte contentum esse. — *f*) *Bos lassus fortius figit pedem*, proverbium quo utitur *Hieronym. Ep.* 102. *ad Augustin. n.* 2., volens eum deterrere, ne se juvenis senem ad pugnam provocet, quia plus interdum senex valet, quam juvenis. — *g*) *Boves mortui* sunt lora bubula in illo *Plauti Asin.* 1. 1. 21. Apud fustitudinas ferricrepidas insulas, ubi vivos homines mortui incursant boves. *h*) De bove sidere *Varro* 7. *L. L.* 74. *Müll.* — *i*) De bove sancto Ægyptiorum *V.* APIS.

II.) Improprie ponitur de aliis animalibus, quæ bovis figuram præferunt: et quidem ¶ 1. De bisonte. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Est bos cervi figura etc. ¶ 2. *Lucas bos* veteribus Romanis et rudibus primo dictus est elephantus. Cum enim hanc feram primum vidissent in Lucania, Pyrrhi bello, ut est apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 6. 6. (16)., maximam autem quadrupedem bovem nossent, et præcipuæ magnitudinis essent Lucani boves, ut colligitur ex illo *Lucil.* apud *Non.* 4. 349. *edit. vet.* *Quem neque Lucanus oriundi montibus tauri Ducere protelo validis cervicibu' possent*; factum est, ut nullum aptius nomen significando elephanti esse ipsis videretur, quam si bovem Lucam nominarent. Hæc nominis ratio (quam scriptam reliquit, teste *Varron.* 7. *L. L.* 39. *Müll.*, Virgilius) multo est verisimilior, quam ea, quam tradit ipse *Varro ibid.*, quod dictus sit a luce, quia Pyrrhi elephanti procul lucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum turres ornatæ erant: item quam ea, qua *Cornelius* (al. *C. Ælius*) *ibid.* a *Libycis* dictos Lucas arbitratur. *Nævius* apud *Varron. l. c.* Atque prius pariet locusta Lucam bovem. *Lucret.* 5. 1300. Inde boves Lucas, turrito corpore, tetros, Anguimanos, belli docuerunt vulnera Pœni Sufferre. Adde *eumd. ibid.* 1337.; *Sil. It.* 9. 572., et *Auson. Epigr.* 15. 12. ¶ 3. Est etiam piscis marinus bovis nomine apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). et 32. *ibid.* 11. 54. (152). *Ovid. Halieut.* 94. Nam gaudent pelago, quales scombrique bovesque etc. *Id. ibid.* 2. Atque boves patulâ captantes nave fluores. Cf. *Servius* ad *Virg.* 4. *G.* 395. Phocæ sunt boves marini.

BOSCAS, ădos. *V.* voc. seq.

BOSCIS, idis, f. 3. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 1. Nessotrophii cura similis, sed major impensa est. Nam clausæ pascuntur anates, querquedulæ, boscides, phalerides, similesque volucres, quæ stagna et paludes rimantur. *boscides* sunt aves anatibus similes, sed minores. Apud *Colum.* alii rectius leg. *boscades*: Græce enim dicitur βοσκάς, άδος.

BOSTAR, ăris, n. 3. stabulum boum. *Priscian. de declin. nom. sub init.* Hoc bostar, hujus bostaris. V. *Ducang. Lex. med. et inf. Latinit.*, qui versum affert ex *Kilieno*: Nam mihi nulla modo servatus bostare vacca.

BOSTRŸCHITES, æ, m. 1. βοστρυχίτης, gemma crinibus mulierum similis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150).

BOSTRŸCHUS, a, um, adject. βόστρυχος, Græca vox cincinnum, seu cirrum significans. *Etymol. M.* deducit a βότρυς *racemus*, ut significet cæsariem in modum racemi compositam: de qua crinium dispositione consule *Annal. dell' Instit. archeol. T.* 6. p. 204. n. 2. Sunt etiam qui putant, proprie dici de crinibus muliebribus. *Firmic.* 4. *Mathes.* 12. Crispos quoque aut crinibus bostrychis comatos. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BŎTĂNĬCUM, i, n. 2. βοτανικόν. *Isid.* 4. *Orig.* 10. 4. Botanicum herbarium dicitur, quod ibi herbæ notentur.

BŎTĂNISMUS, i, m. 2. βοτανισμός, runcatio, herbarum evulsio. Nam βοτάνη *herbam* significat, et βοτανίζειν *herbas evellere. Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (169). Pauci runcant: quod botanismon vocant.

BŎTELLUS, i, m. 2. intestinum delicatiore aliquo cibo fartum, puta ex carne suilla minutatim concisa, aut hujusmodi: deminutivum a *botulus. Martial.* 5. 78. Et pultem niveam premens botellus. Adde *eumd.* 11. 31. et *Sidon. Ep.* 8. 11. — *Apic.* 2. 3. peculiaris cujusdam botelli conficiendi rationem docet, nempe ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, addita cæpa, porro conciso, admixtoque ture crudo ac pipere minuto: quibus omnibus intestinum sarciri jubet, adjectoque liquamine et vino coqui. Galli *boudin.* V. SERPYLLIFER.

BŎTHŸNUS, i, m. 2. βόθυνος, genus quoddam fulgoris seu splendoris cælestis, in modum foveæ, seu scrobis: Græca vox a βόθρος *scrobs. Seneca* 1. *Quæst. nat.* 14. Sunt *bothinæ*, cum velut corona cingente introrsus ingens cœli recessus est, similis effossæ in orbem speluncæ. *bothinæ* scriptum est Græca servata diphthongo, ut βόθυνοι: sed Latine bis usurpatum legitur ab *Apul. De Mundo* 3. et 16.

BŎTONTĪNUS, i, m. 2. parvus tumor terræ: hinc forte *bouton* recentiorum Gallorum, et *bottone* et *bottoncino* Italorum. *Faust. et Valer. de re agr. p.* 306. *Goes.* In limitibus, ubi rariores terminos constituimus, monticellos plantavimus de terra, quos botontinos appellavimus. *Innocent. de cas. litt. p.* 225. In trivio tres botontini.

BŎTRŎNĀTUM, i, n. 2. capillorum strues corymbiata, corymbium, ornamentum feminarum, baccis margaritarum ita contextis, ut racemum uvæ referant: a βότρυς *racemus. Tertull. Cult. fem.* 10. *V.* BOSTRYCHUS.

BOTRUOSUS, a, um, adject. βοτρυώδης, racemosus, a βότρυς *racemus. Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (48). Amomum frutice botruoso. Ita *Salmas.* legit: sed *Harduin.* et *Sillig.* quoque *myrtuoso* ex omnibus MSS. et edit. libb. *Apul. Herb.* 66. Brionia frutu, sive nomine botruosa.

BŎTRUS, i, m. 2. βότρυς, υος, racemus uvæ. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 11. Exploratores botrum miræ magnitudinis portaverunt. *Id. Comment.* 2. *in Oseam* 10. 1. Vitis frondosa multos botros attulit. *Augustin. Serm.* 1. *in Pentec. n.* 1. Jam enim fuerat magnus botrus ille calcatus et glorificatus. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 50. Botris extra tempus illatis. *Et mox.* Uva-

rum signum praeter tempus significare perditionem imperatoris ad instar hujusmodi botrorum. — Etiam *botruus* scribitur. *Auct. vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 370. *Burmann.* Æquales Libræ September digerit horas, Cum botruis captum rete ferens leporem.

BOTRŪUS, ui. *V.* **BOTRUS**.

BŎTRȲĪTES, æ, m. 1. βοτρυΐτης, ὁ, gemma incipienti uvæ similis: estque duplicis generis, nigra et pampinea. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150).

BŎTRȲĪTIS, idis vel itis, f. 3. βοτρυΐτις, ἡ. Ita appellatur genus quoddam cadmiæ cameris in modum uvæ pendentis: a βότρυς uva, *racemus. Scribon. Compos.* 21. et 220.; *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 22. (101). et *Cels.* 6. 6. *n.* 6.

BŎTRȲO vel botryon, ōnis, m. 3. βοτρυών. ¶ 1. Est uva, racemus. *Pallad.* 3. *R. R.* 33. Ut vitis botryones et albos afferre possit et nigros. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 1. et 10. *ibid.* 17.; et *Isid.* 17. *Orig.* 5. 14., ubi *botryo* legitur, quemadmodum et apud *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 59. Racemus est botryonis pars, et botryo Græcum est. In illo *Martial.* 11. 27. Nec dignam toto se botryone putat. *botryonem* alii interpretantur racemum uvæ conditiciæ; alii liquamen ex ovis piscium, quia ova sic condita ita mutuo adhærescunt, ut in uva acini. ¶ 2. Est etiam *botryon* medicamentum quoddam apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 10. (44). Hoc medicamentum vocabat botryon. *quod certe mutuatum est a Gr.* βοτρύων genit. plur., aut βότρυον. — *NB.* De cognomine *V.* **ONOM.**

BŎTRȲŌDES, is, adject. Botryodes Cadmia, eadem quæ botryitis. Sic de *Morgagni* sententia legendum putant *Gesnerus* et *Schneiderus* apud *Veget.* 4. *Veterin.* 11. 1.

BŎTRYS, ўos, f. 3. βότρυς, Græce racemum uvæ significat. A *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 36. (74). et 27. *ibid.* 4. 11. (28). ita appellatur herba quædam, quæ et *artemisia* et *ambrosia* dicitur. Aliam iisdem nominibus appellatam describit 27. *ibid.* 8. 31. (55). *V.* **AMBROSIA** et **ARTEMISIA**.

BŎTŬLĀRĬUS, ii, m. 2. qui botulos conficit, et vendit. *Seneca Ep.* 56. Et botularium cogita, et crustularium, et omnes popinarum institores.

BŎTŬLUS, i, m. 2. *Paul. Diac. p.* 35. 13. *Müll.* Botulus genus farciminis propter connexionem a bolis sic appellatur. Hæc *Paul.* Porro hujusmodi genus farciminis erat vel ex carne minutatim concisa, vel ex sanguine animalium intestinis infuso et percocto (It. *salsiccia, salsicciuolo*; Fr. *saucisse, boudin*; Hisp. *salchicha*; Germ. *eine Art Wurst*; Angl. *sausage, kind of meat-pudding*).

I.) Proprie. *Laberius* apud *Gell.* 16. 7. Laberius in mimo, qui Saturnalia inscriptus est, botulum pro farcimine appellat. *Gell. l. c.* ostendit comicum esse vocabulum, atque id enumerat inter sordidiora, quibus *Laberius* usus est. *Martial.* 14. 72. Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ etc. *Tertull. Apolog.* 9. Botulos cruore distentos admovetis. Adde *Petron. Satyr.* 49. et *Arnob.* 2. 73. — Aliud hujusmodi farciminis genus describit *Apic. V.* **BOTELLUS.**

II.) Translate. *Tertull. De jejun. advers. Psych.* 1. appellat Psychicorum *botulos interiores* intestina cibis luxuriosis farta, *exteriores* vero distenta libidine veretra.

BŎVA, æ, f. 1. *V.* **BOA**. In illo *Varron.* apud *Non.* 1. 95. *edit. vet.* Æs defraudasse cauponem, bovam luto oblevisse, etc. *Turneb. l.* 17. *c. ult.* interpretatur vas vinarium longum turgidum, et amplum, boæque, seu bovis serpentis similem. Sed alii leg. *obbam.*

BŎVĀTIM, adverb. boum genere: item ad similitudinem boum. Ita exponit *Non. p.* 40. 25. *Merc.*, et auctorem affert *Nigidium.* Al leg. *Boatim.*

BŎVĬCĪDĬUM, ii, n. 2. cædes boum. *Solin.* 1. Ritus sacrorum, factis bovicidiis, Potitios docuit.

BŎVĪLE, is, n. 3. βοαύλιον, βουστάσιον, statio duorum boum in stabulo. *Phædr.* 2. 8. Et opportuno se bovili condidit. *Al. rectius leg.* bubili. *Cato* certe et *Varro* usi sunt, teste *Charis.* 1. *p.* 81. *Putsch.* Sed idem *Varro* 8. *L. L.* 54. *Müll.* docet a *bove* non *bovile*, sed *bubile* dici, quod certe multo est usitatius. Occurrit tamen et apud *Veget.* 4. *Veter.* 1. 3. *V.* **BUBILE.**

BŎVILLUS, a, um, adject. (bos) βοϊκός, bubulus, ad bovem pertinens. *Carmen* apud *Liv.* 22. 10. Quod ver attulerit ex suillo, ovillo, bovillo grege. *Theod. Priscian.* 1. 7. Bovillas carnes in carbonibus superpones.

BŎVĪNĀTOR, ōris, m. 3. dixit *Lucilius* apud *Gell.* 11. 7. et apud *Non.* p. 79. 26. *Merc.* Est strigosu' bovinatorque ore improbu' duro. *At hæc vox in posterum obsolevit.* Itaque *Gell. l. c.* et *Non. l. c.* *bovinatorem* interpretantur *tergiversatorem.* Sed *Verrium Flaccum* auctorem sequuntur *Glossaria Labbæi*, ubi legitur: *Bominatores* θορυβοποιοί, θρύλλον ποιοῦντες ἢ ταραχήν, et *Placidi* p. 437. *Mai.*, ubi hæc habentur: *Bombinari combicare, clamare.* Nam hoc *bombinari* ex *bovinari* (*V.* voc. seq.) ortum esse, vix in dubitationem vocaverim. Sed quod apud *eumd. Placid.* p. 436. reperitur: *Bobinator tricosus et inconstans*, et in *Gloss. Isid.*: *Bombinatores inconstantes*, ad *Gellii* interpretationem redire videtur. *Gellii* sententiam paullo calidius, ut opinor, damnat *Döderlein. Synon. et Etym. T.* 6. *p.* 41. Huiusque *Müll.* ad *Paul. Diac.* p. 30. 12.

BŎVĪNĀTUR conviciatur. *Paul. Diac.* p. 30. 12. *Müll.* Cf. *Gloss. Placid.* p. 437. *Mai.* Alii exponunt tergiversari, cunctari malitiose; et ductum esse ajunt a bubus macilentis et in arando strigantibus. Vox est obsoleta.

BŎVĪNUS, a, um, adject. βοϊκός, bubulus. *Theodor. Priscian. de diæta* 15. Medulla bovina.

BŎVIS, bŏvis, comm. gen. *V.* **BOS** sub init.

BOVO. *V.* **BOO.**

BOX, ŏcis, m. 3. βώξ, genus piscis, tergum habens pictum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). *V.* **BOCAS** et **BOA**.

BRĂBĒUM seu brăbium vel bravium, ii, n. 2. βραβεῖον, victoriæ præmium, ejus præcipue, quæ in ludis publicis paritur. Hinc Itali *bravo* appellant, quem in aliquo certamine victorem cernunt. *Novatian. Ep. de cibis Judaic.* 1. et *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 538. brabii duplicis palmam tulisti. *Capitolin. Ver.* 6. In Volucris equi gratiam primum cœperunt equis aurei, vel bravia postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut et a populo Prasinianorum sæpe modius aureorum postularetur. Figurate *Tertull. ad mart.* 3. Bonum agonem subituri estis, in quo brabium angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in secula seculorum.

BRĂBEUTĀ, æ, m. 1. βραβευτής, Græca vox, qua significatur præses et judex certaminum gymnicorum, quique victoribus sua præmia distribuit. Latine *designator* dici potest, propter similitudinem officii. *Ulp. Dig.* 3. 2. 4. § 1. Designatores autem, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere, Celsus probat, quia ministerium, non artem ludicram exerceant. *Sueton. Ner.* 53. Nec aliter certamina gymnica Græcia tota spectaverat, quam brabeutarum more in stadio humi assidens. — Inter *agonothetam* et *brabeutam* quidam hoc statuunt discrimen, quod ille scenicis ludis præsit, hic vero gymnicis. Sed vereor ut probari possit. Dicendum potius, *agonothetam* virum primarium fuisse, qui ludis cujuscumque generis præerat; *brabeutam* vero fuisse ministrum, qui athletarum errata virgâ coercere, eorumque certamina satagere, et populum submovere solebat. V. *Ulpiani locum cit.* in **DESIGNATOR.**

BRĂBȲLA, æ, f. 1. herba quædam, quæ spissandi vim habet cotonei mali modo: nec amplius de ea tradunt auctores, inquit *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 31. (55). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 440.) hanc exhibet synonymiam: Βράβυλα Theocr. Idyll. 7. 145., Galen. de Fac. alim. 2. 38. et 6. 1., Clearch. et Seleuc. apud Athen. 2. 10.; Σποδίας Theophr. Hist. plant. 3. 7.; *Brabyla* Plin. l. c. et *Pruna peregrina* Martial. 13. 26. sunt *Prunus domestica*, var. B., L. Spec. plant. 680.

BRĀCA, æ, f. 1. βράκα. Vocis etymon est a βράκος Æolice pro ῥάκος (nam Æoles dictionibus a ῥ incipientibus digamma præponebant, pro quo sæpe β usurpabant), quod a ῥήσσω *frango*: hinc bracas *Eustath.* ad *Homer. Iliad.* 2. 262. appellat διῤῥωγὸς ἱμάτιον, *h. e.* vestem bifariam divisam. Quidquid igitur effutiant grammatici, amandanda est scriptio *bracca* et *bracha*. Sunt qui perperam putant bracam esse vocem Persicam: V. *Tzschuckium* ad *Melam* 2. 5. 1. p. 448. et *ibid.* p. 52. Vestis barbarorum propria, ut Persarum, Medorum, Sarmatarum, Gallorum, Germanorum, et hujusmodi, nostris femoralibus valde similis, laxior tamen et longior, ut quæ non femora solum, sed et crura, immo et ventrem contegat. Talis putatur, quam Dalmatæ e plebe adhuc gestant. A Romanis, sicut neque a Græcis, diu adhibita non fuit. Quamvis enim de Augusto narret *Sueton.* in *ejus Vita* 82. feminalia et tibialia hieme gestasse; ea tamen non bracæ, sed fasciæ fuerunt, quibus femora et tibias involvebat, ut præter alios *Casaubon.* eo loco pluribus docet. Posterioribus tamen temporibus etiam ad Romanos transiit. Scribit enim *Lamprid. Alex. Sev.* 40. *in fin.* illum imperatorem *bracas albas habuisse, non coccineas, ut prius solebant.* Ex quo intelligitur aliquanto etiam ante bracas a Romanis gestari cœptas. Qui mos postea adeo invaluit, ut latis legibus coercendus fuerit. Hinc *Impp. Arcad. et Honor.* sanxerunt, ut nemini liceret intra Urbem bracas gestare, ut in *Cod. Theod.* 14. 10. 2. legitur. V. *Salmas. ad loc. cit. Lamprid.* — Usurpatur fere in plurali numero. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 49. Pellibus et laxis arcent male frigora bracis. Adde *Lucan.* 1. 430. *Carmen* apud *Sueton. Cæs.* 80. Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumpserunt. *Tacit.* 2. *Hist.* 20. Versicolore sagulo, bracas, tegmen barbarum indutus, togatos adloquebatur. Cf. *Juvenal.* 2. 169. *Propert.* 4. 10. 43. Bracæ virgatæ. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 9. satæ. *Val. Flacc.* 6. 227. pictæ. *Id.* 5. 424. Sarmaticæ. — In singulari. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 33. Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe, Pro patrio cultu Persica braca tegit. *V.* **BRAX.** — Insecutis temporibus bracæ femora tantum, minime autem crura, tegebant. Hinc *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 10. Hoc genus vestimenti Græce περισκελῆ, a nostris feminalia, vel bracæ usque ad genua pertinentes. *scil.* quales olim gestabant Galli et Itali recentiores, qui paucis abhinc annis barbarico ritu eas usque ad talos demittere cœperunt. Eas Græci ἀναξυρίδας, Chaldæi *sorabaras* vocabant. Bona tamen venia cl. *Furlanetto*, qui hæc in *Append.* addidit, ex *Hieronym.* verbis nihil novi erui poteat: verba enim *usque ad genua pertinentes* essent supervacanea, si vocabulum *bracæ* id per se significaret.

BRĀCĀRĬUS, ii, m. 2. qui bracas conficit. *Lamprid. Alex. Sev.* 24. Bracariorum, linteonum, vitreariorum vectigal instituit. Al. leg. *bractearioruin.* Adde *Cod. Justin.* 10. 64. 1., ubi eadem est lectionis varietas; quæ tamen tollitur auctoritate *Edict. Diocl. p.* 20. Bracario pro excisura et ornatura, pro birro qualitatis primæ, pro birro qualitatis secundæ, pro caracalli majori, pro caracalli minori, pro bracibus, pro udonibus. Ex his apparet, *bracarium* Diocletiano imperante generaliter significasse vestiticum, cum ei pretium pro quacumque veste assignetur. Adde apud *Marin. Papiri Diplomat. n.* 88. pluries haberi in *Diplom.* ann. a Chr. n. 572. *exarato*: Bonus vir honestus bracarius.

BRĀCĀTUS, a, um. adject. bracis indutus. — *a*) Generatim bracatus dicitur, qui veste laxa et bracas referente indutus est. *Mela* 2. 1. 10. Satarchæ totum bracati corpus, et, nisi qua vident, etiam ora vestiti. — *b*) Speciatim apud Romanos barbaris, hoc est externis nationibus significandis inservit. *Cic. Fontej.* 11. 23. Sic existimatis eos hic sagatos bracatosque versari? *Propert.* 3. 3. 17. Bracatus miles. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 47. turba Getarum. *Pers.* 3. 53. Medi. — *c*) Item speciatim *bracatæ* dicebantur nationes Transalpinæ, teste *Cic.* 9. *Fam.* 15. 2. — *d*) Hinc per aliquod tempus *Bracata Gallia* ea dicta est Galliæ pars, quæ postea Narbonensis est appellata, cujus populi bracis utebantur. Ideo autem ea præcipue regio bracata dicta est, quia provincia Romanorum fuit, itaque vestimenti genus et primo, et sæpius propter commercium, Romani conspiciebant: eoque nomine a Togata et Comata distinguebatur. *Mela* 2. 5. 1. et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (31). *Cic. Pis.* 23. 53. Bracatæ cognationis dedecus. *bracata cognatio* est cum hominibus e natione bracata Gallorum. Quos dixit *Juvenal.* 8. 234. *bracatorum pueros*, Gallorum Narbonensium filios significavit.

BRĀCE, es, f. 1. *vel rectius* braces, is, f. 3. vox Gallica, qua significatur genus farris in Galliis provenientis, quod a *Colum.* 2. *R. R.* 9. *hordeum distichum*, et *Galaticum* dicitur, ab Italis nunc *scandella. Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 11. (199). Galliæ quoque suum genus farris dedere: quod illic bracen vocant, apud nos sandalam (*lege* scandalam *sive* scandelam) nitidissimi grani. Ex *brace* factum Italicum *bracciatello*, bellariorum genus ita appellatum, quod armillæ figuram habet, quodque vulgo nostrates *brazzadella* dicunt. *V.* **SCANDALA.** Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 139.) hanc exhibet synonymiam: *Brace* Gallor. et

Sanda la Latinor. sunt *Triticum hibernum* L. *Spec. plant.* 126., var. *Granis albis*.

BRACEUS, a, um, adject. ad braccas pertinens. *Auct. Priapeor.* 74. Quod movear, non est: quia, si furaberis ipse Grandia poma, tibi bracea mala dabo. *h. e.* in te stuprando malis, seu testiculis, utar, quæ bracibus continentur. Adde poetam jocatum fuisse in ambiguitate soni vocis *bracea*, nam βραχεα, *h. e.* brevia opponit grandibus, mala opponit pomis. Alii leg. *bracica* eodem sensu. Hucusque cl. *Furlanetto*. Potior vero nobis postrema sententia videtur, quâ *bracea*, unum idemque esse cum Græco βραχεα, *h. e.* brevia, parva, statuitur; idque tribus de causis. Ac primo quidem quod in omnibus prorsus MSS. legitur *brachia*, quod magis congruit cum Gr. βραχεα; deinde quod Augusti tempore, quo Priapeja carmina conscripta fuisse putantur, nullus erat bracarum usus apud Romanos, ut docuimus in v. *Braca*, ideoque poetæ jocus fuisset ineptus, aut certe nimis longe petitus; tertio denique, quod poeta ut mala pomis, sic *brachia* vel *brachea*, h. e. brevia, grandibus opponit. Itaque ex codicum auctoritate *brachia* vel *brachea* restituendum videtur a Nom. *brachys*.

BRACHA. *V.* BRACA.

BRACHIĀLE, is, n. 3. *V.* voc. seq. in fin.

BRACHIĀLIS, e, adject. ad brachium pertinens. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 99. Condamus alter alterum in nervum brachialem. *h. e.* brachiorum vinculo jungamur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 17. 27. (123). et 20. *ibid.* 23. 96. (255). Brachialis crassitudo. *Secundo autem loco* Sillig. *pro* brachiali *legit* baculi. *Trebell. Claud.* 14. Huic dabis balteum inauratum unum, anulum bigemmeum uncialem, brachialem unum unciarum septem. *Forcellinus* h. l. *brachialem* accepit absolute substantivorum more masc. gen. et subaudiebat *torquem*, aut aliquid simile. *Vopisc. Aurelian.* 7. Torquem brachialem habeat miles. — Hinc

Brachiale, *is*, n. 3. absolute, subaudi *ornamentum*, est circulus armillæ modo in ornamentum brachii. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (82). Menstruum in lana arietis nigri, brachiali argenteo inclusum. Adde *eumd.* 25. *ibid.* 10. 80. (129). et 32. *ibid.* 1. 3. (8). *Priscian. de XII. vers. Æn. p.* 1220. *Putsch.* Armillæ, quæ nunc brachialia vocantur.

BRACHIĀTUS, a, um, adject. brachia habens, brachiis munitus: sed occurrit translate tantum in re agraria, in qua brachiata arbor dicitur, quæ ramos utrimque in brachiorum modum compositos habet. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 9. Nam duæ species hujus quoque culturæ sunt; alii capitatas vineas, alii brachiatas magis probant. Quibus cordi est in brachia vitem componere, convenit, ut, etc. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (123). Arborum aliæ ab radice brachiatæ, ut ulmus: aliæ in cacumine ramosæ, ut pinus. *V.* BRACHIUM II. 1.

BRACHĪLIS, e, adject. idem quod brachialis. — Hinc

Brachile, *is*, n. 3. absolute est succinctorium illud ex humeris utrimque suspensum, ante pectus decussatim junctum, atque sub brachia rejectum, quo delicatiores feminæ molliores que viri vestes quadrifario nexu sustinebant. *Isid.* 19. *Orig.* 33. 5. Redimiculum est, quod succinctorium sive brachile nuncupamus, quod descendens per cervicem, et a lateribus colli divisum, utrarumque alarum sinus ambit, atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem, vestes ad corpus contrahat atque conjungendo componat. Hoc vulgo brachile, quasi brachiale dicunt, quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum. *V. Fronton. loc. cit.* in REDIMICULUM et VINCULATUS.

BRĂCHIŎLĀRIS, is, adject. musculus brachiolaris apud *Veget.* 1. *Veter.* 25. 5. *V.* vocem sequent.

BRĂCHIŎLUM, ii, n. 2. *deminut. a* brachium. ¶ 1. De homine ponitur, et est parvum brachium, vel brachium generatim. *Catull.* 61. 181. Mitte brachiolum teres. ¶ 2. *Brachiola* videntur esse venæ quædam in utroque latere equorum. *Veget.* 1. *Veter.* 25. 4. Minuendus est sanguis ex venis, quæ positæ sunt in dextra et sinistra, ubi brachiola conjunguntur, et flexura fit, cum armus plicatur. Quibus vero armus est in causa, de brachiolis sanguis mittatur, quæ venæ positæ sunt interius, ubi centuriæ, idest musculi brachiolares sunt. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 28. 7. et 70. 2., et 6. *ibid.* 1. 1. et 2. 2.

BRĂCHIUM, ii, n. 2. Vult *Manut.* in *Orthogr.* scribi bracchium duplici cc ex *Virgil. Carpensi* (Cf. *Phil. Wagner. Orthogr. Virgil.* p. 410.) et aliis veteribb. libb. Sed ea scriptio non obtinuit. — B r a c h i u m nos, Græci βραχίων dicunt, quod deducitur a βραχύ, id est breve, eo quod ab humeris ad manus breviora sint, quam a coxis plantæ. Hæc *Paul. Diac.* p. 31. 16. *Müll.* Sine dubio vox *brachium* ratione etymi conjungenda est cum Gr. βραχίων; ac præterea videtur efficta ab Hebr. בריח *beriach* seu *briach*, vectis. — Ceterum brachium est membrum hominis a cubito ad manum (It. *braccio*; Fr. *bras*; Hisp. *brazo*; Germ. *der Arm*; Angl. *the arm*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu *brachium* est membrum hominis a cubito ad manum, duobus ossibus constans, quorum alterum *radius*, alterum *cubitus* et *ulna* appellatur. Ita vocem brachii accipit *Celsus* 8. 1., item *ibid.* 10. n. 3., ubi agit de brachio fracto. Nam reliquam partem, quæ est a cubito ad humerum, os *humeri* atque etiam *humerum* appellat: alii Latini scriptores *lacertum*. *Lucret.* 4. 827. Brachia tum porro validis ex apta lacertis Esse. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 396. *Ovid.* 1. *Met.* 500. laudat digitosque manusque Brachiaque et nudos media plus parte lacertos. *Id.* 14. *ibid.* 303. de sociis *Ulyssis humanam formam recipientibus*. Erigimur, setæque cadunt bifidosque relinquit Rima pedes; redeunt humeri; subjecta lacertis Brachia sunt. Adde *Curt.* 8. 9. 21. et 9. 1. 29. *Tac. Germ.* 17. Feminæ nudæ brachia ac lacertos. Sed et proxima pars pectoris patet. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius, *brachium* dicitur totum illud, quod est ab humero ad manum, quà flectitur, curvatur, movetur: qua significatione occurrit — *a*) Generatim. *Pacuvius* apud *Non.* p. 87. 26. *Merc.* et apud *Varron.* 5. *L. L.* 7. *Müll.* Currum liquit, chlamide contortâ astu clupeat brachium. *Cic.* 2. *Orat.* 62. 253. Excusavit Vespa Terentius, quod eum brachium fregisse diceret. Cf. *Cels.* 1. 10. 3. *Cic. Cæl.* 5. 11. Cohibere brachium togâ, cui opponitur apud *Senec. Exc. ex Contr.* 5. 6. Brachium extra togam exserere. *Varro* apud *Gell.* 16. 16. *in fin.* Brachiis plerumque diductis retineri solent (*pueri in utero*). *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Jactare brachium. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 377. *Curt.* 4. 16. 32. Hephæstionis brachium hastâ ictum est. *Virg.* 4. *G.* 174. Illi inter se se magnâ vi brachia tollunt. *Id.* 1. *ibid.* 202. *de remigibus*. Brachia remittere. *Id.* 5. *Æn.* 364. attollere. *Id. ibid.* 427. Brachia efferre ad superas auras. *Horat.* 3. *Od.* 4. 50. Juventus horrida brachiis. *Id. ibid.* 9. 33. Brachia opponere. *Ovid.* 2. *Met.* 270. exserere aquis. *Id.* 9. *ibid.* 766. porrigere. *Id.* 2. *ibid.* 82. curvare. *Id.* 3. *ibid.* 723. tendere alicui. *Id.* 9. *ibid.* 210. et 293. tendere cœlo, ad cœlum. *Id.* 6. *ibid.* 262. Precando brachia tollere. *Id.* 9. *ibid.* 52. Adducere brachia. *Quintil.* 10. 3. 6. Ut in jaculando brachia reducimus. *Sueton. Domit.* 17. Sinisteriore brachio, velut ægro, lanis fasciisque obvoluto. *Tac.* 15. *Ann.* 63. Brachia exsolvere ferro. — *b*) Speciatim ponitur de amplexu. *Virg.* 6. *Æn.* 700. collo dare brachia circum. *Horat.* 3. *Od.* 9. 2. Dare brachia cervici. *Id. Epod.* 15. 6. Lentis brachiis adhærere alicui. *Ovid.* 9. *Met.* 458. Circumdare brachia collo. *Id.* 1. *ibid.* 762. Implicare collo. *Id.* 3. *ibid.* 389. injicere collo. — *c*) Item speciatim de saltatione: *V.* SALTO. *Lucret.* 4. 770. Brachia in numerum jactare et cetera membra. *Id. ibid.* 791. Mollia mobiliter brachia mittere. *Propert.* 2. 22. 6. Molli deducere brachia gestu. *Ovid. Rem. am.* 754. numeris brachia mota suis. *Id.* 2. *Amor.* 4. 29. Numerosa brachia ducere. Adde *eumd.* 1. *Art. am.* 595. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 66. Candida molli deducere brachia motu. — *d*) Item de gestibus, quibus utimur in oratione recitanda. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 27. Celeri brachio, porrectione brachii uti. *Id. Orat.* 18. 60. Brachii projectio in contentionibus, contractio in remissis. Adde *Quintil.* 11. 3. 84. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 242. Extento brachio paullulum de gestu addere. *Quintil.* 11. 3. 93. Transversum brachium proferre. *Id.* 4. 2. 39. Brachium in latus jactare. *Id.* 2. 13. 9. Brachium demittere. Adde *eumd.* 1. 10. 16., 11. 3. 141. et alibi. — *e*) Figurate *Molli* aut *levi brachio agere aliquid* est remisse, leniter, vel negligenter agere. *Cic.* 4. *Att.* 16. 6. Consules, qui id levi brachio egissent, rem ad senatum detulerunt. *Id.* 2. *ibid.* 1. 6. Quod me quodammodo molli brachio de Pompeji familiaritate objurgas. — *f*) Item figurate *Præbere brachia sceleri* apud *Ovid. Heroid.* 7. 126. est sponte dare manus et cedere scelus facienti. *Cf.* Victas dare manus. — *g*) Item *Dirigere brachia contra torrentem* apud *Juvenal.* 4. 89. proverbialis locutio est, sumpta a natantibus, qui si adverso flumine natare velint, vi aquæ abripiuntur. Dicitur de iis, qui majori potentiæ resistere volunt. ¶ 3. Per similitudinem tribuuntur brachia multis animalibus, ac præcipue loliginibus, sepiis, polypis, scorpionibus, cancris, et hujusmodi, quæ similia humanis brachiis membra habent. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 25. ART. Vel elephanto in India quo pacto pugno perfregisti brachium? (*h. e.* coxam). PYRG. Quid brachium? ART. Illud dicere volui femur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 86. (214). Leoni in feminum et brachiorum ossibus paucis exigua admodum (*medulla*). *h. e.* pedibus anterioribus. *Id.* 9. *ibid.* 29. 47. (88). *de nautilo pisce*. Prima duo brachia retorquens membranam extendit etc. *Id.* 11. *ibid.* 48. 108. (258). Octonos pedes esse diximus polypis, sepiis, loliginibus, cancris, qui brachia in contrarium movent, pedes in orbem aut in obliquum. *Id.* 9. *ibid.* 31. 51. (98). Præterea (*cancris sunt*) bina brachia denticulatis forficibus. – Dextrum brachium omnibus majus. Cf. *Ovid.* 4. *Met.* 625., 10. *ibid.* 127. et 15. *ibid.* 369. brachia Cancri. *Virg.* 1. *G.* 34. jam brachia contrahit ardens Scorpius. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 82. et 195.

II.) Translate ponitur et de rebus inanimis. ¶ 1. In arboribus *brachia* sunt rami. — *a*) Generatim. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 550. In frondes crines, in ramos brachia crescunt. *Catull.* 64. 105. Nam velut in summo quatientem brachia Tauro Quercum – indomitus turbo eruit. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 18. (62). Differt quod in brachia ramorum spargitur. *Id.* 16. *ibid.* 34. 62. (151). Omnium hederarum generi radicosa brachia. — *b*) Si *brachia* et *rami* simul junguntur, brachia sunt minores rami e majoribus (*ramis*) erumpentes. *Virg.* 2. *G.* 296. *de æsculo*. Tum fortes late ramos et brachia tendens. Adde *eumd.* 6. *Æn.* 282.; *Ovid.* 14. *Met.* 629.; *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (151).; et *Val. Flacc.* 8. 114. — *c*) Speciatim, tamquam vocabulum rei agrariæ proprium, de vitibus dicitur. *Cato R. R.* 95. Hoc vitem circum caput et sub brachia ungito. Adde *Virg.* 2. *G.* 368.; *Colum.* 4. *R. R.* 24. 2., 5. *ibid.* 5. 9. et 10., et *de arbor.* 5. 2. ¶ 2. Item mari brachia tribuuntur, ubi ex oceano per medias terras variis sinibus se effundit; item terrarum tractibus, qui veluti rami a recta deflectunt in longum excurrentes. *Ovid.* 1. *Met.* 13. Nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite. *Curt.* 6. 4. 16. Duo terræ ejus velut brachia excurrunt. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (98). Taurus mons dictus Caucasus, ubi brachia emittit, subinde tentanti maria similis. ¶ 3. In munitionibus brachia sunt projecti aggeres, aut fossæ et hujusmodi opera in longum protensa ad claudendum et muniendum. *Liv.* 4. 9. *in fin.* Et alia parte consul muro Ardeæ brachium injunxerat, qua ex oppido sui commeare possent. *Id.* 22. 52. Brachio objecto, flumine eos excludit. *Id.* 44. 35. Degressus ad imam partem castrorum, veluti, per devexum in mare brachium, transitum tentaturus. *Id.* 38. 5. Superato brachio in urbem penetrat. Adde *eumd.* 31. 26. *Auct. B. Alex.* 30. Castellum brachiis cum opere castrorum conjungere. Adde *Auct. B. Afr.* 38., 49., 51. et 56.; et *Auct. B. Hisp.* 5. et 13. *Propert.* 3. 20. 24. Scandam ego Theseæ brachia longa viæ. *Lucan.* 3. 386. densas tollentia pinnas Cespitibus crudâque extraxit brachia terra. *Id.* 4. 266. Aut circum largos curvari brachia fontes. *Sueton. Claud.* 20. Portum Ostiæ extruxit, circumducto dextrâ sinistrâque brachio. Adde *Plin.* 6. *Ep.* 31. et *Justin.* 5. 8. 5. ¶ 4. In machinis, instrumentis, etc. brachia dicuntur eæ partes, quæ in orizontem extenduntur: sic — *a*) In balistis *brachia* sunt, quæ extenduntur et remittuntur in jaciendo. *Vitruv.* 1. 1. 8. et 10. 10. 1. *Schneid.* — *b*) In navi sunt antennæ, veluti brachia mali. *Virg.* 5. *Æn.* 829. jubet ocius omnes Attolli malos, intendi brachia velis. Adde *Stat.* 5. *Silv.* 1. 244. *V.* OBSIBILO. — *c*) In circino brachia sunt duo ipsius latera, quorum alterum stat, alterum circumducitur. *Ovid.* 8. *Met.* 247. Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo Vinxit; ut, æquali spatio distantibus illis, Altera pars staret, pars altera duceret orbem.

H o m o n y m. In quo *brachia* differant a *lacertis*, dictum est superius sub I. 1.

BRACHMANÆ, ārum, *et* Brachmanes, um, m. plur., *Bramini* et *Nairi*, sapientes in India citeriori diligentissimi siderum observatores, alterum genus gymnosophistarum. Nam Bardesanes Babylonius gy-

mnosophistarum duo tradit genera, quorum illi, qui ex generis successione veluti hereditariam sapientiæ professionem amplectebantur, *Brachmanæ* dicti; qui vero electione ad philosophiæ professionem assumebantur, *Samanæi*. Ex *Strab. l.* 15. Horum mentio fit etiam ab *Apul. Florid. n.* 15.; a *Tertull. Apolog.* 42.; ab *Ammian.* 23. 6. et 28. 1.; et ab *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian.* 14. Eos quoque, suppresso nomine, describit *Curt.* 8. 9. 31. — *NB.* De populo *V.* ONOM.

BRĂCHYS, y. *V.* BRACEUS.

BRĂCHȲCĂTĂLECTĬCUS vel

BRĂCHĬCĂTĂLECTUS, a, um, adject. βραχυκαταληκτικός, βραχυκατάληκτος. Brachycatalecticum vel brachycatalectum metrum dicitur, cui pes deest. *Diomed.* 3. p. 501. *Putsch.*, *Serv. Centim. p.* 1817., et *Priscian. de XII. vers. Æn.* p. 1216. *Putsch.*

BRĂCHȲLŎGĬA, æ, f. 1. βραχυλογία, quæ Latine dici potest *copulata dissolutio*, figura est, qua conjunctiones omittuntur, cum quid instantius dicitur, et singula inculcantur, et quasi plura fiunt, ut in illo *Cicer. contr. concion. Metelli*: Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi, in senatu sunt positi, etc. Hæc *Quintil.* 9. 3. 50., qui tamen ipsam vocem tum hoc loco, tum infra eod. *cap.*, tum etiam 8. 3. 82. Græce scribit: est enim a βραχύς *brevis*, et λόγος *sermo*. Dicitur etiam *Asyndeton*. V.

BRĂCHȲPŌTA, æ, m. 1. βραχυπότης, parvum potans, a βραχύς *parum* et πότης *potor*. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. Hippocrates phreniticos dixit parvibibulos, quos brachypotas vocant, hoc est, quod modicum biberent ob timorem liquoris.

BRĂCHȲSYLLĂBUS, a, um, adject. βραχυσύλλαβος. Brachysyllabus pes est idem qui tribrachys, tribus syllabis brevibus constans, ut *legere*. *Diomed.* 3. p. 475. *Putsch.*

BRĂCĬCUS. *V.* BRACEUS.

BRĂCĬLIS, e. *V.* BRACHILIS.

BRACTĔA, æ, f. 1. Scribitur et *brattea*, (quam scribendi rationem secutus est *Sillig.* in editione *Plinii*), sed minus recte. *Pier.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 209. docet, eos qui *brattea* scripsere, deceptos esse caracteribus Longobardicis, in quibus c et t eâdem pæne forma figurantur. Addit, juniores quosdam etiam *brachteas* scripsisse, sed contra omnes orthographiæ leges. — Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur esse a βράχειν *crepitare*, quia bractea jactata manu plicatur et crepitat. Rectius fortasse deducitur a βραχύς *brevis*, propter bracteæ tenuitatem. — Ceterum bractea est lamina tenuis ex ligno, metallo, vel alia quapiam materia, quæ alicui rei superinducitur. Differt a lamina, quæ crassior est et durior, et crusta appellatur (It. *sfoglia*, *foglia*, *lamina sottile*; Fr. *feuille mince*, *petite feuille*; Hisp. *hoja delgada*; Germ. *jedes dünngeschnittene Blättchen oder Bretchen*; Angl. *a thin leef or plate of gold*, *silver*, etc.).

I.) Proprie occurrit — *a*) De ligneis assiculis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (232). Ut una arbor sæpius veniret, excogitatæ sunt et ligni bracteæ. *V.* QUÆSTORIUS. — *b*) Sæpius de *tenuissima lamina*, ut appellatur ab *Isid.* 16. *Orig.* 18. 2., auri vel argenti. *Lucret.* 4. 728. ut aranea bracteaque auri. *Virg.* 6. *Æn.* 208. Talis erat species auri frondentis opaca Ilice: sic leni crepitabat bractea vento. *Ovid.* 3. *Art. am.* 232. Aspice, quam tenuis bractea ligna tegat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 31. (105). Bracteæ argenteæ. *Id.* 31. *ibid.* 3. 4. (6). Bracteæ philyræ. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (61). Nec aliud (*metallum*) laxius (*auro*) dilatatur, aut numerosius dividitur, utpote cujus unciæ in septingenas, quinquagenas pluresque bracteas quaternum utroque digitorum spargantur. — *c*) Per similitudinem *bractea viva* dicitur a *Martial.* 9. 62. pellis ovium auratum vellus habentium.

II.) Translate. *Solin. Ep.* 2. *ad Advent. præfixa Polyhist.* Cui libro si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quam bracteas eloquentiæ deprehendes. *h. e.* fucum verborum.

BRACTĔĀLIS, le, adject. ad bracteam pertinens. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1024. Nec non et auro frons coruscat hostiæ, Setasque fulgor bractealis inficit.

BRACTĔĀMENTUM, ti, n. 2. bractearum inductio, sive aureum ornamentum alicui rei superinductum: occurrit tamen translate tantum apud *Fulgent. Planc. de contin. Virg. paullo post init.* Ascræi fontis bracteamento saturior. *h. e.* poetica facundia: ea ratione, qua *bracteas eloquentiæ* dixit *Solin.* *V.* BRACTEA II.

BRACTĔĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

BRACTĔĀRĬUS, ii, m. 2. qui aureas bracteas facit. *Inscript.* apud *Gruter.* 1074. 12., at emendatior apud *Visconti Mus. Jenkins cl.* 1. *n.* 5. CONCORDIAE COLLEGI BRATTIARIORVM (*leg.* Brateariorum) ET INAVRATORVM Q. HORDIONIVS PRIMIGENIVS S. P. D. D. *Firmic.* 4. *Mathes.* 15. Facit enim artifices, inauratores, bractearios, argentarios. *V.* BRACARIUS. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 4067. — *Brachtearia*, æ, f. 1. quæ bracteas facit. *Inscript.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 19. FVLVIA MELEMA BRACTEARIA. Hæc *Inscript.* est apud *Orell.* 4153., in eaque legitur et *bractearius* et *bractearia*.

BRACTĔĀTOR, ōris, m. 3. brattearius. *Firmic.* 8. *Mathes.* 16. Aurifices, bracteatores, inauratores.

BRACTĔĀTUS, a, um, adject. bracteis, et fere semper aureis, inductus.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 41. Bracteatus leo. *h. e.* jubam auratam habens. *Sidon.* 8. *Ep.* 8. Sellæ gestatoriæ bracteatæ. *Id.* 2. *Ep.* 10. *in carm.* Bracteatum lacunar. *Capell.* 1. p. 20. Comæ bracteatæ.

II.) Translate — *a*) In malam partem. *Seneca Ep.* 115. Omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est. *h. e.* fucata, non sincera, non solida, ut quæ in exteriori tantum specie et velut crusta consistit. — *b*) In bonam partem. *Bracteatum dictum* est elegantissimum et ornatissimum. *Auson. Grat. act.* ad *Gratian.* c. 8. O mentis aureæ dictum bracteatum!

BRACTĔŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a bractea, parva bractea. *Juvenal.* 13. 150. minor exstat sacrilegus, qui Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat. Adde *Arnob.* 6. 21. et *Prudent.* Psych. 355.

BRANCA, æ, f. 1. idem ac extremus pes. *Vet. Auct. De limit.* apud *Goes.* p. 130. Branca lupi, branca ursi.

BRANCE. *V.* BRACE.

BRANCHĬA, æ, f. 1. βράγχιοι. Occurrit fere in plur. num. *branchiæ*, et sunt partes hiantes in piscibus foliîum more juxta cervicem, quibus anhelitum reddere, ac per vices respirare existimantur: a βρόγχος *guttur*, quia gutturis officio in reddenda aqua, quæ ore accepta est, funguntur. Balænæ et delphini excipiuntur, qui fistulis spirant, balænæ a fronte, delphini a dorso. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 12. et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (16). et *ibid.* 18. 33. (69). — In singulari numero. *Auson. Mosell.* 266. Reddit mortiferos exspirans branchia flatus. Adde *Vulg. Interpr. Tob.* 6. 4.

BRANCHĪDÆ, ārum, m. plur. 1. Apollinis Didymæi sacerdotes, apud Posideum oppidum, et promontorium Ioniæ, qui locus prius Branchidarum Oraculum dicebatur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (112)., *Mela* 1. 17., *Curt.* 7. 5.

BRANCHOS, i, m. 2. βράγχος, ὁ, raucedo ex acris humoris in fauces destillatione proveniens. Græca vox est, sed Latine scripta legitur apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. Fit influxio nunc ad nares, quæ appellatur coryza; nunc ad fauces, quæ appellatur branchos; nos raucitatem vocamus. Adde *Isid.* 4. *Orig.* 7. 13.

BRASMA. *V.* BRECHMA.

BRASMĂTĬÆ, ārum, m. plur. 1. βρασματίαι οἱ, subaudi ἄνεμοι, Græce dicuntur ebullitiones, æstus veluti aquæ ferventis, et sursum agitatæ: a βράζω, *ferveo*, *bullio*. Hinc *Ammian.* 17. 7. docet, *brasmatias* appellari terræmotus quamdam speciem, qua humus molestius suscitatur, sursumque propellit immanissimas moles, ut in Asia cum Delos emersit, quæ antea maris undis tecta fuerat. *V.* BRASTÆ.

BRASSĬCA, æ, f. 1. Etymon a βράσσω *sono*; nam a crepitatione ita appellata videtur, ut etiam *bractea*: hæc cl. *Furlanetto*; sed falso, quemadmodum et falso a *præsecare* deducunt *Varro* 5. *L. L.* 104. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 31. 18. *Müll.*, nam Latini hanc vocem sumpsere a Græcis Italiæ meridionalis, teste *Hesych.*, qui ait: βράσκη κράμβη Ἰταλιῶται. — Est autem genus oleris frequentissimi et usitatissimi, caule et foliis magnis (It. *cavolo*; Fr. *chou*; Hisp. *col*, *berza*; Germ. d. *Kohl*; Angl. *a cabbage*), cujus plura genera recenset ac describit *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (136). et 20. *ibid.* 9. 33. (78). post *Catonem R. R.* 157., qui eam miris laudibus commendat, et *Colum.* 11. *R. R.* 3. 13. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. Vites a caulibus brassicisque, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus, refugere dicuntur. Adde *Plaut. Pseud.* 3. 2. 26.; *Propert.* 4. 2. 24. et *Pallad.* 7. *R. R.* 4. — Brassica Pompejana ea esse creditur a quibusdam, quæ ab Italis *cavolfiore*: brassica capitata, vel Cumana, *cavolo cappuccio*: brassica Sabellica, *broccoli*. Sed de his ad botanicos. — Habet etiam multos olus hoc usus in medicina, quos legere est apud *Plin. cit. loc.* 20. 9. 33. (78). et *Caton. ibid.* Quin per DC fere annos solam brassicam in medendis morbis Romanos adhibuisse, scribit ex Catonis testimonio *Plin. ibid.* et *Plin. Valer.* 4. 29. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 339. et 340.) brassicarum omnium, quas *Plinius* 19. *Hist. nat.* 8. 41. enumerat, hanc exhibet synonymiam: *a*) *Olus Apianum.* – Οὔλη Nicand. in Athen. 9. 2.; Οὐλόφυλλος Theoph. 7. 4.; Σελινοειδής Caton. R. R. 157.; Σελινουσία Athen. l. c.; Σέλινας Quorumd. est *Brassica viridis crispa* C. Bauh. Pin. 111. — *b*) Olus Aricium. – Brassica Aricia Colum. 10. R. R. 141. V. *Olus lacuturrium*, cujus *Aricium* est varietas. — *c*) *Olus Brutianum.* – Brassica Brutiana Colum. 10. R. R. 138. Le chou de Calabre, variété indéterminée. — d) *Olus crispum.* V. *Apianum.* — *e*) *Olus* (*brassica*) *Cumanum.* V. *Leve.* — *f*) *Olus Halmyridianum.* – Κράμβη ἀγρία Dioscor. 2. 157. et apud Athen. 9. 2. est *Crambe maritima* L. Spec. plant. 937., Θαλασσοκράμβη seu Κράμβη Θαλασσία Græcor. — *g*) *Olus lacuturrium.* – *Brassica Turni lacus* Colum. l. c.; *Olus Aricium* Plin. l. c., an *Cyma sylvestris* Ejusd. est *Brassica oleracea gongyloides* L. l. c. — *h*) *Olus* (*brassica*) *leve.* – Λεία, λειόφυλλος καυλώδης, ἐλεᾶς Dioscor. apud Athen. 9. et *Brassica Cymæ* Colum. 10. R. R. 131. sunt *Brassica capitata* C. Bauh. Pin. 111. — *i*) Olus Pompejanum. – *Brassica Pompejana* Colum. 10. R. R. 137. est *Brassica oleracea botrytis* L. Spec. plant. 932. — *l*) *Olus Sabellicum.* – *Brassica Sabellica* Colum. 10. R. R. 139. est *Brassica alba crispa* C. Bauh. Pin. 111. et *Brassica oleracea Sabellica* L. Spec. plant. l. c. — *m*) *Olus Tritianum.* – Κράμβη κεφαλωτή, γαστρία Nicand. in Athen. l. c. est *Brassica oleracea capitata* variet. Lamrk. Encycl. Qui plura cupit, adeat ipsum cl. *Fée* l. c. et pagg. seqq., ubi de his longe disserit.

BRASTÆ, ārum, m. plur. 1. βράσται, eadem terræmotus species, quæ *brasmatiæ* dicuntur: quod *V.* Hæc quoque Græca vox est, a βράζω *ebullio*; legiturque apud *Apul. de Mundo.*

BRATHY, ys, n. 3. βράθυ, herba apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 61. (102). Herba Sabina, brathy appellata a Græcis duorum generum est. Adde *Apul. Herb.* 85. *Scribon. Compos.* 154. habet genitivum brathys. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 260.) hanc exhibet synonymiam: Βράθυς ἢ Βάραθρον Dioscor. 1. 104., Apul. in libro de Nomin. et Virtut. herb., Galen. de fac. simpl. 6.; Βραθύ, Βράθυξ, Βάραθρον Quorumd.; *Herba sabina* Plin. l. c., Caton. R. R. 70., Virg. Cul. 403.; *Savina* Car. Mag. Capitul.; et *Sabina* vel *Savina* Latinor. sunt *Juniperus Sabina* Scop. Flor. carn. 2. 1228. — α. βράθυς κυπαρισσόφυλλος Dioscor. l. c. et *Herba sabina folio cupressi* Plin. l. c., necnon C. Bauh. Pin. 487. sunt *S. Baccifera* J. Bauh. 1. 288. (c'est le type de l'espèce.: la sabine mâle). — β. Βράθυς μυρικόφυλλος Dioscor. l. c.; *Sabina tamarisci folio* seu *cupressus cretica* Plin. l. c.; *Sabina folio tamarisci* seu *Dioscoridis* Bauh. Pin. 487. et *Sabina vulgatior* Lob. Icon. 219. sunt *Juniperus sabina*, var. β., *foliis superioribus paulo longioribus*, *acutioribus et semipatulis* Lamrk. Encycl. 2. 628. – La sabine femelle.

BRATTĔA. *V.* BRACTEA.

BRATUS, i, f. 2. arbor quædam in finibus oppidi Sittacæ in Zagro monte Asiæ, cupresso fusæ similis, exalbidis ramis, odorem emittens cum accenditur, cedro proximum atque jucundum. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 39. (78)., ubi ita legendum monet *Harduin.* ex MSS., non *bruta*, quod est in quibusdam editis. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 37. *et* 38.) quemnam arborem *Plinii* brato respondeat, se certo scire negat.

BRĀVĬUM. *V.* BRABEUM.

BRAX, acis, f. 3. βράκος, eadem ac braca. *Not. Tir.* p. 157. Brax, bracatus. *Sed hæc nihili facienda: V.* potius locum in v. BRACARIUS.

BRECHMA, Indorum lingua significat semen piperis cassum et inane, ut est apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 14. (27). — *Dioscorid.* hoc idem vocat βράσμα: ex quo quidam etiam apud *Plin.* *brasma* legere malunt.

BRĔPHŎTRŎPHĒUM *vel* **Brĕphŏtrŏphīum**, ii, n. 2. βρεφοτροφεῖον, locus, in quo infantes aluntur et educantur. Græca vox a βρέφος *infans*, et τρέφω *nutrio*. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 2. 19.

BRĔPHŎTRŎPHUS, i, m. 2. βρεφοτρόφος, qui alit infantes. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 3. 42. § 9. Cf. vocem præced.

BRĔVĬA, ium. *V.* **BREVIS** in fin.

BRĔVĬĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

BRĔVĬĀRĬUS, a, um, adject. in compendium redactus. *Scævola Dig.* 33. 8. 26. Cum rationibus breviariis et sortem et usuras complexus sit. — Hinc

Breviarium, ii, n. 2. absolute est summarium, compendium, epitome. *Seneca Ep.* 39. Hæc, quæ nunc vulgo breviarium dicitur, olim, cum Latine loqueremur, summarium vocabatur. *Sueton. Gramm.* 10. Breviarium rerum omnium Romanarum. *Id. Galb.* 12. Breviarium rationum. *Id. Vesp.* 21. officiorum omnium. *Id. Aug.* 28. et *Cal.* 16., et *Tac.* 1. *Ann.* 11. imperii. *V.* **RATIONARIUM**. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 62. (230). Peragere breviarium totius culturæ. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 26. 27. (98). *Eutrop. Inscript.* Eutropii breviarium historiæ Romanæ.

BRĔVĬĀTĬO, ōnis, f. 3. contractio, decrementum. *Augustin. Ep.* 80. *ad Hesych. circ. med.* Breviatio dierum. *Jornand. Get. præfat.* chronicorum. *Jornandes* enim XII. libros *Cassiodori* de rebus Geticis in epitomen coegit.

BRĔVĬĀTOR, ōris, m. 3. qui in compendium redigit. *Oros.* 1. *Hist.* 8. Pompejus historicus, ejusque breviator Justinus.

BRĔVĬĀTUS, a, um. *V.* **BREVIO**.

BRĔVĬCŬLUS, a, um, adject. deminut. a *brevis*, admodum brevis.

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 3. 4. 54. Homo ventriosus, bucculentus, breviculus. *Fronto de eloq.* Coturnicum potius pinnis breviculis, quam aquilarum majestate volitare. *Apul.* 1. *Met.* Grabatulus breviculus.

II.) Translate. *Apul.* 6. *Met.* Breviculo tempore.

Breviculum vel *Breviculus*, i, absolute, est parvus libellus, brevis scriptura. In *Cod. Justinian. l.* 7. titulus 44. et in *Cod. Theod. l.* 4. titulus 17. inscribuntur *De sententiis ex breviculo recitandis*. In legibus enim, quæ eo titulo continentur, præcipitur, ut judices sententias suas perscribant, et ex libello partibus legant. Ita *Budæus*, *Alciat.* et alii. *Cujacius* vero in *Cod.* 4. 19. *ad leg.* 5. 6. 7. *in fin.* legi jubet *ex periculo*: sed non satis probat, ut apparet sedulo examinanti auctoritates, quas affert. Denique alii volunt legi *ex pariculo*, quod in quibusdam ex infima Latinitate scriptoribus *paricula charta* accipiatur pro exemplo, seu descriptione, ut est in *Glossar. Du Fresne. V.* PERICULUM. — *Breviculum militum* idem est ac laterculum: *V.* **THETA**.

BRĔVĬLŎQUENS, entis, adject. βραχυλόγος, qui breviter et pauca loquitur. *Cic.* 7. *Att.* 20. 1. Breviloquentem jam me tempus ipsum facit.

BRĔVĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. βραχυλογία, brevis sermo, pauca verba. *Cic. fragm.* apud *Senec.* 22. *epistolar. moral.* (ita enim refert *Gell.* 12. 2.) Breviloquentiam in dicendo colat. Addit *Gell.* reprehendi a *Seneca* Ciceronem, quod *breviloquentiam* et *suaviloquentiam*, Enniana verba, usurpaverit.

BRĔVĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. βραχυλογία, idem ac breviloquentia. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf. ad fin.* Platonis auratum eloquium, et Aristotelis syllogismaticum breviloquium. *Priscian.* 7. p. 754. *Putsch.* Juniores gaudentes breviloquio per concisionem ea protulerant.

BRĔVĬLŎQUUS βραχυλόγος. *Gloss. Labb.*

BRĔVĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Cf. Gr. βραχύνω. Part. *Breviatus* I. — Brevio est brevem facio, abbrevio (It. *abbreviare*, *accorciare*; Fr. *abréger*, *raccourcir*; Hisp. *abreviar*, *acortar*; Germ. *kürzen*, *kurz oder klein machen*; Angl. *to shorten abridge*, *abbreviate*).

I.) Proprie ponitur de re inanime. *Quintil.* 11. 3. 33. Breviatur cervix, et gestum quemdam humilem atque servilem facit, cum se in habitum metus fingunt. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Non breviatis angustatisque gradibus ascenditur.

II.) Translate occurrit ¶ 1. De tempore. *Manil.* 6. 461. *Paulin. Nolan. carm.* 24. *Natal. S. Fel.* 9. 13. et breviatas Cogit hiems horas. ¶ 2. De pronunciatione. *Breviare syllabam* est brevi mora proferre. *Quintil.* 12. 10. 57. Detraxit aspirationem breviavitque secundam ejus nominis syllabam. ¶ 3. De oratione vel sermone est brevi præcidere. *Quintil.* 1. 9. 2. Versus paraphrasi audacius vertere, quâ et breviare quædam et exornare, salvo modo poetæ sensu, permittitur. *Id.* 5. 13. 41. Breviare aliquid callide.

BREVIS, e, adject. Comp. *Brevior* et Sup. *Brevissimus* in omnibus ferme paragr. — Ratione habita etymi, auctore ipso *Paul. Diac.* p. 31. 11. *Müll.*, est a Gr. βραχύς, quod idem omnino significat, quodque, addito digammate, est a ῥάσσω vel ῥήγνυμι *rumpo*, quemadmodum et Germ. *brechen*. Hinc *brevis* stricto sensu est ruptus, interruptus, decurtatus, ideoque parvus, exiguus (It. *breve*; Fr. *petit*, *brief*, *court*; Hisp. *breve*, *corto*; Germ. *kurz*; Angl. *short*).

I.) Proprie ponitur de inanimis. ¶ 1. Ratione habita longitudinis, breve dicitur quidquid non est longum vel excelsum; ideoque *brevis* opponitur *longo*, ut apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 92. Multa pauca, magna parva, longa brevia, lata angusta. *Et* apud *Nepot. Eumen.* 8. Brevior via, longior anfractus. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 245. Pusillus testis processit –, sed sedebat judex L. Aurifex, brevior ipse, quam testis. *h. e.* staturâ humilior. Cf. *Quintil.* 2. 3. 8. Staturâ breves. *Sueton. Galb.* 3. Homo brevi corpore. *Id. vit. Horat.* Brevi corporis habitu. *Liv.* 21. 35. Ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 93. Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 13. (63). Ideoque diversos habent orbes –, quoniam interiores absidas necesse est breviores esse. — Hac significatione, quemadmodum et aliis infra, pluribus jungitur Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. *Ovid.* 14. *Met.* 329. Almo cursu brevissimus. *Virg.* 3. *G.* 80. Alvus brevis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 89. Caput. *Ovid.* 2. *Met.* 517. Circulus spatio brevissimus. *Id. Heroid.* 2. 119. Alecto brevibus torquata colubris. *Seneca Hippol.* 803. Coma. *Virg.* 3. *Æn.* 507. Cursus brevissimus. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 46. Fila breviora. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 26. Folia breviora. *Ovid.* 5. *Met.* 457. Forma brevis. *Seneca Hippol.* 314. Gyro breviore flecti. *Id. Herc. Œt.* 1640. Ilex brevior. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 32. Iter brevius. *Id.* 9. *Met.* 789. Mensura brevior. *Id.* 2. *Fast.* 574. Mus brevis. *h. e.* parvus, exiguus. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 37. Pondus breve. *h. e.* exiguum, parvum: *Horatii* verba sunt: quo pertinet ergo Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis Majorem natura modum dedit, his breve pondus. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 36. Puella longa brevisque. *Virg.* 9. *Ecl.* 23. Via brevis. *Tibull.* 1. 10. 4. et *Juvenal.* 14. 223. brevior. *Ovid.* 5. *Met.* 253. brevissima. *Horat. Epod.* 5. 15. Viperæ breves. *h. e.* parvæ. ¶ 2. Ratione habita latitudinis, *brevis* est angustus, non latus; ideoque *lato* opponitur, ut apud *Ovid. Heroid.* 19. 141. Parce, ferox, latoque mari tua prælia misce; Seducit terras hæc brevis unda duas. *Id. ibid.* 18. 174. Aqua brevis cui ibidem *opponitur* Latum æquor. *Lucan.* 9. 957. Aqua brevior. *Tac.* 5. *Ann.* 48. Confinium breve artis et falsi. *Martial.* 4. 42. Frons. *Juvenal.* 1. 73. Gyaris brevibus dignum. *Tertull. Cult. fem.* 1. Loculi brevissimi. *Horat. Art. P.* 198. Mensa brevis. *h. e.* angusta, ideoque simplex, temperans. *Pallad.* 1. *R. R.* 20. 4. Offulæ. *Ovid.* 9. *Met.* 226. Scopulus. *Plin.* 10. *Ep.* 69. Terra brevissima. *h. e.* angustus terræ tractus. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. Brevissimus in Britanniam trajectus. Cf. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 16. 30. (103). ¶ 3. Ratione habita profunditatis *brevis* est non profundus, parum profundus. *Juvenal.* 3. 226. puteusque brevis, nec reste movendus. *Virg.* 5. *Æn.* 221. Vada brevia. *Seneca Agamemn.* 572. Has inopis undæ brevia comminuunt vada. *V. Breve, is*, in fin. sub *A.* 2. ¶ 4. Denique ratione habita spatii totius, *brevis* est parvus, exiguus, atque opponitur *magno*, ut apud *Horat.* 2. *Od.* 15. 13. Privatus illis census erat brevis, Commune magnum. Cf. *Lucret.* 5. 591. Pars exigua brevisque. *Avien. Ora marit.* 270. Civitas egena, brevis. cui ibidem *opponitur* multa et opulenta. Cf. *Claudian. B. Gild.* 107. *ex persona Romæ*. brevior duxi securius ævum: Ipsa nocet moles. *Ovid. Heroid.* 7. 183. Imperia brevia. *Pallad.* 1. *R. R.* 28. 1. Insulæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 23. (62). Pantheris in candido breves macularum oculi. *Ovid.* 6. *Met.* 86. Sigilla. *Martial.* 12. 67. Summa brevior. *Pallad.* 5. *R. R.* 8. 4. Vasculum brevissimum.

II.) Translate ponitur de tempore, et *brevis* est qui parvo tempore fit, qui parvo tempore durat; atque opponitur *longo*, ut patet ex locis infra allatis. ¶ 1. Generatim. *Monum. Scipion.* apud *Orell. Inscript.* 558. MORS PERFECIT TVA. VT ESSENT OMNIA BREVIA. HONOS FAMA VIRTVSQVE GLORIA ATQVE INGENIVM. QVIBVS SEI IN LONGA LICVISSET TIBE VTIER VITA etc. *Plaut. Amph.* 1. 3. 50. Quanto nox fuisti longior hac proxumâ, tanto brevior dies ut fiat faciam. *Cic. Amic.* 27. 104. Omnia brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sint. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 39. 94. *Id.* 2. *ibid.* 19. 44. Si summus dolor est, – brevem necesse est esse. *Sall. Cat.* 1. Quo mihi rectius videtur –, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere. *Liv.* 21. 15. Aut omnia breviora aliquanto fuisse, aut Saguntum principio anni – captum. — Jungitur pluribus Substantivis. *Quintil.* 6. 4. 2. Actio brevis atque concisa. *Horat.* 2. *Od.* 16. 17., 2. *Sat.* 6. 97. et 2. *Ep.* 1. 144. Ævum breve. *Plin. Paneg.* 78. 2. Ævum breve et fragile. *Tac.* 2. *Ann.* 41. Amores. *Horat.* 4. *Od.* 13. 22. Anni. *Tac.* 15. *Ann.* 60. Arbitrium mortis. *Id.* 2. *Hist.* 59. et *Seneca Troad.* 273. Auditus. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 35. Cœna. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (140). Commendatio. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 216. Cura. *Cic. Arch.* 11. 28. Curriculum vitæ exiguum et breve. *Id. Sext.* 21. 47. Cursus vitæ brevis, gloriæ sempiternus. *Quintil.* 11. 1. 10. Detrimentum senectutis. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 12. Dies brevior. *Cic.* 1. *Fin.* 12. 40. et 2. *ibid.* 20. 94. Dolor. *Horat.* 2. *Od.* 14. 24. Dominus. *Seneca Hippol.* 762. Donum. h. e. quod brevi tempore durat. *Horat.* 2. *Od.* 3. 13. Flores rosæ. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 36. 16. lilium breve. *Sil. It.* 4. 734. Fortuna. *Lucret.* 3. 927. Fructus. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 64. Furor. *Seneca Octav.* 200. Gaudium. *Lucret.* 4. 177. Hora. *Catull.* 5. 5. Lux. *Seneca Troad.* 760. Mora. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Noctes breviores. *Ter. Eun.* 3. 5. 56. et *Phædr.* 5. 8. 5. Occasio rerum brevis. *Seneca Œd.* 937. Pœnæ. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 30. Sermo brevis. cui ibidem *opponitur* longinquus. *Seneca Troad.* 441. Somnus. *Sueton. Aug.* 22. Spatio temporis multo breviore. Et absolute *Plaut. Capt.* 3. 5. 85. Spatium breve. *Ter. Heaut.* 5. 2. 2.; *Lucret.* 2. 77.; et *Sueton. Claud.* 12. et *Ner.* 30. in brevi spatio. *Lucret.* 4. 160. et *Horat.* 1. *Od.* 11. 6. brevi spatio. *Horat.* 4. *Od.* 12. 27. Stultitia brevis. *Id.* 1. *ibid.* 4. 15. Summa vitæ. *Ter. Hec.* 5. 4. 2. Tempus breve. *Virg.* 10. *Æn.* 467. breve et irreparabile tempus vitæ. *Liv.* 5. 6. 4. brevissimum tempus. *Cic.* 5. *Fam.* 21. 2., 12. *ibid.* 2. 3., et 2. *Tusc.* 2. 5.; *Cæs.* 1. *B. G.* 40.; *Nepos Miltiad.* 2. et *Them.* 1.; et *Sueton. Cæs.* 3. brevi tempore. *Ovid.* 1. *Met.* 117. Ver. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 33. et *Seneca Brev. vit.* 1. Vita. — Huc pertinent et formula *brevius est*, h. e. facilius est. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 19. Modo ne existimes brevius esse ab urbe mitti. Cf. *Tac.* 13. *Ann.* 43. ¶ 2. Speciatim dicitur de pronunciatione. *Syllaba brevis* dicitur, quæ brevi mora temporis profertur, cui contraria est *longa* vel *producta*. Itaque brevis syllaba dicitur esse unius temporis, longa duorum, ut *Quintil.* 9. 4. 61. docet. Hoc autem duplici ratione intelligendum est, nempe vel quantitate, vel pronunciatione. Quantitate, ut in pedibus metricis: quo sensu *Horat. Art. P.* 251. Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus. Cf. *Cic. Orat.* 64. 218. Pronunciatione cum plus minusve moræ trahitur in syllaba aliqua pronuncianda, etiam contra rationem quantitatis. Quantitas enim syllabæ ex ipsius natura aut positione petitur: pronunciatio ex usu atque instituto loquendi. Ex quo fit, ut aliquando quæ quantitate longa est, brevis pronunciatione dicatur, et contra. Hinc *Cic. Orat.* 48. 159. *Inclytus* dicimus prima brevi littera, *insanus* producta, *inhumanus* brevi, *infelix* longa. Cf. *Gell.* 2. 17. et 4. 17. Hæc facilius intelligerentur, si Latinæ pronunciationis vim ac sonum legitimum, quem jam penitus amisimus, calleremus. Tamen Itali quoque interdum syllabam naturâ longam brevi tempore efferunt, ut in *mandorla*, *Otranto*, *Scarpanto*: quæ similia sunt ac si dicas *inclytus* prima brevi. *V.* in fine *Brevis, is*, f. ¶ 3. Item speciatim de oratione, quæ duplici ratione brevis esse potest, externâ scilicet et internâ: externâ, hoc est ratione habita vocabulorum, quibus oratio ipsa constat (*Cic. Orat.* 34. 173. Versus unâ syllabâ brevior.); et internâ, hoc est ratione habita rerum, ita ut nihil plus dicatur, quam quod necesse est. (*Quintil.* 4. 1. 24. Docendi compendia brevia.) Hac significatione occurrit — *a*) De oratione ipsa. *Cic.*

Brut. 44. 162. Ambitus verborum contractus et brevis. Quintil. 10. 7. 31. Annotatio. Id. 3. 8. 58. Commentarii breviores. Id. 12. 2. 19. Comprehensiones breves. Id. 6. 3. 104. Dictum. Id. 9. 2. 56. Digressio a re brevior. Id. 12. 10. 64. Eloquentia. Cic. 1. Att. 9. 1. Epistola brevior. Quintil. 3. 6. 10. Exemplum brevissimum. Cic. Brut. 44. 162. Laudatio. Quintil. 11. 3. 110. Membra (in sermone). Cic. 1. Invent. 20. 28. Narratio. Ovid. Heroid. 15. 4. Opus. Cic. Brut. 44. 162. Oratio. Id. 3. Fin. 4. 14. Responsio. Quintil. 10. 1. 60. Sententiæ. Id. 9. 4. 42. Verba ac nomina. Cic. 4. Fin. 18. 48. Tua illa brevia. — Huc pertinent et formulæ *breve aliquid dicere*, *breve aliquid facere*. Cic. Sext. 5. 12. Longum est ea dicere, sed hoc breve dicam. Id. 11. Att. 7. 6. Quid scribam? aut quid velim? Breve faciam. Auct. Declam. in Sall. 1. Iam dabo operam, quam maxime potero, ut breve id faciam. V. in fine Brevis, is, m. — b) Item ponitur de loquentibus aut scribentibus. Cic. 1. Invent. 20. 28. Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, cum se breves putent esse, longissimi sint. Id. 5. Att. 6. 2. In scribendo brevis. Horat. Art. P. 25. brevis esse laboro, Obscurus fio. Quintil. 10. 1. 63. Brevis in eloquendo.

Brevis, is, m. 3. abs., subaudi *liber* vel *libellus*, est libellus, in quo summatim aliquid perscriptum est. Vopisc. Aurelian. 36. Breve nominum conscripsit. Et mox. Breve legit singulis, quorum nomina continebat. Id. Bonos. 15. Dabis ei, juxta breve infrascriptum, omnia quæ præcipimus. Gruter. et Salmas. ubique, et quidem recte, legunt *brevem* ex MSS. Sic Id. ibid. 15. Brevis munerum fuit etc. Lamprid. Alex. Sev. 21. Milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet breves etc. Hieronym. Ep. 5. n. 2. Libros, quos me non habere brevis subditos edocebit, etc. Impp. Arcad. et Honor. Cod. 1. 32. 1. Breves etiam quadrimenstruos ad officium palatinum noverint dirigendos. Adde Cod. Theod. 10. 16. 3.

Brevis, is, f. 3. absolute, subaudi *syllaba*, est idem ac syllaba brevis, de qua V. supra sub II. 2. Cic. Orat. 64. 215. Creticus, qui est e longa et brevi et longa. Adde Quintil. 9. 4. 93.

Breve, is, n. 3. absolute dicitur quidquid non est longum, aut latum, aut profundum.

A) Proprie ponitur de inanimis. ¶ 1. Breve est exiguum, angustum, cui *latum* opponitur. Horat. 1. Ep. 20. 8. *ad librum suum*. et scis, In breve te cogi, cum plenus languet amator. h. e. involvi et complicari. Nam veterum volumina evolvebantur, si legi opus esset, rursusque involvebantur, si claudi et deponi. ¶ 2. Item breve, et sæpius *brevia*, ium in num. plur. (subaudi *vada*, et V. supra sub I. 3.) sunt, ubi aqua profunda non est et transiri pedibus potest. Tac. 14. Ann. 29. Naves fabricari adversus breve et incertum. Virg. 1. Æn. 105. Tres Eurus ab alto In brevia et syrtes urget. Adde Lucan. 9. 338., et Tac. 1. Ann. 60. Id. Tac. 6. ibid. 33. Brevia littorum.

B) Translate ponitur de iis, quæ brevi tempore fiunt, vel brevi tempore durant. ¶ 1. *Breve* est idem ac breve tempus: sed adverbialiter tantummodo occurrit: scilicet in formulis — *a*) *Ad breve*, ut apud Sueton. Tib. 68. Oculi, qui noctu etiam et in tenebris viderent, sed ad breve. — *b*) *Breve* pro per breve tempus. Catull. 60. 187. Vos bonæ senibus viris Cognitæ breve feminæ, Collocate puellulam. — *c*) *In brevi*, h. e. brevi tempore. Afranius apud Charis. 2. p. 186. Putsch. Præfestinamus quæ sit causa sciscere, quod sit necessum scire, præsertim in brevi. Auct. ep. ad Octav., quam quidam olim Ciceroni tribuebant. O miseram, et in brevi tam celerem et tam variam reipublicæ commutationem. Adde Flor. 1. 1. 15. — *d*) Sæpius occurrit *brevi* eadem significatione. Cic. 7. Verr. 54. 142. Brevi postea est mortuus. Adde eumd. 1. Tusc. 40. 96.; Cæs. 4. B. G. 33.; Nepot. Them. 4.; Sall. Jug. 13.; Liv. 1. 9.; Ovid. 5. Met. 32.; Sueton. Cæs. 34. Gell. 1. 15. ad fin. Brevi antequam moreretur. h. e. paullo ante quam. Id. 13. 18. Fuit Eschylus non brevi antiquior. h. e. haud pauco tempore. ¶ 2. Speciatim occurrit de oratione in formulis — *a*) *In breve*, h. e. ad pauca, summatim. Liv. 39. 47. Erant de rebus singulis in breve coactæ causæ. Cajus Instit. 4. 15. In breve coactio causæ. — *b*) *In brevi*, h. e. paucis verbis, occurrit solummodo apud Quintil. 9. 4. 32. Hæc arbitror, ut in brevi, de ordine fuisse dicenda. — *c*) Sæpissime *brevi* usurpatur eadem significatione. Cic. 3. Fam. 8. 1. Tamen cum tu tam multis verbis ad me scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis litteris brevi responderem. Id. Sext. 45. 97. Brevi circumscribere aliquid et definire. Id. 1. Orat. 42. 190. complecti aliquid. Id. ibid. 8. 34. comprehendere aliquid. Id. Planc. 40. 95. et 1. Fin. 17. 55. explicare aliquid. Id. 1. Orat. 46. 203. exponere aliquid. Id. Cæcin. 32. 94. percurrere aliquid. Id. 4. Herenn. 26. 35. proponere aliquid. Id. 2. Legg. 14. 34. reddere aliquid. Id. 1. Invent. 9. 12. reprehendere aliquid. Servius apud Cic. 4. Fam. 5. 1. perscribere aliquid.

BREVĬTAS, ātis, f. 3. (brevis) est contractio, parvitas, sive abstracta qualitas, qua quid est exiguum, parvum, non altum, neque longum, neque latum (It. *brevità*, *cortezza*; Fr. *brièveté*; Hisp. *brevedad*; Germ. d. *Kürze*, *kurze Beschaffenheit*; Angl. *shortness*, *brevity*).

I.) Proprie ponitur de rebus corporeis ratione habita earumdem extensionis, seu spatii. Lucret. 2. 483. Brevitas corporis. Cæs. 2. B. G. 30. Gallis præ magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui est. Cf. Ovid. 2. Amor. 4. 35. Vitruv. 7. 8. 2. Schneid. Brevitas guttarum. Plin. 8. Hist. nat. 34. 52. (123). crurum. Id. ibid. 55. 81. (219). pili. Id. 12. ibid. 2. 6. (13). Chamæ platani coactæ brevitatis. Gell. 10. 26. Brevitas angusti freti. Pallad. 9. R. R. 2. vineæ. Claudian. Epigr. 20. 11. de zona. Brevitas doni.

II.) Translate. ¶ 1. De temporis exiguitate usurpatur, eique *longitudo* opponitur, ut apud Cic. 7. Verr. 10. 26. Diei brevitas, longitudo noctis. Id. 1. Att. 10. 1. Brevitas temporis. Id. 1. Tusc. 38. 91. et Seneca Brev. vit. 1. vitæ. Absolute pro vitæ brevitate Cic. 1. Tusc. 39. 94. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate; in eadem propemodum brevitate, qua illæ bestiolæ, reperiemur. Sil. It. 3. 141. Brevitas horæ. ¶ 2. Item de pronunciatione, sive syllabarum quantitate (V. BREVIS II. 2.): cujus brevitatis signum in syllabis est linea curva ita vocali superposita *dăbit*, teste Priscian. p. 1287. Putsch. Cic. Orat. 63. 211. Brevitas pedum cui ibid. opponitur *proceritas*. Id. ibid. 51. 173. Longitudines et brevitates in sonis. Id. ibid. 57. 193. Contractio et brevitas. Id. ibid. 57. 191. Brevitas et celeritas syllabarum. ¶ 3. Sæpissime de oratione occurrit. Cic. 2. Orat. 80. 326. Si brevitas appellanda est, cum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio: sin tum est brevitas, cum tantum verborum est, quantum necesse est etc. Id. Harusp. resp. 19. 41. Cujus tanta in dicendo gravitas, tanta jucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, perficere dicendo. h. e. stilus pressus. Adde eumd. Brut. 13. 50. et 3. Legg. 18. 40.; Horat. 1. Sat. 10. 9. et Phædr. 2. prol. 12. et 3. 10. 60. Cic. 3. Orat. 80. 327. Brevitati servire. Id. 1. Invent. 20. 28. Brevitatis imitatio. Id. 3. Orat. 53. 202. Distincte concisa brevitas. Id. 2. Verr. 40. 103. Aliquid propter rationem brevitatis ac temporis prætermittere. Id. 2. Legg. 7. 18. Aliquid cum brevitate consequi. Id. 2. Off. 12. 43. Brevitatis causa. Cf. Plin. 18. Hist. nat. 25. 57. (214). Brevitatis gratiā. Nepos Epam. 5. Brevitas respondendi. Apud Quintil. 3. 8. 67., 10. 1. 46. et 10. 5. 8. Brevitati opponitur copia. Id. Quintil. 4. 2. 40. Brevitas non inornata. Id. 4. 2. 45. Sallustiana. Id. 6. 3. 45. acutior atque velocior. Id. 4. 2. 43. Brevitatem in aliqua re ponere.

BREVĬTER, adverb. (brevis). Comp. *Brevius* I. et II. 2.; Sup. *Brevissime* II. 2. exigue (It. *brevemente*; Fr. *brièvement*; Hisp. *brevemente*; Germ. *kurz*, *auf kurze Art und Weise*; Angl. *shortly*, *in brief*).

I.) Proprie occurrit de rebus corporeis, quæ ratione habita extensionis seu spatii neque longæ, neque latæ sunt. Martial. 4. 42. 9. Frons brevis atque modus breviter sit naribus uncis. — Sæpius occurrit Comp. Tibull. 4. 1. 94. Seu libeat curvo brevius compellere (equum) gyro. h. e. angustiore spatio. Plin. 2. Hist. nat. 67. 67. (168). Circa Caspium quoque multa Oceani littora explorata, parvoque brevius quam totus, hinc aut illinc Septemtrio eremigatus. h. e. paullo minus quam totus. Tac. 6. Ann. 35. Cum — Sarmatæ, omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent. V. Orelli ad h. l.

II.) Translate. ¶ 1. De tempore ponitur. P. Syrus v. 334. Iratum breviter devites, inimicum diu. Gell. 19. 1. ad fin. Sapiens autem, cum breviter et strictim colore atque vultu motus est, οὐ συγκατατίθεται. ¶ 2. Item de pronunciatione sive de syllabis: V. BREVIS II. 2., eique *producte* opponitur. Cic. Orat. 48. 159. Quibus in verbis eæ primæ litteræ sunt, quæ in *sapiente* et *felice*, producte dicitur, in ceteris omnibus breviter. ¶ 3. Sæpius de oratione. Cic. Orat. 15. 50. Summatim breviterque describere aliquid. Id. 2. Orat. 49. 201. Breviter attingere aliquid. Adde Plin. 2. Hist. nat. 12. 9. (55).; Sueton. Galb. 3. et Plin. 1. Ep. 20. Cic. Amic. 1. 1., 2. Verr. 30. 75. et 1. Orat. 23. 107. dicere aliquid. Adde Plin. 3. Hist. nat. 5. 6. (39). et Quintil. 12. 10. 71. Cic. 1. Herenn. 10. 17. et Pis. 3. 7. exponere aliquid. Id. 3. Off. 2. 8. tangere aliquid. Id. 4. Fin. 10. 26. Quodque ego pluribus verbis, illi brevius. Id. Orat. 48. 162. Dicere brevius aliquid. Adde Quintil. 10. 1. 5. Cic. 2. Nat. D. 1. 3. Geram tibi morem et agam quam brevissime potero. Adde eumd. 1. Divinat. 32. 70. et Quintil. 1. 4. 2. et 1. 10. 1. Lucret. 6. 1082. et Quintil. 9. 3. 91. Breviter comprehendere. Nepos Att. 18. aliquid declarare. Id. procem. 25. demonstrare. Sall. Jug. 111. disserere. Virg. 4. Æn. 632. et Ovid. 2. Met. 783. affari aliquem. Virg. 6. Æn. 321. fari. Id. 2. ibid. 11. audire aliquid. Quintil. 9. 3. 100. adjicere aliquid. Id. 7. 3. 29. complecti aliquid. Id. 5. 10. 94. contrahere summum. Id. 4. 1. 34. indicare. Id. 4. 3. 8. Verum hæc breviter omnia. Id. 10. 1. 49. Brevius narrare. Id. 8. 6. 61. significare.

BRIA, æ, f. 1. genus vasis, seu poculi, ut exponitur in Gloss. Philox., sed quale tandem vas sit, ignoratur. Etymon forte est repetendum a βρύω *mano*, *scateo*, unde est etiam βρῦν, vox infantium potum petentium, qua adhuc utuntur Venetorum infantes, vulgo *brun brun* iterantes; quod videtur factum ex sono aquæ ex vase aliquo defluentis. Arnob. 7. 29. Date, quæso, diis immortalibus bibant, scyphos, brias, pateras, simpuviaque depromite. — Charis. 1. p. 63. Putsch. non *briam*, sed *hebriam*, seu *ebriam* vocat; quod vel mendum est, ut quidam putant, vel dicendum, articulum cum nomine coaluisse, ut *hebria* sit ex ἡ βρία, ea ratione qua *temetum* ex τὸ μέθυ factum esse videtur. — Ab hac *bria*, seu *hebria* ducunt etymologi *ebrius* et *ebrietas*, item *sobrietas*, *sobrius*. — Id. Charis. ibid. p. 37. docet, *hebriam* esse communis generis, allato testimonio Pomponii in Auctorato: Neque ego sum Memmius, neque Cassiu', nec Mimatius Ebria. At hic *ebria* est cognomen Mimatii.

BRĪCA et Briga et Briva et Bria, æ, f. 1. Veteres Galli, seu Celtæ ita pontem appellabant, hinc etiamnum Germani superiores *brücke*, inferiores *brugge*, Anglo-Britanni *bridge* dicunt. Inde etiam plurimæ civitates in Gallia, et Hispania nomen sumpserunt, ut Samarobriva, nunc *Amiens*, Segobriga, nunc *Segorbe*. Strabo l. 7. p. 319. et Stephanus Bizant. in Μεσημβρία et Σηλυμβρία (V. Tzschuck ad Melam 2. 2. 5. p. 94. et 101., et Durandi del Vercellese p. 70.) βρίαν apud Thraces urbem, Hesychius vero vicum significare affirmant. Quæ vero urbes apud Ptolemæum in *briga* finiuntur, apud Plinium plerumque in *brica* exeunt. — NB. De cognomine V. ONOM.

BRĬGANTES, um, m. plur. 3. apud Marcell. Empir. 8. § 1. ante med. sunt vermiculi, qui cilia arare et exulcerare solent. — NB. De populo V. ONOM.

BRĪSA, æ, f. 1. vinaceus uvæ, cum calcatur, vel potius vinaceorum massa, ex qua vini, vel aquæ effusione fit vinum secundarium: videturque esse a βρύω *mano*, *scaturio*, quia cum calcatur, vini liquorem effundit. Colum. 12. R. R. 39. 2. Subactam brisam prelo subjicere. Græci vocant τὰ βρύτεα vel βρύτια. — NB. De promontorio V. ONOM.

BRĬTANNĬCUS, a, um, adject. ad Britanniam pertinens. V. ONOM. — Hinc

Britannica herba est, quam alio nomine *hydrolapathum* appellari quidam putant, foliis oblongis nigris, radice nigra, flore qui vibo appellatur. Utilis est ad vitia oris, ad anginas, et ad serpentum ictus. Plin. 25. Hist. nat. 3. 6. (20). et Apul. Herb. 29.

BROCCHĬTAS vel brochitas, ātis, f. 3. dentium prominentia. Plin. 11. Hist. nat. 37. 61. (160). Senectus in equis et ceteris veterinis intelligitur dentium brocchitate, superciliorum canitie.

BROCCHUS vel brochus, a, um, adject. ¶ 1. Est qui est producto ore, et dentibus prominentibus,

ut *Non.* p. 25. 27. *Merc.* exponit. *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Brocchus Bovillanus dente adverso eminulo uno Hoc est rhinoceros. Adde *Plaut. fragm.* apud *Festum* p. 375. 21. *Müll.* filius. ¶ 2. Ipsi quoque dentes, qui prominent, *brocchi* dicuntur. *Varro* 2. *R. R.* 9. 3. Canes debent esse mento suppresso, et ex eo enatis duobus dentibus dextra et sinistra, paullo eminulis superioribus, directis potius, quam brocchis. *Id. ibid.* 7. 3. *de equo.* Dentes cum facti sunt brocchi, et supercilia cana. *h. e.* cum gingivis ob senium retractis prominentes fiunt. — Legitur etiam *broncus*, *bronchus* et *broccus*, sed scriptio superius allata rectior videtur. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BRŎCHON, i, n. 2. gummi, quod ex bdellio arbore manat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (35).

BROGA, vox Gallica agrum significans. *Vet. Schol.* ad *Juvenal.* 8. 234. Ideo autem dicti Allobroges, quoniam *broga* Galli agrum dicunt, *allo* autem, aliud. Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.

BROMATICI dicuntur, quibus fastidium est ciborum. *Isid.* 5. *Orig.* 35. 6.

BRŌMĬĀLIS, le adject. ad Bromium pertinens, Bacchicus. *Capell.* 8. p. 271. Famulicium Veneris, vernaculæque, Bromiales tantos cachinnos concussis admodum tulere singultibus, ut, etc.

BRŌMĬUS, a, um, adject. ad Bromium sive ad Bacchum pertinens, Bacchicus. *Varro* apud *Non.* p. 71. 18. *Merc.* Cape hanc caducam Liberi mollem dapem De fronde Bromiæ auctumnitatis uvidam. *Claudian. II. Cons. Stilich.* 365. taurineque pulsu Baccharum Bromios invitant tympana remos. *Al. aliter leg.*

BRŌMOS, i, f. 2. βρόμος. ¶ 1. Est avena sativa, jumentorum cibus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (93). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 149.) arbitratur, *bromom* Plin. non esse *Avenam sativam* L., ut nonnulli putarunt, sed potius aliquam herbam gramineam exoticam et incognitam, vel fortasse ipsam oryzam, quemadmodum alii quoque censuerunt. ¶ 2. Ab *Eod.* 22. *ibid.* 25. 79. (161). sic appellatur etiam avena silvestris, folio et stipula triticum imitata, et inter vitia segetum enumeranda. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 159.) hanc exhibet synonymiam: βρόμος Hipp. de Vict. rat. 356.; βρῶμος Dioscur. 2. 116., et *Avena* Plin. 18. 17. 44. (149). necnon *Bromos* Ejusd. l. super cit. sunt *Avena sativa* L. Spec. plant. 118.

BRŌMŌSUS, a, um, adject. graveolens, βρωμώδης: Græca vox. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *a med.* Caro neque pinguis, neque bromosa. *Id.* 3. *Tard.* 2. Qualitas bromosa, vel fumosa. — Legitur et *brumosus*.

BRONCHĬA, ōrum, n. 2. βρόγχια, pulmonis concava. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 28. Pulmonis partes arteriæ adhærentes, quas appellant bronchia.

BRONCHOS, i, m. 2. βρόγχος guttur, fauces. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ante med.* Gutturis summitas paralysi vitiata, sive ut rheuma, sive ut Græci bronchos, mortem facit et parvam transvorationis tussiculam. Adde *Theod. Priscian.* 3. 7.

BRONCHUS, a, um. *V.* BROCCHUS.

BRONCHUM, i, n. 2. Græca vox βρόγχον, quæ gutturis arteriam significat. Latinis litteris occurrit apud *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. Ad arteriam gutturis, quam Græci bronchum appellant.

BRONTE, es, f. 1. βροντή, Græce est tonitru. ¶ 1. Hoc sensu *Plin.* de Apelle 35. *Hist. nat.* 10. 36. (96). Pinxit et quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetra fulgura, quæ Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant. ¶ 2. Item gemma e capitibus testudinum tonitribus cadens, ex quo nomen traxit. Nam βροντή tonitrum significat. Huic similis nomine est *Brontia*, βροντεία, quæ et ipsa imbribus et fulminibus cadere dicitur. De utraque *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150). et 65. (176). et *Isid.* 16. *Orig.* 15. 24. *V.* et OMBRIA. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

BRONTĬA. *V.* BRONTE. 2. *Sillig.* in utroque *Plinii* loco legit *brontea*.

BRŪCHUS, i, m. 2. βροῦχος, vel βρύκος, insectum e locustarum genere, tenera germina herbarum arborumque erodens: a βρύκω rodo. Quidam eum definiunt locustam minime alatam. *Prudent. Hamartig.* 229. Aut populator edet gemmantia germina bruchus. *Alcim.* 5. 193. Exin restantem surgit consumere fructum Bruchus, et excusso confi ens crure locusta. Adde *Vulgat. Interpr. Psalm.* 104. 34., et alibi sæpe.

BRŪMA, æ, f. 1. Quod ad etymon attinet, hæc habet *Macrob.* 1. *Saturn.* 21. Brumam appellavere veteres a brevitate dierum cognominantes, id est βραχὺ ἦμαρ. *V.* simile etymon apud *Isid.* 5. *Orig.* 35. Saniores tamen etymologi dictam docent cum *Varron.* 6. *L. L.* 8. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 31. 14. *Müll.* a *brevi*; nempe brumam esse per syncopen a *brevissima*, unde *brevima*, *breuma*, *bruma*, uti ab *infimus* est *imus*. — Hinc generatim bruma est dies omnium brevissima. ¶ 1. Stricto sensu bruma est tempus solstitii hiemalis, cum dies brevissimi sunt (It. *solstizio d'inverno*; Fr. *solstice d'hiver*; Hisp. *solsticio de invierno*; Germ. *das Wintersolstitium*; Angl. *the winter-solstice*), quod incidit secundum Latinos auctores a. d. VII. Kal. Januar., ut est apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 59. (221)., vel XVI. Kal. Januar., ut ex Hipparcho docet *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94. sole Capricorni signum ingrediente, et per tres fere dies durat. Et quia eo tempore sol, fine ulterius recedendi facto, rursus ad nos incipit accedere et quodammodo renovari, ideo bruma dicitur novissimum veteris solis tempus, et novi primum, atque adeo anni ipsius principium. *Varro l. c.* Tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 24. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 163. Bruma novi prima est veterisque novissima solis. *Ter. Phorm.* 4. 4. 28.; *Cic.* 2. *Divinat.* 24. 52. et 7. *Fam.* 20. 2.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (125). Ante brumam. *Lucret.* 5. 745. Tandem bruma nives affert pigrumque rigorem Reddit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Possetne tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci? Adde *eumd. ibid.* 19. 50. *Id.* 3. *Fam.* 7. 3. Post brumam. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 7. Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert; Efficit angustos nec mihi bruma dies. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 56. (204). Inter omnes convenit, circa brumam serendum non esse. ¶ 2. Latiori sensu accipitur pro ipso hieme. — *a*) Raro in prosa oratione. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Nam et musculorum jecuscula brumâ dicuntur augeri, et pulejum aridum florescere ipso brumali die. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (190). Si competant (*lunæ*) coitus in novissimum diem brumæ. *Forcellinus* h. l. brumam stricto sensu accepit. — *b*) Sæpius a Poetis. *Virg.* 1. *G.* 210. serite hordea campis Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem. *Forcellinus* h. etiam l. brumam stricto sensu accepit. *Id.* 3. *ibid.* 321. nec totâ claudes fenilia brumâ. *Id. ibid.* 443. Bruma horrida. *Id.* 2. *Æn.* 472. frigida. *Horat.* 4. *Od.* 7. 9. ver proterit æstas Interitura, simul Pomifer auctumnus fruges effuderit, et mox Bruma recurret iners. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 7. 12. et 1. *Ep.* 7. 10. *Id.* 1. *Ep.* 11. 19. per brumam. *Phædr.* 4. 23. de musca. Æstate me lacessis; cum bruma est, siles. Adde *Tibull.* 1. 4. 5.; *Propert.* 1. 8. 9.; *Ovid. Ib.* 37.; *Manil.* 1. 267.; *Stat.* 4. *Silv.* 1. 24. et 1. *ibid.* 3. 89.; et *Val. Flacc.* 5. 602. ¶ 3. Hinc metaleptice ponitur pro anno. *Manil.* 3. 603. Per quinquagenas complet sua munera brumas. Adde *Martial.* 10. 104. 9. ¶ 4. *Brumæ* nomine *Tertullianus Idolol. loc. cit.* in COGNATIO appellat Saturnalia, quæ Romanos antiquitus *brumalia* dixisse apparet ex *Suida* et *Etymol. M.* et *Chron. Paschal.* p. 114. Hinc *Martial.* 13. 1. Postulat ecce novas ebria bruma sales.

BRŪMĀLIS, e, adject. ad brumam pertinens. ¶ 1. Stricto sensu est ad brevissimos hiemalis solstitii dies pertinens. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 176. Ut sol accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem. *h. e.* ad signum Capricorni. *Id. Fat.* 3. 5. et 2. *Divinat.* 14. 39. Brumali die natus. *Id. Tim.* 9. Brumalis revocatio astrorum. *Id. Arat.* 295. tempus. *Lucret.* 5. 615. et 639. flexus. *Varro* 9. *L. L.* 24. *Müll.* polus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94. solstitium. *Id.* 9. *ibid.* 5. 1. meridies. *Id.* 1. *ibid.* 6. 1. oriens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). ortus. *h. e.* ea cœli pars, qua sol brumæ tempore oritur, cui *ibid.* opponitur occasus. *Id.* 10. *ibid.* 53. 74. (146). Brumales menses duo hiemis. *h. e.* qui brumæ proximi sunt. Et *ibid.* Brumalis mensis. *h. e.* in quem bruma incidit. *Censorin. De die natal.* 16. Brumalis hora. *h. e.* omnium brevissima, nam Romani diem naturalem semper in duodecim partes dividebant. ¶ 2. Latiori sensu brumalis est ad hiemem pertinens. *Virg.* 6. *Æn.* 205. et *Martial.* 13. 16. 1. Brumale frigus. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 31. grando. *Id.* 4. *Met.* 199. hora. *Id.* 1. *Trist.* 10. 39. lux. *Id.* 4. *Pont.* 5. 4. nix. *Id.* 3. *Amor.* 6. 95. et *Martial.* 14. 136. tempus. *Lucan.* 5. 406. venti.

BRŪMĀRĬA, æ, f. 1. subaudi herba, et est eadem quæ leontopodium. *Apul. Herb.* 7.

BRUMOSUS. *V.* BROMOSUS.

BRUSCUM, i, et Molluscum, i, n. 2., sunt tubera aceris arboris, bruscum quidem intortius crispum, molluscum simplicius sparsum, hoc est magis recto venarum discursu. E brusco fiunt et mensæ nigrescentes: e mollusco autem pugillares et similia minora opera. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (68).

BRUTA, arbor. *V.* BRATUS.

BRŪTESCO *et* brūtisco, is, ere, n. 3. brutus fio, bruto similis sum. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. *ad fin.* Illorum ferocia stoliditasque, quæ secundum belluas ineptit, brutescit, accenditur. *Venant. Epist. præf. carm.* 6. *l.* 5. Mens tabe morbescente brutiscens. — Quidam tribuunt etiam *Lactantio* 2. 5. *ad fin.* Animal quia sensu præditum est, etiam membra ejus habent sensum, nec, nisi a corpore divulsa, brutescunt. *h. e.* sensum amittunt. Nam *brutum* proprie dicitur, quod sensu caret. Alii leg. *putrescunt.*

BRŪTĬĀNI *vel* Bruttiani, ōrum, m. 2. *Bruttiani* dicebantur, qui officia servilia magistratibus Romanis in provinciis præstabant, eo quod Bruttii primi totius Italiæ ad Hannibalem defecerant, et cum eo perseveraverant, usque dum recederet de Italia. Quibus propterea eam ignominiam Romani imposuere, ut neque milites scriberent, neque pro sociis haberent, sed magistratibus in provincias euntibus præsto esse servorum vice juberent. Hæc *Paul. Diac.* p. 31. 12. *Müll.* et *Gell.* 10. 3., apud quem *Cato* in *lib. de falsis pugnis.* Dixit, a decemviris parum sibi bene cibaria curata esse: jussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi: decemviros Bruttiani verberavere. — *NB.* Ceterum *V.* ONOM.

BRŪTUS, a, um, adject. Sup. *Brutissimus* I. et II. *a.* — Etymologi ductum putant a βαρύς vel βραδύς; brutus enim est gravis, teste *Paul. Diac.* p. 31. 15. *Müll.*, qui ait: Brutum antiqui gravem dicebant (It. *grave*, *pesante*; Fr. *lourd*, *pesant*; Hisp. *pesado*; Germ. *schwerfällig*; Angl. *heavy*, *ponderous*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 105. Nam cadere aut bruto deberent pondere pressæ, Ut lapides. *Horat.* 1. *Od.* 34. 9. Quo bruta tellus et vaga flumina etc. Ad quem locum *Vet. Scholiast.* Bruti, inquit, graves et tardi dicuntur, quod terræ perpetuum est. *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 102. Terra semper immobilis: unde Horatius: *Et bruta tellus.* *Apul. De deo Socrat.* Corpora neque tam bruta, quam terrea, neque tam levia, quam ætheria. Adde *Arnob.* 6. 15. *Cassiod. de anima* 2. *a med.* Absurdum est putare, animam minus posse liberam, quam mole brutissimi corporis ingravatam.

II.) Translate brutus est qui minus sensu viget, tardus, iners, hebes, stupidus, stolidus: et occurrit — *a*) De personis. *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 323. 6. *Müll.* Quod bruti nec satis sardare queunt. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Fortunam insanam esse et cæcam et brutam perhibent philosophi. *h. e.* stolidam et more bruti animalis temere operantem, ut quæ *dignum atque indignum nequeat internoscere*, ut *ibid.* subditur. *Id.* apud *Non.* p. 77. 31. *Merc.* Ea obnoxium esse, aut brutum, aut elinguem putes. *Seneca* 3. *Benef.* 37. *a med.* T. Manlius relegatus a patre ob adolescentiam brutam atque hebetem. *Apul.* 7. *Met.* Non sum quidem tam brutus, vel certe temerarius, ut scitum vestrum inhibeam. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 66. Scitumque brutum Cæsaris. *h. e.* sine consilio et ratione factum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Mai*) 3. 67. Effigies, quas haud dubie divinas esse vel brutissimus sentiat. *Cyprian. ad Demetr. sub init.* Certe et labor irritus et nullius effectus offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto. — Apud optimos Scriptores hoc sensu tum occurrit, cum alludunt ad Brutorum cognomen, quod ab hac notione traxit L. Junius ille, qui, referente *Livio* 1. 56., ut tutus esset a Tarquinio Superbo avunculo suo, stupiditatem simulavit, et Brutorum familiæ nobilissimæ nomen reliquit. *Cic.* 14. *Att.* 14. 2. Quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime illorum quidem; sed aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant. Cf. *Ovid.* 2. *Fast.* 717. — *b*) De bestiis, iis præcipue, quæ minus sensu vigent magisque tardæ sunt ac stupidæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 70. (183). Bruta existimantur animalium, quibus cor durum riget; audacia, quibus parvum est; pavida, quibus prægrande. Quæ *Plin.*

hic bruta, *Aristot. l.* 3. *de partib. animal. c.* 4. ἀναισθητα appellat. Rursus *Plin.* 9. *Hist. nat.* 27. 46. (87). *de polypo.* Et cum alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatet, in re quodammodo familiari callet. *Id.* 8. *ibid.* 51. 77. (207). *de sue.* Animalium hoc maxime brutum; animamque ei pro sale datam non illepide existimabatur. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 39. 92. (558). — c) De inanimis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (113). *bruta fulmina* appellat, quæ nulla veniunt ratione naturæ, cujusmodi sunt, quibus percutiuntur montes, maria; omnesque alii irriti e cælo jactus. Quibus opponit *fatidica*, quæ statis de causis veniunt et ex suis sideribus.— *Id.* 15. *ibid.* 15. 16. (56). pira bruta (ex emendat. *Harduini*, quem sequitur *Sillig*; nam alii aliter legunt) dici ait, quæ corium laneum habent. Nam stultissima animalium lanata esse *Id.* 8. *ibid.* 49. 75. (199). tradit.

BRȲA, æ, f. 1. βρυά, frutex in Achaja, quam Dioscorides μυρίκην, Romani tamaricem appellant. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 37. (116). et 24. *ibid.* 9. 42. (69). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 127.) ait unam ex *myricis* Diosc. et *bryam* Plin. l. c., nihil aliud esse quam *Tamaris orientalis* Forsk. *V.* MYRICA.

BRȲON, i, n. 2. βρύον. ¶ 1. Bryon est muscus, sive cani arborum villi, quales in quercu maxime videmus, sed odore præstantes; alio nomine sphagnos. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 23. 50. (108). ¶ 2. Ita vocatur etiam uva seu flores botryosi populi albæ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 28. 61. (132). ¶ 3. Item frutex folio lactucæ, rugosiore tantum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 49. (137). Adde *eumd.* 27. *ibid.* 8. 33. (56). et 32. *ibid.* 9. 36. (110)., ubi varios ejus usus in medicina recenset. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 139.) ait bryon esse *Ulvam Lactucam* L., quod confirmat *Op. cit. vol.* 3. *p.* 440. ad *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 33. (56).

BRȲŌNIA, æ, f. 1. βρυωνία, herba est duplicis generis, alia alba, quæ et vitis alba appellatur, et sarmenta, capreolos et folia habens sativæ viti non dissimilis, omnia tamen hirsutiora, a nonnullis psilothrum, quod acinos ferat rubentes, quibus tergora depilantur. Hujus meminit *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. (21). et *Scribon. Compos.* 59. Alia est nigra, quam proprie bryoniam vocant, similis priori, præter quam colore. De ea plura *Plin. ibid.* 1. 17. (27). *Colum.* 10. *R. R.* 250. indomitasque bryonias alligat alnos. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 172. et 173.) hanc exhibet synonymiam: I. Ἄμπελος λευκή Dioscor. 4. 184.; Ψιλώθριον vel Ψίλωθρον Hipp. de Ulcer. 6.; Μήλωθρον Theophr. Hist. plant. 6. 1., *Vitis alba* Latinor. et *Bryonia alba* Plin. l. c. sunt *Bryonia alba* L. Spec. plant. 1439. — II. Ἄμπελος ἀγρία Hippocr. Hist. 889.; Ἄμπελος μέλαινα Dioscor. 4. 185.; Ἄμπελος ἰδαία Theoph. Hist. plant. 3. 17. et *Vitis nigra, bryonia nigra* Plin. 23. 1. 17. (27). atque *Uva taminia* Plin. In eodem libro sunt *Bryonia lævis, sive nigra racemosa* C. Baub. Pin. 297., *Vitis* vel *Bryonia nigra* Quorumd. et *Tamus communis* L. Spec. plant. 1458.

BU

BU, indecl. ¶ 1. Est idem quod *bua*, puerilis vox potionem petendi. *Paul. Diac. p.* 109. 8. *Müll.* ¶ 2. *Bu* βοῦ, particulam solebant Græci magnis et amplis rebus præponere, a magnitudine scilicet bovis. Hinc *bupædas* magnos pueros dixerunt, et mariscam ficum *busycon*, et magnam famem *bulimum*. Hæc *Paul. Diac. p.* 32. 10. *Müll.*

BŪA, æ, f. 1. vox est, qua infantes utuntur, cum potum petunt. *Varro* apud *Non. p.* 81. 3. *Merc.* Cum cibum ac potionem buas ac papas dicunt, et matrem mammam, patrem tatam. Hinc *vinibuæ* dicuntur mulieres vinolentæ, *Lucil. ibid.*

BŪBĂLĪNUS, a, um, adject. ad bubalum pertinens. *Valerian. Imp. in epist.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Vini veteris sextarios decem cum larido bubalino: salis olerum, lignorum quantum satis est. *Hic fortasse legendum* bubulino.

BŪBĂLĬON, ii, βουβάλιον, cucumis silvaticus. *Apul. Herb.* 112.

BŪBĂLIS, le, adject. idem ac bubalinus. *Petron. Satyr.* 35. Super Arietem cicer arietinum; super Taurum bubale frustum. *h. e.* frustum carnis bubalæ. Al. rectius leg. *bubulæ frustum.*

BŪBĂLUS, a, um, adject. idem ac bubalinus. *Vulgat. Interpr.* 1. *Paralip.* 16. 3. Divisit universis tortam panis et partim assæ carnis bubalæ. *Forte legendum* bubulæ *videbatur cl.* Furlanetto: *at eadem verba occurrunt apud* eumd. 2. Reg. 6. 19.

BŪBĂLUS, li, m. 2. βούβαλος, animal ferum in Africa, vitulo ac cervo simile. Ita definit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 15. (38). et *Solin.* 20.; ubi addunt male imperitum vulgus hoc nomine appellare uros, qui sunt feri in Hercynia silva Germaniæ. Hunc autem bubalum *Plinii* longe diversum esse ab eo, quem Itali vocant *bufalo*, recte existimat *Harduin. ad hunc loc.* Fortasse autem et *Martialis* ex vulgi opinione locutus est, bisontem Hercyniæ silvæ cum bubalo conjungens *Spectac.* 23. Illi cessit atrox bubalus, atque bison. *Inscript.* apud *Murat.* 930. 1. CN. DOMITIVS CN. L. AGATHANGELVS SVPRA BVBALOS. *V.* et BUFALUS. — *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. *sub fin.* Ligurum bubalos commemorans, bovinum pecus universim videtur intelligere. Alii tamen rectius *buculos.* — De bubalo *V.* plura in *Bullett. dell' Istit. di Arch. a.* 1843. *p.* 89.

BUBBATIO. *V.* BULLATIO.

BUBELLA, æ, f. 1. deminut. bubulæ. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 167. Bubula, bubella.

BŪBĪLE, is, n. 2. (bos). Cf. Gr. βουστάσιον. Nonnulli minus recte putant esse vocem adjectivam, et subintelligi *stabulum* vel quidpiam simile. *Bubilem* in Accusativo legebant plerique apud *Plaut. Pers.* 2. 5. 18., et subintelligebant *caulam*: sed mendum ibidem inesse videtur. — Ceterum bubile est locus, in quo par boum stabulatur, et proprie videtur esse statio duorum boum jugandorum; *Vitruv.* enim 6. 9. distinguere videtur stabulum a bubile. Sed tamen bubile generatim sumitur pro boum vel juvencorum stabulo. *Cato R. R.* 4. Bubilia bona, bonas præsepes. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 13. 1., et de *L. L.*, cujus verba *V.* in BOVILE; et *Phædr.* 2. 8. 4. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 4. Domitis armentis duplicia bubilia sint, hiberna atque æstiva.

BŪBĪNĀRE est menstruo mulierum sanguine inquinare. *Paul. Diac. p.* 32. 1. *Müll.* Cf. *Gloss. Placid.* et *Gloss. Isid.* Videtur esse a βουβὼν inguen: *V.* IMBUBINO.

BUBIO, is. *V.* BUBO, is.

BUBLEUM est genus quoddam vini. *Paul. Diac. p.* 32. 12. *Müll.*: ubi alii leg. *bublinum*, alii *bubeum*, alii denique *byblinum*, cujus meminere *Hesiod.* et *Theocrit.*

BŪBO, ōnis, m. et f. 3. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 462. negat esse feminini generis, et ubi a *Virg.* dicitur *sola*, ait subaudiendum esse *avis*. Sed *Non. p.* 194. 1. *Merc.*, *Priscian.* 6. *p.* 683. et *Palæmon. Art. gramm. ibid. p.* 1370. *Putsch.* femininum quoque genus admittunt. — Bubo est vox per onomatopœiam efficta a sono ipsius avis, quemadmodum Gr. βύας, βύζα, et Germ. *Puvogel.* — Est (It. *gufo, barbagianni*; Fr. *hibou, chat-huant*; Hisp. *buho, autillo*; Germ. *Uhuo*; Angl. *a horned owl*) avis nocturna, noctuæ similis, magnitudine tamen aquilam pæne æquans, pennis in capite utrimque aurium similibus, volatu transverso, uncis unguibus, hebetibus oculis, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu; unde et funebris avis habetur: deserta incolit, raroque interdiu, et in urbibus visitur; quod si accidat, dirum ostentum est, et lustratione piandum: quod bis Romæ factum fuisse, *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 16. (35). et *ibid.* 13. 17. (36). narrat. Poetæ fabulantur, in hanc avem mutatum fuisse Ascalaphum Acherontis, seu Stygis filium. *V.* ASCALAPHUS in ONOM. Multa ex augurum disciplina de hac ave disputat *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 462. Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri et longas in fletum ducere voces. *Ovid.* 15. *Met.* 791. Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo. *Id.* 5. *ibid.* 550. Ignavus bubo, dirum mortalibus omen. *Et* 6. *ibid.* 431. profanus. *Et* 10. *ibid.* 453. funereus. Adde *eumd.* 1. *Amor.* 12. 16.; *Varron.* 5. *L. L.* 75. *Müll.*; *Senec. Med.* 734. et *Herc. fur.* 687.; et *Lucan.* 5. 396. — Superstitiosa vetustas has aves inauspicatas, cum penetraverint domum quampiam, sollicite prehensas foribus affigebat, quod et nostrates etiamnum faciunt, ut nempe quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, suis luerent cruciatibus. V. *Apul.* 2. *Met.* et *Colum.* 10. *R. R.* 348. *Pallad.* 1. *Veterin.* 35. Contra grandinem noctua pennis patentibus extensa suffigitur.

BŪBO vel būbio, is, n. 3. vel 4. verbum exprimens vocem butionis avis. *Auct. carm. Philom.* 42. Inque paludiferis butio bubit aquis. *Al. leg.* butit, *ut sit* butio, is, n. 4.

BŪBŌNIUM, ii, n. 2. βουβώνιον, herba, quæ tumoris inguinum præsentaneum remedium est: a βουβὼν, *inguen, tumor inguinis*. Hinc Latine *inguinalis* dicitur. Vocatur etiam Aster Atticus a capitulis quibusdam, quæ in cacumine habet, stellæ in modum radiata. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 19. (36). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 433.) hanc exhibet synonymiam: Ἀστὴρ ἀττικός Dioscor. 4. 120.; βουβώνιον Galen. de Fac. simpl. med. 6. 79.; Δωδεκαμίνιτις Zacynth.; *Amellus* Colum. 9. R. R. 13. 8.; *Aster* et *bubonion* Plin. l. c.; *Asterion*, *Astericon*, *Aster atticus*, *Bubonion ophthalmon*, *Herba inguinalis* Apul. 60. sunt *Aster amellus* L. Spec. plant. 1226.

BŪBSEQUA, æ, m. 1. bubulcus, qui boves sequitur. *Apul.* 8. *Met. init.* Equisones, opiliones, et bubsequæ. Adde *eumd. Florid.* 1. *n.* 5. et *De deo Socrat. Sidon.* 1. *Ep.* 6. Bubsequæ rusticani. — Scribitur et *bobsequa*, et *busequa*.

BŪBŬLA, æ. *V.* BUBULUS in fin.

BŪBŬLĀRIUS, ii, m. 2. Legitur in ludicro testamento M. Grunii Corocottæ Porcelli (cujus meminit *Hieronym. in procem. lib.* 12. *commentar. in Esaj.*) quod affertur a *Brisson. de formul. l.* 7. *c.* 157., a *Lambec. in adnotationibus ad Apicii* 8. 7., et inter spuria *Gruteri p.* 18. his verbis: Donabo sutoribus setas, surdis auriculas, bubulariis intestina, isiciariis femora. *Bubularii* videntur esse qui farcimina faciunt ex carne bubula concisa. *Vicus bubularis* novus in regione Urbis octava memoratur in *Inscript.* apud *Gruter.* 621. 4. In eadem regione prope Palatium locus fuit *capita bubula* dictus.

BŪBULCĬTO, as, are, n. 1. *et* Bubulcitor, aris, ari, dep. 1. boves pasco, bubulcum ago.

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 1. 50. Decet me amare, et te bubulcitarier. paragoge pro *bubulcitari*. *Apul. Florid. n.* 6. Est apud illos gens, qui nihil amplius, quam bubulcitare, novere.

II.) Translate est declamitare more bubulcorum verius, quam oratorum. *Varro* apud *Non. p.* 79. 29. *Merc.* Vinicius meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.

BŪBULCUS, i, m. 2. qui boves curat et agit, et præcipue arator teste *Varron.* 2. *R. R. præfat.* 4. Armentarius alius ac bubulcus. Qualis is esse debeat, et quod ejus in arando officium, docet *Colum.* 1. *R. R.* 6. 8. et 2. *ibid.* 2. et 3. et alibi. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Mane bubulco præsto ad portam fuisse. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 23. 50. et *Virg.* 10. *Ecl.* 19. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 30. Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit. Adde *eumd.* 4. *Pont.* 7. 10. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (10). *Juvenal.* 11. 151. Pastoris duri est hic filius, ille bubulci. Adde *Dig.* 38. 7. 18. § 6. et alibi. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BŪBŬLĪNUS, a, um, adject. idem quod bubulus. *Veget.* 1. *Veterin.* 13. Stercus bubulinum. *Id.* 2. *ibid.* 28. *in fin.* Fimum bubulinum. Adde 3. 4. 8. et 47.; et *V.* BUBALINUS.

BŪBŬLO, as, are, n. 1. verbum exprimens bubonis vocem. *Auct. carm. Philom.* 37. Bubulat horrendum ferali carmine bubo.

BŪBŬLUS, a, um, adject. (bos) bovinus, ad bovem pertinens (It. *di bue, bovino*; Fr. *relatif au bœuf*; Hisp. *de buey*; Germ. *zum Rinde gehörig, Rind–, Rinder–*; Angl. *of an ox or cow*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 40. Bubulus fimus. Adde *Liv.* 38. 18. *Varro* 2. *R. R.* 1. 23. pecus. *Cels.* 5. 22. 5. cornu. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 26. armentum. *Sueton. Aug.* 76. caseus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (236). lac. *Id.* 6. *ibid.* 29. 34. (130). utres. — *b*) Specialim de carne. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 43. (156). Bubula caro. *V. Bubula, æ,* in fin. — *c*) Item specialim de coriis, e quibus lora et flagra fiebant. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 11. Tres facile corios contrivisti bubulos. *h. e.* lora, flagra. *Id. Most.* 4. 1. 26. Bubulæ exuviæ. *Id. Trin.* 4. 4. 4. cottabi. *h. e.* flagrorum et corio bubulo sonitus. *Id. Stich.* 1. 2. 6. monimenta. — *d*) Denique jungitur et plantarum nominibus, unde *lingua bubula, femur bubulum*: *V.* BUGLOSSA, LINGUA et FEMUR. — Hinc

Bubula, æ, f. 1. subaudi caro, absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 3. Venio ad macellum, rogito pisces:

indicant caros; agninam carem, carem bubulam, vitulinam, cetum, porcinam. Adde eumd. *Curc.* 2. 3. 88. et *Cels.* 2. 24. *Scribon. Compos.* 188. et 189. Jus bubulæ. *Vopisc. Aurel.* 29. Bubulæ pondo quadraginta.

BŪCÆDA, æ, m. 1. vox per jocum efficta a *bos* et cædo, ad significandum servum, qui bubulis loris cæditur. *Plaut. Most.* 4. 2. 1. Illi bucædæ erunt multo potius, quam ego sim restio. *Alii leg.* bucidæ, *quod idem est.*

BŪCARDĬA, æ, f. 1. βουκαρδία, gemma est bubulo cordi similis: a βοῦς *bos* et καρδία *cor. Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150).

BUCCA, æ, f. 1. Ratione habita etymi conjungenda est vox cum Gr. βύζω, βυκάνης et aliis hujusmodi, quæ cavum aliquid significant, et cum Germ. *backe, bauch, bausch, bucht* etc. — Bucca ¶ 1. Generatim est quæcumque cavitas prominens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (250). In ipsa genus utriusque commissura, dextra lævaque, a priore parte gemina quædam buccarum inanitas est. ¶ 2. Speciatim est pars interior oris humani concava, qua dentes et lingua continentur, quæ collecto et retento spiritu inflatur: item pars exterior, qua hilaritas et risus indicatur, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 59. (158). loquitur: *V.* et **Homonym.** in fin. Usurpatur sæpe in plurali numero, præcipue cum pars exterior significatur, quia utrimque in ore apparet. — *a*) Generatim. *Cato* apud *Gell.* 2. 22. Ventus Cercius, quum loquare, buccam implet. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 43. Miseram esse prædicat buccam sibi. *h. e.* prædicat se buccā laborare. *Id. Stich.* 5. 4. 42. Age, tibicen, refer ad labia tibias, suffla celeriter tibi buccas. *Id. ibid.* 5. 6. 7. Inflare buccas. *Id. Truc.* 2. 2. 35. Buccæ purpurissatæ. *h. e.* purpurā fucatæ. *Cic. Pis.* 11. 25. Erant illi — fluentes cerussatæque buccæ. *Id.* 2. *Orat.* 66. 266. Gallus distortus, ejecta lingua, buccis fluentibus. *V.* FLUENS. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 20. Quid causæ est, merito quin illis Juppiter ambas Iratus buccas inflet? φυσᾶν τὰς γνάθους Græci quoque dicunt de iis, qui irascuntur. *Sueton. Rhet.* 5. Fulvia, cui altera bucca inflatior erat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (173). *de ranis coaxantibus.* Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrante labore propulsi. *Juvenal.* 3. 262. Buccā excitare foculum. *Martial.* 3. 17. 4. Scriblitam buccis sufflare. *Id.* 1. 42. 13. Bucca loquax. — *b*) Speciatim apud *Pers.* 5. 11. *scloppo* vel *stloppo tumidas buccas rumpere* allegorice est ventosa et inania verba, seu, ut *Horat.* loquitur *Art. P.* 97., ampullas et sesquipedalia verba projicere. — *c*) *Quidquid in buccam venit, quod in buccam venit, dicere, scribere, garrire*, est quidquid venit in mentem. *Cic.* 1. *Att.* 12. 4. Tu velim sæpe ad nos scribas: si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, scribito. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. Cum coram sumus et garrimus quidquid in buccam. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 10. *ad fin.*, et 14. *ibid.* 7. 2.,; et *Martial.* 12. 24. 5. — *d*) *Duræ buccæ homo* est idem, qui improbi ac duri oris. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Duræ buccæ fuit, linguosus, discordia, non homo. — *e*) In illis verbis *ejusd. Petron. ibid.* 64. *Bucca, bucca quot sunt hic?* innuitur quidam ludus puerilis, de quo multa *Scheffer. in adnotationib.* ¶ 3. Per metonymiam buccæ dicuntur inepti declamatores et viles rabulæ, qui inflatis buccis in foro latrant. *Juvenal.* 3. 34. Quondam hi cornicines et municipalis arenæ Perpetui comites notæque per oppida buccæ. *Forcellinus* tibicines, *alii* præcones *interpretantur. Id. Juvenal.* 11. 34. te consule, dic tibi, quis sis, Orator vehemens, an Curtius et Matho, buccæ. Noscenda est mensura sui etc. *Alii ita conjungunt*: buccæ Noscenda est mensura tuæ, *h. e.* videndum, quam polleas facultate dicendi. ¶ 4. Denique *bucca* ponitur etiam pro *buccea*, quantum scilicet bucca capit. *Martial.* 10. 5. 5. Oret caninas panis improbi buccas. *Petron. fragm. Tragur.* 44. *Burmann.* Non mehercule hodie buccam panis invenire potui. *Alii leg.* bucceam. *Martial.* 7. 20. 8. Buccæ placentæ. — *h*) De cognomine, quod unica e fere occurrit, *V.* ONOM.

Homonym. Differunt inter se *genæ, malæ* et *buccæ*, docente *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 57. (156). et seqq. hisce verbis: Ne **genæ** quidem omnibus (*animantibus*); ideo neque nictationes iis, quæ animal generant. Graviores alitum inferiore genā conivent. — Columbæ et similia utraque connivent. — Extremum ambitum **genæ** superioris antiqui cilium vocavere, unde et supercilia. — Infra oculos **malæ** homini tantum, quas prisci **genas** vocabant. Pudoris hæc sedes; ibi maxime ostenditur rubor. Intra eas hilaritatem risumque indicantes **buccæ**. Hucusque *Plin. Genarum* itaque nomine proprie significatur tota illa oris superficies, in qua videndi organon sedem habet: infra oculos sunt **malæ**, sedes pudoris; infra *malas* vero sunt *buccæ*, quæ propter hilaritatem ac risum inflantur.

BUCCĔA, æ, f. 1. a *bucca* fit, et significat frustulum alicujus rei esui aptæ, quantum scilicet bucca commode capit. *Augustus* apud *Sueton. in ejus Vita* 76. Duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem.

BUCCELLA, æ, f. 1. *deminut. a* buccea, parva buccea. *Martial.* 6. 75. 1. Cum mittis turdumve mihi quadramve placentæ, Sive femur leporis, sive quid his simile: Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis. Adde *Apic.* 7. 6. — Est etiam *buccella* panis in modum coronæ factus, qui ab imperatoribus populo Romano distribui aliquando solebat. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 14. 17. 5. Civis Romanus, qui in viginti panibus sordidis quinquaginta uncias comparabat, triginta et sex uncias in buccellis sex mundis sine pretio consequatur. V. *Salmas. in adnotat.* ad *Vopisc. Aurelian.* 35., ubi plura hac de re. Quod vero *mundæ buccellæ* in allata lege dicuntur, intelligendæ sunt puræ, non sordidæ et furfuraceæ, sed ex optimo frumento confectæ. *Itali* buccellato, *nostrates vulgo* buzzolà *dicunt.* Videtur idem esse ac crustulum. — NB. *Buccella* est etiam deminutivum buccæ, buccula. *Not. Tir. p.* 127. Bucca, buccula, buccella, buccosus, bucciferus. *Sed hæc postrema a Lexico sunt expungenda.*

BUCCELLĀRIS, re, adject. *Buccellaris farina*, quæ legitur apud *Plin. Valer.* 1. 6., videtur esse farina ex buccellato bene tunso confecta. — Hinc

Buccellare, is, n. absolute est vas quoddam ad coquendum aptum apud *Marcell. Empir.* 23. Æris florem mittes in acetum, simulque in buccellari decoques. *Al. leg.* bucculari, *ut sit a* buccula.

BUCCELLĀRIUS, ii, m. 2. verna, cliens, parasitus, item satelles, qui cibi causa dominum armatus sequitur, ejusque corpus custodit: ita dictus a *buccella*, qua panem significat, quia domini panem edit. *Impp. Leo et Anthem. Cod.* 9. 12. 10. Omnibus per civitates et agros habendi buccellarios, vel Isauros, armatosque servos licentiam volumus esse præclusam.

BUCCELLĀTUM, i, n. 2., panis militaris ad usus diuturnitatem excoctus, qui (ut *Ammian.* 17. 8. loquitur) militi in expeditionibus distribui solet. *Spartian. Nigr.* 10. Pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens milites contentos esse. Adde *Vulcat. Gallic. in Avid. Cass.* 5. et *Impp. Constant. et Julian. Cod. Theod.* 7. 4. 6. et *ibid.* 5. 2. — Dictum est a *buccella*, qua panem significat, et fortasse idem sunt *buccellatum* et *buccella*, cum hoc tamen discrimine, quod *buccella* recens et semel tantum cocta civibus dabatur, ut dictum est; *buccellatum* bis coctum militibus.

BUCCĬFERUS, a, um, adject. qui magnam buccam fert. *V.* BUCCELLA in fin. Sed est vox a Lexico expungenda.

BUCCĪNA cum derivat. *V.* BUCINA etc.

BUCCO, ōnis, m. 3. (bucca). *Isid.* 10. *Orig.* 30. bucconem interpretatur garrulum, quod ceteris oris loquacitate, non sensu præstet. Alii exponunt scurram, parasitum, qui implendæ buccæ causa alienas mensas sectatur. A *Plauto* et *Apulejo* sumitur pro stulto, stolido, fatuo. Nam qui magnas buccas habent, stulti esse sæpe consueverunt. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Apul. de mag.* Omnes isti, si cum hac una Rufini fallacia contendantur, macci prorsus et buccones videbuntur. — Docet *Lipsius l.* 2. *epistolicar. quæst. ep.* 22. Maccum et Bucconem esse personas stolidas, fatuas, stultas poetis Atellanarum. Hinc *Pomponius* quasdam fabulas suas inscripsit *Bucconem adoptatum*, et *Maccos geminos*, etc., ut est apud *Charis.* 2. *p.* 187. *Putsch.* et apud *Non. p.* 155. 1. *Merc. Id. Pomponius* apud *eumd. p.* 505. 1. Bucco auctoratus. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BUCCONIĀTIS Vitis a *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (39). recensetur inter eas, quæ in Thurinis collibus non ante demetuntur, quam gelaverit.

BUCCŌSUS, a, um, adject., qui magna bucca præditus est. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 127.

BUCCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* parva bucca.

I.) Proprie. *Sueton. Galb.* 4. Constat, Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales, apprehensa buccula dixisse: καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. *Apul.* 3. *Met.* Tuis istis micantibus ocellis, et rubentibus bucculis, et renitentibus crinibus. *Id.* 6. *ibid.* Pressā Cupidinis bucculā. *Arnob.* 2. 42. Bucculas inflandis tibiis distendere.

II.) Translate. ¶ 1. Buccula dicitur pars cassidis buccam et genas utrimque tegens, παραγναθίς. *Liv.* 44. 34. Alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere. *Juvenal.* 10. 133. truncis affixa tropæis Lorica, et fracta de casside buccula pendens. — Est etiam *buccula*, addidit *Forcellinus*, umbo scuti, hoc est media ejus pars et eminentior, in qua sæpe facies hominis, vel animalis cujuspiam effingi solet, cujus bucca seu os medium scuti obtinet. Porro quemadmodum umbo, sic et *buccula* pro ipso scuto ponitur. *Capitolin. Maxim. jun.* 3. Fecit et spathas argenteas; fecit etiam aureas: fecit et galeas gemmatas; fecit et bucculas. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 10. 22. 1. Cum senæ per tricenos dies ex ære a singulis barbaricariis cassides, sed et bucculæ tegerentur, octo vero cassidas, totidemque bucculas et tegerent argento, et deaurarent, etc. *Gloss. Philox.* Buccula, παραγναθὶς, ὀμφαλός. Sed in his quoque buccula recte accipi potest pro parte cassidis buccam et genas utrimque tegente. ¶ 2. Per similitudinem *bucculæ* dicuntur in catapultis parva oscula, seu labella ipsius canalis, in quo telum ponitur, ne vacillet: quæ et regulæ appellantur. *Vitruv.* 10. 10. 3. *Schneid.*

BUCCULĀRE, is, n. 3. videtur esse vasis genus quoddam in formam bucculæ factum. *Marcell. Empir.* 8. § 5. *ante med.* Colabis linteo tenui, et mittes in bucculare rude, vel diligentissime nitidatum.

BUCCULĀRIUS, ii, m. 2. qui bucculas cassidis facit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6. Fabri sagittarii, æquarii, bucculari, structores, carpentarii, etc. Ita legendum recte censet *Turneb. l.* 9. *Advers. c.* 16. Verum optimæ editiones aliæ *buccularum structores*; aliæ *bucularii, structores* habent.

BUCCŬLENTUS, a, um, adject. qui magnam buccam habet. *Plaut. Merc.* 3. 4. 54. Canus, varus, ventriosus, bucculentus, breviculus.

BŪCĔRAS, ătis, n. 3. βούκερας, herba quam fœnum græcum vulgo appellant: ita dicta a βοῦς *bos*, et κέρας *cornu*, quia semen habet corniculis simile. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (184).

BŪCĔRĬUS, a, um, adject. (βούκερως) bovina cornua habens. *Lucret.* 2. 660. Lanigeræ pecudes, et equorum duellica proles, Buceriæque greges. Ita *Non. p.* 80. 27. et *p.* 208. 21. *Merc.* Alii legunt *buceræque greges*, a Græco βούκερας pro βούκερως: alii *bucerræque* retinent, ut sit choræus primo loco positus pro spondæo, vel dactylo; quod in *Lucretio*, qui poetica licentia sæpe utitur, mirum esse non debet.

BŪCĔRUS, a, um, adject. βούκερως et βούκερας, idem quod bubulus: a βοῦς *bos*, et κέρας *cornu*. *Paul. Diac. p.* 32. 3. *Müll.* Bucerum pecus de bobus dicimus. *Lucret.* 5. 864. Lanigeræque simul pecudes, et bucera secla. Adde *eumd.* 6. 1236. *Ovid.* 6. *Met.* 395. Bucera armenta.

BŪCĒTUM, i, n. 2. locus, ubi boves, vel armenta pascuntur. *Gell.* 11. 1. Buceta in ea terra gigni pascique solita sunt plurima. Ita legit *Gronov.* ex MSS., pro quo quidam leg. *bucerra. Lucan.* 9. 185. Calidi lucent buceta Matini. Ubi al. *buxeta.* At *Sidon.* sine controversia *buceta* habet 2. *Ep.* 2. *post med.* Tityri nostrorum montium inter greges per depasta buceta reboantes. — Scribitur et *bucitum*. Ita enim legendum censet *Scalig.* illud *Varron.* 5. *L. L.* 164. *Müll.* Porta Mugionis, a mugitu, quod ea pecus in bucita tum antiquum oppidum exigebat. *Gloss. Isid.* Bucita, pasqua, ubi cientur boves.

BŪCĪTUM. *V.* vocem præced. in fin.

BŪCĬNA *et raro* buccina, æ, f. 1. Variam hujus vocis originem varii assignant etymologi: ex quo sequitur varia scribendi ratio. Alii derivant a *bucca* et duplici *cc* scribi volunt: alii vel a similitudine vocis *bu bu* et *cano*; vel a *vocando*, quasi *vocina*; vel denique a Græco βυκάνη, quod idem significat (quodque etymon tuetur *Paul. Diac. p.* 32. 9. *Müll.*) et simplici *c* scribunt, quod magis placet *Manut.* et *Dausq.*, pluraque habet ex vet. lapidib. et codicib. testimonia. — Ceterum *bucina* ad litteram est quæ sufflat, quemadmodum *bucinus* qui sufflat et buci-

num instrumentum quod insufflatur: hinc bucina est instrumentum recurvum, in quod insufflando sonos edimus: idem quod *Virg.* 7. *Æn.* 513. *cornu recurvum* dicit; cf. eumd. ibid. v. 519., *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). et *Veget.* 3. *Milit.* 5. Hinc bucina differt a *tuba*, quæ posterior aliquando directa est. Porro bucina signis dandis fere inservit: unde *Apul. Florid.* Bucina significatu longinquior.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim bucina est cornu recurvum ad signa danda, facta ad convocandam aut dimittendam multitudinem. *Cic.* 6. *Verr.* 44. 96. Signum, quod erat notum vicinitati, bucinâ datur; homines ex agris concurrunt. Cf. *Curt.* 3. 3. 8. *Virg.* 11. *Æn.* 475. bello dat signum rauca cruentum Bucina. *Propert.* 4. 1. 13. Bucina cogebat priscos ad verba Quirites. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 30. Cf. et *Vitruv.* 9. 8. 5. *Schneid.*, ubi de bucina, quâ horologii machina instruebatur, verba facit. ¶ 2. Speciatim occurrit de bucina, qua utebantur pastores. *Virg.* 7. *Æn.* 519. Tum vero ad vocem celeres, qua bucina signum Dira dedit, raptis concurrunt undique telis Indomiti agricolæ. *Propert.* 4. 10. 29. pastoris bucina cantat. *Varro* 2. *R. R.* 4. 26. Subulcus debet porcos consuefacere, ut omnia faciant ad bucinam. *Id.* 3. *ibid.* 13. 1. Apros ad bucinam inflatam convenire. *Colum.* 6. *R. R.* 23. 3. Ad sonum bucinæ septa repetere. ¶ 3. Item speciatim in re militari vigiliarum signum bucina dabatur. *Cic. Mur.* 9. 22. Te (*jurisconsultum*) gallorum, illum (*imperatorem*) bucinarum cantus exsuscitat. *Sil. It.* 7. 154. mediam somni cum bucina noctem Divideret. — Hinc *prima*, *secunda* etc. *bucina* est prima, secunda etc. vigilia noctis. *Liv.* 5. 35. Ubi secundæ vigiliæ bucinâ datum signum esset. *Id.* 26. 15. Ut ad tertiam bucinam præsto essent. *Propert.* 4. 4. 61. Et jam quarta canit ventura bucina lucem. ¶ 4. Item diei quoque partes bucinæ sono aliquando, nondum horologiis sonantibus inventis, indicari solitæ. Nam quemadmodum noctem in quatuor vigilias, ita diem in quatuor partes dividebant. *Seneca Thyest.* 798. Nondum in noctem vergente die, Tertium dedit bucina signum. Cf. *Seneca* 3. *Controv. præfat.*, cujus verba infra in BUCINO referemus. ¶ 5. Per similitudinem. *Ovid.* 1. *Met.* 335. et 337. *bucinam* vocat Tritonis concham marinam. Unde *Tertull. Pall.* 2. bucinam dicit concham marinam, quam *Plinius* bucinum: *V.* BUCINUM.

II.) Translate. *Juvenal.* 14. 152. Sed qui sermones? quam fœdæ bucina famæ? etc. Nam Fama cum tuba pingi solet.

BŪCĬNĀTOR *vel* buccinator, ōris, m. 2. qui bucina canit.

I.) Proprie est qui bucina canit ad signa danda. *Cæs.* 2. *B. C.* 35. *in fin.* Bucinatore in castris et paucis ad speciem tabernaculis relictis. *Sallust. fragm.* apud *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 1. p. 418. Relicto bucinatore in castris et ad vigilum speciem procul visentibus erexerant fulta arboribus recentia cadavera. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 75. *Müll.*; *Petron. Satyr.* 26. 9.; et *Dig.* 50. 6. 6. *Inscript.* apud *Murat.* 834. 8. D. MEMMIVS D. LIB. XENOPHON BVCINATOR LEG. III. PARTH. *Alia* apud *Orell.* 3522. BVCINATORI LEG. V.

II.) Translate est prædicator. *Cic. fil.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 21. 2. Quod polliceris, te bucinatorem fore existimationis meæ, firmo id constantique animo facias licet. *Inscript.* apud *Gruter.* 1116. 4., quæ est apud *Orell.* 3202. VOLVSIO VRBANO NOMENCLATORI PRAETORIO PAPIAS SERVOS PVBLICVS BVCCINATOR NOMINVM.

BŪCĬNO *vel* buccino, as, āvi, ātum, are, n. 1. bucina cano. *Varro* 2. *R. R.* 4. 20. Cum bucinatum est. *Seneca* 3. *Controv. præfat.* Sæpe, declamante illo, ter bucinavit. *Apul.* 4. *Met.* Triton concha sonaci leniter bucinat.

BŪCĬNUM *vel* buccinum, i, n. 2. ¶ 1. Est bucinæ sonus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 53. 52. (103). Conchæ aliæ ad plausum apertæ, aliæ ad bucinum recurvæ. Cf. eumd. 9. *ibid.* 36. 61. (129). *Id.* 11. *ibid.* 10. 10. (20). de *apibus*. Nocte quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut bucino aliquo. ¶ 2. Est etiam genus conchæ marinæ minoris, quæ non nisi petris adhæret, et circa scopulos legitur, ore rotundo, et in margine inciso, (quemadmodum ejus figuram exhibent *Rondeletius* et *Gesnerus*) unde et nomen accepit: nempe quia illa rotunditate refert vel bucinam, qua sonus editur, vel bucinatorem ipsum rotundantem os, dum bucina canit. Porro quia bucinator Græce κήρυξ dicitur, ex hac voce factum est aliud nomen huic conchæ, *murex*, parva litteræ mutatione. Ex bucino eliciebant olim pretiosum illum succum purpuræ, quo vestes tingebantur: cujus usus nunc omnino amissus est. Hæc et alia de bucino *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 61. (129). et seqq.

BŪCĪNUS *vel* buccinus, i, m. 2. bucinator. *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann. de gallinaceo cantante.* Non sine causa hic bucinus signum dedit. — *Caper de Orthogr.* p. 2243. *Putsch.* docet, *bucinum* masc. gen. significare ipsum bucinæ sonum; sed nullo id testimonio confirmat.

BŪCŎLĬCUS, a *vel* e, um *vel* on, adject. βουκολικός, pastoralis: a βουκολέω boves pasco: quod a βοῦς bos et κόλον *cibus*. — *a*) De carminibus. *Colum.* 7. *R. R.* 10. 8. Ut Bucolicon loquitur poema. *h. e. Virgilii* eclogæ, in quibus res pastorales tractantur: quæ ideo *Bucolica*, *orum*, inscribuntur. *Gell.* 9. 9. Cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti, et Virgilii. Cf. *Servius* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 1. et *Donat. vit. Virg.* 20. Sic de eod. *Virgilio Ovid.* 2. *Trist.* 538. Bucolicis juvenis luserat ante modis. — Bucolice tome, βουκολικὴ τομή, *h. e.* pastoralis sectio, seu cæsura: dicitur ab *Ausonio* cum in versu hexametro pes quartus est dactylus, dictionem terminans: ut in illo *Virg.* 1. *Ecl.* 8. Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. *Auson. Epist.* 4. 88. Sunt quos hexametri creant revulsi, Ut penthemimeris prior locetur, Tum quod bucolice tome relinquit. *Bucolice* et *bucolicon* Græca positione dicuntur. — *b*) De remedio medico. Bucolicon panaces, πάναχες βουκολικόν, est, quod in Macedonia nascitur: ita dictum, quod armentarii succum ejus sponte erumpentem excipiunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 11. (31). — *c*) *Bucolici* milites, quorum mentio fit a *Capitolin. Antonin. Philos.* 21. et a *Vulcat. Avid. Cass.* 6., sunt milites Ægyptii, ita appellati a locis, quæ in Ægypto incolebant, quæ *Bucolia* dicebantur, quod a barbaris et ferocibus hominibus, atque armentorum curæ apprime deditis, habitarentur.

Bucolicum, *i*, n. 2. subaudi *tugurium*, est tentorium pastorale in loco *Varron.* apud *Non.* p. 93. 12. *Merc.* V. *Oeler* ad *h. l.* in *M. Ter. Varron. Sat. Menipp. reliq.* p. 165.

BŪCŎLISTA, æ, m. 1. βουκολιστής, qui bucolicam vitam agit, a βουκολίζω *pastorum vitam imitor*. *Diomed.* 3. p. 484. *Putsch.* Nonnulli (*greges rusticorum de Sicilia*) et in Italiam et in Lydiam et Ægyptum transisse dicuntur, quos Lydiastas et bucolistas appellaverunt. Adde *Probum* ad *Virg. Bucol. sub init.*

BŪCRĀNĬUM, ii, n. 2. βουκράνιον, caput bovis recisum. Occurrit ¶ 1. De loco sacrificii. *Inscript.* apud *Murat.*, in qua de Taurobolio agitur, 333., quæ est apud *Orell.* 2322. ARAM ET BVCRANIVM SVO IMPENDIO CONSACRAVIT. V. *Philipp. a Turr. explicat. Taurobol. Lugdun.* apud *Sallengr. T.* 3. *novi Thes. Antiq. R.* — *Bucranium* in nummis sculptum fuisse symbolum sodalium Augustalium probat *Barpt. Borghesi* in *Dec. num.* 7. *oss.* 7.; et *Cavedoni Indicaz. antiq.* p. 57. putat ideo eorum symbolum fuisse, quia testatur, Augusto post consecrationem divinos honores tributos: *idem tamen* apud *Avellino* in *Bullett. Archeol. Nap. T.* 4. p. 43. *col.* 1. putat, quia Augustus, teste *Sueton. Aug.* 57., ad *capita bubula* natus est. ¶ 2. Item herba bubuli capitis similitudinem referens. *Apul. Herb.* 86.

BŪCŪLA, æ, f. 1. *deminut.* a bos, parva bos. ¶ 1. Stricto sensu. *Virg.* 1. *G.* 375. aut bucula cœlum Suspiciens, patulis captavit naribus auras. Adde eumd. 4. *ibid.* 11. et 8. *Ecl.* 86.; et *Arnob.* 7. 18. ¶ 2. De bucula ex ære Atheniensibus a Myrone statuario egregie elaborata, multisque poetarum versibus celebrata, mentionem facit *Cic.* 6. *Verr.* 60. 135. (cf. eumd. 1. *Divinat.* 24. 48.), et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (57). *V.* Epigrammata *Ausonii* 58. 59. *et sequent.*

BŪCŪLUS, li, m. 2. *deminut.* a bos, parvus bos, parvus juvencus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. Cum buculos comprehenderis, extra stabulum producito.

BŪDA, æ, f. 1. herba palustris, eadem atque ulva et typha, quæque *scarda* in Romania, *sala* in Etruria, apud nostrates vulgo *paværo* dicitur: videtur esse a βύω *farcio*, hinc βύδη, unde Latinorum *buda*. Ex eadem storeæ fiunt, unde *Isid. Gloss.* Buda istoria (*corrige* est storea). Item ellychnia, hinc *Auct. incert.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 462. *Burmann.* Ut devota piis clarescant lumina templis, Niliacam texit cerea lamna budam. *Augustin. Ep.* 88. *n.* 6. Presbyterum quemdam de domo sua raptum, et pro arbitrio immaniter cæsum, in gurgite etiam cœnoso volutatum buda vestiunt. *Tib. Donatus* ad *Virg.* 2. *Æn.* 135. Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui: *hæc habet*. Ulvam plerique eam dicunt esse, quam vulgo budam appellant.

BŪFĂLUS, i, m. 2. genus quoddam bovis magni et feri, quod etiam bubalus dicitur. *Venant.* 7. *carm.* 4. 21. Seu validi bufali ferit inter cornua campum, Nec mortem differt ursus, onager, aper.

BŪFO, ōnis, m. 3. genus ranæ terrestris, venenatæ, nimiæ magnitudinis. Φύσαλος a Græcis dicitur, a φυσάω *inflo*, quia immaniter inflari solet. *Virg.* 1. *G.* 184. Inventusque cavis bufo, et quæ plurima terræ Monstra ferunt.

BŪGILLO, ōnis, m. 3. herba eadem, quæ vulgo bugula, aut ajuga reptans appellatur. *Marcell. Empir.* 8. Bugillonis succus. *V.* ABIGA.

BŪGLOSSA, æ *vel* Buglossos, i, f. βούγλωσσον et βούγλωσσος, herba boum linguæ similis: a βοῦς *bos* et γλῶσσα *lingua*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 40. (81). Jungitur huic buglossos —, cui præcipuum, quod in vinum dejecta, etc. *Apul. Herb.* 41. Buglossa dicta est eo, quod folia aspera in modum linguæ bubulæ habent. *Seren. Sammon.* 424. Capparis, atque apium, buglossaque jungitur una. *Æmil.* tamen *Macer* primam syllabam corripit, *de bugloss.* 1. Lingua bovis Græco sermone buglossa vocatur. Adde *ibid.* 10. Sed non imitandus. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 337.) hanc exhibet synonymiam: Βούγλωσσον Dioscor. 4. 129.; Βοιδόγλωσσον Græcor. recent.; *Borith* Hildeg. 2. 72.; *Buglosson* et *Euphrosynum* Plin. l. c. sunt *Anchusa paniculata* Ait. Hort. Kew. vel *Borrago officinalis* L. teste Spreng. Hist. Rei herb. 1. 161.

BŪGŌNĬA, æ, f. 1. βουγονία, apum generatio: a βοῦς *bos* et γονεία *fetificatio*, quia apes ex putrefactis bobus gigni dicuntur: ex quo Græci eas βουγενεῖς vocant. *Varro* 2. *R. R.* 5. 5. Non minus satisfaciam tibi, quam qui Bugoniam scripsit. *Bugonia* scilicet inscribebatur opus ab Archelao scriptum.

BŪLĂPATHUM, i, n. 2. βουλάπαθον, genus lapathi altitudine radicis ab aliis differens. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 86. (235). De synonymia *V.* LAPATHUM.

BULBA. *V.* VULVA.

BULBĀCEUS, a, um, adject. bulbosus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 26. 97. (170). Hyacinthi radix est bulbacea.

BULBĀTĬO, ōnis, f. 3. (bulbus). *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 42. (148). Lapis hic et in Cantabria nascitur, non ille magnes verus caute continua, sed sparsa bulbatione. *h. e.* non continua, sed sparsa hac illac magnetis formatione, quæ bulborum modo fit. Ita ex *Codice Bamberg.* legit *Sillig.*; alii *bullatione*, quam vocem *V.* loco suo.

BULBĪNE, es, f. 1. βολβίνη, herba ex bulborum genere, foliis porraceis, bulbo rubicundo. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 41. (107). et 19. *ibid.* 5. 30. (95). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 396.) hanc exhibet synonymiam: Ὑάκινθος Dioscor. 4. 63.; Βολβίνη Theophr. 7. 13. et Athen. 2. 25. et *Bulbine* Plin. l. c. sunt *Hyacinthus botryoides seu affinis.*

BULBŌSUS, a, um, adject. bulbos habens, βολβώδης. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 90. (158). Hemerocalles radice odorata, atque bulbosa. Adde *ibid.* 17. 62. (102). et 27. *ibid.* 8. 42. (65).

BULBŬLUS, li, m. 2. *deminut.* a bulbus, parvus bulbus, βολβάριον, βολβίον. *Pallad.* 3. *R. R.* 21. 3. Ne oculos circa radicem nascentes, et minores bulbulos sauciemus.

BULBUS *vel* vulvus, i, m. 2. βολβός, significat quidquid rotundam pilæ formam refert. ¶ 1. Generatim est radix quarumdam herbarum vel florum, in modum cæpæ rotunda et tunicata, quales sunt narcissi, lilii, arundinum, squillæ et hujusmodi, teste *Isid.* 17. *Orig.* 9. Bulbus appellatus, quod radix ejus volubilis sit et rotunda (It. *bulbo*, *cipolla*; Fr. *oignon*, *bulbe*; Hisp. *bulbo*, *cebolla*; Germ. *d. knollige oder zwiebelartige Wurzel einer Pflanze*; Angl. *a bulb*, *bulbous root*). *Cels.* 2. 18. inter bulbos enumerat etiam cæpam et allium. Adde *Ovid. Fac. med.* 63. et *Colum.* 4. *R. R.* 32. 2. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 33. (144). Arundo seritur bulbo radicis, quem alii oculum vocant. *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. (24). Croci bulbus. *Id.* 22. *ibid.* 22. 32. (67). asphodeli. *Id.* 19. *ibid.* 4. 21. (61). In hortis nascentium alia bulbo commendantur, alia capite, alia caule, alia folio. ¶ 2. Speciatim *bulbus* dicitur quædam herba hortensis,

bulbos in radice habens esui aptos, quam plerique nobis incognitam putant, de qua *V.* præcipue *Cels.* 2. 18. et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (95). Ejus varia fuerunt genera, quorum celebratius Megaricum. Meminere, præter *Cels.* et *Plin. ll. citt.*, *Cato R. R.* 8.; *Varro* apud *Apic.* 7. 12.; *Ovid. Rem. am.* 797.; *Colum.* 10. *R. R.* 106. et *Martial.* 13. 34. His adde *Cic.*, cujus est lepidum jocum in C. Atilium Bulbum bis consulem: *V.* COGNITOR. — Est etiam *bulbus fabrilis*, ita appellatus, qui a *Theophrast. Hist. Plant.* 7. 13. βολβὸς ἐριοφόρος, *h. e.* lanosus, in arenosis locis maritimis nascens, cujus pars lanosa sub primis tunicis, pars interior edulis, in Taurica Chersoneso, Hyacintho Peruviano affinis. *Apic.* 8. 7. Mittitur in porcello hortulano pullus isiciatus, lucanicæ, dactyli exossati, fabriles bulbi. *Edict. Dioclet.* p. 16. Vulvi Afri, sive fabriles N. viginti ✕ duodecim: vulvi minores N. quadraginta ✕ duodecim. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (95). Bulbi in Africa nati maxime laudantur. *Id. ibid.* 2. 10. (32). Theophrastus auctor est, bulbi genus circa ripas amnium nascens, cujus inter summam corticem eamque partem, qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia vestesque quædam conficiantur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 315.) hanc bulborum exhibet synonymiam: Βολβὸς Theophr. 7. 13. (generali significatione); Βολβὸς Nicand. de Ther. v. 881.; Βολβὸς ἐδώδιμος Dioscor. 2. 200., Athen. 2. 25. et Theophr. apud Athen. l. c.; *Bulbus Megaricus* Colum. 10. R. R. 106.; *Bulbus Lybicus* Ovid. Rem. Am. 797.; *Bulbus candidus* Ejusd. 2. Art. am. 400. et *Bulbi omne genus* Martial. 4. 46., 13. 34. etc. sunt *Alliorum variæ species*, notamment l'ognon, la ciboule, etc.

BŪLE, es, f. 1. βουλή, Græca vox, quæ inter alia significat collegium senatorum, seu decurionum, quorum consiliis et voluntate civitas gubernatur: præsertim apud Græcos. *Plin.* 10. *Ep.* 117. Solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare. *Et ibid.* 113. In bulen a censoribus legi. *Et ibid.* 111. Et bule et ecclesia consentiente. Adde *ibid.* 85.

BŪLEUTA, æ, m. 1. βουλευτής, senator, qui in bulen lectus est. *Plin.* 10. *Ep.* 48. Ex ea pecunia, quam buleutæ additi beneficio tuo aut jam obtulerunt, aut conferent. Adde *ibid.* 113. et 115. *Spartian. Sever.* 17. Alexandrinis jus buleutarum dedit.

BŪLEUTĒRIUM vel buleuterion, ii, n. 2. βουλευτήριον, locus, ubi senatores conveniunt, curia. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 50. In curia Syracusis, quem locum illi buleuterium vocant. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 23. (100).

BŪLGA, æ. f. 1. *Paul. Diac.* p. 35. 1. *Müll.* ait esse vocem Gallicam, et significare sacculum scorteum. *Nonius* p. 78. 3. *Merc.* interpretatur folliculum, hoc est sacculum ad brachium pendens, quem veteres etiam crumenam appellarunt: cujusmodi est, qui a viatoribus gestari solet. *Lucilius* apud *Non. ibid.* Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus: Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse. Cum bulga cœnat, dormit, lavit: omnis in una Spes homini bulga; hac devincta est cetera vita. *Varro* apud *eumd. ibid.* Cum alterum (*Philippeum*) addamus in bulgam, alterum in vesicam. — Eadem videtur esse *vulga*: de qua *Non.* p. 187. 18. afferens illud *Varron.* Eo ut viaticum ex arcula adderem in vulgam. Et *Lucilii*: in vulgam penetrare pilosam. — Per similitudinem dicitur de feminarum utero. *Lucilius* apud *Non.* p. 78. 13. Ita ut quisque nostrûm e bulga est matris in lucem editus.

BŪLĪMO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Græca vox βουλιμιῶ, a βου, quod in compositione auget, et λιμὸς *fames*; et significat intolerabili fame laborare. *Pelagon. Veterin.* 10. Cui (*equo fame laboranti*) succurrendum non magno sumptu, manifestum est. Nam cum bulimaverit, panis mundi mollem partem vino infundis, et cum vino ipso confricas: chylon et per cornu faucibus infundis. *Et mox.* Item in itinere si bulimaverit *etc.* His similia et in compendium redacta habet *Veget.* 5. *Veterin.* 37. 1. — Part. *Bulimans* occurrit apud *Theod. Priscian.* 2. 29., ubi tamen alii aliter legunt.

BŪLĪMŌSUS, a, um, adjec. (bulimo) qui magna fame laborat. *Pelagon. Veterin.* 10. Utilissimum et necessarium est domino philocalo, bulimoso (*equo*) succurrere; nam equi interdum sic famem non ferunt, ut concidant.

BŪLĪMUS, i, m. 2. βούλιμος, magna fames, morbus quidam, quo æger insatiabili edendi cupidine cruciatur. *Paul. Diac.* p. 32. 10. *Müll.* Bulimon Græci magnam famem dicunt. Græcis litteris scribit *Gell.* 16. 3. Erasistratus vim quamdam famis non tolerabilem, quam Græci βούλιμον appellant, in diebus frigidissimis accidere ait. Adde *Veget.* 5. *Veterin.* 7. et 34. et 37. *Schneid.*

BULLA, æ, f. 1. tumor globosus in aqua, aut aliquo alio liquore excrescens, cum bullit aut spumam facit, et repente evanescens.

I.) Proprie. *Ovid.* 10. *Met.* 731. Sic fata cruorem Nectare odorato spargit, qui tactus ab illo Intumuit sic, ut pluvio perlucida cælo Surgere bulla solet. *Martial.* 8. 33. offensæ bulla tumescit aquæ. — Ad hanc significationem respexit *Varro* 1. *R. R.* 1. 1. Cogitans esse properandum, quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex. Et *Petron. Satyr.* 42. Nos non pluris sumus quam bullæ.

II.) Translate. ¶ 1. Per similitudinem dicuntur bullæ umbellata clavorum capita, quibus ditiorum fores exornari solent, item quæ cingulis et balteis infigi ad ornatum. *Plaut. Asin.* 2. 4. 30. Jussine in splendorem dari bullas has foribus nostris. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 124. Bullas aureas omnes ex his valvis non dubitavit auferre. — Hujusmodi bullatis clavis foribus vel tabulæ impactis mos fuit aliquando dies, qui boni, quique incommodi essent, notare: cujus rei testimonium extat apud *Petron. Satyr.* 30. — *Virg* 12. *Æn.* 492. et notis fulserunt cingula bullis. *Et* 9. *ibid.* 359. aurea bullis cingula. *Apul.* 6. *Met.* 28. Asinus monilibus bullisque multis aureis inoculatus. — Bullam in tympano horologii, quæ bullato clavo similis esse debuit, memorat *Vitruv.* 9. 8. 9. *Schneid.*, ubi de variis horologiorum rationibus agit. — Hinc metaphorice *Sidon.* 1. *Ep.* 7. Crepantes adulationum bullæ. ¶ 2. Sed præcipue *bulla* dicta est insigne quoddam, quod a pueris Romanis e collo ante pectus loro suspensum gestabatur in signum ingenuitatis et fortunæ, quodque, ut ait *Plaut. Rud.* 4. 4. 127. Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die. Nam tempore sumendæ togæ bullam una cum prætexta deponebant, et Laribus donabant, sicut puellæ Veneri pupas suas. *Pers.* 5. 30. Cum primum pavido custos mihi purpura cessit, Bullaque succinctis Laribus donata pependit. Adde *Paul. Diac.* p. 36. 7. *Müll.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 6.; *Liv.* 26. 36. et *Propert.* 4. 1. 131. *Pacat. Paneg. Theod.* 26. Illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ. — Quin immo non modo Laribus sed aliis etiam diis aliquando bullam donabant: quod apparet ex duabus his *Inscript.* apud *Gruter.* 25. 2. IVNONI PLACIDAE CONSERVATRICI AVGVSTAE CLAVDIA SABBATIS BVLLAM D. D. *Alia* apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 3. p. 114. HERCVLI BVLLAM M. VLPIVS AVG. LIB. TIMOCRATES AEDITVVS D. D. — Narrat *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (10). hunc bullæ gestandæ morem originem habuisse a Tarquinio Prisco, qui filium suum, quod adhuc prætextatus hostem in bello occidisset, aurea bulla donavit. Ex quo factum est, ut equitum filii prætextati insigne id haberent. Alii vero scribunt, non modo equitum, sed omnium ingenuorum filios bullam auream gestasse. Nam libertini, et aliquando etiam tenuiores vel lorum tantum, vel bullam scorteam ex loreo nodo pendentem habebant, ut *Ascon. in* 3. *Verr.* 58. docet. *Morcell.* autem *de stil. T.* 1. p. 34. *edit. Pat.* probat ex pictura vitrei poculi in *Mus. Kircheriano*, libertinorum bullam scorteam quidem et rubro colore, sed circulo ad oras aureo fulgentem fuisse. Hinc *Juvenal.* 5. 153. Etruscum puero si contigit aurum, Vel nodus tantum, et signum de paupere loro. *Etruscum* dicit, quia ab Etruscis morem hunc Romani mutuaverant, vel quia ejus auctor fuit Tarquinius in Etruria natus. *Cf. Festus* p. 322. 1. *Müll. Macrob.* 1. *Saturn.* 6. tradit, peritissimos vetustatis referre hoc inventum ad Romulum, qui infantem ab Hersilia Sabina ante alias omnes primum editum tali insigni decoraverit. *V. Devit, Varron. Sentent.* p. 64. n. 211. et *Annali dell'Istit. Archeol. T.* XI. a. 1839. p. 136. *nota* 1. — Fuit etiam gestamen triumphantium, quod in triumpho præ se gerebant, inclusis intra illud remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. *Macrob. ibid.* — Solebant in puerili bulla humani cordis figuram effingere, ut eam inspicientes pueri, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent, ut *Macrob. ibid.* ait. *Cic.* 3. *Verr.* 58. 152. Bulla ornamentum pueritiæ, indicium atque insigne fortunæ. — Hinc *Bulla dignus* dicitur, qui ineptit et puerilia facit: dignus propterea qui inter pueros referatur. *Juvenal.* 13. 33. Dic, senior bulla dignissime, nescis, Quas habeat Veneres aliena pecunia? — Bullæ puerilis figuram habes apud *Spon. Miscell. erud. antiq.* p. 299. et elegantioris in *Mus. Borbon. Neap. T.* 2. *tab.* 14. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BULLĀTIO, ōnis, f. 3. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 43. (148). Lapis hic et in Cantabria nascitur, non ille magnes verus caute continua, sed sparsa bullatione. *h. e.* bullarum instar per agros sparsus, non e continua rupe excisus. Ita legit et interpretatur *Harduin*; nam editi alii habent *bubbatione*. At rectius legendum *bulbatione*; quam vocem *V.*

BULLĀTUS, a, um, adject. bullam habens, bullis ornatus.

I.) Proprie occurrit tantum in illo *Pers.* 5. 19. Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat. *h. e.* figurate pro inflatis, tumidis, instar bullarum in aqua excrescentium. Al. leg. *pullatis*.

II.) Translate. ¶ 1. Bullatus est ornamento aliquo eminente ac rotundo instructus. *Varro* 5. *L. L.* 116. *Müll.* Cingulum bullatum. *Fulgent. in carm. l.* 1. *Mythol.* Luna bicornis Bullatum bijugis conscenderat æthera tauris. *h. e.* stellis tamquam bullis distinctum. ¶ 2. Item bullatus dicitur qui Romanorum puerorum insigne e collo suspensum gestat. *Scipio Africanus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Bullatus puer. *Val. Max.* 3. 1. 1. Bullata statua. *h. e.* statua pueri cum bulla. *Juvenal.* 14. 4. Heres bullatus. *h. e.* parvulus, ut qui adhuc bullam gestat.

BULLESCO, is, ere, n. 3. idem ac ebullio. *Ampel. lib. memor.* 8. Cum manibus supplodas, pix alte extollitur, et quasi ab aqua bullescit. *h. e.* in bullas abit, ebullit.

BULLIO, is, ivi, itum, ire, n. 4. (bulla). Part. *Bullitus* sub I. in fin. — Bullio est ferveo, bullas emitto; a *bullis*, quas in aqua fervida videmus (It. *bollire*; Fr. *bouillonner*, *bouillir*; Hisp. *hervir*, *bullir*; Germ. *wallen*, *Blasen oder Schaum werfen*, *aufbrausen*; Angl. *to boil*, *bubble*).

I.) Proprie. *Cels.* 5. 19. *in fin.* Spumæ argenti selibra cocti, donec bullire desierit. Adde *Vitruv.* 8. 3. 2. *Schneid. Pers.* 3. 34. et alto Demersus, summa rursus non bullit in unda. *h. e.* non emergit, aqua enim bulliens in altum ejicit quidquid immixtum habet. Adde *Apic.* 4. 4., 4. 5., 8. 6. et alibi. — Part. *bullitus* est fervefactus vel leviter coctus in illo *Veget.* 2. *Veterin.* 17. 5. *Schneid.* (1. *Veterin.* 45. *in fin.*). Castoreum, lauri baccas, ammoniacum mittis in ollam, et bullita atteres, dabisque ad bibendum.

II.) Translate. *Apul.* 10. *Met.* Bullire indignatione. *h. e.* ardere iracundia.

BULLĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

BULLĪTUS, us, m. 4. agitatio aquæ bullientis. *Vitruv.* 8. 3. 3. *Schneid.* Capita fontium cum sunt angustiis compressa, ruunt in summo spiritus aquæ bullitus.

BULLO, as, are, n. 1. (bulla). Part. *Bullans.* — Bullo est bullas emitto, bullio (It. *far bolle*; Fr. *lancer des bulles*; Hisp. *hervir*, *bullir*; Germ. *wallen*, *Blasen werfen*, *schäumen*; Angl. *to bubble*, *boil*). *Cato R. R.* 105. Mustum in ahenum infundito, ignem subdito: ubi bullabit vinum, ignem subducito. *Cels.* 2. 7. Si urina bullat, aut male olet. Adde *Calpurn.* 1. *Ecl.* 11. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Bullantium aquarum sufflatio. *Id.* 18. *ibid.* 31. 74. (317). Rugæ mali torcularis bullantes per cochleas. *h. e.* spiræ crassiores, extantes et in bullæ morem rotundatæ.

BULLŪLA, æ, f. 1. deminut. a bulla, parva bulla.

I.) Proprie. *Cels.* 2. 5. *extr.* Si urina bullulas excitat. Adde *eumd.* 5. 28. *n.* 17.

II.) Translate. Est deminutivum bullæ, quæ puerorum ingenuorum erat insigne. *Hieronym. in Isaj.* 2. 3. 18. Habent mulieres in lunæ similitudinem bullulas dependentes.

BŪMAMMUS, a, um, adject. *Bumamma* uva est genus uvæ crassioris, rotundique acini; a βοῦς *bos*, et *mamma*, quia instar mammæ bovis turgescit, ut *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 102. docet. *Varro* 2. *R. R.* 5. 4. Novi majestatem boum, et ab his dici pleraque magna, ut βούσυκον, βούπαιδα; uvam quoque bumammam. Adde *Macrob.* 2. *Saturn.*

BŪMASTUS, um, vel bumastus, a, um, adject. βούμαστος. *Bumasta* uva vel absolute *bumasta*, est eadem quæ bumamma ac duracina: a βοῦς *bos*, et μαστός *mamma*. *Edict. Dioclet.* p. 18. Uvæ duracinæ, seu bumastæ pondo I. ✕ quattuor. Distingui-

tur tamen a *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Apicia, bumamma, aut, ut Græci dicunt, βούμασθος, duracina, labrusca, etc. — *Bumastus*, *i*, f. 2. subaudi *vitis*. *Virg.* 2. *G.* 102. et tumidis, bumaste, racemis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (15). Tument mammarum modo bumasti. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 3. 4. (42).; *Virg. Cul.* 405., *Colum.* 3. *R. R.* 2. 1. et *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 102.

BUMELĬA, æ, f. 1. βουμελία, species fraxini amplissimæ et lentissimæ: a βοῦ, quod in compositione auget, et μελία *fraxinus*. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 13. 24. (63). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 322.) hanc exhibet synonymiam: Μελία Hesiod. Opera et Dies 144., Hom. Iliad. N. 178. et 65. etc., Theophr. 3. 2., Dioscor. 1. 108.; Βουμελία vel Βουμέλιος Theophr. 3. 11. et 4. 9.; *Fraxinus* Virg. 7. Ecl. 65. et 2. G. 66., et Colum. 5. R. R. 6., et *Bumelia* seu *Macedonia fraxinus* Plin. l. c. sunt *Fraxinus excelsior* DC. Fl. fr. 2466.

BŪNIAS, ădis, f. 3. genus napi. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 11. (21). Naporum duas differentias et in medicina Græci servant. Angulosis foliorum caulibus, flore anethi, quod bunion (βούνιον) vocant, purgationibus feminarum et vesicæ et urinæ utile decoctum, *etc.* Alterum genus buniada (βουνιάδα) appellant, et raphano et rapo simile, seminis præclari contra venena, etc. *Colum.* 10. *R. R.* 422. Quæque Amiterninis defertur bunias arvis. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 373.) ad h. l. hæc habet: Daléchamp fait remarquer avec raison que Pline, dans ce chapitre, confond le *bunium* et le *bunias*; la première de ces plantes est une ombellifère, soit le *Bunium Bulbocastanum* L., soit le *Peucedanum Silaus* L.; la deuxième, le *Brassica Napo brassica* L.: c'est donc seulement sur un rapport nominal que notre auteur s'est guidé.

BŪNĬON, ii. *V.* vocem præced.

BŪNĪTES, æ, m. 1. βουνίτης οἶνος, vinum conditum ex napis, qui Græce βουνιάδες dicuntur: hujusmodi vero confectionem docet *Dioscor. l.* 5. *c.* 56. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 52. Aliquando erunt conterenda salicis folia ex vino bunite iis, qui sine febri afficiuntur.

BŪPÆDA, æ, m. 1. βούπαις, grandior adolescens, idem ac bupæs: *V.* BU. *Capell.* 1. p. 12. Possem minore ambigens fiducia Solum Tonantem pignoris pro fœdere Bupæda vix dum, vel paterna contremens Præcepta, adire.

BŪPHTHALMOS, i, m. 2. βούφθαλμος et βούφθαλμον, a βοῦς *bos*, et ὀφθαλμός *oculus*. ¶ 1. Herba est similis boum oculis, folio fœniculi, fruticosa caulibus, qui et manduntur decocti: circa oppida nascitur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 42. (82). Cf. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 93. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 339.) hanc exhibet synonymiam: Βούφθαλμον Dioscor. 3. 156. et Galen. de Fac. simpl. 6. 852.; Τζιτζιμβόλα Græcor. recent. et *Bouphthalmos* Plin. l. c. sunt *Chrysanthemum segetum* L. Spec. plant. 1254. Id. *Fée* addit, hanc plantam esui numquam inservire. ¶ 2. Item genus aizoi majoris, quod in fictilibus vasculis seri solet; et in subgrundiis fere nascitur. Itali vocant sedum magnum, aut oculum, aut digitillum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160). De synonymia *V.* AIZOON.

BŪPLEURON, i, n. 2. βούπλευρον, herba, quam in sponte nascentium olerum numero Græci habent, caule cubitali, foliis multis longisque, capite seu umbella anethi simili, laudatam in cibis ab Hippocrate, in medicina a Glaucone et Nicandro. Herbariis nostris nunc incognita esse creditur. Meminit *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 35. (77). et 27. *ibid.* 8. 34. (57). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 129.) hanc exhibet synonymiam: Βούπλευρον Nicand. de Ther. v. 575. et Glauc. cit. a Plin.; Ἀστροκίφαλος Græcor. recent.; *Ameum* Car. Magn. Capitul. et *Bupleurum* Plin. l. c. sunt *Ammi majus?* L. Spec. plant. 348.

BŪPRESTIS, is, f. 3. βούπρηστις. ¶ 1. Est animal ex genere cantharidum, scarabæo longipedi simile, venenatum, sanguine carens: a βοῦς *bos*, et πρήθω *incendo*, quod boves inter herbas fallit, devoratumque tacto felle ita inflammat, ut rumpat, ut *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (30). docet. *Id. ibid.* Buprestis cum hircino sevo illita lichenas ex facie tollit. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (119). Nitrum succurrit et venenis fungorum ex posca potum; aut si buprestis hausta sit. Adde *Dig.* 48. 8. 3. § 3. et *Veget.* 6. *Veterin.* 2. 2. *Schneid.* ¶ 2. Est etiam hoc nomine herba ex olerum genere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 36. (78). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 130.) hanc exhibet synonymiam: Βούπρηστις Hipp. de Morb. mulier. 1. 619., Theophr. Hist. plant. 1. 619. et Galen. Comment. in voc. Hippocr. 450. et *Buprestis* Plin. l. c. sunt *Umbellifera ignota*.

BŪRA, æ *et* buris, is, *f.* curvamentum aratri, hoc est præcipua aratri pars curva, cui a posteriori parte stiva, a priori dentale, aures et temo infigitur: quasi βοὸς οὐρά, bovis cauda, quia instar caudæ bovinæ incurvata est. *Varro* 1. *R. R.* 19. 2. Terram boves proscindere nisi magnis viribus non possunt, et sæpe fracta bura relinquunt vomeres in arvo. *Schneiderus* ad hunc *Varr.* loc. hæc habet: Bura est aratri pars posterior curva, olim Latine *urvum* dicta, Græce γύης, quæ si cum temone fuerat ex eadem materia continuata, nulla intercedente junctura, aratrum Græce dicebatur αὐτόγυον. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 135. *Müll.*, ubi quoque *bura* legitur. *Virg.* 1. *G.* 169. magna vi flexa domatur in burim, et curvi formam accipit ulmus aratri. *Serv. ad hunc loc.* affert quoddam *Varronis* fragmentum, in quo *buris* masculino genere effertur: *Totum burim indici ab urbe.* Adde *Non.* p. 80. 19. *Merc.* — *Turneb. l.* 22. *Adversar. c.* 30. buram dicit esse temonem illum longum aratri, qui inter boves est protensus. Sed profecto fallitur. Nam *Virg. loc. cit.* post *burim* enumerat *temonem*, *aures*, *dentalia* et *stivam*, quibus partibus totum aratrum componitur. — *NB.* De Bura urbe *V.* ONOM.

BŬRDO, ōnis, m. 3. *et* Burdus, i, m. 2. (etymon est ab Hebr. פרד *pered*, *mulus*) mulus ex equo et asina genitus. *Isid.* 12. *Orig.* 1. 61. Mulus ex equa et asino: burdo ex equo et asina. *Auct. Epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 453. *Burmann.* Burdonem sonipes generat commixtus asellæ. *Ulp. Dig.* 32. 47. Legato continentur jumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones. Adde *Vulg. Interpr.* 2. *Reg.* 5. 17. *Scholiast. Horat.* ad 3. *Od.* 27. 6. Manni equi dicuntur pusilli, quos vulgo burdos vocant. *Id.* ad *Epod.* 4. 14. eosdem *burrichos* appellat. *V.* BURRICHUS. Adde *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 6. *ad fin.* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BURDŌNĀRĬUS, ii, m. 2. qui mulos pascit et curat. *Edict. Dioclet.* p. 19. Camelario, sive asinario, et burdonario pasto diurni ✱ viginti. — Differt a mulione, qui deinde memoratur, et cui diurni ✱ vigintiquinque statuuntur: quippe is erat, qui mulas currui jungebat et regebat.

BURDUNCŬLUS, i, m. 2. herba, quæ et *lingua bovis* appellatur. *Marcell. Empir.* 5. — Est etiam deminut. burdonis. *Not. Tir.* p. 181. Burdo, burdunculus. *At hæc ex Lexico expungenda.*

BURGĀRĬI, ōrum, m. plur. 2. qui in burgis habitant. Extat de his titulus in *Cod. Theod.* 7. *tit.* 14. 1., ubi intelligi videntur ii, qui in burgis, seu castellis custodiendæ provinciæ causa ponuntur. Cf. *Isid.* 9. *Orig.* 4. 28.

BURGUS, i, m. 2. Vox est cadentis Latinitatis, qua significatur parvum castellum muniendi causa exstructum. Videtur esse a Græco πύργος *turris*, unde et Germ. *burg*. *Veget.* 4. *Milit.* 10. Quod si ultra jactum teli, in clivo tamen civitatis, subjecta sit vena, castellum parvulum (quem burgum vocant) inter civitatem et fontem convenit fabricari, ibique balistas sagittariosque constitui, ut aqua defendatur ab hostibus. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 27. 2. § 4. Ubi ante invasionem Wandalorum respublica Romana fines habuerat, et ubi custodes antiqui servabant, sicut ex clausuris et burgis ostenditur. — Hinc *burgus* etiam dicitur plurium domorum congregatio, per limites alicujus provinciæ constitutarum: item vicus quilibet munimento aliquo conclusus. *Inscript.* apud *Gruter.* 164. 3. et 4., quarum prior pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXXVII., altera ad ann. CCCLXXI., *Isid.* 9. *Orig.* 4. 28. et 2. 99. et *Oros.* 7. 32. Burgum Pontii Leontii describit *Sidon. carm.* 22.

BŪRIS, is. *V.* BURA.

BŪRIUS, ii, m. 2. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 31. ed. *Mai.* Scorpii cancrique una elephantis et buriis. *Sed ibi legendum est* barris. *V.* BARRUS.

BURRÆ, ārum, f. plur. 1. gerræ, nugæ, res vanæ et nullius pretii. *Auson. præf.* 3. *ad Latin. Pacat.* At nos illepidum, rudem libellum, Burras, quisquilias ineptiasque, etc. *Scalig. in lection. Ausonian. l.* 2. *c.* 13. putat esse vocem Aquitanicam; majorem enim Aquitanicarum nationum partem quisquilias appellare *burras*: unde recentiorum Gallorum *bourre* et Italorum *borra*. Quidam apud *Voss. in Etymol.* in *Burrus* docent, *burram* esse vestis cujusdam villoris genus (hinc *Eucher. carm.* 5. Nobilis horribili jungatur purpura burræ): ex quo burras dici res quaslibet minimi pretii.

BURRANĬCA potio appellatur lacte mixtum sapa a rufo colore, quem burrum vocant. *Paul. Diac.* p. 36. 12. *Müll.* Hujusmodi potionem designavit *Ovid.* 4. *Fast.* 780. Lac niveum potes, purpureamque sapam.

BURRANĬCUM genus vasis, teste *Paul. Diac.* p. 36. 5. *Müll.* Videtur autem ductum a potione burranica, ut scribit *Voss.* in *Etymol.* in *Burrus.*

BURRHĪNON, i, n. 2. βούρρινον, herba, quæ et cynocephalion dicitur: a βοῦς *bos*, et ῥίν, ῥινός *naris*, quod bovinis naribus similis est. *Apul. Herb.* 86.

BURRĪCHUS *vel* Būricus, i, m. 2. parvus equus, idem ac mannus et burdo. A colore rufo dictum, quasi πυρρίχον, recte censet *Salmas.* ad *Vopisc. Carin.* 19. Hinc *Varro* 2. *R. R.* 8. 1. eum *rubicundiorem* appellat. Cf. *Schneid.* ad *h. l. Paulin. Nolan. ep.* 29. (al. 10.) ad *Sever.* 12. Macro illa et villoso asellis burico sedens. Adde *Veget.* 6. *Veterin.* 2. 2. ed. *Schneid.* (4. *Veterin. in fin.*), et *Hieronym. Ep.* 26. *ad Pammach. V.* BURDO.

BURRĬO, is, ire, n. 4. verbum fictum ad exprimendam trepidationem illam et concursationem, quæ videtur in formicarum ædificiis. *Apul.* 8. *Met.* In carioso stipite formicarum nidificia burriebant, et ultro citroque commeabant multijuga scaturigine. Al. leg. *bulliebant*, al. *aberrabant* vel *oberrabant*. *V.* BORRIO.

BURRUS, a, um, adject. rufus, a Græco πυῤῥός, quod idem significat, υ in u converso. Hinc rustici *burram* appellant burulam, quæ rostrum habet rufum. Pari modo rubens cibo ac potione ex prandio *burrus* dicitur. *Paul. Diac.* p. 31. 6. *Müll.* et 36. 12. *ibid.* — De nom. pr. *V.* ONOM.

BŪSELĪNUM, i, n. 2. βουσέλινον, herba sativo apio similis, sola caulis brevitate et rufa radice differens. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 12. 47. (118). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 401.) hæc habet: C. Bauhin (*Pin.* p. 153.) rapporte le *buselinum* de Pline au *Petroselinum creticum*, nommé *agriopastinaca* en Crète, suivant Belli (lettre 5.). On ne peut dire avec certitude quelle est l'ombellifère que Bauhin nomme persil de Crète; c'est probablement le persil ou l'une de ses variétés, plus grande dans ses proportions que les autres. Le *petroselinum*, persil venu dans le lieux pierreux, devait être moins développé que celui-ci.

BUSEQUA. *V.* BUBSEQUA.

BUSTRUS, a, um, adject. a busto derivatum. *Plauto* quidam olim tribuebant, *Truc.* 2. 7. 58. Odio es confossus, busteus. *h. e.* busto seu morti proximus. Ubi nunc ita legitur: *hic odiose es, confessus omnibus reus*, vel *omnibus te iis*.

BUSTIĀLIS. *V.* BUSTUALIS.

BUSTICĒTUM, i, n. 2. locus, in quo multa sunt busta: item ipsum bustum. *Arnob.* 1. 41. Hercules, quem vos fertis vivum arsisse, et concrematum in funestis busticetis. *Id.* 7. 15. Aræ istæ, quas dicitis, altariaque hæc pulcra infelicissimi animalium generis ustrinæ, rogi sunt, et busticeta in opus structa fœdissimum.

BUSTĬRĂPUS, i, m. 2. qui lucri causa busta spoliat, seu qui ex ipso rogo cœnam sepulcralem rapit, ut constat ex *Catull.* 59. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 120. Impudice, sceleste, verbero, bustirape, furcifer.

BUSTROPHĒDOS, a, on, adject. βουστροφηδὸς, boves in arando imitatus: ita dicitur scripturæ genus, quo boves in arando imitamur. *Mar. Victorin.* 1. p. 2497. *Putsch.* Primis temporibus sic soliti erant scribere, ut, cum a sinistra parte initium facere cœpissent, et duxissent ad dexteram, sequentem versum a dextra parte inchoantes ad sinistram perducerent: quem morem ferunt in suis liris custodire adhuc rusticos. Hoc autem genus scripturæ dicebant bustrophedon a boum versatione, unde adhuc in arando, ubi desinit sulcus, et unde alter inchoatur, versura proprio vocabulo nuncupatur. *Gaisford.* edidit *bustrophedon* et paullo ante *in suis liris*; at *Putsch.* mendose *bustrophen* et paullo ante *in suis litteris*.

BUSTUĀLIS, le, adject. ad bustum pertinens. *Sidon.* 3. *Ep.* 12. Campus refertus bustualibus favillis. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 52. Suetus antro bustuali sub catenis frendere. *Al. leg.* bustiali.

BUSTUĀRĬUS, a, um, adject. ad bustum pertinens, bustualis. Sic *bustuarii gladiatores* qui ante busta in

mortuorum honorem dimicabant, ut docet *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 519. et *Tertull. Spectac.* 11. Apud *Cic. Pis.* 9. 19. bustuarius gladiator dicitur P. Clodius; sed ibi alii alia: *V. Klotz* ad *h. l.* — *Bustuaria mœcha* est quæ inter busta prostat. *Martial.* 3. 93. — *Bustuarium altare* in quo humanæ victimæ immolantur. *Tertull. Pall.* 4. Ubi Busiris et bustuaria altaria? — *Bustuarius latro* apud *Ammian.* 28. 1. 12. est idem ac *bustirapus*: a *Forcellino* vero in hoc eod. loco *bustuarius, ii*, substantivorum more accipiebatur, et erat libitinarius, qui curat funera et corpora comburit.

BUSTUM, i, n. 2. Ratione habita etymi est a *buro*, quod idem est atque *uro* (Cf. *comburo*), testibus *Paul. Diac.* p. 32. 4. *Müll.*, *Servio* ad *Virg.* 3. *Æn.* 22., 11. *ibid.* 201. et 12. *ibid.* 863., et *Inscript.* apud *Murat.* 1514. 3. — Bustum est cineres rogi et cadaveris simul mixtæ, ac deinde tumulatæ; ideoque Græco vocabulo τύμβος (quod a τύφω) omnino respondet, teste *Cic.* 2. *Legg.* 26. 64. hisce verbis: De sepulcro autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat; pœnaque est, si quis bustum (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum violarit (It. *l'avello, il sepolcro*; Fr. *bûcher, tombeau, sépulcre*; Hisp. *hoguera, tumba, sepulcro*; Germ. *der Grabhügel, das Grabmal, der Bestattungort eines Todten*; Angl. *a tomb*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu ponitur de sepulcro. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 14. In busto Achilli accubare. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 61. Nam quod rogum bustumve novum vetat (*lex XII. Tabul.*) propius LX. pedes adjici ædes alienas – quod autem forum – bustumve usu capi vetat etc. *Id.* 7. *Att.* 9. 1. Ad bustum Basili (*in via Appia*) vulnerari. Cf. *Ascon.* ad *Cic. Mil.* p. 50. *Bait. Cic.* 5. *Tusc.* 35. 101. Sardanapalus incidi jussit in busto: Hæc habeo, quæ odi. *Id. Pis.* 7. 16. Mactari in busto alicujus. *Catull.* 64. 363. Bustum coacervare excelso aggere. *Virg.* 11. *Æn.* 850. ingens terreno ex aggere. *Propert.* 2. 13. 33. exiguum. *Id.* 2. 1. 75. *Kuin.* Si te forte meo ducet via proxima busto, Esseda cælatis siste Britanna jugis. *Horat.* 3. *Od.* 3. 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum. *Ovid.* 13. *Met.* 515. Hostilia busta piare. *Seneca Troad.* 663. Eruere busta. *Sueton. Ner.* 38. Bustorum deversoria. *Lucan.* 7. 855. Vertere busta. *Id.* 8. 748. Violare bustum. *Inscript.* apud *Murat.* 655. 1. et in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 297. *Burmann.* TV QVICVMQVE MEI VEHERIS PROPE LIMINA BVSTI, SVPPRIME FESTINVM, QVAESO, VIATOR, ITER. — Et figurate. *Cic. Dom.* 52. 139. Bustum in alicujus capite imponere. *Id.* 1. *Phil.* 2. 5. Bustum facere in foro. *V.* INSEPULTUS et cf. *Guarini Comment.* 10. p. 6. — Denique *Ad busta Gallica* locus fuit in Urbe Roma in regione quarta, ubi Gallorum, qui eam ceperant, ossa coacervata et condita fuerant. *Varro* 5. *L. L.* 157. *Müll.*; et *Liv.* 5. 48. et 22. 14. — *b*) Latiori sensu bustum dicitur ipsa cadaveris combustio. *Lucret.* 3. 920. At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus. — *c*) Item ipsum cadaver combustum. *Stat.* 12. *Theb.* 247. haud procul Ogygias domos et egena sepulcri Busta jacere reor.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de loco, ubi aliqua persona aut res excidium subiit. *Lucret.* 5. 991. *de persona quæ devorata est a bellua.* Viva videns vivo sepeliri viscera busto. Cf. *Ovid.* 6. *Met.* 665. Flet modo seque vocat bustum miserabile nati. *Propert.* 2. 1. 27. civilia busta Philippi. *h. e.* Philippi, ubi tot millia Romanorum civium ceciderunt: Aliter *Plin.* 5. *Hist. nat.* 17. 15. (73). oppidum excisum bustum vocat. ¶ 2. Item de personis, quæ aliquid ad nihilum redigunt vel corrumpunt. *Cic. Pis.* 4. 9. Cum tu interim (*o Piso*), bustum reipubl., qui etc. *Id. ibid.* 5. 11. Templum illud fuit, te consule, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. — *NB. Forcellinus* hæc addidit: *Bustum* est etiam effigies dimidiata illius, qui in busto cremandus erat. Hinc Itali etiamnum eam *busto* dicunt, quam Græci προτομήν, Latini *vultum, thoracem* appellabant. Huc fortasse spectat locus *Inscript.* apud *Murat.* 1514. 3. EJA AGE, CONDVNTVR VSTAQVE BVSTAQVE HVMO. Sed *Burmanno* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 80. hæc *Inscript.* merito subiestæ fidei habetur. *V.* INFANTULUS. Ceterum plura de etymo, significatione et usu vocis Italicæ *busto* habet *Visconti. præfat. T.* 6. *Mus. Pio-Clementin.*

Homonym. *Bustum*, qua sepulcrum significat, differt a *monumento*, quod *bustum* cremati cadaveris reliquias habet, *monumentum* non habet, sed ad memoriam tantummodo defuncti extructum est. Hinc duo ista distinxit *Sueton. Ner.* 38., ubi narrat, plebem Romanam, incensa a Nerone Urbe, *ad monumentorum bustorumque deversoria* fuisse compulsam. Porro *deversoria* quod appellat, significat varia subterranea cubicula, quæ in bustis extrui a ditioribus solebant, ad quæ per gradus descendebatur. Quibus in locis prostare solebant viliores meretrices, quas proinde *bustuarias mœchas* vocat *Martial.* 3. 93.

BUSYCON. *V.* in BU.

BUTEO, ōnis, m. 3. genus accipitris subnigri coloris, alio nomine triorches, τριόρχης, dictus, quod tres habere dicatur testiculos. Huic quidam principatum in auguriis dedere. Apud Baleares in honore mensarum est. Romanæ familiæ in gente Fabia cognomen dedit, cum prospero auspicio in ducis navi sedisset. Hæc ex *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 9. (21).; 11. *ibid.* 49. 110. (263). et 10. *ibid.* 49. 69. (135). Putant quidam, esse buteonem, quem Italorum multi vocant *pojana.* V. *Aldrovand. l.* 5. *Ornithol. c.* 7. et alibi. At *Cælestin. Cavedoni* in *Append. al Saggio di oss. num.* p. 95. *nota* 115. multis argumentis probat, buteonem esse avem, quam Itali nunc *aghirone* vocant. — De hac ave hæc habet *Paul. Diac.* p. 32. 7. *Müll.* Buteo genus avis, quæ ex eo se alit, quod accipitri eripuerit: vastitatisque est causa his locis, quæ intraverit, ut bubo: a quo etiam appellatur *buteo.* Quædam ex his, ut minus vera reprehendit *Voss.* in *Etymol.* — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

BUTHYSIA, æ, f. 1. βουθυσία, magnum ac solemne sacrificium, in quo multæ et magnæ victimæ cæduntur, qualis est hecatombe: Græca vox a βοῦ, quod in compositione auget, et θύω *macto, sacrifico*: vel a βοῦς *bos*, quia bos est maxima victimarum. *Sueton. Ner.* 12. Gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit.

BUTIO, ōnis, m. 3. ardea stellaris minor, seu asterias. *Auct. carm. Philom.* 12. Inque paludiferis butio bubit aquis. Fortasse est eadem avis, quæ *buteo* appellatur. *V.* suo loco.

BUTIO, is, ire. *V.* BUBO.

BUTUBATTA Nævius pro nugatoriis posuit, hoc est nullius dignationis. Hæc *Paul. Diac.* p. 36. 6. *Müll.*, quocum cf. *Charis.* 2. p. 216. *Putsch.* De vocis origine multa *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss.* in *Etymol.*

BUTYR. *V.* voc. seq.

BUTYRUM, i, n. 2. βούτυρον. — Penultima est anceps. Hinc eam produxit *Sidon. Carm.* 12. 7. Infundens acido comam butyro. *Homerus* quoque in *Batrachomyomachia* primam in τυρός produxit. Corripuit *Æmil. Macer. De herb. c. de ruta.* Cum butyro medicoque oleo decocta tumorem etc. Turpe tamen peccavit primam quoque corripiendo. Est enim Græca diphthongus: qua in re et *Sidon.* erravit, et quicumque auctor est illius versus, quem quidam perperam *T. Valgio* tribuunt: Lac niveum butyrumque novum cum melle comedit. — Scribitur quoque *buturum* ob *y* et *u* affinitatem. *Edict. Dioclet.* p. 15. Butiri Ital. P. I. X sedecim. — Porro nimis licenter *butyr* dixit *Venant.* 11. *Carm.* 23. Omnia sumendo, lac, olus, ova, butyr. — Ceterum butyrum est spuma lactis sero concretior et multa agitatione pinguior, Romanis quondam ignota: Græca vox a βοῦς *bos* et τυρός *coagulum*, quia ex bubulo lacte plerumque fieri solet (It. *butirro, burro*; Fr. *beurre*; Hisp. *manteca de vaca*; Germ. *Butter*; Angl. *butter*). V. *Cels.* 4. 15. et 18., et 5. 20. 30.; et *Colum.* 6. *R. R.* 12. 5. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 35. (133). E lacte fit et butyrum, barbararum gentium lautissimus cibus, et qui divites a plebe discernat. Plurimum e bubulo; et inde nomen: pinguissimum ex ovibus. Fit et ex caprino, sed hieme, calefacto lacte. *Id.* 11. *ibid.* 41. 96. (239). Mirum, barbaras gentes, quæ lacte vivant, ignorare aut spernere tot sæculis casei dotem, densantes id alioqui in acorem jucundum et pingue butyrum. Spuma id est lactis, concretiorque, quam quod serum vocatur. Non omittendum, in eo olei vim esse, et barbaros omnes infantesque nostros ita ungi. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 19. 78. (257). et alibi.

BUXANS, antis, particip. ab inusit. *buxo*, buxum colore referens. *Apul.* 8. *Met.* Refert sese buxanti pallore trepidus.

BUXĒTUM, i, n. 2. πυξεών, locus buxo consitus. *Martial.* 2. 14. Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit. *Id.* 3. 58. Tonsile buxetum.

BUXEUS, a, um, adject. πύξινος, ad buxum pertinens. ¶ 1. Buxeus dicitur qui est e buxo. *Fragment. leg. Serv.* apud *Gruter.* 509. 7. SORTICVLA BVXEA. *Colum.* 7. *R. R.* 8. 7. Caseus vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur. *Id.* 8. *ibid.* 15. 5. Buxei frutices. *Solin.* 52. *ante med.* Buxei luci. *Petron. Satyr.* 74. Buxea mola. *Id. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Buxei anuli. *h. e.* e buxo: quidam tamen interpr. exponunt aureos, auri enim color buxeo similis est; ideoque hunc locum ad seq. paragr. referunt. ¶ 2. Item qui colore est buxo simili. *Varro* apud *Non.* p. 160. 8. *Merc.* Anates tremipedas, buxeis rostris pecudes. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 20. 29. (71). et 12. *ibid.* 7. 15. (30). Buxeus color. *Martial.* 2. 41. 7. Dentes piceique buxeique. *Apul.* 1. *Met.* Buxeus pallor. *Id.* 9. *ibid.* luror.

BUXUM, i, n. 2. πύξος, arbor et lignum buxi (*V.* BUXUS):

A) Buxum, qua significat arborem, raro admodum occurrit: sæpius enim dicitur feminino genere *buxus*; quam vocem *V.* suo loco. *Ennius* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 2. *G.* 449. longique cupressi Stant rectis foliis et amaro corpore buxum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (231). Quæ in lamina secantur, præcipua sunt citrum, terebinthus, buxum. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 16. 28. (70). De synonymia *V.* voc. seq. sub *A.*

B) Sæpius de buxi ligno dicitur. ¶ 1. De ligno, tamquam materia, qua aliquid fieri potest. *Virg.* 2. *G.* 449. et torno rasile buxum. — De ipsius ligni colore. *Ovid.* 4. *Met.* 134. ora buxo pallidiora. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 417., et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (70). ¶ 2. Per synecdochen a Poetis accipitur pro pluribus, quæ e buxo fieri solita erant, scilicet — *a*) Pro tibia e buxo: unde *Ovid.* 12. *Met.* 158. multifori tibia buxi. *Propert.* 4. 8. 42. Jactabat truncas ad cava buxa manus. *h. e.* saltabat ad tibiam. *Ovid.* 11. *Met.* 537. tinnitibus æra pulsi Æris et inflati complevit murmure buxi. Adde *eumd.* 6. *Fast.* 697. et 1. *Pont.* 1. 45.; *Senec. Agam.* 688. et *Stat.* 7. *Theb.* 170. — *b*) Item pro trocho, quo pueri ludunt. *Virg.* 7. *Æn.* 382. Volubile buxum. *Pers.* 3. 51. buxum torquere flagello. — *c*) Et pro pectine e buxo. *Ovid.* 6. *Fast.* 229. Crines depectere buxo. *Juvenal.* 14. 194. caput intactum buxo naresque pilosas. *Forcellinus* h. locum ad vocem sequentem retulit. — *d*) Denique et pro tabula scribendo apta. *Propert.* 3. 21. 8. Vulgari buxo sordida cera fuit. Cf. *Vet. Scholiast.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 6. 74.

BUXUS, i, f. 2., a Græca voce πύξος, teste *Priscian.* 1. p. 549. *Putsch.*, dicitur de arbore et de ligno.

A) Buxus fere occurrit de arbore, quæ exigua est, foliis minutis, densis, rotundis et concavis, semperque virentibus; ligno vero coloris aurei, adeoque duro ac ponderoso, ut neque cariem sentiat, et in aqua subsidat: vide plura apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (70). et seqq. *Virg.* 2. *G.* 437. Et juvat undantem buxo spectare Cytorum. *Ovid.* 10. *Met.* 97. Buxus virens perpetuo. *Id.* 3. *Art. am.* 691. Nec densæ foliis buxi. *Val. Flacc.* 1. 319. et *Stat.* 5. *Theb.* 93. Buxus Idæa. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (204). Spississima, ideo et gravissima judicatur ebenus et buxus. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 332. et 333.) hanc exhibet synonymiam: Πύξος Theophr. 3. 15. etc. et Homer. 24. Iliad. 268.; *Buxus* et *buxum* Virg. 2. G. 437. et 449., 7. Æn. 382. et 9. ibid. 619.; et *Buxus* Plin. ll. citt. sunt *Buxus semper virens* L. Spec. plant. 1394. cum suis varietatibus. Cum vero tria esse buxi genera a *Plinio* ll. citt. affirmentur, cl. *Fée* ea sic distinguit: I. *Buxus gallica* Plin. l. c. est *Buxus semper virens* L. Spec. plant. 1494., var. α, *arborescens.* — II. Buxus *dicta oleaster* Plin. l. c. quid sit, definiri nequit; præsertim cum duo tantum buxi genera nunc cognita sint. — III. *Buxus italica et silvestris; diffusior et densitate parietum virens semper ac tonsilis* Plin. l. c. est *Buxus semper virens* L. Spec. plant. 1494., var β, *humilis*, sive *Buxus suffruticosa* Lamrk. Encycl. 1. 511.

B) Interdum et de ligno dicitur: per synecdochen vero sumitur pro tibia ex buxo facta: nam multæ e buxo tibiæ fiebant (*V.* voc. præced. sub *B.* 2. *a.*), præcipue illæ, quas in sacris adhibebant, ut ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (172). colligitur. *Virg.* 9. *Æn.* 619. Tympana vos buxusque vocant Berecynthia matris Idææ. Cf. *Ovid.* 4. *Met.* 30. *Virg. Cir.* 166. Ictave barbarico Cybeles antistita buxo. *Stat.* 2. *Theb.* 77. plurima buxus. *h. e.* tibiæ. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 480.

BY

BYRRHUS. *V.* **BIRRUS.**

BYSSICUS, a, um. *V.* voc. seq.

BYSSĬNUS, a, um, adject. (βύσσινος) qui ex bysso est. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (26). Lino quod ignibus non absumatur, principatus in toto orbe Proximus byssino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaja genito. Quaternis denariis scripula ejus permutata quondam, ut auri, reperio. *Apul.* 11. *Met.* Byssina vestis. *Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7. Opus byssinum, palles Babylonicæ etc. *h. e.* pannus ex bysso. In celebri tamen editione *Torrentini* legitur *byssicum*. — Hinc

. *Byssinum*, *i*, n. 2. absolute (subaudi *vestimentum*) pro veste byssina. *Tertull. Cult. femin.* 13. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ.

BYSSUS, i, f. 2. βύσσος, ἡ, בוּץ, Hebr. genus lini, (quod *linum byssinum* dicitur a *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (26).) subtilissimi et delicatissimi circa Elim in Achaja nascentis, adeoque pretiosi, ut auro contra æstimatum sit, habitumque in deliciis feminarum. *Apul.* 11. *Met.* Vestis multicolor, bysso tenui pertexta. Adde *Paulin. iamb. ad Cyther.* 770. — *Forsterus* in *lib. De bysso antiquor.* probavit, byssum esse *gossypium* (*Gossypium arboreum* Linn.) *cotone d' India*, ibique plura huc spectantia habet, quem videsis. Idem confirmat *Letronne* in *Recueil des inscript. de l'Egypte p.* 282. At juxta *Bullettin. dell' Istituto archeol. a.* 1843. *p.* 44. et 53. *Rosellini* putat *byssum esse gossypium*; et putantur Ægyptii bysso falso *le mummie* involvisse. Ipse cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 271. *byssum* Plinii l. c. ait esse *gossypium*.

BŸTHIOS, βύθιος, hoc est profundus, idem ac Bythos apud *Tertull. advers. Valentinian.* 8.

BŸTHOS, i, m. 2. βυθός, hoc est profundum, unus ex æonibus Valentini apud *Tertull. advers. Valentinian.* 7. et *advers. Hæretic.* 49.

BYTŪRUS. *V.* **BIURUS** 2.

De littera C

C, c, est *A*) tertia Latinorum littera, et *B*) una ex Romanorum notis vel siglis.

A) C est tertia Latinorum littera, quæ Græce Γ respondebat; idque vetera Magnæ Græciæ monumenta confirmant, in quibus pro Γ signum C invenitur. Hinc Latini olim G non habebant, sed pro ea C utebantur; ac propterea legitur in *Columm. rostr. Duel.* apud *Orell. Inscript.* 549. LECIONES, MACISTRATOS, EXFOCIVNT, PVCNANDO, pro *legiones* etc.; in *Mar. Victorin. p.* 2459. *Putsch.* Cabinus, lece, etc.; in *Festo p.* 254. 19. *Müll.* quincentum; in *Paul. Diac. p.* 23. 10. *Müll.* acetare *pro* agitare etc. — Præterea littera C sono suo etiam K complectebatur pro eaque usurpabatur, ut in *Columm. rostr. Duel. loc. cit.* CARTACINIENSIS; K enim Græcorum littera, non Latinorum, apud quos numquam revera usuvenit: cf. quæ dicta sunt in voc. CALO et CALUMNIA sub init. — Denique littera C eamdem olim potestatem habuit, quam *ch*; antiqua enim Latinorum lingua aspiratione carebat, testibus *Cic. Orat.* 48. 160. *Quintil.* 1. 5. 20., et *Paul. Diac. p.* 71. 4. *Müll.*: hinc in *Monum. Scipion.* apud *Orell. Inscript.* 556. ANTIOCO *pro* Antiocho legitur, et in SENATUSCONS. *de Bacchan.* BACANALIBVS *pro* Bacchanalibus et BACAS *pro* Bacchas. — Sub finem vero belli Punici secundi, lineolâ litteræ C inferius additâ, facta est littera G, quæ vulgo deinde usurpata est, ut *Plutarch. Quæst. Rom. p.* 277. D. et *p.* 278. E. docet. Aliquanto post aspirationis quoque nota cum C conjuncta fuit, unde factum est, ut non modo nota Ch locum habuit, verum etiam sonus litteræ C sono litteræ K paullatim accederet; littera tamen K raro admodum adhibita est et nonnisi in verborum notis, ut ex *Quintil.* 1. 4. 9. et 1. 7. 10. colligimus. — Hinc etiam littera C cum litteris mutatur, quibuscum affinitate conjungitur, unde *clades* et *gladius*, *nec* et *neque*, *acus* et *aquifolium*, *quatio* et *concutio* etc.; immo etiam cum *t*, ut in *editicius* et *edititius*, *anclare* et *antlare*, *Accius* et *Attius etc.*: de quibus, necnon de hujus litteræ pronunciatione et sono *V.* plura apud *K. L. Schneider Gramm. d. Lat. Spr.* 1. p. 231. et seqq. et p. 243. et seqq.

B) C est etiam una ex Romanorum notis, et ¶ 1. In nominibus propriis C ex antiquorum temporum consuetudine *Cajum*, hoc est *Gajum* significat; et si inversa scribatur Ɔ *Cajam*, hoc est *Gajam*., teste *Quintil.* 1. 7. 28. *V.* CAJUS in ONOM. ¶ 2. In notis numerorum C valet centum. CC ducenti, CCC trecenti, et sic porro. ¶ 3. In tabellis judicum C est nota condemnationis, sicut A absolutionis: hinc illa dicitur *tristis*, hæc *salutaris* a *Cic. Mil.* 6. 15. Cf. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 7. 24. p. 108. 18. *Bait.* ¶ 4. COS. est pro *consul*, *consularis etc.*, COSS. pro *consules*, *consulares etc.* — Ceterum V. *Grammat. Putsch.* p. 1499., 1537., 1545. et seqq.; *Pauly Realencyclop. T.* 2. p. 1. et *J. M. Gesner. Thes.* s. v.

CA

CĂBALLA, æ, f. 1. (caballus) equa parvi pretii. *Vet. poeta* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 628. *Burmann.* Hanc fovet amplexu, blanditur, dumque (*lege* molitor, cunnumque) caballæ Atterit assiduo pene fututor hebes.

CĂBALLĀTĬO, ōnis, f. 3. pabulum caballi, annonæ loco præbitum. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 12. 38. 14. et *Cod. Theod.* 7. 4. 34.

CĂBALLĪNUS, a, um, adject. ad caballum pertinens, equinus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 20. 81. (265). Caballina caro. *Id.* 30. *ibid.* 8. 22. (72). dentes. *Id. ibid.* 13. 38. (112) fimus. *Pers. prol.* fons. *h. e.* Hippocrene.

CĂBALLĬO, ōnis, m. 3. *deminut. a* caballus, idem ac equuleus. *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 2. Equulei, id est caballiones marini. *Sunt qui putant hos esse* hippocampos. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 12. 3. *Schneid.*

CĂBALLĬON, ii, n. 2. herba eadem quæ cynoglossa. *Apul. Herb.* 96.

CĂBALLUS, i, m. 2. καβάλλης, idem ac cantherius, equus castratus. Sunt qui vocem derivandam putant a καββάλλω Dorice pro καταβάλλω *dejicio*, simili fere ratione, ut apud Latinos *clitella* et *clitellarius* a verbo *clino*. Alii deducunt a χάω *excavo*, inde factum *cavo* vel *cabo*, a quo *caballus* seu castratus, ut etiam *caper* et *capus*. Hujusmodi equis usi sunt veteres versandis in pistrino molis, oneribus portandis, et vecturis trahendis. Quod patet ex *Seneca Ep.* 87. M. Cato censorius cantherio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. *Et mox*: O quantum erat seculi decus, imperatorem, triumphalem, censorem uno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinæ ab utraque parte dependentes occupabant. Ita non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis præferres unicum illum equum ab ipso Catone defrictum? *Hic vides* Senecam *eumdem equum prius* cantherium, *deinde* caballum *appellare. Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Peritus belli alios equos eligit atque alit atque docet; aliter quadrigarius ac desultor: neque item qui vectarios (*Schneiderus* legit *vecturarios*) facere vult; neque eodem modo parantur ad ephippium aut ad rhedam: quod ut ibi ad castra habere volunt acres, sic contra in viis habere malunt placidos. Propter quod discrimen maxime institutum ut castrentur equi: demptis enim testiculis fiunt quietiores, ideo quod semine carent: ii cantherii appellantur, ut in subus majales, in gallis gallinaceis capi. *Cf. Apul.* 7. *Met.* p. 490. *Oudend.* Multos ego scio non modo asinos inertes, verum etiam ferocissimos equos, adhibita tali detestatione, mansuetos exinde factos, et oneri ferundo non inhabiles, et ceteri ministerii patientes. — Sed tamen videtur *caballus* fuisse vocabulum vulgari sermone tritum ad significandum equum parvi pretii hominibus oneribusque portandis vecturisque trahendis opportunum. *Lucilius* apud *Non. p.* 86. 15. *Merc.* Succussatoris, tetri, tardique caballi. Adde *Varron.* apud *eumd. ibid. Horat.* 1. *Sat.* 6. 59. Saturejano vectari rura caballo. *Id.* 1. *Ep.* 18. 36. aut olitoris aget mercede caballum. Adde *Martial.* 12. 24., 1. 42. et 5. 26.; *Petron. Satyr.* 117. et *Dig.* 33. 7. 75. pr. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 1. *a med.* Julianus abscidit cursum publicum mularum et caballorum, quos publicis jussit utilitatibus ministrari. *Theod. Priscian.* 4. 1. *sub init.* Inguina si a caballo (*h. e.* ab equitatione) indoluerint, oleo rosaceo tanguntur in balneo. — *Optat ephippia bos piger*, *optat arare caballus* proverbium est apud *Horat.* 1. *Ep.* 14. 43., de quo *V.* BOS sub I. 1. — *Mollis, debilis, lassus, tamquam caballus in clivo* est proverbium de valde defatigato, legiturque apud *Petron. Satyr.* 134. — De equo nobili ac generoso dici videtur a *Juvenal.* 3. 118., ubi Pegasum *Gorgoneum caballum* appellat; item 10. 60. et 11. 195., item ab *Horat.* 1. *Sat.* 6. 59.; nisi quod satyrice, *h. e.* ridendo et per contemptum loquuntur. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

CĂBĀTOR, ōris, m. 3. Legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 622. 1. Putat *Salmas.* ad *Vopisc. Saturn.* 8. et alii, idem esse quod *cavator* (facile enim *v*, et *b* invicem mutantur. *V.* initium litteræ B): eo autem loco accipiendum esse pro sculptore gemmarum. Nam qui gemmas scalpunt, quasi quosdam sulcos in iis cavant. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 4155.

CĂBUS, i, m. 2. κάβος, mensura liquidorum et aridorum apud Græcos et Hebræos: videtur esse ita appellata a sua cavitate, a χάω scilicet, unde Latinorum *cavo* deducitur. Eadem erat ac chœnix, χοῖνιξ. *Vulgat. Interpr.* 4. *Reg.* 6. 25. Facta est fames magna in Samaria, donec quarta pars cabi stercoris columbarum venumdaretur quinque argenteis.

CĂCĂBĀCEUS *vel* caccabaceus, a, um, adject. ad cacabum pertinens. *Tertull. advers. Hermog.* 41. Motus non turbulentus, nec cacabaceus, sed compositus et temperatus. *h. e.* qualis est liquoris in olla ferventi ebullientis.

CĂCĂBĀTUS *vel* caccabatus, a, um, adject. fuligine aspersus, fumidus, denigratus instar cacabi. *Paulin. Nolan. Ep.* 32. *ad Sever.* (*al.* 12.) c. 9. Cum ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui gratia splendent, obscurata næniis insipientiæ meæ, et, ut digno meis versibus verbo utar, cacabata conspicies. *h. e.* meis versiculis hic illic subscriptis non illustrata, sed potius offuscata.

CĂCĂBO *vel* caccabo, as, are, n. 1. κακκαβίζω. Part. *Cacabans*. — Est verbum exprimens vocem perdicis: ductumque est a Græcis, qui perdicem κακκάβαν et κακκαβίδα appellant. *Auct. carm. Philom.* 19. Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser. *Auct. fragm. de Aucup.* 12. maculosaque terga inficiunt pullæ cacabantis imagine guttæ. *h. e.* ad similitudinem perdicis. In priore versu prima syllaba producitur, in posteriore corripitur, minus recte tamen: nam Græce duplici κκ scribitur.

CĂCĂBŬLUS *vel* caccabulus, li, m. 2. *deminut. a* cacabus, κακκάβιον, parvus cacabus. *Tertull. Apolog.* 13. Domesticos deos domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva. Adde *Arnob.* 6. 14. et *Apic.* 4. 1. — Sunt qui putant, *cacabulum* dici etiam lasanum, a *cacando*; sed non probant.

CĂCĂBUS *vel* caccabus, i, m. 2. κακκάβη et κάκκαβος: videtur esse a χάω *uro* et χάβη *cibus*. Est vas vel fictile, vel ex aliquo metallo, in quo cibi coquuntur (It. *pignatta*, *pajuolo*: Fr. *vase*, *pot à cuire*, *marmite*; Hisp. *olla*, *marmita*; Germ. *ein Kochtopf*; Angl. *a pot*, *kettle*). *Varro* 5. *L. L.* 127. *Müll.* Vas, ubi cibum coquebant, ab eo cacabum appellarunt. Adde *P. Syrum* apud *Petron. Satyr.* 55. *Colum.* 12. *R. R.* 46. 1. Radiculam in cacabo aeneo coquito. *Id. ibid.* 41. 2. Cacabus stanneus. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 44. Aut unam dare synthesim quid horres Alborum calicum atque cacaborum? *Ulp. Dig.* 34. 2. 20. Cacabi argentei. *Id.* 12. 48. 5. Cacabus novus. Adde *ibid.* 33. 7. 18. § 3. *Scribon. Compos.* 220. fictilis. — Cacabus erat plerumque vas fictile; hinc quoties ex metallo constabat, addebatur adject. *aeneus*, vel *stanneus*, vel *argenteus*. Scriptores Latini et Græci sæpe monent adhibendum esse *cacabum novum* ad quosdam cibos coquendos, propterea quod *invetriatura* non utebantur veteres. V. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 16. (35). et alibi.

Homonym. Quomodo *cacabus* ab *aeno* differat, *V.* in AENUS.

CACALĬA, æ, f. 1. κακαλία, herba, quæ et leontice dicitur, in montibus fere nascens, semine minutis margaritis simili, dependente inter folia grandia. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 85. (135). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 350.) ait, Κακαλίαν Dioscor. 4. 123. et *Cacaliam* Plin. l. c. juxta nonnullos esse *Bupleurum*

longifolium, juxta alios *Cacaliam Petasitem* vel *albifrontem*, juxta alios vero *Mercurialem tomentosam*: nihil tamen certi definiri posse.

CĂCĀTŪRIO, is, ire, n. 4. *verbum desiderativum* a caco, cacare cupio, nitor. *Martial.* 11. 77. In omnibus Vacerra quod conclavibus Consumit horas, et die toto sedet, Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

CĂCĀTUS, a, um. *V.* CACO.

CACCĂBUS, CACCĂBULUS etc. *V.* CACABUS cum derivatis.

CĂCEMPHĂTON *et* Cacephaton, i, n. 2. κακέμφατον et κακέφατον, vitium sermonis, idem quod cacophaton: a κακὸς malus, et φημὶ dico. *Charis.* 4. p. 242. *Putsch.* et *Diomed.* 2. p. 446., sed uterque Græce scribit. Latine autem legitur apud *Serv.* ad *Virg.* 2. *G.* 13. et ad 1. *Æn.* 197., et *cacemphaton* apud *Isid.* 1. *Orig.* 33. Adde *Capell.* 5. p. 168. et Cf. *Quintil.* 5. 3. 41.

CĂCHECTA *vel* căchectes, æ, m. 1. καχέκτης, dicitur a medicis, qui cachexia laborat: a κακῶς male, et ἔχω habeo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (125). Lac bubulum bibunt phthisici, syntectici et cachectæ.

CĂCHECTĬCUS, a, um, adject. καχεκτικός, idem qui cachectes. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 39. (117). Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethea utilia sunt cum ruta ac melle. *Sillig.* vero ex optimis codicib. pro *cachecticis* legit *cachectis*.

CĂCHEXĬA, æ, f. 1. καχεξία, malus corporis habitus, quo alimenta omnia corrumpuntur: quod fere fit, cum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt; aut cum malis medicamentis corpus affectum est; aut cum diu necessaria defuerunt; aut cum inusitatos et inutiles cibos aliquis assumpsit. Ita describit *Celsus* 3. 22., ubi tamen hanc vocem Græce scribit. Est enim Græca a κακὸς *malus*, et ἕξις *habitus*. Attamen Latine non semel usurpat *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6.

CĂCHINNĀBĬLIS, le, adject. *Apul.* 3. *Met.* Totus populus risu cachinnabili diffluens. *h. e.* risu in cachinnos effuso. *Id. Dogm. Plat.* 3. Homo animal cachinnabile.

CĂCHINNĀTĬO, ōnis, f. 3. Cf. Gr. καγχασμός, actus cachinnandi, risus effusus. *Cic.* 4. *Tusc.* 31. 66. Ut si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Adde *eumd.* 3. *Herenn.* 14. 25.

CĂCHINNO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Cachinnans.* — *Forcellinus* et formam *Cachinnor* depon. admisit, fretus loco *Cic.* 5. *Verr.* 25. 62.; ubi tamen recentiores pro *cachinnari* legunt *cachinnare.* — Est vocabulum onomatopœicum, quemadmodum et Græcum καγχάζω, quod eidem respondet. Cf. *Furlanetto* ait fortasse deducendum esse etymon ab Hebr. שָׂחַק *sachàc*, irrisit. — Cachinno est effuse atque immoderate rideo (It. *ridere smoderatamente, crepar dalle risa, sghignazzare*; Fr. *rire à gorge déployée*; Hisp. *reir con ruido*; Germ. *laut und ausgelassen lachen, vor Lachen aufschreien*; Angl. *to laugh immoderately, laugh right out*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute *Lucret.* 4. 1169. (*al.* 1172.). Quam famulæ longe fugitant furtimque cachinnant. *Id.* 2. 974. et risu tremulo concussa cachinnant. Adde *eumd.* 1. 910. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 62. Ridere convivæ, cachinnare ipse Apronius. Adde *Sueton. Vesp.* 5. *Aurel. Vict. Epitom.* 28. Petulantius cachinnans. *Mamertin. jun. Gratiar. act.* 26. Quis nescit aliorum imperatorum hilarem diritatem cachinnantemque sævitiam? — *b*) Cum Accus. *Apul.* 3. *Met.* At ille non contentus, quod mihi nec assistendi solatium præbuit, insuper exitium meum cachinnat. *Nisi dicamus esse casum præpos.* insuper, *quam* Vitruv. *quoque accusativo junxit* 10. 20. *Alii apud* Apul. *leg.* exitio meo.

II.) Quia effuse ridentes magnam etiam vocem emittere solent, hinc per catachresim *cachinnare* dicuntur, quæ strepitum vehementiorem edunt, haud aliter ac Gr. γελᾶν. *Accius* apud *Non.* p. 463. 15. *Merc. de mari.* Simul et circum magnisonantibus Excita saxis (*unda*), sæva sonando, Crepitu clangente cachinnat. *Ita hos versus anapæsticos dispescendos monet* Scalig. in *Varr. L. L.* p. 80.

CĂCHINNO, ōnis, m. 3. Cf. Gr. καγχαστής, qui cachinnat. *Pers.* 1. 12. Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

CĂCHINNŌSUS, a, um, adject. facile cachinnans. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. *ad fin.* Hilares natura atque cachinnosi.

CĂCHINNUS, i, m. 2. Cf. Gr. καγχασμός, et de etymo vocis *V.* CACHINNO, as. Occurrit sæpius in plur. num.; et est risus solutior, effusus, incompositus et perstrepens (It. *riso smoderato, sghignazzata*; Fr. *rire bruyant, éclat de rire*; Hisp. *risada, risa desmesurada*; Germ. *das laute, ausgelassene Lachen, Lachen aus voller Kehle*; Angl. *immoderate laughter, a horse-laugh, loud laugh*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1396. Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni Consuerant. Adde *eumd. ibid.* 1402. *Catull.* 31. 14. Ridete quidquid est domi cachinnorum. *Id.* 56. 2. Res digna cachinno alicujus. Adde *eumd.* 13. 5. *Cic. Fat.* 5. 10. In quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Et *Horat. Art. P.* 113. tollent equites peditesque cachinnum. Adde *Sueton. Aug.* 98. *Cic. Brut.* 60. 116. Curio in agendo cachinnos irridentium commovebat. *Ovid.* 3. *Art. am.* 287. Distorquere ora cachinno perverso. *Colum.* 10. *R. R.* 280. Omnia securo plena cachinno. *Sueton. Cal.* 57. Edere cachinnum. *Id. ibid.* 32. Effusus in cachinnos. *Id. Claud.* 41. Cachinnos revocare. *Pers.* 3. 87. Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos. *Juvenal.* 3. 100. Cachinno concuti. *Id.* 11. 3. Cachinno vulgi excipi.

II.) Per catachresim dicitur de strepitu maris, ea ratione, qua in CACHINNO, as, II. diximus, quaque Gr. γέλασμα occurrit. *Catull.* 64. 272. Quæ (*undæ*) tarde primum clementi flumine pulsæ Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni.

CACHLA, æ, f. 1. κάχλα, herba eadem, quæ buphthalmos: ita porro vocatur a κάχληξ *lapillus, calculus*, quia, ut patet ex *Plinii loc.* mox afferendo, σκιῤῥώματα, h. e. callosas durities solvit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 42. (82). Est et buphthalmus similis boum oculis, folio fœniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui et manduntur decocti. Quidam cachlam vocant; hæc cum cera scirrhomata discutit. De synonymia *V.* BUPHTHALMUS.

CACHRYS *vel* canchrys, ÿos, f. *et raro* m. 3. κάχρυς, et κάγχρυς. ¶ 1. Generatim est pilula quædam nascens in roboribus præter glandem; item in abiete, larice, picea, tilia, nuce, platano, postquam folia cecidere, hieme durans. Continet nucleum pineis similem: is crescit hieme: aperitur vere pilula tota: cadit, cum folia cœpere crescere. In medicina urendi vim habet. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 11. (30)., 22. *ibid.* 22. 32. (71). et 27. *ibid.* 13. 109. (134).; *Cels.* 5. 18. n. 5. et *Scribon. Compos.* 70. ¶ 2. Specialim est semen resinaceum rorismarini. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 59. (99). ¶ 3. Item specialim est nucleus candidus in semine crethmi. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 50. (82).

CĂCĬZOTĔCHNOS, i, m. 2. κακιζότεχνος, hoc est artem damnans, aut corrumpens: a κακίζω damno, improbo, et τέχνη *ars*. Ita cognominatus fuit ab Atheniensibus Callimachus statuarius, quod semper esset calumniator sui, nec finem haberet diligentiæ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (92). — *Vitruv.* 4. 1. hanc eamdem rem narrans, catatechnon appellatum fuisse tradit: hoc est artificiosum, industrium. Sed alii leg. *cacotechnon*, hoc est male in arte se exercentem, κακότεχνον. *V.* meliorem lectionem in *V.* CATATEXITECHNUS.

CĂCO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Cacans* 2. *a.*; *Cacatus* 2. *b.*; *Cacandus* apud *Auct. Priap.* 71. — Ratione habita etymi, videtur esse a κακᾶν seu κακχᾶν, qua voce pueri utuntur cacare significantes: seu potius cf. κάκκη. — Caco est alvum exonero. ¶ 1. Absolute. *Catull.* 23. 20. Nec toto decies cacas in anno. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 38. in me veniat mictum atque cacatum Julius. *Martial.* 1. 38. Cacare carius. Adde *eumd.* 12. 61. 10. *Petron. Satyr.* 71. Testamento caveam, ne mortuus injuriam accipiam: præponam enim unum ex libertis sepulcro meo, custodiæ causa, ne in monumentum meum populus cacatum currat. ¶ 2. Cum Accusativo — *a*) Est cacando aliquid a se emittere. *Pomponius* apud *Non.* p. 84. 2. *Merc.* Ego quæro quod edim: has quærere quod cacent, contra jus est. *Bothius* vero legit: quod cacent, has quærere, certa res est. *Phædr.* 4. 17. Canes odorem mixtum cum merdis cacant. *Martial.* 3. 89. Nam faciem duram, Phœbe, cacantis habens. *h. e.* vultum nitentis: *V.* NITENS. — *b*) Est cacando aliquid conspurcare; quo sensu *Forcellinus* translate accepit. *Catull.* 36. 1. Annales Volusi, cacata charta. *h. e.* annales cacando compositi: vel conspurcati malis versibus. Hinc *Martial.* 12. 61. Scribit carmina, quæ legunt cacantes.

CĂCŒTHES, es, adject. κακοήθης, ες, a κακὸς *malus* et ἦθος *mos*; hoc est malignus, mala consuetudine deterrimus factus: occurrit tantum apud Medicos de morbis, quos vulgo malignos dicimus, h. e. in quibus obstinata inest repugnantia adversus remedia, ideoque ipsi difficile quidem sanari possunt, curationem tamen recipiunt. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 64. (132). Sesama prodest ulceribus, quæ cacoethe vocant, τὰ κακοήθη. *Id.* 24. *ibid.* 10. 47. (78). Hedera illinitur omnium ulcerum generi, etiamsi cacoethe sint. *Id.* 24. *ibid.* 3. 3. (7). Glans intrita duritias, quas cacoethes vocant, sanat, τὰς κακοήθεις. — Hinc

Cacoethes, is, n. 3. absolute substantivorum more. — I.) Proprie. Vitium corporis, quod difficile sanari potest. *Cels.* 5. 28. n. 2. Discernere cacoethes, quod curationem recipit; a carcinomate, quod vix recipit. — II.) Translate. *Juvenal.* 7. 51. tenet insanabile multos Scribendi cacoethes et ægro in corde senescit.

CĂCŎMETER, tra, trum, adject. κακόμετρος a κακὸς *malus* et μέτρον *mensura*. *Priscian. de metr. Terent.* § 8. Attende, Jubam quoque scire, inveniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus (*pes*) absque observatione ponitur, quos cacometros vocant.

CĂCŎPHĂTON, i, n. 2. κακόφατον, κακοφωνία, vitium sermonis, quod etiam *cacemphaton*, et *cacephaton*, et *cacophonia*, item *æschrologia* dicitur, cum vel duo verba junguntur, quæ durum sonum efficiunt, ut *Dorica castra* apud *Virg.* 2. *Æn.* 27. et *numerum cum navibus æquat* 1. *Æn.* 197., et *legere leges* apud *Liv.* 3. 34., et *data mandata* 7. 31. *a med.*, et *negligens gens* 5. 46.; vel obscenum, ut *cum nos te voluimus convenire* apud *Cic.* 9. *Fam.* 22.; vel cum vox, vel sententia usurpatur, quæ honestam simul et obscenam significationem habere potest, ut quod *Sallust. Jug.* 78. usurpavit, *patrare bellum*, et illud *Ter. Andr.* 5. 4. 30. Arrige aures, Pamphile: et *Virg.* 6. *Æn.* 406. aperit ramum, qui veste latebat. V. *Quintil.* 8. 3. ubi hanc vocem modo Græcis, modo Latinis litteris scriptam reperies. Hinc etiam sæpissime *conubium*, non *connubium* scribitur in vetustis tabulis aeneis, ne scilicet sonus hujus vocis cum altero *cunni* congrueret, præcipue cum de nuptiis militum cum uxoribus suis in iisdem sermo sit. *V.* CONNUBIUM.

CĂCŎSYNTHĔTON, i, n. 2. κακοσύνθετον, hoc est incompositum, male collocatum: a κακῶς *male*, et σύνθετον *compositus*. Est vitium sermonis ex indecenti structura verborum, ut in illo *Virg.* 9. *Æn.* 610. versaque juvencum Terga fatigamus hasta. Nam *terga* cum eodem fine casus terminatur, ut *versa hasta*. *Quintil.* 8. 3. 59., *Charis.* 4. p. 243. *Putsch.* et *Serv. ad loc. Virg. cit.*, qui omnes Græcis litteris scribunt. Latine tamen legitur in illo *Lucil.* apud *Vel. Long. Orthogr.* p. 1214. *Putsch.* At non multum abit hoc cacosyntheton atque canina etc.

CĂCŎTĔCHNĬA, æ, f. 1. κακοτεχνία, h. e. mala ars: a κακὸς *malus*, et τέχνη *ars*. Græca vox est, et Græce adhibetur a *Quintil.* 2. 15. 2. et 20. 2.

CĂCŎTĔCHNOS. *V.* in CACIZOTECHNOS et CATATECHNUS.

CĂCŎTĔCHNUS. *V.* CATATECHNUS.

CĂCŎZĒLĬA, æ, f. 1. κακοζηλία, mala et indecora affectatio, quoties inscite aliquid imitantes in vitium labimur. Græca vox a κακὸς *malus*, et ζῆλος *æmulatio, imitatio*. *Diomed.* 2. p. 446. *Putsch.* duplici ratione peccari per κακοζηλίαν docet, aut nimio tumore, ut in illo: *Juppiter omnipotens, cœli qui sidera torques, Ore tuo dicenda loquar*. Aut nimio ornatu, ut apud *Ovid.* 2. *Met.* 107. *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curvatura rotæ*, et quæ sequuntur. *Seneca* 4. *Controv.* 24. *in fin.* Gorgonius in hac controversia pessimo genere cacozeliæ usus est. *Id. Suasor.* 7. *a med.* Dixit sententiam cacozeliæ genere humillimo et sordidissimo. *Quintil.* 2. 3. 9. Alio cacozeliæ genere peccare. Apud *eumd.* 8. 6. modo Græcis, modo Latinis litteris scripta legitur. — *Id.* 8. 3. 59. hoc idem vitium κακόζηλον appellat.

CĂCŎZĒLON, i, n. 2. κακόζηλον, mala affectatio. *V.* vocem præced. in fin.

CĂCŎZĒLUS, a, um, adject. κακόζηλος. — *a*) Active, qui cacozeliæ vitio in dicendo peccat, affectatus et infelix imitator. *Sueton. Aug.* 86. Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit. — *b*) Passive, cacozela dicuntur quæ per malam imitationem affectata sunt atque infelicia. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. Verr.* 6. 21. Hæc in

loco nec oxymora, nec cacozelia judicanda sunt; aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur.

CACTOS, i, m. 2. κάκτος.

I.) Proprie. Herba est folio lato et spinoso, caule a radice emisso et in terram serpente, semine lanuginis, quam pappon vocant. In Sicilia tantum nasci, *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 57. (97). tradit. Ipse quoque caules *cactos* dicitur, et, detracto cortice, gratus in cibis est. Semen *ascalia* vocatur. *Plin. ibid.* — Quidam putant, *cactum* esse cinaram, quam Itali dicunt *carciofo*, vel cardum sativum, *cardo*. At cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 63.) ait, recentiores arbitrari *cactum* Plinii i. e. esse plantam crassam, de qua alibi *opuntiæ* nomine idem Plinius agit *V.* OPUNTIA: bisque verisimile videri *cacton* Græcorum esse *Cinaram Carduncuium*.

II.) Translate a spinis foliorum *Tertull. Pall.* 2. *in fin.* Revera orbis cultissimum hujus imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, et cacto et rubo subdolæ familiaritatis.

CACŬLA, æ, m. 1. idem qui calo, hoc est servus militis, qui fustibus clavisque ligneis ad tutelam domini armatur, ut docet *Paul. Diac. p.* 45. 16. et *p.* 225. 8. *Müll.*; qui ideo a Græco χάλον *lignum* derivari putat. Aptius tamen *Scalig.* ducit a κακός, qua imbellem, ignavum, timidum significat, quia caculæ non sunt in numero militum, sed imbellium, et qui primi fugam capessere solent. *Plaut. Trin.* 3. 2. 95. Video, caculam militarem me futurum haud longius. Adde eumd. in *Argum. Pseud.* 4. *p.* 24. *Mai.* ubi bis *cacula* legitur, et prima quidem longa; quod profecto *Paul. Diac.* etymon quodammodo confirmaret. Adde etiam *Placid. Gloss. p.* 446. *Mai.* Olim etiam apud *Varron.* 9. *L. L.* 3. *ad fin.* edit. veter. hæc vox legebatur.

CACŬLĀTUM servitium. *Paul. Diac. p.* 46. 14. *Müll. V.* CACULA.

CĂCŪMEN, inis, m. 3. Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur esse ab *acumen*, addito *c*, ut *Voss.* docet: alii vero putant vocem conjungendam esse cum voc. *culmen* a *cello*: Cf. *celsus*, *procella* etc. — Cacumen proprie est summitas, vel etiam extremitas cujuscumque rei in acutum desinens (It. *cima* o *estremità acuminata*; Fr. *extrémité*, *pointe*, *sommet*; Hisp. *extremidad*, *punta*, *cima*; Germ. d. *spitz zulaufende Ende*, d. *allmälig auslaufende Spitze einer Sache*; Angl. *the top or summit of any thing*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 1. 750. Cum videamus id extremum cujusque cacumen Esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur. *Id.* 1. 592. quoniam extremum cujusque cacumen Corporis est aliquod etc. *Auct. B. Afr.* 47. Cacumen pilorum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (31). In metæ cacumen se contrahens. *Id.* 2. *ibid.* 11. 8. (51). Metæ effigies in cacuminis finem desinens. *Id.* 11. *ibid.* 37. 88. (219). Arteriarum pulsus in cacumine maxime membrorum evidens. *Id.* 10. *ibid.* 54. 75. (151). Cacumen ovi. *Id.* 36. *ibid.* 12. 17. (79), pyramidis. *Lucan.* 1. 551. ignis gemino cacumine. *Sil. It.* 9. 584. *de dorso elephanti.* Incurvum cacumen. Et *Capell.* 3. *p.* 63. accentus, qui adscribuntur syllabis, tum *cacumina*, tum *fastigia* appellari docet. — *b*) Speciatim occurrit de acuta arborum ramorumque summitate atque extremitate. *Lucret.* 1. 896. At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis Arboribus vicina cacumina summa terantur Inter se. Adde *Virg.* 6. *Ecl.* 28. et 2. *G.* 29. et 307.; *Ovid.* 1. *Met.* 346. et 8. *ibid.* 716. et 756.; et *Quintil.* 1. 2. 26. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Cacumina ramorum. *Virg.* 2. *Ecl.* 3. umbrosa cacumina. *Id.* 9. *ibid.* 9. fracta. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 12. Cacumen herbæ. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 11. ficorum, pirorum, malorum. *Id.* 5. *ibid.* 12. 14. olivæ. *Quintil.* 8. 3. 10. oleæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (147). arborum. *Id.* 16. *ibid.* 36. 64. (158). Arundinis gracilitas – leni fastigio tenuatur in cacumina. — *c*) Item speciatim de vertice montium. *Lucret.* 6. 463. summa cacumina montis. Adde *eumd. ibid. v.* 458. *Catull.* 64. 240. aerium nivei montis. *Virg.* 3. *Æn.* 274. nimbosa montis. *Horat. Epod.* 16. 30. Cacumina Matina. *h. e.* vertices Matini montis Apuliæ. *Ovid.* 1. *Met.* 666. sublime montis. *Id. ibid. v.* 310. montana cacumina. *Id.* 1. *Art. am.* 381. per præceps, per alta cacumina vadere. Cf. *Lucan.* 5. 75. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (20). montium cacumina. *Id.* 3. *ibid.* 16. 20. (117). cacumen Alpium.

II.) Translate occurrit de summo rei alicujus fastigio. *Lucret.* 5. 1450. Namque alia ex alio clarescere corde videbant Artibus, ad summum donec venere cacumen. *h. e.* ad summam perfectionem. *Id.* 2. 1129. sed plura accedere debent, Donec alescundi summum tetigere (*corpora*) cacumen. *Laberius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Floris cacumen famæ nostræ frangere.

CĂCŪMINĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CĂCŪMINO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cacumen). Part. *Cacuminans* et *Cacuminatus*. — Est acutum in summitate facere. *Ovid.* 3. *Met.* 194. Dat sparso capiti vivacis cornua cervi, Dat spatium collo, summasque cacuminat aures. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 52. 74. (145). Ova aquatilium rotunda; reliqua fere fastigio cacuminata. *Sidon. Ep.* 2. 2. Apex in conum cacuminatus. *Id. carm.* 7. 414. saxoque cacuminat ensem. *Id. carm.* 23. 294. Vel illo fingit hirtam dorso feram repanda tela Attritu assiduo cacuminantem.

CĂDĀVER, ĕris, n. 3. Ratione habita etymi, est a *cado*, testibus *Hieronym.* in *Matth.* 24. 28. et *Isid.* qui 11. *Orig.* 2. 35. ait: Cadaver nominatum a cadendo, quia jam stare non potest. Hinc Græci πτῶμα dicunt. — Hinc cadaver proprie dicitur quidquid dirutum est.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de re quacumque diruta. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. Cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant. ¶ 2. Speciatim ac sæpius cadaver dicitur corpus animalis mortuum, et nondum sepultum, sed præcipue hominis. *Lucret.* 2. 415. tætra cadavera. *Cic. Mil.* 13. 33. P. Clodii cruentum cadaver infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. *Id.* 5. *Tusc.* 34. 79. Aqua cadaveribus inquinata. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. In ipsis cadaveribus prælio decertare. *Sall. Cat.* 61. Cadavera hostium, hostilis. *Virg.* 8. *Æn.* 264. informe cadaver. *Id.* 3. *G.* 557. *de bestiis.* dilapsa cadavera tabo. *Curt.* 5. 1. 11. Cadaverum odor. *Sueton. Domit.* 15. Cadaver semiustum. *Quintil.* 6. 1. 40. Imago senis cadaveri infusa. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 70. (184). Cadavera medicata. *h. e.* Ægyptiorum quæ vulgo *Mummie* vocantur. *Lucan.* 2. 209. Congesta cadavera. *Juvenal.* 10. 186. Cadaver crudum. *Aurel. Vict. Epitom.* 23. caninum.

II.) Translate. ¶ 1. Per convicium ponitur pro homine vili, abjecto et omnibus abominando: quem *vivum cadaver* appellavit *Apul.* 4. *Met. Cic. Pis.* 9. 19. Ego istius pecudis ac putridæ carnis consilio scilicet aut præsidio uti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis aut ornamenti expetebam? Adde *ibid.* 33. 82. Dicitur autem *ejectum cadaver*, quod honore exequiarum caret (quod ultimæ censebatur apud veteres ignominiæ), et quod propter paupertatem, cum sumptus funeris deesset, e cella ejectum a sandapilariis ad bustum sine ulla pompa efferebatur, ut *Turneb. l.* 21. *Adversar. c.* 15. docet. ¶ 2. Dicitur et de homine fœde macilento. *Quintil.* 12. *Declam.* 13. *in fin.* Prona est cervix, tergum ossibus inæquale, inferuis imaginibus similes, fœda etiam cadavera. Adde *Senec. Theb.* 36. Hæc tamen ad n. I. 2. commode referri possunt.

CĂDĀVĔRĪNUS, a, um, adject. qui est cadaveris. *Tertull. Anim.* 32. 9. Cadaverina caro.

CĂDĀVĔRŌSUS, a, um, adject. cadaveri similis. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 26. Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius, cadaverosa facie.

CĂDESCO, is, ere, n. 3. idem fere ac cado. Occurrit de morbo comitiali apud *Theod. Priscian.* 2. 2. Epileptici distenti vel contorti cadescunt citius atque colliduntur.

CADETUM. *V.* CANDETUM.

CADIĀLIS, le, adject. ad cadum pertinens. *Cadialis resina* dicitur a *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. *a med.* quæ liquidior est, et cadis condi atque advehi solet.

CĀDĪVUS, a, um, adject. ad cadendum pertinens. ¶ 1. Cadivus dicitur qui per se cecidit, caducus, ut *cadiva poma*, quæ per se cadunt, non manu decerpta, aut decussa. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 10. 18. (59). Colligi mala post æquinoctium autumnale: cadiva separari. Adde *eumd. ibid.* 17. 18. (60). ¶ 2. Apud *Marcell. Empir.* 20. *a med.* dicitur cadivus, qui caduco morbo laborat.

CADMĒA *vel* cadmia vel cadmia, æ, f. 1. καδμεία, καδμία, lapis quidam ærosus, ex quo æri admixto fit æs illud, quod Itali *ottone* vocant. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 2. (2). et *ibid.* 10. 22. (100). — Est præterea *cadmia*, quæ in æris fornacibus fit, egesta flammis atque flatu tenuissima parte materiæ, cameris lateribusque fornacum adhærens. Tria ejus genera persequitur *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 22. (100)., ubi addit, etiam in argenti fornacibus cadmiam fieri, candidiorem et minus ponderosam, sed nequaquam ærariæ comparandam. *V.* ibi plura; et cf. *Paul. Diac. p.* 47. 10. *Müll.* et *Isid.* 16. *Orig.* 20. 2. et 11. et 12. Videtur nomen accepisse a *Cadmo*, quem primum Thebis æs invenisse *Hygin. fab.* 274. tradit. *Plin.* autem 7. *Hist. nat.* 56. 57. (195). auri, ejusque conflaturæ, item lapicidinarum inventionem ei tribuit.

CĂDO, cădis, cĕcĭdi, cāsum, cădere, n. 3. *Cadit* pro *cadat* dictum videtur a *Plaut. Rud.* 1. 2. 89. ἀρχαϊκῶς usurpatum ea ratione, qua *duit*, *edit* pro *duat*, *edat*. — Fut. *Cadebo* quasi a *cadeo* legitur in *Vet. Vulgat. Interpr. Ital. Prov.* 16. 5. Impii in die malorum cadebunt. Et *ibid. Isai.* 34. 14. Omnia sidera ejus cadebunt, ut folia. Et *ibid. Matth.* 24. 7. Et stellæ cadebunt de cœlo. Part. *Cadens* et *Casurus* I. *A.* 1. — Ratione habita etymi *cado* ejusque causativum *cædo* conjungendum est cum Græco χάζω *deorsum eo*. — Cadere proprie dicitur quidquid ab altitudine aliqua, naturali gravitate, deorsum fertur: eique opponitur *surgere* aut *stare*, ut apud *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 17. Qui cadit in plano –, Sic cadit, ut tectâ surgere possit humo. Et apud *Horat.* 2. *Ep.* 1. 76. Securus, cadat an recto stet fabula talo (It. *cadere*, *cascare*; Fr. *tomber*; Hisp. *caer*; Germ. *fallen*, *sinken*; Angl. *to fall*, *tumble*).

I. Proprie occurrit

A) Stricto sensu de rebus tantum corporeis. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 38. Infimi lapides cocti cadent. *Plaut. Men.* 2. 3. 24. Folia nunc cadunt. *Ter. Adelph.* 1. 1. 12. Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit. *Lucret.* 6. 297. extemplo cadit igneus ille Vortex, quem patrio vocitamus nomine fulmen. *Liv.* 1. 56. Velut si prolapsus cecidisset. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 59. Quæque ita concussa est, ut jam casura putetur, Restat adhuc humeris fulta ruina tuis. *Id.* 8. *Met.* 148. sustinere cadentem. *Id. Heroid.* 15. 179. supponere aliquid cadenti. *Quintil.* 12. 10. 73. Casuri, si leviter excutiantur, flosculi. *Plin. Valerian.* 12. 58. *de epilepticis.* His, qui sæpius cadunt, clyster infunditur ille. — Huc pertinet et illud de tesseris in ludo, cum jaciuntur, *Ter. Adelph.* 4. 7. 21. Ita vita est hominum, quasi si ludas tesseris: Si illud, quod maxime opus est, jactu non cadit, Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas. Cf. *Liv.* 2. 12. — *b*) Addito termino, a quo quid cadit. — Per præp. *ab. Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 15. Cadere ab summo. *Ovid.* 3. *Fast.* 20. a mento cadit manus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (112). Ab alto cadunt aves. *Martial.* 11. 50. Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis. — Per præp. *de*. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 124. de equo. *Lucret.* 5. 791. et *Ovid.* 2. *Met.* 321. de cœlo. *Cic.* 14. *Phil.* 7. 21. Arma cadunt de manibus. Adde *eumd.* 1. *Off.* 22. 77. *Virg.* 1. *Ecl.* 84. majores cadunt de montibus umbræ. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 92. quem prima meo de matre cadentem Suscepi gremio. — Per præp. *ex*. *Cic. Cluent.* 62. 175. ex equo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 34. (148). Ex arbore cadit aliquid. Adde *Dig.* 50. 16. 30. § 4. et 18. 1. 80. § 2. — Per Ablat. sine præpos., præcipue Participio junctum. *Ovid.* 14. *Met.* 350. Cadere manu. *Id.* 9. *ibid.* 571. elapsæ manibus recidere tabellæ. *Id.* 4. *ibid.* 229. remissis digitis. *Id.* 7. *ibid.* 586. motis ramis. *Petron. fragm.* 677. *Burmann.* Cœlo cadunt fulmina. *Val. Flacc.* 1. 355. Asterion, quem matre cadentem Cristatus gemino fovit pater amne Cometes. *h. e.* ex utero matris egressum: cf. locum *Claudian.* paullo superius cit. Alii leg. *carentem*. — *c*) Addito termino, quo quid cadit. — Per præpos. *ad Ennius* apud *Cic. Top.* 16. 61. dub. et *Quintil.* 5. 10. 84. Cadere ad terram. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (216). ad terras. — Per præpos. *in*. *Lucret.* 2. 209. Non cadere in terram stellas et sidera cernis? *Id.* 6. 745. in terram, in aquam. *Id.* 6. 258. in undas. *Plaut. Men.* 2. 3. 25. in aliquem. *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 36. in terram. *Propert.* 4. 4. 64. in oceanum. *Ovid.* 2. *Fast.* 830. in patris pedes. *Id.* 3. *Art. am.* 428. in plagam. *Stat.* 11. *Theb.* 171. in media arma. *Et alio sensu*, *Lucret.* 4. 1042. et *Liv.* 1. 58. in vulnus. *Ovid.* 5. *Met.* 292. in vultus. *Id.* 4. *ibid.* 579. in pectus. — Per præp. *per*. *Lucret.* 2. 222. per inane profundum. *Id.* 2. 230. per aquas et aera. *Martial.* 11. 91. per salebras altaque saxa. — Huc adde illud *Lucan.* 3. 478. post terga. — *d*) Addita locutione adverbiali. *Plaut. Rud.* 1. 2. 89. Cadere deorsum. *Lucret.* 3. 358. gravatim. *Cic. Orat.*

28. 98. alte. h. e. ab alto. Virg. 6. Ecl. 39. altius. Id. 4. G. 80. apes cadunt præcipites. Adde Liv. 1. 40. Ovid. 4. Met. 578. pronum. Sueton. Aug. 43. Ut laxatis sellæ compagibus caderet supinus. Id. Cæs. 82. Cadere honestius. Seneca Herc. Œt. 13. morâ lentâ. Lucan. 7. 119. sine ruina. ¶ 2. Speciatim ponitur de pluvia, nive, aquis, fluminibus, lacrimis et similibus, quæ labuntur, effunduntur, effluunt etc., itemque de umbra, quæ protenditur. Lucret. 6. 415. Ut pluere in multis regionibus et cadere imbres. Adde eumd. 2. 222. et Virg. 6. Ecl. 38. Lucret. 3. 20. nix cadens. Id. 4. 1280. guttæ in saxa cadentes. Cic. 3. Orat. 48. 186. Guttæ cadentes. Varro apud Non. p. 208. 9. Merc. Imber alto nubilo cadens. Liv. 38. 4. Amnis cadit in sinum maris. Seneca Med. 406. flumina in pontum cadunt. Lucan. 2. 409. fortes casuri in æquora. Martial. 12. 29. aquæ casuræ. Cf. Seneca Thyest. 4.; et figurate Martial. 11. 91. et 12. 21. Horat. Art. P. 53. si Græco fonte cadant (verba). — Ter. Adelph. 4. 1. 20. Lacrimæ cadunt alicui gaudio. Ovid. 1. Trist. 3. 19. imber (lacrimarum) cadit per genas. Lucan. 3. 733. lacrimæ cadunt genis. Ovid. 3. Trist. 3. 39. in ora. Seneca Hipp. 4. per ora. Ovid. 3. Fast. 5. 14. in singula verba. Lucan. 9. 1038. lacrimæ non sponte cadentes. — Virg. 1. Ecl. 84. Majoresque cadunt altis de montibus umbræ. Cf. Quintil. 8. 5. 26. ¶ 3. Item speciatim de iis, quæ naturâ aut arte a suo loco disjuncta labuntur atque amittuntur, cujusmodi sunt dentes, capilli, folia, fructus et similia. Plaut. Men. 5. 9. 57. Nam tum dentes mihi cadebant primulum. Lucret. 5. 671. In certo dentes cadere imperat ætas Tempore. Adde Censorin. De die nat. 7. et 14. Et de senibus est jocus Senecæ Ep. 83. Farinus ait, nos eamdem crisim habere, quia utrique dentes cadunt. Adde eumd. Ep. 12. et Plin. 28. Hist. nat. 4. 9. (41). — Virg. 1. Ecl. 29. Candidior postquam tondenti barba cadebat. Ovid. 7. Met. 541. Sponte sua lanæque cadunt etc. Id. 14. ibid. 303. Setæ cadunt. Plin. 11. Hist. nat. 39. 94. (230). Pilus cadit quadrupedibus. — Virg. 6. Æn. 309. Lapsa cadunt folia. Adde Plaut. Men. 2. 3. 24. et Horat. Art. P. 61. Plin. 16. Hist. nat. 22. 34. (83). Arbori cadunt folia. Id. 17. ibid. 20. 34. (148). ex arbore. Ovid. 7. Met. 586. motis poma cadunt ramis. ¶ 4. Item astra et dies cadere dicuntur, cum ad occasum accedunt: quo sensu verbo cadere opponitur oriri, ut apud Ovid. 1. Fast. 295. Quid vetat et stellas, ut quæque oriturque caditque, Dicere? Horat. Epod. 10. 10. Qua tristis Orion cadit. Cf. Propert. 4. 4. 64. Horat. 3. Od. 1. 27. Arcturus cadens. Virg. 8. Æn. 59. astra cadentia. Id. 4. ibid. 81. cadentia sidera. Id. 1. G. 229. cadens Bootes. Id. 4. Æn. 480. et Tac. Germ. 45. sol cadens. Ovid. 11. Met. 595. Phœbus oriens, medius, cadens. Id. 4. ibid. 626. dies cadens. Tac. Agric. 12. Infra cœlum et sidera nox cadit. ¶ 5. Item venti cum flare desinunt aut leniores fiunt, procellæ et similia cum vim remittunt aut omnino quiescunt: quo sensu verbo cadere opponitur surgere, ut apud Ovid. 8. Met. 2. Cadit Eurus et humida surgunt Nubila. Liv. 29. 27. Ventus premente nebulâ cecidit. Id. 26. 39. Venti vis omnis cecidit. Id. 36. 43. a med. Ubi primum aquilones cecidere. Id. 25. 27. ad fin. Cadente jam Euro. Sic Virg. 1. Æn. 158. cunctus pelagi cecidit fragor. — Contra incumbere et flare in illo Varron. apud Non. p. 247. 23. Merc. Adversi venti ceciderunt; quod si pergant diutius mare volvere, vereor, ne me quoque etc. La Cerda huc trahit et illud Virg. 1. G. 354. Quo signo caderent Austri. Servius tamen exponit: desinerent. Præterea Varronis lectio dubia est: ac denique illud adversi venti ceciderunt fortasse interpretari possumus mihi acciderunt. ¶ 6. Denique occurrit de sono ac voce, de locutione ac verbis, et est desinere, terminari, præcipue apud Rhetores. Cic. Orat. 57. 194. Trochæus eo est vitiosus in oratione, quod verba melius in syllabas longiores cadunt. Et ibid. 67. 223. Quæ incisim aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent. Cf. Quintil. 9. 4. 32. Cic. Brut. 8. 34. et Orat. 59. 199. Numerose cadere. Quintil. 9. 4. 27. Numerus opportune cadens. Id. 12. 10. 31. Quâ (litterâ m) nullum Græce verbum cadit. Id. ibid. § 33. Ultima syllaba – in gravem vel duas graves cadit semper. — Hinc similiter cadentia et similiter desinentia; ut apud Cic. 3. Orat. 54. 206. Et illa, quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter. Adde eumd. Orat. 34. 135. et 4. Herenn. 20. 28.; et Quintil. 9. 4. 42., 1. 7. 23., 9. 3. 77., 9. 4. 18. et alibi. Similiter desinentia et similiter cadentia verba differunt in eo, quod illa (Græce ὁμοιοτέλευτα, Italice rime) similes exitus habent, sive similia sint, sive dissimilia, quæ declinantur, ut in illo Cic. pro leg. Manil. 16. 48. Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. At similiter cadentia, Græce ὁμοιόπτωτα, sunt quæ similiter declinantur, licet dissimiles exitus habeant, ut apud Cic. 3. Verr. 1. 2. Est Verres, ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum. Et 7. ibid. 8. 18. Qui non ita defendatur, ut mediocris prætor, sed ita laudetur, ut optimus imperator.

B) Latiori sensu ¶ 1. Occurrit de hominibus, qui corpore sani cum potentur, deficiunt ac moriuntur, præcipue in pugna. — a) Generatim. Plaut. Amph. 1. 1. 85. Hostes crebri cadunt. Cic. 3. Phil. 14. 35. Ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus. Cæs. 1. B. G. 15. Pauci de nostris cadunt. Sall. Cat. 60. Mallius et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. Adde Cæs. 3. B. C. 53.; Nepot. Datam. 8.; Liv. 29. 14.; Virg. 2. Æn. 426., aliosque. — b) Cum additis. Cic. 7. Fam. 3. 3., Curt. 4. 1. 28. in acie. Ovid. 7. Met. 142. acie civili. Tac. 1. Ann. 2. per acies. Virg. 4. Æn. 620. ante diem. Nepos Datam. 1. in eo bello. Ovid. 12. Met. 611. bipenni. Val. Flacc. 1. 812. ense. Tac. 1. Hist. 40. exitu voluntario. Id. 2. Ann. 71. fraude muliebri. Ovid. 12. Met. 68. Hectoreâ hastâ. Id. 3. ibid. 119. jaculo eminus. Tac. 12. Ann. 17. jure belli. Seneca Herc. fur. 255. manu alicujus. Id. Herc. Œt. 1179. manu femineâ. Tac. 15. Ann. 7. suâ manu. Ovid. 12. Met. 610. femineo Marte. Id. 3. ibid. 123. Marte suo per mutua vulnera. Horat. 4. Od. 2. 15. per aliquem justâ morte. Ovid. 6. Met. 250. in pio officio. Tac. 4. Ann. 44. pro optimatibus. Quintil. 2. 15. 29. pro patria. Nepos Pausan. 1. eo prælio. Id. Datam. 6. et Eumen. 11. in prælio. Id. Thrasyb. 2. in secundo prælio. Liv. 23. 21. pugnâ Cannensi. Id. 10. 35. inter signa Samnitium. Tac. Germ. 33. telis. — c) Sæpe cadere hoc sensu occurrit, perinde ac verbum passivum, cum præpos. ab et Ablat. personæ, a qua quis interficitur. Ovid. 5. Met. 191. magna feres solatia mortis A tanto cecidisse viro. Sueton. Oth. 5. Cadere ab hoste in acie. Tac. 16. Ann. 9. extr. A centurione vulneribus adversis tamquam in pugna cadere. — Et omissa præpos., at raro. Horat. 2. Od. 4. 9. cadere Thessalo victore. Grat. Cyneg. 315. Sic et Achæmenio cecidisti, Lydia, Cyro. Claudian. IV. Cons. Honor. 88. Non hostes victore cadunt, sed judice sontes. ¶ 2. Eadem prorsus ratione victimæ etiam cum mactantur, cadere dicuntur, apud Poetas. Virg. 1. Æn. 337. Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra. Horat. 3. Od. 18. 5. Si tener pleno cadit hædus anno. Ovid. 4. Fast. 652. geminas rex Numa mactat oves. Prima cadit Fauno, leni cadit altera Somno. Cf. Tibull. 1. 1. 23., 4. 1. 15. et alibi. — Hinc translate Cornel. Sever. fragm. de morte Cic. 24. apud Senec. Suasor. 7. p. 45. Bip. nostræque cadens ferus Hannibal iræ. ¶ 3. Interdum habet obscenum sensum, nempe succumbendi. Plaut. Pers. 4. 4. 104. Libera eris actutum, si crebro cades. h. e. si sæpe patiaris te resupinari ad stuprum. Adde Tibull. 4. 10. 2. et Senec. 1. Controv. 3. sub fin. ¶ 4. Occurrit et de inanimis pro deficere, perire, ruere. Lucret. 3. 595. Molliaque exangui cadere omnia corpore membra. Adde eumd. 3. 453. et 4. 953. Cic. Dom. 52. 133. Sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent. Cf. Seneca Ep. 8. Cadentes in ipso opere oculi. Adde Virg. 6. Æn. 33.; Ovid. 7. Met. 347.; Horat. 4. Od. 1. 36.; et Val. Flacc. 1. 300. Lucret. 6. 546. Quippe cadunt toti montes. Id. 6. 588. Ecquid, ubi has jamjam casuras aspicis arces, Ingemis? Adde Ovid. 13. Met. 375. et Heroid. 13. 71.

II.) Translate de iis omnibus ponitur, quæ ab alto deorsum ferri quomodocumque videntur ac putantur: quemadmodum in formula verba cadunt, ut apud Tibull. 1. 6. 85. Hæc aliis maledicta cadant. Et apud Propert. 1. 16. 34. At mea nocturno verba cadunt Zephiro. Id. 1. 17. 4. Omniaque ingrato littore vota cadunt. Cf. eumd. 1. 10. 24. et Horat. 1. Ep. 18. 12. Hinc ¶ 1. Cadere est fortuito evenire, accidere; immo sæpe pro accidere occurrit, præcipue in Futuro periphr., ut apud Liv. 36. 34. Cum, quæ tum maxime acciderant, casura præmonens, a furioso incepto eos deterreret. Cf. Cic. 15. Fam. 1. 6.; et Liv. 35. 13. et 38. 46. Hoc autem sensu occurrit — a) Absolute, cum Adverbiis aut Adjectivis. Afranius apud Charis. 2. p. 195. Putsch. Sin, id quod non spero, ratio talis sequius ceciderit. Cf. Tac. 2. Ann. 80. Cic. 5. Fam. 19. 1. Cum aliter res cecidisset, ac putasses. Adde eumd. 2. ibid. 19. 1. Id. 3. Att. 24. 1. Etsi verebar, quorsum id casurum esset. Id. 2. Divinat. 52. 157. Ut nihil fortuito cecidisse videatur. Id. 8. Fam. 12. 3. Quod melius caderet, nihil vidi. Id. 3. Verr. 2. 5. Verum hoc adhuc perincommode cadit. Nepos Milt. 2. Etsi præter opinionem res ceciderat. Virg. 2. Æn. 709. Quo res cumque cadent. Horat. 2. Ep. 1. 51. leviter curare videtur, Quo promissa cadant. Seneca Suasor. 2. 14. Omnia fortiter fiant, feliciter cadant. Tac. 2. Ann. 77. Multa fortuito in melius casura. — Cæs. 3. B. C. 73. Si non omnia caderent secunda. Liv. 2. 31. Ut irrita – promissa ejus caderent. Id. 6. 35. Haud irritæ cecidere minæ. — Hinc Plaut. Pœn. 1. 2. 147. Bene promittis multa, ex multis omnia in cassum cadunt. Cf. Lucret. 3. 1166. Liv. 2. 6. et Tac. 5. Hist. 26. Cadere ad irritum. Tac. 15. Ann. 39. et 51. in irritum. — b) Cum Dat. personæ, cui quid accidit. Cic. Quinct. 16. 51. Ut nihil ipsis jure incommodi cadere possit. Id. 1. Orat. 21. 96. Insperanti mihi – et Cottæ – cecidit, ut etc. Id. 2. ibid. 4. 16. Hoc cecidit mihi peropportune. Id. 3. Att. 1. Nihil mihi optatius cadere potest. Id. 1. ad Q. fr. 3. 1. Sed certe a te mihi omnia semper honesta et jucunda ceciderunt. Adde eumd. Mil. 30. 81. et 8. Att. 3. 6. — Cum duplici Dat. Virg. 4. G. 165. quibus ad portas cecidit custodia sorti. Alii sorti accipiunt pro sorte. ¶ 2. Item cadere ponitur de iis, quæ qualitate sua alicui rationi subjiciuntur, vel ad aliquam rationem rediguntur: et jungitur fere præpos. sub et in, raro præpos. ad. — a) Generatim. Lucret. 5. 1146. Cadere sub leges arctaque jura. Cic. Fontej. 1. 2. Cadere sub populi Rom. imperium ditionemque. Id. 8. Att. 3. 2. in unius potestatem. Id. 1. Tusc. 32. 79. in morbum. Id. 1. Nat. D. 30. 85. in offensionem alicujus. Id. 14. Att. 12. in aliquam vituperationem. Id. 13. Att. 10. 3. Cadit in aliquem suspicio. Nepos Pausan. 2. Cadere in suspicionem alicujus. Quintil. 4. 1. 79. In narrationem cadere abrupte. Id. 9. 4. 57. in calumniam. Lucret. 3. 828. ad regna alicujus. Liv. 1. 40. Regnum præceps ad servitia (h. e. servos) cadit. — Huc pertinet et illud Cic. 1. de republ. 44. ed. Mai. Nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. h. e. vertitur, desinit. — b) Speciatim de iis, quæ aliquo tempore fieri debent, cujusmodi est pecuniæ solutio. Cic. 15. Fam. 14. 4. Considera, ne in alenissimum tempus cadat adventus tuus. Id. 13. Att. 20. 4. In eam diem cadere nummos, qui a Quinto debentur. Et ibid. Sed ei ex prædiis, ut cadet, ita solvetur. — c) Item speciatim de iis, quæ externis sensibus et intelligentiæ percipienda subjiciuntur. Lucret. 1. 448. Cadere sub sensus. Cic. 1. Invent. 30. 48. sub sensum cernendi. Id. ibid. § 9. sub aspectum. Id. Orat. 3. 9. sub oculos. Id. ibid. 20. 67. sub aurium mensuram aliquam. Id. 1. Tusc. 22. 50. in conspectum. Id. 1. Off. 3. 9. in deliberationem. Id. 2. Orat. 2. 5. in hominum disceptationem. Id. 1. Nat. D. 9. 21. in cogitationem. Id. 3. Off. 4. 17. in intelligentiam. Id. 3. Fin. 18. 61. sub judicium sapientis et delectum. — d) Item de iis, quæ naturâ suâ ad genus aliquod sive ad aliquam classem redigi possunt. Cic. 1. Invent. 30. 47. In his rebus, quæ sub eamdem rationem cadunt. Id. Orat. 27. 95. In idem genus orationis verborum cadunt lumina omnia etc. Seneca 3. Benef. 7. Propter quas (rationes) crimen hoc in legem cadere non debeat. Id. ibid. 11. Sub nullam regulam cadere. Quintil. 3. 6. 91. In unam quæstionem cadere plures. Id. 8. 3. 56. sub idem nomen. Id. 2. 5. 2. in eam materiam. Scribon. Compos. 17. extra professionem. — e) Denique et de iis, quæ alicui personæ aut rei conveniunt, quadrant, in iisque locum habent. Cic. Sull. 27. 75. Non cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio. Adde eumd. Cæl. 29. 69. Id. Harusp. resp. 26. 56. In eum maxime cadit hoc verbum. Id. 13. Att. 19. Hæc academica sane in personas non cadebant; erant enim λογικώτερα. Id. Orat. 56. 188. Pedes, qui in orationem cadere possunt. Virg. 9. Ecl. 17. Heu, cadit in quemquam tantum scelus? Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (83). Non

cadit in alium tam absolutum opus. *h. e.* nemo alius potest tam absolutum opus facere. *Quintil.* 7. 2. 31. Quod omnia scelera in malos cadant. *Id.* 9. 1. 7. Horum nihil in figuras cadit. ¶ 3. Denique cadere est etiam e gradu dejici, vim, potentiam, dignitatemque amittere: et occurrit — *a*) De hominibus. *Cic.* 16. *Att.* 15. 6. Turpius est enim privatim cadere, quam publice. *Id.* 6. *Fam.* 10. 2. Nostrum uterque cecidit. *h. e.* auctoritatem amisit. *Id.* 1. *Off.* 21. 73. Cadere tam graviter. *Seneca Ep.* 8. Eminentis vitæ exitus cadere est. — Præcipue addita re, qua quis cadit. *Cic.* 2. *Invent.* 19. 57., 1. *Orat.* 36. 166. et 7. *Fam.* 14. 1.; *Sueton. Cal.* 39. et *Quintil.* 3. 6. 69. Cadere causâ. *V.* CAUSA. *Seneca Ep.* 48. et 2. *Clem.* 3.; et *Quintil.* 3. 6. 69. formulâ. *V.* FORMULA. *Cic. Mur.* 28. 58. in judicio. *Tac.* 6. *Ann.* 14. conjurationis crimine. *Id.* 1. *Hist.* 77. crimine repetundarum. *Id.* 11. *Ann.* 3. ore impudico accusatoris. *Id.* 1. *ibid.* 2. proscriptione. — Huc pertinet et illud *Cœl. Aurel.*, ubi *cadere* est pro *errare*, 1. *Acut* 10. *ante med.* Cadit etiam Themiso, cum in accessione thoracem putat ungendum. — *Cic.* 6. *Fam.* 1. 4. Cadere animis. *h. e.* animo deficere. — *b*) De inanimis et abstractis. *Lucret.* 3. 982. Nec minus ergo ante hæc, quam nunc, cecidere cadentque. Adde *eumd.* 5. 410. et 1417. *Cic.* 2. *Off.* 13. 45. Atque ea quidem tua laus pariter cum republ. cecidit. *Id. Harusp. resp.* 20. 42. Si tanta civitas cadet, quod dii omen obruant. Et *ibid.* 28. 60. Auctoritas principum cecidit. *Et mox* § 61. Jampridem humana consilia ceciderunt. *Nepos Pelop.* 2. Quorum imperiosa majestas ab hoc initio perculsa cecidit. *Tac.* 3. *Hist.* 13. Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut etc. *Cic. Amic.* 7. 23. Nec debilitari animos aut cadere patitur (*amicitia*). Adde *Liv.* 1. 11.; *Ovid.* 7. *Met.* 347. et 11. *ibid.* 537. *Liv.* 2. 40. et *Pers.* 5. 91. Ira cadit. *Liv.* 34. 36. *ad fin.* Mercenarii milites pretia militiæ casura in pace ægre ferebant. *Horat. Art. P.* 70. Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque Quæ nunc sunt in honore vocabula. *h. e.* in desuetudinem abibunt splendoremque amittent. Hinc *cadere* fabula dicitur, cum displicet spectatoribus; sicut contra *stare*, cum placet. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 176. Securus, cadat an recto stet fabula talo.

Homonym. *Cadere* differt a *labi* et a *ruere*: *labi* enim cadendi notionem imminutam ac debilitatam significat: *ruere* vero est præcipitem ire ideoque cadendi gradum significat. *Cic. Brut.* 49. 185. Quibus vitiis labatur aut cadat orator. *Virg.* 6. *Æn.* 309. Quam multa in silvis auctumni frigore primo Lapsa cadunt folia. Cf. *eumd.* 1. *Divinat.* 11. 19. Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto. Adde *Propert.* 4. 4. 64. *Seneca Ep.* 107. Et labaris oportet et arietes et cadas. *Cic. Rabir. Post.* 16. 43. Labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit. *Id.* 9. *Att.* 10. Me una hæc res torquet, quod non omnibus in rebus labentem vel potius ruentem Pompejum secutus sim. *Liv. præfat.* Ut magis magisque lapsi sint (*mores*), tum ire cœperint præcipites. *Virg.* 1. *G.* 365. Sæpe etiam stellas vento impendente videbis Præcipites cælo labi. *Cic. pro leg. Manil.* 7. 19. Ruere illa non possunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant.

CĀDŪCĀRIUS, a, um, adject. ad casum pertinens. ¶ 1. Apud *Augustin. Vita beata, ad med.* dicuntur caducarii homines, qui comitiali morbo laborant. Sed paullo post *vulgare verbum* appellat et *male Latinum*. ¶ 2. *Caducaria lex* dicitur ab *Ulp. Regular. tit.* 28. 7., quæ de bonis caducis publicandis lata est. Ejus lator videtur fuisse C. Octavius Cæsar Augustus. Verba *Ulpiani* sunt: Si nemo sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem, sed jus suum omiserit, populo bona deferuntur, ex lege Julia caducaria. Adde *Dig.* 30. *l.* 93., ubi *Id. Ulp.* hanc eamdem legem memorat, sed omisso caducariæ nomine. Hæc autem erat lex Papia Poppæa juxta *Lips.* ad *Tacit.* 3. *c.* 25. *Excurs. C. p.* 786. *Gloss. Isid.* Caducarius, ad quem pertinent, quæ cadunt defuncto aliquo, cui non est qui succedat.

CĀDŪCEĀTOR, ōris, m. 3. legatus caduceum ferens. ¶ 1. Est legatus, præcipue qui pacis petendæ causa mittitur; ita dictus a caduceo, quo utitur. *Cato* apud *Paul. Diac.* p. 57. 7. *Müll.* Caduceatori nemo homo nocet. *Liv.* 32. 32. Caduceator ab rege venerat. Adde *eumd.* 26. 17., 31. 38., 33. 11., 37. 45. et 44. 46.; *Curt.* 3. 1. 6. et 4. 2. 15.; et *Petron. Satyr.* 108. *Mytograph. Vatican.* I. 2. 119. p. 44. ed. *Mai.* (in *Class. Auct. T.* 3.). Sicut per fetiales bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. ¶ 2. Apud *Arnob.* 5. 25. caduceator enumeratur cum ministris sacrorum, hierophantis et præconibus. *Herald.* putat esse, quos *Pollux l.* 1. *c.* 1. *sect.* 35. σπονδοφόρους appellat, *h. e.* libationes ferentes, et cum ἱεροφάνταις et δᾳδούχοις et κήρυξι ipse quoque conjungit. *Orellius* vero ad h. locum putat potius *Arnobium* caduceatores et præcones appellare τοὺς κήρυκας, atque his duobus vocabulis vocem Græcam exprimere voluisse.

CĀDŪCEĀTUS, a, um, adject. caduceum ferens, sive caduceo præditus. *Inscript.* apud *Gruter.* 927. 6. MERCVRIVS PETASATVS ET CADVCEATVS.

CĀDŪCEUS, i, m. *vel* caduceum, i, n. 2. — Genus hujus vocis neutrum esse quibusdam placet et certe neutro genere occurrit apud *Gell.* 10. 27., *Macrob.* 1. *Saturn.* 19.; *Apul.* 10. *Met.* 30. et 11. *ibid.* 30.; et *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 242. et 8. *ibid.* 138.: at forma masculini generis *caduceus* certe legitur in *Varron.* apud *Non. p.* 528. 18. *Merc.*; *Hygin.* 2. *Astron.* 7., quibus adde *Caprum*, qui *De verb. dub.* p. 2247. *Putsch.* diserte negat, neutrius generis esse. Cum vero apud Græcos κηρύκειος esset adjectivus, et apud *Mythogr. Vatican.* I. 2. 119. p. 43. *Mai.* legatur *virga caducea*; (hæc enim sunt verba: Pater tradidit ei (*Mercurio*) virgam caduceam, quâ si quem ex grossiori parte a capite tangeret, moreretur; quem vero a subtili, viveret.), statuendum videtur, hanc vocem olim fuisse adjectivam, ita ut *caduceus* subaudiretur *baculus*, *caduceum* autem *baculum*. — Lis est etiam de quantitate penultimæ; quam alii correptam volunt cum *Alciat. in Emblem.*, alii productam. Græce et per diphthongum ει scribitur, et per simplex ι seu ε. Mihi nullus adhuc visus est Latini poetæ locus, qui litem dirimat. — *Caduceus* vel *caduceum*, a Græca voce κηρύκειον, Æolice καρύκεον, mutata littera ρ in *d*, est virga Mercurii duobus serpentibus illigata (ut ait *Hygin.* 2. *Astron.* 7. Cum faciunt caduceos, duos dracones implicitos virgula faciunt. Et *Macrob.* 1. *Saturn.* 19. Caduceum, quod in specie draconum conjunctorum figuraverunt), quam illi Apollo donasse dicitur, cum ab eo lyram accepisset. Hi serpentes, ut describit *Macrob.* 1. *Saturn.* 19. *ad fin.*, parte media voluminis sui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur: primæque partes eorum reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, et post nodum caudæ revocantur ad capulum caducei, ornanturque alis ex eadem capuli parte nascentibus. Hac virga Mercurius animas evocat Orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit: Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat; Illa fretus agit ventos et turbida tranat Nubila. Ita *Virg.* 4. *Æn.* 242. hujus virgæ usus enumerat. Addit *Servius* tum hic, tum 8. *Æn.* 138. hac eadem uti Mercurium ad concordiam inter certantes componendam. Narrat etiam *Hygin.* 2. *Astron.* 7. Mercurium, cum ab Apolline discessisset, vidisse duos angues inter se implicito corpore dimicantes, quos interposita virga diremit et paravit. Hinc factum est, ut ejusmodi virga serpentibus implexa signum pacis haberetur. *Macrob. loc. cit.* duos illos angues non dimicantes, sed coeuntes repræsentari scribit: quod et ipsum concordiæ signum est. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 12. (54). Hic complexus anguium, et efferatorum concordia, causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis, circumdata effigie anguium, fecerint. — Hujusmodi virgam solebant exterarum nationum legati pacem petentes præferre. Romani enim sagmina seu verbenam pro ea habebant, ut *Martian. Dig.* 1. 8. 8. docet. *Varro* apud *Non.* p. 528. 18. *Merc.* Verbenatus ferebat verbenam, id erat caduceus, pacis signum. *Q. Fabius* apud *Gell.* 10. 27. Hastam et caduceum. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Cum virum conquirimus, qui possit non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari. *Nepos Hann.* 11. Tabellarium in scapha cum caduceo mittit. *Liv.* 8. 20. Caduceum præferre. Adde *eumd.* 44. 45. — De caduceo Mercurii cf., præter loca superius allata, *Sueton. Cal.* 52.; *Petron. Satyr.* 29.; et *Apul.* 10. *Met.* 30. et 11. *ibid.* 10., in quo postremo loco alii legunt *Attollens Mercurialem caduceum*, alii vero *Mercuriale*.

CĀDŪCĬFER, fĕri, adject. qui caduceum gestat; epitheton Mercurii. *Ovid.* 8. *Met.* 627. Venit Atlantiades positis caducifer alis. *Id.* 4. *Fast.* 459. Venit adoratus Caducifer. Adde *eumd.* 2. *Met.* 708.

CĀDŪCĬTER, adverb. (caducus) præcipitanter, ut *Non.* p. 91. 1. *Merc.* exponit. *Varro ibid.* frigidos nimbos aquæ caduciter ruentis.

CADUCITOR, oris, m. 3. idem qui caducifer, apud *Arnob.* 3. p. 118. Alii rectius legunt *caduceator*.

CĀDŪCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. sub II. 1.

CĀDŪCUS, a, um, adject. cadens, casui vicinus, qui cecidit (It. *cadente*, *cascaticcio*; Fr. *caduc*, *qui penche*, *qui menace de tomber*; Hisp. *caduco*; Germ. *fällig*, *ab-oder hinfällig*; Angl. *ready to fall*, *falling*).

I.) Proprie de rebus corporeis. — *a*) Generatim. *Varro* 6. *L. L.* 66. *Müll.* Ligna caduca. *Cic. Senect.* 15. 52. Vitis, quæ naturâ caduca est, et, nisi fulta sit, ad terram fertur. *Horat.* 2. *Od.* 13. 11. Lignum caducum in caput domini. *Id.* 3. *ibid.* 4. 43. immanemque turmam Fulmine sustulerit caduco. *Propert.* 4. 2. 53. Tela caduca. *Ovid.* 6. *Met.* 396. lacrimæ. *Id.* 2. *Pont.* 7. 40. caducis Percussu crebro saxa cavantur aquis. *Hadrian. Imp.* apud *Spartian. Æl. Ver.* 6. In caducum parietem incumbere. — *Caducæ aquæ* in aquæductibus dicuntur, quæ ex lacu abundant, aut ex castellis effluunt, vel ex manationibus fistularum, ut est apud *Frontin. Aquæd.* 94., quocum cf. *Varro* 3. *R. R.* 5. 2. — *b*) Speciatim ponitur de arborum terræque fructibus, de frondibus ac foliis, quæ naturâ suâ decidunt. *Cato R. R.* 23. Oleæ caducæ. *Lucret.* 5. 1363. baccæ glandesque caducæ. Adde *Dig.* 50. 16. 30. § 4. *Cic. Senect.* 2. 5. Arborum baccæ maturitate tempestiva victæ et caducæ. *Varro* 2. *R. R.* 2. 12. Spica caduca. *h. e.* quæ cecidit inter metendum et in agro relicta est. *Virg.* 1. *G.* 368. Frondes caducæ volitant. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 840. et 3. *Trist.* 1. 48. *Id. Ovid.* 2. *Amor.* 16. 45. Folia caduca. *Martial.* 8. 64. moro coma nigrior caduco. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 22. Caduca oliva. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 15. et 12. *ibid.* 7. 5. poma. Huc pertinet et illud *Varron.* apud *Non.* p. 71. 17. et p. 251. 11. *Merc.* Caduca Liberi daps. *h. e.* auctumnales terræ reditus. — *c*) Item speciatim. *Auspicia caduca* dicunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu. Ita *Paul. Diac.* p. 64. 9. *Müll.* — *d*) Item *caducus bello*, qui in bello periit. *Virg.* 6. *Æn.* 481. Hic multum fleti ad superos belloque caduci Dardanidæ. — *e*) Item *caducus morbus* est idem qui comitialis, quoniam eo correpti repente cadunt, Græce ἐπιληψία: qui vero eodem laborant, *caduci* appellantur, Græce ἐπιληπτικοί. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. 8. Caduci et lunatici. *Apul.* 9. *Met.* 39. Asellus detestabili morbo caducus. *Id. de Mag.* 45. Caducus puer. *Id. ibid.* 51. Quibus caducis a dextra morbus occipiat, eorum difficiliorem esse medelam. *Veget.* 1. *Veter.* 52. 2. Caducus equus. *Apul. Herb.* 60. morbus. *Isid.* 4. *Orig.* 7. 5. passio. Adde *Æmilium Macr. c. De Aristoloch.* et *Herb. c. de Pæonia*.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim apud JCtos *caduca bona* dicuntur, quæ deficiente eo, cui jure civili debebantur, in alium ceciderunt, ut docet *Ulp. lib. Regular. tit.* 17. 1. Quod quis sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, quia veluti cecidit ab eo. *Cic.* 10. *Phil.* 5. 11. Hereditates caducæ. Et allegorice. *Id.* 3. *Orat.* 31. 122. Nostra est omnis ista prudentiæ doctrinæque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, nobis occupatis, involaverunt. *Cajus* 2. *Instit.* 206. Caduca portio. *Marcell. Dig.* 20. 4. 3. Cum bona ejus, ut caduca a fisco vindicarentur. Adde *Cod. Theod.* 10. 10. 30. *pr. Paul. Dig.* 23. 2. 38. Dos data non fit caduca. — Hoc sensu occurrit etiam *caducum*, i, n. 2. absolute substantivorum more *Juvenal.* 9. 88. Legatum omne capis, nec non et dulce caducum. *Justin.* 19. 3. 6. Caduca occupare. *Cajus* 2. *Instit.* 207. Caduca vindicare. *Fragm. Vatic.* § 195. Vindicatio caducorum. *Inscript.* apud *Fabrett. c.* 10. *n.* 319. D. LABERIVS SECVNDVS PROCVR. CADVCORVM. — Alia porro sunt *bona caduca*, alia *bona in causa caduci*: priora erant, quæ mortuo testatore deficiebant, velut si heres ex parte scriptus vel legatarius ante apertas testamenti tabulas decessisset, vel hereditatis legative incapax factus alio modo fuisset. *In causa* vero *caduci* esse dicebantur, quæ vivo testatore deficiebant, velut si legatarius vivo testatore decessisset, vel, si vivo adhuc eodem testatore conditio illa defecisset, sub qua legatum relictum fuerat. Utraque hæc memorat

itaque distinguit *Imp. Justinian. Cod.* 6. 51. 2. Vel vivo testatore is, qui aliquid ex testamento habuit, post testamentum ab hac luce subtrahebatur; vel ipsum relictum expirabat, forte quadam conditione, sub qua relictum fuerat, deficiente: quod veteres appellabant in causa caduci; vel mortuo jam testatore hoc, quod relictum erat, deficiebat, quod aperta voce caducum nuncupabatur. ¶ 2. Generatim *caducum* dicitur quidquid naturâ suâ fragile est parvoque tempore durat, quidquid cito interiturum est aut evanescit. Hoc autem sensu occurrit — *a*) De rebus corporeis. Corpus caducum dicitur, quod ægrotare et mori potest. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 98. Et animo constare, et corpore caduco et infirmo. Cf. *Id.* 6. *de republ.* 17. 17. Infra lunam nihil est, nisi mortale et caducum. *Virg.* 10. *Æn.* 622. Si mora præsentis leti tempusque caduco Oratur juveni. *h. e.* morituro. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 23. vocat *caducum ignem* quoddam genus fulminis imbecilli, quod cito interiturum est, quia non ex solida materia oritur, nec in qua possit consistere, ac propterea simile videtur fulguri. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). Scabritia chartæ lævigatur dente, sed caducæ litteræ fiunt. *h. e.* fugaces et evanescentes. — *b*) De abstractis. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 13. Omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus. *Id. Amic.* 6. 20. Caduca et incerta. *Id. ibid.* 27. 103. Res humanæ fragiles caducæque sunt. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 46. Fama caduca. *h. e.* quæ perit. *Id.* 1. *Fast.* 181. Caducæ preces. *h. e.* incassum fusæ. *Id.* 9. *Met.* 596. spes. *Id. Heroid.* 15. 208. verba. *Id. ib.* 86. votum. *Plin.* 9. *Ep.* 3. labores. *Id.* 3. *ibid.* 7. tempus. *Id. Paneg.* 55. Mortales caducique tituli. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 39. Caduca inventio. *Apul. de mag.* Vanæ et caducæ calumniæ.

Caducum, i, n. 2. absolute. *V.* supra sub II. 1.

CĂDURCUM, ci, n. 2. velum, tentorium, aut stragulum lineum, quo lectus operitur. Dictum videtur a Cadurcis Galliæ populis, quos celebres fuisse in velis e lino texendis, *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (8). scribit. *Juvenal.* 7. 221. Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci. *Id.* 6. 536. Magnaque debetur violato pœna cadurco. (Hic ponitur pro ipso lecto per synecdochen: vel metonymice refertur ad sacra Isidis, per quæ mulieres a viris secubabant). *Sulpicia poetria* apud *Vet. Scholiast. Juvenal. ad cit.* 6. Ne me cadurci destitutam fasciis Nudam Caleno concubantem proferat. Alii leg. *cadurcis*, ut sit adjectivum. — Sunt qui putant *cadurcum* non tentorium esse, sed culcitam, propterea quod *Plin.* non longe post citata verba iisdem Cadurcis tribuit præcipuam gloriam in culcitis faciendis; additque *Galliarum hoc, et tomenta pariter, inventum. Italiæ quidem mos etiam nunc durat in appellatione stramenti.* Alii *cadurcum* interpretantur cucullum candidum, propter hiemes et nives comparatum: alii τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον. Sed prima, quam dedimus, notio aptissima omnium esse videtur.

CĂDUS, i, m. 2. κάδος, fortasse ab Hebr. כד cad, vas, condendo servandoque vino præcipue aptum; ut *Dig.* 33. 6. 14. et *Non.* p. 544. 11. *Merc.* docent. Ejus figura turbinata fuit, ore non admodum lato, quippe quod obturamento ex subere facto claudi solebat, ut *Plin.* docet 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34)., item 27. *ibid.* 4. 5. (15)., ubi tradit aloen seri in turbinibus cadorum. Ex quo etiam intelligitur, ex fictili præcipue materia fuisse, quemadmodum et dolia. Hinc *Ovid.* 12. *Met.* 243. *fragiles cados* dixit; et *Martial.* 1. 56. et 4. 66. *rubrum cadum* appellat, quia fictilia igni cocta rubri fere coloris vel ad rubrum accedentis esse solent, qua ratione *rubram testam* vocat *Id.* 13. 7. Sed et ex ophite lapide albo cados aliquando factos, *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 43. (158). narrat: atque ex metallo quoque constare, quamvis raro, colligimus ex *Virg.* 6. *Æn.* 228., ubi cadus dicitur *aenus* (It. *brocca, caratello*; Fr. *cruche, jarre*; Hisp. *cantaro*; Germ. *Krug, Flasche*; Angl. *a cask, barrel*). ¶ 1. Occurrit pro vase, — *a*) In quo vinum conditur ac servatur. *Plaut. Stich.* 3. 1. 24., *Amph.* 1. 1. 273. et *Asin.* 3. 3. 34. Cadus vini. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 26. Capite sistere cadum. *Id. Stich.* 5. 4. 39. et *Horat.* 3. *Od.* 29. 2. vertere. *Virg.* 1. *Æn.* 199. Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 116. cadus Chii veterisque Falerni. *Id.* 2. *Ep.* 2. 163. temeti. *Ovid.* 5. *Fast.* 518. fumoso condita cado. *Colum.* 12. *R. R.* 28. 4. Cadus duarum urnarum. *Martial.* 12. 48. Vaticanus. *Dig.* 33. 6. 15. Vinum in cados diffundere. — A Poetis usurpatur et pro vino, quod cado continetur. *Horat.* 3. *Od.* 19. 5. et *Tibull.* 2. 1. 28. Cadus Chius. *Horat.* 2. *Od.* 7. 20. Parcere cadis. *Id.* 1. *ibid.* 35. 26. diffugiunt cadis Cum fæce siccatis amici. *Id.* 3. *ibid.* 15. 16. Cadus potus fæce tenus. *Id.* 4. *ibid.* 12. 17. cadus, Qui nunc Sulpiciis accubat horreis. *Martial.* 11. 37. Cadus senex. — *b*) Item pro vase, quo liquores alii condebantur, ut oleum, mel etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (307). Condere fabam et legumina in cadis olearis, *h. e.* in quibus oleum antea fuit. *Martial.* 1. 44. Nec de Picenis venit oliva cadis. *Id.* 1. 56. Flavaque de rubro promere mella cado. — *c*) Item pro vase, in quo fructus, seu ficus, poma et similia servabantur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (82). Cadi ficis siccis implentur. *Et ibid.* 13. 12. (42). Poma cadis condita. *Id.* 18. *ibid.* 30. 73. (308). Cadi salsamentarii. — *d*) Raro admodum cadus aliis usibus inserviebat. Sic in metallorum fornacibus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. (110). *de ærugine facienda.* Ære candido perforato atque in cadis super acetum suspenso. De vase servandis nummis apto dixit *Martial.* 6. 27. De vase cineri colligendæ apto occurrit apud *Virg.* 6. *Æn.* 228. Denique de vase, in quo flores collocantur ac disponuntur, *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 5. (15). ¶ 2. Fuit etiam mensura liquidorum, continens urnas tres, seu congios duodecim (urna enim quatuor habebat congios), sextarios LXXII., ponderis vero libras CXX., vel secundum alios C., secundum alios LXXX. Difficile enim est invenire rationem, quæ omnibus regionibus ac temporibus æque respondeat. *Rhemn. Fann. De ponderib. et mensuris* 84. Attica præterea discenda est amphora nobis. Seu cadus: hanc facies, nostræ si adjeceris urnam. *nostræ*, *h. e.* amphoræ Romanorum, quæ duarum urnarum capax erat, ut *ibid.* 61. dicitur. Porro *amphoram Atticam* appellat, quia tum vox ipsa *cadus*, tum vas et mensura Græca sunt, et usu Latina facta. Hinc *Plin. Hist. nat.* cum de Græcis vinis loquitur, fere *cadum* usurpat, *amphoram*, cum de Latinis, ut 14. *ibid.* 15. 17. (96). Cæsar dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit. Itaque *cadus* et *amphora* in hoc proprie differunt; quamvis *cadus* et majori circuitu et ipsâ externâ formâ ab *amphora* distinctus fuisse videtur. — In hac significatione *cadûm* sæpius facit in genitivo plurali, quam cadorum. *Lucilius* apud *Non.* p. 544. 12. *Merc.* Millia ducentum frumenti tolle medimnum, Vini mille cadûm. *Varro* apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 17. (96). Hortensius supra decem millia cadûm heredi reliquit. *Id.* apud *eumd. ibid.* 14. 17. (97). Millia cadûm in congiarium divisit. *In veterib. editionib.* anni 1469., 1470. et 1472. *habetur* cadorum. Adde *Isid.* 16. *Orig.* 26. 13. et *V.* AMPHORA 1. *b.*

Homonym. In quo *cadus* ab *amphora* differat, dictum est superius sub 2.

CADYTAS, æ, m. 1. καδύτας, herba est in Syria, non tantum arboribus, sed etiam ipsis spinis circumvolvens sese. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 92. (244). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 421. – 422.) hæc ait: Nous avons peu de données sur cette plante; il n'est pas déraisonnable toutefois de penser qu'il s'agit d'une cuscute. On a cru pouvoir désigner une plante de l'Inde, qui n'est pas rare en Arabie, et qui appartient au genre *cassytas*. Voici comment Sprengel, *Hist. Rei herb.* 1. 90., s'exprime à ce sujet: *Cassyta filiformis sine dubio τὸ συριακὸν βοτάνιον est, quod* Καδύτας *appellatur, arboribus, vepribus ac aliis plantis innascens* (De Caus. 2. 23.) *Miram eam vocant et paradoxam, qualem Forskoleus* (Flor. ægypt. arab. 84.), *volutellæ aphillæ nomine, in Arabia inventam describit.* Nous ne rejetons pas cette opinion; toutefois nous pensons qu'elle doit être présentée avec réserve.

CÆCĀTOR, ōris, m. 3. qui cæcat. *Paulin. Nolan. carm.* 24. *Nat.* 9. *S. Fel.* 618. Inveniam puteos: sed ne precor obruat illos Lividus, et viventis aquæ cæcator Amalec, *h. e.* qui obstruit. Respicit ad illud *Genes.* 26. 14. Invidentes ei Palæstini, omnes puteos obstruxerunt, implentes humo. *V.* EXCÆCO.

CÆCĀTUS, a, um. *V.* CÆCO.

CÆCIAS, æ, m. 1. Καικίας, ventus spirans ab oriente solstitiali, seu inter aquilonem et exortum æquinoctialem, ut *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (120). et 18. *ibid.* 34. 77. (334). docet: itaque est tertius ventus a septentrione ad orientem. Vox Græca est, et Latino caret nomine, ut ait *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16. Hujus hoc peculiare esse tradit ex *Aristot. Gellius* 2. 22., ut nubes non procul propellat, sed ad se attrahat: unde factum est Græcum proverbium, κακὰ ἐφ' αὐτὸν ἕλκων, ὡς ὁ Καικίας νέφος, mala ad se trahens, ut Cæcias nubes. *Apul. de Mundo* 14. scribit, Cæciam putari de iis ventis, qui non continuo, sed reflabro et reciproco flatu, hoc est alternante, spirant. Meminit etiam *Vitruv.* 1. 6.

CÆCIGENA, æ, comm. gen. 1. *et*

CÆCIGENUS, a, um, adject. (cæcus et gigno) qui cæcus genitus est. *Gloss. Philox.* Τυφλογενής, cæcigena. *Lucret.* 2. 740. Nam cum cæcigeni, solis qui lumina numquam Adspexere, tamen cognoscant corpora tactu etc. — Eâdem formâ *ventigenus* legitur apud *eumd.* 5. 701.

CÆCILIA, æ, f. 1. (cæcus). ¶ 1. Est genus serpentis cæcæ et venenatæ, quam dehiscente ventre parere, a partu vulnere rursus coalescente, tradit *Aristot.*, ut *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 76. (166). refert. *Sillig.* vero ex bonis codicib. pro *cæciliis* legit *cæcis*. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 1. Vipera et cæcilia sæpe, cum in pascua bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. *Et paullo post.* Cæciliæ morsus tumorem suppurationemque molitur. Adde *Veget.* 4. *Veter.* 21. Hanc *Isid.* 12. *Orig.* 4. *cæculam* vocat. ¶ 2. Est etiam genus lactucæ, apud *Colum.* 10. *R. R.* 190. *V.* in voce sequenti. — De nomine pr. *V.* ONOM.

CÆCILIĀNUS, a, um, adject. ad Cæcilium pertinens. Genus lactucæ purpureæ maximæque radicis, Cæciliana lactuca vocatur a *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 38. (127), nempe a Q. Cæcilio Metello, ut est apud *Colum.* 10. *R. R.* 182., ubi hujus lactucæ duo genera facit, *altera crebra viret, fusco nitet altera crine.* (Adde 11. *ibid.* 3.) Cæciliam appellat *ibid.* 190. Cæciliam primo deponit Aquarius anno. — Item *Cæciliana cerasa* omnium rotundissima memorantur a *Plin.* 15. *Hist. nat.* 25. 30. (102).

CÆCĬTAS, ātis, f. 3. (cæcus) privatio visus (It. *cecità*; Fr. *cécité*; Hisp. *ceguedad*; Germ. *die Blindheit*; Angl. *blindness, want of sight*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 113. Asclepiadem ferunt, cum quidam quæreret, quid ei cæcitas attulisset, respondisse, puero ut uno esset comitatior. Adde *eumd. ibid.* 38. 111. et 112. et 1. *Fin.* 28. 84. *Id. Harusp. resp.* 18. 38. Cæcitas luminis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 8. 18. (34). Inferre cæcitatem alicui. *Id.* 11. *ibid.* 37. 55. (149). Liberari cæcitate.

II.) Translate refertur ad animum. *Cic. Harusp. resp.* 18. 38. Cæcitas libidinis. *Id. Dom.* 50. 129. Furor animi et cæcitas. *Id.* 1. *ibid.* 46. 105. Cæcitas mentis.

CÆCĬTŪDO, inis, f. 3. cæcitas. *P. Opilius Aurelius grammaticus* (de quo V. *Sueton. Gramm.* 6.) apud *Festum* p. 173. 24. *Müll.* P. Opilius Aurelius nusciciones ait esse cæcitudines nocturnas. *Not. Tir.* p. 179. Cæcitudo.

CÆCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cæcatus* sub *A.* II. — Cæcare est cæcum facere, hoc est oculorum visu vel solis lumine privare (It. *acciecare, togliere la luce*; Fr. *aveugler, éblouir*; Hisp. *cegar*; Germ. *das Licht oder die Beleuchtung entziehen*; Angl. *to blind, make blind*).

A) De visus privatione.

I.) Proprie est visu privare, cæcum facere. *Lucret.* 4. 325. Sol etiam cæcat, contra si cernere pergas. Adde *Aurel. Vict. vir. illustr.* 34. *Paulin. Nolan. carm.* 20. *Nat.* 7. *S. Fel.* 292. Perdita cæcatis qui lumina reddidit. Figurate *Colum.* 4. *R. R.* 9. 2. de vitibus. Defluens humor cæcat oculum, nec patitur frondescere. Adde *eumd. ibid.* 24. 16.

II.) Translate refertur ad animum. *Cic. Sext.* 66. 139. Largitione cæcare mentes imperitorum. *Id.* 5. *Tusc.* 13. 39. Si animi acies ita curata est, ut ne cæcetur erroribus. *Id.* 1. *ibid.* 30. 72. Cæcatus libidinibus. *Id. Dom.* 23. 60. Argenti et supellectilis mea cupiditate cæcatus. *Liv.* 44. 6. *extr.* Cæcata mens subito terrore. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 45. Pectora quam mea sunt serie cæcata laborum. *h. e.* atris curis molestiarum perturbata et confusa. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 11. *ad oculum vitis alludens.* Fossorem si apertus vitis oculus viderit, spes magna cæcabitur vindemiæ.

B) De solis vel alius luminis privatione.

I.) Proprie est obscurare. *Avien. Perieg.* 501. denso cæcantur stipite silvæ.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 76. 264. Præceps quidam, et cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida et celeritate cæcata oratio. *h. e.* quæ propter

nimiam celeritatem intelligi nequit: V. *Ellendt* ad *h. l.*

CÆCULTO, as, are, n. 1. cæco proximus sum, oculorum acie obtusa, cæcutio. Ita *Paul. Diac. p.* 62. 3. *Müll.*; affertque hæc verba ex *Plauti fragment.* Nomnam mihi oculi cæcultant? est ne hic noster Hermio? Cf. *eumd. p.* 45. 5. *Voss.* in *Etymol.* in *Cæcus* dubitat, an *cæcutio* non sit rectius: legi enim in *Onomast. vet.* Cæcutio, ἀμβλυώττω. Fatetur tamen, constanter apud *Paul. Diac.* haberi *cæcultant*. Est qui hanc vocem tribuit etiam *Livio*, et quidem activa significatione, 27. 3. Inter multas magnasque res, quæ nunc secundæ, nunc adversæ cæcultabant cogitationes hominum etc. Sed legendum est *occupabant*.

CÆCULA, æ. *V.* CÆCILIA.

CÆCUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

CÆCUS, a, um, adject. Comp. *Cæcior* sub *A.* I.; Sup. *Cæcissimus* non habet, quod sciam, exempla. — Ratione habita etymi, conjungi potest cum Gr. κοικύλλω *stupide ago*; neque tamen idcirco scribendum est d. oe, sed d. ae. — Cæcus est oculorum sensu carens, luce carens (It. *cieco*, *orbo*; Fr. *aveugle*, *privé de la vue*; Hisp. *ciego*; Germ. *was kein Licht hat, blind, nicht hell*; Angl. *blind, stone-blind*). Occurrit autem *A*) activa, et *B*) passiva significatione.

A) Activa significatione

I.) Proprie ponitur de hominibus et ceteris animantibus, quæ oculorum sensu carent. *Cic.* 5. *Tusc.* 38. 112. Qui (*Appius*) cæcus multos annos fuit. Adde *eumd. ibid.* § 113. et 114. *Id.* 4. *Fin.* 23. 64. Catuli, qui jam dispecturi sunt, cæci æque et ii, qui modo nati. *Lucret.* 5. 839. Cæca portenta. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 91. Hypseâ cæcior. *Vellej.* 1. 5. Cæcum gigni. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (102). Perdices cæcæ metu. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Cæca dies relucescit. — Hinc proverbia *Liv.* 32. 34. Apparet id quidem cæco. Sic *Quintil.* 12. 7. 9. Cæcis hoc, ut ajunt, satis clarum est. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 3. ut si Cæcus iter monstrare velit. — Huc pertinet et illud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 54. (125). Cæci rami. *h. e.* qui in arboribus non germinant; nam gemmæ arborum *oculi* sunt; cf. CÆCO sub *A.* I.

II.) Translate refertur ad animum, et temeritatem, præcipitantiam, stultitiam significat; paucis animum erroris et ignorantiæ tenebris obductum: ad rem *Cic. Amic.* 15. 54. Non solum ipsa Fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est. — Porro hac significatione occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 2. 14. O miseras hominum mentes! o pectora cæca! Qualibus in tenebris vitæ etc. *Id.* 3. 59. et *Ovid.* 3. *Met.* 620. Cæca alicujus cupido. *Cic. Pis.* 24. 57. Cupiditate cæca rapi. *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas. *Id. Planc.* 3. 6. Cæcum et præcipitem ferri in re aliqua. *Id.* 1. *Fin.* 13. 44. Cæco impetu incurrere in aliquem. *Id. Ligar.* 1. 3. Cæcus timor. *Id. Sext.* 7. 17. Cæcus atque amens tribunus. *Varro* apud *Non. p.* 525. 17. *Merc.* Neque id cæci consules fecissent. *Non. ibid.* interpretatur improvidos. *Liv.* 22. 39. Festinatio improvida et cæca. *Id.* 9. 14. Cæcum agere aliquem. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 43. quemcumque inscitia veri Cæcum agit. *Id.* 1. *ibid.* 3. 39. Cæcus amator. *Id.* 1. *Od.* 18. 14. amor sui. *Id. Epod.* 7. 13. furor. *Ovid.* 4. *Met.* 501. et *Phædr.* 4. 10. mens. *Seneca Hippol.* 979. Cæca manu spargere munera. *Quintil.* 1. 2. 5. Cæca socordia. — *b*) Addita per Ablat. causa, quâ quis cæcus est. *Cic. Harusp. resp.* 23. 48. Cæcus amentiâ. *Id. Quinct.* 26. 83. cupiditate et avaritia. *Id. Cluent.* 70. 199. crudelitate et scelere. *Liv.* 5. 51. avaritiâ. *Catull.* 72. 197. amenti furore. *Virg.* 1. *Æn.* 353. amore auri. — *c*) Addito, quo quis est cæcus. *Cic.* 4. *Fin.* 23. 64. Cæcus animo. *Quintil.* 4. 10. 29. et *Gell.* 12. 13. animi. *V.* ANIMUS sub init. — *d*) Addita per Genit. re, cujus ratione habita quis cæcus est. *Lucan.* 2. 14. Mens hominum cæca fati futuri. *h. e.* ignara. Adde *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 138. — *e*) Addita pariter re, cujus ratione habita quis cæcus est, per præp. *ad* vel *in*. *Liv.* 21. 54. Cæcus ad has artes belli. *Quintil.* 8. *proœm.* 17. in causis.

B) Passiva significatione

I.) Proprie de iis omnibus ponitur, quæ luce carent, et non videntur. ¶ 1. De locis et de quocumque rerum statu, quæ luce carent ideoque obscura sunt: ad rem *Varro* 9. *L. L.* 58. *Müll.* At si (*cubiculum*) fenestram non habet, dicitur cæcum, ut cæcus et cæca; quod omnia lumen habere debent. Sic *Cic. Orat.* 67. 224. Domus depressa, cæca (*h. e.* lumine seu fenestra carens), jacens. — Hac significatione pluribus jungitur Substantivis. *Ovid.* 1. *Met.* 24. acervus. *Seneca Herc. fur.* 834. aditus. *Sil. It.* 12. 613. amictus noctis. *Seneca Med.* 741. Chaos. *Lucret.* 3. 305. et 4. 457.; *Catull.* 64. 908. et *Virg.* 3. *Æn.* 203. caligo. *Virg.* 6. *Æn.* 734. carcer. *Ovid.* 15. *Met.* 299. et *Sil. It.* 7. 372. cavernæ. *Sil. It.* 13. 127. fauces Acherontis. *Ovid.* 10. *Met.* 436. iter. *Lucret.* 1. 409. et *Virg.* 3. *Æn.* 232. latebræ. *Propert.* 1. 19. 8. et *Virg.* 2. *Æn.* 335. Marte cæco. *h. e.* prœlio nocturno. *Sil. It.* 11. 456. moles sine sidere cæca. *h. e.* Chaos. *Lucret.* 1. 1108.; *Cic. Mil.* 19. 50.; *Catull.* 68. 44. et *Ovid.* 10. *Met.* 476. nox. *Virg.* 5. *Æn.* 589. parietes. *Val. Flacc.* 5. 663. pugna. *Virg.* 12. *Æn.* 444. pulvis. *Sil. It.* 7. 350. silentia noctis. *Ovid.* 8. *Met.* 158. tecta. *Virg.* 10. *Æn.* 733. et 3. *ibid.* 200. undæ. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 16. vis. — *Cæcæ gemmæ* dicuntur a *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (86)., quæ non translucent. Sic *cæci smaragdi ibid.* 5. 18. (68). — Per proverbium *cæca die emere* vel *vendere* est emere solutione in diem incertam prolata: contra *oculata die emere* vel *vendere* est præsenti pecunia emere. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 67. Eme die cæcâ hercle olivum, id vendito oculatâ die. ¶ 2. Item de iis, quæ non videntur, sive oculis non percipiuntur; ideoque occulta et latentia sunt: ad rem *Cic.* 2. *Orat.* 87. 357. Res cæcæ et ab aspectus judicio remotæ. *Lucret.* 1. 278. et 296. et 329., et 2. 713. corpora. *Id.* 4. 929. ignis. *Id.* 6. 822. venenum. *Id.* 4. 1116. vulnus. *h. e.* quod a tergo alicui et non videnti infligitur. Sic *Virg.* 10. *Æn.* 733. fugientem haud est dignatus Oroden Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide vulnus. Adde *Sil. It.* 9. 105. Et *Liv.* 34. 14. *ad fin.* Non cæcis ictibus procul ex improviso vulnerabantur, sed pede collato, tota in virtute ac viribus spes erat. Hinc *cæcum corpus* est aversa pars corporis, qua nec hostem videre, neque tela vitare possumus. *Sall. Jug.* 115. In maximo metu nudum et cæcum corpus ad hostes vertere. Cf. *Xenoph. Cyrop.* 3. 3. 45. τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα. *Cic.* 2. *de republ.* 3. 6. Cæca pericula. *Propert.* 2. 27. 6. pericla viæ maris et terræ. *Virg.* 3. *Æn.* 706. et 5. *ibid.* 164. saxa. *Id.* 1. *ibid.* 540. vada. *Id.* 2. *ibid.* 453. fores. *h. e.* clandestinæ. *Id.* 4. *G.* 237. spicula. *Ovid.* 2. *Fast.* 214. et *Sil. It.* 5. 3. Cæca arma. *h. e.* milites in insidiis dispositi. *Ovid.* 12. *Met.* 492. manum cæcam versare. *Id. Heroid.* 11. 1. Cæcæ lituræ. *Cæs.* 1. *B. C.* 28. Moniti a Brundusinis, ut vallum cæcum fossasque caveant. *h. e.* vallum, in quo præacuti pali terræ affixi herbis vel frondibus occuluntur, ut *Paul. Diac. p.* 44. 11. *Müll.* exponit. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 9. Cæcæ fossæ. *h. e.* contectæ, quibus *patentes* opponuntur. *V.* FOSSA, et cf. *Pallad.* 6. *R. R.* 3. 1. et *Sil. It.* 9. 105. cæcus hiatus foveæ. *Colum.* 10. *R. R.* 230. Cæci colubri. *Id.* 4. *ibid.* 32. 4. resectio arundineti. *Plin.* 4. *Ep.* 30. Libramentum abditum et cæcum. *Stat.* 9. *Theb.* 198. ensis. *Sil. It.* 10. 414. telum. — Latiori sensu ponitur a Poetis etiam de iis, quæ sensu auditus non percipiuntur. *Virg.* 12. *Æn.* 591. murmure cæco intus saxa sonant. *Seneca Troad.* 171. Cæcus mugitus terræ. *Val. Flacc.* 2. 461. clamor.

II.) Translate. ¶ 1. Cæca dicuntur ea omnia, quæ nos latent, quorum causas ignoramus, quas penetrare non possumus: ad rem *Cic.* 2. *leg. Agr.* 14. 36. Cur hoc est tam obscurum atque cæcum? *Lucret.* 3. 317. rerum cæcas exponere causas. *Id.* 1. 778. natura clandestina et cæca. *Id.* 5. 1004. ratio navigii. *Liv.* 45. 31. crimen. *h. e.* quod probari non potest. *Virg.* 1. *Æn.* 360. scelus. *Id.* 6. *ibid.* 157. cæcosque volutat Eventus animo secum. *Horat.* 2. *Od.* 3. 16. Cæca fata. *Id.* 3. *ibid.* 27. 21. motus. *Ovid.* 9. *Met.* 174. tabes. *Seneca Œdip.* 92. Sphinx nectens verba cæcis modis. *Sil. It.* 11. 388. Cæcum exitium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 56. (205). Ita his nulla naturæ cura est, illis nimia, et ideo cæca subtilitas. *h. e.* quæ a rusticis percipi nequit. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 6. Cæci morbi. *h. e.* quorum causæ ignorantur. Sic *cæci dolores* dicuntur a *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 10. (38). et *ibid.* 3. 13. (55). Neque aliter *cæci fluctus*, quos Græci κωφοὺς dicunt, hoc est surdos, sunt, quorum non apparet causa, quiescentibus quidem ventis, sed nihilominus æstuante mari et fluctuante. *Sisenna* apud *Non. p.* 449. 11. *Merc.* Subito mare perhorrescere, cæcosque fluctus in se provolvere leniter cœpit. *Livius* apud *Senec. Suasor.* 7. Cum ipse jactationem navis cæco volvente fluctu pati non posset. Adde *Sueton. fragm.* post *Festum p.* 382. 13. *Müll.* ¶ 2. Item cæca dicuntur, quæ incerta ac dubia sunt. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 65. Nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe et cæca expectatione pendere. *Id.* 2. *Divinat.* 6. 15. Cæcus casus fortunæ. Cf. *Lucan.* 2. 567. cursus cæcus Fortunæ. *Liv.* 40. 10. Cæcæ exsecrationes. *h. e.* quippe quod nullum est discrimen inter noxias et innoxias; *Forcellinus* interpretatus est: quæ cæco impetu feruntur in aliquem. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 209. cæci in nubibus ignes. *h. e.* qui nullo fine seu scopo fiebant; cf. *Sil. It.* 12. 628. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 4. Cæca suspicio. *h. e.* quæ sine justa ratione habetur. *Ovid.* 2. *Fast.* 822. metus. *Tac.* 2. *Hist.* 82. Lymphati cæco pavore animo. *Seneca Herc. fur.* 1036. Cæcus error.

Cæcum, i, n. 2. absolute substantivorum more est obscuritas, latebra. *Manil.* 4. 300. Verum in cæco est. — *Cæca* adverbialiter positum eo modo, quo *acerba* pro *acerbe*, et *transversa* pro *transverse* etc. *Tertull. Patient.* 1. Bonum patientiæ etiam qui cæca vivunt, summæ virtutis appellatione honorant. *Sciopp.* in *not. ad Tertull.* legit *cæci*. — *NB.* De nom. pr. et cognom. *V.* ONOM.

CÆCUTIO, is, ire, n. 4. Part. *Cæcutiens*. — Cæcutio est cæcus sum, male video. *Varro* apud *Non. p.* 35. 4. *Merc.* Utrum oculi mihi cæcutiunt, an ego vidi servos in armis contra dominos? *Id.* apud *eumd. p.* 80. 19. Non mirum, si cæcutis, aurum enim non minus præstringit oculos. *Apul. Florid.* 2. Omnes quodammodo cæcutimus. *Capell.* 1. *p.* 2. Cæcutientisque Mæonii suaviloquam senectutem.

CÆDES, is, f. 3. (cædo). In recto casu singulari *cædis* pro *cædes* legitur apud *Plaut. Most.* 1. 2. 41. (quamquam *ædis* quidem reponunt) et in quibusdam MSS. *Justini* 12. 1. Sic *torquis* dicitur pro *torques* a *Propert.* 4. 10. 44. Sic *canes* legitur et *canis* teste *Voss. l.* 1. *De analog. c.* 15. Sic *ædes* et *ædis* etc. — In genitivo plurali reperitur etiam *cædum* pro *cædium*. *Sil. It.* 4. 353. Exoritur rabies cædum et vix tela furori Sufficiunt. Adde *eumd. ibid.* 423. et 790., et 5. 220., et 10. 233.; et *Priscian.* 7. *p.* 771. *Putsch.* — Ceterum cædes est concisio, recisio, sive actus secandi atque ad terram prosternendi percutiendo (It. *tagliamento, il gettar giù percuotendo*; Fr. *action de couper, d'abattre*; Hisp. *el acto de cortar, de abatir*; Germ. *das Nieder-oder Abhauen, Abschneiden*; Angl. *a cutting, felling*).

I.) Proprie. ¶ 1. Cædes est alicujus rei sectio atque ad terram dejectio, quæ fit percutiendo. — *a*) Generatim. *Gell.* 19. 12. Ligni atque frondium cædem facere. *Apul.* 3. *Met.* Capilli, qui cæde cultrorum desecti humi jacebant. — *b*) Speciatim ac sæpius accipitur pro percussione, qua homo aut aliud animal vulneratur atque occiditur, ideoque cum *occisione* conjungitur. *Cic. Cæcin.* 14. 41. Nemo, inquit, occisus est, neque saucius. Quid ais? tu vim negabis esse factam, si cædes et occisio facta non erit? *Nepos Epam.* 9. Magna cæde facta multisque occisis. Cf. *Quintil.* 5. 10. 71. Jurgium, deinde cædes et strages. — Hoc sensu occurrit — De hominibus, præcipue cum vel bellantes præliantur, vel vim inferunt aut patiuntur, ut apud *Cic. Mil.* 5. 12. Cædes, qua P. Clodius occisus est, senatus judicavit contra rempublicam esse factam. *Al. leg.* in qua. Adde *eumd. ibid.* 27. 73. et *Brut.* 22. 85. Jungitur autem pluribus Verbis, quæ servato litterarum ordine exhibentur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (89). Absolvere cædis aliquem. *Lucret.* 3. 71. Accumulare cædem cæde. *Sueton. Tib.* 37. Admittere cædem. *Ovid.* 12. *Met.* 240. Ardescere cæde. *Liv.* 45. 5. Arguere aliquem cædis. *Ovid. Heroid.* 14. 59., *Curt.* 8. 2. et *Quintil.* 5. 12. 3. Committere cædem. *Liv.* 6. 13. Conficere justâ cæde hostem. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 2. Designare aliquem ad cædem. *Horat. Art. P.* 392. Deterrere aliquem cædibus. *Liv.* 5. 45. et 40. 32.; et *Justin.* 2. 11. Edere cædem. *Cic. Mil.* 32. 87. Efficere cædes aliquorum. *Cic. Prov. cons.* 4. 9.; *Auct. B. Hisp.* 15. 23. et *Liv.* 2. 62. Facere cædem. *Sall. Jug.* 34. in aliquem. *Tac.* 14. *Ann.* 33. Festinare cædes. *Liv.* 3. 10. Fœdare templum cæde sua. *Virg.* 2. *Æn.* 500. Furere cæde. *Tac.* 13. *Ann.* 2. Ire in cædes. *Cic.* 4. *Fam.* 14. Ostentare cædem. *Tac.* 2. *Ann.* 39. Patrare. *Lucan.* 3. 580. Peragere. *Liv.* 45. 5. Perpetrare. *Sall. Jug.* 3. et *Sueton. Cal.* 57. Portendere. *Curt.* 3. 11. Prosternere hostes ingenti cæde. *Cic.* 5. *Att.* 18.

Spectat res ad cædem. *Virg.* 10. *Æn.* 119. Sternere cæde viros. *Cic. Rosc. Am.* 28. 78. Vivere in cæde atque ex cæde. — De occisione bestiarum. *Horat.* 3. *Od.* 23. 14. Tentare deos multa cæde bidentium. *Ovid.* 10. *Met.* 541. Cædes armenti. *Id.* 11. *ibid.* 371. boum. *Id.* 2. *ibid.* 442. et 15. *ibid.* 106. ferarum. *Id.* 7. *ibid.* 675. et 809. ferina. *Id.* 15. *ibid.* 129. juvenci. *Martial.* 14. 4. juvencorum. ¶ 2. Pro verberatione. *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 2. 1. 46. Contumeliosæ cædes colaphus et digna lenone. Et *ibid.* ad 4. 2. 19. *Occidit* nimiæ cædis verbum, non occisionis intelligi oportet. Adde *ibid.* ad 2. 1. 18. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 27. Quid mihi vobiscum, cædis scelerisque ministræ? *h. e.* loquitur de manibus, quibus ipse puellam suam immerito pulsaverat.

II.) Improprie, seu per metonymiam. ¶ 1. Cædes ponitur pro ipsa persona interfecta. *Virg.* 10. *Æn.* 244. Crastina lux – Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 1. ¶ 2. Item pro sanguine. *Lucret.* 3. 643. Falciferos memorant currus abscidere membra Sæpe ita de subito, permixta cæde calentes, Ut etc. Adde *eumd.* 5. 1312. *Catull.* 64. 181. juvenis respersus cæde fraterna. Adde *eumd. ibid.* v. 360. et 368. *Virg.* 9. *Æn.* 456. tepidàque recentem Cæde locum. *Propert.* 2. 8. 31. Sparsæ cæde comæ. *Ovid.* 4. *Met.* 125. Arborei fetus aspergine cædis in atram Vertuntur faciem. *Id.* 1. *ibid.* 149. Cæde madere.

CÆDO, is, cĕcīdi, cæsum, cædere, a. 3. Part. *Cædens* I. 1; *Cæsus* in omnibus ferme paragr. et in fine; *Cæsurus* et *Cædendus* I. 1. sub init. — Ratione habita etymi, est verbum *causativum* a *cado*; et significat secare atque ad terram prosternere (It. *tagliare, tagliando abbattere*; Fr. *couper, abattre*; Hisp. *cortar, abatir*; Germ. *machen, dass etwas fällt, etwas fällen*; Angl. *to cut, cut down, lop, fell*).

I.) Proprie. ¶ 1. Cædere est acuto aliquo instrumento aliquid secare atque ad terram prosternere. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Arbores cum luna simul senescentes tempestive cædi. *Ovid.* 3. *Fast.* 340. Cædenda est hortis eruta cepa meis. *Justin.* 13. 7. Macedonia, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa cæsura. *Stat.* 1. *Theb.* 71. digitis cædentibus. — *a*) Jungitur pluribus Subst., quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Lucret.* 6. 167. arboris auctum. *Ovid.* 9. *Met.* 200. arbores. *Dig.* 7. 1. 59. § 2. arundinem. *Liv.* 8. 7. cervicem alicujus. *Tibull.* 1. 7. 34. falce comam vitis. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 1. et *Paul. Dig.* 7. 4. 13. fœnum. *Cato R. R.* 5. frondem. *Cic.* 3. *Verr.* 56. 147. lapidem. *Plaut. Merc.* 2. 3. 63. et *Lucilius* apud *Non.* p. 271. 29. *Merc.* lignum. *h. e.* ligna in partes secare ad focum faciendum. *Curt.* 5. 3., 9. 1. et 10. 1. materiem. *Dig.* 24. 3. 7. § 13. et 29. marmor. *Catull.* 68. 111. montis medullis cæsis. *Plin.* 12. *Hist. nat. proœm.* 1. (2). et 36. *ibid.* 1. 1. (2). montes in marmora. *Liv.* 21. 11. murum. *Ovid.* 2. *Met.* 418. nemus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 12. palos. *h. e.* polire. *Id. ibid.* 1. 94. pinum. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 86. robur. *Ovid.* 8. *Met.* 770. robora. *Plaut. Most.* 1. 1. 62. saginam. *Paul.* 2. *Sentent.* 31. 25. segetes. *Cæs.* 3. *B. G.* 29.; *Lucret.* 5. 1265.; *Varro* apud *Non.* p. 272. 5.; *Ovid.* 8. *Met.* 329.; *Sueton. Aug.* 94., et *Dig.* 10. 2. 29. silvam, silvas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (48). thynni membratim cæsi. *Virg.* 1. *G.* 173. tibiam. *Quintil.* 11. 3. 139. toga apte cæsa. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Invent.* 49. 91. et 2. *Herenn.* 22. 34. trabs abiegna cæsa. *Virg.* 3. *G.* 364. vina humida securibus cædere. *h. e.* vina gelu constricta. *Vitruv.* 3. 3. volutam. — *b*) Item de iis, quæ dentibus absciduntur. *Lucret.* 5. 1325. At validis socios cædebant dentibus apri. *Lucilius* apud *Non.* p. 272. 14. *Merc.* Tineæ omnia cædunt. — *c*) Huc pertinet et illud proverbium apud *Horat.* 2. *Ep.* 1. 220. Ut vineta egomet cædam mea. *h. e.* ipse mihi noceam. — *d*) Huc pertinet etiam formula *cædere pignora*, hoc est pignora in auctione vendere, ea ratione, qua bonorum venditio sub hasta *sectio* appellatur; vel, ut aliis placet, qua *cædere* ponitur pro minutatim concidere et consumere, ut in loco *Lucilii* superius cit. sub *b. Cic.* 3. *Orat.* 1. 4. et 1. *Phil.* 5. 12.: *V.* PIGNUS. ¶ 2. Habet etiam obscenum sensum, ut *præcido, concido*. *Plaut. Cas.* 3. 1. 14.; *Catull.* 56. 7.; *Auct. Priapeor.* 26. Et *Tertull. Pall.* 4. Pugil Cleomachus intra cutem cæsus (*h. e.* stupro corruptus) et ultra inter fullones jam Novianos coronandus. *V.* FULLO et FLAGITATUS.

Cf. *Cic.* 5. *Verr.* 66. 155. Scribas, apparitores recentes arripe, cum L. Voltejo, qui plurimum potest, cæde, concide. *h. e.* constringe ac prosterne, quo sensu pertinet ad posteriorem n. II.; sed tamen videtur *Cic.* ad obscenum sensum alludere, *V. Klotz* ad h. l. ¶ 3. Item est obtuso aliquo instrumento percutere, verberare. — *a*) Addito per Ablat. instrumento, quo quis percutit. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 71. calcibus aliquem cædere. *Curt.* 5. 6. 5. dolabris vasa. *Lucret.* 6. 24. ferro lapidem. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 120. ferulâ aliquem. *Id. ibid.* 2. 42. flagellis ad mortem. *Quintil.* 6. 3. 25. flagris. *Liv.* 33. 5. hastilibus tergum alicujus. *Cic.* 8. *Phil.* 8. 24. loris aliquem. *Petron. Satyr.* 138. manu lentâ aliquem. *Plaut. Curc.* 1. 3. 43. pugnis aliquem. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 65. pugnis cæsus. *Liv.* 61. 13. silicem rostro. *Cic.* 3. *Verr.* 27. 69. saxis januam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 128. saxis populum. Figurate *Juvenal.* 13. 194. verbere surdo. *Ter. Andr.* 1. 2. 28. verberibus cæsus. Adde *Plaut. Most.* 5. 2. 45. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 69.; *Liv.* 2. 5.; *Horat.* 1. *Sat.* 2. 42. et *Sueton. Ner.* 26. virgis ad necem. — Huc pertinet et proverbium apud *Plaut. Truc.* 4. 2. 55. Cædere stimulos pugnis. *V.* STIMULUS. — *b*) Absolute. *Ter. Eun.* 4. 7. 17. aliquem cædere ex occulto. *Liv.* 2. 36. sub furca. *Lucilius* apud *Non.* p. 272. 12. ostium. *Pers.* 1. 105. pluteum. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 85. silicem. *Quintil.* 2. 12. 10. femur, pectus, frontem. *Id.* 1. 3. 14. Cædi vero discentes, quamquam receptum sit, minime velim. *Id.* 1. 3. 17. Jus cædendi. — ¶ 4. Item, cum sermo est de hominibus, cædere est interficere, stragem edere, profligare. — *a*) Generatim de adversariis, *cædere* est idem atque *occidere*, ut patet ex *Legg. XII. Tabul.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. SI IM OCCISIT: IVRE CAISVS ESTO. *Cic. Mil.* 3. Ille dies, in quo T. Gracchus est cæsus. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 25. 106. et 2. *Off.* 12. 43.; *Liv.* 1. 26.; *Val. Max.* 6. 2. 10.; *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 16., et *Tac.* 14. *Ann.* 43. *Varro* apud *Non.* p. 272. 3. et *Curt.* 9. 1. Cædere aliquem ferro. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 59. aliquem ense. *Nepos Datam.* 6. adversarios intra vallum et foris. *Catull.* 64. 359. Cæsi corporum acervi. *Virg.* 2. *Æn.* 266. vigiles. *Curt.* 7. 5. proditores ad unum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 11. (24). Injuriâ cæsus. — *b*) Præcipue ponitur de hostium strage, quæ in prælio editur, atque interdum de exercitu profligato. *Cic.* 14. *Phil.* 1. 1. Exercitus cæsus fususque. *Id.* 5. *Att.* 20. A. d. III. Id. Octobr. magnum numerum hostium cecidimus. *Al. leg.* occidimus. *Sall. Jug.* 102. Equites, pedites permixti cædere alios, alios obtruncare. *Liv.* 4. 62. Infra arcem cæsi captique multi mortales. *Id.* 20. 7. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa, decem millia sparsa fugâ per omnem Etruriam. *Id.* 7. 30. Cædere legiones. *Id.* 22. 56. consulem exercitumque. *Id.* 2. 47. Ibi hostes iterum cæsi. *Curt.* 9. 5. 19. Cædere Indos. *Id.* 5. 6. 6. passim obvios. *Id.* 4. 5. 17. præsidium. *Quintil.* 12. 10. 24. propugnatores reipubl. — *c*) Interdum et dux cæsus dicitur, quamvis ipse minime sit interfectus, dummodo ejus exercitus fuerit profligatus. *Horat.* 3. *Od.* 6. 36. Pyrrhum magnumque cecidit Antiochum Hannibalemque dirum. *Sueton. Vesp.* 4. Cæso præposito. ¶ 5. Item, cum sermo est de brutis animalibus, cædere est — *a*) Interficere. *Cic.* 3. *Phil.* 12. 31. Greges armentorum reliquique pecoris cædere. *Ovid.* 15. *Met.* 141. boves. — *b*) Sæpius tamen est mactare, immolare. *Cic. Cluent.* 68. 194. et *Liv.* 8. 6. Cæsis hostiis deorum mentes placare. *Cic.* 1. *Att.* 13.; *Liv.* 45. 7. et *Sueton. Cæs.* 81. Cædere victimas. *Liv.* 10. 7. victimam. *Virg.* 5. *Æn.* 96. cædit quinas de more bidentes. *Horat. Epod.* 2. 59. agnam. *Ovid.* 13. *Met.* 637. boves. Adde *Sueton. Cal.* 14. et *Tac.* 2. *Ann.* 75. *Juvenal.* 6. 466. Cædere Silvano porcum. — Hinc *inter cæsa et porrecta* proverbium a sacrificiis ductum. Nam primum cæditur, seu mactatur victima, deinde ejus exta porriciuntur, hoc est porriguntur altaribus, seu diis per oblationem: inter quæ duo solebat interdum aliquantum temporis intercedere, ut patet ex *Varron.* 6. *L. L.* 31. *Müll.* et ex *Macrob.* 1. *Saturn.* 16., ubi docent, intercisos dies inde appellari, quod in iis, cum hostia cæditur, fari nefas est; inter cæsa et porrecta fari licet; rursus cum adoletur non licet: et ex *eodem Varron. loc. cit.* 16., ubi tradit flaminem Dialem auspicari vindemiam, et ut jussit vinum legere, agnâ Jovi facere; inter cujus exta cæsa et porrecta primus vinum legere. Quod si eo temporis interstitio sinistri aliquid accidisset, litare non licebat, sed novam hostiam mactari necesse erat.

Inde itaque natum proverbium est, cum quis veretur, ne male cadat negotium jam inceptum et jamjam perficiendum, si medio illo tempore impedimentum aliquod suboriatur. *Cic.* 5. *Att.* 18. 1. Quorum κεφάλαιον, ne quid inter cæsa et porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur aut temporis. — *c*) *Cædere aliquid* est cædendo aliquid efficere. *In veteri formula se devoventium, quam refert Liv.* 8. 10. *ad fin.* Piaculum hostiâ cædi. *h. e.* cæsâ hostiâ piaculare sacrificium facere: hypallage. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 82. cæso sparsuros sanguine flammam.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 3. Quo quidem in judicio odio premitur omnium generum; maxime testibus cæditur, accusatoribus frigidissimis utitur. *h. e.* urgetur, affligitur. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 66. 155., quem locum superius attulimus sub 3. *c.* in fin. ¶ 2. *Cædere sermones* est disserere, colloqui, confabulari, quasi verba hinc inde percutere. *Ter. Heaut.* 2. 3. 1. Interea dum sermones cædimus, illæ sunt relictæ. *Priscian.* 18. p. 1188. *Putsch.* docet, Græcos quoque eodem sensu dicere κόπτειν τὰ ῥήματα.

Cæsum, i, n. 2. absolute substantivorum more est idem atque incisum, Græce κόμμα. *Capell.* 5. p. 173. Nonnullis cæsis interrupta oratio. *Id. ibid.* docet, *cæsam dici orationem*, cum singula verba quodvis significantia proferuntur, ut in illo *Cic. Verr.* Comites illi delecti manus erant tuæ; accensi, medici, haruspices tuæ erant manus. Adde *Mar. Victorin.* 1. p. 2497. *Putsch.*

CÆDUUS, a, um, adject. qui cædendo aptus est: et dicitur de arboribus, quæ succidi sine detrimento possunt; et de iis, quarum totus fructus in cædendo est. *Cajus Dig.* 50. 16. 30. Silva cædua est, ut quidam putant, quæ in hoc habetur, ut cæderetur. *Servius* eam esse ait, quæ succisa rursus ex stirpibus, aut radicibus renascatur. *Cato R. R.* 1. et *Varro* 1. *R. R.* 7. 9. septimum gradum nobilitatis atque usus agrorum *silvæ cæduæ* tribuunt. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 3. 1. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (89). Cæduæ naturæ frutex. *Id.* 16. *ibid.* 37. 68. (175). Cædua salici fertilitas. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (147). Castanea regerminatione cædua vel salice lætior. *Et ibid.* 33. (141). Arbores cæduo ligno. *Et ibid.* 34. (141). Plantaria cædua.

CÆL pro *Cœlum* per apocopen dictum est ab *Ennio* ea ratione, qua *do* pro *domus*, et *gau* pro *gaudium*. In quo Græcos poetas est imitatus, qui δῶ pro δῶμα *domus*, et κρῖ pro κριθή *hordeum* dixerunt. *Auson. Technopægn. Eidyll.* 12. *sub fin.* Unde Rudinus ait, Divum domus altisonum Cæl? Et cujus de more quod astruit, endo suam do? Et *paullo ante.* Ennius ut memorat, replet te lætificum gau.

CÆLĀMEN, inis, n. 3. cælatura, opus cælatum (It. *intaglio*; Fr. *ciselure*; Hisp. *lo que está cincelado*; Germ. *halberhobene oder ciselirte Arbeit*; Angl. *an engraving*). *Ovid.* 13. *Met.* 291. neque enim clypei cælamina norit. *Apul. de Deo Socrat.* Suspicientes in hoc perfectissimo mundi, ut ait Ennius, clypeo, miris fulgoribus variata cælamina. *Id. Florid.* n. 7. Alexander edixit, ne quis effigiem regis temere assimilaret ære, colore, cælamine: quippe ni solus eam Polycletus (*corrige* Lysippus, testantibus id *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 38. (125). et *Cic.* 5. *Fam.* 12. aliisque quampluribus) ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet. *h. e.* in gemma scalperet, ut ait *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 4. (8).

CÆLĀTOR, ōris, m. 3. qui cælat (It. *cesellatore, intagliatore, scultore*; Fr. *graveur, ciseleur*; Hisp. *gravador, cincelador*; Germ. *Künstler in halberhobener Arbeit, Ciseleur*; Angl. *an engraver, carver*). *Cic.* 6. *Verr.* 27. 63. Mittit rogatum vasa ea, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait se suis cælatoribus velle ostendere. Adde *eumd. ibid.* 24. 54. *Quintil.* 2. 29. 21. Cælator cælum desiderat, et pictor penicilla. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (35). Eunicus et Hecatæus argenti cælatores. Adde *eumd. ibid.* § (90). *Juvenal.* 9. 145. cælatorem *curvum* appellat, quia cælando incurvatur. *Tertull. Idolol.* 3. Neque interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an phrygio detexat, quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. — Fuerunt *cælatores* inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 583. 5., quæ est apud *Orell.* 4146. AMIANTVS GERMANIC. CAESAR. CAELATOR FECIT. Adde *aliam* apud *Orell.* 4156.

CÆLĀTŪRA, æ, f. 1. (cælo). ¶ 1. Abstracte. Est ars ipsa cælandi (It. *arte dell'intaglio o del cesello*; Fr. *ciselure, art du ciseleur*; Hisp. *arte de cincelar*; Germ. d. *Ciseliren, Ciselir-oder Gravirkunst*; Angl. *the art of carving*). *Quintil.* 2. 4. 7. Tenuis nimium lamina, et quam cælatura altior rumpat. *h. e.* ipse altior cælandi actus: *Forcellinus* h. l. cælaturam pro opere cælato accepit et ad seq. paragr. retulit. *Id.* 2. 21. 8. Cælatura auro, argento, ære, ferro opera efficit: sculptura etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, complectitur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 45. (156). Pasiteles plasticen matrem statuariæ, sculpturæ, et cælaturæ esse dixit. Ex quibus locis *Garatonius* ad *Cic.* 4. *Verr.* 52. probat, cælaturam esse artem, quæ in metallis versatur, et eamdem esse ac toreuticen; sculpturam, quæ in marmore, ligno aliisque rebus; statuariam, quæ in statuis ex metallo elaborandis; plasticen vero, quæ in argilla et gypso versatur. Contra *Manutius epist.* 9. *De quæsit. per epist.* non a materia, in qua versantur, sed a forma operis, quam efficiunt, distingui oportere arbitratur, ut nempe *sculptura* sit, qua opera integra undique et solide fiunt, ut statuæ: *cælatura* vero qua opera in aliqua materia plana, vel tumida, vel convexa ita fiunt, ut ei adhæreant, et solum aliqua parte promineant; quæ et anaglypta appellantur, di *basso rilievo*. Fatendum tamen est, quandoque improprie cælaturam accipi de arte elaborandi — in argilla. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (158). Durant nunc plerisque in locis talia simulacra (fictilia). Fastigia quidem templorum, etiam in Urbe crebra et municipiis, mira cælatura et arte, ævique firmitate sanctiora auro, certe innocentiora. — In marmore. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (31). Cælavit Scopas pteron ab oriente. *h. e.* columnas, quæ ad orientem spectant, figuris vel sigillis in marmore sculptis ornavit. — In ligno. *Virg.* 3. *Ecl.* 36. pocula ponam Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis. *Ant. Scarpa in Lettera al Cav. Bossi sopra un elmo* etc. p. 22. putat cælaturam proprie esse artem, quam nunc Itali *cesellatura* dicunt; improprie autem tum *Plinium*, tum alios Latinos auctores, propter quamdam operis similitudinem, vocasse cælaturam opera *a basso rilievo*, quamvis non auro, argento, ære, ferro, sed ligno, ebore, marmore, vitro, gemmis scalpta vel sculpta sint; quia nempe, ut ait *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (193). de vitro, *argenti modo cælantur*. — Quod legitur apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (53). Super pistrinarum operibus et cælaturis vivere: *cælaturas pistrinarum* interpretatur *Harduinus* varias rerum imagines, quas panibus et crustulis pistores effingere solent: quam sententiam confirmat locus *Dig.* 13. 1. 13. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu cælatura est opus cælatum. *Seneca Ep.* 5. Non habemus argentum, in quod solidi auri cælatura descenderit. *h. e.* argenteum vas aureis cælatisque emblematis ornatum. *Sueton. Ner.* 47. Duos scyphos (duos *calices crystallinos* vocat *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (29).) gratissimi usus, quos Homericos a cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit. *Quintil.* 2. 17. 8. Cælatura clipei Achillis. *Paul. Diac.* p. 98. 3. *Müll.* Nummi quadrigati et bigati a figura cælaturæ dicti.

CÆLĀTUS, a, um. *V.* CÆLO.

CÆLEBS vel cœlebs, ibis, adject. Per diphthongum *æ* rectissime scribitur. Sic enim habetur in libris vet., teste *Manut.* et *Cellar.* in *Orthogr.*, et in *Inscript.* apud *Gruter.* 574. 6. Neque tamen damnandi qui per *œ* scribunt, pro quibus facit altera inscriptio apud eumd. 571. 1., et Græcum κοιλεφ *carens lecto*, ex quo cælebs a *Scalig.* et *Voss.* ducitur, quasi a κοίτη *lectus* et λείπω, ἔλιπον *deficio*. Fuerunt etiam, qui a *cælo* derivarent (V. *Paul. Diac.* p. 44. 5. *Müll.* et *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 1. 1. 18.), quia cælibes quasi cælestem vitam agant, improbante *Quintil.* 1. 6. 36. Prior tamen scriptio eruditis placere magis videtur. Alii denique a κοιλεβος pro κολεβός *orbatus* derivant: rectius tamen vocabulum deducitur a κοῖλος *cavus*. — Fuit qui *cælebs* per *p* scribi mallet, ex affinitate *b* et *p*, ut *obsonium* et *opsonium*. — Ceterum cælebs dicitur qui est sine conjugio, sive aliquando, sive numquam matrimonium inierit (*It. celibe, smogliato*; Fr. *célibataire, non marié*; Hisp. *soltero*; Germ. *unverheirathet, ehelos*; Angl. *unmarried, single*). Occurrit ¶ 1. Vere de hominibus. *Plaut. Stich.* 4. 1. 37. Ille cælebs erat senex. *h. e.* muliere viduatus. Adde eumd. *Cas.* 2. 4. 11. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. Censores prolem describunto, cælibes esse prohibento. *Horat.* 3. *Od.* 8. 1. Martiis cælebs quid agam Calendis etc. Adde eumd. 2. *Sat.* 5. 47.; *Ovid.* 10. *Met.* 245.; *Sueton. Galb.* 5.; *Cajus* 2. *Instit.* 286. et *Quintil.* 5. 10. 26. *Martial.* 4. 69. Dixeris hac factus cælebs quater esse lagena. *h. e.* quater muliere viduatus. *Id.* 12. 64. Corrumpit (*alienam uxorem*) sine talione cælebs. *V.* TALIO. — *Horat.* 1. *Ep.* 1. 87. lectus genialis in aula est? Nil ait esse prius, melius nil cælibe vita. Cf. *Gell.* 5. 11. Cælibem vitam vivere. *Catull.* 68. 6. Cælebs lectus. *Ovid. Heroid.* 13. 107. Quem neque sancta Venus molli requiescere somno Desertum in lecto cælibe perpetitur. ¶ 2. Raro de brutis animalibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (104). Columba cælebs aut vidua. ¶ 3. Interdum de plantis. *Horat.* 2. *Od.* 15. 4. vocat *cælibem platanum*, quia ei arbori non maritantur vites, sicut ulmis. *Ovid.* 14. *Met.* 663. cælebs sine palmite truncus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (204). Cælebs arbor.

CÆLES vel cœles, itis, adject. (cælum et ire: *V.* ALES). In recto singulari qui usurpaverit, vidi adhuc neminem. — Cæles proprie est qui per cælum graditur, ideoque in cælo vivit (It. *celeste, abitatore del cielo*; Fr. *céleste, habitant du ciel*; Hisp. *celeste, de cielo*; Germ. *der Himmelsgänger, d. Himmelsbewohner*; Angl. *celestial, heavenly*). ¶ 1. Stricto sensu occurrit — a) Adjective. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 50. 104. Di cælites. *h. e.* qui per cælum incedunt. *Tibull.* 2. 1. 36. Agricolæ cælites. *Apul. de Mag.* Geminam esse Venerem deam, alteram vulgariam, alteram cælitem. — b) Absolute substantivorum more pro deo. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 17. Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti Vestra procul positus carmen in ora dedi. *h. e.* de Augusto nuper in deos relato. Adde *Quintil.* 1. 6. 36. et *Tertull. Pall.* 4. *a med.* — Sed hac ratione sæpius adhibetur in plurali numero a Poetis, atque etiam ab oratoribus cum sublimi stilo utuntur. *Plaut. Rud. prol.* 2. Civitas cælitum. *Cic.* 6. *de republ.* 9. 9. Grates tibi ago, summe sol, vobisque reliqui cælites. *Horat. Epod.* 16. 56. Rex cælitum. *Ovid.* 5. *Met.* 321. Emissumque ima de sede Typhoea terræ Cælitibus fecisse metum. Adde *Catull.* 11. 13. et 61. 48.; et *Colum.* 10. *R. R.* 261. ¶ 2. Generatim ponitur pro cælesti *Ovid.* 1. *Fast.* 236. Cælitibus regnis ab Jove pulsus erat. *Capell.* 1. p. 17. Imperio Jovis convocati in aulam cælitem venere. *Paulin. Nolan. carm.* 24. *Natal. S. Felic.* 9. 403. Apostolici cineres sub cælite mensa depositi. Adde v. 207. et *carm.* 21. (*al.* 13.) 773. et 873.

CÆLESTĪNUS vel cœlestinus, a, um, adject. idem ac cælestis, olympius. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 420. n. III. JOVI OPTIMO MAXIMO CAELESTINO FONTIBVS ET MINERVAE ET COLLEGIO SANCTISSIMO QVOD CONSISTIT IN PRAEDIIS LARCII MACEDONIS IN CVRIA FLAVIVS SVCCESSVS CVM SVIS.

CÆLESTIS vel cœlestis, e, adject. In Ablativo sing. et *cælesti* habes et *cæleste*. *Lucret.* 6. 394. Turbine cælesti subito correptus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 237. imber cælesti nube solutus. *Id.* 15. *Met.* 743. specie cæleste resumpta. *Id.* 16. *Heroid.* 277. a cæleste sagitta. — In Genitivo plurali *cælestium* et *cælestum*. *Pers.* 2. 61. O curvæ in terris animæ et cælestium inanes. *Virg.* 7. *Æn.* 430. Cælestum vis magna jubet. *Lucret.* 6. 1272. Cælestum templa. *Ovid.* 1. *Met.* 150. Ultima cælestum. — Comp. *Cælestior* I. 2.; Sup. *Cælestissimus.* II. — Cælestis est ad cælum pertinens (It. *del cielo, celeste*; Fr. *du ciel, céleste*; Hisp. *de cielo, celeste*; Germ. *himmlisch*; Angl. *of heaven, heavenly, celestial*).

I.) Proprie. ¶ 1. Cælestis est qui pertinet ad cælum extimum, ad cælum terrarum orbi circumjectum, atque ibi evenit aut inde descendit. *Cic.* 6. *de republ.* 17. 17. Orbis cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur. *Id.* 2. *Divinat.* 44. 93. Si concedamus, aliquid vim cælestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere. — a) Hoc sensu jungitur pluribus Substantivis. *Liv.* 4. 30.; *Horat.* 3. *Od.* 10. 20. et 2. *Ep.* 1. 135.; *Colum.* 3. *R. R.* 12. 2. et 7. *ibid.* 4. 8.; *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (14)., et *Dig.* 39. 3. 1. aquæ vel aquæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 14. 14. (37). et *Sueton. Aug.* 95. arcus. *h. e.* Iris. *Paul. Diac.* p. 64. 8. *Müll.* auguria. *h. e.* cum fulminat aut tonat. *Virg.* 4. *G.* 1. dona. *Lucret.* 5. 1093. flammæ. *Quintil.* 12. 10. 24. fragor. *Lucret.* 2. 384. ignis fulminis. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 7. imber. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 69. (278). injuriæ. *h. e.* grandines, procellæ et similia. *Tac.* 1. *Hist.* 18. minæ. *Ovid.* 2. *Art. am.* 237. nubes. *Id.* 12. *Met.* 40. plagæ. *Liv.* 1. 31. prodigia. *Colum.* 3. *R. R.* 6. 4. res. *Ovid.* 1. *Met.* 73. solum. *Lucret.* 5. 1203. et 6. 388. et 671. templa. *Id.* 6. 394. turbo. — b) *Cælestia* substantivorum more sunt res cælestes, cælestia corpora, etc. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 41. 127. Cogitantes supera atque cælestia, hæc nostra, ut exigua et minima contemnimus. Cf. eumd. 6. *de republ.* 19. 20. et *Tac.* 5. *Hist.* 4. ¶ 2. Cælestis est etiam ad cælum pertinens, quà cælum deorum sedes cogitatur, ac proinde ponitur pro divino. *Seneca Ep.* 66. Nihil est divino divinius, cælesti cælestius. — a) Hoc sensu pariter jungitur pluribus Substantivis. *Virg.* 1. *Æn.* 15. animi. *Ovid.* 1. *Fast.* 139. aula. *Id.* 15. *Met.* 630. auxilium cæleste petere. *Id.* 2. *Amor.* 1. 11. bella. *h. e.* Gigantum cum diis. *Id.* 13. *Met.* 289. dona. *Augustus* apud *Sueton. in ejus Vita* 71. ad gloriam cælestem aliquem efferre. *Tac.* 13. *Ann.* 69. honores cælestes alicui decernere. *Liv.* 2. 36. et 9. 1. iræ. *Seneca Herc. Œt.* 441. et *Tac.* 1. *Ann.* 30. ira. *Ovid.* 4. *Met.* 252. nectar. *Tibull.* 3. 4. 73. numina. *Virg.* 6. *Æn.* 730. origo. *Quintil.* 3. 7. 5. ortus. *Ovid.* 4. *Met.* 217. pabula. *Tac.* 1. *Ann.* 11. religiones. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 27. sapientia. *Lucret.* 2. 990. semen. *Ovid.* 15 *Met.* 743. species. *Id.* 1. *ibid.* 700. stirps. — b) Absolute substantivorum more — *Cælestes*, ium, sunt dii ipsi. *Cic.* 4. *Phil.* 4. 10. Quid est, quod de voluntate cælestium dubitare possimus? Adde eumd. 2. *Legg.* 8. 19. et 3. *Off.* 5. 25. *Liv.* 1. 16. *ad fin.* Nuncia Romanis, cælestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit. Adde eumd. 9. 1.; *Catull.* 64. 191.; *Virg.* 1. *Æn.* 387. *Tibull.* 1. 10. 5. Parcite cælestes. *Ovid.* 6. *Met.* 72. Bis sex cælestes. *Id.* 1. *Art. am.* 147. cum pompa frequens cælestibus ibit eburnis. *h. e.* imaginibus deorum ex ebore. Adde eumd. 1. *Met.* 150.; *Val. Max.* 1. 1. 15. et *Tac. Germ.* 9. — *Cælestis* in sing. num. est deus vel dea. *Tibull.* 2. 4. 35. quicumque dedit formam cælestis avaræ. *h. e.* formam deæ. — *Cælestia* neutr. gen. sunt ipsæ deorum res apud *Tac.* 5. *Hist.* 5.

II.) Translate ¶ 1. *Cælestis*, quemadmodum et *divinus*, sæpe scribitur pro eximio, præstanti, excellenti, tamquam e cælo sit et mortalium rerum conditionem superet. *Cic.* 2. *ad Brut.* 7. Res a te gesta memorabilis et pæne cælestis repellit omnes reprehensiones. *Id.* 5. *Phil.* 11. 28. Cælestes divinæque legiones. *Liv.* 6. 17. Aliquem prope cælestem, cognomine certe Capitolino Jovi parem facere. *Horat.* 4. *Od.* 2. 17. quos Elea domum reducit Palma cælestes. *h. e.* summis honoribus affectos et diis æquatos. *Ovid.* 1. *Art. am.* 183. Cæleste ingenium. *Id.* 1. *Fast.* 534. mens. *Vellej.* 2. 94. præcepta. *Id.* 2. 60. animus. *Id.* 2. 24. vitam. *Id.* 2. 123 Cælestem animam cælo reddere. *Id.* 2. 104. Cælestissima opera. *Id.* 2. 66. Cælestissimum os Ciceronis. *Quintil.* 10. 2. 18. Cicero cælestis in dicendo vir. *Id.* 4. *proœm.* 2. Cælestia judicia. *Sueton. Ner.* 21. vox. *Martial.* 5. 5. carmina. — Absolute substantivorum more *Horat.* 1. *Ep.* 17. 34. Aggredi cælestia. ¶ 2. Apud serioris ævi scriptores *cælestis* idem erat ac cæsareus sive ad imperatorum pertinens. *Cod. Theod.* 3. 1. 9. et 6. 5. 2.

Cælestis, is, absolute, et

Cælestes, ium, et

Cælestia, ium. *V.* supra sub I. 2. et II.

CÆLĪBĀLIS, is, adject. a cælebs, agnoscitur tamquam Latinum a *Prisciano* 4. p. 631. *Putsch.*

CÆLĪBĀRIS, re, adject. *Cælibaris hasta* ea dicta est, qua novæ nuptæ caput comebatur, ut *Paul. Diac.* p. 63. 16. *Müll.* docet. *Arnob.* 2. 67. Cum in matrimonia conventis nubentium crinem cælibari hasta mulcetis. — De hac intelligi quidam volunt illud *Ovidii* 2. *Fast.* 550. Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri, Comat virgineas hasta recurva comas. Sed quia *recurva* appellatur, alii potius comatoriam acum intelligunt. — Porro hastam illam stetisse oportebat in corpore gladiatoris abjecti et occisi, ad significandum, quod, quemadmodum illa conjuncta fuerat cum corpore gladiatoris, sic nova nupta cum viro esse debebat: vel quia matronæ erant in tutela Junonis Curitis, quæ ita appellabatur a ferenda hasta, quam Sabini *curim* dixerunt: vel etiam hasta illa ominabatur, nascituros fortes viros: vel tandem significabat viri imperium in uxorem, quia hasta summa armorum et imperii est. Hæc ex *Paul. Diac. loc. cit.*; ubi sine diphthongo scribitur, litterarum ordine ita postulante.

CÆLĪBĀTUS, us, m. 4. (cælebs) ratio vitæ sine

conjugio. Seneca 1. Benef. 9. In consensu vidui cælibatus. Sueton. Claud. 26. Permanere in cælibatu. Adde eumd. ibid. 16. et Galb. 5., et Cajum 2. Instit. 144. Jul. Valer. de reb. gest. Alex. M. ed. Mai., ubi cultus ab Ægyptiis deus Sesonchosis ait Alexandro: Adscitus convivio cælibatum ago una cum diis. h. e. cœlestem vitam: V. CÆLEBS sub init. Capella 1. p. 3. Mercurius constituit cælibatum pellere. h. e. uxorem ducere. Tertull. ad ux. 1. 7. Sacerdotium viduitatis et cælibatuum est apud nationes pro diaboli scilicet æmulatione. — Cælibatus Romæ diu non legibus, sed moribus interdictus erat: et primum an. U. C. 350. M. Furius Camillus et M. Postumius censores eos, qui cælibes ad senectutem pervenissent, æra, pœnæ nomine, in ærarium deferre jusserunt, ut narrat Val. Max. 2. 9. n. 1. Hoc æs appellabatur uxorium, ut ait Festus in hac voce. V. Gell. 1. 5. At Augustus lege Julia Poppæa sanxit de maritandis ordinibus, quam abrogavit Constantinus M., testibus Eusebio in ejus Vita l. 4. c. 26. et Sozomeno Hist. Eccl. l. 5. c. 9.

CÆLICŎLA vel cœlicola, æ, adject. comm. gen. (cælum et colo). In singulari numero substantive legitur apud Priscian. 5. p. 668. Putsch. et Isid. 10. Orig. ad litt. C. — Cælicola est qui cælum incolit (It. abitatore del cielo; Fr. habitant du ciel; Hisp. habitador del cielo; Germ. Bewohner des Himmels; Angl. inhabitant of heaven). ¶ 1. Cælicola est qui cælum incolit, et occurrit — a) Adjective. Val. Flacc. 5. 111. blandosque Jovis quæ luserat ignes, Cælicolis immota procis. Apul. Dogmat. Plat. 1. Dii cælicolæ. Prudent. 1. Symmach. 170. nec cælicolam descendere Ephebum etc. — b) Sæpius substantivorum more in plur. num. Cælicolæ sunt ipsi dii: quo sensu Genit. plur. est cælicolarum et per syncopen cælicolûm. Virg. 6. Æn. 787. centum complexa nepotes, Omnes cælicolas, omnes supera alta tenentes. Id. ibid. 554. non ipsi exscindere ferro Cælicolæ valeant. Id. 2. ibid. 552. qualisque videri Cælicolis et quanta solet. Id. 3. ibid. 21. Cælicolûm regi. Juvenal. 13. 42. Nulla super nubes convivia Cælicolarum. Adde Ovid. 1. Met. 174., et Inscript. apud Orell. 855. ¶ 2. Cælicolæ dicti sunt quidam inter Judæos hæretici, qui cælum tanquam summum numen colebant. Exstat in Cod. Justin. lib. 1. tit. 9. de Judæis et Cælicolis, ibique eorum mentio fit ab Impp. Honor. et Theodos. l. 11. Adde Cod. Theod. 16. tit. 8. — Sed et universi olim Judæi per convicium Cælicolæ sunt appellati; de quibus Juvenal. 14. 97. Nil præter nubes et cœli numen adorant. Cum enim nullam Dei figuram manu factam admitterent, Deumque orantes cælum suspicere solerent, illud ipsum adorare crediti sunt.

CÆLĬCUS vel cœlicus, a, um, adject. cælestis. Stat. 2. Silv. 3. 14. Cælica tecta subit. h. e. ædes magnificas, et cælo dignas. Auct. carm. De nomine Jesu (quod quidam Paulino Nolano tribuunt) 64. quod omnes cælici, medii, inferi Nomen genu flexo audiunt. Capell. 9. p. 302. Senatus cælicus.

CÆLĬFER vel cœlifer, fĕra, fĕrum, adject. cælum ferens; estque epithetum Atlantis et Herculis. Virg. 6. Æn. 797. ubi cælifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. Seneca Herc. fur. 527. Alcmena genitus bella per omnia Monstris exagitet cæliferam manum. Capell. 6. p. 204. Ipsa caput gentium Roma armis, viris sacrisque quamdiu viguit, cæliferis laudibus conferenda. h. e. quæ ad cælum ferunt.

CÆLĬFLŬUS vel cœlifluus, a, um, adject. (ut mellifluus, multifluus). Paulin. Nolan. XII. Nat. S. Fel. 780. Cæliflui fontes. h. e. e cælo fluentes.

CÆLĬGĔNUS vel cœligenus, a, um, adject. (ut cœcigenus, ventigenus), in cælo genitus. Varro 5. L. L. 62. Müll. Victoria et Venus dicitur cæligena. Apul. de Mundo. Stellæ cæligenæ.

CÆLĬLŬCUS vel cæliloquus vel cœliloquus, a, um, Commodian. Instruct. 60. 3. Cælilucus doctor Isaias. h. e. qui cælesti numine præditus arcana profert.

CÆLĬPŎTENS vel cœlipotens, entis, adject. qui in cælo potest, seu imperat. Plaut. Pers. 5. 1. 3. Juppiter, diique alii cælipotentes.

CÆLĬTES vel cœlites, um, m. plur. 3. V. CÆLES, itis § 3.

CÆLĬTUS, adverb. ¶ 1. Significat e cælo. Apul. 1. Dogm. Plat. Omnia, quæ cælitus mortalibus exhibentur. Lactant. 4. 2. Statuerat Deus ducem magnum cælitus mittere. Adde de Opif. Dei 20. Ammian. 23. 6. Ignis cælitus lapsus. Adde Prudent. 12. Cathemer. 79. ¶ 2. Ex quo Romani imperatores divinis honoribus ac nominibus coli cœpere, cœlitus aliquando idem significabat, ac a principe. Hinc Impp. Valent. et Martian. Cod. 12. 41. 10. Si qui dignitates quascumque cælitus impetraverunt. Adde Constant. Imp. ibid. 28. 2. Adde Cod. Theod. 6. 32. 2. et 10. 20. 16.

CÆLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cælum I.). Cælassis antique dictum pro cœlaveris. Festus. Hæc Forcellinus: in Paul. Diac. ed. Müll. locum non inveni. — Part. Cælatus I. et II. — Cælare est incidere, insculpere, sive æs, argentum, aurum ita cavare, ut signa emineant intus extrave expressa, ac præcipue dicitur de metallis teste Quintil. 2. 21. 8. et 10. 3. 18., et Paul. Diac. p. 20. 3. Müll. (It. cesellare, scolpire; Fr. graver, ciseler, buriner; Hisp. gravar, esculpir; Germ. erhoben arbeiten, mit erhobener Arbeit zieren, ciseliren; Angl. to carve, engrave, emboss).

I.) Proprie occurrit — a) Fere de signis, quibus cæli ope metalla ornantur. Ennius apud Cic. 3. Tusc. 19. 44. Tecta cælata, laqueata. Cic. 1. Divinat. 36. 79. Atque hanc speciem Praxiteles cælavit argento. Id. 6. Verr. 44. 97. Galeæ aeneæ cælatæ opere Corinthio. Id. 5. Tusc. 21. 61., Orat. 70. 232., 4. Verr. 52. 129. et 6. ibid. 23. 52., et Rosc. Am. 46. 133. Cælatum aurum et argentum. Id. 2. Invent. 40. 116. Vasa pretiose cælata. Id. 6. Verr. 21. 45. et Liv. 34. 52. Vasa cælata. Liv. 23. 24. Calvam Postumii auro cælavere Boji. Id. 9. 40. Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt. Id. 7. 10. Pictis et auro cælatis refulgens armis. Adde Curt. 9. 3. Virg. 1. Æn. 644. cælataque in auro Fortia facta patrum. Id. 5. ibid. 307. cælata argento bipennis. Ovid. 5. Met. 188. clypeo quoque flumina septem Argento partim, partim cælaverat auro. Id. 13. ibid. 110. clypeus vasti cælatus imagine mundi. Id. ibid. 684. Cælare cratera longo argumento. Id. Heroid. 21. 119. Balteus cælatus auro. Plin. 33. Hist. nat. 12. 55. (154). Cælare aurum, argentum. Id. 34. ibid. 8. 19. (91). argentum nobiliter. Id. 33. ibid. 11. 49. (140). carrucas ex argento. Id. ibid. 12. 55. (155). satyrum in phiala. Id. 33. ibid. præfat. 2. (5). libidines in poculis. Id. 33. ibid. 12. 55. (156). Centauri cælati in scyphis. Id. ibid. 11. 53. (147). Scyphi Mentoris manu cælati. — Græca constructio est in illo Val. Flacc. 1. 402. Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes. h. e. habentia alios metus, seu alias res terribiles cælatas. Et Sil. It. 10. 175. Phorcys cælatus Gorgone parmam. — b) Item de signis, quæ in alia quoque materia cælantur, hoc est — In ligno. Virg. 3. Ecl. 36. pocula ponam Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis. — In ea, quæ Italice stuccatura dicitur. Vitruv. 7. 3. 4. Coronæ cælatæ. quibus puræ opponuntur. — In vitro. Plin. 36. Hist. nat. 26. 66. (193). Aliud (vitrum) flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur. — In pannis, hoc est de textura. Val. Flacc. 5. 6. Velamina cælata multa arte. h. e. varie intexta et ornata. V. CÆLATURA. — c) Figurate Ovid. 2. Fast. 79. de sidere. Delphin stellis cælatus.

II.) Translate. Horat. 2. Ep. 2. 92. Cælatumque novem Musis opus. h. e. ipsis velut Musarum manibus factum et elaboratum, ut multi exponunt interpretes. Cf. Quintil. 10. 3. 18. Sed aliter omnino Bentlejus, quem consule.

Homonym. Quomodo differant cælare et scalpere, V. in CÆLATURA 2.

CÆLŬLUM, i, n. 2. Hæc habet Capell. 8. p. 282. (Signa) austrina — hæc sunt: Hydrus, Crater, Corvus, Procyon, Orion, Canicula, Lepus, Eridanus qui ab Orionis pede defluit, Cetus, Centaurus, Navis, Argo, Piscis austrinus, Cælulum, Ara. In Glossis est: Cælulum thuribulum a cælando. Sed male, nam ara et thuribulum idem sunt. Hæc Grot. Sed Kopp. hæc addit in nota: A nonnullis anteriorum editionum abest (Cælulum), fortasse quia eodem errore cum Ara confunderent; sed recte Munckerus ad Hygin. p. 412. monet Cælulum Latine dictum esse, quem Græce a nonnullis οὐρανίσκον, ab Hipparcho autem Caduceum appellari Geminus doceat, nimirum Coronam austrinam, quam plerique ante pedes Sagittarii ut ludentis abjectam videre sibi visi sunt; de qua conferri jubet Scaligerum ad Manil. p. 411. et Theonem in Arat. p. 51. edit. Lond. Videndus et infra id. Capell. ibid. p. 283. in fin.

CÆLUM, i, n. 2. Servius ad Virg. 1. Æn. 644. et 2. G. 291. vult celum et celo, as sine diphthongo scribi, et nihilominus cælatus cum diphthongo, ea ratione, qua æsculus est ab esu: sed hæc sine ratione dici videntur. — Cælum est instrumentum cælatoris, scalprum: etymon a κοῖλος cavus, quod cælum est instrumentum, quo cavatur æs, argentum, aurum, (unde etiam quæ sequitur vox cælum); scalprum autem est, quo marmor cæditur: Isid. 20. Orig. 4. 7. Cælata vasa argentea vel aurea sunt, quæ signis eminentibus intus extrave expressis a cælo vocata, quod est genus ferramenti, quod vulgo cilionem vocant. h. e. cestrum, aut vericulum (It. cesello, scalpello; Fr. ciseau, burin; Hisp. escoplo, cincel; Germ. d. Meissel oder Grabstichel d. Graveurs oder Bildhauers; Angl. a graver, style, burine, chisel). Varro apud Non. p. 99. 18. et p. 436. 15. Merc. Num non cælatus in manu dextra scyphus Cælo dolitus artem ostentat Mentoris? Quintil. 2. 21. 24. Cælator cælum desiderat et pictor penicilla. Stat. 4. Silv. 6. 26. laboriferi vivant quæ marmora cælo Praxitelis. Martial. 6. 13. Statua formata cælo Phidiaco. Id. 4. 46. Et crasso figuli polita cælo Septenaria synthesis Sagunti. h. e. rota ignobili figuli. τροχῷ. — In plurali numero. Auson. Epigr. 57. de Venere a Praxit. sculpta. Talem fecerunt ferrea cæla deam.

CÆLUM, i, n. 2. Scribi potest per æ vel per œ diphthongum. Pro prima scriptione stant, qui a cælando derivant; in quibus est Plin. 2. Hist. nat. 4. 3. (9)., quod sit stellis veluti cælatum et distinctum; quibus favent Inscriptiones bene multæ, antiquissimi atque optimi Codices pæne omnes, ac præcipue Virgil. Carpensis apud Manut. et Cellar. in Orthogr.: hac de re consule Wagner, Orthogr. Virgil. p. 419. Alteram defendunt, qui a κοῖλος cavus deducunt: afferuntque et ipsi suas Inscript. apud Gruter. 115. 10., 180. 3. etc. Quamvis autem cælum cum Gr. κοῖλος et cum Lat. cælare arcte conjungatur (testibus etiam Ælio apud Varron. 5. L. L. 18. Müll. et Varron. apud Probum ad Virg. 6. Ecl. 31.); prior tamen scriptio est, ut diximus, præferenda, quam confirmat locus Cic. 4. Verr. 52. 129. Novus astrologus, qui non tam cæli rationem, quam cælati argenti duceret. — Caret autem cælum plurali numero, ut ex Cæsare de analog. Gellius 19. 8. docet; cæli enim deducitur ab altera forma cælus, quam V. loco suo. — Cælum itaque ratione habita etymi significat quidquid concavum est; unde Vitruv. 7. 3. 3. Cælum camerarum. h. e. earumdem superior et concava pars. Adde Flor. 3. 5. 30. Et Plin. 11. Hist. nat. 37. 49. (134). Cerebrum est proximum cælo capitis. — Etiam in his tamen inest allusio ad cælum, qua mundum superiorem significat, qui deorum sedes habebatur, atque unde omnia phænomena cum cæli, tum terræ proficisci credebantur (It. il cielo; Fr. ciel; Hisp. cielo; Germ. der Himmel; Angl. heaven).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur pro parte mundi concava et superiore, quæ deorum omniumque phænomenorum sedes atque origo habebatur, quæque terræ marique opponitur. — a) Generatim. Nævius apud Non. p. 116. 80. Merc. Is, qui susum ad cælum sustulit suas res, Amulius gratulabatur divis. Ennius apud Cic. 3. Tusc. 26. 63. Cupido cepit miseram nunc me proloqui cælo atque terræ Medeai miserias. Id. apud eumd. 1. Divinat. 20. 41. Templa cærula cæli. Id. apud Macrob. 6. Saturn. 1. Cælum prospicere. Plaut. Amph. 1. 1. 78. Boat cælum fremitu virum. Ter. Adelph. 5. 3. 4. O cælum, o terra, o maria Neptuni. Pacuvius apud Varron. 5. L. L. 17. Müll. Hoc vide circum supraque, quod complexu continet terram, id quod nostri cælum memorant. Lucret. 1. 6. Te, dea, te fugiunt venti, te nubila cæli. Id. 4. 419. hiatus cæli a terris. Cic. 9. Fam. 26. 3. Ille baro te putabat quæsiturum, unum cælum esset, an innumerabilia. Id. 1. Divinat. 43. 97. Discedit cælum. Id. ibid. 42. 93. Contemplatio cæli. Id. 6. de republ. 22. 24. Totius cæli descriptio. Varro 5. L. L. 16. Müll. Loca naturæ secundum antiquam divisionem prima duo, cælum et terram. Liv. 22. 1. Faleriis cælum findi velut magno hiatu visum. Id. 28. 27. Fulmina jaciuntur de cælo. Virg. 1. G. 487. cadunt cælo fulgura. Id. 4. Æn. 160. magno miscetur murmure cælum. Id. 2. G. 306. Sonitum dare cælo. Id. 2. Æn. 186. Educere molem cælo. Id. 5. ibid. 451. It clamor cælo. Id. 2. ibid. 688. Tendere cælo palmas. Id. 2. G. 342. Immissa cælo sidera. Id. 1. ibid. 375. Cælum suspicere. Id. 6. Æn. 271. Cælum con-

dit umbra. *Id.* 6. *Ecl.* 69. Deducere lunam cælo. *Horat. Epod.* 5. 1. Quidquid deorum in cælo regit. *Id.* 2. *Sat.* 5. 97. Tollere ad cælum manus. *Ovid.* 1. *Met.* 5. Ante mare et terras et quod tegit omnia cælum. *Id.* 10. *Met.* 140. Cælum spectare. *Id.* 1. *ibid.* 261. Demittere cælo nimbos. *Id.* 2. *ibid.* 310. imbres. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Dicare cælo. *h. e.* diis. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (6). Mons e mediis arenis in cælum attollitur. — *b*) *Quid si nunc cælum ruat?* proverbium est in eos, qui vano timore correpti etiam in tutissimis rebus pavent. *Ter. Heaut.* 4. 3. 41. Quid si redeo ad illos, qui ajunt: Quid si nunc cælum ruat? Cf. *Varro* apud *Non.* p. 499. 24. *Merc.* Tanta invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cælum ruere, modo magistratum adipiscantur, exoptent. — *c*) Per hyperbolem a Poetis adhibetur ad significandam immensam altitudinem. *Virg.* 4. *Æn.* 89. æquataque machina cælo. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 497. *Virg.* 2. *G.* 81. exiit ad cælum arbos. *Id.* 1. *Æn.* 171. geminique minantur In cælum scopuli. — *d*) *De cælo delapsus* vel *missus* dicitur eximiis virtutibus præditus vir et animi veluti cælestis, seu potius (ut *Lactant.* 1. 11. ex *Minucio Felice* in *Octavio* 22. docet) qui ex improviso (talis enim cælestium adventus esse solet) adest ad magnam communemque felicitatem. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 41. Omnes quidem Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de cælo delapsum intuentur. *Tibull.* 1. 3. 89. Tunc veniam subito, ne quisquam nunciet ante, Sed videar cælo missus adesse tibi. Adde *Liv.* 10. 8. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 7. (13). Universum prope hominum genus circumegit in se, non alio modo, quam si cælo demissus advenisset. *Justin.* 5. 4. Hunc quasi de cælo missum et ut ipsam victoriam contuentur. Adde *Minuc. Fel. loc. cit.* et *Tertull. Apolog.* 10. Huc pertinet et illud *Plaut. Pers.* 2. 2. 6. Occasio quasi decidit de cælo. — *e*) *Miscere cælum et terram*, *V.* MISCEO. — *f*) *Findere cælum aratro* proverbium de iis, quæ fieri nequeunt, apud *Ovid.* 1. *Trist.* 7. 3. — *g*) *Toto cælo errare* est vehementer errare. *Macrob.* 3. *Saturn.* 12. Toto, ut ajunt, cælo errasse Virgilium, cum etc. ¶ 2. Speciatim sumitur pro regione aeris, nubium, imbrium, ventorum, fulminum, aliorumque ejusmodi. *Lucret.* 4. 132. Constituuntur in hoc cælo, qui dicitur aer. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Omne cælum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur, quod et humidum et caliginosum est propter exhalationes terræ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (102). Et hoc cælum appellavere majores, quod alio nomine aera. *Stat.* 1. *Theb.* 455. Tecto cælum prohibere. *h. e.* pluviam. V. *ibid.* 387. et 404. — Hinc *de cælo tangi*, *e cælo ici* est fulmine percuti. *Virg.* 1. *Ecl.* 17. De cælo tactæ quercus. Adde *Caton. R. R.* 14.; *Liv.* 26. 23. et 29. 14.; *Sueton. Aug.* 94. et *Tac.* 13. *Ann.* 24. *Cic.* 1. *Divinat.* 10. 16. Summanus e cælo ictus. — *De cælo servare* est augurum auspicia e cælo captantium. *Cic.* 4. *Att.* 3. 2. Proscripsit se per omnes dies comitiales de cælo servaturum. — Hinc *aliquid de cælo fieri* apud eumd. 1. *Divinat.* 42. 93. est novum aliquid et ominosum in cælo contingere, ex quo auguria peti possent. ¶ 3. Item speciatim ponitur pro varia atque instabili ipsius cæli temperie. *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 130. Pingue et concretum cælum, cujus aspiratio gravis et pestilens futura est. *Id. ibid.* Cælum tenue purumque. *Virg.* 1. *G.* 51. varium cæli prædiscere morem. *Id. ibid.* 252. Cælum dubium. *Id.* 1. *Æn.* 155. et 8. *ibid.* 523. apertum. *Id.* 1. *G.* 260. serenum. *Id.* 4. *Æn.* 63. non tractabile. *Ovid.* 1. *Met.* 23. liquidum. *cui opponitur* spissum. *Id.* 5. *ibid.* 286. repurgato cælo. *Sueton. Tib.* 69. Cælum turbatum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122). Cælum hibernum molliunt Favonii. *Id.* 16. *ibid.* 26. 46. (109). austrinum. *h. e.* in quo Auster spirat. *Id. ibid.* (109). nubilum. ¶ 4. Item aliquando inservit constructioni significanti partem diei. *Sisenna* apud *Quintil.* 8. 3. 35.; *Cæs.* 1. *B. G.* 68., et *Auct. B. Afr.* 11. et 80. Albente cælo. *Nepos Pelop.* 2. Ut vesperascente cælo Thebas possent pervenire. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 35. Cælum coloratum Tithoni conjuge. *Dig.* 28. 2. 25. § 1. Albescente cælo. ¶ 5. Item pro stabili alicujus regionis temperie seu climate. *Cato R. R.* 1. Cælum bonum. *Cic. Fat.* 4. 7. crassum. *cui ibid. opponitur* tenue. *Id.* 11. *Att.* 24. Corpore vix sustineo gravitatem hujus cæli. *Id.* 2. *Nat. D.* 5. 13. Commoda, quæ percipiuntur cæli temperatione. *Id.* 1. *Divinat.* 57. 130. Cælum salubre. *Liv.* 38. 17. mitissimum. *Id.* 22. 2. palustre. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 10. æstuosum. *Sueton. Tib.* 34. grave. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 31. (123). austerum. *Id.* 15. *ibid.* 18. 19. (73). mite. *Id.* 18. *ibid.* 26. 62. (231). et *Flor.* 1. 10. molle. *cui opponitur* apud eumd. *Flor.* 3. 2. atrox. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 19. (28). Ille cæli aer plus proficit, quam etc. *Tac. Agric.* 12. Cælum crebris imbribus ac nebulis fœdum. *Gell.* 14. 1. Inclinatio cæli. ¶ 6. Item pro ipso aere, quem inspiramus et expiramus. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 15. Potestne tibi hæc lux – aut hujus cæli spiritus esse jucundus? *Id. Rabir. perd.* 5. 15. Cælum ac spiritus. *Id. Rosc. Am.* 26. 72. Animam ducere de cælo. *Virg.* 3. *Æn.* 600. Lumen spirabile cæli. *Id.* 3. *G.* 478. Morbus cæli. *Id.* 1. *ibid.* 397. Ferri per cælum. *Id.* 6. *Æn.* 15. de *Dædalo*. Præpetibus pennis ausus se credere cælo. *Vitruv.* 9. 91. Densitas cæli. *Id. ibid.* Cæli compressio. ¶ 7. Item pro certo aeris spatio, quod Græco vocabulo dicimus horizonta. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 179. Cuicumque particulæ cæli officeretur –, mutari lumina (*ædium*) putabat. *Virg.* 3. *Ecl.* 104. Dic quibus in terris – Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas. *Id.* 1. *Æn.* 92. Eripiunt cælum nubes. *Quintil.* 10. 3. 22. Libertas cæli. ¶ 8. Nonnumquam et pro cæli zona vel regione. *Liv.* 5. 54. Hoc cælum, sub quo natus educatusque essem. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 27. Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. (216). Hoc animal negatur vivere in alio, quam Æthiopiæ, quo gignitur, cælo. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (19). Cæli cujusque mores. *Flor.* 4. 12. *ad fin.* Ipse hominum color ab alio venire cælo fatebatur. ¶ 9. Etiam pro regione viventium; et opponitur Inferis, ubi sunt mortui. *Virg.* 6. *Æn.* 897. Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes. Ubi *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3. Cælum hic vivorum regionem vocat, quia sicut dii nobis, ita nos defunctis superi habemur. Cf. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 50. (170). Quæ ex lapide rubro læsa fuerint, subterraneæ structuræ aptentur utilius: quæ restiterint, tutum est vel cælo committere.

II.) Translate ponitur pro culmine felicitatis, honorum, aut laudis. *Lucret.* 1. 80. nos exæquat victoria cælo. *Cic.* 6. *Att.* 2. 9. Salaminii nos in cælum decretis suis sustulerunt. *Id.* 4. *Phil.* 3. 6. Cæsar in cælum fertur, laudantur legiones etc. *Id.* 14. *Att.* 18. 1. Rem gestam alicujus in cælum efferre. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 9. Efferre aliquem ad cælum rumore. *Justin.* 12. 5. Cælo tenus extollere aliquid. *Id.* 5. 4. Ponere aliquem in cælo. *Petron. Satyr.* 37. In cælum abiit, et Trimalchionis τὰ πάντα est. *Cic.* 2. *Att.* 9. 1. Si vero quæ de me pacta sunt, ea non servantur, in cælo sum. *Id. ibid.* 19. 2. Bibulus in cælo est; nec quare, scio: sed ita laudatur, quasi Unus homo nobis cunctando restituat rem. Adde eumd. *ibid.* 20. 4. *Id.* 2. *Phil.* 42. 107. Detrahere aliquem de cælo. — *Digito cælum attingere* est summam fortunam se assecutum esse putare. *Cic.* 2. *Att.* 1. 7. Nostri autem principes digito se cælum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Sic *Auson. Eidyll.* 8. *in fin.* Tunc ero bis consul, tunc tangam vertice cælum. Et *Ovid.* 14. *Met.* 844. cælum accepisse fatebar. — *Horat.* 4. *Od.* 8. 20. Musa cælo beat. *h. e.* carmina in causa sunt, cur aliquis inter cælestes enumeretur. *Ovid.* 1. *Met.* 194. Dignari aliquem honore cæli. *Seneca Agamemn.* 812. Allegere aliquem cælo. *h. e.* referre in deorum numerum. *Tac.* 1. *Ann.* 73. Decernere cælum Augusto.

CÆLUS, i, m. 2. idem ac cælum, sed raro admodum occurrit. *Ennius* apud *Non.* p. 197. 8. *Merc.* Cælus profundus. *Sed dubia est lectio.* Item *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* Cælus hic, in quo duodecim dii habitant. Adde eumd. *ibid.* 45. — In plur. numero. *Lucret.* 2. 1095. Quis pariter cælos omnes convertere? etc. *Varro* 5. *L. L.* 16. *Müll.* Cæli dicuntur loca supera et ea deorum: terræ loca infera et ea hominum. Apud *Scriptores Ecclesiasticos* sæpissime occurrit. Putant quidam *Ciceronem* quoque *cælos* usurpasse in *fragm. Hortensii* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 335. Epicurei plures volunt esse cælos. Ita *Muret. var. lect.* l. 15. c. 1., *Sigon. in Cic. fragm.* et alii. Sed locum plane corruptum esse, ostendit *Voss. de vit. Serm.* l. 1. c. 21., cujus emendationem confirmat *Mauricius* in editione *Virgilii Leovardiæ* 1717. Sane *Cic.* alibi non *innumerabiles* cælos dixit, sed absolute *innumerabilia*, respiciens ad genus neutrum singularis numeri Ejus verba sunt 9. *Fam.* 26. Ille baro te putabat quæsiturum, unum cælum esset, an innumerabilia. — *NB.* De nomine dei proprio *V.* ONOM.

CÆMENTA, æ, f. 1. est illud lateris genus, quod Itali vocant *cantone*, quodque in angulis ædificiorum ponitur, ideoque etiam *cæmenta angularia* appellatur. Ita recte admodum *J. B. Zannonius*, *Antico marmo scritto di Pozzuoli* p. 38., interpretatur locum *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* p. 207. *col.* 2. CAEMENTA (*lege* cæmentas) STRVITO, QVAMQVE (*lege* quæque) CAEMENTA ARDA PENDAT P. XV., SIVE ANGOLARIA (*lege* angulariam) ALTIOREM == == { FACITO. *h. e. ciascun cantone pesi libbre quindici, nè sia più alto di quattro once e mezzo.* *Ennius* apud *Non.* p. 196. 30. *Merc.* Labant, labuntur saxa, cæmentæ cadunt. Hucusque *Forcellinus.* Recentiores tamen philologi plerique omnes rectius putant, *cæmentæ* apud *Ennium* nihil aliud esse quam heteroclitum pro *cæmenta* nom. plur. num., atque unum idemque significare. *Amati* in *Giorn. Arcad. T.* 33. p. 334. de Puteolano monumento mox *cit.* loquens, recte putat *cæmentas* esse informia fragmenta lapidis cædendo facta. Cf. et *Jahn* in *Bullett. dell' Instit. archeol.* a. 1841. p. 11. *V.* CÆMENTUM.

CÆMENTĀRIUS, ii, m. 2. qui cæmenta componit et muros struit. *Hieronym. Ep.* 53. n. 6. Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumve cæsores. *Commodian.* 10. 5. Unde deus factus inops cæmentarius ille? *h. e.* Neptunus, qui una cum Apolline muros Trojæ struxisse fingitur.

CÆMENTĪCIUS, a, um, adject. ex cæmento factus. *Vitruv.* 2. 4. 1. Cæmenticiæ structuræ. *Id. ibid.* 8. Cæmenticii parietes. *Id. ibid.* Cæmenticium saxum. *h. e.* cæmentum; cui *saxum quadratum* opponitur. *Inscript.* apud *Amaduzzium Anecd. Litter. T.* 2. p. 466., quæ est apud *Orell.* 3270. MAGISTRI LAVERNEIS MVRVM CAEMENTICIVM PORTAM PORTICVM TEMPLVM BONAE DEAE PAGI DECRETO FACIENDVM CVRAVERVNT PROBARVNTQ. Adde apud *Orell.* 4941., ubi eadem *Inscript.* repetitur.

CÆMENTUM, i, n. 2. In plurali numero est heteroclitum et habet *cæmentæ* pro *cæmenta* apud *Ennium*: *V.* CÆMENTA suo loco. — Cæmentum a *cædendo*, quasi *cædimentum*, est lapis cæsus in lapicidinis, qui præcipue muris extruendis aut farciendis inservit. Differt a *silice*, qui est lapis multangulus: item a *lapide quadrato*, qui arte cæsus et quadrangulus est (It. *sassi*, *pietre rozze da muro*; Fr. *moellon*; Hisp. *piedra ó pedazo de piedra*; Germ. *Bruchstück von Steinen*, *Bruchstein*; Angl. *materials for building*, *stones*, *rubbisch*, *cement* etc.). Occurrit — *a*) Raro in singulari numero. *Cic.* 2. *Divinat.* 47. 99. Num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? *Vitruv.* 8. 6. 14. *Schneid.* Cæmentum de silice frangere. *Id.* 1. 5. 8. Ubi sunt saxa quadrata, sive silex, sive cæmentum. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 48. (169). *Martial.* 9. 77. Non silice duro structilique cæmento. — *b*) Sæpius usurpatur in plur. numero. *Cato R. R.* 38. Si parum altam fornacem habebis, – lateribus summam strulto, aut cæmentis cum luto summam extrinsecus oblinito. Adde *Sisennam* apud *Non.* p. 92. 2. *Merc. Cic. Mil.* 27. 74. In eam insulam materiam, calcem, cæmenta atque arma convexit. Adde eumd. 3. *ad Q. fr.* 9. 7., et *Varron.* apud *Non.* p. 96. 5. *Merc. Liv.* 21. 11. Cæmenta muri non calce durata erant, sed interlita luto. Adde eumd. 36. 22. *Horat.* 3. *Od.* 1. 35. In mare cæmenta demittit redemptor. *Vitruv.* 2. 7. Lapicidinæ, de quibus quadrata saxa et cæmentorum ad ædificia eximuntur copiæ. *Id. ibid.* 8. et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (172). Farcire muros in medio cæmentis fractis. *Vitruv.* 2. 8. Incerta vero cæmenta alia super alia sedentia, inter seque implicata, non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata, præstant structuram. *Id* 7. 6. Cæmenta marmorea (*h. e.* fragmenta, quæ ex majoribus saxis exciduntur), sive assulæ, quæ marmorarii ex operibus dejiciunt.

CÆNA, CÆNACULARIUS etc. *V.* CŒNA, CŒNACULARIUS etc.

CÆPA vel cēpa, æ, f. 1. In *Nom.* et *Acc. sing.* occurrit etiam *cæpe*, n. gen. — Scribitur etiam *cepa* et *cepe* sine diphthongo. Sed priorem scriptionem frequentius in optimis libris invenies. Confirmant *Dausq.* et *Voss.* in *Etymol.* — Juxta clariss. *Furlanetto*, vocis etymon est a κῆπος *hortus*, quia hoc olus præcipue hortense est: *cæpa* autem Latine sæpius, quam *cepa* scribitur, quia Latini sæpissime η Græcorum vertunt in *æ*, ut *scæna* a σκη-

νή, sceptrum a σκῆπτρον. V. etiam THENITANI in ONOM. — Cæpe neutrum plurali numero caret, ut Charis. 1. p. 23., Diomed. 1. p. 314. et Priscian. 5. p. 673. Putsch. docent. Quod vero quidam afferunt ex Virg. Mor. 74. et capiti nomen debentia cæpe, Jos. Scalig. legi vult porra. Sane hujusmodi positionem in e in nominibus neutris pluralis numeri Latini non habent, ut videre est apud Priscian. 7. c. de nominat. plurali tertiæ declinationis p. 768. Putsch. Quod si quis objiciat cete et Tempe, Græca hæc sunt, non Latina. — Charis. 1. p. 43. Putsch. declinat hoc cæpe, cæpis, cæpi etc. Sed hoc non habet adhuc, quod sciam, idoneum Latini scriptoris exemplum. — Ceterum cæpa est olus hortense notum, cujus plura genera apud Græcos: apud Latinos duo præcipue, condimentarium et capitatum. Primum pallacana dicitur, Græce γήθυον: est autem pæne sine capite, cervicis tantum longæ; et ideo totum in fronde; sæpiusque resecatur, ut porrum. Condimentarium appellatur, quia condiri potest et servari. De eo Martial. 3. 77. et patri cæpas alece natantes. Alterum genus ideo capitatum dicitur, quia in caput exuberat, itidemque in multa genera dividitur. Quæ omnia fuse Plin. 19. Hist. nat. 6. 32. (101). et seqq., et Colum. 12. R. R. 10. 1. persequuntur. — a) Formâ cæpa usi sunt Nævius apud Priscian. 6. 681. Putsch. et Lucilius apud eumd. ibid. Varro apud Non. p. 201. 11. et 14., et Cels. 2. 21. et 22. Sinapi, allium, cæpa. Ovid. 3. Fast. 340. hortis eruta cæpa. Adde Colum. 12. R. R. 8. 1.; et Plin. 19. Hist. nat. 6. 32. (101). et alibi sæpe. — In plur. num. Colum. 11. R. R. 3. 58. Cæparum thalli. Plin. loc. cit. Cæpas ter fosso solo seri jubent. — b) Formâ cæpe utuntur Ennius apud Macrob. 6. Saturn. 5. Nec triste queritat sinapi, neque cæpe mœstum. h. e. lacrimas ciens. Sic Lucilius apud Non. p. 201. 2. Merc. Cæpe flebile. Adde Nævium apud Priscian. loc. cit. et Varron. apud Non. loc. cit. Horat. 1. Ep. 12. 21. seu porrum et cæpe trucidas. Pers. 4. 31. Cæpe tunicatum. Gell. 20. 8. Pelusiotæ cæpe non edunt. Apul. in Medicinal. apud Priscian. 6. p. 681. Putsch. Cæpe succum melle mixtum. Adde Cæl. Aurel. 3. Acut. 4. In his duobus postremis locis Forcellinus accepit cæpe pro genit. sing. num. indeclin. — c) Quod autem affertur a Non. loc. cit. ex Varron. in Eumenid., Cæpam esse et vesci cuminum: proverbialiter dictum esse quidam putant pro flere et pallere. Cæpe enim gustata lacrimas ciet, ut paullo superius diximus; et cuminum pallorem inducit, teste Plin. 19. Hist. nat. 6. 32. (101). et 20. ibid. 14. 57. (159). — d) Allium et cæpe apud Ægyptios pro diis habebantur, teste Juvenal. 15. 9. et Plin. loco cit. sub init. — Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 321.) hanc exhibet synonymiam: Κρόμμυον (Σάρδια, Κνίδια, Σαμοθρᾴκια, καὶ πάλιν Σητάνια, καὶ Σχιστά, καὶ Ἀσκαλώνια) Theophr. 7. 4. et Dioscor. 2. 181.; Cæpa rubens Colum. 12. R. R. 10.; Cæpa, speciatim capitata Plin. l. c.; Cæpula Pallad. 3. R. R. 24. 2. et 11. ibid. 11. 4., et Cæpa Carol. Magn. Capitul. 70. sunt Allium Cæpa L. Spec. plant. 431. Id. cl. Fée (ibid. p. 320.) ait, cæpam condimentariam Plin. l. c., quam Græci gethyon, Latini pallacanam vocabant, juxta plerosque esse Allium Schœnoprasum.

CÆPĀRĬA, æ, f. 1. apud Marcell. Empir. 33. est morbus inguinum externus, cujus ipse eo loco remedia docet. Quodnam autem morbi genus sit, videant medici.

CÆPĀRĬUS, ii, m. 2. qui cæpas vendit, vel qui cæpis delectatur. Lucilius apud Non. p. 201. 10. Merc. Lippus edenda acri assidue cæpariu' cæpa. Cf. eumd. apud Priscian. 6. p. 681. Putsch. Inscript. apud Guarin. Fast. Duumv. p. 135. c. IVLIVM POLYBIVM II. VIR. CAEPARI ROG. h. e. cæparii rogant.

CÆPĒTUM, i, n. 2. locus cæpis consitus. Quidam legi putant apud Gell. 20. 8. Cæpetum revirescit, et congerminat decedente luna. Alii libri habent cæpetum etc. Sed meliores cæpe enim. Ita editiones Jenson. 1472. et Brixiæ 1485.

CÆPĪNA, æ, f. 1. cæpa, aut cæpæ semen, ipsa cæpa sata, ut napina, porrina et rapina, quas voces videsis. Adde, quæ hic tradit Columella, eadem esse atque illa, quæ tradunt Plin. 19. Hist. nat. 6. 32. (107). et Pallad. 3. R. R. 24. 2., ubi alter habet cæpa, alter cæpulla. Colum. 11. R. R. 3. 56. Cæpina non minus debet, quam quater sarriri. V. RĀPĪNA.

CÆPĪTĬUS, ii, m. vel Cæpitium, ii, n. 2. cæpæ caput, vel ipsa cæpa. Legitur non semel apud Arnob. 5. sub init. Adde Priscian. 6. p. 681. Putsch., ubi docet ex Capro veteres et cæpitius et cæpitium dixisse.

CÆPŪLA, æ, f. 1. Quas Cæl. Aurel. 3. Acut. 4. ad fin. memorat cæpulas Germanas vel Germanicas, putant quidam esse eadem cum bulbis vomitoriis: de quibus V. medicos.

CÆPULLA, æ, f. 1. idem ac cæpa. Pallad. 3. R. R. 24. 2. Satureja cæpullis mixta seminatur. Hoc etiam mensæ cæpullas seres, etc. Adde eumd. 11. R. R. 11. 4. — Quidam putant, cæpullam non cæpam simpliciter, sed ejus quoddam genus tantummodo significare. Sed cum quæ hoc loco tradit Pallad. de cæpullis serendis, eadem sint atque illa, quæ tradunt Plin. 19. Hist. nat. 6. 32. (107). et Colum. 11. R. R. 3. 58. de cæpis, manifestum est, cæpam et cæpullam idem omnino esse. — Apud Plin. Valer. 2. 3. legitur cibulla: unde Gallica vox ciboule.

CÆRĔFŎLĬUM, ii, n. 2. χαιρέφυλλον. Scribitur et cerefolium, oleris genus, quod et chærephyllum, et pæderota Græci vocant. Græce inde dictum videtur, quod foliis gaudeat: a χαίρω gaudeo, et φύλλον folium: ex quo corrupta voce cærefolium Latini dixere. Est autem foliis apii hortensis similibus, radice alba, caule multiplici ramoso et concavo, floribus albis, parvis, quinque foliolis constantibus, semine oblongo et tenui. Radix saporem habet ferme pastinacæ. Plin. 19. Hist. nat. 8. 54. (170). Æquinoctio autumni seruntur coriandrum, anethum, cærefolium, etc. Adde Pallad. 3. R. R. 24. 9. et 10. ibid. 13. et Apul. Herb. 101. — Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 352.) ait recentiores historiæ naturalis cultores solitos esse hoc oleris genus vocare cærefolium, vel chærephyllum, vel pæderota, haud aliter ac Latini vocarunt.

CÆRĬMŌNĬA, vel cæremonia, vel cærimonia, vel cerimonia, æ, f. 1. — De alia forma V. CÆRIMONIUM loco suo. — Duas priores syllabas corripuit Prudent. malus fere prosodiæ servator, præfat. 1. contra Symmach. 5. Immansueta suas ut cerimonias Gens pagana Deo sperneret agnito. — Scribitur, ut diximus, ceremonia et cerimonia, cæremonia et cærimonia: quæ postrema scriptio probatur duobus veteribus lapid., quorum alterum Manut., alterum affert Cellar. in Orthogr. Confirmant Dausq. et Voss. in Etymol. — Variæ ab etimologis afferuntur hujus vocis origines. Alii deducunt a carendo quasi caremonias, eo quod observantes careant his rebus, a quibus abstinent, ut est apud Augustin. 2. Retractat. 37. Adde Masur. Sabin. apud Gell. 4. 9.; Serv. Sulpic. apud Macrob. 3. Saturn. 3., et Isid. 6. Orig. 19. Alii derivant a Cerere, et ejus sacra proprie hoc nomine appellari putant: V. K. O. Müller ad Paul. Diac. p. 44. 4. Alii a caro sive a caritate, teste Paul. Diac. l. c. Alii a cælo, quasi cælimonia. Alii ab obsoleto cerus, hoc est sanctus et bonus. Alii denique ab oppido Cære, quod illo Romani bello Gallico omnia sacra sua transtulerint et Cæritum custodiæ commiserint, a quibus postea, devictis Gallis, sancte et cum fide servata receperint: V. Paul. Diac. l. c. et Val. Max. 1. 1. 10. At hæc omnia incerta sunt; et si quid in hac re tenendum, cærimonia conjungi videtur cum obsoleto coira pro cura et cum carus. — Ceterum cærimonia ¶ 1. Est sacra veneratio, qua quis habetur, sanctitas. Cic. Rosc. Am. 39. 113. Polluere cærimoniam legationis. Cæsar. apud Sueton. in ejus Vita 6. Est ergo in genere (familiæ) et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. Tac. 14. Ann. 22. Cærimonia loci. Id. 4. ibid. 64. Augere cærimoniam alicui loco. Adde eumd. 3. ibid. 61. ¶ 2. Item est sacra veneratio, qua quis colitur: quo sensu occurrit — a) Abstracte; et est reverentia, sacer ac religiosus timor. Cic. 2. Invent. 53. 161. Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam dicunt, curam cærimoniamque affert. Id. Balb. 24. 55. Sacra Cereris summâ religione cærimoniâque conficere. Id. Harusp. resp. 17. 37. Facere sacrificium incredibili cærimonia. Id. ibid. 10. 21. Servare solemnia et justa ludorum summâ cum cærimoniâ. Nepos Them. 8. Colere sacrarium summa cærimoniâ. Plin. 6. Hist. nat. 27. 31. (135). Amnis est in magna cærimonia. h. e. in magna religione ac reverentia. Id. 37. ibid. 7. 28. (100). Habere aliquid in cærimoniis. Gell. 4. 9. Cum castitate cærimoniâque adire et revereri aliquid. — b) Concrete, uti ajunt, sensu cærimonia significat omnes externos actus, quibus nostram erga sacra reverentiam patefacimus, sive sacros ritus, quibus Deum colimus: et usurpatur fere in plurali numero. Cic. 7. Verr. 72. 187. Longe maximæ atque occultissimæ cærimoniæ. Id. 1. Tusc. 12. 24. Cærimoniæ sepulcrorum. Id. Rabir. perd. 10. 27. Præesse cærimoniis. Cæs. 7. B. G. 2. Quo more (jurisjurandi) eorum gravissimæ cærimoniæ continentur. Liv. 1. 20. Cærimoniæ cælestes. Id. 9. 11. fetiales. Id. 6. 41. Cærimonias polluere. Sueton. Cæs. 6.; Tac. 2. Hist. 91., et Inscript. apud Orell. 844. Cærimoniæ publicæ. Sueton. Aug. 31. antiquæ. Id. ibid. 93. peregrinæ. Plin. 30. Hist. nat. 1. 4. (13). Celebrare magicen multis cærimoniis. Tac. 4. Hist. 83. Cærimoniarum antistes. Id. 1. Ann. 62. Cærimoniæ vetustissimæ. Sidon. carm. 9. 177. Consecratio cærimoniarum. In sing. num. Sueton. Aug. 94. Cærimonia barbara.

CÆRĬMŌNĬĀLIS vel cerimonialis, le, adject. ad cærimonias pertinens. Arnob. 7. 32. O deorum sublimitas præpotens, quam venerari, quam coler officiis omnibus cærimonialibus debeas.

CÆRĬMŌNĬOR vel cerimonior, āris, ari, dep. 1. cærimoniis, seu cultu sacro deos colo. Augustin. Serm. 309. Cum ejus (Cypriani) immobilem mentem videret, ei dixit (proconsul): Jusserunt te sacratissimi principes cærimoniari; responditque ille: Non facio.

CÆRĬMŌNĬŌSUS vel cerimoniosus, a, um, adject. idem quod cærimonialis. Amnian. 22. 15. Per septem cærimoniosos dies, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis. h. e. dies religiosos.

CÆRĬMŌNĬUM, ii, n. 2. idem ac cærimonia. Inscript. apud Fabrett. p. 342. n. 524., quæ est apud Orell. 3188. FLAVIAE AMMIAE SACERDOTI CERERIS OB HONOREM CAERIMONIORVM HONESTISSIME PRAESTITORVM DECRETO ORDINIS. Murat. 164. 1. eamdem affert, et cerimoniorum legit, ideo reprehensus a Galletio, Capena p. 9., qui legit ibidem cæremoniorum.

CÆRŬLANS, antis, particip. ab inusit. cærulo, cæruleum colorem referens. Fulgent. 1. Mythol. Musa cærulanti peplo circumdata.

CÆRŬLEĀTUS, a, um, adject. cæruleo colore obductus. Vellej. 2. 83. 2. Plancus cum cæruleatus et nudus, caputque redimitus arundine et caudam trahens genibus innixus Glaucum saltasset in convivio. h. e. colore cæruleo obductus, quali putabantur esse dii marini.

CÆRŬLEUS et Cærulus, a, um, adject. Cornel. Fronto discrimen statuit inter cærulum et cæruleum, ut illud sit naturæ color, hoc naturam fingat. Sed falsum id esse ex iis, quæ mox afferentur, exemplis satis constat. Illud verius, utrumque idem omnino significare (V. Propert. 2. 18. 31. et seqq.); sed cærulum a poetis tantummodo (quibus adde Apul. qui poeticis floribus passim stilum aspergit), cæruleum etiam a prosæ scriptoribus adhiberi. — Ratione habita etymi cæruleus conjungendum est cum cæsius: et dicitur color, cujus plures sunt gradus, prout aut dilutior, aut intensior est, ita ut a diluto cæli colore, cum serenum est (Cæs. 5. B. G. 14. Color cæruleus. Et Propert. 2. 14. 27. Tingere tempora fuco cæruleo.), ascendat ad humanorum oculorum colorem (ut cærulei dicuntur Germani ab Horat. Epod. 16. 7., et Britanni ab iis oriundi a Martial. 11. 54. propter oculos cæruleos, quibus eæ nationes, sicut et flavâ comâ, ab aliis veluti peculiari nota distinguuntur, teste Tac. Germ. 4.); necnon a cæruleo colore diluto, qui ad album aut subviridem prope accedit (Propert. 4. 2. 43. Cæruleus cucumis.) ipsum cæruleum cinereum complectatur (Virg. 1. G. 453. Cæruleus imber. Cic. Arat. 204. Nubes cæruleæ. Adde Virg. 5. Æn. 10.), atque ad cæruleum viridem subobscurum vel atrum ascendat (Ovid. 2. Art. am. 518. Cærula quot baccas Pallados arbor habet. Adde Plin. 15. Hist. nat. 30. 39. (128).). Hinc significatio hujus vocis latissime patet (It. azzurro, lapislazzalo, ceruleo, turchino; Fr. de couleur foncée, bleu foncé, azur, de vert de mer; Hisp. azul, azul turqui; Germ. blau; Angl. cerulean, azure, sea-green, sky-blue). — a) Generatim. Virg. 1. G. 453. et Cels. 6. 7. 7. Color cæruleus. Virg. 5. Æn. 87. notæ. Id. 2. Æn. 381. colla (hydrorum). Ovid. 3. Met. 38. serpens. Id. 12. ibid. 13. draco. Id. 4. ibid. 577. guttæ. Id. 4. Fast. 739.

fumus sulphuris. *Id.* 11. *Met.* 158. quercus. *Manil.* 5. 26. Cæruleum foliis viridemque in gramine collem Conserere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 29. (57). Cæruleus flos heliotropii. *h. e.* ejus plantæ, quam recentiores herbarii *herbam cancri* appellant, ut *Harduin.* hic docet. *Id.* 37. *ibid.* 9. 51. (134). Gemma splendoris cærulei. *Juvenal.* 2. 97. Cærulea vestis. *Apul.* 2. *Met.* flosculi. — *b*) Speciatim de sereni cœli colore. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41. Cœli cærula templa. Adde *eumd.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 6. *Müll. Nævius* apud *Varron. l. c.* § 7. convexum cærulum. V. *Cærula* in fine hujus vocis. Huc referri potest et illud *Ovid.* 11. *Met.* 158. quercu coma cærula tantum Cingitur. — *c*) Item speciatim de maris eorumque omnium colore, quæ ad mare pertinent: teste *Cic.* apud *Non. p.* 162. 30. *Merc.* Quid mare? nonne cæruleum? *Plaut. Trin.* 4. 1. 15. Cærulei campi. *Id. Rud.* 1. 5. 10. Cæruleæ viæ. Cf. *Ovid. Heroid.* 16. 104. Cærulea via. *h. e.* navigatio. *Lucret.* 5. 482. ponti plaga cærula. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. 83. Cærulei oculi Neptuni. *Id. Arat.* 142. pistrix cærula. *Varro* apud *Non. p.* 234. 21. *Merc.* unda. *Catull.* 64. 7. æquora. *Id.* 36. 11.; *Virg.* 2. *Æn.* 182. et *Ovid.* 10. *Met.* 838. pontus. *Virg.* 10. *Æn.* 209. freta. *Id.* 7. *Æn.* 198. vada. *Tibull.* 1. 3. 37. et 1. 4. 45. undæ. *Ovid.* 8. *Met.* 229. et 15. *ibid.* 699. aqua. *Id.* 7. *Amor.* 11. 12. forma cærula (*maris*). *Id.* 2. *Met.* 528. gurges cæruleus. *Seneca Hippol.* 1160. mare. *Sueton. Aug.* 25. vexillum. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 240. Cærulus Oceanique æstum mentitus amictus. Adde *Apul.* 10. *Met.* — Hinc ipsi dii maris *cærulei* dicuntur, et quæ ad ipsos pertinent. *Virg.* 5. *Æn.* 819. Cæruleus currus Neptuni. *Id.* 5. *ibid.* 123. Cærulea navis. *h. e.* quæ ex aqua contrahere colorem quodammodo videtur. Cf. *Ovid.* 2. *Fast.* 112. Spergitur impulsa cærula puppis aqua. *Propert.* 3. 5. 16. Cæruleus deus. *h. e.* Neptunus. *Id.* 2. 7. 53. cærula mater. *h. e.* Thetis. Adde *Horat. Epod.* 13. 16. et *Ovid.* 13. *Met.* 288. *Tibull.* 1. 5. 46. Cærula Thetis. *Ovid.* 2. *Met.* 8. Cæruleos habet unda deos, Tritona canorum, Proteaque ambiguum. *Id.* 1. *ibid.* 275. Cæruleus Jovis frater. *h. e.* Neptunus. *Id. Heroid.* 9. 14. Nereus. Adde *Senec. Œd.* 507. *Ovid. Heroid.* 7. 50. Cæruleis Triton per mare curret equis. *Seneca Hippol.* 336. Cæruleus grex Nereidum. — *d*) Item speciatim *cærulea* dicuntur flumina, aquæ et glacies. *Virg.* 8. *Æn.* 64. Cæruleus Tibris. *Servius* exponit *altus*, *profundus*: non tamen recte.: *V.* infra sub *e.* in fine. Et ad illud 5. *ibid.* 123. Scyllaque Cloanthus Cærulea; aut nigra, inquit (quod rectius), aut alta carina: omne enim altum nigrum est. Cf. *Ovid.* 1. *Art. am.* 224. Coma cærula Tibridis. *Tibull.* 1. 7. 14. Cæruleus Cydnus. *Id.* 3. 4. 18. amnis. Adde *Stat.* 1. *Silv.* 5. 51. *Ovid.* 13. *Met.* 895. Acis cærulus. *Id.* 5. *Met.* 633. guttæ. *Id. ibid.* 432. lympha. *Virg.* 1. *G.* 135. de *zonis frigidis.* Quem circum extremæ dextra lævaque feruntur Cæruleæ glacie concretæ atque imbribus atris. Ubi *Servius: cærulea* frigore scilicet, quia ipse color frigori convenit. — *e*) Hinc *cærulea* dicuntur et quæ fusca sunt, sive colore cæruleo subfusco prædita. *Lucret.* 5. 1373. cærula olearum plaga. *Virg.* 8. *Æn.* 622. cum cærula nubes Solis inardescit radiis longeque refulget. *Manil.* 1. 399. Cæruleus vultus Caniculæ. *h. e.* pallidior, cum a sole longius distat. *Tibull.* 3. 4. 18. Jam nox cæruleas laverat amne rotas. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 85. Nox cærula. *Id.* 2. *Theb.* 528. umbra noctis. *Val. Flacc.* 7. 563. Nix et cærulei Boreæ ferus horror. *Juvenal.* 14. 128. Mucida cærulei panis consumere frusta. *h. e.* jam nigricantis. Adde *Val. Flacc.* 3. 400. — Hinc *cærulea* dicuntur omnia, quæ ad Inferos quomodocumque pertinent; quo fortasse sensu *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 123. ait, omne altum esse nigrum. *Virg.* 3. *Æn.* 63. stant Manibus aræ Cæruleis mæstæ vittis atraque cupresso. *Servius* hic ex *Catone* docet, feminas olim in luctu, purpurea veste deposita, cæruleam sumpsisse. *Id.* 6. *ibid.* 410. Cærulea puppis Charontis. (hanc ipsam *v.* 303. *ferrugineam* dixerat). *Id.* 4. *G.* 482. Cærulei angues Eumenidum. *Propert.* 2. 18. 40. Cærulea ratis fati. *Ovid.* 4. *Fast.* 446. Equi cærulei Plutonis. *Id.* 14. *Met.* 45. Velamina cærulea. *Albinov.* 1. *ad Liv.* 93. Cærulea mors. *In Cenotaph. Pisano L. Cæsaris.* BOS ET OVIS ATRI INFVLIS CAERVLEIS INFVLATI DIIS MANIBVS EJVS MACTENTVR. — Hinc

Cæruleum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est genus coloris cærulei intensioris admixtis aureis maculis. Duplex est, nativum et facticium. *Nativum* est arena, seu lapis sabulo arenæve duræ similis. Ejus tria genera antiquitus fuere: *Ægyptium*, quod maxime probatur; Scythicum, quod facile diluitur, cumque teritur, in quatuor colores mutatur, binos candidiores plus minusve ex cæruleo tenui, binos magis minusve nigros ex cæruleo crasso. Tertium genus est Cyprium, quod Scythico præfertur. *Facticium* multas habet species, de quibus non est hoc loco dicere. Plura *V.* apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 13. 57. (161)., et 35. *ibid.* 6. 28. (47). et 6. 31. (49). — Ejus temperandi rationem docet *Vitruv.* 7. 11. 1.

Cærula, *ōrum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, est cærula cujuscumque generis superficies: et occurrit — *a*) De cœlo. *Lucret.* 1. 1089. et 6. 96. cœli cærula. *Id.* 6. 842. cærula. *subaudi* cœli. *Id.* 5. 770. magni per cærula mundi. *Ovid.* 14. *Met.* 814. Tollere aliquem in cærula cœli. *Capell.* 2. *p.* 43. *de sole.* Nam tenebras prohibens retegis quod cærula lucet. *h. e.* quod cæruleam lucem prodit. — *b*) *Cærula* (subaudi *freta*, vel *æquora* etc.) sunt etiam ipsa maria. *Virg.* 8. *Æn.* 672. fluctu spumabant cærula cano. *Id.* 4. *ibid.* 583. torquent spumas et cærula verrunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 208. et 8. *ibid.* 672.; et *Stat.* 3. *Theb.* 250. — *c*) De agrorum viriditate. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. campi cærula, lætaque prata.

CÆSA, *æ*, f. 1. idem ac cæsio, seu ictus cæsim inflictus: sicut *puncta*, *æ*, est ictus punctim illatus. *Veget.* 1. *Milit.* 12. Cæsa, quovis impetu veniat, non frequenter interficit: at puncta, duas uncias adacta, mortalis est. Deinde dum cæsa infertur, brachium dextrum latusque nudatur: puncta autem tecto corpore infertur. Hæc *Veget.*, qui tamen non est imitandus. — *Ruta cæsa*, V. in RUTA. — *Cæsa*, teli genus. *V.* GÆSUM. Sic enim scribendum. — *Cæsa*, et *Cæsai*, hoc est elephas. *V.* in CÆSAR in ONOM.

CÆSA, ōrum. *V.* in fine v. CÆDO.

CÆSĀPON, i, n. 2. genus lactucæ in arvis nascentis, cujus folia trita et cum polenta illita ulceribus medentur. *Plin.* 1. *in indice libri* 20. *n.* 25. et 20. *Hist. nat.* 7. 25. (59)., ubi docet a Græcis hanc appellationem ductam esse. — Quidam legunt *æsapon*. Sed utriusque vocis origo æque ignota est. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 383.) ait, nullam nobis esse spem definiendi, quænam fuerit hæc planta; quæ certe inter *sonchos* vel *hieracia* (cum hæc sint ex *lactucarum* genere) quærenda est.

CÆSĀLIS, e, adject. qui cæsuræ aptus est. *Var. auct. de limit. p.* 304. *Goes.* Lapis Tiburtinus cæsalis dicitur.

CÆSAR, ăris, m. 3. De vocis etymo et scriptione, necnon de *C. Julio Cæsare* V. ONOM. — Hic satis est indicare, ab ipso C. Julio Cæsare *Cæsares* postea appellatos fuisse omnes imperatores Romanos (V. *Sueton. Galb.* 11.), ut *Augusti* dicti sunt ab Augusto. Sed aliquando hæc nomina separata sunt, ita ut *Augustus* esset, qui imperabat, *Cæsar* vero, qui futurus erat in imperio successor. Primus qui hac ratione *Cæsar* factus sit, fuit L. Ælius Verus ab Hadriano in spem successionis adscitus, ut est apud *Spartian. Æl. Vero* 1. et *Aurel. Vict. Cæs.* 13. *in fin.*

CÆSĀRĒUS, a, um, adject. ad Cæsarem pertinens: *V.* hanc ipsam vocem in ONOM. — Item ad imperatores pertinens. *Martial.* 1. 7. 3. Cæsarei leones. *h. e.* a Domitiano in arena exhibiti. *Id. Spectac.* 1. 7. amphitheatrum. — Hinc

Cæsareum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est quod Augusteum, hoc est ædes sacra in honorem Cæsaris Augusti primum constructa, deinde aliorum etiam imperatorum, qui eidem successerunt. Hujusmodi ædes seu templum cum Romæ, tum in coloniis et municipiis fuit, in quo omnium imperatorum, qui in divorum numerum adscripti fuerant, statuas, aut imagines, quas Itali *busti* dicunt, fuisse probat *Marin. Frat. Arv. p.* 384. *V.* DIVUS. *Sueton. Galb.* 1. Tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus simul statuis deciderunt; Augusti etiam sceptrum e manibus excussum est. *Id. Cal.* 60. Ut quidam senatores abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda templa, censuerint. *Inscript.* apud *De vita, Antiq. Benevent. p.* 264. P. VEIDIVS P. F. POLLIO CAESAREVM CAESARI AVGVSTO ET COLONIAI BENEVENTANAI. Alia Hispan. apud *Murat.* 134. 1. CORNELIVS BARBVS CAESAREVM D. S. F. Alia ab eod. *Marin. ibid.* relata, et a *Jo. Labusio*, *Certitude de la science des antiquités p.* 70. suppleta. *Nomina eorum* QVI PECVNIAM CONTVLERVNT IN *Cæsareum faciundum.*

CÆSĀRĬĀNUS, a, um, adject. ad Cæsarem pertinens: *V.* hanc ipsam vocem in ONOM. — Item ad imperatores pertinens, imperatorius. *Cels.* 6. 6. 27. Cæsarianum collyrium. *Martial.* 8. 1. Pallas Cæsariana. *h. e.* a Domitiano culta. Cf. *Id.* 9. 80. Sed domini mores Cæsarianus habet. *h. e.* aulici et servi Domitiani. *Vopiscus* in *Carin. init.* narrat, Carum imp. in orientem profectum, reliquisse in occidente filium Carum *imperio Cæsariano, ea lege, ut omnia faceret, quæ Augusti faciunt. Tertull. Cor. mil.* 12. Castrenses (*coronæ*) appellantur, munificæ et ipsæ solemnium Cæsarianorum. — Hinc

Cæsariani, *ōrum*, m. plur. 2. absolute, qui et *Cæsarienses* et *Catholiciani* vocantur, sunt officiales procuratoris Cæsaris, qui in provinciis sunt, et aliquam earum habent administrationem. Horum mentio est in *Cod. Justin.* 10. 1. 5. et 7., et in *Cod. Theod.* 9. 22. 1. § 4. et *l.* 10. *tit.* 7., qui est *De Cæsarianis.*

CÆSĀRĬĀTUS, a, um, adject. comatus, teste *Paul. Diac. p.* 45. 6. *Müll.* et *Placid. Glose. p.* 448.

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 171. Miles usque cæsariatus. *Tertull. Pall.* 4. Numidæ etiam equis cæsariati. *h. e.* qui capiti aut galeæ equinas jubas impositas gestabant, juxta illud *Virg.* 10. *Æn.* 869. Ære caput fulgens cristaque hirsutus equina.

II.) Translate. *Apul. de Mundo.* Vides viridantibus comis cæsariatam esse terram.

CÆSĀRĪES, ēi, f. 5. Dicta est a *cædendo*, et significat comam, sive capillos, cæsos quidem, ita tamen ut ipsi et vigeant et longi pendeant (It. *chioma*, *zazzera*; Fr. *chevelure*; Hisp. *cabellera*; Germ. *Haupthaar*; Angl. *hair*). Occurrit — *a*) Fere de viris. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 64. Cæsaries quam decet! *Liv.* 28. 35. Promissa cæsaries. *Virg.* 1. *Æn.* 590. decora. *Horat.* 1. *Od.* 15. 14. Pectere cæsariem. *Ovid.* 10. *Met.* 139. horrida cæsaries. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 179. et 13. *ibid.* 914.; et *Lucan.* 2. 372. *Juvenal.* 13. 165. flava. — *b*) *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 594. et *Isid.* 11. *Orig.* 1. de viris tantum dici volunt, quia in feminis cædi ac tonderi non solet; atque in eo distingui a *coma*, quæ viris feminisque communis sit. Sed et de feminis usurpatam legimus. *Catull.* 66. 8. E Berenicœo vertice cæsariem. *Virg.* 4. *G.* 337. *de Nymphis.* Cæsariem effusæ nitidam per candida colla. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 31. et movit pictis innexa cothurnis Densum cæsarie terque quaterque caput. Adde *eumd.* 4. *Met.* 491. — *c*) Transfertur etiam ad barbam. *Ovid.* 15. *Met.* 656. Cæsariem longæ dextra deducere barbæ. — *d*) De canibus etiam usurpat *Grat. Cyneg.* 272. Discretaque collo Cæsaries, non pexa nimis, non frigoris illa Impatiens.

CÆSĪCĬUS *vel* cæsitius, a, um, adject. *Plaut. Epid.* 2. 2. 46. Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium. *Non.* 14. 17. *edit. vet.* exponit purum, candidum, a *cædendo*, quod ita ad candorem perveniat, vel quod oras circumcisas habeat. At fortasse *cæsicius* est, cui villi sunt tonsi, ut *Virg.* 4. *G.* 377. Tonsisque ferunt mantelia villis.

CÆSIM, adverb. cædendo (It. *taglione, di taglio*; Fr. *à coups de tranchant*, *de taille*; Hisp. *de corte, de filo*; Germ. *durch Hieb*, *hiebweise*; Angl. *with the edge*).

I.) Proprie occurrit — *a*) In re agraria, eique opponitur *ductim*, h. e. ducendo. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 3. Cæsim vitem ictu falcis petere. — *b*) In re militari, eique opponitur *punctim*, h. e. pungendo. *Liv.* 22. 46. Hispano punctim magis, quam cæsim, assueto petere hostem, brevitate habiles et cum mucronibus gladii. (Ita etiam *Polyb.* 6. 23.). Adde *eumd.* 7. 10. *Sueton. Cal.* 58. Gladio cæsim percutere aliquem. *Veget.* 1. *Milit.* 12. docet, Romanos in prœliis non cæsim, sed punctim ferire solitos fuisse.

II.) Translate *cæsim dicere* est idem atque incisim, hoc est per incisa loqui, sicut *membratim* per membra, ut in illo *Cic.* 1. *Orat.* 8. 32. Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? *Id. Orat.* 67. 225. Membratim adhuc; deinde cæsim diximus. *Quintil.* 9. 4. 126. Ubicumque acriter erit et instan-

ter pugnaciterque dicendum, membratim cæsimque dicemus.

CÆSĬO, ōnis, f. 3. (cædo). ¶ 1. Est idem ac cæsura. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 1. Castanea post quinquennium cæsa more salicti recreatur, atque in palum formata fere usque in alteram cæsionem perennat. ¶ 2. Est etiam idem ac cædes, verberatio. *Tertull. Apolog.* 39. Inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ ac pudicitiæ. Huc spectat locus *Sueton. Ner.* 26. Redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat.

CÆSĬUS, a, um, adject. Habet Sup. *cæsissimus*, sed caret comparativo, teste *Varron.* 8. *L. L.* 76. *Müll.* — Cæsius est qui colore est subviridi, seu glauco, qualis est in mari et in oculis felium ac leonum; habetque aliquid de cæruleo dilutiore; quasi *cœlius*, ut *Nigidius* ait apud *Gell.* 2. 26., quia ad cœli colorem accedit, et profecto respondet Gr. γλαυκός, γλαυκώπις. Dicitur de oculis, et de iis, qui hujusmodi oculos habent. *Ter. Heaut.* 5. 5. 18. Rufa virgo, cæsia, sparso ore, adunco naso. Adde *eumd. Hecyr.* 3. 4. 26. *Lucret.* 4. 1157. Mulier cæsia. Adde *Cic.* 4. *Herenn.* 49. 63. *Catull.* 45. 7. Leo cæsius. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. 83. Cæsii oculi Minervæ, cærulei Neptuni. Cf. Gr. γλαυκῶπις Ἀθήνη. *Vitruv.* 6. 1. 3. *Schneid.* et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (142). Cæsii oculi. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CÆSOR, ōris, m. 3. qui cædit. *Hieronym. Ep.* 53. n. 6. Cæmentarii, fabri metallorum, lignorumve cæsores. ὑλοτόμος. Agnoscit hanc vocem etiam *Valer. Prob.* in *Cathol. p.* 1458. *Putsch.*

CÆSPES vel cespes, itis, m. 3. Scribitur et *cespes* sine diphthongo. Sed quia *Paul. Diac. p.* 45. 2. *Müll.* a *cædendo* deducere videtur, potiorem diphthongum putat *Cellar.* in *Orthogr.*, a quo stare videtur etiam *Dausq.* Ceterum *Marin. Frat. Arv. p.* 585. contendit auctoritate veter. lapidum scribendum esse *cespes*, quæ vox videtur esse ab inus. *cepo* pro *capio*. Addit etiam verba *cado*, *cædo* et *cudo* ejusdem esse originis, a Græco nempe κάω. — Ceterum cæspes, probabilius a *cædo*, est terræ pars cæsa cum herba (It. *piota*, *cespite*: Fr. *pièce de gazon*, *gazon*; Hisp *cesped con yerbas*; Germ. *d. Rasen*; Angl. *a turf*, *peat*, *or sod*). Occurrit

A) Stricto sensu; et

I.) Proprie est terra in modum lateris cæsa cum herba, ut *Paul. Diac. loc. cit.* et *Servius* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 69. exponunt, sicut *glæba* terræ pars est sine herba. *Cic. Cæcin.* 21. 60. Non esse arma cæspites, neque glæbas. — Porro apud Romanos plurimus erat cæspitum usus — *a*) In extruendis castris atque aggeribus. *Sueton. Aug.* 24. Ut stare per totum diem juberet ante Prætorium (*centuriones*) interdum tunicatos discinctosque, nonnumquam cum decempedis, vel etiam cæspitem portantes. *Tac.* 1. *Ann.* 65. et *Lucan.* 1. 512. et 3. 387. — *b*) In subito tribunali castrensi faciendo. *Plin. Paneg.* 56. Tribunal viridi cæspite extructum. *Tac.* 1. *Ann.* 18. Congerere cæspites. *Id. ibid.* 19. aggerere. Adde *Lucan.* 5. 317. *Veget.* 3. *Milit.* 8. Cæspes fit altus semissem, latus pedem, longus pedem semis. — *c*) In tegendis tumulis. *Virg.* 3. *Æn.* 304. Hectoreum ad tumulum, viridi quem cæspite inanem etc. *Tac.* 1. *Ann.* 62. Extruendo tumulo cæspitem ponere. Adde *eumd. Germ.* 27., et *Cod. Theod.* 9. 17. 5. *pr.* — *d*) In extruendis aris. *Horat.* 1. *Od.* 19. 13. Hic vivum mihi cæspitem, hic Verbenas pueri, ponite turaque. *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 9. Araque gramineo viridis de cæspite fiat. Adde *eumd.* 4. *Met.* 753.; *Sil. It.* 16. 263., et *Stat.* 1. *Silv.* 4. 130. — *e*) In tuguriis et mapalibus erigendis aut contegendis. *Virg.* 1. *Ecl.* 69. Pauperis et tuguri congestum cæspite culmen. *Seneca Ep.* 8. Domum utrum cæspes texerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest.

II.) Figurate sive per metonymiam ¶ 1. Cæspes ponitur etiam pro ipsa ara. *Horat.* 3. *Od.* 8. 2. Quid velint flores et acerra turis Plena, miraris, positusque Carbo in cæspite vivo. *h. e.* aram cogita aggestu terræ factam et viridi cæspite vinctam. *Juvenal.* 12. 2. festus promissa deis animalia cæspes Expectat. *Servius* ad illud *Virg.* 12. *Æn.* 118. *et diis communibus aras gramineas*, docet Romani moris fuisse, cæspitem aræ superimponere, et ita sacrificare: sed minus recte. *Tac.* 4. *Hist.* 53. Tum Helvidius Priscus – lustrata suovetaurilibus area et super cæspitem redditis extis etc. *Apul. Florid.* 1. Cæspes libamine fumigatus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 186. quas ad aras præcipis, Vervece cæso fumet ut cæspes meus? — Hinc *cæspes argenteus* est ille ornatus aræ sive foculo superpositus ex argento, ita appellatus, quod in similitudinem vivi cæspitis erat effictus. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 584. IN FOCVLO ARGENTEO CÆSPITE ORNATO. ¶ 2. Item ponitur pro tugurio. *Horat.* 2. *Od.* 15. 17. Nec fortuitum spernere cæspitem. *h. e.* tugurium, quod forte alicui ad habitandum contigisset. ¶ 3. In re hortensi sumitur — *a*) Pro complexu unius, aut plurium herbarum aut virgultorum. *Virg.* 4. *G.* 273. Namque uno ingentem tollit de cæspite silvam. *h. e.* seu uno eodemque soli loco, seu una eademque radice, uti exponit *Philargyrius*, quem sequitur *Martinus*, ut cæspes sit radix cæspitosa, seu radix fibris inter se in cæspitis modum implexa. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 20. (43). Saliunca herba verius, quam flos, densa veluti manu pressa; breviterque cæspes sui generis. — *b*) Item pro planta cum sua terræ glæba. *Gargil. Pers. p.* 397. *Mai.* — *c*) Item de vitium gemmis sive articulis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (153). Hoc vocatur in vite gemma, cum ibi cæspitem facit.

B) Latiori sensu ponitur pro ipsa terra herbosa non excisa in agro aut campo. *Virg.* 11. *Æn.* 565. atque hastam cum virgine victor Gramineo donum Triviæ de cæspite vellit. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 10. *Id. Ovid. Heroid.* 15. 160. Cæspes tener. *Id.* 2. *Met.* 427. de cæspite se levare. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 301. et 10. *ibid.* 556. *Sueton. Tib.* 18. Sedere in cæspite nudo. Adde *Stat.* 12. *Theb.* 328. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (128). Oleæ et cupressis radices per summa cæspitum. *h. e.* in summa terra adrepunt. *Id.* 17. *ibid.* 4. 3. (36). Subest arena tenuissimo cæspitum corio. *Petron. Satyr.* 120. Non hæc auctumno tellus viret, aut alit herbas Cæspite lætus ager. — Hinc et pro tellure. *Avien. Perieg.* 227. Cæspite Paphiaco prodit satosa Charambis. *Id. ibid.* 398. Istius extenti sola cæspitis undique sulcant Sentes innumeræ, quæ sparsæ littore longo etc.

CÆSPĬTĀTOR, ōris, m. 3. *Servius* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 671. suffuso revolutus equo; *suffuso*, inquit, casuro. nam suffusi equi dicuntur, quos vulgo *cæspitatores* vocant. Sed alii leg. apud *Virg.* loc. cit. *suffosso*.

CÆSPĬTĪCĬUS, a, um, adject. ex cæspite factus. *Vopisc. Prob.* 10. Cæspiticium tribunal. *Capitolin.* in *Pio* 5. Murus cæspiticius. *Id. Balbin.* 11. Ara cæspiticia.

CÆSPŌSUS, a, um, adject. densis herbis et cæspite abundans. *Colum.* 10. *R. R.* 130. veteres cæsposo littore Cumæ. Al. leg. *cæposo*, *h. e.* cæpis abundante: *cæsposus* enim cum analogia pugnat.

CÆSTĪCUS, a, um, adject. ad cæstus pertinens, ut *Cæstici ludi* apud *Tacit.* 16. *Ann.* 21., in quibus cæstu inter alia pugnabatur. Ita enim eum locum legendum et explicandum putat cum multis *Theodor. Ryckius.* Sed mira est hic lectionum varietas. Alii enim *cestici* legendum censent a *cesto* Veneris; alii *Astici*; alii *Xystici*, quod in tecta porticu celebrarentur; alii *Iselastici*. Sed *cæstici* retinendum juxta *Obertinum* ad *Tac. l. c.*

CÆSTRUM. *V.* CESTRUM.

CÆSTUS vel cestus, us, m. 4. *et interdum* cestus, i, m. 2. (κεστός). *Cæstus*, *i*, pro armis pugilum legitur in *Varron.* apud *Non. p.* 192. 11. *Merc.* Quæro a vobis, si adversarius supercilia mi cæstis desciblinarit, num quis vestrum sua mihi est daturus? — *Cæstus* potest esse a *cædendo* seu percutiendo, ideoque recte cum diphthongo *ae* scribitur, ut ait *Manut.* mox citandus et *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 69. Quod si potius recta deducatur a Græca voce allata κεστός (quæ a perf. perf. pass. κέκεσται verbi κέω *moveo*, *impello*), scribi potest tum *cestus*, tum per diphthongum *ae* more Latinorum, qui plerumque in lapidibus *scæna* scribunt, licet a σκηνή derivetur, et contra *cena* in iisdem, licet a Σοίνη *epulum* vel a κοινός *communis* derivanda vox videatur. — Cæstus autem generatim significat lora ex corio bubulo. Specialim vero ¶ 1. In re agraria cestus est vas vimineum, canistrum, corbis. *Cato R. R.* 25. Lectos vinaceos cestibus subtento, vel cribrum illi rei parato. *Pontedera* et *Schneiderus* ita leg.: alii perperam *lecto restibus* vel *retibus subtento*. *Varro* 1. *R. R.* 8. 6. Vindemia facta denique discat pendere in palmam aut funiculo, aut vinctu, quod antiqui vocabant cestum. ¶ 2. Sunt etiam cæstus arma pugilum, nempe lora ex corio bubulo crudo, multiplici anfractu circa manum utramque et medium pæne brachium circumdata et convoluta, ac præterea interdum plumbo insuto graviora facta, ad similitudinem arietini cornus: de quo *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Natura dedit cornua convoluta in anfractum arietum generi, ceu cæstus daret. Plura de his *Manut. de quæsit. per epist. n.* 8. et *Fabrett. de col. Trajan. c.* 8. *n.* 260. Hujusmodi armis pugnabant pugiles, adeo sævis ictibus invicem cædentes, ut raro sine cæde pugna desineret. Certamen cæsticum inter Daretem et Entellum *Virg.* 5. *Æn.* 362., inter Pollucem et Amycum *Val. Flacc.* 4. 261., inter Capaneum et Alcidamantem *Stat.* 6. *Theb.* 760. describit. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 40. Pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem. Adde *Varron. loc. super. cit. Virg.* 5. *Æn.* 379. manibus inducere cæstus. *Id. ibid.* 420. Exuere cæstus. *Id. ibid.* 479. librare cæstus. *Et ibid.* 69. crudo pugnam committere cæstu. *Propert.* 3. 12. 9. Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris. Adde *Ovid.* 2. *Fast.* 667. et *Senec. Med.* 89. *Val. Flacc.* 4. 251. Induere cæstus. *Stat.* 6. *Theb.* 829. Bellare cæstu. ¶ 3. *Paul. Diac. p.* 45. 12. *Müll.* ait cestum significare etiam genus muliebris ornatus: et erat balteus seu zona picturata, omnibus Gratiarum et Venerum lenociniis imbuta, quam Juno et Venus assidue gestare dicebantur, ad conciliandos et illiciendos animos illa Jovis, hæc Martis, a κεστός *acu pictus*. Fingunt poetæ, intextas habere cupiditates, voluptates, delicias, illecebras, suspiria, desideria, risus, jocos, blanda verba, gaudia, jurgia, et hujusmodi, quibus amatorum vita constat. Eum eleganter *Homer. Iliad.* Ξ 14. v. 214., *Val. Flacc.* 6. 470. et *Torquatus Tassus Gerus. Lib.* 16. 24. et 25. describunt. *Martial.* 6. 13. Ut Martis revocetur amor summique Tonantis, A te Juno petet ceston et ipsa Venus. *Id.* 14. 206. Collo necte, puer, meros amores, Ceston de Veneris sinu calentem. *Et ibid.* 207. Sume Cythereiaco medicatum nectare ceston: Ussit amatorem balteus iste Jovem. *Stat.* 5. *Theb.* 62. Jugalis cestos. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* alios usus memorat hujus cinguli: blando (inquit de Venere loquens v. 124.) spirantem numine ceston Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes, Quo mare, quo ventos, irataque fulmina solvit. Latina etiam positione in *Inscript.* apud *Gruter.* 225. 3. DIVO IVLIO LIBERALITAS IVLIA OB ILLIVS IN MVNICIPIVM ET MVNICIPES LIBERALITATEM EX D. D. D. QVOIVS DEDICATIONE CESTVM MATRONAE DONVM TVLERVNT VENERI GENETRICI. Ceterum cesti figuram habes in imagine Veneris in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1842. *p.* 50. *t. E.* — *Vet. Statii Scholiast.* tum *loc. cit.*, tum ad 2. *Theb.* 283. docet, ita etiam appellari cingulum, quod in honestis nuptiis nova uxor marito tradit, quod significatur tum corporum, tum animorum in matrimonio conjunctio. Hinc *incestas* dici nuptias, quæ honestæ et legitimæ non sunt. *V. Cavedoni, Indicaz. antiq. al Mus. del Catajo p.* 37. *not.* 26.

CÆSULLÆ dicebantur, qui cæsios habebant oculos. *Paul. Diac. p.* 275. 17. *Müll.*

CÆSUM, i. *V.* CÆDO in fine.

CÆSŪRA, æ, f. 1. (cædo).

I.) Proprie. ¶ 1. Cæsura est idem ac cæsio, cædes, sectio. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (230). Tempestiva cæsura ligni major ad firmitatem causa, quam immatura. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (150). Cæsura silvæ. ¶ 2. Item locus, ubi quid cæsum est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 26. 40. (63). *de hippopotamo.* Assidua salietate obesus exit in littus recentes arundinum cæsuras speculatum: atque, ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus, venam in crure vulnerat. — Hinc cæsura est etiam locus, unde marmora excidantur atque effodiuntur. *Inscript.* apud *Don. cl.* 2. *n.* 166. SERVILIO PVDENTE ET FVFIDIO POLLIONE COS. (*h. e.* ann. U. C. 919.) CAESVRA CLA. HER. ATTICA ET APOLLONII LVPI. *Alia* in *Ann. dell' Instit. archeol. a.* 1843. *p.* 333. L. AELIO CAESARE N. II. ET BALBINO COS. (*h. e.* ann. U. C. 890.) RATIONIS VRBICAE SVB CVRA IRENAEI AVG. LIB. PROC. CAESVRA TVLLII SATVRNINI ≻ LEG. XXII. PRIM.

II.) Translate *cæsura* est apud Grammaticos certa sectio dictionis, cum syllaba in versu post pedem remanet, quæ cum sequentis vocis syllaba una, aut duabus alterum pedem efficit, τομή: ut in illo *Ovid. Heroid.* 1. 1. Hanc tua Penelope *lento* tibi mittit, Ulysse. De pluribus ejus speciebus, quæ variis etiam no-

minibus appellantur *penthemimeris*, *bucolice*, *trochaica*, etc. consule Grammaticos, v. gr. *Diomed.* 3. p. 496. *Putsch.*

CÆSŪRĀTIM, adverb. Occurrit translate tantum, et significat per cæsuras et commata, seu incisa, succincte, breviter. *Sidon.* 4. *Ep.* 3. Tota illa dictio sic cæsuratim succincta, quod profluens.

CÆSUS, us, m. 4. idem ac cæsio. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 102. Id primum explet cæsu frondium, et adgestu humi, saxorumque opere pervicaci.

CÆTĔRA cum derivatis. *V.* CETERA.

CÆTRA. *V.* CETRA.

CAJA, æ, f. 1. nomen mulieris proprium. *V.* CAJUS in ONOM. — Item fustis, clava, baculus. *Isid.* 18. *Orig.* 6. 7. scribit, catejam ab *Horatio* appellari *cajam*. Quamvis autem neque apud *Horat.*, neque apud alium præterea Latinum scriptorem hæc vox reperiatur, retinendam tamen censet *Salmas.* in notis ad *Trebell. Claud.* 14. Hinc enim factum esse *cajo*, *as*, verbero, et *cajatio*, *onis*, verberatio, de quib. *V.* infra.

CAJĀNUS, a, um, adject. ad Cajum pertinens. *V.* ONOM. — *Cajanus as* est minimi pretii nummus, inde dictus, quod C. Caligula cum nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superasset, et ingentem pecuniæ summam a Tiberio relictam brevi tempore absumpsisset, ut est apud *Suet.* in *ejus Vita* 37., ad inopiam redactus, inter cetera avaritiæ suæ inventa illud quoque instituit, ut assium pondus, eodem pretio manente, imminueretur, quo minore sumptu magnam pecuniæ vim conflare posset. Itaque as, qui primo libralis fuerat, deinde paullatim in variis reip. necessitatibus decreverat (ut dictum est in AS § 1.) unius avaritia principis ad vilem parvitatem redactus est. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 21. De capsa miseri tabellionis Emptum plus minus asse Cajano. Ita *Barthius*: aliter *Turneb. l.* 20. *Adversar. c.* 32.

CAJĀTĬO, ōnis, f. 3. verberatio: a *caja*, fustis, baculum. *Fulgent. Contin. Virgil.* In septimo vero Cajeta sepulta nutrice, idest magistriani timoris projecta gravedine: unde Cajeta dicta est, quasi coertrix ætatis. Nam et apud antiquos cajatio dicebatur puerilis cædes. Unde et *Plautus* in Cistellaria comœdia ait: Quid tu amicam times, ne te manuleo cajet? Hæc *Fulgent.* Quia vero in *Cistellaria*, quæ nunc extat, hæc verba non habentur, putant eruditi, legendum esse *Clitellaria*, cujus aliquot tantummodo supersunt fragmenta.

CAJO, as, are, a. 1. fuste seu baculo verbero. *V.* CAJA. Sunt qui exponunt coercere, compescere: sed hoc eatenus admittendum, quatenus fit verberibus. Legitur in fragmentis *Plauti*. *V.* CAJATIO.

CĀLA, æ, f. 1. fustis, vectis, κᾶλον *lignum*, a καίω, Attice pro καίω uro. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 1. Calas dicebant majores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad prælium: unde etiam *calones* dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret et vallum. Vallum autem dicebant calam. *Lucil. ibid.* Scinde puer calam, ut caleas. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

CALABARRĬUNCŬLUS et Calabarrio, duæ voces sunt, quarum significatio quænam sit, non satis constat. Quidam intelligunt calatorem, qui populum ad concionem vocabat in Curiam Calabram. *Gell.* 16. 7. Laberius in Restione calabarriunculos dicit, quos vulgus calabarriones. *Falsterus* in edit. *Gellii* ab *Alb. Lion* curata Gottingæ ann. 1824. legendum putat *tabellariunculos* et *tabelliones*.

CĂLĂBRĬCO, as, are, a. 1. calabrica ligo. (*V.* CALABRICUS infra). *Plin. Valer.* 3. 13. in *fin.* Lanis involves, et calabricabis.

CĂLĂBRĬCUS, a, um, adject. ad Calabriam pertinens, Calaber: *V.* ONOM. — Hinc

Calabrica, æ, f. 1. absolute, videtur esse genus ligaminis, seu fasciæ, qua utuntur medici in vulneribus alligandis. Si locus conjecturæ est, fortasse a Calabris ovibus denominatio venit. *Plin. Valer.* 3. 13. Hæc pariter coques, et in modum cataplasmi linteo grosso induces, et locis dolentibus impones, et calabricis ligabis bis in die per triduum. Cf. *Pelagon. Veter.* 13. 1. Et cum (equus) deambulet, fasciolis crura alligabis. *Id. Pelagon.* in *Hippiatr.* p. 137. Καὶ ἀναπατοῦντος αὐτοῦ (ἵππου) καλαβρικοῖς τὰ σκέλη ποίει καταδεσμεῖσθαι.

CĂLĂMĀCRUM, i, n. 2. galerus e calamis contextus, idem ac camelaucum, quam vocem vide in *Gloss. med. et inf. Latinitatis Ducang. Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 10. Eusebius Samosatenais, episcopus, habitu militari sumpto, et calamato (*lege* calamacco) caput operiens, Syriam peragrabat.

CĂLĂMĀRĬUS, a, um, adject. ad calamos pertinens, qui calamos recipit. *Calamaria theca* dicitur vasculum illud, æneum plerumque, quod *atramentarium* etiam appellatur, in quo calami ad scribendum inficiuntur, Itali dicunt *calamajo*, Græci μελανοδοχεῖον, *Sueton. Claud.* 35. Vix remisit, ne cuivis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Adde titulum *epigr.* 10. *lib.* 14. *Martialis*, ubi *theca calamaria* legitur. Sortitus thecam calamis armare memento. Cetera (*Ærea* scribendum contendit *Jacob. Martorellius, de R. theca calamar.* p. 183.) nos dedimus, tu leviora paras. *V.* THECA.

CALAMAULES, æ, m. 1. καλαμαύλης. qui calamo canit, a κάλαμος calamus, et αὐλέω cano. *Not. Tir.* p. 173. Calamaulos. *Leg.* Calamaules. At est vox a Lexico expungenda.

CALAMENTUM, i, n. 2. lignum aridum, et igni destinatum, a κᾶλον *lignum*: est itaque pars sicca vitis, quæ Latine *cala* etiam dicitur. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 1. Sic deinde ordinata vineta festinabimus emundare, sarmentisque et calamentis liberare. Ita edidit *Schneiderus* ex codd., cum antea mendosa lectio haberetur *calametis*. Comparemus loca, quæ huc spectant, *Pallad.* 3. *R. R.* 15. Statim post putationem sarmenta decisa a vineis, et rubi, et impedimentum fossoris omne tollatur. *Cato R. R.* 50. Ubi vineam deputaveris, acervum lignorum virgarumque facito.

CĂLĂMINTHA, æ, f. 1. καλαμίνθη, herba eadem ac mentastrum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 10. 57. (176). Senecta degenerat sisymbrium in calamintham. *Sillig.* ex optimis Codicibus leg. *mentam*. Certior est lectio apud *Theod. Priscian.* 1. 11.

CĂLĂMISTER, stri, m. 2., *et sæpius* călămistrus, i, m. 2., *atque interdum etiam* calamistrum, i, n. 2. καλαμίς. Rectus casus singularis masculinus plerisque est *calamister*, quibusdam *calamistrus*: neutrius exempla adhuc vidimus. — *Calamistrum* masculino genere clare usurparunt *Cic. Orat.* 23. 78., *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* et *Tac. Dial. de orat.* 26.; *calamistrum* vero neutro genere *Plaut. Curc.* 4. 4. 21. et *Varro* apud *Charis.* 1. p. 61. *Putsch.* — Ceterum calamister est acus ferrea, qua capilli crispantur, intus cava instar calami arundinis; unde a *Nonio* 15. 27. edit. vet. fistula appellatur. Differt ab acu crinali seu comatoria, quæ crinibus discernendis et sustinendis inservit (It. *ferro da arricciare i capelli, calamistro*; Fr. *fer à friser*; Hisp. *encrespador, el instrumento para ensortijar el cabello*; Germ. *d. Instrument zum Kräuseln der Haare, Brenneisen*; Angl. *a crisping-pin, iron to curl the hair with*).

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 4. 4. 21. At ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum bene me amassint etc. *Cic. post redit. in senat.* 7. 15. Frons calamistri notata vestigiis. *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* Calamistri, quod his calefactis in cinere capillus ornatur; discerniculum, quo discernitur capillus. Adde eumd. apud *Charis.* 1. p. 61. *Putsch. Petron. Satyr.* 102. Crines calamistro convertere. *Arnob.* 2. p. 72. Calamistris vibrare cæsariem. *Inscript.* apud *Murat.* 991. 2. CORNELIAE A. L. A CALAMISTRO. *h. e.* Corneliæ Saloninæ Aug. libertæ a calamistro. Adde *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 100. et *Isid.* 20. *Orig.* 13. 4.

II.) Translate significat exquisitum cultum ornatumque orationis. *Cic. Orat.* 23. 78. Tum removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum: ne calamistri quidem adhibebuntur. *Id. Brut.* 75. 262. *de commentar. Cæsaris.* Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. *Tac. Dial. de Orat.* 26. Malim hercle C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis.

CĂLĂMISTRĀTUS, a, um, adject. calamistro intortus, qui capillos calamistro intortos habet. *Plaut. Asin.* 3. 3. 37. Calamistratus cinædus. *Cic. post red. in senat.* 6. 12. Calamistratus saltator. *Id. Sext.* 8. 18. Alter unguentis affluens calamistrata coma. Adde *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 100.

CĂLĂMĬTAS, ātis, f. 3. In Genitivo pluralis num. et *calamitatum* habet et *calamitatium*. *Justin.* 16. 4. Tanta calamitatium necessitas fuit. *Sunt tamen qui aliter legant.* — Ratione habita etymi, aliquot inter philologos recentiores hanc vocem conjungendam esse putant cum *incolumis* et *incolumitas*, quibus *calamitas* opponeretur. Sed juxta veteres plerosque omnes calamitas

I.) Proprie significat imminutionem cladenque calamorum segetis, quæ grandine vel impetuoso aliquo turbine aut alia quapiam de causa fit. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 151. Robigo genus est vitii, quo culmi pereunt, quod a rusticanis calamitas dicitur. *Donatus* ad illud *Ter. Eun.* 1. 1. 34. Sed ecca egreditur nostri fundi calamitas. Proprie, *inquit*, calamitatem rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est culmum ac segetem. *Plaut. Cas.* 5. 2. 29. Profecto non fuit quidquam olerum: nisi, quidquid erat, calamitas profecto attigerat numquam. *Pacuvius* apud *Non.* p. 192. 30. Postquam calamitas plures annos arvas calvitur. — Huc respexisse videtur etiam *Cic.* 3. *Verr.* 16. 44. Quacumque iter fecit, ejusmodi fuit, non ut legatus populi Rom., sed ut quædam calamitas pervadere videretur. Et festive *Plaut. Capt.* 4. 3. 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta callo calamitas! — Hinc *calamitas fructuum* est redituum penuria. *Cic.* 5. *Verr.* 98. 227. Annona pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet: si autem ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis.

II.) Translate sæpissime adhibetur pro quacumque pernicie, infortunio, re adversa: gradum a re agraria ad cetera videntur notare illa verba *Varron.* 2. *R. R.* 1. 27. Morbosum pecus – sæpe magnâ gregem afficit calamitate. — *a*) Generatim. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 101. Di immortales! – quanta advenit calamitas hodie ad hunc lenonem! *Ter. Heaut.* 2. 4. 15. Incidit alicui calamitas. *Id. Hecyr. prol. alt.* 22. Calamitas aliquem opprimit. *Id. ibid. v.* 23. Sedare calamitatem. *Cic.* 7. *Verr.* 41. 106. Ut – aliis causam calamitatis attribueret, quæ omnis propter avaritiam istius accidisset. *Id.* 2. *leg. Agr.* 3. 8. Ictus novæ calamitatis. *Id.* 1. *Cat.* 5. 11. Magna calamitas reipublicæ. *Id. Cluent.* 71. 201. Affligit aliquem calamitas in judicio. *Id.* 3. *Att.* 8. *in fin.* Afflictus singulari calamitate. *Id.* 1. *Divinat.* 16. 29. Ob eam causam populus Rom. calamitatem maximam cepit. *Id.* 3 *Att.* 9. Valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis. *Id. ibid.* 14. 2. Calamitatem tolerare. *Id. pro leg. Manil.* 7. 18. Calamitate prohibere cives. *Id. Rosc. Am.* 3. 7. Calamitatem innocentium levare. *Id. post red. ad Quir.* 2. 6. detrahere alicui. *Id. Dom.* 11. 30. haurire indignissimam pro omnibus. *Id. pro leg. Manil.* 7. 19. Plures trahere in eamdem calamitatem. *Id.* 4. *Verr.* 37. 91. Vitare tempestatem calamitatemque. *Sall. Cat.* 45. Esse in magna calamitate. *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Calamitatem perferre. *Nepos Timol.* 4. Calamitatem moderate ferre. *Id. Datam.* 6. et *Pelop.* 3. Hoc est mihi calamitati. *Sueton. Cal.* 31. Queri etiam palam de conditione temporum suorum solebat, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Cf. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 7. — *b*) Speciatim calamitas dicitur clades in prælio, eique *victoria* opponitur, ut apud *Sueton. Cæs.* 60. *Cic.* 3. *Off.* 11. 47. Cannensi calamitate acceptâ. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Inferre insignem calamitatem alicui. *Id. ibid.* 31. Calamitatem accipere, frangi calamitatibus. *Nepos Ages.* 6. Accidit calamitas. *Id. Hann.* 1. Calamitates belli diutius ferre non posse. *Auct. B. G.* 8. 19. Nullâ calamitate victus. *Vellej.* 2. 119. 1. Atrocissima calamitas. Et per metonymiam *Justin.* 11. 12. Adversus calamitates contendere.

CĂLĂMĪTES, æ, m. 1. καλαμίτης, βάτραχος, genus ranæ omnium minimæ et viridissimæ, et inter arundineta et frutices viventis: a κάλαμος *arundo*. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 42. (122). Et ea rana, quam Græci calamiten vocant. *Et ibid.* 50. (139). Jecur ranæ diopetis, vel calamitæ. *Et ibid.* 7. 24. (70). Ranæ, quas diopetes et calamitas vocant. — Dicitur *calamites rana* ea ratione, qua vinum *myrtites*, etc. *V.* ABROTONITES.

CĂLĂMĪTŌSĒ, adverb. infeliciter, misere. *Cic.* 3. *Offic.* 29. 105. Nam quod ajunt, turpiter potius, quam calamitose, an est ullum majus malum turpitudine?

CĂLĂMĪTŌSUS, a, um, adject. calamitate plenus. Comp. *Calamitosior* II. 1.; Sup. *Calamitosissimus* II. 1. et 2.

I.) Proprie. ¶ 1. Active. Calamitosus est calamitatem et cladem segetibus inferens: *V.* CALAMITAS

sub init. *Cic.* 3. *Verr.* 38. 96. Te per omnes partes provinciæ, tamquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque, pervasisse. Adde *Ulp. Dig.* 19. 2. 15. § 2. ¶ 2. Passive dicitur, qui est hujusmodi calamitati obnoxius. *Cato R. R.* 1. Ne calamitosum siet (*prædium vel rus*). *Id. ibid.* 35. Fabam in locis validis, non calamitosis serito. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 80. Ager loco et cœlo calamitosus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 18. (79). Hordeum ex omni frumento minime calamitosum, quia ante tollitur, quam triticum occupet rubigo.

II.) Translate. ¶ 1. Active est detrimentum afferens, perniciosus, damnosus: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 12. 49. Hoc enim ipsum utile putare quod turpe sit, calamitosum est. *Id.* 6. *Fam.* 21. 1. Bellum calamitosissimum. *Id.* 11. *Phil.* 13. 34. Acerbissimum et calamitosissimum bellum. *Flor.* 3. 18. 15. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? — *b*) Cum Dat. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Fuga patriæ calamitosa. *Sall. Cat.* 49. Incendium plebi maxime calamitosum. *Sueton. Cal.* 23. Victoriæ funestæ populo Romano et calamitosæ. ¶ 2. Passive calamitosus est calamitatibus obnoxius, miser, infelix. *Cato R. R.* 1. Mercatorem autem strenuum – existumo, verum – periculosum et calamitosum. *Cic.* 9. *Fam.* 13. 3. Homines miseri, et fortunâ magis quam culpâ calamitosi. *Id.* 4. *Tusc.* 38. 82. Miseri, afflicti, ærumnosi, calamitosi. Adde *eumd. Divinat. in Q. Cæcil.* 21. 70. *Id.* 5. *Fin.* 19. 54. Calamitosum otium. *Id. Rosc. Am.* 28. 77. O rem miseram et calamitosam! *Seneca Ep.* 71. Calamitosissimus omnium Regulus.

CĂLĂMOCHNUS. *V.* ADARCA.

CĂLĂMUS, i, m. 2. κάλαμος, generatim significat culmum (It. *gambo, fusto, stelo*; Fr. *chaume ou tuyau de blé, roseau*; Hisp. *rastrojo*; Germ. *der Stengel, Stab, Halm*; Angl. *the stem, stalk, or blade*). Occurrit

A) Generatim. ¶ 1. Dicitur de culmo segetum, unde *calamitas*, eadem ratione, quâ dicitur et *arundo*, quam vocem vide. *Virg.* 1. *G.* 75. tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (61). Calamus altior frumento, quam hordeo. *Pallad.* 12. *R. R.* 1. 2. Calami fabaceæ messis. ¶ 2. Item de tereti virgula, aut surculo cujuscumque arboris; qualis est, quæ ad insitionem reciditur: unde sunt Italica illa *calmo, calmella, calmone, incalmare, incalmo*: *V. Colum.* 4. *R. R.* 29. 9. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (103). *de insitione*. Multa in hoc servanda: primum omnium, quæ patiatur coitum arbor et cujus arboris calamus. *Et ibid.* (106). Calami exsectio medullam ne nudet. *Et ibid.* (114). Pomorum calami. Et 17. *ibid.* 18. 30. (129). Inseritur oleaster calamo, et inoculatione. *Id.* 24. *ibid.* 14. 75. (123). Rubus Idæus tenerior ac minor, rarioribus calamis innocentioribusque. *h. e.* spinis longiusculis et surculorum similibus.

B) Speciatim. ¶ 1. Calamus est planta vel frutex idem atque arundo, ita ut *calamus, canna* et *arundo* invicem usurpentur, ut apud *Ovid.* 1. *Met.* 706.; vel potius est ipsius arundinis truncus internodiis distinctus, ut colligitur ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (159). et 66. (164)., ubi de arundine et calamis ex professo agit, docetque varios eorum usus ad sagittas, tibias, fistulas et scriptorios calamos conficiendos. Pro ipsa arundine *Plin.* 16. *Hist. nat.* 21. 33. (80). Non decidunt folia et in fruticum genere cuidam rubo et calamo. — De calamo hujusmodi fabulam tradit *Servius* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 48. Calamus Mæandri fluvii filius amavit, et amatus est a Carpo filio Zephyri et unius ex Horis, pulcherrimo filio. Accidit, ut Carpus in Mæandrum fluvium caderet, et extingueretur. Calamus patrem propter hoc detestatus aufugit, rogavitque Jovem, ut finem suis luctibus daret mortemque sibi præstaret, ut amato puero post obitum jungeretur. Juppiter calamum in arundinem vertit, quæ circa fluvios nasci amat: Carpum vero in fructus rerum omnium (χαρπὸς Græce fructum significat), ut semper renasceretur. — Ut vero a fabulis ad fruticem redeamus, speciatim *calamus odoratus*, qui et *calamus* simpliciter dicitur, vulgo *calamus aromaticus*, est, qui in Arabia, Syria et India nascitur, multis nodis geniculatus, præstantissimo odore: quare multi est usus in unguentis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 22. 48. (104). Calamus quoque odoratus in Arabia nascens. *Veget.* 6. *Veterin.* 13. 3. Calamus aromaticus. *Id. ibid.* § 4. Calamus Syriacus. Et absolute *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Unguentum, quod constat oleo myrteo, calamo, cupresso, lentisco, etc. Sic sæpe *Id. ibid.*, cui præcesserant *Cato R. R.* 105. et *Colum.* 12. *R. R.* 20. 5. et 53. 2. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 47.) ad locum *Plin.* 12. *Hist. nat.* 22. 48. (104)., ubi agitur de *calamo odorato*, hæc habet: «Il ne faut pas confondre cette plante avec le *calamus aromaticus* des modernes, dont Pline traite (lib. 25. sect. 100.) avec assez de détails pour qu'on puisse reconnaître parfaitement en lui l'*Acorus Calamus* L. Spec. plant. 568. Le *calamus verus* ne peut, dans l'état actuel de la science, être rapporté à aucune plante connue. Il est probable néanmoins qu'il s'agissait d'une graminée du genre *andropogon*. Tout récemment M. Guibourt (Journal de chimie médicale, t. 1. p. 129.) a émis l'opinion que le chirayta pourrait bien être le *calamus verus* des anciens. Le chirayta est une gentianée de l'Inde, nommée *Gentiana Chirayta* Roxb., *Corom. et asiat. research.*, qui se trouve dans le Coromandel, sur les montagnes. Pline dit (13. 21.), que le *papyrus* croît en Syrie, aux bords du même lac, où l'on trouve le *calamus odoratus*. Or, l'on sait que l'*Andropogon Schœnanthus* abonde en Arabie, et qu'on l'a fréquemment trouvé en Syrie, ce qui semble appuyer l'hypothèse émise plus haut avec doute. – L'opinion de M. Guibourt, développée dans le journal cité, a été reproduite par son auteur, dans la deuxième édition de l'*Histoire abrégée des drogues simples*, avec cette modification pourtant, que ce ne serait plus la même espèce de plante qui fournirait le deux substances; mais deux congénères ou même deux variétés d'une même espèce». Hanc porro sententiam probabilem esse demonstrat idem cl. *Fée l. c.* ¶ 2. Calamus variis usibus inserviebat, quos, ut diximus, recenset *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 55. (159). et seqq.: hinc ponitur — *a*) De instrumento, quo in charta scribitur, qui dicitur *calamus scriptorius* a *Cels.* 7. 11. et 27., et 5. 8. *n.* 12. *a med. Cato* apud *Rufinian. p.* 199. Calamo et atramento militare. Cf. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. 6. § 1. et *V.* ATRAMENTUM. *Cic.* 6. *Att.* 8. 1. Cum instituissem ad te scribere calamumque sumpsissem. *Horat. Art. P.* 446. incomptis allinet atrum Transverso calamo signum. *Quintil.* 10. 3. 31. Membranæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum et cogitationis impetum frangunt. Adde *Martial.* 14. 38. *Apul. Florid. n.* 9. *a med.* Pro his præoptare me fateor, uno chartario calamo me reficere poemata, omne genus, apta virgæ, lyræ, socco, cothurno. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (157). hæc docet: Chartisque serviunt calami, Ægyptii maxime, cognatione quadam papyri: probatiores tamen Gnidii, et qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur. Hinc *Auson.* 7. *Ep.* 52. Nec jam fissipedis per calami vias Grassetur Gnidiæ sulcus arundinis. V. *Labus* in *not.* ad *Morcell. dello scrivere degli ant. Romani p.* 138. — *b*) Item de calamo, quo ad tibiam vel fistulam faciendam usi sunt veteres, qui propterea *calamus tibialis* dicitur a *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (168). Cf. *Lucret.* 5. 1381. Et Zephyri, cava per calamorum, sibila primum Agrestes docuere cavas inflare cicutas. *Virg.* 2. *Ecl.* 33. Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit. Adde *Tibull.* 2. 5. 32.; *Propert.* 3. 17. 34. et *Ovid.* 1. *Met.* 711. *Catull.* 67. 22. Calamus curvus. *Virg.* 1. *Ecl.* 10. et 2. *ibid.* 34., et *Seneca Hippol.* 298. agrestis. — Hinc in plurali num. ponitur de ipsa avena vel fistula. *Lucret.* 4. 590. Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes (*Pan*), Fistula silvestrem ne cesset fundere musam. Adde *eumd.* 5. 1406. *Virg.* 5. *Ecl.* 48. Nec calamis solum æquiparas, sed voce magistrum. Adde *Propert.* 4. 1. 24. et *Ovid.* 11. *Met.* 161. — *c*) Item de sagitta, unde *calamus sagittarius* dicitur a *Plin. loco cit.* paullo supra (166). *Virg.* 3. *Ecl.* 13. arcum et calamos frangere. *Horat.* 1. *Od.* 15. 17. Hastas et calami spicula Gnossii. Adde *Propert.* 2. 19. 24.; *Ovid.* 7. *Met.* 778. et 8. *ibid.* 30.; et *Juvenal.* 12. 80. — *d*) Denique ponitur pro virga ad varios usus, hoc est — Ad vineam sustentandam. *Colum.* 4. *R. R.* 4. 1. Vitis a media fere parte sulci prosternatur, et ad frontem ejus ab imo usque recta materiæ exigatur calamoque applicetur. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 15. 1. — Pro virga acuta ad cædendum. *Pallad.* 12. *R. R.* 22. 3. (*Oleras*) post dies XL levabis atque intercides acuto calamo. — Pro virga visco illita ad capiendas aves; unde *Martial.* 14. 218., cui titulus *Calami aucupatorii.* Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales. Adde *Propert.* 3. 13. 46.; *Senec. Octav.* 411.; *Sil. It.* 7. 677.; et *Martial.* 13. 68. — Pro arundine vel virga piscatoria. *Ovid.* 3. *Met.* 587. linoque solebat et hamis Decipere, et calamo salientes ducere pisces. *Martial.* 4. 30. Dum prædam calamo tremente ducit. — Pro virga ad signa danda. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 1. Eaque (*linea*) sic denotata per repastinatum intenditur, et juxta purpuram calamus defigitur. — Demum de virga vel iis calamis, qui in Ægypto terræ infigebantur ad ostendendam viatoribus viam. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 33. (166). Unum iter a Pelusio per arenas, in quo, nisi calami defixi regant, via non reperitur, subinde aura vestigia operiente. *Hos calamos* Græci vocant σημεῖα. V. *Jablonsk. Opusc. T.* 1. *p.* 164.

CALANTĪCA. *V.* CALAUTICA.

CĂLĂSIS, is, f. 3. tunicæ genus, quod Græci καλάσιριν dicunt. Alii dicunt, esse nodum tunicæ muliebris, quo connexa circa cervicem tunica submittitur. Hæc *Paul. Diac. p.* 51. 11. *Müll.* Magis placet *Vossio* in *Etymol.* secunda significatio: deducitque a χαλάω *laxo, remitto*, ut sit καλασις pro χαλασις. Apud *Paul. Diac.* est *calassis*. V. *Herodot. l.* 2.; et cf. Καλάσιρις apud *Jablonsk. Lexic. Ægypt.*, necnon *Musivum Prænestinum* in *T.* XX. *de l'Acad. des Inscript. de Paris.*

CALASTER. *V.* CATASTUS.

CALASTĪCUS. *V.* CHALASTICUS.

CĂLĂTHIANUS, a, um, adject. ad calathum pertinens. *Calathianæ violæ* dicuntur, quod calathi similem figuram habeant. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 14. (27). In totum vero sine odore, minutoque folio calathiana, munus autumni, ceteræ veris. Alii leg. *calthiana*, hoc est calthæ similia: al. *calatina*, ab urbe Calatia.

CĂLĂTHISCUS, i, m. 2. καλαθίσκος, parvus calathus. *Catull.* 64. 318. candentis mollia lanæ Vellera virgati custodibant calathisci.

CĂLĂTHUS, i, m. 2. κάλαθος, vas ex vimine, vel alio ligno plerumque factum, rotunda figura, in fundo angustius paullatimque sese dilatans, et in amplius os desinens, quale est lilii flos, quem scilicet calatho *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (23). assimilat. Capituli quoque Corinthii figura, si folia demas, calathum refert: qua de re V. *Vitruv.* 4. 1. 9. — Vox Græca est, usu tamen Latina facta, quamquam habent Latini eadem significatione *quasillum*, ut docent *Paul. Diac. p.* 47. 6. et 350. 12. *Müll.* et *Servius* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 45. (It. *cestella, paniere*; Fr. *panier, corbeille*; Hisp. *cesta, canasta, ceston*; Germ. *ein Korb*; Angl. *a basket, or hamper*). Est autem ¶ 1. Vas feminarum proprium, e vimine textum (ut patet ex *Ovid.* 4. *Fast.* 435. Hæc implet (*floribus*) lento calathos e vimine textos), in quo flores fructusve colligere, lanam nendam reponere, et similia his solebant. *Virg.* 2. *Ecl.* 46. tibi lilia plenis Ecce ferunt Nymphæ calathis. *Ovid.* 2. *Art. am.* 263. Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant, Afferat in calatho rustica dona puer. *Virg.* 7. *Æn.* 805. *de Camilla.* non illa colo calathisve Minervæ Femineas assueta manus, sed prælia virgo etc. *Juvenal.* 2. 54. Vos trahitis lanam, calathisque peracta refertis Vellera. Adde *Ovid. Heroid.* 9. 73. et 76., 2. *Art. am.* 219. et 12. *Met.* 475.; et *Vitruv.* 4. 1. 9. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 16. 47. (157). In calathis, in quibus aurum colligitur. *Apul.* 9. *Met.* Calathus fetui gallinaceo destinatus. *h. e.* in quo gallinæ ova excludunt. ¶ 2. Per similitudinem vasis ex metallo vel ex ligno, calathus ponitur pro vase ad fluida recipienda; et speciatim — *a*) Ad lac. *Virg.* 3. *G.* 400. Quod surgente die mulsere horisque diurnis, Nocte premunt: quod jam tenebris et sole cadente, Sub lucem exportant calathis etc. Ubi *Servius* vasis æreis, in quibus lac, vel recens caseus in urbe distrahitur. (Quod ait *æreis*, Forcellinus malebat *junceis*: unde opus illud lacteum, quod dicimus *giuncata*). *Colum.* 7. *R. R.* 8. 3. calathis uti docet recenti caseo percolando. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 39. 7. — *b*) Sunt etiam calathi vinaria vasa, ceu calices. *Virg.* 5. *Ecl.* 71. Vina novum fundam calathis Ariusia nectar. *Propert.* 2. 12. 52. Quæ (*folia*) passim calathis strata natare vides. Adde *Martial.* 9. 60. et 14. 107. ¶ 3. Etiam pro ipso floris calice usurpatur. *Colum.* 10. *R. R.* 99. calathisque virentia lilia canis. *h. e. verdeggianti gigli coi canuti panier*, ut vertit *Benedictus Del Bene.* Adde *eumd. ibid.* 240. *Auson. Eidyll.* 14. 31. *de*

rosa. ridentis calathi patefecit honorem, Prodens inclusi semina densa croci. Et *Auct. incert. epigr.* de rosis 5. Tertia non totum calathi patefecerat orbem. Cf. *Plin.* loc. cit. sub init. hujus vocis.

CĂLĀTĬO *vel* kalatio, ōnis, f. 3. vocatio, κλῆσις, a calo, as. *Varro* 5. *L. L.* 13. *Müll.* Nec curia Calabra sine calatione potest aperiri.

CĂLĀTOR *vel* kalator, ōris, m. 3. vocator: a calo, as. Hinc generatim *Charis.* 1. *p.* 82. *Putsch.* Calator nominis. — Speciatim *Calatores* dicti sunt servi publici, qui sacerdotibus apparebant, eorumque jussu ad aliquem vocandum, vel indicendum aliquid mittebantur, viatorum simillimo munere. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 268. Sunt aliqua, quæ si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter et pontifices sacrificaturi præmittere calatores suos solent, ut, sicubi viderint opifices adsidentes opus suum, prohibeant, nec cæremonias deorum attaminent. *Sueton. Gramm.* 12. Cornelius Epicadius L. Cornelii Sullæ dictatoris libertus, calatorque in sacerdotio augurali. *Inscript.* apud *Gruter.* 307. 6., quæ est apud *Orell.* 2431. VINICIO COTTANO CALAT. VII. VIR. EPVL. LIBERTO OPTIMO PATRONVS. *Et* apud *Gruter.* 304. 9. Q. CAECILIO FEROCI KALATORI SACERDOTII TITIALIVM FLAVIALIVM etc. *Kalator* hic per K scribitur ea ratione, qua *Kalare*, et *Kalendæ.* *V.* CALO, as. — Sed et in privatis familiis *calatores* fuere. *Paul. Diac. p.* 38. 13. *Müll.* quidem docet, hoc nomine omne servorum genus significari, quia semper vocari possunt ob necessitatem servitutis. Alii dicunt, *calatorem* esse qui nomina dictat domino, qui et *nomenculator* appellatur: alii eum, qui alios vocat ad ministerium. Verius puto servos privatos a similitudine publicorum nomen accepisse, quod ultro citroque cum mandatis a domino mitterentur. *Plaut. Rud.* 2. 3. 5. Est ne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi? *Id. Merc.* 5. 2. 11. Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger. Adde *Pseud.* 4. 2. 52., quo loco, ut et in *Mercatore*, militis servum designat. Ex quo quidam putant, calatorem et calonem idem esse: quæ sententia ex his locis non satis probatur.

CĂLĀTŌRĬUS *vel* kalatorius, a, um, adject. ad calatores pertinens. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 449. n. 58. PERMISSV KALATORIO ET FLAMINVM TRICLIAM FECIT. *h. e.* Calatorum et Flaminum.

CĂLĀTUS *vel* kalatus, a, um. *V.* CALO, as.

CALAUTĬCA. *V.* CALVATICA.

CĂLAURŎPA, æ, f. 1. καλαῦροψ, οπος, pedum; a κᾶλον *lignum*, αὖ *retro*, et ῥοπή *incurvatio.* *Hygin.* (ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 46. edit.) *fab.* 46. Curvam calauropam habet (*Pan*), id est pedum, quia annus intra se recurrit. *Alter mytograph.* apud *eumd. ibid. p.* 102. Recurvum baculum calauropam (*Pan*) habet, id est pedum, propter annum, qui se recurvat. *Scholiast. Venet.* a *Villoisonio* edit. ad *Homer. Il.* φ. 974. habet: Ῥάβδος καλὴν ῥοπὴν ἔχουσα. V. *Etymolog. M.* in Καλαῦροψ.

CALBĬENSIS, e, adject. *Forcellino* videbatur esse accola amnis in Caria, cui nomen Calbis, a *Ptolemæo l.* 5. *c.* 2. et *Mela* 1. 16. memorati. Probabilior tamen est *Grævii* et *Orellii Inscript.* n. 1924. conjectura, *calbienses* esse milites calbeis seu galbeis donatos. *Inscript.* apud *Gruter.* 36. 1., quæ apud *Orell.* est mox *cit.* SOLI SANCTISSIMO SACRVM TI. CLAVDIVS FELIX ET CLAVDIA HELPIS ET TI. CLAVDIVS ALYPVS FIL. EORVM VOTVM SOLVERVNT LIBENS MERITO. CALBIENSES DE COH. III.

CALBEI, ōrum, m. plur. 2. auctore *Paul. Diac. p.* 46. 19. *Müll.* dicebantur armillæ, quibus triumphantes utebantur, et milites ob virtutem donabantur. Dicti sunt vel a καλὸς *pulcher*, vel a *galbeus* viridis, vel a καρπὸς *junctura manus*, quod primo *carpios* diceretur, deinde *calpios*, tandem *calbius*, vel *calbeus.* — *Calbiæ, arum*, f. plur. 1. etiam vocatæ videntur armillæ in *Not. Tir. p.* 127. Comptus, incomptus, calibiæ. *V.* GALBEI. — Idem *Paul. Diac.* sub littera G ponit *Galbeum ornamenti genus.* Ubi idem, quod in hac voce, significare videtur.

CALCĀBĬLIS, le, adject. qui calcari potest. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Agger calcabili silice crustatus.

CALCĀNEUM, i, n. 2. pars posterior imi pedis, a calcando ita appellata, quæ et *calx* dicitur. *Virg. Mor.* 36. Continuis rimis calcanea scissa rigebant. *Lamprid. Elagab.* 20. Comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum. — A quibusdam grammaticis et lexicographis ponitur etiam *calcaneus*, i, m., sed nullo adhuc firmatur auctore.

CALCAR, āris, n. 3. (calx) stimulus ferreus calci alligatus, quo equos pungimus et incitamus, ut docet *Isid.* 20. *Orig.* 16. 6. Calcaria dicta, quia in calce hominis ligantur, id est in pedis posterioris parte, ad stimulandos equos, quibus aut pugnandum est, aut currendum (It. *sperone, sprone*; Fr. *éperon*; Hisp. *espuela*; Germ. *der Sporen*; Angl. *a spur*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Asin.* 3. 3. 118. Calcari agitare quadrupedem adversum clivum. *Auct. B. G.* 8. 48. Incendere equum calcaribus. *Liv.* 2. 6. et *Curt.* 7. 4. 18. Concitare equum calcaribus. *Id.* 2. 20. et 4. 19. et 33.; *Curt.* 7. 2. 6. et 8. 13. 8.; et *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 38. Subdere equo calcaria. *Virg.* 6. *Æn.* 881. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos. *Curt.* 4. 16. 6. Calcaribus subditis proruere in hostem. *Val. Max.* 3. 2. 9. Equus calcaribus stimulatus. *Sil. It.* 10. 280. Calcaribus auferre equum. — *Enn. Quir. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 2. *p.* 233. *edit. Mediol.* ex Amazonis statua, quæ in sinistro tantum pede fibulam habet, arguit, veteres uno tantum calcare esse usos, cujus rei confirmandæ causa locum affert *Virg.* 11. *Æn.* 714. Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat. Adde *Sil. It.* 17. 540. Jam compos voti ferrata calce cruentat Cornipedem. At ex *loc. citatis* argui potest, antiquitus Romanos calcaribus quidem usos, non item unico tantum, quia poetarum mos est singularem numerum pro plurali usurpare. ¶ 2. Per similitudinem dicitur calcar, quod acutum extat in cruribus gallinarum et gallinaceorum. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 8.

II.) Translate ponitur pro stimulo, incitamento; eique *freni* opponuntur, ut apud *Cic.* 56. 204. Ut Isocrates in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. *Id.* 3. *Orat.* 9. 36. In altero calcaribus, in altero frenis uti. *Id.* 6. *Att.* 1. 12. Alter frenis eget, alter calcaribus. *Id. ibid.* 1. 5. Adscribit etiam, et quasi calcar admovet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam. *Varro* apud *Non. p.* 451. 29. *Merc.* Ventus sub occasu vehementius sufflare et calcar admovere. *Nonius* calcar exponit impetum. *Id.* apud *eumd. p.* 70. 13. Addere calcar. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 216. si munus Apolline dignum Vis complere libris et vatibus addere calcar. *Lucret.* 5. 1074. equus calcaribus ictus amoris. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 35. laudataque virtus Crescit, et immensum gloria calcar habet. — *Addere calcaria sponte currenti* proverb. de eo, qui alterum incitat et hortatur jam ultro facientem. *Plin.* 1. *Ep.* 8. *V.* CURRO.

CALCĀRĬA, æ. *V.* CALCARIUS.

CALCĀRĬĀRĬUS, a, um, adject. ad calcariam et calcem pertinens, ut Negotians calcariarius, *Inscript.* apud *Gruter.* 641. 1. Exonerator calcariarius, *Ibid.* 1117. 5., et apud *Orell.* 302.

CALCĀRĬENSIS, is, m. 3. calcarius, qui calci excoquendæ et perficiendæ dat operam. *Impp. Constantius, et Constans Cod. Theod.* 12. 1. 37. Hoc et in calcariensibus et fabricensibus et argentariis observetur.

CALCĀRĬUS, a, um, adject. ad calcem muralem pertinens, ut *calcaria fornax* apud *Caton. R. R.* 38. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (53). — Hinc

Calcaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est officina, in qua calx muralis conficitur. *Ulp. Dig.* 48. 19. 8. § 10. In calcariam vel sulphurariam damnare aliquem. *Ammian.* 27. 3. Calcarias vino extinguere. — *De calcaria in carbonariam pervenire* proverb. apud *Tertull. Carn. Christi* 6., quod significat de impuro loco in immundiorem venire, vel de minore in majorem calamitatem incidere.

Calcarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui calcem coquit. *Cato R. R.* 16. Perficit et coquit et ex fornace calcem eximit calcarius.

CALCĀTOR, ōris, m. 3. qui calcat, et speciatim qui calcat uvas. *Calpurn. Ecl.* 4. 124. Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas. *Hieronym. in Isaiam l.* 5. *c.* 16. *n.* 9. Calcatores uvarum.

CALCĀTŌRĬUM, ii, n. 2. locus in cella vinaria, in quo uvæ calcantur. Ita *Forcellinus*: at juxta *Schneider.* ad *Pallad. loc.* mox *citand.*, calcatorium est, et quidem rectius, locus editus in cella vinaria, ex quo vinum in dolia funditur. *Pallad.* 1. *R. R.* 18. 1. *de cella vinaria.* Basilicæ ipsius forma calcatorium loco habeat altiore constructum, ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depressi sint, gradibus tribus fere, aut quatuor ascendatur.

CALCATRIX, īcis, f. 3. quæ calcat: sed occurrit translate tantum, et est contemptrix. *Prudent. Psychom.* 587. Calcatrix mundi.

CALCĀTŪRA, æ, f. 1. actus calcandi, calcatus. *Vitruv.* 10. 5. 1. *Schneid.* Rotæ modiolis aquam haurientes, et in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versatæ, præstant quod opus est ad usum. *h. e.* sine ope hominum, qui calcando rotas versent, ut *ibid.* dicitur 4.

CALCĀTUS, a, um. *V.* CALCO.

CALCĀTUS, us, m. 4. actus calcandi, calcatura. *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 17. Ne post calcatu assiduo terra effossa solidetur. *V.* TABULO.

CALCEĀMEN, inis, n. 3. Scribitur et *calciamen*: sic *calciamentum, calciarium, calciatus, calcio, as*, et si qua sunt alia per *i* sæpe scripta reperiuntur, sæpe etiam per *e*. *Dausq.* videtur *i* retinere: fatetur tamen utramque scriptionem usu receptam esse. — Calceamen est idem ac calceamentum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (34). Calceamina amurca ungi. *Id.* 19. *ibid.* 2. 7. (27). Calceamina et pastorum vestis ex sparto.

CALCEĀMENTUM *vel* calciamentum, i, n. 2. nomen generale, quo calceorum omne genus significatur (It. *scarpa*; Fr. *chaussure, soulier*; Hisp. *calzado*; Germ. *Fussbekleidung oder Schuhwerk*; Angl. *a sandal, shoe*). *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 90. Mihi amictui est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 1. Calceamenta utrique sexui convenientia. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (38). Induere calceamentum. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 17. 30. (65)., 28. *ibid.* 16. 62. (222). et 36. ibid. 17. 27. (131).; *Cels.* 8. 22.; et *Dig.* 34. 2. 25. § 4. — Dicuntur etiam *calceamenta*, quibus crura vestiuntur, quæ et *tibialia* appellantur. *Justin.* 1. 2. *de Semiram.* Igitur brachia ac crura calceamentis, caput tiara texit. Ita legit *Salmas. in comment.* ad *Trebell. Gallien.* 16. Alii *velamentis.*

CALCEĀRĬA, æ. *V.* CALCEARIUS.

CALCEĀRĬUM *vel* calciarium, ii, n. 2. pecunia militibus ad calceos comparandos data, sicut *vestiarium*, quod in vestes impenditur, *clavarium*, quod in clavos, etc. *Sueton. Vesp.* 8. Classiarios, qui ab Ostia et Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine, jussit excalceatos cursitare. *Ulp. Dig.* 34. 1. 21. Diariis relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calcearium deberi, palam est. Adde *ibid.* 2. 15. 8. § 12. et 14.

CALCEĀRĬUS, a, um, adject. ad calceos pertinens. — Hinc

Calcearia, æ, f. 1. absolute. *Varro* 8. *L. L.* 55. *Müll.* Quoniam taberna, ubi venit vinum, a vino *vinaria*, a creta *cretaria*, ab unguento *unguentaria* dicitur; ἀναλογικῶς si essent vocabula, ubi caro venit, *carnaria*; ubi pelles, *pellaria*; ubi calcei, *calcearia* dicerentur; non laniena, pellesuina, sutrina. Hinc apparet inusitata *Varronis* tempore fuisse vocabula *carnaria, pellaria, calcearia*, licet ille putet recte dici potuisse; quod tamen ne posterioribus quidem temporibus usurpatum fuit a scriptoribus Latinis.

CALCEĀTOR *et* calciator, ōris, m. 3. qui calceat. *Inscript.* apud *Murat.* 909. 12. M. LIVIVS AVG. L. MENOPHILVS CALCIATOR.

CALCEĀTUS *vel* calciatus, a, um. *V.* CALCEO.

CALCEĀTUS *vel* calciatus, us, m. 4. idem quod calceamentum. *Sueton. Cal.* 52. Vestitu calceatuque, et cetero habitu neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem usus est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (221). In calceatu fasciis utebatur. *Id.* 23. *ibid.* 6. 59. (110). Solutus vinculo omni cinctus et calceatus. *Id.* 28. *ibid.* 16. 62. (222). Injurias e calceatu sanat ex oleo corii caprini cinis. *Id.* 11. *ibid.* 45. 105. (254). Cameli longiore itinere sine calceatu fatiscunt.

CALCEO *vel* calcio, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Calceatus* et *Calceandus* 1. — Calceo est calceis vestio (It. *calzare*; Fr. *chausser, munir de souliers*; Hisp. *calzar*; Germ. *mit Schuhen versehen, beschuhen*; Angl. *to put on shoes, shoe*). Occurrit ¶ 1. De hominibus. *Cic. Cæl.* 26. 62. Non satis commode calceatus et vestitus. Cf. *Sueton. Aug.* 78. Ita ut vestitus calceatusque erat. *Varro* apud *Non. p.* 478. 13. Calceatum introire in templa. *Phædr.* 1. 14. 15. Cui calceandos nemo commisit pedes. *Sueton. Vesp.* 21. Calceabat ipse sese. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (181). Obiere, dum calceantur matutino, duo Cæsares. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (41). Calceare aliquem soccis. *Id.* 7. *ibid.* 20. 19. (83). cothurnis. *Id.* 32. *ibid.* 9.

36. (110). Fibrinis pellibus calceari. — Jocularíter *Plaut. Capt.* 1. 2. 84. parasito tribuit *dentes calceatos*, hoc est munitos, paratos instructosque ad comedendum: sumpta translatione a viatoribus, qui per scruposas vias ituri, calceis diligentius se muniunt. Dixerat enim parasito is, qui ad cœnam invitaverat: *Nam meus scruposam victus commeat viam.* Similis est *Ennii* sententia apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 25. Quippe sine cura lætus, lautus cum advenis, Insertis malis, expedito brachio, Alacer, celsus, lupino exspectans impetu, Mox dum alterius abligurias bona. Ubi *insertæ malæ* videntur esse clausæ et adstrictæ, dentibus invicem presse insertis, quales esse valde esurientium solent. Sed alii leg. *infertis*, quod quid sit, non facile dixerim. Ita *Martial.* 12. 45. *caput calceatum* festive vocat illius, qui galericulo hædina pelle confecto calvam sibi contegebat. ¶ 2. Item de brutis animantibus, quorum pedes aliqua re, in calceorum formam, tegebantur, aliter omnino atque apud nos. *Pallad.* 1. *R. R.* 24. 2. Sparteâ, quâ calceantur animalia. *h. e.* solea ex sparto, qua induí boves solebant, cum pedibus laborabant, ut *Colum.* 6. *R. R.* 12. et 15. docet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. (215). Simias visco inungi laqueisque calceari imitatione venantium tradunt. *Sueton. Vesp.* 23. Calceare mulas. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 58. 2. ¶ 3. Per similitudinem equi pes siccus et solidus et cornu concavo, *altius calceatus* dicitur a *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 2., h. e. qui altas ungulas habet, ut est apud *Colum.* 6. *R. R.* 29. 3.

CALCEOCALIGA, æ, f. 1. Differt a *calceo*, qui pedem tantum vestiebat, et eadem videtur esse ac *caliga*, quæ pedem et partem cruris tegebat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 161.

CALCEŎLĀRIUS, ii, m. 2. qui calceos conficit. *Plaut. Aul.* 3. 5. 38. Propolæ, linteones, calceolarii.

CALCEŎLUS, i, m. 2. deminut. *a* calceus, parvus calceus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 83. Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. *C. Memmius* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 261. Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus. *Scribon. Compos.* 208. Calceolorum linguiæ. *Hieronym. Ep.* 54. *n.* 7. Non habuit crispantes mitras nec stridentes calceolos, aut orbes stibio fuliginatos. *V.* STRIDOR.

CALCEUS *vel* calcius i, m. 2. pedis indumentum, quod fit plerumque ex pellibus animalium, viris feminisque commune, ingenuis tamen; nam servi calceis non utebantur. Est a *calx, calcis*, quia non pedem tantum, sed et calcaneum vestit, sicut *solea* solum pedis tantummodo, *caligæ* vero et partem cruris tegebant. Alii, sed minus recte derivant a χάλον lignum, quod olim e ligno calcei fierent (It. *scarpa*; Fr. *soulier, bottine*; Hisp. *borcegui, botin*; Germ. *d. Schuh*; Angl. *a shoe, sandal, slipper*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato* apud *Festum p.* 142. 28. *Müll.* Calcei mullei. Adde *Titinium* apud *eumd. l. c.* et cf. *Vopisc. Aurel.* 49. et *Tertull. Pall.* 4. *Varro* 9. *L. L.* 40. *Müll.* Calcei muliebres, viriles. Cf. *eumd.* apud *Non. p.* 253. 5. *Merc. Cic.* 1. *de republ.* 12. 18. Calceos et vestimenta sumere. *Id.* 2. *Phil.* 30. 76. Calcei et toga. Adde *Quintil.* 11. 3. 137. et *Plin.* 7. *Ep.* 3. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 231. Uti calceis. *Id. ibid.* Calcei habiles et apti ad pedem. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 31. male laxus In pede calceus hæret. *Id.* 1. *Ep.* 10. 42. ut calceus olim, Si pede major erit, subvertet; si minor, uret. *Sueton. Oth.* 6. Calceus laxatus. *Id. Aug.* 92. Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, ut dirum auspicium observabat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (24). Calceus lævus. *Apul.* 7. *Met.* Indutus calceis. *Scribon. Compos.* 161. Calceus duplex. *Inscript.* apud *Orell.* 543. et *Isid.* 19. *Orig.* 34. 4. patricius. *Dig.* 9. 2. 5. § 3. et 19. 4. 13. § 4. Forma calcei. — De universa veterum calceorum ratione eruditum condidit libellum *Benedictus Balduinus. Rubenius* quoque *de re vestiar. l.* 2. de hac eadem re disserit. — *b*) Speciatim *calceos mutare* est calceos, quibus induti sumus, deponere aliosque inducere, ut apud *Cic. Mil.* 10. 28. Et figurate est etiam conditionem statumque mutare. Romani enim senatores calceos habebant diversos a communibus, ejusque ordinis peculiares. Hinc *Cic.* 13. *Phil.* 13. 28. Est etiam Asinius quidam, senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Cæsaris mortem: mutavit calceos: pater conscriptus repente factus est. — *c*) *Calceos poscere* dicebantur convivæ, cum peracta cœna erant abituri. Nam discumbentes ponebant calceos, ne triclinares lectos fœdarent. *Plin.* 9. *Ep.* 17. Quam multi, cum lector aut lyristes aut comœdus inductus est, calceos poscunt! — *d*) Proverbialiter dicta videntur sequentia. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 47. Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat. *Varro* apud *Non. p.* 48. 27. *Merc.* Calceos elixos facere. *h. e.* aqua vel maxime madentes. *Quintil.* 11. 3. 143. Ad calceos usque.

CALCHISSO, as, are, n. 1. χαλχίζω, vaticinor: verbum fictum ex Calchante vate. *Cæcilius* apud *Non.* 6. 94. *edit. vet.* Calchissat hic vicinus se asperisse et vobis. *Bothius* legendum conjicit: *asperum peperisse vobis* pro *asperisse et vobis*. At rectius *Spengelius* ita legendum putat: Parere etiam viros dici posse Cæcilius auctor est Chalcis: At hic vicinus sat peperit et vobis dictum: dictum id prudenter et natum.

CALCIĀRIUM, CALCIĀTUS, etc. *V.* CALCEARIUM, etc.

CALCIFRĂGA, æ, f. 1. herba, quam nunc fœniculum marinum, vel marinam cristam vocant, Galli *percepierre*, Itali, ut quidam putant, *citracca*, nascens in marinis montibus, fere in saxo, et quo propius mari fuerit, minus salsa est; quo longius magisque terrena, amarior sentitur, ut est apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 51. (75). — Nomen habet a frangendis calculis vesicæ, ut *Dioscorides l.* 3. *c.* 151. docet. *Scribon. Compos.* 150. Herba σκολοπένδριον, quam nos calcifragam appellamus. Adde *ibid.* 153. Utroque autem loco calculosis prodesse tradit. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 448.) hanc exhibet synonymiam, quam tamen et ipse in dubium revocari posse affirmat. Ἔμπετρον, οἱ δὲ φακοειδὲς Dioscor. 4. 181.; *Empetros sive calcifraga* Plin. l. c. sunt *Salsola polychlonos* L. *Mantiss.* 54.

CALCIO, as. *V.* CALCEO.

CALCĪTRĀTUS, us, m. 4. actus calcitrandi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (174). Mulæ calcitratus inhibetur vini crebriore potu.

CALCĪTRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. calcibus ferio (It. *tirar calci, calcitrare, scalcheggiare*; Fr. *donner, lancer des ruades*; Hisp. *cozar*; Germ. *mit der Ferse schlagen, hinten ausschlagen*; Angl. *to kick, spurn, strike with the heels*).

I.) Proprie dicitur de brutis animalibus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 16. 53. (149). Mulas non calcitrare cum vinum biberit. — Item de hominibus, qui nervorum contractione corripiuntur. *Ovid.* 12. *Met.* 238. Sanguinis ille globos pariter cerebrumque merumque Vulnere et ore vomens, madidâ resupinus arenâ Calcitrat. *h. e.* palpitat: cf. *eumd.* 5. *ibid.* 40.

II.) Translate est totis viribus alicui rei obsistere. *Cic. Cæl.* 15. 36. Illum filium familias patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti. — Hinc *Calcitrare contra stimulum*, proverb. apud *Ammian.* 18. 5., de quo *V. Calx* sub *A.* et STIMULUS.

CALCĪTRO, ōnis, m. 3. qui calcibus ferit. *Varro* apud *Non. p.* 45. 2. *Merc.* Equum mordacem, calcitronem horridus miles non vitabat. *Plaut. Asin.* 2. 3. 10. Ita hæc morata est janua; extemplo janitorem clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem. *h. e.* qui fores ædium calcibus pultat: alii vero intelligunt hominem rixosum, qui alios facile percutiat, et figurate accipiunt. Adde *Cœl. Sabin.* apud *Gell.* 4. 2.

CALCĪTRŌSUS, a, um, adject. idem qui calcitro. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 26. Nunquam stimulo lacessat juvencum, quod retractantem calcitrosumque eum reddit. *Ulp. Dig.* 9. 1. 1. § 4. Si equus calcitrosus calce percusserit. Adde *ibid.* 21. 1. 4. § 3.

CALCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Calcans* I. 1.; *Calcatus* in omnibus ferme paragr.; *Calcaturus* I. 1.; *Calcandus* I. 3. — Calco est calce et pede premo (It. *premere col piede, calcare*; Fr. *fouler, marcher dessus*; Hisp. *hollar, atropellar, pisar*; Germ. *etwas mit den Fersen oder vollem Fusse treten, betreten, eintreten*; Angl. *to tread or trample upon, tread under foot*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est aliquid calce et pede insiliendo premere. *Ovid.* 12. *Met.* 390. terrâque ferox sua viscera traxit, Tractaque calcavit, calcataque rupit. *Id.* 10. *ibid.* 23. Calcata vipera diffudit venenum. *Id.* 13. *ibid.* 804. Calcare hydrum. *Id.* 5. *ibid.* 88. et 4. *Pont.* 7. 47.; et *Juvenal.* 16. 86. acervos morientium. *Colum.* 6. *R. R.* 15. 1. surculum. *Sueton. Cal.* 35. laciniam togæ. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 89. (138). Calcata ossa serpentis. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Alius manu æger, ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. *Id.* 5. *ibid.* 17. Cineres ossaque legionum calcantes. Cf. *Claudian. I. Cons. Stilich.* 349. ceu protinus omnes Calcaturus equis. *Petron. Satyr.* 135. Calcato radiabat marmore terra. *h. e.* calcatu pedum attrito et splendenti. *Martial.* 12. 50. Calcatusque tuo sub pede lucet onyx. — Hinc ponitur et de iis, quæ calcantur, ut inde aliquid exprimatur, ac præcipue de uva. *Cato R. R.* 112. Calcare uvas in torculario. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 54. 2. *Ovid.* 2. *Met.* 29. Stabat et auctumnus calcatis sordidus uvis. Adde *eumd.* 4. *Fast.* 897. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 32. 75. (322). Calcare musta. ¶ 2. Sæpe est inculcare, calcando immittere, arcte infarcire et implere: et occurrit — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 28. Terram pedibus, fistucis vectibusque calcare. *Id. ibid.* 52. qualum terrâ impletum bene. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 11. Calcatis frondibus terram contegere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 52. (173). ferratis vectibus solum parietesque. *Inscript.* apud *Don. cl.* 11. *n.* 6. LOCVM EMIT MASSAM CALCAVIT CVPAM AEDIFICAVIT. *h. e.* murum, in quo olla sive cupæ in suis loculis collocarentur, extruxit. — In illo *Auct. B. Hisp.* 16. Secumque extulerunt calcatas ad fossas complendas; *crates* alii legunt, alii *calcatas* retinent et *crates* subintelligunt, alii tandem putant, *calcatam* esse materiam sabulo, glarea et calce constantem: at præstat intelligere id genus operis, quod salignis viminibus textum, et saxis terravе repletum, Itali *gabbione*, nostrates vulgo *volpara* appellant. — Item calcare est in mortario contundere, ut apud *Pallad.* 2. *R. R.* 20. et *Apic.* 2. 3. — *b*) Addito in quo quid inculcatur. *Cato R. R.* 117. Calcare oleas in orculam manibus siccis. *Varro* 5. *L. L.* 106. *Müll.* acus et tomentum in culcitas. *Virg.* 2. *G.* 243. Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undæ Ad plenum calcentur. *Stat.* 8. *Theb.* 542. Calcare alicui clipeum in pectora. ¶ 3. A Poetis ponitur de locis, et est ambulare, peragrare. *Horat.* 1. *Od.* 28. 16. Calcanda semel via leti. *Ovid. Heroid.* 2. 121. Mæsta tamen scopulos fruticosaque littora calco. *Id.* 3. *Trist.* 10. 39. durum calcavimus æquor. *h. e.* glacie concretum. *Petron. Satyr.* 118. Ceteri aut non viderunt viam, aut visam timuerunt calcare. *Id. ibid.* 122. Hæc ubi calcavit loca Cæsar millie læto Oravitque locum etc. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 515. patulum prospectans Narnia campum Regali calcatur equo. *Sil. It.* 3. 675. Has umbras nemorum et connexa cacumina cælo, Calcatosque Jovi lucos prece, Bostar, adora. *h. e.* habitatos. ¶ 4. Calcare dicitur etiam gallus gallinam iniens. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 24. Quæ velut mares cantare atque etiam calcare cœperunt. *Sunt qui putent hic calcare poni pro pedibus scalpere, quemadmodum sæpe solent gallinæ more gallorum: ita etiam accepit* Benedict. Del Bene, *qui locum hunc vertit Italice* scalpitare.

II.) Translate est proculcare, contemnere, nihili ducere; et usurpatur etiam cum abstractis. *Liv.* 34. 2. Libertatem obterere et calcare. *Propert.* 2. 7. 82. Insultetque rogis, calcet et ossa mea. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 5. Vicimus et dominum (*al. rectius domitum*) pedibus calcamus amorem. Adde *eumd.* 5. *Met.* 88. et 12. *ibid.* 391. *Justin.* 12. 16. 11. Cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit; nullam gentem adiit, quam non calcaverit. *Auct. Paneg. ad Pison.* 107. non humilem calcat fastosa clientem. *Seneca* 4. *excerpt. Controv. in præf. ad fin.* Verbis calcatis et obsoletis uti. *h. e.* abjectis, sordidis, usu damnatis. *Id.* 4. *Benef.* 1. 2. Calcatis utilitatibus. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 28. 2. *Quintil.* 5. 13. 22. Simulatio huc usque procedit, ut quæ dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus. *Id. Declam.* 321. Calcare patientiam alicujus. *Stat.* 3. *Theb.* 208. Calcatum fœdus. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 123. rueret derisa vetustas Nullaque calcati starent vestigia juris.

CALCŬLĀRIUS, a, um, adject. ad calculos pertinens. *Modestin. Dig.* 50. 8. 8. Calcularii erroris retractatio etiam post decennii tempora admittetur. *h. e.* error in computando.

CALCŬLĀTIO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Apud Medicos est λίθιασις, calculorum generatio in vesica. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. In vesica speciales plurimæ passiones eveniunt, tumor, collectio, debilitas, paralysis, calculatio. ¶ 2. Apud Mathematicos est computatio.

Cassiod. 1. *Variar. Ep.* 10. Crescit nova conditione, per se redeundo addita sibi semper ipsa calculatio. Adde *Venant.* 5. *Ep.* 6. *ad Syagrium.*

CALCŬLĀTOR, ōris, m. 3. idem qui Græce λογιστής, hoc est qui rationes conficit. *Isid.* 10. *Orig.* litt. *C.* Calculator a calculis, id est lapillis minutis, quos antiqui manu tenentes numeros componebant. *V.* ABACUS. *Martial.* 10. 62. Nec calculator, nec notarius velox. *Ulp. Dig.* 38. 1. 7. § 5. Si forte vel librarius, vel nomenclator, vel calculator sit. Adde *ibid.* 50. 13. 1. § 6. et *Sext. Ruf. breviar. præfat. Inscript.* apud *Grut.* 376. 7. P. CAECILIVS EPAPHRODITVS VI. VIR AVG. CALCULATOR. *Edict. Dioclet.* p. 22. Magistro instituto litterarum in singulis pueris menstruos X L.: calculatori in singulis pueris menstruos X septuaginta quinque. *Isid.* 1. *Orig.* 3. Primordia grammaticæ artis litteræ communes existunt, quas librarii et calculatores sequuntur. *Ii copisti*, et *ii computisti*: nam veteres Græci et Romani iisdem litteris seu signis utebantur in scribendo et calculando. — Ex locis supra allatis patet, hallucinari *Morcell. De stil. Inscript. T.* 3. *p.* 70. *edit. Pat.*, qui putat, *calculatorem* alium esse a *ratiocinatore*, atque ita fuisse appellatum, qui pueros litteras docebat. Sed *Schiassi*, *Lexic. Morcellian.* p. 194. *Morcelli* sententiam defendit.

CALCŬLĀTŌRĬUS vel calcŭlātōrĕus, a, um, adject. qui calculis subducendis inservit. *Inscript.* apud *Fea*, *Var. di notiz.* p. 172. Philura calculatorea. *h. e.* philyra, in qua rationes subducuntur. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 7. 73. Alveolus est tabula calculatoria, lusoria.

CALCŬLENSIS, se, adject. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (131). Purpuræ genera plura: lutense putri limo, et algense enutritum alga, vilissimum utrumque: melius tæniense in tæniis maris collectum —: calculense appellant a calculo maris, mire aptum conchyliis. Ita *Harduin.* et *Sillig.*

CALCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Calculandus* — Calculo est calculum pono, rationem ineo.

I.) Proprie. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 131. Nam calculanda primitus, Tum subnotanda est summula.

II.) Translate calculare est in pretio habere. *Sidon. in concion post Ep.* 9. *l.* 7. Solam clericatus diuturnitatem pro meritis autumant calculandam.

CALCŬLŌSUS, a, um, adject. calculis abundans (It. *pieno di sassolini*; Fr. *plein de pierres ou de cailloux*, *pierreux*; Hisp. *pedregoso*; Germ. *mit Steinen versehen*; Angl. *full of plebbes or gravel*). Occurrit ¶ 1. De solo vel terra. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 7. Calculosus ager. *Id. Arbor.* 21. Ficus loca aprica, calculosa, glareosa, interdum et saxosa amat. Adde *eumd.* 5. *R. R.* 10. 9. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (170). Lateres non sunt e sabuloso, neque arenoso, multoque minus calculoso ducendi solo. Adde *Gargil. pers. p.* 397. *Mai.* ¶ 2. Item de iis, qui calculis vesicæ laborant. *Cels.* 7. 26. 2. Adhibere curationem calculosis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 9. (42). Ejectus lapillus calculoso, alligatusque supra pubem, levare ceteros dicitur. Adde *Scribon. Compos.* 150. et 153.; et *Veget.* 2. *Veterin.* 18.

CALCŬLUS, i, m. 2. lapillus, ita dictus per deminutionem a *calx*, *calcis*, qua lapidem significat, ut docet *Paul. Diac.* p. 46. 2. *Müll. Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 180. et *Isid.* 16. *Orig.* 3. tradunt, *calculum* esse lapillum terræ admixtum, atque ita appellari, quod sine molestia calcatur (It. *sassolino*; Fr. *petite piere*, *caillou*; Hisp. *guijarro*; Germ. *ein kleiner Stein*, *Steinchen*; Angl. *a pebble*, *small stone*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 262. Demosthenes conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronunciare consuescebat. Cf. *Quintil.* 11. 3. 54. *Virg.* 2. *G.* 180. Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis. *Vitruv.* 7. 2. 2. Si ad asciam offenderint calculi, calx non erit temperata. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 9. 33. (124). Calculi marini. *h. e.* qui in fundo maris sunt. *Id.* 4. *ibid.* 8. 15. (31). Peneus amnis viridis calculo. *h. e.* virides calculos in fundo habens. ¶ 2. Specialim dicitur de lapillo, qui in renibus et vesica gigni solet. *Cels.* 7. 26. Urina non redditur, quia calculus intus se opposuit. *V.* ibi plura. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 27. 100. (173). Calculorum valetudo. *Id.* 20. *ibid.* 21. 86. (234). Curare calculos. et *ibid.* 22. 87. (240). discutere. et *ibid.* 4. 13. (23). comminuere et ejicere. *Id.* 20. *ibid.* 22. 91. (248). movere. *Id.* 11. *ibid.* 37. 83. (208). nasci. *Id.* 20. *ibid.* 10. 42. (109). exturbare. *Id.* 22. *ibid.* 21. 26. (54). pellere. et *ibid.* 29. (59). frangere. *Id.* 23. *ibid.* 8. 80. (153). rumpere. ¶ 3. Sunt etiam calculi lusorii, nempe iidem, qui *latrunculi*, et *latrones*, Græce κύνες: ludus valde similis ei, quem Itali dicunt *scacchi*. Dicti sunt *calculi*, quia primum lapillis ad id ludi genus usi sunt: deinde ex alia materia fecere, sed frequentissime e vitro, aliquando etiam ex ebore, auro, argento. Triginta duo erant, bicolores, fere autem sexdecim albi, ac totidem nigri, vel rubei: disponebantur in tabula lusoria hinc atque inde in duas turmas divisi, suisque regionibus limitisque conclusi, movebanturque multa arte, ne circumvenire alter alterum posset. Si qui calculus incomitatus a duobus aliis discoloribus circumveniretur, vinci dicebatur, et *capi*: si duo simul contra leges ludi moti loco fuissent, *capi* quidem ab uno adversario non poterant, sed *ligari*, hoc est ita concludi, ut exire loco non amplius possent, fierentque lusori inutiles, dicebanturque *calculi inciti*: ex quo natum proverb. *ad incitas redigi. V.* INCITUS. *Isid.* 18. *Orig.* 67. tres calculorum species enumerat: alios *ordinarios*, qui ordine (seu, ut *Varro* 10. *L. L.* 22. *Müll.*, per ordines transversos vel directos) movebantur: alios *vagos*, qui vage: alios *incitos*, quos modo diximus. Universam tractandorum calculorum rationem ita describit *Auct. Paneg. ad Pison.* 180. Callidiore modo tabula variatur aperta Calculus, et vitreo peraguntur milite bella, Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos. Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem? Mille modis acies tua dimicat: ille petentem Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu, Qui stetit in speculis: hic se committere rixæ Audet, et in prædam venientem decipit hostem. Ancipites subit ille moras, similisque ligato Obligat ipse duos: hic ad majora movetur, Ut citus, et fracta prorumpat in agmina mandra, Clausaque dejecto populetur mœnia vallo. Interea sectis quamvis acerrima surgant Prœlia militibus; plena tamen ipse phalange, Aut etiam pauco spoliata milite, vincis. Et tibi captiva resonat manus utraque turba. Hujus ludi victoria in eo sita erat, ut alter alterum calculis omnibus spoliaret, aut omnes ad incitas redigerit. Calculorum turba *milites* dicebantur, vel, ut alii volunt, erant utrimque duo centuriones, duo elephantes, duo equites, duo satellites, et octo pedites. Totus vero hic ludus imago fuit militaris aciei, quem propterea illi potissimum callere solebant, qui in re bellica versabantur. Qui superior discedebat, imperator exiisse dicebatur, cujus rei testimonium habetur apud *Vopisc. Procul.* 13. *V.* IMPERATOR. — Sunt qui putant, calculorum ludum a latrunculis distinctum esse, sed unam eamdemque rem esse *Wernsdorfius Poet. Latin. min. T. IV. Excurs. XI. p.* 404. et *seqq.* pluribus probat, et confirmant exempla, quæ subjicimus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 207. Sive latrocinii sub imagine calculus ibit: Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus. *Et* 3. *ibid.* 357. Cautaque non stulte latronum prœlia ludat. Unus cum gemino calculus hoste perit. *Val. Max.* 8. 8. 2. Alveo et calculis vacare. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Laxare animum lusu calculorum. *Quintil.* 11. 2. 38. Calculum promovere priorem. *Gell.* 14. 1. De calculis et alveolo dicere. *Martial.* 14. *Epigr.* 20., cui titulus *Calculi*. Insidiosorum si ludis bella latronum, Gemmeus iste tibi miles et hostis erit. *V.* MANDRA. — Hinc figurate *Cic.* apud *Non.* p. 170. 30. *Merc.* Calculum reducere. *h. e.* sententiam vel consilium mutare. ¶ 4. Præterea quoniam lapillis rationes inire mos olim fuit, eorumque adjectione aut detractione aliquid numerare, *calculus* ponitur pro supputatione. *Cic. Amic.* 16. 58. et *Liv.* 5. 4. Vocare aliquem ad calculum, ut par sit ratio acceptorum et datorum. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 60. Calculos subducere. *Id.* 8. *Att.* 12. 5. Nunc saltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus, ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam salubribus. *Forcellinus* hunc locum a lusoriis calculis translatum accepit: profecto hæc figurate proferuntur. *Val. Max.* 4. 7. 1. Revocare aliquid ad calculos. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 3. Imposito calculo rationem computare. *Id.* 1. *ibid.* 3. 8. Ratio calculorum. *Id.* 3. *ibid.* 3. 7.; *Plin. Paneg.* 20. et *Petron. Satyr.* 115. Ponere calculum cum aliquo. *Quintil.* 12. 11. 18. Calculorum anxiæ sollicitudines. *Id.* 11. 3. 59. Calculi atque rationes. *Capitolin. Pertin.* 1. Puer litteris elementariis et calculo imbutus. *Paul. Dig.* 4. 3. 29. Calculi ratione convenire aliquem. *Ulp. ibid.* 3. 2. 6. Calculum judicio dirimere. *Macer ibid.* 49. 8. 1. Error calculi. — Huc pertinent et illa, quæ *Forcellinus* translate accepit, *Plin.* 1. *Ep.* 14. *ad fin.* Hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. *Id.* 2. *ibid.* 19. *ad fin.* Omnes, quos ego movi, in utraque parte calculos pone. *h. e.* omnia rationum momenta, quæ ego proposui, perpende, et veluti rationem ini. *Id.* 5. *ibid.* 2. Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere non possum. *h. e.* par pari referre, et quasi parem rationem adscribere. ¶ 5. Item quia lapillis vel nigris, vel albis in urnam conjectis suffragium, aut sententiam ferebant veteres, sumitur *calculus* pro sententia, aut suffragio. *Ovid.* 15. *Met.* 41. Mos erat antiquus, niveis, atrisque lapillis, His damnare reos, illis absolvere culpæ. Nunc quoque sic lata est sententia tristis; et omnis Calculus immitem demittitur ater in urnam. *Quintil.* 8. 3. *sub init.* Causæ paucorum calculorum. *h. e.* paucorum judicum. *Imp. Justinian. Cod.* 3. 1. 12. Judicialis calculus. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7. 62. 10. Deteriorem calculum reportare. *h. e.* adversam sententiam. *Apul.* 7. *Met.* Calculis omnibus ducatum alicui deferre. — Translate. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Si modo tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris. *h. e.* approbaveris. — Huc pertinet et illud, quod narrat *Plin.* 7. *Hist. nat.* 40. 41. (131)., scilicet morem fuisse Thraciæ gentis, ut calculos colore distinctos pro experimento cujusque diei, qui dies felix cuique isset, vel infelix, in urnam condere, ac supremo die separatos dinumerare, ad dignoscendum, utri frequentiores fuissent; atque ita de quoque pronunciare, felix ne an infelix jure dici posset: quo pertinent loca *Martial.* 12. 34. et 9. 53. et *Pers.* 2. 1. *Plin. loc. cit.* Calculi candore laudatus dies. *Plin.* 6. *Ep.* 11. Dies candidissimo calculo notandus. ¶ 6. Est etiam nomen ponderis. *Auct. de ponder.* apud *Goes. Agrar.* p. 322. Ponderum pars minima calculus est, qui constat ex granis ciceris duobus, et apud quosdam siliqua pensante, quæ tribus granis hordei declaratur in pondere. Duo calculi ceratium faciunt. Quatuor calculi, sive duo ceratia, obolum reddunt.

CALCUS, i, m. 2. idem ac calculus, qua est nomen ponderis. *Rhemn. Fann. de pond. et mens.* 193. *Angel.* Unus item scrupulus calcis componitur octo. *Et* 196. Ultimus est calcus, ciceris duo granula pensans. *V.* CALCULUS 6.

CALDA, æ, f. 1. *V.* CALDUS.

CALDĀMENTUM, i, n. 2. fomentum calidum. *Marcell. Empir.* 5. Caldamentis adhibitis sopiri.

CALDĀRĬA. *V.* CALDARIUS.

CALDĀRĬOLA, æ, f. 1. *vel*

CALDĀRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* caldarium, parvum vas ad aquam calefaciendam, vel ad alium similem usum. Legitur apud *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad illud 5. 47. Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam Quassatum etc. *Forcellinus* legerat fem. gen. *caldariola*; recentiores vero leg. neutr. gen. *caldariolum*.

CALDĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

CALDĀRĬUS *et raro* călĭdārĭus, a, um, adject. ad calefaciendum vel ad calescendum pertinens. *Vitruv.* 5. 10. 1. Caldarium ahenum. *h. e.* vas, in quo aqua in balneis vel alio loco calefit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 20. (94). Caldarium æs. *h. e.* æs, quod tantum funditur, sed malleis duci non potest; cui contrarium est *regulare*, quod et funditur et in regulas malleo ducitur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Frigidariæ cellæ connectitur media, cui sol benignissime præsto est, caldariæ magis. *Caldaria cella* in balneis erat, in qua aquâ calidâ lavabant; cui annexa erat *tepidaria*, inde *frigidaria*. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 1. Calidaria maltha. *h. e.* malthe, qua in caldaria balnei cella utebantur, si quando ejus parietes scinderentur: sicut *frigidaria*, qua utebantur in cella frigidaria. Hujus quoque meminit *Pallad. l. c.* — Hinc

Caldaria, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Subaudi *cella*, quæ, ut paullo supra diximus, in balneis erat, in qua aquâ calidâ lavabant. *Marcell. Empir.* 25. Deinde ad balneum ducas, et, cum sudaverit, diutissime compellas in tosta caldaria commorari. ¶ 2. Subaudi *olla*, in qua scilicet aqua calefit. *Apul. Herb.* 59. Herbæ radices in caldaria decoquere.

Caldarium vel *calidarium*, *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est ac caldaria cella. *Vitruv.* 5. 10. 1. Ipsa autem caldaria tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno. Adde *eumd.* 8. 2. 4. *Cels.* 1. 4. Si in balneum venit, in tepidario insudare, tum transire in calidarium *Seneca. Ep.* 86. Diem in caldarium latis specularibus admittere.

CALDOR, ōris, m. 3. calor. *Varro* 1. *R. R.* 55. 6. Olea lecta, si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, et oleum fœtidum fit. *Id.* 3. *ibid.* 9. 15. Evitare caldorem et frigus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 41. 1. *Gell.* 17. 8. Vinum semina quædam caldoris in sese habet. *Arnob.* 7. 34. Lavacrorum se refovere caldoribus.

CALDUS, a, um, adject. per syncopen a *calidus*, magis tamen usitatum, quam *calidus*. *Quintil.* enim 1. 6. 19. narrat, solitum fuisse Augustum reprehendere in C. Cæsare, quod *calidum* dicere, quam *caldum* mallet, non quia illud Latinum non esset, sed quia odiosum et, ut ipse Græco verbo significabat, περίεργον, *h. e.* nimis exquisite et curiose dictum. Porro *odiosum* appellasse videtur, quia valde proximum voci *callidus*, quod fere in malam partem usurpari solet. Ex hoc sane intelligimus, Augusti ævo *caldum* pro *calidum* usitatissimum fuisse. — *Varro* 8. *L. L.* 75. *Müll.* negare videtur Comp. *Caldior* et Sup. *Caldissimus* in usu esse: *V.* tamen infra sub II. — Ceterum *caldus* idem significat, quod *calidus*, est enim calorem habens (It. *caldo*; Fr. *chaud*; Hisp. *calido*; Germ. *warm, heiss, hitzig*; Angl. *hot, warm*).

I). Proprie. *Cato R. R.* 6. et 75. Caldus ager. *Varro* 3. *R. R.* 2. 1. sol. *Id.* 5. *L. L.* 106. *Müll.* In testa calda coquere. *Al. leg.* testu caldo. *Id. ibid.* 127. Caldam pultem apponere. *Id.* apud *Non. p.* 268. 19. *Merc.* Caldis pedibus irrumpere aliquo. *Martial.* 2. 28. Calda bucca. *Id.* 8. 67. et *Seneca Ep.* 85. aqua.

II.) Translate caldus est ad irascendum pronior, præceps, ut docet *Cic.* 2. *Invent.* 9. 28. Ut si dicamus, idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 53. Caldior est? acres inter numeretur. *Seneca Suasor.* 3. Declamatores, quos scholastici Caldos vocant. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

Calda, æ, f. 1. absolute, subaudi *aqua*, et est tum ea, qua in balneis utimur, tum ea, quam bibimus. *Seneca Ep.* 83. In frigidam descendi: hoc apud me vocatur parum calda. *Colum.* 6. *R. R.* 13. 18. et 30. 5. Fovere os calda. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 41. (83). Oleum cicinum bibitur cum pari caldæ mensura. *Martial.* 1. 12. Jam defecisset portantes calda ministros. Adde *Val. Max.* 2. 4. 5.

Caldum, i, n. 2. absolute est calda potio apud *Varron.* 5. *L. L.* 127. *Müll.*

CALECANDUS *et* **CALECATUS** } *V.* **CALICATA.**

CĂLĔFĂCIO *vel per syncopen* calfacio, fēcis, fēci, factum, făcere, a. 3. — Passive est *Calefio* vel *calfio*, raro *calefacior*, *factus sum*, *fieri*. — Apud veteres modo *calefacio* modo *calfacio* scribitur; in posterum vero *calfacio* potius usuvenit, in familiari saltem sermone; *Quintil.* enim 1. 6. 19. tradit *calfacio* suo quoque tempore usitatius fuisse, quam *calefacio* — Part. *Calefactus* in omnibus paragr. et in fin.; *Calefaciendus* I. *a.* — Est autem calidum facio (It. *scaldare*; Fr. *échauffer*, *chauffer*; Hisp. *acalorar*; Germ. *warm, heiss, oder hitzig machen, erwärmen*; Angl. *to make hot or warm, to heat, warm*).

I.) Proprie. — *a*) Active. *Cato R. R.* 69. Calfacere dolium. *Lucret.* 6. 687. calefecitque omnia circum (*saxa*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 182. Ad calefaciendum corpus igni adhibito. *Al. leg.* calfaciendum. *Varro* apud *Gell.* 13. 30. Novum (*vinum*) refrigerare, vetus calefacere. *Ovid.* 4. *Fast.* 698. calfacit igne focum. *Id.* 2. *Art. am.* 214. Algentis manus est calfacienda sinu. Adde *Scribon. Compos.* 271. et 257. — Figurate *Augustus* apud *Sueton. in ejus Vita* 71. Lusimus per omnes dies forumque aleatorium calfecimus. *h. e.* lusum multa industria tractavimus. — *b*) Absolute. *Quintil.* 5. 10. 58. Accidit igni calefacere. *Al. leg.* calfacere. — *c*) Passive. *Plaut. Epid.* 5. 1. 48. Abi intro ac jube huic aquam calefieri. Adde *eumd. Pers.* 1. 3. 25. et 30. *Cic.* 2. *Att.* 3. *in fin.* Balineum calefieri jubebo. *Calfio* per syncopen est apud *Charis.* 3. p. 220. *Putsch. Cic.* 3. *Herenn.* 12. 21. Fauces calefiunt, et arteriæ complentur. *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* Calamistris calefactis in cinere capillus ornatur. *Virg.* 12. *Æn.* 65. cui plurimus ignem Subjecit rubor et calefacta per ora cucurrit. Cf. *Nepos Eumen.* 5. *Vitruv.* 5. 10. 1. Testudines alveorum (*al. leg.* alveolorum) ex communi hypocausi calefacientur. *Id.* 4. 7. simili ratione *concalefaciuntur* dixit. *V.* CONCALEFACIO.

II.) Translate. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. 1. Eodem die Gabinium ad populum luculenter calefecerat Memmius. *h. e.* vehementer accusando exagitaverat. *Id.* 16. *Fam.* 18. 2. Iste nos tanta impensa derideat? calface hominem, ut ego Mothonem. *h. e.* commove, hortare, accende. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 4. Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus. *Virg.* 12. *Æn.* 269. Turbati cunei calefactaque corda tumultu. *h. e.* commota, accensa. *Ovid. Ib.* 47. petit primo plenum flaventis arenæ Nondum calfacti velitis hasta solum. *h. e.* nondum accensi in pugnam. *Claudian. B. Gild.* 182. Ut vino calefacta Venus.

Calefactus vel *calfactus*, a, um, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Calefactior* apud *Pelagon. Veterin.* 28. *a med.* Calefactior potio.

CĂLĔFACTĬBĬLIS, e, adject. qui calefieri potest. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. pr.* p. 279. Cum ignis sit calefactibilis, non calefactibilis non est. Adde p. 480.

CĂLĔFACTĬO, ōnis, f. 3. calefaciendi actus. *Hermogenian. Dig.* 50. 4. 1. § 2. Calefactiones thermarum. *Arcad. ibid.* 50. 4. 18. § 5. Calefactio publici balnei.

CĂLĔFACTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Calefactandus* et *Calfactandus*. — Calefacto est idem quod *calefacio*; sed quia frequentativum est, majorem quandam vim habet. *Plaut. Rud.* 2. 3. 80. Calefactare aquam. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 169. lignis calefactat ahenum. *Gell.* 17. 8. Oleum vim corporibus calefactandis habet. *Capitolin. Pertin.* 8. Vasa Samnitica calfactandæ resinæ ac pici. — Festive ac figurate *Plaut. Cas.* 2. 6. 48. Ipse actutum virgis calefactabere.

CĂLĔFACTŌRIUS, a, um, adject. calefaciendi vim habens. Usurpant *Plin. Valer.* 1. 38. et *Theodor. Priscian. de diæta c.* 10. — Hinc

Calefactorium, ii, n. 2. absolute, est idem ac frixorium. *Macrob. de diff. Gr. Latin. verbi p.* 2738. *Putsch. Frigeo*, *frixit* facit a secunda conjugatione; *frigo* vero, *frixi*, a tertia: unde *frixum*, *frixorium*, id est calefactorium.

CĂLĔFACTUS *vel* calfactus, a, um. *V.* CALEFACIO.

CĂLĔFACTUS *et per syncopen* calfactus, us, m. 4. idem fere quod calefactio; sed extra ablativum casum nondum exempla vidimus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (48). Calfactu obiter fovere. *Lactant. Opif. Dei* 14. Jecur cibos concoquit amplexu et calefactu suo.

CĂLĔFĪO *vel* calfio, factus sum, fieri. *V.* CALEFACIO.

CĂLENDÆ *vel* kalendæ, ārum, f. plur. 1. Sæpius scribitur per breviationem *Cal.* vel *Kal.* ¶ 1. Proprie et stricto sensu, calendæ dicitur primus dies cujusque mensis a καλεῖν *vocare*, a quo *calo*, *as* factum est. Primis enim reipublicæ temporibus, antequam Fasti vulgarentur, solebat minor pontifex populum calare seu convocare in Curiam Calabram, ibique re divina facta pronunciare inter alia, quot numero dies a primo ad nonas superessent, quinque ne, an septem. Qua in re utebatur his verbis (apud *Varron.* 6. *L. L.* 27. *Müll.*): *Dies te quinque calo, Juno Covella. Septem dies te calo, Juno Covella.* Primi enim cujusque mensis dies Junoni sacri erant, ut docent *Ovid.* 1. *Fast.* 55. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 15., ubi plura de hac re. Hinc factum est, ut primus mensis dies *calendæ* appellarentur. Conscriptis postea Fastis et calendario constituto, cessatum est a populi calatione, mansit tamen *calendarum* vocabulum. — *a*) Generatim. *Varro loc. cit.* Primi dies mensium nominati kalendæ ab eo, quod his diebus calantur ejus mensis nonæ a pontificibus, quintanæ an septimanæ sint futuræ. Adde *eumd.* apud *Non.* p. 23. 23. *Merc. Cato R. R.* 149. Pabulum frui occipito ex calend. Septembribus. *Cic.* 13. *Att.* 17. Rogat magnopere, ut sim calendis in senatu. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. Hæc scripsi a. d. IX. calend. Novemb. *h. e.* die vigesima quarta Octobris (De hac loquendi ratione tum in hac voce, tum in illi cognatis per totum mensem, grammaticos consule). *Id.* 3. *Att.* 17. Ea ante diem non. Jun. usque ad pridie cal. Sept. *h. e.* usque ad diem ultimum Augusti. *Id.* 13. *ibid.* 17. V. calendas expectabam Romæ aliquid. *Solin.* 1. Ante diem duodecimum calendarum Januariarum. — Sequiori Latinitatis tempore non modo per calendas et idus numerabantur dies mensium apud Romanos, sed quandoque per numerum dierum cujusque mensis, eodem prorsus pacto, quo nunc vulgo numerari solent apud recentiores Italos. *Inscript.* apud *Gruter.* 58. 4. et emendatior apud *Orell.* 1356. IN H. D. D. (*h. e.* honorem domus divinæ) PRO SALVTE IMPP. DIOCLETIANI ET MAXIMIANI AVGG. CONSTANTII ET MAXIMIANI NOBB. CAES. TEMPLVM MARTIS MILITARIS VETVSTATE COLLAPSVM AVR. SIXTVS PRAEFEC. IMP. S. (*h. e.* præfectus impensâ suâ) A SOLO RESTITVIT. DIE XIIII. M. OC. (*h. e.* mensis octobris) TVSCO ET ANVLINO COSS. (*h. e.* anno a Chr. nat. CCXCV.) Alia apud *Nardini Roma ant. T.* 2. p. 222. edit. Romæ ann. 1818. OPT. PRINC. DOM. FOCAE IMPERATORI SMARAGDVS EXARCHVS ITALIAE HANC STATVAM HVIC SVBLIMI COLVMNAE IMPOSVIT AC DEDICAVIT DIE PRIMA MENSIS AVGVSTI INDICT. VNDE PC. PIETATIS EJVS ANNO QVINTO. *h. e.* anno a Chr. n. DCVIII. — Quærit *Gell.* 12. 13. quid significet *intra calendas*, num ante calendas, an vero in ipsis calendis: respondetque ex recepta vulgi consuetudine idem esse atque *ante calendas*, sed si verborum vim spectes, significare etiam *in ipsis calendis*. Lege integrum illud caput. — *b*) Speciatim, *calendæ* propriæ sunt Latinorum: neque enim Græci hac appellatione, quamvis origine Græca sit, sed alia utuntur ad denotandum primum mensis diem. Hinc *Calendas Ausonias* vocat *Ovid.* 1. *Fast.* 55. — Hinc etiam de iis, qui debita numquam soluturi sunt, proverbio dicitur, *ad calendas Græcas* soluturos: quo sæpe usum Augustum, *Sueton.* narrat *in ejus Vita* 87. — *c*) Calendis cujusque mensis solebant plerumque feneratores pecuniam credere, quæ proximis quidem calendis persolvendæ erant a creditoribus una cum usuris; sed aliquando etiam idibus cujusque mensis pecuniam vel fenori dabant, vel fenori datam redigebant: hinc non calendæ tantum debitoribus tristes fuere, sed etiam idus, ut Catilinæ, cui *Cicero* 1. *Cat.* 6. 14. fortunarum ruinas proximis idibus impendere ait. V. *Cognolati* præfationem huic Lexico præmissam p. XXX.; et *Ritter* ad illud *Horat. Epod.* 2. 67. fenerator Alphius. Omnem relegit idibus pecuniam. Quærit calendis ponere. *Id.* 1. *Sat.* 3. 87. cum tristes misero venere calendæ, Mercedem aut nummos unde unde extricat. *Ovid. Rem. am.* 561. Qui puteal Janumque timet celeresque calendas. — *d*) *Calendæ Martiæ* solemnes erant matronis Romanis. In iis enim matronalia celebrabant (de quibus *Ovid.* 3. *Fast.* 170. et *seqq.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 15.), et munera invicem missitabant, et a viris accipiebant, servis cœnas ponebant, similiaque iis faciebant, quæ viri Saturnalibus, ut *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. et *Solin.* 1. docent. *Paul. Diac.* p. 147. 6. *Müll.* scribit, Martias calendas a matronis celebratas, quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit. Alii in memoriam dirempti prælii inter Romanos et Sabinos feminarum interventu: alii in honorem Iliæ, quæ ex Marte Romulum Remumque peperit. Hinc *Juvenal.* 9. 53. Munera femineis tractas secreta calendis. Adde *Sueton. Vesp.* 19.; *Martial.* 5. 85.; et *Paul. Dig.* 24. 1. 31. § 8. — Ex illo *Horatii* 3. *Od.* 8. 1. Martiis cælebs quid agam calendis, Quid velint flores et acerra turis etc., nonnulli colligere voluerunt, non solum a matronis, sed etiam a maritis eum diem sacrum solemnemque habitum fuisse. At *Horatius* peculiarem privatamque habuit causam diis supplicandi, quam ibi affert. — Amantes potius eum diem sacrum habebant, uti docet *Tibull.* 3. 1., et dona mittebant puellis suis. — *e*) Apud *Ovid.* 6. *Fast.* 180. *sextæ calendæ* est primus dies mensis Junii, qui est sextus anni, si a Januario incipias. Item. *Calendæ Germanicæ* est primus dies mensis Septembris in *Inscript.* apud *Orell.* 4949. Cf. *Sueton. Cal.* 15. — *f*) Hinc *calendæ primæ* sunt primi dies ejus mensis, qui additur. *Cato R. R.* 147. Locus vinis ad cal. Octobr. primas dabitur: si non ante ea exportaveris, dominus vino, quod volet, faciet. *h. e.* primis diebus proximi Octobr. Adde *eumd. ibid.* 148. et *V. Schneider.* ad *h. l.* ¶ 2. Per synecdochen *calendæ* sunt menses. *Ovid.* 3. *Fast.* 99. Nec totidem veteres, quot nunc, habuere calendas. *Martial.* 1. 100. Atque intra, puto, septimas calendas Mortes hoc tibi quatuor dederunt. *Id.* 10. 75. Transierant binæ forsan trinæve calendæ. *Paul. Dig.* 45. 1. 46. Centesimis calendis dari utiliter stipulamur. — Sic dicimus *calendis proximis*, *sequentibus*, *futuris*, eodem sensu. *Ulp. Dig.* 45. 1. 13. et 41., et *Paul. ibid.* 12. 1. 40.

CĂLENDĀLIS *vel* kalendalis, e, adject. ad calendas pertinens. *Justin. Edict.* 13. Calendalia tributa.

CĂLENDĀRIS *vel* kalendaris, re, adject. ad calendas pertinens. ¶ 1. *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. Ut idus omnes Jovi, ita omnes calendas Junoni tributas, et Varronis, et pontificalis affirmat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus servant; qui et

cognomen deæ ex cærimoniis addiderunt, Calendarem Junonem vocantes. ¶ 2. *Calendares* item fuerunt appellati officiales et ministri, qui calendarii curatori inserviebant; hi et collegium quoddam constituebant. *Inscript.* apud *Gruter.* 478. 9. L. VAL. L. FIL. GAL. FAVENTINO II. VIRALI, QVI ANNONA FRUMENTARIA EMPTA PLEBEM ADJVVIT, ET OB ALIA MERITA EJVS COLLEGIA KALENDARIVM (*alii leg.* Kalendariorum) ET IDUARIA DUO (*alii leg.* Iduariorum) CIVI GRATISSIMO POSVERVNT.

CĂLENDĀRĬUS vel kalendarius a, um, adject. ad calendas pertinens. *Hieronym. Comm.* 3. in *Ep.* ad *Ephes.* 6. 4. Quod in corbonam pro peccato virgo vel vidua obtulerat, hoc calendariam strenam et Saturnaliciam sportulam et Minervale munus grammaticus et orator aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut in sordida scorta convertit. — Hinc

Calendarium vel *kalendarium*, *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Latini hoc nomine appellant librum, in quo feneratores perscribebant nomina eorum, quibus pecuniam fenori dederant, et pensionis solvendæ quantitatem: quoniam calendis pecunia fenebris collocari solebat, et calendis itidem, vel idibus ejus usura solvi, ut in CALENDÆ dictum est. *Seneca* 7. *Benef.* 10. 3. Quid fenus et calendarium et usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? *Id. Ep.* 87. Divitem illum putas, quia in omnibus provinciis arat, quia magnus calendarii liber volvitur. *Id. Ep.* 14. *in fin.* Versare calendarium. *Id.* 1. *Benef.* 2. 2. Nemo beneficia in calendario scribit. *African. Dig.* 12. 1. 41. Præponere aliquem calendario. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 12. 11. 1. Calendario alicujus obnoxium esse. *Scævola Dig.* 15. 1. 58. Debitorem esse alicui ex ratione calendarii. *Id. ibid.* 40. 7. 40. Inferre aliquid calendario. *Papinian. ibid.* 26. 7. 38. Convertere pecuniam in calendarium. *h. e.* fenori ponere. *African. ibid.* 32. *l.* 62. Pecuniæ calendario, id est nominibus faciendis destinatæ. *Scævola ibid.* 32. *l.* 39. Exercere calendarium. *h. e.* usuras factitare. *Id. ibid.* 33. Prælegare alicui calendaria. *h. e.* ipsam pecuniam fenori positam: quo sensu usurpatur ab *eod. Scævola* 33. 2. 37. et *ibid.* 7. 6. — Translate *Tertull. Habit. mulier. ad fin.* Graciles aurium cutes calendarium expendunt. *h. e.* universum domus censum quasi in extima auricula appendunt, circumferunt. — In coloniis et municipiis *curatores calendarii* dicebantur, qui curam habebant tabularum, in quibus perscribebantur nomina eorum, qui pecuniam fenebrem a civitatibus acceperant, et usuras solvebant. Illi successisse videntur proquæstoribus coloniarum, quibus cura fuit et pecuniam publicam et tabulas custodire, in quibus reditus et expensæ coloniæ descriptæ erant. Valde enim simile, et fortasse etiam idem hujusmodi curatorum officium. Horum mentio fit in *Inscript.* apud *Gruter.* 446. 7. P. OTACILIO L. F. PAL. RVFO CVRATORI KALENDARII R. P. AECLANENSIVM ELECTO A DIVO PIO PATRONO MVNICIPII OB EXIMIAM MVNIFICENTIAM EJVS ORDO DEC. PECVNIA PVBLICA PONENDVM CENS. *Aliæ* item apud *Noris. Cenotaph. Pis. Dissert.* 1. *c.* 3. et apud *Gruter.* 440. 6., 441. 5., 444. 5., 1029. 7. et et 1091. 7. et alibi; et apud *Orell.* 62., 1007. et alibi. Extat præterea de his titulus in *Cod. Theod. loc. cit.* — Fuit etiam inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Murat.* 889. 8. AVRELIVS HERMAS AVG. LIB. PROC. K. etc. ¶ 2. Sequiori Latinitatis tempore *calendarium* dictus est etiam liber, in quo anni, mensium ac dierum ac lunarium mutationum ratio perscribitur. Veteris calendarii specimen non unum extat apud *Gruter.* 133. et seqq.; apud *Manut. De dier. veter. ratione*, ubi ejus notas explicat; et emendatius apud *Orell. Inscript. T.* 2. p. 379.-413.

CĂLENS, entis. *V.* voc. seq.

CĂLEO, es, ui, ere, 2. — Caret supino: reperitur tamen Part. *Caliturus* apud *Ovid.* 13. *Met.* 590. *V.* infra sub I. *b.* Part. *Calens* sub I. *a.* et *b.* — Docet *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.* antiquissimos dixisse *caleor* pro *caleo* personaliter, sicut *careor* pro *careo*, *copulor* pro *copulo* etc., hujusque rei testem *Caprum* appellat. — Caleo est calidus sum, ferveo (It. *esser caldo*; Fr. *être chaud*; Hisp. *estar calido*; Germ. *warm, heiss oder hitzig sein, glühen*; Angl. *to be warm or hot*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 2. 6. 48. Ut fortunati sunt, qui apud carbones assident, semper calent. *Id. Bacch.* 1. 1. 72. Aqua calet: eamus hinc intro, ut laves. *Id. Rud.* 5. 2. 39. Os calet tibi: nunc frigefactas. *Cic.* 1. *Fin.* 9. 30. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam. *Horat.* 2. *Od.* 6. 22. Favilla calens. *Tibull.* 1. 5. 22. sole calente. *Ovid.* 12. *Met.* 152. calentibus aris. *Id.* 7. *ibid.* 293. guttæ calentes. *Id.* 8. *ibid.* 671. epulæ. *Id.* 14. *ibid.* 86. sulfur. — *b*) Passive impersonaliter. *Plaut. Truc.* 1. 1. 45. Nunc lenonum et scortorum plus est fere, quam olim muscarum, cum caletur maxime. *h. e.* æstate media. Adde *eumd. Capt.* 1. 1. 12.; et *Caprum* apud *Priscian.* sub init. hujus vocis. — *c*) Addito per Ablat., quo quis calet. *Virg.* 1. *Æn.* 416. centumque Sabæo Ture calent aræ. *Horat.* 2. *Od.* 16. 18. Terræ alio sole calentes. *Ovid.* 13. *Met.* 590. Des mihi sacrificos caliturasque ignibus aras. *Val. Flacc.* 3. 216. Et rabie magis ora calent. Adde *Martial.* 12. 29. *Juvenal.* 10. 228. febre. Et absolute *M. Aurel.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs. ep.* 11. Caluit et hodie Faustina. *h. e.* febre caluit: nam *ep.* 8. narraverat, eam angulo parietis costam inflixisse. — Figurate de locis, quæ frequentantur. *Martial.* 7. 6. Et ungularum pulsibus calens Ister.

II.) Transfertur et ad moralia, nec tamen semper corporea excluduntur, ut apud *Horat.* 3. *Od.* 21. 12. Narratur et prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus. Adde *Stat.* 5. *Theb.* 263. ¶ 1. Ponitur de personis eodem sensu, quo ardere, fervere, æstuare. — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Att.* 20. 2. Hæc velim explices, et me juves consilio. Etsi te ipsum istic jam calere puto. Sed tamen quantum poteris. *Id. Brut.* 66. 234. Calere in agendo. *Id.* 4. *Herenn.* 15. 21. In re frigidissima calere, in ferventissima frigere. *Hirtius* apud *Cic.* 15. *Att.* 6. 2. An ego, cum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? Adde *Cælium* apud *eumd.* 7. *Fam.* 6. 5. *Quintil.* 4. 1. 59. Animis calentibus. *Juvenal.* 6. 148. Interea calet et regnat. *Stat.* 4. *Theb.* 356. Bellator nulli caluit deus. h. e. Martis et belli amore nemo accensus fuit. — *b*) Addito quo quis calet — Per Ablat. *Lucret.* 5. 1312. permixta cæde calere. *Cf. Liv.* 25. 39. Romani calentes adhuc ab recenti pugna ferocesque victoria. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 79. Quisquis luxuria tristive superstitione, Aut alio mentis morbo calet. *h. e.* laborat, ducta metaphora a calore febris. *Id.* 2. *Ep.* 1. 108. Calere scribendi studio. *Id.* 4. *Od.* 11. 33. Non enim posthac alia calebo Femina. *Id.* 1. *ibid.* 4. 19. juvene. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 33. puellâ. *Id.* 3. *Art. am.* 571. pueri ætate et amore calentes. *Id.* 7. *Met.* 731. desiderio alicujus rei. *h. e.* valde cupere. *Id.* 8. *ibid.* 300. cupidine laudis. *Sabin.* 3. *Ep.* 6. causâ meliore. *Curt.* 4. 1. 29. Spe calent animi. *h. e.* valde sperant. *Martial.* 4. 35. furore. *Id.* 5. 55. igne aliquo. *h. e.* amore. *Id.* 7. 32. amore. *Petron. Satyr.* 126. Quædam feminæ calent sordibus. *h. e.* fœdis capiuntur amatoribus. *Stat.* 8. *Theb.* 7. Calere sudore belli. — Per Accus. et præp. *ad. Propert.* 4. 3. 62. Succinctique calent ad nova lucra popæ. — Per Infinitum. *Stat.* 4. *Theb.* 260. Prosilit audaci Martis percussus amore, Arma, tubas audire calens, et pulvere belli Flaventem sordere comam. *Claudian. Ep.* 1. 29. Leones, quæ stravisse calent, eadem prostrata relinquunt. Adde *eumd. Nupt. Honor.* 10. 287. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 281. Ardet abire fuga dulcesque relinquere terras. — Per Accus. more Græcorum. *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 8. sub imagine avita Eductos exempla domi congesta calentes Orator catus instigat. *h. e.* accensos, incitatos ad virtutem propter domestica avorum exempla. ¶ 2. Ponitur etiam de rebus, deque abstractis, quæ magna vi aguntur seu exercentur, quæque, cum recentes sint, vigent. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 92. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Hortatur hospes: poscunt majoribus poculis: celebratur omnium sermone lætitiâque convivium. Posteaquam satis res calere Rubrio visa est, etc. *Id. Sext.* 23. 55. Illud crimen de nummis caluit re recenti, nunc in causa refrixit. *h. e.* multis sermonibus pervulgatum est. *Id.* 4. *Att.* 16. Hoc tamen agitur severius, itaque judicia calent. *Al. leg.* indicia. *Id.* 5. *Phil.* 4. 11. Calent nundinæ. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. 2. Nam illi rumores de comitiis Transpadanorum Comarum tenus caluerunt. *Tibull.* 1. 11. 53. Veneris bella calent. *Virg.* eadem ratione *fervet opus* dixit 4. *G.* 169. *Auct. Declam. in Sallust.* 1. Calent aures criminibus. *h. e.* quia crimina sæpissime audiunt. *Stat.* 3. *Theb.* 382. commotæ questibus iræ, Et mixtus lacrimis caluit dolor. *Mamertin. Geneth. Maxim.* 10. Cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare.

CĂLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a caleo, calidus fio.

I.) Proprie, et opponitur verbo *refrigerari*, ut apud *Cic. Senect.* 16. 57. Ubi potest illa ætas aut calescere vel apricatione melius vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? *Id.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Quæ spiritu in pulmones anima ducitur, calescit ab eo spiritu. Adde *Lucret.* 6. 280.; *Ovid.* 15. *Met.* 310.; *Curt.* 4. 7. 22. et *Theod. Priscian.* 4. 1.

II.) Translate fere de amore dicitur. *Ter. Eun.* 1. 2. 5. Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. *Ovid. Heroid.* 18. 177. Quo propius nunc es, flamma propiore calesco. *h. e.* amore magis accendor. Adde *eumd.* 3. *Met.* 372. Aliter *Id.* 6. *Fast.* 6. Est deus in nobis: agitante calescimus illo.

CALFĂCIO, CALFACTUS. } *V.* CALEFACIO, CALEFACTUS.

CALIBIÆ. *V.* CALBEI.

CALICĀTA Ædificia, calce polita. *Paul. Diac.* p. 47. 4. *Müll. Scalig.* ad hunc locum notat, veteres dixisse *calecata*, adducitque veterem lapidem, qui habetur etiam apud *Gruter.* 171. 8., et est apud *Smet.* 13. 6. et apud *Orell.* 3892. L. BETILIENVS L. F. VAARVS HAEC, QVAE INFERA SCRIPTA SONT, DE SENATV SENTENTIA FACIENDA COIRAVIT, SEMITAS IN OPPIDO OMNIS, PORTICVM QVA IN ARCEM EITVR, CAMPVM VBEI LVDVNT, HOROLOGIVM, MACELVM, BASILICAM CALECANDAM, etc. *Voss.* in *Etymol.* ad vocem *Calx* docet, prius fuisse *calix*, a quo factum esse *calicatus*. Hinc est etiam *decalicatus*, vel *decalecatus* idem significans quod *calicatus*, apud *eumd. Paul. Diac. p.* 59. 1. *Müll.*

CĂLĬCELLUS, i, m. 2. *deminut. dupl. a* calix, parvus caliculus. *Theod. Priscian.* 4. 1. *sub init.* Admisces passi calicellum plenum.

CĂLĬCŬLĀRIS. *V.* CALYCULARIS.

CĂLĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* calix. — *Caliclus* per syncopen legitur apud *Paulin. Nolan. carm.* 26. 416. *de lampade.* rami Vitreolos servant, tamquam sua poma, caliclos. — Caliculus est parvus calix — *a*) Ad bibendum. *Cato R. R.* 108. Dimidium acetabuli in caliculum novum indito. *Cels.* 2. 11. Caliculus oris compressioris. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (93). Caliculi urnales. Adde *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 11. *de pinu.* — *b*) Item ad alios usus, ut ad servandum stramentum scriptorium. *Cassiod.* 11. *Variar.* 36. Eo (*corniculario*) ministrante caliculum, scripsimus inempti, quod magnis pretiis optabatur impleri.

CĂLĬDA, æ. *V.* CALIDUS in fin.

CĂLĬDĀMEN, inis, n. 2. idem ac calefactio. *Inscript.* apud *Gruter.* 25. 2. PRO CALIDAMINE HOMINEM (*lege* hominum) A. II. *h. e.* asses duo.

CĂLĬDĒ, adverb. (calidus) cum calore. Occurrit translate tantum. *Plaut. Epid.* 2. 2. 89. Tute agitur calide, quidquid acturus, age. *h. e.* prompte, sine mora. Al. leg. *callide*, h. e. astute, prudenter. Sed locum hunc *Plauti* emendatius allatum et recte interpretatum vide in VIVE.

CĂLĬDUS, a, um, adject. De posteriori forma *caldus*, *V.* CALDUS suo loco. — Comp. *Calidior* et Sup. *Calidissimus* I. — Calidus est calorem habens, eique opponitur *frigidus*, ut apud *Ovid.* 1. *Met.* 19. Frigida pugnabant calidis. Adde *Lucret.* 6. 850. et *Vitruv.* 2. 1. 5. (It. *caldo*; Fr. *chaud*; Hisp. *calido*; Germ. *warm, heiss, hitzig*; Angl. *warm, hot*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Omne, quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo. *Id.* 1. *Tusc.* 18. 42. Calidior est vel potius ardentior animus, quam est hic aer. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua servato litterarum ordine exhibentur. *Seneca Hippol.* 765. æstas calida. *Varro* apud *Non. p.* 245. 23. aura solis calidior. *Lucret.* 6. 856. corpus calidius. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 54. 75. (154). et *Quintil.* 11. 3. 27. dies. *Lucret.* 2. 34. febres. *Id.* 6. 657. fervor. *Id.* 3. 903. flammæ. *Virg.* 9. *Æn.* 414. flumen (*sanguinis*). *Lucret.* 6. 850. fons. *Id.* 6. 148. fornaces. *Vitruv.* 2. 1. 5. hiemes calidissimæ. *Lucret.* 1. 648. et 1087. ignis. *Cels.* 6. 800. lavacra. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 14. lixivia non calidissima. *Gargil. Mart.* p. 394. *Mai.* loca calidiora. *Cato R. R.* 34. loca calidissima. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 14. prandium calidum. *Virg.* 9. *Æn.* 442. sanguis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 27. (47). sapor. *h. e.* qui urit. *Tibull.* 2. 1. 47. sidus. *Gell.* 3. 1. sol. *Ovid.* 1. *Art. am.* 256. sulfur. *Id.* 8. *Met.* 443. telum priori cæde

calidum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 70. (307). tilia, morus, laurus, hedera calidissima. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (170). tractus. *Lucret.* 2. 844. vapor. *Ovid.* 5. *Met.* 137. et 12. *ibid.* 119. vulnus.

II.) Translate occurrit ¶ 1. De personis et est præceps, audax, promptus, ferox. *Horat.* 3. *Od.* 14. 27. Non ego hoc ferrem calidus juventa. *Id.* 2. *Ep.* 2. 72. Calidus redemptor. *Virg.* 3. *G.* 119. Equus calidus animis. *Sil. It.* 15. 337. Calidus Gradivus. ¶ 2. Item de actionibus, et calidum dicitur quod subito alicui venit in mentem, fervidum, ferox, audax, animosum, atque adeo inconsultum, præceps, temerarium. *Plaut. Epid.* 2. 2. 71. Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili. Adde *eumd. Mil. glor.* 2. 2. 71. *Id. Epid.* 1. 2. 38. Huic homini opus est quadraginta minis celeriter calidis. *h. e.* cito, subito. *Id. Most.* 3. 1. 135. Calidum hercle audivi esse optimum mendacium. *h. e.* celeriter et subito excogitatum: alii *callidum* malunt. *Ter. Eun.* 2. 3. 88. Vide ne nimium calidum hoc sit modo. *h. e.* nimium præceps: *Donatus* tamen hic mavult *callidum*. *Cic.* 15. *Att.* 6. 4. Cui rescripsi nil illos calidius cogitare. *Id.* 1. *Off.* 24. 82. Periculosa et calida consilia. *Sunt qui tum hic, tum apud Liv.* loco infra cit. *reponi malunt* callida: quod profecto non apte cohæret; ac præterea *Id. Cic.* dixit 2. *Invent.* 9. 28. Si dicamus idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit. *Liv.* 22. 24. *de Minutio mag. equit. Fabii dictat.* Agitabantur pro ingenio ducis consilia calidiora. *Id.* 35. 32. *ad fin.* Consilia calida et audacia primâ specie læta, tractatu dura, eventu tristia esse. *Hirtius* apud *Cic.* 15. *Att.* 6. 2. Brutus et Cassius utinam per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium. *Alii perperam leg.* callidius. *Horat.* 3. *Od.* 27. 70. Calida rixa. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Calida, æ, f. 1. absolute est aqua calida, subauditur enim *aqua*. *Cato R. R.* 156. Qui poturus erit, lavet calida. *Seneca Ep.* 77. *ante med.* Calida subinde suffusa. Adde *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 38. (77). et *Tac. Germ.* 22.; et *V. Calda* in fine vocis CALDUS. Hinc *servus a calida* inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Spon. Miscell.* p. 206. IVLIVS CITRAVS AVG. SER. A CAL. *h. e.* qui Augusto aquam calidam (cujus usus fuit illis temporibus frequentissimus) ministrabat.

Calidum, i, n. 2. absolute est potio calida, subauditur enim *vinum* vel *mulsum*. *Plaut. Curc.* 2. 3. 14. Calidum bibere. *V. Caldum* in fine vocis CALDUS.

CĂLĬENDRUM, i, n. 2. ornamentum capitis muliebre, galericulo simile, quod Italice *cuffia* dici potest. Putant alii, esse comam supposititiam, quam nos dicimus *perrucchino*. Duci solet a Græco καλλυντρον *ornamentum*, a καλλύνω *orno*: at præstat ducere a κυλινδεῖν, vel κυλινδεῖν *involvere*. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 48. Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum Excidere. *Arnob.* 6. 26. Falciculæ, claves, caliendra, fomites, talaria. *Varro* quoque usurpavit (teste *Porphyrione Scholiast. Horat.* ad *loc. cit.*), qui tamen non definit, galericulum ne, an capillamentum appositum significet. Ipse autem *Pophyr.* hæc habet: Jocatur in Canidiam quasi, quod gibba (*lege* glabra) fuerit, caliendrum, hoc est, galericulum habere consueverit. *Acron ibid.* Caliendrum dicitur ornatus capitis mulierum, quo ad exornandos crines utuntur; sive suppositus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant. *Gloss. Philox.* Caliendrum, κόσμιον κεφαλῆς. — Eruditi putant, caliendrum esse idem ac ricinium, quod Græci vocabant κρήδεμνον, vel θέριστρον, velamentum scilicet capitis instar galeri altum atque elatum, quodque recte interpretari possis Italice *cuffia*, Latine etiam *caliptram*. *Ritter* ad *Horat. l. c.* hanc sententiam secutus est, et quidem recte; namque cum ea tantum *Horatii* verba apte cohærent.

CĂLĬGA, æ, f. 1. ¶ 1. Est calceamentum militare, quo Romani milites gregarii utebantur, constans solea coriacea, quæ ferreis plerumque clavis muniebatur, habebatque ligamenta plura, quibus tum superiori pedis parti, tum imæ tibiæ circumdatis ligabatur. Si clavos demas, simillima fuit calceis Fratrum, quos *Cappuccini* vocamus. Ejus figuram exhibet *Jul. Nigron. Dissert. de caliga Veterum c.* 4., ubi omnia, quæ ad hanc rem pertinent, diligenter persequitur; docet a militibus ad alios quoque *caligæ* usus in posterum transiisse *c.* 2.; ac præcipue refellit eorum sententiam, qui caligas idem esse ac femoralia, aut tibialia, arbitrati sunt. At *Jo. Labusius*, qui lapidem cum *Inscript.* a *Gruter.* 649. 1. allata, (quam vide infra in *V.* CALIGARIUS) diligenter inspexit, ex *Car. Rosminii Storia di Milano T.* 4. *p.* 451., ad insculpta ibidem imagine ipsius sutoris Atilii, qui mensulæ adsidet, quam *banchetto* Itali appellant, manibusque caligam elaborandam tractat, invicte probat, illam constare solea et tegumento coriaceo, quo totus pes et minima etiam pars cruris tegebatur; quo calcei genere etiamnum utuntur nostri villici, *scarpa*, vel potius *scarpone* appellantes. *Edict. Diocl.* p. 24. Caligæ primæ formæ mulionicæ sive rusticæ par sine clavis ✱ CXX., caligæ militares sine clavo ✱ centum, caligæ patriciæ, caligæ senatorum ✱ centum, caligæ equestres ✱ septuaginta, caligæ muliebres par ✱ sexaginta. Ex his apparet, quandoque etiam senatores caligis usos fuisse, etsi id neget *Ferrarius De re vestiar. c.* 36. *Cic.* 2. *Att.* 3. 1. Etenim mihi caligæ ejus, ut fasciæ cretatæ, non placebant. *Justin.* 38. 10. 3. Argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent. *Sueton. Cal.* 52. Processit in publicum aliquando sericatus et cycladatus; ac modo in crepidis, vel cothurnis, modo in speculatoria caliga. *speculatoriam* dicit, *h. e.* speculatorum propriam, qui huc illuc sæpius cursitantes pluribus vinculis impeditam habuere. Adde *Juvenal.* 16. 24. *Tertull. Cor. mil.* 1. *speculatoriam* absolute posuit pro *caliga speculatoria*. *V.* SPECULATORIUS. *Hieronym. Ep.* 117. *n.* 7. *ad matr. et fil.* Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens stridore ad se juvenes vocat. V. *eumd. Ep.* 54. *n.* 7. et v. STRIDOR. ¶ 2. Per metonymiam ponitur pro militia. *Seneca Brevit. vit.* 17. Marium caliga dimisit? consulatus exercet. Adde *eumd.* 5. *Benef.* 16. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (135). Juventam inopem in caliga militari tolerare. *Inscript.* apud *Gruter.* 445. 9. C. F. VEL. BASSO OMNIBVS OFFICIIS IN CALIGA FVNCTO. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 3465. et 3868. — *Caliga Maximini* proverbio dicitur de longo et inepto homine. *V.* CAMPAGUS.

CĂLĬGANS, antis. *V.* CALIGO, as.

CĂLĬGĀRIS, re, adject. ad caligam pertinens, ut *caligaris clavus*, qui solo caligæ suffigitur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 33. (69). Pisces squamis conspicui crebris atque præaculis, clavorum caligarium effigie. *Id.* 22. *ibid.* 22. 46. (94). Si caligaris clavus fungo nascenti affuerit. Adde *Charis.* 1. p. 59. *Putsch.* et *Isid.* 16. *Orig.* 20. *Edict. Diocl.* p. 23. Formæ caligares maximæ ✱ centum.

CĂLĬGĀRIUS, a, um, adject. idem quod caligaris. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (143). *de ferri generib.* Aliud brevitate sola placet clavisque caligariis. *Charis.* 1. p. 59. *Putsch.* Caligarius artifex. *Inscript.* apud *Gruter.* 649. 1., quæ est apud *Orell.* 4286. C. ATILIVS C. F. IVSTVS SVTOR CALIGARIVS etc. *h. e.* qui caligas conficit, quem nostrates vulgo *calegaro* appellant. — Hinc

Caligarius, ii, m. 2. absolute, est idem ac sutor caligarius. *Lamprid. Alex. Sev.* 33. Corpora vinariorum, lupinariorum, caligariorum. Adde *Firmic.* 3. *Mathes.* 12. *Inscript.* apud *Spon. Miscell.* p. 220. Q. LARVIO Q. F. TYCHICO CALIGARIO DE VICO CYPR. etc. *Inscript.* apud *Gud.* 367. 3. DOMITIVS CALIGARIVS CVM CONIVGE SVA SEVERA FECERVNT.

CĂLĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. caligo, tenebræ. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 33. (123). Nubeculæ et caligationes suffusionesque oculorum. ἀμβλυωπίας, ἀμαυρώσεις. *V.* CALIGO, ginis.

CĂLĬGĀTUS, a, um, caligis indutus: et dicitur de militibus gregariis, quorum proprie caliga fuit. *Sueton. Vitell.* 7. Tota via caligatorum quosque militum obvios exosculans. *Inscript.* apud *Gruter.* 279. 3. IMP. CAES. C. VALERIO DIOCLETIANO PROCOS. HONORATI ET DECVRIONES ET NVMERVS MILITVM CALIGATORVM. *Modestin. Dig.* 27. 1. 10. Caligatæ militiæ.

Caligatus, i, m. 2. absolute, est idem qui caligatus miles. *Sueton. Aug.* 25. Dona militaria coronas murales quam parcissime et sine ambitione ac sæpe etiam caligatis tribuit. *Arrius Menand. Dig.* 49. 16. 6. Caligatus, qui metu hostium languorem simulavit. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 18. SEX. ATVSIVS PRISCVS EVOCATVS AVGVSTI ARAM TIBERINO POSVIT, QVAM CALIGATVS VOVERAT.

CĂLĬGĬNEUS, a, um, adject. idem quod caliginosus. *Grat. Cyneg.* 56. Vel caligineo laxanda reponito fumo.

CĂLĬGĬNO, as. *V.* CALIGO, as sub init.

CĂLĬGĬNŌSUS, a, um, adject. Sup. *Caliginosissimus* II. — Caliginosus est caligine tectus, obscurus (It. *caliginoso*, *oscuro*; Fr. *nébuleux*, *obscurci*; Hisp. *nebuloso*, *obscuro*; Germ. *voll von Dunkelheit*, *umdunkelt*, *finster*; Angl. *obscure*, *dark*, *gloomy*, *caliginous*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Cælum humidum et caliginosum est propter exhalationes terræ. *Id.* 1. *Divinat.* 57. 130. Caliginosa stella. *Horat.* 3. *Od.* 29. 29. futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit Deus. *Val. Max.* 1. 7. *ext.* 1. Caliginosæ tenebræ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (171). Pluvius et caliginosus tractus. *h. e.* tractus terræ pluviis et nebulis obnoxius. *Capell.* 1. p. 18. Peplum caliginosum.

II.) Translate. *Augustin. Ep.* 7. *a med.* Hoc me facere compellit de animæ exorta caliginosissimæ quæstionis obscuritas.

CĂLĪGO, inis, f. 3. Ratione habita etymi, a nonnullis conjungitur cum Græca voce ἀχλύς, quæ idem ferme significat. — Caligo est aeris obscuritas ex nebula vel fumo, sive est ipse vapor obscurus, obscuritas nebulosa, quæ tamquam corpus vel massa, minime vero tamquam aeris conditio vel status significatur; quare cum a *tenebris*, tum ab *obscuritate* differt (It. *caligine*, *nebbia*, *vapori nebulosi*; Fr. *souffle épais*, *brouillard*; Hisp. *bruma*, *nube*, *nublado*; Germ. d. *finstere Nebeldunst*, d. *neblichte Dunkel*, *Dunkelheit*, *Finsterniss*; Angl. *darkness*, *obscurity*, *cloudiness*, *gloominess*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Occurrit fere in numero singul. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Ubi rigida constat crassa caligo inferûm. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 51. Nunc demum experior mi ante oculos caliginem obstitisse. *Furius* apud *Gell.* 18. 11. Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ. *Lucret.* 6. 853. Nox ubi terribili terram caligine texit. *Id.* 4. 457. et *Virg.* 3. *Æn.* 203. Caligo cæca. *Lucret.* 6. 461. crassa. *Liv.* 29. 27. Noctem insequentem eadem caligo obtinuit: sole orto est discussa. *Virg.* 2. *G.* 303. *de igne.* Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram Ad cælum piceâ crassus caligine nubem. *Id.* 12. *Æn.* 466. et *Liv.* 33. 7. Caligo densa. *Virg.* 9. *Æn.* 33. et 11. *ibid.* 876. atra. *Ovid.* 4. *Met.* 455. Quam simul agnorunt inter caliginis umbras. *Id.* 2. *ibid.* 764. Abundare caligine. *Id.* 10. *ibid.* 54. Caligo opaca. *Id.* 7. *ibid.* 528. spissa. *Curt.* 9. 4. 18. Caliginem ac tenebras et perpetuam noctem profundo incubantem. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 53. VII. Kal. Aug. Canicula apparet: caligo æstuosa. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 42. 42. (111). Humidam a terra, alias vero, propter vaporem, fumidam exhalari caliginem, certum est. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Crassiore caligine obstructus spiritus. *Stat.* 10. *Theb.* 140. Subita caligo. — b) In plurali numero dixit *Colum.* 3. *R. R.* 1. 7. ¶ 2. Speciatim ponitur de oculis, quorum acies obtenebratur — a) Vel ad tempus, repentina vertigine. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 4. Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem. *h. e.* confuse. *Et paullo post* § 5. Discussa est illa caligo, quam paullo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia. *Forcellinus* hæc duo *Ciceronis* loca inter translata retulit. Adde *Cic.* 5. *Fin.* 15. 43. et *Plin.* 5. *Ep.* 8. — b) Vel semper, et est oculorum vitium, cum eorum acies et morbo hebetatur et obtenebratur. *Cels.* 6. 6. *n.* 32. oriri ait nonnumquam ex lippitudine, nonnumquam propter senectutem imbecillitatemve aliam. *Liv.* 26. 45. Oculis caliginem offundit altitudo. *Seneca pater* apud *Quintil.* 9. 2. 43. Ego vero non video: nox oboritur et crassa caligo. *Scribon. Compos.* 179. Cicutam potam caligo mentisque alienatio insequitur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 92. (144). Anagallidis succus oculorum caliginem discutit. *Id.* 34. *ibid.* 11. 27. (114). Hieracium collyrium excellentis remedii contra initia glaucomatum et suffusionum, contra caligines et scabritias et albugines. *Id.* 20. *ibid.* 7. 26. (61). Sanare caligines. *Et ibid.* 23. 95. (254). levare. *Id.* 32. *ibid.* 9. 31. (97). emendare.

II.) Translate. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 17. 44. Tetris tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt. *Id.* 5. *Verr.* 76. 177. Illa omnis pecunia latuit in illa caligine ac tenebris, quæ totam rempublicam tum occuparant. *Id. post red. in senat.* 3. 5. Ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica dispicere cœpistis. *Id. Planc.* 40. 96. Caligo illorum temporum. *Id. Prov. cons.* 18. 43. Caligo bonorum, tenebræ reipublicæ. *Catull.* 64. 207. Cæcâ

mentem caligine consitus. *Virg.* 6. *Æn.* 266. Pendere res alta terra et caligine mersas. *hoc tamen loco et proprie accipi posse videtur. Vellej.* 2. 36. Augustus omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. *h. e.* eorum famam et gloriam obscuraturus. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Offundere alicui multum caliginis et perturbationis. Cf. *Quintil.* 9. 3. 57. — *NB.* De Caligine uxore Chao *V.* ONOM.

CĀLĪGO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Caligans* I. et II. — Activa significatione pro caligine obducere, obscurare, usurpavit *Fulgent. in continent. Virgil.*, male interpretatus locum ipsius *Virg.* 2. *Æn.* 604. (*V.* infra sub I. 1.). Quidam ibi leg. *caliginare*; sed hoc quoque improbandum. — Caligare

I.) Proprie ¶ 1. Est caliginem obducere tenebrasque diffundere. *Virg.* 2. *Æn.* 604. Aspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi et humida circum Caligat, nubem eripiam. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 4. Cum plerique omnes æstate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligent. *Cic. Arat.* 206. Ipseque (*Centaurus*) cærulea contectus nube feretur, Atque Aram tenui caligans vestiet umbrá. — Hinc *caligantes fenestras* dixit *Juvenal.* 6. 31., quæ ita altæ sunt, ut despicientium oculos vertigine correptos caligáre faciant. ¶ 2. Item caligare est caliginosum esse, in caligine atque adeo in tenebris versari. — *a*) Generatim. *Virg.* 4. *G.* 468. Et caligantem nigra formidine lucum. *Stat.* 1. *Theb.* 95. Et caligantes animarum examine campos. — *b*) Speciatim *caligare* dicuntur, qui visus caligine laborant et cæcutiunt (*V.* vocem præced. I. 2.) *Cels.* 6. 6. n. 32. Caligare oculi nonnumquam ex lippitudine consueverunt. *Et n.* 34. Cuicumque oculi caligabunt, huic opus erit multa ambulatione. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 87. (239). Caligantes oculos sinapi inungere. — *c*) Item qui nihil vident. *Scribon. Compos.* 184. Cerussam qui biberunt, facile deprehenduntur. Linguam enim albam habent, nauseant, caligant. *Martial.* 10. 4. Qui legis Œdipodem caligantemque Thyestem. — Hinc apud *Quintil.* 1. 2. 19. Caligare in sole. *h. e.* in media luce cæcutire: quod et in proverbium abiit.

II.) Translate. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (147). In morbo comitiali aperti oculi nihil vident, animo caligante. *Id.* 30. *ibid.* 1. 1. (2). Ad quas maxime etiam nunc caligat humanum genus. *Seneca init. De vita beata* 1. Caligare ad pervidendum. *Id. Ep.* 57. Inhorrescere ad subita et caligare. *Quintil. Declam.* 18. Fractæ malorum contentione mentes ad inexpectata caligant. *Sil. It.* 14. 88. bis octonis nondum rex præditus annis Caligare alto in solio, nec pondera regni Posse pati. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 237. labat incerto mihi limite cursus Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ. — *NB. Vultus caligans* est mærorem præseferens. *Pacuvius* apud *Non.* 2. 869. *edit. vet.* Quis istic vultus caligans? quæ tristitas? *At ibi legendum* Quid istuc est? vultum adligat quæ tristitas? — Hinc Part. præs.

Caligans, antis, adjective quoque usurpatur, ut apparet ex locis superius allatis. Hinc Superl. apud *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 1. *sub init.* Acies intellectus caligantissimæ.

CĀLĪGŌSUS, a, um, adject. idem ac caliginosus. *Venant.* 5. *carm.* 6. 25. Sed caligosi recubans velaminis umbra. — Et absolute substantivorum more. *Capell.* 8. p. 270. Plato Timæi sui caligosa discriminans.

CĂLĪGŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* caliga, parva caliga. *Ambros.* 7. *Ep.* 53. Vestibus candidissimis induti, caligulis calceati. Adde *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 67. et *Vet. Scholiast.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 3. 128. Soleas: caligulas bene incisas. — Hinc cognomen C. Cæsari filio Germanici et Agrippinæ, de quo *V.* ONOM.

CALIM antiqui dicebant pro clam. *Paul. Diac.* p. 47. 3. *Müll.*, qui *callim* legit.

CALIPTRA, æ, f. 1. genus vestimenti, quo capita operiebant. *Paul. Diac.* p. 47. 5. *Müll.* — Est a καλύπτω *tego*, et καλύπτρα Græce dicitur. Quare rectius *calyptra* per *y* scribetur, ut *Voss.* monet in *Etymol.* Docet autem *Pollux l.* 3. c. 3. esse genus vestimenti muliebris.

CALISTO. *V.* CALLISTO.

CĂLIX, icis, m. 3. κύλιξ, vas ollæ formam habens: ab allata Græca voce κύλιξ, quæ a κυλίω *volvo*, h. e. a forma rotunda ita appellatus. Latini vero Doricam dialectum secuti plerumque υ Græcum in *a* commutant: quod confirmat locus *Macrob.* 5. *Saturn.* 21. Κύλιξ poculi genus, quod nos una littera immutata *calicem* dicimus. Hinc patet falli *Varronem*, qui ait 5. *L. L.* 127. *Müll.* Calix a caldo; quod in eo calda puls apponebatur, et calidam eo bibebant. — Erat autem ¶ 1. Vas coquendis cibis aptum. *Cato R. R.* 39. Ceræ p. i., resinæ p. i. etc. Hæc omnia in calicem novum indito. *Plaut. Capt.* 4. 4. 8. Aulas calicesque omnes confringere. *Forcellinus* hoc loco acceperat pro poculo, scypho. *Ovid.* 5. *Fast.* 509. Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebant: Et fumant testu pressus uterque suo. Adde *Vitruv.* 6. 1. 8. *Schneid.* ¶ 2. In aquæductibus est modulus, hoc est fistula plerumque ænea, quæ rivo vel castello induitur, cui aliæ minores fistulæ applicantur ad aquam derivandam, ut *Frontin. Aquæduct.* 36. docet. ¶ 3. Item est poculum, ad calidam præcipue bibendam (Cf. locum *Varron.* allatum sub init. hujus voc.), ex terra vel aliquo metallo constans, nullis fere pedibus, mediocri altitudine, rotundum ac latum. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Calix mulsi. Adde *eumd. Pis.* 27. 67.; et *Varron.* apud *Non. p.* 230. 25. et 146. 11. *Merc. Horat.* 2. *Sat.* 8. 35. Poscere calices. *Id.* 2. *ibid.* 6. 68. et *Juvenal.* 5. 47. siccare. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? *h. e.* vini potus. *Catull.* 27. 2. Inger mi calices amariores. Adde *Tibull.* 2. 5. 98.; *Propert.* 4. 33. 40.; *Plin.* 33. *Hist. nat. procem.* 2. (5)., 36. *ibid.* 40. 66. (195). et 37. *ibid.* 2. 7. (18).; et *Juvenal.* 11. 145. *Martial.* 2. 15. Propinare alicui calicem. Adde *eumd.* 14. 115. — *NB.* De calice, qua significat testam cochleæ et echinorum, *V.* CALYX.

CALLA. *V.* CALSA.

CALLĀĪNUS, a, um, adject. καλλάϊνος, qui est colore callaidis gemmæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (151). Callainas vocant e turbido callaino. *h. e.* callainas gemmas vocant, quæ colorem habent callaidis, sed turbidum. *Martial.* 14. 139. Jungere nescisti nobis, o stulte, lacernas: Indueras albas, exue callainas. *h. e.* coloris callaidis gemmæ. *Al. leg.* callaicas, namque *callaidem* gemmam *Solin. callaicam* appellat. *Aliter* sentit *Voss.* in *Etymol.* Scribit enim *callaicas* dici lacernas a colore, qui est in barbis seu palearibus gallorum gallinaceorum, quæ κάλλαιοι seu κάλλαια dicuntur a Græcis, teste *Hesych.* et *Auct. Etymol. M.* Hinc etiam *callainum colorem* dictum, nempe quem vulgo *viridem marinum* dicimus (veteres *Venetum* appellavere), qui est purpuræ dilutioris, ut in smaragdo, qui e pallido viret, et aliquando propter affinitatem purpureus aut puniceus dicitur. — Hinc

Callaina, æ, f. 1. absolute, subaudi *gemma*, est idem quod callais. *Plin. loc. super. cit.*

CALLĀIS, idis, f. 3. gemma colore sapphiri, candidiore tamen et litorosi maris simili. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (151). — Alia est hoc nomine apud *eumd. ibid.* 8. 33. (112). topazio similis, e viridi pallens. Hanc *Solin.* 20. *callaicam* appellat. Multa de utraque *Salmas. in exercitation. Plin. p.* 236. et 237. *Faustin. Corsi, Pietr. ant.* p. 262., probat, utramque hujus gemmæ genus appellari nunc ab Italis *turchina*; a Germanis dicitur *Türkis.*

CALLĀRIAS, æ, m. 1. καλλαρίας, piscis marinus ex genere asellorum, minor tamen. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 28. (61). et 32. *ibid.* 11. 53. (146).

CALLENS, entis. *V.* CALLEO.

CALLENTER, adverb. perite, astute, callide. *Apul.* 4. *Met.* Satis callenter inhibere aliquid.

CALLEO, es, ŭi, ere, n. 2. (callum). Part. *Callens* in fin. — Calleo proprie est callum obduco, callosus sum (It. *fare il callo, incallire*; Fr. *avoir de durillons, avoir la peau épaissé et dure*; Hisp. *encallecer, hacer callos*; Germ. *dicke, harte Haut oder Schwielen haben*; Angl. *be hard or callous*).

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 4. Plagis costæ callent. Cf. *eumd. Pœn.* 3. 2. 2. et *Pers.* 2. 5. 4., quæ loco inferius afferentur sub II. 1. *Cæcilius* apud *Non.* p. 258. 18. *Merc.* Tu jam callebis, ille festus desidet. *Sever. Ætn.* 260. Callent rure manus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (211). Sumen antiqui abdomen vocabant, priusquam calleret, incientes occidere non assueti.

II.) Translate. ¶ 1. Est verbum intrans., et significat experientia et usu prudentem, acutum, cautum habilemque esse: quoniam sicut pes vel manus ex longo labore callum obducit, ita mens longa experientia colligit habitum quemdam rerum, in quibus versatur. Ad rem *Plaut. Pœn.* 3. 2. 1. mihi... Vide sis calleas. co... Quid opus est verbis? callum aprugnum callere æque non sinam. *Id. Pers.* 2. 5. 4. Satin' ea tenes? so. Magis calleo, quam aprugnum callum callet. *Id. Truc.* 5. 40. Omnes homines ad suum quæstum callent. *Al. leg.* calent. *Accius* apud *Non. p.* 258. 3. *Merc.* Quod periti sumus in vita atque usu callemus magis. *Id.* apud *eumd. p.* 257. 30. Melius quam viri callent mulieres. *Id.* apud *eumd. p.* 258. 3. Callere astu et fallendo. *Serenus* apud *eumd. p.* 258. 2. Callet senium arte vivendi. *Liv.* 35. 26. Callere usu alicujus rei. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 2. Aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet atque omnia minoris existimare. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (87). Callere in re familiari. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 25. 38. (91). *Val. Max.* 8. 12. 1. Callere usu quotidiano alicujus rei. *Justin.* 21. 1. Nam augurandi studio Galli præter ceteros callent. *Sil. It.* 6. 90. Callere bellis. *Solin.* 5. arte sagittaria. *Apul. Florid.* n. 18. fidibus. ¶ 2. Active significat perfecte scire, doctum, peritum esse; et occurrit fere in iis, quæ familiarem sermonem sapiunt. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Most.* 1. 3. 122. Perdocte callere cuncta. Cf. *eumd. Pers.* 2. 1. 8. et 3. 1. 52., et *Pœn.* 3. 1. 71. *Ter. Adelph.* 4. 1. 17. Callere pulcre sensum alicujus. *Afranius* apud *Non.* p. 482. 10. istæc malitiosa. *Pomponius* apud *eumd. ibid.* canticulum in colubras. *Cic. Balb.* 14. 32. jura Pœnorum. *Liv.* 39. 40. urbanas rusticasque res pariter. *Horat. Art. P.* 274. Legitimumque sonum digitis callemus et arte. *h. e.* mensurando et audiendo. *Pers.* 4. 5. Callere dicenda tacendaque. *Tac.* 13. *Ann.* 3. artem aliquam. *Gell.* 16. 10. Familiaris meus jus civile callens. *Id.* 20. 1. Scite atque docte callere aliquid. — *b*) Cum Infinito. *Sisenna* apud *Non. p.* 258. 8. *Merc.* Quem Marcellini consiliarium fuisse callebant. *Horat.* 4. *Od.* 9. 49. Duramque callet pauperiem pati. Adde *Pacuvium* apud *Non.* 258. 1. *Merc.* et *Lucret.* 2. 978. — *c*) Cum relativo. *Ter. Heaut.* 3. 2. 37. Quo pacto id fieri soleat calleo. — Hinc Part. præs.

Callens, entis, est peritus, sciens, doctus, callidus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (142). Halicacabi radicem bibunt, qui sunt vaticinandi callentes. *Sillig.* vero aliter legit. *Gell.* 17. 5. Utriusque linguæ callens. *Ammian.* 16. 12. Milites bellandi usu diutino callentes.

CALLIBLEPHĂRUS, a, um, *vel* calliblepharos, on, adject. καλλιβλέφαρος, hoc est, qui pulcras palpebras habet, a κάλλος *pulcritudo* et βλέφαρον *palpebra*. Est Græca vox, propria naturalium scientiarum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (61). *de ostreis.* Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras; eoque argumento generosa interpretantur, calliblephara appellantes. *Harduin.* in quodam Ms. reperit *calliphărata*, quod est pulcre amicta. — Hinc

Calliblepharum vel *calliblepharon*, i, n. 2. absolute, subaudi *medicamentum*, est medicamentum ad sanandas restituendasque, aut etiam fucandas palpebras morbo aliquo deformatas. *Varro* apud *Non. p.* 218. 28. *Merc.* Calliblepharo naturali palpebræ tinctæ. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 73. (94). Folia rosæ uruntur in calliblepharum. *Id.* 23. *ibid.* 4. 51. (334). Nuclei palmarum cremati calliblephara faciunt addito nardo. *Id.* 33. *ibid.* 6. 34. (89) Stibium in calliblepharis mulierum dilatat oculos. Apud *Marcell. Empir.* 8. § 3. *sub init.* legitur *calliblepharium.*

CALLĪCIA, æ, f. 1. herba, qua Pythagoras aquam conglaciari tradit. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 99. (157). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 295.) hæc ait: Nous avons déjà dit qu'il existait une plante tellement abondante en mucilage, qu'elle donnait à l'eau une consistance solide sans altérer sa transparence: c'est la *Cissampelos Pareira* de Linné. Ne serait-ce pas une particularité semblable qui rendrait compte de l'assertion de Pythagore? Glacer l'eau, signifie encore aujourd'hui lui donner de la consistance à l'aide de corps, qu'elle a la propriété de dissoudre.

CALLĬDĒ, adverb. (callidus). Comp. *Callidius* et Sup. *Callidissime.* — Callide est scite, perite, docte; et occurrit cum in bonam, tum in malam partem (It. *dottamente, peritamente, destramente*; Fr. *d'une manière avisée, intelligente, adroite*; Hisp. *doctamente, diestramente, con destreza*; Germ. *auf schlaue, gewandte, geschickte, kundige Weise*; Angl. *skilfully, cunningly, learnedly, expertly*). *Plaut. Pers.* 4. 1. 7. Facete et callide ordiri rem. *Id. Asin.* 2. 2. 82. Callide nosse aliquem. *h. e.* bene. *Ter. Andr.* 1. 2. 30. Callide intelligere aliquid. *Id. Adelph.* 3.

4. 53. Hoc facito. SY. Recte sane. DE. Hoc fugito. SY. Callide. *h. e.* bene, optime. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 48. Neque enim sine legum, morum, juris scientia, neque hominum natura incognita ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari et perite potest. *Id. Orat.* 28. 98. et 1. *Orat.* 20. 93., et *Quintil.* 4. 1. 58. Callide arguteque dicere. *Cic. Flacc.* 10. 22. Bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit, adduxit. *Id. Cæcin.* 5. 15. Callide agere aliquid. *Id.* 2. *Orat.* 8. 32. Callidius facere aliquid. *Sall. Jug.* 18. Vitia sua callide occultare. *Nepos Datam.* 8. Callide cogitare. *Id. Them.* 1. De instantibus verissime judicare, et de futuris callidissime conjicere. *Id. Alcib.* 1. Callidissime servire temporibus. *Quintil.* 5. 13. 41. Callide tacere aliquid. *Tac.* 3. *Hist.* 53. *in fin.* Simultates Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat. *Id.* 6. *Ann.* 37. Callidius interpretari aliquid. *Gell.* 7. 3. Tiro confidenter et nimis callide conscripsit epistolam ad Q. Axium. *h. e.* scite nimis. *Al. leg.* calide. *Id.* 12. 12. Callide et cum astu confiteri aliquid.

CALLĬDĬTAS, ātis, f. 3. (callidus) scientia, peritia, acre ingenium, insignis solertia: et occurrit cum in bonam, tum in malam partem (It. *perizia*, *avvedimento*, *accortezza*, *finezza* d'ingegno, *destrezza*; Fr. *adresse, habilité, savoir, finesse*; Hisp. *destreza, habilidad, sutileza, artificio*; Germ. *die Gewandtheit*, *Schlauheit*, *Verschlagenheit*, *Verschmitztheit*; Angl. *skilfulness*, *cunningness*, *skill*, *subtilty*). Occurrit — *a*) Fere in numero singulari. *Cic. Rosc. com.* 7. 20. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamitare calliditatem videntur? *Id. Harusp. resp.* 9. 19. Nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos superavimus. *Id.* 1. *Off.* 19. 63. Scientia, quæ est remota a justitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 32. 113. Apud *eumd. Partit. orat.* 39. 137. calliditas ponitur pro nimia interpretandi subtilitate. *Nepos Eumen.* 1. Vincebat omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. *Id. Timol. in fin.* Magnitudine animi et calliditate præstare omnes. Adde *Liv.* 42. 47.; *Ovid. Heroid.* 16. 300. et 20. 126. *Id.* 3. *Fast.* 360. Consilium multæ calliditatis. *Sallust. orat.* 2. *ad Cæs. de rep. ordin.* Patres consilio valere decet, populo supervacanea est calliditas. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (195). Calliditas ingenii. *Flor.* 2. 17. 15. Vir acerrimæ calliditatis. Adde *Quintil.* 2. 5. 7. et 4. 2. 126.; *Tac. Agric.* 9. et *Martial.* 11. 50. — *b*) In plurali numero. *Ter. Heaut.* 5. 1. 13. Servi venere in mentem Syri calliditates. *Lactant.* 2. 12. Omnes fallacias et calliditates suas ad decipiendum hominem intendere.

CALLĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a callidus. *Arnob.* 2. 68. Callidula fraus.

CALLĬDUS, a, um, adject. Comp. *Callidior*, Sup. *Callidissimus.* — Callidus est multa experientia doctus, usu peritissimus, a *calleo* vel a *callum*; proprie enim sic appellatur is (ut ait *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 25., *V.* in fine hujus voc.) cujus, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit. Occurrit in bonam et in malam partem, ideoque est perspicax, acutus, solers, aut astutus, vafer (It. *dotto*, *pratico*, *scaltro*, *astuto*, *furbo*; Fr. *expérimenté*, *adroit*, *habile*, *fin*, *fourbe*, *astucieux*; Hisp. *experto*, *práctico*, *fino*, *advertido*, *astuto*; Germ. *geschickt und kundig*, *einsichtsvoll und klug*, *gewandt und sicher*, *schlau und verschlagen*, *verschmitzt und durchtrieben*; Angl. *skilful*, *tried*, *experienced*, *practised*, *crafty*, *sly*, *arch*, *subtle*). Usurpatur de personis eorumque actibus tantum. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 112. Me malum esse oportet, callidum, astutum admodum. *Id. Pœn.* 5. 2. 148. Malus crudusque et callidus et subdolus. *Id. Cist.* 4. 2. 61. Mala merx hæc et callida est. *convicium in mulierem.* Rursus *Id. Pœn.* 4. 4. 70. Dii istam perdant: ita cata est et callida. *Ter. Phorm.* 4. 2. 1. Ego hominem callidiorem vidi neminem. *Lucret.* 6. 94. Tu mihi supremæ præscripta ad candida callis Currenti spatium præmonstra, callida Musa. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. Ego enim ut agitator (*equi*) callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo. *Id.* 1. *Tusc.* 20. 47. Quamquam foramina illa — callidissimo artificio natura fabricata est. *Nepos Hannib.* 5. Hannibal Fabio callidissimo imperatori dedit verba. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 23. Callidus huic signo ponebam millia centum. *Id. Art. P.* 47. Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum. *Ovid.* 6. *Met.* 576. Stamina barbarica suspendit callida tela. — Jungitur pluribus substantivis, quorum præcipua servato litterarum ordine exhibentur. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 4. adulter. *Id. ibid.* 2. 6. amor. *Seneca Troad.* 523. et 613. astus. *Ovid.* 11. *Met.* 73. auceps. *Cic. Cluent.* 65. 183. audacia. *Ter. Andr.* 3. 4. 10. consilium. Nonnulli leg. etiam apud *Hirt.* ad *Cic. post epist.* 6. *l.* 15 *ad Att.* Callidius consilium. *At alii rectius calidius. V.* CALIDUS. *Sueton. Tib.* 21. cunctatio. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 4. doli. *Stat.* 2. *Achill.* 171. dona callida Grajorumque doli. *Seneca Hippol.* 403. fraudes. *Martial.* 5. 43. fur. *Tac. Germ.* 22. gens non astuta nec callida. *Ter. Eun.* 5. 6. 10. homo callidus ac disertus. *Cic. Cluent.* 19. 55. et *Quintil.* 6. 3. 96. homines callidi et versuti. *Id.* 5. *Verr.* 14. 35. homo callidus ac veterator. Et *Id.* 3. *Off.* 13. 57. versutus, obscurus, astutus, fallax, malitiosus, callidus, veterator, vafer. *Nepos Dion.* 8. homo callidus et ad fraudem acutus. *Id. Eumen.* 10. imperator. *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. interpretatio juris callida et malitiosa. *Nepos Eumen.* 5. inventum. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 101. judex. *Plin.* 7. *Ep.* 6. juvenis parum callidus. *Tibull.* 1. 5. 48. lena. *Nepos Att.* 11. liberalitas callida. *h. e.* ad captandos insidiose animos effusa. *Liv.* 38. 44. malitia inimici. *Horat.* 3. *Od.* 24. 40. navitæ. *Ovid.* 2. *Trist.* 500. nupta. *Ter. Phorm.* 1. 4. 50. oratio melior et callidior. *Sueton. Domit.* 11. sævitia callida inopinataque. *Quintil.* 11. 3. 178. servi. *Nepos Hannib.* 9. vir omnium callidissimus. *Id. Datam.* 10. tam vir callidus. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad*, cum Ablat. et præp. *in*, aut etiam cum Dat. *Plaut. Epid.* 3. 3. 47. Homo callidus ad rem. Adde *eumd. Asin.* 1. 3. 34. *Id. Truc.* 2. 4. 62. Callidus ad quæstum. *Id. Asin.* 2. 1. 9. ad fraudationem. *Cic. Cluent.* 65. 183. ad fraudem. *Quintil.* 12. 2. 11. Callidus in disputando. *Gell.* 9. 9. Doctus homo et in intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidus. *Ovid. Heroid.* 20. 25. Callidus naturâ aut usu. *Tac.* 2. *Ann.* 57. Callidus accendendis offensionibus. — *c*) Cum Genitivo. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 12. Aristoteles vir callidissimus rerum naturæ. *Id.* 2. *ibid.* 2. 1. Callidissimi rei rusticæ. *Tac.* 2. *Hist.* 31. *in fin.* Nemo illa tempestate callidior rei militaris habebatur. *Id.* 4. *Ann.* 33. Callidus temporum. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 11. Venus dolo gaudens et tanti callida voti. *h. e.* callide dissimulans votum suum. — *d*) Cum Infinito. *Horat.* 3. *Od.* 11. 3. Tuque testudo resonare septem Callida nervis. *Id.* 1. *ibid.* 10. 7. Callidus, quidquid placuit, jocoso Condere furto. Adde *Pers.* 1. 118.

CALLĬGŎNON, i, n. 2. καλλίγονον, κάλλος pulcritudo et γόνος *genus*, herba eadem, quæ polygonon mas. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113). At *Sillig.* aliter legit. De synonym. *V.* in POLIGONON.

CALLĬMĂCHIUS, a, um, adject. ad poetam Callimachum pertinens. *Callimachium Metrum* constat tribus choriambis, anapæsto et Bacchio vel amphibrachy, ut: Armipotens Mars genitor Romulidum, ut venias precamur. *Serv. Centim.* p. 1823. *Putsch.*

CALLĬMUS, i, m. 2. κάλλιμος, hoc est pulcher vel pulcherrimus. Nomen est lapidis cujusdam ex genere aetitarum, quo nihil tenerius. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 21. 39. (151). — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

CALLION, ii, n. 2. κάλλιον, herba ex genere trychni, acinis coccineis, folliculis granosis; alio nomine *halicacabum*, et Latine *vesicaria*, quoniam vesicæ et calculis prodest. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (177). De synonym. *V.* VESICARIA.

CALLIŌNȲMUS, i, n. 2. καλλιώνυμος, piscis marinus exiguus, alio nomine *uranoscopus*, οὐρανοσκόπος. Ejus fel oculorum cicatrices sanat, et carnes eorum supervacuas consumit; caro autem omnis aurium morbis prodest, teste *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (69). Meminit etiam *ibid.* 11. 53. (146). — *Casaubon.*, referente *Voss.* in *Etymol.*, putat eumdem esse, atque eum, quem Græci iidem λύκον, hoc est lupum appellant; dictumque esse καλλιώνυμον, hoc est pulcri nominis, εὐφημίας causa. *V.* URANOSCOPUS.

CALLIŎPE, es, f. 1. Καλλιόπη una ex Musis, de qua *V.* ONOM. — Per metonymiam pro carminibus dixit *Ovid.* 2. *Trist.* 567. Inter tot populos, tot scripti millia nostri, Quem mea Calliope læserit, unus ego.

CALLIOPEIUS, a, um, adject. qui pulcra voce præditus est: a κάλλος *pulcritudo* et ὄψ, ὀπός *vox*; sive potius a Musa Calliope. *Firmic.* 7. *Mathes.* 25. *in lemmate.* Calliopeiorum musicorum genituræ. — *V.* et ONOM.

CALLĬPĔTĂLON, i, n. 2. καλλιπέταλον, a κάλλος *pulcritudo*, et πέταλον *folium*; herba eadem ac quinquefolium. *Apul. Herb.* 2.

CALLĬPȲGIS, e, adject. καλλίπυγος, qui et quæ pulcras vel magnas habet nates *Acron* ad *Horat.* 1. *Sat.* 2. 93. *Depygis.* Id est sine natibus; pyga enim est pars corporis posterior: aut certe cum magnis natibus ut *de* hic *valde* intelligatur. Πυγάς autem Græci dicunt *nates*.
sicut callipygis, quæ conspicua est magnis natibus: pyga enim nates significat.

CALLIS, is, comm. gen. 3. Fere *semper usurpatur* in masc. gen.: at *Non.* p. 197. 19. refert locum *Livii* 22. 14. quem et nos inferius attulimus (si tamen *Non.* hunc locum designat: nam paullum immutatis verbis refert) ibique legit *calles devias* atque inde probat etiam in fem. gen. usurpari: additque ita frequenter apud *Liv.* legi; editiones tamen omnes etiam principes a. 1470. et 1480. habent *devios*. Addunt alii loca tria *Livii* 31. 42., 36. 15. et 38. 2., in quibus occurrit fem. gen., sed ubique incerta est lectio. Nihilominus *exiguam callem* feminine dixit *Ammian.* 30. 1. Hanc *Forcellinus*, qui *Nonii* sententiæ minime assentit. Recentiores vero, inter quos *Alschefski* ad *Liv. l. c.* et *Klotz* cum *Nonio* consentiunt. — Ratione habita etymi, nonnulli deducunt a *cello* (κέλλω, unde *percello*), ut τρίβος a τρίβω deducitur; alii a *callum*, *calleo*, quasi via, quæ ita facta sit, quod terra animalium pedibus trita callum obduxerit, vel induruerit. — Ceterum callis proprie est semita in montibus angustior et devia, qua animalia ire solent ad pascendum. *Isid.* 15. *Orig.* 16. 10. Callis est iter pecudum inter montes angustum et tritum. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 405. Callis est semita tenuior, callo pecorum prædurata. *Vet. Glossæ:* Callis, via pecorum vestigiis trita. (It. *calle*, *strada stretta*, *sentiero*; Fr. *sentier étroit*; Hisp. *senda*, *camino estrecho*; Germ. *ein Bergpfad*, *schmaler Bergsteig*; Angl. *a beaten track*, *foot-path*). Occurrit — *a*) Stricto sensu. *Varro* 2. *R. R.* 10. 3. Neque senes, neque pueri callium difficultatem ac montium arduitatem facile ferunt. *Id. ibid.* 9. 16. Calles silvestres longinqui. *Id. ibid.* 10. 1. In callibus versari. *Cic. Sest.* 5. 12. Cum Catilina e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset, atque, æstatem integram nactus, Italiæ calles et pastorum stabula præclara cepisset. *Liv.* 22. 14. Nos hic pecorum more per æstivos saltus deviasque calles exercitum ducimus. *V.* quæ diximus sub init. hujus voc. *Id.* 31. 42. Summis montibus per calles ignotas. *Id.* 36. 15. Non facile ullas ad transitum calles invenire. *Id.* 35. 27. Egredi callibus notis. *Id.* 44. 36. Per calles saltusque Macedonicorum montium vagari. *Virg.* 6. *Æn.* 443. secreti calles. *Id.* 9. *ibid.* 383. occulti. *Curt.* 4. 9. 22. Angustis in Ciliciæ callibus. *Id.* 4. 16. 11. Ignotas sequentibus calles petere. *Id.* 5. 4. 4. Calles silvestres, vix singulis pervii. *Id.* 5. 6. 15. Callibus inviis septi. *Id.* 7. 11. 7. Per calles et pæne invias rupes pecora agere. *Pers.* 3. 57. Callis surgens. *Val. Flacc.* 3. 568. Littora curva petens: alio nam calle reverti Credit Hylam. *Id.* 5. 394. ipsaque juxta Mœnia, si bivios possis dignoscere calles. *Al. leg.* virvos, *hoc est* vias gramine viridantes. — *b*) Latiore sensu ponitur et de semita, quâ eunt animalcula, ut *Virg.* 4. *Æn.* 405. *de formicis.* prædamque per herbam Convectant calle angusto. Et *Ovid.* 7. *Met.* 626. callem suum servare. — *c*) *Callium provincia*, quæ magistratibus demandari solebat, erat munus callium, silvarum, saltuumque administrandorum. Ex hujusmodi enim locis vectigalia exigebantur propter pecora et pascua. Hæc autem provincia minimi negotii erat, et a quæstoribus administrari solebat; interdum a consulibus, quando scilicet nusquam bella instabant. *Tacit.* 4. *Ann.* 27. Curtius Lupus quæstor, cui provincia vetere ex more calles evenerat. *Al. rectius leg.* Cales, quod est oppidum Campaniæ; qua de re *Lipsius* et *Ernestius ad hunc loc.* consulendi: *Orellius* tamen ad h. ipsum l. legendum putat *calles*. *Sueton. Cæs.* 19. Ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est silvæ callesque decernerentur. *Id. Claud.* 24. Collegio quæstorum, detracta Ostiensi, et callium provincia, curam ærarii Saturni reddidit. *Al. leg.* et Gallica provincia. *V.* ibi *Casaubon.* et *Baumgarten-Crusium.* — *d*) Figurate *Lucret.* 6. 91. Tu mihi supremæ præscripta ad candida callis Currenti spatium præmonstra, callida Musa. *Al. leg.* calcis.

CALLISCO, is, ere, n. 3. est callum obducere: sed occurrit translate tantum et significat nihil aut minus

sentire. *Cato* apud *Non.* p. 89. 29. *Merc.* Aures nobis callicerunt ad injurias. *h. e.* occalluerunt. *Henr. Meyer.* in *Orat. Rom. fragm.* p. 118. ed. 2. calliscunt *legendum esse putat.*

CALLISTO, ûs *vel* ōnis, f. Καλλιστώ, eadem quæ *Ursa major* apud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 15.; de qua *V.* ARCTOS. — *NB.* Ceterum *V.* ONOM.

CALLISTRŪTHĬA, æ, f. 1. subaudi *ficus*, καλλιστρούθιον σῦκος, genus est ficorum ex Græcia in Italiam translatum, quod *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (69). ait esse parum sapore præstans, omniumque frigidissimum: sed *Athenæus l.* 3. *c.* 3. mire laudat, et antecellere omnes ficus asserit, quæ in universo terrarum orbe generantur. Et *Brodæus* cum *Dalecampio* apud *Plin. loc. cit.* legendum putat *haud parum sapore præstantes.* — Nomen habuit a κάλλος *pulcritudo*, et στρουθός *passer*, vel στρουθίον *passerculus*, fortasse quia ejus avidissimi sunt passeres: vel quod pulcritudine referat genus quoddam mali cotonei, quod στρούθιον Græce dicitur, ut apud *Voss.* in *Etymol.* legitur. *Capitolin. Albin.* 11. Quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, jejunum comedisse dicit. *Marcell. Donat.* apud *Voss. loc. cit.* mallet legere *passerarias*, inhærens etymologiæ modo allatæ. — Dicitur etiam *callistruthis, idis. Colum.* 10. *R. R.* 416. Et callistruthis, roseo quæ semine ridet.

CALLISTRŪTHIS, idis, f. 3. *V.* vocem præced. in fin.

CALLITAS. *V.* CALVĬTAS.

CALLĬTHRIX, itrichis, f. 3. καλλίθριξ. ¶ 1. Est herba foliis lenticulæ, caule junci tenuis simili, radice minima: nascitur in opacis et humidis, gustatu fervens, et sternumentum movens. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 86. (135). — Eadem dicitur etiam *trichomanes*: callithrix autem, quia illita cohibet capillos defluentes, aut si effluxerint, reparat: a κάλλος *pulcritudo* et θρίξ, τριχὸς *capillus. Plin.* 26. *Hist. nat.* 15. 90. (160). Callithrix capillos inficit oleo trita. Adde *eumd.* 26. *ibid.* 14. 87. (147). Juxta Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 413.) *Callithrix* est idem atque *Adiantum Capillus Veneris* L. ¶ 2. *Callitriches* item sunt simiarum quoddam genus toto pæne aspectu ab aliis similis differens, barbam habens in facie, et caudam late fusam priori parte. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. (216).

CALLĬTRICHOS, i, f. 2. καλλίτριχος, herba eadem, quæ *adiantum*, apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 30. (62). *V.* ADIANTUM.

CALLŌSĬTAS, ātis, f. 3. (callosus) durities callosa (It. *callosità*; Fr. *callosité, cal*; Hisp. *callo, calloridad*; Germ. d. *Hautverhärtung*; Angl. *callousness, hardness*).

I). Proprie. *Scribon. Compos.* 36. Collyrium, quod proprie facit ad aspritudinem palpebrarum et callositatem. *Veget.* 3. *Veterin.* 27. 3. Callositas fistulæ. *Id.* 33. *ibid.* 21. narium. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. Valet callositatem ulceris tenuare atque siccare. Adde *Theod. Priscian.* 1. 20.

II). Translate. *Tertull. Testim. anim.* 8. Quid igitur vis, homo, de humanis sententiis litterarum tuarum exisse hæc in usus communis callositatem? *h. e.* consuetudinem veluti callo obducto firmatam. *Id. ad nat.* 2. 1. Voluntarii erroris callositas.

CALLŌSUS, a, um, adject. Comp. *Callosior.* — Callosus est callo obducto duratus, callis abundans (It. *calloso*; Fr. *calleux, qui a des durillons*; Hisp. *calloso*; Germ. *harthäutig, verhärtet, hart*; Angl. *callous, hard*). Tribuitur non modo manibus pedibusque vel alii parti corporis animalis, verum etiam aliis rebus. *Cels.* 6. 3. Ulcus callosum. *Id.* 5. 28. Callosæ oræ ulceris. *Id.* 5. 28. 12. Callosior fistula. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 14. *de ovis.* namque marem cohibent callosa vitellum. *callosa ova* appellat, quæ densiora et spissiora sunt ac duriuscula. *Callus* enim ovi videtur esse albumen; vel potius gutta illa albicans in vitello, quæ facile in callum durescit; non, ut quidam volunt, putamen, cujus durities minus apte cum duritie calli compararetur. Hæc *Forcellinus.* At *Ritter* ad *Horat. l. c.* de putamine dici ait, quia ibi verba fiunt de externa tantum ovorum specie. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 5. Callosi acini uvæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 92. (226). Crassior calloriorve cutis. *Id.* 26. *ibid.* 14. 57. (143). Callosa ulcera. *Id.* 11. *ibid.* 37. 79. (203). venter. *Id.* 15. *ibid.* 3. 4. (13). olivæ. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (122). Callosior resina. *h. e.* minus liquida et solidior. *Pallad.* 10. *R. R.* 17. Callosus tactus. *Auct. Paneg. ad Pison.* 17. Humida callosâ cum pinxerit hordea dextrâ. *Apic.* 3. 4. Reddere cucurbitas calliosiores ad gustum. *h. e.* firmiores solidioresque, et ita gustui gratiores. — Figurate *Alcim.* 5. 196. Tamquam lene satis callosa superbia duxit.

CALLUM, i, n. *et raro* callus, i, m. 2. Masculine extulit *Cels.* 5. 18. 36. et 5. 28. 12. et alibi; et *Domit. Marsus* apud *Charis.* 1. p. 55. *Putsch.* — Callum generatim est cutis labore aut alia causa densior duriorque facta (It. *callo*; Fr. *durillon, callosité*; Hisp. *callo, calloridad*; Germ. d. *dicke, verhärtete Haut*; Angl. *hardness or roughness*).

I). Proprie — a) Callum est cutis labore viæ in pedibus, aut assiduo opere in manibus parteve alia corporis densior facta, cujusmodi est in suis rostro, cervice bovis, animalium plantis, et duritia illa quæ in manibus hominum ex labore nascitur. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 90. Mihi calceamentum est solorum callum, cubile terra. *Cels.* 5. 18. 36. Callus articulorum. Adde *eumd.* 5. 28. 12. et 8. 10. *ad fin.*; et *Scribon. Compos.* 37. et 305. *Cels.* 5. 28. 12. *a med.* Callus fistulæ neminem fallit, quia durus est, et aut albus, aut pallidus. *Sueton. Aug.* 80. Callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduoque et vehementi strigilis usu concretis, ad impetiginis formam. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 60. (127). Farina in pollinem subacta — imponitur pedum callo clavisque. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 35. 54. (108). *Id.* 11. *ibid.* 37. 68. (180). Stomachus denticulatus callo, in modum rubi, ad conficiendos cibos. *Id.* 34. *ibid.* 11. 27. (115). Callum fistularum. *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (31). manus elephanti. — b) *Callum aprugnum* et *callum* absolute dixere veteres lumbos apri teneram quamdam duritiem et callo similem habentes, propter quam comedentibus mire commendabantur. *Cato* in orationibus suis aprugnum callum, tamquam nimii luxus, Romanis exprobabat, teste *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 78. (210). *Plaut. Pers.* 2. 5. 4. Magis calleo, quam aprugnum callum callet. Adde *eumd. Pœn.* 3. 2. 2. — Absolute *Id. Capt.* 4. 3. 4. Quanta pernis pestis veniet! quanta callo calamitas! *Id. Pseud.* 1. 2. 32. Pernam, callum, glandium, sumen facito in aqua jaceant. — Observat *Humelberg. in notis ad Apic.* 7. 1. non solum apri, sed et domesticorum suum laridum, seu carnem calloslorem et duriusculam *callum* appellari. Hinc *Id. Apic.* 1. 9. *callum porcinum* memorat. — c) *Plin.* 9. *Hist. nat.* 60. 86. (183). et 32. *ibid.* 10. 41. (120). vocat callum quorumdam piscium tegumen, quod neque tam siccum et durum est, ut testa, neque tam molle, ut caro et cutis, sed inter utramque naturam medium. Quo pertinet illud *Lucret.* 4. 933. Propterea que fere res omnes aut corio sunt, Aut seta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectæ. — *Callum* quoque vocant solidiam carnem piscium, quibus sunt testacea operimenta, ut ostreorum, cancrorum et hujusmodi. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 50. (95). *de locustis.* Unum hoc animalium, nisi vivum ferventi aqua incoquatur, fluida carne non habet callum. — d) Tribuitur etiam plantis et fructibus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (14). Uva non alicubi gratior callo: ut inde possit invenisse nomen duracina. *Id.* 18. *ibid.* 29. 69. (288). Uvæ acini præcoquuntur in callum. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 24. 37. (226). *Id.* 15. *ibid.* 28. 34. (116). Callo placent pira ac mala. *Id.* 16. *ibid.* 22. 34. (82). Callo crassa folia. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 26. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (96). Tutissimi fungorum, qui rubent callo. Adde *eumd.* 19. *ibid.* 4. 22. (63). — e) Tribuitur etiam terræ et crystallis aliisque similibus, et significat crustam. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 11. (33). Tubera cortice includuntur, ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud quam terræ callum. *Id.* 17. *ibid.* 5. 3. (33). Terra sterilis, densa callo facile deprehenditur. *callum terræ* vocat particulas ejus duriores et solidiores, ut in carne animalium sunt calli. *Id.* 31. *ibid.* 4. 30. (53). Coli moverique terram, callumque summæ cutis solvi, aquarum interest. *h. e.* duritiem illam, qua terræ superficies tenacior est, sive herbis ipsam continentibus, sive quod sole et aere durescit et solidatur. *Id.* 16. *ibid.* 12. 23. (56). Pix derasa navibus efficacior ad omnia, quibus pices resinæque prosunt, videlicet adjecto salis callo. *h. e.* duritie quadam ac soliditate a sale seu marina aqua accepta.

II). Translate. *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 36. Ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori. *h. e.* ita assuefecit, ut dolor non sentiatur: callosa enim caro minus sentit. *Id.* 3. *ibid.* 22. 53. Quorum animis diuturna cogitatio callum vetustatis obduxerat. *Id.* 9. *Fam.* 2. 3. Consuetudo diurna callum jam obduxit stomacho meo. *Quintil.* 12. 6. 6. Callum inducere. *Seneca Consol. ad Marc.* 8. Manet quidem tibi etiam num ingens tristitia et jam videtur duxisse callum. Adde *Domit. Marsum* apud *Charis.* 1. p. 55. *Putsch.*

CĀLO *vel* kalo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Calatus.* — Ratione habita etymi, est purum putum ex Græco καλεῖν *vocare*: quod in causa est, cur etiam per K Græcam litteram *Kalo, Kalatio, Kalator, Kalendæ*, etc. scripta sæpissime reperiantur tum in lapidibus, tum in opt. codd. Et quidem *Diomed.* 2. p. 417. *Putsch.* et *Scaur.* p. 2252. et alii quidam grammatici ita K defendunt, ut necessario tum in his, tum in aliis quibusdam vocibus scribendam putent. Sed cum pro ea Latini passim C substituerint in aliis verbis, quæ a Græco K incipiebant, ut in *cala, cacabus, cantharus, carbasus* aliisque sexcentis, non est cur in eas scribendi angustias compellamur, ut sine piaculo *calare, calendæ*, etc. scribere non liceat. V. alia huc pertinentia in CALUMNIA sub init. — Calare tres habet significationes vocandi, nominandi et invocandi; totidemque notionibus a priscis Latinis usurpatum est. Utebantur enim voce *calandi* cum vocabant populum in Curiam Calabram, vel ad Comitia, vel ut dies Nonarum cujusque mensis indicerent, eo modo, quo dictum est in CALENDÆ 1. Ipsos quoque dies *calare* dicebantur, cum pronunciabant, quinque ne an septem usque ad Nonas essent futuri; quod faciebant quinquies aut septies pronunciato verbo *calo*, si credimus *Macrobio* 1. *Saturn.* 15., vel potius quia, ut est apud *Varron.* 6. *L. L.* 27. *Müll.* utebantur illa formula: *Dies te quinque calo, Juno Covella. Septem dies te calo, Juno Covella.* Quia enim primus cujusque mensis dies Junoni sacer erat, ideo in iis diebus pronunciandis Junonem invocabant, atque ibidem verbum *calo* adhibebant. *Varro l. c.* Primi dies mensium nominati *calendæ* ab eo, quod his diebus calantur ejus mensis Nonæ a pontificibus, quintanæ an septimanæ sint futuræ etc. *Macrob. l. c.* Hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari. *Id. ibid.* Calata in Capitolium plebe. — *Lælius Felix* apud *Gell.* 15. 27. Curiata comitia per lictorem curiatum calari, id est convocari, centuriata per cornicinem. *Calata* primum dicta sunt omnia *comitia*, quod ad ea populus calaretur, seu convocaretur: hæc postea in *curiata, centuriata* et *tributa* divisa sunt. Deinde *calata comitia* speciatim dicta sunt, quæ pro collegio pontificum habebantur, aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa; item quæ sacris promulgandis, aut faciendo testamento cogebantur. Hæc ex *Gell.* 15. 27. — Translate et jocular iter hac voce usus est *Cic. Sext.* 33. 72. Alter vero tribunus plebis non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleii calatis granis, in Calatinos Atilios insitus. *h. e.* tribunus plebis Atilius, non ille Sext. Atilius Serranus, sed Calatinus, qui ita cognominatus videtur a patre, qui ob paupertatem grana in horreo pæne numerare, seu calare solebat. Ita *Forcellinus.* Recentiores vero, inter quos *Madvigius* (*Opusc. pr.* p. 470.), et *Koltz*, legunt: *sed ex deserto Gavii Ofellæ horto calatis Gaviis in Calatinos Atilios insitus*; et jocus in eo est quod alter ille tribunus plebis, qui ex plebe erat, convocatis Gaviis ad comitia inter Calatinos Atilios adoptatus dicitur, cum reapse fuerit Atilius Calatinus. — *Quintil.* 1. 6. 33. Classis a calando. Adde *Macrob. l. c.* et *Paul. Diac.* p. 225. 8. *Müll.*

CĀLO, ōnis, m. 3. ¶ 1. Speciatim calo erat servus militis, a ferendis lignis palisque ad usum militiæ sic appellatus. *Cala* enim lignum seu fustem significat. *Paul. Diac.* p. 62. 8. *Müll.* Calones militum servi dicti, quia ligneas clavas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant. Adde *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 1., cujus verba in CALA allata sunt, et *Non.* p. 62. 16. *Merc.* — Sed non solum ligna et vallum, verum et aquam ferebant, et alia hujusmodi viliora ministeria exhibebant. *Veget.* 3. *Milit.* 6. memorat calones dictos *galearios*, qui galeas dominis suppeditabant: quamquam *Stewech.* monet tum eo loco, tum 1. *ibid.* 10., ubi ea vox iterum reperitur, varie in variis Codd. leg. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Ne calonem quidem extra munitionem egredi passus est. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 24.; *Liv.* 33. 16., 27. 18. et 36. 4.; *Curt.* 3. 3. 25. et 8. 4. 13.; et *Sueton. Calig.* 51. et *Galb.* 20. ¶ 2. Dicuntur etiam *calones* viliores quique servi urbani aut rustici. *Cic.* 3. *Nat. D.* 5. 11. Eos tu cantheriis albis, nullis calonibus, obviam Vatieno venisse existimas. *Horat.* 1.

Sat. 6. 103. plures calones atque caballi Pascendi. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 14. 42. *Seneca Ep.* 110. *ad fin.* Cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus. — Proverbii speciem habet illud *Pers.* 5. 95. *Sambucam citius caloni aptaveris alto.* Solent enim hujusmodi homines crasso ingenio esse et ad musicam ineptissimi. — *Paul. Diac. p.* 235. 8. *Müll.* eumque secutus *Porphyrion* ad *loc. cit. Horat.* calones eosdem cum calatoribus faciunt; a *calando* enim derivant. Sed jure ac merito reprehenduntur a *Voss.* in *Etymol.* et aliis.

Homonym. Sæpe *calones* et *lixæ* conjunguntur: inter quos illud interest, quod *lixæ* liberi erant et quæstus gratia exercitum sequebantur; *calones* vero mancipia. Neque enim audiendus est *Acron*, qui ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 2. 44. *Hunc perminxerunt calones*, hos liberos, lixas vero servos facit: neque item movere debet *Taciti* locus 2. *Hist.* 87., ubi incerta lectio est. Præterea *calones* erant pars exercitus, eorumque opera duces aliquando usi sunt, non enim ignari omnino militiæ erant, cum omnibus fere militiæ exercitationibus adessent; *lixæ* non item. Ad hæc, *lixæ* cibaria portabant ad exercitum, quod de calonibus non legitur. *Tacit.* 1. *Hist.* 49. Caput Galbæ per lixas calonesque suffixum laceratumque. *Id.* 3. *ibid.* 20. *in fin.* Lixas calonesque Bedriacum mittit, copias ceteraque usui allaturos. Adde *eumd. ibid.* 33. — Aliquando tamen promiscue adhibentur. Nam *Cæsar* in *suis Commentar.* solos nominat calones, lixas numquam; atque adeo calonum nomine utrosque intelligere videtur.

CALONES, calcei ex ligno facti. *Paul. Diac. p.* 46. 15. *Müll. Cf. Isid.* 19. *Orig.* 34. 6.

CĂLŌBĂTĀRIUS, ii, m. 2. καλοβάτης, grallator, qui in ligneis perticis incedit: a κᾶλον *lignum* et βαίνω *gradior.* Habet *Non.* 2. 361. *edit. vet.*, ubi alii leg. *colobathrarius*: nam καλόβαθρα grallæ sunt. In *Not. Tir.* p. 174. Colobrata, ubi fortasse corruptum est pro *colobathra.* Quod vero in multis vulgatis *Nonii* legitur *collobatarius*, aut *collobathrarius*, corruptum videtur. *Voss.* in *Etymol.* in *Grallæ.*

CĂLŌPHANTA, æ, m. 1. καλοφάντης. *Plaut. Curc.* 4. 1. 2. Calophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio Ita legunt *Alciatus*, et *Paræus*, et exponunt χρηστολόγον, *h. e.* eum, qui honeste quidem loquitur, sed ejus facta ab oratione discrepant. Est a καλὸς *honestus*, et φάω vel φημί *dico.* Alii leg. *halophantam*, et varie exponunt. Alii *halapanta*, hoc est omnia mentientem. V. *Taubman.*, qui multorum sententias collegit et **HALOPHANTA** in hoc Lexico.

CĂLŌPŎDĬUM, ii, n. 2. forma lignea, qua utuntur sutores in calceis faciendis: a κᾶλον *lignum*, et πούς, ποδὸς *pes.* Auctorem habet *Helenium Acronem* ad illud *Horat.* 2. *Sat.* 3. 106. *Si scalpra, et formas non sutor*, etc. Ubi *formas* exponit *calopodias* in feminino genere. Sed observarunt eruditi, iis temporibus, quibus scripsit *Acron*, neutra nomina fere in feminino usurpata fuisse. *V.* **CALONES.**

CĂLŌPUS, pŏdis, m. καλόπους, idem quod calopodium. *Vet. Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 8. 77. Soleæ calopodes ad reparandum convivium. Juxta cl. *Furlanetto*, hic *calopodes* sunt ipsæ soleæ ligneæ, ab Italis *zoccoli* appellatæ.

CĂLOR, ōris, m. 3. a *caleo*, ut ait *Varro* apud *Non.* p. 46. 22. *Merc.* — Neutro genere *Plaut. Merc.* 5. 2. 16. Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeo mare: Nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem. Confirmat *Philargyr.*, qui ad illud *Virg.* 2. *G.* 344. Si non tanta quies iret frigusque caloremque Inter; hæc eadem *Plauti* verba ita refert: *Neque frigus, neque calor metuo*; additque in versu *Virgilii* prius lectum fuisse *iret frigusque, calorque Inter.* Item *Nonius*, qui 3. 62. hanc vocem ponit inter eas, quæ, ut ipse vocat, indiscreti generis sunt. Adde, quod versus ille hypermeter sit, si *calorem* legas, ut et *Philarg.* adnotavit. Sunt qui, ut grammaticorum regulis consulant, ita ea verba distinguunt, ut *calor* non ad *metuo*, sed ad superius *obsistet* referatur. Sed hoc durius videtur. Non est tamen ideo *Plautus* facile imitandus. — Calor est ardor, æstus (It. *calore, caldo*; Fr. *chaleur*; Hisp. *calor*; Germ. d. *Wärme, Hitze, Gluth*; Angl. *warmth, heat*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Calori* opponitur *frigus*, ut apud *Cic. Tim.* 14. Causæ, quæ vim habeant caloris et frigoris. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 28. 69.; *Varron.* apud *Non.* p. 71. 22. *Merc.*; et *Virg.* 2. *G.* 344. et 4. *ibid.* 36. — Item *calori* opponitur *refrigeratio*, ut apud *Vitruv.* 1. 4. 2. Mutationibus caloris et refrigerationis corpora vitiantur. — Denique etiam in plur. num. *caloribus* opponuntur vel *frigora*, ut apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. et 2. *Off.* 4. 13.; *Horat.* 3. *Od.* 24. 37.; et *Ovid.* 2. *Met.* 134.; vel opponuntur *refrigerationes*, ut apud *Vitruv.* 8. 2. 3. — *Cic. Senect.* 15. 53. Uva succo terræ et calore solis augescit. Adde *Lucret.* 5. 571. et 6. 514. *Id. Lucret.* 1. 425. Calor ignis. *Id.* 6. 234. fulminis. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 4. æstuum. — *b*) Sæpe accipitur pro ardore solis æstivi; et pro ipsa æstate *Cic.* 13. *Att.* 34. Vitandi caloris causa Lanuvii tres horas acquieveram. *Id.* 1. *Orat.* 62. 265. Paullum requiescet, dum se calor frangat. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 1. Ego ex magnis caloribus (non enim meminimus majores) in Arpinati summa cum amœnitate fluminis me refeci. *Id.* 2. *ibid.* 16. 1. Maximi calores. *Liv.* 2. 5. Mediis caloribus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 48. hujusmodi caloris initium statuit Idus Junias. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 5. dum ficus prima calorque Designatorem decorat lictoribus atris. *Lucret.* 1. 175. vere, calore, auctumno. *Varro* apud *Isid. de nat. rer.* c. 10. Hiemes, calores. — *c*) Item de ventis ponitur. *Lucret.* 6. 323. vis venti commixta calore. *Virg.* 2. *G.* 270. Austrini calores. — *d*) Item pro calore vitali. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Salutaris et vitalis calor. Adde *Lucret.* 3. 129. *Ovid.* 4. *Met.* 248. vivus calor. — Eodem sensu absolute *Virg.* 4. *Æn.* 705. omnis et una Dilapsus calor. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 308. et 3. *G.* 272.; et *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 23. — *e*) Demum aliquando pro febri. *Cels.* 3. 3. Quartanæ incipiunt fere ab horrore, deinde calor erumpit. *Tibull.* 4. 11. 2. Dum mea nunc vexat corpora fessa calor.

II.) Translate ponitur pro impetu, fervore et ardore animi aut mentis. — *a*) Generatim. *Quintil.* 2. 15. 28. Juvenili calore inconsideratior. *Id.* 10. 3. 6. Calor ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires. Adde *eumd.* 8. *procem.* 27. *Id.* 11. 3. 130. Calor dicendi. *Id.* 10. 3. 17. Calor et impetus. *Id.* 11. 3. 146. Calor concitatioque. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Calor dicentis. *Id. Paneg.* 3. pietatis. *Seneca Med.* 837. Meat in pectus venasque calor. *Petron. Satyr.* 5. Obruere calorem mentis vino. *h. e.* vigorem. *Stat.* 1. *Theb.* 3. Pierius menti calor incidit. *Id.* 2. *ibid.* 391. rudis fandi pronusque calori. *h. e.* iræ. *Id.* 2. *Achill.* 26. Calor Martius. *h. e.* furor et armorum cupiditas. *Lucan.* 3. 324. juvenisque calorem Excitat in nimios belli civilis amores. *Sil. It.* 1. 549. primique in Marte calores. *Paul. Dig.* 9. 4. 9. Locatio vectigalium, quæ calore licitantis ultra modum solitæ conductionis inflatur. *Id. ibid.* 50. 17. 48. In calore iracundiæ facere aliquid. — *b*) Specialim ponitur pro amore. *Ovid.* 11. *Met.* 305. Videre hanc pariter, pariter traxere calorem. *Id. Heroid.* 19. 173. Nunc male res junctæ, calor et reverentia, pugnant. *Sil. It.* 13. 323. de *Aci.* Æmulus ille tuo quondam, Polypheme, calori. — Et in num. plur. *Horat.* 4. *Od.* 9. 10. spirat adhuc amor, Vivuntque commissi calores (*h. e.* amoris flammæ) Æoliæ fidibus puellæ. *Ovid.* 1. *Art. am.* 237. Vina parant animos faciuntque caloribus aptos. Adde *Senec. Hippol.* 292. — *NB.* De Calore fluvio *V.* ONOM.

CĂLŌRĀTUS, a, um, adject. calefactus, callidus. Translate tantum occurrit. *Apul.* 6. *Met.* Cujus primæ juventutis caloratos impetus freno quodam coercendos existimavi. *Fulgent. Myth.* 3. 4. *in fin.* Calorata juventus.

CĂLŌRĬFĬCUS, a, um, adject. vim calefaciendi habens. *Gell.* 17. 8. Sed non secus quoque oleum calorificum est.

CALOTIBOS, pes est quinque syllabarum, quarum quatuor sunt longæ, et quinta brevis, ut *circumferretur. Diomed.* 3. p. 478. *Putsch.*

CALPAR, āris n. 3. antiqua vox proprie adjectiva, sed absolute substantivorum more usurpata. ¶ 1. Subaudi *vas*; et est vas vinarium fictile condendis vinis aptum, quod postea dolium dictum est. *Non.* p. 546. 81. *Merc.* Calpar nomine antiquo dolium. *Varro ibid.* Quod antequam nomen dolii prolatum esset, cum id genus vasis calpar diceretur, id vinum calpar appellatum. Adde *Paul. Diac.* p. 46. 17. *Müll.* ¶ 2. Subaudi *vinum*, et est vinum novum a dolio recens, teste *Varron. loc. cit.*, et *Paul. Diac.* p. 65. 13. *Müll.*; qui postremus addit, esse vinum novum, quod ex dolio demebatur sacrificii causa, antequam gustaretur. Jovi enim prius sua vina libabant, ne, si non libarent, vinum omne, quod in cellis atque apothecis erat conditum, esse sacrum inciperet, et usibus eriperetur humanis, ut *Arnob.* 7. 31. loquitur. *V.* INFERIUS. Hujusmodi sacrificii dies *vinalia* appellabatur. Videtur esse a Græco κάλπη, quod alii *urceum*, alii *urnam*, aut *situlam* interpretantur.

CALSA, æ, f. 1. herba duorum generum. Una similis aro: nascitur in arationibus: colligitur, antequam inarescat, eusque eosdem habet, quos arum. Alteram quidam vocant anchusam, alii rhinochisiam: folia habet lactucæ longiora, plumosa, radicem rubram. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 36. (58), ubi libri editi habent *calla*, sed MSS. omnes *calsa*, teste *Harduino*: at *Sillig.* legit *calyx*. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 441.) ait, primum *calsæ genus* a *Plinio* recensitum probabiliter esse *Arum arisarum* L.; alterum vero *Anchusam tinctoriam* L. Maxima tamen est in *Plinii loc. cit.* lectionum varietas.

CALTHA, æ, f. 1. genus violæ sativæ, luteæ, odore gravi, folio numeroso. V. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 15. (20). ubi de violis agit. *Virg.* 2. *Ecl.* 50. Mollia luteola pingit vaccinia caltha. *Colum.* 10. *R. R.* 97. Candida leucoja, et flaventia lumina calthæ. *Et ibid.* 307. Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha. — Reperitur etiam *calthum*, i, n. 2. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 114. calthaque pinguia, Et molles violas, et tenues crocos Fundit fonticulis unda fugacibus. — *Sprengel* (*Hist. rei herb.* 2. 3.) cum *Harduino* aliisque consentit; quorum sententia *Virgilii caltha* est *Calendula officinalis* L. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 16.-17.) hanc sententiam pluribus refellit, et demum hæc addit: « Bornons-nous à reconnaître dans le *caltha* une plante de la tribu des radiées; mais comme les radiées à fleurs jaunes, à odeur vive (talis enim *caltha* a *Plinio l. c.* describitur) abondent, là doit s'arrêter toute certitude: une détermination plus précise serait arbitraire ».

CALTHŬLA, æ, f. 1. Scribitur et *caltula* sine aspiratione, sed minus recte. — Est genus vestis sic appellatum a colore calthæ, ut *Non.* p. 548. 21. *Merc.* docet. Non est tamen eadem cum veste ianthina, quæ est coloris violæ purpureæ, ut *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 14. (27). tradit. *Plaut. Epid.* 2. 2. 45. Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova? Indusiatam, patagiatam, calthulam, aut crocotulam. — Addit *Non. loc. cit.* calthulam apud *Varron.* 1. de vita *Pop. Rom.* palliolum breve significare.

CALTHULĀRIUS, ii, m. 2. qui vestes eas tingit, quæ calthulæ vocantur. *Plaut. Aul.* 3. 5. 35. Caupones, patagiarii, indusiarii, flammearii, violarii, calthularii. Ita *Douza* ex auctoritate unius MS., quem et *Lambin.* se vidisse ait. Ipse tamen *Lambin.* cum aliis mavult *cerinarii*, ut intelligantur ii, qui cerino colore pannum tingunt. Plerique alii ex multis MSS. reponunt *carinarii*, eod. tamen sensu, quo *cerinarii*. Nam quæ Græce communiter κηρὸς dicitur, *h. e.* cera, Dorice est καρός. *Turneb. l.* 14. *Adversar. c.* 5.

CALTHUM, i. *V.* **CALTHA.**

CALTULUM cinguli genus. *Isid.* 19. *Orig.* 33. 4.

CĂLUMMA, ătis, n. 2. κάλυμμα, tegmen, velamen. V. *Capellæ loc. cit.* in **GALUMMA.**

CALUMNIA vel kalumnia, æ, f. 1. — Ratione habita scriptionis, quidam grammatici *Kalumniam* scribi jubent, eam regulam statuentes, quod omnia verba, quæ *a* in secunda sede habeant, per K scribenda sint, præsertim si ab externa lingua originem habeant, ut *Kalendæ*, *Karthago*, *Kaput*, *Karissimus*, *Kamenæ*, *Kastra*, *Karet*, et alia, quæ etiam in antiq. lapidib. sæpe inveniuntur. Alii ad tria tantum verba appingi voluerunt, *Kalendas*, *Kaput*, et *Kæsonem*, quod est nomen viri proprium; ut est apud *Terentian. de syllab.* p. 2400. *Putsch.* et *Capell.* 3. p. 57. Quo respexisse videtur *Auson. Technopægn. de litt. monosyllab.* illo versu: Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K. Sed receptissima consuetudo, etiam aureæ ætatis, eam litteram jamdiu ablegavit, cum suam C habeant Latini, quæ eumdem omnino sonum aptissime reddit. *Quintil.* 1. 7. 10. K quidem in nullis verbis utendum puto, nisi, quæ significat, etiam ut sola ponatur. (Hoc dicit, quia K olim *Kalendas*, et *Karthaginem*, et *Kæsonem*, et *Kaput*, quæ legis partem notat, ut docet *Voss. l.* 1. *De Grammat.* c. 17. et alia quædam significabat, de quibus V. *Valer. Prob. De notis Rom.* p. 1515. *Putsch.*) Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quo-

tius *a* sequatur, necessariam credunt; cum sit *c* littera, quæ ad omnes vocales vim suam perferat. Hæc *Quintil.* V. CALO, as, sub init. Hinc patet, cur etiamnum Etrusci litteram *C* ante *a* initio vocum fortiori quadam aspiratione efferant, ita ut veterum Romanorum, quæ et Etruscorum fuerit, pronunciationem servasse videantur. Ceterum *V.* Interpretes ad *Cic. Rosc. Am.* 20. 57. — Ratione habita etymi, videtur esse a *calumnus* pro *calumenus*, ut *Vertumnus* pro *Vertumenus*, ἐς καλύω pro καλύπτω *calvo*, hoc est *tego*, passive *calvor*, proprie tego me, hoc est tecte defraudo, decipio, ut *Priscian.* 10. *p.* 883. et *Charis.* 1. *p.* 43. *Putsch.*, et *Isid.* 5. *Orig.* 26. 8. et 10. 42. existimant, et *Cajus Dig.* 50. 16. 233. non obscure indicat. Hinc minus recte *Paul. Diac. p.* 225. 8. *Müll.* vocem deducit a Græca καλεῖν *vocare*. — Itaque, ratione habita prioris etymi, est incommodum vel damnum, quod quis sciens et de industria alteri affert callide et fraudulenter negando vel celando veritatem: ideoque calumniæ opponitur *veritas* apud *Quintil.* 12. 1. 26., et *fides* apud *Sueton. Calig.* 16. (It. *cavillazione*, *frode*, *inganno*, *calunnia*; Fr. *ruse*, *menée*, *cabale*, *chicane*, *subtilité*; Hisp. *astucia*, *traza*, *altercacion*, *contienda mal formada*, *trapaceria*, *sutileza*; Germ. *Chicane*, *Rechtsverdrehung und Kabale*, *Lug und Trug bei Streitfragen*; Angl. *a cavil quirlle*, *subtilty*, *malicious cunning*, *calumny*). Usurpatur ¶ 1. Generatim, et est fraus, dolus, versuta et callida ratio ad alios fallendos et re sua spoliandos: et locum habet præcipue — *a*) In malitiosa juris interpretatione sive in re juridica. *Cic.* 5. *Verr.* 15. 38. Quamquam illa fuit ad calumniam singulari consilio reperta ratio, quod edixerat, ut profiterentur. Quæ res cum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit, tum vero ad calumnias, in quas omnes inciderent, quos vellet Apronius. *Id. Cæcin.* 21. 61. Siquidem erit armorum judicium, tum ista dicito: juris judicium cum erit et æquitatis, cave in ista tam frigida, tam jejuna calumnia delitescas. *Id.* 4. *Verr.* 27. 66. A quo HS C. millia per calumniam malitiamque petita sunt. *Id.* 4. *Att.* 3. 3. Metellus calumniâ dicendi tempus exemit. *Id.* 1. *ibid.* 4. 1. Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis. *Id. Dom.* 13. 37. et *Fat.* 14. 31. Aliquam calumniam, fraudem, dolum adhibere. *Id.* 1. *Off.* 10. 33. Existunt injuriæ calumnia quadam et nimis callida et malitiosa juris interpretatione. *Id. Cæcin.* 7. 18. Calumniam stultitiamque obterere ac contundere. *Id.* 6. *Fam.* 1. 9. De indignitate calumniæ conspirationis queri. *Id.* 1. *Fam.* 1. 1. Malevolentiâ et invidiâ comprobare religionis calumniam. *h. e.* malitiosam et fictam Sibyllinorum versuum interpretationem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 3. Inimicorum calumniâ triennio tardius triumphare. *Sall. Cat.* 31. Calumniâ impedire aliquem, ne triumphet. *Sueton. Cal.* 38. Varium et exquisitissimum calumniarum genus. — *b*) Occurrit etiam de disputationibus philosophicis vel hujusmodi, et ponitur de eo, qui sententiam suam falsam versutamque callide propugnat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Atque hæc cum uberius disputantur –, facilius effugiunt Academicorum calumniam. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 14. *Id.* apud *Non. p.* 263. 15. *Merc.* Carneades sæpe optimas causas ingenii calumniâ ludificari solet. *Phædr.* 3. *prol.* 37. Eludere calumniam alicujus fictis jocis. *Gell.* 7. 2. Multa in aliquo reprehendendo etiam per calumnias rimari. Adde *Quintil.* 1. 5. 37., 2. 17. 18., et 12. 10. 43. — *c*) Denique ponitur et de eo, qui nimis anxie inquirit et damnat singula, etiam quæ proba esse possunt, nimio timore peccandi. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 4. In hac calumnia timoris et cæcæ suspicionis tormento cum plurima ad alieni sensus conjecturam, non ad suum judicium scribantur, quam difficile sit evadere, nos sentimus. *h. e.* in hoc vano metu, quem mihi ipse fingo nulla satis certa ratione. *Quintil.* 10. 1. 115. Inveni qui Calvum præferrent omnibus: inveni, qui Ciceroni crederent, eum (*Calvum*) nimiâ contra se calumniâ verum sanguinem perdidisse. *h. e.* nimium in se inquirendo atque sese observando, ut loquitur *Cic. Brut.* 82. 283. ubi de eodem Calvo verba facit. ¶ 2. Speciatim in re judiciali calumnia est falsa accusatio, unde *Dig.* 48. 16. 1. § 1. Calumniari est falsa crimina intendere. Cf. *Cajus* 4. *Inst.* 178. Occurrit autem — *a*) Latiori sensu calumnia est actus, quo quis alium falsi criminis apud judicem accusat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 65. Calumniam coercere. *Id.* 4. *Verr.* 17. 43. Turpissimam personam calumniæ alicui imponere. *Id. ibid.* 8. 21. Causam calumniæ reperire. *Id. Cluent.* 31. 86. Sine ignominia calumniæ accusationem relinquere non posse. *Id. Mil.* 27. 74. Calumniâ litium alienos fundos petere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. § 25. Illa acerbissima ministra prætorum avaritiæ calumnia. *Liv.* 39. 4. Afferre ad pontifices calumniam. *Paul.* 5. *Sent.* 4. 71. Per calumniam injuriæ actionem instituere. *Ulp. Dig.* 37. 14. 1. Instruere alicui calumniam. *Cajus* 4. *Inst.* 163. Calumniæ judicium. *Sueton. Cæs.* 20. Metum calumniarum injicere alicui. *Id. Vitell.* 7. Creditorum turbam terrore calumniæ amovere. *Id. Tib.* 49. Tam leve ac tam impudens calumniarum genus. *Id. Ner.* 32. Calumniis rapinisque animum intendere. *Id. Domit.* 9. Calumniæ fiscales. — *Jurare calumniam* vel *de calumnia* dicitur accusator cum jurejurando profitetur se accusatorem et sine calumnia accusaturum. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 3. Nam de divinatione Appius, cum calumniam jurasset, contendere ausus non est. *Liv.* 33. 47. Nec satis habere, bello vicisse Hannibalem, nisi, velut accusatores, calumniam in eum jurarent ac nomen deferrent. Adde *Senec.* 2. *Controv.* 19. et *Ascon.* ad *Cornel. p.* 64. 2. *Bait. Ulp. Dig.* 39. 2. 13. § 3. Qui damni infecti caveri sibi postulat, prius de calumnia jurare debet. *Id. ibid.* 7. Alieno nomine satisdare jubebo ei, qui juraverit non calumniæ causa id se postulare etc. *Id.* 12. 3. 34. Jusjurandum de calumnia. — *b*) Stricto sensu calumnia est falsa criminis in aliquem accusatio, de qua constet apud judices; qua significatione calumnia legitimas quoque pœnas complectitur, inter quas illa erat, ut reo littera K ferro inureretur: V. *Cic. Rosc. Am.* 20. 57. ibique Interpr. *Cic. Cluent.* 59. 163. Hic illo privato judicio, nobis iisdem fortasse patronis, calumniam non effugiet. *h. e.* calumniæ damnationem non effugiet. Sic *puniri calumnia* apud *Paul. Dig.* 48. 16. 11. est pœnam subire ob calumniam in accusando adhibitam. — *Ferre calumniam* idem est ac deferre, hoc est quempiam accusare et probare eum in re quapiam usum fuisse calumnia: ea ratione, qua *ferre tribum* et *ferre punctum* dicitur. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 1. Scito C. Sempronium Rufum calumniam maximo plausu tulisse. — Huc refertur illud *Auct. declam. in Sallust.* 1. Est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum, testante animo suo, fert de eo, qui falsum crimen bonis objectat. *Sueton. Rhet.* 4. Calumniâ notatus. *Gell.* 14. 2. De calumnia damnari. *Tac.* 14. *Ann.* 41. *in fin.* Publico judicio calumniæ damnari.

CĂLUMNIANS vel kalumnians, antis. *V.* CALUMNIOR.

CĂLUMNIĀTĬO vel kalumniatio, ōnis, f. 3. actus calumniandi, calumnia. *Ascon.* in *Divin. Verr.* 14. *p.* 116. *Bait.* Calumniationes: et hoc genus argumenti complexio dicitur.

CĂLUMNIĀTOR vel kalumniator, ōris, m. 3. qui calumnia utitur. *Cajus Dig.* 50. 16. 233. Si calvitur et moretur et frustretur: inde et calumniatores appellati sunt, quia per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus. *Cic. Cluent.* 59. 163. Est hic Ennius egens quidam, calumniator, mercenarius Oppianici. *Id. Cæcin.* 23. 65. Scriptum sequi calumniatoris est; boni judicis voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere. *Id.* 3. *Verr.* 10. 27. Calumniatores apposuit, qui illam hereditatem Veneri commissam esse dicerent. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 10. 26. et 9. 25. *Id.* 4. *ibid.* 8. 22. Calumniatorem quærere. *Id. Quinct.* 29. 87. Ab aliquo calumniatore atque improbo defendi. *Phædr.* 1. 17. 2. Calumniator canis. *Martial.* 11. 66. Delator et calumniator. Adde *Sueton. Rhet.* 4. et *Dig.* 3. 2. 4. § 4. — *Calumniator sui*, qui in se ipsum nimis inquirit, et diligentiæ finem ponere nescit in eo, quod facit, metu peccandi. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (92) Callimachus statuarius semper calumniator sui, nec finem habens diligentiæ: ob id cacizotechnos appellatus. De varia vocis significatione *V.* CALUMNIA.

CĂLUMNIĀTRIX vel kalumniatrix, īcis, f. 3. quæ calumniatur. *Ulp. Dig.* 37. 8. 1. § 14. Videlicet cum nemo contendit, nec calumniatricem dicit. Adde *eumd. ibid.* § 16.

CĂLUMNĬOR vel kalumnior, āris, ātus sum, ari, dep. 1. De scriptione *V.* CALUMNIA sub init. — Part. *Calumnians* sub *a.* — Calumnior est calumniator, falsa crimina intendo (*Dig.* 48. 16. 1. § 1. Calumniari est falsa crimina intendere), malitiose ago fallacias dolosque adhibeo. De varia vocis significatione *V.* CALUMNIA. Occurrit autem verbum calumniari — *a*) Absolute. *Cic. Quinct.* 21. 67. Jacet res in controversiis, isto calumniante biennium. *Id.* 2. *Herenn.* 6. 9. Defensoris locus est, cum accusatorem calumniari criminatur. *Id. Rosc. Am.* 20. 55. Aperte ludificari et calumniari scientem. *Id. post red. in sen.* 11. 27. Calumniari diutius. *Id.* 5. *Verr.* 15. 38. Calumniandi quæstus. *Liv.* 42. 42. Calumniando detorquendoque omnia suspecta invisaque facere. *Sueton. Aug.* 32. Præcipua calumniandi materia. *Id. Domit.* 9. Calumniantium pœna. *Quintil.* 6. 3. 5. Objici calumniantibus. *Id.* 4. 2. 8. Actione sacrilegii calumniari *Dig.* 48. 16. 1. pr. Calumniari aut prævaricari aut tergiversari. *Apul.* 1. *Met.* Ecce frater meus, quem occisum a me calumniaberis. — *Phædr.* 1. *prol.* 5. Calumniari (*h. e.* me reprehendere) si quis autem voluerit, Quod arbores loquantur etc. *Varro* 6. *L. L. init. Müll.* Si qua erunt ex diverso genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti geremus morem. *V.* et infra sub *b.* — Calumniari est etiam falso apud se suspicari, inani metu torqueri, falsas sibi ipsi difficultates objicere, quæ agentem remorentur. *Cic.* 9. *Fam.* 2. 3. Ac mihi quidem jampridem venit in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea quæ agebantur hic quæque dicebantur, nec viderem, nec audirem. Sed calumniabar; putabam, qui mihi obviam venisset, suspicaturum, aut dicturum etc. *V. Cæcinæ* similem usum in CALUMNIA 1. *c.*, et *Senec. Tranquill.* 2.; et cf. infra *Calumniari se.* — *b*) Construitur — Cum Accus. personæ. *Cic.* 9. *Fam.* 7. 1. *per jocum*: Nam quod antea te calumniatus sum, indicabo malitiam meam. Cf. *Dig.* 48. 2. 7. § 3. In alio crimine aliquem calumniari. Et in malam partem *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 66. (272). Calumniari naturam rerum. — *Calumniari se* est nimis anxie inquirere et damnare singula, etiam quæ proba esse possunt, nimio timore peccandi. *Quintil.* 10. 3. 11. Nec enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se pœnam alligandos puto. Nam quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? Cf. *Id.* 8. *procem.* 31. Quibusdam nullus finis calumniandi est et cum singulis pæne syllabis commorandi. *V.* CALUMNIA 1. *c.* et CALUMNIATOR in fin. — *Gell.* 7. 3. Tiro verba ponit Catonis, et aliis tamen eum verbis calumniatur. *h. e.* reprehendit. *Pseudo-Ascon.* in *Divin. Verr.* 5. Frustra calumniantur Ciceronem homines. *Est qui minus recte legit* Ciceroni. — Cum Accus. rei, quæ tamquam invisa describitur. *Seneca Ep.* 81. Non vertit omnia in pejus: – non calumniatur verba, nec vultus: quidquid accidit, benigne interpretando. *Quintil.* 2. 1. 12. Calumniari festinationem alicujus. *Tac.* 3. *Hist.* 75. Innocentiam justitiamque ejus non argueres: sermonis nimius erat: id unum calumniatus est rumor. *h. e.* accusavit, reprehendit, nimis tamen et tamquam summum scelus esset. *Paul. Dig.* 10. 4. 10. Calumniari verba juris. *h. e.* malitiose interpretari. — Passive. *Staberius* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* A quibus interdum analogia calumniatur. *h. e.* συκοφαντεῖται, ut idem *Priscian.* exponit.

CĂLUMNIŌSĒ vel kalumniose, adverb. Sup. *Calumniosissime.* — Calumniose est cum calumnia, fraudulenter. *Papinian. Dig.* 46. 5. 7. Calumniose petere aliquid. *Augustin. Ep.* 48. *ad Vincent. ante med.* Innocentem calumniose appetere. *Symmach.* 10. *Ep.* 76. Calumniosissime credere.

CĂLUMNIŌSUS vel kalumniosus, a, um, adject. Sup. *Calumniosissimus.* — Calumniosus est calumnia plenus, fraudulentus. *Ulp. Dig.* 38. 2. 14. Accusationem calumniosam instituere. *Dig.* 1. 18. 6. § 2. Calumniosa crimina. *Ibid.* 1. 31. 82. § 2. adnotatio. *Arnob.* 1. 1. Calumniosas criminationes dissolvere. *Augustin. Ep.* 152. *ad fin.* In qua cognitione Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos judicavit. — Hinc

Calumniosus, i, m. 2. *absolute*, substantivorum more, est idem qui calumniator. *Paul.* 1. *Sentent.* 5. 1. Calumniosus est, qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat. *Et mox.* Omnes calumniosi extra ordinem plectuntur. Adde *Dig.* 48. 16. 3. et *Apul. de Mag.*

CALVA, æ, f. 1. (calvus) os capitis carne, vel capillis nudatum (It. *cranio*, *teschio*; Fr. *crâne*; Hisp. *craneo*; Germ. *d. Schädel*; Angl. *a scull*). *Liv.* 23. 24. *ad fin.* Purgato inde capite, ut mos iis (*Gallis*)

est, calvam (*L. Postumii Albini procos.*) auro cælavere; idque sacrum vas iis erat, quo solemnibus libarent. *Martial.* 10. 83. Et latum olidæ, Marine, calvæ Campum temporibus tegis comatis. *Id.* 12. 45. Hædina tibi pelle contegenti Nudæ tempora, verticemque calvæ. Adde *eumd.* 3. 74. — De Calva nuce *V.* CALVUS. — *NB.* De Veneris cognomine *V.* CALVA in ONOM.

CALVĀRĬA, æ, f. 1. ¶ 1. Est idem quod calva, sive os capitis cerebrum tegens, sine carne; et dicitur tam de hominibus, quam de brutis. *Cels.* 8. 1. Calvaria ex interiore parte concava, extrinsecus gibba, utrique levis. *Et mox.* Raro calvaria solida, et sine suturis est. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 28. (53). Calvaria canis. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 1. 2. (7). *Pallad.* 1. *R. R.* 35. *in fin.* equæ, vel asinæ. Adde *Scribon. Compos.* 16. et 201.; et *Apul.* 3. *Met.* 17. — Hinc etiam locus, in quo calvæ seu calvariæ sunt, Calvaria appellatur. *Hieronym. Comment. in Matth.* 27. 32. Extra urbem et foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum, et Calvariæ, id est decollatorum sumpsere nomen. *Id. Ep.* 46. *n.* 3. Locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis (*Adami*) calvaria.

CALVĀRĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* calvaria; poculi genus in calvariæ formam figurati. *Scholiast.* ad *Juvenal.* 5. 48. Ut solent in Urbe calices fractos sive calvariolas componere.

CALVĀRĬUM, ii, n. 2. Occurrit in plurali numero tantum: et est hoc nomine piscis marinus, quem eumdem esse quidam putant atque eum, quem *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (14). *orbem* appellari ait, et durissimum esse piscium tradit, rotundum, et sine squamis, totumque capite constare. Sic enim quamdam cum calvaria hominis similitudinem habere videtur. *Ennius* apud *Apul. de Mag.* 39. Polypu' Corcyræ, calvaria pinguia Atarnæ. Al. leg. *calvaria pinguia Acharnes.* Sunt etiam qui non piscem, sed salsamentum e thynnis factum hoc loco esse arbitrantur. *Apul. de Mag.* 34. Si dicas marinum pectinem comendo capillo quæsitum, aut venandis apris piscem apriculum, aut eliciendis mortuis marina calvaria.

CALVĀTĬCA, æ, f. 1. est tegmen muliebre, quod capiti innectitur, ut *Non. p.* 537. 4. *Merc.* definit. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 616. camdem esse docet ac mitram. *Scholiast. Bob. Vol.* 1. *P.* 1. p. 336. 20. *Bait.* cum *Nonio* consentit. Est autem nomen derivatum a *calva*, quæ superiorem capitis partem significat. *Eustath.* χρήδεμνον dicit esse κεφαλῆς κάλυμμα καρειμένον μέχρι τῶν ὤμων, *h. e.* tegmen capitis usque ad humeros demissum: quod cum mitra maxime convenit, cujus laciniæ humeros usque et sub mentum pertingebant. Quod vero χρήδεμνον, et *calvatica* idem fuerint, illud satis probat, quod *Auson. Perioch. Odyss.* 5. vertit *calvaticam*, quod *Homer.* χρήδεμνον dixerat. *Cic. fragm. Orat.* in *Clod.* (edente *Amed. Peyronio V. C. Lips.* an. 1824. p. 115. *Cf. Cic.* apud *Non l. c.* et apud *Scholiast. Bob. l. c.*). Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam, et mitram, et purpureas fascias habere non possumus. Tu ne, cum vincirentur pedes fasciis, cum calvatica capiti accommodaretur, cum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, cum strophio accurate præcingerere, in tam longo spatio numquam te Appii Claudii nepotem esse recordatus es? Adde *Afranium* apud *Scholiast. Bob. l. c.*; *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. § 10.; *Arnob.* 2. 23. et *Gloss. Philox.* — In omnibus auctorum locis supra allatis, uno excepto, legitur *calantica*, aut *calautica*, aut *cacautica*, manifesto quidem errore, cum harum vocum notationem nemo sanus extricare unquam potuerit: at primus omnium veram scriptionem apud *Cic. loc. cit.* invenit laudatus *Peyronius* in MS. cod. palimpsesto Taurinensi, quam omnes critici adprobent, necesse est. — Hinc apud *Non.* 2. 218. *edit. vet.* non *decalanticare*, sed *decalvaticare* legendum apparet.

CALVĀTUS, a, um, adject. calvus factus. *Calvata a vite vinea* dicitur, in qua vites raræ sunt: quemadmodum calvi homines dicuntur, quibus vel nullus est, vel rarus capillus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (196). ex *Catone R. R.* 33. Si vinea ab vite calvata erit, sulcos interponito, ibique viviradicem serito. — In verbis *Catonis* quædam editiones habent, *si vinea a vite calva erit*: sed legendum esse *calvata*, satis probat tum auctoritas *Plinii*, qui verba *Catonis* repetit, tum editio princeps *Jensoniana* 1472. — At cum inusitatum sit verbum *calvo, as*, ex quo ortum habuisset *calvatus*, et MS. et quædam editiones in *Catone* quidem *calva*, non *calvata* præferant, corrigendus potius est *Plinius* ex *Catone*, quam *Cato* ex *Plinio*. Nolim tamen affirmare, *Plinio* inusitatam fuisse vocem *calvata*, at contendo non improbandam *calva*.

CALVĔFĪO, is, ieri, pass. calvesco. *Varro* 1. *R. R.* 37. Ne decrescente luna tondens calvefiam. Ita *editio Aldi* 1514.; aliæ habent *calvus fiam.*

CALVĔO, es, ere, n. 2. calvus sum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 47. (130). Quædam animalium naturaliter calvent, sicut struthiocameli, et corvi aquatici, quibus apud Græcos nomen est inde. nempe φαλακροκόρακας vocant.

CALVESCO, is, ere, n. 3. calvus fio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (78). *de picis Martiis.* Propeium his calvescere omnibus annis, cum serantur rapa. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 7. *de bub.* Potior ratio est custodiendi, ne colla calvescant: quæ non aliter glabra fiunt, nisi, *etc.* Adde *Veget.* 3. *Veter.* 4. 27. — *Calvescere* dicuntur etiam arbores, quæ alicubi rarescunt, et minus densæ sunt ad similitudinem capillorum in capite hominis calvescentis. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 3. Spissius autem semen propter varios casus deponitur, nam interdum prius quam enascatur, aut siccitatibus nux inarescit, aut aquarum abundantia putrescit; interdum subterraneis animalibus infestatur: propter quæ sæpe novella castaneta calvescunt. *V.* CALVUS.

CALVĬTAS, ātis, f. 3. fraus, deceptio: a *calvo, is. Ulp. Dig.* 17. 1. 29. Ipse autem stellionatus crimine propter suam calvitatem plectetur. Ita *Haloander.* At *Torrentinus* habet *callitatem*, et in margine *callidatatem*. Sed τὸ *callitatem* videtur esse error librarii, cui mediæ litteræ exciderint *calliditatem* scribere volenti.

CALVĬTĬES, ei, f. 5. capillorum, aut pilorum defluvium. *Sueton. Galb.* 20. Quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat. — De eo, qui sibi capillos, vel pilos derasit. *Petron. Satyr.* 108. Superciliorum etiam æqualis cum fronte calvities. V. *ibid.* 103. et infra CALVUS.

CALVĬTĬUM, ii, n. 2. idem quod calvities (It. *calvizio, calvezza*; Fr. *manque de cheveux, calvitie*; Hisp. *calvez*; Germ. *die Kahlheit, Glatze, d. kahle Stelle*; Angl. *a baldness*). Occurrit — *a*) De hominibus, sive id naturâ fiat, sive arte. *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 62. Stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio luctus levaretur. *Sueton. Cæs.* 45. Calvitii deformitatem iniquissime ferre. Adde *eumd. Domit.* 18. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 47. (131). Calvitium uni tantum animalium homini, præterquam innatum. Adde *Auson. Epigr.* 72. 2. et *Tertull. advers. nat.* 1. 10. *in fin. Hieronym. Ep.* 21. *n.* 13. Si Israelites captivam habere voluerit uxorem, calvitium ei faciat, ungues præsecet, pilos auferat. — *b*) De solo, in quo raræ sunt arbores. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 11. Pampinus cum excrevit, nepotibus orbandus est; nisi si, propter penuriam et calvitium loci, sumitur in propagines. *V.* CALVESCO et CALVUS; et cf. *Hieronym. loco superius cit.* Quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis etc. Siquidem in eis superfluum, de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus.

CALVO, is, ere, a. 3. vel Calvio, is, ire, a. 4. Præteritum *calvi* agnoscit *Priscian.* 10. p. 883. *Putsch.*; at supinum *calutum* in usu non esse affirmat. — Vocis etymon *V.* in CALUMNIA. — Calvo, vel calvio est decipio, frustror. — *a*) Active *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 720. Alii Calvam Venerem dictam tradunt, quod corda amantum calviat, id est fallat atque eludat. — *b*) Passive. *Pacuvius* apud *Non.* p. 6. 29. *Merc.* Sentio, pater, te vocis calvi similitudine. *Sallustius* apud *Priscian.* 10. p. 883. *Putsch.* et *Eutych.* p. 2182. *Putsch.* Contra ille calvi ratus.

CALVOR, calvĕris, calvi, dep. 3. idem quod *calvo*. Occurrit — *a*) Absolute, et significat fraudes moliri. *Legg. XII. Tabul.* apud *Festum* p. 313. 6. *Müll.* SI CALVITVR PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDO JACITO. *Lucilius* apud *Non.* p. 7. 2. *Merc.* Si non it, capito, inquit, eum; et si calvitur, endo ferto manum. Adde *Caj. Dig.* 50. 16. 233. *pr.* — *b*) Cum Accus. personæ aut rei, est decipere, fallere. *Plaut. Cas.* 2. 2. 3. Ubi domi sola sum, sopor manus calvitur. *h. e.* frustratur manus intentas operi. *Pacuvius* apud *Non.* p. 7. 6. *Merc.* Me calvitur suspicio. *Id.* apud *eumd.* p. 192. 32. Postquam calamitas plures annos arvas calvitur. *h. e.* fructuum spe frustratur. *Accius* apud *eumd.* p. 6. 33. Sed memet calvor: vos istum, ut jussi, ocyus Abstrahite.

CALVUS, a, um, adject. Cf. Germ. *kahl.* — Calvus est, cui capillus vel pili defluxerunt, necnon qui capillis est tonsis: et dicitur tum de hominibus, ut in subjectis exemplis apparet; tum de brutis, ut in CALVEO et CALVESCO videre est (It. *calvo, raso*; Fr. *chauve*; Hisp. *calvo*; Germ. *haarlos, unbefiedert*; Angl. *bald*). Occurrit — *a*) De hominibus aliisque animantibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 306. Ubi ego hodie raso capite calvus capiam pileum. *Carmen* apud *Sueton. Cæs.* 51. Calvus mœchus. Adde *Phædr.* 2. 2. 9., 5. 3. 1. et 5. 6. 1. *Sueton. Cal.* 27. Ex noxiis laniandos adnotavit, et a calvo ad calvum duci imperavit. V. *Baumgarten* ad *h. l.* Adde *Martial.* 10. 83. et 12. 45. *Petron. Satyr.* 27. Senex calvus. Adde *eumd. ibid.* 107. *sub fin.* et *Non.* 12. 38. *edit. vet.* — De occasione, quæ calva depingi solet, proverbium est apud *Dionys. Cat.* 2. 26. Fronte capillatâ, post est occasio calvâ. Cf. *Phædr.* 5. 8. — De Calvorum et Calvinorum familiis apud Romanos, quæ a capillorum calvitio denominatæ sunt, *V.* ONOM. — De *Venere Calva*, *V.* VENUS in ONOM. — *b*) De plantis et locis. *Calvæ nuces*, et *calvæ* absolute sunt genus quoddam nucum, quod in *Gloss. Philox.* exponitur ποντικὸν πεφρυγμένον, hoc est Pontica nux torrefacta, quasi intelligantur eæ, quæ tostura glabræ factæ sunt: sed *Salmas. in exercit. Plin.* p. 602. virides omnino et crudas nuces esse recte tradit, nempe ex genere earum, quas λεπτοκάρυα Græci vocant, hoc est tenue putamen habentes; calvas autem dici, quod ea lanugine, seu barba careant, qua protectas esse Ponticas nuces *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (90). tradit. *Cato R. R.* 8. Nuces calvas, avellanas, Prænestinas et Græcas, hæc facito uti serantur. *Petron. fragm. Tragur.* 68. *Burmann.* Cicer, et lupinum, calvæ, arbitratu. V. *Interpr.* Has *Plin. loc. cit.*, ubi earum varia genera ex *Catone* recenset, *galbas* appellat; atque ita legi in MSS. omnibus, *Harduinus* testatur, quamquam *Salmas. loc. cit.* *calvas* restitui vult; et quidem recte, ut *Sillig.* etiam restituit. — *Martial.* 12. 32. *calvas* vestes dixit *allioque cæpisque*, in quibus rarum allium et pauræ cæpæ erant, quemadmodum in calvo capite rari capilli sunt. — Eadem ratione *calvescere* dicuntur loca, in quibus raræ arbores sunt, et *calva* vinea, paucis vitibus consita. *Cato R. R.* 33. Si vinea a vite calva erit. *h. e.* vitibus vacua. *Alii male legunt* calvata. *V.* CALVATUS.

CALX, calcis, f. 3., *raro admodum* m. 3. Notat *Charis.* 1. p. 72. *Putsch.*, *Lucilium* 23. *satyrar.* calcem masculino genere usurpasse: certe usurpavit *Pers.* 3. 105. — Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur *calx* esse a λάξ per metathesin litterarum, nempe *calx* dictum esse pro *lacs* seu *lacx*; hinc λακτίζω *calcitro*. Aliis videtur esse a *cellere*, κέλλειν, hoc est *pellere* ac propterea etiam premere, unde *calcare* et *calcitrare*. — Ceterum calx est pars posterior imi pedis cum in hominibus, tum in brutis, quæ et calcaneum dicitur (It. *calcagno*; Fr. *talon*; Hisp. *talon, zancajo*; Germ. *die Ferse*; Angl. *the heel*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De hominibus: qui dicuntur etiam *calce percutere* cum pedibus feriunt: nam *calx* pro toto pede etiam accipitur, ut in illo *Virg.* 5. *Æn.* 324. calcemque terit jam calce Diores. *Plaut. Merc.* 5. 2. 111. EV. Sequere sis. CH. Sequor. EV. Clementer, quæso, calces deteris. *h. e.* nam me sequendo pedibus tuis mihi calces premis. *Lucret.* 3. 791. multo prius ipsa animi vis In capite aut humeris aut imis calcibus esse Posset. Adde *eumd.* 5. 135. *Plaut. Pœn.* 4. 1. 3. Incursare pugnis, calcibus. Gr. πὺξ καὶ λάξ. *Ter. Eun.* 2. 2. 54. Calcibus insultare fores. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 77. Certare pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique. *Id.* 5. *Verr.* 23. 66. Pugnis et calcibus concisus. *Id. Sull.* 25. 71. Pugnis et calcibus uti. Cf. *Quintil.* 2. 8. 13. Pugno vel calce ferire. *Cic.* 4. *Herenn.* 55. 68. Subsellium calce premere. *Cels.* 8. 7. *ad fin.* Costæ, spinæ osserum, os tali, calx, manus, planta. *Virg.* 5. *Æn.* 324. calcem terere calce. *h. e.* de duobus qui cursu certant, quorum alter alterius vestigia pone legit. *Id.* 11. *ibid.* 714. Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat. *h.*

e. calce stimulo ferreo armata. Ceterum incertum adhuc est, num stimulus (Itali dicunt *sperone*) calci additus fuerit equiti; an potius ipsa calx ferreâ tantum laminâ armata calcaris loco esset. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 115. vexantemque ilia nudâ Calce ferocis equi. *Sil. It.* 13. 169. Et jam ferrata rapiebat calce volantem Taurea cornipedem. Adde *eumd.* 7. 697. et 17. 541., quibus locis *ferrata calce* legitur. Sunt enim qui in locis *Virgilii* et *Silii* legant *ferrato*: sed *Non.* 3. 66. *edit. vet.* et *Charis.* 1. p. 72. *Putsch.*, *Probus* et alii veteres grammatici *ferrata* retinent. *Pierius* quoque sæpius in MSS. *ferrata*, quam *ferrato*, reperisse se affirmat. *Pers.* 3. 105. *de cadavere mox efferendo.* In portam rigidos calces extendit. *Juvenal.* 5. 295. Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem. — *Adversus stimulum calces* (subaudi *jactare* vel *rejicere*) proverbio dicitur de iis, qui contra eos reluctantur, quos vincere nequeant: sibi enim ipsis magis nocent; ductumque est a bobus, qui cum a bubulco stimulis fodiuntur, si calcitrare velint, altius punguntur. Græci etiam dicunt πρὸς κέντρα λακτίζειν. *Ter. Phorm.* 1. 2. 27. Nam quæ inscitia est, adversus stimulum calces? *V.* CALCITRO. — Item proverbii more dictum est illud *Juvenal.* 1. 43. Nudis calcibus anguem premere. — Denique proverbii loco habendum est etiam illud translate dictum *calcem alicui rei impingere*, hoc est rem aliquam abjicere, deserere, a se dimittere. *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* Ceterum jam Græculis calcem impingit, et Latinas cœpit non male appetere. — *b*) De brutis animalibus. *Varro* 2. *R. R.* 5. 8. *de vaccis.* Coda profusa usque ad calces. Et *Colum.* 8. *R. R.* 2. 8. *de gallis gallinaceis.* Calcis aculeis ova perfringere. — Hinc *calce cædere*, *petere* etc. de quadrupedibus dicitur, cum posterioribus pedibus feriunt. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 71. Calcibus cædere. *Nepos Eumen.* 5. Jumentum verberibus cogebat exultare et calces remittere. Cf. *Alfen. Dig.* 9. 1. 5. Mula calcem rejecit et crus agasoni fregit. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 55. neque Calce lupus quemquam, neque dente petit bos. *Ovid.* 3. *Fast.* 755. Calce ferire. *Phædr.* 1. 21. Calcibus frontem alicui exterere. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 9. Calcibus proturbare. *Virg.* 10. *Æn.* 892. calcibus auras verberare. *Sil. It.* 17. 136. elatis calcibus pulsare aera. — Calces pro pedibus dixit *Seren. Sammon.* 42. 182. Semineciive hirci reserato pectore calces Insere.

II.) Translate. ¶ 1. Ab architectis calx dicitur infima pars, ut a *Vitruv.* 9. 1. 8. *Schneid.* Calces scaporum. ¶ 2. Calx per similitudinem dicitur etiam de particula ligni, quæ cum ipso stolone aut surculo e corpore suæ arboris avellitur serendi gratia, quia cum in ima surculi parte sit, humani calcis speciem præbet. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (156). Solebat capitulatus utrimque e duro surculus seri: postea avelli cum sua calce cœptus est, ut in Bro. Supra *ibid.* 10. 13. (67). dixerat *cum sua perna.* — *NB.* De calce, quæ finem significat, *V.* voc. sequent.

CALX, calcis, m. et *sæpius* f. 3. De genere *V.* infra sub 1. et 2. — Ratione habita etymi, juxta cl. *Forcellini* est a χλάω *frango*, cujus præter. perf. κέχλακα, ex quo χλακὸς, inde contractum χλὸξ et per metathesin *calx*, unde etiam *calculus*. At rectius Voss. in *Etymol.* derivat a Græco χάλιξ *lapis*, a quo per syncopen factum sit *calx*; additque, ideo sic appellari eam, qua in structuris utimur, quia fit ex lapide cocto. — Ceterum *calx* est lapis, lapillus (It. *pietra*; Fr. *pierre*, *caillou*; Hisp. *piedra*, *guijarro*; Germ. d. *Stein*; Angl. *a pebble*). Usurpatur vero tantummodo sequentibus significationibus. ¶ 1. Calx usurpatur pro calculo lusorio: hinc *Paul. Diac.* p. 46. 2. *Müll.* ait, calcem significare lapillum, a quo factum esse deminutivum *calculus*. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 85. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit. *Mi.* Quin prius disperibit, faxo, quam unum calcem civerit. *Non.* p. 199. 19. legit *unum*: sed *Taubman.* ex multis MSS. et veteribus editionibus fere omnibus *unam*. Cf. et *Charis.* 1. p. 72. *Putsch.* *Lucilius* apud *Priscian.* 6. p. 687. *Putsch.* Neumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare et Calces: delectes te, hilo non rectiu' vivas. ¶ 2. Item est lapis excoctus et in pulverem redactus, quo aqua macerato et arena mixto utimur in structuris pro bitumine. Antequam maceretur *calx viva* est; postquam macerata fuerit, *extincta* dicitur. Ceterum accuratam optimæ calcis descriptionem habes apud *Cassiod.* 7. *Variar.* 17. *Cato R. R.* 16. et 38.; et *Vitruv.* 2. 5. 1. *Schneid.* Calcem coquere. *Id. Vitruv.* 8. 6. 8. Calcem vivam ex oleo subactam illinere. *Id.* 2. 5. 1. Cum calx erit extincta, tunc materia ita misceatur, ut etc. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 207. CALCIS RESTINCTAE PARTEM QVARTAM INDITO. *Vitruv.* 7. 2. 1. et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (177). Macerare calcem. *Cato R. R.* 18. Calx arenatus. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 207. QVAE LITA NON ERVNT, CALCE ARENATO LITA POLITAQVE ET CALCE VDA DEALBATA RECTE FACITO. Videtur itaque *calce arenato* (quæ verba occurrunt bis in eadem *Inscript.*) significare calce mixto cum arena, mox vero *calce uda*, h. e. sola calce extincta sine arena, quod Itali dicunt *il bianco*. (Nec est cur mireris, tum hic, tum apud *Catonem loc. cit.* calcem in genere masculino et feminino usurpari: nam in qualibet lingua peculiares sunt dicendi modi ita quibusdam rerum usibus idonei, ut aliter efferri nequeant, si germanam eorum significationem legentibus exploratam esse velis. Ita sentit etiam *J. B. Zannonius* in interpretatione hujus loci, *Antico marmo scritto* p. 36.). *Cato R. R.* 18. Calx cribro succreta. *Id. ibid.* 15. Calx, cæmenta, silex. *Cic. Mil.* 27. 74. In eam insulam materiem, calcem, cæmenta, arma convexit. *Lucret.* 6. 1067. saxa conlescunt solâ calce. *Vitruv.* 7. 3. materies ex calce et arenâ mixta. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 53. (174). Calx accenditur aquis. *Apul.* 8. *Met.* Locus calce et arenâ perpolitus. ¶ 3. Antiqui calcem dixerunt in Circo, quam postea cretam appellarunt, teste *Seneca Ep.* 108. *ad fin.* Erat autem linea ducta ex calce sive creta alba eo loco, ubi cursus finis erat, ut *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 58. (199). docet. Hinc factum est, ut *calcem* pro cujuscumque rei fine, termino, meta usurparent; quemadmodum *carcerem* pro principio. *Lucret.* 6. 91. Tu mihi supremæ præscripta ad candida calcis Currenti spatium præmonstra, callida Musa. Hæc *Forcellinus* ex veteribus edition., in quibus haud recte *calcis* leg. pro *callis*, ex eo fortasse quod sit generis feminini. *Varro* apud *Non.* p. 199. 21. *Merc.* Nemini fortuna currum a carcere intimo missum labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit (*lege* sivit). *Cic. Senect.* 23. 83. Si quis mihi deus largiatur, ut ex hac ætate repuerascam —, valde recusem, nec vero velim quasi decurso spatio a calce ad carceres revocari. *Id.* 1. *Tusc.* 8. 15. Nunc video calcem, ad quam cum sit decursum, nihil sit præterea extimescendum. *Al. leg.* ad quem. *Id. Amic.* 27. 101. Ut cum æqualibus possis, quibuscum tamquam e carceribus emissus sis, cum eisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. *Id.* apud *Senec. Ep.* 108. *ad fin.* Quoniam sumus ab ipsa calce ejus interpellatione revocati. — Hinc *extra calcem decurrere* (*al.* rectius excurrere), proverbio dicitur pro extra rem digredi. *Ammian.* 21. 1. *extr.* Ne extra calcem, quod dicitur, sermo decurrens (*al.* excurrens) lecturo fastidium ferat. — Porro quia in allato *Cic.* loco 1. *Tusc.* fortasse, in verbis autem *Varron.* certo (si fides *Nonio*) *calx* masculino genere effertur, putant nonnulli, cum pro fine accipitur, non a creta Circi, sed a parte infima pedis dicendam esse: ea enim significatione utrumque genus sine controversia admittit, ut in voce præcedenti videre est. At ex iis, quæ diximus § 2., patet falsam esse hujusmodi distinctionem. ¶ 4. Calces ampullæ plumbeæ. Hæc *Paul. Diac.* p. 46. 18. *Müll.*; et videtur significare laminas plumbeas, quibus ampullæ vitreæ, vel involucra viminе et junco texta, quibus ampullæ plumbeæ in ima parte circumvestiri solent.

CĂLȲBA, æ, f. 1. καλύβη, pergula est, tugurium, attegiæ, quales in meritoriis tabernis fieri solent, in quibus ganeones ad potandum sedent. Id enim sonat Græca vox, quæ est a καλύπτω *tego*. Ita *Salmas.* in *commentar. ad Vopisc. Carin.* 19. afferens illud *Virg. Cop.* 7. Sunt topia, et calybæ, cyathi, rosa, tibia, chordæ. *Scalig.* etiam eam lectionem agnoscit, (vulgo enim legitur: *Sunt cupæ, calices*, etc.) sed mavult legi *chalybes*, hoc est æra in crotalis et crepitaculis. — Quia vero καλύβη Græce aliam quoque habet significationem, nempe cellam vel thalamum aliquando notat, et in veteri Græco epigrammate ponitur pro cubiculo, seu thalamo, in quo sunt signa et pulvinaria deorum, et præsertim Cybeles; hinc *calybitam* affirmat idem *Salmas.* significare Gallum Matris deum sacerdotem, quasi dicas cubicularium, in illis versibus *ejusdem Copæ* 25. Huc calybita veni: vester jam sudat asellus. Parce illi: vestrum delicium est asinus. Constat enim etiam ex *Phædro* 4. 1. solitos fuisse Gallos circumducere, quæstus causa, asinum bajulantem sarcinas. Ita quidem *Salmas.* At vero *Scalig.* pro *calybita* vult legi *asinvehida*, factum per syncopen ex *asinivehida*, hoc est qui asino vehitur, et significari Silenum Bacchi comitem. *Plaut. Bacch. prol.* 31. *loquitur Silenus.* Asinivehidam me vocitant Ionii greges. Alii denique retinent *calybita*, et interpretantur eum, qui tabernas earumque calybas potandi gratia frequentant. *V.* CANABA. Verum hæc omnia valde incerta sunt, et in scribendi usum non facile deducenda. *Wernsdorfio* ad *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 296. videtur *calybita* esse rusticus, qui asino vectas fruges, poma et alia id genus viris edentibus bibentibusque sub calybis vendit.

CĂLȲBITA, æ, m. 1. *V.* vocem præced.

CĂLȲCŬLĀRIS, *et minus recte* calicularis, e, adject., ut *herba calycularis*, quæ caliculos habet, qualis est hyoscyamos, apud *Apul. Herb.* 4. *V.* CANICULATUS.

CĂLȲCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a calyx, parvus calyx, καλύκιον. — Apud *Apul.* locis infra cit. legitur *caliculus*, at minus recte. — Occurrit tantum — *a*) De plantis seu floribus, et est globulus ille, qui in medio foliorum est et semen continet. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 19. 88. (205). Ceratitis radice crassa et corticosa, calyculo inflexo, ut cornicula. *Id.* 27. *ibid.* 5. 20. (37). Ascyron semen habet in calyculis pusillum. *Apul.* 4. *Met.* 2. Floris inodori porrecti calyculi modice punicantes. *V.* CALYX. — *b*) Præterea testaceorum piscium durum corium, calyculus appellatur. *Apul. de Mag.* 35. Calyculi echinorum.

CĂLȲPTRA. *V.* CALIPTRA.

CĂLYX, ȳcis, m. 3. κάλυξ, generatim est exterior crusta seu cortex: speciatim vero — *a*) Calyx dicitur in floribus globulus ille, qui in medio foliorum est, et semen continet, habetque sæpe infixa stamina seu capillos, decussisque floris foliis adhuc remanet, ut in rosa, in lilio, in narcisso, in papavere etc. Dictus videtur a καλύπτω *tego*, quia semen contegit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 12. (25). Narcissi alterum genus flore candido, calyce purpureo: tertio generi calyx herbaceus. *Id. ibid.* 4. 10. (14). *de rosa.* Paullatim dehiscit ac sese pandit in calyces medio sui stantis complexa luteos apices. Adde *ibid.* 18. 73. (121). *Id.* 20. *ibid.* 18. 76. (198). Calyx papaveris. *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. (23). *de lilio.* Ita odor colorque duplex, et alius calycis, alius staminis. — *b*) Item calyx dicitur nucum aliorumque fructuum extimus cortex, qui præsertim in maturitate mollis est, cuique opponitur *putamen*, hoc est ligneus durusque cortex. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (86). Nuces gemino protectæ operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. *Id.* 15. *ibid.* 23. 25. (92). Castaneis armatum echinato calyce vallum. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (19). Glandem, quæ proprie intelligitur, ferunt robur, quercus, æsculus —, continent hispido calyce per genera plus minusve complectente. *Id.* 23. *ibid.* 4. 43. (86). Oleum laurinum auribus in calyce Punici mali calfactum illinitur. Adde *eumd.* 22. *ibid.* 22. 44. (96). — *c*) Item per similitudinem dicitur de crusta e gypso vel cera, qua vestiuntur pomorum quædam genera, servandi causa. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (64). Mala generosissima crustant gypso, vel cera; quæ nisi maturuerint, incremento calycem rumpunt. — *d*) Præterea testaceorum piscium durum corium, calyx appellatur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (39). *de testudine.* Latitudo his in dorso pectori similis, nec convexo curvata calyce. *Id.* 9. *ibid.* 56. 82. (174). Calyces cochlearum. *Id. ibid.* 31. 51. (100). echinometrarum. — *e*) Item ponitur de ovi putamine integro, postquam quis exsorbuerit. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (19). — *f*) Denique de operimento seu crusta e luto, qua caminantur strues lignorum in carbone faciendo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (23). Acervi consertis taleis recentibus luto caminantur; accensàque strue, contis pungitur durescens calyx, atque ita sudorem emittit.

CĀMA, æ, f. 1. *Isid.* 20. *Orig.* 11. 2. Cama est brevis lectus, et circa terram: Græci enim χαμαὶ, humi, dicunt. — Hinc Hispani etiamnum lectum camam appellant.

CAMĂCUM, i, n. 2. succus cinnami succo similis, in Syria nascens. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 28. 63. (135). et 13. *ibid.* 2. 2. (18). Alii aliter legunt. In *lib.* 1. *ejusd. Plin. ad indicem l.* 12. legitur *comacum*.

CĂMĂRA. *V.* CAMERA.

CAMĂRUS. *V.* CAMMARUS.

CAMBIO, is, bsi vel psi, ire, a. 4. commuto, per-

muto. *Apul. de Mag.* 17. Ego adeo, servos te an habeas ad agrum colendum, an ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, neque scio, neque laboro. *Recentiores editiones leg.* cambies, *quasi a* cambio, as, are. — Agnoscunt hoc verbum etiam *Charis.* 3. p. 210. *et* p. 233. *Putsch.* et ex eo *Priscian.* 10. p. 906., eique tribuunt præteritum *campsi*, vel *cambsi*, quod a Græco κάμπτω, ἔκαμψα esse videtur, ut *ibid. Priscian.* tradit. Legitur etiam apud *Sicul. Flacc. De condit. agror.* p. 13. *Goesii. V.* CAMPSO.

CĂMĒLA, æ, f. 1. *V.* CAMELUS.

CAMELÆ virgines. *V.* CAMELIS.

CĂMĒLĀRĬUS, ii, m. 2 καμηλίτης, qui camelorum curam gerit. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 11. *V.* vocem sequent. Adde *Edict. Dioclet.* p. 19. in *V.* BURDONARIUS.

CĂMĒLĀSIA *et rectius* camelelasia, æ, f. 1. καμηληλασία, publicorum camelorum, qui ex fisco principis alebantur ad convehendos militibus commeatus, cura et custodia. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 11. Camelasia quoque personale munus est: nam ratione habita et alimentorum, et camelorum, certa pecunia camelariis dari debet. Ita *Torrentin.*, qui etiam *ibid.* 1. καμηλασία habet. Sed *Haloander* edidit priore quidem loco *camelelasia*, posteriore autem καμηληλασία, quæ vox camelorum agitationem significat, ab ἐλαύνω *agito*, et κάμηλος *camelus*. Quare καμηλασία videtur esse per syncopen a καμηληλασία.

CĂMĒLĀSĬUM, ii, n. 2. annona pro alendis camelis, aut vectigal, quod ad eos alendos fisco penditur. *Ammian.* 17. 3. Ut præter solita, nemo Gallis quidquam exprimere conaretur camelasii nomine inique. *Valesius* affirmat, ea verba *camelasii nomine* in MSS. deesse, et ab alio per summam audaciam inserta fuisse.

CĂMĒLĪNUS, a, um, adject. καμήλειος, ad camelum pertinens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (261). Camelino genitali arcus intendere, Orientis populis fidissimum. *Id.* 28. *ibid.* 9. 33. (123). Camelinum lac. *Arnob.* 6. 11. Camelina ossa.

CAMELIS virginibus (*id est* Gamelis virginibus) supplicare nupturæ solitæ erant. *Paul. Diac.* p. 63. 8. *Müll.* Ad quem locum *Voss.* in *Etymol.* docet Camelas virgines esse γαμηλίους θεάς, hoc est nuptiarum præsides deas, *g* in *c* mutato, quemadmodum Γαΐος *Cajus* etc.; γαμηλίους autem dictas ἀπὸ τοῦ γαμεῖν, *uxorem ducere.*

CĂMELLA, æ, f. 1. vox est, quam *Gell.* 16. 7. recenset inter obsoletas, et ex sordidiore vulgi usu petitas, usurpataque a *Laberio* in Mimis suis: injuriâ tamen, cum et apud *Ovid.* et apud *Petron.* legatur. Significat autem vas quoddam potorium, quod quidam putant ita dictum esse, quasi *camuram*, quod flexum incurvumque foret. Alii illud idem esse arbitrantur, quod *Pollux l.* 10. *c.* 24. σκαφίδας, seu σκαμίλλας vocat, et Romanam appellationem esse, docet. *Salmas.* enim cum aliis καμέλλαν legendum putat, et illud σ ex præcedenti voce Ῥωμαῖοις perperam ei adjunctum fuisse. Sed enim *Pollux* quodnam tandem vas illud sit, non definit; solum enumerat inter vasa coquinaria, de quibus toto illo capite agit. Nos ex locis Latinorum scriptorum, quos subjicimus, illud dicere possumus, fuisse vas potorium, in sacris quibusdam adhibitum: idem Galli nunc *gamelle* et Hispani *gamella* vocant: aliquam vero habet ea vox analogiam tum significatione, tum forma cum gabata, quam Itali *gavetta* appellant. *Ovid.* 4. *Fast.* 779. Tum licet, apposita veluti cratere camella, Lac niveum potes purpureamque sapam. *Petron. Satyr.* 135. Camellam etiam vetustate ruptam pice temperata refecit. *Et mox.* Camella lignea. *Et ibid.* 137. Infra manus meas camellam vini posuit. — In conviviis quoque adhibitam fuisse, colligitur ex illo *ejusdem* in *Fragm. Tragur.* 64. *Burmann.* Camellam grandem jussit misceri, potiones dividi omnibus servis.

CĂMĒLŎPARDĂLIS, is, f. 3. καμηλοπάρδαλις, animal forma camelum referens, pellis autem colore variegato pantheram: a κάμηλος *camelus*, et πάρδαλις *panthera*. *Varro* 5. *L. L.* 100. *Müll.* Alexandria camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculis ut panthera. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 27. (69). Nabum Æthiopes vocant, collo similem equo, pedibus et cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem distinguentibus: unde appellata camelopardalis, dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primum visa Romæ (*h. e.* ann. U. C. 707.). Ex eo subinde cernitur, aspectu magis, quam feritate conspicua: quare etiam ovis feræ nomen invenit. *h. e.* ovis peregrinæ. *V.* FERUS. Ceterum luculentam camelopardalis descriptionem habes apud *Dion. l.* 43. *c.* 23. et *Heliod. Æthiop. l.* 10. *c.* 27. — Dicitur etiam *camelopardalus*, i. *Capitolin. Gordian. III.* 33. Camelopardali decem, onagri viginti. Adde *Vopisc. Aurel.* 33. — *Isid.* 12. *Orig.* 2. *camelopardum* vocat, non absurde. — *NB.* Italica vox *Giraffa*, quæ Latine *camelopardalis* respondet, est ab Arab. *zoraffel*, quod ab *Ægypt. sonaphe*, h. e., longam collum. V. *Tychsen, Hist. anim. sacr.* p. 155.

CĂMĒLŎPARDĂLUS et CĂMĒLŎPARDUS, i } *V.* vocem præced.

CĂMĒLŎPŎDĬON, ii, n. 2. καμηλοπόδιον, hoc est cameli pes, herba est eadem, quæ marrubium. *Apul. Herb.* 45.

CĂMĒLUS, i, m. *et raro* f. 2. (*V.* in fine hujus vocis) κάμηλος, vox Syriaca, (nempe Hebraica גָּמָל gamàl a גָּמַל, retribuit, mutata littera ג in κ, quod ex *Bochart. Hierozoich. T.* 1. p. 74. animal sit μνησίκακον, injuriarum memor, et malum pro malo rependat) teste *Varron.* 5. *L. L.* 100. *Müll.*, qua significatur animal quadrupes in orientalibus regionibus frequentissimum, longo, gracili obtortoque collo, capite exili, altis cruribus, pectore amplo et villoso, et in superiore maxilla primoribus carens dentibus, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 63. (164). tradit. Est autem duplicis generis, Bactrianum et Arabicum: illud bina habet tubera in dorso ephippiorum modo exstantia, hoc unum tantum, (unde *curvum camelum* dixit *Paulin. Nolan. carm.* 6. 229.) utrumque autem alterum sub pectore, cui incumbit, dum ad accipienda onera (quibus portandis quam aptissimum est) ultro in genua demittitur. Sitim adeo tolerat, ut quatriduum potu abstineat, eod. *Plin.* teste 8. *Hist. nat.* 18. 26. (67)., ubi de eo plura. Hinc *Pers.* 5. 136. *sitientem* appellat. — Fallitur tamen *Forcellinus*, qui cameli nomine *Arabicum* tantummodo et *Bactrianum* Latinos significasse affirmat; eodem enim nomine et *dromedarium* significarunt, qui a Bactriano diversus est: *V. Annal. dell' Instit. archeol. ann.* 1833. p. 99. *nota* 1. — Jam vero *Camelum Arabicum* unum solummodo tuber in dorso habentem memorat *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 26. (67). — *Camelum pro dromedario*, dicitur *camelus dromas* a *Liv.* 37. 40. et *Curt.* 5. 2. 10. — *Camelus* denique *Bactrianus* bina tubera in dorso habens memoratur a *Plin. loc. cit.*; *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122.; *Varron. loc. cit.* (qui ait camelum suo nomine Syriaco in Latium venisse); *Horat.* 2. *Ep.* 1. 195.; *Curt.* 3. 3. 24. et alibi sæpe; *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (161).; *Pers. loc. cit.* et *Dig.* 9. 2. 2. § 2. — *Camelus* femina femin. genere effertur. *Trebell. Claud.* 14. Equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas novem. *Salmas.* tamen et *Gruter.* ex quibusdam MSS. leg. *camelas.* Etiam *Paulin. Nolan.* hac ratione usurpavit, nec tamen camelum feminam intellexit. Ejus verba sunt *Ep* 29. *c.* 2. Et illa nobis de Euangelio camelus ingeritur, quæ facilius per foramen acus transit, etc. Fortasse respexit, sed minus recte, ad τὸν κάμιλον, quæ vox rudentem, seu, funem nauticum significat. In quodam tamen MS. codice legitur *ille camelus, qui* etc.

CĂMĒNA *vel* Camœna, æ, f. 1. eadem quæ Musa, ita dicta a *canendo. V.* CAMENA in ONOM. — Per metonymiam sumitur pro carminibus. *Horat.* 1. *Od.* 12. 39. Gratus insigni referam Camena. *Id.* 4. *ibid.* 9. 8. Stesichorique graves Camenæ. *Id.* 1. *Ep.* 1. 1. Primâ dicte mihi, summâ dicende Camenâ. Adde *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 33.

CĂMĔRA, æ, f. 1. καμάρα. Scribitur et *camara*, quod est Græcos imitari. Probant hanc scribendi rationem *Verr. Flacc.* et *Charis.* 1. p. 43. *Putsch.*, ubi tamen etiam *cameram* admittit. *Burmann.* quoque in *not.* ad *Petron.* 30. multis contendit *camaram* scribendum esse: quam scribendi rationem confirmat *Inscript.* apud *Murat.* 1563. 5. Sed profecto *camera* sæpius apud Latinos scriptores usuvenisse atque inveniri in optimis libris, docent *Paul. Diac.* p. 43. 17. *Müll.*, *Dausq.* in *Orthogr.* et *Schneider* in *Indice Script. R. R.* p. 121. — Ceterum camera est tectum incurvum in modum testudinis, tectum in modum crucis arcuatum sive ipsa tecti curvatura (*It.* volta, *cielo fatto a volta, testuggine*; *Fr.* voûte, *arcade, plafond voûté*; *Hisp. boveda, sala abovedada*; *Germ. Bogen-oder Kreuzgewölbe, bogenförmige Ueberdachung, gewölbte Decke*; *Angl. a vault, archedroof or ceiling, an upper gallery*). ¶ 1. Generatim. De camerarum rationibus multa *Vitruv.* 7. 3. 1. et seqq. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 1. Pavimenta recte fieri videbantur: cameras quasdam non probavi mutarique jussi. *Varro* 3. *R. R.* 7. 3. Περιστερεὼν fit, ut testudo, magna camera tectus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 59. 2. et 3. *ibid.* 8. 1.; *Lucret.* apud *Charis. loc. cit.*; et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 273. *Propert.* 3. 1. 50. Nec camera auratas inter eburna trabes. *Vitruv.* 7. 3. 3. Camerarum cælum. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 12. Horreum camerâ contectum. *Id.* 4. *ibid.* 17. 5. Pampini condensati cameræ more terram obumbrant. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 3. 60. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (156). Arundinibus cameras levissime suspendere. *Id.* 36. *ibid.* 25. 64. (189). Cameras vitreas facere. Adde *eumd.* 33. *ibid.* 3. 18. (57).; et *Petron. Satyr.* 30. et 40. *Sueton. Ner.* 34. Solutilem navem, cujus vel naufragio, vel cameræ ruinâ periret, commentus est. ¶ 2. Specialim est hoc nomine genus navigii, accolis Ponti et Bosphori usitatum, arctis lateribus, lata alvo, sine vinculo æris aut ferri, cujus tumente mari, prout fluctus attollitur, summam partem tabulis augent, donec in modum tecti claudatur. Ita describit *Tacit.* 3. *Hist.* 47. Affertur etiam a *Gell.* 10. 25. *extr.*, ubi varia navigiorum nomina enumerat. Hoc tamen sensu semper *camara* Græca positione scribitur. Porro ab his navigiis, quæ eodem fere modo describit, nomen habere Camaritarum gentem, Ponti accolam, ait *Eustath.* ad *Dionys. Perieg.* 700. Eorum mentionem facit *Priscian.* in *Perieg.* 682., *Avien. Descript. orb.* 886. et *Ammian.* 22. 8.

Homonym. *Camera* differt a *fornice* in eo, quod *camera* significat totum tectum fornicatum, *fornix* vero de singulis etiam cameræ arcubus dicitur: quamquam hoc discrimen perpetuum non est. *Sall. Cat.* 55. Tullianum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta.

CĂMĔRĀRĬUS *vel* camararius, a, um, adject. ad cameram pertinens. *Camerarius cucumis* dicitur a *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (70). qui in altum scandit, levi umbra cameras ac pergulas operiens: cui contrarium est *plebejus*, humi repens.

CĂMĔRĀTĬO *vel* camaratio, ōnis, f. 3. καμάρωσις, structura in cameram curvata. *Spartian. Caracall.* 9. Nam ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est.

CĂMĔRĀTUS *vel* camaratus, a, um. *V.* voc. sequent.

CĂMĔRO *vel* camaro, as, āvi, ātum, are, a. 1. De scriptione *V.* CAMERA sub init. — Part. *Cameratus* I. — Camero est in modum cameræ struo.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (97). Publicum omnium (*avium*) est tabulata ramorum sustinendo nido provide eligere, camerare ab imbri, aut fronde protegere densa. *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. Si inquilinus arcam cameratam in ædes intulerit. *Al. leg.* arcam æratam. In *Inscript.* apud *Murat.* 1004. 5. legitur *camaratus.*

II.) Translate. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *sub init.* Non camerato eloquio caperis, *h. e.* multum elaborato.

CĂMĔRUS, a, um. *V.* CAMURUS.

CĂMILLA, æ, f. 1. *V.* CAMILLUS in Lexico.

CĂMILLUM, i, n. 2. teste *Paul. Diac.* p. 63. 11. *Müll.* erat vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia. (*Varro* scribit, celari consuevisse quid eo contineretur, ut dicetur in voce sequenti). Ideo autem *camillum* dicebatur, quod *camillus* vocabatur minister ille sacrorum, qui eum gerebat. — Fortasse ab hujus vasis similitudine dicitur *camillum* cavitas quædam, seu loculamentum, de quo ita *Vitruv.* 10. 10. 3. *Schneid.* ubi agit *de catapultis et scorpionib.* Crassitudo buculæ, quæ affigitur, vocitatur camillum, seu, quemadmodum nonnulli, loculamentum. *Bald.* in *Lex. Vitruv.* suspicatur legendum *catillum*, meticulose tamen, et indefinitam rem in medio relinquens. Alii tamen apud utrumque legunt *scamillum.*

CĂMILLUS, i, m. 2. *et* CĂMILLA, æ, f. 1. prisca vox et origine Græca a Καδμίλος, ut *Varro* 7. *L. L.* 34. *Müll.* haud recte arbitratur; Tusca vero, vel potius a Phœnicibus ducta, ut alii. Nam Tusci a Phœ-

nicibus originem trahunt: ea significatur minister, aut ministra deorum, non quidem in quocumque munere, sed in rebus et sacris occultioribus. *Varro loc. cit.* In Medio: *Cælitum camilla, exspectata advenis; salve hospita.* Camillam qui glossemata interpretati, dixerunt administram: addi oportet, in his, quæ occultiora. Itaque dicitur in nuptiis casmillus qui cumerum fert, in quo quid sit, in ministerio plerique extrinsecus nesciunt. Hinc Casmilius nominatur Samothrece mysteriis dius quidam administer diis magnis. Verbum esse Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni. Hæc *Varro* ex emendatione *Scaliger. Macrob.* 3. *Saturn.* 8. ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 543. matrisque vocavit Nomine Casmillæ mutata parte Camillam: Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait, dixisse Callimachum Tuscos Camillum appellare Mercurium; quo vocabulo significant præministrum deorum. Unde Virgilius ait, Metabum Camillam appellasse filiam, Dianæ scilicet præministram. Nam et Pacuvius, cum de Medea loqueretur: *Cælitum Camilla exspectata advenis; salve hospita.* Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes, camillos et camillas appellant, flaminicarum et flaminum præministros. Hæc *Macrob.*, quem ad verbum descripsit *Servius* ad *Virg. loc. cit.* Sic *Interpres* Apollonii: Κάσμιλλος Ἑρμῆς ἐστιν. Quod vero ultimo loco ponit *Macrob.*, confirmatur ex *Paul. Diac.* p. 93. 3. *Müll.*, qui docet, *camillum* proprie appellari puerum ingenuum: et in voce *Flaminius* hæc habet: Flaminius camillus puer dicebatur patrimos et matrimos (παῖς ἀμφιθαλής) qui flamini Diali ad sacrificia præministrabat. Antiqui enim ministros, Camillos dicebant. Alii dicunt, omnes pueros ab antiquis *camillos* appellatos, sicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura præciperet: *Hiberno pulvere, verno luto grandia farra, camille, metes.* Qui versus habetur etiam apud *Serv.* ad illud 1. *G.* 101. hiberno lætissima pulvere farra. Huc pertinet versiculus ille derisus a veteribus criticis apud *Quintil.* 8. 3. 19. Prætextam in cista mures rosere camilli. *h. e.* exigui: vel adludit ad cistam, in qua prætexta, tamquam sacra quædam, reposita erat. — Quod in *Virg.* et *Varron.* legitur etiam *Casmillus*, idem omnino est. Nam et apud Græcos χάμιλλος et κάσμιλλος legitur. Simile est quod priscis Latinis *casmena* dicebatur, quæ postea *camena*, ut est apud *Varron.* 7. *L. L.* 26. *Müll.* — Hucusque *Forcellinus.* At si cum citatis locis conferantur *Macrob.* 5. *Saturn.* 20. et *Paul. Diac.* p. 93. 2. 7. et seqq. illud clare patet, *camillos* et *camillas* initio statim significasse pueros et puellas liberos ingenuosque; deinde etiam sacerdotum ministros, propterea quod huic ministerio pueri et puellæ liberi tantum ingenuique adhiberentur, quique patrem matremque adhuc vivos haberent, ut ait *Paul. Diac. loco* nuper *cit.* — Quod vero attinet ad vocis etymon, a Gr. γαμήλιος derivandam esse præstat, potius quam a Κάδμιλος, ut *Varro* deduxit, vel a *chadama* ministravit et *el* deo, quasi minister dei, ut *Bochart* Geogr. 1. 396. V. *Accad. Ercolan. Bronzi T.* 2. *tav.* 56. *n.* 6. et *Annali dell' Istit. archeol. T.* 8. *p.* 85. — Denique allatis locis addatur et illud *Servii* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 78. Hæc Amaryllis (*corrige* camilla) ejus, quam Græci σύμμυσται vocant. *V. Anal. gramm.* p. 209. 49. *Eichenf.*

CĂMĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. sequent.

CĂMĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Caminatus.* — Caminare est facere in modum camini. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (80). Et ubique caminata foetura ore compressiore sint. *h. e.* in imo, quam in summo patentiore. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (23). Acervi confertis taleis recentibus luto caminantur. *V.* CAMINUS.

CĂMĪNUS, i, m. 2. κάμινος ἡ (a καίω Attice pro καίω uro), Latine *fornax*, est fornax igni continendo apta (It. *camino, focolare*; Fr. *four, fourneau*; Hisp. *horno, hornillo*; Germ. *Feuerstätte oder Kamin mit Esse*; Angl. *a furnace, chimney*). Solent autem fornaces ita disponi, ut patentiores in imo, quam in summo sint, quo calor intensior fiat, et vehementior. Ex quo intelligitur, quid sit *caminare*, et *caminatus*, de quibus modo dictum est. Quidam inter fornacem et caminum eam statuunt differentiam, ut *fornax* sit balneatorum, pistorum et figulorum; *caminus* vero, in quo metallum excoquitur. Sed hoc discrimen aut verum non est, aut sane non perpetuum. Magna lis est inter eruditos an habuerint veteres emissaria illa seu gulas, quæ foco superpositæ fumum excipiunt, et extra ædes ex superiore parte ejiciunt. Negant multis argumentis *Manut. ad epist. citand. Cicer., Lips. Centur.* 3. ad *Belg.* ep. 76., *Philander ad Vitruv.* 7. 3., *Burmann.* ad *Petron. Satyr.* 135. ad illa verba, *fumoso suspensa tigillo*, et alii. Affirmat constanter *Ferrarius Elector. l.* 1. c. 9. et ex eo *Pitisc.* in *Lex.* allatis præcipue aliquot Græcorum scriptorum locis, ex quibus satis aperte colligi videtur, tales tubos in usu fuisse. Nos in re valde incerta, et nimis multa verba requirente, ut dilucide definiatur, ad eos lectorem remittimus. Hac super quæstione peculiarem dissertationem scripsit *Scipio Maffeius*, quam leges apud *Calogera Raccolt. T.* 47. p. 449., ubi affirmat, veteres nequaquam usos fuisse iis, quos nostrates *cammini* appellant. — Cæterum caminus ¶ 1. Est locus in privatis ædibus, in quo ignis ad calefaciendum, vel etiam ad coquendos cibos accenditur, qui et *focus* dicitur. Talis autem erat apud Romanos, ut ab uno ad aliud cubiculum transferri posset. *Cic.* 7. *Fam.* 10. 2. Valde metuo, ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 79. nisi nos vicina Trivici Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo. Udos cum foliis ramos urente camino. *Id.* 1. *Ep.* 11. 19. Per brumam Tiberis; Sextili mense caminus. *Sueton. Vitell.* 8. Flagrante triclinio ex conceptu camini. *Seneca Thyest.* 765. Lentis caminis dare aliquid. *h. e.* igni lento admovere. *V.* ARCUATILIS. — *Oleum camino addere*, proverb., *h. e.* malo addere fomentum, quo magis crescat; alitur enim ignis et vires auget oleo infuso. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 321. Adde poemata nunc, hoc est oleum adde camino. ¶ 2. Est etiam fornax, in qua metalla liquefiunt atque elaborantur. *Ovid.* 7. *Met.* 104. Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant Æripedes tauri. — Utque solent pleni resonare camini etc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Sudoris, qui a camino jactatur, spurcitia in omni metallo scoria appellatur. Adde *eumd.* 35. *ibid.* 6. 16. (35). *Id.* 28. *ibid.* 7. 23. (84). Caminorum farina. *h. e.* fuligo. *Pers.* 5. 10. anhelanti coquitur dum massa camino. Et allegorice *Juvenal.* 14. 118. Sed crescunt quocumque modo majoraque fiunt Incude assidua semperque ardente camino. ¶ 3. Hinc ponitur et pro ipso Ætnæ et Vulcani cratere. *Virg.* 3. *Æn.* 580. ingentemque insuper Ætnam Impositam, ruptis flammam expirare caminis. *Id.* 6. *ibid.* 630. Cyclopum educta caminis Mœnia. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 418.; *Ovid.* 4. *Fast.* 473.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 106. 110. (237).

CĂMĪSĬA, æ, f. 1. genus vestis. *Paul. Diac.* p. 311. 4. *Müll.* Supparus vestimentum puellarum lineum, quod et subucula (id est camisia) dicitur. Illa verba, *id est camisia*, sunt a *Paulo* addita. *Hieronym. Ep.* 64. *de vestitu sacerdot.* n. 11. Volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato. Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris, et adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prœlia. *Isid.* 19. *Orig.* 22. 1. Camisias vocamus; quod in his dormimus in camis, id est in stratis nostris. *V.* CAMA. *V. Ferrar. De re vestiar. l.* 3. *c.* 5. *Braunius de vestit. sacerdot. Hebr. l.* 1. *c.* 16. *p.* 349. camisias ex Arabico vocabulo, quod *consuta* designat, vocatas esse ait. *Cf. Wilmet. Lex. Arab.* p. 619.

CAMMĂRON, i, n. 2. κάμμαρον, herba eadem, quæ aconitum, ita dicta, quod cammari marini candæ similem radicem habeat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 3. 2. (9). — Alii κάμμορον appellare malunt, quasi κακόμορον, quod malam mortem inferat. *Voss.* in *Etymol.* in *Cammarus.*

CAMMĂRUS *vel* gammarus, i, m. 2. κάμμαρος, genus cancri marini, vel fluviatilis. *Varro* 3. *R. R.* 11. 3. *de anatibus.* Pabulum iis datur triticum, hordeum; nonnumquam etiam et aqua cammari. *Juvenal.* 5. 84. Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo Ponitur. *Martial.* 2. 43. Concolor in nostra, cammare, lance rubes. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 15. 6. et *Apic.* 2. 1. — Cammari marini meminit *Plin.* 27. *Hist. nat.* 3. 2. (9). — Legitur etiam *camarus* unico m. *Plaut.* apud *Fest.* in *Narica.* Muriatica autem video in vasis stagneis, Bonam naritam, et camarum, et tagenia, etc. *Scalig.* in *Conjectan. ad Varr.* p. 135. Camarum scriptum est uno *m*, veteri consuetudine etiam apud *Hesych.* κάμαρος.

CAMPA. *V.* CAMPE.

CAMPĂGUS, i, m. 2. Sunt qui leg. *compacus*, sunt qui *compagus*; sed minus recte, nam Græca vox est κάμπαξ vel κάμπαγος. Campagus apud sequioris ævi scriptores idem est quod calceus patricius ac senatorius, quo etiam imperatores usi sunt, colore tamen a senatoriis distincto, nimirum rubro, vel phœniceo, cum alii nigri plerumque essent. *Salmas.* ad *Trebell. Gallien.* 16. docet, dictos esse *campagos* propter multas καμπάς, *h. e.* flexuras corrigiarum, quibus decussatim et in retis modum convolutis campagus tibiæ alligabatur. *Trebell. loc. cit.* Caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret. *Edict. Dioclet.* p. 24. Campagi militares ✕ septuaginta quinque. — Alii putant fuisse calceamentum ex genere caligarum; in eo tamen diversum, quod longiores haberet corrigias, quibus, altius quam caliga, tibiæ involveretur. Quo facit illud *Capitolin. Maxim. jun.* 2., ubi qui primum *campagus*, mox *caliga* dicitur, his verbis: Calceamentum ejus, idest campagum regium, quidam in luco inter Aquilejam et Arziam posuerunt, quod constat pede majus fuisse hominis vestigio, atque mensura; unde etiam vulgo tractum est, cum de longis et ineptis hominibus diceretur, *caliga Maximini.* — Ex his patet, *campagum* fuisse illud calceamenti genus, quod medio crure tenus pertingit, quoque tamen ima pedis pars non obtegitur; eo ornatos sæpe videre est in antiquis marmoreis anaglyptis militares viros.

CAMPĀNEUS *vel* campānius, a, um, adject. ad campum pertinens, idem ac campestris. *Innocent. De casis lit. inter auct. rei agrar. Goes. p.* 239. Si in campaneis locis hæc casa fuerit. *Id. ibid. p.* 240. Si in campaniis locis fuerit.

CAMPĀNUS, a, um, adject. ad Campaniam et Capuam pertinens. *V.* ONOM. — Hinc

Campana, æ, f. 1. est statera. *Isid.* 10. *Orig.* 25. Campana a regione Italiæ nomen accepit, ubi primum ejus usus repertus est. Hæc duas lances non habet; sed virga est signata libris et unciis, et vago pondere mensuratur.

CAMPE, es *vel* campa, æ, f. 1. Græca vox κάμπη, a κάμπτω *flecto*, quæ flexionem seu curvaturam significat. Apud Latinos occurrit translate tantum; scilicet ¶ 1. Campæ sunt semitæ obliquæ, hoc est insidiæ, doli. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 50. Campas dicere. *h. e.* dicere talia, quæ alios fallant ac decipiant. *Forcellinus* interpretatus est *nugari, nugas dicere*; fortasse ab erucis (*V.* paragr. seq.), quæ vilissimæ bestiolæ sunt. Ceterum valde dubia est lectio. ¶ 2. Campe dicitur etiam vermis hortensis herbas et arborum frondes infestans; qui proprie a Latinis dicitur *eruca*, Græco autem vocabulo et Græca terminatione *campe*, quod flexo obliquis tractibus corpore progreditur. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 63. Ubi noxia incesserunt animalia, quæ a nobis appellantur erucæ, Græce autem κάμπαι nominantur. *Id.* 10. 324. teneras audent erodere frondes Implicitus conchæ limax, hirsutaque campe. *et ibid.* 366. Volvitur ad terram distorto corpore campe. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. Campas fertur evincere, qui fusticulos alii comburit. *et ibid.* Campas ficulneo cinere persequi. — *NB. Paul. Diac.* p. 44. 1. *Müll.* Sunt etiam *campæ* equi marini, quia etiam quivis ingens piscis, caudam sinuoso motu flectens, ut delphini, cete, et hujusmodi alia: a κάμπτω *flecto.* Campas marinos equos Græci a flexione posteriorum partium appellant. Al. leg. *Cappas.* Hinc *hippocampi* sunt equi marini, Neptuni currum trahentes, ut *Non.* p. 120. 14. *Merc.* docet. *Martial.* 9. 43. Campis dives Apollo sic marinis, Sic semper senibus fruare cycnis. *h. e.* delphinis. Ita legi volunt et interpretantur *Scalig. ad Manil.* 1. 781. et *Voss.* in *Etymol.* Sed alii leg. *Campis dives Apollo sic Myrinis*, vel (mutata *y* in *u* ex Latinorum consuetudine) *Murinis*, et intelligunt agrum Grynii Murinæorum oppidi, ut est apud *Strab. l.* 13., ubi Apollo colebatur: unde et *Gryneus* cognominatus est. In editione principe *Vindelini* habetur *Semuranis*: et quo quidam fecerunt *Semurinis*, et intelligi volunt campum Semurium, urbi Romæ proximum: ubi tamen, inquit *Raderus*, numquam legimus, Apollinem cultum fuisse. Erit etiam fortasse, qui *campis marinis* retineat, et intelligat templum Apollini exstructum ab Augusto apud Actium, unde longus in maris æquora prospectus erat. Hucusque *Forcellinus.* At *Müllerus* apud *Paul. Diac.* p. 44. 1. legit *cappas*; et apud *Martial.* 9. 43. *marini campi* sunt *hippocampi*, a Græca voce κάμπος, Latine *campus*, q. *V.* suo loco.

CAMPENSIS, se, adject. ad campum Martium per-

tineas. *Apul.* 11. *Met.* docet, Isidem, quæ templum in campo Martio habuit, Campensem cognominatam esse.

CAMPESTER, stris, stre, *vel* campestris, stre, adject. (campus *et* sto) ad campum pertinens, cui fere semper *montanus* opponitur (It. *campestre, di campagna, di pianura*; Fr. *relatif à la campagne unie, à la plaine*; Hisp. *de campaña, de llanura*; Germ. *zum Felde gehörig oder dasselbe betreffend*; Angl. *of or belonging to a plain or field, level, flat, champaign*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 6. 6. Campester locus is melior, qui totus æquabiliter in unam partem vergit. *Id. ibid.* 6. 2. Tria genera agrorum, campestre, collinum et montanum. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 8. Campestris locus alte duos pedes infodiendus est. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 22. (34). Quærunt, ut sit resina montana potius quam campestris. *Id.* 16. *ibid.* 15. 26. (67). Campestre acer candidum, nec crispum; montanum crispius. — Jungitur pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua hæc sunt. *Liv.* 40. 22. aditus campestris. *h. e.* a campo. *Cato* apud *Priscian.* 6. p. 696. *Putsch.* et *Liv.* 4. 37. ager. *Id. Liv.* 10. 2. agri. *Id.* 39. 53. barbari. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 18. (30). culta. *Liv.* 22. 18. hostis. *h. e.* qui in planitie et æquis locis pugnare assuevit: cui opponit *assuetiorem montibus et ad concursandum inter saxa rupesque* etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 66. et *Liv.* 21. 32. iter. *Liv.* 9. 13. loca. *Nepos Eumen.* 5. et *Cæs.* 7. *B. G.* 72. locis campestribus. *Cæs. ibid.* 83. munitiones. *Liv.* 27. 38. oppidum. *Colum.* 1. *R. R.* 2. 3. pars. *Id.* 3. *ibid.* 14. 1. planities campestris et uliginosa. *Id.* 1. *ibid.* 2. 4. positio. *Id.* 11. *ibid.* 3. 21. sationes. *Varro* 1. *R. R.* 6. 5. segetes. *Horat.* 3. *Od.* 24. 9. Scythæ. *h. e.* in campestribus locis habitantes. *Colum.* 7. *R. R.* 2. 3. situs. *Liv.* 23. 45. urbs. *Id.* 40. 58. vici. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 1. vineæ. ¶ 2. Speciatim *campestris* sæpe refertur ad campum Martium, in quo — *a)* Quia comitia fiebant, *campestris* etiam ad comitia et petitiones honorum pertinet. *Cic. Harusp. resp.* 20. 42. Quæstus campestris. *Liv.* 7. 1. Patres præturam Sp. Furio, ædilitatem Cn. Quintio gratia campestri dederunt. *Id.* 32. 7. Campestre certamen. *Sueton. Aug.* 3. Hunc quoque a nonnullis argentarium atque etiam inter divisores operasque campestres proditum. *Val. Max.* 4. 1. 14. Ne quid in persona sua novaretur, campestrem experiri temeritatem, quam curiæ beneficio uti, satius esse duxit. — *b)* Campestris refertur etiam ad campum Martium, in quo ludicra certamina et exercitationes fiebant, qualia erant quibus exercebatur juventus, cursus, palæstra, equitatio, pilæ ludus et hujusmodi; item quibus milites armorum artem perdiscebant. *Cic. Cæl.* 5. 11. Ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur. *scilicet* tirones velamento et tunica, ceteri solo velamento verenda tecti exercebantur. *V. Campestre* in fine hujus vocis. *Horat. Art. P.* 379. Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. *Id.* 1. *Ep.* 18. 54. Prælia campestria. *Sueton. Galb.* 6. decursio. *Id. Aug.* 83. et *Ner.* 10. exercitationes. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (85). Puerorum ludicra campestria. *Plin. Paneg.* 13. Cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres. — Hinc

Campestria, *strium*, n. 3. absolute, substantivorum more, sunt — *a)* Loca campestria. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (118). Mox in campestribus oppida Diospage, Polytelia, Stratonice. *Tac. Germ.* 43. Hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium insederunt. — *b)* Item ea, quæ in campestribus locis proveniunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 41. (97). Ex eodem genere, quæ sunt in palustribus, priora germinant; mox campestria.

Campestre, *stris*, n. 3. absolute, substantivorum more, dictum est velamentum, quo pudenda operiebant, qui nudi in campo exercebantur. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 17. Incolumi Rhodos, et Mitylene pulcra facit, quod Pænula solstitio, campestre nivalibus auris. *Vulcat. Avid. Cass.* 4. Processit nudus, campestri solo tectus. *Augustin.* 14. *Civ. Dei* 17. Consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi campestria, idest succinctoria genitalium. — Eo utebantur etiam sub toga æstate. *Ascon. sub fin. commentar. in orat. Cic. pro M. Scauro* 10. *Bait.* Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic descenderat, jusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli ætatis statuæ in Capitolio, et in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis. Hæc *Ascon.* Simili vestitu togæ et campestris nunc utuntur, qui *Cappucini* apud nos et *Reformati* appellantur.

Campestres dii. V. CAMPESTRES in ONOM.

CAMPESTRĀTUS, a, um, adject. subligari indutus, quod *campestre* dicitur. *Augustin.* 15. *Civ. Dei* 17. Campestria Latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quod juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: unde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat.

CAMPĬCELLUS, i, m. 2. *deminutiv. duplex* a voce *campus*, parvus ager. *Innocent. l.* 12. *de litter. et notis juris expon. inter auctor. rei agrar. Goes.* p. 222. Sub se autem campicellum habens.

CAMPĬCURSĬO *et rectius divisim* campi cursio, ōnis, f. 3. exercitatio militaris, quæ cursu in campo Martio fiebat. *Veget.* 2. *Milit.* 4. Campicursionem, ut ipsi appellant, inspectionemque armorum assidue faciant. *scilicet* exercitatores; ita enim appellabantur qui campicursioni præerant. *Id. ibid.* 9. Si in campicursione ad plenum fuerint eruditi.

CAMPĬDOCTOR *et rectius divisim* campi doctor, ōris, m. 3. qui milites in campo Martio se exercentes tractandorum armorum artem ceteraque ad militarem disciplinam spectantia docet. *Veget.* 3. *Milit.* 6. Interponendi ergo sunt exercitatissimi campidoctores, vicarii, vel tribuni, qui alacriores tardent, et pigrius incedentes accelerare compellant. *Id. ibid.* 8. Nam singulæ centuriæ, dividentibus campidoctoribus, accipiunt pedaturas, etc. Adde 1. *ibid.* 13. *V.* ARMIDOCTOR. *Stewech.* vult his locis legi *campiductor*: sed *campidoctor* habetur etiam in duabus *Inscriptt.* apud *Gruter* 80. 2. et 565. 5., quæ sunt apud *Orell.* 1790. et 3495., in quarum prima legitur *campi doctor coh. I.*, in altera *campi doc. coh. VII.*, ex quibus intelligimus singulas cohortes suum campidoctorem habuisse: discimus præterea etiam *campi doctor* divisim scribi posse. Apud *Lamprid.* quoque *Alex. Sev.* 53. hæc vox habetur, ubi *Salmas.* pluribus verbis *campidoctorem* defendit, *campiductorem* rejicit. — *Andreas Borda, Fascicul. Inscript.* p. 222. probat, *campidoctoris* officio nunc fungi solere, qui ab Italis dicitur *capo battaglione.* Observandum tamen est, *doctorem cohortis* alium esse ab ejusdem *campidoctore*; ille enim fortasse privatim tirones docebat, hic publice eorum campicursioni præerat. *V.* adnot. *Wagneri* ad *Ammian.* 15. 3. 10. *Inscript. apud Marin. Iscriz. Alb.* p. 19. QVOD COHORTIS DOCTOR VOVERAT, NVNC CAMPIDOCTOR COHORTIS I. FLAV. VICTRICIS POSVIT. Hæc est apud *Orell.* 1790.

CAMPĬDUCTOR. *V.* vocem præced.

CAMPĬGENUS, i, m. 2. *Campigeni* in exercitu qui fuerint, in ANTESIGNANUS dictum est. *V.* etiam *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Sev.* 53., ubi de *campidoctoribus* verba facit.

CAMPSĀNĒMA, ătis, n. 3. herba eadem ac ros marinus. *Apul. Herb.* 79.

CAMPSĀRĬA, æ, f. 1. locus, in quo varii generis scruta venduntur, aut emuntur, vel permutantur, unde nomen: *campsare* enim est *mutare. Acron* ad *Horat.* 2. *Sat.* 7. 110. Strigil est instrumentum æneum, quo sudores in balneis solent homines tergere, hodieque in campsariis multæ sunt strigiles Romæ. *h. e.* in tabernis campsariis.

CAMPSO, as, are, a. 1. flecto, deflecto. *Priscian.* 10. *p.* 906. *Putsch.* Cambio, ἀμείβομαι, ponit Charisius, et ejus præteritum campsi, quod ἀπὸ τοῦ κάμπτω, ἔκαμψα Græco esse videtur. Unde et *campso*, as, solebant vetustissimi dicere. Ennius in decimo: Leucatem campsant. Hæc *Priscian.* Falluntur autem, qui *campsant* exponunt *permutant.* Nam *campsare* hoc loco est flectere et navigando præterire. Sic *Cic.* 5. *Att.* 9. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissime navigassemus; et Leucatem flectere molestum videbatur. *Id.* 2. *Divinat.* 45. 94. Qui navigant, in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas sentiunt. Κάμπτειν ἄκραν Græci dicunt eodem sensu, et Itali *superare, o passare un capo.*

CAMPTAULES, æ, m. 1. *Vopisc. Carin.* 19. Exhibuit centum salpistas uno crepitu concinentes, et centum camptaulas, choraulas centum. *Camptaulæ* qui sint, varie a variis exponitur. Alii dicunt fuisse tibicines, qui crebris vocis flexionibus, et artifici modulatione tibiis canebant: a κάμπτω *flecto*, et αὐλὸς *tibia*: alii eos significari volunt, qui curvis tibiis utebantur, cum eæ alioquin rectæ plerumque essent. *Salmas.* legendum censet *cerataulas*, κερατναύλας, hoc est cornicines, a κέρας *cornu*, ut sic dicatur, tria artificum genera exhibita fuisse, tubicines, cornicines et tibicines.

CAMPTER, ēris, m. 3. καμπτήρ, flexus, curvatura: et speciatim flexus metæ in cursu quadrigali. *Pacuvius* apud *Non.* p. 65. 1. *Merc.* Extremum intra campterem ipsum καρδίνος cum prægradat. *Pollux* quoque *l.* 3. *c.* 30. καμπτῆρα hanc significationem habere scribit. Sunt tamen qui ex quibusdam MSS. *carcerem*, aut *cancerem*, hoc est cancellum legunt. *V.* PRÆGRADO.

CAMPUS, i, m. 2. Ratione habita etymi *Varroni* 5. *L. L.* 36. *Müll.* videbatur deducenda vox esse a *capio*, quod primum ex agro plano fructus capiebantur: *Forcellino* ita videbatur vocatus a κάμπτω *flecto*, quia in planitiem flexus fuerit: rectius tamen recentiores a κῆπος vel κάπος *hortus* deducunt: cf. CAPUA et CAMPANUS et *V.* CAPUA in ONOM. — Ceterum *campus* est planities, ager planus: eique opponuntur *superiora loca* apud *Cæs.* 3. *B. C.* 40.; *montes* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. et 64. 161. et 1. *Divinat.* 42. 94. et *Lucret.* 4. 460.; *colles* apud *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 25., *Lucret.* 5. 1372., *Virg.* 2. *G.* 274., et *Colum.* 1. *R. R.* 2. 3.; *loca præcipitia* apud *Colum.* 1. *R. R.* 2. 4.; *semitæ* apud *Quintil.* 5. 14. 31.; denique *silvæ*, at minus recte, apud *Curt.* 8. 1. 4. (It. *campo, campagna, campo aperto, pianura*; Fr. *pays plat, uni, plaine*; Hisp. *campaña, llanura*; Germ. *Ebene, Niederung, Fläche, freies Feld*; Angl. *a plain, field*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur — *a)* Tum de pascuis, tum de arvis arbustisque. *V.* Homonym. in fine. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Cernes jam spatia frugifera atque immensa camporum vestitusque densissimos montium. *Id.* 2. *Divinat.* 39. 98. Immensitates camporum. *Varro* 5. *L. L.* 36. *Müll.* Quod primum ex agro plano fructus capiebant, campus dictus; posteaquam proxima superiora loca colere cœperunt, a colendo colles appellarunt. *Colum.* 1. *R. R.* 2. 4. Segetes campis melius, quam præcipitibus locis proveniunt. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Campi, quos nonnisi ingentes boves et fortissima aratra perfringunt. — *b)* Item de toto alicujus oppidi agro. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Cum in illa fuga – in villa quadam campi Atinatis manerem. Cf. *Nepos Miltiad.* 4. *Auct. B. Hisp.* 27. *extr.* In campum Mundensem cum esset ventum. *Liv.* 34. 25. Campus Argivorum. Adde *eumd.* 9. 41., 27. 33. et 37. 38. — *c)* Item generatim de quacumque æquabilis soli lata planitie, præcipue si hæc concioni habendæ vel prælio ineundo apta sit. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 93. Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Copias ex locis superioribus in campum deducere. *Id. ibid.* 27. Cum esset inter bina castra campus circiter millium passuum sex. *Liv.* 24. 14. Postero die signis collatis, dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu, vera virtute geri res posset. *Juvenal.* 2. 106. *de loco pugnæ.* Bebriaci campum affectare Palati. *Veget.* 3. *Milit.* 25. Prior de cæsis hostibus spolia capiat, et, quod ipsi dicunt, colligat campum. Adde *Vopisc. Aurelian.* 23. et *Trebell. in XXX. Tyrann.* 26. — Hisce omnibus significationibus (in quibus *planitiei* significatio semper eminet) *campus* pluribus jungitur Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, præ oculis exhibentur. *Virg.* 9. *Æn.* 56. æquus campus. *Liv.* 3. 38. in æquo campi. *Sil. It.* 17. 452. æstiferi Garamantum. *Virg.* 2. *G.* 145. apertus. *Horat. Art. P.* 161. apricus. *Liv.* 33. 17. facilis operi. *Virg.* 2. *G.* 185. frequens herbis et fertilis ubere. *Id.* 5. *Æn.* 287. gramineus. *Liv.* 9. 2. herbidus aquosusque. *Horat.* 3. *Od.* 18. 9. herbosus. *Lucan.* 4. 296. irriguus. *Virg.* 1. *G.* 486. et *Ovid.* 2. *Met.* 662. lati. *Virg.* 6. *Æn.* 677. nitentes. *Liv.* 31. 41. opimus. *Id.* 22. 3. opulenti copia frumenti ac pecoris et rerum omnium. *Virg.* 4. *Æn.* 153. patentes. *Liv.* 24. 14. purus ac patens. *Horat.* 1. *Od.* 22. 17. pigri. *Virg.* 2. *G.* 425. pinguis. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 5. pingues Asiæ. *Virg.* 11. *Æn.* 875. putris. *Id.* 2. *G.* 211. rudis. *Id.* 1. *ibid.* 72. segnis. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 249. turpis sine gramine. *Lucret.* 1. 19. et *Horat.* 2. *Od.* 5. 6. virentes. *Virg.* 3. *G.* 13. viridis. — Jungitur et pluribus Verbis, quorum hæc sunt præcipua. *Ovid.* 2. *Trist.* 328. Arare campum. *Virg.* 4. *G.* 186. Decedere campis. *Id.* 10. *Æn.* 804. Diffugere campis. *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 25. Dimicare in campo. *Virg.*

1. *G.* 72. Durescit situ campus. *Id.* 4. *Ecl.* 28. Flavescit campus aristis. *Lucret.* 2. 6. Instruere per campos certamina belli. *Virg.* 9. *Æn.* 34. Insurgunt campis tenebræ. *Stat.* 5. *Theb.* 528. Moritur ad sibila campus. *h. e.* sata et fruges per metonymiam. *Virg.* 1. *G.* 126. Partiri limite campos. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 94. Peragrare campos et montes. *Nepos Hann.* 5. Ponere castra in campo. *Id. Ages.* 3. Potestatem sui facere in campo. *Ovid.* 7. *Met.* 119. Proscindere campum ferro. *Virg.* 1. *G.* 402. Recumbunt campo nebulæ. *Horat.* 4. *Od.* 7. 1. Redeunt gramina campis. *Lucret.* 6. 712. Redundat campis Nilus. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 9. Renovare campum aratris. *Lucret.* 4. 460. Transire campos pedibus. *Virg.* 4. *Æn.* 154. Transmittere campos cursu. — d) Figurate *campus* aliquando ponitur de æquore maris atque aeris. *Plaut. Trin.* 4. 1. 15. Cæruleos per campos. *h. e.* per mare. *Lucret.* 5. 488. et 6. 403. et 1139., et *Virg.* 3. *G.* 198. Campi natantes. *Virg.* 6. *Æn.* 724. cælum et terram camposque liquentes. *Id.* 10. *ibid.* 214. campos salis ære secabant. *Ovid.* 1. *Met.* 40. campos liberioris aquæ. *Id.* 1. *ibid.* 315. et 11. *ibid.* 356. Campus latus aquarum. *Virg.* 6. *Æn.* 888. vagari aeris in campis latis. — Huc referri potest et illud *Titin.* apud *Charis.* 1. *p.* 40. *Putsch. de tabulis cereis.* Velim ego osse arare campum cereum. *h. e.* scribere. ¶ 2. Speciatim plurima loca *Campi* vocati sunt, ut *Campi Aleii, lapidei. Macri* etc.; quæ omnia *V.* in ONOM. sub voce CAMPUS. — In his fuit etiam *Campus Martius* Romæ (de quo pariter *V.* ONOM. sub eadem voce), qui etiam sæpius absolute *campus* dicebatur in quo — a) Comitia centuriata habebantur et ambitiones in honoribus petendis, teste *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 1. In campo Martio comitia consulum habere. *Id.* 1. *Cat.* 5. 11. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores meos interficere voluisti. *Horat.* 3. *Od.* 1. 10. hic generosior Descendat in campum petitor. *Pers.* 5. 57. Hic campo indulget, hunc olea decoquit. *Vellej.* 2. 126. Revocata in totum fides, summota e foro seditio, ambitio campo, discordia curiâ. — Huc pertinet proverbium *Fors domina campi.* Valde enim dominatur fortuna in suffragiis propter mobilitatem atque inconstantiam populi, qui cum aliquem unum maxime designare videtur, quem ad honores evehat, repente destituit et ad alterum accedit. Legitur apud *Cic. Pis.* 2. 3. — Hinc per metonymiam campus dicitur pro comitiis. *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167. Curiam (*appellare*) pro senatu, campum pro comitiis. Adde locum mox *cit.* ejusdem *Cic. Pis.* 2. 3.; et *Val. Max.* 6. 9. 14. *Lucan.* 1. 179. letalisque ambitus urbi Annua venali referens certamina campo. — b) Est etiam campus ipse idem campus Martius, ubi exercitationes et ludicra certamina, cursus, palæstra, equitationes, aurigationes et hujusmodi, a juvenibus fieri solebant, et ab otiosis et feriatis hominibus spectari: item ubi militaria exercitia, quibus tirones armorum tractandorum rationem et universam bellandi disciplinam edocebantur; ex quo *campicursio* et *campidoctores* dicti sunt: denique ubi animi relaxandi gratiâ deambulationes fiebant. *Cic.* 2. *Orat.* 62. 253. Qui, cum studiose pila luderet, – gregalesque, cum in campum non venisset, requirerent etc. *Id. ibid.* 71. 287. M. Lepidus, cum, ceteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset. Adde *eumd.* 1. *Off.* 29. 104. *Horat. Art. P.* 161. Imberbis juvenis, tandem custode remoto, Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi. *Id.* 1. *Od.* 8. 3. cur apricum Oderit campum, patiens pulveris atque solis. Adde *eumd. ibid.* 9. 18. *Id.* 1. *Sat.* 1. 90. ut si quis asellum In campum doceat parentem currere frenis. *Id. ibid.* 6. 126. fugere campum lusumque trigonem. *Id.* 2. *ibid.* 6. 49. Ludere in campo. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (143). Reverti e campo. *Cic. Quinct.* 18. 59. Vixit semper inculte atque horride, natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 58. Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo Et ludis et, post decisa negotia, campo. *Quintil.* 1. 12. 18. Campo tempora conterere.

II.) Translate ponitur de quocumque loco vel spatio, ubi ingenii, animi etc. certamen editur. *Cic. Cæcin.* 29. 84. Istum locum fugis – et me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis ad istas verborum angustias et ad omnes litterarum angulos revocas. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 35. 112. Cum sit campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus? *Id.* 3. *Orat.* 31. 124. In hoc tanto tamque immenso campo licet oratori vagari libere. Adde *eumd. ibid.* 19. 70. *Id.* 1. *Off.* 18. 61. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, etc. *h. e.* ampla dicendi materia. *Id.* 14. *Phil.* 6. 17. Magnus est in republ. campus –, multis apertus cursus ad laudem. *Id. Mur.* 8. 18. Nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset. Adde *eumd.* 5. *Att.* 15. 1. *Quintil.* 5. 14. 31. Feratur oratio non semitis, sed campis. Adde *eumd.* 4. 2. 39. et 12. 9. 2. *Plin. Paneg.* 26. Tuis laudibus materies campusque prosternitur. *Id. ibid.* 70. Patet enim omnibus honoris et gloriæ campus. *Juvenal.* 1. 19. Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo, Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.

Homonym. *Campus*, qua generatim significat pascua, arva et arbusta differt ab *agro*: *ager* enim dicitur et est quicumque locus ad fructus capiendos colitur; *campus* vero est quidem locus ad fructus capiendos excultus, sed planus, humilis atque apertus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Romam in montibus positam et convallibus – non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua, planissimo in loco explicata ac præ illis semitis irridebunt atque contemnent; agros vero, Vaticanum et Pupiniam, cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet putabunt. *Id.* 3. *Phil.* 9. 22. En, cur magister ejus, ex oratore arator factus, possideat, in agro publico populi Romani, campi Leontini duo millia jugerum immunia. *Virg.* 2. *G.* 273. Collibus, an plano melius sit ponere vitem, Quære prius. Si pinguis agros metabere campi, Densa sere; in denso non segnior ubere Bacchus. Sin tumulis acclive solum collesque supinos, Indulge ordinibus.

CAMPUS, i, m. 2. κάμπος. *Campi marini* apud *Martial.* 9. 43. sunt hippocampi. *V.* plura in fine vocis CAMPE.

CĂMUM, i, n. 2. species cerevisiæ ex hordeo. Videtur esse a præt. perf. pass. κέκαμαι verbi κάω Attice pro καίω *uro*; nam et zythum appellatur, quod est a ζύω pro ζέω *ferveo.* *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. *pr.* Simili modo nec camum, nec cerevisia continebitur, nec hydromeli. *Edict. Diocl.* p. 28. Cerevisiæ cami Italicum sextarium unum ✕ quattuor. *V.* CERVISIA et CURMI.

CĂMŬRUS, a, um, adject. *Camura cornua* boum dicuntur, quæ introrsum conversa sunt, et in se redeuntia; et *camuri boves*, qui hujusmodi cornua habent: quibus contrarii *patuli*, qui cornua diversa. *Lævi* autem sunt, quorum cornua terram spectant; *licini*, qui sursum versum reflexa habent. Hæc *Servius* et *Philargyr.* ad illud *Virg.* 3. *G.* 55. et camuris hirtæ sub cornibus aures. Porro *licinus* in *Gloss.* vertitur ἀνάσιμος, *h. e.* sursum versus crispus reliciinus. Quod vero ad *Virg.* attinet, *Non.* p. 30. 8. *Merc.* legit *camerus*, et exponit obtortus; atque inde cameræ appellationem derivat, quod non placebat *Forcellino.* *Camerus* legitur etiam apud *Paul. Diac.* p. 43. 17. *Müll.* et *Isid.* 12. *Orig.* 1. 35. et 15. *ibid.* 8. 5. *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. *in fin.* peregrinam vocem esse affirmat. — *Camurum arcum* dixit *Prudent.* 12. περὶ στεφ. 33. de arcu columnis imposito, *h. e.* de camera.

CĂMUS, i, m. 2. κημός, et Dorice καμός, genus ferrei freni, quod non intra equi dentes immittitur, sed ori exterius circumdatur, teste *Polluce l.* 1. *c.* 10., dictum ex eo, quod κημός dicatur pars labiorum totum os ambiens, ut idem docet *l.* 2. *c.* 4., qua significatione traducitur ad notandum circulum quemdam in superiori parte latum, in inferiori angustum, qui super os urnæ imponitur, in quam calculi suffragiorum immittuntur, ad similitudinem colli, quo vina percolantur, ne calculi foras decidant, ut ex eodem *Poll. l.* 8. *c.* 5. et ex *Scholiast. Aristoph. in Tesmophor.* v. 1040. colligimus. *Isid.* 20. *Orig.* 16. ait, esse frenum asperius, quo caballi superbi coerceri solent, et dictum esse a curvitate: χαμὸν enim Græce curvum significare: sed non definit quodnam illud sit, et in assignanda etymologia prorsus fallitur. Adde locum hunc *Isid.* omissum fuisse a *Faustino Arevalo* in sua edit., quod spurium cognovit. Ex *Xenoph.* περὶ ἱππικ. c. 5. n. 3., *Polluc. l.* 1. § 148. et 199., atque *Isid. loc. cit.* patet, camum esse ferreum æneumve instrumentum, retis instar factum, quod naso equi incumbens et uncinis sub mento obligatum, os et maxillas ejus ita obstringit, ut mordere quidem nequeat, respirare autem sine difficultate possit, quodque Itali *seghetta* vocant. *Vulgat. Interpr. Psalm.* 31. 9. In camo et freno maxillas eorum constringe. — Significat etiam nexum ligneum, vel ferreum, vel coriaceum, vel cannabinum, quo servorum nocentum colla constringuntur et gravantur. *Accius* apud *Non.* p. 200. 14. *Merc.* Quid cesso ire ad eam? hem præsto est, camo collum gravem. *Voss.* in *Etymol.* legendum putat, *præsto est, camo en collum gravem*: ut apertior sit sententia. Tribuunt etiam *Plauto Cas.* 2. 6. 37. Tu ut quidem hodie camum et furcam feras. Ita enim esse in veterib. lib. testatur idem *Voss.* Passim tamen nunc *canem* legitur.

CĀNA, ōrum, n. plur. 2. *V.* CANUM.

CĂNĂBA *et* canava *et* cannaba, æ, f. 1. baryca, calyba, seu tabernaculum temporarium stipitibus primum, viminibus et culmo contextum, deinde etiam ex ligno factum tegulisque coopertum ad maris littus et secus vias publicas exstrui solitum prætereuntium commodo et voluptati, qui ibidem bibendi et libidinandi causa consistebant. *E. Q. Viscont. Op. Var. T.* 2. *p.* 83. *edit. Mediol.* putat, vocem *canaba* deductam fuisse ex καλύβη, qua etiam Latini usi sunt, (*V.* CALYBA); quandoque enim Romani Græcorum Λ in N vertunt, ut a γρυλλίζω factum est *grunnio*, et sæpissime Γ in Λ mutant. Has canabas *diversorias tabernas* vocat *Sueton. Ner.* 27. Quoties Ostiam Tiberi defflueret, aut Bajanum sinum prænavigaret, dispositæ per littora et ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ et matronarum institorias operas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret. Hactenus *Sueton.* Progressu vero temporis non modo temporariæ tabernæ, in quibus tenuiarii caupones vinum viatoribus vendebant, sed etiam cellæ ipsæ vinariæ, quibus vinum servabatur, quæque nunc Itali *canove* seu *cantine* vocant, *canabæ* sunt appellatæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 466. 7., quæ est apud *Orell.* 4077. L. SENTIO REGVLIANO EQ. R. — CVRATORI CORPORIS NEGOTIATORVM VINARIORVM LVGDVNI IN CANABIS CONSISTENTium. Alia *Inscript.* in *Bulletin des Hist. de Ferussac T.* 13. p. 75. *sept.* 1829. et *ibid.* rectius interpretata a *Labus T.* 14. *p.* 209. *febr.* 1830. MINTHARIO M. FIL. VITALI NEGOTIAT. VINARI LVGD. IN KANABIS CONSIST. etc. Alia *Inscript.* apud *Fea. Framm. di Fast. Cons. p.* 77., quæ est apud *Orell.* 39. ARI PERMISSVM SIT AEDIFICARE LOCO CANNABAE A SOLO IVRIS SVI PECVNIA SVA. — TEGVLAS OMNES ET IMPENSA DE CASVLIS ITEM CANNABIS ET AEDIFICIIS IDONEIS. ADSIGNA ADRASTO PROCVRATORI COLVMNAE DIVI MARCI. VT AD VOLVPTATEM SVAM HOSPITIVM SIBI EXSTRVAT. Hæc pertinet ad ann. a Chr. n. 193. *Augustin. serm.* 61. *de tempore.* Multa sunt, quæ de horreo, canava, vel cellario aliquoties proferre non possumus.

CĂNĂBENSIS, se, adject. ad canabam pertinens, qui in canabis consistit. *Inscript.* apud *Gruter.* 73. 4., quæ est apud *Orell.* 3798. FORTVNAE AVG. SACRVM, ET GENIO CANABENSIVM. *h. e.* vinariorum.

CANĂBIS. *V.* CANNABIS.

CĂNĂBŬLA, æ, f. plur. 1. *deminut. a* canaba, parva canaba in viis privatis, et publicis stramine primum paleaque, aliquando ex lignea materia, aut etiam latericio opere exstructa, in qua prætereuntes divertere solebant bibendi edendique causa, quæque lapsu temporis pro finibus agrorum est habita. Earum mentio est apud *Frontin.* aliosque gromaticos scriptores. *Auct. de limit. p.* 257. *Goes.* Variatio fluminum, rivorum cursus, canabulæ, vel novercæ, quæ tegulis construuntur, observari debebunt. *Frontin. de colon. p.* 142. Eorum delimitatio est per rationem arcarum, vel riparum, vel canabularum, vel novercarum, quæ tegulis construuntur. *Alii leg.* vel canalibus, et noverca; *nullo idoneo sensu.*

CANACHĒNUS, i, m. 2. *Arnob.* 6. *p.* 207. Infiniti operis res esset, toto in orbe describere, quæ sint fana convulsa terræ motibus, quæ incensa ab hostibus, quæ antistites et sacerdotes ipsi suspicione aversa nudaverint; quæ ad ultimum fures, et obserata pandentes tenebrarum obscuritate canacheni. *J. C. Orellius* in adnot. ad hunc *Arnob.* loc., putat *canachenos* dictos fuisse fures in domos irrumpentes, portasque et januarum claustra effringentes, a καναχῇ *strepitus*: at idem in *Appendice* ad eumd. *Arnob.* eorum potius sententiam probat, qui existimant hac voce significari fures clandestinos, et *canabeni* legendum, nimirum ab Hebr. גנבים *gannabim*, fures, vel *saraceni* ab Arab. سرق *sarack*, furatus est.

CANACIUS. *Apul. Florid.* n. 16. Plenius gratias, canaciusque libro mandabo. *h. e.* sonantius, et verbis valde significantibus, ut sit adverbium comparativum a *canaciter*, et hoc a *canax*, *acis*, a *cano*, *is*. Ita legitur apud *Elmenhorst. p.* 337. Sed apage monstrum verbi. Legendum enim cum *Schioppio* et aliis: *Plenius gratias canam, ociusque libro mandabo*; vel cum *Oudendorpio*: Plenius gratias Græcatiusque libro mandabo.

CĂNĀLE, is, n. 3. *V.* CANALIS.

CĂNĀLĪCIUS. *V.* CANALIENSIS.

CĂNĀLĪCLĀRĬUS, ii, m. 2. qui canaliculas fabricatur. *Inscript.* apud *Nardini*, *Roma ant. T.* 1. p. 203. (edente *Ant. Nybby*). GENIO SANCTO CASTRORVM PEREGRINORVM AVR. ALEXANDER CANALICLARIVS. Hujus vocis auctoritatem confirmat alia Græca *Inscript.* apud *Boweyr*, *Miscellaneous*, *Tracts. London.* 1785. p. 153. Αὐρ. Δομνείνου καναλικλαρίου: quæ affertur etiam n. 10. ab *Orell.* post *Inscript.* nuper allatam, quæ apud *eumd.* est 9. *V.* ANALECTARIUS.

CĂNĀLĬCŎLA, æ, m. 1. Canalicolæ forenses, teste *Paul. Diac. p.* 45. 18. *Müll.*, dicti sunt homines pauperes, quod circa canales fori consisterent. *Scaliger* monet, dicendum fuisse *circa canalem*, non *canales*. Fuit enim locus in Foro Romano *Canalis* dictus, de quo ita *Plaut. Curc.* 4. 1. 14. In infimo foro boni homines atque dites ambulant: In medio propter Canalem ibi ostentatores meri. Sed quid fuerit ille *Canalis*, non satis constat. Quidam intelligunt viam demissiorem in foro, canalis instar excavatam: alii fossam, quæ corrivatas aquas acciperet, et in cloacam immitteret: quo pertinet illud *Tertull. Pall.* 5. Ego nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, canales non odoro, cancellos non adoro, subsellia non contundo. Ita enim *Salmas.* legit ex veterib. lib. Nam aliæ editiones *canales non odoro* omittunt. Alii denique suspicantur, ita aliquando appellatos fuisse ipsos fori cancellos, ad quos viliores homines starent, dum judicia exercebantur. Ceterum *Gellio* quoque vocem *canalicola* eruditi restituunt, 4. 20. Qui jurabat, cavillator quidam, et canalicola, et nimis ridicularius fuit. Quidam leg. *canicula*, et interpretantur hominem mordacibus dictis utentem.

CĂNĀLĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a canalis, parvus canalis. *Varro* 3. *R. R.* 5. 14. Quibus aqua ministratur per canaliculam. *Gell.* 17. 11. Duas esse quasi canaliculas quasdam, vel fistulas, etc. Adde *Lucilium* apud *Non.* p. 198. 7. *Merc.*

CĂNĀLĬCŬLĀTIM. *V.* CUNICULATIM.

CĂNĀLĬCŬLĀTUS, a, um, adject. in canaliculorum modum cavatus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 36. (119). Semina quibusdam angusta et canaliculata, ut cumino. στενά, καὶ γραμμώδη, habet *Theophrast. l.* 7. *Hist. c.* 3. Rursus *Plin.* 27. *ibid.* 9. 55. (78). Herba foliis ad radicem canaliculata.

CĂNĀLĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a canalis, parvus canalis. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 10. 9. 6. *Schneid. R. R.* 15. 6. Perpetuus canaliculus humi depressus construatur, per quem mixti cum aqua cibi decurrant. Adde *eumd. ibid.* 10. 5. et *Pallad.* 6. *R. R.* 11. ¶ 2. Speciatim est cavitas longa, securiclata, in catapultis, per quam epitoxidis musculus movetur, Græce σῦριγξ. *Vitruv.* 10. 10. 3. *Schneid.* ¶ 3. Est etiam in triglyphis cavitas inter strias, Italice *scanalature*. *Vitruv.* 4. 3. 5. Triglyphorum latitudo dividatur in partes sex, ex quibus quinque partes in medio, duæ dimidiæ dextra ac sinistra designentur: regula una in medio deformetur femur, secundum eam canaliculi ad normæ cacumen imprimantur. ¶ 4. Apud medicos est quo ossa luxata continentur, ut in suam sedem redeant. *Cels.* 8. 20. *in fin.* Potest conditus articulus canaliculo aliquo contineri.

CĂNĀLĬENSIS, e, *et* CĂNĀLĪCIUS, a, um, adject. ad canalem pertinens. *Canaliense*, et *Canalicium aurum* dicitur, quod puteis foditur, quoniam ejus metalli venæ, tamquam canales, vagantur per latera puteorum huc illuc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (68).

CĂNĀLIS, is, comm. gen. 3. *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 330. docet hanc vocem melius feminino, quam masculino genere proferri. Quod an verum sit, valde dubito. Frequentius enim in masculino usurpatam legi. — Neutro genere *Canale*, is occurrit apud *Varron. Sentent.* 101. ed. *Devit.* Canale fissum est auris, quæ accepta memoriæ non commendat. — Ceterum *canalis* est alveus, tubus, fistula, meatus, plerumque arte in similitudinem *cannæ* factus, qui tamen potest esse et apertus: V. *Isid.* 15. *Orig.* 8. 16. (It. *canale*, *tubo*; Fr. *tuyau*, *tube*, *conduit*; Hisp. *canal*, *caño*, *tubo*; Germ. *Rinne*, *der Canal*; Angl. *a conduit-pipe*, *the channel*, *or bed of a river*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, præcipue de meatu, per quem aqua deducitur. *Cato R. R.* 18. Canalis rotunda. *h. e.* canalis in torculari, quo liquor expressus defluat. *Plaut. Curc.* 4. 1. 14. Canalis in medio foro. *V.* CANALICOLA, et Cf. *Tertull. Pall.* 5. *Varro* 3. *R. R.* 5. 2. Aquam per canales angustas serpere. *Id.* 3. *ibid.* 11. 2. et 7. 8. Canalis perpetua. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Aqua canalibus immissa. *Liv.* 23. 31. *a med.* Canali uno discretæ ædes. *h. e.* fossa in modum canalis excavata inter ædes Martis et Veneris Erycinæ in Capitolio. *Virg.* 4. *G.* 265. Arundineis canalibus inferre mella. *Id.* 3. *ibid.* 330. Currentem ilignis potare canalibus undam. *Vitruv.* 8. 5. 2. *Schneid.* Canalis longus pedes V. *Id.* 8. 6. 1. Rivis per canales structiles ducere aquam. *Sueton. Claud.* 20. Per tria passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit. *Sever. Ætna* 127. Quod si diversas emittat terra canales Hospitium fluviorum. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 205. *de Acheloo.* Flumina demerso trahit intemerata canali. Adde *Dig.* 19. 1. 15. et 43. 21. 3. § 2. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (82). Mare interest vadosum, sed certis canalibus ita profundum, ut nullæ ancoræ sidant. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (69). *de auri fodinis.* Vagantur hi venarum canales per latera puteorum. ¶ 2. Speciatim. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (29). asperam arteriam, per quam spiritus ducitur, *canalem animæ* appellat. Et *Celsus* 4. 1. *sub fin.* cervicem vulvæ *canalem* nominat. De gutture *Veget.* 5. *Veterin.* 65. 3. Per canalem digeres. Et *Pelagon.* 6. *Veterin.* 15. Et dejicis pecori per canalem. ¶ 3. Item speciatim dicitur *canalis* etiam instrumentum illud concavum, in quo chirurgi ossa fracta reponunt, ut coalescant. *Cels.* 8. 10. Ubi crus deligatum est, in canalem conjiciendum est. Is canalis ab inferiori parte foramina habere debet etc. *V.* CANALICULUS 4. ¶ 4. Item in architectura *canalis* dicitur a *Vitruv.* 3. 5. 7. *Schneid.* cavum illud in voluta jonica, quod post abacum incipiens usque ad oculum circumagitur. ¶ 5. *Canalis* vocatur ab eodem *Vitruv.* 10. 13. 7. *Schneid.* etiam cavitas longa, securiclata, in catapultis, per quam epitoxidis musculus movetur, Græce σῦριγξ. *V.* CANALICULUS 2. ¶ 6. Est etiam instrumentum olearium; quid tamen sit, prorsus ignoramus. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 6. Oleo autem conficiendo molæ utiliores sunt, quam trapetum; trapetum, quam canalis et solea.

II.) Translate. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (148). Cornea pupilla, cujus angustiæ aciem velut canali dirigunt. *Apul.* 6. *Met.* Canale directo pergere. *h. e.* recta via. Adde *eumd.* 9. *ibid. Gadullius Gallicanus* apud *Non.* p. 198. 6. *Merc.* Ego vero confiteor, certo canali cuncta decurrere. *h. e.* certa via ac ratione, ut recte interpretatus est *Forcellinus*; modo de oratione intelligatur juxta illud *Quintil.* 11. 3. 167. Planiore tamen hæc canali fluunt etc.

CĀNĀLIS, le, adject. canarius, caninus. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 54. Ligulas canales ait se advexisse, et nuces. *h. e. fortasse* ligulas ex corio canis, quibus calceos religabant. Alii alia.

CĀNĀRĬUS, a, um, adject. ad canes pertinens. *Commentarii Pontificum* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (14). Augurio canario agendo dies constituantur, priusquam frumenta vaginis exeant. *h. e.* sacrificio, quod rufa cane fiebat Robigo deo ipsis Robigalibus diebus, ad placandam Caniculæ sideris sævitiem; cujus rei tum *Festus* p. 285. 32. *Müll.*, tum *Ovid.* 4. *Fast.* 935., tum *Colum.* 10. *R. R.* 342. testes sunt. *Atejus Capito* apud *Festum loc. cit.* Canarium sacrificium. — *Canaria lappa* genus est *lappæ*, cujus vires in medicina *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 116. (176). recenset. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 303.) hanc exhibet synonymiam: Ἀπαρίνη ἑτέρα Theophr. 7. 14.; Ἄρκειον Dioscor. 4. 107.; et *Lappa canaria seu argemon* Plin. l. c. sunt *Arctium Bardana* Willd. Spec. pl. 3. 1632. et *Lappa tomentosa* Lamrk. Dict. encycl. 1. 377. — *Canaria herba* est, qua canes fastidium deducunt, eamque in nostro conspectu mandunt, sed ita ut numquam intelligatur quæ sit: etenim depasta cernitur. Hæc *Id. Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 51. (91)., ubi *Harduin.* notat esse gramen ipsum, quod Græce ἄγρωστις dicitur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 306-307.) hanc exhibet synonymiam: *Dactylon quinis aculeis* Plin. 24. Hist. nat. 19. 119. (182).; *Herba canaria* ejusd. loc. cit.; Ἀχυνωφ in insula Chio, teste Anguill. sunt *Dactylosa* Hildeg. 2. 134., *Paspalum sanguinale* Lamrk. Illust. gen. et *Panicum sanguinale* L. Spec. plant. 84. – Le paspale ou panic sanguin, ou peut-être aussi le *Cynodon Dactylon* Rich. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

CĀNĀTIM, adverb. κυνηδόν, more canum. *Nigidius* apud *Non.* p. 40. 26. *Merc.* Sunt etiam assimilanter dicta hæc, canatim, suatim, bovatim, quæ ab animalibus sumuntur.

CANCĂMUM, i, n. 2. κάγκαμον, arboris est Arabicæ lacrima, myrrham quamdam referens, virosi gustus, ut ex *Dioscor. l.* 1. *c.* 23. colligitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 20. 44. (98). Ex confinio casiæ, cinnamique et cancamum, ac tarum invehitur. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 42. hæc habet: Le cancame, Κάγκαμον *Dioscor.* 1. 23., est une gomme-résine inconnue aux modernes, qu'il faut probablement chercher parmi les produits des amyridées. Amatus Lusitanus croyait que le cancame était une résine anemée qu'il qualifie de *blanche*. Lemery, d'après Pomet, nomme cancamum une gomme qu'il dit très-rare. C'est, suivan lui, un produit résineux composé de quatre substances distinctes réunies ou agglutinées ensemble; il venait du Brésil ou d'Afrique. C. Sprengel attribue le cancame des anciens, qui est évidemment distinct de celui-ci, à l'*Amyris Kafal*, auquel on croit devoir la myrrhe. Le même auteur désigne ailleurs le *Gardenia gummifera*; mais cette opinion n'a rien de probable, et les renseignements qui pourraient nous conduire à la détermination de cette production manquent absolument dans les ouvrages des anciens.

CANCELLĀRĬUS, ii, m. 2. ¶ 1. Est qui ad cancellos januæ cubiculi assistit. Olim enim imperatorum ac procerum cubicula, quæ patebant, non tantum vela ad fores, sed et cancellos habebant, seu fenestratas januas, ut *Cassiod.* 11. *Variar. ep.* 6. appellat. His igitur qui præfecti erant, non solum *a velis* et *a cancellis*, sed etiam *velarii* et *cancellarii* appellabantur; quorum munus erat stare pro foribus, et admissiones curare. Iidem igitur erant atque ostiarii. Quam ob causam *Vopisc. Carin.* 16. eum reprehendit, quod unum ex cancellariis præfectum Urbi fecisset. *V.* etiam *Sidon.* 1. *Ep.* 2. ¶ 2. Horum tamen aliquos non tantum ostiarios fuisse, colligitur ex *Agathia*, qui *l.* 1. *de gestis Justinian.* narrat, cancellarios istos τὰ ἀρχεῖα, archivia scil. Narsetis curasse. — Etiam tribunalia habebant cancellata septa, quibus excludebantur turbæ, atque iis præpositi item cancellarii dicti: quorum aliqui judicibus scribendo navabant operam. De his multa *Cassiod. loc. cit.* Digniores tamen erant quam scribæ; eoque munere fungi etiam soliti, quo ii, qui *a secretis* dicuntur apud nos. Qui his omnibus præerat, hodie κατ' ἐξοχὴν cancellarius, olim quæstor Sacri Palatii dicebatur, et in Constantinopolitana Aula ὁ μέγας λογοθέτης. *Inscript.* apud *Gruter.* 647. 6. Cancellarius et scriba. Adde *Cod. Theod.* 6. 27. 1. et 2. 5. 8. Vide *Casaubon.* et *Salmas.* in *Vopisc. Carin. loc. cit.* et alios. Nos enim rem leviter attigimus, quæ ad sequiora tempora nimis prope accedit.

CANCELLĀTIM, adverb. in modum cancellorum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (81). Militem Magni Pompeji et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (103). Testæ distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim divisa, cancellatim reticulata. *Id.* 11. *ibid.* 37. 79. (201). Venter terrestrium aliis denticulatæ asperitatis, aliis cancellatim mordacis. *V.* CANCELLUS 1. Adde *Sidon. Ep.* 5. 17.

CANCELLĀTĬO, ōnis, f. 3. limitatio, vel metatio agrorum. *Frontin. De colon.* p. 109. *Goes.* Ager Buxentinus assignatus in cancellatione limitibus maritimis. Adde *Sicul. Flacc. p.* 16. — Fortasse ita dicta est, quia hujusmodi termini in cancellorum morem infixi erant. Alii aliter interpretantur. Recentiores philologi putant *cancellationem* fuisse agrorum metationem, quæ quadris pedibus, hoc est cancellis, fiebat.

CANCELLĀTUS, a, um. *V.* CANCELLO.

CANCELLI, orum. *V.* CANCELLUS.

CANCELLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Can-*

cellatus 1. et 2. — Cancello est in cancellorum modum struo (It. *ingraticolare*; Fr. *entourer ou couvrir d'une grille*; Hisp. *enrejar*; Germ. *gittern*; Angl. *to make like a lattice, arrange crosswise*). ¶ 1. Generatim. *Colum.* 4. *R. R.* 2. 2. Vitis, quæ toto prostrata corpore, cum inferius solum quasi cancellavit atque irretivit, cratem facit. — Hinc *cancellatus* est in cancellorum morem implexus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (30). *de elephantis.* Setarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem præsidium abigendo tædio muscarum, sed cancellata cutis. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (103). eodem sensu *cancellatim reticulatus* dixit. *Id.* 9. *ibid.* 51. 74. (164). Polypus femina modo in ovis sedet, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. *Solin.* 1. Cancellata manus. ¶ 2. Speciatim in scriptione est delere, quod multis cancellatim ductis lineis fieri solet. *Ulp. Dig.* 28. 4. 2. Cancellare testamentum. *Modestin. ibid.* 22. 3. 24. Cancellare chirographum. *Paul. ibid.* 47. 2. 84. Tabulæ cautionesve cancellatæ. *Scævola ibid.* 2. 14. 47. § 2. Omnes cautiones vanæ et pro cancellatis habentur. Adde *Cod.* 6. 33. 3.

CANCELLŌSUS, a, um, adject. cancellis septus vel munitus. *Cassiod.* 5. *Variar.* 42. *a med.* In patenti cancellosis se postibus occulentes, modo facies, modo terga monstrantes, ut mirum sit evadere, quos ita respicis per leonum ungues dentesque volitare.

CANCELLUS, i, m. 2. *deminut. a* cancer. In sing. num. legitur tantum apud *Ulp. Dig.* 43. 23. 9. § 1.: apud alios occurrit semper in num. plur. — Cancelli sunt septum ex rectis et obliquis lignis, aut ferramentis, modicoque intervallo distinctis contextum, quo fenestræ, januæ, scenæ, tribunalia muniri eorumque aditus præcludi solent (It. *cancelli, grata, gelosia*; Fr. *enclos en forme de grille, grillage, treillis*; Hisp. *reja, enrejado*; Germ. *d. Gitter, Gitterstäbe*; Angl. *lattice, trellis, grate, railing*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Varro* 3. *R. R.* 5. 4. Perticæ inclinatæ, et in eis transversis gradatim modicis intervallis perticis annexis, ad speciem cancellorum scenicorum ac theatri. Apud *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 64. insignis locus est de cancellis, qui erant in gradibus ac sedilibus Circi. *Cic. Sext.* 58. 124. Tantus est ex fori cancellis plausus excitatus, ut etc. *h. e.* ex cancellis, quibus tribunal muniebatur. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 6. Rivis, per quos exundat piscina, præfigantur ænei exiguis foraminibus cancelli, quibus impediatur fuga piscium. Ab *Ulp. Dig.* 30. 14. 9. et 33. 7. 12. § 26. mentio fit de cancellis ædium privatarum. *Augustin.* 11. *Trinit.* 2. cancellos etiam fenestrarum nominat. In sing. num. *Ulp. Dig.* 43. 23. 9. § 1. Si sera, vel clavis, vel specularium, vel cancellus sit ablatus. — *b*) Speciatim et strictiori significatione cancelli sunt ipsa ligna aut ferramenta recta et obliqua modico intervallo inter se contexta. *Ammian.* 30. 4. Septa cancellorum. — *c*) Item in cute elephantorum *cancelli* dicuntur a *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (30). parvæ cavernulæ quadratæ, instar cancellorum dispositæ, et limam ferrariam referentes, quibus in rugas repente arctatis muscas deprehensas elidunt. — *d*) Denique in agris *cancelli* sunt quoddam limitum genus: unde *cancellatio. Gloss. vet.* Χαράδρα cancellus. *Cassiod.* apud *Du Fresne* in *Glossar.* Intra Tusciæ cancellos.

II.) Translate ponitur de limitibus, quibus personæ aut res circumscribitur. *Cic.* 5. *Verr.* 59. 135. Satisne vobis prætori improbo circumdati cancelli videntur in sua provincia, immo vero in sella ac tribunali? *Id. Quinct.* 10. 36. Me facile revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. *Id.* 1. *Orat.* 12. 52. Esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas, et certarum rerum forensibus cancellis circumscripta scientia. *Auct. B. Afr.* 15. Cæsaris copiis in orbem compulsis, intra cancellos omnes conjecti pugnare cogebantur. *Cod. Theod.* 1. 12. 8. Cancelli severitatis.

CANCER, cri *et raro* cĕris, m. *et raro admodum* n. 3. Nom. plur. *canceres* occurrit apud *Caton. R. R.* 159.; Gen. sing. *canceris* apud *Lucret.* 5. 616., et *Arnob.* 1. 50. — *Cancer* pro morbo etiam neutro genere usurpavit *Claudius* apud *Priscian.* 6. p. 697. *Putsch.*, et *Scribon. Compos.* 206. et 240. — Ratione habita etymi, vox est conjungenda cum Græca καρκίνος vel etiam κιγκλίς, quæ idem fere significant. — Ceterum, ut ait *Paul. Diac.* p. 46. 2. *Müll.* C a n c r i dicebantur ab antiquis, qui nunc per diminutionem cancelli. Cf. *Placid. Gloss.* p. 449. ed. *Mai.* — Huc pertinere videtur illud *Apul.* 6. *Met.* 8. Meas manus incidisti, et inter Orci cancros jam ipsos obhæsisti. Sed *Apul.* potuit alludere etiam ad brachia piscium cancrorum, forcipis more, quidquid attigerint, constringentia: nam *l.* 7. etiam Orci manus et Orci fauces dixit. — Sed tamen *cancer* in scientiis tantum locum obtinuit, et ¶ 1. Apud historiæ naturalis scriptores est piscis crusta munitus, pedibus octonis in obliquum flexis, et præterea binis brachiis in denticulatas forcipes desinentibus: cum incedat, transversim fertur: in pavore autem etiam retrorsum, pari velocitate ac prorsum redit (It. *granchio*; Fr. *cancre, crabre, ecrevisse*; Hisp. *langosta, cangrejo*; Germ. *d. Gitterthier oder d. Krebs*; Angl. *a crab, crab-fisch*). Cancrorum marinorum varia genera recenset *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (97). Sunt enim et fluviatiles, quorum meminit *Id.* 19. *ibid.* 10. 58. (180). et alibi, et *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 7., et alii, qui et *cammari* dicuntur. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 45. Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Virg.* 4. *G.* 48. neve rubentes Ure foco cancros. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 369.; et *Colum.* 9. *R. R.* 5. 6. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 46. (134). Carbunculos et carcinomata – sanari tradunt cancro femina cum salis flore contuso. ¶ 2. Apud Astronomos *cancer* est unum ex duodecim signis, per quæ sol annuo spatio decurrit, de quo narrat *Hygin.* 2. *Astron.* 23. cum Hercules contra hydram Lernæam constitisset, cancrum ex palude pedem ejus momordisse, (unde *Lernæus* cognominatur a *Colum.* 10. *R. R.* 313.) et ab Hercule interfectum fuisse: Junonem autem, valde Herculi infensam, in sidera transtulisse. Alii ideo cancrum appellari id signum putant, quod sol, eo cum pervenerit, cancri more incipiat retro cedere, ut est apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *ad fin.* Constat, secundum *Hygin.* 3. *ibid.* 22., stellis septemdecim, quarum duæ *Aselli* dicuntur, de quibus suo loco dictum est. Ingreditur sol Cancri signum X. Cal. Jul. et tunc solstitium æstivum dies longissimos facit. *Colum.* 10. *R. R.* 313. Hauserit et flammis Lernæi brachia Cancri. *Lucret.* 5. 616. *de sole.* Canceris ut vertat metas ad solstitiales. *Lucan.* 10. 259. Calidi tetigit cum brachia cancri. Adde *Cic. Arat.* 509. et 2. *Divinat.* 43. 110.; *Virg.* 10. *Ecl.* 68.; *Ovid.* 6. *Fast.* 727., 2. *Met.* 83. et 10. *ibid.* 127.; *Senec. Herc. Œt.* 41.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 59. (221).; et *Stat.* 4. *Theb.* 776. — Hinc et pro parte australi seu meridiana *Ovid.* 4. *Met.* 625. Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit. ¶ 3. Apud Medicos *cancer* dicitur ulcus pessimæ naturæ, lividum, putridum, quod ad cutem erumpit, carnem consumit, serpitque vorando et insanabile aliquando est, ita fortasse dictus propter ipsius ulceris venas cancellorum more transversas. At *L. Targa* in *Lex. Celsiano* p. 27. affirmat, id, quod ab Italis *canchero*, a Græcis καρκῖνος, a Latinis *carcinoma* appellari. *Cels.* 5. 26. n. 31. Omnis autem cancer non solum id corrumpit, quod occupavit, sed etiam serpit. *Id.* 6. 18. n. 3. Exciso cancro vulnus esse adurendum. *Cato R. R.* 157. *de brassica.* Eadem vulnera putida canceresque purgabit, sanosque faciet. *Cels.* 4. 15. *ad fin.* Valens est etiam adversus cancerem intestinorum. *Est qui legit* adversus ulcera. At *L. Targa* ad *h. l.* hæc verba uncis inclusit, quod illi pluribus de causis suspecta sint. *Claudius* apud *Priscian.* 6. p. 697. *Putsch.* Quod verminatione ad cancer pervenerit. *Scribon. Compos.* 240. Hoc medicamentum cancer non patitur serpere. Adde *eumd. ibid.* 206., ubi pariter neutro genere, et 62. et 114. ubi masc. gen. effert. *Arnob.* 1. 50. Contumacia canceris sævi. *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 8. 3. Femina in mamilla cancrum habebat.

CANCERĀTĬCUS, a, um, adject. ad cancrum morbum pertinens. *Veget.* 3. *Veterin.* 43. 1. Canceraticus fœtor. καρκινώδης.

CANCĔRO, as, āvi, are, n. 1. *et rectius* Cancĕrasco, is, āvi, scĕre, n. 3. Occurrit tantummodo præter. perf. *canceravi.* — Cancero est cancri ulcere putresco. *Apul. Herb.* 36. Ad vulnera etiamsi canceraverint. *Plin. Valer.* 1. 10. et *Marcell. Empir.* 9. Prodest etiam, si intrinsecus canceraverit auris. *Pelagon. Veterin.* 30. *a med.* Oculus equo si canceraverit.

CANCERŌMA, ătis, n. 3. καρκίνωμα, idem quod cancer, qua ulcus significat. *Apul. Herb.* 19. Ad canceromata, quæ in naribus nascuntur. Adde *ibid.* 31.

CANCRĒMA, ătis, n. 3. idem quod canceroma. Habetur apud *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 15., si modo salva est lectio. Omnes editiones *Vegetii* habent cum aspiratione *canchremata.* Si oculus ictu vulneris insanabilis redditur, et, ut mulomedici dicunt, canchremata fecerit. *V.* vocem seq.

CANCRŌMA, ătis, n. 3. idem ac cancrema. *Veget.* 6. *Veterin.* 19. 2. Refrigeratoque melle ad cancromata, et plagas, vel fistulas ad cicatricem reducendos uteris. Sic habetur in edit. *Schneideri*, vulgo vero *ad cancromata plagas*; quin immo etiam superius *canchremata* in *cancromata* mutandum videtur. *Salvian.* 1. *adv. Avarit.* p. 232. Si plagas cancroma sequitur, cancrum necesse est consequatur occatus.

CANCRŌSUS, a, um, adject. cancro affectus. *Veget.* 6. *Veterin* 28. 5. Lycium, quod facit ad omnia vulnera sordida et cancrosa.

CANDĂCUS, a, um, adject. *Varro* 6. *L. L.* 6. tradit, hanc vocem usurpatam fuisse a *Nævio*, et significare *suavem*, tametsi a magistris exponatur *mansuetus*. Sed *Scalig.* in *Conjectan.* docet, manifesto legendum esse *clucidatus*, vel *glucidatus*, quod *Festus* interpretatur *dulce* et *suave*; a Græco γλυκύς. *Auson.* vero *Popma* legit *saudatus*, atque idem esse putat, quod *sedatus*. Sed hæc omnia solis conjecturis fulciuntur, atque adeo incerta admodum sunt. *Müllerus* in *Varron.* 7. *L. L.* 107. p. 164. retinet *clucidatus*.

CANDĔFĂCIO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 1. Part. *Candefactus* 1. et 2.; Pass. *Candefio* 2. — Candefacio est candidum facio (It. *render candido, imbiancare*; Fr. *rendre d'un blanc brillant, blanchir*; Hisp. *blanquear*; Germ. *glänzend weiss machen*; Angl. *to withen, make withe, bleach*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Gell.* 6. 5. Argentum putum dictum est, quasi expotatum excoctumque, omnibusque ex eo vitiis detractis emaculatum et candefactum. — Huc pertinet et illud *Unâ operâ ebur atramento candefacere postulare*, quod proverbio dicitur a *Plaut. Most.* 1. 3. 102. de eo, qui rem aliquam, dum exornare aut perficere vult, corrumpit, ut interpretatus est *Forcellinus*; aut, juxta recentiores interpretes, de eo qui impossibilia postulat. ¶ 2. Speciatim significat ignitum facere. *Cels.* 6. 8. Atramentum sutorium candefactum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 20. (96). Æs inter lapides candefactos fundere. *Id.* 25. *ibid.* 10. 76. (123). Rubetæ patinis candefactæ. *Id.* 33. *ibid.* 3. 26. (64). Aurum marmori et iis, quæ candefieri non possunt, ovi candido illinitur.

CANDĔFACTUS, a, um, et CANDĔFĪO, fis, fieri. } *V.* voc. præced.

CANDĒLA, æ, f. 1. etymon deducendum ex candore luminis, vel rectius a verbo *candeo* quemadmodum *scandela* a *scando*. Est fax ex funiculo, vel ex scirpo, pice, aut cera, aut sebo vestitis. Ex totidem enim materiis candelas factas legimus. Etiam papyrus in hunc usum adhibita legitur apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 731., sed hoc non est intelligendum de papyro Ægyptia, ex qua charta fiebat, sed de nostrate, quæ eadem planta est ac scirpus, ut *Salmas.* in *Exercitationib. Plin.* p. 1003. et *Harduin.* ad *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 70. (178). adnotarunt. Detracto enim cortice e scirpo, interiorem materiem illinebant cera, eaque funalium loco utebantur. *Varro* apud *Servium ibid.* Facibus, aut candela simplici, aut ex funiculo facta, cera vestita, quibus ea figebant, appellarunt funalia. (*Candelam simplicem* appellat virgulam scirpeam. Eodem modo intelligendum est illud *Serv. ibid.* Candelabra, quibus affigi solebant vel candela, vel funes pice delibuti.) Cf. *Varro* 5. *L. L.* 119. *Müll.* *Juvenal.* 3. 184. Me, quem luna solet deducere, vel breve lumen Candelæ, cujus dispenso, et tempero filum. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 3. Sebare candelas. *Candelam apponere valvis* apud *Juvenal.* 9. 98. est facem subdere incendendi causa. — *Candelæ* erant pauperiorum, sicut lucernæ divitum. Colligitur hoc ex *Martial.* 14. 40., ubi *candelam* lucernæ ancillam appellat: item ex *epigr.* 43. et ex *Juvenal. loc. cit.* — Maximus earum usus erat in funeribus, prorsus ut hodieque fit. *Plin. loc. cit.* E scirpis detracto cortice, candelæ luminibus et funeribus serviunt. *Pers.* 3. 103. Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto Compositus lecto, etc. — Quod *Cassius Hemina* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (85). narrat de *lapide quadrato vincto candelis quoquoversus*, et de eadem re *Liv.* 40. 29. verba faciens, duos fasces memorat *candelis involutos*, intelligendi sunt funiculi cera delibuti, quo diutius vetustatem ferrent, It. *spago incerato.* — Quod vero *Vitruv.* 7. 9. 3. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). tectorium, in quo minia-

cea expolitio facienda est, cera Punica induci, et ille *candela linteisque puris*; hic *candelis, ac deinde linteis puris subigi* jubent, vel eosdem funiculos intelligunt, vel virgulas cera illitas, ad similitudinem virgarum scirpearum, quæ cera obductæ accendebantur ad lumen faciendum.

CANDĒLĀBER, bri. *V.* CANDELABRUM.

CANDĒLĀBRĀRĬUS, ii, m. 2. candelabrorum artifex. *Inscript.* apud *Murat.* 945. 8., quæ est apud *Orell.* 4157. TI. CLAVDIVS PRIMIGENIVS CANDELABR. Alia apud *Donat.* 316. 2. FL. AQVILIO HEDONI CANDELABRARIO etc.

CANDĒLĀBRUM *vel* candelabrus *vel* candelaber, bri, 2. Nimis licenter secundam et tertiam syllabam corripit *Venant.* 8. *carm.* 7. 219. Candelabrum pulcrum, verbi capiendo lucernam. — Occurrit fere neutro genere *candelabrum*: in masc. gen. Nom. sing. *candelabrus* habet *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.*, et Accus. sing. *Cæcilius* apud *Non. p.* 202. 16. *Merc.*: etiam *candelaber* in Nom. sing. olim usurpatum fuisse testantur *Arnob.* 1. 59., ubi varias Gentilium stribiligines enumerat, et *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 727. — Ratione habita etymi est a *candela*, teste *Varron.* 5. *L. L.* 119. *Müll.*, qui ait: C a n d e l a b r u m a candela, ex his enim funiculi ardentes figebantur. Adde *eumd.* apud *Servium loc. cit.*, *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (11)., et *Paul. Diac. p.* 46. 7. *Müll.* — Ceterum candelabrum est instrumentum, in quo candelæ infiguntur. Initio statim fuit simplex et parvi pretii, ut testantur *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 727., *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 88. et *Isid.* 20. *Orig.* 10.: at in posterum fuit et materia et arte exquisitissimum. *Cæcilius* apud *Non. p.* 202. 16. *Merc.* Candelabrum ligneum ardentem. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 60. Candelabrum aeneum. *et ibid.* 28. 65. e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 74. 183. *Vitruv.* 7. 5. 3. Candelabra ædicularum sustinentia figuras. *Quintil.* 6. 3. 99. humile. *Petron. Satyr.* 95. ligneum. *Id. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* Tam magnus ex Asia veni, quam hic candelabrus est. Adde *Plin. loco super. cit.* et *Martial.* 14. 43. — Candelabrum etiam dicitur instrumentum illud, quod non candelas habet, sed oleum continet ad illuminanda cubicula, quodque Itale *lucerna* dicitur. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *ante med.* Candelabrum arte mechanica factum et sponte fundens oleum in lucernam.

CANDĒLĀBRUS, i. *V.* voc. præced.

CANDĒLĬFER, fĕra, fĕrum, adject. candelam ferens. Diana, quæ eadem est, ac Lucina, parientium præses, dicta est *candelifera*, quia ad candelas lumina puerperæ fiunt. *Tertull.* 2. *ad Nation.* 11.

CANDENS, entis. *V.* CANDEO.

CANDENTĬA, æ, f. 1. splendida albedo, candor. *Vitruv.* 22. 9. *Schneid.* Candentia lunæ. *V.* CANDEO.

CANDĔO, es, ŭi, ere, n. 2. Part. *Candens* 1. et 2. et in fin. — De Perf. præt. *canduit* translate usurpatum *V.* CANDESCO. — Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum *caneo*, et cum Græca γανόω, quæ splendere significat. — Candeo est candidus sum (It. *esser candido, esser bianco lucente*; Fr. *être d'un blanc éclatant*; Hisp. *estar blanco brillante*; Germ. *weiss glänzen, schimmern oder scheinen, hell und weiss sein*; Angl. *to be withe or shiny, to shine, glister*). Occurrit ¶ 1. Generatim ac stricto sensu de iis, quæ candori adjunctum splendorem habent. *Catull.* 64. 45. Candet ebur soliis, collucent pocula mensæ. *Manil.* 1. 753. *de via lactea.* An major densâ stellarum turba coronâ Contexit flammas et crasso lumine candet. *Ovid.* 2. *Art. am.* 440. Ut levis absumptis paullatim viribus ignis Ipse latet, summo candet in igne cinis. *Al. leg.* canet. *Claudian.* 2. *I. Cons. Stilich.* 448. Hic ferrata rigent, illic argentea candent. — Huc pertinet et illud *Horat.*, ubi *candere* est pro *splendere*, 2. *Sat.* 6. 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. — Sæpius occurrit Part. præs. *candens*, h. e. albus cum splendore. *Lucret.* 2. 771. Continuo id fieri, ut candens videatur et album. Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 314. Qui facere assuerat — Candida de nigris, et de candentibus atra. *Lucret.* 1. 258. candens lacteus humor. *Id.* 4. 431. lucidus aer. *Id.* 5. 720. et 6. 1196. lumen. *Id.* 2. 767. marmor. *Varro* apud *Non. p.* 267. 2. *Merc.* candens corpore taurus. *Virg.* 5. *Æn.* 236. taurus. *Id.* 4. *ibid.* 61. vacca. *Id.* 9. *ibid.* 563. candenti corpore cycnus. *Id.* 6. *ibid.* 896. elephantus. *h. e.* ebur. *Cic. Arat.* 492. circus. *h. e.* via lactea. *Catull.* 64. 318. lana. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 26. Impositum saxis late candentibus Anxur. *Id. Epod.* 1. 29. superni villa candens Tusculi. *h. e.* candido marmore extructa. *Id.* 1. *Od.* 2. 31. Candentes humeri. *Tibull.* 1. 8. 33. incerti. *Id.* 4. 1. 65. Queis numquam candente dies apparuit ortu. *h. e.* aurora, cujus primum lumen multum candoris habet. *Vitruv.* 9. 2. 1. *Schneid.* Candens luna. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 98. ebur. *Id.* 12. *Met.* 411. et *Claudian. Laud. Seren.* 91. lilia. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). color. ¶ 2. Speciatim, sive latiori sensu, quoniam ea maxime splendent, quæ ignita sunt, sæpe candere idem est atque ignescere, accendi, flagrare. Hinc *Gell.* 17. 10. ex Phavorino docet, quam dixit *Virg.* 3. *Æn.* 573. *candentem favillam*, proprie significare igneam et relucentem, improprie autem et pervulgate ferventem: *candens* enim a *candore*, non a *calore* dictum est. *Ovid.* 1. *Met.* 119. Tum primum siccis aer fervoribus ustus Canduit. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 9. Sunt loca, quæ tepent hieme, sed æstate sævissime candent. — Sæpius occurrit Part. præs. *candens*. *Lucret.* 6. 147.; *Varron.* apud *Charis.* 1. *p.* 100. *Putsch.*; *Ovid.* 4. *Fast.* 287. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (144). Candens ferrum. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. Candenti carbone capillum adurere. *Id.* 4. *Herenn.* 10. 59. tædæ. *Id.* 7. *Verr.* 63. 163.; *Horat.* 1. *Ep.* 15. 30., et *Ovid.* 9. *Met.* 170. laminæ. *Colum.* 6. *R. R.* 13. 1. sol. *Id.* 7. *ibid.* 5. 13. Candens sevum vulneri per ardentem tædam instillato. *h. e.* ferventem. Sic *Id.* 12. *ibid.* 53. 4. Glabrare sues aqua candente. Cf. *eumd.* 6. *ibid.* 5. 2. *Ovid.* 2. *Met.* 297. Candens axis. *Lucan.* 1. 215. æstas. *Sil. It.* 1. 194. Æoliis candens austris Libye. *Id.* 9. 502. Candentes globi arenæ. — Ut ex allatis exemplis aperte patet, Part. præs.

Candens, entis, adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Candentior* et Sup. *Candentissimus*. *Val. Flacc.* 3. 481. Candentior Phœbus. *h. e.* ignitus atque accensus. Sic *Solin.* 52. Sidus candentissimum.

CANDESCO, escis, ŭi, escere, n. 3. *inchoat.* a candeo; candere incipio, candidus fio (It. *inbiancarsi, farsi candido*; Fr. *devenir d'un blanc éclatant*; Hisp. *empezar á ser blanco brillante*; Germ. *weiss erglänzen, weiss zu strahlen beginnen*; Angl. *to grow with, to withen*).

1.) Proprie. ¶ 1. Generatim seu stricto sensu de iis ponitur, quæ albescunt cum splendore. *Ovid.* 6. *Met.* 47. ut solet aer Purpureus fieri, cum primum aurora movetur, Et breve post tempus candescere solis ab ictu. *Tibull.* 1. 11. 43. caput candescere canis. ¶ 2. Item accendor, inflammor, ignesco: *V.* CANDEO 2. *Lucret.* 1. 490. ferrum candescit in igne. *Vitruv.* 7. 7. 5. *Schneid.* Ad ignem collocetur, donec lamna candescat. *Ovid.* 2. *Met.* 230. *de Phaetonte.* currusque suos candescere sentit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. candescere est purum sincerumque esse. *Augustin. Ep.* 150. (*al.* 179.) de *virginis velatione.* Hæc est uberior fecundiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere, non lactescere pectore, sed corde candescere. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. est vehementi aliquo animi affectu accendi. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 225. cum viscera felle Canduerint. *h. e.* ira inflammata fuerint. *Id. Laud. Stilich.* 2. 82. numquam Stiliche sic canduit irâ. *Alii, inter quos* Forcellinus, *hæc referunt ad voc.* CANDEO.

CANDĒTUM, i, n. 2. genus mensuræ agrorum. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 6. Galli candetum appellant in areis urbanis spatium centum pedum; in agrestibus autem pedum centum quinquaginta. Apud *Var. Auct. de limitib. p.* 202. *Goesii*, et *Isid.* 15. *Orig.* 15. 6. legitur, *candetum* dictum esse quasi *centetum*, quod centum pedes contineat: sed hæc notatio inepta est.

CANDĬCANS, antis. *V.* CANDICO.

CANDĬCANTĬA, æ, f. 1. candicans color. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (200). Gemmæ ficticiæ scarificationis candicantiam fugiunt. *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. legunt *scarificationes candicantium fugiunt*; et quidem rectius.

CANDĬCO, as, are, n. 3. Part. *Candicans*. — Candico, a candeo, est albesco, candorem habeo: et occurrit modo cum Ablat., modo absolute. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (189). Polyzonos nigra multis zonis candicat. Adde *eumd.* 34. *ibid.* 12. 32. (127). *Scribon. Compos.* 237. Ulcus candicat. *Capell.* 1. *p.* 19. Ipsius canities pruinosis nivibus candicabat. Adde *Apul.* 5. *Met.* 22. et *Solin.* 53. — Sæpius occurrit Part. præs. *candicans*. *Varro* apud *Non. p.* 313. 33. *Merc.* Arma margarito candicantia. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 29. (50). Cardamomum e rufo candicans. *Id.* 37. *ibid.* 10. 60. (169). Gemma e fulvo candicans. *V.* CANDICANTIA. *Id.* 11. *ibid.* 16. 16. (51). *de rege apum.* In fronte macula quodam diademate candicans. *Id.* 3. *ibid. proœm.* 1. (4). Frequentes tæniæ candicantis vadi carinas territant. *Id.* 18. *ibid.* 35. 82. (356). Nube gravida candicante, grando imminebit. *Id.* 16. *ibid.* 23. 35. (86). Populus folio bicolor, superne candicans.

CANDĬDĀRĬUS, a, um, adject. *Pistor candidarius* in *Inscript.* a. Chr. 44. apud *Murat.* 204. 3., quæ est apud *Orell.* 4263., est qui panem candidum facit: de quo *Juvenal.* 5. 70. Sed tener, et niveus, mollique siligine factus Servatur domino. — *Candidarius* dicitur ea forma, qua *pistor dulciarius*. V. *Guasco Mus. Capitol. T.* 2. p. 93.

CANDĬDĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad candidatum pertinens. *Cic.* 1. *Att.* 1. 2. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligentiam.

CANDĬDĀTUS, a, um, adject. vel potius Part. præter. a verbo *candido*, et ad litteram esset dealbatus, ut apud *Apul.* 9. *Met.* 12. Farinulento cinere sordide candidati homunculi. — Sed occurrit fere ratione habita vestium, et est candidis vestibus indutus (It. *vestito di bianco*; Fr. *vêtu de blanc*; Hisp. *vestido de blanco*; Germ. *weiss gekleidet*; Angl. *clothed or arrayed in withe*). *Plaut. Cas.* 2. 8. 10. At candidatus cedit hic mastigia. *Id. Rud.* 1. 5. 12. Mulieres candidatæ hostiatæque. *Sueton. Aug.* 98. Vectores nautæque candidati coronatique. *Prudent.* περὶ στεφ. 1. 67. Candidatæ cohortes. — Hinc

Candidatus, i, m. 2. absolute, substantivorum more.

I.) Proprie. — *a)* Generatim est qui honores petit, quia apud Romanos nemo ad magistratum aspirabat, quin candida toga (hoc est ad nativum lanæ colorem addita creta: ex quo *cretata ambitio* apud *Pers.* 5. 177.) indutus, dum populi suffragia per ambitionem captabat, conspiceretur. Eo itaque vestitu circuibant tribus, prensabant, se submittebant obvio cuique, osculabantur, etc., quasi significantes, se non pecunia, aut aliis illecebris munitos, sed pure ac sincere, solaque fretos virtute ad honores accedere. Aliter rem narrat *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Planc.* 34. (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. p. 82.). Solebant omnes candidati alba creta obliniri cervicem, ut populo notabiliores essent. *Garatonius* in *Cur. secund.* ad *Planc.* p. 139. ignorantiam *Vet. Scholiastæ* traducere videtur. At contra est *Tertulliani* auctoritas (quæ confirmatur a *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. (198). et ab *Isid.* 19. *Orig.* 24.) *Idolol.* 18. *ante med.* Unde et purpurati regum vocabantur, sicut apud nos a toga candida candidati. *Cic.* 1. *Att.* 1. 2. Nemo est ex iis, qui nunc petunt, qui si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur. *Id. Pis.* 23. 56. et *Mur.* 33. 68. Officiosissima natio candidatorum. *Id. Parad.* 6. 2. § 46. Coitiones candidatorum. *Id. Mil.* 16. 42. Sollicitudo candidati. *Id. in tog. candid.* p. 88. 10. *Bait.* Candidatus consularis. *h. e.* consulatum petens. *Id. Mur.* 27. 57. consularis, prætorius. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. n. 4., et *Liv.* 4. 6. *extr.* tribunicii. *Sueton. Cæs.* 24. et *Aug.* 4., et *Plin. Paneg.* 95. Candidatus consulatus. *Ascon.* p. 88. 12. *Bait.* præturæ. *Sueton. Vesp.* 2. ædilitatis. *Id. Tib.* 42. quæsturæ. *Seneca* 7. *Benef.* 78. sacerdotiorum. *Cic.* 7. *Verr.* 44. 37. Dare candidato ædilitatem. *Liv.* 39. 32. Candidatus novus. *Id.* 2. 1. Deducere candidatum. *Varro* 3. *R. R.* 2. 1. Candidato suo studere et præsto esse. *Id.* 3. *ibid.* 17. 1. gratulari. *Q. Cic. Petit. cons.* 8. 31. Petere quasi candidati sint. *Seneca Ep.* 8. Candidato in senatu vocem et manum commodare. *Tac.* 1. *Ann.* 15. Candidatos commendare. — *Extrahere candidatos* apud *Senec. Tranquill.* 3. est ad petendum producere, adesse, suffragari, eisque vocem ac manum accommodare, ut *Id. Ep.* 8. loquitur. — *b)* Speciatim. *Candidati principis*, vel *Cæsaris* primo dicti sunt, quos princeps ipse populo commendabat, et pro iis nonnumquam civiliter prensare solebat, ut factum est aliquoties ab Augusto, teste *Sueton. Aug.* 56. Hi admodum negligenter petere solebant, utpote qui subnixi favore principis, cujus commendatio maxime valebat ad dignitates obtinendas, præsertim ex quo co-

mitia cum populo C. Jul. Cæsar partitus fuerat, ut est apud eumd. Sueton. Cæs. 41. Hinc ambiguum illud festive dictum in quemdam, qui pilam negligenter petebat, apud Quintil. 6. 3. 62. Sic petis tamquam Cæsaris candidatus. De hujusmodi candidatis exemplum habes apud Vellej. 2. 124. — Sublatis postea omnino populi comitiis, totaque eligendorum magistratuum potestate ad principes translata, candidati principis dicti sunt quæstores quidam, qui solis libris principalibus, hoc est epistolis, decretis, orationibus in senatu legendis vacabant, ut Ulp. Dig. 1. tit. 13. qui est De offic. Quæst. docet; extant etiam hac de re testimonia apud Tacit. 16. Ann. 27. et Sueton. Aug. 65. (ubi quæstores Cæsaris dicuntur) Ner. 15. et Tit. 6. — Hi dicebantur etiam quæstores candidati, ut legitur apud Sueton. Claud. 40.; Lamprid. Alex. Sev. 43., et in Inscript. apud Gruter. 352. 5. et 421. 3. Ratio autem hujus appellationis videtur esse, quia hujusmodi quæstores ita principi inserviebant, ut ejus commendationem sibi mererentur, et ad præturam promoverentur; eratque eorum munus non tam quæstura, quam quoddam veluti prætoriæ dignitatis petendæ tirocinium. Ceterum et in aliis honoribus, candidatos se principis vocabant, qui ab eo vel commendabantur (ut supra dictum est), vel provehebantur. Hinc honori sibi tribuebat C. Ille Popilius C. F. Quir. Carus, quod D. Hadriani Aug. in omnibus honoribus candidatus fuisset, ut in Inscript. apud Gruter 457. 6. legitur. V. Marini Fr. Arv. p. 813. — c) Item candidatus dicebatur qui habebat jus togæ candidæ, ut in Cod. Theod. 6. 4. 22. § 2. et 14. 10. 1. pr. — d) Candidati fuerunt in militia. Ita enim appellati sunt, qui præ ceteris staturæ proceritate et fortitudine commendabantur, pugnabantque circa imperatoris personam, quo ei se commendarent, testem virtutis habentes; ut fidentius altiores militiæ gradus petere possent. Veget. 2. Milit. 7. in fin. principales milites fuisse dicit, quique variis privilegiis muniebantur. Ammian. 15. 5. Laniogaiso tetente, tunc tribuno, quem dum militaret candidatus, solum adfuisse morituro Constanti, supra retulimus. Vales. ad hunc locum docet, duas fuisse in militia candidatorum scholas: alteram a Gordiano seniore institutam, lectis fortissimis quibusque, et maximæ proceritatis; alteram a Gordiano juniore, vel a Philippo: primam seniorum candidatorum fuisse appellatam; secundam juniorum: utrosque autem ab iis candidatis distinguendos esse, qui a Vegetio memorantur. Hi enim etiam ante Gordiani tempora in legionibus fuerunt. V. Sueton. Ner. 15. et PROCERUS.

II.) Translate candidatus dicitur aliarum quoque rerum petitor et studiosus. Plin. Paneg. 63. Candidatus non consulatus tantum, sed immortalitatis et gloriæ. Quintil. 12. 2. 27. Oratori nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus atque præstantius, ad quod ipse tendit, et cujus est velut candidatus. Id. 6. proœm. 13. Te omnium spe Atticæ eloquentiæ candidatum, superstes parens tantum ad pœnas, amisi. Symmach. Ep. 1. 41. Candidatus philosophiæ. Apul. de Mag. Candidatus socer. h. e. qui socer esse cupit. Id. 1. Met. Candidatus crucis. h. e. quem crucis supplicium mox manet. Tertull. Resurr. 58. Candidatus æternitatis.

Candidata, æ, f. 1. absolute substantivorum more semel tantum occurrit pro ea, quæ honores petit. Quintil. Declam. 252. ad fin. Qui candidatam sacerdotii rapuit.

CANDĬDATUS, us, m. 4. status vel conditio ejus, qui jus togæ candidæ habet. Cod. 6. 4. 21. § 1.

CANDĬDĒ, adverb. candido colore.

I.) Proprie. Plaut. Cas. 4. 1. 10. Candide vestitus. h. e. candidis vestibus indutus.

II.) Translate est sincere, simpliciter, sine dolo. Cœlius apud Cic. 8. Fam. 6. 1. Cavendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris. Petron. Satyr. 107. Quod velim tam candide ad aures vestras perveniat, quam simpliciter gestum est. Adde Quintil. 12. 11. 8.

CANDĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. dealbo, candidum facio. Tertull. advers. Gnost. 12. ex Apocalypr. 7. 14. Laverunt vestimenta sua, et candidaverunt ea in sanguine Agni. Augustin. Ep. 108. Albis vestibus candidari. Cf. Candidatus loco suo. Adde Theod. Priscian. 1. 1. — NB. Item candidus sum. Apul. Florid. n. 3. Lyra ejus auro fulgurat, ebore candidat. Al. rectius leg. candicat. Item Particip. Candidans. apud Solin. 49. Mons nivibus candidans. Al. rectius leg. candicans.

CANDĬDŬLĒ, adverb. deminutivum. a candide. Arnob. 2. 11. Sermonem candidule promere.

CANDĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. a candidus. Cic. 5. Tusc. 16. 46. Hæc quæ sunt minima, tamen bona dicantur, necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis. Prudent. 3. Cathemer. 157. Candidulus grex.

CANDĬDUS, a, um, adject. (candeo). Comp. Candidior et Sup. Candidissimus in omnibus fere parag. — Candidus est qui candorem habet cum nitore conjunctum, ut in ALBUS dictum est (V. et Homonym. in fine hujus vocis), ideoque candido opponitur niger (It. candido, bianco lucente; Fr. d'un blanc éclatant, éblouissant; Hisp. blanco brillante; Germ. weiss glänzend, glänzend oder blendend weiss; Angl. of a sheeny withe, bright, shiny, clear).

I.) Proprie occurrit — a) Generatim de albo rerum colore, qui cum splendore conjunctus sit. Plin. 34. Hist. nat. 11. 26. (110). et ibid. 17. 28. (160). æs candidum. Sever. Ætn. 88. ales. h. e. cycnus. Virg. 4. Ecl. 665. anser. Id. 3. G. 387. aries. Id. 2. ibid. 320. avis. h. e. ciconia. Ovid. 3. Trist. 10. 22. barba candida gelu indurato. Varro apud Non. p. 199. 21. Merc. calx. Ovid. 6. Met. 69. ciconia. Plin. 12. Hist. nat. 19. 42. (92). cinnamum candidius nigriusque. Vitruv. 10. 2. 15. Schneid. color candidissimus marmoris. Catull. 39. 1. dentes. Tac. Germ. 10. et Flor. 1. 11. equi. Cf. Ovid. 8. Met. 373. nive candidioribus ambo Vectabantur equis. Curt. 9. 8. 2. ferrum. Ovid. 2. Met. 789. folium nivei ligustri. Virg. 6. Æn. 709.; Propert. 1. 20. 37.; et Ovid. 4. Met. 355. lilia. Quintil. 6. 3. 60. panis. Plin. 12. Hist. nat. 7. 14. (26). piper. Virg. 9. Ecl. 41. populus antro imminet candida. Horat. 1. Od. 9. 1. Soracte altā nive candidum. Id. 3. ibid. 25. 10. nive candida Thrace. Quintil. 6. 3. 60. sudarium. Ovid. 8. Met. 43. tentoria. Plin. 33. Hist. nat. 4. 21. (72). terra. h. e. terra argillosa lucente glareā commixta. Liv. 9. 40. tunicæ linteæ candidæ. Catull. 64. 235. et Curt. 7. 11. 11. vela. Ovid. Heroid. 10. 41. velamina. Liv. 9. 41.; Curt. 4. 13. 15.; et Plin. 35. Hist. nat. 17. 58. (196). vestis candida. Varro 8. L. L. 17. Müll. et Quintil. 2. 17. 35. vestis candidior, candidissima. — b) Speciatim ponitur de capillis, qui albi splendent velut argentum; in quo candidus differt a cano, qui splendore caret. Plaut. Most. 5. 2. 27. Capite candido esse. Virg. 1. Ecl. 29. Candidior barba. Val. Flacc. 6. 60. Crinis candidus. — c) Item speciatim de albo ac lucente astrorum et similium colore. Plaut. Rud. prol. 2. Stella splendens candida. Id. Amph. 1. 3. 49. Lux clara et candida. Lucret. 4. 1209. Sidera candida. Id. 5. 777. Loca candida clarā luce. Virg. 7. Æn. 8. luna. Id. 1. G. 207. Taurus. h. e. Tauri sidus. Horat. 3. Od. 15. 6. stellæ. Ovid. 15. Met. 30. sol. Id. 2. Trist. 142. Nube solet pulsa candidus ire dies. Plin. 2. Hist. nat. 18. 16. (79). Color candidus Saturni. Val. Flacc. 3. 243. flamma. Id. 3. 559. rota Phœbi. Id. 5. 70. nox. h. e. qua stellæ clare lucent. — Huc pertinet et illud Horat. 3. Od. 7. 1. Favonii candidi. h. e. qui nubes fugant ac serenam lucem reducunt. — Huc adde et illa de fluidis. Martial. 6. 42. 19. Aqua candida et serena. Varro apud Non. p. 453. 6. Merc. lac. Id. apud eumd. p. 160. 14. Succus candidus lactis. — d) Item de diis, qui cælesti splendore micare putabantur. Catull. 68. 134. Candidus Cupido. Horat. 1. Od. 18. 11. Bassareus. Tibull. 3. 6. 1. Liber. Seneca Med. 110. de Hymenæo. Candida thyrsigeni proles generosa Lyæi. Cf. eumd. Senec. Œd. 503., et Virg. 5. Ecl. 56. — e) Quia vero candor in homine magna pulcritudinis pars est, sæpe candidus sumitur pro formoso, ut docet Servius ad Virg. 8. Æn. 138. et 5. Ecl. 56.; ita tamen ut color præcipue intelligatur: quo pariter sensu, candido opponitur niger, ut apud Virg. 2. Ecl. 16. et Ovid. 1. Art. am. 723.: ad rem Horat. 2. Ep. 2. 4. Candidus et talos a vertice pulcher ad imos. Virg. 7. Ecl. 37. Galatea — candidior cycnis. Virg. 5. Æn. 571. quem candida Dido Esse sui dederat monumentum et pignus amoris. Id. 4. G. 337. et Propert. 3. 17. 29. Candida colla. Virg. 8. Æn. 138. Maja. Catull. 35. 8. et Horat. Epod. 1. 27. puella. Horat. ibid. 3. 9. Ut Argonautas præter omnes candidum Medea mirata est ducem. Id. 3. Od. 9. 2. Candida cervix. Id. 1. ibid. 13. 9. humeri. Propert. 2. 16. 24. brachia. Tibull. 1. 10. 68. sinus. Ovid. 3. Amor. 7. 8. brachia candidiora nive. Id. Heroid. 16. 249. Pectora puris nivibus et lacte candidiora. Id. 1. Art. am. 723. et Plin. 22. Hist. nat. 25. 74. (156). Candidus color. Ovid. 2. Met. 349. Lampetie. Id. ibid. 607. membra. Id. ibid. 861. et Med. fac. 52. ora. Liv. 38. 17. corpora Gallorum. Plin. 2. Hist. nat. 78. 80. (189). cutis. — f) Item candidus de vestibus dicitur, quibus honorum præcipue petitores induebantur. V. CANDIDATUS. Titinius apud Non. p. 536. 23. Merc.; Ascon. ad Cic. orat. in tog. candid. p. 82. Bait.; et Plin. 7. Hist. nat. 31. 34. (120). Toga candida. Martial. 8. 65. Roma cultu candida. h. e. Romani, qui togis candidis utebantur. Et poetice Tibull. 2. 1. 16. Candida turba. h. e. candidis vestibus induta. Sic Ovid. 4. Fast. 906. Candida pompa. — g) Item de suffragiis, quæ candidis et nigris lapillis ferebantur. Ovid. 15. Met. 47. Candida sententia. V. ALBUS II. 1. — Huc pertinet et Thracum mos candido lapide felices dies notandi. Catull. 68. 148. Lapide candidiore notare diem. Plin. 6. Ep. 11. Diem notare candidissimo calculo. Cf. Plin. 7. Hist. nat. 40. 41. (131).; Pers. 2. 2.; et Martial. 12. 34.: et V. CALCULUS § 5. — h) Candida de nigris et de candentibus atra facere apud Ovid. 11. Met. 315. proverbio dicitur de simulatoribus et adulatoribus, quique bonum in malum, vitia in virtutes convertunt, in se per fictos mores, in aliis per invidiam et calumnias. Similiter apud Juvenal. 3. 30. Nigrum in candida vertere.

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur ad tempus ejusque rationes, et est nebulis carens, serenum porumque (ut ait Ovid. 2. Trist. 142. Nube solet pulsā candidus ire dies.) atque ideo felix, prosperum, auspicatum. Tibull. 1. 7. 63. At tu natalis, – Candidior semper candidiorque veni. Adde Ovid. 5. Trist. 5. 13. Tibull. 1. 11. 45. Pax candida. Id. 3. 6. 30. fata. Cf. Ovid. 3. Trist. 4. 33. Nam pede inoffenso spatium decurrere vitæ Dignus es, et fato candidiore frui. Propert. 2. 12. 1. O me felicem, o nox mihi candida! Id. 4. 1. 67. omina. et ibid. 6. 71. convivia. h. e. læta et hilaritatis plena. Ovid. 3. Pont. 5. 52. hora. Pseud. – Sall. orat. 1. ad Cæs. de republ. ordin. p. 185. Orell. Qui benignitate imperium temperavere, his læta et candida omnia visa. V. ALBUS II. 1. ¶ 2. Transfertur et ad vocem. Candida vox dicitur a Quintil. 11. 3. 15. et Plin. 28. Hist. nat. 6. 16. (58)., et a Græcis λευκὰ φωνή, quæ pura et clara est: cui opponitur fusca apud eosd. ibid. Cic. autem 2. Nat. D. 58. 146. voci fuscæ opponit canoram, et videtur idem significare, quod alii candidam appellant; nisi quod canora puram quidem et claram, sed sonantem quoque, ut ita dicam, significat. Orellius tamen etiam apud Cic. loc. cit. legit candidam. ¶ 3. Transfertur quoque ad orationem: et dicitur — a) Candidum orationis genus, quod purum et liquidum est, et cujus æquabilis compositio aures valde delectat. Cic. Orat. 16. 53. Elaborant alii in lenitate et æquabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Quintil. 10. 1. 121. Candidum et lene et speciosum dicendi genus. Gell. 16. 19. Celeri admodum et cohibili oratione, vocumque filo tereti et candido fabulam scribere. — b) Item candidus dicitur, qui hujusmodi orationis genere utitur. Quintil. 10. 1. 113. Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides; dulcis et candidus et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille vi, hic voluptate. Id. ibid. Candidus et nitidus Messala. Id. 2. 5. 19. Candidissimus quisque est maxime expositus (scriptor). ¶ 4. Denique transfertur ad animi affectus sententiasque, et candidus est sincerus, simplex, apertus, quique fingere aut mentiri nescit. Horat. 1. Sat. 5. 41. animæ quales neque candidiores Terra tulit, neque quis me sit devinctior alter. Id. 1. Ep. 6. 62. si quid novisti rectius istis, Candidus imperti. Forcellinus h. l. interpretatus est benignus, benevolus: V. in fine hujus paragr. Horat. 1. Ep. 4. 1. Albi, nostrorum sermonum candide judex. Cf. eumd. 1. Sat. 10. 86. Id. Epod. 11. 11. Candidum pauperis ingenium. Ovid. 4. Pont. 14. 43. Tam felix utinam, quam pectore candidus, essem! Petron. Satyr. 129. Animumque ejus candidā humanitate restitue. Et ibid. 132. Quodque facit populus, candida lingua refert. — NB. Forcellinus hæc addidit: Item pro benigno, benevolo et bono, sicut malum nigrum dicimus, inquit Servius ad illud Virg. 5. Ecl. 56. Can-

didus (*Daphnis*) insuetum miratur limen Olympi etc. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 62. si quid novisti rectius istis, Candidus imperti. *Vet. epigr. inter fragm. Petron.* Omnia, quæ miseras possunt finire querelas, In promptu voluit candidus esse deus. Hucusque *Forcell.* At, bonâ summi viri veniâ, *candidus* apud *Virg. loc. cit.* est lucens, micans, ut sidus, quemadmodum interpretatur *Heyne*; Daphnis enim inter cælestes relatus dicitur: apud *Horat. l. c.* candidus est sincerus, ut paullo superius diximus; conferantur enim et alia ejusdem *Horat.* loca *ibid.* allata: denique *candidus deus* ex *Vet. epigr.* apud *Petron.* commode referri potest ad superior. paragr. 1. d.

Candidum, *i*, m. 2. absolute substantivorum more. *Quintil.* 2. 17. 35. Ut candido candidius non est adversum. — Speciatim *candidum ovi* occurrit (*V. Album* in fine v. ALBUS). apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (39). Candidum ex ovo infundere. *Et mox.* Candido ovorum in oculis pili reclinantur. *Seren. Sammon.* 60. 1056. Hordea vel franges, atque ovi candida junges.

Candida, *æ*, f. 1. absolute substantivorum more, sequiori Latinitatis tempore dicebatur editio gladiatorum aliorumque ludorum, quæ a quæstoribus candidatis sumptu proprio ad præturam obtinendam populo dabatur, licet nec ædiles, nec tribuni plebis antea fuissent. *Ambros. Serm.* 81. Quod si magistratus in theatris mimis, athletis et gladiatoribus aliisque hujusmodi totum fere patrimonium suum largitur ac prodigit, ut unius horæ favorem populi acquirat, divitias nostras consulte et utiliter disponamus, præparemus nova et clarissima munera, edamus primam candidam in vestitu nudorum etc. V. *Valesii* adnotat. ad *Ammian.* 27. 3. 6.

Homonym. In quo *candidum* differat ab albo, *V.* ALBUS sub init. — *Candidum* differt etiam a *candente*, apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). Suus quidem cuique color est, Saturno candidus (*h. e.* albus cum splendore conjunctus), Jovi clarus, Marti igneus, Lucifero candens (*h. e.* ignescens, accensus; *V.* CANDEO 2.).

CANDĬFĬCO, as, are, a. 1. candidum facio. *Augustin.* 21. *Civ. Dei* 7. Ignis lapides coquendo candificat. — Si fides habenda est *Nicolao Perotto ad epigr.* 13. *l.* 13. *Martial.*, affert ille ex *Nonio* hæc verba: *Poliens se se et succis herbarum candificans cutem.* Quæ multi Lexicographi exscripserunt, et *Nævio* tribuerunt. Fortasse *Perottus* pro *Nonio* posuit *Nævium*: sed hoc ego fragmentum apud neminem adhuc inveni.

CANDĬFĬCUS, a, um, adject. qui candidum facit. *Apul. de Mag.* 6. Pulvisculus candificus. *h. e.* candificandis dentibus aptus.

CANDOR, ōris, m. 3. (candeo) est albedo cum splendore, eique opponitur *niger color*, ut apud *Lucret.* 2. 761. Cur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore, Marmoreo fieri possint candore repente. (It. *candore, candidezza, bianchezza lucente*; Fr. *blancheur éclatante*; Hisp. *blancura brillante*; Germ. *der weisse Glanz, Schimmer oder Schein, d. Hellund Weissein, d. blendende Weiss*; Angl. *sheeny whiteness, brightness*).

I.) Proprie occurrit — a) Generatim de albo nivis, astrorum et similium splendore. *Nævius* apud *Non.* p. 334. 32. *Merc.* Jam solis æstu candor cum liquesceret. *h. e.* nix. *Cic. Arat.* 492. Vidisti magnum candentem serpere circum, Lacteus hic nimio fulgens candore notatur, 6. *de republ.* 16. 16. Splendidissimo candore inter flammas circus elucens. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 169. candore notabilis ipso (*via lactea*). *Lucret.* 5. 283. ætherius sol Irrigat assidue cælum candore recenti. *Id.* 4. 232. Lux et clarus candor. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. Solis candor illustrior, quam ullius ignis, quippe qui immenso mundo tam longe lateque colluceat. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 68. Species candorque cæli. *Liv.* 9. 40. Milites candida veste et paribus candore armis insignes. *Id.* 10. 39. Candore tunicarum fulgens acies. *Virg.* 3. *Æn.* 538. Equi candore nivali. *Id.* 13. 84. Equi, qui candore nives anteirent. *Sueton. Aug.* 64. Equi candore eximio. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 7. Candor gallinarum. *Quintil.* 1. 1. 5. Simplex candor lanarum. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 65. (135). Candorem dentibus facere. *Id.* 10. *ibid.* 93. 74. (148). Increscente pullo candor (*ovi*) in medium vertitur, luteum circumfunditur. *Liv.* 38. 21. et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 46. 70. (152). Candor corporum. *Plin. ibid.* 17. 28. (61). carnis. — b) Speciatim ponitur sæpe in laude pulcritudinis. In num. plur. *Plaut. Merc.* 1. 2. 65. O solem vides, statim ut occæcatust præ hujus corporis candoribus! *Cic. Cæl.* 15. 36. Candor hujus te et proceritas, vultus oculique pepulerunt. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 27. 75. *Propert.* 1. 20. 45. *de Hyla.* Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ. Adde *eumd.* 2. 25. 41.; *Tibull.* 3. 4. 29.; et *Senec. Hippol.* 832. *Ovid.* 3. *Met.* 423. decus oris et in niveo mixtus candore rubor. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 594. et 1. *ibid.* 743. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 54. (176). Cerussæ vis est ad candorem feminarum. — Huc pertinet et figuratum illud *Cic. Orat.* 23. 79. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris repellentur (*ab oratione*); elegantia modo et munditia remanebit. — c) Raro ponitur pro summo calore. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 218. Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam Æstivo candore mori.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro animi sinceritate ac simplicitate. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 3. Candor in hoc ævo res intermortua pæne. *Id.* 3. *Trist.* 6. 7. Candor animi. *Id.* 5. *ibid.* 3. 53. favorem candore merere. *Id.* 3. *Pont.* 4. 13. Viribus infirmi vestro candore valemus. *Id. Heroid.* 4. 31. Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi, Candor ab insolita labe notandus erat. *h. e.* animi simplicitas, adeoque integritas, innocentia. Adde *eumd.* 2. *Trist.* 467. *Phædr.* 3. *prol.* 63. sincerum mihi Candore noto reddas judicium, peto. *Vellej.* 2. 116. 5. Neque justus sine mendacio candor apud bonos crimini est. *h. e.* apud bonos non dedecet veritatem sine mendacio patefacere. *Plin. Paneg.* 84. Soror tua ut se sororem esse meminit! ut in illâ tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! ¶ 2. Candor est etiam virtus orationis. *Quintil.* 10. 1. 101. Neque indignetur sibi Herodotus æquari T. Livium in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris. *hoc loco* significat pulcritudinem illam, quæ ex perspicuitate ac simplicitate narrandi oritur, et fidem simul facit historiæ.

CANDOSOCCUS, i, m. 2. voce Gallica, palmes prolixus in vitibus, qui summo solo obruitur, deinde iterum in arborem erigitur ad fructum gignendum. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 16. Latini *mergum* vocant.

CĂNENS, entis. *V.* CANO.

CĀNENS, entis. *V.* CANEO.

CANENTAS capitis ornamenta. *Paul. Diac.* p. 46. 4. *Müll.* — *Voss.* in *Etymol.* scribit fortasse derivari a Græco κανοῦν, quod canistrum significat, et intelligi de iis, quas portabant Canephoræ in sacris Palladis.

CĀNEO, es, ŭi, ere, n. 2. (canus). Part. *Canens.* — Reperitur etiam *cano, is,* 3. conjugat. sicut *fervo, is* pro *ferveo, es*, et *fulgo, is* pro *fulgeo, es*, et alia non pauca. *Propert.* 2. 14. 7. Quid si jam canis ætas mea caneret annis? *candeat* est qui reponere malit; sed *caneret* a *Scalig.*, *Broukhus.* et aliis defenditur. — Ceterum caneo est albesco sine splendore, atque ita ut cinereum colorem referam (It. *esser canuto, grigio*; Fr. *être gris, grisonner*; Hisp. *estar pardo, frayleseco*; Germ. *weissgrau erglänzen, weissgrau oder weiss sein*; Angl. *to be white, to be hoary*). Occurrit — a) Generatim. *Ovid.* 2. *Art. am.* 440. canet in igne cinis. *Al. minus recte leg.* candet. *Id.* 11. *Met.* 411. canentia lilia. — b) Speciatim de senum capillis. *Virg.* 5. *Æn.* 416. æmula necdum Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Id.* 10. *ibid.* 191. canentem molli plumâ duxisse senectam. Adde *Tac. Germ.* 31. *Claudian. B. Get.* 35. Totaque sub galeis Mavortia canuit ætas. *Val. Flacc.* 6. 122. Canens ævum. — c) Item de rore et pruina. *Ovid.* 3. *Fast.* 880. ubi – canuerint herbæ rore recente quater. Cf. *Virg.* 3. *G.* 325. dum mane novum, dum gramina canent. *Sil. It.* 1. 206. Canet barba gelu. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 66. Canens gelu. *Sil. It.* 3. 534. pruina. — d) Item de frumentis maturis. *Ovid.* 1. *Met.* 110. Nec renovatus ager gravidis canebat aristis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (65). vertens a Græco carmen *Sophocl.* in *Triptol.* Et fortunatam Italiam frumento canere candido. — e) De cinereo olivæ aliarumque arborum colore. *Ovid.* 6. *Met.* 81. Prodere cum baccis fetum canentis olivæ. *Juvenal.* 14. 144. et densa montem qui canet oliva. *Sil. It.* 13. 69. canens oliva. *Virg.* 2. *G.* 120. nemora Æthiopum molli canentia lanâ. *Id.* 2. *ibid.* 13. glaucâ canentia fronde salicta. — f) Denique de spuma maris. *Sil. It.* 4. 362. Spumat canenti sulcatus limite gurges. Adde *Stat.* 5. *Theb.* 337.

CĀNĒPHŎRA, æ, *vel rectius* canephoros, i, f. ἡ κανηφόρος, canistrum ferens: a κάνης *canistrum*. *Paul. Diac.* p. 65. 6. *Müll.* Canephora mulier appellatur, quæ fert canum, idest qualum, quod est cistæ genus. — Speciatim *Canephoræ* dictæ sunt virgines Athenienses primariæ et nobiliores, quæ in solemnioribus festis et pompis sacra Palladis in canistris reposita, et sublatis manibus capiti imposita ferebant. *Ovid.* 2. *Met.* 702. Illa forte die castæ de more puellæ, Vertice supposito, festas in Palladis arces Pura coronatis portabant sacra canistris. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. Erant ænea duo signa eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur. Al. scribunt *Canephoroe*, ad exprimendum Græcum αἱ Κανηφόροι. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (20). Fecit Scopas Vestam sedentem, duasque chametæras circa eam, quarum pares in Asinii monumentis sunt, ubi et Canephoros ejusdem. Al. leg. *Canephorus*, terminatione Latina. Sed *Harduin.* præfert *Canephoros*, quod feminine accipiendum est, ἡ Κανηφόρος. Sic apud *Cic. loc. cit.* 3. 18. Habe Canephoros, *h. e.* τὰς Κανηφόρους; de iisdem enim loquitur, de quibus *ibid.* 3. 5.

CĀNES, is. *V.* CANIS.

CĀNESCO, is, ere, n. 3. inchoat. a caneo. Part. *Canescens* I. — Canesco est canere incipio, canus fio (It. *incanutire*; Fr. *devenir gris, grisonner*; Hisp. *empezar a ser pardo, a encanecer*; Germ. *weissgrau erglänzen, weissgrau oder weiss werden*; Angl. *to become white, to become hoary*).

I.) Proprie occurrit — a) Generatim. *Ovid.* 2. *Met.* 212. Pabula canescunt, cum frondibus uritur arbor. *h. e.* præ nimio solis calore arescendo albescunt. Sic *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (106). Canescentibus nimiâ siccitate convallibus. *Ovid. Heroid.* 3. 65. Ante – Quam sine me Phthiis canescant æquora remis. *Id.* 1. *Amor.* 8. 52. Canescunt turpi tecta relicta situ. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 12. Canescit imagine vitis. *Claudian. Mamert.* in *Genethl. ad Max.* 9. Cum ipsi anhelitus hominum, circa sua ora concreti, rigore canescerent. — b) Speciatim de senum capillis. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 46. (134). Capilli canescunt. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (23). In quadam gente Indiæ genitos confestim canescere. — Hinc ponitur et pro senescere. *Ovid.* 9. *Met.* 421. queritur canescere mitis Iasiona Ceres.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 2. Eaque (*quercus Mariana*), ut ait Scævola de fratris mei Mario, *canescit sæclis innumerabilibus.* — Sæpius de oratione. *Cic. Brut.* 2. 8. Cumque ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quamdam maturitatem et quasi senectutem. *Quintil.* 11. 1. 31. Senibus convenit genus eloquentiæ pressum et mite et limatum et quale intelligi vult Cicero cum dicit, orationem suam cœpisse canescere.

CANĪA, æ, f. 1. genus urticæ silvestris, acrioris, caule quoque mordaci, foliis fimbriatis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 55. (92)., ubi alii leg. *canina*; sed *cania* in omnibus suis MSS. vidit *Harduin.* At *Sillig.* legit *canina*; quod præstat.

CĀNĪCÆ, ārum, f. plur. 1. furfures de farre, a cibo canum vocatæ, ut docet. *Paul. Diac.* p. 46. 1. *Müll.* *Nonius* vero p. 88. 16. *Merc.* furfures generatim exponit. Usurpat *Lucil.* apud *Non. ibid.*

CĀNĪCĀCEUS, a, um, adject., qui est ex canicis. *Pacuvius*: Qui apud te quasi servos est canicaceum panem. Al. leg. *caniceum* eodem sensu. *Scalig.* ad *Paul. Diac.* in *Canicæ*, et *Voss.* in *Etymol.* hoc fragmentum ab ipso *Paul. Diac.* citari tradunt: nos neque apud *Paul. Diac.*, neque apud alium quempiam veterem grammaticum invenire adhuc potuimus.

CĀNĪCŪLA, æ, f. 1. deminut. a canis, parva canis. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 26. (79). Dentium dolores sedantur cerebro caniculæ. Figurate *Plaut. Curc.* 5. 1. 7. Ut eam eriperet, manum arripuit mordicus: vix foras me abripui atque effugi: apage istam caniculam. *de muliere loquitur.* — De *canicula*, hoc est homine mordaci *V.* CANALICOLA. ¶ 2. Est etiam hoc nomine piscis marinus, ita dictus a similitudine formæ: de cujus sævitia et capiendi difficultate ac periculo (acri enim morsu ferociter homines petit) multa *Plin.* 9. *Hist. nat.* 46. 70. (151). ¶ 3. Est præterea nomen stellæ, κυνάστρον. Ea oriente, maximi calores fiunt. Oritur autem post solstitium æstivum; sole primam

partem Leonis ingrediente, ut *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (123). et 18. *ibid.* 28. 68. (269). docet. Aliter ab aliis *Canicula* designatur. Quidam enim intelligunt minorem canem, qui aliquanto ante canem majorem oritur, et προκύων ob id atque *antecanis* appellatur. *V.* ANTECANIS. — *a*) Alii rectius significari volunt stellam lucidissimam, primæ, ut vocant, magnitudinis, in ore ipsius Canis positam (quæ et ipsa προκύων appellari potest, ut est apud *Galen. commentar.* 1. *in lib.* 1. *Hippocr. de morb. vulg.*: præcedit enim et ipsa, licet brevi intervallo, totius astri, qui *canis* dicitur, exortum) quam et *Sirium* appellant, cui scriptores passim ardentissimos æstus tribuunt. Dicta est autem *Canicula*, vel quia tunc temporis facile canes in rabiem aguntur, vel quia summum efficit calorem, cujus canes intolerantissimi sunt; vel tandem a fabulis hoc nomen sortita est, de quibus *V.* in CANIS. Hoc sensu *Caniculæ* meminerunt *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 130. et 2. *ibid.* 44. 93. et 2. *Nat. D.* 10. 28.; *Varro* 1. *R. R.* 28. 2. et 1. *ibid.* 41. 2.; et *Colum.* 2. *R. R.* 31. 1. et 11. *ibid.* 2. 53. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 39. Rubra Canicula. *Id.* 3. *Od.* 13. 9. flagrantis atrox hora Caniculæ. *Id.* 1. *ibid.* 17. 17. Caniculæ æstus vitare. *Manil.* 5. 207. Exoriturque Canis, latratque Canicula flammans, Et rabit ore suo. (*Id. ibid.* 197. *et seqq.* jam de *Antecane*, seu Procyone verba fecerat: ex quo etiam apparet, hunc a Canicula diversum esse). *Ovid.* 2. *Art. am.* 231. Nec grave te tempus sitiensque Canicula tardet. *Pers.* 3. 5. siccas insana Canicula messes Jamdudum coquit. *Auct. Priapej.* 63. 2. Per caniculam. — *b*) *Canicula* est etiam minor canis, Latine *antecanis* ut superius diximus, Græce προκύων, quæ præposito vocabulo memoratur a *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (268). — *c*) Interdum caniculæ nomine totum canis sidus significatur, teste *Servio* ad *Virg.* 3. *Æn.* 141. *Pallad.* 12. *R. R.* 12. 8. Canicularum æstus. *Id.* 7. *ibid.* 6. 1. ortus. Adde *Auct. de limit. p.* 295. *Goes.* ¶ 4. Denique *canicula*, qui et *canis* dicitur, est infelix jactus talorum, quem qui jecisset, certo vincebatur. Sic autem appellabatur, cum quis unitatem miserat: cui contrarius erat jactus *Veneris*, omnium felicissimus. *Pers.* 3. 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in voto; damnosa canicula quantum Raderet. *Voss.* in *Etymol.* in *Canis* ideo *caniculam* appellari hunc jactum putat, quia instar canis mordeat eum, qui luserit. *V.* CANIS.

CĂNĪCŬLĀRIS, re, adject. ad Caniculam cœleste sidus pertinens. *Pallad.* 8. *R. R.* 7. Inchoantibus canicularibus diebus. Adde *eumd. ibid.* 1. 1. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Clementissimo recessu fallere inclementiam canicularum. — Habet etiam *Tertull.* 1. *contr. Marcion.* 19. Sed V. ibi interpretes.

CĂNĪCŬLĀTUS, a, um, adjec. *Æmil. Macer* 2. 35. Jusquiamum Græci, quam nostri caniculatam dicunt. *Marcell. Empir.* 14. *ad fin.* Uvam caniculatam, et cochleam germanam combure. — Quod ad priorem *Macri* locum attinet, recte adnotavit *Janus Cornarius* verbum *caniculatam* corruptum esse. Debuit enim dicere *calicularem*. *V.* CALYCULARIS. Porro *uva caniculata* videtur appellari, cujus acini uno die durant, cum sol eosdem circa caniculæ ortum maxime ardens arefaciat: ita enim vocatur *herba solstitialis*, quæ uno solstitii die nascitur et moritur, aut certe languescit; atque *acini solstitiales*, qui circa solstitium æstu pereunt. *V.* SOLSTITIALIS.

CĂNĬFERA, æ, f. 1. *V.* CANEPHORA.

CĂNĬFICO, as, are, a. 1. canum reddo. *Vet. poeta* apud *Atilium p.* 2691. *Putsch.* Nec mare canificat, nec agit freta cærula. Ita pro *Hæc mare* legendum monet *Ruhnkenius*.

CĂNĬFORMIS, e, adject. qui canis formam habet. *Prudent. Apotheos.* 263. Quæve superstitio tam sordida, quæ caniformem Latrantemque throno cœli præponat Anubim? Cf. *Gall. Conf.* c 5.

CĂNĪNA, æ. *V.* voc. seq. in fine.

CĂNĪNUS, a, um, adject. κυνικός, κύνεος, ad canem pertinens (It. *di cane*, *canino*; Fr. *relatif au chien*, *de chien*, *canin*; Hisp. *canino*; Germ. *zum Hunde gehörig oder vom him herrührend*; Angl. *of or belonging to a dog, doggish, canine*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Cas.* 5. 4. 4. Hac ibo: caninam scævam spero meliorem fore. *canina scæva* est augurium, quod ex canis occursu vel latratu capitur. *Ovid. Ib.* 229. et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (133). Caninum lac. *Id. Plin.* 29. *ibid.* 6. 35. (111). adeps. *Id. ibid.* 6. 38. (117). fel. *Scribon. Compos.* 161. pellis. *Juvenal.* 10. 171. rectus. *Id.* 14. 64. stercus. *Id.* 5. 11. Far caninum. *h. e.* quia pane ex eo confecto canes alere solebant: hinc *canicæ*, quam vocem *V.* — Caninus rubus. *V.* CYNOSBATOS. ¶ 2. Specialim in illo *Persii* 1. 109. *sonat de nare canina littera*: intelligitur littera R, quam exprimere videntur canes, cum latrant, secundum illud *Lucilii* apud *Charis.* 1. *p.* 100. *Putsch.* Irritata canes quam homo quod planiu' dicit.

II.) Translate. ¶ 1. Est cani similis: hinc — *a*) *Canini* dicuntur, non solum in canibus, sed per similitudinem etiam in aliis brutis et in homine, bini dentes, longissima radice instructi, qui hinc inde inter primores, (quos *Isid.* 11. *Orig.* 1. præcisores appellat) et maxillares seu molares in utraque maxilla infixi sunt, κυνόδοντες. Dicti sunt *canini* ob acutam duritiem, et quia quando iis utimur, canum more mandere videmur. *Cels.* 8. 1. Quaterni primi quia secant, τομικοὶ a Græcis nominantur. Hi deinde quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (160). — *b*) *Caninum prandium* est, in quo nihil vini potatur. Canes enim non vinum, sed aquam bibunt. Ita exponit *Gell.* 13. 30. verba illa *Varronis*: Novum vinum refrigerare, vetus calefacere, medium esse prandium caninum. *V.* integrum loc. Alii intelligunt prandium, in quo vilissima quæque comeduntur. ¶ 2. Specialim *Canina verba* sunt dicta asperiora et mordacia, quibus alterius existimatio læditur. Sic *facundia canina*, cujus omnis vis in criminando et conviciando posita est, et obtrectatoribus, accusatoribus rabulisque forensibus tribuitur. *Quintil.* 12. 9. 9. Ea est enim prorsus canina, ut ait Appius, eloquentia, censuram maledicendi subire. Cf. *Appius* apud *Sall.* apud *Non.* p. 60. 24. *Merc. Lactant.* 6. 18. *a med.* Cicero caninam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit: voluit quoque hominem canino more vivere, ut remordeat lacessitus. *Colum.* 1. *R. R. procem.* § 9. Sed ne caninum quidem, sicut dixere veteres, studium locupletissimum quemque adlatrandi, etc. *Ovid. Ib.* 232. Latrat et in toto verba canina foro. — Hinc fortasse *Canina* cognominatus est C. Claudius consul, de quo *V.* ONOM. — *Caninam pellem rodere* proverbii speciem habet apud *Martial.* 5. 61., et videtur idem esse, ac maledicum maledictis insectari. ¶ 3. Item specialim et ad mores refertur: hinc — *a*) *Caninæ nuptiæ* vocantur a *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 2. eorum, qui vago ac meretricio concubitu, canum more, delectantur. — *b*) Hinc etiam *canini*, quemadmodum et Cynici, vocati sunt philosophi Diogenis sectatores. *Tertull. Patient.* 2. Caninæ æquanimitatis stupor. *h. e.* ἀπαθεία, vacuitas omnium affectuum. *Augustin.* 14. *Civ. Dei* 20. Hoc illi canini philosophi, hoc est Cynici, non viderunt. — Hinc

Canina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est canina caro; ipsum autem nomen *caro* subauditur. Hinc proverbium apud *Varron.* 7. *L. L.* 32. *Müll.* Canis caninam non est. Similiter ab Italis dicitur: *Lupo non mangia di lupo.* et *Corbi con corbi non si cavano gli occhi.* Eod. sensu *Juvenal.* 15. 160. parcit Cognatis maculis similis fera. Adde *Justin.* 19. 1. — Est etiam hoc nomine herba, de qua *V.* in CANIA.

CĂNĪPA, æ, f. 1. idem ac canistrum, a canum, vel a κάνεον Græcorum, quod idem significat. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 3. Deinde pueri canipas contigerant, quas per calatores domos suas miserunt. *Marinius ibid. p.* 396. probat, per hanc vocem nihil aliud significari posse, quam canistra; his enim veteres in conviviis et sacrificiis utebantur, ut fruges et res ad sacrificium pertinentes ferrent: mos vero tangendi canistra comprobatur etiam ex *Demosth. orat. contra Androtion. ad fin.*, ubi ille ait, sacerdotem solere ἅπτεσθαι χερνίβων καὶ κανῶν, *h. e.* tangere pelves et canistra.

CĂNIS, is, comm. gen. 3. — *Canes* in recto casu singulari in feminino gen. usurparunt *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 32. *Müll.*, *Plaut. Trin.* 1. 2. 133. et 135., et *Lucilius* apud *Varron. l. c.* et apud *Charis.* 1. *p.* 100. *Putsch.* — In Ablativo habet *cane*: sed et *cani* dici posse, docent quidam Grammatici. Exempla nondum vidimus. — Ratione habita generis, sæpe feminino genere effertur, licet non de sexu agatur, sed de eo animali in genere, ut apud *Lucret.* 1. 404.; *Virg.* 1. *G.* 470.; *Horat. Epod.* 2. 31. et 5. 23. et 2. *Ep.* 2. 75.; *Ovid.* 7. *Met.* 408., 3. *ibid.* 140. et alibi; et *Colum.* 7. *R. R.* 13. 2., idque ad Græcorum exemplum, quibus κύων eodem sæpe genere effertur. Immo *canis* feminino genere effertur etiam cum de masculo agitur, ut apud *Auct. Priapej.* 71. Vicini canis huc subinde venit Nidorem, puto, prosecuta fumi: Quæ, libamine mentulæ comeso, Tota nocte mihi litat rigendo. *h. e.* arrigendo. — Ratione habita etymi, *canis* est a Gr. κύων, κυνός: et juxta cl. *Furlanetto*, *canis* dicitur, quia κύει, turget in iram aut libidinem, κύω enim *turgeo* significat: hinc fortasse etiam *cunnus* derivatur, nam ἔγκυος dicitur mulier gravida. Porro κυνός Dorice pronunciatum originem dedit voci *canis* apud Latinos. Amandandum vero est etymon *Varronis* 5. *L. L.* 99. et 7. *ibid.* 32. *Müll.*, qui, quod canis canat, ut signa canunt, ita esse canem appellatum ait. — Ceterum canis est animal domesticum latrans (It. *cane*, *cagna*; Fr. *chien*, *chienne*; Hisp. *perro*, *perra*; Germ. *der Hund*, *die Hündin*; Angl. *a dog or bitch*).

A) Stricto sensu hoc nomine significatur animal domesticum latrans; et occurrit

I.) Proprie. — *a*) Generatim. De canibus eorumque natura, usu et alendi ratione multa *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (142). et seqq.; *Lucret.* 5. 1061.; *Cato R. R.* 124.; *Varro* 1. *R. R.* 21. et 2. *ibid.* 9.; *Virg.* 3. *G.* 404. et seqq.; et *Colum.* 7. *R. R.* 12. et 13. Canum nomina sex et triginta habes apud *Ovid.* 3. *Met.* 206.-224., plura apud *Hygin. fab.* 181., septem vero et quadraginta enumerat *Xenoph.* Κυνηγετ. c. 7. § 5., quæ disyllaba esse oportere ipse statuit, quo promptius a dominis suis canes inter venandum ad jussa vocentur. — *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 32. *Müll.* Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat. *Ter. Phorm.* 4. 4. 24. Introiit in ædes ater alienus canis. *Lucilius* apud *Charis.* 1. *p* 10. *Putsch.* Irritata canes, quam homo, quod planiu' dicit. *h. e.* littera R. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Canum vero tam fida custodia, tamquam amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando etc. *Id.* 1. *Tusc.* 45. 108. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates domesticos: nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 49. si lupi canibus similes. *Lucret.* 6. 1221. Canum fida vis. *Id.* 5. 862. levisomna canum fido cum pectore corda. *Id.* 1. 398. canes ut montivagæ persæpe feraï Naribus inveniunt intectas fronde quietas. *Horat. Epod.* 2. 31. Aut trudit acres hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas. *Propert.* 3. 16. 17. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 63. (152). Rabies canum. *Liv.* 40. 6. Caput mediæ canis præcisæ. *Justin.* 1. 4. Canis femina parvulo ubera præbens. — *b*) Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua sunt hæc. *Varro* 1. *R. R.* 21. acres. *Cato R. R.* 124. acriores et vigilantiores. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. assiduus, cui ibid. *opponitur* erroneus. *Seneca* 3. *de Ira* 37. catenarius. *Petron. Satyr.* 29. catenâ vinctus. *Horat. Epod.* 6. 23. jejuna. *Lucilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 32. *Müll.* laniorum immanis canes. *Lucret.* 5. 1062. et *Horat.* 2. *Sat.* 6. 114. Molossi. *Virg.* 1. *G.* 470. et *Ovid.* 4. *Fast.* 936. obscenæ. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 3. pastoralis. *Id. ibid.* § 8. pecuarius. *Id.* 7. *ibid.* 13. 2. pulicosa. *Lucret.* 5. 800., *Seneca Œd.* 932. et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (98). rabidi. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 75. rabiosa. *Cic.* 6. *Verr.* 13. 31., *Nepos Pelop.* 2., et *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. venatici. *Id. Colum. ibid.* vigilax in custodia. *Horat.* 3. *Od.* 16. 2. vigiles. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 3. villaticus. — *c*) Jungitur et pluribus Verbis, quorum hæc sunt præcipua. *Ovid. Heroid.* 5. 20. Agere canes per silvas. *Virg.* 3. *G.* 371. Agitare feras canibus immissis. *Ter. Andr.* 1. 1. 30. Alere canes ad venandum. Cf. *Curt.* 9. 1. 31. Canes nobiles ad venandum. *Seneca* 5. *Controv.* 30. *sub fin.* Alligare canem ad ostium. *Virg.* 10. *Ecl.* 57. Circumdare canibus saltus. *Ovid. Heroid.* 4. 42. Hortari canes. *Virg.* 3. *G.* 410. Venari canibus leporem. — *d*) Mos fuit, et hodieque est, canem prope ædium fores alligatum tenere, custodiæ causa; ad quem ne quis propius accedere auderet, *cave canem* majoribus litteris in pariete inscribebant, ut est apud *Petron. Satyr.* 29. et *Inscript.* apud *Orell.* 4320. Hinc *Varro* apud *Non.* p. 153. 1. *Merc.* Quod ea die mea erat prebitio, in januam, Cave canem, inscribi jubeo. *h. e.* quod ea die a me cœna præbenda erat, jubeo inscribi *cave canem*, ut ignotos, et mihi parum amicos

a mea mensa arceam; vel ne tam frequentes adsint convivæ, et sumptus levior sit. Potest etiam illud cave canem proverbii speciem habere, quod admonemur, cavendos esse maledicos et obtrectatores. Fortasse hoc sensu accipitur ab eodem *Varron.* qui unam ex Satyris suis *Cave canem* inscripsit, teste *Non.* p. 75. 23. *Merc.* — *e*) Multa sunt, quæ a cane sumpta, proverbio dicuntur: scilicet — *Venatum ducere invitas canes* est invitum cogere ad aliquid faciendum, quod est stulte agere. Nam facere coactus, aut nihil aget, aut certe male. Habetur apud *Plaut. Stich.* 1. 2. 82. — *Cane pejus et angue vitare aliquid.* proverbium est apud *Horat.* 1. *Ep.* 17. 30., de quo *V.* ANGUIS. — *Canis assuetus corio*, aliud proverbium de iis, qui postquam semel aliqua in re peccarant, abstinere deinceps non possunt. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 81. quæ si semel uno De sene gustarit, tecum partita lucellum, Ut canis a corio numquam absterrebitur uncto. — *A cane non magno sæpe tenetur aper*, apud *Ovid.* 2. *Rem. am.* 422. Eodem sensu dicunt Itali: *Piccola pietra fa versar gran carro*: h. e. res etiam parva maximas vehementer nocet. — *Canis timidus vehementius latrat, quam mordet*: de homine ignavo et loquaci, qui ad verba promptus, ad rem gerendam segnis est. *Curt.* 7. 4. 7.

II.) Translate. ¶ 1. Hujus vocis *canis* usus sæpe est in conviciis — *a*) Cum impudentem ac sordidum hominem notamus. *Plaut. Most.* 1. 1. 38. Oboluisti allium, Germana illuvies, rusticus, hircus, — canes capro commista. *Ter. Eun.* 4. 7. 33. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. ex. Ain vero, canis? V. *Donatum* ad *h. l. Horat. Epod.* 6. 1. Quid immerentes hospites vexas, canis, Ignavus adversus lupos? Cf. *eumd.* 2. *Sat.* 2. 56.; *Sueton. Vesp.* 13.; et *Petron. Satyr.* 74. — *b*) Item cum furentem ac rabiosum hominem significare volumus. Sic *Plaut. Men.* 5. 1. 17. Hecubam ait ideo *canem* appellatam a Græcis fuisse, quia omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat. — *c*) *Canes* etiam dicuntur homines maledici ac præcipue accusatores. *Cic. Rosc. Am.* 20. 57. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt: alii canes, qui et latrare et mordere possunt. Adde *Senec. Consol. ad Marc.* 22. ¶ 2. Canes etiam dicuntur tum in sermone familiari, tum in nobili oratione, qui aliquem sequuntur cibi et prædæ gratia, qualis sunt parasiti et asseclæ potentiorum, qui horum patrocinio et clientela protecti, alere se posse et ditescere sperant: uno verbo potentiorum adulatores vilesque assentatores. *Cic.* 3. *Verr.* 48. 126. Multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se habebat. Et 5. *ibid.* 11. 28. Ista cohors quorum hominum est? Volusii haruspicis et Cornelii medici et horum canum, quos tribunal meum vides lambere. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 40. 156. *Id.* 6. *Att.* 3. 6. P. Clodii canis. Cf. *eumd. Pis.* 10. 23.

B) Per similitudinem canis dicitur de aliis rebus, hoc est ¶ 1. A Mythologis ponitur — *a*) De Cerbero; qui dicitur ab *Ovid.* 3. *Art. am.* 322. et 4. *Trist.* 7. 16. canis tergeminus. Ab *eodem* 7. *Met.* 408. Echidnæa. et 3. *Amor.* 12. 26. vipereus. A *Seneca Herc. Œt.* 1202. triformis. et *ibid.* 1257. Stygius. et *ibid.* 1526. inquietus. Ab *eodem Herc. fur.* 649. et *Martial.* 9. 66. Tartareus. — Generatim *Horat.* 1. *Sat.* 8. 35. infernæ canes. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 257. et *Lucan.* 6. 733. — *b*) De Anubi. *Lucan.* 8. 832. Semidei canes. ¶ 2. Est etiam hoc nomine piscis marinus, canis figurâ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 55. (110). *V.* CANICULA. — Hinc apud Mythologos de Scylla. *Lucret.* 4. 733. et 5. 889.; *Cic.* 7. *Verr.* 56. 146.; *Virg.* 3. *Æn.* 432.; *Tibull.* 3. 4. 89.; *Seneca Med.* 351.; et *Lucan.* 1. 549. ¶ 3. Apud Astronomos *canis* est sidus cæleste, et quidem duplex, major, et minor. De minore *V.* ANTECANIS. Major autem in fabulis dicitur fuisse ab Jove appositus custos Europæ, et ea præditus facultate, ut nulla cum fera præterire posset. Hic postea Minois regis fuit, a quo Procri Cephali uxori, quæ venandi studiosissima erat, donatus est. Ea defuncta, Cephalus secum Thebas duxit, ubi erat vulpes, cui datum fuerat, ut omnes canes fugere posset. Quare Juppiter, ne sua in alterutro dona corrumperet, utrumque in lapidem vertit: vel, ut alii volunt, cum Thebas venisset, omnem circa regionem, quæ a vulpibus infestabatur, iis occisis, liberavit: quam ob rem in cælum translatus est. Alii fabulantur fuisse canem Orionis, qui quod studiosus esset venationis, cum eo canem quoque inter astra fuisse collocatum. Alii Icarii canem fuisse dicunt, et eum cane minore confundunt. Hæc *Hygin.* 2. *Astron.* 35. et *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 218. Situs est autem in cælo in ipso Tropico Cancri, habetque ante se leporem, quem insequi videtur, post se proram navis Argo, ut et *Vitruv.* 9. 5. 2. *Schneid.* docet. Constat stellis secundum *Hygin.* 3. *Astron.* 34. viginti, secundum alios decem et octo, quarum præcipua in ejus ore, quæ et ipsa *canis* dicitur, et *Canicula*, et *Sirius*: quamquam *Hygin. locis cit. Sirium* distinguit a *Canicula*, et illum in capite, hanc in ore Canis collocat. Poetæ passim pro una eademque accipiunt. *Virg.* 1. *G.* 218. et averso cedens Canis occidit astro. *Ovid.* 4. *Fast.* 939. Est Canis (Icarium dicunt) quo sidere moto, Tosta sitit tellus, etc. *Id.* 5. *ibid.* 723. Canis Erigoneius. Utroque loco *Ovid.* tribuit Cani majori fabulam, quam alii de minore narrant. *V.* ANTECANIS. Ceterum superiora ita rectius disponenda. — *a*) *Canis* nomine totum cæleste sidus significat *Varro* 2. *R. R.* 1. 8. — *b*) *Canis* absolute, vel *Canis major*, in cujus ore est *Sirius* vel *Canicula*, intelligendus est apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 114. et *Arat.* 349. et 367.; *Vitruv.* 9. 5. 2. *Schneid.*; *Virg.* 2. *G.* 353. et *loc. cit.*; *Horat.* 1. *Sat.* 7. 25. et 1. *Ep.* 10. 15.; *Tibull.* 3. 5. 2.; *Ovid.* 4. *Fast.* 904.; *Val. Flacc.* 6. 67.; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 37.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 64. (234). et seqq.; et *Hygin.* 3. *Astron.* 34. — *c*) *Canis minor* vel *minusculus*, Græce προκύων, Latine *antecanis*, intelligendus est apud *Vitruv.* 9. 5. 2. *Schneid.*; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (268)., et *Ovid.* 5. *Fast.* 733., 4. *ibid.* 939. et 2. *Amor.* 16. 4. ¶ 4. In re lusoria. — *Tam facile, quam canis exta edit*, proverb. apud *Senec. Apoloc.* 10. de re, quæ facillime fit. Canes enim extorum voracissimi sunt: quo pertinet Græcum proverbium, κύων παρ' ἐντέροις. Alii tamen rectius legunt, *quam canis excidit*, ut *canis* significet jactum illum infelicem talorum, qui et *canicula* dicitur, de quo *Propert.* 4. 8. 45. Me quoque per talos Venerem quærente secundos, Semper damnosi subsiluere canes. *V.* CANICULA 4. Porro is jactus facillime excidere dicitur, tum quia ea erat talorum positio, ut facilius in canem sederent, quam in alium faciem, ut pluribus ostendit *Libert. Fromond. in adnot.* ad *cit. loc. Senecæ*; tum quia fere fit, ut ludo dediti sæpius vincantur, quam vincant. Eodem sensu *canis* occurrit apud *Sueton. Aug.* 71., ubi *V.* adnotata a *Baumgart.*; et apud *Ovid.* 2. *Trist.* 474. et 2. *Art. am.* 206. ¶ 5. Denique *canis* significat genus quoddam vinculi, quo nocentes servi nectebantur, qui etiam *catulus* appellatur. *Plaut. Cas.* 2. 6. 37. Tu ut quidem hodie canem et furcam feras. *Al. leg.* canum. — *NB.* De fluvio *V.* ONOM.

CĂNISTELLUM, i, n. 2. *deminut. a* canistrum, parvum canistrum, teste *Paul. Diac.*, qui ait p. 45. 19. *Müll.* Cana (κανᾶ) dicunt Græci, nos canistra et per diminutionem canistella. — Porro occurrit in num. plural. tantum. *Symmach.* 2. *Ep.* 81. Ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus et canistellis argenteis honoravi. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 76.

CĂNISTRUM, i, n. *et* Canister, tri, m. 2. a Græco κάναστρον, ut *Varro* 5. *L. L.* 120. et *Paul. Diac.* p. 46. 9. *Müll.* docent. — Mascul. genere et num. plural. effertur a *Pallad.* 12. *R. R.* 17. 1. Salignis canistros fieri debere virgultis, quia genus hoc oleum dicitur adjuvare. — Ceterum canistrum est vas vimineum ad panem et alia mensæ inferenda, item ad sacrificia et alios usus (It. *canestro, cesta, corba*; Fr. *panier, corbeille*; Hisp. *cesta, canasta, cestica*; Germ. *Körbchen*; Angl. *a basket made of osiers, a bread-basket, weider*). Occurrit in plurali numero tantum. *Cic.* 6. *Att.* 1. 13. In lancibus et splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere; quid te in vasis fictilibus appositurum putem? *Virg.* 8. *Æn.* 180. Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris Dona laboratæ Cereris. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 705. et 4. *G.* 280.; *Horat.* 2. *Sat.* 6. 105.; *Tibull.* 1. 10. 27.; *Propert.* 3. 13. 28.; et *Colum.* 10. *R. R.* 277. *Ovid.* 8. *Met.* 675. et patulis redolentia mala canistris. *Id.* 2. *ibid.* 704. Pura coronatis portabant sacra canistris. *Id.* 2. *Fast.* 650. lata canistra. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 434. *Juvenal.* 5. 74. Vin' tu consuetis, audax conviva, canistris Impleri, panisque tui novisse colorem? — Sunt etiam canistra argentea, qualia adhiberi solent apponendis in mensa poculis; quæ *canistra siccaria* dicuntur. Hæc *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 710. Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant. Cf. CANISTELLUM.

CĀNĪTĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. sub init.

CĀNĪTĬES, ei, f. 5. (canus). — Dicitur etiam *canitia*, æ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 42. (91). Canitia in vasis summa est. Apud *Plin.* edente *Sillig.* occurrit et alibi. Adde *Lucan.* 8. 57., ut est in veterib. codicibus teste *Voss. l.* 3. *de Gramm. c.* 35., nam alii habent *canities*. *Charisius* quoque 1. p. 41. *Putsch.* hanc positionem probat: quam confirmat et *Vulg. Ital. Levit.* 19. 32. A facie canitiam habentis exurge et honorabis faciem presbyteri. — Alia vero forma habet tantum Nom. sing. num. *canities*, Accus. *canitiem* et Ablat. *canitie*, et caret Genit. et Dat. — In prosa autem oratione hæc vox locum obtinuit post Augusteam ætatem, teste *Charis. loc. cit.* — Ceterum canities est color cinereus, sive abstracta qualitas rei cinereum colorem habentis (It. *canutezza, canizie*; Fr. *couleur blanche ou grise, blancheur*; Hisp. *color pardusco, blancura*; Germ. *die Grauheit*; Angl. *whiteness, greyness*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu — *a*) Generatim. *Ovid.* 1. *Met.* 237. *de Lycaone in lupum converso.* Fit lupus et veteris servat vestigia formæ: Canities eadem est. *h. e.* color cinereus, quem referunt villi lupini. Hinc πολιοὶ λύκοι apud *Homer.* 20. *Iliad.* 334., ubi *Scholiast.* πολιός interpretatur τεφροειδής, hoc est cinereus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 84. (147). Folia thymo similia, nisi quod molliora sunt et lanatiore canitie. *Id.* 36. *ibid.* 7. 11. (55). Tiberium marmor sparsa, non convoluta canitie. *Id.* 37. *ibid.* 11. 73. (191). Canities sparti. *Juvenal.* 10. 208. inguinis ægri. — *b*) Speciatim est — Albedo capillorum, quæ homini seni advenit, et equo. *Ovid.* 10. *Met.* 425. Canities alba capillorum. *Id.* 7. *ibid.* 289. Canities comæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (169). superciliorum equi. Et absolute *Id. Plin. ibid.* 37. 47. (131). Canities homini tantum et equis; sed homini semper a priore parte capitis, tum deinde ab aversa. — Sæpius sunt ipsi capilli cani. *Catull.* 64. 224. Canitiem terrâ et infuso pulvere fœdare. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 529. *Virg.* 10. *Æn.* 844. Canitiem pulvere deformare. *Id.* 6. *ibid.* 300. Charon, cui plurima mento Canities inculta jacet. *Ovid.* 3. *Art. am.* 163. Femina canitiem Germanis inficit herbis. *Id.* 13. *Met.* 492. Canitiem verrere. *Id.* 10. *ibid.* 425. Canities hirta. *Stat.* 3. *Theb.* 138. impexa. *Id.* 2. *ibid.* 97. propexa. *Sueton. Claud.* 60. pulcra. *Tertull. Cult. fem.* 8. Barbam acrius cædere, intervellere, circumradere, capillum disponere, etiam colorare canitiem. ¶ 2. Metonymice est ipsa senectus: ad rem *Virg.* 10. *Æn.* 549. Canitiemque sibi et longos promiserat annos. *Horat.* 2. *Od.* 11. 7. Arida canities pellens lascivos amores. *Id.* 1. *ibid.* 9. 17. Canities morosa.

CĀNĪTŪDO, inis, f. 3. canities. *Plaut.* apud *Paul. Diac.* p. 63. 1. *Müll.* Stultus est adversus ætatem et capitis canitudinem. *Varro* apud *Non.* p. 82. 24. *Merc.* Neque vetulus cantherius, quam novellus, melior; nec canitudini comes virtus (*est*).

CANNA, æ, f. 1. κάννα, frutex ex genere arundinum, sed tamen parvus et silvestris, ut colligimus ex *Ovid.* 8. *Met.* 337., et *Colum.* 4. *R. R.* 32. 3. et 7. *ibid.* 9. 7. *V.* ARUNDO (It. *canna*; Fr. *canne, roseau jonc*; Hisp. *caña, junco*; Germ. *d. Rhor*; Angl. *a cane or reed*).

I.) Proprie occurrit ¶ 1. De ipso frutice. *Ovid.* 4. *Met.* 298. et *Rem. am.* 192. Canna palustris. *Id.* 6. *ibid.* 326. tremula. *Id.* 6. *Fast.* 406. cassa. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 5. Cannâ viridi scindere olivas. *Pallad.* 4. *R. R.* 15. 2. Factis ex canna canalibus infundere aliquid. ¶ 2. De cannarum usu. — *a*) De instrumentis, quæ ex cannis fiunt. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 4. Cannæ spisse textæ. Adde *eumd. ibid.* § 6. *Id.* 12. *ibid.* 15. 1. Factæ in hunc usum cannæ. — *b*) In illo *Juvenal.* 5. 89. Canna Micipsarum prorâ subvexit acuta; *canna* videtur accipi pro majori arundine, ex qua olim a quibusdam populis Indiæ et Ægypti parva navigia factitari solita, *Plin.* 2. *Hist. nat.* 2. 7. (13). et *ibid.* 56. 57. (206). tradit. Illud enim discrimen inter *cannam* et *arundinem*, quod in ARUNDO posuimus, sæpe negligunt scriptores. Alii tamen interpretantur vasculum e canna, quo oleum ex Africa Romam comportari solebat. — Apud *Stat.* 1. *Silv.* 6. 15. canna est species arundinis aromaticæ. At *V.* CAUNEUS. — *c*) Accipitur etiam (sicut *arundo* et *calamus*) pro fistula, qua canitur. *Ovid.* 2. *Met.* 682. dispar septenis fistula cannis. *Id.* 11.

ibid. 171. Pana jubet Tmolus citharæ submittere cannas. *Sil. It.* 7. 439. errantes dumosa per avia tauros Arguta revocans canna. — *d*) De canna ad vitem sustentandam *Pallad.* 3. *R. R.* 11. — *e*) Denique de cannis, quibus camerarum cœlum fit, loquitur *Id.* 1. *ibid.* 13.

II.) Translate. Canna gutturis est aspera arteria, per quam respiramus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 16. et 2. *Tard.* 12. — *NB.* De Canna dea et de Canna fluvio *V.* ONOM.

CANNĂBA. *V.* CANABA.

CANNĂBĀRĬA et Canabaria, æ, f. 1. idem ac cannabetum, ut *cannicia* idem est ac *cannetum*. *Not. Tir. p.* 178. Canabus, canabaria, canabinum. — Unico *n* scribuntur hæc tria vocabula, ut etiam aliquando *canabis* et *canabetum*. *V.* CANNABIS § 2. et vocem sequent. — Cannabaria, potius quam cannabetum, esset officina seu taberna, in qua cannabis carminatur vel venditur: *V.* LINARIA. At omnia hæc a Lexico sunt expungenda.

CANNĂBĒTUM, i, n. 2. locus cannabe consitus. *Inscript.* apud *Gruter.* 806. 14. (quæ etiamnum Ateste exstat, ibique unico *n* scribitur). RETRO NEQVE AD CANABETVM HVIC AREAE CEDIT. Ita et alia apud *Fabrett. p.* 223. *n.* 594. AREA CVM AEDIFICIIS ET HORREO VSQVE AD ARVNDINETVM. *V.* CANNABIS.

CANNĂBĬFER, fera, fĕrum, adject. *Inscript.* apud *Murat.* 76. 6. SILVANO SANCTO PATRI ET CVSTODI FECVNDIFERO LACTIFERO GLANDIFERO POMIFERO CANNABIFERO LINIFERO Q. ZOSIMVS Q. L. TERTVLL. GRAMMATICVS etc.

CANNĂBĪNUS *vel* cănăbinus, a, um, adject. καννάβινος, qui est ex cannabe. *Lucilius* apud *Festum p.* 356. 6. *Müll.* Cannabinus thomix. *Varro* 3. *R. R.* 8. 2. Mutuli, aut pali, supra quos tegeticulæ cannabinæ sint impositæ. *Id. ibid.* 5. 11. Tecta porticus sit rete cannabino. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 8. Funes cannabini. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 2. 3.

CANNĂBIS *vel* cănăbis, is, f. 3. κάνναβις ἡ et κάνναβος ὁ. Occurrit etiam *cannabus* vel *canabus*, i, m. 2. apud optimos scriptores: *V.* infra sub *b.* Denique *cannabum* neutro genere in recto singulari legitur tantum apud *Isid.* 19. *Orig.* 27. 3. — Quidam scribunt *canabis* unico *n*, pro quibus est *Inscript.*, quam in CANNABETUM retulimus. Nam videtur olim vox hæc simplici *n* scribi solita a κάναβος; nempe, lignum tenue, cui ceram, gypsum, aliaque circumligant fictores. Hoc autem repetendum a κανός pro κενός vacuus, quod a χάω vel χέω cavo; etenim cavum habet culmum. — Quidquid sit de etymo, cannabis est frutex ferulaceus, cujus siccato cortice, uti lini, utimur ad crassiores telas, et præcipue ad funes contexendos (It. *canape, canapo*; Fr. *chanvre*; Hisp. *cañamo*; Germ. *d. Hanf*; Angl. *hemp*). Occurrit — *a*) Forma *cannabis* in recto casu singulari apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 9. 56. (173). Utilissima funibus cannabis seritur a Favonio. Adde *eumd. ibid.* 4. 22. (63). et 20. *ibid.* 23. 97. (259).; et *Colum.* 2. *R. R.* 10. 21. — Accus. *cannabim* apud *Varron.* 1. *R. R.* 23. 6. Ubi seras cannabim, linum, juncum, spartum. — Ablat. *cannabi* apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 8. (29). In sicco præferunt e cannabi funes. Adde *Paul. Diac. p.* 357. 1. *Müll.* — Denique Ablat. *cannabe* apud *Pers.* 5. 146. Tun mare transilias? tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro? — *b*) Forma *cannabus* in Accus. sing. occurrit apud *Pallad.* 3. *R. R.* 5. Hoc mense cannabum seres terra pingui. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 5. et *Marcell. Empir.* 9. — Ablat. *cannabo* apud *Varron.* apud *Gell.* 17. 3. Cannabo et stuppa cæterisque sativis rebus naves fuere. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 458.) hanc exhibet synonymiam: Κανναβις ἥμερος Dioscor. 3. 165., Galen. de Fac. simpl. med. 1. 7. p. 184.; *Cannabis* Pers. et Plin. loc. cit. præter unum; *Cannabus* seu *cannabis* Colum., Varron. et Pallad. locc. citt.; et *Canape* Carol. Magn. Capitul. sunt *Cannabis sativa* L. Spec. plant. 1457. — Κάνναβις ἀγρία Dioscor. 3. 166. et *Cannabis in silvis nata* Plin. 20. Hist. nat. 23. 97. (259). sunt *Althæa cannabina* L.

CANNĂBĬUS *vel* canabius, a, um, adject. idem quod cannabinus. *Grat. Cyneg.* 46. At pauper rigui custos Alabandicus horti Cannabias nutrit silvas.

CANNĂBUM et CANNĂBUS } *V.* CANNABIS sub init.

CANNÆ, ārum, f. plur. 1. vicus Apuliæ prope Aufidum fluvium, ubi Hannibal ingenti cæde Romanos fudit; de quo *V.* ONOM. — Hinc figurate Cannæ ponuntur pro quocumque loco calamitoso. *Liv.* 23. 45. Capuam Hannibali Cannas fuisse. Ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam. Adde *Flor.* 2. 6. 21.

CANNENSIS, e, adject. ad Cannas pertinens, de quibus *V.* voc. præced. Hinc *Cannensis pugna* proverbio dicta est pro insigni calamitate. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Te pugna cannensis accusatorem sat bonum fecit. *h. e.* Sullana proscriptio. *Cf. Arnob.* 5. 38. Aut pugna illa Cannensis proscriptio fieri potest crudelitasque Syllana? *Cic.* 7. *Verr.* 11. 28. Quivis ut, cum adspexisset, non se prætoris convivium, sed ut Cannensem pugnam nequitiæ videre arbitraretur.

CANNĒTUM, i, n. 1. locus, ubi cannarum copia est. *Pallad.* 3. *R. R.* 23. 2. Antiqua canneta. *Id. ibid.* 24. 13. Canneta ponenda sunt. Adde *Cassiod.* 2. *Variar.* 4. *ante med.*

CANNEUS, a, um, adject. qui ex canna est. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 8. Canneæ tegetes. *Al. leg.* cannæ tegetes; inter quos *Schneider.* et quidem recte.

CANNICIUS, a, um, adject. canneus. ¶ 1. Legitur apud *Pallad. in lemmate tit.* 13. *l.* 1. De cameris canniciis. Eo autem titulo docet *Pallad.* rationem conficiendarum camerarum in ædificiis agrestibus, ex tabulis, aut cannis. ¶ 2. *Cannicia*, æ, idem est quod cannetum. *Innocent. De casis litter. p.* 225. *Goes.* Sub se cannicias, et res palustres habet.

CANNŎPHŎRUS, i, m. 2. qui cannas seu storeas portat, seu vendit, a κάννη storea et φέρω porto. *Cannophorum* seu *cannoforum* collegii mentio est in duabus *Inscript.*, quarum una ex lapide descripsit *Mich. Ang. Macri* in ruderibus urbis Locrorum, ubi nunc *Geraci* in Calabria et mecum (ajebat cl. *Furlanetto*) communicavit ann. 1825. (hæc est apud *Mommsen. Inscr. N.* 9. et apud *Henzen.* 6072.) D. M. FELIX VIXIT ANNIS X. COLLEGIVS CANNOFORORVM B. M. F. *Aliam* Mediolani repertam in Basilica S. Ambrosii edidit *Car. Rosmini* in *Stor. di Milano T.* 4. 440. (hæc est apud *Henzen.* 6073.). ALEVCIA MACIANA COLLEGIO CANNOFORVM (*ita pro* cannophorum) HS. IIII. N. EX QVORVM etc.

CANNŬLA, æ, f. 1. deminut. a canna, parva canna.

I.) Proprie. *Apul.* 4. *Met.* 6. Parva casula cannulis temere contecta.

II.) Translate. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Pulmonis cannula, quam Græci arteriam vocant.

CĂNO, is, cĕcini, cantum, canere, 3. *Cante* per syncopen pro *canite* legitur in quodam Saliari carmine apud *Varron.* 7. *L. L.* 27. *Müll.* Divum exta cante, divum deo supplice cante. — *Canerit* pro cecinerit ex Auguralibus libris affert *Festus p.* 270. 32. *Müll.*; et *canui* pro *cecini* olim dictum fuisse, ait *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 384. *V.* OCCANO et OCCINO. — A *canui* est *caniturus*, ut a *nocui nociturus*, a *monui moniturus*. Habetur autem *in fin. cap.* 8. *Apocalyps.* Angelorum, qui erant tuba canituri. — Part. *Cantus, a, um* olim veteres dixisse, testis est *Paul. Diac. p.* 46. 5. *Müll.* — Part. *Canens* I. 2. *a*; *Canendus* II. 1. *a*. — Ratione habita etymi, cano est a χαίνω, unde aor. 2. ἔχανον, *hiante ore vocem edo, hisco*; et conjungi potest etiam cum καναχή. Est autem verbum proprium animalium, quæ aperto oris hiatu, qui Græce χανεῖν dicitur, vocem variando et modulando cantum edunt (It. *emettere un suono modulato ed armonioso, cantare*; Fr. *chanter*; Hisp. *cantar, echar el aliento por la garganta*; Germ. *harmonischen Ton von sich geben, sich melodisch hören oder vernehmen lassen*; Angl. *to sing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de brutis animalibus, et puta de avibus, ranis etc., quæ modulatum sonum edunt: et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Phorm.* 4. 4. 27. Gallina cecinit. *Varro* 5. *L. L.* 76. *Müll.* Sunt quæ (*alites*) aliis de causis appellatæ, ut noctua, quod noctu canit ac vigilat; lusciniola, quod luctuose canere existimatur. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. 12. Corvus canit. *Id.* 2. *ibid.* 26. 56. Victores galli canere solent. Adde *Propert.* 1. 2. 14.; *Colum.* 8. *R. R.* 2. 12.; *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 42. (80)., *ibid.* 29. 43. (82). et (84)., *ibid.* 32. 47. (89)., *ibid.* 21. 24. (49). et 8. *ibid.* 58. 83. (225). — Huc pertinet et illud *Cic.* 3. *Nat. D.* 11. 27. Et ego quæro, unde orationem, unde numeros, unde cantus. Nisi vero loqui solem cum luna, cum propius accesserit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. *Pythagoras enim mundum esse animal putabat.* — *b*) Addito quod canitur per Accus. *Virg.* 1. *G.* 378. Et veterem in limo ranæ cecinere querelam. — Per Accus. et Infin. *Id.* 8. *Æn.* 655. argenteus anser — Gallos in limine adesse canebat. ¶ 2. Ponitur et de hominibus, qui modulatum sonum edunt, sive id voce tantum faciant (quod magis definite dicitur *voce canere* a *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 122., quocum cf. *assa voce cantare* in *Varron.* apud *Non. p.* 77. 2. *Merc.* et *cantus vocis* in *Quintil.* 5. 11. 124, vel etiam dicitur simpliciter *canere*, quemadmodum a *Quintil. loc. cit.* Simplex canendi ratio; sæpius tamen dicitur *cantare*, *V.* CANTO), sive id instrumentis musicis faciant (unde illa *canere fidibus, citharâ, tibiis, lituo* etc.), sive denique voce atque instrumentis musicis eodem tempore faciant (unde illa *voce et fidibus canere, citharam cum voce movere, ad tibiam, ad tibicinem canere*, vel etiam simpliciter *canere*, quod quomodo intelligendum, ex orationis contextu inferri potest). Occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 12. Si absurde canat is, qui se haberi velit musicum. *Id.* in *fragm. Œcon.* apud *Colum.* 12. *R. R.* 2. 3. Ubi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris præeuntis magistri consensit, etc. *Id. ibid. paullo post.* Ex vocum concordia non solum ipsis canentibus amicum quiddam et dulce resonat etc. *Liv.* 7. 2. Puerum ad canendum ante tibicinem statuere. *Virg.* 1. *Ecl.* 57. Altâ sub rupe ad auras canere. *Id.* 2. *ibid.* 31. Imitari Pana canendo. *Horat.* 3. *Od.* 11. 2. Movere lapides canendo. *Ovid.* 6. *Met.* 113. Celebrare dapes festumque canendo. *Id.* 14. *ibid.* 337. rarior arte canendi. *Id.* 4. *Trist.* 2. 53. plausuque simul fremituque canentum. *Curt.* 6. 2. 5. Suo ritu canere. *Plin.* 3. *Ep.* 18. bene, male. — *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 122. Canere vel voce vel fidibus. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. fidibus præclare. *Quintil.* 1. 10. 14. fidibus et tibiis. *Cic.* 2. *Orat.* 83. 338. et *Brut.* 50. 187.; *Lucret.* 4. 586. et 5. 1382.; *Varro* 6. *L. L.* 75. *Müll.* Tibicines canunt, tibiis vel tibiâ canere. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. Canere lituo. *Catull.* 63. 22. curvo calamo. *Ovid.* 1. *Met.* 683. et *Sueton. Cæs.* 32. arundine. *Varro* apud *Non. p.* 233. 12. *Merc.* per ossa cornus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 26. (51). et *Tac.* 14. *Ann.* 14. citharâ. *Auct. B. Afr.* 82. Tubicen canit. — *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 3. Canere ad tibicinem. *Id.* 4. *ibid.* 2. 3. ad tibiam. *Quintil.* 1. 10. 10. ad citharam. — Addito interdum Dat. personæ. *Cic. Brut.* 50. 187. Mihi cane et Musis. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 26. 68.; *Virg.* 9. *Ecl.* 26. *V.* infra sub *d.* — Denique occurrit de vitiosa oratoris declamatione. *Cic. Orat.* 8. 27. Inclinatâ ululantique voce more Asiatico canere. *V.* CANTO. — *b*) Addito quod canitur, fere per Accus. aut raro admodum per Ablat. cum præp. *de*. *Ennius* apud *Cic. Brut.* 18. 71. et *Orat.* 51. 171., et *Varro* 7. *L. L.* 36. *Müll.* Canere versus. *Gell.* 19. 9. versus voce admodum quam suavi. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 352. et *Brut.* 18. 71.; *Ovid.* 5. *Met.* 118.; *Curt.* 8. 3. 9., 4. 7. 24, 5. 1. 22. et 7. 10. 4.; *Sueton. Cæs.* 49. et *Quintil.* 9. 4. 115. Canere carmen. *Ovid.* 3. *Fast.* 388. verba ad certos modos. *Id.* 1. *Pont.* 7. 30. scripta medio foro. *Virg.* 2. *Æn.* 239. hymnos. *h. e.* sacra. *Gell.* 19. 9. idyllia ἐρωτικά. *Sueton. Aug.* 100. næniam. *Tibull.* 2. 5. 118. et *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 51. *Io triumphe* magna voce. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. *Ovid.* 3. *Art. am.* 50. laudes alicujus prosperiore lyrâ. *Quintil.* 1. 10. 10. laudes heroum ac deorum ad citharam. *Virg.* 2. *G.* 417. effœtus antes. *Id.* 7. *Æn.* 698. regem. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. Ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus canere. — Item de instrumentorum musicorum sono tantum, nullis humanis vocibus additis. *Quintil.* 4. 1. 2. Pauca, antequam legitimum carmen inchoent, emerendi favoris gratiâ canere. *Id.* 1. 10. 33. Canere Phrygium sacrificanti. — Huc pertinent etiam illa *Omnia intus canere*, cui opponitur *foris canere*, et *Sibi canere*, de quibus *V.* in ASPENDIUS; et illud *Ter. Phorm.* 3. 2. 10. Cantilenam eamdem canere. — *c*) Specialim in re militari canere usurpatur de signis, quæ tubarum aliorumve musicorum organorum sono dantur. *Sall. Jug.* 99. Canere signa. *Cic. Orat.* 12. 39. Bellicum canere. Cf. Classicum canere in *V.* CLASSICUS. *Cæs.* 7. *B. G.* 47.; *Auct. B. Afr.* 40.; *Liv.* 27. 47.; et *Tac.* 2. *Hist.* 26. Receptui canere. *Liv.* 42. 50. *in fin.* Equitibus receptui canere. — Hæc eadem *receptui canere* figurate occurrunt apud *Cic.* 11. *Phil.* 3. 8. et 3.

Tusc. 15. 33. Cf. *Quintil.* 12. 11. 4. — d) Illud in proverbium abiit, quod Antigenidam tibicinem discipulo sane frigenti ad populum dixisse narrat *Cic. Brut.* 50. 187. *Mihi cane et Musis:* quo monemur, pluris faciendum esse unius sapientis viri judicium, quam imperitæ multitudinis; vel, ut est apud *Val. Max.* 3. 7. *ext.* 2., perfectam artem, fortunæ lenocinio defectam, fiducia tamen justa non exui; quamque scit se laudem mereri, eam etsi ab aliis non impetret, domestico tamen acceptam judicio referre. ¶ 3. Ponitur et de inanimis, a quibus sonus emittitur, scilicet — a) De locis, quæ resonant. *Lucret.* 1. 256. Frondiferasque novis avibus canere undique silvas. *Sever. Ætn.* 295. Carmineque irriguo magni cortina theatri Imparibus numerosa modis canit arte regentis. — b) De musicis organis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 8. 22. Si ex oliva modulate canentes tibiæ nascerentur. *Liv.* 30. 33. Cum maxime hæc – agerent, tubæ cornuaque ab Romanis cecinerunt. Adde *eumd.* 27. 15. et *Propert.* 4. 4. 9. Cum Accus. *Ovid.* 1. *Met.* 340. Buccina – cecinit jussos. — c) De re ipsa, quæ ex modulatis sonis fit ac provenit, ac præcipue de bellicis signis. *Cic.* 5. *Verr.* 44. 105. Cum in eis conviviis symphonia caneret. *Id.* 1. *de republ.* 2. 3. Neque ea signa audiamus, quæ receptui canunt. *Liv.* 28. 27. Classicum apud eos cecinit. *Id.* 24. 26. Ubi quartæ vigiliæ signum cecinisset. Adde *eumd.* 27. 47.; *Virg.* 10. *Æn.* 310.; et *Flor.* 3. 18. 10. — Speciatim in formula *signa canere jubere*, ut apud *Sall. Cat.* 62. Catilina signa canere jubet. Adde *eumd. Jug.* 99. et *Liv.* 10. 40. *Cæs.* 3. *B. C.* 82. Classicum apud eum cani et alterum illi jubet prætorium tendi. — Et absolute *Liv.* 26. 44. Canit receptui. Cf. *eumd.* 3. 22.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe a Poetis ponitur pro narrare aliquid versibus, pro laudare, prædicare, celebrare carminibus: in prosa enim oratione pro *canere* usurpatur *scribere*, ut apud *Cic.* 2. *Orat.* 86. 352. et *Planc.* 24. 59. Hoc sensu occurrit — a) Cum Accus. *Lucret.* 5. 328. Cur supra bellum Thebanum et funera Trojæ Non alias alii quoque res cecinere poetæ. *Virg.* 6. *Ecl.* 3. Cum canerem reges et prælia. *Id.* 4. *ibid.* 3. silvas. *Id.* 6. *ibid.* 1. Sicelides Musæ paullo majora canamus. *Id.* 1. *G.* 12. Munera vestra cano. *Id.* 2. *G.* 1. arvorum cultus et sidera cæli. *Id. ibid.* 2. Bacchum. *Id.* 1. *Æn.* 1. Arma virumque cano. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 42. Pollio regum facta canit pede ter percusso. *Id. ibid.* 3. 4. Nil dignum sermone canis. *Id.* 4. *Od.* 15. 29. Virtute functos, more patrum, duces, Lydis remixto carmine tibiis Trojam et Anchisen et almæ Progeniem Veneris canemus. *Id. ibid.* 2. 13. Seu deos regesve canit (*Pindarus*). *Id.* 1. *ibid.* 10. 5. Mercurium. *Ovid.* 2. *Trist.* 360.; *Lucan.* 1. 1., et *Quintil.* 10. 1. 62. Canere bella. *Ovid.* 1. *Met.* 800. dira. *Id. ibid.* 150. plectro majore Gigantes. *Id. Heroid.* 15. 28. Jam canitur toto nomen in orbe meum. *Stat.* 8. *Theb.* 553. longa laude canendus. *Martial. Spectar.* 5. Quidquid fama canit, donat arena tibi. — b) Cum Accus. et Infin. *Lucret.* 2. 601. Hanc (*magnam matrem*) veteres Grajum docti cecinere poetæ Sedibus in curru bijugos agitare leones. — c) Cum Relativo. *Lucret.* 5. 510. Motibus astrorum nunc quæ sit causa canamus. Adde *Virg.* 1. *G.* 1. et 9. *Æn.* 525. — d) Canere aliquid super aliqua re. *Virg.* 4. *G.* 459. Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam Et super arboribus. ¶ 2. Item, etiam in prosa oratione, ponitur pro vaticinari, prædicere, aliquid arcane ac mystice significare; tum quia vates divinandi œstrum habere dicuntur, tum quia omnia fere oracula futurorum carmine vulgari consueverant. Occurrit — a) Cum Accus. rei, quæ prædicitur, addito interdum Dat. personæ. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 18. Ut hæc, quæ nunc fiunt, canere di immortales viderentur. *Nepos Att.* 16. Non enim Cicero ea solum quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ nunc usuveniunt, cecinit ut vates. *Virg.* 2. *Æn.* 124. et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus et taciti ventura videbant. *Id.* 3. *ibid.* 155. Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos. *Id.* 6. *ibid.* 99. Canere ambages horrendas. *Id.* 3. *ibid.* 444. et *Horat.* 1. *Od.* 15. 4. fata. *Virg.* 3. *Æn.* 366. prodigium. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 30. Quod puero cecinit divinâ urnâ. *Id.* 2. *ibid.* 5. 58. obscura. *Id. ibid.* 4. 11. præcepta. *Tibull.* 2. 5. 16. fata abdita senis pedibus. *Id.* 1. 7. 56. eventus. *Lucan.* 6. 439. arcanum ferale. *Id.* 5. 92. factum. *Id.* 6. 717. et *Sil. It.* 4. 131. omina. *Lucan.* 1. 581. oracula tristia. *Sil. It.* 3. 657. responsa. — Huc pertinet et illud, *Canere surdis auribus vana*, quod proverbio dicitur pro monere vel hortari nolentem audire. Habet *Liv.* 40. 8. Cf. *Virg.* 10. *Ecl.* 8. Non canimus surdis, respondent omnia silvæ. — b) Cum Accus. et Infin. *Liv.* 1. 48. Et cecinere vates – ibi fore imperium. *Tac.* 14. *Ann.* 32. Et feminæ in furorem actæ adesse exitium canebant. Adde *Liv.* 1. 7., 5. 15. et 30. 28.; *Virg.* 8. *Æn.* 534.; *Quintil.* 3. 7. 11.; et *Lucan.* 2. 672. — c) Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 11. Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno.

CĂNON, ŏnis, m. 3. Accusativus num. singul. effertur Græca positione *canona*; Græca enim vox est et Græce usurpata. *Cic.* 16. *Fam.* 17. Sed heus te, qui κανών esse meorum scriptorum soles. — Canon proprie est norma, qua significat instrumentum fabrorum. Hinc

I.) Proprie apud *Vitruv.* 10. 8. 2. *Schneid.* est *canon* arca in machina hydraulica, in qua servatur aer et per canales distribuitur. *Vitruv.* ibi modo Latine appellat, modo Græce κανόνα μουσικόν. *Id. ibid.* Inter tabulam et canona regulæ sunt interpositæ. — Super hanc arcam est tabula multis foraminibus terebrata, quam Itali dicunt *sommiere*.

II.) Translate est regula constans et immutabilis, lex, et occurrit ¶ 1. In scientiis. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). narrat, Polycletum inter alia opera fecisse simulacrum adeo exacte ad artis leges omnes elaboratum, ut ceteri postea artifices lineamenta artis ab eo peterent, velut a lege quadam; et ob id canona ab iisdem fuisse appellatum. *Auson. Epigr.* 136. Is demum excessit grammaticos canonas. *h. e.* præcepta artis grammaticæ. ¶ 2. In re vectigali est certa, et annua pensitatio alicui persolvenda, qualis erat is, quo sub imperatoribus conferebatur quotannis certa frumenti mensura ad annonam urbis Romæ: item generatim quæcumque annua præstatio. *Pseudo-Ascon.* ad illa verba *Cic.* 4. *Verr.* 2. 5. p. 205. 5. *Bait.* Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit? Omne, *inquit*, genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. *Spartian. Sever.* 8. Rei frumentariæ ita consuluit, ut excedens vita septem annorum canonem P. R. relinqueret. *Lamprid. Elagab.* 28. *in fin.* Canon frumentarius. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 66. 3. *a med.* Solvere emphyteuticum canonem. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. ibid.* 10. 10. 10. Canon aurarius. *Iidem ibid.* 11. 6. 2. metallicus. *Imppp. Valentin., Theodos. et Arcad. ibid.* 12. 40. 1. vestium. Adde *Cod. Theod.* 11. 14. 2. ¶ 3. Apud scriptores Ecclesiasticos *canon* est lex, regula, decretum de fide, disciplina et moribus a sacris Conciliis sancitum, ut apud *Julian. Epit. nov. c.* 115. § 430. et 447. — Item index sacrorum Librorum ab Ecclesia recognitorum, ut apud *Isid.* 6. *Orig.* 15. et 16.

CĂNŎNĬCĀRĬUS, ii, m. 2. dicitur a *Justiniano in novell. Constit.* 30. et a *Cassiod.* 6. *Variar. form.* 8. et 12. *ep.* 13., qui publicum canona a privatis exigit. *V.* CANON. II. 2.

CĂNŎNĬCĒ, adverb. κανονικῶς, juxta regulam. *Charis.* 2. *p.* 206. *Putsch.* Generaliter autem et canonice, ut Romanus (*C. Julius*) disertissimus artis scriptor refert, præpositiones gentibus seu nationibus adduntur, civitatibus adimuntur et detrahuntur. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 14. His igitur tam legaliter atque canonice apud nos gestis.

CĂNŎNĬCUS, a, um, adject. ad canonem spectans, regularis: est vox artium propria, et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. In re musica *canonica ratio* dicitur, quæ longitudines et altitudines vocis emetitur, ut *Gell.* 16. 18. docet. *Vitruv.* 1. 1. 8. Architectus musicen sciat oportet, uti canonicam rationem et mathematicam notam habeat. Adde *eumd.* 5. 3. 8. *Capell.* 3. *p.* 64. In quibus artis auctoritas et canonica forma consistit. ¶ 2. Apud Astronomos est, qua siderum motus, situm et aspectum dimetiuntur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (73). Sed ratio quoque canonica fallit. Namque apparet, absidas quoque earum etc. *Harduin.* hic monet, in MSS. quibusdam legi *canonicos*, hoc est hujusmodi canonicæ rationis in astronomia peritos. *Sillig.* et ipse *Harduini* lectionem retinuit. *V.* infra. *Augustin.* 3. *Civ. Dei* 15. Canonicæ defectiones solis. *h. e.* quæ statis temporibus et certo siderum cursu fiunt.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad annuam pensionem, quæ *canon* dicitur. *Imp. Constantin. Cod.* 12. 62. 2. et *Cod. Theod.* 8. 10. 2. Canonicæ pensitationes. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11. 17. 3. Canonici equi. *h. e.* qui pro canone solvuntur. *Ibid.* 13. 5. 14. *pr.* Canonicæ vestes atque equi ceteræque species. Adde *ibid.* 11. 9. 1. *Impp. Theod. et Valentin. Nov. Constit.* 26. § 3. Canonica solutio. *Tab. Edicti* apud *Gruter.* 647. 7. CVM SVARIOS VIDEREMVS DAMNIS AFFECTOS ET EOS ETIAM ORDINES QVI SVARIAM FACIVNT, PROVIDIMVS HIS LEVAMEN ET TITVLO CANONICO VINARIO, VT VIGINTI QVINQVE MILLIA AMPHORVM (pro amphorarum) ANNVA CONSEQVANTVR. ¶ 2. Apud scriptores Ecclesiasticos canonicum dicitur quod Ecclesiæ legibus statutum est. *Jul. Epit. nov. c.* 115. § 457. Canonicæ pœnæ. Adde *ibid. c.* 21. § 76. — Hinc

Canonicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more est ¶ 1. Qui alicujus theoriæ auctor est, vel peritissimus, ut in loco *Plinii* super. cit. sub I. 2. ex emendatione *Harduini* et *Sillig.* ¶ 2. Apud *Scriptores Ecclesiasticos* est qui ex clero præbendam habet in aliqua ecclesia cathedrali vel collegiali.

Canonica, ŏrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, τὰ κανονικά, sunt rationes et regulæ. *Plin.* 1. *Hist. nat. in Indice l.* 2. *c.* 12. Errantium motus et luminum canonica.

CĂNŎNĪZO, as, are, a. 1. apud Scriptores Ecclesiasticos est inter canonicos libros referre. *Ambros. in Explan. Symbol. ed. Mai. T.* 7. *p.* 159. In libro Apocalypsis Joannis, qui libellus canonizatur et maxime ad fidei proficit fundamentum.

CĂNŌPĬCUS, a, um, adject. Κανωπικός, ad Canopum pertinens: *V.* ONOM. — Hinc

Canopica, ŏrum, n. plur. 2. absolute sunt genus quoddam crustulorum, quod ab urbe Canopo, boni tritici feracissima, nomen accepisse credibile est, ut alia itidem edulia Alexandrina ab *Apicio* 4. 1. memorata. *Vespæ judic.* 47. apud *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 2. *p.* 239. Nos adipata damus, nos grata Canopica vobis.

CĂNŌPOS vel Canopus, i, m. 2. urbs et insula Ægypti apud ostium Nili: *V.* ONOM. — Est etiam hoc nomine stella ingens, et clara, et primæ, ut vocant, magnitudinis, in parte australi, et nobis inconspicua, in ipso temone navis Argo. *Manil.* 1. 215. Idcirco terris non omnibus omnia signa Conspicimus: nusquam invenies fulgere Canopum, Donec Niliacas per pontum veneris oras. Adde *Vitruv.* 9. 5. 4. *Schneid.*; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 70. 71. (178).; et *Lucan.* 8. 181. — *Capell.* 7. *p.* 272. licenter penultimam corripit: Ignoto Canopos sese infert fulgidus astro.

CĂNOR, ŏris, m. 3. (cano) sonus modulatus, qui Græce μέλος ἔμμετρον teste *Quintil.* 1. 10. 22. (It. *suono armonioso, canto*; Fr. *ton, son, chante*; Hisp. *ton, tono, canto*; Germ. *das melodische Ertönen*; Angl. *the sound or melody of song*).

I.) Proprie ponitur ¶ 1. De animalibus, et est cantus. *Lucret.* 4. 181. Canor cycni. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 315. Res est blanda canor: discant cantare puellæ. Pro facie multis vox sua lena fuit. Adde *eumd.* 5. *Met.* 561. ¶ 2. De musicis organis et est sonus. *Virg.* 4. *G.* 71. Martius æris canor. *h. e.* tubæ. *Ovid. Heroid.* 16. 180. Mœnia Phœbææ facta canore lyræ. Adde *Festum p.* 181. 14. *Müll.*

II.) Translate ponitur pro poesi. *Petron. Satyr.* 5. et bella truci memorata canore. *h. e.* magnis versibus et epicâ materiâ dignis.

CĂNŌRĒ, adverb. canendo, cum cantu. *Apul. Doctr. Plat.* 1. Musice mundus et canore movetur.

CĂNŌRUS, a, um, adject. (cano). Comp. *Canorior* sub *b* in fin. — Canorus est cum canore et sonitu conjunctus, cujus sonus est modulatus, qui modulato sono plenus est (It. *canoro, sonoro*; Fr. *melodieux, harmonieux, sonore*; Hisp. *sonoroso, armonioso*; Germ. *voll melodischem Klang, klangreich, wohl – oder voll – tönend*; Angl. *shrill, loud, sonorous, melodious, harmonious*). Occurrit — a) De hominibus et brutis animalibus. — De humana voce occurrit et in bonam, et in malam partem. In bonam. *Cic. Brut.* 66. 234. Vox suavis et canora. *Ovid.* 3. *Art. am.* 311. Vox canora Sirenum. *Petron. Satyr.* 59. Canorâ voce legere librum. — In malam partem. *Cic.* 1. *Off.* 37. 133. Sonus erat dulcis, litteræ neque expressæ, neque oppressæ, ne aut obscurum esset aut putidum; sine contentione vox nec languens, nec canora. *V.* CANO I. 1. *a.* — Ceterum *Cic. Brut.* 27. 105. Canorus orator et volubilis. *h. e.* canoram vocem

habens. *Id.* 2. *Divinat.* 26. 57. Gallus animal canorum. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 3. Canis vasti latratus et canori. *Virg.* 2. *G.* 321. aves. *Id.* 4. *ibid.* 150. sonitus Curetum. *Horat.* 2. *Od.* 20. 15. ales. *h. e.* cycnus. *Id. Art. P.* 322. nugæ. *h. e.* versus inepti. *Id.* 2. *Ep.* 2. 76., et *Macrob. Somn. Scip.* 2. 3. versus. *Propert.* 2. 34. 84. olor. *Ovid.* 2. *Met.* 8. Triton. *Id.* 6. *Fast.* 671. turba. *h. e.* tibicines. *Sueton. Ner.* 46. hinnitus. *Seneca Herc. fur.* 263. modulatus. *Quintil.* 11. 3. 170. Canoro quodam modo in funeribus proclamare. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (92). Cicadæ magis canoræ. *Juvenal.* 11. 162. chorus. *Id.* 7. 18. modi. — In illo *Sever. Ætn.* 571. ille impiger, iste canorus. *canorus* est musices peritus. — *b*) De musicis organis. *Virg.* 9. *Æn.* 503. et *Ovid.* 3. *Met.* 704. Canorum æs. *h. e.* tubæ. *Virg.* 6. *Æn.* 120. et *Horat.* 1. *Od.* 12. 11. fides. *Ovid.* 3. *Fast.* 849. tuba. *Seneca Troad.* 328. chelys. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros. pr.* 14. fila lyræ. *Id.* 3. *ibid.* 256. lyræ. — Huc referri potest et illud *Hieronym. præfat. ad Chronic. Euseb.* Quid Psalterio canorius? — *c*) De locis, quæ resonant. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (31). Peneus fluvius canorus avium concentu. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 175. Colles plausibus canori. — Hinc

Canorum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more occurrit de oratione, quæ sonanti ac præcipue jucunda suavique voce profertur. *Cic. Senect.* 9. 28. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute. *Id.* 3. *Orat.* 7. 28. Profluens quiddam et canorum. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 61., ubi *V. Orell.*

CĀNŌSUS, a, um, adject. idem quod canus. Hæc vox legitur in quadam *epist. Valeriani Imp.* apud *Vopisc. Prob.* 5., sed non est facile usurpanda.

CANTA. *V.* CANO sub init.

CANTĀBĬLIS, e, adject. qui cantari seu prædicari meretur. *Cassiod.* 2. *Variar.* 40. *a med.* Loquamur de illo lapso e cœlo Psalterio, quod vir toto orbe cantabilis ita modulatum pro animæ sospitate composuit, ut his hymnis et mentis vulnera sanarentur, et divinitatis singularis gratia conquiratur. *Id.* 8. *ibid.* 9. *a med.* Gensemundus ille toto orbe cantabilis. *Vulgat. Interpr. Psalm.* 118. 54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ.

CANTĂBRICUS, a, um, adject. ad Cantabriam pertinens: *V.* ONOM. — Hinc

Cantabrica, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, herba est caule junceo pedali, in quo sunt flosculi oblongi, veluti calathi; in his semen perquam minutum: dicta est a Cantabris, qui eam invenerunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 47. (85). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 340.) hæc ait: «Pline est le seul auteur qui ait parlé du *cantabrica*. Les commentateurs ont cherché une plante commune dans l'Espagne pyrénéenne, et ils ont designé un *convolvulus*, le *C. cantabrica*. Le seul renseignement fourni est celui qui donne au *cantabrica* une tige redressée comme un jonc, une fleur en forme de vase et une petite graine; il a fallu être bien clairvoyant pour reconnaître dans ce peu de mots le *Convolvulus Cantabrica* L.»

CANTĀBRĬCUS, a, um, adject. ad cantabrum pertinens, ex cantabro. Apud *Veget.* 5. *Veterin.* 50. 3. *Schneid.* legitur *succus cantabricus*, nempe furfuraceus: sed ibi fluctuat lectio, et quidam ibidem legere malunt *cantharum aquæ*. Sed nihil mutandum ex *Pelagon.* 7. *Veter.* 5.

CANTĀBRUM, i, n. 2. ¶ 1. Est furfur, vel tritici purgamentum, ex quo panis sordidus fit (It. *semola*, *crusca*; Fr. *espèce de son*; Hisp. *salvado*; Germ. *Art Grütze*; Angl. *bran*). Quidam deducunt a Cantabrorum gente, qui utpote durum genus hominum, furfuraceo pane usi fuerint. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. *sub fin.* Decoctio cantabri, aut succus ptisanæ. *Id.* 4. *ibid.* 3. Vaporatio stymmatum, aut cantabri colligati, vel in aceto decocti. *Apic.* 7. 1. Vulvam ut tostam facias, in cantabro involve, et postea in muriam mitte, etc. *Pelagon.* 1. *Veter.* 2. Seminis farina, id est far cantabrum. *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad 5. 11. far caninum exponit cantabrum. ¶ 2. Item genus vexilli apud imperatores Romanos: de cujus appellationis causa alii alia commenti sunt, sed valde incerta, et nimis multis enarranda, si persequi omnia velim. *Minuc. Fel. Octav.* 29. Nam et signa ipsa, et cantabra, et vexilla castrorum, quid aliud, quam inauratæ cruces sunt et ornatæ? *Tertull. Apolog.* 16. Sipara illa vexillorum, et cantabrorum, stolæ crucium sunt. *V.* hic Interpr. Adde eumd. 1. advers. *Nat.* 12.

CANTĀBUNDUS, a, um, adject. cantui deditus, cantans. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Gallus sua disciplina, scuto projecto, cantabundus. *Al. leg.* cunctabundus, *al.* captabundus, *quia captare et captatio gladiatoria verba sunt. Sed prior lectio præfertur ab eruditis. Confer quæ habet* Liv. 21. 28. *de Gallis cantu ad pugnam procedentibus, ac præcipue quæ de eodem illo Gallo habet* Id. 7. 10. Non cantus, non exultatio, armorumque agitatio vana. *Hinc colligitur, recte se habere* cantabundus. *Petron. Fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Sedeo ego cantabundus et stellas numero.

CANTĀMEN, inis, n. 3. proprie est id quod cantatur; sed occurrit tantum pro veneficio, quod magicis carminibus fit, incantamentum (It. *incantesimo*, *stregheria di parole*; Fr. *charme*, *enchantement*; Hisp. *encanto*, *encantamiento*; Germ. *Zauberlied*, *Zauberformel*; Angl. *enchantment*, *witchcraft*). *Propert.* 4. 4. 49. O utinam magicæ nossem cantamina Musæ. *Apul. de Mag.* 40. Sanguinem profluentem cantamine sistere. *Id.* 2. *Met.* 1. Dira cantamina. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 170. Cantamen magicum.

CANTĀTĬO, ōnis, f. 3. cantus, cantio, canticum (It. *canto*; Fr. *chant*; Hisp. *canto*; Germ. *d. Singen*; Angl. *a singing, song*). ¶ 1. Generatim. Est canticum, cantio. *Plaut. Stich.* 5. 8. 19. Lepidam et suavem cantationem aliquam accipito. *Alii plerique leg.* cantionem. *Apul.* 2. *Met.* Cantationibus permulcere animum. *Varro* quoque hanc vocem agnoscit 6. *L. L.* 75. *Müll.* ¶ 2. Speciatim pro incantamento. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. *post med.* Valetudines remedio aliquo aut cantationibus compescere.

CANTATIVUS, a, um. *V.* ANTECANTATIVUS.

CANTĀTOR, ōris, m. 3. cantor, qui voce sua vel vel aliquo musico organo modulatum sonum edit: hoc enim sensu hanc vocem agnoscit etiam *Varro* 8. *L. L.* 57. *Müll.*; ubi tamen alii ita legunt, ut neget *Varro*, Latine recte usurpari. *Martial.* 13. 77. Cantator cycnus funeris ipse sui. *Gell.* 16. 19. Vetus et nobilis Ario cantator fidibus fuit.

CANTĀTRIX, icis, f. 3. cantrix. ¶ 1. Generatim est quæ quocumque modo modulatum sonum edit. *Claudian. B. Gild.* 448. Imploret citharas cantatricesque choreas. ¶ 2. Item quæ cantaminibus veneficia facit. *Apul.* 2. *Met.* Cantatrices aniculæ alienam sepulturam anteverlunt. *Id. ibid.* Cantatrices anus exuviis meis imminentes.

CANTĀTUS, a, um. *V.* CANTO.

CANTĀTUS, us, m. 4. cantio. *Alcim.* 5. *Carm.* 187. *de plaga Ægyptiaca.* Ranarum fœdis texit cantatibus urbes. *Al. leg.* implevit saltibus urbes.

CANTE. *V.* CANO sub init.

CANTĔRIĀTUS *vel* cantheriatus, a, um, adject. canteriis fultus. *Colum.* 5. *R. R.* 4. 1. Vites, quæ pedaminibus adnixæ singulis jugis imponuntur, eas rustici canteriatas appellant. *V.* CANTERIUS.

CANTĔRĪNUS *vel* cantherinus, a, um, adject. ad canterium, hoc est ad equum castratum pertinens. *Plaut. Men.* 2. 3. 44. Certe hæc mulier canterino ritu hic astans somniat. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98. (212), docet etiam equos somniare. Porro hi etiam stantes aliquando dormiunt. — *Canterinum hordeum*, cujus meminere *Colum.* 2. *R. R.* 9. 14. et 10. 31., et *Pallad.* 16. *R. R.* 4. et 11. *ibid.* 1. 2., est genus hordei, quo canterii et alia animalia, quæ ruri sunt, melius quam tritico aluntur, et homines salubrius, quam malo tritico vescuntur. Italice dicitur a multis *orzo scandello*. — Est etiam genus lapathi silvestris, quod *canterinum* dicitur, teste *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 85. (231). De synonymis *V.* LAPATHUM.

CANTĔRĬŎLUM *vel* cantheriolum, i, n. 2. deminut. a canterius, parvus canterius, qua perticam ad aliquid fulciendum significat. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 85. Cæpæ, cum fecerint caulem, humilioribus quasi canteriolis interpositis rigorem stilorum conservato.

CANTĔRIUS *vel* cantherius, ii, m. 2. Scribitur rectius *cantherius* cum aspiratione, præcipue ab iis, qui a Græco κανθήλιος derivant. *Varro* absurde a *carendo* deducit his verbis 2. *R. R.* 7. 15. Equi demptis testiculis fiunt quietiores: et ideo, quod semine carent, ii canterii appellati. At *V.* in voce CABALLUS quomodo legendus et interpretandus sit hic *Varronis* locus: et cf. *Paul. Diac.* p. 46. 8. *Müll.* Utcumque sit de etymologia, etiam sine aspiratione legitur, probaturque a *Dausquio* in *Ortograph.*, et confirmatur *Inscript.* apud *Orell.* 5. — Ceterum canterius est equus castratus, ut docent *Varro* et *Paul. Diac.* locc. citt. (It. *cavallo castrato*; Fr. *cheval hongre*, *hongre*; Hisp. *caballo castrado*; Germ. *Wallach*; Angl. *a gelding*).

I.) Proprie de canterio, qui portandis sarcinis inservit. *Plaut. Capt.* 4. 2. 34. Pisces fœtidi, qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio. *Id. Aulul.* 3. 5. 21. Canterii Gallici. *Cic.* 3. *Nat. D.* 5. 11. *de Castore et Poll.* Eos tu canteriis albis obviam Vatieno venisse existimas. Cf. *eumd.* 9. *Fam.* 18. 4. *Varro* apud *Non.* p. 82. 23. *Merc.* Canterius vetulus, novellus. *M. Cato* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Descendere de canterio. *Seneca Ep.* 87. M. Cato censorius canterio vehebatur, et hippoperis quidem positis, ut secum utilia portaret. *V.* CABALLUS, qui ab eodem *Senec.* pro *canterio* ponitur. — Dicitur aliquando de quovis viliori jumento. *Apul.* 3. *Met. de asino.* Quousque tandem canterium patiemur istum, paulo ante cibariis jumentorum, nunc etiam simulacris deorum infestum? — *Canterius in fossa*, rusticum proverbium apud *Liv.* 23. 47., dicitur de re valde impedita et nullius usus, multi autem periculi. Canterius enim in fossa nihil propemodum valet, et si moveri liberius velit, facile prolabitur. Verba sunt Taureæ hominis Campani de Claudio Asello, quem ille, ut secum e campo in cavam viam consereret ex equo pugnam, provocaverat; cum vero Asellus dicto citius equum in viam dejecisset, Taurea verbis ferocior, quam re, simulque in hostis sui cognomen jocatus, *Minime sis*, inquit, *canterium in fossa*, *h. e.* asellum in fossa relinquamus; et statim ad urbem refugit, relicto ibidem Asello, qui nullo obvio hoste in campum rursum evectus est.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de homine vetulo, viribus effeto Venerique inepto. *V. Plauti* locum in voc. ADHINNIO. ¶ 2. In artibus, canterius dicitur de iis omnibus, quæ equi similitudinem referunt. — *a*) In ædificiis *canterii*, Græce ἀμείβοντες, sunt trabes a tecti culmine usque ad extremam projecturam protensi. Habent enim quamdam cum equi dorso similitudinem. In multis Italiæ locis, retenta Latina appellatione, *cantieri* dicuntur: appellantur etiam *cavalli* et *saettoni*. Usurpantur hac notione a *Vitruv.* 4. 2. 1. et 5. *Schneid.* — *b*) Apud rusticos in vineis *canterius* est transversa pertica ad pedamenta firmanda et jugatam vitem sustinendam, ut *Colum.* 4. *R. R.* 12. 2. et 5. *ibid.* 4. 1. docet. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 14. 1., ubi masculinum genus apparet; et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (165). — *c*) Item in re rustica est tectorium ad frigora, gelu pruinasque arcenda, ut apud *Colum.* 11. *R. R.* 3. 63. — Denique *canterius* videtur etiam machina ad suspendendos equos, ne terram pede ægrotante contingere et impedire curationem possint. *Veget.* 3. *Veterin.* 47. 9. *Schneid.* Jumentum in canterio, vel in scalis, vel in suspenso loco. *Gesnerus*, probante *Schneidero*, legere mallet: In canterio vel in scalis velut suspensum locato.

CANTHĂRA, æ, f. 1. idem ac cantharus. *Ter. Andr.* 4. 4. 30. Vidi cantharam suffarcinatam. *h. e.* corbem puero supponendo onustam et tectam. *Donat.* ad *h. loc.* perperam putat *Cantharam* esse anum quamdam, quæ puerum ferebat. Recentiores tamen philologi cum *Donato* consentiunt.

CANTHĂRĬAS, æ, m. 1. gemma est innatam scarabæi effigiem habens. Nam κανθαρίς et κάνθαρος scarabæum significat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (187).

CANTHĂRIS, idis, f. 3. κανθαρίς, parvum animal volatile, Latine *scarabæus parvus* dictus, cujus plura genera *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (118). recenset. Sic etiam appellatur vermiculus frumenta erodens, teste *eod.* 18. *ibid.* 17. 44. (152). — Sunt præterea cantharides, quæ vitibus nocent, ut docet *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 4. — Porro ex his præsentissimum venenum habent, et, expresso succo, potæ statim interimunt quæ in summitate ramorum fraxini, vel olivæ nascuntur, et quæ in eo rosarum genere, quæ cynorrhodi vocantur, item quæ ex vermiculis ficorum, pyri, peuces, et cynacanthæ: qua de re multa disserit *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (92). et 11. *ibid.* 55. 41. (116). Hinc *Ovid. Ib.* 306. Cantharidum succos, dante parente, bibas. *Cic.* 9. *Fam.* 21. C. Carbo, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 40. 117. et *Val. M.* 6. 2. *ext.* 3. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (92). Cantharides ob-

jectæ Catoni Uticensi, ceu venenum vendidisset. — Est tamen non unus ex iisdem usus in medicina, ut apud eumd. ibid. et 11. ibid. 35. 41. (92). videre est. — Etiam ad Venerem incitandam cantharidibus utebantur veteres. *V.* LUSTRAMENTUM. — Denique *cantharides*, ignominiæ fortasse causâ, vocati sunt Hermotimi inimici, qui ejusdem corpus concremarunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (174).

CANTHĂRĪTES Vinum, κανθαρίτης οἶνος, quod inter transmarina nobiliora *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (75). enumerat, dictum est a quodam vitis genere, quæ κανθάρεος ἄμπελος a *Theophrasto l.* 2. *de caus. plant. c.* 20. appellatur. *V.* ABROTONITES.

CANTHĂRŎLĒTHRUS, i, m. 2. a κάνθαρος, scarabæus, et ὄλεθρος, pernicies, locus parvus in Thracia, juxta Olynthum montem, in quo scarabæi omnes intereunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 28. 34. (99).

CANTHARŬLUS, i, m. 2. κανθάριος, parvus cantharus. *Arnob.* 6. 26. Canthaŕuli, forcipes, cornuaque pomifera. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 462. de parva lampade usurpat.

CANTHĂRUS, i, m. 2. Accus. *cantharon* positione Græca ob metri necessitatem scribitur apud *Nemesian.* 3. *Ecl.* 48. Cantharon (*potorium*) hic retinet, cornu bibit alter adunco. — Cantharus est Græca vox κάνθαρος, quæ scarabæum significat. Apud Latinos tamen occurrit de pluribus tantum, quæ scarabæi figuram referunt, ut colligere licet ex *Auson. in ep. Centoni nupt. præfixa.* Hinc ¶ 1. Ægyptii *cantharum* dixere nodum sub lingua Apis bovis, ut docet *Plin.* 8. *Hist. nat.* 46. 71. (184). ¶ 2. Cantharus dicebatur etiam genus navigii, ut docet *Macrob.* 5. *Saturn.* 21., ubi affert in hanc rem locum *Menandri* in *Nauchero*; et addit, appellationem poculi ab ejus navigii forma derivatam esse, ut et cymbii a cymba etc. ¶ 3. *Cantharus* præterea dicitur piscis quidam marinus, succo ingratus gustui; cujus meminere *Ovid. Halieut.* 105., et *Colum.* 8. *R. R.* 17. 14. *Schneid.*; et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146). ¶ 4. Præcipue *cantharus*, qui magis definite *cantharus potorius* dicitur ab *Arnob.* 6. 25., est genus poculi ansati. Sunt vero qui putant, hujusmodi derivatum fuisse a Canthāro quodam inventore et opifice hujus poculi, cujus meminit *Pollux Onomast. l.* 6. *c.* 96., *Athen. l.* 11. *c.* 6. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (85). At rectius vox derivatur a Græca sub init. allata. *Plaut. Asin.* 5. 226. Mihi cantharo mulsum date. *Id. Stich.* 5. 4. 30. Propinare alicui cantharum. *Id. Pers.* 5. 2. 40. Dare bibere plenis cantharis. Adde *eumd. Bacch.* 1. 1. 36., *Men.* 1. 2. 64. et 1. 3. 5., *Pseud.* 4. 2. 2. et *Rud.* 5. 2. 32. *Virg.* 6. *Ecl.* 17. *de Baccho.* Et gravis attrita pendebat cantharus ansa. *Horat.* 1. *Od.* 20. 1. Potare modicis cantharis. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 5. 23.; et *Juvenal.* 3. 205. *Inscript.* apud *Orell.* 2504. CANTHARVS CVM VASE (*h. e.* base) SVA. — Quemadmodum scyphus Herculis, ita cantharus Bacchi proprium poculum est, ut *Macrob.* 5. *Saturn.* 21. docet: quo pertinet locus *Virgilii* modo allatus, et quæ de C. Mario cantharis bibente exemplo Liberi patris, narrant *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (150)., *Val. Max.* 3. 6. 6., et *Arnob. loc.* superius *cit.* — Etiam Jovi *cantharus* consecrabatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 16. 12., quæ est apud *Orell.* 2504. EX IVSSV I. O. M. D. (*h. e.* Jovis optimi maximi Dolicheni: at *Orell.* illud D. interpretatur *dedicatum*) L. TETTIVS HERMES CVM CONJVGE SVA ET FILIIS ET OMNIBVS SVIS CANTHARVM CVM VASE (*h. e.* base) POSVERVNT. ¶ 5. Item cantharus est fistula, tubus epistomio instructus, per quem aqua salit. Quia enim hujusmodi salientes seu emissaria variis figuris elaborare artifices solebant, ut est apud *Auson. loc.* superius *cit.*, quæ in canthari modum facta erant, canthari appellabantur. *Paul. Dig.* 30. 41. § 11. Sed et automataria, et canthari, per quos aquæ saliunt, poterunt legari; maxime si impositicii sint. *Inscript.* apud *Gruter.* 182. 2. PERDIDERAT LATICEM LONGÆVA INCVRIA CVRSVS, QVOS TIBI NVNC PLENO CANTHARVS ORE VOMIT. — Hinc apud Scriptores Ecclesiasticos cantharus est etiam vas illud, quod in introitu templi ponitur, ad aquam lustralem continendam. *Paulin. Nolan.* 37. 150. Sancta nitens famulis interluit atria lymphis Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

CANTHĒLIUS, ii, m. 2. κανθήλιος, idem ac cantherius. *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann.* Immo lorus in aqua, lentior canthelio.

CANTHĒRIĀTUS, CANTHĒRĪNUS, CANTHĒRIUS etc. *V.* CANTERIATUS, CANTERINUS, CANTERIUS etc.

CANTHUS, i, m. 2. ferrum, quo rotæ absis cingitur, teste *Quintil.* 1. 5. 88., ubi addit, Afrum, vel Hispanum vocabulum esse, sed eo uti *Persium* tamquam recepto. *Casaubon.* tamen vult esse Græcum, quod teste *Hesych.* κάνθος sit orbis oculorum: *V. Bullett. dell' Instit. ann.* 1836. p. 94. Porro *Pers.* pro ipsa rota usurpat per synecdochen, 5. 70. Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno, Vertentem sese frustra sectabere canthum, Cum rota posterior curras et in axe secundo. *Martial.* 14. 168. Iste trochus pueris, at mihi canthus erit. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

CANTICO, as. *V.* CANTITO.

CANTICULA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. sub 2.

CANTĪCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* canticum, parvum canticum. ¶ 1. Generatim. *Septimius Afer* apud *Terentian. de metr. p.* 2427. *Putsch.* Pinea brachia cum trepidant, Audio canticulum zephyri. ¶ 2. Speciatim est breve carmen magicum. *Pomponius* apud *Non. p.* 482. 9. *Merc.* Mirum ni hæc Marsa est: in colubras callet canticulum. *Ita habetur etiam in antiquis editionibus* 1476. *et* 1480. *Sunt tamen qui legunt* canticulam.

CANTĪCUM, i, n. 2. (canto) cantio, cantilena, quod modulato sono editur (*It. cantico, canzone, cantata*; Fr. *chant, chanson*; Hisp. *canto, cancion*; Germ. *d. Gesangstück, d. Gesanglied, d. Lied oder d. Gesang*; Angl. *a pleasant song, ballad*). ¶ 1. Generatim. *Martial.* 3. 63. 5. Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat. *Apul. Florid. n.* 15. Canticum ore tereti, semihiantibus labellis eliquare. *Id. ibid. n.* 17. Lusciniæ canticum adolescentiæ garriunt. ¶ 2. Speciatim ponitur de carmine probroso et dicteriis pleno. *Quintil.* 1. 2. 8. Omne convivium obscenis canticis strepit. Adde *Petron. Satyr.* 31. *Apul. de Mag.* 75. Fenestræ canticis circumstrepitæ. *Paul. Receptar. Sentent.* 5. 4. 15. Qui carmen famosum in injuriam alicujus, vel alia quælibet cantica, quo agnosci possit, composuerit etc. *Et mox.* Psalterium, quod vulgo dicitur canticum in alterius infamiam compositum. ¶ 3. Item ab *Apul. de Mag.* 42. dicitur de carmine magico, quod etiam *cantamen* appellatur. ¶ 4. Item canticum dicitur pars comœdiæ vel fabulæ Atellanæ, in qua una tantum persona ad tibias canit. Tres enim comœdiæ partes assignat *Diomed.* 3. p. 489. *Putsch.*, diverbium, canticum et chorum. *Diverbium* est, quando diversi alternis colloquuntur; *canticum*, quando unus tantum, et quo μονῳδία Græce dicitur; *chorus*, quando plures simul junctis vocibus eamdem rem canunt. Addit *Diomed.* Latinas comœdias chorum non habere, sed diverbium solummodo et *canticum*; quod præterea respondet aliqua ratione ei, quod Itali dicunt *intermezzo*, si ab uno tantum agatur: habetque locum etiam in tragœdiis, sed rarius. Aliquando *canticum* dicitur tota fabula, in qua una dumtaxat persona est, quæ agit. Plura *V.* apud *Voss. l.* 2. *Instit. poet.* variis in locis, *Jacob. Mazzon. in Dantem l.* 2. *c.* 10., et præcipue *G. Hermann. Opusc.* 1. p. 296. et seqq. *Cic.* 9. *Fam.* 22. 1. Forte nosti canticum, meministi Roscium. *Liv.* 7. 2. Agere canticum. *Sueton. Cal.* 54. desaltare. *Id. Galb.* 13. Atellanis notissimum canticum exorsis. Adde *eumd. Ner.* 39. et *Vitell.* 11.; et *Phædr.* 5. 7. 25. et 31. — Hinc jocose et per ironiam de oratore dicitur, qui affectatâ, potius quam naturali vocis modulatione, aliqua profert. *Cic. Orat.* 18. 57. Est autem in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus, pæne canticum: sed ille etc. Adde *Quintil.* 11. 3. 167., et *Plin.* 2. *Ep.* 14.

Homonym. *Canticum* differt a *carmine*; *carmen* est poema, *canticum* vero consistit in eo, quod modulata voce profertur vel recitatur. *Quintil.* 1. 10. 23. Nisi forte in carminibus tantum et in canticis exigitur structura quædam et inoffensa copulatio vocum.

CANTĪCUS, a, um, adject. ad cantum pertinens. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 3. Ita delenimentis canticis occupatur, ut etc.

CANTĪLĒNA, æ, f. 1. cantio, canticulum, præcipue quod est in ore vulgi (*It. cantilena, canzone*; Fr. *chant, chanson, chansonette*; Hisp. *cancion, cancionetta*; Germ. *das Liedelein, die Weise*; Angl. *a song, an old song, old story*). ¶ 1. Generatim. *Gell.* 9. 4. Notissima illa veterum poetarum de Cænide et Caeneo cantilena. *Id.* 19. 9. Et sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cantilenarum quoque mollitiis anteiretis. — Apud *Festum p.* 181. 6. *Müll. cantilena* dicitur de convicio vel carmine probroso. Adde *Vopisc. Aurel.* 7. ¶ 2. Speciatim proverbio cantilena dicitur de re trita atque jamdiu nota. *Ter. Phorm.* 3. 2. 10. Cantilenam eamdem canere. *h. e.* eamdem rem multis jam cognitam ac sæpius repetitam repetere. *Cic.* 1. *Att.* 19. 8. Ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret cantilenam illam suam: Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν *Id.* 1. *Orat.* 23. 105. Qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt, sed etc. *h. e.* toties vulgata dicendi præcepta, vel inanes rhetorum declamationes. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 20. 2. Totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quam plurimum lucri faciant. *h. e.* jactationem verborum et facti prædicationem. Hinc *Hieronym. Ep.* 109. n. 4. vocat *cantilenas librorum* libros nugarum plenos.

CANTĬO, ōnis, f. 3. canticum; sed occurrit concreto, uti ajunt, sensu tantummodo, et significat id quod canitur (*It. cantata, canzone*; Fr. *chant, chanson*; Hisp. *canto, cancion*; Germ. *das Lied, der Gesang*; Angl. *a singing*). Occurrit ¶ 1. Generatim — *a*) De hominibus. *Plaut. Stich.* 5. 4. 25. Cantio est Græca: ἢ πέντε πῖν', ἢ τρίς πῖν', ἢ μὴ τέτταρα. *Id. ibid.* 5. 6. 8. Redde cantionem veteri pro vino novam. Adde *eumd. ibid.* 5. 5. 19., *ubi alii leg.* cantatio; et *Sueton. Ner.* 25. — *b*) De avibus. *Fronto ad Verum* 1. An tu cycnum coges in ultima cantione cornicum voculas æmulari? Adde *Apul. Florid. n.* 2. ¶ 2. Speciatim est carmen magicum, cantamen. *Cato R. R.* 160. (*al.* 161). Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet etc. *Cic. Brut.* 60. 217. Idque veneficiis et cantionibus Titiniæ factum esse dicebat. Adde *Apul.* 1. *Met.* 10.

CANTĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. *frequent. duplic. a* canto, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 75., et 8. *ibid.* 60. *Müll.* — Part. *Cantitans* sub *a*; *Cantitatus* sub *b*. — Cantitare est totis viribus omnique studio ac diligentia cantare: et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Adelph.* 4. 7. 32. Ut habeas quicum cantites. Cf. *Apul.* 6. *Met.* 6. Ceteræ, quæ dulce cantitant aves. (*Quidam legunt* canticant: *sed non est facile admittendum. Varro* 8. *L. L.* 60. *Müll.* Nam ut est a cantando cantitans, ab amando amitans non est. – Sicut enim cantitantes, seditantes non dicuntur. — *b*) Cum Accus. *Cic. Brut.* 19. 75. Carmina, quæ in epulis esse cantitata, in Originibus scriptum reliquit Cato. *Sueton. Ner.* 39. Nauplia mala bene cantitare.

CANTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* cantio, brevis cantio, canticulum, suavis ac voluptuosa cantio. *Cic.* 5. *Fin.* 18. 49. *de Sirenibus.* Cantiunculis aliquem irretitum tenere.

CANTO, as, āvi, ātum, are. 1. *intensivum a* cano, ut *Varro* 6. *L. L.* 76. *Müll.* docet. — Part. *Cantans* I. 1. et 2.; *Cantatus* II. 1. et 3. — De *canta* pro *cantata V.* CANO sub init. — Canto est totis viribus, magno studio ac diligentia modulatum sonum edo, seu voce, seu musico aliquo organo (*It. cantare, suonare*; Fr. *chanter, jouer d'un instrument*; Hisp. *cantar, tañer, tocar un instrumento músico*; Germ. *singen, spielen*; Angl. *to sing of ten, to sing, to play on an instrument of music*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de brutis animalibus ac præcipue de avibus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 95. Prinsquam galli cantent. *Cic.* 2. *Divinat.* 26. 57. Deos gallis signum dedisse cantandi. *Propert.* 4. 9. 30. Multaque cantantes umbra tegebat aves. ¶ 2. De hominibus, et significat fere semper modulata voce sonum edere (eique opponitur *psallere*, ut apud *Sueton. Tit.* 3.; raro admodum significat musico aliquo organo sonum edere, quo sensu *tibiis, fidibus*, aut similibus jungitur. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 3. 1. 53. Pamphilam cantatum provocemus. *Cic.* 5. *Fin.* 18. 49. Neque enim vocum suavitate a novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitæ (*Sirenes*). *Id.* 2. *Cat.* 10. 23. Hi pueri – cantare et saltare didicerunt. *Orell. legit* psallere et saltare; *Klotz vero, fortasse rectius*, cantare et psallere. *Nepos Epam.* 2. Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio (*Epaminondas*). *Liv.* 7. 2. Inde ad manum cantari histrionibus cœptum. *h. e.* canto recitari fabulam in scena simul cum histrione, qui eodem tempore sermonibus

gesticulabatur. *V.* integrum *Livii* locum; et *Val. Max.* 2. 4. 4. *Virg.* 7. *Ecl.* 5. Arcades ambo, Et cantare pares et respondere parati. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 21. et 10. *ibid.* 32.; *Horat.* 1. *Sat.* 3. 2. et 1. *Ep.* 10. 9.; *Tibull.* 2. 1. 66.; *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 17. et 5. *Fast.* 339. *Id. Ovid.* 4. *Trist.* 1. Cantantis ancillæ labor. Adde *Sueton. Ner.* 20. et 23. et *Vesp.* 4., *Pers.* 5. 166. *Dig.* 48. 5. 24. pr. In scænam saltandi cantandive causâ procedere. — *Canto surdo* apud *Propert.* 4. 8. 47., et *ad surdas aures* apud *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 61. idem est, quod *canere surdis auribus*. *V.* CANO II. § 2. — Cantant etiam mali recitatores et declamatores, qui fracto utuntur pronunciationis genere et cantui simili. Quo pertinet illud *C. Cæsaris* apud *Quintil.* 1. 8. 2. Si cantas, male cantas: si legis, cantas. *Quintil.* 11. 3. 57. Quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi. *V.* ibi et 1. 1. 56. et 58. plura hac de re; et cf. *Juvenal.* 10. 178. — Denique *cantare* ponitur etiam, ut diximus, de sono alicujus organi musici. *Plaut. Epid.* 3. 4. 64. Cantare fidibus alicui. *Nepos Præfat.* Cantare scienter tibiis. *Ovid.* 1. *Met.* 677. structis avenis. *Auct. ad Pis.* 222. sterili avenâ. — *b*) Addito Accus. rei, quæ cantatur, h. e. *aliquid, aliquam cantionem*, interdum et *aliquem*. *Ter. Adelph.* 5. 77. Cantare hymenæum. Adde *Ovid. Heroid.* 12. 137. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 15. absentem amicam. Adde *Martial.* 7. 13. *Tibull.* 2. 1. 52. rustica verba certo pede. *Ovid.* 3. *Fast.* 675. obscena. *Gell.* 4. 5. Versus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur. — Ponitur etiam de musicis organis. *Horat. Art. P.* 414. qui Pythia cantat tibicen. — Denique *cantare* dicuntur histriones ipsi, dum in scæna fabulas agunt (*V.* CANTOR). Nam et versibus eas enarrant et ad tibias canunt. *Sueton. Ner.* 21. Canacen parturientem, Oresten matricidam, Nioben cantare. *Id. ibid.* 43. epinicia. *Id. ibid.* 46. *in fin.* fabulam. Et de injucunda histrionis recitatione *Juvenal.* 10. 178. madidis quæ cantat Sostratus alis. *V.* Interpr. ad h. l. ¶ 3. Cantare ponitur aliquando et de inanimis pro sonare, resonare. *Propert.* 4. 10. 30. Nunc intra muros pastoris bucina lenti Cantat. *Ovid.* 5. *Fast.* 659. Cantabat fanis, cantabat tibia ludis, Cantabat mœstis tibia funeribus. *Stat.* 10. *Theb.* 504. gurges cantatus olore. *h. e.* in quo olor cantilavit.

II) Translate. ¶ 1. Quemadmodum et *canere*, cantare est carmina dicere, rem aliquam aut aliquem versibus prosequi, laudare, prædicare. — De re. *Horat.* 1. *Od.* 6. 17. Nos convivia, nos prælia virginum Cantamus vacui. *Id.* 3. *ibid.* 1. 3. carmina non prius audita – Virginibus puerisque canto. *Id.* 2. *ibid.* 19. 11. rivos. *Id. ibid.* 9. 19. Augusti tropæa. *Ovid.* 2. *Fast.* 658. laudes alicujus. *Id. Heroid.* 15. 155. desertos amores. — Absolute est fabulas versu narrare in illo *Juvenal.* 4. 35. Incipe Calliope: licet hic considere: non est Cantandum: res vera agitur. — Sæpius de hominibus. *Virg.* 5. *Ecl.* 54. Cantari dignus. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 25. per totum cantabimur urbem. *Id.* 2. *ibid.* 1. 29. Cantatus Achilles. *Id. Heroid.* 137. Hymen cantatus. *Id.* 2. *Amor.* 47. 33. Nec, nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis. *Martial.* 9. 50. Hæc est illa meis multum cantata libellis. *Id.* 7. 14. *de puella.* Vel Stellæ cantata meo. — In malam partem *cantare aliquem* dicitur is, qui aliquem malo sermone per ora vulgi traducit. *Hieronym. Ep.* 117. *n.* 6. Si hoc feceris, et te et illum familia universa cantabit, vos cunctorum digiti denotabunt. ¶ 2. Allusione facta futurorum oraculis, quæ carmine vulgari consueverunt, cantare est vaticinari, prædicere, præmonere, adeoque frequenter in ore habere, inculcare. *Plaut. Trin.* 2. 2. 10. Hæc dies noctesque tibi canto, ut caveas. Adde *eumd. ibid. v.* 68. *Id. Most.* 4. 2. 64. Vera cantas: vana vellem. *h. e.* aperte dicis, narras, prædicas. *Ter. Heaut.* 2. 3. 19. Cujus nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi, monuisse frustra. *Cic.* 2. *ad Q. Fr.* 13. 1. Nam, ut nos, jampridem istum canto Cæsarem. *Tibull.* 2. 5. 12. Quod fati provida cantet avis. *Quintil.* 8. 3. 76. Quæ me juvene ubique cantari solebant. — Hoc sensu occurrit interdum et de inanimis. Ita festive *Plaut.* cantare litteras dicit, quæ aperte aliquid significant, ut *Bacch.* 4. 6. 60. Tabellas obsignatas dedit: tibi me jussit dare. Sed metuo, ne idem cantent, quod priores. *Id. Rud.* 2. 5. 21. Urna hæc litterata est: ab se cantat, cuja sit. ¶ 3. Cantare est etiam verbum magicæ artis proprium, et significat — *a*) Magicam formulam recitare. *Cato R. R.* 160. Incipe cantare: IN ALIO S. F. MOTAS etc. *Varro* 1. *R. R.* 2. 27. Hoc ter noviens cantare jubet, terram tangere, despuere, jejunum cantare. *Virg.* 8. *Ecl.* 71. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. *Ovid.* 14. *Met.* 369. Tum quoque cantato densetur carmine cælum. — *b*) Item magicæ artis ope aliquid efficere. *Sil. It.* 8. 498. et chelydris cantare soporem. *Lucan.* 6. 767. Cantata umbra. Huc referri potest et illud *Sil. It.* 11. 447. Jussit in immensum cantatas surgere turres. *h. e.* cantando excitatas et extructas: loquitur de Amphione, qui Thebas sono lyræ condidit. — *c*) Denique magicis carminibus ligare vel repellere: quo sensu occurrit sæpius Part. præter. pass. *Propert.* 4. 5. 13. Audax cantatæ leges imponere lunæ. *Ovid. Heroid.* 6. 84. Diraque cantata pabula falce metit. *Id.* 2. *Amor.* 5. 38. Cantati equi. *Id.* 7. *Met.* 98. herbæ. *Sil. It.* 1. 430. ignis. *Apul. de Mag.* Puer carmine cantatus.

CANTOR, ōris, m. 3. qui cantat (It. *cantore, musico*; Fr. *chanteur, chantre*; Hisp. *cantador, cantor*; Germ. *der Sänger*; Angl. *a singer, musician*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De eo, qui voce modulatum sonum edit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 1. Omnibus hoc vitium est cantoribus etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 1. et 129.; et *Propert.* 2. 22. 19. — *b*) Item de versificatore, poeta. *Horat. Art. P.* 407. Ne forte pudori Sit tibi Musa lyræ solers et cantor Apollo. *Forcellinus* ita est interpretatus: at *Orellius* putat, cantorem dici Apollinem, quia cithara canebat. — *c*) Item histrio, qui in scæna fabulam cantat. *Horat. Art. P.* 155. donec cantor, vos plaudite, dicat. *Salmas. in commentar. ad Vopisc. Aurelian.* 7. docet cantorem proprie dici de eo, qui tragœdiam agit, sicut *saltatorem* de eo, qui comœdiam: sic *cantare* de tragœdiis dici, *saltare* de comœdiis. Affert in hanc rem locum *Sueton. Cal.* 54. Thrax et auriga, idem cantor atque saltator. *Et mox.* Canendi et saltandi voluptate ita efferebantur, ut etc. *Cic.* tamen *Sext.* 55. 118., ubi de *Simulante Afranii* comœdia verba facit, cantores appellat qui eam agebant. V. *Hermann.* in *Opusc. col.* 1. *p.* 298., et *Bentlejum* ad *Ter. Andr.* 5. 6. 17. et ad *Sueton. l. c.*

II.) Improprie *cantor* dicitur — *a*) Qui aliquid recitat. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 236. Jurisconsultus ipse per se nihil est, nisi leguleius quidam cautus et acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. *Sunt qui aliter leg.* — *b*) Item qui vehementer et cum clamore aliquem improbat. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 125. CAL. Ingere mala multa. PSEUD. Jam ego te differam dictis meis, impudice. CAL. Furcifer. PSEUD. Parricida. CAL. Perjure. PSEUD. Fraudulente. CAL. Impure leno. PSEUD. Cœnum. BALL. Cantores probos! — *c*) Item qui laudat ad fastidium. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 45. Euphorionis cantores.

CANTILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. deminut. *a* canto. *Apul.* non semel usurpat pro cantare, vel cantitare: ut 4. *Met.* Clamore ludunt, strepitu cantillant, conviciis jocantur. *Et Florid. n.* 3. Doctissime et gratissime cantillare. Adde *ibid. n.* 15.

CANTRIX, īcis, f. 3. quæ canit. *Plaut. Trin.* 2. 1. 23. Flabelliferæ, sandaligerulæ, cantrices, cistellatrices. *Varro* 3. *R. R.* 5. 13. Intra retem aves sunt omne genus, maxime cantrices, ut lusciniolæ, ac merulæ. Adde *Inscript.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 58.

CANTULUS, i, m. 2. *deminutivum a* cantus. *Firmic.* 3. *Mathes.* 12. Cantulus, et organum.

CANTURIO, is, ire, n. 4. cantare cupio, libenter canto. *Petron. fragment. Traqur.* 64. *Burmann.* Canturire belle. *Paul. Diac. p.* 68. 16. *Müll.* Aves, quæ vellicando morsicandoque et canturiendo assidue, non patiuntur dormire potantes. *Al. leg.* cantitando, *sed invito, immo adversante* Scalig.

CANTUS, us, m. 4. (cano, canto) est modulatus sonus tum voce, tum musico aliquo organo editus (It. *canto, suono*; Fr. *chant, son, mélodie*; Hisp. *canto, tañido, son*; Germ. *d. Gesang, d. Spiel*; Angl. *the art of singing, or tuning the voice, the sound of music, melody*). ¶ 1. Generatim — *a*) De modulato nonnullorum animalium sono. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 94.; *Horat.* 3. *Od.* 1. 20. et *Apul. Florid. n.* 2. Cantus avium et volantum. *Quintil.* 10. 3. 24. volucrum. *Phædr.* 3. 18. 2. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (81). lusciniæ. *Ennius* apud. *Cic.* 2. *Divinat.* 26. 57.; *Cic. Mur.* 9. 22. et 2. *Divinat.* 26. 56.; *Horat.* 1. *Sat.* 1. 10.; *Ovid.* 11. *Met.* 597.; *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (46)., et *Quintil.* 11. 3. 51. galli. *Cic. Divinat.* 8. 14. fulicis. *Ovid.* 8. *Met.* 238. perdicis. *Lucret.* 5. 1083. cornicum et corvorum. *Virg.* 1. *G.* 403. noctuæ. *Id.* 1. *Æn.* 402. cycni. *Id.* 328. et *Phædr.* 3. 16. 11. cicadæ. — *b*) De hominibus — Sive modulatum sonum edant voce suâ: unde *Cic. Rosc. Am.* 46. 134. et 1. *Divinat.* 36. 80.; et *Quintil.* 5. 10. 124. Cantus vocum, vocis. *Quintil.* 11. 3. 23. oris. — Sive modulatum sonum musico edant organo, unde *Cic. Rosc. Am. l. c.* Quotidiano cantu vocum et nervorum et tibiarum tota vicinitas personabat. *Id. Mur.* 9. 22. Cantus bucinarum. *Horat.* 3. *Od.* 1. 20. citharæ. *Id.* 3. *ibid.* 7. 30.; *Catull.* 64. 264. et *Tibull.* 1. 7. 47. tibiæ. *Liv.* 25. 54. tubarum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (72). lyræ. — Utriusque significationis exempla exhibentur. *Lucret.* 5. 1379. Carmina cantu concelebrare. *Id. ibid.* 1405. Ducere multimodis voces et flectere cantus. *Id.* 2. 620. minantur raucisono cornua cantu. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 98. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsæ voculæ, quam certæ et severæ? *Id.* 7. *Verr.* 13. 31. Lucum illum percrepare totum mulierum vocibus et cantu symphoniæ. *Id. Cœl.* 15. 35. Comessationes, cantus, symphoniæ. *Id.* 5. *Tusc.* 36. 104. Moderari arbitrio suo cantus numerosque tibiæ aut fidium. *Id.* 5. *Fin.* 18. 49. Sirenum cantus. Adde *Quintil.* 5. 8. 1., et *Juvenal.* 9. 150. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 285. Tardiores tibicinis modi et cantus remissiores. *Id. Arch.* 8. 19. Cantu flecti. *Id.* 1. *Divinat.* 36. 80. Vocum gravitate et cantu pelli. *Id.* 5. *Fin.* 18. 49. Alicujus cantus auribus agnoscere. *Id.* 3. *Legg.* 11. 20. Musicorum cantibus mutatis. *Auct. B. G.* 8. 20. Cantu tubarum convocare concilium. *Liv.* 38. 17. Cantus inchoantium prælium. *Id.* 7. 2. Describere ad tibicinem cantum. *Catull.* 64. 306. Cantus edere. *Tibull.* 3. 4. 10.; *Virg.* 1. *Æn.* 402.; et *Ovid.* 2. *Fast.* 767. dare. *Virg.* 7. *Æn.* 34. Mulcere æthera cantu. *Id.* 8. *ibid.* 2. Rauco strepunt cornua cantu. *Id.* 1. *G.* 293. Cantu solari laborem. *Horat.* 4. *Od.* 13. 5. Cupidinem cantu sollicitare. *Ovid.* 11. *Met.* 15. Cantu mollire aliquid. *Id. ibid.* 334. Præbere aures cantibus. *Juvenal.* 6. 378. Gaudere cantu. *Tac.* 10. *Ann.* 34. Per compositos cantus dis grates agere. *Id.* 13. *ibid.* 3. Coercere cantus. — Occurrit etiam de modulato sono, quo oratoria efferuntur: ut in loco *Cic. Orat.* 18. 57., quem in *V.* CANTICUM affertur sub 4. in fin.; et in alio loco ejusd. *Cic.* 2. *Orat.* 8. 34. in fine hujus vocis sub Homonym. allato. Cf. *Quintil.* 11. 3. 60. et 172. ¶ 2. Specialim et figurate ponitur pro carminibus. *Sil. It.* 8. 595. Mantua ad sidera cantu evecta Aonio. ¶ 3. Item specialim pro oraculo, vaticinio. *Catull.* 64. 306. Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus. Cf. *Tibull.* 1. 8. 1. Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes Stamina. ¶ 4. Denique pro carminibus magicis. *Colum.* 10. *R. R.* 367. Cantus magici. *Ovid.* 7. *Met.* 195. cantus artesque magorum. — Et absolute. *Virg.* 4. *G.* 471. At cantu commotæ (*umbræ*) Erebi de sedibus imis etc. Cf. *Val. Flacc.* 6. 448. Æmoniis agitare cantibus umbras. *Tibull.* 1. 2. 60. Cantibus atque herbis solvere amores. *Ovid.* 7. *Met.* 301. Cantu stantia freta concutere. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 49. et *Heroid.* 1. 167.

Homonym. *Cantus* differt a *carmine*; quod cantus est ipsius vocis modulatio; *carmen* vero id quod canitur vel poesis. *Cic.* 2. *Orat.* 8. 34. Qui enim cantus moderatâ oratione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosâ conclusione aptius?

CĂNŬA, æ, f. 1. qualum. *Paul. Diac. p.* 65. 6. *Müll.* Canifera mulier appellatur, quæ fert canuam, id est qualum, quod est cistæ genus. *h. e.* Græce τὸ κανοῦν.

CĂNUM, i, n. 2. κάνης, fortasse ab inus. καίω, unde Latinum *cavo*; canistrum, calathus. *Paul. Diac. p.* 45. 19. Cana dicunt Græci (*h. e.* κανᾶ), nos canistra et per diminutionem canistella. — Vox *canum* orta est a κανεον, Attice κανοῦν, et plur. κάνεα, κᾶνα; nam hæc habet *Varro* 5. *L. L.* 120. *Müll.* Tryblia et canistra quod putant esse Latina, sunt Græca: τρυβλίον enim et κανοῦν.

CĀNUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, videtur esse per syncopen pro *casnus* (*V.* CASNAR) a καίω vel καίω uro, quasi combustus ideoque cinereus. Canus enim dicitur id quod est cinerei coloris, sive quod colorem habet cineris vehementer perustæ (It. *canuto, grigio*; Fr. *gris, gris cendré*, Hisp. *pardo, frailesco*; Germ. *grau, weissgrau*; Angl. *hoary, grey, grey-headed*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Lu-*

cret. 2. 767. et *Cic. Arat.* 71. Cani fluctus. *h. e.* spumosi. *Lucret.* 3. 21. et *Horat.* 2. *Sat.* 5. 41. nix. *Virg.* 3. *G.* 442. gelu. *Id.* 2. *ibid.* 376. pruina. *Id.* 1. *ibid.* 43. montes. *h. e.* nive obducti. *Id.* 2. *Ecl.* 51. mala. *Ovid.* 5. *Trist.* 13. 21. absinthia. *Id.* 5. *Met.* 590. salicta. *Id. Heroid.* 2. 16. aqua. *Id. ib.* 202. Quam multa fiat grandine canus Athos. *Id.* 6. *Met.* 456. aristæ. *Id.* 10. *ibid.* 655. segetes. *h. e.* jam maturescentes, quia eo tempore flavescunt et a viridi ad album seu cinereum colorem accedunt. *Id.* 8. *ibid.* 525. favilla. *Id.* 15. *ibid.* 372. fila. *Id.* 6. *ibid.* 527. et 7. *ibid.* 550. lepus. *Id.* 2. *ibid.* 373. cycni plumæ. *Pallad.* 4. *R. R.* 14. 4. color. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 23. 55. (125). Cano situ obductus color. *Id. ibid.* 23. 50. (108). arborum villi. *Plin.* 6. *Ep.* 31. mare. *Martial.* 9. 27. ligustra. *Id.* 3. 77. pellis. *Id.* 1. 50. december. ¶ 2. Speciatim dicitur de capillis et pilis, qui in senectute albescunt. *Plaut. Asin.* 5. 2. 84. Cano capite esse. Adde *eumd. Bacch.* 5. 1. 15.; *Catull.* 68. 124.; *Tibull.* 1. 1. 72.; et *Ovid.* 5. *Fast.* 57. *Catull.* 64. 350. et *Ovid.* 13. *Met.* 427. Cani crines. *Horat.* 2. *Od.* 11. 15.; *Ovid.* 1. *Met.* 266., 2. *ibid.* 30. et 4. *ibid.* 474.; et *Phædr.* 2. 2. 10. capilli. *Martial.* 4. 36. barba. ¶ 3. Hinc speciatim ponitur pro sene, annoso. *Catull.* 61. 162. Cana anilitas. *Id.* 108. 1. senectus. *Tibull.* 1. 9. 29. amator. ¶ 4. Hinc canus est etiam avorum proprius, ad priscos pertinens. *Varro* apud *Non.* p. 243. 1. et 86. 27. *Merc.* Et ecce de improviso ad nos accedit cana Veritas, Atticæ philosophiæ alumna. *Virg.* 1. *Æn.* 296. Cana Fides et Vesta. ubi, haud recte, *Servius*: Canam Fidem dixit, vel quod in canis hominibus invenitur, vel quod ei albo panno involuta manu sacrificabatur: per quod ostenditur fidem debere esse secretam: unde et *Horat.* 1. *Od.* 35. 21. et albo rara Fides colit Velata panno. *Virg.* 5. *Æn.* 744. et canæ penetralia Vestæ. ubi *Servius*: aut antiquæ, aut propter ignis favillas. *Martial.* 8. 80. Sanctorum nobis miracula reddis avorum, Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori. *Id.* 1. 16. Si quid longa fides canaque jura valent. — Hinc

Cani, ōrum, m. plur. 2. absolute (subaudi *capilli* vel *crines*), substantivorum more sunt capilli cani. *Cic. Senect.* 18. 62. Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt. *Ovid.* 8. *Met.* 9. Cani honorati. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 275., 8. *ibid.* 568., 14. *ibid.* 655. *Id.* 6. *ibid.* 28. Cani falsi. quibus opponuntur apud *eumd.* 10. *ibid.* 391. cani sui. *Seneca Herc. fur.* 1249. Cani venerandi pilis. Adde *Pers.* 5. 65. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

CĀNUTUS, a, um, adject. idem quod canus. *Gloss. Philox.* πολιός, canus, canutus.

CĂPĀBĬLIS, e, adject. idem ac capax. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ant. med.* Quibus verbis consequenter ajunt, eum (*Deum*) mutabilis esse naturæ, virtutis malitiæque capabilem. *Et mox.* Quanto magis vecors est dicere, Dei virtutem fuisse infirmitatis capabilem.

CĂPĀCĬTAS, ātis, f. 3. (capax) spatium capiendi, seu locus, qui capere aliquid seu continere potest. (It. *capacità*; Fr. *capacité*, *contenance*; Hisp. *capacidad*; Germ. *d. Fassungsfähigkeit*, *d. Vermögen etwas zu fassen*; Angl. *capacity*, *content*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu de rebus corporeis: cf. *Paul. Sent.* 3. 6. 86. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 2. Pro capacitate vasorum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 47. 66. (131). Capacitas uteri mira. *Id.* 18. *ibid.* 7. 12. (63). Athletarum capacitas jumentis similis. *h. e.* mensura cibi, quam athletæ capere solebant, edacitas, voracitas. *Cod. Theod.* 15. 1. 53. Capacitas exhedrarum. *Frontin. Aqued.* 26. moduli. *Solin.* 52. Quinque millia oppidorum mira capacitate. — Et figurate *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 61. Utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo, tamquam in aliquod vas, ea quæ meminimus, infundantur? ¶ 2. Speciatim apud Jurisconsultos ponitur pro jure, quod quis habet capiendæ hereditatis aut legati. *Cajus Dig.* 31. 57. Tractantibus nobis de capacitate, videndum est, utrum heredis etc. *Et ibid.* Nullus est dominus, in cujus persona de capacitate quæri possit. Adde *Cod. Theod.* 9. 42. 1. *pr.* ¶ 3. Ratione habita intellectus, est vis vel potentia aliquid percipiendi vel comprehendendi. *Cod.* 1. 17. 1. § 1. Humanæ naturæ capacitas.

CĂPĀCĬTER, adverb. *Augustin.* 11. *Trinit.* 2. *ad fin.* Primordia seminum sequuntur efficaciter, et capaciter intentionem maternæ animæ.

CĂPANNA, æ, f. 1. tugurium, parva et vilis domus. *Isid.* 15. *Orig.* 12. Tugurium casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum, ad tegimen sui. Hanc rustici capannam vocant, quod unum tantum capiat.

CĂPAX, ācis, adject. (capio). Comp. *Capacior* et Sup. *Capacissimus* I. 1. — Capax est qui capere seu continere potest, ideoque magnus, amplus, latus (It. *capace*, *capevole*; Fr. *qui contient ou peut contenir*, *spacieux*; Hisp. *conteniendo*, *cabiendo*, *continente*; Germ. *fassungsfähig*; Angl. *holding*, *keeping*, *containing*, *capacious*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit de rebus corporeis, et quidem — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 122. capacis mœnia mundi. *Horat.* 2. *Od.* 7. 22. funde capacibus Unguenta de conchis. *Id. Epod.* 9. 33. Capaciores affer huc, puer, scyphos. *Id.* 3. *Od.* 1. 16. Capax urna. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 19. Amnis effusus ripis capacibus. *Id.* 9. *Met.* 231. Capax pharetra. *Id.* 7. *ibid.* 568. putei. *Id.* 4. *ibid.* 439. urbs. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (93). uterus. *Id.* 11. *ibid.* 37. 79. (200). Intestina capaciora. *Quintil.* 1. 10. 40. Forma capacissima. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Spatiosa et capax domus. *Sil. It.* 17. 331. Capaces campi. *Id.* 13. 760. moles. *Seneca Herc. fur.* 659. regnum Plutonis capax vocat, quia omnes mortales post vitam capit. — *b*) Addito Genitivo. *Liv.* 9. 16. Homo cibi vinique capacissimus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 136. Circus capax populi. Adde *Senec. Herc. fur.* 775. *Curt.* 4. 8. 2. Insula magnæ sedis haud capax. *Seneca Œd.* 367. Pulmo animæ capax. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (99). Flumen oneariarum navium capax. *Id.* 12. *ibid.* 1. 5. (11). Quindecim convivarum ac ministerii capace triclinio. — *c*) Addito Dat. aut Accus. cum præp. *ad.* *Plin.* 2. *Ep.* 17. Villa usibus capax. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (18). Calix capax ad tres sextarios. ¶ 2. Speciatim dicitur capax a JCtis, qui acquirere et possidere aliquid potest ex testamento aut legato. *Paul. Dig.* 34. 3. 29. Quod si socii sint, propter eum qui capax est, et ille capit etc. *Ibid.* 10. 2. 35. Capax dotis. *Cod.* 6. 59. 8. portionis.

II.) Translate capax est amplus, magnus: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Orat.* 29. 104. Demosthenes non semper implet aures meas: ita sunt avidæ et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant. *Ovid.* 8. *Met.* 534. Ingenium capax. *h. e.* magnum, vastum. *Id.* 15. *ibid.* 5. Animo capaci aliquid concipere. — *b*) Addito Genitivo. *Ovid.* 1. *Met.* 176. Capax altæ mentis. *Curt.* 4. 7. 27. gloriæ. *Id.* 6. 5. 29. magnorum operum. *Vellej.* 2. 127. Laboris ac fidei capacissimus. *Seneca Troad.* 479. Capax invidiæ. *Id. Octav.* 153. scelerum. *Plin.* 2. *Ep.* 13. *extr.* Capax amicitiæ usque ad intimam familiaritatem. *Id.* 1. *ibid.* 12. Uxor omnis secreti capacissima. *h. e.* continere sciens et celare. *Tac.* 1. *Ann.* 18. et 1. *Hist.* 49. Vir imperii capax. *Id.* 14. *Ann.* 3. Mare fortuitorum capax. *Id.* 1. *ibid.* 11. Mens tantæ molis capax. *Dig.* 14. 1. 1. § 12. Naves fluvii capaces. *Id.* 92. 2. 88. § 1. Capax consilii. *Id.* 43. 4. 1. doli. *Id.* 9. 2. 5. Impubes injuriæ capax. *h. e.* qui injuriâ alterum potest afficere. *Id.* 50. 7. 11. *pr.* Capax furandi et injuriæ faciendæ. — *c*) Addito Accus. cum præp. *ad.* *Ovid.* 8. *Met.* 243. Animus capax ad præcepta. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

CĂPĔDO, ĕdĭnis, f. 3. genus vasis in sacris olim adhibiti. Videntur autem capedines eædem esse, quæ *capides* seu *capulæ*, quas *Varro* 5. *L. L.* 121. *Müll.* scribit fuisse vasa fictilia, vel lignea in sacrificiis usurpata; et ita dicta, quod ansata essent, ut prehendi possent, idest capi. Confirmat *Priscian.* 6. p. 708. *Putsch.*, apud quem *Aruntius*: Capis vasis genus pontificalis, diminutive capidula. *Et Paul. Diac.* p. 43. 9. *Müll.* Capis poculis genus dictum a capiendo. Rursus *Varro* apud *Non.* p. 547. 17. *Merc.* Etiam nunc pocula, quæ vocant capulas et capides, etc. *Cic.* 1. *Parad.* 2. 11. Minus ne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? *Liv.* 10. 7. Cum capide ac lituo, capite velato victimam cædat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (20). Capidem unam myrrhinam trecentis denariis parare. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 52. *Burmann.* Ex his omnibus liquet, capidem non solum vas sacrificiis aptum, sed etiam poculum in mensis adhibitum fuisse. — A capedo diminutive fit *capeduncula*. *Cic.* 3. *Nat. D.* 17. 43. Capedunculæ eæ, quas Numa reliquit. — Porro *capula* videtur fuisse etiam genus vasis olearii. Nam inde fit *capulo*, *as*, et *capulator*, quæ in confectione olei usurpata leguntur. *V.*

CĂPĔDŬLUM, i, n. 2. *V.* CAPIDULUM.

CĂPĔDUNCŬLA, æ, f. 1. *V.* CAPEDO sub fin.

CĂPELLA, æ, f. 1. *deminut.* a capra, parva capra (It. *capretta*; Fr. *petite chèvre*; Hisp. *cabra montes*; Germ. *die kleine weibliche Zeige*, *das Ziegllein*; Angl. *a young goat*, *a kid*). ¶ 1. Ponitur de noto animali. *Cic.* 4. *Verr.* 35. 87. Etiam capella quædam est scite facta et venuste. *Catull.* 19. 16. aram Barbatus linit hirculus cornipesve capella. *Virg.* 7. *Ecl.* 7. distentæ lacte capellæ. *Id.* 10. *ibid.* 7. attondent simæ virgulta capellæ. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 100. Capella gerit distentum uber. *Id. Epod.* 16. 49. Injussæ veniunt ad mulctra capellæ. Adde *Tibull.* 1. 1. 31.; *Ovid.* 13. *Met.* 691.; *Phædr.* 1. 5. 3.; *Colum.* 7. *R. R.* 6. 4.; et *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 7. — Adhibetur interdum in conviciis, de homine hirsuto, inculto et deformi. *Ammian.* 17. 12. narrat, milites Julianum hirsutum carpentes, clamare solitos: In odium venit cum victoriis suis capella, non homo. *Id.* 24. 8. Captivos graciles, et macie jam confectos jussit in medium duci, nostrosque respiciens, En, inquit, quos Martia ista pectora viros existimant, deformes illuvie capellas et tetras. ¶ 2. Est etiam sidus cæleste, hoc est stella insignis magnitudinis in sinistro humero Aurigæ. Hæc in fabulis est capra illa nobilis, infantis Jovis nutrix, de qua *V.* AMALTHEA in ONOM. Hanc *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94. Capram appellat, *Plin.* vero 18. *Hist. nat.* 66. 26. (248). Capellam. *Ovid.* 5. *Fast.* 113. Nascitur Oleniæ sidus pluviale Capellæ: Illa dati cælum præmia lactis habet. *V.* ibi reliqua et cf. *eumd.* 3. *Met.* 594. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

CĂPELLĬĀNUS, a, um, adject. ad capellam pertinens. Capelliana ruta apud *Martial.* 11. 31. eadem est, quæ ruta capraria, ita dicta quod ea libenter vesci capellæ dicantur.

CĂPELLUS, i, m. 2. Agnoscit *Priscian.* 3. p. 617. *Putsch.* tamquam diminutivum a capro: nullo tamen exemplo confirmat.

CĂPER, pri, m. 2. idem qui hircus, hoc est vir capellarum, quemadmodum *aries* est vir ovium. Videtur ita appellatus fuisse ab absoleto κάπτω *excavo*, *fodio*, quia caper cornibus cavat sive arietat: qua vero castratum significat, est a κάπρος proprie *cavatus*, *exsectus*: qua denique aprum denotat, est ita dictus a fodienda terra (It. *becco*, *capro*; Fr. *bouc*; Hisp. *cabron*; Germ. *d. Bock*; Angl. *a he-goat*). Occurrit tantum ¶ 1. De noto animali, et quidem — *a*) De mare caprarum castrato. *Martial.* 3. 24. Dum jugulas hircum, factus es ipse caper. *Gell.* 9. 9. docet ex *Varron.* hanc esse propriam hujus vocis significationem: ex quo sequitur alteram per catachresin ei attribui. — *b*) Ut ut res se habeat, plures certe sunt, qui caprum pro hirco accipiunt. *Virg.* 7. *Ecl.* 7. Vir gregis ipse caper. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 25. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 2. Caper optimus habetur amplissimi corporis, cruribus crassis, exiguo capite, etc. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 327.; *Horat. Epod.* 10. 23.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 76. (201). — Immolabatur Baccho, quia vitibus infestus est, easque erodendo urit. *Virg.* 2. *G.* 380.; *Horat.* 3. *Od.* 8. 7.; *Ovid.* 15. *Met.* 114. et 2. *Pont.* 9. 31. Addit *Servius* ad cit. 2. *G.* cum primum cognovisset Bacchus, vites sibi a capro rosas fuisse, eum occidi jussisse, atque ex ejus pelle utrem fecisse et vino implevisse in ultionem admissi sceleris. ¶ 2. Ponitur etiam pro fœtore hircino, qui sub brachiis hominum ex sudore collecto nascitur. *Catull.* 69. 6. tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper. *Ovid.* 3. *Art. am.* 193. ne trux caper iret in alas. *V.* HIRCUS. ¶ 3. *Caper* est etiam nomen piscis marini, qui Italice *pesce porco* vocatur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (267). Et is, qui caper vocatur, in Acheloo amne, grunnitum habet. caper dicitur a *Plin.*, quia Græce κάπρος est. Verum quia κάπρος *aprum* significat, rectius *aper* Latine diceretur, cui (non capro) grunnitus convenit: sunt itaque, qui apud *Plin.* leg. *aper.* *V.* APER. ¶ 4. Apud *Manil.* 2. 178. et 658. Caper idem est qui Capricornus, cæleste sidus. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

CĂPERASSĔRE irrugare, contrahi. *Placid. Gloss.* p. 450. ed. *Mai.* *V.* CAPERO.

CĂPERĀTUS, a, um, *V.* voc. seq.

CĂPERO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Caperatus* sub *b.* — Caperare est contrahere atque in rugas componere; quod, si de fronte dicitur, est irati, aut severi, aut etiam mœsti animi signum. *Varro* 7. *L. L.* 107. *Müll.*, *Paul. Diac.* p. 48. 8. *Müll.* et *Non.*

p. 8. 31. Merc. ductum esse docent a caprarum frontibus crispis. — Occurrit — a) Absolute. Plaut. Epid. 5, 1. 2. Sed eccum incedit Epidicus. Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine? Cf. Non. p. 9. 1. Merc. — b) Cum Accus., occurrit fere Part. præter. pass. Nævius apud Varron. 7. L. L. 107. Müll. Voce suppressa, caperata fronte, vultu turbido. Adde Varron. apud Non. p. 9. 3. Merc. Auson. in fin. centon. Nuptial. Prurire opusculum Sulpitiæ, frontem caperare. h. e. Sulpitiam in carmine lasciviorem esse, in moribus severam. Apul. 9. Met. Qui in suavis et odiosi mariti tui caperatum supercilium ignaviter perhorrescis. Id. Florid. n. 23. Caperata vela. h. e. quæ restricta sunt et complicata, non expansa et extensa.

CĂPESSO, is, īvi vel ii, ītum, ere, a. 3., in præter. 4. — Olim capisso dictum videtur; nam capissam pro capessam habet Pacuvius apud Non. p. 237. 1. Merc. Dubito, quam infestam viam, aut quod primordium capissam ad stirpem exquirendum. — Præteritum capessiirit habent Sallust. apud Priscian. 10. p. 902. Putsch. et Tac. 15. Ann. 49.; capessii habet Tac. 12. Ann. 30. Diomed. 1. p. 367. Putsch. ponit etiam capessi, sed nullo probat exemplo. Cf. Priscian. loc. nuper cit. — Part. Capessens I. 2. a; Capessiturus et Capessendus II. 2. — Juxta Priscian. loco nuper cit. capesso est verbum desiderativum a capio: sed si usum animadvertamus est potius inchoativum ab eodem verbo, et est ad capiendum accedo, accedo ut capiam, cum quodam motu et nisu prebendo (It. accostarsi o farsi dappresso per afferrare e pigliare; Fr. chercher à prendre, a saisir quelque chose; Hisp. buscar tomar ó asir alguna cosa; Germ. sich an etwas machen, um es zu fassen oder greifen, damit beschäftigt sein, etwas zu nehmen, zu ergreifen oder zu erfassen; Angl. to take, catch at, take up).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et de rebus corporeis. Cic. 2. Nat. D. 47. 122. Animalia partim cibum oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt. Id. ibid. § 121. Capessere pastum. Virg. 3. Æn. 234. sociis, tunc arma capessant, Edico. Adde Ovid. 11. Met. 378. ¶ 2. Speciatim significat magno studio ire, accedere, ferri ad aliquem locum: et occurrit — a) Cum Accus. ipsius loci vel personæ, ad quam tendimus. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 20. 40. Ita sola errare videbar tardaque vestigare et quærere te, neque posse corde capessere: semita nulla pedem stabilibat. Cic. 2. Nat. D. 45. 116. Omnes mundi partes undique medium locum capessentes, nituntur æqualiter. Id. 10. Att. 9. 1. Melitam igitur capessamus. Id. 1. Tusc. 18. 42. Animus superiora capessit. Liv. 44. 2. Capessere viam. Virg. 4. Æn. 346. Italiam. Id. 11. ibid. 466. turres. Val. Flacc. 4. 316. montem. Sil. It. 4. 480. æthera. — b) Occurrit etiam capessere se aliquo, in vel ad aliquem locum; sed in familiari sermone tantummodo et ante Augusteam ætatem. Plaut. Bacch. 1. 2. 5. Quo nunc capessis tute hinc adversâ viâ cum tanta pompa? Et omisso se, Id. Rud. 1. 2. 89. Si ad saxum, quo capessit, eo deorsum cadit. Id. Amph. 1. 1. 106. et Titinius apud Servium ad Virg. 4. Æn. 346. Capessere se domum. Plaut. Rud. 1. 2. 53. se horsum. Id. Asin. 1. 3. 6. se navi in altum. — Et figurate Id. Bacch. 4. 10. 2. Quam se ad vitam et quos ad mores præcipitem ille inscitus capessat.

II.) Translate est suscipere, inire, subire, sive ad rem aliquam magno studio totisque viribus tractandam, agendam ac perficiendam incumbere; et sæpe ponitur de præcipuis reipubl. magistratibus atque honoribus. Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. Tac. 4. Ann 52. accusationes. Liv. 26. 25.; Curt. 3. 2. 2. et 3. 10. 3.; et Tac. 4. Hist. 79. bellum. Liv. 31. 38. belli partem. Sil. It. 7. 325. bella. Tac. 4. Ann. 16. cærimonias. Plin. Paneg. 39. civitatem. Tac. 12. Ann. 11. clementiam ac justitiam. Plaut. Rud. 1. 3. 21. consilium. Tac. 3. Ann. 4. consilia imperii. Plin. Paneg. 66. curas imperii. Tac. 12. Ann. 25. curarum partem. Plaut. Capt. 4. 1. 9. cursum ad aliquem. Liv. 9. 40. decoris partem cum aliquo. Sallust. apud Priscian. 10. p. 902. Putsch. diversa. Liv. 1. 25. et 9. 39.; et Curt. 3. 13. 9. fugam. Tac. 13. Ann. 25. honorem. Plaut. Trin. 2. 2. 23. imperia alicujus. h. e. accipere et exsequi. Tac. 13. Ann. 4. et 14. ibid. 26. imperium. h. e. ad gubernandum. Id. 5. ibid. 11. inimicitias. Liv. 44. 2. iram. Virg. 1. Æn. 80. jussa. h. e. accipere et exsequi: hæc autem sunt verba Virg. tuus, o regina, quid optes Explorare labor: mihi jussa capessere fas est. Sallust. Hist. fragm. 1. 15. et Gell. 2. 29. laborem cum honoribus. Cic. 10. Phil. 9. 19. et Sallust. Hist. fragm. 3. 22. libertatem. h. e. libertatis retinendæ aut recuperandæ curam suscipere. Tac. 13. Ann. 29. et Agric. 6. magistratum. Gell. 1. 8. matrimonia. Plaut. Aulul. 4. 1. 3. matura in herum. Verba Plauti sunt: Qui hero ex sententia servire servus postulat, in herum matura, in se sera condecet capessere. h. e. res domini cito, suas sego exsequi. Tac. 6. Ann. 48. Meliora capessiturus. Plin. 6. Hist. nat. 19. 22 (46). militiam. Colum. 12. R. R. 1. 4. munia domi. Tac. 4. Ann. 48. noctem in castris tutam et vigilem. Id. 12. ibid. 15. obsidia. Id. 6. ibid. 8. officia in republ. Plaut. Rud. 1. 3. 21. opem. Tac. 11. Ann. 34. et 12. ibid. 5. orbem terræ. Id. 6. ibid. 37. parata. Liv. 21. 4. Ad pericula capessenda. h. e. subeunda. Gell. 6. 10. philosophiam. Pacuvius apud Non. p. 237. 1. Merc. primordium ad aliquid. Tac. 15. Ann. 49. principium facinoris. Curt. 4. 14. 6. et Justin. 2. 12. prælium. Sil. It. 1. 4. 24. prælia. Tac. 6. Ann. 27. provincias. Liv. 2. 6. pugnam. Horat. 2. Sat. 7. 7. recta. Cic. Sext. 6. 14. et 3. Orat. 29. 112. et alibi sæpe; Sall. Cat. 54.; Liv. 3. 60.; Vellej. 2. 94. 3.; Quintil. 12. 3. 1.; Sueton. Tib. 25. et Tac. 1. Ann. 24. rempubl. h. e. curam et administrationem reipubl. suscipere. Tac. 11. Ann. 34. sacra. Gell. 12. 1. sensus naturæ. h. e. percipere, intelligere; quo sensu etiam capio adhibetur. Tac. 6. Ann. 43. solemnia regni. Liv. 37. 24. spectaculum oculis. h. e. haurire, percipere, spectaculo frui. Plaut. Rud. 1. 3. 21. spem. Plin. Paneg. 7. stationem aliquam. Tac. 15. Ann. 29. tuta et salutaria, omissis præcipitibus. Id. 3. ibid. 29. vigintiviratum. Sil. It. 1. 504. vota.

CĂPĒTUM. V. CAPITUM.

CAPIDES et } V. CAPEDO.
CAPIDULA }

CAPIDULUM genus vestimenti, quo caput tegebatur. Hæc Paul. Diac. p. 48. 13. Müll. Placid. Gloss. p. 446. ed. Mai. Capedulum. V. CREPICULUM.

CĂPĬENS, entis. V. CAPIO.

CĂPILLĀCEUS, a, um, adject. capillis præditus. ¶ 1. Est ex capillis compositus. Augustin. 22. de Civ. Dei 8. n. 21. a med. Capillaceum cingulum. Et max. Capillaceam zonam, qua fuerat anulus alligatus, mirata tentavit. ¶ 2. Est etiam capillo similis. Plin. 12. Hist. nat. 25. 54. (114). Arbor tenui et capillacea coma. Id. 13. ibid. 25. 48. (136). Frutex capillaceo folio.

CĂPILLĀGO, inis, f. 3. capilli coma. Tertull. Anim. 51. Pro cerebri ubertate vel affluit capillago, vel deserit.

CĂPILLĀMENTUM, i, n. 2. capillorum complexus (It. capellatura; Fr. chevelure; Hisp. cabellera; Germ. d. Haarbedekung, d. Haar; Angl. the hair, a head of hair). ¶ 1. Stricto sensu. — a) De capillorum complexu. Plin. 11. Hist. nat. 37. 65. (171). Sed supra dictis (lingua) capillamenti tenuitate. Id. ibid. 37. 83. (208). Setarum capillamenta in vesica hominum. Id. 16. ibid. 10. 16. (38). Pinus folium habet capillamenti modo prætenue. Adde eumd. 21. ibid. 6. 17. (33). — b) Hoc nomine veniunt et supposititiæ comæ. Sueton. Cal. 11. Ganeas atque adulteria capillamento celatus et veste longa noctibus obibat. Petron. Satyr. 110. Decoro capillamento exornare aliquem. Tertull. Cult. fem. 7. Adfigitis præterea nescio quas enormitates sutilium et textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis et operculum verticis, nunc in cervicem retro. ¶ 2. Dicitur etiam per similitudinem de tenuibus filis radicum et foliorum, aliarumque rerum hujusmodi. Seneca Ep. 86. sub fin. Vitis capillamenta quoque, si fieri potest, colligenda sunt. Colum. 4. R. R. 11. 1. et 22. 4. Capillamenta seminum. Plin. 19. Hist. nat. 6. 31. (99). Quæ rectam non habent radicem, statim plurimis nituntur capillamentis. Id. 27. ibid. 12. 86. (105). Capillamentis fimbriata radix. Id. 35. ibid. 15. 52. (186). Aluminis unum genus schiston appellant Græci, in capillamenta quædam canescentia dehiscens. Id. 37. ibid. 2. 10. (28). Capillamentum in crystallo rimæ simile. Adde eumd. ibid. 5. 18. (68).

CĂPILLĀRIS, e, adject. ad capillum pertinens. Capillaris arbor apud Paul. Diac. p. 57. 17. Müll. eadem est quæ capillata. V. CAPILLOR 1. — Capillaris herba ab Apul. Herb. 47. dicitur quæ alio nomine capillus Veneris appellatur: V. ADIANTUM.

Capillare, is, n. 2. absolute, subaudi unguentum, est unguentum capillis ungendis aptum. Martial. 3. 82. Et Cosmianis ipse fusus ampullis, Non erubescit murice aureo nobis Dividere mœchæ pauperis capillare.

CĂPILLĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est capillamentum. Paulin. Nol. ep. 23. ad Sever. 23. Tunc honori fuerit capillatio, cum etc. ¶ 2. Est etiam morbus vesicæ, cum ex ea una cum crassa urina fila quædam capilli similia egeruntur. Cæl. Aurel. 5. Tard. 4. In vesica plurimæ passiones eveniunt, capillatio, debilitas, calculatio, etc. τριχίασις.

CĂPILLĀTŪRA, æ, f. 1. capillamentum. Tertull. Cult. fem. 7. Frustra laboratis ornatæ videri; frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis. h. e. cosmetas. Cæl. Aurel. 1. Tard. 1. Radere caput nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam. V. et CAPILLOR 1. — Occurrit etiam de capillis seu pilis cujuscumque corporeæ partis. Id. 1. Acut. 11. Partiatim erit adhibenda cucurbita nunc præcordiis atque pubetenus præ rasa capillatura.

CĂPILLĀTUS, a, um. V. CAPILLOR.

CĂPILLĪTĬUM, ii, n. 2. capillamentum, capillatura. Cels. 4. 2. Sub quo nomine (capitis) nunc significo eam partem, quæ capillitio tegitur. Pleriq. omn. leg. capillo, aut capillis. Apul. 2. Met. Flavum et inaffectatum capillitium. Capell. 4. p. 95. Quod et capillitium implexum docet.

CĂPILLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Sæpius occurrit Part. Capillatus, quod vide et in fine. — Capillor ¶ 1. Est capillos habeo vel emitto: quo sensu occurrit tantum de lapide apud Plin. 37. Hist. nat. 11. 73. (190). Polytrichos in viridi capillatur, sed defluvia comarum facere dicitur. At Sillig legit: Polythrix in viridi capillaturam ostendit, etc. — De hominibus occurrit Part. præter. Capillatus, ut apud Cic. 2. Leg. Agr. 22. 58. Adolescens bene capillatus. Id. 2. ibid. 5. 13. Capillatior, quam ante, barbaque majore. Sueton. Vesp. 23. Parthorum rex capillatus. Juvenal. 5. 30. Ipse capillato diffusum consule potat. h. e. vinum vetustissimum et eo tempore diffusum, quo consules adhuc intonsi erant. Nam tonsores primum Romæ adhiberi cœpti sunt an. U. C. 454., testibus Varron. 2. R. R. sub fin. et Plin. 7. Hist. nat. 59. 59. (211). Firmic. 3. Astron. 3. Capillati philosophi. Et absolute capillati dicuntur nobiles juvenes a Martial. 3. 57. et 10. 62. — Capillati etiam dicti sunt addicti sacris Matris deum et Bellonæ, quia capillum nutriebant, vel, ut alii volunt, nigro vellere caput obtegebant in sacris peragendis. Inscript. apud Gruter. 308. 5. L. VETTIO SYNTROPHO RELIGIOSO A MATRE MAGNA CAPILLATO etc. Hinc Val. Flacc. 7. 636. exsectos lacerat Bellona comatos. Alii legendum putant Comanos a Comanis populis Cappadociæ, apud quos celebre fanum Bellonæ fuit. Repugnat cum aliis Harles ad hunc locum. — Olim capillata arbor (quæ capillaris appellatur a Paul. Diac. p. 57. 17. Müll.) dicta est, ad quam capillus Virginum Vestalium deferebatur, cum se tondebant et Vestæ cultui mancipabant. Plin. 16. Hist. nat. 44. 85. (235). ¶ 2. Præterea capillata dicuntur ea, quæ subtilia et tenuia capilli modo sunt. Plin. 19. Hist. nat. 6. 31. (98). Radices capillatæ apio, malvæ. Id. 16. ibid. 24. 38. (90). Folia capillata pino, cedro.

Capillatus, a, um, etiam adjective occurrit, unde Comp. Capillatior: V. super. sub 1.

CĂPILLOR, ōris, m. 3. genus est augurii stativi, cum auspicato arbor capitur, et consecratur Jovis fulguri. Hæc Servius ad Virg. 10. Æn. 423. Sed lectio mendosa esse videtur.

CĂPILLŌSUS, a, um, adject. capillis abundans. Cæl. Aurel. 5. Tard. 4. Plurimus mictus cum arenoso vel capilloso sedimine.

CĂPILLŬLUS, i, m. 2. deminutivum capilli. In quodam carmine, quod quidam Corn. Gallo tribuunt. Pande puella, pande capillulos Flavos, lucentes, ut aurum nitidum.

CĂPILLUM, i, n. 2. idem quod capillus. Non. p. 198. 19. Merc. putat capillum dici etiam neutro genere, allato Plauti exemplo Most. 1. 3. 97. Video

capillum satin' compositum sit commode. *Sed integer locus passim ita legitur:* Suo quique loco viden', capillus satis compositust commode?

CAPILLUS, i, m. 2. De alia forma *capillum V.* voc. praeced. — Ratione habita etymi, conjungenda est vox cum *caput* (unde *Isid.* 11. *Orig.* 1. 28. Capilli vocati quasi capitis pili.), et cum Gr. κεφαλή caput. — Capillus stricto sensu capitis pilos seu totam capitis comam significavit, eique *barba* opponitur, ut apud *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58., *Liv.* 6. 16., *Nepot. Datam.* 3., *Sueton. Aug.* 23., *Senec.* 1. *Quaest. nat.* 16. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 94. (230).: quo sensu veteres singulari tantum numero hanc vocem usurparunt, teste *Varron.* apud *Charis.* 1. p. 80. *Putsch.* In posterum vero hoc nomine venerunt non modo singuli capitis pili, verum etiam barba, ut apud *Senec. Ep.* 95. et *Sueton. Ner.* 1.; immo, Augustea aetate, in plur. numero saepius *capilli* dicti sunt pro tota capitis coma, quemadmodum semel a *Cic. Pis.* 11. 25. (It. *capello*, *i capelli*, *la chioma*; Fr. *poil de la tête*, *cheveu*; Hisp. *cabello*; Germ. *d. Haupthaar*, *d. Haupthaare*; Angl. *a hair*, *the hair of the head*). Ceterum occurrit hoc nomen ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. — a) In num. sing. — Jungitur pluribus Verbis. *Plaut. Rud.* 2. 3. 46. et *Liv.* 6. 16. Promittere capillum. Cf. *Caes.* 5. *B. G.* 14. et *Liv.* 2. 23. Promissus capillus. *Plaut. Men.* 5. 2. 117. Capillo aliquem de curru deripere. *Id. Merc.* 4. 4. 58. pertrahere. *Ter. Eun.* 4. 3. 4. Conscindere capillo mulierem. *Id. ibid.* 5. 2. 21. Involare alicui in capillum. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Capillum detondere, depectere. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. et 5. *Tusc.* 20. 58. Capillum adurere. *Maecenas* apud *Priscian.* 10. p. 902. *Putsch.* Pectere capillum. *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* Explicare pectine capillum. *Seneca* 1. *Controv. praefat.* Capillum frangere. *h. e.* peculiari quadam ratione crispare: sic *Quintil.* 1. 6. *extr.* Comam in gradum frangere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 75. (194). Capillum tondere. *Id.* 28. *ibid.* 8. 26. (91). crispare. *Sueton. Aug.* 99. comere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (127). Capilli defluvium. — Jungitur et pluribus Adjectivis. *Plaut. Pers.* 2. 2. 48. Capillus versipellis. *Ter. Heaut.* 2. 3. 49. passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter. Adde *eumd. Phorm.* 1. 2. 56. *Cic. Rosc. Am.* 46. 135. et *post redit. in sen.* 6. 13. compositus. *Id. Sext.* 8. 19. horridus. Cf. *Tac. Germ.* 38. horrens. *Nepos Datam.* 3. longus. *Atta* apud *Non.* p. 202. 29. *Merc.* Dissoluto crine capillus. *Virg.* 1. *G.* 405. purpureus. *Horat. Art. P.* 37. niger. *Id. Epod.* 17. 15. albus. *Id.* 3. *Od.* 14. 25. albescens. *Ovid.* 2. *Art. am.* 304. Torserit igne comam, torte capille place. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 78. 80. (189). vibratus. *Sueton. Tib.* 68. pone occipitium submissior. *Fronto de eloq.* Capillus etsi non cotidie acu ornandus, tamen pectine cotidie expediendus est. — b) In plur. num. *Cic. Pis.* 11. 25. Compti capilli et madentes. *Liv.* 2. 23. Promissa barba et capilli. *Horat. Epod.* 15. 9. et *Ovid.* 1. *Met.* 564. intonsi. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 32. nitidi. *Ovid.* 3. *Met.* 169. sparsi per colla. *Tibull.* 4. 2. 10. fusi. *Ovid.* 2. *Art. am.* 117. et 1. *Met.* 266. cani. *Id.* 1. *Amor.* 7. 11. digesti. *Id. Heroid.* 9. 63. hirsuti. *Id. ibid.* 10. 137. demissi. *Plin.* 2. *Ep.* 6. rari et cedentes. *h. e.* retro abeuntes et refugi a fronte, ut in senibus. — *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 23. ornare. *Id.* 1. *Art. am.* 505. ferro torquere. *Id.* 1. *Amor.* 14. 1. medicare. *Id. Medic. fac.* 19. positu variare. *Id.* 3. *Met.* 170. in nodum colligere. *Id.* 3. *Amor.* 9. 3. solvere. *Id. ibid.* 2. 75. turbare. *Id.* 2. *ibid.* 5. 45. laniare. *Id. Heroid.* 3. 15. rumpere. *Et ibid.* 79. scindere. *Sueton. Caes.* 67. submittere. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 89. (140). alere. *Seneca Ep.* 124. *ad fin.* vel effundere more Parthorum, vel Germanorum vincire nodo, vel, ut Scythae solent, spargere. — Ceterum de vario in disponendis capillis modo consule *Tertull. Cult. fem.* 7. — c) Dicitur etiam generatim de pilis humani corporis. *Seneca Ep.* 92. *sub fin.* Ex barba capillos detonsos negligimus. Adde *Cic.* 2. *Off.* 7. 25.; *Auct. Priap.* 46.; et *Cael. Aurel.* 3. *Acut.* 18. de pilis in pube. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de pilis animalium. *Catull.* 25. 1. Mollior cuniculi capillo. *Colum.* 9. *R. R.* 10. 1. Plenior quasi capillis in ventre regis apum. *Pers.* 3. 10. bicolor positis membrana capillis. *Gell.* 12. 1. et *Macrob.* 5. *Saturn.* 11. *a med.* Capillus haedi tenerior. ¶ 3. Item de tenuibus filis aliarum rerum capillo similibus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (33). Crocum pinguissimum et brevis capilli. *Et ibid.* 18. 73. (121). Capillus in rosa. *h. e.* lutea fila et apices intra rosae florem. — Hinc *capillus Veneris* nomen est herbae, quae *capillaris* dicitur. *Apul. Herb.* 47. *V.* ADIANTUM.

CAPIO, căpis, cēpi, captum, capere, a. 3. *Capso* pro *cepero* antique dictum est a *Plaut. Bacch.* 4. 4. 60. Invadam extemplo in oppidum: si id capso etc. *Capsit* pro *ceperit* dixit *Id. Pseud.* 4. 3. 6. Si occasionem capsit. Adde *Accium* apud *Non.* p. 1. 83. 11. *Merc.* et *Paul. Diac.* p. 57. 15. *Müll. Capsimus* pro *ceperimus* dixit *Plaut. Rud.* 2. 1. 15. Nisi quid concharum capsimus, incoenati sumus profecto. — *Capsis* pro *cape si vis* usurpatum testatur *Cic. Orat.* 45. 154.; at *Quintil.* 1. 5. 66. hanc interpretationem improbat, et putat *capsis* esse dictum ἀρχαϊκῶς pro *ceperis*, ut alia multa his similia. — Denique *cepet* pro *cepit* legitur in *Column. rostr. Duil.* apud *Orell. Inscript.* 549. — Part. *Capiens* pro capaci apud *Gell.* 4. 1. Homo est mortale animal rationis et scientiae capiens.; *Captus* sub *B.* 1.° I. *e.* et alibi; *Capturus* apud *Plaut. Stich.* 4. 2. 51. Vide, quid es capturus consilii. Adde *Cic. Amic.* 21. 79.; *Capiendus* apud *Virg.* 4. *G.* 396. vinclis capiendus. — Capio ratione habita etymi, conjungi potest cum *caput* et Gr. κεφαλή, hoc est cavitas cerebrum continens; ideoque capere jam inde ab origine significavit continere: sed tamen haud multo post significavit etiam prehendere, sumere, adipisci. Itaque ceterae omnes hujus verbi significationes ex his duabus pendent, quas propterea *A* et *B* distinguendas putavimus.

A) Capere significat continere (It. *capire*, *contenere*; Fr. *renfermer*, *contenir*; Hisp. *caber*, *contener*; Germ. *etwas in sich fassen*, *begreifen*, *aufnehmen*, *umfangen*; Angl. *to contain*, *hold or keep togheter*, *comprise*, *comprehend*): et occurrit

I.) Proprie ponitur de loci spatio, quod in se rem aliquam continet. — a) Generatim. *Plaut. Curc.* 1. 2. 14. PH. Sitit haec anus. PA. Quantillum sitit? PH. Modica est, capit quadrantal. *Plaut. Trin.* 4. 2. 60.; *Ter. Eun.* 2. 3. 77. et 82.; *Sall. Jug.* 91.; et *Juvenal.* 10. 229. Capere cibum. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 46. non tuus venter plus capiet quam meus. *Lucret.* 6. 1028. Parte quod ea una spatium vacat et capit in se (*ferrum*). *Cic.* 6. *Verr.* 4. 8. Tot domus locupletissimas istius domus una capiet? *Ovid.* 1. *Met.* 343. Jam mare littus habet, planos capit alveus amnes. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 75. et 8. *ibid.* 558. *Id.* 5. *ibid.* 324. donec fessos Aegyptia tellus Ceperit. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 768. — Huc pertinet et illud *Propert.* 4. 9. 49. Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus. *h. e.* cinxit. — b) Speciatim cum particulis negativis, quibus significamus alicui loco non esse tantum spatii, quantum rei alicui continendae sufficiat. *Ter. Heaut.* 2. 3. 13. Di boni, quid turbaest? Aedes nostrae vix capient, scio. *Cic.* 1. *Off.* 17. 54. Qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos exeunt. *Virg.* 7. *Aen.* 446. Nec jam se capit unda, volat vapor ater ad auras. *Ovid.* 7. *Met.* 607. neque enim capiebant funera portae. Cf. *eumd.* 4. *Pont.* 4. 42. Officium populi vix capiente domo. *Curt.* 7. 8. 12. Si di habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet. *Justin.* 2. 10. Graeciam omnem vix capere ejus (*Xerxis*) exercitum potuisse. — Huc pertinent et illa figurate dicta, in quibus *capere* cum particulis negativis ponitur de iis, quae, utpote parva, alicui non sufficiunt. *Cic. Mil.* 32. 87. Capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant. *Id.* 2. *Phil.* 44. 114. Cum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix caelo capi posse videatur. *Liv.* 44. 15. Cujus magniloquentiam vix curia paullo ante ceperat. *Virg.* 9. *Aen.* 644. Nec te Troja capit. Adde *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 30.

II.) Translate. ¶ 1. *Capere* dicimur ea, quae in nostram naturam, mores aut vires cadunt. — a) Hoc sensu occurrit fere de animorum affectibus aliisque abstractis, et cum particulis negativis. *Cic. Pis.* 11. 24. Non capiunt angustiae pectoris tui tantam personam. *Lucret.* 3. 298. Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes, Nec capere irarum fluctus in pectore possunt. *Ovid.* 6. *Met.* 466. nec capiunt inclusas pectore flammas. *Id.* 6. *ibid.* 610. ardet et iram Non capit ipsa suam Procne. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 18. *Id. Nuc.* 4. Non capit ira moram. *Curt.* 7. 8. 12. Sic quoque concupiscis, quae non capis. *Id.* 3. 12. 20. Ad ultimum magnitudinem ejus (*fortunae*) non capit. *Quintil.* 1. 11. 13. Infirma aetas majora non capiet. *Capitolin. Vero* 11. Nota est fabula, quam Marci vita non capit. — b) Raro sine particulis negativis. *Curt.* 9. 3. 7. Quidquid mortalitas capere poterat, implevimus. *Quintil.* 1. 1. 20. Praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur. *Paul. Dig.* 4. 12. 15. Dummodo ejus aetatis sit, ut dolum capiat. — c) Tribuitur, quamvis raro, et aliis rebus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 78. (212). Rimam fissuramque non capit cedrus. *Id. ibid.* 16. 27. (68). Bruscum non capit magnitudinem mensarum. *h. e.* non adeo crescit, ut magnitudini mensarum sufficiat. *Quintil.* 12. 11. 25. Capere id rerum naturam. *Ulp. Dig.* 4. 4. 19. Res non capit restitutionem cum statum mutat. — d) Apud serioris aevi Scriptores occurrit cum Infinito, Graecoque ἐνδέχεται respondet. *Prudent. Apoth.* 154. *de Deo.* Nec capit humanis angoribus excruciari. *h. e.* non potest, non est obnoxius. *Paulin. Nolan. carm.* 9. 22. Sed Domini carmen tellus aliena mereri Non capit. Sic *Tertull. Pudic.* 1. *ad fin.* Crimina, quae non capiunt indulgeri. *Sciopp. in not. ad Tertull.* legit *non capit indulgeri*, h. e. οὐκ ἐνδέχεται, fieri non potest, ut remittantur. Hac ratione usurpat etiam *Apolog.* 17., *Habit. mul.* 2., et alibi. ¶ 2. Praeterea capere dicimur ea, quae mente, cogitatione et intelligentia plane atque omnino comprehendere possumus. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 2. Cum praesertim considerem, nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulare atque illustrare posset. *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 49. Nostram mentem intelligentiamque capere, quae sit beata natura et aeterna. *Id. Marcell.* 2. 6. Quae quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit. *Liv.* 27. 5. Capere mente aliquid. *Id.* 9. 17. Quem (*senatum*) qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit. *Quintil.* 1. 1. Capere intellectum disciplinarum.

B) Ex priori significatione altera procedit, qua capere significat sic rem adipisci ac prehendere, ut ea in nostra manu ac potestate sit. Hoc autem sensu occurrit 1.°) pro simpliciter adipisci rem ac prehendere nostraque in potestate tenere; 2.°) pro prehendere atque occupare ad certum aliquem finem; 3.°) pro suum facere, rei possessionem accipere; 4.°) denique pro suscipere vel inire rem aliquam vel aliquod negotium; quae omnia separatim exhibentur.

1.°) Capere significat rem simpliciter adipisci ac prehendere; et occurrit

I.) Proprie de corporeis atque inanimis: et quidem — a) Generatim. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 9. Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum. *Cato* apud *Festum* p. 182. 27. *Müll.* Orcas mihi inde, tibi cape flabellum. *Atilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 90. *Müll.* Cape, caede, lide, come, conde. *Catull.* 63. 8. Cepit manibus tympanum. *Virg.* 3. *G.* 420. cape saxa manu, cape robora, pastor. *Id.* 2. *Aen.* 717. Tu, genitor, cape sacra manu patriosque penates. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum praecipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. Rosc. Am.* 53. 153., *Rabir. perd.* 6. 19. et 7. 20. et 21. et 9. 27. et 11. 31., *Planc.* 36. 88. et 4. *Phil.* 3. 7.; *Caes.* 5. *B. G.* 26. et 7. *ibid.* 4.; *Sall. Cat.* 27. et alii. Capere arma. *Ovid.* 2. *Met.* 789. baculum. *Id.* 12. *ibid.* 475. colum cum calathis. *Id.* 13. *ibid.* 435. ensem. *Catull.* 61. 8. flammeum. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 48. (81). florem ternis digitis. *Propert.* 3. 9. 57. lora. *Liv.* 3. 28.; *Dig.* 46. 13. 9. § 6.; et *Cajus* 4. *Instit.* 29. pignus. Et cum duplici Accus. *Plaut. Amph. prol.* 66. aliquid pignus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 69. pocula. *Cajus* 1. *Instit.* 121. rem manu. *Dig.* 42. 1. 15. § 8. rem pignori. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (12). scutum laeva. *Varro* apud *Non.* p. 253. 5. stolam calceosque muliebres propter positos. *Ovid.* 3. *Met.* 307. tela. *Ter. Eun.* 2. 3. 79. vestem. — b) Speciatim ponitur de locis, quae occupantur. *Nepos Ages.* 6. 2. Capere locum editum. *Sall. Jug.* 58. locum paullo editiorem. *Caes.* 1. *B. G.* 25. montem. *Liv.* 9. 43. montes proximos fuga. *Virg.* 6. *Aen.* 754. tumulum. — Quod si de navibus agitur, *capere* est ad littus vel portum appellere. *Caes.* 1. *B. G.* 26. Cursum tenere atque insulam capere. Et figurate *Cic. Sext.* 46. 99. Cursum tenere et capere otii portum et dignitatis. *Caes.* 4. *B. G.* 36. Capere portus. *Id.* 3. *B. C.* 28. locum. *Auct. B. Alex.* 17. insulam. — c) Item speciatim *capere* est militare verbum de urbibus, oppidis, provinciis etc., quibus aliquis armorum vi potitur: ad rem *Curt.* 6. 3. 10. Aut quae cepimus amittenda sunt, aut quae non habemus occupanda. *Column.*

rostr. Duil. apud Orell. Inscript. 549. Capere Macellam oppugnando. Monum. Scip. apud eumd. Inscript. 551. Corsicam Aleriamque urbem. Ennius apud Macrob. 6. Saturn. 1. Pergama. Plaut. Bacch. 4. 4. 61. oppidum. Cato apud Charis. 2. p. 191. Putsch. et Vatin. apud Cic. 5. Fam. 10. 2. oppidum vi. Ennius 3. Ann. 13.; Sall. Jug. 92.; et Propert. 3. 4. 16. oppida. Cic. Mur. 9. 22. urbes, castra. Id. 1. Divinat. 33. 72.; et Nepos Datam. 6. castra hostium. Liv. 42. 63. moenia scalis. Id. 1. 1.; et Horat. 2. Sat. 3. 191. Trojam. Liv. 3. 71. Coriolos. Id. 6. 12. Capuam. Vellej. 2. 74. 3. sedem belli. — Neque omnino proprie Cic. Dom. 10. 26. Capere rempubl. Liv. 3. 50. extr. patriam suam. — d) Item speciatim est militare verbum, quod ponitur de præda. Columm. rostr. Duil. apud Orell. Inscript. 549. Capere aurum, argentum. Plaut. Truc. 1. 2. 14. prædam de prædonibus. Cic. 6. Verr. 68. 149. signum ex Macedonia. Id. ibid. 38. 72. signum Carthagine. Dom. 49. 128. agros de hostibus. Liv. 3. 71. agrum manu. Id. 4. 48. agrum ex hostibus. Id. 5. 20. peculium ex hostibus. Auct. B. Alex. 16. quinqueremem una cum defensoribus remigibusque. Nepos Con. 4. naves. Id. Cim. 2. classem. Id. Datam. 10. magnas prædas. — e) Item est militare verbum, de militibus, qui bello comprehenduntur. Ennius apud Paul. Diac. p. 123. 14. Müll. Summus ibi capitur meddix, occiditur alter. Plaut. Amph. 1. 1. 258. Oppidum expugnavimus et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus. Ter. Heaut. 2. 3. 47. Capta ex Caria. Lucret. 4. 1010. Reges capiuntur. Cic. 3. Cat. 7. 16. Quoniam – belli nefarios duces captos jam et comprehensos tenetis. Id. Brut. 18. 72. Livius captus Taranto. Cæs. 1. B. G. 26. Orgetorigis filia atque unus e filiis captus est. Liv. 22. 49. Capta eo prœlio tria millia. Nepos Datam. 2. et Quintil. 6. 3. 61. Capere aliquem virum. Quintil. 5. 10. 67. Servus ex hoste captus. — Hinc captus interdum ponitur pro captivo. Nepos Alcib. 5. In captos clementia uti. Virg. 2. Æn. 75. quæ sit fiducia capto. Adde Tac. 6. Ann. 1. — f) Item capere est verbum venatorium et piscatorium de præda. Varro apud Non. p. 253. 31. Merc. Quid hic venator non cepit? Id. 8. L. L. 61. Müll. Si ab avibus capiundis auceps dicatur, debuisse ajunt ex piscibus capiundis, ut aucupem, sic piscicupem dici. Plaut. Rud. 2. 1. 12.; Cic. 3. Off. 14. 58.; et Plin. 32. Hist. nat. 1. 6. (27). Pisces capere. Cic. apud Macrob. 2. Saturn. 12. acipenserem. Virg. 4. G. 396. vinclis phocam. Phædr. 1. 5. 5. cervum. Ovid. 1. Art. am. 765. Hic jaculo pisces, illic capiuntur ab hamis.

II.) Translate. ¶ 1. Ratione habita corporis, capere est membrorum vel sensuum actionem impedire; nam quemadmodum qui vinctus et captivus est, caret usu motus et libertatis; captus aliquo membro dicitur, qui ejus usu caret: quo sensu occurrit — a) Semper passive. Lucret. 4. 927. genus – Humanum validis aptum per viscera nervis Nec facile ex æstu, nec frigore quod caperetur, Nec novitate cibi, nec labi corporis ullâ. Liv. 22. 2. Ipse – Hannibal – altero oculo capitur. — b) Sæpius usurpatur Part. præter. pass. Cic. Rab. perd. 7. 21. Scævola præpeditus morbo, manus et membris omnibus captus. Cf. Plin. 33. Hist. nat. 4. 24. (83). Oculis membrisque captus. Cic. 5. Tusc. 40. 115. et Liv. 21. 58. Captus oculis et auribus. Cic. 2. Divinat. 3. 9.; Virg. 1. G. 183.; et Sueton. Aug. 53. oculis. Servius tamen ad Virg. l. c. docet, captum oculis proprie dici eum, qui aliquando viderit; improprie autem Virgilium dixisse, talpæ oculis capti, cum ii cæci nascantur. Liv. 9. 29. et Val. Max. 1. 1. 17. luminibus. Liv. 43. 7. pedibus. Ovid. 6. Fast. 204. lumine. Sueton. Vit. 6. altero oculo. — Huc pertinet et illud Virg. 11. Æn. 830. Caput captum leto. ¶ 2. Ratione habita mentis, capere est intellectus vim actionemque impedire; et occurrit præcipue mente captus, h. e. mentis facultatibus carens. Cic. 1. Off. 27. 94. et 4. Acad. (2. pr.) 17. 53.; et Quintil. 6. 3. 4. Mente captus. Lucret. 4. 1019. mentibus. Seneca Herc. fur. 107. Animo captus. h. e. non sui compos: quid. leg. animum; qua ratione Sil. It. 5. 54. et 9. 644. dixit excussus mentem, Græca constructione. Tac. 3. Ann. 73. animi. — Hinc Liv. 39. 13. Velut mente capti. Id. 8. 18. Captis mentibus. Id. 6. 36. Capti et stupentes animi. Id. 24. 26. Virgines captæ furore. — Nonnulli huc referunt et illud Varron. 2. R. R. 4. ad fin. de porcellis. Cum creverunt, capiuntur sequi matrem. h. e. impediuntur, prohibentur. Vulgo tamen legitur cupiunt. ¶ 3. Ratione morali, capere est aliquem in agendo impedire, adeoque dolis decipere ac fallere. Plaut. Amph. 2. 2. 190. Tu si me impudicitiai captas, capere non potes. ἁλίσκειν dicunt Græci eodem sensu. Ter. Hec. 1. 1. 15. Injurium autem est, – qua vis captent te illi, eâdem ipsos capi? Formula apud Cic. 3. Off. 17. 70. VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIET. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 20. 66. Sapientis vim maximam esse, cavere ne capiatur, ne fallatur videre. Id. Mur. 9. 22. Tu cave, ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur. Id. apud Non. p. 253. 25. Merc. Captum me fortasse – putas et quod nollem confiteri coactum. Id. Brut. 48. 178. In capiendo adversario versutus. Id. 12. Phil. 2. 6. et Liv. 8. 6. Capi errore. Virg. 2. Æn. 196. Capi dolis lacrimisque coactis. Id. 1. ibid. 677. et Sall. Jug. 14. Capere aliquem dolis. Sall. Cat. 14. Adolescentium animos dolis. Nepos Datam. 10. Capi alicujus dolo. — Huc pertinet et illud Cic. Orat. 51. 170. Aures capere. h. e. auribus placere easque ita delectare, ut animus corrumpatur. Adde Phædr. 2. 1. 6. ¶ 4. Ratione item morali ponitur pro allicere, ad se trahere, delectare, devincire, irretire, tum in bonam, tum in malam partem. Ter. Eun. 1. 1. 29. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam minimo. Lucilius apud Non. p. 253. 16. Merc. Capere animum alicujus. Lucret. 1. 61. Nec bene promeritis capitur (deus), nec tangitur irâ. h. e. flectitur, propitius redditur, ut et Non. l. c. exponit. Cic. 3. Off. 3. 15. Quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros. Id. Cluent. 5. 13. Animum adolescentis – pellexit iis omnibus rebus, quibus illa ætas capi ac deleniri potest. Id. Amic. 26. 99. Animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Id. 1. Off. 30. 105. Voluptate capi. Id. 11. Fam. 28. Captus dulcedine pecuniæ. Id. 1. Fin. 13. 42. splendore nominis. Nepos Alcib. 9. Quem adeo cepit sua humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. Id. Att. 4. Alicujus humanitate et doctrinâ captus. Virg. 6. Ecl. 59. amore. Horat. 2. Od. 18. 36. auro. Id. 1. Sat. 1. 28. Hunc capit argenti splendor. Adde eumd. 2. ibid. 7. 46. et Art. P. 302.: et Propert. 1. 1. 1. Tibull. 3. 1. 7. Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ. Ovid. Heroid. 4. 64. Me tua forma capit: capta parente soror. Id. 3. Art. am. 133. Munditiis capimur. Ovid. 10. Met. 529. captus dulcedine vocis. Quintil. 6. 3. 5. Capi delectatione. Tac. 15. Ann. 53. amœnitate loci. ¶ 5. Ratione habita animi affectuum motuumque, nos capere dicuntur omnes affectus, qui animo potiuntur dominanturque. Ennius apud Cic. 3. Tusc. 26. 63. Cupido cepit miseram nunc me proloqui cælo atque terræ Medeai miserias. Adde Liv. 1. 6. et 40. 21. Ter. Hec. 1. 2. 13. Edepol te desiderium Athenarum arbitror – cepisse sæpe. Id. ibid. 2. 1. 22. Cepit me odium tui. Id. Eun. 3. 1. 14. Sicubi eum satietas hominum aut negoti si quando odium ceperat. Adde Liv. 27. 49. et Melam 3. 5. 2. Afranius apud Priscian. 6. p. 694. et p. 717. Putsch. Adeo ut te satias caperet totæ familiæ. Accius apud Non. p. 483. 11. Merc. Misericordia eum cepit. Cic. 3. Phil. 4. 9. Nos post reges exactos servitutis oblivio ceperat. Adde Liv. 27. 13. et 38. 46. Cf. Ovid. 1. Trist. 8. 11. Tantane te – cepere oblivia nostri? Liv. 27. 8. Ut animum ejus cura sacrorum et cæremoniarum cepit. Id. 44. 12. Admiratio cepit aliquem. Id. 1. 57. libido. Id. 25. 22. luctus et pavor. Id. 29. 20. mœror pavorque. Id. 23. 14. metus. Id. 26. 15. religio. Id. 43. 11. timor. Id. 8. 2. tædium. Virg. 4. G. 331. tædia. Id. 4. ibid. 488. incautum dementia cepit amantem. Id. 5. Æn. 466. Clementia cepit animum.

2.°) Capere significat etiam ad certum aliquem finem prehendere atque occupare; et occurrit ¶ 1. Fere proprie de locis, quæ quis eligit atque occupat aut re aut saltem mente ad aliquem finem. Liv. 9. 17.; Sueton. Aug. 94.; et Quintil. 12. 3. 5. Castris locum capere. — Et absolute. Cic. 2. Orat. 72. 294. et Cæs. 3. B. G. 23. Capere locum vel loca. Auct. B. Alex. 15. Locum spectaculo capere. Liv. 1. 18. prospectum ad urbem agrumque. Virg. 2. G. 230. Locum oculis capere. h. e. oculis eligere. Id. 1. Æn. 396. de avibus ad terram devolantibus. Terras aut capere aut captas jam despectare. — Hinc Cic. 1. Divinat. 17. 33., 2. Nat. D. 4. 11. et 2. Divinat. 35. 75. Tabernaculum capere vitio aut recte. h. e. locum ad auspicia. V. TABERNACULUM. Liv. 1. 6. extr. templa ad inaugurandum. Cf. Paul. Diac. p. 63. 4. Müll. Liv. 1. 18. sedem. h. e. ad augurium. Id. 1. 30. sedem regiæ. ¶ 2. Ponitur et de personis, quas ad aliquid eligimus. Plaut. Merc. 4. 3. 34. et Liv. 3. 71. Capere aliquem judicem. Ter. Heaut. 2. 1. 94. aliquem arbitrum. Id. Eun. 5. 2. 48. aliquem sibi patronum. Id. Hec. 4. 1. 22. aliquem generum. Id. Andr. 4. 2. 12. inimicos omnes homines. Id. ibid. 1. 2. 21. magistrum ad aliquam rem. Liv. 22. 5. Decem aliquem adhortatorem ad rem gerendam. — Eodem sensu capere dicebatur pontifex maximus, cum virginem sacris inter Vestales addicendam a paterna domo abducebat. Eam enim manu prehensam parentibus, veluti bello captam, eripiebat. Gell. 1. 12. In libro Fabii Pictoris, quæ verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capit, scriptum est. Ea verba hæc sunt: SACERDOTEM VESTALEM, QVAE SACRA FACIAT, QVAE IVS SIET SACERDOTEM VESTALEM FACERE PRO POPVLO R. QVIRIT., VTI QVOD OPTIMA LEGE FIAT, ITA TE, AMATA, CAPIO. Adde Labeonem Antistium apud Gell. l. c.; Sueton. Aug. 31.; et Tac. 2. Ann. 86., 4. ibid. 16. et 15. ibid. 22. — Sed et flamines diales, item pontifices et augures capi dicebantur, teste eodem Gell. ibid., ubi affert exempla Catonis et L. Sullæ, quibus adde Liv. 27. 8. Denique et sacerdos capi dicebatur, ut Cic. 4. Verr. 51. 126. colligimus.

3.°) Capere est etiam suum facere, acquirere, rei possessionem accipere, sive jure, sive injuriâ id fiat: ad rem confer Liv. 3. 71. Agrum manu capere. ¶ 1. Generatim. Plaut. Amph. 1. 1. 115. Quoniam formam cepi hujus in me et statum. Ter. Eun. 1. 1. 34. Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas: nam quod nos capere oportet, illa intercipit. Id. Phorm. 5. 8. 57. Cape, cedo. h. e. accipe et da. Cic. 5. Fin. 25. 74. Fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant. Id. 2. leg. Agr. 29. 81. Majores enim nostri non solum id, quod de Campanis ceperant (agri), non imminuerunt, verum etiam etc. Cæs. 1. B. G. 13. Quare non committeret, ut is locus ex calamitate populi Romani nomen caperet. Lucret. 6. 95. Te duce ut insigni capiam cum laude coronam. Nepos Epam. 3. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republ. nihil præter gloriam ceperit. Id. Att. 7. At ceteri, qui per eum aut honores aut divitias ceperant. Liv. 2. 5. Capere pœnam de aliquo. Cf. Lucan. 2. 187. pœnas criminis. Ovid. 14. Met. 615. Regnum Tiberinus ab illis cepit. ¶ 2. Speciatim occurrit formula pecuniam contra leges capere, pecuniam per vim capere, pecuniam conciliare et capere, vel simpliciter capere, quæ de iis omnibus, ac præcipue de magistratibus dicebatur, qui ab aliis vel a provinciis sibi commissis pecuniam contra legem quomodocumque accipiebant sibique parabant, unde crimen de pecuniis repetundis: item qui turpi de causa pecuniam ab alio accepit, v. gr. judex ob rem judicandam, magistratus vendendo honores, testis ob testimonium in judicio, et hujusmodi. Cic. 3. Verr. 5. 10. His ego judicibus non probabo C. Verrem contra leges pecuniam cepisse. Adde eumd. 4. ibid. 10. 26. et 29. Id. 5. ibid. 40. 91. Tamen hæ pecuniæ per vim atque injuriam tuam captæ et conciliatæ. Id. ibid. 94. 218. Cum judices sitis de pecunia capta. Adde eumd. 4. ibid. 58. 142., 5. ibid. 30. 72., et 3. Legg. 20. 46. Id. 2. Fin. 16. 54. Qui ita aperte cepit pecunias ob rem judicandam, ut etc. Adde eumd. Cluent. 42. 120., Pis. 16. 38., Rabir. Post. 7. 16. et 3. Nat. D. 30. 70.; Sall. Jug. 32.; Liv. 42. 45.; et Tac. 3. Ann. 67. ¶ 3. Item speciatim occurrit formula capere aliquid ex hereditate, testamento alicujus etc., vel etiam aliquando absolute capere, et occurrit de iis, qui alicujus rei dominium ac possessionem ex testamento, legato etc. acquirunt. Cic. 3. Off. 24. 93. Si ex hereditate nihil ceperit. Id. 2. Legg. 19. 48. Qui morte testamentoque capiat, quantum omnes heredes. Quintil. 3. 6. 96. Abdicatus ne quid de bonis patris capiat. Adde eumd. 5. 14. 16. Juvenal. 1. 55. Si capiendi jus nullum uxori. Hermogenian. Dig. 28. 6. 6. Ut ex bonis, quæ testatoris fuerant, amplius capere non possit. Scævola ibid. 22. 3. 27. Capere posse usque ad certum modum. Cajus ibid. 39. 6. 30. Mortis causa capere. Javolen. ibid. 49. 14. 42. Reddere fideicommissum non capienti. h. e. jus capiendi non habenti. — Hinc Ulp. Dig. 50. 16. 71. discrimen statuit inter capere et accipere, quod capere cum effectu intelligatur, accipere autem, etiam si quis non ita accepit, ut habeat: ideoque non videri

quem capere, quod est restituturus. Quamquam ne ipsi quidem Jurisprudentes hanc differentiam perpetuo servant. — Pro usucapere legitur apud *Paul. Dig.* 41. 1. 48. ¶ 4. Item ponitur de certis reditibus, cujusmodi sunt vectigalia, decimæ, etc. *Ter. Phorm.* 5. 3. 6. Ex his prædiis talenta bina statim capiebat. *Cic. Parad.* 6. 3. § 49. Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia, ego centena ex meis. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Capere stipendium jure belli. *Nepos Alcib.* 9. quinquagena talenta vectigalis ex castro. *Liv.* 28. 39. vectigal ex agro. *Sueton. Gramm.* 23. quadragena annua ex schola. ¶ 5. Hinc etiam *fructus* capi dicuntur, qui ex agris proveniunt. *Cato R. R.* 4. Si recte habitaveris, – fundus melior erit, – fructi plus capies. Cf. *Phædr.* 4. 4. 16. — Et figurate. *Ter. Eun.* 3. 1. 59. Fructus capere. h. e. commoda atque utilitates. *Cic. Senect.* 18. 62. Capere fructus auctoritatis extremos. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 5. fructus laboris sui ex aliqua re. *Id.* 10. *Fam.* 5. 1. fructum duplicem ex aliqua re. Adde eumd. 1. *Att.* 4. 2. et *Pis.* 14. 31.; *Lucret.* 2. 971. et 5. 1409.; et *Lucan.* 7. 32. — Huc pertinent et illa *Ter. Eun.* 4. 5. 25. Capere aliquid commodi ex rure. *Cic. Amic.* 9. 32. utilitates ex amicitia maximas. *Plaut. Amph. prol.* 108. usuram corporis alterius uxoris. ¶ 6. Item *capere* ponitur de re, quæ naturâ sua crescit, augetur ideoque aliquid sibi assumit atque arrogat. *Cato R. R.* 51. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 17. 27. (123). de *plantis*. Radicem capere. *Varro* 1. *R. R.* 23. 3. de *lupinis*. Capere siliculam. *Colum.* 4. *R. R.* 23. 1. maturitatem *Plin. loc. cit.* robur. *Id.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (161). vires. — Hinc sæpissime occurrit de iis, quæ in aliud vertuntur, apud *Ovid.*, ut 4. *Met.* 751. Capere duritiem ab aere. *Id.* 1. *ibid.* 421. et 13. *ibid.* 605. faciem. *Id.* 15. *ibid.* 309. figuras. *Id.* 10. *ibid.* 202. formam. ¶ 7. Item capere dicuntur, qui bonam aut malam qualitatem vel consuetudinem suam quodammodo facit, sibi sumit. Ad rem *Cic.* 2. *Verr.* 17. 52. Si Glabrionis patris vim et acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis, si avi Scævolæ prudentiam ad prospiciendas insidias –, si soceri Scauri constantiam etc. *Plaut. Trin.* 3. 2. 24. Capere virtutem animo. *Id. Aulul.* 3. 5. 14. modum. *Ter. Phorm.* 5. 6. 51. gestum atque vultum novum. *Cic.* 3. *Phil.* 11. 29. patrium animum virtutemque. *Id.* 1. *Off.* 18. 59. consuetudinem exercitationemque. *Id. Quinct.* 31. 97. misericordiam. *Ovid.* 2. *Art. am.* 340. assuetudinem. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (13). odorem suum. *Plin. Paneg.* 46. disciplinam principum.

4.°) Denique capere est rem aliquam suscipere, inire, hoc est assumere, ut in eadem vires nostras exseramus atque exerceamus. Hinc ¶ 1. Ponitur de honoribus, magistratibus, imperiis etc., quæ quis suscipit. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 34. Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio, quam magistro desinebat esse dicto obediens. *Ter. Phorm.* 1. 2. 22. O Geta, provinciam cepisti duram. *Cic.* 8. *Att.* 3. 4. Invite cepi Capuam, non quo munus illud defugerem etc. *Id. Pis.* 2. 3. et *Sall. Jug.* 63. Capere consulatum. *Cic. pro leg. Manil.* 21. 62.; *Liv.* 2. 33.; et *Sueton. Aug.* 2. magistratum. *Sall.* 1. *Hist.* 15.; *Nepos Phoc.* 1.; et *Sueton. Cæs.* 75. magistratus. *Nepos Att.* 7. et *Sueton. Aug.* 26. honores. *Sall. Cat.* 5. rempubl. *Sueton. Claud.* 10. imperium. *Id. Vitell.* 11. pontificatum maximum. — Huc pertinet et illud *Liv.* 7. 1. Capere alicui ædilitatem. h. e. ædilitatem alicui comparare. ¶ 2. Ponitur etiam de occasione iisque omnibus, quæ quis init, quæ agenda incipit. — *a*) De occasione. *Plaut. Pseud.* 4. 3. 6. Si occasionem capsit, qui malus siet. *Ter. Andr.* 1. 3. 8. Capere caussam. *Id. Phorm.* 5. 4. 9. tempus conveniendi patris. *Cic.* 11. *Fam.* 16. 1. tempus adeundi ad aliquem. Adde *Liv.* 42. 63. — *b*) De iis, quæ quis incipit. *Liv.* 10. 7.; et *Sueton. Aug.* 95. et *Vesp.* 11. augurium capere. Cf. *Cic* 1. *Divinat.* 46. 104. omen. *Liv.* 9. 4. conatus ad erumpendum. *Sueton. Oth.* 6. cursum. *Cic.* 1. *Legg.* 3. 8. exordium ab aliqua re. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 2. 3. (19). experimentum alicujus rei. *Virg.* 10. *Æn.* 106. finem. *Cæs.* 7. *B. G.* 26. fugam. *Liv.* 2. 65.; *Quintil.* 6. 1. 28.; et *Sueton. Aug.* 42. et *Cal.* 43. impetum. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. initium ab aliqua re. *Quintil.* 2. 11. 1. initium ex aliqua re. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 7. primordia ab aliquo. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 37. pugnam. *Plaut. Merc.* 5. 2. 34. et *Trin.* 4. 3. 19. versoriam. ¶ 3. Interdum de iis quoque ponitur, quæ intellectu vel mente fiunt, vel loquuntur. *Ter. Heaut.* 2. 3. 25.; *Varro* 3. *R. R.* 16. 32.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Capere conjecturam ex aliqua re. *Cic. Mur.* 4. 9. de aliqua re. *Plaut. Merc.* 2. 3. 12. et *Stich.* 4. 172.; *Ter. Eun.* 3. 5. 66. et 5. 2. 28.; *Cic. Quinct.* 16. 53., 5. *Att.* 11. 6. et 7. *ibid.* 10.; 3. *B. G.* 2. et 7. *ibid.* 74.; *Nepos Eumen.* 9. et *Hann.* 9.; *Sall. Cat.* 16.; et *Liv.* 25. 34. Capere consilium. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. Sibi capere consilium. Similiter *Plaut. Pseud.* 2. 2. 2. et *Ter. Heaut.* 5. 2. 11. Rationem capere. ¶ 4. Item de argumentis, exemplis etc. quæ afferuntur. *Ter. Andr.* 4. 1. 27. Capere exemplum de aliquo. *Cic. Amic.* 10. 33. exemplum ex aliqua re. *Id.* 1. *Tusc.* 14. 32. specimen alicujus rei ex aliqua re. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (341). præsagia a sole. ¶ 5. Denique de iis, quæ per sensus percepta animum afficiunt; de iis, quæ subimus, ferimus, patimur. *Cic. Amic.* 13. 48. angorem capere pro aliquo. *Id.* 2. *Off.* 9. 32. benevolentiam capere beneficiis. *Id.* 1. *Divinat.* 16. 29. calamitatem capere. *Id. Senect.* 15. 54. desiderium ex filio. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 2. detrimenti aliquid in aliqua re. Quod præcipue occurrit in formula apud *Cic.* 1. *Cat.* 2. 4.; *Sall. Cat.* 29.; et *Liv.* 3. 4. VIDEANT COSS. NE QVID DETRIMENTI CAPIAT RES PVBL. *Plaut. Truc.* 2. 1. 15. dolorem corde. *Cic. Brut.* 1. 1. dolorem animo. *Liv.* 27. 40. et *Plin.* 5. *Ep.* 11. gaudium. *Cic. Amic.* 7. 25. gloriam. *Ter. Phorm.* 2. 3. 23. inimicitias in aliquam familiam. *Liv.* 5. 20. invidiam apud aliquem ex aliqua re. *Plaut. Trin.* 1. 2. 35. laborem animo. *Id. Merc.* 4. 4. 20. et *Ter. Andr.* 5. 2. 29. labores ob aliquam rem. *Ter. Hec.* 3. 2. 9. laborem inanem. *Cic.* 4. *Att.* 18. 3. lætitiam ex aliqua re. *Id.* 14. *ibid.* 14. 4. lætitiam oculis. *Ter. Eun.* 5. 4. 3. laudem. *Cic.* 2. *Off.* 8. 27. laudem ex aliqua re maximam. *Ter. Adelph.* 5. 4. 22. miseriam. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 24. 24. (90). oblivionem. h. e. rei oblivisci. *Auct. B. G.* 8. opinionem virtutis. *Cic.* 9. *Att.* 11. 4. non partem ullam quietis. *Plaut. Amph.* 1. 2. 10. satietatem alicujus rei. *Cic.* 4. *Tusc.* 19. 43. somnum. *Nepos* apud *Gell.* 7. 18. tædium vitæ. *Virg.* 6. *Æn.* 352. timorem. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 5., et *Colum.* 3. *R. R.* 18. 2. vitium. *Cic. Planc.* 1. 1. voluptatem animo. *Id.* 4. *Tusc.* 31. 66. voluptatem malis alienis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 11. voluptatem ex abitu alterius.

Homonym. *V.* in fin. v. SUMO.

CĂPĬO, ōnis, f. 3. actus capiendi. Vox antiqua a *capio*, pro *captio*, teste *Gell.* 7. 10. Per quod satis dilucet, hanc *capionem* posse dici, quasi hanc *captionem*, et in usu et in pignore. Est autem vox JCtorum, et fere conjungitur cum *usu* et *pignoris*, ut *usucapio*, *pignoris capio*, quæ *V.* suis locis. Reperitur tamen etiam sine his. *Paul. Dig.* 39. 2. 18. Consequi aliquid dominii capione. Pro usucapione *Paul. Dig.* 41. 1. 48. § 1. Perseverat per longum tempus capio. *et infra.* Hoc enim ad jus, hoc est capionem, illud ad factum pertinet. *Et Jabolen. ibid.* 3. 21. An durare nihilominus capionem ejus fundi putes? *Id. ibid.* 5. 4. *extr.* Ceterarum partium non impedietur longa possessione capio.

CĂPIS, idis. *V.* CAPEDO.

CĂPISSO. *V.* CAPESSO.

CAPISTELLUM, i, n. 2. parvum capistrum. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* 17.

CĂPISTĒRĬUM, ii, n. 2. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 11. Cum amplior messis provenerit, quidquid exteretur, capisterio expurgandum erit, et semper, quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, ad semen reservandum. — Quidam Lexicographi exponunt cribrum ad cernendum. Sed ex *Columellæ* verbis satis apparet, esse alveum, seu vas, in quod infusa aqua frumenti grana immittuntur et purgantur. Est autem a σκάφη, quæ vox inter alia cavum vas significat: inde σκαφιστήριον, quod legitur in *Gloss. Philox. Aldhelmus* quoque *in carm. de laud. Virgin.* 19. *capisterium* ponit pro vase, quod a quadam nutrice fractum D. Benedictus mirabiliter restituit. *Salmas. in commentar.* ad *Capitolin. Albin.* 5. notat, σκάφας, et σκαφιστήρια fuisse alveos, in quibus infantes calefiebant et lavabantur, vel in quibus infantilia linteamina aqua purgabantur. Quidam mallent scribere *scaphisterium*. Editio *Columellæ* a. 1472. apud *Jenson* habet *caphisterium*. *V.* tamen *Schneider.* ad *Colum. loc. cit.* Teste autem in suis MSS. cl. *Furlanetto*, *Josephus Melchiori* a. 1845. illi indicavit, Romæ hanc vocem etiamnum remanere apud rusticos, et denotare ligneum abacum, qui Romæ *schifo* dicitur, quo populus utitur ad cerealia expurganda. Apud Sabinos nunc et vicinas gentes dicitur *capisterio*.

CĂPISTRĀRĬUS, ii, m. 2. qui capistra facit aut vendit. *Inscript.* apud *Orell.* 4158. L. OPPIO QVINTO CAPISTRARIO ETC.

CĂPISTRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CĂPISTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Capistratus.* — Capistrare est capistro seu vinculis alligare: et occurrit — *a*) De vitibus vel arboribus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 95. Ut juga vineis imponantur et capistrentur. — *b*) De bovibus aliisque animalibus, quibus capitis vinculum adhiberi solet. *Colum.* 6. *R. R.* 19. 2. Capistrare jumenta ad jugum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (177). Flagellis capistrari boves oportet. *Ovid. Heroid.* 2. 80. Inque capistratis tigribus alta sedes. *Sidon. carm.* 22. 23. Evan Vite capistratas cogebat ad esseda tigres.

CĂPISTRUM, i, n. 2. (capio) est vinculum vimineum, coriaceum, etc. ad rem aliquam alligandam et coercendam (It. *capestro*, *legame*; Fr. *lien*, *muselière*; Hisp. *atadura*, *ligamento*; Germ. *eine Schlinge zum Halten*; Angl. *a halter*, *corde to tie*).

I.) Proprie — *a*) Significat retinacula prælorum. *Cato R. R.* 11. In torcularium quæ opus sunt, trocleas quinque, capistra quinque, assercula quinque etc. — *b*) Item sunt vincula, quibus vites ligantur. *Colum.* 4. *R. R.* 20. 3. Cum ad summum palum recta vitis extenta est, capistro constringitur. — *c*) Item capitis vinculum, quod equis et hujusmodi animalibus adhiberi solet. *Varro* 2. *R. R.* 6. 4. Pullos asinorum leniter capistris habent vinctos. *Ovid.* 10. *Met.* 125. Frenare ora capistris. *Edict. Dioclet.* p. 24. et 25. Capistrum equestre ✳ septuaginta, capistrum mulare ✳ octoginta. — Hinc est etiam capistrum fortasse coriaceum ferreis clavis vel aculeis insertis, quo hædorum ora constringuntur, ut si caprarum uberibus os admoveant, ipsæ puncturis læsæ recalcitrent. Hoc capistri genus plerumque e vimine fiebat. *Virg.* 3. *G.* 399. Primaque ferratis præfigunt ora capistris.

II.) Translate. *Juvenal.* 7. 43. Stulta maritali jam porrigis ora capistro.

CĂPĪTAL, ālis. *V.* voc. seq. sub I. init. et sub II. in fin.

CĂPĪTĀLIS, e, adject. Comp. *Capitalior.* II. 3. — Capitalis est ad caput pertinens (It. *del capo o della testa*, *capitale*; Fr. *capital*, *relatif à la tête*; Hisp. *capital*; Germ. *d. Haupt oder d. Kopf betreffend*; Angl. *relating to the head or life*, *capital*).

I.) Proprie occurrit raro admodum *Capital*, *alis*, n. gen. substantivorum more, et est genus operimenti, quod sacerdotum capiti imponebatur. *Varro* 5. *L. L.* 130. *Müll.* Dictum capital a capite, quod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere. *Paul. Diac.* p. 57. 6. *Müll.* interpretatur linteum, quo in sacrificiis utebantur.

II.) Improprie. ¶ 1. Capitalis est princeps, primarius, qui inter alios eminet vel excellit, ut docet *Ovid.* 3. *Fast.* 8. 39. de *Minerva Capita* seu *Capta.* Nominis in dubio causa est: capitale vocamus Ingenium solers: ingeniosa dea est. *Trebell. XXX. Tyrann.* 10. Capitali etiam joco regna promeruit. Ita in antiquis membranis, teste *Salmas.* et aliis. Vulgo legitur *militari*. Huc quidam trahunt et illud *Cic.* 2. ad *Q. fr.* 13. 4. *de Philisto historico Siculo.* Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, pæne pusillus Thucidides. *Manut.* tamen exponit. *gravis et capita rerum attingens.* Plura hac de re *Muret. variar. lection. l.* 2. *c.* 5. Sed hic præstat interpretari, *scriptorem primarium*, non vulgarem. ¶ 2. Generatim capitalis est ad vitam pertinens. *Plaut. Trin.* 4. 3. 81. Ego miser meis periculis sum per maria maxima vectus capitali periculo. Adde eumd. *Rud.* 2. 3. 19. *Id. Most.* 3. 2. 44. Capitalis cædes. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (18). Capitalis medicorum inscitia. h. l. ita legunt recentiores, et quidem recte. *Gell.* 16. 3. Revalescere ex morbo capitali. ¶ 3. Hinc capitalis dicitur, qui ad necem usque perdurat, qui necis periculum affert, qui est valde perniciosus. *Nævius* apud *Fronton.* 2. ad *M. Cæs.* 5. Capitalis amor. h. e. qui ad mortem usque permanet. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 57 Scin' tu, herum tuum meo hero esse inimicum capitalem? h. e. qui ad necem usque persequitur. *Cic.* 4 *Fin.* 12. 31. Capitalis adversarius. *Id.* 2. *Cat.* 2. 3

hostis. *Id. Amic.* 1. 2. odium. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 13. ira. *Dig.* 17. 1. 23. et 25. inimicitiæ. *Cod.* 2. 20. 7. minæ. — *Cic.* 2. *Off.* 21. 73. Capitalis oratio et ad æquationem bonorum pertinens. *Id.* 4. *Phil.* 1. 2. Cum capitalem et pestiferum Antonii reditum timeremus. *Id.* 1. *Off.* 13. 41. Totius injustitiæ nulla est capitalior, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. *Id. Senect.* 12. 39. Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas, hominibus a natura data. ¶ 4. Specialim apud JCtos — *a*) Capitalis dicitur pœna, judicium, crimen etc., in quo de capite seu vita, aut exilio, hoc est aquæ et ignis interdictione agitur, ut apud *Paul. Dig.* 48. 1. 2. legitur: cf. *Dig.* 21. 1. 23. § 2. Jungitur pluribus Substantivis. *Sueton. Aug.* 24. animadversione capitali punire. *Quintil.* 8. 3. 14. et *Apul.* 9. *Met.* causæ vel causa. *Cic.* 7. *Verr.* 9. 23. et *Tac.* 3. *Ann.* 60. crimen. *Statius* apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 6. 13. facinora capitalia facere. *Ter. Adelph.* 4. 7. 5. flagitia. *Cic. Rabir. perd.* 9. 26. fraudem capitalem admittere. Cf. *Dig.* 21. 1. 23. § 2. *Quintil.* 4. 1. 57. judicia. Cf. *Dig.* 48. 1. 2. *Paul. Diac.* p. 66. 1. *Müll.* lucus capitalis, ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur. *Scalig.* autem non *lucus*, sed *locus* legi vult. *Dig.* 48. 8. 18. *pr.* maleficia. *Liv.* 3. 55. noxa. *Sueton. Cæs.* 48. pœna capitali aliquem afficere. Adde *eumd. Domit.* 14. Apud *Callistr. Dig.* 48. 19. 28. pœna capitalis est damnatio ad metalla et deportatio in insulam. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 68. rei capitalis accusatus. Adde *Liv.* 3. 13.; et *Quintil.* 7. 3. 33. *Cic. loc.* nuper *cit.* rerum capitalium reum aliquem facere. Adde *eumd. Dom.* 30. 78.; *Sall. Cat.* 36.; et *Curt.* 68. 25. *Curt.* 3. 2. 17. et *Sueton. Domit.* 8. supplicium. *Cic. Orat.* 46. 156. triumviri capitales. *h. e.* qui de rebus capitalibus inquirunt, et reos pœna capitis afficiunt. *V.* TRIUMVIRI. — Hinc *capitale esse* vel *facere* dicitur, quod vitæ amittendæ periculum creat. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 14. 32. (63). Digredi via capitale leges fecere. *Id.* 10. *ibid.* 23. 31. (62).; *Quintil.* 9. 2. 67. et *Tac. Agric.* 2. Capitale est aliquod. — Antiquius vero pro *capitale* hoc sensu et modo occurrit *capital*, tamquam adjectivum neutr. gen., minime vero tamquam substantivum, testibus *Paul. Diac.* p. 48. 11. *Müll.* et *Non.* p. 33. 14. *Merc. Plaut. Men.* 1. 1. 16. Numquam Edepol fugiet, tametsi capital fecerit. Adde *eumd. Merc.* 3. 4. 26. *Lucilius* apud *Non.* p. 38. 17. *Merc.* Scimus capital esse, irascier. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. Quique non paruerit, capital esto. *Id.* 2. *Invent.* 31. 96. Cum Lacedæmoniis lex esset, hostias nisi ad sacrificium redemptor præbuisset, capital esset. *Liv.* 24. 37. Præsidio decedere apud Romanos capital esse. *Sueton. Cal.* 24. Risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, capital fuit. *Justin.* 2. 7. 8. Capital esse apud Athenienses cœpit, si quis etc. *Dig.* 49. 16. 6. § 6. Capital admittere gladio. Adde *Curt.* 8. 4. 17. et 8. 9. 34.; *Melam* 1. 9. 7.; *Sil. It.* 13. 155., *Dig.* 47. 21. 3. § 1. et 48. 8. 4. § 2. Sed apud *Cic.*, *Liv.* et *Justin.* quidam legunt *capitale.* — In plur. num. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. Vincula sontium servanto, capitalia vindicanto. *h. e.* crimina capitalia. *Liv.* 26. 40. Capitalia audere. Adde *Sueton. Tib.* 58. — *b*) Item *capitalis homo* dicitur summe scelestus, percussor, et qui vitam hominum petit, vel petere paratus est. *Cic.* 3. *Off.* 21. 82. Capitalis Eteocles, qui etc. *Id.* 5. *Phil.* 12. 33. Quidam septemvir capitalis homo. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 70. 170., ubi vox *capitalior* alludit etiam ad capita, quæ significant res vel pecunias. *V. Klotz* ad *h. l.*

Capital, *ālis*, n. 3. *V.* supra sub I. init. et sub II. 4. *a.*

Capitalia, *ium*, n. plur. 3. *V.* supra sub II. 4. *a.*

CĂPĬTĀLĬTER, adverb. cum periculo capitis, vel cum pœna capitis. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Quam capitaliter me ipsum apud centum viros lacessisset. *h. e.* usque ad periculum capitis. *Ammian.* 21. 16. Capitaliter odisse. *Cassiod.* 1. *Variar.* 37. Videmus arietes pro suis ovibus capitaliter insævire. ¶ 2. Specialim apud JCtos capitaliter est cum pœna capitis. *Cod. Theod.* 9. 21. 6. Capitaliter facere. *Ibid.* 3. 14. 1. et 7. 18. 4. § 4. Capitaliter expiare, vindicare aliquid. *Veget.* 2. *Milit.* 22. Capitaliter animadvertere in militem.

CĂPĬTĀNEUS, a, um, adject. præcipuus, principalis. *Auct. incert. rei agrar.* p. 270. *Goes.* Quas litteras singulas in terminis invenies, quæ capitaneæ sunt, non fundorum, sed rationis terminum ostendunt. Hanc vocem confirmat *Papyr. dipl.* apud *Marini* a. 551. n. 119. *l.* 65. hisce verbis: Centum viginti solidi capitanei. *h. e.* de capite totius summæ.

CĂPĬTĀRĬUM *Æs*, quod capi potest. Ita *Paul. Diac.* p. 65. 13. *Müll.*: at negat *Scalig.* eum ita scripsisse, sed *Capitarium est quod caput est*; atque id significare, capitariam dici pecuniam, quæ caput est usuræ. et *sors* etiam dicitur. Ipse tamen mallet, capitarium æs esse, quod capite penditur. Duplex enim fuit tributi collatio, alia in capita, alia ex censu, ut idem *Paul. Diac.* docet in *Tributorum.*

CĂPĬTĀTIM, adverb. per capita. *Servius* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 177. Non ea late exequitur, sed capitatim, et breviter transit. *Ita Codd.*; *alii* carptim *leg.*

CĂPĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. est id, quod in singula capita imponitur aut expenditur. ¶ 1. Est tributum, quod in singula capita et viritim imponitur: *tributum capitis* ab *Ulp. Dig.* 50. 15. 3. et *exactio capitum* a *Cic.* 3. *Fam.* 8. appellatur. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 19. Neque ab annona, neque ab angariis, neque a capitatione (exceptis militibus et veteranis) excusare se possunt. Adde *Cod.* 11. 65. 2.; et *Cod. Theod.* 11. 20. 6., qui postremus locus aliter a *Forcellino* accipitur. *Salvian.* 5. *Gub. D.* 8. *a med.* Amissarum rerum tributa patiuntur; cum possessio ab iis recesserit, capitatio non recedit. De *capitatione* V. adnotata ad COLONIARIUS. ¶ 2. Significat etiam quidquid e publico ærario pendebatur in singula animalium capita, quæ publico usui alebantur. *Cod. Theod.* 7. 4. 8. et 11.

CĂPĬTĀTUS, a, um, quasi ab inus. *capito* particip., qui habet caput, vel qui in caput late crescit. *Lucilius* apud *Non.* p. 65. 31. *Merc.* Natibu' natricem impressit crassam et capitatam. *Varro* 2. *R. R.* 9. 15. Cingulum circum collum cum clavulis capitatis canibus imponere. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 9. Capitata vinea. *h. e.* quæ non in brachia, sed in caput crescere sinitur, et robur crassitudinis accipit in stirpe: quod fit, cum juxta ipsam matrem usque ad corpus sarmentum detrahitur, una, aut altera tantummodo gemma relicta, quæ ipsi trunco adhæret. Huic opponitur *brachiata*, quæ in ramos spargitur. *Id.* 11. *ibid.* 3. 30.; *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 22. (48).; et *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 11. Capitatum porrum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (105). cæpa. *Id.* 32. *ibid.* 10. 44. (126). cunila. *Id.* 24. *ibid.* 19. 113. (173). Herba thyrsi modo vestita et capitata.

CĂPĬTECENSI *vel* Capite censi (alibi enim junctim, alibi divisim scriptum invenitur) erant, qui in plebe Romana nullo ære censebantur: a censione capitum, quod solis capitibus, idest, solis personis censerentur. Horum opera Romani in bello non utebantur, quod opes civium obsidum loco ducerent, metuerentque, ne infimæ sortis homines, qui nihil quod amittere possent, in urbe reliquissent, aut segniter pugnarent, aut facile spe lucri ad hostes deficerent. Differebant a proletariis, qui reipublicæ nihil præter prolem filiorum dabant in usum belli. *Paulus Jctus* apud *Gell.* 16. 10. Qui in plebe Romana pauperrimi erant, neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant, proletarii appellati sunt: qui vero nullo, aut perquam parvo ære censebantur, capitecensi vocabantur. Extremus autem census capitecensorum æris fuit trecenti septuaginta quinque. *Sallust. Jug.* 91. Ipse interea milites scribere non more majorum, neque ex classibus, sed capite censos plerosque. *V. Gell. loc. cit.* et *Sigon. de antiq. Jure Civ. Rom. l.* 1. *c.* 4. *V.* etiam PROLETARIUS.

CĂPĬTELLUM, i, n. 2. *deminut. dupl. a* caput, parvum capitulum, vel crassior summitas cujuscumque rei. *Varro* 8. *L. L.* 79. *Müll.* negat, hanc vocem in Latina consuetudine esse. Nihilominus reperitur apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 113. (173). Inde alii ramuli assurgunt sua capitella gerentes. Ita leg. in vet. editionib. 1470. et 1472., item in Aldina 1535., Elzeviriana 1637. et aliis. At omnium harum antiquissima a. 1469. habet *capitula*, quem secutus est *Harduin.*, quod et in MSS. sola se ita reperisse testatur. Hunc sequitur et *Sillig.* Certior est locus *Veget.* 3. *Veter.* 17. 2. *Schneid.* Ipsum album de superiore parte, ubi hypochysis posita est, capitello paracenterii deorsum deprimis ad palpebram inferiorem subtiliter. Adde *Apul. Herb.* 60. et 72. — In architectura est capitulum columnæ. *Coripp. Laud. Justin.* 4. 59. Buxea populeis aptans capitella columnis; Materiaque ipsa bases firmaverat imas. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 56. (140). Columnis spiræ subditæ, et capitella addita. *Eadem in hoc est, quæ in superiori loco, lectionis varietas.* Certiora sunt loca apud *Isid.* 15. *Orig.* 8. 15. et 19. *ibid.* 10. 24.

CĂPĬTĬLĀVĬUM, ii, n. 2. capitis lavatio, a *caput* et *lavatio*. *Isid.* 6. *Orig.* 18. 11. Diem palmarum vulgus ideo capitilavium vocant, quia tunc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt: ne observatione quadragesimæ sordidata ad unctionem accederent.

CĂPĬTĪNA, æ, f. 1. *In testamento M. Grunii* (*de quo V. in* BUBULARIUS). Donabo sutoribus setas, rixatoribus capitinas, surdis auriculas. *Lambecius* putat, *capitinas* significare capistra ad maxillas constringendas, vel ipsas maxillas.

CĂPĬTĬUM, ii, n. 2. tegumentum est pectoris muliebre, ita dictum, quod capit pectus, idest, ut antiqui dicebant, induto comprehendit, ut *Varro* 5. *L. L.* 131. *Müll.* docet. *Non.* p. 542. 26. *Merc.* interpretatur tegumentum capitis, sed male. *Varro de vita pop. Rom.* apud *Non. ibid.* Neque id ab orbita matrumfamilias instituti, quod eæ pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant. *Laber.* apud *Gell.* 16. 7. Induis capitium tunicæ pictacium. *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. § 2. Vestimenta muliebria stolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ. *Gell. loc. cit.* hanc vocem reponit inter eas, quas tamquam obsoletas, et ex sordidiore vulgi usu, in *Laberio* damnat. — Dicitur etiam *capitium* superior tunicæ pars, quæ collum ambit. *Hieronym. Ep.* 64. *de vest. Sacerd. n.* 14. Tunica talaris assutas habens manicas, in superiori parte, qua collo induitur, aperta, quod vulgo capitium vocant, oris firmissimis ex se textis ne facile rumpatur. *Hygin. fab.* 147. ed. *Mai.* in *Class. Auct.* I. 3. *p.* 53. Obtulit ei (*Agamemnoni*) Clytemnestra vestem sine capicio, quam cum vellet inducere et capicium invenire non posset, ab Ægistho adultero occisus est. *V.* et *ibid. p.* 365. *col.* 2. *ad fin.* et *p.* 371. *col.* 1. *ante med.*

CĂPĬTO, ōnis, m. 3. qui magnum habet caput. ¶ 1. De hominibus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 80. Redeo ad deos. Ecquos arbitramur nævum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones? — Huc allusisse videtur *Plaut. Pers.* 1. 2. 8., ubi parasitis quibusdam *duris Capitonibus* cognomentum fuisse dicit. *V.* interpretes. ¶ 2. Est etiam *capito* piscis, et quidem — *a*) Marinus, qui et cephalus dicitur, a magnitudine capitis. *Cato R. R.* 158. — *b*) Item fluviatilis, multis spinis ventrem septum habens. *Auson. Eidyll.* 10. 85. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

CĂPĬTŌLĪNUS, a, um, adject. ad Capitolium pertinens. *V.* ONOM. — Hinc

Capitolini, *ōrum*, m. plur. 2. fuerunt homines in Capitolio atque arce habitantes, ex quibus M. Furius Camillus collegium constitui jussit ann. U. C. 365., postquam nempe Romani in Capitolio obsessi Gallos ab urbe, Camilli ipsius dictatoris interventu, expulerunt. Ab eodem Camillo eadem de causa ludi Capitolini instituti fuerunt, ut *Liv.* 5. 50. narrat. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 5. 2. M. Furium Flaccum, hominem nequam, Capitolini et Mercuriales de collegio ejecerunt.

CĂPĬTŌLĬUM, ii, n. 2. Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum voce *caput*. Juxta *Varron.* 5. *L. L.* 41. *Müll.*, *Liv.* 1. 11. et 55., et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 41. (15)., *Capitolium* et *Clivus* vel *Collis Capitolinus* appellari cœpit L. Tarquinio Superbo regnante, quia cum rex Jovi templum ædificaret, caput humanum integra facie aperientibus fundamenta dicitur apparuisse; quæ visa species haud per ambages arcem eam imperii caputque rerum fore portendebat. Sunt etiam, qui ex eo derivant, quod caput illud humanum fuerit cujusdam *Toli* seu *Oli* seu *Auli Vulcentani*, qui eo loco sepultus fuisset. Ita *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 345. et *Arnob.* 6. 7., ubi plures hujus rei testes citat. Sed *Voss.* in *Etymol.* in *Medius* et *Territorium* illud *tolium* censet meram esse vocis productionem nihil significantem. Et certe omnia hæc nihili prorsus facienda sunt. — Ceterum, ut aperte patet ex *Plaut. Curc.* 2. 2. 19. et ex *Cod. Theod.* 11. 1. 34., capitolium jam inde ab initio fuit nomen appellativum seu commune, et significavit templum præcipuum, sive arcem sacellumque Jovis, Junonis et Minervæ simul, quod in omnibus antiquis Italicis urbibus extabat, quodque in posterum, Romano more, in coloniis etiam ædificari solitum fuit. Hinc *Varro* 5. *L. L.* 158. *Müll.* memorat *capitolium vetus* in colle Romæ Quirinali positum: quod *Pub. Victor* appellat *capitolium an-*

tigπum, et fuisse dicit in regione Urbis sexta prope templum Floræ: V. *Becker*, *röm. Alterth. vol.* 1. p. 713. *Sueton. Gramm.* 9. Statua ejus Beneventi ostenditur in capitolio. *Id. Tib.* 40. Cum Capuæ capitolium, Nolæ templum Augusti dedicasset. Adde *eumd. Cal.* 57. *Sil. It.* 11. 267. de *Capua*. monstrant capitolia celsa, Stellatosque docent campos Cereremque benignam. *Sidon. carm.* 123. v. 41. Salve, Narbo, potens salubritate, Delubris, capitoliis, monetis. *Inscript.* apud *Morcell. De stil. inscript. T.* 2. p. 291. *edit. Patav.* memorat capitolium Faleriense; et alia apud *Maff. Mus. Ver.* p. 107., quæ est apud *Orell.* 68., Veronense; et *Eumen. Orat. de restaur. Schol.* 9. capitolium Augustoduni memorat. — Progressu temporis Christiani scriptores capitolia dixere omnia Gentilium templa. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 632. Et quæcumque solent capitolia claudere larvas. — Paullatim vero factum est, ut Capitolium evaderet nomen proprium, de quo *V.* ONOM.

CĂPĬTŬLĀNUS. *V.* CAPITULARIUS in fine.

CĂPĬTŬLĀRE, is, n. 3. ἐπικεφάλαιον, tributum, quod in singula capita solvitur. Ita porro est appellatum tributum illud duarum drachmarum, quod Judæis Capitolino Jovi, jussu Vespasiani imperatoris, solvendum quotannis erat, quemadmodum in templum Hierosolymorum antea ipsi mittere solebant, testantibus id *Flav. Josepho B. J. l.* 7. c. 6., *Cic. Flacc.* 28. 67. et *Sueton. Domit.* 12. *Inscript.* apud *Oderic. Syllog. inscript.* p. 33., quæ est apud *Orell.* 3345. T. FLAVIO AVG. LIB. EVSCHEMONI, QVI FVIT AB EPISTVLIS, ITEM PROCVRATOR AD CAPITVLARIA IVDAEORVM, FECIT FLAVIA APHRODISIA PATRONO ET CONIVGI BENEMERENTI. — Hinc apud sequioris temporis auctores *capitulare* seu *capitularium* est liber, in quo descripta sunt nomina eorum, qui ob agrorum domorumve possessionem annui tributi præstationem fisco debent.

CĂPĬTŬLĀRIUM, ii, n. 2. idem ac capitulare, usurpatur autem de pecunia, quam quisque solvere debuerat, cum primum in aliquod collegium admittebatur; quemadmodum *honorarium* dicebatur ea summa pecuniæ, quam quilibet ex novis decurionibus pro introitu in curiam dare solebat. *V.* HONORARIUM. *Inscript.* ann. 1816. quingentis circiter passibus ab urbe *Civita-Lavinia* reperta, edita vero in *Atti dell' Accad. archeol. Rom. T.* 2. p. 462. QVISQVIS IN COLLEGIVM INTRARE VOLVERIT DABIT CAPITVLARII NOMINE HS. C. N. ET VINI BONI AMPHORAM. — *V.* et vocem præced. in fine.

CĂPĬTŬLĀRIUS, a, um, adject. qui ad publicas rationes exigendas pertinet, ut *Capitularia functio* in *Cod. Theod.* 11. 16. 14. *V.* CAPITULUM. — Hinc

Capitularius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more fere in plur. num. ¶ 1. *Capitularii horreariorum et tabernariorum* apud *Cassiod.* 10. *Variar. Ep.* 28. sunt qui exigunt quidquid ab horreariis et tabernariis tributi nomine pendi debet: item apud *Symmach.* 9. *Ep.* 10., ubi plerique leg. *capitulani* eodem sensu. ¶ 2. In *Cod.* 12. 29. 2. capitularius dicitur, qui in equestres turmas admittendos eligit, ut rectius interpretatur *Klotz*; *Forcellinus* vero eum fuisse adjutorem arcarum præpositis et tabulariis, hoc est exactorem capitum seu rationum publicarum.

CĂPĬTŬLĀTIM, adverb. summatim, per capita, κεφαλαιωδῶς. *Nep. Cat.* 3. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (56). Breviter et capitulatim attingere aliquid.

CĂPĬTŬLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *capitulo*, capitulum habens, capitatus. *Cels.* 8. 1. Costæ primis partibus rotundæ, et leniter quasi capitulatæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (156). Surculus capitulatus.

CĂPĬTŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a caput, ut docet ipse *Varro* 8. *L. L.* 79. *Müll.*; parvum caput, κεφάλιον, κεφαλίδιον (It. *picciol capo*, *capolino*; Fr. *petite tête*; Hisp. *pequeña cabeza*, *testa*; Germ. *d. kleine Haupt*, *Köpfchen*; Angl. *a little head*). Occurrit ¶ 1. De animalibus et plantis. — *a*) De hominibus et brutis. *Plaut. Curc.* 2. 3. 14. Ubi quod surripuere, operto capitulo calidum bibunt. *Cels.* 2. 22. Capitulum hœdi. — Figurate pro homine. *Plaut. Asin.* 2. 4. 89. Scribam huic capitulo hodie facturum satis pro injuria. Et in blanditiis *Ter. Eun.* 3. 3. 25. O capitulum lepidissimum. — *b*) De plantis. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 15. Capitulum cepæ. *Id.* 3. *ibid.* 77. 4. sarmenti. Adde *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 113. (173). et 27. *ibid.* 5. 20. (37). *Id. Plin.* 25. *ibid.* 5. 19. (43). Herba quadrato caule, capitulis marrubii. — Huc referri potest et illud *Cels.* 6. 18. n. 9. Ora venarum tamquam capitulis quibusdam turgentia. ¶ 2. In architectura, capitulum generatim est pars superior cujusque rei. *Cato R. R.* 18. Capitulum torcularii. Sic *capitulum* dicitur a *Varron.* 3. *R. R.* 5. 10. appendicula lignea rotunda tabulæ quadratæ litterariæ impacta et perforata, ut sit unde suspendi possit. *Scalig. in not. ad Varron. de Re rust.* — Item est pars superior columnæ. *Vitruv.* 4. 1. 1. Columnæ Corinthiæ, præter capitula, omnes symmetrias habent, uti Jonicæ, sed capitulorum altitudines efficiunt eas pro rata excelsiores et graciliores. Adde *eumd.* 3. 5. 5. *Schneid.* et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 36. (178). — Item in balistis et catapultis *capitula* sunt trabes transversariæ, in quibus fiunt foramina, per quæ trajiciuntur nervi ad distinenda brachia machinarum. *Vitruv.* 1. 1. 8., 10. 11. 3., 10. 12. 1. et seq. *Schneid.* et *Bald.* in *Lex. Vitruv.* ¶ 3. Capitulum etiam pro capitio dixit *Varro* apud *Non.* p. 542. 30. *Merc.* Cf. *Isid.* 19. *Orig.* 31. 3., qui ait: Capitulum est, quod vulgo *capitulare* dicunt. Idem et cappa, vel quod duos apices, ut cappa littera, habeat, vel quia capitis ornamentum. Juxta *Forcellinum* fortasse idem fuit ac *capital*. *V.* CAPITALIS sub I. ¶ 4. Sumitur etiam pro brevi divisione et sectione in libris. *Tertull. advers. Jud.* 9. *de Idololatr.* 19. et 2. *ad Uxor.* 2., itemque *D. Hieronym. in c.* 47. *Ezech. sub fin.* Quidam addunt etiam locum *Cic.* 1. *Leg.* 7. 21. Te primum capitulum libri optimi prodidisse: sed plerique omnes leg. *caput*. Pro lege, seu legis parte usurpat *Imp. Justinian. Cod.* 5. 37. 28. § 5. ¶ 5. Denique sequiori ævo ita appellatum est genus quoddam præstationis, seu functionis, quæ inter sordida munera enumeratur in *Cod. Theodos.* 11. 16. 15. et 18., et cum temonaria conjungitur. Eadem dicitur etiam *functio capitularia*, ut supra dictum est. Eam qui præstare debebant, tenebantur tironem supplendo exercitui præbere, vel pro eo, æstimatione facta, pecuniam solvere. Alia etiam onera habuit, de quibus V. *Brisson. de verb. signific.*; *Du Fresne in Glossar.* et *Gothofred. ad Cod. Theodos.* V. etiam vocem sequent. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

CAPĪTUM seu capitum, i, n. καπητόν, pabulum jumentorum: a κάπη præsepe. *Hesych.* Καπητόν, παράβλημα ἀλόγων. *Aurelian. Imp.* in quadam *epist.* apud *Vopisc. in ejus Vita* 7. Equum sagmarium suum defricet, capitum animalis non vendat. *Ammian.* 22. 4. Totidem pabula jumentorum (quæ vulgo dictitant capita), et annuum stipendium grave. *Imp. Julian. Cod. Theod.* 7. 4. 7. Milites capitum petere jussimus. Adde *ibid.* 13.

CAPLĀTOR. *V.* CAPULATOR.

CAPNĬAS, æ, m. 1. καπνίας, *h. e. fumosus*. ¶ 1. Subaudi οἶνος, et est vitis, quæ sero maturat. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (39). Capnias et buconiatis et tarrupia in Thuriuis collibus non ante demetuntur, quam gelaverit. Hujus vitis mentio est apud *Theophr. Hist. plant. l.* 2. *c.* 3. ¶ 2. Subaudi *lapis*, et est gemma ex iaspidum genere, veluti fumo infecta, a καπνός *fumus*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). Eadem *ibid.* 10. 56. (161). vocatur *capnitis*. Est et alia ex genere chrysolithorum *capniæ* nomine dicta. *Id. ibid.* 9. 44. (128).

CAPNĪON, ii. *V.* CAPNOS.

CAPNĪTIS, itidis, f. 3. καπνῖτις, *h. e.* fumosa. ¶ 1. Subaudi *cadmia*, et est cadmiæ species tenuissima, quæ e fornacibus flamma atque flatu egesta cameris lateribusque fornacum adhæret: a καπνὸς *fuligo*. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 22. (101). ¶ 2. Subaudi *gemma*, et est eadem quæ *capnias*. *Plin.* 37. *ibid.* 10. 56. (151).

CAPNOS, i, f. 2. καπνὸς herba est, alio nomine pes gallinaceus, nascens in parietinis et sepibus, ramis tenuissimis et sparsis, flore purpureo; viridis: succus ejus caligines discutit oculorum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 98. (155)., qui eam vocat *Capnon primam*. Est enim altera similis nomine et effectu, fruticosa, prætenera, foliis coriandri, cineracei coloris, flore purpureo. *Id. ibid.* 99. (156). Qui etiam hæc habet *ibid.* Claritatem facit inunctis oculis delacrimationemque, ceu fumus; unde nomen. *Fumaria* autem recentiores botanici eam vocant, quia fumi odorem habet. Cf. *eumd.* 26. *ibid.* 7. 19. (35). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 367.) hanc exhibet synonymiam: Καπνὸς Græcor. recent. et *Capnos* seu *pes gallinæ* Plin. l. c. sunt *Corydalis digitata* Pers. Enchir. — *Les corydalis bulbosa* et *fabacea* sont des espèces très-voisines et qui diffèrent peu de l'espèce ici indiquée. — Καπνὸς Dioscor. 4. 10. et Galen. de Fac. simpl. med. 7. 184.; Καπνὸς ἢ καπνόχορτον Græcor. recent.; Στακτὴρ Eliens.; et *Capnos fruticosa* Plin. l. c. sunt *Fumaria parviflora* Lamark. Dict. 2. 567. — Quelques espèces du genre *fumaria* ont de grands rapports avec la *fumaria parviflora* et pourraient être indiquées sans inconvénient.

CAPNUMARGOS. *V.* ACAUNUMARGA.

CĀPO, ōnis, m. 3. κάπων, gallus gallinaceus castratus: etymon vocis idem est ac *caballi*, *V.* CABALLUS. *Martial.* 3. 58. Coacti non amare capones. *Pallad.* 12. *R. R.* 1. 3. Faba macerata sanguine caponis. *Apic.* 4. 3. Testiculi caponum.

CAPPA, indecl. κάππα, decima Græcorum et Latinorum littera, cujus loco Latini sæpius litteram tertiam *C* reponunt, de qua diximus initio hujus litteræ. *Auson. Edyll.* 12. *de litt. monos. Gr. et Lat.* 26. Cappa fui quondam Bœotia, nunc Latium K.

CAPPA, æ, m. 1. marini equi: *V.* CAPPAS et CAMPE. — Cappa est etiam pilei genus, de quo *V.* in CAPITULUM 2.

CAPPĂRA, æ, f. 1. herba eadem, quæ portulaca. *Apul. Herb.* 103.

CAPPĂRI, n. indecl. κάππαρι, idem quod capparis, qua fructum significat. *Cels.* 4. 9. Multisque modis huic rei cappari aptum est.

CAPPĂRIS, is, fem. 3. κάππαρις. Accus. est *capparim* et *capparin*. — *Forcellinus* admisit etiam *cappar* n. gen., idque confirmavit loco *Pallad.* 11. *R. R.* 11. 4.; at *Schneid.* ex optimis Codicibus ibi legit *capparis*. — Capparis est frutex firmioris ligni, fructum ferens vulgatum in cibis, et eodem nomine dictum. Est autem aculeatus, spinisque in hami modum aduncis, foliis rotundis, et mali cotonea similibus. Fructum fert instar olivæ, sed minutioris, qui cibi gratia sale conditur: sic et caulis. Ita *Dioscor. l.* 2. *c.* 204. Ejus varia genera recenset *Plin.* 13. *Hist. nat.* 23. 44. (127). Rationem vero serendi *Colum.* 11. *R. R.* 3. 54. et *Pallad.* 10. *R. R.* 13. docent. *Plin. loc. cit.* Capparis firmioris ligni frutex. *Colum. loc. cit.* 13. Capparis si serenda fuerit, siccum locum desiderabit. *Pallad.* 11. *R. R.* 11. 4. Seruntur thymum, et origanum, et capparis mensis initio. *Martial.* 3. 77. Capparin, et putri cepas alece natantes. *Al. leg.* cappar. Adde *Plaut. Curc.* 1. 1. 90. *Cels.* 2. 27. et *Scribon. Compos.* 129. et 261. *Varro* quoque capparin feminino genere dixit, teste *Charis.* 1. p. 79. *Putsch.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 132.) hanc synonymiam statuendam esse censuit: Κάππαρις Hipp. Hist. 890., Gal. Fac. simpl. 7. 88., Theophr. 6. 10. et Dioscor. 2. 204.; *Capparis* Latinor.; *Kabar* et *Kaparr* Arab.; *Alcaparas* Portug. et Espagn. sont *Capparis spinosa* L. Spec. 720., Dub. Arb. edit. 2. 5. 1. p. 137. tab. 34.

CAPPAS marinos equos Græci a flexu posteriorum partium appellant. *Paul. Diac.* p. 44. 1. *Müll.*

CĀPRA, æ, f. 1. Est a Græca voce κάπρος. *V.* CAPER; minime vero a *carpo*, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 99. *Müll.* Capra carpa, a quo scriptum *omnicarpæ capræ*. Cf. *eumd.* 1. *R. R.* 2. 19. et 2. *ibid.* 3. 7.; et *Paul. Diac.* p. 48. 14. *Müll.*: hi enim hallucinati sunt et propter vocum similitudinem, et quia capra studiose de agrestibus fruticibus pascitur, atque in cultis locis virgulta carpit. — Ceterum capra est animal notum (It. *capra*; Fr. *chèvre*; Hisp. *cabra*; Germ. *d. Ziege*; Angl. *a she-goat*). Occurrit ¶ 1. De noto animali domestico. *Cato* apud *Charis.* 1. p. 79. *Putsch.* Et in Italia atras capras lacte album habere. *Cic. Amic.* 17. 62. Ut capras et oves, quot quisque haberet, dicere posset; amicos quot haberet, non posset dicere. Adde *Virg.* 2. *G.* 374. et 3. *ibid.* 300. Plura *V.* apud *Varron. R. R. loco citt.*, *Colum.* 7. *R. R.* 6. et seq.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (200)., ubi ex Muciano narrat duarum caprarum obviarum solertiam in angusto transitu. *V.* PROCULCATUS. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 10. 42. (153). Porro capram Æsculapio immolari solitam fuisse, diximus in ONOM. in v. ÆSCULAPIUS. Sed et Ditis patris propriam hostiam fuisse, docet *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 819. Narrat *Liv.* 45. 16. quinquaginta capris Romæ in foro sacrificatum fuisse jussu decemvirum, ob id maxime, quod nunciatum fuerat, sanguinem e foco cujusdam per triduum et duas noctes manasse. — Hinc figurate de fœtore sub alis hominum, qui et

caper et *hircus* vocatur. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 29. Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ — Est etiam convicium in hirsutos. *Sueton. Cal.* 50. Fuit fronte lata et torva, capillo raro ac circa verticem nullo; hirsutus cetera. Quare transeunte eo, quacumque de causa capram nominare exitiale habebatur. *V.* CAPELLA. ¶ 2. In *Caton.* apud *Varron.* 2. *R. R.* 3. 3., *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 126. et *Virg.* 4. *Æn.* 152. *capræ feræ* sunt capreæ. Sed et absolute capram pro capra fera dixerunt *Ovid.* 13. *Met.* 332. et *Apul.* 8. *Met. post. init.*; ita tamen, ut ex orationis contextu id facile innotescat. ¶ 3. Est etiam hoc nomine — *a*) Cæleste sidus, quod et Amalthea dicitur: *V.* AMALTHEA. *Horat.* 3. *Od.* 7. 6. Insana Capræ sidera. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 110. et 3. *ibid.* 16. 40.; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 37. et 94.; et *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 205. — *b*) Item capræ sunt stellæ, quæ caprorum nomine continentur. *Varro* 1. *R. R.* 2. 17. et 2. *ibid.* 3. 7. — *c*) Denique tradit *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. vocari *capras* ab Aristotele quasdam cælestium ignium species in cælo apparentes: sed ejus appellationis rationem ignorare se fatetur. *Lipsius* ita dici putat, vel quia barbulam præferunt capræ similem, vel potius quia scintillas emittendo saltare et locum lascive mutare videntur. V. *Aristot. l.* 1. *Meteor.* 4. — *NB.* De nomine p. *V.* ONOM.

CĂPRĀGO, āginis, f. 3. herba, alio nomine cicer columbinum, tithymali species: ita fortasse dicta, quod ea libenter capræ pascantur. *Apul. Herb.* 108. — Alia significatione V. in CAPRUGINEUS.

CAPRĀRĬUS, a, um, adject. ad capras pertinens. *Solin.* 1. Cum a matre locatus esset ad caprarios pastus. — Hinc

Caprarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est caprarum pastor. *Varro* 2. *R. R.* 3. 10. Caprarius, qui adduxit capellas ad urbem. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 10. 7. — *NB.* De Capraria insula et de cogn. R. *V.* ONOM.

CĂPREA, æ, f. 1. dicta est a capra per similitudinem teste *Varron.* 5. *L. L.* 101. *Müll.*; et est capra fera miræ agilitatis et pernicitatis, acutissima etiam oculorum acie prædita, domesticæ capræ non una in re similis, ramosa habens cornua, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). docet; parva tamen, et innoxia venantibus: sola enim fuga se defendit. *Ovid.* 5. *Fast.* 372. imbelles capreæ. *Virg.* 2. *G.* 374. Silvestres uri, capreæque sequaces. *Id.* 10. *Æn.* 725. Caprea fugax. *Martial.* 13. 99. Pendentem summa capream de rupe videbis: Casuram speres: despicit illa canes. Adde *Horat.* 3. *Od.* 15. 12. et 4. *ibid.* 4. 13. et 2. *Sat.* 4. 43.; *Ovid.* 1. *Met.* 442.; *Colum.* 9. *R. R. præfat.* 1.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 53. 79. (214). — Apud *Plin.* 11. *ibid.* 37. 74. (191)., ubi docet capreas fel non habere, notat *Harduin.* eo loco intelligi illud caprarum silvestrium genus, quod ab Aristotele πρόξ appellatur, et quidam Latine vertunt *damam*; sed reprehenduntur a *Salmas.* in *Solin. p.* 224. — Capreas inter et lupos perpetuum odium est. Hinc proverbio dicimus de re impossibili: *Jungentur capreæ lupis. Horat.* 1. *Od.* 33. 8. — Quidam putant capream dici etiam partem vitis, ex qua prodit capreolus, ex illo *Varron.* 1. *R. R.* 31. 4. Ex altera parte caprea dicta, quod parit capreolum: is est coliculus viteus intortus etc. Sed *Scalig.* locum fœde interpolatum esse ait, veramque esse veterem lectionem: *Ex altera parte parit capreolum: is est coliculus* etc., atque ita etiam *Auson*, *Popma* et *Schneiderus* ediderunt.

CĂPREĬDA, æ, f. 1. herba est, quam contusam et in vino veteri potam urinæ ciendæ prodesse, tradit *Cato R. R.* 122. Quidam putant esse *capraginem*, vel *caprariam*, quæ est lactuca caprina, quæque tamen huc non pertinet, etsi silvestris lactucæ succum urinæ difficultatibus prodesse affirmet *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (63). Alii putant, esse eamdem ac clymenon, seu periclymenon, quæ officinis vulgo *caprifolium* vocatur, et urinæ ciendæ vim habet, teste *Plin.* 27. *ibid.* 12. 94. (120). — At *Pontedera Op. post. T.* p. 1. 281., non improbante *Schneidero*, conjicit, *capreidam* esse mutandam in *cedridam*, id est κεδρίδα, cedri fructum, qui eumdem cum juniperi fructu usum in medicina habet, teste *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (112). et 24. *ibid.* 5. 12. (20). cum *Dioscorid. l.* 1. *c.* 105.

CĂPREŎLA et capriola, æ, f. 1. deminutivum capreæ, parva caprea. *Not. Tir.* p. 175. Capra, caprea, capella, capreola. *At hæc nihili facienda. Aliquanto major est auctoritas* in *Gloss. Philox.* Capreola, δορκάς. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

CĂPREŎLĀTIM, adverb. *Apul.* 11. *Met.* Profert quosdam libros prænotatos nodosis, et in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis, apicibus. *h. e.* inter se implicatis instar capreolorum in vitibus.

CĂPREŎLUS, i, m. 2. deminut. *ab inus.* capreus. I.) Proprie est parvus caper silvester (*It. capriolo; Fr. chamois, chevreuil;* Hisp. *gamuza;* Germ. *der Reh-oder Gemsbock;* Angl. *a young roebuck, a cheveril*). *Virg.* 2. *Ecl.* 40. Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti, Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 1. Feræ pecudes, ut capreoli damæque.

II.) Improprie in artibus capreolus ponitur de iis, quæ in similitudinem cornuum capreolorum duos habent uncos interius recurvos: itaque ¶ 1. In vitibus et aliis plantis capreoli sunt coliculi intorti et veluti cincinni, quibus teneriores ramuli et flagella serpunt, et sese adminiculis innectunt. Nomen habent ex eo, quod capreolorum inflexa cornua referunt. Hoc enim magis placet, quam quod *Varro* 1. *R. R.* 31. 4. et *Paul. Diac. p.* 57. 16. *Müll.* tradunt, a *capiendo* dictos esse. Dicuntur etiam *claviculæ*. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (208). Nova flagella, circumcisis undique capreolis, spargantur in tabulatis. ¶ 2. Est etiam ferramentum rusticum bicorne ad terram commovendam. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 46. Vere deinde, priusquam cœperit germinare, capreolis, quod genus bicornis ferramenti est, terra commoveatur. ¶ 3. *Capreoli* etiam dicuntur tigna in acclive assurgentia, proclinata et obnixa, ad aliquid firmandum. Hujusmodi sunt, quæ in tectis domorum conspiciuntur, invicem incumbentia, vel hinc inde in trabem illam erectam, seu columellam, qua canteriorum pondus innititur: Italorum alii *contraffissi* appellant: nostri artifices *bracci*: Græci συμπίπτας, *h. e.* simul incumbentes: a similitudine horum animalium, cum adversis capitibus et cornibus assurgentes invicem incursant. Quare *luctantes* dicuntur ab *Isid.* 19. *Orig.* 19. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. *in descriptione musculi.* Duæ trabes in solo collocantur, inque eis columellæ defiguntur: has inter se capreolis molli fastigio conjungunt etc. *Vitruv.* 4. 2. 1. In contignationibus tigna, et axes: sub tectis columen in summo fastigio culminis, et transtra, et capreoli. Adde 5. 1. 8. et 10. 15., ubi de catapultis et scorpionibus agit: quorum capreolos exhibent figuræ apud *Lips. l.* 3. *Poliorc. dial.* 3.

CĂPRĬCORNUS, i, m. 2. a *caper* et *cornu* juxta Græc. αἰγόκερως, est unum e duodecim signis Zodiaci, in quod cum sol ingreditur, hiemale solstitium et dies brevissimos facit. Pingitur in cælo superiori parte capri pedibus anterioribus, pectore, capite, et cornibus; inferiori piscis longa intortaque cauda, et in latum desinente. De eo ita fabulantur poetæ. Cum in Ægypto dii convivium celebrarent, repentino adventu Typhonis, seu Typhoei gigantis omnibus perterritis, alii se in alias formas transmutarunt, Pan inferiorem partem in effigiem piscis, superiorem in formam hirci commutavit, seque in flumen dejecit. Periculum ubi evaserunt, ingentes risus de Panis metamorphosi ediderunt. Juppiter vero admiratus ingenium, hanc figuram in cælum transtulisse fertur. Alii dicunt, hoc signum fingi dimidio capram referre propter capram *Jovis* nutricem; et capram scandentem, quia sol, ubi ad Capricorni sidus pervenerit, iterum ad nos scandit, ut est apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *ad fin.*: dimidio vero piscem, quia copiosissimi eo tempore imbres cadunt. *Hygin. fab.* 196. et 2. *Astron.* 28. *V.* ÆGIPAN. *Cic. Arat.* 58. gelidum valido de corpore frigus anhelans, Corpore semifero magno Capricornus in orbe. *Horat.* 2. *Od.* 17. 20. tyrannus Hesperiæ Capricornus undæ. *h. e.* magnas in mari occidentali tempestates excitans. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 1. 8.; *Ovid.* 1. *Fast.* 651.; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (64).

CĂPRĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus caprificandi, hoc est perficiendi, ut culices, seu vermiculi, qui e grossis caprifici gignuntur, ad alias ficus advolent, humoreque earum lacteo consumpto, ad maturitatem eas perducant. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (81). Quæ ratio pulvere et caprificatione hoc quoque præstat, ne fici decidant. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 27. 43. (254). *V.* CAPRIFICUS.

CAPRIFICIALIS, le, adject. Legunt quidam apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (254)., sed corruptam lectionem recte e MSS. sanavit *Harduin.*, et verbum sustulit.

CĂPRĬFĪCO, as, are, a. 1. Part. *Caprificandus.* — Caprificare est culicibus e caprifico genitis ficubus aliis maturitatem afferre, quod fit, cum lacteum humorem in iis contentum absumunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 50. (114). Fici caprificantur. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 28. Mense Junio caprificandæ sunt arbores fici. *V.* vocem sequent.

CĂPRĪFĪCUS, i, f. 2. De origine nominis multa etymologi. V. *Voss.* Ludit in ea *Martial.* 3. 52. tamquam si a *capro* vel *capra* et *ficu* derivetur. — Ceterum caprificus

I.) Proprie est ficus e silvestri genere, cujus fructus (qui et ipsi *caprifici* dicuntur, ut videre est apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 50. (114).) numquam maturescunt. Sed quod ipsa non habet, aliis tribuit. Parit enim culices, qui fraudati alimento in matre, quoniam tota intus post aliquod tempus computrescit, ad cognatam, nempe ad ficum sativam, volant, morsuque ficorum crebro, hoc est avidiore pastu aperientes ora earum, atque ita penetrantes, intus solem primo secum inducunt, cerealesque auras immittunt foribus adapertis: mox lacteum humorem, hoc est infantiam pomi absumunt, et brevi tempore ad maturitatem perducunt. Hinc reperta est ratio *caprificandi*, illatis aliunde caprificis, et inter domesticas ficus suspensis, ut ad eas advolare, et citius maturitatem afferre possint. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (77)., *Colum.* 11. *R. R.* 2. 5. et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *de ficu.* — Hujus autem *caprificationis* tempus est mense Junio circa solstitia, post imbrem, ut *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 44. (256). et *Pallad. loc. cit.* et 7. 5. docent; quamquam et sub finem Julii fieri potest, teste *Colum. loc. cit.* — Hæc arbor enasci solet inter saxa et parietes, easque, quamvis praeduras, findit. Hinc *Horat. Epod.* 5. 17. Caprifici erutæ sepulcris. *Martial.* 10. 2. Marmora Messalæ findit caprificus. Adde *Propert.* 4. 5. 74.; *Ter. Adelph.* 4. 2. 38.; *Varron.* 6. *L. L.* 18. *Müll.*; *Plin.* 11. *Hist. nat.* 13. 15. (40).; et *Martial.* 10. 2. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 250.) hanc exhibet synonymiam: Ἐρινεός Homer. in locis variis; Συκῆ ἥμερος et συκῆ ἀγρία Dioscor. 1. 183. et 184. et Galen. 8.; et *Caprificus* Latinor. sunt *Ficus Carica* L. Spec. 1513, *F. communis* et *F. silvestris Dioscoridis* C. Bauh. Pin. 457.

II.) Translate *Pers.* 1. 24. Quo didicisse? nisi hoc fermentum, et quæ semel intus innata est, rupto jecore, exierit caprificus. *h. e.* scientia, quæ foras exit, seque ipsa patefacit.

CĂPRĬGĔNUS, a, um, adject. (caper et gigno). In genitivo plurali habet *caprigenûm* pro *caprigenorum*; vel, ut ait *Forcellinus*, pro *caprigenarum*: constat enim ex analogia *caprigena* dici posse in recto singulari, quemadmodum *alienigena*, *terrigena* et sexcenta alia. Quamquam *caprigena* caret adhuc exemplis. — Ceterum *caprigenus* est ex capra genitus, ad capram pertinens, caprinus, capræ naturam vel indolem referens. Hinc jocose *Plaut. Epid.* 1. 1. 16. Qui varie valent, caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus. *Plaut.* alludit ad id quod ex vulgi opinione tradunt *Varro* 2. *R. R.* 3. 5. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (202). capras numquam febri carere. *Pacuvius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. et apud *Priscian.* 6. p. 677. *Putsch.* Caprigenum genus. *Cic.* apud *Priscian. loc. cit.* Caprigeni pecoris custos. Adde *Virg.* 3. *Æn.* 221. *Capell.* 2. p. 40. Caprigenum tergus. — Et substantivorum more *Accius* apud *Macrob. loc. cit.* Caprigenûm trita ungulis. *h. e.* caprarum.

CĂPRĪLE, is, n. 2. stabulum caprarum. *Varro* 2. *R. R.* 3. 8. Exigunt a grege hircos in caprilia. Adde *Vitruv.* 6. 6. 4. *Schneid.*; *Colum.* 7. *R. R.* 6. 6. et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 42. (154).

CĂPRĬMULGUS, i, m. 2. ¶ 1. Est qui capras mulget. *Catull.* 22. 9. tum bellus ille et urbanus Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor Rursus videtur. ¶ 2. Est etiam hoc nomine avis quædam, Italice *calcabotto*, αἰγοθήλας, grandioris merulæ aspectu, interdiu visu carens, noctu videns: quo tempore intrat pastorum stabula, caprarumque uberibus advolans, lac emulget: qua injuria uber emoritur, caprisque cæcitas, quas ita mulsit, oboritur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 40. 56. (115).

CĂPRĪNA, æ. *V.* CAPRINUS in fin.

CĂPRĪNEUS dictus est per convicium Tiberius imperator apud *Sueton.* in *ejus Vita* 43., cum in se-

cessu Caprecnsi variis infandarum libidinum flagitiis operam daret: fortasse a caprarum fœtore, vel a καπρίαω prurio, vel a nomine ipso insulæ, in qua degebat; Capræ enim appellabatur.

CĂPRĪNUS, a, um, adject. ad capram pertinens (It. *caprino*; Fr. *relatif aux chèvres, de chèvre*; Hisp. *de cabra*; Germ. *von der Ziege, Ziegen-*; Angl. *of a goat*). *Cato R. R.* 36. et *Varro* 1. *R. R.* 38. 2. Caprinum stercus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 19. 80. et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (99). pellis. *Varro* 2. *R. R.* 3. 1. et 10. 3.; et *Liv.* 22. 10. grex. *Varro* 1. *R. R.* 2. 19. genus. *Colum.* 7. *R. R.* 7. 1. pecus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (123). lac. *Id. ibid.* 17. 68. (232). sanguis. *Id. ibid.* 10. 42. (132). caseus. *Id.* 20. *ibid.* 7. 24. (38). lactuca. *Dig.* 32. 70. § 9. lana. — *Lana caprina* nullius pæne pretii est. Hinc proverbio dicitur de re frivola. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 15. Alter rixatur de lana sæpe caprina. — *Caprinum prœlium* inscripta fuit una ex Satyris *Varronis*, ex qua fragmenta aliquot afferuntur a *Non. p.* 267. 23. *Merc.* et alibi. Videtur autem in ea egisse de voluptate. Hac enim de re maxime capri et hirci pugnant, pecus lascivum et petulans: quæ sententia est *Turnebi l.* 24. *Adversar. c. ult.* et aliorum. Hinc apud *Non. cit. n.* 88. ubi legitur *Caprino prœlio* περὶ μέθης, corrigunt alii περὶ ἡδονῆς. Quam emendationem adhibent etiam eod. *cap.* 4. *n.* 186., ut videre est in notis *Gothofredi.* V. *Oehler, Varr. Sat. Men. p.* 104. — Hinc

Caprina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, subaudi *caro*, est caro caprina. *Valerian. Imp. in epist.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem.

CĂPRĬŎLA. *V.* CAPREOLA.

CĂPRĬPES, ĕdis, adject. caprinos pedes habens: estque epithetum Panis, et Satyrorum. *Horat.* 2. *Od.* 19. 4. Aures capripedum Satyrorum. *Propert.* 3. 13. 34. Panes capripedes. Adde *Lucret.* 4. 581.

CĂPRISSO, as, are, n. 1. vocem caprinam imitor. *Anonym. Neveleti fab.* 29. Sta procul, hædus ait, caprissas gutture falso. *Quidam legunt* caprizas eodem *sensu.*

CĂPRŌNÆ comæ dicuntur, quæ ante frontem sunt: quasi a capite pronæ, ut *Non. p.* 22. 5. *Merc.* interpretatur, προκόμιον. *Lucil. ibid.* Aptari caput, atque comas fluitare capronas Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis. *Apul. Florid. n.* 3. *de Apolline.* Crines ejus remulsis antiis, et promulsis capronis anteventuli et propenduli. In his *Apuleji* verbis illud videtur discrimen esse inter *antias* et *capronas*, quod illæ sint quæ a sincipite in frontem propendent; hæ quæ ex temporibus in malas. *Paul. Diac. p.* 48. 12. *Müll.* docet, capronas dici equorum jubas in frontem devexas. — In quibusdam editionibus *Nonii* et *Apuleji* legitur *capronecæ*.

CĂPROTĪNUS, a, um, adject. *Caprotinam Junonem* veteres dixerunt, quod illi Nonis Juliis (quas itidem *Caprotinas* appellabant) sub caprifico sacra ferent ab ancillis simul et liberis. Nam post Urbem captam, cum sedatus esset Gallicus motus (scilicet a. U. C. 364., (ante Chr. 390.) exhausta rep. finitimi opportunitatem invadendi Romani imperii aucupati, præfecerunt sibi Postumium Livium, Fidenatium dictatorem, qui feciale ad senatum misso, postulavit, ut si vellent, reliquias suæ Urbis non deleri, matresfamilias et virgines omnes sibi dederentur. Cum patres essent in ancipiti deliberatione, ancilla nomine Philotis, vel (ut alii malunt) Tutela, assumptis ceteris omnibus ancillis, matrumfamilias virginumque habitu, nomine dominarum, ad hostes transiit, prosequentibus ceteris cum lacrimis ad rei fidem. Quæ cum a Livio in castris distributæ essent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se simulantes: quibus somno obrutis, ex caprifico dato signo hostes trucidati sunt. Memor itaque populus Rom. accepti ab ancillis beneficii, omnes jussit manumitti, dotemque eis ex publico assignavit, diemque ipsum Nonas Caprotinas appellavit, ab illa caprifico, ex qua signum acceperant, sacrificiumque annuum Junoni Caprotinæ sub caprifico instituit, cui etiam lac, quod ex caprifico fluit, ad rei memoriam adhibebatur. Hæc *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *post med.* narrat. *Varro* 6. *L. L.* 18. *Müll.* Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant, et sub caprifico faciunt, et e caprifico adhibent virgam. *Auson. Eclogar. de Fer. Rom.* 9. Festa Caprotinis memorabo celebria nonis, Cum stola matronis dempta teget famulas.

CĂPRŪGINĔUS *vel* caprugineus, a, um, adject. caprinus. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Ficedulas, lumbos caprugineos, aprugnos, altilia etc. Ita leg. *Salmas. in exercitat. Plin. p.* 455., vel *capruginos*. Alii *lumbos, capragines, aprugnos*, etc. Et videntur *capragines* idem esse quod capreæ, quarum cibus in deliciis ciborum fuit, ut colligitur ex *Juvenal.* 11. 142. Putant alii legendum *capras, oryges*, quod genus est feræ in lautitiis et voluptatibus mensarum habitam, ut constat ex *Colum.* 9. *R. R.* 1. 1. et *Juvenal. ibid.* 140.

CAPRUNCŬLUM vas fictile. Ita *Paul. Diac. p.* 48. 18. *Müll.* Fortasse, inquit *Voss.* in *Etymol.*, nomen ex eo habet, quod capri figuram referat. Fortasse etiam legendum *capunculus*, vel *capeduncuIus*, quod erit deminutivum a *capedo*.

CAPSA, æ, f. 1. κάψα, arca, cista, scrinium ex ligno vel metallo aliquo, in quo præcipue libri et tabulæ et litteræ reponebantur (It. *cassa, cassetta*; Fr. *coffre, cassette*; Hisp. *cofre, arca*; Germ. *d. Kapsel*; Angl. *a coffer, chest, box*). *Cic. Divin. in Verr.* 16. 51. Mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero! *Horat.* 2. *Ep.* 1. 268. Cum scriptore meo, capsa porrectus aperta Deferar in vicum vendentem tus et odores. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 4. 22. et *ibid.* 10. 63.; *Plin.* 26. *Hist. nat.* 43. 84. (229).; et *Juvenal.* 10. 117. — Custodiendis etiam fructibus vel aliis rebus inserviebat. *Martial.* 11. 8. Poma quod hiberna maturescentia capsa. *Plin.* quoque 15. *Hist. nat.* 17. 18. (65). et *ibid.* 19. 21. (32). ad servanda poma *capsas* adhiberi docet. Adde *eumd.* 8. *Hist. nat.* 30. 45. (107). et cf. *Fabium Pict.* apud *Gell.* 10. 15. — *Vellej.* 1. 16. Quemadmodum clausa capsa, alioque septo diversi generis animalia etc. *Salmas. in commentar.* ad *Vopisc. Procul.* 13. monet legendum *capso*, et *capsum* significare vallum, septum, mandram, in qua includuntur animalia: a Græco καψός, quod *Hesych.* τεῖχον interpretatur, hoc est parietem. *V.* CAPSUS 2.

CAPSĂCES, æ, m. 1. ὁ καψάκης, vas olearium, lecythus. Vox Græca, quam sumpsit *D. Hieronym.* ex versione *LXX. Interpr.* 3. *Reg.* 17. 12. et 14., eaque utitur *Ep.* 54. *n.* 16. Farina seritur, et olei capsaces nascitur. *et Ep.* 22. *n.* 32. Mirum in modum capsace completo, qui alendus venerat, alit.

CAPSĂRĬA, æ, f. 1. ancilla, quæ dominæ suæ vestes in capsa servat. *Inscript.* apud *Murat.* 899. 1. ASIA LIVIAE CAPSARIA CASCELLIANA. *V.* tamen eamdem *Inscript.* apud *Bianchini Sep. de' servi n.* 140., ubi aliter legitur; ita ut hæc vox dubia omnino sit.

CAPSĂRĬUS, ii, m. 2. ¶ 1. Est servus, qui pueris in ludum litterarium itantibus libros defert in capsa. *Sueton. Ner.* 36. Constat quosdam cum pædagogis et capsariis uno prandio pariter necatos. Adde *Ulp. Dig.* 40. 2. 13.; et cf. *Juvenal.* 10. 117. — In *Dig.* 50. 6. 6., ubi *Tarrunten.* inter eos, qui, ob munerum graviorum conditionem, vacationem aliquam habent, enumerat *mensores, optionem, medicos, valetudinarios, capsarios, et artifices*, etc., putant quidam capsarios esse, qui *capsas* faciunt. Sed cum ibi sermo sit de iis, qui in exercitu aliquam præbent operam, aliis placet esse eos, qui libros et tabulas ad militarem rationem pertinentes in capsis servant. Fuerunt enim et in castris sui librarii, qui in libros referebant rationes ad milites pertinentes, ut videre est tum in hac eadem lege, tum apud *Veget.* 2. *Milit.* 7. Quod argui potest etiam ex honesta conditione capsarii cujusdam, de quo mentionem facit *Inscript.* Vicetina a *Todeschini* Patavii edit: M. TERENTIVS M. F. MARCELLVS CAPSARIVS SIBI ET SVIS. Cf. autem *Furlanetto*, ut ex ejus MSS. patet, capsarii potius dicti videbantur, qui vestes, annonam, tentoria et alia his similia in capsis servabant. ¶ 2. Item qui mercede servanda suscipit in balineis vestimenta lavantium, fortasse quia in capsis ea includit. *Paul. Dig.* 1. 15. 3. § 5. Adversus capsarios, qui mercede servanda in balineis vestimenta suscipiunt, præf. vigilum judex est constitutus. ubi adnotat *Haloander.* in multis libris atque etiam in Pandect. Florent. haberi *carpsarius*. *Torrentinus* tamen, qui easdem Pandectas ad fidem Florentini codicis edere se profitetur, *capsarius* edidit; itaque scribendum probat locus ex *Edict. Domit. p.* 22. Capsario in singulis lavantibus ✱ duos.

CAPSELLA, æ, f. 1. *deminut.* dupl. a capsa, parva capsula ad aliquid reponendum. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. § 1. Capsellæ, in quibus fructus componuntur. *Petron. Fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Scintilla de cervice sua capsellam detraxit aureolam; inde duo crotalia protulit.

CAPSIS. *V.* CAPIO sub init.

CAPSO. *V.* CAPIO sub init.

CAPSŬLA, æ, f. 1. parva capsa ad libros et chartas reponendas: item ad alios usus. *Fab. Pict.* apud *Gell.* 10. 15. Capsula cum strue, atque ferto. *Al. leg.* capsa. *Catull.* 68. 36. Huc una ex multis capsula me sequitur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (102). Stellionem inclusum capsulis subjiciunt capiti, et sub decessu febris emittunt. — *Homo totus de capsula* dicitur, qui summopere munditiis studet, et in eo totus est, ut exquisito cultu compositus ornatusque pareat. *Seneca Ep.* 115. Nosti complures juvenes, barba et coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Simile est illud *ejusd. Tranquill.* 1. Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, etc.

CAPSUS, i, m. 2. καψός. ¶ 1. Est in rheda pars illa, in qua qui vectantur, sedent. *Vitruv.* 10. 9. 2. *Schneid.* Insuper ad capsum rhedæ loculamentum firmiter figatur, habens tympanum versatile etc. *Isid.* 20. *Orig.* 12. 3. docet, *capsum* esse carrucam undique contextam, quasi capsam. ¶ 2. Est præterea *capsus* septum, vallum, locus sudibus aliave re conclusus, in quo animalia continentur. Legit hanc vocem *Salmas.* in *Vellej.* 1. 16. 2. *V.* CAPSA in fin. Addit *Idem ibid.* et ad *Capitolin. Anton. Pio* 12. et *Procul.* 13. appellari etiam *capsos* cellulas illas in tabula lusoria lineis distinctas, in quibus ponuntur calculi, seu latrunculi. Sed nullum de hac significatione Latini scriptoris exemplum affert.

CAPTĀBĬLIS, e, adject. qui capere, seu captare potest, susceptibilis. *Boeth. Aristot. Categ.* 1. *p.* 144. Captabilis res est contrariorum.

CAPTABŬLUM, i, n. 2. *V.* CATABULUM.

CAPTĀBUNDUS. *V.* CANTABUNDUS.

CAPTĀTĒLA, æ, f. 1. captio, prehensio. *Captatela pallii* est prehensio pallii, cum eo induimur, apud *Tertull. Pall.* 5., ut quidem legit *Salmas.* Alii leg. *Spectatela.*

CAPTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus captandi.

I.) Proprie. In re gladiatoria est ictus arte inflictus ad fallendum. *Quintil.* 5. 13. 54. Ut gladiatorum manus, quæ secundæ vocantur, fiunt et tertiæ, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat; et quartæ, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit.

II.) Translate est nimium alicujus rei studium seu studiosa aucupatio. *Cic. Partit.* 23. 81. Nam et prudentiam malitia, etc., et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, et hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi imitatur. *Quintil.* 8. 3. 57. Captatio puerilis vocum ambiguarum. — *Captatio testamenti* est callidum et blandum aucupium alienas opes occupandi per testamenta eorum, qui sine heredibus sunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 57. (160). Julium Vindicem assertorem illum a Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum. *Id.* 14. *ibid. procem.* 1. (5). Postquam cœpere orbitas in auctoritate summa et potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, pessum iere vitæ pretia. — Studiosa aucupatio. *Quintil.* 8. 6. 31. Jam in his amisimus modum, et gratiam rei nimia captatione consumpsimus.

CAPTĀTOR, ōris, m. 3. qui rem aliquam captare studet.

I.) Proprie. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 17. Ac verba primum mollia Suadendo blande effuderat, Captator ut vitulum lupus Rapturus, alludit prius.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est qui studiose et callide venatur et ambit aliquid. *Liv.* 3. 33. Ut plebicola repente omnisque auræ popularis captator evaderet. — Hinc sæpe ponitur pro heredipeta, qui orbis senibus omni arte blanditur, omnique obsequio et fœda etiam adulatione inservit, ut heres in eorum bonis scribatur. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 57. Captatorque dabit risus Nasica Coranο. *Petron. Satyr.* 141. Captatores jam exhausti liberalitatem imminuerunt. *Juvenal.* 10. 201. Usque adeo gravis uxori, natisque, sibique, Ut captatori moveat fastidia Cosso. ¶ 2. Specialim ponitur pro dardanario. *Dracont.* 3. *Hexæm.* 34. solusque dolet captator iniquus Annonam, pretiique vorax, inimicus amicis, Omnibus adversus, populis insontibus hostis. Hinc *Ambros.* 3. *Offic.* 6. Captans pretia frumenti maledictus in plebe. (*scilicet*

ex *Proverb.* 11. 20.). *Et mox.* Legisti, quemadmodum hunc frumentarii pretii captatorem exponat in Evangelio Dominus Jesus?

CAPTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad captanda testamenta pertinens. *Captatoriæ institutiones* dicuntur a *Papinian. Dig.* 28. 5. 70. et *Paul. ibid.* 69. et 79., quibus ita aliquis heres instituitur, si vicissim alterum heredem instituat; ut si quis in testamento suo ita scribat: Qua ex parte me Titius heredem instituit, ex ea parte heres esto. Sic *captatoriæ scripturæ* apud *Cajum ibid.* 30. 63.

CAPTĀTRIX, icis, f. 3. quæ captat et quærit aliquid. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Rhetoricæ duæ sunt partes, quarum una est contemplatrix bonorum, justi tenax; alia vero adulandi scientia est, captatrix verisimilium.

CAPTĀTUS, a, um. *V.* CAPTO.

CAPTENSŬLA, æ, f. 1. captiuncula, sophisma, captiosum argumentum. *Capell.* 4. *p.* 135. *de Dialectica.* Dum ambage ficta præstruis sophismata, Captensulisque ludis illigantibus. *Gloss. Isid.* Captensula, captio.

CAPTĬO, ōnis, f. 3. actus capiendi. ¶ 1. Stricto sensu est prehensio. *Gell.* 7. 10. Per quod satis dilucet, hanc capionem posse dici, quasi hanc captionem, et in usu et in pignore. *Cajus* 4. *Instit.* 12. et 29. Captio pignoris. *Lactant. de opif. Dei* 10. *post med.* Odoris captio. ¶ 2. Fere accipitur pro actu aliquem decipiendi, et quidem — *a*) Abstracte pro studio fallendi et decipiendi aliquem. *Plaut. Epid.* 2. 2. 114. Nihil in ea re captio est. *Id. ibid.* 5. 2. 36. Enim istæc captio est. Adde *eumd. Most.* 5. 2. 23. et *Truc.* 2. 7. 65. *Cic. Quinct.* 16. 53. In parvula re captionis aliquid vereri. *Ulp. Dig.* 4. 1. 1. Incidere in captionem. Cf. *Paul.* 5. *Sentent.* 33. § 2. *Dig.* 4. 4. 1. *pr.* Consilium multis captionibus suppositum. — *b*) Concreto, uti ajunt, sensu ponitur pro fraude, deceptione, qua quis capitur et jacturam rei suæ facit. *Plaut. Most.* 3. 3. 19. Ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi. *h. e.* fraudi mihi sit. *Cic.* 5. *Att.* 4. 4. Mea captio est, si quidem ejus inopiā minus multa ad me scribis. *h. e.* mihi damno est. *Cajus Dig.* 29. 3. 7. Sæpe cum magna captione a rebus nostris avocamur. Adde *Dig.* 50. 17. 200. — *c*) Speciatim ponitur pro argutia in dicendo. *Cic. Brut.* 53. 198. Quanta esset in verbis captio, cum in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur voluntates. — *d*) Ac proinde in arte dialectica captio accipitur pro fallaci argumentatione, sophismate, argutia ad decipiendum facta; teste *Seneca Ep.* 45. Idem de istis captionibus (*dialecticis*) dico: quo enim nomine potius *sophismata* appellem? *Cic.* 2. *Fin.* 6. 17. Captiones dialecticæ. *Plaut. Asin.* 4. 1. 45. Captiones metuere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. discutere. *Id.* 2. *Divinat.* 17. 41. explicare. *Id. Fat.* 13. 30. refellere. *Id.* 2. *Divinat.* 17. 41. Induere se in captiones. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 14. 45. Ne ab iis, quæ clara sunt ipsa per sese, quasi præstigiis quibusdam et captionibus depellamur. *Id.* 10. *Att.* 15. 2. Occurrunt captiones. *Id. Partit. orat.* 38. 133. Nihil captionis habet sententia. *Gell.* 1. 2. Captionum laquei. *Id.* 16. 2. Hærere in captione.

CAPTĬŌSĒ, adverb. (captiosus) cum captione, sophismate et fallacia. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. Nec diutius captiose interroganti respondebo.

CAPTĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Captiosior* et Sup. *Captiosissimus.* — Captiosus est ad capiendum et fallendum aptus, dolosus, fallax, ita ut damnum jacturamque rei conjunctam habeat. — *a*) Generatim. *Cic. Cæcin.* 14. 40. Periculosum est dissolvi hoc interdictum: Est captiosum omnibus rem ullam constitui ejusmodi, quæ cum armis gesta sit, rescindi jure non posse. *Id. Rosc. com.* 10. 29. Societas captiosa. *Ulp. Dig.* 42. 8. 6. Pupilli ignorantia non debet esse captiosa creditoribus, et ipsi lucrosa. *Dig.* 46. 5. 8. *pr.* Captiosum beneficium. *Ibid.* 2. 15. 8. liberalitas. — *b*) Speciatim ponitur de oratione sophismatis plena, de argumentatione fallaci. *Cic. Rosc. com.* 17. 52. Quo nihil captiosius, neque indignius potest dici. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. Fallacibus et captiosis interrogationibus circumscribi et decipi. *Id. ibid.* 16. 49. Captiosissimo genere interrogationis uti. Cf. *Gell.* 16. 2. *Cic.* 3. *Fin.* 21. 72. Captiosa probabilitas. *Seneca Ep.* 45. disputationes. *Cod. Theod.* 9. 34. 4. circumscriptio. — Et substantivorum more *captiosa* pro sophismatis *Cic.* 1. *Fin.* 7. 22. Captiosa solvere, ambigua distinguere.

CAPTĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *intensivum a* capto, teste *Gell.* 9. 6. *Apul. de deo Socrat.* Ne quisquam arbitretur, omina eum vulgo loquentium captitasse.

CAPTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* captio. *Cic.* 15. *Att.* 7. Omnes captiunculas pertimescere. Adde *Gell.* 16. 2.

CAPTĪVĀTĬO, ōnis, f. 3. eadem ac captivitas. *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. *de elephante.* Tentando solum cautus semper incedit; retinens, initio captivationis suæ fuisse sibi noxiam ruinam.

CAPTĪVĀTOR, ōris, m. 3. qui captivum facit. *Augustin. Ep.* 199. *a med.* Tuos captivatores et deprædatores putans.

CAPTĪVĀTUS, a, um. *V.* CAPTIVO.

CAPTĪVĬTAS, ātis, f. 3. (captivus) conditio ejus qui captus est (It. *cattività, prigionia*; Fr. *captivité*; Hisp. *cautividad, cautiverio*; Germ. d. *Zustand der Gefangenschaft*; Angl. *captivity*). Initio statim animadvertimus, hanc vocem ante *Senecam* minime usuvenisse, ut firmis argumentis probavit *Madvig* ad *Cic. Corn. vol.* 5. *tom.* 2. *p.* 71. *Bait.*; atque ideo nihili faciendum a *Forcellino* allatum *Cic. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon.* Cum omnibus gentibus finem diuturnæ captivitatis, turpitudinis et servitutis afferret. ¶ 1. Captivitas est servitus ejus, qui bello aut alia vi servire cogitur. Differt a servitute, quod captivus quis potest esse, qui non serviat; et servire aliquis ultro, nec tamen esse captivus. — *a*) Generatim de civibus. *Seneca Ep.* 85. Describe captivitatem, verbera, catenas, egestatem. *Tac.* 5. *Hist.* 21. Evadere periculum captivitatis. *Id.* 12. *Ann.* 51. Eximere aliquem contumeliis captivitatis. *Id.* 4. *ibid.* 25. Captivitas cladesque. *Justin.* 3. 5. Cetera captivitatis mala. *Id.* 4. 3. Iure captivitatis. *Petron. Satyr.* 113. Captivitate præteritā tristiora. — *b*) Per metonymiam, sive abstractum pro concreto, uti ajunt, captivitas significat ipsos captivos. *Tac.* 11. *Ann.* 23. Nisi cœtus alienigenarum, velut captivitas, inferatur (*in curiam*)? — *c*) Ponitur et de urbibus vel regnis, quæ in hostium potestatem vi rediguntur. *Tac.* 16. *Ann.* 16., 13. *ibid.* 25. et 3. *Hist.* 83. Captivitas urbium. *Id.* 3. *Hist.* 70. Captivitates urbium. *Flor.* 2. 6. 8. Africæ. ¶ 2. Dicitur etiam de feris cum venatu capiuntur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 56. (134). *de herinaceis.* Ita terminum supremum opperientes, ut ferme ante captivitas occupet. Adde *Flor.* 1. 18. 28. ¶ 3. Figurate *captivitas oculorum* est cæcitas; ex eo quod cæcus *captus oculis* dicitur, *Apul.* 1. *Met.* Diffletis pæne ad extremam captivitatem oculis suis.

CAPTĪVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Captivatus* et *Captivandus.* — Captivo est captivum facio. *Venant. Vit. S. Merardi* 4. Suo crimine captivatus latro, redeundi aditum ebrius non invenit. *Augustin.* 1. *Civ. Dei* 1. Captivandi cupiditas. Adde *eumd.* in *Psalm.* 63. Part. *Captivandus* apud *eumd.* 1. *Civ. Dei* 7. *Cod.* 1. 27. 1. *pr.* Africa captivata. *Salvian.* 6. *Gub. D.* 12. Quæ (*bella*) – Africam ipsam – captivavere reipublicæ. — Figurate *Ruric. Helpid. carm.* 32. Vinctaque perpetuis captivet pectora pœnis.

CAPTĪVUS, a, um, adject. qui captus, qui vinctus est. ¶ 1. Generatim, sed raro, — *a*) De hominibus ponitur simpliciter pro vincto. *Ovid.* 2. *Art. am.* 587. Vix precibus, Neptune, tuis captiva resolvit Corpora. — Et absolute substantivorum more *Curt.* 3. 12. 16. Captivus servorum suorum. — *b*) De animalibus venatu captis. *Varro* 3. *R. R.* 13. 1. Captivi apri. *Ovid. Halieut.* 44. muræna. *Id.* 13. *Met.* 932. pisces. *Id.* 1. *ibid.* 475. feræ. *Id.* 4. *Fast.* 705. vulpes. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (93). Crocodilos captivos agere in terram. *Martial.* 10. 37. Mullus captivus. *Capitolin. Maxim. jun.* 2. Ut nonnisi aprugnam, anates, grues et omnia captiva ederet. ¶ 2. Speciatim captivi dicuntur, qui bello capti sunt et in alterius potestatem redacti: et occurrit — *a*) De hominibus. *Liv.* 7. 27. Sunt qui hanc multitudinem captivam servorum fuisse scribant. *Id.* 31. 46. Captiva corpora. *h. e.* hominum ac brutorum, quæ urbi opponuntur. *Id.* 32. 26. mancipia. *Horat.* 3. *Od.* 5. 17. Si non periret immiserabilis Captiva pubes. *Ovid.* 13. *Met.* 471. Matres captivæ. *Horat.* 2. *Od.* 4. 5. Tecmessæ. *Martial.* 7. 79. Ister. *h. e.* Istri accolæ. — *b*) A poetis et sequioris ævi scriptoribus ponitur etiam de rebus ad captivos pertinentibus. *Virg.* 10. *Æn.* 520. Captivus sanguis. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 45. crines. *Id.* 13. *Met.* 667. lacerti. *Id.* 2. *Pont.* 1. 43. colla. *Id.* 1. *Amor.* 2. 30. mens. *Forcellinus* h. l. translate accepit. Cf. *Martial.* 11. 97. sitis. *Seneca Herc. Œt.* 109. brachia. *Curt.* 6. 6. 10. habitus. *Tac.* 14. *Ann.* 30. cruor. — *c*) Hoc sensu absolute, substantivorum more, occurrit – *Captivus*, i, m. 2. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 82. Plures captivos, quam prædones necatos. *Id.* 5. *Fam.* 11. Ducere aliquem captivum in triumpho. *Id.* 3. *Herenn.* 2. 2. Redimere captivos ab hostibus. *Nepos Hann.* 7. reddere et remittere. *Curt.* 5. 35. libertate donare. Adde *Nævium* apud *Non. p.* 474. 18.; *Merc. Plaut. Capt.* 1. 2. 1. et alibi; *Cic.* 3. *Tusc.* 23. 54.; *Cæs.* 1. *B. G.* 22. et alibi; *Liv.* 21. 42., 22. 60. et alibi; *Virg.* 9. *Æn.* 273.; *Horat.* 1. *Sat.* 3. 89. et 1. *Ep.* 16. 69.; *Ovid.* 11. *Met.* 251.; *Curt.* 8. 4. 26.; et *Senecam* 5. *Controv.* 33. — *Captiva*, æ, f. 1. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 39. Ante eat effuso tristis captiva capillo. Adde *eumd.* 13. *Met.* 471.; *Curt.* 6. 2. 5. et 8. 4. 26.; et *Senec.* 1. *Controv.* 2. — *d*) Item de re quacumque bello capta. *Sall. Ep. Mithrid. p.* 178. *Orell.*; *Liv.* 2. 48. et *Tac.* 12. *Ann.* 32. Captivus ager. *Cæs.* 2. *B. C.* 5. et *Liv.* 26. 47. naves. *Liv.* 7. 14. arma. *Id.* 33. 23. carpenta. *Id.* 10. 2. navigia. *Id.* 1. 53. et 10. 46.; et *Curt.* 5. 6. 8. pecunia. *Liv.* 7. 37. signa. *Id.* 5. 30. solum. *Id.* 45. 40. aurum argentumque. *Virg.* 7. *Æn.* 184. currus. *Id.* 2. *ibid.* 765. vestis. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 193. Corinthus. *Propert.* 2. 1. 32. *de Nilo.* Septem captivis debilis ibat aquis. *Ovid.* 1. *Met.* 184. cœlum. *Curt.* 8. 7. 11. aurum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 2. (7). Aurum ferro captivisque rebus mutare. — *NB.* Apud *Liv.* 21. 33. *in fin.*, ubi *Alschefski* accipit *captivum*, i, n. 2. pro præda in bello capta, aliquid deesse videtur. ¶ 3. *Captivus* etiam active usurpari videtur, ut captiva necessitas, quæ captivos facit. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 5. 5. 2. Diversarum homines provinciarum cujuslibet sexus, conditionis, ætatis, quos barbarica feritas captiva necessitate transvexerat, invitos nemo retineat. Eadem lex habetur etiam in *Cod. Justinian.*, ubi quidam leg. *captivitatis necessitate*, quod probandum videtur.

Captivus, i, m. 2. *V.* supra sub 1. et 2. c.

Captiva, æ, f. 1. *V.* supra sub 2. c.

CAPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequent. a* capio. — Part. *Captans* II. 1. c. *Captatus* I. a.; *Captaturus* II. 1. a.; *Captandus* I. b. — Captare significat diligenter ac frequenter capere, capere velle, studiose consectari, sollicite petere, quærere (It. *prendere, accattare, procacciare, cercare*; Fr. *prendre, tâcher de prendre, de saisir quelque chose, chercher à l'atteindre, à l'acquérir*; Hisp. *tomar, agarrar, procurar para tomar, para hacer ó conseguir alguna cosa*; Germ. *mit allem Eifer etwas zu fassen oder zu ergreifen suchen, mit Hast etwas fassen, nach etwas haschen oder schnappen*; Angl. *to catch at, catch, strive to obtain, go in quest of, seek for solicitously*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 6. Vinum dolosus est luctator, pedes captat primum. — Hinc *captare* in re gladiatoria est insidioso ictu adversarium petere. *Auct. Paneg. ad Pison.* 166. Arma tuis etiam si forte rotare lacertis, Inque gradu clausis libuit consistere membris, Et vitare simul, simul et captare petentem. *V.* CAPTATIO. — *Plaut. Epid.* 2. 2. 32. Captare amatores. *Virg.* 1. *G.* 139. feras laqueis. *Id.* 1. *ibid.* 376. auras patulis naribus. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 557. auras gravi hiatu. Et *Seneca Hippol.* 40. auras nare sagaci. *Horat. Epod.* 2. 35. Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem Jucunda captat præmia. *Id.* 1. *Sat.* 1. 68. Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina. Adde *eumd. ibid.* 2. 108. *Tibull.* 2. 6. 23. et *Ovid.* 8. *Met.* 217. Captare arundine pisces. *Ovid.* 4. *Met.* 72. Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris. *h. e.* datus invicem et acceptus. *Id.* 9. *ibid.* 37. cervicem, crura. *Id. Heroid.* 8. 93. collum lacertis. Adde *eumd.* 3. *Met.* 420. *Id.* 1. *Art. am.* 351. puellas. Cf. *eumd.* 12. *Met.* 768. *Id.* 10. *ibid.* 42. undas. *Sueton. Domit.* 3. muscas. *Martial.* 12. 82. trigonem dextrā lævāque. — *b*) Speciatim ponitur de iis, quibus naturali ratione corpora nostra afficiuntur et quodammodo imbuuntur. *Virg.* 1. *Ecl.* 53. Captare frigus opacum inter fontes. *Id.* 2. *ibid.* 8. umbras et frigora. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 16. umbras arborum fonticulorumque amœnitatem vel auræ refrigerationem. *Id.* 7. *ibid.* 10. 4. somnos. — Hinc *Liv.* 38. 7. Aure admotā captare sonitum. Et *Virg.* 3. *Æn.* 514. auribus aera. *h. e.* ad cognoscendum, unde ventus efflat. — Hinc absolute. *Plaut. Cas.* 2. 83. Captandus est horum

clanculum sermo mihi. *h. e.* intentis auribus explorare, quid hi dicant. Adde *Ter. Phorm.* 5. 6. 29. *Lucilius* apud *Non. p.* 275. 20. *Merc.* Captare paullisper aliquid et observare.

II.) Translate. ¶ 1. Occurrit de personis, et est captiosis verbis illaqueare et ligare conari, insidiari in sermone, vel etiam quacumque ratione conari decipere. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 269. Quid me captas, carnufex? *Id. Men.* 4. 2. 83. Viden', uti scelestus captat? huic surrepta est, non tibi. *Ter. Hecyr.* 1. 1. 15. Injurium autem est ulcisci adversarios? Aut quâ viâ te captent, eâdem ipsos capi? *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem irretiat te, an loquentem? *Id.* 2. *Invent.* 52. 157. Est quiddam, quod sua vi nos alliciat ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate. *h. e.* conatus ad se allicere et conciliare. *Liv.* 2. 50. insidiis hostem. *Id.* 22. 28. Captaturus temeritatem alicujus. *Id.* 42. 12. Bœotorum gentem. — Huc pertinet et illud *Paul. Dig.* 10. 4. 19. Non oportet jus civile calumniari, neque verba ejus captare (*h. e.* captiose interpretari), sed, qua mente quid diceretur, animadvertere. — *b*) Cum Accus. et Genit. *Plaut. Amph.* 2. 2. 188. Captare aliquem impudicitiæ. *h. e.* convincere conari. *V.* CAPIO II. 2. — *c*) Absolute, vel *cum aliquo, inter se* etc. *Accius* apud *Non. p.* 512. 19. *Merc.* Contra est eundum cautim et captando mihi. *Publius Syr. v.* 226. Fortuna cum blanditur, captatum venit. *Plaut. Most.* 5. 1. 20. Docte atque mihi captandum est cum illoc, ubi huc advenerit. *h. e.* captiosis verbis et callida vafraque disputatione cum illo contendere, et captiose niti, ut decipiatur. Eâdem loquendi formâ *cavere cum aliquo* dixit *ibid.* 5. 2. 21. *Liv.* 44. 24. *a med.* Dum inter se duo reges captantes fraude et avaritiâ certant. *Id. ibid.* 25. *in fin.* Ita nequidquam inter se captati, nihil præter infamiam movere. *h. e.* cum invicem captavissent. — *d*) Hoc sensu *captare aliquem* est etiam omni adulatione prosequi ad ejus hereditatem capiendam; quod *V.* infra sub paragr. seq. *a.* ¶ 2. Ponitur et de rebus earumque rationibus. — *a*) Cum Accus. rei, et significat aliquid studiose quærere, aucupari, sectari cupide et diligenter totis viribus adipisci. — Generatim. *Plaut. Asin.* 2. 2. 91. Quid nunc consilii captandum censes? Cf. *Ter. Andr.* 1. 1. 143. Captare consilium cum aliquo. *h. e.* consilium cum aliquo consultando capere. Adde *eumd. ibid.* 2. 4. 1. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 2. Lepidus, desperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Antonio conjunxit. — Jungitur pluribus Substantivis, quæ, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plin. Paneg.* 4. amorem humanitate. *Cic.* 1. *Invent.* 31. 51. assensiones alicujus. *Quintil.* 12. 3. 12. auctoritatem contemptu ceterorum. *Liv.* 3. 37. auram libertatis. *Cic.* 1. *Herenn.* 5. 8. benevolentiam. *Quintil.* 10. 1. 32. brevitatem in oratione. *Plin. Paneg.* 91. commendationem beneficiis suis ex difficultate. *Sueton. Ner.* 48. compendium. *Petron. Satyr.* 3. cœnas divitum. Adde *Martial.* 7. 19. *Tac.* 4. *Ann.* 57. dominationem. *Quintil.* 11. 3. 184. elegantiam actoris. *Id.* 6. 1. 25. et *Sueton. Tib.* 57. favorem. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 75. gloriam. *Ovid.* 11. *Met.* 768. Hesperie sæpe captata. *h. e.* adamata, adfectata, petita. *Dig.* 48. 18. 1. § 26. impunitatem sibi. *Quintil.* 11. 1. 53. leporem in oratione. *Dig.* 27. 9. 13. lucrum ex damno alieno. *Cic.* 2. *Phil.* 34. 86. misericordiam. *Sueton. Vesp.* 21. momenta temporum ad aliquid agendum. *Plaut. Trin.* 1. 2. 37. mores novos. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 4. nomen imperatorium. *Horat. A. P.* 230. nubes et inania. *Id.* 2. *Sat.* 7. 106. obsonia. *Cic. Harusp. resp.* 25. 55.; *Liv.* 38. 44.; *Cels.* 3. 18.; et *Sueton. Cæs.* 7. occasionem. *Cic. Pis.* 25. 60. plausus. *Plin. Paneg.* 4. reverentiam terrore. *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 17. et *Phædr.* 1. 29. 1. risus. *Seneca* 5. *Controv.* 33.; et *Quintil.* 6. 3. 26. et 8. 3. 48. risum. *Ovid.* 3. *Met.* 279. sermone captato. *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 65. solitudines. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 113. suffragia populi. *Liv.* 5. 6. tempestates captare et anni tempus observare. *Id.* 4. 36.; et *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 129. tempus. *Plin. Paneg.* 48. tenebras secretumque. Cf. *Sueton. Oth.* 10. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 24. voluptatem. *Plin.* 8. *Ep.* 8. voluptatem ex aliqua re. *Quintil.* 9. 3. 73. Vox non captata, sed velut oblata. — Specialim de iis ponitur, qui senes orbos sectantur atque omni adulatione prosequuntur, ut eorum hereditates capiant per *institutiones captiosas*, de quibus *V.* CAPTIOSUS. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 23. captes astutus ubique Testamenta senum. Cf. *Dig.* 29. 6. 1. *pr.* Captare hereditatem. *Petron. Satyr.* 116. Quoscumque in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos. Nam aut captantur, aut captant etc. *Martial.* 6. 63. Scis te captari; scis hunc, qui captat, avarum: Et scis, qui captat, quid, Mariane, velit. Adde *Juvenal.* 16. 56. et *Plin.* 2. *Ep.* 20.; et *V.* CAPTATOR 1. — *b*) Cum Infinito *captare* est conari, niti, tendere. *Ovid.* 10. *Met.* 58. Brachiaque intendens, prendique et prendere captans. *Al. leg.* captans. *Phædr.* 4. 7. Quid me, inquit, stulta, dente captas lædere? *Id.* 5. 3. Muscam captans opprimere. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 2. Agricola captans undique voluptates acquirere. Adde *Auson. Mosell.* 275. — *c*) Cum partic. *an* eodem sensu. *Sueton. Tib.* 14. Ominibus captare, an aliquid futurum sit.

CAPTOR, ōris, m. 3. qui capit, v. gr. aves, feras. *Vet. Poeta* in *Anthol. Latin. T.* 2. p. 453. *Burmann.* Et tatur escali vulnere captor obit.

CAPTRIX, icis, f. 3. quæ captat. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 39. Injectiones clysterum sunt virium captrices. *h. e.* vires tentant et debilitant.

CAPTŪRA, æ, f. 1. actus capiendi (It. *presa*; Fr. *prise, capture*; Hisp. *toma, tomada, captura*; Germ. d. *Fang*; Angl. *a catching, taking, the capture of any thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 19. 35. (71). Uberrima piscium captura. Adde *eumd. ibid.* 16. 23. (56). *Id.* 19. *ibid.* 1. 2. (10). piscium et alitum. *Id.* 28. *ibid.* 8. 27. (93). pantheræ. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu ponitur pro ipsa præda, quæ capitur. *Sueton. Aug.* 25. *in fin.* Aurei hami abrupti damnum nulla captura pensari potest. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (99). Pinxit venatores cum captura. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 40. 56. (115). *Id.* 11. *ibid.* 24. 28. (83). *de araneo.* Cum vero captura incidit etc.

II.) Translate, sed concreto pariter sensu — *a*) Significat mercedem, quæ ex sordida opera ab aliquo capitur. *Sueton. Cal.* 40. Ex capturis prostitutarum, quantum quæque mereret. *Val. Max.* 9. 4. 2. Inhonesti lucri captura invitatus. *Id.* 3. 4. 4. Alii capturis sordidissimæ mercis. Adde *Senec.* 1. *Controv.* 2. et 5. *ibid.* 33. Huc pertinet illud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Hinc nata medicina: hæc sola naturæ placuerat esse remedia, parata vulgo, inventu facilia. Postea fraudes hominum, et ingeniorum capturæ officinas invenere, etc. *h. e.* artes eorum, qui ingeniose quæstum ex quacumque re captant. — *b*) Dicitur etiam *captura* id quod ostiatim quotidie capiunt mendici ad vitam tolerandam. *Seneca Excerpt. controv.* 10. *declam.* 4. Tibi quotidiana captura non constat: apparet te nondum satis miserum videri. *Val. Max.* 6. 9. 8. Quem diurnas capturas exigentem animadverterant Siculi, eumdem jura dantem, classesque et exercitus regentem viderunt. *h. e.* diurnas mercedes a societate publicanorum exigentem, nam idem Rutilius antea dicitur *auctorato sociis officio vitam sustentasse*, et *publicanis operas dedisse*. Sunt qui perperam putent, *diurnas capturas* esse vectigalia, quæ ipse a Siculis diurna exigebat.

CAPTUS, a, um. *V.* CAPIO.

CAPTUS, us, m. 4. actus capiendi. (It. *prendimento*; Fr. *prise*; Hisp. *prendimiento, captura*; Germ. d. *Griff oder Fang*; Angl. *a taking, or Seizing*). ¶ 1. Occurrit de re corporea, quæ manibus vel alia simili ratione capitur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 47. (79). Flos hederæ trium digitorum captu alvum emendat. *Pompon. Dig.* 18. 1. 8. § 1. Cum captus piscium, vel avium, vel missilium emitur. *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 3. 4. 34. Captus avium, piscium, ferarum. ¶ 2. Occurrit et de iis, quorum possessio capitur. *Val. Max.* 3. 3. *ext.* 7. Virtus in captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit. ¶ 3. Refertur etiam ad mentem vel animum, qua ratione — *a*) Apud classicos auctores occurrit tantum formula *ut est captus hominum*, hoc est quantum capit animus, ingenium et natura hominum. *Ter. Adelph.* 3. 4. 34. Hic Geta præterea, ut captus est servorum, non malus, neque iners. *Afranius* apud *Donat.* ad *Ter. l. c.* Is, ut servorum captus est, facillime domo atque nostrâ familiâ proventitur. *Cic.* 2. *Tusc.* 27. 65. Græci homines non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis, hostem aspicere non possunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. Ubiorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum. — *b*) Apud sequioris ævi scriptores occurrit etiam formula *pro captu* et *supra captum*. *Gell.* 1. 9. Non in omnes idem, sed aliud aliis tempus, pro æstimato captu solertiæ, statuebat. *h. e.* prout alium alio plus vel minus solertem judicabat. *Apul. de Mag.* Ego certe pro captu meo dixerim etc. Adde *Cod. Theod.* 6. 4. 21. § 5. et 8. 4. 8. § 2. *Apul.* 1. *Met.* Ea putari mendacia, quæ supra captum cogitationis ardua videantur. *Inscript.* apud *Gruter.* 1120. 7. FILIAE MANSVETISSIMAE ET SVPRA SEXVS SVI CAPTVM ET AETATEM PRVDENTI.

CĀPŬLA, æ. *V.* CAPEDO.

CĀPŬLĀRIS, e, adject. ad capulum, hoc est ad feretrum pertinens, sive *capulo vicinus* vel *proximus*, ut interpretantur *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 222. et 11. *ibid.* 64., et *Non. p.* 4. 28. *Merc. Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 33. Quid ais tu? itane tibi videor oppido Acheronticus, tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere? *Lucilius* apud *Fulgent. de prisco serm. p.* 563. 14. *Merc.* Capulare cadaver. *Flaccus Tibulus*, vel juxta alios *Cæcil.* apud *eumd. Fulgent. l. c.* Tune amare audes, edentule et capularis senex? — Addit *Fulgent.* appellatos esse *reos capulares*, qui capitis damnari digni erant: sed hoc nullo confirmat Latini scriptoris exemplo.

CĀPŬLĀTOR vel caplator, ōris, m. 3. qui factoribus olei inservit, et ex uno in aliud vas oleum, vinumve diffundit: a *capula*, de qua *V.* in CAPEDO. *Cato R. R.* 66. Ubi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum, quam diligentissime poterit, tollat, nec cesset: amurcam caveat ne tollat: oleum in labrum primum indito, etc. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 10. Quod deinde primum defluxerit in rotundum labrum, protinus capulator depleat, et in fictilia labra defundat. — *Caplator* per syncopen. *Inscript.* apud *Gruter.* 1088. 3. Caplatores Tiburtes. *Reines. cl.* 11. *n.* 62. ex hac, et alia *Inscript.* apud *eumd. Gruter.* 414. 1. colligit, hujus generis mercenariorum corpora et collegia fuisse non in Urbe solum, sed et in provinciis. Hinc *Capulatorum schola* locus fuit Romæ in regione tertia, et *Capulatorum vicus* in regione quinta, ut est apud *P. Victor. de Reg. Urb. Rom.*

CĀPŬLĀTUS, a, um, adject. capulo tectus. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 90. *n.* 175. M. NOMICIVS M. F. PAL. NOMESIANVS MAGISTER AVGVSTALIS COLONIAE SETIN., SAL. MARTIALIS CAPVLATVS, IIII. VIR. VIAR. CVRAND. V. S. FECIT. *Fabrettus ibid. p.* 115. exponit, *Salius Martialis capulatus*, hoc est capulum habens, seu apicem in pileo, qui apex similis erat capulo seu manubrio, ut *Idem* exhibita figura ostendit. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 2246. Alia apud *De Vita, Inscript. Benev. cl.* 1. *n.* 32. DATO EPVLVM CAPVLATIS SACERDOTIBVS AVG. Alia apud *Don. cl.* 9. *n.* 19. COLLEGIVM CAPVLATORVM SACERDOTVM DIANAE. Hæ omnes inscriptiones pertinent ad Allifas Samnii urbem, nunc *Alife*. — Sunt qui putant, *capulatos* dictos fuisse Salios Allifanos, quod cum manibus gestassent minutos pugiones, quibus ancilia pulsabant, ut docet *Gutberlet. de Saliis p.* 96., a capulo nempe gladioli ita fuerint cognominati. Idem sentit *Orell.* ad *Inscript.* 2173. Quænam vero potior sit sententia, adhuc ambigitur.

CĀPŬLICUS creditur esse nomen navigii, apud *Gell.* 10. 25., sed alii legunt *caupuli* (pro *capulici*) vel *capuli*.

CĀPŬLO, as, are, a. 1. (capula). Part. *Capulandus*. — Capulare est oleum ex uno in aliud vas capula seu concha diffundere. *Cato R. R.* 67. Oleum frequenter capulent. *Al. leg.* caplant. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). Oleum sæpius die capulandum. Ita legit *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. Alii *sæpius decapulandum*.

CĀPŬLO, as, are, a. 1. (capulus vel capulum). Part. *Capulans*. — *Isid.* 20. *Orig.* 16. 5. ait capulum significare funem, quo jumenta colligantur, et neutrius generis facit, sed nec ipse ullo confirmat Latini Scriptoris exemplo; et ea vox videtur esse eadem ac *cable*, quo nunc utuntur Galli. Quomodocumque se res habeat, *capulare* est idem ac capere, fune alligare. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. Jaculi, quibus capulantur (*juvenci*), lanatis pellibus involuti sint, ne tenera fronte sub cornua lædantur. *Mela* 2. 5. *ad fin.* In ea regione piscem e terra oriri, qui ubi ex alto huc usque penetravit, per ea foramina ictu capulantium interfectus extrahitur. *Is. Voss.* notat, alios mutasse *captantium*, sed in omnibus libris veteribus haberi *capulantium*. Porro, addit *Forcellinus*, *capulare* hic significat percutere, vulnerare, ducta significatione a capulo ensis.

Sed rectius *capulare* hic significat capere ex allatis *Colum.* et *Isid.* locis.

CĂPŬLUS, i, m. 2., et Capulum, i, n. 2. tantum apud Grammaticos, ut apud *Non.* et *Isid.* locis infra cit., ubi tamen nullum affertur Latini Scriptoris exemplum. Juxta *Paul. Diac. p.* 61. 12. *Müll.* capulus (a capiendo dictus, testibus etiam *Non. l. infra cit.* et *Servio* ad *Virg.* 6. *Æn.* 222.) significat quidquid aut in se rem aliquam capit continetque, aut ab alio capitur ac tenetur. Hinc ¶ 1. Ponitur pro feretro, in quo defunctorum cadavera efferuntur: ac propterea *capuli decus* dicitur per convicium homo morti vicinus, capularis. *Plaut. Asin.* 5. 2. 42. Ut osculatur carnufex, capuli decus! *Lucilius* apud *Non. p.* 5. 2. *Merc.* Quem cum vidissent Hortensius' Postumiusque, Cæteri item, in capulo hunc non esse, aliumque cubare. *Lucret.* 2. 1175. Nec tenet, omnia paullatim tabescere, et ire Ad capulum, spatio ætatis defessa vetusto. *Varro* apud *Non. p.* 5. 5. *Merc.* Propter cunam capulum positum nutrix tradit pollinctori. Cf. apud *eumd. p.* 157. 24. *Novius* apud *eumd. p.* 30. Prius in capulo, quam in curuli sella suspendit nates. *Nonius p.* 30. *Merc.* interpretatur sarcophagum seu sepulcrum: sed reprehenditur a *Voss.* in *Etymol.* et aliis; ac præterea, quæ attulimus exempla, si attente expendantur, aptius de feretro, quam de sepulcro intelliguntur. Nihilominus etiam hoc sensu usurpatum legitur ab *Apul.* 4. *Met.* Capulos carie et vetustate semitectos, queis inhabitabant pulverei et jam cinerosi mortui, passim adfuturæ prædæ receptacula referamus. Adde *eumd.* 8. *ibid.* ¶ 2. Significat etiam manubrium. — *a*) Generatim. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 57. Ipse manu capulum prensi moderatur aratri. *Id.* 7. *Met.* 506. Capulus sceptri. *Colum.* 4. *R. R.* 25. 1. falcis. — *b*) Speciatim sæpe dicitur de manubrio ensis. *Cic. Fat.* 3. 5. Philippus hasce in capulo quadrigas vitare monebatur: quasi vero capulo sit occisus. *Virg.* 10. *Æn.* 536. capulo tenus abdidit ensem. *Ovid.* 12. *Met.* 133. capulo cava tempora pulsat. Adde *eumd. ibid.* 422. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus. *Petron. Satyr.* 82. Frequentiusque manum ad capulum, quem devoveram, refero. Adde *Apul.* 1. *Met. Pacat. Paneg.* 35. Postquam intra conjectum teli acies utraque promovit, res venit ad capulos. *h. e.* ad gladios. — *c*) Figurate *capulus coleorum* apud *Auct. Priap.* 25.; et absolute *capulus* apud *Plaut. Cas.* 5. 2. 28. est membrum virile. ¶ 3. *Isid.* 20. *Orig.* 16. 5. ait capulum etiam funem significare: *V.* CAPULO secundo loco.

CĂPUS, i, m. 2. idem quod capo, sive gallus gallinaceus castratus. *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Equi demptis testiculis canterii appellati, ut in suibus majales, in gallis gallinaceis capi. *Id. ibid.* Capi semimares. *Et mox.* Gallos castrant, ut sint capi, candente ferro inurentes calcaria ad infima crura. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 9. 3. et apud *Charis.* 1. *p.* 30. *Putsch. Colum.* 8. *R. R.* 2. 3. Galli castrantur non amissis genitalibus, sed ferro candente calcaribus inustis. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 25. (50). Galli desinunt canere castrati, quod duobus fit modis: lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus.

CĂPUT, căpitis, n. 3. In Ablat. sing. *capiti* pro *capite* dicit *Catull.* 68. 124. — *Varro* ad *Cic.* apud *Lactant. De opif. Dei* 5. inde dictum tradit, quod ab eo initium *capiunt* nervi et sensus. Profecto, ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Gr. κεφαλὴ, quæ idem significat, quæque affinitatem habet etiam cum v. *capio*; ut κεφαλὴ et *caput* sic dictum sit, quod præcipuum facultatum organon, hoc est cerebrum, capiat seu contineat. — Ceterum caput est princeps animalis membrum, quod collo sustentatur, in quo omnium sensuum sedes est (It. *capo, testa*; Fr. *tête*; Hisp. *testa*; Germ. d. *Kopf* oder d. *Haupt*; Angl. *a head*).

A) Occurrit de hominibus et de brutis animalibus.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ennius* 2. *Ann.* 38. Oscitat in campis caput a cervice revolsum Semianimesque micant oculi. *Cato R. R.* 157. De capite et de oculis omnia deducet (*brassica*) et sanum faciet. *Plaut. Trin.* 5. 2. 45. Quid quassas caput? *Ter. Adelph.* 2. 2. 37. Colaphis tuber est totum caput. *Id. Heaut.* 2. 3. 49. Capillus circum caput rejectus negligenter. *Formula* apud *Cic. Rabir. perd.* 4. 13. CAPVT OBNVBITO, ARBORI INFELICI SVSPENDITO. Cf. *Liv.* 1. 26. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 250. Africano – coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, cum ea sæpius rumperetur, P. Licinius Varus: Noli mirari, inquit, si non convenit; caput enim magnum est. *Id.* 7. *Verr.* 28. 72. Cives Romani – involutis e carcere capitibus ad palum atque ad necem rapiebantur. *Id. Senect.* 10. 34. Masinissam nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Animadvertit Cæsar, unos ex omnibus Sequanos – tristes capite demisso terram intueri. Cf. *Catull.* 88. 8. *Nepos Alcib.* 10. Quem – telis missis interfecerunt caputque ejus ad Pharnabazum retulerunt. *Varro* 2. *R. R.* 7. 5. Qualis futurus sit equus, e pullo conjectari potest, si caput habet non magnum etc. *Liv.* 2. 45. Consules velut deliberabundi capita conferunt, diu colloquuntur. *Id.* 22. 1. Tegumenta capitis. *Cels.* 1. 4. Capiti nihil æque prodest atque aqua frigida. *Virg.* 3. *G.* 79. illi (*equo*) ardua cervix Argutumque caput, brevis alvus etc. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 89. Quod pulcræ clunes, breve quod caput, ardua cervix (*equorum*). *Id.* 2. *ibid.* 3. 29. Dolor capitis. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (41). *Horat.* 1. *Sat.* 10. 49. Hærens capiti corona. *Id.* 4. *Od.* 13. 12. Nives capitis. Cf. *Quintil.* 8. 6. 17. *Ovid.* 1. *Met.* 217. falcato nutantem vulnerat ense, Qua collo est confine caput. *Id.* 8. *ibid.* 108. Capitis tegmina. *Id.* 3. *Fast.* 841. vertex. *Quintil.* 2. 12. 9. motus. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 2. Nisi quod rutilam galeam et cristam capite gerit (*gallina Africana*). — Jungitur nonnullis Adjectivis, quorum hæc sunt præcipua. *Plaut. Capt.* 3. 1. 15. aperto capite. *Id. Asin.* 5. 2. 54. et *Cas.* 3. 1. 4.; et *Tibull.* 4. 1. 72. cano. *Horat. A. P.* 1. humanum. *Id.* 1. *Ep.* 16. 14. et *Cels.* 1. 4. infirmum. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. involuto. *Plaut. Rud.* 5. 2. 16. irraso. *Auct. B. Afr.* 16. nudo. *Cic.* 2. *Phil.* 33. 77. obvoluto. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 37. operto. *Plaut. Amph.* 5. 2. 16. raso. *Seneca Herc. fur.* 1015. submisso. — Jungitur et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ovid.* 8. *Met.* 25. abdere caput casside. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 3. abscindere cervicibus. *Val. Max.* 5. 2. 9. et *Seneca Ep.* 64. adaperire alicui. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. aperire. *Ovid.* 5. *Met.* 503. attollere. *Virg.* 2. *Æn.* 558. avellere humeris. *Sueton. Aug.* 79. comere. *Ter. Eun.* 5. 7. 4. comminigare sandalio. *Ovid.* 2. *Met.* 5. concutere. *Id.* 1. *ibid.* 179. concutere cæsariem capitis. *Virg.* 12. *Æn.* 885. contegere caput amictu. *Sueton. Ner.* 42. converberare. *Virg.* 9. *Æn.* 437. demittere. *Ter. Heaut.* 4. 5. 14. demulcere. *Ovid.* 11. *Met.* 649. deponere strato. *Plaut. Most.* 1. 3. 108. et *Ter. Eun.* 4. 7. 33. diminuere alicui vel alicujus caput. *Cels.* 7. 7. effundere in gremium medici. *Lucret.* 5. 1207. erigere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (46). gigni capite. *Catull.* 64. 24. jacere caput vi. *Virg.* 5. *Æn.* 469. jactare utroque. *Sueton. Aug.* 23. illidere foribus. *Horat.* 1. *Od.* 4. 9. impedire myrto. *Plin.* 3. *Ep.* 16. impingere parieti. *Virg.* 9. *Æn.* 300.; *Ovid. Heroid.* 3. 107. et 5. *Trist.* 4. 45. jurare per caput alicujus. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 80. limare alicui. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 58. movere. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 52. nutare. *Virg.* 1. *G.* 386. objectare fretis. Et figurate *Id.* 2. *Æn.* 751. objectare periclis. *Lucan.* 6. 176. obterere saxo. *Sueton. Cæs.* 83. obvolvere toga. *Quintil.* 6. 3. 67. offendere ad fornicem. *Plaut. Curc.* 2. 3. 3. offendere aliquem capite. *Petron. Satyr.* 7. operire pallio. *Virg.* 3. *G.* 21. ornare foliis olivæ. *Lucan.* 1. 530. percutere. *Varro* apud *Priscian. p.* 871. *Putsch.*; et *Sil. It.* 1. 104. permulcere. *Phædr.* 5. 7. protrudere foras aliquem capite. *h. e.* in caput et præcipitem protrudere. *Lucret.* 5. 1398. redimire caput coronis. *Catull.* 43. 10. reflectere. *Ovid.* 3. *Met.* 88. retorquere. *Virg.* 4. *G.* 523. revellere a cervice. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 71. scabere. *Ter. Adelph.* 3. 2. 18. statuere aliquem capite in terram. *Virg.* 2. *Æn.* 219. superare capite et cervicibus altis. *Quintil.* 1. 10. 17. supponere aliquid capiti. *Virg.* 5. *Æn.* 375. tollere caput in prælia. *Id.* 3. *ibid.* 545.; *Liv.* 1. 18. et *Ovid.* 1. *Met.* 382. velare amictu. *Virg.* 1. *Æn.* 116. volvi pronum in caput. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 125. et *Catull.* 10. 11. ungere caput oleo. — Huc pertinent et peculiares quædam dicendi rationes, scilicet: — *b*) *Extollere caput*, hoc est recreari, resumere vires. *Cic. Planc.* 13. 33. Ubi illa antiqua libertas, quæ malis oppressa civilibus extollere jam caput et aliquando recreata se erigere debebat? Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 300. exserere caput. Et *Virg.* 1. *Ecl.* 25. efferre. — *c*) *Hostis supra caput est* proverbio dicitur de magno periculo, quod imminet. *Sall. Cat.* 52. — *d*) *Nec caput, nec pedes habere*, proverbium, Italice nè capo, nè coda, de re nullius pretii. *Cic.* 7. *Fam.* 31. 2. Propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. *subaudi*, habeant. *Plaut. Asin.* 3. 3. 139. Quia nec caput, nec pes sermonum apparet. *In Epit. Livii l.* 50. Cum legatos ad pacem inter Nicomeden et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur; dixit Cato, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. — *e*) *Caput, aut navis* (vel *navim*, vel *navem*) lusus puerilis apud Romanos, quo nummum in sublime jactantes, cum in terram reciderat, utram faciem ostenderet, observabant. Nam postquam asses sextantario pondere feriri cœperunt, eorum nota fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis, ut *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45). docet. Adde *Ovid.* 1. *Fast.* 239. Huic ludo apud Venetos nomen est *Marco Madonna*, ductum a signo minutioris pecuniæ, quæ in usu est. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. Ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim, lusu teste vetustatis, exclamant. Ita leg. in editionib. Brix. a. 1483., Venet. 1521. et in Aldina 1528. et aliis. Nam in aliquot recentioribus habetur *capita, aut navia*: ut sit navia, æ, scapha, linter. *Paulin. Nol. poem.* 32. 73. Nummus huic (*Jano*) primum tali est excusus honore, Ut pars una caput, pars scalperet altera navem. Cujus nunc memores quæcumque nomismata signant, Et veteri facto capita hæc, aut navia dicunt. V. *Murat. Anecd. Lat. T.* 1. p. 124. *Aurel. Vict. Orig. gent. Rom.* 3. Hodieque aleatores posito nummo opertoque, optionem collusoribus ponunt enunciandi, quid putent subesse, caput, aut navem: quod nunc vulgo corrumpentes naviam dicunt. Hinc patet etiam apud *Macrob. loc. cit.* legendum *navia*, cum ita Romæ plebs vocem hanc pronunciaret. — *f*) *Capiti alicujus viri insultare* apud *Sueton. Cæs.* 22.; *Capitibus feminarum illudere* apud *eumd. Tib.* 45.; *Ne capiti quidem parcere* apud *Lactant.* 6. 23. *ante med.* est idem atque irrumare. — *g*) Interdum caput sumitur pro mente vel intellectu. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 34. aliena negotia centum Per caput et circa saliunt latus. *Id. ibid.* 3. 132. Incolumi capite es? *Id. A. P.* 300. caput tribus Anticyris insanabile.

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam caput ponitur pro ipso homine aut bruto animali, quoniam caput est præcipua eorum pars. — *a*) In computatione. *Capite censi* V. CAPITECENSI supra suo loco. *Cæs.* 4. *B. G.* 15. Cum hostium numerus capitum CCCCXXX. millium fuisset. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 27. Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia. *Liv.* 32. 17. Treceni nummi in capita statutum est pretium. Cf. *Plaut. Most.* 1. 3. 142. Triginta minas pro capite tuo dedi. *Liv.* 2. 33. *extr.* Sextantibus collatis in capita. Adde *eumd.* 34. 50. — Hinc *exactio capitum*, ut apud *Cic.* 3. *Fam.* 8. 5. Acerbissima exactio capitum. *h. e.* tributi, quod in singula capita, hoc est singulos homines imponitur. *V.* CAPITATIO. — *Virg.* 3. *Æn.* 390. sub ilicibus sus Triginta capitum fetus enixa jacebit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 61. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 7. *de gallinis.* Parandi modus est, ducentorum capitum, quæ pastoris unius distendant curam. *Al. leg.* curam dispendant. *Id. ibid.* 11. 13. *de pavonibus.* Quinque et viginti capitum grex. Adde *eumd. ibid.* 5. 7. *Edict. Dioclet.* p. 20. Mulomedico tonsuræ et aptaturæ pedum in capite uno X sex. *Et mox.* Tonsori pecorum in uno capite pasto X duos. Adde *Ulp. Dig.* 7. 1. 68. et 70. — *b*) Interdum caput pro homine ponitur etiam jlocaliter. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 33. Si quidem hoc vivet caput. *Id. Epid.* 1. 1. 86. Plance, hoc corruptum est caput. Adde *eumd. Stich.* 5. 5. 10. *Ter. Andr.* 2. 2. 31. Ridiculum caput! *Id. Adelph.* 2. 3. 8. Festivum caput! Adde *eumd. ibid.* 5. 9. 9. — *c*) Item hac significatione ponitur in illis, quibus utimur, cum alicui minamur, aut summum malum imprecamur. *Plaut. Rud.* 3. 6. 47. LABR. Di te infelicitent. CHARM. Isti capiti dicito. *Id. Most.* 4. 3. 10. Væ capiti tuo. *h. e.* væ tibi, vel vitæ tuæ. *Id. Pœn.* 3. 3. 32. Capiti vestro istuc quidem. *Ter. Phorm.* 3. 2. 6. Hei metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. 4. Te – subrostrani, quod illorum capiti sit, dissiparant perisse. *Virg.* 8. *Æn.* 484. Di capiti illorum generique reservent. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 399. *Tibull.* 1. 2. 12. capiti sint precor illa (*mala*) meo. Hinc *Liv.* 2. 8. et 10. 38. Sacrare alicujus caput. — *d*) Deni-

que hac significatione caput per adjectivum sæpius definitur. Cic. 4. Verr. 32. 79. De libero capite judicare. Liv. 29. 29. Libera servaque capita. Id. 25. 6. vilia. Id. 9. 26. viliora. Id. 24. 5. vilissima. Id. 10. 40. noxium. Id. 40. 8. Tot millia capitum innoxiorum. Virg. 4. Æn. 354. et Horat. 1. Od. 24. 2. carum caput. Ovid. 12. Met. 613. insuperabile bello. Seneca Agam. 953. audax et impium. Id. Med. 465. ingratum. Val. Max. 4. 10. 1. dilectum. Justin. 18. 7. nefandissimum. ¶ 2. Item per metonymiam sæpe accipitur pro vita, et quidem — a) Generatim. Plaut. Capt. 2. 1. 38. Nam tu nunc vides pro tuo caro capite carum offerre me meum caput vilitati. Id. ibid. 5. 1. 26. Propter meum caput labores homini evenisse optimo. Id. Trin. 4. 2. 120. Cui, si capitis res siet, nummum numquam credam plumbeum. Ter. Hec. 3. 1. 53. Aliquid tulisse comminiscentur mali, capiti atque ætati illorum etc. Id. Andr. 4. 1. 53. et Nepos Timoth. 4. Capitis periculum adire. Cic. 2. Phil. 38. 99. Intervenit – ne salvo capite negare non posses. Id. Prov. Cons. 9. 23. Dimicatio capitis. Id. 3. Off. 29. 107. Pactum pro capite pretium. Id. 1. ibid. 12. 38. Certamen capitis et famæ. Id. 5. Fin. 22. 64. Suum caput pro salute reipubl. vovere. Id. 10. Att. 9. 2. Capite suo decernere. h. e. suæ vitæ periculo. Similiter Liv. 2. 12. Capite suo dimicare. Id. 24. 5. Conjuratio in tyranni caput facta. Id. 9. 5. Capite luere aliquid. Cf. Curt. 3. 8. Capite luere stolidum consilium. — b) Speciatim in re civili et judiciaria, cum de vita alicujus civili vel naturali agitur. Plaut. Asin. 1. 2. 5. Ibo ad Tresviros –, capitis te perdam et filiam. Adde eumd. Bacch. 3. 3. 86. et Mil. glor. 2. 4. 18. Cic. Dom. 13. 33. Hoc esse proprium liberæ civitatis, ut nihil de capite civis aut de bonis sine judicio senatus – detrahi possit. — Hoc sensu jungitur pluribus Verbis et Substantivis. Nepos Milt. 7. absolvere aliquem capitis. Cic. 2. Fin. 9. 27. et Nepos Pausan. 2. accusare capitis. Cic. Amic. 17. 61. agitur caput alicujus. Liv. 2. 52. anquirere capitis. Id. 8. 33. anquirere capite. Cic. 1. Orat. 54. 233. condemnare aliquem capitis. Id. Quinct. 5. 32.; Cæs. 3. B. C. 83. et 110.; et Nepos Alcib. 4. damnare capitis. Cic. 1. Tusc. 22. 50. et 41. 98. damnari capite. Id. Quinct. 2. 8. defendere caput et famam alicujus. Id. ibid. 9. 33. dicere pro capite. Nepos Iphig. 3. dicere causam capitis. Cic. 1. Tusc. 29. 71. judicium capitis. Id. Brut. 36. 136. in judicium capitis aliquem vocare. Id. 2. Off. 14. 51. judicio capitis arcessere aliquem. Nepos Epam. 8. a judicio capitis discedere. Liv. 26. 3. judicare capitis. Cic. Brut. 12. 47. orare causam capitis. Quintil. 6. 3. 28. petere caput alicujus. Cic. 6. Verr. 30. 85. et Cæs. 7. B. G. 71. pœnam capitis constituere. Ovid. 3. Fast. 845. pœnas capitis pendere. Tac. 12. Ann. 19. expendere. Liv. 3. 55. puniri tergo ac capite. Cic. Cluent. 65. 182. quæstionem in filii caput habere. Tac. 2. Ann. 30. quæstionem in caput domini prohibere. — c) Item speciatim dicitur interdum causa capitis, cum de sola existimatione agitur, aut de exsilio, aut ejusmodi gravi jactura. Cic. 4. Verr. 40. 90. Cum abs te, tui capitis causa peteret. Id. 1. Orat. 40. 181. Capitis nostri sæpe potest accidere ut causæ versentur in jure. V. utrobique integrum loc. Terent. JCtus Dig. 37. 14. 10. Capitis accusatio est ea, cujus pœna mors, aut exsilium est. — d) Hinc capitis diminutio, seu deminutio est status mutatio, hoc est amissio eorum bonorum, per quæ in statu aliquo inter homines sumus. Ejus tria sunt genera, maximum, medium, minimum. Tria enim sunt, quæ habemus, libertas, civitas, familia. Cum itaque hæc omnia amittimus, maxima capitis deminutio est, ut in servitute et deportatione: cum vero amittimus civitatem, et libertatem retinemus, media, ut fit in transportatione in colonias: cum vero familia tantum mutatur, infima deminutio est, ut accidit in adoptionibus et emancipationibus. Ita Paul. Dig. 4. 5. qui est De capite minutis, 11. Adde Paul. Diac. p. 70. 10. Müll., et Justinian. in Institutionib. lib. 1. tit. 16. et cit. tit. 5. Dig., ubi hæc de re plenius. Cic. Top. 4. 18. Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite numquam deminuit. Sic Horat. 3. Od. 5. 41. de M. Regulo. Fertur pudicæ conjugis osculum Parvosque gnatos, ut capitis minor, Ab se removisse. V. DEMINUTIO, DEMINUO, MINUO etc. — Porro capitis deminutio ex eo dicta esse videtur, quod caput significat il titolo in tabulis censoriis, quo quis gaudebat, quodque minuebatur vel mutabatur, quoties aliqua ex iis tribus deminutionibus fiebat.

B) Ponitur et de aliis rebus.

I.) Proprie. ¶ 1. De iis, quæ in rerum natura ita crescunt, ut in caput quodammodo desinant. Cato R. R. 71. Caput ulpici. Cf. Colum. 6. R. R. 34. 1.; Plin. 26. Hist. nat. 7. 19. (33). et Pers. 5. 188. Caput allii. Liv. 1. 54. Summa papaverum capita baculo decutere. Adde Virg. 9. Æn. 437. et Flor. 1. 7. 7. Colum. 11. R. R. 3. 17. et Plin. 20. Hist. nat. 6. 23. (49). Caput pomi. Plin. 19. ibid. 5. 30. (94). bulborum. Id. ibid. 8. 41. (141). caulis. Id. 37. ibid. 5. 20. (78). Caput beryllorum auro comprehendere. h. e. partem crassiorem auro colligare. — Huc pertinet et caput extorum, scilicet pars jecoris superior, gibbera et rotunda, quam ex omni parte diligentissime haruspices observabant, ex ea præcipue futura portendi existimantes. Cic. 2. Divin. 13. 32. Caput jecoris si non est inventum, nihil putant accidere posse tristius. Adde eumd. ibid. 16. 37. Plin. 11. Hist. nat. 37. 73. (189). Jecur in dextera parte est, in eo quod caput extorum vocant, magnæ varietatis. M. Marcello circa mortem – defuit in extis: sequenti die geminum repertum est. Ovid. 15. Met. 795. cæsumque caput reperitur in extis. Lucan. 1. 627. Ecce videt capiti fibrarum increscere molem Alterius capitis. Adde Liv. 8. 9., 27. 26. et 41. 14.; Val. Max. 1. 6. 9. et Senec. Œdip. 360. — Item caput facere dicuntur ulcera quædam, cum in globulum, seu apicem, collecto pure, velut in caput intumescunt. Plin. 22. Hist. nat. 25. 76. (159). Horminum discutit furunculos, priusquam capita faciant. Id. 26. ibid. 12. 77. (125). Furunculis remedio sunt pycnocomi folia trita, si nondum caput fecerint. Celsi huc pertinet illud 8. 9. post med. Si nusquam caput se ostendit, ubi maxime pus subsit, etc. Ita Morgagnus, et Targa in suis libr. et codice MS. Alii tumor. ¶ 2. Præterea caput ponitur pro vertice, aut extremitate cujuscumque rei. — a) Generatim. Plancus apud Cic. 10. Fam. 18. in fin. Capita pontis. Adde Frontin. 2. Strateg. 13. 5. Cæs. 2. B. C. 9. Ut capita tignorum extremà parietum structurà tegerentur. Curt. 4. 2. 23. Duas turres ex capite molis erigere. Cels. 8. 7. Caput fasciæ aut habenæ. Plin. 34. Hist. nat. 3. 7. (36). et 36. ibid. 14. 21. (96). columnæ. Id. 2. ibid. 64. 64. (160). lineæ. Plin. 2. Ep. 17. xysti. Id. 5. ibid. 6. porticus. — b) In olivis caput est pes sive imus truncus, a quo, tamquam a capite, rami propagantur. Cato R. R. 43. Circum capita oleagina – fodere oportet. — Etiam in vite caput est pes sive imus truncus. Cato R. R. 33. Circum capita addito stercus, paleas, vinaceas, aliquid horum, quo rectius valeat. Et mox. Vites subligato, pampinato, circum capita sarrito. Adde eumd. ibid. 36., 41., 51. et 95. Cf. Plin. 17. Hist. nat. 22. 35. (196). Capita vitium putata circumfodito. Adde Virg. 2. Æn. 355. et Colum. 4. R. R. 2. 1. — c) Item est extrema vitis pars, hoc est ultimum ejus et productissimum flagellum, ut Colum. 3. R. R. 10. 1. docet; idque ratione habita ramorum, qui brachia dicuntur: V. BRACHIUM. Cic. Senect. 15. 53. Adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium. Adde Colum. 4. R. R. 17. 4., 21. 1. et 24. 11., et 5. ibid. 6. 23. Similiter Id. 4. ibid. 33. 4. Castanearum capita. Id. 3. ibid. 18. 6. et 19. 2. Caput malleoli. — d) Hinc pro vertice cujuscumque arboris. Ovid. 1. Met. 566. factis modo laurea ramis Adnuit, utque caput visa est agitasse cacumen. Vet. Poeta apud Quintil. 9. 4. 90. Caput exseruit mobile pinus repetita. Seneca Troad. 173. Movere silvæ capita. h. e. cacumina. Adde Claudian. 3. Rapt. Pros. 370. — e) Item de acutis scopulorum cacuminibus. Virg. 6. Æn. 360. Prensantemque uncis manibus capita aspera montis. Et figurate Id. 4. ibid. 249. — f) Item de extrema alicujus regionis parte. Plin. 10. Ep. 81. Juliopolitani sunt in capite Bithyniæ. — g) Item de fasciculis. Paul. Diac. p. 64. 5. Müll. Capita deorum appellabantur fasciculi facti ex verbenis. Paul. fortasse eos fasciculos e verbena intelligit, quibus utebantur ad verrendam mensam Jovis et ad purgandas lustrandasque domos, ut est apud Plin. 25. Hist. nat. 9. 59. (105). — h) In aquis caput modo est unde aqua nascitur, vel unde primum fluere incipit, ut docet Ulp. Dig. 43. 19. 1.; et ibid. 43. 20. 1. § 8. hisce verbis: Caput aquæ illud est, unde aqua nascitur etc. Lucret. 5. 269. Percolatur enim virus, retroque remanat Materies humoris, et ad caput amnibus omnis Convenit: inde super terras fluit agmine dulci. Adde eumd. 6. 729. Vitruv. 8. 1. 1. Si fontes non profluent, quærenda sub terrà sunt capita et colligenda. Horat. 1. Od. 1. 22. nunc ad aquæ lene caput sacræ. Mela 3. 2. 8. Rhenus prope a capite duos lacus efficit. Adde Auct. B. G. 8. 41.; Liv. 1. 51. et 37. 18.; Virg. 4. G. 319. et 368. et 12. Æn. 816.; Horat. 1. Sat. 10. 37.; Tibull. 1. 7. 24.; Ovid. 2. Met. 255.; Plin. 8. Ep. 8. et 10. ibid. 91.; et Pallad. 9. R. R. 8. 7. Hinc figurate Cic. 5. Fin. 6. 17. Totius enim quæstionis – fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturæ. Quo invento ab eo quasi capite – disputatio ducitur. Cf. eumd. 2. Orat. 27. 117. Et Id. Top. 9. 39. Cum a genere ducetur argumentum, non erit necesse, id usque a capite arcessere. Similiter ponitur pro origine, unde aliquid manat et exit in vulgus. Cic. Planc. 23. 57. Neque ego si fontem maledicti reperietis, ut aut negligatis aut dissimuletis umquam postulabo: sed si quid sine capite manabit, aut si quid erit ejusmodi, ut non extet auctor, qui audierit etc. Adde eumd. 12. Fam. 10. 1. — Modo est ostium, qua flumen in mare influit. Cæs. 4. B. G. 10. Multisque capitibus in Oceanum (Rhenus) influit. Liv. 33. 41. Inde profectum eum ad capita, quæ vocant, Sari fluminis tempestas oborta prope cum omni classe demersit. Lucan. 2. 52. Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos Albis et indomitum Rheni caput. Id. ibid. 202. sparsamque profundo Multifidi Peucen unum caput alluit Istri.

II.) Translate, quod quaque in re præcipuum est, caput dicitur. ¶ 1. Ponitur de personis, et caput dicitur is, qui princeps est et auctor alicujus rei faciendæ, ducta translatione ab humano corpore, ut patet ex Liv. 5. 46. Corpori valido caput deerat. Accessio h. e. secundariæ personæ hoc sensu capiti opponitur. Occurrit autem — a) Cum Genit. Plaut. Curc. 2. 1. 19., Bacch. 4. 7. 31. et Mil. glor. 2. 6. 14. Caput scelerum. Id. Rud. 4. 4. 55. perjurii. Cic. Flacc. 18. 42. Caput est omnium Græcorum concitandorum Heraclides. Liv. 26. 10. Qui capita rerum Agrigenti. Id. 28. 35. Caput rerum Masinissa. Id. 8. 31. Caput consilii. Id. 6. 3. Caput rei Romanæ Camillus. Id. 1. 52. Capita nominis Latini. Id. 45. 6. Caput belli Perseus. Id. 9. 26. Capita conjurationis ejus virgis cæsi et securi percussi. Vellej. 2. 52. 3. Collisa inter se duo reipubl. capita (Cæsar et Cn. Pompejus). Id. 2. 101. 2. Duo eminentissima imperiorum et hominum capita. Tac. 1. Ann. 13. Non adesse caput reipubl. Propert. 3. 18. 86. Caput nequitiæ. — b) Cum Dat. Plaut. Asin. 3. 3. 138. Caput argento reperiendo. Ter. Adelph. 4. 2. 29. Idem, quod ego, sentit, te esse huic rei caput. Adde eumd. Andr. 2. 6. 22. — c) Absolute, ita tamen, ut significatio ex totius orationis contextu innotescat. Cic. 1. Orat. 10. 42. Urgerent præterea philosophorum greges jam ab illo fonte et capite Socrate etc. Liv. 1. 17. Et esse igitur aliquod caput placebat. Adde eumd. 1. 23. Horat. 2. Sat. 5. 74. vincit longe prius ipsum Expugnare caput. Vellej. 2. 85. Militibus, etiam detracto capite (h. e. duce), in longum fortissime pugnandi duravit constantia. ¶ 2. Ponitur de locis; itaque urbs aliqua caput esse dicitur, quæ provinciæ nobilissima et potentissima est. Nepos Epam. 10. in fin. Thebæ totius Græciæ caput. Liv. 10. 37. Tres validissimæ urbes Etruriæ capita. Id. 42. 47. Caput Thessaliæ Larissa. Id. 21. 33. et 23. 40. Caput ejus regionis. Id. 22. 32. Caput atque arx Italiæ urbs Romana. Id. 21. 30. Caput orbis terrarum. h. e. Roma. Id. 6. 29., 26. 7. et 44. 31. Caput belli. Plin. 12. Hist. nat. 14. 30. (52). Caput regni Sabota. Flor. 2. 9. Caput gentis Ambracia. Tac. 1. Ann. 47. Rerum caput (Roma). — Raro absolute. Virg. 8. Æn. 65. magna domus celsis caput urbibus exit. ¶ 3. Ponitur et de aliis rebus, et caput est causa præcipua, id quod præcipuum. — a) Generatim. Cic. 5. Tusc. 34. 98. Negavit, se jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Adde eumd. 2. Fin. 8. 15. et Martial. 10. 31. Cic. 2. leg. Agr. 29. 80. Caput vestræ pecuniæ. Id. 1. ibid. 7. 21. Caput patrimonii publici. Liv. 6. 14. patrimonii. — b) Speciatim in usuris caput dicitur ipsa pecunia occupata, ex qua usuræ percipiuntur, quæ etiam sors appellatur. Liv. 6. 36. Promulgavere legem de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, etc. Adde eumd. 6. 35. Cic. 15. Att. 26. 4. Item de illo Tulliano capite libere cum Cascelio loquare. Parva res est;

sed tu bene attendisti: nimis callide agebatur. *Id. ibid.* 29. hoc *Tullianum caput* vocat *Tullianum semissem*. De Tulliano semisse M. Axianum adhibebis, ut scribis. Priore itaque loco *Cic.* memorat *caput*, quod et *sors*, apud Italos *capitale* appellatur, secundo usuram *semissem*, nempe quæ usura erat dimidia centesimæ. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 28. Capitis amissi jactura. — Sic in vectigalibus et decumis *caput* vocatur tota summa pecuniæ aut frumenti, quæ penditur. *Cic.* 3. *Verr.* 4. 11. Quod aliquot nominibus de capite frumenti decumani detraxerit. Adde 5. *ibid.* 35., 80., 81. et 82. — *c*) Item speciatim in artibus et disciplinis caput dicitur regula et norma præcipua, suprema lex, principium: et occurrit — Cum Genit. *Cic.* 1. *Orat.* 29. 132. Vere dictum est, caput artis esse, decere quod facias. Cf. *Quintil.* 11. 3. 177. *Cic.* 1. *Orat.* 19. 87. Caput esse arbitrabatur oratoris, ut ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 28. Caput disciplinæ. — Cum præp. *ad* et Accus. *Cic.* 2. *Orat.* 82. 233. Ad consilium de republica dandum, caput est nosse rempublicam. *Id. Amic.* 13. 45. Caput enim esse ad beate vivendum, securitatem. — Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Caput autem est, quod minime facimus, quamplurimum scribere. *Id.* 2. *Invent.* 7. 24. In hoc autem loco caput erit accusatori, si demonstrare poterit, *etc.* secundarium, si etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 101. Ita nobis tacentibus, ex uno Epicuri capite (*h. e.* dogmate ac placito philosophico), altero vestro, perceptio et comprehensio tollitur. Quod est caput Epicuri? si ullum sensibus visum falsum est, nihil percipi potest. Quod vestrum? sunt falsa sensus visa. Cf. *Quintil.* 3. 11. 26. *Cic.* 2. *Off.* 31. 75. Caput in omni procuratione. *Id.* 3. *Fam.* 7. 4. An ego tibi obviam non prodirem? primum, Appio Claudio? deinde, imperatori? deinde, more majorum? deinde, quod caput est, amico? *Id.* 1. *Att.* 17. 4. Si ita statueris, irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum, et, id quod caput est, nobis inter nos nostra vitia esse toleranda. — *d*) Præterea summæ et præcipuæ partes alicujus syntagmatis, *capita* dicuntur. *Cic. Brut.* 44. 164. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paullo plenius. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Caput autem litterarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum. *Quintil.* 6. 1. 2. In peroratione quæ repetemus, quam brevissime dicenda sunt, et quod Græco verbo patet, decurrendum per capita. *Græcum autem verbum est ἀνακεφαλαίωσις*. *Gell. præfat. in fin.* Capita rerum, quæ cuique commentario insunt, exposuimus hic universa. — *e*) Hinc in legibus *capita* dicuntur singulæ legis partes, in quibus aliquid sub una verborum sententia constituitur, qui nunc in scholis *paragraphi* appellantur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 15. A primo capite legis usque ad extremum reperio, nihil aliud cogitatum, nisi ut etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 2., 2. *ibid.* 10. 26., et *post red. in senat.* 4. 8. *Id.* 3. *Verr.* 46. 118. Quæro abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus: cur ea capita in edictum provinciale transferre nolueris. *Pseudo-Ascon. ibid.* Proprie juris capita dicuntur. Adde *Gell.* 2. 15. — Usus hic transfertur ad scriptiones illas omnes, quæ partes inter se distinctas habent; cujusmodi sunt disputatio, oratio, epistola, et similia. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 223. Cum duos lectores excitasset, et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia; et cum contraria inter se de republica capita contulisset. Adde *eumd. Cluent.* 51. 140. et *Quintil.* 9. 3. 73. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 2. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. *Cels.* 5. 8. Quod proximo capite supra comprehensum est.

CARA. *V.* in CAREUM.

CĀRA, æ, f. 1. κάρα, caput: hinc habent Hispani suum *cara*, Itali vero *cera* et *ciera* pro vultu seu facie. *Coripp. Paneg. Justin.* 2. 411. Postquam venere verendam Cæsaris ante caram.

CĀRĂBUS, i, m. 2. ¶ 1. Est genus cancrorum, cauda a ceteris distans. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (97). ubi *Harduin.* notat, esse idem ac locustam, quæ ab *Aristot.* appellatur κάραβος, de qua *Plin. in fin. cap. præced.* *Apicius* quoque 9. 1. marinam locustam esse indicat. ¶ 2. Addit *Isid.* 19. *Orig.* 1. 26. esse *carabum* parvam scapham ex vimine factam, quæ contexta crudo corio genus navigii præbet. Hujus meminit etiam *Gregor. M.* 4. *Dialog.* 57., et videtur eadem fuisse cum myoparone. V. *Schewarzii Miscell.* p. 47. Eam scapham, suppresso nomine, describit *Cæs.* 1. *B. C.* 54.; et memorat etiam *Lucan.* 4. 130. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

CĂRĂCALLA, æ, f. 1. *et* Cărăcallis, is, f. 3. vestis in lacernæ modum ex concisis pannis consuta, non sinuosa, sed corpori adhærens, cucullata et manicata, cujus duplex genus fuit, alterum, quo Galli præsertim utebantur, ad femora usque productum, (quod *Gallicam pallam* vocat *Martial.* 1. 93. Dimidiasque nates Gallica palla tegit); alterum ad talos demissum, cujus cum magnam copiam M. Aur. Antoninus Bassianus Severi filius imperator populo R. largitus esset, coegissetque plebem eo indutam ad se salutandum accedere, *Caracallæ* et *Caracalli* cognomen accepit; ipsæque vestes *Caracallæ Antoninianæ* sunt appellatæ, et in usu postea Romanæ plebis frequentatæ. Utriusque formam Veneti retinent in duplici eorum *cappotto da marinajo*; nec audiendus *Ferrar. De re vestiaria* c. 7., qui perperam χειριδώτους χιτῶνας, manicatas tunicas, caracallas fuisse putat. *Aurel. Vict. Cæsar.* 21. et in *Epit.* 21., *Spartian. Sever.* 21. et *Antonin. Carac.* 9. *Auson. Cæsar.* 22. In risu populi tu, Caracalla, magis. *Edict. Dioclet.* p. 21. Pro caracalla majori ✕ viginti, pro caracalla minori ✕ viginti. — Hujus vestimenti meminit etiam *Hieronym. Ep.* 64., ubi agit de vestitu sacerdotum, his verbis, n. 15. Efficitur palliolum miræ pulcritudinis, perstringens fulgore oculos, in modum caracallarum, sed absque cucullis. *Salmas. loc. cit.* notat, intelligendas esse hoc loco caracallas Gallicas, non Romanas: illæ enim breviores erant, ut dictum est, et pænulæ aut pallio similes.

CĂRĂDRUM, i, n. *V.* CHARADRUM.

CĂRĂGŌGOS, i, καραγωγός, herba eadem, quæ chamædaphne, ita dicta, quod caput a noxiis humoribus expurget: a κάρα *caput*, et ἄγω *duco*. *Apul. Herb.* 27.

CARBĂSEUS, a, um, adject. qui est ex carbaso. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. *et* 31. 80. Tabernacula carbaseis intenta velis. *Virg.* 11. *Æn.* 776. chlamidemque, sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro. Adde *Stat.* 7. *Theb.* 658. — In illo *Tibulli* 3. 2. 21. Post hæc carbaseis humorem tollere ventis: *ventos carbaseos* interpretantur telam carbaseam tenuissimi fili, eo modo quo *textilem ventum* et *nebulam lineam* appellat *Publ. Syrus* apud *Petron. Satyr.* 56. *in fin.* vestem subtilissimam, et æquantem propemodum ventos et nebulas tenuitate texturæ. Alii malunt legere *velis* eod. sensu: inter quos sunt *Brouckusius* et *Vulpius*.

CARBĂSĬNEUS, a, um, adject. carbaseus. Usurpavit *Varro* apud *Non.* p. 541. 21. *Merc.*

CARBĂSĬNUS, a, um, adject. carbaseus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 6. (23). Carbasina vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis. *Capell.* 2. p. 25. Alii carbasinis voluminibus complicati libri. — Hinc

Carbasina, orum, n. plur. 2. absolute sunt vestimenta carbasina. *Apul.* 8. *Met.* Mitellis et crocotis et carbasinis et bombycinis injecti.

CARBĂSUS, i, m. 2. *Carbasum, i*, neutro genere in sing. numero *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 33. Tenero perluentes amictu, et vix leve carbasum vitando sole tolerantes. — In plurali numero tamen neutro fere genere effertur *Carbasa, orum*. — Quamquam et masculino in plurali *Ammian.* 14. 8. *extr.* A fundamento carinæ ad supremos usque carbasos. — Ceterum *carbasus* ab Hebr. כרפס *carpas*, inde Gr. κάρπασος et κάρβασα, est genus lini tenuissimi, quod primum in Hispania Tarraconensi repertum est, teste *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (10). (It. *lino finissimo*; Fr. *lin surfin*; Hisp. *lino fino*; Germ. *feiner spanischer Flachs*; Angl. *fine flax or linen*). ¶ 1. Raro admodum de planta occurrit. *Colum.* 10. *R. R.* 17. noxia carbasa succo. ¶ 2. Fere per synecdochen est tela e carbaso texta. *Plin. loc. cit.* Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum: — ibi primum carbasis repertis etc. Cf. *Catull.* 64. 227. — Hinc speciatim ponitur — *a*) Pro velo. *Lucret.* 6. 108. Carbasus ut quondam magnis intexta theatris Dat crepitum malos inter jactata trabesque. — *b*) Sæpissime pro velo navis. In sing. numero. *Virg.* 3. *Æn.* 357. tumidoque inflatur carbasus Austro. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 417. — In plur. numero. *Ovid. Heroid.* 7. 171. Cum dabit aura viam, præbebis carbasa ventis. *Id.* 5. *Met.* 233. Deducere carbasa. *Id.* 3. *Fast.* 587. Subducere carbasa. Adde *eumd.* 2. *Art. am.* 336. et 11. *Met.* 477.; *Lucan.* 3. 596.; *Val. Flacc.* 4. 422.; *Martial.* 12. 29.; et *Stat.* 4. *Silv.* 106. — Hinc pro navi. *Rutil.* 1. 221. Æstivos penetrant oneraria carbasa fluctus. — *c*) Pro veste. In sing. numero. *Virg.* 8. *Æn.* 34. eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus. (Ubi *Servius* vestem lineam fluminum propriam esse dicit, quia maceratur aqua, et irrigatione fluminum maxime provenit. Confirmat *Non.* 14. 28. edit. vet.). *Curt.* 8. 9. 21. Corpora usque ad pedes carbaso velant. *Val. Max.* 1. 2. 7. Carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuit. Hoc est quod habet *Propert.* 4. 11. 54. Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes, Exhibuit vivos carbasus alba focos. — In plur. numero. *Curt.* 8. 9. 24. Distincta sunt auro et purpurá carbasa, quæ indutus est (*rex*). Adde *Ovid.* 11. *Met.* 48. et *Val. Flacc.* 6. 225. *Lucan.* 3. 239. Carbasa fluxa. — *e*) Apud *Scribon. Compos.* 227. Radices hæmorrhoidarum carbasis ducere, *h. e.* tenuis lini filo adstringere, ut in re eadem *Cels.* loquitur 7. 30. *n.* 3. — *f*) Apud *Claudian. B. Get.* 232. *custos Romani carbasus ævi* sunt libri Sibyllini, qui linei fuerunt. — *g*) Et pro amianto. *Solin.* 2. Carbasa etiam, quæ inter ignes valent.

CARBĂSUS, a, um, adject. idem quod carbasinus. *Propert.* 4. 3. 64. Raptave odorato carbasa lina duci.

CARBĂTĪNA, æ, f. 1. Adjective. *Catull.* 98. 3. Ista cum lingua — possis Culos, et crepidas lingere carbatinas. Al. scribunt *carpatinas*. *Pollux l.* 7. c. 22. scribit καρβατίνην εἶναι ἀγροικῶν ὑπόδημα, κληθὲν ὑπὸ Καρῶν, carbatinam esse calceamentum rusticorum, a Caribus appellatum. Idem docet *Hesychius*: Καρπάτινον, ἀγροικικὸν ὑπόδημα μονόδερμον, carpatinum, calceamentum rusticum unius corii. Probant hanc interpretationem *Ang. Politian. Miscell. centur.* 1. c. 2., *Scalig.* et *Voss. in Catull.* et alii. Porro *carpatinæ*, et *crepidæ* sunt duo nomina substantiva per figuram appositionis simul juncta, ut *urbs Roma*. *V.* CERCOLIPS.

CARBO, ōnis, m. 3. ligni frustum igne perustum et percoctum. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 788. docet, hoc esse discrimen inter prunam et carbonem, quod illa accensa sit, hic vero extinctus: sed etiam dum ardet, carbo dicitur, ut patet ex locis inferius allatis (It. *carbone*; Fr. *charbon*; Hisp. *carbon*; Germ. d. *Kohle*; Angl. *a coal*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 38. De lignis carbones coquere. *Id. ibid.* 108. Imponito in carbones, facito bis inferveat. *Plaut. Rud.* 2. 6. 47. Fabri ferrarii, qui apud carbones assident, semper calent. Adde *eumd. Truc.* 5. 12. *Ter. Adelph.* 5. 3. 63. Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est. *Lucret.* 6. 803. Carbonumque gravis vis atque odor insinuatur Quam facile in cerebrum. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. Candenti carbone adurere capillum. *Varro* 1. *R. R.* 7. 8. Ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro sale utuntur. *V. Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 40. (83). *Horat.* 3. *Od.* 8. 3. positusque carbo in cæspite vivo. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 47. Lentis carbonibus urere. Adde *eumd.* 3. *Art. am.* 628. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (23). Arbor minus utilis carboni. *Id.* 34. *ibid.* 10. 22. (103). Coquere aliquid carbone. Adde *eumd.* 18. *ibid.* 35. 84. (358). et 33. *ibid.* 7. 40. (122). *Petron. Satyr.* 135. Carbones vivi. *Scribon. Compos.* 59. Redigere aliquid in carbonem. *Tarrunten. Dig.* 50. 6. 6. Torrere carbonem. — *b*) Speciatim dicuntur carbones ipsæ minutæ scintillæ ex lignis ardentibus sæpe exsilientes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 20. 18. (82). Ut e flagrante ligno carbo cum crepitu, sic a sidere cælestis ignis exspuitur. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (45). Carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu ejaculanturque longe. — *c*) Pro cinere usurpari videbatur *Forcellino* in illo *Cels.* 4. 7. Pullum hirundinum comburere, carbonemque ejus contritum infriare. *At* hic quoque commode accipi potest propria significatione. — *d*) Apud *Auctor. Rei agrariæ* passim fit mentio carbonum sub terminis positorum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 14. 21. (95) narrat, fundamenta templi Dianæ Ephesinæ fuisse calcatis substrata carbonibus, ne in lubrico atque instabili locarentur. *Augustin. Civ. Dei* 21. 4. Eo quod carbones nulla ætate vincantur, eos substernere solent, qui limites figunt, ad convincendum litigatores, quisquis post quantalibet tempora extiterit,

ficumque lapidem non esse contenderit. *Vitruv.* 2. 4. 2. *Schneid.* Sublicæque machinis adigantur quam creberrimæ, carbonibusque expleantur intervalla palorum. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro materie scribendo pingendoque apta. *Plaut. Merc.* 2. 3. 74. Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus. *h. e.* carminibus maledicis carbone scriptis. *Cf. Martial.* 12. 62. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 98. Picta carbone prælia. — Præcipue carbone utebantur veteres ad infausta notanda, et contra felicia cretâ notabantur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 246. sani creta, an carbone notati? *Pers.* 5. 107. Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim, Illa prius cretâ, mox hæc carbone notasti. *V.* quædam huc pertinentia in ALBUS et in CALCULUS. ¶ 3. *Carbonem pro thesauro invenire* proverbio dicuntur, qui magna aliqua spe frustrantur. *Phædr.* 5. 6. 6. Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus. ¶ 4. Pro carbunculo, hoc est ulcere pessimæ naturæ. *Seren. Sammon.* 39. 725. Horrendus magis est, perimit qui corpora, carbo. — *NB.* De cognomine *V.* ONOM.

CARBŌNĀRĬUS, a, um, adject. ad carbonem pertinens. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72. Pater ejus, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. — Hinc

Carbonarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui carbonem facit, vel vendit. *Plaut. Cas.* 2. 8. 2. Ego remittam ad te virum cum furca in urbem, tamquam carbonarium. Adde *Inscript.* apud *Murat.* 1820. 1., quæ est apud *Orell.* 4302.

Carbonaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est fornax, in qua carbo coquitur. *Tertull. Car. Christ.* 6., cujus verba *V.* in CALCARIUS.

CARBŌNESCO, is, ere, n. 3. in carbonem transire. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Usque eo inuritur, donec carbonescat. Adde *eumd* 5. *ibid.* 1. *ad fin.*

CARBUNCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. morbus arborum, cum verno tepore invitatis et erumpere audentibus satis mollibus insidens pruina lactescentes germinum oculos adurit, ut *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (222). docet. — Hoc idem si in floribus accidat, *carbunculus* appellatur. *Plin. ibid.* Quamquam etiam in vitibus ipsa carbunculatio carbunculus appellatur. *V.* CARBUNCULUS.

CARBUNCŬLO, as, are, n. 1. *vel* Carbuncŭlor, āris, ari, dep. 1. Part. *Carbunculans* 1. — Carbunculo est carbunculo laboro: et occurrit ¶ 1. De hominibus, qui ulcere pessimo, Latine carbunculo (*V.* CARBUNCULUS 4.) laborant. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 69. (113). Genitalia exulcerata, aut carbunculantia. *Id.* 23. *ibid.* 3. 34. (70). Ulcera circa oculos carbunculantia. ¶ 2. De arboribus, quæ carbunculatione laborant. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (272). In hoc temporis intervallo res summa vitium agitur, decretorio uvis sidere illo, quod Caniculam appellavimus, unde carbunculare dicuntur, ut quodam uredinis carbone exustæ. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (33). Helvenaca vitis carbunculari negatur. *Id.* 12. *ibid.* 7. 14. (27). Arbores, quæ piper gignunt, cæli intemperie carbunculantur, fiuntque semina cassa et inania.

CARBUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a carbo, parvus carbo (It. *carboncello*; Fr. *petit charbon*; Hisp. *pequeño carbon*; Germ. *kleine Kohle*; Angl. *a small coal*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Cic.* 4. *Herenn.* 6. 9. Ipse a vicinis, cum testa ambulans, carbunculos corrogaret. Et figurate *Plaut. Most.* 4. 2. 69. Qui cum isthæc sciet facta ita, amburet misero ei corculum carbunculus. ¶ 2. Est etiam gemma coloris ignei et accensum carbonem referens, de qua multa *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (92). *Inscript.* apud *Orell.* 2510. GEMMA CARBVNCVLVS, GEMMA HYACINTHVS. Et figurate *Probitas est carbunculus*, dictum *Publii Syri* apud *Petron. Satyr.* 55., hoc est incidit in oculos et splendet instar carbunculi. ¶ 3. Est præterea genus terræ, vel arenæ carboni similis. *Varro* 1. *R. R.* 9. 2. Terræ species multæ, in queis argilla, rubrica, creta, glarea, carbunculus, id est quæ sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat. *Vitruv.* 2. 6. 6. *Schneid.* Quo penitus ab imo vehementia vaporis adusto, nonnullis in locis procreatur id genus arenæ, quod dicitur carbunculus. Adde *eumd.* 2. 4. 1. et 8. 1. 2. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (29). Et carbunculus, terra, quæ ita vocatur, emendari vite macra putant. ¶ 4. Item — *a*) Genus ulceris, cujus hæ sunt notæ: Rubor, et super eum pustulæ sæpe nigræ, interdum sublividæ aut pallidæ, in quibus sanies esse videtur: circa quas crusta est, eaque inflammatione cingitur, etc. *V. Cels.* 5. 28. n. 1., ubi et ejus curandi rationem docet. Adde *eumd.* 6. 18. n. 5.; *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 38. (77).; et *Scribon. Compos.* 63. et 206. — *b*) Carbunculus dictus est etiam peculiaris Narbonensis provinciæ morbus, qui nascitur in occultissimis corporum partibus et plerumque sub lingua, quique hodie vocatur *le charbon provençal*. Hunc describit *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 4. (15. et 16). ¶ 5. Denique ita appellatur morbus in arboribus, de quo diximus in CARBUNCULATIO. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (275). Rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus. *Id. ibid.* 29. 70. (293). Cancros cremari jubent in arbustis, ut carbunculi non noceant. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 24. 37. (222)., et *Colum.* 3. *R. R.* 2. 4.

CARCER, ĕris, m. 3. Ratione habita etymi est a *coercendo*, ut *Varroni* 5. *L. L.* 151. *Müll.* placet; vel rectius ab ἕρκος *septum*, vel a κάρκαρον *carcer*: cf. et Germ. *Kerker*, *Kirche*. — Carcer itaque est septum, cancelli, locus quomodocumque conclusus sed occurrit duabus tantum significationibus, scilicet

A) Pro loco, in quo nocentes homines conclusi detinentur; et quidem

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 3. Compingere aliquem in carcerem. *Id. Pœn.* 3. 3. 78. ire. Adde *Lucilium* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 3. 26. *Lucret.* 3. 1028. scelerisque luela Carcer. *Cic.* 7. *Verr.* 28. 78. Conjicere aliquem in carcerem. *Id. ibid.* 29. 75. condere. *Id. ibid.* 30. 77. ducere. Adde *eumd. ibid.* 9. 22. et 45. 118. *Id. Planc.* 12. 30. E carcere emittere. Adde *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 37. *Curt.* 8. 7. 8. Includi carcere. *Id.* 5. 5. Erumpere ex carcere. *Tac.* 1. *Ann.* 68. Trahere aliquem in carcerem. *Id.* 6. *ibid.* 40. rapere. — Carcer habebatur etiam in castris, ut colligere licet ex *Tac.* 1. *Ann.* 21., et *Juvenal.* 6. 56. — *b*) Specialim Romæ *carcer* absolute vocabatur is, in quem rei de majestate conjiciebantur; fuit nempe palatium ab Anco Martio in foro Romano ædificatum, cujus pars inferior (quæ a *Liv.* 34. 44. *carcer inferior* vocatur) in carceris usum versa fuit a Servio Tullio, unde *Tullianum* est appellatus: *V.* TULLIANUM. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. Sentiet in hac urbe esse carcerem, quem vindicem nefariorum et manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt. *Adde eumd. Sull.* 25. 70.; *Sall. Cat.* 55.; *Liv.* 1. 33.; *Festum* p. 356. 18. *Müll.*; et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212). — *c*) A Poetis ponitur de ventorum custodia. *Virg.* 1. *Æn.* 58. ventos vinclis et carcere frenat. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 662. et 2. *Fast.* 456. — Item de Orco. *Virg.* 6. *Æn.* 734. clausæ tenebris et carcere cæco. *Seneca Herc. fur.* 1222. Carcer inferorum. *Lucan.* 6. 797. Ditis.

II.) Figurate ¶ 1. Ponitur de corpore, quod animæ quodammodo carcer est. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 74. Nec tamen illa vincla carceris ruperit, sed – a deo evocatus atque emissus exierit. Adde *eumd.* 5. *de republ.* 14. *Lucan.* 6. 721. Invisa claustra carceris antiqui. *h. e.* corporis. ¶ 2. Per synecdochen dicitur de inclusis in carcere. *Cic. Pis.* 7. 16. In me carcerem effudistis, conjuratos armastis. ¶ 3. *Carcer* dicitur etiam homo improbus et carcere dignus, vel, ut alii volunt, per convicium ponitur pro carcerario adeoque carnifice. *Ter. Phorm.* 2. 3. 26. Ain' tandem, carcer? – bonorum extortor, legum contortor. *Lucilius* apud *Donatum* ad *Ter. l. c.* Carcer vix carcere dignus.

B) Præterea *carcer* dicitur septum, quo claudebantur equi, et inde ad cursum emittebantur, in publicis ludis, ut *Varro* 5. *L. L.* 153. *Müll.* docet.

I.) Proprie — *a*) In singulari numero. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. omnes avidi spectant ad carceris oras, Quam mox emittat pictis e faucibu' currus. *Virg.* 3. *G.* 104. et 5. *Æn.* 145. ruuntque effusi carcere currus. Adde *Tibull.* 1. 4. 32. *Ovid. Heroid.* 18. 166. Ut celer Eleo carcere missus equus. Adde *eumd.* 3. *Art. am.* 595. et 10. *Met.* 652. — Frequentius vero hac notione in plurali numero effertur, ut docet *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 58. et 5. *ibid.* 145. *Cic. Brut.* 47. 173. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, qui vix e carceribus exierit, cum palmam jam primus acceperit. *Id.* 4. *Herenn.* 3. 4. Intra carceres stare. *Al. leg.* carcerem. *Lucret.* 2. 263. Nonne vides etiam, patefactis tempore puncto Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum Vim cupidam etc. Adde *Liv.* 8. 20. *Virg.* 1. *G.* 512. Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 114. Ut cum carceribus missos rapit ungula currus. Adde *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 28.; *Sueton. Cæs.* 21. et *Stat.* 6. *Theb.* 522.

II.) Figurate ponitur de initio cujuscumque certaminis, ita tamen ut ad publicorum ludorum certamen manifesto appareat allusio. *Cic. Senect.* 23. 83. Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. *Id. Amic.* 27. 101. Ut possis, quibuscum tamquam carceribus missus sis, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 3. et 2. *ibid.* 7. 1.

CARCĔRĀLIS, e, adject. ad carcerem pertinens. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 269. Carceralis cæcitas. Et *ibid.* 351. Per vincla, flammas, ungulas, Per carceralem stipitem. Adde *Cod. Theod.* 9. 3. 6. *Impp. Theod. et Valentin. Novell. Constit.* 3. 1. 7. Carceralis custodia.

CARCĔRĀRĬUS, a, um, adject. ad carcerem pertinens. *Plaut. Capt.* 1. 2. 26. Facere quæstum carcerarium. *h. e.* ex captivis in carcerem conjectis. — Hinc

Carcerarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est carceris custos. *Inscript.* apud *Gruter.* 80. 5. M. AVRELIVS ROMANVS OPTIO KARCERARII COH. (*h. e.* cohortis) VRB. GORDIANAE. Jam vero carceres in castris agnoscunt *Tac.* 1. *Ann.* 21. et *Juvenal.* 6. 56. *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 2. 3. 26. Ain' tandem, carcer. Non carcerarium, sed carcerem asperius appellavit: sic *Lucilius*: Carcer vix carcere dignus.

CARCĔREUS, a, um, adject. ad carcerem pertinens. *Prudent.* 6. περὶ στεφ. 16. Catena carcerea. *Id.* 2. *advers. Symmach.* 468. Antrum carcereum. Adde *eumd. Hamartig.* 853. *Cassiod. Complex. Act. Ap.* 39. Carcerea vincula.

CARCĔRO, as, are, a. 1. in carcerem compingo. Legitur apud *Messall. Corvin. de progen. Aug.* 29. Verum nullius auctoritatis scriptori substitutus velim *Salvian.* 2. *Gub. Dei* 4. David jejunio exigitur, fletu effunditur, solitudine carceratur.

CARCHĂRUS, i, m. 2. καρχαρίας, genus piscis, qui idem putatur esse, quod *canicula*, de qua *Plin.* 9. *Hist. nat.* 46. 70. (151). multa disserit. Dictus est ab asperis dentibus et feritate mordendi. Κάρχαρος enim *asperum* significat. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 12. Est autem hic piscis *squalus carcharias* L.

CARCHEBI sucularum foraminum, etc. legitur apud *Vitruv.* 10. 15., ubi de catapultis agit. Sed legendum esse *carchesii* vel *tracheli*, notant interpretes.

CARCHĒDŎNĬUS, a, um, adject. Καρχηδόνιος, Carthaginiensis. Carthago enim Græce Καρχηδὼν dicitur. — Hinc genus quoddam carbunculorum, *Carchedonii* appellati sunt, quia iis Carthago olim abundavit. Iidem dicti sunt etiam Garamantici, a loco, ubi reperiuntur. Sunt autem nigrioris, quam ceteri, aspectus, sed igne, vel sole et inclinatione, acrius, quam ceteri, excitantur et refulgent. In umbra purpurei videntur, sub cælo flammei, contra radios solis scintillant etiam. Hæc *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93). ex *Archelao*. *P. Syrus* apud *Petron. Satyr.* 55. Quo Carchedonios optas ignes lapideos, Nisi ut scintillent? Probitas est carbunculus. — Sunt et alii *Carchedonii* ceteris carbunculis multo viliores, qui nascuntur apud Nasamonas, in montibus inveniuntur ad repercussum lunæ maxime plenæ; omnesque quondam Carthaginem deportari consueverunt: unde et nomen sortiti sunt. *Plin. loc. cit.* — Quod de *smaragdis Carchedoniis* addi solet ex eodem *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (72)., eo loco *Harduin.* contendit, legendum esse *Calchedonii*, ex omnib. suis MSS., quem secutus est *Sillig.*

CARCHĒSĬUM, ii, n. 2. καρχήσιον. ¶ 1. Hoc nomine significatur poculum quoddam procerum, et circa mediam partem compressum, ansis a summo ad infimum pertinentibus, ut *Macrob.* 5. *Saturn.* 21. describit. *Virg.* 4. *G.* 380. cape Mæonii carchesia Bacchi, Oceano libemus, ait. Adde *eumd.* 5. *Æn.* 77. *Ovid.* 7. *Met.* 247. Æneaque invergens tepidi carchesia lactis. *Id.* 12. *ibid.* 317. Sopitus vinis et inexperrectus Aphidas Languentique manu carchesia mixta tenebat. Adde *Val. Flacc.* 2. 656 et *Sil. It.* 11. 302. ¶ 2. *Asclepiades* vir inter Græcos apprime doctus ac diligens, ait, navalis veli partem inferiorem πτέρναν vocari; circa mediam ferme partem τράχηλον dici; summam vero partem *carchesium* nomina-

ri, et inde diffundi in utrumque veli latus ea, quæ cornua vocantur. Hæc *Macrob.* 5. *Saturn.* 21., qui quod dicit *navale velum*, non ipsum velum, sed malum, quo sustinetur, intelligit. *Athæneus* enim *l.* 11. *c.* 7., unde hæc *Macrobius* sumpsit, habet τοῦ ἱστοῦ τὸ κατωτάτω: ἱστὸν autem prima sui significatione malum navis significat. Clarius itaque *Non.* p. 546. 24. *Merc.* et *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 77. carchesium esse dicunt summam mali partem, in qua sunt foramina, per quæ funes trajiciuntur. Porro in eo cacumine machina quædam est, Italice *gabbia*, in qua stare vel unus, vel plures possunt: eoque ascendunt nautæ, ventos et alia exploraturi. Ea ab aliquibus cum carchesio confunditur, ab aliis distinguitur. V. *Bayf.* et *Scheffer.* et alios, qui ex professo de re navali scripserunt. At *Schneiderus* ad *Vitruv.* *Tom.* 3. *p.* 250. et seqq. plurimis adductis Græcorum Latinorumque auctorum locis, statuit, carchesium esse apparatum illum tigno vel malo navis adjunctum et connexum, qui trochleas aut suculas aptas habet, et idoneas ad onera tollenda, Italice *calcese*. Fere usurpatur in plurali num. *Lucilius* apud *Non. loc. cit.* Tertius hic mali superat carchesia summa. *Catull. ibid.* Lucida qua splendent summi carchesia mali. Hunc *Catulli* versum pleræque editiones, auctore *Mureto*, interserunt post *v.* 235. *Epithal. Pelei et Thet.* Adde *Lucan.* 5. 418. — In singulari numero *Apul.* 11. *Met.* Jam malus insurgit, pinus rotunda, insigni carchesio conspicua. Adde *eumd. Florid. n.* 22. ¶ 3. Præterea ab ejusdem navalis carchesii similitudine sic appellata est pars machinæ alicujus, in qua aliquid ita infigitur, ut versari possit. *Dan. Barbarus* Italice vertit *parettolo*. *Vitruv.* 10. 2. 10. Machinationes aliæ rectæ, aliæ planæ in carchesiis versatilibus collocatæ. *Et ibid.* 10. 5. *Schneid.* Supra murum machinam in carchesio versatili constituit.

CARCĬNĒTHRON, i, n. 2. καρκίνηθρον, genus herbæ, cujus succus naribus infusus supprimit sanguinem. Græci etiam polygonon, geniculatam Latini vocant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113). De synonymia *V.* POLYGONON.

CARCĬNĬAS, æ, m. 1. καρκινίας, gemma cancri marini colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (187).

CARCĬNŌDES, καρκινώδης, vox Græca Latine scripta, quæ significat rem aliquam cancro similem. *Carcinodes narium* apud *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (187). est polypus in naribus, qui facile in cancrum degenerare solet, ut *Cels.* docet 6. 8. *ad fin.*

CARCĬNŌMA, ătis, n. 3. καρκίνωμα.

I.) Proprie est periculosissimum morbi genus, quod nascitur maxime in superioribus partibus circa faciem, nares, aures, labra, mammas feminarum, modo cum ulcere, modo sine eo. Habet autem quosdam gradus, quorum primus *cacoethes* curationem recipit, secundus proprie *carcinoma* dictus, et ceteri non item, sed medicaminibus irritantur. Hæc ex *Cels.* 5. 28. *n.* 2., ubi plura de eo. *Id. ibid.* Si levatur malum, procedere curatio potest: si protinus irritatum est, scire licet, jam carcinoma esse etc. — Medici quidam distinguunt inter *cancrum* et *carcinoma*, ut hoc exulceratum, illic sine ulcere sit. At *Celsus* in utroque et ulcus et defectum ulceris agnoscit, ut videre est *loc. cit.* et 26. 31. — Ipsum quoque *cacoethes*, quod curationem recipit, ceteraque vitia sanabilia, quæ similitudinem aliquam habent cum carcinomate, *carcinomata* appellantur. *Cato R. R.* 157. Si quid in mammis ulceris natum, et carcinoma, brassicam tritam opponito, sanum faciet. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 10. (37). Sordes caudarum prosunt gingivis, si carcinoma serpat. *Id.* 28. *ibid.* 18. 74. (242). Carcinomata curat coagulum leporis. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (32). sanat urtica. Adde *Theod. Priscian.* 3. 5.

II.) Translate. *Augustus* nepotem Agrippam ingenii socordiæ et ferociæ, et Julias filiam, et neptem, contaminatas probris omnibus, et plane extra omnem emendationis spem positas, tres vomicas, aut tria carcinomata sua vocare solebat, ut narrat *Sueton.* in *ejus Vita* 65.

CARCĪNOS, i, m. 2. καρκίνος, Græca vox idem significans, quod cancer. Pro cælesti sidere *Lucan.* 9. 536. Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens, Humidus Ægoceros. — Græce scribitur et καρκῖνος. Quare penultima videtur etiam posse produci, quamvis a poetis Græcis semper corripiatur.

CARDĂCES, um, m. plur. 3. Κάρδακες, militis Persici genus, forte quidem et bellicosum, (nam κάρδα Persis virile et bellicosum significat, teste *Strabone ad fin. l.* 15.), sed idem admodum furax. *Nepos Datam.* 8.

CARDĂMĪNA, æ, f. 1. καρδαμίνη, herbæ nomen apud *Apul. Herb.* 20., quam a Græcis cardamon, ab Italis nasturtium vocari ait.

CARDĂMŌMUM, i, n. 2. καρδάμωμον, frutex odoratus amomo similis, semine oblongo. Quatuor ejus genera sunt: viridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quod maxime laudatur: proximum huic e rufo candicans: tertium brevius atque nigrius. Postremum omnium varium et facile tritu, odorisque parvi. Locum habet maxime in unguentis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 29. (50). et 13. *ibid.* 1. 2. (8). et *ibid.* 2. 2. (18). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 29.) ad *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 29. (50). hæc ait: « Le cardamome des anciens paraît être le fruit qui se trouve encore aujourd'hui dans nos pharmacies, sous le nom de *cardamome*; et, en effet, il est allongé, à angles aigus; son odeur se rapproche de celle de costus, et il est difficile à rompre; toutefois on ne le trouve point en Arabie, mais bien dans l'Inde qui le fournissait aux Romains et aux Grecs par la mer Rouge et l'Arabie. Pline distingue quatre espèces de cardamomes assez semblable les uns aux autres; les modernes en reconnaissent trois sortes commerciales, le grand, le moyen et le petit. Voici quelle est la synonymie du cardamome: Καρδάμωμον Hippocr. Morb. mul. 1. 603. et Dioscor. 1. 5.; et *Cardamomum* Latinor. sunt *Amomum Cardamomum* L. .

CARDĂMUM, i, n. 1. κάρδαμον, herba Latine *nasturtium* dicta. *Scribon. Compos.* 129. Cardami nigri, idest nasturtii nigri seminis, etc. *Rhodius* legendum putat, *Cardami, idest nasturtii nigri seminis*, etc. Adde *Apul. Herb.* 20. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. *a med.* Cardamum, quod nasturtium vocamus. *Hieronym.* 2. *adv. Jovinian.* 13. Persarum regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat: polenta et cardamo et sale et pane cibario eos asserens victitare.

CARDĬĂCUS, a, um, adject. καρδιακός, ad stomachum pertinens. Est vox Medicorum tantummodo propria. *Cardiacus morbus* est vehemens stomachi languor et dolor, cum corporis imbecillitate, nimio sudore, aliisque affectibus, de quib. V. *Cels.* 3. 19., *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 30. *et seqq.* et alios. Dicitur autem *cardiacus* a καρδία *cor*, quia olim creditum est, cor maxime in eo morbo laborare, vel a καρδία, quæ significat *os ventriculi*: quo sensu usurpari a medicis, *Galenus l.* 2. περὶ τροφῶν δυνάμεως *c.* 24. testatur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 71. (187). Cor negatur cremari posse in iis, qui cardiaco morbo obierint. *Veget.* 1. *Veter.* 25. 2. *Schneid.* Cardiacus equus. *Id.* 5. *ibid.* 51. 1. bos. Adde *Pelagon. Veter.* 29. 4., ubi cardiaci equi signa et remedia exhibentur. — Hinc

Cardiacus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, dicitur qui tali morbo laborat. *Cic.* 1. *Divin.* 38. 81. Nec cardiacis hoc tribuendum est, nec phreneticis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 161. Non est cardiacus (Craterum dixisse putato) Hic æger: recte est igitur, surgetque: negabit. Adde *Senec. Ep.* 5. et *Plin.* loco mox citando. — Cardiacis maximum remedium vinum esse putatur, ut est apud *Cels. loc. cit.* et *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (44). Hinc *Juvenal.* 6. 39. Cardiaco numquam cyathum missurus amico.

CARDĬMŌNA, ătis, n. 3. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 35. Vocatur autem secundum aliquos quædam passio etiam cardimona, quam Græci καρδιωγμὸν vocaverunt. Hanc necessario sequitur dolor oris ventris, quam plurimi idiotæ cordis dolorem vocaverunt.

CARDĬNĀLIS, le, adject. ad cardinem pertinens. ¶ 1. Ad portæ cardinem pertinens. *Vitruv.* 4. 6. 4. Fores ita compingantur, ut scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius duodecima parte. *cardinales scapi* sunt tigilla, vel crassiores tabulæ hinc inde erectæ, et ipsis foribus affixæ, quibus forum ornamenta præcinguntur, secundum antepagmenta lapidea ipsius januæ. Dicuntur autem *cardinales*, quia habent ex utraque parte cardinem, quo fores vertuntur. ¶ 2. Translate *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 135. Eurum ad se, Zephyrumque vocat; *cardinales* hos ventos appellat, hoc est præcipuos: per hos enim omnes venti eo loco intelligendi sunt. *V.* CARDO sub *B.* ¶ 3. *Cardinales numeri* dicuntur a Grammaticis, ex quibus formantur ordinales et distributivi, ut *quatuor* unde *quartus*, *quaterni*: *sex* unde *sextus*, *seni*, etc. *Priscian. De ponderib. p.* 1351. *Putsch.*

CARDĬNĀLĬTER, adverb. per cardinem. *Firmic.* 4. *Mathes.* 10. Cardinaliter præsidere.

CARDĬNĀTUS, a, um, adject. *Vitruv.* 10. 21. 4. *de testudine militari.* Arrectaria duo conjuncta capitibus transversario cardinato tigno, et altero mediano inter duos scapos cardinato, et laminis ferreis religato. *Tignum cardinatum* hoc loco est *trave incastrato*. Sic *Idem ibid.* 20. Intercardinatæ trabes. *V.* CARDO.

CARDĬNĔUS, a, um, adject. cardinalis. *Septimius Afer* apud *Terentian. De metris p.* 2424. *Putsch.* Stridula cui limina, cui cardinei tumultus. — *Cardinea Dea. V.* CARNA.

CARDĬNŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* cardo. *Alcim. Ep.* 78. Anulo ferreo et admodum tenui, velut concurrentibus in se delphinulis concludendo, sigilli duplicis forma geminis cardinalis inseratur. *V.* CARDO.

CARDO, inis, m. 3. Feminino genere usurpavit unus vetus poeta *Gracchus* (juxta alios *Grajus* seu *Granius*) apud *Non. p.* 202. 20. *Merc.* Sonat impulsu regia cardo. *Id.* apud *Priscian.* 6. p. 663. *Putsch.* O grata cardo, regium egressum indicans. — Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Gr. κραδη ramus ficulneus, et *machina theatralis*. — Ceterum cardo dicitur et est locus, ubi aliquid in cavum seu foramen alterius rei immittitur, ut versari possit.

I.) Proprie occurrit *A*) in machinationibus, et *B*) in re astronomica et mathematica.

A) In machinationibus. ¶ 1. Ubicumque lignum aliquod (quod *cardo masculus* appellatur) in cavum seu foramen alterius (quod *cardo femina* vocatur) immittitur, ut versari possit, *cardo* dicitur. *Vitruv.* 9. 8. 11. *Schneid.* Tympanum includatur cardinibus ex torno, masculo et femina inter se coarctatis, ita uti minus tympanum in majore circumagendo arcte leniterque versetur. *cardinem* hoc loco appellat non solum id quod vertitur, sed etiam id, in quo vertitur, illud vocans *masculum*, hoc *feminam*. *Id.* 10. 20. *edit. vet. de testudine paranda.* Eæ arbusculæ ita sint temperatæ, ut habeant cardines et foramina, quo vectes trajecti versationes earum expediant. — Hinc dicitur cardo tigni vel tabulæ caput, figura cunei vel metæ formatum, quod in cavum alterius tigni eadem figura excavati immittitur, quo firmius hæreat. *Id. Vitruv.* 10. 20. *edit. vet.* Supra trabes collocentur capreoli, cardinibus alius in alium conclusis. *Id. ibid.* 16. Cardines securiclati. *V.* CARDINATUM *tignum* supra suo loco. — Similiter in coronis *cardines* dici possunt extrema earum capita, quæ invicem connectuntur ad circulum faciendum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (18). Cæpio negavit, centifoliam rosam in coronas addi, præterquam extremos velut ad cardines. ¶ 2. Speciatim *cardo* est fulcimentum illud, cui fores incumbunt et vertuntur. Cardines apud veteres plerumque infixi erant in superiore et inferiore ostii parte, hoc est in superno et infero limine, ut *Plaut.* loquitur *Merc.* 5. 1. 1., quibus proinde in imo quidem fores incumbebant, in summo autem ita detinebantur, ut huc illuc extra perpendiculum vergere et loco moveri non possent. Fiebant autem ex crassiore tigillo, in capitibus acuminato, quæ capita ferream etiam cuspidem aut æneam præfixam interdum habebant, ne assidua versatione detererentur. *Plaut. Amph.* 4. 2. 6. et *Asin.* 2. 3. 8. Foribus cardines offringere. *Id. Curc.* 1. 1. 94. Num mutit cardo? *Virg.* 1. *Æn.* 453. foribus cardo stridebat aenis. *Servius* ad hunc locum docet, post obsessum a Gallis Capitolium, cautum a Romanis fuisse, ut ejus ostii cardines ex ære fierent, quorum stridore custodes, si quis clam aperire vellet, admonerentur. *Virg. Cir.* 222. sonitum nam fecerat illi Marmoreo, æratus stridens in limine cardo. Adde *eumd.* 6. *Æn.* 573. *Id.* 1. *ibid.* 480. postes a cardine vellere. *Id.* 2. *ibid.* 493. emoti procumbunt cardine postes. *Id.* 9. *ibid.* 724. portam converso cardine torquere. *Ovid.* 4. *Met.* 93. cardines versare. *h. e.* fores aperire: Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 448. *Ovid.* 14. *Met.* 782. vertere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (210). Rigorem fortissime servat ulmus: ob id cardinibus crassamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur. Permutanda tantum sic ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. *Id. ibid.* 43. 84. (230). Ex olea, durissimo ligno, cardines in foribus diutius immoti, plantæ modo germinaverunt. *Apul.* 1. *Met.* Cardines evellere. — Hinc occurrit et de iis prægrandibus cardinibus, quibus C. Curionis theatrum vertebatur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (117). Theatra duo e ligno, cardi-

num singulorum suspensa libramento. — Hinc etiam per synecdochen ponitur pro ipsa fore, quæ in cardine vertitur. Ac proinde *Tertull. Spectac.* 3. appellat *cardines balteorum* in theatris ipsas eorum fores, ut in BALTEUS dictum est.

B) In re astronomica et mathematica. ¶ 1. Quemadmodum *axis*, ita et cardo pro cæli plaga sæpe usurpatur. Et primo *cardines* dicuntur — *a*) Duo axes seu poli septemptrionalis et meridianus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 41. 105. *ex Arato.* Extremusque adeo duplici de cardine vertex Dicitur esse polus. Adde *Vitruv.* 9. 1. 2. *Schneid.* et 6. 1. 5.; *Colum.* 1. *R. R.* 1. 4.; *Senec. Hippol.* 963. et *Lucan.* 4. 72. — *b*) Præcipue *cardo* dicitur polus septemtrionalis, qui nobis semper est conspicuus, cum meridianus sub terra lateat. *Varro* 1. *R. R.* 2. 4. Inter circulum septemtrionalem et inter cardinem cæli, ubi sol sex mensibus non videtur. Cf. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). *de Hyperboreis populis.* Ibi creduntur esse cardines mundi extremique siderum ambitus etc. Adde *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 45. *Seneca Herc. fur.* 1139. Cardo glacialis ursæ. *Stat.* 7. *Theb.* 38. Cardo arctoæ portæ. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 349. ¶ 2. Hinc in re agraria *cardo* est via, fossa, limes a meridie ad septemtrionem ductus, quemadmodum *decumanus limes* est, qui ab oriente ad occidentem. Nomen traxit a cardine polorum. *Decumanus* autem prius dictus est *duodecumanus* ab hora duodecima diei, qua sol occidit: spectat enim in occidentem. Ita *Salmas.* in *exercitat. Plin. p.* 676., ubi de utroque fuse disputat. Alii *decumanum* dictum putant, quia ex transverso *cardinis* currens X litteræ figuram exhibet, quæ decem significat. Ceterum *V.* plura in DECUMANUS. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (326). Qui ita limes per agrum currit, cardo appellatur. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (169). Si major modus sit, totidem pedum cardina, quot decumano, limitari. Adde *Paul. Diac. p.* 71. 15. *Müll.*; et *Hygin. De limit. constit.* aliosque *Agrim.* apud *Goes.* Cave autem a *Servio*, qui quod hac super re docet ad *Virg.* 1. *G.* 126., non probat. ¶ 3. Latino sensu quæcumque cæli plaga *cardo* dicitur. *Quintil.* 12. 10. 67. Quatuor mundi cardines. Cf. *Pallad.* 3. *R. R.* 19. 2. Plantas notabimus, ut ipsi, quibus steterant, cardinibus opponamus. *h. e.* ad eamdem cæli regionem, quam ante respexerant. *Lucan.* 5. 71. Cardo Hesperius, Eous. Adde *Stat.* 1. *Theb.* 157. *Lucan.* 4. 672. occiduus. *Id. ibid.* medius. *h. e.* meridies. ¶ 4. Hinc *cardo* et pro centro ponitur. — *a*) Ipsa terra *cardo* dicitur, quia circa eam cæli verti putabantur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 64. 64. (160). Cælum cardini suo, hoc est terræ undique incumbit. Cf. *Apul. de mundo. Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (44). *de luna.* Proxima ergo cardini, ideoque minimo ambitu peragit spatia etc. — *b*) *Cardo convexitatis* est pars ejus media, quæ a mathematicis *vertex* et *focus parabolæ* appellatur, ubi ejusdem parabolæ axis infigitur. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 26. (43). Reperiuntur aquæ in convallibus maxime, et quodam convexitatis cardine aut montium radicibus. *h. e.* in parte depressiore. *Varro* 3. *R. R.* 5. 17. Cardo hemisphærii. — *c*) Hinc apud Geographos *cardo* dicitur locus vel punctum, quod ceteris definiendis determinandisque inservit. *Liv.* 37. 54. Terminus est nunc imperii vestri mons Taurus: quidquid intra eum cardinem est, nihil longinquum vobis videri debet. Cf. *eumd.* 40. 18. et 41. 1. Et *Flor.* 4. 12. Omnes illius cardinis populi. ¶ 5. Ponitur etiam de tempore; unde *Cardo anni* dicitur a *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (264). solstitium æstivum, quo dies ad summam longitudinem perveniunt, et, velati in cardines se vertentes, decrescĕre incipiunt. — Eadem ratione *cardo temporum* ab *eod. ibid.* 25. 58. (218. et 220). vocatur quadripartita anni distinctio per incrementa et decrementa lucis, quæ augetur a bruma usque ad æquinoctium vernum, ab hoc usque ad solstitium, deinde minuitur usque ad æquinoctium autumni, et ab hoc usque ad brumam. — In vita humana *mortalis ævi extremus cardo* est senectus apud *Senec. Troad.* 52. et *Lucan.* 7. 381.

II.) Translate. Quoniam forum omne fulcimentum in cardine est, in eoque uno vertuntur, translate *cardo* dicitur in omni re id, in quo maximum momentum positum est, unde totius rei pendet eventus. *Virg.* 1. *Æn.* 676. haud tanto cessabit cardine rerum. *Stat.* 10. *Theb.* 853. attoniti fatorum in cardine summo. *Quintil.* 12. 8. 2. Quorum nihil refert, ubi litium cardo vertatur. *Id.* 5. 12. 3. Hic causæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. — Hinc proverb. *res est in cardine*, *h. e.* eo res devenit, ut ad exitum prope accedat. Refertur a *Servio* ad *Virg.* 1. *Æn.* 676. Quidam tamen sic intelligunt, ut dicatur res esse in cardine, cum est in incerto statu, neque quo evasura sit, cognosci potest; ducta significatione ab ipsis foribus, quæ motu cardinis huc atque illuc impelluntur.

CARDŬĒLIS, is, *f.* 3. videtur esse avis parva, capite rubro, alis luteis, albo nigroque distinctis: ita dicta, quod carduorum semine libenter pascatur, ut apud *Isid.* 12. *Orig.* 7. 74.; *Serv.* ad *Virg.* 3. *G.* 338. et *Prob. ibid.* legitur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 58. (116). Minimæ avium carduelés, imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus et ore pro manibus. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann. V.* ACANTHIS. (It. *cardellino*; Fr. *chardonneret*; Hisp. *acantilidis*; Germ. d. *Distelfink oder Stieglitz*; Angl. *a linnet*).

CARDŬĒTUM, i, n. 2. locus carduis consitus. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 4. Contra talpas prodest catos frequenter habere in mediis carduetis.

CARDUS, i, m. 2. idem quod carduus. *Capitolin. Pertin.* 12. Dimidiatas lactucas et cardos apponere. Ita *Salmas.* legi ait in optimo quodam codice. Alii *carduos* legunt. *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 14. Herba cardo silvestri pæne similis. *Schneider* tamen hic legit carduo.

CARDUS, us, m. 4. idem quod carduus. *Edict. Dioclet. p.* 17. Item cardus majores N. quinque ⸌ decem. Adde *Charis.* 1. *p.* 57. *Putsch.*

CARDŬUS, i, m. 2. Ratione habita etymi vox conjungenda cum Gr. κείρω, et Lat. *caro, ĕre*, hoc est carminare. — Est herba aculeata, in plura divisa genera, de quibus consulendi sunt botanici. Silvestris generis duas species describit *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 99. (262)., quarum altera *scolymus* dicitur, de qua *Dioscor. l.* 3. *c.* 16. Silvestris cardui infecundi et inutilis meminit *Virg.* 1. *G.* 151. segnisque horreret in arvis Carduus. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 7. 1. et *Veget.* loc. cit. in CARDUS. — Sativi, et hortensis serendi rationem docent *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 43. (152)., *Colum.* 11. *R. R.* 3. et *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 1. et 11. *ibid.* 11. 1. Porro *Harduin.* ad *Plin. loc. cit.* notat, tum ipsum *Plin.*, tum *Columell.* inter carduos hortenses intelligere etiam eum, qui alio nomine *cinara* dicitur, Italice *carciofo*. Cf. vero *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 461.) hanc exhibet synonymiam: *Carduus silvestris primus* Plin. l. c. et *Carduus agrestis* Marcell. Empir. 6. sunt *Cinara cardunculus* D. C. Fl. franc. spec. 3068. — *Carduus silvestris alter.* Κάκτος Theophr. Hist. plant. 6. 4., Athen. 2. 28.; Σκόλυμος Dioscor. 3. 16.; Κινάρα Galen. de Facult. aliment.; Ἀρτυτρίκα Trall.; *Cinara hispida* Colum. 10. R. R. 237. et 11. R. R. 3., et Pallad. locc. citt. (C. Baub. Pin. 383.); et *Carduus silvestris flore purpureo a Græcis dictus scolymos* Plin. l. c. sunt *Cinara scolymus* L. Spec. plant. 1159. Idem *Fée* ibidem plura hac de re disserit.

CĀRĒ, adverb. (carus). Comp. *Carius* et Sup. *Carissime.* — Care est magno pretio, et pluris, quam pro rei valore (It. *a caro prezzo, caramente, caro*; Fr. *cher, à haut prix*; Hisp. *caro, sumamente costoso*; Germ. *theuer, um hohen Preis*; Angl. *dearly, at a great price, or high rate*). *Varro* 3. *R. R.* 5. 2. Aves pingues care veneunt. *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 6. Valde care æstimare aliquid. *Id. Dom.* 44. 115. Emit domum prope dimidio carius, quam æstimabat. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. 2. Carius æstimare aliquid. *Seneca Ep.* 42. Gratuita nobis videntur quæ carissime constant. *Sueton. Cal.* 27. Carius comparare aliquid. *Martial.* 1. 38. cacare.

CĀRECTUM, i, n. 2. locus caricibus plenus. *Virg.* 3. *Ecl.* 20. tu post carecta latebas. *Colum.* 6. *R. R.* 22. 2. Melius nemoribus herbidis, et frutetis, et carectis, quam lapidosis locis, durantur ungulæ. *Pallad.* 9. *R. R.* 3. Exstirpare carecta.

CĀRĒNĀRĬA *vel* carænaria, æ, f. 1. vas, in quo carenum fit. *Pallad.* 8. *R. R.* 7. In tribus aquæ sextariis unum sextarium non despumati mellis admisces, ac diligenter per carenarias divisum, etc. *subaudi* lagenas *vel* ollas.

CĀRENTĬA, æ, f. 1. (careo) privatio. *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 2. p. 681. Unumquodque in quo tempore magis valet, in hoc etiam eligibilius est. Ut carentia tristitiæ in senectute magis, quam in juventute, magis enim in senectute valet.

CĀRĒNUM, i, n. 2. genus musti ex mensura decocti, ut ex tribus partibus duæ remaneant, ut *Pallad.* 11. *R. R.* 18. docet. *Apic.* 2. 1. *in fin.* Subassare cum careno. Adde 1. 33. et *Augustin.* 2. *Mor. Manich.* 13. — Scribitur et *carænum* a Græco κάροινον, ut sit a κάρα caput, et οἶνος vinum, fortasse quia valde inimicum sit capiti: vel a Κᾶρες quod Cares populi primum coxerint. Sed et κάρυινον Græce scriptum invenitur: κάρηνον autem *caput* significat. *Schneidero* in *Indice Script. R. R.* videtur fuisse *carenum* vinum passum nigrum Asiaticum, quod *Galenus* bis memorat, et καρυινον vocat. At *Edict. Dioclet. p.* 28. Item caræni Mæonii Italicum sextarium unum X triginta. Concordant *Talmudistæ* ad *Exod. c.* 19. *v.* 1., a quibus describitur: Vinum dulce, quod affertur ex Asia. Mæonia enim nota est Asiæ regio. Hinc patet *carænum* esse derivandum a κάροινον, itaque scribendum, non *carenum*. — De genere herbæ, vel seminis, *V.* in CAREUM in fin.

CĂRĔO, es, ui, itum, ere, n. 2. *Carint* pro *careant*, ἀρχαϊκῶς. *Plaut. Most.* 4. 1. 1. Qui cum culpa carint, tamen malum metuunt. — Part. *Carens* sub init. et 2.; *Cariturus* apud *Ovid.* 4. *Heroid.* 1. Qua nisi tu dederis, caritura est ipsa. Et 4. *Pont.* 5. 41. cariturus arbore montes. Adde *Curt.* 10. 2. 27.; *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (224). et *Juvenal.* 6. 39. — Part. *Carendus* apud *Ovid. Heroid.* 1. 50. — Careo est a Græco κείρω, καρῆναι *depascor, detondeo, minuo*; et est privus sum aliqua re, vel non habeo aliquam rem, quam habui vel habere possum vel etiam desidero; ita tamen, ut sæpius ponatur de iis, quæ nobis non sunt necessaria; his enim *egemus* vel *indigemus*, ut patet ex *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 2. Nunc commisi, ut me vivo careres, vivo me aliis indigeres. *Seneca Vit. beat.* 7. Voluptate – virtus sæpe caret, numquam indiget. *Auson. Edyll.* 7. 5. Matre carens, nutricis egens heroi imperium. Quamquam aliquando *carere* dicatur etiam is, qui dolet quod sibi res desit, quam desiderat. Pluribus hujusce verbi notionem exponit *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 87. *Carere* hoc significat, egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in *carendo*: nisi cum sic, tamquam in febri, dicitur, alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam *carere*, cum aliquid non habeas, et non habere te sentias, etiamsi id facile patiare. *Carere* enim in morte non dicitur: nec enim esset dolendum. Dicitur illud bono carere quod est malum. Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget etc. Hæc *Cicero* (It. *esser privo, star senza, mancare*; Fr. *être depourvu, privé de quelque chose, en manquer*; Hisp. *faltar, carecer de alguna cosa*; Germ. *von etwas entblösst oder frei sein, etwas entbehren oder nichthaben*; Angl. *to be without, want, be in want of, be free from*). — Porro initio statim animadvertendum putamus, hoc verbum — *a*) Raro admodum absolute occurrere. *Cic. Senect.* 14. 47. Cupidis enim rerum talium odiosum fortasse et molestum est carere, satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. Quamquam non caret is, qui non desiderat. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 26. Istuc ipsum vereor, ne malum sit, non dico carere, sed carendum esse. Adde *eumd. ibid. loc.* superius cit. et *post redit. ad Quir.* 1. 3. — *b*) Bis tantum occurrit cum Genit. *Ter. Heaut.* 2. 4. 20. Tui carendum quod erat. *Lævius* apud *Gell.* 19. 7. Carendum tui est. — *c*) In familiari sermone occurrit etiam cum Accus. *Plaut. Curc.* 1. 2. 46. Id, quod amo, careo. Adde *eumd. Pœn.* 4. 1. 4. *Turpilius* apud *Non.* p. 466. 8. *Merc.* Meos parentes careo. *Inscript.* apud *Gruter.* 770. 9. *non tamen optimæ notæ.* QVAE FILIOS DVOS CARVIT. Alia *ibid.* 572. 7. DVLCEM CARVI LVCEM CVM TE AMISI. — Hinc *careri* passive apud *Marcell. Empir.* 36. *a med.* Huc pertinet et Part. *Carendus* apud *Ovid. Heroid.* 1. 50. Virque mihi, dempto fine carendus, abest. — *d*) Cum infinito. *Capell.* 1. *p.* 9. Quod Superi voluere, licet de pectora fixis Præoptare caret, si quod placet atque necesse est. *h. e.* licet inane atque inutile est, præoptare hominum pectora de eis, quæ immobiliter disposita sunt, tamen quod diis placet, necesse est ut fiat. — *e*) Ceterum occurrit de more cum Ablativo rei vel personæ: tribuitur autem ¶ 1. Personis: et quidem — *a*) Ponitur cum quis persona aut re aliqua voluntarie non utitur, iisdem se abstinet, easque fugit; quo sensu opponitur verbo *uti*, ut apud *Nepot. Epam.* 3. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos sæpe usus est. *Plaut. Truc.* 4. 3. 30. Qui improbus est,

sive subbibit, sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio est improbus. Adde *eumd. Asin.* 4. 1. 57. *Ter. Eun.* 2. 1. 17. Tandem ego non illâ caream, si sit opus, vel totum triduum. *Cic.* apud *Non. p.* 5. 15. *Merc.* Magnam habet vim disciplina verecundiæ: carent temeto omnes mulieres. *Nepos Phoc.* 1. Si ipse his (*mulieribus*) facile careret. *Lucret.* 4. 1069. Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem. *Sall. Cat.* 13. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat. — Speciatim hoc sensu dicitur de iis, qui hominum conventu vel loco aliquo abeunt seque abstinent. *Cic. Mil.* 7. 18. Caruit foro postea Cn. Pompejus, caruit senatu, caruit publico, januâ se ac parietibus, non jure legum judiciorumque texit. *Id.* 6. *Verr.* 19. 41. Provinciâ domoque carere. *Id.* 9. *Att.* 19. 1. Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi. *Id. Brut.* 8. 32. Isocrates magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, etc. *Id.* 1. *Cat.* 7. 17. Carere aspectu civium. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 1. rebus urbanis. — *b*) Item carere dicitur is, qui haud libenter, immo cum dolore, aliqua re se privatum sentit: qua significatione verbo *carere* opponitur *frui* vel *delectari*, ut apud *Cic. post red. ad Quir.* 1. 3. Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique et dies festi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Adde *eumd. Senect.* 14. 47. *Id. Senect.* 13. 44. Quamquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis delectari potest. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 88. bono carere. *Id. Rosc. Am.* 15. 44. commodis omnibus. *Id.* 1. *Tusc.* 36. 87. commodis vitæ. *Id.* 5. *ibid.* 22. 63. consuetudine amicorum, societate victus, sermone familiari. *Id.* 7. *Fam.* 33. 1. declamationibus alicujus. *Id. Senect.* 13. 44. epulis extructisque mensis et frequentibus poculis. *Virg.* 6. *Æn.* 333. honore mortis. *h. e.* sepulcro. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 483. et 13. *Met.* 614. *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 87. liberis. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 40. libertate. *Cic.* 1. *Tusc.* 6. 12. et *Ovid.* 15. *Met.* 531. luce hac. Cf. *Virg.* 4. *G.* 255. corpora luce carentum. *Curt.* 10. 2. 27. militibus bonis. *Quintil.* 12. 11. 30. memoriâ posteritatis. *Virg.* 5. *Æn.* 651. munere. *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 87. oculis. *Ter. Heaut.* 1. 1. 85. et *Nepos Pelop.* 1. et 5. patriâ. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 58. *Auct. B. Afr.* 22. patriâ civitateque. *Ovid.* 3. *Fast.* 119. ratione. *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 88. et *Curt.* 7. 4. 10. regno. *Ovid. Heroid.* 4. 1. salute. *Cic. Rabir. perd.* 10. 29. sensu et vita. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 12. 26. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 66. sensu communi. *Id.* 2. *ibid.* 3. 196. sepulcro. *Quintil.* 2. 16. 16. et 11. 3. 66. sermone. *Horat.* 4. *Od.* 9. 28. vate sacro. *Quintil.* 1. 6. 36. uxore. *Horat. Art. P.* 354. veniâ. *Ovid.* 9. *Met.* 331. virginitate. *Cic. Senect.* 3. 7. et 12. 39. voluptatibus. — *c*) Denique *carere* dicitur etiam is, qui eo quod caret, utilitatem percipit, non enim molestia vel incommodo afficitur: quo sensu *carere* pluribus jungitur Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 206. ambitione carere. *Quintil.* 9. 4. 57. calumniâ. *Sueton. Aug.* 19. conspiratione et periculo. *Auct. B. Gall.* 8. *proœm.* et *Quintil.* 9. 4. 57. crimine stultitiæ atque ignorantiæ. *Cic. Senect.* 13. 44. cruditate. *Plaut. Most.* 4. 1. 1.; *Ter. Hecyr.* 4. 4. 41.; *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 4.; *Ovid.* 7. *Met.* 721.; et *Quintil.* 6. 3. 28. culpâ. *Sueton. Claud.* 9. discriminibus. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 38., 3. *Tusc.* 18. 41. et *Amic.* 6. 22. dolore. *Id.* 16. *Fam.* 15. 1. febri. Cf. *eumd.* 1. *Tusc.* 30. 87. *Ovid.* 14. *Met.* 286. figurâ suis. *Horat.* 3. *Od.* 19. 8. frigoribus. *Cic. Senect.* 13. 44. insomniis. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 42. et 3. *Tusc.* 18. 40. malo. *Scribon. Compos.* 122. malo. *h. e.* morbo. *Cic. Mil.* 2. 5. et *Seneca Hippol.* 243. metu. *Cic.* 3. *Tusc.* 13. 27. miseriâ. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 38. et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (224). morbis. *Horat.* 2. *Od.* 8. 12. et *Ovid.* 15. *Met.* 158. morte. *Nepos Miltiad.* 2. nomine. *Cic.* 1. *Off.* 29. 102. perturbatione animi. *Cic.* 10. *Att.* 16. 6. quartanâ. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 26. sensu. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 42. stultitiâ. *Cic. Rosc. Am.* 20. 55.; *Nepos Pausan.* 3.; et *Quintil.* 2. 2. 14. suspicione. *Juvenal.* 10. 357. terrore mortis. *Ovid.* 11. *Met.* 426. timore. *Cic. Senect.* 13. 44. vinolentiâ. *Horat.* 3. *Od.* 27. 39. et *Quintil.* 8. 3. 2. vitiis. ¶ 2. Tribuitur etiam rebus inanimis et abstractis. *Plaut. Curc.* 1. 1. 17. Caruitne febris te heri vel nudius tertius? *Lucret.* 2. 652. Terra quidem vero caret omni tempore sensu. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 26. Si minus id obtinebis, – docebis carere omni malo mortem. *Virg.* 2. *Æn.* 44. an ulla putatis Dona carere dolis Danaûm? *Id.* 5. *ibid.* 173. nec lacrimis caruere genæ. *Id.* 9. *ibid.* 540. retroque residunt In partem, quæ peste caret. *h. e.* incendio. *Horat. Epod.* 16. 13. Quæque carent ventis et solibus ossa Quirini. *Id.* 2. *Od.* 1. 30. Quæ ora caret cruore nostro? *Id.* 1. *ibid.* 36. 10. notâ Cressâ caret dies. *Id.* 2. *Ep.* 2. 123. virtute carentia verba. *Id. Art. P.* 261. opera celeris nimium curâque carens. *Ovid.* 3. *Met.* 551. Essemus miseri sine crimine – lacrimæque pudore carerent. *Id. ibid.* 226. adituque carentia saxa. *Id.* 1. *ibid.* 67. æther gravitate carens. *Id.* 13. *ibid.* 129. facundia invidiâ caret. *Id.* 2. *ibid.* 222. nivibus caritura Rhodope. *Id. ibid.* 762. sole carens domus. *Id.* 12. *ibid.* 325. sensu caret mors. *Id. Heroid.* 2. 28. Vela queror reditu, verba carere fide. *Id. ibid.* 1. 18. successu carent doli. *Id.* 1. *Art. am.* 515. carent rubigine dentes. *Id.* 1. *Trist.* 8. 43. labe vita carens. *Seneca Hippol.* 554. Nullum caruit exemplo nefas. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Naturæ vero rerum vis atque majestas in omnibus momentis fide caret. *Quintil.* 1. 1. 28. Stilus rudis et confusus intellectu caret. *Id.* 3. 3. 9. Œconomia Latino nomine caret. *Id.* 9. 1. 20. Astu caret oratio. *Id.* 7. *proœm.* 3. Oratio carens virtute. *Lucan.* 2. 552. variâ jura carentia pompâ.

CĂRESCO, is, ere, n. 3. *inchoativum a careo.* *Gloss. Philox.* Caresco, στέρομαι. Occurrit etiam in *Not. Tir. p.* 95.

CĂREUM, i, n. 2. herbæ genus, gentis suæ (hoc est Cariæ populi) nomine ita appellatum, semen habens exiguum, cujus maximus usus est in conditturis culinæ. Laudatissimum provenit in Caria. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 49. (164) et *Apic.* 7. 2. Adde *Paul. Dig.* 33. 9. 5., ubi docet, careum in penore contineri. — Κάρος dicitur a *Dioscor. l.* 3. *c.* 66., ubi ejus usum in medicina exponit, et habere ait multam cum aniso affinitatem. — Sunt qui putant hanc herbam eamdem esse cum ea, quæ *Chara*, vel *Cara* dicitur a *Cæs.* 3. *B. C.* 48., quæ lacte admixto, indeque effectis panibus, inopiam militum multum levavit. Huc facit, quod *Dioscor. loc. cit.* cari radicem coctam æque edulem esse ait, ac pastinacæ. — Apud *Colum.* 12. *R. R.* 51. 2., ubi arida condimenta, quibus sampsam misceri jubet, esse ait *carenum*, *cyminum*, *semen fœniculi*, *anisum Ægyptium*; quidam recte putant *careum* legendum esse: alii autem perperam reponunt *carpum*. *Oberlinus Mantiss.* ad *Cæs. loc. cit. p.* 828. videtur, eam hoc nomine herbam intelligere, quæ *daucus carota*, vel quæ *pastinaca sativa* a botanicis appellatur. In diversa vero abeunt nuperi editores *Plinii* Parisini, quos consulas oportet 7. 12. p. 361. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 349.) hanc exhibet synonymiam: Κάρος Dioscor. 3. 66. et *Careum* Plin. et Apic. ll. citt., et Carol. Magn. Capit. sunt *Carum Carvi* L. Spec. plant. 378.

CĀREX, icis, f. 3. herba acuta et durissima, sparto similis. *Virg.* 3. *G.* 231. Frondibus hirsutis, et carice pastus acuta. *Catull.* 19. 2. Villula tecta vimine junceo, caricisque maniplis. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 62. Filix quoque, aut carex ubicumque nascitur, Augusto mense recte extirpatur. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 22.

CĂRIANS, antis. *V.* CARIO.

CĂRICA, æ, f. 1. *V.* CARICUS.

CARICEUS pro cariosus dictum est a veteribus, teste *Non.* 1. 70. *edit. vet.*, ubi tamen nullum hujus adjectivi profert exemplum, ubique mendum inesse putandum est. *V.* PUTRILAGO.

CĀRĬCUS, a, um, adject. ad Cariam et Cares pertinens. *V.* ONOM. — Hinc

Carica, æ, f. 1. absolute, subaudi *ficus*, dicitur genus ficorum, qui in Caria abunde nascebantur, et ibidem siccabantur, ut in alias terras vehi possent. *Cic.* 1. *Divin.* 40. 84. Quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, cauneas clamitabat. *Caunus* oppidum est Cariæ, teste *Plin.* 5. *Hist. nat.* 28. 29. (104). Idem *Plin.* 13. *ibid.* 5. 10. (51). hujusmodi ficus in Syria nasci scribit, et qui in eo genere minores sunt, *cottana* appellari. Sed *caricas* generatim accipit pro quocumque ficorum genere: quod et alii scriptores faciunt. *Ovid.* 8. *Met.* 674. Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis. *Id.* 1. *Fast.* 185. Carica rugosa. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 26. 4. et 30. 4. — In illo *Statii* 4. *Silv.* 9. 26. Chartæ Thebaicæve, Caricæve. *chartas Caricas* quidam exponunt, in Caria factas: sed melius chartas a Thebaicis et Caricis distinguas, et *caricas* ficus intelligas ex Caria, sicut *Thebaicas* palmas ex Thebaide Ægypti. Nam et *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. n. 29. palmulas Thebaicas memorat.

CĀRĬĒS, ei, f. 5. Præter Nominativum, occurrunt tantummodo casus Accusativus et Ablativus sing. num. *cariem* et *carie*. — Caries est corruptio, putredo ex vetustate, aut alia quapiam de causa; sive est chemica alicujus corporis dissolutio, quæ fit detractis humoribus ita, ut colligandi vis omnino pereat; in quo caries proprie differt a putredine (It. *putrefazione*, *corruzione*, *intarlamento*; Fr. *carie*, *pourriture*; Hisp. *sarro*, *podre*, *podrecimiento*; Germ. d. *Mürbe–oder Morschsein*, d. *Mürbe–oder Morschwerden*; Angl. *rottenness*, *corruption*, *putrefaction*, *decay*).

I.) Proprie ponitur — *a*) De vitio ligni, ætate, aut humore, aliave aeris injuria putrescentis. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 27. Vertitur in teneram cariem rimisque dehiscit Si qua diu solitis cymba vacavit aquis. *Vitruv.* 7. 3. 1. Materia, cui nec caries, nec vetustas, nec humor possit nocere. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 83. 12. *Merc.*, ubi *Non.* cariem exponit vetustatem vel putrilaginem. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 11. Infestari carie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (188). Caries subnascens cortici. *Id. ibid.* 40. 78. (212). Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus etc. *Id. ibid.* 39. 76. (197). Cedri oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (40). In materiis cariem fumus erodit. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (92). Tabula, quæ carie consenuit. *Apul.* 4. *Met.* Capuli carie et vetustate semitecti. — *b*) Item de animalium ossibus et articulis. *Lucilius* apud *Non.* p. 21. 24. *Merc.* Ne auriculam obsidat caries. *Cels.* 8. 2. Ubi caries nigritiesve in osse est. — *c*) Item de pomis ætate corrugatis, non tamen corruptis. *Martial.* 13. 29. Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ. — *d*) De agris, vel terra fistulosa, arida et pumicosa. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 2. De vinetis, quæ longo situ exoleverunt, inter omnes constat, pessima esse, si reserere velimus, quod solum adhuc non amiserit vires et cariem illam vetustatis, quibus etc. *V.* CARIOSUS. — Denique de muris et ædificiis vetustate ruentibus. *Ammian.* 16. 2. Muri carie vetustatis invalidi.

II.) Translate. ¶ 1. Figurate in vinis *caries* dicitur sapor et odor ille, quem ex vetustate acquirunt, qui aliquando gratus est gustui, aliquando ingratus. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 17. Vinum tardius recipere cariem vetustatis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (55). Nec Opimiana vina potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita. *Id.* 15. *ibid.* 2. 3. (7). Invitat ad servandum inveterati vini caries. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (39). Ætatem addere vinis, quæ per se cariem traxere. ¶ 2. Simili ratione *caries* dicitur in succis aliorum ciborum nimia vetustate ingratis. *Apul.* 9. *Met.* Lactucæ veteres et insuaves, quæ seminis enormi senecta, ad instar scoparum, in amaram cœnosi succi cariem exolescunt. ¶ 3. Per metonymiam adhibetur in conviciis de sene homine et malæ valetudinis. *Turpilius* apud *Non.* p. 21. 26. *Merc.* Hei perii; viden' ut osculatur cariem? num illum illæc pudet? *Afranius* apud *eumd. p.* 21. 27. Nemo illa vivit carie cariosior. Adde *Auct. Priap.* 58.

CĀRĪNA, æ, f. 1. Veteres etymologi volunt hoc nomine proprie significari trabem imam, quæ totius navis fundamentum est: rectius tamen recentiores putant hanc vocem conjungendam esse cum Gr. κάρυον et Lat. *cavus*, eâdemque significari profundum fornicem sive imam cavitatem. Hinc ¶ 1. Carina est ima navis pars seu concavus navis fundus (It. *carena*; Fr. *carène*, *quille*; Hisp. *carena*; Germ. d. *Kiel*, *Schiffskiel*; Angl. *the Keel*, *or bottom*, *of a ship*). *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 41. Ubi probus est architectus, bene lineatam si semel carinam collocavit, facile esse navem facere, ubi fundata et constituta est. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 180. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam carinæ, quam prora etc. *At recentiores cum* Orell. *rectius leg.* cavernæ: *V.* CAVERNA. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Carinæ aliquanto planiores, quo facilius vada excipere possent. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 54. *Liv.* 22. 20. Naves, quæ carinas fixerant vadis. Adde *eumd.* 28. 8.; *Curt.* 7. 3. 9. et 10. 1. 19.; *Ovid. Heroid.* 16. 110., 14. *Met.* 553. et 4. *Pont.* 3. 5.; *Vellej.* 2. 77.; *Tac.* 2. *Ann.* 6. aliosque. — Per synecdochen vero ponitur sæpe et pro ipsa navi (Cf. *Dig.* 6. 1. 61.), præcipue cum de carinæ

usu sermo est. *Catull.* 63. 10. Pinea conjungens inflexæ texta carinæ. Adde *eumd. ibid.* 249. *Virg.* 2. *Æn.* 23. Statio male fida carinis. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 158., et 1. *G.* 303. et 360. et 2. *G.* 445.; *Horat.* 1. *Od.* 35. 8., 1. *ibid.* 4. 2. et 14. 7., et *Epod.* 10. 20.; *Propert.* 1. 3. 1. et 3. 9. 35. *Ovid. Heroid.* 17. 103. Tunc ego te vellem celeri venisse carina. Adde *eumd.* 1. *Met.* 134. et *Lucan.* 3. 46. ¶ 2. A figuræ similitudine dicitur et de aliis rebus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (88). *de nucibus.* Carinæ putaminum bifidæ, nucleorumque quadripartita distinctio. Adde *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 15. *Nemesian. Cyneg.* 109. *de forma canis.* multamque gerat sub pectore lato Costarum sub fine decenter prona carinam. *V.* CARINO secundo loco.

CĂRĪNĀRIUS, ii, m. 2. a καίρινος pro κήρινος, qui cerino colore vestes inficit, juxta illud *Ovid.* 3. *Art. am.* 184. Et sua velleribus nomina cera dedit. *V.* CALTHULARIUS.

CĂRĪNĀTOR, ōris, m. 3. (carino). *Placid. Gloss.* ed. *Mai.* p. 451. Carinator maledicus conviciator. *V.* CARINO primo loco.

CĂRĪNĀTUS, a, um. *V.* CARINO secundo loco.

CĂRĪNO, as, are, 1. Part. *Carinans.* — *Carinare* est obtrectare, illudere, ut *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 361. interpretatur. *Ennius ibid.* Contra carinantes verba atque obscena profatus. *Id. ibid.* neque me decet hanc carinantibus edere chartis. *Paul. Diac.* p. 47. 8. *Müll.* Carinantes, probra objectantes, a carina dicti, quæ est infima pars navis, sic illi sortis infimæ. In *Glossis* quoque *Isidori* legitur: Carinantes, illudentes. Simile et Græcum γεφυρίζειν (a γέφυρα pons), quod eamdem habet significationem. In carina enim nautarum fæx, ut in ponte infimi popelli homines, stare solent. *Voss.* in *Etymol.* non a *carina*, sed vel a χαρίεν, idest venustum, lepidum, deduci putat, ut proprie significet facete et salse jocari et mordere; vel a *caro, is*, quod carminare significat: quam postremam notationem probat etiam *Salmas.* in *Exercitat. Plin.* p. 398. ut eadem ratione fiat a *caro*, *carino* (pænult. correpta) qua a *nato*, *natino*, etc. Quia vero in priore *Ennii* versu propter pænultimæ quantitatem, mendum subesse videtur, ita emendandum putat *id. Salmas.* Et contra carinans verba atque obscena profatus. Recentiores philologi, pænultimam syllabam in *carino* longam retinentes, in eo cum *Salmasio* conveniunt, ut *carino* sit a *caro*, Gr. κείρω, tondere, *carminare*, atque occurrat translate tantum de iis, qui alios verbis quodammodo carminant sive lædunt. Cf. et CARINATOR.

CĂRĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (carina). Part. *Carinatus.* — Carinare est cavitate munire, cujusmodi est carinæ forma in navi. Hinc apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). *carinare se* dicuntur marini pectines, dum ex sua testa veluti carinam faciunt, qua per summa æquoris navigent. *Id. Plin. ibid.* 30. 49. (94). Concha acatii modo carinata, inflexa puppe, prora rostrata. *Id.* 11. *ibid.* 37. 82. (207). Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum, volucribus magis. *V.* CARINA 2.

CĂRĬO, as, are, n. 1. (caries) putresco, cariem contraho. A quo particip. *carians*, hoc est cariosus. *Capell.* 1. p. 5. Alibi arentes hederas, alibi cariantem tripodem, præsagiorumque interlitam memoriam repererunt.

CĂRĬŌSUS, a, um, adject. (caries). Comp. *Cariosior* I. et II. — Cariosus est carie plenus, putrefactus, corruptus (It. *putrefatto, guasto, intarlato*; Fr. *pourri, gâté, carié*; Hisp. *podrido, carcomido*; Germ. *morsch oder mürbe, ausgetrocknetem Wege zersetzt und bröcklich gemacht*; Angl. *rotten, worm-eaten, putrified, carious*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 67. Vetustate ficus fit pallidior, palmula cariosior, nux aridior. *Phædr.* 5. 10. 5. et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 26. (82). Dentes cariosi et fœtidi. *Cels.* 8. 2. Os cariosum. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 2. pedamenta. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (150). Si cariosum fuit semen, cum sereretur. *Id.* 17. *ibid.* 23. 35. (213). Cariosas vitis partes deputare. *Martial.* 11. 50. Amphora cariosa Falerni. *Prudent.* 1. *in Symmach.* 435. cariosi dii. *h. e.* veteres deorum statuæ. — *b*) Quam *Cato R. R.* 5., 34. et 37. *terram cariosam* appellat, docetque si colatur, triennii fructum amitti, *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 4. (35). interpretatur aridam, fistulosam, scabram, canescentem, exesam et pumicosam: et *Colum.* 2. *R. R.* 4. 5. cariosam dici ait, cum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefecit, inferiorem non attigit.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de vetusti vini sapore. *Martial.* 3. 120. Vina cariosa. *V.* CARIES II. 1. ¶ 2. De homine vetulo, atque de ipsa senectute. *Afranius* apud *Non.* p. 21. 27. *Merc.* Nemo illâ vivit carie cariosior. *V.* CARIES II. 2. Sunt qui legunt *curiosior*, h. e. curis magis exesa et macilentior. Sed nihil mutandum, dicit enim *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 29. nisi vos cariosa senectus Rodat. Et *Prudent.* 10. *Cathemer.* 149. Cariosa vetustas. Et *Apulej. grammat.* ed. *Mai.* 27. Cariosius verbum.

CĂRĬOTTA, æ, f. 1. idem fere quod careum. *Veget.* 5. *Veter.* 63. *Schneid.* Cariottæ viridis selibra. *V.* tamen ibi adnotata.

CARISSAM apud Lucilium vafram significat. *Paul. Diac.* p. 44. 3. *Müll.* Alii perperam legunt *vafrum.* In *Gloss. Isid.* Carissa, lena vetus et litigiosa, ancilla dolosa et fallax. *Placidi Gloss.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 449. Carisa. vetus lena percallida (ita ille cl. Furlanetto per litteras, datas Kal. Novembr. a. 1834., legendum monuit, pro *lana percalida*, ut in ejus editione legitur), unde et in mimo fallaces ancillæ catacarisiæ appellabantur. — Quod legitur apud *Seren. Sammon.* 46. 830. Cuspide non quisquam, longæ neque cæde carissæ; *Robert. Keuchen.* recte monet legendum *sarissæ.*

CĀRĪTAS *vel* karitas, ātis, f. 3. (carus). Ratione habita scriptionis, *caritas* et *carus*, cum ad amorem referuntur, cum aspiratione scribi solent, tum ad differentiam *caritatis* et *cari*, qua pretium adsignificant, tum ad Græcam originem retinendam. Derivant enim a χάρις. vel χαρίεις. Sed discriminis illius causa levis admodum est; notatio vero prorsus incerta, ut et *Voss.* fatetur. Quare rectius sine aspiratione scribetur, more antiquorum; quæ sententia est ejusdem *Vossii, Scaligeri, Dausquii, Cellarii*, et *Manutii*, qui præter libros veteres, Pandectas Florentinas, et Virgilium Carpensem, testes affert lapides quinquaginta, in quibus nulla aspiratio est. Quod vero in aliquot hujusmodi monumentis *Karus* per K scriptum legitur, idipsum scilicet satis probat, nullam aspirationem adhibendam esse, cum Græcum K inter tenues consonantes numeretur, et Latino C respondeat. — Caritas proprie est penuria frumenti et cibariorum, vel alterius rei, ex qua ultra modum ejus pretium augetur: cui opponitur *vilitas* (It. *carestia, prezzo caro, penuria*; Fr. *cherté, prix élevé*; Hisp. *carestia, el excesivo precio*; Germ. *d. hohe Preis*, *d. Theuerung*; Angl. *a high price, dearness*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Genitivo rei, cujus pretium propter penuriam augetur. *Cic.* 3. *Verr.* 18. 47. Vereri caritatem annonæ. Adde *eumd.* 3. *Off.* 12. 50.; *Auct. B. Afr.* 47.; *Liv.* 44. 7. et *Sueton. Ner.* 45. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (272). Inferre caritatem annonæ. Et *Inscript.* apud *Murat.* 735. 1. HVJVS PATER ANNONAE CARITATES SAEPIVS SVSTINVIT. *Cic. pro leg. Manil.* 15. 44. Tanta repente vilitas ex summa inopia et caritate rei frumentariæ consecuta est. *Id.* 9. *Att.* 9. 4. Caritas nummorum. *Sueton. Aug.* 42. vini. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (273). olei. *Id. ibid.* 30. 72. (300). operariorum. — *b*) Absolute, ita tamen ut ex orationis contextu pateat caritatis nomine rei frumentariæ penuriam significari. *Cato R. R.* 3. Uti jubeat caritatem expectare. *Varro* 1. *R. R.* 69. 1. Quæ servari possunt, ut tum vendas, cum caritas est. *Cic.* 5. *Verr.* 93. 216. Cum alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit. *Id. Dom.* 10. 25. Qua ex re primum caritas nata est, deinde inopia. *inopia* et *caritas* in eo differunt, quod illa est ex privatione rerum, quæ non extant, hæc ex penuria earum, quæ extant. Adde *eumd. ibid.* 5. 12. et 2. *Off.* 17. 58.

II.) Translate. ¶ 1. Quoniam ea, quæ magno constant, valde diligere solemus, plurimique æstimamus ac facimus; caritas sumitur pro dilectione, benevolentia, amore, seu pro benevolentiæ vinculo, quo duæ personæ inter se conjunguntur; et est lenis quidem affectus (ἦθος), minime vero vehemens (πάθος), ut docet *Cic. Partit. Orat.* 16. 56. Nam aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriæ, ut parentum: aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum etc. Cf. *eumd. ibid.* 25. 88., et *Quintil.* 6. 2. 12. Hinc proprie *caritas* tamquam verbi *diligere* substantivum usurpatum fuit, ideoque differt ab *amore*: *V.* Homonym. in fine. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 52. Liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant et, quod aptissimum est ad bene vivendum, caritatem. Cf. *eumd.* 2. *Orat.* 51. 206. *Id.* 2. *Off.* 8. 29. Adipisci caritatem. *Id.* 1. *ibid.* 17. 54. Benevolentiâ devincere homines et caritate. *Id. Amic.* 21. 80. Exigere aliquam mercedem caritatis suæ ab aliquo. *Id. Tim.* 5. Complecti aliquem amicitiâ et caritate. *Liv.* 7. 40. Omnes caritate cives complecti. *Id.* 1. 39. In caritate et honore esse. *Curt.* 3. 6. 1. Eximia caritate diligere aliquem. *Quintil. proœm.* 1. Mutuæ caritatis pignus. *Tac. Agric.* 16. Caritatem loco auctoritatis parare. *Id.* 6. *Ann.* 46. Sanguine et caritate propior. *Ulp. Dig.* 34. 1. 11. Duo æqua caritate conjuncti. — *b*) Cum præpositione aliqua. *Cic. Amic.* 8. 27. Ea caritas, quæ est inter natos et parentes. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 44. 122. et *Quintil. proœm.* 6. *Cic. Amic.* 19. 70. Retinere caritatem in aliquem. *Liv.* 1. 34. Ingenita erga patriam caritas. Aliter *Id.* 1. 54. Apud milites tantâ caritate esse. Cf. *Cic.* 10. *Fam.* 22. 3., quem locum *V.* infra sub *c*. — *c*) Cum Genitivo objecti, sive illius ad quem caritas tendit. *Cic. Sext.* 24. 63., *Partit. orat.* 16. 56. et 3. *Off.* 27. 100. Caritas patriæ, Cf. *Nepos Alcib.* 5. Caritate patriæ duci. Adde *eumd. ibid.* 8. et *Epam.* 4. *Cic.* 12. *Phil.* 8. 20. et *Liv.* 2. 2. reipublicæ. *Cic.* 1. *ad Brut.* 12. 2. et *Liv.* 2. 2. liberorum. *Cic. Partit. orat.* 16. 56. deorum, patriæ, parentum. *Id.* 10. *Fam.* 22. 3. Tibi persuade, tantam esse apud omnes bonos tui caritatem, ut etc. *Id.* 3. *Off.* 27. 100. Caritas suorum. *Id.* 2. *Orat.* 58. 237. et *Quintil.* 6. 2. 14. hominum. *Cic.* apud *Gell.* 10. 16. Non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. *Forcellinus* recte *caritatem* accepit pro gratia, qua quis apud alios carus est. *Liv.* 2. 1. ipsius soli. *Id.* 5. 42. sedium suarum. *Id.* 1. 31. domini. *Id.* 25. 28. Syracusanorum. *Id.* 24. 5. Hieronis. *Curt.* 3. 6. 17. Caritate alicujus flagrare. *Tac.* 2. *Hist.* 37. Caritas pacis. *Id.* 12. *Ann.* 51. mariti. *Plin.* 6. *Ep.* 6. mei. — *b*) Cum Genitivo subjecti, sive illius personæ vel causæ, a qua caritas provenit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 44. 122. Hominum caritas et amicitia gratuita est; quanto igitur magis deorum, qui nulla re egentes et inter se diligunt et hominibus consulunt. *Id.* 1. *Phil.* 12. 29. et *Liv.* 24. 4. Caritas civium. *Cic. Sext.* 3. 6. necessitudinis. *Id. Amic.* 9. 32. Naturâ gigni sensum diligendi et benevolentiæ caritatem. — *d*) In plurali numero ponitur de variis ejusdem gradibus et speciebus. *Cic.* 1. *Off.* 17. 57. Cari sunt parentes, cari liberi: sed omnes omnium caritates patria una complexa est. Adde *Quintil.* 2. *Declam.* 7. et *Apul.* 5. *Met.* ¶ 2. Quemadmodum *amores* et *affectus* pro iis, quos diligimus, interdum ponuntur, ita etiam *caritates* usurpavit *Ammian.* 24. 1. 9. Reliqui cum caritatibus suis et supellectile Chalcida transmissi sunt. Adde *eumd.* 18. 8. 4.

Homonym. De discrimine inter *caritatem*, *benevolentiam* et *amorem* diximus in v. **AMOR** in fin.

CARITORES lanarii, qui lanam carunt, carpunt, dividunt. *Gloss. Papiæ.*

CARMEN, inis, n. 3. Ratione habita etymi, carmen est quasi *canimen* a *cano*, unde per syncopen *carmen*, pro quo *carmen* (*V.* CARMENA in ONOM.): sive, ut *Voss.* putat, *carmen* dictum est pro *casmen* ab obsoleto *casno* pro *cano*. — Carmen proprie est cantus, vel quidquid certis modis ac numeris recitatur, pronunciatur, effertur. Hinc ¶ 1. Generatim ponitur pro cantu. — *a*) De hominibus. *Ovid.* 11. *Met.* 317. Carmen vocale. *Id.* 12. *ibid.* 157. Carmina vocum. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 458. Quam bene textorum laudabas carmina tutus. *Forcellinus* hic accepit *carmina* pro instrumento ferreo dentato, quo lana caritur et purgatur: *Burmann.* reponit *stamina.* — *b*) De avibus. *Virg.* 4. *Æn.* 462. Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri. Adde *eumd.* 4. *G.* 514. *Ovid.* 14. *Met.* 430. Carmina jam moriens canit exsequialia cycnus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 387. et 10. *ibid.* 453., et *Heroid.* 2. 118.; *Martial.* 13. 77.; et *Avien. Arat. progn.* 377. et 415. — *c*) Item de sono, qui musicis instrumentis editur. *Lucret.* 4. 980. Et citharæ liquidum carmen chordasque sequentes Auribus accipere. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 26. 86. *de citharæ sono.* Atque hoc carmen hic tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit. *Propert.* 3. 1. 9. Carmen lyræ. *V. Hertzberg* ad h. l. *Ovid. Heroid.* 12. 139. Tibiaque effudit socialia carmina vobis. *Id.* 4. *Trist.* 1. 12. Carmen arundineum. *Id.* 11. *Met.* 163. barbaricum. Cf. *eumd.* 5. *ibid.* 118. *Quintil.* 1.

10. 32. Chrysippus etiam nutricum – allectationi suum quoddam carmen assignat. Id. 9. 4. 11. Receptui carmen. — d) De aliarum rerum sono. Sever. Ætn. 296. Carmineque irriguo magni cortina theatri Imparibus numerosa modis canit arte regentis. Claudian. Cons. Mall. Theod. 319. trabali Vecte laborantes in carmina concitet undas. ¶ 2. Sæpius carmen est ipsa oratio numeris seu pedibus vincta et canendo apta, poema, poesis: ideoque opponitur cantui, ut apud Cic. 4. Tusc. 2. 3. Nam quum carminibus soliti illi esse dicantur et præcepta quædam occultius tradere et mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere etc. Et mox. Ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis et carmina. Adde eumd. 2. Orat. 8. 34. et 3. ibid. 51. 197., et 4. Acad. (2. pr.) 27. 86. Frequentius tamen opponitur prosæ, ut apud Quintil. 1. 8. 2. Sit autem in primis lectio virilis –: et non quidem prosæ similis, quia carmen est, et se poetæ canere testantur etc. Adde eumd. 10. 7. 19. et 10. 1. 95. Differt tamen a poemate, ut infra dicemus in Homonym. — a) Generatim. — Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Horat. 3. Od. 30. 16. Æolia. Ovid. Heroid. 15. 5. alterna. h. e. quæ constant hexametris et pentametris. Horat. 1. Ep. 3. 41. amabile. h. e. amore dignus, amore plenus. Servius ad Virg. 3. Ecl. 29. amœbæum. Cic. 2. Orat. 8. 34. artificiosa verborum conclusione aptius. Ovid. Heroid. 15. 27. blandissima. Id. 3. Art. am. 341. culta. Quintil. 12. 10. 33. dulce. Id. 10. 1. 62. epicum. Ovid. 2. Amor. 17. 37. felicia. Virg. 2. G. 45. fictum. Ovid. Heroid. 15. 21. flebile. Quintil. 8. 2. 8. funebre. Cic. 1. Tusc. 16. 37. grande. Horat. 1. Od. 15. 15. grata feminis. Cic. 1. Tusc. 26. 64. grave plerumque. Quintil. 1. 8. 5. heroicum. Horat. A. P. 129. Iliacum. Liv. 4. 20. incondita. Ovid. Ib. 2. inerme. Id. 2. Trist. 339. juvenilia. Id. 5. ibid. 1. 35. lacrimosum. Virg. 2. G. 388. læta. Quintil. 9. 4. 108. lascivum. Horat. 2. Ep. 1. 69. Livi. Quintil. 9. 4. 53. lyricorum. Horat. 1. Od. 6. 2. et Martial. 14. 183. Mæonium. Martial. 12. 40. mala. Catull. 61. 12. nuptialia. Horat. 4. Od. 2. 32. operosa. Id. 2. Ep. 1. 258. parvum. Lucret. 2. 505. Phœbea. Id. 1. 943. Pierium. Plin. 2. Hist. nat. 25. 22. (89). præclarum. Varro 7. L. L. 38. Müll. Priami. h. e. de Priamo. Sueton. vit. Horat. sæculare. Horat. 2. Ep. 1. 86. Saliare Numæ. Varro 7. L. L. 3. et 26., et 9. 61. Müll.; et Quintil. 1. 6. 40. Saliorum. Stat. 4. Silv. 6. 99. solemne. Juvenal. 7. 28. sublimia. Horat. A. P. 220. tragicum. Quintil. 6. 3. 96. tetrastichon. Liv. 3. 29. triumphale. — Jungitur et pluribus Verbis, quorum hæc sunt præcipua. Cic. Brut. 18. 71. et Liv. 1. 20. canere carmina. Liv. 19. 75. cantitare. Horat. 3. Od. 1. 4. cantare alicui. Nepos Epam. 2. cantare tibiis. Cic. Rabir. Post. 16. 42. celebrare alicujus laudes carminibus. Horat. 2. Ep. 2. 291. componere alicui carmen. Quintil. 1. 10. 29. componere ad lyram. Val. Max. 2. 1. 10. comprehendere alicujus opera carmine. Quintil. 3. 1. 4. complecti aliquid. Cic. 4. Tusc. 2. 4.; Lucret. 5. 1.; Liv. 27. 37.; Horat. 2. Sat. 1. 82. condere carmen. Cic. Cœl. 8. 18. contexere. Virg. 5. Ecl. 13. describere in cortice fagi. Id. 1. G. 350. et 6. Æn. 644.; et Horat. 4. Od. 12. 10. dicere. Liv. 39. 7. dicere carmina in aliquem. Horat. 1. Sat. 10. 75. et 2. Ep. 1. 110. dictare. Cic. Arch. 11. 27. exornare aditus templorum carminibus. Id. 4. Tusc. 2. 4. et Virg. 3. Ecl. 86. facere. Horat. 4. Od. 2. 32. et A. P. 332. fingere. Cic. 1. Tusc. 26. 64. fundere. Colum. 11. R. R. 1. 1. implicare aliquam materiam legibus carminis. Virg. 4. G. 565. ludere carmina pastorum. Id. 10. Ecl. 51. modulari avena. Lucret. 1. 933. et 4. 9.; et Tac. 14. Ann. 16. pangere. Horat. 2. Sat. 5. 74. scribere. Cic. 2. Orat. 86. 352. scribere in aliquem. Virg. 5. Ecl. 64. sonare. Lucret. 5. 1443. et Quintil. 2. 4. 18. tradere res gestas carminibus. Cic. Amic. 7. 24. vaticinari carminibus Græcis. — b) Item ponitur pro titulo, epigraphe. Virg. 3. Æn. 287. clypeum Postibus adversis figo et rem carmine signo. Id. 5. Ecl. 42. tumulo superaddite carmen. Adde Ovid. Heroid. 7. 194. et Silv. It. 9. 266. et 15. 491. — Ponitur et de singulari poemate, vel de aliquo longi poematis loco. Cic. 1. Tusc. 16. 37. Frequens enim consessus theatri – movetur audiens tam grande carmen (h. e. hos grandes versus): Adsum atque advenio Acheronte etc. Liv. 29. 10. Civitatem eo tempore repens religio invaserat, invento carmine in libris Sibyllinis –: Quandoque hostis alienigena etc. Id carmen ab decemviris inventum etc. — Hinc et pro parte poematis. Lucret. 6. 937. quod in primo quoque carmine claret. h. e. in primo libro poematis Lucretii. — c) Interdum ponitur pro epica poesi et opponitur tragœdiæ, ut apud Quintil. 2. 4. 2. Fabula, quæ versatur in tragœdiis atque carminibus, non a veritate modo, sed etiam a forma veritatis remotam etc. Item pro carmine lyrico et opponitur iambis, ut apud Horat. 2. Ep. 2. 59. Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis, Ille Bioneis sermonibus et sale nigro. Apud eumd. opponitur et elegis. 2. Ep. 2. 91. — d) Item de ipsa carminis ratione. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 27. 86. Pictor videt, quæ nos non videmus: et simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. — e) Item de libello probroso et dicteriis pleno, qui XII. Tabularum legibus puniebatur, teste Cic. 4. Tusc. 2. 4. et apud Augustin. 2. Civ. Dei 9. Hac tamen significatione aliquando adjectivis definiebatur, ut apud Horat. 2. Sat. 1. 83. et 2. Ep. 1. 153. carmen malum. Et apud Tac. 4. Ann. 81. et 16. ibid. 14. probrosum. Cic. 4. Tusc. 2. 4. Carmen facere ad alterius injuriam. Cf. Tac. 6. Ann. 39. et 16. ibid. 14. factitare in aliquem. Augustus apud Sueton. Aug. 55. Libellos aut carmina ad infamiam cujuspiam edere. ¶ 3. Item speciatim pro cantione magica, pro incantamento, pro formula magica, etiam si fiat prosa oratione. Lex XII. Tabul. apud Plin. 28. Hist. nat. 24. (17). QVI MALVM CARMEN INCANTASSET. Et magis definite Plin. ibid. 2. 3. (10). Incantamento carminum. Ovid. 2. Fast. 424. carmen magicum. Seneca Herc. Œt. 467. magum. Quintil. 7. 3. 7. carmina magorum. Ovid. Remed. am. 252. carmen sacrum. Id. 1. Amor. 8. 5. Æsa. — Hinc Virg. 8. Ecl. 69. Carmina vel cælo possunt deducere lunam: Carminibus Circe socios mutavit Ulixi. Id. 4. Æn. 487. Mentes solvere carminibus. Horat. 1. Sat. 8. 19. Carminibus vertere humanos animos. Adde eumd. Epod. 5. 72. et 17. 4.; Propert. 2. 28. 35.; Ovid. 7. Met. 137. et 14. ibid. 57.; Plin. 28. Hist. nat. 2. 4. (21).; et Juvenal. 6. 132. Tac. 4. Ann. 22. Uxor ejus accusata, injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito. Adde eumd. 2. ibid. 69. ¶ 4. Item pro vaticinio: poetæ enim, qui vaticinari dicuntur, item oracula, carmine res futuras prædicere solent. Liv. 1. 45. Cecinere vates, cujus civitatis eam civis Dianæ immolasset, ibi fore imperium; idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianæ. Adde eumd. 23. 11., 25. 12., 29. 10. et 38. 45. Virg. 4. Ecl. 4. Ultima Cumæi venit jam carminis ætas. Adde eumd. 6. Æn. 74. et 3. ibid. 445.; Ovid. 14. Met. 20.; et Tac. 3. Ann. 63., 4. ibid. 43. et 6. ibid. 12. ¶ 5. Præterea dicuntur carmina formulæ quædam certis verbis ad certum finem compositæ, et quidem — a) Morales sententiæ et magistrorum formulæ. Cic. 4. Tusc. 2. 4. Appii Cæci carmen. Cf. Gell. 11. 2. Catonis carmen de moribus. Cato enim librum quemdam, quem de moribus composuit, carmen de moribus inscripsit, licet versu non esset compositus (ut indicant aliquot ejus fragmenta apud Gell. l. c.), quia habuit certa quædam capita brevibus verbis descripta, ita ut disci et recitari possent. Cic. 1. Orat. 57. 245. Carmen magistri: V. Ellendt ad h. l. Id. 2. Legg. 23. 59. Carmen necessarium. — b) Item formulæ Jurisconsultorum. Cic. Rabir. perd. 4. 13. Crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina: Caput obnubito etc. Id. Mur. 12. 26. Prætor interea, ne pulchrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est: Suis utrisque superstitibus, præsentibus, istam viam dico; inite viam. Liv. 1. 26. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent etc. Id. 3. 64. Rogationis carmen. — c) Denique formulæ jurisjurandi, formulæ Fecialium, Imperatorum in obsidione urbium deos evocantium, se devoventium etc., aliæque religionis formulæ. Liv. 1. 24. Pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit fœdus; multisque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. Adde eumd. 10. 38. ad fin., 10. 41., 31. 17. et 39. 15. Plin. 28. Hist. nat. 2. 3. (12). Durat immenso exemplo Deciorum patris filiique, quo se devovere, carmen.

Homonym. Carmen differt a poemate. Carmen enim est antiquissima Latinorum vox, qua quodcumque a poetis œstro incitatis expromebatur, sive illud maxima, sive minima mole constaret, significabatur; poema vero est Græcorum vox, artis propria sive, uti ajunt, technica, qua sublime tantummodo ac longum poeticum opus significabatur. Cic. 2. Divinat. 54. 111. Non esse autem illud carmen furentis ipsum poema declarat; est enim magis artis et diligentiæ, quam incitationis et motus. Ubi carmen significat potius res et sententias, poema vero est ipsa externa forma, qua res et sententiæ repræsentantur atque exhibentur: hinc historia numquam dici poterat poema, sed tamen dici poterat carmen solutum ut apud Quintil. 10. 1. 31.; ac propterea nemo dixit poema fundere, sed carmen fundere ut Cic. 1. Tusc. 26. 64.

CARMEN, inis, n. 3. a caro, is, est instrumentum ferreum dentatum, quo lana caritur et purgatur. Lucret. 4. 376. quasi carmine lana trahatur. Plerique tamen omnes al. leg. Item dubia est lectio apud Claudian. 2. Eutrop. 458. Quam bene texentum laudabas carmina tutus. Quidam hic accipiunt carmina pro cantu: at Burmann. reponit stamina. At certior est auctoritas Venant. Epist. proœm. carm. 6. l. 5. sub init. Cum, ut ita dictum sit, nihil velleretur ex vellere, quod carminaretur in carmine,

CARMENTĀLĬA, ium, n. plur. 3. dicti sunt dies, in quibus Carmentæ (de qua V. in ONOM.) sacra fiebant. Varro 6. L. L. 12. Müll.; Macrob. 1. Saturn. 16.; et Charis. 1. p. 21. Putsch. In veteri Kalendario apud Gruter. 133., et in Kalendar. Maff. et Præn. apud Orell. Inscript. vol. 3. p. 382. his sacris assignantur dies undecimus cum quatuor sequentibus mensis Januarii: quod confirmat Ovid. 1. Fast. 461.

CARMĬNĀBUNDUS, a, um, adject. carminans, hoc est qui se canticis dedit. Sidon. 8. Ep. 11. post carmen. In Comica urbanus multiformisque; in Bucolica vigilax, parcus, carminabundus; in Georgica sic rusticans multum, quod nihil rusticus. Forcellinus translate accepit, nescio qua ratione: V. CARMINO secundo loco.

CARMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus carminandi. Plin. 11. Hist. nat. 23. 27. (77). Lanuginem cogere carminatione unguium.

CARMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui lanam carminat. Inscript. apud Murat. 984. 7., quæ est apud Orell. 4103. HAEC LOCA SVNT LANARIORVM CARMINATORVM SODALICII. Hi lanarii carminatores apud Fabrett. 701. 221. appellantur lanarii pectinarii.

CARMĬNĀTUS, a, um. V. vocc. seqq.

CARMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Carminatus. — Carminare (a carmen, quod a caro, is) est pectendo lanam purgare, et, ut ait Juvenal. 7. 224. obliquo lanam deducere ferro (It. scardassare, cardare; Fr. carder; Hisp. cardar; Germ. Krämpeln; Angl. to card). Varro 7. L. L. 54. Müll. Carminari dicitur tum lana, cum caret eo, quod in ea est nequam. Plin. 9. Hist. nat. 38. 62. (134). Lana carminata. Id. 19. ibid. 1. 3. (18). Carminare linum. Adde locum Venantii super. allatum in v. CARMEN secundo loco.

CARMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Carminans et Carminatus. — Carminare (a carmen, quod a cano) occurrit tantum extremo sequioris Latinitatis ævo, et significat carmina facere, carminibus dicere. Sidon. 1. Ep. 9. Exeras volo in obsequium novi consulis veterem Musam, votivum quippiam vel tumultuariis fidibus carminantem. Id. 9. ibid. 15. in carm. Quotiesque verba Graja carminaverit, Tenuisse celsa junctus astra Pindaro. Id. 9. Ep. 13. Date carminata (h. e. cantata) socco, Date dicta sub cothurno.

CARNĀLES. V. CASNAR.

CARNĀLIS, e, adject. ad carnem pertinens; et occurrit apud Scriptores Ecclesiasticos tantum, eique spiritalis opponitur. Tertull. Baptism. 7. in fin. Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur. Id. Pœnit. 3. Delictorum quædam sunt carnalia, id est corporalia, quædam spiritalia. Minuc. Fel. Octav. 32. Deum videre oculis carnalibus. Prudent. Apotheos. 1051. Stirps carnalis.

CARNĀLĬTAS, ātis, f. 3. carnis concupiscentia. Augustin. serm. 186. de Temp. 2. Carnalitas vetustas est, gratia novitas est. Alcim. Ep. 2. circa med. Offendit quidem mentes carnalitate depressas tantæ disparilitatis in unum coacta proprietas.

CARNĀLĬTER, adverb. secundum carnem, seu corpus; cui spiritaliter opponitur. Tertull. Baptism. 7. in fin. In nobis carnaliter currit unctio, sed spiri-

taliter proficit. *Hieronym. Ep.* 54. n. 9. In carne non carnaliter vivere. *Prudent. Apotheos.* 436. Posteritas carnis carnaliter omnia credens.

CARNĀRĬUS, a, um, adject. ad carnem pertinens. *Taberna carnaria* pro laniena, ex analogia tantum, dixit *Varro* 8. *L. L.* 55. *Müll.* — Sæpius occurrit

Carnarius, ĭi, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est laniarius, qui carnes vendit. *Gloss. vet.* Carnarius κρεωπώλης. ¶ 2. Jocose carnarius dicitur amasius, qui carne delectatur, a *Martial.* 11. 100. Habere amicam nolo, Flacce, subtilem: Sed idem amicam nolo mille librarum. Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Carnarium, ĭi, n. 2. Apud antiquissimos Latinos locus erat, camino ita superpositus, ut ejusdem fumo impleretur, in quo caro et alia ad victum pertinentia instrumento ferreo, quod pluribus uncis erat instructum, servanda suspendebantur: aliquando tamen ipsum hoc instrumentum ferreum pluribus uncis instructum significat. *Cato R. R.* 13. Craticulas duas, carnarium unum, scalas unas. Adde *eumd. ibid.* 14. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 64. Nisi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie mihi erunt etc. *Id. Curc.* 2. 3. 44. PH. Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. CU. Ain' tu omnia hæc? In carnario fortasse dicis. PH. Immo in lancibus. Adde *eumd. Capt.* 4. 4. 6. *Varro* 2. *R. R.* 4. 3. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario, quam ex domestico fundo. *Id.* 1. *ibid.* 54. 2. Uva alia, quæ in piscinam, in amphoram picatam descendat: alia, quæ in aram, ut in carnarium, ascendat. Adde *eumd.* apud *Non. p.* 400. 14. et 545. 12. *Merc.*; et *Colum.* 12. *R. R.* 53. 3. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (87). Nequam esse in domo matremfamilias, ubi indiligens esset hortus: quippe e carnario, aut macello vivendum esse. Adde *eumd.* 18. *ibid.* 25. 60. (227). *Petron. Satyr.* 136. Sinciput in carnarium furca reponit. *Id. ibid.* 135. Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita.

CARNĀTĬO, ōnis, f. 3. carnosa habitudo, obesitas. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Est enim semper gravabilis carnatio, et magis si tenuibus fuerit imposita viribus.

CARNĀTUS, a, um, adject. *Carnatum corpus* dicitur quod bene habitum est, εὔσαρκον. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. n. 105.

CARNEUS, a, um, adject. qui carne constat, carnosus (*It. di carne*; *Fr. de chair, charnel*; Hisp. *de carne, carnal*; Germ. *aus Fleisch bestehend, fleischern*; Angl. *of flesh, carneous*).

I.) Proprie. *Augustin. Serm.* 344. *edit. recentior. circa med.* Spoliatus per mortem carnea tunica. *Prosper Aquitan. epigr.* 27. Prælia divinus carnea vincit amor. *Maximian. Gall.* 1. 85. Quærebam gracilem, sed quæ non macra fuisset: Carnis ad officium carnea membra placent. V. *Carnarius*, ĭi 2. sub CARNARIUS, a, um.

II.) Translate est idem ac carnalis, eique *spiritalis* opponitur. *Prudent. Apotheos.* 438. Nec enim cælo lex carnea fluxit. Adde *eumd. Psychom.* 765.

CARNĬCŬLA, æ, f. 1. *Priscian.* 6. p. 684. *Putsch.* affert ex *Liv. Andron.* Nominativum *carnis* pro *caro*; deinde, ab hoc Nominativo deminutivum debet esse *carnicula*, inquit *idem Priscian.*, sicut a *caro* est *caruncula*. Non est tamen a quoquam, quod sciam, usurpatum.

CARNĬFEX *et veteri loquendi more* carnufex, ĭcis, 3. (caro *et* facio) occurrit *A)* Substantivorum more et *B)* Adjective.

A) Absolute, substantivorum more, est comm. gen.; et quidem

I.) Proprie carnifex apud Romanos erat servus publicus, qui torquebat homines, in crucem agebat, atque interficiebat. Porro carnifici non licebat Romæ domicilium habere; hinc more prisco in Urbe supplicium de sontibus non sumebatur: cf. *Cic.* locum *Rabir. perduell.* 5. 15. inferius allatum, et *Plaut. Pseud.* 1. 3. 97. (It. *carnefice, boja, manigoldo*; Fr. *bourreau*; Hisp. *verdugo, el ministro de justicia*; Germ. *der Scharfrichter, Henker*; Angl. *a hangman, executioner, gaoler*). ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 37. Rapere aliquem ad carnificem. *Id. Capt.* 5. 4. 22. dare aliquem. *Id. Rud.* 3. 6. 19. tradere. Ex ultimo hoc *Plauti* loco quidam colligunt, carnificem aliquando intelligi custodem carceris. Sed ex hoc uno loco nihil probant. Adde *eumd. Most.* 1. 1. 52. *Cic.* 7. *Verr.* 45. 118. Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque sociorum etc. *h. e.* Sextius, qui licet Verris lictor, non carnifex esset, ita appellatur a Cicerone propter illius crudelitatem. *Id. Cic. Rabir. perduell.* 5. 15. Carnificem non modo foro, sed etiam cælo hoc ac spiritu censoriæ leges atque urbis domicilio carere voluerunt. Adde *eumd. Quinct.* 15. 50. et 11. *Phil.* 3. 7.; *Lucret.* 3. 1030.; *Catull.* 98. 4.; et *Curt.* 6. 10. 33., 8. 2. 2. et 9. 10. 29. *Sueton. Ner.* 54. Cum ei carnifex laqueos et uncos ostentaret. Adde *Quintil.* 5. 10. 59. et *Juvenal.* 8. 175. ¶ 2. Latiori sensu est convicium in scelestum hominem, aut crudelem. *Plaut. Amph.* 1. 1. 220. Etiam clamas carnufex? Adde *eumd. ibid.* 1. 1. 206. et 2. 1. 41., et *Bacch.* 4. 6. 15. *Ter. Eun.* 4. 4. 3. Illud vide, ut os sibi distorsit carnufex! Adde *eumd. Andr.* 1. 2. 12. et 5. 2. 11., et *Adelph.* 3. 3. 9. *Cic. Pis.* 5. 11. Hæc sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui.

II.) Translate. *Ter. Andr.* 4. 1. 27. Nescis quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines meus carnifex. *h. e.* qui animum meum angit ac doloribus afficit. *Cic.* 3. *Verr.* 3. 9. Civium sociorumque carnifex. Cf. *Liv.* 2. 35. et 56. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (39). Fortuna gloriæ carnifex.

B) Adjective est qui torquet perniciemque affert. *Sil. It.* 1. 173. Manus carnifices. *Martial.* 11. 84. Carnificem nudo pectore pascat avem. *Id.* 12. 48. Pedes carnifices. *h. e.* podagrici et magnos cruciatus afferentes. *Claudian. B. Gild.* 178. Carnifices epulæ. *h. e.* mortiferæ. *Arnob.* 1. 65. Quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito?

CARNĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* CARNIFICO.

CARNĬFĬCĪNA *vel* carnuficina, æ, f. 1. (carnifex).

I.) Proprie. ¶ 1. Est carnificis officium. *Plaut. Capt.* 1. 2. 20. Ægre est mihi, hunc facere quæstum carcerarium: sed si ullo pacto hoc conciliari potest, vel carnificinam hunc facere possum perpeti. Cf. *eumd. Cist.* 2. 1. 1. ¶ 2. Item locus, in quo sontes a carnifice torquentur et necantur. *Liv.* 2. 23. Ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse. ¶ 3. Item cruciatus, tormentum. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Dolores atque carnificinas facere. Cf. *Non. p.* 197. 30. *Merc. Cic.* 5. *Tusc.* 27. 78. Ægyptii quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim aut canem violent. *Sueton. Tib.* 62. Locus carnificinæ. *Auson. Epigr.* 108. 10. Tam diversa locis vaga carnificina pererrat.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Tusc.* 13. 27. Cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est ægritudo, habet ardorem libido etc. Cf. *eumd. Sext.* 65. 135.

CARNĬFĬCĪNUS, a, um, adject. ad carnificinam pertinens. *Plaust. Most.* 1. 1. 52. O carnificinum cribrum. *De servo loquitur, cujus tergum est a carnifice stimulis perforatum. Ast alii leg.* carnificium *gen. plural. pro* carnificum; *alii* carnificum, *et quidem rectius: ideoque hæc vox a Lexico est amandanda.*

CARNĬFĬCO *vel* carnufico, as, āvi, ātum, are, a. 1. (carnifex). Part. *Carnificatus.* — Carnificare est carnificis more corpus humanum in frusta secare, cædere, lacerare, torquere. *Sisenna* apud *Priscian.* 8. p. 791. *Putsch.* Vitam cum dolore et insigni cruciatu carnificatus amisit. βασανισθείς. *Liv.* 24. 15. Neminem stantem jam vulnerari hostem, carnificari jacentes. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 2. Sane ceteros ad hoc tenditis et carnificatis, ut negent esse, quod esse dicuntur. *h. e.* in equuleo tenditis et carnificatis. — *Priscian. l. c.* docet, *carnificor, aris*, esse verbum commune, ut *adhortor, dimetior*, et alia. Pro sola tamen passiva significatione affert exemplum ex *Sisenna*, quod sub init. posuimus.

CARNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. carnem gerens. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl. ad fin.* Confiteamur autem a semetipso Deum existentem carnigerum et hominem deiferum.

CARNIS, is, f. 3. *V.* CARO sub init.

CARNĬVŎRUS, a, um, adject. (caro *et* voro) qui carne vescitur. *Carnivora* dicuntur illa animalia, quæ aliorum carnibus vescuntur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 73. 93. (199). Serratorum dentium carnivora sunt omnia. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 24. 40. (78). Et de hominibus *Coripp. Laud. Justin.* 4. 351. Sed pietas Augusta malos castigat alumnos Consilii bonitate sui; sic punit iniquas Carnivoras animas, ut mortis pœna recedat.

CARNŌSUS, a, um, adject. Comp. *Carnosior* et Superl. *Carnosissimus.* — Carnosus est carne abundans, pinguis (It. *carnoso, grasso, pieno di carne*; Fr. *riche en chair, charnu*; Hisp. *carnudo, carnoso*; Germ. *reich an Fleisch, fleischig, fleischern*; Angl. *fleshy, abounding in flesh*). Occurrit — *a)* De animalibus. *Cels.* 4. 1. Carnosa cervix. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (144). Candor carnosus sanguineis venis (*oculorum*). *Id. ibid.* 37. 65. (171). Carnosum aquatilibus palatum. *Id. ibid.* 43. 98. (243). manus. *Id. ibid.* 45. 105. (253). crura. *Id.* 27. *ibid.* 8. 40. (63). Atropha carnosiora facere. — *b)* De arboribus ac plantis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 72. (183). Alternant fructus, quibus siccius lignum, ut olea, magis quam quibus carnosum, ut cerasus. *Id. ibid.* 6. 8. (19). Carnosa folia. *Id. ibid.* 31. 56. (127). radices. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (123). resina. *Id.* 19. *ibid.* 3. 12. (36). Misy præcipuum suavitate odoris ac saporis, sed carnosius. *Id.* 15. *ibid.* 3. 4. (15). Carnosissimæ olivæ. *Id.* 25. *ibid.* 5. 21. (53). Carnosissimus cortex. Huc referri potest et illud *Apul.* 3. *Met.* Carnosi clavi pendentium. *h. e.* quibus aliquid carnis adhæret.

CARNŬLENTUS, a, um, adject. carnosus, carne abundans, carni similis. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 372. Carnulenta pectora. *Solin.* 2. Frutices flaxi, tactu prope carnulento.

CĀRO, is, ĕre, a. 3. est lanam pectere et purgare, non, ut vult *Varro* 7. *L. L.* 54. *Müll.*, a *carendo*, quod lanam tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia; sed a κείρω *tondeo*, aor. 2. ἔκαρον (It. *scardassare, cardare*; Fr. *carder*; Hisp. *cardar*; Germ. *Kämmen oder Krämpeln*; Angl. *to card*). *Plaut. Merc.* 5. 2. 46. Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere. Adde *Nævium* apud *Varron. loc. cit.*, et *V.* CARITORES.

CĂRO, carnis, f. 3. Reperitur etiam *carnis* in recto casu singulari, ut videre est in *Liv. Andron.* apud *Priscian.* 6. p. 684. *Putsch.* Et apud *Liv.* 37. 3. Latinæ instauratæ, quod Laurentibus carnis, quæ dari deberet, data non fuerat. Cf. *Priscian. loc. cit.* — Ablat. *carni* pro *carne* legunt nonnulli apud *Plaut. Capt.* 4. 4. 6. — Ratione habita etymi, *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 3. 4. 27. docet, *carnem* proprie dici mortuorum, eo quod *careant* anima. Sed hoc discrimen a scriptoribus non servatur. Cl. *Forcellini* videbatur potius esse a κείρω *tondeo*, reseco nempe ab osse. At rectius hæc vox conjungenda est cum Gr. κρέας, quod idem significat, et cum Germ. *Kern*, hoc est nodus. — Ceterum caro est pars corporis mollior, quæ ossibus nervisque supervenit (It. *carne*; Fr. *chair*; Hisp. *carne*; Germ. *d. Fleisch*; Angl. *the flesh*).

I.) Proprie occurrit. — *a)* De animalibus. *Plaut. Capt.* 4. 4. 6. Totum cum carne carnarium. *Cic. Planc.* 9. 23. Carnem Latinis petere. Cf. *Liv.* 32. 1. et 37. 3. *Cic. Pis.* 27. 67. Extructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Lacte et carne vivere. *Sall. Jug.* 21. Caro ferina. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 41. iners. *Cels.* 7. 10. emortua et nigra. *Id.* 5. 14. Carnem alere et ulcus implere. *Ovid.* 15. *Met.* 83. Caro male viva. *Id.* 12. *ibid.* 156. tosta. *Id.* 2. *ibid.* 769. viperea. *Sueton. Ner.* 37. cruda. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 30. (64). et *Juvenal.* 15. 13. Carne vesci. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 64. Carnes bubulæ. *Id.* 6. *ibid.* 30. 35. (195). humana. In plur. num. *Id.* 25. *ibid.* 6. 30. (67). — *b)* De pomis aliisque fructibus, qui esui sunt. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 27. (96). Caro alia acinis, alia moris, alia unedonibus. *Id.* 28. *ibid.* 14. 58. (205). Carnes cucurbitæ. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 12. *de liquamine ex piris.* Carnes pirorum. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 17. 1. — *c)* In arboribus *caro*, vocabulo artis proprio, dicitur pars ligni ea, quæ est post alburnum; cui subsunt ossa, hoc est materies durior. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 72. (181)., ubi plura de hac re. — *d)* In gemmis pars est mollior et obtusior carnique similis, Gr. σαρκίον. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (73). *de calchedoniis.* Peculiare in his vitium sarcion appellatum, hoc est quædam gemmæ caro.

II.) Translate. ¶ 1. Pro corpore, qua animo opponitur. *Seneca Ep.* 65. *ad fin.* In hoc obnoxio domicilio animus liber habitat: numquam me caro ista compellet ad metum, numquam ad indignam bono simulationem: numquam in honorem hujus corpusculi mentiar. — Hinc *caro putida* convicium est in hominem improbum, pestiferum, abominandum. *Cic. Pis.* 9. 19. Ego istius pecudis ac putidæ carnis consilio scilicet aut præsidio niti volebam. ¶ 2. Occurrit et de oratore, carnique *lacertis* opponuntur. *Quintil.* 10. 1. 77. Plenior Demosthene Æschines et magis fusus

et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen eo plus habet, lacertorum minus. *V.* Interpp. ad h. l.

CĀRŌ, adverb. (carus) magno pretio. *Dig.* 19. 1. 13. § 3. Caro vendere aliquid.

CARŒNUM, i. *V.* CARENUM.

CĀROS, i, m. 2. κάρος, sopor cum gravedine. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. Gravatio, quam Græci caron appellant.

CARŌTA, æ, f. 1. genus oleris, quod *pastinacam erraticam* appellari a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 64. (112). notat *Harduin.* Est autem prædulci radice, odorata, lutea, rufa, vel interdum purpurea, quæ cocta in aceto et oleo manditur. *Apic.* 3. 21. Carotæ, seu pastinacæ frictæ, etc.

CARPA, æ, f. 1. piscis genus a nemine alio Latino scriptore memoratum, præterquam a *Cassiod.* 12. *Variar.* 4. Destinet carpam Danubius, a Rheno veniat anchorago, exormiston Sicula quibuslibet laboribus offeratur, Bruttiorum mare dulces mittat acernias, sapori pisces de diversis finibus offerantur. Juxta cl. *Guizot Hist. med. p.* 398. *not.* 1. carpa est It. *carpio.*

CARPĂSUM, i, n. 2. κάρπασον, genus plantæ, cujus succus, teste *Dioscor.* in *Alexiphar.* c. 13. soporem inducit, ac repentinam strangulationem infert. A *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 20. (58). appellatur *carpathium. Galenus l.* 5. *de compos. medic. secund. loc.* ponit inter remedia ad dolores dentium. Fortasse ab hoc diversum est illud, cujus meminit inter species ad vectigal pertinentes *Martian. Dig.* 39. 4. 16. §. 7., ubi male *Haloander* edidit *carbasum*, teste *Gothofr. V.* CARBASUS.

CARPĀTĪNA, æ, f. 1. calceamentum villicorum proprium apud *Catull.* 96. 4., ubi alii legunt *carbatina. V.* hanc vocem.

CARPENTĀRĬUS, a, um, adject. ad carpenta pertinens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34). Subere uti in carpentariis fabricis. *Lamprid. Alex. Sev.* 52. Artifex carpentarius. *Tarrunten. Dig.* 50. 6. 6. Carpentarii fabri. *Forcellinus* absolute accepit, omisso *fabri* nomine. *Trebell.* in XXX. *Tyrann.* 29. *de Zenobia.* Usa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius. *h. e.* carpento, quemadmodum *vehiculum rhedarium* est ipsa rheda. — Hinc

Carpentaria, iæ, f. 1. absolute, substantivorum more, subaudi *fabrica*, occurrit apud *Firmic. Mathes.* 2. 10.

Carpentarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, subaudi *artifex* vel *faber*, est faber carpentorum, et generatim vehiculorum cujuscumque generis. *Cod. Theod.* 8. 5. 31. Et *Inscript.* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 101. C. VENNIVS C. L. XANTHVS CARPENTARIVS A VIC. III. ARAR. *h. e.* a vico trium ararum.

CARPENTUM, i, n. 2. Ratione habita etymi, videtur esse a *carpo*; nam *carpere iter* sæpe apud Latinos auctores: quamvis putet *Ovid.* dictum *carpentum* quasi *carmentum*, quod eo Carmentis Euandri mater usa sit. Ejus verba sunt 1. *Fast.* 619. Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant: Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor. — Ceterum ¶ 1. Carpentum est genus vehiculi, cujus forma, quantum ex Latinis scriptoribus colligitur, varia: quemadmodum apud nos currus et rhedæ. Illud certum est, diversum a pilento fuisse, ut aperte patet ex *Liv.* 5. 25. Honorem ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur. *Carpento* in itineribus extra Urbem raro admodum, sed Romæ plurimum in itineribus Urbis matronæ usæ sunt (V. *Becker Gallus tom.* 3. *p.* 10. *et seqq. edit. secund.*): quod cum eis bello Punico secundo lege Oppia interdictum fuisset, denuo concessum est bello peracto abrogataque lege, ut est apud *Liv.* 34. 3. *in fin.* Hinc et matronis principibus mortuis instituta aliquando carpenta, quæ in solemni pompa cum earum imagine transveherentur: eratque hæc divini cujusdam honoris pars; nam et deorum imagines in thensis transducebantur. Hujusmodi carpenti effigies in Agrippinæ et aliarum Augustarum nummis conspicitur; atque hujusce rei meminit *Sueton. Cal.* 15. Instituit matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur. Adde *eumd. Claud.* 11. (It. *cocchio o carrozza da città delle matrone*; Fr. *char ou carrosse*; Hisp. *coche, carroza*; Germ. *Wagen d. röm. Damen, Stadtwagen, Carrosse*; Angl. *a kind of carriage, a chariot, waggon*). ¶ 1. Stricto sensu. *Propert.* 4. 8. 23. Serica carpenta. *h. e.* sericis velis obtecta. *Liv.* 1. 48. Carpento invecta in forum. *Id. ibid.* Flectere carpentum in clivum. *Et ibid.* Per patris corpus carpentum egit. *Id. ibid.* 34. Sedens carpento cum uxore. *Id.* 34. 3. *in fin.* Vectari carpento per urbem. *Tac.* 12. *Ann.* 42. Carpento ingredi Capitolium. *Juvenal.* 8. 147. Rapi carpento volucri. Adde *eumd.* 9. 132. ¶ 2. Latiori sensu apud serioris ævi Scriptores dicitur etiam *carpentum* cujuslibet vehiculi, aut carri genus. *Apul.* 11. *Met.* Carpento pervolare aliquo. *Lamprid. Elagab.* 4. Vehi carpento mulari. *h. e.* a mulis ducto. *Vopisc. Aurelian.* 1. Carpento judiciali aliquem accipere. *h. e.* quo judices et alii honoratiores viri in Urbe utebantur. *Flor.* 1. 18. *ad fin.* Pecora Volscorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma. *Id.* 3. 10. Plena tumultu hostico litora, et trepidantia carpenta volitabant. (His locis *Florus* de vehiculis militaribus loquitur. Hinc *carpentarii* in legionibus, de quibus *Veget.* 2. *Milit.* 11. mentionem facit.) *Ammian.* 31. 2. Omnes sine sedibus fixis, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant. *Pallad.* 10. *R. R.* 1. Uni jugero asserit Columella vigintiquatuor stercoris carpenta sufficere. — Specialim de vehiculo, quo in cursu publico utuntur. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 8. 5. 18. Omni cautione præcipiat, ne amplius in singulis quibusque carpentis, quam bini, aut ut summum terni homines invehantur. *Ibid. l.* 30. Sanxeramus, ut in carpentis rhedarum mensuram subditam nullus excederet. *Apul.* 10. *Met.* Posthabitis rhedarum carpentis, quæ, etc. *Carpentum rhedæ* videtur esse locus, in quo sedent homines in ipsa rheda. At *Oudendorp.* ad *loc. cit.* probat, legendum *prædarum carpentis.*

CARPHEŌTUM, i, n. 2. Hoc nomine vocatur tus purissimum, et candidum, quod autumno legitur ab æstivo partu, inquit *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (60). Videtur autem vox barbara esse ut notat *Harduin.*, qui monet etiam in quibusdam MSS. legi *carphiatum.* At *Salmas.* in *Exercitat. Plin. p.* 505. vult legi *Carphiotum*, τὸ καρφιωτόν, a surculis arefactis, qui κάρφια Græce dicuntur, quod tale tus non solum ex trunco arboris turiferæ, sed etiam ex summis ejus virgulis et cacuminibus aridis autumno colligeretur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 31.) hæc ait: « Le premier de ces mots (*carpheotum*) signifierait, suivant Poinsinet, *vivace*, en tirant ce mot du celto-scythe ». Hanc tamen vocis notationem paullo post ipse *Fée* respuit.

CARPHŎLŎGĬA, æ, f. 1. καρφολογία, hoc est palearum, seu festucarum collectio: a κάρφος *palea* et λέγω *colligo.* Est autem inter signa et symptomata phreneticorum, cum summis digitis festucas e pariete detrahunt; quemadmodum *crocidismus*, i, (κροκιδισμός, hoc est floccorum seu filorum collectio: a κροκίς *floccus*, filum in veste exstans) cum stragulorum floccos vellunt et decerpunt. Utramque vocem habet *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 4. et 5. *ad fin.*

CARPHOS, n. κάρφος, fœnum Græcum. Ipsa vox festucam vel paleam significat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (184).

CARPĪNEUS, a, um, adject. qui est ex carpino. *Hyginus* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (230). Carpinea manubria. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 2. 92.

CARPĪNUS, i, f. 2. arbor ex acerorum genere (quamquam alii proprii generis esse volunt) rubens, fissili ligno, cortice livido et scabro: montes amat, estque in usu facum familiarissima: est autem satis firmæ materiei, et ad varia opera utilis. Hæc ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 15. 26. (67)., *ibid.* 18. 30. (75). et *ibid.* 40. 76. (196). — Dicta est ζυγία a Græcis, quia ex ea materia juga jumentis comparant, quæ apud eos ζυγά sunt. *Vitruv.* 2. 9. 12. — *Carpinus altera* memorata a *Catone R. R.* 31. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 75. (193). est *carpinus ostrya Linn.*, quæque a *Pontedera. Antiq. Græc. et Rom. p.* 46. ita describitur: Gignitur in asperis montanisque locis frequens, materia firma, et ad opera torno elaboranda perutilis, fructu in racemum lupuli modo disposito, calyce seu vesica turgido semina obducit. Differt a *carpino alba*, vel *carpino* proprie dicta, quæ *carpino bianco* vocatur; hæc enim calyce multifido amplectitur semen, præterea infra minorem altitudinem subsistit, cum utraque ante fructum iulos promittat. Materiarii Veneti, qui in publico armamentario versantur, *carpinum ostryam* vocant *carpino*, hinc nihil mirum in quibusdam editionibus et MSS. *sapinum* legi tum apud *Catonem*, tum apud *Plinium.* V. SAPINUS in fin. Ceterum *carpinum albam*, præter *Plin.* 16. *Hist. nat.* 15. 26. (67). et *Vitruv. loc. cit.*, memorant *Colum.* 5. *R. R.* 7. 1.; *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (72). et *ibid.* 40. 76. (196).; et *Pallad.* 12. *R. R.* 15. 2. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 329.) de *carpino alba* hanc exhibet synonymiam: *Acer tertium, genus zygia dictum* Plin. locc. citt.; Ζυγία Theophr. 3. 4. et 6. et 10.; *Carpinus et acer* Plin. locc. citt.; et *Carpinus* Vitruv. 2. 9. 12. sunt *Carpinus Betulus* L. Spec. plant. 1416.

CARPISCŬLUS vel carpusculus, i, m. 2. Cf. Gr. κρηπίς). ¶ 1. Est genus calceamenti barbarici multifariam scissi, quod Græci πολυσχιστή vocant, e λεπτοσχιδῆ. Ita *Salmas.* ad illud *Vopisc. Aurelian.* 30. Carpisculum enim genus calceamenti esse, satis notum est. *carpisclum* legitur in quodam cod., teste eod. *Salmas.* ¶ 2. Ab hujus similitudine dicitur *carpisculus* in architectura membrum quoddam in basibus, ea ratione, qua κρηπίς Græce et calcei, et basis genus significat, ut et apud Italos *il zoccolo.* Sed quemadmodum hujusmodi calcei figura ignoratur, ita et hujus membri architectonici. *Inscript.* apud *Gruter.* 98. 8., quæ est apud *Orell.* 3272. TEGVLAS AENEAS AVRATAS CVM CARPISCVLIS ET VESTITVRIS BASIVM, ET SIGNA CASTORIS ET POLLVCIS CVM EQVIS D. S. D. Ita *Salmas.* et *Casaubon.* ad *loc. Vopisci cit.* At *Gruter.* et *Orell.* ediderunt cum *carpusculis*; quod videtur esse deminutivum Latinum a Græco καρπός *fructus*, et significare ornamenta in columnis, aut stylobatis varia poma et frondes intextas referentia, quæ nos dicimus *festoni. Morcell. de stil. Inscript. T.* 3. *p.* 98. *edit. Patav.* hæc habet ad *cit. Inscript.* Carpusculos bases minores esse puto, quibus hypobases subjectæ sint. *Carpos* et *Carpiscos* calceamentorum genera esse ostendit *Salmasius*; unde carpusculos ab architectis appellatos statuarum plinthos crediderim.

CARPISTES, æ, m. 1. καρπιστής, hoc est vindex, assertor: a καρπός, qua tum carpum manus, tum ipsam volam significat. Ita *Horon* suum appellavit *Valentinus* apud *Tertull. advers. Valentinian.* 9. *in fin. V.* etiam *ibid.* 10. *in fin.*

CARPO, pis, psi, ptum, pere, a. 3. Part. *Carpens* I. 1.; *Carptus* I. 1. et 2.; *Carpturus* I. 1.; *Carpendus* II. 2. — Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum Græcis κάρφω *arefacio* seu resecando aridum reddo, et ἁρπάζω *rapio*, et καρπός *fructus* sive id quod carptum est. — Carpere est manu aliquid leviter et paullatim avellere, auferre, decerpere (It. *staccare, tor via a poco a poco, o qua e là piluccare*; Fr. *détacher, détacher par morceaux*; Hisp. *destacar*; Germ. *rupf-und zupfweise etwas berühren, meist um etwas hinwegzunehmen, zupfen, rupfen, pflücken*; Angl. *to gather, pull, pluck, cull, crop*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de iis, quæ leviter vellendo vel colligendo auferuntur. — *a*) Generatim. — Absolute, sive omisso termino, unde aliquid decerpitur. *Catull.* 62. 43. Carpere florem tenui ungui. *Virg.* 6. *Æn.* 245. Et summas carpens media inter cornua setas, Ignibus imponit sacris. *Id.* 2. *G.* 366. uncis manibus frondes. *Id.* 2. *Ecl.* 47. violas et papavera. *Id. ibid.* 54. Et vos, o lauri, carpam et te, proxima myrte. *h. e.* frondes vobis decerpam. *Id.* 9. *ibid.* 50. carpent tua poma nepotes. *Id.* 2. *G.* 500. fructus. *Id.* 3. *ibid.* 176. frumenta manu. *Id.* 4. *ibid.* 134. rosam vere, poma autumno. *Horat.* 3. *Od.* 27. 44. flores. *Ovid.* 3. *Art. am.* 80. carpite florem, Qui nisi carptus erit, turpiter ipse cadet. Adde *eumd.* 10. *Met.* 85. *Id.* 5. *Met.* 392. violas, lilia. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 7. herbas manibus. *Inscript.* apud *Murat.* 1951. 3. BIS NONAM CARPTVRA ROSAM MIHI DECIDIT AETAS. — Addito, unde aliquid decerpitur. *Virg.* 2. *G.* 90. Carpere uvam de palmite. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 256. ex collo furtim carpsisse coronas. *h. e.* detraxisse. *Ovid.* 9. *Met.* 380. flores ab arbore. *Id. ibid.* 342. flores hinc. *Id. Ib.* 197. frondes ab Ide. *Id.* 2. *Amor.* 19. 31. arbore frondes. Et poetice *Id. Ib.* 198. summam Libyco de mare aquam. — *b*) Specialim pecus carpere dicitur, cum herbas frondesque depascitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Alia (*animalia*) sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. *Virg.* 9. *Æn.* 353. Carpunt gramen equi. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 299. *Virg.* 2. *G.* 201. Carpere gramina. *Id.* 3. *ibid.* 296. herbam. *Id.* 3. *ibid.* 465. et *Ovid.* 13. *Met.* 927. herbas. *Phædr.* 1. 28. 4. escam. *Ovid.* 15. *Met.* 478. alimenta. *Id.* 2. *ibid.* 792. cacumina summa. *Id.* 4. *ibid.* 217. et 4. *Fast.* 7. 50. pabula. — Item de pastoribus, qui pecudes ad pabula agunt.

Virg. 3. G. 325. Carpamus frigida rura. h. e. carpere cogamus animalia, ut ait Servius ad h. l. Adde Senec. Herc. fur. 339. — Item de apibus, quæ flores exsugunt. Varro 3. R. R. 16. 24. Apes e malo punico et asparago cibum carpunt. Horat. 4. Od. 2. 29. Apis carpens thyma. — Raro de hominibus, qui lente absumunt obsonia, ut inde majorem gustui delectationem afferant. Ter. Adelph. 4. 2. 52. Nam jam adibo (ad prandium) atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum, carpam. Ovid. 3. Art. am. 755. Carpere cibos digitis. Martial. 3. 13. leporem, mullum. Petron. Satyr. 36. in fin. Vides illum, qui obsonium carpit? Carpus vocatur. Itaque quotiescumque dixit Carpe, eodem verbo et vocat et imperat. ¶ 2. Latiori sensu carpi dicuntur etiam ea — a) Quæ mandenda vel erodenda auferuntur. Ovid. Heroid. 4. 29. pomaria plenis ramis. Auct. Priap. 73. Si commissa meæ carpes pomaria curæ. Id. 28. Tu qui non bene cogitas, et ægre Carpendo tibi temperas ab horto. Cf. loca Virg. 3. G. 325. et Horat. 4. Od. 2. 29. superius allata sub I. b.; nec non Propert. 2. 13. 8. ἀλληγορικῶς. Et stolidum pleno vellere carpe pecus. h. e. tonde. — b) Item quæ scindenda et laceranda carpuntur. Ovid. Ib. 460. Et tua dente fero viscera carpat equus. Id. 10. Met. 43. Carpere jecur. Seneca Thyest. 1059. artus in frusta. Seneca 3. Ira 18. 2. aliquem. Val. Flacc. 8. 7. crinem genasque. Servius ad Virg. 12. Æn. 606. faciem. — Item quæ elaboranda carpuntur ac præcipue lana, quæ summis digitis trahendo purgatur, vel etiam netur. Virg. 4. G. 335. Milesia vellera Nymphæ Carpebant. Id. 1. ibid. 390. et Horat. 3. Od. 27. 64. Carpere pensum. Cels. 6. 6. n. 1. Ubi facta unitas est, demitti debet lana mollis bene carpta. h. e. carminata et pexa. Scribon. Compos. 237. Linteola carpta medicamento continguntur, atque ita ulceri superponuntur.

II.) Figurate. ¶ 1. Carpere est quasi avellendo aliquid raptim auferre, rapere, arripere. — a) Generatim. Cic. 1. Orat. 42. 191. Atque interea tamen, dum hæc, quæ dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri justâ juris civilis scientiâ. Cf. eumd. Sext. 56. 119. Non sum tam insolens in dicendo, ut ex omni genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam atque delibem. Gell. 9. 4. Atque in legendo carpsi exinde quædam et notavi mirabilia. — b) Speciatim hoc sensu sæpe occurrit apud Poetas de iis, quæ fruenda raptim arripiuntur vel attrahuntur. Propert. 1. 28. 27.; Ovid. Heroid. 11. 117. et 4. Met. 358.; et Phædr. 3. 8. 12. Carpere oscula. h. e. rapere. Martial. 5. 47. 1. basia. Ovid. 3. Art. am. 661. gaudia. Martial. 7. 47. 11. gaudia fugitiva. Pers. 5. 151. dulcia. Propert. 2. 34. 75. delicias. Ovid. 3. Fast. 622. commoda regni. Val. Flacc. 1. 177. honores virtutis. Virg. 1. Æn. 388. auras vitales. Cf. Sil. It. 3. 712. auras. Virg. 3. G. 435. somnos sub dio. Id. 7. Æn. 414. quietem. Id. 4. ibid. 522. soporem. — c) Item apud Poetas de tempore, quod velociter fugit: ad rem Ovid. 10. Met. 85. citra juventam Ætatis breve ver et primos carpere flores. Lucilius apud Non. p. 232. 14. Merc. Hiemem unamquamque carpam: quod Servius ad Virg. 3. G. 142. interpretatur celeriter prætoream. Catull. 68. 35. illa domus, illa mihi sedes: illic mea carpitur ætas. Horat. 1. Od. 11. 8. Carpe diem, quam minimum credula postero. h. e. cape, arripe. Val. Flacc. 5. 48. Carpere noctes securas. — d) Item de via et locis, quæ celeriter præterimus: raro apud prosæ orationis scriptores, ut apud Plin. 8. Hist. nat. 42. 67. (166). Equis tolutim carpere incursus, traditur arte. Et apud Petron. Satyr. 116. Hoc peracto officio, destinatum carpimus iter. — Sæpius apud Poetas. Virg. 6. Æn. 629.; Horat. 2. Sat. 6. 93.; et Ovid. 8. Met. 208. Carpere viam. Horat. 1. Sat. 5. 95.; Ovid. Heroid. 18. 34. et 2. Met. 549. iter. Horat. 2. Od. 17. 12. supremum iter. h. e. mori. Virg. 3. G. 191. de equo. Carpere mox gyrum incipiat. h. e. currere in gyrum. Ovid. 11. Met. 752. Quem mare carpentem substrictaque crura tenentem Aspicis. Id. 12. ibid. 196. littora. Id. 10. ibid. 53. tramitem. Sil. It. 10. 62. fugam. h. e. fugere. Id. 12. 350. fugæ compendia. Stat. 1. Theb. 310. volatus raptim. — Et clarius addito Ablat. Propert. 1. 6. 33. Seu pedibus terram, seu pontum carpere remis Ibis. Virg. 3. G. 142. Carpere prata fugâ. h. e. celeriter prætereire, ut Servius exponit. Ovid. 2. Art. am. 230. pede viam. Id. 3. Fast. 604. pede iter. Id. 1. Trist. 9. 23. pede campos. Id. 4. Met. 615. aera alis. Cf. Virg. 4. G. 311. Ovid. 3. Fast. 416. æthera alatis equis. ¶ 2. Translate est in multa membra vel partes discerpere, scindere, dividere. Cic. 3. Orat. 49. 190. Neque semper utendum est perpetuitate et quasi conversione verborum, sed sæpe carpenda membris minutioribus oratio est. Liv. 26. 38. Quos neque omnes tenere præsidiis, nisi vellet in multas parvasque partes carpere exercitum, poterat. Curt. 8. 9. 10. Erymanthus — ab accolis rigantibus carpitur. h. e. multifariam derivatur. Confer Plin. 6. Hist. nat. 26. 30. (124). Priusquam (Euphrates) distrahitur ad rigua. ¶ 3. Item translate de persona aut re, est ejus potentiam, vim, dignitatem etc. imminuere, debilitare, auferendo paullatim absumere. — a) Generatim. Liv. 31. 3. Quid si carpere singula et extorquere et exæquari ad postremum vires patiemini? Virg. 3. G. 215. Carpit enim vires paullatim uritque videndo Femina (bos). Horat. 4. Od. 9. 30. Non ego te — silebo Totve tuos patiar labores Impune, Lolli, carpere lividas Obliviones. Adde Plin. Paneg. 55. Ovid. 4. Pont. 8. 32. carpsit opes illa ruina meas. Seneca 2. Quæst. nat. 13. Totum potest excidere, quod potest carpi. Colum. 6. R. R. 7. 2. Alvus corpus ac vires carpit. Huc referri potest et illud Ovid. 1. Amor. 8. 91. Et soror, et mater, nutrix quoque carpat amantem. h. e. emungat, aliquid ab eo corradat. — b) Speciatim in re militari carpere est recedentem hostem insequi, et in itinere identidem aggredi, modo ex una, modo ex altera parte, ac sic veluti per partes concidere et debilitare. Cæs. 1. B. C. 79. Equitatu præmisso, qui novissimum agmen carperet atque impediret. Id. ibid. 63. Ubi equitatu agmen adversariorum male haberet et carperet. Liv. 3. 5. Superante multitudine, hostes carpere multifariam vires Romanas, ut non suffecturas ad omnia, aggressi sunt: simul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad populandum agrum Romanum missa. Adde eumd. 6. 32., 8. 38., 9. 27., 22. 32., 27. 46. et 31. 40.; Lucan. 4. 156. et Tac. 12. Ann. 32. — c) Item speciatim ponitur de dolore, sollicitudine, cupidine et similibus, quæ aliquem paullatim, tamquam tabes, absumunt. Virg. 4. Æn. 1. At regina gravi jamdudum saucia curâ Vulnus alit venis et cæco carpitur igni. Id. ibid. 31. Solane perpetua mærens carpere juventa? Propert. 3. 5. 3. Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro. Ovid. 2. Met. 781. Invidiâ carpit et carpitur unâ. Adde eumd. 3. ibid. 490. et 10. ibid. 370. Id. 3. Art. am. 690. Carpi curâ alicujus. Val. Flacc. 3. 364. ægro assidue mens carpitur æstu. Lucan. 9. 744. Ecce subit virus tacitum carpitque medullas Ignis edax. Sil. It. 15. 1. carpebat cura senatum. — d) Denique significat verbis lacerare, alterius existimationem imminuere, alicui detrahere: ad rem Cic. Balb. 26. 57. More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant, non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt. Id. 2. ad Q. fr. 3. 2. Nam is carpebatur a Bibulo, Curione, Favonio, Servilio filio. Cæs. 3. B. G. 17. Nostrorum militum vocibus nonnihil carpebatur. Liv. 45. 35. Paulum obtrectatio carpsit. Id. 44. 38. Carpere absentem. Id. 33. 31. decretum. Id. 7. 12. aliquem sermonibus. Cf. Justin. 12. 5. Indignabatur, carpi se sermonibus suorum. Adde et Plin. 1. Ep. 9. Catull. 62. 36. Carpere aliquem ficto questu. Phædr. 2. 8. 17. meliores. Ovid. 3. Pont. 1. 64. facta alicujus. Id. Rem. am. 361. libellos. Gran. Licinian. ed. Pertz p. 44. Nam (Sallustius) et tempora reprehendit sua et delicta carpit et convicia infert. Sueton. Aug. 27. aliquem maligno sermone. Id. Domit. 2. obliquis orationibus. Quintil. 11. 1. 24. carmina alterius. Id. 9. 4. 63. aliquem in aliqua re. — Aliter Cic. Cluent. 46. 129. In multorum peccato carpi paucos ad ignominiam — non oportet. h. e. ex multis paucos tantum excerpere et sortiri, qui accusentur; namque paullo ante dixerat: Te — carpes, ut velis, et paucos ex multis ad ignominiam sortiere?

CARPŎBALSĂMUM, i, n. 2. καρποβάλσαμον, fructus balsami arboris. Nam balsamum est aliquando ipsa arbor: καρπὸς autem fructum significat. Sic autem dicitur ipsum semen ejus arboris, de quo V. in BALSAMUM 1. Cels. 5. 23. n. 1. Sil, bdellium, carpobalsamum, semen papaveris albi, etc. — Vocem carpobalsamum primus jure Latii donavit Lindenius apud Cels. loc. cit. nullius codicis fretus auctoritate. Hinc Leon. Targa eam in utraque Celsi editione exulare toto Latio jussit, atque ita edidit: Sil, bdellium, balsami semen, piper album.

CARPŎPHYLLOS, καρπόφυλλος aut φυλλόκαρπος, genus lauri Alexandrinæ, quæ et hypelate, ita appellata, quia fructum fert in mediis foliis: a καρπὸς fructus, et φύλλον folium. Plin. 15. Hist. nat. 30. 39. (131). Cl. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 276.) hanc lauri Alexandrinæ exhibet synonymiam: Δάφνη Ἀλεξάνδρειη ἐπιφυλλόκαρπος Theophr. Hist. 1. 16. et 3. 17.; Δάφνη Ἀλεξάνδρεια Dioscor. 4. 147.; et Ἰδαία ῥίζα ejusd. 4. 44. sunt Ruscus Hypophyllum L. Spec. 1474. Et paullo post id. Fée hæc addit: « Carpophyllon. La fleur se trouvant attachée à la feuille, le fruit qui succède y est également fixe; de là le nom, fort convenable, de feuille fruit. — Hypelaten. Comme qui dirait sapin de la deuxième classe. On ne sait trop pourquoi ce surnom a été donné à l'hypophylle, car il n'a d'autre rapport avec les conifères que sa verdure éternelle ».

CARPTIM, adverb. (carpo) per frusta (It. a pezzi a pezzi; Fr. par pièces, en morceaux; Hisp. en piezas; Germ. in abgerissenen Stücken oder Partien; Angl. by detached parts).

I.) Proprie raro admodum occurrit. Colum. 9. R. R. 15. 12. Saligneus qualus suspenditur: in eum deinde carptim congeruntur favi. — Et de voce Plin. 18. Hist. nat. 35. 87. (363). Corvi singultu quodam latrantes, si continuabunt, ventos, si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem præsagient. h. e. interrupte et quasi per frusta.

II.) Translate. ¶ 1. Carptim est separatim, per partes, singulis partibus. Sall. Cat. 4. Statui res gestas populi Romani carptim, ut quæque memoria digna videbantur, perscribere. h. e., ait Forcellinus, non ipsam totam rerum seriem sequendo historiam scribere, sed habito hinc inde materiæ delectu, quæ maxime memoratu digna videbantur, persequi. Nonius tamen 11. 23. edit. veter. cum aliis strictim legit. Plin. 6. Ep. 22. Agere causam carptim et κατὰ κεφάλαια. h. e. non perpetua, sed interrupta ac veluti in partes divisa oratione pro variis rerum capitibus, quæ in ea exponuntur. Id. 8. ibid. 5. Non posse perinde carptim, ut contexta; perinde inchoata placere, ut effecta. Id. Paneg. 25. Carptim breviterque perstringere aliquid. Ammian. 16. 7. Itaque carptim ejus præcipua, quæ sunt comperta, monstrabo. Adde Sulpic. 1. Hist. sacr. 1. Huc referri potest et illud Plin. 8. Ep. 14. Carptim dicere. h. e. loqui per intervalla, qualis est oratio ejus, qui sæpe strepitu interrumpitur. ¶ 2. Ponitur etiam pro separatim, diversis temporibus. Liv. 38. 25. Edictum propositum, ut ad stipendium petendum convenirent Carthaginem, seu carptim partes, seu universi mallent. Tac. 4. Hist. 46. in fin. Quibus ætas et justa stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam; sed carptim ac singuli: quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur. ¶ 3. Item pro multis locis, seu multis partibus. Liv. 44. 41. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine et gravitate hastam cogas, confusa strue implicantur. Id. 22. 16. Carptim lacessere hostem. Sueton. Domit. 9. Subseciva, quæ divisis per veteranos agris carptim superfuerunt.

CARPTOR, ōris, m. 3. qui carpit. Occurrit translate tantum, et est ¶ 1. Qui cibos in mensa carpit, et convivis distribuit, qui etiam structor dicitur. Juvenal. 9. 109. librarius, archimagiri, Carptores. ¶ 2. Item qui carpit, et obtrectat. Usus est Lævius, qui vituperones suos subducti supercilii carptores appellavit, ut narrat Gell. 19. 7. in fin. Putat Voss. l. 4. Institut. orator. c. 1. n. 8. ita legendum esse hoc loco, quasi ex tribus vocibus una facta sit, subductisupercilicarptores, quia Gell. eam refert inter ea, quæ Lævius multiplicia ludens composuit.

CARPTŪRA, æ, f. 1. actus carpendi. Varro 3. R. R. 16. 26. Nec non etiam aliud discrimen sequuntur in carptura, etc. Loquitur de apibus cibum carpentibus.

CARPTUS, a, um. V. CARPO.

CARPTUS, us, m. 4. Plin. 24. Hist. nat. 10. 47. (79). Flos cujuscumque generis trium digitorum carptu. h. e. quantum tribus digitis carpi potest. Harduin. edidit captu; quæ lectio, a Sillig etiam retenta, præferenda est.

CARPUM, i, n. 2. fœnum Græcum. Colum. 12. R. R. 51. 2. Condimenta hæc sunt, carpum, cyminum, etc. Alii, inter quos Schneider, rectius leg. careum. V. CAREUM.

CARPUS, i, m. 2. καρπός, pars brachii extrema, quæ cum manu jungitur. Cels. 8. 1. primam palmæ partem vocat. Porro carpum sunt qui eidem tribuunt

3. 6. *ante med.* Ejus carpo manum admovere. Sed *Morgagnus* docet legendum *corpori*, et *carpum* Latinam vocem non esse: et *Leon. Targa* in secunda editione monet, *Constantinum* margini adscripsisse *carpo, aut thoraci*: et *Lindenium* pro emendatione accepisse, itaque edidisse. — Fatendum tamen est, *Carpus* fuisse nomen servile apud Romanos, cum in *Inscriptionibus* apud *Gruter.* sæpe hujusmodi nomen occurrat, quod etiam cognomen fuit Q. Hortensii apud *Fabrett. p.* 332. *n.* 495.; atque ita etiam nominatum fuisse servum, qui alias carptor dictus fuit. *V.* CARPO II. 2. et CARPTOR 1.

CARPUSCŬLUS. *V.* CARPISCULUS.

CARRĂCŪTĬUM, ii, n. 2. *Isid.* 20. *Orig.* 12. 3. Carracutium vehiculum altissimarum rotarum, quasi carrum acutum. *Scheffer.* tamen *de re vehic. l.* 1. *c.* 27. hæc posteriora verba, etymon continentia, absurditatis postulat.

CARRĀGO, ginis, f. 3. ¶ 1. Proprie et stricto sensu est munimentum ex carris atque impedimentis exercitus factum. *Trebell. Gallien.* 13. Scythæ, facta carragine, per montem Gessacem fugere sunt conati. *Ammian.* 31. 7. *de Gothis.* Ad carraginem (quam ita ipsi appellant) aliti velocitate regressæ. *Veget.* 3. *Milit.* 10. Omnes barbari carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum, securas a superventibus exigunt noctes. ¶ 2. Significat etiam ipsam carrorum vim et cetera impedimenta exercitus. *Claudius Imper. in quadam epist.* apud *Trebell. in ejus Vita* 8. Ingens carrago deserta est. Adde ipsum *Trebell. ibid.* et *Aurelian. Imper.* apud *Vopisc. in ejus Vita* 11.

CARRŎBĂLISTA *vel* carroballista, æ, f. 1. ballistæ genus carro impositum, ut transferri facile possit. Est autem ceteris ballistis major, et longius ac vehementius spicula dirigit. *Veget.* 2. *Milit.* 25. et 3. *ibid.* 14.

CARRŎCO, ōnis, m. 3. genus piscis marini. *Auson.* 4. *Ep.* 57. referuntur ab unda Carroco, lethalisque trygon, mollesque platessæ. *Alii leg.* corroco.

CARRŪCA, æ, f. 1. Legitur et *carrucha* cum aspiratione, atque ita ex *Pandect. Florentin.* edidit *Torrentin.*, fortasse quia καρούχα apud *Hesych.* habetur. Frequentius tamen sine aspiratione invenitur. — Ceterum *carruca* est genus vehiculi, tum in Urbe, tum extra in itineribus adhibiti, et non solum a viris præsertim honoratioribus, sed etiam a feminis. Quidam apud *Scheffer. de re vehic. l.* 2. *c.* 27. docent, quatuor rotas habuisse, et fuisse undique contectum. Quatuor habuisse rotas confirmavit nuper *W. A. Becker's Gall.* 3. p. 12. et *seqq.*, quem hac de re consule. Diversum a *carpento* facit *Acron Scholiast. Horat.* ad 1. *Sat.* 6. 104.; sed qui fuit antiquioribus carpentorum usus, idem certe postea carrucarum fuit. V. *Scheffer. loc. cit.*, ubi multa hac de re (It. *carrozza, cocchio*; Fr. *char ou carrosse*; Hisp. *coche, carroza*; Germ. *Staats-und Reisewagen, Carrosse*; Angl. *a caroche, calash*). *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 40. (140). Carrucas ex argento cælare. *Sueton. Ner.* 30. Numquam carrucis minus mille fecisse iter traditur. *Martial.* 3. 62. Carruca aurea. Adde *eumd.* 12. 24. *Ammian.* 14. 6. Alii summum decus in carrucis solito altioribus et ambitioso vestium cultu ponentes. Adde *Dig.* 13. 6. 17. § 4.; *Cod. Theod.* 14. 12. 1.; et *Inscript.* apud *Orell.* 4131. — Ceterum *carruca* dicitur etiam ipsa rheda, vel quodcumque aliud vehiculum itineri faciendo aptum. Nam *Martial.* 3. 47. cum *v.* 5. *rhedam* nominasset, eamdem postea *v.* 13. *carrucam* appellat: et *Lamprid. Elagab.* 31. quæ primo *vehicula*, mox eadem *carrucas* dicit. *Id. Alex. Sev.* 43. Carrucas Romæ et rhedas senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis senatores vectarentur. *Vopisc. Aurelian.* 46. Dedit potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent; cum antea ærata et eborata vehicula fuissent. V. *Inscript.* apud *Orell.* 4121. *et* 1924. Porro de schola carrucarum V. *Zirardini* ad *Leg. Nov.* p. 451. — Quam vero *Scævola* appellat *carrucam dormitoriam*, videtur esse lecticæ vel lecticæ similis. Ejus verba sunt *Dig.* 34. 2. 13. Carruca dormitoria cum mulis, qua semper uxor usa est. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

CARRŪCĀRĬUS *vel* carrucharius, a, um, adject. ad carrucam pertinens. *Ulp. Dig.* 21. 1. 38. § 8. Mulæ carrucariæ. *Capitolin. Maxim. jun.* 4. Mulio carrucarius. — Hinc

Carrucarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui carrucam regit. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. pr. Si cisiarius, idest carrucarius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, etc. Ita legitur in quibusdam libris, etiam *Torrentini.* Sed illa verba, *idest carrucarius*; videntur esse glossema. Carruca enim est vehiculum quatuor, cisium duarum rotarum. Certe ab *Haloandro* omissa sunt.

CARRŬLUS, li, m. 2. *deminut. a* carrus, parvus carrus. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. § 15. Carrulorum vecturas vel sui, vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium recte imputabit.

CARRUM, i, n. 2. *et sæpius*

CARRUS, i, m. 2. κάῤῥον, genus vehiculi, quatuor rotas habentis, oneribus vehendis aptum (It. *carro, carretta*; Fr. *char, fourgon*; Hisp. *carro*; Germ. *Wagen oder Karren*; Angl. *a car, cart, waggon*). Occurrit — *a)* Fere masculino genere. *Sisenna* apud *Non. p.* 195. 29. *Merc.* Impedimenta collocant omnia, construunt carros, et sarraca crebra disponunt. Adde *Varron.* apud *eumd. Non. loc. cit. Cæs.* 1. *B. G.* 26. Ad impedimenta et carros suos se contulerunt. *Et ibid.* Pro vallo carros objecerant. *Et ibid.* 3. Jumentorum et carrorum quam maximum numerum coemere. Adde *eumd. ibid.* 6.; *Liv.* 10. 28.; *Cod. Theod.* 8. 5. 47. *pr.*; *Veget.* 3. *Milit.* 10.; et *Vulgat. Interpr. Esai.* 66. 20. — *b)* Raro neutro genere. *Auct. B. Hisp.* 6. Per viarum angustias carra complura multasque balistas retraxit. Addit *Non. ibid.* consuetudinem esse, ut neutro genere usurpetur. Sed de sua ætate loquitur. Adde *Isid.* 20. *Orig.* 12. 1.

CARTA, **CARTARIUS**, etc. *V.* CHARTA, CHARTARIUS, etc.

CARTALLUS, i, m. 2. κάρταλλος, fiscella, corbis. *Vulgat. interpr. Deuteron.* 26. 2. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. *Et ibid. v.* 4. Suscipiens sacerdos cartallum de manu tua. *Id. Jerem.* 6. 9. Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel: converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum.

CARTHĒGON. *V.* CRATÆGUM.

CARTHĪNA, æ, f. 1. et inde *Carthinatius*, vel *Carthinacius*, ii, sunt duæ voces, quæ agnoscuntur tamquam Latinæ a *Priscian.* 4. *sub fin.* p. 635. ed. *Putsch.* Quam lectionem exhibent et *Aldus* 1527. et alii. Sed editio a. 1485. habet *carchina, carchinacius*: et in MSS. cod. sæc. XIV. legitur *chartina, chartinatius.* Hanc postremam lectionem quidam amplectuntur, et *chartinam*, idem esse quod *chartam*, *chartinatium* idem quod *chartaceum* putant. Ita enim locutos esse veteres, adnotatum est *in Thes. Basil. Fabri* a. 1717.

CARTĬBŬLUM, i, n. 2. vinaria mensa lapidea, quadrata, oblonga, una columella: quæ apud multos in ædibus ad compluvium ponebatur, et in ea, et cum ea ænea vasa. Prius dicta est *gertibulum*, a gerendo, postea *cartibulum.* Hæc *Varro* 5. *L. L.* 125. *Müll.* V. *Mus. Borbon. T.* 9. *tav.* 21. *p.* 2.

CARTĬLĀGĬNEUS, a, um, adject. cartilagine constans. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). Animalia cartilaginea. *h. e.* pisces, qui pro spina cartilaginem habent. *Id.* 19. *ibid.* 5. 22. (64). Cartilaginei generis, extraque terram est cucumis. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 37. 87. (215).

CARTĬLĀGĬNŌSUS, a, um, adject. cartilagineus. *Cels.* 8. 1. Radius in caput cartilaginosum consurgens. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 56. (126). Galbanum cartilaginosum minimeque lignosum.

CARTĬLĀGO, inis, f. 3. ¶ 1. Proprie est pars corporis mediæ naturæ inter carnem et ossa, qualis est in auribus, naribus, extremitatibus costarum, operculis ossium, quæ moventur (It. *cartilagine*; Fr. *cartilage*; Hisp. *ternilla*; Germ. *d. Knorpel*; Angl. *a cartilage, gristle*). *Cels.* 8. 1. Illud ignorari non oportet, plurima ossa in cartilaginem desinere, nullum articulum non sic finiri. *Id. ibid.* 5. Cartilago narium. *Id. ibid.* 6. auris. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 87. (215). rupta non solidescit. ¶ 2. Per similitudinem dicitur etiam ea plantarum pars mediæ naturæ inter ipsarum plantarum carnem et lignum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 34. (116). Carne placent palmæ, succo uvæ, callo pira, mora cartilagine. *Id.* 16. *ibid.* 36. 64. (157). Nostratibus arundinibus fungosior subest natura, cartilagine bibula, quæ superne tenui inarescit ligno. *Id.* 19. *ibid.* 5. 26. (75). Cortice et cartilagine constant raphani. *Et ibid.* 4. 22. (61). Cucumis cartilago.

CĀRUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* caro, parva caro. *Cic.* 2. *Divinat.* 24. 52. An tu, inquit, caruncula vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere? Adde *Cels.* 2. 7. et 8. 4. *circ. med.*; et *Val. Max.* 3. 7. 6. *extern.*

CĀRUS *vel* charus, a, um, adject. Comp. *Carior* et Sup. *Carissimus* in omnibus paragraphis. — Ratione habita scriptionis, *charus* nulla antiqua auctoritate firmatur. *Karus* vero sæpe occurrit in *Inscript.* apud *Orell.* 1175., 2417., 4058., 4618., 4623. etc. Ceterum de orthographia *V.* plura in CARITAS. — Ratione habita etymi vox conjungi potest cum Gr. χάρις *gratia*, et cum antiq. Germ. *her, hehr.* — Itaque *carus* est qui nimio pretio emitur, cui *vilis* opponitur (It. *caro, di caro prezzo, prezioso*; Fr. *cher, d'un prix élevé, coûteux, précieux*; Hisp. *caro, subido de precio, costoso*; Germ. *theuer, werth*; Angl. *dear, precious, costly*). Usurpatur ¶ 1. De materiali, seu mercatorio rerum pretio, et occurrit — *a)* Absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 3. Venio ad macellum: rogito pisces: indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia: atque eo fuerunt cariora; æs non erat. *Id. Capt.* 3. 1. 35. Annona cara. Adde *eumd. Stich.* 4. 2. 53. et *Ter. Andr.* 4. 4. 7. Cf. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 59. Putarem annonam in macello cariorem fore. *Id. Dom.* 6. 14. Illo ipso die carissimam annonam necopinata vilitas consecuta est. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 59. Fateor me esse cocum carissimum: verum pro pretio facio ut opera appareat. *Ter. Eun.* 5. 4. 5. Amor carissimus. *Plin.* 33. *Hist. nat. proœm.* 2. (4). Aurum et argentum cælando cariora facere. *Justin.* 16. 4. Facere pretium alicujus rei carius. Adde *Cod. Theod.* 14. 4. 2. — *b)* Addito Ablat. pretii. *Cato* apud *Senecam Ep.* 94. Quod non opus est, asse carum est. *Plaut. Pers.* 4. 4. 116. Non edepol minis trecentis carast: fecisti lucri. ¶ 2. De morali alicujus personæ aut rei pretio vel existimatione: quin tamen a prima illa significatione ita distinguendum sit, ut illa *carus*, hæc autem *charus* scribatur, quod nonnulli philologi etiam veteres perperam contenderunt: præterquam enim ipsa per se res innotescit, clarius etiam apparet ex additis relativis. Sic apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 74. CH. Megalobuli filius, qui nunc in Epheso est Ephesiis carissimus. NI. Ne ille hercle mihi sit multo tanto carior (*h. e.* damnosior, sumptuosior, per amphiboliam), si me illoc auro tanto circumduxerit. Cf. *eumd. Men.* 1. 1. 29. *Catull.* 104. 3. Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro, Quod te restituis, Lesbia, mi cupido. Adde *Tibull.* 1. 9. 31. Cf. *Lucret.* 1. 729. *de Sicilia, quæ Empedoclis patria fuit.* Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se, Nec sanctum magis et mirum carumque videtur. *h. e.* pluris faciendum. Itaque *carus* dicitur et est qui magni fit vel ducitur, adeoque amatus, dilectus: ad rem *Cic.* 1. *Nat. D.* 44. 122. Carum ipsum, verbum est amoris: ex quo amicitiæ nomen est ductum. Hoc autem sensu usurpatur absolute aut cum Dativo personæ, cui quis carus est; et occurrit — *a)* De personis. *Plaut. Men.* 2. 1. 20. Ego illum scio, quam carus cordi sit meo. Adde *eumd. Epid.* 1. 2. 30. *Ter. Eun.* 1. 2. 146. Neque meo cordi esse quemquam cariorem Phædria. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 15. Cum apud me viderem homines mihi carissimos atque amicissimos. *Id.* 1. *Off.* 17. 57. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est. *Ter. Andr.* 1. 5. 38.; *Cic.* 1. *Fam.* 7. 10., *Balb.* 26. 59. et 9. *Att.* 7. *B.* § 3.; *Nepos Att.* 10.; et *Quintil.* 5. 10. 74. Carum, cariorem, carissimum habere aliquem. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 53. Diligi et carum esse, jucundum est. *Id.* 2. *Fam.* 16. 5.; *Nepos Att.* 1., 2. et 3.; et *Afranius* apud *Quintil.* 9. 2. 34. Carum, cariorem, carissimum esse alicui. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 11. Homo populo Romano carus atque jucundus. *Id. Cluent.* 71. 202. Carus plurimis mortalibus. *Id.* 3. *Fin.* 20. 66. dis immortalibus. *Cic.* 5. *Fin.* 10. 29. sibi. *Liv.* 1. 13. Cariorem alicui aliquem facere. *Virg.* 12. *Æn.* 639. quo non superat mihi carior alter. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 29. Carus sibi, patriæ. *Id.* 1. *Sat.* 6. 70. amicis. *Curt.* 6. 8. Carus in paucis. — Porro jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat.* 4. *Od.* 9. 51. amici. *Catull.* 68. 120. et *Virg.* 2. *Æn.* 707. et 4. *ibid.* 354. caput. *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 21. et 11. *Met.* 727. conjux. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 3. frater carissimus atque amantissimus. *Virg.* 10. *Æn.* 789. et *Ovid.* 2. *Met.* 640. genitor carus. *Virg.* 1. *Æn.* 693. genitrix. *Ovid. Heroid.* 12. 112. mater. *Virg.*

5. Æn. 725. natus. Ovid. 2. Met. 222. natæ. Catull. 64. 320.; Virg. 6. Æn. 682. et Ovid. 3. Met. 134. nepotes. Sil. It. 13. 624. parens. Lucret. 3. 85. parentes. Virg. 2. Æn. 707. pater. Ovid. 3. Fast. 218. pignora. Horat. 1. Sat. 1. 83. propinqui. — b) De rebus et de abstractis. Ter. Phorm. 2. 2. 30. Hæc cum rationem ineas quam sint suavia et quam cara sint. Adde eumd. Eun. 2. 1. 5. et Adelph. 1. 1. 24. Cic. 1. Off. 17. 57. Omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica est unicuique nostrum. Id. 1. Orat. 5. 19. Quorum gloria et dignitas nobis cara est. Antonius apud Cic. 10. Att. 8. A. § 1. Quibus mehercule dignitas amplitudoque tua pæne carior est, quam tibi ipsi. Sall. Jug. 15. Quibus bonum et æquum divitiis carius erat. Id. 16. Paucis carior fides, quam pecunia fuit. Adde eumd. ibid. 22. et Cat. 25.; Nepot. Att. 15. et Tac. 1. Ann. 67. Catull. 64. 87. Caræ Athenæ. Horat. 2. Sat. 2. 104. patria. Propert. 3. 2. 13. carmina cara legenti. Ovid. 9. Met. 740. amplexus. Id. 2. Trist. 484. res. Id. 14. Met. 112. simulacra. — c) Vitâ carior, me ipso carior, oculis carior, auro carior, luce carior dicitur qui maxime carissimus est. Cic. 1. Cat. 11. 27., post redit. ad Quir. 1. 2. et Sext. 20. 45. Vitâ meâ carior. Id. 10. Att. 11. 1. Omnes suos carus habet; me quidem se ipso cariorem. Cf. Catull. 68. 159. et Ovid. 13. Met. 405. Id. Ovid. 5. Trist. 14. 2. O mihi me conjux carior. Catull. 82. 2. et 104. 2., et Tibull. 1. 9. 31. Oculis, auro carior. Claudian. B. Get. 308. Luce carior. — d) Dis carus dicitur, qui in aliqua re felix est. Horat. 1. Od. 31. 13. Dis carus ipsis: quippe ter et quater Auro revisens æquor Atlanticum Impune. — Hinc

Cari, ōrum, m. plur. 2., absolute, substantivorum more, dicuntur qui nobis dilecti sunt, propinqui, cognati et præcipue liberi. Plaut. Men. 1. 1. 29. Domi domitus fui usque cum caris meis. Adde Caton. dist. 1. 35. Lactant. 6. 12. Cum sciat se caros suos Deo relinquere. Auson. parental. præfat. 1. Nomina carorum jam condita funere justo. Id. ibid. in præfat. prosaic. Carorum meorum obitus tristi affectione commemoro. — NB. De nom. propr. V. ONOM.

CĂRŸĀTIS, ĭdis, f. 3. Καρυᾶτις, quæ est ex Carya Peloponnesi urbe. V. ONOM. — Hinc ab architectis

Caryatides dictæ sunt statuæ muliebri forma in ædificiis publicis collocatæ oneri ferendo. Carya enim civitas Peloponnesi cum Persis contra Græciam consensit. Græci bello Persico per victoriam liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Urbe capta et deleta, viris interfectis, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere, ut non uno triumpho ducerentur, sed viderentur æterno servitutis exemplo gravi contumelia pressæ pœnas pendere pro civitate: denique voluerunt, ut earum imagines ad ignominiam sempiternam in publicis ædificiis oneri ferendo collocarentur. Ita narrat Vitruv. 1. 1. 5. Schneid. Jo. Bapt. Finati in Mus. Borbon. T. 10. tab. 59. p. 7. respuit hujusmodi Caryatidum historiam ab uno Vitruvio ex veteribus fortasse Græcis Latinisve scriptoribus narratam. At consulendus est L. Preller in Ann. dell' Instit. Archeol. a. 1843. p. 396-406. qui putat, Vitruvium deceptum fuisse, et Caryatas quidem Arcadiæ a Lacedæmoniis defecisse in bello contra Tegeates, hinc vero factum, ut Lacedæmonii Caryatarum mulieres pro columnis in suis ædificiis repræsentarent.

CĂRŸA, æ, f. 1. V. voc. seq.

CĂRŸĀTĬUM, ii, n. 2. Lactant. ad Stat. 4. Theb. 225. Caryæ templum Dianæ in Laconia sacrum, quod etiam Caryatium nominatum est ex hac causa. Cum luderent virgines, meditatus ruinam omnis chorus in arborem nucis fugit, et in ramo ejus pependit, quam nucem Græci caryan vocant. Ergo de arbore et templum et dea nomen accepit.

CĂRŸĪNOS, on, vel căryīnus, um, adject. καρύϊνος. Caryinum oleum dicitur, quod e nuce juglande fit: nam κάρυα nucem significat. Plin. 15. Hist. nat. 7. 7. (28). et 23. ibid. 4. 45. (88). Cf. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 219.) hæc ait: «Cette huile de noix est retirée des fruits de noyer Juglans regia L. C'est une huile fixe, dont les usages économiques sont encore assez répandus dans plusieurs contrées de l'Europe».

CĂRŸĪTES, æ, m. 1. καρυΐτης, species tithymali, cujus fructus nux appellatur: a κάρυα nux. Plin. 26. Hist. nat. 8. 40. (66).

CĂRŸON, ii, n. 2. κάρυον, nux juglans, Græca appellatione. Plin. 15. Hist. nat. 22. 24. (87). docet, ita dici nuces a Græcis, a capitis gravedine, propter odoris gravitatem. Nam κάρη caput, κάρος soporem veternumque significat.

CĂRŸŎPHYLLON. V. GARYOPHYLLON.

CĂRŸŌTA, æ, f. 1. et raro (hoc est apud Martial. 11. 31. et Stat. 1. Silv. 6. 20.)

CĂRŸŌTIS, ĭdis, f. 3. καρυῶτις, καρυωτίς, fructus palmæ, qui et palmula Latine dicitur. Plin. 13. Hist. nat. 4. 9. (49)., ubi multa de hoc fructu disputat, docet, vinum etiam ex eo in oriente fieri, sed capiti inimicum, unde et pomo ipsi nomen factum, nempe a κάρος gravedo capitis. Aptius tamen duxeris a κάρυον, quod nucem significat. Cum enim palmularum non unum sit genus, eæ caryotæ sunt appellatæ, quæ majores erant, et magis ad nucum similitudinem accedentes. Hinc Cæl. Aurel. 2. Acut. 37. palmulas nucales vocat. Cf. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 74.) prius etymon hisce verbis confirmat: «Ce mot de caryote signifie qui rend la tête lourde et stupide, de κάρη tête et de ὕσδια stupidité; cela ne s'entend pas du fruit, mais du vin qu'on en obtient par fermentation». Varro 2. R. R. 1. 27. Non scitis palmulas (lege palmas) caryotas in Syria parere, in Italia non posse? Scribon. Compos. 74. Caryotarum recentium pulpæ mediæ detracta exteriore cute, interioribusque venis. Plin. 15. Hist. nat. 28. 34. (116). Carne palmæ placent, crusta Thebaicæ, succo uvæ et caryotæ. Id. 19. ibid. 5. 29. (91). Inula mixta pinguibus caryotis. Martial. 11. 31. Et notas caryotidas theatris. h. e. quæ populo in theatris spargi solebant, præsertim diebus Saturnalibus: quod confirmatur etiam ex illo Statii 1. Silv. 6. 19. et latente palma Prægnantes caryotides cadebant. Adde Plin. 1. Ep. 7. — Mos fuit Romæ, ut calendis Januar. pauperiores clientes mitterent patronis et dominis suis caryotas pro munere, vel ramum palmæ caryotis plenum: qui solebant etiam aurea vel argentea spuma, vel bractea tenuissima obducere, ut magis eo ornamento commendarentur. Martial. 13. 27. cujus lemma est Spathalion caryotarum. Aurea porrigitur Jani caryota calendis: Sed tamen hoc munus pauperis esse solet. Id. 8. 33. Hoc linitur sputo Jani caryota calendis, Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

CĂSA, æ, f. 1. domus vilis, tugurium, mapale, ædes deteriores et male constructæ: cujusmodi sunt, quas rustici et pauperes habitant, et quas ita describit Seneca Ep. 90. ante med. Furcæ utrimque suspensæ fulciebant casam: spissatis ramalibus ac fronde congesta et in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere securi. Culmus liberos texit: sub marmore atque auro servitus habitat. (It. capanna, casuccia; Fr. hutte, chaumière, cabane; Hisp. barraca, cabaña, casilla rustica; Germ. Hütte, kleines, ländliches, ärmliches Obdach oder Haus; Angl. a cottage, or cabin, of turf, straw, leaves). Occurrit — a) Generatim. Cic. 5. Tusc. 34. 97. Ptolemæo peragranti Ægyptum comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus est. Adde Lucret. 5. 1009. et 6. 1253., et Varron. 2. R. R. 10. 6. Cæs. 5. B. G. 41. Casæ stramentis tectæ. Vitruv. 2. 1. 2. Schneid. Non casas, sed etiam domos perficere cœperunt. Id. 2. 1. 5. Casa Romuli. h. e. spelunca paleis contecta in clivo Capitolino: cf. Senec. ad Helv. 9. ibique Interpp.; et Lactant., qui ait 5. 16. Romanis, si justi esse velint, hoc est si aliena restituant, ad casas esse redeundum. Virg. 2. Ecl. 29. humiles habitare casas. Adde Liv. 2. 53. in fin.; Tibull. 2. 1. 24., et Ovid. 3. Fast. 528. Plin. 7. Hist. nat. 2. 2. (27). Pygmæorum casas luto pennisque et ovorum putaminibus construi. Id. 30. ibid. 10. 27. (89). Casæ fissis arundinibus textæ. Quintil. 2. 17. 10. Facere casas sine arte. Petron. Satyr. 115. Casam piscatoriam subire. Martial. 12. 66. Et casa divitiis ambitiosa latet. h. e. ædes deteriores et male constructæ. — b) Speciatim ponitur aliquando pro villa, in quam agri fructus convehuntur. Martial. 6. 43. Me Nomentani confirmant otia ruris Et casa jugeribus non onerosa suis. Cic. quoque 16. Fam. 18. 2. casam in horto appellat, in quam convehuntur ipsius horti fructus, vel in qua olitor habitat. — c) Item speciatim Veget. 2. Milit. 10. appellat casas, quas ex assibus, frondibus, aut alia materia milites pro tentoriis et papilionibus ædificant. Sic Auct. B. Hisp. 16. Casæ, quæ stramenticiæ a nostris hibernorum causa ædificatæ erant. — d) Per similitudinem et nidus volucrum casa appellatur ab Auct. Pervigil. Ven. 5. Amorum copulatrix inter umbras arborum implicat casas virentes de flagello myrteo. — e) Casæ litterarum apud Auctores rei Agrariæ sunt agri, et fundi litteris designati, quibus litteris ii auctoritatem, hoc est significationem dederunt secundum artificium agrimensuræ, et secundum notas juris Agrimensorii. V. Innocent. apud Goes. — Hinc casam absolute pro fundo, possessione reperies apud Cassiod. 5. Variar. epist. 14. V. Goes. ad Auct. agr. in Ind. sub Casa. V. FULGERITA. — f) Ita fugias, ne præter casam, proverbium apud Ter. Phorm. 5. 2. 3., ubi Donatus: h. e. ne prætereas casam tuam, quæ sit tibi tutissimum receptaculum. Vel ita fugias, ne præter casam, ubi custodiri magis et prehendi fur et mulcari verberibus potest. Vel verbum erat ipsius custodis furem exagitantis, et interea prohibentis, ne ante casam transeat, ne in prætereundo etiam inde aliquid rapiat. Queritur senex, se, dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse. Hæc Donat. Primam interpretationem quidam probant, ut Erasm. in Adag. Nonnulli enim ardore fugiendi, etiam ea prætereunt, ubi tuto poterant conquiescere. Monemur itaque, ne domum fugiendo prætereamus, quia in ea præsidium in periculis habere possumus: et sententia est, non sic aliquod malum fugiendum, ut in pejus incidas. Aliis placet secunda; in his Gronovio l. 3. Observat. c. 9., ubi ait, ductum videri proverbium a servis, qui de ergastulo fugiunt, (quod indicat vox casa) qui monentur procul a casa domini fugam occipere, puta ex ultimis agri partibus, neque ante eam transire, ne rursus capti, dum servitutem et compedes evadere nituntur, in furcam, stigmata et crurifragium incurrant. Quod propius ad Terentii mentem accedit, apud quem senex se ipsum increpat, qui metu calumniæ et falsarum litium illum, a quo injuria affectus erat, pecunia donaverit. Tertia Donati interpretatio longius petita videtur, minusque probabilis. Sunt qui ex MSS. quibusdam et editionib. leg. præter causam: qua lectione et proverbii ratio corruit, et fortasse obscurior fit sensus. — g) Scelera non intrant casas, aliud proverb. apud Senec. Thyest. 451., quo significatur, in paupere fortuna innocentiam ac virtutem sæpius coli, quam in magna. — h) Denique ædificare casas ludus erat puerorum, cujus meminit Horat. 2. Sat. 3. 247. Ædificare casas, plostello adjungere mures.

CĂSĀBUNDUS, a, um, adject. Apud Paul. Diac. et Varron. locis infra citatis legitur cassabundus: sed emendavit Scalig. alterum s tollendo. — Casabundus est qui crebro cadit, aut nutat, teste Paul. Diac. p. 48. 4. Müll. Cassabundus crebro cadens. Nævius apud Varron. 7. L. L. 53. Müll. Risi egomet mecum cassabundum ire ebrium. Macrob. 5. Saturn. 21. in fin. Herculem vero fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt, et nonnumquam cassabundum et ebrium. Al. leg. quassabundum.

CĂSĀLIS, le, adject. ad casas pertinens in re Agraria. Casalia sunt fines, limites, vel rigores, qui casas, hoc est agros et fundos finiunt. Casalis est terminus in casali positus. V. Auct. rei Agrar. apud Goes. p. 225. Sed hæc cadentis, vel potius jam prolapsæ Latinitatis sunt.

CĂSĀNĬCUS, a, um, adject. ad casam pertinens, domesticus. Inscript. apud De Vita Antiq. Benev. p. IV. n. 18., quæ rectius exhibetur ab Orell. 1600. PRO SALVTE ET REDITV L. TVRSELI MAXIMI L. TVRSELIVS RESTVTVS L. (h. e. libertus) SILVANO CASANICO VOT. LIB. SOLVIT. V. SILVANUS in ONOM.

CĂSANS, antis. V. CASO.

CĂSĀRĬA, æ, f. 1. Paul. Diac. p. 48. 5. Müll. Casaria, quæ custodit casam.

CĂSĀRĬUS, ii, m. 2. rusticus, qui in casa habitat, agri colendi causa. Impp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod. 9. 42. 7. V. CENSUARII.

CASCĒ, adverb. (cascus) prisco more. Gell. 1. 10. in lemmate. Adolescens casce nimis et vetuste loquens. — An vero illa capitum lemmata ipsius Gellii sint, an Avieni, qui eum recensuisse dicitur, dubitant eruditi. Jac. Gronov. et Falster. Gellio attribuunt. V. Fabric. Bibliothec. Lat. vol. 3. l. 3. cap. 1. V. CASCUS.

CASCINUM forum est forum vetus, et Cascinum oppidum vetus oppidum, a cascus, a, um. Varro 6. L. L. 3., ubi al. leg. Cassinum. Hucusque Forcellinus. At in Mülleri editione Varron. 7. L. L. 29. legitur oppidum et forum Casinum; quæ tamen vox ab eodem etymo, a quo cascus, derivari videtur.

CASCUS, a, um, adject. Hujus vocis origo Sabina est, quæ usque radices in Oscam linguam egit, ut *Varro* 7. *L. L.* 28. *Müll.* docet. Cascus autem est priscus, antiquus, senex. *Ennius* apud *Varron. loc. cit.* Quam prisci casci populi tenuere Latini. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 27. Priscis illis, quos cascos appellat Ennius. *Carmen Priami* apud *Varron. loc. cit.* Veteres Casmenas cascam rem volo profari Et Priamum. *Manilius ibid.* Cascum duxisse cascam non mirabile est, Quoniam Caron eas conficiebat nuptias. Adde *Varron.* 10. *ibid.* 73. *Auson.* 22. *Ep.* 27. Cascum sal. *Paul. Diac.* p. 47. 11. *Müll.* Cascum antiquum.

CASEALE, is, n. 3. locus, in quo fit, aut servatur caseus. *Colum.* 2. *R. R.* 15. Culina, et caseale quotidie debent emundari. — *Pontedera* in *Antiquit. Lat.* et *Græc.* p. 496. vulgatum *caseale* aperte vitiosum ex *Cod. Lipsiensi* corrigi jussit; quicum sentit *Schneiderus*: nam hoc in loco sermo est de pecudum stercore, non de caseo conficiendo. Itaque reponendum putant *caprile* pro *caseale*, quod sane fecit in sua editione *Schneiderus*; hac præcipue de causa, quod idem *Colum.* 7. *R. R.* 6. jubet caprile quotidie converrere. Vides igitur, vocem hanc e Latino lexico convellendam omnino esse ac repudiandam.

CĀSEĀRĬUS, a, um, adject. ad caseum pertinens. *Ulp. Dig.* 8. 5. 8. § 5. Respondit non putare se, ex taberna casearia fumum in superiora ædificia immitti posse. *taberna casearia* est, in qua caseus curatur, et maligno ligni, vel culmi fumo coloratur, ut est apud *Colum.* 7. *R. R.* 8. *in fin.* Græce τυροχομεῖον.

CĀSEĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *caseo*, caseo admixtus. *Apul. sub init.* 1. *Met.* Polentæ caseatæ offula. *Hieronym. Ep.* 66. *n.* 10. Puer, qui inter caseatos nutritus est montes. *h. e.* montes, in quibus fit caseus. Alludit, opinor, ad illud *Psalm.* 67. 17. Mons coagulatus, mons pinguis, *etc.* Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

CĀSELLULA, æ, f. 1. *deminut. dupl. a* casa, parva casa. *Ennod.* 8. *Ep.* 29. Ut de casellulis ipsius, ordinatione vestra, dum ab eis fisci onera derivantur, ad præfatæ (*Camillæ*) alimenta sufficiant.

CĀSEŎLUS, li, m. 2. *deminut. a* caseus, parvus caseus. *Virg. Cop.* 17. Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat. *V.* CAIOLUS.

CĀSEUM, i, n. 2. idem quod caseus. *Cato R. R.* 76. 3. *Schneid.* Ubi omne caseum bene siccaveris. Adde *eumd. ibid.* § 4. Ita legitur in edit. *Commelin.*, *Meurs.* et *Gryph.*, quamquam *Jensoniana* a. 1472. et *Aldina* 1514. habent *omnem*. *Schneider.* neutr. gen. *caseum omne* retinuit, hanc enim ut antiquiorem formam ex *Nonio* defendit *Barth. Advers.* 24. 1. et *Meursius*. *Plautus* apud *Non.* p. 200. 11. *Merc.* Parasito cum virgis caseum radi potest. *Novius* apud *eumd. Non. loc. cit.* Sardeis veniens caseum.

CĀSEUS, i, m. 2. Putat *Varro* 5. *L. L.* 108. et 6. *ibid.* 43. *Müll.* dici caseum quasi *coaxeum* a coacto lacte. *Paul. Diac.* p. 48. 2. *Müll.* a *coeundo* derivat. Sed hæc flocci facienda. — De antiquiore forma *V.* CASEUM suo loco. — Caseus est lac coactum et formis pressum; item ipsa casei pressi forma (It. *cacio*, *formaggio*; Fr. *fromage*; Hisp. *queso*; Germ. *Käse*; Angl. *cheese*). Occurrit — *a*) Generatim. Varia casei genera enumerat *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (240). et seqq. Ejus vero conficiendi et servandi rationem tradunt *Varro*, *Colum.* et *Pallad. loc.* infra *citt.* *Plaut. Capt.* 4. 2. 71. Mollis caseus. *Lucilius* apud *Charis.* p. 60. *Putsch.* Caseus allium olet. Ita ex lect. *Lindemann. Cic. Senect.* 16. 56. Villa abundat gallina, lacte, caseo, melle. *Varro* 2. *R. R.* 11. 3. Facere caseos. *Et ibid.* Casei molles ac recentes, aut aridi et veteres. *Et ibid.* Caseus bubulus, ovillus et caprinus. *Virg.* 1. *Ecl.* 35. Pinguis et ingratæ premeretur caseus urbi. Adde *Ovid.* 4. *Fast.* 371. et *Cels.* 2. 18. *Colum.* 7. *R. R.* 8. 1. Ita ordinatur, ne alter alterum caseus contingat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 38. 72. (181). Figurare caseos. *Pallad.* 6. *R. R.* 9. 1. Coagulare caseum. *Edict. Dioclet.* p. 15. Casei sicci Ital. P. I. ✱ duodecim. *Id.* p. 19. Casei recentis Ital. P. unum ✱ octo. — *b*) Specialim *molliculus caseus*, *dulciculus caseus* apud *Plaut. Pœn.* 1. 1. 154. et 177. blandientis verba sunt.

CĀSĬA, æ, f. 1. κασία et κασσία. ¶ 1. Est frutex aromaticus (Italice *cannella*) in Æthiopia et Arabia nascens, juxta campos cinnami multis surculosisque brachiatus ramis, in montibus autem crassiore sarmento, infirmiori virtute, tenui cute verius, quam cortice, altitudine cubitorum trium. Color ei triplex: cum primum emicat, candidus est; deinde rubescit; ultra nigricans fit. *V.* plura apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. et 43. (85. et seqq.). *Ovid.* 15. *Met.* 398. de *Phœnice*. Quo simul ac casias, et nardi lenis aristas, Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha, Se super imponit. — Usum habuit plurimum in unguentis, adhibebaturque etiam in funeribus, ut myrrha. *Plaut. Curc.* 1. 2. 5. Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocinum et casia es. Adde *Virg.* 2. *G.* 466.; et *Martial.* 11. 54. — Item in medicina, ut videre est apud *Cels.* 5. 23. *n.* 1. *et* 2., et *Scribon. Compos.* 93., 125. et alibi. — Hæc eadem *casiæ fistula* appellatur a *Scribon. Compos.* 36., *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 13., *Veget.* 1. *Veterin.* 59., *Pelagon. Veter.* 28. 25. et *Plin. Valer.* 2. 37., et a Græcis quibusdam κασία σύριγξ, propterea quod tunicam seu corticem habet instar fistulæ, cum in vaginæ morem a ligno sejungitur et divellitur, angusto foramine ac meatu, ut ex *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 43. (97). exponit *Harduin.* Neque enim nota fuit veteribus illa, quæ Italice *cassia* appellatur, et solvendæ ac refrigerandæ alvo adhibetur, aut si nota fuit, alia certe est ab ea, quam his locis *Plin.* describit. *V.* botanicos. ¶ 2. Est etiam genus herbæ, alio nomine *cneoron* (*Pelagon.* 1. 9. Casiæ cneori.) et *thymelæa*, odoratum et ramosum, usumque habent ejus folia in coronamentis. *Virg.* 2. *Ecl.* 49. Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis etc. Adde *eumd.* 2. *G.* 213. et 4. *ibid.* 30; *Ovid.* 4. *Fast.* 440.; *Colum.* 3. *R. R.* 8. 4., 9. *ibid.* 5. 6. et 10. *ibid.* 301.; *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 29. (53).; et *Martial.* 6. 55. et 10. 97. — Jubetur hæc herba seri propter alveos apum, quæ ea maxime delectantur testibus *Virg.* 4. *G.* 182. et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 41. (70). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 78.) ad *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 43. (86)., ubi de casia frutice sermo est, hæc ait: « L'obscurité qui règne à l'égard du cinnamome s'étend au casia. Nous avons démontré (*Flore de Virg.*, 32.) qu'il fallait reconnaître deux casia, l'un indigène d'Italie et du midi de l'Europe, distingué par Virgile, dans divers passages des *Géorgiques*, par les épithètes d'*humilis*, *suavis*, *viridis* etc., et dont Pline a parlé (liv. 27. 9.) sous le nom de *coccum gnidium*, *Daphne Gnidium* des auteurs; l'autre exotique, rappelé dans le vers 466 du 2 livre des Géorgiques: Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi. C'est de ce casia qu'il va être ici question. Nous avons paru disposé à penser qu'on pouvait le reconnaître dans le *Laurus Casia*, et nous pensons aujourd'hui de même ». Pluribus deinde suam hanc sententiam confirmat; ac denique subdit: « Nous n'hésitons donc pas à établir la concordance synonymique suivante: *Κασία* Hipp. Morb. mul. 1. 609. et Dioscor. 1. 12.; *Casia* Plin. loc. cit. et *Casia* Virg. 2. G. 466. sunt *Laurus Casia* L. Spec. plant. 528. ».

CĀSĪTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Sunt qui scribunt *cassito*. — *Casito* est *frequentat.* a *caso*, quod a *cado*, sæpe cado. *Paul. Dig.* 8. 2. 19. Si ex tegula casitaverit stillicidium, postea ex tabulato casitare non potest. Adde *ibid.* 8. 2. 20. § 3. et 4.

CASMĒNA. *V.* CAMENA.

CASMILLUS. *V.* CAMILLUS.

CASNAR, aris, m. 3. Oscorum lingua senem significat, ut *Varro* 7. *L. L.* 29. et *Paul. Diac.* p. 47. 12. *Müll.* docent. *Placidi Gloss.* p. 450. *Mai.* Casnari seni Oscorum lingua. *Varro* apud *Non.* p. 86. 20. *Merc.* More majorum ultro casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant. Apud *Non.* corrupte legitur *carnales*, ut *Gothofred.* cum aliis adnotavit. *V.* DEPONTANI Senes. — *Turneb. l.* 20. *c.* 21. et *Voss.* in *Etymol.* in voce *Caro* falso putarunt, *carnales* eo loco significare Ædiles, quorum inter alia munera illud fuit, ut carni venali præessent, et si quando corruptam nancisccrentur, in Tiberim, ut hodieque fit, projiciendam curarent. Quamquam *Voss. ibid.* in *Cascus* eorum opinionem probat, qui *casnares* legunt. — Ceterum *Quintil.* 1. 5. 8. scribit, etiam in oratione *Labieni* (sive illa *Cornelii Galli* est) in Pollionem *casnar*, assectator, e Gallia ductum esse, ac proinde inter barbarismos enumerandum. *V.* adnotationes *Spaldingii* ad eumdem locum, ex quibus apparet, plerosque *Quintiliani* codices habere non *casnar*, sed *casamum*, vocem ignotæ admodum significationis. At *Sarpius* in *Analect.* p. 45. ita refingendum locum censet: *Casnar* affectato ex Oscis ductum est. *V.* CASCUS.

CASNĀREUS, a, um, adject. ad casnarem, h. e. senem pertinens. *Manilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 28. *Müll.* Cascum duxisse cascam non mirabile est, Quoniam casnares faciebant nuptias. Ita legit *Heureus Coll. litt.* p. 145. At *Müll.* legit: Quoniam Caron eas conficiebat nuptias.

CĀSO, as, are, n. 1. *frequentat.* a *cado*. Part. *Casans*. — Casare significat nutare, pronum esse ad cadendum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 37. et 48. Bacchabatur hama, casabant cadi. *Id. Bacch.* 2. 3. 71. Subducunt lembum capitibus casantibus. *h. e.* nutantibus, demissis et mœrorem indicantibus. *Id. Asin.* 2. 3. 23. Casanti capite incedit. Ita *Lambin.* et *Pereus* hæc duo postrema loca legunt et interpretantur. Alii rectius *quassans*.

CASSĀBUNDUS. *V.* CASABUNDUS.

CASSĒ, adverb. frustra. *Liv.* 24. 26. Aversis auribus, animisque, casse ne tempus tereretur, etc. *Rhunkenius* leg. *quase* pro *quasi*; eo enim modo *Livium* scripsisse *Quintil.* 1. 7. 24. affirmat.

CASSESCO, is, ere, n. 3. cassus fio, evanesco. *Solin.* 22. *sub fin.* In cujus æde perpetui ignes numquam cassescunt in favillas. Ita *Salmas.* in *Exercitat. Plin.*, alii *canescunt*.

CASSĬA. *V.* CASIA.

CASSĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a *cassis*, parvus cassis, reticulum. *Hieronym.* 3. *Rufin.* n. 20. Nequaquam aranearum mihi opponas cassiculos, sed fortissimo me constringas reti. — Apud *Paul. Diac.* p. 48. 1. *Müll.* et *Isid. in Gloss.* legitur *cassiculum* neutrius generis. — *Capell.* 3. *p.* 70. antepænultimam producendam monet.

CASSĬDA, æ, f. 1. idem quod *cassis*, cujus nihil aliud est, nisi alia forma et quidem heteroclita. *Virg.* 11. *Æn.* 774. Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati Cassida. *Propert.* 3. 9. 15. Aurea cui postquam nudavit cassida frontem, etc. *Servius* ad *loc. cit. Virg.* et *Priscian.* 6. *p.* 680. *Putsch.* docent, *cassida* esse accusativum Græcæ positionis pro *cassidem*, et pro nominativo positum. Sed contra est *Charis.* 1. *p.* 80. *V.* CASSILAM.

CASSĬDĀRĬUS, ii, m. 2. (cassis et cassida) ¶ 1. Est qui cassidas facit. *Inscript.* apud *Murat.* 959. 5., quæ est apud *Orell.* 4160. C. IVLIVS ANTIOCHVS CASSIDARIVS. De cassidariis cf. *Marini*, *Atti fr. Arv.* 1. p. 251. ¶ 2. Item qui cassidis curandis præerat. *Inscript.* apud *Reines.* cl. 8. n. 70. Q. BAEVIVS MARINVS MILES EX ARMAMENTARIO IMP. CAESARIS DOMITIANI AVG. GERMANICI CASSIDARIVS. *V.* BALTEARIUS.

CASSĬDĪLE, is, n. 3. pera in modum reticuli facta, in qua auceps ponit aves, quas casse seu rete cepit. *Vulgat. interpr. Tob.* 8. 2. Prodidit de cassidili suo partem jecoris. *Gloss. Isid.* Cassidilis, pera, marsupium.

CASSĪLAM antiqui pro casside ponebant. *Paul. Diac.* p. 48. 3. *Müll.* Sed *Voss.* in *Etymol.* ad vocem *Cassis* putat legendum *cassidam*. *V.* CASSIDA.

CASSĬŎPE, es, *et*

CASSĬOPĒA, æ, f. 1. Κασσιόπεια. Legitur et *Cassiepea*, *Cassiepeja* et *Cassiopeja*, apud *Hygin. loc.* infra *citt.*, ut et Græce Κασσιέπεια. — Cassiope vel Cassiopea fuit uxor Cephei regis Æthiopum, mater Andromedæ. Cum filiæ pulchritudinem Nereidum formæ antetulisset, ea pœna multata est, ut filiam marino monstro objectam videret: tandemque in cælum translata, fingitur sedens in sella expansis manibus, et specie cæsum adhuc filiæ lamentantis. Est autem sidus tredecim constans stellis, secundum *Hygin.*, situmque est in parte cœli boreali, prope circulum arcticum, a tergo habens Cepheum, a fronte Andromedam. *Manil.* 1. 355. Cepheusque et Cassiopea in pœnas signata suas, juxtaque relictam Andromedam. *Propert.* 1. 17. 3. Nec mihi Cassiope solito visura carinam Ominat. Adde *Hygin. fab.* 64. et 2. *Astron.* 10. et 3. *ibid.* 10. Ceterum *V.* ONOM.

CASSIS, idis, f. 3. armatura capitis, ut galea, ita appellata, quod cassa seu vacua sit ad caput recipiendum: nonnulli hanc vocem Etruscæ originis esse affirmant (It. *elmo*, *celata*; Fr. *casque en metal*; Hisp. *casco*; Germ. *d. Sturmhaube oder d. Helm*; Angl. *a helmet*, *helm*, *cask*).

I.) Proprie. *Plaut. Trin.* 3. 2. 10. Sumere cassidem in caput. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Muliones cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, colles circumvehi jubet. *Auct. B. Afr.* 16. Cassidem de capite dejicere. *Ovid.* 12. *Met.* 89. non hæc, quam cernis, equinis Fulva jubis cassis, neque onus cava parma si-

nistræ Auxilio mihi sunt. *Lucan.* 7. 586. plebeja contectus casside vultus. *Stat.* 4. *Theb.* 302. Casside crines integere. *Et ibid.* 204. claudi. *Id.* 9. *ibid.* 541. laxare vultus. Adde *Juvenal.* 10. 134. et 11. 103.; et *Martial.* 9. 57.

II.) Figurate, pro bello vel militia ponitur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (23). Sub casside sumere unguenta. *h. e.* in armis, in bello. *Juvenal.* 7. 33. Ætas patiens cassidis. *h. e.* apta militiæ.

Homonym. Differunt aliquando *galea* et *cassis*. Illa enim de corio est, ista de lamina, inquit *Isid.* 18. *Orig.* 14. 1. Hinc *Tac. Germ.* 6. Paucis loricæ, vix uni alterive cassis aut galea. — Sæpe tamen promiscue ponuntur. *Ovid.* 8. *Met.* 15. Seu caput abdiderat cristata casside pennis, In galea formosus erat. *Virg.* 5. *Æn.* 490. Galea ærea.

CASSIS, is, m. 3. In sing. numero occurrit tantum Accus. *cassem* apud *Grat. Cyneg.* 29., et Ablat. *casse* apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 554. et *Senec. Agam.* 881. Ceterum adhibetur fere in plur. numero *casses, ium*. — Cassis est rete quod tenditur, ita appellatum, quod cassas seu vacuas habet maculas, in quas ingressa bestia exitum non inveniat (It. *rete*; Fr. *filet, rets*; Hisp. *red*; Germ. *d. Netz*; Angl. *a hunter's net, toil*).

I.) Proprie. ¶ 1. Occurrit de rete venatorio. *Virg.* 3. *G.* 371. Hos (*cervos*) non immissis canibus, non cassibus ullis, Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ. *Propert.* 4. 2. 33. Cassibus impositis venari. Adde *Tibull.* 4. 3. 17. *Ovid.* 1. *Art. am.* 392. Non bene de laxis cassibus exit aper. *Id.* 2. *ibid.* 2. Decidit in casses præda petita meos. *Id.* 5. *Met.* 578. nec me studiosius altera saltus Legit, nec posuit studiosius altera casses. *Martial.* 3. 58. Dama impedita cassibus. ¶ 2. De tela aranearum, qua muscæ irretiuntur. *Virg.* 4. *G.* 247. Laxos in foribus suspendit aranea casses. Adde *Martial.* 3. 93. et *Arnob.* 6. 16.

II.) Figurate *casses alicui tendere* apud *Tibull.* 1. 7. 5. est insidiari. Similiter *Ovid. Art.* 3. *am.* 554. novus viso casse resistet amans.

CASSĪTA, æ, f. 1. avicula quædam, alio nomine galerita, et alauda, cristam gerens in capite instar galeri, aut cassidis. Festivam de ea fabellam narrat *Gell.* 2. 29.

CASSĪTĚRINUS, a, um, adject. κασσιτέρινος, stanneus. *Pelagon. Veterin.* 7. *a med.* Cassiterina lamella aurem sinistram pertundito.

CASSĪTERON, i, *vel*

CASSĪTERUM, i, n. 2. κασσίτερον, Græca vox, quæ tamen originem habet ex Oriente, ut probat *Bochart. Geogr. sacr. l.* 1. *c.* 39. *p.* 650., et stannum, seu plumbum album significat. At a Græcis ita appellatum fuisse a monte Cassio affirmat *Avien. Ora marit.* 259. Cassius inde mons tumet: Et Graja ab ipso lingua cassiterum prius Stannum vocavit. Quod tamen improbat *Wernsdorfius* ad *h. l. Plin.* 34. *Hist. nat.* 16. 47. (156). Plumbi duo genera, nigrum, atque candidum. Pretiosissimum candidum, a Græcis appellatum cassiteron, fabuloseque narratum in insulas Atlantici maris peti. Album habuit auctoritatem et Iliacis temporibus, teste Homero, cassiteron ab illo dictum. *V.* STANNUM.

CASSĪTO. *V.* CASITO.

CASSO, as, avi atum, are, a. 1. Part. *Cassatus*. — Casso est cassum reddo, destruo. *Sidon.* 1. *Ep. ult. a med.* Si objecta non improbabiliter cassaverimus, oro etc. *Cassiod.* 10. *Variar.* 9. Ne cassetur desiderium, quod convenienter est de vestra præsumptione securum. *Id.* 5. *ibid.* 14. Omnium redemptione cassata. *h. e.* sublata, abrogata. *Impp. Leo. et Anthem. Cod.* 1. 2. 16. Cassata et rescissa, quæ etc. Adde *Cod. Theod.* 14. 4. 8. *pr.*

CASSUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, quidam putant esse supinum verbi *careo*, alii esse adjectivum suæ originis, ut *lassus*, *fessus* etc.; alii ab inusit κάω *careo*. Certe vox hæc conjungenda videtur cum *careo*, *cerus* et similibus. — Cassus est vacuus, inanis (It. *vuoto, vano, casso*; Fr. *vide*; Hisp. *vano, hueco*; Germ. *ohne Inhalt, leer und hohl*; Angl. *empty, of no value, worthless*).

I.) Proprie occurrit de rebus corporeis, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 137. Te amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 5. 36. *Plaut. Rud.* 5. 2. 37. Cassa glans. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Anulus pervius et cassus. *Ovid.* 6. *Fast.* 106. Cassa canna. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (161). Granum longius fieri sed inane cassumque, ac satum non nasci. — *b*) Addito quo quis caret — per Ablat. sine præp. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 14. Virgo dote cassa et illocabilis *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. Cochlea sanguine cassa. *Lucret.* 3. 563. Cassum anima corpus. *Id.* 4. 126. Simulacra cassa sensu. *Id. ibid.* 368. Aer cassus lumine. *Id.* 5. 718. et 756. corpus lumine. Et figurate *cassus lumine* dicitur qui vita functus est. *Virg.* 2. *Æn.* 85. nunc cassum lumine lugent. Adde *Stat.* 2. *Theb.* 15. Sic *æthere cassus* apud *eumd. Virg.* 11. *Æn.* 104. — Huc referri potest et illud *Ovid. Rem. am.* 446. Cassaque seducto stipite flamma perit. *h. e.* privata pabulo. — Per Ablat. cum præp. *ab*. *Apul. de deo Socrat.* Aer cassus ab omnibus. *h. e.* vacuus omnium rerum. — Per Genit. *Cic. Arat.* 369. Et dextra retinens non cassum luminis ensem.

II.) Translate ponitur pro vano, inutili, irrito; haud aliter atque *inanis*, quod hac significatione sæpius usurpatur (Cf. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 137. superius allatum, et *Non. p.* 45. 12. *Merc.*). *Cic.* 5. *Tusc.* 41. 119. Ut — quod honestum nos et laudabile esse dicamus, id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 55. *Lucret.* 3. 1063. Sollicitamque geris cassa formidine mentem. *Id.* 4. 513. Illa tibi est igitur verborum copia cassa. *Virg.* 12. *Æn.* 780. Cassa vota. *Ovid.* 5. *Met.* 481. fertilitas terræ. *Id. Rem. am.* 446. flamma. *Val. Flacc.* 6. 556. ira. *Seneca Troad.* 569. consilia. *Et ibid.* 792. præsidia. *Et ibid.* 678. furor feminæ. *Lucan.* 5. 130. frons. *Sil. It.* 4. 17. Vulgatum (nec cassa fides) ab origine fani Impositas durare trabes. Cf. *Symmach.* 1. *Ep.* 37. Rursus *Sil. It.* 10. 117. quisnam ad cassos furor impulit ictus Exsanguem senio dextram? *Id.* 7. 698. Cassa umbra. *Plin.* 8. *Ep.* 23. Cassi labores et infructuosæ preces. *Stat.* 9. *Theb.* 770. Numquam cassa manus. *h. e.* frustra feriens. *Id. ibid.* 629. Augur cassa futuri. *h. e.* vana et mendax. *Id.* 11. *ibid.* 449. Cassæ viæ. *h. e.* frustra aditæ. *Id.* 5. *ibid.* 318. omen. *Id. ibid.* 512. virtus. *Apul.* 6. *Met.* spes. *Arnob.* 1. 31. rumor. — Hinc

Cassa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, pro iis quæ vacua et vana sunt, occurrit

A) Proprie. *Solin.* 52. *ad fin.* Aut palearum cassa, aut chartarum fila ad se rapit.

B) Translate. *Plaut. Cist.* 4. 1. 16. Non ecastor cassa memoro. *h. e.* vana et mendacia. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 352. Quid cassum times? Adde *Tac.* 3. *Hist.* 55.

Cassum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, præter *Senecam* nuper allatum, dixit *Capell.* 1. *p.* 22. Cassum est nolle loqui sensa decentia. — Ceterum occurrit tantum adverbii modo *in cassum*, quod et *incassum* recte ac frequenter scribitur, et est frustra, temere, aliter atque ipsi volumus ac petimus. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 147. Omnia incassum cadunt. Adde *Lucret.* 2. 1166. *Id. Lucret.* 2. 1060. In cassum cogere aliquid. *Id. ibid.* 1165. suspirare. *Id. ibid.* 1128. defessus. *Sall. in orat. C. Macri Licinii ad pleb. p.* 173. 24. *Orell.* agere aliquid. *Liv.* 2. 49. mittere preces. *Id.* 10. 29. Vana in cassum jactare tela. *Virg.* 1. *G.* 387. Incassum studio gestire lavandi. *Id.* 3. *ibid.* 100. furere. *Id.* 7. *Æn.* 421. In cassum fusi labores. *Id.* 3. *ibid.* 345. ciere fletus. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. Incassum recidit aliquid. *Lucan.* 2. 263. it aliquid. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Pauci bona libertatis incassum disserere.

CASTĂNEA, æ, f. 1. κάστανον. ¶ 1. Castanea dicitur arbor pomum ferens nigro corio et præterea spinoso calyce inclusum. *Voss.* in *Etymol.* docet, dictam esse a *Castana*, vel ut est apud *Plin. Harduini* 4. *Hist. nat.* 9. 16. (32). *Casthanæa* seu *Castanæa*, quæ est Thessaliæ urbs sub Pelio monte, ubi hæc arbor felicissime provenit (It. *castagno*; Fr. *châtaignier*; Hisp. *castaño*; Germ. *d. Kastanie*; Angl. *a chesnut-tree*). *Virg.* 2. *G.* 71. Castaneæ fagus, ornusque incanuit albo Flore piri. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 33. 1. et *seqq.*, ubi de ejus satione multa. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 78. (212). Tardissime cariem sentiunt robur, suber, castanea. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (147). Castanea pedamentis omnibus præfertur. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 33., 12. *ibid.* 7. 17. et alibi. — Unde castanea ad nos provenerit, quærit *A. A. Scottius* ad *Gargil. p.* 52. De iisdem quædam annotat etiam *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 1. *p.* 412. ¶ 2. *Castanea* est etiam ejus arboris fructus, qui castanea nux per appositionem dicitur a *Virg.* 2. *Ecl.* 52. Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat. Adde *Seren. Sammon.* 29. 560. *Id. Virg.* 1. *ibid.* 82. Castaneæ molles. *Id.* 7. *ibid.* 53. hirsutæ. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 10. 14. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 34. (112). Putamine clauduntur nuces, corio castaneæ. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 18. 32. (110). *Martial.* 5. 78. Et, quas docta Neapolis creavit, Lento castaneæ vapore coctæ. *Alii minus recte leg.* tostæ. *V.* COCTIVUS.

CASTĂNĒTUM, i, n. 2. καστανεών, locus castaneis consitus. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 3. Sæpe novella castaneta calvescunt. Adde *eumd. ibid.* 30. 3. et *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 21.

CASTĒ, adverb. (castus). Comp. *Castius* et Sup. *Castissime* II. 2. *a.* — Caste est pure, integre, sine macula (It. *puramente, castamente, incontaminatamente*; Fr. *purement, sans tache, chastement*; Hisp. *puramente, castamente*; Germ. *auf reine, unbefleckte Art und Weise*; Angl. *purely, chastely*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 10. 12. (27). Radix caste pureque collecta. *Macrob.* 1. *Saturn.* 2. Cibus et potus in convivio ubertim casteque affluerunt.

II.) Translate. ¶ 1. De lingua *Gell.* 17. 2. Caste pureque lingua Latina uti. *Id.* 7. 14. *in fin.* Dicendi genus caste pudiceque ornare. ¶ 2. Sæpius ad moralia transfertur, et significat — *a*) Generatim pure, honeste, integre, sancte: ad rem *Cic.* 2. *Legg.* 10. 24. Caste jubet lex adire ad deos, animo videlicet. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 8. 19., et *Sueton. Aug.* 6. *Plaut. Trin.* 2. 4. 148. Caste agere ætatem suam. *Cic.* 4. *Fin.* 23. 63. Caste et integre vivere. *Id. pro leg. Manil.* 1. 2. Meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus. *Id. Dom.* 52. 134. Nihil rite, nihil caste, nihil more institutoque perficere. *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 3. Pure atque caste tribuere aliquid deorum numini. *Id.* 14. *Fam.* 4. 1. Deos castissime colere. *Id. Harusp. resp.* 13. 29. Castissime fanum tueri. *Liv.* 10. 7. Castius sacra privata facere. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 33. Caste placare deos. — *b*) Speciatim caste est sine labe impudicitiæ. *C. Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. A servis aliorum caste se habere *Cic. Brut.* 95. 330. Eloquentiam tueamur, ut adultam virginem, caste. *Curt.* 4. 10. 33. Caste sancteque habere aliquam. *Lactant.* 6. 23. Docenda uxor, ut caste se gerat.

CASTELLĀMENTUM, i, n. 2. *Arnob.* 2. 42. Ut spirulas, et botulos facerent, isicia, castellamenta Lucanica, suminatam carnem, etc. *h. e.* farcimina Lucanica in castelli figuram formata: quemadmodum circulos inter scitamenta ponit *Varro* 5. *L. L.* 106. *Müll.*, et hamos ac lacertulos *Apul.* 10. *Met.* Alii leg. *castellamenta, lucanicas* eadem manente sententia. Alii vero rectius reponunt *catillamenta*, quasi catillationes. Nam *catillare* est catillos lingere, vel ligurire; et *catillo* gulosus, liguritor. Firmat hanc lectionem alius ejusdem *Arnobii* locus, ubi ait 7. 24. In exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more. Nam *catillamina* idem sunt quod *catillamenta*, nempe cupedia et deliciosa mattea, seu farcimina minutis carnibus inculcata, quæ linguntur, et orexim ac gulam excitant. *V. Oehler* ad *h. loc.*

CASTELLĀNUS, a, um, adject. ad castellum pertinens. *Cic. Brut.* 73. 257. Malim mihi L. Crassi unam pro M.' Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos. At plus interfuit reip. castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M.' Curii. Credo: sed, et *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 11. 59. 2. Castellanus miles. *h. e.* qui in castelli custodia est, vel qui in castelli territorio agrum possidet. — Hinc

Castellani, orum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, qui castella habitant. *Sallust. Jug.* 97. Iter castellanorum angustum admodum. *Liv.* 34. 27. Hi sunt jam inde castellani, agreste genus. Adde *Auct. B. Alex.* 43. et *Liv.* 38. 45. *a med.*

CASTELLĀRIUS, ii, m. 2. qui præest custodiæ castellorum in aquæductibus. *Frontin. Aquæd.* 117. Villicos, castellarios, circitores, silicarios, etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 601. 7. SERVVS CASTELLARIVS AQVAE CLAVDIAE. Alia *ibid.* 8. TIBERIO AVG. L. CASTELLARIO AQVAE MARCIAE. Alia *ibid.* 9. M. VIBIO M. F. TER. FONTIS AVGVSTANI CASTELLARIO. Alia apud *Murat.* 924. 4. SERVO CASTELLARIO AB AQVA CVRTIA ET CAERVLEA. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 2899.

CASTELLĀTIM, adverb. per varia castella, adeoque agminatim.

I.) Proprie. *Liv.* 7. 36. *ad fin.* Hostes et nocturno pavore attonitos, et circa collem castellatim dissipatos,

aggredi. *h. e.* non continuis castris dispositos, sed per varia veluti castella dispersos.

II.) Translate. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (112). Quidam ulpicum et allium in plano seri vetant, castellatimque grumulis imponi, distantibus inter se pedes ternos. *h. e.* acervatim, σωρηδὸν. grumulos spicarum allii ita seri jubet, ut non singuli, sed acervatim castelli more pedum ternum distantia ponantur.

CASTELLUM, i, n. 2. *deminut. a* castrum. — In mascul. gen. legitur apud *Paul. Dig.* 30. 41. *a med.* in edit. *Torrentini.* — Castellum est locus militari opere munitus extructo aggere, vel muro cum fossa, quasi parvum castrum, ut est apud *Veget.* 3. *Milit.* 9. *in fin.*, quia in eo milites ponuntur ad custodiam regionis. Vocis etymon vide infra in CASTRUM sub init. Construuntur enim castella, fere loco aliquo editiore, in agris contra excursiones hostium, in finibus imperii, ut eorumdem aditus prohibeantur; per ipsum castrorum vallum congruis in locis, ut facilius defendi possit (It. *castello, fortezza, forte*; Fr. *château fort, forteresse, fort*; Hisp. *castillo, fortaleza, lugar fuerte*; Germ. *Castell, Citadelle, einzelner Waffenplatz, Fort*; Angl. *a castle, fortress, fort, fortified place*).

I.) Proprie, et stricto sensu in re militari. *Sisenna* apud *Non. p.* 514. 7. *Merc.* Prætor festinatim de castellis ad castra maxima milites conducit. *Cic.* 3. *Att.* 7. 1. Castellum natura munitum. *Id.* 5. *Phil.* 4. 9. Aditus hostium castellis et operibus prohibere. Adde *eumd. Cæcin.* 7. 20., 2. *Fam.* 10. 3. et 15. *ibid.* 4. 8. et 10., et 1. *Att.* 16. 12. *D. Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 4. 2. Multa castella cepi, multa vastavi. *Cæs.* 3. *B. C.* 36. Castellum munire. Adde *eumd.* 1. *B. G.* 8. et *Auct. B. Alex.* 30. *Nepos Datam.* 10. Expugnare castella. *Id. Miltiad.* 2. Loca castellis communire. *Id. Alcib.* 7. Communire castellum. *Id. Datam.* 4. Regio saltuosa et castellis munita. Adde *eumd. Thrasyb.* 2.; *Liv.* 10. 46., 21. 11., 22. 39. et alibi; *Virg.* 5. *Æn.* 440.; *Horat.* 2. *Ep.* 2. 34.; *Curt.* 5. 3. 9.; et *Lucan.* 6. 40. *Tac.* 3. *Ann.* 74. Castella et munitiones idoneis locis imponere. *Id.* 4. *ibid.* 46. Castella rupibus indita. *Id. Agric.* 14. Promovere castella in ulteriora. Adde *eumd. ibid.* 16.; et *Quintil.* 7. 11. 13. *Trebell. Gallien.* 16. Ne ejus prætereatur miseranda solertia, veris tempore cubicula de rosis fecit, de pomis castella composuit, uvas triennio servavit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a castello tamquam a loco operibus munito ac tuto. *Cic.* 2. *Divinat.* 16. 37. Urbem philosophiæ, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. *Id. Pis.* 5. 11. Templum illud (*Castoris*) fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. *Liv.* 3. 37. Respirerent tribunal (*Appii*) homines, castellum omnium scelerum. ¶ 2. Per similitudinem castella dicuntur etiam rusticæ habitationes in locis editis, adeoque villæ et vici in montibus, aut receptacula ovium. *Virg.* 3. *G.* 474. Tum sciat, aerias Alpes, et Norica si quis Castella in tumulis, et Iapydis arva Timavi. Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna Pastorum, et longe saltus lateque vacantes. Ornate igitur pro saltibus et pascuis dixit *castella in tumulis, arva, regna, saltus.* ¶ 3. Hinc est etiam *castellum* receptaculum aquarum in aquæductibus; ex quo aqua ex communi ductu per fistulas in varia loca distribuitur: unde et *dividiculum* dictum est, teste *Paul. Diac. p. Müll.* Appellatur autem castellum, quia altius cetero opere assurgit, et latius extenditur, ut militaris castelli figuram referat. *Vitruv.* 8. 6. 1. *Schneid.* Cum venerit ad mœnia, efficiatur castellum, et castello conjunctum, ad recipiendam aquam, emissarium, collocenturque in castello tres fistulæ etc. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (121). Agrippa adjecta Virgine aqua, lacus septingentos fecit, salientes centum quinque, castella centum triginta. *Frontin. Aquæd.* 35. Aqua, quæ in castellum cadit. *Ulp. Dig.* 43. 19. 1. Aquam ex castello ducere. Adde *ibid.* 43. 20. 1. § 41., et *Inscript.* apud *Orell.* 3203. ¶ 4. Item eodem nomine appellatur labrum amplum in summo rotæ aquariæ, in quod influit aqua ex modiolis, cum ad summum elati invergi cœperint. *Vitruv.* 10. 9. *ad fin. edit. veter.*

Homonym. Differt ab *oppido*, et *urbe*, quod illud muniendi causa exstruitur, hæc tum ad munimentum, tum ad civilem hominum convictum et societatem; illud belli tantummodo est, hæc etiam pacis. Sæpe vero accidit, ut quæ castella contra vim hostium excitata fuerant, paulatim confluentibus hominibus frequentarentur, et oppida urbesque fierent. Hinc aliquando *castellum*, et *oppidum*, aut *urbs* promiscue adhibentur, ut apud *Curt.* 5. 3. 9. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. Primo adventu exercitus nostri crebras ex o p p i d o excursiones faciebant: postea vallo pedum XII. crebrisque c a s t e l l i s circummuniti, o p p i d o se continebant. *Flor.* 3. 19. *ad fin.* Vicos, c a s t e l l a, o p p i d a diripere.

CASTĔRĬA, æ, f. 1. locus in quo, ubi navigatio conquiescit, remi et gubernacula conquiescunt. Ita *Nonius p.* 85. 26. *Merc.* Putat *Scheffer. de milit. navali l.* 2. *c.* 5. Græce dictam esse ἱστοδόκην. *Voss.* in *Etymol.* docet, esse a Græco σχαστηρία, vel σχαστήριον, (quod navis partem quamdam esse, docet *Hesych.*) ducto a verbo σχάζω *dimitto, intermitto.* Ex quo *Turneb. l.* 4. *c.* 13. scribi vult *schasteria*: quamquam *l.* 29. *c.* 21. aliter sentit, nempe esse velut γαστηρίαν, hoc est ventrem navis. *Plaut. Asin.* 3. 1. 16. Quin pol si reposivi remum sola ego in casteria; ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi. *Alii ita distinguunt*: Quin pol si reposivi remum, sola ego in casteria ubi quiesco, omnis, etc. Qua ratione *casteria* non est locus ubi reponuntur remi, sed potius ubi nautæ conquiescunt. *Lactant. vet. Scholiast. Statii* ad 6. *Theb.* 800. perperam *casteriam* cum *portisculo* confundit.

CASTĬFĬCO, as, are, a. 1. castum facio. Est *Augustini* 9. *Confess.* 9. et *De bono viduit.* 7. et *Tertull. Pudic.* 19. *ex* 1. *Joann.* 3.

CASTĬFĬCUS, a, um, adject. (castus et facio). ¶ 1. Haud aliter ac *magnificus*, quam vocem vide, occurrit imminutâ compositi vi, et est castus, integer, sanctus. *Seneca Hippol.* 169. Expelle facinus mente castifica horridum. ¶ 2. Item servatâ compositi vi est castum faciens. *Paulin. Nolan. carm.* 25. 188. Castificum lavacrum. *h. e.* baptismus.

CASTĪGĀBĬLIS, le, adject. castigatione dignus. *Plaut. Trin.* 1. 2. 5. Hic ille est, senecta ætate qui factus est puer: qui admisit in se culpam castigabilem.

CASTĪGĀTĒ, adverb. (castigatus). Comp. *Castigatius* I. et II. — Castigate est ratione areta, cum frænis, abstinenter, pure.

I.) Proprie de moribus. *Seneca* 6. *Excerpt. Controv.* 8. Vixit modeste, castigate. Non in illa cultus luxuriosior, non conversatio cum viris licentiosior. *Ammian.* 22. 3. Castigatius vivere.

II.) Translate occurrit tantum de sermone. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. Hæc de monade castigatius, quam se copia suggerebat. *h. e.* pressius, brevius. *Augustin.* 4. *Doctr. Christ.* 14. Castigatius eloqui. *h. e.* pressius et sine verborum affluentia.

CASTĪGĀTĬO, ōnis, f. 3. (castigo) reprehensio, objurgatio, coercitio, animadversio corrigendi causa facta et ad meliorem frugem revocandi (It. *riprensione, emendamento, castigo*; Fr. *reproche, réprimande, correction, châtiment*; Hisp. *reproche, reprimenda, reprehension, correccion, castigo*; Germ. *d. Zurechtweisung, d. Verweis, d. Inzuchthaltung, Züchtigung*; Angl. *castigation, animadversion, chastisement, correction*).

I.) Proprie usurpatur de moribus, et est animadversio, quæ fere verbis fit, unde *Liv.* 27. 15. Cum verborum castigatione accipere aliquem. *Et Seneca Ep.* 47. *ad fin.* Verborum castigatione uti. — Itaque quoties *castigatio* absolute occurrit, verbis facta esse intelligatur: si enim, quod sane raro, aliter fiebat, semper cum addito occurrit, quemadmodum apud *Paul. Dig.* 1. 15. 3. Castigatio fustium. Et apud *Callistrat. ibid.* 48. 19. 7. flagellorum. Cf. et *Quintil.* 1. 3. 14. — *a*) Sæpius usurpatur in sing. numero. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. Omnis autem et animadversio et castigatio contumeliâ vacare debet, neque ad ejus, qui punitur aliquem, aut verbis castigat, sed ad reipublicæ utilitatem referri. *Liv.* 27. 10. Duodecim aliarum coloniarum, quæ detrectaverunt imperium, mentionem fieri Patres vetuerunt, neque etc. Ea tacita castigatio maxime ex dignitate populi Romani visa est. Adde *Curt.* 10. 2. 13. et *Vellej.* 2. 114. *Val. Max.* 2. 7. 14. Aspero et abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget. *Seneca* 1. *Ira* 5. Aliquando castigatio necessaria est: sed hæc sincera cum ratione: non enim nocet, sed medetur specie nocendi. *Id.* 2. *ibid.* 27. Parentum, præceptorum ac judicum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum et abstinentia et alia quæ profutura torquent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (32). Castigatio censoria. Adde *eumd.* 37. *ibid.* 3. 12. (49).; et *Quintil.* 3. 8. 54. *Justin.* 1. 6. Reprimere aliquem castigatione. *Inscript.* apud *Gruter.* 1030. 4. MILITAVIT ANN. XIX. SINE VLLA CASTIGATIONE. — *b*) Raro in plur. numero. *Cic.* 4. *Tusc.* 20. 44. Afficere aliquem castigationibus, reprehensionibus, ignominiis. Adde *Liv.* 31. 40. et 38. 15. — Huc referri potest et illud *Apul.* 9. *Met.* Multi senes, costas perpetua castigatione ossium tenus renudati.

II.) Translate de inanimis, et quidem — *a*) De plantis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (173). Viviradix secundo anno reciditur: alias festinatione pariendi gracilis atque ejuncida, ni cohibeatur castigatione tali, in fetum exeat tota. *Id. ibid.* 28. 47. (262). Olearum nudatas radices hiberno frigori opponunt; eaque castigatione proficiunt. — *b*) De locutione. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Castigatio loquendi. *h. e.* loquendi ratio pressa ac severa.

CASTĪGĀTOR, ōris, m. 3. qui castigat, emendator (It. *riprensore*; Fr. *celui qui corrige*; Hisp. *corrector*; Germ. *d. Zurechtweiser, Züchtiger*; Angl. *a chastiser, reprover*). *Plaut. Trin.* 3. 1. 3. Ibo ad meum castigatorem, atque ab eo consilium petam. Adde *eumd. ibid.* 1. 2. 150. *Liv.* 1. 59. Brutus castigator lacrimarum atque inertium querelarum. *Horat. Art. P.* 173. laudator temporis acti Se puero, censor castigatorque minorum. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 6. Ne videamur tot sæculorum seri castigatores. *Seneca* 1. *Ira* 15. *in fin.* Ad coercitionem errantium irato castigatore non opus est. Adde *Plin. Paneg.* 40.

CASTĪGĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad castigandum pertinens. *Plin.* 5. *Ep.* 16. *ad fin.* Adhibere solatium non quasi castigatorium et nimis forte, sed molle et humanum. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Castigatoria severitas.

CASTĪGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CASTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Castigatus* II. 1. et in fin.; *Castigandus* I. 1. a.; *Castigaturus* occurrit tantum apud *Alcim.* 3. 328. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est a κάστος *lignum, fustis. Vossius* derivat in *Etymol.* a καστὸς pro χηστὸς *lorum.* Recentiores vero philologi rectius arbitrantur, vocem compositam esse a *castus* et *agere*, quemadmodum *purgo* est a *purus* et *agere.* — Ceterum *castigo* est coerceo, corrigo, ad meliorem frugem animadvertendo revoco (It. *riprendere, rimproverare, correggere, castigare, punire*; Fr. *reprendre, corriger, gronder, châtier*; Hisp. *reprehender, corregir, reñir, punir, castigar*; Germ. *zurechtweisen, züchtigen, in Schranken oder in Zaume halten*; Angl. *to correct, improve, chastise, punish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de moribus, et significat corrigere, ad meliorem frugem animadvertendo revocare, ita tamen ut id verbis factum intelligatur, nisi aliud addatur: ad rem *Cic.* 3. *Tusc.* 27. 64. Pueros vero matres et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus. Occurrit — 1.° Addito, quo quem castigamus. — Raro de castigatione fustium, flagellorum etc. *Plaut. Most.* 4. 1. 26. Castigare servos bubulis exuviis. *Liv.* 39. 25. Equus tenax non parens, frenis asperioribus castigandus est. *Curt.* 8. 6. 5. aliquem verberibus. *Apul. Met.* Affatim plagis castigatus. *Dig.* 1. 12. 1. § 10. et 50. 2. 2. § 2. Castigare aliquem fustibus. — Sæpius de castigatione verborum. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 67. Castigare aliquem dictis plurimis. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 387. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. verbis. Adde *Liv.* 36. 20. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. litteris. *Tac.* 3. *Ann.* 35. Patres oblique per litteras castigati. *Juvenal.* 14. 54. acerbo clamore. — 2.° Absolute est corrigere, objurgare, emendare, coercere fere semper verbis. Occurrit — *a*) De personis. *Ter. Heaut.* 3. 3. 31. Nisi eum — servas, castigas, mones. *Cic.* 1. *Legg.* 23. 62. Castigare improbos, tueri bonos. *Id.* 5. *Tusc.* 1. 4. In hoc me ipse castigo, quod etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 3. Laudare promptos, castigare atque incitare segniores. *Liv.* 27. 9. Absterrere aliquem castigando. *Id.* 30. 15. et 36. 31. Castigare aliquem leniter. *Curt.* 4. 13. 18. morantes. *Tac. Agric.* 27. segnes. *Id.* 6. *Ann.* 13. plebem. *Sueton. Domit.* 9. delatores. *Quintil.* 2. 2. 5. aliquem rarius. *Justin.* 2. 15. graviter. *Petron. Satyr.* 109. vehementissime. — *b*) De abstractis. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 185. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiem hominum atque inertiam. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 50. Videsne, ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor. *h. e.* aliquanto repressus. Cf. *Lucan.* 8. 71. Castigare dolorem immodicum. *Liv.* 39. 55. nimiam lenitatem

alicujus. *Virg.* 4. *Æn.* 407. moras. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 104. Rursus *Virg.* 6. *Æn.* 567. dolos. *Val. Flacc.* 6. 660. metus. *Juvenal.* 2. 6. turpis. *Id.* 2. 35. vitia ultima fictos Contemnunt Scauros et castigata remordent. Cf. *Plin. Paneg.* 46. Castigaverunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur. ¶ 2. Latiori sensu, quamvis rarius, occurrit de litteris ac scientiis, quorum menda tolluntur. *Horat. Art. P.* 294. Carmen decies castigare ad unguem. *Juvenal.* 6. 454. opicæ castigat amicæ Verba. — Huc referri potest et illud *Pers.* 1. 6. Examen in trutina (*populari*) castigare. *h. e.* examen, seu ligulam trutinæ ita continere et componere, ut nihil extra scapi foramen inclinet, quod cum accidit, fit æquilibrium et rei appensæ pondus cognoscitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est coercere, compescere, constringere. *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burmann.* Castigare risum crebris potiunculis. *Stat.* 6. *Theb.* 700. Mollis prægravidæ castigat pulvere lapsus. *h. e.* discum lusorium manibus elabentem asperso pulvere asperat (ut *ibid.* loquitur 671.), ut labilis esse desinat. *Id.* 9. *ibid.* 687. nodis et castigata jubarum Libertas. *h. e.* collecta et constricta ut in cervice equi compta sedeat. ¶ 2. Item cingere et veluti constrictum tenere. *Sil. It.* 12. 355. Insula fluctisono circum vallata profundo Castigatur aquis, compressaque gurgite terras Enormes cohibet etc. — Hac significatione occurrit præcipue Part. præter. pass. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 21. Castigatum pectus. *h. e.* constrictum, atque forma et pulcritudine elegantissima et in qua nihil reprehendi potest. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 43. Et castigatæ collecta modestia frontis. Sic *castigatæ mamillæ* apud *Seren. Sammon.* 20. 357. sunt constrictæ, atque adeo tumidulæ, duriusculæ, et quos *stantes mammas* vocat *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 45. (131). — Hinc idem Part. præter. pass.

Castigatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Castigatior*, et Sup. *Castigatissimus* eadem significatione. *Augustin.* 5. *Civ. Dei* 24. Luxuria tanto castigatior, quanto posset esse liberior. *Gell.* 4. 20. Inter censorias severitates tria hæc exempla in litteris sunt castigatissimæ disciplinæ. *At ex* Cod. Reg. *pro* castigatissimæ *legendum est* castissimæ, *et quidem rectius.*

CASTIMŌNĬA, æ, f. 1. (castus) puritas præcipue in moribus (It. *purezza, castità*; Fr. *pureté*; Hisp. *pureza*, *pura*; Germ. *die Reinheit*; Angl. *purity, chastity*). ¶ 1. Generatim pro morum integritate. *Cic. Cæl.* 5. 11. Se suâ gravitate et castimoniâ defendere. ¶ 2. Speciatim est puritas et sanctitas, quâ ritus et sacra celebrari oportet, quæque præcipue sita est in abstinentia a venereis corporis voluptatibus et a certis cibis, haud aliter quam *castus*, us. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 102. Sacra, quæ fiunt per summam castimoniam virorum et mulierum. *Id.* 2. *Legg.* 10. 24. Castimonia corporis. *Liv.* 39. 9. decem dierum. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 44. (96). Castimoniarum superstitioni sacrisque Judæis dicatum garum. *V.* CASTIMONIALIS. *Tertull. Jejun.* 6. Quales castimoniæ Apin, Isidem, et Magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant. Adde *Apul.* 11. *Met.* Hinc *Id. Apul. ibid. in fin.* appellat *inanimam castimoniam* sacra ea et ritus, qui conjuncti sunt cum abstinentia a cibis animatis. — *NB.* Apud *Apul.* non *castimoniarum abstinentia* pro jejunio, sed *castimoniorum* legitur in optimis MSS. et editionibus, ut et in *Gloss. Philox.* Castimonium, ἁγνεία.

CASTIMŌNĬĀLIS, e, adject. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 12. liquamen quoddam ex piris, cujus conficiendi rationem docet, *liquamen castimoniale* appellat, fortasse quia ad castimoniam servandam aptum sit, vel quia castimoniam servantibus in usu fuerit. Sic *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 44. (96). quoddam gari genus memorat, a Judæis superstitioni castimoniarum dicatum, quod fit e piscibus squama carentibus.

CASTĪMŌNĬUM, ii, n. 2. recentior forma pro castimonia, quæ occurrit apud *Apul.* 11. *Met. V.* CASTIMONIA in fin.

CASTĬTAS, ātis, f. 3. (castus) puritas præcipue in moribus (It. *purità, purezza*; Fr. *pureté*; Hisp. *pureza*; Germ. *die Reinheit*; Angl. *purity*). ¶ 1. Generatim est morum integritas, sanctitas. *Gell.* 15. 18. Cornelius sacerdotii religionibus venerandus et castitate vitæ sanctus. ¶ 2. Speciatim est abstinentia a turpi libidine, castimonia, pudicitia. *V.* PUDICITIA. *Cic.* 2. *Legg.* 12. 29. Vestæ colendæ Virgines præsint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres naturam feminarum omnem castitatem pati. *h. e.* sentiant, eam esse feminarum naturam, ut exercere possint omnis generis castitatem. *Horat.* 3. *Od.* 24. 22. metuens alterius viri Certo fœdere castitas. *Val. Max.* 9. 1. *ext.* 2. Virginis castitatem delibare. *Sueton. Aug.* 7. Infamiam impudicitiæ facillime refutavit et præsentis et posteræ vitæ castitate. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (59). Matronæ Themosphoriis Atheniensium castitatem custodientes. *Tac. Agric.* 4. Femina raræ castitatis. Adde *eumd.* 1. *Ann.* 33. et *Plin. Paneg.* 20. *Inscript.* Bæbiana in *Bullett. Archeol. Nap. a.* V. p. 72. DEQVE EIVS CASTITATE NVMQVAM QVESTVS. — Hinc *Castitas* est etiam dea eadem, quæ Pallas vel Minerva. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 14. Olivæ recordati esse præsulem Castitatem. ¶ 3. Item speciatim ponitur pro abstinentia ab illicito quæstu, et *avaritiæ* opponitur. *Vitruv.* 1. 1. 7. *Schneid.* Nullum enim opus vere sine fide et castitate fieri potest. *h. e.* quæstu prorsus remoto. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. 1. Quintius prætor de provincia nuper reverterat, observata, quod mireris Domitiani temporibus, præturæ maxima castitate.

CASTĪTŪDO, inis, f. 3. castitas. *Accius* apud *Non.* p. 85. 11. *Merc.* Ibi fas, ibi cunctam antiquam castitudinem.

CASTOR, ŏris, m. 3. Κάστωρ, ορος. — Notat *Quintil.* 1. 5. 60. olim hoc nomen in obliquis casibus producta penultima pronunciatum fuisse ab iis, qui omnia ex Latinâ ratione, non ex Græcâ usurpanda esse censebant. — Castor, et Pollux fratres gemini fuerunt, Tyndari et Ledæ filii, fratres Helenæ. In fabulis est, Jovem furtim cum Leda cycni specie concubuisse, illamque ovum concepisse, ex quo gemini infantes nati sunt. Alii dicunt geminum ab ea ovum conceptum fuisse, alterum ex Tyndaro marito, ex Jove alterum: ex primo natos esse Castorem et Clytæmnestram, et quidem mortales, ut ab homine progenitos; ex secundo Pollucem et Helenam immortales, ut ex deo. Castor a prima ætate equis delectari cœpit, Pollux pugilatu: quibus in studiis adeo uterque excelluit, ut haberent sua ætate parem neminem. Colchos cum aliis Argonautis profecti sunt, in qua expeditione Pollux Amycum Bebryciæ regem cæstu pugnans interfecit. Interfuerunt etiam venationi apri Calydonii. Castor tandem plurimis una cum fratre editis præclaris facinoribus in oppido Aphidnis occisus fuisse dicitur, bello Lacedæmoniorum cum Atheniensibus, vel, ut alii volunt, in oppugnatione Spartæ. Quidam dicunt fuisse interfectum ad radices Taygeti montis a Lynceo Apharei filio, cui puellam quamdam desponsam eripuerat. Pollux, qui fratrem vehementissime diligebat, ab Jove impetravit, ut immortalitatem suam cum fratre divideret. Hinc alternis diebus vivere dicuntur, vel, ut alii scripsere, alterno semestri spatio. In cælum quoque translati sunt, eorumque sidus *Gemini* appellantur. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 121. dicit, esse duas stellas ita collocatas, ut, una oriente, altera occidat. Nautæ vero sidera Castoris et Pollucis appellarunt quasdam facula, quæ in mediis tempestatibus aliquando conspiciuntur in summitate mali, aut velorum, quæ si geminæ appareant, tranquillitas; si una tantum, majus periculum portendi solet. Nunc vocant Divos Nicolaum et Hermum. De his V. *Hygin.* 2. *Astron.* 22., *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 1. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 37. 37. (101). Hujus autem fabulæ origo ex alia fabula ducta est, quod nimirum navigantibus hisce fratribus in Argo navi, et sæviente mari procellis, cum Orpheus variis votis deos fatigasset, apparuerunt geminæ faces in eorum capitibus, et mox tempestas cessavit. Quare cum ignes illi navigantibus apparerent, Castoris et Pollucis arbitrio apparere crediti sunt. Hinc pingi consuevere albis equis sedentes, igneumque apicem in capite habentes. — *NB. Per Castorem* jurare solebant mulieres, sicut per Herculem viri, teste *Varron.* apud *Gell.* 11. 6. Hinc *ecastor, mecastor*; quæ vide suis locis. — Ceterum *V.* ONOM. in v. CASTOR.

CASTOR, ŏris, m. 3. κάστωρ. Accus. *Castora* Græcæ positionis pro *Castorem* V. infra apud *Juvenal. loc. cit.*: *Castorem* vero legitur apud *Apul.* 1. *Met.* — Castor (It. *castóro, bévero*; Fr. *castor, bièvre*; Hisp. *castor*; Germ. *Castor*; Angl. *a castor, beaver*) est animal ex genere amphibiorum, horrendi morsus, ut qui arbores juxta flumina, ut ferro, cædat, et si forte hominem comprehenderit, non antequam fracta concrepuerint ossa, morsus resolvat. Caudam habet piscium, ceteram speciem lutræ, pilum vero pluma molliorem. Hæc *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 47. (109). — Latino nomine appellatur *fiber*, item *canis Ponticus*, quia in Ponto maxime abundat. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 58. — Dicitur quasi γάστωρ, quia ventre magno est. Vulgo fertur, cum viderit se obsideri, testiculos sibi suos ipsum dentibus avulsos projicere, gnarum ob id se peti, quia multos habent in medicina usus, quos *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (26) enumerat. Hac voce usi sunt *Cic.* apud *Isid.* 12. *Orig.* 2. 21. et *Ovid. Nuc.* 165. *Juvenal.* 12. 34. imitatus castora, qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum: adeo medicatum intelligit inguen. *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad *h. loc.* hoc animal *bebrum* quoque vocari ait: cujus rectus casus est *beber*, seu *bebrus*, et inde adject. *bebrinus* apud *eumd. Scholiast.* ad 2. 99. Sed hæ voces cadentis Latinitatis sunt. Nam *beber* levi mutatione ex *fiber* corruptum est. — Ceterum *Plin. loc. cit.*, astipulante *Dioscor. l.* 2. *c.* 26., falsum hoc esse ait, ut sibi testiculos amputet, quos parvos, et nimis substrictos habet, et adhærentes spinæ, ut sine vita animalis nequeant avelli. Addit autem esse folliculos geminos in inguinibus, graveolenti liquore plenos, et veluti mellis cerosi, gustu amaro et acri, colore ammoniaci, et friabiles. *Castorea* hi appellantur, et propter odoris gravitatem *virosa* a *Virg. loc. cit.* dicuntur. *V.* vocem sequent., et *Tychsen Hist. an.* p. 31. et seqq.

CASTŎREUM, ĕi, n. 2. καστόριον. Occurrit etiam in plurali numero, cujus exempla V. infra sub *b.* — Castoreum vel castorea sunt testiculi seu folliculi in inguinibus castoris animalis, et liquor in iis existens, de quo *V.* in fine vocis præcedentis. — *a*) In sing. num. *Lucret.* 6. 794. Castoreoque gravi mulier sopita recumbit. *Cels.* 6. 7. *n.* 8. In aurem dari debet castoreum cum aceto. *Scribon. Compos.* 3. Castorei, nucum amararum, singulorum uncias. Adde *eumd. ibid.* 88. et 175.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 47. (109). et 26. *ibid.* 11. 66. (106). — *b*) In plur. num. *Virg.* 1. *G.* 58. At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus Castorea. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 32. (99). Castorea emolliunt alvum. Adde *Nemes. Cyneg.* 224.

CASTŎREUS, a, um, adject. ad castorem animal pertinens. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 52. (110). Aspalathos odore castoreo. Ita veteres edit. a. 1469., 1470. et 1472. Alii cum *Harduino* leg. *castorei*; quam lectionem probavit et *Sillig.*

CASTŎRĬNĀTUS, a, um, adject. ad castorem animal pertinens. *Sidon.* 5. *Ep.* 7. Incedunt albati ad exsequias, pullati ad nuptias, castorinati ad litanias. *h. e.* delicatissimis vestibus induti, quales sunt quæ ex pilis castoris conficiuntur. *Isid.* 19. *Orig.* 22. *castorinam vestem* appellat. Ita enim ibi legendum esse, non *caprinam*, monent eruditi: at alii leg. *aprinam*, alii alia.

CASTŎRĪNUS, a, um, adject. ad castorem animal pertinens. *Marcell. Empir.* 35. Castorinum oleum. *Edict. Dioclet.* p. 23. Pellis castorina. *Isid.* 19. *Orig.* 22. Castorina vestis. *V.* diction. præced.

CASTRA, æ, f. 1. idem quod castra, orum. *Accius* apud *Non.* p. 200. 30. *Merc.* Castra hæc vestra est etc.

CASTRA, ōrum, n. plur. 2. *V.* CASTRUM.

CASTRĀMĒTOR, āris, dep. 1. metato captoque loco castra pono. *Liv.* 9. 27. Et primo circa saltus, cum utrimque ad hostem iniqua via esset, cunctati castrametatique sunt. Ita vet. editiones a. 1470. et 1480.: aliæ *castrametatique* omittunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (132). Villam posuit peritia castrametandi. Vetus editio a. 1469. et *Harduini* junctim scribunt: aliæ divisim *castra metandi*. Nam *castra metor* divisis vocibus legitur apud. *Tacit.* 1. *Ann.* 63. et *Curt.* 3. 8. 14. etc. Adde, si hujusmodi vocum conjunctio locum haberet, *castrometor*, non *castrametor* esse scribendum.

CASTRĀTĬO, ōnis, f. 3. castrandi actio. ¶ 1. Occurrit de animalibus, et est testiculorum exsectio. *Colum.* 6. *R. R.* 26. 1. Idque optimum genus castrationum putat etc. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 11. 1.; *Pallad.* 6. *R. R.* 7. 3.; et *Dig.* 21. 1. 38. § 7. ¶ 2. Item de arboribus, et est ramorum amputatio certa ratione facta. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (206).

CASTRĀTOR, ōris, m. 3. qui castrat. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 1. Castor castrator carnis sum. Adde *eumd.* 2. *ad Nat.* 13. *Auct. Epigramm.* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 200. *Burmann. de eunucho.* Omnem grammaticam castrator sustulit artem, Qui docuit neutri esse hominem generis.

CASTRĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad castrandum.

pertinens. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Castratoria ferramenta, atque tonsoria.

CASTRĀTŪRA, æ, f. 1. idem quod castratio, vel locus, in quo castratio facta est.

I.) Proprie. *Pallad.* 6. *R. R.* 7. 2. Vulnera castraturæ cinere sarmentorum linere.

II.) Improprie est purgatio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (86). *V.* CASTRO II. 2.

CASTRĀTUS, a, um. *V.* CASTRO.

CASTRENSIĀNUS, a, um, adject. *Castrensiani* dicti sunt ministri sacri Palatii, quorum varia fuere munera. Hoc enim numero fuerunt prægustatores, pincernæ, fullones, vestitores, pistores, aliique hujusmodi administri, ut est apud *Lamprid. Alex. Sev.* 41., ubi multa de his disputat *Salmasius*. Horum mentio fit in *Cod. Justin. l.* 12. *tit.* 26., cui titulus est *De castrensianis etc.* Alii lex. *castrensiariis.* — Alii sunt *castrensiani*, de quibus *ibid. tit.* 36. *leg.* 14., nempe milites, qui in castris, seu castellis ad finium custodiam positis degebant et excubabant. Id confirmat *Zirardini* in *Nov. p.* 108. *in nota.* V. *Schiassi* observat. in *Lex. Morcellian. p.* 211. *V.* et CASTRICIANUS.

CASTRENSIĀRIUS, a, um, adject. idem quod castrensis. *Castrensiarius negotiator* legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 649. 5., quæ est apud *Orell.* 4254., et significat eum, qui ad castra annonam convehens negotiatur. *V.* et voc. præced.

CASTRENSIS, e, adject. ad castra et militiam pertinens. *Cic. Cœl.* 5. 11. Eadem erat, si statim mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio et militaris. *Id.* 3. *Cat.* 7. 17. Nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem. *Id.* apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (135). Mulio castrensis. *Liv.* 44. 35. Castrense consilium. *Id.* 7. 36. Triumphus castrensis. *h. e.* in castris actus. *Propert.* 3. 9. 19. Arma castrensia. *Id.* 4. 3. 33. pensa. *Sueton. Tib.* 72. Castrenses ludi. *h. e.* qui a militibus in castrorum statione eduntur. *Id. Calig.* 9. Castrensis jocus. *Flor.* 2. 2. 35. Romana classis prompta, levis, expedita, et quodam genere castrensis. *h. e.* quæ, velut castra, quolibet facile promovetur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (46) Vigilia castrensis. *Id. præfat. Hist. nat.* § 1. et *Gell.* 17. 2. Verbum castrense. *h. e.* militiæ proprium, cujusmodi sunt *conterraneus* et *copior*, quæ *V. Tac. Agric.* 9. Jurisdictio castrensis. *h. e.* quæ ab imperatore in castris exercetur. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Castrensia stipendia. *Ammian.* 20. 1. res. *Justin.* 14. 4. 14. Castrense exilium. *h. e.* perpetua in castris militia. — *Castrensis corona* est, qua donat eum imperator, qui primus hostium castra pugnans introivit. Ea insigne valli habet. Ita *Gell.* 5. 6. et *Paul. Diac. p.* 57. 7. *Müll.* Eadem dicebatur etiam *vallaris* a vallo incenso et expugnato. *Val. Max.* 1. 8. 5. Vallarem coronam ei se servare dixit, a quo castra erant oppressa. — *Castrensis creditor* est, cui æs alienum debetur in castris contractum. *Ulp. Dig.* 42. 7. 1. et *Id. ibid.* 49. 17. 7. — *Peculium castrense* est, quod a parentibus et cognatis in militia agenti donatum est; vel quod ipse filius familias in militia acquisivit, quod nisi militaret, acquisiturus non fuisset, ut *Macer Dig.* 49. *tit.* 17., qui est *De castrensi peculio*, 11. definit, cui adde *Paul. lib.* 3. *Sentent. tit.* 4.; vel denique dimidia pars donativi, quæ apud signa sequestrabatur et ibidem ipsis militibus servabatur, ut docet *Veget.* 2. *Milit.* 20. De eo testari potest miles etiam vivo patre. Nam quæ sunt parta labore militiæ, placuit non esse in corpore census, ut ait *Juvenal.* 16. 52. — *Quasi castrense*, quod filius familias in palatina vel togata militia sibi paravit, ad similitudinem peculii militaris. *Ulp. Dig.* 37. 6. 1. a *med.* et *ibid.* 1. 3. — *Castrenses ministri* in sacro Palatio fuerunt iidem, qui *Castrensiani*, de quibus supra dictum est. *Lamprid. Alex. Sev.* 41. Fullones, et vestitores, et pistores, et pincernæ, omnes castrenses ministri. — Hi et *Castrenses* absolute dicuntur, erantque sub dispositione ejus, qui *Castrensis sacri Palatii* appellabatur. V. *Cod. Theod.* 11. 18. 1. et 6. 35. 3. et alibi. — *V.* et ONOM.

CASTRĪCIĀNUS, a, um, adject. *Castriciani* dicuntur in *Cod. Theod.* 7. 1. 18. milites, qui in *Cod. Justin.* 12. 36. 14. *Castrensiani* appellantur. *V.* CASTRENSIANUS. – Ceterum *V.* ONOM.

CASTRICIUS, a, um, adject. idem ac castrensis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 74.

CASTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Castratus* in omnibus fere paragr.; *Castrandus* I. 1. — Etymon, juxta *Forcellinum*, est a κάω *exscindo*, unde præter. perf. pass. κέκασται, hinc *castus*, proprie *excisus*. Certe hæc vox conjungenda est cum *cassus*, *castus*, et Gr. καθαρός. — Hinc castrare, ratione habita etymi, est cassum seu vacuum reddere, ideoque de animalibus est testiculos amputare, evirare, et, cum de feminis sermo est, genitalia ita cædere, ut ad concipiendum inepta sint (It. *assettare*, *evirare*, *castrare*; Fr. *châtrer*; Hisp. *capar*, *castrar*; Germ. *entmannen*, *verschneiden*, *castriren*; Angl. *to castrate*, *geld*, *evirate*, *emasculate*).

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus ceterisque animalibus, et est eorum genitalia ita cædere, ut ad generandum inepta sint. — *a*) De hominibus. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 73. Impero auctorque sum, ut me cuivis castrandum loces. Adde *eumd. Merc.* 2. 2. 4.; *Curt.* 6. 3. 12. et *Val. Max.* 6. 1. 3. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (269). Castratis hominibus vox exilior. *Sueton. Domit.* 7. Castrari mares vetuit. (*h. e.* Domitianus omnium primus, ut testatur etiam *Ammian.* 18. 8. *V. ibid.* qui deinde imperatores idem vetuerint). *Ammian.* 14. 6. Semiramis teneros mares castravit omnium prima. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 339. idem affirmat. *V.* EUNUCHUS. — *b*) De brutis animantibus. *Plaut. Merc.* 2. 2. 1. Castrare hircum. *Varro* 2. *R. R.* 2. 18. agnum. *Id. ibid.* 5. *ad fin.*, et *Colum.* 6. *R. R.* 26. 1. vitulos. (Castrandorum vitulorum ratio habetur apud *Schneider* in nota ad *loc. Colum.* nuper *cit. p.* 341.). *Colum.* 11. *ibid.* 2. 33. quadrupedia cetera. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 25. (50). Galli castrati canere desinunt. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 9. 3. Rursus *Plin.* 11. *ibid.* 37. 64. (169). Equo castrato non decidunt dentes. *Id.* 8. *ibid.* 51. 77. (208). Castrantur feminæ sues suspensæ pernis prioribus, vulva recisa. *Id.* 18. *ibid.* 32. 75. (322). Castrare verres, juvencos, arietes, hædos. ¶ 2. Ponitur etiam de arboribus, et est trunco ad imum perforato, aut supervacuis ramis præcisis, vel alia quapiam ratione nimiam luxuriam compescere, quo utilius proveniant. *Cato R. R.* 33. et apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (195). Vites teneras quamprimum propagato, veteres quam minimum castrato. *Vitruv.* 2. 9. 4. *Schneid.* Arbusta suo quæque tempore ad imum perforata castrantur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 33. (49). Humor e medulla castratæ arboris effluens. *Id.* 17. *ibid.* 20. 33. (144). Castrare arundinetum. *h. e.* cum nimis densatum est, intercidere et disrarare, ut *Colum.* 4. *R. R.* 32. 4. exponit.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur de seminibus, quibus gignendi vis aufertur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (136). Lupinum condi in fumo maxime convenit, quoniam in humido vermiculi ambilicum ejus in sterilitatem castrant. *h. e.* erodunt, ut satum nasci non possit. Similiter *Id.* 15. *ibid.* 14. 15. (51). Mala spadonia, appellata a conditione castrati seminis. *h. e.* nullum intus semen habentia. ¶ 2. Item de frumenti seminibus, quæ usque ad certam mensuram cribro purgantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (86). Justum est e grano Campanæ, quam vocant castratam, e medio redire sextarios quatuor siliginis, vel e gregali sine castratura sextarios quinque. *Id. ibid.* 10. 20. (90). Pretium huic annona media in modios farinæ quadraginta asses, similagini castratæ octonis assibus amplius, siligini castratæ duplum. ¶ 3. Item *Castrare vina saccis* dixit *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (53)., hoc est saccis percolare eorumque vires frangere, ut *Idem* loquitur 14. *ibid.* 22. 28. (138). Hoc enim pacto mitiora et suaviora fiunt. *V.* SACCO. ¶ 4. Ponitur etiam generatim pro amputare, truncare. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 14. Castrare caudas catulorum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 41. 63. (153). Si castretur morsu cauda, summusque ejus articulus auferatur, nec caudam crescere, nec canes rabidos fieri. — Similiter *castrare alvos apum* apud *Colum.* 9. *R. R.* 5. 4. et *castrare alvearia* apud *Pallad.* 7. *R. R.* 7. 2. est favos eorum præcidere et mella eximere. — Et figurate *castrare libellos* est impuros jocos ab iis auferre apud *Martial.* 1. 36. ¶ 5. Denique translate ponitur de abstractis pro attenuare, atterere, enervare. *Cic.* 3. *Orat.* 41. 164. Nolo dici morte Africani castratam esse rempublicam. *h. e.* negat *Cicero* hoc recte dici, quia deformis in eo similitudinis cogitatio inest. Cf. *Quintil.* 8. 6. 15. et *Capell.* 5. *p.* 166. *Seneca Ep.* 19. *de Mæcenate.* Ingeniosus vir ille fuit magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, nisi illum enervasset felicitas, immo castrasset. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (60). Nec mella facere (apes), velut castratis viribus. *h. e.* attenuatis, attritis. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 192. Quid nervos secuisse juvat? vis nulla cruentam Castrat avaritiam. *h. e.* compescit, vel tollit. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 30. Castrare se domo, parentibus, cognatis et consuetudine lautioris cibi. *h. e.* se abdicare, privare. *Lactant.* 6. 15. Stoici affectus non temperant, sed abscindunt, rebusque a natura insitis castrare hominem quodammodo volunt.

CASTRUM, i, n. 2. Juxta *Forcellinum*, etymon vocis est a *casum* sup. verbi *cado*, ut *lustrum* a *lusum*: castrum enim est locus muro fossaque munitus cum milite excubante præsidii causa. Rectius tamen deduces a *casa*, ut docet *Isid.* 15. *Orig.* 2. 13.; *castrum* enim proprie et stricto sensu significat unum militare tentorium. — Attamen in singulari numero *castrum* a Latinis appellatus est locus, et quidem editus, muro fossaque munitus cum milite excubante præsidii causa: quod si angustius esset, castellum appellabatur. Primo extrui cœpta sunt hujusmodi loca ad custodiam regionis arcendosque hostes; deinde et ab incolis frequentari cum cœpissent, oppidorum vicem supplevere. Quare idem discrimen est inter *castrum* et *oppidum*, quod supra in fine vocis CASTELLUM posuimus (It. *castello*, *forte*, *fortezza*; Fr. *château*, *fort*, *forteresse*, *fort*; Hisp. *castillo*, *lugar fuerte*, *fortereza*; Germ. *Feste*, *fester Platz*, *Castell*, *Burg*, *Waffenplatz*, *Besatzungsort*; Angl. *a castle*, *fort*, *fortress*). *Nepos Alcib.* 9. Ei Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquagena talenta vectigalis capiebat. *Liv.* 32. 29. Ut – una (*colonia duceretur*) ad castrum Salerni. *Dig.* 27. 1. 17. § 7. Inquilini castrorum a tutelis excusari solent, nisi eorum, qui et ipsi inquilini sunt et in eodem castro eademque conditione sunt. — *NB.* Porro varia sunt in variis regionibus oppida, quæ *Castri* nomine appellantur, quæque *V.* in ONOM. — Hinc

Castra, ōrum, n. 2. in plurali numero sæpius occurrit, et est locus, in quo exercitus cum in expeditione est, subinde consistit, et vallo fossaque munit, tentoria figit, quietem capit (It. *alloggiamento dell'esercito in campagna*, *steccato*, *campo*; Fr. *camp de guerre*; Hisp. *campo*; Germ. *Heer-oder Kriegslager*, *Lager*, *Feldlager*; Angl. *a camp*, *encampment*). De castris autem faciendis multa *Veget.* 3. *Milit.* 8.: de varia vero castrorum forma, quæ variis temporibus obtinuit, V. *Pauly's Real Encycl. T.* 2. *p.* 208. et seqq., et *Lange* ad *Hygin. Gromat. de munit. castr. p.* 101. et seqq.

1.) Proprie et stricto sensu — *a*) Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua exhibentur. *Sueton. Claud.* 1. et *Tac.* 3. *Ann.* 21. æstiva. *V.* ÆSTIVUS. *Liv.* 29. 35. hiberna. *V.* HIBERNUS. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 29.; *Cæs.* 3. *B. C.* 30. et 37.; *Sall. Jug.* 44. et *Tac.* 3. *Ann.* 31. stativa. *V.* STATIVUS. — *Nepos Alcib.* 8. Castra navalia juxta hostes habere. *h. e.* locus, ubi naves ad bellum paratæ consistunt. Adde *eumd. Hann.* 11. Sic *Cæs.* 5. *B. G.* 22. Castra navalia de improviso adoriri. Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 604. faces in castra tulissem Implessemque foros flammis. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 519. — *Auct. B. Afr.* 80. Castra lunata. *h. e.* in modum bicornis lunæ posita. — *Castra Prætoriana* et *Prætoria* fuit locus ad Urbem prope muros, non longe a via Nomentana, ubi Prætorianus miles continebatur. Instituta sunt ex consilio Sejani a Tiberio, qui dispersas antea et sine castris cohortes, quas Augustus præsidii causa in Urbem induxerat, in eum locum collegit. *Sueton. Claud.* 21., et *Capitolin. Maxim. et Balb.* 10. Vide *eumd. Sueton. Tib.* 37.; *Fragm. Vatic.* 195.; et *Scholiast. Juvenal.* 10. 95. Prætorias legiones earumque subsidia factionibus aptiora, quam urbi Romæ, sublata penitus a Constantino M. narrat *Aurel. Vict. Cæs.* 40. Porro eadem *castra urbana* vocantur in *Dig.* 48. 5. 15., et absolute *castra* a *Sueton. Claud.* 36., neque alia intelligenda, cum in urbanis rebus de castris mentio fit. — Interdum *castra* et cum numeralibus conjunguntur *Cic.* 12. *Phil.* 11. 27. Pompejus cum duce Marsorum inter bina castra collocutus est. Adde *Liv.* 4. 27. *Tac.* 4. *Ann.* 2. Una castra. — Interdum vero cum numeralibus castra significant fossam, vallum aliaque opera militaria, quibus urbes in obsidionibus cinguntur. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Quinis castris oppidum circumdedit. Huc referri potest et illud *Cic.* 15. *Fam.* 4. Oppidum sex castellis castrisque maximis sepsi. — *b*) Jungitur etiam aliquot Substantivis. *Cic.* 11. *Phil.* 5. 12. Castrorum

metator. *Nepos Eumen.* 9. consuetudo. *Sall. Jug.* 58. munimentum. *Liv.* 3. 28. tractus formaque. *Virg.* 7. *Æn.* 159. castrorum in morem. — *Castrorum filius* est appellatus Caligula imperator, teste *Sueton. Cal.* 22., quod in castris natus educatusque fuerit. Adde *Aurel. Vict. Cæs.* 3. *Castrorum* vero *mater* prima omnium Augustarum fuit appellata Faustina junior, M. Aurelii Antonini uxor, quod hanc ille secum, dum adversus Quados bellasset, in æstivis habuerat, ut ait *Capitolin. M. Aurel.* 26. Hinc passim in inscriptionibus et nummis deinde plures Augustæ hoc cognomine honoratæ fuerunt. — c) Jungitur denique etiam pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72.; *Nepos Datam.* 6. et *Curt.* 3. 12. 1. capere hostium castra. *Liv.* 4. 27. et 9. 17.; *Quintil.* 12. 3. 5. et *Sueton. Aug.* 94. capere locum castris. Cf. *Tac.* 12. *Ann.* 55. et *Sall. Jug.* 54. *Id. Sall. Jug.* 38. circumvenire castra multitudine. *Cic.* 7. *Verr.* 37. 96. collocare. *Id. ibid.* commovere. *Cæs.* 5. *B. G.* 47.; et *Liv.* 2. 32. et 21. 32. communire. *Sall.* apud *Non.* 4. 235. *edit. vet.* collatis castris. h. e. castris ab altero in alterius conspectu collocatis. *Liv.* 4. 27., 10. 32. et 23. 28.; et *Tac.* 11. *Ann.* 8. et 2. *Hist.* 30. conferre castra castris. *Liv.* 26. 12. conferre castra cum hoste. *Id.* 3. 69. conjungere castra castris. *Cæs.* 3. *B. C.* 56.; *Auct. B. Hisp.* 27.; et *Sueton. Tib.* 37. constituere castra. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. et 2. *ibid.* 11. continere exercitum castris. *Id.* 1. *B. C.* 66. continere copias in castris. *Id. ibid.* 40. continere se castris. *Id. ibid.* 81. convertere castra castris. *Curt.* 3. 11. diripere castra hostium. *Tac.* 5. *Hist.* 21. erigere castra. *Id.* 4. *Ann.* 7. exstruere. *Liv.* 2. 53. et 23. 7.; *Sil. It.* 16. 26. exuere hostem castris. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 29. et 15. *Fam.* 4. 8.; *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 1.; et *Nepos Miltiad.* 5. facere castra. *Cic.* 2. *Invent.* 42. 123. habere castra prope muros. *Id.* 15. *Fam.* 4. 9. habere in radicibus Amani. *Cæsar* apud *Cic.* 9. *Att.* 14. 1. habere ad portas. *Sall. Jug.* 106. et *Lucan.* 4. 169. locare castra. *Cic.* 15. *Fam.* 2. 2. locare ad Cybistra. *Liv.* 1. 14. locare a Fidenis M. passuum. *Id.* 2. 53. locare pro mœnibus sociorum. *Cæs.* 3. *B. C.* 13.; *Sall. Jug.* 106.; *Cælius* apud *Non. p.* 137. 18.; *Curt.* 3. 8. 14.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (32). et *Tac.* 1. *Ann.* 63. metari. *V.* CASTRAMETOR. *Cic.* 3. *Fam.* 6. 6. movere ab Iconio. *Id.* 1. *Divinat.* 35. 77. movere Arretium versus. *Cæs.* 1. *B. G.* 15.; *Nepos Datam.* 8.; *Virg.* 3. *Æn.* 519.; et *Curt.* 5. 2. 7. movere ex aliquo loco. *Liv.* 2. 58. movere retro. *Cæs.* 1. *B. G.* 40., 4. *ibid.* 9. et 3. *ibid.* 80.; et *Liv.* 44. 39. munire. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. ponere e regione castris castra. *Varro* 3. *R. R.* 2. 15.; *Nepos Datam.* 11.; *Sall. Jug.* 75.; et *Liv.* 2. 53. ponere. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. D. § 1. ponere apud Corfinium. *Cæsar* apud *Cic.* 9. *Att.* 13. A. § 1. ponere ad murum. *Cæs.* 7. *B. G.* 36. ponere pro oppido in monte. *Auct. B. Alex.* 76. potiri castris. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. proferre castra. *Id.* 1. *B. G.* 48. promovere. *Id.* 2. *ibid.* 11. recipere se in castra. *Liv.* 4. 17. referre castra. *Id.* 9. 21. removere. *Nepos Cat.* 1. et *Att.* 7. sequi castra alicujus. Similiter *Id. Hann.* 13. in castris esse cum aliquo. *Tac.* 2. *Hist.* 19. vallare castra.

II.) Improprie. ¶ 1. Quia quotiescumque locum mutat exercitus, nova castra facere opus est, per metonymiam castra designant aliquando ipsa itinera militaria, quæ interdiu fiebant et vespere nova castra ponebantur. *Cæs.* 7. *B. G.* 36. Cæsar ex eo loco quintis castris Gergoviam pervenit. *Liv.* 38. 24. Ad eos profectus consul, tertiis castris Ancyram pervenit. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 71. *Liv.* 28. 16. *ad fin.* Septuagesimis castris Tarraconem pervenit. *Id.* 40. 22. septimis castris. *Id.* 44. 7. et *Tac.* 3. *Hist.* 15. secundis castris. *Curt.* 3. 7. 5. Castris motis ad urbem Mallon pervenit, inde alteris castris ad oppidum Castabalum. *Id.* 5. 1. 16. quartis. *Id.* 9. 10. nonis. *Id.* 4. 9. undecimis. *Id.* 8. 12. sextis decimis. ¶ 2. Item per metonymiam sæpe accipiuntur pro ipsa militia. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Magnum in castris usum habere. *Nepos Epam.* 5. Castris uti, non palæstra. *Id. Hann.* 23. In castra proficisci cum aliquo. *h. e.* ire in militiam. *Tibull.* 4. 1. 39. Nam quis te majora gerit castrisve forove? Cf. *Plin. Paneg.* 34., et *Quintil.* 11. 1. 47. *Vellej.* 2. 125. Vir, nescias utilior in castris, an melior in toga. ¶ 3. Figurate ponitur de statione alicujus multitudinis, et quidem speciatim — a) De alvearibus. *Virg.* 12. *Æn.* 589. Illæ (*apes*) intus trepidæ rerum per cerea castra Discurrunt. *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 4. In castris apium. — b) De pastorum statione. *Colum.* 6. *R. R.* 23. 3. Si velut ex militari disciplina intra stabulariorum castra manserint. *Schneid.* vero cum *Goes.* legit *stabulorum*. — c) In descriptione regionum Urbis R. sub fin. leguntur apud *P. Victor.* castra lecticariorum, tabellariorum, victimariorum, salgamariorum: et videntur esse certa loca, ubi magna erat hujusmodi artificum frequentia, quo facilius a conducentibus inveniri possent. ¶ 4. Translate *castra* significant partes et præcipue philosophorum familias vel sectas. *Cic. Cæcin.* 29. 83. Si ad interdicti sententiam confugis —, in meis castris præsidiisque versaris. *Id.* 7. *Fam.* 12. Indicavit mihi Pansa meus Epicureum te esse factum. O castra præclara! *Id.* 9. *ibid.* 20. 1. In Epicuri nos adversarii nostri castra conjecimus. *Horat.* 3. *Od.* 16. 22. nil cupientium Nudus castra peto. Adde *Senec. Ep.* 2. *ad fin.* — Inter translata referendum esset et illud *Plauti* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 776. Castrum pœnarum. *At alii rectius leg.* Pœnorum. — *NB.* Castra militaria variis locis nomen dedere, ubi posita aliquando fuerant: quæ *V.* in ONOM.

CASTULA, æ, f. 1. est palliolum præcinctui, quod nudæ infra papillas præcinguntur, quo mulieres nunc, et eo magis utuntur, postquam subuculis desierunt. Hæc *Non. p.* 548. 30. *Merc.*, cujus verba quidam *Varroni* tribuerunt, neque immerito. Afferuntur etiam a quibusdam Lexicographis hæc *Varronis* verba: *Castulam mulier sumpserat pro succula* (forte subucula). Sed a quonam ea referantur, nondum inveni. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

CASTUM, i, n. 2. *V.* CASTUS in fin.

CASTUOSUS, a, um, adject. idem ac castus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 92.

CASTUS, a, um, adject. Comp. *Castior* et Sup. *Castissimus* sub *B.* 1. — Ratione habita etymi, cl. *Furlanetto* videbatur esse a καστὸς verbale a κάω *cavo, exscindo*, quasi eviratus: hæc certe vox conjungenda est cum Gr. καθαρὸς et cum Lat. cassus. — Castus est purus, immaculatus; atque morali tantum ratione usurpatur cum de personis, tum de rebus (It. *puro, mondo, immacolato*; Fr. *pur, sans tache*; Hisp. *puro, acendrado*; Germ. *rein, lauter, unbefleckt, makellos*; Angl. *pure, spotless*). Occurrit

I.) Proprie.

A) Raro addita re, a qua quis purus est. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 13. Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse a culpa castas. *Cic.* 13. *Phil.* 4. 8. Res familiaris cum ampla, tum casta a cruore civili. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 8. Curator apium castus ab rebus venereis. *Forcellinus* hunc locum ad posteriorem paragr. 2. retulit. *Varro* apud *Non. p.* 367. 11. *Merc.* Auri castus. *h. e.* qui ab auro abstinet: ita enim legendum putat *Oehler*.

B) Sæpius absolute. ¶ 1. Generatim castus est ab omni improbitate immunis, innocens, integer, sanctus. *Cic. Rosc. Am.* 7. 21. Considera quis quem fraudasse dicatur: probus improbum, pudens impudentem, perjurum castus etc. *Id.* 3. *Phil.* 6. 15. Quis hoc adolescente castior? quis modestior? — quis autem illo, qui male dicit, impurior? *Forcellinus* hunc et *Martialis* 1. inferius allatum ad posteriorem par. 2. retulit. *Id.* 2. *Invent.* 11. 36. Indignum demonstrabitur, cum animus omni in vita fuerit a vitiis remotissimus, eam causam castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere. *Id.* 11. *Att.* 6. 5. Homo integer et castus et gravis. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 72. Animi integri castique. *Id. Fontej.* 8. 22. Mens castæ, integræ. *Id. Cœl.* 4. 9. M. Crassi domus castissima. *Virg.* 6. *Æn.* 563. Nulli fas casto sceleratum insistere limen. *Horat. Art. P.* 206. Populus frugi, castus verecundusque. *Ovid.* 7. *Met.* 724. culpâ domus ipsa carebat, Castaque signa dabat; dominoque erat anxia rapto. *Sil. It.* 11. 461. Saturni sæcula. *Id.* 1. 609. paupertas. *Id.* 13. 281. Fœdera, mortales, ne sævo rumpite ferro, Sed castam servate fidem. *h. e.* inviolatam. Sic *Id.* 17. 131. casti ductoris fœdera. *Et* 3. 1. Sagunti mœnia castæ. Adde *eumd.* 14. 83. *Martial.* 6. 28. Castus moribus, innocens pudore, Velox ingenio, decore felix. ¶ 2. Speciatim castus dicitur qui a turpi libidine immunis est, continens: ad rem *Catull.* 16. 5. Nam castum esse decet pium poetam Ipsum, versiculos nihil necesse est. *Cic. Harusp. resp.* 13. 27. Femina, quæ matronarum castissima putabatur. A *Tibullo* 3. 1. 23. dicitur *casta*, quæ uno amatore contenta est: adde *eumd.* 1. 3. 83. et *ibid.* 7. 73. et 81. Similiter *Martial.* 9. 91. Sic uni tibi sit puer cinædus, Et castissima pruriat puella. *h. e.* tibi uni pruriat, aliis casta maneat. — Hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ovid.* 4. *Fast.* 224. amor. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 41. ardor. *Horat.* 3. *Od.* 7. 15. Bellerophon. *Seneca Octav.* 226. conjux. *Lucret.* 5. 1011. connubia Veneris. *Ovid.* 12. *Met.* 30. cruor. *Catull.* 66. 84. cubile. *Virg.* 2. *G.* 571. et *Horat.* 4. *Od.* 5. 21. domus. *Ovid.* 4. *Fast.* 726. Februa. *Seneca Herc. fur.* 309. et alibi; et *Stat.* 5. *Silv.* 1. 154. fides. *h. e.* conjugii fides. *Catull.* 62. 46. flos virginis. *Id.* 65. 20. gremium. *Ovid. Heroid.* 16. 284. jura tori. *Lucret.* 1. 99. hostia. *Seneca Hippol.* 1195. juvenis. *Catull.* 64. 87. lectulus. *Ovid. Heroid.* 20. 10. manus. *Id.* 2. *Fast.* 139. maritæ. *Virg.* 8. *Æn.* 665. matres. *Publius Syrus* v. 113. matrona. *Horat.* 3. *Od.* 3. 23. Minerva. *Paul. Diac.* p. 65. 1. *Müll.* mola. *h. e.* genus sacrificii, quod Virgines Vestales faciebant. *Phædr.* 3. 10. mulier. *Id.* 4. 23. oscula. *Seneca Hippol.* 130. pectus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 100. pudor. *Catull.* 62. 22. puella. *Ovid.* 2. *Met.* 711. puellæ. *Horat. Carm. sæcul.* 6. pueri. *Forcellinus* hoc loco *castos* interpretatus est ingenuos, *h. e.* non meritorios, qui servilis erant conditionis: unde *Cic.* 2. *Phil.* 41. 105. Ingenui pueri cum meritoriis versabantur. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 8. versus. *Varro* apud *Non.* p. 267. 9. et p. 366. 29. *Merc.* vestis. *Ovid.* 4. *Met.* 799. vultus. — Huc referri potest et illud *Sil. It.* 13. 431. juvenca cervice casta. *h. e.* quæ jugum non sensit. ¶ 3. *Varro* apud *Non.* p. 367. 11. *Merc.* castum dicit a furtis et rapinis abstinentem, ut ipse *Non.* exponit: quo sensu *Cic. Sext.* 43. 93. Homo castus ac non cupidus. *Id. Flacc.* 28. 68. Castissimus homo atque integerrimus. ¶ 4. Ratione habita rei divinæ castus est sacer, pius, integerrimus, sanctus. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. *Id. Harusp. resp.* 13. 27. Castissimos ludos omni flagitio polluere. *Id.* 2. *Invent.* 39. 114. Præmia virtutis sancta et casta esse oportet, neque ea aut cum improbis communicare, aut in mediocribus hominibus pervulgari. *Id. Rabir. perduell.* 4. 11. Uter nostrum popularis est? tu ne, qui civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas, qui in campo Martio crucem constitui jubes; an ego, qui castam concionem, sanctum campum defendo servari oportere? *Forcellinus* hunc locum ad superiorem paragr. 1. retulit. *Varro* apud *Non.* p. 267. 8. *Merc.* Res sacræ, religiosæ castaque. *Id.* apud *eumd. ibid.* 14. Demitis acres pectore curas cantu castaque poesi. ubi *Non.* haud recte interpretatur suavi et jucunda. *Virg.* 6. *Æn.* 661. Casti sacerdotes. *Id.* 7. *ibid.* 71. castis adolere altaria tædis. ubi *Servius* illud *castis* exponit *piis*; eademque ratione interpretatur illud 3. *Æn.* 409. Hac casti maneant in religione nepotes. *Horat.* 4. *Od.* 11. 6. Ara castis cincta verbenis. *Id.* 1. *ibid.* 12. 59. Parum castis lucis mittere fulmina. *h. e.* quorum religio scelere aliquo polluta est. *Id. Carm. sæc.* 42. Castus Æneas. *Tibull.* 3. 4. 23. laurus. *Ovid.* 15. *Met.* 675. crines. *Id.* 3. *Amor.* 13. 3. festa. *Id.* 2. *Fast.* 26. tempora sacerdotum. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 12. castior amnis. *Id. Achill.* 1. 370. sacra. *Tac. Germ.* 40. nemus. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 322. agmen. *Id. II. Cons. Stilich.* 260. flumen.

II) Improprie. *Castus sermo* est purus, nitidus, elegans, et ab omni barbarie ac sordidis phrasibus expurgatus. *Gell.* 19. 8. C. Cæsar vir ingenii præcellentis, sermonis præter alios suæ ætatis castissimi. *V. Sanctus.* — *NB.* De cognom. *V.* ONOM. — Hinc

Castum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est ritus, cæremonia, sacrum, in quo a certis quibusdam rebus abstinentia præcipitur. *Festus* p. 154. 25. *Müll.* Minuitur privato luctus, cum in Casto Cereris est. *h. e.* cum sacris Cereris operatur, ὅταν ἁγνεύῃ Δήμητρι. Porro in casto Cereris a panis alimonio abstinebant, imitati Cererem, cum, violentia mœroris ob amissam filiam, diu satarum a se frugum inediam toleravit, ut *Arnob.* 5. 16. docet. (*V.* voc. seq.). *Tertull. Jejun.* 16. Castum Isidis et Cybeles. *Forcellinus* legebat *castus*: et præterea admisit *Castus*, i, m. 2.

Homonym. Morali significatione purus et castus inter se differunt: *purus* enim negativa pollet vi, *castus* vero affirmativa; *purus* dicitur et est qui macula seu labe tantummodo caret, *castus* vero, qui ho-

nestis præterea atque optimis moribus præditus est, adeoque *castus* ad *sancti* significationem quam proxime accedit. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 121. Ut igitur, qui se tradet quieti præparato animo cum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis: sic castus animus purusque vigilantis et ad astrorum et ad avium reliquorumque signorum et ad extorum veritatem est paratior. *Id. Rosc. com.* 6. 17. Vita purissima et castissima. *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 3. Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia pure ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, ut etc. *Liv.* 27. 37. Pure et caste a matronis sacrificatum. *Seneca Ep.* 108. Castum corpus, sobria mensa, pura mens. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 10. 12. (27). Radix caste pureque collecta discutit strumas. *Alter Plin.* 4. *Ep.* 11. Fœdum contactum a casto puroque corpore rejecit. *Id. Paneg.* 3. Casta puraque mens.

CASTUS, us, m. 4. ritus, cæremonia, sacrum, quod et *castimonia* et *castum* dicitur; ac proprie significat sacrum illud, in quo a certis quibusdam rebus abstinentia præcipitur, et præsertim cum ministros ejus sacri a rebus venereis castos esse oportet. *Nævius apud Non.* p. 197. 15. *Merc.* Res divas edicit, prædicit castus. *Varro apud eumd. ibid.* Et religiones et castus id possunt, ut etc. *Gell.* 10. 15. Castus multiplices impositi Flamini Diali. *Arnob.* 5. 16. Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus? *V.* adnotat. *Orell.* ad *Arnob. loc. cit.* p. 296., et *Castum* in fine voc. CASTUS, a, um.

CĀSŪĀLIS, e, adject. ad casum pertinens; et occurrit

I.) Proprie, quamvis latiori sensu, Grammatici usurpant de iis rebus, quæ casus declinationis respiciunt, ut *Casuale genus*, *h. e.* quod in casus declinatur, apud *Varron.* 8. *L. L.* 52. *Müll.*, et *Casualis pars* apud eumd. 10. *ibid.* 18. Sic *casuales dictiones*, quæ per casus inflectuntur, apud *Priscian.* 5. p. 670. *Putsch.*; et *casuales formæ*, *h. e.* earum dictionum, quæ habent casus, apud *eumd. Priscian.* 5. p. 672. *Putsch.*; et *casuales præpositiones* apud *Probum* 1. p. 1427. *Putsch.*; item *casualis præpositio* quæ casibus servit, et opponitur *loquelari* quæ loquelis tributa est apud *Pompej. Gramm.* p. 393.

II.) Translate casualis dicitur, qui casu seu fortuito fit. *Imp. Justinian. Cod.* 6. 27. 6. Casualis conditio. *h. e.* quæ a casu pendet. *Cassiod.* 4. *Variar.* 33. Ne arbitrio casuali vagarentur, quos regi consilio divina voluerunt.

CĀSŪĀLĬTER, adverb. casu, forte. *Sidon.* 9. *Ep.* 11. Si quid ibi vel casualiter placet. Adde. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 5.

CĂSŬLA, æ, f. 1. *deminut. a casa*, parva casa. *Petron. Satyr.* 111. Secundum illam casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (118). Casula Protogenes contentus erat in hortulo suo. At *Sillig* ex optimis codicibus legit *casa*. *Juvenal.* 11. 753. Et casulam et notos tristis desiderat hædos. Adde *Apul.* 4. *Met.* — Hinc ponitur et pro sepulcro. *Inscript.* apud *Zacchar. Stor. lett. d' Italia T.* 14. p. 89. M. LICINIVS M. F. POL. NEPOS HANC CASVLAM IN PARVO FECIT SVPREMI TEMPORIS SEDEM. Cf. *Petron.* loc. superius allatum. — *NB.* De casula veste *V.* in CUCULLATUS, et cf. *Labus Fasti T.* 1. p. 448.

CĀSUS, us, m. 4. Jam inde a *Ciceronis* ætate, quoniam littera s, quæ ex ds coibat, fortius efferebatur, factum est ut et *cāssus* pro *casus* scriberetur, teste *Quintil.* 1. 7. 20., quocum confer *Varron.* 8. *L. L.* 11. et 39. *Müll.* In Inscriptionibus vero aliquando etiam *Kasus* occurrit, ut in *Inscript.* infer. allata sub I. 1. — Casus a cado est actus cadendi, ruina (*It. caduta, cadimento*; *Fr. action de tomber, chute*; *Hisp. el acto de caer, caida*; *Germ. d. Fall oder das Fallen*; *Angl. a fall or falling*).

I) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de personis aut rebus. *Accius apud Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Deinde ejus germanum (*visum est*) cornibus connitier in me arietare eoque ictu me ad casum dari. Et figurate *Cic. Cæl.* 17. 41. (*Natura*) multas vias adolescentiæ lubricas ostendit, quibus illa insistere aut ingredi sine casu aliquo ac prolapsione vix posset. *Lucret.* 2. 231. Hæc pro ponderibus casu celerare necesse est. *Id.* 1. 313. Casus stillicidii lapidem cavat. *Id.* 5. 206. Casus geli. *Id. ibid.* 1332. Gravi casu consternere terram. *Id.* 1. 741. Magno casu cadere. *Liv.* 5. 47. Gallum — deturbat. Cujus casu prolapsi cum proximos sterneret, trepidantes alios — trucidat. *Id.* 21. 35. Nivis casus ingentem terrorem adjecit. *Horat.* 2. *Od.* 10. 10. celsæ graviore casu Decidunt turres. *Phædr.* 5. 7. Casu gravi concidere. *Ovid.* 8. *Met.* 715. Casus loci. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 50. 51. (135). fulminum. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (21). vehiculi. *Juvenal.* 10. 107. Altior casus. *Quintil.* 1. 12. 10. Casu in terram deferri. *Inscript.* apud *Orell.* 52. AQVAM MARCIAM VARIIS KASIBVS IMPEDITAM. ¶ 2. Latiori sensu a Grammaticis *casus* appellatur forma nominum, quæ declinatione in aliam atque aliam positionem cadunt, quæque *Gr.* πτῶμα dicitur; qua de re cf. *Varro* 8. *L. L.* 16. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 58. 11. *Müll. Cic.* 3. *Orat.* 11. 40. Verba et casibus et temporibus et genere et numero conservare. *Id.* 2. *ibid.* 87. 358. Verba immutata casibus. *Id. Orat.* 48. 160. Barbari casus. *V.* BARBARUS. *Id.* 2. *Nat. D.* 25. 64. Juppiter, idest juvans pater, quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem. *Id. Orat.* 48. 160.; *Varro* 7. *L. L.* 33. et 8 *ibid.* 36. *Müll.*; *Quintil.* 1. 5. 61.; et *Gell.* 5. 21. Casus rectus. *Varro* 8. *L. L.* 46. et 49. et 69.; *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 17. et *Quintil.* 1. 6. 22. Casus obliqui. *Varro* apud *Diomed.* 1. p. 277. *Putsch.* Casus Latinus. *h. e.* ablativus, quia Latinæ linguæ proprius est, cujus vis apud Græcos per genitivum explicatur. *Nigidius* apud *Gell.* 13. 25. Casus interrogandi. *h. e.* genitivus. *Id. ibid.* Casus dandi. *h. e.* dativus. *Quintil.* 7. 9. 13. Casus nominativus, dativus, ablativus. *Id.* 1. 4. 26. Casus sextus, septimus.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro eventu fortuito et non præviso, sive bonus, sive malus sit. Veteres *casum* et *fortunam* deos fecerunt, qui inopinatis eventibus præessent, eosque, cum liberet, accidere permitterent. Discrimen, quod inter hæc duo statui solet, est ejusmodi, ut *Fortunæ* tribuantur ea, quæ ex causis quidem non necessariis proficiscuntur et propterea fortuita dicuntur; tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt, ut interitus exercituum, invidiæ, exsilia, honores etc.: *Casui* vero ea assignentur, quæ sine ulla hominum ope eveniunt, ut procellæ, incendia, morsus bestiarum, et similia. *Cic.* 2. *Off.* 6. utrumque genus *Fortunæ* tribuit. Sed non solum ipse, verum alii quoque scriptores illam differentiam sæpissime negligunt, quæ ad philosophiam sane magis, quam ad recte loquendi rationem pertinet. Porro hac significatione *casus* occurrit — a) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 32. 90. Quis iste tantus casus? unde tam felix concursus atomorum, ut repente homines deorum formâ nascerentur? *Id.* 2. *Divinat.* 6. 15. Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? quomodo ergo id, quod temere fit cæco casu et volubilitate fortunæ, præsentiri et prædici potest? *Id. ibid.* 21. 49. Potest igitur — casus veritatem imitari? *Id.* 2. *Off.* 13. 44. Habere aliquid aut a patre acceptum, aut aliquo casu, aut fortunâ. *Id. pro leg. Manil.* 20. 60. Ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodare. *Id. Orat.* 28. 98. Extimescere ancipites dicendi incertosque casus. *Id.* 7. *Fam.* 5. Casus mirificus quidam intervenit, quasi sponsor humanitatis tuæ. *Id.* 10. *ibid.* 18. Quæ res nullam habebat dubitationem, ea nunc magnam affert sollicitudinem magnumque habet casum. *Id.* 5. *ibid.* 17. Casus communis et incertus. *Id.* 2. *Orat.* 85. 346. Sapienter ferre casus adversos. Adde *Auct. B. Gall.* 8. 13. Rursus *Cic. Sull.* 1. 1. infestus. *Id.* 6. *Phil.* 7. 19. fatalis. cui *ibid.* opponitur voluntarius. *Id.* 2. *Off.* 6. 19. rariores. *Nepos Datam.* 5. Reges hominibus casus adversos tribuunt, secundos fortunæ suæ. *Id. Timol.* 5. Casus mirabiles. *Cæs.* 1. *B. C.* 78. Tarraco aberat longius, quo spatio plures rem posse casus recipere intelligebant. *Id.* 6. *B. G.* 30. Magno casu accidit aliquid. *Id.* 3. *ibid.* 5. Ad extremum casum res deducta. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 2. Sed cum in eum casum me fortuna demisisset, ut etc. *Id.* apud *eumd. ibid.* 21. Si casus inciderit, mori paratus. *Sall. Cat.* 56. Ut quemque casus armat. *Liv.* 42. 50. Regna et imperia sub casibus multis esse. *Id. ibid.* In aleam tanti casus se regnumque dare. *Id.* 42. 62. In casum irrevocabilem se dare. *Catull.* 64. 216. Casus dubii. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 2. 108. *Virg.* 12. *Æn.* 321. Quis tantam Rutulis laudem casusne deusne Attulerit. *Id.* 2. *Æn.* 563. subiit deserta Creusa Et direpta domus et parvi casus Iuli. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 52. Felicem dicere non hoc Me possunt casu, quod te sortitus amicum. *Curt.* 4. 7. 13. Sive illud deorum munus, sive casus fuit. *Id.* 9. 6. Trahere aliquem in casum. *Sueton. Aug.* 73. Subiti repentinique casus. *Tac.* 1. *Ann.* 29. Quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus. *Id.* 12. *ibid.* 14. Rem in casum dare prælioque experiri. *h. e.* fortunæ permittere. *Lucan.* 4. 771. Anceps belli casus. *Juvenal.* 1. 90. loculis comitantibus itur Ad casum tabulæ. *h. e.* tabulæ lusoriæ. Nota et illud non bene perspicuum et fortasse singulare *Ovid.* 1. *Art. am.* 379. Casus in eventu est. — Hac significatione ablativus *casu* adverbii loco adhibetur, et significat forte. *Cic.* 1. *Fam.* 2. 3. Et ego eo die casu apud Pompejum cœnavi. *Id. Cluent.* 27. 74. Casu Stalenus ipse non aderat. *Id.* 5. *Fam.* 15. Casu nescio quo in ea tempora ætas nostra incidit, ut etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Id evenit non temere, nec casu, sed etc. *Nepos Hann.* 12. Accidit casu, ut legati etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 103. Ibi casu rex erat Ptolemæus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 19.; *Horat.* 1. *Sat.* 9. 36.; *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 1.; *Quintil.* 3. 6. 26. et 5. 10. 50.; et alios. *Seneca Ep.* 71. Necesse est, multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. — Hac item significatione a Jurisconsultis dicitur aliquando de iis rebus, quæ consulto quidem eveniunt et ex hominum electione, sed respectu legum, sub quas cadunt, velut inopinato accidunt. *Ulp. Dig.* 24. 3. 64. In quibus casibus lex deficit. *Id. ibid.* 36. 1. 16. *ad fin.* Talis casus a Divo Pio terminatus est, cum servo legato etc. *Julian. ibid.* 1. 3. 10. Neque leges, neque senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus comprehendantur. — b) Aliquando ipse casus per additum Genitivum definitur. *Cic. Senect.* 19. 67. Ætas adolescentiæ multo plures, quam nostra, mortis casus habet. *Virg.* 10. *Æn.* 791. Hic mortis duræ casum, tuaque optima facta etc. ¶ 2. Hinc ponitur sæpe et pro occasione (unde *Liv.* 41. 40. Casus in occasionem vertendus. *V.* OCCASIO) fere cum Genitivo, interdum tamen, si verborum series per se id offerat, etiam absolute. *Sall. Jug.* 27. Maxime sperans, deducta manu hostium, aut vi, aut dolis sese casum victoriæ inventurum. *Id. ibid.* 60. Fortunam illis præclari facinoris casum dare. *Quintil.* 8. 4. 17. Casum vomendi afferre. *Tac.* 12. *Ann.* 28. Casum pugnæ præbere. *Id. ibid.* 50. Casus invadendæ Armeniæ. *Id.* 11. *ibid.* 9. Casus Mithridati datus est occupandi Armeniam. *Id.* 13. *ibid.* 36. Casus bene gerendæ rei. *Id.* 4. *ibid.* 50. Casum insidiantibus aperire. *h. e.* insidiandi. *Id.* 1. *ibid.* 13. Si casus daretur. *h. e.* si se præberet occasio. ¶ 3. Item casus ponitur de iis omnibus, quæ ab altiori gradu in inferiorem quomodocumque decidunt, ac speciatim de iis, quæ transeunt, desinunt, intereunt. *Virg.* 1. *G.* 340. Extremæ sub casum hiemis. *h. e.* cum hiems finitur. *Id.* 1. *ibid.* 623. Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis Trojanæ. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. Casus virium. *h. e.* imminutio, debilitatio. — Hinc translate dicitur et de morte alicujus. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Saturnini atque Gracchorum casus. Adde *Sall. Jug.* 14. *Liv.* 23. 22. Suus quemque casus absumit. *Virg.* 5. *Æn.* 350. Me liceat casus miserari insontis amici. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 93. *Sueton. Aug.* 65. Caji Lucique casu non adeo fractus. ¶ 4. Hinc sæpissime de quacumque ruina, qua quis de suo statu aliquo modo decidit: ad rem *Sall. Jug.* 62. Quam gravis casus ex servitio in regnum foret. *Item Phædr.* 1. 21. Quicumque amisit dignitatem pristinam, Ignavis etiam jocus est in casu gravi. *Cic. Dom.* 32. 84. Ac vide quid intersit inter illum iniquissimum patris tui casum et hanc fortunam conditionemque nostram. *Id. Sext.* 24. 53. Quem meum illum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent. *Id.* 1. *Orat.* 1. 2. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum cum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. *Id. Sull.* 31. 61. Tutari et conservare aliquem in casu, quo afflictus jacet. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. Relevare casum alicujus. *Id.* 4. *Fam.* 13. Aliorum opibus casus suos sustentare. *Id.* 2. *Orat.* 47. 107. Casus gravis miserabilisque. *Sall. Cat.* 51. Casum rei publicæ miserati sunt. Adde *Liv.* 37. 17. Rursus *Sall. Cat.* 40. Casus civitatis. Et in *Epist. Cat.* apud *eumd. Sall.* 36. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. *h. e.* pro mea conditione et statu, in quem decidi. *Catull.* 68. 1. et *Virg.* 5. *Æn.* 700. Casus acerbus. *Virg.* 6. *ibid.* 377. durus. *Id.* 8. *ibid.*

578. infandus. ¶ 5. A medicis casus dicitur ipse morbus vel symptoma. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 80. si condoluit tentatum frigore corpus, Aut alius casus lecto te affixit. *Virg.* 4. *G.* 251. Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo. *Cels.* 4. 7. Pulmo totus afficitur: hunc ejus casum subsequitur tussis. Et *ibid.* 4. *extr.* In hoc casu locis maritimis opus est. *Id.* 8. 2. *in fin.* In ceteris vero casibus, ubi ossa paullulum recesserunt etc. *Id.* 5. 23. Antidota gravissimis casibus opitulantur. Adde *Scribon. Compos.* 175.

CĀSŪ, adverb. *V.* voc. praeced. sub II. 1. *a.*

CĂTĂ, praepos. κατά, secundum. *Vulgat. interpr. Ezech.* 46. 14. Et faciet sacrificium super et cata mane mane, *h. e.* per singulos dies mane.

CĂTĂBĂSIS, is, f. 3, κατάβασις, hoc est descensus, a καταβαίνω *descendo. Macrob.* 1. *Saturn.* 21. Solis catabasi finita, h. e. inferiori via, qua ad signa hiemalia descendit. *Aldus* Graece edidit καταβάσει, rectius.

CĂTĂBŎLENSIS *vel* catabulensis, se, adject. *Catabolenses* in *Cod. Theod.* 14. 3. 9. *et* 10. cum pistoribus conjunguntur, quod utrorumque ars quamdam invicem affinitatem habebat. Fuerunt enim *Catabolenses* qui onerariis jumentis onera transvehebant, et praesertim molenda frumenta ad pistrinum comportabant, ut censet *Cujac. l.* 16. *Observation. c.* 5. Dicti sunt a *catabulo.* Horum meminit etiam *Cassiod.* 3. *Variar. ep.* 10., ubi marmora a catabolensibus transvecta memorat, et 4. *Ep.* 47., ubi mulctam statuit in catabolensem, qui ultra centum libras jumentum oneraverit. — At juxta *Becche de largit. Frument. p.* 95., quocum cf. et *Bucca Capua p.* 292., *Catabolenses* fuerunt qui jumentis frumentum publicum ex Ostiensi porta Romam comportabant; quemadmodum *Caudicarii* appellati, qui caudicariis navibus in horrea aut in pistrina vel coctum inde panem ad gradus populo distribuendum transferebant.

CĂTĂBŎLICI Spiritus apud *Tertull. Anim.* 28. sunt Genii infausti, a καταβολή, *jactus ex alto deorsum,* quia saepe eos, in quibus sunt, prosternunt ac dejiciunt per furorem. Quidam mallent legi *Procatabolicos,* qui spiritus quidam sunt, qui non perpetuo adsunt, sed ex condicto, et quasi devincti pignore sese repraesentant: a προκαταβάλλω *repraesento.* V. *Voss.* in *Etymol.* — Possis etiam interpretari spiritus calumniatores, quia καταβολή aliquando calumniam significat, ut notat *Pamelius.*

CATABULUM, i, n. 2. stabulum jumentorum publicae utilitati inservientium. *Not. Tir.* p. 17. Captabulum. *Lege* Catabulum. Sed haec vox a Lexico est expungenda.

CATACARISIA. *V.* CARISSA.

CĂTĂCECAUMENĪTES, m. vinum generosum, quod colles in Mysia producunt. *Vitruv.* 8. 3. 12. *Schneid.* Graecis litteris: Latinis autem *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (75). Cf. *Vitruv.* 2. 6. 3. — Qua porro ratione *catacecaumenites vinum* dicatur, dictum est in ABROTONITES.

CĂTĂCHANNA, ae, f. 1. arboris cujusdam nomen, cui diversarum plantarum plures surculi ita insiti sunt, ut ex uno trunco varii fructus proferantur. *M. Aurelius Aug. ad Front.* 2. *ad M. Caes. ep.* 14. In agro Pompeji Falconis commenatus, me videre arborem multorum ramorum, quam ille suum nomen catachannam nominabat: sed illa arbor mira et nova visa est mihi in uno trunco omnia omnium ferme germina.... *Fronto ad M. Antonin. de oration.* 1. Confusam eam ego eloquentiam, catachannae ritu, partim [illegible] (*Burmann.* [illegible] *legeret*, h. e. diversis [illegible] Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam subvertendam censeo radicitus. Eamdem describere videtur *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (120). Tot modis insitam arborem vidimus juxta Tiburtes Tiburtis *edit. leg.* Tullias, *al.* tiliasi omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, punicis, malorumque generibus, sed huic brevis fuit vita. — De hoc insitionis genere consule adnotat ad *Plin. loc. cit.* in *edit. Paris.* ann. 1831. *T.* 11. *p.* 116.; et *Mus. Borbon. T.* 12. *tav.* 60., ubi multa de hoc veterum artificio. — De voce ejusmodi alii alia: *Mai* [illegible] de eadem non disputat, et Pomoum vocabulum [illegible]. *Fr. Orelius* in *Ephemer. litt.* [illegible] [illegible] quae vox a κατά et [illegible] sit composita, aspiratione h vitio librarii aut [illegible], et id [illegible], quod Itali dicunt

incalmo, a praep. *in* et *calamus,* quam vocem vide suo loco: ita enimvero ager καταφυτος dicitur, qui multis arboribus est consitus, et κατάλιθος, qui plurimis saxis est obrutus, et *catacanna* arbor illa dicta fuerit, quae multis calamis, sive surculis insita est. *Id. ibid.* putat *catacrianos libros,* quorum mentio est apud *Spartian. Hadrian.* 16., eodem sensu interpretandos esse quasi multiplici eruditione refertos, et scribendum *catacannos,* seu *catacannas.* Viderint eruditi. — Ceterum haec vox num a καταχαίνω *dehisco,* quia in plura arborum genera dividitur? Num a κατά et χάννη, piscis, quia ex se sine maris ope concipere dicebatur?

CĂTĂCHRĒSIS, is, f. 3. κατάχρησις, figura rhetorica, de qua *V.* in ABUSIO. Ipsa vox Graeca est, a καταχράομαι *abutor:* quare tutius Graece, quam Latine usurpatur. *Varro* apud *Non.* 3. 195. *edit. vet.* Κατάχρησις enim vera est, cum in candelabro pendet strigilis. Alii tamen leg. κατάκρισις, alii κατάχυσις. Tutior est lectio apud *Capell.* 5. p. 167. Catachresin etiam Graeci memoraverunt, quam nos abusionem dicimus. Item apud *Paul. Diac. p.* 58. 13. *Müll.* Catachresin tropum nos abusionem dicimus, quum alienis abutimur perinde ac si propriis, cum propria deficiunt.

CATACHYSIS, is, f. 3. κατάχυσις, vas quo aqua manibus infunditur, vel quo lavantes a balneatoribus perfunduntur. Exstat haec vox in *Not. Tir. p.* 164., ubi tamen mendose legitur *catacussis.* Sed haec vox a Lexico est expungenda.

CĂTĂCLISTĬCUS, a, um, adject. pretiosus: a *cataclistus,* quia quae pretiosa sunt, in arcis condita servari solent. *V.* vocem seq. *Venant.* 4. *de Vita S. Martini ante med.* Quae manus artificis cataclistica fila rotavit? Ita *Salmas. loco cit.* in voc. seq. Alii aliter leg. et interpretantur.

CĂTĂCLISTUS, a, um, adject. κατάκλειστος. Occurrit tantum *cataclista vestis,* et vestis est recentissima, optimique coloris, in arca diligenter servata, festisque tantummodo diebus promenda: a κατακλείω *circum claudo.* Ita exponit *Salmas.* ad *Tertull. Pall.* 3. (*V.* h. locum in CATACLITA). *Apul.* 11. *Met.* Eas amoenus lectissimae juventutis, veste nivea et cataclista praenitens, sequebatur chorus. *Seneca Tranquill.* 1. hujusmodi vestes appellat *ex arcula* prolatas, et qui his vestiti incedant, *epist.* 115. *totos de capsula.* Simili ratione *cataclista vasa* dixit *Venant.* 3. *de Vita S. Martini sub fin.,* ubi alii aliter leg. Et *Tibull.* 2. 5. 7. nunc indue vestem Sepositam. — Quidam tamen cataclistam intelligunt vestem undique clausam. Sunt etiam qui legendum putant *catachita.*

CĂTĂCLYSMOS, i, m. 2. κατακλυσμός diluvium, inundatio: a κατακλύζω *proluo, inundo.* — *a*) Generatim. *Varro* 3. *R. R.* 1. 3. Thebae, quae ante cataclysmon Ogygi conditae dicuntur, *h. e.* ante diluvium, quod sub Ogyge contigit. *Ogygi* enim genitivus est pro *Ogygis. V.* OGYGES in ONOM. Adde *Hygin. fab.* 153.; *Lactant.* 2. 10.; *Augustin.* 18. *Civ. D.* 10., et *Tertull. Apolog.* 40. — *b*) Speciatim a medicis Graecis *cataclysmus* dicitur illisio aquae vehementius aspersae alicui parti corporis. *Cael. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Utendum etiam fomentis, sive vehementioribus illisionibus aquarum: Graeci cataclysmos appellant. *Et ibid.* 4. Adhibenda aquarum illisio, qua patientes partes percussae mutari cogantur: quod Graeci cataclysmum appellant. *Et* 2. *ibid.* 3. *in fin.* Totius capitis curatio ex illisione aquarum supercadentium, quam Graeci cataclysmum appellant.

CĂTĂCLĪTA, orum, n. plur. 2. τὰ κατάκλιτα, vestis stragula, qua lecti tricliniares sternuntur, a voce Graeca allata, qua lecti discubitorii significantur. *Tertull. Pall.* 3. Quamquam et pavo pluma vestis, et quidem de cataclitis, *h. e.* pavi vestis est pluma, et quidem picta, et versicolor, qualis solet esse stragulum, quo tricliniares lecti operiuntur. Hujusmodi enim stragula pretioso colore tincta, ex auro purpuraque insignita a divitibus adhibebantur. Ita *Salmas. ad hunc loc.* At praestat *cataclistas* legere.

CĂTĂCLȲTUM, i, n. 2. κατάκλυτον, descensus. *Veget.* 2. *Veterin.* 14. 1. [illegible] Qui [illegible] intestina majora et praecluserit et in eorum sinuos [illegible] detin[illegible], prohibet illa ad catacly tum [illegible] *Gronovius* malebat *cataclytum,* [illegible].

CĂTĂCUMBA, ae, f. 1. sepulcrum arcuatum, seu [illegible], hominibus sepeliendis apta. *Inscrip.*

apud *Orell.* 4575. COMPARAVI EGO SS. (*supra scriptus*) VIVVS IN CATACVMBAS.

CĂTĂDRŎMUS, i, m. 2. κατάδρομος, locus in quo decurritur. Speciatim significat funem extensum in theatro, in quo funambuli decurrunt. Graece legitur apud *Labeon. Dig.* 19. 1. 54. *pr.* Servus, qui per κατάδρομον γεράνου descendere solitus fuerit, etc. Ita enim habetur apud *Haloandr.* Sed Latine *Torrentin.* edidit *per catadromum.* Praeterea *Sueton. Ner.* 11. Notissimus eques R. elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Quidam hoc *Suetonii* loco, non funem, sed stadium decursionis intelligunt: sed *Xiphilin.* 61. 17. hanc eamdem rem narrans, funem aperte nominat: Ἐλέφας, inquit, ἐπὶ σχοινίων κατάδρομον ἀναβὰς τὴν ... Praeterea elephantos funambulos legimus tum apud *eumd. Sueton. Galb.* 6., tum apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 2. 2. (5) *et ibid.* 3. 3. (6)., et *Senec. Ep.* 85. *in fin. V.* NEVROBATA.

CĂTAEGIS, idis, f. 3. καταιγίς, ventus procellosus, et qua perflat, divellens et perfringens: ab καταιγίζω, *divello.* — *a*) Generatim. *Apul. de Mundo.* Procellosus flatus cataegis dicitur, quem praefractum possumus dicere. *V.* AEGIS. — *b*) Speciatim est ventus quidam peculiaris Pamphyliae. *Senec.* 5. *Quaest. nat.* 17.

CĂTĂFRACTOS. *V.* CATAPHRACTOS.

CĂTĂGELĀSĬMUS, i, m. 2. καταγελάσιμος, ridiculus, qui valde irridetur, a καταγελάω *irrideo. Plaut. Stich.* 5. 2. 30. Nunc ego nolo e Gelasimo mihi te catagelasimum. *Gelasimus* nomen est parasiti in ea Comoedia. Dicit ergo: nolo, te, qui adhuc ridiculus fuisti, nunc deridiculum et derisui esse.

CĂTĂGRĂPHUS, a, um, adject. κατάγραφος, depictus, delineatus. *Catull.* 25. 7. Remitte pallium mihi meum, quod involasti, Sudariumque Saetabum, catagraphosque Thynos. *h. e.* pugillares membranaceos vel buxeos diversis coloribus pictos et exornatos, quales ex Bithynia Thynis populis contermina solent provenire. Alii aliter legunt, et interpretantur. V. *Vulpium et Doeringium.*

Catagrapha, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt picturae, in quibus imagines a latere tantummodo cernuntur, *figure in profilo;* ita, consentiente *Vitruvio,* interpretatur *Harduinus,* quod praestat: at *Aloys. Lanzius,* de' vasi *Etruschi p.* 154. putat, *catagrapha* eas dici imagines, quarum unum dimidium ex toto, alterum ex parte tertia, vel quarta cerni possit; has Itali vocant *dipinte o scolte in terzo o in quarto. Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (56). Cimon Cleonaeus catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines.

CĂTĂGŪSA, ae, f. 1. κατάγουσα, hoc est quae reducit. Ita appellatum fuit signum aereum a Praxitele factum, Cereris filiam Proserpinam ab inferis reducentis, secundum id quod docet *Ovid.* 5. *Met.* 564., statutum fuisse a Jove, ut Proserpina sex menses apud Plutonem conjugem esset, totidem apud matrem. De hoc signo *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (69). Aliter statuit *Sillig. Catalog. Artif. p.* 398., is enim putat appellatum signum Cereris deducentis ex pacto Proserpinam ad Plutonem; nam aliter *anagusam* dixisset si eam domum deduxisset.

CĂTĂLECTA, ōn, n. plur. 2. κατάλεκτα, collectio. *Catalecta Maronis* appellantur breviora quaedam carmina a nescio quo collecta, et *Virgilio* attributa. *Auson. Technopaegn.* seu *Edyll.* 12. *in Grammaticomast.* Dic, quid significant catalecta Maronis? in his al, etc. *Servius* ad *princip. Aen.* 1. *de Virg.* Scripsit etiam septem sive octo libros hos. Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalecton, etc.

CĂTĂLECTĬCUS, a, um, adject. καταληκτικός. *Catalecticum metrum* dicitur, cui syllaba in fine deest, seu quod in pedem desinit imperfectum: a καταλήγω *desino, termino:* quale est illud iambicum *Horat.* 2. *Od.* 18. 2. *Mea renidet in domo lacunar.* Contra *acatalecticum* est, cui nihil deest, ut illud iambicum ejusdem *Epod.* 2. *Beatus ille, qui procul negotiis.* Sed non in solis iambicis metris, verum in [illegible] carminum generibus sua sunt *catalectica,* et *acatalectica.* V. Grammaticos. *Priscian. in partition.* [illegible] 12. *Aen. p.* 1216. *Putsch.* Catalecticos versus dicunt, quibus deest in fine aliquid: acatalecticos, quibus nihil deest. *Terentian. p.* 1520. *Putsch.* Catalectica quos (pedes) syllaba terminat. Adde *Serv. Centim. p.* 1817. *Putsch.*

CĂTĂLECTUS, a, um, adject. κατάληκτος, idem

quod catalecticus. *Diomed.* 3. p. 501. *Putsch.* Species catalecta est versus minus habens etc.

CĂTĂLEPSIS, is, f. 3. κατάληψις, apprehensio, oppressio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Vicina atque similis est lethargicæ passio, quam Græci κατάληψιν appellant, nos apprehensionem vel oppressionem vocare poterimus. *Id. mox.* Asclepiadis sectatores catalepsin vocaverunt.

CĂTĂLEPTĬCUS, a, um, adject. καταληπτικός. — *a)* Catalepticus est ad catalepsin pertinens. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Proprie passionem catalepticam, sive catocham, ut Græci appellant, designant febres acutæ, vocis silentium, sensuum hebetudo, pulsus magnus, oculorum stans atque fixus obtutus. — *b)* Catalepticus est etiam, qui catalepsi corripitur. *Id. ibid.* Catalepticus pulsus major, sed plenus atque celer.

CĂTĂLEXIS, is, f. 3. κατάληξις, Græca vox, quæ clausulam sive terminationem significat, a καταλήγω *desino, terminor.* In re metrica usus est *Terentian.* p. 2424. et 2434. *Putsch.*

CĂTĂLŎGUS, i, m. 2. κατάλογος. — *a)* Generatim est enumeratio, recensio multarum rerum per ordinem. *Hieronym. Ep.* 83. *ad Ocean.* Apostolus in catalogo virtutum, episcopum unius uxoris virum præcepit ordinandum. — *b)* Specialiter dicitur de enumeratione nominum eorum, qui stipendia merentur. *Macrob.* 5. *Saturn.* 15. Homerus prætermissis Mycænis, unde erat rector exercitus, Bœotiam in catalogi sui capite locavit. *Auson. Perioch.* 2. *Iliad.* Sequitur enumeratio copiarum viritim, ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriæ referantur.

CATAMIDIO *V.* CATOMIDIO.

CĂTĂMĪTUS, i, m. 2. a veteribus Latinis dictus est Ganymedes, teste *Paul. Diac.* p. 7. 16., 18. 5. et 44. 6. *Müll.* Cum enim Græcæ linguæ rudes essent, vocem Γανυμήδης ita corrupte pronunciabant; eademque de causa *Alumentum* pro *Laomedonte* dixerunt, et *Proserpinam* pro Περσεφόνη, et *Tharsomenum* pro *Thrasymeno*, et *Melo* pro *Nilo*, et *Saguntum* pro *Zacyntho*, *Telamonem* pro *Atlantem*, *Æsculapium* pro *Asclepio*, *Caduceum* pro κηρύκειον, *jusquiamus* pro ὑοσκύαμος, *Carthaginem* pro *Carchedonem* Καρχηδόνα, *Crustumerium* pro *Clytemnestrum*, *Polluces* pro Πολυδεύκης, *promuscis* pro *proboscis*, et *alcedonem* pro *halcyone*, etc. *Plaut. Men.* 1. 2. 34. Tabula picta, ubi aquila Catamitum rapit, aut Venus Adoneum. Adde *Lactant.* 1. 11. Hinc — ¶ 1. Sumitur pro homine molli et effeminato. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Ut te catamitum, necopinato cum ostendisses, præter spem mulier aspiceret, idcirco etc. ¶ 2. Item ponitur pro pocillatore, pincerna: item pro amasio. Utrumque enim Ganymedes Jovi fuit. *Apul.* 11. *Met.* Vidi simiam pileo textili, catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum. *Auson. epitaph.* 33. *de Glaucia.* Aut Jovis Elysii tu catamitus eris. *Apul.* 1. *Met.* Hic est carus Endymion, hic Catamitus meus, etc. *Aurel. Vict. epit.* 1. Augustus inter duodecim catamitos totidemque puellas accubare solitus erat. Cf. *Sueton. Aug.* 70.

CĂTAMPO genus est lusus, teste *Paul. Diac.* p. 44. 2. *Müll.*: scilicet a Græco κατ᾽ ἄμφω, hoc est *conjunctim*, vel per duos simul, ut sit ludus, qui a duobus fiat. Sed fortasse legendum est *catambo*, a καταμβοί, quod est motus εἰς τὸ κάτω, καὶ τὸ πρηνές. Hinc *Scalig.* ad *loc. cit.*

CĂTĂNANCĒ, es, f. 1. κατανάγκη, herba magica, qua ad amatoria olim utebantur, est dicta a καταναγκάζω *cogo*. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 35. (57). Catanancen Thessalam herbam, qualis sit, a nobis describi supervacaneum, cum sit usus ejus ad amatoria tantum. Illud non abs re est dixisse, ad tegendas magicas vanitates electam ad hunc usum conjectura, quoniam arescens contraheret se ad speciem unguium milvi exanimati. *V.* MILVINUS. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 440.) hæc ait: « Avant de chercher à reconnaître ce *catanance*, faisons remarquer que notre auteur cherche à démontrer ici l'absurdité des préjugés magiques; de temps en temps, on voit que Pline s'efforce de briser le liens qui le tiennent asservi et nous serion heureux d'avoir à faire plus souvent des observations semblables. Les botanistes modernes ont donné le nom de *catananche* à des chicoracées dans lesquelles il ne faut pas espérer de trouver la plante qui nous occupe. Dioscoride décrit (4. 134.) le κατανάγκης, et il en reconnait deux espèces. – Pline ne décrit pas le *catananche*, à la détermination duquel il semble impossible d'arriver faute de renseignemens positifs. D'ailleurs le texte de Pline ne permettrait en aucune manière de choisir l'une de deux plantes de l'auteur grec. Le mot *catananche* signifie la plante de nécessité. »

CĂTĂPHĂGAS, æ, m. 1. καταφαγᾶς, heluo, vorax, nepos: a καταφάγω *devoro*. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* In Leone cataphagæ nascuntur, et imperiosi.

CĂTĂPHRACTA *vel* cataphractes, æ, m. 1. καταφράκτης, tegmen est linteum, vel laneum, ferreis squamis consertum, quod modo pectus, modo totum hominem et totum equum munit, quo tum pedites aliquando usi sunt, tum equites. De peditum cataphractis testatur *Veget.* 1. *Milit.* 20. Sed et equites iis usos fuisse, constat tum ex *Tacit.* 1. *Hist.* 79., tum ex *Liv.* 37. 40. *V. Lips. de Milit. Rom.* l. 3. *dial.* 6., ubi plura hac de re: et infra CATAPHRACTUS. Est a καταφράσσω *munio*. *Veget. loc. cit.* Ab urbe condita usque ad tempus D. Gratiani et cataphractis et galeis muniebatur pedestris exercitus. *Tacit. loc. cit. de Sarmatis.* Neque conti, neque gladii usui, lapsantibus equis, et cataphractarum pondere: id principibus et nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut præduro corio consertum; ut adversus ictus impenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. *Tertull. Pall.* 4. Triumphalem cataphracten amolitus.

CĂTĂPHRACTĀRĬUS, a, um, adject. cataphractus, cataphracta munitus, loricatus. In *Actis senatus* apud *Lamprid. Alex. Sev.* 56. Cataphractarius, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus. Adde in *epist. Decii* apud *Trebell. Claud.* 16.

CĂTĂPHRACTES. *V.* CATAPHRACTA.

CĂTĂPHRACTUS *vel* catafractus, a, um, adject. *Catafractus* legitur apud *Fronton. loc.* inferius *cit.* et apud *Orell. Inscript.* 804. — Cataphractus est cataphracta armatus, loricatus. *Cataphracti milites* ita plerumque muniti fuere, ut non modo loricam haberent, sed et ocreas ferreas in cruribus, ut tecti undecumque essent. Porro *Servius* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 770. Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat *etc.* Cataphracti equites et ipsi ferro muniti sunt, et equos similiter munitos habent; de quibus *Sallustius*: Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant. *Sall.* apud *Non.* p. 556. 18. *Merc.* Prægrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie. Adde *Liv.* 35. 48. *Ammian.* 22. 15. crocodilis esse ait *cataphracta terga*, quia speciem armaturæ cataphractorum referunt, squamis scilicet eodem pacto contextæ; ideoque cutem ita validam iisdem esse, ut vix tormentorum ictibus perforetur. Hinc *Fronto princip. Hist.* 5. p. 247. *Niebhur.* Sciret, catafractos (equos) similes esse belluis piscibus. *V. Nazar. Paneg. ad Constantin.* 22., 23. et 24., ubi cataphractorum equitum pugnandi rationem describit. *V.* et IMBRACTEATUS in hoc Lexico. — Hinc

Cataphracti, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt pedites vel equites cataphracta muniti. *Sisenna* apud *Non.* p. 556. 17. *Merc.* Custodiæ in muro statuuntur cataphractorum. *Liv.* 37. 40. Tria millia equitum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adjunxit. *Propert.* 3. 10. 12. Ferreus aurato non cataphractus equo. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 804.

CĂTĂPĪRĀTES, æ, m. 1. καταπειρατής, καταπειρατηρία, funiculus cum appenso plumbo, quo nautæ profunditatem maris explorant. *Isid.* 19. *Orig.* 4. 10. affert locum *Lucilii*, quem eruditi ita legendum putant: Hunc catapiratem puer eodem deferat unctum, Plumbi pauxillum rodus, linique metaxam. *Alii leg.* Huc catapiratem: alii *cataproratem*, alii aliter, ita ut omnia incerta faciant. Nam quod addi solet ex *Plauto Aul.* 4. 1. 12., est ex mera conjectura *Lambini*.

CĂTĂPLASMA, ătis, n. 3. κατάπλασμα. In Dativo et Ablat. plurali habet *cataplasmatis* et *cataplasmatibus*, sed illud est usitatius: *V.* EMBLEMA. — Cataplasma, a καταπλάσσω *illino*, est medicamentum pulti simile ex variis rebus compositum, quod extimæ corporis parti illinitur et imponitur. *Cels.* 3. 19. Supra præcordia imponere, quæ reprimunt, cataplasmata. *Id.* 7. 26. n. 5. et 4. 4. n. 3. Cataplasmatis calefacientibus uti. *Id.* 7. 2. Satis est cataplasmatis efficere, ut per se pus aperiatur. *Leo Targa* ita legit; alii *cataplasmatibus*. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 17. 28. (133). Fit et cataplasma ex eo podagricis, mixto fabæ lomento. Adde *eumd.* 20. *ibid.* 17. 73. (191). *Veget.* 3. *Veterin.* 25. *Schneid.* Cataplasmatibus maturare.

CĂTĂPLASMO, as, are, a. 1. καταπλάσσω. Part. *Cataplasmans*. — Cataplasmo est cataplasma impono, cataplasmate illino. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. Præcordia semine lini cataplasmare. *Id.* 5. *Tard.* 1. Sinapi cataplasmantes. *Veget.* 3. *Veterin.* 54. 3. Post dies quinque cataplasmabis eum ex polline hordei et lini semine et fæni. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 2. 2. et *Theod. Priscian.* l. 2. *part.* 2. 10. et alibi.

CĂTĂPLASMUS, i, m. 2. καταπλασμός, idem quod cataplasma. *Lucilius* apud *Non.* p. 311. 25. *Merc.* Ventrem fovere ex multo hordeo, uti cataplasmo.

CĂTĂPLEXIS, is, f. 3. κατάπληξις, hoc est stupor, mens attonita, admiratio. Græca vox a καταπλήττω *obstupefacio, in admirationem induco*. *Lucret.* 4. 1156. Magna atque immanis; cataplexis, plenaque honoris. *h. e.* corporis proceritate et magnitudine attonitos reddit spectantes, et in admirationem sui rapit. Quidam Græce ediderunt κατάπληξις, et quidem rectius.

CĂTĂPLUS, i, m. 2. Græca vox, κατάπλους, et proprie dicitur cum ex alto redit navis, atque in portum unde exierat, remeat; a καταπλέω *navigando ad portum accedo*: sicut contra cum e portu solvitur, ἀνάπλους dicitur. Hinc sæpe pro ipsa classi appulsa accipitur. *Martial.* 12. 74. Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus. *Alii male leg.* catastus. *Auson. de clar. Urbib.* 13. Toto tibi navigat orbe cataplus. *Alii Græce habent* κατάπλους. *Sidon.* 6. *Ep.* 8. Catapli recentis nundinas adire. Adde *eumd.* 7. *Ep.* 7. Quin et *Cic. Rabir. Post.* 14. 40. Cataplus ille Puteolanus, vectorumque ostentatio, etc. Ubi Alexandrina classis intelligitur Puteolis portum ingrediens.

CĂTĂPŌTION *vel*

CĂTĂPŌTĬUM, ii, n. 2. καταπότιον, medicamentum quod non diluitur, sed integrum devoratur, ut *Scribon. Compos.* 87. definit. Formatur enim in pilulas, quæ integræ deglutiuntur: a καταπότης *gula, guttur*: vel a καταπίνω, qua significat *deglutire, devorare*. *Cels.* 4. 8. Absynthium contritum ex melle et pipere, ejusque catapotium quotidie devorare. Adde *eumd.* 5. 25. *Scribon. Compos.* 89. Facere catapotia magnitudinis fabæ. Adde *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (7).

CĂTĂPULTA, æ, f. 1. καταπέλτης. ¶ 1. Est genus machinæ militaris, qua sagittæ et tela magno impetu, longoque spatio jaciuntur. Quomodo differat a *ballista*, ibi in fine dictum est: ubi etiam allata sunt scriptorum testimonia ad *catapultam* pertinentia, et indicata loca auctorum, qui de ea scripserunt. Adde, veteres catapulta usos fuisse ad hastas et tela εὐθυτόνως, *orizzontalmente*; ballista vero ad ingentia saxa παλιντόνως, *parabolicamente* in hostes ejicienda: præterea catapultas in exercitu plures, ballistas pauciores fuisse. ¶ 2. Pro ipso telo, qui jacitur. Hinc a *Nonio* p. 552. 14. *Merc.* exponitur jaculum celere, vel sagitta. *Plaut. Pers.* 1. 1. 24. Vide modo, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus. Adde *eumd. Curc.* 3. 24. et 5. 3. 13., et *Capt.* 4. 2. 16. *Titinius* apud *Non.* p. 552. 15. *Merc.* Catapulta volat.

CĂTĂRACTA *vel* catarrhacta, æ, f. 1. *et*

CĂTĂRACTES *vel* catarrhactes, æ, m. 1. καταράκτης vel καταρράκτης. Utrum rectius cum simplici, an cum duplici *rr* scribatur, *Voss.* in *Etymol.* et *Dausq.* in *Orthograph.* non definiunt. Græci quoque, a quibus profluxit, promiscue scribunt; quæ licentia non est Latinis deneganda: observandum tamen est, poetas Latinos secundam hujus vocis litteram corripere, ideoque constat, unico r eam scripsisse. — Ceterum *cataracta*, a καταράσσω *cum impetu ruo*, proprie significat præcipitem eruptionem et descensum; a Latinis tamen hujusmodi significatio limitibus circumscripta fuit. Itaque ¶ 1. Cataracta est locus angustus, præruptus, et præceps in flumine, ubi aqua illisa et refracta magno impetu ruit, qualis est in Nilo eo loco, quæ *Catadupa* ab accolis appellantur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (54). *de Nilo.* Novissimo cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. *et paullo post* (59). Intra novissimum cataracten. Adde *eumd. ibid.* 24. 20. (85). *Lucan.* 10. 317. *de eod.* cum lapsus abrupta viarum Excepere tuos, et præcipites cataractæ. *Vitruv.* 8. 2. 6. *Schneid. de eod.* Ab his palu-

dibus pervenit per montes ad cataractam, ab eaque se præcipitans etc. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. Excipiunt eum cataractæ, nobilis insigni spectaculo locus. *Ammian.* 22. 15. Æstuans inundatione ditissima, ad cataractas, idest præruptos scopulos venit. *Solin.* 32. A cataracte ultimo tutus est: ita enim quædam claustra ejus Ægyptii nuncupant. *Salmas. ad hunc loc.* tum *Solin.*, tum *Ammian.* reprehendit, quod *cataracten* de loco et scopulis ipsis præruptis intellexerint, cum potius sit ipsa eruptio fluminis ruentis, et non ad locum, sed ad Nilum referatur. Sane Græcum verbum καταράσσω significat cum impetu ruere, et καταράκτης præcipitem eruptionem et descensum. Verum Latini scriptores, quos attulimus, aptius omnes de loco, quo Nilus præceps effluit, quam de ejus præcipiti effluxu intelliguntur. ¶ 2. Sunt etiam *cataractæ* claustra in fluminibus arte facta ad aquarum impetum temperandum. *Plin.* 10. *Ep.* 69. Cataractis aquæ cursum temperare. *Rutil.* 1. 481. Cum cataractarum claustris excluditur æquor. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 45. Cum vidissent, jam etiam illas, quas fecerant sublimes, ripas impleri, subito auferentes, quas fecerant, cataractas, dimiserunt impetum fluminis contra murum, qui vehementius aquæ pondus non ferens, est inclinatus et cecidit. ¶ 3. Item genus militaris obicis in urbium portis, qui funibus aut catenis cum aperitur, in altum tollitur, et cum opus est, iis repente solutis, citissime decidens, momento temporis aditum claudit: eadem vocatur cochlea, et fenestra Punica. *V.* COCHLEA et FENESTRA. *Veget.* 4. *Milit.* 4. In ingressu portæ ponitur cataracta, quæ anulis ferreis ac funibus pendet, ut, si hostes intraverint, demissa eadem exstinguantur inclusi. *Liv.* 27. 28. Porta, cataracta dejecta, clausa erat. *et mox.* Cataracta magno impetu decidit. — Ita fabrefactæ sunt portæ Pompejis. V. *Romanelli Viaggi a Pompei T.* 1. *p.* 72. ¶ 4. *Cataractæ* etiam dicuntur quædam aves Diomedeæ cognominatæ, teste *Plin.* 10. *Hist. nat.* 44. 61. (126)., fortasse quia ex alto cum impetu decidunt, cum alias aves venantur. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CĂRĂRACTRĪA, æ, f. 1. vox joculariter ficta a *Plaut. Pseud.* 3. 2. 47. ad fictum condimentum significandum.

CĂTĂRRHŌSUS, a, um, adject. catarrho laborans. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. 1. Et hellebori albi pulvis, mixtus cerotario olei rosei et fronti impositus, et acaciæ pulvis mixtus, similiter catarrhosis medetur.

CĂTARRHUS, i, m. 2. κατάῤῥους, destillatio, defluxus humoris noxii ex capite ad nares, vel fauces, vel aliam partem corporis: a καταῤῥέω *defluo*. *Marcell. Empir.* 5. Ad catarrhum, sive destillationem humoris ex capite. Adde *Plin. Valer.* 1. 2. *ad fin.*, *Æmil. Macr. c. de colubrina*, et *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 7.

CĂTASCEVA, æ, f. 1. κατασκευή. Ita apud Rhetores appellabatur contentio, sive ea orationis pars, qua propositio argumentis confirmatur. *Isid.* 2. *Orig.* 12. 1. et 2.

CĂTASCŌPĪUM, ii, n. 2. κατασκόπιον, navis exploratoria: a κατασκοπέω *circumspicio*. Afferunt locum ex *Cic.* 5. *Att.* 11. Sed lectio varia est. Refert hanc vocem inter alia navium nomina *Gell.* 10. 25.

CĂTASCŌPUS, i, m. 2. κατάσκοπος, navigium speculatorium, ut ait *Cæs.* 4. *B. G.* 26., a κατασκοπέω *exploro*. *Auct. B. Afr.* 26. Litteris per catascopum missis. *Isid.* 19. *Orig.* 1. 18. Scapha, quæ κατάσκοπος, navigium est, quod Latine speculatorium dicitur. Etiam in *Not. Tir.* p. 177. inter navigiorum nomina recensetur *catascopus*.

CĂTASTA, æ, f. 1. a καθίστημι *statuo, colloco*, unde κατάστασις, atque hinc per corruptionem a Magna Græcia profectam *catasta*, et significat pegma, tabulatum spectaculorum proprium. Hinc ¶ 1. Catasta est machina lignea editior, pegma, tabulatum, in quo venales servi exponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici. *Tibull.* 2. 6. 41. quem sæpe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes. *Pers.* 6. 77. Rigida catasta. *Martial.* 6. 29. avara. *Sueton. Gramm.* 13. Emptus de catasta. *V.* MACHINA. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 18. 58. (200). — Apud *Stat.* 2. *Silv.* 1. 72. legitur *turbo catastæ*, quia servi in catasta in omnes partes versabantur, ut ab emptoribus usquequaque inspicerentur. — *Arcanæ tabulata catastæ* dixit *Martial.* 9. 60. in quibus pulcriores servos, et majoris pretii abditos intra catastam, quæ [illegible]lata, seu *molli pinni*, habuisse videtur, servabant mangones, cum viliores *in primis casis*, ut ait *Id. ibid.* solerent *prostituere*, *h. e.* collocare in omnium conspectu. ¶ 2. *Mendacis deliramenta catastæ*, apud *Rutil.* 1. *Itiner.* 393. sunt superstitiosæ Judæorum fabulæ, quos hoc nomine appellat vel quia vilissimi habebantur, ut servi, vel quia, ut placet *Burmanno*, in ligneo pegmate catastæ simili eorum doctores in Synagogis legere S. Scripturam solent. Adde *Cyprian. Ep.* 28. ¶ 3. Dicta est etiam *catasta* lectulus ille, seu crates illa ferrea, in qua igne subjecto ponebant reos torquendos, quia eos altius a terra tollebat, quemadmodum pegma illud, quod venales servos omnium oculis offerebat. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 56. Verberum post vim crepantum, post catastas igneas. *Id.* 2. *ibid.* 399. appellat *catastam* cratem illam ferream ignitam, in qua D. Laurentius ambustus fuit. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 467. et *Augustin. in Psalm.* 96.

CĂTASTACTĪCE, es, f. 1. καταστακτική, herba eadem ac scelerata apud *Apul. Herb.* 8. *V.* SCELERATUS.

CĂTASTALTĬCUS, a, um, adject. κατασταλτικός, reprimendi aut sistendi vim habens, cohibens, a καταστέλλω *reprimo*. *Veget.* 4. *Veterin.* 28. 2. Hæc bene trita et cribrata æquo pondere catastalticum (*subintellig.* medicamentum) faciunt, quod carnem supercrescentem comedendo efflovet. *Id.* 2. *ibid.* 22. 2. Catastaltico quoque medicamento libraturam cutis consumis.

CĂTASTĒMA, atis, n. 3. κατάστημα, constitutio, *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 5. Nam Austro et Africo vento flantibus, interpositis annorum spatiis, recursu, ut asserunt, catastematis (*scilic.* recursu cæli et siderum), sicut certo tempore homines pestilentia corrumpuntur, sic animalia ille aer corrumpit et perimit.

CATASTOLICUS, a, um, adject. καταστολικός, cohibendi et reprimendi, aut supprimendi vim habens, a καταστέλλω *supprimo, reprimo*, ut *Catastolicum medicamentum* apud *Veget.* 2. *Veterin.* 22. 2.; ubi tamen rectius legendum *catastalticum*, quam vocem V.

CĂTASTRŌMA, atis, n. 3. κατάστρωμα, tabulatum superius navis, quod milites aut nautas sustinet. *Vetus Scholiast.* ad *German. Arat.* 343. Habet autem Navis stellas in catastromate quatuor.

CĂTASTRŎPHA, æ, et

CĂTASTRŎPHE, es, f. 1. καταστροφή, subversio, item exitus: a καταστρέφω *subverto*, item *claudo*.

I.) Proprie. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. et 2. *Ep.* 9. hac voce utitur de sphæristarum ludo.

II.) Translate extrema pars fabulæ *catastrophe* dicitur, quod in ea res turbulentæ in lætum exitum convertantur, ut in comœdiis, aut contra res lætæ sortiantur tristem exitum, ut in tragœdiis. *Petron. fragm. Tragur.* 34. *Burmann.* Ne his precibus periculo aliquid catastrophæ quæreretur, *h. e.* ne periculum in necopinatum gaudium verteretur.

CATASTUS, i, m. 2. exponi solet servus venalis e catasta: afferunturque loca *Vitruv.* 8. 3. 24. et *Martial.* 12. 74. Sed in *Vitruvio* alii leg. *calastros*. *h. e.* canoræ vocis, a καλλιστρέω *clamo*; alii melius *catlastros*, a *catulire*: in *Martiale* aliqui rectius legunt *cataplus*, navigatio, adventus navis, locus quo navigatur. *V.* CATLASTER.

CĂTĂTECHNOS. *V.* CACIZOTECHNOS.

CĂTĂTEXĪTECHNOS, i, m. 2. κατατηξίτεχνος, ita dictus artifex Callimachus, quia operi suo, nimium limæ laborem impendendo, nocebat, teste *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (92). *V.* CACIZOTECHNOS.

CĂTĂTŎNUS. *V.* ANATONUS.

CĂTAX, adject., cujus Nominativus tantum occurrit, quique est idem ac claudus, ut *Paul. Diac.* p. 45. 4. *Müll.* exponit. *Non. p.* 25. 17. *Merc.* Catax dicitur, quem nunc coxonem vocant. *Lucilius* apud *eumd. Non. ibid.* hostilibu' contra Pestem perniciemque catax, quam et Mauliu' nobis. *Mythogr. Vatican.* 1. 176. edit. ab *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 61. Vulcanus tamen catax permansit. — Etymologi docent, esse quasi *cadax*, hoc est qui sæpe cadit: vel a Græco κατάξαι, quasi κατεαγὼς τοὺς πόδας, fractos habens pedes. — Porro *cadax*, et *coxo*, seu *coxus* voces sunt cadentis Latinitatis. Legitur autem utraque in *Gloss. Isid*: et exstat etiam cognominis loco in *Inscript.* optimæ notæ apud *Jo: Bernardin. Delfico, della Interamna Pretuzia p.* 124. r. VIBIVS r. f. PHILOTIMVS COXSO.

CĂTĒ, adverb. (catus, a, um) scite, accurate, acute, prudenter, callide (It. *accortamente, ingegnosamente*; Fr. *adroitement, habilement, bien, sagement*; Hisp. *diestramente, habilmente*; Germ. *auf einsichtsvolle, verständige, geschickte Art*; Angl. *skilfully, ingeniously, neatly*). *Plaut. Pæn.* 1. 1. 3. Sapienter, docte, cordate, cate. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 9. Cate legere locum loquendi. *Id. Men.* 2. 3. 61. Mulier, quæ te novit tam cate. *Cic. Arat.* 304. Tornare cate aliquid. *h. e.* ingeniose, artificiose.

CĂTĒCHĒSIS, is, f. 3. κατήχησις, institutio, eruditio, et specialiter ea, qua prima scientiæ alicujus elementa traduntur. Ab Ecclesiasticis scriptoribus sumitur pro institutione elementorum religionis Christianæ. *Joann. Jerosolym.* apud *Hieronym. advers. eumd. n.* 11. Quæ indesinenter in Ecclesia docemus, et in catechesibus.

CĂTĒCHISMUS, i, m. 2. κατηχισμός, idem, quod catechesis: item libellus catechesin continens. *Augustin. lib. De Fide et operib.* 13.

CĂTĒCHISSO vel catechizo, as, avi, atum, are, 1. κατηχίζω. Part. *Catechizans* et *Catechizatus*. — Catechizo est instituo, erudio, præsertim in elementis Christianæ religionis. *Augustin. lib. de Fide et operib.* 13. et *Tertull. Cor. mil.* 11. Catechizare aliquem. *Id.* 4. *advers. Marcion.* 29. Catechizare alicui. *h. e.* in obsequium alicujus, ut sit dativus commodi, ut Grammatici loquuntur. *Id. Idolol.* 10. Catechizare de aliqua re. *Cassiod. Complex. ad Galat.* 8. Sequitur, ut catechizatus catechizanti morum probitate respondeat.

CĂTĒCHISTA, æ, m. 1. κατηχιστής, qui catechizat. *Hieronym. Ep.* 50. *n.* 1. Gregorium Nazianzenum et Didymum in Scripturis sanctis habui catechistas.

CĂTĒCHIZĀTUS, a, um, et

CĂTĒCHIZO, as, etc. *V.* CATECHISSO.

CĂTĒCHŪMĔNA, æ, f. 1. κατηχουμένη, apud *Augustin. Ep.* 169. *ad Euseb.* Et *Cassiod. Complex. ad Galat.* 8. Ecclesiæ quidam colonus filiam suam, quæ apud nos fuerat catechumena etc.

CĂTĒCHŪMĔNUS, i, m. 2. κατηχούμενος, qui in elementis alicujus scientiæ instruitur. Ab Ecclesiæ scriptoribus ita appellatur candidatus Christianæ religionis, qui mysteriis fidei imbuitur, et ad Baptismum se præparat. *Tertull. Præscript.* 41., *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 2. et *Augustin.* sæpe.

CĂTĒGŎRĬA, æ, f. 1. κατηγορία. ¶ 1. Categoria est Græca vox accusationem significans. Latinis litteris scripta legitur in quibusd. editionib. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. Præterea *Hieronym. Ep.* 82. *n.* 9. Hucusque apologia ejus, immo categoria. ¶ 2. Item apud logicos prædicamentum. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Inter Aristotelicas categorias artifex dialecticus atticissabas. Adde *Isid.* 2. *Orig.* 26. 1.

CĂTĒGŎRĬCUS, a, um, adject. κατηγορικός, ad categoriam pertinens, quæ prædicamentum significat. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *ad fin.* Spiris categoricis lubricas quæstiones innodare. Liber tertius *Apuleji de doctr. Plat.* a nonnullis inscribitur *De syllogismo categorico*. Hac tamen voce ipse *Apulejus* in eo libro numquam utitur. At *Cassiod. de dialect.* p. 553. *col.* 1. *edit. Ven.* Apulejus Madaurensis syllogismos categoricos breviter enodavit. *Boeth.* p. 351. Categoricas propositiones Græci vocant, quæ sine aliqua conditione propositionis promuntur, ut *dies est*, *sol est*, *homo est*.

CĂTĒJA, æ, f. 1. genus teli missilis. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 741. Catejam quidam asserunt teli genus esse tale, quales aclides sunt, ex materia quam maxime lenta, cubitus longitudine, tota fere clavis ferreis illigata, quam in hostem jaculantes, lineis, quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. *V. Annal. dell' Instit. archeol. a.* 1822. p. 76. Similia his tradit *Isid.* 18. *Orig.* 7. 7. Uterque autem Gallorum proprium telum fuisse dicit *Virg. loc. cit.* Teutonico ritu soliti torquere catejas. *Sil. It.* 3. 277. panda manus est armata cateja. Adde *Val. Flacc.* 6. 83. et *Gell.* 10. 25.

CĂTELLA, æ, f. 1. duo prorsus diversa significat: scilicet

A) Est deminutivum duplex a catena, atque hinc parva catena. *Cato R. R.* 135. Romæ tunicas, togas, saga: — Calibus et Minturnis cucullones, ferramenta, falces, palas, ligones, secures, ornamenta, murices, catellas. Adde *Cæcilium* apud *Non. p.* 199. 10. *Merc.*; *Festum p.* 273. 12. *Müll.*; et *Priscian.* 1. p. 556. *Putsch.* — Hinc pro monili, armillis. *Liv.* 39. 31. *in fin.* Prætor suos equites catellis ac fibulis donavit.

Horat. 1. Ep. 17. 55. sæpe catellam, Sæpe periscelidem raptam sibi flentis.

B) Est deminutivum a catula, atque hinc parva canis. Juvenal. 6. 653. Morte viri cupiant animam servare catellæ. Martial. 3. 82. Catellæ lambentes. V. et CURA. — Adhibetur et in blanditiis, ut catellus. Hieronym. Ep. 22. n. 29. Mi catella, rebus tuis utere: vive, dum vivis.

CĂTELLŬLUS, i, m. 2. deminut. dupl. a catulus, parvus catellus. Agnoscitur a Diomed. 1. p. 313. Putsch.

CĂTELLUS, i, m. 2. deminut. a catulus, parvus catulus canini generis. Occurrit

I.) Proprie. Plaut. Stich. 4. 2. 40. Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi sat est loci. Cic. 1. Divinat. 46. 103. Catellus mortuus. Alii leg. catella mortua. Sed et Val. Max. 1. 5. 3. idem narrans, quod Cicero, catellum dicit. Juvenal. 9. 61. Catellus lusor. Adde eumd. 6. 551. et Martial. 1. 84. — Adhibetur et in blanditiis amantum. Plaut. Asin. 3. 3. 103. Dic me anaticulam, columbam, vel catellum. Horat. 2. Sat. 3. 259. Sume, catelle: negat etc. Sunt qui lectionem sollicitant. Ceterum eadem ratione agnellum, hædillum, vitellum dicebant. V. et CATELLA sub B. in fin.

II.) Improprie est genus vinculi, quo servi alligabantur. V. CANIS et CATULUS. Plaut. Curc. 5. 3. 13. Delicatum te hodie faciam, cum catello ut accubes: ferreo ego dico.

CĂTĒNA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, quidam derivant a Græco καθῖνα, qui varios anulos nectit atque unit; vel a κάθεμα monile: ex quo fortasse factum est, ut cathena a multis scriptum sit; quod certe est contra Latinam consuetudinem. — Ceterum catena est vinculum ex connexis anulis compositum (It. catena; Fr. chaine; Hisp. cadena; Germ. d. Kette; Angl. a chain).

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur sæpissime de vinculis, in quibus captivi aut sontes custodiuntur; et in prosa oratione occurrit fere in plurali numero. Plaut. Capt. 1. 2. 3. His captivis indito catenas singularias: istas majores, quibus sunt vincti, demito. Id. ibid. 2. 1. 9. Esse cum catenis. Id. Men. 1. 1. 8. Eximere se ex catenis. Cic. 7. Verr. 41. 105. Injicere catenas alicui. Adde Liv. 1. 51. et Curt. 4. 5. 21. Cic. 4. Herenn. 39. 51. Belua soluta ex catenis. Cæs. 1. B. G. 47. Conjicere aliquem in catenas. Adde Liv. 29. 21. Cæs. 1. B. G. 53. Vincire aliquem catenis. Adde Ovid. 15. Met. 601. et Vellej. 2. 120. 6. Rursus Cæs. 5. B. G. 27. Tenere aliquem in catenis. Id. 3. ibid. 12. et Plin. 34. Hist. nat. 15. 43. (180). Catenæ ferreæ. Sall. Jug. 68. Habere aliquem in catenis. Liv. 29. 21. sub fin. Damnare aliquem et in catenis Romam mittere. Catull. 64. 296. Catenâ restrictus membra. Virg. 6. Æn. 558. Trahere catenas. Horat. 1. Od. 29. 5. Nectere catenas alicui. Id. ibid. 37. 20. Dare aliquem catenis. Id. 2. Sat. 7. 71. et Ovid. 3. Art. am. 11. 3. Rumpere catenas. Rursus Horat. 1. Sat. 5. 65. Donare laribus catenam. Id. 3. Od. 11. 43.; Tac. 2. Ann. 65. et Ovid. 1. Art. am. 205. Onerare catenis. Id. Ovid. 15. Met. 601. Catenæ graves. Sueton. Rhet. 3. In catena esse. h. e. vinctum esse. Id. Gramm. 15. Surripere aliquem catenis. Curt. 4. 3. 22. et Vellej. 2. 82. Catena aurea. Curt. 7. 36. Inserere catenas collo alicujus. Flor. 3. 5. ad fin. Catenas dare alicui. Id. 2. 18. in fin. Ducere aliquem in catenis. Plin. 7. Hist. nat. 26. 29. (104). custodire. Tac. 3. Hist. 31. Catenas alicui exsolvere. Lucan. 4. 451. Laxare catenas. Stat. 12. Theb. 460. Manus insertare catenis. — Catenarum colonus dicitur per convicium servus qui in catenis diu fuit, apud Plaut. Asin. 2. 2. 32. — Quæstio peculatus plena catenarum dicitur a Cic. Mur. 20. 42., hoc est plena vinctorum atque indicum. ¶ 2. Item pro cingulo, ornamento; sed raro. Plin. 33. Hist. nat. 3. 12. (40). Habeant feminæ aurum in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ circa latera etc. Adde Paul. 3. Sent. 6. 81. ¶ 3. Sumitur etiam pro quovis nexu, quo aliquid conjungitur et ligatur. Cato R. R. 18. in fin. In eum orbem (olearium) tres catenas (ligneas) indito. Eas catenas cum orbibus clavis ferreis corrigito. Vitruv. 7. 3. 1. Schneid. Iisque asseres catenis dispositis ad contignationes crebriter clavis ferreis fixi religentur. Pallad. 1. R. R. 3. 1. Asseres catenis ligneis ex junipero aut oliva aut cupresso factis ad contignationem suspendemus.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro morali vinculo. Cic. Sext. 7. 16. Hanc immanem bestiam vinctam auspiciis, constrictam legum sacratarum catenis etc. Horat. 1. Ep. 2. 63. Animum frenis et catena compescere. Tibull. 4. 5. 15. validâ catenâ teneri. Cf. eumd. 4. 1. 117. ¶ 2. Item pro quavis rerum serie quæ catenæ modum referat: ad rem Gell. 6. 2. Fatum est sempiterna quædam et indeclinabilis series rerum et catena. — Hinc de choreis. Lucret. 2. 630. inter se forte catenas Ludunt in numerumque exsultant. h. e. choreas agunt manibus, quasi catenis, invicem nexi. Alii aliter legunt. — Et de anulis per magnetem lapidem connexis. Id. Lucret. 6. 910. Hunc homines lapidem mirantur, quippe catenam Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se. — De oratione vero Quintil. 5. 14. 32. Ligare præcepta in catenas. — Similiter quidam Paulus Constantii Imp. minister, quia erit in complicandis negotiis artifex dirus, Catena cognomento dictus est. Ammian. 14. 5. ad fin. — NB. De catena inter meteoras V. HALYSIS.

Homonym. Inter vincula et catenas illud interest discrimen, quod inter genus et speciem: vincula enim dicuntur et sunt quæcumque homini aut rei ligandæ inserviunt; catenæ vero sunt vincula quæ fere ex anulis ferreis simul connexis constant: hinc duo hæc aliquando junguntur. Liv. 6. 16. Hæc dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris, jam in vinculis et catenis erit? Tac. 6. Ann. 14. Julius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendes, suam ipse cervicem perfregit. Id. 12. ibid. 47. Tunc qui ea vincla (paullo supra hæc habentur: implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque præstringere) admovebat, decidisse simulans genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit; simulque concursu plurium injiciuntur catenæ. Adde Senec. 1. Controv. 2.

CĂTĒNĀRIUS, a, um, adject., qui catena ligatur, ut canis ad fores domus causa custodiæ. Seneca 3. Ira 37. Irasceris catenario cani. Adde Petron. fragment. Tragur. 72. Burmann.

CĂTĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. colligatio, quæ catena, vel alio quovis ligamine fit. Vitruv. 2. 9. 11. Schneider. Ulmus et fraxinus aridæ factæ fiunt duriores, et in commissuris et coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes. Id. 10. 1. 2. Machina scansoria catenationibus, et transversariis et plexis colligationibus, et erismatum fulturis continetur. Petron. Satyr. 34. Cum larvam argenteam super mensam abjecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret. h. e. junctura et commissura partium versatilium; hic sermo est de neurospasto, quam vocem videsis suo loco.

CĂTĒNĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CĂTĒNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. CATENATUS I. et II. Catenare est catenis vincire (It. incatenare; Fr. enchainer, lier; Hisp. encadenar; Germ. in Ketten legen, zusammenketten; Angl. to chain.)

I.) Proprie. Colum. 6. R. R. 19. 2. Ut inserto (jumentorum) capite descendentibus per foramina regulis cervix catenetur. Schneider ita legit: alii teneatur. Venant. 2. carm. 14. Petrus, qui cœlum clave catenat. Adde eumd. 8. ibid. 4. post med. — Apud optimos Scriptores Part. Catenatus potius usurpatur. Horat. Epod. 7. 8. Britannus ut descenderet Sacra catenatus via. Colum. 1. R. R. præfat. 10. Catenatus janitor. h. e. servus ostiarius, quem ditiores habere solebant in catenis ad ostium ædium custodiæ causa. V. Ovid. 1. Amor. 6. 1. Plin. 9. Hist. nat. 15. 17. (44). Piscis ad mille libras catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus. Quintil. 8. 3. 69. Catenatum agere aliquem. Sueton. Aug. 13. producere. Adde eumd. Tib. 64. Flor. 3. 19. Frequentia ergastula catenatique cultores. Stat. 7. Theb. 63 Catenatus lectus. h. e. rete invisibili circumdatus a Vulcano, ut Martem cum Venere cubantem deprehenderet. Id. 4. ibid. 731. Catenatæ equorum linguæ. h. e. frenum in ore habentium. Martial. 7. 61. Catenatæ lagenæ. — Catenatus vir dicitur ab Hieronym. Ep. 22. n. 28., qui pœnitentiam simulans, catena lumbos cingit.

II.) Translate catenata dicuntur, quæ quocumque vinculo vel nexu inter se colligata sunt. Stat. 2. Silv. 1. 110. Catenatæ palæstræ. h. e. quia luctantes se mutuo implicant brachiis et cruribus, et quasi catena constringunt. Quintil. 1. 1. 37. Versus affectatæ difficultatis, ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenati. Martial. 1. 16. Expectant curæque catenatique labores. h. e. se se invicem sequentes et non intermissi.

CĂTĒNOPLĬUM, ii, n. 2. κατενόπλιον, vox Græca significans genus quoddam carminis, ad quod saltabant arma quatientes, ut Suidas docet. Auson. Epigr. 10. in fin. Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti. Al. scribunt κατενόπλια Græcis litteris: alii etiam aliter leg. V. PYRRHICHA.

CĂTĒNŬLA, æ, f. 1. deminut. a catena, parva catena. Paulin. Nol. carm. 26. 464. unum de calce catenula pendens Sustinet.

CĂTĒNŌSUS, a, um, adject. In modum catenæ factus. De loricis ex catenis ferreis compactis Alcim. Avit. 6. 408. Atque catenosi crepitant per corpora panni.

CĂTERVA, æ, f. 1. De etymo V. infra sub 1. et 2. — Caterva est ordinata atque arcta hominum manus, quæ quodam pilæ orbe circumagitur, omnibus in medium agmen tendentibus, ut patet ex Plin. 10. Hist. nat. 24. 35. (72). (It. caterva, schiera, squadra; Fr. troupe, bataillon, masse; Hisp. quadrilla, tropa; Germ. Schaar, geschlossener Haufe; Angl. a troop, battalion).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de peculiari ordine aciei quadrato: hinc recentiores philologi catervam a quatuor deducunt. Tac. 2. Hist. 42. Cominus, eminus, catervis et cuneis concurrebant. Cf. eumd. 4. Ann. 51. et V. CATERVATIM. ¶ 2. Hinc est præcipua pars exercitus, peculiari ordine aciei quadrato disposita, apud multas barbaricas gentes, ea ratione, qua legio apud Romanos, phalanges apud Macedones aliosque, ut docet Veget. 2. Milit. 2. Macedones, Græci, Dardani phalanges habuerunt, et in una phalange armatorum octo millia censuerunt: Galli atque Celtiberi pluresque barbaricæ nationes catervis utebantur in prælio, in quibus erant sena millia armatorum. Romani legiones habent etc. Forcellino aliisque ex his videbatur hæc vox externæ originis esse, quæ tamen a Romanis passim recepta fuerit atque usu Latina facta. Ceterum cum Veget. confer Isid. 9. Orig. 3. 46., et Tac. 1. Ann. 56. Nepos Chabr. 1. Catervæ conducticiæ fugatæ. Virg. 12. Æn. 264. densare catervas. Id. 8. ibid. 593. fulgentes ære catervæ. Horat. 1. Od. 8. 16. Lyciæ. Id. 4. ibid. 4. 23. Vindelicum catervæ late victrices. Tibull. 1. 2. 67. Catervæ Cilicum. Tac. 2. Ann. 17. Germanorum. Id. ibid. 45. Cheruscorum. ¶ 3. Aliquando ita sumitur, ut peditum multitudinem tantummodo significet, quemadmodum turma de equitibus dicitur. Virg. 7. Æn. 804. et 11. ibid. 433. Agmen agens equitum et florentes ære catervas. Horat. 2. Ep. 1. 190. Dum fugiunt equitum turmæ peditumque catervæ. Sed tamen Seneca Agam. 601. Barbarico equitum catervas. ¶ 4. Poetice tantum de Romanis dixit Petron. Satyr. 124. de exercitib. Cæsar. et Pomp. toto fluitantes orbe catervas. Adde eumd. ibid. 281.

II.) Improprie occurrit de quacumque manu vel multitudine extra militiam, et quidem ¶ 1. De hominibus. — a) Generatim. Lucret. 2. 629. Caterva comitum. Cic. Dom. 42. 110. Forum armatis catervis perditorum hominum possidere. Id. 1. Tusc. 31. 77. Catervæ contradicentium. Id. 7. Verr. 43. 112. testium. Id. Mur. 33. 69. Postumius cum bene magna caterva sua. Id. 1. Orat. 40. 184. Vagari magna cum caterva toto foro. Sall. Cat. 14. Omnium flagitiosorum atque facinorosorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Virg. 1. Æn. 501. Catervæ juvenum. Id. 11. ibid. 478. Subvehitur magna matrum regina caterva. Horat. 1. Sat. 10. 35. Græcorum poetarum. Tibull. 1. 2. 47. infernæ. Ovid. 12. Met. 216. matrum nuruumque. Id. 1. Amor. 9. 27. vigilum. Martial. 11. 47. femineæ. — b) Specialim de histrionum turba, ut docet Lindemann. ad Plaut. Capt. in fin. Cic. 3. Orat. 50. 196. In his (numeris ac modis) si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo, non modo catervæ atque concentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes ejiciantur. Adde eumd. Sext. 55. 118. ¶ 2. Item de brutis animalibus. Lucret. 6. 1091. Catervæ pecudum. Virg. 11. Æn. 456. avium. Tibull. 3. 4. 87. anguium. Apul. 4. Met. canum. ¶ 3. De verbis. Gell. 15. 2. Vili et incondita verborum caterva hortabatur omnes ad bibendum.

CĂTERVĀRIUS, a, um, adject. Sueton. Aug. 45.

Spectavit studiosissime pugiles, non legitimos atque ordinarios modo, sed et catervarios oppidanos, inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. *h. e.* qui non singuli cum singulis, sed confusi, mixtique pugnarent, et per catervas. *Inscript.* apud *Gud.* 106. 1. quæ est apud *Orell.* 2530. Pugiles catervarii. *V. Lips. l.* 2. *Saturn. c.* 16.

CĂTERVĀTIM, adverb. per varias catervas, quod clarius docet *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 35. (72). Sturnorum generi proprium catervatim volare et quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus. — *Catervatim* opponitur *specialiter* apud *Colum.* 3. *R. R.* 19. 3. Uniusne an plurium generum vites habendæ sint, eæque separatæ ac distinctæ specialiter, an confusæ et mixtæ catervatim. — *Lucret.* 6. 1141. omnes inde catervatim morbo mortique dabantur. *Sall. Jug.* 102. Non acie, neque ullo more prœlii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt. *Liv.* 23. 27. Jam primi conseruerant manus, cum alii catervatim currerent, alii nondum castris exissent. Adde *eumd.* 44. 41. et *Auct. B. Afr.* 2. *Virg.* 3. *G.* 556. Jamque catervatim dat stragem.

CĂTHARTĬCUS, a, um, adject. καθαρτικός, purgandi vim habens, ut *medicamentum catharticum* apud medicos: a καθαίρω purgo. *Cels.* 2. 12. Medicamenta stomachum fere lædunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est. Sed membrum totum videtur insiticium, ideoque *Leon. Targa* in utraque *Celsi* editione illud expunxit. Certior est tertio apud *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 4. *Schneid.* Potiones catharticas vel nimis amaras debet accipere.

Catharticum, *i*, n. 2. absolute (subaudi *medicamentum*), substantivorum more eadem significatione usurpavit *Tertull. Pall.* 5. *in fin.* Dabo catharticum impuritati Scauri, aleæ Curii, et vinolentiæ Antonii. *Hieronym. in Ezechiel. l.* 7. *c.* 23. *a med.* Dantur cathartica, ut noxius humor, qui inest corporibus, egeratur. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. 17. Nam et vomere cogendi sunt, et continuo scammoniæ purgandi cathartico. *Et mox.* Ego vero et magistrorum experimento et nostro, – cathartico cum his semper utor.

CĂTHĔDRA, æ, f. 1. καθέδρα, Græca vox, quæ proprie significat sedile, sellam; sed apud Latinos usuvenit

I.) Proprie ¶ 1. Ad eam sellam significandam, quæ Græcam luxuriam exquisitissime præ se ferebat. — *a)* Generatim. *Seneca* 1. *Clement.* 9. Dimissisque omnibus e cubiculo, cum alteram Cinnæ poni cathedram jussisset (*Augustus*). *Juvenal.* 7. 47. Quæque reportandis posita est orchestra cathedris. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 17. et 8. *ibid.* 21.; et *Paul.* 3. *Sentent.* 6. 50. Quas vero alter *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 68. (175). appellat *cathedras supinas*, in quibusdam Italiæ locis dicuntur vulgo *poltrone*. — Huc pertinet et illud *Tertull. Spectac.* 3., ubi *cathedra* in theatris nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. — *b)* Speciatim sumitur pro sella molliore et delicatiore, qua utebantur mulieres, et delicati etiam homines. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 91. Discipularum inter jubeo plorare cathedras. *Propert.* 4. 5. 37. Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra Quidlibet. Adde *Phædr.* 4. 8. 4. *Martial.* 12. 18. Ignota est toga: sed datur petenti Rupta proxima vestis e cathedra. *Id.* 3. 63. Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet. *Id.* 11. 99. Surgere de cathedra. Adde *eumd.* 12. 38. *Juvenal.* 6. 90. famam contempserat olim, Cujus apud molles minima est jactura cathedras. ubi *molles cathedræ* per metonymiam dicuntur mulieres delicatiores et luxuriosiores. — *c)* Item speciatim est sella, quâ non solum domi, sed etiam foris, Latini usi sunt lecticæ loco (quandoquidem inter sellam et lecticam discrimen est, ut *Lips.* docet *l.* 1. *Elector. c.* 19.). *Juvenal.* 1. 65. cum jam sexta cervice feratur Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra Signator etc. *Id.* 9. 52. strata positus longaque cathedra. ¶ 2. Dicitur etiam de sellis magistrorum et professorum. *Martial.* 1. 77. Illic (*h. e.* in foro) æra sonant: ac circum pulpita nostra Et steriles cathedras basia sola crepant. *Juvenal.* 7. 203. Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ, Sicut Thrasimachi probat exitus atque Secundi. — Hinc

II.) Improprie ¶ 1. Aliquando sumitur pro ipso munere professorum. *Auson. Profess.* 9. Et te, quem cathedram temere usurpasse loquuntur, Nomen Grammatici nec meruisse putant. ¶ 2. Apud *Sidon. in conc. post epist.* 9. *l.* 7. ponitur *cathedra* pro sella et munere Episcopali.

CĂTHĔDRĀLICIUS, a, um, adject. ad cathedram pertinens. *Martial.* 10. 13. Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros. *h. e.* pueros molles, et feminis similiores, quam viris. *Cathedra* enim feminarum et delicatiorum hominum propria fuit, ut dictum est in voce præced. I. 1. *b.*

CĂTHĔDRĀLIS, le, adject. *V.* vocem seq. 1.

CĂTHĔDRĀRIUS, a, um, adject. ad cathedram pertinens. ¶ 1. Stricto sensu. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Per cathedrarios servos domum reportatus est. *h. e.* qui cathedram gestatoriam portant. — *Cathedraria*, *orum*, sunt ipsæ cathedræ. *Paul. Dig.* 33. 10. 5. *pr.* De tapetis, quibus subsellia et cathedraria insterni solent. Ita leg. apud *Haloandr.* At *Torrentin.* hab. De tapetis, subsellia cathedraria quibus insterni solent. quod præstat. Al. leg. *cathedralia*, quod minime probandum videtur. ¶ 2. *Cathedrarii philosophi* dicuntur a *Senec. Brevit. vitæ* 10. qui philosophiam profitentur, et in *cathedra* sedentes publice docent. Eos autem præstringit tamquam vanos falsosque, et philosophiam verbis tantummodo præ se ferentes, non moribus et vita, quales erant antiqui et veri philosophi. — *Cathedrarii oratores* apud *Sidon.* 4. *Ep.* 3. sunt qui in cathedra artem oratoriam docent, sed in forum prodire non audent.

CĂTHĒMERINON, Καθημερινῶν, *h. e.* diurnorum, vel quotidianorum. Græca vox est genitivi pluralis, qua *Prudentius* partem poematum suorum inscripsit, in qua varios hymnos complexus est certis diei horis, et in aliquot etiam solemnioribus festis decantandos.

CĂTHĔTER, ēris, m. 3. καθετήρ, ῆρος, instrumentum chirurgicum, quod in vesicam immittitur ad ejus vitia curanda, et urinam eliciendam. Vox Græca a καθίημι *demitto*, *immitto*; legitur Latine apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *n.* 13.

CĂTHĔTĒRISMUS, i, m. 2. καθετηρισμός, curatio per catheterem. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ante med.* Tum catheterismus faciendus, quo urina distrahatur.

CĂTHĔTUS, i, f. 2. κάθετος, linea perpendicularis: a καθίημι *demitto*. *Vitruv.* 3. 5. 5. *Schneider.* Secundum extremi abaci quadram lineæ demittendæ, quæ catheti appellantur. Adde *eumd.* 3. 5. 6.; et *Cod.* 8. 10. 12. § 15.

CĂTHŎLĬCĒ, adverb. καθολικῶς, in universum, universe. ¶ 1. Generatim. *Tertull. Præscript.* 26. Etsi quædam inter domesticos disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent contrariam illi, quam catholice in medium proferebant. *h. e.* omnibus in universum. *Id. Fuga in persecut.* 3. Hæc catholice fiunt. *h. e.* passim. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. 19. Perseverantibus exercitiis et laboribus catholice salutem procurantibus. *h. e.* in universum. ¶ 2. Item secundum doctrinam Catholicorum. *Hieronym.* 2. *in Ruf.* 3. Catholice dictum.

CĂTHŎLĬCIĀNI, ōrum, m. plur. 2. ministri et officiales Catholicorum. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 9. 49. 9. Exceptis dumtaxat Cæsarianis, vel Catholicianis, qui, etc. Al. leg. *Cæsarianis, idest Catholicianis.* Porro *Catholicorum* sequiori ævo dignitas et magistratus fuit in Africa præsertim: quos eosdem fuisse, ac procuratores fisci, non uno in loco ostendit *Cujacius*, nempe exigendis tributis præfectos: quod probat etiam *Du Fresne in Glossar.*

CĂTHŎLĬCUS, a, um, adject. καθολικός. Metri necessitate, ut in *Italia*, sic in *Catholicus* prima producitur a *Prudent. Apotheos.* 70. — Catholicus est universalis, ad omnes pertinens. ¶ 1. Generatim. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 17. Catholica et summa bonitas Dei. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. 21. Catholica medicamenta. *Charis.* 1. *p.* 52. *Putsch.* Catholicus canon. *V.* et *Catholicus* infra. ¶ 2. *Catholica traditio* dicitur ab eodem *Tertull. Monogam.* 2. quæ ubique et apud omnes disseminata est, et ab omnibus recipi debet: qua ratione *Catholica fides* est fides Christiana apud *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 24. et alios Ecclesiasticos scriptores passim; et *Catholici populi* apud *eumd. ibid.* 30. sunt Christiani. — Hinc

Catholica, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, ponuntur pro rebus universis, pro universitate. *Apul. Trismeg.* Cælestes dii catholicorum dominantur, terreni incolunt singula. *Plin.* 1. *Hist. nat. in elencho l.* 2. *n.* 15. Catholica siderum errantium. *h. e.* ea, quæ universim pertinent ad sidera errantia. Sic *Id. ibid. n.* 55. Catholica fulgurum.

Catholicus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, apud Grammaticos est canon seu regula universalis. *Diomed.* 1. *p.* 281. *Putsch.* Declinatio nullo catholico continetur. *Id. ibid. p.* 283. Ab hoc catholico recedit panis.

CĂTILLĀMEN, inis, *et* } *V.* CASTELLAMENTUM.
CĂTILLĀMENTUM, i. }

CĂTILLĀTIO, ōnis, f. 3. proprie est actus lingendi. *Paul. Diac.* p. 44. 13. *Müll.* Catillatio grave opprobrium hominibus generosis objiciebatur, si qui provincias amicas populi Romani expoliassent. Cf. *Fulgent.* p. 563. 5. *Merc.*

CĂTILLA, æ, f. 1. *Plaut. Cas.* 3. 2. 21. Operam uxoris polliceor foras, quasi catillæ. *h. e.* quasi feminæ, quæ per alienas ædes cursitat liguriendi causa: ut *catilla* dicatur ea ratione, qua homo liguritor *catillo* dicitur. Sunt qui aliter interpretantur: sunt etiam qui aliter legunt. *V.* CATILLO, as.

CĂTILLĀTUS. *V.* voc. seq.

CĂTILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. est catillos lingere. *Fulgent. de prisco serm.* p. 563. 7. *Merc.* docet *catillare* esse per alienas domos cursitare: ductum a catulis, qui per omnes domos lingendi causa circumeunt. *Plaut. Cas.* 3. 2. 21. Operam uxoris polliceor foras, quasi catillatum. Ita recte leg. *Fulgent.*: alii aliter. *Id. Fulgent.* affert etiam hæc ex *Catullo* verba: *Catillata geris vadimonia publicum prostibulum*: quæ alii *Petronio* tribuunt, alii *Propertio*, sed frustra.

CĂTILLO, ōnis, m. 3. liguritor, et generatim gulosus: a catillis, idest catinis lingendis. Proprie *catillones* dicti sunt, qui ad sacrificium Herculis ultimi cum venirent, catillos liguriebant. Translate etiam lupi pisces dicti sunt *catillones* a *Lucilio*, qui inter duos Tiberis pontes proxime ripas stercore vescebantur. Hæc omnia habet *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. *in fin.* Cf. *Paul. Diac.* p. 44. 12. Catillones appellabant antiqui gulosos. *Id.* p. 90. 2. Catillones catillorum liguritores.

CĂTILLUM, i, n. 2. *deminut. a* catinus, parvus catinus, catillus. *Petron. fragm. Tragur.* 50. *Burmann.* Facere catilla et paropsides. *Priscian.* quoque 1. p. 556. *Putsch.* genus neutrum agnoscit.

CĂTILLUS, i, m. 2. *deminut. a* catinus, parvus catinus. ¶ 1. Ponitur pro parvo vase escario et culinario. *Cato R. R.* 84. Melle ungito, papaver infriato – postea eximito. Ita pone cum catillo et lingulis. *Asinius Pollio* apud *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.* Volitantque urbe tota catilli. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 74. Primus et invenior piper album cum sale nigro Incretum puris circum posuisse catillis. *Colum.* 12. *R. R.* 57. 1. Hanc mixturam cum in catillo composueris, oleum superfundito. *Val. Max.* 4. 3. 5. Ligneo catillo cœnans Curius. Adde *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 18. (54). ¶ 2. In illo *Plinii* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Cum capuli militum, ebore etiam fastidito, cælentur argento, vaginæ catillis, baltei laminis crepitent: *catillos* intellige lamellas in catillorum figuram formatas, quibus vaginæ ornabantur, ut est apud *Burmann.* ad *Petron. fragm. Tragur.* 50. ¶ 3. Est etiam catillus superior molæ molendariæ pars, sicut *meta* inferior. Ita *Paul. Dig.* 33. 7. 18. § 5. *V.* MOLA. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CĂTĪNULUS, i, m. 2. *deminut. a* catinus, parvus catinus, catillus. Usurpatum est a *Varrone* ad *Cic.* teste *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.*

CĂTĪNUM, i, n. 2. est alia forma et minus usitata pro *catinus*, quam vocem *V. Cato R. R.* 84. Catinum fictile oleo ungito. Cf. *Charis.* 1. p. 61. *Putsch.*

CĂTĪNUS, i, m. 2. De alia forma *V.* voc. præced. — *Varro* 5. *L. L.* 120. *Müll.* docet, a Siculis dictum esse κάτινον, vel, ut *Scalig.* legi vult, κάτανον: hinc apud Latinos *catinus* qui generatim est vas vel patina plus minusve profunda (*It. catino, scodella*; *Fr. pot, bassin, plat*; *Hisp. vasija, bote, olla*; Germ. *Napf, Schüssel, Teller*; Angl. *a pot, platter*). ¶ 1. Est vas escarium et culinarium fictile, vel ligneum, vel ex alia quapiam materia. *Varro* 1. *R. R.* 63. 1. In sole ponere oportet aquæ catinos, quod eo conveniunt, ut ipsi se necent, curculiones. *Id.* apud *Non.* p. 546. 14. *Merc.* Acetabula, catini, paleum. *Mæcenas* apud *Charis.* 1. *p.* 60. *Putsch.* fumans calido cum farre catinus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 92. Inde domum me Ad porri et ciceris refero laganique catinum. Ad-

de eumd. 1. ibid. 6. 115., 2. ibid. 2. 39. et 2. ibid. 4. 77. Pers. 3. 111. positum est algente catino Durum olus et populi cribro decussa farina. Adde eumd. 5. 182.; et Juvenal. 6. 342. et 11. 109. ¶ 2. Ponitur etiam pro vase, quod sacrificiis inserviebat. Sueton. Galb. 18. Senex atratus in catino vitreo tus tenens. Apul. de Mag. Simpulo et catino fictili sacrificare. ¶ 3. Item pro vase, in quo metalla coquuntur: qua significatione Plin. 33. Hist. nat. 4. 21. (69). et ibid. 6. 35. (107). memorat catinos ex tasconio. Adde eumd. 34. ibid. 13. 37. (135). ¶ 4. Per similitudinem catini saxorum dicuntur cavitates in saxis naturaliter excavatis, in quas aliquid congeritur. Plin. 34. Hist. nat. 12. 32. (124). Calcantum fit et in saxorum catinis, pluvia aqua corrivato limo gelante. ¶ 5. Item per similitudinem catinus appellatur a Vitruv. 10. 7. 1. Schneid. vas illud in Ctesibica machina, quod aeri excipiendo inservit, itemque comprimendo, ut proinde aqua per tubam exsiliat.

CATLASTER, tri, m. 2. Catlastri autem forma, quam Charisius habet 1. p. 65. Putsch. contracta est ex catulaster, quod in deminutivis ex catulus ponit Priscian. 3. p. 618. et 4. p. 628. Putsch. Cf. Gloss. Philox. Catulaster, βούπαις, πάλληξ. Hinc catlaster est grandior puer, adolescentulus, præcipue qui generationi aptus est. Vitruvio 8. 3. 24. Schneid. hanc vocem restituit Turneb. l. 24. Adversar. c. 7. pro eo quod vulgo legebatur catastos. Ipse Schneider retinuit, quem vide ad Vitruv. vol. 2. p. 120. V. et CATULASTRA.

CATLITIO, ōnis. V. CATULITIO.

CĂTO, ōnis, m. 3. Præter M. Porcium, qui censuram gessit summa severitate, unde et Censorius dictus est, fuere alii Catones, omnes viri gravissimi, de quibus omnibus V. ONOM. — Hinc per translationem Cato dicitur de viro moroso, difficili, gravi, severo, constanti et integris moribus. Phædr. 4. 6. Quid possum facere tibi, lector Cato, Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ? Seneca Ep. 120. Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt. Juvenal. 2. 40. Tertius e cœlo cecidit Cato. Lamprid. Alex. Sev. 68. Fabius Sabinus, alter sui temporis Cato. — Contenti simus hoc Catone, proverb. Augusti, quoties hortabatur ad ferenda præsentia, quæcumque essent. Sueton. in ejus Vita 87.

CĂTOBLEPAS, æ, m. 1. κατωβλέπας, fera est in Æthiopia ad Nili caput, modica alioquin, ceterisque membris iners, caput tantum prægrave ægre ferens: id dejectum semper in terram (unde et nomen traxit a κάτω deorsum, et βλέπω aspicio); alias internecio humani generis, omnibus, qui oculos ejus videre, confestim expirantibus. Ita eam Plin. 8. Hist. nat. 21. 32. (77). describit. Adde Melam 3. 9. ad fin. Ælian. Nat. anim. 7. multa habet de catoblepa. Quod vero attinet ad hujus nominis originem, Procopius tyrannus, Juliani propinquus, ab Ammian. 26. 9. 11. dicitur: Subcurvus humumque intuendo semper incedens.

CĂTŎCHA, æ, f. 1. κατοχή, idem ac catalepsis. Cœl. Aurel. 2. Acut. 10. Catochæ vehementes, ut etiam voce rapiantur ægrotantes. V. CATALEPSIS.

CĂTŎCHITES, æ, m. 1., ut affertur a Forcellino, vel rectius

CĂTŎCHITIS, idis, f. 3. κατοχῖτις, gemma est in Corsica, ceteris major; mirabilis, si vera traduntur, impositam manum, veluti gummi, retinens: a κατέχω retineo. Plin. 37. Hist. nat. 10. 56. (152).; Solin. 3.; et Priscian. Perieg. 472.

CĂTŎMĪDĬO, as, are, a. 1. κατωμίζω. De forma hujus verbi cf. GARGARIDIO et JUDAIDIO. — Catomidio est in humeros tollo, sublimem rapio. ad pœnam nempe puerorum propriam, cum ludimagister delinquentis pueri, et alicujus humeris impositi, nates verberat, quod Itali dicunt porre a cavalluccio, dare un cavallo. Est autem a κατά super, et ὦμος humerus; inde etiam κατωμαδίως ex humeris pendens. Pœnam describit Prudent. 10. περὶ στεφ. 696. de puero septuenne. Vix hæc profatus (Asclepiades) punionem præcipit Sublime tollant, et manu pulsent nates: Mox et remota veste virgis verberent, Tenerumque duris ictibus tergum secent. Beda in Martyr. ad XIV. K. Dec. de eodem. Indignatus Asclepiades puerum catomo suspendi, et verberari jussit. Hinc in Act. Martyr. passim legere est catomis cædi, in catomo levari. V. Gloss. Lat. Ducang. in V. Catomus. Apul. 9. Met. Vocatis duobus e familia validissimis, quam altissime sublato puero, ferula nates ejus obverberans, etc. Petron. Satyr. 132. Matrona ad ultionem decurrit, vocatque cubicularios, et me jubet catomidiari. Hic Petron. loquentem inducit adolescentem, qui in concubitu veneream feminæ libidinem explere nequiverat, ideoque ab eadem more imbecillium puerorum male mulcatus fuit. Ceterum figuram pueri catomidiati habes in Pitture d'Ercolano T. 3. tab. 11. p. 238. — Eadem fuit pœna decoctorum. Spartian. Hadrian. 18. Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, catomidiari in amphitheatro, et dimitti jussit. — Hujus consuetudinis vestigia quædam servabantur olim in Italia, cum nempe decoctores sola camisia induti nudas nates super lapidem in foro positum percutere cogebantur, et exclamare: Bonis meis renuncio; hoc Itali dicunt dare del culo in sul petrone. Hic lapis pietra del bando appellatur, qui etiamnum Patavii exstat, et in superiore extremitate hanc habet circularem inscriptionem: Lapis vituperii, et cessionis bonorum. — Sunt qui in loc. cit. Petron. perperam legunt nullo sensu catorogare; Burmannus vero turpi et huic loco alieno catapygare; alii tum hic, tum apud Spartian. loc. cit. inepte catamidiari, a cătămīdio, as, quod a καταμωκάω derideo, ludibrio habeo.

CATOMECARII vel

CATOMITARII quid sint apud Ennium, non facile dixeris. Verba Ennii sunt apud Servium ad Virg. 9. Æn. 329. Quo tamen temere itis citati, catomitarii? Merula habet: Quo tam temere isti, citate Catomeraris. — Videtur utrobique vox corrupta. Si liceret reponere catomidiarii, lux aliqua appareret in voce præcedent., et esset convicium.

CĂTŎMUM (κατ' ὦμον). In catomo suspendi, in catomo levari, in catomis cædi eadem sunt ac catomidiari apud Scriptores Ecclesiasticos. V. CATOMIDIO. Nonnulli huc referunt et illud Cic. 7. Fam. 25. 1. Vereor ne in catomum Catoninos. h. e. vereor ne Catoni deditì ejusque laudatores, tamquam pueri, catomidientur vel catomidiandi mittantur: quam sane interpretationem aliquo saltem modo confirmant præcedentia verba ejusd. Cic. Sed — magister adest citius, quam putaram. Alii tamen, inter quos Orell., leg. catonium, quam vocem V.

CĂTŎNĬUM, ii, n. 2. locus inferorum, inferi: a κάτω infra, vel deorsum. Laberius apud Gell. 16. 7. Tollet bona fide vos Orcus nudas in catonium. Gell. enumerat inter ea, quæ obsoleta et maculantia ex sordidiore vulgi usu Laberius adhibuit. Apud Laber. alii leg. charonium, a Græco χαρώνιον, seu χαρωνεῖον, quo significatur barathrum gravem odorem exhalans; et translate Orcus, Inferi. Huc referri potest, quod docet Pollux l. 8. c. 9. χαρώνειον dictam esse portam carceris, qua damnati ducebantur ad supplicium: quasi illac via esset ad Charontem. Cf. et Scholiast. Juvenal. p. 65. Cruq. Huc refertur et jocus ille Cic. 7. Fam. 25. 1. Vereor ne in Catonium Catoninos. h. e. ne Cæsar ad inferos demittat Catoni deditos ejusque laudatores, ut te et me. Alii tamen apud Cic. leg. catomum, quam vocem V.

CĂTOPTRĪTIS, idis. f. 3. κατοπτρῖτις, gemma, quæ, non secus ac speculum, imaginem refert: a κατά et ὄπτομαι video. Plin. 37. Hist. nat. 10. 56. (152). Catoptritis e Cappadocia provenit. Sillig. ita legit et corrigendum curavit ex Cod. Bamberg.; veteres enim editiones legebant catopyritis.

CATOPYRITIS. Falsa lectio: V. voc. præced.

CĂTORCHITES, æ, m. 1. κατορχίτης, subaudi οἶνος, vinum sycites, hoc est e ficu factum. Plin. 14. Hist. nat. 16. 19. (102). — Videtur ita appellatum a κατορχέομαι demulceo, quia lentum admodum ac lene est.

CATTA, æ, f. 1. Martial. 13. 69. cujus lemma est Cattæ: Pannonicas nobis numquam dedit Umbria cattas: Mavult hæc domino mittere dona Pudens. Martial. tum in præcedentibus, tum in sequentibus distichis de variis avibus agit: quare etiam cattæ istæ inter aves censendæ sunt, et quidem Pannoniæ peculiares, ut ipse Martial. indicat, (quamvis non constet, quodnam avium genus hoc nomine designetur); neque audiendi, qui mustelas silvestres esse putant, multo minus qui feles interpretantur. — At in Not. Tir. p. 176. Catta recensetur inter bestias, nempe inter talpam et nitelam. Adde Evagr. l. 6. c. 24. Αἴλουρος, ἣν κάτταν ἡ συνήθεια λέγει. Gloss. Vet. Catta, αἴλουρος. V. CATUS, I. — Notationem vocis habet Etymolog. Gr. Gudianum. Κάττα, παρὰ τὸ ἅττω, salio, additione litteræ κ. — Apud Gell. 10. 25., ubi varia navium nomina recenset, pro stlatæ quidam legunt ex MSS. quibusdam cattæ, sed hoc valde incertum est. — NB. De cognom. Rom. V. ONOM.

CĂTŬLA, æ, f. 1. parva canis. Propert. 4. 3. 55. Glaucidos et catulæ vox est mihi grata querentis. Aurel. Vict. Epit. 23. de Elagab. Hujus corpus per Urbis vias, more canini cadaveris, a milite tractum est, militari cavillo appellantium indomitæ et rabidæ libidinis catulam.

CĂTŬLĀRĬUS, a, um, adject. ad catulum pertinens, ut Catularia porta Romæ ita dicta, quia non longe ab ea ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur. Paul. Diac. p. 45. 7. Müll. — Hanc portam fuisse inter colles Capitolinum et Quirinalem probavit Ant. Nibbyus, Mura di Roma p. 136. Ceterum cf. W. A. Becker Handb. der röm. Alterth. P. 1. p. 178. et seqq. — Porro hæc vox confirmatur etiam ex eo, quod Catularius fuit appellata una ex comœdiis Laberii apud Gell. 7. 9., quæ a Non. 3. 61. edit. veter. dicitur Scylax a σκύλαξ catulus.

CĂTŬLASTER, tri, m. 2. V. CATLASTER.

CĂTŬLASTRA, æ, f. 1. puella, jam grandis et viri patiens. Dracont. Satisf. 225. Non catulastra gerit puerilia: non puer audet Attrectare tener Martia tela manu. Berkerus tamen ad Arcad. de accent. p. 224. et Arevalo pro non catulastra gerit legendum putant non catulaster agit.

CĂTŬLĪNUS, a, um, adject. qui est ex catulo. Paul. Diac. p. 45. 3. Müll. Catulina caro. — Hinc

Catulina, æ, f. 1. (subaudi caro) absolute, substantivorum more, pro catulina carne apud Plin. 29. Hist. nat. 4. 14. (58).

CĂTŬLĬO, is, ire, n. 4. dicitur de catulis, cum libidine lasciviunt, et venerem appetunt. Varro 2. R. R. 9. 11. de canib. Principium admittendi faciunt veris principio. Tunc enim dicuntur catulire, id est ostendere se velle maritari. — Translate Laberius apud Non. p. 90. 33. Merc. Lupa catuliens. h. e. meretrix ἀνδρα ἐφελκομένη.

CĂTŬLĪTĬO, ōnis, f. 3. actus catuliendi, hoc est venerem appetendi; et proprie usurparetur de catulis similibusque animalibus. Sed occurrit translate tantum apud Plin. 16. Hist. nat. 25. 39. (94). Catulitionem rustici vocant, gestiente natura semina accipere, eoque (vento Favonio) animam inferente omnibus satis. In quibusdam MSS. est catlitionem per syncopen testib. Harduino et Turnebo l. 24. Adversar. c. 7.

CĂTŬLUS, i, m. 2. deminut. a catus, hoc est feles. Hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, haud aliter ac Germ. Katze, unde tiegerkatze, panterkatze, löwenkatze etc., catulus accipitur pro recenti partu omnium fere animalium, præcipue ferarum, aut saltem eorum animalium, quæ agrorum culturæ minime inserviunt. Horat. 3. Od. 3. 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum, et catulos feræ Celent inultæ. Cf. Non. p. 157. 8. Merc. — Hinc occurrit de leonibus, pantheris, tigribus etc. Plaut. Truc. 2. 2. 13. Catuli suum. Adde Lucilium apud Non. p. 157. 17. Merc. Lucret. 5. 1035. pantherarum. Virg. 3. G. 245. et 438.; et Plin. 11. Hist. nat. 37. 55. (152). serpentium. Rursus Virg. 2. Æn. 357. luporum. Horat. 1. Od. 1. 27. cervæ. Id. 3. ibid. 20. 2. leænæ. Ovid. 13. Met. 836. ursæ. Adde eumd. 15. 379. et 547. Phædr. 2. 4. 24. felis. Plin. 8. Hist. nat. 4. 5. (10). tigrium. Id. 10. ibid. 74. 95. (203). vulpium. Id. 8. ibid. 54. 80. (216). simiarum. Id. 10. ibid. 65. 85. (187). lacertarum. Id. 29. ibid. 4. 16. (63). mustelæ. Id. 9. ibid. 8. 7. (21). delphinorum. Id. 10. ibid. 74. 96. (208). aspidis. Id. 10. ibid. 62. 82. (170). viperæ. ¶ 2. Specialim catulus est canum fetus recens editus: qua significatione ab antiquis catulus habitus est deminutivum a canis, ut docet Varro 9. L. L. 74. Müll. et 5. ibid. 99., et Priscian. 1. p. 556. Putsch.; sed perperam. Cic. 2. Nat. D. 14. 38. Omnia in perfectis et maturis esse meliora, ut in equo quam in equulo, in cane quam in catulo. Virg. 1. Ecl. 20. Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos etc. Cf. Lucret. 5. 1065. Horat. 1. Ep. 2. 65. venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus. Adde Colum. 2. R. R. 22. 3., 7. ibid. 12. 18., et 10. ibid. 343.; Plin. 29. Hist. nat. 4. 14. (58). et alibi. — Hinc latiori significatione catulus ponitur pro quocumque cane, etiam

adulto. *Plaut. Asin.* 1. 3. 32. Et quoque catulo meo subblanditur novus amator. *Lucret.* 4. 999. consueta domi catulorum blanda propago. *Virg.* 3. *G.* 405. Veloces Spartæ catulos acremque Molossum etc. *Horat.* 1. *Od.* 1. 27. Seu visa est catulis cerva fidelibus. Adde *Ovid. Rem. am.* 207. — *Aliter catuli longe olent, aliter sues*, proverb. apud *Plaut. Epid.* 4. 2. 9. de rebus inter se valde dissimilibus.

II.) Figurate est genus vinculi, quo servi constringebantur, qui et *canis* et *catellus* dicitur. *Lucilius* apud *Non. p.* 36. 26. *Merc.* Cum manicis, catulo collarique ut fugitivum Deportem. Adde *Paul. Diac. p.* 45. 11. *Müll.*, et *V.* CANIS et CATELLUS. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CĂTUS, a, um, adject. est vox a Sabinis ducta, ut *Varro* 7. *L. L.* 46. *Müll.* docet; atque initio statim idem erat atque acutus (It. *acuto*; Fr. *aigu*; Hisp. *agudo*; Germ. *scharf*; Angl. *acute, shrill*).

I.) Proprie occurrit de auditu. *Ennius* apud *Varron. loc. cit.* Jam cata signa ferâ sonitum dare voce parabant. Cf. ACUTUS.

II.) Translate de ingenio ponitur, et apud antiquos in prosa oratione sæpissime occurrit pro solerti, acuto, perspicaci, sagaci, neque raro pro astuto, callido: videtur autem significare potius solertiam et prudentiam, quæ a natura est, non quæ ab habitu. Ceterum de hac voce *V. Klotz Nachträge zu Cicero's Tuscul. p.* 100. et seq. Occurrit — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Varron. loc. cit.* Tunc cepit memorare simul cata dicta. *h. e.* acute dicta. *Id. Ennius* apud *Cic.* 1. *Orat.* 45. 198. Egregie cordatus homo, catus Ælius Sextus. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 18. et 1. *de republ.* 18. 30.; et *Varron. loc. cit. Plaut. Pers.* 4. 4. 70. Ita cata est et callida; habet cor; quam dicit quod opus est! *Id. Epid.* 2. 2. 73. Si æquum fiet me plus capere, quam vos, dederim vobis consilium catum. *Id. Most.* 3. 2. 29. Miror tam catam, tam doctam te, et bene educatam. Adde *eumd. ibid.* 5. 2. 21., *Pœn.* 5. 2. 117., *Pseud.* 2. 3. 13. et *Trin.* 2. 3. 51. *Ter. Andr.* 5. 2. 14. Ellum, confidens, catus. *Cic.* 1. *Legg.* 16. 45. Quis igitur prudentem, et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa judicet? Adde *eumd.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 97. *Non.* 2. 184. *edit. veter. catum* interpretatur *sapientem*, sed abutitur verbis *Cic.* 2. *Tusc.* 19. 45., in quibus meliores libri habent *cautus* pro *catus*: quod si *catus* legere velis, nihil aliud certe quam callidum significat. Hucusque *Forcellinus*: at *Klotz* in opere superius cit. ad *Cic. Tusc. loc. cit.* recte contendit ibi *catum* et non *cautum* legendum esse. *Horat.* 1. *Od.* 10. 3. Mercuri – qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 2. 39. *Auson. Parental.* 17. Lingua catus, ore canorus. — Hinc fuit etiam *catus* (sicut et *corculus*) cognomen apud Romanos, datum iis, qui acumine ingenii ac solertia, et, quod hinc sequitur, sapientia et prudentia pollebant, ut *Plin.* 7. *Hist. nat.* 31. 31. (118). docet. Cf. locum *Ennii* sub II. *a.* de Sexto Ælio Cato. — *b*) Cum Infinito. *Horat.* 3. *Od.* 12. 10. Catus jaculari cervos. *Apul. Florid.* n. 3. Catus canere. — *c*) Cum Genitivo. *Auson. Mosell.* 400. legumque catos fandique potentes.

CĂTULŌTĬCUS, a, um, adject. κατουλωτικός, cicatricem inducens, ab οὐλή, cicatrix. *Veget.* 6. *Veterin.* 28. 4. *Schneid.* Igitur medicamentum, quod supra dixi, catuloticum est. *Id.* paullo ante dixerat: Facit ad omnia vulnera elimpidanda, et velocius curanda. Ante *Gesnerum*, qui locum ita emendavit, hic legebatur nullo sensu *cataloticum*, vel *catolaticum*.

CATUMEUM, i, n. 2. genus libi in sacris adhibiti, apud *Arnob.* 7. 21. Videtur autem significare libum e carne desecta ex cervice animalis: a *catomum*, quod quædam *Glossæ* cervicem interpretantur, κατ᾽ ὤμων. Hæc conjectura ex eo firmari potest, quod non una ex iis libis, quæ eo loco *Arnob.* enumerat, ex variis animalium membris ducta sunt, ut *caro strebula* ex coxendicibus, *ærumnæ* ex gula, *tæniæ* ex intestinis, *offa penita* ex cauda, etc.

CĂTUS, i, m. 2. Prima syllaba apud Latinos brevis esse videtur, ut in ejus deminutivo *catulus*: eam vero produxit *Auct. incertus* in *Anthol. Burmann.* (cujus verba *V.* paullo infra), eamdemque longam retinuit *Forcellinus*, fortasse propter Græcum κάττος. — Hinc, ut ipse ajebat, scribitur et *cattus*, ut habet et *Gloss. Vet.* Cattus, αἴλουρος, et *Scholiast. Callimach.* ad *Hymn. Cer.* 111. Τὰν αἴλουρον, τὸν [illegible] κάττον. *V.* CATTA. — Ceterum *catus* est feles. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 4. Contra talpas prodest catos frequenter habere in mediis carductis. *Auct. incertus* in *Anthol. Lat. l.* 5. *epigr.* 162. *Burmann.* Catus in obscuro cepit pro sorice picam. — Videtur etiam significare canem; et feminino etiam genere efferri posse, si sana sunt hæc verba *Servii* ad *Virg.* 5. *Æn.* 610. Catullus, et alii feminino genere ponunt, referentes ad originem, sicut hæc catus, et hæc gallus legimus imitatione Græcorum, qui ὁ καὶ ἡ κύων, ὁ καὶ ἡ ἀλεκτρυών dicunt. — Item machina militaris, eadem quæ vinea, aut pluteus, qua tecti milites ad muros urbis obsessæ subruendos, et fossam implendam accedunt. Quo loco *Veget.* 4. *Milit.* 15. habet: *Vineas dixerunt, quas nunc barbarico usu causias vocant*; fuit qui legendum putaret *catos vocant*. At præstat priorem lectionem retinere. *V.* CAUSIA. Adde, Italos nunc vocare *gatti* non vineas, sed testudines, quas *Veget. ibid.* 16. describit, quasque Italus interpres *gatti* appellat.

CAUCĂLIS, idis, f. 3. καυκαλίς, herba est edulis, fœniculo similis, brevi caule, flore candido. Multos habet etiam in medicina usus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 40. (83). et 21. *ibid.* 15. 52. (89). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 56.) hanc exhibet synonymiam: Καυκαλὶς Nicand. Ther. v. 843. et Dioscor. 2. 169.; Ἀγριοκαυκαλίδα Græcor. recent. et *Caucalis* Plin. locc. citt. est *Caucalis grandiflora* L. Spec. plant. 346.

CAUCŬLA, æ, f. 1. deminut. ab inus. *cauca*, Gr. καῦκα, parva cauca, h. e. parvus catinus vel parva patera. *Apul.* 1. *Met.* 20. *Hildebr.* min. Alii aliter legunt.

CAUCUS, i, m. 2. genus vasis potorii. *Spartian. Pescenn. Nigr.* 10. Cum milites quosdam in cauco argenteo bibere vidisset. *Salmas.* pluribus more suo hanc lectionem tuetur, additque locum ex *epist. Valeriani* apud *Trebell. Claud.* 14., ubi bis legitur in *caucos et scyphos.* et *Marcell. Empir.* 25. *sub fin.*, ubi *ligneus caucus.* Alii tamen ubique reponunt *caveus. Hieronym.* 2. *advers. Jovinian.* 14. Diogenes habens ad potandum caucum ligneum. *Laert.* de eodem habet κοτύλην. *Gloss. Philox.* Καῦκα, patera.

CAUDA, æ, f. 1. Pro *cauda* vulgo et dicebatur et scribebatur *cōda*, testibus *Varron.* apud *Non. p.* 86. 19. *Merc.* et 2. *R. R.* 7. 5.; *Petron. Satyr.* 44.; *Festo* p. 178. 20. et *Paul. Diac. p.* 38. 17. *Müll.* — Cauda est posterior pars pendens in animalibus omnibus præter hominem et simiam; de qua multis disserit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 50. 111. (264). (It. *coda*; Fr. *queue*; Hisp. *cola, rabo*; Germ. *der Schwanz, Schweif*; Angl. *the thail of a beast, bird or fish*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Fin.* 5. 18. Cauda pavoni donata a natura ad ornatum. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 59. 222.; *Lucret.* 2. 806. et 3. 658.; et *Varron.* 2. *R. R.* 2. 3. et 2. *ibid.* 5. 8. *Catull.* 63. 81. Cædere terga cauda. *Virg.* 8. *Æn.* 674. Delphines æquora verrunt caudis. Adde *eumd.* 3. *G.* 59. et 423. *Horat.* 2. *Od.* 19. 31. Cerberus leniter atterens caudam. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 2. 26. et 2. *Ep.* 1. 45.; et *Ovid.* 4. *Fast.* 163. et 3. *Met.* 681.; et *Quintil.* 10. 7. 26. *Gell.* 5. 14. Leo caudam more adulantium canum clementer et blande movens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 50. 111. (264). Sues caudam intorquent, canum degeneres sub alvum reflectunt. *Id.* 8. *ibid.* 54. 80. (216). Cauda late fusa. *Id.* 10. *ibid.* 3. 3. (7). prominentior. — *b*) *Caudam trahere* apud *Horat.* 2. *Sat.* 3. 53. proverbii species est, et significat derisui esse: ductque ex eo posse videtur, quod pueri, quos irridere volunt, quiddam eis caudæ simile appendere a tergo solent, ut testatur ipse *Porphyr.* ad *h. l.* Cf. et *Heinhard in der Wüstemann'schen Ausg. machen des Heindorfschen Horaz* p. 335. — *c*) *Caudam jactare popello* apud *Pers.* 4. 15. est venditare se populo speciosis actionibus ejusque favorem captare; ductum a pavonibus caudam ostentantibus; vel a canibus, qui cum blandiuntur, caudam agitant. — *d*) *Caudæ equinæ pilos demere. V.* SERTORIANUS. — *e*) *Cauda equina* nonnullis videtur equisetum esse: *V.* CODETA. — *f*) Festive *Cic.* 4. *Verr.* 78. 190. Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tamquam in luto, demersam esse in litura?

II.) Figurate. ¶ 1. Pro mentula. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 45. et 2. *ibid.* 7. 49. ¶ 2. In illo *Virg. Mor.* 43. Præverrit cauda silices gremiumque molarum: *cauda* est peniculus ex cauda bubula sive equina, quo ad abstergendum utimur. ¶ 3. *Cauda marina* est piscis genus, quod Græci ἀλωπούριον vocant, ut saltem videtur. Inter suffimenta enumerat *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 2. et 4. *ibid.* 12. 3. *Schneid. V.* tamen ipsum *Schneid.* ad *locc. citt.* et in *Indice.*

CAUDEA cistella. *V.* vocem sequent.

CAUDĔCÆ, cistellæ e junco, a similitudine equinæ caudæ factæ. *Paul. Diac.* p. 46. 11. *Müll.* Al. leg. *Caudeta.* Sed *Scalig.* vult legi *caudeæ*, quod etiam apud *Plaut.* in *Rud.* habeatur 4. 4. 65. et 89. Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo. *V. Müll.* ad *Paul. Diac. loc. cit.*

CAUDEX, icis, m. 3. In familiari sermone pro *caudex* usuvenit *codex.* — Caudex est truncus arboris, hoc est ea pars, quæ e radice supra terram simplex assurgit. Differt a *caule*, qui herbarum est, *caudex* vero arborum et fruticum. (It. *tronco, ceppo, pedale*; Fr. *tronc, souche d'arbre*; Hisp. *tronco, troncon*; Germ. *der Stamm, Klotz*; Angl. *the stem, stock or trunk of a tree*). ¶ 1. Stricto sensu caudex est truncus arboris, sive solidus atque integer, sive in tabulas divisus. — *a*) Formâ *caudex* apud *Virg.* 2. *G.* 30. Quin et caudicibus sectis (mirabile visu) Truditur e sicco radix oleagina ligno. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (121). Arbores quædam simplices, quibus a radice caudex unus et rami frequentes, ut olivæ, fico, viti. *Id.* 11. *ibid.* 37. 55. (151). Caudices robusti vetustate putres. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 15. 34. (67).; et *Gell.* 5. 3. — Est aliquando convicium in hominem stupidum, fatuum, stultum, quemadmodum et *truncus. Ter. Heaut.* 5. 1. 3. In me quidvis harum rerum convenit, Quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. Adde *Petron. Satyr.* 74. — *b*) Formâ *codex* apud *Ovid.* 12. *Met.* 432. Codice qui misso, quem vix juga bina moverent etc. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 21. Radices terra subacta operiamus, et circum calcemus ipsum codicem. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 8. 2. et 12. *ibid.* 14. 5. — Sic *codex robustus* erat ligneus stipes e robore magni ponderis, quem alligati servi, qui deliquissent, trahere cogebantur, eique insidere, in eo cubare, secumque semper habere, donec a domino absolverentur. Sunt qui intelligunt carcerem in privatis ædibus, quo includerentur noxii servi, cinctum roboreis assibus, quale erat in publicis carceribus *robur*, de quo *V.* suo loco. Sed magis placet sententia *Turnebi l.* 23. *Adversar. c.* 21., quam posuimus. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 33. Quos ego jam detrudam ad molas; inde porro ad puteum atque ad robustum codicem. *Propert.* 4. 7. 40. Codicis immundi vincula sentit anus. *Juvenal.* 2. 57. Horrida residens in codice pellex. ¶ 2. Frequentissime accipitur pro libro: quod veteres olim codicem appellarunt plurium tabularum contextum, ut *Varro* apud *Non. p.* 535. 20. *Merc.* et *Seneca Brevit. vitæ* 13. docent. Itaque primum sic appellarunt plures scriptorias tabellas simul connexas, deinde plures quoque membranas et chartas simul compactas, ut sunt hodieque nostri libri. Nam volumina erant membranæ seu chartæ in orbem convolutæ. Hinc publicæ tabulæ *codices* appellantur, ut *Seneca loco* nuper cit. docet. Sed — 1.°) Generatim de quacumque scripta tabula et libro dicitur, nulla prorsus habita ratione materiæ, ut patet ex *Ulp. Dig.* 32. 50. Codices membranei, vel chartacei, vel eborei, vel alterius materiæ. Cf. *ibid.* 32. 1. 52. Porro hac significatione — *a*) Raro admodum occurrit forma *caudex. Cato* apud *Fronton.* ad *M. Antonin.* 1. *Ep.* 2. *extr.* Jussi caudicem proferri, ubi mea oratio scripta erat. — *b*) Sæpius forma *codex. Cic.* 3. *Verr.* 46. 119. Itaque L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus etc. *Id. ibid.* 61. 157. Proferre falsum codicem. *paullo ante dixerat* proferre tabulas. *Id. Cluent.* 33. 91. Codicem interlitum proferre. *Sueton. Aug.* 101. Testamentum factum ab eo, ac duobus codicibus scriptum. *h. e.* quorum codicum alterum erat autographum, alterum facsimile, ut nos vulgo dicimus. Quidam ita interpretantur, ut duobus tabulis scriptum fuerit, quod una non contineretur. *Juvenal.* 10. 236. nam codice sævo Heredes vetat esse suos. *h. e.* tabulis testamenti. Adde *Dig.* 43. 5. 3. § 1. *Quintil.* 10. 3. 28. Codices abjicere. Cf. *eumd. ibid.* § 32. — 2.°) Specialim codex dicitur liber accepti et expensi, cui opponitur ADVERSARIA (*V.* hanc vocem). *Cic. Rosc. com.* 2. 5. Codex accepti et expensi. *Dig.* 2. 13. 6. § 6. Codex rationum. — Et absolute, quoties tamen ex ipsa verborum serie sensus aperte pateat. *Cic. Rosc. com.* 2. 6. Instituere, conscribere codicem. *Id. ibid.* § 8. et *Sull.* 15. 44.

Referre in codicem. *Id.* 2. *Verr.* 36. 92. Extrema cera codicis. — 3.°) Item speciatim et κατ' ἐξοχὴν sic appellatur, in quo collectæ sunt constitutiones principum Romanorum. *Cod. Theod.* 1. 1. 5. Codex Gregorianus, Hermogenianus. *Jul. Epit.* nov. 67. 241. Codex repetitæ lectionis D. Justiniani.

CAUDĬCĀLIS *vel* codicalis, le, adject. ad caudicem pertinens. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 25. Caudicalem provinciam, jlocaliter dixit, h. e. munus caudicum findendorum; ita enim loquitur: Te cum securi caudicali præficio provinciæ.

CAUDĬCĀRĬUS *vel* cōdicarius, a, um, adject. ad caudicem pertinens. — Antiqui *caudicem* appellarunt plurium tabularum contextum. Et quia primæ rates seu naviculæ piscatoriæ, aut ad trajiciendum aptæ ex pluribus crassioribus tabulis, seu potius caudicibus sine arte connexis Romæ in Tibri factæ fuerunt, *caudicariæ*, vel (quod idem est) codicariæ dictæ sunt, ut *Varro* apud *Non. p.* 535. 21. *Merc.*, *Seneca Brevit. vit.* 13. et *Paul. Diac. p.* 46. 6. *Müll.* docent: item *caudicæ* vel potius *caudiceæ*, ut est apud *Gell.* 10. 25. Quod nomen Tiberinis lembis, aliisque quibus ad trajiciendum utimur, hæsit, etiam postquam meliore forma construi cœptæ sunt. Hinc Appius Claudius Cæci frater *Caudex* cognominatus est, quod primus ad explorandos hostes fretum Siculum piscatoria navi trajecit, ut est apud *Senec. loc. cit.* et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 37. Porro Tiberinas naves caudicarias designat *Plin.* his verbis 3. *Hist. nat.* 5. 9. (53). Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem, præter quam trabibus verius, quam ratibus, longe meabilis fertur. *Sall.* apud *Non. p.* 535. 18. *Merc.* Contendit ad flumen Euphratem: et quamquam ad id naves codicariæ occulte per hiemem fabricatæ aderant, etc. — *Caudicarii patroni* in *Cod. Theod.* 14. 4. 9. dicuntur qui hujusmodi rates seu lembos possidebant. — *Codicarii navicularii* in *Inscript.* apud *Gruter.* 440. 3. et 1086. 6. dicuntur ipsi nautæ, qui hujusmodi navigiis utuntur. — Hinc

Caudicarii, *orum*, m. plur. 2. absolute, sunt iidem nautæ, qui hujusmodi navigiis utuntur, apud *Cod. Theod.* 14. 3. 2. et 14. 15. 1. *Inscript.* apud *Gruter.* 462. 1., quæ est apud *Orell.* 4245. NOS PORTVENSES QVIBVS VETVS FVIT CVM CAVDICARIIS DIVTVRNVMQVE LVCTAMEN.

CAUDĬCĔUS, a, um, adject. ad caudicem pertinens. *Auson. Mosell.* 197. Navita caudiceo fluitans super æquora lembo. Adde *Gell.* 10. 25., ubi alii minus recte pro *caudiceus* leg. *caudicus*. Hinc corrigendus et locus *Isid.* 19. *Orig.* 1. *ad fin.*, qui citatur in v. TRABALIUS. *V.* voc. præced. sub init.

CAUDĬCUS, a, um. Falsa lectio pro *caudiceus*. *V.* voc. præced.

CAUDILLA *et* caudula, *deminut.* caudæ. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 156.

CAULA, æ, *et rectius*

CAULÆ, ārum, f. plur. 1., *Charis.* enim 1. *p.* 20. *Putsch.* enumerat inter eas, quæ in plurali tantum usurpantur. Sed tamen apud Scriptores Ecclesiasticos in singulari quoque numero occurrit: *V.* infra sub 2. — Etiam *caullæ* olim scribebatur: *V.* CAVILLÆ. — *Varro* 5. *L. L.* 20. *Müll.* (quem locum et *Scalig.* emendaverat) docet, *caulas* dictas esse a cavus, unde *cavillæ*, et per sincopen *caullæ* vel *caulæ*. — Itaque *caulæ* pro loco cavo usurpantur (It. *cavità*, *antri*, *spelonche*; Fr. *creux*, *cavité*; Hisp. *cavidad*, *hondura*, *hueco*; Germ. *Höhlen*, *Höhlungen*; Angl. *a hollow*, *cavity*, *hole*). ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 255. Atque animal Diffugiunt partes per caulas corporis omnes. *Et ibid.* 703. Dispertitur enim per caulas corporis omnes, *h. e.* per cavas partes, foramina, meatus. Adde *eumd.* 6. 840. *Id.* 4. 621. per caulas omnes palati et raræ per plena foramina linguæ. Adde *eumd. ibid.* 663., 2. 951. et 3. 708. *Id.* 6. 911. per caulas ætheris omnes. ¶ 2. Speciatim est idem quod aula, qua significat septum, quo includuntur oves. *Virg.* 9. *Æn.* 60. pleno lupus insidiatus ovili, Cum fremit ad caulas. *Servius* ad *loc. cit.* docet, sed minus recte, *caulas* esse a Græca voce αὐλὴ *aula*, addito *c. Paul. Diac.* vero *p.* 46. 12. *Müll.* cum *Varrone* consentit et docet *caulas* dictas esse e *cavo*, quia olim ante usum tectorum, oves in antris claudebantur. — In sing. num. *Ambros. lib.* 2. *in cap.* 2. *Luc. circa med.* Qui (*pastores*) gentium greges, pecudum modo ante viventes, in caulam Domini congregarent. ¶ 3. Item speciatim occurrit de septo et cancellis, quibus cingitur signum aut altare cujuspiam dei, aut etiam tribunal. *Inscript.* apud *Murat.* 191. 3...... CORNELIA PRIMA VXOR EX INDVLGENTIA COLLEG. SIGNVM LIBER. BASIM CAVLAS D. D. *Gloss. Isid.* Caules (*lege* caulæ), cancelli tribunalis, ubi sunt advocati. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 628. *Burmann.* Horrendum vitium est in advocato, Orando solitum movere caulas.

CAULĬAS, æ, m. 1. καυλίας, succus ex caule laserpitii, cui opponitur *rhizias* succus ex radice. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (43).

CAULĬCŬLĀTUS, a, um, adject. in caulicuIi modum factus. *Apul. Herb.* 90. Cauliculati rami.

CAULĬCŬLUS *vel* coliculus, i, m. 2. καυλίον, *deminut.* a caulis vel colis, parvus caulis. ¶ 1. Est parvus stipes seu scapus in herbis ac fruticibus, unde se produnt folia et ramusculi. — *a*) Formâ *coliculus* apud *Caton. R. R.* 158. Coliculus betæ et brassicæ. *Varro* 1. *R. R.* 31. 4. Coliculos viteus, *h. e.* capreolus. Adde *eumd. ibid.* 42. 4. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 10. Coliculus fabæ. *Id.* 12. *ibid.* 7. 1. apii. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 9. 12., 11. *ibid.* 3. 24., et 12. *ibid.* 36. 1. — Absolute usurpatus, ut caulis a quo procedit, est species brassicæ. *Edict. Dioclet. p.* 15. Coliculi optimi quinque ✕ quattuor. sequentes n. decem ✕ quattuor. — *b*) Formâ *cauliculus* apud *Cels.* 2. 18. Imbecillissima materia est omne olus, et quidquid in cauliculo nascitur, qualis est cucurbita et cucumis. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (119). Ramorum fici teneri cauliculi. *Scribon. Compos.* 128. Cauliculi rubi. Adde *Sueton. Gramm.* 11. et *Veget.* 2. *Veterin.* 6. 2. ¶ 2. Apud architectos *cauliculi* sunt flexuræ illæ in capitulis Corinthiis columnarum, quæ e quadruplici caule prodeuntes ad modum volutarum curvatæ, partim ad angulos abaci, partim vero ad ipsos flores, quibus abacorum frontes mediæ ornantur, cincinnatæ concurrunt. *Vitruv.* 4. 1. 12. *Schneider.* Cauliculi eamdem habeant altitudinem, ex quibus folia nascuntur projecta, ut abacum excipiant. Adde *eumd.* 7. 5. 3.

CAULIS *vel* colis, is, m. 3. καυλός. — In recto singulari dicitur etiam *caules*. — Caulis vel colis, a Græca voce allata, proprie idem est in herbis ac fruticibus, quod caudex in arboribus, nempe stipes seu scapus, unde se produnt folia et ramusculi (It. *gambo dell'erbe*, *fusto*; Fr. *tige de plante*; Hisp. *tallo de la planta*; Germ. *der Stengel*, *Stiel*; Angl. *the stalk, or stem of a shrub or herb*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Formâ *caulis* sæpius occurrit. *Cato R. R.* 157. Brassica latis foliis, caule magno. Adde *eumd. ibid.* 33.; et *Colum.* 4. *R. R.* 7. 2., 9. *ibid.* 4. 4., et 11. *ibid.* 3. 21. et 58. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (45). Frutex caule cubitali, geniculato. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (42). Laserpitium caule ferulaceo. *Id.* 18. *ibid.* 12. 30. (120). Caules fabarum. *Id.* 12. *ibid.* 26. 57. (127). Caulis panaces. *Id.* 16. *ibid.* 20. 33. (79). Rhododendron caulibus fruticosum. Adde *Pallad.* 11. *R. R.* 11. 3. — *b*) Formâ *colis* rarius occurrit. *Cato R. R.* 35. Rapinam et coles rapicii unde fiant et raphanum serito. *Virg.* 12. *Æn.* 413. Puberibus culem (*al.* caulem) foliis et flore comantem Purpureo. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 41. 6.; et *Colum.* 5. *R. R.* 6. 36. et 9. *de arbor.* 2. — In vitibus aliisque arboribus *caulis* dicitur summus ramorum surculus virescens, tener et cauli similis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 23. (119). Vitis ipsa quoque manditur, decoctis caulibus summis, qui et condiuntur in aceto ac muria. *Varron.* 1. *R. R.* 31. 2. Pampinare ex sarmento coles, qui nati sunt. *et mox.* Ne relictis colibus sarmentum nequeat ministrare succum. *Colum.* 5. *R. R.* 6. *sub fin.* Coles vinearii. Adde *eumd. Arbor.* 9. ¶ 3. Speciatim dicitur de thyrso brassicæ, et per synecdochen de ipsa brassica, quia amplius in ea thyrsus crescit, quam in ceteris oleribus, et est maxime edulis. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 15. Caule suburbano, qui siccis crevit in agris, Dulcior. *Id. ibid.* 2. 61. Cornu bilibri oleum caulibus instillare. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 116. et 2. *ibid.* 3. 125.; et *Colum.* 10. *R. R.* 369. et 12. *ibid.* 7. 5. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (240). Vitis odit caulem et olus omne. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 24. — Aliquando etiam sumitur pro certo genere brassicæ, et ab ea distinguitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Vites a caulibus brassicisque refugere dicuntur.

II.) Translate caulis dicitur quidquid in animalibus caulis similitudinem refert. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 50. 111. (265). Boum caudis longissimus caulis, atque in ima parte hirtus. στόλος κέρκου. *Id. ibid.* 29. 35. (101). Locustæ pariunt, in terram demisso spinæ caule, ova condensa. *Id. ibid.* 39. 94. (228). Pennarum caules omnium cavi. *h. e.* calami. *Lucilius* apud *Non. p.* 399. 1. *Merc.* sibi illico telo Praecidit caulem testesque una amputat ambo. *h. e.* penem, seu *colem*, ut vocat *Cels.* 6. 18. *n.* 2. Si ex inflammatione coles intumuit. *Id. ibid.* Coles sub cute exesus. Adde *eumd.* 7. 25. et *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 413.

CAULŌDES, is, adject. καυλώδης, hoc est qui caulem magnum habet. Ita appellatur genus quoddam brassicæ lata habentis folia e caule exeuntia. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (79).

CAUMA, ătis, n. 3. καῦμα, æstus, calor. *Vulgat. interpr. Job.* 30. 30. Ossa mea aruerunt præ caumate. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

CAUNĔA, æ, f. 1. Est Græcum Καυνέα, cujus penultima usu loquendi correpta fuit: subauditur autem *ficus*: et *cauneæ* dictæ sunt ficus, quæ ex agro Cauni (quod erat Cariæ oppidum) Romam magna copia siccatæ afferebantur, et caricarum optimæ habebantur: erant tamen plebejus cibus, et parvi pretii. *Petron. fragm. Tragur.* 44. *Burmann.* Habemus Ædilem trium caunearum, qui sibi mavult assem, quam vitam nostram. *Cels.* quoque hujus fici meminit 5. 21., item *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (83). ubi cottana, caricas, et cauneas, ut diversa genera enumerat. — Narrat *Cic.* 2. *Divinat.* 40. 84. cum Brundisii M. Crassus exercitum adversus Parthos in naves imponeret, occurrisse quemdam, qui caricas Cauno advectas vendens, *cauneas* clamitabat: qua voce putabatur admonere voluisse, ne iret, quasi diceret, *cave ne eas*. Adde *Plin. loc. cit.*, et *V.* similem veterum Romanorum superstitionem in NONÆ. — Dicuntur etiam *caunæ*, *arum*, et, quemadmodum *caricæ*, pro ficis quibuslibet siccis usurpantur. *Colum.* 10. *R. R.* 414. Livia Chalcidicis, et caunis æmula Chiis. *h. e.* ficus Livia æque grati saporis, quam Chalcidicæ, et caunæ Chiæ, *h. e.* siccæ ficus ex Chio. Ita *Forcellinus*, qui hanc *Columellæ* lectionem confirmabat loco *Stat.* 1. *Silv.* 6. 15. et quas percoquit Ebosea caunas. At quamvis apud *Stat.* ita legat *Salmas.* ad *Solin. p.* 938., alii tamen aliter legunt; ac proinde nihil inde certi erui potest: apud *Columellam* vero *caunis* legendum est per syncopen pro *cauneis*, seu rectius fortasse *cauneis* scribendum, qua ratione *alveo* et similia.

CAUNIUS, a, um. *V.* voc. præced. et ONOM.

CAUPILLUS, i, m. 2. *V.* CAUPULUS.

CAUPO, ōnis, m. 3. Pro *caupo* etiam *cōpo* dicebatur, quod legitur apud *Cic. Cluent.* 59. 183. et in *Inscript.* apud *Orell.* 4169. Sequiori tamen ævo dictum est et *cūpo* teste *Charis.* 1. *p.* 67. *Putsch.*, qui præterea docet, hoc nomen esse communis generis. — Ratione habita etymi, hæc vox conjungenda est cum Gr. καπηλός, quæ idem significat, quibuscum confer Germ. *Kaufen*. — Ceterum caupo significat quemcumque mercatorem et institorem, quemadmodum et Græce καπηλός: sed præcipue esculentorum poculentorumque venditorem, sive hic cauponam exerceat, sive institor sit, ut docet *Ulp. Dig.* 4. 9. 1.: item eum, qui in caupona peregrinos excipit.

I.) Proprie. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 35. Caupones, patagiarii, indusiarii, flammearii, *etc.* Sunt qui aliter leg., sed minus recte. *Cic. Cluent.* 59. 163. Atque etiam — hominem multorum hospitum, A. Binnium quemdam, coponem de via Latina subornatis: qui sibi a Cluentio servisque ejus in taberna sua manus allatas esse dicat. Adde *locum* ejusdem *Cic.* infra *cit.* in **Homonym.** *Horat.* 1. *Sat.* 5. 3. Forum Appi Differtum nautis, cauponibus atque malignis. *Id.* 1. *ibid.* 1. 29. Perfidus hic caupo. *Martial.* 1. 57. Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum. Adde *eumd.* 2. 48., 2. 51. et 3. 58., et *Senec.* 1. *Benef.* 14. 1. *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Domum fugi, tamquam copo compilatus. *Inscript.* apud *Cavedoni Marm. Moden. p.* 234. M. POMPONIVS ANTEROS COPO.

II.) Figurate. *Tertull. Anim.* 3. Caupones sapientiæ atque facundiæ.

Homonym. *Caupo* quâ significat eum, qui peregrinos domo excipit lucri causa, differt ab *hospite*, qui peregrinos quidem excipit, sed tamquam amicos et nullius prorsus lucri gratia. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Alterum ad **cauponem** divertisse, ad **hospitem** alterum.

CAUPŌNA, æ, f. 1. (caupo). ¶ 1. Est taberna,

locus, ubi mercatores res vendunt, et præcipue ubi caupones vinum et cibos vendunt, ac peregrinos excipiunt. *Cic. Pis.* 22. 53. Tibi solitudo erat pro frequentia, caupona pro oppido. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 12. Vivere in caupona. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 5. 51. et 1. *Ep.* 17. 8. *Gell.* 7. 11. In caupona delitescere. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 71. (151).; *Paul.* 2. *Sentent.* 31. 16.; *Dig.* 4. 9. 5. *pr.* et *Cod. Theod.* 11. 10. 1. ¶ 2. Item ipsa negotiatio cauponum. *Paul. Dig.* 33. 7. 13. *pr.* Caupona negotiationis nomen est. Ita *Torrentin.*, at *Haloand.* habet *cauponia*. *Ulp. Dig.* 23. 2. 43. Exercere cauponam. ¶ 3. Item mulier cauponis, qua caupo esculentorum poculentorumque venditorem significat, sive mulier, quæ hujusmodi negotiationem facit, ut *Priscian.* 6. p. 681. *Putsch.* docet. *Lucilius ibid.* Caupona hic tamen una Syra. *Apul.* 1. *Met.* Stabulum accessi, et de quadam anu caupona illico percontor.

CAUPŌNANS, antis. *V.* CAUPONOR.

CAUPŌNĀRĬUS, a, um, adject. ad cauponam pertinens, καπηλικός. *Ulp. Dig.* 23. 2. 43. Sub prætextu instrumenti cauponarii. Ita *Haloand.*, sed *cauponii* habet *Torrentin.* — *Cauponarius* est etiam idem ac caupo in *Gloss. Cyrilli.* Cauponarius, κάπηλος.

CAUPŌNĬA, æ, f. 1. *V.* CAUPONA 2. et CAUPONIUS in fin.

CAUPŌNĬUS, a, um, adject. ad cauponam pertinens. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 19. Puer cauponius. *h. e.* puer meritorius, cujusmodi in cauponis prostare solebant; ex quo cauponia ars infamis habebatur. *Justin.* 1. 7. Cauponias artes exercere. *Paul. Dig.* 33. 7. 13. Tabernæ cauponiæ instrumento legato. *Ibid.* 23. 7. 17. Instrumenta cauponia. *V.* et CAUPONARIUS. — Hinc

Cauponium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more est idem ac caupona. *Pompon. Dig.* 33. 7. 15. *pr.* Caballi, qui in pistrinis sunt, et in cauponio institores. *Haloand.* habet *cauponia*, ut sit *cauponia*, æ, eodem sensu. At in *Gloss. Cyrilli*, itemque in *Not. Tir.* p. 156. legitur *Cauponium*.

CAUPŌNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. proprie est cauponam exercere: sed occurrunt tantum Part. *Cauponans* et *Cauponatus* translate. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Nec cauponantes bellum, sed belligerantes. *h. e.* nec bellum lucri causa facientes: eadem sententia *Tassus Cant.* 20. *sub fin.* dixit. *Guerreggio in Asia, e non vi cambio o merco.* Ceterum *Ennius* imitatus est, seu potius vertit illud *Æschili*: καπηλεύειν τὴν μάχην. *Cassiod.* 4. *Hist. Eccl.* 25. *a med.* Sint igitur a nobis et omnibus anathema, eo quod verbum veritatis videantur esse cauponati.

CAUPŌNŬLA, æ, *deminut.* a caupona, parva taberna, in qua esculenta et poculenta venduntur. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperum.

CAUPULUS vel caupolus, i, m. 2. genus navigii est apud *Gell.* 10. 25. Docet *Isid.* 10. *Orig.* 1. 25., ubi legitur *caupillus*, designari hoc nomine idem navigium, quod lembo et cymba.

CAURICREPUS, a, um, adject. Cauro vento perflatus. *Avien. Descript. orb.* 869. Inter cauricrepas et scruposas convalles. Ita *Wernsdorf.* et *Lemaire* hunc locum legunt: *V.* ibi adnotata a *Wernsdorf*; et cf. *ferricrepinus* apud *Plaut. Asin.* 1. 1. 21., necnon ipsum *Aviem.*, qui ait *Phœnom.* 109. Creta circumsona Cauris.

CAURĪNUS, a, um, adject. ad Caurum ventum pertinens. *Grat. Cyneg.* 296. Verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper, etc.

CAURĬO, is, ire, n. 4. verbum effictum ad exprimendam pantheræ vocem. *Auctor Carm. Philom.* 50. Panther caurit amans, pardus hiando felit.

CAURUS vel Cōrus, i, m. 2. Forma *Corus* sæpius occurrit. — *Caurus* ventus est spirans ab occidente solstitiali contra Eurum positus; de quo multa *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16.; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). et *Gell.* 2. 22. *V.* et ARGESTES. *Lucret.* 6. 131. Scilicet ut crebram silvam cum flamina Cauri Perflant. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Corus ventus navigationem impediebat. *Virg.* 3. *G.* 356. spirantes frigora Cauri. Adde *eumd.* 5. *Æn.* 126.; *Vitruv.* 1. 6. 5. *Schneid.*; et *Colum.* 10. *R. R.* 75. *Veget.* 4. *Milit.* 38. docet, Caurum eumdem esse ac Libonotum, qui est inter meridiem et occidentem hibernum: sed aliorum auctoritas, qui allati sunt, potior esse debet.

CAUSA, æ, f. 1. Ad scriptionem quod attinet, docet *Quintil.* 1. 7. 20. Ciceronem et Virgilium duplici ss scriptisse: simulque indicat tum ante, tum post ea tempora simplicem *s* fuisse adhibitam. Extant præterea monumenta antiqua permulta pro utraque scriptione. Ex orthographis *Manut.* vult *caussa* (ita etiam legitur in *Fast. Prænest.* p. 321. et 322., et in *Inscript.* apud *Orell.* 3681., 4077., 4698., 4859., aliisque); *Dausquio* placet *causa*. Utrumque probat *Cellarius.* — Quod vero ad etymon attinet, hoc ignotum, aut saltem incertum est. Quidam enim ex *cavillor*, alii a *casus* deducunt, nonnulli a *caiso* seu *quaiso*, hoc est quæso, vel ab αἶσα, Æolice αὔσα, *sors, portio*: sed *Forcellino* videbatur forte derivandum a *caveo*; nam JCtorum imprimis est *cavere*, quorum causæ quoque sunt, unde et *causidici* appellantur. Recentiores tamen philologi putant, hanc vocem conjungendam esse cum Gr. αἰτία, a qua deinde factum sit αἶσα, unde Latine *causa*. Profecto vocabulum a Græco derivatum esse confirmat *Seneca* 1. *Controv. procem. ante med.* Controversias nos dicimus, Cicero causas vocabat. Hoc vero alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita translatum, ut pro Latino sit. *V. Vossium* in *Etymol.*, qui multorum quidem de etymo vocis affert sententias, nullam vero hujus loci mentionem habet. — Quod denique attinet ad significationem, *causa* in duas præcipue significationes commode dividi potest, ut recte docuit cl. *R. Klotz*: scilicet *A*) stricto sensu causa est ea, ex qua, vel per quam, vel a qua, vel propter quam aliquid fit, vel fieri dicitur aut simulatur, sive est principium ac fundamentum, in quo aliquid innititur; *B*) latiori vero sensu est quæstio, res, negotium, de quo agitur, sive id, quod in illo principio et fundamento innititur atque insistit. Porro Latini, sæpius fortasse quam par erat, duas hasce significationes unâ eâdemque sententiâ complexi sunt, ut *Ter. Heaut. prol.* 41. Mea causa causam hanc justam esse animum inducite. *Id. Hecyr. prol.* 47. Mea causa causam accipite et date silentium. *Cic. Rosc. Am.* 2. 5. His de causis ego huic causæ patronus exstiti. *Id.* 7. *Att.* 3. 5. Causam solum illa causa non habet. Adde *Quintil.* 3. 6. 103. et alibi. — Itaque

A) Stricto sensu, causa est ea, ex qua, vel per quam, vel a qua, vel propter quam aliquid fit, vel fieri dicitur aut simulatur, ea, quæ id efficit, cujus est causa, ut *Cic. Fat.* 15. 34. definit, cujus verba vide mox sub 1. (It. *causa*, *cagione*, *fonte*, *origine*, *fondamento*, *motivo*; Fr. *cause*, *fondement*, *raison*, *motif*; Hisp. *causa*, *motivo*, *razon*; Germ. d. *Grund*, d. *Ursache*, *Quelle*, *Veranlassung*; Angl. *a cause*, *reason*). ¶ 1. Generatim. Causam recte definit *Cic. Fat.* 15. 34. Quod si concedatur nihil posse evenire, nisi causa antecedente, quid proficiatur, si ea causa non ex æternis causis apta dicatur? Causa autem ea est, quæ id efficit, cujus est causa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat. *Ennius* apud *Quintil.* 6. 3. 86. Quis potis ingentis causas evolvere belli? *Plaut. Bacch.* 3. 3. 41. Ne attigas puerum ista causa, quando fecit strenue. *Ter. Andr.* 1. 1. 130. Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias vera objurgandi causa sit, si deneget. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 55. Ut in seminibus est causa arborum et stirpium, sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. *Et ibid.* Ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicæ causa belli, causa pestis atque exitii fuit. *Id.* 15. *Att.* 7. Epistolæ me delectarunt, in primis Sextii nostri. Dices, quia te laudat: puto mehercule, id quoque esse causæ: sed tamen etc. *Id.* 6. *Phil.* 1. 1. Causa consulibus de republica referendi ex eo fuit, quod etc. *Id.* 1. *ibid.* 11. 28. Nec erit justior in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis. *Forcellinus* hoc loco et sequenti *causam* interpretatus est impedimentum, quo excusatur aliquis, quominus quidpiam facere possit: at (in duobus *Cic.* locis nuper cit. aliisque ab ipso *Forcellino* allatis *Cic. Dom.* 50. 130., *Ter. Andr.* 3. 4. 21. et *Plaut. Rud.* 3. 4. 53.) hæc significatio non inest in ipso vocabulo *causa*, sed ex toto orationis contextu infertur. *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. Ut major annis LX., et cui morbus causa est, cognitorem det. *SenatusCtum* apud *eumd. Cic.* 8. *Fam.* 8. Idem senatui placere de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sint; qui eorum stipendia emerita, ut causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur causæque cognoscantur. *h. e.* impedimenta, ne quis militiam obeat. Cf. *Liv.* 34. 55. Cum milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes tribunos plebei adissent, uti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia, aut morbus causæ quominus militarent etc. *V.* CAUSARIUS. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Quibus rebus cognitis – satis esse causæ arbitrabatur, quare in eum aut ipse animadverteret, aut etc. *Varro* 1. *R. R.* 2. 19. Itaque propterea institutum diversa de causa, ut etc. *Nepos Miltiad.* 8. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. *Sall. Cat.* 2. Postea vero quam – cœpere lubidinem dominandi causam belli habere. *Id. Jug.* 15. Ad impetrandum nihil causæ habeo præter miseram fortunam. *Liv.* 4. 17. Vocem ejus ambiguam – causam mortis legatis fuisse. *Virg.* 2. *G.* 490. Felix, qui potuit rerum cognoscere causas. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 6. Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum. *Seneca Ep.* 1. Sed quid perdam, – dicam, causam paupertatis meæ reddam. *Sueton. Cæs.* 30. Et prætextum illi quidem civilium armorum hoc fuit, causam autem alias fuisse opinantur. *Quintil.* 3. 11. 6. Causa quoque ex causa, id est αἴτιον ἐξ αἰτίου, nasci videtur. — Hac porro significatione — *a*) Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cels.* 1. *præfat.* Abditæ causæ morborum. *quibus* ibid. *opponuntur* evidentes. *Cic. Partit. orat.* 26. 93. absoluta et perfecta per se. *cui* ibid. *opponitur* adjuvans et efficiendi socia. *Id. Fat.* 18. 41. adjuvantes, antecedentes. proximæ. *quibus* ibid. *opponuntur* perfectæ et principales. *Id. ibid.* 9. 18. æternæ. *Id. ibid.* antegressæ fortuito. *quibus* ibid. *opponuntur* cohibentes in se efficientiam naturalem. *Ovid. Heroid.* 21. 13. non apparentes. *Cic. Fat.* 11. 25. externa. *Id.* 7. *Att.* 7. 3. gravis. Et *Quintil.* 1. 2. 3. prorsus gravis. *Tac.* 1. *Hist.* 63. incertæ. *Lucan.* 7. 67. invalida. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 53. justa. *Id.* 16. *Att.* 7. 6. justæ et magnæ, justior. *Id. Rosc. Am.* 14. 40. et magna et perspicua. *Ovid. Heroid.* 21. 194. latens. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 12. levis. *Cic.* 8. *Fam.* 15. 2. magna. *Liv.* 36. 41. major. *Cic. Rosc. Am.* 14. 40. magnæ et necessariæ. *Id. Top.* 17. 63. obscura. *Ter. Eun.* 3. 3. 27. parva. *Lucret.* 4. 194. parvula. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 10. probabilis. *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 39. valentes. *Ter. Andr.* 1. 1. 123. satis vehemens. *Id. ibid. v.* 131. vera. De *causa sontica V.* SONTICUS. — *b*) Jungitur et pluribus præpositionibus, quæ sunt *cum* (cui opponitur *sine*), *de* (pro quo argenteæ ætatis Scriptores usurparunt *ex*), *ob*, *propter*, *in*: quarum omnium exempla exhibentur. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 247. et 1. *ad Q. fr.* 1. 2. Facere aliquid cum causa. *h. e.* justa de causa, rationaliter, jure ac merito. Adde *eumd. Cic.* 3. *Verr.* 8. 21. et *Varron.* 1. *R. R.* 17. 4. et 3. *ibid.* 16. 7. Porro τὸ *cum causa* opponitur *sine causa*, hoc est sine ratione, immerito, sine ullo momento. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Equus sine causa repente concidit. *Id.* 13. *Att.* 22. 1. Non sine causa tam diligenter exquiro. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 28. 61., *Fat.* 9. 18. et 2. *Orat.* 60. 247.; *Cæs.* 1. *B. G.* 14.; *Nepot. Alcib.* 6. et *Thras.* 2.; et *Quintil.* 1. 10. 33. et 1. 12. 9. *Cic.* 6. *Att.* 1. 6. his de causis. *Id.* 7. ibid. 7. 3. gravi de causa facere aliquid. *Id.* 5. *Fam.* 20. 2. justis de causis. *Id.* 1. *Off.* 41. 147. et 1. *Acad.* (2. *pr.*) 12. 43.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 1. qua de causa. *Quintil.* 4. 2. 15. quibus de causis. *Cic.* 2. *de republ.* 7. 13. qua ex causa. *Seneca Ep.* 29. nullâ aliâ ex causa. *Quintil.* 5. 12. 3. multis ex causis. *Id.* 4. 2. 15. et *Plin.* 6. *Ep.* 6. quibus ex causis. *Quintil.* 1. 3. 6. ex pluribus causis. *Id.* 1. 5. 8. his ex causis. *Cic.* 1. *Fam.* 8. 4. Ob eam causam scribo, ut etc. *Id.* 4. *Verr.* 40. 99. et *Nepos Miltiad.* 6. Ob eam causam, ne etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 20. 54. Ob eam causam, quia etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. ob eas causas. *Cic. Brut.* 7. 29. ob eam ipsam causam. *Nepos Pausan.* 2. quam ob causam. *Id. Conon.* 1. quas ob causas. *Cic.* 5. *Verr.* 46. 110. propter eam quam dixi causam. *Quintil.* 4. 2. 12. causæ propter quas. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 1. In causa esse. *h. e.* causam esse. *Liv.* 40. 26. In causa hæc sunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. (94). Vis morbi in causa fuit, quo serius perficeretur. *Plin.* 7. *Ep.* 5. Humana calamitas in causa est. Adde *Quintil.* 12. 3. 2. — *c*) Jungitur et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 10. afferre causam. *h. e.* rationem in medium proferre. Alio sensu *Id.* 2. *Divinat.* 2. 6. Mihi causam explicandæ philosophiæ attulit gravis casus civitatis. *h. e.* occasionem obtulit. *Id.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 9. aperire causas alicujus rei. Adde *Propert.* 4. 1. 1. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 150.

conferre causas. h. e. causam vel culpam alicui imputare. Id. 2. Phil. 22. 53. constat causa belli in alicujus persona. Id. ibid. et 11. Fam. 27. 28. dare causam alicui belli contra patriam inferendi. h. e. occasionem rationemque præbere. Id. 2. Herenn. 19. 30. dare causam, qua inductus quispiam aliquid fecerit. h. e. causam indicare, ostendere. Id. 2. Off. 8. 29. deest causa alicujus. Ovid. 1. Amor. 8. 93. deficiunt causæ. Lucret. 6. 55. dicere causas alicujus rei. (Cf. Phædr. 3. 17. quare steriles sumerent. Interrogavit: causam dixit Juppiter. h. e. rationem attulit cur id fieret. Cic. 2. Phil. 22. 53.; Liv. 4. 17.; et Ovid. 3. Met.139. esse causam alicui alicujus rei. Cic. 5. Fam. 12. 4. explicare causas rerum novarum. Lucret. 3. 317. exponere cæcas causas rerum. Lucan. 1. 67. expromere veras causas. Cic. Cluent. 30. 82. habere multas et graves causas corrumpendi judicii. Id. 2. Divinat. 28. 60. habere causam a natura. Id. 1. Orat. 27. 123. invenire duas causas. Id. 1. Tusc. 30. 74. et Cæs. 3. B. C. 28. nancisci causam alicujus rei. h. e. occasionem. Cic. 2. Divinat. 2. 4. obstat causa. Id. 1. Orat. 27. 123. quærere causam alicujus rei. Horat. 1. Sat. 4. 116. reddere alicui causas, quid vitatu, aut petitu sit melius. Martial. 11. 41. rogare causam alicujus rei. Cic. 1. Att. 10. 2. subest nulla gravis causa. Id. 4. Acad. (1. post.) 2. 6. tollere causas rerum efficientium. — d) Sequentibus particulis quamobrem, quare, cur, ut, ut ne, quod, quin; ut apud Ter. Eun. 1. 2. 65. Multæ sunt causæ, quamobrem cupio abducere. Adde eumd. Andr. 5. 1. 18. et alibi sæpe. Cic. 2. Invent. 20. 60. Atrocitas injuriarum satis ne causæ est, quare etc. Adde eumd. 2. Herenn. 19. 28.; et Plin. 10. Hist. nat. 37. 72. (158). Cic. 2. Orat. 45. 189. De me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar. Adde eumd. Rosc. Am. 50. 146., 3. Tusc. 1. 1., 4. Acad. (1. post.) 3. 10., Milon. 19. 49., Quint. 18. 58. et Amic. 13. 48.; et Horat. 1. Od. 16. 19. Plaut. Stich. 2. 1. 40. Nimis vellem hæ fores herum fugissent, eâ causâ ut haberent malum! Adde Ter. Eun. 3. 2. 6.; Cic. 2. de republ. 34. 59.; Cæs. 3. B. C. 17.; Liv. 5. 55.; et Plin. 11. Hist. nat. 37. 55. (148). Ter. Hecyr. 1. 2. 29. PA. Non est opus prolato: hoc percontarier desiste. PH. Nempe eâ causâ, ut ne id fiat palam. Adde Cic. 8. Att. 12. 1. Id. Cic. 5. Verr. 46. 109. Pensum exigendum est propter hanc causam, quod etc. Adde eumd. Harusp. resp. 17. 36. et Quintil. 2. 1. 1. Plaut. Most. 2. 2. 4. Haud causa illico'st, quod nunc voluisti facere, quin facias mihi. Adde eumd. Capt. 2. 2. 103.; Ter. Andr. 3. 4. 21.; et Horat. 1. Sat. 1. 20. — e) Occurrunt et interrogandi formulæ. — Quæ causa est —? h. e. quæ est præcipua atque animum impellens et determinans ratio. Cic. 4. Fin. 8. 19. Scire cupio, quæ causa sit, cur Zeno ab hac antiqua institutione desciverit. Adde eumd. 1. Nat. D. 4. 7., 7. Verr. 56. 145. et 146., Milon. 19. 49. et Amic. 13. 48.; et Virg. 3. Æn. 584., 5. ibid. 5., 7. ibid. 197. et 8. ibid. 112. — Quid causæ est —? h. e. quid potest esse ejusmodi, ut causa et ratio sit. Ter. Andr. 3. 4. 21. Quid causæ est, quin hinc in pistrinum rectâ proficiscar viâ? Cic. 4. Acad. (1. post.) 3. 10. Quid causæ est, cur poetas Latinos legant? an quia etc. Adde eumd. 1. Invent. 39. 70., 1. Tusc. 32. 78. et 3. ibid. 1. 1.; et Cn. Pompejum apud Cic. 3. Att. 12. a. § 1. Cic. Dom. 50. Consuluit, numquid causæ esse videretur, quin id signum dedicaret. — f) Sequente Genitivo. Nepos Datam. 5. adventus. Cic. 2. Phil. 22. 55. arborum. Tibull. 2. 4. 29. avaritiæ. Ennius apud Quintil. 6. 3. 86.; Cic. loc. nuper cit.; Nepos Lysandr. 1. et Liv. 45. 22. belli. Cic. 8. Att. 13. 1. brevitatis (in litteris). Curt. 10. 10. certaminum. Virg. 9. Æn. 216. doloris. Ovid. 11. Met. 345. dolendi. Cic. 2. Phil. 22. 55. exsilii. Id. 2. Fin. 20. 66. libertatis. Ovid. 3. Met. 139. luctus. Cic. Cæl. 8. 18. et Curt. 6. 11. malorum. Curt. 7. 1. metus. Lucret. 3. 501.; Virg. 4. G. 397. et Horat. 2. Od. 2. 14. morbi. Cic. 9. Phil. 3. 7. et Liv. 4. 17. mortis. Lucret. 3. 335. et 349. salutis. Curt. 7. 7. 20. sollicitudinis. Cæs. 6. B. G. 35. et Seneca Thyest. 434. timoris. — g) Sequente Infinito, sed raro. Virg. 10. Æn. 20. quæ causa fuit consurgere. Tibull. 3. 2. 30. dolor huic et cura Neæræ Conjugis ereptæ causa perire fuit. Lucan. 5. 463. Ipso (fluctu) gestare carinas Causa palus. — h) Denique sequente ad et Accus. Ter. Andr. 1. 1. 123. Ne hæc quidem satis vehemens causa ad objurgandum. Adde eumd. Hecyr. 4. 4. 71., et Virg. 2. G. 455. ¶ 2. Ablativus causâ sæpissime usurpatur, et significat rationem, rerum momenta, finem, commoda, utilitates, propter quæ aliquid agimus: cf. Matthiä ad Cic. Sext. 20. 45. Occurrit autem — a) Præcedente Genitivo. Cato apud Gell. 18. 9. Sed si omnia dolo fecit, omnia avaritiæ atque pecuniæ causa fecit. Id. R. R. 2. Pabuli causa quæ parata sunt. Plaut. Pœn. 3. 3. 25. Honoris tui causa huc ad te venimus. Cic. Sext. 20. 45. Testor et vos — me vestrarum sedium templorumque causa — dimicationem cædemque fugisse. Id. 1. Fin. 10. 36. Ut aut voluptates omittantur majorum voluptatum adipiscendarum causâ, aut dolores suscipiantur majorum dolorum effugiendorum gratiâ. Cæs. 1. B. G. 18. Dumnorigem etiam apud finitimas civitates largiter posse, atque hujus potentiæ causa matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo et potentissimo collocasse. Nepos Caton. 2. Usque ad extremam ætatem reipublicæ causa suscipere inimicitias non dubitavit. Sall. Cat. 32. Dissimulandi causa, aut sui purgandi in senatum venit. Liv. 41. 28. Quod (munus) mortis causa patris sui dedit. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Ter. Eun. 5. 2. 38. amoris causa. Cæs. 5. B. G. 12. animi voluptatisque. (Sæpe occurrit formula animi causa, de qua V. ANIMUS III. A. § 1 sub c.). Cic. 3. Verr. 7. 18.; Cato apud Gell. 7. 3.; Ter. Eun. 5. 2. 38.; et Cic. Pis. 28. 68. contumeliæ causa, cui opponitur honoris causa apud eosd. ibid. Cic. 6. Verr. 24. 53. et 1. Att. 18. 5.; et Plin. 28. Hist. nat. 2. 5. (27). dicis causa. V. DICIS. Cic. 1. Invent. 37. 66., Mur. 12. 27. et 13. Phil. 2. 2. exempli causa. Eodem sensu Id. 1. Tusc. 6. 12. et Fat. 6. 12. verbi. Sall. Jug. 29. et 85. fidei. Ter. Phorm. 5. 8. 36.; et Cic. Rosc. Am. 2. 6., Rosc. com. 6. 18., Brut. 22. 86. et 15. Att. 14. 3. tui, vestri honoris causa. Cato apud Gell. 7. 3. libertatis suæ causa. Plaut. Most. 2. 1. 10. trium nummorum. Cic. Planc. 30. 72. et 74., et Amic. 8. 26.; et Nepos Att. 9. temporis. Cæs. 6. B. G. 40. virtutis. Horat. A. P. 339. voluptatis. — Huc pertinent et illa Cic. 15. Att. 3. 1. Cupere alicujus causa. h. e. propter alicujus commoda atque utilitates. Id. 1. Fam. 1. 1. et 13. Att. 49. 1. Velle alicujus causa. Id. 13. Fam. 22. 1. Alicujus causa velle omnia. — b) Sequente Genitivo, sed raro et fere cum oppositis ad majorem vim. Ter. Eun. 1. 2. 122. Quidquid hujus feci, causa virginis feci. Liv. 39. 14. Ne quis convenisse aut coisse causa sacrorum velit. Id. 26. 32. causâ Marcelli. Id. 31. 12. causa expiandæ violationis. Id. 4. 41. causa ignominiæ. Id. 40. 44. causa ludorum. Sueton. Aug. 24. causa detrectandi sacramenti. — c) Aliquando causa omittitur. Plaut. Rud. 5. 3. 18. Jusjurandum rei servandæ, non perdendæ, conditum est. Tac. 4. Hist. 25. E seditiosis unum vinciri jubet, magis usurpandi juris, quam quia unius culpa foret. Hucusque Forcellinus. Illud unum animadvertendum putamus, apud Plautum verba illa rei servandæ, non perdendæ accipi etiam posse pro Dativo commodi, uti ajunt. — d) Cum Pronom. possess. meâ causâ, causâ meâ, tuâ causa etc. Plaut. Pœn. 1. 2. 157. Noli, amabo, succensere hero meo causa mea. Adde eumd. Most. 5. 2. 47. et Ter. Eun. 5. 8. 40. Horat. 1. Sat. 4. 97. causaque mea permulta rogatus Fecit. Cic. 15. Fam. 18. 2. Te abesse, mea causa moleste fero, tua gaudeo. Adde Plaut. Capt. prol. 14. Ter. Phorm. 4. 4. 14. Nostra causa scilicet in nervum potius ibit. Adde Lucceium apud Cic. 5. Fam. 14. 3. Cic. 1. Orat. 35. 162. vestra magis causa, quam mea. Quintil. 3. 7. 16. aliena potius causa, quam sua. — Aliquando in MSS. pro nostra, sua causa, legitur nostri, sui causa; quam lectionem facile amplecti possumus, quoties opposita eamdem tuentur, ut apud Cic. Amic. 16. 57. Quam multa enim, quæ nostri causa numquam faceremus, facimus amicorum. Id. 5. Verr. 52. 121. Quod illi semper sui causa fecerant, cum eos nemo rogaret. Plin. 2. Hist. nat. 63. 68. (155). Quæ nostri causâ alit (terra). ubi tamen lectio valde dubia est; immo Sillig. pro nostri legit nostra. V. Servium ad Virg. 12. Æn. 29.; Klotz ad Cic. Amic. loc. cit. p. 174.; et Madvig ad Cic. 2. Fin. 23. 76. p. 272. et in Add. p. 871. ¶ 3. Item specialim ponitur pro excusatione, qua quis utcumque se defendit. Cato R. R. 2. Dicit villicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, — opus publicum effecisse. Ubi eas aliasque causas multas dixerit etc. Plaut. Capt. 3. 4. 92. Hoc si secus reperies, nullam causam dico quin mihi — deliquio sit. Ter. Phorm. 2. 1. 42. Non causam dico, quin quod meritus sit, ferat. h. e. non deprecor, non recuso. Id. Hecyr. 1. 2. 111. Dixere causam tunc nescio quam. Adde eumd. ibid. 4. 4. 55. et 58., et Andr. 1. 5. 22. Cic. Quint. 18. 57. Nonis Februariis si Romæ fuit, causæ nihil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. Id. 10. Fam. 19. Si ob eam rem moraris, accipio causam. Id. 3. Verr. 25. 65. Causam alicujus negligere. Virg. 9. Æn. 219. Ille autem: Causas nequidquam nectis inanes. ¶ 4. Item ponitur pro prætextu, colore; quod a Græcis dicitur πρόφασις. — a) Generatim. Plaut. Asin. 4. 1. 44. Nolo habere illam causam et vetitam dicere. Ter. Andr. 4. 1. 10. Itane imprudens? tandem inventa est causa? Id. Eun. 1. 2. 57. Postquam sensit, me tecum quoque rem habere, fingit causas, ne det, sedulo. Adde Cic. Planc. 30. 72. Rursus Ter. ibid. 5. 5. 30. Nam jamdiu aliquam causam quærebat senex, quamobrem insigne aliquid faceret iis: nunc repperit. Adde eumd. ibid. 3. 3. 6. et Phorm. 2. 1. 4. Id. Andr. 1. 3. 8. Capere causam. Id. Hecyr. 4. 4. 71. Falsas causas confingere ad discordias. Id. Hecyr. 4. 2. 22. Omnes causas præcidere alicui. Cic. Fat. 1. 2. Quærere causas novarum postulationum. Id. 3. Off. 10. 41. Mori causam opponere. Nepos Them. 7. Dedit operam, ut — tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare. Id. Amilc. 3. Quo facilius causam bellandi reperiret. Tibull. 1. 6. 11. Fingere causas ut. Tac. 2. Ann. 42. Struxit causas, aut forte oblatas adripuit. Id. 12. ibid. 45. Causas belli confingere. — b) Speciatim hoc sensu frequens occurrit formula per causam, hoc est prætextu, colore. Cic. Dom. 5. 13. Cum in bona fortunasque locupletium per causam inopum atque imperitorum repentinos impetus compararet. Cæs. 7. B. G. 9. Per causam supplementi equitatusque cogendi, ab exercitu discedit. Adde eumd. 3. B. C. 24. et 76. et 87.; Auct. B. Afr. 73.; et Liv. 2. 32. et 24. 6. Tibull. 1. 7. 25 Sæpe velut gemmas ejus signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum. Adde Ovid. Heroid. 20. 140. et 2. Trist. 451.; Sueton. Cæs. 2. et Oth. 3. et Vesp. 1. ¶ 5. Item apud Medicos — a) Causa dicitur id, quod morbum efficit sive inducit. Cels. 3. 3. Atque hæc quidem sanis facienda sunt, tantum causam metuentibus. Seneca Consol. ad Marc. 11. ad fin. Corpus tenuissimis causis atque offensionibus morbidum. Plin. 28. Hist. nat. 15. 61. (218). Femina atteri adurique equitatu, notum est. Utilissimum est ad omnes inde causas spumam equi ex ore inguinibus illinere. — b) Sequioris tamen ævi scriptoribus, causa dicitur ipse morbus. Cæl. Aurel. 5. Tard. 10. Difficilis jacendi potestas supra contrarium patienti latus, hoc est, quod causâ non tangitur. Adde eumd. 2. Acut. 29.; et Veget. 1. Veterin. 25. 1., 3. ibid. 6. 11., 3. ibid. 22. 21. et 3. ibid. 30. 2. Schneid. — Nonnulli, inter quos Forcellinus, huc referunt et causam sonticam: at V. SONTICUS.

B) Latiori sensu causa. ¶ 1. Generatim est res, qua de agitur: hinc, ejusdem significatio latissime patet. Sic est materia in illo Cic. 3. Tusc. 3. 7. Causa disserendi. V. Klotz ad h. l. — Item res, de qua quæritur, consulitur ac deliberatur, ut apud Cic. 1. Tusc. 12. 26. Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri, uti optimis possumus, quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum. Id. 1. Fam. 1. 2. Cum in sermone quotidiano, tum in senatu palam sic egit causam tuam, ut etc. Is, hac regia causa excepta, ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem esse ostendit. Adde eumd. 1. ibid. 4. 1., et 1. ibid. 5. a. 2. et 3. Huc referri potest et illud ejusd. Cic. 5. Verr. 73. 170. Halesinus Æneas, cui senatus dederat publice causam, ut mihi fratrique meo gratias ageret. Cæs. 6. B. G. 23. Consurgunt ii, qui et causam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur. Nepos Pausan. 4. Quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant. — Interdum etiam cum nomine res conjungitur, ut apud Cic. 1. Nat. D. 1. 2. Quod vero maxime rem causamque continet. Adde eumd. Cluent. 50. 139. et 51. 141. — Item est ipse rei status, cui cetera ejusdem rei adjuncta, tamquam minoris momenti, opponuntur. Cic. Ligar. 11. 31. Vidi enim causas apud te rogantium gratiosiores esse quam vultus, neque te spectare quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quæ illius causa, pro quo laboraret. Id. 7. Fam. 3. 5. Armis enim inferiores, non causa fuissent.

Liv. 8. 32. Cum parum precibus, parum causa proficerent. *Id.* 30. 27. Nec enim in causa ipsorum, sed in populi Romani clementia spem salutis positam esse. — Hinc — *a*) Speciatim est rei status, véraque ratio et conditio. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 139. Causam imperii cognoscere. *Id. Sull.* 10. 32. Causam reipublicæ non tenere. Adde *eumd.* 3. *Legg.* 4. 11. — *b*) Item est peculiaris cujusdam personæ aut rei conditio ac status; quamvis de rebus raro admodum occurrit. *Cic.* 1. *Off.* 31. 112. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eadem causa non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa Cæsari tradiderunt? *Id.* 3. *ibid.* 27. 100. Regulus cum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi perjurus remansisset. *Id.* 2. *Orat.* 89. 364. Quid enim poterit dicere? consularem se esse hominem et censorium? eadem nostra causa est. Adde *eumd.* 13. *Att.* 13. 1. et 2. *Fam.* 4. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. In eadem causa fuerunt Usipetes et Tenchtheri. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 32. Et de re *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 9. Soluta meliore causâ sunt (*prædia*), quam obligata. Adde *eumd.* 1. *Fin.* 15. 49. — *c*) Item ponitur pro conjunctione vel causa conjunctionis, vel necessitudinis atque amicitiæ ratione. *Cic. Quint.* 15. 48. Quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ et necessitudines veteres intercedebant. *Id.* 10. *Fam.* 10. Ad eas enim causas, quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate conjuncti, patriæ caritas accessit. *Id.* 13. *Fam.* 19. 1. Cum Lysone est mihi quidem hospitium vetus: sed ea causa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite. *Id. Prov. Cons.* 17. 40. Explicabo breviter, quæ sit mihi ratio et causa cum Cæsare. — *d*) Sæpius causa partes, factiones significat. *Cic. Dejot.* 10. 28. Quam nemini in illa causa studio et cupiditate (*solebat*) concedere! *h. e.* in favendo partibus Pompeji. *Id. Ligar.* 7. 22. Una est profectus cum iis, quorum erat una causa. Adde *eumd. ibid.* 8. 24., et 9. 27. et 28. et 29. *Id. Marcell.* 1. 2. Cum viderem virum talem, qui in eadem causa esset, in qua ego fuissem, non in eadem esse fortuna. *Id.* 6. *Fam.* 6. 10. Nemo erat tam inimicus ei causæ, quam Pompejus – susceperat. *Id.* 5. *Phil.* 16. 43. Non enim omnibus Sullæ causa grata. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 5. 12. *Liv.* 6. 39. P. Manlius deinde dictator rem in causam plebis inclinavit. Adde *Quintil.* 5. 11. 42. ¶ 2. Speciatim sæpissime ponitur pro quæstione seu controversia, quæ versatur circa certas personas, loca, tempora, actiones, negotia: cujusmodi sunt quæ in foro et judiciis agitantur. *Cic. Top.* 21. 79. Quæstionum duo sunt genera: alterum infinitum, definitum alterum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam etc. Adde *Quintil.* eadem docentem 3. 5. Rursus *Cic.* 1. *Invent.* 6. 8. Causa est res, quæ habet in se controversiam in dicendo positam, cum personarum certarum interpositione. *Id. Partit. orat.* 20. *in fin.* Tria sunt causarum genera, unum, quod a meliori parte, laudationis est appellatum, deliberationis alterum, tertium judiciorum. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 31. 141., 2. *ibid.* 19. 78. et 24. 104., et 1. *Herenn.* 10. 17. — *a*) Speciatim vero dicitur de causis judicialibus, ut patet ex *Cic.* 1. *Invent.* 6. 8. Cf. *Klotz* ad *Cic. Orationes T.* 1. p. 477. et *T.* 3. p. 952. — *b*) Hoc sensu *causam dicere*, absolute et sine addito, proprie est ejus, qui defenditur, hoc est rei, sive se ipse defendat, sive per alium se defendendum curet. *Cic. Rosc. Am.* 5. 13. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui nihil reliquerunt. *Id. Quint.* 8. 31. De capite suo priore loco causam dicere. *Id. Sext.* 8. 18. Causam dicere de ambitu. *Liv.* 29. 19. ex vinculis. Adde *Cic. Cluent.* 36. 98.; *Cæs.* 1. *B. G.* 4.; *Nepot. Alcib.* 4.; *Curt.* 7. 1. 20. et *Quintil.* 5. 11. 39. — *c*) *Causam* vel *causas dicere* cum aliquo addito, est idem quod agere, sive accuses, sive defendas. *Cic.* 1. *Orat.* 2. 5. Usus, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus. *Id. Dejot.* 2. 5. Tantam causam dico intra domesticos parietes. *Et mox.* Hanc causam si in foro dicerem etc. Adde *eumd. Brut.* 22. 86. et *Rosc. Am.* 21. 54.; et *Quintil.* 4. 1. 19. — *d*) *Causam discere* vel *pernoscere* dicitur orator, sive patronus, antequam agat; unde cognitores causarum appellati. *Cic.* 10. *Fam.* 26. 2. O mi Furni, quam tu tuam causam non nosti, qui alienas tam facile discas! Adde *Quintil.* 12. 8. 1. *Macrob.* 1. *Saturn.* 2. Hora omnino reperiri nulla potest, quin tuorum clientium negotia vel defendas in foro, vel domi discas. *Et mox.* Sed cum essent amicorum complures mihi causæ illis diebus pernoscendæ, ad cœnam tum rogatus, meditandi, non edendi illud mihi tempus esse respondi. — *e*) Contra *Causam docere* dicitur reus, qui oratori, sive patrono rem omnem exponit, ut ex ipsa rei cognitione defensio sibi paretur. *Cic.* 3. *Orat.* 13. 50. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Adde *Quintil.* 6. 2. 3.; et *Senec.* apud *Augustin.* 6. *Civ. Dei* 10. — *f*) *Causa cadere* est causam amittere: et videtur dici proprie de eo, qui contra formulas juris egit, neque eum servavit ordinem, qui in actionibus instituendis servandus est; quod Itali dicunt *fallar in ordine. Cic.* 2. *Invent.* 19. 57. Ita jus civile habemus constitutum, ut causâ cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. *Id.* 7. *Fam.* 14. *ad Trebat. JCtum.* Minus multi jam, te advocato, causa cadent. Adde *eumd. Mur.* 4. 9. — *g*) Ceterum jungitur pluribus aliis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 4. *Verr.* 38. 94. accedere ad causam. *Id.* 3. *ibid.* 1. 2. accedere causæ. *Id. Brut.* 70. 246. actitare causas. *Id.* 2. *Orat.* 29. 129. adjudicare causam alicui. *Id. Rosc. Am.* 1. 1. adesse in aliqua causa. *Quintil.* 4. 1. 19. adesse causæ. *Cic. Cæcin.* 24. 69. agere causam. *V.* AGO III. 2.° D. 2. *Cic.* 1. *ad Brut.* 3. 4. et *Nepos Miltiad.* 7. cognoscere causam ab aliquo. *Cic. Rosc. com.* 4. 11. confidere, aut diffidere causæ. *Id.* 7. *Verr.* 1. 1. constituere causam. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 7. declamitare causas. *Ter. Phorm.* 2. 1. 36.; *Cic. Cluent.* 27. 74. et *Senect.* 11. 38.; *Horat.* 2. *Sat.* 5. 34.; *Sueton. Cæs.* 49. et *Quintil.* 3. 6. 9. defendere. *Cic. Brut.* 26. 100. defensitare. *Id. ibid.* 22. 86. deferre ad aliquem. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 22. et *Quintil.* 2. 5. 7. exponere causam. *Cic. Planc.* 3. 8. ingredi in causam. *Id. Rosc. com.* 4. 13. labefactatur causa ad judicem. *Quintil.* 4. 1. 44. laborare causa. *Ter. Adelph.* 2. 1. 41. meditari causam. *Cic.* 1. *Fam.* 4. 1. obtinere. *Ter. Phorm.* 2. 1. 61.; *Cic. Brut.* 12. 47.; et *Varro* 7. *L. L.* 41. *Müll.* orare. *Cic. Rosc. com.* 4. 10. et 11. perdere. *Id. Quint.* 24. 77. et *Sext.* 2. 3. perorare. *Id. Sull.* 7. 22. recipere. *Id. Divinat. in Verr.* 1. 2. et *Rosc. Am.* 11. 31. suscipere. *Id.* 1. *Att.* 1. 4. sustinere. *Id. Cæcin.* 24. 67.; *Horat.* 1. *Ep.* 16. 43. et *Sueton. Domit.* 9. tenere. *h. e.* vincere. *Cic.* 2. *Orat.* 49. 201. tractare. *Ter. Phorm.* 2. 1. 7. tradere adversariis. *Cic. Divinat. in Verr.* 1. 1. versari in causis judiciisque. *Ovid. Heroid.* 16. 75. vincere causam suam. — *h*) Jungitur et pluribus Adjectivis. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 186. anceps et gravis. *Quintil.* 8 3. 14. capitales. *Cic. Cæcin.* 18. 53. et 1. *Orat.* 39. 173. centumviralis. *Id.* 2. *Nat. D.* 29. 73. et *Curt.* 10. 4. 1. incognitâ causâ. *Cic.* 1. *Legg.* 15. 42., et 5. *Fam.* 2. 6. et 2. *Phil.* 23. 56. indictâ causâ. *Id. Rabir. Post.* 4. 8. judicata et damnata. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 83.; *Ter. Adelph.* 2. 1. 40.; et *Cic.* 8. *Fam.* 9. 1. et *Flacc.* 17. 40. liberalis. *Id. Quint.* 18. 59. et *Sull.* 18. 52. par. *Id. Orat.* 48. 178. et *Quintil.* 10. 1. 119. publicæ et privatæ. *Cic. Brut.* 8. 30. superior, aut inferior. *Id.* 9. *Fam.* 12. 2. tenuis. — *i*) Denique jungitur et pluribus Substantivis. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 181. et *Brut.* 12. 47.; et *Nepos Iphicr.* 3. causa capitis. *Cic.* 9. *Fam.* 21. 1. famæ. *Tac.* 13. *Ann.* 27. majestatis. — *Cic. Cæcin.* 2. 4. et *Dejot.* 2. 7.; et *Quintil.* 7. 2. 24. actio causæ. *Cic. Divinat. in Verr.* 16. 54., et *Quintil.* 4. 1. 6. actor causæ. *Cic. Brut.* 89. 307. et *Horat. Art. P.* 369. actor causarum. *Quintil.* 5. 13. 57. confirmatio causæ. *Dig.* 50. 17. 1. conjectio causæ. *Cic. Quint.* 10. 35.; *Cæs.* 1. *B. G.* 4., et *Liv.* 7. 5. dictio causæ. *Cic. Partit. orat.* 20. 68. genera causarum. *Id. Senect.* 11. 38. orationes causarum. *Id.* 1. *Orat.* 26. 118. varietates causarum. ¶ 3. Item speciatim a Jurisconsultis — *a*) Interdum ponitur pro re. *Ulp. Dig.* 2. 14. 7. Cum nulla subest causa præter conventionem, hic constat, non posse constitui obligationem. — *b*) Sæpe pro conditione, titulo, jure. *Gell.* 4. 2. ad *fin.* Mulier non sana est in causa redhibitionis. *Ulp. Dig.* 40. 7. 2. Usucapere aliquid cum sua causa. *Paul. ibid.* 13. 7. 18. Fundus pignoratus transit cum sua causa. *Pompon. ibid.* 18. 1. 67. Transferre dominium ad alium cum sua causa. *Paul. ibid.* 41. 2. 3. Ex pluribus causis eamdem rem possidere. *h. e.* ex pluribus titulis. *Id. ibid.* 8. 2. 19. Per causam tigni possidere. *h. e.* ex eo titulo, quod tignum immissum sit. — *c*) Item pro commodo, utilitate, emolumento, quod ex re aliqua percipitur. *Cajus Dig.* 6. 1. 20. Nec sufficit corpus ipsum restitui, sed opus est, ut et causa rei restituatur, idest ut omne habeat petitor, quod, etc. Huc pertinet titulus *De usuris, et fructibus, et causis*, etc., qui est primus *l.* 22. *Dig.*, ubi per *causas* intelliguntur partus, et partus partuum, et omnes rei extrinsecus accidentes utilitates, ut *Brisson. de verb. significat.* exponit. Huc etiam trahi potest illud *Martial.* 7. 93. Quid Nomentani causam mihi perdis agelli, Propter vicinum, qui pretiosus erat? *h. e.* utilitatem et commodum agelli, qui mihi carus erat propter amicum, qui vicinus rusticari solebat. Item illud *Plauti Asin.* 3. 1. 17. Ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi. V. *Taubmann.* — *d*) Sæpe etiam ita usurpant, ut vacare videatur, et elegantiæ tantum inserviat: ut cum dicunt *causa bonorum, causa dotis, causa emptionis*, etc., significant enim ipsa bona, dotem, emptionem, etc. Cujus rei exempla multa ex *Dig. libris* congerit *Brisson. loc. cit.*

CAUSĀLIS *vel* caussalis, le, adject. ad causam pertinens, ut *Causalis ratio* apud *Augustin.* 7. *de Gen. ad litt.* 23. — *Causales conjunctiones* dicuntur a grammaticis, quibus aliquo modo causa redditur rerum. *Charis.* 2. p. 199. *Putsch.*, *Diomed.* 1. p. 410. et *Priscian.* 16. p. 1027. — Hinc

Causālia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, legitur apud *Arnob.* 5. 18. Sicut suis scribit in Causalibus Butas. *Causalia*, vel *Causales libri* sunt, in quibus de causis rerum disseritur: quales sunt Plutarchi Αἰτίαι φυσικαί. Hujus vero *Butæ* mentionem facit *Plutarch.* in *Romul.* c. 21.

CAUSĀLITER *vel* caussaliter, adverb. per causas. *Augustin.* 5. *de Gen. ad litter.* c. *ult.* Quæ terra produxit potentialiter, atque causaliter.

CAUSĀRIĒ *vel* caussarie, adverb. per causariam missionem. *Macer Dig.* 49. 16. 13. § 2. Qui causarie missus est. Ita leg. quidam; at *Torrentin.* et *Haloand.* habent *causaria*, ut subaudiendum sit *missione.*

CAUSĀRIUS *vel* caussarius, a, um, adject. qui causam habet, qua legitime excusari potest, quo minus aliquid faciat: et occurrit tantum ¶ 1. Apud Medicos, et causarius idem est ac valetudinarius, ægrotus. *Seneca Ep.* 68. In animo nostro sunt quasi causariæ partes, quibus adhibenda curatio est. *Id. præfat.* 4. *Quæst. nat.* Corpus hoc causarium ac fluidum periturumque. *Marcell. Empir.* 12. Dens causarius. *h. e.* qui dolet. ¶ 2. In re militari, *causaria missio* dicitur, cum quis miles vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur, ut *Macer* definit *Dig.* 49. 16. 13. § 3. Adde *Dig.* 3. 2. 2. § 2. — Et translate de asino, qui ita loquitur apud *Apul.* 4. *Met.* Rebar enim jam me prorsus exanimatum ac debilem mereri causariam missionem. — Hinc

Causarii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. A Medicis dicuntur ægroti. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 25. (61). Helleborum vetant dari causariis vel latere vel faucibus. *Marcell. Empir.* 8. Causarii oculorum. *h. e.* qui oculis ægri sunt. ¶ 2. In re militari causarii sunt, qui ob valetudinem a militia excusantur. *Liv.* 6. 6. Exercitum ex causariis senioribusque scribere. *Spartian. Hadrian.* 10. Omnes causarios liberalitatibus sublevavit. *Al. leg.* causariis. *Inscript.* apud *Sestinum Viaggi per la Valachia* etc. p. 250. AESCVLAPIO ET HYGIAE AVG. AVR. ARTEMIDORVS *beneficiarius* LEGATI LEGIONIS II. ADjutricis PIÆ *fidelis severianæ* AGENS CC. (*h. e.* Causariorum) V. S. L. M. MODESTO ET PROBO COSS. (*h. e.* anno a Chr. nat. 228.).

CAUSĀTĒ *vel* caussate, adverb. cum causa. Occurrit tantum Comp. *Causatius*, hoc est fortiori vel meliori ratione seu causa. *Plin. præfat. Hist. nat.* 6. Causatius defendere.

CAUSĀTIO *vel* caussatio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est prætextus, excusatio. *Gell.* 20. 1. Ne causatio ista ægri corporis perpetuam vacationem daret. Adde *Cod. Theod.* 3. 5. 2. § 2.; et *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 20. ex *D. Paul.* 1. *ad Philipp.* 18. ¶ 2. Significat etiam morbum, quemadmodum et causa. *Pallad.* 1. *R. R.* 4. 1. Si salvo capite, in pulmonibus ac thorace aut nulla, aut rara causatio est. Adde *Theod. Priscian.* 3. 9. ¶ 3. Apud *Capell.* 5. p. 151. causatio est ipse status causæ, seu controversiæ forensis. Cf. *eumd.* 5. p. 148.

CAUSĀTĪVUS *vel* caussativus, a, um, adject. causam præbens, efficiens. *Capell.* 7. p. 238. Quod quidem idealis illius (*Jovis*) intellectualisque speciei

vis causativa testatur. — Apud eumd. 5. p. 151. *Causativum litis* est res, quæ controversiam facit et statum causæ constituit. — *Causativus casus* idem est qui accusativus apud *Priscian*. 5. p. 671. *Putsch*. — *Causativa persona* in verbis est prima, quia originem dat secundæ et tertiæ. *Priscian*. 8. p. 821. *Putsch*. Causa autem fit secundæ et tertiæ personæ prima persona; jure igitur illis præponuntur quæ sunt causativæ.

CAUSĀTĪVĒ *vel* causative, adverb. *Priscian*. 10. p. 1029. *Putsch*. Proprie causales (*conjunctiones*) sunt, quæ causam antecedentem causative, id est res ex causa antecedente evenientes, significant, ut *doctus sum, nam legi*.

CAUSĬA, æ, f. 1. καυσία. Legitur et causea. ¶ 1. Proprie est genus pilei barbarici ad æstum solemque arcendum. Causiæ figuram videsis apud *Viscont. Mus. Pio-Clem. T*. 3. *tab*. 33., ex qua confirmatur, eam fuisse piscatorum propriam. *Plaut. Mil. glor*. 4. 4. 41. Facito ut venias huc ornatus ornatu nauclerico, causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam, etc. *Id. Pers*. 1. 3. 75. Cape tunicam, atque zonam, et chlamydem afferto, et causiam. *Val. Max*. 5. 1. 4. *extern*. Causia caput velatum more Macedonum habere. — Videtur Romanis quoque in usu aliquando fuisse. Nam illius distichi *Martialis* 14. 29. In Pompejano tectus spectabo theatro: Nam ventus populo vela negare solet: *Lipsius de Amphith*. c. 18. lemma esse ait *Causia*: alii leg. *Gausapa*. Sed *Lipsii* lectio magis placet. ¶ 2. Per similitudinem aliquando *causiæ* dictæ sunt vineæ militares, quibus utebantur in urbium oppugnationibus: quia sicut causia solem, ita vineæ saxa et tela capiti defendunt. *Veget*. 4. *Milit*. 15. Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque usu causias vocant. *V*. VINEA.

CAUSĪDĬCĀLIS *vel* caussidicalis, le, adject. ad causidicum pertinens. *M. Aur*. apud *Front. ad M. Cæs*. 4. *Ep*. 5. Venatores, aut vindemiatores, qui jubilis suis cubiculum meum perstrepunt causidicali prorsum odio et tædio. Quid hoc dixi? Immo recte dixi: nam meus quidem magister orator est.

CAUSĪDĬCĀTĬO *vel* caussidicatio, ōnis, f. 3. oratio causidico digna, prolixa, nimis verbosa. *Fronto Amic*. 2. *Ep*. 6. Quod si ultra epistolæ modum videbor progressus, eo veniet, quod ea res postulat, ut cum epistola conjuncta sit quædam causidicatio.

CAUSĪDĬCĪNA *vel* caussidicina, æ, f. 1. ars et munus causidicorum. *Ammian*. 30. 4. Id habet causidicina metuendum, quod etc. *Symmach*. 5. *Ep*. 75. Causidicinæ nomen dare. *Impp. Theodos. et Valentinian. Cod. Theod*. 8. 4. 30. § 1. Causidicinam profiteri. Adde *ibid*. 12. 1. 188.

CAUSĪDĬCUS *vel* caussidicus, i, m. 2. (causam et dico: *V*. CAUSA sub *B* 2.). Causidicus est qui causas agit. Apud optimos scriptores valde distat ab oratore. Nam ita appellatur quicumque patronus dicendi usu aliquo præditus, qui in foro probabilis esse videtur, et causas utcumque agit (It. *causidico, avvocato*; Fr. *avoué, avocat*; Hisp. *abogado*; Germ. *d. Sachwalter, Rechtsanwalt, Advocat*; Angl. *a pleader, advocate*). *Cic*. 1. *Orat*. 46. 102. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui etc. *Id. Orat*. 9. 30. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quemdam sequuntur, non illum quidem amplum et grandem, subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus causis possit præclare consistere. *Fronto* 2. *ad M. Cæs*. (edente iterum *A. Maio*) *Ep*. 11. Neque est Gratia mea (*scil*. uxor Frontonis), ut causidicorum uxores feruntur, multi cibi. Adde *Lucret*. 4. 467.; *Ovid*. 1. *Amor*. 13. 21.; *Quintil*. 12. 1. 25.; *Sueton. Claud*. 15. et *Vesp*. 13.; *Tac. dial. de Orat*. 1.; *Martial*. 4. 8. et 14. 219.; *Juvenal*. 7. 135. et 10. 121.; et *Cod. Theod*. 2. 10. 1. *Apul. de Mag*. Patroni litigatorum causidici appellantur, quod, cur quæque facta sint, expediant. Hinc *Juvenal*. 6. 138. causidicum et præconem conjungit, tamquam utriusque ars æque sit digna contemptus: quod facit et *Petron. fragm. Tragur*. 46. *Burmann*.

CAUSĬFĬCOR *vel* caussificor, āris, ari, dep. 1. (causa et facio). Part. *Causificans*. — Causificor est idem quod causor, seu causam affero. *Plaut. Aulul*. 4. 10. 25. Non causificor, quin ego illam habeam potissimum. *Apul*. 10. *Met*. Inconcinne causificans.

CAUSĬMŌMANTĪA. *V*. AXINOMANTIA.

CAUSOR *vel* caussor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Causans* sub *a*.; *Causatus* sub *f*. — Causari est causas in rem aliquam vel pro re aliqua veras aut falsas afferre. Occurrit — *a*) Absolute. *Pacuvius* apud *Non*. p. 89. 11. *Merc*. Qui se se adfines esse ad causandum volunt, de virtute is ego cernundi do potestatem omnibus. *Accius* apud *eumd*. p. 89. 8. Qui potis est repelli quisquam, ubi nullus est causandi locus. *Afranius* apud *eumd. loc. cit*. Facunde contra patrem causari. *Forcellinus* vero hæc ait: *Non. loc. cit. causari* interpretatur causam dicere, defendere: et affert exempla ex *Accio, Afranio* et *Pacuvio*, quæ non ita aperta sunt, ut rem plane conficiant. At ex locis, quæ infra afferuntur, hæc ipsa satis aperta sunt, quod ad veram significationem attinet. *Virg*. 9. *Ecl*. 56. Causando nostros in longum ducis amores. — Speciatim causari dicitur, qui causas affert, cur aliquid nolit, qui aliquid respuit, ut apud *Quintil*. 11. 1. 59. Nec causanti pupillo sic tutor irascatur, ut etc. *h. e*. causas afferenti, cur eum tutorem nolit. *Alii legendum censent accusanti, alii aliter*. Cf. *Dig*. 40. 7. 34. § 1. Causari accipere rationes. *h. e*. causas objicere, ne rationes accipiantur. — *Trebell. in XXX. Tyrann. in fin*. Causari cum aliquo. *h. e*. queri, expostulare: quam significationem etiam αἰτιᾶσθαι apud Græcos habet. — *b*) Cum Accusativo rei, quæ tamquam causa vel excusatio vel prætextus affertur. *Lucret*. 1. 392. Causari multa. *Liv*. 3. 64. Consensum patrum causabantur. *Id*. 23. 8. interturbationem animi. *Horat*. 1. *Ep*. 14. 12. Stultus uterque locum immeritum causatur inique: In culpa est animus. *Tibull*. 1. 3. 17. Aut ego sum causatus aves, aut omina dira. *Ovid*. 9. *Met*. 768. Causari omina visaque. *Id*. 1. *Amor*. 9. 13. Euros tumidos. *Curt*. 4. 10. 18. tempus diei. *Tac*. 3. *Hist*. 59. inhabilem labori valetudinem. *Id*. 1. *Ann*. 47. negotia. *Id*. 13. *ibid*. 44. adversam voluntatem patris. *Sueton. Cal*. 44. senium atque imbecillitatem. *Martial*. 4. 7. barbamque annosque pilosque. *Cod. Theod*. 2. 27. 1. § 2. absentem. *Dig*. 36. 1. 13. *pr*. Causari quid, ne conditio deficiat. Adduat quidam duo *Ciceronis* loca 2. *Orat*. 89. 363. et *Rosc. com*. 14. 41.; sed utrobique leg. aliter plerique omnes. — *c*) Cum Accus. et Infinito. *Liv*. 5. 15. Causatus de privati portenti procuratione, si operæ illi esset, consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. Adde *eumd*. 36. 11.; *Tibull*. 1. 3. 18.; et *Curt*. 6. 5. 31. et 6. 7. 21. *Sueton. Ner*. 49. Duos pugiones arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit, causatus, nondum adesse fatalem horam. Adde *Gell*. 18. 4., et *Dig*. 2. 15. 12. — *d*) Sequente particula *quod*. *Sueton. Cal*. 23. Silanum – ad necem secandasque novacula fauces compulit, causatus in utroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset secutus. *Ulp. Dig*. 16. 3. 3. Causatus, quod semel ignarus vendiderit. — *e*) Passiva significatione *Ovid. Nuc*. 125. Causabor, quare sit lapidosus ager. *Salmas*. legit *causa habeor*, quod *Heins*. probat. — *f*) Part. *Causatus* passive occurrit apud *Boeth. Aristot. Analyt. prior*. 1. p. 528. Scit magis ex superioribus causis sciens, ex prioribus enim scit, cum non ex causatis sciat causis; quare si magis scit et maxime, et scientia illa erit et magis et maxime.

CAUSOS, i, m. 2. Græca vox καῦσος ὁ, *ardor, inflammatio*, quam Latinis quidem litteris, at Græca terminatione usurpat *Theod. Priscian*. *l*. 2. *part*. 1. 12. Hanc (*cardiacam passionem*) sudor viscosus et frigidus perseverans interemptis viribus manifestat: præeuntibus attamen acutis febribus et flammarum interiorum ardoribus. Quem morbum aliqui causon appellaverunt. *Id*. *l*. 2. *part*. 2. 16. Si nimius ardor fuerit, quem causon appellamus, sub quo angustiis intervenientibus et febrium augmenta fiunt, etc.

CAUSTERICUS, a, um, adject. idem ac causticus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir*. p. 165.

CAUSTĬCE, es, f. 1. καυστική, urens herba, quæ Latine *scelerata* dicitur. *Apul. Herb*. 8.

CAUSTĬCUS, a, um, adject. καυστικός, adurendi vim habens, a καίω uro. Dicitur sæpe de medicamentis, quæ vehementer calida sunt, et carnem arefaciunt, exedunt, adurunt. *Plin*. 27. *Hist. nat*. 9. 54. (77). Enneaphyllon est causticæ naturæ. *Id*. 32. *ibid*. 10. 52. (140). Adarca vim habet causticam. *Martial*. 14. 26. Caustica Teutonicos accendit spuma capillos. *Alii leg*. Cattica. *V*. CATTICUS in ONOM. — Hinc

Causticum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est medicamentum causticum. *Plin*. 26. *Hist. nat*. 8. 39. (65). Tithymalum est tam ferventis naturæ, ut per se extra corpori impositum pusulas ignium modo faciat, et pro caustico in usu sit. *Id. ibid*. 1. 3. (3). Causticis curare lichenas. *Id*. 34. *ibid*. 18. 56. (178). Arsenicum causticis additur et psilothris.

CAUSŬLA, æ, f. 1. parva causa. ¶ 1. Stricto sensu est parvus prætextus, occasiuncula. *Auct. B. Afr*. 54. Parvulam modo causulam nactus. *h. e*. occasiunculam. ¶ 2. Latiori sensu est levis controversia forensis. *Cic. Opt. gen. or*. 3. 9. Lysias parvarum rerum causulas scripsit. *Capitolin*. in *Macrin*. 4. Egisse causulas, declamasse, jus postremo dixisse.

CAUTĒ, adverb. (cautus). Comp. *Cautius* et Sup. *Cautissime* 1. — Caute est prudenter, callide, cum cautione, ne quid mali nobis accidat (It. *cautamente*; Fr. *avec précaution, prudemment*; Hisp. *prudentemente*; Germ. *auf vorsichtige, behutsame Art und Weise*; Angl. *cautiously, circumspectly*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Positiv. *Plaut. Trin*. 2. 2. 40. Caute et cogitate rem tractare. *Id. Curc*. 1. 1. 32. Caute incedere via. *Cic. Cluent*. 42. 118. A me omnia caute pedetentimque dicentur. *Cæs*. 5. *B. G*. 49. Iter caute diligenterque facere. *Ovid*. 2. *Art. am*. 167. Caute amare. *Id. Heroid*. 13. 146. pugnare. *Quintil*. 10. 2. 3. Caute et cum judicio apprehendere. — *b*) Compar. *Cic. Dejot*. 6. 18. Cautius efficere aliquid. Adde *Plaut. Men*. 1. 2. 42.; *Ter. Hecyr*. 5. 1. 12.; *Virg*. 11. *Æn*. 153.; *Horat*. 1. *Od*. 8. 10.; *Ovid*. 1. *Amor*. 13. 6.; et *Quintil*. 2. 15. 21. — *c*) Superl. *Cic*. 15. *Att*. 26. 3. Cautissime navigare. Adde *eumd*. 2. *Orat*. 59. 242.; et *Plin*. 15. *Hist. nat*. 3. 3. (12). ¶ 2. Speciatim caute est cum forensi cautione, qua quis se vel alium securum reddit. *Cic*. 2. *Legg*. 21. 53. Quid huc accessit ex jure civili? Partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. Adde *eumd*. 15. *Att*. 17. 1.

CAUTĒLA, æ, f. 1. cautio, diligentia, providentia, qua aliquid cavemus (It. *cautela*; Fr. *précaution*; Hisp. *precaucion*; Germ. *die Forsicht, Behutsamkeit*; Angl. *caution, wariness*). ¶ 1. Generatim. *Apul*. 5. *Met*. Exitiabile tibi periculum fortuna minatur, quod observandum pressiore cautela censeo. *Id*. 2. *ibid*. Tantum a cautela Pamphiles abfui, ut etiam etc. *h. e*. tantum abfui, ut a Pamphile mihi caverem etc. *Veget*. 3. *Milit*. 6. *ante med*. Sed cautelæ caput est, ut, per quæ loca vel quibus itineribus sit profecturus exercitus, ignoretur. ¶ 2. Speciatim a JCtis adhibetur eodem modo, quo cautio. *Pompon. Dig*. 13. 7. 6. Prius idonea cautela a debitore pro indemnitate ei præstanda. *Ulp. ibid*. 3. 3. 15. Cautelam interponere. *Cajus ibid*. 10. 3. 14. Cautelam idoneam reddere.

CAUTĒLĪTAS, ātis, f. 3. idem ac cautela, cautio. *Ennod*. 8. *Ep*. 8. An forte contra me illam tuam cautelitatem æstimas esse servandam?

CAUTER, ēris, m. 3. καυτήρ, idem quod cauterium.

I.) Proprie. ¶ 1. Est ipsum instrumentum, quo ignito notæ et stigmata carni inuruntur. *Pallad*. 1. *R. R*. 43. 3. Cauteres, castratoria ferramenta atque tonsoria, vel quæ ad animalium solent pertinere medicinam. *Id. ibid*. 41. 2. Picem duram, ceram albam – juncturis adline, et cautere uncta percurre. *Prudent*. 10. περὶ στεφ. 490. cremari stridulis cauteriis. *Cauter frigidus* ita describitur a *Theod. Priscian*. 1. 18. Quo de re frigido cautere utimur, quod frequenter approbavimus. Aquam, in qua calcis vivæ pulverem extinguimus, miscemus ferulæ, nitro et sapone æqua ponderatione et ex eo linimus loca, quæ comburi placet. ¶ 2. Item vulnus, adustio cautere facta. *Prudent*. 5. περὶ στεφ. 229. Arvina posthinc igneum Impressa cauterem lavit.

II.) Translate. *Tertull. Pall*. 5. Adigere cauterem ambitioni.

CAUTĒRĬĀTUS, a, um, adject. cautere adustus. Translate *cauteriatam conscientiam* dixit *Hieronym*. in c. 1. *Abdiæ* ex *D. Paul*. 1. *ad Timoth*. 4.

CAUTĒRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. καυτηριάζω, cauterio inuro. *Pelagon. Veterin*. 13. *a med*. Si permanet tumor ventris, pectus cauteriari convenit, inde, intermisso triduo, rursus cauteris. *Id. ibid*. 16. 12. Ad dolorem cervicis, cauteriandus est terris ex utraque parte subtiliter. *V*. voc. præced. et seq.

CAUTĒRĪTUS, a, um, adject. cautere inustus *Pelagon. Veterin*. 17. *a med*. Multi cauteriis utuntur; et si evaserit (equus) cauteritus, inutilis viribus erit et in itinere minus valebit. *Fortasse legendum est* cauteriatus *pro* cauteritus, *quod habetur in Cod*.

CAUTĒRĬUM, ii, n. 2. καυτήριον, Græca vox a

καίω uro, quæ significat. ¶ 1. Instrumentum, quo ignito notæ et stigmata carni inuruntur: quod *cauter* a *Pallad.* appellatur. *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 3. ed. *Schneid.* Inuri rectis cauteriis convenit; et ut efficacius prosint, cupreis cauteriis est utendum. *Tertull. Apolog.* 15. Risimus et inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. ¶ 2. Significat etiam medicamentum carnes exedens, aut humores desiccans. *Scribon. Compos.* 240. Hoc acre est, et quasi cauterium cr.* tam altam facit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 39. (80). Plantagini vis mira in siccando densandoque corpore cauterii vicem obtinens. Adde *eumd.* 22. *ibid.* 23. 49. (102). ¶ 3. Item vas carbones continens, quo ad parietem admoto pictores utebantur in encaustica ad colores ceris inurendos. *Martian. Dig.* 33. 7. 17. Pictoris instrumento legato, ceræ, colores legato cedunt: item peniculi, et cauteria. Adde *Tertull. advers. Hermogen.* 1.

CAUTĒRIZO, as, are, a. 1. cauterium adhibeo. *Veget.* 5. *Veterin.* 1. *Schneid.* Cauterizare subtiliter.

CAUTĒRŌMĂ seu cautroma, atis, n. 3. a καυτήρ, ulcus seu vulnus a peccante cautere factum. *Plin. Valer.* 3. 17. Quod remedium et alia hujuscemodi curat, et cautromata.

CAUTES et raro admodum cautis, is, f. 3. Cf. COS. — Nom. *cautes* occurrit apud *Tibull.* loco infra cit. *Cautis* in recto casu dixit *Prudent.*, ut secundam corriperet: *V.* infra *loc. cit.* — Cautes est saxum magnum, asperum et aculatum, rupes acuta (It. *sasso acuto, rupe acuta*; Fr. *rocher aigu, roche aigu*; Hisp. *peña, roca aguda*; Germ. *Spitzstein, spitziger Fels*; Angl. *a sharp-edged rock*). *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Naves nihil saxa et cautes timebant. *Tibull.* 2. 4. 9. Insanis cautes obnoxia ventis. *Virg.* 4. *Æn.* 366. duris genuit te cautibus horrens Caucasus. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 576. et 719., 4. *ibid.* 672., 7. *ibid.* 418., 11. *ibid.* 330. et 13. *ibid.* 124. *Colum.* 10. *R. R.* 66. nos abruptæ tum montibus altis Deucalioneæ cautes peperere. *Forcellinus* hoc loco *cautem* accepit pro quocumque lapide seu saxo. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 42. (148). Lapis hic et in Cantabria nascitur, non ille magnes verus caute continua, sed sparsa bullatione. Adde *eumd.* 37. *ibid.* 2. 10. (27.), et *Plin. Paneg.* 35. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 701. Quæ cautis illud perpeti spectaculum etc. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 10. 19. 11. Nobilitas cautium. *h. e.* lapidum, marmorum. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CAUTIM, adverb. caute. *Ter. Heaut.* 4. 8. 30. Cautim et paulatim dare. *Accius* apud *Non.* p. 512. 11. *Merc.* Tibi cautim est adeundum ad virum.

CAUTIO, ōnis, f. 3. est per syncopen pro *cavitio* a *cavere*, teste *Paul. Diac.* p. 61. 3. *Müll.*; et significat providentiam, qua advertimus, ne quid mali nobis accidat (It. *cautela, guardia, precauzione*; Fr. *action de se garder, précaution, prudence*; Hisp. *precaucion, prudencia*; Germ. *d. Vorsicht, d. vorsichtige, behutsame Handlungsweise, d. Sichinachtnehmen*; Angl. *caution, care, precaution, provision*). ¶ 1. Generatim. — *a)* Est cauta agendi ratio, prudentia; et *cautioni* opponitur *metus*, ut apud *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13. A malis natura declinamus: quæ declinatio si cum ratione fiat, cautio appellatur; quæ autem sine ratione, nominatur metus. *Id. Font.* 1. 2. Videte, quam longe videar a consuetudine mea et cautione ac diligentia discedere. *Id.* 1. *Att.* 19. 8. Privatis rebus quamdam cautionem et diligentiam adhibere. *Id.* 2. *Orat.* 74. 300. Neque illa mea cautio et timiditas in causis negligenda est. *Id.* 9. *Fam.* 24. 1. Initium suspicionis et cautionis et diligentiæ. — *b)* Item cautio verbali vi est ipsa cavendi actio, provisio. *Cic. Amic.* 21. 78. Omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne etc. *Id.* 2. *Divinat.* 25. 54. Omnis prædictio mali tum probatur, cum ad prædictionem cautio adjungitur. *Id. Flacc.* 13. 31. Defendendi facilis est cautio. *h. e.* provisio et ratio defendendi. — *c) Cautio est mihi* idem est quod caveo, provideo, curo. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 35. Nunc mihi cautio est, ne meamet culpa meo amori objexim moram. Adde *eumd. Bacch.* 4. 2. 15. *Id. Pseud.* 1. 2. 37. Cautio est, ne etc. Et *Ter. Adelph.* 3. 4. 57. Pisces hi mihi ne corrumpantur, cautio est. Adde *eumd. Andr.* 2. 3. 26. *Cic. Marcell.* 7. 21. Tua enim cautio nostra cautio est. — Apud *Cic.* 5. *Att.* 4. 4. pro *cautio* recentiores plerique omnes legunt *captio*, et quidem recte. — *d) Cautionem habet aliquid* idem est quod cavere oportet in aliqua re. *Cic.* 1. *Off.* 14. 42. Beneficentia nihil est naturæ hominum accommodatius: sed habet multas cautiones. *h. e.* multa cavere oportet in ea exercenda. — *e)* Item *cautionem habet aliquid* idem est quod caveri potest. *Cic.* 11. *Fam.* 21. 3. Quæ provideri poterunt, non fallar in iis: quæ cautionem non habebunt, de his non ita valde laboro. *h. e.* quæ caveri non poterunt. ¶ 2. Speciatim est verbum forense, et significat chirographum, syngrapham, fidejussionem, et aliam quamcumque stipulationem, qua quis sibi vel alteri cavet, idest se vel alium securum reddit. Exemplum cautionis habes in *Dig.* 12. 1. 40. pr. Jlocaliter *Cic.* 7. *Fam.* 18. 1. *ad Trebat. JC.* Itaque, quoniam vestræ cautiones infirmæ sunt, Græculam tibi misi cautionem chirographi mei. Et figurate *Id. Sext.* 7. 15. Hunc Cn. Pompejus omni cautione, fœdere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum. *Id. Orat.* 41. 141. Præscriptionum cautionumque præceptio. *Id. Dom.* 50. 129. Facere cautiones pecuniarum. *Seneca* 3. *Benef.* 7. *ad fin.* Prolatis cautionibus controversiam tollere. *Id.* 7. *ibid.* 10. Diplomata et syngraphæ et cautiones, vacua habendi simulacra. *Gell.* 4. 3. Cautio rei uxoriæ. *h. e.* de reddenda dote si divortium sequatur. *Paul. Dig.* 16. 3. 27. Conferre dotem in cautionem sub titulo depositi. *h. e.* dare dotem sub cautione. *Papinian. ibid.* 40. 4. 50. Offerre cautionem idoneam. *Julian. ibid.* 44. 1. 11. Interponere de solvendo. *Ulp. ibid.* 48. 22. 1. *ad fin.* polliceri damni infecti. *Papinian. ibid.* 3. 5. 30. præbere alicui indemnitatis. *Modestin. ibid.* 26. 7. 31. Cautiones solati vectigalis. — Et sequente Infinito. *Sueton. Aug.* 98. Exigere cautionem ab aliquo, non alio datam summam, quam in emptionem mercium, absumpturum. *Venulej. Dig.* 46. 8. 6. Cavere cautionem, ratam rem dominum habiturum.

CAUTIŌNĀLIS, e, adject. ad cautionem pertinens. *Ulp. Dig.* 46. 5. 1. pr. § 2. Stipulationes cautionales. *h. e.* quibus aliquid cavetur et securum redditur.

CAUTIUNCULA, æ, f. 1. parva cautio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 71.

CAUTOR, ōris, m. 3. qui cavet. ¶ 1. Generatim est qui sibi cavet et providet. *Plaut. Capt.* 2. 2. 5. Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet. etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est: ¶ 2. Speciatim est qui fidejussionem præbet, fidejussor. *Cic. Sext.* 7. 15. Ille nefarius, parum se fœdus violaturum est arbitratus, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset.

CAUTUS, a, um, est particip. præter. pass. a caveo; sed occurrit etiam adjective, unde Comp. *Cautior*, et Sup. *Cautissimus* I. et II.

I.) Proprie cautus est securus factus, tutus, munitus (It. *cautelato, sicurato, reso sicuro*; Fr. *assuré, sûr, garanti*; Hisp. *asegurado, seguro*; Germ. *sicher gestellt, gesichert*; Angl. *secured, secure*). *Horat.* 2. *Ep.* 1. 105. Cautos nominibus certis expendere nummos. *h. e.* sub chirographo datos. *Cic. Cæcin.* 4. 11. Cum uteretur uxoris dote numerata, quo mulieri esset res cautior, curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. *Id. Rosc. Am.* 20. 56. In eam partem potius peccant, quæ est cautior. *Ammian.* 14. 8. Urbes murorum firmitate cautissimæ. *Lucan.* 4. 409. Cautus ab incursu belli. *Martial.* 2. 1. Esse tibi tanta cautus brevitate videris. *V.* CAVEO.

II.) Translate sæpissime activa significatione usurpatur, et significat eum, qui diligenter cavet, circumspectum, providum; quamvis *cautus* a *provido* differt (*V.* infra Homonym.), cum eoque haud raro jungitur. Occurrit autem de personis earumque actionibus, atque interdum etiam de brutis; et quidem — *a)* Absolute. *Ter. Phorm.* 1. 5. 3. Ut cautus est, ubi nihil opust. *Cic. Rosc. Am.* 40. 117. Itaque illi — propter istius insidias parum putantur cauti providique fuisse. *Id.* 2. *Acad.* (pr.) 30. 97. Vide quam sit cautus is, quem isti tardum putant. *Id.* 12. *Phil.* 10. 24. Nemo me minus timidus, nemo cautior. *Id.* apud *Gell.* 12. 12. Cautus et prudens paterfamilias. *Id.* 13. *Phil.* 3. 6. Cautioribus consiliis uti. *Propert.* 3. 5. 8. Pectus parum cautum. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 31. Matutina parum cautos jam frigora mordent. *Id.* 1. *Ep.* 1. 73. quod vulpes ægroto cauta leoni Respondit. *Forcellinus* in hoc *Horatii* loco et in illo *Martial.* 5. 4., quem inferius afferemus, *cautum* interpretatus est callidum, vafrum. *Id. ibid.* 16. 50. Cautus lupus. *Ovid.* 1. *Met.* 126. mensor. *Id.* 9. *ibid.* 750. magistri. *Id. Rem. am.* 737. navita. *Id.* 2. *Trist.* 271. victor. *Id.* 3. *Pont.* 6. 3. Dextra parum cauta. *Id.* 2. *Fast.* 336. Cautæ manus. *Id.* 3. *Trist.* 4. 63. timor. *Seneca Herc. (Et.)* 611. doli. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Cautissima Tiberii senectus. *Id.* 11. *Ann.* 19. Cauta consilia. *Sil. It.* 14. 198. Cautis armis invigilare. *Id.* 8. 326. bellum. *Id.* 15. 186. et *Martial.* 6. 25. virtus. *Martial.* 12. 6. Hilaris clementia, cauta potestas. *Id.* 5. 4. Fœtere multo Myrtale solet vino, Sed, fallat ut nos, folia devorat lauri, Merumque cauta fronde, non aqua miscet. — *b)* Addito in quo quis cautus est, et quidem — Per præp. *in, ad, adversus, erga*. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 9. 27. Cautus in periculis. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. 3. in scribendo. *Id.* 10. *Att.* 9. 3. in credendo. *Horat. Art. P.* 46. in verbis serendis. *Sueton. Cæs.* 58. In obeundis expeditionibus dubium cautior (*Cæsar*) an ardentior. *Liv.* 24. 32. Ad propius præsentiusque malum cautior. *Tibull.* 1. 10. 46. ad laqueos. *Quintil.* 6. 1. 20. ad custodiam. *Gell.* 13. 27. Membra (*pancratiastarum*) aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata. *Liv.* 38. 25. Parum cautus adversus fraudem. *Curt.* 10. 1. 18. Cautum esse erga bona sua. — Per Genit. *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. Peractis totius mensis feriis dies suos, rei divinæ cautus, inseruit. — Per Infinitum. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 51. Cautus dignos assumere. — Hinc

Cauta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Coripp.* 3. 389. Debita persolvit genitoris, cauta recepit. *h. e.* cautiones, syngraphas, ut et *Barth.* docet *lib.* 44. *Advers.* 15. — Item sunt præscripta apud *Cassiod.* 5. *Variar.* 14. Triduanæ præbeantur annonæ, sicut legum cauta tribuerunt. Adde *ibid.* 24.

Homonym. *Cautus* et *providus* in eo differunt, quod *cautus* est, qui tuto in loco se ponit, ubi nihil mali timere potest; *providus* vero est, qui futura mala cum provideat, diligenter curat atque agit, ut eadem a se avertat; hinc *cautus* negative accipitur, *providus* positive. *Cic.* 12. *Phil.* 10. 25. Possumne igitur satis videri cautus, satis providus, si me huic itineri tam infesto tamque periculoso commisero? *Liv.* 25. 34. Dux cautus et providens Scipio.

CAUTUS, us, m. 4. cautio. *Gell.* 10. 15. Cærimoniæ impositæ flamini Diali multæ, item cautus multiplices. *Alii plerique legunt castus, et quidem rectius.*

CĂVANNUS, i, m. 2. noctua, vox Gallica a *chathuant*, h. e. catus ululans; nam cati seu felis caput caput habere videtur: unde etiam recentiores Galli *chouette* derivarunt. *Eucher.* 20. Tristis perspicua sit cum perdice cavannus. V. *Adelung. Gloss.* in CAVANNUS.

CĂVĀTŪRA, æ, f. 1. cavamen, cavum. *Veget.* 1. *Veterin.* 25. 2. Sub cavatura temporum vena perquiritur. *Id.* 3. *ibid.* 26. 1. *Schneid.* Cavatura vulneris. *Marcell. Empir.* 12. post med. dentium.

CĂVĀTUS, a, um. *V.* CAVO.

CĂVEA, æ, f. 1. In Genit. sing. *caveai* pro *caveæ* more suo dixit *Lucret.* 5. 76. — Ratione habita etymi, *cavea* est a *cavus*, et *eo, is, ire*, ut *Varro* 5. *L. L.* 20. *Müll.* docet; et stricto sensu significat itionem ad locum cavum, quo modo *area*, ab *areo* et *eo*, idonea ad arendum, ut inferre possumus ex *Varron.* 3. *R. R.* 5. 11., ubi V. *Gesner.* — Itaque *cavea* ¶ 1. Significat locum cavum et vacuum, qui multis constat circulis inter se divisis ac distinctis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (3) Natura in culice disposuit jejunam caveam, ut alvum. *scilicet* quia culicis corpus multis constat circulis. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 93. Pulsat et incita quod resonam Lingua, sub ore latens, caveam. *h. e.* superius oris cavum, quod cartilagineis constat circulis, et a loquentis lingua percutitur. — Præcipue vero *cavea* est nomen artium proprium, et ¶ 2. Sæpius accipitur pro loco concluso aut septo, in quo bestiæ asservantur. — *a)* Generatim. Confer *Varronis* locum 3. *R. R.* 3. 3., qui affertur infra sub 3. Adde *Lucret.* 3. 684. et 6. 1198. *Horat. Art. P.* 473. velut ursus, Objectos caveæ valuit si frangere clathros. Adde *Ovid. Ib.* 519.; *Justin.* 15. 3.; *Curt.* 5. 1. 21.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 25. (65.); *Martial.* 1. 48., 9. 58. et 9. 89.; *Sueton. Cal.* 27. et *Ner.* 29.; et *Apul.* 4. *Met.* — *b)* Speciatim de loco, quo aves includuntur. *Plaut. Capt.* 1. 2. 14. LOR. Avis me fere consimilem faciam, ut prædicas. HEG. Ita ut dicis! nam si faxis, te in caveam dabo. Adde *eumd. Cist.* 4. 2. 66. et *Curc.* 2. 1. 79. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. 7. Cavea liberati pulli. *Id.* 2. *Divinat.* 35. 73. Avis

inclusa in cavea. *Petron. Satyr.* 28. Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat. — *c*) Item speciatim de alveari apum. *Virg.* 4. *G.* 58. Hic ubi jam emissum caveis ad sidera cœli Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen. Adde *Colum.* 9. *R. R.* 7. 4. et 15. *ibid.* 7. 9. ¶ 3. Accipitur etiam pro quodam januæ versatilis genere, quod Græci recentiores καβεζῶσαν vocant; ut colligitur ex *Varron.* 3. *R. R.* 5. 3. Ostium habere humile et angustum, et potissimum ejus generis, quod cochleam appellant; ut solet esse in cavea, in qua tauri pugnare solent. Hinc *Id. ibid.* 5. 11. Ad hæc, ita ut in margine quasi infimo tabulæ descripta sit ambulatio, in qua media sunt caveæ: qua introrsus iter in aream est. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 4. *de columbario.* Fenestra habeat appositam satis amplam caveam, retibus emunitam, quæ excludat accipitres et recipiat egredientes ad apricationem columbas. *V.* plura apud *Schneid.* in *Indice Scriptt. R. R.* in v. *Cavea.* ¶ 4. Item de septo ex lignis, aut spinis, quo teneræ arbores a pecudum injuriis muniuntur. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 21. Arbores caveis ab injuria pecoris emunire. *Et ibid.* 9. 11. Constitutas plantas circummunire caveis. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 10. 5. ¶ 5. Præterea sæpissime dicitur de loco, in quo sedet populus in theatris, quia concavus est et profundus. *Plaut. Amph. prol.* 66. Ut conquisitores singuli in subselliis eant per totam caveam, spectatoribus, si cui fautores delegatos viderint, ut his in cavea pignus capiantur togæ. *Cic. Amic.* 7. 24. Qui clamores totâ caveâ nuper in M. Pacuvii nova fabula! cum etc. *Id. Harusp. resp.* 12. 26. De cavea exire. *Stat.* 3. *Silv.* 6. 28. Subire per caveas. — Triplex est cavea, *prima* sive *ima*, *media*, et *summa* vel *ultima*: in *prima* sive *ima* erant orchestra, et equestria, ubi senatores et equites sedebant: *media* et *summa* assignata est populo: sed *media* erat honoratior, in qua sedere aliquem pullatum, vetuit Augustus, ut *Sueton. in ejus Vita* 44. narrat: *summa* cavea minutæ plebi promiscue concessa est, atque etiam feminis. Hinc *verba ad summam caveam spectantia*, apud *Senec. Tranquill.* 11., hoc est viliora et ad populi gustum accommodata. *Cic. Senect.* 14. 48. Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat; delectatur tamen etiam qui in ultima. *Sueton. Aug.* 44. et *Claud.* 21. Cavea media. *Inscript.*, quæ est tessera theatralis, apud *Orell.* 2539. CAV. II. CVN. III. GRAD. VIII. CASINA PLAVTI. — De amphitheatris quoque *caveam* dictam fuisse probat *Lips. de Amphith.* c. 2. auctoritatibus petitis ex *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 27., *Prudent.* 1. *contra Symmach.* 385., *Apul.* 10. *Met.*, *Ammian.* 29. 1. et aliis. ¶ 6. Pro ipso theatro. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 39. Venit ne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio, etc.? *Cic.* 2. *Legg.* 15. 38. Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, etc. ¶ 7. Et generatim pro quocumque loco ubi plures sedent ad aliquid spectandum; vel etiam pro ipso populo spectante. *Lucret.* 4. 76. Consessus caveai. *Virg.* 5. *Æn.* 340. Hinc totum caveæ consessum ingentis et ora Prima patrum magnis Salius clamoribus implet. *Id.* 8. *ibid.* 635. raptas sine more Sabinas Consessu caveæ. *Stat.* 1. *Theb.* 423. Caveæ dissensus.

CĂVEĀLIS, e, adject. qui in cavea servatur: ut *Cavealis resina* apud *Veget.* 3. *Veterin.* 53. 2. ed. *Schneid.* Picem, ceram, resinam cavealem et turis pollinem ex oleo veteri temperabis ac decoques. *Id.* 6. *ibid.* 14. 1. Resinæ cavealis libra una. *V.* ÆRONALIS et LOCULARIS. Ita legit *Schneid.* cum *Gesnero*: alii *calulem* vel *caballialem*: atque ita corrigendus est locus *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. Tum resinæ cavealis (*Cod. habet* cadialis) id est dicaminis (*Gesner.* corrigebat *picaminis*: at margo *liquaminis* præfert) illinimentum vel dropacis.

CĂVEĀTUS, a, um, adject. in modum caveæ factus. ¶ 1. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (13). Orcæ balænis occurrere laborant, seseque opponere, et caveatas angustiis trucidare. *h. e.* velut cavea, nimirum septo conclusas. Ita *Harduin.* ex conjectura: quem secutus est etiam *Sillig*: alii vero aliter, sed minus recte. ¶ 2. *Id. Plin.* 4. *ibid.* 8. 15. (30). Montes omnes theatrali modo inflexi, caveatis ante eos septuaginta quinque urbibus. *Harduin.* ita legit ex MSS. et antiq. editionib. Quidam leg. *cuneatis.*

CĂVĔFĂCIO, facis, fēci, facere, a. 3. (*cavere et facio*) idem quod caveo. *Venant.* 8. *carm.* 6. 192. Per stimulos gradiens, spinæ cavefecit acumen Sentibus in mollis nescia ferre vepres. — Hinc pass. *Cavefieri* in *Inscript.* apud *Orell.* 3678. HAEC . ITA . VT . CAVI . VT . EI . PRAESTARIQVE VOLO.

CĂVEO, es, cāvi, cautum, ere, 2. Imperativi *cāvē* ultima syllaba longa est secundum regulas Grammaticorum. Et sane producitur ab *Horat. Epod.* 6. 11. et 1. *Ep.* 6. 32., ab *Ovid.* 2. *Met.* 89. et 1. *Art. am.* 753., *Lucret.* 2. 754. etc. Eadem tamen corripitur a *Catull.* 50. 18. et 61. 152., ab eodem *Horat.* 2. *Sat.* 3. 37. et 177. et *ibid.* 5. 75., item ab *Ovid.*, *Propert.* et aliis variis in locis. Itaque censent nonnulli (cum *Servio* ad *Virg.* 4. *Æn.* 113.) cum corripitur esse a *cavo*, *is*, *a.* 3., pro qua conjugatione afferunt illud *Tibulli* 1. 4. 67. ut quidem legit *Scalig.* ad *Paul. Diac.* Hæc mihi, quæ caverem Titio, deus edidit ore. Sed *Brouchus.* cum aliis legit *canerem.* At potius dicendum eam secundam personam præs. Imperativi ultimam corripere ob eamdem causam, qua *puta.* *V.* PUTO sub init. — Supinum *cautum* factum est per syncopen a *cavitum*, quod habetur in fragmento *Legis Thoriæ* agrariæ apud *Goes.* p. 350., necnon apud *Gruter.* 202. et *Guarin. Marm. Puteol.* p. 125. QVOD C. SEMPR XII TR. PL. ROG. EXCEPTVM CAVITVMQVE EST, NEI etc. Nonnulli legunt et apud *Plaut. Pseud.* 2. 3. 4. Hæc cavita est mihi opportune epistola. *Plerique tamen rectius leg.* allata est. — Part. *Cavens* 1. 2.°; *Cavendus* 1. 2.°: *Cautus* adjective usurpatum *V.* loco suo. — Ratione habita etymi, *Forcellinus* videtur hoc verbum a *cavus* deducere; ait enim: caveo proprie est in cavo lateo, ubi tutus sim. Recentiores vero philologi hanc vocem conjungunt cum Gr. σκεπᾶν, σκοπεῖν *videre*, *tueri*, *inspicere*; et cum Germ. *schauen* tueri et *scheuen* timere, pavere. — Ceterum cavere est videre, providere ne quid accidat; diligenter curare omnique studio cniti, ut aliquid vitemus: hinc *vitare* est, ut ita dicam, cavendi perfectio et complementum, *V.* Homonym. in fin. (It. *star in guardia*, *guardarsi*, *procurar di schivare qualche cosa*; Fr. *être sur ses gardes*, *se garder*, *prendre ses précautions*; Hisp. *guardarse*, *recelarse*, *y precaverse de algun riesgo*; Germ. *sich hüten*, *vorsehen*, *in Acht nehmen*; Angl. *to beware or take heed of*, *be aware*, *be on one's guarde*, *avoid*). ¶ 1. Generatim est sibi consulere, sibi providere, diligenter curare omnique studio conari, ne quid mali nobis accidat et occurrit — 1.°) Absolute. *Plaut. Rud.* 4. 7. 11. Qui consulte, docte atque astute cavet. *Ter. Adelph.* 4. 2. 12. Ego cavebo. *Id. Hecyr.* 3. 5. 20. Ego me scio cavisse. *Id. Heaut.* 4. 4. 8. Faciet, nisi caveo. *Cic.* 2. *Acad.* (*pr.*) 29. 93. Erunt enim (*molesti soritæ*), nisi caveris. Cautum est, inquit. *Nepos Alcib.* 5. Erat ea sagacitate, ut decipi non posset, præsertim cum animum attendisset ad cavendum. Cf. *Sueton. Claud.* 37. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 68. metues, credo, doctusque cavebis. *Quintil.* 8. 3. 47. Nisi caveris. — Absolute usurpatur præcipue in secunda persona imperativi, cum quis monetur. *Ter. Andr.* 1. 2. 34. Nihil me fallis. Sed dico tibi, ne temere facias: neque tu hoc dicas tibi non prædictum. Cave. Adde *eumd. Phorm.* 2. 3. 51.; *Horat.* 1. *Od.* 14. 16.; et *Ovid.* 2. *Met.* 89. — 2.°) Cum Accus. personæ aut rei, quam cavemus. *Plaut. Trin.* 2. 4. 14. Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit. *Ter. Eun.* 4. 6. 23. Quod cavere possis, stultum admittere est. *Lucilius* apud *Non.* p. 137. 24. *Merc.* Quid cavendum tibi censere, quid vitandum maxime. *Cic. Dom.* 11. 28. Ut me metueret, me caveret. *Id.* 11. *Fam.* 21. Neque metuere quidquam, et cavere omnia. *Id.* 10. *Att.* 16. 2. Cetera, quæ quidem consilio provideri poterunt, cavebuntur. *Id.* 2. *Off.* 24. 84. Quod multis rationibus caveri potest. *Varro* apud *Non.* p. 153. 1. *Merc.* Cave canem. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 4320. et *V.* CANIS 1. 1. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 85. hunc tu, Romane, caveto. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 3. (7). Cavens ruinam. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sueton. Ner.* 40. Cavere annum. *Cic.* 4. *Fam.* 3. 1. bellum. *Id.* 1 *Off.* 20. 68. gloriæ cupiditatem. *Vellej.* 2. 57. 2. diem. *Sueton. Tib.* 53. exitium. *Ovid.* 2. *Art. am.* 302. frigora. *Lucret.* 6. 408. fulminis ictum. *Quintil.* 4. 2. 26. et 5. 13. 54. ictum cavere, cui opponitur inferre. *Sueton. Cæs.* 86. et *Tac.* 13. *Ann.* 13. insidias. *Cic.* 10. *Att.* 11. 1. interventum alicujus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 591. jurgia. *Horat. Art. P.* 353. maculas. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 247. malum. *Martial.* 12. 34. morsus tristes animi. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 93. nihil acrius paupertie. *Cic. post redit. ad Quir.* 9. 21. omnia. *Petron. Satyr.* 130. paralysim. *Sueton. Galb.* 19 et *Gell.* 13. 27. periculum. *Propert.* 3. 11. 24. pœnam. *Quintil.* 7. 1. 30. proditorem. *Sueton. Cæs.* 45. puerum. *Cic. Harusp. resp.* 12. 26. significatum aliquid. *Quintil.* 9. 4. 143. suspicionem. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 56. tela. *Quintil.* 7. 2. 49. tyrannidem. *Cæs.* 1. *B. C.* 28. vallum cæcum fossasque. *Tac.* 11. *Ann.* 1. vim atque opes. *Quintil.* 8. 2. 2. vitium. — 3.°) Addita persona aut re, quam cavemus, per præpos. *ab*, raro autem per præpos. *adversus* vel *cum.* *Plaut. Men.* 2. 2. 63. Navis prædatoria, a qua cavendum nobis sane censeo. *Cic.* 12. *Phil.* 10. 25. Cavere ab homine impuro et nefario. Adde *eumd. Sext.* 64. 133.; *Plaut. Men.* 1. 2. 42., *Pseud.* 1. 5. 29. et 4. 7. 120., et *Most.* 3. 3. 24.; *Ter. Eun.* 5. 2. 44.; et *Sueton. Cal.* 57. Rursus *Cic. Harusp. resp.* 12. 25. Cavere a servitio. *Id.* 5. *Fin.* 22. 64. a veneno. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. ab irruptionibus. *Sall. Jug.* 116. ab insidiis. *Quintil.* 9. 1. 20. Cavere adversus ictus. *Plaut. Most.* 5. 2. 21. Mihi tecum cavendum est. *h. e.* oportet, ut tecum agens abs te caveam. — 4.°) Cum Ablat. sine præpositione usurpatur in familiari tantum sermone atque in certis quibusdam formulis. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 39., *Cas.* 2. 6. 59., *Men.* 1. 2. 13., *Pers.* 3. 1. 41., et *Petron. Satyr.* 82. Cavere malo. *Plaut. Rud.* 3. 5. 48. Cavere infortunio. Est autem formula, qua utimur, cum aliquem, ut malum vitet, admonemus. Eodem sensu dicimus *vitare infortunia.* *V.* VITO. Hanc eamdem phrasim quidam legunt etiam apud *Auct. Priap.* 53., ubi alii *malum* legunt. Ceterum *Forcellinus*, quocum recentiores omnes consentiunt, illud *malo* ablativum esse affirmavit: contra *Furlanetto*, nulla allata causa, *malo* dativum esse ait. — 5.°) Cum Infinito. *Cic.* 3. *Att.* 17. 3. In quibus cave vereri, ne aut diligentia tua mihi molesta, aut veritas acerba sit. *Sall. Jug.* 68. Postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi jure negaretur. Adde *Catull.* 50. 21. *Virg.* 9. *Ecl.* 25. capro occursare caveto. Adde *Horat. Art. P.* 168. et *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 133. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (169). Pedes tingere cavent. — 6.°) Cum Conjunctivo — *a*) et particula *ne*. *Cato R. R.* 5. Terram cariosam caveto ne ares. *Plaut. Amph.* 2. 2. 215. Cave sis, ne tu te usu perduis. (*Cave sis*, quod aliquando *cavesis* junctim legitur, pro *cave si vis*, majorem vim habet imperandi, ut caveatur: cf. *Ter. Eun.* 4. 7. 29. Cavesis: nescis cui maledicas nunc viro.). Adde *Plaut. Capt.* 2. 2. 5., *Cist.* 2. 1. 54. et *Merc.* 5. 3. 2.; *Ter. Heaut.* 2. 2. 6.; *Afranium* apud *Non.* p. 111. 14. *Merc.* *Cic.* 3. *Fam.* 12. *in fin.* Ut caverem, ne cui suspicionem ficte reconciliatæ gratiæ darem. *Id. Rosc. Am.* 53. 153. Cavete per deos immortales, judices, ne nova proscriptio instaurata esse videatur. Adde *eumd.* 2. *Acad.* (*pr.*) 19. 63. et 43. 133., 11. *Fam.* 21. 4., 2. *Divinat.* 40. 84. et 1. *Off.* 39. 140.; *Catull.* 61. 152.; *Nepotem Att.* 11. et *Sall. Jug.* 55. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 177. Tu cave, ne minuas. Adde *eumd.* 3. *Od.* 7. 31., 2. *Sat.* 1. 80, 1. *Ep.* 6. 32. et 13. 19.; *Ovid.* 2. *Met.* 89. et 10. *ibid.* 685.; *Quintil.* 4. 3. 8., 5. 7. 10. et 9. 4. 23.; et *Sueton. Tib.* 37. 67. — Et passive impersonaliter. *Cæs.* 1. *B. C.* 86. Ne quid eis noceretur, a Cæsare cavetur. — *b*) Et frequentius omissa particula *ne*: præsertim si in secunda persona Imperativi usurpentur, *cave* et *cavete* vehementer negant, qua ratione *age* et *agite* vehementer hortantur. *Plaut. Capt.* 2. 3. 79. Cave geras. *Ter. Heaut.* 1. 2. 13. Cave faxis. *Id. Adelph.* 2. 5. 12. Cave, dixeris. *Cic. Ligar.* 5. 14. Cave ignoscas. *Id.* 9. *Fam.* 24. *ad fin.* Sed cave, si me amas, existimes etc. *Id.* 10. *ibid.* 12. 4. Cave enim, putes etc. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 22. 71.; *Lucret.* 2. 755.; *Catull.* 50. 19.; *Sall. Cat.* 58.; *Horat.* 2. *Sat.* 3. 38.; et *Curt.* 4. 10. 26. — Interdum *cave* Conjunctivo postponitur. *Ter. Andr.* 4. 4. 14. Faxis cave. — Imperativum *cave* aliquando transit in adverbium, et, quemadmodum *age*, jungitur — Cum verbis pluralis numeri. *Plaut. Pœn. prol.* 116. Jam ne hoc tenetis? si tenetis, ducite, cave dirumpatis: quæso sinite transigi. — Aut cum verbis primæ personæ. *Ter. Heaut.* 5. 4. 8. *s.* Et cave posthac, si me amas, umquam istuc verbum ex te audiam. *c.* At ego, si me metuis, mores in te esse istos sentiam. — Aut cum verbis tertiæ personæ. *Plaut. Men.* 5. 7. 5. Cave quisquam, quod illic minitetur, vestrum flocci fecerit. *Ter. Phorm.* 5. 1. 37. Sed per deos atque homines meam esse hanc cave re-

sciscat quisquam. *Virg.* 11. *Æn.* 293. Cavete concurrant arma. — 7.°) Cum Conjunctivo — *a*) et particula *ut*. et significat consulere, providere, operam dare. *Plaut. Capt.* 2. 1. 29. Viso opust, cauto est opus, ut hoc accurate agatur. *cauto opus est* idem est quod cavendum est, et apud *Plaut.* non semel legitur, etiam sequente particula *ne*, ut *Cist.* 2. 1. 54. et *Most.* 4. 2. 22. *Cic.* 1. *Off.* 39. 142. Tertium est, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalitatem, moderata sint. *Liv.* 3. 10. Cavisse deos priore anno, ut tuto libertas defendi posset. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 3. Quamvis tempestive sementis confecta erit, cavebitur tamen, ut patentes liras crebrosque sulcos aquarius faciamus. Adde *Plin. Paneg.* 39. et 40. — *b*) Et omissa particula *ut*, occurrit imperativum *cave* tantum. *Apul.* 2. *Met.* Sed heus tu – cave regrediare cœna maturius. *Id. ibid.* Sed heus, juvenis, cave diligenter principum civitatis filii cadaver – custodias. — 8.°) Frequenter Dativum habet, et exponitur prospicere, providere, consulere, ne mali, aut incommodi aliquid alicui in posterum accidat, atque adeo in tuto eum ponere providentia earum rerum, quæ accidere possunt. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 4. 7. 12. Ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. *Cic.* 3. *Fam.* 1. 3. Melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet. *Id.* 1. *Phil.* 2. 6. Quibus hic ordo diligentissime caverat. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 4. Qui in Oratore tuo caves tibi per Brutum, et ad excusationem socium quæris. *Vellej.* 2. 48. 5. Cavere concordiæ publicæ. *Sueton. Tit.* 6. securitati. *Petron. Satyr.* 133. solerti curâ deposito suo. *Sil. It.* 8. 493. capiti. — *b*) Construitur affirmative, et dicitur *cavere aliquid alicui, alicui ut, alicui ad aliquid*: ut apud *Plaut. Bacch.* 1. 1. 8. Hæc ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam, ab istoc homine, ut. ubi emeritum sibi sit, se ut revehat domum. Id, amabo te, huic caveas. PI. Quid istic caveam? BA. Ut revehatur domum. *Cic. Pis.* 12. 28. Caverat sibi ille sororius adulter, ut si tibi provinciam dedisset, etc. *Id.* 3. *Verr.* 35. 88. Semper enim existimasti, – satis cautum tibi ad defensionem fore, si vetuisses etc. — *c*) Construitur etiam negative, et dicitur *cavere aliquid alicui*, ut apud *Caton. R. R.* 5. *ad fin.* Scabiem pecori et jumentis caveto. *h. e.* arceto, defendito. ¶ 2. Specialim cavere in negotiis et præcipue in Jure frequentissimum est; et cavere dicitur quicumque rem, de qua contrahit, aut jus suum pignore, chirographo, syngrapha, verbis, aut alia quacumque ratione in tuto ponit: sive hæc ipse ab aliis accipiat, sive ipse aliis det, ut patet ex *Cæs.* 7. *B. G.* 2. Quoniam in præsentia de obsidibus inter se cavere non possent. *Id.* 6. *ibid.* 2. Civitates jurejurando inter se confirmant, obsidibusque de pecunia cavent. — Itaque hac significatione occurrit *A*) Active cum quis cautione accepta se tutum ac securum reddit; et *B*) Passive, cum quis cautione data alios tutos et securos reddit.

A) Active. 1.°) *Cavere sibi* dicitur quicumque rem, de qua contrahit, aut jus suum in tuto ipse ponit. *Cic.* 3. *Verr.* 11. 31. Cum ita caverent: SI POST CAL. JANVAR. IN CONSILIVM IRETVR. *Id. Brut.* 5. 18. Tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, esse petiturum. *h. e.* nisi prius a te cautionem exegero, satis accepero. *Id.* 4. *Verr.* 23. 55. Rogat, ut id, quod ab ipsis abiisset pecuniæ, curet; ab sese caveat, quemadmodum velit. Adde *eumd. Rosc. com.* 12. 35. — Huc referri potest et illud *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. 41. *a.* PROMAGISTER IN CODICE CAVIT. *h. e.* nomen suum in codice seu libro scripsit, quo probaret illo die se adfuisse et sacrum fecisse, mox enim legitur *ibid.* FRATRES ARVALES CAVERVNT SE ADFVISSE ET SACRVM FECISSE. Id porro fiebat, ut qui se adfuisse cavissent, sportulas acciperent. — 2.°) Ipsi jurisconsulti aliis cavere dicuntur, cum suis clientibus ea respondent, aut ea per juris formulas curant, quibus damnum aliquod futurum amoliri possint: et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Epid.* 2. 2. 109. Hic poterit cavere recte, jura qui et leges tenet. *Cic. Cæcin.* 27. 78. Cujus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit. *Id. Mur.* 9. 19. Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi – secutus est. *Id. ibid.* 9. 22. Tu caves, ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur. *Id.* 1. *Legg.* 5. 17. Non enim quærimus, quemadmodum caveamus in jure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. Adde *eumd.* 2. *Off.* 19. 65. — *b*) Cum Dativo personæ, quæ secura redditur. *Cic.* 7. *Fam.* 6. 2. *ad Trebat. JCtum.* Tu, qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto. *Id.* 5. *Att.* 8. Alicui cautum esse velle. *Id. Top.* 1. 4. Cum tu mihi meisque sæpe cavisses. Adde *eumd.* 3. *Fam.* 1. 3.; et *Ovid.* 1. *Art. am.* 83. V. et *Klotz* ad *Cicer. Oration. T.* 1. p. 507. et seqq. *Ulp. Dig.* 13. 7. 9. Cavere sibi pignore. — 3.°) Cavere est etiam chirographo, sive jussu aliquo scripto sibi aliisve consulere ac providere, se aliosque securos reddere (Cf. *Cic.* 2. *Invent.* 47. 140. Non omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sunt, tacitis exceptionibus caventur,); atque hinc est sancire, decernere, jubere: et quidem, — *a*) Testamento. *Cic.* 2. *Legg.* 21. 53. Si hoc, qui testamentum faciebat, cavere voluisset. *Id.* 2. *Fin.* 31. 103. Tantum dico, magis fuisse verum agere Epicuri diem natalem, quam illum testamento cavere, ut ageretur. *Id.* 2. *Invent.* 41. 119. Amentiæ fuit, cum heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto, nihilo minus heredi caveretur. Adde *Sueton. Aug.* 49. et *Tib.* 59. — *b*) Fœdere, pactis etc. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. 10. Agri, de quibus cautum sit fœdere. *Id.* 4. *Verr.* 50. 123. Cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent etc. Cf. *Ovid.* 6. *Met.* 532. Rursus *Cic.* 3. *Verr.* 54. 142 Prædibus et prædiis populo cautum est. — *c*) Legibus, decretis publicis etc. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 61. Duæ sunt præterea leges de sepulcris, quarum altera privatorum ædificiis, altera sepulcris cavet. *Id.* 2. *Invent.* 41. 119. Ut de eo – alia in lege cautum esse videatur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 5. 6. (15). Cautum est lege XII. Tabularum, ut etc. *Sueton. Aug.* 1. Decretum etiam publicum extabat, quo cavebatur, ut etc. Adde *eumd. Cæs.* 10., *Aug.* 40. et 63., et *Tib.* 75.; et *Quintil.* 5. 10. 13. *Callistrat. Dig.* 50. 6. 5. Nec omnia ei congruunt, quæ principalibus constitutionibus cauta sunt. — *Parum cavisse videtur* est formula judicis reum condemnantis: *V.* PARUM.

B) Passive cavere est cautione præstare, satisdare alicui pro re aliqua. — *a*) Generatim. *Plin.* 34. *Hist. Nat.* 7. 17. (38). Capite tutelarios cavere pro ea institutum publice fuit. *Sueton. Cal.* 12. Deque ea re et jurejurando et chirographo cavit. *Id. Aug.* 41. Usum ejus (*pecuniæ*) gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Si debitor populo in duplum prædiis cavisset. *Ulp. Dig.* 17. 1. 8. *ad fin.* Cavere, se restituturum. *Paul. ibid.* 24. 3. 49. Cavere instrumento se daturum decem. — *b*) Speciatim apud JCtos occurrit cum Accusativo rei, pro qua quis cautione præstat. *Scævola Dig.* 46. 3. 89. Post rationem propositam ejus pecuniæ, quam mihi Stichus Titii servus caverat. *Id. ibid.* 29. 2. 97. Singuli heredes Sempronio caverunt summam, qua quisque condemnatus erat. *Id. ibid.* 46. 3. 89. Cavere chirographum. *Venulej. ibid.* 46. 8. 6. cautionem.

Homonym. *Cavere* sæpe jungitur cum *vitare*, et aliquando etiam cum *declinare*: sed inter *cavere* et *vitare* hoc interest, quod *cavere* est in eo diligentiam ponere, ut quæ vitanda sunt prospiciamus; *vitare* est reipsa effugere. *Cavere* itaque minus est quam *vitare*, seu potius *vitare* est cavendi perfectio vel complementum. *Lucilius* apud *Non.* p. 437. 22. *Merc.* Quid tibi cavendum censes, quid vitandum maxime. *Cic.* 3. *Verr.* 15. 39. Eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis. *Ovid.* 3. *Trist.* 6. 17. Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo. *Inscript.* apud *Orell.* 642. QVOD AD CETERA SOLEMNIA QVAE EODEM ILLO DIE VITARE CAVERIVE PLACVISSENT etc. — Eadem prorsus ratione *cavere* differt a *declinare*, ut in illo *Gell.* 13. Cavere et declinare pericula.

CĂVERNA, æ, f. 1. (cavus) locus cavus, antrum, spelunca (It. *cavità, caverna*; Fr. *cavité, caverne*; Hisp. *cavidad, caverna*; Germ. d. *hohle Raum*, d. *Hohlung*, d. *Loch*; Angl. *a hollow place, cavity, a cave, cavern.*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Magna vis terræ cavernis continetur caloris. *Id. ibid.* 60. 151. E terræ cavernis ferrum elicere. Adde *Lucret.* 6. 597. *Id. ibid.* 684. Cavernæ silicum. *Virg.* 3. *Æn.* 674. curvæ montium. Item *Ovid.* 5. *Met.* 502. et 6. *ibid.* 698. imæ rupium. *Id.* 5. *ibid.* 639. et 15. *ibid.* 279. cacæ. Adde *Curt.* 5. 1. 16., 6. 4. 7., 7. 10. 2. et 8. 10. 24. — *b*) Docet *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 19. putare nonnullos, *cavernas* dici etiam fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulæ adfiguntur: fortasse quia in cavum formantur. Sane *Cic.* 3. *Orat.* 46. 180. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam caverna, quam prora etc. *Plerique leg.* carina; at *V. Ellendt.* ad *h. l. Lucret.* 552. Disjectare solet magnum mare transtra, cavernas, Antennas, proram, malos etc. Et *Lucan.* 9. 110. Cavernæ puppis. — Similiter et de aliis dicitur, quæ arte aut natura cavata sunt. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (16). Cavernæ vasorum fictilium. *h. e.* foramina. *Id.* 11. *ibid.* 37. 50. (137). Cavernas habere aurium loco. *Scribon. Compos.* 95. Si dens exesus est, medicamentum in cavernam ejus infertur. *Gell.* 15. 16. Immissis in cavernas arboris digitis, diducere et rescindere quercum conatus est. *h. e.* rimas. — *c*) *Cavernas cœli* dixere *Cic. Arat.* 252., *Lucret.* 4. 172. et 6. 252., et *Varro* apud *Non.* p. 46. 2., ea ratione, qua *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 19. *Müll. cœli fornices* (quam translationem improbat *Cic.* 3. *Orat.* 40. 162.); et *cava cœli*, nempe convexum cœli spatium significant. Eodem modo *cavernas ætherias* leges apud *Lucret.* 4. 392., et *cavernam aeris* apud *Manil.* 1. 202. — *d*) Dicitur etiam de foramine aut in animalibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (218)., 28. *ibid.* 8. 27. (106). et 30. *ibid.* 15. 47. (137). — Hinc de pudendo et podice muliebri. *Auson. Epigr.* 71. Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

CĂVERNĀTIM, adverb. per cavernas. *Sidon.* 5. *Ep.* 14. Aqua scabris pumicibus cavernatim ructata.

CĂVERNO, as, are, a. 1. cavernam facere, cavare, ut *cavernare fistulam* clysteris apud *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3.

CĂVERNŌSUS, a, um, adject. cavernis plenus, cavus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 37. (58). Radix polypodi acetabulis cavernosa. Adde *eumd.* 27. *ibid.* 5. 17. (34). *Prudent. Hamartig.* 319. Cavernosus meatus vocis.

CĂVERNŬLA, æ, f. 1. diminut. a caverna, parva caverna. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 74. (98). Cavernulas habent, et intus semen.

CAVERNUM, i, n. 2. idem ac caverna. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 160.

CAVEUS. *V.* CAUCUS.

CAVIAR. *V.* voc. seq.

CAVIARES, hostiæ dicebantur, quod caviar, id est pars hostiæ cauda tenus dicitur et ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno. Hæc *Paul. Diac.* p. 57. 19. *Müll.* Boni Codd. habent *cariæ*; deteriores *cavar*; *caviar* corrigendum putavit *Scalig.*, qui etiam addidit, loqui *Paulum Diac.* de equo Octobri, cujus coda tanta celeritate in regiam perferebatur, ut sanguis recens inde in focum stillaret, ut *Festus* p. 178. 24. *Müll.* docet; et de eo intelligendum esse illud *Propert.* 4. 1. 20. Qualia nunc curto lustra novantur equo. *V.* OCTOBER.

CAVILE. *Varro* 5. *L. L.* 20. *Müll.* Quare ut a cavo cavea et cavile, et convallis cavata vallis etc. *Scalig.*, *Voss.* et *Auson. Popma* manifestum errorem hoc loco esse censent, et legendum *caulæ* vel etiam *caullæ*, ut et *Paullus* pro *Paulus* scribebant: quam sane lectionem ex opt. Codicibb. confirmavit *Müll.*: *V.* itaque CAULA.

CĂVILLA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, est pro *calvilla* a *calvendo*, ut docet *Müll.* ad *Paul. Diac.* p. 45. 14., minime vero a *cavendo*, ut vult *Scalig.* Itaque *cavilla* significat verba jocosa et ambigua ad fallendum. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 11. Pone hoc, ais: aufer cavillam, non ego nunc nugas ago. *Capell. in carm. sub fin. l.* 4. Nam si revolvas, quid cavilla sævius? *Placidi Gloss.* ed. *Mai* p. 449. Cavilla, cavillatio.

CĂVILLĀBUNDUS, a, um, adject. qui cavillatur. *Tertull. Anim.* 34. *in fin.* Decenni prælio extorquet, non fallens, non cavillabundus.

CĂVILLĀTĬO, ōnis, f. 3. a *cavilla*, est sermonis festivitas, dicacitas, breve et acutum dictum, dicterium, salsus jocus, ut docet ipse *Paul. Diac* p. 45. 14. *Müll.* Cavillatio est jocosa calumnia. ¶ 1. Generatim. — *a*) Stricto sensu. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 218. Cum duo genera sint facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus superior cavillatio, hæc altera dicacitas appellata est. Itaque *cavillatio* proprie differt a *dicacitate*, atque hoc sensu est perpetua festivitas sermonis sine aculeis contumeliarum (ut ex *cit. et seqq. cap. Cic.* intelligitur), plena tamen jucunditatis et leporis. Sic apud *Liv.* 42. 32. Inter consules

magis cavillatio, quam magna contentio de provincia fuit. — *b*) Hinc latiori sensu occurrit pro dicacitate, dicteriis. *Plaut. Stich.* 1. 3. 76. Cavillationes, assentatiunculæ ac perjuratiunculæ parasiticæ. *Id. Truc.* 3. 2. 17. Cavillationes dicere. *Val. Max.* 6. 2. 7. Exigui panni cavillatione regias alicui vires exprobrare. *Sueton. Tib.* 57. Affirmavit fore, ut ex Pompejo Pompejanus fieret; acerba cavillatione simul hominis nomen incessens veterumque partium fortunam. *Id. Vesp.* 23. Maxime dicacitatem in deformibus lucris affectabat, ut invidiam aliqua cavillatione dilueret transferretque ad sales. *Id. Gramm.* 3. Cavillatio nominis. *Quintil.* 10. 7. 14. Infelix verborum cavillatio. *h. e.* curiosa nimis et inutilis sollicitudo in verbis singulis expendendis. Adde *Gell.* 5. 5. ¶ 2. Speciatim est sophisma, subtilis et inanis quæstio, vel ad rem inaniter ducendam, vel ad fallendum instituta. *Seneca Ep.* 111. docet, Ciceronem (*in libris tamen, qui perierunt*) τὰ σοφίσματα cavillationes appellasse, nempe quæstiunculas quidem vafras in philosophia, ceterum ad vitam nihil proficientes. Sic *Ulp. Dig.* 50. 16. 177. et *ibid.* 17. 65. Natura cavillationis, quam Græci σόφισμα appellaverunt, hæc est, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur. *Quintil.* 7. 4. 37. Hinc moventur quidem mille juris cavillationes: quid sit rempublicam lædere etc. Adde *Dig.* 33. 1. 85. Rursus *Quintil.* 8. 6. 2. Nos omissis, quæ nihil ad instruendum accusatorem pertinent, cavillationibus etc. *h. e.* inutilibus quæstionibus. *Id.* 7. 9. 4. Inepta cavillatio.

CĂVILLĀTOR, ōris, m. 3. qui cavillatur, jocatur, et dictis irridet. ¶ 1. Generatim est facetus, ridicularius, dicteriis utens, dicax. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 46. Cavillator facetus. *Id. Truc.* 3. 2. 15. probus. *Cic.* 1. *Att.* 13. 2. Cavillator, genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur; facie magis, quam facetiis ridiculus. *Gell.* 4. 20. Cavillator et canalicola et nimis ridicularius. ¶ 2. Speciatim est qui sophismatis et cavillationibus utitur. *Seneca Ep.* 102. *a med.* Cavillatoribus satis abunde responderimus.

CĂVILLĀTŌRĬUS, a, um, adject. cavillosus. *Boeth.* in *Cicer. Topic.* 1. *p.* 761. Necessitas et probabilitas et cavillatio formæ dum inventionibus assistunt, necessaria, vel probabilia, vel cavillatoria faciunt argumenta.

CĂVILLĀTRIX, īcis, f. 3. (cavillator). Occurrit speciatim tantum, et est quæ sophismatis et cavillationibus utitur. *Quintil.* 7. 3. 14. Conclusio subtilis in disputationibus potius per argumenta verborum cavillatrix, quam etc. Apud *eumd.* 2. 15. 25. hæc eadem Græce dicitur σοφιστική.

CĂVILLĀTUS, a, um. *V.* CAVILLOR.

CĂVILLĀTUS, us, m. 4. idem quod cavillatio, jocus, dicterium. *Apul.* 8. *Met.* Sed ille cognito cavillatu, similis indignanti, etc.

CĂVILLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Cavillans*, *Cavillatus* et *Cavillandus* 3. — Part. *cavillatus* etiam passive occurrit apud *Apul.* 9. *Met.* Talis sermonis blanditie cavillatum deducebant. *h. e.* deceptum. — Ratione habita etymi, *Scalig.* ad *Paul. Diac.* et *Voss.* in *Etymol.* docent, proprie idem esse, quod caveo, vel sæpe caveo. Factum enim esse ὑποκοριστικῶς, *h. e.* deminutive a caveo, ea ratione qua *sorbillo* a *sorbeo*, *conscribillo* a *conscribo*; et quemadmodum *caveo* proprium est JCtorum, cum de jure respondent, ita *cavillor* dici de legulejis et rabulis forensibus. Usurpari autem pro simplici caveo a *Tertull.* cum ait *Cor. mil.* 11. Omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur. Quæ tamen verba alia ratione alii interpretantur. Recentiores vero philologi rectius deducunt a *cavilla*, quæ significat verba jocosa et ambigua ad fallendum; quod etymon confirmat *Priscian.*, qui ait 8. *p.* 827. *Putsch.* Desinentia in *lo* diminutiva sunt, ut *sorbeo sorbillo*, *garrio garrulo*, *calvo cavillo* pro *calvillo*. — Hinc cavillari proprie est jocari, dicteria dicere, dictis irridere (It. *motteggiare*, *dir facezie*, *pungere con parole*; Fr. *plaisanter*, *railler*, *se moquer*; Hisp. *truhanear*, *chancar*, *burlar*, *raisse de alguno*; Germ. *sticheln*, *stichelreden führen*; Angl. *to joke*, *jest*, *rally*, *banter*). ¶ 1. Absolute est jocari, dicteria dicere. *Cic.* 2. *Att.* 1. 5. Familiariter cum aliquo cavillari ac jocari. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 83. In eo etiam cavillatus est, æstate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum. *Liv.* 39. 42. Cavillari per lasciviam. Adde *eumd.* 39. 13. *Sueton. Tit.* 8. Sæpe cum populo et voce et gestu, ut fautor, cavillatus est, verum majestate salva. *Cavillatus* est significat, Titum, ut faveret iis, quos populo placere cognoscebat, cavillatum esse, *h. e.* jocose calumniatum et criminatum et voce et gestu eos, quos populus quoque aspernabatur. *Gell.* 5. 5. Facetissime apud aliquem cavillari. ¶ 2. Item absolute cavillor est sophismate et cavillationibus utor, subtiles atque inanes quæstiones moveo. *Liv.* 3. 20. Cavillari tum tribuni et populum exsolvere religione velle. *Plin.* 11. *Hist. Nat.* 51. 112. (257). Stridorem cum dentibus fieri cavillantur. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (85). Cavillari circa crus. ¶ 3. Cum accusativo rei aut personæ est dictis irridere, improbare. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 122. Irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur. Cf. *Non.* p. 32. 23. *Merc.* Rursus *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 2. Togam sum ejus prætextam magno hominum risu cavillatus. *Liv.* 2. 58. *in fin.* Tribunos plebis cavillans interdum, et Volerones vocabat. *Id.* 3. 15. Milites Romanos Etruscosque cavillari. *Val. Max.* 3. 12. 8. fata. *Id.* 1. 8. *exter.* 8. Animus demens ad deos usque cavillandos. *Quintil.* 1. 4. 5. Cavillari artem grammaticam, ut tenuem ac jejunam. *Tac.* 1. *Ann.* 46. Tiberium sedere in senatu, verba patrum cavillantem. *h. e.* calumniantem et in vanas suspiciones adducentem. *Ulp. Dig.* 38. 17. 2. § 44. Si verba cavillatus, imputaverit matri, cur, etc. — Passive occurrit apud *Tertull. Resurr. carn.* 21. *in fin.* Per quæ fere promulgatio majorum cavillatur. ¶ 4. Hinc fontes cavillari dicuntur, cum sui copiam facere desinunt, cava telluris subeundo, tunc enim circumpositos incolas fallunt. *Tertull. Pall.* 2. *ante med.* Ceteri quoque ejus (*terræ*) ornatus, si quid non aliud ex alio mutant, eo montium scapulæ decurrendo, et fontium venæ cavillando, et fluminum viæ obhumando.

CĂVILLŌSUS, a, um, adject. (cavilla) ad irrisiones et jocos pronus, cavillis abundans. *Firm.* 5. *Mathes.* 8. Astuti, callidi, cavillosi et insidiarum pleni.

CĂVILLŬLA, æ, f. 1. *vel* cavillulum, i, n. 2. deminut. a cavilla, parva irrisio et cavillatio. *Plaut. Truc.* 3. 2. 15. STRA. Dicax sum facetus: jam sum cavillator probus. ASTAPH. Quid id est, amabo? istæcce ridicularia cavillationes vis fortasse dicere? STRA. Ita: ut paulllum differat a cavillulis. Ubi *cavillula* videntur acrius aliquid continere quam *ridicularia*. Alii pro *cavillator* legunt *cauliator*, nempe caulium cultor, alii *villator*, *h. e.* villicus: pro *cavillulis* vero alii leg. *caululis* deminut. caulæ, alii *caulibus*. Sed lectio est valde incerta.

CĂVILLUM, i, n. 2. (cavilla) irrisio jocosa, cavillatio. *Apul.* 1. *Met.* Jam allubentia proclivis est sermonis ac joci, et scitum est cavillum. Adde *Aur. Vict. Epit.* 9. et *Paul. Diac.* p. 46. 10. *Müll.*

CĂVILLUS, i, m. 2. idem quod cavillum. *Apul.* 2. *Met.* Jam risus affluens, et joci liberales, et cavillus hinc inde.

CĂVĬTĬO, ōnis. *V.* CAUTIO.

CĂVĪTUS, a, um, particip. a caveo pro cautus. *V.* CAVEO sub init.

CĂVO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. Part. *Cavans* sub fin.; *Cavatus* in fin. Ratione habita etymi est a σκάπτω, seu χάσκω, avide comedo; et idem sonat quod cavum facere, fodere, vacuare (It. *incavare*, *scavare*; Fr. *caver*, *creuser*; Hisp. *cavar*, *ahondar*; Germ. *höhlen*, *hohl machen*, *aushöhlen*, *hohlarbeiten*; Angl. *to hollow*, *scoop*, *excavate*). *Lucret.* 1. 307. Stillicidi casus lapidem cavat. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 5. Gutta cavat lapidem. Et *Id.* 1. *Art. am.* 476. Saxa cavantur aquā. *Liv.* 21. 26. Naves lintresque cavare ex singulis arboribus. *Virg.* 3. *G.* 87. *de equis.* cavatque Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu. *Id.* 1. *ibid.* 262. cavat arbore lintres. *Id.* 2. *ibid.* 450. Tiliæ — aut rasile buxum Nec formam accipiunt, ferroque cavantur acuto. *Id.* 7. *Æn.* 632. Tegmina tuta cavant capitum, *h. e.* incavando elaborant. *Ovid.* 4. *Met.* 525. Imminet æquoribus scopulus; per ima cavatur Fluctibus. Et *Id.* 12. *Met.* 130. parma gladio galeaque cavata. *h. e.* penetrata, transfossa. *Plin.* 7. *Hist. Nat.* 16. 15. (70). Dentes flammis indomiti cavantur tabe pituitæ. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (70). Cuniculis cavantur montes. *Id.* 2. *ibid.* 83. 84. (197). Oppida crebris cuniculis cavata. *h. e.* meatibus subterraneis. *Id.* 33. *ibid.* 4. 76. (21). Fossæ cavantur. *Id.* 36. *ibid.* 8. 12. (60). Lapidem alabastritem cavare ad vasa unguentaria. *Id.* 36. *ibid.* 22. 155. (44). Lapis cavatur tornaturque in vasa. *Id.* 37. *ibid.* 7. 95. (25). Indici carbunculi in sextarii unius mensuram cavantur. *Id.* 8. *ibid.* 17. 23. (63). Luna cavans cornua. *h. e.* decrescens. *Id.* 10. *ibid.* 16. 18. (38). Picus arbores cavans. *Ita enim legendum est pro cavens, quod habent omnes veteres editiones.* — Hinc Part. præter. pass.

Cavatus, *a*, *um*, quod adjective etiam occurrit, unde Comp. *Cavatior*. *Varro* apud *Non.* p. 193. 3. *Merc.* Cavata aurium anfracta. *Id.* 5. *L. L.* 20. *Müll.* vallis. *Lucret.* 6. 1193. oculi. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Cavatum lignum. *At rectius leg.* dedicatum. *Virg.* 1. *G.* 136. sinu. *Id.* 2. *ibid.* 387. et 4. *ibid.* 33. cortices. *Id.* 3. *Æn.* 229. rupes. *Liv.* 44. 35. torrens alibi aliter cavatus. *Scribon. Compos.* 53. et *Colum.* 6. *R. R.* 29. 5. dentes. *Sueton. Aug.* 43. solum. *Plin.* 36. *Hist. Nat.* 17. 28. (132). vas ex lapide. *Sil. It.* 7. 790. quercus in cratera. *Ammian.* 165. monus. *Apul.* 11. *Met.* urnula faberrime. *Id.* 2. *ibid.* succinum in capides. *Tertull. adversus Hermog.* 29. Aquæ segregatæ in cavatiorem sinum.

CĂVO, is. *V.* CAVEO.

CĂVŌSĬTAS, ātis, f. 3. (cavus) locus cavus, cavatura, caverna. *Tertull. Anim.* 55. et *Pudic.* 20.

CĂVUM, i, *V.* voc. seq. in fin.

CĂVUS, a, um, adject. (Cf. Gr. σκάφος) cavatus, sinuosus, foramen et spatium habens, vacuus: cui *plenus* opponitur, ut apud *Lucret.* 6. 1082. Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra, Ut cava conveniant plenis hæc illius. (It. *cavo*, *concavo*, *vuoto*; Fr. *creux*, *creusé*, *voûté*; Hisp. *hueco*, *concavo*, *vacío*; Germ. *hohl*, *holgearbeitet*, *hohlgewölbt*, *gebogen*, *eine Hohle bildend*; Angl. *hollow*, *concave*, *excavated*).

I.) Proprie jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 2. *Æn.* 487. ædes. *h. e.* cameratæ, ut *Servius* exponit. *Ovid.* 6. *Met.* 645. aëna. *Varro* apud *Non.* p. 200. 33. *Merc.* aër. *Virg.* 3. *Æn.* 240. ære cavo dare signum. *h. e.* tuba. *Ovid.* 4. *Met.* 504. æs. *h. e.* lebes. *Id.* 2. *Fast.* 407. alveus. *Virg.* 3. *Æn.* 641. antrum. *Ovid.* 12. *Met.* 42. aures. *Id.* 1. *Art. am.* 432. auris. *h. e.* perforata. *Id.* 1. *Met.* 335. bucina. *Id.* 3. *Amor.* 9. 38. busta. *Varro* 5. *L. L.* 19. *Müll.* cælum. *Virg.* 2. *Æn.* 53. cavernæ. *Val. Flacc.* 6. 760. cassis. *Lucret.* 5. 1382. cicuta. *Catull.* 62. 259. cistæ. *Virg.* 8. *Æn.* 598. colles. *Id.* 6. *ibid.* 171. concha dum cava personat æquora. *Id.* 2. *G.* 186. convallis. *Id.* 2. *ibid.* 453. cortices. *Varro* 2. *R. R.* 7. 3. dentes. *Tibull.* 1. 3. 80. dolia. *Ovid.* 4. *Fast.* 694. falx. *h. e.* falcis in modum, falci similis. *Virg.* 9. *Æn.* 531. fenestræ. *h. e.* patentes. *Id.* 1. *G.* 326. et 4. *ibid.* 427. flumina. *h. e.* profunda, alta. Sic *Lucan.* 1. 396. Lemannus cavus. et 2. 422. Rutubamque cavum. *Varro* apud *Non.* p. 193. 3. *Merc.* fons. *Lucret.* 6. 202. fornaces. *Cic.* apud *Quintil.* 8. 6. 73. funda. *Virg.* 9. *Æn.* 666. galea. *Id.* 1. *Ecl.* 18. ilex. Adde *Horat. Epod.* 16. 47. *Virg.* 6. *Æn.* 293. imago. *Id.* 1. *G.* 117. lacunæ. *Ovid.* 3. *Fast.* 538. lacus. *Martial.* 11. 31. lances. *Virg.* 2. *Æn.* 38. latebræ. *Id.* 5. *ibid.* 434. latus. *Val. Flacc.* 4. 83. lintea. *h. e.* vela. *Ovid.* 8. *Met.* 801. lumina. *Plin.* 8. *Hist. Nat.* 54. 80. (215). luna. *h. e.* decrescens et in cornua diducta. *Ovid.* 6. *Fast.* 381. machina. *Virg.* 12. *Æn.* 86.; *Tibull.* 2. 4. 14.; *Seneca Ep.* 90.; *Sueton. Aug.* 91. et *Quintil.* 8. 6. 103. et 121. manus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 94. mare. *Censorin. de die Nat.* 20. menses cavi. *h. e.* qui XXX. dies habent, et pleni qui XXXI. *Flor.* 3. 20. mons. *Ovid.* 1. *Art. am.* 520. navis. *Lucret.* 6. 127.; et *Virg.* 1. *Æn.* 516. et 5. *ibid.* 810. nubes. *Ovid.* 5. *Met.* 623. nubila. *Seneca Œd.* 972. orbes. *Quintil.* 9. 14. 33. os. *Virg.* 8. *Æn.* 69. palmæ. *Catull.* 17. 4. et *Ovid.* 6. *Met.* 971. palus. *h. e.* profunda. *Ovid.* 12. *ibid.* 89. parma. *Virg.* 5. *Æn.* 448. et *Val. Flacc.* 1. 687. pinus. *h. e.* navis. *Virg.* 4. *G.* 44. pumices. *Phædr.* 3. 16. 5. ramus. *Ovid. Heroid.* 18. 8. rates. *Seneca Œd.* 968. recessus luminum. *Propert.* 1. 16. 27. rima. *Virg.* 3. *G.* 253. rupes. *Horat.* 3. *Od.* 13. 14. saxa. *Virg.* 3. *Æn.* 350. saxum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 162. scamna. *Plin.* 12. *Hist. Nat.* 1. 5. (9). specus. *Virg.* 10. *Æn.* 891.; *Ovid.* 12. *Met.* 133. et *Sil. It.* 1. 206. tempora. *Virg.* 12. *Æn.* 893. terra. *Id.* 4. *G.* 464. testudo. *Lucret.* 2. 620. tibia. *Sil. It.* 17. 18. tinnitus. *Virg.* 3. *Æn.* 191. trabe cava currimus æquor. *Horat.* 2. *Od.* 19. 12. truncis Lapsa cavis iterare mella. *Virg.* 9. *Æn.* 46. turres. *Id.* 2. *ibid.* 360. umbrā cavā nox atra circumvolat. Ubi *Servius*: Bonum epitheton: naturale enim est, ut obscurum sit omne concavum:

vel *cava*, inani. Cf. *Non.* 7. 105. edit. veter. *Catull.* 95. 4. undæ. *Virg.* 10. *Æn.* 475. vaginæ. *Id.* 2. *G.* 391. valles. *Liv.* 7. 34. vallis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. venæ. *h. e.* vena in corpore animalis omnium maxima, quæ ex ceteris venis omnibus sanguinem in cor infert. *Ciceronis* verba sunt: Ventriculus cordis, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. *Liv.* 26. 10. viæ.

II.) Translate occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores pro vano, inani. *Paulin. Nol. carm.* 22. 139. Dissidet a nostris cava mundi gloria regni. *Id. ibid.* 21. 912. Opibus inflati cavis. — Hinc

Cavum, i, n. 2. absolute, substantivorum more occurrit et ¶ 1. Est locus cavus, foramen. *Cato R. R.* 128. Neque aspergo nocebit, neque mures cava facient. *Plaut. Men.* 1. 3. 40. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo. *Liv.* 21. 34. Murum – crebris cubitalibus fere cavis aperuit, per quæ cava – ex occulto petebant hostem. *Varro* apud *Lutat.* ad *Stat.* 4. *Theb.* 296. Aliquem contegere arborum cavis. *Vitruv.* 3. 3. 14. Norma in cavo striæ circumacta. *Virg.* 1. *G.* 184. Inventusque cavis bufo. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 173. cavis abscondere aliquid. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 9. Cavis modicis forare spatia. *Plin.* 8. *Hist. Nat.* 39. 59. (139). Condi arborum aut saxorum cavis. *Id.* 2. *ibid.* 79. 81. (192). Venæ, et cava occulta terræ. *Id.* 11. *ibid.* 51. 112. (266). Duobus cavis recepto spiritu. *Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (53). et 20. *ibid.* 8. 39. (64). Cava dentium. *Id.* 30. *ibid.* 4. 12. (33). In ripam cavis nidificare. *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.* et *Vitruv.* 6. 3. 1. *Schneid.* Cavum ædium. *V.* CAVÆDIUM. ¶ 2. Item est cavitas arcuata, fornix. *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 20. *Müll.* quæ cava cæli signitenentibus conficis bigis. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Lumine sic tremulo terra et cava cærula candent.

CĂVUS, i, m. 2. locus cavus, foramen. *Varro* 2. *R. R.* 15. 1. Gliribus cavos laxiores facere. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 33. Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti. Cf. *eumd.* 2. *Sat.* 6. 116. me silva cavusque Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. *Colum.* 12. *R. R.* 8. 1. Deinde cavum, quem feceris, sarculo obturato. — Ceterum *V.* et *Cavum*, i in fin. voc. præced.

CE

CE, adjectio syllabica, quæ jungitur fere pronominibus articularibus et demonstrativis, per omnes eorum casus, ut *hicce, hæcce, hocce* (*V. Priscian.* 12. p. 948. *Putsch.*), additque non solum elegantiam, sed etiam vim sermoni. Videtur autem proprie nihil aliud esse, quam Græcorum γέ particula enclitica. — *a*) Fere semper vocum terminationibus adjicitur; et quidem – Simpliciter. *Cato R. R.* 129. Hisce dape. *Et ibid.* Istace dape. *Plaut. Most.* 3. 1. 116. Hæcce ædes ita erant. *Alii leg.* hæce. *Id. Merc. prol.* 91. Hicce confectis. *Id. Rud.* 3. 4. 40. Pro istisce ambabus. *Id. Pseud.* 3. 2. 34. Cum hasce herbas hujusmodi in suum alvum congerunt. *Ubi nota pleonasmum* hasce hujusmodi. *Ter. Eun.* 2. 2. 38. Hice arbitrantur. *Priscian.* 12. p. 948. *Putsch.* vult legi *hisce*, licet sit rectus casus pluralis et litteram *s* interponi euphoniæ causa. Similiter *hisce* legit *Camerar.* in illo *Plauti Capt. prol.* 35. Hisce confixerunt dolum. *Al. tamen* hice retinent utroque loco. — Jungitur etiam particulæ *sic*. *Plaut. Rud.* 2. 4. 12. Sicce placide tangere. *h. e.* sic placide. *Lambin.* putat esse adverbium, et interpretatur sobrie: quem vides *Scioppius* apud *Taubmann.* — Quando additur particula *ne*, mutatur *ce* in *ci*, ut *hiccine, hæccine, hoccine*, etc. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 44. Hiccine est? *Id. Curc.* 4. 4. 33. Siccine mihi esse os oblitum? *Ter. Andr.* 4. 1. 1. Hoccine credibile est? *Id. Heaut.* 4. 5. 3. Hanccine mulierem? *Id. Phorm.* 5. 8. 23. Hæccine erant itiones crebræ etc. *Al. leg.* hæcine. *Id. Hecyr.* 1. 1. 13. Hiscine tu nos contra insidiabere? *Id. Andr.* 4. 1. 60. Hem, huncecine demum? *Arnob.* 5. 29. Ad hæccine nos sacra – compellitis? hoscine nobis deos importatis? — Hiccine? *h. e.* hoc ne in loco? *Plaut. Cist.* 1. 1. 21. Hiccine istuc licet? l.e. jus fasque est: nemo alienus hic est. *Ter. Adelph.* 2. 1. 29. Hiccine libertatem ajunt esse æquam omnibus? — De *ecce*, quod est pro *ence*, V. *Ecce.* — *b*) Particula *ce* juxta nonnullos aliquando præponitur, ut in adverbio *cedo*. *V.* CEDO secundo loco.

CECAUMENUS, a, um, adject. κεκαυμένος, vox Græca, ustum significans: a καίω uro. *Capell.* 1. p. 8. Flamma flagrantior, et ab ipsis cecaumenis exaudiata fomitibus. Græce eamdem vocem usurpat *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 795. Garamantes, populi inter Libyam et Africam juxta κεκαυμένην, *h. e.* zonam torridam. V. DIACECAUMENE.

CECTŌRĬA, æ, f. 1. linea, vel limes, qui fundum vel territorium cingit seu ambit. *M. Baro de cas. litt.* p. 242. *Goes.* Cectoria, hoc est rotundus finis, sicut modius est fossa circa publica. *Et p.* 245. Terminum habens sub via, hoc est sub cectoria, quod est fovea rotunda. *Et mox.* Limes excurrens finalis, hoc est cectoria ecclesiæ ejus.

CECTŌRĬĀLIS, e, adject. ad cectoriam pertinens, *M. Baro de cas. litt.* p. 244. *Goes.* Casa (*habet*) ab Austro lapides nativos, quod est exsoluti cectoriales in epitecticum assignavimus. *Rigalt.* legendum putat: quod est ex solo ipso, centuriales in epidicticos assignavimus.

CEDAR. *V.* in CEDREUS.

CĒDENTER, adverb. cedendo. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 16. Ita respondentes, ut cedenter, ac sine ulla constantia eum consentiendo coerceant.

CEDITIUS. *V.* CÆDICIUS.

CĔDO. Juxta *Forcellinum* verbum est defectivum imperativi modi, secundæ personæ, et significat da, præbe, porrige, exhibe. Quidam ducunt ab ipso *cedo, is*, quia ex eo, quod in familiari sermone dicebant *cedo*, hoc est concedo, permitto, cum alteri quidpiam postulanti annuebant, paullatim traductum sit ad significandum *da, præbe*. Sed obstare videtur, quod *cedo, is*, primam habet longam, hoc vero brevem (corripitur enim a *Juvenal.* 13. 210. et *Pers.* 2. 76.). Quare suæ potius originis censendum est, et inter defectiva collocandum, ut est apud *Priscian.* 8. *sub fin.* et alios grammaticos. — Juxta recentiores vero philologos *cedo* (compositum ex particula enclitica *ce* et *do*, hoc est Græce δεῦρο) est antiquissimum vocabulum, quod fortasse initio statim verbali vi omnino carebat et significabat *huc, foras*: deinde paullatim usuvenit, ut non modo imperativi, sed etiam pluralis numeri formam (*V. Probum.* 2. p. 1456. *Putsch.* et *Non.* p. 84. 31. *Merc.*), h. e. *cette*, acceperit, non secus atque apud Græcos δεῦρο transiit in δεῦτε; unde *cedo* occurrit pro *huc fer, da, exhibe, prome*, cum opposito *cape* (ut apud *Ter. Phorm.* 5. 8. 57. *V.* infra sub 1. *b*). et *cette* occurrit cum opposito *accipite* (ut in *Ennio* apud *Non.* p. 85. 1. *Merc. V.* infra sub 1. *a*). Ceterum hæc vox usurpatur fere in familiari sermone. ¶ 1. Generatim, materiali, uti ajunt, sensu, cedo est da, fer, para; et occurrit — *a*) Cum accusativo rei. *Ennius* apud *Non.* p. 81. 1. *Merc.* Salvete optima corpora, cette manus vestras measque accipite. Ubi *cette* videbatur *Forcellino* esse per syncopen factum ex *cedite*, *h. e.* date. *Plaut. Curc.* 2. 3. 28. Cedo tuam mihi dextram. Cf. *Ter. Heaut.* 3. 1. 84. Cedo dextram. *Plaut. Most.* 1. 3. 150. Cedo aquam manibus. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 86. Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. *Id. Phorm.* 5. 8. 42. D. Quin tu mi argentum cedo. CH. Immo vero uxorem tu cedo. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 101. Quin is accubitum? et convivas cedo. *Ter. Phorm.* 2. 2. 7. Cedo senem. *Id. Eun.* 4. 7. 6. Cedo alios. *Id. Adelph.* 3. 4. 38. Coram ipsum cedo. *Phædr.* 5. 2. 4. cedo, inquit, illum curabo sentiat quos attemptarit. *Ter. Adelph.* 1. 2. 43. Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum. *Accius* apud *Non.* p. 85. 4. *Merc.* En eum aliquis cette in conspectum, aut nos, ubi est, ducite ad eum. — *b*) Absolute, ita tamen ut accusativus rei ex ipsa verborum serie facile innotescat. *Plaut. Most.* 2. 1. 26. Cedo ut bibam. *h. e.* da bibere. *Ter. Phorm.* 5. 8. 57. Nolo volo, volo nolo rursum, cape cedo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 146. Hem tibi pateram: eccam. AM. cedo mihi. *Id. Curc.* 5. 2. 54. Cedo ut inspiciam (*anulum*). *Cic.* 16. *Att.* 13. Obviam mihi fit tabellarius: ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico. ¶ 2. Speciatim ponitur quum aliquid inspicere et desiderare cupimus, et cedo est ostende, fac ut videam. *Cic.* 3. *Verr.* 33. 84. Cedo mihi ipsius Verris testimonium: videamus quid idem iste juratus dixerit. *Id. ibid.* 42. 99. Cedo Thermitanorum mihi litteras etc. *Id.* 4. *ibid.* 42. 104. Cedo, quæso, codicem: circumfer, ostende. *Id. Brut.* 86. 295. Sic ut oratorem (*laudas Galbam*), cedo, quæso, orationes et dic etc. *Id. Sext.* 50. 106. Cedo nunc ejusdem illius inimici mei concionem. ¶ 3. Item speciatim, quum aliquid audire, atque intelligere volumus, et cedo est dic, verbis ostende. *Nævius* apud *Cic. Senect.* 6. 20. Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito. Ubi *cedo* nihil aliud est quam forma adverbialis: nam conjungitur cum plurali casu. Sic *Cato* apud *Quintil.* 9. 2. 21. Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? *Ter. Heaut.* 2. 3. 91. Age, age, cedo istuc tuum consilium: quid id est? *Id. Andr.* 1. 1. 123. qui, cedo? *Id. ibid.* 2. 3. 9. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *Id. Phorm.* 4. 4. 11. Cedo nunc porro – quid fiet? *Id. Andr.* 4. 4. 21. Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi. Ubi *Donatus* adscribit, dictum esse cum quadam fiducia et contemptu ejus, cum quo sermo est. Sic apud *eumd. Andr.* 2. 5. 15. et *ibid.* 1. 2. 82. et 5. 4. 20.; et *Heaut.* 3. 3. 36. et 4. 1. 47. *Id. Phorm.* 2. 2. 15. Cedo dum, en unquam – audisti? Adde *eumd. ibid.* 5. 6. 17. *Pacuvius* apud *Non.* p. 85. 5. *Merc.* Is vestrorum uter sit, cui signum datum est, cette. *Cic.* 5. *Verr.* 12. 29. Cedo mihi unum ex triennio præturæ tuæ, qui octupli damnatus sit. *Id.* 7. *ibid.* 26. 67. Unum cedo auctorem tui facti, unius profer exemplum. *Id.* 1. *Nat. D.* 27. 76. Cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas. *Id.* 2. *Divinat.* 71. 146. Cedo tandem, qui sit ordo – somniorum? *Id. Partit. Orat.* 1. 3. C. F. Quot in partes distribuenda est doctrina dicendi? C. P. in tres. C. F. cedo, quas? etc. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 3. 9. et 9. *Att.* 18. 3.; et *Juvenal.* 6. 505. et 13. 209. ¶ 4. Denique speciatim occurrit quum aliorum attentionem alicui rei comparare volumus, et cedo est *ecce*. *Pers.* 2. 75. hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo. *Apul. de Mag.* Cedo enim experiamur, an et mihi possint in judicio litteræ meæ prodesse.

CĒDO, dis, cessi, cessum, dere, 3. *Cesse* pro *cessisse* dixit *Lucret.* 1. 1104. — Part. *Cedens* sub *B.* I. 1.; *Cessus* sub *B.* II. 5. *a.*; *Cessurus* sub *B.* II. 3.; *Cedendus* sub *B.* II. 5. *a.* — Ratione habita etymi hæc vox conjungi potest cum Gr. χάζεσθαι *cedere, inclinare se ad ictus vitandos*, atque adeo *se retrahere*, cujus cf. præter. κεκάδοντο. — Cedere significat ab uno loco ad alium ire, transire; quod aperte patet ex compositis *abscedo, accedo, concedo, decedo, discedo, incedo, præcedo, procedo, recedo, secedo*. Porro *cedere* duo præcipue significat, scilicet *A*) Generatim est ire, incedere, ambulare, accedere, venire, seu potius pertransire; et *B*) Speciatim est se retrahere, recedere, abire: utraque autem significatione etiam translate occurrit.

A) Generatim.

1.) Proprie cedere est ire, incedere, ambulare, venire, seu potius pertransire (It. *andare, avanzarsi, passare*; Fr. *aller, s'avancer, passer*; Hisp. *ir, andar en adelante, pasar*; Germ. *gehen, vorschreiten, passiren*; Angl. *to go, walk, pass away*). *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 108. Cedunt de cælo ter quattuor corpora sancta avium, præpetibus se pulcrisque locis dant. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 43. Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt. *Id. ibid. v.* 51. Ubi nugigerulis res soluta est omnibus, ad postremum cedit miles, æs petit. *Id. Cas.* 3. 6. 10. At candidatus cedit hic mastigia. *Id. Pseud.* 4. 1. 45. Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Lucilius* apud *Non.* p. 251. 1. *Merc.* Si hinc aliquo cesseris. *Lucret.* 5. 540. Vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu, Nec facere ut possunt quidquam, nec cedere quoquam. *Varro* apud *Non.* p. 251. 10. *Merc.* Cedit velocitas juvenis membris, levis, nitidus oleo. *Propert.* 3. 18. 33. qua Cæsar ab humana cessit in astra via. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 65. nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis. Cf. *Sall. Jug.* 31. Incedere per ora. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 75. Exul ab Hæmonia Pirenida cessit ad undam. *Id.* 11. *Met.* 143. vis aurea humano de corpore cessit in amnem.

II.) Translate. ¶ 1. Cedere est venire, transire, verti: et occurrit in certis quibusdam formulis, scilicet — *a*) *Cedit aliquid pro aliqua re* idem est, quod aliquid venit pro alia re, sive tanti ducitur, quanti alia res. *Cato R. R.* 150. Oves, quæ non pepererint, binæ pro singulis in fructu cedent. *Colum.* 12. *R. R.* 14. (*Malorum et pirorum multitudo*) pro pulmentario cedit. *Tac. Germ.* 14. Epulæ pro stipendio cedunt. Adde *Pallad.* 10. *R. R.* 1. 4. — Apud JCtos pro præpos. *pro* occurrit præpos. *in*. *Ulp. Dig*

24. 3. 7. Si arbores cædum fuerint, cedunt in fructum. — Immo apud eosdem JCtos *cedit aliquid* pro *æstimatur* etiam absolute occurrit, ut in *Dig.* 3. 6. 6., 4. 6. 28. § 4., et 43. 24. 15. § 4. — *b*) *Cedit aliquid alicui*, vel *in alicujus imperium*, item *cedit aliquid prædæ alicujus* vel *in prædam alicujus* idem est atque alicui sorte accidit, pertinet. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 170. Ea autem feneratio erat hujusmodi, – ut etiam is quæstus huic cederet. *Liv.* 1. 52. Quo (*fœdere*) ab Tullo res omnis Albana in Romanum cesserit imperium. *Id.* 31. 46. Captiva corpora Romanis cessere. *Id.* 43. 19. Cedit aliquid prædæ alicujus. *Id.* 6. 14. et *Curt.* 7. 6. 16. in prædam alicujus. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 20. 7. et *Tac.* 13. *Ann.* 39. Cedit alicui præda. Et *Curt.* 6. 11. 29. Cedit alicui præmium. *Virg.* 3. *Æn.* 333. Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit Pars Heleno. Adde *eumd. ibid.* 297. et 12. *ibid.* 17. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 134. Cedet (*ager*) in usum Nunc mihi, nunc alii. *Ovid.* 1. *Met.* 74. Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 533. et 5. *ibid.* 368. *Curt.* 6. 1. 18. Cedit aliquid gloriæ alicujus. *Id.* 7. 4. 26. Quæ mitiora sunt, frumento conseruntur, cetera armentorum pabulo cedunt. Adde *eumd.* 10. 10. 2. *Tac.* 1. *Hist.* 11. Italia cessit in pretium belli. Adde *eumd.* 2. *Ann.* 64. et 4. *ibid.* 43. *Id.* 1. *Ann.* 1. Pompeji Crassique potentia cito cessit in Cæsarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 23. et 6. *ibid.* 43., 3. *Hist.* 88. et *Agric.* 5.; et *Sil. It.* 1. 239. *Cajus Dig.* 41. 1. 7. Omne, quod inædificatur, solo cedit. *Ibid.* 7. 1. 69. Cedit aliquid lucro alicui. — *c*) Denique *cedere in aliquid* vel *aliquo* est verti, mutari, transire. *Liv.* 6. 24. Pœna in vicem fidei cesserat. *h. e.* transierat, in locum fidei successerat. *Virg.* 7. *Æn.* 635. Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri Cessit honos. *Curt.* 3. 6. 18. Nam temeritas in gloriam cesserat. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (12). Sic quoque in proverbium cessit, sapientiam vino obumbrari. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (91). Verum ipsa injuria cessit in gloriam artificis. *Al. leg.* artifici. ¶ 2. Sæpe significat evenire, succedere; et fere in bonam partem accipitur, hoc est pro prospere evenire. Occurrit autem — *a*) Cum præp. tantum apud *Plaut. Capt.* 2. 2. 102. Cedit aliquid ad factum — *b*) Sæpe cum Dativo. *Liv.* 23. 43. Nolle ominari, quæ captæ urbi cessura forent. *Virg.* 12. *Æn.* 147. Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi. — *c*) Sæpissime *cedit aliquid alicui* vel absolute *aliquid* cum adverbiis occurrit. *Nepos Datam.* 1. Ea, quæ prospere ei cesserunt. Adde *eumd. Timol.* 4.; *Sall. Cat.* 26.; *Sueton. Aug.* 91.; et *Tac.* 1. *Ann.* 28. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 31. neque si male cesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene. *Al. minus recte leg.* gesserat. *Ovid.* 8. *Met.* 863. et *Seneca* 4. *Benef.* 33. bene. *Ovid.* 10. *Met.* 80.; *Vellej.* 2. 14. 1. et 2. 18. 5.; et *Sueton. Claud.* 26. male. *Cels.* 1. *procem.* et *Quintil.* 10. 7. 14. optime. *Plin. Paneg.* 44. *ad fin.* Prout bene, aut secus cessit. *Gell.* 4. 5. Ea res bene et prospere reipublicæ cessit. *Ovid. Ib.* 561. feliciter. *Quintil.* 10. 2. 16. felicissime. *Sueton. Claud.* 34. et *Tac.* 4. *Hist.* 16. parum. *Sueton. Ner.* 33. opinione tardius. *Ovid. Rem. am.* 563. Votis cedit aliquid. *Sueton. Tit.* 7. pro bono. *Seneca Hippol.* 181. Cedit in vanum labor. *Flor.* 3. 1. 2. et *Curt.* 7. 4. 16. citra spem omnium. *Curt.* 7. 4. 37. Utcumque cesserit. *Sueton. Cal.* 53. Prout stilus cesserat. *Tac. Agric.* 18. Prout prima cessissent, fore universa. *Alii aliter leg.* — *d*) Et prorsus absolute. *Flor.* 2. 17. 13. Si res cessisset. *h. e.* si prospere evenisset. *Id. ibid.* § 15. Si fortuna cessisset.

B) Speciatim.

I.) Proprie cedere est locum dare, se retrahere, recedere, abire, atque haud raro ita, ut ipse cedendi actus non ultro et voluntarie, sed involuntarie ac per vim fiat (It. *cedere, dar luogo, ritirarsi*; Fr. *s'en aller, se retirer*; Hisp. *hirse, retirarse*; Germ. *gehen, um sich von wo entfernen, fortgehen, sich wegbegeben, weichen*; Angl. *to give place, give way, yeld, retire, leaver*). Occurrit de personis aut de rebus, quæ naturâ sua recedunt ac prætereunt; et quidem — 1.°) Absolute. — *a*) De personis. *Plaut. Men.* 5. 7. 29. Quia postremus cedis, hoc præmi feres. *Cic. Milon.* 34. 93. Ego cedam atque abibo. *Cæs.* 2. *B. C.* 40. His imperat, ut simulatione timoris paullatim cedant ac pedem referant. *Catull.* 63. 53. Thesea cedentem celeri cum classe tuetur. *Sall. Jug.* 51. Dispersi a suis pars cedere, alii insequi. *Nepos Thrasyb.* 2. Cedentes violari vetuit. Adde *eumd. Arist.* 1. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Quoties astu magis, quam per formidinem cedunt. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 51. *Id.* 2. *ibid.* 48. Q. Vitellium movit senatu, aut sponte cedere passus est. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 25. — *b*) De rebus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 83. Quacumque movemur, videtur (*aer*) quasi locum dare et cedere. *Catull.* 65. 4. Ut cedant certis sidera temporibus. *Id.* 63. 249. aspectans cedentem mœsta carinam. *Plin.* 3. *Ep.* 6. Capilli rari ac cedentes. *Sil. It.* 3. 519. glacies cedit tepefacta cruore. — *c*) De tempore deque animi affectionibus. *Cic. Senect.* 19. 69. Horæ quidem cedunt et menses et dies et anni, nec præteritum tempus unquam revertitur. *Virg.* 6. *Æn.* 102. Ut primum cessit furor. *Id.* 9. *ibid.* 126. non cessit fiducia Turno. *h. e.* non illi defecit. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 26. cedant curæque metusque. *Seneca Herc. Œt.* 392. Cesserunt vultus penitus. *h. e.* abiit prior facies. *Scribon. Compos.* 229. Dolores, qui ad nullum medicamentum cedunt. — 2.°) Addito a quo quis cedit per Ablativum sine ulla præp., aut per Ablativum cum præp. — *a*) Per Ablat. sine ulla præp. *Cic. Milon.* 25. 68. et *Juvenal.* 3. 29. Cedere patriâ. *Cic.* 10. *Phil.* 4. 8.; *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 4. et 6.; *Nepos Att.* 9.; *Tac.* 2. *Ann.* 85. et 12. *ibid.* 22.; et *Justin.* 31. 5. Italiâ. *Liv.* 2. 2. civitate. *Horat.* 2. *Od.* 1. 26. tellure. *Id.* 3. *ibid.* 8. 24. campis. *Curt.* 4. 1. 9. finibus alieni imperii. *Justin.* 29. 2. regno. *Val. Max.* 5. 2. 1. Senatus sanxit, ut feminis semita viri cederent. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Huic (*feminæ et sacerdoti*) prætor via cedet. *Martial.* 12. 31. rosaria non cessura bifero Pæsto. Sic et in formulis — *Cedere loco* dicitur exercitus qui inde, ubi insederat, retro cedit. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. et 3. *ibid.* 51.; *Nepos Chabr.* 1.; *Liv.* 2. 47.; *Sueton. Cæs.* 72. et *Aug.* 24.; et *Tac. Germ.* 6. — *Cedere foro* est æris alieni causa abstinere foro et solum vertere: Fr. *faire banqueroute*: ductum fortasse ab argentariis, qui tabernas in foro habuerunt, unde recedere cogebantur, si creditorum urgentium manus effugere volebant. *Inscript.* apud *Murat.* 610. 1. Q. AVFIDIVS MENSARIVS TABERNAE ARGENTARIAE AD SCVTVM CIMBRICVM CVM MAGNA VI AERIS ALIENI CESSIT FORO. Adde *Senec.* 4. *Benef.* 39.; *Juvenal.* 11. 50.; et *Ulp. Dig.* 16. 3. 7. § 2.; et cf. *Actorum Dodwell. fragm.* 3. p. 35. *Lieberk.* — *Cedere vita* est mori. *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 33. Esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vitâ cesserunt. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 1. 118. *Tac.* 2. *Hist.* 55. Cessisse vitâ Othonem attulerunt. Eodem sensu *e vita cedere* occurrit apud *Cic. Brut.* 1. 4. Perpetua usus felicitate cessit e vita. V. *Moser* ad *Cic. Tusc. loc. mox cit.* Dicimus etiam *cedere* absolute eodem sensu. *Plin. Paneg.* 43. Donavit pater tuus multa, et ipse donasti: cesserit parum gratus; manent tamen ii, qui bonis ejus fruuntur. *Albinov.* 1. *v.* 75. Cedis, et in cassum tua nomina, Druse, levantur. — *Memoriâ cedere* apud *Liv.* 2. 33., et *E memoria cedere* apud *eumd.* 26. 13. est memoriâ labi, oblivioni dari. Sic *Val. Flacc.* 4. 89. dulces cedunt e pectore nati. *h. e.* memoriâ labuntur. Et *Lucan.* 4. 760. attonito cesserunt pectore sensus. — *b*) Per Ablativum et præp. *ab, de, e*. *Cic.* 5. *Att.* 20. 3. Cedere ab oppido. *Id. Rosc. Am.* 40. 118. a gladiatore. *Al., inter quos* Orell., *leg.* recedere. *Virg.* 3. *Æn.* 447. ab ordine. *Cic.* 7. *Att.* 22. 2. de oppidis. *Lucret.* 3. 224. Aut aliquo cum jam succus de corpore cessit. *Horat. Art. P.* 257. de sede. Adde *Catull.* 66. 39. *Lucilius* apud *Non. p.* 250. 26. *Merc.* Quandoque pudor ex pectore cessit. *Cic. Milon.* 30. 81. ex ingrata civitate. *Id.* 10. *Phil.* 4. 8. e patria. *Lucret.* 3. 219. e corpore cessit anima. *Liv.* 2. 47. ex acie. *Id.* 3. 63. ex loco. *Curt.* 10. 7. 13. ex concione. — 3.°) Addito termino, quo quis recedit. *Plaut. Cas.* 2. 8. 7. Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. *Lucret.* 4. 944. Cedere introrsum. *Liv.* 8. 8.; *Curt.* 7. 4. 4.; et *Sil. It.* 4. 570. retro. Sic *Virg.* 3. *Æn.* 496. arva cedentia retro. *h. e.* quæ abeuntis ab oculis effugiunt. *Liv.* 2. 10. In tutum cedere. *Ovid.* 11. *Met.* 848. in auras. *Sil. It.* 17. 548. in nubila. *Tac.* 1. *Ann.* 63. in avia. — 4.°) Addito Dativo rei, a qua quis recedit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 13. Aer cedens disco. *Curt.* 3. 4., 7. Qua maxime introrsus mari (*jugum*) cedit. *Id.* 4. 7. 7. Sabulum præaltum et vestigio cedens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 81. (222). Ponderi cedere. *Gell.* 3. 6. *de palma.* Ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. — 5.°) Speciatim *cedere tempora* dicuntur a JCtis, *h. e.* currere et computari. *Ulp. Dig.* 38. 16. 2. et *Marcell. ibid.* 5. et alibi. — Sic *diem cedere* est accedere tempus, quo incipit deberi pecunia. *Ulp. Dig.* 50. 16. 213. Cedere diem significat incipere deberi pecuniam: venire diem significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Ubi ergo pure quis stipulatus fuit, et cessit, et venit dies: ubi in diem, cessit dies, sed nondum venit: ubi sub conditione, neque cessit, neque venit dies, pendente adhuc conditione. *Id. ibid.* 46. 7. 13. Nec fidejussoribus videtur statim dies cedere. *Papinian. Dig.* 36. 1. 58. Usurarum dies post mortem creditoris cessit. — Simili ratione *operæ* alicui indictæ *cedere* dicuntur, cum earum præstandarum tempus incepit. *Ulp. Dig.* 38. 1. 13. et *Pompon. ibid.* 34. Huc pertinet illud *Tertull. Fuga in persecut.* 12. Sol cessit diem emptionis nostræ. *V.* ibi Interpr.

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur ad potentiam et vim majorem, qua quis vincitur, cui succumbit, cui primas concedit: et occurrit — *a*) Raro absolute. *Horat.* 1. *Od.* 6. 5. nec gravem Pelidæ stomachum cedere nescii. *Quintil.* 6. 4. 16. Ubi vinci necesse est, expedit cedere. Adde *eumd.* 11. 1. 17. et 12. 10. 47.; et *Tac.* 1. *Ann.* 46. — *b*) Sæpius cum Dativo personæ aut rei, cui quis cedit. *Plaut. Amph.* 1. 3. 48. Nunc te, nox, – mitto, ut cedas ibi die. *h. e.* diei. Cf. *Sil. It.* 9. 180. non cedebat Coo. *Cic.* 2. *Off.* 11. 40. Cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt. *Id. Cæcin.* 1. 1. Si impudentia valeret, non minus nunc in causa cederet A. Cæcina Sext. Æbutii impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ. *Nepos Amilc.* 1. Ipse numquam cessit hosti, neque locum nocendi dedit. *Liv.* 2. 10. Inter conspecta cedentium pugnæ terga. *Id.* 3. 17. Tribuni cessere nocti, timentes consulum arma. *Ovid.* 2. *Art. am.* 197. Cede repugnanti, cedendo victor abibis. *Id.* 15. *Met.* 862. di, quibus ensis et ignis Cesserunt. *Curt.* 10. 7. 18. Precari cœpere, ut abstinerent bello, regique et pluribus cederent. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Val. Flacc.* 7. 319. amori turpi. *Cic. Sext.* 30. 64. armis. *Liv.* 26. 13. fato. *h. e.* mori. *Cic.* 3. *Tusc.* 17. 36. et *Sall. Cat.* 34. fortunæ. *Cic. Sext.* 29. 63. furori alicujus. *Propert.* 1. 5. 24. imaginibus. *Cic. Sext.* 20. 63. insidiis. *Horat. Epod.* 17. 75. insolentiæ alicujus. *Cic. Sext.* 30. 64.; *Nepos Cimon.* 3.; *Liv.* 4. 55.; et *Quintil.* 5. 11. 9. invidiæ. *h. e.* retrahere se, recedere, evitare. (Sed *cedere invidiæ* apud *Phædr.* 3. 9. est subire et pati invidiam. *V.* integrum locum). *Quintil.* 11. 3. 40. labori. *Liv.* 8. 38. loco iniquo, non hosti cessum. *Virg.* 6. *Æn.* 95.; *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 48. et *Curt.* 8. 4. 10. malis. *h. e.* succumbere. *Cic. Sext.* 20. 63. minis alicujus. *Sil. It.* 5. 677. nocti. *h. e.* dormire. *Quintil.* 10. 1. 24. oneri. *Cic. Sext.* 30. 64. partioni. *Id. ibid.* 20. 63. periculis. *Plin.* 7. *Ep.* 19. periculo. *Nepos Hann.* 1. pertinaciæ. *Cic. Sext.* 30. 64. reipublicæ. *Tac.* 12. *Ann.* 34. telis, vulneribus. *Sueton. Cæs.* 5. tempestati. *Liv.* 4. 55. tempestati publicæ. *Cic. Sext.* 20. 63. et 4. *Fam.* 8. 2. tempori. *h. e.* parere necessitati et in aliud tempus sua consilia differre. *Id. Milon.* 1. 2. temporibus. *Val. Flacc.* 8. 436. timori. *h. e.* vinci. *Quintil.* 8. 3. 45. vincentibus vitiis. ¶ 2. Transfertur et ad voluntatem, cui quis summittitur: et occurrit — *a*) Raro absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 704. Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso. *Tac.* 12. *Ann.* 10. Subveniendum sociis virium æmulis cedentibusque per reverentiam. — *b*) Sæpissime cum Dativo. *Cic.* 1. *Off.* 22. 77. Nobis rempublicam gubernantibus, nonne togæ arma cesserunt? — Porro jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Off.* 12. 41. adulationibus alicujus. *Plin. Paneg.* 4. affectibus alicujus. *Cic. Ligar.* 7. 22.; *Nepos Timol.* 3.; et *Tac.* 12. *Ann.* 5. auctoritati alicujus. *Horat.* 3. *Od.* 11. 15. blandienti. *Ovid.* 6. *Met.* 151. cælitibus. *Id.* 13. *ibid.* 361. consiliis. *Id.* 6. *ibid.* 32. deæ. *Virg.* 5. *Æn.* 467. deo. *Cic.* 7. *Fam.* 3. 1. famæ. *Tac.* 3. *Ann.* 16. filio. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 44. imperiis amici. *Tac.* 12. *Ann.* 5. jussis populi. *Cic. Milon.* 23. 63. legibus. *Ovid.* 9. *Met.* 16. mortali. *Virg.* 3. *Æn.* 188. Phœbo. *Cic. Planc.* 4. 9. et 1. *ad Brut.* 12. 1. precibus alicujus. *h. e.* flecti. *Quintil.* 1. 3. 12. præcipientibus facillime. *Cic.* 7. *Fam.* 3. 1. et *Lucan.* 8. 627. pudori. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 3. religioni. *Id.* 6. *ibid.* 6. 8. voluntatibus justis et officio incensis. ¶ 3. Transfertur et ad gradum, et cedere di-

citur qui primas alicui concedit et inferiorem se fatetur: occurrit autem — a) *Cedere alicui aut alicui rei*, ut apud *Cic. Brut.* 6. 22. Cum tibi ætas nostra jam cederet fascesque summitteret. Et passive impersonaliter *Id.* 1. *Tusc.* 3. 5. Inde ita magnos (*oratores*) nostram ad ætatem, ut non multum, aut nihil omnino Græcis cederetur. *Id.* 1. *Off.* 22. 76. Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque Q. Catulus Cn. Pompejo cedere videbatur. *Virg.* 5. *Ecl.* 16. Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ, Puniceis humilis quantum saliunca rosetis, Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas. *Id.* 3. *Æn.* 484. Cedere honori. *Ovid.* 6. *Met.* 207. Et nisi Junoni nulli cessura dearum. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 40. cedat tibi Latoius ultro. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 74. (86). Cedere auctoritati. *Vellej.* 2. 41. 2. gloriæ alterius. *Plin.* 5. *Ep.* 6. gratiæ marmoris. *Quintil.* 10. 1. 86. naturæ cælesti atque immortali. — b) Addita re, qua quis alteri primas concedit et inferior est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 61. 153. Nulla re, nisi immortalitate cedens, cælestibus. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Cedere virtute alicui. *Cic.* 1. *Legg.* 2. 5. Græciæ nihil in aliquo genere cedere. *Id. Hortens.* apud *Non.* 4. 367. *edit. veter.*; tom. IV. *part. alt.* p. 483. *Orell.* Cedere alicui in philosophia. *Nepos Chabr.* 2. alicui in nulla re. *Curt.* 7. 10. 9. nulli in regem caritate. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 69.; *Ovid.* 2. *Met.* 339., 6. *ibid.* 6. et 8. *ibid.* 529.; et *Quintil.* 1. 6. 38. et 10. 1. 101. alicui aliqua re. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (80). Apelles cedebat Amphioni de dispositione. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (59). Cedere alicui per aliquid. *h. e.* in aliqua re. ¶ 4. Transfertur ad possessionem ac proprietatem, cui aliquis renunciat: hac autem significatione occurrit — a) Cum Ablativo rei possessæ, quæ renunciatur. *Cic.* 2. *Off.* 23. 82. Cedere possessionibus. *Liv.* 4. 6. possessione reipublicæ. *Id.* 4. 53. possessione agri publici. *Id.* 24. 22. possessione magnæ fortunæ. *Id.* 37. 35. possessione Asiæ. *Id.* 22. 27. rerum consilio gerendarum. *Id.* 37. 35. Lysimachiâ. *Curt.* 6. 6. 33. captæ urbis titulo. *Seneca* 3. *Benef.* 8. patrimonio toto. *Quintil.* 6. 1. 19. bonis. *Sueton. Ner.* 35. Senecæ commeatum petenti bonisque cedenti juravit etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 880. 13. MARVLLO ANTIOCHO, HELENAE TERTVLLIANAE P. MARVLLVS PATER VIVENS BONIS CESSIT, PARTE SIBI QVOAD VIXERIT RETENTA, EXCEPTO. NE QVISQVAM ALIQUID VENDAT, SED PER GENUS, IPSORUM POSSESSIO DECVRRAT VEL PER ADNATOS VEL PER MANVMISSOS. — In jure *cedere bonis* dicuntur, qui ob vim æris alieni, cui solvendo non sunt, omnia sua bona renunciant, ut a creditoribus liberentur: qua de re *V.* JCtos, præsertim *Dig.* 42. *tit.* 3., qui est *De cessione bonorum.* — b) Cum Dativo personæ et Ablativo rei. *Cic. Milon.* 27. 75. Cedere alicui possessione hortorum. *Liv.* 28. 9. honore collegæ. *Id.* 32. 35. Achæis non Argis modo, sed etiam Corintho. *Id.* 24. 7. alicui Siciliâ. *Id.* 45. 11. Cypro et Pelusio. *Vellej.* 2. 63. titulo imperii. *Sueton. Cæs.* 72. deversoriolo. *Id. Gramm.* 11. creditoribus villa. *Dig.* 2. 31. *fr.* 17. pr. actionibus sui. ¶ 5. Hinc cedere active quoque usurpatur, et significat dare, concedere: occurrit autem — a) Cum Accusativo rei et Dativo personæ. *Cic. Sull.* 16. 46. Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti. *Id.* 2. *Off.* 18. 64. Cedere multa multis de jure suo. *h. e.* remittere. *Virg.* 11. *Æn.* 359. Cedat jus proprium regi patriæque remittat. *Liv.* 45. 39. Cedere alicui currum triumphalem. *Curt.* 4. 11. 19. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis. *Vellej.* 2. 85. 5. et *Justin.* 32. 4. Cedere ægre victoriam hosti. *Justin.* 10. 2. alicui pellicem et regnum. *Id.* 22. 7. imperium. *Paul. Dig.* 41. 2. 1. a *med.* possessionem. *V.* INAVARITIES. — Et passive, præcipue apud JCtos. *Cic. Brut.* 84. 290. In dando et cedendo loco. *Varron.* 3. *R. R.* 16. 2. Cessa hereditas. *Dig.* 23. 3. 78. § 2. Ceditur alicui aliquid. *Ibid.* 8. 3. 11. Cessum jus. *Ibid.* 46. 1. 39. Cessæ actiones. — b) Cum Conjunctivo et partic. *ut*, aut *quo minus*. *Liv.* 6. 42. Hac victoria contenta plebes cessit patribus, ut tribuni militum crearentur. *Paul. Dig.* 8. 3. 10. Si, ut quærere liceat, cedere possumus, etiam ut inventa ducatur, cedi potest. *Quintil.* 5. 7. 2. Non cedere quo minus etc. — c) Cum Accusativo et Infinito. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 66. Si quædam nimis antique, si pleraque dure Dicere cedit eos, ignave multa fatetur. Ita *Bentlej.* ex MS.: *alii* omnes, et *Ritter* ipse, *credit*. *Stat.* 1. *Theb.* 704. cui ætherii dono cessere parentes Æternum florere genas. *Paul. Dig.* 8. 2. 19. Si tu mihi per aream tuam in domum meam ire, agere cessisti. Ita *Torrentin.*; at *Haloand.* legit *concessisses*.

CĔDRĀTUS. *V.* CITRATUS.

CĔDRĔLÆON. *V.* PISSELÆON.

CĔDRĔLATE, es, f. 1. (κεδρελάτη) species cedri majoris et frugiferæ: a κέδρος *cedrus* et ἐλάτη *abies*: quia abietis proceritatem imitatur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (53). et 24. *ibid.* 5. 11. (17). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 84.) ad *Plin.* 13. *Hist. nat. loc. cit.*, postquam multis de cedro disseruit, hæc ait: « On doit conclure de tout ce que nous venons de dire ici: 1. Que les anciens connaissaient le bois de cèdre, mais que probablement ils n'avaient point vu l'arbre: 2. que, sous le nom de cèdre, ils confondaient évidemment une foule de conifères, et surtout de *juniperus*; 3. et enfin que la synonymie de cet arbre est vacillante et incertaine ».

CĔDRĔUS, a, um. adject. (κέδρινος) cedrinus. *Vitruv.* 2. 9. 13. Ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, nascitur. *Schneider.* rectius legit *cedrium*, quam vocem *V.*

CĔDRĪA, æ, f. 1. (κεδρία) pix nascens ex cedro majori, quæ cedrelate appellatur: ex qua fit oleum, quod pisselæon dicitur. *Colum.* 6. *R. R.* 32. 1.; *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (47). et 32. *ibid.* 7. 24. (70). et *Scribon. Compos.* 58. — A nonnullis additur et *Cels.* 5. 28. n. 35. At notandum, *Leon. Turgam* in utraque *Celsi* editione *loc. cit. cedri* pro *cedriæ* posuisse, quod postremum *Lindenius* in textum receperat.

CĔDRĪNUS, a, um, adject. (κέδρινος) qui est ex cedro arbore. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (53). Apollo cedrinus. *Id.* 16. *ibid.* 40. 79. (213). Tectum ex cedrinis trabibus. *Id.* 32. *ibid.* 7. 24. (76). Cedrinum oleum.

CĔDRIS, ĭdis, f. 3. (κεδρίς, ἴδος) fructus cedri. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 5. 12. (20). Cedrides, hoc est fructus cedri, tussim sanant.

CĔDRĬUM, ii, n. 2. (κέδριον) pix vel succus e cedro arbore, cedria. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 21. (52). docet, ita vocari picem in Syria, non quod *cedrium* quamcumque picem significet, sed quia Syri ex cedro tantum et terebintho picem urunt, ut ex *Theophrast.* adnotat *Harduin.* Hujus cedrii tanta est vis, ut in Ægypto corpora defunctorum eo perfusa servarentur, teste *Plin. ibid.* Adde *Vitruv.* 2. 9. 13., ubi *Schneider.* pro *cedreus* recte *cedrium* reposuit. *V.* CEDREUS.

CĔDROSTIS, ĭdis, f. 3. (κεδρόστις) vitis alba, al. ampeloleuce. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. (21). — De synonymia *V.* AMPELOLEUCE.

CĔDRUS, i, f. 2. est Græcum κέδρος. *V.* CITRUS. ¶ 1. Cedrus accipitur pro arbore, quæ perpetuo viret. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 3. Ac silvestrium (*arborum*) commodissime faciunt grandifera robora – et odorata cedrus ac tilia. Adde *Vitruv.* 2. 9. 13. *Schneid.*; *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (52). et 16. *ibid.* 39. 76. (197).; et *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 12. ¶ 2. Item pro ejusdem arboris ligno. *Virg.* 3. *G.* 414. Disce et odoratam stabulis accendere cedrum. Adde *eumd.* 7. *Æn.* 178.; *Curt.* 5. 7. 5. et 8. 10. 8.; *Plin. locc. citt.*; et *Sueton. Cal.* 37. ¶ 3. Denique pro ejusdem arboris oleo, quo res unctæ a tineis et carie non læduntur, quemadmodum ait ipse *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (197). *Horat. Art. P* 332. speramus carmina fingi Posse linenda cedro et levi servanda cupresso? *cedrus* pro cedri succo sumitur. Hoc enim illiti Numæ libri ad annos DXXXV. durarunt, teste *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (86). Hinc *Martial.* ad librum suum 3. 2. Cedro nunc licet ambules perunctus. Et *Capell.* 2. *p.* 35. Papyrus cedro perlita. Hinc *Pers.* 1. 42. cedro digna locutus. *h. e.* digna immortalitate. Adde *Vitruv.* 2. 9. 13. *Schneid.* *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 13. liber flavus cedro. *Id.* 1. *ibid.* 1. 7. Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. — De synonym. *V.* CEDRELATE in fin. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

CĔLÆNO, us, f. Κελαινώ, una Harpyiarum, de qua *V.* ONOM. — Hinc figurate ponitur pro quacumque femina avara et rapaci. *Juvenal.* 8. 129. Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis Unguibus ire parat nummos raptura Celæno.

CĒLĀTĒ, adverb., clam, celatim. *Ammian.* 14. 7. Non celate ut antea, turbidum sæviebat ingenium.

CĒLĀTIM, adverb. clam, occulte, tecte. *Sisenna* apud *Gell.* 12. 15. Quam maxime celatim poterat, in insidiis suos disponit. *Apul.* 4. *Met.* in quo solo poteram celatim auxilium bono ferre commilitoni.

CĒLĀTOR, ōris, m. 3. qui celat. *Lucan.* 10. 290. undarum celator, Nile, tuarum. *Cassiod.* 2. *Variar.* 34. Celator pecuniæ.

CĒLĀTUM, i. *V.* CELO in fin.

CĒLĀTUS, a, um. *V.* CELO. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĔLĔBER, cĕlĕbris, cĕlĕbre, *vel* cĕlĕbris, e, adject. Comp. *Celebrior* occurrit tantum apud *Gell.* (*V.* infra sub II. 1. c. et 2.); contra amplissime occurrit superl. *Celeberrimus* in omnibus paragr. — In masc. gen. *celebris* pro *celeber* occurrit apud *Cic.* 2. *Herenn.* 4. 7.; *Curt.* 5. 1. 15.; et *Tac.* 2. *Ann.* 88. et 13. *ibid.* 47. — Ratione habita etymi hæc vox conjungenda est cum Græco κέλλω *cello*; hinc proprie et ad litteram *celeber* est vehementer ac sæpe calcatus, ac proinde qui frequentatur; eique opponitur *desertus*, ut apud *Cic.* 2. *Herenn.* 4. 7. Locus quæritur, celebris, an desertus. Adde *eumd.* *Sext.* 67. 140 et *Partit. Orat.* 10. 36. Ceterum de hujusce vocis usu *V.* *Stürenburg* ad *Cic. Arch.* 3. 4. (It. *frequente*, *celebre*; Fr. *fréquenté*, *célèbre*; Hisp. *frequentado*, *celebre*; Germ. *besucht*, *lebhaft*, *erwähnt*, *genannt*; Angl. *frequented*, *much resorted to*, *talked of*, *famous*).

I.) Proprie ponitur fere de locis, quæ frequentantur; item de concionibus, ludis, solemnibus, aliisque hujusmodi, ad quæ populus frequens convenit. *Cato R. R.* 1. Via bona celebrisque. *Cic. Mil.* 24. 66.; *Quintil.* 11. 1. 47. et *Tac.* 4. *Hist.* 50. Locus celebris. *Cic.* 4. *Verr.* 65. 159., 7. *ibid.* 18. 46. et 7. *ibid.* 72. 186., *Pis.* 38. 93. et 12. *Att.* 23. 3.; *Nepos Dion.* 10.; *Liv.* 34. 61.; et *Plin.* 2. *Ep.* 7. 7. et 8. *ibid.* 6. 14. Locus celeberrimus. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 28. Loca celeberrima. *Cic. Arch.* 3. 4. Urbs celebris et copiosa. Cf. *Tac.* 2. *Ann.* 47. urbes. *Liv.* 45. 30. et *Curt.* 5. 1. 4. Urbes celeberrimæ. *Cic. Rabir. Post.* 10. 28. Celeberrimum oppidum. Cf. *Tac.* 15. *Ann.* 22. celebre. *Cic. Dom.* 57. 146. Partes urbis celeberrimæ. Cf. *Tac.* 3. *Hist.* 70. Pars urbis celeberrima. *Sueton. Aug.* 1. oppidi. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 10. (27). fori. *Cic.* 1. *Divinat.* 19. 37. Oraculum tam celebre et tam clarum. *Id.* 3. *Verr.* 40. 129. Celeberrimum clarissimumque monumentum. Cf. *eumd. Sext.* 67. 140. *Id. pro leg. Manil.* 12. 23. Portus Cajetæ celeberrimus atque plenissimus navium. *Id.* 5. *Verr.* 58. 133. Forum celeberrimum. *h. e.* populo valde frequentatum. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 67. Celeberrimo foro D. Augusti imaginem amplecti. *h. e.* quo tempore forum magis frequentaretur. *Cic. Planc.* 9. 22. Tractus celeberrimus Venafranus. *Liv.* 38. 18. Celebre et frequens emporium. *Vellej.* 2. 90. 1. Celebres Alpes nationibus. *Id.* 2. 104. 4. Celeberrima Italiæ pars. *Quintil.* 1. 4. 16. Celebribus templis. *Tac.* 1. *Ann.* 5. 1. Templum celeberrimum. *Ovid.* 4. *Fast.* 391. Circus pompa celeber. *Tibull.* 3. 2. 28. Celebris frons (*sepulcri*). — *Cic. Pis.* 15. 34. Conciones celeberrimæ et gratissimæ. *Id.* 14. *Phil.* 6. 16. Gratulatio celeberrima populi Rom. *Id.* 6. *Verr.* 48. 107. Festos dies agunt celeberrimo virorum mulierumque conventu. *Id. ibid.* 67. 151. Dies celeberrimus. *h. e.* quo populus ad sacra frequens convenit. Cf. *eumd. Amic.* 3. 12. Celeberrimus et lætissimus dies. *Liv.* 25. 12. Dies celeber omni cæremoniarum genere. *Id.* 31. 41. Ludicrum celeberrimum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 97. et *Sueton. Aug.* 44. ludi celebres. *Liv.* 24. 4. funus. *Id.* 39. 7. triumphus. *Tac.* 14. *Ann.* 48. et 1. *Hist.* 81. convivium. *Plin.* 2. *Ep.* 11. 10. Januarius mensis senatorum frequentia celeberrimus. — Huc pertinet et illud *Accii* apud *Non.* p. 89. 25. *Merc.* Celebri gradu gressum accelerasse decet. *h. e.* gradu frequenti, atque adeo properante et celeri. *Forcellinus* singulari paragrapho hunc locum distinxit, eadem tamen interpretatione. — Item huc pertinet et illud *Ovid.* 8. *Met.* 626. celebres mergis undæ. *h. e.* quas mergi frequentant. — Et figurate *Id.* 3. *Amor.* 5. 3. celeberrimus ilice lucus. *h. e.* ilice plenissimus. *Id.* 2. *Met.* 218. celeberrima fontibus Ide.

II.) Improprie ponitur de rebus aut personis, et ¶ 1. Celeber est qui colitur, laudatur, prædicatur; clarus, fama notus: et occurrit — a) Generatim. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 61. Res totâ Siciliâ celeberrima atque notissima. *Liv.* 21. 91. Celebre per Hispaniam responsum. *Id.* 27. 33. Celebris fama inter barbaros. *Id.* 1. 3. Celebre ad posteros nomen. *Id.* 4. 53. Menii celebre nomen laudibus fuit. Et *id.* 7. 38., 39. et

56. et 27. 40. Nomen celeberrimum. Adde *Vellej.* 2. 7. 5. *Gell.* 6. 7. Nomina celebria in annalibus. — *b*) Sæpius addita re, qua quis clarus est. *Liv.* 7. 21. Homines per annalium monumenta celebres nominibus. *Tibull.* 2. 1. 33. celeber Messala triumphis. *Curt.* 8. 3. 8. Celeber auditu amnis. *Id.* 7. 4. 8. Vir celeber professione artis, scientiæ. *Ovid.* 3. *Met.* 339. fama Tiresias. *Id.* 8. *ibid.* 159. ingenio artis Dædalus. *Vellej.* 2. 99. 1. Celeberrimus fama. *Id.* 2. 116. 1. Viri diversis virtutibus celebres. Adde eumd. 2. 18. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (167). Vir celeber arte grammatica. *Id.* 36. *ibid.* 25. 60. (184). Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus. *Id.* 6. *ibid.* 28. 32. (148). Insula plurimis margaritis celeberrima. *Sil. It.* 4. 187. nomina celeberrima bello. — *c*) Raro absolute; et est sæpe nominatus, notus, celebratus. *Liv.* 26. 27. Viri celeberrimi. *Horat.* 2. *Od.* 12. 20. Diana. *Ovid.* 1. *Met.* 747. et 5. *ibid.* 217. dea. *Vellej.* 2. 105. 4. consulatus. *Colum.* 3. *R. R.* 17. 4. et *Tac.* 3. *Hist.* 51. Auctores celeberrimi. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (13). Unguentum celeberrimum Menandri ætate. *h. e.* usitatissimum, atque adeo ab omnibus laudatum. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (145). Celeber discipulus. *Sueton. Ner.* 7. patroni. *Gell.* 11. 3. Habere usum atque notitiam celebriorem alicujus rei. ¶ 2. Raro admodum ponitur pro repetitus, usitatus. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 700. Verba celeberrima. *Id.* 1. *Pont.* 9. 25. vox. *Gell.* 10. 10. Verba celebriora. *h. e.* magis usitata.

CĔLĔBERRĬMĒ. *V.* CELEBRITER.

CĔLĔBRĀBĬLIS, le, adject. celebrandus, celebris, solemnis. *Ammian.* 29. 5. Ætatum ordinumque omnium celebrabili favore susceptus. *Ambros.* 2. *de Cain et Abel.* 3. Quam beata civitas, quæ plurimos justos habet, quam celebrabilis ore omnium! quomodo benedicitur tota de parte! *Id. Apolog. David.* 8. Et in Lege habes, quia jubilæus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum, quo debita vacuantur, confirmantur Hebræorum libertates, possessionem refusiones.

CĔLĔBRĀTIO, ōnis, f. 3. (celeber) frequentatio, celebritas. ¶ 1. Proprie et stricto sensu est frequentatio, celebritas et populi frequentia, quæ præcipue accidit in ludis, solemnibus etc. *Cic. Sull.* 26. 73. Quæ domus, quæ celebratio quotidiana? *Id.* 1. *Off.* 4. 12. Hominum cœtus et celebrationes. *Id.* 15. *Att.* 29. 1. De celebratione ludorum Bruti tibi assentior. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 15. *Vellej.* 2. 56. 1. Elephantorum certaminis spectacula, epulique per multos dies dati celebratio. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 3. (12). Celebratio sacri. *Eumen. restaur. schol.* 3. Optimarum artium celebratio. ¶ 2. Latiori sensu est frequens ejusdem rei ostensio ejusque commendatio ac prædicatio. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 10. (19). Equestres statuæ Romanam celebrationem habent. *h. e.* in commendatione et pretio sunt apud Romanos. *Cic. Planc.* 40. 95. Nihil est ex meis temporibus, quod minus mea celebratione commemoratum sit. *Al. plerique, et quidem rectius, leg. cum Orell.* commemoratione celebratum sit.

CĔLĔBRĀTOR, ōris, m. 3. qui celebrat, laudator. *Martial.* 8. 78. Hyperborei celebrator Stella triumphi.

CĔLĔBRĀTUS, a, um. *V.* CELEBRO.

CĔLĔBRESCO, is, ere, n. 3. celebris fio. *Acchus* apud *Non.* p. 89. 15. *Merc.* Et qualis fuerit fama celebrescat tua.

CĔLĔBRIS, bre. *V.* CELEBER sub init.

CĔLĔBRĬTAS, ātis, f. 3. (celeber) frequentia, concursus; et proprie de loco dicitur (It. *frequenza, concorso, celebrità*; Fr. *concours nombreux, fréquentation, célébrité*; Hisp. *concurso, frequencia, celebridad*; Germ. *der fleissige, zahlreiche Besuch, der Zulaus, des fleissige Gefeiertsein*; Angl. *a great resort, croud, celebrity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de loco, et est frequentia, concursus, cui opponitur *solitudo*, ut apud *Cic.* 3. *Att.* 7. 1. Odi celebritatem, fugio homines; esset mihi ista solitudo non amara. Similiter *Id.* 12. *ibid.* 13. 1. Me hæc solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. *Id.* 3. *ibid.* 14. 2. et *Tac.* 2. *Hist.* 62. Celebritas viæ. Rursus *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 9. mercatus. Et *ibid.* Totius Græciæ celebritas. *Id.* 14. *Fam.* 1. 7. et *Tac.* 3. *Ann.* 9. loci. *Cic. Mil.* 32. 87. supremi diei. *h. e.* solemnia exequiarum, quæ concursu hominum fiunt. *Id.* 3. *Orat.* 32. 127. ludorum quinquennalis. *Id. Pis.* 26. 61. domestica. *Id.* 2. *Legg.* 26. 65. virorum ac mulierum. *Id.* 3. *Off.* 1. 3. In maxima celebritate, in oculis civium vivere. Cf. *Quintil.* 1. 2. 18. Rursus *Cic. Cæl.* 20. 47. In aliqua re frequentissima celebritate et clarissima luce lætari. *Id.* 13. *Att.* 29. 2. Habet locus celebritatem nullam, maximam. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 14. § 42. Theatrum celebritate refertissimum. *Id. Dom.* 28. 76. Sua celebritate lætitiaque comitatum honestare aliquem. *Id. ibid.* 28. 75. Campus floret celebritate. *Id. ibid.* 30. 38. Ludis celebritatem addere. *Nepos præfat.* 6. In celebritate versari. *Quintil.* 1. 2. 29. Celebritas audientium. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Celebritate assectari aliquem. *Tac. Agric.* 40. Notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus. ¶ 2. Latiori sensu est frequens ejusdem rei ostensio vel exhibitio. *Cic.* 4. *Fam.* 2. 4. Multitudo et celebritas judiciorum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 2. (2). Celebritas æris in Asia et quondam in Campania fuit. *Tac.* 16. *Ann.* 29. periculorum.

II.) Translate ponitur de personis aut rebus, et est fama, claritas, dignitas, splendor. *Cic.* 6. *de republ.* 19. Celebritatem sermonis hominum consequi. *Id. Arch.* 3. 5. et 1. *Tusc.* 12. 28. Celebritas famæ. *Id.* 2. *Off.* 13. 44. Si quis habet causam celebritatis et nominis. *Sall. fragm.* 5. 6. p. 243. *Gerl.* Celebritas nominis. Adde *Sueton. Gramm.* 23. *Gell.* 7. 17. Grammaticus quidam primæ in docendo celebritatis.

CĔLĔBRĬTER, adverb. magna frequentia, sæpe. Occurrit tantum in Superlat. *Celeberrime* apud *Sueton. Tib.* 52. *sub fin.* Et per noctes celeberrime acclamatum est: Redde Germanicum. *Alii leg.* celerrime.

CĔLĔBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (celeber). Part. *Celebrans* I. sub *c*; *Celebratus* in fin.; *Celebrandus* I. sub *c*. — Celebrare proprie est frequentare, hoc est in locum aliquem magna multitudine convenire, ut eidem species, dignitas ac splendor accedat; in quo *celebrare* differt a *frequentare* V. FREQUENTO in fin. (It. *frequentare*; Fr. *fréquenter*; Hisp. *freqüentar*; Germ. *viel betreten*; Angl. *to frequent, resort to*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Stricto sensu de locis, in quæ frequens convenit multitudo, unde etiam ipsis dignitas ac splendor accedit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Mors mea ne careat lacrimis, linquamus amicis Mærorem, ut celebrent funera cum gemitu. *Cic. Sext.* 63. 131. Cum viæ multitudine legatorum undique missorum celebrabantur. *Id. Cæl.* 14. 34. Ideo viam muniri, ut tu eam alienis comitata viris celebrares? *Id.* 1. *Att.* 19. 9. Itaque conventus, qui initio celebrabantur, jam olim fieri desierunt. *Id.* 3. *Cat.* 10. 23. Quamobrem celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. *Id. Mur.* 34. 70. et *Ovid.* 10. *Met.* 118. Celebrare domum alicujus. Rursus *Cic. Flacc.* 38. 95. sepulcrum hominum conventu epulisque. *Id.* 1. *Orat.* 45. 200. Vestibulum maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur. *Lucret.* 5. 1166. Celebrare deûm delubra festis diebus. *Virg.* 3. *Æn.* 280. Celebrare littora ludis. *Tibull.* 1. 3. 33. penates. *Propert.* 1. 16. 3. limina. *Ovid.* 1. *Met.* 172. atria. *Id.* 4. *ibid.* 444. forum. *Id.* 14. *ibid.* 558. fretum. *Id.* 4. *ibid.* 414. silvas. *Id.* 4. *ibid.* 46. stagna. *Id.* 4. *ibid.* 414. et 444. tecta. *Id.* 2. *ibid.* 252. ripas. *Plin.* 10. *Ep.* 57. templa. — *b*) Item de conventibus, diebus festis, ludis, sacris, aliisque hujusmodi, quæ a multis frequentantur, exercentur, solemniter administrantur ad majorem speciem et dignitatem: quo sensu jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Tac.* 2. *Ann.* 40. cœtus clandestinos celebrare. *Virg.* 5. *Æn.* 603. certamina sancto patri celebrata. *Id.* 7. *ibid.* 555. connubia et hymenæos. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. convivium omnium sermone lætitiaque celebrare. Adde *Curt.* 8. 4. 23. et *Tac.* 4. *Ann.* 59. *Ovid.* 5. *Met.* 113. dapes canendo. *Cic. Arch.* 6. 13. dies festos ludorum. *Id. Pis.* 22. 51. dies quasi deorum immortalium festos atque solemnes. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 2. 61. *Liv.* 10. 37. et *Tibull.* 2. 1. 29. diem. *Tac.* 6. *Ann.* 18. diem natalem. *Liv.* 9. 30. et *Plin.* 10. *Ep.* 57. epulas cantu. *Liv.* 25. 23. epulas vino largius. *Ovid.* 4. *Met.* 4. festum. *Curt.* 8. 2. 40. funus omni apparatu atque honore. *Liv.* 10. 45. gaudium publicum studiis privatis. *Virg.* 5. *Æn.* 58. honorem. *Curt.* 4. 5. 11. ludicrum conventu. *Ovid.* 5. *Fast.* 597. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (12). ludos. *Curt.* 3. 7. 3. ludos Æsculapio et Minervæ. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 103. memoriam nominis epulis. *Tac.* 6. *Ann.* 27. mortem funere censorio. Cf. *Id.* 6. *ibid.* 11. aliquem funere publico. *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 116. natalem ludis. Adde *Plin.* 10. *Ep.* 103. *Liv.* 36. 11. et *Tac.* 4. *Ann.* 75. nuptias. *Sueton. Claud.* 26. officium nuptiarum. *Curt.* 3. 12. 14. officia suprema. *Catull.* 64. 59. orgia. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (143). quinquatrus. *Ovid.* 6. *Met.* 587. sacra. *Curt.* 4. 2. 10. sacrum anniversarium. *Liv.* 11. 36. solemnia nuptiarum. *Tac.* 4. *Ann.* 62. spectaculum gladiatorium. *Catull.* 64. 302. tædas jugales. *Ovid.* 9. *Met.* 642. triennia repetita. *Sueton. Cal.* 23. victorias solemnibus feriis. — *c*) Aliquando latiori sensu ponitur et de personis, quas frequenter adimus, adeoque celebres reddimus. Sic *Celebrare et ornare senectutem alicujus*, est hominem in senectute celebrem reddere, ut adeatur a multis, appetatur, colatur. *Cic.* 1. *Orat.* 45. 199. Senectuti vero celebrandæ et ornandæ quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? *Tibull.* 1. 4. 75. Celebrare aliquem magistrum. — Hac significatione interdum occurrit etiam absolute, ita tamen ut ex ipsa verborum serie sensus facile innotescat. *Nepos Timol.* 5. Hic publice a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, totâ celebrante Siciliâ sepultus est. *Liv.* 8. 10. Funusque ei par morti celebrante collega factum est. *Id.* 25. 17. Is funus imperatoris in castris, celebrantibus cum exercitu Beneventanis fecit. — *d*) Raro admodum de rebus, quæ in loco aliquo frequentes inveniuntur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 22. 35. (115). Tagus auriferis arenis celebratur.

II.) Translate. ¶ 1. Occurrit de rebus, quæ a multis administrantur, factitantur, exercentur. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 35. Intro abite, atque hæc cito celebrate, nec mora quæ sit, cocus cum veniat. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 2. Neque vero nobis fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas inter nosque recolendas. *Id.* 3. *ibid.* 38. 155. Tertius ille modus transferendi, quem necessitas genuit inopiâ coacta et angustiis, post autem jucunditas delectatioque celebravit. *Id.* 3. *ibid.* 28. 110. Causarum cognitio exercitatioque celebratur. *Id. Sext.* 55. 113. Cantorum convivio conciones celebrare. *h. e.* histrionum. *Id.* 4. *Att.* 1. *circa med.* Similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit. *h. e.* comitata est. *Id. Dom.* 30. 129. Servorum vicatim celebratur tota urbe conscriptio. *Al. leg.* descriptio. *Id.* 1. *Divinat.* 2. 3. Genus divinationis publice privatimque celebratum. *Liv.* 40. 45. Inter hos viros nobiles inimicitiæ erant, sæpe multis et in senatu et ad populum atrocibus celebratæ certaminibus. *Id.* 2. 42. Celebrare popularem potestatem lege populari. *Id.* 6. 32. De integro jurisdictio celebratur. *Id.* 1. 4. Celebrare cum aliquo seria ac jocos. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 1. Nam et harum studia rerum majores nostri celebraverunt. *Plin.* 10. *Ep.* 117. Quod an celebrandum et quatenus putes, rogo rescribas. *Quintil.* 10. 1. 96. Iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus. *Tac.* 2. *Hist.* 49. Genus mortis celebratum. *Manil.* 5. 682. Celebrare salinas. *Petron. Satyr.* 116. studia litterarum. *Pallad.* 9. *R. R.* 11. 1. vindemiam. *Id.* 6. *ibid.* 8. 1. tonsuram ovium. *Id.* 3. *ibid.* 17. insitionem. ¶ 2. Item est sermonibus vel scriptis vulgare, omnibus notum facere, prædicare. — *a*) Generatim. *Cic. Mur.* 41. 89. Quibus in locis paucis ante diebus, factum esse consulem Murenam, nuncii litteræque celebrassent. *Id. Cæl.* 3. 6. Quod omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est. *Id.* 1. *Divinat.* 17. 31. Qua re celebrata – erat in magno nomine et gloria. *Q. Cic. Petit. cons.* 13. Ad celebrandum rumorem valent dicendi laus, studia publicanorum, hominum nobilium voluntas etc. — *b*) Specialim est vulgare, ut personæ aut rei nomen accedat et fama, adeoque ponitur pro laudare, ornare, celebrem facere. *Cic. Planc.* 39. 93. Ego C. Cæsaris laudibus desim, quas primum populi Romani, nunc etiam senatus – plurimis atque amplissimis judiciis videam esse celebratas? *Id. Arch.* 9. 21. Celebrare famam alicujus. *Id.* 9. *Phil.* 5. 10. Omnium mortalium fama celebrat alicujus gravitatem, constantiam, fidem. *Id. Rabir. Post.* 16. 43. Laus poetarum carminibus, annalium monumentis celebratur. Adde *Horat.* 1. *Od.* 7. 5. Rursus *Cic. Arch.* 9. 20. Celebrari ingenio alicujus poetæ. *Id. Pis.* 12. 32. Egressum alicujus ornare atque celebrare. *Id. Marcell.* 3. 9. et 4. *Acad.* (2. pr.). 2. 4. Laudes alicujus litteris celebrare. *Id.* 5. *Fam.* 12. 1. Nomen alicujus scriptis illustrare et celebrare. *Nepos Chabr.* 1. Hoc usque

eo tota Græcia fama celebratum est, ut etc. *Sall. Cat.* 9. Fortuna res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. *Id. ibid.* 9. Atheniensium facta per terrarum orbem pro maxumis celebrare. *Id. Jug.* 89. talia faciundo seque remque publicam. *Id. ibid.* 73. et *Liv.* 4. 34. aliquid in majus. *Liv.* 3. 31. Tribuni legem omnibus concionibus celebrabant. *Virg.* 8. *Æn.* 303. Talia carminibus celebrant. *Horat.* 1. *Od.* 12. 1. Quem virum aut heroa lyrâ vel acri Tibia sumis celebrare, Clio? *Id. Art. P.* 287. et *Quintil.* 11. 2. 10. Celebrare domestica facta. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 59. Est quoque carminibus meritas celebrare puellas Dos mea. *Id.* 2. *Art. am.* 400. Fama celebrari. *Liv.* 3. 31. Celebrabant tribuni legem omnibus concionibus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 4. 8. (17). Unam (*arborem*) e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebenum, nusquam alibi nasci professus. *Id.* 33. *ibid.* 2. 8. (34). Ex eo se ordine profectum celebrans. *h. e.* ostentans, gloriatus. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (16). Miris laudibus — aliquid celebrare. *Quintil.* 11. 1. 13. perpetua sæculorum admiratione. *Tac. Agric.* 39. victoriam ingenti fama. — Et cum duplici Accus. *Ovid.* 7. *Met.* 50. Celebrare aliquam servatricem. *Cels. præfat.* Æsculapium vetustissimum auctorem. *Tac.* 4. *Ann.* 2. aliquem socium laborum. — Hinc Part. præter. pass.

Celebratus, *a*, *um*, quod adjective etiam occurrit, unde Comp. *Celebratior* I. et II. 1. et 2.; et Sup. *Celebratissimus* II. 2.

I.) Proprie occurrit — *a*) De loco et est frequentatus. *Sall. Jug.* 51. Forum rerum venalium totius regni maxime celebratum. — *b*) Item de sacris, ludis etc., et est solemniter administratus. *Sall. Jug.* 70. Dies festus celebratusque per omnem Africam. *Liv.* 3. 63. Supplicatio celebratior. *Ovid.* 7. *Met.* 430. Nullus Erechthidis fertur celebratior illo Illuxisse dies. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (123). Funus innumeris exsequiis celebratum.

II.) Translate. ¶ 1. De iis occurrit, quæ in consuetudinem trahuntur, frequenter usurpantur. *Sil. It.* 3. 319. Missile celebratum. *h. e.* ab omnibus usurpatum et cognitum. *Quintil.* 9. 2. 92. schemata. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (28). Usus anuli celebratior. ¶ 2. Item sermonibus vel scriptis vulgatus, in ore omnium versatus, quo sensu occurrit — *a*) Generatim. *Cic. Flacc.* 27. 65. Quid porro in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? *Id. Cluent.* 13. 36. Quid? illa cædes — quam clara tum recenti re fuit et quam omnium sermone celebrata? *Id.* 2. *Phil.* 23. 57. Scio me in rebus celebratissimis omnium sermone versari. *Id. Mur.* 7. 16. Vir nulla illustri laude celebratus. *Quintil.* 1. 10. 21. In proverbium usque Græcorum celebratum. *Gell.* 17. 2. *ad fin.* Verbum celebratius. — *b*) Speciatim est vulgatus, in ore omnium versatus, ita ut fama et gloria polleat, adeoque laudatus, gloriosus. *Liv.* 29. 26. Scipio factis fortibus ingentis ad incrementa gloriæ celebratus. *Curt.* 4. 8. 3. Memnonis Tithonique celebrata regio. *Id.* 9. 1. 2. opes. *Id.* 9. 7. 23. Macedonum fortitudo. *Ovid.* 6. *Fast.* 349. Nomine quam pretio celebratior ara. *Sueton. Aug.* 18. Memoria celebratior. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Celebrati auctores. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (85). artifices. *Id.* 31. *ibid.* 2. 3. (7). Fontes celebrati carmine Laureæ Tullii. *Id. ibid.* Villa celebrata porticu ac nemore. *Tac.* 4. *Ann.* 61. Celebrata eloquentia. *Seneca Cons. ad Marc.* 17. Fons carminibus celebratissimus. *Gell.* 17. 4. Scriptor celebratissimus. *Id.* 7. 2. Commentarii celebratissimi. *Id.* 19. 1. Philosophus in disciplina Stoica celebratus. *Martial.* 9. 16. Inscripsit tumulo septem celebrata virorum, Se fecisse, Chloe: quid pote simplicius? ubi *celebrata* in malam partem accipiendum eodem sensu, quo famosa.

CĔLĔBRUS, a, um, adject. idem ac *celebris*. Pro celeri *Gell.* 19. 4. De urina celebra, et igni proximo facta. Ita leg. plerique ex quibusdam editis libb. et multis codicib. MSS. Alii *de urina crebra*, vel *de urinæ illecebra*.

CĔLER, ĕris, ĕre, adject. — Est et alia forma *celeris*, *e*, sed minus usitata. Et sane *celeris* in recto singulari masculini generis est in illo *Caton.* apud *Priscian.* 7. p. 760. *Putsch.* Satis celeris sis in tempore. *Priscian.* certe ita agnoscere videtur. — Reperitur etiam *celer* in feminino genere. *Livius in Odyss.* apud *Priscian. ibid.* At celer hasta volans perrumpit [illegible] ferro. — Neutrum *celere* pro adverbio *celeriter*, Vide suo loco. — Comp. *Celerior* 1. et 2.; Sup. *Celerrimus* in omnibus paragr. — Alia Sup. forma *Celerissimus* antiqua est. *Ennius* apud *Priscian.* 7. p. 760. *Putsch.* Exin per terras postquam celerissimu' rumor. Et *Cn. Matius ibid.* celerissimus advolat Hector. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est a κέλης, Dorico et Æolice κέληρ *equus desultorius*; vel a κέλω *jubeo*; vel potius, quod et recentiores philologi probant, a κέλλω *cello*, *impello*. — Itaque celer proprie est citus, velox, rapidus (It. *presto*, *veloce*, *celere*; Fr. *rapide*, *prompt*; Hisp. *rápido*, *veloz*, *pronto*; Germ. *schnell*, *geschwind*, *rasch*, *hurtig*; Angl. *swift*, *speedy*, *fleet*, *quick*). ¶ 1. Occurrit de externo rerum motu. *Plaut. Trin.* 4. 3. 1. Face te propere celerem, recipe ad dominum domum. *Cic.* 4. *Fin.* 11. 32. Configebat (*Philoctetes*) tardus celeres, stans volantes (*aves*), ut apud Accium est. *Virg.* 6. *Æn.* 426. Evaditque celer ripam. Cf. *Ovid.* 9. *Met.* 764. *Ovid.* 11. *ibid.* 774. Insequitur celeremque metu celer urget amore. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 5. *Æn.* 211. agmen remorum. *Id.* 5. *ibid.* 217. alæ. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 50. amnis. *Tac.* 2. *Ann.* 21. amnis celerrimus. *Ovid.* 8. *Met.* 686. Anser celer penna. *Virg.* 4. *Æn.* 226. auræ. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 27. brachium. *Tibull.* 4. 3. 14.; *Ovid. Heroid.* 4. 42. et *Colum.* 7. *R. R.* 12. 13. canes. *Ovid.* 9. *Met.* 416. carina. *Catull.* 64. 341. cerva. *Val. Flacc.* 3. 543. cervus. *Tibull.* 2. 1. 53. classis. *Plaut. Stich.* 2. 3. 13. curriculum. *Seneca Agam.* 816. currus. *Id. Hippol.* 1001. cursus. *Lucan.* 1. 662. Cyllenius. *Horat.* 3. *Od.* 28. 12. Cynthia. *Ovid.* 4. *Met.* 304. Diana. *Tibull.* 1. 2. 70. et 4. 1. 91. equus. *Lucret.* 2. 192. flamma. *Tibull.* 4. 6. 17. flammæ. *Virg.* 3. *Æn.* 243. fuga. *Plaut. Trin.* 3. 1. 22. gradus. *Seneca Med.* 847. gressus. *Lucret.* 3. 636. ictus. *Horat.* 3. *Od.* 4. 76. ignis. *Lucret.* 4. 334. impete. *Id.* 4. 324.; *Ovid.* 6. *Met.* 216. et *Val. Flacc.* 1. 91. lapsus. *Plaut. Truc. prol.* 8. lingua. *Propert.* 1. 14. 3. lintres. *Tibull.* 2. 1. 20. lupi. *Horat.* 4. *Od.* 7. 13. lunæ. *Ovid.* 3. *Art. am.* 576. manus. *Horat.* 3. *Od.* 29. 53. Mercurius. *Virg.* 1. *G.* 361. mergi. *Cæcilius* apud *Priscian.* 7. p. 760. *Putsch.* et *Tibull.* 2. 4. 2. navis. *Tibull.* 1. 5. 70. orbis rotæ. *Horat.* 3. *Od.* 59. 54. pennæ. *Seneca Med.* 763. et *Hippol.* 902. pes. *Propert.* 3. 9. 18. pedes. *Virg.* 7. *Æn.* 811. plantæ. *Lucan.* 1. 629. pulsus. *Ovid. Heroid.* 19. 176. puppis. *Tibull.* 2. 63. 1. ratis. *Horat.* 3. *Od.* 11. 14. rivi. *Seneca Hippol.* 1097. rotæ. *Virg.* 5. *Æn.* 485. et 1. *ibid.* 187.; *Horat.* 3. *Od.* 20. 9.; *Tibull.* 4. 1. 89. et *Ovid.* 5. *Met.* 367. sagitta. *Val. Flacc.* 3. 185. telum. *Virg.* 12. *Æn.* 855. turbo. *Horat.* 1. *Od.* 12. 10. et 1. *ibid.* 15. 2. venti. *Ovid.* 2. *Met.* 71. volumen. ¶ 2. Item de temporis decursu, adeoque de iis, quæ decursu temporis fiunt, cujusmodi sunt eventus, actiones, sermones etc. *Plaut. Merc.* 5. 2. 9. Date, di, quæso, conveniendi mihi ejus celerem copiam. *Cic.* 3. *Orat.* 21. 88. Oratione celeri et concitata. *Id. Dom.* 24. 64. Celeris reditus. *Lucret.* 4. 144. Facili et celeri ratione geri. Adde *eumd. ibid.* 4. 255. *Id.* 4. 775. Celeri ratione fieri. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Elati spe celeris victoriæ. *Nepos Miltiad.* 4. Ut nunciaret quam celeri opus esset auxilio. *Id. Att.* 21. Celeria remedia proponere. *Id. Dion.* 10. Celeris rumor. *Id. Datam.* 6. Factum celerius. *Liv.* 21. 1. Nimis celeri desperatione rerum. *Virg.* 12. *Æn.* 507. Fata celerrima. *Tibull.* 4. 1. 205. et *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 16. Celeris mors. *Id. Ovid.* 3. *Pont.* 4. 114. Vide celeri probare verba. *Id.* 4. *ibid.* 9. 79. virtus. *Quintil.* 9. 4. 83. Pedes longi graviorem faciunt orationem, breves celerem ac mobilem. Adde *eumd.* 9. 4. 138. *Id.* 9. 4. 111. Celeres syllabæ. *Tac.* 3. *Ann.* 1. Ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque appulsu erat. *Val. Max.* 4. 7. Celerius est propinquum avertere, quam animum. *h. e.* brevius tempus opus est, facilius est. *Scribon. Compos.* 28. Effectus celeres habere. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 236. celeri leto. ¶ 3. Item de personis moralique earum qualitate, qua aliquid velociter agunt: quo sensu occurrit — *a*) Absolute. — In bonam partem. *Cic. Orat.* 59. 200. Quæ mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit. *Virg.* 4. *Æn.* 285. Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. *Ovid. Remed. Am.* 89. Mente celeri circumspicere. *Vellej.* 2. 73. 1. Adolescens manu promptus, cogitatione celer. — In malam partem *celer* interdum dicitur qui impetu quodam omnia agit, adeoque temere atque inconsulto agit. *Ter. Phorm.* 1. 4. 1. Celere consilium. *Liv.* 2. 51. Celeriora consilia. *Id.* 22. 38. Tuta celeribus consiliis præponere. *Id.* 9. 32. Consilia celeriora quam tutiora. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 90. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi, Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi. *h. e.* qui impetu quodam omnia agunt. *Id.* 2. *Sat.* 3. 147. Hunc medicus multum celer atque fidelis Excitat hoc pacto. *Id. Art. P.* 261. operæ celeris nimium curaque carentis Versus. *Id.* 1. *Od.* 16. 24. Celeres iambi. — *b*) Cum Ablat. rei, quam quis velociter agit. *Virg.* 9. *Æn.* 177. comitem Æneæ quem miserat Ida Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis. *Ovid.* 8. *Met.* 646. penna. *Lucan.* 1. 662. motu. *Vellej.* 2. 118. 2. sensu. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). Uvæ celeres proventu. — *c*) Cum Genit. *Sil. It.* 4. 567. Celer nandi. — *d*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 25. Celer irasci. *Id.* 3. *Od.* 12. 10. excipere aprum. *Id.* 4. *ibid.* 6. 39. pronos volvere menses. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 56. (194). Terra celerrima diluí aqua. *Inscript.* apud *Murat.* 1638. 4. O CELARES IN MALA VOTA DEI NAS AVIDAE PRECES, VITAM SERVARE MARITO. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĔLĔRANTER, adverb. celeriter, velociter, rapide. *Accius* apud *Non.* p. 513. 25. *Merc.* Sed quis is est, qui matutinum cursum huc celeranter rapit?

CĔLĔRĀTIM, adverb. celeriter. *Sisenna Hist. lib.* V. apud *Non.* p. 87. 1. *Merc.* Quo magis celeratim poterant, insidiis suos disponit. Sed fortasse hæc lectio erronea est; *Gell.* enim hunc locum ita legi: 12. 15. Quam maxime celatim poterat etc. *V.* CĒLATIM.

CĔLĔRĀTUS, a, um. *V.* CELERO.

CĔLĔRE, adverb. et est neutr. adjectivi *celeris* pro *celeriter*. *Plaut. Curc.* 2. 3. 4. Subito, propere, celere objectum est mihi negotium. Adde *Ennium* et *Novium* apud *Non.* p. 510. 12. *Merc.*; et veterem *Legem* apud *Frontin. Aquæd.* 129.

CĔLĔRES, um, m. plur. 3. trecenti equites a Romulo constituti ad custodiam sui corporis, ut *Liv.* 1. 15. narrat. Cf. *eumd.* 1. 59. *Paul. Diac.* p. 55. 2. *Müll.* docet, ita nominatos fuisse a *Celere* (cujus meminit etiam *Ovid.* 4. *Fast.* 837.) interfectore Remi, quem Romulus initio iis præposuerat, et tribunum Celerum appellaverat. Alii docent, dictos esse a Græco κέλης, ητος, qua voce vel equus significatur, vel eques equo insidens (*V.* CELES sub init.). Sunt etiam qui a celeritate dictos putant. Quæ omnia leguntur etiam apud *Serv.* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 603. Nec non Messapus contra, celeresque Latini. Nam *celeres Latini* est equitatus Latinorum, quem sic vocavit *Virg.* alludens ad illos *Celeres* Romuli, a quibus olim, hoc est sub regibus, omnes equites *celeres* dicebantur, teste *Paul. Diac. loc. cit.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 9. (35). Numa enim trecentis equitibus a Romulo creatis alios trecentos adjecit, qui omnes *celeres* sunt appellati. L. autem Tarquinius Priscus, teste *Cic.* 2. *de rep.* (edente *A. Maio*) 20., prioribus equitum partibus, secundis additis, M. et CC. fecit equites. Iisdem vero temporibus, ait *Pomponius Dig.* 1. 2. 2. § 15., et tribunum celerum fuisse constat. Is autem erat, qui equitibus præerat, et veluti secundum locum a regibus obtinebat. Ex hoc tribuno celerum originem habuit postea magister equitum, qui, quoties dictator dicebatur, secundas partes in republica sustinebat.

CĔLĔRĬPES, pĕdis, adject. comm. gen. qui levis est pedibus. *Cic.* 9. *Att.* 7. 1. Venit autem eo ipso die ille celeripes, quem Salvius dixerat. *Auson. Epigr.* 131. Nec ulla tam velox manus Celeripedis compendii. Adde *eumd. Parental.* 27. 4.

CĔLĔRĬTAS, ātis, f. 3. (*celer*) est velocitas, pernicitas, promptitudo (It. *celerità*, *velocità*, *prontezza*, *speditezza*; Fr. *célérité*, *rapidité*, *promptitude*; Hisp. *celeridad*, *prontitud*, *presteza*, *velocidad*; Germ. *Schnelligkeit*, *Geschwindigkeit*, *Hurtigkeit*, *Raschheit*; Angl. *swiftness*, *quickness*, *speed*, *celerity*). ¶ 1. Occurrit de externa rerum mobilium velocitate: quo sensu *celeritati* opponitur *tarditas*, ut apud *Cic.* 1. *Off.* 36. 131. Cavendum est, ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus moventur. *Id. Rosc. Am.* 34. 97. Quid hic incredibilis cursus, quid hæc tanta celeritas festinatioque significat? *Id.* 4. *Tusc.* 13. 31. Velocitas corporis celeritas appellatur, quæ eadem ingenii

etiam laus habetur, propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. Celeritas corporis in pedibus. *Id.* 2. *Nat. D.* 70. 114. equorum. *Id.* 1. *ibid.* 20. 52. Mundus versatur circum axem cœli admirabili celeritate. *Id.* 7. *Verr.* 34. 88. et *Vellej.* 2. 68. 2. Navis incredibili celeritate. *Cic.* 16. *Att.* 10. 1.; *Nepos Ages.* 2. et 4. et *Vellej.* 2. 51. 12. Tanta celeritate uti (*in itinere*). *Cæs.* 1. *B. G.* 48. peditum. *Liv.* 41. 10. Præcipiti celeritate abire. *Curt.* 9. 4. 10. Prærapida fluminum celeritate occupari. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 35. (73). Velox flexuosi voletus celeritas. *Sueton. Cæs.* 57. Celeritate incredibili longissimas vias conficere. *Quintil.* 11. 3. 164. Celeritas fortis (*gestus*). ¶ 2. De temporis decursu, adeoque de inceptis, eventibus etc., quæ decursu temporis fiunt: quo sensu eidem pariter *tarditas* opponitur apud *Cic.* 5. *Phil.* 9. 25. et 26. Certe ista legatio moram et tarditatem afferret bello. *Et mox.* Tamen legatorum nomen ipsum et animos hominum molliet, et belli celeritatem morabitur. *Id. Cœl.* 24. 60. Celeritas veneni. *h. e.* celeris agendi vis. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Fit aliquid cum maxima celeritate. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Celeritate vitare aliquid. *Id.* 7. *ibid.* 46. Celeritas tanta est in capiendis castris. *Id.* 3. *B. C.* 79. Celeritati studere. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. 2. et *Nepos Eumen.* 9. Celeritatem adhibere. *Id. ibid.* 10. Impedire celeritatem alicujus. *Curt.* 7. 2. 25. Velocitate celeritatem famæ antecedere. *Quintil.* 1. 10. 49. Celeritas augendi. *h. e.* in Mathesi. — Occurrit et de quantitate syllabarum. *Cic. Orat.* 57. 191. Brevitas et celeritas syllabarum. Adde *Quintil.* 9. 4. 89. et 91. et 140., et 11. 3. 107. ¶ 3. De animi alacritate atque in agendo velocitate: *V. Cic.* 4. *Tusc.* 13. 31. *loc. cit.* sub 1. *Id.* 1. *ibid.* 19. 43. Celeritas animi. *Id. Sen. ct.* 21. 78. animorum. *Id. Brut.* 14. 53. et *Nepos Eumen.* 1. ingenii. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 20. Naturæ celeritatem ad discendum dare. *Id. Flacc.* 20. 48. Homo quadam præcipiti celeritate dicendi. *Id.* 1. *Orat.* 5. 17. Celeritas et brevitas et respondendi et lacessendi. *Id.* 1. *ibid.* 20. 90. eloquendi. *Id.* 1. *ibid.* 28. 127. verborum. *Id. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Adde *Quintil.* 11. 3. 111. Rursus *Cic. Brut.* 42. 154. Prompta et parata in agendo et respondendo celeritas. *Quintil.* 1. 10. 34. Celeritas percipiendi.

CĔLĔRĬTER, adverb. (celer). Comp. *Celerius* et Sup. *Celerrime.* — Celeriter est velociter, brevi tempore, propediem (It. *presto, con celerità;* Fr. *promptement, rapidement, à la hâte;* Hisp. *prontamente, acceleradamente;* Germ. *schnell, geschwind, rasch, in kurzer Zeit;* Angl. *quickly, speedily, immediately*). *Plaut. Curc.* 5. 2. 2. Nam quam habui, absumpsi celeriter. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. 2. Ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. *Cic.* 9. *Fam.* 11. 2. Celeriter una futuros nos arbitror. *Id.* 15. *Att.* 17. Librum tibi celeriter mittam. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 1. 2. et 11. 3., et 1. *Divinat.* 28. 59. *Id.* 5. *Verr.* 24. 60. Eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus accedere. *Id.* 2. *Fin.* 14. 45. Mens celerrime multa simul agitans. Adde *Lentulum* apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. 1. *Cæs.* 5. *B. G.* 20. Illi imperata celeriter fecerunt. *Id.* 2. *ibid.* 3. Cum celerius omnium opinione venisset. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 48. *Id.* 1. *ibid.* 37. Re frumentaria quam celerrime potuit comparata. Adde *Nepot. Miltiad.* 4., *Them.* 2. et *Cimon.* 3.; *Liv.* 45. 1.; *Curt.* 4. 1. 5. et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (11). — Proverbium est apud *Sueton. Aug.* 25. ab Augusto sæpe usurpatum: Sat celeriter fit, quidquid fiat satis bene.

CĔLĔRĬTŪDO, inis, f. 3. celeritas. *Varro* 2. *R. R.* 12. 6. Ælius putabat, ab eo dictum leporem a celeritudine, quod levipes esset. *At valde dubia est lectio: verba enim illa* a celeritudine *glossema esse videntur; hinc eadem, damnata ab* Ursino, *uncis incluserunt* Gesner *et* Schneider*: nec habuit in suis libris* Crescentius.

CĔLĔRĬUSCŬLE, adverb. *deminut. a* celerius, aliquantum celeriter. *Cic.* 3. *Herenn.* 14. 24. Strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus: at aliud otiose retardabimus. Adde *Priscian.* 5. *p.* 611. *Putsch.*

CĔLĔRĬUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* celeris, aliquantum celeris. Agnoscitur a *Priscian.* 5. *p.* 611. *Putsch.*

CĔLĔRĬVŎLUS, a, um, adject. qui celeriter volat. *Vetus Poeta* apud *Mar. Victorin.* 3. *p.* 2572. *Putsch.* Rapere maria celerivola dea sibi cupit. *h. e.* Iris.

CĔLĔRO, as, āvi, ātum, are, 1. (celeris). Part. *Celerans*, *Celeratus* et *Celerandus.* — Celerare est celeriter facere, festinare, properare. (It. *far presto, accelerare;* Fr. *faire vite, hâter, accélérer;* Hisp. *apresurar, acelerar;* Germ. *schnell machen;* Angl. *to do quickly, to quicken, hasten, accelerate*). Occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 1. 388. Auræ celerantes. *Cic. Tim.* 10. Genus motus, quod semper esset in eodem æque, atque uno modo celeraret. *At valde incerta est lectio. Catull.* 63. 26. Celerare aliquo. *Tac.* 4. *Hist.* 24. Quam maximis itineribus celerare. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 5. et 12. *Ann.* 64.; et *Sil. It.* 12. 64. *Eutrop.* 4. 20. Celerare ad Asiam. — *b*) Cum Infinito. *Auson. Mosell.* 333. Sed celerant in se consumere nomen. — *c*) Cum Accusativo rei. *Lucret.* 2. 231. Celerare casus. *Id.* 5. 302. exitium alicui. *Virg.* 9. *Æn.* 378. fugam in silvas. *Id.* 4. *ibid.* 641. et *Apul.* 6. *Met.* gradum. *Virg.* 1. *Æn.* 656. Hæc celerans. *Id.* 8. *ibid.* 90. et *Sil. It.* 9. 96. iter. *Virg.* 5. *ibid.* 609. viam. *Val. Flacc.* 3. 231. opem. *Id.* 4. 80. et 385. imperium alicujus. *h. e.* celeriter exsequi. *Sil. It.* 1. 574. gressum. *Id.* 7. 720. vestigia. *Tac.* 12. *Ann.* 46. oppugnationem. *Id.* 2. *ibid.* 5. Celerandæ victoriæ intentior. *Ammian.* 31. 11. Celeratum iter. *Apul.* 10. *Met.* Celeratas hereditates excipere.

CĔLES, ētis, m. 3. κέλης, ητος. Græca vox, quæ Græca pariter significatione in artibus tantum apud Latinos usuvenit, et ¶ 1. Dicitur a Græcis *celes* equus, qui ab uno tantum regitur freno, non jugo, ad differentiam eorum, qui bigis, aut quadrigis junguntur: item eques, qui in certaminibus publicis hujusmodi equo utitur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 10. (19). Equestres statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Græcis exemplo. Sed illi celetas tantum dicabant in sacris victores; postea vero et qui bigis vel quadrigis vicissent. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 635. Celetes Neptuno equestri deo edere. *h. e.* certamina, in quibus singulis equis insidentes decurrerent. *Salmas.* ad *Lamprid. Commod.* 2. eos reprehendit, qui hoc loco *celeres* legendum putant. ¶ 2. Item genus est navis, quæ Latine *celox* appellatur, de qua *V.* infra. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (208). Cymbam invenere Phœnices, celetem Rhodii. *Vellej.* 2. 74. Piraticus celes. *Gell.* 10. 25. Hippagines, cercuri, celoces vel, ut Græci dicunt, celetes. — *Forcellinus* hæc quoque addit: Denique *celetes* dicti sunt trecenti illi equites a Romulo instituti, qui sæpius Latino vocabulo, hinc fortasse deducto, *Celeres* appellantur. Hinc in notis *Valer. Probi p.* 1534. *Putsch.* legitur: *Tr. Cel. Tribuni Celetum*; vel ut alii leg. (sed minus placet) *Celetium.* At in editione *Putsch. loc. cit.* legitur *Tribuni celerum* vel *Celtium*: unde hæc omnia nihili facienda sunt.

CĔLĒTIZONTES, um, m. plur. 3. (κελητίζοντες). Est vox artis propria, quæ equum singularem in certamine regentes significat. *V.* vocem præced. sub 1. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (75). *de Canacho sculptore.* Idem et celetizontas pueros fecit. *et paullo post* (78). Regiæ Minerva laudatur, et celetizontes pueri.

CĔLEUMA *et*

CĔLEUSMA, ătis, n. 3. (κέλευσμα a κελεύω jubeo). *Celeuma* extrito *s* reperitur in optimis quibusdam libris, teste *Dausq.* in *Orthograph.*, qui hujusmodi scriptionem non improbat. Nam Græci quoque κέλευμα interdum dicunt. — *Venant.* 4. *de Vita S. Martini* 423. *celeusma*, æ, f. 1. usurpavit: sed improbandus. — Ceterum *celeusma* est vox et clamor, quo portisculus remigibus signum dat eosque ad remigandum adhortatur: *V.* et PAUSARIUS. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Cæc.* 17. 55. p. 122. 6. ubi hanc vocem usurpat, docet, aliquando hoc celeusma cani solitum remigibus per symphoniacos, et per assam vocem, et, ut in Argo navi, per citharam. Quo cantu remiges a tædio laboris non parum levabantur. *Martial.* 3. 67. 4. Lectos fugitis ad celeusma remos. *Paulin. Nol. carm.* 17. 102. Navitæ læti solitum celeusma Concinent versis modulis in hymnos. *Rutil.* 1. 370. Dum resonat variis vile celeusma modis. Cf. *Zumpt* ad *h. l.* — Hinc ait *Dausq.* scriptum et usurpatum pro cantu vindemiatoribus proprio, qui proprie *jubilum* vocatur, et legitur apud *Hieronym. in Isaiam* 5. 10. Nequaquam in vindemia lætus vindemiator celeuma cantabit.

CĔLĬA, æ, f. 1. vox Hispana, qua significatur potio ex tritico facta. Madefaciebant enim Hispani triticum, et macerabant, deinde siccabant, et in farinam redactum molli succo admiscebant, quo fermentato sapor austeritatis et calor ebrietatis adjiciebatur, ut loquitur *Oros.* 5. 7., ubi de Numantinis a Scipione obsessis verba facit: dictamque *celiam* tradit a calefaciendo. Legitur hæc vox etiam apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 82. (164).; *Flor.* 2. 18. 12.; *Ammian.* 26. 22. et *Isid.* 20. *Orig.* 3. 18.

CĔLĬBĀRIS. *V.* CÆLIBARIS.

CELLA, æ, f. 1. Quod ad scriptionem attinet, fere sine diphthongo scribitur. Est enim a *celando*. *h. e.* condendo, ut docent *Varro* 5. *L. L.* 162. *Müll.*; *Paul. Diac.* p. 66. 9. *Müll.* et *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 437. aliique. Quia vero ipsum *celo* etiam hac significatione quidam per diphthongum scribunt, ut *Varro* et *Paul. Diac.*, ideo et *cœlla* scriptum alicubi invenitur. Rectius tamen erit sine diphthongo scribere, ut placet *Manut.*, *Dausq.* et *Voss.* et antiquis monumentis et consuetudine. — Ceterum, quod ad etymon attinet, rectius videtur *cella* esse per syncopen pro *camerula*, eadem ratione qua *sella* pro *sedula*, *mala* pro *mandela*, *scala* pro *scandela*, *ala* pro *axilla*. Itaque *cella* proprie est parva camera, semperque toti vel saltem ampliori ædificio opponitur (It. *cameretta, camerino, cella;* Fr. *petite chambre;* Hisp. *pequeno aposento, quarto;* Germ. *die kleine Kammer, Celle, Klause;* Angl. *a chamber*). Occurrit speciatim tantum, et quidem ¶ 1. De diis et de templis, in quibus *cella* erat pars sacratior et nobilior, in qua signa deorum stabant; et uno templo plures cellæ aliquando continebantur, ut in Capitolino tres, quarum media Jovi, dextra Minervæ, læva Junoni dicata fuit. Fr. dici potest *chapelle*. *Liv.* 5. 50. Cella Jovis, Minervæ, Junonis (*in templo Capitolino*). Adde *eumd.* 6. 29. et 35. 41.; *Vitruv.* 3. 2. 2. et 4. 4. 1. *Schneid.*; *Val. Max.* 8. 15. 1.; *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (38).; *Gell.* 7. 1. *Inscript.* apud *Orell.* 947., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 218. PR. ID. IVL. IN CAPITOLIO ANTE CELLAM IVNONIS REGINAE FRATRES ARVALES CONVENERVNT AD VOTA ANNVA SVSCIPIENDA etc. — Sciendum tamen, pro varia temporum dispositione variam cellarum magnitudinem fuisse: aliquando enim cella majus spatium, quam ceteræ partes, occupabat; quod colligimus ex *Vitruv. locis superius cit.* — Interdum etiam cella est ædes vel delubrum uni tantum divinitati sacrum. *Cic.* 3. *Phil.* 8. 19. Armatos in cella Concordiæ inclusit. Adde *eumd. ibid.* 12. 31.; et *Liv.* 27. 11. et 25. ¶ 2. Item de hominibus, et cella est — *a*) Generatim parvum cubiculum, quod uni tantum inservit, vel etiam casa angustior pauperiorum hominum. *Ter. Adelph.* 4. 2. 13. Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam. *Martial.* 3. 48. Pauperis extruxit cellam, sed vendidit Olus Prædia: nunc cellam pauperis Olus habet. Adde *eumd.* 7. 20. et 8. 14. — *b*) Speciatim est cubiculum secretum in ædibus, servis destinatum. *Cato R. R.* 14. Cellæ familiæ. *V.* FAMILIARICUS. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 67. Servorum in cellis stratos lectos peristromatis videres. Cf. *Quintil.* 8. 4. 25. *Vitruv.* 6. 7. 2. *Schneid.* Cellæ familiaricæ. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 8. 8. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 3. Cellæ bubulcorum et pastorum. Adde *Senec.* 3. *Controv.* 21. *Petron. Satyr.* 29. Cella ostiarii. Adde *eumd. ibid.* 77. — *c*) Ita quoque appellantur cubicula meretricum. *Petron. Satyr.* 8. Jam pro cella meretrix assem exegerat. Adde *Martial.* 11. 45. et *Juvenal.* 6. 122. — *d*) Dicitur quoque cella de membris balinei, quæ sunt frigidarium, tepidarium, caldarium apud *Plin.* 2. *Ep.* 17. et 5. *ibid.* 6.; *Pallad.* 1. *R. R.* 40. 4.; *Veget.* 2. *Veterin.* 6. 3. *Schneid.*; *Vopisc. Carin.* 17.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3327. et 3328. — De *cella soleari* a *Spartian. Caracall.* 9. memorata *V.* SOLEARIS. — ¶ 3. De brutis animalibus. — *a*) Cella ponitur de cubilibus, seu loculamentis columbarum et anserum altilium, ubi habitant et pullos fovent apud *Colum.* 8. *R. R.* 8. 3. et *ibid.* 14. 9., quocum cf. *Varro.* 3. *R. R.* 10. 4. — *b*) Item de cavernulis, quæ sunt in favis apum, fucorum, crabronum. *Virg.* 1. *Æn.* 433. dulci distendunt nectare cellas. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 21. 24. (71). Apum cellæ sexangulæ. — ¶ 4. Sæpius cella est locus secretus in ædibus, in quo aliquid ad usum familiæ pertinens reconditur, et asservatur. — *a*) Capit autem significationem pro ratione adjectivorum, quæ illi junguntur, ut *cella vinaria*, in qua vinum

servatur; *olearia*, in qua oleum; *farinaria*, *pomaria*, *lignaria*, *mellaria*, *casearia*, etc. *Cato R. R.* 3. et 13. Cella vinaria, olearia. *Cic. Senect.* 16. 56. Semper boni assiduique domini referta est cella vinaria, olearia, etiam penaria. *Id. Pis.* 27. 67. Pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola, atque de cupa. *Id.* 4. *Verr.* 2. 5. Cato cellam penariam reipublicæ nostræ Siciliam nominavit. Adde *eumd. Top.* 3. 17. *Varro* 1. *R. R.* 11. 2. et 13. 7. Cella vinaria. (De *cella vinaria V.* in **APOTHECA**). Adde *Vitruv.* 6. 6. 2.; *Horat.* 1. *Od.* 37. 6. et 2. *Sat.* 8. 46. et *Colum.* 1. *R. R.* 6. 9. — Jlocaliter *Plaut. Amph.* 1. 1. 4. *cellam promptuariam* vocat carcerem, in quo vincti custodiuntur, ut inde ad supplicium extrahantur. Festive etiam ludit in illo *Curcul.* a. 2. v. 16. Edepol ne ego hic me intus explevi probe; et quidem reliqui in ventre cellæ unum (*al. leg.* uni) locum, ubi reliquiarum reliquias reconderem. — *b*) Absolute quoque occurrit *cella*, et significat penum, in quo reponebantur quæcumque in usum familiæ consumenda erant. *Cic.* 14. *Att.* 19. 6. Villam cellamque alicui tradere. *Id.* 2. *leg. Agr.* 33. 89. Capua cella atque horreum Campani agri. — Speciatim vero hac significatione *cella* ponitur pro penu prætorum aliorumque Romanorum magistratuum, dum ipsi provincias administrabant: prætoribus enim aliisque magistratibus a provincia dari solebat frumentum in cellam, quod in usum suum consumerent: quod patet ex *Cic.* 5. *Verr.* 86. 200. *Id. Cic. Divinat. in Cæc.* 10. 30. et *Cic.* 5. *Verr.* 93. 214. In cella imperare frumentum. *Id. ibid.* 90. 209. Cellæ nomine. *Id. ibid.* 86. 200. In cellam dare. *Id. ibid.* 87. 202. Data est tibi pecunia, Verres, qua frumentum tibi emeres in cellam. *Id. ibid.* 81. 188. sumere in cellam.

CELLĀRĀRĬUS, ii, m. 2. Idem quod cellarius. *Paul.* 3. *Sentent.* 6. 72. Vestiarii et cellararii et cubicularii et arcarii. *Cujac.* ex antiq. libb. *cellarii* reponit. *Ulpian. Dig.* 33. 7. 12. Cellararium ideo præpositum, ut rationes salvæ sint. Ita *Torrentin.*; at *Haloand.* habet *cellarium*. Adduntur alia loca ex *Cod. Justinian.* et *Cassiod.*, sed ubique lectio variat. Sane *cellararius* minus apte a *cella* et *cellaris* descendit, quam *cellarius*; nisi retinendum sit *cellararius* esse a *cellarium*, ut *cellarius* est a *cella*.

CELLĀRĬENSIS, se, adject. ad cellarium pertinens. *Impp. Theodos.* et *Valentinian. Cod. Theod.* 11. 28. 16. Species cellarienses. Adde *ibid.* 7. 4. 32. *V.* **CELLARIUM**.

CELLĀRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut.* a cellarium, parvum cellarium. *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian.* 20. Sunt et culinæ in templo, sunt et cellariola, et torcularia.

CELLĀRIS, e, adject. ad cellam pertinens. Apud *Colum.* 8. *R. R.* 8. 1. *Columbi cellares* sunt qui in columbario aluntur, et in cellis, seu caveis in eo exstructis habitant et nidificant.

CELLĀRĬUM, ii, n. 2. cella, promptuarium, locus in ædibus secretus et obseratus, in quo reconduntur, et, ubi opus est, inde promuntur, quæ ad victum necessaria sunt (It. *guardaroba*, *dispensa*, *conserva*; Fr. *garde manger*; Hisp. *alacena*, *guarda mangiar*; Germ. *die Speise-und Vorraths-Kammer*; Angl. *a cellar*, *storehouse*, *buttery*, *pantry*).

I.) Proprie. *Dig.* 32. 41. § 1. Liberto meo diætam, in qua habitabam, item cellarium junctum eidem diætæ ab herede meo concedi volo. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24 (111). Quorum agri minorem modum obtinuere, quam cellaria istorum. *Harduin.* legit *sellaria*, quam lectionem retinuit et *Sillig. Inscript.* apud *Murat.* 903. 1. T. FLAVIVS EROS DOMITIANI CAES. SER. A CELLARIIS. *h. e.* præpositus cellariis. Adde *Augustini* locum allatum in **CANABA**.

II.) Improprie. Per metonymiam ponitur pro iis rebus, quæ cellario continentur, quæ sunt sal, vinum, oleum, carnes, laridum, caseus, et his similia, (præter annonam panis, vel frumenti) quæ in *Cod. Theod.* 11. 28. 16. *species cellarienses* dicuntur. *Sever. Sulpic.* 2. *Hist. Sacr.* 41. Acciti Episcopi Ariminum convenere: quibus omnibus annonas et cellaria dari Imperator præceperat. *Impp. Gratian.*, *Valentinian.* et *Theodos. Cod. Theod.* 1. 10. 3. § 1. Neque plus aliquid præstabitur, quam nos concessimus in annonis, seu cellariis.

Homonym. Inter *penum*, et *cellarium* hoc interest, quod *cellarium* est paucorum dierum, *penus* vero temporis longi. Ita *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 707. Quod sane discrimen perpetuum non est.

CELLĀRĪTA, æ, m. 1. qui cellario seu cellæ penariæ præest. *Cassiod.* 10. *Variar.* 28. Nec sinimus contra macellarios, vinarios, fœnerarios et cellaritas cujusquam prævalere malitiam, qui vestro judicio administrationes publicas susceperunt. *Nisi forte cellaritas mendum sit pro cellarios.*

CELLĀRĬUS, a, um, adject. ad cellam pertinens. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 31. Postea sagina ego ejiciar cellaria. *Vet. Scholiast.* ad *Pers.* 6. 24. Turdus cellarius. *h. e.* in aviario inclusus, cui *ibidem* opponitur *terrarius*: *V.* **TERRARIUS**. — Hinc

Cellārius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more (subaudi *servus*) est cellæ præpositus, ut condat et promat, quæ opus sunt. *Plaut. Capt.* 4. 2. 115. Sume, posce, prome quidvis: te facio cellarium. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 18. Ut cibus, et potio sine fraude a cellariis præbeatur. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 3. 9. et 4. 2. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 62. (188). Cellarii in saccis odorem vino gravem eximunt. Adde *Dig.* 33. 7. 12. § 9. et 40. 4. 28. *Inscript.* apud *Murat.* 925. 5. L. PAVLLVS L. L. PARATVS AVG. CELLARIVS. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2868.

Cellāria, iæ, f. 1. absolute, substantivorum more (subintellige *ancilla*) mulier cellæ præposita. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 102. Quia nihil abstulerit, succenset cellaria. *Al. leg.* ceraria, *quod præstat*; *al.* geraria.

Cellārium, ii, n. 2. substantivorum more. *V.* loco suo.

CELLĀTĬO, ōnis, f. 3. plurium cellarum series. *Petron. fragm. Tragur.* 77. *Burmann.* Domus habet suum cellationem, cubiculum, in quo ipse dormio etc. *Sunt qui suspicantur, aliter legendum esse.*

CELLĬO, ōnis, m. 3. idem qui cellarius. *Inscript.* apud *Gruter.* 582. 10. D. M. SECVNDI NVNDINI PRIMITIVI CELLIONIS POMP. PRIMITIVA LIB. ET CONI. OBSEQ.

CELLO, is, celsum, cellere, 3. De hac voce, quæ usurpatur tantum in compositis *antecello*, *excello*, *percello*, *præcello*, *recello*, *V.* **CELSUS**.

CELLŪLA, æ, f. 1. *deminut.* a cella, parva cella, parvum cubiculum. Occurrit ¶ 1. De hominibus. — *a*) Generatim. *Ter. Eun.* 2. 3. 18. Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum. *h. e.* cubiculum servi. — *b*) Speciatim est cubiculum secretum in ædibus, servis destinatum. *Seneca* 3. *Controv.* 21. — *c*) Ita quoque appellantur cubicula meretricum. *Petron. Satyr.* 11. Risu plausuque cellulam implevit. *h. e.* cubiculum meretricis, aut diversorii. Adde *eumd. ibid.* 136. — ¶ 2. De brutis animalibus. *Colum.* 8. *R. R.* 9. 3. Receptacula non tamquam columbis loculamenta vel cellulæ cavatæ efficiuntur, sed etc. *Ambros.* 5. *Hexæm.* 21. Minutæ ac rotundæ cellulæ apum.

CELLŪLĀNUS, i, m. 2. est monachus, qui in angusta casa vitam agit. *Sidon.* 9. *Ep.* 3. Peritus procum insulanarum, quas de palæstra congregationibus eremitidis, et de senatu Lirinensium cellulanorum in urbem quoque transtulisti. *h. e.* ex monasterio percelebri in insula Lerina prope Antipolim Galliæ Narbonensis urbem.

CĒLO, as, āvi, ātum, are, 1. Reperitur etiam cælo cum diphthongo æ, ut dictum est in voce **CELLA** sub init.: sed hac ratione fere ponitur pro insculpere. Part. *Celans* sub 2.° a. et b.; *Celatus* sub 2.° a. et in fin.; *Celandus* sub 2.° a. et sub 3.° — Ratione habita etymi, hæc vox conjungitur cum adverb. *clam* et *occulo*; necnon cum Germ. *hehlen*. — Celo est occulto, abscondo, clam habeo, totis viribus curo ne sciatur; et sæpissime conjungitur cum persona, cui aliquid occultatur: quapropter *celare* significat potius moralem actum, quo peccata et crimina curamus ne sciantur, quam materialem actum, quo aliquid aliorum oculis subtrahimus; quod colligitur etiam ex *Cic.* 3. *Off.* 13. 57. Neque enim id est celare, quidquid reticeas; sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire (It. *celare*, *nascondere*; Fr. *cacher*; Hisp. *esconder*, *ocultar*; Germ. *verhehlen*, *verbergen*, *verheimlichen*; Angl. *to hide*, *conceal*). Occurrit — 1.°) Raro admodum absolute, et est secreto, clam agere. *Cic.* 3. *Off.* 8. 37. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 30. 18., 3. *ibid.* 12. 52. et 13. 57. *Tibull.* 1. 9. 23. Nec tibi celandi spes sit peccare paranti. — 2.°) Sæpissime — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei tantum, quæ occultatur. *Plaut. Aulul.* 2. 3. 10. Quod celatum est atque occultatum usque adhuc, nunc non potest. *Ter. Heaut.* 4. 3. 20. Celabitur itidem ut celata adhuc est (virgo). Adde *eumd. Eun.* 2. 3. 4. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 18. 60. Cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Sed plerosque ii, qui receperant, celant noctuque per vallum emittunt. *Nepos Att.* 12. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antonius. *Liv.* 5. 51. *ad fin.* Sacra terræ celavimus. *Vir.* 9. *Æn.* 420. Conclamat Nisus, nec se celare tenebris Amplius — potuit. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 73. ingenium Res adversæ nudare solent, celare secundæ. *Id. ibid.* 4. 11. præcepta canam, celabitur auctor. *Id. Carm. sæc.* 9. Alme sol, curru nitido diem qui Promis et celas *h. e.* celas cum occidis. *Phædr.* 2. 2. 4. Mulier annos celans elegantia. *Ovid. Heroid.* 12. 37. quis enim bene celat amorem? *Colum.* 11. *R. R.* 2. 36. Celat se vespere stella. *Justin.* 24. 3. Ad celandam fraudem. *Ulp. Dig.* 11. 4. 1. Qui fugitivum celavit, fur est. *Id. ibid.* 21. 1. 17. Celare se ab aliquo. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 6. *Æn.* 443. aliquos valles celant. *Curt.* 4. 6. 5. arcana. *Horat.* 3. *Od.* 3. 50. aurum. *Id.* 3. *ibid.* 3. 42. catulos. *Nepos Epam.* 3. commissa. *Liv.* 24. 5. conscios. *Catull.* 64. 175. consilia crudelia dulci forma. *Ovid.* 2. *Art. am.* 427. crimina sua. *Id.* 2. *Met.* 37. culpam sub imagine falsa. *Id.* 9. *ibid.* 100. damnum. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 23. echinos æquora celant. *Cæs.* 7. *B. G.* 80. factum. *Tibull.* 1. 2. 34. furta. *Ter. Heaut.* 3. 1. 15. gaudium. *Ovid.* 10. *Met.* 763. granum sub cortice celant mala. *Id.* 15. *ibid.* 476. hamos cibis. *Id.* 6. *Fast.* 207. ignes. *Lucret.* 1. 515. inane corpore suo. *Ovid.* 1. *Art. am.* 397. indicem. *Ter. Hecyr.* 2. 2. 11. iras. *Id. Heaut.* 4. 1. 61. orata. *Horat.* 4. *Od.* 14. 45. origines fontium. *Tibull.* 1. 9. 3. perjuria. *Ovid.* 2. *Met.* 594. pudorem tenebris. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 34. sidera celantur. *h. e.* occidunt. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 29. succum. *Plaut. Amph.* 1. 2. 29. suspicionem. *Lucan.* 10. 14. timorem. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 86. turpia. *Id.* 1. *Ep.* 16. 24. ulcera. *Ovid.* 5. *Fast.* 319. alvum limo celantes. *Id.* 2. *Met.* 463. uterum manibus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 104. vultum gaudia prodentem. *Ovid.* 4. *Met.* 683. vultus manibus. — Et in Partic. præter. pass. *Ter. Andr.* 1. 1. 105. Bene dissimulatus amor et celatus. *Propert.* 3. 23. 30. At te celatis ætas gravis urgeat annis. *h. e.* tacite subeuntibus. *Lucret.* 5. 1158. Celata peccata. *Horat.* 4. *Od.* 9. 30. virtus. *Ovid.* 3. *Fast.* 831. ferrum. *Id.* 9. *Met.* 615. ignes. *Sueton. Cal.* 11. Celatus capillamento ganeas obibat. — Et verborum mediorum vi. *Sil. It.* 13. 57. Nec celata deam, et minitans Tritonia virgo. *h. e.* celans se esse deam. ἀλληγορικῶς. — *b*) Cum sequente Relativo. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 1. 2. Nec tamen istum cessare, sed celare quæ scribat existimo. *Nepos Datam.* 5. Celans qua voluntate esset in regem. Cf. *eumd. ibid.* 6. — 3.°) Cum Accusativo personæ tantum, cui aliquid occultatur, aut quæ ut aliquid nesciat, curamus. *Ter. Heaut.* 4. 3. 27. Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet senem. *Cic.* 2. *Off.* 8. 37. Si omnes deos hominesque celare possimus. *Id. Dejot.* 6. 18. Si te intermisisset, Jovis numen numquam celare potuisset, homines fortasse celavisset. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 26. 74. et 3. *Off.* 12. 52. *Ovid. Heroid.* 16. 13. Non poteram celare meos, velut ante, parentes. — Et passive. *Cic.* 5. *Fam.* 19. 2. De quo ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi. *Id.* 2. *leg. Agr.* 5. 12. Cum me in eorum sermonem insinuarem, celabar, excludebar. Adde *eumd.* 2. *ad Q. fr.* 16. 5.; et *Nepot. Hann.* 2. — 4.°) Addita et re quæ occultatur et persona cui res eadem occultatur. — *a*) Cum Accusativo et personæ et rei. *Cato R. R.* 5. Ne quid dominum celavisse velint. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 35. Nam nunc quum celo (*aurum*) sedulo omnes, ne sciant, omnes videntur scire. *Ter. Adelph.* 1. 1. 29. Ea ne me celet consuefeci filium. *Id. Hecyr.* 3. 3. 24. Te atque alios partum ut celaret suum. Adde *eumd. ibid.* 3. 1. 40. et *Andr.* 3. 4. 6. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 3. Non te celavi sermonem S. Ampii. *Id. Orat.* 69. 230. O virum simplicem, qui nos nihil celet! *Id.* 4. *Att.* 16. 14. Quid, celabo te res Romanas? *Lucret.* 4. 1182. Ipsæ omnia summopere hos postscænia celant. *Nepos Eumen.* 8. Iter, quod habebat, omnes celat. *Ovid.* 4. *Fast.* 149. ut tegat hoc celetque viros. *Alii, inter quos Forcellinus, leg.* viris. — Et passive cum Pronomin. person. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 23. Nonne hoc celatos tam diu? *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. (*al.* 6.) 4. Sed tamen indicabo tibi, quod mehercule

in primis te celatum volebam. — *b*) Cum Accus. personæ et Relativo. *Cic.* 3. *Off.* 12. 53. Tu celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiæ? *Tibull.* 1. 8. 1. Non ego celari possim, quid nutus amantis etc. — *c*) Cum Accus. personæ et Ablativo rei cum præp. de. *Cic.* 7. *Fam.* 20. 3. Bassus noster me de hoc libro celavit, te quidem non videtur. Adde *eumd. Dejot.* 6. 18. — Et passive. *Cic. Cluent.* 66. 189. Non est profecto de illo veneno celata mater. Adde *eumd. Sull.* 13. 39. et 6. *Fam.* 2. 9. — *d*) Raro, et passive tantum, cum Dativo personæ. *Nepos Alcib.* 5. Id Alcibiadi diutius celari non potuit. *Auct. B. Alex.* 7. Quod neque celari Alexandrinis possent in apparanda fuga. *Al. leg.* Alexandrinos. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 295. occulti fures quacumque latebra Non tibi celantur. — Hinc Part. præter. pass.

Celatum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more occurrit pro secreto, arcano. *Plaut. Trin.* 2. 1. 15. Indagator celati. *Id. ibid.* 1. 2. 127. Celata omnia possum dare. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CELO, onis. Falsa lectio: *V.* CELOX.

CELOSTRĀTA, antepagmenta, lectio incerta apud *Vitruv.* 4. 6. 6. *V. Schneider.* ad *h. l.*

CĔLOX, ōcis, f. 3. Ratione habita etymi, hæc vox conjungenda est cum *celer* et *cello*, nec non cum Gr. κέλης: hinc *celox* generatim est quidquid velociter navigat.

I.) Proprie est genus navigii parvi et celeris: a voce Græca allata, quæ sumpta est per metaphoram ab equo *celete*, quia, ut hic ab uno tantum regitur, ita hoc navigium vel uno tantum remo agitur, vel si (quod verius est) pluribus, ita tamen ut a singulis singulos remos tractantibus agatur. Fuit inventum Rhodiorum, ut *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (208). docet. *Ennius* apud *Isid.* 19. *Orig.* 1. 22. Labitur uncta carina per æquora cana celoris. *Ubi male quidem legunt* celonis, *et apud* Isid. loc. cit. celones *pro* celoces. Adde *Plaut. Capt.* 2. 4. 94. et *Turpilium* apud *Non.* p. 533. 5. *Merc. Varro* apud *eumd. Non.* p. 533. 7. Nautæ remivagam movent celocem. *Liv.* 21. 17. Naves CCXX. quinqueremes, celoces viginti deductæ. Adde *Gell.* 10. 25. — Nonnumquam accipitur et pro navi prædatoria, quam certe celerrima sit oportet, ut apud *Plaut. Asin.* 2. 1. 10. et *Liv.* 37. 27.

II.) Improprie, ita tamen ut allusio ad celere navigium servetur, de nonnullis ponitur, quæ veloci cursu feruntur. Festive *Plaut. Pseud.* 5. 2. 12. Dic tamen, unde onustam celocem agere te prædicem *h. e.* stomachum vino plenum. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 39. PAL. Hæc celox illius est, quæ hic egreditur internuncia. PYRG. Quæ hæc celox? PAL. Ancillula illius est etc. Adjective, seu potius per appositionem *Id. Pœn.* 3. 1. 40. Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date. *h. e.* operam celerem, non tardam. Nam sicut celox citato cursu fertur, ita corbita lento, cum navis oneraria sit.

CELSĒ, adverb. (celsus). Comp. *Celsius* I. — Celse est alte, excelse (It. *altamente*, *in alto*; Fr. *en haut*; Hisp. *arriba*, *altamente*; Germ. *hoch*, *erhoben*; Angl. *loftily*, *highly*).

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 19. 2. Lætitia vitium celsius evagatur. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 387. Celsius assurgunt cornua. *Ammian.* 25. 4. Celsius consurgere.

II.) Improprie. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 145. Celse natorum æquavit honori. *h. e.* equestris ordinis. Nam celsus de equitibus sæpe dicitur.

CELSĬTAS, ātis, f. 3. celsitudo. Quidam tribuunt *Ciceroni* 3. *Off.* 5. 24.; sed plerique, inter quos *Orellius*, leg. *excelsitas*.

CELSĬTŪDO, inis, f. 3. altitudo, excelsitas. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Vellej.* 2. 94. 2. Juvenis genere, forma, celsitudine corporis maximoque ingenio instructissimus. *Apul. Mund.* 53. Summæ celsitudinis esse. ¶ 2. Latiori sensu sequiore ævo titulus fuit, quo appellabantur Comes sacrarum elargitionum et Præfectus Prætorio, ut est in *Cod. Theod.* 1. 6. 6. et 9. 1. 15.

CELSUS, a, um, adject. Comp. *Celsior* I. et II. 2. Superl. *Celsissimus* I. et II. 1. — Ratione habita etymi, nonnulli opinantur derivari a græco κέλης, hoc est *eques* (*V.* CELES): quasi inde hujus vocis ratio petita sit, quod homines equis insidentes, alti sint erectoque corpore sedeant. Recentiores tamen philologi rectius docent proprie esse particip. pass. ab antiq. *cello*, eo modo quo *altus* ab *alo*, *artus* ab *aro* etc. — Ceterum *celsus* est altus, sublimis, elatus, et dicitur de iis, quæ alta simul et erecta sunt (It. *alto*, *eccelso*, *diritto in su*; Fr. *haut*, *élevé et droit*; Hisp. *alto*, *elevado*; Germ. *hoch*, *erhoben*, *auf-emporgerichtet*, *sich erhebend*, *erhoben*; Angl. *lofty*, *high*, *upright*, *erect*, *stately*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Quæ (*natura*) primum eos (*homines*) humo excitatos, celsos et erectos constituit. (Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 85. Os homini sublime dedit, cælumque tueri Jussit.). *Varro* apud *Non.* p. 4. 19. *Merc.* Hæc postquam dixit, cedit citus celsus tolutim. *Liv.* 30. 32. Celsus hæc corpore – dicebat. *Ovid.* 8. *Met.* 205. Icare, ait, moneo: ne si demissior ibis, Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (51). Regi apium pennæ breviores, crura recta, ingressus celsior. *Stat.* 8. *Theb.* 564. Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat.* 3. *Od.* 4. 14. Acherontiæ. *Colum.* 1. *R. R.* 2. 4. agri celsiores. *Horat. Epod.* 16. 29. Apenninus. *Virg.* 1. *Æn.* 56. arx. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (48). avis cristis celsa. *Seneca Hippol.* 656. et *Sil. It.* 3. 273. caput. *Ovid.* 10. *Met.* 538. cervus celsus in cornua. *Seneca Agam.* 96. colles. *Ovid.* 11. *Met.* 358. collum. *Sil. It.* 3. 273. corpus. *Colum.* 3. *R. R.* 8. 2. Germanus celsissimus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 24. 47. (131). infantes celsiores. *Seneca Agam.* 717. Phœbas graditur celsa. *Colum.* 4. *R. R.* 19. 1. positio jugi celsissima. *Virg.* 2. *Æn.* 527. puppis. *Ovid. Heroid.* 1. 34. regia. *Val. Flacc.* 6. 76. silva. *Seneca Hippol.* 1002. sonipes. *Ovid. Heroid.* 10. 126. stare celsum in arce. *Cic. Orat.* 18. 59. status et erectus et celsus. *Val. Flacc.* 2. 547. taurus celsior artus. *Horat.* 2. *Od.* 10. 10. et *Ovid.* 3. *Met.* 61. turres. *Virg.* 3. *Æn.* 293. urbs. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. 13. vertex montis.

II.) Translate occurrit ¶ 1. De magno dignitatis gradu. *Horat. Art. P.* 342. Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes. *Cic. Sull.* 2. 5. Sedes celsissima dignitatis atque honoris. *Sil. It.* 12. 551. senatus. *Id.* 12. 313. senatus turba. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 41. Non labente Numa timuit sic Curia felix, Pompejo nec celsus eques, nec femina Bruto. *Imppp. Valentinian. Theodos.* et *Arcad. Cod.* 1. 44. 2. Celsiores viri. *h. e.* in majori dignitate constituti. ¶ 2. Item de animo, et quidem — *a*) In bonam partem celsus est magnanimus, præcellens. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 42. Vir celsus et erectus et ea, quæ homini accidere possunt, omnia parva ducens. *Sil. It.* 16. 188. celsus mente. *Quintil.* 1. 2. 30. Animus generosior et celsior. — *b*) In malam partem est superbus, elatus. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 184. Erectum et celsum vagari toto foro. *Liv.* 7. 16. Celsi et spe haud dubia feroces in prælium vadunt. *Sil. It.* 2. 454. nova tegmina latis Aptat concutiens humeris, celsusque profatur. — *NB.* De Celso nom. prop. *V.* ONOM.

CELTIS, is, f. 3. arbor de genere lotorum, magnitudine piri, in Africa. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 17. 32. (14). — Putarunt nonnulli, quos inter *Forcellinus*, hanc vocem significare etiam scalpri genus, quo lapides inciduntur, decepti *Inscriptione*, quæ est apud *Gruter.* 329., in cujus versu 23. legitur: Malleolo et celte litteratus silex. Sed ea inscriptio recens figmentum est, eumque titulum *Jacobus Baduarius*, patricius Venetus, Sergio cuidam Polensi in Istria, parasito et histrioni sæculo XV. posuit. V. *Maffejum Art. Crit. Lapid.* l. 3. c. 2. *col.* 183., et *Cognolatum* in præf. huic Lexico præmissæ § 9. — Fatendum tamen est, hæc haberi in *Vet. Gloss. Philox.* Celte, γλυφεῖον et apud *Vulgat. Interpr. Job.* c. 19. v. 23. Quis mihi det, ut exarentur (sermones mei) in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? At textus Hebraici verba ita sunt interpretanda: Quis mihi det, ut sermones mei scribantur in libro, vel stylo ferreo, et plumbo in perpetuum in silice sculpantur? *h. e.* vel stylo ferreo silice cavato, plumboque repleto perpetuo duraturi sculpantur. Adde *Hieronym. Jobi loc. cit.*, qui Græcam potius versionem secutus fuisse videtur, et vertit: *Ut scribantur in libro*, *in stylo ferreo et plumbo*, *vel in petris scribantur*. Ita tria hic habentur, calami scriptio in libro, styli incisio in lamina plumbea, et scalpri sculptura in marmore; quæ quidem omnia locum habuisse apud veteres, in comperto est.

CĒMOS *vel*

CĒMUS, i, f. 2. (κῆμος) planta quædam, quæ eadem videtur esse ac leontopodium. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 35. (57). Eadem ex causa et cemos silebitur a nobis.

CENA cum derivatis *V.* CŒNA.

CENCHRIS, idis, 3. (κεγχρίς). ¶ 1. Feminino genere est genus avis ex genere accipitrum, ita dicta fortasse quia milio maxime delectatur, quod Græce κέγχρος dicitur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 73. (143). Cenchris supra quaterna edit ova. *Id. ibid.* 52. 74. (144). Ova rubri coloris phasianis, cenchridi. Adde *eumd.* 29. *ibid.* 6. 38. (127). ¶ 2. Masculino genere, fortasse ratione habita Græci ὄφις, cenchris est genus serpentis alvum habens minutissimis maculis ad instar milii variegatum; cum incedit non sinuatur in spiras, sed recto corpore movetur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 90. (245). Serpyllum adversus serpentes efficax, maxime cenchris. *Lucan.* 9. 712. Et semper recto lapsurus limite cenchris: Pluribus ille notis variatam pingitur alvum.

CENCHRĪTES, æ, f. 1. *vel rectius*

CENCHRĪTIS, idis, f. 3. (κεγχρῖτις) gemma maculas habens veluti milii grana sparsa, a κέγχρος *milium*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (188).

CENCHROS, i, m. 2. (κέγχρος) genus adamantis arabici milii magnitudine; κέγχρος enim *milium* est. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (57).

CENŎTĂPHIŎLUM, i. n. 2. *V.* CEPOTAPHIOLUM.

CENŎTĂPHIUM, ii, n. 2. (κενοτάφιον) monumentum vacuum cadavere, *tumulus inanis* (ut appellat *Virg.* 3. *Æn.* 304.), vel *honorarius* (ut *Sueton. Claud.* 1.), vel *inane sepulcrum* (ut *Inscript.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 269.) ad memoriam alicujus, qui alibi sepultus sit colendam; a κενός *vacuus* et τάφος *sepulcrum*. *Ulpian. Dig.* 11. 7. 2. § 6. Si monumentum purum est, poterit quis hoc et vendere et donare: si cenotaphium, posse hoc venire, dicendum est; nec enim hoc esse religiosum, divi Fratres rescripserant. *Lamprid. Alex. Sev.* 63. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum meruit. Adde *Hygin. Fab.* 273. *Inscript.* apud *Ficoroni Mem. di Labico* p. 28. M. AVRELIVS SYSTOMVS ET AVRELIA MARCIANE AEDIFICIVM CVM CENOTAPIO (*sic pro* cenotaphio *scribitur*) ET MEMORIAM A SOLO FECERVNT SIBI etc. — *Cenotaphia Pisana*, quorum non semel in hoc Opere mentio fit, sunt duo insignes lapides Pisis inventi, in quibus perscripta sunt, quæ in honorem Caji et Lucii Cæsaris Augusti ex Julia filia nepotum, immatura morte sublatorum, Pisani eo tempore decreverant. Qui lapides cum ipso Augusti ævo, et Romanis characteribus elegantissimis exarati sint, maximam habent in lingua Latina auctoritatem, non solum quod ad stilum, sed etiam quod ad orthographiam pertinet. Eos insigni commentario illustravit *Henricus Card. Norisius Veronensis*: quos tamen *Morcell. de stil. Inscript. Latin. T.* 2. *p.* 165. *Patav.* minus commode *cenotaphia* appellatos a *Norisio* affirmat, cum potius *decreta* essent appellanda.

CENSEO, es, censŭi, censĭtum *et sæpius* censum, ere, a. 2. Part. *Censens* II. 6. *g*; *Census* II. 4.; *Censendus* I. 1.; *Censitus*, hoc est in censum delatus, in censum acceptus, æstimatus, descriptus, occurrit in *Monum. Ancyr. tab.* 2. apud *Gruter.* 230., *in quo recensentur gesta Cæsaris Aug.* QVO LVSTRO CIVIVM R. CENSITA SVNT CAPITA QVADRAGIENS CENTVM MILLIA ET SEXAGINTA TRIA. In *Cod.* quoque *Justin.* non semel legitur: hinc *recensitus*. — Ratione habita etymi *censere* est ab Hæbraico כָּסַס *chasas* numerare, addita ad vim vocis augendam *n*, ut in *frango*, *tango*, *jungo* pro *frago*, *tago*, *jugo*: et significat æstimare, vel potius rationem et numerum inire, atque æstimationem alicujus rei facere simulque generatim complecti.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim raro admodum occurrit, et est rem aliquam diligenter perpensam æstimare, rationem inire, rei pretium statuere. *Plaut. Truc.* 1. 1. 54. Accipiat illico expensa, neque censeat. *Cic. Parad.* 6. 2. § 48. Si censenda nobis atque æstimanda res sit, utrum pluris æstimemus pecuniam Pyrrhi, an continentiam Fabricii. *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 2. In quo (*annulo*) censendum nil nisi dantis amor. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 60. nimium crudelis, qui dicere legem Fletibus, aut fines audet censere dolendi. *h. e.* statuere, præscribere. ¶ 2. Speciatim censere est alicujus rei rationem et numerum inire atque in publicis tabulis describere: quod munus censorum fuit, qui non solum omnium civium nomina describebant

(*Ovid.* 2. *Art. am.* 663. nec quo sit nata require Consule: quæ rigidus munera censor habet.), sed et eorum bona, ipsis profiteri jussis, æstimabant, et in publicis tabulis, quantum quisque possideret, perscribebant, ut imponere tributa in usum reipublicæ possent: *V.* CENSOR et CENSUS, et locum *Spartiani* in CENSITIO. Hinc in re publica *censere* idem erat, quod in re privata *arbitrari*, ut docet *Varro* apud *Non. p.* 519. 22. et 27. *Merc.* Porro hac significatione occurrit — *a*) *Censere aliquem* vel *aliquam provinciam*, aut *censere* absolute. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. CENSORES POPULI AEVITATES, SUBOLES, FAMILIAS PECUNIASQUE CENSENTO. *Id.* 4. *Verr.* 56. 139. Quinto quoque anno Sicilia tota censetur: erat censa prætore Peducæo: quintus annus cum in te prætorem incidisset, censa denuo est. *Id.* 1. *Att.* 18. 8. Ne absens censeare, curabo edicendum. Adde *eumd. Cæcin.* 34. 99. *Id. Arch.* 5. 11. Census indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive. *Id.* 2. *Verr.* 18. 54. Hæc frequentia, quæ convenit censendi causa. *Id. Flacc.* 32. 80. Si aliena censendo Decianus sua facere posset. *Liv.* 1. 44. Millia octoginta eo lustro civium censa dicuntur. *Id.* 10. 47. Censa capitum millia ducenta septuaginta duo, trecenta viginti duo. Adde *eumd.* 9. 19., 41. 8. et 45. 15. *Id.* 4. 8. Censendi formula. *Id.* 1. 44. Censendo finem facere. *Vellej.* 2. 15. Cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocarunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 5. (16). Cum jam capitum liberorum censa essent CCLI. millia quingenti LXXIII. *Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 18. 54. Convenerat multitudo ex municipiis, ut censeretur apud censores, qui tunc erant. Hæc *Forcellinus.* At h. locum inter Scholiastas ab *Orell.* editos nusquam inveni. — *b*) De formulis *censum censere, censui censendo legem dicere, censui censendo est aliquid* V. CENSUS. — *c*) *Censere aliquid* dicuntur qui apud magistratum profitentur nomen, familiam, facultates suas, et ea in censum deferunt, quique prius se suaque bona *in censu dedicabant*, quam formulam *V.* in CENSUS. Raro tamen *censere aliquid* active occurrit. *Cic. Flacc.* 32. 80. In qua tribu denique ista prædia censuisti? — *d*) Sæpius passive usurpatur cum Ablativo pretii. *Liv.* 1. 42. Undecim millibus hæc classis censebatur. *Jul. Paulus* apud *Gell.* 16. 10. Qui vero aut perquam parvo ære censebantur. *Gell.* 7. 13. Qui minore summa æris censebantur. — Hinc et *capite censeri*, hoc est solo capite in censum venire; et *capite censi* apud *Sall. Jug.* 86. et *Jul. Paulum* apud *Gell.* 16. 10. *V.* CAPITECENSI; et cf. *Niebuhr röm. Gesch. vol.* 1. p. 471. et seqq. Et figurate *Seneca* 7. *Benef.* 8. Ergo cum animum sapientis intuemur –, omnia illius esse dicimus, cum ad hoc jus quotidianum capite censebitur. *h. e.* flocci habebitur, nullius pretii ducetur. — *e*) *Censeri aliquid* videtur, juxta *Forcellinum*, adhiberi etiam deponentis forma; certe Accusativus ille est Accusativus æstimationis. *Cic. Flacc.* 32. 80. Voluisti magnum agri modum censeri et ejus agri, qui dividi plebi Romanæ non potest. Census es præterea numeratæ pecuniæ CXXX. – Census es mancipia Amyntæ. – Ac primo quidem pertimui, cum te audissem servos tuos esse censum. *Horat. Art. P.* 383. census equestrem Summam nummorum. *h. e.* in censendo, ut ait *Forcellinus*, repertus habere summam equestrem: nisi malis *census* accipere deponentis forma, ut sit idem quod *professus summam*. *Gell.* 7. 13. Qui centum et viginti quinque millia æris censi erant. *Pseudo-Ascon.* in 3. *Verr.* 41. p. 188. *Bait.* docet, *censos* olim a veteribus dictos fuisse, qui centum millia professione detulissent: hujusmodi enim facultates *census* vocabantur. Hanc tamen summam alii aliter tradunt. *V.* CLASSIS. *Jul. Exsuperant.* 2. Illi, quibus nullæ opes erant, caput suum, quod solum possidebant, censebantur.

II.) Figurate. ¶ 1. *Censeri aliqua re* est ob aliquam rem æstimari, in pretio haberi, notum et clarum esse. *Val. Max.* 8. 7. *extern.* 4. Democritus cum divitiis censeri posset. Adde *eumd.* 5. 2. *extern.* 4. *Id.* 5. 3. *extern.* 3. Aristides, quo totius Græciæ justitia censetur. *Seneca Ep.* 76. Id in quoque optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (12). Non vitibus tantum censeri Chion, sed et operibus Archenni filiorum. *Al. leg.* Anthermi. *Sueton. Gramm.* 10. Eratosthenes multiplici variaque doctrina censebatur. *Plin. Paneg.* 15. Hic te commilitone censetur. Adde *Apul. de Mag.*; *Martial.* 1. 62. et 9. 17.; et *Tac. dial. de orat.* 39. ¶ 2. Item figurate *Censeri nomine* vel *cognomine aliquo* est appellari, quia qui censebantur, nomen suum apud censores edebant. *Val. Max.* 8. 7. *extern.* 2. Quo cognomine censeretur, interrogatus. *Apul.* 5. *Met.* Et nomen, quo tu censeris, ajebat. ¶ 3. Item figurate *Censeri de aliquo* est haberi tamquam pertinens ad aliquem. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 73. Pro quibus ut maneat, de quo censeris, amicus. *Id.* 3. *ibid.* 1. 75. Hoc domui debes, de qua censeris. ¶ 4. Item *Censeri aliquem inter comites, aliquos parentes* est in comitum, vel parentum numero habere. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 139. Hanc probat, et primo dilectam semper ab ævo Est inter comites Marcia censa suas. *h. e.* numeravit, habuit. *Id.* 5. *Fast.* 25. hoc est dea censa parentes. — *Censere numerum gregis* apud *Colum.* 6. *R. R.* 23. 3. est inire, seu gregem numerare. *Plerique tamen leg.* constare. ¶ 5. Translate sumitur generatim pro putare, arbitrari, existimare: et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 5. 3. 21. Sed ipse egreditur, quam severus; rem cum videas, censeas. *h. e.* tum poteris judicare ac percipere. — In responsionibus est. *Plaut. Rud.* 4. 8. 5. PL. Censen hodie despondebit eam mihi, quæso? TR. censeo. PL. Quid? patri etiam gratulabor cum illam invenit? TR. censeo. Adde *ibid.*, ubi tota scena pluries festive repetitur. *Id. Cas.* 4. 3. 9. Quid si etiam occentem hymenæum? STA. censeo. *Ter. Eun.* 2. 1. 9. PH. Ego rus ibo atque ibi manebo. PAR. censeo. Adde *eumd. Heaut.* 3. 3. 27. — *b*) Cum Adverbiis *aliter, haud aliter, ita* etc. *Ter. Adelph.* 5. 8. 5. Haud aliter censeo. *Cic.* 2. *Legg.* 10. 23. Ita prorsus censeo. *V.* infra sub 6. *b.* — *c*) Cum Accusativo rei, quam opportunam, æquam etc. putamus. *Plaut. Rud.* 4. 8. 7. Quid ergo censes? *Cic.* 9. *Fam.* 2. 4. Tibi igitur hoc censeo. *h. e.* puto hoc tibi agendum esse. *Id.* 16. *Att.* 10. 2. Quod censueris, faciam. *V.* infra sub 6. *c.* — *d*) Cum duplici Accus. *Plaut. Cas.* 3. 2. 32. Cum aspicias tristem, frugi censes. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 3. quid censes munera terræ? Similiter æquum censere, quod *V.* infra in hac eadem paragr. sub *g.* — *e*) Cum Conjunctivo et partic. *ut* aut *ne*, quoties hortamur, monemus etc. *Plaut. Merc.* 2. 4. 15. Quo leto censes me ut peream potissimum? *V.* et infra sub 6. *f.* — *f*) Cum Conjunctivo sine partic. *Plaut. Stich.* 3. 2. 22. Censeo eas. *Cic.* 7. *Verr.* 68. 174. Magno opere censeo desistas. *Id.* 4. *Fam.* 2. 4. Tu ita censeo facias. *Id.* 7. *ibid.* 13. 2. Treviros vites censeo. *Id.* 2. *Att.* 4. 7. Tu censeo tamen adhibeas Vettium. *Liv.* 2. 48. Itaque principio anni censui occuparent patres ipsi suum munus facere. Adde *eumd.* 26. 7. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 44. Quam scit uterque, libens censebo exerceat artem. — Præcipue locum habet in iis, quæ per ironiam enunciantur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 97. Tribunum aliquem censeo adeant: a me istam exceptionem numquam impetrabunt. *Id.* 4. *Cat.* 6. 13. Vereamini censeo, ne in hoc scelere aliquid severius statuisse videamini, multo magis est verendum etc. *Forcellinus* cum veteribb. editionibus legebat *Veremini censeo, ne in hoc scelere* etc., ideoque statuerat *censere* interseri aliis verbis, ut *opinor*, *credo*. *Sall. Cat.* 52. Misereamini censeo – atque etiam armatos dimittatis: næ ista vobis mansuetudo et misericordia – in miseriam convortet. — *g*) Cum Accusativo et Infinito quoties quæ sit nostra sententia significamus. *Nævius* apud *Non. p.* 267. 18. *Merc.* Censent eo venturum obviam Pœnum. *Cato* apud *eumd. p.* 187. 23. Censeo – faciundum, ut etc. *Plaut. Rud.* 1. 2. 78. Non vidisse undas me majores censeo. Adde *eumd. Men.* 3. 3. 32. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 32. Adeon me esse pervicacem censes? *Id. Phorm.* 2. 4. 17. Ego amplius deliberandum censeo. Adde *eumd. Andr.* 1. 5. 21. et 3. 2. 25., *Adelph.* 5. 8. 5., *Eun.* 4. 4. 52. et 5. 9. 42. Huc pertinet et illud *ejusd. Ter. Heaut.* 3. 3. 9. Amantes advertunt graviter, quæ non censeas. *subaudi* adverti *vel* advertenda. *Cassius Hemina* apud *Non. p.* 267. 20. *Merc.* Censet sese regem Porsenam occidere. *Accius* apud *eumd. p.* 267. 17. Dum id, quod miser est, clam esse censet alteros. *Quadrigarius* apud *eumd. p.* 267. 21. Ne nos ad certationem censeas hoc incepisse. *Cic. Brut.* 91. 314. Sed cum censerem remissione et moderatione vocis – me et periculum vitare posse et temperatius dicere. *Id.* 10. *Att.* 11. 4. Quid mihi animi in navigando censes fore? *Id.* 12. *Phil.* 9. 22. Quid censetis – nullasne insidias pertimescendas? Adde *eumd.* 1. *Off.* 33. 120. et 2. *ibid.* 7. 25. *Lucret.* 1. 972. An prohibere aliquid censes obstareque posse? *Nepos Thrasyb.* 2. Cives civibus parcere æquum censebat. *Liv.* 24. 37. Claves portarum reddi sibi, æquum censebant. — *h*) Raro admodum Passive cum Nominativo et Infinito. *Gell.* 3. 3. Comœdiæ, quæ consensu omnium Plauti esse censebantur. — *i*) In prosa oratione haud raro cum Infinito pro Gerundio, quoties significamus quid agendum in posterum putamus. *Cic.* 2. *Legg.* 10. 26. Delubra esse in urbibus censeo. *h. e.* puto, opinor delubra in urbibus ædificanda esse. *Liv.* 24. 22. Si tutelam alieni regni suum regnum velit facere, eumdem se censere, multo acrius ab Andranodoro, quam ab Hieronymo, repeti libertatem. V. *Drakenborg* ad *Liv.* 2. 5. *Colum.* 1. *R. R.* 2. 1. Censeo igitur in propinquo agrum mercari. *Id.* 1. *ibid.* 3. 7. Jure igitur M. Porcius talem pestem vitare censuit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5. 7., 3. *ibid.* 10. 17., 4. *ibid.* 6. 3. et 10. 2., 5. *ibid.* 6. 36. et 8. 3., et 6. *ibid. præfat.* 3. et 23. 3. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 13. (17). His nucleis ad purgationem uti non censuerim. ¶ 6. Item translate, speciatim *censere* dicuntur, qui in senatu aut concilio sententiam dicunt de re aliqua: quod vero ad senatum pertinet *censere* proprium erat et solemne verbum, contra populi solemne et proprium erat *jubere*, ut patet ex *Liv.* 10. 12. et 31. 7. Porro hac significatione occurrit — *a*) Absolute. *Sueton. Aug.* 35. *in fin.* Ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam assentiendum esset. *Plin.* 9. *Ep.* 3. Jam censendi tempus. *Tac.* 1. *Ann.* 74. Quo loco censebis, Cæsar? Cf. *Lucan.* 1. 109. — *b*) Cum Adverbio *ita*, quod senatorum proprium erat et solemne. *Cic.* 3. *Phil.* 15. 37. Quamobrem ita censeo etc. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 19. 53., 8. *ibid.* 11. 33., 9. *ibid.* 7. 15., 10. *ibid.* 11. 26. et 14. *ibid.* 14. 36. Et passive *Pompejus ad Marcell. et Lentul. coss. post ep.* 12. *lib.* 8. *ad Att.* Ita video censeri Marcello et ceteris nostri ordinis. — *c*) Cum Accusativo rei tantum, quæ decernitur. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. 11. Nam de ceteris rebus quid senserim quidve censuerim, audisse te arbitror. *Id.* 13. *Phil.* 21. 50. Et hoc amplius censeo. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Pars deditionem, pars eruptionem censebat. (*subaudi* faciendam esse, ait hoc loco *Forcellinus*; sed perperam). *Liv.* 31. 7. Ite in suffragium et quæ patres censuerunt, vos jubete. *Sueton. Cæs.* 20. Nec quoquam reperto, qui censere aliquid auderet. *Tac.* 2. *Ann.* 83. Cum censeretur clypeus auro et magnitudine insignis. *Id.* 4. *ibid.* 74. Aram Clementiæ et Amicitiæ censuere. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 57. et 72. — *d*) Cum Accusativo rei et Dativo personæ, cui res ipsa decernitur. *Liv.* 10. 12. Bellum Samnitibus et patres censuerunt et populus jussit. *Tac.* 12. *Ann.* 38. Censentur Octavio triumphi insignia. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 8. — *e*) Cum Accusativo et Infinito vel Gerundio. *Cic.* 13. *Phil.* 21. 50. Et hoc amplius censeo, magnum Pompejum fecisse, quod etc. *Id.* 5. *ibid.* 19. 53. De exercitu ita censeo decernendum, senatui placere etc. *Id. ibid.* 12. 31. Quamobrem legatorum mentionem nullam censeo faciendam. *Id.* 1. *Off.* 13. 79. Captivos reddendos in senatu non censuit. Adde *eumd.* 11. *Phil.* 15. 40. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Erant sententiæ, quæ castra oppugnanda censerent. *Liv.* 2. 4. Cum in senatu vicisset sententia, quæ censebat reddenda bona. *Tac.* 14. *Ann.* 12. Nihil mutandum censentibus. — *f*) In prosa oratione haud raro pro Gerundio ponitur Infinitus, etiamsi res in posterum agenda significetur: confer præcedentem paragr. 5. sub *i*. *Sall. Jug.* 21. *in fin.* Senatus populique Romani verbis nuncient, velle et censere, eos ab armis discedere. *Liv.* 2. 5. De bonis regiis, quæ reddi ante censuerunt, res integra refertur ad patres. Adde *eumd.* 27. 5. et 45. 16. *Justin.* 13. 2. Perdicca censet, Roxanes expectari partum. *Gell.* 5. 6. Coronâ civicâ Ciceronem donari a republica censuit. *Al. leg.* e republica. Adde *eumd.* 20. 1. — *g*) Cum Conjunctivo et partic. *ut* aut *ne*. *Cic.* 3. *Phil.* 15. 37. De ea re ita censeo, uti C. Pansa A. Hirtius, coss. designati, dent operam etc. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 19. 53. *Id.* 8. *ibid.* 11. 33. Quas ob res ita censeo, eorum qui – adierint, iis fraudi ne sit. Cf. *Sueton. Aug.* 94. *Cæs.* 1. *B. C.* 67. Plerique censebant, ut noctu iter facerent. *Id.* 1. *B. G.* 35. Senatus censuit, uti quicumque Galliam provinciam obtineret, Æduos defenderet. Adde *Liv.* 1. 52. et *Tac.* 1. *Ann.* 8. — Hinc a Part. præter. pass. *Census, a, um* fit

Censum, i, n. 2. absolute, substantivorum more occurrit pro censu sive patrimonio. *Cic.* apud *Non. p.* 202. 22. *Merc.* Quorum luxuries fortunata censa peperit.

CENSĬO, ōnis, f. 3. (censeo) arbitrium, sententia. ¶ 1. Occurrit de sententia, arbitrio, judicio; et quidem — a) Specialim est sententia Censoris. *Varro* 5. *L. L.* 81. *Müll.* Censor ad quoius censionem, id est arbitrium, censeretur populus. — b) Item æstimatio, quæ fit a Censore. *Gell.* 16. 10. Capitis censio. *Id.* 10. 28. Ut discrimina pueritiæ, juventæ, senectutis ex ista censione Servii Tullii prudentissimi Regis noscerentur. — c) Item animadversio: quia Censores in eos animadvertere solebant, quos in moribus peccare cognovissent. Hinc *censionem facere* dicebantur, cum equiti multam irrogabant, ut docet *Paul. Diac.* p. 54. 5. *Müll.* Cf. *Lactant. Placid. Gloss.* ed. *Mai* in *Class. Auct. T.* 3. p. 449. Censio multa, qua citatos, si non parerent, afficiebat censor. Huc pertinet et *censio hastaria*, quæ habebatur cum militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret, ut *Paul. Diac.* 54. 12. docet. Hinc festive *Plaut. Aulul.* 4. 1. 15. Qui ea curabit, abstinebit censione bubula. *h. e.* loris bubulis non punietur. — d) Item est generatim opinio et judicium. *Symmach. Ep.* 1. 3. In gravi dono habeo, hanc apud vos esse de nostris epistolis censionem. Cf. *Capell.* 1. p. 22. Sed tristis melius censio clauditur. ¶ 2. Occurrit etiam de suffragio. *Plaut. Rud.* 4. 8. 9. At sume quidem, ne censionem semper facias. *h. e.* ne semper dicas: ego censerem, ego putarem. Ita, et nostrâ quidem sententiâ, recte hunc locum interpretatus est cl. *R. Klotz*; *Forcellinus* vero de vocis sensu, hoc in loco, non satis constare ait, atque integram illam scænam lepidissimam et interpretes legendos esse monuit.

CENSĪTĬO, ōnis, f. 3. tributum, vectigal; nam ideo censentur agri, ut tributum imponi possit. *Spart. Pescenn. Nigr.* 7. Palæstinis rogantibus, ut eorum censio levaretur, idcirco quod esset gravata, respondit: Vos terras vestras levari censitione vultis: ego vero etiam aerem vestrum censere vellem. *Frontin. Colon.* p. 146. *Goesii.* Cetera autem prout quis occupavit, posteriore tempore censita sunt, et possidenti assignata Imp. Vespasiani censitione et jussu. *h. e.* æstimatione et in censum relatione, ideo facta, ut tributum imponeretur.

CENSĪTOR, ōris, m. 3. idem quod censor. Revera nullum discrimen est inter *Censitor* et *Censor* cum eamdem originem habeant. Tamen *Censor* usitatior est; et si quando *Censitor* adhibetur, de iis fere dicitur, qui non in urbe, sed in provinciis (quod et *Cuperus* adnotavit ad *Lactant.* 23. de *mortibus persecut.*) censoris officio jussu imperatorum extra ordinem fungebantur; qui vero ibidem quinto quoque anno eumdem censum agebat, *quinquennalis* dicebatur. Idem apud *Gruter.* 427. 12. appellatur *legatus Imp. Nervæ Trajani ad census excipiendos*, et apud *eumd.* 355. 6. *a censibus accipiendis*, et apud *Fabrett.* p. 411. n. 353. *leg. Aug. cens. acc. Hisp. Cit.*; aliquando et *censor* est appellatus, ut apud *Schiassium, Guida del Mus. Bologn.* p. 72. T. Visulanius censor *Germaniæ inferioris.* Adde *Tac.* 14. *Ann.* 46. Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt. *Ulp. Dig.* 50. 15. 4. § 1. Illam æquitatem debet admittere censitor, ut officio ejus congruat. Adde *ibid.* 41. 1. 30. § 3. et *Cod. Theod.* 6. 3. 2. *Inscript.* apud *Gruter.* p. 417. 5., quæ est apud *Orell.* 3652. Q. HED. L. F. POL. RVF. PROCOS. PROV. ASIAE CENSITORI PROVINC. LVG. COMITI SEVERI ET ANTONINI AVGG. Alia apud *Gruter.* p. 439. 5., quæ est apud *Orell.* 208. CN. MVNATIVS M. F. PAL. AVRELIVS CENSITOR CIVIVM ROM. COLONIAE VICTRICENSIS.

CENSĪTUS, a, um. *V.* CENSEO sub init.

CENSOR, ōris, m. 3. (censeo) qui censum populi agit, atque ejusdem ordines vel classes, nec non officia in rem publicam statuit ac regit: quique propterea etiam *arbiter populi* dicebatur, teste *Varron.* apud *Non.* p. 519. 28. *Merc.* et 5. *L. L.* 81. *Müll.*, et *Dig.* 50. 16. 111. A Græcis pariter κήνσωρ reddebatur. Occurrit autem fere in plur. numero.

I.) Proprie. ¶ 1. Romæ censorum munus instituit Servius Tullius rex, et ipse primus, deinde ceteri reges exercuerunt. Exactis regibus ipsi consules ac tribuni militares administrarunt: cf. *Liv.* 4. 8. Hi postea bellorum curis impliciti, cum ei negotio vacare non possent, peculiaris ad hoc magistratus est institutus, in quo penes duos censoria potestas esset: hi tamen erant sine imperio, teste *Sueton. Ner.* 4.; ac propterea a comitiis centuriatis creabantur, ut docent *Messala* apud *Gell.* 13. 15. et *Cic.* 4. *Att.* 2. Censores aliquando creati, qui nondum consules fuerant: ad hoc certe munus, quod initium Romæ habuit an. U. C. 311., ante Chr. 443. teste *Liv.* 4. 8., ut patricii tantum eligerentur et quinto quoque anno crearentur, statutum ac sanctum legibus est. In posterum lege Æmilia, lata a Mamerco Æmilio dictatore ann. U. C. 321., cautum est, ne censoria potestas plus quam annua et semestris esset, teste *Liv.* 4. 24.: et jam inde ab anno U. C. 404. censorum alter patricius fuit et alter plebejus, immo interdum etiam ambo plebeji, ut colligimus ex *Liv.* 7. 22. ejusdemque *Epit.* 59. Porro jam inde ab initio in hoc munere parva erat dignitas (*V. Liv.* 4. 24. et 7. 22.); sed mox amplissima fuit, propter maximam ejusdem vim, quorum enim erat censum agere, eorum sub nutu atque arbitrio fuerunt vectigalia populi Romani, et morum præterea disciplinæque Romanæ penes eos regimen fuit. Hinc cives sic notabant, ut senatorem, qui in moribus deliquisset, senatu ejicerent, equitem equo publico spoliarent, plebejum jure suffragii spoliarent et ærarium facerent. Pertinebat etiam ad censores jus publicorum privatorumque locorum; item legere senatum, tribus addere, tueri urbis templa, leges condere aut abrogare, de certis rebus cognoscere etc. Hæc patent ex *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. CENSORES POPVLI AEVITATES, SVBOLES, FAMILIAS PECVNIASQVE CENSENTO: VRBIS TEMPLA, VIAS, AQVAS, AERARIVM, VECTIGALIA TVENTO: EXIN PECVNIAS, AEVITATES, ORDINES PARTIVNTO: EQVITVM PEDITVMQVE PROLEM DESCRIBVNTO: CAELIBES ESSE PROHIBENTO: MORES POPVLI REGVNTO: PROBRVM IN SENATV NE RELINQVVNTO etc. Et ex *Liv.* 4. 8. Idem annus (*h. e.* annus U. C. 311.) censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Cf. *eumd.* 24. 18., 29. 37. et 40. 46.; *Val. Max.* 2. 9. 1. et *Trebell. Poll. Valerian.* 2. Aliquot censorum insigniora acta in censura refert *Festus* p. 285. 1. *Müll.* ex *Varron. in lib. de vita populi Rom.* V. et *Gell.* 4. 12. et 20. Romanorum republica perdurante censores rite semper creati sunt; cum vero civilia bella exarserunt, eorumdem creatio extraordinario modo facta est: donec imperatores ad se hoc munus traxerunt, et nomen quoque ipsum aliquando mutarunt, *morum præfectos* appellantes; ita ut censores omnium postremi more veteri creati fuerint anno ab U. C. 732., teste *Sueton. Claud.* 16. V. *Pauly, Realencycl.* vol. 2. p. 247. et seqq. Sub imperatoribus censores Romæ fuerunt semper Augusti, quandoque tamen et privati: *V. Eckel. T.* 6. p. 313. In nummis vero et lapidibus, titulo censoris ex Augustis insigniuntur Claudius tantum, Vespasianus, Titus et Domitianus: *V. Seletti Dissert.* p. 7. Ceterum, ut constat ex iis, quæ affert *A. Maius* in *præfat.* ad *Symmach.* p. LVII., idem *Symmachus*, qui octuagenario major obiit anno a Chr. n. 404., eloquentiæ suæ vi obtinuit, ut censores decreto senatus tollerentur omnino. *Monum. Scipion.* apud *Orell. Inscript.* 550. CONSOL CENSOR AIDILIS QVEI FVIT APVD VOS. Adde *ibid. Inscript.* 552., 553., 539., 541. et 542.; *Cic. Cluent.* 46. 129., 1. *leg. Agr.* 3. 7. et *Flacc.* 31. 80.; *Varron.* 3. *R. R.* 2. 4.; *Nepot. Cat.* 2.; *Liv.* 42. 3.; *Horat.* 1. *Sat.* 6. 20.; *Ovid.* 2. *Art. am.* 664.; *Vellej.* 1. 10. 6.; *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 26. (51). et *Juvenal.* 11. 92. *Quintil.* 4. *præfat.* 3. Censor sanctissimus. *h. e.* Domitianus. Hic idem in *Inscript.* apud *Orell.* 766. et 768. perpetuus. *Censor perpetuus* appellatur Domitianus primus et solus, ut ait *Dio l.* 67. *c.* 4. τιμητὴς διὰ βίου πρῶτος καὶ μόνος καὶ ἰδιωτῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἐχειροτονήθη. *h. e.* morum correctionem suscepit, ann. 85. post Chr. n. (ut putat *Eckel. T.* 6. p. 396. et *Cardinali Dipl. imp.* p. 111.) quam deinceps, quoad vixit, gessit. ¶ 2. In coloniis, municipiis et provinciis *censor* quandoque, at sæpius *censitor*, qui reditus recensebat, ut æquis portionibus singulis capitibus tributum imponeret, quod toti coloniæ, municipio vel provinciæ impositum fuerat: in coloniis vero censores sæpius duumviri quinquennales appellabantur. *Liv.* 29. 15. Decreverunt patres, censum in iis duodecim coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data; dari autem placere eamdem, quam populo Romano; deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent. Adde *Cic.* 4. *Verr.* 53. 131. et 56. 138. et *Cluent.* 14. 41.; *Liv.* 29. 37.; et *Tac.* 1. *Ann.* 33. *Inscript.* apud *Gruter.* 366. 2., quæ est apud *Orell.* 3894. L. ABRVATIO L. F. GAL. BARBIO CENSORI REIP. SEAP. Cf. *Inscript.* apud *eumd. Orell.* 3882.; et *V.* CENSITOR. — Porro *censor perpetuus* etiam in municipiis erat. *Inscript.* in *Bullettin. dell' Instit. archeol.* a. 1839. p. 66. M. MANLIVS C. F. POLLIO TR. MIL. A POPVLO PRAEF. FABR. CENS. PERP.

II.) Figurate censores appellantur quicumque alicujus rei corrigendæ munus suscipiunt, ut qui aliorum vel in mores animadvertunt, vel de scriptis judicium ferunt etc. *Cic. Cœl.* 11. 25. Dixit enim (*L. Herennius*) multa de luxuria, multa de lubidine, multa de vitiis juventutis, multa de moribus, ut — fuerit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 110. qui legitimum cupiet fecisse poema, Cum tabulis animum sumet censoris honesti. *Id. Art. P.* 174. censor castigatorque minorum. *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 25. Sæpe ego correxi sub te censore libellos.

CENSŌRĬUS, a, um, adject. ad censorem pertinens.

I.) Proprie. — a) Generatim jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. Cluent.* 42. 117. et 119., 44. 124. et 46. 129. animadversio atque auctoritas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (32). castigatio. *Sueton. Rhetor.* 4. edictum. *Tac.* 4. *Ann.* 15. funus. *V.* FUNUS. *Cic. Cœl.* 15. 35. gravitas. *Id.* 2. *Orat.* 89. 364. et 90. 367. homo censorius. *h. e.* qui censura functus est: *V.* infra sub *c. Id. Cluent.* 43. 121. ignominia. *Id. Prov. cons.* 19. 46. judicium et notio. Cf. *eumd. Cluent.* 48. 135. *Id.* 5. *Verr.* 6. 12. locatio. *Id. Divinat. in Verr.* 3. 8. nomen. *Liv.* 24. 18., 24. 43. et 32. 7.; et *Quintil.* 5. 11. 13. et 5. 13. 32. nota. Cf. *Cic. Cluent.* 46. 32. censoriæ severitatis nota. *Id. ibid.* 46. 128. notationes. *Id. ibid.* 44. 125. opinio. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (211). opera. *h. e.* officia, sive omnia ea, quæ a censore præstanda erant. *Colum.* 12. *R. R. præfat.* § 10. opus censorium suscipere. *h. e.* censoris munus et officium. *Cic.* 2. *Orat.* 96. 367.; *Varro* apud *Gell.* 14. 7.; *Sueton. Cæs.* 41. et *Gell.* 4. 12. opus hoc est censorium. *h. e.* hoc opus ejusmodi est, ut latissimus agendi campus censori pateat: V. *Ellendt* ad *Cic.* loc. nuper *cit. Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (10). probrum censorium. *h. e.* censorum animadversione dignum. *Cic. Cluent.* 42. 119. ratio. *Id. ibid.* 44. 123. stilus. *Id. ibid.* 48. 135. subscriptio. *Val. Max.* 2. 7. 5. et 2. 9. *sub init.* supercilium. *Cic. Cluent.* 14. 41. et *Orat.* 46. 156.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). et *ibid.* 57. 82. (223). et 18. *ibid.* 3. 3. (11). tabellæ. *Cic. Cluent.* 44. 125. voluntas. — b) Specialim *lex* vel *leges censoriæ* sæpissime occurrunt, et significant — Modo contractus, qui cum censoribus fiebant ad publica ædificia, vectigalia aut etiam metalla redimenda, ut apud *Cic.* 1. *Verr.* 55. 143., 7. *ibid.* 21. 53., 1. *ad Q. fr.* 1. 12. § 35. et 3. *Nat. D.* 19. 49.; et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (78). — Modo censoria edicta, rationem decernentia, qua certi contractus faciendi erant, aut etiam edicta de sumptu, ut apud *Cic.* 5. *Verr.* 7. 16. et *Rabir. perduell.* 5. 15.; *Varron.* 2. *R. R.* 1. 16.; et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 1. 2. (4). — c) Absolute *censorius* est *homo, vir censorius*, ut apud *Nepot. Cat.* 1. M. Perperna censorius. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). et *Quintil.* 12. 1. 35. Cato. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (142). filius. — d) Item absolute dixit *Cic. Cluent.* 46. 129. Sortiri ad pœnam minime censorium est. *h. e.* non est agendi ratio censoris propria.

II.) Figurate quidquid grave et severum est, censorium dicitur. *Quintil.* 1. 4. 3. Censoria virgula notare versus. *Martial.* 5. 80. Mordere libellum lima censoria. — *Censorius dies*, pro die extremi judicii, invenitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 1052. 8., quæ tamen recentioris admodum est ætatis; pertinet enim ad sæculum XV. a Chr. n., ideoque nihili facienda illius auctoritas.

CENSŬĀLIS, e, adject. ad censum pertinens. *Ulp. Dig.* 50. 15. 4. *pr.* Forma censuali cavetur, ut agri sic in censum deferantur. etc. *et ibid.* Si quis inquilinum, vel colonum non fuerit professus, vinculis censualibus tenetur. *Arcad. ibid.* 50. 4. 18. § 16. Censuales professiones. *Cod. Theod.* 11. 28. 12. functiones. et *ibid.* 8. 2. 4. ministerium. *Inscript.* apud *Gruter.* 478. 2. tabularium. Alia apud *eumd.* 54. 3.

MERCVRIVS CENSVALIS. *h. e.* qui censui publico præerat. — Hinc

Censualis, is, m. 3. substantivorum more occurrit, et ¶ 1. Subaudi *scriba*, et est qui censuales tabulas conficiebat. *Capitolin. Gordian.* 12. Ut non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent. Hinc in *Cod. Theod.* 8. *tit.* 2. de Tabulariis, Logographis et Censualibus. Adde *ibid.* 8. 4. 8. § 1. et *Symmach.* 10. *Ep.* 43. (*al.* 36.). ¶ 2. Subaudi *liber*, et est Censoris tabula, in qua census perscriptus est. *Tertull. Apolog.* 19.

CENSUĀRII, ōrum, m. plur. 2. videntur esse, qui censum, hoc est pensionem annuam domino agri, quem colunt, pendunt. Legitur in *Cod. Justin.* 9. 49. 7. At in *Cod. Theod.*, ubi eadem lex habetur, 9. 42. 7., legitur rectius *casarii*, qui nempe prædiorum casis rusticis administrandis colendisque præpositi erant, quas Itali dicunt *massarie*, vulgo *casade*.

CENSŪRA, æ, *f.* 2. censendi actus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est munus Censorum, et Romæ (ubi initium habuit ann. U. C. 311. ante Chr. 443., teste *Liv.* 4. 8. M. Geganio Macerino, T. Quintio Capitolino coss. censuræ initium fuit.) et in provinciis. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 48. Quod insciente collega in censura nihil egisset, post censuram consulem fecit. *Id. Pis.* 4. 9. Ab eodem homine vetus illa magistra pudoris et modestiæ censura sublata est. Adde *Liv.* 4. 24. et 9. 33. et *Propert.* 4. 11. 41. *Ovid.* 6. *Fast.* 647. Agere censuram. Adde *Vellej.* 1. 10. 5.; *Val. Max.* 6. 5. 3. et 7. 2. 6.; *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (44). et 29. *ibid.* 1. 6. (13). *Sueton. Claud.* 16. Gerere censuram. Adde *eumd. Aug.* 27. et *Plin. Paneg.* 45. — Hinc proverbium apud *Juvenal.* 2. 63. Dat veniam corvis, vexat censura columbas. ¶ 2. Latiori sensu ponitur etiam pro quocumque judicio, examine. *Ovid. Rem. Am.* 362. Quorum censura musa superba mea est. *Vellej.* 2. 36. 2. Vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (169). Peragere censuram culinarum. *h. e.* recensere omnia quæ ad culinas et gulam pertinent. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (72). Facere censuram vini. *h. e.* judicium ferre de vino. *Gell.* 12. 2. Facere censuram de ingenio et scriptis alicujus. Adde *Juvenal.* 10. 31.

II.) Improprie seu figurate ponitur pro gravitate, severitate. *Trebell.* in *Gallien.* 3. Non posse ferre censuram parentis. *Capitolin. Marc. Aurel.* 32. Reprimere censura et auctoritate res turbatas. *Vulcat. Gallican. Avid. Cass.* 13. Mores propensiores ad censuram et crudelitatem. Adde *Plin. Paneg.* 45. et *Auson. Ep. Centon. subj.*

CENSUS, a, um. *V.* CENSEO.

CENSUS, us, m. 4. (*censeo*). De alia forma *censum*, V. *Censum* in fin. vocis CENSEO. — Census est descriptio atque æstimatio bonorum et personarum, præcipue quæ fit a censoribus.

I.) Proprie. ¶ 1. Census est æstimatio ac descriptio personarum et bonorum, quæ fit a censoribus. — *a*) Census personarum ita agebatur, ut quisque civis nomen, genus, annos de se, uxore, liberis et servis, eorumque officia et artes, deinde pecunias suas et prædia coram censoribus profiteretur. Agri ita deferebantur, ut nomen fundi, tum locus in quo esset, vicini præterea, deinde arva, vineæ, prata, silvæ, pascua deferrentur. *V. Ulp. Dig.* 50. *tit.* 15. *qui* De censib. *inscribitur*, 3. et 4. Atque hæc omnia jurati edebant; et si quis detrectaret, aut falleret, primis temporibus virgis cædebatur, postea vero amissione bonorum et civitatis multari consuevit. Institutus est census primum Romæ a Servio Tullio sexto Rom. rege, eo consilio, ut de viribus reipublicæ constare posset. In provinciis etiam census agebatur non solum ut de cujusque facultatibus constaret, sed ut tributa imponi possent. *V.* CENSOR I. 1. Porro *a censibus*, vel *ad census*, vel *a censu* dicitur is, qui Romæ officio censuali præerat, qui et *magister census* dictus est postea. *V. Borghesi* in *Ann. dell' Instit. archeol. a.* 1846. *p.* 323. — *b*) Ad censum servi non admittebantur, sed solum ingenui et cives Rom. Hinc *censu manumitti* apud *Ulp. tit.* 1. *Regular.* § 8. dicebantur servi, qui lustrali censu Romæ jussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur. *Cic. Top.* 2. 10. Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. — *c*) Quandoque census actus est, quin lustrum conderetur. *Liv.* 3. 22. *de ann. U. C.* 295. Census actus est eo anno. Lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum fuit. *Augustus* in *Monum. Ancyr. tab.* 2. IN CONSVLATV SEXTO (*h. e.* anno U. C. 726., ante Chr. n. 28.) CENSVM POPVLI CONLEGA M. AGRIPPA EGI, LVSTRVM POST ANNVM ALTERVM ET QVADRAGESIMVM FECI. *nempe post U. C.* 694., quo anno, ut narrat *Liv. Epit.* 98., Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. Hinc patet, falso affirmasse *Suetonium Aug.* 37. Censores creari desitos longo intervallo, creavit Augustus. Nam censum quidem condi desitum, censores vero eo intervallo creatos fuisse constat, cum an. U. C. 690. censor fuerit L. Aurelius Cotta, an. 699. M. Valerius Messalla et P. Servilius Isauricus, an. 704. App. Claudius Pulcher et L. Calpurnius Piso, an. 708. C. Julius Cæsar, an. 712. L. Antonius et P. Servilius. — *d*) *Censere censum* idem est quod censum agere seu facere: hinc *legem censui censendo dicere* est rationem præcipere, qua census agendus est. *Liv.* 43. 14. Legem censui censendo dicturos esse, ut præter commune omnium civium jusjurandum hæc adjurarent etc. Hinc *censui censendo prædia* vel *agri* vocantur a *Cic.*, qui ea conditione sunt, ut in censum deferri possint, et a censoribus describi atque æstimari: qui proinde et emi et vendi jure civili poterant, ut *Paul. Diac.* p. 58. 5. *Müll.* docet. Hujusmodi erant prædia mancipi, et juris solique Italici. Nam quæ erant in provinciis, nec mancipi erant (ante *Justiniani* constitutionem) et usu tantummodo a provincialibus habebantur; mancipium vero et proprietas ad populum Romanum pertinebat. Hæc censui censendo dici non poterant. *V. Niebuhr röm. Gesch. vol.* 1. *p.* 475. et seqq. *Cic. Flacc.* 32. 80. Illud quæro, sintne ista prædia censui censendo; habeant jus civile; sint necne sint mancipi. — *e*) Porro hac significatione *census* jungitur alicui Substantivo et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Liv.* 39. 44. accipere census. *Varro* 3. *R. R.* 2. 4. admittere populum censu. *Cic. Parad.* 6. 3. § 50. æstimatio census. *Liv.* 40. 46.; *Sueton. Aug.* 27. et *Tib.* 21.; et *Tac.* 1. *Ann.* 31. agere censum. *Cic.* 2. *de republ.* 22. 40. afferre in censum nihil præter caput. *Tac.* 13. *Ann.* 51. ascribere aliquid censibus. *Liv.* 43. 14. censere censum. *V.* supra sub d. *P. Africanus* apud *Gell.* 7. 11., *Cic. Flacc.* 32. 79., et *Varro* 1. *L. L.* 160. *Müll.* dedicare aliquid *vel* prædia in censu *vel* in censum. *h. e.* profiteri ad censum describendum. *Seneca* 1. *Benef.* 3. et *Ep.* 95.; et *Ulp. Dig.* 50. 15. 41. deferre in censum. *Liv.* 45. 15. excludere censu. *Gell.* 10. 28. facere censum. *Cic.* 4. *Verr.* 26. 63. et 53. 131. habere censum. (*Habere censum* significare videtur solummodo inire numerum apud *Cæs.* 1. *B. G.* 29. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, repertus est numerus millium centum et decem.). *Ulp. Dig.* 50. 15. 4. inserere aliquid censui. *Cic. Balb.* 2. 5. irrepere in censum. *Id. Cæcin.* 34. 99. liberari censu. *Liv.* 34. 51. et 26. 35. legere senatum a censu *vel* ex censu. *Id.* 4. 24. octuplicato censu. *Id.* 1. 44. perfecto. *Cic. Sext.* 47. 101. prohibere aliquem censu. *Liv.* 39. 44. referre aliquid in censum. *Cic. Arch.* 5. 11. requirere alicujus census. ¶ 2. Census etiam dicuntur libri sive tabulæ, in quibus census populi descriptus erat. *Cic. Cæl.* 32. 78. Censum populi Romani incendere. *Marcell. Dig.* 22. 3. 10. Census et monumenta publica potiora testibus esse senatus censuit. ¶ 3. Præterea *census* sæpissime significat fortunas et facultates cujusque. — *a*) Generatim. *Cic. Flacc.* 22. 52. Homo egens, sordidus, sine honore, sine existimatione, sine censu. *Horat.* 2. *Od.* 15. 13. Privatus illis census erat brevis, Commune magnum. *Id.* 1. *Ep.* 7. 56. Homo tenui censu. Cf. *Martial.* 12. 6. *Horat. ibid.* 1. 43. Census exiguus. *Id.* 2. *Sat.* 3. 168. antiquus. *Id. ibid.* 3. 323. Cultus major censu. *Ovid.* 1. *Fast.* 217. In pretio pretium nunc est, dat census honores, Census amicitias. *Id.* 1. *Amor.* 10. 41. Census augere paternos. *Id.* 3. *ibid.* 8. 9. Census partus per vulnera. *Id.* 9. *Met.* 670. nobilitate major. *Id.* 8. *ibid.* 846. Demittere censum in viscera. *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 9. Totis pæne censibus aliquid redimere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (22). Censu opimo onerare digitos. *h. e.* gemmis maximi pretii. *Id. ibid.* 3. 13. (43). et *Sueton. Tib.* 49. Census maximus. *Juvenal.* 3. 361. Prodiga non sentit pereuntem femina censum. *Id.* 10. 13. Census exsuperans cuncta patrimonia. *Id.* 14. 176. indomitus. *Id. ibid.* 227. magnus. *Lucan.* 3. 157. intactus. — *b*) Specialim *census senatorum* (*Sueton. Aug.* 41.) vel *senatorius* (*Sueton. Vesp.* 17.), scilicet patrimonium senatorum, erat octingenta millia HS. Primis tamen reipublicæ Romanæ temporibus videtur nulla fuisse census ratio in seligendis senatoribus: hæc enim habet *Plin.* 14. *Hist. nat. procem.* 1. (4). Postquam senatus censu legi cœptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare, quam census. — Quo autem tempore modus in censu constitutus fuerit, non constat. — Porro nomine census non annuum reditum intelligendum esse, sed universorum bonorum æstimationem, sensit *Octav. Ferrar. elect. l.* 1. *c.* 20. Hoc quidem confirmatur ex eo, quod censum *Sueton. Aug.* 41. vocat summam, *Tac.* 4. *Ann.* 63. rem, *Dio l.* 54. *c.* 17. οὐσίαν. Augustus tamen senatorium censum ampliavit ad duodecies HS. *Sueton. in ejus Vita* 41. Hæc sunt itaque *tertia quadringenta*, quæ memorat *Juvenal.* 14. 326. — *c*) *Census equester* (*Sueton. Cæs.* 33. et *Aug.* 40.; et *Plin.* 1. *Ep.* 19.) erat duplo minor, *h. e.* quadringentorum HS., ut colligitur ex *Horat.* 1. *Ep.* 1. 57. Qui vero minus habebant, plebs erant. Sed de hac re tota fusius eruditi *Ferrar.*, *Lips.*, *Manut.*, *Mazzon. in Dantem l.* 1. *c.* 41. et alii. Porro ex *Martial.* 5. 38. constat, singulos ex fratribus equestrem censum habere debuisse, ut simul equites essent: quod item de senatorio etiam ordine et de decurionali dicendum est. Census vero decurionalis qualis esset, *V.* in DECURIO.

II.) Figurate. *Manil.* 1. 12. Ætherios per carmina pandere census. *h. e.* cœli divitias. *Id.* 3. 71. sua nomina cuique Attribuit, totumque hominis per sidera censum. *h. e.* quidquid est hominis, opes, artes, studia, casus etc. *Id.* 1. 792. et censu Tullius oris Emeritus cœlum. *h. e.* facultate dicendi.

CENTAURĪA, æ, f. 1. (subaudi *herba*) idem quod *centaureum* apud *Apul. Herb.* 34. et 35.

CENTAURĒUM, i, *vel* centaurion, ii, n. 2. (κενταύρειον et κενταύριον). Cf. voc. præced. Centaureum est herba, alio nomine Chironium, foliis latis et oblongis, serrato ambitu, densa ab radice, caule ternum cubitorum geniculato, in quo caput ceu papaveris: radice vasta, rubescenti, tenera et fragili, madida succo, amara cum quadam dulcedine. Nomen habuit a Chirone Centauro, qui ea pedem vulneratum sagitta Herculis, cum ejus arma pertractaret, sanasse dicitur, teste *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 30. (66). Centaurio sanatus dicitur Chiron etc. *Lucret.* 2. 400. tætra absinthi natura ferique Centauri fœdo pertorquent ora sapore. Adde *eumd.* 4. 124. *Virg.* 4. *G.* 270. et grave olentia centaurea. Adde *Lucan.* 2. 401. et 9. 918. — Hæc dicitur centaureum majus. Est enim et centaureum minus origano simile, foliis angustioribus, et longioribus, caule anguloso fruticante, flore lychnidis, radice tenui. Latino vocabulo *fel terræ* appellatum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 30. (68). et seq. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 332. et 333.) de *centaureo minore* hanc exhibet synonymiam: Κενταυρὶς Theophr. 9. 9.; Χειρώνειος ῥίζα Nicand. Ther. 500.; Κενταύριον μικρὸν ἢ λεπτὸν Dioscor. 3. 9.; Θερμόχορτον Græcor. recent.; *Centaurion lepton et libadion*, *fel terræ* Plin. l. c. et *Exacon* Gallor. teste Plin. l. c. sunt *Chironia Centaurium* Smith. Fl. brit. 1. 257. — Quod vero ad *Centaureum majus* attinet, idem *Fée* hæc ait: « Nous pensons, avec la presque totalité des commentateurs, que c'est bien là notre grande centaurée, *Centaurea Centaurium* L. *V.* PANACES.

CENTAURĬON, ii. V. voc. præced.

CENTAURIS, idis, f. 3. κενταυρίς, herba cognomine triorchis, succum habens sanguineum, quam *Theophrastus* tradit defendi a triorche accipitrum genere contra colligentes. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 32. (69). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 333.) recte putat, *centauridem* et *centaureum majus* unum idemque esse, ac *Plinium* hac in re a *Theophrasto* deceptum ait.

CENTAURUS, i, m. 2. Κένταυρος, monstrum superiori parte homo, inferiori equus: de quo *V.* multa in ONOM. ¶ 1. Est etiam hoc nomine cœleste sidus, et quidem duplex: alterum idem est, qui *Sagittarius*, de quo *V.* suo loco; alterum vero in parte cœli australi, quem dicunt esse Chironem, artis medicæ inventorem, ob id meritum inter sidera esse. Situs est inter Argo navim, quam habet a tergo, et Aram, quam a fronte; habetque in manu hostiam, quasi sacrificaturus. Pedibus innixus est circulo antarctico: supra caput habet extremam Hydræ caudam.

Constat stellis secundum *Hygin.* viginti quatuor: secundum alios triginta sex. Quidam dicunt non Chironem, sed Pholon Centaurum esse, qui haruspicio præter ceteros plurimum valuerit: ideoque ad Aram cum hostia venire Jovis voluntate figuratum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 114. (*Arat.* 447.); *Hygin.* 2. *Astron.* 38. et 3. *ibid.* 37.; et *Manil.* 1. 408. — De priori Centauro quidam afferunt locum *Vitruvii* 9. 7. *edit. vet.*, ubi tamen alii rectius leg. *Taurus*. Hæc *Forcellinus*. At *Schneider. ibid.* (9. 5. 1.) leg. *Centaurum*, et locus de Centauro australi intelligendus esse videtur. ¶ 2. Est etiam nomen navis apud *Virg.* 5. *Æn.* 122. Centauro invehitur magna. *Centaurus magna* Græce dicitur βουκένταυρος, ex quo nomen inditum navi, qua Venetorum dux quotannis vehebatur, *Bucentoro*. Porro ea ratione *Virg.* dixit *Centauro magna*, qua *Ter. Eun. prol.* 32. *Eunuchum suam*. Ille enim ad navim, hic ad *fabulam* adjectivum retulit. Sic *Plin.* 26. *Hist. nat.* 14. 87. Dictamnum pota sagittas pellit. *h. e.* herba. Quæ dicitur a Grammaticis figura *synthesis*. — *Forcellinus* addit *centaurum* apud *Lucret.* 2. 400. herbam esse eamdem, quæ *centaureum*. Sed apud *Lucret.* legitur *ferique Centauri*, ac propterea *centauri* est per syncopen pro *centaurei* vel Græca positione *centaurii*.

CENTĒMĀLIS, is, adject. ad pungendum aptus, a κεντέω *pungo*, unde κέντημα *punctio*. *Centemalis* fistula apud *Veget.* 2. *Veterin.* 15. 4. *Schneid.* est instrumentum chirurgicum mulomedicorum, multis foraminibus minutisque pertusum, quo immisso in vulnus humor foras emanat. Hanc Galli vocant *trois-quarts*, Itali *il trequarti*, quod triquetra sit, qua acuta est, cetera teres; hac vero ad paracentesin utuntur chirurgi, in quam impressa acus extrahi, et in vulnere relinqui argentea fistula possit. Alii, quos inter *Schneid.*, leg. *Centimalis* vel *Centinalis*; et apud *eumd. Veget.* 5. *ibid.* 21. 4. *centralis* in quibusdam editionibus, ut in editione *Schneideri*.

CENTĒNĀRĬUS, a, um, adject. qui centum continet. Occurrit — *a*) Ratione habita numeri rerum aliquid constituentium. *Varro* 3. *R. R.* 6. 6. Grex centenarius facile quadragena millia sestertia ut reddat. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 4. 22. *Id.* 5. *L. L.* 88. *Müll.* Centuriæ, quarum justus centenarius numerus. Adde *eumd.* 2. *R. R.* 5. 18. et *Fragm. Vatic.* § 233. *Tertull. Cor. Mil.* 14. Centenariæ rosæ. *h. e.* centifoliæ. *Hieronym. Ep.* 10. n. 1. Ætas centenaria. *h. e.* centum annorum. *Capell.* 6. p. 224. Immature perit, qui centenarius moritur. *Centenarius equus* videtur is appellari, qui centum victorias consecutus esset in circo. *Inscript.* apud *Gruter.* 337. DIOCLES AGITATOR EQVOS CENTENARIOS FECIT N. VIIII. DVCENAR. I. — *b*) Ratione habita ponderis. *Lucilius* apud *Non.* p. 555. 25. *Merc.* Centenariæ balistæ. *h. e.* quæ saxa pondo centum jaciunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (83). pondera. *h. e.* centum librarum. *Lamprid. Elagab.* 19. Vasa centenaria argentea. *h. e.* centenis argenti libris conflata. Sic *centenaria auri* in *Cod. Justinian.* 12. 51. 13. sunt centenæ libræ auri signati, ut contra *Dion.*, *Gotofr.* et *Cujac.* ostendit *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Sever.* 39. — *c*) Ratione habita mensuræ. *Vitruv.* 8. 6. 4. *Schneid.*; *Frontin. Aquæduct.* 29. et 62.; et *Pallad.* 9. *R. R.* 12. Centenaria fistula. *h. e.* quæ habet centum digitos quadratos areæ, id est luminis. *Capitolin. Gordian.* 32. basilicæ. *h. e.* centum pedum. *Inscript.* apud *Orell.* 39. columna. *h. e.* insignis illa columna cochlis, quæ Romæ etiamnum extat honori M. Aurelii Antonini Imp. dicata, quia altissima est, quippe quæ centum et septuaginta pedes Parisinos æquet, nam sæpissime numerus centenarius pro maximo indefinitoque usurpatur; ut pluribus argumentis probavit *Car. Fea* ad *Winckelmann. Stor. della scult. T.* 3. p. 351. — *d*) Denique ratione habita pecuniæ. *Tertull. Apolog.* 7. et *Paul. Diac.* p. 54. 2. *Müll.* Centenariæ cœnæ. *h. e.* illæ, in quas lege Licinia certis diebus non plus centussibus, præter terrâ nata, impendebantur. *V.* LICINIUS in ONOM. *Ulp. Dig.* 37. 14. 16. *pr.* § 1. libertus. *h. e.* qui centum millia HS. possidet, ut *Justinian. Institut.* 3. 8. § 2. docet. Sic *centenarius vir* est, qui centenum millium nummorum stipendio merebat. *V.* DUCENARIUS. — Hinc

Centenarii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicti sunt aliquando ipsi centuriones. *Veget.* 2. *Milit.* 13. Centuriones, qui nunc centenarii vocantur. — Fuerunt etiam centenarii, qui ad *centenæ* gradum promoti erant. *V.* CENTENUS in fin.

CENTĒNĬŌNĀLIS nummus, de quo mentio fit in *Cod. Theodos.* 9. 23. 1. et 2., creditur a quibusdam esse idem, qui centenarius aureus ab Elagabalo primum conflatus, ut docet *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Alii autem probabilius putant, fuisse nummum argenteum minutiorem, et usui publico accommodatum, atque adeo parvi valoris, quippe qui centum in singulas argenti libras nummi signarentur, cum prius sexaginta, vel quatuor et octoginta tantum essent. *In cit. leg.* 2. Centenionalem tantum nummum in conversatione publica tractari præcipimus, majoris pecuniæ figuratione submota. At in *cit. leg.* 1. Si mercatorum naves ad quascumque provincias venerint, cuncta solitâ licentiâ mercabuntur, præter pecunias, quas more solito majorinas, vel centenionales communes appellant, vel ceteras, quas vetitas esse cognoscunt. *Ex his igitur patet*, majorinas pecunias *hac et secunda leg. cit.*, centenionales vero *hac tantum vetitas fuisse in usu publico permanere*.

CENTĒNUS, a, um, adject. ab adverbio *centiens* factum, quod raro admodum in singulari numero reperitur. *Virg.* 10. *Æn.* 207. centenaque arbore fluctus Verberat. *h. e.* centum remis. *Pers.* 5. 6. centeno gutture niti. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 43. centeni judicis hasta. *h. e.* centumvirorum. *Martial.* 8. 45. centeno consule. — In plurali numero potius usurpatur, et est *numerale distributivum*,

Centeni, æ, *a*, Genit. *centenûm*: quod de omnibus distributivis licet observare. *Cic. Parad.* 6. 3. § 49. Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia, ego centena ex meis. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 15. decies centena dare alicui. *Auct. B. Alex.* 48. HS centenos militibus est pollicitus. *Liv.* 45. 40. Pediti in singulos dati centeni (*denarii*). *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (164). Centenûm annorum censi sunt homines LIV., centenûm denûm XIV., centenûm vicenûm quinûm II. *Id.* 11. *ibid.* 37. 76. (196). Centenis annis durare. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (27). Annis centenis quadragenis vivere. et *ibid.* Centenos annos excedere. *Id.* 5. *ibid.* 9. 9. (47). vicies sexies centena et triginta novem millia, sedecies centena et quadraginta quinque millia. *Id.* 33. *ibid.* 10. 47. (133). decies centena millia. *Martial.* 12. 50. centenis stat porticus alta columnis. *Sueton. Vesp.* 18. centena annua. *Tac. Germ.* 6. Centeni ex singulis pagis sunt. *Gell.* 2. 24. centeni æris (*nummi*) — Hinc

Centena, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est dignitas, quæ dabatur militantibus in sacro palatio: *h. e.* inservientibus in schola *agentium in rebus*: qui centum ex iis, qui agentes in rebus dicebantur, præerant: et centurionatui in re militari similis erat. Colliguntur hæc ex *Cod. Theod.* 6. 27. 7., 8. 4. 3. et 10. 7. 1. et ex *Cod. Justinian.* 12. 20. 4. Qui ad hunc gradum erant promoti, centenarii dicebantur *cit. leg.* 7. *tit.* 27. etc. ex *Cod. Theod.* — Erat et *ducena* ejus qui ducentis hujusmodi præerat, qui *ducenarius* vocabatur. In *Cod. Justinian. loc. cit.*

Centenum, i, n. 2. (subaudi *frumentum*) absolute, substantivorum more, est frumenti genus, idem ac secale. *Edict. Diocl.* p. 27. Centenum sive secale K. M. unum ✕. *Isid.* 6. *Orig.* 3. 12. Centenum appellatum, eo quod in plerisque locis jactus seminis ejus in incrementum frugis centesimum renascatur. Hinc *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 40. (141). Secale nascitur qualicumque solo cum centesimo grano.

CENTĒSĬMA, æ, et CENTĒSĬMÆ, arum. } *V.* CENTESIMUS in fin.

CENTĒSĬMO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. centesimum quemque ducta sorte punire. *Capitolin. Macrin.* 12. Milites sæpius decumavit, aliquando etiam centesimavit: quod verbum proprium ipsius est: cum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decumatione atque vicesimatione.

CENTĒSĬMUS, a, um, adject. ordinale a *centum*: significat autem ultimum ex centum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 168. Haud centesimam partem diei. *Cic. Milon.* 35. 98. Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodii. *Manil.* 2. 335. Centesima summa. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (57). Centesimo die. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19 (30). et seq. Olympiade centesima secunda, centesima quarta, centesima quarta decima, centesima vigesima prima. *Marcian. Dig.* 47. 1. 21. Ultra centesimum lapidem urbis. *h. e.* ultra centesimum milliarium. *Paul. Dig.* 45. 1. 46. Centesimis Kalendis dari utiliter stipulamur. *centesimæ Kalendæ* sunt centesimus mensis, qui intra annos octo et menses quatuor recurrit. — Aliquando *centesimus* accipitur pro centuplo, ut cum dicimus, ex agro centesimum fructum percipi, hoc est centies tantum, quantum sementis acceperat. *Varro* 1. *R. R.* 44. 2. In Sybaritano dicunt etiam cum centesimo redire solitum (*semen*). *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 21. (95) Cum centesimo grano. *Id.* 5. *ibid.* 4. 3. (24). Regio fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra. — Hinc

Centesima, æ, f. 1. (subaudi *pars*) et est ¶ 1. Vectigal seu tributi genus, quod constabat ex centesima parte census cujusque. — *a*) Antiquius centesimæ genus institutum est ad alendos exercitus contra M. Antonium: hujus meminit *Cic.* 1. *ad Brut.* 18. 5. Tributum ex centesima collatum, impudenti censu locupletum in duarum legionum præmiis omne consumitur. *Id. Rabir. Post.* 11. 30. Coactores centesimæ. — *b*) Item centesima fuit recentius vectigal ab Augusto institutum post bella civilia, ærario militari condendo, quo solvebatur centesima pars cujusque pecuniæ, quæ ex rebus auctione venalibus redigeretur. Sic *ducentesima* erat tributum, quo ducentesima pars atque adeo dimidio minus pendebatur. *Tacit.* 1. *Ann.* 78. Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam, deprecante populo, edixit Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti. *Id.* 2. *ibid.* 42. Fructibus provinciæ Cappadociæ levari posse centesimæ vectigal professus Tiberius, ducentesimam in posterum statuit. Anno itaque U. C. 759. Augustus centesimam urbi et Italiæ imposuit, Tiberius an. 768. eam tolli posse negavit, sed postea an. 770. sustulit, et pro centesima ducentesimam substituit, an. 784. idem iterum centesimam induxit, ut affirmat *Dio l.* 58. c. 16., at Caligula an. 791. eamdem remisit, inducta ducentesima, ut patet ex cod. *Dione l.* 59. *c.* 9; tamdem idem imperator an. 792. etiam ducentesimam remisit, ut constat ex *Sueton. Cal.* 16. et ejus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 224. ¶ 2. In plurali numero *centesimæ, arum* erant usuræ in quibus centesima sortis pars, hoc est unum pro centum, singulis mensibus solvebatur, atque adeo duodecim pro centum quotannis: qua ratione centesimo mense usura sortem æquabat. Hæc erat usurarum gravissima, et veluti as, a qua usuræ minores nominibus partium assis appellabantur, *semisses*, *trientes*, *quadrantes* etc. *Cic.* 5. *Att.* 21. 11. Nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset. Nam aut bono nomine centesimis contentus erat, aut non bono quaternas centesimas sperabat. *Id. ibid.* Centesimas perpetuo fenore ducere. *h. e.* sine anatocismo seu renovatione usurarum. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 1. 4. Etiam Lucullus Ciliciæ proconsul usuras centesimis majores vetuerat, et si quis usuras sorti addidisset, etiam sortem ipsam amittendam decrevit, ut narrat *Plutarch.* in ejus *Vita* c. 20. Adde *Cic.* 1. *Att.* 12. 1. et 6. *ibid.* 2. 7. *Seneca* 7. *Benef.* 10. Sanguinolentæ centesimæ. — *Centesimæ* aliquando cum nomine usuræ junguntur, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 4068. DONVM DEDIT — XV. (*h. e.* denariorum quinque millia) VT EX VSVRIS CENTESIMIS EIVS QVANTITATIS QVAE EFFICIT ANNVOS — X — DC. (*h. e.* denarios 5000) DIE VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI DIVI AVGVSTI EROGENTVR EX ARK. — Porro *binæ centesimæ* apud *Cic.* 5. *Verr.* 70. 165. et in *Inscript.* allat. in v. ANATOCISMUS et USURA sunt usuræ, in quibus duo pro centum singulis mensibus solvebantur, atque adeo quatuor et viginti pro centum quotannis.

CENTHIPPUS *vel* centippus, i, m. 2. idem ac centaurus. Ita falso putat *Fulgent.* 2. *Mythol.* 17. Dromocrides (*lege* Democritus) scribit Ixionem in Græcia primum regni gloriam affectasse, qui sibi centum equites primus omnium conquisivit; unde et centauri dicti sunt, quasi centum armati: denique centhippi dici debuerunt, ex quo equis mixti pinguntur. Hæc eadem leguntur apud *Lactant. Placid.* edit. ab *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 124.

CENTĬCEPS, cipitis, omn. gen. 3. (centum *et* caput) centum habens capita. *Horat.* 2. *Od.* 13. 34. Demittit atras bellua centiceps Aures. *h. e.* Cerberus, cujus furiale centum Muniunt angues caput, ut *Idem* docet 3. *ibid.* 11. 17., vel quia revera centum capita habet, ut *Isaac. Tzetzes* ad *Lycophr.* 678. tradit. *Hesiod.* in Θεογον. v. 312. quinquaginta ei tribuit: ceteri poetæ tria tantum.

CENTĬENS *vel* centies adverb. centum vicibus. *Plaut. Rud.* 4. 4. 123. Centies circumspicere. *Id.*

Asin. 2. 4. 16. Centies eadem imperare. *Id. Pseudol.* 4. 7. 129. dicere aliquid. *Ter. Heaut.* 5. 1. 8. Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (101). Centies vicies præliari — HS. *centies* dicitur pro *sestertium centena millia*, ut apud *Cic. Pis.* 35. 86. Sestertium centies et octogies ex ærario tibi attributum. *supple* millia. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 37. 93. et *Tac.* 12. 58. — A Poetis *sestertia* omittuntur, ut a *Martial.* 5. 70. O quanta est gula, centies comesse! *h. e.* centena millia HS. *V.* SESTERTIUS.

CENTĬFĬDUS, a, um, adject. (centum *et* findo) qui in centum, vel plurimas partes finditur, multifidus. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 888. Dæmon adest, qui parte sinistra Centifidum confundit iter.

CENTĬFŌLĬUS, a, um, adject. (centum *et* folium) centum foliorum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (17). *de rosa.* Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora, cum sit genus ejus, quam centifoliam vocant.

CENTĬGRĀNĬUS, a, um, adject. (centum *et* granum) centum grana habens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 21. (95). Fertilissima tritici genera, ramosum, aut quod centigranium vocant. *Isid.* 17. *Orig.* 3. hoc genus tritici *centenum* vocat. V. *Re, Saggio sull'agricolt. ant. p.* 191.

CENTIMALIS. *V.* CENTĔMALIS

CENTĬMĀNUS, a, um, *vel*

CENTĬMĂNUS, um, *Genit.* us, ut declinari vult *Priscian.* 6. *p.* 718. *Putsch.*, adject. (centum *et* manus) centum habens manus. *Horat.* 2. *Od.* 17. 14. Centimanus Gyges. *Al. leg.* Gygas. *Ovid.* 3. *Met.* 303. Centimanum dejecerat igne Typhœa.

CENTĬMĔTER, tra, um, adject. (centum *et* metrum) centum metra habens, vel qui vario et multiplici metrorum genere carmina componit. qualis fuit *Terentianus Maurus*, de quo *Sidon. Carm.* 9. 265. Sed nec centimeter Terentianus, Nec Lucilius hic Lucretiusque est. *Servius Centim. p.* 1817. *Putsch.* Licet audacter, non tamen ineleganter, hunc libellum, qui voluerit, centimetrum nominabit.

CENTĬNŌDĬUS, a, um, adject. (centum *et* nodus) centum, vel plurimos nodos habens. *Marc. Empir.* 31. Plantaginis folia, et herbam centinodiam, et rubi summitatem, etc. Videtur esse polygonon, quod ita dicitur a frequentia geniculorum, ut tradit *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113).

CĔNTĬPĔDA vel centĭpĕda, æ, f. 1. (centum *et* pes) animal e vermibus terræ, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tortuque contrahens se, ab aliis *millepeda* et *multipeda* dictum. Ita *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (136). et 30. *ibid.* 6. 16. (47). et *Arnob.* 2. 52. *Isid.* 12. *Orig.* 4, 32. vocat centupedam. *V.* CENTIPES.

CENTĬPELLĬO, ōnis, m. 3. (centum *et* pellis) ita dicitur alter e ventriculis cervorum (nam duo habere dicuntur) quod multis constet plicaturis et sinubus, quasi pellibus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 42. (150). Item venter, quem centipellionem vocant. *V.* voc. seq.

CENTĬPELLIS, is, comm. gen. qui centum pelles habet: legitur apud *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 625.

CENTĬPES, ĕdis, adject. (centum *et* pes) centum vel multos habens pedes. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 43. 67. (145). Scolopendræ, quas centipedes vocant. *Gloss. Philox.* Centipes, σκολόπενδρα.

CENTĬPLEX, icis. *V.* CENTUPLEX.

CENTISIUM milliarium pro centesimum edidit *Torrentin.* ex *Pand. Florent.* in *Dig.* 27. 1. 42. Sed *Haloand.* et alii *centesimum*. Plane enim *centisium* mendum est.

CENTO, ōnis, m. 3. (κέντρων) vestis stragula crassior et vilior, ex variis pannis veteribus ac diversi coloris consuta, qua pauperum lecti sternuntur, ipsique pauperes ac rustici amiciuntur.

I.) Proprie. *Cato* apud *Festum p.* 234. 33. *Müll.* Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. *Id. R. R.* 2. Centonem sarcire. Adde *eumd. ibid.* 10. et 11. *Id. ibid.* 59. Quoties cuique tunicam aut sagum dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant. *Lucilius* apud *Non. p.* 176. 1. *Merc.* Sarre centonem. *Sisenna* apud *eumd. p.* 91. 27. Puppes aceto madefactis centonibus integuntur. *h. e.* ad arcendum vel restinguendum ignem. (Cf. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. Acetum quoque, quod incendii extinguendi causa, item centones, siphones etc.) *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Centones insuper injecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent. *h. e.* ad telorum ictus excipiendos. *Id.* 3. *ibid.* 44. Magnus incesserat timor sagittarum; atque omnes fere milites aut ex coactis aut ex centonibus tunicas et tegmenta fecerant. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 9. Vestitam familiam magis utiliter, quam delicate habeat, munitamque a vento, frigore, pluvia: quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 59. 85. (181). *Petron. Satyr.* 7. Ut in locum secretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit. *Juvenal.* 6. 121. Intravit calidum veteri centone lupanar. *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. *extr.* Scrophæ cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat. *h. e.* culcitis. — Cento dicitur etiam pileus ex lana coactili, qualem nunc gestare solent bajuli Venetiis. Eo autem interdum utebantur milites, ne galeæ asperitas caput eorum oblæderet. *Ammian.* 19. 8. *a med.* Centonem, quem sub galea unus ferebat e nostris, ultimæ funis aptavimus summitati, qui per funem conjectus aquasque hauriens ad periculi modum facile sitim, qua hauriebamur, extinxit. — Centones etiam dorso equorum mulorumque impositos docet *Veget.* 2. *Veterin.* 59. 2. *Schneid.* — *Centones farcire alicui* proverbii modo significat mendacia multa gloriosa unum post aliud coacervare et congerere. *Plaut. Epid.* 3. 4. 18. Proin tu alium quæras, cui centones farcias. *Al. leg.* sarcias.

II.) Translate dicitur genus carminis ex variis alieni operis hinc inde decerptis versibus, et ad alia significanda traductis consarcinatum: qualis est *Cento nuptialis* compositus ab *Ausonio* ex Virgilianis versibus. Alios quoque centonum auctores, *Probum* et *Pomponium* refert *Isid.* 1. *Orig.* 38. 25. Porro *Auson.* in epist. suo Centoni præfixa rationem universam hujusmodi carminis fusius exponit. Cf. et *Tertull. Præscript.* 39. in v. CENTONARIUS. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

CENTŎCŬLUS, a, um, adject. (centum *et* oculus) centum vel multos oculos habens. *Hieronym.* 1. in *Ezech.* 1. *a med.* Centoculus Argo.

CENTŌNĀRĬUS, a, um, adject. (cento) ad centonem pertinens. *Tertull. Præscript.* 39. Homerocentonas etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus. *Inscript.* apud *Murat.* 916. 1., quæ est apud *Orell.* 4296. TI. CLAVDIVS TI. L. SYNTROPHVS VESTIARIVS CENTONARIVS H. S. E. *h. e.* qui centones vendebat. — Hinc

Centonarius, ii, m. 2. absolute, more substantivorum, est artifex, qui centones consuit. Centonariorum erant, sicut et ceterorum artificum, instituta collegia, et in oppidis quidem centones suppeditabant ad extinguendum, si quod oriretur, incendium; in bello autem ad vestes militibus conficiendas, ad tabernacula contegenda, ad munienda machinamenta contra ignem et telorum ictus. Quare sæpe cum dendrophoris, tignariis, dolabrariis, scalariis, et ejusmodi fabris, qui exercitum sequi solebant, junguntur, ut videre est in *Cod. Theod.* 14. 8. 1., 16. 10. § 4. et in variis antiquis *Inscript.* apud *Gruter.* 36. 11., 45. 8., 161. 4., 322. 4., 358. 6. et alibi. V. *Burmann.* ad *Petron. Satyr.* 45.

Centonaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est mulier quæ centones consuit. *Centonaria* videtur fuisse titulus unius ex mimis *Laberii* apud *Non.* 3. 301. *edit. veter.* Laberius Centenario (*lege* Centonaria): Quare tam arduum ascendis?

CENTRĀLIS, e, adject. (centrum) ad centrum pertinens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (86). Terra centralis intervenit. *h. e.* quæ in centro mundi posita est. *V.* CENTEMALIS.

CENTRĀTUS, a, um, particip. ab inus. centro, centralis, in centro positus. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 11. Sol ardens cum ad umbilicum diei centratum conscenderit circulum.

CENTRĪLE. *V.* CENTURIA 3.

CENTRĪNES, æ, m. 1. κεντρίνης, est ipsa vox Græca, qua significatur genus quoddam culicum, fucis apum simile ignavia malitiaque, cum pernicie verorum et utilium culicum, et caprificationi inservientium. Interimunt enim eos, atque ipsi moriuntur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 44. (255).

CENTRŌSUS, a, um, adject. (centrum) ad centrum pertinens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 36. (98). ait *centrosa scobe* deprehendi gemmas facticias: ubi intelligit scobem duriorem, et similem illi, quæ eraditur ex nodis arborum et marmorum. Nam in gemmis adulterinis fere inest durities quædam et veluti callum, quod in arboribus et marmoribus *centrum* appellatur. *V.* CENTRUM 2. *c.*

CENTRUM, i, n. 2. (κέντρον). ¶ 1. Græca vox, qua proprie significatur cuspis, aculeus, spiculum; est enim a κεντέω *pungo*. Hac autem significatione occurrit tantum apud *Ambros.* 5. *Hexæmer.* 10. *ad fin.* Quid gladios loquar, aut serras, aut canes maritimos, aut balenas, aut zygænas? Quid etiam turturis centrum, et hoc mortuæ? *Et mox.* Turtur aculeo suo mortua amplius quam viva periculi afferre memoratur. *Id.* 1. *ibid.* 3. *sub fin.* Si ipse circulum vel atramento, vel graphio ducas, vel centro exprimas etc. ¶ 2. Hinc apud classicos scriptores centrum dicitur alterum circini crus, quod in describendo circulo in medio figitur et immobile manet. *Vitruv.* 3. 1. 3. *Schneid.* ¶ 3. Hinc centrum dicitur et pars media circuli vel globi, punctum a quo lineæ ad circumferentiam et superficiem ductæ sunt æquales, ut apud *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Persuadent enim mathematici, terram in medio mundi sitam ad universi cœli complexum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant. — *a*) Generatim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 13. (63). Terra centrum cœli est. *Id.* 18. *ibid.* 29. 60. (281). Solis terræque centra. *Id.* 2. *ibid.* 19. 17. (81). Sol in centrum incidens terræ. *Id.* 2. *ibid.* 64. 64. (160). Vergere in centrum. *et* Exire a centro. Adde *Vitruv.* 9. 1. 2. *Schneid.* — *b*) Speciatim dicitur etiam centrum pars durior, veluti nodus, seu clavus in marmoribus et arboribus, inimica serris: et in arboribus quidem sæpe accidit lapide comprehenso aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (198). — *c*) Item in gemmis et crystallis centra dicuntur prædura quædam partes, simulque fragiliores. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (28). Infestantur crystalli plurimis vitiis: scabro ferrumine, maculosa nube, occulta vomica, præduro fragilique centro item sale appellato: quæ vero sine vitio sunt, puras esse malunt, acenteta appellantes. *Id.* 37. *ibid.* 9. 39. (120). Sapphirorum inutiles sculpturæ, intervenientibus crystallinis centris. Adde *eumd.* 37. *ibid.* 2. 10. (28). *V.* NODUS. — *d*) Item est foramen κεντήσει, *h. e.* punctione factum. *Capell.* 8. *p.* 290. Cito superioris vasis, aqua videlicet pleni, centrum aperi, ut simul cum incipiente luna oriri aqua fluere in vas inferius incipiat, et, donec totum corpus appareat, fluat. Sic nempe legendus hic locus: ex eo enim vitiose edito nescio quod *plenicentrum* exculpserant quidam Lexicographi. Centrum itaque est minutulum foramen, ut in clepsydra.

CENTUM, nomen indeclinabile numerale, (ἑκατόν) decies denarium numerum continens (It. *cento*; Fr. *cent*; Hisp. *cien*; Germ. *hundert*; Angl. *a hundred*). ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 44. 2. Centum modii. *Cic. Milon.* 22. 61. Centum dies. *Id. Senect.* 5. 13. Centum et septem anni. *Id.* 2. *de republ.* 10. 18. Centum et octo anni. *Id.* 2. *ibid.* 22. 29. Centum quattuor centuriæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 29. Eorum, qui domum redierunt, repertus est numerus centum et decem. *Id.* 5. *ibid.* 13. Viciens centum millia passuum. *Liv.* 33. 42. Tritici decies centum millia. *Virg.* 3. *Æn.* 106. Centum urbes. *Horat.* 3. *Od.* 27. 33. Creta potens centum oppidis. *Ovid.* 9. *Met.* 71. *de hydra.* nec ullum De centum numero caput est impune recisum. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 27. Centum viginti pedum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (85). Centum viginti quinque passus. *Id.* 2. *ibid.* 25. 22. (90). centum octoginta. *Sueton. Cæs.* 25. Bis et tricies centum millia passuum. *Gell.* 17. 4. Menandrum alii centum octo, partim centum novem comœdias reliquisse ferunt. *Id.* 2. 24. Fannius centum æris constituit. *h. e.* centum asses. *Paul. Dig.* 17. 1. 5. Emere domum centum. *Et mox.* Emere servum decem. — Ceterum quod ad computandi rationem attinet, hæc docet *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (133). Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia; itaque et hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia aut sæpius dicantur. Hinc *Sueton. Cæs.* 50. Serviliæ M. Bruti matri sexagies sestertio margaritam mercatus est. *h. e.* 6,000,000 seu 60 × 100,000: ut igitur sestertiorum summam habeas, satis est numero *sexagies* centum mille addere, h. e. quinque *zero*. *V.* MILLE et SESTERTIUS. ¶ 2. Latiori sensu sæpissime accipitur indefinite pro magno aliquo numero, præsertim a poetis, ut docet *Quintil.* 7. 10. 8. *Virg.* 2. *G.* 42. et 6. *Æn.* 625. Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum. *Id.* 3. *G.* 18. Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus. et 4. *ibid.* 383. Centum

quæ silvas, centum quæ flumina servant. *Id.* 1. *Æn.* 296. centum vinctum aenis post tergum nodis. Adde *eumd. ibid.* 416. et alibi. *Horat* 4. *Od.* 1. 15. centum puer artium. *Id.* 2. *ibid.* 14. 26. Cæcuba servata centum clavibus. *Id.* 2. *ibid.* 16. 33. centum greges. *Id.* 3. *ibid.* 8. 14. centum cyathos sumere. *Id. Epod.* 17. 39. seu poposceris centum juvencos. Adde *Sueton. Domit.* 14.

CENTUMCĂPUT, ĭtis, 3. nomen herbæ, quæ græca appellatione erynge alba, seu eryngium dicitur. *Plin.* 1. *Hist. nat. in indice lib.* 22. *c.* 9. De centumcapite. *Id.* 22. *ibid.* 8. 9. (20). Ex his candidam nostri centumcapita vocant.

CENTUMGEMĬNUS, a, um, adject. (centum *et* geminus) centuplex. *Virg.* 6. *Æn.* 287. Et centumgeminus Briareus. *h. e.* centum habens brachia. *Servius* exponit *centies* duplex. Sed vox *geminus* juncta nominibus numeralibus, fere non duplicat, ut *tergeminus* idem est ac triplex, non sextuplex; *septemgeminus* est septemplex: *quadrigeminus* est quadruplex. Sic *Val. Flacc.* 6. 118. Centumgemina Thebe. *h. e.* centum habens portas. ἑκατόμπυλος.

CENTUMPĔDA, æ, m. 1. (centum *et* pes) centum habens pedes; adeoque firmissimus. Cognomen fuit Jovis, quod vim habeat omnia firmandi et stabiliendi. *Augustin.* 7. *Civit. Dei* 11.

CENTUMPONDĬUM *vel* centopondium, ii, n. 2. pondus centum librarum, et accipitur pro lapide pondo centum, quo in appendendo utebantur. *Plaut. Asin.* 2. 2. 37. Ad pedes quando alligatum est æquum centumpondium. — *Cato R. R.* 13. inter instrumenta cellæ oleariæ ponit *trutinam unam, centumpondium incertum unum, et pondera certa.* Ideo autem *incertum* appellat, quia una mole centum libras pendet: atque ita *certis ponderibus* opponitur, quæ distincta partitaque sunt, non in unum pondus confusa. Ita *Turneb. l.* 7. *c.* 24. Vel significat indefinite magnum pondus, et longe excedens minuta illa pondera, quibus in appendendo utebantur. Fieri enim potest, ut ex consuetudine *centumpondium* appellaretur, licet centum pondo vel non æquaret, vel excederet. Itaque hoc dixit *Cato:* præter certa pondera, quibus in trutina utimur, habendum esse etiam unum magnum pondus, sed incertum, et ad libitum. Vel denique intelligit majus quoddam pondus, quod in eadem trutina ad res diversi ponderis appendendas aptum sit, prout in trutinæ scapo propius vel longius ab ansa recedit, ut in nostris stateris usuvenit. Quidam, ut refert *Voss.* in *Etymol.* in *As*, legi volunt *incretum*, hoc est indivisum.

CENTUMQUINQUĀGĒNI, æ, a, adject. numeral. pro centum et quinquaginta, si enim esset distributivum, dicendum esset *centeni quinquageni. Varro* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (92). Pyramides altæ pedum centumquinquagenûm. Ita legunt plerique Codd. et Edition.; at *Sillig.* ex Cod. Bamberg. aliisque edidit centenûm quinquagenûm.

CENTUMVĬRĀLIS, e, adject. (centum *et* vir) ad centumviros pertinens. *Cic. Cæcin.* 18. 53. et 1. *Orat.* 39. 177.; *Varro* 2. *R. R.* 1. 26.; *Seneca* 3. *Controv. præfat.*; *Val. Max.* 9. 15. 4.; et *Plin.* 1. *Ep.* 18. Centumvirale judicium. *Quintil.* 11. 1. 78.; *Sueton. Vesp.* 10.; et *Paul. Diac.* p. 54. 7. et p. 64. 13. *Müll.* judicia. *Cic. Orat.* 38. 173. et *ibid.* 56. 238.; *Quintil.* 5. 2. 1.; *Plin.* 2. *Ep.* 14.; *Tac. Dial. de orat.* 38.; et *Gell.* 16. 10. causæ. *Sueton. Aug.* 38. hasta. *Id. Rhet.* 6. lis. *V.* voc. sequent.

CENTUMVĬRI *vel* centum viri, ōrum *vel* ûm, m. plur. 2. ¶ 1. Romæ centumviri fuerunt judices — *a*) qui de rebus privatis judicabant, ut de usucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, alluvionibus, nexis, mancipiis, parietibus, luminibus, stillicidiis, testamentis, hereditatibus, et ejusmodi. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 176., *Scævola Dig.* 5. 2. 13. et *Paul. l.* 5. *Sent. tit.* 16. — *b*) Eligebantur terni ex singulis tribubus: quæ cum essent trigintaquinque, judices fuerunt centum et quinque; nihilominus quo facilius nominarentur, *Centumviri* dicti sunt, teste *Paul. Diac.* p. 54. 7. *Müll. Varro* 2. *R. R.* 1. 26. Si numerus non est ut sit ad amussim, ut non est, cum dicimus mille naves iisse ad Trojam, centumvirale esse judicium Romæ. — Postea tamen is numerus valde auctus est. Nam *Plin.* de centumviris loquens 6. *Ep.* 33. centum et octoginta sedisse ait, additque in quatuor consilia, seu tribunalia distributos fuisse. Hinc *quadruplex judicium* appellat *ibid.* et 1. *Ep.* 18. Adde *Quintil.* 12. 5. *in fin.* — *d*) Judicabant itaque ex quatuor tribunalibus: et in unum interdum conveniebant, si causæ gravitas poposcisset, ut omnes simul sententiam ferrent. *Plin. cit. ep.* 33. — *e*) Instituti sunt simul cum decemviris post institutionem prætoris inter peregrinos, post an. U. C. 512. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *circa med. V.* SUFFRAGIUM. Decemviri autem ex institutione Augusti centumviros convocabant eisque præsidebant: cum prius hujusmodi cura pertineret ad quæstorios. *Sueton. Aug.* 36. et *Dio* 39. 7. et 54. 26. — *f*) Causæ centumvirales leves habebantur. Cujusmodi potissimum essent, habes apud *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Eædem causæ in quæstionibus de jure versatæ fuisse videntur ex loco *Quintil.* 4. 2. 5. Non legimus Ciceronem, vel alium magnum oratorem causas egisse coram centumviris, præter Asinium Pollionem. Sed Taciti ætate primum locum obtinebant: *Tac. Dial. de orat.* 38., *Plin.* 2. *Ep.* 14. — *g*) Dicebantur *præesse hastæ*, ut est apud *Pompon. loc. cit.*, quia in foro, in aliqua basilica ponebatur hasta, quotiescumque centumviri convenirent ad judicandum: quia etiam significabatur, summum et populare esse judicium, et supremam illis judicandi potestatem esse commissam. *Martial.* 7. 63. Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum. *Sueton. Aug.* 36. Centumviralem hastam cogere. *h. e.* centumviros cogere ad judicandum. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 175. Rem aliquam deferre ad centumviros. *Phædr.* 3. 10. 35. pertrahere aliquem. — *h*) Conveniebant fere in basilicam Juliam. *Quintil.* 12. 5. 6., et *Plin.* 5. *Ep.* 21. — *i*) Centumvirorum mentio occurrit etiam, præterquam in locis superius citatis, apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 17. 44., *Cæcin.* 24. 67., 1. *Orat.* 57. 245. et *Brut.* 39. 144.; *Senec.* 3. *Controv. præfat.*; *Val. Max.* 7. 7. 1. et 2.; *Quintil.* 3. 10. 3. et 7. 4. 10. et 20.; *Sueton. Domit.* 8.; *Plin.* 4. *Ep.* 24.; et apud alios. ¶ 2. *Centumviri* etiam appellati fuerunt decuriones in municipiis et coloniis, quia centum numero essent, ut patet ex *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Huc isti decemviri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint, etc. Ænea vero tabula, quæ etiamnum exstat in *Mus. Florentin.*, et a *Fabrett.* p. 599. n. 9. allata, album continet decurionum Canusinorum, qui, exceptis patronis et prætextatis, centum tantummodo in eadem recensentur. *Inscript.* apud *eumd.* p. 170. n. 324., quæ est apud *Orell.* 4048. CENTVMVIRI MVNICIPII AVGVSTI VEJENTIS ROMAE IN AEDEM VENERIS GENETRICIS CVM CONVENISSENT, PLACVIT VNIVERSIS etc. *Alia* ad idem municipium pertinens apud *Morcell. De stil. Inscr. T.* 1. p. 135. *edit. Patav.*, quæ est apud *Orell.* 3738. CAESIAE SABINAE CN. CAESI ATHICTI, HAEC SOLA OMNIVM FEMINARVM MATRIBVS C. VIRORVM, ET SORORIBVS, ET FILIABVS, ET OMNIS ORDINIS MVLIERIBVS MVNICIPIBVS EPVLVM DEDIT etc. Alia in *Mem. Rom. di antich. e belle arti T.* 1. p. 53., quæ est apud *Orell.* 108. CN. CAESIO ATHICTO ADLECTO INTER C. VIR. OMNIB. HONORIB. EXORNATO AVGVSTALES MVNICIPII AVG. VEJENTIS EX AERE CONLATO H. C.

CENTUNCŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a cento, ephippium, sive dorsuale, quo equus sternitur, cuique eques insidet. *Edict. Dioclet.* p. 21. Centunclum equestre coactile album, sive nigrum librarum trium denarios centum: centunclum ornatum auro ponderis suprascriptis \ cc. quinquaginta.

CENTUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a cento. ¶ 1. Parvus cento, stragulum, vel vestis e centunculo facta. *Liv.* 7. 14. Mulis strata detrahi jubet, binisque tantum centunculis relictis etc. *Seneca Ep.* 80. Dormire in centunculo. *quidam perperam leg.* cœnaculo. *Apul.* 7. *Met.* Centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictus. *Id.* 1. *ibid.* Sutili centunculo faciem obtegere. *V.* CENTO. — *Id. de Mag.* Quid enim si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam, uti me consuesse tragœdi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo? *h. e.* multicolor illa vestis sannionum propria, quem Itali *zanni*, et Galli *harlequin* vocant. ¶ 2. Est etiam centunculus herba in arvis jacens, foliis ad similitudinem capitis pænularum, *h. e.* cuculli, egregii effectus ad sistendam alvum: græce clematis, κληματίς. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 88. (138). et 26. *ibid.* 11. 66. (105). quo postremo loco femin. genere occurrit. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 286.) hanc exhibet synonymiam: Γναφάλιον Dioscor. 3. 132.; Ἰρές, ἀμκίτοκος, ἀνάξητον, ἀναφαλις, *Semeon Ægypt.*, *Gelasonen* Gallor. Dioscor. in Nothis; *Centunculus* Plin. l. c., exclus. synonym. et *Centouloum*, *Tucularia albinum* Latinor. teste Dioscor. in Nothis suntne *Santolina maritima* L. Spec. plant.? *Gnaphalium germanicum* Lamrk. Dict.?

CENTŬPLEX *vel* centiplex, ĭcis. adject. (centum et plico) centuplus. *Plaut. Pers.* 4. 4. 11. Centuplex murus rebus servandis parum est. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 220. Ditatque fructus fœnerantem centuplex. *Opt. edit. habent* centiplex. *Juvenc.* 2. 800. Centuplicemque ferunt virtutis robore frugem.

CENTŬPLĬCĀTŌ adverb. (centuplico). *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (101). India merces remittit, quæ apud nos centuplicato veneant.

CENTŬPLĬCĀTUS, a, um. *V.* CENTUPLICO.

CENTŬPLĬCO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. Part. *Centuplicatus.* — Centuplicare est centuplicem facere, reddere. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 24. 3. Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu Domini mei regis. *Prudent.* 2. *adversus Symmach.* 1050. solertia centuplicatos Agrorum redigit fructus. Adde *Fulgent.* 1. *Mythol.* 9. — *V.* etiam CENTUPLICATO.

CENTŬPLUS, a, um, adject. idem quod centuplicatus. *Vulgat. interpr. Luc.* 8. 8. Et aliud (semen) cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. — Hinc

Centuplum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, pro fructu centuplo occurrit apud *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 17. Hoc multo plus est quam ipsa centupli retributio: quia id ipsum, quod quis in centuplo acceperit, in perpetuo possidebit. *Id. ibid.* Quid spondere majus credentibus sibi potuit, qui magnis fœneratoribus suis centuplum se redditurum esse promisit? Et *ibid.* pluries.

CENTŬPONDĬUM, ii. *V.* CENTUMPONDIUM.

CENTŬRĬA, æ, f. 1. multitudo centum hominum. ¶ 1. In re militari *centuria* est centum equitum numerus. Romulus enim tres equitum turmas conscripsit, quæ centenos homines haberent, quibus in bello uteretur, ut *Liv.* 1. 13. narrat. Hæ Ramnensium, Titiensium, et Lucerum nomine appellatæ sunt. Postea crescente Romano populo, numerus quoque harum auctus est, sed appellatio mansit, ut ex eodem *Liv. ibid.* 36. *et* 43. colligitur. — Præter has tres centurias, aliæ plures fuerunt in exercitu, ex centenis, aut etiam pluribus, vel paucioribus militibus pro majore, vel minore legionis numero. Cohortes enim in centurias dividuntur: hæ in contubernia. Fere autem dicuntur de peditibus, sicut *turmæ* de equitibus. *Varro* 5. *L. L.* 88. *Müll.* Centuria, qui sub uno centurione sunt, quorum centenarius justus numerus. Cf. *Paul. Diac.* p. 53. 12. *Müll. Cincius* apud *Gell.* 16. 4. *extr.* In legione sunt centuriæ LX., manipuli XXX., cohortes X. Adde *Veget.* 2. *Milit.* 13. et 14., et *Dig.* 49. 16. 6. § 9. ¶ 2. Populus quoque Romanus universus quemadmodum in tribus et curias, ita et in centurias dividebatur. — *a*) Nam Servius Tullius cives omnes in sex classes distribuit, has in centum nonaginta tres centurias, habita ratione census, quem eodem tempore primus egit. In his separavit divites a pauperibus, juvenes a senioribus, ut hi domi urbem custodirent, illi foris bellum gererent, si quando ingrueret; omnibusque sua assignavit arma. Addidit et fabrum centurias, qui, quæ in bello opus essent, fabricarentur. Equitum quoque centurias duodecim descripsit, primisque sex illis, quarum tres Romulus instituerat, tres alias addiderat Tarquinius Priscus, adjecit. Hinc factum est, ut prima classis civium Romanorum constaret decem et octo centuriis equitum, et octoginta peditum, quorum dimidium seniorum, alterum juniorum; secunda classis centuriis viginti, seniorum juniorumque, et duabus fabrum; tertia viginti tantum eodem discrimine; quarta itidem viginti, et duabus tibicinum et cornicinum; quinta triginta; sexta vero unica centuria ex infima et inopi plebe proletariorum et capitecensorum. Hæc ita constituta primitus fuisse, affirmant *Liv.* 1. 43. et *Dionys. Halic. l.* 4. *c.* 16-20., ubi plura de hac re. *Horat. Art. P.* 341. Centuriæ seniorum agitant expertia frugis. — *b*) Post annum vero U. C. 513., quo, teste *Liv.* 19. 66., numerus quinque et triginta tribuum expletus est, mutata fuit, sive statim, sive aliquanto post, hæc centuriarum distributio, aliusque earumdem numerus in classibus factus, quam antea fuerat. Nam ita XXXV. tribubus accommodatæ sunt centuriæ, duplicato harum numero, ut, qui in quaque tribu censi essent

maximo, in duas centurias, alteram seniorum, juniorum alteram, conjungerentur, atque ideo, binis centuriis e singulis tribubus ad primam classem constituendam delectis, ea classis jam centurias LXX. haberet peditum, equitum XVIII., et unam fabrum tignariorum, hoc est centurias LXXXIX., reliquæ vero centuriæ CIV. in alias quinque classes distributæ integrum CXCIII. centuriarum numerum explerent. Quo factum est, ut, si LXXXIX. centuriis, quibus prima classis constabat, octo solæ centuriæ secundæ classis accederent in suffragiis dandis, confecta esset vis populi universa, et reliqua multitudo XCVI. centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum. Hæc ex *Liv.* et *Dionys. Halic. loc. cit.*, tum maxime ex *Cic. 2. de repub.* 22. 39. rectissime statuit *Godofr. Hermannus* in *epist.* præm. editioni *Cic. de repub.* Lips. 1823., quam *Ferdin. Steinackerus* curavit. Locum *Ciceronis* modo *cit.* irrito conatu emendasse sibi visus est *B. G. Niebuhrius* in adnotat. principi Romanæ editioni addita, cum potius corruperit; at recte *A. Maius* edidit codicis lectionem, quam utinam secutus fuisset nuperus apud nos Italus interpres *Petr. Odescalchius V. C.* — *c*) Secundum hanc divisionem admissus est populus ad suffragium in iis comitiis ferendum, quæ inde *centuriata* dicta sunt, ut scilicet quisque suffragium daret in ea centuria, in qua census esset. *V.* CENTURIATUS in CENTURIO, AS. *Cic. pro leg. Manil.* 1. 2. Ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum. *Id.* 2. *Orat.* 64. 260. Cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem. *Id. post red. in Senat.* 11. 27. Eædem centuriæ, quæ me consulem fecerant. *Id.* 11. *Fam.* 16. *in fin.* Cum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. *Liv.* 10. 13. Populus suffragia inibat: et ut quæque intro vocata erat centuria, consulem haud dubie Fabium dicebat. *Cic. Planc.* 20. 49. Ferre centuriam prærogativam. *h. e.* ejus suffragium obtinere. *V.* PRÆROGATIVUS. Adde *eumd. Cic.* 7. *Verr.* 15. 38., *Dom.* 56. 142., *Milon.* 16. 43., 7. *Phil.* 6. 16. et 2. *Divinat.* 35. 75.; *Val. Max.* 2. 9. 6.; *Sueton. Cæs.* 19. aliosque. — *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 32. Ornare decemviros mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili. *h. e.* instruere centuriis fabrum. Ita suspicatur *Grævius.* Nam *Manut.* et *Turneb.* ignorare se fatentur, quid a *Cicerone* significetur. Et ille quidem *canteriis*, hic vero *tentoriis* fortasse legi posse, autumant. *Merouvill.* interpretatur, comitatum eorum, qui decemviros stipare debebant. *Schützius* vero putat *tentoriis* glossam esse, ex quo deinde factum sit *centuriis*, itaque vocem delevit. Quod fecit fretus auctoritate *Liv.* 42. 1. Magistratus mulis, tabernaculis, et omni alio instrumento militari ornabantur. *Orellius* retinuit *centuriis*, cujus tamen vocis significationem se nescire fatetur. ¶ 3. In re agraria *centuria* est ducentorum jugerum modus. Olim ab centum jugeribus vocabatur centuria: sed postea duplicata nomen tamen retinuit, ut *Varro* 5. *L. L.* 35. *Müll.* et *Colum.* 5. *R. R.* 1. 7. docent. *Siculus Flacc. de condit. agror.* apud *Goes* p. 15. tradit, ex eo dictas *centurias*, quod antiqui Romani agrum ex hoste captum victori populo per bina jugera partiti, centenis hominibus ducentena jugera dederunt. Confirmat *Paul. Diac.* p. 53. 13. *Müll. Varro* 1. *R. R.* 18. 5. Si quis habebit centuriam, quæ sit dimidium vineti, dimidium oliveti etc. Adde *eumd. ibid.* 10. 2. — Non in omnibus tamen regionibus idem modus centuriis assignabatur. Nam alibi L. jugerum, alibi CCX., alibi etiam CCCC. secundum agri amplitudinem, centurias fuisse constat ex *Hygin. de limit. constit.* p. 154. *Goes.* Cf. *Cod. Theod.* 11. 28. 13. et alibi. — *NB.* Apud *Veget.* 1. *Veterin.* 25. leguntur *centuriæ hoc est musculi brachiolares* in jumentis, ubi *Sambucus* monet in suis MSS. haberi *centriæ*: quas quidam putant esse ἀπὸ τοῦ κεντεῖν, et significare loca, ubi calcaribus equi stimulantur.

CENTURIĀLIS, e, adject. ad centuriam pertinens. Occurrit — *a*) De populi divisione. *Festus* p. 177. 28. *Müll.* Centurialis civis. *h. e.* qui alicui curiæ adscriptus est ad suffragium ferendum. — *b*) De divisione militari. *Centurialis vitis* est viteus bacillus, insigne centurionum, apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 23. *c. med.* Vitem centurialem deus (*Heliopolitanus*) ex muneribus in æde dedicatis deferri jussit, divisamque in partes sudario condi ac proinde ferri. Exitus vel obitus Trajani apparuit, ossibus Romam relatis: nam fragmentis species reliquiarum vitis argumento casus futuri tempus ostensum est. — *c*) De divisione agrorum. *Var. Auct. de limit.* p. 298. *Goes.* Centuriales lapides. *h. e.* lapides terminales in agrariis centuriis positi.

CENTŬRĬĀTIM, adverb. per centurias.

I.) Proprie occurrit — *a*) De exercitu. *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Centuriatim producti milites idem jurant. — *b*) De populo. *Cic. Flacc.* 7. 15. Tributim et centuriatim descriptis ordinibus. *Liv.* 6. 20. In campo Martio cum centuriatim populus citaretur.

II.) Translate est turmatim; magno numero. *Pomponius* apud *Non.* p. 18. 12. *Merc.* Continuo ad te centuriatim current, qui panem petent.

CENTURIĀTĬO, ōnis, f. 3. actus centuriandi. *Sicul. Flacc. de condit. agror.* apud *Goes.* p. 16. Alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii metationem. *h. e.* formam, et divisionem agrorum per centurias. *Hygin. de limit. constit. ibid.* p. 206. Agri deducebantur intra centuriationem.

CENTURIĀTUS, a, um. *V.* CENTURIO.

CENTURIĀTUS, us, m. 4. ¶ 1. Est divisio et distributio in centurias. *Liv.* 22. 38. Ubi milites ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant. ¶ 2. Item centurionis dignitas. *Cic. pro leg. Manil.* 13. 37. Cujus in exercitu veneant centuriatus. Adde *eumd. Pis.* 36. 88. et *Sueton. Gramm.* 24.

CENTURĬO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Centuriatus* in omnibus pagina. — Centuriare est in centurias distribuere. ¶ 1. In re militari est milites in centurias distribuere. *V.* CENTURIA 1. Occurrit — *a*) Absolute. Festive *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 2. Eripiam ego hodie concubinam militi, si centuriati bene sunt manipulares mei. *h. e.* bene dispositi atque instructi. Ironice *Id. Curc.* 4. 4. 29. Miles pulcre centuriatus es expuncto in manipulo. *h. e.* deceptus. Nam si manipulus expunctus erat, nullæ erant centuriæ, in quas manipulus dividebatur, ut *Cincius* apud *Gell.* 16. 4. docet. *Cic.* 16. *Att.* 9. Et rem gerit palam (*Octavius*), centuriat Capuæ, dinumerat. — *b*) Cum Accusativo. *Cic. post redit. ad Quirit.* 5. 13. Cum homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidissem. *Liv.* 6. 2. Ut seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, – centuriaret. *Id.* 25. 15. Centuriare juventutem. Adde *eumd.* 10. 21. et 29. 1. — *c*) Porro *centuriare* proprium erat peditum, *decuriare* autem equitum, ut patet ex *Liv.* 22. 38. Equites decuriati, centuriati pedites. Hinc *Val. Max.* 3. 2. 8. Juventus Romana, ne acies nostra jam inclinata propelleretur, equis delapsa, seipsam centuriavit. *h. e.* tanquam si pedites essent, centuriatim pugnavit. — *d*) Atque extra militiam, ita tamen ut ad ipsam aperte fiat allusio. *Aurel. Victor. Epit.* 14. Hadrianus, ad specimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum mœnium seu decorandorum in cohortes centuriaverat. — *e*) Denique *mulus centuriatus* dictus est, quo cujusque centuriæ sarcinas trasvehebant. Nam soluta veteri disciplina, cœperant muli deputari, qui militum onera ferrent. *Aurelian. in epist.* apud *Vopisc. in ejus Vita* 7. Capitum animalis non vendat: mulum centuriatum comiter curet. ¶ 2. De Romani populi divisione (*V.* CENTURIA 2.) occurrit tantum Part. præter. pass. fere in formula *Centuriata comitia.* Hæc erant, in quibus populus per centurias distributus suffragium ferebat: erantque omnium maxima, quia in his universi cives intererant, non solum qui in Urbe, sed etiam qui in agris et in urbibus fœderatis, quibus data fuisset civitas cum jure suffragii, iis tantum exceptis, qui a censoribus notati ac jure suffragii privati fuissent. Nam in *tributis* comitiis soli plebeji, exclusis patribus, conveniebant: in *curiatis* ii patricii tantum, qui Urbem incolebant. Porro in comitiis centuriatis creabantur majores magistratus et rex sacrorum; confirmabantur leges a majoribus magistratibus latæ, bellum indicebatur, et judicia quædam majoris momenti exercebantur. Fiebant autem extra Urbem in campo Martio consularibus auspiciis consecrato. *Messala* apud *Gell.* 13. 15.: *Lælius Felix* apud *eumd.* 15. 27.; *Festus* p. 233. 29. *Müll.*, et alii. *Cic. post redit. in senat.* 11. 27. Quo die nos comitiis centuriatis, quæ maxime majores comitia justa dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam. *Id.* 1. *Phil.* 8. 19. Ferre aliquid ad populum comitiis centuriatis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 11. 26. Lex centuriata. *h. e.* centuriatis comitiis confirmata. Adde *Liv.* 3. 55. et 8. 12. — Jlocaliter *Plaut. Pseud.* 4. 7. 134. Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia. *h. e.* consilia habuit in caput meum omnibus artibus instructissima et callidissima. *Cic.* quoque 3. *Leg.* 19. 44. vocat *comitia capitis*, in quibus de capite civis rogatur: et *privilegii*, in quibus fertur lex in privatos homines. ¶ 3. In re agraria *centuriare agrum* est limitibus includere et in centuriam redigere. *Hygin. de limit. constit.* p. 195. *Goesii.* — Hinc *centuriatus ager* est in centurias, hoc est in ducenta jugera definitus, quia Romulus centenis civibus ducenta jugera tribuit. *Paul. Diac.* p. 53. 13. *Müll.*, et *Siculus Flacc. de condit. agror.* apud *Goes.* p. 23. *V.* CENTURIA 3.

CENTŬRĬO, ōnis, m. 3. *Quintil.* 1. 5. 20. tradit olim a quibusdam scriptum fuisse *chenturio*: quod est vitium illi simile, quod reprehendit *Catull.* 84. in Arrio, qui *chommoda* et *hinsidias* dicebat. — In vetustis lapidibus centurio hoc signo 7. notatur, de quo *V. Marin. Frat. Arv.* in *Indice.* — Centurio est, qui centuriæ præest. In exercitu Romanorum plures fuerunt centuriones, qui singulis ordinibus præerant. Legio enim in decem cohortes divisa erat: hæ in ordines [illegible] quorum præfecti centuriones dicti sunt. Qui [illegible] primus centurio erat, aliis dignitate antestabat, et consilii particeps habebat, vocabaturque [illegible], seu primipili centurio: qui secundus, [illegible] qui tertius, *tertii triarii centurio.* Qui primus hastatorum, dicebatur *primi* [illegible] qui primus principum, *primus* [illegible], et sic de reliquis. *V. Sigon.* 1. *de antiq.* [illegible] *Manut. de quæst. per epist.*, [illegible] *Rosin.* 10. c. 7. et alios. [illegible] 1. 7. 6. Ubi centurio est Sanga [illegible] *Cic. Balb.* 15. 34. L. Marcius primipili centurio. Adde *eumd. Marcell.* 2. 7. et *Milon.* 1. 3. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Hæc quum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id [illegible] centurionibus. *Id.* 1. *ibid.* 41. Per tribunos militum et primorum ordinum centuriones egerunt. *Id.* 3. *ibid.* 5. P. Sextius Baculus, primipili centurio. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 73. pueri magnis e centurionibus orti. *h. e.* parentibus bello claris, nobilibus et divitibus. Adde *Liv.* 2. 27., 3. 69., 4. 41., 8. 34.; et *Valer. Max.* 3. 8. 7. et 9. 3. 6. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (19). Centurionum in manu vitis, et opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. *Sueton. Tib.* 60. Primarum cohortium centurio. Adde *eumd. Cæs.* 68. et *Tib.* 60. et *Tac.* 1. *Ann.* 32. — *Centurio nitentium rerum* apud *Ammian.* 16. 6. dicebatur magistratus ille, cui veterum monumentorum cura et custodia demandata erat. Quamvis autem hujus muneris ac magistratus mentio primum occurrat apud hunc auctorem, qui sæculo IV. scripsit, antea tamen, ac fortasse ipsius Augusti temporibus, institutum fuisse, optime probant qui Artium historiam illustrarunt, ac de signorum usu ætate hac nostra scripserunt. Hic igitur *Centurio* (qui postea *Tribunus* dictus est, ac tandem *Comes*) noctu per urbem cum militibus vagabatur, ut a veteribus monumentis dolus malus abesset: cavebatque præcipue, ne quis signa, quæ in urbe frequentissima erant, frangeret, avelleret, asportaret.

CENTŬRĬŌNĀTUS, us, m. 4. munus vel officium centurionum. *Valer. Max.* 3. 2. 23. *in fin.* Itaque ab optimo virtutis æstimatore, cum facta, tum etiam verba tua, centurionatus honore donata sunt. — Apud *Tac.* 1. *Ann.* 44. Centurionatum agere est recensionem et cognitionem de centurionibus facere, ut præmia iisdem tribuantur.

CENTURIŌNĬCUS, a, um. adject. ad centurionem pertinens. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 243. 4. SEX. PILONIVS SEX. F. STE. MODESTVS MILITAVIT IN LEG. VII. C. P. F., ET VIII. AVG. XI. C. P. F., I. MINER. P. F. STIPENDIS CENTVRIONICIS ANN. XVIII. Ita legit *Barptol. Borghesius*, cum in lapide exstet tantummodo STIPENDIS CENTVRIONI. et... XVIII. Neque aliter a *Borghesio* ex conjectura legit *Orell. Inscript.* 3455.

CENTURIŌNUS antea, qui nunc centurio, et curionus et decurionus dicebantur. Hæc *Paul. Diac.* p. 49. 16. *Müll.*

CENTUSSIS, is, m. 3. (centum *et* assis) summa pecuniæ centum assium. Neque enim fuit nummus signatus, sed usu tantum sermonis usurpatus. Erat

hac summa pecuniæ appellatio ab asse derivata: ultra quam, si vellent majorem vim exprimere, ad alia pecuniarum nomina confugiebant, ut ex *Varron.* 5. *L. L.* 170. et 9. *ibid.* 81. *Müll.* colligitur. *Id.* apud *Gell.* 15. 19. Illum qui norunt, volunt emere millibus centum: te, qui novit, nemo centussis. *Al. leg.* centussi, *sed repugnantibus Grævio et Gronov. Pers.* 5. 191. Et centum Græcos certo centusse licetur. *Festus p.* 237. 20. *Müll.* Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur. — *Lucilius* festive *legem centussis* appellat legem Fanniam, qua cavebatur, ne quis ultra centum asses in cœnam impenderet. V. *Gell.* 2. 24. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 13.

CĒPA, æ, f. 1. *V.* CÆPA.

CĒPÆA, æ, f. 1. (κηπαία) herba similis portulacæ, nigriore radice, sed inutili, nascens in litoribus arenosis, gustu amara. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 52. (84). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 400.) hanc exhibet synonymiam: Κηπαία Dioscor. 3. 168. et *Cepæa* Plin. l. c. sunt *Sedum Cepæa* L. Spec. plant. 617.

CĔPHĂLÆA, æ, f. 1. (κεφαλαία) dolor capitis inveteratus: a κεφαλὴ *caput.* *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (135). *de ruta.* Capitis dolores lenit pota cum vino, aut cum aceto et rosaceo illita. Si vero sit cephalæa, cum farina hordeacea. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. — Videtur esse adjectivum in illo *Lucilii* apud *Gell.* 10. 20. abdomina thynni Advenientibu' priva dabo cephalæaque carne. Vel, ut legit *Turneb.* 4. 18. carnem et cephalæam. Sed alii reponunt *cephalæaque, acarne*, ita ut hæ duæ voces dependeant ab aliquo verbo sequenti, quod *Gell.* non retulerit. Hac porro ratione *cephalæa* seu *cephalea*, erit vel genus quoddam piscis, fortasse cephali, vel caro ex capite. Verum hæc omnia incerta sunt, et sola eruditorum conjectura nituntur.

CĔPHĂLÆŌTA, æ, m. 1. κεφαλαιώτης, capitationis exactor. *Cod. Theod.* 11. 24. 6. § 7. Nequaquam cephalæotis, irenarchis, logographis, publicis functionibus denegatis, nisi quid ex his, quæ exigenda sunt, vel negligentia, vel contemptus distulerit.

CĔPHĂLALGĬA, æ, *vel* cephalargia, æ, f. 1. κεφαλαλγία, dolor capitis: a κεφαλὴ *caput*, et ἄλγος *dolor.* Putant quidam mendum esse, si *r* post tertiam syllabam ponatur pro *l*: esse enim ab ἄλγος. Alii contra recte per litteram *r* scribi defendunt, quod Attici λ in ρ libenter mutent (unde et ποδαργία legitur pro ποδαλγία), et quod ita constanter legatur tum Latine in scriptoribus inferius allatis et præterea in *Veget.* 1. *Veterin.* 25. 2. *Schneid.*, tum Græce apud *Scribon. Compos.* 99. et 206. Tutius tamen erit *cephalalgia*, adstipulante *Jo. Rhodio* ad *Scribon. Compos.* 99. — Ceterum cephalalgia a medicis speciatim accipitur pro diuturno dolore capitis, ut est apud *Scribon. locc. citt.*, qui tamen Græcis litteris vocem ipsam usurpant: sed Latine adhibet *Plin. Valer.* 1. 3. et *Æmil. Macer* c. *de acidula*, qui etiam penultimam corripit.

CĔPHĂLALGĬCUS *vel* cephalargicus, a, um, adject. (κεφαλαργικός). De ratione scribendi *V.* vocem præced. — Cephalalgicus est qui cephalalgia laborat. *Veget.* 1. *Veterin.* 25. 2. Equus cephalargicus.

CĔPHĂLĒA, æ. *V.* CEPHALÆA in fin.

CĔPHĂLĬCUM, i, n. 2. *V.* vocem seq.

CĔPHĂLĬCUS, a, um. adject. κεφαλικός, ad caput pertinens, a κεφαλὴ *caput*: et dicitur de iis, quæ ad capitis morbos sanandos faciunt, ut *cephalicum emplastrum*, apud *Cels.* 5. 19. *in titulo n.* 7., qui tamen in ipso textu Græce scribit. Latine autem *Veget.* 3. *Veterin.* 43. 2. *Scheid.* Facies cephalicum medicamentum. — Hinc

Cephalicum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est emplastrum capitale. *Veget.* 6. *Veterin.* 28. 1. *Schneid.* Cephalicum, quod facit ad omnia vulnera difficilia claudenda et supplenda. *Theod. Priscian.* 1. 27. Omnia tunduntur et cribellantur; et fictilis pulvis, cui nomen est cephalicum, commiscetur eodem modo.

CĔPHĂLO *vel* cephalon, ōnis, m. 3. palmæ planta. *Pallad.* 5. *R. R.* 5. 2. Planta palmarum, quam cephalonem vocamus. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

CĔPHĂLŌTE, es, f. 1. κεφαλωτή: a κεφαλὴ *caput*, capitata. *Seren. Sammon.* 23. 427. Ac thymbræ speciem, quam commemorant cephaloten. *Plin.* 32. *Hist. Nat.* 10. 41. (126). hanc herbam vocat *cunilam capitatam.* — *Forcellinus* masculino genere protulerat *Cephalotes, æ.*

CĒPHĒNES, um, m. plur. 3. κηφῆνες, Latine *fuci*, apes imperfectæ et inutiles operi, nisi quod multitudine, quæ calorem confert, fetum adjuvant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (48). — De nom. propr. *V.* ONOM.

CĒPHEUS, i, m. 2. disyllab. Κηφεύς. — Genitivus *Cepheos* penultima producta, Κηφεῖος Ionice pro Κηφέος, seu potius epice Κηφῆος, occurrit apud *Germanic. Arat.* 189. minor utraque jungit Regula Cepheos vestigia. — Accusativus *Cēphĕā* Græca positione occurrit apud *Ovid.* 5. *Met.* 42. et *Melam* 1. 11. 3. — Ceterum Cepheus fuit Phœnicis vel Agenoris filius, maritus Cassiopes, pater Andromedæ, rex Æthiopum. Cum Andromeda a patre desponsa fuisset Perseo, qui eam a Ceto liberaverat, in ipso nuptiali convivio Phineus Cephei frater, cui illa antea promissa fuerat, Perseum cum sociis occidere tentavit: quare cruenta pugna commissa fuit, in qua post multorum cædem, Phineus cum suis in lapidem, objecto Medusæ capite, versus est. Cepheus, qui fratrem omni vi, licet frustra, ab eo facinore impedire conatus fuerat, post mortem in cœlum una cum conjuge, filia et genero translatus est, factumque sidus constans, secundum *Hygin.* stellis XIX., secundum alios XI. vel XVII. Alii dicunt ipsum quoque in necem Persei conspirasse, et ab eo in lapidem mutatum fuisse. Situs est in parte Boreali prope ipsum polum arcticum, secaturque medius ab arctico circulo: vertice attingit viam lacteam, pedibus pæne caudam minoris Ursæ. Ante se habet sidus uxoris; figuraturque manibus utrisque projectis. *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 8., 2. *Nat. D.* 43. 111. et *Arat.* 286., 323. et 665.; *Ovid.* 5. *Met. fab.* 1. et 4. *ibid.* 737.; *Hygin. fab.* 64. et 2. *Astron.* 9. et 3. *ibid.* 8.; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 51.; et *Manil.* variis in locis. *Ovid.* 5. *Met.* 4. Exierat Cepheus, testatus jusque fidemque. *Et ibid.* 42. Et sunt qui Cephea dicant Cum genero debere mori.

CĒPĪNA, æ, f. 1. *V.* CÆPINA.

CĒPĪTIS, *vel*

CĒPŎLĂTĪTIS, idis, f. 3. gemma est candida, venarum nodis coeuntibus, candore imaginem referens. *Plin.* 37. *Hist. Nat.* 10. 56. (152).

CĒPŌNĬDES, um, f. 3. gemmæ in Atarne Æolidis nascentes, multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias crystallinæ, alias iaspideæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (156). Sed dubia est lectio; alii enim leg. *cetionides*: alii *cetonides*.

CĒPOS ĂPHRŎDĪTES, κῆπος Ἀφροδίτης, hoc est *hortus Veneris*; nomen est herbæ, quæ usitatiore appellatione cotyledon dicitur. *Apul. Herb.* 43.

CĒPŎTĂPHĬŎLUM, i, n. 2. *deminut.* a cepotaphium. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 115. *n.* 294. IN HOC CEPOTAPHIOLO CVM SVPERFICIO CERVLONIA MARIA etc. Alia apud *Murat.* 162. 2. SEPVLCHRVM HOC SIVE CEPOTAPHIOLVM AELIA ANTIGONA SACERDOS M. D. T. VIVA IPSA SIBI FECIT. Ita inscriptionem legendam monet *Marin. Frat. Ar. p.* 184., quam ipse vidit, quamque mendosam ita attulerat *Muratorius loc. cit.* SEPVLCRVM SIVE EPITAFIOLVM etc.: hinc *Forcellinus* perperam eamdem laudavit in *V.* EPITAPHIOLUM.

CĒPŎTĂPHĬUM, ii, n. 2. κηποτάφιον, sepulcrum in horto vel hortus sepulcro religiosus factus: κῆπος *hortus*, et τάφος *sepulcrum*, quod in *Evang. D. Joann.* 19. 41. ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον appellatur, et Italice dixeris *orto sepolcro.* *Inscript.* apud *Don. cl.* 2. *n.* 178. (quæ pertinet ad sæc. II. a Chr. n.) M. AVRELIVS AVGG. LIB. CARPOPHORVS FECIT SIBI HOC MONIMENTVM SIVE CEPOTAFIVM, (ita nempe pro *cepotaphium*). Adde aliam apud *Don.* 1. *p.* 199., quæ est apud *Orell.* 4514.; duas alias apud *Fabrett. p.* 80. *n.* 9. et *p.* 115. *n.* 293., quæ postrema est apud *Orell.* 4515. *Et alia* apud *eumd. Orell.* 4516. CEPOTAPHIVS INTVS Q. CONT. PD. PL. M. CC. *h. e.* qui continet pedes plus minus ducentos: ubi nota alteram formam mascul. generis.

CĒPŎTĂPHĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced. Cf. van *Goens de cepotaph. Traj. ad Rh.* 1763. In alia apud *Gruter.* 809. 2. dicitur *hortulus religiosus.*

CEPTO. *V.* CÆPTO.

CEPULLA. *V.* CÆPULLA.

CĒPŪRĬCUS, a, um, adject. κηπουρικός, hortensis, ad horti culturam pertinens: a κῆπος *hortus.* *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. Loca cepurica et hortensia. — Hinc

Cepurica, cōn, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, observationes, vel additiones ad hortorum culturam. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 10. 57. (177). Sabinus Tiro in libro Cepuricon. *h. e.* hortorum vel olerum. τῶν κηπουρικῶν.

CĒPŪROS, i, m. 2. κηπουρός, olitor, hortulanus. Ita inscribitur liber *Apicii* 3. in quo agitur de ratione condiendorum olerum.

CĒRA, æ, f. 1. κηρός, id quod præter mel in apum favis invenitur (It. *cera*; Fr. *cire*; Hisp. *cera*; Germ. d. *Wachs*; Angl. *wax*). Occurrit *A*) de cera tamquam materia tantum ex apum favis expressa; et *B*) de cera, quæ, varia ratione, hominum arte, præparata plurimis usibus inserviebat.

A) De ceræ conficiendæ ratione pluribus disserunt *Colum.* 9. *R. R.* 16. 1. et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 49. (83). et seqq. — De eadem tamquam materia tantum ex apum favis expressa *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108. Persæ mortuos cera circumlitos condunt. *Id.* 3. *Orat.* 45. 177. Verba, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formare et fingere. Adde *eumd.* 3. *Nat. D.* 12. 30.; *Lucret.* 6. 516. et 965.; *Nepot. Ages.* 8., et *Vitruv.* 7. 9. *Schneid.* *Virg.* 2. *Ecl.* 32. cera calamos conjungere. *Id.* 4. *G.* 38. linere spiramenta. Adde *eumd.* 8. *Ecl.* 80. et *Tibull.* 2. 5. 31. *Ovid.* 8. *Met.* 198. Ceram pollice mollire. Adde *Colum.* 9. *R. R.* 15. 8. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 30. (99). Illinere aliquid cera. — Et in plurali numero. *Virg.* 4. *G.* 57. Recentes ceras apes excudunt. *Id. ibid.* 162. Tenaces ceræ. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 7. Apes figurant et fingunt ceras. *Id. ibid.* § 4. Favi superpositis ceris tamquam operculis obliti. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 15. 7. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (18).

B) Cera, hominum arte, variis rationibus præparata pluribus inserviebat usibus: scilicet ¶ 1. Plurimus fuit ceræ usus in scribendo. Tabellis enim utebantur cera illitis, in qua litteras stilo exarabant. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 73. Ceræ equidem haud parsit, neque stilo. Adde *eumd. Asin.* 4. 1. 22., *Curc.* 3. 50. et *Pers.* 4. 3. 59. *Quintil.* 10. 3. 31. Scribitur optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget. Adde *Gell.* 17. 9. — Hinc sæpe dicitur de ipsis tabellis, in quibus aliquid perscribitur. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 62. Cærite cera digni. *V.* CÆRES, itis. *Quintil.* 11. 2. 32. Illud neminem non juvabit, iisdem, quibus scripserit, ceris ediscere. *Id.* 10. 3. 31. Mandare aliquid ceris. *Juvenal.* 1. 63. ceras implere capaces. Adde *Cic. Divinat. in Verr.* 7. 24.; *Liv.* 1. 24.; *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 8., 3. *ibid.* 7. 29. et 9. *Met.* 521.; *Quintil.* 1. 1. 27.; *Martial.* 4. 70. et *Plin.* 1. *Ep.* 6. — Hinc *prima, secunda cera*, hoc est prima, secunda pagina; et *ima, extrema cera*, hoc est ima pars paginæ. *V.* PAGINA. *Cic.* 3. *Verr.* 36. 92. Deinde in codicis extrema cera nomen infimum fecit. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 53. Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo Cera velit versu. *Sueton. Cæs.* 83. Novissimo testamento tres instituit heredes, in ima cera C. Octavium etiam adoptavit. *Id. Ner.* 17. Cautum, ut testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur. *Quintil.* 10. 3. 31. Ne latas quidem ultra modum ceras velim, expertus, juvenem prælongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur, idque vitium, mutatis codicibus, esse sublatum. — *Morcell. De stil. Inscript. Latin.* T. 2. *p.* 317. *edit. Patav.*, et in *Dissert. dello scrivere degli antichi Romani* (edente *Jo. Labusio*) *p.* 61. contendit, *ceras* in *cit. loc.* significare non paginas, sed paginæ partes, quas Itali *colonne* vocant. Quamvis autem inficiari non possim, veteres hac scribendi ratione lectorum commodo sæpe usos fuisse, quam videre est in vetustis codicibus et in primis librorum editionibus, tamen adhuc nos certa antiqui scriptoris auctoritate carere ausim affirmare, quæ eam esse illius vocis significationem confirmet. ¶ 2. Ceræ usus multus fuit etiam in obsignando. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 96. Cedo tu ceram ac linum actutum: age, obliga, obsigna cito. *Cic. Flacc.* 16. 37. Hæc, quæ est a nobis prolata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica —: in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datum, ceram esse videmus. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 15. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 51. 52. (137). Aurum, argentum fulmine liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. ¶ 3. Cera utebantur etiam colore aliquo infecta, v. gr. miniata, adnotandis iis, quæ in opere aliquo perlegendo aut placerent insigniter, aut minus probarentur. Exempla ex *Cicerone* duo *V.* in CERULA, MINIATUS et MINIATULUS. ¶ 4. Item cera colore aliquo infecta utebantur feminæ pro fuco, quo illinebantur. *Plaut. Truc.* 2. 2. 35. Buccas rubore, cera

omne corpus intinxit tibi. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 190. ¶ 5. Pictores quoque ceris usi sunt, et quidem aliquo infectis colore, præsertim in illo pingendi genere, quæ *encaustice* dicitur. *Varro* 3. *R. R.* 17. 4. Ut Pausias et ceteri pictores ejusdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sint ceræ etc. V. *Schneid.* ad h. l., qui ad fin. hæc addit: Hinc in *Digestis* de instr. *Martianus* in leg. *item pictoris:* Item pictoris instrumento legato, ceræ, colores, similiaque horum legato cedunt. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 31., et *ibid.* 11. 39. (122). et *ibid.* 11. 41. (149). *Stat.* 1. *Silv.* 1. 100. Apelleæ cuperent te scribere ceræ. ¶ 6. Cerâ verum albâ utebantur ad imagines figurasque fingendas, unde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Expressi cerâ vultus. *Et* 8. *ibid.* 54. 80. (215). Icones cerâ fictæ. — Hinc per synecdochen ponitur pro ipsis iconibus e cera factis. *Sall. Jug.* 4. Scilicet non ceram illam, neque figuram etc. *h. e.* avorum ceræ imagines. *Ovid.* 1. *Fast.* 591. disposita generosa per atria ceræ. *Juvenal.* 8. 19. veteres ceræ exornent atria. ¶ 7. Denique cera ponitur etiam pro quacumque mistura tenaci et ceræ simili. *Ovid.* 11. *Met.* 514. *de navi.* spoliataque tegmine ceræ Rima patet, præbetque viam letalibus undis. *h. e.* pice. *Virg.* 3. *G.* 450. pingues unguine ceræ. Sic *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 47. (79). et alibi *ceram* pro *cerato* ponit.

CĒRĂCHĀTES, æ. m. 1. κηραχάτης, gemma ex achatæ generibus, ceræ colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139).

CĒRĂMĪTIS idis, f. 3. κεραμῖτις, gemma testæ colorem habens, a κέραμος *testa*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (153). *Forcellinus* masculino genere protulerat *Ceramites, æ;* at ex *Cod. Bamberg.* correxit *Sillig.*

CĒRĀRĬA. *V.* CERARIUS in fin.

CĒRĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

CĒRĀRĬUS, a, um, adject. ad ceram pertinens, ceram spectans. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 731. n. 450., quæ est apud *Orell.* 4109. CN. SENTIO CN. FIL. N. TER. FELICI PATRONO DECVRIAE SCRIBAR. CERARIO N. ET LIBRARIOR. Sunt qui putant, *cerariorum* nomine eos esse appellatos, qui in ceratis tabulis, *librarios* qui in chartis membranisque scribebant, *scribas* vero qui iis decuriis præerant. Sunt itidem qui affirment, *cerarios* dictos fuisse qui publicas privatasque tabulas cera signandas curabant, quas Itali vulgo dicunt *bollatori*. At juxta recentiores philologos, illa verba *cerariorum* et *librariorum* adjective sunt accipienda, ita ut *scribæ cerarii* sint qui in tabulis ceratis, *scribæ* vero *librarii*, qui in libris scribebant. *V.* LIBRARIUS. — Hinc

Cerarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui ceras vendit. *Gloss. Gr. Lat.* Cerarius κηροπώλης.

Ceraria, iæ, f. 1. absolute, substantivorum more, est quæ cereos vendit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 102. Jampridem, quia nihil abstulerit, succenset ceraria. *Ita rectius leg. plerique, et intelligunt ancillam, quæ cereos ad sacrificia parat. Alii tamen leg.* geraria, *hoc est quæ gerit; alii denique* cellaria, *hoc est cellæ custodem.*

Cerarium, ii, n. 2. pecunia, quæ exigebatur pro impensis ceræ. *Cic.* 5. *Verr.* 78. 181. Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione et collybo, deinde pro nescio quo cerario. *h. e.* pecunia, quam exigebat Verres pro impensis ceræ: et videtur eam ceram intelligere, quæ in scribendo a tabulariis consumebatur. *V. Klotz* ad *Cic. loc. cit.* At *Martorell. de R. theca calam.* p. 127. putat, cerarium, fuisse appellatum vectigal illud, quod Verres novo exemplo pro cera signatoria exigebat, cum vel tiro noverit, publicas tabulas et syngraphas sine signis in cera impressis nihil valuisse, imo ne ostendi quidem potuisse: id Itali vocant *diritto del bollo*. Quæ probat *Labus* ad *Morcell. dello scriv. dei Rom.* p. 63. in nota.

CĔRAS. ătis, n. 3. κέρας Græce *cornu* significat. Ab aliquibus ita appellatur pastinaca agrestis, quia cornu similis est. *Apul. Herb.* 80.

CĔRĂSĬNUS, a. um, adject. κεράσινος ad cerasum pertinens. *Petron. Satyr.* 28. 8. Ostiarius prasinatus, cerasino succintus cingulo. *h. e.* cerasi colore. *Id. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Tunica cerasina.

CĔRASTES, æ, m. 1. κεράστης. Legitur etiam *cerasta, æ*, positione Latina; et quidem pro quocumque serpente, per synecdochen, apud *Alcim. Avit.* 5. 79. fictos namque arte dracones Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta. — Ceterum ¶ 1. Cerastes est serpens dictus a κέρας *cornu*, quia gemina et sæpe etiam quadrigemina in capite velut corniculа habet, non tamen illa dura, ut in cornutis quadrupedibus, sed *corporea*, ut *Plin.* appellat 11. *Hist. nat.* 37. 45. (126)., hoc est cornea, vel cartilaginosa, quorum motu, occultato sub arenis cetero corpore, illectas aves veluti esca perimit, ut idem *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (85). docet: a recentioribus historiæ naturalis cultoribus putatur esse *coluber cerastes* Linn. *Propert.* 3. 20. 27. At non spumoso labuntur ventre cerastæ. Adde *Cels.* 8. 27. 7. — Est etiam maxime flexuosus, ut spinam non habere videatur. *Lucan.* 9. 716. spinaque vagi torquente cerastæ. — A Poetis finguntur Furiæ cerastas in capite pro capillo habere. *Stat.* 11. *Theb.* 65. *de Tisiphone.* Crinalem attollit longo stridore cerasten. Adde *eumd.* 1. *ibid* 163. et *Claudian.* 1. *in Rufin.* 96. et 2. *Rapt. Pros.* 346. ¶ 2. Est etiam vermiculus cornutus in arboribus nascens, qui cum tantum eroserit, ut circumagat se, generat alium, ut *Plin.* 16 *Hist. nat.* 41. 80. (220). tradit. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 24. 37. (221). — *NB.* De nomine populi *V.* ONOM.

CERASTIBOLA. *Varro* 6. *L. L.* 3. *ad fin. edit. veter.* Cerastibola, ut de lumbo obscœnabis. Cerastibola. Opilius scribit, circum coxendices sunt nobis: id Græcum est, ab hujus loci versura. *Scaligero* in *Conjectan.* legendum videtur: *caro strebola, vitellina est: cœnabis.* Hæc autem verba sunt ex comœdiis *Plauti* deperditis: cetera ipsius *Varronis*. *Auson. Popma* sic edidit: *Cerastrebula ut de lumbo obscœnabis. Cerastrebula, Opilius scribit, circum coxendices sunt bobus* etc. In notis vero mavult legere *cerea strebula:* quod est τὰ κρέα στρεβλά, carnes tortuosæ, vel flexiles: quales nimirum sunt in coxendicibus, quia in ambulando flectuntur et versantur. Ex quo apte intelliguntur sequentia verba: *id Græcum est, ab hujus loci versura.* At *Müller* in sua *Varron.* edit. 7. *L. L.* 67. ita legendum conjecit: *Da stribula aut de lumbo obscœna viscera;* stribula, ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bovis; id Græcum est ab ejus loci versura. *V.* STRIBULA.

CERĂSUM, i, n. 2. κεράσιον, fructus cerasi arboris. *Cels.* 2. 24. Stomacho apta sunt ex pomis cerasum, morum, sorbum. Adde *eumd.* 2. 27. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 7. Cerasa ut sine osse nascantur. *V.* CERESIA. — Cerasorum plura sunt genera. *Aproniana* maxime rubent: *Lutatia* nigerrima sunt: *Cæciliana* vero etiam rotunda: *Juniana* grati sunt saporis, sed adeo tenera, ut gestatum non tolerent: *Pliniana* dicuntur in Campania, quæ *duracina* alibi, principatum facile obtinentia, pulpa et veluti callo duriore. Hæc a nominibus eorum, qui insitione primi invenerunt, sunt appellata. Alia porro sunt a regionibus dicta, ut *Lusitana*, quæ in Belgica optima omnium censentur: *Macedonica* parvæ arboris, raroque tria cubita excedentis. A qualitate nomen habent *duracina* modo dicta, *laurea* amaritudinis non ingratæ, quæ ex lauro insita proveniunt; et quæ ex brevi frutice verius, quam arbore nascuntur, quæ ob id *Chamæcerasus* dicitur. Sunt etiam, quæ mixtum colorem habent ex nigro, rubenti ac viridi, similia semper maturescentibus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 25. 30. (102). et seqq. et 15. *ibid.* 28. 33. (109). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 264. et *seqq.*) hanc exhibet synonymiam: Κέρασος Theophr. 3. 13. et Athen. 2. 9. et *Cerasus* Latinor. Plin., Virg., Pallad. etc. — Fructus: Κεράσιον Dioscor. 1. 137., Athen. Deipnos 2. 9. C. Bass. Geoponic.; et *Cerasum* Pallad. et Plin. locc. citt. sunt *Cerasus vulgaris* Mill. Dict. Deinde hæc addit: «Le nom de *cerasus* lui a été donné parce qu'il est originaire de Cérasonte, en Asie Mineure. Le sol d'Europe lui a fort convenu, car on le trouve naturalisé sous presque toutes les latitudes. — *Aproniana.* C'est là le type de la cerise; elle provient du *Cerasus Caproniana* DC. Flor. fr. Sp. 3784. *Cerasus sativa, fructu rotundo, rubro et acido* Tourn. Inst. Rei herb. p. 625. C'est le cerisier-griottier. — *Lutatia.* Peut-être est-ce là le *Cerasus sativa*, *fructu orbiculato, nigerrimo, micante* Tourn. Inst. Rei herb. l. c. — *Cæciliana.* On designe pour cette variété le guignier, *Cerasus Juliana* DC. Fl. fr. Spec. 3786. — *Juniana.* On croit que c'est le merisier, *Cerasus avium* DC. Fl. fr. Spec. 3780. — *Duracina sive Pliniana.* C'est là le bigarreautier a fruits rouges, *Prunus Bigarella* L. Spec. plant. 679., *Cerasa crassa, carne dura* C. Bauh. Pin. 450. — *Lusitana.* Il n'est pas possible de designer une variété connue des modernes pour la cerise de Portugal. — *Laurea.* Le cerisier ne peut être greffé sur le laurier. Cette variété, si toutefois elle a existé, n'avait donc pas l'origine que lui suppose notre auteur. — *Macedonica.* Sont-ce les fruits du *Cerasus minor sativa, fructu minimo, rotundo, præcoci* Duham. Arb. 1. 149. n. 13. — Les *Chamæcerasi*, ou cerisiers nains, rentrent sans doute dans la variété précédente des *Macedonica* ».

CĔRĂSUS, i, f. 2. κέρασος. ¶ 1. Sæpius est arbor nota a Cerasunte Ponti urbe sic dicta, quam cum L. Lucullus delevisset, inde arborem Romam transtulit, et ab urbe *Cerasum* appellavit. Nam ante Lucullum erant quidem cerasa in Italia, sed dura et *corna* appellabantur: postea *Cornocerasa* dicta sunt. Ita *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 18. et *Isid.* 17. *Orig.* 7. Adde *Ammian.* 22. 8. Sed *Plin.* 15. *Hist. nat.* 25. 30. (102). negat ante Lucullum ulla in Italia fuisse: quod *Tertull. Apolog.* 11. confirmat, et *Hieronym. Ep.* 31. n. 3. V. *Schneider.* ad *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 4. *Ovid. Nuc.* 32. Audiat hoc cerasus: stipes inanis erit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 26. Possunt etiam his diebus cerasi et tuberes, ceteræque arbores, quæ primæ florent, inseri commode. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 59. (138). et *Pers.* 6. 36. — Et de ipsius cerasi cortice *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 4. ¶ 2. Raro ponitur de ipso pomo, quod proprie *cerasum* dicitur. *Propert.* 4. 2. 15. Hic dulces cerasos, hic auctumnalia pruna Cernis. Adde *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 34. (112). — De synonymia *V.* voc. præced. in fin. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĔRĂTAULES, æ, m. 1. κερατα[ύ]λης, idem qui cornicen. *V.* CAMPTAULES.

CĔRĀTES, is, m. 3. idem quod ceratium. *Rhemn. Fann. de pond. et mens.* 194. *Angel.* Dimidium scrupuli est obolus, pars quarta cerates.

CĔRĀTĬA, æ, f. 1. herba uno folio, radice nodosa magna, cœliacis et dysentericis utilis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 34. (52). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 392.) est fortasse *Convallaria bifolia* L., en France le muguet de mai.

CĔRĀTĬAS, æ, m. 1. κερατίας, cometa cornus speciem habens: a κέρας *cornu;* qualis visus fuit, cum Græcia apud Salamina depugnavit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90).

CĔRĀTĪNA, æ, f. 1. κερατίνα. *Ceratinæ et crocodilinæ quæstiones* seu *ambiguitates*, κερατιναὶ καὶ κροκοδίλιναι λόγοι, de quibus mentio fit a *Quintil.* 1. 10. 5., sunt captiosæ quæstiones et sophismata, quæ captandi et cavillandi causa proponi solent. Duplici autem ratione intelligi possunt, nempe ut sic dictæ sint a modo proponendi, ut *ceratina ambiguitas* idem sit, quod syllogismus cornutus (nam κέρας *cornu* significat), et *crocodilina*, quæ crocodili more luctum fingentis, sub veritatis et honestatis specie ad insidiandum et fallendum proponatur: vel, quod verisimilius est, ut ita appellatæ sint a materia; qua ratione *ceratina* erit captio illa apud *Gell.* 18. 2. Quod non perdidisti, habes: cornua non amisisti: habes igitur cornua. *Crocodilinæ* exemplum erit illud *Luciani* ἐν βίων πράσει, de illa muliere, cui filium crocodilus abstulerat, et se redditurum promiserat, si mulier verum responderet. Illa autem respondit, non redditurum: atque ob id æquum ajebat reddi. Huc pertinet illud ejusdem *Luciani* in *Dial. Diogen.* et *Pollucis*. Κέρατα φύουσιν ἀλλήλοις, καὶ κροκοδείλους ποιοῦσι, καὶ τοιαῦτα ἄπορα ἐρωτᾶν διδάσκουσι τὸν νοῦν. *Fronto de eloq.* p. 86. *Niebhur.* Discere autem ceratinas et soritas et pseudomenus, verba contorta et fidicularia; negligere vero cultum orationis et gravitatem et majestatem et gratiam et nitorem, hoc indicat loqui te, quam eloqui malle, murmurare potius et friguttire, quam clangere. Adde *Senec. Ep.* 45. Hinc apud *Petron. fragm.* 39. *Burmann.* Plurimi hoc signo (*scil.* Arietis acutis et magnis cornibus præditi) scholastici nascuntur et aretalogi. *scilicet* quia etiam de lana caprina pugnacissimi iidem sunt.

CĔRĀTIS, idos, f. 3. *Marcell. Empir.* 27. Ceratidos, quam herbam violam marinam appellamus, radices trium digitorum magnitudine, incoctæ vino austero, torminosos juvant, si illud vinum admixta leviter aquæ calidæ portione potetur. *Num hæc herba eadem est quæ ceratitis?*

CĔRĂTĪTIS, ĭdis, f. 3. κερατῖτις, genus papaveris silvestris, nigri, cubitali altitudine, folio minore et tenuiore quam ceteris silvestribus, semine exili, radice crassa et corticosa, calyculo inflexo, ut corniculo; unde et nomen habet. Nam κέρας est *cornu*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 19. 78. (205). *Forcellinus* etiam in Genitivo sing. num. habet *ceratitis*. V. et voc. praeced. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 430.) hanc exhibet synonymiam: Μήκων κερατῖτις Theophr. Hist. plant. 19. 13.; Μήκων κερατῖτις καὶ παραλία Dioscor. 4. 66. et *Papaver silvestre nigrum ceratitis a Græcis* γλαύκιον *vocatum* Plin. l. c. sunt *Glaucium corniculatum* Persoon. Enchirid. etc.

CĔRĀTĬUM, ĭi, n. 2. κεράτιον, siliqua Græca. In ponderibus ceratium Græcorum idem est ac siliqua Latinorum. *Auctor. de ponder. apud Goes. Agrar.* p. 322. Ponderum pars minima calculus est, qui constat ex granis ciceris duobus. Duo calculi ceratium faciunt. Quatuor calculi, sive duo ceratia, obolum reddunt. Adde *Isid.* 16. *Orig.* 25. 10. Est etiam ejus mentio apud *Colum.* 5. *R. R.* 10. 20., sed ibi Græce scribitur.

CĒRĀTŌRĬUM, ĭi, n. 2. Legitur et *Cerotarium*, a Græco κηρωτόν eod. sensu. — Ceratorium idem est quod ceratum. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 11. et 2. *Tard.* 3. Ceratorium opponere. *Marcell. Empir.* 35. Chalasticum olympianum, ceratorium insigne. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Cerotariis atque malagmatis uti. *Theodor. Priscian.* 1. 9. Calcis flos cerotario mixtus.

CĒRĀTUM, i, n. 2. κηρωτόν, medicamentum ceræ modo tenax, quod impositum adhæret. *Cels.* 4. 2. et 20. Ceratum ex cyprino. et *ibid.* 24. liquidum. *Scribon. Compos.* 250. Sulphur oleo mixtum, atque in cerati spissitudinem redactum. Adde *eumd. ibid.* 130. et 258.; *Colum.* 7. *R. R.* 7. 4.; et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (124). et 23. *ibid.* 6. 54. (101). — Dicitur et *cerotum*, quam voc. *V.* loco suo.

CĒRĀTŪRA, æ, f. 1. ceræ inductio. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 16. Quemadmodum nova vasa si calefiant, liquidam ceram facile excipiunt, sic vetera non crediderim propter olei succum ceraturam pati.

CĒRĀTUS, a, um. *V.* CERO.

CĒRAULA, æ, m. 1. κεραύλης, idem quod ceratanles, cornicen. *Apul.* 8. *Met.* Quidam juvenis ceraula doctissimus. *Al. male leg.* choraula: nam *Id. ibid.* Qui foris circumgestantibus deam cornu canens adambulabat. *Id. Florid.* n. 4. Monumentarii ceraulæ.

CĒRAUNĬUM, ĭi. *V.* voc. seq.

CĒRAUNĬUS, a, um, adject. κεραύνιος. *Ceraunia gemma* dicitur, quæ cum fulmine cadere creditur, et *lapis fulminis* dicitur a *Sidon. Carm.* 5. 50., a κεραυνός *fulmen*. Sunt etiam *cerauniæ*, quæ ita appellantur a fulgore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 51. (134). et *ibid.* 10. 65. (176). *Lamprid. Elagab.* 21. Pisum cum aureis, lentem cum cerauniis, fabam cum electris, et orizam cum albis exhibens. *Tertull. Anim.* 9. Cerauniis gemmis non ideo substantia ignita est, quod coruscent rutilato rubore. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2510. — Hinc

Ceraunium, ĭi, n. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Idem quod ceraunia gemma. *Claudian. Laud. Seren.* 77. Pyrenæisque sub antris Ignea fluminææ legere ceraunia Nymphæ. Adde *Solin.* 23. et *V.* CERAUNUS. ¶ 2. Species vitis, quæ gignit uvam rubro colore. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 1. Cerauniæ vites. Adde *Isid.* 17. *Orig.* 5. 17. — Quod addunt quidam, *ceraunium* esse nomen tuberis apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 12. (36)., *Harduinus* monet legendum *geranion*. Quam *Harduini* lectionem retinuit et *Sillig.*

CĒRAUNŎBŎLĬA, æ, f. 1. κεραυνοβολία, hoc est fulminum jactus, a κεραυνός *fulmen*, et βάλλω *jacio*. Ita dicta est quædam Apellis tabula, in qua cadentia fulmina pinxerat. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (96)., ubi occurrit Accusativus *Ceraunobolian* Græca positione.

CĒRAUNUS, i, m. 2. κεραυνός, idem est quod ceraunia gemma. *Prudent. Psychom.* 470. Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis Germanus vidit commilito etc. *Capell.* 1. p. 10. Tres fuerant in fronte gemmæ, lychnis, astrites et ceraunos. *V.* CERAUNIUS, a, um. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CERBERASTRUM. *V.* SERPERASTRUM.

CERCĒRIS, is, f. 3. Genus avis amphibiæ, apud *Varron.* 5. *L. L.* 79. *Müll.* Aliæ in hoc genere a Græcis, ut querquedula, cerceris: halcedo, quod ea halcyon. *Quidam leg.* cercuris: quod rejicitur a *Scalig.* in *Conjectan.*, qui mallet reponere κερκιθαλλίς, quo modo placet *Scioppio*, qui ita edidit: ut *querquedula a* κερκιθαλλίς *etc.* Sed præstat hanc vocem derivare a καρκαίρω *tremo*, *pulsatus vibro*, unde factum *cercēra*; hinc etiam est repetendum *querquerus, a, um*, quam videsis. Itaque *Varro* dicit *querquedulam* esse ab ea Græca voce, quemadmodum *halcedo* est ab ἀλκυών. At *Müller* ex conjectura edidit Græce κερκουρίς. *V.* QUASSATIPENNAS.

CERCHNĪTIS, itidis, f. 3. *V.* STERELYTIS.

CERCĪTES. *V.* CIRCITES.

CERCĪTIS. *V.* CIRCITES.

CERCĬUS. *V.* CIRCIUS.

CERCŌLIPS, ipis, f. 3. Genus simiæ, inquit *Paul. Diac.* p. 54. 13. *Müll.*, quæ ultimam partem caudæ villosam habet. Quidam leg. *cercalopex* (hoc est caudata vulpes; a κέρκος *cauda* et ἀλώπηξ *vulpes*), alii *cercolopis*: quæ *Scaligero* non probantur. Porro *cercolips* putant nonnulli esse a κέρκος *cauda*, et λιπός *pinguedo*, quod villosa simul et pinguis sit. Sed *Scalig.* deducit a κέρκος et λείπω *deficio*, quod hac voce significetur tantummodo simia sine cauda, quæ Latina appellatione *cluna* dicitur, teste eodem *Paul. Diac.* p. 55. 9. *Müll.* Hinc a quibusdam ita legi apud *Catull.* 38. 3. Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis Culos et crepidas lingere cercolipas. Nam clunibus simiæ non caudatæ nihil est spurcius. Alii tamen plures aliter leg. *V.* CARBATINA. Ceterum *Müller* edidit: Cercolopis genus simiæ etc.; et cercolopis Græce, ut ipse opinatur, audiebat κερκολωπίς, a κέρκος *cauda* et λώπη *pallium, vestis*; ut sit quodammodo *cauda vestita*, h. e. villosa, ut ait *Paul. Diac.* loc. cit.

CERCŌPĬTHĒCUS, i, m. 2. κερκοπίθηκος. Accusativus Græca positione occurrit apud *Martial.* 7. 87. Si Cronius similem cercopithecon amat. — Cercopithecus est simiæ genus caudam habentis: a κέρκος *cauda*, et πίθηκος *simia*. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (72). tradit. nasci hos in Æthiopia nigris capitibus, et pilo asinino. *Varro* apud *Non.* p. 201. 16. *Merc.* Quid dubitatis, utrum nunc aitis cercopitheci, An colubræ, an beluæ? *Martial.* 14. 202. Callidus emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, cercopithecus eram. Adde *eumd. ibid.* 128. — Hoc animal in Ægypto tamquam numen colebatur, teste *Juvenal.* 15. 4. V. *Visconti Op. var. T.* 2. p. 351. et *Winckelmann. T.* 1. p. 186. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CERCOPS, ōpis, m. 3. κέρκωψ. Ita appellatur simia quædam monstrosa et caudata, et turpissima omnium. *Manil.* 4. 664. sævosque leones In pœnas fecunda suas parit horrida tellus, Et portentosos cercopum ludit in ortus. *Ammian.* 22. 14. narrat de Juliano Apostata, quod *ridebatur ut cercops*, hoc est tamquam turpis simia. — Cercopa, inquit *Paul. Diac.* p. 56. 14. *Müll.*, Græci appellant lucrari undique cupientem; quasi κέρδωνα: quem nos quoque lucrionem vocamus. *Paul. Diac.* hæc scribens humani aliquid passus est; miscet enim κερδώ, quod significat *vulpem*, et cognatum est nomini κέρδος *lucrum*, cum voce κέρκωψ, cujus plane aliud est etymon. At *Müller* hæc addit in notis ad l. c.: Quid in animo habuerit Festus aut Verrius, cum hæc scriberet, quærit *Scalig.* Nimirum non fabulosos Cercopas, Herculis scurras, sed πανούργους illos ἐπιόρκους homines, a quibus Athenis Κερκώπων ἀγορά dicta est. V. Eustathius in Homer. Od. 2. 7. p. 1430. 35.; Diogenian. Cent. 1. 3., et alii Parœmiographi, et Schol. in Lucian. Alex. 4.

CERCŪRUS vel

CERCȲRUS, i, m. 2. κέρκουρος vel κέρκυρος. ¶ 1. Nomen piscis marini, in scopulorum fine habitantis: atque hoc sensu et Græca positione *cercyros* occurrit apud *Ovid. Halieut.* 102. et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (152). Fortasse *cercurus* vel *cercyrus* legendum est apud *Varron.* 5. *L. L.* 79. *Müll.*, ubi plerique leg. *cerceris* (quam voc. *V.*), *Müller* autem κερκουρίς. ¶ 2. Genus navis Asianæ prægrandis, ut *Nonius* docet p. 533. 25. *Merc.* Inventa fuit a Cypriis, teste *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Cyprii autem Asiæ sunt contributi. Aperta erat, et vehendis oneribus comparata. *Liv.* 33. 19. Cum classe tectarum navium ad hoc levioribus navigiis, cercurisque ac lembis ducentis. Ex his *Livii* verbis satis apparet, inter minora navigia ponendum esse. Quod confirmat vox ipsa conflata a κέρκος et οὐρά, quæ utraque dictio *caudam* significat: fortasse quod prælonga esset, et velut in caudam utrinque desineret. Sunt qui deducunt a Κερκύρα, hoc est Corcyra insula; quasi Corcyræorum propria fuerit: quod est contra *Nonii* et *Plinii* mentem. V. *Cavedoni Sagg. num.* p. 159. *Plaut. Merc.* 1. 1. 86. Ædificat navim cercurum, et merces emit. *Id. Stich.* 2. 3. 44. Conspicatus sum cercurum, quo ego me majorem non vidisse censeo. Adde *eumd. ibid.* 2. 3. 112., et *Lucilium* apud *Non. loc. cit.*

CERCȲROS. *V.* voc. præced. 1.

CERDA. Vox, quæ occurrit in compositis tantum, et significat stercus. *V.* voc. seq.

CERDO, ōnis, m. 3. κέρδων, significat vilem et sordidum artificem, quique omni ratione lucellum sectatur, quales sunt infimæ plebis homines, et nullius census: a κέρδος *lucrum*: nisi forte sit a *cerda*, quod occurrit in compositis *muscerda, bucerda* etc.: *cerda* autem erat Græcum σκώρ *stercus*, ut ait *Müll.* ad *Festum* p. 147. in notis. *Pers.* 4. 51. Respue quod non es, tollat sua munera cerdo. *Juvenal.* 8. 181. At vos Trojugenæ, vobis ignoscitis, et quæ Turpia cerdoni, Volesos Brutosque decebunt. *Id.* 4. 153. *de Domitiano.* Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus Cœperat. — Jungitur interdum per appositionem cum aliis artificum nominibus, ut *sutor cerdo* apud *Martial.* 3. 59., qui veteres calceos resarcit, veteramentarius, de quo *Id. ibid.* 16. Et *cerdo faber* in antiqua *Inscript.* apud *Spon. Miscell. erud.* p. 231. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CĔRĔĀLIS, le, adject. Scribitur etiam *cerialis*, quod exhibet nummus apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 231., et *Servius* confirmat ad *Virg.* 1. *Æn.* 181., quibus adde *Inscript.* inferius allatas; quin ita omnino scribi vult *Manut.* in *Orthogr.* Alii utramque scriptionem, et merito probant. — *Charis.* 1. p. 99. *Putsch.* docet, hoc adjectivum in *e* terminari in Ablativo singulari, si de homine sermo sit; in *i*, si de re et frugibus. Sed hoc discrimen scriptores non servant. — Ceterum cerealis est ad Cererem pertinens: et jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 1. *Æn.* 181. arma cerealia. *h. e.* instrumenta, quibus panem conficimus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (80). auræ. *h. e.* frugibus maxime utiles. *Plaut. Men.* 1. 1. 25. cœna. *h. e.* opima, lauta, qualis solebat in festis Cereris parari: cf. *pompa cerealis*, de qua infra. *Virg.* 2. *G.* 517. culmus. *Ovid.* 11. *Met.* 122., 1. *Fast.* 683. et 6. *ibid.* 391.; et *Sil. It.* 7. 183. dona. *h. e.* fruges vel panis: cf. *munera cerealia* paulo inferius. *Ovid.* 4. *Fast.* 507. Eleusin. *h. e.* in qua Ceres colebatur. *Id.* 4. *ibid.* 911. herbæ. *h. e.* segetes. *Id.* 1. *ibid.* 125. libum. *h. e.* Januai, sic appellatum quod Jano tantummodo libabatur. *Id.* 11. *Met.* 121. et 13. *ibid.* 639. munera. *h. e.* fruges vel panis. *Id.* 8. *ibid.* 747. nemus. *h. e.* Cereri consecratum. *Virg.* 1. *G.* 212. et *Colum.* 10. *R. R.* 315. papaver. *h. e.* quod usui est, sicut frumentum; quale est sativum illud, cujus tria genera facit *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 53. (168)., nempe candidum, cujus semina tosta cum melle ab antiquis in secunda mensa apponebantur; et rustici panum crustis affuso ovo inspergebant: nigrum, cujus scapo inciso lacteus succus excipitur: tertium genus erraticum, quod et sponte nascitur in arvis, cum hordeo maxime. Vel *cereale* dixit, quia eo usa est Ceres ad oblivionem doloris ob raptum Proserpinæ filiæ: vel quia Meconem Atheniensem dilexit, et transfiguratum in papaver (μήκων Græce *papaver* significat) tutelæ suæ jussit reservari. Hæc *Servius* ad *Virg. loc. cit.* Potest etiam addi alia causa, quod narrat *Ovid.* 4. *Fast.* 547. de Triptolemo a Cerere pasto papavere, ut eum faceret deum. *V.* ibi reliqua. *Varro* 1. *R. R.* 2. 11. pompa cerealis. *h. e.* longus ille ferculorum ordo, quæ in hujusmodi epulis inferebantur: ducta loquendi ratione a pompa Circensi. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 1. sacrum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 23. (168). sapor. *h. e.* sapor tritici. *Plinius* enim *ibid.* scribit, rusticos inferiorem panum suorum crustam *apio et gith, cereali sapore, condire.* Cum enim ex vilioribus et ingratis frugibus panem conficere soleant, eo condimento saporem ei triticeum et gratum conciliant. *Auson. Mosell.* 362. saxa. *h. e.* molas aquarias, quibus frumenta moluntur; *Ausonii* verba sunt: fluvius Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu. *Ovid.* 1. *Met.* 123. semina. *Virg.* 7. *Æn.* 111. solum. *h. e.* liba adorea, quæ pro mensa subjecta erant, ut in iis ceteræ dapes reponerentur. *Ovid.* 2. *Trist.* 12. 11. sulci. *h. e.* in quibus seruntur segetes. — Hinc

Cerealia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivo-

rum more, ¶ 1. Sunt festa in honorem Cereris, in quibus matronæ albis indutæ togis, discurrentes cum facibus celebrabant luctum et errores Cereris ob amissam filiam. Ludi præterea fiebant in Circo in ejus honorem, quos albatus populus spectabat: vetitumque erat vino aut venere uti, atque ante noctem cibum capere. Hinc *Plaut. Aulul.* 2. 6. 5. *Cereri eos nuptias facere* ait, qui nihil temeti in cœnam attulerint. *V.* alia in hanc rem in ONOM. voc. CERES. — Porro cerealia celebrabantur pridie Id. April., ut est in veteri Kalendario apud *Gruter.* 133., et *Ovid.* 4. *Fast.* 619. docet. *Cic.* 2. *Att.* 12. 2. Emerseram commode ex Antiati ipsis Cerealibus. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 15. *Müll.* — Et cum apposit. *Liv.* 30. 39. *in fin.* Cerealia ludos dictator et magister equitum ex S. C. fecerunt. Plura de his *V.* apud *Ovid.* 4. *Fast.* 389. et seqq.

Cereales, ium, plur. 3. ¶ 1. *Æediles cereales* erant duumviri, qui annonam curabant, et frumentum, cum opus esset, populo publice distribuebant: iidemque Cereris ludos in Circo faciebant. Originem habuerunt a Jul. Cæsare, ut tradit *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 32. C. Julius Cæsar duos prætores, et duos ædiles, qui frumento præessent, et a Cerere Cereales, constituit. Horum mentio fit etiam in *Inscript.* apud *Gruter.* 492. 9. et 272. 5. et 6., ubi appellantur *Ædil. Pleb. Cerial.* Huc spectat nummus apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 251., in quo *Ceres sedens dextra spicas, sinistra facem, pro pedibus serpentem habet cum inscriptione:* C. MEMMIVS AED. CERIALIA PREIMVS FECIT. — Beneventi vero *præfecti* erant *Cereales juri dicundo*, quorum munus fuit annonam curare, quod liquet ex *Inscript.* apud *De-Vitam, Antiq. Benev.* p. XIII. n. 11. C. ADJECTIO C. F. STEL. MACEDONI PR. CER. IVRID. Alia *ibid.* n. 12. C. CAELIO C. F. STE. BASSAEO DONATO PR. CER. I. D. QQ. *V.* CEREALITAS. *Alia* apud *Gruter.* 272. 6., quæ pertinet ad tempora *M. Ant. Gordiani.* DECVRIALES, AEDIL. PLEB. ET CERIAL. PLEB. ¶ 2. *Cereales* dicuntur etiam ab *Hieronymo* (cujus verba *V.* in ANABASIUS) qui celeriter huc illuc discurrunt, velut Ceres cum filiam quæreret, vel Triptolemus ab ea per universum orbem missus ad portanda frumenti semina. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

CERĔĀLĬTAS, ātis, f. 3. dignitas Cerealis, ut Augustalitas est Augustalis, Quinquennalitas Quinquennalis. Qui vero fuerint in provinciis *Cereales*, seu Præfecti Cereales *V.* CEREALIS in fin. *Inscript.* apud *De-Vitam, Antiq. Benev.* p. XIII. n. 14., quæ est apud *Orell.* 3994. L. STAIO L. F. STEL. SCRATEIO MANILIANO PRIMO CEREALI IVRI DICVNDO QQ. (*h. e.* quinquennali) FILIO EQVITIS ROMANI ARCHIATRI BENEVENTI, HIC PRIMVS OB HONOREM CEREALI*tatis* TESSERIS SPARSIS, IN QVIBVS AVRVM, ARGENTVM, AES, VESTEM CAETERAQVE (*forte extat in lapide* ceteraque) POPVLO DIVISIT, L. STAIVS RVTILIVS MANILIVS. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 3992. et 3993.; et V. *Labus delle Tessere* p. 33., et *Cardinali Diplomi* p. 58. *vol.* 2. *not.* 19.

CĔRĔBELLĀRE, is, n. 3. (cerebellum) parvum capitis tegumentum, parvus capitis pileus. *Veget.* 3. *Veterin.* 11. 3. *Schneid.* Caput cerebrumque vaporare te convenit, et caput apposito cerebellari communire. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 7. 1., 3. *ibid.* 12. 6. et 5. *ibid.* 32. 2. Ita *Schneider* ex optimis Codicibus hanc vocem confirmavit, cujus lectio *Forcellino* dubia esse videbatur. *Pelagon. Veterin.* 5. *ante med.* Perungito caput medium inter aures, et lanatam pellem madentem his medicaminibus pro cerebellari superponito.

CĔRĔBELLUM, i, n. 2. *deminut. a* cerebrum, parvum cerebrum.

I.) Proprie. *Cels.* 2. 18. Ungulæ suis, rostrum, aures, cerebellum. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 38. (112). Gallinacei cerebellum. Adde *eumd.* 29. *ibid.* 5. 32. (100). *Sueton. Vitell.* 13. Phasianorum et pavonum cerebella.

II.) Figurate de mente atque animo est idem quod capitulum. *Petron. Satyr.* 76.

CĔRĔBER, bri, qui dicunt (pro *Cerebrum, bri*) sine cerebro vivunt, inquit *Flav. Caper de Orthogr.* p. 2245. *Putschii.*

CĔRĔBRŌSUS, a, um, adject. qui cerebro ita laborat, ut facile irascatur, facile sententiam mutet, levis, inconstans, uno verbo ad insaniam proclivis sit. Cf. CEREBRUM II. 2. — *a*) Occurrit fere de hominibus. *Plaut. Most.* 4. 2. 36. Senex hic cerebrosus est certe. *Lucilius* apud *Non.* p. 1. 82. *Merc.* Te primum cum istis insanum hominem et cerebrosum. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 21. donec cerebrosus prosilit unus, Ac mulæ nautæque caput, lumbosque saligno Fuste dolat. *Capell.* 8. p. 273. Quod rabido fervebas cerebrosa motu. — *b*) Raro de brutis animalibus. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 11. Ervum boves cerebrosos reddit.

CĔRĔBRUM, i, n. 2. De alia forma *V.* CEREBER. — *Saxo cere comminuit brum* dixit *Ennius* per tmesin, non tamen ullo pacto imitandus. Locum *Ennii* afferunt *Donat. de Tropis* p. 1777. *Putsch.* et *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 416., sed *Ennii* nomine tacito. (*V. Klotz, Handb. d. lat. Litt. Gesch. vol.* 2. *part.* 1. *pag.* 73. *not.* 186. et *pag.* 98. *not.* 244.). Simile est illud *Sempronii Gracchi* apud *Calpurn. Pison. MS.* referente *Merula ad fragm. Ennii*; p. 308. Oblatam stultum est medi spernere cinam. Et *Pomponii ibid.* Lamen color tetrici mutat: lacrimis se falsis lavitat. *Et Julii Proculi ibid.* Clausa sagi fera nant. — Et tmesis et metathesis simul est in illo *Lucret.* 6. 962. terram sol excoquit, et facit are. — Insolentissima omnium est illa veteris poetæ apud *Donat. loc. cit.* Massili portabant juvenes ad littora tanos. *h. e.* Massilitanas lagenas. Ita vero corrigendus est *Donatus* (ubi legitur *portant* pro *portabant*) ex *Pompej. gramm.* p. 471. — Ceterum cerebrum est substantia mollis in capite, nervorum et sensus omnis principium (It. *cervello*; Fr. *cerveau, cervelle*; Hisp. *celebro*; Germ. d. *Gehirn*; Angl. *the brain*).

I.) Proprie occurrit de hominibus et ceteris animantibus. *Plaut. Cas.* 3. 5. 19. Cerebrum alicui dispercutere. Adde *Ter. Adelph.* 3. 2. 19., 4. 2. 32. et 5. 2. 7. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 19. Alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. Adde *Lucret.* 6. 804.; *Virg.* 5. *Æn.* 413., 9. *ibid.* 419. et 11. *ibid.* 698.; *Horat.* 2. *Od.* 17. 27.; *Cels.* 5. 26.; *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 49. (133). et seqq.; et *Sueton. Cal.* 27. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *ante med.* Cerebri valido incussu (*al.* incursu) parietem pulsare.

II.) Figurate. ¶ 1. Ponitur interdum pro mente, animo, intelligentia, sapientia. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 29. Mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta, soror: lapides loqueris. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 75. Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli Dictantis, quod nunquam rescribere possis. *Id.* 1. *ibid.* 9. 11. O te, Bolane, cerebri Felicem, ajebam tacitus. *h. e.* simplicis, tranquillæ et sanæ mentis, quæ nulla re perturbatur, et omnes molestias patientia vincit. Alii aliter exponunt. *Phædr.* 1. 7. 2. O quanta species cerebrum non habet! *h. e.* sapientiâ caret. Adde *Sueton. Cal.* 50. — Sic *Experiri cerebrum alicujus* apud *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* est ejus mentem, animum experiri. ¶ 2. Ponitur et pro sede iracundiæ; unde *uri cerebrum*, *findi cerebrum* iis dicitur, qui valde indignantur et veluti extra se sunt præ iracundia. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 25. Id nunc his cerebrum uritur, me esse hos trecentos philippos facturum lucri. *Id. Bacch.* 2. 3. 17. Cor meum et cerebrum finditur, istius hominis ubi fit mentio. Hinc *Cerebrosus*, quam vocem *V.* ¶ 3. Per similitudinem *cerebrum arboris* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (36). est superior medulla arboris. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 4. 9. (39).

CĔRĔFŎLIUM. *V.* CÆREFOLIUM.

CĔRĔMŌNIA. *V.* CÆREMONIA.

CEREO pro *Creo* obsoletum verbum. *V.* CERUS.

CĔRĔŎLUS, a, um, adject. *deminutivum a* cereus. Apud *Colum.* 10. *R. R.* 404. *cereola* dicuntur pruna, quæ cerei coloris sunt, a *Plin. cerina* appellata 15. *Hist. Nat.* 13. 12. (41). Versus *Columellæ* est: Armeniisque, et cereolis, prunisque Damasci. *Plin. loc. cit.* Sunt et nigra, ac laudatiora cerina, nec non Armeniaca etc. *Ovid.* quoque nigra et cerina pruna memorat 13. *Met.* 817.

CĔRES, ĕris, f. 3. Saturni et Opis filia, Jovis et Plutonis soror, quæ fruges monstravit et agriculturam et domandorum boum rationem homines docuit. *V.* plura in ONOM. — Hinc ¶ 1. Ceres per metonymiam ponitur pro segetibus et frumento, ut *Cic.* hisce verbis docet 4. *Herenn.* 32. 43. Denominatio est, quæ a propinquis et finitimis rebus trahit orationem qua possit intelligi res, quæ non suo vocabulo sit appellata. Id aut — ab invento (*conficitur*), ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet. *Virg.* 1. *G.* 297. At rubicunda Ceres medio succiditur æstu. *Id.* 1. *Æn.* 181. Tum Cererem corruptam undis, cerealiaque arma Expediunt. *Horat. Epod.* 16. 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. Adde *eumd.* 3. *Od.* 24. 13. *Ovid.* 5. *Amor.* 7. 31. Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam. Adde *eumd.* 3. *Met.* 437. ¶ 2. Item pro pane vel cibo. *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 58. 14. *Müll.* Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem. *h. e.* pisces, olera et panem. *Ter. Eun.* 4. 5. 6. Sine Cerere et Libero friget Venus. *Cf. Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 60. *Virg.* 1. *Æn.* 705. Cereremque canistris Expediunt.

CĔRĔSĬA, æ, f. 1. idem ac cerasum; sed prior vox videtur a vulgo Romanorum usurpata fuisse, unde recentiorum Italorum *ciriegia* est derivanda. *Gargil. de pom.* (edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. p. 422.). Ceresiæ austeræ ventrem constringunt, stomachum confortant.

CĔRĔUS, a, um, adject. κήρινος, ad ceram pertinens (It. *di cera*; Fr. *de cire*; Hisp. *de cera*; Germ. *wächsern*; Angl. *waxen, of wax*).

I.) Proprie. ¶ 1. Cereus dicitur et est qui est ex cera. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 30. Nihil esset cereum, quod commutari non posset. *Virg.* 4. *G.* 202. cerea regna. *h. e.* apum favi. Similiter *Id.* 12. *Æn.* 589. castra. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 30. effigies. *Id. ibid.* 8. 43. et *Epod.* 17. 76. imago. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 265. *Ovid. Heroid.* 6. 91. simulacra. ¶ 2. Item ceræ colorem aut speciem habens. *Virg.* 2. *Ecl.* 50. Cerea pruna. *V.* CEREOLUS. *Martial.* 10. 94. poma. Cf. *Ovid.* 13. *Met.* 818. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (33). Electrum cerei coloris. *Id. ibid.* 3. 12. (47). Electra cerea. *Martial.* 13. 5. Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo. *h. e.* pinguis: nam pingue cerei coloris est. Sic *Id.* 3. 58. Cereus turtur. *Id.* 1. 93. Cerea et trita lacerna. *h. e.* quæ candorem amisit, et flava ob vetustatem facta est. Alii exponunt succidam, unctam, quasi ceratam. Sic *Id.* 4. 53. Cerea abolla.

II.) Translate est tener, mollis, flexilis atque adeo mutabilis. *Horat. Art. P.* 163. Cereus in vitium flecti. — Huc referri potest et illud ejusdem *Horat.* 1. *Od.* 13. 2. cerea Telephi laudas brachia. *h. e.* mollia, ut *Forcellinus* et *Ritter* interpretantur: *Klotz* vero h. locum ad proxime superiorem paragraphum refert atque interpretatur brachia bene nutrita adeoque lucentia: *Bentlejus* denique contendit legendum *lactea.*

CĔRĔUS, ī, m. 2. proprie est adjectivum, subauditur enim *funis*, *h. e.* funis cera illitus, unde generatim fax e cera (It. *cereo, torchio*; Fr. *chandelle de cire, cierge, bougie*; Hisp. *cirio, bugia*; Germ. *Wachsfakel od. Wachskerze*; Angl. *a taper, waxlight*). *Plaut. Curc.* 1. 1. 9. Lucere alicui cereum. *Cic.* 3. *Off.* 20. 80. Omnibus vicis statuæ: ad eas tus et cerei. *Seneca Tranquill.* 11. Toties in vicinia mea conclamatum est: toties præter limen immaturas exequias fax cereusque præcessit. *Id. Brevit. vitæ* 20. Ducere funus ad faces et cereos. *Id. Ep.* 122. Quantulum a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt? *h. e.* noctu vigilant, et ad lumen focum et cerei agunt. Adde *Dig.* 33. 9. 3. § 9., et *Paul. Diac.* p. 54. 40. *Müll.* — Saturnalibus cereos dabant tenuiores clientes ditioribus patronis suis, lege lata a quodam Publicio trib. pleb. ad coercendam avaritiam patronorum, qui majora munera a clientibus eo tempore exigere solebant. Hic autem mos missitandi cereos ex eo ortus est, quod socii Herculis ab eo in Italia relicti Saturni aram pro humanis victimis, quæ prius ad eam mactabantur, plurimis accensis luminibus excolere cœperunt, ita ab Hercule edocti ac jussi. Habebant enim oraculum, in quo erat: Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. Vox autem φῶτα non solum virum, sed etiam lumen significat. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. et 11. *ad fin.*, et *Martial.* 5. 18.

CĔRĔVISIA. *V.* CERVISIA.

CĔRĬĀLIS, e. *V.* CEREALIS sub init.

CĔRĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, n. 1. κηριάζω, ceram facio. *Plin.* 9. *Hist. Nat.* 38. 62. (133). de pelagiis, seu purpuris. Capi eas post Canis ortum, utilissimum: quoniam cum cerificavere, fluxos habent succos. *h. e.* cum lentorem illum suum ceræ similem mutuo attritu salivavere, ut *Id.* loquitur *ibid.* 36. 60. (125). Alii leg. *fetificavere*: sed *Harduin.* priorem lectionem defendit tum ex *MSS.* quibusdam, tum ex verbis *Aristot.* hac eadem super re: Ὅταν δὲ κηριάζωσιν αἱ πορφύραι etc. *Sillig.* secutus est *Harduinum.*

CĔRĪNĀRIUS. *V.* CALTHULARIUS, et CARINARIUS.

CĒRINTHA, æ et cerinthe, es, f. 1. κηρίνθη, herba apibus gratissima, folio candido incurvo, cubitalis, capite concavo, mellis succum habente. *Virg.* 4. *G.* 63. Trita meliphylla et cerinthæ ignobile gramen. *Plin.* 21. *Hist. Nat.* 12. 41. (70). Casiam, melilotum, cerinthen. Adde *Colum.* 9. *R. R.* 8. 15. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 47.) hanc exhibet synonymiam: Κήρινθον Arist. de Anim. 9. 40. et Theophr. 6. 7.; *Cerinthe* Virg. et Plin. locc. citt.; et *Herba leucographis* ejusd. Plin. 27. 11. 78. (103). sunt *Cerinthe major* L. Spec. plant. 195.

CĒRINTHUS, i, m. 2. κήρινθος, idem quod *erithace*, hoc est medium quid inter mel et ceram, quo apes vescuntur, cum operantur, amari saporis: gignitur rore verno et arborum succo, gummium modo: sæpe invenitur in favorum inanitatibus sepositus. Vocatur etiam *sandaraca* a quibusdam. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 7. 7. (17). — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CĒRĪNUS, a, um, adject. κήρινος, ad Græcorum imitationem usurpatur tantum in artibus, et est cerei coloris. *Plin.* 15. *Hist. Nat.* 13. 12. (41). Pruna cerina. *V.* CEREOLUS. *Id.* 37. *ibid.* 5. 20. (77). Berylli cerini. — Hinc

Cerina, *orum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, apud *Plaut. Epid.* 2. 2. 49. est vestimentum ceræ colore, ut interpretatur *Non. p.* 548. 33. *Merc.* Quidam leg. *berinum*, et interpretantur burrum, *h. e.* rufum.

CĒRIŎLĀRE, is, n. 3. vel

CĒRIŎLĀRIUM, ii, n. 2. Scribi potest et *cereolare*, et est candelabrum cereis sustinendis aptum. *Inscript.* apud *Gruter.* 175. 4., quæ est apud *Orell.* 4068. CVM BASI MARMOREA ET CERIOLARIB. DVOBVS AEREIS HABENTIBVS EFFIGIEM CVPIDINIS TENENTIS CALATHOS. Alia apud *Reines. cl.* 1. *n.* 373. CERIOLARE ARG. ALT. PED. I. SEMIS REFECIT. Adde alias apud *Orell.* 2505., 2506. et 2515. Alia apud *Maff. Mus. Ver.* 83. 2. DECIMIA C. F. CANDIDA SACER. M. D. (hoc est sacerdos matris deûm) DELVICAM CVM LABELLIS ET CERIOLARIIS N. XXXVI. Alia apud *Murat.* 122. 1. L. GRANIVS CERIOLARIVM IMPENSA SVA FACTVM DEDIT DONAVIT.

CĒRĬO, ōnis, m. 3. vel

CĒRĬON *vel sæpius Latina positione*

CĒRĬUM, ii, n. 2. κηρίον, proprie favum significat. Translate sic appellatur ulceris genus multis foraminibus, favi more, præditum, et mellei coloris humorem manans. Accuratius describitur, et in duo genera dividitur a *Celso* 5. 28. *n.* 13., qui tamen Græce usurpat. *Plin.* 20. *Hist. Nat.* 2. 6. (11). Radix peponum sanat ulcera concreta in modum favi, quæ ceria vocant. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 7. 63. (119). — *Cerio*, *onis* pro *cerium* occurrit apud *Theod. Priscian.* 1. 5., nisi forte mendum sit.

CERITES. *V.* CÆRES, itis.

CĒRĪTIS, idis, f. 3. κηρῖτις, gemma est a colore ceræ appellata, quæ κηρός Græce dicitur. *Plin.* 37. *Hist. Nat.* 10. 56. (153). — *Forcellinus* minus recte exhibuerat CERITIS vel CERITES, æ, m. 1. κηρίτης.

CERITULUS } *V.* CERRITUS.
CERITUS }

CERNENTĬA, æ, f. 1. visus. *Capell.* 4. *p.* 115. Cernentia opponitur cæcitati.

CERNĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *cernio*, *is*, unde est recentiorum Italorum *cernire* et *cernito*, qui etiam *cernere* et *cernuto* dicunt a *cerno*, *is*. *Theod. Priscian.* 4. 1. *a med.* Item betonicam cernis, cernitam repones. *Id. ibid.* Cineres de fornacibus cernitos in aqua calidissima conspergis.

CERNO, cernis, crēvi, crētum et certum, cernere, a. 3. De præterito *crevi*, quod commune est duobus verbis *cerno* et *cresco*, hæc habentur apud *Paul. Diac. p.* 53. 8. *Müll.* Crevi modo significat hereditatem adii (a *cerno*), modo major ætate vel censu sum (a *cresco*), modo judicavi, modo divisi (a *cerno*). Quæ omnia a duobus verbis cresco et cerno veniunt; cujus unius origo ex Græco trahitur, quod illi κραίνειν dicunt perficere. — Part. *Cernens* et *Cernendus* II. *B.* 2. *c.*; *Cretus* et *Certus* I. De part. præter. pass. *certus* *V.* CERTUS, a, um sub init. — Ratione habita etymi, *cerno* est a Græco κρίνω (quod idem significat), ut *Paul. Diac. loc. cit.*, *Voss.* et *Perizonius* ad *Sanctii Minerv.* 4. 15. *p.* 772. et seqq. omnium probabilissime censent. — Hinc *cernere* proprie significat separare adeoque purgare (It. *cernire*, *separare*, *purgare*; Fr. *séparer*; Hisp. *separar*, *dividir*; Germ. *sondern*, *scheiden*, *sichten*; Angl. *to sift*, *separate by a sieve*).

I.) Proprie de rebus ponitur, et significat ita separare ac purgare, ut quæ similia aut ejusdem sunt speciei in unum acerventur. *Cato R. R.* 107. Quam minutissime per cribrum cernas. *Ovid. Medicam. fac.* 62. Cernere aliquid in cribris. *Id. ibid.* 89. Hæc ubi contrieris, per densa foramina cerne. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 19. (115). Arctiore cribro cernere farinam. *Id.* 33. *ibid.* 5. 26. (87). aliquid tenui cribro. *Pallad.* 7. *R. R.* 11., et *Veget.* 1. *Veterin.* 13. 5. et 5. *ibid.* 27. 6. *Schneid.* cribello spisso. — Et Part. præter. pass. *cretus* apud *Scribon. Compos.* 222. Thus cretum. *Pallad.* 12. *R. R.* 22. 3. Cinis bene cretus. — *Certus* vero apud *Liv.* 30. 2. Certâ sorte. *h. e.* agitatis, jactatis atque extractis, sive a ceteris, quæ urna continentur, separatis sortibus: *V. eumd. Liv.* in paragr. proxime sequenti sub init. *Cato R. R.* 13. Certa pondera. *h. e.* a ceteris separata, seposita. Cf. CERNITUS suo loco.

II.) Translate duo præcipue significat, scilicet

A) Cum omnis judicandi vis in eo posita sit, ut vera a falsis, justa ab injustis separentur, *cernere* est judicare, decernere, deliberare. Ad rem *Liv.* 43. 12. Priusquam id sors cerneret. ubi *sors cernere* dicitur, cum sorti permittitur, ut dijudicet, quid sortientibus obveniat: confer *certâ sorte* ab eodem *Liv.* usurpatum et in superiori paragrapho allatum. Hinc ¶ 1. Generatim cernere est judicare, decernere, deliberare: et occurrit cum Accusativo, vel cum Ablativo rei, quæ decernitur et præp. *de*, vel etiam absolute. *Pacuvius* apud *Non. p.* 261. 12. *Merc.* Et æquum est et rectum, quod postulas: jurati cernant. *Accius* apud *eumd. p.* 261. 21. Regnum tibi permitti malunt; cernam; tradam exercitus. *h. e.* id ego decernam, id volo deliberare: hinc *Non. ibid.* exponit cedam. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. QVODCVNQVE SENATVS CREVERIT AGVNTO. *Et ibid.* § 8. HVIC POTESTATE PARI QVOTCVNQVE SENATVS CREVERIT POPVLVSVE IVSSERIT, TOT SVNTO. *Id. ibid.* § 9. IMPERIA, POTESTATES, LEGATIONES, CVM SENATVS CREVERIT, EX VRBE EXEVNTO. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 9. 21. *Tac.* 15. *Ann.* 14. Illum locum tempusque consilio destinatum, quid de Armenia cernerent. *Alii leg.* Locum illis tempusque destinatum, quo etc. *V.* CERTUS suo loco. ¶ 2. Item significat statuere, constituere et veluti apud se decernere: et occurrit cum Infinito. *Plaut. Cist.* 1. 1. 1. Quum ego antehac te amari et mihi amicam esse crevi, mea Glycerium etc. *h. e.* constitui, inquit *Varro* 7. *L. L.* 98. *Müll. Priscian.* tamen 8. *p.* 898. *Putsch.* exponit vidi, cognovi: qua de significatione infra dicemus. *Lucilius* apud *Non. p.* 261. 4. *Merc.* Postquam præsidium castris educere crevit. *Catull.* 64. 150. potius germanum amittere crevi, quam etc. ¶ 3. Speciatim ponitur pro certare, dimicare, præcipue in bello et præliis, quia in iis de summa rerum decernitur: hinc festive *Plaut. Trin.* 2. 4. 77. Verecundari neminem apud mensam decet: nam ibi de divinis atque humanis cernitur. Cf. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. 3., ubi tamen recentiores editiones pro *cernetur* habent *certetur*. Porro hac significatione occurrit — *a*) *Cernere* absolute vel *de aliqua re*, *cernere armis*, *ferro* etc. *Ennius* apud *Non. p.* 511. 9. *Merc.* Sæviter fortunâ ferri cernunt de victoria. *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 709. Olli cernebant magnis de rebus agentes. *Pacuvius* apud *Non. p.* 261. 20. *Merc.* De virtute et ego potestatem cernundi do omnibus. *Accius* apud *eumd. p.* 261. 17. Nisi esset, qui armis secum vellet cernere. *Auct. argum.* 2. *Amphitr. Plautini.* Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus. *Lucret.* 5. 394. Magnis de rebus inter se cernere. *Virg.* 12. *Æn.* 709. Inter se coisse viros et cernere ferro. *Alii leg.* decernere *contra* Servium. Adde *Sall. Cat.* 59., ubi dubia est lectio. Apud sequioris ævi Scriptores hoc sensu pro *cernere* frequentius occurrunt *decernere* et *certare*, *V. Senec. Ep.* 58. Sed apud *Sil. It.* 16. 532. Hi crevere pares bello. — *b*) Hoc sensu regit etiam Accusativum rei, de qua certatur. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Ferro, non auro, vitam cernamus utrique. *h. e.* in disceptationem et discrimen adducamus et de ea armis decernamus. Adde *eumd. Ennium* apud *Varron.* 6. *L. L.* 81. *Müll.* et apud *Non. p.* 261. 8. *Merc. Plaut. Bacch.* 3. 2. 15. Nunc certamen cernitur. Adde *eumd. Cas.* 3. 1. 2. *Lucret.* 4. 965. Cernere bellum. κρίνειν πόλεμον. *Alii leg.* degerere *pro* gerere, *ut sit pæon pro dactylo*; *alii* degere. *Tibull.* 4. 1. 103. Seu libeat duplicem sejunctim cernere Martem. ¶ 4. Item speciatim, hinc est celebris illa phrasis JCtorum, *cernere hereditatem*, quæ legitur apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 15. 40., 11. *Att.* 2. 1. et 12. 4., 13. *ibid.* 46. 3. et 4. *Herenn.* 53. 67.; et *Liv.* 24. 25. et 40. 8. Porro is dicitur *hereditatem cernere*, ut exponit *Varro* 7. *L. L.* 98. *Müll.*, qui constituit se heredem esse: et cum id fecit, dicitur *crevisse*. Itaque differunt *cernere* et *adire*. Nam *cernere* est decernere se heredem esse et hereditatem acceptare: at adire est ipsam occupare et in possessionem ejus venire. Docet enim *Cajus Institut.* 2. 164. Extraneis heredibus solet *cretio* dari, idest finis deliberandi; ut intra certum tempus vel adeant hereditatem, vel, si non adeant, temporis fine submoveantur: ideo autem cretio appellata est, quia cernere est quasi decernere et constituere. Cum ergo ita scriptum sit: Heres Titius esto, adjicere debemus: Cernitoque in centum diebus proximis, quibus scies poterisque; quod si non ita creveris, exheres esto. Et qui ita heres institutus est, si velit heres esse, debebit intra diem cretionis cernere, id est hæc verba dicere: Quod me Publius Titius testamento suo heredem instituit, eam hereditatem adeo cernoque. Hinc intelliges illud *Varron.* 6. *L. L.* 81. *Müll.* In testamento cernito, id est facito, videant te esse heredem. Itaque in cretione adhibere jubent testes. Et *Cic.* 1. *Orat.* 22. 101. De iis, credo, rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus scribi solet: *Quibus sciam poteroque.* Adde *Paul. Diac. p.* 53. 8. *Müll.* — Quamvis autem prius sit *cernere*, quam *adire*, hoc tamen verbum in formula hereditatis agnoscendæ priore loco ponitur. *Plin.* 10. *Ep.* 75. Rogavit testamento, ut hereditatem suam adirem cerneremque. *Ulp.* 22. 27. Cernere est verba cretionis dicere, ad hunc modum: Cum me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque. — Atque hinc translate *Cic.* 6. *Att.* 1. Is fratris Appii amorem erga me cum reliqua hereditate crevit. *Id.* 9. *Fam.* 14. 3. Cernere falsam hereditatem paternæ gloriæ. *Val. Max.* 5. 3. *extern.* 3. hanc hereditatem paternam solam, catenas et carcerem.

B) Sæpissime significat sensibus recte percipere, quæ notio et ipsa ab illa priore descendit, quam posuimus. Proprie enim *cernere* est sensibus res internoscere, unam ab alia separando. ¶ 1. Raro admodum occurrit de auditu. *Accius* apud *Non. p.* 261. 10. *Merc.* Vox illius est certe, idem omnes cernimus. *Titinius* apud *Priscian.* 10. *p.* 898. *Putsch.* Simul ut pueras has nocte suspirare crevi. ¶ 2. Sæpissime occurrit de visu, et *cernere* differt a *videre* quocum haud raro conjungitur: *V.* Homonym. in fine: quamvis usus hæc aliquando confundat et promiscue usurpet. Porro in hac significatione fere semper caret præterito. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Ter. Adelph.* 3. 3. 85. Estne Hegio tribulis noster? si satis cerno, is hercle. *Lucret.* 4. 240. Nos oculis quia solis cernere quimus. *Id.* 4. 809. Cernere acute. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 26. acutum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 53. (141). clarissime. — *b*) Cum Accusativo rei quæ cernitur, et Ablativo ipsius videndi sensus. *Cic.* 6. *Fam.* 3. 2. Quem ego tam video animo, quam ea, quæ oculis cernimus. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 20. 46. et *Cluent.* 24. 66.; et *Lucret.* 2. 837. *Nepos Timol.* 2. Ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur. *Ovid.* 3. *Met.* 710. Cernere aliquid oculis profanis. *Plin.* 11. *Hist. Nat.* 37. 55. (151). oculis obliquis. — *c*) Cum Accusativo tantum rei, quæ cernitur. *Ennius* apud *Varron.* 6. *L. L.* 6. et 81., et 7. *ibid.* 76. *Müll.* Lumen jubarne in cœlo cerno? *Cic.* 3. *Orat.* 40. 159. Quæ ponunt pæne in conspectu animi quæ cernere et videre non possumus. *Id. Mil.* 29. 79. Ut ea videmus, quæ cernimus. *Lucret.* 1. 601. Quod nostri cernere sensus jam nequeunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Eum adesse et hæc coram cernere existimate. *Liv.* 45. 4. Cum litteras ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret. *Virg.* 6. *Æn.* 482. Quos ille omnes longo ordine cernens. *Id.* 3. *ibid.* 554. Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Ætna. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 94. Matronæ præter faciem nil cernere possis. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 43. Me miserum, turba quod non ego cernor in ista. *Id.* 15. *Met.* 844. Constitit alma Venus nulli cernenda. *Curt.* 8. 13. 16. Eaque pugna — fiduciam Pori erexit cuncta cernentis e ripa. *Quintil.* 8. 5. 29. In sole sidera ipsa desinunt cerni. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana. — *d*) Cum Infinito, aut cum Participio, aut sequente Relativo. *Canius* apud *Var-*

ron. 6. L. L. 81. Müll. Sensumque inesse et motum in membris cerno. Cic. 6. de republ. 20. 21. Cernis – terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis. Et mox. Hic autem alter (cingulus) – cerne quam tenui vos parte contingat. Lucret. 1. 343. Multa modis multis variâ ratione moveri Cernimus ante oculos. Adde eumd. 2. 928. et 3. 432. Virg. 3. Æn. 554. Migrantes cernas totaque ex urbe ruentes. Id. 10. ibid. 20. Cernis ut insultent Rutuli? Quintil. 2. 6. 7. Simile quiddam facientes aves cernimus. Sueton. Cæs. 15. Quos ad resistendum concucurrisse cernebat. — e) Figurate cernere aliquem, æque ac videre aliquem, est ipsum ante oculos habere, inspicere, considerare. Cic. 1. Legg. 18. 49. Ubi gratus, si non eum ipsum cernunt grati, cui referunt gratiam? ¶ 3. Sæpe transfertur ad animum, et — a) Cernere dicitur de interna animi claraque perceptione ita tamen, ut ipsi externi sensus in eadem perceptione vim suam exseruerint. Occurrit autem — Cum Accusativo rei, quæ cernitur. Ter. Andr. 1. 1. 108. Ut consuetum facile amorem cerneres. Cic. 1. Tusc. 12. 26. Antiquitas – hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernebat. Id. 2. leg. Agr. 4. 9. Quæ cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem. Id. 3. Orat. 31. 124. Neque tanta tamen est in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit. Liv. 35. 7. Libero fenore obruebant debitores: cujus cernendi cum ratio quæreretur, diem finiri placuit. h. e. inspiciendi, dignoscendi. Al. tamen leg. coercendi. — Cum Infinito, aut cum Participio, aut sequente Relativo. Cic. Amic. 23. 85. Animus – in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Id. 2. Tusc. 9. 20. Jam cernam, mene an illam potiorem putes. Nepos Alcib. 9. Ille cernens nullum locum sibi tutum in Græcia, – in Asiam transiit. Liv. 26. 2. Neminem, cum suffragium ineat, satis cernere, cui imperium permittat. Id. 43. 12. Nec pro quibus meritis, pro qua munificentia tantum ei tribuatur, cernere. Virg. 11. Æn. 703. Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ Posse – cernit. Ovid. 1. Pont. 5. 5. Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus. — b) Item cernere dicitur animus, qui vi tantum sua aliquid percipit ac dignoscit: et occurrit — Absolute. Cic. Senect. 23. 83. Animus plus cernit et longius. Id. 4. Herenn. 55. 67. plurimum cernere. — Sæpius occurrit mentis acie, mente, animo cernere, aliquando etiam de futuris. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 42. 129. Quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur. Adde eumd. 1. Nat. D. 18. 49., Orat. 5. 18., Top. 5. 27. et 1. Fin. 19. 64.; et Plin. 11. Hist. nat. 37. 54. (146). Cic. 5. Fam. 12. 2. Cerno jam animo, quanto omnia uberiora futura sint. Adde eumd. 4. Cat. 6. 11. ¶ 4. Hinc cernitur aliquid in aliqua re est cognoscitur, manifestatur, declaratur. Ennius apud Cic. Amic. 17. 64. Amicus certus in re incerta cernitur. Cic. Partit. orat. 23. 78. Atque hæ quidem virtutes cernuntur in agendo. — Similiter cerni aliquid aliqua re dicitur, quod ex re constat: sic enim unumquodque distinguitur, æstimatur et cognoscitur. Cic. 5. Tusc. 8. 22. Vires, valetudo, divitiæ, honor, gloria, quæ genere, non numero cernuntur. Id. 1. Off. 20. 66. Fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur. Id. 3. Fin. 8. 28. Si beata vita honestate cernitur. Id. Top. 21. 80. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus negotiisque cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Adde Quintil. 3. 5. 8.

Homonym. Videre et cernere proprie differunt: videre enim est generatim aliquid oculis percipere; cernere vero est oculis res internoscere, unam ab alia separando: hinc duo hæc de more apud Cic. opponuntur, ut ait Orell. ad Cic. 4. Acad. (2. pr.) 25. 80.; quocum cf. Klotz ad Cic. 1. Tusc. 20. 46. Ter. Adelph. 3. 3. 85. Sed quis illic est, procul quem video? estne Hegio tribulis noster? si satis cerno, is hercle. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 25. 80. Ego Catuli Cumanum ex hoc loco video, Pompejanum non cerno. Id. 1. Tusc. 20 46. Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quæ videmus. Id. 3. Orat. 40. 159. Quæ ponunt pæne in conspectu animi quæ cernere et videre non possumus.

CERNUALIA. V. CONSUALIA.

CERNUATUS, a, um. V. CERNUO.

CERNŬLO, as, āvi, ātum, are, 1. idem quod cernuo, hoc est ita aliquid jacio, ut id in alicujus caput vel faciem cadat et jaceat. Seneca Ep. 8. Non avertit fortuna, sed cernulat et allidit. Alii leg. cernuat se. Id. Tranquill. 3. ad fin. Cernulare se voluit, nec obruere. Alii rectius leg. servare.

CERNŬLUS, a, um, adject. idem quod cernuus, cernuatus. Apul. 9. Met. 48. extr. Supra mensam cernulus corruens, etc. Ita leg. in quodam Cod. Scalig. ad Manil.; at plerique alii cernuus. Sed cernulus retinuit etiam Hildebr. p. 235. 28. Elmenh. Adde Gloss. Philox.

CERNŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cernuus). Part. Cernuans et Cernuatus. — Cernuare est in caput vertere, cernuum ad terram dare. Varro apud Non. p. 21. 7. Merc. Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant (subaudi se). A quo ille versus vetus est in carminibus: Sibi pastores faciunt ludos cernui. Apul. 1. Met. 19. Denique corpus exanimatum in flumen pæne cernuat. Alii male leg. corruerat. Fronto princ. Hist. 5. Eas (beluas) eludere alto mari cernuantes. Prudent. 1. advers. Symmach. 350. Cernuat ora senex barbatus, et oscula figit Cruribus aripedum, si fas est credere, equorum. Solin. 45. Equus adeo sprevit lupatos, ut de industria cernuatus, ruina pariter et se et equitem affligeret. — Hinc

CERNŬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. est cernuare se, se præcipitem dare. Solin. 17. de tigrib. In littore irrita rabie cernuantur. Forcellinus passiva significatione accepit.

CERNŬUS, a, um, adject. Recentiores Philologi deducunt a κρᾶνον, κάρηνον, quod significat caput. (V. Doderlein. vol. 7. p. 61.): veteres autem a cerno, ut Servius loco infra cit. — Cernuus est in faciem pronus, curvus, qui præceps agitur (It. volto col capo a terra, chino, curvo; Fr. qui a le visage tourné vers la terre, penché en avant; Hisp. encorvado, inclinado hácia la tierra; Germ. einen Purzelbaum schlagend, sich überschlagend; Angl. hanging down the head, stooping with the face downwards, bowing forwards). Lucilius apud Non. p. 21. 1. Merc. Cernuus extemplo plantas convestit honestas. Virg. 10. Æn. 894. de equo. effusumque equitem super ipse secutus Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo. Ubi Servius: cernuus dicitur equus, qui cadit in faciem, quasi in eam partem, qua cernimus: unde et pueri, quos in ludis videmus ea parte, qua cernunt κυβιστῶντες (h. e. cernuantes se) cernui vocantur, ut etiam Varro in Ludis theatralibus docet. Hæc Servius, cui adstipulatur Non. loc. cit. quod ad etymologiam attinet. Sil. It. 10. 255. quamquam Cernuus inflexo sonipes effuderat armo. Arnob. 7. 38. Eos (equos) pronos et cernuos ruere. Prudent. 7. Cathemer. 43. pulverem humi madentis ore pressit cernuo. Adde eumd. 3. ibid. 149. et Sedul. 3. 201. — Hinc cernuus idem est, qui petaurista, vel schœnobates, κυβιστητής vel κατωριστής in illo Lucilii apud Non. p. 21. 5. Merc. (ut putat Scalig. ad Paul. Diac.) Modo sursum, modo deorsum, tamquam collus cernui. h. e. velut collus petauristæ se cernuantis. In Gloss. quoque Philox. legitur Cernuli κατωριστai. Cf. etiam Varron. apud Servium ad Virg 10. Æn. 894. loco supra cit. De cernuis seu κυβιστητaῖς V. Bullett. archeol. Nap. ann. V. p. 94., et Paciaudi de cybistesi.

CERNŬUS, i, m. 2. genus calceamenti, ut docet Paul. Diac. p. 55. 6. Müll. Sed Voss. in Etymol. recte notat, deceptum esse ex illo Lucilii versu male intellecto, quem in voc. Cernuus, a, um, attulimus. Idem videtur dicendum esse de Isid., qui 19. Orig. 34. 13. ait: Cernui socci sunt sine solo. Hæc Forcellinus. At potius nonne ipse Voss. errasse putandus est?

CĒRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. κηρόω, ceram induco, ceram illino. Colum. 12. R. R. 50. 15. Fere sexta quoque olivitate dolia cerari oportere. — Sed Part. præter. pass. Ceratus, a, um, sæpius occurrit. Plaut. Asin. 4. 1. 18. Cerata tabula. Cic. Divinat. in Verr. 7. 24. Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima. Cf. Dig. 32. 52. pr. Horat. 4. Od. 2. 2. Pennæ ceratæ ope Dædalea. Ovid. Rem. Am. 447. puppes. Id. Heroid. 7. 23. inducto ceratæ sulphure tædæ. Id ibid. 5. 42. Cærula ceratas accipit unda rates. V. CERATUM, i.

CĒRŌMA, atis, n. 3. κήρωμα. Quod ceromas apud Arnob. 3. 23. legimus, tamquam a ceroma, æ, f. 1., intelligenda sunt ceromata palæstritarum: de gen. autem femin. hujus nominis V. CAUMA. — In Dat. plur. ceromatis usus est Plin. 35. Hist. nat. 13. 47. (168). — Ceterum ceroma proprie est ceræ inductio: sed Græcorum imitatione in artibus tantum usurpatur et

I.) Proprie est unguentum ex cera et oleo, quo illinebantur corpora eorum, qui in gymnasiis se exercebant: a κηρός cera. Adhibebant etiam genus terræ albidæ ex agro Albano, vel rubeæ ex Bajano pulvere; eâque oleo mixtâ ungebantur. Plin. 35. Hist. nat. 13. 47. (168). Plura de hac re non sum dicturus, non hercules magis, quam de terræ usu in ceromatis etc. Adde eumd. 28. ibid. 4. 13. (51). Martial. 7. 32. Vera nec injecto ceromate brachia tendis. Id. 4. 19. Lentum ceroma teris. Id. 14. 50. Immundum ceromæ. Adde eumd. 11. 48., et Juvenal. 6. 245. In illo Senecæ Ep. 57. A ceromate nos haphe excepit., ceroma est lutum, quo in cœnosa via aspersum se dicit: et post illud pulverem excepit in crypta Neapolitana.

II.) Figurate. ¶ 1. Ponitur pro ipsa lucta. Plin. 29. Hist. nat. 1. 8. (26). Illa quæ sani patimur, luctatus, ceromata ceu valetudinis causa instituta etc. Sic in illo Martial. 5. 65. Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ. ceroma significat luctæ certamen, quo Hercules in Libya Antæum vicit. — Similiter oleum perdit et impensas, qui bovem mittit ad ceroma, proverbium apud Hieronym. Ep. 57. n. 12., quo significatur, eum operam perdere, qui quempiam ad aliquod munus admovet, ad quod plane ineptus est. Bos enim, tametsi magnis viribus pollet, non est tamen certe ad palæstram idoneus. ¶ 2. Per metonymiam accipitur etiam pro loco gymnasii, seu palæstræ, in quo ungebantur. Seneca Brevit. vitæ 12. Qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet. Plin. 35. Hist. nat. 2. 2. (5). Palæstras athletarum imaginibus, et ceromata sua exornant. — NB. Est etiam genus morbi, fortasse idem quod cerion; utrumque enim est a κηρός cera. Plin. Valer. 1. 25. ad fin. Dracontez succus cum melle infunditur: quæ res etiam ceromata sanat. V. CERION. Hæc Forcellinus. At hoc loco canceromata pro ceromata legendum esse videtur.

CĒRŌMATĬCUS, a, um, adject. κηρωματικός, ceromate unctus. Juvenal. 3. 68. Et ceromatico fert niceteria collo.

CĒRŌNĬA, æ, f. 1. κερωνία, genus arboris siliquas ferentis, trunco et ramis fertilis. Ita eam appellant Jones. Plin. 13. Hist. nat. 8. 16. (59). Cl. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 86.) hanc exhibet synonymiam: Κερωνία Theophr. Hist. 1. 18. (et le fruit λόβος); Κερατία Dioscor. 1. 158.; Ξυλοκερατία Græcor. recent.; Siliqua et Ceronia Plin. loc. cit. et 15. Hist. nat. 24. 26. (95). et Latinor. sunt Ceratonia Siliqua L. Spec. 1513.

CEROSTRATUS, a, um. V. voc. seq.

CEROSTRŌTUM, i, n. 2. vox Græca, qua significatur quod cornibus stratum, seu intectum est: a κέρας cornu et στρωτός stratus. Sumitur autem pro genere picturæ, quo ramenta et tessellæ ex cornibus tinguntur variis coloribus, deinde vermiculatim ligno aut lapidi inseruntur. Plin. 11. Hist. nat. 37. 45. (126). Cornua nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ cerostrota, picturæ genere, dicuntur. Vitruv. 4. 6. 6. Schneid. Ipsa forium ornamenta (Schneider antepagmenta legit) non sint cerostrota, neque bifora, sed valvata. Philandr. ad Vitruv. et alii. — At Harduin. in Plin. legit cestrota, κέστρωτα, et intelligi ait illud picturæ genus, quo cestro, idest viriculo in ebore imagines inscribebant. Huic assentitur Salmas. in Solin., et Sillig ex optimis Codicibus. — Alii in Vitruv. leg. cerostrata (quemadmodum et Schneider), quod idem sonat ac cerostrota; alii, ut Bald. in Lex. Vitruv., reponunt clostrata, et interpretantur portas, quæ unica fore constant, ut sic opponantur biforis et valvatis. Sunt etiam qui arbitrantur cerostrota esse a κηρός cera, et significare picturas ceris fusis et stratis inustas, quod genus encaustice appellatur: de quo Auson. Epigr. 26. in divitem quemdam. Ceris inurens januarum limina. V. Salmas. et Bald. loc. cit. et Voss. in Etymol. in Cestrum. Sunt denique, qui non sint cerostrota, neque clathrata, neque bifora legendum putent, hoc est quæ neque ita essent constructa, ut majorem ostii partem inferne clauderent, superne vero ferreis quasi cornibus innexis introitum furibus prohiberent, neque clathris clausa, neque bifora etc. Ceterum V. et Schneid. ad h. l.

CĒRŌSUS, a, um, adject. κηρώδης, cera abundans. Plin. 32. Hist. nat. 3. 13. (27). Liquor veluti mel-

lis cerosi. *h. e.* non plane delmeati, sed ceram adhuc admixtam habentis.

CĒRŌTĀRĬUM. *V.* CERATORIUM.

CĒRŌTUM, i, n. 2. est idem quod *ceratum* (nisi quod est a Græco κηρωτόν), sive medicamentum ceræ modo tenax, quod impositum adhæret. *Martial.* 11. 38. Nec labra pingui delibuta ceroto. Adde *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 51. (117). et 26. *ibid.* 14. 87. (141). *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 3. Ceroti instar efficies et curabis adlinire. *V.* CERATUM.

CERRĔUS, a, um, adject. ad cerrum pertinens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (25). Glans cerrea. *Id.* 16. *ibid.* 43. 84. (230). Manubria cerrea. Adde *Colum.* 9. *R. R.* 1. 5.

CERRĪNUS, a, um, adject., idem quod cerreus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (92). Cerrino calice bibere.

CERRĪTŬLUS, a, um, *deminut. a* cerritus. *Capell.* 8. *p.* 272. An tandem non dispensas in Joviali cachinnos te movisse concilio, verendumque esse sub divûm Palladiaque censura assimulare quemquam vel cerritulum garrientem?

CERRĪTUS, a, um, adject. Scribitur et *ceritus*: illud tamen est rectius, teste *Dausq.* et *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.* *p.* 94. — Comp. *Cerritior* quidam putant legi apud *Cic.* 8. *Att.* 7., sed libri omnes habent *certior*. — Ceterum *cerritus* est furiosus (ut interpretatur *Paul. Diac.* p. 54. 15. *Mull.*), insanus, quasi *cereritus*, *h. e.* a Cerere percussus, Cereris irâ animo vexatus et mente alienatus, ut docet ipse *Non.* p. 44. 26. *Merc.* Quidam docent, Cererem idem esse aliquando atque Erinnyn, quæ Furiarum una est: ex quo hujus vocis significationem petendam esse. *Plaut. Amph.* 2. 2. 143. Quin tu istam jubes pro cerrita circumferri? *Id.* apud *Non.* *p.* 44. 31. *Merc.* Tu certe aut larvatus, aut cerritus es. Adde *eumd.* *Rud.* 4. 3. 67. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 277. Hellade percussa Marius cum præcipitat se, Cerritus fuit, an etc.?

CERRŌNES. *V.* GERRO.

CERRUS, i, f. 2. arbor est ex genere quercuum, procera, glandem ferens tristem, horridam, echinato calyce, ceu castaneæ. In Italia non omnibus locis nota est: in Gallia nec ortum, nec nomen habet. Est autem in operibus pæne inutilis, quoniam celeriter marcescit. *Vitruv.* 2. 9. 9. et 7. 1. 2. *Schneid.*; *Colum.* 7. *R. R.* 9. 6.; *Plin.* 16. *Hist. nat.* 5. 6. (17). et 6. 8. (19).; et *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 3. Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 288.) hæc ait: «On attribue communément le *cerrus* des anciens au *Quercus Cerrus* L. Spec. 1415. var. α, *Q. crinita* var. γ Lamrk. Dict. encyclop. Ce chêne, remarquable par ses cupoles qui sont hérissées; est rare en France; – mais il abonde en Piémont et dans les Apennins».

CERTĀBUNDUS, a, um, adject. certans, disceptans. *Apul. de Mag.* Diogenes Cynicus cum Alexandro M. de veritate regni certabundus.

CERTĀMEN, ĭnis, n. 3. contentio inter duos aut plures de re aliqua, conatus, quem quis adhibet, ut alium vincat; seu potius contentio inter duos aut plures ad rem aliquam dijudicandam, est enim a *certo*, *as*, quod a *cernere*, hoc est judicare, decernere, deliberare: *V.* CERNO 2. *A.* (It. *contesa decisiva per qualche cosa*, *contrasto*, *gara*; Fr. *lutte décisive*, *combat de rivaux*; Hisp. *combate*, *lucha decisiva*; Germ. *d. entscheidende Kampf um etwas*, *Wettkampf*, *Wettstreit*; Angl. *a contest*, *strife*, *contention*, *debate*).

I.) Proprie ponitur pro ipsa certandi actione, qua quis rem aliquam finire ac dijudicare studet; ac proinde cum *discrimine* conjungitur, ut apud *Cic.* 1. *Orat.* 1. 3. Consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen. *Et* 1. *Divinat.* 43. 65. Quo majus erat certamen et discrimen salutis. Ubi *Forcellinus*, qui postremum hunc locum singulari paragrapho distinxit, recte ait: Videtur etiam poni pro periculo, quia in certamine semper aliquid periclitamur. Ceterum hac significatione occurrit ¶ 1. Generatim, sive armis et vi, sive verbis aliave pacata ratione, corpore aut animo contentio fiat. *Plaut. Cas.* 3. 1. 1. Nunc amicine an inimici sis imago, Alcesime, mihi sciam, nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur. *Cic. Rosc. Am.* 47. 136. Quo in certamine (civium) perditi civis erat non se ad eos jungere, quibus etc. *Id. Flacc.* 26. 62. De quorum urbis possessione – etiam inter deos certamen fuisse proditum est. *Id.* 1. *Off.* 12. 38. Ut cum civiliter contendimus, aliter si est inimicus, aliter si est competitor, cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famæ, sic etc. *Id. Brut.* 92. 319. In patrocinio Siciliensi – in certamen veni designatus ædilis cum designato consule Hortensio. *Id.* 2. *Fin.* 21. 68. Certamen honestum et disputatio splendida. *Id.* 3. *Nat. D.* 40. Est mihi tecum pro aris et focis certamen. *Id. Pis.* 32. 79. Adducere rem in certamen. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 44. Instituere sibi certamen cum aliquo. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Sic fortuna in contentione et certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset. *Nepos Them.* 6. Ut intelligerent Lacedæmonii de principatu sibi cum his certamen fore. *Sall. Cat.* 1. Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. *Liv.* 1. 17. Patrum – animos certamen regni ac cupido versabat. *Id.* 2. 53. Certamina domi finita. *h. e.* seditiones. *Id. ibid.* 28. *ad fin.* Apparebat atrox cum plebe certamen. *Id.* 5. 16. Nec intra muros quietiora negotia esse certaminibus patrum ac plebis. *Justin.* 2. 10. Deferre certamen ad judicem. (paullo post *contentionem* et *litem* appellat). ¶ 2. Speciatim sæpissime ponitur pro prælio: quamvis proprie differt a *prælio*, quocum sæpe conjungitur; significat enim ardorem et conatum, quo milites in prælio utuntur. *Ennius* 1. *Ann.* 1. Horrida Romuleûm certamina pango duellûm. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. In hujusmodi certamine ac prælio. *Lucret.* 4. 843. At contra conferre manu certamina pugnæ Ante fuit multo etc. *Id.* 2. 572. geritur æquo certamine bellum. *Id. ibid.* 117. æterno certamine prælia pugnasque edere. *Id.* 1. 476. et *Vellej.* 2. 85. Certamen accendere. *Lucret.* 1. 476., *Virg.* 10. 146., et *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. 2. Certamen vel certamina belli. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Ita vario certamine pugnatum est. *Sall. Jug.* 13. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prælio profugit. *Liv.* 7. 26. Depugnatum haudquaquam certamine ambiguo. *Id.* 36. 19. Certamen pugnæ. *Id.* 31. 14. Certamina navalia. *Id.* 21. 7. tumultuaria. *Id.* 27. 4. Certamen abnuere. *Id.* 35. 4. conserere. *Id.* 5. 38. tentare. *Id.* 7. 26. et 40. 48. contrahere. *Id.* 7. 26. et *Vellej.* 2. 85. inire. *Auct. B. Alex.* 16. Minime autem erat par prælii certamen. *Auct. B. G.* 8. 28. Fit prælium acri certamine. *Curt.* 4. 15. 12. Vix tentato certamine effugit ad regem. *Virg.* 8. *Æn.* 700. medio in certamine. *Id.* 5. *ibid.* 493. Certamen navale. *Id.* 11. *ibid.* 434. Poscere aliquem in certamina. *Ovid.* 12. *Met.* 180. Qua tibi militia, cujus certamine pugnæ Cognitus. Adde *Sil. It.* 17. 547. *Quintil.* 9. 1. 20. Certamen armorum. *Vellej.* 2. 85. classicum. *h. e.* navale. *Flor.* 1. 13. singulare. ¶ 3. Item speciatim dicitur sæpe de ludis, in quibus cursu, pugilatu, lucta, equis, quadrigis etc. certabatur. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 62. Videmusne apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? *Id.* 2. *Orat.* 78. 317. Gladiatorium vitæ certamen. *Virg.* 5. *Æn.* 144. Certamen bijugum. *Id. ibid.* 603. Hac celebrata tenus sancto certamina patri. *Horat. Art. P.* 84. equus certamine primus. *Ovid.* 1. *Met.* 446. Instituit sacros celebri certamine ludos. *Id.* 10. *ibid.* 177. inire certamina disci. *Id.* 12. *ibid.* 304. pedum. *Id.* 7. *ibid.* 792. cursus. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 5. et *Quintil.* 9. 4. 11. Certamina sacra. Adde *Quintil.* 3. 7. 4. *Id. Quintil.* 12. 2. 12. Certamen luctandi. Cf. *eumd.* 10. 3. 6. saliendi. *Sueton. Ner.* 12. Certamen quinquennale triplex, musicum, gymnicum, equestre. *Id. Claud.* 11. Neapolitanum. *Id. Vitell.* 4. Neroneum. *Id. Claud.* 21. quadrigarum. *Stat.* 6. *Theb.* 369. quadrijugum. *Id. ibid.* 921. Certamina festa. *Seneca Agam.* 935., et *Vellej.* 1. 8. et 2. 12. ludicrum. *Justin.* 7. 2. Olympio certamine vario ludicrorum genere contendit. — Huc pertinent et illa *Virg.* 7. *Ecl.* 16. Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum. *Tibull.* 3. 6. 11. Certamen vini. *h. e.* compotatio. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 42. (156). Certamen bibendi. *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 29. Veneris.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de studio, conatu et alacritate plurium circa eamdem rem. *Cic. Amic.* 10. 34. Pestem nullam majorem esse amicitiis, quam in plerisque pecuniæ cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen et gloriæ. *Lucret.* 5. 785. Arboribus datum est variis exinde per auras Crescundi magnum immissis certamen habenis. *Liv.* 45. 21. Omnia intempestive agendi certamen erat. *Id.* 37. 53. Certamen amicitiæ, benevolentiæ. *Id. ibid.* 54. bonæ artis ac virtutis. *Id.* 28. 19. laboris ac periculi. *Id.* 10. 22. verborum linguæque. *Id.* 9. 60. conferendi. Cf. *Petron. Satyr.* 124. *ad fin.* Opes suas summo certamine in Eumolpum congesserunt. *Colum.* 6. *R. R.* 29. 4. Certamina laborum. *Propert.* 3. 13. 19. Certamen leti. *Virg.* 5. *Æn.* 197. Olli certamine summo procumbunt (*remis*). Cf. *Curt.* 9. 4. 13. Ergo ingenti certamine concitant remos. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 8. Certamina divitiarum. *h. e.* curæ et labores in divitiis comparandis. *Quintil.* 2. 17. 8. Certamen eloquentiæ inter juvenes. *Tac.* 3. *Hist.* 11. Certamen procacitatis et petulantiæ. *cui ibid. opponitur* virtutis modestiæque. *Sil. It.* 11. 72. vocum. Et absolute *Id.* 10. 536. Funereas tum deinde pyras certamine texunt. Adde *eumd.* 12. 268. ¶ 2. Metonymice, sive concreto, uti ajunt, sensu ponitur certamen pro ipso certaminis præmio: sic apud Græcos ἆθλος *certamen* et ἄεθλον *certaminis præmium* significat. *Virg.* 3. *G.* 529. pecorisque magistris Velocis jaculi certamina ponit in ulmo. Cf. *Donatum* ad *Ter. Adelph.* 3. 2. 4. Rursus *Virg.* 5. *Æn.* 66. Prima citæ Teucris ponam certamina classis. *Ovid.* 13. *Met.* 129. Non foret ambiguus tanti certaminis heres, Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.

CERTANTER, adverb. certatim. *Paulinus Petrocor.* 6. 489. Aut si certanter rapuissent flumina cœtus. *At hæc vox a Lexico est expungenda, ratione habita scriptoris, qui sæculo a Christi nat. V. vixit.*

CERTĀTIM, adverb. cum certamine et æmulatione (It. *a gara*; Fr. *à l'envi*, *à qui mieux*; Hisp. *á porfia*, *á quien mejor*; Germ. *um die Wette*, *mit Wetteifer*; Angl. *with contention or emulation*, *earnestly*, *eagerly*). *Cic. Sext.* 34. 74. Cum omnes certatim, alius alio gravius atque ornatius, de mea salute dixissent. *Id.* 2. *Phil.* 46. 118. Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur. Adde *Lepidum* apud *Cic.* 10. *Fam.* 34. 6. § 1.; *Catull.* 64. 392., et *Liv.* 1. 54. et 26. 44. *Virg.* 3. *Æn.* 290. Certatim socii feriunt mare, et cærula verrunt. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 775.; 7. *ibid.* 146. et 585., et 4. *G.* 38.; *Tibull.* 4. 4. 24., et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 17. *Ovid.* 3. *Met.* 244. Et velut absentem certatim Actæona clamat. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 241. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. (51). Mira de his certatim tradunt auctores. *Plin.* 2. *Ep.* 9. Omnes me certatim, et tamen æqualiter amant. Adde *Quintil.* 6. 1. 21.; *Sueton. Aug.* 10., *Cal.* 57. et *Tib.* 70.; et *Tac.* 3. *Ann.* 65., 11. *ibid.* 31. et 12. *ibid.* 7.

CERTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus certandi, contentio, conatus ad vincendum (It. *contesa*, *gara*, *contrasto*; Fr. *combat*, *lutte décisive*; Hisp. *combate*, *lucha decisiva*; Germ. *d. entscheidende Kämpfen um etwas*, *d. Wettkampf*, *Wettstreit*; Angl. *a contending*, *striving*, *struggling*, *an emulation*, *contest*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ter. Adelph.* 2. 2. 3. Numquam vidi iniquius certationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit: ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus. ¶ 2. Speciatim ponitur de prælio. *Sisenna* apud *Non.* *p.* 195. 33. *Merc.* Jaculis celeriter consumptis ad gladios certationem revocaverunt. ¶ 3. Item speciatim de ludis, in quibus cursu, pugilatu, lucta etc. certabatur. *Cic.* 2. *Legg.* 15. 38. Ludi publici sint corporum certationes, cursu et pugilatione etc. Adde *eumd. ibid.* 9. 22. *Sueton. Aug.* 45. Certatio xysticorum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur de contentione, quæ verbis, aut simili ratione fit. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 65. Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio. *Quadrigarius* apud *Non.* p. 267. 21. *Merc.* Ne nos ad certationem censeas hæc incepisse. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 44. Relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem – Chrysippus non contemsit. ¶ 2. Speciatim de contentione forensi. *Cic. Quinct.* 22. 73. Hæc est iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alphenum velitabaris. Adde *eumd. ibid.* 21. 68. — Hinc *multæ*, *pœnæ certatio*, est disceptatio, quæ cum certamine et contentione accusatorum et defensorum fit apud populum, vel apud judices de multa vel pœna alicui statuenda. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. CVM MAGISTRATVS IVDICASSIT IRROGASSITVE, PER POPVLVM MVLTAE, POENAE CERTATIO ESTO. Cf. *Liv.* 25. 3. Tribuni ducentum millium æris multam Postumio dixerunt: cujus certandæ cum dies advenisset etc. *Et ibid.* 4. Omissa multæ certatione, rei capitalis diem Postumio dixerunt. ¶ 3. Item speciatim

dicitur de studio et alacritate plurium circa eamdem rem. *Cic. Amic.* 9. 32. Hæc inter amicos sit honesta certatio. *Vitruv.* 2. 1. 3. *Schneid.* Ingenia certationibus exercere.

CERTĀTĪVĒ, adverb. contentiose. *Cassiod. Hist. Eccles.* 1. 11. *ante med.* Licet qui cum illo disputarent, certative quæstiones inferrent, tamen more solito sapienter et disciplinabiliter crescentem sedabat semper contentionem.

CERTĀTOR, ōris, m. 3. qui certat. *Gell.* 11. 10. Agrestes quidam et indomiti certatores, qui nisi auctoritatibus adhibitis non comprimuntur. Adde *Apul.* 1. *Doct. Plat.* 2. 15.

CERTĀTUS, a, um. *V.* CERTO, as.

CERTĀTUS, us, m. 4. idem quod certamen. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 152. ridetque benigna Parthenope gentile sacrum, nudusque virorum Certatus, et parva suæ simulacra coronæ.

CERTĒ, adverb. (certus). Comp. *Certius* et Superl. *Certissime* sub 1. *a.* — Certe est profecto, sine dubio (It. *certamente*, *sicuramente*; Fr. *certainement*, *sûrement*, *sans doute*, *en effet*; Hisp. *cierta*, *y verdaderamente*, *certisimamente*; Germ. *mit Entschiedenheit*, *mit Sicherheit*, *mit Bestimmtheit*, *sicherlich*, *bestimmt*, *unzweifelhaft*; Angl. *certainly*, *for certain*, *assuredly*, *undoubtedly*, *in very deed*). ¶ 1. Stricto sensu *certe* est simpliciter affirmantis: et — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 58. Ego quidem ab hoc certe exorabo. *Id. ibid.* 4. 2. 28. Certe eccum locum signat. Adde *eumd. Curc.* 5. 2. 17. et *Aulul.* 4. 4. 23. *Ter. Andr.* 1. 1. 55. Egomet continuo mecum: Certe captus est. *Id. Heaut.* 5. 3. 12. Certe sic erit. Adde *eumd. ibid.* 4. 4. 4. *Cic.* 1. *Verr.* 1. 1. Quæ fama non idcirco solum emanarat, quod iste certe statuerat ac deliberaverat non adesse. *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 5. Alterum fieri profecto potest, alterum certe non potest. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 18. Si enim scit, certe illud eveniet: sin certe eveniet, nulla fortuna est. *Id.* 11. *Fam.* 16. 3. Nunc si me tanti facis, quanti certe facis —, mitte etc. *Id.* 5. *Verr.* 44. 104. Cum se certe decessurum videret. *Lucret.* 4. 760. Usque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem — jam mors et terra potita est. *Catull.* 62. 8. Sic certe: viden ut perniciter exsiluere? *Virg.* 9. *Ecl.* 7. Certe equidem audieram, qua etc. *Ovid.* 2. *Fast.* 401. Ferret opem certe, si non ope mater egeret. *Quintil.* 12. 1. 4. Quod si neminem malum esse, nisi stultum eumdem — vulgo quoque semper est creditum, certe non fiet unquam stultus orator. — Comp. *certius* raro, Sup. *certissime* raro admodum occurrit. *Liv.* 3. 40. *ad fin.* Speculatores mittendos censere, qui certius explorata referant. *Id.* 35. 48. Aversos refugiente equo certius figentes. *Ovid.* 5. *Met.* 519. Quæsita diu tandem mihi nata reperta est, Si reperire vocas amittere certius. Adde *Apul.* 2. *Met.*, et *Quintil. Declam.* 355. *Tertull. Pall.* 4. *in fin.* Tunc certissime pallium super omnes exuvias deducit etc. — *b*) Speciatim conjungitur cum aliis particulis, quæ affirmationi aut conclusioni inserviunt. *Plaut. Truc.* 1. 2. 71. Certe hercle quam veterrumus — homini optumus est amicus. Adde *eumd. Asin.* 2. 1. 15. *Id. Pers.* 2. 2. 27. Certe equidem pejorem te vidi neminem. *Id. Aulul.* 2. 2. 38. Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia semper sum arbitratus. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 120. et 147., et *Ter. Phorm.* 5. 1. 8. *Id. Ter. Andr.* 3. 2. 15. Certe hercle hic se ipsus fallit. *Id. Eun.* 4. 5. 5. Certe tu quidem pol multo hilarior. *Cic.* 2. *Divinat.* 9. 23. Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia. *Id. Brut.* 32. 123. Certe enim et boni aliquid attulimus juventuti, et nocuimus fortasse, quod etc. Adde *eumd.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. *Id. Marcell.* 2. 6. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas — multum juvant. Cf. *Ter. Eun.* 5. 5. 4. Rursus *Cic.* 8. *Att.* 12. Nam certe etc. *Id.* 7. *ibid.* 7. Atqui certe etc. — *c*) In responsionibus affirmat aut concedit. *Plaut. Asin.* 3. 3. 132. AR. Aisn' vero? LE. Certe, inquam. *Ter. Andr.* 3. 5. 11. PA. Expedies? DA. Certe, Pamphile. *Id. Hecyr.* 5. 4. 3. PAR. Visum est. PAM. Certen? PAR. Certe. *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 9. M. Est miserum igitur, quoniam malum. A. Certe. — Similiter locum habet in iis etiam, quæ quis sibimetipsi oratorio more interroganti respondet. *Plaut. Trin.* 4. 3. 64. Estne ipsus? an non est? Is est. Certe is est: is est profecto. *Cic. Rosc. com.* 14. 42. Venerat, ut opinor, hæc res in judicium. Certe. *Id. Orat.* 42. 144. At dignitatem docere non habet. Certe, si quasi in ludo. Adde *eumd. Cluent.* 54. 149. et 1. *Phil.* 15. 37. — *d*) Sæpissime cum verbo *scio* jungitur, et *certe scio* differt a *certo scio*: *V.* Homonym. in fin. *Ter. Andr.* 3. 2. 21. DA. Renunciatum est: nam qui istæc tibi incidit suspicio? SI. Qui? quia te noram. DA. Quasi tu dicas factum id consilio meo? SI. Certe enim scio. *Cic. Senect.* 1. 2. Etsi te quidem id modice ac sapienter, sicut omnia, et ferre et laturum esse certe scio. *Id. Arch.* 12. 32. Quæ — de hominis ingenio et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta; ab eo, qui judicium exercet, certe scio. Adde *eumd. Rosc. Am.* 8. 21., *Fontej.* 4. 8., 3. *Phil.* 6. 17. et 1. *ad Q. fr.* 3. 3.; et *Balbum* apud *Cic.* 9. *Att.* 7. B. § 2. et 3. *Sall. Cat.* 51. Silanum — certe scio, quæ dixerit, studio reipublicæ dixisse. ¶ 2. Interdum *certe* in altero orationis membro ita locum habet, ut præcedenti, quamvis leniter, opponatur: et tunc rem sic affirmat, ut etiamsi de ceteris dubitatio esse possit, de hac omnino tollatur; hæc aliter esse non possit, quæcumque sit rerum conditio, status, eventus. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 2. Nam mores et instituta vitæ — nos profecto et melius tuemur et lautius: rem vero publicam nostri majores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. V. *Klotz* ad *h. l.* p. 6. *Id. Opt. gen. orat.* 4. 10. Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere, elate Lysias fortasse non possit. *Id. Mil.* 35. 96. Meminit etiam — obstare. Addit hæc, quæ certe vera sunt, fortes et sapientes viros etc. *Id.* 7. *Fam.* 8. 1. Scripsit ad me Cæsar — nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore. *Id.* 3. *Nat. D.* 19. 49. Sed si hi sunt di, est certe Erechtheus. Adde *eumd. ibid.* § 51. et *Planc.* 16. 38. ¶ 3. Denique adverbium *certe* ita usurpatur, ut præcedenti orationis membro recta et aperte opponatur; et quidem affirmandi vim retinet, sed tamen angustis limitibus circumscriptam, ita ut pro *tamen* vel potius pro *saltem* ponatur. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Epid.* 1. 1. 4. Certe oculis uteris. *h. e.* quamvis non audias, quamvis auditu careas, tamen vides, oculis saltem uteris. *V. Fr. Jacob* ad *h. l. Ter. Andr.* 4. 1. 16. Atque aliquis dicat: Nil promoveris: Multum: molestus certe ei fuero atque animo morem gessero. *Id. Adelph.* 4. 7. 15. Si non ipsa re tibi istuc dolet, simulare certe est hominis. Adde *eumd. Andr.* 3. 2. 14. *Cic.* 3. *Tusc.* 17. 36. Quæ pervellere te fortasse potuerit et pungere, non potuit certe vires frangere. *Id.* 3. *Att.* 15. Qui si non plus ingenio valebas, quam ego, certe timebas minus. *Id.* 16. *ibid.* 7. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti. Adde *eumd.* 4. *Fin.* 3. 7., 5. *Tusc.* 28. 81., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 105. et 12. *Phil.* 3. 8. *Sall. Jug.* 4. Atque ego credo fore, qui — tanto tamque utili labori meo nomen inertiæ imponant: certe, quibus maxima industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam quærere. Adde *eumd. ibid.* 31. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Desilite, inquit, milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum reipublicæ atque imperatori officium præstitero. *Liv.* 22. 51. Mœnibus se certe, si non armis, ab hoste videbantur defensuri. *Curt.* 7. 6. 22. Namque cervix ejus saxo ita icta est, ut oculis caligine offusâ collaberetur ne mentis quidem compos: exercitus certe velut erepto eo ingemuit. *Horat.* 2. *Od.* 4. 15. Regium certe genus et Penates Mæret iniquos. *Ovid.* 1. *Met.* 557. At conjux quoniam mea non potes esse, arbor eris certe, dixit, mea. — *b*) Conjungitur et aliis particulis, quibus vim auget propriam: scilicet cum *at*, *sed*, *tamen*, *quidem*, *aut*, *vel*. — *At certe* occurrit in *Balb.* et *Opp.* apud *Cic.* 9. *Att.* 7. A. § 1. Quod si non fuerit prudens, at certe ab optima fide et optimo animo proficiscetur. *Ovid.* 3. *Fast.* 351. At certe credemur, ait, si verba sequatur Exitus. *V.* AT. — *Sed certe* pro *at saltem* dixit *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 8. Non scilicet integrâ re, sed certe minus infractâ. Adde *Cic.* 1. *Legg.* 21. 56. et *V.* SED. — *Certe tamen* occurrit apud *Cic. Senect.* 23. 84. Sed habeat sane: habet certe tamen aut satietatem aut modum. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 6. 22. — *Quidem certe* usurpavit *Plaut. Amph.* 1. 1. 261. Hic quidem certe, quæ illic sunt res gestæ, memorat memoriter. *Cic. Senect.* 2. 6. Quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri. *Id.* 1. *Fam.* 9. 22. Me quidem certe tuarum actionum comitem habebis. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 1. Aliud hoc tempore de republica nihil loquebantur: agebatur quidem certe nihil. *Id. Quinct.* 15. 50. Huic ne perire quidem certe tacite obscureque conceditur. *V.* QUIDEM. — *Certe quidem* occurrit apud *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 70. Sed alias, ubi sit animus; certe quidem in te est. *Liv.* 45. 22. Certe quidem vos estis Romani, qui etc. — *Aut certe* apud *Cic.* 2. *Att.* 22. 5. Nos aut sine molestia, aut certe sine errore futuros. *V.* AUT. — *Vel certe* apud *eumd. Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant.

Homonym. Ut rectissime adnotavit clarissimus vir et de Latinis litteris optime meritus *R. Klotz* ad *Cic. Senect.* 1. 2. p. 74. et seqq., *certe scio* et *certo scio* inter se differunt: et sane, cum dico *certe scio*, affirmo talem esse animi vel mentis meæ scientiam, cum vero dico *certo scio*, affirmo talem esse rei veritatem: *certe scio* significat veritatem tantum subjectivam, ut philosophi appellant; *certo scio* significat veritatem objectivam et subjectivam: ideoque *certe scio* idem est ac *certum est me scire*; contra *certo scio* idem est ac *certum est quod scio*. *Plaut. Amph.* 1. 1. 120. Certe edepol scio, si aliud quidquam est quod credam aut certo sciam, credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium. Cf. *eumd. Aulul.* 4. 1. 21.

CERTIM, adverb. idem ac certe et certo. *Jul. Val. res gestæ Alex. M.* (*edente A. Mai*) 1. 31. Sese quidem accolæ certim scire renuebant.

CERTIŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Certioratus.* — Certioro est certiorem facio, denuncio, significo. *Julian.* JCtus apud *Ulp. Dig.* 13. 6. 5. *circa med.* Neque me certiorasti, chirographum ibi esse scriptum. *Ulp. ibid.* 19. 1. 1. *in fin.* Nec certiorari debuit, qui non ignoravit. *Id ibid.* 29. 4. 1. § 4. Nec certioratus dominus est a servo. Adde *ibid.* 16. 3. 1.; et *Cajum* 2. *Institut.* 190.

CERTISSO, as, are, n. 1. certior fio. *Pacuvius* apud *Non.* 2. 160. *edit. veter.* Atque eccos unde certissent. *Voss.* putant scribendum esse *certiscent*. *h. e.* certiores fient: ut sit *certisco*, *is*. Ceterum mendum esse videtur.

CERTITUDO, inis, f. 3. Apud *Ammian.* 20. 1. quidam leg. In eadem fidei certitudine mansit immobilis. Sed abesse eam vocem in *MSS.* atque aliter legendum esse *Valesii* fratres adnotarunt.

CERTO, adverb. (certus) idem quod certe, profecto, sine dubio (It. *certamente*, *per certo*, *di certo*; Fr. *certainement*, *sûrement*, *sans doute*; Hisp. *ciertamente*, *sin la menor duda*; Germ. *aus bestimmte*, *entschiedene oder zuverlässige Art und Weise*, *mit Sicherheit*; Angl. *certainly*, *of a truth*, *surely*, *for a fact*). Occurrit — *a*) Generatim, et *arbitrario* opponitur, ut apud *Plaut. Pœn.* 3. 5. 42. Nunc pol ego perii certo, non arbitrario. *Id. Amph.* 1. 1. 181. Nescio quem loqui autumat, mihi certo nomen Sosia est. *Id. ibid. v.* 218. At mentiris etiam, certo pedibus, non tunicis venis. *Id. Stich.* 2. 1. 86. Certo mecastor id fuit nomen tibi. *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 81. Nihil ita expectare quasi certo futurum. *Id.* 2. *Att.* 22. *ad fin.* Sed certo videntur hæc alique eruptura. *Alii, inter quos Orell., leg. certe, et quidem rectius.* — *b*) Jungitur et cum *quidem*, ut de *certe* dictum est. *Plaut. Men.* 2. 2. 39. Nam tu quidem hercle certo non sanus satis. *Id. Epid.* 3. 2. 42. Me quidem certo servavit consiliis suis. — *c*) In responsionibus. *Plaut. Men.* 5. 8. 9. MEN. Liberum ego te jussi abire? MESS. Certo. *Id. ibid.* 2. 2. 38. Ego ne te jussi coquere? CY. Certo, tibi et parasito tuo. *Id. ibid.* 5. 9. 50. Es ne tu Syracusanus? MN. Certo. Adde *eumd. Pœn.* 5. 5. 20. — *d*) Præcipue vero jungitur cum Verbis, quæ decernere, periclitari et comperire significant. *Plaut. Aulul.* 5. 4. Certo enim ego vocem hic loquentis me audire visus sum. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 10. Ego rus abiturum hinc cum tuo me esse certo decrevi patre. *Id. Eun.* 5. 1. 9. Atqui certo comperi. — *e*) Hinc sæpissime jungitur cum verbo *scio*, qua de re *V.* CERTE in fin. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 2. Certo edepol scio me vidisse. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 121. et *Truc.* 1. 1. 49. *Ter. Andr.* 5. 4. 26. Verum hercle opinor fuisse Phaniam: hoc certo scio, Rhamnusium ajebat se esse. Adde *eumd. Adelph.* 4. 5. 14.; *Eun.* 1. 2. 119. et *Heaut.* 1. 1. 19. *Cic. Cæcin.* 19. 55. Veniunt in mentem mihi permulta: vobis plura, certo scio. *Id.* 1. *Att.* 12. 3. Quod te moleste ferre certo scio. *Id.* 2. *ibid.* 23. Nam id te scire cupere, certo scio. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 3. 1. et 6. *ibid.* 6. 1., 4. *Fam.* 13. 6. et 7. *ibid.* 2. 2., 5. *Verr.* 87. 201. et 6. *ibid.* 59. 132., et *Senect.* 1. 1.; *Sall. Jug.* 9., aliosque passim.

Homonym. *V.* in fine vocis CERTE.

CERTO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Certans* I. 1.; *Certatus* I. 1.; *Certaturus* I. 2.; *Certandus* I. 3. — *Certatur*, *certatum est* etc. passive impersonaliter usurparunt *Pacuvius* apud *Non. p.* 473. 16. (ubi *Non.* falso putat deponentis forma adhiberi); *Cic.* 1. *Orat.* 39. 177.; *Sall. Jug.* 74.; *Liv.* 1. 17. et alibi; *Virg.* 10. *Æn.* 355. et 11. *ibid.* 313., aliosque: nonnulla exempla *V.* infra sub I. 2. Hinc Ablativus *certato* ponitur pro *cum certatum esset*, sicut *audito*, *comperto* etc. *Tac.* 11. *Ann.* 10. Huic contra itum ad amnem Erindem, in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes. Adde *eumd.* 4. *Hist.* 16.; et *V.* similem loquendi rationem in ERRO, as, sub init. — Ceterum *certo* est frequentativum a *cerno*, non quasi per syncopem factum ex *cernito*, ut ait *Forcellinus*, sed a supino *certum* pro *cretum* de quo *V.* in CERNO sub init.; et significat totis viribus eo tendere, ut lis dijudicetur; ac proinde contendere, pugnare, conari vincere (It. *contendere*, *contrastare*, *gareggiare*; Fr. *combattre*, *disputer*, *lutter*, *rivaliser*; Hisp. *combatir*, *luchar*, *disputar*; Germ. *streiten*, *kämpfen*, *seine Kraft messen*, *wetteifern oder wettkämpfen*; Angl. *to contend*, *contest*, *strive*, *vie*, *struggle*, *fight*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ponitur de quacumque contentione, armis et vi fiat aut verbis aliave simili ratione, corpore fiat aut mente. — *a*) Sæpissime occurrit sine Accusativo neutrorum more. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Certabant, urbem Romamne Remamne vocarent. *Idem* apud *Gell.* 26. 10. Haud doctis dictis certantes, sed maledictis Miscent inter sese inimicitias agitantes. *Plaut. Truc.* 5. 56. Melius te minis certare mecum, quam minaciis. *Ter. Phorm. prol.* 21. Benedictis si certasset, audisset bene. *Cic. Brut.* 46. 172. Ego memini T. Tincam – cum familiari nostro Q. Granio dicacitate certare. Cf. *Liv.* 5. 8. *in fin.* Certatum est maledictis inter collegas. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 77. Adolescentium greges Lacedæmone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique. *Id.* 1. *Off.* 25. 87. Ut si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. *Sall. Cat.* 38. Pro sua quisque potentia certabant; neque illis modestia, neque modus contentionis erat. *Liv.* 9. 46. Contumacia adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certavit. *Virg.* 10. *Æn.* 7. tantumque animis certatis iniquis? — *b*) Raro cum Accusativo rei, de qua fit contentio. *Sedigitius* apud *Gell.* 15. 24. Multos incertos certare hanc rem videris, palmam poetæ comico cui deferant. — Hinc Part. præter pass. apud *Ovid.* 13. *Met.* 713. certata lite deorum Ambracia. *Sil. It.* 17. 338. Certatus nobis hodie dominum accipit orbis. *h. e.* orbis, de quo certavimus. Sic *Stat.* 1. *Theb.* 1. Regna decertata odiis. ¶ 2. Speciatim ponitur pro præliari. *Ennius* apud *Diomed.* 1. p. 378. *Putsch.* Certare abnueo, metuo legionibus labem. *Id.* apud *Non. p.* 150. 8. *Merc.* Certare armis prognaviter. *Pacuvius* apud *Non. p.* 473. 16. An quis est, qui te esse dignum, quicum certetur, putet? *Cic.* 2. *Orat.* 18. 76. Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano certasset. *Id.* 3. *Off.* 22. 87. Certare armis cum hoste. *Cæs.* 6. *B. G.* 5. Pro explorato habebat, Ambiorigem prælio non esse certaturum. *Sall. Jug.* 114. Cum Gallis pro salute, non pro gloria certare. *Id. ibid.* 74. Qua in parte res pugnæ adfuit, ibi aliquandiu certatum. *Id. ibid.* 52. et *Liv.* 1. 45. Certare armis. *Sall. ibid.* 81. prælio. *Id. fragm.* 17. et *Val. Flacc.* 6. 314. manu. *Sall. Cat.* 63. maxima vi. *Liv.* 3. 71. Aricini atque Ardeates de ambiguo agro cum sæpe bello certassent. *Id.* 21. 1. Odiis majoribus, quam viribus certare. *Virg.* 10. *Æn.* 355. certatur limine in ipso Ausoniæ. *Id.* 2. *ibid.* 30. hic acie certare solebant. *Tac.* 2. *Ann.* 46. Certare augendæ dominationi. *h. e.* ad augendam dominationem. *Id.* 2. *Hist.* 47. armis de principatu. *Id.* 1. *Ann.* 45. bello. *Id.* 5. *Hist.* 11. ambigue. ¶ 3. Item speciatim ponitur de ludicra contentione. *Sisenna* apud *Non. p.* 502. 20. *Merc.* Alii saltu ac velocitate certare. *Sall. Jug.* 6. Equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare. *Virg.* 3. *Ecl.* 31. tu dic mecum quo pignore certes. *Id.* 5. *ibid.* 8. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas. *Id.* 5. *Æn.* 485. Protinus Æneas celeri certare sagitta Invitat qui forte velint et præmia ponit. *Horat. Art. P.* 220. Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum. — Et cum Accus. *Stat.* 6. *Theb.* 6. primus Pisæa per arva Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem. *h. e.* certamen sacrum Olympium certavit in honorem Pelopis. ¶ 3. Item speciatim, frequenter usurpatur in re forensi pro disceptare, lites agere; et fere cum addito *in judicio*, *jure*, *provocatione*, *multam*, *aliquid foro*, *judice* etc. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 177. Quid quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus? *Id.* 4. *Verr.* 16. 39. Cum diceret, jus esse certum Siculis inter se quo jure certarent. *Id. ibid.* 13. 32. Siculi hoc jure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus. *Liv.* 1. 26. Si a duumviris provocarit, provocatione certato. *Id.* 25. 3. Cui (*multæ*) certandæ cum dies advenisset. *V.* CERTATIO I. 3. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 27. Magna minorve foro si res certabitur olim. *Id. ibid.* 1. 49. si quid se judice certes. *Ulp. Dig.* 25. 3. 5. Certare præjudicio.

II.) Translate *certare* dicuntur, qui eamdem rem simul et cum conatu atque æmulatione agunt, qui se invicem superare student: et occurrit — *a*) *Certare cum aliquo* vel raro apud Poetas *alicui*, *cum aliqua re*, *cum aliquo aliqua re* vel *de aliqua re*, *aliqua re* etc. *Plaut. Pers.* 2. 2. 56. Certare malitia cum aliquo. *Cic.* 7. *Fam.* 31. 1. officiis inter se. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 532. *Cic.* 10. *Phil.* 5. 10. vitiis cum aliquo. *Id.* 2. *Cat.* 8. 18. Certare fructibus prædiorum cum usuris. *h. e.* tot usuris se onerare, ut prædiorum fructus exæquent: qua ratione fructus cum usuris committuntur et certant; et plerumque superantur, quia usuræ quotannis certæ sunt, fructus autem incerti. *Liv.* 34. 18. Certare parsimonia et vigiliis et labore cum ultimis militum. *Virg.* 2. *Ecl.* 5 muneribus. *Id.* 2. *G.* 138. laudibus Italiæ. *Id.* 8. *Ecl.* 55. certent et cycnis ululæ. *Horat.* 2. *Od.* 12. 18. Certare joco. *Id.* 4. *ibid.* 1. 31. mero. *Id. Epod.* 11. 27. imparibus. *Id.* 2. *Sat.* 5. 19. melioribus. *Id. Epod.* 2. 20. certantem et uvam purpuræ. *Plin.* 7. *Ep.* 7. Certare cum aliquo honestissimo certamine mutuæ caritatis. *Id. Paneg.* 30. Certat Ægyptus cum feracissimis terris. *Seneca Thyest.* 25. Certare scelere omni. *Tac.* 6. *Ann.* 41. gaudio. *Id.* 3. *ibid.* 63. studiis. *Id.* 1. *Hist.* 47. et *Sil. It.* 5. 96. dolis. *Id. Sil.* 5. 10. formâ deis. *Id.* 4. 203. Crinis auro certans. *Val. Flacc.* 5. 645. Certant alicui donaria. *h. e.* certatim offeruntur. Cf. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 108. *Id. Stat.* 2. *Theb.* 48. In omne scelus certare. — *b*) Absolute. *Virg.* 3. *Æn.* 668. certantibus æquora remis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 312. Tanto dissimilem et tanto certare minorem. Adde *Plin. Hist. nat. præfat.* § 22. — *c*) Cum Infinito. *Lucret.* 5. 1123. ad summum succedere honorem Certantes. Adde *eumd. ibid.* 394., et 6. 509. et 1247. *Virg.* 5. *Ecl.* 9. Quid, si idem certet Phœbum superare canendo? *Id.* 5. *Æn.* 194. Non jam prima peto, Mnestheus, neque vincere certo. *Id.* 2. *ibid.* 64. certantque illudere capto. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 443. et 6. *ibid.* 176; *Horat.* 1. *Od.* 1. 8., et *Ovid* 5. *Met.* 394. *Curt.* 9. 4. 33. Certat quisque evadere. *Plin. Paneg.* 81. *in fin.* Nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus etc. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 191. Non tibi certasset juvenilia fingere corda Nestor. Adde *Sil. It.* 13. 222. — *d*) Raro admodum sequente relativo. *Justin.* 5. 4. Certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an etc.

CERTUS, a, um, proprie est Participium præteritum passivum a verbo *cerno*, sed ab antiquissimis temporibus Adjective usurpatum, unde Comp. *Certior* et Sup. *Certissimus* II. 2. 3.

I.) Proprie certus est separatus, segregatus, sed hac significatione raro admodum occurrit. *Cato R. R.* 13. Certa pondera. *h. e.* pondera secreta, singula: quibus *ibidem* opponitur *centumpondium incertum.* Et *Liv.* 36. 2. Certa sorte. *h. e.* extracta sorte ab urna adeoque ab aliis secreta. *V.* CERNO sub init. — Ceterum sæpius

II.) Translate occurrit *A*) Passiva, et *B*) Activa significatione.

A) Passiva significatione ¶ 1. Certus est decretus, deliberatus, obstinatus; et ponitur fere de animi consiliis, propositis etc. — *a*) Generatim. *Plaut. Epid.* 1. 2. 60. At eumdem senem oppugnare certum est consilium mihi. Cf. *Ter. Andr.* 2. 3. 16. Hic reddes omnia, quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient. Rursus *Plaut. Merc.* 5. 2. 16. Certa res est me usque quærere illam. Adde *eumd. Amph.* 2. 2. 73., *Mil. glor.* 2. 4. 45. et *Most.* 3. 2. 17.; et *Ter. Andr.* 2. 3. 31. *Plaut. Capt.* 3. 5. 74. AR. Certumne est tibi istuc? HE. Non moriri certius. Adde *eumd. ibid.* 2. 1. 20. *Ter. Eun.* 3. 3. 30. Si istuc ita certum est tibi. *Liv.* 2. 16. Quando id certum atque obstinatum est. — *b*) Speciatim usurpatur formula *certum est* vel *certum est mihi.* — Cum Infinito, aut cum Accusativo et Infinito. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Quorum virtuti belli fortuna pepercit, Eorumdem me libertati parcere certum est. *Plaut. Amph.* 1. 1. 183. Certum est confidenter contra colloqui. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 91. Ita facere certum est me. *Id. Merc.* 3. 4. 59. Certum est exsulatum hinc ire me. *Id. Asin.* 3. 3. 23. Mihi certum est efficere in me omnia eadem, quæ tu in te facis. *Ter. Andr.* 2. 1. 11. Omnia experiri certum priusquam pereo. *Id. Eun.* 1. 2. 108. Ita facere certum est. (atque ita sæpissime *Plautus* et *Terentius*). *Cic. Rosc. Am.* 11. 31. Certum est deliberatumque, quæ ad causam pertinere arbitror, omnia dicere. Adde *eumd. ibid.* 30. 83. *Id.* 2. *Orat.* 33. 144. Cum diceret, sibi certum esse a judiciis causisque discedere. Et per ellipsin *Id.* 7. *Att.* 3. 11. Mihi certum est ab honestissima sententia digitum nusquam. Et cum Compar. *Id.* 1. *ibid.* 8. 3. Mihi autem abjurare certius est, quam dependere. *Liv.* 2. 45. Itaque certum atque decretum est non dare signum. Adde *eumd.* 35. 46. *Virg.* 10. *Ecl.* 52. Certum est in silvis inter spelæa ferarum Malle pati. Adde *eumd.* 9. *Æn.* 153. *Curt.* 4. 13. 9. Palam luce aggredi certum est. — Absolute. *Plaut. Pœn.* 2. 48. AN. Certumne est tibi? LY. Certum. Et cum Futuro *Id. Merc.* 2. 4. 8. Cur non morior? quid mihi est in vita boni? Certum est: ibo ad medicum atque me ibi toxico morti dabo. Adde *eumd. ibid.* 3. 2. 2., *Aulul.* 4. 6. 15. et *Bacch.* 3. 1. 15. *Id. Most.* 4. 1. 41. Experiar, ut opinor, certum est. Cf. CERNO II. 1. ¶ 2. Certus significat etiam constitutum, accurate definitum, selectum; sed ratione habita externæ rerum qualitatis, numeri, magnitudinis etc. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 128. Cephalœdii mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. *Liv.* 1. 50. In diem certam ut conveniant, indicit. *V.* infra sub *b.* *Cic.* 2. *Invent.* 45. 132. Quærere a judicibus, cur in certa verba jurent, certo tempore conveniant, certo discedant. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 21. 23. *Id.* 1. *Orat.* 40. 183. Certis quibusdam verbis divortium fit. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 3. 10. *Id. Orat.* 58. 198. Certa quædam et definita lex. *Id. Quinct.* 10. 35. Totam causæ dictionem certas in partes dividam. — *b*) Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sueton. Cæs.* 83. ætates. *Lucret.* 6. 783. arbores. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. baccæ. *Id.* 10. *Phil.* 5. 11. conditio. *Id.* 3. *Nat. D.* 10. 24. cursus certi et constantes. *Cato R. R.* 149.; *Cic.* 6. *Att.* 2. 9. et *Nepos Chabr.* 3. dies. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19.; *Virg.* 3. *G.* 329.; et *Sueton. Cæs.* 43., *Aug.* 91. et *Gramm.* 2. diebus. *Virg.* 6. *Æn.* 673. et 8. *ibid.* 39. domus. *Cic.* 10. *Phil.* 5. 11. exercitus. *Id.* 1. *Divinat.* 41. 91. duæ certæ familiæ. *Lucret.* 1. 562. certa finis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 56. certus finis. *Cic. Quinct.* 10. 33. et 10. *Phil.* 5. 11.; et *Horat.* 1. *Sat.* 1. 106. fines certi. *Virg.* 1. *Æn.* 66. fœdus. *Sueton. Aug.* 45. forma stipendiorum præmiorumque. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. fruges. *Id.* 2. *Orat.* 41. 175. genus dicendi. *Id.* 1. *Off.* 32. 117. genus vivendi. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 170. limites. *Cic.* 6. *de republ.* 13. 13., 2. *Divinat.* 41. 85. et 4. *Verr.* 5. 23.; et *Virg.* 1. *G.* 60. locus certus ac definitus. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 119. lumina dicendi. *Id.* 2. *Legg.* 26. 66. magistratus. *Tac.* 1. *Ann.* 24. mandata. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 254. certa quædam numerorum moderatio ac pedum. *Id.* 2. *Nat. D.* 38. 97. motus cœli: *Ciceronis* verba sunt: Qui tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines viderit. *Forcellinus* singulari paragrapho distinxerat et *certos* interpretatus est eos, qui constanter et sine dubio eveniunt aut fiunt. *Id.* 1. *Att.* 10. 5. mulieres. *Id. Balb.* 12. 30. numerus. *Horat. Carm. sæc.* 21. orbis. *Lucret.* 2. 252. ordo. *Cic. Rosc. com.* 4. 10. pecunia. cui *ibid.* *opponitur* incerta. *Quintil.* 10. 2. 13. et *Tibull.* 2. 1. 51. pedes. *Cic.* 1. *Divinat.* 52. 118. rebus certis certa signa præcurrunt. Cf. *eumd. Sext.* 27. 58. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (63). certo tempore anni. *Plin.* 9. *Ep.* 36. tempus certum dimensumque. *Sueton. Galb.* 14. certum præfinitumque tempus. *Cic. Balb.* 13. 30. tribus. *Sueton. Cal.* 40. certum statumque vectigal. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 41. vitia. — *c*) *Forcellinus* ait, hoc sensu *certum* adhiberi loco pronominis *quidam*; et affert duo *Cic.* loca *Brut.* 16. 61. Habet certos sui studiosos, qui etc. Et *Marcell.* 6. 16. Insolentiam certorum hominum extimescere. — Eadem dicendi ratio

occurrit sæpe apud Cic., scilicet 1. Fam. 2. 3., 3. ibid. 9. 10., 4. ibid. 9. 2., 16. ibid. 11. 2. et Dom. 11. 28.: at certos in his omnibus, non quosdam significare, sed constitutos, definitos, peculiares patet ex eodem Cic. 3. Cat. 7. 16. Ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habere. Et ex Quintil. 2. 8. 13. Certos aliquos docere. ¶ 3. Item certus significat constitutum et accurate definitum, ratione habita internæ rerum qualitatis: et primo quidem, quod ad intellectum attinet, certus ponitur pro aperto, comperto, manifesto, noto, et minime dubio. — a) Generatim. Ter. Eun. 4. 4. 36. Jam satis certum est virginem vitiatam esse. Id. Andr. 2. 2. 31. Res certa. Cf. Liv. 29. 6. Res certior. Cic. 3. Nat. D. 5. 13. Qui quæ affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quæ apud Sagram. Id. 3. Att. 11. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Id. 16. ibid. 13. in fin. Tu mihi de his rebus omnia certa, clara, subaudi scribes. Id. 1. ibid. 9. 1. Cum certius tibi sit me esse Romæ, quam mihi te Athenis. Id. Rosc. Am. 19. 52. Argumentum odii certius. Id. Sext. 22. 49. Certissimum signum amoris. Cf. Virg. 1. G. 351. et 394. Rursus Cic. 1. Nat. D. 14. 37. Cleanthes æthera certissimum deum judicat. Id. 15. Att. 21. 1. Quem tu illo certiorem nebulonem? Id. 1. ad Q. fr. 2. 2. § 4. Certissimus matricida. Id. Rosc. Am. 30. 83., et Divinat. in Verr. 10. 31. Certissimum crimen. Id. 1. Att. 1. Competitores qui certi videbantur. h. e. qui certo potituri videbantur. Id. Mil. 9. 25. Aliquem certissimum consulem videre. Cf. Cœlius apud Cic. 8. Fam. 3. 1. Certior candidatus. h. e. quem certius est esse designandum. Rursus Cic. Rosc. Am. 16. 46 Certo patre nasci. Id. 1. Invent. 2. 2. Certi liberi. h. e. legitimi. Cf. Virg. 6. Æn. 322. deûm certissima proles Et Senec. Troad. 461. Certa progenies. Cæs. 7. B. G. 45. Neque, certi quid esset, explorari poterat. Liv. 28. 11. Vividum satis certa luce. Horat. 2. Sat. 3. 269. fluitantia certa reddere. Id. Epod. 15. 16. Certus dolor. h. e. verus et acer. Ovid. 2. Art. am. 248. amor. Id. 3. ibid. 575. Amor certior. Id. 3. Trist. 14. 22. Nomen certius. Sueton. Ner. 10. Indolem certiorem ostendere, se ex Augusti præscripto imperaturum. Quintil. 6. proœm. 9. Certus fructus. Id. 12. 3. 6. jus. Seneca Hippol. 1113. heres. Sil. It. 15. 493. superari certior hostis. — b) Hinc formulæ. — Apud antiquiores alicui aliquid certum facere est certum dicere, aperire. Plaut. Men. 2. 1. 17. Istuc quæro certum qui faciat mihi, qui sese dicat scire, eum esse mortuum. Id. Pseud. 2. 2. 4. Nimis vellem, certum qui mihi faciat, leno ubi hic habitat. Et cum Compar. Id. Men. 5. 2. 12. Nec, quid id sit, mihi certius facit. — Apud optimos etiam Scriptores occurrunt certum habere aliquid, certum habes cum Accusativo et Infinito aut sequente Relativo, et certum habere de aliqua re: ut apud Cic. 1. Att. 13. 1. Neque tamen id ipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare. Liv. 5. 3. Id ego hoc anno desisse dubitari certum habeo. Adde eumd. 28. 40., 36. 28. et 44. 39.; Colum. 2. R. R. 22. 5. et Quintil. 2. 3. 9. Lucejus apud Cic. 5. Fam. 14. Non habeo certum, quæ te res hinc retrahat. Cic. 12. ibid. 5. 1. Hiemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus. V. Certum in fine hujus vocis: ¶ 4. Item certus significat accurate definitum ratione habita internæ rerum qualitatis; et secundo, quod ad moralia vel etiam ad corporales vires attinet, certus est probatus, qui a recta via non aberrat. Occurrit autem — a) De personis earumque actibus. Ennius apud Cic. Amic. 17. 64. Amicus certus in re incerta cernitur. Plaut. Trin. 1. 2. 57. Tu ex amicis certis mi es certissimus. ubi certus est cujus fide explorata ac tuta est, ut Forcellinus recte interpretatus est. Sic Cic. 1. Fam. 7. 1. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem (litteras), non prætermittam. Adde eumd. 6. ibid. 12., 3. Att. 17. 1., 5. ibid. 21. 6. et 8. ibid. 1. 2. Cf. Nepos Pausan. 2. Si quid geri volueris, certum hominem mittas cum quo colloquatur. Adde eumd. Alcib. 10. Et Virg. 1. Æn. 576. per littora certos Dimittam et Libyæ lustrare extrema jubebo. Martial. 5. 61. sane certus et asper homo. Virg. 1. G. 432. Certissimus auctor. Adde Senec. Herc. fur. 1070. Et Quintil. 6. 3. 68. Parum certus auctor. Adde Tac. 4. Ann. 11. et Sil. It. 7. 449. testis certissima. — Cic. 6. Fam. 12. 1. Omnia promissa confirmata, certa et rata sunt. h. e. veracia et non fallentia Horat. 1. Od. 7. 28. Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure novam Salamina futuram. — Cic. Quinct. 3. 11. Certus paterfamilias. h. e. probatus, spectatus. Id. Rosc. Am. 19. 53. Id erat certi accusatoris officium, explicare omnia vitia etc. Adde eumd. 4. Verr. 64. 156. — Cic. Quinct. 24. 77. Diffidebam mehercule satis animo certo et confirmato me posse in hac causa consistere. h. e. constanti, firmo ac forti. Liv. 10. 35. Hostis nec spe nec animo certior. Virg. 9. Æn. 249. Cum tales animos juvenum et tam certa tulistis Pectora. Servius ad Virg. 1. Æn. 58. affert in eamdem sententiam hæc verba Sallustii: Apud latera certos locaverat. Ovid. Heroid. 18. 33. certa mente gerere prœlia. — Seneca Hippol. 192. de Cupidine. Ipsumque Phœbum, tela qui nervo regit, Figit sagitta certior missa puer. h. e. qui in jaciendo non aberrat. Val. Flacc. 1. 366. Deucalion certus jaculis. Id. 1. 191. non illo certior alter Pinguia letifera perfringere colla bipenni. — b) De inanimis et abstractis. Sic res certa est tuta et cui fidere possumus. Cic. 2. ad Q. fr. 2. 4. Tu, velim, quamprimum bona et certa tempestate conscendas. Plin. 36. Hist. nat. 22. 49. (169). Globosus lapis ad structuram infidelis: nec certior fluviatilis. — Item quæ constans, firma et fortis est. Horat. Art. P. 158. Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo Signat humum etc. — Item quæ constanter, et sine dubio evenit, aut fit. Cic. pro leg. Manil. 2. 6. Aguntur certissima populi Romani vectigalia et maxima. — Item quæ a recta via non aberrat. Virg. 11. Æn. 767. certam quatit improbus hastam. Horat. 1. Od. 12. 23. metuende certa, Phœbe, sagitta. Martial. Spectac. 13. O quam certa fuit lib. ato dextera ferro! Id. ibid. 23. quam certo venabula dirigit ictu! — Sic pluribus aliis jungitur Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Seneca Hippol. 278. arcus. Quintil. 10. 6. 6. copia dicendi parata et certa. Horat. 3. Od. 16. 30.; Ovid. 6. Fast. 609.; Curt. 6. 10. 28.; Val. Flacc. 7. 744. et Plin. 10. Ep. 71. fides. Liv. 9. 39. fugam capessere certiorem. Virg. 12. Æn. 490. ictus. Tac. 14. Ann. 37. jactus. Quintil. 4. 5. 14. manus. Sil. It. 10. 156. membra. Horat. 2. Ep. 2. 105. nomen. Plaut. Pœn. 5. 3. 41. opes. Ovid. 3. Met. 175. passibus non certis errare. Virg. 3. Æn. 393. requies laborum. Tibull. 1. 10. 10. sidera. Adde Ovid. Heroid. 13. 155.; Val. Flacc. 1. 17., 2. 57. et 5. 70.; et Lucan. 3. 218. Plaut. Merc. 2. 3. 29.; Horat. Carm. sæc. 74.; et Ovid. 3. Art. am. 478. spes. Cic. 1. ad Brut. 10. 3. spes consulatus certissima. Curt. 6. 10. 29. tormenta certiora oraculis. Horat. 2. Sat. 3. 49. tramite certo pelli. Plin. 3. Hist. nat. 11. 16. (101). transitus certior. Auct. B. Afr. 2. ventus. Virg. 4. Æn. 125. voluntas. Lucret. 4. 1069. voluptas certa et pura. Martial 11. 62. vox. — NB. De cogn. Rom. V. ONOM.

B) Activa significatione certus occurrit de personis tantummodo, et ¶ 1. Dicitur is qui est animo deliberato, firmo atque obstinato: et usurpatur — a) Cum Infinito. Virg. 4. Æn. 363. dirumque nefas in pectore versat Certa mori. Val. Flacc. 5. 47. Certa sequi quocumque ferant. Id. 2. 457. succurrere. Cf. Albinov. 1. 291. Certus eras numquam, nisi victor, Druse, reverti. Adde eumd. 170. et 228. — b) Sequente particula an. Sil. It. 9. 480. Nec sat certa diu, patriis an cederet armis etc. — c) Cum Genitivo. Virg. 4. Æn. 554. certus eundi. Tac. 2. Ann. 34. relinquendæ vitæ. Id. 4. Hist. 14. desciscendi. Id. 12. Ann. 32. destinationis. Plin. 6. Ep. 16. fugæ. Inscript. apud Murat. præfat. p. 10. ia CERTVS AMORIS MEI ERGA SE etc. Sil. It. 6. 27. necis. ¶ 2. Certus etiam dicitur, qui aliquam rem exploratam, compertam et cognitam habet. — a) Generatim. Plaut. Amph. 1. 1. 196. Numquid nunc es certior? Ovid. Heroid. 6. 3. hoc tamen ipso Debueram scripto certior esse tuo. Gell. 18. 13. Fac me, oro, magister, ut sim certus, an etc. Id. ibid. 10. Certi sumus, non ignorare te, quid etc. Sueton. Vesp. 25. Tam certus de sua suorumque genitura semper fuit, ut etc. Id. Tib. 61. Certus damnationis. Tac. 4. Hist. 3. spei. Id. 1. Ann. 27. exilii. Id. 12. ibid. 3. matrimonii. Lucan. 8. 120. loci. — b) Hinc dicitur certum facere aliquem, sed raro et fere a Poetis. Plaut. Pseud. 1. 1. 16. Fac me certum, quid tibi sit. Adde eumd. ibid. 4. 6. 35. Virg. 3. Æn. 179. Anchisen facio certum remque ordine pando. Adde Ovid. 6. Met. 268. — In prosa oratione dicitur certiorem facere aliquem absolute, vel aliquem de aliqua re, alicujus rei, esse aliquid etc. Plaut. Curc. 5. 2. 32. Per tua genua te obsecro, ut nos facias certiores. Ter. Phorm. 4. 3. 60. Quantum potes me certiorem face. Cic. 9. Fam. 23. Sed cum certum sciam, faciam te paullo ante certiorem. Adde eumd. 9. Att. 2. 6. § 2. et 2. Divinat. 21. 47. Id. 1. Fam. 9. 24. Tu me de tuis rebus omnibus et de Lentuli tui nostrique studiis et exercitationibus velim quam familiarissime certiorem et quam sæpissime facias. Cf. Cæs. 5. B. G. 38. Eum de rebus gestis certiorem faciunt. Capell. 6. p. 194. Eratosthenes certus de stadiorum numero redditus. Cic. 6. Verr. 38. 80. Certiorem te faciunt, P. Africanum simulacrum Dianæ majoribus suis restituisse. Cæs. 1. B. G. 11. Cæsarem certiorem faciunt, sese non facile vim hostium prohibere. Adde Nepot. Them. 5. et 9., Alcib. 10. et Datam. 11. Cic. 1. Att. 14. 7. Tu quid agas, ubi sis, cujusmodi istæ sint res, fac me quam diligentissime certiorem. Adde Nepot. Att. 20. Cic. 9. Att. 2. 6. § 2. Qui certiorem me sui consilii fecit. Curt. 9. 10. 17. Alios quoque præfectos certiores necessitatis suæ fecit. — Similiter et passive certior fieri dicitur. Cic. 1. Fam. 7. 1. Legi tuas litteras, quibus ad me scribis gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus. Adde eumd. 1. ibid. 9. 4. et 3. Att. 11. D. § 1. Cæs. 1. B. G. 12. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est. Adde eumd. 1. ibid. 12., 21. et 41., et 2. ibid. 1.; et Sall. Jug. 46., 82. et 104. — Hinc

Certum, i, n. 2. absolute, substantivorum more usurpatum pro re certa et indubitata, pro ipso statu animi, qui certus est, qui rem aliquam exploratam, compertam et cognitam habet. ¶ 1. Sæpissime occurrit, quod ad intellectum attinet, pro re explorata, comperta; sed fere certis quibusdam formulis. Sic — a) Certum scire aut nescire est certam et indubitatam rem scire aut nescire. Ter. Phorm. 1. 2. 98. Senem quoad expectatis vestrum? GET. non certum scio. Id. Eun. 1. 2. 31. Certum non scire. Cic. 12. Att. 23. 2. De Oropo opinor, sed certum nescio. Adde eumd. Sull. 13. 38. Ter. Eun. 5. 3. 12. et Hecyr. 3. 1. 44. Certum scire. Cic. 9. Fam. 23. Cum certum sciam, faciam te paullo ante certiorem. — b) Huc referri possunt et illa certum est, certum ponitur apud Cic. Arch. 7. Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen certum est, quid respondeam. Id. 1. Fam. 9. ad fin. Mihi non tam de jure certum est (quamquam ne id quidem valde dubium est) quam etc. Id. Fat. 6. 22. Quoniam certum in Fabio ponitur, natum eum esse Canicula oriente — c) Sic pro certo habere, putare, dicere etc. Ter. Adelph. 3. 4. 32.; et Cic. 2. Nat. D. 18. 48. Pro certo dicere. Cic. 10. Att. 6. 3. Pompejum pro certo habemus proficisci in Galliam. Adde Sall. Cat. 52.; Sueton. Domit. 23. et Quintil. 15. 10. 12. Matius apud Cic. 9. Att. 15. A. De adventu Cæsaris pro certo habebamus. Cic. 5. Att. 21. 5. Omnia, quæ certa non erunt, pro certo negato. Id. 2. leg. Agr. 37. 103. Pro certo polliceri et confirmare. Sall. Cat. 15. Pro certo creditur. Matius apud Cic. loc. cit. Pro certo putare. Liv. 25. 10. Sed quid rei esset, nemo satis pro certo scire. Id. 27. 1. Pro certo affirmare. Quintil. 5. 12. 2. Pro certo est aliquid. — d) Ad certum videtur esse idem quod certo. Liv. 41. 23. et 44. 15. Ad certum dirigere aliquid. Censorin. de die nat. 19. Hoc tempus quot dierum esset, ad certum nondum astrologi reperire potuerunt. — e) Certum interdum adverbialiter ponitur pro certo. Cic. fragm. Scaur. n. 6. edente iterum A. Mai. Qui sive patricius, sive plebejus esset, non enim certum constituerat. Horat. 2. Sat. 6. 27. quod mi obsit clare certumque locuto. Id. ibid. 5. 100. Et certum vigilans, Quartæ sit partis Ulyses, Audieris, heres. — f) Certo certius esse dicitur, quod plane certissimum est. Plaut. Capt. 3. 4. 111. Nihil invenies magis hoc certo certius. Ulp. Dig. 42. 9. 10. § 14. Et hoc certo certius est et sæpissime constitutum. — g) Adverbialiter. Apul. 9. Met. sub fin. Nos, quos occultaret apud se certo certius, dedere potius, quam etc. ¶ 2. Raro admodum occurrit morali ratione. Plaut. Pseud. 2. 2. 19. Certa amittimus, dum incerta petimus. Et cum Genitivo Tac. 4. Hist. 81. Quibus (mensibus) Vespasianus statos æstivis flatibus dies et certa maris opperiebatur.

CERUCHI, ōrum, m. plur. 2. κεροῦχοι, Græca vox a κέρας cornu et ἔχω habeo. Ceruchi sunt rudentes, quibus antennæ ex utroque cornu religantur ad

malum, et, cum opus est, in quamcumque partem vertantur. Quidam putant, esse ipsas antennarum extremas partes, seu cornua, quæ Græci ἀκροκεραία vocant. *Auctor Thesauri N. Latin.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 130. etc. interpretatur: Ceruchus, illud quod malo superponitur et secundum ventum movetur. *Lucanus* etc. Et *Id. ibid. p.* 175. Ceruchus illud quod ad instar vexilli malo superponitur etc. *Val. Flacc.* 1. 469. Temperet ut tremulos Zethes, fraterque ceruchos. *Lucan.* 8. 176. cum mihi semper in altum Surget, et instabit summis magna ursa ceruchis. (*Jos. Scalig.* ad *Manil.* 1. 565. p. 73. integrum hunc *Lucani* locum diligenter exposuit.). *Id.* 10. 496. Transtraque nautarum summique arsere ceruchi. (*Virg.* 3. *Æn.* 549. ceruchos vocat *cornua velatarum antennarum.*) *Ennod.* 1. *carm.* 7. *v.* 43. Lintea nam summis dum crispant nexa ceruchis. — Sunt etiam qui putant significari summam partem proræ et puppis: quibus favere videtur illud *Venant.* 5. *de Vita S. Martini* 407. feriunt cava vela rudentes, Natat pinus iners, rapiuntur signa ceruchis. *signa* enim appellare videtur deorum icunculas, quas in summa prora aut puppi collocare solebant.

CĒRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a cera*, parva cera, vel parum ceræ. *Cic.* 15. *Att.* 14. 4. Cerula miniata. Et 16. *ibid.* 11. 1. Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo judicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. Alludit *Cic.* ad ceram pictam, qua censores librorum utebantur in notandis locis, quæ minus placuissent. — Est etiam, ut videtur, idem ac ceriolare. *Inscript.* apud *Gruter.* 111. 12., quæ est apud *Orell.* 2032. DEO NEMAUSO SEX. TITULIUS HOROLOGIUM ET CERULAS II. ARGENTEAS T. P.

CERUS MANUS, in carmine Saliari apud *Paul. Diac.* p. 122. 1. *Müll.*, est creator bonus, ut idem *Paul. Diac.* interpretatur; et est nomen mysticum Jani. *Cerus* enim videtur esse ab obsoleto cereo pro creo. quod legitur in quibusdam antiquis editionibus *Varronis* 7. *L. L.* 26. *Müll.* teste *Voss.* in *Etymol.* in *Creo*, et *Scalig.* in *Conjectan.*, a quo et *Ceres* dicta esse creditur, quia omnia in terra creat. At idem *Scalig.* ad *Festum* in voce *Cærimonia* docet *cerum* veteri lingua idem esse ac sanctum. Hac ratione erunt duo adjectiva idem sonantia, quod sanctus bonus. Nam *manum* antiqui bonum dicebant, ut docet *Varro loc. cit.* 2. — In carmine Saliari apud *eumd.* 6. *L. L.* 3. duonus ceruses, ut quidem legit *Scalig.*, itidem bonum creatorem significat. Sed hæc omnia obsoleta sunt. — Hucusque *Forcellinus.* Nihil novi addidit *Müllerus* ad *Paul. Diac. loc. cit.*

CĒRUSSA, æ, f. 1. pigmentum metallicum albi coloris, quod fit ex plumbi ramentis tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis, atque ita distillantibus. Quod ex eo cecidit in ipsum acetum, arefactum molitur et cribratur, iterumque aceto mixto in pastillos dividitur, et in sole siccatur. Si rursus coquatur, rufescit. Est autem potus letalis, sicut spuma argenti. *V. Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 54. (175)., a quo hæc sumpsimus, et *Vitruv.* 7. 12. 1. *Schneid.*; et confer *Cels.* 5. 27., *Plin.* 28. *Hist. Nat.* 9. 33. (129). et *Pallad.* 9. *R. R.* 11. 3. (It. *biacca*; Fr. *céruse*; Hisp. *albayalde, cerusa*; Germ. *Bleiweiss*; Angl. *ceruse, white-lead*). — Cerussa utuntur pictores, teste eodem *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 19. (37). — Item mulieres ad candorem cutis inducendum. Hinc *Ovid. Medicam. fac.* 73. Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis Desit. Adde *Plaut. Most.* 1. 3. 101. — In medicina habet usum (sicut et molybdæna) in emplastris, quæ non alligantur; sed illita ad cicatricem perducunt, in teneris corporibus mollissimisque partibus, ut ex *Plin. loc. cit.* 34. colligitur. Hinc *Martial.* 10. 22. 2. Cur splenlato sæpe prodeam mento, Albave pictus sana labra cerussa etc. De *Cerussa usta*, *V.* USTA et SANDARACA.

CĒRUSSĀTUS, a, um, *particip. ab inusit. cerusso*, cerussa illitus. *Cic. Pis.* 11. 25. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ, et fluentes cerussatæque buccæ. *Martial.* 7. 25. 2. cerussata cutis. *Id.* 2. 41. 12. labella. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 11. 27. 1. Æreis tabulis, vel cerussatis, vel linteis mappis scripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex. *h. e.* tabulis cerussa plumbea obductis, ut litteræ magis conspicuæ sint.

CERVA, æ, f. 1. femina in cervino genere (It. *cerva*; Fr. *biche, femelle du cerf*; Hisp. *cierva*; Germ. *die Hirschkuh, Hindin*; Angl. *a hind, deer*). — a) Stricto sensu. *Ter. Phorm. prol.* 7. Scripsit — cervam videre fugere et sectari canes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (128). Cornua nulla ovium, nec cervarum. Adde *eumd.* 25. *ibid.* 8. 52. (91). — b) Latiori sensu sæpe adhibetur a poetis nullo habito respectu generis, sive marem, sive feminam significet: quemadmodum Græci τὴν ἔλαφον etiam de cervo mare dicunt. *Virg.* 4. *Æn.* 69. qualis conjecta cerva sagitta etc. Adde *Catull.* 63. 72. *Horat.* 2. *Od.* 5. 31. Si pugnat extricata densis Cerva plagis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 27. *Ovid.* 3. *Art. am.* 670. Non docet infestos currere cerva canes. *Id.* 7. *Met.* 545. Non aper irasci meminit; non fidere cursu Cerva. Adde *eumd.* 6. *Met.* 636., 11. *ibid.* 772. et 12. *ibid.* 34. Ita *canis, bos* feminine libentius dicuntur ab iisdem poetis; sic *agna, porca* etc. Vide quæ congessit *Brouckusius* ad *Tibull.* 4. 3. 13. — c) Quin aliquando cervum marem significantes *cervam* tamen appellant. *Virg.* enim 6. *Æn.* 803., *Seneca Agamemn.* 831. et *Sil. It.* 3. 39. *cervam* appellant, quam Hercules cursu cepit. De ipsa *Hygin. fab.* 30., *Sil. It. loc. cit.* et alii mythologi narrant, cornua et quidem aurea habuisse, atque adeo marem fuisse, cum feminæ cornibus omnino careant. Adde *Val. Flacc.* 6. 70. Quare *Plaut. Pers.* 1. 1. 3., *Martial.* 9. 102. et *Auson. Edyll.* 19. non *cervam*, sed cervum appellarunt. Quidam tamen, ne quid dissimulem, apud *Sil. It.* legunt *cervum*, et apud *Martial.* vero *cervam*. Præterea etiam cervas aliquando cornutas inventas esse, non desunt qui affirment, atque in his *Scalig.*, qui *l.* 3. *Poetices c.* 4. talem in Gallia visam et captam suis temporibus fuisse testatur. *Pindarus* quoque *Olymp. hymn.* 3. cervam hanc Herculis χρυσοκέρων ἔλαφον θήλειαν vocat. — d) Cerva quædam, quæ mille annis vixerat, pro numine colebatur ab incolis Capuæ, ut narrat *Sil. It.* 13. 115. et *seqq.*, quam ideo videre est in nummis illius urbis apud *Daniele, Numism. Capuana* p. 57. — e) Cervæ nomen interdum canibus imponebatur, ut colligitur ex *Colum.* 7. *R. R.* 12. 13.

CERVĀRIUS, a, um, adject. cervinus. — Est quoddam quadrupedum genus, qui *cervarii lupi* appellantur, tum propter velocitatem, qua cervos æquant, quibus infensissimi sunt, tum propter aviditatem luporum similem. De his verba facit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (84). et 11. *ibid.* 37. 79. (202). — *Cervarium venenum* dicta est quædam herba, a Gallis limeum appellata, qua venatores sagittas tingunt, inquit *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 76. (101). et *Festus* p. 335. 18. *Müll.* — In sacrificiis Dianæ cerva immolabatur: quæ si forte defuisset, ejus loco ovem mactabant, quam proinde *ovem cervariam* dicebant, teste *Paul. Diac.* p. 57. 1. *Müll.*

CERVĪCAL vel

CERVĪCĀLE, is, n. 3. *Cervicale* in recto casu agnoscit *Cassiodor. de Orthogr.* p. 2303. *Putschii*, et *Not. Tir.* p. 139. — *Cervical*, a cervix, est pulvinar, quod vel ad mensam, vel in cubiculo, vel in lectica decumbentes cervici et capiti supponimus (It. *capezzale, guanciale*; Fr. *oreiller*; Hisp. *almohada, coxin de cama*; Germ. *das Nacken-oder Kopfkissen*; Angl. *a pillow or bolster*). *Petron. Satyr.* 32. Positus inter cervicalia minutissima. *Id. ibid.* 56. In singulari numero usurpat, quemadmodum et *Martial.* 14. 146. Tinge caput nardi folio, cervical olebit. Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet. Adde *Juvenal.* 6. 353. — In plurali autem numero, præter *Petron. loc. cit.*, usurparunt *Plin.* 20. *Hist. nat.* 20. 82. (217). et 28. *ibid.* 4. 19. (47).; et *Sueton. Ner.* 6.

CERVĪCĀTUS, a, um *V.* voc. seq.

CERVĪCOR, āris, ātus sum, ari, d. 1. obstinari, pervicax esse. *Vulgat. interpr. Eccli.* 16. 11. Si unus fuisset cervicatus; mirum, si fuisset immunis.

CERVĪCŌSITAS, ātis, f. 3. obstinatus animus, pervicacia. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc.* Monasterialibus disciplinis ægre subditur popularium cervicositas.

CERVĪCŌSUS, a, um, adject. obstinatus, pervicax. Apud Scriptores Ecclesiasticos haud semel occurrit.

CERVĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a cervice*, parva cervix.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Verr.* 10. 49. Tamen ne putamus, patronum tuum in hoc crimine cerviculam jactaturum? *Quintil.* 11. 3. 180. Cervicula contracta. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 836. Dixit; deinde dum ferit cerviculam Percussor ense etc. Adde *Apul. Florid.* p. 348. *Hildebr. min.*

II.) Translate. *Vitruv.* 10. 8. 2. *Schneid. in machinæ hydraulicæ descriptione.* Supra cerviculam ejus coagmentata arcula etc. *h. e.* supra collum machinæ hydraulicæ.

CERVĪNUS, a, um, adject. ad cervum pertinens. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 14. color equi cervinus. *Varro* 3. *R. R.* 9. 14. cornu cervinum incendere. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 5. 18. et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (246). *Martial.* 12. 29. halitus. Ejus verba sunt: Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem. *h. e.* e latebris extrahit et cornu necat. Hinc ἔλαφος *Plutarch. de prud. anim.* dictos ἀπὸ τοῦ ἐλᾶν τοὺς ὄφεις. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 39. (145). medulla. Sic *Seren. Sammon.* 9. 121. Et cervina potest mulcere medulla rigorem. *Grat. Cyneg.* 90. nervus. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 66. pellis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (246). pilus. *Id. ibid.* 9. 42. (151). sanguis. *Juvenal.* 14. 251. senectus. *h. e.* diuturna et vivax. *Cervi* enim ultra centum annos vivere dicuntur, ut est apud *Cic.* 3. *Tusc.* 28. 69.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (119); et *Colum.* 9. *R. R.* 1. 8. *Ovid.* 6. *Met.* 592. vellera. — Hinc

Cervina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est cervi caro. *Edict. Dioclet.* p. 15. Aprunæ Ital. P. 1. ✱ sedecim, cervinæ Ital. P. 1. ✱ duodecim.

CERVISCA, æ, f. 1. genus piri. *Cloatius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15.

CERVISĬA et *rectius* cerevisia, æ, f. 1. Potus factus ex variis frugibus maceratis et expressis, præcipue vero ex hordeo, olim apud Gallos usitatissimus. Quare et illorum lingua vocis origo petenda est. Neque enim verisimile videtur, quod quidam docent, dictam esse per syncopen a *cerevisia*, quasi *Cereris vis*, quia frugum vis in eo liquore dominetur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 82. (164). Ex iisdem (*frugibus*) fiunt et potus, zythum in Ægypto, celia et ceria in Hispania, cervisia et plura genera in Gallia, aliisque provinciis. Adde *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. *pr.*; et *Isid.* 20. *Orig.* 3. 17. *V.* CAMUM. — *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 379. docet, *cervisiam* designari a *Virg.* illo versu: et pocula læti Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis. *V.* FERMENTUM.

CERVIX, īcis, f. 3. *Charis.* 1. p. 100. *Putsch.* docet ex *Plin. Secundo l.* 6. *sermonis dubii*, in Genitivo plurali *cervicium* dici: sed *cervicum* legitur apud *Cic. Orat.* 18. 59. et *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 33. (68). — *Varro* 8. *L. L.* 14. et 10. *ibid.* 7. 8. *Müll.*, et *Quintil.* 8. 3. 35. docent, hoc nomen in plurali numero usitatius esse, primumque *Hortensium in poematis*, ut *Varro locc. citt.* testatur, usurpasse in singulari. Sane *Cicero* pluraliter ubique usus est, itemque *Cato, Sallust.* et *Plaut.* Ceteri Scriptores promiscue. Ceterum ante *Hortensium* ipsum *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 10. *Æn.* 396. et *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. *cervicem* dixerant. *V.* infra sub I. 1. Quod tradit discrimen *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 507. in singulari numero *cervicem* significare collum, in plurali superbiam, falsum omnino est. Nam *Ovid.* 6. *Met.* 174. Maximus Atlas Est avus, ætherium qui fert cervicibus axem. — Ratione habita etymi, hæc vox recte conjungi potest cum Hebraica עֹרֶף *cervix*, ac proinde cum Græca κορυφή *vertex capitis, caput*. Cervix proprie est posterior colli pars ab occipitio ad dorsum, in qua sunt vertebræ et nervi caput sustinentes et moventes (It. *cervice, collottola*; Fr. *chignon du cou, nuque*; Hisp. *pescuezo, nuca*; Germ. *der Nacken, das Genick, d. Hinterhals*; Angl. *the hinder part of the neck*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cervix differt a *collo* (*V.* Homonym. in fin.); sæpe tamen sumi videtur pro ipso collo tum hominum, tum ceterorum animantium. — a) In singulari numero. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 10. *Æn.* 396. caput a cervice revolsum. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. Quadrupes cervice anguina. Adde *Lucret.* 1. 36. et 6. 745.; *Hortensium* apud *Varron. locc. superius citt.*; *Catull.* 62. 83.; *Varron.* 2. *R. R.* 2. 3., 2 *ibid.* 3. 2. et 2. *ibid.* 7. 5.; *Liv.* 8. 7. et 35. 11.; et *Virg.* 3. *G.* 52. et 524. et alibi. *Horat.* 3. *Od.* 9. 3. Dare brachia cervici. *h. e.* circumdare brachia collo. *Id.* 2. *ibid.* 12. 26. Detorquere cervicem ad oscula. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 13. 2.; *Tibull.* 3. 4. 27.; *Propert.* 3. 17. 31.; *Ovid. Heroid.* 16. 231. et alibi; *Phædr.* 2. 7. 4.; *Curt.* 3. 12. 26. et alibi; *Cels.* 2. 6. et alibi; *Vellej.* 2. 4. 5.; *Colum.* 6. *R. R.* 29. 2.; et *Quintil.* 1. 11.

9. *Tac.* 1. *Ann.* 58. Offerre cervicem percussoribus. *Sueton. Tib.* 68. Cervice rigida et obstipa incedere. *Id. Claud.* 30. et *Ner.* 51. opima aut obesa esse. *Juvenal.* 10. 345. Cervicem præbere gladio. *Id.* 6. 206. submitte caput cervice parata Ferre jugum. *Id.* 10. 88. Cervice astricta trahere aliquem. *Id.* 1. 64. Sexta cervice ferri. *h. e.* hexaphoro, seu lectica a sex famulis gestata. *Id.* 9. 143. Cervix locata. *h. e.* servus gestandæ lecticæ pretio locatus. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 6. stat proxima cervix Ponderis immensi. *h. e.* C. Rutilius Gallicus Valens, qui sub Domitiano erat præfectus urbi, et a morbo nuper convaluerat. *Claudian.* 1. in *Rufin.* 53. Cumque Fide Pietas alta cervice vagantur. *h. e.* securæ. — *b*) In plurali numero. *Ter. Heaut.* 2. 3. 131. Eversæ cervices tuæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. (*Boum*) cervices natæ ad jugum. *Id.* 7. *Verr.* 42. 110. et 57. 147. Frangere cervices. *Id. Sext.* 42. 90. Aliquo præsidio caput et cervices et jugulum ac latera tutari. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. Cervicibus fractis caput abscindere. *Id.* 3. *Herenn.* 15. 26. Corpus demittere a cervicibus. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 62. Impendet aliquid cervicibus alicujus. *Id. Orat.* 18. 59. Cervicum mollitia. *Lucret.* 2. 800. Cervices columbæ. *Auct. B. Hisp.* 20. militi abscissæ. *Virg.* 2. *Æn.* 219. altæ. *Fronto ad M. Cæs.* 5. 12. Ego cervicum dolore arreptus. et *ibid.* 14. Cervicum dolore gravi sum correptus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 33. (68). Tumor cervicum. *Sueton. Galb.* 11. Dependens a cervicibus pugio. *Id. Vitell.* 17. Injicere cervicibus laqueum. *Aurel. Vict. Epit.* 40. Fractis laqueo cervicibus. ¶ 2. Speciatim *cervices* usurpantur in variis dicendi rationibus quæ proverbii loco haberi possunt, quæque a *Forcellino* translate accipiuntur: scilicet — *a*) Pro capitis parte, quæ carnificis securi objecta est. *Cic. Rosc. Am.* 11. 30. Dare cervices alicui. *h. e.* præbere se occidendum. *Id.* 5. *Phil.* 6. 42. Dare cervices crudelitati nefariæ. *Id.* 2. *ibid.* 21. 51. Securi cervices suas subjicere. *Id. Pis.* 34. 83. securibus alicujus subjicere. — *b*) Sæpius pro corporis parte, cui jugum vel onus aliquid sustinendum est: ad rem *Liv.* 9. 6. Tamquam ferentibus adhuc cervicibus jugum, sub quo emissi essent. *V.* integrum locum. Adde *Curt.* 6. 13. 6. *Cic. Mil.* 23. 78. Clodii furores, quos nullis jam legibus frenare poteramus, hac dextera a cervicibus vestris repuli. *Id.* 3. *Cat.* 7. 17. Non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. *Id.* 3. *Phil.* 4. 8. Aliquem depellere a cervicibus alicujus. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. 7. Avertere aliquem a cervicibus alicujus. *Id.* 7. *Verr.* 42. 108. Cum istius avaritiæ pœnam collo et cervicibus suis sustinerent. *Id. Sext.* 66. 138. et *Dom.* 56. 142. Qui suis cervicibus tanta munia et rempublicam sustinent. *Id.* 12. *Fam.* 23. 2. Cogitabat legiones ad Urbem adducere et in cervicibus nostris collocare. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Imponere dominum in cervicibus alicujus. Sic *Liv.* 42. 50. Imponere cervicibus regem. *Curt.* 7. 7. 1. urbem. *Justin.* 6. 9. Philippus regnum Macedoniæ cervicibus Græciæ, velut jugum servitutis, imposuit. *Cælius* apud *Quintil.* 4. 2. 124. Aliquem cervicibus tollere. *Liv.* 1. 12. Regnum in cervices accipere. *Sueton. Aug.* 47. Onerare cervices gravi pondere. Rursus *Cic. Mur.* 37. 79. Restare in capite atque cervicibus alicujus. *h. e.* eum semper et ubique assectari. *Liv.* 44. 39. Quanto facilius abire fuit, cum procul abessemus, quam nunc cum in cervicibus sumus? *h. e.* cum ejus lateri hæremus. Sic *Curt.* 7. 7. 11. Stare in cervicibus alicujus. *Sall. in ep. Gn. Pompeji ad senat.* p. 70. 22. *Orell.* Hostes in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam submovi. *Liv.* 22. 33. Etsi bellum ingens in cervicibus erat. *h. e.* imminebat. — *c*) Hinc et pro animo, vi et audacia. *Cic.* 5. *Verr.* 59. 135. Qui tantis erunt cervicibus recuperatores, qui audeant etc. Cf. *Pers.* 1. 98. Laxa cervice legere aliquid. *h. e.* remissa et molli, non rigida et erecta.

II.) Translate dicitur de inanimis, quæ partem aliquam cervicibus similem præferunt. *Vitruv.* 10. 8. 4. *Schneid.* Fistulæ continenter conjunctæ lineis cervicibus. *Colum.* 4. *R. R.* 7. 3. Decacuminare pampinum, ut in cervicem potius confirmetur et sit robustior. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 3. 4. (8). Bœotiæ oppidum Pagæ, unde Peloponnesi prosilit cervix. *h. e.* Isthmus, qui est tamquam collum, quo Græcia jungitur Peloponneso, quæ Græciæ caput videri potest. *Id.* 6. *ibid.* 20. 44. (170). Urbs sita in cervice longe procurrente. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (72). Cervices fornicum. *h. e.* latera ad perpendiculum utrimque stantia et fornicem sustinentia. *Petron. Satyr.* 31. et *Martial.* 13. 32. Cervix amphoræ. *Petron. Satyr.* 136. cucumeris. *Stat.* 6. *Theb.* 855. de cupresso. urgentes cervicem inclinat in Austros.

Homonym. *Cervix* proprie differt a *collo*: *cervix* enim est posterior colli pars ab occipitio ad dorsum; *collum* vero tum posteriorem, tum anteriorem partem (quæ *jugulum* dicitur) significat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 99. Tuus autem deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus etc. *Varro* 2. *R. R.* 5. 6. Vaccæ cervicibus crassis ac longis, a collo palearibus demissis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 67. (177). Cervix nulli, nisi quibus utraque hæc (*gula et arteria*), ceteris collum, quibus tantum gula. *Quintil.* 11. 3. 82. Cervicem rectam oportet esse, non rigidam, aut supinam: collum diversa quidem, sed pari deformitate et contrahitur et tenditur. — At interdum etiam anterior colli pars cervix appellatur. *Cels.* 7. 13. Interdum in cervice inter cutem et asperam arteriam tumor increscit.

CERVULA, æ, f. *deminut. a* cerva, parva cerva. Legitur inter opera *Augustini*, *Serm.* 215. *de Temp. a med.*; sed ille *sermo* spurius est, et nulla ratione Augustino adscribendus. At nutantem hanc vocem obfirma novo exemplo, in quo est nomen muliebre servile. *Inscript.* apud *Murat.* 171. 20. OSSA CERVVLÆ LENTVLI.

CERVŬLUS et cervolus, i, m. 2. *deminut. a* cervo, parvus cervus, quo sensu occurrit tantummodo in *Not. Tir.* p. 175., quæ nullius sunt auctoritatis. — At pro ramoso stipite instar cervini cornus *Frontin.* 1. *Stratagem.* 5. Vallum cervolis et alio materiæ genere constructum incendit. *V.* CERVUS II. 2.

CERVUS, i, m. 2. (κέραος). Olim, teste *Quintil.* 1. 7. 26., *cervos* et *cervon* scribebatur, quasi κεραός, hoc est cornutus, cornibus instructus, ut docet *Paul. Diac.* p. 54. 15. *Müll.* — Poetæ sæpissime *cervam* pro *cervo* usurpant. *V.* CERVA. — Cervus est animal miræ velocitatis et vitæ diuturnæ, cornua habens præalta et ramosa, quæ quotannis mutat (It. *cervo*; Fr. *cerf*; Hisp. *ciervo*; Germ. *der Hirsch*; Angl. *a stag*).

I.) Proprie. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 27. Vincere cervum cursu. *Cic.* 3. *Tusc.* 28. 69. Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, hominibus tam exiguam dedisset. (Hinc cervus in nummis Philippi Aug., in quibus legitur *sæculares Aug.*, positus videtur, quasi symbolum longævitatis). *Lucret.* 6. 765. Cervi alipedes. Adde *eumd.* 3. 300. et *Varron.* 5. *L. L.* 101. et 117. *Müll. Virg.* 3. *G.* 265. imbelles. *Id.* 7. *Ecl.* 30. ramosa vivacis cornua cervi. Adde *Horat.* 3. *Od.* 12. 10. et 4. *ibid.* 4. 50. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 11. fugax cervus. *Id.* 3. *Fast.* 173. pavidi formidine cervi. Adde *Senec. Hippol.* 342. et *Colum.* 9. *R. R.* 1. 8. — De cervorum natura pluribus agit more suo *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). — Eos in tutela Dianæ esse scribit *Festus* p. 343. 10. *Müll.*: ubi et illud docet, servos fugitivos *cervos* dici, a celeritate. Sic enim ibi legendum monent Critici. Hinc Dianæ currum cervi trahere dicuntur. *Claudian. II. Cons. Stilich.* 286. cervi currum subiere jugales etc. — Proverbii speciem habet illud *Horat. Epod.* 16. 31. *Tigres subsidere cervis*; cum de re impossibili sermo est. Simile est illud *Virg.* 1. *Ecl.* 60. Ante leves ergo pascentur in æthere cervi. — De fabula cervi et equi *V. Horat.* 1. *Ep.* 10. 34. et seqq.

II.) Figurate. ¶ 1. Per similitudinem *cervi* dicuntur furcæ ex truncis arborum, quibus utuntur rustici ad sua mapalia fulcienda, quia cornuum cervinorum similitudinem referunt. *Virg.* 2. *Ecl.* 29. Atque humiles habitare casas, et figere cervos. Ita *Servius*, qui tamen melius esse ait, si *figere cervos* jaculis cervos venari intelligamus, cum quo consentimus. *V.* STILUS. — At certe pedamenta etiam furcillata, quibus vites fulciuntur, *cervi* appellantur. *Tertull. Anim.* 19. Vitis sine arundine, sine cervo, si quid attigerit, ultro amabit. *Alii tamen aliter leg.* ¶ 2. In re militari *cervi* dicuntur trunci arborum ramosi, ad instar cervini cornus, quibus utuntur milites in vallo muniendo aggeribusque firmandis. Eos enim subinde defodiunt, ne terra alte congesta delabatur, et ut difficilior fiat hostibus irruptio in castra. Sæpe etiam qua transiturus est hostis, humi occulte defigunt, ut incedens miles, et præsertim equitatus, implicetur et induatur. *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.*; *Cæs.* 7. *B. G.* 72.; *Liv.* 44. 11.; *Tibull.* 4. 1. 84.; et *Sil. It.* 10. 414. Apud *Tibull.* quidam leg. *nervos*, sed male. Quod vero addit *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.* 4. *L. L.* 24. *edit. veter.* hujusmodi *cervos* a *Lucano* vocari *brachia* 3. 387. et 4. 266., non omnibus probatur.

CĒRȲCIUM, ii, n. 2. κηρύκιον. *Cericia* in plur. num. insignia pacis, quæ proferuntur a caduceatoribus, nempe caduceus. Græca vox est, a κῆρυξ *legatus*: et Latinis litteris scripta legitur *Dig.* 1. 8. 8. § 1. in quibusdam editionibus. — Reperitur etiam *cerycеum* in singulari pro *caduceo* Mercurii. *Capell.* 4. p. 95. Cum Cyllenius ceryceo geminus anguis assurgens allambere feminam crebris linguarum micatibus attentaret.

CĒRYX, ȳcis, m. 3. κῆρυξ, Græca vox præconem, vel caduceatorem, vel legatum significans. *Ceryces* Athenis nobilissimæ familiæ homines fuere, a Caryce Neptuni, vel, ut alii volunt, Mercurii filio originem et nomen trahentes, ex quibus fere eligebantur summi sacrorum Cereris antistites. At *Ceryx* non is tantum vocabatur, qui Cereris mysteria curabat, sed etiam qui summo fungebatur officio, et rempublicam administrabat. *Seneca Tranquill.* 3. Non vis enim, nisi consul, aut prytanes, aut ceryx, aut sufes administrare rempublicam. *Inscript.* apud *Romanelli Topograf. Napol. T.* 1. p. 360. PLISTENES LEOPHRONIS CERYCIBVS ET POPVLO PRAESENTIBVS ANTE PORTICVM XYLOLYCHNVCHVM PROSERPINAE D. — Addunt quidam et locum *Nepotis Alcib.* 4., sed est ibi dubia lectio.

CESPES, itis, } *V.* CÆSPES cum derivatis.
CESPĬCĀTOR, etc. }

CESSANS, antis. *V.* CESSO.

CESSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus cessandi, intermissio, quies, otium (It. *cessazione*, *intralasciamento*; Fr. *repos*, *cesse*, *relâche*; Hisp. *cesacion*, *discontinuacion*, *interrupcion*; Germ. *das Nachlassen*, *die Unterlassung einer Thätigkeit*, *die Rast*; Angl. *a ceasing*, *loitering*, *cessation*, *intermission*). Occurrit — *a*) Fere de personis. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 103. Id negotium institutum est, non datur cessatio. *Cic.* 1. *Legg.* 3. 10. Legatio aut ejusmodi quæpiam cessatio libera atque otiosa. *Id.* 1. *Nat. D.* 36. 102. Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. *Id.* 1. *ibid.* 37. 102. Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit. *Quintus Cic.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 26. 2. Etiamsi quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsivisse videaris. *Gell.* 1. 25. Cessatio pugnæ pacticia. *h. e.* quies armorum, induciæ. Adde *Dig.* 32. 35. 2. — Cessationem pro morbi impedimento dixit *Vulgat. Ital. Exod.* 21. 18. Si autem rixabuntur duo viri, et percusserit aliquis ex his proximum suum lapide aut pugno aut ferro, et non fuerit mortuus, decubuerit autem in lecto suo; et si exsurrexerit homo et ambulaverit cum baculo, innocuus erit qui percussit; tantum quod cessationes ejus dabit et curationes. — Apud JCtos est etiam mora, quæ lege punitur. *Dig.* 37. 2. 6.; *Fragm. Vatic.* § 128. et *Cod. Theod.* 2. 32. 2. — *b*) De inanimis. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 3. Seu sponte, seu quolibet casu destituta humus, cum repetita est cultu, magno fenore cessationis colono respondet.

CESSĀTOR, ōris, m. 3. qui cessat et intermittit, iners, piger. *Cic.* 3. *ad Q. Fr.* 5. 6. § 6. De libris, Tyrannio est cessator. *Id.* 9. *Fam.* 17. 3. Hæc tibi antea non rescripsi, non quod cessator esse solerem, præsertim in litteris, sed etc. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 100. nequam est cessator Davus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 16. Dici vix potest, quid novus operarius ignavo et cessatore præstet. *Capell.* 7. p. 236. nec jugalis Cessator intricatus Tardabo fulcra lecti.

CESSĀTRIX, īcis, f. 3. quæ cessat. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 24. Quomodo perfecta defenditur bonitas, ex majore parte cessatrix?

CESSĀTUS, a, um. *V.* CESSO.

CESSICIUS vel cessitius, a, um, adject. (cedo) ad cessionem pertinens, cui ceditur, et qui ceditur. *Cajus* 1. *Institut.* 169. Is, cui ceditur tutela, cessicius tutor vocatur: quo mortuo, aut capite deminuto, revertitur ad eum tutorem tutela, qui cessit: ipse quoque qui cessit, si mortuus, aut capite deminutus sit, a cessicio tutela discedit, et revertitur ad eum, qui post eum, qui cesserat, secundum gradum in tutela habuerit. Sed quantum ad agnatos pertinet, nihil hoc tempore de cessicia tutela quæritur. Adde *Ulp. Regular.* 11. *De tutelis* 7.

CESSIM, adverb. (cedo) retro, retrorsum, cedendo. *Varro* apud *Non.* p. 247. 26. et p. 276. 9. *Merc.* Cum domum ab Ilio cessim reverteret. *ubi aliqui scribunt* cossim. *Justin.* 2. 12. 7. At vos, commisso prælio, ite cessim, inhibete remis, et a bello discedite. *Apul.* 2. *Met.* Lagena orificio cessim dehiscente patescens. *h. e.* quæ os habet retro diductum, expansum et patens. *Id. ibid.* Hunc, inscenso grabatulo, super me cessim residens. *Alii perperam utroque in loco legunt* sensim. *V.* PENDULUS. *Alfen. Dig.* 9. 2. 52. § 2. Plostrum cessim ire cœpit. *Cf. ibid.* 21. 1. 43. *pr. Veget.* 5. *Veterin.* 22. 1. *Schneid.* Cessim repelli. *Capell.* 7. p. 271. Abire cessim. *V.* COSSIM.

CESSĬO, ōnis, f. 3. proprie est cedendi sive retrocedendi actus: sed occurrit in re juridica tantum, et ¶ 1. Est legalis actus, quo alicujus rei possessio ac proprietas alteri traditur. Duplex autem fuit cessio, scilicet — *a*) Antiquior et quidem severior. *Cic. Top.* 5. 28. Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio. *Fragm. Vatic.* § 47. Per in jure cessionem. Adde *Cajum* 2. *Institut.* 31.; *Ulp. Sentent.* 19. 9.; et cf. *Dig.* 42. *tit.* 3., qui est *De cessione bonorum.* — *b*) Altera vero cessio fuit liberior et recentior, de qua *Dig.* 39. 3. 9. et 17., et 46. 3. 76. ¶ 2. *Cessio diei* est accessio temporis, quo incipit deberi æs alienum. *Ulp. Dig.* 36. 2. 7. Heredis aditio moram legati quidem petitioni facit, cessioni diei non facit. *V.* CEDO, is.

CESSĪTĬUS, a, um. *V.* CESSICIUS.

CESSO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Cessans* sub *A.* 1.° *a.*; *Cessatus* sub *A.* 3.°; *Cessaturus* sub *B.* 1.° *a.* — *Cesso* est frequentativum, vel rectius intensivum a cedo, *is*, et significat cedere ab opere illudque intermittere, desistere ab agendo; et fere in malam partem (*V.* Homonym. in fin.): et dicitur de iis, qui segnitiæ aut tædii causa agere desinunt et otium sectantur; hinc est etiam otiari, vacare, nihil agere (It. *cessare, tralasciare, oziare*; Fr. *cesser, discontinuer, être oisif, chômer*; Hisp. *cesar, discontinuar, estar ocioso, holgar*; Germ. *nachlassen, zögern, säumen, rasten, feiern, faullenzen, träge oder unthätig sein*; Angl. *to cease, give over, intermit, be idle, loiter*). Occurrit autem *A*) de personis, et *B*) de inanimis.

A) Cessare dicuntur, qui agere desinunt et otium sectantur et plurimis quidem rationibus. Usurpatur autem — 1.° Absolute. — *a*) Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 12. It dies, ego mihi cesso: i præ, puere. *h. e.* ego meo mihi incommodo et damno differo aut moror. Adde eumd. eodem sensu *Epid.* 3. 2. 8. *Ter. Adelph.* 4. 2. 40. Æschines odiose cessat, prandium corrumpitur. *Cf.* eumd. *ibid.* 4. 4. 23. *Cic. Prov. cons.* 7. 15. Alterum, si tabellarii non cessarint, necesse est paucis diebus pœniteat audere. *Id. Senect.* 6. 18. Nisi forte ego vobis cessare nunc videor, cum bella non gero. *Id.* 3. *Nat. D.* 39. 94. Cur tam multos deos nihil agere et cessare patitur (*Epicurus*)? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos præficit? *Cf.* eumd. 1. *ibid.* 9. 22. Isto tam immenso spatio, quæro, cur pronœa vestra cessaverit? laboremne fugiebat? Adde eumd. 1. *ibid.* 37. 102., 3. *Off.* 1. 1. et 2. *Att.* 6. 1. *Liv.* 36. 5. Chalcide Antiochus, ne cessaret per hibernorum tempus, partim ipse sollicitabat civitatium animos etc. Adde eumd. 33. 18. *Virg.* 3. *Æn.* 430. Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni Cessantem, longos et circum flectere cursus. *h. e.* morantem in legendis Siciliæ littoribus et longius iter facientem. *Horat.* 1. *Od.* 35. 15. Concitare cessantes ad arma. *Id.* 1. *Ep.* 2. 70. Quod si cessas aut strenuus anteis, Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto. Adde eumd. 1. *ibid.* 7. 57. *Ovid.* 4. *Met.* 37. Dum cessant famulæ, commentaque sacra frequentant. Adde eumd. 5. *ibid.* 440. *Phædr.* 1. 9. 5. Ubi pernicitas Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? *Curt.* 3. 11. 5. Non timido, non ignavo cessare tum licuit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (25). *de apibus.* Cessantium inertiam notant, castigant mox. — *b*) Speciatim in hortationis formulis *quid cessas? quid cessatis? cur cessas?* vel etiam *cessas? h. e.* quid moraris, differs, tardus es et negligens in agendo? *Ter. Andr.* 5. 6. 15. Quid stas? quid cessas? *Id. Phorm.* 2. 1. 22. Sed quid cessas hominem adire et blande alloqui? Adde *Tibull.* 2. 2. 10.; *Senec. Brev. vit.* 9. et *Curt.* 4. 16. 6. Hoc pertinent et illa *Ter. Heaut.* 5. 9. 9. Sed interim quid illic jam dudum gnatus cessat cum Syro? *h. e.* quid moratur? *Id. Adelph.* 4. 5. *in fin.* Sed cesso ire intro, ne moræ meis nuptiis egomet siem? *h. e.* sed quid moror intrare? *Id. Eun.* 5. 6. 26. Cesso huc intro irrumpere? *Id. Heaut.* 3. 1. 1. Cesso pultare ostium vicini? *Virg.* 6. *Æn.* 51. Cessas in vota precesque, Tros, ait, Ænea? cessas? Adde *Tibull.* 3. 6. 57. — *c*) Passive impersonaliter. *Ter. Adelph.* 4. 4. 21. Cessatum usque adhuc est, nunc porro expergiscere. Adde *Liv.* 22. 50., 30. 10. et 35. 12. et 18.; *Virg.* 11. *Æn.* 288., et *Curt.* 9. 10. 17. — *d*) Cessare dicitur et qui otio indulget. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 183. Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi Præferat. *Propert.* 3. 23. 15. venias hodie: cessabimus una. *h. e.* otio indulgebimus. *Id.* 1. 11. 1. Cessans mediis Bajis. *h. e.* immorans et otians. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 18. 3. et 3. *ibid.* 10. 35. — *e*) Item qui in judicio non comparent statuto tempore, aut actiones peragere desistunt. *Sueton. Claud.* 15.; *Callistrat. Dig.* 49. 14. 2. § 4. et *Ulp. ibid.* 47. 10. 17. § 20. — *f*) Item cessare dicitur qui errat et peccat. Hoc enim faciunt, qui ab officio cessant, et, quod debent et possunt, præstare omittunt. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 14. semel hic cessavit, et, ut fit, In scalis latuit metuens pendentis habenæ. *Id. Art. P.* 357. Sic mihi qui multum cessat, fit Chœrilus ille. Adde *Quintil.* 1. 10. 4. — 2.°) Addita re, a qua quis cessat vel desistit, fere cum aliqua præpositione. *Cic. Senect.* 5. 13. Gorgias centum et septem complevit annos, neque unquam in suo studio atque opere cessavit. Adde *Liv.* 33. 35. et 45. 24.; et *Curt.* 9. 6. 21. *Virg.* 6. *Æn.* 51. cessas in vota precesque? *V.* superius sub *b. Liv.* 4. 27. Nec, ex quo castris castra collata sunt, cessatum a levibus præliis est. Adde eumd. 34. 16. et *Tac.* 3. *Ann.* 26. *Flor.* 1. 10. Sic quidem viri: sed ne quis sexus a laude cessaret, ecce et virginum virtus. *h. e.* nihil ageret laude dignum. — Et cum Ablativo sine præpos. *Liv.* 42. 6. Cessare officio. Adde eumd. 1. 46. — Cum Accus. et præp. *apud Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 14. Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. *h. e.* non cessavit audire rhetorem. — 3.°) Cum addito Accusativo quantitatis. *Ter. Eun.* 4. 4. 5. Paullulum si cessassem, domi non offendissem: ita jam adornabat fugam. *Virg.* 7. *Ecl.* 10. Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra. *Horat. Art. P.* 357. qui multum cessat. *V.* superius sub 1.° *f.*, et adde *Curt.* 7. 7. 15. — Hinc et passive *cessata tempora* apud *Ovid.* 10. *Met.* 669. Illa moram celeri cessataque tempora cursu Corrigit. *h. e.* intermissa, neglecta. Eodem modo locutus est *Sil. It.* 5. 533. — 4.°) Cum Infinito rei, a qua quis desistit, aut quam differt. *Plaut. Pers.* 4. 4. 3. Numquid in principio cessavit verbum docte dicere? *h. e.* omisit, neglexit. Adde eumd. *Epid.* 3. 2. 6.; et *Ter. Andr.* 2. 2. 6. et 5. 2. 4., *Heaut.* 3. 1. 1. et 4. 5. 9., *Phorm.* 2. 3. 30., *Eun.* 5. 6. 26. et *Hecyr.* 5. 1. 29., quorum nonnulla videsis superius allata sub 1.° *b. Cic.* 11. *Att.* 11. 2. Ille non cessat de nobis detrahere. Adde *Horat.* 3. *Od.* 27. 58. et 1. *Ep.* 19. 14.; *Curt.* 6. 11. 14. et *Martial.* 11. 87.

B) Usurpatur etiam de inanimis, quæ *cessare* dicuntur, cum vacant, nihil agunt, quiescunt, deficiunt, locum amplius non habent. Occurrit — 1.°) Absolute, et quidem — *a*) Generatim. *Lucret.* 2. 79. Si cessare putas rerum primordia posse Cessandoque novos rerum progignere motus. *Horat.* 1. *Od.* 27. 13. Cessat voluntas? non alia bibam mercede. *h. e.* recusat, renuit? *Id.* 3. *ibid.* 19. 19. Cur Berecyntiæ cessant flamina tibiæ? *Id.* 1. *Ep.* 2. 31. in medios dormire dies et Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam. *Id.* 3. *Od.* 28. 8. Diripere horreo cessantem amphoram. *h. e.* et qua diu vinum defusum non est. *Id.* 1. *Ep.* 15. 6. Cessantem nervis elidere morbum. *h. e.* diu immorantem, contumacem. *Tibull.* 2. 1. 6. Et grave suspenso vomere cessat opus. *Propert.* 3. 13. 47. At nunc desertis cessant sacraria lucis. *Ovid.* 8. *Met.* 278. solas sine ture relictas Præteritæ cessasse ferunt Letoidos aras. *Id.* 4. *Fast.* 805. Et cessaturæ supposuisse casæ. *Id. Heroid.* 6. 17. Cessat officium. *Id.* 4. *Trist.* 7. 5. pietas. *Id.* 3. *ibid.* 2. 29. Cessantia facta. *h. e.* tarda. *Curt.* 10. 5. 16. Quia oculorum cessabat usus. *Seneca Herc. fur.* 1092. Vento cessante. *Sueton. Cæs.* 76. Repentina consulis morte cessans honor. *Id. ibid.* 58. copiæ. *Id. Aug.* 42. cultura agrorum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (52). Cessavit deinde ars, ac rursus Olympiade CLV. revixit. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *Id. Paneg.* 31. Cessat Nilus. *Lucan.* 8. 69. Cessantes Austri. *Martial.* 12. 1. Retia dum cessant latratoresque Molossi. *Gell.* 1. 25. Pugna cessat, bellum manet. *Sever. Ætn.* 175. terra, Introrsus cessante solo, trahit undique venas. *h. e.* cedente, dehiscente, hiante. — *b*) Speciatim *cessare* dicuntur agri, cum non seruntur. *Virg.* 1. *G.* 71. Alternis idem tonsas cessare novales etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 52. (191). Gracilior terra et in annum tertium cesset. *Lucan.* 3. 451. Solum cessans aratro, coli intermissum. Et passive. *Ovid.* 4. *Fast.* 617. Largaque provenit cessatis messis in arvis. *Cf. Paullin. Nolan. carm.* 6. 48. fecundaque viscera fecit Conjugis, effeto quæ jam cessabat in ævo. *h. e.* quæ non pariebat. — *c*) Item speciatim a Jurisconsultis cessare dicuntur ea, quæ deficiunt et locum amplius non habent. *Ulp. Dig.* 39. 1. 1. Cessat edictum. *Id. ibid.* 42. 9. 10. actio. *Ibid.* 47. 10. 17. § 1. actio injuriarum. *Ibid.* 43. 8. 10. § 1. revocatio. *Paul. ibid.* 12. 4. 10. arbitrium judicis. Et *ibid.* alibi sæpe. — 2.°) Cum addito rei, a qua aliquid cessat. — *a*) Fere per præpos. aliquam. *Liv.* 29. 18. Ne nunc quidem aut in ducibus aut in militibus vestris cessat ira deæ. *Seneca Ep.* 12. Jurat in nulla re cessare curam suam. *Id. Med.* 406. Numquam meus cessabit in pœnas furor crescetque semper. Rursus *Liv.* 5. 42. Nec ullum erat tempus, quod a novæ semper alicujus cladis spectaculo cessaret. — *b*) Per Ablat. sine præpos. *Lucan.* 4. 24. Prima dies belli cessavit Marte cruento. *h. e.* fuit sine ullo prælio. — *c*) Cum Dativo, *cessare alicui rei* est ita vacuum esse, ut alicui rei operam dare queas: uno verbo, vacare. *Propert.* 1. 6. 21. At tua non ætas unquam cessavit amori; Semper et armatæ cura fuit patriæ.

Homonym. *Cessare* a pluribus homonymis differt scilicet

1.) A verbo *cunctari*: namque *cunctatur* qui nondum agere cœpit, et priusquam ad agendum accedat, aut incertus hæret, aut prudens omnia animo advertit ac pendet; *cessat* vero qui inceptum opus intermittit, qui fere segnitiæ aut tædii causa agere desinit. *Liv.* 35. 18. Tantum non cunctandum, neque cessandum esse. *Id. ibid.* 35. Parate animos dextrasque, ne quis in eo, quod me viderit facientem, cesset; qui cunctatus fuerit et suum consilium meo interponet, sciat sibi reditum ad penates non esse. Adde *Senec. Brevit. vitæ* 9.

2.) *Desinere* et *desistere* significant plenam perfectamque ab opere semper fere absoluto cessationem; *intermittere* est in tempus mittere cum spe consilioque resumendi; *requiescere* est opus intermittere, ut vires reficiantur; contra *cessare* est voluntarie, per segnitiem aut tædium, ab opere nondum absoluto desistere sine consilio resumendi. *V.* Homonym. in fine v. DESINO. Hinc *cessanti* tantum moralis turpitudinis nota inuritur, ut recte *Ernesti* p. 486. Cessatio pigrum et cunctantem arguit; intermissio est operis destinati, ut quiescas aut aliud agas. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 3. 1. 15. Cessat desidiosus, requiescit fessus. *Virg.* 7. *Ecl.* 8. Huc ades, o Melibœe, caper tibi salvus et hœdi, Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra. *h. e.* si abs te impetrare potes, ut cesses, requiesce.

CESSUS, a, um. *V.* CEDO, is.

CESTĪCILLUS vel cæsticillus, i, m. 2. Cesticillus appellatur circulus, quem superponit capiti, qui aliquid est laturus in capite. Hæc *Paul. Diac.* p. 45. 1. *Müll. Alii leg.* cestillus: alii, inter quos *Salmas.* in *Exercitat. Plin.*, malunt *circitellus*, vel *circitillus*. Si *cesticillus* magis placeat (ut ex optimis Codicibus edidit *Müll.*), erit a *cestus*, quod cingulum significat. *Voss.* in *Etymol.* V. *Bullett. dell'Instit. archeol.* a. 1843. p. 119., et *Bullett. archeol. Nap. T.* 2. p. 56.

CESTĪCUS, a, um. *V.* CÆSTICUS.

CESTĪFER, ĕri, m. 2. qui cestum fert, lictor, qui Romæ magistratui apparebat, et virga populum submovebat, idem ac viator; in Græcia agonothetas in sacris certaminibus comitabatur, et athletarum errata flagello bubulo coercebat: sequiori vero tempore apud Italos virga seu baculo argenteo usus magistratus, collegia et viros principes honoris causa præcedebat; hunc Itali *bidello* seu *mazziere* vocant. *Gloss. Isid.* Castiferum (*corrige* cestifer) qui flagellum portat. et *ibid.* Viocurus et statim cestifer. Cf. *Not. Tir.* p. 61. Viocurus, cestifer. *V.* TIRO et CISTIFER.

CESTOS, i. *V.* CÆSTUS.

CESTRON vel *latina positione* cestrum, i, n. 2., κέστρον, viriculum quo in ebore, aut cornu scalpitur.

Plin. 35. *Hist. nat.* 11. 41. (149). Pingere cestro in ebore. — Quidam minus recte putant derivari a *cædo, is*, et *cæstrum* scribunt, cum sit a χέω *fundo*.

CESTROS, i, f. 2., κέστρος, Græcis eadem herba est, quæ *vettonica* Latinis, teste *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 46. (84). A *Forcellino* neutro genere effertur.

CESTROSPHENDŎNE, es, f. 1. κεστροσφενδόνη, genus teli habens bipalme spiculum hastili semicubitali crassitudine digiti infixum, et pinnas tres, velut sagittæ, ad libramen circumdatas, quo primum usi sunt milites Persei bello Macedonico adversus Romanos. Nomen habet a κέστρα vel κέστρον, quod telum veru simile significat, et σφενδόνη *funda*, quia fundâ, velut glans, eminus jaciebatur. *Liv.* 42. 65.

CESTRŌTUS, a, um. adject. κεστρωτός, cestro insculptus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (126). Cestrota cornua. *V.* CEROSTROTUS.

CESTRUM, i. *V.* CESTRON.

CESTUS, us. *V.* CÆSTUS.

CETA, æ. *V.* ZETA.

CĒTĀRĬA, um, n. plur. 3., vel

CĒTĀRĬÆ, ārum, f. plur. 1. *V.* voc. seq.

CĒTĀRĬUS, a, um. adject. (a κῆτος *bellua marina*), qui ad magnos pisces marinos pertinet: sed occurrit tantum

Cetarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more; et est genus piscatorum, quod majores pisces capit, et salsamentis condit, ut vendat; dictum ab eo, quod cete in mari majora sunt piscium genera. *Ter. Eun.* 2. 2. 26. Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. *Varro* apud *Non. p.* 49. 15. *Merc.* Non animadvertis cetarios, cum videre volunt in mari thynnos, ascendere in malum etc. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 12. Salsamentorum omnium purgamenta, quæ cetariorum officinis everruntur. Adde *Donatum* ad *Ter. loc. cit.*, et cf. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. — *Cetarius* inscriptus est etiam liber cujusdam *C. Matii*, in quo tradebatur ratio saliendorum et condiendorum piscium, teste *Colum.* 12. *R. R.* 46. 1.

Cetaria, iæ, f. 1. subaudi *piscina*, vel

Cetarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more. — *Charis.* 1. *p.* 100. *Putsch.* docet auctoritate *Plinii Secundi*, hanc vocem in neutro genere esse tertiæ declinationis, et *cetaribus* dicendum esse in Dat. et Abl. plurali, ut *mœnia mœnibus*, *ilia ilibus*: nihilominus *cetariis* dictum esse a *Pomponio Secundo ad Thraseam*. — Ceterum occurrit tantum Nominativus plur. num. *cetaria* apud *Horat.*, Accusativus plur. num. *cetarias* apud *Plin. Hist. nat.*, et Dativus plur. num. *cetariis* apud eumd. *Plin.* locis infra citatis. — Cetaria sunt loca stagnantia in littoribus maris, quo majores pisces statis anni temporibus convenire, et a piscatoribus, qui ea loca de industria nanciscuntur et parant, ubere præda capi, jutaque saliri solent. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 44. Plures adnabunt thynni, et cetaria crescent. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 19. (49). Scombri Hispaniæ cetarias replent, thynnis non commeantibus. Adde *eumd.* 37. *ibid.* 5. 17. (66)., ubi Accus. plur. *cetarias* rursus occurrit. *Id.* 31. *ibid.* 8. 43. (94). Garum e scombro pisce laudatissimum fuit in Carthaginis cetariis. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 30. 48. (91)., ubi *cetariis* rursus occurrit.

CĒTE. *V.* CETOS.

CĒTERA *vel* cætera, æ. *V.* CETERUS.

CĒTERĀ *vel* cætera, adverb. Proprie est Accusativus pluralis numeri, qui adverbii more, eleganti hellenismo, adhibetur, et significat quantum attinet ad cetera. Occurrit autem — *a*) Cum Adjectivis, aut cum Substantivis, quæ Adjectivorum vicem gerunt. *Sall. Jug.* 19. Rex Bocchus, præter nomen, cetera ignarus populi Rom. *Id. Fragm.* 196. 13. Imperii prolatandi percupidus habebatur, cetera egregius. *Liv.* 1. 32. Quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat. *Id.* 1. 35. Virum cetera egregium, secuta ambitio est. *Virg.* 3. *Æn.* 593. dira illuvies immissaque barba, Consertum tegmen spinis, at cetera Grajus. *Horat.* 4. *Od.* 2. 59. Qua notam duxit, niveus videri, Cetera fulvus. *Id.* 1. *Ep.* 10. 2. hac in re scilicet una Multum dissimiles, at cetera pæne gemelli. (*Forcellinus* cum multis veteribus edit. legebat *ad cetera*, atque hanc dicendi rationem, una tantum *Horatii* auctoritate fretus, singulari paragrapho distinxerat). *Id. ibid.* v. 50. Excepto, quod non simul esses, cetera lætus. *Vellej.* 2. 46. Vir cetera faustissimus. *Id.* 2. 119. Legatus Vari, cetera quietus, liri auctor exempli. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 87. Exstitit hac unum quo non convenerit illis: Cetera par concors et sine lite fuit. Adde *eumd.* 9. *Met.* 99. *Fronto ad Antonin. Pium Ep.* 4. Quincuncem bonorum suorum nobis reliquit testamento cetera honesto, quod ad verba vero attinet, inconsiderato. *Pers.* 5. 122. Cum sis cetera fossor. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 16. (40). Feram equina juba, cetera tauro similem. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 7. 13. (25). et 22. *ibid.* 25. 64. (133).; *Sueton. Cal.* 50.; *Tac.* 6. *Ann.* 42., *Germ.* 29. et *Agric.* 16.; *Apul.* 1. *Florid.* 3.; et *Pallad.* 3. *R. R.* 26. — *b*) Cum Verbis. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 656. Cetera, quos peperisti, ne cures. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 53. Quiescens cetera. *Virg.* 9. *Æn.* 654. primam hanc tibi magnus Apollo Concedit laudem et paribus non invidet armis: Cetera parce puer. *Cf. Sil. It.* 17. 286. *Martial.* 13. 84. Visceribus bonus est, cetera vile sapit. *Sil. It.* 2. 332. nam cetera non latet hostis.

CĒTĔRO *vel* cætero, adverbium *Plinio* familiarissimum, idem ac ceterum: proprie vero est Ablativus singularis numeri et neutrius gen. a *ceterus*. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 11. 16. (105). Cetero latus in secunda regione Beneventum. *Id.* 6. *ibid.* 3. 4. (7). Hoc solum ebur est; cetero et in his vilitas ossea. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 63. 83. (178)., 20. *ibid.* 6. 23. (57)., 10. *ibid.* 1. 1. (1)., 10. *ibid.* 44. 61. (126)., 10. *ibid.* 48. 68. (133)., et alibi sæpe. — Semel tantum de tempore occurrit apud *eumd. Plin.* 10. *Hist. nat.* 58. 79. (159). Palumbes incubat femina post meridiana in matutinum, cetero mas.

CĒTĔRŎQUI *vel* cæteroqui, *et* ceteroquin *vel* cæteroquin, adverb. Recentiores philologi putant conflatum ex *cetero* et *quoi*, hoc est *qui*; ut *alioqui* ex *alio quoi*. *V.* ALIOQUI. — Ceteroqui eamdem vim habet ac ceterum, vel alioquin. *Cic. Orat.* 25. 83. Quem, nisi quod solum, ceteroquin recte quidam vocant Atticum. *Id.* 6. *Fam.* 19. 1. Si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum, ceteroqui mihi locus non displicet. *Id.* 9. *ibid.* 10. 8. Ego ceteroqui animo non æquo fero; unum vereor ne hasta Cæsaris refrixerit. Adde *eumd.* 12. *Att.* 3. 1., 14. *ibid.* 16. 1., 16. *ibid.* 4. 1. et 1. *Nat. D.* 22. 60.; *Dig.* 28. 5. 35. § 3. et 40. 14. 29.; et *Gell.* 20. 1.

CĒTĔRUM *vel* cæterum, adverb. De scribendi ratione *V.* CETERUS sub init. — *Ceterum* proprie est Accusativus neutrius generis a *ceterus*, qui adverbii more usurpatur et significat quod reliquum est, quantum ad reliqua (It. *nel rimanente, del resto, per altro*; Fr. *au reste, du reste, d'ailleurs*; Hisp. *en quanto á lo restante, á otra parte*; Germ. *das Uebrige anlangend, was d. Uebrige betrifft, im Uebrigen, übrigens, ausserdem, abgesehen davon*; Angl. *as for the reste, however*). Occurrit ¶ 1. Adverbii more simpliciter, et — *a*) Fere præponitur aliis propositionis vel membri verbis. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 51. Enim nil nisi ut ametis impero; ceterum quantum habet me poscitote aurum, ego dabo. *Ter. Phorm.* 1. 2. 91. Nunc amitte, quæso, hunc; ceterum posthac si quidquam, nil precor. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 11. 1. Ego me in Cumano et Pompejano, præterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam. *Sall. Jug.* 2. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum et ignaviam ætatem agunt, ceterum ingenium incultum atque socordia torpescere sinunt. *Nepos Eumen.* 8. Quarum (viarum) brevior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam, ceterum dierum erat fere decem. *Liv.* 1. 24. Fœdera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt. *Curt.* 4. 1. 18. Vos quidem macti virtute estote, qui primi intellexistis, quanto majus esset regnum fastidire quam accipere: ceterum date aliquem regiæ stirpis etc. *Sueton. Galb.* 16. Atque eo quidem nomine omnes exacerbavit, ceterum prætorianos etiam metu et indignitate commovit. — Elegans est usus in illo *Livii* 38. 55. Ceterum ad hunc minus æquum, aut iniquum prætorem etc. Lege integrum locum. — *b*) Raro admodum, et apud *Plautum* solummodo, aliis membri verbis postponitur. *Plaut. Capt.* 5. 3. 12. Argentum accepi, nil curavi ceterum. *Id. Epid.* 4. 2. 70. Numquid me vis ceterum? *Id. Pers.* 4. 6. 26. Num quid ceterum voltis? ¶ 2. Sæpe *ceterum*, nisi amissa, profecto immnuta adverbii vi, tanquam particula usurpatur, qua significamus rem, quam subdimus, cum præcedentibus quidem conjungi, sed alia tamen ac diversa ratione: adeoque servit transitionibus. Occurrit autem — *a*) Cum plenæ periodi vel absoluta orationis membra introducuntur, præcipue apud *Sallustium* et *Curtium*. Sic *Plaut. Truc.* 4. 3. 72. Filium istinc tuum te meliust repetere. Ceterum uxorem, quam primum potest, abduce ex ædibus. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 20. Si unquam erga te animo esse amico sensisti eum, mi Pamphile, sine labore hanc gratiam te ut sibi des pro illa, nunc rogat. Ceterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam. *Sall. epist. Mithr.* Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse, et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. Ceterum consilium est Tigranis, regno integro, meis militibus procul ab domo bellum conficere etc. *Curt.* 3. 1. 4. Itaque color ejus (*fontis*) placido mari similis locum poetarum mendacio fecit: quippe traditum est, Nymphas — in illa rupe considere. Ceterum quamquam intra muros fluit, nomen suum retinet etc. Adde *eumd.* 3. 3. 7., 3. 6. 13., 3. 13. 17. et alibi sæpe; *Colum.* 8. *R. R.* 8. 5.; *Sueton. Cæs.* 4. et 16.; et *Quintil.* 6. 1. 8. — Occurrit etiamsi altera loquatur persona, quæ tamen de rebus notis sermonem ingerat. *Ter. Eun.* 4. 2. 7. Ceterum de exclusione verbum nullum. *Forcellinus* h. l. ad præced. paragr. retulit. *Id. Ter. Adelph.* 4. 7. 18. Ceterum, placet tibi factum, Micio? — *b*) Item usurpatur, cum singula orationis membra vel periodi non absolutæ ita subduntur, ut præcedentibus adversentur vel opponantur; adeoque *ceterum* per *sed* aut *verum* explicari possit. *Ter. Eun.* 3. 1. 60 TH. Bene dixti: ac mihi istuc non in mentem venerat. GN. Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum idem hoc tute melius quanto invenisses. *Sall. Jug.* 14. Qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxime tutos esse. *Id ibid.* 52. Ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Adde *eumd.* 15., 83., 108. et alibi; et *V. Dietsch.* ad *Sall. Cat.* 51. *Liv.* 3. 71. Eo rem se vetustate oblitteratam, ceterum suæ memoriæ infixam afferre. *Id.* 2. 3. Cum haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit. Ceterum, id quod non timebant, per proditionem prope libertas amissa est. *Id.* 42. 50. Ibi aliquandiu diversis sententiis certatum est. Erant quibus vel stipendium pendendum —, vel agri parte cedendum; quidquid denique aliud pacis causa patiendum esset, non recusandum videretur —: ceterum multo major pars ferocioris sententiæ erat. Adde *eumd.* 9. 21., 21. 6. et 9. 26. *Curt.* 3. 8. 7. Itaque Græcis nunciare jubet, ipsum quidem benevolentiæ illorum gratias agere; ceterum, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum. *Sueton. Aug.* 8. Id quidem consilium ut præceps immaturumque omisit, ceterum urbe repetita hereditatem adiit. Adde *eumd. ibid.* 66. et *Tib.* 61. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Secuti exemplum veterani in Rætiam mittuntur, specie defendendæ provinciæ ob imminentes Suevos, ceterum ut avellerentur castris. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 50. et 15. *ibid.* 52. — *c*) Apud JCtos frequenter, apud sequioris ævi Scriptores admodum raro, *ceterum* adjectæ conditioni subditur, et sumitur pro alioqui, hoc est si aliter res sit. *Ulp. Dig.* 42. 1. 15. Non puto eos ultra procedere: ceterum longe res abibit. *Id. ibid.* 37. 10. 5. § 4. Desiderandum a prætore, ne instrumenta in possessionem suam redigat: ceterum decipietur pupillus dum etc. Adde *ibid.* 4. 4. 7. § 2., 4. 4. 9. § 5., 39. 2. 15. § 33. et alibi. *Apul.* 7. *Met.* Qua cæcitate atque fœtore tandem fugata est a me pernicies, ceterum titione delirantis Altheæ Meleager asinus interisset. *Tertull. advers. Marcion.* 2. 9. Ita et anima, imago spiritus, solam vim ejus exprimere non valuit, id est non delinquendi felicitatem, ceterum non esset anima, sed spiritus. Adde *eumd.* 2. *ad Uxor.* 2.

CĒTĔRUS *vel* cæterus, a, um, adject. — Scribendum *cætera* cum diphthongo *æ* etymologi quidam putant, quod sit a Græco καὶ ἕτερα. Confirmare videtur *Inscript.* apud *Gruter.* 801. 11. et *Dausq.* in *Orthogr.*, nec damnare se audere scribit *Cellarius*, multis vero probare nititur *Heusingerus*. Verum libri veteres, et lapides plurimi, quos affert *Manutius*, ac præcipue *Marin. Frat. Arv. p.* 689., et, quod est instar omnium, Cenotaphium Pisanum C. et L. Cæsaris, in quo non semel legitur, per *e* simplex scriptum exhibent. Cf. et *Inscript.* apud *Orell.* 4739. Hæc insuper scribendi ratio ea etiam de causa præferenda, quod, probante *Schæffero* ad *Gregor. Corinth. de dial. ling. Græc. p.* 202., per crasin Doricam, qua dialecto sæpissime usi sunt Latini, ex κα. ε contractio

facta fuerit in η, ut ex καὶ ἐπί fit κἠπί, ex καὶ ἐκ fit κἠκ, ex καὶ ἔρα fit κἦρα, et alia hujusmodi. Ceterum jam inde ab antiquis temporibus utraque scribendi ratio usuvenit; utraque enim non modo in diversis, verum etiam in uno eodemque occurrit monumento, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 4860. — Ratione habita etymi vox est certe conjungenda cum Gr. ἕτερος, ἄτερος, quæ idem ferme significant; nam ceterus est idem quod reliquus (quamvis ab ipso differat: *V.* **Homonym.** in fin.), alius (It. *restante, altro*; Fr. *qui est de reste, qui reste, restant*; Hisp. *el resto, lo restante*; Germ. *der, die, das Uebrige*; Angl. *the reste, residue, remainder*).

A) In singulari numero raro usurpatur. Immo ut ex *Charis.* 1. *p.* 72. *Putsch.* colligere possumus, Nominativus *ceterus* et Vocativus *cetere* de industria numquam usurpati fuisse videntur. Quod si in *Caton. R. R.* 92. Ceterus ornatus domi. apud *Jenson.* 1472. et *Aldum* 1514. legitur: aliæ editiones hæc verba omittunt. — Sunt qui ponunt etiam *ceter*: sed hoc omnino destituitur exemplis. — Ceteri casus, ut diximus, haud infrequenter occurrunt. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit. Adde *Sall. Cat.* 59. et *Curt.* 6. 9. 11. Rursus *Cato R. R.* 114. Nec commisceas (*hoc vinum*) cum cetero vino. Adde *eumd. ibid.* 115. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 20. Ne balant quidem cum a pecu cetero absunt. *Cic.* 6. *Att.* 2. 5. Jam cetera jurisdictio nec imperita et clemens. *Id.* 2. *Invent.* 29. 90. Id confirmandum ex cetera diligentia. *Id.* 6. *Verr.* 22. 49. Argentum ille ceterum purum apposuerat –, duo pocula non magna, verumtamen cum emblemate. *Id.* 1. *Invent.* 31. 51. Si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat. *Id.* 1. *Verr.* 2. 6. Pro cetera ejus audacia atque amentia. *Id.* 2. *Legg.* 25. 62. Ceteri sumptus. *Sall. Cat.* 52. Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat. *Id. ibid.* 43. multitudo. *Id. ibid.* 36. multitudini. *Id. ibid.* 13. cultus. *Id. Jug.* 89. aquâ pluviâ. *Nepos Datam.* 3. Ornavit torque et armillis aureis ceteroque regio cultu. *Liv.* 34. 39. Veni, ut ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda. *Id.* 28. 4. Et imperatori ceteroque exercitui. *Id.* 35. 26. cetera classis prætoria. *Id.* 6. 8. aciem. *Id.* 21. 7. altitudinis. *Id.* 35. 30. copiâ militum. *Id.* 42. 48. deprecatio. *Id.* 8. 11. fortunam. *Id.* 40. 12. insectationem. *Id.* 35. 30. multitudinem. *Id.* 1. 48. scelere. *Id.* 25. 13. socordiâ. *Virg.* 3. *G.* 63. Cetera (*ætas*) nec feturæ habilis, nec fortis aratris. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 26. nam cetera turba, Nos, inquam, cœnamus aves. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 236. et 12. *ibid.* 286.; et *Sueton. Cal.* 26. *Ovid.* 8. *Met.* 730. silva. *Val. Max.* 8. 9. 1. parte corporis. *Sueton. Aug.* 24. genere delictorum. *Id. Cal.* 52. habitu. *Id. Cæs.* 41. numero. *Id. Galb.* 20. truncum. *Plin.* 3. *Ep.* 8. reverentiâ. *Tac.* 2. *Ann.* 24. mari. *Id. Agric.* 17. orbe. *Id. Dial. de orat.* 37. manum. *Scribon. Compos.* 20. Ita ut cum cetero corpore caput quoque immergatur. — Hinc

Ceterum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more occurrit. — *a*) Generatim. *Plaut. Men.* 1. 4. 6. Elocuta sum convivas, ceterum cura tu. *Liv.* 22. 20. Quod satis in usum fuit, sublato, ceterum omne incensum est. — *b*) *De cetero* idem est ac *ceterum*. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 26. De cetero vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior, aut ne deterruisset alios a studiis. Adde *Curt.* 4. 1. 14. et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (33)., 11. *ibid.* 26. 32. (94). et alibi. — *De cetero* adhibetur etiam cum post res multas ejusdem generis enumeratas transitur ad percensenda alia alterius generis. Hac ratione usurpat *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 8. (52)., ubi post enumerata oppida, quæ Romanorum coloniæ sunt, transit ad ea, quæ coloniæ non sunt: quasi dicat *de cetero ordine*. Adde *eumd. ibid.* 14. 19. (113). — Juxta *Forcellinum*, interdum *de cetero* significat in posterum. *Paul. Dig.* 48. 3. 10. Cum scierint, sibi quoque molestiæ futurum magistratum, si facile solverint vinctos, non indifferenter de cetero facient. Adde *Imp. Justinian. Cod.* 8. 54. 37. — *c*) *In ceterum* est quod ad ceterum attinet. *Seneca Ep.* 78. *a med.* Pax in ceterum parta. — *NB.* De adverbio CETERO et CETERUM. *V.* superius suis locis.

B) In plurali numero sæpissime usurpatur: et quidem — *a*) Cum addito Substantivo. *Cato R. R.* 6. Ibi Amineum, – Lucanum serito; ceteræ vites in quemvis agrum conveniunt. Adde *eumd. ibid.* 43. et 54. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 25. Quam fortunatus ceteris sim rebus, absque una hac foret. Adde *eumd. Adelph.* 4. 5. 61. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 2. Et illum et ceteros sophistas lusos videmus a Socrate. *Id.* 1. *Verr.* 35. 89. Sicut pro sua quæque parte Asiæ ceteræ civitates. Adde *eumd. Quinct.* 3. 11. *Cæs.* 1. *B. G.* 35. Æduos ceterosque amicos populi Romani defenderet. *Nepos Att.* 11. Qui L. Julium Mocillam Aulumque Torquatum ceterosque pari fortuna perculsos constituerit tueri. *Virg.* 2. *Æn.* 438. ceu cetera nusquam Bella forent. *Fronto ad Antonin. imp.* 1. 4. De elegantia litterarum tuarum quid dicam? nisi te Latine loqui; nos ceteros neque Græce, neque Latine. Italice *noi altri*. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). Cum ceteri pisces ova pariant, hoc genus solum animal parit. — *b*) Haud raro *ceteri, ceteræ, cetera* absolute quoque occurrunt. *Ter. Andr.* 1. 1. 94. Quia tum mihi lamentari præter ceteras visa est et quia erat forma præter ceteras honesta et liberali. Adde *eumd. Eun.* 3. 2. 28. *Id. Phorm.* 1. 3. 14. Tu conjicito cetera, quid ego – nunc cupiam. *Cic.* 4. *Fam.* 4. 5. De reliquis, nihil melius ipso est, ceteri et cetera ejusmodi ut etc. *Curt.* 6. 5. 3. Ego ceteris lætus hoc uno torqueor. — *c*) Præcipue *cetera* addi solet, cum plura ejusdem generis sint prius enumerata et aliquid, quod facile intelligatur, subticemus. *Cato R. R.* 77. Cetera omnia quasi placentam facias facito. Adde *eumd. ibid.* 118. *Cic. Planc.* 24. 59. *Vigilandum est semper, multæ insidiæ sunt bonis.* nosti cetera. *Id. Fat.* 13. 29. deinde cetera. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 13. Cetera de genere hoc – loquacem Delassare valent Fabium. Adde *Lucret.* 4. 504. et 5. 38. *Quintil.* 4. 1. 14. et similiter cetera. *Id.* 11. 2. 23. et sic cetera. — Præcipue in formulis *et cetera, ceteraque*. *Cic.* 2. *Orat.* 32. 141. Cum scriptum ita sit: *Si mihi filius gignitur, isque prius moritur* et cetera. *Tum ut mihi ille sit heres* Gr. καὶ τὰ ἑξῆς. *Et ibid.* 64. 258. Ut illud Scipionis: *Agas asellum* et cetera. Adde *eumd. Top.* 6. 30. et 11. 48., 2. *Att.* 19. 3. et 2. *Tusc.* 17. 39. *Id.* 1. *Verr.* 36. 91. Vina ceteraque, quæ in Asia facile comparantur. Adde *eumd.* 3. *Cat.* 8. 18. et *Fat.* 15. 33.; *Curt.* 3. 4. 10.; *Quintil.* 2. 6. 70.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3994. — Et omissa particula *et*. *Cic. Top.* 5. 27. Esse ea dico, quæ cerni tangive possunt, ut fundum, ædes, supellectilem, penus, cetera. *Lucret.* 2. 1085. Terramque et solem, lunam, mare, cetera. Adde *eumd. ibid.* 857. — *d*) *Cetera* cum Genitivo occurrit apud JCtos tantum. *Ulp. Dig.* 27. 9. 5. Cetera venditionis pupillus potest perficere. *Scævola ibid.* 4. 4. 39. Cetera cognitionis differre.

Homonym. *Cetera* et *reliqua* in eo differunt, quod *reliqua* sunt alia quæ supersunt, quæque tamen ratione habita præcedentium similia sunt; *cetera* vero sunt alia quæ supersunt, quæque ratione habita præcedentium diversa sunt. *Cic. Brut.* 2. 6. Etenim si viveret Q. Hortensius cetera fortasse desideraret una cum **reliquis** bonis et fortibus civibus, hunc vero præter **ceteros** aut cum paucis sustineret dolorem. ubi verba *cum reliquis civibus* significant similitudinem Hortensii cum aliis, verba *præter ceteros* significant discrimen inter Hortensium et alios. Cf. *eumd. Cic.* 4. *Fam.* 4. 5. *Id.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Jam vero **reliqua** quarta pars mundi ea et ipsa tota naturâ fervida est, et **ceteris** naturis omnibus salutarem impertit et vitalem calorem.

CĒTĪNUS, a, um, adject. ad cete pertinens. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 17. Infans felle taurino vel cetino perungendus erit.

CĒTOS, i, n. 2. κῆτος, vox omnino Græca, et significat magnum monstrum marinum, sive est nomen generale omnium majorum piscium maris, præsertim eorum, qui animal, non ovum pariunt, ut ex *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). colligitur: quales sunt balænæ, orcæ, thynni, pristes, delphini et hujusmodi. — *a*) In singulari numero reperitur tantum apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 10. (4). Juba tradit, cetos sexcentorum pedum longitudinis in flumen Arabiæ intrasse, pinguique ejus mercatores negotiatos. Ita *Harduin.* ex suis MSS. omnib. et antiquæ edition. a. 1470. et 1472. Nam illa a. 1469. habet *et hos*, manifesto errore operarum, illud *cetos* non assequentium. — *b*) Sæpius occurrit in plurali num. *cete*, κήτη. *Virg.* 5. *Æn.* 822. Immania cete. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 50. 74. (157). Delphini et reliqua cete. *Sil. It.* 7. 476. Dum cete ponto innabunt, dum sidera cælo Lucebunt. Adde *eumd.* 11. 482. et *Stat.* 1. *Achill.* 55. — Dat. plur. cetis, κήτεσι. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 75. (195). Fel in jecore est cetis omnibus. Cf. CETUS, i, m.

CĒTŌSUS, a, um, adject. ad cete pertinens. *Avien. Arat.* 1300. de *Ceto cælesti*. cum primum cursus ab undis Cetosa in superum referuntur viscera cælum.

CETRA vel cætra, æ, f. 1. genus scuti brevioris ex loro, quo utuntur Afri et Hispani, testibus *Hesychio*: καίτρεαι, ὅπλα Ἰβηρικά., et *Servio* ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 732. Lævas cetra tegit. Adde *Liv.* 21. 27. et 28. 5.; *Curt.* 3. 2. 5.; et *Lucan.* 7. 232. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 93. (227). tradit, ex elephantorum tergoribus impenetrabiles cetras fieri. *Tac. Agric.* 36. scribit, etiam Britannis breves cetras in usu fuisse. Harum meminere *Sueton. Cal.* 19. et *Sil. It.* 3. 278. et 348., et 10. 231., ubi *Heins.* ex quibusdam MSS. *cætra* cum diphthongo scribendum putat: sed *Pier.* ad *loc. Virg. cit.* et *Dausqu.* in *Orthogr.* rectius *cetra* esse ajunt. *Lips.* in *Analect. l.* 3. *dial.* 1. *de milit. Rom.* etiam *citra* invenisse se ait: sed hoc est contra receptum scribendi usum. Addit vero, consuevisse olim hæc scuta cælari, aut pingi. Hinc *Sil. It. cit. v.* 278. *versicolorem cetram* dixit. Porro *cetræ* figuram habes apud *Carli Antich. Ital. T.* 1. *p.* 204. *tav.* 7. *n.* 3. — Proverbii speciem habet illud *Varron.* apud *Non. p.* 82. 17. *Merc.* Quis rotundam facere cetram queat? De re factu difficillima. Cetræ enim figura ejusmodi fuit, ut rotundari sine corruptione non posset. *V. Lips. loc. cit.* — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CETRĀTUS vel cætratus, a, um, adject. cetra armatus, et fere respondet Gr. πελτασταί. *Cæs.* 1. *B. C.* 39. Cetratæ cohortes. *Sil. It.* 9. 231. Cetrata juventus. — Hinc

Cetrati, *ōrum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more occurrit pro cetratis militibus. *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Neque equitum vim cetrati sustinere potuerunt. *Liv.* 31. 36. Cetratos, quos peltastas vocant, in insidiis abdiderat. Adde *eumd.* 33. 4. et 8., et 35. 30.

CETTE. *V.* CEDO secundo loco.

CĒTUS, i, m. 2. Latina vox pro Græca κῆτος, de qua *V.* in CETOS. ¶ 1. Est idem quod cetos, seu maximus piscis marinus. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 3. Rogito pisces: indicant caros, caram vitulinam, cetum, porcinam. *Cels.* 2. 18. Omnes beluæ marinæ, ex quibus cetus est. Quibus in locis *Plaut.* et *Cels.* loquuntur de iis piscibus, qui esui sunt, et saliri plerumque solent, quales nunc quoque sunt thynni, et qui salmones dicuntur, etc. Adde *Plaut. Capt.* 4. 2. 71. et *Varron.* apud *Non. p.* 400. 10. *Merc.* ¶ 2. Hoc nomine appellatur quoque cæleste sidus, quod fabulantur poetæ, esse monstrum illud marinum, cui devoranda Andromeda objecta fuerat, a Perseo occisum, deinde translatum inter astra, ceu virtutis ejus illustre testimonium. *Cic. Arat.* 140., *German. Arat.* 353. et *Hygin.* 3. *Astron.* 30. pistricem appellant, quidam alii balænam. Est autem situm in parte cæli Australi, cujus caput medio æquatore secatur, pedes anteriores tropico Capricorni nituntur, supra caput habet Arietem, cauda tangit effusiones Aquarii. Constat stellis secundum *Hygin.* tredecim, secundum alios 22. aut 27. *Vitruv.* 9. 5. 3. *Schneid.* Arieti et Piscibus Cetus est subjectus. *Manil.* 1. 612. Et redit in Cetum, squamosaque tergora Ceti etc.

CEU, adverb. est pro *ceve*, ut *neu* pro *neve*, Poetis familiarissimum, at in prosa oratione a sequioris tantum ævi scriptoribus usurpatum (a locis enim *Liv.* 21. 46., *Cels.* 1. *præfat.* et *Curt.* 7. 4. 40., tamquam mendum, expungendum est), idem significans ac quemadmodum, sicut, velut (It. *come, siccome*; Fr. *comme, ainsi que, de même*; Hisp. *como, asi que*; Germ. *gleichwie, gleichsam wie, gleich als*; Angl. *as, as it were, like as*). Occurrit autem *A*) Absolute, et *B*) Cum aliis particulis.

A) Absolute, *h. e.* cum nulla alia particula conjunctum usurpatur — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Non. p.* 483. 2. *Merc.* Et simul erubuit, ceu lacte et purpura mixta. *Catull.* 64. 239. Thesea ceu pulsæ ventorum flamine nubis Aerium nivei montis liquere cacumen. *Virg.* 3. *G.* 194. per aperta volans, ceu liber habenis, Æquora. *Id.* 2. *Æn.* 356. lupi ceu Raptores atra in nebula. *Id.* 5. *ibid.* 740. tenuis fugit ceu fumus in auras. Adde *eumd.* 3. *G.* 142., 2. *Æn.* 515., 5. *ibid.* 88. et 527., et 6. *ibid.* 492. *Horat.* 4. *Od.* 4. 42. Dirus per urbes Afer ut Italas Ceu flamma per tædas, vel Eurus Per Siculas equitavit undas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 28. 28. (98). Cernuntur et stellæ cum sole totis diebus, plerumque et circa solis orbem ceu spiceæ coronæ et versicolores circuli. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 37. 61. (132)., 9. *ibid.* 6. 7. (17)., 11. *ibid.* 49.

108. (238). et alibi sæpe. *Sueton. Vitell.* 17. Reducto coma capite, ceu noxii solent. Adde *eumd. Tib.* 52.; et *Stat.* 1. *Theb.* 320. et 4. *ibid.* 95. Huc pertinet et *ceu plerumque*, hoc est ut plerumque. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 62. (187). Atque ut intelligatur vana, ceu plerumque, vitæ persuasio etc. — *b*) Sequente *haud aliter*, aut *sic*. *Virg.* 9. *Æn.* 792. ceu sævum turba leonem Cum telis premit infensis: at territus ille Asper, acerba tuens retro redit. – Haud aliter retro dubius vestigia Turnus Improperata refert etc. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 360. *Id.* 10. *ibid.* 723. Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans –: Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes. — *c*) Cum Conjunctivo. *Virg.* 2. *Æn.* 438. Hic vero ingentem pugnam ceu cetera nusquam Bella forent, nulli tota moverentur in urbe etc. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (96). Cantharides objectæ Catoni, ceu venenum vendidisset. *Id.* 31. *ibid.* 1. 1. (2). At illæ, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina etc. Adde *eumd.* 31. *ibid.* 6. 13. (28). et 16. *ibid.* 10. 18. (11).; *Sil. It.* 2. 378. et *Stat.* 2. *Theb.* 418.

B) Conjungitur interdum et cum aliis particulis. — *a*) *Ceu – si* idem significat ac velut si, tamquam si. *Lucret.* 6. 160. Fulgit item, nubes ignis cum semina multa Excussere suo concursu, ceu lapidem si Percutiat lapis. Adde *eumd.* 4. 626. — *b*) *Ceu – cum* est velut quando. *Virg.* 1. *G.* 303. Invitat genialis hiems curasque resolvit: Ceu pressæ cum jam portum tetigere carinæ, Puppibus et læti nautæ imposuere coronas. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 96. et 7. *Æn.* 673.; et *Senec.* 6. *Quæst. nat.* 24. — *c*) *Ceu vero* est quasi vero. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 29. Ceu vero nesciam, scripsisse etiam feminam. *Id.* 7. *ibid.* 55. 56. (188). Ceu vero ullo modo spirandi ratio homini a ceteris animalibus distet. *Id.* 13. *ibid.* 22. 43. (125). Ceu vero remedia desint. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 39. 92. (226)., 12. *ibid.* 1. 5. (11). et alibi.

CEVA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, conjungi potest cum vulgari Germ. *Kuhe*. Est autem parvarum exiliumque species quædam vaccarum ex Ceba, nunc *Ceva*, oppido Liguriæ, ubi Cebanus caseus fiebat. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 5. *V.* ALTINUS, a, um, et CEBANUS: nec non *Fil. Re Saggio sull' agric. ant.* p. 261.

CĔVEO, es, ere, n. 2. *Valer. Prob.* in *Cathol.* p. 1482. *Putsch.* ponit præteritum *cevi*, sed nullo confirmat exemplo. *Id. ibid.* p. 1484. ait esse *cevo, cevis, cevi* tertiæ conjugationis, et in loco *Persii* inferius allato *ceves* futurum esse putat. — Ratione habita etymi, a *Forcellino* conjungitur cum κινέω (unde *cieo* et *cio*), quod sane probandum; potest tamen esse et vox onomatopœica. — Ceterum *cevere* est clunes movere, ut in re venerea, et proprie de maribus stuprum patientibus dicitur. Mulierum enim est *crissare*.

I.) Proprie usi sunt hoc verbo *Plaut.* apud *Non.* p. 84. 18. *Merc.*; *Juvenal.* 2. 21. et 9. 40. et *Martial.* 3. 95. 13.

II.) Translate est adulari, tractum a canibus, qui, cum domino blandiuntur, clunes et caudam movent. *Pers.* 1. 87. An, Romule, ceves? *Al. aliter interpretantur.*

CĒYX vel Ceyx, ȳcis, m. 3. κήϋξ, avis mas, cujus femina est halcyone, ut colligitur ex *Plin.* 32. *Hist. nat.* 8. 27. (86). — De Ceyce, filio Luciferi, *V.* ONOM.

CH

CH apud Latinos est c cum aspiratione et respondet Græcæ litteræ χ. *V.* C.

CHÆNŌPUS, ŏdis, adject. χαινόπους, οδος, qui pedes habet rimis seu rhagadibus hiscentes. Vox Græca a χαίνω *hisco*, et πούς, ποδὸς *pes*. *Lucilius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4., ubi alii mallent *cænopus*, κοινόπους, *h. e.* qui una cum alio pedibus iter facit: a κοινὸς *communis*.

CHÆREPHYLLON vel

CHÆREPHYLLUM, i, n. 2. χαιρέφυλλον. — Extrito altero *l* penultimam corripit *Colum.* 10. *R. R.* 110. Jam breve chærephylum, et torpenti grata palato Intyba. συστολή. — Chærephyllum autem est herba, de qua *V.* in CÆREFOLIUM: et occurrit apud *eumd. Colum.* 11. *R. R.* 3. 14. et 42., præter *loc. superius cit.*

CHĂLASTĬCĀMEN, ĭnis, n. 3. (chalasticus) remedium, quod relaxandi vim habet. *Theod. Priscian.* 2. 10. Chalasticaminibus relaxari.

CHĂLASTĬCUS, a, um, adject. χαλαστικός, relaxandi vim habens: a χαλάω *laxo, remitto*. *Theod. Priscian.* 1. 7. Ut spongia molli vaporetur ex aquis chalasticis. *Id. ibid.* 15. Fomenta chalastica. *Veget.* 1. *Veterin.* 28. 6. *Schneid.* Chalasticæ unctiones.

CHĂLĀTŌRIUS, a, um, adject. ad laxandum pertinens: a χαλάω *laxo, remitto*. *Veget.* 5. *Milit.* 15. Fals chalatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit. *Alii leg.* collatorios, *fortasse quia hujusmodi funes in inferiori parte in unum conferuntur: at prior lectio præstare videtur.*

CHĂLĀTUS, a, um. *V.* CHALO.

CHĂLAZĬAS, æ, m. 1. χαλαζίας, gemma adamantinæ duritiæ, quæ grandinis figuram et candorem refert: a χάλαζα *grando*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 23. (189).

CHĂLAZĬON, ii, n. 2. χαλάζιον, vox omnino Græca, a χάλαζα *grando*, et significat gemmam candore similem grandini. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 43. (157). *Forcellinus* adjective efferebat *Chalazius, a, um*. — *Chalazia* dicuntur a medicis tubercula in palpebris nascentia, mobilia, et grandini similia. *Cels.* 7. 7. n. 3., ubi tamen in ipso textu Græce scribitur.

CHĂLAZĬUS, a, um. *V.* voc. præced.

CHALBĀNE, es, f. 1. χαλβάνη, succus ferulæ arboris, idem quod galbanum, quod *V. Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7.

CHALCANTHUM, i, n. 2. χάλκανθον, corpus metallicum, quasi æris flos: a χαλκὸς *æs*, et ἄνθος *flos*. Latina appellatione dicitur *atramentum sutorium*, teste *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 32. (123). Adde *Cels.* 5. 1. *V.* ATRAMENTUM.

CHALCASPIS, idis, m. et f. 3. χάλκασπις, qui habet æneum clypeum: a χαλκὸς *æs*, et ἀσπὶς *clypeus*. *Liv.* 44. 40. Hos (*leucaspidas*) sequebantur, quos ab æreis lucidisque clypeis chalcaspidas dicebant, aut aglaspidas. *Alii* duo hæc postrema verba, ut glossema, omittunt. *Id. ibid.* 41. Frontem adversus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur. *Al. leg.* chalcaspides.

CHALCĒDŎNĬUS, a, um. V. CARCHEDONIUS.

CHALCĒOS, ei, f. 2. χαλκεῖος, herba quædam apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 56. (94). Carduus et folia et caules spinosæ lanuginis habet: item acorna, leucacanthos, chalceos, enecos. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 61.) hæc ait: « Dalechamp désigne pour cette plante le *Carduus sphærocephalus latifolius*, *Echinops Ritro* des botanistes modernes, que l'on a voulu voir aussi dans le κροκοδείλιον de Dioscor., dans le πετρίλαξ de Theophr., dans etc. On voit, par cette grande divergence d'opinions, combien la matière est difficile ».

CHALCĒTUM, i, n. 2. herbæ genus apud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 23. (40). Item herba chalcetum e vineis contrita imponitur. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 388.) hæc ait: « Ce *chalcetum*, ou chalceum, ne peut etre rapporté á aucune plante connue. C. Bauhin (*Pin.* 165.) a indiqué la *Valeriana Locusta* L. Aucune preuve ne peut etre émise à l'appui de cette opinion ».

CHALCĒUS, a, um, adject. χάλκεος, idem quod æreus: a χαλκὸς *æs*. Occurrit in plurali numero tantum et absolute. *Martial.* 9. 95. 4. Chalcea donanti chrysea qui dederas.

CHALCĬDĬCE, es, f. 1. χαλκιδική, genus lacertæ, quam et *sepa* vocant. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (102).

CHALCĬDĬCUM, i, n. 2. subaudi *ædificium* vel *conclave*. — *a*) Generatim chalcidica appellantur superiores ædium partes, in quibus cœnacula, et solaria, et loca ampla erant vel tecta, vel sub dio posita. Ita enim intelligendum videtur illud *Auson. Perioch.* 1. *Odyss.* Penelope digressa chalcidico. *Id.* 23. *ibid.* Chalcidicum gressu nutrix superabat anili. *Homer.* enim his locis habet ὑπερωϊόθεν, et ὑπερῷον: hoc vero summam ædium partem significat. Huc pertinet illud *Arnob.* 4. 33. Scribuntur dii vestri in tricliniis cælestibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare, et ad ultimum fidibus et vocum modulationibus mulceri. *Id.* 3. 10. Avet animus atque ardet, in chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cæli deos deasque conspicere intectis corporibus atque nudis etc. — *b*) Speciatim chalcidicum genus fuit ædificii, ab urbe Chalcidice dictum, ut *Paul. Diac.* p. 52. 9. *Müll.* docet (quam sententiam amplexus est etiam *Gir. Amati* in *Giorn. Arcad. T.* 31. p. 215.), vel, ut putat *Morcell. de stil. Inscr. T.* 2. p. 100. *edit. Pat.*, a fano Minervæ, quod apud Spartanos ἱερὸν χαλκιοίκου appellabatur, ex ære nempe tecto, quemadmodum deinde, ut *Pausanias l.* 10. c. 5. testatur, Romæ fuit Apollinis templum æreo lacunari ornatum. Videtur tamen fuisse membrum, seu pars ædificii; nam *Vitruv.* 5. 1. 4. in extremis Basilicarum partibus jubet constitui *chalcidica*, si locus erit amplior in longitudine. Significat autem amplam veluti porticum, in qua exspatiari homines publice possint, ut Venetiis *la piazza di S. Marco*, et Florentiæ *le loggie vecchie e nuove*. Hinc *Gloss. Isid.* Calcicum (*corrige* Chalcidicum) foris deambulatorium, quod et peribolum (nempe περίβολον) dicitur, et iterum (*lege* pteron). Eamdem profecto significationem habet in *August. Monum. Ancyr.* CVRIAM ET CONTINENS EI CHALCIDICVM TEMPLVMQVE APOLLINIS IN PALATIO (*feci*). De eodem Augusto *Dion. l.* 51. c. 22. Διετέλεσε τό τε Ἀθήναιον, καὶ τὸ χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸ βουλευτήριον. *Hygin. Fab.* 184. Merope credens eum esse filii sui interfectorem, qui dormiebat, in chalcidicum cum securi venit etc. *Inscript.* Pompejis reperta an. 1820., et peculiari *Dissert.* illustrata a *Guil. Bechio.* EVMACHIA L. F. SACERDOS PVBLICA NOMINE SVO ET M. NVMISTRII FRONTONIS FILII CHALCIDICVM, CRYPTAM, PORTICVS CONCORDIAE AVGVSTAE PIETATI SVA PECVNIA FECIT, EADEMQVE DEDICAVIT. Alia Vellejæ inventa an. 1760. apud *De-Lama Iscriz. Ant.* p. 46., quæ est apud *Orell.* 3290. BAEBIA T. F. BASILLA CALCHIDICVM (*ita pro* CHALCIDICVM) MVNICIPIBVS SVIS DEDIT. Adde aliam apud *Reines. cl.* 7. n. 13., *Paul. Diac. loc. cit.* et *Inscript.* apud *Orell.* 1303. et 3287. et 3291. — Verum *Ant. M. Lupius Dissert.* etc. *T.* 2. p. 133. arbitratur, *chalcidica* fuisse *le navate traversali*, vulgo *le braccia delle Basiliche*. Ceterum *V. Annal. dell' Instit. archeol. T.* 8. p. 263., ubi omnia recte afferuntur.

CHALCĬŒCUS, i, m. 2. χαλκίοικος, domus ærea: a χαλκὸς *æs*, et οἶκος *domus*. Ita appellata est ædes Minervæ a Spartanis exstructa. *Nepos Pausan.* 5. In ædem Minervæ, quæ Chalciœcus vocatur, confugit. *Liv.* 35. 36. Ætoli circa Chalciœcum (Minervæ est templum æreum) congregati cæduntur. — Apud Græcos χαλκίοικος est epithetum ipsius Minervæ, quæ scilicet *domum æream* habet, et apud *Thucydid. l.* 1. c. 134. substantive usurpatur, ἱερὸν τῆς Χαλκιοίκου. — *Suidas* perperam putat non ab ære, sed a Chalcidensibus, qui fabricati fuerint, templo nomen inditum; sed contrarium affirmat *Pausan. l.* 3. c. 17.

CHALCIS, idis, f. 3. χαλκίς. Proprie est quod ære constat, aut æris speciem vel similitudinem præfert: at Græcorum imitatione ¶ 1. Dicitur hoc nomine piscis sardinæ similis, de quo *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 71. (154). et 9. *ibid.* 51. 74. (162).; et *Colum.* 8. *R. R.* 17. 12. ¶ 2. Item est genus serpentis venenosi morsus, maculas quasdam in tergo habentis ærei coloris. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (30). et *ibid.* 5. 17. (46). — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CHALCĪTES, *V.* voc. seq. 1.

CHALCĪTIS itidis, f. 3. χαλκῖτις. ¶ 1. Ita dicitur lapis, ex quo cocto æs fit; a χαλκὸς *æs*. Differt a cadmia, quod ea super terram ex subdialibus petris cæditur, chalcitis vero ex obrutis. Illa æs solummodo continet; hæc tria genera, æris, misyos et soryos: præterea magis est friabilis quam cadmia, et mollis natura, ut videatur lanugo concreta. *Cels.* 6. 6. n. 31. Chalcitidis aliquid et cadmiæ dimidio plus simul conteruntur. *Id.* 6. 7. n. 7. Chalcitidem imponere. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 29. (117). Chalcitin vocant lapidem, ex quo ipsum æs fit. Adde *eumd.* 34. *ibid.* 2. 2. (2)., ubi *Forcellinus* cum aliis legebat *chalcites*: at *Sillig.* retinuit *chalcitis*. Adde et *Scribon. Compos.* 208. et *Theod. Priscian.* 4. 1. ¶ 2. Est etiam nomen gemmæ, a colore æris sic appellatæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (191). — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CHALCŎPHŌNOS, i, f. 2. χαλκόφωνος, gemma, quæ lapidi illisa æris tinnitum reddit, ut ait *Isid.* 16. *Orig.* 15. 9.: a χαλκός *æs*, et φωνή *vox, sonus*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154). — Hæc eadem a *Solin.* 37. dicitur *chalcophthongos*: a φθόγγος *vox*.

CHALCOPHTHONGOS. *V.* voc. anteced.

CHALCOSMĂRAGDOS, i, f. 2. genus smaragdi æreis venis turbidi: a χαλκός *æs*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 19. (74).

CHALCOSTEGES, is, adject. omn. gen. χαλκο-

συγχής, ære textus. Agnoscitur hæc vox, nullo auctoris Latini loco citato, ab *Probo* in *Append. Probi* p. 443. § 38. edit. *Vindobon.* a. 1837.

CHALCUS, i, m. 2. χαλκός, Græce æs significat. Est etiam nomen ponderis, itidem apud Græcos, sexagesimam partem drachmæ, et oboli decimam pendentis, ut *Plin.* 21. *Hist. nat.* 34. 109. (185). docet. Quamquam a Græcis scriptoribus aliter atque aliter definitur. *Diodorus* enim apud *Suid.* sextam oboli partem esse dicit, *Cleopatra* apud *Galen.* octavam, ut *Harduin.* adnotavit. Ita etiam *Pollux Onom. l.* 3. § 65. Ὁ μέντοι ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε.

CHĀLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Chalans* et *Chalatus.* — Chalo est demitto, laxo, remitto: a χαλῶ vel χαλάζω, quod idem significat. *Vitruv.* 10. 8. 1. *Schneid. de hydraulicis machinis.* Delphini ærei in verticulis collocati, pendentia habentes catenis cymbalia ex ære, infra foramina modiolorum, chalata intra arcam. *Id. ibid.* Delphini, qui sunt in verticulis inclusi, chalantes in os cymbalia replent spatia modiolorum. *Veget.* 4. *Milit.* 23. Centones et culcitas funibus chalant, et illis opponunt locis, qua cædit aries. *Al. male leg.* calcant.

CHALYBEĪUS, et

CHĂLYBEUS, a, um, adject. χαλύβειος, ad chalybem pertinens. *Ovid.* 4. *Fast.* 405. Æs erat in pretio: chalybeia massa latebat. *Al. leg.* chalybeaque massa: *al.* chalybis jam etc.

CHĂLYBS, ybis, f. 3. χάλυψ. ¶ 1. Proprie est *acies* vel *nucleus ferri*, ut Latino vocabulo appellatur a *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (145). et seqq., scilicet ponitur pro parte ferri puriore, sinceriore et duriore, certa quadam temperatura, et ad acies faciendas aptissima, quæ Græce dicitur στόμωμα (It. *acciajo, acciaro*; Fr. *acier*; Hisp. *acero*; Germ. *der Stahl*; Angl. *sheer-steel*). *Justin.* 44. 3. docet, esse fluvium in Hispania nomine *Chalybem*, quo tinctum ferrum optimam acquirat temperaturam: unde etiam ejus fluvii accolas Chalybes appellari, et ferro ceteris præstare. Alii docent esse *ferrum*, ita dictum a gente *Chalybum*, qui sunt populi Asiæ circa Pontum, apud quos id metallum in magna copia eruitur, et in alias terras mittitur, ut apud *Plin.* 6. *Hist. nat.* 4. 4. (11). et 7. *ibid.* 56. 57. (197).; *Virg.* 1. *G.* 58. et *Avien. Perieg.* 959. legitur. — Ceterum occurrit apud Poetas tantum, et ponitur etiam generatim pro ferro. *Propert.* 1. 16. 29. Sit licet et saxo patientior illa Sicano: Sit licet et ferro durior et chalybe. *Virg.* 10. *Æn.* 174. Insula inexhaustis chalybum generosa metallis. *Id.* 8. *ibid.* 446. Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. Adde *Ovid.* 4. *Fast.* 405. *Seneca Herc. Œt.* 152. Ferrum sentit hebes, lentior est chalybs. Adde *Sil. It.* 1. 171. et 2. 403. ¶ 2. Per synecdochen *Seneca Thyest.* 364. Strictus chalybe. *h. e.* ensis. *Lucan.* 6. 398. *de equo.* primus chalybem frenosque momordit. *Id. ibid.* 544. Insertum manibus chalybem. *h. e.* clavum ferreum. *Id. ibid.* 797. chalybum nodi. *h. e.* catena ferrea. *Id.* 7. 518. ponit pro spiculis ferreis sagittarum, et *Val. Flacc.* 6. 312. pro acumine hastæ. Adde *Sil. It.* 2. 107. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CHĀMA, æ, f. 1. χήμη, concharum genus est, in eo a ceteris distans, quod testas semper apertas habet: a χήμη *hiatus*, quod a χαίνω *hio, apertus sum.* Earum multæ sunt species, ut *chamæ striatæ, chamæ læves, chamæ pelorides, chamæ glycymerides*, de quibus *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (147).

CHAMA, ătis, n. 3. lupus cervarius, animal effigie lupi, pardorum maculis, cervis infensus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 19. 28. (70)., *ubi al. rectius leg.* chaus (quod habetur etiam in *indice lib.* 8. *ejusdem Plinii n.* 28). Galli rufium vocant. *Plin. ibid.*, *ubi al. leg.* raphium.

CHĂMÆ, adverb. χαμαὶ *humi*, quod tamen reperitur tantummodo in compositis, quæ *V.* infra.

CHĂMÆACTE, es, f. 1. χαμαιάκτη, genus sambuci silvestris et humilis, seu brevioris, a χαμαὶ *humi* et ἀκτή *sambucus.* Latina appellatione *ebulus*, vel *ebulum* dicitur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 35. (51). et 26. *ibid.* 11. 73. (120). De synonymia *V.* SAMBUCUS.

CHĂMÆCĔRĂSUS, i, f. 1. χαμαικέρασος, genus cerasi humilioris, et frutici potius quam arbori similis: a χαμαὶ *humi.* *Plin.* 15. *Hist. nat.* 25. 30. (104). De synonymia *V.* CERASUS.

CHĂMÆCISSOS, i, f. 2. χαμαίκισσος. Primam syllabam nimis licenter produxit *Seren. Sammon.* in illo spondaico versu 43. 799. Necte adipes vetulos, et tritam chamæcisson. ¶ 1. Proprie est genus hederæ, numquam nisi humi repentis: a χαμαὶ *humi* et κισσός *hedera.* *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (152). De synonymia *V.* HEDERA. ¶ 2. Item hoc nomine significatur aliud humile hederæ genus apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 84. (135). et apud *Seren. Sammon. loc. cit.* De synonymia *V.* HEDERA. ¶ 3. Est etiam species cyclaminis, cognomine chamæcissos, uno omnino folio, radice ramosa, qua pisces necantur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 69. (116). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 353.) hæc ait: « Nous croyons que les probabilités sont bien plus fortes pour le *Parnassia palustris* (quam esse hoc *Plinii cyclamen* putat *Broterus*), que pour le *Convallaria bifolia* L. (ut *Sprengel* arbitratus est). »

CHĂMÆCȲPĂRISSUS, i, f. 2. χαμαικυπάρισσος, genus herbæ cupressi folio: a χαμαὶ *humi* et κυπάρισσος *cupressus.* *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 86. (136). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 283.) hæc ait: « Le petit cyprès est rapporté par tous les commentateurs à l'*Euphorbia Cyparissus* L. Dioscoride le décrit très-bien (4. 125). Le nom vulgaire de cette plante, euphorbe petit cyprès, n'a pas changé; c'est un poison corrosif, pris à l'intérieur. »

CHĂMÆDAPHNE, es, f. 1. χαμαιδάφνη, herba Latine *vincapervinca*: a χαμαὶ *humi* et δάφνη *laurus*: quod sit veluti humilis laurus, ob foliorum similitudinem. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (131)., 21. *ibid.* 11. 39. (68)., 21. *ibid.* 27. 99. (172). et 24. *ibid.* 15. 81. (132). De synonymia *V.* LAURUS.

CHĂMÆDRĂCON, ontos, m. 3. χαμαιδράκων, genus draconis in Africa, ita dicti, quod humi tantum serpat, cum quidam sint, qui etiam arbores scandant: a χαμαὶ *humi.* *Solin.* 27. Sunt et hammodytæ, elephantiæ, chersydri, chamædracontes.

CHĂMÆDROPS. *V.* CHAMÆROPS.

CHĂMÆDRYS, yos, f. 3. χαμαίδρυς. ¶ 1. Proprie est quercus parva, est enim a χαμαὶ *humi*, et δρῦς *quercus.* *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (112). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 193. et *loc. cit.* in fine hujus v.) parvam hanc quercum et herbam, de qua paragr. seq., unum idemque esse ait. ¶ 2. Hoc nomine dicitur etiam herba Latine *trixago*, foliis mentæ, colore et divisura quercus: unde et nomen habuit. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 80. (130). et *Veget.* 5. *Veterin.* 5. 2. *Schneid.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 280.) hanc exhibet synonymiam: Χαμαίδρυς Theophr. Hist. plant. 9. 10.; Χαμαίδρυς, Χαμαίδρωψ, Λινόδρυς, Τεύκριον Dioscor. 3. 112.; *Chamædrys, Trixago, Chamædrops* et *Teucrium* Plin. loc. cit.; *Serrata* Quorumd., et *Querciola* et *calamandrina* Italor., Anguill. p. 12. et 220. sunt *Teucrium Chamædrys* L. Spec. plant. 190.

CHĂMÆLÆA. *V.* CHAMELÆA.

CHĂMÆLEON, ōnis et ontis, m. 3. χαμαιλέων, quasi parvus et pumilus leo: a χαμαὶ *humi* et λέων *leo.* — De quantitate primæ syllabæ *V.* dicta in CHAMÆCISSOS sub init. ¶ 1. Chamæleon est animal in Africa raro, sæpius in India nascens, figura et magnitudine lacertæ, nisi quod crura habet recta et excelsiora. Latera ventri junguntur, ut piscibus, et spina simili modo eminet: rostrum simile suillo, cauda prælonga in tenuitatem desinens, et implicans se viperinis orbibus, ungues adunci, motus tardior, ut testudini, asperum corpus, ut crocodilo: oculi prægrandes, et corpori concolores, quos numquam totos operit, nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumspicit. Ipse celsus hianti semper ore; coloris etiam natura mirabili: cum enim subinde mutat, redditque semper quemcumque proxime attingit, præter rubrum candidumque. Solus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quam aëris alimento. Hæc et alia *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). et ex eo *Solin.* 40., item *Tertull. Pall.* 3. et *Cassiod.* 5. *Variar.* 34.; quorum nonnulla falsa esse a posteris compertum est. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 52. 73. (143). Chamæleones ova gignunt. *Gell.* 10. 12. De vi et natura chamæleontis. *Solin. loc. cit.* Per omnem Asiam chamæleon plurimus. — De eodem loquitur *Ovid.* 15. *Met.* 411. Id quoque quod ventis animal nutritur et aura, Protinus assimulat tactu quoscumque colores. — Recentiores historiæ naturalis scriptores pro comperto habent, chamæleontem muscis, quas ore aperto captat, vesci. ¶ 2. Est etiam hoc nomine herba, alio nomine *ixia.* Ejus duo sunt genera. Chamæleon candidior asperiora folia habet, serpit in terra, echini modo spinas erigens, radice dulci, odore gravissimo. Quibusdam in locis viscum gignit album sub alis foliorum: unde et *ixia* appellatur (ἰξὸς enim *viscum* significat). Chamæleon autem ideo dicitur, quia mutat cum terra colores, instar chamæleontis animalis. Chamæleon niger alius florem purpureum gignit; hunc marem vocant: alius violaceum; hunc feminam putant. *V.* *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (45)., ubi plura de hac re. *Id.* 27. *ibid.* 13. 118. (143). Chamæleon niger quadraginta annis durat. *Scribon. Compos.* 192. Ixia, quam quidam chamæleonta vocant. Adde *Veget.* 2. *Veterin.* 17. 4. *Schneid.* — Reperitur etiam in genere feminino: sed *herba* subintelligitur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (30). Vulturinus sanguis cum chamæleontis albæ (quam herbam esse diximus) radice tritus. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 62.) hanc exhibet synonymiam: I. Χαμαιλέων μέλας Hipp. de Ulcer. 879., Theophr. Hist. plant. 9. 13. et Dioscor. 3. 11. et *Chamæleon nigrior* Plin. loc. cit. sunt *Brotera corymbosa* Willd. Spec. plant. 1590. — II. Χαμαιλέων λευκός Theophr. Hist. plant. 9. 13.; Ἰξίνη Ejusd. 6. 4. et 9. 1.; Χαμαιλέων λευκός Dioscor. 3. 10.; Χαμαιλέων Græcor. recent. et *Chamæleon candidior* Plin. loc. cit. sunt *Acarna gummifera* Willd. Spec. plant. 1439. *V.* plura apud eumd. *Fée vol.* 3. *p.* 111. et seqq.

CHĂMÆLEUCE, es, f. 1. χαμαιλεύκη, herba quæ et *bechion*, et *tussilago*, et *farfarus*, sive *farfugium* dicitur. Ideo autem *chamæleuce* appellatur, quia est veluti parva populus, habens cum ea arbore foliorum similitudinem: a χαμαὶ *humi* et λεύκη *populus.* *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 85. (135). et 26. *ibid.* 6. 16. (30). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 282.) hanc exhibet synonymiam: Βήχιον Hipp. et Dioscor. 3. 126.; Χαμαιλεύκη Galen. de Fac. simpl. med. 241.; *Rhichion, petrina, peganon, pithion, pagonaton, chamæleuce, procheton, arcophyton, chamægeron* Dioscor. in Nothis; *Chamæleuce* Græcor. teste Plin. loc. cit.; *Farfara* Plaut. Pœn. 2. 1. 32. et Apul. 14. Met.; *Farfara* sive *Farfugium* Plin. loc. cit. et Latin.; *Farfaria et pustulago* Latin. et Dioscor. in Nothis; *Saartha* Egyptior. apud Dioscor. loc. cit. et *Bechium* sive *Farfara* Dodon. Pempt. 596. sunt *Tussilago Farfara* L. Spec. plant. 1214.

CHĂMÆLȲGOS, i, f. 2. χαμαίλυγος, herba verbenaca, ita dicta a caulis et ramulorum in terra dejectione, et eorumdem ad ligandum aptitudine: a χαμαὶ *humi*, et λύγος *vimen.* *Apul. Herb.* 3.

CHĂMÆMĒLINUS, a, um, adject. χαμαιμήλινος, qui ex chamæmeli floribus fit. *Plin. Valer.* 3. 2. Chamæmelinum oleum. Adde *loc. cit.* in ENEMA et LIXOPERITA. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 8. Caput eorum oleo anethino, vel chamæmelino tepido infundo.

CHĂMÆMĒLON, i, n. 2. χαμαίμηλον, quasi parva malus: habet enim odorem mali. Herba est humilis, cujus tria genera flore tantum distantia, candido, aut melino, aut purpureo, enumerat *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 26. (53). et *Pallad.* 7. *R. R.* 10. De synonymia *V.* ANTHEMIS.

CHĂMÆMYRSĪNĒ, es, f. 1. χαμαιμυρσίνη, hoc est parva myrtus: a χαμαὶ *humi*, et μυρσίνη *myrtus.* Ita appellatur genus myrti silvestris brevioris, quam sativæ, baccis rubentibus. Alio nomine *ruscus* dicitur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (27)., 23. *ibid.* 4. 45. (88). et 23. *ibid.* 9. 83. (165). De synonymia *V.* MYRTUS.

CHĂMÆPEUCE, es, f. 1. χαμαιπεύκη, herba laricì folio similis: ita dicta quasi parva larix: a χαμαὶ *humi*, et πεύκη *larix.* *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 86. (136). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 283.) hæc ait: « Suivant *Sprengel* (*Hist. Rei herb.*) cette plante est le *Stæhelina Chamæpeuce* Willd., corymbifère de l'île de Crète, dans laquelle Prosper Alpin avait cru trouver le premier la plante grecque. Il est certain que le peu qu'on en lit dans Dioscoride (4. 127.) se rapporte parfaitement à cette plante ».

CHĂMÆPĪTYS, yos, f. 3. χαμαιπίτυς, Latine *abiga* et *tus terræ*, herba est cubitalibus ramis, flore pinus et odore, ut *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 20. (29). docet, unde et nomen traxit, quasi pinus pumila: a χαμαὶ *humi*, et πίτυς *pinus.* *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (112). Lignum chamæpityos. *Id.* 21. *ibid.* 29. 103. (175). Herba chamæpityi similis. *Id.* 26. *ibid.* 8. 53. (85). Hypericon, quam alii chamæpityn appellant. Adde *Veget.* 5. *Veterin.* 51. 7. *Schneid.* Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 193.) *chamæpitys* Plin. est *Teucrium Chamæpitys* L.

CHĂMÆPLĂTANUS, i, f. 2. χαμαιπλάτανος,

pumila platanus: a χαμαὶ *humi*. *Plin*. 12. *Hist. nat*. 2. 6. (13). Et chamæplatani vocantur coactæ brevitatis: quoniam arborum etiam abortus invenimus.

CHĂMÆRĔPES, um, f. plur. 3. χαμαιρεπεῖς, sunt humilium palmarum quoddam genus folio latiore et molliore: a χαμαὶ *humi*, et ῥέπω *propendeo, inclino*. *Plin*. 13. *Hist. nat*. 4. 9. (39). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol*. 1. *p*. 78.) hæc ait: «Ce chamérèpes est le *Chamærops humilis* des *botanistes*, en français le latanier. Ce palmier a une forme élégante et pittoresque. Il abonde en Espagne». *V*. plura *ibid*.

CHĂMÆROPS, ŏpis, f. 3. χαμαίρωψ, herba eadem, quæ *chamædrys*, apud *Plin*. 24. *Hist. nat*. 15. 80. (130). et *Apul. Herb*. 24. Est autem ita appellata a χαμαὶ *humi*, et ῥώψ, ῥωπός virgultum. Quidam rectius apud *Plin*. legi volunt *chamædrops*, quod χαμαίδρωψ dicatur a *Dioscor*. et *chamædropis* in Genitivo legatur apud *Marcell. Empir*. 20. *post med*. Sed nihil mutandum: *Sestini* enim in *Lett. numism. T*. 10. *p*. 7. et seqq. probat esse eamdem, quæ a Linneo vocatur *Chamærops Humilis*, Italice *cefaglione*; ejus præterea figuram exhibet, et varios in Sicilia ejusdem usus docet, cum maxime floreat circa Selinuntem, et præsertim Camarinam, in cujus etiam nummis repræsentatur. *V*. synonym. in CHAMÆROPS, et cf. CHAMÆREPES.

CHAMÆSTROTUM, i, n. 2. χαμαίστρωτον, a χαμαὶ *humi*, et στρωτός *stratus*: videtur significari lecti genus humile. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p*. 161. *V*. OPTOSTROTUM et CHAMÆTORTUS.

CHĂMÆSȲCE, es, f. 1. χαμαισύκη, herba est lentis folia habens, nihil se attollentia: a χαμαὶ *humi* et συκῆ *ficus*, quia succum habet lacteum fici similem. *Plin*. 24. *Hist. nat*. 15. 83. (134). — Perperam confundi cum chamæacte ab *Apul. Herb*. 91. adnotavit *Humelbergius*. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol*. 3. p. 282.) ait: «Ce *chamæsyce* est une euphorbiacée, l'*Euphorbia Chamæsyce* des modernes. Dioscoride lui donne ce même nom (4. 170.) et la décrit assez longuement». *V*. plura *ibid*.

CHAMÆTORTUS, a, um, adject. humum versus intortus. Vox hybrida a χαμαὶ *humi*, et *tortus*. *Fronto de eloq. p*. 231. *edit. Rom*. Quin erige te, et extolle, et tortores istos, qui te, ut abietem aut alnum proceram, incurvant, et ad chamætorta detrahunt, valido cacumine tuo excute. *Plin*. 13. *Hist. nat*. 4. 9. (39). eodem sensu *chamærepes palmas* appellat. *Niebuhrius* in edit. *Frontonis* Berolinensi p. XVIII. legendum putat *chamæstruta*.

CHĂMÆZĒLON, i, n. 2. χαμαίζηλον, herba alio nomine gnaphalion, humi tota jacens, a χαμαίζηλος *humilis, humi depressus*. *Plin*. 27. *Hist. nat*. 10. 61. (88). De synonymia *V*. GNAPHALION.

CHĂMĒDYOSMOS, i, f. 2. χαμηδύοσμος, herba eadem, quæ ros marinus: a χαμαὶ *humi*, et ἡδύοσμος *jucunde olens*, quia per terram folia spargit, et jucundi est odoris. *Apul. Herb*. 79.

CHĂMĔLÆA, æ, f. 1. χαμελαία, hoc est olea pumila: a χαμαὶ *humi* et ἐλαία *olea*. Quidam scribunt *chamælæa* minus recte, teste *Dausqu*. ¶ 1. Ita appellatur herba quædam, similitudinem foliorum et baccarum oleæ habens, in petrosis nascens, et palmum altitudine non excedens. *Plin*. 13. *Hist. nat*. 21. 35. (114)., 15. *ibid*. 7. 7. (24)., et 24. *ibid*. 15. 82. (133).; et *Scribon. Compos*. 133., 136. et 200. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol*. 3. *p*. 281.) ad loc. *Plin*., qui postremus citatur, hæc ait: «Il est ici question du *Daphne Gnidium* L., dont les feuilles ont quelque rapport avec celles de l'olivier». *V*. plura *ibid*. ¶ 2. Alia est chamelæa, ex qua Gnidium granum nascitur. *V*. COCCUM.

CHĂMĔTÆRA, æ, f. 1. χαμεταίρα. Quidam scribunt *Chamætæra*, sed perperam. *Dausqu*. in *Orthogr*. — Chametæra est socia, amica humi jacens, vel sedens: a χαμαὶ *humi*, et ἑταίρα *amica, sodalis*. *Plin*. 36. *Hist. nat*. 5. 4. (25). *de Scopa*. Fecit Vestam sedentem duasque chametæras circa eam. *Alii fortasse melius legunt* commotrias. At *Sillig*. ex Cod. Bambergensi *campteras* legendum defendit, cujus verba hic referre placet. *Campter*, vox Græca, de meta stadii dicitur, quia in eo flectitur cursus equorum. Περὶ δὲ ὃ κάμπτουσι, νύσσα καὶ καμπτήρ, *Pollux* 3. 30. 147., quo significatu jam *Pacuvius* apud *Non*. s. v. *prægreditur p*. 65. illam vocem civitate Latina donavit. Cui igitur numini campteres illi adstabant? Vestæ. At quid huic cum metis? Scimus autem inde ab Anaxagoræ tempore, qui sub omnium numinum nominibus vires physicas latere docebat, Vestam cum Terra fuisse commutatam et ipsam Terram sæpe dictam Vestam (*Eurip*. apud *Macrob*. 1. *Saturn*. 23. Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι, cf. *Ovid*. 6. *Fast*. 267. Vesta eadem est quæ terra. et v. 460. et Tellus Vestaque numen idem est. *V*. *Lips. de Vesta* 3. *p*. 1079.); et Terram effigie Vestæ fictam fuisse disertis verbis tradit *Suidas* s. v. Ἑστία, quod eo facilius fieri potuit, cum utriusque deæ proprium sit *sedere*. Uti enim Vesta jam in hymno Homerico in Vener. 30. μέσῳ οἴκῳ ἕζεσθαι dicitur, quod artifices Græci expresserunt (V. *Müller. compend. archæol*. § 382.), ita Tellus quoque *sedens* fingi solebat (*Pausan*. 7. 21. 4.). Hinc Scopas, æqualis fere Euripidi, cum Vestam ficturus esset, ut ea pro Tellure agnosceretur, duos campteras sive metas ei addidit, quibus statuam suam tam pro Vesta, quam pro Tellure habendam esse demonstravit. Etenim duo illi campteres sunt τροπαὶ Ἠελίοιο (*Homer. Odyss*. ο. 403., quem locum optime illustrat *Ukert*. in *diurnis antiquar*. 1841. n. 15. p. 124. Cf. *Voss*. epistol. mythol. 2. 156. et *Müller*. Doriens. 1. 425.) vel poli, *a quibus terra centrum cæli est* (*Plin*. 2. 63.), quos terræ campteras bene dicere possis. Et quos h. l. Plin. Græcum scriptorem secutus campteras dicit, alio loco (2. 61.) de simillima re *longissimas distantiæ metas* appellat. Similiter dixit *Ovid*. 3. *Met*. 145. Et sol ex æquo meta distabat utraque. Et *Isid*. 18. *Orig*. 30. Metarum appellatione proprie terminum ac finem mundi designari volunt ab eo, quod alicui emensus finis est, sive ad testimonium orientis occidentisque solis. Cf. *Spanhem*. ad *Callimach*. Del. 169., et *Creuzer* symbol. et mythol. 4. p. 24. edit. 3. Illos autem campteras eleganti cælatura ornatos, qua quid significandum per eos esset exprimebatur, apte comparaveris cum metis in nummis Cypriis.

CHĂMEUNĬA, æ, f. 1. χαμευνία, humi cubatio: a χαμαὶ *humi*, et εὐνή *cubile*. *Hieronym. Ep*. 52. n. 3. Omnes pæne virtutes corporis mutantur in senibus, et, crescente sola sapientia, decrescunt cetera: jejunia, vigiliæ, chameuniæ, id est super pavimentum dormitiones, huc illucque discursus etc.

CHĂMULCUS, i, m. 2. χαμουλκός, traha, carrus humilis, quo utimur ad magna pondera vehenda: a χαμαὶ *humi*, et ἕλκω *traho*. *Ammian*. 17. 4. 14. Obeliscus chamulcis impositus, tractusque lenius, per Ostiensem portam Circo illatus est Maximo.

CHĀNE *vel* channe, es, f. 1. χάνη et χάννη, genus piscis: a χαίνω *hisco*: quia semper est ore hiante. Hunc sine mare esse, et ex se concipere, tradit *Plin*. 9. *Hist. nat*. 16. 23. (56). et 32. *ibid*. 11. 54. (153). *Ovid. Halieut*. 108. et ex se Concipiens channe, gemino fraudata parente.

CHĀNIUS dicitur a quibusdam pes Molossus tribus syllabis longis constans, ut est apud *Diomed*. 3. p. 475. *Putsch*. Fortasse est a χαίνω *hisco*, quia tot longæ syllabæ hiante ore proferuntur.

CHĂOS, n. χάος. Genitivus esset *chaus* et Dativus *chai* juxta *Priscian*. 6. *p*. 720. *Putsch*. At a Latinis usurpatum legimus tantum in Nom. et Accus. *chaos*, et in Ablat. *chao*. — *Chaos* a χάω vel χαίνω *hio, patens et vacuus sum*, proprie significat barathrum, vastitatem hiantem patentemque in profundum, ut *Paul. Diac. p*. 52. 11. *Müll*. docet. Hinc ¶ 1. Ponitur pro immenso illo, vacuo et caliginoso spatio, in quo, juxta Hesiodi sententiam, hæc rerum universitas creata est. *Varro* 5. *L. L*. 19. *Müll*. Et cælum a cavatione, ut a c a v u m sit ortum, unde omnia apud Hesiodum, a C h a o, a cavo c æ l u m. Adde *eumd. ibid*. 20., et *Senec. Ep*. 72; quibuscum cf. *Paul. Diac. loc. cit*. — Proinde *chaos* sæpissime accipitur pro materia cæli et terræ confusa atque informi, qualis initio fuisse non a Poetis modo dicitur, sed e Sacris etiam Libris cognoscitur, quæ non fuit ex omni æternitate, ut quidam Philosophi et Poetæ arbitrati sunt, sed a Deo ex nihilo facta est primo sex illorum dierum, quibus mundum machinatus est; de qua postmodum res omnes hujus universitatis per species varias formasque proprias prodierunt. *Ovid*. 1. *Met*. 5. Ante mare et tellus et quod tegit omnia, cælum, Unus erat toto naturæ vultus in orbe, Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles. Adde *eumd*. 2. *Art. am*. 470. et 5. *Fast*. 11. *Seneca Thyest*. 831. Deforme chaos. Adde *eumd. Agam*. 4. 85.; et *Lucan*. 5. 634. *Lactant*. 1. 5. Chaos est rudis inordinatæque materiæ confusæ congeries. Adde *eumd*. 2. 8. ¶ 2. Hinc dicitur figurate de quocumque vastissimo spatio, quod luce caret. *Stat*. 3. *Silv*. 2. 92. Cimmerium chaos. *Cimmerii* enim sunt populi septemtrionales, apud quos longissimæ noctes sunt. — Et pro tenebris generatim dixit *Prudent*. 5. *Cathemer*. 3. Merso sole, chaos ingruit horridum: Lucem redde tuis, Christe, fidelibus. Adde *eumd*. 3. περὶ στεφ. 55. ¶ 3. Ponitur et pro Inferis (hoc est pro immensis illis spatiis, ubi degunt tenues sine corpore vitæ) luce et cælo carentibus, quo finguut Poetæ recasura in fine mundi omnia quæ nunc orbem universum componunt: cf. *Ovid*. 4. *Fast*. 600. et 14. *Met*. 404. *Seneca Med*. 741. Cæcum chaos. *Et ibid*. 9. Noctis æternæ chaos. Adde *eumd. Herc. Fur*. 610., 677. et 681. *Val. Flacc*. 7. 402. profundum Per chaos occurrunt cæcæ sine vocibus umbræ. *Lucan*. 6. 696. Et chaos innumeros avidum confundere mundos. *Sil. It*. 13. 439. quidquid ab imo Natum hominum extinctumque chao. Adde *Stat*. 12. *Theb*. 772. — *NB*. De nomine propr. *V*. ONOM.

CHĂRĂCĀTUS, a, um, adject. *Characata vinea* dicitur a *Colum*. 5. *R. R*. 4. 1. et 5. *ibid*. 6. 16., quæ defixis arundinibus circummunita, per statumina calamorum materiis ligatis, in orbiculos gyrosque flectitur, ut *Id. ibid*. exponit: *h. e*. quæ pedamentis arundinum veluti vallata, ramis in gyrum alligatis fulcitur: a χάραξ *vallum, palus, pedamentum*. Hic vineæ colendæ modus etiamnum viget in agro Romano.

CHĂRĂCĬAS, æ, m. 1. χαρακίας, vallis, seu pedamentis aptus, a χάραξ *vallum, palus*. ¶ 1. *Characias calamus* est genus arundinis crassioris et firmioris, quod in ripis Orchomenii lacus nascens multo olim in pretio habebatur, quia pedandis vineis (quæ inde *characatæ* dicebantur) et vallis faciendis idoneum erat. *Plin*. 16. *Hist. nat*. 36. 66. (168). ¶ 2. Est etiam cognomen tithymali, masculi dicti, ramos habentis quinque aut sex digitali crassitudine, rubros, succosos, cubitali longitudine. *Plin*. 26. *Hist. nat*. 8. 39. (62). Primus cognominatur characias, qui et masculus existimatur etc. Adde *eumd*. 26. *ibid*. 11. 73. (119). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol*. 3. *p*. 396.) hanc exhibet synonymiam: Τιθύμαλλος Hipp. in var. loc.; Χαρακίας Dioscor. 4. 165. et *Tithymalus characias seu masculus* Plin. loc. cit., Apul. 108. et Theod. Priscian. 1. 14. sunt *Euphorbia Characias* L. Spec. plant. 662.

CHĂRACTER, ēris, m. 3. χαρακτήρ. De genere neutro. *V*. sub II. — Est instrumentum, quo nota vel signum alicui rei insculpitur, imprimitur: a χαράσσω, *sculpo, imprimo*.

I.) Proprie, instrumentum, quo notæ vel signa cujuscumque generis alicui rei imprimuntur, *characterem* nominari, docet *Isid*. 20. *Orig*. 16. 7. *Colum*. 11. *R. R*. 2. 14. His etiam diebus maturi agni, et reliqui fetus pecudum, nec minus majora quadrupedia charactere signari debent. Adde *Pallad*. 2. *R. R*. 16., ubi eadem verba repetit. *Augustin*. 1. *contr. Crescon. Grammat*. 30. Characterem alicui infigere.

II.) Improprie. ¶ 1. Characteres appellantur etiam notæ quædam occulta forma expressæ, et figuræ superstitiosæ, quibus vim miram, et supra naturalium causarum facultatem veteres tribuebant. *Augustin*. 2. *Doctr. Christ*. 20 et 29. *Serm*. 163. *de Temp*. — Neutro genere occurrit haud semel in *Vulgat. Ital*.; ut *Apocal*. 14. 9. Et accipit character in fronte sua. ¶ 2. Translate est forma et genus dicendi, de quo hæc *Gell*. 7. 14. Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quæ Græci χαρακτῆρας vocant, nominaque eis fecerunt ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον: nos primum uberem vocamus, secundum gracilem, tertium mediocrem. *Cic. Orat*. 39. 134. Sed jam forma ipsa restat, et character ille qui dicitur, qui etc. Adde *eumd*. 2. *ad Q. fr*. 16. 5. *Varro* 3. *R. R*. 2. 17. Albutius homo apprime doctus, cujus Luciliano charactere sunt libelli. — Hinc *character* legendus est etiam in loco *ejusd. Varron*. apud *Non*. p. 271. 10. *Merc*. — Tres poematis characteres enumerat *Servius* ad *Virg*. 3. *Ecl*. 1., quatuor vero *Diomed*. 3. *p*. 481. *Putsch*.

CHĂRACTĒRĀRĬUS, a, um, adject. ad characterem pertinens. *Artis characterariæ* videtur mentio fieri in quadam *Inscript*. apud *Spon. Miscell. p*. 220. AVRELI . LEONT . QVI VIXIT ANN . XVIII . M . VII . D . V . ARTIS CHARACTE . . . IANI ANTONIA AMANDA MATER etc. *Spon*. putat, significari eam artem, qua lapides litteris inscribuntur.

CHĂRACTĒRISMOS vel

CHĂRACTĒRISMUS, i, m. 2. χαρακτηρισμός, figura, qua vita alicujus describitur. *Rutil. Lup. l.* 2. *de fig. sentent.* Characterismus: Quemadmodum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia, aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat.

CHĂRĂDRĬUS, ii, m. 2. χαραδριός, avis, quæ in alveis torrentium degit: a χαράδρα *caverna*, quod in cavernis nidificat; quænam vero sit, adhuc dubitatur: alii enim milvum, alii upupam esse putant. *Vulgat. interpr. Levit.* 11. 19. Herodionem et charadrion juxta genus suum. *Id. Deuter.* 14. 18. Onocrotalum, et charadrium, singula in genere suo. — *V.* etiam CHARTARIUS.

CHĂRĂDRUM, i, n. 2. χάραδρον, piscis marinus. *Ennius* apud *Apul. de mag.* 39. *p.* 299. Nonnulli tamen putant esse accusativum a *charadrus*, fissura, rima, specus.

CHĂRAXĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CHĂRAXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. χαράσσω. Part. *Charaxatus.* — Charaxo est scarifico, extenuo. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 557. Charaxat ambas ungulis scribentibus Genas, cruentis et secat faciem notis. *Apic.* 6. 9. Charaxare pullum coctum. *Augustin. de altercat. Eccles. et Synagog.* Moyses in monte Sinai charaxatas decalogo tabulas accepit. *h. e.* exaratas.

CHARCHĒDŎNĬUS, a, um. *V.* CARCHEDONIUS.

CHĂRĬENTISMUS, i, m. 2. χαριεντισμός, figura est, qua per ea, quæ grata sunt, aliud dicimus, aliud significamus, ut cum interroganti, *quis eum quæsierit*, respondemus, *bona salus*: unde intelligi potest, neminem eum quæsisse. Ita *Charis.* 4. *p.* 247. *Putsch.* At *Diomed.* 2. *p.* 458. ita definit: Χαριεντισμός est tropus, quo dura dictu gratius proferuntur. Deinde eadem subjicit, quæ *Charisius.* Adde *Donat. de Tropis p.* 1778. *ibid.* — Videtur etiam designari a *Cicer.* iis verbis 3. *Orat.* 53. 205. *Ad hilaritatem impulsio*: cum scilicet orator ea dicit, quibus judicum animus a contentione attendendi tædioque actionis grata quadam festivaque significatione abducatur et exhilaretur. — Ceterum *charientismus* est vox Græca et Græce scribenda, testibus *Charis.*, *Diomed.* et *Donat.* locis cit.; quamquam Latinis litteris occurrat apud *Jul. Rufin. de fig.* 3.

CHĂRISMA, ătis, n. 3. χάρισμα, donum. Græca vox est, quam adhibuit *Prudent.* (et quidem prima syllaba producta: qua in re non est imitandus) *proœm. Apotheos.* 11. Deus ipse fideles in populos charisma suum diffundere promptus. Adde *eumd.* 13. περὶ στεφ. 61. *Tertull. Advers. Jud.* 8. Omnis plenitudo spiritualium retro charismatum in Christo cesserunt. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 12. 31.

CHĂRISTĬA, ōrum, n. plur. 2. χαρίστια, erat solemne convivium a majoribus institutum, cui præter cognatos et affines nemo adhibebatur, ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur: a χαρίζομαι *gratificor*, *largior*, *condono.* Ita *Val. Max.* 2. 48. — Agitabatur hujusmodi convivium VIII. K. Mart., qui dies eodem nomine appellatur; videtur tamen postea obsolevisse ex edicto Neronis, qui, teste *Sueton. Ner.* 16., publicas cœnas ad sportulas redegit, ac deinceps munuscula tantum missa fuisse. *Ovid.* 2. *Fast.* 617. Proxima cognati dixere charistia chari, Et venit ad socias turba propinqua dapes. *Martial.* 9. 56. Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales. *V.* COGNATIO. — Dies qui vulgo dicitur *la Domenica parentela*, et incidit in Dominicam Sexagesimæ, huic charistiis persimilis est: primis vero a Chr. n. sæculis *festum S. Petri Epularum* fuit appellatus, qui nunc *Cathedra S. Petri Antiochiæ.* V. *Jo. Christian. Wernsdorf. Meletemata de charistiis* in *N. Acta Societ. Lat. Jenensis T.* 1. p. 313. - 362.

CHĂRISTĬCON, i, n. 2. χαριστικόν, quod alicui gratificandi et remunerandi causa donatur: a χαρίζομαι *gratificor*, *dono.* *Callistrat. Dig.* 48. 20. 6. Bona damnatorum debent ad ea servari, quæ jure præsidum solent erogari, ut puta charisticon quibusdam officialibus inde subscribere, vel si quid fortiter fecerint milites, inde donare eis. Ita *Haloander*: at *Torrentin.* edidit *chartiaticum* (nota distinctionis subjecta) quod significat quidquid insumitur in chartis, quibus librarii aliique magistratuum officiales utuntur. Quo pertinet senatus consultum allatum a *Frontino Aquæd.* 100., ubi scribis et librariis, qui curatoribus aquarum attribuebantur, *tabulæ*, *chartæ*, *ceteraque, quæ ejus curationis causa opus essent*, præberi jubentur.

CHĂRISTĬON, ōnis, m. 3. videtur esse sustentaculum, cui statera appenditur, a χαρίζομαι *in gratiam alterius aliquid facio*, quasi homini gratificans, quod eum a labore liberat sustinendæ stateræ. *Inscript.* apud *Gruter.* 1020. 1. et *Don. cl.* 2. *n.* 67. C. CÆSIVS C. F. OVF. SILVESTER *primi pilus* PONDERARIVM. *sua pecunia ponderibus signandis fecit* ET CHARISTIONEM AEREVM POSVIT, STATERAM ET PONDERA, QVÆ ANTEA RESPVBLICA EMIT, MENSVRAS LIQVARIAS ANTEA POSITAS A CÆSIO PRISCO, IN EODEM CONTVLIT. *Not. Tir.* p. 164. Trutina, Statera, Charistion.

CHĂRISTŎLŎCHĬA, æ, f. 1. herba apud *Apul. Herb.* 10.

CHĂRĬTAS. *V.* CARITAS.

CHĂRĬTŎBLEPHĂRON, i, n. 2. χαριτοβλέφαρον, frutex marinus circa Troglodytarum insulas nascens: ita dictus a χάρις *gratia*, et βλέφαρον *palpebra*, quia gratiam addit utentibus, et philtri vim habet. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 52. (142). Cl. *Fée Op. cit. vol.* 1. *p.* 141.) hæc ait: « Pline parle ailleurs du corail; on serait tenté de croire que ce *charitoblepharon* est le corail rouge. »

CHARMĬDĀTUS. *V.* dictionem sequent.

CHARMĬDES, is, m. 3. Χαρμίδης. In Vocativo habet *Charmide* Græca positione, ὦ Χαρμίδη, quemadmodum dicitur ὦ Σώκρατες. *Plaut. Trin.* 3. 1. 16. — Charmides est nomen proprium senis inducti a *Plauto* in Comœdia *Trinummi*; factum a Græco χάρμη *lætitia*, *gaudium*: ad quam significationem alludens *Id. ibid.* 4. 2. 133. Postquam, inquit, ego me aurum ferre dixi, post tu factus Charmides. Prius tu non eras, quam auri feci mentionem. Nihil agis. Proin tu te itidem, ut charmidatus es, rursum recharmida *h. e.* postquam aurum me ferre dixi, tu es factus Charmides, quem te esse antea dissimulabas, et spe auri habendi gavisus es: proinde quam lætitiam concepisti, rursum depone. Vel potius ita locus interpretandus: Nihil obtinebis nomine isto falso tibi imposito; Charmidem itaque te esse nega. *V.* RECHARMIDO.

CHĂRON, ontis, m. 3. Χάρων, filius Erebi, quem animas mortuorum per Inferni flumina ad aliam ripam cymba transvehere fabulantur. *V.* plura in ONOM. — Est etiam convicium in hominem teterrimæ faciei et sævi animi. *Apul. de Mag* bis.

CHĂRŌNĒUS, a, um, adject. χαρώνειος, ad Charontem pertinens. *Charoneas scrobes* nonnulli appellant, teste *Plin.* 2. *Hist. nat.* 93. 95. (207)., spiracula quædam terrarum mortiferum spiritum exhalantia, et vitam hominibus, si nimis diu hauriant, eripientia: quæ *Galen. l.* 7. *de usu partium c.* 8. χαρώνεια βάραθρα nominat. *V.* PLUTONIUS; et cf. *Romanelli, Viagg. a Pompei T.* 2. *p.* 97.

CHĂRŌNĬUM. *V.* CATONIUM.

CHARTA *vel* carta, æ, f. 1. χάρτης. Olim *chartus*, i, m. 2. usurpatum fuit. *Lucilius* apud *Non. p.* 196. 17. *Merc.* Ubi Græci, ubi nunc Socratici charti. *Alii rectius leg.* chartæ, *quod est quidem mascul. generis, sed tamquam a Nomin. sing. num.* chartes, χάρτης. — Charta, χάρτης, a χαράσσω *scarifico*, *sculpo*, videtur significasse materiam quamcumque, in qua scribebatur, unde apud *Sueton. Ner.* 20. Charta plumbea. *h. e.* lamina plumbea. — Sæpius tamen charta dicuntur folia, quibus utimur ad scribendum, quæ nunc a sæculo XIII. post Chr. n. fiunt ex linteis contritis, olim ex papyri libro et philuris conficiebantur: dispositis super tabula aqua madente tenuibus illis papyri tæniis, rectis et transversis, in modum cratis, deinde prelo pressis et sole siccatis. *V.* PAPYRUS. Hinc orta phrasis *texere chartam* (apud *Plin.*), quia ad modum staminis et subteminis philuras disponebant. Plura *V.* apud *Plin.* 13. *Hist. nat. cap.* 11., 12. et 13., in quem locum *Melchior Guillandin.* integrum edidit commentarium, et in eum *Jos. Scaliger* animadversiones. item *Salmas.* ad *Vopisc.* in *Firmo* etc. *c.* 3. Cf. et *Isid.* 6. *Orig.* 10. 2. — *M. Varro* apud *Plin. cit. c.* 11. scriptum reliquit, chartam non fuisse ante conditam in Ægypto Alexandriam. In palmarum foliis primum scriptitatum, deinde quarumdam arborum libro, postea plumbeis et linteis voluminibus, ac ceratis tabulis, denique charta; postremum omnium membranas repertas fuisse. Sed *id. Plin. cit. c.* 13. ingentia ait reperiri exempla, quæ contra Varronis sententiam probent, etiam ante Alexandriam conditam chartæ usum fuisse. Ceterum chartæ conficiendæ modum, ejusque commoda describit *Cassiod.* 11. *Variar.* 38. — Illud unum addendum putamus, chartam ex papyro etiam inter medica remedia ab antiquis habitam fuisse. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 51. (88). Charta, quæ fit ex ea (*papyro*), cremata inter caustica est. *Seren. Sammon.* 10. 144. chartam, quam gens Ægyptia mittit, Tunde simul misceque oleum. Cf. *eumd.* 34. 642.

I.) Proprie usurpatur de materia, in qua scribimus, aut quâ aliquid involvimus. *Cic.* 5. *Att.* 4. 4. Pæne præterii chartam tibi deesse: si quidem ejus inopiâ minus multa ad me scribis. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 18. 2. et *Rabir. Post.* 4. 40.; *Lucret.* 6. 110. et 112.; *Varron.* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 21. (69). et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 113. Rursus *Horat.* 1. *Sat.* 4. 36. Illinere aliquid chartis. *h. e.* scribere. *Id. ibid.* v. 138. illudere. *Id.* 2. *Ep.* 1. 270. Amicire aliquid chartis ineptis. *Ovid. Heroid.* 1. 62. Chartam digitis notare. *Sueton. Cæs.* 56. Transversa charta scribere epistolas. *Martial.* 8. 62. Scribere epigrammata in charta aversa. *h. e.* in utraque parte chartæ. Porro veteres in una tantum facie scribere solebant. *Id.* 8. 64. Chartas perdere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (77). Scapus chartarum. *Hieronym. Ep.* 8. n. 1. Rudes illi Italiæ homines, quos cascos Ennius appellat, qui sibi (ut in Rhetoricis Cicero ait) ritu ferino victum quærebant, ante chartæ et membranarum usum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epistolarum alloquia missitabant. Unde et portitores earum tabellarios, et scriptores a libris arborum librarios vocavere. — Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (78). Amphitheatrica. *V.* AMPHITHEATRICUS. *Id. ibid.* § 79. Augusta. *V.* AUGUSTUS. *Isid.* 6. *Orig.* 10. 2. Augustea. *Plin.* 8. *Ep.* 15. bibula. *h. e.* quæ atramentum imbibit. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (80). Claudia. *V.* CLAUDIUS, a, um. *Ulp. Dig.* 37. 11. 4. deleticiæ. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 6. dentata. *h. e.* levigata, dente polita. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (78). emporetica. *V.* EMPORETICUS. *Martial.* 14. 11. in *lemm.* et *Dig.* 33. 9. 3. § 10. epistolares. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (78). Fanniana. *V.* FANNIANUS. *Id. ibid.* (74). et (78). hieratica. *V.* HIERATICUS. *Id. ibid.* (76). Leneotica. *Ulp. Dig.* 37. 11. 4. novæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (79). pertranslucida. *Ulp. Dig.* 32. 50. puræ. *h. e.* in quibus nihil scriptum est: quibus opponuntur *scriptæ.* *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (76). et (78). Saitica. *Plin.* 8. *Ep.* 15. scabræ. *Martial.* 14. 10. vacuæ.

II.) Figurate. ¶ 1. Ipsa papyrus aliquando *charta* dicitur per metonymiam. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 21. (69). In Sebennytico Ægypti nomo nonnisi charta nascitur. ¶ 2. Metonymia etiam est, cum, quod sæpe fit, *charta* sumitur pro scriptura, epistola, libro: ut colligitur ex *Ulp. Dig.* 32. 50. *circa med.* Si quis sic reliquerit: Chartas meas universas; nemo dubitabit, libros deberi; nam in usu plerique libros chartas appellant. *Cic. Cœl.* 17. 40. Chartæ quoque, quæ illam pristinam severitatem continebant, obsoleverunt. *Id.* 2. *Att.* 20. 3. Charta ipsa ne nos prodat, pertimesco. *Id.* 1. *Divinat.* 12. 20. Chartæ Etruscæ. Adde *Lucret.* 3. 10. et 4. 971. *Horat.* 4. *Od.* 8. 21. Si chartæ sileant. *h. e.* si scriptores litteris non consignent aliquid. *Id.* 2. *Ep.* 1. 161. Chartæ Græcæ. *h. e.* scripta Græcorum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 13. 6. et 4. *Od.* 9. 31. *Catull.* 1. 6. Omne ævum tribus explicare chartis doctis et laboriosis. *h. e.* tribus libris historiarum. *Id.* 68. 46. Charta anus. *Id.* 35. 1. cacata. Adde *Tibull.* 4. 1. 27. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 41. Nullas in hac charta versus amare docet. *Pers.* 5. 62. nocturnis juvat impallescere chartis. *h. e.* nocturnæ lectioni librorum. *Martial.* 10. 19. Chartæ Arpinæ. *h. e.* scripta Ciceronis. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. famosa. *Seren. Sammon.* 39. 728. Tertia namque Titi simul et centesima Livi Charta docet etc. *h. e.* liber citt. historiæ Titi Livii.

Homonym. *Charta* differt a *membranis*: *charta* enim, ut diximus, ex papyri libro et philuris conficiebatur; contra *membranæ* ex pellibus animalium confectis et levigatis fiunt. Hinc *Ulp. Dig.* 32. 50. Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint.

CHARTĀCEUS *vel* cartaceus, a, um, adject. qui est ex charta. *Ulp. Dig.* 32. 50. *pr.* Codices membranei, vel chartacei.

CHARTĀRIUS *vel* cartarius, a, um, adject. Chartarius est ad chartam pertinens. *Plin.* 1. *in Ind. lib.* 22. *c.* 60. *p.* 79. *Sillig.* Farina chartaria. *h. e.* qua utuntur ad chartas glutinandas. *Id.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (89). Chartariæ officinæ. *Inscript.* apud *Orell.* 41. 66. VITALINVS FELIX NEGOTIATOR LVGDVNENSIS ARTIS CHARTARIAE. (Cf. *Plin.* 9. *Ep.* 11. Bibliopolas Lugduni esse non putabam ac tanto libentius ex tuis litteris cognovi venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in Urbe collegerint, delector.). *Apul. Florid.* n. 9. Calamus chartarius. *h. e.* quo in charta scribitur. *Id. Herb.* 1. Arnoglossa nascitur in chartariis locis *h. e.* ubi papyrus. Possis tamen, paucis immutatis litteris, legere *charadriis*, a χαράδρα, quæ significat terræ fissuram, cavernam, sulcum a torrente factum, atque etiam ipsum torrentem. Hæc *Humelbergius.* — Hinc

Chartarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui chartas conficit, aut vendit, ut colligitur ex *Diomed.* 1. *p.* 313. *Putsch.* et ex *Inscript.* apud *Gruter.* 180. 1., quæ est apud *Orell.* 4159. IIIII VIR. AVG. L. VALERIO VOL. PHILVMENO CARTARIO. Et alia apud *Reines. cl.* 20. *n.* 409. LOCVS VALERIANI CHARTARII. Et alia ined. Romæ in palatio *Rondanin.* (edita tamen fuit a *Fea* in adnot. ad *Winckelmann T.* 7. *p.* 31.) CLAVDIA TI. F. HERMIONE FECIT SIBI ET TI. CLAVDIO HERMETI PATRI CHARTARIO. — Sequiori tempore chartarius idem fuit qui chartularius et chartophylax. *Inscript.* apud *Oderic. Dissert. p.* 132. GENTILIS *pontifex minor* RESIVIVS (*lege* RESTVTVS) CORNICVLARIVS CVM CARTVLARIIS OFFICII STATVAM etc. *Cassiodor.* 8. *Ep. Variar.* 23. Ut dirigat sedis suæ chartarios, qui actoribus designatas massas sine aliqua dilatione contradant. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 43.

Chartarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus, in quo asservantur chartæ et libri. *Hieronym.* 3. *advers. Rufin.* 6. Cur eam (*epistolam*) in Romanæ Ecclesiæ chartario non requiris?

CHARTEUS *vel* carteus, a, um, adject. chartaceus. *Auson.* 10. *Ep.* 40. Nam tota supellex Vatum plorum chartea est. *Id. in præfat. ad Gryphum.* Situs chartei pulveris. — *Charteum stadium* vocat *Varro* apud *Non. p.* 218. 12. *Merc.* chartas et libros, quibus nos scribendo exercemus. *Turneb. l.* 29. *Advers. c.* 20.

CHARTIĀTĬCUM, i, n. 2. *V.* CHARISTICON.

CHARTINA. *V.* CARTINA.

CHARTOPHȲLAX, acis, m. 3. χαρτοφύλαξ, *h. e.* chartarum et archivii custos, chartularius. *Inscript.* apud *Gruter.* 587. 11. M. AVRELIO M. F. HOM. VATVRIO AVG. N. CARTOPHILA. AVRELIA PROCVLA VXOR ET AVRELIA PROCVLINA MAT. FIL. PIISS. FECIT. *h. e.* Augusti nostri chartophylaci.

CHARTŌPŌLA, æ, m. 1. χαρτοπώλης, qui chartam vendit. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 4. 27. Sic Crispinus chartopola fuit. *In edition. perperam legitur* cartapola.

CHARTŌPRĀTES, æ, m. 1. χαρτοπράτης, qui chartam vendit. Legitur in *lemmate tit.* 17. *lib.* 11. *Cod. Justin.*

CHARTŌSUS, a, um. adject. qui multas chartas habet. Affert *Diomed.* 1. *p.* 313. *Putsch.*; sed nullo confirmat exemplo.

CHARTŬLA, æ, f. 1. χαρτίον, *deminut. a* charta, parva charta. *Cic.* 7. *Fam.* 18. 2. Miror quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris. *Cajus Institut.* 2. 77. Quod in chartulis, sive membranis meis aliquis scripserit, licet aureis litteris, meum erit. *Fronto* 1. *ad Amic.* 15. Aut chartulas ei, aut tabellas porrigo. *Granius Licinian.* ed. *Pertz p.* 32. Nec opplendæ sunt hujusmodi cognitionibus chartulæ. — Usurpatur etiam pro tabulis, vel scriptis publicis. *Impp. Valentin. et Valens Cod. Thod.* 8. 2. 2. Quam fideliter dederint administratorum suo tempore chartularum apud acta rationem. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Teod.* 7. 22. 8. Qui in ministerio chartularum atque observatione rationum inveniuntur. *Prudent.* 1 περὶ στεφ. 75. Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit, Ne tenacibus libellis erudita secula Ordinem, tempus, modumque passionis proditum Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent. Nempe *chartulas* vocat acta Martyrum.

CHARTŬLĀRIUS *vel* cartularius, ii, m. 2. apud sequioris ævi scriptores dictus est, qui chartas et archivium principis curabat; idem nempe qui commentariensis, vel ab eo non valde dissimilis. Non enim solum chartas et scrinia custodiebat, sed quædam etiam perscribebat, et in commentariis referebat. Dicebatur qui in eo munere erat, *chartis inservire*, et *chartarum tractatibus occupari*, et *chartas publicas agere*, ut est in *Cod. Justin.* 3. 26. 10., 12. 21. 1. et 10. 69. 3. — Varii fuerunt *chartularii*, nempe divinæ domus, sacri cubiculi, largitionum, numerorum militarium, etc. Horum mentio fit in *Codic. Justin.* 10. 23. 3., 12. 50. (qui est De numerariis, actuariis, chartulariis, etc.) 10. § 1. et alibi, et in *Cod. Theod.* 8. 7. 5., ubi memorantur *chartularii magistrorum equitum et peditum.*

CHARTUS. *V.* CHARTA sub init.

CHARUS. *V.* CARUS et CARITAS.

CHĂRYBDIS, is, f. 3. Χάρυβδις, vasta profunditas in freto Siculo, prope Messanam, ubi verticosum mare navigia absorbet. *V.* plura in ONOM. — Translate *charybdis bonorum*, de eo qui bona sua abligurit, *Ciceroni* nimis longe petita metaphora videtur 3. *Orat.* 41. 162., magisque probatur *vorago. Prudent.* 6. *Cathemer.* 107. Charybdis sanguinis. *h. e.* cædium insatiabilis cupiditas. — Hinc *charybdis* vocatur meretrix apud *Horat.* 1. *Od.* 27. 19. Quanta laboras in charybdi! *Et Sidon.* 9. *Ep.* 6. Domestica charybdis.

CHASMA, ătis, n. 3. χάσμα, hiatus, vorago: a χαίνω *hisco, dehisco.* ¶ 1. Occurrit de terræ fissura, hiatu. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 9. tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur. *Ulp. Dig.* 30. 15. 4. Si agri portio chasmate perierit. Adde *ibid.* 4. 4. 11. § 5. et 18. 6. 10. § 1. ¶ 2. Est etiam genus meteori, cum fit in coelo subita aeris veluti disruptio et hiatus, ex quo ignis apparere videtur, ut docet *Servius* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 20. medium video discedere cœlum. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 14. Sunt chasmata, cum aliquod cœli spatium discedit, et flammam dehiscens veluti in abdito ostentat. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 26. (96).

CHASMĂTĬAS, æ, m. 1. χασματίας, species terræmotus, quo tellus hiscit: a χαίνω *dehisco. Ammian.* 17. 16. Chasmatiæ, grandiori motu patefactis subito voraginis, terrarum partes absorbent. Adde *Apul. de Mundo.*

CHAUS. *V.* CHAMA.

CHAVŌNA, æ, f. 1. placenta. Vox antiquis Dalmatis propria. *Hieronym.* in *Isaiam* 16. 37. 6. Nulli dubium quin placentas significent, sive crustula, in manu artificis præparatas. Hoc enim lingua nostra *chavonas* sonat.

CHĒLA, æ, *vel*

CHĒLE, es f. 1. χηλή *forceps*, *h. e.* denticulati cancrorum et scorpionum forcipes seu brachia: vox omnino Græca. ¶ 1. Propria Græcorum significatione occurrit tantum apud *Ambros.* 5. *Hexæm.* 8. 23. Cassa omnia tentamenta sunt cancri, quia aperire clausum ostreum nulla vi potest: et periculosum est, si chelam ejus includat. *Et mox.* Clanculo calculum immittens (*cancer*), impedit conclusionem ostrei; ac sic aperta claustra reperiens, tuto inserit chelas, visceraque interna depascitur. — Ceterum apud alios Latinos usuvenit in artibus tantum: scilicet ¶ 2. In plurali *chelæ*, *arum* apud Astronomos sæpissime dicuntur de signo illo cœlesti, inter Virginem et Scorpionem posito, quod ab ipsius Scorpii brachiis occupari finxerunt: postea vero is locus Libræ est assignatus. *Cic. Arat.* 293. Et paucæ cheles stellæ. *Al. rectius leg.* Et paucæ e chelis stellæ. *Virg.* 1. *G.* 33. Erigonem inter chelasque sequentes. *Lucan.* 1. 659. minacem Scorpion incendis cauda, chelasque peruris. Adde *Manil.* 1. 609. et 4. 202.; et *Colum.* 10. *R. R.* 56. *Hygin.* 3. *Astron.* 25. chelas pro ipsa Libra usurpat. ¶ 3. Quod ad machinarum scientiam attinet, in ballistis *chele* est membrum quoddam ad similitudinem brachiorum cancri formatum. *Vitruv.* 10. 10. 4. *Schneid.* Extantis cheles. *h. e.* pars cheles, quæ extat. Adde *eumd.* 10. 11. 7.

CHĔLĪDON, ŏnis, f. 3. et

CHĔLĪDŎNĬA, æ, f. 1. χελιδών, όνος, ἡ, Græce eadem, quæ hirundo Latine, cujus adventus veris ineuntis indicium est. Hoc nomine appellabatur etiam quædam Verris amica: unde ludit in ambiguo avis et scorti *Cic.* 3. *Verr.* 40. 104. Nam et prætor factus est, qui auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanæ provinciæ. *Pentadius* in *Anthol. Lat. Burmann. l.* 5. *ep.* 69. *v.* 17. Jam motacilla canit, jam garrula luce chelidon. *Alii rectius leg.* Nota tigilla linit jam etc. — Secunda longa est. *Colum.* 10. *R. R.* 415. Purpureæque chelidoniæ pinguesque marisca. *V.* voc. seq. *Avien. Perieg.* 633. Inde chelidoniæ tres sese gurgite tollunt. Adde *ibid.* 184. *Æmil.* quoque *Macer* producit *cap. de chelidonia*: sed uno tamen eodemque versu etiam corripuit. Sic enim habet: *Indeque nomen habet chelidonia. namque chelidon etc.* Qua in re sola metri necessitate defendi potest. — Ceterum *V.* ONOM.

CHĔLĪDŎNĬAS, æ, m. 1. χελιδονίας, Favonius ventus dicitur a. d. VIII. k. Mart. a primo aspectu hirundinum: nonnulli *ornithian* vocant, ab adventu avium universim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122).

CHĔLĪDŎNĬUS, a, um, adject. χελιδόνιος, ad chelidones, *h. e.* hirundines pertinens. *Chelidoniæ ficus* dicuntur quoddam earum genus purpureum, et sub hieme maturescens: vel quod iis avide hirundines vescantur; vel quia eo tempore proveniant, quo hirundines migrant. *Colum.* 10. *R. R.* 415. et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (71). Latine *hirundineæ* dicuntur apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. — *Chelidonii lapilli* sunt, qui inveniuntur in ventre hirundinum pullis, magicis narrati artibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (203). — *Chelidonia gemma* duplex est: alia hirundinum colore; alia altera parte purpurea nigris interpellantibus maculis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154). et 37. *ibid.* 11. 72. (187). Paullo aliter *Isid.* 16. *Orig.* 9. 6. Chelidonia gemma duplex est ex hirundinum colore vocata: quarum una ex altera parte purpurea pura, ex alia purpurea nigris intervenientibus maculis. — Denique *chelidonia collyria* sunt quæ ex succo chelidoniæ herbæ fiunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 50. (90). *Forcellinus* addit etiam loca, quæ nullius ferme sunt auctoritatis, ex *Tochon cachets des oculistes p.* 61. Sabiniani chelidon. ad clarit. *Id.* p. 61. Saccii Menandri chelidonium. — *Chelidonia herba* est quæ et absolute *chelidonia* dicitur: *V.* paullo infra. *Marcell. Empir.* 8. § 2. *circa med.* Chelidonia herba in hirundinum stercore nascitur. — Hinc

Chelidonia, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, (subaudi *herba*), herba est duorum generum: major fruticosa, caule folio pastinacæ erraticæ ampliore, ipsa altitudine duum cubitorum, colore albo, flore luteo: minor folia habet hederæ rotundiora, minus candida. Utraque succi est mordacis, seminis papaveris. Nomen habet ex eo, quod adventu hirundinum floret, discessu marcescit. Tradunt etiam monstratam ab hirundinibus, quæ ad morbos oculorum ea utuntur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 50. (89). *Seren. Sammon.* 37. 700. Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi. *Tertull. Pœnit.* 12. Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia. Adde *Æmil. Macr.* 184. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 342.) hanc exhibet synonymiam. I. Χελιδόνιον Theophr. Hist. plant. 7. 13. et Nicand. Ther. 5. 857.; Χελιδόνιον μέγα Dioscor. 2. 211. et *Chelidonia major flore luteo* Plin. loc. cit. et Cels. 6. 6. sunt *Chelidonium majus* L. Spec. plant. 723. var. α. — II. Χελιδόνιον μικρόν, οἱ δὲ πυρὸν ἄγριον Dioscor. 2. 212 et *Chelidonia minor foliis hederaceis* Plin. loc. cit. sunt *Ficaria ranunculoides* Mœnch Meth. 315.

CHĒLO. *Vitruv.* 10. 15. *edit. vet.*, et 10. 10. 4. *Schneid.* Item chelo (sive manucla dicitur) longitudo foraminum, etc. Ex his verbis apparet esse membrum catapultæ, quod nonnulli illud esse dicunt, quo nervus attractus continetur *Bald.* in *Lex. Vitruv.* putat legendum esse *cheles*, vel *cheli*, vel *chelonii* (quam autem ex his præferat, determinare non audet) genitivo casu. Quæ voces videntur esse a χηλή, *forceps cancrorum*, item ungula bisulca. *Schneider* legit *chele*, quam vocem *V.* supra loco suo.

CHĔLŌNĬA, æ, f. 1. χελωνία, oculus est Indicæ testudinis, inter gemmas connumeratus a *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (155) — Apud *Vitruv.* 10. 18. edit. vet. est idem quod chelonium, quam vocem vide. At *Schneid.* in sua edit. 10. 12. 1., etsi nullo Codicum auctoritate, tamen recte pro *cheloniæ* Nom. plur. num. legit *chelonia.*

CHĔLŌNĪTIS, idis, f. 1. χελωνῖτις, gemma est testudinum similis. Nam χελώνη *testudinem* significat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (155). — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CHĔLŌNĬUM, ii, n. 2. χελώνιον, testudo. ¶ 1. *Vitruv.* 10. 2. 2. *Schneid.* de *machinis tractoriis.* In quadris autem tignorum posterioribus, quo loci

sunt divaricata, figuntur chelonia, in quæ conjiciuntur suculorum capita, ut faciliter axes versentur. Adde locum ejusd. *Vitruv.* citatum in præced. v. CHELONIA. *Philander* docet. chelonia esse velut umbilicos, aut ansas, quæ affiguntur arrectariis, in quas, ceu in armillas, conjecti sucularum cardines versentur: atque ita dicta esse a similitudine tegumenti testudinis, quæ χελώνη dicitur. *Barbarus* Italice vocat *orecchie, o manichi*; alii *anelli*. — Horum meminit *Id.* etiam 10. 2. 8. *Schneid.* sed aliquantum diversa ratione. Est, inquit, tignum, quod erigitur, et distenditur retinaculis quadrifariam: sub retinaculis chelonia duo figuntur, trochlea funibus supra chelonia religatur, etc. *chelonia* hoc loco sunt ligneæ regulæ summo capiti tigni adpactæ, ne trochlea deligata defluat, et ut a tigno aliquantulum in exteriorem partem promineat. Italice quidam vocant *tasselli*: *Barbarus* hic quoque appellat *manichi*. — Item *chelonium* pars est catapultæ supra minorem columnam; et dici potest etiam pulvinus. *Id. ibid.* 15. 6. *Schneid.* ¶ 2. Est etiam *chelonium* herba, alio nomine cyclaminus. *Apul. Herb.* 17.

CHELȲDRUS, i, m. 2. χέλυδρος. Si originem spectes, testudinem aquaticam, vel marinam significat; a χέλυς *testudo*, et ὕδωρ *aqua*. Ceterum nomen est serpentis venenosi amphibii, hoc est in terra et in aqua simul degentis. gravi odore, cute prædura instar testudinis. Quidam docent eumdem esse ac τὸν δρυΐνον, quia ita est appellatus, quod circa quercuum radices libenter degat: ita ab utraque re, scilicet a cute, et a loco, quem incolit, nomen habuisse: nam χέλυς *testudinem*, δρῦς *quercum* significat. *Virg.* 3. *G.* 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. *Servius* ad *hunc loc.* scribit, *chelydros* dictos esse quasi *chersydros*, quia in aquis et in terris morantur: nam χέρσος dicimus *terram*, *aquam* vero ὕδωρ. Sed perperam confundit alterum genus cum altero. Vera quidem est etymologia *chersydri*: is tamen a *chelydro* distinguendus est. *Lucan.* 9. 709. Natus et ambiguæ coleret qui Syrtidos arva Chersydrus, tractique via fumante chelydri. *Sil. It.* 8. 498. at Marsica pubes Et bellare manu, et chelydris cantare soporem. (Hic ponitur pro quocumque serpente). Adde *eumd.* 3. 316.

CHELȲON, yi, n. 2. χέλυον, testudinum tegumentum, præsertim earum, quæ cornigeræ a Troglodytis capiuntur: a χέλυς *testudo*. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (173). Deferunt plurimum ebur, rhinocerotum cornua, hippopotamorum coria, chelyon testudinum. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 10. 12. (38).

CHELYS, *Acc.* chelyn, *Voc. et Abl.* chely, f. 3. χέλυς, ab Hebr. כְּלִי cheli, vas, quidquid elaboratum est, instrumentum, a כָּלָה perfecit, absolvit, et testudinem animal significat et musicum instrumentum. ¶ 1. Chelys, tamquam testudo animal, occurrit tantum apud *Petron. fragm.* n. 32. *Burmann.* Sic Phœbeia chelys vinclo resoluta parentis Lucinæ tepidis naribus ora fovet. ¶ 2. Ceterum apud Latinos fere pro musico instrumento adhibetur: quia ex testudine, exempta carne, dicitur Mercurius citharam fecisse. Cum enim, ut est apud *Servium* ad *Virg.* 4. *G.* 464., regrediens Nilus in suos meatus varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est: quæ cum putrefacta esset, et nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa a Mercurio sonitum dedit. Ex cujus imitatione cithara est composita. In quo proprie differat a *lyra*, *V.* Homonym. in fin. Porro de chordarum ejus numero, *V. Creuzer Relig. T.* 3. *p.* 190. *Ovid. Heroid.* 15. 181. Inde chelyn Phœbo communia munera ponam. *Seneca Troad.* 321. Levi plectro canoram chelyn verberare. Adde *eumd. Herc. Œt.* 1033. *Auct. Paneg. ad Pison.* 151. Sive chelyn digitis et eburno pectine pulsas. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 11. Intendere chelyn. *Id.* 4. *ibid.* 4. 33. laxare. *Id.* 2. *ibid.* 2. 60. Jam Methymnæi vatis manus et chelys una Thebais. *h. e.* cithara Amphionis Thebani. *Et ibid.* 120. doctamque trahuntur Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant. *Id.* 3. *ibid.* 1. 11. aut silvis chelys intellecta ferisque. *h. e.* chelys Amphionis aut Orphei. *Id.* 4. *ibid.* 3. 119. Cedamus, chely: jam repone cantus. *Capell.* 1. *p.* 3. Barbito auratoque chely ac doctis fidibus personare. ¶ 3. Chelys dicitur etiam signum cæleste idem quod Latino vocabulo *Lyra*. *Avien. Arat.* 617. et 631. *V.* LYRA.

Homonym. *Chelys* differt proprie a *lyra*, quia hæc chordas habet utrimque, ut ita dicam, nudas; *chelys* vero seu cithara ventrem habet manubriatum, super quo fides extenduntur, ut pleniorem sonum edant: qui venter primum ex testudinis tegumento factus est, postea ex alia materia, figuram tamen retinuit. Sed hæc a Poetis promiscue usurpantur. Unus *Prudent.* chelyn et testudinem, tamquam duo diversa distinxit *Apotheos.* 455. Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat. At minus recte: hæc enim duo unum idemque sunt, prout id Græco, aut Latino vocabulo effertur.

CHĒMA, æ, *vel rectius Græca positione*

CHĒME, es, f. 1. χήμη, mensura liquidorum continens cochlearia bina, seu tertiam partem mystri: mystrum autem est quarta pars cyathi: quare *cheme* est duodecima pars cyathi: nomen habet a χήμη, quæ vox ostrei genus significat, cujus testa mensurandis liquidis usi sunt veteres. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* 77. At mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri, Quam vocitant chemen: capit hæc cochlearia bina. *Auct. Rei agr.* p. 323. *Goes.* Cochlearia duo chemam faciunt: cochlearia III. conchulam faciunt; conchulæ duæ cignum sive mystron.

CHĒMŌSIS, is, f. 3. χήμωσις, Græca vox, qua significatur vitium oculorum, cum album oculi nigro supereminet, adeo ut hiatus veluti quidam appareat: a χήμη *hiatus*: item rubra et carnosa corneæ oculi tunicæ inflammatio. *Theod. Priscian.* 1. 10.

CHĒNĀLŌPEX, ecis, f. 3. χηναλώπηξ, genus avis in genere anserum, quamdam habens cum vulpe similitudinem: a χήν, ηνός, *anser* et ἀλώπηξ *vulpes*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 29. (56). Anserini generis sunt chenalopeces. *Mich. Ang. Macrius in Sideronographia* p. 423. putat esse *palomba di mare*; contra *Gesnerus* et *Aldrovandius* putant *anatem maritimam*.

CHĒNĔROS, ōtis, f. 3. χήνερος, genus anseris minoris, quibus lautiores epulas non novit Britannia, inquit *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 29. (56).

CHĒNISCUS, i, m. 2. χηνίσκος, Græce est anserculus: a χήν, ηνός, *anser*. Significat etiam ornamentum navis in summitate puppis, in modum anserculi formatum. Solebant enim naupegi hujus animalis effigiem deformare boni ominis causa, ut scilicet navigium ita feliciter per undas ferretur, ut solent anseres, quæ nullo periculo natant. *Apul.* 11. *Met.* Puppis intorta chenisco bracteis aureis vestita fulgurabat. Ita enimvero videre est cheniscum in puppi navis apud *Mazois Ruines de Pompei. P.* 1. *tab.* 22. *fig.* 2.

CHĒNŎBOSCION, ii, n. 2. χηνοβοσκεῖον, locus ubi anseres, aliæque id genus nantes volucres aluntur: a χήν *anser*, et βόσκω *pasco*. Græce legitur apud *Varron.* 3. *R. R.* 10. 1. Latine apud *Colum.* 8. *R. R.* 14. 1. Chenoboscia ut constituantur.

CHĒNOMȲCHON, i, n. 2. χηνόμυχον, herba coloris hysgini, folio spinæ, nec a terra se attollens: a χήν, ηνός *anser* et μυχός *penetrale*, quia ea visa dicuntur anseres refugere et abdere se. Vocatur etiam *nyctegrĕtum*, νυκτηγρετον, a νύξ, νυκτός *nox* et ἐγείρομαι *expergefio*, quia cum nocte fulgeat, nocturnas veluti excubias agere videtur. Ob eamdem rationem dicitur etiam *nyctălops*, νυκτάλωψ, a νύξ *nox* et ὄπτομαι *video*. *Plin.* 21 *Hist. nat.* 11. 36. (62). *Klotz* rectius feminino genere effert. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 40.) hæc ait: « Sprengel (*Hist. Rei herb.* 1. 203.) décide, mais sans discussion, que le *nyctegretum* (veilleur de nuit) est le *Cæsalpinia pulcherrima* L., arbrisseau d'un très-bel aspect, qui croît spontanément dans les deux Indes, où même il est assez rare; et qui n'est connu en Europe que depuis un très-petit nombre d'années. Nous regardons comme fort douteux que les anciens aient jamais pu le connaître ».

CHĒNOPS. *V.* ECHINOPS.

CHERĀGRA. *V.* CHIRAGRA.

CHERMOSIS, is, f. 3. Videtur hæc vox significare illum oculorum morbum, qui Græce λιθίασις dicitur, et derivanda fortasse a χερμάς *lapis*, unde inusit. χέρμωσις. *Inscript.* apud *Tochon, cachets des ocul.* p. 72. C. J. Flori basilium ad chermosin. *At præstat scribere* chemosin. Hucusque cl. *Furlanetto* in Append. Hæc tamen omnia a Lexico sunt expungenda, quippe quæ nullius sunt auctoritatis.

CHERNĪTES, æ, m. 1. χερνίτης, lapis ebori simillimus, servandis mortuorum corporibus, nec absumendis aptus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 17. 28. (132)., et *Isid.* 16. *Orig.* 4. 24.

CHERSĪNÆ testudines, χερσῖναι, (sive χερσαῖοι χέλυες) *h. e.* testudines terrestres: a χέρσος *terra inculta*. Ita appellantur, teste *Plin.* 9. *Hist. nat.* 10. 12. (38)., quæ in Africæ desertis inveniuntur, qua parte maxime sitientibus arenis squalent, roscido, ut creditur, humore viventes. Earum testæ in operibus adhibentur: sunt tamen minoris pretii, quam marinæ. *Martial.* appellat *chersos* (chersus, i, f. 2. χέρσος) 14. 88. 1. Femineum nobis cherson si credis inesse, Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

CHERSOS, i, f. 2. *V.* voc. præced. in fin.

CHERSȲDRUS, i, m. 2. χέρσυδρος, genus serpentis amphibii, hoc est in aqua et in terra degentis: a χέρσος *terra* et ὕδωρ *aqua*: quem quidam eumdem esse putant cum hydro, et describi a *Virg.* 3. *G.* 415. Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis etc. *Lucan.* 9. 710. Natus et ambiguæ coleret qui Syrtidos arva Chersydrus. Adde *Cels.* 5. 27. 8.; *Servium* ad *Virg.* 3. *G.* 415.; et *Prudent. advers. Symm.* 1. 130. V. *Aldrovand. de Serp. et Drac. l.* 1. c. 17. et CHELYDRUS.

CHERUB, m. indeclin. et in plur. num. Cherubim (כְּרוּב et כְּרוּבִים). Sunt hoc nomine sublimiora agmina Angelorum, qui quod vicinius positi divina scientia ceteris amplius fruuntur, Cherubim, *h. e.* plenitudo scientiæ, appellantur. Ita *Isid.* 7. *Orig.* 5. Hinc *Prudent.* 4. *Cathemer.* 4. Patri qui Cherubim sedile sacrum, Nec non et Seraphim suum supremo Subnixus solio tenet regitque. — *Hieronym.* in c. 9. et 28. *Ezech.* docet, perperam a nonnullis hanc vocem neutro genere usurpari: additque *Cherub* dici in sing. numero, et *Cherubim* in plur. Videtur tamen in c. 65. *Isai.* ad illud *secundum dies ligni vitæ* etc. dixisse *Cherubim* in singulari, quod et *Augustin.* fecit *Enarrat. in Psalm.* 79.

CHIASMUS, i, m. 2. χιασμός, decussatio, incisio ad litteræ X figuram. *Frontin. Expos. formar.* p. 36. *Goes.* In hac ratione, sublata circumferentia, chiasmis utendum est. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. § 118. Adhibent etiam capitis divisuram accuratam, quam χιασμὸν vocant. *et* § 127. Capitis etiam accurata divisura, quam chiasmum vocant. *et* § 143. Ut sub occipitio accurata divisura, quam chiasmum vocari diximus.

CHĪLIARCHES, æ, m. 1. *vel*

CHĪLIARCHUS, i, m. 2. χιλιάρχης et χιλίαρχος: a χίλιοι *mille* et ἀρχός *princeps*. ¶ 1. Est mille militum dux in *Cod. Theod.* 16. 10. 20. § 4., seu videtur fuisse, qui millenis plebejis præerat ad instruendam pompam Gentilium. *V. ibid. Gothofrid.* — Specialim in Romana militia chiliarches erat idem qui tribunus. *Curt.* 5. 2. 2. Et *Hieronym. in Isaiam* 2. 3. 3. Chiliarchi, qui mille præsunt militibus, quos nos tribunos appellamus ab eo, quod præsint tribui. — *Tac.* 15. *Ann.* 51. Erat chiliarchus in ea classe Volusius Proculus. Ex quo *Taciti* loco discimus etiam in navali Romanorum militia Græcam hanc appellationem et gradum fuisse. ¶ 2. Apud Persas chiliarches erat, qui primum gradum post regiam dignitatem tenebat. *Nepos Con.* 3. Conon a Pharnabazo ad regem missus, posteaquam venit, primum ex more Persarum ad chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat, Tithrausten accessit.

CHĪLIAS, ădis, f. 3. χιλιάς, numerus millenarius. Vox græca est: et legitur apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 5. Occurrit etiam apud *Ambros. Benedict. Patriarch.* 11. 53. ex *Deuter.* 33. 17. Ipse myriades Ephræm et ipse chiliades Manasses. *At paullo post* § 56. Decem millia, inquit, Ephræm et millia Manasses, id est, et Judæorum et gentium dominetur.

CHĪLIASTÆ, ārum, m. plur. 1. χιλιασταί, millenarii. *V.* MILLIARIUS.

CHĪLIODȲNĂMA, æ, f. 1. χιλιοδύναμις, appellatur a Cappadocibus herba polemonia, radice crassa, exilibus ramis, quibus in summis corymbi dependent, semine nigro: cetero rutæ similis. Sic autem dicta est ob multiplicem virtutem: a χίλιοι *mille* et δύναμις *virtus*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 28. (64)., ubi *alii pro* chiliodynamam *legunt* chiliodynamia.

CHĪLIŎPHYLLON, i, n. 2. χιλιόφυλλον, nomen herbæ polygoni a multitudine foliorum: a χίλιοι *mille* et φύλλον *folium*. *Apul. Herb.* 18.

CHĪLO, ōnis, m. 3. χίλων vel χείλων, qui magna habet labia, idem ac labeo, a χεῖλος *labium*.

Paul. Diac. p. 43. 10. *Müll.* Chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum. *Charis.* 1. p. 79. *Putsch.* Chilones cum aspiratione ex Græco a labris improbioribus, quos illi χείλη, unde Chilones improbius labiati. *Caper* p. 2242. *Putsch.* Chilo dicitur modum labiorum excedens. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CHĪMÆRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. chimæram ferens. *Ovid.* 6. *Met.* 339. Jamque chimæriferæ, quum sol gravis ureret arva, Finibus in Lyciæ. *h. e.* quia Chimæra in Lycia est.

CHĪMĔRĪNUS, a, um, adject. χειμέρινος, hibernus, hiemalis. *Vetus Kalend.* apud *Gruter.* 138. et apud *Orell. Inscript. vol.* 2. p. 381. HIEMIS INITIUM SIVE TROPAE CHIMERIN. *h. e.* brumæ. *V.* TROPA. Hinc *Gell.* 2. 22. Æquinoctialis oriens dicitur cum in circulo currit, qui appellatur ἰσημερινός, aut solstitialis aut brumalis, quæ sunt θερινaὶ τροπαὶ καὶ χειμεριναί. *Martial.* 9. 13. *de Earino.* Si daret autumnus mihi nomen, Oporinos essem; Horrida si brumæ sidera, Chimerinos. *Plerique tamen Græce scribunt.*

CHĪMĬA. *V.* ALCHIMIA.

CHĪRĂGRA, æ, f. 1. χειράγρα. Nota primam syllabam contra naturam a Poetis corripi, more Græcorum, qui nonnumquam ex diphthongo alteram vocalem abjiciunt. Ob eamdem rationem scribitur et *cheragra*, quod rectius esse putant *Voss. in Etymol.* et *Bentlej. in Horat.* corripere volenti. *Dausq.* in *Orthogr.* mavult semper per *i* scribi; quod sane improbandum. — Ceterum chiragra est morbus articularis, qui manus infestat; ab ἄγρα *captura* et χείρ *manus*, quia manus irretit, illaqueat. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 31. Nodosa corpus nolis prohibere cheragra. *Id.* 2. *Satyr.* 7. 15. postquam illi justa cheragra Contudit articulos. *Pers.* 5. 58. lapidosa cheragra. *Martial.* 1. 99. Sed nil patrono porrigit: hæc cheragra est. — Ceterum altera forma *chiragra* legitur apud prosæ orationis auctores, *Cels.* 1. 9. et 2. 7.; *Senec. Ep.* 78., et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (188).

CHĪRĂGRĬCUS, a, um, adject. χειραγρικός, qui chiragra laborat. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Chiragricæ manus. — Hinc

Chiragrici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Cels.* 4. 24. 1. Quæ in podagricis chiragricisve esse consuerunt. *Petron. Satyr.* 132. Chiragrici manibus maledicunt, lippi oculis.

CHĪRĂMAXĬUM, ii, n. 2. χειραμάξιον, genus modici plaustri, quo unus tantum homo gestari poterat, et a servis, non ab equis, aut bobus, trahebatur, alio nomine *arcuma*, ut videtur: a χείρ *manus* et ἄμαξα *currus*. *Petron. Satyr.* 28. Hinc lecticæ impositus est præcedentibus cursoribus, et chiramaxio, in quo deliciæ ejus ferebantur, puer vetulus, lippus. *V.* UNAROTA.

CHĪRĪDŌTUS, a, um, adject. Chiridota tunica (quidam scribunt *Chirodota*, quos reprehendit *Salmas.* ad *Capitolin. Pertin.* 8.) χειριδωτός χιτών, est tunica manicata, ut *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22., vel manuleata, ut *Plaut. Pseud.* 2. 4. 48. appellat, hoc est manicas habens usque ad manum protensas: a χείρ *manus*: quod olim Romæ, atque omni in Latio indecorum fuit. Romani enim feminis quidem vestem longe lateque diffusam decoram existimaverunt, quæ crura et ulnas pudoris causa protegeret. Viri autem primo sola toga amicti fuerunt: postea substrictas et breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quæ Græce ἐξωμίδας dicuntur. Demum laxas et manicatas tunicas luxus invexit, quas tamen probro viris omnibus, maxime autem militibus datas legimus. *Virg.* 9. *Æn.* 616. Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ. *Publius Africanus* apud *Gell.* 7. 12. Qui in conviviis adolescentulus cum amatore cum chiridota tunica inferior (*al.* interior) accubuerit. *Gell. ibid.* Eas tunicas Græco vocabulo nostri chiridotas appellaverunt. — Hinc

Chiridotæ, ārum, f. plur. 1. absolute, substantivorum more (subaudi *tunicæ*). *Capitolin. Pertin.* 8. Lacernas et chiridotas Dalmatarum.

CHĪRĪNUS, a, um, adject. *Chirinum oleum* apud *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. est quod conficitur ex leucoio luteo. *Jo. Conradus Amman.*

CHĪRŎCMĒTA, tōn vel tōrum, n. plur. 2. χειρόκμητα, hoc est manu facta: a χείρ *manus* et κμητός, *laboratus, factus*, a κάμνω *laboro*. Titulus est libri a Democrito conscripti, in quo de rebus naturalibus scripsit, signans anulo in cera quæ esset expertus, ut *Vitruv.* 9. *proœm.* § 14. *Schneid.* (Græcis tamen litteris) tradit. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 102. (160). et *Colum.* 7. *R. R.* 5. 17. *V. Schneiderum* ad *Vitruv. loc. cit.* qui, quam varie hic locus apud citatos scriptores lectus sit, diligenter exponit.

CHIRODOTUS, a, um. *V.* CHIRIDOTUS.

CHĪRŎGRĂPHĀRĬUS, a, um, adject. ad chirographum pertinens. *Dig.* 42. 5. 38. § 1. Chirographarius creditor. *h. e.* qui sibi chirographo cavit: seu qui habet chirographum debitoris, in quo hic perscripsit, se illi pecuniam debere. *Ibid.* debitor. *h. e.* qui sua manu se debitorem scripsit. *Cod.* 4. 2. 17. pecunia. *h. e.* quæ ex solo chirographo, non dato pignore debetur. *Ibid.* 8. 27. 1. debitum.

CHĪRŎGRĂPHON, i, *et sæpius*

CHĪRŎGRĂPHUM, i, n. 2. χειρόγραφον. – Græca positione *chirographon* occurrit tantum apud *Sidon. carm.* 16. 56. *V.* infra sub 2. — Occurrit et forma *chirographus* (subaudi *libellus* vel *codex*); eâque usus est *Fulvius* apud *Quintil.* 6. 3. 106. Interroganti, an in tabulis chirographus esset, et verus, inquit, domine. — Ceterum chirographum est quod nostra manu scripsimus: a χείρ *manus* et γράφω *scribo*. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Fam.* 13. 3. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. *Id.* 2. *Att.* 20. 5. Non utar meo chirographo, neque signo, si modo erunt ejusmodi litteræ, quas in alienum incidere nolim. *Id.* 1. *Phil.* 7. 16. An in commentariolis et chirographis et libellis se uno auctore prolatis – acta Cæsaris firma erunt? *Id.* 2. *ibid.* 4. 8. Convincere aliquem chirographo. *Id.* 3. *Nat. D.* 30. 74.; et *Sueton. Aug.* 64. et *Tit.* 3.; et *Dig.* 48. 10. 23. Imitari chirographum alicujus. *Cic.* 12. *Fam.* 1. 2. Chirographa alicujus defendere. *Id.* 7. *ibid.* 18. 1. Tibi misi cautionem chirographi mei. *Id. Brut.* 80. 277. Chirographa, testificationes, indicia, quæstiones, manifestam rem deferre. *Id.* 2. *Phil.* 14. 35. Falsorum commentariorum et chirographorum officina. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. 3. At Laterensis – suo chirographo mittit mihi litteras. *Id. ibid.* § 1. Chirographis alicujus credere. *Id. ibid.* § 3. Exemplar alicujus chirographi alicui mittere. *Quintil.* 9. 2. 73. Chirographum expiranti dare. *Sueton. Tib.* 6. Chirographum præparatæ apud milites concionis. *Id. Cal.* 12. De aliqua re jurejurando et chirographo cavere. ¶ 2. Speciatim sumitur pro scripto, in quo debitor sua manu creditoribus suis cavet. *Seneca* 2. *Benef.* 23. 2. Dare chirographum alicui. *Gell.* 14. 2. Exhibitio chirographi. *Juvenal.* 13. 135. Vana supervacui dicunt chirographa ligni. *h. e.* perscripta in ligneis tabellis ceratis. *Sidon. carm.* 16. 56. chirographon illud, Quo pervasus homo est, hæc compensatio rupit. *chirographon* Græca positio. *Callistrat. Dig.* 49. 14. 3. Domestica cautione et chirographo obligare se ad præstandum. *Modestin. ibid.* 20. 1. 26. Chirographum sua manu perscribere. Adde *ibid.* 13. 6. 5. § 8., 23. 3. 4. §. 3., 31. 3. 31. § 4. et alibi.

Homonym. Inter *chirographa* et *syngraphas* hoc interesse docet *Pseudo-Ascon. ad Cic.* 3. *Verr.* 36. p. 184. 19. *Bait.*, quod in iis tantum quæ gesta sunt, scribi solent; in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, et non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum solet, more institutoque Græcorum. Præterea chirographa ab una parte servari solent; syngraphæ signatæ utriusque manu utrique parti servandæ traduntur. Hæc *Pseudo-Ascon. Cajus* 3. *Institut.* 134. Litterarum obligatio fieri videtur chirographis, et syngraphis, id est, si quis debere se, aut daturum se scribat. Ex quibus patet chirographum esse, id quod Itali dicunt *la ricevuta*, syngrapham, quod *scrittura d' obbligo* appellant.

CHĪRON, ōnis, m. 3. Χείρων, Centaurus, Saturni et Phyliræ seu Philyræ filius, de quo *V.* plura in ONOM. Deorum miseratione in cœlum sublatus dicitur, et collocatus inter signa Zodiaci figura Sagittarii. *Hygin. præfat. et fab.* 274. et 2. *Astron.* 38.; et *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 91. et 550. *Lucan.* 9. 536. Par geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens etc.

CHĪRŌNĬUS *vel* chironēus, a, um, adject. (potest etiam corripi in penult. si exteratur præpositiva diphthongi: *V.* CHIRAGRA), χειρώνειος, ad Chironem pertinens. *Cels.* 5. 28. et *Apul. Herb.* 22. Chironium vulnus. *h. e.* quod et magnum est et habet oras duras, callosas, tumentes: sanie tenui manat, odorem malum emittit, dolorem modicum affert: nihilominus difficile coit, et sanescit. Dictum a Chirone, qui primus ejus sanandi rationem reperisse fertur. *Lucilius* apud *Non.* 2. 902. *edit. veter.* Tyroneo (lege Chironeo) et non mortifero affectus vomica et vulnere. *Pelagon.* 25. 4. Si equus vulnus chironium habuerit sic curabis. Adde *Theod. Priscian.* 1. 20. — Etiam quædam herbæ Chironiæ sunt cognominatæ, quia a Chirone vel inventæ, vel adhibitæ in medicina sunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 16. (34). et 23. *ibid.* 1. 17. (27). Est Chironis inventum ampelos, quæ vocatur Chironia. *Id.* 24. *ibid.* 14. 77. (126). Spina, quam et pyxacanthon Chironiam vocant. *Id.* 25. *ibid.* 4. 13. (32). Tertium panaces chironium cognominatur ab inventore. — Hinc

Chironium, ii, n. 2. absolute, est idem quod Centaurion apud *eumd.* 25. *ibid.* 6. 31. (66).

CHĪRŎNŎMĬA, æ, f. 1. χειρονομία, ars et lex gestus in dicendo adhibendi: a χείρ *manus*, et νόμος *lex*. *Quintil.* 1. 11. 17. Præsertim hæc chironomia, quæ ab illis temporibus heroicis orta sit.

CHĪRŎNŎMON, untis, m. 3. Reperitur etiam *chironomonta* in recto casu. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 9. n. 96. DIS M. MARCELLINAE FLORAE M. MARCELLIVS M. L. HILARIVS AVGG. NN. CHIRONOMONTA PARENS. — Chironomon, χειρονομῶν, Græce usurpatur, et significat qui certa lege atque arte manibus gesticulatur: a χείρ *manus*, et νόμος *lex*. *Juvenal.* 5. 121. Structorem interea, ne qua indignatio desit, Saltantem spectes et chironomunta volanti Cultello, donec peragat dictata magistri Omnia. *h. e.* cibos scindentem artificiosa manuum gesticulatione. *Sidon.* 4. *Ep.* 7. *extr.* Ac si inter Apicios epulones et Byzantinos chironomuntas hucusque ructaverit. Huc pertinet illud *Petron. Satyr.* 36. Processit statim scissor, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut etc.

CHĪRŎNŎMOS, i, comm. gen. 2. χειρονόμος, idem quod chironomon. *Juvenal.* 6. 63. Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo etc.

CHĪRURGĬA, æ, f. 1. χειρουργία, proprie significat opus manu factum, a χείρ *manus*, et ἔργον *opus*: sed κατ' ἐξοχὴν ita appellatur ea medicinæ pars, quæ manibus medetur, ut secando, urendo, etc. *V. Cels.* 7. *præfat.* et *Scribon. Compos.* 200. *Veget.* 3. *Veterin.* 13. 1. *Schneid.* Chirurgia appellatur quandocumque secatur ferro, vel cauteriis uritur. Et ἀλληγορικῶς *Cic.* 4. *Att.* 3. 3. Diæta curari incipio: chirurgiæ tædet.

CHĪRURGĬCUS, a, um, adject. χειρουργικός, ad chirurgiam pertinens. *Hygin. fab.* 274. Chiron artem medicinam chirurgicam ex herbis primum instituit.

CHIRURGŪMENA, ōrum, n. plur. 2. χειρουργούμενα, hoc est manu facta: a χείρ *manus*, et ἔργον *opus*. Ita appellantur a *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. et 13. libri chirurgorum.

CHĪRURGUS, i, m. 2. χειρουργός, medicus, qui manu curat; quique Latine *medicus vulnerarius* dicebatur. *Cels.* 7. *præfat.* Esse autem chirurgus debet adolescens, aut certe adolescentiæ proximus; manu strenua, stabili, nec umquam intremiscente: acie oculorum acri claraque: animo intrepidus, immisericors, etc. Adde *eumd. ibid.* 11.; *Martial.* 1. 30., et *Scribon. Compos.* 101. et 209. *Inscript.* apud *Gruter.* 581. 1., quæ est apud *Orell.* 4228. CELADVS ANTONIVS DRVSI MEDICVS CHIRVRGVS. *Auct. Priap.* 38. Chirurgique manum miser timerem. — De chirurgo oculario. *V.* CLINICUS.

CHĪUS, a, um, adject. Χῖος, ad Chium insulam pertinens. *V.* ONOM. — Hinc — *a*) *Chium vinum* et *Chium* absolute, laudatur passim a Latinis scriptoribus, hodieque summo in pretio est. *Plaut. Curc.* 1. 1. 79. Lagena, ubi vinum solet Chium esse. Adde *Varron. fragm.* p. 376. *Bip.*; *Horat. Epod.* 9. 34. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (73). — Et absolute *Horat.* 2. *Sat.* 3. 115. Si positis intus Chii veterisque Falerni Mille cadis etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 10. 24., et 2. *ibid.* 8. 15. et 48. — Similiter *Varron. fragm.* p. 271. *Bip.* Chiæ apothecæ. *Tibull.* 2. 1. 28. et Chio solvite vincla cado. Adde *Horat.* 3. *Od.* 19. 5. — *b*) *Chia ficus* apud *Varron.* 1. *R. R.* 41. 6., et absolute *Chia, æ*, species est fici ex Chio insula grato sapore palatum pungens. *Martial.* 7. 25. Infanti melimela dato fatuasque mariscas: Nam tibi, quæ novit pungere, Chia sapit. *Id.* 13. 23. Chia seni similis Baccho. *h. e.* vino veteri. *Id.* 7. 31. Chiæ ficus. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 414. — Hinc *Chia* absolute est etiam podex pueri, ut marisca feminæ apud *Martial.* 12. 97. *V.* MARISCA. — *c*) *Chium vi-*

tam *gerere* apud *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann.* quidam exponunt mollem, delicatam vitam agere: alii idem esse putant atque servire, quod Chii primi omnium Græcorum servis pecunia emptis usi sint. — *d*) *Chium monstrum* in cœlo est signum Scorpii. Narrat enim *Arat.* ἐν τοῖς φαινομ. v. 637., cum læsisset Orion Dianam, omnes in Chio insula feras occidendo eique venandi materiam subtrahendo, iratam Dianam immisisse venenatum scorpionem, a quo Orion ictus interiit. Utroque postea in cœlum translato, Scorpio *Chii* cognomen hæsit. Hinc factum est, ut, Scorpio exoriente, Orion occidat, quasi perterritus ejusque morsus evitans. *Avien.* quoque *Arat.* 1179. et *Cic. Arat.* 424. hanc eamdem plus minus enarrant fabulam. *Avien. ibid.* 1136. Curva Chii cœlo cum surgunt brachia monstri. *Et ibid.* 251. Huc falcata Chii reperrunt cornua monstri.

CHLĂMȲDA, æ, f. 1. idem quod chlamys. *Varro* apud *Non.* p. 539. 9. *Merc.* hac forma usus est; sed locus est valde suspectus. *Apul.* 10. *Met.* 1. Humeris dependebat pretiosa clamyda. Adde *eumd.* 11. *ibid.* et *Florid.* 9.

CHLĂMȲDĀTUS, a, um, adject chlamyde indutus. *Plaut. Rud.* 2. 2. 9. Ecquem adolescentem huc dum hic astatis, strenua facie, rubicundum, fortem, qui tres duceret chlamydatos cum macheriis, vidistis venire? *Id. Pseud.* 4. 2. 8. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est, aut quem quæritat? *Id. ibid.* 4. 6. 39. Sed quis hic homo est chlamydatus? *Cic. Rabir. Postum.* 10. 27. L. Sulla imperator chlamydatus. Adde *Val. Max.* 3. 6. 2. et 3.

CHLĂMYS, ȳdis, f. 3. χλαμύς, scribitur et *chlamis, idis*, minus tamen recte, si *Dausqu.* audias. — Chlamys est vestis militaris aperta, quæ thoraci superinduitur, posteriora fere corporis tantummodo ambiens; similis paludamento, sed brevior, et minus fusa, ex humeris pendens, et fibula ad cervicem, vel in dextero humero connexa. *Ovid.* 14. *Met.* 393. Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem: Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum, Pluma fit. *Id.* 2. *ibid.* 733. chlamydemque, ut pendeat apte, Collocat. — Materia chlamydis fuit lana: color, nativus ipsius lanæ. Sed, ut in aliis vestibus, et in ea pretiosior, vel crassior lana, pro utentium opibus, aut dignitate adhibebatur. Color etiam purpuræ, et auri intexti ornamenta in chlamydibus non raro leguntur. Formam exhibent varii nummi, et icones, quas affert *Ferrar. de re vestiar. par.* 2. *l.* 3. *c.* 8. — Qui discrimen aliquod inter chlamydem, sagum et paludamentum assignare volunt, in re prorsus difficili versantur. Illud tantummodo dici potest, ut apud Græcos scriptores fere semper *chlamys* (quæ vox Græca est) militibus tribuitur, sic raro admodum apud Latinos, qui *sagum* potius in re militari usurpant. Illud quoque usitatissimum est, ut paludamentum peculiare sit imperatorum, sagum et chlamys militum. Prioris usus exempla sunt apud *Cic. Pis.* 13. et 4. *Att.* 13. etc., posterioris apud *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 30 *et Pseud.* 2. 4. 45. etc. et *Virg.* 9. *Æn.* 582. Tametsi in hoc etiam aliquando contra invenitur. Nam *Sallust. fragm.* apud *Non.* 14. 10. *edit. veter.* Metello imperatori sagum tribuit: contra *Livius* 1. 26. militi paludamentum: præterea chlamydatum imperatorem legimus apud *Cic. Rabir. Post.* 10. 27. et *Val. Max.* 3. 6. 2. *et* 3. — Ceterum *chlamys* habet etiam alios usus. Ea enim usi inveniuntur etiam pueri. Hinc inter puerilia vestimenta enumeratur ab *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. Adde *Virg.* 3. *Æn.* 484. et *Sueton. Tib.* 6. Eam *Apul.* 10. *Met.* ephebicam vocat. — Item mulieres. *Virg.* 4. *Æn.* 137. *de Didone.* Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 56., ubi chlamyde aurata Agrippinam indutam ad navalis prœlii spectaculum processisse dicit. Quam, eamdem rem narrans, *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (63). vocat *paludamentum*. Item citharœdi, teste *Apul. Florid.* n. 15. — Mercurius quoque chlamyde indutus fingitur ab *Ovid.* 2. *Met.* 735. — Chlamys Macedonica a vulgari chlamyde in eo differebat, quod in extrema parte clausa erat, cum vulgaris tota esset aperta, ut *Ferrar. loc. cit.* docet. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 10. 11. (62). tradit, Alexandriam Ægypti urbem chlamydi Macedonicæ humi extentæ figuram retulisse, orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque angulosu procursu. Veteres autem omnem terram habitabilem, quam tunc noverant, extentæ chlamydi assimilarunt, teste *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 9. *ad fin.* — In illo *Horatii* 1. *Ep.* 17. 30. Alter Mileti textam cane pejus et angue Vitabit chlamydem: morietur frigore, si non Rettuleris pannum: *chlamys* sumitur pro quolibet amictu, quod superinduitur. — Cf. etiam *Plaut. Curc.* 5. 2. 13. et *Epid.* 3. 3. 56.; *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60.; *Virg.* 5. *Æn.* 250., 8. *ibid.* 588. et 11. *ibid.* 775.; *Horat.* 1. *Ep.* 6. 40. et 44.; *Plin.* 5. *Hist. nat.* 10. 11. (62).; *Sueton. Ner.* 20. et *Cal.* 25.; et *Tac.* 12. *Ann.* 56. — Ceterum omnia, quæ superius ad litteram ex *Forcellino* retulimus, sic brevius colligere poteris: *Chlamys* erat luxuriosa Macedonum Græcorum vestis, quæ ceteris superinducebatur, quæque ex lana constabat, purpureo colore atque auro intexto non raro exornata; hanc induere solebant principes viri matronæque, reges, imperatores exercitus, nec non fabularum actores, cum milites Græcos in scæna repræsentabant: ipsa aliquando usi sunt etiam Romani, qui Græco more delectabantur; et præcipue pueri ad gratiam et decorem, pro toga prætexta, chlamyde induebantur: V. *Dig.* 34. 21. 23. § 2.

CHLEUASMUS, i, m. 2. χλευασμός a χλευάζω irrideo. *Jul. Rufinian. de schem. dian.* p. 62. *Capper.* Chleuasmus est ironiæ proxima figura, cum aliquos amara oratione non sine derisu insectamur ac lædimus. Ut (*Virg.* 12. *Æn.* 359.): En agros et, quam bello, Trojane, petisti, Hesperiam, metire jacens. Latine dicitur insectatio. Inter chleuasmum autem et ironiam hoc interest, quod ironia specie magnificationis illudit et, dum laudat, irridet: at chleuasmus palam cum amara insultatione castigat. *V.* EPICERTOMESIS.

CHLORA, æ, f. 1. *Veget.* 6. *Veter.* 28. 3. *Schneid.* Chlora medicamentum, quod facit ad omnia vulnera complete lympidanda vel sine difficultate claudenda. Ceram punicam etc. *Gesnerus* tamen ad initium hujus capitis 28. hæc adnotavit: Quæ sequuntur, non videntur *Vegetii*, qui opus suum conclusit modo: sed a studioso uno pluribusve adjecta.

CHLŌREUS, i, m. 2. χλωρεύς, vox disyllaba, avis est perpetuas inimicitias cum cervo gerens, altero alterius ova noctu exquirente, ut narrat *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (203). — *NB.* De cognomine Roman. *V.* ONOM.

CHLŌRĬON, ōnis, m. 3. χλωρίων, avis magnitudine turturis, quæ et *galbula* et *vireo* appellatur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 45. (87). Chlorion totus est luteus, hieme non visus, circa solstitia procedit. *V.* VIREO, onis; et cf. not. ad *Plin. loc. cit.* in edit. Paris. *T.* 7. p. 411.

CHLŌRĪTIS, itidis, f. 3. χλωρῖτις, gemma est herbacei coloris, a χλωρός viridis; quam dicunt magi in motacillæ avis ventre inveniri, congenitam ei. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (156).

CHLORON, i, n. 2. χλωρόν, collyrium ita dictum a colore suo viridi, claritati oculorum prospiciens. *Tochòn cachets des oculistes* p. 61. Sabiniani chloron ad claritatem. — At ratione habita auctoris, est vox a Lexico expungenda. *V.* CHLORA.

CHOA, æ, f. 1. *V.* CHUS.

CHŌĂLON, i, n. 2. nomen est emplastri nigri, quod cruentis vulneribus imponitur, constans spuma argenti et resina in oleo cocta. *Cels.* 5. 19. n. 2. Alii Græce scribunt κοακὸν, unde est *Hippocratis* liber *De coacis prænotionibus*.

CHŌASPĪTIS, is, f. 3. gemma est coloris viridis, fulgoris aurei, ita dicta a Choaspe fluvio, ubi reperitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (156). *Klotz* in Genit. habet *choaspitidis*.

CHODAX. *V. Cnodax.*

CHŒNIX, icis, f. 3. χοῖνιξ, genus mensuræ apud Atticos, duos sextarios continentis: at magna chœnix, quæ καπίθη dicebatur a Persis, quatuor sextarios continebat. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* 68. Heminas recipit geminas sextarius unus, Queis, quater assumptis, Grajo fit nomine χοῖνιξ. Al. leg. *Qui quater assumptus.* Hic auctor loquitur de magna chœnice. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 5. Tribus cadis unam floris mensuram, quam Syri cadum, Græci chœnicem vocant, adjicies. *Id.* 12. *ibid.* 20. 1. In olei metreta chœnicas duas mittere. *Paul. Diac.* p. 52. 14. *Müll.* Chœnica mensuræ genus. *Paul.* et hunc Accusativum pro Nominativo habuit, ut recte adnotavit *Müll. Ennod. Paneg. Theodor.* 18. *in fin.* Ulvis liberata (*Alamanniæ generalitas*) gratulatur, terram incolens, quæ hactenus dehiscentibus domiciliis solidiori chœnicem mergebat beneficio. V. *Giovenelli, Orig. de' VII. Com.* p. 19.

CHŒRAS, ădis, f. 3. χοιράς, Græce idem est, quæ struma Latinis: a χοῖρος sus, quia sues iis sæpe laborant. *Theod. Priscian.* 1. 9. Chœradas, quas frequenter in collo, vel sub mento, vel sub axillis nasci novimus, hac cura visitamus. Adde *Apul. Herb.* 2. n. 10.

CHŒRĬLĬUS vel chœrileus, a, um, adject. ad Chœrilum poetam pertinens: hujus vero nominis plures fuerunt, quos inter qui Alexandri M. res gestas cecinit, cujus meminit *Horat.* 2. *Ep.* 1. 232. et *Art. P.* 355. Metrum Chœrilium est dactylicæ speciei, habens duos dactylos, spondæum, duos dactylos, et syllabam, ut *Nunc age Pierias versus, Dea Calliope.* Est et aliud genus, quod ἀμφίμακρος dicitur, hoc est utrinque imminutum, ut *Tibi namque decens lucet rosa vertice.* Ita *Servius* in *Centimetro* p. 1820. *Putsch.* et *Mar. Victorin.* 3. *Art. Grammat.* p. 2558. Sed *Plotius de metr. ibid.* p. 2633. octo ejus genera enumerat; atque hæc ait: Chœrileum metrum, quod et Delphicum et Angelicum nuncupatur, constat penthemimerica cæsura et syllaba et altera penthemimerica.

CHŒRŎGRYLLUS, i; m. 2. χοιρόγρυλλος, genus muris majoris, qui in Palæstina, Ægypto et Libya habitat, et *mus jaculus* nunc vocatur, Hebraice vero שָׁפָן. Ejus mentio est apud *Vulgat. interpr. Levit.* 11. 5. Chœrogryllus, qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est. Adde *Deuter.* 14. 7. *Hieronym. Ep.* 106. n. 65. Sciendum autem, animal esse non majus hericio, habens similitudinem muris et ursi: unde in Palæstina ἀρκτόμυς dicitur et magna est in istis regionibus hujus generis abundantia; semperque in cavernis petrarum et terræ foveis habitare consueverunt.

CHŎĬCUS, a, um, adject. χοϊκός, terrenus, limaceus, pulvereus: a χόος, χοῦς pulvis, terra. *Tertull. advers. Valentinian.* 24. Homo choicus et animalis. Adde *eumd. Anim.* 40. et *Resurr. carn.* 49. *Hieronym.* 1. *in Rufin.* 32. Proclamantes, veterem Adam in lavacro totum mori, et novum cum Christo in baptismate suscitari: perire choicum et nasci supercœlestem.

CHŎLĂGŌGUS, a, um, adject. χολαγωγός, χόλος bilis et ἄγω ago, qui bili emittendæ inservit. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 14. Si autem a felle fuerint icterici, purgationibus cholagogis relevandi sunt, euphorbio, epithymo, aloe, petroselino, pipere.

CHOLAS, æ, m. 1. genus smaragdi in Arabia frequentissimi. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (73).

CHŎLĔRA, æ, f. 1. χολέρα, morbus, qui ex bile nascitur, cujus symptomata accurate describit *Fronto ad M. Cæs.* 5. 40. — *a*) Sæpissime occurrit in num. sing. *Cels.* 2. 13. Si acutus est morbus, sicut in cholera. *et ibid.* Cholera laborare. *Id. ibid.* 4. 11. Primo facienda mentio est choleræ, quia commune id stomachi atque intestinorum vitium. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 73. (120). Mora bibuntur in cholera. *Id.* 20. *ibid.* 22. 93. (252). Facere choleram. *h. e.* bilem turbare, movere et ejus vomitum ciere. Adde *eumd.* 31. *ibid.* 6. 33. (66). *Lamprid. Alex. Sev.* 17. Commotione animi, stomachi choleram evomere. *h. e.* bilem. *Hieronym. Ep.* 50. n. 4. Adducere aliquem ad choleram. *h. e.* iram alicui movere. — *b*) In plurali numero. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 12. 48. (122). Choleræ ocymo inhibentur. *Id.* 20. *ibid.* 14. 52. (146). Mentastrum potum orthopnoicis, torminibus, choleris efficacissimum. *Id.* 20. *ibid.* 14. 53. (150). Menta choleras emendat. *Seren. Sammon.* 17. 293. Noxia si penitus cholerūm sævire venena Perspicies. *cholerum* est pro *cholerarum*, Græca positione χολερῶν. — Apud *Theod. Priscian.* 2. 13. genus *choleræ* ita describitur, ut videatur esse cholera morbus seu morbus Asiaticus recentiorum.

CHŎLĔRĬCUS, a, um, adject. χολερικός, ad bilem pertinens, biliosus. *Theod. Priscian.* 4. in capite de semine. Eo quod ipsum semen minutum moveatur, non ut pingue rationabiliter, sed aut cholericum, aut aquosum, aut cœnosum, aut corruptum. — Hinc

Cholericus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui choleræ morbo laborat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 72. (116). Cœliaci, dysenterici, cholerici. *Scribon. Compos.* 256. Malagma intestina soluta habentibus, et cholericis prodest.

CHŎLĔRUM, i, n. 2. idem quod cholera. *Vulgat. Ital. Eccli.* 31. 23. Vigilia, cholerum et tortio viro infrunito.

CHŌLĪAMBUS, i, m. 2. χωλίαμβος, versus iambicus trimeter, vel senarius acatalecticus, qui quinto loco iambum habet, sexto spondæum, in ceteris consentit cum iambico: ita dictus quasi claudus iambus, a χωλός *claudus*, quia deturbato a sexta iambo, et substituto spondæo, videtur quasi claudicare, ut illi *Martialis* 1. 1. *Cur in theatrum Cato severe venisti? An ideo tantum veneras, ut exires?* Dicitur etiam *scazon*, id est claudicans, a σκάζω *claudico*. *Diomed.* 3. *p.* 503. *Putsch.*

CHŌMA, atis, n. 3. χῶμα, agger, sive terræ aggestæ moles, qua aqua coërcetur: a χόω, vel χώννυμι *aggerem educo*, quod a χοῦς *terra egesta*. *Ulp. Dig.* 47. 11. 10. In Ægypto qui chomata rumpit, vel dissolvit (hi sunt aggeres, qui quidem solent aquam Niloticam continere) æque plectitur extra ordinem. Adde *Cod. Theod.* 11. 24. 6. § 7.

CHONDRILLE, es, f. 1. *vel*

CHONDRILLON, i, n. 2. χονδρίλλη et χονδρίλλον, herba est folia habens intubi, circumrosis similia, caulem minus pedali, succo madentem amaro, radicem fabæ similem, aliquando numerosam. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 45. (91). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 136.) hanc exhibet synonymiam: Χονδρίλλη, καὶ κιχώριον, καὶ σέρις Theophr.? Hist. plant. 7. 9. et 11. et Dioscor. 2. 161.; Κόλλα Græc. recent. (Lemnos), et *Chondrillon* sive *Chondrille* Plin. loc. cit. sunt *Chondrilla juncea* L. Spec. plant. 1120.

CHONDRIS, is, f. 3. herba eadem, quæ pseudodictamnus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 53. (92). et 26. *ibid.* 8. 31. (49). De synonymia *V.* PSEUDODICTAMNUS.

CHŌRA, æ, f. 1. χώρα, regio. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. p.* 20. TI. CLAVDIVS DEMETRIVS PROC. AVGG. NN. ITEM CC. EPISCEPSEOS CHORAE INFERIORIS. *h. e.* ducenarius inspectionis regionis inferioris.

CHŎRĂGĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui choragio præest, vel qui choragium instruit. *Inscript.* apud *Gruter.* 475. 2. A. TITIO A. L. BELLICO VI. VIR. AVGVSTALI CHORAGIARIO. Adde *Not. Tir.* p. 172. Choragium, choragiarius.

CHŎRĀGĬUM, ii, n. 2. χορήγιον, a χόρος *chorus* et ἡγέομαι *duco*, significat quidquid instruitur et apparatur ad chorum in scenam ducendum.

I.) Proprie. ¶ 1. Est ædificium amplum post scænam, unde promebantur omnia ad ludos necessaria. *Vitruv.* 5. 9. 1. *Schneid. Inscript.* apud *Gruter.* 42. 5., quæ est apud *Orell.* 13. TROPHIMIANVS AVG. LIB. PROCVRATOR SVMMI CHORAGI. Alia apud *Orell.* 3209. D. M. SERVATO CAESARIS N. SER. CONTRASCRIPTORI RATIONIS SVMMI CHORAGI. *h. e.* ejus, qui prope et pone amphitheatrum Flavium erat, ut habet *Nardini Roma ant. l.* 3. *c.* 9. *p.* 228. *V.* POSTSCÆNIUM. — In illo *Vitruvii* 10. 8. 4. *Schneid.*, *ubi de machinis hydraulicis*. Hæ regulæ habent ferrea choragia fixa, et juncta cum pinnis, quarum pinnarum tactus motiones efficit regularum. *Turneb.* emendat *cnodacia*: cui assentitur *Bald.* in *Lex. Vitruv.* At nihil mutandum, nam hic *Vitruv.* proprie *choragia* vocat ea, quæ Itali *saltarelli* in organis pneumaticis. ¶ 2. Item est scænicum instrumentum, quo scæna instruitur et apparatur cum chorus exit, sive ipse chorus, qui apparatus in scænam producitur. *Plaut. Capt. prol.* 61. Comico choragio agere tragœdiam. *Val. Max.* 2. 4. 6. Scænam argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (115). *Apul.* de mag. et *Paul. Diac.* p. 52. 10. *Müll.*

II.) Translate dicitur de cujuslibet rei apparatu. *Cic.* 4. *Herenn.* 50. 63. Aut aliquod fragile falsæ choragium gloriæ comparetur. *Apul.* 2. *Met.* Choragium funebre. *Id.* 4. *ibid. sub fin.* feralium nuptiarum. *Ammian.* 29. 1. *a med.* Mensula imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecrata.

CHŎRĀGUS, i, m. 2. χορηγός, est is, qui scænicis histrionibus ornamenta agendæ fabulæ necessaria, vel ab ædilibus accepta præbet vel de suo locat.

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 1. 3. 79. Ornatam adduce lepide in peregrinum modum. SA. Sed πόθεν ornamenta? TO. Abs chorago sumito: dare debet: præbenda ædiles locaverunt. Adde *eumd. Curc.* 4. 1. in titulo.

II.) Translate est etiam dux chori, vel cœtus, vel qui propter aliquid impensas sustinet, ut in cœnis. *Vet. epigr. de Augusto* apud *Sueton. Aug.* 70. Cum primum istorum conduxit mensa choragum etc.

CHORALISTRIA. *V.* CROTALISTRIA.

CHŎRAULA, æ, *vel* choraules, æ, m. 1. In Accusativo sing. num. *Sueton. Ner.* 54. dixit *choraulam*: sed *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 3. (6). et *Petron. Satyr.* 52. *extr.* dixerunt *choraulem*. — Choraules, χοραύλης, a χορός *chorus*, et αὐλή *tibia*, est qui ad chori cantum tibia sonat. Differt ab aulœdo, vel citharœdo, quia hi soli tibia, vel cithara canunt, choraules vero cum choro et cantoribus. *Petron. Satyr.* 69. Manu puer loquaci Ægyptius choraules. *h. e.*, ut ait *Sidon.* 9. *Ep.* 13., digitis canentibus. *Id. ibid.* Date ravulas choraulas, Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis. Adde *Sueton. Galb.* 12. *Martial.* 5. 56. Fac discat citharœdus, aut choraules. *Id.* 9. 78. Quod optimum sit, quæritis convivium? In quod choraules non venit. *h. e.* in quod non confluit turba, et quieta mensa est. Nam choraules turba semper comitatus venit. *Apul.* 8. *Met. ad fin.* Erat quidam juvenis, choraula doctissimus. *Alii rectius leg.* ceraula. *Inscript.* apud *Polen. Act. R. R. T.* 4. p. 353., quæ est apud *Orell.* 2633. MERTAE THISBE MONODIARIAE TI. CLAVDII GLAPHYRI CHORAVLAE. Adde aliam apud *Orell.* 2609. et *Diomed.* 3. *p.* 489. *Putsch.* — Addunt *Jos. Scalig.* in *animadvers.* ad *Euseb.* ad *ann.* 1995. et *Voss.* in *Etymol.* choraulem, qui ad tibiam saltat, ὁ πρὸς αὐλὸν χορεύων, sed non probant. Unus auctor effect *Isid.* in *Gloss.* Coraula joculatius.

CHŎRAULE, es, f. 1. χοραύλις, quæ ad chori cantum tibia sonat. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 612., quæ est apud *Orell.* 2610. LICINIA M. CRASSI LIB. SELENE CHORAVLE.

CHŎRAULICUS, a, um, adject. χοραυλικός ad choraulem pertinens. *Diomed.* 3. *p.* 489. *Putsch.* Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id est choraulicis, artifex concinebat. In canticis autem, pithaulicis responsabat.

CHORDA, æ, f. 1. χορδή.

I.) Proprie. ¶ 1. Est cibi genus ex intestinis animalium, omasum, apud *Athen. l.* 3. *c.* 14. et *l.* 9. *c.* 1. Hinc *Petron. Satyr.* 66. 7. Habuimus caseum mollem et cochleas singulas et chordæ frusta. Al. leg. *cordæ* eod. sensu. Itali dicunt *trippe*. *V.* CHORDULA. ¶ 2. Funiculus in instrumento musico, qui Latine *fides* dicitur: a χορδή *intestinum*, quia ex tenuioribus animantium intestinis tissis contortisque fieri solet. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Voces ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 59. 149. et *Lucr.* 2. 412. *Horat.* 4. *Od.* 9. 4. Verba loqui socianda chordis. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 3. 8. et *Art. P.* 348. et 356. *Tibull.* 2. 5. 3. vocales impellere pollice chordas. Adde *eumd.* 3. 4. 70. *Ovid.* 2. *Fast.* 108. Reddidit icta suos pollice chorda sonos. *Id.* 5. *Met.* 339. Pollice prætentare chordas. *Id.* 10. *ibid.* 145. tentare impulsas. *Id.* 2. *Amor.* 4. 27. querulas agili percurrere pollice chordas. *Id. Rem. am.* 336. tangere. Adde *Senec. Troad.* 833., et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (204). *Stat.* 1. *Achill.* 187. Experiri chordas. *h. e.* tentare, an congruenter respondeant.

II.) Figurate accipitur pro fune. *Plaut. Most.* 3. 2. 55. Nunc tibi chorda tenditur; inde in ferriterium, postea in crucem recta. *h. e.* tibi vincula parantur. *Lambin.* explicat: arcus intento fune in te dirigitur, et periculum tibi creatur. Alii sic interpretantur: retia, hoc est insidiæ tibi tenduntur.

CHORDĂCISTA, æ, m. 1. qui chordis seu fidibus canit. *Capell.* 9. *p.* 313. Psaltas, chordacistas, sambucas, hydraulas per totum orbem ad commodum humanæ utilitatis inveni. *Al. leg.* cordacistas, *et eos intelligunt, qui cordacem saltant, quod hoc loco minus aptum est.* Hucusque *Forcellinus.* At *Auct. Thesaur. N. Latin.* ed. *Mai* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 101. et 141. postremam lectionem tuetur: et *Kopp* ad *Capell. l. c.* hæc ait: Χορδακιστάς in Græco sermone non novimus, sed κορδακιστάς, qui κόρδακα saltarent, de quo vide *Athenæum* 14. 27. et *Lucian. de saltat.* 2. 2.: verumtamen cum hic de instrumentis musicis agatur, *Martiani* potius, quam librariorum errorem esse arbitror, qui a *chorda* vocem derivandam sibi persuaserit.

CHORDAPSUS, i, m. 2. χόρδαψος, morbus ventris cum inflammatione et tumore intestini plenioris instar chordæ extenti: a χορδή *intestinum*, et ἅπτω *accendo*: vel ἀπὸ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, quod qui manu tangit, tensam chordam sibi tangere videatur. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17.; *Veget.* 2. *Veterin.* 13. et 21. *Schneid.*; *Theod. Priscian.* 4. 8.; et Græce *Cels.* 4. 13.

CHORDŬLA, æ, f. 1. *deminut. a chorda*, parva chorda, sive intestina tenuia, quæ ab Italis *trippe* vocantur. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 17. *Schneid.* Caput hædinum depilatum cum pedibus suis et chordulis intestinorum mundis.

CHORDUS *vel* cordus, a, um, adject. serotinus, tarde nascens aut maturescens: antiqua vox, quæ de brutis et plantis tantum occurrit. De origine ita *Varro* 2. *R. R.* 1. 19. Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur, ac remanserunt in vulvis intimis: vocant χορίον (*h. e.* membranam, *qua fetus involvitur*) a quo chordi appellati. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 2. 5. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (187). Oves gerunt partum diebus CL: chordos vocabant antiqui post id tempus natos. *Cato R. R.* 5.; *Colum.* 7. *R. R.* 3. 21. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (262). Fœnum chordum. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 21. olim. *Paul. Diac.* p. 65. 10. *Müll.* frumenta. — Etiam de hominibus sero natis usurpabatur. *Quintil.* 3. 4. 15. Nomina ex casu nascentium: hinc Agrippa, et Opiter, et Chordus, et Postumus. Hinc Cremutius Chordus, Junius Chordus etc. *V.* ONOM.

CHŎRĒA *vel* chŏrĕa, æ, f. 1. χορεία, saltatio, tripudium cum cantu; a χορός *chorus*. — Occurrit

I.) Proprie. — *a*) Raro in singulari numero. *Lucret.* 2. 636. de *Curetib.* Cum pueri circum puerum pernice chorea Armati in numerum pulsarent æribus æra. *Propert.* 2. 21. 33. Hic ubi me primâ statuent in parte choreæ. *Virg. Cul.* 19. celebrate deum plaudente chorea. — *b*) Sæpius in plurali numero adhibetur. *Virg.* 9. *Æn.* 615. juvat indulgere choreis. *Id.* 10. *ibid.* 224. Agnoscunt longe regem lustrantque choreis. *Horat.* 1. *Od.* 9. 16. neque dulces amores Sperne puer, neque tu choreas. *Id.* 2. *ibid.* 19. 25. Quamquam choreis aptior et jocis Ludoque dictus. *Id.* 4. *ibid.* 6. 15. lætam Priami choreis Falleret aulam. *Tibull.* 1. 3. 59. Huc ades et centum ludis Geniumque choreis Concelebra. *Propert.* 2. 8. 5. Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis. *Ovid.* 8. *Met.* 581. festas duxere choreas. *Id.* 3. *Fast.* 537. ducunt positas duro cratere choreas. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 269. *Martial.* 1. 105. Molles choreas dare. *Manil.* 5. 239. disponere. *Claudian. B. Gild.* 448. Cantatrices choreæ. *h. e.* quæ ducuntur ad cantum. — *c*) Nonnumquam poetæ, extrita altera syllaba diphthongi, penultimam corripiunt. *Virg.* 6. *Æn.* 644. Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt. *Tibull.* 1. 3. 59. Hic choreæ cantusque vigent. *Propert.* 2. 14. 15. Protinus et nuda choreas imitabere sura.

II.) Figurate dicitur de cursu astrorum. *Varro* apud *Non.* p. 451. 11. *Merc.* Cum pictus aer fervidis late ignibus Cœli choreas astricas ostenderet. *Manil.* 1. 668. Et quinque adverso luctantia sidera mundo Exercent varias naturæ lege choreas.

CHŌRĔPISCŎPUS, i, m. 2. χωρεπίσκοπος, qui episcopi vices gerit in pagis et vicis, ejusque munera minoris momenti in iis locis obit: sive is episcopali dignitate sit, sive non: qua de re *V.* apud *Du Fresne* in *Glossario*. Est autem quasi τοῦ χώρου, idest agri, vel τῆς χώρας, idest regionis episcopus, vel ἐν χώρα, *h. e.* vice, loco episcopi. De his mentio fit a *Justinian. Cod.* 1. 3. 42.

CHŎRĒUS *vel* chŏrius, ii, m. 2. χορεῖος, subaudi *pes*. ¶ 1. Apud veteres Latinos choreus erat pes metricus disyllabus, qui et *trocheus* appellatur, constans longa et brevi, ut *arma*, *vincor*: ita dictus quod ex eo compositi versus choreis saltandis et choreis ducendis aptissimi sunt. *Cic. Orat.* 63. 612. et *Quintil.* 9. 4. 80. — *b*) Apud recentiores choreus dicitur tribrachys, pes trisyllabus tribus brevibus constans, ut *terere*, *pedibus*. *Diomed.* 2. p. 461. et 3. p. 475. *Putsch.*

CHOREUTES, æ, m. 1. χορευτής, saltator quilibet ex choro. Putant quidam legi in fragmento *Petronii* supra allato in CHORAULAS, sed valde incerta res est.

CHŎRĬAMBĬCUS, a, um, adject. χοριαμβικός, ad choriambum pertinens. *Diomed.* 3. *p.* 500. *Putsch.* et *Servius* in *Centim.* p. 1822. Choriambicum metrum. Tale est illud *Horatii* 1. *Od.* 8. 2. Te deos oro Sybarim quid properes amando. — Alia quatuor sunt ejus genera, quæ V. apud *Serv. loc. cit.* — *Sidon.* 9. *Ep.* 13. Choriambicus versus.

CHŎRĬAMBUS, i, m. 2. χορίαμβος, pes metricus quatuor syllabarum, constans choreo et iambo, hoc est prima et ultima longis, et duabus mediis brevibus

ut nobilitas, distulerant. *Diomed.* 3. p. 478. *Putsch.* et *Mar. Victorin.* p. 4290. *Putsch.* — Hinc

Choriambus, a, um, adjective occurrit apud *Auson.* 10. *Ep.* 37. Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos Carpentis impone tuis.

CHŎRĬCUS, a, um, adject. χορικός, ad chorum pertinens. *Diomed.* 3. p. 489. Choricæ tibiæ. *V.* CHORAULICUS. *Auson. præfat. ad Centon. nupt.* et *Servius in Centim.* p. 1821. *Putsch.* Choricum metrum. *h. e.* quod choris aptum est; est enim species metri anapæstici, constans monometro hypercatalecto, ut *Animus male fortis.* — Hinc

Chorici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, qui choris, seu choreis et hujusmodi delectantur. *Firmic.* 3. *Mathes.* 14. Faciet etiam musicos, choricos, et qui musicos choros faciant.

CHŎRĬON, ii, n. 2. χορίον. *Vitruv.* 2. 8. *edit. veter. de structuris parietum.* Ponunt de silice, seu de lapide duro structuram ordinariam, et ita alligant eorum alternis choriis coagmenta. *et paullo post.* Isodomum dicitur, cum omnia choria æqua crassitudine fuerint structa: pseudisodomum, cum impares et inæquales ordines choriorum diriguntur. *Choria* appellat, inquit *Salmas.* in *Solin.*, ordines lapidum, qui æquali crassitudine sunt in structura isodomo. Addit autem, eadem significatione esse *ab eod. ibid.* 3. Lateres ad lineam cum struuntur, alternis choris parietes alligantur. *et cit. cap.* 8. Sed nostri celeritati studentes, erectos choros locantes, frontibus serviunt, etc. Sic enim utroque loco legit ex veteri MS. *Choros* autem esse ait, quos ibidem dixerat *ordines*, ducta translatione a choris hominum ordine consedentium, aut ludentium, et manibus invicem connexorum. Itaque *chori* et *choria* sunt, ex ejus sententia, ordines et series laterum, aut lapidum, quibus veluti fasciis omnis parietum structura colligatur, Italice un *corso*. Alii tamen minus recte leg. ubique *coria*; *Schneider* vero ubique *chorus*. Sed sive *chorion*, sive *chorus* legere mavis, perinde est, dummodo ex χορός deducas, qui proprie significat ordinem rerum apte inter se nexarum. *V.* CHORUS.

CHŎRĬUS. *V.* CHOREUS.

CHŌRŎBATES, æ, m. 1. χωροβάτης, instrumentum ad perlibrandas aquas, et loca, per quæ perducendæ sunt. Est enim regula longa circiter pedum viginti, habens in capitibus extremis ancones ad normam coagmentatos, et inter regulam et ancones transversaria, in quibus sunt lineæ ad perpendiculum descriptæ, pendentiaque ex regula perpendicula in singulis partibus singula. Ea humi collocata indicat libratam collationem. *Vitruv.* 8. 5. 1. *Schneid.*, ubi *Dan. Barbarus* et *Rusconius* figuram exhibent. Dicitur a χώρα *regio*, et βαίνω *gradior.* Aquam enim, inquit *Bald. in Lex. Vitruv.*, diligenter librare non possumus, nisi regionem, per quam ducenda est, obambulemus, et oculis minute perlustremus.

CHŎRŎCĬTHĂRISTA, æ, *et* Chorocitharistes, æ, m. 1. χοροκιθαριστής, qui in choro citharizat. *Sueton. Domit.* 4. Præter citharœdos, chorocitharistæ quoque et psallocitharistæ. Ubi *chorocitharistæ* et *psallocitharistæ* opponuntur. *Chorocitharistæ* enim dicuntur, qui cum aliis canunt; psallocitharistæ qui vel soli canunt cithara sine melodia vocis, ut *Turnebo l.* 20. c. 16. placet, vel una cum voce citharam pulsant, ut *Casaubon. ex Athen.* et *Platone* interpretatur. Alii rectius leg. *psilocitharistæ*, ψιλοὶ κιθαρῳδοί, sola cithara, sine voce canentes. *Not. Tir.* p. 172. Chorocitharistes, psilocitharistes. Ubi tamen mendose legitur *chorocitarestis*, et *philocitarestis*. V. vocem seq.

CHŎRŎCĬTHĂRISTRIA, æ, f. 1. χοροκιθαρίστρια, quæ in choro citharizat. *Not. Tir.* p. 172. Chorocitharistria, chorocitharistes, psilocitharistria, psilocitharistes. *ubi mendose legitur* chorocitaris, chorocitarestis; philocitaris, philocitarestis. — At hæc a Lexico sunt expungenda, ratione habita auctoris.

CHŎRŎGRĂPHĬA, æ, f. 1. χωρογραφία, regionis alicujus descriptio, *v. gr.* agri Patavini: a χώρα *regio* et γράφω *describo.* ¶ 1. *Chorographia* inscribitur opus Ciceronianum, quod memorat *Priscian.* 6. p. 717. *Putsch.* Vide *Cicer. opera omnia* edita ab *Orell. T.* 4. *part.* 2. p. 493. ¶ 2. Item *Chorographia* inscribitur opus hexametris versibus exaratum P. Terentii Varronis Atacini, in quo non modo terrestres regiones, sed cœlestes etiam descripsit, orbemque pariter siderum et planetarum. Ejus operis fragmenta collegit et illustravit *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 5. p. 1402. et seqq.

CHŌRŎGRĂPHUS, i, m. 2. χωρογράφος, regionis descriptor. *Vitruv.* 8. 2. 6. *Schneid.* Hæc autem sic fieri testimonio possunt esse capita fluminum, quæ orbe terrarum chorographis picta, itemque scripta plurima maximaque inveniantur egressa ad septentrionem. *Schneiderus* ita edidit. *Aliæ editiones habent* chorographiis.

CHŎROS, i, f. 2. herba eadem atque acoros. *Apul. Herb.* 6. At ibi lectio mendosa esse videtur.

CHORS *vel* cors, tis. *V.* COHORS.

CHORTĬNOS, e, on, adject. χόρτινος: unde *chortinon oleum* est quod fit ex gramine herba: nam gramen Græce χόρτος dicitur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (30).

CHŎRUS, i, m. 2. χορός, saltantium et canentium ordo nexusque: et occurrit *A*) Abstracte, et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte chorus dicitur ipsa saltatio, quæ a pluribus fit, chorea: qua significatione occurrit apud Poetas tantum, et quidem — *a*) Fere in plur. numero. *Horat.* 4. *Od.* 7. 5. Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet Ducere nuda choros. *Id. ibid.* 25. 42. et ad molles membra choros. *Martial.* 4. 44. Hoc nuper Satyri monte dedere choros. — Porro pluribus jungitur Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Propert.* 2. 3. 18. agere choros. *Virg.* 4. *G.* 533. agitare. *Seneca Herc. Œt.* 594. celebrare. *Horat.* 1. *Od.* 4. 5. et loco super. cit.; et *Tibull.* 2. 1. 56. ducere. *Virg.* 1. *Æn.* 499. exercere. *Id.* 11. *ibid.* 737. indicere. *Id.* 4. *ibid.* 145. instaurare. *Seneca Herc. Œt.* 371. nectere. *Stat.* 2. *Achill.* 148. ostentare. *Id. ibid.* 163. rumpere. *Horat.* 2. *Od.* 12. 17. ferre pedem choris. *Propert.* 4. 6. 70. arma exuere ad choros. *Id.* 3. 5. 20. Musarum choris implicare manus. — *b*) Raro admodum in sing. *Tibull.* 1. 7. 44. chorus et cantus et levis amor. *Ovid.* 3. *Met.* 685. in chori ludere speciem. — *c*) Et de siderum cursu vel chorea *Tibull.* 2. 1. 88. currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro.

B) Concreto, uti ajunt, sensu. ¶ 1. Chorus significat ordinem nexumque hominum saltantium et canentium. — *a*) Generatim. *Cic.* 5. *Phil.* 6. 11. Saltatores, citharistas, totum denique comissationis Antonianæ chorum in tertiam decuriam judicum scitote esse conjectum. Cf. *Catull.* 63. 30. *Virg.* 1. *G.* 346. Omnis quam chorus et socii comitantur ovantes. *Id.* 6. *Ecl.* 67. Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis. *h. e.* Musæ. Cf. *Horat. carm. sæc.* 75. Rursus *Virg.* 4. *G.* 460. Chorus Dryadum. *Id.* 5. *Æn.* 240. Nereidum Phorcique chorus. *Id.* 9. *ibid.* 112. Idæi chori. *Id.* 8. *ibid.* 718. Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aris. *Horat.* 1. *Od.* 1. 31. Nympharumque leves cum Satyris chori. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 4. Ubi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam — canere videtur. *Sueton. Cal.* 37. Quibus (*navigiis*) discumbens de die inter choros ac symphonias littora Campaniæ peragraret. *Ovid.* 3. *Fast.* 764. Chori feminei. *Id.* 2. *ibid.* 156. sacer. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (26). Phorci chorus. *Martial.* 12. 3. Pierius. *Juvenal.* 11. 163. canorus. *Sil. It.* 17. 20. semiviri. — *b*) Speciatim dicitur de cœtu eorum, qui in scena simul canunt et interloquuntur: et de ipso carmine, quod ab iis canitur. *Horat. Art. P.* 193. Actoris partes chorus officiumque virile Defendat. Adde *eund. ibid.* 204. et 283. et 2. *Ep.* 1. 134.; *Gell.* 19. 10.; et *Dig.* 32. 79. pr. — *c*) Speciatim a Poetis dicitur de cœtu siderum. *Horat.* 4. *Od.* 14. 21. Pleiadum choro scindente nubes. Adde *Propert.* 3. 3. 58. et *Stat.* 1. *Achill.* 643. ¶ 2. Sumitur etiam pro quocumque cœtu et comitatu. — *a*) Generatim. *Cic. Mur.* 24. 49. Catilina stipatus choro juventutis. *Id.* 14. *Att.* 8. 1. Bajana negotia chorumque illum, de quo scire vis, cum perspexero, tum scribam. *h. e.* turbam hominum, qui Bajis versantur voluptatis causa. *Id.* 1. *Fin.* 8. 26. Epicurum pæne a philosophorum choro sustulisti. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 1193. EX EPICVREIO GAVDIVIGENTE CHORO. Rursus *Cic.* 3. *Off.* 33. 116. Chorus virtutum. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 77. Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes. *Id.* 4. *Od.* 3. 15. Chorus vatum. *Id.* 2. *ibid.* 5. 21. puellarum. *Seneca Agam.* 454. Chorus piscium lascivit. — *b*) Pro caterva pugnantium ludicro certamine. *Virg.* 5. *Æn.* 580. Olli discurrere pares atque agmina terni Diductis solvere choris. — *NB.* Quidam Lexicographi addunt *chorum* esse musicum instrumentum duabus æreis fistulis constans, quarum altera inspiretur, altera sonum emittat: idque auctoritate *Hieronymi* in *Epist. ad Dardanum de divers. generib. musicorum*, ut habetur in edit. a. 1470.; sed jamdiu est, cum illam esse supposititiam a viris doctis deprehensum est. — De alia vero significatione, quæ huic voci tribuitur *V.* CHORION.

CHRĒSĬMON, i, n. 2. χρήσιμον, est signum ℞, quo delenda in lectione dispungimus. *Cassiod. Instit. div. litt.* 1. ad *fin.* In operibus Origenis, quantum transiens invenire prævalui, loca, quæ contra regulas Patrum dicta sunt, chresimi dispunctione signavi. Cf. *Isid.* 1. *Orig.* 21. 22., et V. *Pignor. Symbol.* 24.

CHRESTŎLŎGUS, i, m. 2. χρηστολόγος, qui bene loquitur, sed male facit: vel qui blandus est magis, quam benignus: a χρηστός *bonus, benignus*, et λέγω *dico.* Hoc convicio notatus est a suis Pertinax imperator Rom., teste *Capitolin. in ejus Vita* 13. et *Aurel. Vict.* in *Epitom.* 18.

CHRESTON, i, n. 2. χρηστόν, appellatur a quibusdam cichorium herba, propter singularem salubritatem: a χρηστός *utilis, commodus.* *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 30. (74).

CHRĪA, æ, f. 1. χρεία, est commemoratio, seu explicatio alicujus dicti, vel facti, vel utriusque simul, certis capitibus comprehensa: sic dicta, quod est exercitatio valde utilis ad eloquentiam adipiscendam. Nam χρεία est *usus, utilitas, commodum.* Triplex est, activa, quæ factum aliquod exponit: verbalis, quæ sententiam ab aliquo prolatam explicat; mixta, quæ factum quodpiam sermone conjunctum complectitur. Partes ejus octo sunt, encomium, paraphrasis, causa, contrarium, simile, exemplum, testimonium veterum, epilogus. — Proprie *chria* vocatur ipsum dictum, aut factum, quod chriæ materia est, et Latine *oraculum* et *scitum* dici potest. *Seneca Ep.* 33. Ideo pueris et sententias ediscendas damus, et has, quas chrias Græci vocant, quia complecti eas puerilis animus potest. *Quintil.* 1. 9. 3. Sententiæ quoque, et chriæ, et ethologiæ, subjectis dictorum rationibus, apud Grammaticos scribantur. *V.* ibi reliqua, quibus plura chriarum genera enumerat. — De ratione declinandi per omnes casus exercitationem chriarum disserit grammatico more *Diomed.* 1. p. 280. *Putsch.*

CHRISMA, ătis, n. 3. χρῖσμα *unctio:* a χρίω *ungo.* *Tertull. Baptism.* 7. et *advers. Jud.* 13.; et *Prudent.* 6. *Cathemer.* 128. et *Psychom.* 361.

CHRISMATICUS, a, um, adject. χρισματικός. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 194.

CHRISTĬĀNĒ, adv. Christiano more, atque adeo caste, sancte, religiose. *Augustin. Ep.* 89. *sub fin.* Domus suas et familias Christiane regunt.

CHRISTĬĀNISMUS, i, m. 2. χριστιανισμός, Christianorum religio. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 33. *post med.*

CHRISTĬĀNĬTAS, ātis, f. 3. ¶ 1. Est idem quod Christianismus, religio scilicet Christianorum. *Augustin. in serm. Domini in monte* 2. 12 Qui autem in professione Christianitatis, inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, etc. Adde *Cod. Theod.* 16. 7. 7. § 1. et 3., et 16. 8. 19. ¶ 2. Sumitur pro Christianorum cœtu. *Cod. Theod.* 15. 5. 5. ¶ 3. Item pro clericatu in religione Christiana. *Imppp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 12. 1. 123. et *Impp. Valentinian. et Valens ibid.* 14. 3. 11.

CHRISTĬĀNĪZO, as, āre, n. 1. χριστιανίζειν, Christianum agere, Christianam religionem profiteri. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 21.

CHRISTĬĀNUS, a, um, adject. χριστιανός, cujus Superl. *Christianissimus* legitur apud *Hieronym. Ep.* 57. n. 12., est ad CHRISTUM et Christianam religionem pertinens. *Cod.* 16. 8. 18. et *seq.* Fides christiana. *Ibid.* 16. 8. 13. lex. *Ibid.* 9. 40. 16. § 2. religio. Adde Ecclesiasticos Scriptores fere omnes, *Lactant.*, *Tertull.* etc. — Hinc

Christianus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Qui Christi religionem profitetur; et sæpius in plurali numero occurrit. *Sueton. Ner.* 16.; *Tac.* 15. *Ann.* 44.; *Plin.* 10. *Ep.* 97.; *Trajan.* apud *eund. loc. cit. Ep.* 98.; et præterea *Lactant.*, *Tertull.*, *Arnob.*, *Hieronym.* etc. sæpissime, et lapides duo apud *Gruter.* 280. 2. et 3. ¶ 2. Item sacerdos, qui christianam religionem profitetur. *Cod. Theod.* 5. 3. 2. § 4. et 12. 1. 50. *pr.*

CHRISTĬCŎLA, æ, m. et f. 1. In Genit. plur. *Christicolûm* pro *Christicolarum* dixit *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 1062. et 3. περὶ στεφ. 72. — Christicola est qui CHRISTUM colit, Christianus. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 56. et 8. *ibid.* 80. præter loc. superius cit.

CHRISTĬCŎLUS, a, um, adject. qui CHRISTUM colit. *Venant.* 2. *carm.* 12. 11. Qui cum Romana properasset ab urbe Tolosam, Et pio christicoli semina ferret agri.

CHRISTĬGENA, æ, m. et f. 1. qui genere CHRISTUM contingit. *Prudent. Hamartig.* 789. *de Ruth.* Christigenam fecunda domum Davidica regna Edidit.

CHRISTĬPŎTENS, entis, adject. qui in CHRISTO potest, qui fide et pietate in CHRISTUM valet. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 709. Christipotens juvenis.

CHRŌMA, ătis, n. 3. χρῶμα, proprie est color: sed ea ratione quæ inter picturæ colores et varios musicæ sonos intercedit, apud Latinos *chroma* genus est musicæ, quæ, ut inquit *Vitruv.* 5. 4. 3. *Schneid.*, subtili solertia ac crebritate modulorum suaviorem habet delectationem. *Capell.* 9. p. 323. Chroma dicitur, quod hemitoniis componitur; sicut enim quod inter album nigrumque est, color dicitur; ita hoc Croma, quia inter utrumque est, nominatur. *V.* COLORABILIS. — A nostris musicis *chromata* dicuntur nigræ notulæ minutiores, vel a colore, vel quod in chromatico modulationis genere præcipue locum habent. V. *Petr. Gassend. in manuduct. ad theor. Musices.*

CHRŌMĂTIĀRIUS, ii, m. 2. *Vet. Scholiast. Persii* 4. 18. Chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet.

CHRŌMĂTĬCĒ, es, f. 1. χρωματική, una ex tribus musicæ partibus, quæ et *chroma* dicitur. *Vitruv.* 5. 4. 4. *Schneid. Capell.* 9. p. 315. Diesis secunda tritemoria nominatur, quoniam habet partem tertiam toni: itemque chromatice appellatur, quod chromaticum modulandi genus per ipsam finditur. *V.* CHROMA.

CHRŌMĂTĬCUS, a, um, adject. χρωματικός, ad chroma pertinens. *Vitruv.* 5. 5. 5. *Schneid.* Chromaticum genus symphoniæ. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 2. 4. *extr.* Chromaticæ musicæ. *h. e.* idem quod chroma, et chromatice. Adde *Capell.* locum in voc. præced.

CHRŌMIS, is, f. 3. χρόμις, piscis est marinus in aquis nidificans, et auditus sensu acuto præditus. *Ovid. Halieut.* 121.; et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 89. (193). et 32. *ibid.* 11. 54. (153). — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

CHRŎNĬCA, ōrum. *V.* voc. seq. in fin.

CHRŎNĬCUS, a, um, adject. χρονικός, ad tempus pertinens, vel tempus spectans. Est vox artium propria, et ¶ 1. Apud Medicos *chronici morbi* sunt, qui diu durant: quibus opponuntur *acuti*, qui brevi vel sanantur, vel conficiunt. *Cœl. Aurel.* quinque libros suos *Chronicorum morborum* inscripsit. Cf. *Isid.* 4. *Orig.* 7. Hinc *perpetua valetudo* est, quam Itali nunc *malattia cronica* dicunt. *V.* VALETUDO. ¶ 2. In re litteraria *chronici libri* sunt historiæ cum descriptione temporum, quibus scilicet res gestæ servato temporum ordine digeruntur. *Gell.* 17. 21. Excerpebamus ex libris qui chronici appellantur. *Et paullo post.* Nepos in primo chronico. *subaudi* libro. — Hinc

Chronica, ōrum, et ōn, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, idem sunt quod libri chronici. Chronica different ab annalibus, quod hi commemorant, quid quoque anno in gente una contigerit, illa plurium gentium res exponunt. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 35. (58). Chronicorum errore non dubio. *Gell.* 13. 16. In chronicis scriptum est. *Id.* 17. 4. Apollodori liber, qui chronica inscriptus est. Adde *eumd.* 17. 21. et *Isid.* 6. *Orig.* 1. 7.

CHRŎNĬUS, a, um, adject. χρόνιος, ad tempus pertinens, idem quod chronicus. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 28. et 3. *ibid* 16. Chronii morbi. *V.* CHRONICUS 1.

CHRŎNŎGRĂPHUS, i, m. 2. χρονογράφος, qui res gestas per sua quæque tempora digerit, ac describit: a χρόνος *tempus* et γράφω *scribo*. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *extr.* Varronem logistoricum sicut poposceras, et Eusebium chronographum misi.

CHROTTA, æ, f. 1. fidicula: Anglice *crowd*, quod a χρούω *pulso*. *Venant.* 7. *carm.* 8. 63. Romanusque lyra plaudat tibi, Barbarus harpa, Græcus Achilliaca, chrotta Britanna canat.

CHRȲSALLIS *et* chrysalis, ĭdis, f. 3. χρυσαλλίς et χρυσαλίς. Hoc nomine appellabantur insecta, quæ primo sui ortu vermiculi sunt, deinde circa se folliculum, seu telam aranei similem obdurunt, eaque se involvunt: ex qua postea se expedientes, emissis alis evolant, ut v. gr. bombyces ex quibus sericum conficitur. Cum itaque folliculo illo involuta sunt, *chrysallides* appellantur: a χρυσός *aurum*, quia multæ harum bestiolarum aurei coloris inveniuntur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 32. 37. (112). et *ibid.* 35. 41. (117).

CHRȲSANTHĔMON *vel*

CHRȲSANTHĔMUM, i, n. 2. χρυσάνθεμον, alio nomine heliocryson, herba est ramulos habens candidos, folia subalbida, abrotono similia, ad solis repercussum aureæ lucis, in orbem veluti corymbis dependentibus, qui numquam marcescunt: a χρυσός *aurum*, et ἄνθεμον *flos*: heliocrysos vero est ab ἥλιος *sol* et χρυσός *aurum*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 25. 98. (168). et 26. *ibid.* 8. 53. (87). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 401). probabiliter affirmat, *Chrysanthemon* Plin. l. c. esse *Chrysanthemon segetum* L. Spec. plant. 1254.

CHRȲSANTHĔS, is, n. 3. χρυσανθές, herba eadem fortasse ac chrysanthemum. *Virg. Cul.* 403. Chrysantesque, hederæque nitor, pallente corymbo. *Alii leg.* chrysanthusque.

CHRYSANTHUS. *V.* voc. præced.

CHRYSATTĬCUS, a, um, adject. χρυσάττικος, vox composita a χρυσός *aurum* et Ἀττικός *Atticus*. Ita vocatur genus aliquod vini arte elaborati, quod aureo erat colore, eoque præcipue utebantur Athenienses. Ejus mentio ex Græcis est apud *Alex. Trallian.* l. 2. c. 2., in *Gloss. Philox.* et apud *Ducang. Gloss. med. et infim. Græcit.*: tum ex Latinis apud *Lactant. Placid. Gloss.* ab *A. Mai* edit. in *Class. Auct. T.* 3. p. 443., ubi perperam legitur: Crisatium, genus quoddam vini; in *Edict. Dioclet.*; ac præcipue apud *Coripp. Laud. Justin.* 3. 100. Fusca dabant fulvo chrysattica vina metallo, Quæ natura parit liquidi non indiga mellis. *V. Cassiod.* 12. *Variar.* 4.

CHRȲSĒLECTRUM, i, n. 2. χρυσήλεκτρον. ¶ 1. Est genus electri coloris aurei: a χρυσός *aurum*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 12. (51). ¶ 2. Est gemma in colorem electri declinans matutino tantum aspectu jucunda. *Id.* 37. *ibid.* 9. 43. (127).

CHRȲSENDĔTA. *V.* voc. seq. in fine.

CHRȲSENDĔTUS, a, um, adject. χρυσένδετος, auro vinctum, auro ornatum, aureo emblemate insertum: a χρυσός *aurum*, et ἐνδέω *illigo*, *adstringo*. *Martial.* 14. 97. *in lemmate.* Lances chrysendetæ. — Hinc

Chrysendeta, ōrum, subaudi *vasa*, sunt aurea vasa escaria, in quibus cibi mensæ inferendi reponuntur. *Martial.* 2. 43. 11., 6. 94. 1. et 14. 97. 1.

CHRȲSĔUS et chryseos, a, um, adject. χρύσεος *aureus*: a χρυσός *aurum*. *Apul. Herb.* 128. Chryseos basiliscus, *h. e.* coloris aurei. *V.* CHRYSOCEPHALOS. *Martial.* 9. 95. 4. Chalcea donanti chrysea qui dederat.

CHRȲSIPPĒUS, a, um, adject. ad Chrysippum pertinens. *V.* ONOM. — Hinc

Chrysippea, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est herba a Chrysippo inventore sic dicta. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 9. 60. (93). Auctore Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 403.) quænam fuerit hæc herba plane ignoratur

CHRȲSĪTES, æ, m. 1. χρυσίτης, subaudi *lapis*. ¶ 1. Est niger lapis, intermixtis micis aurei coloris, a χρυσός *aurum*, idem ac basanites, seu Phrygius lapis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 43. (157). ¶ 2. Item gemma, quæ et *phloginos* appellatur, ochreæ Atticæ assimilata, et in Ægypto invenitur. Porro *phloginos* dicitur a colore flammeo, qui cum aureo valde convenit. *Id.* 37. *ibid.* 10. 66. (179).

CHRȲSĪTIS, ĭdis, f. 3. adject. χρυσῖτις. ¶ 1. Subaudi *spuma*, et ea dicitur, quæ in argenti fodinis fit, colore flavo, seu aureo: a χρυσός *aurum*. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (106). ¶ 2. Subaudi *herba*, et eadem est, quæ chrysocome dicitur, palmi altitudine, comantibus fulgore auri corymbis, radice nigra ex austero dulci, in petrosis opacisque nascens. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 26. (50). et *ibid.* 20. 85. (148). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 31.) hanc exhibet synonymiam: Χρυσοκόμη, Dioscor. 4. 55.; Χρυσοκόμη, οἱ δὲ Χρυσῖτις, οἱ δὲ Χρυσάνθεμον ejusd. in Notulis; Χρυσοκόμη, καλεῖται δὲ καὶ Χρυσίτης — Ῥωμαῖοι Ἴβις βάρβα Galen. de facult. simpl. 8. p. 242., et *Chrysocome* sive *Chrysitis* Plin. loc. cit. sunt *Chrysocoma Linosyris* L. Spec. plant. 1178.

CHRȲSŎASPĬDES, um, m. plur. 3. χρυσοάσπιδες, milites, qui clypeos auro cælatos gestant: a χρυσός *aurum* et ἀσπίς *clypeus*. Alexander Severus Imp. Alexandrum imitaturus, fecerat sibi argyroaspidas et chrysoaspidas, ut scribit *Lamprid.* in *ejus vita* 50. Tale quid priscis etiam Reip. Rom. temporibus factum a Samnitibus, scribit *Liv.* 9. 40. — Forcellinus hoc nomen aliter efferebat, scilicet *chrysoaspidæ*, *arum*.

CHRȲSŎBĒRYLLUS, i, m. 2. χρυσοβήρυλλος, beryllus pallidior, cujus viriditas in aureum colorem resplendet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (76).

CHRȲSŎCĀLIS, is, f. 3. herba eadem ac parthenium. *Apul. Herb.* 23.

CHRYSOCANTOS, i, f. 2. Falsa lectio. *V.* voc. seq.

CHRȲSŎCARPUS, a, um, adject. χρυσόκαρπος, hoc est aureis baccis præditum, et ita appellatur a *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (147). genus hederæ, grana ferens coloris aurei. — Hinc apud *Apul. Herb.* 19. pro chrysocantos, corrigendum est *chrysocarpus*.

CHRȲSŎCĔPHĂLOS, i, m. 2. χρυσοκέφαλος, genus est basilisci aureo capite: a χρυσός *aurum*, et κεφαλή *caput*. *Apul. Herb.* 128.

CHRȲSŎCOCCUS, a, um, adject. χρυσόκοκκος, aurea grana habens, a χρυσός *aurum*, et κόκκος *granum*. *Apul. Herb.* 28. Herba regula habens florem chrysococcum.

CHRȲSŎCOLLA, æ, f. 1. χρυσόκολλα, a χρυσός *aurum* et κόλλα *gluten*, et ita dicitur quod It. *verderame*; Fr. *borax*, *sous-borate de soude*, Hisp. *borax*; Germ. *Berg-oder Kupfergrün*; Angl. *borax*, *or gold-solder*. ¶ 1. Chrysocolla duplex est, nativa scilicet et facticia. — Nativa est humor, qui in aurofodinis per venas auri defluit, et crassescit rigoribus hibernis usque ad duritiem pumicis. Invenitur etiam in metallis argenteriis, ærariis et plumbariis. Temperatur Cypria ærugine et urina, addito nitro. Hujusmodi ferrumen santernam vocant. *Vitruv.* 7. 5. 8., 7. 9. 6. *Schneid.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 26. et 27. et 28. et 29. — Facticia est quæ fit ex cæruleo et herba lutea, quæ lutum appellatur et viridissimum colorem contrahit. *Vitruv.* 7. 14. 2. *Schneid.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 27. (90). qui narrat, Neronem in solemni aurigatione Circi arenam chrysocolla stravisse. Idem fecisse Caligulam narrat *Sueton. Cal.* 18. — *Plin.* autem *loc. nuper cit.* tradit, pictores ea usos fuisse in pingendo, et orobitin appellasse, eamque *Id.* in *proœm. ejusd. libri* vocat auri saniem. Adde *Sueton. Cal.* 18. et *Flor.* 4. 12. 60. ¶ 2. Chrysocolla dicitur etiam amphitane, quam antiqui inter gemmas recensebant. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (147). *V.* AMPHITANE.

CHRȲSŎCŎMĒ, es, f. 1. χρυσοκόμη. V. CHRYSITIS.

CHRȲSŎCŌMES, æ, m. 1. χρυσοκόμης, comam habens aurei coloris, auricomus: a χρυσός *aurum* et κόμη *coma*: estque epithetum Apollinis, propter fulgorem radiorum. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *post med.*

CHRȲSŎGRĂPHĀTUS, a, um, adject. (χρυσόγραφος) auro pictus et ornatus: a χρυσός *aurum* et γράφω *pingo*. *Valerian. Imp.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 14. Scuta chrysographata. *h. e.* aureis litteris inscripta. *V. Martorelli, Theca cal.* p. 393.; et *Minervini, Lap. di Tettia Casta* p. 9.

CHRȲSŎLĂCHĂNUM, i, n. 2. χρυσολάχανον, genus oleris, habens florem aurei coloris: a λάχανον *olus*, et χρυσός *aurum*. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 43. (66). *V.* ATRIPLEX.

CHRȲSŎLAMPIS, ĭdis, f. 3. χρυσολαμπίς, lapillus, qui die pallescit, nocte ignei, sive aurei coloris est: a χρυσός *aurum*, et λάμπω *splendeo*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (155).

CHRȲSŎLĪTHUS, i, m. et f. 2. χρυσόλιθος. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 42. (126)., ubi de chrysolithis verba facit et eorum genera recenset, feminino genere usurpat: nisi malis ubique subintelligere vocem *gemma*. Certe λίθος apud Græcos utroque genere effertur. Hinc *Coripp. Laud. Justin.* 4. 118. Miscentur teretes quadris viridantibus albæ Chrysolithi. — Ceterum chrysolithus est lapis pretiosus, aureo nitore translucens: a χρυσός *aurum* et λίθος *lapis*. *Propert.* 2. 16. 44. Quosque dedit flavo lumine chrysolithos. *Ovid.* 2. *Met.* 109. Per juga chrysolithi, posi-

tæque ex ordine gemmæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 23. (190). Chrysolithos vitreus. *h. e.* gemma, quam Itali *giacinto* appellant.

CHRȲSŎMALLUS, i, m. 2. χρυσόμαλλος, aureum vellus habens: a χρυσός *aurum*, et μαλλός *villus, lana*. Ita appellatur in fabulis auratus ille aries, qui Colchos Phryxum vexit. *Hygin. Fab.* 188. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CHRȲSŎMĒLINUS, a, um, adject. χρυσομήλινος. *V.* voc. seq.

CHRȲSŎMĒLUM, i, n. 2. χρυσομήλον, genus est mali cotonei incisuris distinctum, colore ad aurum inclinato: a χρυσός *aurum*, et μῆλον *pomum*. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 11. 10. (37). — Hoc idem vocatur *chrysomelinum malum* a *Colum.* 5. *R. R.* 10. 19. Perperam in quibusdam editionibus dicitur *chrysomelianum*.

CHRȲSŎPASTUS, i, m. 2. χρυσόπαστος, gemma ex genere chrysolithorum, aurei coloris. *Solin.* 30. *extr.*, ubi V. *Salmas.*

CHRȲSŎPHRYS, ȳos, f. 3. χρυσόφρυς, piscis idem, qui aurata: a χρυσός *aurum* et ὀφρύς *supercilium*, quia locis illis, ubi cetera animalia supercilia habere solent, aureo colore fulget. *Ovid. Halieut.* 110. et auri Chrysophrys imitata decus.

CHRȲSŎPHIS. *V.* voc. seq.

CHRȲSŎPIS, idis, f. 3. χρυσωπίς, gemma, quæ aspectum et speciem auri habet: a χρυσός *aurum*, et ὤψ *vultus, species*. Ita legit apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (156). *Harduin.* ex MSS., quem secutus est *Sillig.* auctoritate fretus *Cod. Bambergensis*; alii *chrysophis*, quod rectius *Forcellino* videbatur, nam ea gemma est colore *giallo verdastro* seu *verde dorato*, ideoque pellem quorumdam serpentium imitatur: hanc Itali vocant *crisolito*.

CHRȲSŎPRĂSIS, is, m. 3. idem ac chrysoprasus. *Venant. Vit. S. Martin.* 3. 468. Quæ palla ex humeris, mixto chrysoprase beryllis. Hic *Venant.* malus auctor prosodiæ pænultimam in *chrysoprase* producit, et novo exemplo tertiæ declinationis nomen facit. *Editio Rom.* perperam legit *chrysoprasо*.

CHRȲSŎPRĂSIUS, ii, m. 2. χρυσοπράσιος, subaudi *lapis*, est gemma, dicta etiam *chrysoprasus*, ex genere viridantium, porri succum referens, sed paullum declinans a topazio in aurum: a χρυσός *aurum* e πράσον *porrum*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 34. (113).

CHRȲSŎPRĂSUS, i, m. 2. χρυσόπρασος, gemma ex genere beryllorum, sed pallidior: a χρυσός *aurum* et πράσον *porrum*. *V.* voc. præced. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (77)., 17. *ibid.* 8. 32. (109). et 37. *ibid.* 11. 73. (190).; et *Prudent. Psychom.* 865.

CHRȲSŎPTĔROS, i, m. 2. χρυσόπτερος, gemma ex genere topaziorum, similis chrysopraso: a χρυσός *aurum* et πτερόν *ala*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 32. (109).

CHRȲSOS, i, m. 2. χρυσός *aurum*. ¶ 1. De auri materia jöculariter dixit *Plaut. Bacch.* 2. 3. 6. Est opus chryso Chrysalo. ¶ 2. Est etiam nomen piscis aurei coloris. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (152). *V.* AURATA, et CHRYSOPHRYS. At *Sillig* optimis Codicibus fretus *chrysi* nomen omittit. ¶ 3. *Chrysos melos* est herba, quam etiam hederam algram vocat *Apul. Herb.* 98.

CHRȲSŎTHĂLES, is, n. 3. adject. χρυσοθαλές, *h. e.* aureo flore pullulans: a χρυσός *aurum*, et θάλλω *pullulo*. Est epithetum unius generis aizoi. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160).

CHRȲSŎVELLUS, a, um, adject. vox hybrida a χρυσός *aurum*, et *vellus*, aureo vellere instructus. *Vetus Scholiast.* ad *Germanic. Arat.* 223. Cum Theophane in ovem conversa Neptunus in arietem mutatus concubuit, ex qua aries chrysovellus natus.

CHŪS, ŏos, m. 3. χοῦς, χοός, mensura liquidorum apud Atticos, continens sextarios sex, hoc est congium. *Fann. de ponderib. et mens.* 770. Adde duos, χοῦς fit, vulgo qui est congius idem. — Huc pertinere putant nonnulli ænigma illud, quod refertur a *Quintil.* 8. 6. 53. *Quadrantaria Clytæmnestra, in triclinio choa, in cubiculo nola:* quod ita exponitur a *Cæl. Rhodig. l.* 20. *c.* 1. et *l.* 19. *c.* 1., ut significet in triclinio bibacem (quasi congium vini haurientem), in cubiculo loquacem et garrulam, quasi tintinnabulum, quod *nola* appellatur. At constat vocem *nolam* pro tintinnabulo sequioribus tantum sæculis fuisse usurpatam. *Turneb.* 3. *Adversar.* 19. scribit *Coa* et putat esse proverbium de muliere valde lasciva in conviviis ad instar Veneris Coæ, in cubiculo quoque impura infandæ libidinis obscœnitate, qua quondam Nolani notati fuisse dicuntur, ut est apud *Auson. Epigr.* 71. *Voss.* denique in *Etym.* in *Campana*, *Alciat. l.* 2. *Parerg. c.* 12. et *Franc. Robertell. de nominib. Romanor.* ita intelligunt, ut designetur *Coa* mulier in triclinio quidem et coram aliis lasciviens seu coire gestiens, in cubiculo vero et clam *Nola*, seu nimia rusticitate nolens et detrectans. Illud forte minus ineptum, *Coam*, *h. e.* vestibus Cois nudam potius quam vestitam in triclinio, in cubiculo autem totam *Nolam* esse, *h. e.* omne impudicitiæ genus in se admittere, quo male audiebant Campani, et in iis præsertim Nolani. Sed nulla harum interpretationum omnibus satisfacit: quod mirum esse non debet, cum nec ipsi *Quintiliano* satis cognitum fuisse videatur. Huic simile dictum habes apud *Senec. Ep.* 47. *ante med.* Servus in cubiculo vir et in convivio puer est. — At præstat opinio *Eichstadii* ad *Orat. Roman. fr. p.* 195., qui putat sic transponenda esse verba *Quintiliani*: in triclinio Nola (quæ nolle se simulat), in cubiculo Coa (quæ lubenter coit.).

CHȲDÆUS, a, um, adject. χυδαῖος, vilis, vulgaris: a χύδην *abundanter, copiose*, quia quæ copiosa sunt, et passim inveniuntur, vilia esse solent. Hinc *chydæum* vocatur genus quoddam caryotarum, seu palmarum poma ferentium, apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (46). et 14. *ibid.* 16. 19. (102).

CHȲLISMA, ătis, n. 3. χύλισμα, succus expressus ex aliqua re: a χυλίζω *succum elicio, exprimo*: quod a χυλός *succus*. *Scribon. Compos.* 23. Chylisma araciæ.

CHȲLOS, i, m. 2. χυλός, *succus*. *Pelagon. Veterin.* 6. *ante med.* Adjungis simul gluten taurinum, et aceti agri (*ita pro acri. V.* ACER, acris; unde *agro* recentium Italorum) heminam dimidiam, et sic omnia simul ferveant, ut chelon (*scribe* chylon) faciant. Ex his ita *Veget.* 5. *Veterin.* 65. 2. *Schneid.* Glutis taurinæ semiuncia, aceti acerrimi hemina dimidia conjunguntur, et fervent, ut chylum faciant. *Id. ibid.* 37. Si chylon feceris per cornu digeres. Cl. *Furlanetto* in *Append.* neutr. gen. hoc nomen efferebat.

CHYMIA. *V.* ALCHIMIA.

CHȲMUS, i, m. 2. χυμός *succus*: a χέω *fundo*. Et dicitur de succo ventriculi, qui et χυλός appellatur. *Seren. Sammon.* 48. 900. Præterea chymum stomacho desiccat iniquum.

CHYTRŎPUS, ŏdis, m. 3. vas æreum, ferreum, aut ex cocta terra confectum, in quo ignis ad lectum calefaciendum reponitur, seu foculus carbonibus impletus, et cui olla imponitur. *Vulgat. interpr. Levit.* 11. 35. Sive clibani, sive chytropodes, destruentur et immundi erunt.

CI

CĪBĀLIS, le, adject. ad cibum pertinens. *Lactant. de opific. Dei* 11. 5. Duas esse per collum fistulas necesse est, cibalem et spiritalem. *h. e.* stomachum et asperam arteriam. *Varro* 2. *R. R.* 11. 1. Est enim lac omnium rerum, quas cibali causa cupimus, liquentium maxime, alibile. Ita legit. in edit. princ. a. 1472. apud *Jenson.* Aliæ habent *quos cibi causa capimus*.

CĪBĀRĬA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq. in fin.

CĪBĀRĬUS, a, um, adject.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim cibarium dicitur quidquid ad cibum pertinet. *Cato* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. Cibariæ leges. *h. e.* sumptuariæ, quæ moderantur sumptus et luxum ciborum. *Plaut. Capt.* 4. 3. 1. Mihi rem summam credidit cibariam. *Apul.* 2. *Met.* Cibarium vasculum. *h. e.* escarium. ¶ 2. Speciatim cibarium dicitur quidquid esui tantum asservatur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (37). Uva cibaria. *h. e.* quæ edenda asservatur. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (35). Uva vilitatis cibariæ. *h. e.* quæ esui tantum, non vino est apta. ¶ 3. Item speciatim sic dicitur esculentum, quod vilis est pretii et pauperiorum usibus inservit; ideoque cibarius idem est quod vilis, plebejus, communis. Namque *cibarium* ii, teste *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (87). ubi de siligine agit, dicitur farina, quæ post pollinem seu florem excussum restat, post quam nihil aliud remanet, nisi furfures: eadem dicitur etiam *secundarium*. Ex ea qui conficitur, vocatur *panis cibarius*, quia solet esse communis vulgi cibus, cum ditiores polline tantummodo utantur. *Cic.* 5. *Tusc.* 36. 79. Ptolemæo peragranti Ægyptum cum cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. Adde *Cels.* 2. 18.; *Apul.* 6. *Met.*; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (90). *Fronto ad Antonin. Aug.* 1. 3. Panem alter tenebat bene candidum, ut puer regius: alter autem cibarium, plane ut a patre philosopho prognatus. Cf. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 15. Similiter *Varro* apud *Non. p.* 93. 13. *Merc.* Vinum cibarium. *h. e.* quod vilis est pretii et vulgo pauperiorum potui est. V. *Schneider.* ad *Colum. loc.* mox *citand.* Item *Colum.* 12. *R. R.* 50. 18., 21. et 22. Cibarium oleum. *h. e.* quod vilius venit et pauperiorum usibus inservit. *Edict. Diocl. p.* 13. Olei floris Ital. sextarium unum ✕ quadraginta: olei sequentis Ital. S unum ✕ viginti quatuor: olei cibarii Ital. S unum ✕ duodecim: olei raphanini Ital. S unum ✕ duodecim. Similiter *Colum.* 12. *R. R.* 11. 2. Hac quidem mella pro aqua mulsa utuntur, nonnulli etiam pro defruto in conditutas olivarum, quibus quidem magis idoneam censeo, quod cibarium saporem habet, nec potest languentibus pro aqua mulsa remedio esse. *h. e.* viliorem minusque gratum, adeoque magis idoneam esse condiendis olivis, quam ad supplendam vicem aquæ mulsæ.

II.) Translate cibarius est vilis, sordidus, plebejus. *Varro* apud *Non. p.* 93. 15. *Merc.* Tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus. — Hinc

Cibarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. In plurali numero ponitur pro alimentis, hoc est iis omnibus, quibus in cibo animantes utuntur: in quo differt ab alimentis; *V.* ALIMENTUM in fin. — *a*) Generatim. *Varro* 2. *R. R.* 16. 4. Ab his opus facere discunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere. *Id.* 2. *ibid.* 9. 6. Diebus paucis postea canes sua sponte, cum dierum multorum via interesset, sibi ex agris cibaria præbuerunt. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 31. senes ut in otia tuta recedant, Cum sibi sint congesta cibaria. *Colum.* 12. *R. R.* 14. Eorum si est multitudo, non minimam partem cibariorum, per hiemem rusticis vindicant. — *b*) Speciatim *cibaria* dicebantur certa illa, quæ paterfamilias filiis et servis, immo etiam pecori aliisque cicuribus bestiis cibi causa tribuebat. *Cato R. R.* 56. Familiæ cibaria qui opus facient per hiemem, tritici modios IIII. etc. *Plaut. Truc.* 5. 4. 4. STRAT. Dedin' ego aurum? PH. mihi? Dedisti filio cibaria. *Seneca* 3. *Benef.* 21. Cibaria præstare servis et vestiarium. *Cato R. R.* 60. Bubus cibaria annua in juga singula modios CXX. *Colum.* 8. *R. R.* 4. 1. Cibaria gallinis præbentur optima. Et *ibid.* 4. 5. Diurna cibaria. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 20. 56. Anseribus cibaria publice locantur. *Id. ibid.* § 57. Cibaria præbere animalibus. — *c*) Item speciatim quidquid ex ærario dabatur publice magistratibus in provincias euntibus cibariorum nomine venit. *Cic.* 4. *Verr.* 4. 12. Liberaliter ex istius cibariis tractati. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 30. 72., 3. *ibid.* 93. 216., 5. *Fam.* 20. 9. et 6. *Att.* 3. 6.; et *Sueton. Tib.* 46. — *d*) Denique speciatim cibaria dicebantur quæ militibus, victus nomine, ex ærario dabantur. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 37. Vides – qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Inopia cibariorum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5. et 6. *ibid.* 9. *Nepos Eumen.* 8. Comparare cibaria cocta dierum decem. *Varro* 5. *L. L.* 90. *Müll.* Duplicia cibaria dare militi. Adde *Liv.* 31. 49. *Quintil.* 5. 13. 17. Detrahere de cibariis militum. ¶ 2. *Cibarium*, ut superius diximus, teste *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (87). ubi de siligine agit, dicitur farina, quæ post pollinem seu florem excussum restat, post quam nihil aliud remanet, nisi furfures: eadem dicitur etiam *secundarium*. Quamquam *cibarium* a *secundario* ita distinguit *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (87).; ut *cibarius* tertio loco habendus sit. *V.* SECUNDARIUS.

CĬBĀTĬO, ōnis, f. 3. cibi præbitio vel sumptio. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Quæ quidem cibatio alternis diebus adhibenda. *Id.* 4. *ibid.* 3. Sicca cibatio. *Solin.* 27. Alternis cibum capiunt ac frequenter, si digestio non est insecuta, solitæ cibationi superponunt diem.

CĬBĀTUS, us, m. 4. cibus, vel cibi præbitio, aut sumptio. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 68. Tibi muni viam, qua cibatus commeatusque ad te et legiones tuas tuto possit pervenire. Adde *Lucret.* 1. 1093. et 6. 1126. *Varro* 2. *R. R.* 4. 15. Sues cum pepererint, cibatu largiore sustentare. *Id.* 3. *ibid.* 5. 4. Turdis cibatui offæ positæ. *Id.* 2. *ibid.* 8. 3. Cibatui quod sit,

objiciunt triticum siccum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 64. 81. (168). Vespertilioni in cibatu culices gratissimi. *Id.* 10. *ibid.* 73. 93. (199). Sues omni cibatu aluntur. *Id.* 8. *ibid.* 55. 81. (217). Leporibus in Alpibus hibernis mensibus pro cibatu nivem credunt esse. Adde *eund.* 8. *ibid.* 10. 10. (29). *Gell.* 9. 4. *a med.* Nullo cibatu vesci. *Solin.* 25. *circa med.* Fetus uberibus ablatos gratissimo in cibatu habent. Adde *Apul.* 1. *Met.*

CIBICIDA, æ, m. 1. (cibus et cædo), qui cibum cædit. Ita satyrice appellatur a *Lucilio* qui cibum consumit, et patrifamilias sumptui est: apud *Non.* p. 38. 8. *Merc.* Viginti domi, an triginta vel centum cibicidas alas. Placet *Turnebo* l. 29. c. 21. legi *tibicidas*, quibus intelligi putat magistros, quod discipulorum peccantium tibias ferula cædere soleant.

CIBILLA, æ, f. 1. mensa escaria, in qua cibum capimus. *Varro* 5. *L. L.* 118. *Müll.* Mensam escariam cibillam appellabant: ea erat quadrata, ut etiam nunc in castris est: a cibo cibilla dicta. Apud *Paul. Diac.* legitur p. 43. 9. *Müll.* Cillibæ mensæ rotundæ; sed corrupte, ut censet *Voss.* in *Etymol.* in voce *cibus*. Nisi dicas loqui *Paul. Diac.* de mensis vinariis, non de escariis. Nam *Varro ibid.* 119. *ex emendat. Scalig.* Mensam vinariam rotundam nominabant cillibantam, ut etiamnunc in castris. Id videtur declinatum a Græco ἀπὸ τοῦ κύλικος. Hæc *Varro*, ubi al. leg. *cylibanthum*, a κύλιξ *calix*, quia calices et pocula ei imponuntur: alii *cylibathum*, quod nec *Scalig.*, nec *Voss.* placet. Porro *cillibantum* est a Græco κιλλίβας seu κιλλίβαξ, quo *Suid.* utitur, vel κιλλίβαντις seu κυλλίβαντις, quo *Hesych.*, eaque vox utroque mensam, vel mensæ basim significat. — Ceterum tam *cibilla*, quam *cilliba* et *cillibantus* obsoletæ voces sunt, et ne *Varronis* quidem tempore, præterquam in castris usurpatæ, ut *Idem* non obscure utroque loco significat. Hucusque *Forcellinus.* At cum et Græca vocabula ex *Hesych.* et *Suid.* superius allata, et boni Codices lectionem *cilliba* pro *cibilla* confirment, hanc cum *Müllero* retinendam putamus apud *Varron.* et *Paul. Diac. ll. citt.*

CIBO, ās, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cibaturus* et *Cibatus.* — Cibare est cibum præbere, alere, nutrire (It. *cibare, alimentare*; Fr. *nourrir*; Hisp. *alimentar, sustentar*; Germ. *speisen, nur vom Viehe füttern, Futter reichen*; Angl. *to feed, nourish, fatten*). Occurrit — a) Active, et cibare aliquem est eidem alimenta præbere. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 6. Atque ea genera, quæ intra septa villæ cibantur, fere persecuti sumus. *Id.* 8. *ibid.* 11. 15. Locustæ utiles cibandis pullis pavoninis habentur. *Sueton. Tib.* 72. Draconem sua manu cibaturus. — b) Passive seu deponentium significatione *cibari* dicitur qui alimenta sumit. *Liv. Epit. l.* 19. Jussit immergi pullis, qui cibari nolebant. *Cassiod. Complex. Act. Ap.* 69. Paulus panem frangens ipse cibatus est. — *Lucret.* quoque 1. 1092. hoc verbo est usus, si sequimur lectionem *Pareï*, *Lambini*, et *Gifanii*. Nam *Creech* cum aliis aliter leg.

CIBORIA, æ, f. 1. Ita appellatur faba Ægyptia ab *Apul. Herb.* 67. *V.* vocem sequent.

CIBORIUM, ii, n. 2. κιβώριον, fabæ Ægyptiæ folliculus, qui ima parte latior est, superiore angustior, ex quo faba prominet, quæ madefacta luto condita seritur: a voce Ægyptia, vel quasi κιβώτιον *arcularum*, propter similitudinem, quod a κιβωτός *arca*. Hinc etiam significat poculum ex faba Ægyptia: ac denique sumitur pro poculo capaciore alius materiæ, quod fabæ Ægyptiæ folliculum refert. *Horat.* 2. *Od.* 7. 21. Oblivioso levia Massico Ciboria exple. *Vet. Scholiast. ad hunc loc.* Ciboria sunt Alexandrina poma, quæ habent similia colocasiis folia; in quorum similitudinem facta pocula eodem nomine appellantur. Ciboria etiam sunt vasa, in quibus navigantes soliti sunt ferre suos cibos. Item *Porphyr.* ad *Horat. loc. cit.* Ciboria proprie sunt folia colocasiorum, in quorum similitudinem pocula facta eodem nomine appellantur. Cf. *Athenæus* 11. c. 51 p. 477. E. Δίδυμος δέ φησι ποτηρίου εἶδος εἶναι, καὶ τάχα ἂν εἴη τὰ κάτω στενὰ ἔχοντα, διὰ τὸ ἀρμόζειν εἰς στενὸν συνάγεσθαι, ὡς τὰ Αἰγύπτια κιβώρια. Adde *eund.* 3 c. 1 p. 72. B. Porro de colocasiis *V. Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 51. (87).

CIBOTIUM, ii, n. 2. κιβώτιον, arca reponendis vestibus apta. *Isid.* 20. *Orig.* 9. Cibotium (*corrige* cibotium) Græcum nomen est, quod nos arcam dicimus.

CIBUS, i, m. 2. Veteres olim declinasse *cibus, us,* tradit *Priscian.* 6. p. 712. *Putsch.*, subjicitque illud *Plauti Capt.* 4. 2. 46. *Tantus ventri commeatus meo adest in portu cibus.* Non est tamen necesse hoc loco pro Genitivo accipere: imo *cibus* est casus Nominativus, *commeatus* vero Genitivus. — Ratione habita etymi, hæc habet *Paul. Diac.* p. 42. 9. *Müll.* Cibus appellatur ex Græco, quod illi peram, in qua cibum recondunt, cibisim appellant. *Alii leg.* κιβώτιον, *alii* κίβος, alii denique κίβισις, aut κίβησις. — Cibus dicitur et est omne id, quo homines et animalia vescuntur, esca, pabulum (It. *cibo*; Fr. *nourriture, aliments, vivres*; Hisp. *alimento, sustento*; Germ. *Speise für Menschen od. Futter für Thiere*; Angl. *food, nourishment, aliment, victuals, meat*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu — a) Sæpe cibo opponitur *potio*. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Quum cibo et potione fames sitisque depulsa est. *Id. Senect.* 11. 36. Tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Adde *eund.* 2. *Divinat.* 54. 131.; *Liv.* 24. 16.; *Curt.* 7. 5. et *Cels.* 2. 18. *Cf.* etiam *Tac.* 13. *Ann.* 16. Cibos potusque gustu explorare. *Lucret.* 1. 809. et 4. 1087. Cibus aridus et tener humor. *Cic.* 1. *Divinat.* 29. 60. Onustus cibo et vino. Adde *Juvenal.* 10. 203. *Tac.* 2. *Hist.* 21. Cibo vinoque prægravis. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 15. Abstinere aqua ciboque pullos. *Ovid.* 4. *Met.* 262. expers undæque cibique. — b) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Animalia cibum partim oris hiatu et dentibus capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt; alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. *Id. ibid.* 9. 24. Nullus est cibus tam gravis, quin is die ac nocte concoquatur. *Varro* 2. *R. R.* 11. 3. Casei maximi aut minimi cibi, *h. e.* qui valde aut parum sunt alibiles. *Cf. Sueton. Galb.* 22. Plurimi cibi esse, *h. e.* plurimum edere. *Id. Aug.* 76. minimi. *Sall. Jug.* 21. Quibus cibus erat caro ferina. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (136). Lupinum maceratum aqua calida homini quoque in cibo est. *Id.* 30. *ibid.* 6. 14. (43). Pulmonis vitiis medentur mures in cibo sumpti. *Id. ibid.* 5. 12. (36). Mustela cibo sumpta idem efficit. *Id.* 9. *ibid.* 57. 83. (178). Pisces gratissimi cibis, *h. e.* gratissimum edulium. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs.* 13. Cibum non invitus cepi. *Id. ibid.* 15. Cibi paullo plus sumpsi, nondum tamen libente stomacho. *Et ibid.* 16. Cibi quantum sat erit, cepi: vino etiam libenter usus sum. — c) Jungitur plurimis Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plin.* 7. *Ep.* 3. acres acutique. *Ter. Eun.* 2. 2. 34. alienus. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 9. conditivi. *Tac.* 12. *Ann.* 67. delectabilis. *Plin.* 7. *Ep.* 3. dulcibus cibis acres acutosque miscere. *Virg.* 2. *G.* 216. dulcis. *Juvenal.* 14. 301. exiguus. *Seneca Hippol.* 4. et *Tranquill. anim.* 1. faciles. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 64. facillimus ad concoquendum. *Quintil.* 2. 4. 29. frigidi et repositi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 11. 24. gravis. *Quintil.* 2. 10. 6. idonei viribus conservandis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 115. (278). indiscreti. *Cels.* 3. 7. 1. leves. *Id. ibid.* 2. 18. leviores. *Sueton. Aug.* 78. meridianus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (92). optimus. *Seneca Tranquill. anim.* 1. parabilis facilisque. *Varro* apud *Non.* p. 131. 22. *Merc.* putissimus. *Cels.* 2. 18. robustior. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 117. (282). simplex. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 94. solitus. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 64. suavissimus. *Seneca Ep.* 5. tetri et horridi. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 9. utilis ægro. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 15. vilis. Adde *Senec. Ep.* 5. — d) Jungitur et pluribus Verbis. *Nepos Att.* 22. abstinere se cibo. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 23. abstinere aves cibis. *Id.* 6. *ibid.* 7. 2. abstinere bovem cibo. Adde *eund.* 6. *ibid.* 9. 1. et 7. 8. *ibid.* 5. 15. *Seneca Ep.* 2. accedit cibus corpori. *Cf. Horat.* 2. *Sat.* 3. 53. *Cic. Senect.* 11. 36. adhibere tantum cibi et potionis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 25. 41. (215). admovere cibum ad os. *Cic. Mur.* 35. 84. allicere cibo benevolentiam. *Colum.* 6. *R. R.* 8. 2. appetere cibos. *Lucret.* 4. 1187. assumere membris cibum. Adde *eund.* 3. 15. et alibi sæpe. *Cic.* 16. *Fam.* 1. 1. capere cibum. Adde *Lucret.* 4. 865., et *Sall. Jug.* 91. *Plaut. Trin.* 1. 2. 60. capere cibum una cum aliquo. Adde *Ter. Eun.* 2. 3. 77. et *ibid.* 2. 3. 82. *Juvenal.* 10. 229. capere cibum digitis alienis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. capessere oris hiatu et dentibus. *V.* integr. locum superius sub *b.* *Ovid.* 3. *Art. Am.* 755. carpere digitis. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 64. concoquere. Adde *eund.* 2. *Nat. D.* 9. 24. *Id.* 2. *ibid.* 55. 137. et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 20. (60). conficere, *h. e.* digerere. *Varro* 2. *R. R.* 10. 7. et *Sall. Jug.* 45. coquere. *Ovid.* 2. *Art. Am.* 662. dare. *Ter. Eun.* 2. 3. 23. deducere. *Lucret.* 2. 1124. dideitur cibus in venas. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 20. et 8. *ibid.* 7. 2.; et *Quintil.* 11. 2. 35. digerere. *Cic.* 2. *Divinat.* 26. 57. dividitur cibus in corpus. *Id.* 7. *Verr.* 45. 117. ferre cibum liberis suis. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 62. habet cibum inflationem magnam. *Cæs.* 7. *B. G.* 78. *in fin.* juvare cibo aliquem. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 134. et *Cels.* 4. 3. mandere cibum. *Lucret.* 5. 1101. mollire flammæ vapore. *Cels.* 3. 7. nutrire aliquem levibus cibis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 118. (283). perficere cibum, *h. e.* digerere. *Ter. Heaut.* 5. 2. 25. petere cibum sibi. *Tac.* 3. *Hist.* 22. recuperare vires cibo. *Curt.* 5. 49. reficere milites cibo. *Petron. Satyr.* 96. et 111. replere se cibo. *Phædr.* 3. 7. satiari largo cibo. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 14. spernere cibum. *Cic.* apud *Non.* p. 105. 10. *Merc.* subtrahere alicui. *Nepos Att.* 21. et *Plin.* 3. *Ep.* 5. sumere. *Cic.* 2. *Legg.* 27. 67. suppeditare. *Id.* 2. *Fin.* 30. 64. uti cibo. *Cels.* 3. 15. vacare cibo. — e) Proverbium est illud *Terentii Eun.* 3. 2. 38. *E flamma cibum petere*, de iis, qui cibi causa quidvis facere aut pati in animum induxerunt. Similem locum habes apud *Catull.* 59. 3. — f) Denique cibus jungitur nonnullis Substantivis, quorum præcipua exhibentur. *Cic.* 9. *Fam.* 26. 4. Hospes non multi cibi. *Cf. Sueton. Galb.* 22. Rursus *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Cibi varietas et copia. *Lucret.* 5. 1005. penuria. *Id.* 6. 1390. satias. *Varro* apud *Non.* p. 217. 23. *Merc.* retrimenta. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 8. Hora cibi. *Cf. Cels.* 3. 10. Ante cibum et post eum. *Quintil.* 1. 12. 5. Cibi diversitas. *Id.* 11. 3. 19. digestio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 38. (127). et 20. *ibid.* 17. 72. (186). appetentia. ¶ 2. Latiori sensu cibus ponitur pro alimento vel nutrimento, pro eo quod nutrit. *Varro* 2. *R. R.* 11. 3. Ex hoc lacte casei qui fiunt, maximi cibi sunt (*h. e.* maxime præditi sunt nutrimento, seu maxima nutriendi vi) bubuli et qui difficillime transeant sumpti: secundo ovilli: minimi cibi, et qui facillime dejiciantur, caprini. Adde *eund.* 1. *ibid.* 23. 2. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 136. In pulmonibus autem inest raritas quædam et assimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt adspirantes, tum respiratu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis (*h. e.* nutritio vel alimentum, quod ex ipso aere ducitur), quo maxime aluntur animantes. Et de plantis *Lucret.* 1. 352. Crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt, Quod cibus in totas usque ab radicibus imis Per truncos ac per ramos diffunditur omnes. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (12). Cibus arborum imber.

II.) Figurate. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 54. Sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. *Ovid.* 6. *Met.* 480. Omnia pro stimulis facibusque ciboque furoris Accipit. *Id. Rem. am.* 138. Hæc sunt jucundi causa cibusque mali.

CICĀDA, æ, f. 1. genus insecti alati et canori, quod rore pasci creditur, et non nisi æstivis mensibus apparet, et interdiu, quo majores sunt æstus, eo intentiore voce, arboribus insidens, canit. *V. Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (92)., ubi plura de his. — a) Generatim. *Lucret.* 4. 56. Cum veteres ponunt tunicas æstate cicadæ. Adde *eund.* 5. 801. *Virg.* 2. *Ecl.* 13. raucis Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. *Id.* 3. *G.* 328. Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ. *Id. Cul.* 151. Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis. — De cicadis in antiquis monumentis earumque voce habet multa *Ferrarius*, *Isaac. Peruzz.* p. 554. *not.* 3. — b) Proverbii specie *Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ* dixit *Ovid.* 1. *Art. Am.* 271. de re impossibili. — c) Per metalepsin ponitur pro æstate. *Juvenal.* 9. 69. Quid dicam scapulis servorum mense decembri, Et pedibus? durate, atque exspectate cicadas? — d) Fuit insigne regum, et civium Atheniensium. Hi enim cicadas aureas in fronte, aut in vertice capillis innexas, aut in ensis capulo insculptas gestare solebant, ut se autochthones ostenderent. Nam cicadæ e terra oriri dicuntur. Alii dicunt, Athenienses Apollinem tanquam suæ civitatis defensorem coluisse, atque in ejus honorem cicadas gestasse, quæ cum vocalissimæ sint, Apollini musices præsidi sacræ dicuntur. Hucusque *Forcellinus.* At recentiores (*V. Eckermann. Arch. f. Philol. et Pædag.* vol. 8. p. 141. et seqq.) putant, cicadas fuisse capitis ornamentum, quo Athenienses virgines utebantur: quod colligi potest etiam ex *Virg. Cir.* 126. Ergo omnis caro residebat cura ca-

pillo; Aurea solemni comptum quam fibula ritu Mopsopio, tereti nectebat dente cicadæ. Adde *Tertull. Virg. vel.* 10.

CĬCANIA, æ, f. 1. eadem ac ciconia, vox per onomatopeiam ficta a sono, quem edere solet rostro suo ciconia. *V.* CICONIA.

CĬCĀTRĪCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CĬCĀTRĪCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Cicatricatus*. Cicatricare est cicatricem inducere, ut *Paul. Diac.* exponit p. 65. 14. *Müll.* Occurrit passive tantum.

I.) Proprie. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. Ulcera cicatricentur.

II.) Figurate. *Sidon.* 6. *Ep.* 6. Ut conscientiæ hiulca vulnera vestro saltem cicatricentur oratu. *Id.* 6. *ibid.* 1. *in fin.* Si precatu tuo levare valeamus cicatricatum pectus ad veniam.

CĬCĀTRĪCŌSUS, a, um, adject. cicatricibus plenus.

I.) Proprie — *a*) De animalibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 290. Tergum cicatricosum. *Quintil.* 4. 1. 61. Cicatricosa facies. — *b*) De plantis. Quæ materies ex cicatricibus arborum repullulascit, cicatricosa dicitur a *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (176). *Colum. Arb.* 11. 1. Cicatricosa vitis. *Id.* 4. *R. R.* 27. 3. putatio.

II.) Figurate de scriptis operibus, quæ limæ labore sæpius correcta fuerunt. *Quintil.* 10. 4. 3. Cicatricosa et exangula opera.

CĬCĀTRĪCŬLA, æ, f. 1. deminut. *a* cicatrix, parva cicatrix. *Cels.* 2. 10. *in fin.* Donec valens cicatricula sit. Adde *eumd.* 7. 7. n. 1. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĬCĀTRIX, īcis, f. 3. Monet *Charis.* 1. p. 100. *Putsch.* in Genitivo plurali non *cicatricium*, sed *cicatricum* dicendum esse emendate loquentibus: similiter *ibid.* p. 99. in Ablativo singulari *cicatrici* pro *cicatrice* dici non posse. — Cicatrix est signum, quod sanato vulnere, vel ulcere hæret in corpore (It. *cicatrice, margine, saldatura*; Fr. *cicatrice* d'une *blessure*; Hisp. *cicatriz*; Germ. *verharschte Wunde, Narbe, Wundenmahl*; Angl. *a cicatrice, cicatrix, scar*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De animalium corporibus. *Ter. Eun.* 3. 2. 29. Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas ostentat. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 17. Luculentam plagam accepit, ut declarat cicatrix. *Id.* 7. *Verr.* 1. 3. Cicatrices adverso corpore acceptæ. Adde *Sall. Jug.* 85. et *Quintil.* 2. 15. 7. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 28. 124. Judicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere. Adde *Sall.* apud *Gell.* 2. 27. *Adversis* vero *aversæ* opponuntur apud *Gell.* 2. 11. Cicatricem aversam nullam, adversas XLV. tulit. *Liv.* 2. 27. Illi exprobrabant sua quisque belli merita cicatricesque acceptas. Adde *eumd.* 6. 14. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 60. at illi fœda cicatrix Setosam lævi frontem turpaverat oris. Adde *eumd.* 1. *Od.* 35. 33. *Ovid. Rem. Am.* 623. Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix. Adde *eumd.* 3. *Amor.* 8. 19.; et *Curt.* 4. 14. 6. *Cels.* 7. 27. *ad fin.* Vulnus tendit ad cicatricem. et *ibid.* 28. Plaga pervenit ad cicatricem. et *ibid.* Cicatricem inducere. *Seneca Ep.* 2. Vulnus venit ad cicatricem. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 38. (77). Medicamentum singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. *Id.* 28. *ibid.* 18. 76. (245). Reducere cicatrices ad colorem. *Id.* 20. *ibid.* 9. 36. (93). ad planum redigere. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (142). emendare. *Id.* 24. *ibid.* 6. 14. (23). tollere. *Id.* 32. *ibid.* 2. 11. (24). extenuare. *Id.* 26. *ibid.* 41. 88. (148). Perducere vulnus ad cicatricem. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (105). Glutinare cicatrices. Adde *Ascon.* p. 14. 23. *Bait.*; *Colum.* 6. *R. R.* 33. 1.; *Quintil.* 5. 9. 6.; et *Sueton. Aug.* 65. — *Cicatricem ducere* dicitur non solum vulnus, quod coit, sed etiam medicamentum, quod ad sanitatem perducit. *Scribon. Compos.* 205. Vetera ulcera, quæ nullo modo cicatricem ducunt. Adde *ibid.* 209. *ad fin.* et 220. *Id. ibid.* 214. Emplastrum cicatricem ducit diutini ulceris. Adde *ibid.* 240., 241. et 242. — *b*) De cæsuris arborum, quæ sanescunt. *Virg.* 2. *G.* 379. admorso signata in stirpe cicatrix. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (60). Cicatrix in hac arbore non coit. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (235). Cortex cicatricem trahit. Adde *Quintil.* 2. 4. 11. — *c*) De inanimis. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (63). *de statua Lysippi.* Cicatrices operis atque concisuræ. *Juvenal.* 3. 150. vel si consuto vulnere crassum Atque recens linum ostendit non una cicatrix. *h. e.* si ruptio in calceis, aut in sarto nuper recentis suturæ vestigia apparuerint.

II.) Translate. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 4. Refricare obductam jam reipublicæ cicatricem. Adde *eumd.* 3. *Tusc.* 22. 54.; *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 66.; *P. Syrum Sentent.* 118. et *Senec.* 4. *Ira* 16. *Petron. Satyr.* 113. Ne inter initia coeuntis gratiæ recentem cicatricem rescinderet.

CICCUM. *V.* voc. seq.

CICCUS, i, m. vel ciccum, i, n. 2. (κίκκος). Scribitur etiam *cicus* et *cicum*; sed neque de genere, neque de scribendi ratione satis constat, utrum melius. — Ceterum ciccus significat membranam illam tenuem, qua grana in malis punicis discriminantur, ut *Varro* 7. *L. L.* 91. *Müll.*, *Paul. Diac.* p. 42. 10. *Müll.* et *Gloss. Isid.* docent. Similiter *Placid. Gloss.* Ciccum est granum mali punici, aut umbilicus lupini. Utuntur hac voce etiam Itali: *E cica di metal già non trovò.* Ceterum apud Latinos occurrit translate tantum pro re parvi aut nullius momenti vel pretii. *Plaut. Rud.* 2. 7. 22. Eluas tu, an exungare, ciccum non interduim. Quod *Italice: non darei un bagattino, non ci darei un fico. Id. Fragm.* apud *Varron. loc. cit.* Ciccum non interduo. Hinc *Auson. præfat. Edyll.* 13. Neque Afranius nauci daret, neque ciccum suum Plautus offerret. — Eodem sensu dixit *Id. Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 45. Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.

CĬCER, ĕris, n. 3. *Cicera* in plurali numero dici negat *Varro* 8. *L. L.* 48. *Müll.* — Cicer est genus leguminis siliquas rotundas ferens: cujus plures sunt species, prout magnitudine, figura, colore, sapore differunt. Est quod dicitur *arietinum*, quia arietini capitis simile est: item *columbinum* arietino minus; item *punicum*, etc. *V. Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 32. (124). et *Id.* 18. *ibid.* 12. 33. (125). (It. *cece*; Fr. *pois chiche*; Hisp. *garbanzos*; Germ. d. *Kicher oder Kichererbse*; Angl. *a small pulse, chick-peas, vetches*). *Cato R. R.* 37. Si cariosam terram tractes, cicer quod vellitur, et quod salsum est, eo malum est. Adde *Plaut.* apud *Non.* p. 167. 12. et p. 201. 23. *Merc.*; et *Varron.* 9. *L. L.* 63. et 10. *ibid.* 54. præter *loc. cit. Horat.* 1. *Sat.* 6. 114. inde domum me Ad porri et ciceris refero, laganique catinum. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 3. 152. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 19. et 9. *ibid.* 1. 8.; *Pallad.* 4. *R. R.* 4. et *Pers.* 5. 176. *Martial.* 1. 104. Asse cicer tepidum constat. — *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 32. (124). addit: dulcissimum esse cicer, quod est ervo simillimum; firmiusque quod nigrum et rufum, quam quod album: omne autem non, nisi madefactum pridie, seri debere. — Apud Romanos frigi consueverat cibi causa. *Plaut. Bacch.* 4. 5. 7. Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer. Adde *Horat. Art. P.* 249. — Ceterum cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 160.) hanc exhibet synonymiam: Ἐρέβινθος Theophr. Hist. 8. 3.; Κριός ejusd. ibid. et Diocl. apud Athen. 2. 54.; Ἐρέβινθος Dioscor. 2. 126.; *Cicer* Colum., Pallad. et Plin. locc. citt.; *Arietinum* Plin. loc. cit. sunt *Cicer Arietinum* Auct.

CĬCĔRA, æ, f. 1. legumen cicerculæ simile. Paullum aqua maceratum, dum lentescat, atque ita mixtum paleis subtritis, pecori loco ervi præbetur. Idem hominibus non inutile, neque injucundum est: sapore certe nihil differt a cicercula: colore tantum discernitur. Nam est obsoletius, et nigro propius. Hæc ex *Colum.* 2. *R. R.* 11. 1. et 12.; et *Pallad.* 4. *R. R.* 6. Sed cicera *Palladii* videtur esse eadem ac cicercula, atque ipse *Del-Bene T.* 1. p. 118. ciceram vertit *cicerchia*, et p. 110. cicerculam vocat *cicerchia*.

CĬCERCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* cicera. Neutrius generis legitur in *Not. Tir.* p. 112. Cicerculum: sed nulla prorsus auctoritate. — Cicercula est genus minuti ciceris, inæqualis, angulosi, veluti pisum. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 19.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 32. (124).; et *Pallad.* 2. *R. R.* 1. et 3. *ibid.* 4. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 161.) hanc exhibet synonymiam: Λάθυρος Theophr. Hist. plant. 8. 3.; Ἐρέβινθος ἥμερος Dioscor. 2. 126.; *Cicercula quæ piso est similis* Colum. loc. cit.; *Cicercula* Pallad. et Plin. loc. cit. sunt *Lathyrus sativus* L. sp. plant. 1030. — Aliquando ponitur pro ipso cicere: quod fecisse *Plin.* non uno in loco *Harduin.* adnotavit ad 22. *Hist. nat.* 25. 72. (148). V. *Pontedera, Op. post. T.* 1. p. 32. et 33.

CĬCERCŬLUM, i, n. 2. color sinopidis ejus, quæ ex Africa venit: qui Italice dicitur *grigio bruno*. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 13. (32). *V.* RUBRICA.

CĬCERĔJUS, a, um, adject. is ita vocatur, cui præ fervore in vultu ciceres seu verrucæ e morbo Campano fiunt. *Petron. fragm. Traqur.* 58. *Burmann.* Vix me teneo; et sum natura caldus, cicerejus. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĬCHŎRĒUM vel

CĬCHŎRĬUM, ii, n. 2. κιχώριον, κιχόριον, et apud *Poll. l.* 6. *c.* 9. κιχόρειον, olus est duplicis generis, silvestris, et sativi. Utriusque usus in medicina *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 30. (21). et 21. *ibid.* 15. 52. (88). enumerat. Docet autem tum *ibid.*, tum 19. *ibid.* 8. 39. (129). hanc appellationem esse ei ab Ægyptiis. Romani enim sæpius *intubum erraticum* vocant. *Horat.* 1. *Od.* 31. 15. me pascunt olivæ, Me cichorea, levesque malvæ. *Plin. locis citat.* semper habet *cichorium*. — De synonymia *V.* INTUBUM. Hic satis sit animadvertisse, *cichoreum* Copticum esse vocabulum, quod et Arabes sibi adsciverunt, *chikourieh* appellantes: V. *Forsk.* 72. *Gloss. botan.* p. 113.

CĬCĔRO, ōnis, m. 3. est cognomen gentis Tulliæ, ex qua ortus est Arpini M. T. Cicero, præclarissimus orator, de quo *V.* multa in ONOM. — Præter alia, scripsit divinas orationes multas, tanta sermonis elegantia et nitore, tam singulari facundia, ut *Cicero* in posterum fuerit nomen *appellativum* seu generale ad ipsam eloquentiam vel præclarum aliquem oratorem significandum, teste *Quintil.* 10. 1. 112. Non immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in judiciis dictus (*M. Tullius*); apud posteros vero id consecutus, ut Cicero non jam hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur.

CĬCĔRŌNĬĀNUS, a, um, adject. ad Ciceronem pertinens: *V.* ONOM. — Hinc

Ciceronianus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, dicitur qui Ciceronis est studiosus. *Hieronym. Ep.* 22. n. 30. Ciceronianus es, non Christianus.

CĬCI, n. *indeclin.* τὸ κίκι, arbor in Ægypto copiose, alio nomine *croton*, *onis*, κρότων, ωνος, ex qua fit oleum, quod *cicinum*, κίκινον ἔλαιον, appellatur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (25). et 16. *ibid.* 22. 35. (85).; et de oleo cicino 23. *Hist. nat.* 4. 41. (83). et 28. *ibid.* 11. 48. (173)., et *Cels.* 5. 24. n. 3. *V.* RICINUS. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 217.) ubi de cici disserit, hæc ait: « Il s'agit évidemment ici du ricin ordinaire, *Ricinus communis* L., qui abonde en Egypte. — La description que notre auteur (*Pline*) donne de cette euphorbiacée ne permet pas de méconnaître le ricin. Quant au procédé d'obtention par ebullition dans l'eau, il est encore suivi en Amerique. — La naturalisation du ricin en Europe l'a rendu annuel, de vivace et ligneux qu'il etait dans sa patrie. Les chrétiens d'Abyssinie et les Juifs le désignent comme étant l'arbre qui donna son ombre à Jonas. Cette croyance est uniquement fondée sur la rapidité de sa croissance ». *V.* etiam *Rosenmyller Comm. in Jonæ* c. 4. v. 6. p. 413.

CĬCĬLENDRUM, i, n. 2. et

CĬCĬMANDRUM, i, i, n. 2. nomina sunt condimentorum, ficta jocülariter a coquo apud *Plaut. Pseud.* 3. 2. 42. et 46. Fortasse allusit ad cici arborem, de qua in voce præced.

CĬCINDĒLA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, nonnullis videtur esse a *candore*, sive, ut alii rectius legunt, a *candela*, ut ait *Paul. Diac.* p. 42. 13. *Müll. Is. Vossius* in *Etymol.* putat, esse a *candela* et *cici* arbore, ex cujus uvis ellychnia fieri præcipue claritatis docet *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 41. (84). Vero tamen similius est *cicindela* esse a *cio*, et *candela*, nostrates enim vulgo *baticésola* vocant, quod ex *batti-candela* corruptum videtur. Hucusque *Forcellinus*. Recentiores tamen philologi rectius arbitrantur hanc vocem a *candere* desumptam, præposita reduplicatione. — Ceterum *cicindela* est genus muscarum noctu lucens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 66. (250). Lucentes vespere per arva cicindelæ: ita appellant rustici stellantes volatus, Græci lampyridas. *V.* LAMPYRIS. — Significat etiam lychnum illum olearium. Italice *lampanino*, quem ita describit *Venant. de vita S. Martini* 4. 693. Lychnus adest, cujus vitrea natat ignis in urna. Nostrates vulgo *cesendèlo* appellant. *Isid.* 20. *Orig.* 10. 2. Est enim cicindela lucernæ. Præterea *cicindelus* dicitur in lemmate epigrammatis in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 461. *Burmann. Not. Tir.* p. 163. Candela, candelabrum, cicendila (corrige cicindela). *Gloss. Cyrill.* Cicendela, χανδήλα. At hæc postrema minimi certe facienda sunt.

CĬCĪNUS, a, um, adject. Ad arborem cici pertinens. De oleo cicino *V.* CICI.

CĬCŌNĬA, æ, f. 1. Prænestinis pro *ciconia* dicebatur *conia*, teste *Plaut. Truc.* 3. 2. 23.

I.) Proprie *ciconia* est species avis albi coloris, maxime inimica serpentibus, quibus avidissime pascitur. *Isid.* 12. *Orig.* 7. Ciconiæ vocatæ a sono, quo crepitant; quasi cicaniæ, quem sonum oris potius esse constat, quam vocis, quia eum quatiente rostro faciunt. Multa de ea *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 32. (61). *Juvenal.* 14. 74. serpentes ciconia pullos Nutrit, et inventa per devia rura lacerta. *V.* PIETATICULTRIX. *Plin. loc. cit.* Cornelius Nepos, qui Augusti principatu obiit, scribit ciconias magis placere, quam grues: cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 49. Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido: Donec vos auctor docuit prætorius. Ubi *Porphyr.* Asellius Sempronius Rufus prætorius instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur. Isque cum repulsam in prætura tulisset, tale epigramma meruit· Ciconiarum Rufus iste conditor, Hic est duobus elegantior Planciis. Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem. Hinc *Tertull. Pall.* 5. *ad fin. de gulosis.* Taceo Nerones, et Apicios, et Rufos. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 97.; *Phædr.* 1. 26.; et *P. Syrum* apud *Petron. Satyr.* 55. — *Ciconiæ nixæ* dicebatur locus Romæ, in quo erant tres ciconiæ rostris secum invicem junctæ. *P. Victor Urb. Romæ Reg.* IX. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 151.

II.) Figurate. ¶ 1. Per similitudinem ciconia dicitur instrumentum quoddam, constans regula recta, et virgula in altero latere transversa in modum litteræ T, qua rustici metiuntur altitudinem sulci in agris. Hæc dicitur ciconia simplex, quæ quia fraudem aliquando recipit, inventa est a *Columella* ciconia composita, adjectis duabus regulis decussatis, etc. *V. eumd.* 3. *R. R.* 13. 11. ¶ 2. Item per similitudinem, si *Isidoro* credimus 20. *Orig.* 15. 3., vocant Hispani *ciconiam* lignum in transversa pertica mobile, ex quo funis cum situla in puteum demittitur ad hauriendam aquam: quia imitatur eam avem levantem ac deponentem rostrum, dum bibit. A Latinis dicitur *tolleno*, ab Italis *mazzacavallo*. ¶ 3. Est etiam genus irrisionis, quod fit digitis in modum rostri ciconiæ compressis, curvatis, et crebro motis in aliquem. *Pers.* 1. 58. O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit. *Hieronym. prol. in Sophon.* Incurvate manum in ciconiam post tergum alterius. *Id. Ep.* 125. *n.* 18. Si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.

CĬCŌNĪNUS, a, um, adject., ad ciconiam pertinens. *Sidon.* 2. *Ep.* 14. Usque ad adventum hirundineum, vel ciconinum.

CICUM. *V.* CICCUS.

CICUMA, æ, f. 1. noctua. *Gloss. post Fest. Müll.* p. 381. 1. Cicuma avis noctua. *ubi alii leg.* cucuma. In *Gloss. Isid.* legitur *cecuma* et *cecua*. *Voss.* in *Etymol.* putat legendum esse *ciccaba* vel *ciccuba*, quia Græcis κικκαβη noctuam significat, teste *Scholiaste Aristoph.* Sed idem *Scholiast.* docet, a *Callimacho* noctuam dici κικυμίδα: ex quo intelligimus, quæ in *Gloss. post Fest.* est *cicuma* recte deduci a κικυμίς, addita Latina positione.

CĬCUR, uris, adject. domitus, mansuetus, non ferus; et proprie dicitur de bestiis, quæ disciplina et cura hominum feritatem exuerunt: quamobrem *cicures* opponuntur *feris*, ut apud *Varron.* 7. *L. L.* 91. *Müll.* Quod enim a fero discretum, id dicitur cicur. Cf. et loca sub I. allata (It. *dimesticato, mansuefatto, dimestico*; Fr. *apprivoisé, domestique*; Hisp. *amansado, manso, domestico*; Germ. *zahm*; Angl. *tame, tamed, domesticated*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 38. Bestiæ immanes aliæ, quædam cicures. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Quæ vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum! *Id. Amic.* 21. 81. In bestiis agrestibus, cicuribus, feris. *Varro* 3. *R. R.* 16. 19. *de apib.* Eæ differunt inter se, quæ feræ et cicures sunt. Nunc feras dico, quæ in silvestribus locis pastitant; cicures, quæ in cultis.

II.) Translate. *Vet. Auct.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 91. *Müll.* Cicur ingenium obtineo. *h. e.* mansuetum, ut ipse *Varro ibid.* interpretatur. *Pacuvius* apud *Paul. Diac.* p. 108. 3. *Müll.* Concilium cicur. *h. e.* sapiens, ut idem *Paul. Diac.* interpretatur.

CICURO, as, avi, atum, are, a. 1. cicurem reddo, mansuefacio. *Pacuvius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 91. *Müll.* Nulla res neque cicurare, neque mederi potis est, neque reficere.

CĬCŪTA, æ, f. 1. ¶ 1. Herba caule lævi et geniculato, ut calami, nigricante, et altiore sæpe binis cubitis (hinc *longam cicutam* dixit *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 9.) atque in cacuminibus ramoso: folia habet coriandri teneriora, gravi odoratu: semen aniso crassius, radicem concavam nullius usus. Semen noxium maxime est, ex quo expressus succus venenum est homini: cui tamen vino poto occurri potest, si non pervenerit ad vitalia: si vero in vino bibatur, irremediabile creditur. Hæc ex *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (151). et (152). Hanc sumere damnatos cogere, mos fuit Atheniensibus, quod et in Socrate factum est: item Massiliensibus, ut *Val. Max.* 2. 6. 7. tradit. Habet tamen nonnullos usus in medicina, quos *Plin. loc. cit.* enumerat. *Cato R. R.* 37. Ex segete vellito ebulum, cicutam, et circum salicta herbam altam ulvamque. Eam substernito ovibus. *Lucret.* 5. 897. Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 56. Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta. Adde *Ovid.* 3. *Art. Am.* 465. et 4. *Met.* 504., et *Cels.* 5. 27. *n.* 13. *Pers.* 4. 1. barbatum hæc crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ. *h. e.* Socratem. Adde *Plin.* 14. *Hist. nat.* 5. 7. (58). et 23. *ibid.* 1. 23. (43).; *Juvenal.* 7. 206.; *Scribon. Compos.* 179.; *Senec. Ep.* 13.; *Marcell. Empir.* 33.; *Plin. Valerian.* 14. et *Dig.* 48. 8. 3. § 3. — Cicutæ vis omnis, propter quam venenum est, frigore constat, quo vitalem in nobis calorem extinguit: quæ ratio est, cur vinum, in quo calor inest, ei medeatur. Hinc cicutam circa pubertatem testibus illitam, Venerem exstinguere narrat *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (154). *Marcell.* autem *Empir.* 33. *ante med.* docet, testibus nimis crescentibus cicutæ radicem tritam et cum ovi albo impositam mederi. Et *Pers.* 5. 144. calido sub pectore mascula bilis Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ. *h. e.* flamma libidinis, vel bilis atræ fervor adeo accensus est, ut ne urna quidem cicutæ extinguere eam possit: cum tamen vel minima ejus quantitas occidere hominem queat. Sumpsisse hoc videtur ab *Horat.*, qui 2. *Ep.* 2. 52. sed quod non desit, habentem Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ, Ni melius dormire putem, quam scribere versus. *h. e.* stultissimus certe fuero, si tanto ardeam studio scribendi versus, ut hoc putem melius esse, quam dormire: quem quidem ardorem et cacoethes nullæ cicutæ extinguere poterunt. Quidam interpretum putant, cicutam hoc loco significare helleborum nigrum, nam κώνειον hoc sensu ab *Avicenna* quoque adhibitum fuisse. Alii dicunt adhiberi per quamdam catachresin pro quocumque medicamento ancipiti et validissimo, cujusmodi in periculosissimis morbis medici admovere solent. *Lambin.* lectionem ipsam sollicitat, et ex conjectura reponit *sicuæ* vel *sicyæ*, *h. e.* cucurbitulæ, quibus medici sanguinem eliciunt. Id enim significant αἱ σικύαι. Sed non est audiendus. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 365.) hanc exhibet synonymiam: Κώνειον Hippocr. in var. loc., Theophr. 9. 17., Nicand. Alexiph., Dioscor. 4. 79. et Alexiph. 11., et Ælian. Hist. anim. 4. 23.; *Cicuta* Senecæ, Plin., Val. Max., Plin. Valer., Scribon. et Marcell. Empir. locc. citt., et Βρομόχορτον Græcor. recent. sunt *Conium maculatum* L. Spec. plant. 349. *V.* plura *ibid.* apud *eumd.* *Fée* scitu digna. ¶ 2. Præterea cicuta significat calamum, fistulam ad canendum aptam, sive ex eo, quod caulem cicutæ imitetur, qui geniculatus est instar calami: sive quod hæc propria sit hujus vocis notio; quæ videtur esse sententia *Servii* ad illud *Virg.* 2. *Ecl.* 36. Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula: ubi docet, cicutam esse spatium quod est inter calamorum nodos. *Lucret.* 5. 1382. Inflare cavas cicutas. *Virg.* 5. *Ecl.* 85. Cicuta fragilis. *Calpurn.* 7. *Ecl.* 12. Arguta cicuta. Adde *eumd.* 4. 20. et *V.* CICUTICEN. — *Lactant. de Opific. Dei* 8. *ad fin.* Si quis vellet transpicere per cicutam, non plus cerneret, quam cicutæ capacitas comprehendat. *Forcellinus* hoc *Lactant.* loco cicutam accepit pro canna simpliciter. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

CĬCŪTĬCEN, icinis, m. 3. (cicuta et cano) qui cicuta seu fistula canit. *Sidon. Carm.* 1. 15. Alta cicuticines liquerunt Mænala Panes.

CĬDĂRIS, is, f. 3. κίδαρις, εως. Reperitur et *cidar* neutrum, aut indeclinabile. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Majo*) 64. Opes tamen ejus (*Darii*) et arma, tum cidar, apicem regium, curru una et insignibus retrahit universis. — Legitur et *citaris*, κίταρις, teste *Hesych.* — Cæterum *cidaris* desumitur ab Hebr. כתר *citter*, cinxit, hinc כתר *ceter*, corona, pileus regius, regium capitis insigne a Persarum regibus adhibitum, idem fere quod *tiara* (ut docet *Hesych.*) quæ ab Armeniis κίδαρις appellabatur. Vide, si placet, cidaris formam in nummo M. Antonii apud *Morellium G. Antonia T.* 6. *n.* 1. et *Visconti Iconografia T.* 2. *tav.* XVI. *n.* 6. *Curt.* 3. 3. 19. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærula fascia albo distincta circumibant. — Fuit etiam in vestitu sacerdotali Hebræorum, ut *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 3. Summus pontifex habet cidarim, et nomen Dei portat in fronte: diademate ornatus est regio. *Id. ibid. n.* 13. Summi pontificis vestimentum rotundum pileolum, quale pictum in Ulyxi conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, et pars una ponatur in capite: hoc Græci et nostri τιάραν, nonnulli galerum vocant, Hebræi *Misnephet*; non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit; sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum et sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia forinsecus appareant. *Id.* in *Ezechiel.* 7. 21. 25. Propter te sacerdotium et regnum interiit populi Judæorum. Cidaris enim insigne pontificis est; corona, hoc est diadema, regis indicium. *Lactant.* 4. 14. ex *Zachar. proph.* 3. Imponit cidarim mundam super caput ipsius. *V.* illustratam cidarim a *Spanhem. de usu et præst. num. diss.* 8. *p.* 470. Videtur tamen cidaris fuisse cærulea illa fascia, seu diadema regum; tiara autem pileus sacerdotum et regum proprius; ideoque *Curtius* perperam vocasse cidarim, quam rectius tiaram appellare debuerat.

CĬEO, cies, civi, citum, ciere, a. 2. *et raro* cio, cis, civi, citum, cire, a. 4. Præteritum *cii* (item *cii*, ut est apud *Charis.* 3. *sub init.*, quod tamen locum habet solum in compositis), et supin. *citum* commune est duobus hisce verbis: sed *citus* a *cieo* primam corripit, a *cio* producit, ut videre est in compositis *concitus, excitus* etc. — Ceterum forma *cio*, si perfect. et supin. excipiantur, raro admodum occurrit; scilicet *Cio* apud *Martial.* 4. 90. Inde lego Phœbumque cio, Musasque lacesso. Adde *Poetam* in *Anthol. Latin. Burmann.* 3. 57. *Cit* apud *Virg. Cul.* 201. bijuges oriens Erebo cit equos nox. et apud *Colum.* 6. *R. R.* 5. 1. Ea res aut cit alvum, aut movet febrem. *Cimus* apud *Lucret.* 1. 212. Terraique solum subigentes, cimus ad ortus. *h. e.* excitamus, promovemus. Adde *eumd.* 5. 211. et cf. *Priscian.* 9. *p.* 865. *Putsch.* *Ciunt* apud *Lactant. Epit.* 4. Tres affectus tres furiæ sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes ciunt. *Al. leg.* cieunt. *Ciunt* apud *Apul. Florid. n.* 17. Voces ciunt. *Ciuntur* apud *eumd. de Mundo* 22. Cum vel inter se ventorum prælia ciuntur. *Cire* apud *Capell.* 9. p. 309. Quæ multiforme scitis cire barbiton. — Part. *Ciens* 1. et 2.; et Part. præter. pass. *Citus* 1. et 2.; et *Citus, a, um* sæpissime adjective occurrit, quod *V.* loco suo. — Ratione habita etymi cieo conjungi potest cum Græcis κίω et κινέω *moveo*, et cum Germ. *ziehen* trahere: et sane cieo est moveo, commoveo, facio ut aliquid eat aut veniat (It. *mettere in moto, muovere, far andare o venire*; Fr. *mettre en mouvement, mouvoir*; Hisp. *meter en movimiento, mover*; Germ. *in Bewegung setzen, bewegen, aufregen, gehen oder kommen machen*; Angl. *to move, stir, rouse, excite*). ¶ 1. Stricto sensu ciere, nullo addito loco, est movere id, quod aut quiescit, aut moratur. — *a*) Generatim. *Plaut. Pæn.* 4. 2. 86. Prius disperibit fato, quam unam calcem civerit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 11. 27. Naturæ – omnia cientis et agitantis motibus et mutationibus suis. *Id.* 1. *Tusc.* 23. 54. Quod – est animal, id motu cietur interiore et suo. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 9. 23. *Id. Tim.* 7. Cujus orbis semper in eodem erat eodemque modo ciebatur. *Horat. Epod.* 9. 20. Puppes sinistrorsum citæ. *Stat.* 6. *Theb.* 801. remos vox ciet. — Haud raro cum ipsa motus notione, quæ huic verbo inest, notio quoque conjungitur turbæ ac tumultus, qui a motu procedit: ad rem *Liv.* 28. 27. Multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: venti et auræ cient. *Cic. Prognost.* 1. *Divinat.* 9. 15. *de ranis.* Absurdoque sono fontes et stagna cietis. *ciere sono* est perstrepere, et quodammodo commovere, concutere, adeoque turbare. *Lucret.* 4. 609. Ergo replentur loca vocibus –

sonituque cientur. *Id.* 6. 242. Disturbare domos et monumenta virûm demoliri atque ciere. *Id.* 5. 1230. Sæpire plagis saltum canibusque ciere. *Virg.* 4. *Æn.* 122. tonitru cœlum omne ciebo. Simile est illud *Juvenal.* 1. 13. assiduo ruptæ lectore – columnæ. — b) Speciatim *ciere alvum, urinam, menses* etc. in re medica est commovere, provocare, solvere. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 1. et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 38. (96). Ciere alvum. Cf. *Cels.* 1. 6. et 2. 3. *in fin.* Cita alvus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (50). Ciere menses. *h. e.* menstrua. *Id.* 26. *ibid.* 15. 90. (151). menses et sudores. *Id. ibid.* 15. 90. (154). secundas. *Id. ibid.* 8. 57. (88). urinas. — c) Item *erctum* vel *herctum ciere* apud *Cic.* 1. *Orat.* 57. 137.; *Gell.* 1. 9. *in fin. Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 642. et *Paul. Diac.* p. 82. 16. *Müll.* significat hereditarium as movere adeoque in singulos heredes dividere. *V.* HERCISCO et HERCTUM. ¶ 2. Latiori sensu ciere est etiam edere, efficere, excitare quæ nondum existunt, aut saltem aliter existunt: præcipue cum hæc eadem naturæ viribus efficiantur. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Ex corporis totius natura varios motus cieri. Cf. *Lucret.* 3. 379. *Cic. Tim.* 8. *ad fin.* Cum eamdem partem attingit, qua sensus cieri potest. *h. e.* moveri, affici, ut sentiat. *Lucret.* 3. 292. aura frigida, quæ ciet horrorem membris. *Tullius Tiro* apud *Gell.* 13. 9. Hyades cum oriuntur et cum occidunt, tempestates pluvias largosque imbres cient. *h. e.* movent, inducunt, ferunt. *Virg.* 3. *Æn.* 344. longosque ciebat incassum fletus. *h. e.* edebat, flebat. *Curt.* 4. 3. 17. Mare ciet fluctus. Adde *eumd.* 10. 7. 11. *Scribon. Compos.* 191. Toxicum e vestigio ciet dolorem interaneorum. — Porro hac significatione jungitur pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Tac.* 15. *Ann.* 59. arma. *h. e.* bellum excitare. Similiter *Liv.* 5. 37.; *Vellej.* 2. 54. 2.; et *Tac.* 3. *Hist.* 41. *in fin.* bellum. *Virg.* 1. *Æn.* 541. bella. *Id.* 5. *ibid.* 674. belli simulacra. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 19. et 2. *Fin.* 29. 94. cruciatus. *Lucret.* 5. 773. cursus solis lunæque meatus. *Id.* 5. 816. frigora, æstus, auras. *Sil. It.* 1. 601. flatus. *Virg.* 3. *G.* 717. et *Phædr.* 1. 18. 3. et 4. 22. 1. gemitus. *h. e.* gemere. *Virg.* 6. *Æn.* 468. lacrimas. *h. e.* lacrimari. *Servius* hic et ad 12. *Æn.* 104. adnotavit, *ciere lacrimas* proprie esse alterius lacrimas provocare, inducere alium ad lacrimandum: sed nullo id confirmavit exemplo. *Id. Virg.* 12. *Æn.* 103. mugitus. *h. e.* mugire. *Id.* 1. *G.* 110. murmur. *h. e.* murmur edere. *Liv.* 2. 19., 4. 33. et 7. 33. prælium. *h. e.* edere, facere; et dicitur tum de eo qui pugnat, tum de eo qui pugnandi auctor est. *Id.* 22. 39. prælia atque acies. Eadem ratione *miscere prælia* dixit *Virg.* 2. *G.* 282. *Liv.* 2. 47. et 9. 22., et *Tac.* 3. *Ann.* 41. pugnam. *Curt.* 8. 14. 9. pugnam acerrime. Ita *Sil. It.* 9. 335. hi sude pugnas, Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili. Et *Virg.* 9. 766. ciere Martem. *Liv.* 22. 39. procellas. *Vellej.* 1. 2. rixam. *h. e.* movere, excitare. *Liv.* 4. 52. seditiones. *Catull.* 64. 131. singultus ore. *Virg.* 6. *Æn.* 830. stragem. *h. e.* edere. *Seneca Œdip.* 351. terrores. *Catull.* 64. 262. tinnitus ære. Cf. *Virg.* 4. *G.* 64. *Liv.* 28. 17. tumultum. *Id.* 41. 24. tumultus. *Lucret.* 5. 1059. voces varias. ¶ 3. Aliquando cum additis *ciere aliquid* significat, aliquid ad se movendo afferre, adeoque concitare, excitare. *Lucret.* 1. 996. æternaque suppeditantur, Ex infinito cita, corpora materiai. *Liv.* 9. 7. Silentium illud obstinatum – et pudorem intuendæ lucis ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse. *Virg.* 2. *Æn.* 419. imo Nereus ciet æquora fundo. *Val. Flacc.* 7. 578. Jason errantem dextrâ ciet obvius ignem. *h. e.* ad se attrahit; sermo enim est de Jasone contra ignitos tauros pugnante, et jactando a se amovente et repellente. ¶ 4. Hinc sæpe ponitur pro vocare, invocare, atque adeo in auxilium vocare: nam et hoc quodammodo movere est ac concitare. Occurrit autem — a) Absolute, *h. e.* cum Accusativo tantum. *Tac.* 11. *Ann.* 30. Ille cieri Narcissum postulat. *Lucret.* 4. 577. Palantes comites – Quærimus et magnâ dispersos voce ciemus. *Liv.* 22. 14. Ciere non homines tantum, sed fœdera et deos. *Virg.* 6. *Æn.* 165. Ære ciere viros. *Id.* 4. *ibid.* 490. nocturnos Manes carminibus. *Seneca Hippol.* 957. vulgus æquoreum. *Val. Flacc.* 3. 562. sera auxilia. *Id.* 4. 549. Numina nota ciens. *Martial.* 4. 90. 4. Phœbum. *Petron. Satyr.* 122. et 135. Tuba mortem ciet. *Sil. It.* 8. 437. Ciere aliquem clamore. *Id.* 1. 455. cunctos nomine. *Sueton. Ner.* 46. et *Tac.* 2. *Ann.* 81. aliquem nomine. *Tac.* 3. *Hist.* 62. Ciere novos exercitus. *h. e.* facere, cogere, et bellandi causa movere. — b) Addito termino, unde quis vocatur. *Liv.* 9. 39. Ciere militem ab ultimis subsidiis. *Virg.* 7. *Æn.* 325. Allecto ab sede sororum infernisque tenebris. *Id.* 10. *ibid.* 198. patriis agmen ab oris. *Ovid.* 6. *Met.* 662. Stygia de valle sorores. *Tac.* 15. *Ann.* 33. aliquos proximis coloniis et municipiis. — c) Addito fine, ad quem quis vocatur. *Catull.* 68. 8. Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum Cœperat ad sese Troja ciere viros. *h. e.* in se provocare atque incitare. *Liv.* 5. 47. et *Sil. It.* 7. 43. Ciere aliquem ad arma. *Vellej.* 2. 6. 6. Armatos ad pugnam ciens. *Petron. Satyr.* 120. mota pacatum in prælia vultum Romanosque cie. *h. e.* commove, turba, concita ad arma civilia. *Sil. It.* 4. 272. aliquem in pugnam clamore. *Val. Flacc.* 1. 751. in lucos. *Tac.* 1. *Hist.* 84. in aliquem. *Id.* 3. *ibid.* 10. aliquem nomine ad ferendam opem. ¶ 5. Hinc ponitur etiam simpliciter pro inclamare. — a) Generatim. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 11. Quid hoc negoti est, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet? *h. e.* nominat, inclamat: *quidam exponunt* accusat. *Liv.* 45. 38. Qui et ipsi laureati – triumphum nomine cient. *h. e.* clamant: Io, triumphe. *Virg.* 3. *Æn.* 67. animamque sepulcro Condimus, et magna supremum voce ciemus. *Ovid.* 4. *Fast.* 484. et *Tac.* 1. *Ann.* 21. Ciere nomen alicujus. *Val. Flacc.* 3. 155. verba. *h. e.* proferre, dicere. Sic *Ovid.* 6. *Fast.* 622. Movere preces. *Apul. de Mundo* 11. Ciere Zephyrum nomine Iapygis. *Id. ibid.* 37. deum pluribus nominibus. — b) Speciatim in re civili, *patrem, avum* etc. *aliquem ciere posse* nota est hominis ingenui, ut docet *Liv.* 10. 6. *in fin.* En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos? Consulem jam patrem ciere possum, avumque jam poterit filius meus.

CIGNUS, i, m. 2. mensuræ genus, retinens scrupulos octo, teste *Papia. Plin. Valer.* 2. 30. Cignum dimidium commiscebis. *Id. ibid.* 31. Sic injicies, ut habet olei cignos tres. Adde *Auct. rei agr.* p. 323. *Goes.*

CILIBANTUM, i. *V.* CIBILLA.

CILICIARIUS, ii, m. 2. (cilicium) qui cilicia conficit, aut vendit. *Inscript.* apud *Gruter.* 648. 6., quæ est apud *Orell.* 4162. D. MA. RESPECTIO GRATIANO CILICIARIO CATIOLA CONIVX P. C.

CILICINUS, a, um, adject. ex cilicio factus. *Solin.* 33. Ipsa autem tentoria cilicina sunt: ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta. *Hieronym. in Vita Hilarion. sub fin.* Tunica cilicina. *Vulgat. interpr. Exod.* 26. 7. Facies et saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. *Et Apocal.* 6. 12. Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus. V. *Labus Fasti T.* 1. p. 402.

CILICIOLUM, i, n. 2. *deminut. a* cilicium, parvum cilicium. *Hieronym. Ep.* 108. n. 15. Super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat.

CILICIUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

CILICIUS, a, um, adject., ad Ciliciam pertinens. *V.* ONOM. — Hinc *cilicia* vestis seu *cilicius* pannus erat ex pilis caprarum et hircorum contextus, in varios militum et castrorum usus, item nautarum et pauperiorum hominum: nomenque habuit a Cilicibus, a quibus creditur primum inventus esse, cum ejus regionis caprinum pecus maxime villosum sit, ut *Varro* 2. *R. R.* 11. 12. tradit, quocum confer *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (203). *Martial.* 14. 140. *in lemmate.* Udones cilicii. *h. e.* ex pilis hircinis, ut cilicia, confecti. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. § 13. Vela autem cilicia instrumenti esse, Cassius ait, quæ ideo parentur, ne ædificia vento vel pluvia laborent. Adde *eumd. ibid.* 19. 1. 17. § 4. — Sæpius tamen occurrit

Cilicium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, pro ipsa veste vel panno, de quo superius diximus. *Sisenna* apud *Non.* p. 91. 28. *Merc.* Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur. *Cic.* 3. *Verr.* 38. 95. Cum iste civitatibus coria, cilicia, saccos imperaret. *Liv.* 38. 7. *ad fin.* Cuniculum intersæpientes ciliciis prætentis. Adde *Varron. loc. cit.*; et *Celsum* apud *Philargyrium* ad *Virg.* 3. *G.* 313., cujus hæc sunt verba: Cilicia, quæ Celsus ait retulisse Varronem ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit. *Colum.* 12. *R. R.* 48. 1. Radicem inulæ aspero linteolo, vel etiam cilicio detergere. *Veget.* 4. *Milit.* 6. Saga ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiant sagittarum. *Servius* ad illud *Virg.* 3. *G.* 313. *Usum in castrorum et miseris velamina nautis*: De ciliciis poliuntur loricæ, et teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhærere. — Pauperiores homines etiam pro veste stragula ciliciis usos fuisse, colligitur ex *Sulpic. Sever. Ep.* 1. *de S. Mart. et dial.* 1. *de Virtutib. Monach.*, et *V.* CILICIOLUM.

CILIO, ōnis, m. 3. cæstrum, vericulum, vox vulgaris olim in Hispania. *Isid.* 20. *Orig.* 4. Cælum est genus ferramenti, quem vulgo cilionem vocant.

CILIUM, ii, n. 2. a *cillendo*, *h. e.* movendo dictum videtur, ut *palpebra* a *palpitando*. Recentiores tamen philologi a Græcis κυλίς, κύλα deductam vocem arbitrantur, quæ *palpebram superiorem* et *inferiorem* significant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 57. (157). docet, antiquos *cilium* vocasse extremum ambitum genæ superioris oculi, in qua pili nascuntur, qui Italice dicitur *l'estremità pelosa della palpebra*, et Græce βλεφαρίς, ita ut *cilium* opponatur *supercilio*. Postea vero significare cœpit ipsam genam seu palpebram, Græc. βλέφαρον. *Paul. Diac.* p. 43. 3. *Müll.* Cilium est folliculus, quo oculus tegitur: unde fit supercilium (It. *ciglio*, *palpebra*; Fr. *paupière*; Hisp. *parpado*; Germ. d. *Lid*, *Augenlid*; Angl. *the eye-lid itself*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 93. (227). Cutis ubicumque sine carne est, vulnerata non coit, ut in bucca cilioque. *Apul.* 10. *Met.* p. 247. 10. *Elmenh.* Ciliis alterne connivere. *Lactant. de Opific. Dei* 10. Ut oculi munitiores essent ab injuria, ciliorum tegminibus occuluit. Adde *Isid.* 11. *Orig.* 1. 42. — Videtur etiam poni pro supercilio. Cf. *Plin.* loco supra cit. 11. *Hist. nat.* 37. 57. (157). *Maximian. Gall.* 1. 139. Et quos (*oculos*) grata prius ciliorum serta tegebant, Desuper incumbens hispida silva premit.

CILIUMBRIS, e, adject. hirta supercilia habens. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 2. Ut Plato ciliumbrem oculum (*h. e.* qui a supercilio inumbratur), aut araneum patrimordacem, aut medullam ossigeniam dixit: nam omne obscurum, quod insuetum est.

CILLEO. *V.* CILLO.

CILLIBA, æ, f. 1. *V.* CIBILLA.

CILLO, is, ere, a. 3. Legitur etiam *cilleo*, *cileo* et *cilo*. Cillo est moveo: antiquum et obsoletum verbum: ita enim *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 389. Oscilla dicta sunt ab eo, quod in his cillerentur, hoc est moverentur ora, nam cillere est movere. Unde et furcillæ dictæ sunt, quibus frumenta cillentur. Eadem habet *Isid.* 20. *Orig.* 14. 11. Antiquius testimonium haberi videtur apud *Festum*, qui ita scribit p. 194. 8. *Müll.* Oscillum Santra dici ait, quod os cillent, idest inclinent, præcipitesque in os ferantur. Ita legit *Scalig.* ad *Festum* et *Voss.* in *Etymol.* ad vocem *Oscillum*. Aliter tamen habetur in multis codicib.; immo *Müll.* pro *os cillent* rectius legit *oscillent*. Ceterum *cillere* occurrit etiam apud *Mythogr.* editos a *Mai.* 1. 9. et 2. 61.

CILLO, ōnis, m. 3. *V.* paullo infra CILO.

CILLUS, i, m. 2., κίλλος, Dorica lingua asinum significat. In *fragment. carm. Petron.* p. 683. *Burmann.* Judæus licet et porcinum numen adoret, Et cilli summas advocet auriculas. *Tacit.* 5. *Hist.* 3. et 4. tradit, Judæos asinum pro numine coluisse, quod eo monstrante invenissent in deserto aquam, (quam fabulam refellit *Tertull. Apolog.* 16). Eo igitur referenda hujus carminis sententia est: ubi tamen alii leg. *cœli*. Nam et *cœlicolæ* Judæi dicti sunt. *V.* CÆLICOLÆ et HEMICILLUS.

CĪLO, ōnis, m. 3. Quantitas prioris syllabæ in hac voce dignoscitur ex hac *Inscript.* apud *Gruter.* 47. 10., ubi *Cilo* est nomen proprium: SVME LIBENS SIMVLACRA TVIS QVAE MVNERA CILO ARIS VRBANVS DEDICAT IPSE SACRIS. Hinc in *fragm. Inscript.* Atestinæ optimæ notæ in *Ant. lap. del Mus. di Este* p. 162. scribitur CĪLO. Adde *Inscript.* quæ nunc exstat Vicetiæ Λ. ΦΑΒΙΟΝ ΤΟΝ ΚΕΙΛΩΝΑ. — Ceterum *Paul. Diac.* p. 43. 10. *Müll.* Cilo sine aspiratione cui frons est eminentior, ac dextrâ sinistrâque velut recisa videtur. Nec dissimiliter *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* Cilones dicuntur, quorum capita oblonga et compressa sunt. Et *Flav. Caper de Orthogr. ibid.* p. 2241. Cilo est angusto capite: cui hoc contigit in partu. Adde *Velium Longum* p. 2234. *Putsch.* et apud *Cassiod.* p. 2287. *Placidi Gloss.* ed. *A. Mai* p. 447. Cilones, quorum capita oblonga. *Gloss. Labb.* Cilo προκέφαλος, μακροκέφαλος. et *ibid.* Cilones φοξοί. — Est etiam vox convicii. *Auct. declam. in*

Sallust. 6. Quidquid impudicorum, cilonum, parricidarum, sacrilegorum fuit in Urbe. *Cæl. Rhodig. l.* 21. *c.* 22. legit *cillones* (quod præstat) et interpretatur ceventes, cinædos, a *cillere* motitare. Alii scribunt *cyllones*, Græce autem κυλλός est mutilus, curvus, claudus, mancus. Nonnulli apud *Martinum* in *Lex. Etym.* putant, sic dici eum, qui bene peculiatus est, atque adeo impurus, lascivus. Sed hæc notio unde sit, non apparet. Quid si retineas *cilones*, vel *celones*, a κηλέω *uro*, hoc est libidine ardentes? Hinc enim fit κηλωνεῖον *lupanar*. *Martin. ibid. V.* et CILUS. — *NB.* De Cogn. Rom. *V.* ONOM.

CILUNCŬLUS, i, m. 2. *deminutiv.* a cilo, qui est capite et fronte angusta et compressa: cui frons veluti cillit, et sursum movetur ac surgit. *V.* CILO. *Arnob.* 3. 14. Esse quosdam capitones, cilunculos, frontones, labeones. Al. perperam leg. *silunculos*, a *silo*, *onis*, vel *silus*, *i*. Dubiam hanc vocem obfirma novo exemplo meliorisque notæ; est enim cognomen Romanum in *Inscript.* apud *Murat.* 1560. 1. c. HOSTILIVS CILVNCVLVS. *V.* voc. seq. — De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĬLUS, a, um, adject. videtur esse primitivum nomen, unde est derivatum *cilo* et deminutivum *cilunculus*. Est autem nomen proprium servile in *Inscript.* apud *Murat.* 1322. 5. P. CERVONIVS T. F. MARINVS TESTAMENTO FIERI IVSSIT SIBI ET CINCIAI SEX. F. SECVNDAI VXORI CILAI CONCVBINAI. Et *Inscript. Patav.* ed. *Furlan.* 331. COPONIA D. L. CILA.

CĪMĒLĬARCHA, æ, m. 1. κειμηλιάρχης, qui pretiosæ supellectili præest: a κειμήλιον *supellex pretiosa*, et quæ magna cura reponitur et asservatur, et ἄρχω *prior sum*. Habetur in *Cod.* 7. 72. 10. § 2., ubi sermo est de Ecclesiastica dignitate ejus, qui res pretiosas, atque etiam pecuniam Ecclesiæ custodit.

CĪMĒLĬARCHĬUM, ii, n. 2. κειμηλιαρχεῖον, locus, in quo pretiosa supellex, atque etiam pecunia servatur: *V.* voc. præced. *Imp. Justinian. Cod.* 7. 72. 10. § 2. In cimeliarchio Sanctæ Ecclesiæ illius civitatis. *Id. ibid.* 11. 47. 79. Iidem reditus deponantur in æde sacra, vel in cimeliarchio civitatis. Adde *ibid.* 11. 48. 20. § 1.

CĪMEX, icis, m. 3. videtur esse a præter. perf. pass. κέκιμαι verbi κίω pro κέω *seco*; hinc etiam Græce κόρις appellatur a κέρω, unde est κείρω *seco*: vermiculus gravissimi odoris, in lectis nascens fusco colore, item in herbis quibusdam et arboribus colore viridi. — *a*) In masculino genere. *Livius Andronicus* apud *Festum p.* 210. 17. *Müll.* Pulicesne, an cimices, an pedes, responde mihi. *Plaut. Curc.* 4. 2. 14. et apud *Festum loc. cit.* Item genus (*lenonium*) inter homines meo quidem animo, ut muscæ, culices, cimices, pedesque, pulicesque. *Varro* 1. *R. R.* 2. 25. Cimices nulli accedent. Adde *Catull.* 23. 2., et *Colum.* 6. *R. R.* 18. 2. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 45. (131). Cum cimice trito illinere. Adde *eumd.* 29. *ibid.* 4. 17. (61)., ubi cimicum utilitates in medicina recenset. *Martial.* 11. 32. Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus. *Petron. Satyr.* 98. Ipsos cimices ore tangebant. — *b*) In genere femin. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 47. (136). Suffitus sanguisugarum necat cimices invectas. Ita edit. a. 1470. et 1472., Aldina 1536. *Harduini* et aliæ. Omnium harum antiquissima a. 1469. *per Joan. Spira* habet *innecta*, mendose quidem, sed ut inde facile appareat, *invectas* legi oportere. In Elzeviriana edit. legitur *invectus*: in Hachiana adjectum est oræ pro varia lectione *invectos*: quod et *Harduin.* mallet, quia alibi *Plin.* masculine semper usurpaverat. *Sillig* vero pro *necat cimices invectas* legit *necat cimices unice*. — *c*) Videtur esse aliquando nomen convicii, nempe in illo *Horatii* 1. *Sat.* 10. 78. Men' moveat cimex Pantilius?

CĪMĪNUM. *V.* CUMINUM.

CĬNÆDĬAS, æ, m. 1. κιναιδίας, gemma candida et oblonga, quæ invenitur in cerebro piscis cinædi. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (153).

CĬNÆDĬCUS, a, um, adject., ad cinædum pertinens. *Plaut. Stich.* 5. 5. 19. Suavem cantationem aliquam occipito cinædicam. *h. e.* protervioreṃ, pruritusque excitantem. — Hinc

Cinædicus, *i*, m. 2, absolute, substantivorum more occurrit pro ipso cinædo. *Plaut. Stich.* 5. 7. 1. Qui Jonicus, aut cinædicus, qui hoc tale facere possiet? *Varro* apud *Non. p.* 176. 19. *Merc.* Comici, cinædici, scænatici. *h. e.* molles enervesque saltatores.

CĬNÆDĬLŎGUS, i, m. 2. κιναιδολόγος, impudens in loquendo. *Turneb. l.* 20. *c.* 19. putat haberi in quodam *Varronis* fragmento apud *Non.* 1. 277. *edit. veter.* Sed ea lectio est valde incerta.

CĬNÆDŬLUS, i, m. 2. *deminutiv.* a cinædus. *P. Scipio Afric. Æmilian.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Virgines docentur præstigias inhonestas, cum cinædulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum. *Pontan.* mallet *cinædicis* ex conjectura.

CĬNÆDUS, a, um, adject. Comp. *Cinædior.* — Cinædus est qui ad cinædum pertinet, impudens, procax. *Catull.* 16. 2. Aureli pathice, et cinæde Furi. Adde *eumd.* 25. 1. et alibi. *Id.* 10. 24. Hic illa, ut decuit cinædiorem, Quæso, inquit, mihi etc. *Martial.* 6. 39. Homo cinæda fronte.

CĬNÆDUS, i, m. 2. κίναιδος, proprie est saltator a κινέω *moveo*. ¶ 1. Occurrit de hominibus, et significat — *a*) Generatim saltatores et pantomimos fere molles et effeminatos, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα, ut etiam *Non. p.* 5. 31. *Merc.* docet: quo sensu posset esse a κινέω *moveo* et αἰδοῖα *pudenda*, ut ait *Forcellinus*. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 74. Ad saltandum non cinædus malacus est, atque ego. Adde *eumd. Aulul.* 3. 2. 8. *P. Scipio Afric.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Eunt in ludum saltatorium inter cinædos virgines, puerique ingenui. *Lucilius* apud *Non. loc. cit.* Stulte saltatum te inter venisse cinædos. — *b*) Speciatim cinædus est puer eviratus, qui resupinati viri pudenda clunibus vel manu vel ore subagitat, idem atque embasicœtas. *Petron. Satyr.* 21. *Burmann.* Ultimo cinædus supervenit, cinguloque succinctus modo extortis nos clunibus cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit. *Id. ibid.* 24. Equum cinædus mutavit, transituque ad comitem meum facto, clunibus eum basiisque distrivit. *Apul.* 8. *Met.* Sed illæ puellæ, chorus erant cinædorum, statim exultantes in gaudium, fracta, rauca et effeminata voce clamores intollunt. *Et mox.* Passimque circumfusi nudatum supinatumque juvenem execrandis oribus flagitabant. Adde *Vet. Poetam* apud *Sueton. Aug.* 68. et *Juvenal.* 14. 30. — *c*) Cinædus differt a pathico, quia ille aliorum in se libidinem provocat, hic plerumque coactus se eidem subjicit. Sumitur tamen etiam pro puero meritorio seu pathico. *Plaut. Asin.* 3. 3. 37. Cinædus calamistratus. *Scipio Afric.* apud *Gell.* 7. 12. Nam qui cotidie unguentatus, cumne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent? *Catull.* 57. Pulchre convenit improbis cinædis, Mamurræ pathicoque, Cæsarique. *Id.* 23. 1. Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo. *Juvenal.* 2. 10. Inter Socraticos notissima fossa cinædos. — *d*) Cinædi sunt etiam castrati in usum musicos. *V.* MUSICUS. ¶ 2. Est et nomen piscis, coloris lutei. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146). ¶ 3. Item avis. *Musa Compos.* 6. Fel aviculæ, quæ cinædus appellatur.

CĬNĀRA, vel minus *recte* cynara, æ, f. 1. κινάρα. Ad scriptionem quod attinet, quamvis utroque modo tum Græce, tum Latine scriptam reperiatur, placet tamen *Salmas.* in *Solin.* per *i* scribi in utraque lingua: quod nos amplectimur. — Ceterum cinara est herba eadem, quæ carduus sativus. *Colum.* 10. *R. R.* 235. Hispida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 3. 14. et 28. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CĬNĀRIS, is, f. 3. nomen herbæ apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (101)., ubi narrat, cervum herba cinare venenatis pabulis resistere. Adde *Solin.* 19. Quidam putant eamdem esse cum *cinara*: sed negat *Harduin.*

CINCINNĀLIS, le, adject. cincinnos habens. *Herba cincinnalis* eadem est, quæ polytrichon. *Apul. Herb.* 51.

CINCINNĀTŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a cincinnatus. *Hieronym. Ep.* 130. *n.* 19. Cincinnatuli pueri et calamistrati.

CINCINNĀTUS, a, um, adject. cincinnos habens, cirratus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 40. Cincinnatus mœchus. Adde *eumd. Capt.* 3. 4. 115., et *Truc.* 2. 7. 49. *Cic. post redit. in senat.* 5. 13. Cincinnatus ganeo. *Id. Sext.* 11. 26. consul. *Cælius* apud *Quintil.* 1. 5. 61. Pelia cincinnatus. — *Cincinnatæ stellæ* sunt crinitæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Stellæ, quas Græci cometas, nostri cincinnatas vocant. *Al., quos inter* Orell., *rectius leg.* crinitas. *Vet. Scholiast.* ad illud *Juvenal.* 6. 207. *Instantem regi Armenio, Parthoque cometen*: Latine hæc stella cincinnata dicitur. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CINCINNŬLUS, ii, m. 2. *deminut.* a cincinnus, parvus cincinnus. *Varro* apud *Non. p.* 456. 8. *Merc.* Ante aures modo ex subolibus parvuli intorti demittuntur sex cincinnuli. *Al., quos inter Merc., aliter. leg. Barpt. Borghesius* in *Dec. num.* 14. *oss.* 3. probat, his cincinnulis a *Varrone* descriptis ornari caput Apollinis in nummis G. Pomponiæ apud *Morell. Thes. num. Famil. Rom. tab.* 1. *n.* V. VI. et *tab.* 2. *n.* I. II. III. et seqq.

CINCINNUS, i, m. 2. κίκιννος, cirrus, capilli intorti (It. *riccio*; Fr. *cheveux frisé*, *bouclé*, *boucle de cheveux*; Hisp. *rizo*, *sortija*, *bucle*; Germ. *gekräuseltes oder gelocktes Haar*, *Kraushaar*, *Haarlocke*; Angl. *a curled lock of hair*, *a curl*).

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 2. 2. 32. Jam ego istos fictos, compositos, crispos, cincinnos tuos unguentatos usque ex cerebro expellam. *Varro* 1. *R. R.* 31. 4. Coliculus viteus intortus, ut cincinnus. *Cic. Pis.* 11. 25. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ. *Juvenal.* 6. 461. Altior hic quare cincinnus? Adde *Apul.* 8. *Met.*

II.) Translate dicitur de flosculis orationis, et lasciviore verborum ornatu. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 100. Atque eo citius in oratoris, aut in poetæ cincinnis ac fuco offenditur, quod sensus in nimia voluptate, natura, non mente satiatur. Adde *Augustum* apud *Sueton. Aug.* 86.

CINCTĬA, Junonis epitheton, idem ac Cinxia. *Capell.* 2. *p.* 37. Cinctiam mortales puellæ debent in nuptias convocare, — ut cingulum ponentes in thalamis non relinquas. *V.* tamen CINXIA.

CINCTĬCŬLUS, i, m. 2. parvus cinctus, genus amiculi puerilis (quemadmodum *cinctus* virorum est) quod circa umbilicum præcingitur, et ad genua pertinet. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 28. Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres. *V.* adnotat. *Beckii* ad *Aristoph.* Νεφέλ. 967. *T.* 3. *p.* 331.

CINCTŌRĬUM, ii, n. 2. (cingo) balteus, hoc est cinctus, ex quo ensis dependet. *Mela* 2. 1. *in fin.* Marti pro simulacris enses et cinctoria dedicant. Quidam putant, utrumque simul significari, nempe ensem cum suo balteo, quo lateri appenditur. Hoc enim sensu accipiendum videtur ipsum *parazonium*, quod habetur apud *Martial.* 14. 32. *in lemmate*. Ipsum epigramma tale est: Militiæ decus hoc, et grati nomen honoris; Arma tribunicium cingere digna latus. — *Salmas.* in *Solin.* ait se legisse apud *Mel.* in libb. *enses et tentoria*: emendari autem posse *tinctoria*, hoc est gladios, quod ii sanguine tingantur. Hinc in *Isid. Gloss.* haberi: *tinctorium*, *gladius*. Nihilominus magis placere *cinctorium*. Quod et in ipsis *Isid. Gloss.* alii reposuerunt. Huc quidam trahunt illud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (44). Tu cujus semper in cinctorio mens est, *h. e.* in balteis et gladiis, atque adeo cruenta, crudelis es. Alii leg. *cinctoria mens est*. Sed *Harduin.* cum aliis *tinctoria*, eodem sensu: ut sit idem *tinctoria mens*, quod *gladiatorius animus* apud *Ter. Phorm.* 5. 7. 71. Alii vero *in victoria mens est*. Denique *Sillig* locum aperte corruptum esse fatetur, quem vestigia codicum secutus ita emendandum putat: *tincta gloria*, i. e. imbuta gloriæ cupidine, jactatione; V. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 81. 282. At certior est auctoritas *Venant.* 8. *carm.* 7. 99. Cujus justitia est lumborum cingulum, et idem Ejus renis adest cinctoriumque fides. *Hic* vero animadvertas velim, perperam a *Venantio* correptam fuisse syllabam antepænultimam in *cinctorium*. Aude, hic auctorem nostrum respexisse ad ea verba *Vulgat. interpr. Isai.* 11. 5. Fides cinctorium renum ejus.

CINCTŌRĬUS, a, um. *V.* voc. præced.

CINCTUM, i, n. 2. vestis infra pectus corpus ambiens, et ad pedes pertingens, ut campestre et subligaculum. *Scribon. Compos.* 163. Has venatores diligenter colligunt, et habent in cincto. *h. e.* in zona. *Porphyr.* ad *Horat. Art. P.* 50. Cinctum est genus tunicæ inter pectus aptatæ. *Qui sane locus omnem tollit dubitationem de hujusce nominis genere, quam protulit* Forcellinus. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 33.

CINCTŪRA, æ, f. 1. (cingo). *Quintil.* 11. 3. 139. Ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Pars togæ prior mediis cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius, quam cinctura. *h. e.* uti priores tunicarum oræ demissiores esse de-

beat posterioribus, ita et eadem portione toga ascendere a tergo debet supra ejusdem oram priorem. Ita *Spaldingius* locum legit, nempe *qua cinctura*, pro *quam cinctura*, ut prius editum fuerat, itaque interpretatus est. — Videtur etiam sumi pro ipsa cingendi ratione. *Sueton. Cæs.* 45. Usus est lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter, quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura.

CINCTUS, a, um. *V.* CINGO.

CINCTUS, us, m. 4. (cingo). ¶ 1. Abstracte est ipsa cingendi ratio. *Cinctus Gabinius* fuit ipsius togæ quædam conformatio in hunc modum. Lacinia ejus extrema lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, atque ita in nodum colligebatur, ut togam contraheret, et breviorem et adstrictiorem redderet. Hujus autem cinctus origo est hujusmodi. Cum toga laxum vestimenti genus esset, et ad pugnandum inepta, repentina apud Gabios incursione, cum non esset spatium deponendi togas et sumendi saga, aut chlamydes, (quæ fortasse tunc temporis nondum inventa fuerant) subductam, et retro rejectam circa corpus complicaverunt, et ad pugnandum processerunt. Ejus mentio fit a *Virg.* 7. *Æn.* 612. et *Servio ibid.*, item *Liv.* 5. 46., 8. 9. et 10. 7.; quique eo modo induti essent, *incincti cinctu*, aut *ritu Gabinio* dicebantur, et *in procinctu* esse. Hoc habitu utebatur postea consul bella indicturus. *Virg.* et *Serv. ibid.* Hac de re cf. et *Isid.* 19. *Orig.* 24. 7. et *Inscript.* apud *Orell.* 642. Hoc item cinctu utebatur, qui alicujus novæ urbis mœnia aratro circumsignabat. *V.* SUCCINCTUS. — Ceterum generatim pro ipsa cingendi ratione cinctus occurrit apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 17. (63). Vulnera nodo, Herculis præligare, mirum quantum ocior medicina est: atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quamdam utilem habere dicuntur. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est vestis infra pectus corpus ambiens, et ad pedes pertingens, ut campestre et subligaculum; quæ Italice dici potest *grembiale*; et Latine *cinctum* quoque dicitur: *V.* CINCTUM. Erat propria virorum et mulierum: sed in viris *cinctus*, in feminis *cingulum* dicebatur, ut *Varro* 5. *L. L.* 114. *Müll.* docet: et gestabatur ab his supra tunicam; ab illis autem loco tunicæ, ut expeditiores essent ad agendum. Habebant enim soluta brachia, et ad exercendum habiliora. — Hinc generatim est idem quod zona. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 59. (110). Solutus vinculo omni cinctus, et calceatus, atque etiam anuli. *Id.* 28. *ibid.* 4. 9. (42). Si cinctu suo soluto feminam cinxerit. *Sueton. Ner.* 51. Synthesinam indutus, sine cinctu, et discalceatus. Adde *Apul. Florid.* 1. n. 9., et *Stat.* 6. *Theb.* 77. ¶ 3. Significat etiam mediam partem corporis, qua cinguntur milites, quemadmodum et interdum ζώνη apud Græcos. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 7. Omnes deos Juppiter ad nuptias dicitur convocasse, illa de causa, quod putarent pagani singulas partes in homine deos singulos obtinere; ut Jovem caput, Minervam oculos, Junonem brachia, pectus Neptunum, cinctum Martem, renes et inguina Venerem, pedes Mercurium.

CINCTŪTUS, a, um, (cinctus) cinctu indutus. *Cinctuti Cethegi* apud *Horat. Art. P.* 50. sunt cinctu illo præcincti, qui in voce præced. sub 2. descriptus est: eo enim indumenti genere loco tunicæ utebantur antiqui illi et operosi homines, ut ad agendum expeditiores essent. Imitatus est *Ovid.* 5. *Fast.* 101. Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis. Hinc pendent etiam *Lucan.* 2. 543. exertique manus vesana Cethegi. et *Sil. It.* 8. 585. Ipse humero exertus gentili more parentum. Porro Cethegi gentis Corneliorum erant, quæ morem veterem diu retinuerat. Ad Lupercos vero quod attinet, satis constat, nudos eos et solo cinctu pudenda velatos, per urbem Lupercalibus decucurrisse. *Plutarch.* in *Romul.* c. 21. Διαθέουσιν ἐν περιζώμασι γυμνοί.

CINĔFACTUS, a, um, particip. ab inusit. *cinefio* (cinis et facio), in cinerem redactus. *Lucret.* 3. 920. At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus.

CĬNER, ĕris, m. 3. *V.* CINIS sub init.

CĬNĔRĀCEUS, a, um, adject. cineri similis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (33). Cineracea terra. *Id.* 27. *ibid.* 7. 27. (44). Folia cineracei coloris. At *Sillig* in primo ex allatis *Plin.* locis legit *cinericea*.

CĬNĔRĀRĬA, æ. *V.* CINERARIUS, a, um.

CĬNĔRĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

CĬNĔRĀRĬUS, a, um, adject. *Cinerarii fines* in agris sunt, qui ad sepulcrum aliquod terminantur. Veterum enim sepulcra in agris fuere. *Var. Auct. de limit.* p. 206. *Goesii.* *V.* CINERICIUS. — Hinc

Cinerarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem qui cinifio. Porro utraque hæc appellatio a cinere calefaciendo orta est. Docet enim *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* dictos esse *cinerarios*, quod calamistros fervente cinere calefactos, quibus capillus ornatur, ministrarent. *Cinifiones* a cinere flando et calefaciendo sunt appellati. Uterque ab *Horat.* 1. *Sat.* 2. 98. et a *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 8. inter delicatiores mulierum servos enumeratur. Latius tamen eorum opera patuisse videtur. Nam et tonsoriam exercuisse, colligitur ex illo *Catulli* 60. 138. Nunc tuum cinerarius Tondet os. *Seneca Constant. sap.* 14. Quidam se a cinerario impulsos moleste ferunt. Adde *Acron.* ad *Horat. loc. cit.*, cujus verba *V.* in voc. CINIFLO; et *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* — Olim *cinerarii* per convicium dicti sunt a *Vigilantio*, qui Sanctorum martyrum cineres et ossa venerabantur, ut est apud *Hieronym. Ep.* 109. n. 1.

Cinerarium, ii, n. 2. absolute est locus in sepulcro, ubi mortuorum cineres reconduntur. *Inscript.* apud *Gruter.* 850. 10. FRATRI OPTIMO ET PIISSIMO CINERARIVM FECIT. Adde 418. 11., 663. 3. et 850. 10.; *Inscript.* apud *Orell.* 4358. et 4513.; et Cf. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 112. *Alia* apud *Fabrett.* p. 16. n. 71. CALPVRNIA RESTITVTA EMIT DE SYNEROTE COLVMBARIA N. IIII. OLLAS N. VIII. ET CINERARIVM MEDIANVM ET PHOEBO CONIVGI SVO ET SIBI POSTERISQVE SVIS. Hic *Fabrettus* probat, cinerarium fuisse locum, in quo sarcophaga marmorea cum integris corporibus asservabantur; columbaria loculos, in quibus singulis duæ plerumque ollæ sive ossuaria cum ustorum corporum cineribus reponebantur. *V.* COLUMBARIUM et OSSUARIUM.

Cineraria, iæ, f. 1., mulier, quæ calamistros fervente cinere calefactos, quibus capillus ornatur, ministrat. *Not. Tir.* p. 165. Cinis, cineraria, cinefela. In prima editione legitur *cinefelo* pro *cinefela*, quod esset pro *cinifio*, quam vocem *V.* suo loco. At hæc omni prorsus carent auctoritate.

CĬNĔRESCO, is, ere, n. 3. Part. *Cinerescens.* — Cineresco est in cinerem abeo. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *ad fin.* Alii ligneos fungos interius ac superius angustos formantes patientibus apponunt locis, quos summitate accensos sinunt concremari, donec cinerescant atque sponte decidant. *Tertull. Apolog.* 40. *de regione Sodomæ.* Poma contacta cinerescunt. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 18. Poma fugitivis cinerescentia tactibus.

CĬNĔREUS, a, um, adject., cineri similis, cineraceus. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 16. et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (83). Cinereus color. *Colum.* 12. *ibid.* 16. 3. lixivia. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). uva visu. *Id.* 35. *ibid.* 16. 54. (192). terra. — Hinc

Cinereum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, dicitur unguentum pulvereum. *Scribon. Compos.* 37. Post hæc cinereo et aqua inungendi erunt (*oculi*) crassiore. Hoc inunctum multorum annorum callos – paucis diebus tollit. Adde *eumd. Compos.* 26.

CĬNĔRĪCEUS, a, um. *V.* CINERACEUS.

CĬNĔRĪCIUS vel

CĬNĔRĪTIUS, a, um, adject. cinereus, cineraceus. *Varro* 1. *R. R.* 9. 7. Si terra natura non sit cinericia, neve vehementer densa. *Al. leg.* cineraria. *Placid. Gloss.* ed. *A. Mai* in *Class. Auct.* T. 3. p. 444. Cinericiæ oves. *Novatian. Trinit.* 18. Quorum (*Angelorum*) cum pedes lavisset (*Abraham*), cinericios panes cum butyro et ipsius copia lactis offert. *h. e.* panes, qui in Scriptura Sacra *subcinericii* vocantur.

CĬNĔRŌSUS, a, um, adject. cinereus. *Apul.* 4. *Met.* Pulverei, et jam cinerosi mortui. *h. e.* in cinerem redacti. *Id.* 7. *ibid.* Cinerosa canities.

CĬNĒSĬAS, æ, m. 1. κινησίας; ita appellatur pyrrichius pes a *Diomed.* 1. p. 472. *Putsch.* Sed ipse a pedum mobilitate quod tripudians ordines et cinesias cognominatus.

CĬNĒSIS, is, f. 3. κίνησις; motus, quo quis jactatur in saltatione. *Capell.* 9. p. 335. Tunc Harmonia, Jove assurgente, divisque præambulis, cinesia modulata, in thalamum quoque virginis magna cunctorum voluptate pervenit. *Sed præstat legere cæmesia*, quam vocem *V.* suo loco.

CINGILLUM, i, n. vel Cingillus, i, m. 2. *deminut.* a cingulum. Cingillum est parva vestis, quæ *cinctus* dicitur. *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Venit ergo galbino succincta cingillo, ita ut infra cerasina appareret tunica. *Not. Tir.* p. 158. hanc eamdem exhibent vocem.

CINGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. Part. *Cingens* 2. 2.° b. et 4. a.; *Cinctus* in omnibus paragr.; *Cingendus* 4. *a.* — Cingo est circum complector, circumdo, circulum vel anulum facio circum personam aut rem aliquam (It. *cingere*, *attorniare*, *circondare*; Fr. *ceindre*, *entourer*, *environner*; Hisp. *ceñir*, *rodear*, *cercar*; Germ. *e. Ring oder Kreis um e. Person oder Sache bilden*, *sie umschliessen*; Angl. *to gird*, *tie about*, *surround*, *encompass*, *embrace*). Occurrit autem ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 26. Quid autem interius mente? cingatur igitur corpore externo. *Id. Milon.* 1. 1. Non enim coronâ consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitatâ frequentiâ stipati sumus. Cf. *Lucan.* 1. 321. Judicium insolitâ trepidum cinxere coronâ. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Præsidii tantum est, ut ne murus quidem cingi (*militibus*) possit. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 122. muros milites rarâ cinxere coronâ. *Liv.* 23. 29. Triplex stetit Romana acies. – Equites cornua cinxere. *Virg.* 1. *Æn.* 116. Illiditque vadis atque aggere cingit arenæ (*navem*). *Id.* 7. *ibid.* 658. Centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram. *Ovid.* 6. *Met.* 718. Mox pariter pennæ ritu cœpere volucrum Cingere utrumque latus. *Curt.* 4. 13. 30. Se ne circumiri posset a multitudine, ultimum agmen valida manu cinxerat. *Colum.* 10. *R. R.* 371. Sed jam – tempus – apio fasces et secto cingere porro. *Martial.* 11. 100. Cujus lacertos anuli cingunt mei. ¶ 2. Speciatim usurpatur — 1.°) De vestimentis et armis, quibus corpora vel latera circumdantur: et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 152. Cingitur: certe expedit se. *Virg.* 11. *Æn.* 486. Cingitur ipse furens certatum in prælia Turnus. *Quintil.* 11. 3. 138. Cui lati clavi jus erit, ita cingatur, ut etc. *Sueton. Cæs.* 45. Nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura. *Martial.* 14. 32. Arma tribunicium cingere digna latus. Similiter *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. puer alte cinctus. *h. e.* qui alte tunicam cinxit, ut ministeriis alacriter incumberet. Cf. *eumd. Horat.* 1. *ibid.* 5. 6. Et figurate *Seneca Ep.* 92. *a med.* Alte cinctus. *V.* ALTECINCTUS et ALTE. *Ovid.* 1. *Met.* 695. ritu Dianæ cincta. *Sil. It.* 3. 235. sinus cingere. — Hinc aliquando est militare verbum: nam *cingi* milites dicuntur, cum militiæ adscribuntur et arma sumunt. *Papinian. Dig.* 29. 1. 43. Filiusfamilias equestri militia exornatus, cingi confestim jussus etc. *Cinctus* itaque absolute est, qui militiæ nomen dedit et arma sumpsit. *Plin.* 7. *Ep.* 25. *in fin.* Sunt plures cultu pagano, quos cinctos et armatos diligenter scrutatus invenies. *Marcell. Dig.* 39. 1. 25. Titius, priusquam tribunus legionis factus esset, testamentum fecit: et postea cinctus, manente eodem, defunctus est. *Paul. ibid.* 38. Miles non ignominiæ causa missus, cinctus est in alia militia. — Etiam judiciaria dignitas hoc verbo significatur. *Anianus* in *Interpret.* ad *Pauli Sentent. recept.* 1. 5. 2. Qui apud cinctos, aut privatos judices fuerit de calumniæ objectione convictus. *h. e.* eos qui judiciariam meruerunt dignitatem. — Item est verbum sacerdotale, teste *Paul. Diac.* p. 63. 3. *Müll.* Cincta flaminica veste velata. — *b*) Addito Ablativo rei, quâ quis cingitur. *Plaut. Curc.* 2. 1. 5. Nam jam quasi zonâ liene cinctus ambulo. *Virg.* 8. *Æn.* 282. sacerdotes pellibus in morem cincti. *Id.* 11. *ibid.* 188. cinctus fulgentibus armis. *Id.* 2. *ibid.* 520. cingi telis. *Liv.* 7. 10. Gladio cingi. *Id.* 38. 21. *ad fin.* Miles Hispaniensis gladio cinctus. Adde et *Curt.* 9. 7. 19. *Ovid.* 2. *Fast.* 784. Cingere latus ense. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 13. et 3. *Amor.* 8. 14. *Curt.* 6. 10. 21. et *Sueton. Aug.* 35. Cinctus ferro. *Sueton. Aug.* 19. Cultro venatorio cinctus. *Seneca Herc. fur.* 605. Bella ferro cincta. *Stat.* 4. *Theb.* 41. Cingere latus ferro. *Curt.* 3. 3. 19. Zonâ muliebriter cinctus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 9. (42). Cinctu suo soluto feminam cingere. — Sic figurate *cingi venenis* apud *Val. Flacc.* 6. 477. est instrui, armari, ea ratione, qua dicimus *cingi gladio*. — *c*) Per hellenismum occurrit etiam passive cum Accusativo. *Virg.* 2. *Æn.* 511. inutile ferrum Cingitur (*Priamus*). *h. e.* ferro cingitur. *Ovid.* 6. *Met.* 59. cinctæque (*mulieres*) ad pectora vestes Brachia docta movent. — 2.°) Sæpissime occurrit etiam de coronamentis, præcipue quibus caput circumdari atque ornari solebat. — *a*) Generatim. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 15. Cingere aram coronis. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 371. *Lucret.* 2. 607. Muralique caput summum

cinxere corona. Virg. 12. Æn. 163: cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt. Ovid. 3. Fast. 254. de tenero cingite flore caput. — b) Fere occurrit cum Ablativo rei, ex qua constat ipsa corona. Catull. 61. 6. Cingere tempora floribus. Virg. 5. Æn. 71. ramis. Id. 5. ibid. 539. myrto. Adde Ovid. 1. Amor. 1. 29. et 4. Trist. 2. 51. Tibull. 2. 1. 4. spicis. Horat. 3. Od. 25. 20. Cingentem viridi tempora pampino. Id. 3. ibid. 30. 16. Cingere comam lauro. Ovid. 3. Fast. 767. hederà cincta anus. Sil. It. 15. 100. lauro cinctus triumphus. Ovid. 4. Trist. 7. 12. ora Medusæ Gorgonis anguineis cincta comis. Tac. 2. Hist. 59. ad fin. Cingere puerum insignibus fortunæ principalis. h. e. honoribus et vestibus principum ornare, decorare. — Huc pertinet et illud Virg. 4. Æn. 248. cinctum nubibus atris caput (montis). — c) Cum Accusativo rei, quæ coronà cingitur. Per hellenismum Ovid. 3. Art. am. 392. Navalique gener cinctus honore caput. h. e. coronatus navali corona. — Et figurate Propert. 4. 1. 61. Ennius hirsuta cingat sua dicta coronà: Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tuà. ¶ 3. Item speciatim cingere occurrit de hominum coronà, quæ aliquem circumdat, seu ponitur pro stipare, comitari. Liv. 32. 39. Inermi item regi prætor Achæorum et unus ex purpuratis latus cingebant. Ovid. 4. Pont. 9. 17. Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus. Id. 1. Trist. 4. 30. Agminibus comitum qui modo cinctus erat. Adde eumd. 12. Met. 216. et Vellej. 2. 14. 1. Tac. 1. Ann. 77. Ne regredientes in publicum (pantomimos) equites Romani cingerent. Adde Sil. It. 4. 448. et Claudian. 2. Rapt. Pros. 322. ¶ 4. Item de locis, quæ cingi dicuntur cum aquis, fossis, mœnibus et similibus, naturà aut arte ductis, circumdantur et clauduntur. — a) Generatim. Cic. 7. Verr. 35. 96. Non enim portu oppidum illud clauditur, sed urbe portus ipse cingitur et continetur. Id. Flacc. 12. 27. Provincia cincta mari. Lucret. 6. 633. tellus oras maris undique cingens. Cæs. 1. B. G. 38. Flumen Dubis ut circino circumductum pæne totum oppidum cingit. Liv. 7. 39. Castra cingere vallo. Catull. 64. 185. Nec patet egressus pelagi cingentibus undis. Cf. eumd. ibid. v. 266. Virg. 9. Æn. 469. nam dextera cingitur amni. Id. 5. ibid. 597. Cingere urbem muris. Id. 7. ibid. 159. urbem pinnis atque aggere. Ovid. 1. Met. 97. oppida fossæ cingebant. Adde eumd. Heroid. 10. 61. Id. 2. Art. am. 469. humus æquore cincta. Id. 1. Met. 39. Cingere flumina ripis. Id. 13. ibid. 212. fossas munimine. Id. 3. Pont. 4. 105. oppida muris. Id. 4. Met. 58. urbem muris. Id. 3. Art. am. 562. Cingenda est altis sæpibus ista seges. Curt. 3. 1. 13. Quæ (terra) quia continenti adhæret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulæ præbet. Adde eumd. 8. 10. 23. Id. 7. 6. 10. Arx cingitur muro. Seneca Herc. Œt. 628. Ruraque dives cingat Hydaspes. Val. Flacc. 4. 102. Cingere domos muris. Stat. 2. Theb. 699. portas aggere. Tac. 13. Ann. 41. Quod mœnibus cingebatur. — Huc pertinet et illud Plin. 6. Hist. nat. 12. 13. (30). Distat (insula) a continente passibus M., cingitur tribus M. h. e. circumitur, seu tria millia passuum in circuitu habet. — b) Speciatim et poetice. Virg. 5. Æn. 13. cinxerunt æthera nimbi. Seneca Herc. fur. 939. Medium diem cinxere tenebræ. Forcellinus ad h. l.: Poetice significat aliquando occupare, tegere. Deinde ait: Hæc translatio ex eo descendit, quod cingere significat etiam vestire, tegere; ut in illo superius allato sub 2. Sil. It. 3. 235. at vestigia nuda sinusque Cingere inassuetum. Hinc etiam cinctus, us, et cincticulus vestis genus quoddam sunt. — Ceterum cf. Virg. 1. Æn. 397. Ut reduces illi (cycni) ludunt stridentibus alis Et cœtu cinxere polum. — c) Dicuntur etiam cingere locum aliquem, qui circa eum incolunt. Val. Flacc. 6. 68. Quique lacum cinxere Bicen — d) Item qui itinere locum aliquem circumeunt. Lucan. 9. 372. Audet in ignotas agmen committere gentes, Armorum fidens, et terrà cingere Syrtim. h. e. terrestri itinere circuire. Adde eumd. 1. 594. — e) Figurate Cic. 3. Nat. D. 40. 94. Diligentiusque urbem religione, quam ipsis mœnibus cingitis. ¶ 5. Item occurrit de exercitibus aut venatoribus, qui oppida aut feras circumdant et circumveniunt, præcipue ad obsidionem. Cic. pro leg. Manil. 11. 30. Sicilia multis undique cincta periculis. Liv. 7. 27. Coronà militum cincta urbs. Adde Paul. 5. Sentent. 26. 3. Rursus Liv. 34. 38. Cingere omnibus copiis urbem. Virg. 3. Æn. 52. et Justin. 9. 1. 2. urbem obsidione. Virg. 10. Æn. 119. mœnia flammis. Ovid. 2. Pont. 9. 69. cingi Geticis ab armis. Curt. 6. 8. 20. domum undique. Virg. 4. Æn. 121. Cingere saltus indagine. Adde Claudian. B. Gild. 356. Seneca Hippol. 1. silvas. Et figurate de poetis Propert. 3. 3. 42. Aonium cingere Marte nemus. — Raro admodum de personis. Tac. 6. Ann. 34. Cingere hostem in modum obsidii stationibus. Cf. eumd. 12. ibid. 17. multitudinem custodia. — Figurate Virg. 1. Æn. 673. Quo circa capere ante dolis et cingere flamma Reginam meditor, ne quo se numine mutet. ¶ 6. Denique cingere arbores est eas circum deglabrare, uti docet Paul. Dig. 47. 7. 5. § 1. Græci quoque τὸ ζωννύειν exponunt περιελεῖν τὸν φλοιόν. Arbores autem fere omnes, cortice in orbem detracto, necantur teste Plin. 17. Hist. nat. 24. 37. (234). V. DECLAVO et COINQUIRE. Similiter Dig. 19. 2. 29. Cingere silvam. Et ibid. 48. 10. 8. nummos.

CINGULA, æ, f. 1. In Ablativo plurali cingulis usus est Flor. 2. 18. 14., et Servius ad Virg. 9. Æn. 359. — Cingula est recentior forma pro cingulum, idemque significat. V. CINGULUM sub. init. ¶ 1. Occurrit pro cingulo seu zona hominis. Conf. Titinius apud Non. p. 536. 19. Merc. Ovid. 3. Art. Am. 443. Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo, Nec brevis in rugas cingula pressa suas. ¶ 2. Pro zona, qua cinguntur jumenta. Ovid. Rem. Am. 236. Ut nova velocem cingula lædat equum. Adde Calpurn. 6. Ecl. 41.

CINGULI. V. CINGULUS.

CINGULUM, i, n. et Cingulus, i, m. 2. Cum cingulum, cingulus et cingula usurpata a scriptoribus reperiantur, manifestum videtur, vocem adjectivam esse. Notat autem Servius ad illud Virg. 9. Æn. 359. aurea bullis cingula, neutro genere de hominum, feminino de animalium zonis dici: quod confirmat Isid. 20. Orig. 16. Sed V. CINGULA. — Ceterum cingulum — a) Stricto sensu est idem quod cinctus, mulierum proprium, teste Varron. 5. L. L. 114. Müll. V. CINCTUS, us. Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat. Id factum erat ex lana ovis, ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, ita vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia, ut sic ipse sit felix in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX. liberos reliquit. Hæc Paul. Diac. p. 63. 5. Müll. Varro apud Non. p. 47. 27. Müll. Solvere cingulum uxoris. — b) Occurrit tamen etiam de hominibus pro zona. Petron. Satyr. 21. Myrtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus. Virg. 12. Æn. 942. et notis fulserunt cingula bullis. Val. Flacc. 6. 470. fecundaque monstris cingula. h. e. cestus Veneris. Adde Stat. 6. Theb. 225. c) Speciatim sequiori ævo cingulum adhibebatur in re militari et civili; eratque honoris insigne, quo gladius dependebat: hinc aliquando metonymice etiam pro ipsa militia ponitur. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. 6. 30. 18. Cingulum militiæ sumere. Impp. Valens et Valentinian. Cod. Justin. 7. 38. 1. Cingulo aliquem exuere. h. e. exauctorare. Id. ibid. 12. 17. 3. spoliare. Adde Prudent. 32. — d) In cingulo Florentino, in centuriis singulis sunt jugera cc. Frontin. de colon. p. 133. Goes., h. e. in agro, in territorio, sive in agro, qui Florentiam cingit. — NB. De nom. pr. V. ONOM.

CINGULUS, i, m. 2. Est recentior forma pro cingulum; sed occurrit tantum ¶ 1. Pro zona mundi. Cic. 6. de republ. 20. Cernis eamdem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis; e quibus duos maxime inter se diversos etc. ¶ 2. Paul. Diac. p. 43. 8. Müll. Cingulos appellabant homines, qui in his locis, ubi cingi solet, satis sunt tenues.

CINIFELA et **CINIFELO**. V. Cineraria in fin. voc. CINERARIUS.

CINIFES vel Ciniphes, Cyniphes, Cinyphes, Cinypes, et Scyniphes aut Scinifes (tot enim modis scriptum legitur), um, f. plur. 3. Græce dicuntur ab aliis σκνίπες, ab aliis κνίπες vel κνῖφες, ita appellati a κνίζω pruritum moveo. — Cinifes enim musculæ sunt minutissimæ, sed aculeis permolestæ, ut Augustin. 3. Trinit. 7. et Isid. 12. Orig. 8. docent. Hieronym. in Joel. c. 2. v. 25. Cyniphes tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis. Sulpic. Sever. 1. sacræ hist. 14. Superductis ciniphibus terra oppleta est. Alcim. Avit. 5. 164. Illic quos scinifes vocitant, quantosque volatus etc. Cassiod. 5. Hist. Eccl. 45. Orationem vere secutæ sunt nebulæ cinyphum et culicum: et elephantorum quidem promuscidas, cum sint concavæ, et equorum vero aliorumque jumentorum aures simul et nares impleverunt.

CĬNĬFLO, ōnis, m. 3. (cinis et flare: V. locum Catonis apud Charis. in voc. CINIS sub A. 1.), ciniflones sunt iidem, qui et cinerarii. Horat. 1. Sat. 2. 98. Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ. Acro ad Horat. loc. cit. Ciniflones et cinerarii eadem significatione apud veteres habebantur ab officio calamistrorum, id est verum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos crispabant, cujus rei et Virgilius meminit dicens (12. Æn. 100.): crines vibratos calido ferro. Dicti autem ciniflones ab eo quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum, quos cinerarios appellant. Adde Tertull. ad Uxor. 8.; et V. Cinerarius, ii, sub voc. CINERARIUS, a, um.

CĬNIS, ĕris, m. et f. 3. Ultima in cinis producitur in illo Albinov. 1. ad Liv. 163. Miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa. V. SANGUIS sub init. — In recto casu singulari ciner pro cinis agnoscitur a Priscian. 5. p. 658. et 6. p. 707. Putsch., sed nullo probatur exemplo. — Est, ut significavimus, masc. et fem. generis. Jam vero masc. genere extulerunt Cato apud Servium ad Virg. 4. Æn. 698.; Cic. 4. Herenn. 8. 13; Virg. 1. G. 81. et alibi; Horat. Epod. 17. 34. et alibi; Ovid. 3. Fast. 548. et alibi; Plin. 15. Hist. nat. 17. 18. (67).; et Sueton. Tib. 74. et alibi. Feminine vero extulerunt Cæsar, Catulus et Calvus apud Non. p. 198. 11. Merc., quorum auctoritatem frustra ipse Nonius vacillare dicit ibid. (cf. Charis. 1. p. 78. Putsch.), nec non Lucret. 2. 927., Catull. 68. 90. et 101. 4., et plerique sequioris ævi scriptores. — Ceterum cinis (a Græca voce κόνις pulvis, cinis lixivius) est pulvis, in quem res combustæ rediguntur (It. cenere; Fr. cendre; Hisp. ceniza; Germ. die Asche; Angl. ashes, embers, cinders).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cato apud Charis. 1. p. 78. Putsch. Mulieres nostræ capillum cinere inunguitabant, ut rutilus esset crinis. Cf. Servius ad Virg. 4. Æn. 698. Lucret. 1. 872. In lignis si flamma latet fumusque cinisque. Id. 4. 924. cinere ut multa latet obrutus ignis. Virg. 6. Æn. 226. Postquam collapsi cineres et flamma quievit. Id. 1. G. 82. cinerem jactare per agros. Adde Colum. 2. R. R. 15. 6. et 11. ibid. 3. 28. Rursus Virg. 5. Æn. 743. cinerem et sopitos suscitare ignes. Horat. 2. Od. 1. 7. incedis per ignes Suppositos cineri doloso. Id. 4. ibid. 13. 28. dilabi in cineres. Ovid. 8. Met. 641. dimovere cinerem foco. Stat. 12. Theb. 82. impulsas cineri miscere Mycenas. h. e. incendio absumere. Seneca Troad. 8. et Phœn. 113., et Virg. Cir. 312. In cinerem (vel cineres) dare aliquid. eod. sensu Scribon. Compos. 60., 70. et 122. In cinerem redigi. Plin. 34. Hist. nat. 10. 22. (103). Redire in cinerem. Id. 15. ibid. 17. 18. (67). Cinis lixivius. Cf. Colum. 12. R. R. 22. 1. Infundito cineris lixiviæ congios duos. — Huc pertinet et proverbium illud apud Plaut. Mil. glor. 4. 2. 10. Edepol hujus sermones haud cinerem quæritant. Forcellinus cum aliis cinerem h. l. interpretatur rem vilem ac sordidam. At Adamus Th. Siberus et recentiores plerique simpliciter accipiunt Non quærunt cinerem, scilicet quo tamquam fricentur, eluantur et nitidentur (ut solent hodieque vasa ex metallis), quippe jam tum tersi ac splendidi. Atque adeo rationem Miles ipse (qui loquitur) et explicationem addit seq. versu: Quia loquuntur laute et minime sordide. Cf. etiam Arnob. 7. 32. Sordescunt enim divi, et ad sordes eluendas laventibus aquis opus, atque adjuncta antiqua cineris frictione. — Huc pertinent etiam illæ dicendi figuratæ rationes Plaut. Rud. 4. 7. 31. At ego deos quæso, ut si aurum, si argentum est, omne id ut fiat cinis. Et Horat. 1. Ep. 15. 39. Vertere omnia in fumum et cinerem. Adde Ovid. 5. Trist. 12. 67. Tibull. 1. 9. 12. In cinerem et liquidas munera vertere aquas. ¶ 2. Speciatim sæpissime dicitur de funerum reliquiis, quæ, crematis cadaveribus, in sepulcra condebantur. Cic. Quinct. 31. 97. Obsecravit per fratris sui mortui cinerem. Id. 3. Verr. 44. 113. Cur hunc dolorem cineri ejus atque ossibus inussisti. Adde eumd. 7. ibid. 49. 128.; Anton. in epist. apud eumd. 13. Phil. 10. 22. et Virg. 5. Æn. 55. Catull. 101. 4. mutam alloqui cinerem. Id. 68. 98. cineres cognatos componere. Virg. 3. Æn. 303. libare cineri. Id. 4. ibid. 623. mittere munera cineri alicujus. Id. 6. ibid. 213. cineri alicujus suprema ferre. Tibull. 1. 3. 7. Assyrios odores cineri dedere. Horat. 2. Od. 8. 9. cineres operti matris. Id. Art. P. 471. Minxerit in

patrios cineres. *Ovid.* 5. *Fast.* 425. cineri extincto dona ferre. *Id.* 8. *Met.* 539. Post cinerem cineres haustos ad pectora pressare. *Val. Flacc.* 4. 357. honorem solvere cineri. *Quintil.* 9. 2. 95. Per patroni sui cineres jurare. *Sueton. Cal.* 15. Transferre matris fratrisque cineres. *Tac.* 14. *Ann.* 2. Lolliæ Paulinæ cineres reportare. — Hinc

II.) Figurate. ¶ 1. Cinis ponitur pro morte. *Catull.* 68. 90. Troja virûm et virtutum omnium acerba cinis. *h. e.* immaturorum exitium. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 3. post cineres. *h. e.* post mortem. Sic *Martial.* 1. 2. 4. quod dedisti Viventi decus atque sentienti, Rari post cineres habent poetæ. *Id.* 5. 13. Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit. ¶ 2. Item pro mortuis ipsisque defunctorum manibus. *Horat. Epod.* 17. 33. Donec cinis injuriosis aridus ventis ferar. Adde *Tibull.* 2. 6. 34. et *Pers.* 1. 36. *Phædr.* 3. 9. Et cedo invidiæ, dummodo absolvar cinis. *h. e.* jam mortuus. — Hinc *Cineri medicinam dare*, proverbialiter significat nimis serum alicui afferre remedium, mortuo mederi. Legitur apud *Propert.* 2. 11. 16., ubi alii pro *cineri* reponunt cum *Scalig. emeritis*, sed *Brouckus.* alteram lectionem tuetur ex octo MSS. Simile est illud apud *Quintil.* 12. *Declam.* 23. Aquas infundere in cinerem. *scilicet* cum incendium jam extinctum est. ¶ 3. Per similitudinem dicitur etiam de urbibus vel domibus incendio absumptis. *Cic.* 4. *Herenn.* 8. 12. Nisi sanctissimæ patriæ miserandum scelerati viderint cinerem. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 431. et 10. *ibid.* 59.; *Horat. Epod.* 16. 11.; et *Ovid.* 2. *Met.* 214.

CĬNISCŬLUS, i, m. 2. deminut. a cinis, parvus, seu paucus cinis. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 149. Nec si cariosa vetustas Dissolverit ossa favillis, Fueritque ciniscuIus arens Minimi mensura pugilli.

CINNĀBĀRI, is, n. 3., κιννάβαρι idem quod cinnabaris: *V.* voc. seq. *Plin.* 33. *Hist nat.* 7. 38. (115). Minium quidam vocant cinnabari. *Ita cum* Harduino *pleræque editiones tum antiquæ, tum recentes. At omnium antiquissima A.* 1469. *habet* cinnabarim, quod vel ex eo præferendum videtur, quia *Plin.* tum *loc. cit.*, tum alibi semper feminine usurpat.

CINNĀBĀRIS, is, f. 3., genus coloris rubri, et minio similis, diversi tamen, quo pictores utuntur. Duplex est, nativum, et facticium. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 39. (117). Cinnabaris adulteratur sanguine caprino, aut sorbis tritis. Pretium sinceræ nummi quinquaginta. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 1. 2. (7). *Id.* 29. *ibid.* 1. 8. (25). Cinnabaris Indica. — Cinnabaris Indica erat sanies draconis elisi elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, ut *Plin. loc. cit.* 33. *Hist. nat.* 7. 38. (115). docet. *V.* etiam 8. *ibid.* 12. 12. (34). Hoc tamen plerique fabulosum putant, quamvis *Solin.* confirmat 25. *sub fin.* Itali vocant *sangue di drago.*

CINNĀMĔUS, a, um, adject. qui est ex cinnamo. *Auson. Edyll.* 11. 17. Cinnameus nidus. *Apul.* 5. *Met.* Cinnamei crines. *h. e.* cinnamo redolentes. *et* 10. *ibid.* odores. et 2. *ibid.* Cinnameus inhalatus oris.

CINNĀMĬNUS. *V.* CINNAMOMINUS.

CINNĀMŎLGUS, *vel*

CINNĀMŎLŎGUS, i, m. 2. κινναμολόγος, *h. e.* cinnamum colligens: a κίνναμον *cinnamum*, et λέγω *colligo.* Ita vocatur avis quædam in Arabia, quia cinnami surculis collectis nidificat. Bos autem nidos sagittis decutiunt indigenæ, mercis gratia. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (97). — De eadem verba faciens *Solin.* 33., appellat *cinnamolgon*, extrita per syncopen quarta vocali.

CINNĀMŌMĬNUS, a, um, adject. κινναμώμινος, qui est ex cinnamomo. *Plin* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (15). Unguento cinnamomino prodigiosa pretia. *Al. leg.* cinnamino.

CINNĀMŌMUM, i, n. 2. κιννάμωμον.

I.) Proprie est frutex Æthiopiæ Troglodytis connubio permixtæ duum cubitorum altitudine amplissimus, folio origani, cujus cortex gratissimi odoris est: lignum vero (quod *xylocinnamomum* vocant) acerbum gustui propter origani acrimoniam, quam imitatur. Est aroma illud, quod Fr. dicitur *cannelle.* Plura de eo *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (85). et 13. *ibid.* 1. 2. (10). *V.* CASIA. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 38. et seq.) hæc ait: « Rien n'est plus difficile que de décider à quel arbrisseau il convient d'attribuer le cinnamome et le casia. Sprengel décide que le première de ces écorces doit être rapportée au *Laurus Cinnamomum*, et la seconde au *Laurus Casia*; mais, suivant nous, les preuves s'accumulent contre cette opinion, qui ne peut être la nôtre ». Cum plura deinde hac de re disseruerit, hanc ipse exhibet synonymiam: Κάρφη Herodot. 3.; Κιννάμωμον Hippocr. Morb. mul. 1. 609., Theophr. 9. 5. 12. et Dioscor. 1. 13.; et *Cinnamomum* Latinor. sanine *Cortex amyridarum variarum Africæ?*

II.) Figurate est etiam vox blandientis, nam vetula apud *Plaut. Curc.* 1. 2. 6. ad vinum orationem convertens ait: Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.

CINNĀMON Græca terminatione *et sæpius*

CINNĀMUM, i, n. 2. κίνναμον. Sunt qui scribunt *cinamum* et *cinamomum* unico *n*, sed minus recte. *Dausqu.* in *Orthogr.* — Cinnamum est idem quod *cinnamomum.* Est enim veluti per syncopen ab eo deducta vox, et a Latinis usurpata, cum Græci κιννάμωμον tantum dicant. Est vox Hebraica קִנָּמוֹן cinnamon, Laurus Cinnamomum *Linn.* Itali vocant *cannella del Ceylan*, *cinnamomo*: at *V.* CINNAMOMUM sub I. in fin. Plurimus ejus usus fuit in unguentis, quæ cinnamomina dicta sunt, et prodigiosa pretia habuere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 43. (92). Cinnamomum, idemque cinnamum nascitur in Æthiopia. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 308. *Seneca Œdip.* 117. Cinnamis silvas Arabum beatas Vidit. *Stat.* 4. *Silv.* 5. 31. odoratisque rara Cinnama præripiet Sabæis. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 94. Panchaia turgent cinnama. *Lucan.* 10. 165. multumque madenti Infudere comæ, quod nondum evanuit aura, Cinnamon, externa nec perdidit aera terra. *Martial.* 4. 13. Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo. — Dicitur avis Phœnix ex ejus surculis nidum sibi, seu rogum struere. *Ovid.* 15. *Met.* 399.; *Stat.* 2. *Silv.* 6. 87.; et *Claudian.* 2. *in I. Cons. Stilich.* 420. — Est et aliud, cognomento *comacum* seu *camacum*, multum quidem a priore differens, vicina tamen gratia. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 28. 63. (138). et 13. *ibid.* 2. 2. (18).

CINNĀMUS, i, m. 2. idem quod cinnamum, vel cinnami surculus. *Solin.* 33. *de Phœnice.* Rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchajam concinnat. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CINNUS, i, m. 2. plurium rerum commixtio, ut inquit *Non. p.* 49. 30. *Merc.* Hinc ita appellatum est genus quoddam potionis ex pluribus liquoribus temperatum, (ut *idem ibid.* p. 51. tradit) quod a Græcis κυκεὼν dicitur, a κυκάω *misceo. Arnob.* 5. 25. Sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia. — Translate. *Cic. Orat.* 6. 21. Est autem quidam interjectus (*dicendi modus*) inter hos medius, et quasi temperatus; nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, ut cinnus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque, si verum quærimus, potius expers. Ita legit *Non. loc. cit.*, *P. Victor*, et *Gruter.* Alii cum *Aldo* A. 1514. ediderunt *vicinus amborum*: itemque *Schutzius*, quod unice verum affirmat similem locum adducens ex *Gell.* 7. 14.; quam lectionem retinuit etiam *Orell.* — Præterea cinnum idem esse ac cincinnum, probant quidam tum ex *Gloss. Philox.* ubi *cinnus* exponitur κρώβυλος; tum ex *Plaut. Truc.* 2. 2. 32. et *Cic.* 3. *Orat.* 25. 100. ut quidem legit *Non.* 6. 13. Sed apud *Plaut.* et *Cicer. cincinnus* cum plerisque omnibus legendum est. — In iisdem *Gloss.* exponitur νεῦμα, hoc est *nutus*; in aliis cilium, aut palpebra, ut est apud *Scalig.* ad *Paul. Diac.* p. 301. 4. *Müll.* Sed harum significationum desiderantur adhuc Latini scriptoris exempla; immo apud *Paul. Diac.* aliter omnino legit *Müll. V.* SUGGILLATUM.

CINUS, i, f. 2. arbor quædam silvestris, amica apibus. *Pallad.* 1. *R. R.* 37. At *Pontedera* et *Schneiderus* legendum putant *pinus.* — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CINXĬA, æ, f. 1. Juno dicebatur, quod nuptiis præesset. Inito conjugio solvebatur cingulum, quo nova nupta era cincta. Hæc *Paul. Diac.* p. 63. 9. *Müll.* Adde *Arnob.* 3. 25. et 30., et 6. 11.; et *Capell.* 2. p. 37., ubi alii, sed minus recte, leg. *Cinctia.* Similiter a Græcis *Cinxia* vocata est Εἰλήθυια λυσίζωνος, ut apud *Theocr. Idyll.* 17. 60.

CĬNȲRA, æ, f. 1. κινύρα, instrumentum musicum Phœnicum, Syrorum et Hebræorum proprium, quod modo lyra, modo cithara interpretatur: ab Hebr. כִּנּוֹר *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 4. 54. In canticis et citharis et cinyris et in cymbalis. Adde *ibid.* 13. 51. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĬO, is, civi, citum, ire, 4. *V.* CIEO.

CIPPUS, i, m. 2. proprie et generatim est columella quadrata erecta, ut colligitur ex *Lucilio* apud *Festum p.* 258. 32. *Müll.* Hinc ¶ 1. Speciatim est columella quadrata in sepulcris cum memoria et titulo aliquo posita. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 12. Mille pedes in fronte: trecentos cippus in agro Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur. *Pers.* 1. 37. non levior cippus nunc imprimit ossa? Adde *Flacc. de condit. agr. p.* 4. *Goes. Inscript.* apud *Orell.* 4524. L. FABIO L. F. GAL. SEVERO POST MORTEM POSTVMIVS SILO. CIPPOS SVA IMPENSA IIII. D. *h. e.* dedit. Ex hac itaque *Inscript.* apparet, cippos quatuor defigi solitos fuisse in angulis terræ sepulcro alicui dedicatæ; quod confirmat etiam *Inscript.* apud *Murat.* 1371. 3. LOCO EMPTO QVO TIBVRTINI (*scilicet* lapides) POSITI QVATVOR DEMONSTRANT. ¶ 2. In re agraria est terminus ad discernendos agrorum fines constitutus. *Simplic. p.* 88. *Goes.* ¶ 3. In re militari est valli genus ex trunco arboris: unde et *Vet. Glossar.* κορμὸν *truncum* exponit. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Truncis arborum, haud admodum firmis ramis accisis, atque horum dolabratis atque præacutis cacuminibus, perpetuæ fossæ ducebantur. Huc illi stipites demissi, et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant: quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant: hos cippos appellabant. — In *Gloss. Vet.* exponitur etiam ligneum vinculum pedum: ex quo orta est Itala vox *ceppo. Aldhelmus carm. de laudib. Virgin.* 25. Et suras iterum cipporum vincula claudunt. — Præterea *cippum* quidam leg. apud *Tertull. Pall.* 5., et putant esse ligneum anulum, quo continetur umbo togæ, ne defluat: qua de re multa ibi *Salmas.* Alii interpretantur palum jugo transverso instructum, cui vestes appenduntur. Sed hæc incerta prorsus, et sola quorumdam conjectura fulta sunt. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

CIRCĀ, adverb. et præpos. Ratione habita etymi, *circa* videtur esse per syncopen pro *circa ea*, haud aliter atque *antea*, *interea*, *postea*, *præterea* etc. — Ciceroniano tantum ævo hoc vocabulum apud optimos scriptores usuvenisse videtur, ac *A*) tamquam Adverbium, et *B*) tamquam Præpositio usurpatum fuit.

A) Circa, sine casu more adverbii, significat (It. *all'intorno*, *in quel contorno*; Fr. *autour*, *à l'entour*; Hisp. *al contorno*, *al rededor*; Germ. *im Kreise umher*, *rings umher*, *oder einfach umher*; Angl. *about*, *in the neighbourhood*). Occurrit autem proprie tantummodo, *h. e.* de locis: et quidem — *a*) Omnino absolute. *Liv.* 27. 18. Fluvius ab tergo, ante circaque, velut ripa præceps, oram ejus omnem cingebat. Adde *eumd.* 21. 43. et 28. 33. *Virg.* 12. *Æn.* 756. Tum vero exoritur clamor, ripæque lacusque Responsant circa. *Tibull.* 1. 3. 87. Ac circa gravibus pensis affixa puella Paullatim somno fessa remittat opus. *Ovid.* 3. *Met.* 411. Gramen erat circa. *Curt.* 4. 12. 20. Caligo, quam circa humidi effuderant montes. *Cels.* 5. 28. n. 3. Circa, qua tumor ex inflammatione est, imponenda cataplasmata. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Audi, quam Roma circaque. *Quintil.* 12. *proœm.* 2. Multos circa velut iisdem se ventis credere ausos habebamus. *Tac.* 2. *Ann.* 11. Suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa. — *b*) Speciatim ponitur de locis aut personis, quæ circumdantur, sed in formulis tantum *qui circa sunt*, *erant* etc., *quod circa est* etc. *Nepos Eumen.* 10. *in fin.* Sed non passi sunt ii, qui circa erant. *h. e.* ejus amici ac ministri, οἱ περὶ αὐτοῦ. *Liv.* 1. 4. Ex montibus, qui circa erant. Adde *eumd.* 34. 29. *Id.* 1. 41. Tarquinium moribundum cum qui circa erant excepissent. Adde *eumd.* 22. 30. *Id.* 1. 17. Multarum circa civitatium irritatis animis. Adde *eumd.* 9. 11., 21. 7., 23. 40. et alibi sæpe. *Virg.* 7. *Æn.* 535. Corpora multa virûm circa seniorque Galæsus. *Seneca* 2. *Controv.* 11. Illi, qui circa erant sodales. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 42. (69). Corinthus et quæ circa est regio. *Id.* 3. *ibid.* 17. 21. (124). Orobiorum stirpis esse Comum atque Bergomum et Licini forum aliquot circa populos, auctor est Cato. *Quintil.* 10. 7. 16. Omnia, quæ sunt in ea via circaque, intuemur. — *c*) Aliquando conjungitur cum *undique*, *omnis*, *omnia* etc. *Liv.* 23. 19. Farre ex agris circa undique convecto. Adde *eumd.* 42.

58. *Id.* 31. 38. Exhausto circa omni agro. *Id.* 9. 23. Nam et circa omnia defecerunt. Adde *eumd.* 21. 11. et 24. 3. *Val. Flacc.* 8. 2. Colchida circa omnes pariter furiæque minæque Patris habent. *Quintil.* 9. 2. 35. Omnia circa fere recta sunt.

B) Circa est etiam præpositio Accusativum regens; et fere semper Accusativo præponitur; namque bis tantum occurrit Pronomini relat. postposita apud *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. et *Ovid.* 3. *Met.* 668., et semel apud *Virg.* 3. *G.* 146. inter duo nomina interposita, quæ loca *V.* infra sub I. *a.* Significat autem idem fere quod circum (It. *intorno*, *attorno*; Fr. *autour de*; Hisp. *al rededor*; Germ. *herum*, *umher*; Angl. *about*, *around*).

I.) Proprie occurrit de loco, et — *a*) Jungitur Verbis quietem seu statum significantibus, et respondet Adverbio interrog. *ubinam? Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Quam circa lacus lucique sunt plurimi. *Id.* 1. *leg. Agr.* 7. 22. Cum Rullus atque ii, quos timetis, Capuam et urbes circa Capuam occuparint. *Id.* 3. *Verr.* 48. 126. (*Ajebat*) multa (*opus esse*) canibus suis, quos circa se habebat. *Cæs.* 3. *B. C.* 31. Detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis. *Liv.* 21. 62. Romæ aut circa urbem multa eâ hieme prodigia facta. Adde *eumd.* 36. 14. et 39. 25. *Id.* 29. 1. Trecentos juvenes inermes circa se habebat. Adde *eumd.* 32. 32. *Id.* 24. 23. Circa omnia fana deûm supplicaverunt. *Virg.* 3. *G.* 146. Est lucos Silari circa ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 75. *Horat.* 1. *Od.* 18. 1. nullam, Vare, sacra Vite prius severis arborem Circa mite solum Tiburis. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 5. 5. *Id.* 1. *ibid.* 3. 10. Illi robur et æs triplex Circa pectus erat. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 25. 15. et 2. *Sat.* 6. 34. *Ovid.* 3. *Met.* 668. quem circa tigres — jacent. *Cels.* 5. 28. *n.* 2. Id vitium fuit maxime in superioribus partibus, circa faciem, aures, labra. Adde *eumd.* 2. 8. *Id.* 8. 10. circa poplitem. *Curt.* 3. 1. 17. Circa regem erat et Phrygum turba et Macedonum. Adde *eumd.* 4. 10. 25. et 4. 15. 26. *Id.* 5. 1. 13. circa Armeniæ montes. *Id.* 4. 9. 1. circa Mesopotamiam. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Humana visa est circa me species eminere. *Id.* 5. *Quæst. nat.* 3. Circa flumina et lacus frequens nebula est. *Vellej.* 1. 2. 5. Orestis liberi sedem cepere circa Lesbum insulam. *Quintil.* 6. 3. 37. Tabernæ erant circa forum. *Id.* 4. 3. 5. circa finem (*libri*). *Lucan.* 2. 557. circa præcordia. *Martial.* 12. 84. circa balnea. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 16. (46). Quod circa Syriam nascitur. *Id.* 12. *ibid.* 5. 11. (23). circa Acesinem maxime amnem. *Sueton. Claud.* 36. Quodam cum ferro circa sacrificantem se deprehenso. *Id. Ner.* 38. Horrea circa domum auream. *Id. Domit.* 9. Omnes circa se largissime prosecutus. *h. e.* qui ei inserviebant, vel quorum familiaritate utebatur. Eadem ratione locutus est *Id. Cæs.* 27.: cf. etiam *Plin. Paneg.* 83. Sic Græci dicunt οἱ περί τινος. — *b*) Jungitur etiam Verbis motum significantibus, et respondet Adverbio interrog. *quo? Nepos Alcib.* 10. Ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat. *Id. Ages.* 5. Post hoc prælium collatum est omne bellum circa Corinthum. *Liv.* 28. 26. Custodes circa omnes portas missi. *Id.* 1. 9. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit. Adde *eumd.* 4. 23., 31. 8. et 42. 51. *Id.* 26. 13. Circa domos eorum ituros se minabantur. *Id.* 30. 18. Circa fora proficisci. *Id.* 25. 9. Circa vias discurrere. *Propert.* 4. 6. 6. Terque focum circa laneus orbis eat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 37. (123). Discipulos circa urbes dimittere. *Sueton. Ner.* 28. Circa conventus mercatusque Græciæ, circa Sigillaria comitari aliquem.

II.) Impropie. ¶ 1. Dicitur de tempore, et significat circiter, hoc est paullo ante vel paullo post illud tempus, de quo sermo est. — *a*) Cum Nominibus tempus significantibus. *Liv.* 42. 57. Postero die circa eamdem horam copias admovit. *Horat.* 4. *Od.* 1. 6. Circa lustra decem. *Cels.* 2. 6. Circa septimum diem, circa quartum decimum diem. *Curt.* 5. 3. 7. Circa lucis ortum. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 19. Circa vernum æquinoctium. *Id. ibid.* 12. 8. Circa Kal. et idus Octobr. Adde *Plin.* 1. *Ep.* 7. *Vellej.* 2. 92. Circa ea tempora. *Id.* 2. 93. 1. Circa Murenæ Cæpionisque conjurationis tempus. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 55. (156). Circa Magni Pompeji ætatem. *Id.* 11. *ibid.* 37. 73. (189). Circa mortem. *Quintil.* 11. 3. 143. Circa tempora illa. Adde *eumd.* 12. 10. 4. *Sueton. Oth.* 11. Circa lucem expergefactus. *Id. Claud.* 7. Circa initia imperii. — *b*) Cum Nominibus propriis. *Seneca* 1. *Controv. præfat.* Circa Ciceronem. *h. e.* circa Ciceronis ætatem. *Vellej.* 1. 17. 1. Circa Anium. *Quintil.* 2. 4. 41. Circa Demetrium Phalerea. ¶ 2. Item de numero, et significat circiter. *Liv.* 45. 34. Ea fuere oppida circa septuaginta. *Id.* 27. 42. circa quingentos. at *hic locus varie legitur. Cels* 7. 15. Per insequentes dies circa singulas heminas aquæ emittendum. *Id.* 4. 19. circa selibram. *Curt.* 4. 6. 30. circa decem millia. *Petron. Satyr.* 97. circa sedecim. ¶ 3. Translate præpositio *circa* significat circulum, intra quem aliquid *movetur* vel fit, seu personam aut rem, quam circum aliquid evenit, agitur etc.: ad rem *Horat.* 2. *Od.* 5. 5. Circa virentes est animus tuæ Campos juvencæ. Itaque *circa* ponitur pro *de*, *in*, *super*, et aliquando pro *erga*; et jungitur tum Verbis, tum Adjectivis et Substantivis; atque apud argentei ævi scriptores quamdam loci rationem servat. *Seneca* 7. *Benef.* 28.; *Val. Max.* 6. 8. 7. et *Sueton. Ner.* 23. Occupatus circa aliquid. Cf. *Ulp. Dig.* 4. 4. 9. Circa principem occupatum esse. *h. e.* principi in aliquo ministerio inservire. *Sueton. Gramm.* 18. Versari circa scenam. *Quintil.* 2. 15. 15. Versari circa civiles res. *Sueton. Ner.* 11. Circa scholas et auditoria professorum assiduus. *Seneca* 3. *Ira* 32. Circa pecuniam plurimum vociferationis est. *Plin.* 8. *Hist nat.* 16. 19. (48). Varia circa aliquid opinio. *Id.* 18. *ibid.* 1. 1. (5). Sermo circa aliquid. *Id.* 29. *ibid.* 1. 5. (11). Circa ægros concertationes. *Tac.* 16. *Ann.* 8. Circa scelera distentus. *Sueton. Tib.* 69. Circa deos ac religiones negligentior. *Id. Claud.* 22. Circa cærimonias correxit quædam. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Circa Classicum brevis et expeditus labor. *Tac.* 11. *Ann.* 2. Publica circa bonas artes socordia. *Id.* 1. *Hist.* 13. Circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. *Id. dial. de orat.* 3. Omne tempus circa tragœdias consumere. *Quintil.* 4. 9. 1. Circa occultandam eloquentiam simulatio. *Id.* 8. *procem.* 5. Repugnare circa aliquid. *Id.* 8. 6. 1. Pugna circa aliquem. *Id.* 6. *procem.* Illum alienatæ mentis errorem circa solas litteras habuit. *Id.* 3. 11. 5. Circa verba dissensio. *Id.* 4. 5. 21. Circa jus attentior. *Id.* 1. 5. 31. Circa aliquid disputare. *Justin.* 11. 1. Ut, quomodo circa se animati essent, cognosceret. *h. e.* erga se. Sic *Scævola Dig.* 31. 90. *a med.* Si docerent eo animo circa patronum, cum testamentum faceret, esse cœpisse, ut etc. *Inscript.* apud *Murat.* 525. 1. et correctior apud *De-Vita Antiq. Benev.* p. 25. 9. CIRCA OMNES CIVES LIBERALISSIMVS. *Alia* apud *Gruter.* 70. 8. OB INSIGNEM CIRCA SE NVMINIS EIVS EFFECTVM. *Ambros.* 1. *de Abrah.* 6. *ad med.* Ne deserendo eos, nec admonendo, minus pius videretur circa filiarum maritos.

CIRCÆA, æ, f. 1. κιρκαία, herba trychno sativo similis flore nigro, parvo semine, ut milii, nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali triplici ferme, aut quadruplici, alba, odorata, gustus calidi: nascitur in apricis saxis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 38. (60). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 342.) hanc exhibet synonymiam: Κιρκαία, οἱ δὲ διρκαίαν καλοῦσι Dioscor. 3. 134. et *Circæa* Plin. loc. cit. sunt *Circæa*... *solanifolia* C. Bauh. Pin. 168., *Circæa lutetiana* L. Spec. plant 12.

CIRCÆUM, i, n. 2. κιρκαῖον, herba eadem, quæ mandragoras *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 94. (147). De synonymia *V.* MANDRAGORAS.

CIRCÆUS, a, um, adject. Κιρκαῖος, ad Circem pertinens, de qua *V.* ONOM. — Hinc generatim sumitur etiam pro magico, venefico: ad rem *Cic. divin. in L. Cæc.* 17. 57. Sed repente ex homine, tamquam aliquo Circæo poculo, factus est Verres. Cf. *Salvian.* 5. *Gubernat. Dei* 9. Isti omnes, qui intra fundos divitum recipiuntur, quasi Circæi poculi transfiguratione mutantur. *Et mox.* Nam quos esse constat ingenuos, vertuntur in servos. *Propert.* 2. 1. 53. Sed mihi Circæo pereundum gramine. *h. e.* herbis veneficis.

CIRCĀNEA dicitur avis, quæ volando circultum facit. *Paul. Diac.* p. 43. 1. *Müll.*, ubi alii leg. *circenda.*

CIRCĀTOR. *V.* CIRCITOR.

CIRCELLIO, ōnis, m. 3. (num a *circulus*, *circulor*, *circellus*?) dicitur monachus qui per diversas vagatur cellas. *Augustin. in Psalm.* 132. Quid sibi vult mane nomen circellionum? *V.* CIRCUMCELLIO, a qua voce per syncopen factum videtur *circellio*; et cf. *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 8. p. 138.

CIRCELLUS, i, m. 2. *deminut. a circus. Apic.* 2. 5. Circelli isiciati. *h. e.* farcimina in circuli formam et rotunditatem efficta: cujusmodi fuisse videntur *lucanicæ*, quibus pultes coronabant, ut est apud *Martial.* 13. 35. *Quidam leg.* circillus. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 379. Fibulam dicit circellos, quos tragœdi sive comœdi in penem habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant.

CIRCEN, inis, n. 3. idem ac *circes*, *itis*, circulus. *Vet. Epigr.* in *Anthol. Lat. Burmann. l.* 4. *epigr.* 274. Ille ego, qui vixi bis deno circine solis. Sed ex *Fabrett.* p. 191. n. 443., qui legit *circite*, videtur legendum *circite.*

CIRCENSIS, e, adject. ¶ 1. Circensis est pertinens ad Circum Maximum. *Circenses ludi* et absolute *Circenses*, *ium*, sunt omnes ludi solemnes, qui Romæ in Circo edebantur, ut quadrigarum, equorum, itemque hominum cursus, ferarum venatus, vel pugna cum damnatis reis, lucta, pugilatus etc. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 33. Ludibus Circensibus. *h. e.* die ludorum Circensium. Adde *Varron.* apud. *Gell.* 3. 10.; *Liv.* 44. 18.; et *Sueton. Ner.* 7. *Liv.* 44. 9. Circense ludicrum. *Sueton. Cæs.* 76. Circensis pompa. *h. e.* transvectio imaginum deorum, quæ initio Circensium ludorum fiebat. — Dicuntur etiam *Circenses*, *ium*, absolute. *Sueton. Cal.* 18. Edere Circenses. *Id. Claud.* 21. committere. Adde *eumd. Cæs.* 39. et *Aug.* 45. — Circenses ludos luculenter describit *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. *Juvenal.* 10. 80. duas tantum res anxius (*populus R.*) optat Panem et Circenses. Hinc *Fronto princ. hist.* p. 323. Qui (*L. Verus*) sciet populum Romanum duabus præcipue rebus, annona et spectaculis, teneri. — Quod *Circenses plebejos* memorant *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (161). et *Sueton. Tib.* 26., apparet, fuisse et patricios, scilicet hos ab consulibus, ædilibus curulibus, et imperatoribus celebrari solitos in Circo maximo variis de causis et variis anni temporibus: illos ab ædilibus pleb. in Circo Flaminio stato die, *h. e.* a. d. XIII. cal. Novemb. institutos pro libertate plebis, exactis regibus; aut pro ejus reconciliatione cum patribus post secessionem in Aventinum, ut docet *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 2. *Verr.* 10. 31. p. 143. *Bait.* Meminit horum *Cic. ibid.* et *Liv.* 23. 30.; 27. 6., 21. et 36., 28. 10. et 20. *in fin.* et alibi. — Aliquando hi ludi extra Circum facti sunt, Circenses nihilominus appellati. Colligitur id ex *Sueton. Aug.* 45. et *Claud.* 21. — Quidam tradiderunt, *Circenses* dictos esse non a *Circo*, sed a *circum* et *ensis*, quia olim ederentur in ripa fluminis, ab altero latere positis gladiis, ita ut ab utraque parte præsens esset ignaviæ periculum. Ita *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 18., *Isid.* 18. *Orig.* 27. et alii. Sed hoc vanum esse merito censet *Voss.* in *Etymol.* in voce *Circus*: quemadmodum et illud, quod ab eod. *Isid. ibid.* 28 et *Tertull. Spectac.* 8. traditur *Circum* et *Circenses* a *Circe* dictos esse, quod ea primum hujusmodi ludos Soli patri instituerit. ¶ 2. *Circense tomentum* fiebat ex palustrium arundinum paniculis et fartis, quibus pauperiores pro culcita utebantur. *Martial.* 14. 160 Tomentum concisa palus Circense vocatur. Fortasse autem ideo Circense dictum est, inquit *Turneb.* *l.* 9. *c.* 21., quia initio Circensibus spectaculis sibi substernere solerent. *Domitius* putat ita denominatum esse a paludibus, quæ circa Circejos erant, quod ibi ingens arundinum vis, tomenti hujus ferax inveniretur. Meminit etiam *Seneca Vita Beata* 25.

CIRCES, itis, m. 3. Ratione habita etymi est vox composita a *circum* et *ire*, quo modo *ales* ab *ala* et *ire*, *eques* ab *equus* et *ire*, *pedes* a *pes* et *ire*, *comes* a *cum* et *ire*: ac propterea ¶ 1. Circes est qui in circulum it seu movetur atque adeo linea circularis, circulus. *Varro* 6. *L. L.* 8. *Müll.* Tempus a bruma ad brumam dum sol redit, vocatur annus, quod ut parvi circuli anuli, sic magni dicebantur circites ani, unde annus. *Scalig.*, *Popma* et *Scioppius* hanc vocem a *Varrone* injuriâ expunxerant. *Sidon. carm.* 22. 222. Umbrat multicavus spatioso circite fornix. *Id. carm.* 15. 15. tegit extima limbi Circite palla pedes. *Al. leg.* limo circite; *h. e.* obliquo circuitu. ¶ 2. Usurpatur et de stadio Circi, et idem significat ac circuitum. *Sidon. carm.* 23. 351. Quinto circite, non valens sequentum Pondus ferre prior, retorquet axem. Et generatim *Claud. Mar. Victor de Genesi* 1. 60. seque æquore sæpto Nixa (*lux*) superfudit rebus, quas circite vasto Contigit, æthereum deducto hinc nomine, cælum.

CIRCEUM, i, n. 2. videtur esse a *circum*, significat enim murum, maceriam, sæpem, seu quidquid circumdando munit. *Tab. alim. Bæb.* col. 2. *l.* 11. FVNDI TREBELLIANVS ET AELIANVS CVM CIRCEIS. *V. Henzen* p. 97. et *Garrucci* p. 16.

CIRCILLUS. *V.* CIRCELLUS.

CIRCĬNĀTĬO, ōnis, *f.* 3. actus circinandi, descriptio circuli circino facta: item ipse circulus sic descriptus. *Vitruv.* 9. 7. 2. *Schneid.* Circinationem circuli describere. *et ibid.* §. 4. Circinationis totius sumenda est pars quintadecima. *Id.* 3. 5. 6. *Schneid.* Ducere rotundam circinationem. *Id.* 4. 6. 6. Linea circinationis. Adde *eumd.* 9. 1. *Schneid.*, ubi non semel *circinationem* appellat circulum seu orbem, quem planetæ cursu suo dimetiuntur; et 10. 5. 2. *Schneid.*, ubi circinatio molarum est earum circuitus et gyrus, cum in molendo versantur. *Id.* 5. 6. 7. et 8. sæpe mentionem facit circinationis, qua voce orchestræ circuitus videtur designari in theatro Græco et Latino.

CIRCĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Circinatus* I. — Circino est in orbem duco, in rotunditatem deformo, circino describo (It. *tirare in tondo*; Fr. *arrondir*, *former en cercle*; Hisp. *redondear*; Germ. *zirkeln*, *zirkelrund machen*; Angl. *to make a circle, make round*).

I.) Proprie. *Manil.* 1. 710. Utque suos arcus per nubila circinat Iris. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 17. (88). Arbores, quæ in orbem ramos circinant. *Id.* 16. *ibid.* 38. 73. (185). Cetera mensarum genere, fissis arboribus, circinantur in pulpam. — Hinc Part. *circinatus*, *a*, *um*, in orbem circino deformatus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 27. (81). Circinatus orbis. *Id.* 16. *ibid.* 24. 38. (90). folia. *Id.* 18. *ibid.* 23. 35. (86). Folia circinatæ rotunditatis. *Id.* 18. *ibid.* 34. 77. (332). Circinatum tympanum.

II.) Figurate. *Ovid.* 2. *Met.* 721. de *Mercurio* volante. et easdem circinat auras. *h. e.* in gyrum fertur, velut si circulum in aere circino describat.

CIRCĬNUS, i, m. 2. κίρκινος, instrumentum, quo circuli designantur (It. *compasso*, *seste*, *sesta*; Fr. et Hisp. *compas*; Germ. d. *Zirkel, als Instrument*; Angl. *a pair of compasses*).

I.) Proprie. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Flumen Dubis, ut circino circumductum, pæne totum oppidum cingit. *Vitruv.* 9. 7. 2. *Schneid.* Circino spatia dimetiri. *Id. ibid.* Diducere circinum. *Id.* 10. 4. 1. Ad circinum fabricatus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 13. (63). Ratio circini. — Circini inventorem fuisse Dædalum narrat his verbis *Ovid.* 8. *Met.* 247. Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo Vinxit, ut æquali spatio distantibus illis, Altera pars staret, pars altera duceret orbem.

II.) Translate est idem ac circulus. *Alcim.* 4. 586. Integer emensum vertebat circinus annum, Quo felix claustrum spirantia cuncta tenebat.

CIRCĬTELLUS *vel* **CIRCĬTILLUS.** } *V.* CESTICILLUS.

CIRCĬTER, adverb. Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* hoc adverbium alteri *circa* cognatum est, unde et productum est; juxta recentiores vero compositum est ex *circum* et *ire*, *itum* (cf. *ales*, *eques*, *pedes*, *miles* etc.), ita ut initio statim significaret circuitionem alicujus rei circum aliam. Raro tamen occurrit more adverbii; sæpius præpositionis more usurpatur atque Accusativo casui jungitur, et significat circa, prope, ferme (It. *intorno*, *circa*, *in circa*; Fr. *environ*, *vers*, *à peu pres*; Hisp. *casi*, *acerca*, *cerca*; Germ. *ringsum*, *herum um etwas*, *ohngefähr*; Angl. *about*, *near*, *somewhere about*).

I.) Proprie de loco dicitur, et occurrit — *a*) Absolute, seu more adverbii. *Cassius Hemina* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (86). Lapis quadratus circiter. *h. e.* quadratus per circuitum, sive in cubum quadratum formatus. — *b*) Cum Accusativo, more præpositionis. *Plaut. Cist.* 4. 2. 8. Loca hæc circiter excidit mihi (*cista*).

II.) Improprie. ¶ 1. Transfertur ad tempus: et usurpatur — *a*) Absolute, seu more adverbii. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 79. Nam illic noster est fortasse circiter triennium. *Id. Most.* 3. 1. 53. Circiter meridie. *Cæs.* 1. *B. G.* 23. Hora diei circiter quarta. *Id.* 2. *ibid.* 2. Diebus circiter quindecim. *Varro* 3. *R. R.* 10. 6. Pulli circiter duobus mensibus fiunt pingues. *Id.* apud *Non.* p. 451. 8. *Merc.* Noctis circiter meridie. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 1. Circiter hora decima noctis. — *b*) Cum Accusativo more præpositionis. *Cic.* 3. *Fam.* 5. Circiter Idus Sextil. puto me ad Iconium fore. *Id.* 2. *Att.* 4. 6. Nos circiter Kalendas aut in Formiano erimus, aut in Pompejano. Adde *Sall. Cat.* 17. Rursus *Cic.* 14. *Fam.* 5. *in fin.* Circiter Idus Novembres. Adde *eumd.* 2. *Att.* 17. 1. *Cæs.* 1. *B. G.* 50. Circiter meridiem exercitum reduxit. *Auct. B. Afr.* 89. Circiter noctem. *Varro* 2. *R. R.* 11. 7. Circiter messem hordeaceam. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 8. 3. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 47. Octavam circiter horam. ¶ 2. Transfertur etiam ad numerum, semperque more adverbii usurpatur. *Nepos Att.* 5. Circiter centies HS accipere ex hæreditate. *Id. ibid.* 7. Annos circiter sexaginta habere. *Id. Miltiad.* 4. Esse ab oppido circiter millia passuum decem. *Cæs.* 2. *B. G.* 32. Circiter parte tertia cælata. *Id.* 1. *ibid.* 25. Passuum millibus circiter XV. *Id. ibid.* 15. Dies circiter quindecim iter fecerunt. Adde *eumd. ibid.* 25., 49. et 53. *Id. ibid.* 26. Circiter millia hominum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 27. et 31., et 3. *ibid.* 14. *Varro* 5. *L. L.* 36. *Müll.* Circiter quingentæ species. *Sall. Cat.* 56. Circiter pars quarta. *Id. Jug.* 105. Circiter duum millium intervallo. *Liv.* 28. 1. Decem circiter millia ab hoste abesse. Adde *eumd.* alibi sæpe.

CIRCĬTES *vel circitis vel rectius cercitis*, is, f. 3. oleæ genus quod enumeratur a *Colum.* 5. *R. R.* 8. 3. inter varia ejus arboris genera. Est autem illa ipsa, quæ et *ibid. paullo post*, et a *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (4). et *Virg.* 2. *G.* 86. appellatur *radius*: a Græco κερκίς, quod tum radium textorium, tum cacumen significat pinus, seu alni, vel potius speciem quamdam alni stipite oblongo, terete et in acutum radii instar desinente. Ob eamdem enim causam olea quoque *radius* dicta est. Quare rectius *cercites* scriberetur, tametsi *circites* passim habetur etiam in antiquis libris.

CIRCĬTOR *vel* circuitor *vel* circumitor, ōris, m. 2. *Circitor* pænultima producta, tamquam synæresis fiat a *circuitor*, occurrit in *Inscript.* apud *Murat.*, quæ inferius affertur sub 2. *c.* — *Circumitor* habetur apud *Petron. fragm. Tragur.* 53. *Burmann.* — Circitor generatim est qui circumit. ¶ 1. Speciatim circitor appellatur, qui circumfert merces vendibiles. *Ulp. Dig.* 14. 3. 5. § 4. Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarii, vel lintearii dant vestem circumferendam et distrahendam, quos vulgo circitores appellamus. *Al. leg.* circuitores. ¶ 2. Item qui locum aliquem circuit et custodit. — *a*) Generatim. *Auct. Priap.* 16. 1. Quid mecum tibi, circitor moleste? Ad me quid prohibes venire furem? *h. e.* qui hortum circuis et custodis. *V.* STATOR. — *b*) Speciatim ita dicti sunt servi in familia magistratuum aquæductibus præpositorum, quorum officium erat circuire aquæductus, et si quid vitii, aut fraudis accidisset, renunciare, ut remedium afferri posset. *Frontin. Aquæd.* 117. Utraque familia in aliquot ministeriorum species deducitur, villicos, castellarios, circitores, silicarios etc. Adde *Petron. Satyr. loc. cit.* et *Inscript.* apud *Orell.* 2900. et 3201. — *c*) Item in militia circitores fuerunt, qui vigilias circuibant. *Veget.* 3. *Milit.* 8. *a med.* Idoneos tribuni et probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, et renuncient, si qua emerserit culpa: quos circuitores appellabant. Nunc militiæ factus est gradus, et circitores vocantur. (*Steuwch.* monet, in quodam exemplari legi *circatores*). Adde *Cod. Theod.* 6. 27. 3.; *Imp. Leon. Cod.* 12. 20. 3. et *Hieronym. Ep.* 61. *ad Pammach. n.* 7. *Inscript. apud Murat.* 540. 2. CIRCITOR MORIOR, PRAEMIA PARVA, SENEX. — Legitur etiam *circitor* in *Inscript.* apud *Reines. cl.* 20. *n.* 421., sed utrum ad militares, an institorios pertineat, incertum. At in *Marm. Taurinens. T.* 2. p. 103. imago est equitis chlamydati et hastam ad terram versus ferentis; sub eadem vero legitur: D. M. AVR. MARCIANI CIRCITORIS, QVI VIXIT etc.

CIRCĬTŌRIUS, a, um, adject. ad circitorem pertinens. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 7. 22. 2. § 2. Dignitas circitoria. *h. e.* circitoris gradus in militia.

CIRCĬUS, ii, m. 2. ventus peculiaris Galliæ Narbonensis ceterorum clarissimus, nec ulli violentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens: idem non modo in reliquis partibus cœli ignotus, sed ne Viennam quidem ejusdem provinciæ urbem attingens, paucis ante millibus jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur. Hæc *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (121)., cui similia habent *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 17. et *Phavorin.* apud *Gell.* 2. 22. et seq., qui addit ita dictum sibi videri a turbine et vertigine, qua fertur; nempe a *circum*: quod et *Nonius* docet 1. 251. edit. veter. Alii tamen Gallicam vocem putant. Neutrum probat *Salmas.* in *Exercit. Plin.* quod *Cercius* a *Catone* dictum sit, teste *Gell. loc. cit.*, et a Græcis Κερκίας: itaque esse Siculam vocem, auctore *Theophrasto de ventis*: ex quo etiam fieri, ut non sit Galliæ Narbonensis proprius, sed unus ex principalibus, et toti terræ communis. *V.* ibi plura p. 1258. et *Isaac. Vossium* ad *Melam* 2. 5. *Salmasii* opiniones refutantem. *Sueton. Claud.* 17. Cum ab Ostia navigaret, vehementi Circio bis pæne demersus est, prope Liguriam, juxtaque Stœchadas insulas. — Tanto impetu spirare solet, ut ædificia quasset, et tecta aliquando auferat: ideoque Augustus templum illi, cum in Gallia moraretur, et vovit et fecit. *Seneca loc. cit.* et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (21). — Spirat inter Argesten et Thrasciam, ut est apud *Vitruv.* 1. 6. 10. *Schneid.* hoc est inter occidentem æstivum et septentrionem, diciturque a Gallis *nord-ouest-nord*, ab Italis *maestro tramontana.* V. THRASCIAS.

CIRCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. circumeo. Legitur in *Vett. Glossis*, et apud *Propert.* 4. 9. 35. Fontis egens erro, circoque sonantia lymphis. et *Tibull.* 1. 3. 77. Tantalus est illic, et circat stagna. Ita enim *Scalig.* et ex eo *Brouckusius*, qui ejus usum confirmat auctoritate *Servii* ad *Virg.* 10. *Æn.* 885. In lævam partem ideo circabat, ut etc., et *Ammiani*, qui 31. 2. verbo *circumcirco*, *as*, usus est. At rectius apud *Propert.* alii *circaque*, apud *Tibull.* *circum*, apud *Servium* alii *circumibat* legunt: nec *Ammiani* locus suspicione caret. *Lævius* apud *Priscian.* 7. p. 739. *Putsch.* Circa nunc Laertie; vela para ire Ithacam.

CIRCOS, i, m. 2. κίρκος, gemma est colore similis accipitri. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (153). Ceritis ceræ similis est, circos accipitri. Ita *Harduin.* Alii leg. *circos pyrrhus.* — *NB.* Item genus accipitris apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 9. (21)., ubi tamen *Harduin.* contendit, *ægithum*, non *circon* legendum; quam lectionem retinuit et *Sillig.*

CIRCŬĔO, is, ivi *vel* ii, itum, ire. *V.* CIRCUMEO.

CIRCŬĬTĬO *vel* circumitio, ōnis, f. 3. De forma *Circumitio* Vide CIRCUMEO sub init. — Circuitio

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est actus circumeundi, circuitus. *Liv.* 3. 6. *in fin.* Munus vigiliarum senatores per se ipsi obibant: circumitio ac cura ædilium plebis erat. *Vitruv.* 2. 10. 1. *Schneid.* Apennini montis jugum pertingit circuitionibus contra fretum. *Id.* 4. 4. 3. Major visus circuitio. *Ammian.* 24. 2. Munimentum fluminis circumitione vallatum. *Cod.* 11. 41. 1. Circuitio temporis. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est locus, per quem circuiri potest. *Vitruv.* 1. 5. 2. *Schneid.* Collocanda oppida sunt non quadrata nec procurrentibus angulis, sed circumitionibus, ut hostis ex pluribus locis conspiciatur. *Id.* 6. 3. 1. Duo triclinia cum circumitionibus. *Id.* 10. 13. 1. Cum haberent singula tabulata circuitionem cubitorum ternum.

II.) Translate *circuitio verborum* est, cum pluribus verbis aliquid explicatur, quod paucioribus poterat: Græce περίφρασις, ut patet ex *Cic.* 4. *Herenn.* 32. 43. Circuitio est oratio rem simplicem assumptam circumscribens elocutione. *Ter. Andr.* 1. 2. 31. Ita aperte ipsam rem modo locutus, nil circuitione usus es. *Cic.* 2. *Divinat.* 61. 127. Quid opus est circuitione et anfractu? *Fronto de orat.* 3. Quid sibi volunt ambitus isti, et circumitiones? — Huc pertinet et illud *Cic.* 2. *Divinat.* 17. 40. Epicurus circuitione quadam deos tollit. *h. e.* oblique.

CIRCŬĬTOR, ōris, m. 3. qui circuit. Legitur in *fragm. Tragur. Petron.* 53. *Burmann.* pro eo qui fundum circuit et custodit. Alii autem legunt *circumitor*, alii *circitor.* *V.* CIRCITOR 2. *b.*

CIRCŬĬTUS, a, um. *V.* CIRCUMEO.

CIRCŬĬTUS *vel* circumitus, us, m. 4. De forma *Circumitus* Vide CIRCUMEO sub init. — Circuitus

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est circuitio, circumeundi actus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Circuitus solis conversionem conficiunt annuam. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 12. 12. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (86). Rursus *Cic. Tim.* 9. Circuitus orbis. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Longo circuitu petere regiones. Adde *Liv.* 4. 27. et *Curt.* 3. 11. 19. Et *Virg.* 3. *Æn.* 413. Læva tibi tellus, et longo læva petantur Æquora circuitu. *Liv.* 34. 28. Brevis circuitus per montes. *Curt.* 4. 16. 7.

Majore et ob id tutiore circumitu Tigrim superare. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 3. 4. (11). et 2. *ibid.* 67. 67. (170). Circuitus mundi. *Seneca Ep.* 79. 1. Circuitus totius Siciliæ. *Sueton. Aug.* 17. Circuitus Asiæ Syriæque. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu — *a*) Circuitus est paries sive maceries, qua hortus, sive sepulcrum, sive ara clauditur: qui circuitus erat pedes duos et dimidium. *Varro* 5. *L. L.* 22. *Müll.* Ambitus iter, quod circumeundo teritur, nam ambitus circumitus; ab eoque XII. Tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse describunt. Cf. *Paul. Diac.* p. 5. 4. *Müll. Inscript.* apud *Marin. Fratr. Arval.* p. 369. ISIDI EX VISV CIRCVMITVM DE SVA PECVNIA FACIENDVM CVRAVIT. Alia apud *Murat.* 314. 2. AEDILIA CIRCVMITVM REFECERVNT IMPENSA SVA. *Inscript. Vicetina inedit.* L. S. L. TVRRANII L. F. VALENTIS IN FR. P. XXX. RET. P. LX. CIRCVMITVS MACERIAE SESQVIPEDES. — *b*) Hinc dicitur etiam de quocumque loco, qui circumitur. *Cæs.* 7. *B. G.* 83. Quem (*collem*) propter magnitudinem circuitus, opere complecti non poterant. *Id.* 2. *ibid.* 29. Oppidum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes habens. *Id.* 1. *ibid.* 41. Millium amplius quadraginta circuitu, locis apertis exercitum ducere. *h. e.* circumeundo millia passuum quadraginta. *Id.* 2. *ibid.* 30. Vallum pedum duodecim in circuitu XV. millium. *Id.* 3. *B. C.* 44. Circuitu quindecim millia passuum amplecti. Adde *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 19. (51 et 55). Rursus *Cæs.* 3. *B. C.* 44. Sed illi operibus vincebant, quod et numero militum præstabant, et interiore spatio minorem circuitum habebant. *Id.* 1. *B. G.* 21. Qualis esset natura montis et qualis in circuitu adscensus, qui cognoscerent misit. *Virg.* 11. *Æn.* 767. jamque hos aditus, omnemque pererrat Undique circuitum. *Ovid.* 2. *Met.* 86. Sævaque circuitu curvantem brachia longo Scorpion. *Curt.* 6. 6. 24. Circuitu (*rupis*) triginta et duo stadia comprehendit. *Auct. de Auspic.* apud *Gell.* 13. 14. Pomœrium est locus per totius Urbis circuitum pone muros, etc. *Quintil.* 1. 10. 42. Circuitus jugeri. *Sueton.* in *Vita Horatii.* Circuitus voluminis.

II.) Figurate. ¶ 1. Generatim. *Cels.* 3. 5. Tertianarum febrium certus est circuitus. *h. e.* quæ certis temporibus abeunt, et statis temporibus redeunt, periodicæ. *Id.* 3. 2. Interdum etiam longiore circuitu quædam (*febres*) redeunt: sed id raro evenit. *Scribon. Compos.* 95. Circuitibus febrium vexari. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (106). Circuitum mundi. *h. e.* ita vocat suam terrarum descriptionem, quam prioribus Historiæ naturalis libris exsequitur. ¶ 2. Translate de oratione. *Cic. Orat.* 61. 204. Circuitus ille orationis, quem Græci περίοδον, nos autem ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus. Cf. *Quintil.* 9. 4. 124. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 51. 198. Circuitum et quasi orbem verborum conficere. *Id. Orat.* 23. 78. Circuitus conglutinatioque verborum. *Id.* 3. *Orat.* 49. 191. Circuitus verborum brevior, longior. *Quintil.* 9. 4. 60. Circuitus longiores. *Id.* 11. 1. 6. decurrentes contexto nitore. ¶ 3. Item de agendi ratione. — *a*) Generatim. *Curt.* 9. 3. 14. Cur circumitu petis gloriam, quæ ad manus posita est? *Petron. Satyr.* 13. Negavi circuitu agendum, sed plane jure civili dimicandum. — *b*) Speciatim in locutione, circuitus habetur, cum (ut docet *Quintil.* 8. 6. 59.) pluribus verbis id quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur: Græci et rhetores περίφρασιν vocant. *Quintil.* 5. 7. 16. Nec statim debet de eo, quod in judicium venit, rogare, sed aliquo circuitu ad id pervenire. *Id.* 12. 10. 16. Circuitu aliquid enunciare. *Id.* 12. 10. 41. Circuitu res ostendere et translationibus. Adde *eumd.* 10. 1. 12. *Martial.* 11. 15. 8. Loqui aliquid per circuitus.

CIRCŬLĀRIS, e, adject. circulo similis, rotundus. *Capell.* 6. p. 190. Lineares ductus, circulares flexus. Adde *eumd.* 8. p. 274. *Cassiod. de arithmet. a med.* Circularis numerus est, qui dum multiplicatus fuerit, a se inchoans ad se convertitur, ut verbi gratia quinquies quini, vicies quinque. *Id. mox* eumdem numerum *circulatum* vocat.

CIRCŬLĀTIM, adverb. circulando.

I.) Proprie. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 20. Pectori circulatim ceratoria apponere. *Id.* 5. *Tard.* 1. *post med.* Erunt partes in passione constitutæ circulatim ambiendæ.

II.) Figurate est per hominum circulos. *Sueton. Cæs.* 84. *in fin.* In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim suo quæque more lamentata est.

CIRCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. circulandi actus, ambitus. *Vitruv.* 9. 1. 8. *Schneid.* Mercurii stella ita pervolitat, ut trecentesimo et sexagesimo die per signorum spatia currens perveniat ad id signum, ex quo priore circulatione cœpit facere cursum.

CIRCŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui circuit. ¶ 1. Speciatim circulator dicitur qui merces de domo in domum vendit. *Asin. Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32. 3. Circulator auctionum. *h. e.* qui omnes auctiones obit, qui in omnibus auctionibus præsto est, ut merces, quæ ibi forte viliore pretio venirent, coemeret, deinde cum lucro venditurus. ¶ 2. Item circulator est homo circumforaneus, qui congregata multitudine in foro, et per vicos varia medicamenta proponit, et præstigiis, saltationibus, cantu aliisque hujusmodi ludicris plebem detinet et oblectat, lucri causa; quique a Græcis ἀγύρτης appellatur. *Cels.* 5. 27. *n.* 3. Si colubra stupente (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit. *Paul. Dig.* 47. 11. 11. Circulatores, qui serpentes circumferunt et proponunt. *Apul.* 1. *Met.* Circulatorem adspexi equestrem spatham præacutam mucrone infesto devorasse. — Adde *Senec.* 6. *Benef.* 11. et *Ep.* 29., ubi circulatores appellat circumforaneos, et vagos philosophos, qui philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt. ¶ 3. Item speciatim circulator videtur esse, qui in circulo cum aliis conversandi causa sedet. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Pæonius exarsit, atque ad astantes circulatores, Injuriæ communis, inquit, jam reum inveni.

CIRCŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad circulatorem spectans. *Quintil.* 2. 4. 15. Extemporalis garrulitas circulatoriæ vere jactationis est. *Id.* 10. 1. 8. Nobis autem copia cum judicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. *Tertull. Apolog.* 23. Circulatoriæ præstigiæ.

CIRCŬLĀTRIX, īcis, f. 3. — *a*) Substantivorum more est mulier, quæ hac illac circumit et vagatur. *Priap.* 18. 1. Telethusa circulatrix. *h. e.* meretrix vaga: nam scorta plerumque domi, vel publico et certo loco quæstum faciebant. *Capell.* 4. p. 96. Circulatrix pellacissima. *Id. ibid.* p. 135. Circulatrix indecens. — *b*) Adjective est quod ad circulatorem pertinet. *Martial.* 10. 3. 2. Et fœda linguæ probra circulatricis. *h. e.* linguæ hominis circumforanei.

CIRCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Circulatus.* — Circulare est in circulum formare, in gyrum agere. *Apul. Mag.* Posses videri pro computationis gestu errasse: quos circulare debueris digitos, aperuisse. *Id. Florid.* 1. 9. Ipse ejus anuli et orbiculum circulaverat, et palam clauserat. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Circulatus gressus vertiginem ingerit ægrotanti. *Et paullo post.* Circulatus ductus. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.*, ubi al. leg. *circumlatus*, alii *circulatim*. *Capell.* 8. p. 202. Luna quibusdam velut cornibus circulata. *h. e.* circumdata. *V.* et CIRCULARIS. *Id.* 1. p. 91. Crines tortuosi decentique inflexione crispati ita formam capitis circulabant, ut etc. *Id.* 8. p. 279. Quem (*circulum antarcticum*) quibus sideribus circuletur, ego poteram memorare.

CIRCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Circulans.* — Circulari est circulos facere, in circulum cogi homines colloquendi gratia. *Cic. Brut.* 54. 200. Videt oscitantem judicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem; mittentem ad horas etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 64. Totis vero castris milites circulari, et dolere, hostem ex manibus dimitti. *Seneca Ep.* 52. Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, et communes locos volvunt, et in privato circulantur. *h. e.* qui circulatorum more, turbam circa se colligunt, quam adloquantur. Sic *Id. ibid.* 40. Sic itaque habe, istam vim dicendi rapidam atque abundantem aptiorem esse circulanti, quam agenti rem magnam ac seriam. — *Id. ibid.* 88. Appion grammaticus, qui sub C. Cæsare tota circulatus est Græcia. *h. e.* circumeundo vagatus est. Ita *Lips.* in optimo suo libro: alii rectius *circumlatus*, *h. e.* quasi manibus gestatus, et ut publica quadam pompa, ut *idem Lips.* exponit. — *Capell.* 8. p. 289. Venus Mercuriusque circa Solem laxiore ambitu circulantur.

CIRCŬLUS, i, m. 2. *Circlus* per syncopen apud *Virg.* 3. *G.* 166. laxos tenui de vimine circlos. — Circulus, deminutive a *circus*, est figura plana ex linea in orbem ducta, rotundus ambitus, gyrus, orbis (It. *cerchio, cerchietto, circolo*; Fr. *ligne circulaire, cercle*; Hisp. *circulo ó cerco*; Germ. d. *Kreis*; Angl. *a circle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu — *a*) Dicitur de figura mathematica. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 47. Cum duæ formæ præstantes sint, ex solidis globus, ex planis circulus aut orbis. Adde *Senec. Ep.* 12. et *Frontin. Agrim.* p. 34. *Boeth.* 2. *Arithm.* 30. Est circulus, posito quodam puncto et alio eminus defixo, illius puncti, qui eminus defixus est, æqualiter distans a primo puncto circumductio, et ad eumdem locum reversio, unde moveri cœperat. Aliter *Id.* p. 187. Circulus est figura plana, quæ sub una linea continetur, ad quam ex uno puncto, qui intra ipsam est, omnes, quæ exeunt lineæ, æquæ sibi sunt. — *b*) In cœlo circuli dicuntur zonæ seu orbes, quos astrologi constituunt ad certos cœlorum fines describendos et siderum motus explicandos. *Cic.* 6. *de republ.* 15. Stellæ circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 516.; *Manil.* 1. 564.; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 13. (63).; et *Hygin.* 1. *Astron.* 6. et 4. *ibid.* 1. *Varro* 9. *L. L.* 24. *Müll.* Circulus æquinoctialis, solstitialis et septemtrionalis. Adde *Plin.* 20. *Hist. nat.* 70. 70. (177). et seqq. *Vitruv.* 6. 1. 1. et 9. 6. 8. *Schneid.* Circulus signifer. *h. e.* zodiacus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (91). et 18. *ibid.* 28. 60. (280). Circulus lacteus. *h. e.* via lactea. *Id.* 2. *ibid.* 23. 21. (86). Circulus solaris. — *c*) In re geographica *circuli* vocantur, qui in cœli regione paralleli terram ambire putantur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 33. 39. (211). Terræ universæ in membra cœli digeruntur. Plura sunt autem segmenta mundi, quæ nostri circulos appellavere, Græci parallelos. ¶ 2. Latiori sensu — *a*) Generatim circulus dicitur quod circuli figuram quomodocumque præsefert. *Liv.* 36. 9. Circulus muri exterior. *Virg.* 5. *Æn.* 558. It pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 138.; et Cf. *Tertull. Habit. mul.* 2. Circuli ex auro, quibus brachia arctantur. *h. e.* torques. *Cels.* 7. 25. appellat *circulum glandis*, quem anatomici nunc *glandis coronam* vocant. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 2. Circa solem visus varii coloris circulus. Adde *Sueton. Aug.* 95. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (166). Gemma pallida, ambiente circulo aurei coloris. — In illo *Martial.* 14. 138. Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum: Orbibus in nostris circulus esse potest; *Turneb. l.* 9. *Advers. c.* 24. circulum exponit rotundam maculam, quam nonnunquam in mensa relinquunt repositoria, paropsides, et alia vasa, quæ in ea reponi solent: et *Scaliger* rectius interpretatur ligneum orbiculum, quem super paropsides et lagenæ ponerentur. — *b*) Speciatim in artibus circulus dicitur quod rem aliquam cingendo constringit ac colligat. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (132). Vinum ligneis vasis condere circulisque cingere. *Id.* 16. *ibid.* 18. 30. (75). Arbor circulis flexilis. *h. e.* ita flexilis, ut ex ea circuli fieri possint ad lignea vasa cingenda et constringenda. Adde *eumd.* 29. *ibid.* 4. 25. (80).; *Sueton. Aug.* 30. et *Petron. Satyr.* 60.; et cf. locum *Virg.* 3. *G.* 166. allatum sub init. hujus vocis. — *c*) Item est genus edulii ex farina mixta caseo (vel alia conditura) et aqua macerata, atque in modum circuli formata: *Varro* 5. *L. L.* 106. *Müll.* Hinc *Vopisc. Tacit.* 6. Dii avertant principes pueros, quos ad consulatus dandos dulcia et circuli et quæcumque voluptas puerilis invitet.

II.) Improprie significat cœtum hominum in orbem collectorum — *a*) Interdum ad audiendum aliquem. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. 1. Quid plura de judicibus? Duo prætorii sederunt, Domitius Calvinus; is aperte absolvit, ut omnes viderent: et Cato; is, diremptis tabellis, de circulo se subduxit. Adde *Quintil.* 2. 12. 10. et 12. 10. 74. *Martial.* 10. 62. Coronari circulo majore. *h. e.* cingi majore cœtu auditorum aut spectatorum. — *b*) Præcipue de hominum cœtu colloquendi gratia collecto. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 159. Quemcumque patremfamilias eripuissetis ex aliquo circulo. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 38. 174., 5. *Fin.* 20. 56. et 1. *Off.* 37. 132. *Nepos Epam.* 3. Cum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur. Adde *Liv.* 3. 17. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (12). Proponere imaginem circulis ridentium. *Martial.* 2. 86. Scribere carmina circulis. *h. e.* otiosæ plebejorum hominum coronæ. Adde *Tac. Agric.* 43. et 3. *Ann.* 54. *Cajus lib.* 1. *Instit. tit.* 2. *a med.* Si ita in testamento scr-

vorum manumissio adscripta fuerit, id est in circulo, ut qui primus, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci etc. Juxta *Forcellinum* hæc *Caji* verba huc essent referenda: at, cum bona ipsius *Forcellini* venia, hæc *Caji* verba significant, servorum manumissorum nomina in circulo, hoc est circulari forma, adscripta esse in testamento, ita ut propter circuli figuram nequeat agnosci qui primus, qui posterior nominatus sit. — *c*) Sæpe junguntur *circuli* et *convivia*, ut apud *Cic.* 2. *Att.* 18. 2. Sermo in circulis et conviviis est liberior. Adde *eumd. Balb.* 26. 57.; *Liv.* 34. 61. et 44. 22.; et *Domit. Marsum* apud *Quintil.* 6. 3. 165.

CIRCUM, adverb. Ratione habita etymi, *circum* proprie est Accusativus singularis numeri a *circus*, adverbii more usurpatus. Et sane *circum*, etiamsi præpositionis more adhibeatur, præ ceteris omnibus præpositionibus nativam adverbii vim præsefert ac servat; frequenter enim suo postponitur Accusativo, quem alioquin ipsum Verbum regit, ut apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 41. 105. Hunc circum ἄρκτοι duæ feruntur. *Lucret.* 1. 935. prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore. Adde *Virg.* 8. *Ecl.* 12. et 9. *ibid.* 40.; 4. *G.* 188.; et 1. *Æn.* 35., 3. *ibid.* 166. et 329., 8. *ibid.* 310. et 12. *ibid.* 162. Similiter interdum inter Adjectivum et Substantivum liberius interseritur, ut apud *Virg.* 1. *G.* 345. Terque novas circum felix eat hostia fruges. Huc adde, quod apud Classicos Scriptores facile animadvertas, scilicet præpositionem *circum*, si cum Verbis componatur, numquam repeti solere ante Substantiva, quemadmodum ceteræ præpositiones repetuntur; non enim dicebant *circumire circum prædia*, sed *circumire prædia*, ut apud *Cic. Cæcin.* 32. 94. — Ceterum *circum*, ut diximus, usurpatur *A*) Adverbii et *B*) Præpositionis more.

A) Circum Adverbii more sine casu usurpatum significat (It. *intorno*; Fr. *à l'entour*, *tout autour*; Hisp. *al rededor*; Germ. *im Kreise herum*, *ringsum*, *auf allen Seiten*; Angl. *around*, *about*, *round about*): et occurrit — ¶ 1. Latiori significatione — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 48. Eam terram tabula aut pedibus complanato, furcas circum affigito. *Plaut. Most.* 1. 4. 33. Interim da a Delphio cito cantharum circum. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Ubi ex ea turri, quæ circum essent opera, tueri se posse confisi sunt. *Varro* 3. *R. R.* 10. 3. Singulis (*anseribus*), ubi pariant, faciundum haras quadratas circum binos pedes. *h. e.* quoquoversus, sive binos pedes quadratos. *Sall. epist. Mithr.* 5. Nullo circum adnitente. *Virg.* 4. *G.* 193. sed circum tutæ sub mœnibus urbis Æquantur. Adde *eumd.* 2. *Æn.* 631. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 7. acria circum Rapula, lactucæ, radices. *Tibull.* 1. 3. 77. Tantalus est illic et circum stagna. *Alii minus recte legunt* circat *pro* circum. *V.* CIRCO. *Ovid.* 12. *Met.* 528. et ingenti circum clangore sonantem Aspexit. *Cels.* 5. 28. Lividum fit circumque exiguæ pustulæ oriuntur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 34. 51. (121). Totius oculi versatione circum aspicit. *Al. junctim leg. Tac.* 4. *Ann.* 74. Aram Clementiæ, aram Amicitiæ, effigiesque circum Cæsaris ac Sejani censuere. *Id. ibid.* 62. Qui circum adstabant. *Id.* 2. *Hist.* 39. Tot circum amnibus. — *b*) Speciatim *circum* conjungitur cum *totus*, *omnis*, *undique* et similibus, ita ut alterum vocabulum per alterum magis magisque definiatur. *Varro* 3. *R. R.* 14. 1. Idoneus sumendus locus cochlearis, quem totum circum aqua claudat. *Virg.* 4. *Æn.* 416. Anna, vides toto properari littore circum. *Id.* 10. *ibid.* 118. Interea Rutuli portis circum omnibus instant. *Lucret.* 3. 404. at manet in vita — Quamvis est circum cæsis lacer undique membris. *Al. junctim leg.* circumcæsis. — Apud sequioris ævi scriptores *circum* et *undique* simul junguntur, ut apud *Stat.* 2. *Theb.* 228. pars virginibus circum undique fusæ Fœdera conciliant nova. Adde *eumd.* 2. *Silv.* 5. 13. et 5. *ibid.* 1. 155. — Immo interdum hæc duo velut unum tantummodo vocabulum habita sunt, ut apud *Gell.* 14. 2. Causæ circum undique distrahentes. Adde *eumd.* 4. 5. et 13. 24. — *c*) Denique *circum* Adverbii more occurrit, quoties per tmesin, præcipue a Poetis, separatim effertur a Verbis, cum quibus componitur. *Lucret.* 5. 88. circum tribus actis impiger annis Floret equus. *Virg.* 3. *Ecl.* 45. Et molli circum est ansas amplexus acantho. *Id.* 2. *G.* 392. Et quocumque deus circum caput egit honestum. Adde *eumd.* 2. *Æn.* 792., 3. *ibid.* 230., 5. *ibid.* 312. et 7. *ibid.* 104. *Tac.* 11. *Ann.* 31. Strepente circum procaci choro. ¶ 2. Strictiori sensu *circum* significat utrimque, hinc et inde, sive a duobus lateribus, dummodo tamen postica, antica et superior pars definite indicentur. *Ovid.* 4. *Met.* 667. Gentibus innumeris circumque infraque relictis. Adde *Stat.* 1. *Achill.* 56. *Albinov. in Mæcen.* 46. Fortis erat circum, fortis et ante ducem. *Stat.* 9. *Theb.* 114. corpus servans circumque supraque Vertitur.

B) Sæpissime *circum* Præpositionis more usurpatur et regit Accusativum, non quod significet motum ad locum, sed quod definit, rem, de qua sermo est, in illo versari circulo, quem ipsa Præpositio *circum* significat. Ceterum occurrit proprie tantum, et ¶ 1. Jungitur Verbis quietem seu statum significantibus, hoc est respondet Adverbio interrog. *ubinam*: significat autem rem, qua de quæritur, non modo esse circa aliquem locum aut rem aliam, verum etiam prope, juxta, super, ante illum locum aut rem. *Ennius* apud *Festum p.* 301. 14. *Müll.* Circum eos quæ sunt magnæ gentes opulentæ. *Cato R. R.* 5. Circum oleas auctumnitate ablaqueato. *Id. ibid.* 6. Circum coronas et circum vias ulmos serito. *Ter. Eun.* 3. 5. 33. Paucæ quæ circum illam essent, manent noviciæ puellæ. *h. e.* quæ ei præsto sunt ad ministeria. *Gracchus* apud *Diomed.* 1. *p.* 371. *Putsch.* Cohortatione circum conciliabula antecellunt. *Cic. opt. gen. orat.* 4. 10. Exercitu in foro et in omnibus templis, quæ circum forum sunt, collocato. Adde *eumd.* 4. *Cat.* 7. 14., 1. *leg. Agr.* 7. 20. et 2. *Phil.* 26. 64. *Id.* 3. *Att.* 17. 2. Ego autem etiamnunc circum hæc loca commorabor. Adde *Cn. Pompejum* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. c. § 1. *Cic.* 9. *Att.* 9. 4. Et eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes, et bellum nefarium times. οἱ περὶ αὐτόν. *V.* CIRCA. *Id.* 3. *Verr.* 36. 92. Circum pedes aliquem habere. *Sall. Cat.* 14. et 28. Circum se aliquem habere. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 135. Circum aliquem stare. *Id. ibid.* 6. 82. alicui omnes circum doctores adesse. *Virg.* 6. *Æn.* 166. Circum aliquem pugnare. *Id.* 1. *ibid.* 60. Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt. Cf. *eumd.* 2. *G.* 523. Interea dulces pendent circum oscula nati. *Varro* 7. *L. L.* 31. *Müll.* Ambiegna bos, quam circum aliæ hostiæ constituuntur. *Curt.* 7. 8. 21. Non succurrit tibi, quam diu circum Bactra hæreas? ¶ 2. Jungitur etiam Verbis motum significantibus et respondet Adverbio interrog. *quo?*, et — *a*) Significat rem aliquam latam positamque esse circum aliam. *Cato R. R.* 21. Armillas IV. facito, quas circum orbem indas. *Id. ibid.* 29. Partem quartam (*stercoris*) circum oleas ablaqueatas, qua maxime opus erit, addito. *Id. ibid.* 33. Circum capita addito stercus. *Ter. Heaut.* 3. 2. 49. Capillus sparsus, promissus, circum caput rejectus negligenter. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Quæ (*terra*) cum circum axem se summa celeritate convertat. *Id.* 2. *Nat. D.* 40. 102. E quibus sol circum eam ipsam volvitur. *Virg.* 9. *Ecl.* 40. varios hic flumina circum Fundit humus flores. Adde *eumd.* 1. *G.* 345. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 84. Et Tyrias dare circum illota toralia vestes. *Ovid.* 4. *Met.* 493. pars circum tempora lapsæ Sibila dant. *Sueton. Ner.* 51. Ligato circum collum sudario. Adde *Quintil.* 2. 17. 19. — *b*) Præcipue circum usurpatur, cum significare volumus, rem aliquam fieri vel agi quoquoversus, seu potius plura versus loca, quæ circum sunt. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 14. Quæ circum vicinos vaga es. *h. e.* vagaris. *Cic.* 8. *Att.* 9. 3. Ego Arpini volo esse pridie Kal., deinde circum villulas nostras errare. *Id. Quinct.* 6. 25. Pueros circum amicos dimittere. *Id.* 4. *Cat.* 8. 17. Concursare circum tabernas. *Id.* 4. *Verr.* 70. 169. Prætorem circum omnia fora sectari. *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Dimissis circum municipia litteris. *Liv.* 42. 45. Legatio in Asiam et circum insulas missa. *Virg.* 1. *Æn.* 30. Maria omnia circum errare. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 281. Circum compita currere. *Id.* 2. *Od.* 16. 11. Circum tecta volare. *Sueton. Aug.* 64. Consules circum provincias exercitusque dimittere. *Id. Ner.* 47. Mittere circum amicos. *Id. Cæs.* 41. Libellos mittere circum tribus. Adde *eumd. Cal.* 28.

In compositione quomodo *circum* jungatur aliis vocibus, *V.* in v. CIRCUMEO sub init.

Homonym. *Charis.* 2. *p.* 207. *Putsch.* tale statuit discrimen inter *circum* et *circa*, quod illud referatur ad locum, hoc ad tempus; et si aliter inveniatur, licentiâ dictum videri. Hoc tamen non usquequaque verum est. Nam *circa* refertur non raro etiam ad locum. *V.* CIRCA.

CIRCŬMACTĬO, ōnis, f. 3. actus circumagendi, conversio.

I.) Proprie. *Vitruv.* 9. 8. 15. *Schneid.* Sol rediens circumactione ad Capricornum. *Capell.* 8. *p.* 299. Stella vero Jovis, salutaris ad omnia, utpote superior, duodecim annis longitudinem propriæ circumactionis excurrit. *Charis.* 1. *p.* 69. *Putsch.* Vortex est circumactio undæ.

II.) Figurate de oratione. *Gell.* 17. 20. Enthymema brevibus et rotundis numeris cum quadam æquabili circumactione devinctum. *h. e.* circuitu verborum.

CIRCŬMACTUS, a, um. *V.* CIRCUMAGO.

CIRCŬMACTUS, us, m. 4. idem quod circumactio. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 2. Assiduus cœli circumactus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (141). Axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum. *Id.* 8. *ibid.* 50. 76. (201). Cum circumactum (*corporis*) angustiæ non caperent. *V.* RECIPROCATIO. *Id.* 8. *ibid.* 30. 44. (105). Hyæna flecti, nisi circumactu totius corporis, nequit. *Censorin. de die nat.* 23. Dies civilis est tempus, quod fit uno cœli circumactu.

CIRCŬMADDO, is, ere, a. 3. (*circum et addo*). Quidam leg. apud *Caton. R. R.* 114. Duas partes terræ circumaddito: sed pleræque edition. hab. *circumdato*; quam lectionem retinuit et *Schneider.*

CIRCŬMADNĪTOR, ěris, ixus, niti, dep. 3. (*circum et adnitor*). Part. *Circumadnitens. Sallust. fragm.* 4. *histor. in epist. Mithrid. ad Arsac.* Apud Cizycum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circumadnitente. *h. e.* nullo eorum, qui circa erant, simul mecum adnitente, et opem conferente.

CIRCŬMÆDĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*circum et ædifico*) ædificare in gyrum vel circulum. *Vulgat. interpr. Jerem. Thren.* 3. 7. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

CIRCŬMAGGĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCŬMAGGĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*circum et aggero*). Part. *Circumaggeratus.* — Circumaggerare est aggerare in circuitu. *Colum.* 5. *R. R.* 12. 3. Stercoratam terram circumaggerato. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (68). Terrâ minutâ fimoque circumaggeratæ radices.

CIRCŬMĂGO, ăgis, ēgi, actum, ăgere, a. 3. (*circum et agere*). Part. *Circumagens* I. 2.; *Circumactus* in omnibus paragr.; *Circumagendus* I. 2. — Circumago est circum verto, converto (It. *voltare intorno*, *girare intorno*; Fr. *faire tourner*, *mener autour*, *retourner*, *tourner*; Hisp. *girar*, *mover al rededor ó circularmente*; Germ. *im Kreise herumtreiben*; Angl. *to drive or turn round*).

I.) Proprie. ¶ 1. Usurpatur de iis quæ vertuntur circum aliam rem, sive hæc vocabulo aliquo significetur, sive silentio mittatur, quia facile subauditur. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 141. Agrum lustrare sic oportet. Impera suovitaurilia circumagi. Cum divis volentibus — mando tibi Mani, ut illace suovitaurilia fundum, agrum terramque meam quota ex parte sive circumagi, sive circumferenda censeas, uti cures lustrare. *Et paullo post.* Quojus rei ergo agrum, terram fundumque meum suovitaurilia circumagi jussi. *Varro* 2. *R. R.* 1. 10. Suovitaurilibus circumaguntur verres, aries, taurus. *Id.* 5. *L. L.* 143. *Müll.* Oppida condebant in Latio Etrusco ritu, id est junctis bobus aratro circumagebant sulcum. *Seneca Ep.* 8. Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas: non differtur in diem qui se illi subjecit et tradidit: statim circumagitur. *h. e.* in libertatem asseritur, manumittitur: ducta translatione a Romanorum ritu, quo quos manumittebant, manu capiti imposita, in orbem vertebant. *V. Pers.* 5. 76. et 78.; et voc. VERTIGO. — *b*) Speciatim *circumagi* dicitur qui non sponte, sed coacte, huc et illuc circuit. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 16. nil opus est te Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum. *Tac.* 3. *Hist.* 73. Huc illuc clamoribus hostium circumagi. — Huc referri potest et *circumagere se*, quod figurate dixit *Juvenal.* 9. 81. Quo te circumagas? quæ prima aut ultima ponas? *h. e.* quo te vertas, quo confugias? — *c*) Item *circumagere aliquid aliqua re* est cingere, circumdare. *Mela* 2. 2. 8. Ægæum pelagus sub notas terras magno ambitu mollique circumagit. *Lactant.* 1. 14. Fratrem Saturnum atque Opem comprehendit, eosque muro circumagit, et custodiam his apponit. ¶ 2. Item de iis, quæ circum se ipsa vertuntur; quo sensu præcipue a *Livio* usurpatur. *Lucret.* 4. 314. de spe-

culo. Aut etiam quod circumagitur, cum venit imago. Liv. 42. 42. Circumagetur hic orbis. h. e. hic rerum ordo ac veluti circulus mutabitur. Id. 1. 14. ad fin. Circumagere frenis equos. Adde eumd. 8. 7. et 10. 11. Cf. Curt. 3. 11. 14. In circumagendis equis. Liv. 42. 64. Circumagere aciem. Id. 6. 24. et 10. 36., et Curt. 4. 6. signa. Cf. Flor. 3. 21. legiones. h. e. revocare, reducere. Liv. 28. 30. navem in proram. Curt. 4. 13. 32. milites in frontem. Plin. 11. Hist. nat. 47. 107. (256). collum in aversum. h. e. retro et in tergum vertere. Id. 14. ibid. 3. 4. (39). Cum sole circumagi uvam. Id. 16. ibid. 33. 62. (148). Circumagere in orbem. Id. ibid. 41. 80. (220). se. h. e. vertere se. Id. 6. ibid. 31. 36. (200). Inde primum circumagente se terrarum fronte in occasum ac mare Atlanticum. h. e. flectente se et vertente in occasum. Id. 9. ibid. 33. 52. (102). Longus, lanatus, in orbem circumactus (venter conchæ). Id. 15. ibid. 14. 15. (51). Orbis circumactus in rotunditatem. Id. 11. ibid. 37. 55. (151). Non obliquis oculis, sed circumacto capite cernere. Plin. alter 6. Ep. 16. Circumactis curvatisque littoribus mare infunditur. Tac. 4. Hist. 29. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus. Sueton. Ner. 31. Perpetuo diebus ac noctibus, vice mundi circumagi. Gell. 17. 8. Circumagere manum per omnem partem. Id. 3. 3. molas. ¶ 3. Eleganter circumagi vel circumagere se dicitur annus, tempus, quia siderum conversione fluit et præterit. Lucret. 5. 881. circum tribus actis annis. per tmesin. Liv. 1. 19. Qui (annus) solstitiali circumagitur orbe. Id. 9. 33. Circumactis decem et octo mensibus. Adde eumd. 6. 1. et 38., 9. 22., 26. 40., 27. 30. et 44. 36. Id. 23. 39. Prius se æstas circumegit, quam etc. Id. 9. 18. ad fin. In ipso conatu rerum circumegit se annus. Plin. 7. Hist. nat. 16. 17. (76). Circumacto triennio. Plin. alter 4. Ep. 24. Cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi.

II.) Translate. ¶ 1. Occurrit de hominum sententiis, et — a) Circumagere aliquem est mutare aliquem, sive in aliam partem convertere. Plin. 26. Hist. nat. 3. 7. (13). Universum prope humanum genus circumegit in se. h. e. convertit et in sui admirationem traxit. Sueton. Cæs. 70. Decumanos cum ingentibus minis summoque etiam Urbis periculo missionem et præmia flagitantes, una voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit et flexit, ut etc. h. e. vertit et consilium mutare coegit. — b) Sæpius usurpatur circumagi pro verti, mutari. Liv. 39. 5. Circumagi alieni animi momentis. Id. 44. 34. rumoribus vulgi. Id. 26. 8. Terreri et circumagi ad nutus comminationesque Hannibalis. Similiter Flor. 2. 2. 22. Hic paullulum circumacta fortuna est. h. e. mutata est ¶ 2. Occurrit etiam de rebus, quæ in pejus mutantur. Sic apud Plin. 23. Hist. nat. 6. 51. (100). circumagere stomachum, vesicam, est turbare, miscere.

CIRCUMAMBŬLO, as, āvi, ātum, are (circum et ambulo), in circuitu ambulo. Paul. Dig. 41. 2. 3. § 1. Omnes glebas circumambulare.

CIRCUMĂMICTUS et rectius divisim circum amictus, a, um, particip. ab inusitato circumamicio, circum vestitus. circumdatus. Petron. Satyr. 100. Quasi somnio quodam turbulento circumamictus. Ubi Georg. Erhardus: Scioppius hoc verbum, ut minus Latinum, critico notavit obelo: satis pro imperio barbarus Potitius. Cuper. suspicatur circumactus legi oportere. Cassiod. 5. Hist. Eccl. 37. Sacram vestem Imp. Constantinus, ad honorem Hierosolymorum Ecclesiæ, dederat Macario illius civitatis pontifici, ut ea circumamictus ministerium sacri baptismatis adimpleret, quoniam erat auro sericoque contexta. Id. ibid. 45. Vidit stantem supra murum quemdam imperiali schemate circumamictum, et tam purpura, quam diademate resplendentem. Id. 6. ibid. 1. a med. Philosophantes circumamicti palliis. Adde Vulgat. interpr. Psalm. 44. 15. et Apocal. 4. 4.

CIRCUMAMPLECTOR et rectius divisim circum amplector, ĕris, exus sum, ecti, dep. 3. (circum et amplector) undique cingo. Virg. 3. Ecl. 45. Et molli circum est ansas amplexus acantho. Manil. 1. 312. Has inter fusus, circumque amplexus utramque (ursam) Dividit — anguis. Nota ubique tmesin.

CIRCUMĂPERIO, is, ui, ertum, ire, a. 4. (circum et aperio). Cels. 6. in fin. Ubi scabri ungues sunt, circumaperiri debent. Al. et quidem rectius leg. divisim circum aperiri.

CIRCUMĀRĔO, es, ere, n. 2. (circum et areo). Part. Circumarens. — Ammian. 20. 6. Cunctis circumarentibus locis. Al. leg. et quidem rectius circum arentibus divisim.

CIRCUMĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et aro) arando circumdo. Liv. 2. 10. Agri, quantum uno die circumaravit, datum. Adde Plin. 18. Hist. nat. 3. 3. (9).

CIRCUMASPĬCĬO, is, exi, ctum, ere, a. 3. (circum et aspicio) idem quod circumspicio. Plin. 8. Hist. nat. 33. 51. (121). Nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumaspicit. Ita edition. veteres a. 1469. et 1470., item Aldina 1536., necnon omnium novissima atque optima Silligiana. Aliæ cum Harduino leg. circumspicit.

CIRCUMCÆSŪRA, æ, f. 1. (circum et cæsura) extremitas cujuscumque rei, extima superficies, qua res ambiuntur, et respondet Græcæ voci περικοπή. Lucret. 3. 220. Extima membrorum circumcæsura tamen se Incolumem præstat. Id. 4. 651. Extima membrorum circumcæsura coercet. ubi tamen quidam leg. circumtextura eodem sensu. Arnob. 3. 13. Deos filo adterminatis humano, et terrenorum corporum circumcæsura finitis.

CIRCUMCÆSUS, a, um, particip. ab inusit. circumcædo, (circum et cæsus) circum sectus. Lucret. 3. 404. Quamvis est circumcæsis lacer undique membris. Alii rectius leg. circum cæsis.

CIRCUMCALCO vel circumculco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et calco). Colum. 5. R. R. 6. 8. Radices oblitas fimo bubulo scrobiculis deponi, ac diligenter circumculcari. h. e. terra calcata obrui. Id. 5. ibid. 6. 21. Circumculcemus ipsum seminis codicem. Vetus editio a. 1473. apud Jenson habet utroque loco circumcalco. Sicul. Flacc. p. 5. Goes. Lapides collocabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant. Adde Jul. Frontin. de colon. p. 112. Goes.

CIRCUMCELLĬO, ōnis, m. 3. (circum et cella). Circumcelliones dicti sunt homines monachorum habitu, qui circum cellas vagabantur non habentes stabilem sedem. Item hæretici quidam, insano amore martyrii se ipsos perimentes. Cod. Theod. 5. 52. pr.; Augustin. in Psalm. 132. et Ep. 169. et 255. c. 14.; Hieronym. Ep. 22. n. 15. et Isid. 8. Orig. 5. — Dicti sunt etiam Circelliones, teste eodem August. cit. Psalm. 132.

CIRCUMCĪDĀNEUS, a, um, adject. (circum et cædo). Mustum tortivum circumcidaneum appellat Cato R. R. 23. quod alii tortivum solummodo vocant, nempe illud, quod circumcisis vinaceis profluxerit, ut est apud Plin. 14. Hist. nat. 10. 23. (119)., hoc est quod post primam pressuram vinaceorum circumciso pede exprimitur, ut loquitur Colum. 12. R. R. 36.: uno verbo mustum novissime expressum, ut ait Plin. 14. Hist. nat. 20. 25. (130). — Apud Varron. 1. R. R. 54. 3. dicitur mustum circumcisitium ab eadem circumcidendi causa. Cum desit sub prelo fluere, inquit Varro ibid., quidam circumcidunt extrema, et rursus premunt: et rursus cum expressum, circumcisitium appellant. Al. leg. circumcisitum, quod improbandum; nam circumcisitium recte inflectitur, ex aliorum similium analogia, a circumcisus.

CIRCUMCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (circum et cædo). Part. Circumcisus in omnibus fere paragr. et in fin.; Circumcidendus II. 2. — Circumcido est circum, seu per circulum incido (It. tagliare intorno, circoncidere; Fr. couper tout autour, tailler, rogner, circoncire; Hisp. cercenar al rededor, circuncidar; Germ. ringsum schneiden, ab-oder beschneiden, umschneiden; Angl. to cut or pare about, to cut around).

I.) Proprie. — a) Generatim. Cæs. 4. B. G. 41. Gladiis cæspitem circumcidere. Lucret. 3. 412. Sed circumcidas aciem (oculi), solamque relinquas. Cels. 7. 26. n. 2. Circumcidere ungues. Colum. 5. R. R. 9. 9. Circumcidere latera scrobis. Plin. 25. Hist. nat. 5. 25. (61). et Gell. 17. 15. Circumcidere vulnus. — b) Specialim circumcidere proprium erat agricolarum, et significabat tondere, amputare, circum secare. Cic. 5. Fin. 14. 39. Quæ sit scientia atque ars agricolarum, quæ circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut, quo natura ferat, eo possit ire. Colum. Arbor. 26. 8. Circumcidere gemmam, corticem. Plin. 16. Hist. nat. 29. 74. (191). Circumcisas ad medullam arbores aliqui non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus effluat. Adde eumd. 17. ibid. 15. 25. (116). — c) Item speciatim cum sermo est de hominibus, circumcidere est præputium amputare. Cels. 7. 25. In eo, qui circumcisus est, sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est. Petron. Satyr. 102. 14. Circumcide nos, ut Judæi videamur. Tac. 5. Hist. 5. de Judæis. Circumcidere genitalia. — d) Item de vino, quod circumcisis vinaceis, vel extremis, rursus exprimitur. V. loca Varron. 1. R. R. 54. 3. et Colum. 12. R. R. 36., quæ afferuntur in CIRCUMCIDANEUS.

II.) Translate. ¶ 1. Est demere, resecare, superfluum removere. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 45. 138. Testatur Chrysippus tres solas esse sententias, quæ defendi possint: circumcidit et amputat multitudinem. Cf. eumd. 1. Orat. 15. 65. Id. 1. Fin. 13. 44. Sapiens solum, amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturæ finibus contentus. Varro 1. R. R. 1. 11. Circumcisis rebus, quæ non arbitror pertinere ad agri culturam. Liv. 32. 27. Sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcisi aut sublati. Phædr. 4. 19. 23. Circumcidere omnem impensam funeris. Seneca 2. Controv. 14. Circumcidere ineptas quæstiones. Quintil. 10. 2. 28. Qui vero suppleat quæ deerant, circumcidat si quid redundabit, is erit perfectus orator. Adde eumd. 10. 1. 104. Plin. 2. Ep. 12. Ἀκέφαλον circumcisum et adrasum. ¶ 2. Item circumcidi dicuntur ea, quæ omittuntur, negantur vel arctioribus limitibus circumscribuntur. Cels. 4. 25. Delectationis causa ambulare, circumcisa omni negotiosa actione. Id. 4. 20. Ubi ad se rediit, circumcidendum vinum est in totum annum. h. e. usus vini toto anno removendus. Id. 6. 9. In dentium dolore vinum ex toto circumcidendum est. Seneca Tranquill. 12. Circumcidenda est concursatio, qualis est magnæ parti hominum, domos et theatra et fora pererrantium. — Hinc Part. præter. pass.

Circumcisus, a, um, Adjective quoque occurrit, et

I.) Proprie est abscissus, præruptus. Cic. 2. de republ. 6. Circumcisum saxum. Id. 6. Verr. 48. 107. Henna est loco præcelso atque edito: quo in summo est æquata agri planities: tota vero ab omni aditu circumcisa atque dirempta est. Cæs. 7. B. G. 36. Collis ex omni parte circumcisus.

II.) Translate est concisus, brevis, amputatis superfluis. Plin. 3. Ep. 7. 11. Quid enim tam circumcisum, tam breve, quam hominis vita longissima? — Specintim hoc sensu occurrit de oratione. Quintil. 8. 5. 27. Oratio rotunda et undique circumcisa. Id. 4. 2. 42. Circumcisa expositio, id est σύντομος. Plin. 1. Ep. 20. Orationes circumcisæ et breves. — Circumcisus militibus apud Auct. incert. Paneg. ad Constantin. Aug. 3. idem est ac militibus adverso prœlio spoliatus.

CIRCUMCINGO, is, xi, ere, a. 3. (circum et cingo). Part. Circumcingens. — Circumcingere est idem quod circumdare. Inscript. apud Murat. 484. 3., quæ est apud Orell. 4043. QVOD OPERA THERMARVM — RESTITVIT EXORNAVIT PORTICVS ETIAM CIRCVMCINGERE ESCOLIMBVM A COLO (lege et colymbum a solo) CONSTITVIT. V. SEMICINGO. Cels. 7. 15. Circumcingente quadam remora. Sil. It. 10. 2. Ceu fera, quæ telis circumcingentibus, ultro Adsilit in ferrum. Vulgat. interpr. Eccli. 45. 9. Et circumcinxit eum zona gloriæ, et induit eum stolam gloriæ. Capell. 6. p. 228. Siculi ipsæ quoque (lineæ) superficiem circumcingunt.

CIRCUMCIRCA, præposit. idem quod circa, vel aliquid etiam amplius significans. Plaut. Aulul. 3. 4. 8. Occœpit ibi scalpturire ungulis circumcirca. Sulpicius apud Cic. 4. Fam. 5. 8. Cœpi regiones circumcirca prospicere. Auct. B. Hisp. 11. Nam circumcirca rivus nusquam reperiebatur. Adde Apul. 11. Met., Priscian. 14. p. 989. Putsch., et Serg. in Donat. p. 1855. ibid.

CIRCUMCIRCO, as, are, a. 1. (circum et circo) circumeo. Ammian. 31. 2. 23. Eumque (gladium) ut Martem regionum, quas circumcircant, præsulem colunt. Sed tamen codices MSS. ita exhibent hanc vocem, ut pro circumcircant rectius legendum videatur circumcurrunt.

CIRCUMCĪSĒ, adverb. (circumcisus). Occurrit translate tantum de oratione, et significat breviter, paucis verbis, circumcidendo superflua. Quintil. 8. 3. 81. Huic subjacet virtus non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed circumcise atque velociter. Sen-

ton. *Rhet.* 6. Declamabat modo splendide atque adornate, tum circumcise ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis. Adde *Macrob.* 5. *Saturn.* 1.

CIRCUMCĪSĪCIUS, a, um. *V.* CIRCUMCIDANEUS.

CIRCUMCĪSĬO, ōnis, f. 3. actus circumcidendi. *Lactant.* 4. 17. Secundam circumcisionem futuram esse dixit non carnis, sicut fuit prima, qua etiam nunc Judæi utuntur; sed cordis ac spiritus. Adde *Tertull. advers. Jud.* 2. et 3. et alibi. — De circumcisione puellarum *V. Peyron. Pap. Gr. del Mus. Britann. e Vatic.* p. 88., et *Galen. de usu part.* 15.

CIRCUMCĪSĪTIUS, a, um. *V.* CIRCUMCIDANEUS.

CIRCUMCĪSŌRĬUM, ii, n. 2. instrumentum chirurgicum ad circum secandum. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 2. Circumcisorium inferre inter unguem et solum. *Id.* 2. *ibid.* 28. 31. *Schneid.* ferramentum *concisorium* memorat, quod hoc etiam in loco *circumcisorium* scribendum esse videtur.

CIRCUMCĪSŪRA, æ, f. 1. incisio in orbem facta. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (219). Arbores a circumcisura siccatæ, fideliores.

CIRCUMCĪSUS, a, um. *V.* CIRCUMCIDO.

CIRCUMCLĀMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMCLĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et clamo). *Sidon. carm.* 2. 506. Abydenique sinus, et Sestios ora Hellespontiacis circumclamata procellis. *h. e.* clamoribus circum completa.

CIRCUMCLAUDO vel *rectius*

CIRCUMCLŪDO, is, ūsi, ūsum, ere, a. 3. (circum et claudo). Part. *Circumclusus* I. et II. — Circumcludere est circum concludere, cingere (It. *chiudere intorno*; Fr. *enfermer tout autour*; Hisp. *encerrar al rededor*; Germ. *ringsum einschliessen*; Angl. *to shut up on every side*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Urorum cornua studiose conquisita ab labris argento circumcludunt, et pro poculis utuntur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (344). Si nubes solem circumcludent. *Inscript.* apud *Ant. M. Lupium Epit. Sever.* p. 115., quæ est apud *Orell.* 4349. HÆC CVSTODIA MACERIA CIRCVMCLVSA CVM AEDIFICIO MONVMENTO CEDIT. Alia apud *Donat.* 393. 13. MACERIAM A FVNDAMENTIS SVA IMPENSA CIRCVMCLVSIT. — *b*) Speciatim in re militari. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Ne duobus circumcluderetur exercitibus. Adde *Auct. B. Hisp.* 6. *Sueton. Tib.* 20. Cum exercitu iniquitate loci circumclusus.

II.) Figurate. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 7. Te meis præsidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse. *Id.* 2. *ibid.* 7. 14. Nunc, si L. Catilina consiliis, laboribus, periculis meis circumclusus ac debilitatus, subito pertimuerit etc. Adde *Cod.* 6. 51. 1. *pr.*

CIRCUMCLŪSUS, a, um. *V.* CIRCUMCLUDO.

CIRCUMCŎLA, æ, comm. gen. 1. qui circumcolit. *Tertull. advers. Gnost.* 3. *extr.* Reservatis gentium circumcolarum viribus.

CIRCUMCŎLO, is, ere, a. 3. (circum et colo). Part. *Circumcolens* sub *a.* — Circumcolere est circum habitare: et occurrit — *a*) Absolute. *Ulp. Dig.* 43. 12. 1. § 1. Flumen a rivo magnitudine discernendum est, aut existimatione circumcolentium. Adde *ibid.* 43. 13. 1. § 4. — *b*) Cum Accusativo. *Liv.* 5. 33. *ad fin.* Qui sinum circumcolunt maris. *Id.* 31. 41. Circumcolere paludem.

CIRCUMCORDĬĀLIS, e, adject. (circum et cor) qui circa cor est. *Tertull. Anim.* 43. Circumcordialis calor. *Id. ibid.* 15. *ad fin.* Circumcordialis sensus.

CIRCUMCULCO. *V.* CIRCUMCALCO.

CIRCUMCURRO, is, ere, n. 3. (circum et curro). Part. *Circumcurrens* I. et II. — Circumcurro est idem fere quod circumeo.

I.) Proprie. *Vitruv.* 4. 6. 3. *Schneid.* Cornæ cum astragalis circumcurrant. *Al. leg.* circum concurrant. *Quintil.* 1. 10. 41. Illa circumcurrens linea si efficiat orbem, amplius spatium complectetur, quam si quadratum paribus oris efficiat. περιφέρεια. *Capell.* 8. p. 299. Saturni sidus modico minus annis triginta circulum suum per longitudinem circumcurrit. *V.* et CIRCUMCIRCO.

II.) Figurate. *Quintil.* 2. 21. 7. Rhetoricæ artem circumcurrentem vocaverunt, quod in omni materia diceret.

CIRCUMCURSĬO, ōnis, f. 3. actus circum currendi. *Apul.* 9. *Met.* Cantherii debiles, ungulas multivia circumcursione in enorme vestigium porrecti. *Al. leg.* *circumcisione* contra *Elmenhorst.*, *Pricæum*, *Colvium*, *Floridum* et *Oudendorpium*.

CIRCUMCURSO, as, āvi, are, n. 1. (circum et curso). Part. *Circumcursans* sub *b.* — Circumcurso est circum vel huc illuc cursito: et occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 4. 401. Atria versari, et circumcursare columnæ Usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi Desierunt verti. — *b*) Cum additis Adverbiis. *Ter. Heaut.* 3. 2. 1. Hac illac circumcursans. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Ut nostras villulas obire, et simul mecum lectica circumcursare posses. *Lactant.* 6. 12. Circumcursare per omnes portas. — *c*) Cum Accusativo. *Plaut. Rud.* 1. 4. 4. Omnia circumcursavi, atque omnibus in latebris perreptavi. *Catull.* 68. 133. Circumcursare aliquem hinc et illinc.

CIRCUMDĂTĬO, ōnis, f. 3. circumpositio. *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 3. 3. Quarum (*mulierum*) non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.

CIRCUMDĂTUS, a, um. *V.* CIRCUMDO.

CIRCUMDENSĀTUS, a, um, particip. ab inusitato *circumdenso*. *Juvenc.* 3. *histor. Evang.* 713. Cui jugera multa nitentis Vineti sæpes circumdensata coercet.

CIRCUMDO, das, dĕdi, dătum, dăre, a. 1. (circum et dare). Part. *Circumdandus* sub *A.* I. *a*.; *Circumdatus* in omnibus paragraph. — Circumdo est circumpono, circumjicio (It. *porre intorno*; Fr. *mettre, poser autour*; Hisp. *poner, colocar al rededor*; Germ. *umgeben*; Angl. *to put or set round*). Occurrit autem *A*) Cum Accusativo rei, quæ circumponitur vel circumjicitur; aut *B*) Cum Accusativo personæ aut rei, circum quam aliquid ponitur vel jacitur.

A) Cum Accusativo rei, quæ circumponitur vel circumjicitur.

I.) Proprie dicitur tum de rebus quæ circumponuntur, tum de personis, quæ aliam personam aut rem ad tutelam, patrocinium, circumscriptionem etc. circumdant: et usurpatur — *a*) Absolute. — De rebus. *Cic.* 3. *Verr.* 27. 69. Cædere januam saxis, instare ferro, ligna et sarmenta circumdare ignemque circum subjicere cœperunt. *Id. ibid.* 31. 80. Ignis allatus, sarmenta circumdata. *Id. Pis.* 39. 93. Circumdare ignes. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Hunc montem murus circumdatus arcem efficit. *Auct. B. G.* 8. 34. Circumdare toto oppido munitiones. *Cels.* 8. 10. n. 7. Ferulæ circumdandæ. *Virg.* 10. *Æn.* 483. pellis circumdata tauri. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 2. Circumdare murum. *Curt.* 3. 2. 2. Vallum circumdatum. *Sueton. Vitell.* 9. Circumdare lauream. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (31). retia. *Tac.* 6. *Ann.* 14. Circumdata catena. — De personis. *Sall. Jug.* 25. Circumdatur exercitus. *Liv.* 1. 28. Ex composito armata circumdatur Romana legio. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Circumdantur stationes. *Id.* 2. *ibid.* 67. Circumdatur valida manus. *Id.* 1. *Hist.* 34. cohortes. — *b*) Cum duobus Accusativis. *Cato R. R.* 114. Et duas partes terræ circumdato radices vitis. *Id. ibid.* 157. Ea mulier assidat, circum vestimenta eam dato. *Lucret.* 1. 87. infula virgineo circumdata comptus. — *c*) Cum Dativo personæ aut rei, circum quam aliquid ponitur vel jacitur. — De rebus. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 59. Cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset. *Id.* 2. *Cat.* 1. 3. Tectis ac mœnibus subjectos prope ignes circumdatosque restinximus. *Liv.* 40. 13. Circumdare hostiam itineri. *Virg.* 8. *Ecl.* 74. licia alicui. *Id.* 2. *Æn.* 510. arma humeris. *Ovid.* 1. *Met.* 37. littora terræ. *Id. ibid.* 631. vincula collo. *Id.* 6. *ibid.* 479. et 9. *ibid.* 459. et 605. brachia collo. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 700. collo dare brachia circum. *Curt.* 9. 7. 15. lectis aulæa. *Cels.* 6. 9. *ad fin.* Resina denti circumdata. *Id.* 4. 21. Circumdare cataplasmata imo ventri. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 22. coles arbori. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (154). urbem tumulo. *Tac.* 4. *Hist.* 62. pecuniam aut carissima sibimetipsi. *Scribon. Compos.* 188. sinapi pedibus cruribusque. — De personis. *Liv.* 3. 28. Circumdare exercitum hostium castris. *Id.* 34. 26. satellites concioni. *Id.* 30. 10. aliquem lateri alicujus. *Tac.* 13. *Ann.* 25. milites sibi.

II.) Translate occurrit semper cum Dativo personæ. *Cic. Quinct.* 10. 36. Si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. *Id.* 4. *Cat.* 4. 8. Circumdare horribiles custodias alicui. *Liv.* 21. 43. majora vincula majoresque necessitates alicui. *Tac. Agric.* 20. Egregiam famam paci circumdedit. *Id. dial. de orat.* 37. Nec Ciceronem magnum oratorem P. Quinctius defensus aut Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. Adde *eumd.* 4. *Hist.* 11. *Id.* 14. *Ann.* 13. Circumdare libidinem moribus. *h. e.* infundere, mores libidine obsidere et corrumpere. *Id. ibid.* 53. alicui gratiam immensam et pecuniam innumeram. *h. e.* cumulatissime largiri. *Id.* 16. *ibid.* 25. supremis suis secretum. *Id.* 2. *Hist.* 59. ministeria principi. *Quintil.* 18. *Declam.* 6. alicui auctoritatem de re aliqua. *h. e.* conciliare, addere ex re aliqua.

B) Cum Accusativo personæ aut rei, circum quam aliquid ponitur vel jacitur, et quidem

I.) Proprie est cingere, circum sæpire, complecti, ambire; et usurpatur fere cum Ablativo ejus rei, qua quis circumdatur. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Asin.* 3. 3. 106. Circumdare aliquem brachiis. *Cic. Tim.* 6. mundi figuram levitate. *Id. ibid.* animum corpore. *Id.* 6. *de republ.* 20. 21. Terra quibusdam quasi redimita et circumdata circulis. *Id. Flacc.* 12. 27. Regio cincta mari, circumdata insulis. *Id.* 2. *Divinat.* 65. 134. Argentum auro circumdatum. *Lucret.* 5. 469. corpore concreto circumdatus æther. *Nepos Themist.* 6. Circumdare portum mœnibus. *Id. Datam.* 3. Agresti amiculo circumdatus. *h. e.* indutus. *Catull.* 64. 377. Circumdare collum filo. *Virg.* 1. *Æn.* 597. lapidem auro. *Id.* 6. *ibid.* 783. arces muro. *Id.* 3. *G.* 487. infulam vitta. *Id.* 9. *Æn.* 462. Turnus armis circumdatus. *h. e.* armatus. *Id.* 4. *G.* 497. ingenti circumdata nocte. *Tibull.* 2. 1. 189. fuscis Somnus circumdatus alis. *Propert.* 3. 14. 29. circumdatus turbā. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 98. Ad talos stola demissa et circumdata pallā. *Ovid.* 2. *Met.* 272. tellus circumdata ponto. *Curt.* 4. 7. 20. Nemus muro circumdatum. *Cels.* 4. 6. Circumdare latus lanā sulfuratā. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 10. fissuram libro. *Petron. Satyr.* 92. aliquem veste. *Sueton. Vitell.* 16. se zonā. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 266. clivis aliquem. — Poetæ frequenter, Græcorum more, cum Participio præter. pass. jungunt Accusativum. *Virg.* 4. *Æn.* 137. Dido Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. *Id.* 11. *ibid.* 596. nigro circumdata turbine corpus. *Id.* 12. *ibid.* 416. Venus obscuro faciem circumdata nimbo. *Ovid.* 3. *Met.* 666. frontem circumdatus uvis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 313. et 13. *ibid.* 643. ¶ 2. Speciatim occurrit in re militari de hostilibus circumdandi actibus vel operibus. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 10. Circumdare oppidum vallo et fossa. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. oppidum quinis castris. *Nepos Hann.* 12. domum multitudine. *Sall. Jug.* 23. mœnia fossa. *Liv.* 4. 47. oppidum corona. *Id.* 6. 8. et 7. 34. hostes vallo. *Id.* 25. 22. fossa valloque urbem. Adde *eumd.* 28. 3. *Id.* 6. 41. oppidum operibus. *Curt.* 3. 8. 4. hostes exercitu toto. *Virg.* 9. *Æn.* 153. muros igni. *Id.* 10. *ibid.* 74. urbem flammis. *Id.* 1. *G.* 140. saltus canibus. *Tac.* 14. *Ann.* 8. villam statione. *Id.* 13. *ibid.* 41. Artaxata obsidio. *Id.* 3. *Hist.* 69. aliquem custodia.

II.) Translate ponitur fere pro concludere, circumscribere. *Cic.* 1. *Orat.* 63. 264. Exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdare. *h. e.* concludere, arctare. *Vellej.* 1. 17. 2. Minus octoginta annis circumdatum ævum. *h. e.* tempus minus octoginta annis conclusum, tempus, quod intra annos octoginta continetur. *Tac.* 12. *Ann.* 25. Britannici pueritiam robore circumdare. *Sil. It.* 7. 134. Circumdari fraude. *Id.* 12. 477. cæco circumdatus astu.

CIRCUMDŎLĀTUS, a, um. *V.* CIRCUMDOLO.

CIRCUMDŎLEO, es, ere, n. 2. (circum et doleo) Part. *Circumdolens.* — Circumdoleo est circum seu undique, vel ab omni parte angor. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 14. Spiratio etiam circumdolens atque frequens.

CIRCUMDŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et dolo). Part. *Circumdolatus.* — Circumdolo est dolabra vel ascia circum lævigo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 57. (133). Platanus, etiam circumdolatis lateribus, restibilis sponte facta.

CIRCUMDŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (circum et ducere). Præpositio *circum* huic Verbo haud arcte adhæret; immo non raro per tmesin ab eodem sejungitur, ut apud *Virg.* 6. *Æn.* 517. evantes orgia circum Ducebat Phrygias. *Phædr.* 4. 1. 4. Galli Cybebes circum in quæstus ducere asinum solebant bajulantem sarcinas. — Part. *Circumductus* I. 2. *a.* et II. 2. *a.* — Circumduco est circum traho, in circulum seu orbem traho (It. *menare intorno*; Fr. *conduire, mener, mouvoir autour*; Hisp. *conducir, llevar al*

rededor; Germ. *im Kreise oder herumführen*; Angl. *to lead or draw round*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de animalibus usurpatur, et quidem — a) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 68. Antevenito aliqua aliquos, aut tu circumduce exercitum, curre in obsidium perduellis, nostris præsidium para. Adde *Liv.* 1. 27. *Id. Liv.* 29. 33. Circumducere agmen. *Curt.* 3. 8. 15. aliquem. — b) Cum altero Accusativo sine præpositione, quæ inest in ipso verbo. *Plaut. Most.* 3. 2. 137. Eho istum, puer, circumduce hasce ædes et conclavia. *Cæs.* 3. *B. C.* 61. Quos Pompejus omnia sua præsidia circumduxit et ostentavit. — c) Sæpius cum additis per Adverbia, Præpos. vel etiam per Ablat. *Plaut. Truc.* 4. 1. 21. Circumducere aliquem aliquo. *Cæs.* 3. *B. G.* 26. cohortes longiore itinere. *Liv.* 41. 19. partem (*exercitus*) devio saltu. *Id.* 31. 14. Circumducere (*subaudi exercitum*) præter castra hostium. *Id.* 8. 13. Ab unius expugnatione urbis ad perdomandum Latium circumducere exercitum. *Id.* 10. 29. alas ad latus Samnitium. *Id.* 21. 36. agmen per invia circa nec trita antea longo ambitu. *Sueton. Cal.* 35. aliquem vicatim. *Id. ibid.* 32. per cœtus epulantium. *Petron. Satyr.* 131. aliquem per totam civitatem. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de inanimis, ac præcipue de lineis, quæ ducuntur ad aliquid circumscribendum. — a) Generatim. *Cic.* 2. *Phil.* 40. 102. Tu autem Casilinum coloniam deduxisti, ut aratrum circumduceres. *Varro* 5. *L. L.* 143. *Müll.* Oppida, quæ prius erant circumducta aratro. *h. e.* designata aratro circumducto: *hypallage*. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Flumen Dubis, ut circino circumductum, pæne totum oppidum cingit. *Seneca Ep.* 12. Tota ætas partibus constat, et orbes habet circumductos majores minoribus. *Auct. B. Hisp.* 6. Cæsar munitionibus Ateguam oppugnare et brachi circumducere cœpit. *h. e.* munitionis opera circumdare. Eadem ratione locutus est *Sueton. Claud.* 20. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 5. (15). Umbra hominis lineis circumducta. *h. e.* descripta. *Id.* 22. *ibid.* 25. 65. (135). Novem granis si furunculum quis circumducat. *Inscript.* apud *Orell.* 2060. EX MACERIE CIRCVMDVCTVM (*monumentum*). *Frontin. Aquæduct.* 75. Circumducere aquam. *Dig.* 37. 11. 1. § 11. linum quater. — Huc referri potest et illud *Sueton. Ner.* 41., quod translate acceperat *Forcellinus*. Transacta raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit. *h. e.* consumpsit. — b) Specialim in scriptione *circumducere litteras* est linea ducta circumscribere, sive ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum versum non transferre, sed ibidem subjicere et curva linea circumsignare. *Sueton. Aug.* 87. *de peculiari ejus more scribendi*. Non dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subjicit circumducitque. *h. e.* subscribit et circulari linea concludit. — c) Item specialim est verba lineis cancellatim concludere, ac propterea circumducere ponitur pro delere, abrogare, tollere. *Ulp. Dig.* 5. 1. 73. Circumducere edictum. *Id. ibid.* 40. 12. 27. et *Papinian. ibid.* 19. 1. 22. cognitionem. *Pseudo-Ascon.* quoque in *Cic.* 3. *Verr.* 16. *circumducere* ponit pro circumscribere, hoc est tollere, aut prætermittere.

II.) Improprie. ¶ 1. In familiari sermone *circumducere aliquem* est decipere, fallere, præsertim si per dolum aliquid alicui intercipiatur: et occurrit — a) Raro Absolute. *Plaut. Asin.* 1. 1. 33. Qua tu servum Sauream potes, circumduce, aufer. Cf. *Paul.* 5. *Sentent.* 5. § 10. — b) Sæpius addito Ablativo. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 16. Circumducere filium amantem argento. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 39. *Id. Bacch.* 3. 2. 61. Quadringentis philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt. Adde *eumd. ibid.* 2. 3. 77. *Id. Pœn.* 5. 2. 16. Numnam it a balneis circumductus pallio? — c) Cum duobus Accusativis. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 113. Ab hoc lenone vicino tuo, per sycophantiam atque doctos dolos, tibicinam illam, quam tuus gnatus deperit, eam circumducam lepide lenonem. *modus loquendi non facile imitandus. Plerique tamen leg.* ea circumducam. ¶ 2. In oratione est ampliare: hinc — a) *Circumducere orationem* est ambitu verborum circuituque elaborare. *Quintil.* 9. 4. 124. Cum sensus unus longiore ambitu circumducitur. *Id.* 10. 2. 17. Otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant, ita Ciceronem locuturum fuisse. — Hinc *Id.* 9. 4. 22. appellat *Circumductum*, *i*, *n.* 2., quod Græcis est περίοδος. *V.* CIRCUMDUCTIO II. 2. — b) *Circumducere syllabam* est accentu circumflexo notare ac pronunciare. *Quintil.* 1. 5. 23., 11. 3. 172. et 12. 10. 33. *V.* CIRCUMFLECTO. — Hinc

Circumductum, *i*, *n.* 2. absolute, substantivorum more, est verborum circuitus, periodus. *V.* paullo sup. sub II. 2. *a*.

CIRCUMDUCTĬO, ōnis, f. 3. actus circumducendi.

I.) Proprie. *Vitruv.* 8. 6. 5. et seq. *Schneid.* Circumductiones aquarum. *Hygin.* 1. *Astron.* 2. et 3. Circumductio sphæræ. *h. e.* ambitus. Adde *Cod. Theod.* 4. 8. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Est deceptio, fraudatio. *Plaut. Capt. in Grege* 3. Neque pueri suppositio, neque argenti circumductio. *V.* CIRCUMDUCO II. 1. ¶ 2. In oratione est ipse ambitus verborum, quo periodus constat. *Quintil.* 9. 4. 118. Cur in circumductionibus, etiam cum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videtur? Adde *eumd.* 11. 3. 39. Hoc idem appellatur *circumductum* ab *eod. ibid. non longe ab initio*. V. CIRCUMDUCO in fin.

CIRCUMDUCTOR, ōris, m. 3. qui circumducit. Ita vertitur Latine a *Tertull. advers. Valentinian.* 10. Horos Valentini, qui Græce dicitur μεταγωγεύς.

CIRCUMDUCTUM, i, n. 2. *V.* CIRCUMDUCO in fin.

CIRCUMDUCTUS, a, um. *V.* CIRCUMDUCO.

CIRCUMDUCTUS, us, m. 4. circumductio. Occurrit — a) De spatio, de ambitu figuræ. *Quintil.* 1. 10. 43. Quartam lineam deducent eodem circumductu. — b) De circumactu sphærarum. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. Ex ipso circumductu orbium nasci necesse est.

CIRCŬMEO vel circŭĕo, is, īvi vel ĭi, ĭtum, īre, 4. (circum *et* ire). Ad scriptionem quod attinet, alii volunt, *m* semper interseri, ut *Dausq.* in *Orthogr.*; alii numquam, ut *Beda* et *Brouckus.* ad *Propert.* 2. 4. 26. At *Papinian.* apud *Cassiod. de Orthogr. p.* 2291. *Putsch.*, quocum confer *Priscian.* 2. *p.* 567., docet, *circum* præpositionem sequente vocali in enunciatione amitti, in scriptura servari. Certum est tamen, utroque modo recte scribi; quamquam rectius puto si *m* adhibeatur, tum quia plenius et sonantius est, tum quia servatur etiam in *circumerro*, *circumequito* et aliis, tum demum quia usitatius fuit veteribus præpositionem consonantes litteras in compositione servare. Consuetudo tamen in *circuitus* et *circuitio* contrarium obtinuit. — Part. *Circumiens* I. 1.; *Circuitus* vel *Circumitus* I. 1. et 2. d.; *Circumiturus* I. 2. d.; *Circumeundus* I. 1. — Circumeo est circum vado, ambio (It. *andare attorno*; Fr. *aller, marcher autour*; Hisp. *ir, andar al rededor*; Germ. *im Kreise oder herumgehen um oder zu*; Angl. *to go round or about*).

I.) Proprie, raro admodum absolute usurpatur; fere enim per Præpositionem vel per Accusativum additur locus aut res, quam quis ambit. ¶ 1. Generatim — a) De animalibus. *Plaut. Asin.* 3. 3. 152. Angiporto illac per hortum circuit clam, ne quis se videret. *Id. Curc.* 3. 79. Quia enim in cavea si forent conclusi itidem, uti pulli gallinacei, ita non potuere uno anno circumirier. *paragoge pro circumiri*. Adde *eumd. Men.* 2. 1. 6. *Cic. Cæcin.* 32. 94. Deinde ipse Cæcina cum circuiret prædia, venit in istum fundum. *Id. fragm. pro C. Cornel.* apud *Priscian.* 8. *p.* 830. *Putsch.* Circumitis rostris ejicerentur lapidibus homines. *Al. leg.* circuitis. *Cæs.* 3. *B. G.* 25. Equites circumitis hostium castris Crasso renunciaverunt. *Nepos Eumen.* 9. Quare circumirent, suas quisque copias contraherent. *Id. Hann.* 12. Qui imperavit ei, ut omnes fores ædificii circumiret. *Liv.* 23. 25. Senatus ædilibus negotium daret, ut urbem circumirent aperirique tabernas juberent *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 20. More lupi clausas circumeuntis oves. *Id.* 5. *Met.* 157. Circumeunt unum Phineus et mille secuti Phinea. *Id.* 8. *ibid.* 749. Sæpe etiam manibus nexis ex ordine trunci Circuiere modum. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 258. et 13. *ibid.* 290. *Id.* 3. *Amor.* 2. 69. Me miserum, metam spatioso circumit orbe. *Curt.* 6. 5. 18. Ad ultimum circumire saltum milites jubet. *Seneca Consol. ad Helv.* 6. Ab hac civitate discede, omnes urbes circumi. *Id.* 1. *Controv.* 1. Circumibo terum aliena limina. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 4. Confestim circumire oportebit cubilia. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 9. 1. *Quintil.* 2. 13. 16. Si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur. *Sueton. Aug.* 98. Tunc Campaniæ ora proximisque insulis circumitis. *Tac.* 4. *Hist.* 70. Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem exturbare nititur. — b) Usurpatur etiam de inanimis, quæ machinarum ope, aut alia ratione circum aliquid volvuntur. *Plaut. Men.* 2. 1. 6. Jam quasi mare omnes circumimus insulas. Et allegorice *Cic.* 13. *Phil.* 9. 20. Totius belli fluctibus circumiri. *Propert.* 2. 4. 26. Cujus non hederæ circumiere caput. *Ovid.* 3. *Art. am.* 396. Metaque ferventi circumeunda rota. *Cels.* 5. 26. Fascia hieme circumire debet. Adde *eumd.* 8. 10. *Quintil.* 1. 10. 44. Quæ circumibit autem linea, ejusdem spatii erit. *Dig.* 43. 12. 1. § 10. Si amnis aliquid circumeat. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 26. inde sonus geminas mihi circuit aures. ¶ 2. Specialim ponitur — a) De iis, qui ab una ad aliam personam, ab uno ad alium locum cursitant ac prensant quærendi, investigandi, hortandi, petendi causa. *Plaut. Truc.* 2. 4. 53. Hæc una opera circumit per familias, puerum vestigat clanculum. *Cic.* 14. *Att.* 21. 2. Illum circumire veteranos, ut acta Cæsaris sancirent. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 11. 2. Nam Furnius et Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, una nobiscum circumierunt et laborarunt. *Cæs.* 2. *B. C.* 28. Quinctilius circumire aciem Curionis atque obsecrare milites cœpit. *Liv.* 1. 9. Sed ipse Romulus circumibat docebatque. *Id.* 5. 47. Circumire ibi et prensare homines cœpit. Adde *eumd.* 42. 37. *Ovid.* 2. *Met.* 402. At pater omnipotens ingentia mœnia cæli Circumit et — explorat. *Curt.* 5. 9. 17. Ille Persarum tabernacula circumire, hortari etc. *Tac.* 2. *Ann.* 29. Libo interim veste mutata circumire domos. — b) In re militari circumire ponitur pro lustrare, visere. *Liv.* 45. 37. Vigiliæ acerbius et diligentius circumitæ sunt. Cf. *Dig.* 49. 16. 12. § 2. *Curt.* 4. 13. 12. Ipse cum duobus propinquis agmina in armis stantium circumibat. Adde *eumd.* 7. 3. 17. *Tac.* 1. *Ann.* 71. Circumire saucios. — c) Item de iis, qui alios prensabant ad magistratus obtinendos. *Plin.* 2. *Ep.* 9. Itaque prenso amicos, supplico, ambio domos, stationesque circumeo. *Id.* 6. *ibid.* 6. Permultum interest mea, te ostentare et mecum circumire. *Id. Paneg.* 69. Circumire consulatum. *h. e.* ambire, petere. Cf. *Sueton. Aug.* 59. Circumire tribus. — d) Denique in re militari ponitur pro cingere et concludere locum aliquem, ac præcipue hostem a tergo et quoquoversus circumdare. *Cæs.* 2. *B. C.* 16. Totam urbem ab terra muro turribusque circumiri posse. *h. e.* circumdari, cingi, concludi. *Id.* 3. *ibid.* 93. Equitesque Pompejani se turmatim explicare, aciemque nostram a latere aperto circumire cœperunt. — Eodem impetu cohortes sinistrum cornu circumierunt eosque a tergo sunt adorti. *Galba* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. 4. Cohortes pedem referre cœperunt, quod ab equitatu circumibantur. *Nepos Themist.* 3. Angustias Themistocles quærebat, ne multitudine circumiretur. *Id. Datam.* 7. Circumiri ab hostibus. *Liv.* 41. 26. Ut pandere aciem, et exæquari cornibus hostium, quibus circumibantur, possent. *Id.* 36. 16. Lacedæmonios quondam ita a Persis circumitos fama erat. *Id.* 37. 42. Subsidia circumita a tergo cædebantur. Adde *eumd.* 27. 15. *Curt.* 3. 8. 27. Dareus initio montis jugum occupare statuit, et a fronte et a tergo circumiturus hostem. *Id.* 4. 3. 14. Classis mœnia circumibat. *Tac. Agric.* 23. Ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

II.) Translate. ¶ 1. In familiari sermone dicitur de iis, qui decipiendi causa circumcursant et insidiantur, quod et *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 761. adnotavit. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 119. Nam cum circumire in hunc diem, ut me, si posset, muliere intervorteret. *Ter. Phorm.* 4. 3. 8. Facinus indignum, Chreme, sic circumiri! *Martial.* 8. 59. puerum tunc arte dolosa Circuit, et soleas surripit ipse suas. ¶ 2. In oratione circumire est aliquid per circumlocutionem exprimere. *Quintil.* 12. 10. 34. Plurimæ res carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire. Adde *eumd.* 8. *proœm.* 24. et 8. 2. 17. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 37. Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant.

CIRCŬMEQUITO, as, are, n. 1. (circum *et* equito) obequito, equo circumeo. *Liv.* 10. 34. Duas turmas sociorum circumequitare mœnia jubet.

CIRCŬMERRO, as, are, n. 1. (circum *et* erro) circumeo, circum vagor. *Seneca* 2. *Controv.* 9. Neque turba lateri circumerrat, nec multus intra limen here

Apul. de Mundo. Tempora, quæ Saturnus sublimior triginta spatiis annorum circumerrat.

CIRCUMFARCĬO, farcis, fartus, farcire, a. 4. (circum *et* farcio). Part. *Circumfartus*. — Circumfarcire est circum implere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 21. (98). Trajectis per vasa fictilia, vel qualos ramis terraque circumfartis. Ita *Harduin.* ex suis MSS. omnibus. Al. leg. *circumpactis*. *Sillig* vero *Harduini* lectionem retinuit.

CIRCUMFĔRENTĬA, æ, f. 1. ambitus, circulus. *Apul. Florid.* 4. *n.* 18. Nec culminum eminentia, nec lacunarum refulgentia, nec sedilium circumferentia. *Capell.* 8. *p.* 276. Linea usque in circumferentias ducta. *Frontin. in exposit. formar. p.* 33. *Goes.* Claudere aliquid intra circumferentiam.

CIRCUMFĔRO, fers, tŭli, lātum, ferre, anom. (circum *et* ferre). Part. *Circumferens* sub *A.* I. *a. b. d.*; *Circumlatus* sub *A.* I. *a.* et II. 2. — Circumfero est circum gesto, circum porto (It. *portare intorno*; Fr. *porter*, *mouvoir autour*, *faire circuler*; Hisp. *hacer circular*, *rodear*; Germ. *herumtragen*; Angl. *to carry round or about*). Occurrit autem *A*) Cum Accusativo rei, quæ circumfertur, et *B*) Cum Accusativo rei, circum quam aliquid fertur.

A) Cum Accusativo rei, quæ circumfertur.

I.) Proprie — *a*) Usurpatur fere de iis quæ circumferuntur, ut aliis porrigantur aut ostendantur, ideoque interdum ponitur pro circum porrigere aut ostendere. *Plaut. Pers.* 5. 2. 40. Age, circumfer mulsum: bibere da usque plenis cantharis. *Cic.* 4. *Verr.* 42. 191. Cedo, quæso, codicem: circumfer, ostende. *Id. Balb.* 5. 11. Circumferre tabulas inspiciendi nominis causa. *Varro* 5. *L. L.* 122. *Müll.* Hisce (*poculis*) etiamnunc in publico convivio potio circumfertur. *Sall. Cat.* 22. Catilinam humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. Cf. *Flor.* 4. 1. 4. *Liv.* 26. 13. Circumferre poculum. *Id.* 43. 17. senatusconsultum per urbes. *Id.* 31. 30. Circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes. *Virg.* 10. *Æn.* 887. ter secum Troius heros immanem ærato circumfert tegmine silvam. *Curt.* 10. 2. 27. Nec pudet profundo ventre devictarum gentium spolia circumferentes reverti velle. *Id.* 7. 4. 7. Circumferre merum. *Id.* 9. 5. 1. clipeum ad ictus. Adde *eumd.* 6. 1. 4. *Val. Flacc.* 7. 123. et patriæ circumfert oscula dextræ. *h. e.* dextram circum osculatur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 18. (48). Signis, quæ vocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, ut secum circumferant. Circumtulit et Nero princeps Amazonem. *Id.* 37. *ibid.* 3. 12. (49). Circumferre capite uniones, gemmas digitis. *Id.* 29. *ibid.* 4. 26. (83). Vespertilio ter circumlatus domui. *Id. ibid.* 5. 32. (100). Vermiculus ter igni circumlatus. *Quintil.* 2. 15. 8. Circumferre puerum manibus. *Id.* 1. 13. 19. lyram in conviviis. *Sueton. Cal.* 25. Infantem Juliam per omnia dearum templa circumferens. *Id. Aug.* 90. Ut semper et ubique pellem vituli marini circumferret. *Id. Cæs.* 85. Circumferre caput alicujus præfixum hastæ. *Id. ibid.* 46. in expeditionibus tessellata pavimenta. *Id. Galb.* 22. reliquias cœnæ. *Martial.* 3. 17. circumlata mensis scriblita secundis. — *b*) Speciatim de humanis membris, ac præcipue de oculis, qui circum volvuntur. *Liv.* 2. 10. Circumferens minaciter oculos ad proceres Etruscorum. Cf. *Val. Max.* 7. 2. *extern.* 2. Circumferre oculos per omnes partes. Adde *Liv.* 5. 41.; *Ovid.* 6. *Met.* 169. et 15. *ibid.* 674.; *Curt.* 6. 11. 36.; *Sil. It.* 11. 203. et *Plin. Paneg.* 75. *Curt.* 4. 14. 9. oculos manusque. *Virg.* 12. *Æn.* 558. Huc atque huc acies circumtulit. *Sil. It.* 11. 203. lumina. *Ovid.* 3. *Met.* 241. vultus. — *c*) Item speciatim *circumferri*, mediorum apud Græcos Verborum more ac vi, est circumagi, circumvolvi. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 178. Sol circumfertur, ut accedat ad brumale signum. *Curt.* 5. 12. 2. Hominem sine lare, terrarum orbis exsulem, ancipitem hostem ad nutum licentium circumferri. *h. e.* huc et illuc ferri. — Et de libris, qui publici juris et usus fiunt, ut ab omnibus usurpari possint. *Quintil.* 2. 15. 4. Hæc opinio originem ab Isocrate (si tamen revera ars, quæ circumfertur, ejus est) duxit. Adde *eumd.* 2. 13. 15. — *d*) Denique active *linea circumferens* apud mensores est, quæ circumferentiam seu circulum facit. *Frontin. in exposit. formar. p.* 33. *Goes.* Quæcumque linea in dimensione medium secans circulum, punctum transferet ad circumferentem lineam etc. *h. e.* ad circumferentiam, περιφέρειαν.

II.) Translate. ¶ 1. Jungitur abstractis, et est longe lateque diffundere, gerere, spargere, disseminare. — *a*) Generatim. *Liv.* 3. 80. Circumferre clamorem. *Id.* 9. 41. bellum passim. *Id.* 9. 45. bellum ad singulas urbes. *Id.* 10. 17. bellum vicatim. Cf. *Tac.* 13. *Ann.* 37. Exemplo hostium circumferre bellum coactus. Rursus *Liv.* 30. 9. arma. Cf. *Flor.* 3. 12. 1. Populus Rom. toto orbe arma circumtulit. *h. e.* bellum longe lateque sparsit et gessit. Adde *eumd.* 1. *præfat.* 2. *Id.* 3. 5. 29. signa. *Sil. It.* 15. 316. belli umbram. *Vellej.* 2. 92. terrarum orbi pacis bona. *Tac.* 2. *Ann.* 52. incendia, cædes et terrorem. — *b*) Speciatim de iis, quæ sermonibus vulgantur ac publicantur, et quidem — Cum Accusativo tantum. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 3. Et jam cum avorum memoria circumfertur M. Philippi factum atque dictum. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Inde etiam meum meritum, ut vera, ita supra meritum prædicatione circumfert. *Id. ibid.* 16. *in fin.* Illud quidem ingens fama, hæc nulla circumfert. — Cum Accus. et Infinito. *Ovid.* 2. *Amor.* 17. 29. Novi aliquam, quæ se circumferat esse Corinnam. *h. e.* quæ falso prædicet, quæ se jactet. ¶ 2. Apud Rhetores *circumlata oratio* est periodorum ambitu circumducta. *Quintil.* 4. 1. 60. Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi similis esse in proœmio debet oratio, neque tamen deducta semper, atque circumlata, sed sæpe simplici atque illaboratæ similis.

B) Cum Accusativo rei aut personæ, circum quam aliquid fertur; qua ratione *circumferre* pertinet ad lustrationes et expiationes, quæ fiebant circumlatione vel tædæ, vel aquæ, vel victimæ, vel sulphuris circa eum, qui expiabatur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 113. Quæso, quin isthanc jubes pro cerrita circumferri? *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 229. Pro larvato te circumferam. *Lucilius* apud *Non. p.* 261. 27. *Merc.* Tum farto omnia sunt circumlata. *Virg.* 6. *Æn.* 229. Idem ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi et ramo felicis olivæ. *V. Interpr.* ad *h. l.*

CIRCUMFĪGO, gis, xi, xum, gere, a. 3. (circum *et* figo). *Cato R. R.* 20. Columellam ferream cuneis salignis circumfigi oportet bene. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 42., ubi de duobus latronibus Jesu Christo circumfixis loquitur.

CIRCUMFINGO, fingis, finxi, fictum, fingere, a. 3. (circum *et* fingo) circum pono. *Tertull. Anim.* 23. Qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem.

CIRCUMFĪNĬO, is, ire, a. 4. (circum et finio). *Solin.* 3. Circumfinire annum.

CIRCUMFIRMO, as, are, a. 1. (circum *et* firmo). Particip. *Circumfirmandus*. — Circumfirmo est circumsæpio, circum munio. *Colum.* 4. *R. R.* 17. 7. Vitis quasi quadrato circumfirmanda est agmine.

CIRCUMFLĀGRO, as, are, n. 1. (circum *et* flagro). Part. *Circumflagrans*. — Circumflagro est æstuo. *Avien. Arat.* 274. Quaque per immensum circumflagrantibus Austris.

CIRCUMFLECTO, ctis, xi, xum, ctere, a. 3. (circum *et* flecto). Part. *Circumflexus* II. 1. et 2.

I.) Proprie. *Virg.* 5. *Æn.* 130. Constituit signum nautis pater, unde reverti Scirent, et longos ubi circumflectere cursus. *Prudent. Apotheos.* 71. Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error Circumflexus agat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Claudian. de VI. Consul. Honor.* 391. Circumflexa rapit centenus sæcula consul. *h. e.* circum se flectentia et in se redeuntia. *Nazar. Paneg. Constant. Aug.* 16. Adesse tibi in omnibus summam illam majestatem, quæ te circumflexa tueatur. *h. e.* circumdata, circumposita, circumfusa. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos est accentu circumflexo syllabam notare et pronunciare. *Gell.* 4. 7. Valerius Probus *Hannibalem*, et *Hasdrubalem*, et *Hamilcarem* ita pronunciabat, ut pænultimam circumflecteret. *Diomed.* 2. *p.* 425. *Putsch.* et *Priscian. de accentib. p.* 1287. docent accentum circumflexum dici a Grammaticis (Græce περισπωμένη προσῳδία) qui, ex acuto et gravi compositus, pænultimam, vel ultimam solum occupat, et vocales tantummodo natura longas afficit. — Munus autem hujusce accentus est syllabam attollere simul et protrahere, atque adeo ejus sonum augere, et quodammodo circumducere, ut *Quintil.* 12. 10. 33. loquitur: ut si in voce *Romanus* pænultima ita proferatur, quasi duplex *a* sit, quorum prior attollatur, alter protrahatur deprimaturque. *V.* FLECTO. — Porro accentus circumflexus ex *Capell.* 3. *p.* 63. sic scribitur ∼; ex *Isid.* 1. *Orig.* 18. 2. sic ^.

CIRCUMFLEXĒ, adverb. (circumflexus). Occurrit translate tantum, et significat cum accentu circumflexo pronunciatum. *Gell.* 4. 7. Ponere (*h. e.* pronunciare) syllabam circumflexe.

CIRCUMFLEXĬLIS, e, adject. (circum *et* flecto). *Circumflexilia verba* dicuntur a Grammaticis, quæ apud Græcos accentu circumflexo notantur. *Gramm. incert. p.* 115. *Eichenf.* In prima igitur conjugatione, ad similitudinem circumflexilium apud Græcos verborum, ex secunda persona primæ positionis agnoscimus. *Macrob. de differ. G. L. v. p.* 190. *Eichenf.* Quod apud illos (*Græcos*) in solis circumflexilibus verbis observari solet.

CIRCUMFLEXĬO, ōnis, f. 3. actus circumflectendi, circumflexus. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 12. Zodiacum ita lacteus circulus obliquæ circumflexionis occursu ambiendo complectitur, ut etc.

CIRCUMFLEXUS, a, um. *V.* CIRCUMFLECTO.

CIRCUMFLEXUS, us, m. 4. circumflexio, ambitus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Mundus, cujus circumflexu teguntur cuncta. *Id.* 6. *ibid.* 34. 39. (212). In hoc cœli circumflexu.

CIRCUMFLO, as, are, 1. (circum *et* flo) undique, ex omni parte flo.

I.) Proprie et quidem absolute. *Stat.* 11. *Theb.* 42. Circumflantibus Austris.

II.) Figurate et quidem passive. *Cic.* 3. *Verr.* 41. 98. Ut hic ordo (*judicum*) ab omnibus ventis invidiæ circumflari posse videatur.

CIRCUMFLUENS. *V.* voc. seq.

CIRCUMFLŬO, fluis, fluxi, fluere, 3. (circum et fluere). Part. *Circumfluens* I. 3. et II. 1. 2. — Circumfluo est circum fluo, circum alluo (It. *scorrere intorno*; Fr. *couler*, *fluer autour de*, *entourer en coulant*; Hisp. *fluir*, *correr al rededor*; Germ. *ringsumfliessen*; Angl. *to flow round or about*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de fluidorum copia, quæ undans et fluctuans circum aliquid labitur; et occurrit — *a*) Absolute. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (163). In poculis repletis, addito humore minimo, circumfluit quod superest. Cf. *Curt.* 8. 8. 12., cujus verba sub II. 1. *a.* afferuntur. — *b*) Cum Accusativo. *Ovid.* 13. *Met.* 779. utrumque latus circumfluit æquoris unda. *Id.* 3. *ibid.* 74. Spumaque pestiferos circumfluit horrida rictus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 29. (108). Cariam circumfluunt Mæander et Orsinus. *Gell.* 12. 13. Oceanus terras omnifariam et undique versus circumfluit. Adde *Dig.* 41. 1. 30. § 2. — Et passive. *Lactant.* 2. 9. Terram voluit humore circumflui et contineri. Adde *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 9. ¶ 2. Latiori sensu ponitur etiam de aliis rebus, quorum copia exundans et fluctuans videtur; ita ut *circumfluere aliquid* sit convenire, circum accurrere. *Varro* 2. *R. R.* 9. 2. Cum sciam mulorum gregem, cum pasceretur, eoque venisset lupus, ultro mulos circumfluxisse et ungulis cædendo eum occidisse. *Id.* 3. *ibid.* 13. 3. Tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo, ut etc. *Lucan.* 3. 421. Roboraque amplexos circumfluxisse dracones. — Catachresis est in illo *Claudiani* I. *Cons. Stilich.* 328. solitus frontem circumfluit ignis. *h. e.* rubor occupat frontem. ¶ 3. Interdum ponitur et pro circuire; ut *terminus circumfluens* apud *Apul.* 9. *Met.* est in circuitu ductus.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de rebus, quæ maximo in numero sunt, et significat effluere, circumlabi: occurrit autem — *a*) Absolute. *Curt.* 8. 8. 12. Insatiabilis avaritiæ est, adhuc implere velle, quod circumfluit. *h. e.* redundat. *Petron. Satyr.* 5. Hinc Romana manus circumfluat. *Quintil.* 12. 10. 78. Circumfluentibus undique eloquentiæ copiis. *Justin.* 18. 7. Circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus. *Quintil.* 3. *Declam.* 21. Circumfluens pecunia. — *b*) Cum Accusativo. *Curt.* 10. 2. 22. Secundis rebus, quæ circumfluunt vos, insanire cœpistis. *h. e.* quæ large et copiose ad vos perveniunt. ¶ 2. De personis, *circumfluere re aliqua* est ea abundare. *Cic.* 5. *Verr.* 4. 9. Istum rebus omnibus undique ereptis circumfluere atque abundare. *Id. Amic.* 15. 52. Circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere. *Id.* 2. *Att.* 21. 3. Ille amicus noster semper in laude versatus, circumfluens gloria. *Id. Mur.* 24. 49. Catilina circumfluens Arretinorum et Fæsulanorum exercitu. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 1. 5. 3. Ejus (*sententiæ*) improbus propugnator, si patrimonio circumfluit, ejus bonorum media portio fiscalibus compendiis addicta cedat. — Hinc *circumfluens oratio* est nimis copiosa et redundans. *Cic.*

Brut. 55. 203. Incitata et volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio.

CIRCUMFLUUS, a, um, adject. qui circum fluit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de aquis, et quidem active. *Ovid.* 15. *Met.* 739. Scinditur in geminas partes circumfluus amnis. *Id.* 1. *ibid.* 30. circumfluus humor Ultima possedit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 66. 66. (166). Tellus medio ambitu præcincta circumfluo mari. ¶ 2. Item stricto sensu de aquis, sed passive. *Ovid.* 15. *Met.* 624. Insula circumflua Tibridis alveo. *Val. Flacc.* 5. 442. Urbs erat hic contra gemino circumflua ponto. *Lucan.* 4. 407. Hadriaco tellus circumflua ponto. *Sil. It.* 8. 597. Tum Verona Athesi circumflua. *Id.* 15. 220. Carthago, impenso naturæ adjuta favore, Excelsos tollit pelago circumflua muros. *Tac.* 6. *Ann.* 37. Campi circumflui Euphrate et Tigre. Adde *Claudian. non semel.* ¶ 3. Latiori sensu de iis omnibus dicitur, quæ fluitant atque undarum more agitantur. *Stat.* 6. *Theb.* 540. Chlamys circumflua limbo Mæonio. *h. e.* circumdata. *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 138. Vemina circumflua gemmis.

II.) Translate. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 40. Mens circumflua luxu.

CIRCUMFODĬO, ŏdis, ŏdi, ossum, ŏdere *et raro* ŏdire, 3. (circum *et* fodio) Part. *Circumfossus* et *Circumfodiendus* sub *b.* — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 161. Sic circumfodito, ut facile evellere possis. — *b*) Cum Accusativo. *Seneca Ep.* 12. Platanos circumfodere et irrigare. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 17. Circumfodere truncum. — Et Passive *Colum.* 5. *R. R.* 9. 12. Olivetum bis anno arari debet, et bidentibus alte circumfodiri. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 19. 31. (140). Circumfodiendi arbores ratio in circuitu pedes in orbem ternos. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 18. 30. (130). *Id.* 17. *ibid.* 27. 43. (252). Amygdalæ ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite, et ab ima parte circumforato, defluens pituita abstergeatur. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 22. Cydonii arbores circumfodiendæ. *Ambros.* 3. *Hexem.* 12. Sed eadem vitis ubi circumfossa fuerit, religatur et erigitur, ne reflectatur in terram.

CIRCUMFŎRĀNEUS, a, um, adject. duo inter se diversa significat pro etymi diversitate: scilicet

A) Circumforaneus a *circum* et *fero* dicitur qui mobilis est et circumferri potest. *Apul.* 4. *Met.* Circumforanea domus. *h. e.* quæ mobilis et ambulatoria est, et hic illic facile figi potest. Veneti dicunt *un casotto.* *Id.* 3. *ibid.* Circumforaneas hostias. *h. e.* quæ lustrandi causa circumferuntur.

B) Circumforaneus a *circum* et *forum*, quemadmodum ipsi Latini putabant (cf. *Cic.* 2. *Att.* 1. 11. et *Cluent.* 14. 40.) dicitur qui circa fora vagatur: atque hinc — *a*) Est qui circa fora vagatur venditans aliquid, aut aliud quippiam agens, sive qui fora et nundinas frequentat. *Cic. Cluent.* 14. 40. Pharmacopola circumforaneus. *Sueton. Vitell.* 12. Vendidit adolescentulum circumforaneo lanistæ. *Apul.* 9. *Met.* Circumforaneum mendicabulum. — *b*) Item qui in foro vel circa forum est, prostat: unde *æs circumforaneum*; *h. e.* feneraticium, seu fenore sumptum. Nam circa forum tabernæ erant argentariorum, qui artem feneratoriam exercebant. *Cic.* 2. *Att.* 1. 11. Nisi quod me, illum ipsum vindicem æris alieni, ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt.

CIRCUMFŎRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *circumforo.* *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 43. (252). Circumfosso stipite et ab ima parte circumforato.

CIRCUMFOSSOR, ōris, m. 3. qui circumfodit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (227). Cum circumfossor vites injurioso ictu verberavit.

CIRCUMFOSSŪRA, æ, f. 1. circum fodiendi actio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (247). Cupressus aspernatur circumfossuram.

CIRCUMFOSSUS, a, um. *V.* CIRCUMFODIO.

CIRCUMFRACTUS, a, um, particip. ab inusitato *circumfringo.* *Ammian.* 29. 4. Carpento veteri impositum regem angusto aditu circumfractis collibus abdiderunt. *Id.* 22. 8. Circumfractus turbo.

CIRCUMFRĔMO, is, ere, n. 3. (circum *et* fremo). Part. *Circumfremens.* *Seneca Consol. ad Marc.* 7. Aves cum stridore magno inanes nidos circumfremunt. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 79. Quæ (*fera*) circumfremit, et vorare tentat. *Ammian.* 31. 43. Circumfrementium globi.

CIRCUMFRĬCO, as, are, a. 1. (circum *et* frico). *Cato R. R.* 26. Privas scopulas in dolia facito habeas illi rei, qui labia doliorum circumfrices.

CIRCUMFULCĬO, is, ire, a. 3. (circum *et* fulcio). *Tertull. Pall.* 5. Pallium, quæ in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit.

CIRCUMFULGĔO, es, ere, n. 2. (circum *et* fulgeo). *Plin.* 2. *Hist. nat.* 37. 37. (101). Hominum capita vespertinis horis magno præsagio circumfulgent.

CIRCUMFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (circum *et* fundere). Interdum dividitur per tmesin, ut apud *Virg.* 1. *Æn.* 414. Et multo nebulæ circum dea fudit amictu. — Part. *Circumfusus* in omnibus paragr. — Circumfundo est circum aspergo (It. *spargere intorno*; Fr. *repandre autour*, *verser autour*; Hisp. *derramar*, *verter*, *aciar al rededor*; Germ. *ringsum oder herumgiessen*, *schütten*; Anglic. *to pour around*, *sprinkle about*, *to circumfuse*). Occurrit autem *A*) Cum Accusativo rei, quæ circumfunditur, et *B*) Cum Accusativo rei, circum quam aliquid funditur.

A) Cum Accusativo rei, quæ circumfunditur, et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de liquidis. — *a*) Raro active. *Cato R. R.* 93. Amurcam cum aqua commisceto, æquas partes: deinde ad oleam circumfundito. — *b*) Sæpius passive *circumfundi*, sed mediorum apud Græcos Verborum more ac vi, et quidem — Absolute. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (126). Cum fervet (*lac*), ne circumfundatur, præstet cyathus argenteus cum frigida aqua demissus. *h. e.* circum effundatur. *Virg.* 1. *Æn.* 586. Circumfusa nubes. *Tibull.* 4. 1. 151. Nam circumfuso considit in aere tellus. *Ovid.* 1. *Met.* 12. circumfuso pendet in aere tellus. *Id.* 5. *Fast.* 582. Gens circumfusis invia fluminibus. — Cum Dativo rei, circum quam aliquid funditur. *Liv.* 30. 9. Circumfusum mare urbi. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (132). Cui (*urbi Apameæ*) Tigris circumfunditur. *At Sillig legit:* Apameam – circumfunditur. *Quintil.* 12. 11. 13. Circumfusus nobis spiritus. ¶ 2. Latiori sensu *se circumfundere* vel *circumfundi*, mediorum apud Græcos Verborum more ac vi, dicitur de multitudine pro convenire circa aliquem hominem aut locum, circumfluere, circumcurrere, eumque cingere, circumdare, eique se applicare, adhærere: præcipue vero in re militari occurrit de copiis aliquo circumfluentium. — *a*) Absolute. *Cæs.* 6. *B. G.* 36. Circumfunduntur hostes ex reliquis partibus, si quem aditum reperire possent. *Id.* 7. *ibid.* 28. Toto undique muro milites circumfundi. *Id.* 3. *B. C.* 63. Magna multitudo sagittariorum ab utraque parte circumfundebatur. Adde *Liv.* 10. 36. et *Curt.* 3. 9. 12. — Et sæpius Part. præter. pass. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. et *Liv.* 2. 28. Circumfusa multitudo. *Liv.* 4. 46. Circumfusi magna ex parte hostes. Adde *Curt.* 8. 14. 31.; *Vellej.* 2. 46. 4.; *Quintil.* 4. 2. 37.; et *Tac.* 2. *Ann.* 56. Rursus *Liv.* 23. 34. Circumfusi equites. *Id.* 41. 23. agmen. *Curt.* 7. 5. 9. amici. *Virg.* 2. *Æn.* 64. Undique visendi studio Trojana juventus Circumfusa ruit. *Id.* 11. *ibid.* 546. Et circumfuso volitabant milite Volsci. *Ovid.* 3. *Met.* 180. circumfusæque Dianam (*Nymphæ*) Corporibus texere suis. *Val. Flacc.* 1. 384. puniceo cui circumfusa cothurno Palla imos tegit alba pedes. *Quintil.* 2. 20. 8. Nonnunquam inter circumfusa militum arma dicendum est. — *b*) Cum Dativo personæ aut rei, circum quam convenitur atque concurritur. *Liv.* 28. 26. Reducti armati a portis inermi se concioni ab tergo circumfuderunt. Adde *eumd.* 29. 34. *Id.* 22. 14. *ad fin.* Concionanti Minucio circumfundebatur Romanorum multitudo. *Id. ibid.* 7. Circumfundebantur obviis sciscitantes. *Id.* 26. 27. Circumfusa consuli multitudo. *Id.* 6. 15. Turba lateri alicujus circumfusa. *Auct. B. G.* 8. 29. Milites cedentibus circumfusi. *Ovid.* 4. *Met.* 360. *de Salmacide.* Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac. *h. e.* applicat se et adhæret. *Curt.* 4. 13. 5. Tantam multitudinem circumfundi paucioribus posse. *Id.* 4. 15. 21. Circumfusos regi barbaros adoriri. Adde *eumd.* 9. 1. 16., et *Vellej.* 2. 112. 4. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (161). Circumfundi terræ undique homines conversisque inter se pedibus stare. *Lucan.* 5. 680. Turba circumfusa duci. *Tac.* 1. *Ann.* 62. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur.

II.) Translate occurrit tantum Part. præter. pass. *circumfusus* pro frequens, large et copiose circumdans. *Cic.* 5. *Tusc.* 41. 120. Variæ et undique circumfusæ molestiæ. *Liv.* 30. 14. Circumfusæ undique voluptates. *Quintil.* 4. 1. 59. Circumfusus nitor.

B) Cum Accusativo rei, circum quam aliquid funditur ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de liquidis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 17. Terram esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer. *Id.* 6. *de republ.* 20. 21. Terra circumfusa illo mari, quod Oceanum appellatis. *Id. Tim.* 6. 16. Animâ (*aere*) circumfusa extrema mundi. *Nepos Ages.* 8. Ibi eum (*mortuum*) amici cerâ circumfuderunt. *Virg.* 3. *G.* 368. Circumfusa pruinis corpora. Adde *eumd.* 1. *Æn.* 414., quem locum sub init. attulimus. *Sil. It.* 7. 723. quas circumfuderat atra tempestas. *h. e.* cinxerat, circumsteterat, obruerat. — Huc pertinent et illa, quæ partim figurata sunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 45. Circumfusus caligine. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. Latent ista omnia crassis occultata et circumfusa tenebris. *Id. ibid.* 15. 46. Res circumfusæ luce. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de multitudine pro convenire circa aliquem hominem vel locum, eumque cingere, circumdare; ac præcipue in re militari. *Auct. B. Afr.* 78. Pacidius suos equites exporrigere cœpit in longitudinem, ut haberent facultatem turmas Julianas circumfundere. *Tac.* 2. *Hist.* 19. Si cum exercitu Cæcina tam paucas cohortes circumfudisset. Adde *eumd.* 3. *Ann.* 46., 12. *ibid.* 38. et 13. *ibid.* 40. *Sil. It.* 7. 308. Cernis, ut armata circumfundare corona. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 12. 13. (67). Qui subtilius dividunt, circumfundi Syria Phœnicen volunt. — Sæpius hoc sensu occurrit Part. præter. pass. *Cic. Mil.* 26. 71. Quod vero in illo loco atque illis publicorum consiliorum copiis circumfusus sedet, etc. *Id.* 3. *Fin.* 2. 7. Sedens in bibliotheca multis circumfusus Stoicorum libris. *Nepos Chabr.* 4. Circumfusus hostium concursu. Adde *Curt.* 3. 11. 4. *Ovid.* 14. *Met.* 580. collo circumfusa parentis. *Vellej.* 2. 123. 3. Augustus circumfusus amplexibus Tiberii sui. *Sil. It.* 2. 50. tot Libyæ populis. *Plin. Paneg.* 23. Equestris ordinis flore circumfusus senatus. *Quintil.* 9. 4. 91. Pedes deteriores bonis circumfusi. *Ambros.* 1. *de Cain et Abel* 4. *ad med.* Vitiorum succincta comitatu et quodam nequitiarum choro circumfusa (*mulier*) etc. — Et figurate *Ennius apud Donat. ad Ter. Phorm.* 5. 8. 39. Omnes corde patrem prabent (*fortasse legendum est perhibent*) animoque benigno Circumfusum.

CIRCUMFŪSIO, ōnis, f. 3. actus circumfundendi. *Firmic.* 1. *Mathes.* 4. Cœlum omnia ignei spiritus circumfusione complectitur. *Id. ibid. præf. circa med.* et *Orosius* 1. 2. *post med.* Hispania circumfusione Oceani Tyrrhenique pelagi pæne insula efficitur.

CIRCUMFŪSUS, a, um. *V.* CIRCUMFUNDO.

CIRCUMGARRĬO, is, ire, n. 4. (circum et garrio). Part. *Circumgarriens.* *Claudian. Mamert. de statu anim.* 2. 9. Falsiloquiis circumgarrientibus respondere.

CIRCUMGĔLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMGĔLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum *et* gelo). Particip. *Circumgelatus.* *Tertull. Anim.* 23. Quod germina mortale ei circumgelaverint corpus. *h. e.* concrescere fecerint. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 40. (120). Cortex, qui circumgelatus videri possit; tam tristis visperto est.

CIRCUMGĔMO, is, ere, n. 3. (circum *et* gemo). *Horat. Epod.* 16. 51. Circumgemit ursus ovile. *V.* GEMO.

CIRCUMGESTO, as, are, a. 1. (circum *et* gesto). *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 6. Eam quoque epistolam T. Catienus circumgestat. *Apul.* 8. *Met.* Circumgestare deam.

CIRCUMGLŎBĀTUS, a, um, particip. ab inusitato *circumglobo*, conglomeratus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 71. (154). Circumglobata esca sæpe extrahuntur.

CIRCUMGRĔDĬOR, ĕdĕris, essus sum, ĕdi, dep. 3. (circum et gradior). — Circumgredior est idem quod circum aggredior: et occurrit — *a*) Absolute. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis æternum discordant, circumgrederentur etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 64. et 12. *ibid.* 28. — *b*) Cum Accusativo pro circumire. *Sall. epist. Mithr.* 7. Si in Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum. *Tac.* 2. *Ann.* 35. Circumgredi terga. *Ammian.* 16. 12. 59. Lacunam palustribus aquis interfusam circumgrediens. *h. e.* circumiens. *Aurel. Vict. Cæs.* 21. Cum Syriam circumgrederetur.

CIRCUMGRESSUS, us, m. 4. (circum et gressus) circuitus. ¶ 1. Abstracte. *Ammian.* 22. 2. 3. Triptolemus, quem ob rapidos circumgressus aeriis serpentibus et pinnigeris fabulosa vetustas imponit. ¶ 2. Concrete, ut ajunt, sensu est circumferentia,

ambitus. *Id.* 22. 8. 30. Palus Mæotis amplissimi circumgressus.

CIRCUMGȲRO, as, are, a. 1. (circum *et* gyrus) circum volvo. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 2. *Schneid.* Totumque simul ungulæ solum in circuitu scalpelletur et circumgyrabis, ut etc. *Schneider* vero legit *scalpello circumscribes. V.* SCALPELLO.

CIRCUMHĂBĪTĀTOR, ōris, m. 3. (circum *et* habitator) qui circum habitat, accola. *Gloss. Philox.* Circumhabitatores, περίοικοι.

CIRCUMHISCO, is, ere, n. 3. (circum *et* hisco) hiante ore circumspicere. *Arnob.* 5. 28. Jamdudum me fateor hæsitare, circumhiscere, tergiversari, etc. *h. e.* caput circumagendo oscitari: quod est hominis in re difficili versantis, et, unde incipiat, nescientis. *MSS. Codices habent* circumsciscere; *ideoque nonnulli pro* circumhiscere *leg.* circumspicere.

CIRCUMHUMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. circumhumo, circumsepelio. *Ammian.* 22. 12. *in fin.* Circumhumata corpora statuit exinde transferri.

CIRCUMINCĪSĬO, ōnis, f. 3. (circum *et* incisio) eadem ac circumcisio. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Longanone cum sphynctere atque podice paralysi vitiato, erit involuntaria egestio stercorum, nisi ea aliqua hoc fuerit circumincisione confectum. *Sed præstat divisim scribere* circum incisione.

CIRCUMINJĬCĬO, is, ere, a. 3. (circum *et* injicio) circum jacere, circum ducere, circumjicere. *Liv.* 25. 36. Si quo modo posset vallum circuminjicere.

CIRCUMINVOLVO. *V.* CIRCUMVOLVO.

CIRCUMĬTĬO. *V.* CIRCUITIO.

CIRCUMĬTOR. *V.* CIRCITOR.

CIRCUMĬTUS. *V.* CIRCUITUS.

CIRCUMJĂCĔO, es, ui, ere, n. 2. (circum *et* jaceo). Part. *Circumjacens* I. et II. — Circumjaceo est circa jaceo, vel positus sum.

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cœlius* apud *Quintil.* 42. 123. Circumjacere passim. *Tac.* 2. *Ann.* 72. Populi circumjacentes. — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 37. 54. Lycaonia, et Phrygia utraque, quæque circumjacent Europæ, in vestra sunt potestate. *Apul. de Deo Socrat.* Si plena artis ornamenta capiti et collo circumjacent.

II.) Translate in oratione *circumjacentia*, subaudi *verba*, sunt præcedentia et consequentia. *Quintil.* 9. 4. 29. Intellectionem obscurari circumjacentibus.

CIRCUMJĂCĬO, is, ere, a. 3. (circum *et* jacio) circumjicio. *Liv.* 33. 18. Circumjacere hastas in venientem ex transverso conati sunt hostem.

CIRCUMJECTĬO, ōnis, f. 3. (circum *et* jacio). ¶ 1. Est actus circum jaciendi sive agitandi aliquid. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 2. Circumjectio manuum. *h. e.* huc illuc agitatio. ¶ 2. Item est quidquid circum involvendo inservit. *Arnob.* 2. 43. Animæ habitare jussæ sunt has partes, et humani corporis circumjectione vestiri. *h. e.* amictu.

CIRCUMJECTUS, a, um. *V.* CIRCUMJICIO.

CIRCUMJECTUS, us, m. 4. (circum *et* jactus). Occurrit fere concreto, uti ajunt, sensu: et quidem — *a*) Generatim est circumjectio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 25. 65. *vertens e Græco carmen Euripidis.* Æther, qui tenero terram circumjectu amplectitur. *h. e.* ambitu, complexu. Quidam leg. *circumvectu*, sed minus recte: nam ea voce eodem sensu utitur. *Id.* 2. *de republ.* 6. 11. ed. *A. Mai.* Ut ita munita arx circumjectu arduo et quasi circumciso saxo niteretur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (270). Rudi parietum circumjectu vox devoratur. *h. e.* parietum circumpositorum rudi superficie. — *b*) Speciatim est idem fere quod amictus. *Varro* 5. *L. L.* 132 *Müll.* Amictus dictum quod ambiectum est, id est circumjectum: a quo etiam quo vestitas se involvunt, circumjectum appellant. *Tertull. Pall.* 3. Tota molitio pallii est operire solutim, idest uno circumjectu.

CIRCUMJĬCĬO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (circum *et* jacio). Part. *Circumjectus* in omnibus paragr. — Circumjicere est circum jacere, seu rem aliquam circum aliam jaciendo ferre, ponere (It. *gettare o lanciare all' intorno*; Fr. *jeter autour*, *placer autour*, *entourer de*; Hisp. *echar*, *arrojar*, *lanzar al rededor*; Germ. *herum werfen*; Angl. *to cast or throw around*). Occurrit autem

A) Stricto sensu, et quidem

I.) Proprie pro circum jacere, vel jaciendo circumferre, circumponere. — *a*) Absolute. *Varro* 5. *L. L.* 132. *Müll.* Amictus dictum, quod ambiectum est, id est circumjectum. *Liv.* 35. 4. *ad fin.* Consul triarios vallum circumjicere jussit. *Tac.* 6. *Ann.* 19. vehicula. *Frontin. Aquæd.* 10. Signinum circumjectum continendarum scaturiginum causa. — *b*) Cum Accusativo rei, circum quam aliquid jacitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 28. 62. Retulit quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset. *h. e.* vectem circum se plicavisset. — *c*) Cum Dativo rei, circum quam aliquid jacitur. *Liv.* 36. 19. Fossam et alia munimenta verticibus circumjicere. Adde *eumd.* 36. 9.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de iis omnibus, quæ alacriter se movendo circum rem aliquam feruntur. — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 45. Sagittariis funditoribusque circumjectis. *Tac.* 6. *Ann.* 19. Custodes circumjecti. — *b*) Cum Dativo rei, circum quam aliquid fertur vel ponitur. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Circumjecta multitudine hominum totis mœnibus. *Liv.* 33. 18. Levis armaturæ quod erat, cornibus circumjectum. ¶ 2. Speciatim dicitur de locis circumpositis. — *a*) Absolute. *Liv.* 31. 24. Circumjectus lucus. *Curt.* 3. 1. 3. campi. *Id.* 3. 10. 2. nemora. *Id.* 4. 12. *sub fin.* valles. *Sueton. Aug.* 100. silvæ. *Tac.* 4. *Ann.* 27. oppida. *Id.* 6. *ibid.* 31. nationes. — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 9. 28. Ædificia circumjecta muris incendit. *Id.* 35. 30. Circumjectæ silvæ itineri. *Tac.* 5. *Hist.* 11. mœnia regiæ. ¶ 3. Item speciatim de oratione dixit *Quintil.* 4. 2. 117. Circumjectæ orationis copia.

B) Latiori sensu *circumjicere aliquid aliquâ re* est cingere, circumdare, circumplecti. *Cic. Tim.* 8. 23. Animus a medio profectus extremitatem cœli, a suprema regione, rotundo ambitu circumjecit. *Tac.* 2. *Ann.* 11. Planities saltibus circumjecta.

CIRCUMLĀBOR, lābĕris, lapsus sum, lābi, dep. 3. (circum *et* labor). Part. *Circumlabens.* — Circumlabor est in orbem labor. *Lucan.* 6. 481. Prospectumque dedit circumlabentis Olympi. *Nonnulli* circum labentis *divisim legunt.*

CIRCUMLAMBO, is, ere, a. 3. (circum *et* lambo). Part. *Circumlambendus.* — Circumlambere est circum lingere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (171). Lingua prælonga ad circumlambenda ora.

CIRCUMLĂQUĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum *et* laqueo). Circumlaqueo est laqueis cingo. *Grat. Cyneg.* 29. *per tmesin.* Per senos circum usque sinus laqueabis.

CIRCUMLĀTĪCĬUS, a, um, adject. (circum *et* latus, a, um) qui circumferri potest. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ad fin.* Piscibus quemdam vivum et circumlaticium carcerem corpolentia facit.

CIRCUMLĀTĬO, ōnis, f. 3. (circum et fero) actus circumferendi. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 12. *a med.* Arcæ circumlatio apud Hiericuntem. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 229. Circumlatio victimæ.

CIRCUMLĀTOR, ōris, m. 3. (circum *et* lator) qui circumfert. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 19. et *ibid.* 21. *in fin.*

CIRCUMLĀTRĀTOR, ōris, m. 3. qui circum latrat. *Avien. Or. mar.* 391. *de Oceano.* orbis effusi procul circumlatrator. *ubi la brevis est.*

CIRCUMLĀTRĀTUS, us, m. 4. Allegorice *Juvenc.* 4. *Histor. Euang.* 537. nec talia quisquam insonuit, tantis circumlatratibus audax. *Alii divisim scribunt.*

CIRCUMLĀTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum *et* latrare). Part. *Circumlatrans* I.

I.) Proprie de canibus. *Seneca Consol. ad Marc.* 22. Acerrimi canes homines circumlatrant. *Ammian.* 22. 16. Ut immania frementem leonem putredulis vocibus canis catulus longius circumlatrans.

II.) Translate. — *a*) De mari. *Avien. Perieg.* 48. totum hoc circumlatrat æstus. *h. e.* circumsonat, perstrepit. — *b*) Figurate. *Symmach.* 8. *Ep.* 17. Domum nostram, quæ multis circumlatratur injuriis, forensis industriæ tuearis officio.

CIRCUMLĀTUS, a, um. *V.* CIRCUMFERO.

CIRCUMLĂVO, lăvas vel is, lāvi, lautum vel lōtum, vel lăvātum, lăvare, vel ere, a. 1. vel 3. circa lavo, alluo: et occurrit tantum de fluminibus, mari etc., quæ circa aliquem locum fluunt. *Hygin. fab.* 275. Ægyptus, quam Nilus circumlavat. *Sall.* apud *Non.* p. 504. 1. *Merc.* Dubium an insula sit, quod Euri atque Austri superjactis fluctibus circumlavitur. *h. e.* alluitur, et subintelligitur accusativus se, quæ loquendi ratio in verbo *lavo* est usitatissima. Porro *circumlavit* pro *circumlavat* positum esse, tradit *ibid. Non.*

CIRCUMLĔGO, is, ere, a. 3. (circum *et* lego). Part. *Circumlegens* pro maris oras vel littora circum et pone sequens occurrit apud *Vulgat. interpr. Act.* 28. 12. et 13. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes devenimus Rhegium: et post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos.

CIRCUMLĔVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et levo) circum attollo. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Utrimque orarum circumlevat tegmina.

CIRCUMLĬGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMLĬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum *et* ligo). Part. *Circumligans*; *Circumligatus*; *Circumligandus.* Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quæ ligatur, et Dativo rei, cui aliquid circumligatur. *Virg.* 11. *Æn.* 555. natam, libro et silvestri subere clausam, Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 47. (128). Spongiæ siccæ hydropicis circumligantur. — *b*) Cum Accusativo rei, quam circum aliquid ligatur, et Ablativo rei, quæ ligatur. *Cato R. R.* 40. Salice scissa stirpem circumligato. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 61. Roscius circumligatus angui. *Liv.* 21. 8. *ad fin.* Hastile stuppa circumligare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (86). radices cæspite. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (29). Chartam inscriptam, circumligatam lino, subnectebat collo. *Sil. It.* 14. 347. Circumligare globum undis. *Stat.* 1. *Achill.* 172. aliquem ulnis. *Id.* 8. *Theb.* 675. nec segnius ardens Accurrit, niveo quam flammiger ales olori Imminet, et magna trepidum circumligat umbra. *h. e.* circumdat, complectitur.

CIRCUMLĬNĬO vel sæpius

CIRCUMLĬNO, linis, livi vel levi, litum, linire vel linere, a. 3. vel 4. (circum et lino). Quod attinet ad formam *circumlinio*, occurrunt tantum *circumliniendus* apud *Colum.*, *circumliniunt* apud *Quintil.* 12. 9. 8., et *circumlinire* apud *eumd.* 1. 11. 6. — Præter. perf. *circumlivi* vel *circumlevi*, quod a *Forcellino* effertur, nusquam legitur. *Circumlinisti* tantum dixit *Vulgat. interpr. Ezech.* 23. 40. Circumlinisti stibio oculos tuos. — Part. *Circumliniendus* I.; *Circumlitus* in omnibus paragr. — Circumlino est oblino, sive ungendo obduco (It. *ungere all' intorno*; Fr. *oindre autour*, *enduire*, *coller*, *étendre autour*; Hisp. *untar al rededor*; Germ. *umschmieren*, *umstreichen*; Angl. *to anoint or besmear all over*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) *Circumlinere aliquid alicui rei*, ut apud *Ovid.* 3. *Met.* 373. sulphura circumlita tædis. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 49. (103). Vulneribus aliquid circumlinitur. *Id.* 24. *ibid.* 5. 13. (22). Galbanum ramis hellebori circumlitum. — *b*) Sæpius occurrit *circumlinere aliquid aliqua re*, et dicitur etiam de iis, quæ non sunt liquida. *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108. Persæ mortuos cera circumlitos condunt. *Lucret.* 2. 744. nullo circumlita fuco Corpora. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 7. musco circumlita saxa. *Ovid.* 11. *Met.* 136. *de Mida.* Neve male optato maneas circumlitus auro. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 9. Circumliniendus erit oculus pice liquida. *Id.* 12. *ibid.* 44. 1. Circumlinere labellum luto paleato. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 47. (80). Circumlini alvos fimo bubulo utilissimum. *Id.* 28. *ibid.* 11. 47. (167). Circumlinere suffusiones excrementis. *Id.* 17. *ibid.* 10. 11. (62). grana intrita reste. *Id.* 33. *ibid.* 9. 43. (131). Fictile circumlitum argilla. *Id.* 21. *ibid.* 14. 49. (83). Circumlita vasa melle. *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (89). mus araneus luto. *Id.* 17. *ibid.* 10. 11. (62) Sic et spinas sæpis causa serunt, tomice moris spinarum circumlita. — *c*) Absolute. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 23. (106). Spiramentum circumlitum. *h. e.* obductum et clausum. *Plin. alter* 6. *Ep.* 2. Sinistrum oculum circumlinebat. ¶ 2. Speciatim in pictura ponitur pro circumducere colores in extremitatibus figurarum, quo ipsæ figuræ aptius finiuntur et eminentius exstant. *Quintil.* 8. 5. 26. *V.* voc. sequentem. — Hinc

II.) Translate a circumliniendis picturis *Quintil.* 1. 11. 6. Simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire: quod Græci κατακεχρωσμένον dicunt. Sic appellantur cantus tibiarum, quæ præclusis, quibus clarescunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem spiritum reddunt. Hæc *Quintil.*, cui *circumlinire vocem* est pleniorem eam et magis fuscam, quam natura sit, emittere. *Id.* 12. 9. 8. Quidam, etiam si forte susceperunt negotia paulo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt. *h. e.* exornant. Similiter *Lactant.* 3. 1. Mendacium specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit

ac diffluit, nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit.

CIRCUMLĬTĬO, ōnis, f. 3. (circum et lino). ¶ 1. Generatim est actus circumliniendi. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 24. (40). Pix ad circumlitiones oris, suspiriosos, vultus, etc. *supple* facit. ¶ 2. Speciatim in pictura est circumductio colorum in extremitatibus figurarum, qua ipsæ figuræ aptius diluuntur, et eminentius exstant. *Quintil.* 8. 5. 26. Nec in pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet: ideoque artifices, etiam cum plura in unam tabulam contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. — Etiam in sculptura *circumlitio* locum habet; veteres enim non modo tabulis, sed etiam marmoreis statuis colores adjecisse putandum est; hinc ait *Plin.* 35. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Cœpimus et lapidem pingere. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (133). Hic est Nicias, de quo dicebat Praxiteles, interrogatus, quæ maxime opera sua probaret in marmoribus: Quibus Nicias manum admovisset: tantum circumlitioni ejus tribuebat. Ex his itaque patet statuis a sculptore Praxitele elaboratis Niciam pictorem circumlitionem, seu colores encausto admovisse. *Seneca Ep.* 86. Nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt; nisi illis undique operosa, et in picturæ modum variata circumlitio prætexitur. *h. e.* nisi varii coloris marmoreis crustis sculptura, quasi pictura, distinguitur. Hac de re pluribus disserit *F. Hand*, *De circumlitione. Jen.* 1819. Cf. etiam *Visc.*, *Mus. Pio-Clem. T.* 2. *p.* 232.; et *Rochette*, *Peintures ant. inéd. p.* 286.

CIRCUMLĪTUS, a, um. *V.* CIRCUMLINIO.

CIRCUMLŎCŪTĬO, ōnis, f. 3. (circum et locutio). Occurrit de oratione tantum, et est circuitus loquendi, quo pluribus verbis id, quod uno, aut paucioribus certe dici potest, explicatur. *Quintil.* 8. 6. 61. Quidquid significari brevius potest, et cum ornatu latius extenditur, περίφρασις est: cui nomen Latine datum, non sane orationis aptum virtuti, circumlocutio. Verum hæc ut, cum decorum habet, periphrasis; ita cum in vitium incidit, περισσολογία dicitur. *Gell.* 3. 1. Circumlocutione quadam poetica uti. *Arnob.* 6. 27. Dicere aliquid sine ullis circumlocutionibus.

CIRCUMLŎQUOR, querĭs, quūtus et cūtus sum, lŏqui, dep. 3. (circum et loquor). Part. *Circumloquens.* — Circumloquor est circumlocutione utor in loquendo. *Auson.* 6. *Ep.* 7. Possem absolute dicere: Sed dulcius circumloquar, Diuque fando perfruar. *Id. Epigr.* 146. *ad notarium.* Proloquor Circumloquentis ambitu.

CIRCUMLŪCENS, entis, particip. ab inusit. *circumluceo.* Translate *Seneca Consol. ad Marc.* 2. *ad fin.* Ipsam magnitudinis fraternæ nimis circumlucentem fortunam exosa.

CIRCUMLŬO, is, ere, a. 3. (circum et lavo) circum alluo. *Liv.* 25. 11. Mari in pæninsulæ modum major pars circumluitur. *Tac.* 4. *Hist.* 12. Rhenus amnis tergum et latera circumluit.

CIRCUMLUSTRO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (circum et lustro). Part. *Circumlustrans.* — Circumlustro est circumeo, peragro. *Lucret.* 5. 1433. At vigiles mundi magnum et versatile templum Sol et Luna suo lustrantes lumine circum. *Tmesis est.*

CIRCUMLŬVĬO, ōnis, f. 3. actus circumluendi: et speciatim aggeratio terræ, quam flumen in campos, quos alluit, circum affert ibique relinquit. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Jura alluvionum et circumluvionum. Cf. *Paul. Diac.* p. 64. 14. *Müll.* Circumluvium jus prædiorum. Et *Isid.* 14. *Orig.* 8. 42. Circumluvium locus, quem aqua circumluit. *V.* ALLUVIO.

CIRCUMLUVĬUM. *V.* vocem præced. et ALLUVIUM.

CIRCUMMEO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (circum et meo) circumeo, circum vagor. *Tertull. Pall.* 1. Proh quantum circummeavit! a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos. *Mela* 3. 7. 7. Insula habitatur, nec quisquam circummeasse traditur. *ubi tamen recentiores editiones habent* circum eam isse.

CIRCUMMĒTĬOR, mētīris, mensus sum, mētiri, 4. (circum et metior). Passiva significatione *Vitruv.* 4. 4. 3. *Schneid.* Si duæ columnæ æque crassæ lineis circummetientur.

CIRCUMMINGO, mingis, minxi et mixi, minctum et mictum, mingere, a. 3. (circum et mingo) circum mejere, urinam circum facere. *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann.* Si circumminxero illum, nesciet, qua fugiat. *Id. ibid.* 62. Circumminxit vestimenta sua, et subito lupus factus est.

CIRCUMMISSUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (circum et mitto). Part. *Circummissus.* — Circummitto est circum delego, circum mitto: et occurrit — *a*) Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Præconibus circummissis, pronunciari jubent, etc. *Id.* 1. *B. C.* 12. Delectumque toto Piceno circummissis senatoribus habebat. *Id.* 3. *ibid.* 15. Legationes circummittere. *Liv.* 36. 14. Tribunus cum duorum signorum militibus circummissus. *Id.* 29. 25. Circummittere scaphas. *Id.* 20. 33. milites. — *b*) Addito, unde aut quo quis alios circummittit. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. Legationes in omnes partes circummittere. *Liv.* 2. 50. Jugo circummissus Vejens in verticem collis evasit. *Id.* 4. 18. Qui inter dimicationem castra Romana aggrederentur, post montes circummisit.

CIRCUMMŒNĬO. *V.* CIRCUMMUNIO.

CIRCUMMULCEO, ces, si, sum, cere, a. 2. (circum et mulceo). Part. *Circummulcens.* — Circummulcere est leviter circum blandiri, permulcere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 3. 6. (30). In dolium serpentium conjectus experimenti causa, circummulcentibus linguis miraculum præbuit.

CIRCUMMŪNĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (circum et munio). Part. *Circummuniens* et *Circummunitus.* — Reperitur etiam *circummœnio*, veteri scribendi ratione apud *Plaut. Capt.* 2. 2. 4. Ita vinclis custodiisque circummœniti sumus. — In manuscriptis et in editionibus hoc verbum immutatur fere semper in *circumire* et *circumvenire*; vide Interpretes ad *Cæs.* et *Colum.* locis infra citt. — Circummunio est circum undique munitionibus aut operibus vallo, cingo, firmo: et occurrit — *a*) Absolute, sive cum Accusativo tantum. *Cæs.* 1. *B. C.* 84. Nunc vero pæne ut feminas (*al. leg.* feras) circummunitos prohiberi aqua, prohiberi ingressu. *Auct. B. Hisp.* 34. Quos circummunitos superius demonstravimus. *Auct. B. Afr.* 79. Castra ponit, oppidumque eo die circummunire cœpit. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quæ circummunitur, et Ablativo rei, qua aliquem vel aliquid circummunimus. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. Vallo crebrisque castellis circummuniti, oppido sese continebant. *Id.* 1. *B. C.* 18. Oppidum vallo castellisque circummunire. *Al. leg.* circumvenire. *Id.* 1. *ibid.* 81. hostes vallo fossaque. *Auct. B. Afr.* 80. Thapsum operibus. *Auct. B. Hisp.* 38. hostes opere. *Colum.* 5. *R. R.* 4. 1. Vites defixis arundinibus circummunitæ. *Id.* 5. *ibid.* 9. 11. Circummunire plantas caveis. *Id.* 5. *ibid.* 10. 1. locum pomarii maceriis vel sæpe vel fossa. Adde *eumd. de Arbor.* 18.

CIRCUMMŪNĪTĬO, ōnis, f. 3. (circummunire) septum, munitio alicui rei circumdata includendi atque obsidendi causa. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Id ne fieri posset, obsidione atque oppidi circummunitione fiebat. *Auct. B. Hisp.* 38. *in fin.* Circummunitiones in jugo dirigere.

CIRCUMMŪNĪTUS, a, um. *V.* CIRCUMMUNIO.

CIRCUMMŪRĀLE, is, n. 3. (circum et muralis) munitio, quæ circa muros oppidorum, seu castrorum vallo fossaque constans fieri solet. *Hieronym.* in *Isaj.* 8. 26. 1. Hic murus, et hoc antemurale, sive circummurale de vivis lapidibus exstruitur.

CIRCUMMŪRĀNUS, a, um, adject. (circum et murus) qui circum muros est. *Ammian.* 14. 6. 4. Populus Romanus annis ferme trecentis circummurana pertulit bella. *Id.* 21. 13. 2. Alioquin ad civilia bella custodiens militem, timebat eum periculis objectare circummuranis.

CIRCUMNASCOR, nascĕris, nātus sum, nasci, d. 3. (circum et nascor). Part. *Circumnascens.* — Circumnascor est circum oriri. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (232). Lacus Sinnaus in Asia circumnascente absynthio inficitur. *Sillig* vero pluribus codicibus fretus legit *circa nascente.*

CIRCUMNĀVĬGO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (circum et navigo) circum maria navibus ire. *Vellej.* 2. 106. 3. Classis, quæ Oceani circumnavigaverat sinus.

CIRCUMNECTO, ctis, xi vel xui, xum, ctere, a. 1. (circum et necto). Part. *Circumnexus.* — Circumnectere est circumdare, circum vincire, ligare. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 2. Fulgor, qui sidera circumnectit. *Lactant. de Opif. Dei* 14. Tenuis membrana, qua circumnectitur alvus ac tegitur. *Ammian.* 19. 7. Elephanti flammis conjectis undique circumnexi.

CIRCUMNEXUS, a, um. *V.* voc. præced.

CIRCUMNOTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et noto). Part. *Circumnotatus.* — Circumnotare est circum signare. *Apul.* 11. *Met.* Humeris dependebat pone tergum pretiosa chlamyda: quaqua tamen viseres, colore vario circumnotatis insignibar animalibus. *h. e.* circumpictis.

CIRCUMŎBRŬO, is, ui, ūtum, ere, a. 3. (circum et obruo) circumtego. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (84). *de raphano.* Incipiente incremento, confert alterna folia circumobruere.

CIRCUMOFFĪGO, is, ĕre, a. 3. circum figere. *Cato R. R.* 48. Eam terram complanato, furcas circumoffigito. *At rectius divisim scribitur.*

CIRCUMORNĀTUS, a, um, particip. a circum et orno, ornamentis circum præditus. *Vulgat. interpr. Psalm.* 143. 13. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.

CIRCUMPACTUS. *V.* CIRCUMFARCIO.

CIRCUMPĂDĀNUS, a, um, adject. qui est circum Padum. *Liv.* 21. 35. Circumpadani campi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (191). Circumpadanæ lanæ. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (125). Circumpadana musta.

CIRCUMPĀVĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *circumpavio*, circum compressus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (58). Ubi loci natura poscat, tegete palmea excipiente, alibi area circumpavita.

CIRCUMPĔDES, um. *V.* CIRCUMPES.

CIRCUMPENDEO, es, ere, n. 2. Part. *Circumpendens.* — Circumpendeo est circum suspensus sum. *Curt.* 8. 9. 24. Aurea lectica, circumpendentibus margaritis recubare. *Ovid.* 2. *Fast.* 527. Inque Foro, multa circumpendente tabella, Signatur certa Curia quæque nota. *At rectius divisim scribitur.*

CIRCUMPES, pĕdis, m. 3. (circum et pes). ¶ 1. Circumpedes dicuntur servi, qui circa pedes, hoc est circa dominum adstant eumque sectantur. *Cic.* 2. *Verr.* 36. 92. Servos artifices pupilli cum haberent domi, circumpedes autem homines formosos et litteratos, suos esse dicebat. Ita *Aldus* et al. At *Nauger.*, *Gruter.* et *Orell.* circum pedes divisim ediderc, quod sane rectius. Certior est lectio apud *Agrætium Orthogr. p.* 2274. *Putsch.*, ubi circumpedes videtur idem significare atque *a pedibus* seu *ad pedes. V.* PES, et ANTEPES, ubi ex *Agrætii* loco allato evincitur junctim *circumpedes* scribendum esse. ¶ 2. Circumpedes dicuntur etiam periscelides. *Vulgat. interpr. Eccli.* 45. 10. Circumpedes et femoralia et humerale posuit ei.

CIRCUMPLAUDO, is, ere, a. 3. circum applaudo. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 49. Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum.

CIRCUMPLECTO, ctis, xum, ctere, a. 3. (circum et plecto). Part. *Circumplexus.* — Circumplecto idem est ac circumplector. *Cato R. R.* 21. Foramina ubi feceris, laminis circumplectito. *Plaut. Asin.* 3. 3. 106. Meum collum circumplecte. *Gell.* 15. 1. Turris lignea ex omni latere circumplexa igni. *Apul.* 1. *de Doctr. Plat.* Venter hiris intestinorum circumplexus.

CIRCUMPLECTOR, ctĕris, xus sum, cti, dep. 3. (circum et plector). Part. *Circumplexus* I. — Circumplector est idem quod circum complector.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu complecti dicitur quidquid aliam rem tamquam integumentis circum involvit. *Cic. Tim.* 7. Eoque modo undique est eas (*conjunctiones*) circumplexus. *Id.* 13. *Phil.* 5. 12. Domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco. *Virg.* 5. *Æn.* 312. *de pharetra.* lato quam circumplectitur auro Balteus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 22. (63). Arbor crassitudinis, quam circumplecti nemo possit. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 10. 19. (65). *Sueton. Domit.* 6. *de aquila.* Statuam pennis circumplectitur. *Id. Tib.* 6. *de flamma.* omnem comitatum. Adde *Stat.* 1. *Silv.* 5. 41. *Gell.* 13. 14. Id pomœrium pro incrementis reipublicæ aliquoties prolatum est, et multos editosque colles circumplexum est. — *b*) Latiori sensu ponitur pro cingere, circumdare. *Cæs.* 7. *B. G.* 83. Collem opere circumplecti. *Auct. B. Hisp.* 32. oppidum tragulis jaculisque.

II.) Translate. *Gell.* 10. 3. Animum hercle meum, cum illa M. Ciceronis lego, imago quædam, et sonus verborum et vocum et ejulationum circumplectitur.

CIRCUMPLEXUS, a, um. *V.* CIRCUMPLECTO et CIRCUMPLECTOR.

CIRCUMPLEXUS, us, m. 4. (circumplecto) circum amplexus. Reperitur solummodo in Ablativo singulari apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 11. 11. (32). Dracones circumplexu facili ambiunt elephantos. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (174). Lacertæ circumplexu venerem novere.

CIRCUMPLĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMPLĬCO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (circum *et* plico). Part. *Circumplicatus.* — Circumplico est circumnecto, circumvolvo. *Cic.* 2. *Divinat.* 28. 62. Tum esset ostentum, si anguem vectis circumplicavisset. *Id.* 1. *ibid.* 24. 49. Belua vasta et immanis, circumplicata serpentibus. *Id. ibid.* 36. 79. Puer circumplicatus serpentis amplexu. *Gell.* 17. 9. Circumplicare lorum surculo. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 272. Barbam rigentem dum Jovis circumplicat. *Lactant. de Opif. Dei* 12. Circumplicantur sicuti arietis cornua.

CIRCUMPLUMBO, as, āre, a. 1. (circum *et* plumbum) plumbo circum firmare. *Cato R. R.* 20. Modiolos oleaginos facito: eos circumplumbato. *h. e.* plumbo offigito, firmato.

CIRCUMPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (circum *et* pono). Part. *Circumpositus* sub *a.* — Circumpono est circum colloco: et occurrit — *a*) Absolute, sive cum Accusativo tantum. *Cels.* 8. 10. *n.* 1. *ad fin.* Ferulæ fissæ circumpositæque ossa in sua sede continent. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (263). Circumponere stramenta. *Sueton. Cæs.* 30. Circumpositis armatis causam dicere. — *b*) Cum Accusativo rei, quæ circumponitur, et Dativo rei, cui quid circumponitur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 74. Piper catillis circumponere. *Tac.* 14. *Ann.* 15. Nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus. *Id.* 2. *Hist.* 59. Valentem et Cæcinam pro concione laudatos curuli suæ circumposuit.

CIRCUMPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. *V.* CIRCUMPOTATIO.

CIRCUMPORTO, as, are, a. 1. circumfero. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 11. Circumportat, transportat.

CIRCUMPŌSĬTĬO, ōnis, f. 3. (circum *et* positio) circum collocatio. *Augustin. Ep.* 199. *ex* 1. *Timoth.* 2. 9. Auri circumpositio.

CIRCUMPŌSĬTUS, a, um. *V.* CIRCUMPONO.

CIRCUMPŌTĀTĬO, ōnis, f. 3. (circum *et* potatio) actus simul bibendi per circulum. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. Omnisque circumpotatio tollitur. Alii leg. *circumportatio*, quod defendit *Goerenzius* ad *Cic. loc. cit.*: at *Madvig, Dirksen* et *Orell.* priorem lectionem retinent.

CIRCUMPROJĬCĬO, jĭcis, jĭcere, a. 3. (circum *et* projicio) circumspergo. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. At rectius divisim scribitur.

CIRCUMPULSO, as, are, a. 1. (circum *et* pulso) circum percutere. *Stat.* 6. *Theb.* 228. Et lituis aures circumpulsantur acutis. *A nonnullis legitur et divisim* circum pulsantur.

CIRCUMPUNGO, is, ere, a. 3. (circum *et* pungo) circum fodere. *Cels.* 5. 28. *n.* 14. Clavus pedis tollitur, si quis eum circumpungat, deinde imponit resinam. *Forcellinus* cum MSS. et veteribus edition. legebat *circumpurgat.* — Circumpungere occurrit etiam pro punctis notare apud *Mar. Victorin. de Orthogr.* p. 2468. *Putsch.* Sed ne ea quidem, quæcumque cum præpositione dicuntur, circumpungetis, ut circumduci et circumveniri et circumplecti. *At hic pro* circumpungetis *videtur scribendum* interpungetis; *præcedunt enim hæc*: ea quoties prætorem significare vultis, nolite interpungere, ne fiat populus Romanus.

CIRCUMPURGO, as, are, a. 1. (circum *et* purgo) Part. *Circumpurgandus.* — Circumpurgo est sordes circum tollo, purum reddo. *Cels.* 7. 12. *n.* 1. Si quando etiam in pueris alter dens nascitur, quam prior excidat, is qui cadere debuit circumpurgandus et evellendus est. *Ita leg. in sua editione* Aldus: *alii, minus recte*, circumradendus. *V.* et voc. præced. Ceterum dubiam hujusce vocis lectionem confirmat *Theod. Priscian.* 4. 1. p. 312. *Ald.* Squilla, id est bulbus sub prunis furno assatur. Deinde circumpurgatur, et medietas ejusdem bulbi in aqua coquitur.

CIRCUMPŬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum *et* puto). Part. *Circumputatus.* — Circumputo est circumago, circum dimetior. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Majo*) 114. Uti circumputato Oceano comperta nunciarent.

CIRCUMQUĀQUĔ, adverb. idem quod circa, vel circum undique. *Aurel. Vict. de orig. Gentis R.* 17. *in fin.* Coloniæ deductæ sunt Præneste, Tibur, Gabii, ceteraque oppida circumquaque. V. *Mazzucchelli* adnotat. ad *Coripp.* 3. *Johann.* 5.

CIRCUMRĀDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (circum *et* rado). Part. *Circumrasus.* — Circumrado est circum seco, complano. *Cels.* 7. 12. *n.* 1. Si vero dens dolores movet, eximique eum — placuit, circumradi debet, ut gingiva ab eo resolvatur. *Id. ibid.* § 2. Digito tonsillas circumradere et evellere. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 14. Sarmentum quam recentissimum, et leviter circumrasum.

CIRCUMRAPTUS, a, um, particip. a *circum et rapio*, circum raptatus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 26. (83). Vespertilio ovillibus circumraptus toties, etc.

CIRCUMRĀSĬO, ōnis, f. 3. actus circumradendi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (246). Circumrasio corticis.

CIRCUMRĀSUS, a, um. *V.* CIRCUMRADO.

CIRCUMRĒTĬO, is, īvi, ītum, īre, a. 4. (circum *et* rete). Part. *Circumretitus* I. et II. — Circumretio est circum irretio, rete implico, involvo.

I.) Proprie. *Arnob.* 5. 41. Martem et Venerem Vulcani esse circumretitos arte. *Id.* 4. 36. Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine.

II.) Figurate. *Cic.* 7. *Verr.* 58. 150. Cum te implicatum severitate judicum, circumretitum frequentia populi Rom. esse videam. *Lucret.* 5. 1151. Circumretit enim vis atque injuria quemque. *Sidon.* 5. *Ep.* 13. Flexuosa calumniarum fraude circumretire aliquem.

CIRCUMRĒTĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CIRCUMRĬGŬUS, a, um, adject. (circum *et* rigo) qui circum irrigatur. *Propert.* 1. 20. 37. Et circumriguo surgebant lilia prato. *Rectius divisim scribes* circum riguo.

CIRCUMRŌDO, dis, si et di, sum, dere, a. 3. (circum *et* rodo) circum corrodo, exedo.

I.) Proprie. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (12). Polypus hamum brachiis complectitur, nec prius dimittit, quam escam circumroserit.

II.) Figurate. ¶ 1. Allegorice. *Cic.* 4. *Att.* 5. 1. Quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod devorandum est) subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία. ¶ 2. Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 82. Qui dente Theonino cum circumroditur. *h. e.* laceratur, maledico dente carpitur.

CIRCUMRŌRO, as, are, a. 1. (circum *et* roro). Part. *Circumrorans.* — Circumroro est leviter circum aspergo. *Apul.* 11. *Met.* Sueto lavacro purissime circumrorans abluit.

CIRCUMRŎTO, as, are, a. 1. (circum *et* roto) in gyrum moveo. *Cæs. German. fragm.* 3. 9. Cœli circumrotat orbem. *Apul.* 9. *Met.* Circumrotare machinas. *h. e.* versare molas.

CIRCUMRŎTUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. (circum *et* rotundus) circumductio. *Vitruv.* 3. 5. 14. *Schneid.* Ut acumen normæ circumrotundatione tangendo pervagari possit. *Schneid.* divisim scribit.

CIRCUMSÆPĬO vel

CIRCUMSĒPĬO, pis, psi, ptum, pire, a. 4. (circum *et* sæpio). Part. *Circumsæptus.* — Circumsæpio est circum ambio, vallo, claudo. *Liv.* 1. 49. Conscius deinde armatis corpus circumsæpsit. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 4. Loca æstiva pecoribus sub dio parietibus altis circumsæpta. *Sueton. Ner.* 31. Stagnum maris instar, circumsæptum ædificiis ad urbium speciem. *Id. ibid.* 50. solium lapide. *Paul. Dig.* 41. 2. 3. § 14. Feræ, quæ in silvis circumsæptis evagantur. *Auct. Epist. ad Octavium.* Cohortibus armatis circumsæptus senatus. *Prudent. Psychom.* 753. Barbaries circumsæpserat urbis indigenas.

CIRCUMSALTO, as, are, a. 1. (circum *et* salto). Part. *Circumsaltans.* — Circumsaltare est circum choreas agitare, pedibus plaudere. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 135. Hoc circumsaltante choro.

CIRCUMSARRĬO, is, ire, a. 4. (circum *et* sarrio). *Cato R. R.* 114. Earum radices circumsarrito et purgato. Ita *Aldus* 1514. Alii rectius *circumsecato.*

CIRCUMSCALPO, pis, psi, ptum, pere, a. 3. (circum *et* scalpo). Part. *Circumscalptus.* — Circumscalpo est circum scabo. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 15. (32). Radice pastinacæ circumscalpti dentes dolore liberantur.

CIRCUMSCĀRĬFĬCO vel

CIRCUMSCĀRĬFO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum *et* scarifico). Part. *Circumscarificatus.* — Circumscarifico est carnem circum extollo atque abstraho. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (101). Pedum clavi circumscarificati ferro. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (21). Circumscarificatus dens. *Et paullo post.* Hujus (*serpentis*) maximo dente circumscarificant; at in superiorum dolore duos superiores adalligant. *Alii, inter quos et Sillig, in omnibus allatis locis legunt* circumscarifare pro circumscarificare. *V.* SCARIFICO.

CIRCUMSCINDO, is, ere, a. 3. (circum *et* scindo) circum reseco, recido. *Liv.* 2. 55. Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere, et spoliare lictor.

CIRCUMSCRĪBO, bis, psi, ptum, bere, a. 3. (circum *et* scribo). Part. *Circumscribens* I. 2.; *Circumscriptus* in omnibus paragr. et in fin.; *Circumscribendus* II. 2. *b.* — Circumscribere est in circulum describere, aliquid circumducta linea notare (It. *scrivere o segnare intorno*; Fr. *tracer autour, décrire autour*; Hisp. *trazar, delinear al rededor*; Germ. *umschreiben, im Kreise beschreiben*; Angl. *to draw or write round, draw a mark round*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est aliquid circumducta linea notare, seu circulum ducere circum aliquem vel aliquid. *Cic.* 8. *Phil.* 8. 23. Virgula stantem circumscripsit. *h. e.* circulum circa illum descripsit. *Liv.* 45. 12. Popillius, pro cetera asperitate animi, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, Priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum, senatui quod referam. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 4. Ænea subula (*Schneid.* rectius leg. *fibula*) pars auriculæ circumscribitur, ita ut, manante sanguine, tamquam O litteræ ductus appareat orbiculus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 29. (60). Si terram surculo heliotropi circumscribat aliquis, negant scorpionem egredi. *Id.* 25. *ibid.* 5. 21. (49). Helleborum primum gladio circumscribitur: deinde qui succisurus est, ortum spectat. *Id.* 21. *ibid.* 7. 19. (42). Iris circumscripta mucrone gladii orbe triplici. *Id.* 23. *ibid.* 6. 54. (100). Radix eorum, circumscripta terra, manu sinistra capitur. — Et figurate *Gell.* 12. 13. Oceanus undique circumscribit omnes terras atque ambit. *h. e.* circulum describens omnes terras cingit et complectitur. ¶ 2. Latiori sensu est lineis ductis effigiem aliquam efformare. *Quintil.* 10. 2. 7. Circumscribere lineas extremas umbræ. — Hinc apud Rhetores circumscribere est exornando amplificare. *Cic.* 4. *Herenn.* 32. 43. Circuitio est oratio rem simplicem assumpta circumscribens elocutione. ¶ 3. Item est describendo lineasve ducendo in angustum redigere, angustis terminis concludere. *Quintil.* 12. 10. 5. Zeuxis plus membris corporis dedit —; ille vero (*Parrhasius*) ita circumscripsit omnia, ut eum legum latorem vocent. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 10. Diophanes Bithynius totum Uticensem Dionysium per multa diffusum volumina sex epitomis circumscripsit. *h. e.* ad sex libros redegit, ut est apud *Varron.* 1. *R. R.* 1. *sub fin.*

II.) Translate varios habet usus. Aliquando enim ¶ 1. Significat terminare, limitare, finibus concludere: et — *a*) Hoc sensu *circumscribere aliquid*, vel *circumscribere aliquid aliquo termino* etc. occurrit. *Cic.* 1. *Orat.* 16. 70. Orator nullis terminis circumscribit aut definit jus suum. *Id.* 2 *ibid.* 16. 67. Assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. *Id. Arch.* 11. 29. Quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est. *Id.* 1. *Orat.* 12. 52. Certarum rerum forensibus cancellis circumscripta scientia. *Id. Sext.* 45. 97. Sed genus universum, ut tollatur error, brevi circumscribi et definiri potest. *Id.* 5. *Fin.* 8. 23. Aliquem orbem bonorum circumscribere. *Id. Orat.* 59. 200. Ante circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt. *Gell.* 4. 1. Si ego te nunc rogem, uti mihi dicas, et quasi circumscribas verbis, quid homo sit. — *b*) Similiter *circumscribere aliquid alicui* est præfinire, sive aliquid tamquam terminum constituere atque indicare. *Cic. Parad.* 2. 18. Exsilium autem iis (*terribile est*), quibus quasi circumscriptus est habitandi locus. *Id. Rabir. perduell.* 10. 30. Exiguum nobis vitæ curriculum, immensum gloriæ natura circumscripsit. ¶ 2. Item coercere, cohibere, in ordinem cogere, impedire, ac veluti alligare, ne potestate ac vi sua uti quis aut quid possit. *a*) Generatim. *Cic.* 6. *Phil.* 3. 5. Ille se fluvio Rubicone et CC. millibus circumscriptum esse patiatur? *Seneca Ep.* 15. Itaque, quantum potes, circumscribe corpus tuum, et animo locum laxa. *Id. ibid.* 108. *ante med.* Circumscribere gulam et ventrem. *Id. Consol. ad Helv.* 17. Ejus laudes tam parce transcurrere, circumscribere est. *h. e.* imminuere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (4). Circumscribere luxuriam vilitate. *h. e.* terminos luxuriæ constituere, luxuriam coercere. — Huc referri potest et illud *Gell.* 7. 3. Hominum vita

iniquis et indomitis necessitatibus circumscripta. h. e. cincta, circumdata, obsessa atque adeo impedita. Item illud *Petron. Satyr.* 119. ut fuga mobilis ævi Circumscripta mora properantes differat annos. h. e. constricta, ligata, impedita. — b) Speciatim *circumscribere* de more dicitur respublica, cum nimiam alicujus magistratus potentiam per alium magistratum cohibet. *Cic. Mil.* 33. 88. Senatus, credo, prætorem eum circumscripsisset. V. *Klotz* ad h. l. *Id.* 13. *Phil.* 9. 19. Parata de circumscribendo adolescente sententia consularis. h. e. impediendo, prohibendo, ne liberius, quam par est, rempublicam administret. *Id.* 7. *Att.* 9. 2. Si tribunus plebis notatus, aut senatusconsulto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Crudelitas et insolentia in circumscribendis tribunis plebis. — Et jocularitor *Cic.* 4. *Herenn.* 22. 30. Demus operam, Quirites, ne omnino patres conscripti circumscripti putentur. Cf. *Quintil.* 9. 3. 72. — c) Item speciatim in disputationibus et quæstionibus, præcipue judiciariis, de more *circumscribi* dicitur id, cujus vis removetur, abjicitur, tollitur: quæ sane significatio a nuper allata sub b descendit: *V. Zumpt.* ad *Cic.* 3. *Verr.* p. 335.: hinc circumscribere ponitur pro circumducere, prætermittere, immo etiam pro tegere et furate velare. *Cic.* 3. *Verr.* 16. 43. Quamobrem hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto legationem ejus præclaram cognoscite. Ubi *Pseudo-Ascon.* p. 170. *Bait.* sublato, circumducto ac prætermisso. *Id.* 4. *ibid.* 61. 149. Itaque uno genere, opinor, circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infesto animo venisse dicatis. h. e. prohibere, impedire, ne testimonium dicant, adeoque prætermittere. *Id.* 3. *Fin.* 9. 31. Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, relinquitur, ut etc. *Seneca Consol. ad Helv.* 13. Constitui vincere dolorem tuum, non circumscribere. h. e. non tegere et velare. Sic *Justin.* 39. 2. Templo Jovis solidum ex auro Victoriæ signum tolli jubet, facetis jocis sacrilegium circumscribens (h. e. tegens et specie velans). Nam Victoriam commodatam sibi ab Jove esse dicebat. — d) Hinc *circumscribere testamentum* aut *legem* est dolose interpretari vel eludere: ut si serves quidem verba testamenti, aut legis, voluntati autem legislatoris, aut testatoris vel adversaris, vel non attendas. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Atque ita circumscripto testamento emancipatam filiam adoptionis fraude revocaverat. *Paul. Dig.* 4. 3. 18. *ad fin.* Ne aliter observantibus lex circumscribatur. *Lactant. de ira Dei* 8. Circumscribere leges publicas. *Frontin. Aquæd.* 112. saluberrimas constitutiones. — e) Hinc etiam, sequiori ævo, apud Medicos *circumscribi* pro minui aut cessare usurpatur. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. *ad fin.* Hæc cito circumscribuntur, et is, qui patitur, facile resurgit. *Id.* 5. *Tard.* 10. Rigor corporis atque tremor circumscribitur. *Et ibid.* Febres illico solvuntur et gravedo circumscribitur. ¶ 3. Hinc eleganter adhibetur pro decipere, fallere, captare. — a) Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 15. 40. Quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti atque decepti quidam desciscent a veritate. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 40. 41 (131). Varia mortalitas et ad circumscribendam se ipsam ingeniosa. *Id.* 33. *ibid.* 3. 14. (48). Septimulejus parricidio suo rempublicam etiam circumscripsit. h. e. decepit, fefellit; at *Forcellinus* ad h. l. hæc ait: damnavit et infamem reddidit; ducta loquendi ratione a circumscribendis magistratibus; ii enim infamia quadam notantur, cum rempublicam gerere impediuntur. Adde *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 1. et *Ep.* 82. *ad fin. Petron. Satyr.* 112. Miles circumscriptus, dum residet. — b) Specialiter dicitur de iis, qui dolo aliquem defraudant per fallacias forenses. *V.* CIRCUMSCRIPTIO II. 2. b. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 7. Testamenta subjiciunt, aut ejiciunt vivinos, aut adolescentulos circumscribunt. *Id. Rosc. Com.* 8. 24. Dic nunc te ab Roscio HS. ıↄↄ circumscriptum esse. *Juvenal.* 10. 222. Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus Pupillos. Adde *eumd.* 14. 237. *Ulp. Dig.* 4. 3. 7. Minor annis vigintiquinque consilio servi circumscriptus. *Quintil. Declam.* 336. Circumscribere fratrem minorem. *Id. ibid.* 340. et 341. Circumscribere vectigalia. h. e. fraudare, imminuere. — Hinc Part. præter. pass.

Circumscriptus, a, um, Adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Circumscriptior.* ¶ 1. Circumscriptus in re oratoria est copiose definitus, rhetorice ampliatus. *Cic. Orat.* 12. 38. Arguti certique et circumscripti verborum ambitus. h. e. periodi. Cf. *Quintil.* 11. 3. 110.; et *V.* CIRCUMSCRIBO I. 2., CIRCUMSCRIPTE, et CIRCUMSCRIPTIO II. 1. ¶ 2. Item pressus, in angustum redactus, brevis. *Plin.* 1. *Ep.* 16. In concionibus eadem, quæ in orationibus, vis est; pressior tamen et circumscriptior et adductior.

CIRCUMSCRIPTĒ, adverb. (circumscribo) circumscribendo. *Cic. Orat.* 60. 221. Circumscripte numeroseque dicere. h. e. per periodos, quæ sunt certæ et distinctæ comprehensiones verborum, suis quæque clausulis terminatæ. Nam periodus appellatur etiam *circumscriptio* ab eodem *ibid.* 61. 204. et *circumscriptus verborum ambitus*, 12. 38. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 147. Singulas res definire, circumscripteque complecti. h. e. suis quasque finibus concludendo, et unam ab altera distinguendo. *Lactant.* 5. 14. 8. Volo prius circumscripte et breviter, quid sit, ostendere. *Id.* 5. 9. 20. Depingere aliquid circumscripte breviterque.

CIRCUMSCRIPTĬO, ōnis, f. 3. actus circumscribendi (It. *lo scrivere o segnare intorno*; Fr. *action de tracer autour*; Hisp. *el acto de trazar ó delinear al rededor*, Germ. d. *Umschreibung*; Angl. *a writing or marking round*).

I.) Proprie occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu, et est scriptura aut signum in circuitu factum. *Cic.* 8. *Phil.* 8. 23. Virgula stantem circumscripsit, divitque, se non ante renunciaturum senatui, nisi prius respondisset, quam ex illa circumscriptione excederet.

II.) Translate. ¶ 1. Est limitatio, finis. — a) Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 45. Cum totam terram contueri licebit, ejusque situm, formam, circumscriptionem. *Id.* 1. *Nat. D.* 9. 21. Æternitas, quam nulla temporis circumscriptio metitur. *Arnob.* 2. 70. In utero matris corporem formam circumscriptionis accepit. *Id.* 3. 12. Extima membrorum circumscriptio. — b) Speciatim dicitur de certa ac finita comprehensione verborum, quæ Græco nomine periodus appellatur. *Cic. Brut.* 8. 34. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam. *Id. Orat.* 61. 204. Circuitus ille orationis, quem Græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus. Adde *Quintil.* 9. 4. 124. — c) Item speciatim est etiam *circumscriptio*, quam quidam inter figuras rhetoricas posuerunt, negat autem *Quintil.* figuram esse; sive (inquit 9. 3. 91.) hoc nomine significetur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Ceterum circumscriptionis figura, de qua *Quintil.* 9. 1. 35., in eo sita esse videtur, ut in quæstione aliqua circumstantia prætermittatur. *V.* CIRCUMSCRIBO II. 2. Alii minus recte leg. *circumitio* pro *circumscriptio.* ¶ 2. Præterea sæpe ponitur pro deceptione ac fraude, et quidem — a) Generatim pro captione et deceptione quæcumque. *Seneca Ep.* 82. *ad fin.* Quem mortalium circumscriptiones vestræ fortiorem facere, quem erectiorem possunt? h. e. sophismata et cavillationes dialecticæ. *Tertull. Patient.* 5. Diaboli circumscriptio. — b) Speciatim dicitur de dolo, quo quis alterum per forenses insidias scripto callidiore capit, ut *Quintil. Declam.* 301. loquitur. De ea ita *Seneca Excerpt.* 6. *Controv.* 3. Circumscriptio semper crimen sub specie legis involvit: quod apparet in illa legitimum est: quod latet, insidiosum. *Cic. Cluent.* 16. 46. Cum omnis ab his fraus, omnes insidiæ circumscriptionesque adolescentium nascerentur. *Id. Flacc.* 30. 74. Prædiorum proscriptiones cum mulierculis aperta circumscriptione facere. Adde *eumd.* 3. *Off.* 15. 61. *Seneca* 2. *Ira* 9. Circumscriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiunt fora. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 2. et *Dig.* 11. 6. 4. et alibi.

CIRCUMSCRIPTOR, ōris, m. 3. qui circumscribit. Translate tantum occurrit, et quidem ¶ 1. Pro eo qui decipit ac fraudat, sive qui dolo alterum per forenses insidias scripto callidiore capit. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 7. Quis testamentorum subjector, quis circumscriptor, etc.? *Juvenal.* 15. 135. pupillum ad jura vocantem Circumscriptorem. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 7. diabolum vocat *circumscriptorem columbrum.* Adde *Senec.* 3. *Excerpt. controv.* 6. et *Cod. Theod.* 10. 10. 27. § 4. ¶ 2. Item qui removet, tollit, abrogat. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 27. Sententiæ suæ circumscriptor.

CIRCUMSCRIPTŌRIĒ, adverb. (circumscriptor) dolose, fraudulenter: *V.* CIRCUMSCRIBO II. 3. *Respons. Papian. tit.* 36. *a med.* Lapsis et circumscriptis pupillis integri restitutio subvenit, de nominatis rebus petita integri restitutione, quæ male aut circumscriptorie in præjudicium suum acta sunt, vacuentur. Hanc vocem confirmat *Thesaur. Nov. Latinit.* p. 144. ed. *A. Mai.* **Circumscriptorie** callide, versute, gnare.

CIRCUMSCRIPTUS, a, um. *V.* CIRCUMSCRIBO.

CIRCUMSĔCO, cas, ctum, care, a. 1. (circum et seco). Part. *Circumsectus.* — Circumseco est circumcido. *Cato R. R.* 114. Vitium radices circumsecato. *Alii minus recte leg.* circumsarrito. *Cic. Cluent.* 61. 180. Fundum armarii circumsecare serrula. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 4. Circumsecare ungulas. *Id.* 7. *ibid.* 5. 13. tuberculum ferro. *Id.* quod hic primum *circumsecare*, deinde *circumcidere* de eadem re dixit. *Scribon. Compos.* 229. Circumsecta aluta. *Sueton. Domit.* 12. Cum a procuratore inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. h. e. circumcisus: de Judæis enim loquitur.

CIRCUMSĔCUS, adverb. circumcirca, circum undique. Adverbium est ea ratione conflatum, qua *altrinsecus, forinsecus*, etc. *Apul.* 2. *Met.* Nos omnes circumsecus adstantes. *Id.* 5. *ibid.* Circumsecus venari. *Id.* 11. *ibid.* Navis picturis miris circumsecus variegata.

CIRCUMSĔDĔO vel circumsĭdĕo, sēdes vel sīdes, sēdi, sessum, sedere vel sidere, 2. (circum et sedeo). Part. *Circumsedens* I. 1.; *Circumsessus* et *Circumsessurus* I. 2. — Circumsedeo est circa aliquem sedeo (It. *sedere attorno*; Fr. *être assis autour*; Hisp. *estar asentado al rededor*; Germ. *rings um etwas sitzen, umlagern*; Angl. *to sit, or take one's stand round*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — a) Absolute. *Apul.* 3. *Met.* Inter tot millia populi circumsedentis. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Nares circumsedentium infestare. — b) Cum Accusativo personæ. *Seneca Ep.* 7. Florentes amicorum turba circumsedet; circa eversos ingens solitudo est. ¶ 2. Speciatim frequenter est obsidere; et jungitur Accusativo. *Cic.* 3. *Verr.* 31. 79., 32. 81. et 33. 83., et 9. *Att.* 12. 3.; *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. 4. et *Liv.* 25. 22. Circumsedere aliquem. *Cic.* 10. *Phil.* 4. 10. Vallo circumsedere aliquem. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 42. vallo et armis. Rursus *Cic.* 9. *Att.* 18. 2. Castris circumsideri. *Id.* 15. *Att.* 10. 2. Circumsedemur omnibus copiis. *Id.* 12. *Phil.* 10. 24. Circumsessus lectis valentissimorum hominum viribus. *Id. Dejot.* 9. 25. et *Nepos Eumen.* 5. in castello. *Cic.* 7. *Phil.* 8. 21. Qui Mutinam circumsedent. *Sall. Jug.* 21. Circumsedere oppidum. *Liv.* 25. 13. Cum consules circumsessuri Capuam viderentur. *Liv.* 9. 2. Circumsedere Luceriam omnibus copiis. *Id.* 5. 53. Capitolium. *Id.* 3. 4. Castra circumsessa atque oppugnata. *Id.* 29. 17. Belluæ circumsederunt fretum. *Val. Max.* 3. 8. 5. Circumsedere curiam militibus. *Tac.* 4. *Hist.* 84. templum.

II.) Figurate *circumsideri ab aliqua re* est circumdari atque occupari. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 3. Nec ego sum ille ferreus, qui non movear horum omnium lacrimis, a quibus me circumsessum videtis. *Liv.* 6. 6. Circumsideri urbem Romanam ab invidia et odio finitimorum. *Id.* 24. 4. Muliebribus blanditiis circumsessus.

CIRCUMSĔPĀRO, as, are, a. 1. (circum et separo). Part. *Circumseparandus.* — *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. *ante med.* Ipsæ gingivæ scarificandæ, vel circumseparandæ a dentibus ferramento, quod χαρακτῆρα vocant.

CIRCUMSĒPĬO et / **CIRCUMSEPTUS** } *V.* CIRCUMSÆPIO.

CIRCUMSĔQUENS, entis, particip. ab inusit. *circumsequor*, qui circumsequitur. *Apul.* 3. *Met. sub init.* Inter tot millia populi circumsequentis. Ita *Scioppius*: plerique alii leg. *circumsedentis.*

CIRCUMSĔRO, is, ere, a. 3. (circum et sero) circum semino vel planto. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 42. (72). Genistas circumseri alveariis gratissimum.

CIRCUMSESSĬO, ōnis, f. 3. obsessio. *Cic.* 3. *Verr.* 33. 83. Quid si planum facio, te hujus circumsessionis tuæ causam in alios transtulisse?

CIRCUMSESSUS, a, um. *V.* CIRCUMSEDEO.

CIRCUMSĬDĔO. *V.* CIRCUMSEDEO.

CIRCUMSĪDO, sidis, sēdi, sidere, a. 3. (circum et sedeo) circa aliquem vel aliquid sedeo. *Liv.* 9. 21.

Circumsidere Plistiam. *Id.* 36. 13. Inde Pellinæum circumsidunt, et priusquam oppugnarent etc. Adde eumd. 41. 19. et 42. 56.; *Tac.* 1. *Ann.* 70., 3. *ibid.* 38. *in fin.* et 15. *ibid.* 5.

CIRCUMSIGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (circum et signo). Part. *Circumsignatus.* — Circumsigno est circum designo, imprimo. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 9. Gemmam duobus digitis quadratis circumsignato. Adde eumd. *Arb.* 26. 6. et *Pallad.* 7. *R. R.* 5. 3. *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1217. Proponatur igitur ejusdem orthogonii descriptio iisdem quantitatibus, quibus est circumsignata, scilicet cathetus octo, hypothenusa septemdecim, basis autem quindecim pedibus designetur.

CIRCUMSĬLIO, is, ire, n. 4. (circum et salio). Part. *Circumsiliens* I. — Circumsilio est idem quod circum salto.

I.) Proprie. *Catull.* 3. 9. *de passere.* Sed circumsiliens modo huc, modo illuc, Ad solam dominam usque pipilabat.

II.) Figurate. *Juvenal.* 10. 218. circumsilit agmine facto Morborum omne genus.

CIRCUMSISTO, sistis, stĕti, sistere, n. 3. *V.* CIRCUMSTO sub init. — Part. *Circumsistens* I. *a.* — Circumsisto est circumsto.

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Asin.* 3. 3. 28. Circumsistamus: alter hinc, hinc alter appellemus. *Cic.* 7. *Verr.* 54. 142. Hæc cum maxime loqueretur, sex lictores circumsistunt valentissimi. *Al. leg.* eum circumsistunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 37. Quibus ex navibus cum essent expositi milites circiter ccc, — Morini — spe prædæ adducti primo non ita magno suorum numero circumsteterunt. *Id.* 2. *B. C.* 42. Cn. Domitius cum paucis equitibus circumsistens. Adde *Curt.* 5. 9. 10. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quam circum quis sistitur. *Plaut. Men.* 5. 7. 9. Quid me circumsistitis? quid rapitis me? quo fertis me? *Cic.* 1. *Att.* 16. 4. Quæ consurrectio judicum facta sit; ut me circumsteterint, ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. Quem perterriti omnes Arverni circumsistunt, atque obsecrant, ut, etc. *Id.* 3. *ibid.* 15. Cum singulas binæ, aut ternæ naves circumsisterent. *Id.* 1. *B. C.* 20. Domitium productum in publicum circumsistunt et custodiunt. Adde eumd. 4. *B. G.* 26. et 5. *ibid.* 7.; *Catull.* 42. 10., *Liv.* 1. 28., 1. 51., 2. 2. et 10. 19.; et *Curt.* 7. 5. 24. *Liv.* 2. 23. et *Tac.* 5. *Ann.* 4. Circumsistere curiam. *Virg.* 8. *Æn.* 490. ipsumque domumque. *Tac.* 14. *Ann.* 8. lectum. *Id.* 15. *ibid.* 15. vias (circumsteterant). *Id.* 2. *Hist.* 41. *sub fin.* signa. Adde eumd. 5. *Ann.* 4. — Et Passive. *Cæs.* 7. *B. G.* 43. Ne ab omnibus civitatibus circumsisteretur. *h. e.* obsideretur. *Apul.* 2. *de Dogm. Plat.* Fortitudo circumsistitur hinc audacia, inde timiditate.

II.) Figurate. *Liv.* 25. 34. Anceps prælium Romanos circumsteterat. *Virg.* 2. *Æn.* 559. At me tum primum sævus circumstetit horror. *Tac.* 4. *Hist.* 79. Circumsteterat Civilem et alius metus.

Homonym. *Valla l.* 5. *elegantiar. c.* 49. hoc statuit discrimen inter *circumsto* et *circumsisto*, quod illud pro circumdare simpliciter ponatur, hoc pro invadere, irruere, et quasi territicatione aggredi. Sed ipse quoque fatetur non esse perpetuum.

CIRCUMSĬTUS, a, um, adject. (circum et situs) circumjacens. *Ammian.* 23. 6. 17. Antequam circumsitos populos ad ditionem traherent.

CIRCUMSŎCIUS, a, um, adject. (circum et socius) qui circa est et societatem cum proximis iniit. *Sex. Aur. Victor. Epit.* 41. *a med.* Hannibalianus, Delmatii Cæsaris consanguineus, Armeniam nationesque circumsocias regendas habuit.

CIRCUMSŎNO, as, āre, 1. (circum et sono). Part. *Circumsonans.* — Circumsono est circum resono: et occurrit *A*) Neutrorum more et *B*) Active.

A) Ut Verbum neutrum. *Vitruv.* 5. 8. 1. *Schneid.* Circumsonantes loci sunt, in quibus circumvagando coacta vox, se solvens in medio, sine extremis casibus sonans, ibi extinguitur, incerta verborum significatione: nominantur περιηχοῦντες. *Liv.* 39. 10. Locus, qui circumsonat ululatibus, cantuque symphoniæ, et cymbalorum, et tympanorum pulsu. *Id.* 27. 18. Circumsonans undique clamor. *Manil.* 5. 582. Circumsonat æquor dentibus.

B) Ut Verbum activum. — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei. *Cic.* 3. *Off.* 2. 5. Tamen conducere arbitror talibus aures tuas vocibus undique circumsonare, nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Adde eumd. 6. *Fam.* 18. 4.; et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 7. Cf. *Hand. Tursell.* 2. p. 60. et *Orelli ad Cic. Fam. l. c. V.* PERSONARE. *Liv.* 3. 28. Jussa miles exequitur, clamor hostes circumsonat. *Virg.* 8. *Æn.* 474. Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis. *h. e.* sonat armis, ac strepit circa murum. *Ovid.* 14. *Met.* 507. Et remos plausis circumsonat alis. Adde *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 267. — *b*) Passive. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 47. Threicio, Scythicoque fere circumsonor ore. *h. e.* qui circa me sunt, Thracia et Scythica lingua loquuntur. *Id.* 4. *ibid.* 10. 111. finitimis quamvis circumsoner armis. *h. e.* obtundar strepitu armorum. Adde eumd. 5. *ibid.* 3. 11. *Ambros.* 2. *de Cain et Abel* 10. *ad fin.* Non advertitis — scylleo quodam usu circumsonari nos quotidianis naufragiis?

CIRCUMSŎNUS, a, um, adject. (circum et sono) circumsonans. — *a*) Active. *Ovid.* 4. *Met.* 722. quem turba canum circumsona terret. — *b*) Passive occurrit apud *Stat.* 7. *Theb.* 261. Dionæisque avibus circumsona Thisbe.

CIRCUMSPARGO. *V.* CIRCUMSPERGO.

CIRCUMSPECTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ circumspectat. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 2. Exeundum hercle tibi hinc est foras, circumspectatrix cum oculis emissitiis. *Apul. Mag.* Improba juvenum circumspectatrix.

CIRCUMSPECTĒ, adverb. (circumspectus). Comp. *Circumspectius.* Sup. *Circumspectissime* occurrit tantum in *Gloss. Placid.* edit. ab *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 446. — Circumspecte est accurate, caute, cum circumspectione. *Seneca* 3. *Benef.* 14. Circumspectius donare, circumspectius eligere eos, in quos merita conferantur. *Quintil.* 9. 2. 69. Hoc parcius et circumspectius faciendum. *Gell.* 9. 10. Satis circumspecte facti versus. Adde *Dig.* 4. 4. 7. § 8. — *Circumspecte indutus* dicitur, qui multam adhibet curam, ut apte ornateque vestitus sit. *Gell.* 1. 5. Multa munditia, et circumspecte compositeque indutus. *Ammian.* 27. 3. 14. Procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, etc. *Vales.* ad *ejusd. Ammiani* 14. 6. exponit *circumspecte*, cum admiratione circumspicientium: qua ratione *circumspectus* ab *Ammiano* sumitur, ut in CIRCUMSPECTUS dicetur.

CIRCUMSPECTĬO, ōnis, f. 3. (circumspicio) circum observatio.

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. *a med.* Sibi horizontem facit circumspectio singulorum.

II.) Translate est accurata consideratio. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 11. 35. Sin ex circumspectione aliqua et accurata consideratione id se dicent sequi, etc. Adde *Fragm. Vatic.* § 35. *Cassell.* 2. p. 33. Quarum una intenta circumspectione cautissima, et omnia rerum vigili distinctione discriminans, dicebatur Prudentia vocitari.

CIRCUMSPECTO, as, āvi, ātum, are, 1. est verbum intensivum a *circumspicere.* Part. *Circumspectans* I. et II. — Circumspecto est circum observare, oculis explorare, indagare.

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 4. Dum circumspecto. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 126. Quanto se opere custodiant bestiæ, ut circumspectent in pastu. *Id.* 4. *Herenn.* 49. 62. Tamquam draco venenato spiritu circumspectans huc et illuc. *Liv.* 4. 14. Primum circumspectans tergiversari. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 4. 5. (5). Subsistere ab olfactu, circumspectare, iras proflare. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quæ circumspectatur. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 8. Hem te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam, ne abiisses. *Id. Trin.* 4. 2. 21. Circumspectare sese. *h. e.* circa se circumspicere. *Ter. Eun.* 3. 5. 54. Simul alia circumspecto, satin' explorata sint. *Id. ibid.* 2. 2. 60. Properans venit: nescio quid circumspectat. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 93. Circumspectare ædem. *Liv.* 2. 10. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, ut prælium incipiant, circumspectant. *Id.* 3. 9. et 6. 18. Circumspectare aliquem. *Id.* 3. 37. vultus patriciorum. *Tac.* 2. *Hist.* 29. inter se. — Et de iis qui suspiciosi sunt. *Cic. Pis.* 41. 99. Circumspectans omnia: quidquid increpuerit pertimescens. *Sall. Jug.* 75. Circumspectare omnia et omni strepitu pavescere. *Tac. Agric.* 32. Circumspectare cælum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia. Et passive. *Id. Tac.* 4. *Ann.* 69. Etiam muta atque inanima: tectum et parietes circumspectabantur. — *c*) Sequente Relativo. *Liv.* 34. 39. Nabis quanam ipse evaderet circumspectabat. Adde eumd. 25. 36.; et cf. *Cic.* 3. *Herenn.* 49. 62.

II.) Translate usurpatur de mente, et est diligenter advertere, considerare. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, multa adversa reverens, tamquam rate in mari immenso nostra vehitur oratio. — *b*) Cum abstractis, et quidem cum Accusativo. *Liv.* 21. 39. Circumspectare defectionis tempus. *Sil. It.* 15. 8. Anxia turba Patrum quasso medicamina mœsti Imperio circumspectant. *h. e.* quæritant, circumspiciunt, si forte videant, qui imperio medeatur. *Quintil.* 12. 8. 14. Circumspectare omnes argumentorum locos in agendo. *Tac.* 1. *Hist.* 55. initium erumpendi. *Id.* 2. *ibid.* 74. At Vespasianus bellum, armaque, et procul, vel juxta sitas vires circumspectare. *Id.* 3. *ibid.* 73. fugam et fallendi artes. Adde eumd. 4. *ibid.* 8.

CIRCUMSPECTOR, ōris, m. 3. qui circumspicit. *Vulgat. interpr. Eccli.* 7. 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat, circumspector Deus. *Et ibid.* 37. 18. Septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

CIRCUMSPECTUS, a, um. *V.* CIRCUMSPICIO.

CIRCUMSPECTUS, us, m. 4. idem fere quod circumspectio.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est actus circumspiciendi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 67. (177). Cervix flexilis ad circumspectum. — *b*) Sæpius usurpatur latiori sensu pro facultate et copia circumspiciendi. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Hæc ego in urbe prævideo: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dexteram, quid ad sinistram sit. Adde *Liv.* 10. 34. *Seneca Ot. Sap.* 32. Natura in medio nos sui parte constituit, et circumspectum omnium nobis dedit.

II.) Translate. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 43. Corpore sed mens est ægro magis ægra, malique in circumspectu stat sine fine sui. *h. e.* in sui mali consideratione. *Liv.* 45. 35. Detinere aliquem ab circumspectu rerum aliarum.

CIRCUMSPERGO *vel* circumspargo, is, ere, a. 3. (circum et spargo) circum aspergo, fundo. Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei quæ circumspergitur, et Dativo rei, cui aliquid circumspergitur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 87. Magnis arboribus quaternos modios stercoris caprini circumspargere. *Apic.* 8. 8. Impensam talem circumsparges. — *b*) Cum Accusativo rei, cui aliquid circumspergitur, et Ablativo rei, quæ circumspergitur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Ibi se purificantes solemniter circumspergi aqua.

CIRCUMSPĬCĬENTĬA, æ, f. 1. actus circumspiciendi, consideratio. *Gell.* 14. 2. Multa et anxia cura, et circumspicientia indigens.

CIRCUMSPĬCĬO, spicis, spexi, spectum, spicere, 3. (circum et specio). *Circumspexti* per syncopen pro *circumspexisti* legitur apud *Ter. Adelph.* 4. 5. 55., et *circumspexe* pro *circumspexisse* dixit *Varro* apud *Non.* p. 8. 19. *Merc.* ex lectione *Scaligeri.* — Part. *Circumspiciens* sub *A.* I.; *Circumspiciendus* sub *B.* II. 1.; *Circumspectus* sub *B.* I. et II.; et in fin. — Circumspicio est circum aspicio (It. *guardare intorno*; Fr. *regarder autour*; Hisp. *mirar al rededor*; Germ. *ringsum blicken*; Angl. *to look round*). Occurrit autem *A*) Absolute neutrorum more, et *B*) Active cum Accusativo.

A) Absolute neutrorum more.

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 2. 2. 41. Circumspice dum: num quis est, sermonem nostrum qui aucupet. Adde *Ter. Andr.* 2. 2. 19. *Pacuvius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Diversi circumspicimus. Cf. *Virg.* 9. *Æn.* 416. *Cic.* 2. *Divinat.* 34. 72. Qui in auspicium adhibetur, nec suspicit, nec circumspicit. *Liv.* 21. 22. Pavidum primo, nusquam circumspicientem aut respicientem, secutum. *Ovid.* 1. *Met.* 605. Atque suus conjux ubi sit circumspicit. Adde eumd. 11. *ibid.* 678. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). Chamæleon totius oculi versatione circumspicit. *Quintil.* 10. 3. 29. Lata circumspiciendi libertas. — Interdum est solliciti, auxii opemque aliunde quærentis. *Cic. Rosc. com.* 14. 43. Circumspicit, hæsitat. *Al. leg.* æstuat.

II.) Translate in re morali est accurata consideratione, sagacia et prudentia uti, providere, perpendere. *Ter. Adelph.* 4. 5. 55. At postquam id evenit, num quid circumspexti? ubi τὸ *quid* est Accusativus quantitatis, ut grammatici vocant. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. § 10. His in rebus circumspiciendum est diligenter, ut etc. *Sall. Orat. Cottæ ad populum.* Quam (rempublicam) deinde cui mandetis circumspicite. *Liv.* 27.

34. Cum circumspicerent patres quosnam consules facerent. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 87. timida circumspice mente.

B) Active cum Accusativo personæ aut rei.

I.) Proprie est personam aut rem quoquoversus inspicere, considerare. — *a*) Generatim. *Cæs.* 5. *B. G.* 31. Cum sua quisque miles circumspiceret, quid secum portare posset. *Liv.* 9. 28. Dictator urbis situ circumspecto omnia ædificia circumjecta muris incendit. *Id.* 34. 41. Circumspicere cornua sua. *Virg.* 2. *Æn.* 68. Namque, ut conspectu in medio turbatus inermis Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit. *Ovid.* 4. *Met.* 318. Nec tamen ante adiit — Quam se composuit, quam circumspexit amictus. *Id.* 5. *ibid.* 265. Circumspicere lucos. *Id.* 5. *Trist.* 3. 51. omnes. *Plin.* 4. *Ep.* 11. Postquam se composuit et circumspexit habitum suum. *Tac.* 13. *Ann.* 39. Circumspectis munimentis, et, quæ expugnationi idonea, provisis. *Id.* 12. *ibid.* 35. Circumspectis, quæ impenetrabilia, quæque pervia. *Stat.* 8. *Theb.* 14. Illum securi circumspexere fragorem Elysii. *Forcellino* hic catachresis esse videbatur: et sane circumspicere *fragorem* est eo circumspicere, unde fragor est ortus. — *b*) Raro admodum ponitur pro videre simpliciter. *Virg.* 12. *Æn.* 896. Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens. *Ovid.* 5. *Met.* 72. Athin.

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur ad mentem vel animam, quibuscum interdum conjungitur, ut apud *Cic. Sull.* 25. 70. Circumspicite paullisper mentibus vestris hosce ipsos homines, qui etc. Et apud *Cæs.* 6. *B. G.* 5. Reliqua ejus consilia animo circumspiciebat. Hinc — Circumspicere absolute, hoc est omissis mente, animo aut similibus, est advertere, animadvertere, providere, accurate considerare, perpendere. *Cic. Quinct.* 31. 96. Omnia circumspexit Quinctius, omnia periclitatus est. *Id.* 1. *Leg. Agr.* 8. 23. Ut circumspiciamus omnia, quæ populo grata sunt, nihil tam populare, quam pacem reperiemus. *Id.* 3. *Orat.* 74. 301. Permulta sunt in causis circumspicienda, ne quid offendas. *Id.* 1. *Off.* 18. 59. Hæc atque talia circumspicienda sunt in omni officio, ut etc. *Id.* 1. *Fam.* 9. 10. Circumspectis rebus meis omnibus rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium. *Id.* 4. *Cat.* 2. 4. Circumspicere omnes procellas, quæ impendent. *Id. Mil.* 35. 95. omnia pericula. *Id.* 5. *Fam.* 13. 3. omnia membra reipublicæ. *Id. Cluent* 53. 147. omnes reipublicæ partes. *Liv.* 23. 20. omnes imperii vires. Adde *Ovid.* 5. *Met.* 171. et *Tac.* 2. *Hist.* 6. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 47. casus. *Sueton. Aug.* 63. Multis ac diu circumspectis conditionibus. *Tac.* 14. *Ann.* 33. Circumspecta infrequentia militum. ¶ 2. *Circumspicere aliquid* interdum est undique desiderare, expetere, conquirere. *Sall. Orat. Phil. contra Lepidum.* Mithridates diem bello circumspicit. *h. e.* expectat idoneum tempus belli gerendi. *Liv.* 5. 6. Nec sicut æstivas aves statim auctumno tecta ac recessum circumspicere. *Id.* 1. 30. Sabini circumspicere et ipsi externa auxilia. Adde *Justin.* 22. 5. Rursus *Liv.* 7. 14. Omnia circumspicere atque agitare, ut etc. *Plin.* 3. *Ep.* 3. Circumspiciendus est rhetor Latinus, cujus etc. *h. e.* conquirendus est. *Justin.* 3. 1. Semper tædio quietis urbanæ novas belli causas circumspicere. *h. e.* quærere. *Id.* 2. 13. *in fin.* Circumspicientes fugam pellantur Persæ. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 35. Rursus *Justin.* 40. 1. Circumspicere peregrinos reges sibi. ¶ 3. *Circumspicere se* proprie est seipsum quoquoversus inspicere, ut in *Varron.* apud *Non.* p. 106. 15. et p. 49. 8. *Merc.* Se circumspexe atque invenisse calvum esse factum ericium. — Hinc translate est suas res et se ipsum considerare et expendere, ut videamus, ubinam sumus, quæ sit nostra conditio. *Plaut. Trin.* 1. 2. 100. Circumspice dum te, ne quis adsit arbiter nobis, et quæso identidem circumspice. Cf. *Auct. B. Afr.* 47. Opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem. *Cic. Parad.* 4. 2. 30. Numquamne, homo amentissime, te circumspicies? numquam nec quid facias considerabis, nec quid loquare? ¶ 4. Item *circumspicere se* significat se magni æstimare, sibi placere: ductum fortasse a pavonibus, vel ab iis qui se componunt habitumque circumspiciunt, qua de re cf. *Ovid.* 4. *Met.* 318. et *Plin.* 4. *Ep.* 11., quorum verba superius sub *B.* 1. retulimus. *Cic. Rosc. com.* 2. 5. Usque cone te diligis et magnifice circumspicis, ut pecuniam non ex tuis tabulis, sed ex adversariis petas? *Seneca Ep.* 40. Romanus sermo magis se circumspicit et æstimat præbetque æstimandum. — Hinc Part. præter. pass.

Circumspectus, a, um, Adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Circumspectior* et Sup. *Circumspectissimus* II.

I.) Proprie circumspectus est conspicuus, spectabilis, quique circumspicientium ora et admirationem in se convertit, et respondet Gr. περίβλεπτος: hac tamen significatione occurrit tantum apud sequioris ævi Scriptores. *Ammian.* 28. 4. Parietes lapidum circumspectis coloribus nitidi. *Id.* 18. 10. In municipali ordine, genere, fama potentiaque circumspectus. *Id.* 14. 6. Ubique Patrum reverenda cum auctoritate canities, populique Romani nomen circumspectum et verecundum.

II.) Translate usurpatur de animo ac ponitur tum de personis, tum de rebus. — *a*) Active de eo, qui circumspicit, et sagax ac prudens est. *Cels.* 3. 9. *in fin.* Sed est circumspecti quoque hominis et novare interdum et augere morbum. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 16. Nam illa solemnia sunt omnibus circumspectis, ut ergastuli mancipia recognoscant, ut explorent etc. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 1. *in fin.* Sive aliquis circumspectior est etc. *Quintil.* 12. 10. 23. Illi tenues et circumspecti (*oratores*). *Sueton. Tib.* 21. Circumspectissimum et prudentissimum principem nihil temere fecisse. *Id. Claud.* 15. Modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac præceps. — Huc referri potest et illud *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. Canes debent esse assidui et circumspecti magis, quam temerarii. — *b*) De rebus, quæ circumspecte ac prudenter fiunt. *Ovid.* 5. *Fast.* 539. Verba movent iras non circumspecta deorum. *h. e.* verba temere prolata. *Val. Max.* 2. 1. *extern.* 9. Senectuti juventus cumulatum et circumspectum honorem reddebat. *h. e.* cumulate et accurate senes honorabat, ita ut nihil omnino omitteret, quod ad senes colendos pertinebat. *Id.* 1. 1. 20. Decreti circumspectissima sanctio. *Id.* 4. 3. 4. Qua tam circumspecta animi moderatione. *Forcellinus* interpretatus est: tam insigni et mirabili. *Quintil.* 10. 1. 26. Modesto et circumspecto judicio pronunciandum. *Id.* 5. 7. 31. In primis interrogatio debet esse circumspecta. *Cod. Theod.* 13. 3. 8. Circumspectus delectus.

CIRCUMSPĪRACŬLUM, i, n. 2. Spiraculum circum positum. *Lucret.* 6. 492. Et quasi per magni circumspiracula mundi Exitus, introitusque elementis redditus exstat. *Alii rectius divisim scribunt.*

CIRCUMSTAGNO, as, are, n. 1. (circum et stagno) circum fluxum sistere. *Tertull. Pudic.* 22. Lacrimæ circumstagnant.

CIRCUMSTANS, antis. *V.* CIRCUMSTO.

CIRCUMSTANTĬA, æ, f. 1. actus circumstandi.

I.) Proprie. — *a*) Abstracte. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 7. Aquæ sic corpora accipiunt, ut semper in contrarium acceptis refluant. Hanc nostri circumstantiam, Græci autem περίστασιν appellant, quæ in aere quoque, sicut in aqua fit. — *b*) Concreto, uti ajunt, sensu. *Gell.* 3. 7. Ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia. *Tertull. Orat.* 3. Cui illa Angelorum circumstantia non cessat dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus.

II.) Translate est attributio, qualitas, quæ rem circumstat, seu res circumstantes. *Quintil.* 5. 10. 104. Hoc genus argumentorum sane dicamus ex circumstantia, quia περίστασιν dicere aliter non possumus. *Gell.* 14. 1. Fortuna ejus et mores et ingenium et circumstantia rerum negotiorumque. *Et ibid.* 2. In his negotiorum ambagibus et in ancipiti rationum diversarum circumstantia. *Tertull. Baptism.* 17. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periculi. Hic *Auct.* loquitur de necessitate conferendi baptismum iis, qui in aliquo vitæ discrimine versantur. — In plurali numero occurrit apud *Boeth. de top.* 4. *pr.*

CIRCUMSTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus circumstandi. *Gell.* 7. 4. Circumstatio militum corona appellata.

CIRCUMSTĬPĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMSTĬPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Rectius divisim scribitur *circum stipo.* — Part. *Circumstipans* et *Circumstipatus.* — Circumstipo est cingo, circumdo, cum turba comitor. *Sil. It.* 10. 453. Magna circumstipante caterva. *Claudian.* 2. *in I. Cons. Stilich.* 356. Pennatique nurum circumstipantur Amores. *Id. VI. Cons. Honor.* 595. Et ducibus circumstipata togatis. *V.* STIPO.

CIRCUMSTO, stas, stĕti, stare, a. 1. Cum una eademque sit forma Præteriti Perf. et Plusquamperf. in Verbis *circumsisto* et *circumsto*, ita tantummodo ex orationis contextu discrimen statui potest, et hinc in dubiis ambo hæc Verba videnda sunt. Part. *Circumstans* I. — Circumsto est circa aliquem sto, circumsisto (It. *stare o porsi intorno*; Fr. *se tenir autour, être autour, entourer*; Hisp. *estar al rededor, cercar, circundar*; Germ. *ringsum stehen oder rings umstehen*; Angl. *to stand or place one's self round, to beset*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Circumstant cum ardentibus tædis (*Furiæ*). *Lucret.* 3. 470. Ad vitam qui revocantes Circumstant lacrimis orantes ora genasque. *Cic.* 4. *Herenn.* 55. 68. Si a rebus consequentibus aut a circumstantibus non recedemus. *Virg.* 12. *Æn.* 85. Circumstant properi aurigæ. *Ovid.* 3. *Met.* 441. Ad circumstantes tendens sua brachia silvas. *Sueton. Cæs.* 14. Quæ (*manus equitum*) præsidii causa circumstabat. — Præcipue Part. *Circumstans. Curt.* 9. 3. 15. Circumstans exercitus. *Id.* 3. 5. 9. Circumstantes amici. Et absolute. *Id.* 6. 10. *in fin.* Unus e turba circumstantium exclamavit. *Gell.* 1. 11. *in fin.* Stetisse in circumstantibus dicunt occultius, qui fistula sonum inspiraret. Adde *Quintil.* 4. 2. 22; *Sueton. Cæs.* 81. et *Aug.* 93. et *Tac.* 1. *Ann.* 31. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quam quis circumstat. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 21. Equites R. honestissimi ceterique cives, qui circumstant senatum. *Virg.* 4. *Ecl.* 216.; *Ovid.* 11. *Met.* 505; *Curt.* 5. 12. 9. et *Sueton. Cæs.* 82. Circumstare aliquem. *Liv.* 8. 32. et *Sueton. Aug.* 35. sellam. *Ovid.* 4. *Met.* 394. Solem. *Id. ibid.* 717. sacra. *Curt.* 10. 5. 2. lectum. — Præcipue inimico animo. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 32. Desinant insidiari domi suæ consuli, circumstare tribunal prætoris urbani, obsidere cum gladiis curiam. *Virg.* 7. *Æn.* 585. tecta regis. *Ovid.* 11. *Met.* 388. undique muros. *Liv.* 27. 40. urbem Romanam.

II.) Translate de rebus, quæ nos circumstant, circumdant et plerumque de adversis. Occurrit — *a*) Absolute. *Virg.* 10. *Æn.* 905. Scio acerba meorum circumstare odia. *Liv.* 6. 2. Cum tanti undique terrores circumstarent. Adde eumd. 21. 28. *Quintil.* 10. 3. 30. Cum in medio foro tot circumstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamoribus. — *b*) Cum Accusativo. *Cic.* 10. *Phil.* 10. 20. Cum dies et noctes omnia nos undique fata circumstent. *Id.* 2. *Verr.* 17. 52. Circumstant te summæ auctoritates, quæ te oblivisci laudis domesticæ non sinant. *Liv.* 3. 38. Simul duobus circumstantibus urbem bellis. *Id.* 6. 9. Cum anceps terror Etruscos circumstaret. Adde eumd. 30. 3., 34. 21. et 42. 65. *Plin. Paneg.* 3. 4. Hæc me cura, hæc difficultas sola circumstat. *Sil. It.* 8. 171. Nec, quæ circumstent discrimina, cernis? *Id.* 2. 549. Tunc luctus et atri Pectora circumstant planctus. *Tac. dial. de Orat.* 8. Paupertas et angustia rerum nascentes eos circumsteterunt. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 559. et *V.* CIRCUMSISTO.

CIRCUMSTRĔPĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMSTRĔPO, pis, pŭi, pitum, pere, 3. (circum et strepo). Part. *Circumstrepens* et *Circumstrepitus.* — Circumstrepo est in circuitu strepitum facio: et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei, quam circum fit strepitus. *Manil.* 1. 22. Certa tum lege canentem Mundus et immenso vatem circumstrepit orbe. *Tac.* 2. *Hist.* 44. Legatus clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur. *Apul. Mag.* Fenestræ canticis circumstrepitæ. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc.* Aures incondito tumultu circumstrepitæ. — Et figurate *Seneca Vita beata* 11. Tot humanam vitam circumstrepentibus minis. — *b*) Cum Accusativo rei, quæ strependo manifestatur. *Tac.* 3. *Ann.* 36. Haud dissimilia alii et quidam atrociora circumstrepebant. *Id.* 11. *ibid.* 31. Certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra etc. *V.* et CIRCUMSTUPEO.

CIRCUMSTRICTUS, a, um. *V.* CIRCUMSTRINGO.

CIRCUMSTRĪDO, is, ere, n. 3. Part. *Circumstridens.* — Circumstrido est circum crepito, fremo, strido. *Ammian.* 14. 11. 17. Circumstridentium terrore larvarum.

CIRCUMSTRINGO, stringis, (strinxi), strictum, stringere, a. 3. Part. *Circumstrictus.* — Circumstringo est circum colligo, ligo, vincio. *Tertull. Pall.* 1. Habitus cervicibus circumstrictus. *Id. ibid.* 5. Pallium nihil circumstringit. *Id. Cor. Mil.* 8. Linteo circumstringi.

CIRCUMSTRUCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMSTRŬO, ĭs, (uxi), uctum, ŭere, a. 3. (circum et struo). Part. *Circumstructus.* — Circum-

struo est structura et pariete cingo, aut munio: et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quæ struitur. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 11. Si forte alvearia circumstructa, et immobilia fuerint. Cf. *eumd.* 9. *ibid.* 7. 2. *Sueton. Domit.* 4. Effosso et circumstructo juxta Tiberim lacu. — *b*) Cum Accusativo rei, circum quam aliquid struitur, et Ablativo rei structæ. *Colum.* 9. *R. R.* 6. 4. Opere latericio circumstructis alvis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 6. 5. (15). Apes lacrimis arborum fores alveorum latiores circumstruunt. *Id.* 19. *ibid.* 8. 48. (163). Circumstructis lapide ripis. *Dig.* 19. 1. 38. § 2. Aënum lateribus circumstructum.

CIRCUMSTŬPEO, es, ere, n. 2. (circum *et* stupeo). Translate tantum occurrit. *Sever. Ætn.* 331. Illic obscura semper caligine nubes, Pigraque defuso circumstupet humida vultu. *h. e.* circum quiescit, immota manet. *Al. leg.* circumstrepit.

CIRCUMSŪDO, as, are, n. 1. (circum *et* sudo). Part. *Circumsudans.* — Circumsudo est circum exsudo. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Uvæ stipatæ vinaceis circumsudantibus.

CIRCUMSURGO, is, ere, n. 3. (circum *et* surgo). Part. *Circumsurgens.* — Circumsurgo est circum assurgo, exsurgo. *Cels.* 7. 15. Circumsurgente quadam mora. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Quantum aquarum circumsurgentibus jugis oritur.

CIRCUMSŬO, suis, (sui), sutum, suere, a. 3. (circum *et* suo) circum consuo; et occurrit tantum Part. *Circumsutus.* *Cels.* 8. 5. Linamenta molli pellicula cincta circumsutaque. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 16. 30. (104). Vitilibus navigiis corio circumsutis navigare. Adde *eumd.* 34. *ibid.* 16. 47. (156).

CIRCUMSŪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CIRCUMTECTUS. *V.* CIRCUMTENDO et voc. seq.

CIRCUMTEGO, tĕgis, (texi), tectum, tĕgere, a. 3. (circum *et* tego). Part. *Circumtectus.* — Circumtego est circumcirca operio. *Lucret.* 1. 1094. Supra circumtegere omnia cœlum. (In quibusdam edition. hic versus deest). *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *sub init.* Patitur autem principaliter membrana, quæ ossa circumtegit, quam Græci periosteon vocant. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 34. *sub init.* et 5. *Tard.* 10. *a med.* *Dictys Cret.* 3. *B. Troj.* 11. Patrocli corpus veste circumtegitur. *Vulgat. interpr. Paul. ad Hebr.* 9. 4. Arca testamenti circumtecta ex omni parte auro.

CIRCUMTENDO, dis, (di), tum, dere, a. 3. (circum *et* tendo). — Circumtendo est circum extendo; et occurrit tantum Part. *Circumtentus.* *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 80. Herus meus elephanti corio circumtentus est, non suo. *h. e.* circum extento corio circumdatus. *Al. leg.* circumtectus, *alii* circumjectus, *alii* circumtextus. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *ad fin.* Circumtento linteolis vasculo.

CIRCUMTENEO, es, ere, a. 2. circum habeo, possideo. *Vulgat. interpr.* 4. *Esdr.* 16. 40. Non morabuntur mala ad prodeundum super terram, et seculum gemet, et dolores circumtenebunt illud. *Animadvertendum tamen putamus, hunc* Esdræ *librum ab Ecclesia Catholica inter Canonicos non esse annumeratum.* Ceterum *circumteneo* legitur etiam in *Not. Tir.* p. 10.

CIRCUMTENTUS, a, um. *V.* CIRCUMTENDO.

CIRCUMTERGEO, es, ere, a. 2. (circum *et* tergeo). circum abstergeo, mundo, abluo. *Cato R. R.* 76. Panno oleo uncto tangito, et circumtergeto.

CIRCUMTĔRO, is, ere, a. 3. (circum *et* tero). Occurrit translate tantum apud *Tibull.* 1. 2. 95. Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arcta. *h. e.* frequenti agmine circumstans premit, et prope elidit. Ita recte legit *Brouckus.* cum aliis ex multis MSS. et editis antiquis: alii *circumstrepit*, alii *circumstetit.*

CIRCUMTĔXO, xis, xum, xere, a. 3. (circum *et* texo) circum contexo; et occurrit tantum Part. *Circumtextus* apud *Virg.* 1. *Æn.* 649. Et circumtextum croceo velamen acantho. *Servius ad hunc locum* et *Isid.* 19. *Orig.* 24. 10. docent, intelligi hic a *Virgilio* eam vestem, quæ Græco nomine cyclas (κυκλάς) dicitur. *V.* et CIRCUMTENDO. — Hinc

Circumtextum, i, n. 2. absolute, substantivorum more dixit *Varro* 5. *L. L.* 132. *Müll.* Quod amictui habent purpuram circum, vocant circumtextum.

CIRCUMTEXTŪRA. *V.* CIRCUMCÆSURA.

CIRCUMTEXTUS, a, um. *V.* CIRCUMTEXO.

CIRCUMTINNIO, is, ire, a. 4. (circum *et* tinnio). Part. *Circumtinniendus.* — Circumtinnio est idem quod circumsono, de cavis metallis dictum. *Varro* 3. *R. R.* 16. 30. Apes circumtinniendo ære perterritas, quo voluerit, perducet mellarius.

CIRCUMTOLLO, is, ere, a. 3. (circum et tollo) circum amovere, auferre. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Cæpulis circumtollere exteriorem corticem.

CIRCUMTONDĔO, des, sum, dere, a. 2. (circum *et* tondeo) circum attondeo, scindo, reseco: et occurrit tantum Part. *Circumtonsus.*

I.) Proprie. *Varro apud Non.* p. 179. 8. *Merc.* Alii sunt circumtonsi, et terti, atque unctuli, ut mangonis esse videantur servi. *Sueton. Aug.* 45. In puerilem habitum circumtonsa matrona. *Petron. Satyr.* 131. Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 115. Oratio vultus animi est: si circumtonsa est, et fucata et manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum. *h. e.* curiose nimis elaborata, et veluti rotundata.

CIRCUMTŎNO, as, ui, are, a. 1. (circum *et* tono) tonitru circumstrepo. — *a*) Stricto sensu. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 223. quem cepit vitrea fama, Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis. *h. e.* tonitru veluti perculit, attonitum ac dementem reddidit, subito insanum fecit: nam Græce ἐμβρόντητος, h. e. *attonitus*, quod imitatus est *Horatius*, vocatur qui subito insanus evasit. *V.* ATTONITUS. — *b*) Latiori sensu occurrit de quocumque magno strepitu. *Ovid.* 1. *Met.* 187. qua totum Nereus circumtonat orbem. *Al. leg.* circumsonat. *Sil. It.* 6. 216. Ubi feralem strepitu circumtonat aulam Cornea gramineum persultans ungula campum. *Id.* 4. 254. virum armis. *Claud.* 1. *Rufin.* 274. montem unda.

CIRCUMTONSUS, a, um. *V.* CIRCUMTONDEO.

CIRCUMTORQUĔO, es, ere, a. 2. (circum *et* torqueo) circum intorqueo, flecto. *Apul.* 6. *Met.* Prenso loro retrorsum me circumtorquet.

CIRCUMTRĂHO, trahis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. Part. *Circumtrahens* et *Circumtractus.* — Circumtraho est circum duco. *Dictys Cret.* 3. *B. Troj.* 15. *in fin. de Achille Hectorem raptante.* Hostem mirandum in modum circumtrahens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Cucurbitis circumtractis.

CIRCUMTREMO, is, ere, n. 3. Rectius divisim scribitur *circum tremo.* — Circumtremo est circum timeo, horreo. *Lucret.* 1. 1087. Totum circumtremere æthera signis.

CIRCUMTŬĔOR, ēris, eri, dep. 2. (circum *et* tueor) circumspicio. *Apul. Florid.* 1. *sub init.* Aquila eodem loco pendula circumtuetur.

CIRCUMTŬMŬLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *circumtumulo*, circum inhumatus. *Petron. Satyr.* 120. nigro squalentia pumice saxa Gaudent ferali circumtumulata cupressu. *Scribunt alii divisim* circum tumulata: *alii mallent* circum cumulata.

CIRCŬMUNDĬQUE (*sic enim quibusdam scribere placet: aliis divisim* circum undique), adverb. circum ex omni parte. Legitur apud *Gell.* 4. 5., 13. 24., 14. 2. et 19. 10. *V.* CIRCUM.

CIRCŬMUSTUS, a, um, particip. ab inusit. *circumuro*, ambustus. *Paul. Diac.* p. 5. 3. *Müll.*

CIRCUMVĀDO, dis, si, dere, a. 3. (circum *et* vado) circumeo, circum aggredior.

I.) Proprie. *Liv.* 10. 2. Circumvadere naves. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (92). redeuntes noctu. *Tac.* 12. *Ann.* 43. aliquem clamoribus turbidis. Et passive *Ammian.* 20. 6. Circumvaditur civitas a quibusdam vehentibus scalas.

II.) Translate. *Liv.* 34. 38. Repente anceps terror barbaros circumvasit. *Id.* 34. 21. urbem. *Id.* 9. 40. Terror circumvadit aciem.

CIRCUMVĂGOR, āris, ari, dep. 1. (circum et vagor) circum errare. *Vitruv.* 5. 8. 1. *Schneid.* *V.* CIRCUMSONO.

CIRCUMVĂGUS, a, um, adject. qui circumvagatur. *Horat. Epod.* 16. 41. Nos manet Oceanus circumvagus arva beata. *h. e.* vagans circum arva beata. *Auct. Paneg. ad Pison.* 19. *de Sole.* Ætheriæ moles circumvaga flammæ. Adde *Prudent. Psychom.* 814.

CIRCUMVALLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMVALLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Circumvallans* I. 2.; *Circumvallatus* I. 1.; *Circumvallandus* I. 2. — Circumvallo est vallo circum munio, circumdo.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu in re militari est vallo circumdo, obsidendi causa. *Cic.* 9. *Att.* 12. 1. Circumvallatum esse Cn. Pompejum. *Cæs.* 3. *B. C.* 43. Ex castello in castellum perducta munitione, circumvallare Pompejum instituit. *Id.* 7. *B. G.* 11. oppidum. *Id.* 7. *ibid.* 17. Duas turres constituere cœpit: nam circumvallare loci natura prohibebat. *Id. ibid.* 44. hostes. Adde *Auct. B. Hisp.* 32. *Liv.* 3. 28. Luce prima jam circumvallati ab dictatore erant. *Id.* 10. 35. Circumvallare castra. *Id.* 10. 29. aciem. Adde *eumd.* 43. 19. et 25. 22.; et *Sil. It.* 7. 583. ¶ 2. Latiori sensu est cingere simpliciter. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 4. Locus, quem sæpire destinaveris, circumvallandus est duobus sulcis. *Sil. It.* 12. 358. Insula fluctisono circumvallata profundo. *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 11. Ipsa Palatino circumvallata senatu, Jam trabeam Bellona gerit. *Jornand. Get.* 53. Dinzio, filius Attilæ, veniens ad Bassianam Pannoniæ civitatem, eamque circumcumvallans, fines ejus cœpit prædari.

II.) Translate. *Ter. Adelph.* 3. 2. 4. Væ misero mihi, tot res repente circumvallant, unde emergi non potesti: vis, egestas, etc. *V. Donat.* ad *h. l.*

CIRCUMVALLUM, i, n. 2. idem fere quod vallum, seu munitio vallo circumducto confecta. Clarissimus *Furlanetto* in suis MSS. hanc vocem recenset ex *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 6. 63.; verba tamen omisit, neque ipse inveni, quamvis omni studio ac diligentia inquisierim.

CIRCUMVECTĬO, ōnis, f. 3. (circum et veho) circumlatio. *Cic.* 2. *Att.* 16. 4. Portorium circumvectionis. *h. e.* quod solvitur publicanis pro mercibus, quæ in aliqua provincia circumferuntur. — Item circuitus. *Cic. Tim.* 9. Ut terram lunæ cursus proxime ambiret; eique supra terram proxima solis circumvectio esset.

CIRCUMVECTO, as, are, a. 1. *frequentat.* a circumveho, omni vi atque conamine circum ferre. *Sil. It.* 3. 291. circumvectare penates. — Sæpius usurpatur

CIRCUMVECTOR, āris, ari; et Mediorum verborum vi pollet ac significat circumire.

I.) Proprie dicitur de iis, qui navi, aut equo locum aliquem circum adeunt. *Plaut. Rud.* 4. 2. 28. Mihi navem faciam; oppida circumvectabor. *Liv.* 41. 17. Duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur.

II.) Figurate. *Virg.* 3. *G.* 285. Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus, Singula dum capti circumvectamur amore. *h. e.* circa singula describendo vagamur.

CIRCUMVECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CIRCUMVĔHOR, vĕhĕris, vectus sum, vĕhi, dep. 3. (circum *et* vehor). Part. *Circumvehens* et *Circumvectus* I. — Circumvehor est circumferor, circumeo.

I.) Proprie usurpatur de eo, qui nave, vehiculo aut equo locum aliquem circum adit: et occurrit — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Navibus circumvecti milites in anteriorem vallum tela jaciebant. *Liv.* 3. 28. Dictator equo circumvectus, contemplatusque, qui tractus castrorum, etc. Adde *eumd.* 10. 29. *Auct. B. Afr.* 59. Ut paullo longius ejus equitatus circumvectus, ex improviso clauderet exercitum Cæsaris. — *b*) Addito ubi vel quo quis circumvehitur. *Plaut. Most.* 4. 3. 4. Non in Ægyptum modo vectus fui, sed etiam in terras solas, orasque ultimas sum circumvectus. *Id. Men.* 2. 1. 10. Istros, Hispanos, Massilienses, Illurios, mare superum omne Græciamque exoticam orasque Italicas omnes circumvectus. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Muliones cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumvehi jubet. *Auct. B. Alex.* 28. Circumvectus eo mari, quod Africæ esse dicitur. *Id. ibid.* 14. Cæsar Pharon classe circumvehitur. *Nepos Timoth.* 2. Præfectus classi circumvehens Peloponnesum, Laconicam populatus, classem eorum fugavit. *h. e.* vehens se circum Peloponnesum. *Liv.* 37. 27. Circumvecti ab urbe ad aversa insulæ. *Id.* 8. 26. Classe circumvehi ad Romanum agrum. *Id.* 21. 60. Circumvehi montes. *Id.* 22. 31. cum classe Sardiniæ et Corsicæ oram. *Id.* 10. 2. promontorium Brundisii. *Curt.* 4. 15. 5. ad diripienda hostis impedimenta.

II.) Figurate. *Virg. Cir.* 270. frustra circumvehor omnia verbis. *h. e.* circa omnia dicendo vagor, et longa sermonis ambage utor. Cf. *eumd.* 3. *G.* 285. *Solin.* 8. Plurimi in dicendo latius circumvecti.

CIRCUMVĒLO, as, are, a. 1. (circum *et* velo) circum operio, amicio, tego. *Ovid.* 14. *Met.* 262. pallamque induta nitentem, Insuper aurato circumvelatur amictu.

CIRCUMVĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnire, a. 4. (circum *et* venio). Part. *Circumveniens* I. 1.; *Circumventus* in omnibus paragr.; *Circumventurus* I. 2. — Circumvenio est circa aliquem venio, circumdo (It. *venire o porsi intorno, circondare*; Fr. *venir autour, être, se tenir autour, entourer, environner*; Hisp. *venir al rededor, estar al rededor, rodear, cercar, circundar*; Germ. *um etwas herumkommen*; Angl. *to come or stand round, to surround*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim materiali ratione ponitur pro circum ambire, circumdare, complecti. *Sall. Jug.* 71. Planities locis paullo superioribus circumventa. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 11. et 38. *Petron. Satyr.* 92. Illum autem frequentia ingens circumvenit. *Id. ibid.* 114. Zona circumvenienti præcingere aliquem. *h. e.* circum ambienti. *Virg.* 6. *Æn.* 132. tenent media omnia silvæ Cocytusque sinu labens circumvenit atro. *Curt.* 5. 1. 28. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernæ ingentes. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 10. Mollia vincula magis probamus, quæ, cum circumvenere truncum, adactis cuneolis arctantur. *Id.* 5. *ibid.* 9. 2. Ramos novellos, quos comprehensos manus possit circumvenire, arbori adimito. *h. e.* manubrii crassitudine. *Id. ibid.* 6. 30. Circumventa vitibus arbor. *Tac.* 2. *Ann.* 9. Rhenus modicas insulas circumveniens. *Val. Flacc.* 1. 400. Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis. — Huc referri potest et illud *Sall. Jug.* 88. Circumvenire singulas urbes. *h. e.* singulas peragrari ab alia in aliam urbem transeundo. ¶ 2. Speciatim est militare verbum pro circumire, circumdare, obsidere. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Et itinere nostros latere aperto aggressi circumvenere. *Id.* 3. *B. C.* 34. Deserti ab iis, qui una procurrerant (*al.* provenerant), circumveniebantur atque interficiebantur a nostris. *Id.* 1. *B. G.* 42. Circumveniri ab hoste per insidias. *Id.* 6. *ibid.* 39. *in fin.* Pars a barbaris circumventa periit. *Id.* 2. *ibid.* 8. Ne hostes (quod tantum multitudine poterant) a lateribus suos pugnantes circumvenire possent. *Id.* 3. *B. C.* 44. Circumvenire hostes a tergo. Adde *Tac.* 12. *Ann.* 14. Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 81. et 3. *ibid.* 36. Circumvenire hostes vallo fossaque. *Id.* 3. *ibid.* 97. montem opere. *Nepos Hann.* 4. C. Flaminium cos. apud Trasimenum cum exercitu circumventum insidiis occidit. *Sall. Jug.* 12. Jugurtha de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. *Id. ibid.* 61. et 79. cuncta mœnia oppidi exercitu. *Id. ibid.* 93. Cædere alios, alios obtruncare, multos ab tergo circumvenire. *Id. ibid.* 11. Circumveniri in itinere a latronibus. Adde *Nepot. Datam.* 6. *Liv.* 10. 26 In medio circumventi hostes. *Id.* 10. 26. Circumvenire hostes a tergo. *Id.* 1. 33. a fronte et ab tergo. *Id.* 26. 5. Ancipiti pugna medius (aciem) circumventuram. *Curt.* 5. 13. 30. Si hostis circumvenire aciem tentasset. *Seneca Ep.* 9. Circumventus hostili custodia. *Stat.* 5. *Theb.* 165. cerva cruentis Circumventa lupis. Adde *Curt.* 4. 13. 31.; *Tac.* 1. *Ann.* 65., 3. *ibid.* 74. et 14. *ibid.* 25.; et *Justin.* 1. 8.

II.) Translate. ¶ 1. Eleganter ad personas transfertur, et significat opprimere, capere, et, pæne dixerim, irretire; diciturque fere de iis, qui cum re aliqua potentiores sint, per injuriam obruunt infirmiores: quemadmodum in bello, qui multitudine superant, circumveniunt pauciores. Porro hac significatione occurrit etiam de abstractis. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 58. 218. et 4. *Fin.* 23. 62. Multis sum modis circumventus, morbo, exsilio atque inopia. Cf. *Horat. Art. P.* 169. Multa senem circumveniunt incommoda. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 46. Ne eum circumventum inique iniqui irrideant. *Cic.* 2. *Off.* 14. 51. Ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri atque urgeri videatur. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 24. 85. *Id.* 3. *Verr.* 37. 93. Jam te non Siculi, non aratores, ut dictitas, circumveniunt. *Id.* 6. *ibid.* 8. 17. Quid te a Centuripina civitate, a Catinensi, ab Halesina circumveniri atque opprimi dicis? Tua te Messana circumvenit. *Id. Rosc. com.* 9. 25. Quem per arbitrum circumvenire non posses, hunc per judicem condemnabis? *Id. Cluent.* 68. 192. Circumvenire aliquem judicio capitis. *Id.* 1. *Tusc.* 41. 98. Circumventus iniquorum judicio. *Id. Brut.* 12. 48. judicio. *Id. Quinct.* 31. 95. et *Brut.* 75. 260.; et *Sall. Cat.* 50. et 51. Circumveniri ab aliquo. Rursus *Cic. Cluent.* 29. 79. Innocentem pecunia circumveniri. *Q. Metellus* apud *Cic.* 5. *Fam.* 1. 1. Nunc video illum circumventum, me desertum. *Sall. Cat.* 16. Nihilo minus insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare. *Id. ibid.* 35. et *Liv.* 4. 21. Circumventus falsis criminibus. *Sall. Jug.* 7. difficultatibus. *Id. Cat.* 22. omnibus necessitudinibus. *h. e.* omnibus necessitatibus oppressus. *Liv.* 2. 21. Respublica tantis circumventa terroribus. *Id.* 6. 36. Fenore circumventa plebes. *Vellej.* 2. 119. Exercitus marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus. *Tac.* 12. *Ann.* 29. Odio accolarum, simul domesticis discordiis circumveniri. *Id.* 2. *Hist.* 12. securitate pacis et belli malo. *Id.* 1. *Ann.* 13. criminibus. *Id.* 2. *ibid.* 71. Circumventus insidiis. Adde *Justin.* 10. 1. *Sueton. Tib.* 55. Sejani ministerio et fraudibus circumvenire liberos Germanici. *Justin.* 27. 1. aliquem dolo. *Tac.* 4. *Hist.* 10. et *Callistrat. Dig.* 43. 1. 33. aliquem falso testimonio. *Ulp. Dig.* 17. 1. 29. Circumvenire ignorantiam alicujus. *h. e.* decipere, fallere. *Id. ibid.* 43. 28. 3. Non sine calliditate circumventus. *h. e.* deceptus. Adde *ibid.* 23. 3. 12. ¶ 2. De inanimis raro admodum occurrit. *Plin. Paneg.* 50. Non enim omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumvenis. *h. e.* habere studes et conaris. ¶ 3. Apud JCtos circumvenire *legem* est eludere, dolose interpretari atque adeo violare. *Marcell. Dig.* 30. 120. § 1. Circumvenire leges. *Ibid.* 1. 3. 29. Salvis verbis legis sententiam ejus circumvenire. *Ulp. ibid.* 29. 4. 4. voluntatem defuncti. *Id. ibid.* 2. 15. 8. *post med.* orationem. V. *ejusdem legis initium.*

CIRCUMVENTĬO, ōnis, f. 3. actus circumveniendi; sed occurrit translate tantum, et idem est atque oppressio, deceptio. *Hermogenian. Dig.* 4. 4. 17. In integrum restitutio erroris proprii veniæ petitionem, vel adversarii circumventionem continet. *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 22. Oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones. Adde *Cod.* 2. 43. 3. et *Cod. Theod.* 16. 5. 49. *pr.*

CIRCUMVENTOR, ōris, m. 3. qui circumvenit, hoc est decipit ac fraudat. *Lamprid. Alex. Sev.* 66. Libidinosi, crudeles, circumventores. *Ambros. de Tobia* 23. Inveniris in eo circumventor et fallax, qui amicum deceperis. Adde *Vet. Interpr. Virg. A. Mai edit.* p. 27.

CIRCUMVENTŌRĬUS, a, um, adject. ad circumveniendum aptus. *Augustin.* 3. *Confess.* 3. Infida et circumventoria obsequia dæmoniorum.

CIRCUMVENTUS, a, um. *V.* CIRCUMVENIO.

CIRCUMVERRO, ris, sum, rere, a. 3. (circum *et* verrere). Part. *Circumversus.* — Est autem circum verrendo purgo. *Cato R. R.* 143. *de officiis villicæ.* Focum purum circumversum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat. *h. e.* scopis mundatum. Hinc in *Propert.* 3. 13. 40. Dique deæque omnes, quibus est tutela per agros, Præbebant versis verba secunda focis; *scripsit Scaliger pro vestris.*

CIRCUMVERSĬO, ōnis, f. 3. (circum *et* versio) circum volutio. *Quintil.* 11. 3. 105. *de gestu manuum.* Circumversio manus. *Ammian.* 26. 1. Circumversio cursus annui revoluta.

CIRCUMVERSO vel circumvorso, as, are, a. 1. *frequentativum a* circumverto: sed occurrit passive tantum et Mediorum verborum vi ac significatione. *Lucret.* 6. 198. Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt, Quærentesque viam circumversantur. *Avien. Arat.* 1528. Si simplex circumversabitur orbis.

CIRCUMVERSUS, a, um. *V.* CIRCUMVERRO.

CIRCUMVERTO vel circumvorto, is, ere, a. 3. (circum *et* verto *vel* vorto). Part. *Circumvertens.* — Circumverto est in orbem verto.

I.) Proprie. ¶ 1. Active. *Sueton. Vitell.* 2. Circumvertens se. *Quintil. Declam.* 342. Circumvertere mancipium. *h. e.* liberum facere, manumittere. *V.* similem locum *Senecæ* in CIRCUMAGO. ¶ 2. Passive, sed Mediorum verborum significatione, est circum convertere se, et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 32. Ubi circumvortor, cado. *Id. Pers.* 3. 3. 37. Citius a foro argentarii abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur. — *b*) Cum Accusativo rei, circum quam quis vertitur. *Ovid.* 15. *Met.* 522. Ni rota, perpetuum qua circumvertitur axem.

II.) Figurate est decipere, fraudare, circumducere. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 127. De compacto faciunt consutis dolis, qui me argento circumvortant.

CIRCUMVESTĬO, is, ire, a. 4. (circum *et* vestio) circum induo, vestibus involvo.

I.) Proprie. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (208). Dejectis per ramos vitium crinibus circumvestit arborem.

II.) Translate. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *de Orat.* 39. 158. Quandoquidem iste circumvestit dictis, sæpit sedulo. *h. e.* obscuro sermone sententiam involvit atque occultat.

CIRCUMVINCĬO, cis, ctum, ire, a. 4. (circum *et* vincio). Part. *Circumvinctus.* — Circumvincio est circumligo. *Plaut. Rud.* 3. 4. 27. Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam. *Avien. Perieg.* 331. Et circumvincti nervis exstantibus artus.

CIRCUMVINCTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CIRCUMVĪSO, is, ere, a. 3. (circum *et* viso) circumspicio, circum tueor. *Plaut. Amph.* 5. 1. 38. Sed angues oculis omnes circumvisere: postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.

CIRCUMVŎLĀTUS, a, um. *V.* CIRCUMVOLO.

CIRCUMVŎLĬTĀBĬLIS, e, adject. circumvolitans. *Capell.* 0. p. 191. *in carm.* Hanc (*terram*) tener, et vitreis circumvolitabilis auris Aer complectens imbrificabat aquis.

CIRCUMVŎLĬTO, as, āvi, are, n. 1. Part. *Circumvolitans* I. *a.* et II. *b.* — Circumvolito est frequentat. a *circumvolo.*

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Tac.* 2. *Hist.* 50. Cœtu circumvolitantium alitum. — *b*) Cum Accusativo. *Virg.* 1. *G.* 377. Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 21. Quæ circumvolitas agilis thyma?

II.) Translate est circumvagari, circumire; et occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 2. 329. Et circumvolitant equites. Adde *Sil. It.* 9. 421. — *b*) Cum Accusativo et præpositione *ad*, vel cum Accusativo tantum. *Seneca* 2. *de ira* 8. Agmina infestorum equitum ad conquirendas proscriptorum latebras circumvolitantia. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 9. Mercenarius salutator circumvolitans limina potentiorum.

CIRCUMVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (circum *et* volo). Part. *Circumvolans* II.; *Circumvolatus* I. *b.* — Est volando circumeo.

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Virg.* 6. *Æn.* 867. Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quam circum quis volat. *Horat.* 1. *Od.* 2. 33. Erycina ridens, Quam Jocus circumvolat et Cupido. *Id.* 2. *Sat.* 1. 58. Seu me mors atris circumvolat alis. *Ovid.* 2. *Met.* 719. Circumvolare spem suam. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 47. (90). Halcyonem, nave aliquando circumvolata, statim in latebras abeuntem. *Quintil.* 2. 6. 7. Circumvolare sedem. *Sueton. Aug.* 97. aliquem. *Justin.* 11. 7. Aves eum omnis generis circumvolare coeperunt.

II.) Translate est circum cursare, velociter circumire. *Vellej.* 2. 27. 2. Circumvolans ordines exercitus sui Telesinus. *Sil. It.* 17. 416. Jaculo circumvolat alite campum.

CIRCUMVŎLŪTO, as, are, a. 1. (circum *et* voluto). Passive tantum occurrit, sed Mediorum verborum significatione, ideoque est sese circumvolvere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 21. (59). Pantheram repente apparuisse patri cujusdam Philini —: illum pavore cœpisse regredi, feram vero circumvolutari non dubie blandientem.

CIRCUMVOLVO, volvis, vŏlūtum, volvere, a. 3. Part. *Circumvolvens* et *Circumvolutus.* — Circumvolvo est in orbem volvo; et occurrit tantum aut pass. *circumvolvi* Mediorum verborum significatione, aut *circumvolvere se.* *Virg.* 3. *Æn.* 284. Interea magnum sol circumvolvitur annum. *Vitruv.* 10. 6. 2. *Schneid.* Singula puncta prætereundo et circumvolvendo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 41. 92. (244). Herba non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese. *Id.* 11. *ibid.* 37. 88. (217). Nervi cordi bubulo circumvoluti. *Id.* 10. *ibid.* 62. 82. (169). Serpentes circumvolutæ sibi ipsæ. *Gell.* 11. 9. Demosthenes lana multa collum cervicesque circumvolutus.

CIRCUMVŎLŪTUS, a, um. *V.* CIRCUMVOLVO.

CIRCUS, i, m. 2. κίρκος, omnis in gyrum ambitus. Fit ab hoc deminutive *circulus*, qui in hac significatione usitatior: namque *circus* usurpatur solummodo tamquam vox artium propria a Græco derivata. Quod si *Torrentin.* et *Gothofred.* legunt in circum apud *Macrum Dig.* 11. 7. 37. Si amplum quid ædificari testator jusserit; velut in circum porticationes: *al. rectius leg.* in circuitu. Itaque ¶ 1. Circus apud Astronomos est orbis cœlestibus signis circumscri-

ptus. *Accius* apud *Non. p.* 20. 29. *Merc.* Quot luna circos annuo in cursu instituit. *Cic. Arat.* 248. Vidisti magnum candentem serpere circum, Lacteus hic nimio fulgens candore notatur. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 18. 47., ubi *Non. p.* 432. 21. *Merc.* legit *circus*, alii *circulus*; et 6. *de republ.* 15. et 16., ubi similiter *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. *ad fin.* et *ibid.* 15. legit *circus*, et ipse quoque usurpat, alii *circulus*. *Capell.* 6. *p.* 191. *in carm.* Nam globus et circi zonæque ac fulgida signa. ¶ 2. Generatim circus erat etiam planities aperta, fere semper orbicularis, at figurâ ellipticâ, quæ publicis præcipue ludis edendis, populorum conciliis habendis, etc. inserviebat. *Plaut.* apud *Varron.* 5. *L. L.* 133. *Müll.* Quid cessamus ludos facere? Circus noster ecce adest. — Sic *circus maritimus* locus fuit, in quo Anagninos concilium habuisse omnium circa populorum, narrat *Liv.* 9. 42. *in fin.* — Et *circus* dictus est a *Virg.* 5. *Æn.* 109., 287. et 551. locus spatiosus, in quo Æneas in Sicilia ludos edidit: et in Hispania, ubi Scipio, *Sil. It.* 16. 313. et 323. — Denique per metonymiam *circus* pro hominibus in circo spectantibus legitur apud *Sil. It. ibid.* 535. ¶ 3. Speciatim Romæ — 1.°) *Circus Maximus*, qui aliquando et *Circus* absolute appellatur, locus erat muris septus, in quo equi pugilesque exercebantur, sic dictus, quia orbicularis erat, longior tamen, quam latior, id est figura elliptica. *Apollinaris* etiam dictus est, quod esset Soli sacer: et *Tertull. Spectac.* 8. scribit Romanos putare dictum esse a Circe Solis filia, ob id Soli sacrum. Fieri cœptus est a Tarquinio Prisco in undecima regione inter Palatinum et Aventinum, ut *Liv.* 1. 35. narrat: a Tarquinio autem Superbo perfectus fuit. Initio statim 150000, deinde ampliatus 300000, denique Trajano imperatore in majorem latitudinem prolatus 400000 circiter homines capiebat, variis quoque sedibus dispositos: cf. hac de re *Cic. Mur.* 34. 72. et seqq.; *Varron.* 5. *L. L.* 153. *Müll.*; *Liv.* 1. 56. et 8. 20. præter locum superius cit.; *Plin.* 36 *Hist. nat.* 15. 21. (102). et *Tertull. Spectac.* 8.; necnon V. *Becker röm. Alt.* vol. 1. p. 467. et *Pauly's Realencycl.* vol. 2. p. 377. Jam vero — *a*) *Circus Maximus* occurrit apud *Varron.* 5. *L. L.* 153. *Müll.* Locus idem circus maximus dictus, quod circum spectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt. Adde *eumd.* 3. *R. R.* 13. 3.; *Cic.* 2. *Verr.* 59. 154.; *Vitruv.* 3. 3. 5. *Schneid.*; *Liv.* 1. 35.; *Ovid.* 2. *Fast.* 392.; et *Sueton. Ner.* 25. et 27. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (102). Ut circum maximum a Cæsare dictatore exstructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis jugerum quaternum, ad sedem CCLX. millium inter magna opera dicamus. — *b*) *Circum magnum* appellant *Ovid.* 6. *Fast.* 477. et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 9. 14. (71). — *c*) Sæpius *Circus* absolute dicitur, qui magna semper populi frequentia celebrabatur, cum eo convenire solerent, extra ludorum tempora, ludicrarum artium professores, circitores, physiognomi, somniorum conjectores, etc. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Non vicanos haruspices, non de circo astrologos *Cic.* 2. *Legg.* 15. 38. Ludi publici sunt cavea circoque divisi. *Id. Mur.* 34. 72. et 2. *Phil.* 43. 110.; *Liv.* 1. 36.; *Vellej.* 2. 1. 2.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 6. 6. (17). In circo et in foro. *Cic.* 1. *Divinat.* 26. 55. Per circum duci. Cf. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 6. 6. (17). agi. *Liv.* 44. 9. Circum bestiis omnium gentium complere. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 113. Fallacem circum pererrare. *Ovid.* 5. *Fast.* 597. Circo ludos celebrare. *Id.* 1. *Art. am.* 136. Circus capax populi. *Sueton. Aug.* 74. Triviales ex circo ludi. *Martial.* 10. 53. Circus clamosus. *Juvenal.* 8. 89. raucus. — Currus in circo septies circuibant. *Ovid. Halieut.* 68. Seu septem spatiis circo meruere coronam. Cf. *Sidon. carm.* 23. *v.* 371. Stringis quadrijugos et arte summa In gyrum bene septimum reservas. *V. not. Orell.* ad *Arnob.* 7. 38. p. 448. — Ad circum etiam prostibula fuisse, colligitur ex ipso *Juvenal.* 3. 65. — 2.°) *Circus Flaminius* erat in nona regione, extra Urbem, eo in loco, qui, teste *Liv.* 3. 63., *Prata Flaminia* dicebatur. Hunc memorant *Cic.* 1. *Att.* 14. 1., *post redit. in senatu* 6. 13., *Planc.* 23. 55. et *Sext.* 14. 33.; *Varro* 5. *L. L.* 154. *Müll.*; *Nepos* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.*; *Vitruv.* 4. 8. 4. *Schneid.*; *Liv.* 27. 21. et 28. 11.; *Val. Max.* 1. 7. 4.; et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 7. (7). et 36. *ibid.* 15. 4. (26).: absolute vero *Ovid.* 6. *Fast.* 205. et 209. V. *Becker röm. Alt.* vol. 1. p. 598. et seqq. — 3.°) *Circus Vaticanus*, in planitie, quæ Vaticano colli adjacebat, teste *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (201)., a Caligula ædificari cœptus, a Nerone perfectus est, ideoque dicitur etiam *Vaticanus Gaii et Neronis principum Circus* apud *eumd. Plin.* 36. *ibid.* 11. 15. (74). — 4.°) Denique plures alii Romæ fuerunt circi: novem enim postremis temporibus enumerat *P. Victor. V. Rosin. Antiqu. Rom. l.* 5. *c.* 4. et *Panvin. de ludis Circens.*, ac præcipue *Pauly's Realencycl.* vol. 2. p. 380. et seq. ¶ 4. Circi dicuntur etiam symphoniæ, quæ ad eamdem melodiæ rationem recurrunt. *Capell.* 2. p. 29. O lux nostra sacros probare cantus Suesce, atque organicis beare circis. — *NB.* De circo ave et gemma *V.* in CIRCOS.

CĪRIS, is, f. 3. κεῖρις, nomen avis, in quam poetæ fabulantur conversam fuisse Scyllam Nisi filiam: quæ ideo *ciris* dicta est, quod capillum patris, in quo regni ejus fatum positum erat, furtim secuerat: a κείρω *tondeo*. *Ovid.* 8. *Met.* 150. plumis in avem mutata vocatur Ciris, et a tonso est hoc nomen adepta capillo. — Exstat de hac fabula poemation, quod vulgo tribuitur *Virgilio*, ubi ipsa avis describitur pennas habens varii coloris, et cristam purpuream in vertice. *Scalig. ibid.* ad *v.* 527. putat, designari eam avem, quam *aigrette* Galli vocant: eorumque opinionem respuit, qui alaudam esse arbitrantur. *Scaligerum* sequitur *Heynius* ad *Virg. Cir.* 488., quem quidem docte de hac re disserentem consule. — Proverbii speciem habet illud *Plauti Capt.* 1. 2. 81. *I modo, venare leporem: nunc cirim tenes.* h. e. quære tibi lautiorem cœnam: nunc meam habes, quæ admodum parca est, tantoque minoris impensæ, quanto minor est ciris minusque apta conviviis, quam lepus, ex quo delicatissima fiunt pulpamenta. Eadem ratione explicant *Turneb. l.* 14. *c.* 7. et *Lambin.*, sed magis placet iis legere, *nunc irim tenes*. Est autem *iris* herba, qua utebantur in vinis condiendis, ut est apud *Caton. R. R.* 107. et *Colum.* 12. *R. R.* 27. Denique alii legunt, *nunc i, rem tenes.* — *Hygin. fab.* 198. *in piscem, quem Cirim vocant*, Scyllam mutatam fuisse dicit.

CIRNEA. *V.* HIRNEA.

CIRRA, æ, f. 1. *Gramm. incert. p.* 185. *Eichenf.* Hæc cirra, ὁ μαλλός. Ipse tamen *Grammaticus* hanc vocem nullo confirmat exemplo. Ceterum ὁ μαλλός est vellus, lana, coma promissa.

CIRRĀTUS, a, um, adject. cirros habens. *Martial.* 9. 30. Et matutini cirrata caterva magistri. *Ammian.* 14. 6. Licet feminas affatim multas spectare cirratas. — *Cirratæ vestes*, villosæ et hirtæ; vel quæ fimbrias habent per extimam oram dependentes, κροσσωταὶ ἐσθῆτες. Posterior hæc expositio magis placet *Salmasio* ad illud *Capitolin. Pertin.* 8. Lacernas, et chiridotas Dalmatarum, et cirratas militares, etc. — Hinc

Cirrati, *ōrum*, m. plur. 2. absolute dicti sunt pueri capillati, quia capillum nutriebant usque ad tempus pubertatis. *Pers.* 1. 29. Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendes?

CIRRITŪDO, inis, f. 3. status, seu conditio illius, qui cirros habet: est vox e Lexico expungenda. *V.* voc. seq.

CIRRĪTUS, a, um, adject. qui cirros habet, cirratus. *Cirritum pirum* inter varia pirorum genera enumerat *Cloatius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. Hanc vocem exhibent etiam *Not. Tir.* (quæ tamen per se nulla sunt auctoritate) p. 155. Cirros, cirritus, cirritudo.

CIRRUS, i, *et sæpius in plur. num.* cirri, ōrum, m. 2. Ratione habita etymi cf. Gr. κείρω *tondeo*, et κόῤῥη *tempus, pars capitis, totum caput*, necnon Germ. *Haar*. — Ceterum cirrus proprie est capillorum nodus in summo vertice capitis (It. *ciuffo, ciuffetto*; Fr. *touffe de cheveux, toupet*; Hisp. *copete de cabellos, repelon de cabellos, guedeja*; Germ. d. *Büschel*; Angl. *hairin curls, the hair of boys*). Occurrit ¶ 1. Generatim de hominibus. Varias de cirris sententias in medium attulit *Forcellinus*, cujus hæc sunt verba: Cirrus est capillus natura crispus seu contortus. Differt a *cincinno*, qui est capillus arte crispatus. Dicitur proprie de capillis puerorum, qui comam ante annos pubertatis non tondebant, sed alebant et componebant. In pubertate vero desecabant, et alicui deo consecrabant. Quidam ita distinguunt, ut *coma* dicatur de pueris usque ad annum septimum, quo tempore semel detondebantur; *cirri* usque ad decimumquintum; deinceps vero *cæsaries*. *Varro* apud *Non.* p. 94. 21. *Merc.* Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem ponere solent. — Sed hæc discrimina ut vera sint, certe non sunt perpetua. *Martial.* 10. 83. *de calvo.* caputque nudum Cirris grandibus hinc et inde cingunt. — *Salmas. in exercitat. Plin.* p. 762. contendit cirros non esse capillos crispatos, sed in nodum religatos. Hinc a *Juvenale* tribui Germanis, quorum comæ non sunt crispæ, sed rectæ et prolixæ, 13. 164. Cærula quis stupuit Germani lumina? flavam Cæsariem et madido torquentem cornua cirro? *Madidum* appellat *Juvenalis* Germanorum cirrum, quod illi capillos crebro lavare et sapone rutilare consueverant. Idem fere mos apud eam gentem etiamnum extat; ii enim capillos oleo, et præsertim multo sebo saturant ad nauseam usque. *Martial.* quoque *Spectac.* 3. et 5. 37. et alii crinem in nodos collectum Germanis tribuunt. *V.* apud *Salmas.* plura. — *Cirrus a vertice* est capillorum nodus in summo vertice capitis, quem Itali dicunt *ciuffo sul cucuzzolo*, quo usos fuisse veteres luctatores probat *E. Q. Visconti Mus. Pio-Clem. T.* 5. p. 210. *edit. Mediol.*, qui exinde hunc locum illustrat *Suetonii Ner.* 45. Ex annonæ quoque caritate luctantium acrevit invidia. Nam et forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin subiret. Statuæ ejus a vertice cirrus appositus est cum inscriptione Græca: Nunc demum agona esse, et traderet tandem. *h. e.* statuæ ejus cirrus luctatorum proprius appositus, et subscriptum fuit, nunc demum, cum nempe Julius Vindex in Gallia, et Sulpicius Galba in Hispania rebellionem fecerant, tempus esse luctandi et palmam tradendi. *V.* TRADO. Hæc *Forcellinus*; ex quibus patet, allatam a nobis definitionem ceteris præferendam esse. ¶ 2. Speciatim *cirri* dicuntur in quibusdam avibus apices capitis prætenui pluma instar capillorum conflati. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (121). In capite paucis animalibus, nec nisi volucribus, apices, diversi quidem generis: phœnici, plumarum serie; pavonibus, crinitis arbusculis; stymphalidi, cirro; phasianæ, corniculis. ¶ 3. Item *cirri* sunt pili in fronte, in articulis pedum et in tibiis equorum. *Veget.* 6. *Veterin.* 2. 1. *Schneid.* A cirro frontis ad nares habet pedem. *Id.* 2. *ibid.* 28. 34. Cirri in articulis pedum, naturale ornamentum, non resecandi. *Id.* 6. *ibid.* 1. 2. A gamba ad cirros tibiales ossa duo. ¶ 4. Item speciatim *cirri* tribuuntur polypis aliisque piscibus, ut ostreis, quorum brachia in tenues veluti crines dissecta sunt, a *Plin.* 9. *Hist. nat.* 28. 44. (83)., 25. *ibid.* 7. 33. (70). et 26. *ibid.* 8. 37. (58). ¶ 5. Præterea tribuuntur quibusdam herbis, quæ tenuia veluti capillamenta habent. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 20. (36). Ephedra folio nullo, cirris numerosa. *Id.* 27. *ibid.* 4. 9. (25). Herba sine foliis, folliculos in cirris habens. ¶ 6. Denique *cirri* dicuntur etiam fimbriæ tenues, in quibusdam vestibus, in extremitatibus earum dependentes. *Phædr.* 2. 5. Ex alticinctis unus atriensibus; Cui tunica ab humeris linteo Pelusio Erat destricta, cirris dependentibus. *Salmas. loc. cit.* distinguit cirros a fimbriis, ut illi sint fila in nodum stricta, villis extantibus; hæc villi recti et discriminati, nulloque modo constricti. In loco *Phædri* sunt qui *cirros dependentes* ad ipsam atriensis comam, non ad ejus tunicam referunt; sed priorem interpretationem confirmare videtur locus *Petron. Satyr.* 32. Mappa fimbriis hinc atque illinc pendentibus.

CIRSĪON, ii, n. 2. κίρσιον, cauliculus est tener duum cubitorum, triangulo similis, foliis spinosis circumdatus. Spinæ molles sunt: folia bovis linguæ similia, minora, subcandida, et in cacumine capitula purpurea, quæ solvuntur in lanugines. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 39. (61). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 343.) hanc exhibet synonymiam: Κίρσιον Dioscor. 4. 119. et *Cirsion* Plin. l. c. sunt *Carduus parviflorus* L. Mantiss. 27.

CIS, præpositio Accusativum regens, cui opponitur *ultra* vel *trans* apud *Liv.* 6. 33. Prius cis Apenninum, postea trans Apenninum. *Id.* 5. 34. Cis Padum ultraque. Adde *eumd.* 8. 14. et alibi. Præpositioni *cis* opponitur *uls* apud *Varron.* 5. *L. L.* 83. *Müll.* et *Dig.* 1. 2. 2. § 32. — Ratione habita etymi conjungenda est cum particula *ce*, et significat (It. *di qua*; Fr. *en deçà*; Hisp. *de acá, de esta parte*; Germ. *diesseits*; Angl. *on this side*).

I.) Proprie ponitur de loco, ideoque jungitur cum locorum nominibus, cum fere de statu vel quiete agitur; namque raro admodum de motu occurrit. *Sacra Argeorum* apud *Varron*. 5. *L. L.* 50. *Müll.* Oppius mons, ter biceps cis lucum Exquilinum. *Varro* apud *Non.* p. 92. 11. *Merc.* Eo die cis Tiberim redeundum est. *Nonius loc. cit.* docet, *cis* poni etiam pro ultra. Sed exempla quæ affert ex *fragm. Sall.* atque ex hoc *Varron.* contrarium probant. *Sallustii* verba sunt: Omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum perdomita. Cf. *Victorin.* in *Cic. Rhet.* 1. *p.* 5. 29. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 4. Diœceses, quæ cis Taurum sunt. *Id.* 7. *Att.* 2. 6. Quoad hostis cis Euphratem fuit. *Cæs.* 2. *B. G.* 3. Reliquos omnes Belgas in armis esse Germanosque, qui cis Rhenum incolant. *Liv.* 4. 17. Hic enim primus cis Anienem cum rege Vejentium secundo prœlio conflixit. *Id.* 38. 38. Excedito urbibus, agris, vicis, castellis cis Taurum montem usque ad Tanaim amnem etc. *Tac.* 12. *Ann.* 56. Cis Tiberim. — Cismare *V.* loco suo.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum refertur ad tempus, et juxta *Priscian.* 14. *p.* 987. *Putsch.* pro *intra* ponitur, hoc est priusquam id temporis transeat. *Plaut. Truc.* 2. 3. 26. Cis dies paucos. *Id. Merc.* 1. 2. 42. Paucos cis menses. *Id. Most.* 1. 1. 16. Cis hercle paucas tempestates. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 15. Cis paucutos dies. *Aurel. Vict. Cæsar.* 42. Cis mensem decimum. ¶ 2. *Priscianus* loco superius *cit.* addit, dici etiam posse *cis naturæ leges*, hoc est intra, vel secundum naturæ leges. Sed hoc nullo Latini scriptoris exemplo confirmat. Neque porro eidem suffragatur locus *Tac.* 11. *Ann.* 30. Veniam in præteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset. *h. e.* quod tacuisset, donec res constitit intra Vectium et Plautium. *V.* integrum loc.

CISALPICUS, a, um, adject. idem ac Cisalpinus. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 144. Cisalpes, Cisalpinus, Cisalpicus.

CĪSALPĪNUS, a, um, adject. qui cis Alpes est. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. et *Cæs.* 6. *B. G.* 1. Gallia Cisalpina. *Liv.* 37. 38. Galli. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (20). Italia. *Sueton. Cæs.* 29. Provincia cisalpina.

CĬSIĀNUS, i, m. 2. idem ac cisiarius. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 731. n. 450., quæ est apud *Orell.* 4109. CN. SENTIO CN. FIL. CN. N. TER. FELICI — PATRONO — LIBERTOR. ET OLEARIOR. ET IVVENVM CISIANORum. *Orellius* pro *olearior.* legit *oleanor.*

CĬSIĀRIUM, ii, n. 2. locus, in quo cisia ad viatorum usum habentur. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 91. n. 179. DAMNAS ESTO COLLEGIO IVMENTARIORVM, QVI SVNT IN CISIARIIS TIBVRTINIS HERCVLIS HS. ...

CĬSIĀRIUS, ii, m. 2. ¶ 1. Qui cisium regit. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. Si cisiarius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, et servum quassavit, vel occidit. ¶ 2. Item cisiorum faber. *Inscript.* apud *Murat.* 979. 6., quæ est apud *Orell.* 4163. L. TAMPIVS L. F. PECCIO CISIAR. etc. Alia apud *eumd. Murat.* 108. 4. CISIARII PRAENESTINI *Fortunæ Primigeniæ* Dedicarunt. Cf. *Inscript.* allatam ad v. JANUS et JUMENTARIUS.

CĬSIUM, ii, n. 2. a κίω *eo, ruo*, est genus vehiculi duarum rotarum, ut describit *Non.* p. 86. 30. *Merc.*, quo Romani utebantur, cum iter volebant celeriter conficere. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Inde cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit. *Id. Rosc. Am.* 7. 19. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit. *Virg. Catal. carm.* 8. 3. Neque ullius volantis impetum cisi Nequisse præterire. *Auson. Epist.* 8. 6. Vel cisio trijugi, si placet, insilias. Adde *Dig.* 19. 2. 13. *Vitruv.* 10. 1. 6. *Schneid.* inter machinas notissimas refert cisia. Cisii figuram exhibet *Hannib. Oliver.* in *Marm. Pisaur.* p. 155.: consule præterea *Becker's Gallus* 3. 9.

CISMĀRE, hoc est citra mare, tamquam unam compositam vocem affert *Diomed.* 2. *p.* 431. *Putsch.*

CISMONTĀNUS, a, um, adject. qui cis montes habitat. Hinc *Aufinates cismontani* dicuntur a *Plin.* 3. *Hist. nat.* 12. 17. (106). ubi nunc *Ofena*, quoniam ultra eos editissima Vestinorum juga attolluntur.

CĪSŌRIUM, ii, n. 2. (cædo) acies, mucro, quo cædimus. *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 1. *Schneid.* Dejecto animali contra terram, ipsam cutem aperito, et ossis cisorio gingivulam vel cartilaginem — cædito.

CISPĀDANUS, a, um, adject. qui cis Padum est, ut *Cisalpinus, Cismontanus, Cisrhenanus*; adhuc tamen caret Latini scriptoris auctoritate.

CISPELLO, is, ere, a. 3. in citeriorem partem pello. *Plaut. Amph.* 3. 4. 17. Atque illuc sursum ascendero: inde optime sic cispellam virum. *At amanda hoc vocis monstrum, et lege* aspellam, *unde male fictum est* cispellam. *V. Holtze* ad *h. l.*

CISRHĒNĀNUS, a, um, adject. qui cis Rhenum est. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Germani cisrhenani.

CISSANTHĔMOS, i, f. 2. κισσάνθεμος, species est cyclaminis geniculatis caulibus, circa arbores se volvens, acinis hederæ, sed mollibus, flore candido, specioso, radice nullius usus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 68. (116). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 353.) hanc exhibet synonymiam: Κυκλάμινος ἑτέρα, κισσάνθεμον, κισσόφυλλον Dioscor. 2. 195. et *Cyclaminos cognomine cissanthemos* Plin. l. c. suntne *Lonicera Caprifolium*? L. Spec. plant. 247.

CISSĂBON, i, n. 2. *vel*

CISSĂROS, i, f. 2. κίσσαρος, herba eadem ac chrysanthemon. *Apul. Herb.* 17.

CISSĬON, ii, n. 2. κισσίον, herba, quam *Apul. Herb.* 98. vocat etiam hederam nigram.

CISSĪTIS, idis, f. 3. κισσῖτις, gemma hederæ folia colore referens, a κισσός *hedera*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (188). *Forcellinus* efferebat *cissitis, is.*

CISSŌNIUS, a, um, adject. hederaceus, a κισσός *hedera*. Ita est cognominatus Mercurius, ignota tamen de causa. *Inscript.* apud *Murat.* 144. 3. DEO MERCVRIO CISSONIO DVBITATIA CASTVLA NATIONE SYRIA TEMPLVM ET PORTICVS VETVSTATE COLLAPSVM DENVO DE SVO RESTITVIT.

CISSOS, i, f. 2. κισσός. ¶ 1. Græca vox hederam significans: præcipue vero ita appellatur ea, quæ sola stat sine adminiculo, teste *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (152). ¶ 2. *Cissos erythranos* alia est hederæ species rubros acinos ferentis, ab ἐρυθρός *ruber*. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (152). et 24. *ibid.* 10. 49. (82). — De synonymia *V.* HEDERA. — De nomin. propr. *V.* ONOM.

CISSȲBIUM, ii, n. 2. κισσύβιον. Alii scribunt *cisymbium*, alii *cissibium*. — Est poculum ex hedera factum: a κισσός *hedera*. *Macrob.* 5. *Saturn.* 21.

CISTA, æ, f. 1. κίστη, capsa, arca, in qua aliquid reponitur. Quænam earum materies plerumque fuerit, apparet ex *Plin.*, qui 16. *Hist. nat.* 40. 77. (209). docet, lentissimas quasque arbores et levissimas, ut sunt ficus, salix, tilia, betulla, populus, ad cistas faciendas aptissime adhiberi. — ¶ 1. Generatim. *Cic.* 5. *Verr.* 85. 197. Quaternos HS., quos mihi senatus ex ærario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 54. Aut cistam effractam et subducta viatica plorat. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 554. *Colum.* 12. *R. R.* 54. 2. In quadratam cistam vimineam, quæ neque spisse, solide tamen et crassis viminibus contexta sit, rapa componito. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (60). Mala cistis vitilibus condere. *Poeta quidam* apud *Quintil.* 8. 3. 19. Prætextam in cista mures rosere camilli. *Juvenal.* 3. 206. Jamque vetus Græcos servabat cista libellos. Adde *Dig.* 10. 3. 1. § 41. ¶ 2. Specintim ponitur de sitella, in qua ponebantur tabellæ suffragiorum. *Cic.* 1. *Herenn.* 12. 21. Pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 7. (31). Cistæ suffragiorum. Adde *Sisennam* apud *Non.* p. 91. 24. *Merc.*; et cf. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. Verr.* 7. 24. ¶ 3. Item speciatim in sacris Cereris et Bacchi mos fuit, præcipue apud Græcos, cistas clausas circumferre, in quibus continebantur arcana instrumenta ad id sacrum pertinentia, ne illa mysteria, quæ vulgare nefas erat, a populo cernerentur. Harum mentio fit a *Catull.* 64. 259.; *Tibull.* 1. 8. 48.; *Ovid.* 2. *Art. am.* 609.; *Val. Flacc.* 2. 267.; et *Apul.* 6. *Met.* et 11. *ibid.*

CISTĀRIUS, ii, m. 2. (cista) cistarum præpositus, cui cistarum sive arcarum cura demandata est. *Inscript.* apud *Henzen.* 6374. ANTEROS . TI . CAESARIS CISTARIVS . A . VESTE . FORENSI . VIXIT . ANN . XXV. *h. e.* qui forensem Ti. Cæsaris vestem in cistis, sive in arcis custodiebat. Haud aliter in proxime sequenti *Inscript.* apud *eumd.* 6375. libertus quidam, cujus nomen abrasum est, dicitur *a veste castrensi* vel *præpositus vestis castrensis.*

CISTELLA, æ, f. 1. *deminut. duplex a* cista, parva cista. *Plaut. Cist.* 4. 1. 3. Cistella cum crepundiis. Adde *eumd. ibid.* 3. 7. et *Rud.* 4. 4. 65.; et *Ter. Eun.* 4. 6. 15. *Cic.* 1. *Herenn.* 12. 21. Saturninus legem ferre cœpit, collegæ intercedere: ille nihilominus cistellam detulit. *Quidam leg.* sitellam. At *V.* CISTA 2. *Isid.* 20. *Orig.* 9. Cistella a costis ex canna vel ligno, quibus contexitur, nominata. *quod etymon sane falsum.*

CISTELLĀRIUS, a, um, adject. ad cistellam pertinens. *Cistellaria* inscripta est una ex Plauti comœdiis, in qua solutio Fabulæ oritur reperta et agnita cistella cum crepundiis, ex quibus filia parentes, hi filiam agnoscunt. Hujus comœdiæ mentionem faciunt *Varro* 7. *L. L.* 64. *Müll.*; et *Non.* p. 63. 33. *Merc.*

CISTELLATRIX, icis, f. 3. ancilla, quæ dominæ cistellas, seu arculas servat. *Plaut. Trin.* 2. 1. 22. Flabelliferæ, sandaligerulæ, cantrices, cistellatrices.

CISTELLŬLA, æ, f. 1. *deminut. tripl. a* cista, parva cistella. *Plaut. Rud.* 2. 3. 60. Ubinam ea fuit cistellula? Adde *eumd. Amph.* 2. 2. 141.

CISTERNA, æ, f. 1. Juxta *Paul. Diac.* p. 43. 12. *Müll.* vox hæc derivatur ex eo, quod *est cis, id est infra terram*: at minus inepte juxta *Voss.* a *cista.* — Est autem receptaculum subterraneum aquæ pluviæ ex stillicidiis collectæ ad hominum usum, idque in tectis fiebat; contra *lacus* ad pecorum usum fiebat sub dio, ut colligimus ex *Varron.* 1. *R. R.* 11. 2. Si omnino aqua non est viva, cisternæ faciundæ sub tectis, et lacus sub dio: ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti possit. Adde *Senec. Ep.* 86.; *Colum.* 1. *R. R.* 5. 2.; *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 21. (31). et 36. *ibid.* 23. 52. (172).; *Martial.* 3. 56.; *Tac.* 5. *Hist.* 12.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 17., ubi ejus faciendæ rationem tradit. — Apud *Petron. fragm. Tragur.* 73. *Burmann.* mentio fit *cisternæ frigidariæ*, quæ videtur esse locus subterraneus, in quo reponuntur æstate cibi, ne corrumpantur. — Etiam ad vinum custodiendum cisterna veteres utebantur, ut patet ex *Dig.* 47. 2. 21. § 5.

CISTERNĪNUS, a, um, adject. ad cisternam pertinens. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 6. Vasa in aqua fontana, vel cisternina mergere. Adde *Senec. Ep.* 86. et *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. et *Apic.* 2. 2.

CISTHOS, i, m. 2. κίσθος, frutex, quem et cittaron vocant, seu cissaron, major thymo, foliis ocimi. Ejus duo sunt genera floris colore distincta: masculus florem habet roseum, femina album. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 48. (81). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 251.) hanc exhibet synonymiam: I. Κίσθος ἢ κίτταρον ἢ κίσσαρον Dioscor. 1. 126. et *Cisthos flore masculo roseo* Plin. l. c. sunt *Cistus mas folio rotundo hirsutissimo* C. Bauh. Pin. 464. et *Cistus pilosus* L. Spec. plant. 736. — II. Κίσθος θῆλυ Dioscor. 1. 128. et *Cisthus femineus flore albo* Plin. l. c. sunt *Cistus femina* Clus. Hist. 1. 70. et *Cistus salvifolius* L. Spec. plant. 738. — De *cisto ledo V.* LEDON.

CISTĪBERIS, e, adject. qui est cis Tiberim. Affertur locus *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 33. Hi, quos cistiberes diximus. Ita in celebri editione *Torrentini*: at *Haloander* habet *cis Tiberim.*

CISTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (cistam et fero) κιστοφόρος, qui cistam fert. *Martial.* 5. 17. 4. Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo Nubere; nupsisti, Gellia, cistifero. *h. e.* vilis ministerii homini. Alii intelligunt cistas ferentem in sacris Bacchi, vel Cereris alii Judæum, cujus cophinus fœnumque supellex, ut ait *Juvenal.* 3. 14. *Turneb.* l. 3. c. 21. in libris suis legebat *cistigero*: at omnino legendum *cestifero.* *V.* CESTIFER.

CISTŎPHŎROS *Græca positione*, vel *Latina*

CISTŎPHŎRUS, i, m. 2. κιστοφόρος. Apud *Liv.* 37. 46. et 39. 7., nec non apud *Paul. Diac.* p. 78. 14. *Müll.* legitur *cistophorûm* in Genitivo plur. pro *cistophororum.* — Est omnino vox Græca et significat qui cistam fert, cistifer. ¶ 1. De iis, qui in sacris cistam ferebant. *Inscript.* apud *Don.* p. 62. et 135., quæ est apud *Orell.* 2318. L. LARTIO ANTHO CISTOPHORO AEDIS BELLONAE. *h. e.* mysteria in cista ferenti in sacris ejus deæ. ¶ 2. Fuit etiam nomen argentei nummi Asiatici, in quo sculpta erat imago cistæ arcana Bacchi continentis: cujusmodi visuntur adhuc in nummis quibusdam M. Antonii, apud *Vaillant.* et alios. Ejus meminit *Cic. Dom.* 20. 52., 2. *Att.* 6. 2., 2. *ibid.* 16. 4. et 11. *ibid.* 1. 2. necnon *Liv. locc.* sub init. *cit.* Ejus valor erat quatuor circiter denariorum, *h. e.* fere trium lire *Italiane.* Porro quod ait *Cic. citat.* 11. *Att.* 1. 2. se habere in Asia ad HS. *bis et vicies in cistophoro*, idem est ac si diceret *in pecunia Asiatica.* — De nummis cistopho-

ris accurate agit *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 352. et *seqq.*

CISTŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a cista, cistella, parva cista. *Plaut. Amph.* 1. 1. 264. Ubi patera nunc est? ΜΕ. In cistula Amphitruonis obsignata signo est. Adde *eumd. Rud.* 2. 3. 58. *Martial.* 4. 46. Pereæ cistula non capax olivæ. Adde *Apul.* 9. *Met.*

CĬTĀTĒ, adverb. (citatus). Occurrit tantummodo Comp. *Citatius* et Superl. *Citatissime. Quintil.* 11. 3. 112. Matronarum gravior ingressus est; ancillæ citatius moventur. *Id.* 1. 1. 37. Nomina quædam affectatæ difficultatis quam citatissime volvere.

CĬTĀTIM, adverb. celeriter. *Cic.* 14. *Att.* 20. Citatim scribere. *At hoc loco valde dubia est lectio: certior est* apud *Auct. B. Afr.* 80. Ipse cum expedita copia in eum locum citatim contendit.

CĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. accitus, vocatio. ¶ 1. In jure est citatio, vocatio in jus. *Cod.* 1. 12. 6. § 4. Citatio edictorum solemnium. ¶ 2. In re militari est imperium, vel signum vocale, quo ad belli munia milites citantur. *Hygin. Gromat.* p. 14. *col.* 2. *ad fin.* Milites non plus, quam tripartiti esse debent, nec longe ab alterutro, in unam tesseram suo vocabulo citationis habeant.

CĬTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad citandum pertinens, hoc est ad vocandum in jus. Hinc *citatorium*, *ii*, vocatio in jus. *Imp. Anastas. Cod.* 12. 22. 2.

CĬTĀTUS, a, um. *V.* CITO, as.

CĬTĒ, adverb. pro *cito* legit *Rhodius* apud *Scribon. Compos.* 198.

CĬTER, citra, citrum, adject. Comp. *Citerior*, ius sub *B*; et Superl. *Citimus* et antique *Citumus, a, um* sub *C.* — *Citer* a cis est qui cis, seu prope nos est (It. *posto di qua*; Fr. *qui est en deçà*; Hisp. *colocado en acá*; Germ. *diesseitig*; Angl. *on this side, this way, nearer*).

A) Positivum *citer* perantiquum est et pæne obsoletum. *Cato* apud *Priscian.* 3. *p.* 599. *Putsch.* et 14. *p.* 989. Citer ager allegatus ad sacra erit. Adde *Afranium* apud *eumd.* 3. *p.* 607. — *Ceterum de formis citra et citro tamquam adverbiis V.* CITRA et CITRO suis locis.

B) Comp. *Citerior* est usitatissimum: et

I.) Proprie refertur ad locum, eique *ulterior* opponitur. *Cic. Prov. cons.* 15. 36. Alter ulteriorem Galliam decernit, alter citeriorem. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Legiones, quas in Gallia citeriore conscripserat. *Id.* 8. *ibid.* 23. Cæsare in Gallia citeriore jus dicente. Rursus *Cic.* 12. *Att.* 36. 4.; *Varro* 1. *R. R.* 57. 2.; *Nepos Cat.* 2.; *Liv.* 39. 56.; *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 2. (6). et 3. *ibid.* 3. 4. (18). et alibi; *Tac.* 1. *Hist.* 49. et *Flor.* 4. 2. 29. Hispania citerior. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Quod est citerioris provinciæ extremum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (213). Arabia citerior. *Id.* 13. *ibid.* 15. 29. (95). Mauretania. *Flor.* 4. 12. 46. Oceanus. *Vellej.* 2. 107. 1. ripa.

II.) Translate refertur — *a*) Ad spatium, sed figurate; et fere occurrunt *citeriora* plur. num. absolute, substantivorum more. *Cic.* 5. *Tusc.* 25. 71. Quanta rursus animi tranquillitate humana et citeriora considerat. *Id.* apud *Non.* p. 85. 20. *Merc.* Quare, si placet, deduc orationem tuam de eo loco ad hæc citeriora. *Alii, inter quos* Forcellinus, *leg.* citima. *Id.* 3. *Leg.* 2. 4. Atque ut ad hæc citeriora veniam et notiora nobis. *Id.* 2. *Fam.* 12. 1. Ita molestæ Quinquatrus afferebantur: nam citeriora nondum audiebamus. *Val. Max.* 3. 8. *extern.* 1. Cura citerior. *Id.* 9. 12. 6. Cum in carcerem duceretur, in ejus postem eliso capite, in ipso ignominiæ aditu concidit, ac spiritum posuit, uno gradu a publico supplicio manuque carnificis citerior. *h. e.* remotus, absens: unus enim gradus deerat, ut ad publicum supplicium perveniret. — *b*) Item ad tempus. *Vellej.* 1. 17. 2. In antiquius citeriusve. *Val. Max.* 2. 7. *extern.* 10. Citerioris ætatis meta. *h. e.* brevioris. *Id.* 8. 15. 1. Africano consulatus citerior legitimo tempore datus est. *h. e.* quam legitimum tempus ferebat. *Id.* 6. 3. 11. Citeriorem delicto præbuit ultionem. *h. e.* priorem delicto: delictum punit, priusquam admitteretur. *Dig.* 23. 4. 15. Reddere aliquid citeriore die. cui ibid. *opponitur longiore.* — *c*) Raro admodum ponitur de gradu, et significat minorem. *Quintil. Declam.* 299. In parricidæ cruciatu cum omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est pœna, quam scelus. — *NB.* Adverb. CITERIUS. *V.* in CITRA.

C) Superl. *Citimus* occurrit apud *Cic.* 6. *de republ.* 15. Luna, quæ ultima a cælo, citima terris, luce lucebat aliena. *Id. Tim.* 7. Citima pars. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (213). Citima Persidis. *subaudi* loca. Adde *Paul. Diac.* p. 42. 12. *Müll.*, qui *citimum* exponit extremum: intellige proximum nobis; et *Non.* p. 85. 16. *Merc.* — *NB.* Adverb. CITIME. *V.* loco suo.

CĬTĒRĬA appellabatur effigies quædam arguta et loquax ridiculi gratia, quæ in pompa vehi solita est. Cato in M. Cœlium: quid ego cum illo dissertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria atque cum spectatoribus sermocinaturum? Hucusque *Paul. Diac.* p. 79. 20. *Müll.* Ceterum *citeria* esset quasi pica loquax, ex κίττα pica et ἐρεῖν dicere, ut *Martinius* conjectat.

CĬTĔRĬOR, ius. *V.* CITER sub *B.*

CĬTĔRĬUS, adverb. *V.* CITRA.

CĬTHĂRA, æ, f. 1. κιθάρα, instrumentum musicum, de cujus forma et origine *V.* CHELYS, et *Isid.* 2. *Orig.* 3. 22. (It. *cetera*; Fr. *cithare, luth, lyre*; Hisp. *laud*; Germ. *d. Cither*; Angl. *a harpe, viol, lut, cittern*).

I.) Proprie. Forma citharæ initio similis fuisse traditur pectori humano, quod uti vox de pectore, ita ex ipsa cantus ederetur, appellataque eadem de causa. Nam pectus Dorica lingua κιθάρα vocatur. Antiquæ autem cithara septem chordis erat, unde *Virg.* 6. *Æn.* 646. Septem discrimina vocum. Cf. *Boeth.* 1. *Music.* 20. Simplicem principio fuisse (*in cithara*) musicam refert Nicomachus, adeo ut quatuor nervis tota constaret: idque usque ad Orpheum duravit: nil vero in eis esse inconsonum, ad imitationem scilicet musicæ mundanæ, quæ quatuor constat elementis: cujus quadrichordi Mercurius dicitur inventor. Quintam chordam post Chorœbus Athys filius adjunxit, qui fuit Lydorum rex: Hyagnis vero Phryx sextum his apposuit nervum. Sed septimus nervus a Terpandro Lesbio adjunctus est, secundum septem planetarum similitudinem. His octavam Samius Lycaon adjunxit: Prophrastus vero Pariotes, ad graviorem partem unam addidit chordam, ut faceret totum enneachordum: Hestiæus Colophonius decimam in graviorem partem coaptavit chordam: Thimotheus vero Milesius undecimam. Sed addita est una chorda, quæ dicitur proslambanomenos, ab aliquibus autem prosmelodos. — Cithara concavitatem ligni inferius habet (quam Gr. μαγάδιν vocant, *Cic.* vero 2. *Nat. D.* 59. 149. cornu ad nervos resonans in cantibus). — Differt a lyra, ut diximus in CHELYS. Nam citharæ Apollo inventor dicitur, lyræ Mercurius. *Sidon. carm.* 1. 7. Arcas et Arcitenens fidibus strepuere sonoris: Doctior hic citharæ pulsibus, ille lyræ. Apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (204). inventio citharæ ab aliis Amphioni, ab aliis Orpheo, ab aliis Lino tribuitur. — Promiscue tamen non raro a poetis adhibetur: cujus rei exemplum habes apud *Ovid. Heroid.* 15. 200. et 202., et 2. *Fast.* 104. et 115. — *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam. Adde *Lucret.* 2. 28.; *Varron.* 2. *R. R.* 1. 3. et 8. *L. L.* 61. *Müll.*, et *Tibull.* 2. 3. 12. *Virg.* 6. *Æn.* 120. Orpheus Threicia fretus cithara fidibusque canoris. *Id.* 9. *ibid.* 776. cui carmina semper Et citharæ cordi numerosque intendere nervis. *Horat.* 1. *Od.* 15. 15. Imbelli cithara dividere carmina. *Id.* 2. *ibid.* 12. 4. Molles citharæ modi. *h. e.* versus lyrici. *Ovid.* 5. *Met.* 232. Movere ora vocalis ad citharam. Adde *Phædr.* 3. 16. 12. et 4. 19. 20. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (28). Cithara canere. Alter *Plin.* 5. *Ep.* 19. Cithara perite uti. *Quintil.* 12. 10. 68. In cithara quinque constituerunt sonos: plurima deinde varietate complent spatia illa nervorum, atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos gradus habeant. *Id.* 1. 10. 3. Canere laudes deorum ad citharam. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 14.

II.) Figurate ponitur pro ipso citharæ sono. *Propert.* 2. 10. 10. Citharam aliquem docere. *Virg.* 12. *Æn.* 394. lætus Apollo Augurium citharamque dabat. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 34. 4. *Id. Horat.* 2. *Sat.* 3. 105. Citharæ studium.

CĬTHĂRĬCEN, cinis, m. 3. qui cithara canit: fictum nomen a *Varron.* 8. *L. L.* 61. *Müll.* Cum a tibiis et canendo tibicen dicitur, quærunt, cur non a cithara citharicen.

CĬTHĂRISTA, æ, m. 1. κιθαριστής. ¶ 1. Est qui citharam pulsat sine cantu; ut *citharœdus* est, qui cum sono citharæ vocem conjungit. Hoc enim discrimen tradunt *J. Scalig.* et *Voss.* Et sane id poscit Græca appellatio. Nam κιθαριστής est a simplici κιθάρα; at κιθαρῳδός, ex κιθάρα et ἀείδω cano. *Cic.* 5. *Phil.* 6. 15. Saltatores, citharistas, totum denique comissationis Antonianæ chorum. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 20. 53. — Illud tamen discrimen non est perpetuum. Nam *Id.* 2. *Divinat.* 64. 133. citharistam dixit de eo, qui citharœdus fuit, nempe de Amphione. ¶ 2. Etiam de quocumque poeta generatim occurrit apud *Venant.* 9. *carm.* 7. 9. Pindarus Grajus, meus inde Flaccus Sapphico metro, modulante plectro, Molliter pangens citharista, blando Carmine lusit. — De nomine propr. *V.* ONOM.

CĬTHĂRISTRĬA, iæ, f. 1. κιθαρίστρια, quæ citharam pulsat. *Ter. Phorm.* 1. 2. 31. Quamdam nactus est puellulam citharistriam: hanc amare cœpit perdite. *Id. ibid.* v. 59. hanc eamdem *fidicinam* appellat. — *Citharistria* est etiam eadem ac citharœda, quæ nempe et citharam pulsat et voce canit. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *in carm.* 2. Bimari remittat urbe Citharistrias Corinthus: Digiti quibus canentes, Pariter sonante lingua, Vice pectinis fatigent Animata fila pulsu.

CĬTHĂRIZO, as, are, n. 1. κιθαρίζω. — Part. *Citharizans.* — Citharizo est citharam pulso. *Nepos Epam.* 2. Nam et citharizare, et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio. *Vulgat. interpr. Apocal.* 14. 3. Vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. *Id.* 1. *Cor.* 14. 7. Quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur.

CĬTHĂRŒDA, æ, f. 1. quæ ad citharæ sonum cantat. *Inscript.* apud *Gruter.* 654. 2., quæ est apud *Orell.* 2611. CLAVDIAE CITHAROEDAE CONIVGI OPTIMAE etc. Adde aliam apud *Murat.* 941. 1.

CĬTHĂRŒDĬCUS, a, um, adject. κιθαρῳδικός, ad citharœdum pertinens. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (204). Citharœdica carmina. *Id.* 9. *ibid.* 8. 8. (28). et *Sueton. Ner.* 40. Citharœdica ars. *Sueton. Ner.* 25. et *Eutrop.* 7. 14. Citharœdicus habitus. *Dig.* 50. 16. 127. Citharœdica vestis. De citharœdi habitu ac veste V. *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60., et *Annal. dell' Instit. archeol. T.* 9. *p.* 252.

CĬTHĂRŒDUS, i, m. 2. κιθαρῳδός, qui ad citharæ sonum canit. *Cic. Mur.* 13. 29. Aulœdus fit, qui citharœdus esse non possit. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 80. 325. et 5. *Tusc.* 40. 116.; et *Horat. A. P.* 355. *Quintil.* 1. 12. 2. Citharœdi simul et memoriæ, et sono vocis, et pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant: ne pes quidem otiosus certam legem temporum servat: et hæc pariter omnia. *V.* CITHARISTA. Adde *Sueton. Ner.* 20. — Non omnes, qui habent citharam, sunt citharœdi. proverb. apud *Varron.* 2. *R. R.* 1. 3. *h. e.* non ideo quis peritus est in ea arte, cujus artis instrumenta abunde possidet.

CĬTHĂRUS, i, m. 2. κίθαρος, piscis marinus e rhomborum genere, pessimi succi. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146).

CĬTĬCŬLA. *V.* COTICULA.

CĬTĬMĒ. *V.* CITRA.

CĬTĬMUS, a, um. *V.* CITER sub *C.*

CĬTĬPES, pĕdis, adject. comm. gen. (citus et pes) celeripes. *Diomed.* 3. p. 472. *Putsch.* Citipedem hunc cursum reperisse testificantur.

CĬTĬRĒMIS, e, adject. (citus et remus). *Argo citiremem* dixit *Varro* apud *Charis.* 1. p. 94. *Putsch.*, *h. e.* quæ remis cita fertur.

CĬTŌ, adverb. Comp. *Citius*; et Superl. *Citissime.* — Cito est brevi tempore, sine mora, celeriter (It. *presto, tosto, in breve*; Fr. *vite, promptement, avec rapidité*; Hisp. *aprisa, apriesa, de pronto, prestamente*; Germ. *auf rasche, hurtige, schnelle Weise, geschwind, ungesäumt, ohne Verzug und Aufschub*; Angl. *soon, shortly, quickly, speedily, without delay*).

I.) Proprie ponitur de ratione vel modo. *Cato R. R.* 3. Si cito exsolveris (oleam), damni nihil erit ex tempestate. *Plaut. Cist.* 4. 2. 82. Eloquere: unde hæc sunt tibi, cito, crepundia. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 45. Cito transcurrito rursum curriculo domum. *Id. ibid.* 2. 1. 36. Quantum citius possum, mihi navem paro (pro *quam cito.* non imitandus). *Id. Aulul.* 4. 1. 14. Citis quadrigis citius properare. *Id. Pers.* 3. 3. 30. Citius fugere quam leporem. Adde *eumd. Pœn.* 3. 1. 64. *Ter. Andr.* 1. 5. 20. Abi cito, et suspende te. *Id. ibid.* 3. 1. 16. Hui, tam cito? *Id. Eun.* 1. 2. 98. Labascit, victus uno verbo quam cito! *Id. ibid.* 3. 5. 23. Tacitus citius audies. *Id. Hecyr.* 3. 1. 8. Sic citius, qui te expediat his ærumnis, reperias. Adde

eumd. ibid. 5. 2. 15. et 3. 3. 4. et *Adelph.* 3. 3. 89. *Lucret.* 1. 550. Citius dissolvi quam refici. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 146. Quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, umquam omnino posse perdiscere. *Id.* 9. *Fam.* 3. 1. Quid potissimum scribam? quod velle te puto, cito me ad te esse venturum. *Id.* 16. *ibid.* 20. Confido si diligentiam adhibueris, cito te firmum fore. *Id. Amic.* 21. 78. Nimis cito. *Id.* 3. *Verr.* 9. 26. Cito absolvere, tarde condemnare. *Id. Senect.* 2. 4. Obrepere ajunt eam citius quam putassent. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Per temonem percurrere, et inde se in currus citissime recipere consueverunt. *Virg.* 5. *Æn.* 242. Noto citius volucrique sagitta Ad terram fugere. *Id.* 1. *ibid.* 146.; *Horat.* 2. *Sat.* 2. 80. et *Petron. Satyr.* 131. dicto citius. *Horat. A. P.* 335. Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta Percipiant animi dociles. *Id.* 1. *Od.* 13. 20. Citius suprema die. *h. e.* prius: antequam suprema dies veniat. *P. Syrus Sent.* 6. Ad pœnitendum properat cito qui judicat. *Id. ibid.* 528. Pars beneficii est, quod petitur, si cito neges. *Ovid.* 3. *Art. am.* 685. Nec cito credideris. *Id.* 5. *Fast.* 547. Solito citius. *Id.* 10. *Met.* 33. Serius aut citius. *Phædr.* 3. 6. 2. Quam tarda es! inquit: non vis citius progredi? *Id.* 3. 14. 10. Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris. *Quintil.* 10. 3. 10. Cito scribendo non fit, ut bene scribatur; bene scribendo fit, ut cito. Et Comp. *citius* pro positivo *cito* apud *Senec. Apocol.* 7. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam, dicito. Cf. *eumd. Agam.* 965. et *V.* OCIUS. — *Sat cito, si sat bene*, scitum dictum *Catonis* apud *Hieronym. Ep.* 66. *n.* 9.

II.) Improprie, haud aliter ac Græcum τάχα. — *a*) Speciatim. Cito ponitur pro facile, præcipue cum particulis negativis. *Ter. Adelph.* 3. 3. 89. Homo antiqua virtute ac fide: haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice. *Cic. Brut.* 76. 265. Quem tu non tam cito rhetorem dixeris, quam, ut Græci dicunt, πολιτικόν. *Id. ibid.* § 264. Sed neque aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. — *b*) Item speciatim Comparativum *citius quam* ponitur pro *prius quam, potius quam*; haud aliter ac Græcum θᾶσσον ἤ. *Plaut. Amph.* 1. 3. 6. Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum, citius quod non facto est usus fit quam quod facto est opus. Adde *eumd. Pers.* 3. 3. 30. *Cic.* 6. *Verr.* 26. 59. Vox me citius defecerit, quam nomina. *Id.* 1. *Offic.* 18. 59. Vicinum citius adjuveris, quam aut fratrem, aut familiarem. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 2. 10. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 35. Eripiet quivis oculos citius mihi quam etc. Adde *Ovid.* 2. *Pont.* 8. 65. *Liv.* 8. 32. Vitam sibi eripi citius quam gloriam rerum gestarum posse. Adde *Quintil.* 1. 3. 12. — *c*) Denique sæpissime occurrit in formula *citius dicere*. *Cic. Brut.* 67. 238. Ut eam (*accusationem*) citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. *Id.* 2. *Tusc.* 20. 46. Quod quidem citius dixerim solum, quam non summum bonum. *Id.* 2. *Phil.* 11. 25. Quid non sit citius, quam quid sit, dixerim. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 21. 60.

CĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* a cieo. Part. *Citatus B.* 4. et 5.; *Citaturus B.* 7. — Cito est valde moveo, permoveo, tota vi studioque moveo (It. *muovere con tutta la forza*; Fr. *mouvoir fortement, secouer violemment*; Hisp. *mover fuertemente, sacudir violentamente*; Germ. *mit aller Gewalt, Anstrengung, Absicht in Bewegung setzen*; Angl. *to excite, stir up, rouse*). Duo præcipue significat, hoc est *A*) Simpliciter et proprie est aliquid vehementer celeriterque movere; *B*) Ratione habita loci, ad quem aliquid movetur atque impellitur, est invitare, vocare.

A) Simpliciter et proprie est aliquid vehementer celeriterque movere: et occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) De inanimis. *Stat.* 8. *Theb.* 124. Ut leo, Massyli cum lux stetit obvia ferri, Tunc iras, tunc arma citat. (Sic *Virg.* 12. *Æn.* 6. Tum demum movet arma leo). *Sil. It.* 4. 538. Citare hastam. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 510. Citare gradum. *h. e.* celerius movere. *Lactant.* 7. 6. Ventorum spiritus citant nubes. — Sæpius hac significatione usurpatur Part. præter. pass. *Citatus*, quod *V.* in fin. — *b*) Ponitur etiam de animo. *Cic.* 3. *Tusc.* 11. 24. Cum omnis perturbatio sit animi motus, isque motus aut boni, aut mali opinione citetur, etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 10. 20 *Stat.* 6. *Theb.* 834. Ergo ubi luctandi juvenes animosa citavit Gloria etc. ¶ 2. Speciatim de iis omnibus ponitur, quæ naturâ suâ vitam promovent: et quidem — *a*) In animalibus cum opposito *tardare*, ut apud *Cels.* 2. 19. Aliæ citant urinam, aliæ tardant. *Id.* 6. 9. *ad fin.* Alumen scissile in foramen conjectum dentem citat. *Id.* 4. 6. Imponitur medicamentum, quod humorem illuc citet. *Id.* 5. 28. n. 13. Medicamenta, quæ pus citent; deinde quæ purgent. Cf. *Citatus* in fin. — *b*) Item de arboribus, cum radices aut ramos promovent, emittunt, producunt. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 5. Recidere radices, si quas in summo solo citaverint. Adde *eumd.* 7. *Arbor.* 2. *Id.* 3. *R. R.* 6. 2. Si vitis virgam cum aliquibus racemis citat. *Id.* 4. *ibid.* 15. 2. Citare materiam ex arcu. Adde *eumd.* 10. *Arbor.* 3. 7. *Id.* 4. *R. R.* 24. 8. palmitem. *Id.* 3. *ibid.* 10. 3. stirpes e duro. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 6. fructum e duro.

B) Ratione habita loci, ad quem quis movetur atque impellitur, citare est invitare, nomine vocare. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 18. *Omnes Danai atque Mycenenses Attica pubes*, reliquique Græci, qui hoc anapæsto citantur. *h. e.* recitantur, nominantur. *Lucret.* 5. 943. Ut nunc montibus e magnis decursus aquai Claru' citat late sitientia sæcla ferarum. *Ovid. Heroid.* 7. 101. Hinc ego me sensi noto quater ore citari. *Sil. It.* 11. 93. an tua, Virri, prima atque ante alios sors — te citat. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 142. ad frena citavit olores. ¶ 2. Speciatim occurrit de numinibus, quorum opem imploramus. *Catull.* 61. 42. Audiens se citarier ad suum munus (*Hymen*). *Ovid.* 5. *Fast.* 683. Sive ego te feci testem falsoque citavi Non audituri numina magna Jovis. Huc pertinet et illud *Cic.* 1. *Orat.* 59. 251. Citare Pæanem aut Nomionem (*sic enim legendum, non ut alii munionem*: cf. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 27. et *V.* NOMION). *h. e.* canticum canere in honorem Pæanis aut Nomionis; qua ratione dicimus etiam *ciere vocem*. Similiter *Horat.* 1. *Sat.* 3. 7. si collibuisset ab ovo Usque ad mala citaret « Io Bacche » . *Bentlej.*, non tamen recte, contendit legendum esse *iteraret*. ¶ 3. Item de senatoribus, qui convocantur. *Liv.* 1. 47. Patres in curiam per præconem ad regem Tarquinium citari jussit. Adde *eumd.* 3. 38. *Id.* 9. 30. Citare senatum. *Id.* 27. 24. senatum in forum. ¶ 4. Item est singulos nomine vocare ad eosdem recensendos et recognoscendos. — *a*) Generatim. *Liv.* 6. 20. In Campo Martio centuriatim populum citare. *h. e.* ad suffragia danda. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 2. Mancipia vincta, quæ sunt ergastuli, per nomina quotidie citare debebit. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Citatus ab imperatore (*miles*). — Similiter occurrit de censore, qui ante se adstare jubebat quemcumque aliqua nota et animadversione dignum putabat. *Liv.* 29. 37. Cum ad tribum Polliam ventum est, et præco cunctaretur citare ipsum censorem, Cita, inquit, M. Livium. — Item de præcone, qui victorem ad se vocatum prædicabat. *Nepos præfat.* Magnis in laudibus tota fere fuit Græcia victorem Olympiæ citari. *h. e.* publicari, prædicari. Sic *Stat.* 6. *Theb.* 922. Thebarumque ingenti voce citari Victorem. — *b*) Speciatim est singulos nomine vocare ad nomina danda præcipue in delectibus. *Varro* apud *Non. p.* 19. 11. *Merc.* M.' Curius cos. Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem. *Liv.* 2. 28. Citare nominatim juniores. Adde *eumd.* 2. 29.; *Epit. Livii* 14.; et *Val. Max.* 6. 3. 4. *Sueton. Ner.* 44. Citare tribus ad sacramentum. ¶ 5. Item citari dicuntur judices, necnon actores et rei, qui ad tribunal adesse jubentur. *Cic.* 3. *Verr.* 7. 19. Quo quidem die primum, judices, citati in hunc reum, consedistis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 38. 69. *Id. Divinat. in Cæcil.* 13. 41. Citatur reus. V. *Klotz* ad *h. l. Id.* 4. *Verr.* 40. 97. Citat reum; non respondet. Citat accusatorem —; citatus accusator — non respondit, non adfuit. Adde *eumd. ibid.* 38. 92. *Id. Dom.* 18. 46. Qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus. *Ascon.* ad *Cic. Cornel. p.* 59. 11. *Bait.* Cum citati accusatores non adessent. Adde *Sueton. Tib.* 11.; *Quintil.* 6. 4. 7.; et *Dig.* 5. 1. 73. *pr.* et 49. 14. 15. § 2. ¶ 6. Hinc *citare aliquem* est etiam accusare. Jocolariter *Plaut. Curc.* 1. 3. 6. Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? *Vitruv.* 7. *præfat.* 9. *Schneid.* Non aliter videtur promereri, qui citat eos, quorum responsum, quid senserint, scribentes, non potest coram indicari. *h. e.* Zoilus, qui Homerum mille annos jam mortuum vituperasset coram Ptolemæo Ægypti rege. — Hinc sæpius in judicio *citari reum* est accusari. *Cic. Rabir. perduell.* 11. 31. Omnes ii abs te rei capitis C. Rabirii nomine citantur. *Id. Sext.* 15. 35. Cum equester ordo reus a consulibus citaretur. *Id. Mil.* 19. 50. Tota denique rea citaretur Etruria. — Et figurate *Flor.* 1. 3. 5. Citavere nefas leges. ¶ 7. Denique *citare testem* est aliquem ad testificandum advocare, alicujus testimonium allegare. — *a*) In re judiciali. *Cic.* 4. *Verr.* 59. 146. In hanc rem testem totam Siciliam citabo. *Id. Quinct.* 11. 37. In hanc rem te, te, inquam, testem, Nævi, citabo. Adde *Sueton. Cæs.* 74. et *Dig.* 22. 5. 3. § 6. — *b*) Extra judicium. *Liv.* 38. 47. Quos ego testes citaturus fui rerum a me gestarum. *Petron. Satyr.* 2. Citare poetas ad testimonium. — *c*) Et de inanimis. *Cic.* 1. *Off.* 22. 75. Quamvis — citetur Salamis clarissimæ victoriæ testis. *Liv.* 4. 20. Veteres annales et magistratuum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores. — Hinc Part. præter. pass.

Citatus, a, um, Adjective quoque occurrit, unde Comp. *Citatior* et Sup. *Citatissimus* sub *a*. Itaque citatus est vehementer motus, permotus, adeoque ad cursum incitatus, citus, celer: eique opponitur *tardus* ut apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (219). Arteriarum pulsus — per ætates stabilis, aut citatus, aut tardus. Ceterum occurrit — *a*) Generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Equo citato Larissam contendit. Adde *Liv.* 1. 27. *Id. Liv.* 1. 57. Omnes citatis equis advolant Romam. Adde *eumd.* 3. 46., et cf. *Virg.* 12. *Æn.* 373. Rursus *Liv.* 23. 19. Amnis citatior imbribus. *Id.* 35. 30. Agmen citatum. *Id.* 27. 50. Citatiore, quam venerat, agmine ad stativa sua pervenit. *Id.* 22. 6. *ad fin.* Quam citatissimo poterant agmine sese abripuerunt. *Id.* 28. 14. *ad fin.* Citato gradu in hostem ducebant. Adde *Curt.* 4. 16. 6. et *Senec. Hippol.* 9. *Catull.* 63. 2. pede. *Id.* 63. 26. tripudiis. *Propert.* 1. 8. 23. Citati nautæ. *Sueton. Ner.* 5. jumenti. *Seneca Hippol.* 1001. passus. *Id. Herc. fur.* 178. flumen. *Id. ibid.* cursus. *Id. Med.* 852. Vultus citatus ira. *h. e.* permotus, turbatus. *Id. Herc. Œt.* 1900. Vosque mundi turba citati. *h. e.* cœli, quod perpetuo celerique motu fertur. *Id. Hippol.* 1048. rates. Cf. *Lucan.* 8. 456. Cyproque citatas Immisere rates. *Juvenal.* 1. 60. dum pervolat axe citato Flaminiam. *Sil. It.* 8. 663. Citatus currus. *Id.* 4. 6. volucrique citatior Euro. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (63). Alvus citatior. *h. e.* fluxior, cita, soluta. *Stat.* 1. *Theb.* 93. lapsis citatior astris. *Id.* 6. *ibid.* 771. interdum nutu capitisque citati Integer obsequio. *Claudian.* II. *Cons. Stilich.* 335. de *leonib.* ventoque citatis Terrificant Atlanta jubis. — Interdum ita jungitur Verbo, ut Adverbii vicem gerere videatur. *Cæs.* 4. *B. G.* 10. Rhenus per fines Trevirorum citatus fertur. *Liv.* 41. 3. Ferunt citati signa. *Seneca Thyest.* 21. Res deus nostras celeri citatus Turbine versat. *Sil. It.* 10. 11. penna citatior ibat. — *b*) Speciatim ponitur de celeri ac vehementi oratorum et histrionum recitatione. *Quintil.* 9. 4. 138. In argumentis citati atque ipso etiam motu celeres sumus. Cf. *eumd.* 9. 4. 135. Argumenta citata atque acria. *Id.* 11. 3. 111. Roscius citatior, Æsopus gravior fuit. *Id.* 11. 3. 17. Aliis locis citata, aliis pressa conveniet pronunciatio. *Gell.* 1. 11. *a med.* Soni tum placidi, tum citati.

CĪTŎCĂCĬUM, ii, n. 2. herba eadem ac chamelæa apud *Apul. Herb.* 111., quæ eo nomine vocatur, quia alvum concitat, teste *Isid.* 17. *Orig.* 9 65. Citocacia dicta, quod ventrem cito depurget, quam vulgus corrupte citocotiam vocant.

CĬTRA est aut *A*) Adverbium, aut *B*) Præpositio accusativa.

A) Adverbium *citra* proprie est Ablativus singularis numeri et generis feminini a *citer*; hinc proprie *citra*, subaudi *parte*, est in hac parte, quæ cis est: unde Comp. *Citerius* sub 2. *a*.; Superl. vero *Citime* affertur quidem a *Priscian.* 15. *p.* 1016. *Putsch.*, sed sine exemplis (It. *al di qua*; Fr. *en deçà*; Hisp. *en acá*; Germ. *auf, nach dieser Seite, diesseits*; Angl. *on this side*). Occurrit autem ¶ 1. Stricto sensu, simpliciter sive de quiete, sive de motu agatur; eique opponitur *ultra*, ut apud *Ovid.* 3. *Met.* 186. inque petendo Dextera diriguit nec citra mota nec ultra. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 31. (62). Quamvis ultra citraque pervolent. *Id.* 2. *ibid.* 17. 14. (73). Cum citra fuere margines totidem partibus, et ipsæ ocius redire creduntur. *Id.* 3. *ibid.* 6. 13. (80). Citra est Oglasa, intra vero Planaria. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 11. 12. (30). ¶ 2. Latiori sensu, ratione habita alicujus termini, quo duæ res invicem separantur vel dividuntur: et quidem *a*) Ratione habita spatii. *Cic. Top.* 9. 39. Non erit necesse id usque a capite arcessere: sæpe etiam citra licet, dummodo etc. *Liv.* 10.

25. Ad castra Appii prætoris pergit: paucis citra millibus lignatores ei cum præsidio occurrunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 13. 10. (86). Coitus Lunæ defectus fit semper citra, quam proxime fuerit. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (180). Vinculo mox adstrictus a tertia gemma adligari (*debet palmes*), quoniam et sic densiores citra pampini exsultant. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 17. 14. (73). *Tac.* 3. *Hist.* 23. Et falso ictu tela hostium citra cadebant. *Quintil.* 8. 6. 76. Meliusque ultra quam citra stat oratio. *Seneca* 1. *Ira* 16. *ante med.* Modo ultra quam oportet excurrit, modo citerius debito resistit. — *b*) Ratione habita mensuræ vel gradus: quo sensu occurrit *citra quam* pro *minus quam, aliter quam*. *Ovid.* 3. *Art. am.* 757. Neve domi præsume dapes: et desine citra, Quam capies, paullo, quam potes esse minus. *Id.* 1. *Pont.* 7. 55. Culta quidem (*fateor*) citra, quam debuit, illa.

B) *Citra* est etiam præpositio, quæ regit Accusativum, idem quod *cis*, quantum ad significationem, ut *Gell.* 12. 13. docet: sed differt quantum ad usum. Occurrit autem

I.) Proprie de loco seu spatio, sive de quiete, sive de motu agatur; ita ut *citra locum aliquem esse* dicatur, quod ad illum non pervenit, sed intra remanet. *Cic.* 16. *Fam.* 2. 15. Locus est citra Leucadem stadia CXX. *Id.* 16. *Att.* 7. 5. Erat cum navibus apud Heletem fluvium, citra Veliam. *Id. Orat.* 18. 58. Ipsa enim natura in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam. *h. e.* ante tertiam syllabam a postrema. *Id.* 6. *Phil.* 3. 5. Ut exercitum citra Rubiconem educeret. *Cæs.* 6. *B. G.* 32. Citra Rhenum. *Id.* 6. *ibid.* 8. Ut omnes citra flumen eliceret. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 47. Citra mare. *Id.* 1. *ibid.* 10. 31. Mare citra. *Id.* 1. *ibid.* 1. 106. Quos (*fines*) ultra citraque nequit consistere rectum. *Liv.* 1. 38. Citra Collatiam. *Id.* 4. 32. Citra Fidenas. *Id.* 21. 48. Citra flumen. *Id.* 22. 14. Citra Gabios. *Id.* 24. 13. Citra Iberum. *Id.* 38. 38. Citra Calycadnum. *Id.* 38. 48. Citra Tauri juga. *Id.* 21. 54. Hannibal Numidas equites jubet hostem cedendo sensim citra flumen pertrahere. Adde *Quintil.* 1. 5. 30. — Similiter *citra* ponitur, cum quid intra materialem vel externam aliquam mensuram remanet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (72). Citra XLVI partes. *Id.* 2. *ibid.* 17. 15. (77). Citra vicesimam quintam partem.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad tempus, et ponitur pro ante. *Ovid.* 8. *Met.* 365. Forsitan et Pylius citra Trojana periisset Tempora. *Id.* 10. *ibid.* 84. Citra juventutem. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 3. Citra Kal. Octobres seminare convenit. *Quintil. Declam.* 12. Citr. aut ad rogos. Adde *Gell.* 12. 13. *Dig.* 49. 16. 15. Citra temporis finem. ¶ 2. Refertur et ad mensuram, eleganterque ponitur pro intra: habet enim eam vim, ut *citra aliquid esse* dicatur, quod ad illud non pervenit, sed intra remanet. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 23. Quia peccavi citra scelus. *Id.* 2. *ibid.* 127. Vita data est, citraque necem tua constitit ira. *Id.* 10. *Met.* 607. Nec virtus citra genus est. *Cels.* 1. 2. *a med.* Exercitationis finis esse debet lassitudo, quæ citra fatigationem sit. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 5. Glans, cum citra satietatem capris data est. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 13. 2. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (35). Bdellium gustu amarum citra acorem. *Id.* 19. *ibid.* 8. 54. (171). Citra intellectum acrimoniæ. ¶ 3. Locum habet etiam cum duo inter se comparantur, et *citra aliquid* idem est atque eo non æstimato, non considerato. *Ovid.* apud *Quintil.* 12. 10. 75. Ut lana tincta fuco citra purpuras placet. *Mela* 1. 19. 17. Citra magnitudinem prope Ponto similis. *Tac. Agric.* 10. Et est ea facies (*Britanniæ*) citra Caledoniam. *Dig.* 3. 6. 9. Citra pretii æstimationem quæritur de calumnia ejus. ¶ 4. Occurrit de eventibus, et *citra rem* idem est quod quin eadem res eveniat, vel locum habeat. *Cels.* 1. 6. Citra sudorem ungi. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 16. Ut conceptum ferro divisum citra matris perniciem partibus educat. *Id.* 11. *ibid.* 3. 55. Quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam convalescit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 51. 52. Marcia partu exanimato ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. (79). Odor aggravans capita, citra dolorem tamen. *Id.* 8. *ibid.* 38. 57. (136). Citra morsum. *Id.* 20. *ibid.* 21. 84. (225). Citra vulnus. Adde alter. *Plin.* 2. *Ep.* 1. *Quintil.* 2. 16. 13. Citra docentem aliquid scire. *Id.* 1. 10. 35. Si nec dici citra scientiam musices potest. *Id.* 12. 10. 26. Phidias in ebore citra æmulum fuit. ¶ 5. Generatim ponitur de quocumque statu, conditione, ratione; et citra ponitur pro extra vel sine. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 10. Sed citra hoc experimentum multa sunt, quæ – significant etc. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 76. (123). Morbus regius fit etiam citra febres. *Id.* 32. *ibid.* 10. 39. (118). Ita condire carnem, ut citra fastidium sumi possit. *Id.* 7. *ibid.* 37. 37. (124). Citra deformitatem oris curata orbitas luminis. *Id.* 7. *ibid.* 29. 30. (108). Citra invidiam. *Id.* 31. *ibid.* 2. 18. (24). Citra suspicionem ullam aquæ. *Sueton. Aug.* 43. Solebat etiam citra spectaculorum dies id extra ordinem quolibet loco publicare. *Inscript.* apud *De Vita, Antiq. Benev.* p. 233. HIC OPVS QVADRIGAE CVM EFFIGIE IMP. HADRIANI AVG. CITRA VLLIVS POSTVLATIONEM MVNICIPIBVS SVIS OBTVLIT. ¶ 6. Denique latiori sensu etiam pro præter ab argenteæ ætatis scriptoribus usurpatur. *Gell.* 2. 3. Citra morem ceterarum civitatum. *Flor.* 3. 1. *de Jugurtha.* Citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude præcipuus, fraude caperetur. *Sueton. Aug.* 24. Citra senatus populique auctoritatem. *Dig.* 17. 1. 10. § 10. Citra mandatum. Adde *Cod.* 4. 71. 14.

CĬTRĀGO. *V.* CITREAGO.

CĬTRĀRĬUS, ii, m. 2. citreorum venditor. *Neapolitanorum citrariorum* mentio est in *Inscript.* apud *Murat.* 1480. 1., quæ est apud *Orell.* 4211.

CĬTRĀTUS, a, um, adject.

A) A *citro*, et est citro illitus, Gr. κεδρωτός. *Cassius Hemina* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (86). Et libros citratos fuisse: propterea arbitrarier tineas non tetigisse. Ita *Harduin.* ex MSS. Alii leg. *cedratos*, eodem sensu. *Harduini* vero lectionem secutus est etiam *Sillig.*

B) A *citra*, et est citra positus: legitur apud *incert. Auct. de limitib.* p. 298. 299. *Goes.*, sed vox est lapsæ Latinitatis, quemadmodum et *ultratus*, quod *ibidem* habetur.

CĬTRĔA, æ. *V.* CITREUS in fin.

CĬTRĔĀGO *vel* citrāgo *vel* citriāgo, inis, f. 3. herba apibus gratissima, eadem quæ apiastrum; ita dicta quod citrei mali odorem redolet. *Pallad.* 5. *R. R.* 8. 6. Adde *eumd.* etiam 1. *ibid.* 37. 2., ubi pleræque editiones habent *citrago*, Jensoniana A. 1472. *citriago.*

CĬTRĒTUM, i, n. 2. locus citris consitus. *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 14. Citreta tegumentis defenduntur a frigore.

CĬTRĔUM, i. *V.* voc. seq.

CĬTRĔUS *vel* citrius, a, um, adject. Citrius legitur apud *Pallad.* 8. *R. R.* 3. 2. in editione *Aldina* a. 1514., necnon in *Gryphiana* et *Commeliniana*: at *Jensoniana* editio a. 1472. habet *citreus.* — Ceterum *citreus* dicitur qui ex citro est: et quidem ¶ 1. Ad citrum malum, cujus arbor in Media nascitur, pertinens; de qua V. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (14). et CITRUS 1. *Oppius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. Citreus malus. *Cloatius* apud *Macrob. l. c.* Citreum malum. *Martial.* 13. 27. *in lemmate.* Mala citrea. — Hinc *Citreum*, *i*, n. 2. absolute, subaudi *malum*, substantivorum more usurpatur a *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 56. (105). Citrea contra venenum in vino bibuntur vel ipsa, vel semen. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 28. 33. (110).; et *Scribon. Compos.* 158. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 15. Citreum et in arbore potest per totum annum custodiri. Adde *Macrob. l. c.* ¶ 2. Item *citreus* est generatim ad cujuscumque citri fructum pertinens. Hoc sensu occurrit apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (64).; et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 13. et 8. *ibid.* 3. 2., ubi alii leg. *citrius* eadem significatione: *V.* quæ diximus sub init. hujus vocis. *Id. Pallad. insit.* 109. Citrei rami. ¶ 3. Denique *citreus* dicitur qui est ex ligno citri Africanæ, sive ejus quæ in Maurorum finibus plurima nascitur et laudatissima. *V.* CITRUS 2. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. Tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro abstulisti. Adde *Petron. Satyr.* 119. v. 29.; *Martial. in lemmate* 14. 89.; et *Dig.* 19. 1. 21. § 2. *Horat.* 4. *Od.* 1. 20. Citrea trabs. ubi *al. leg.* cypria. *V. Orelli h. l. Pers.* 1. 53. Lecti citrei. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 45. (88). Citreum oleum. — Hinc

Citrea vel citria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ipsa citri arbor. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 44. (107). Citreæ et juniperus et ilex anniferæ habentur. Adde *Isid.* 17. *Orig.* 7.

Citreum, *i*, n. 2. absolute. *V.* supra sub 1.

CĬTRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. præced. in fin.

CĬTRĬNUS, a, um, adject. citreus, ut *citrinus cucumis*, *h. e.* citri colorem habens. apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (65)., ubi tamen *Harduin.* rectius *cerinus* legi ex quodam MS. contendit. Nostram lectionem tuetur *Schneid.* ad *Colum.* 10. *R. R.* 389. et 398.: *Harduini* lectionem probat *Sillig.*

CĬTRĬUM, ii, n. 2. species cucurbitæ. *Apic.* 1. 21. et 4. 3.

CĬTRĬUS, ii, f. 2. idem ac citrus. *Pallad.* 8. *R. R.* 3. 2. Hoc tempore inoculari ficus, et inseri citrius potest. *Al. leg.* citreum. *V.* CITREUS sub init.

CĬTRO, adverb. Proprie est Dativus singularis numeri a *citer*, scilicet *citrō*, subaudi *loco*, aut absolute Neutrorum more. Porro *citro* est idem quod *citra*, sed adhibetur tantum cum *ultro* junctum tribus iis modis, quos inferius afferemus. Itaque *ultro citroque* significat huc et illuc, hinc et illinc; atque usurpatur de rerum motu, qui ab hac in alteram partem ac deinde ab altera in hanc partem fit, necnon de iis, quæ ab altero erga alterum invicem aguntur, ideoque significat etiam mutuo, invicem (It. *di qua e di là, scambievolmente*; Fr. *çà et là, de part et d'autre, réciproquement, mutuellment*; Hisp. *acá allá, de acá de allá, reciprocamente*; Germ. *hinüber und herüber, hin und her, wechselweise, gegenseitig*; Angl. *up and down, this way and that, to and fro, backward and forward, mutually, reciprocally*). Tribus modis, ut diximus, *citro* et *ultro* hac significatione junguntur; scilicet — *a*) Sæpius et apud optimos Scriptores *ultro citroque* occurrit. *Cato R. R.* 33. Ultro citroque sulcos ducere. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (195). *Cic.* 7. *Verr.* 66. 170. Ultro citroque navigare. *Id.* 2. *Nat. D.* 33. 84. Ultro citroque commeare. ubi *alii leg.* ultro citro. Adde *Auct. B. Afr.* 20.; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (104). (ubi antiquissima editio a. 1469., *Harduin.* et *Sillig* habent *ultro citroque*; editiones vero aliæ multæ, Aldina, Elzeviriana et antiquæ a. 1470. 1472. habent *ultro citro*) et 13. *ibid.* 17. 32. (106).; et *Sueton. Cal.* 19. *ubi pariter al. leg.* ultro citro. Rursus *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 28. Ultro citroque versari. *Id.* 6. *de republ.* 9. 9. Multis verbis ultro citroque habitis. *h. e.* mutuo, invicem. *Lucret.* 4. 36. Ultro citroque volitare. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Cum sæpe ultro citroque legati inter eos mitterentur. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 20. et *Liv.* 5. 8. *Auct. B. Hisp.* 22. Responsis ultro citroque acceptis et redditis. *Liv.* 40. 40. Ultro citroque transcurrere. *Id.* 3. 5. clades illatæ et acceptæ. *Id.* 7. 9. querimoniæ jactatæ. *Id.* 44. 23. obsides datæ. *Id.* 29. 23. Data ultro citroque fide. *h. e.* mutuo, invicem. *Seneca Ep.* 73. Ultro citroque fluere. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 1. (5)., 27. *ibid.* 1. 1. (3). et 35. *ibid.* 12. 46. (161). orbem terrarum portare. *Cajus* 3. *Instit.* 24. capere hereditatem. *Apul.* 1. *Met.* discurrere. — *b*) *Ultro et* (*vel ac*) *citro* raro usurpatur. *Cic. Rosc. Am.* 22. 60. Postea homines cursare ultro et citro non destiterunt. ubi *Priscian.* 15. p. 1011. *Putsch.* ultro citroque *legit. Id. Amic.* 22. 85. Ultro et citro implicari. *Id.* 1. *Off.* 17. 56. Beneficiis ultro et citro datis acceptisque. *h. e.* mutuo: *ubi al.*, ut Gulielm., Gruter. etc., *leg.* ultro citro, *al.* ultro citroque. *Varro* 3. *R. R.* 5. 16. Pisciculi ultro ac citro commeant. — *c*) Denique usurpatur etiam *ultro citro* omissa conjunctione, quod in familiari sermone ac certis quibusdam dicendi rationibus usuvenisse videtur; pari enim modo *præsente absente* legitur apud *Ter. Eun.* 5. 9. 29. Sic *velit nolit*, *justa injusta*, *digna indigna* optimi quique scriptores dicunt, ut *Donatus* ad *Ter. loc. cit.* adnotavit. *Vitruv.* 5. 4. 2. *Schneid.* Ultro citro aliquid crebre facere. *Liv.* 9. 45. Ultro citro oratione habita. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. 29. alternatis æstibus. *Apul. de deo Socrat.* 6. portare aliquid. *Ulp. Dig.* 2. 13. 6. § 3. dare.

CĬTRŌSUS, a, um, adject. ad citrum pertinens. *Nævius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. Citrosa vestis. *juxta illud Homeri* Θυώδεα εἵματα, *h. e.* odore mali citrei fragrans. Solebant enim citrea vestibus interponere, quia tineas necant, ut *Oppius* tradit apud *Macrob. ibid.* Ceterum *Nævii* locus etiam apud *A. Mai. T.* 8. *Class. Auct.* p. 116. sic legitur: puram ex auro vestemque citrosam. — Quod vero *Paul. Diac.* p. 42. 14 *Müll.* ait *citrosam vestem* dictam esse a similitudine citri, *Scalig.* putat, hoc eum licet dicere, quod sit undatim crispa ad similitudinem ligni citrei. Quod quam verum sit, *Paul. Diac.* ipse viderit. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 22. 20. Citrosa (vestis), quasi concrispa ad similitudinem citri. *Nævius*: Pulchramque ex auro vestemque citrosam.

CĬTRUM, i, n. 2. citri lignum. Occurrit in *Caton.* apud *Fest.* p. 242. 21. *Müll.*; *Varron.* 3. *R. R.* 2. 4.; et *Vellej.* 2. 56. 2. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (231). Citrum secatur in laminas. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 1. 1. (12). et 13. *ibid.* 15. 29. (91). *Martial.* 10. 98. Et citrum vetus, Indicosque dentes. *h. e.* mensam, aut lectum discubitorium, aut aliud quidpiam ex citro factum. *Id.* 10. 80. Inspicit aut pueros, nobiliusque citrum. Adde *eumd.* 9. 60., 12. 67. et 14. 138.

CĬTRUS, i, f. 2. κέδρος. Duæ sunt arbores apud Latinos hoc nomine, ambæ a cedro diversæ: ne quis putet, quod idem utrique generi Italum nomen datur, eamdem arborem esse. ¶ 1. Una est arbor toto anno pomifera, folia habens lauri, fructum aureo colore, odore gratissimo, quæ etiam malus *Assyria*, *Medica*, *Persica* appellatur, cujus fructus *citreum malum* dicitur. Nascitur in Media, Assyria, Perside, Italia, etc. Hujus meminit *Virg.* 2. *G.* 126.; *Servius* ad hunc loc.; et *Isid.* 17. *Orig.* 7. quam *citriam* vocat. Triplex est, alia profert poma aurantia, alia citrea, alia *limones*, ut vocant: quæ genera rursus in varia genera tribuuntur, de quibus Hortorum studiosi consulendi sunt. — Pomo citreo veteres non vescebantur, sed usi ad odorem conciliandum. Præterea in vestibus condebatur, quia et gratissimum odorem iis conciliat, et eas a tineis servat. (*V.* CITROSUS). Vim habet etiam adversus venena. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (100).; *Cloatius* et *Oppius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 11. Arbor citri. *V.* ASSYRIUS et cf. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (14). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 100.) ait hanc arborem citri esse *malum medicum*, *Citrum medicum* L. ¶ 2. Altera est in Maurorum finibus plurima nascens et laudatissima, ex qua nobiles mensæ, et ingentis pretii fiebant, ut quæ latifundii taxatione aliquando venierint. Est autem cupresso feminæ similis folio, odore, caulice; radice valde crispa, et quæ præcipue in operis æstimatur. Totum vero lignum contra omnia vitia validissimum est, et immortalitate materiæ præstantissimum. Hæc et alia multa *Plin.* 13. *c.* 15., ubi in vulgatis libris, inquit *Harduin.*, legitur *arbor cedri*, reclamantibus MSS. tum hoc loco, tum in *Indice l.* 1. *sect.* 29., ubi habetur, *de citri arbore, et de citreis mensis.* Et 5. *ibid.* 1. 1. (12). scribit in Mauritania *ebore citroque* silvas exquiri. Non desunt tamen, qui *citrum* et *cedrum* unam arborem esse putant. Viderint φυτικώτεροι. — Arboris hujus et mensarum ex ea meminere etiam *Lucan.* 9. 427. et 10. 144.; *Petron. Satyr.* 119.; *Martial.* 9. 60. et 14. 89. et 90., *itemque iis locis*, *quos in voce præced. attulimus*; et *Stat.* 3. *Silv.* 3. 94. etc. — Hæc ab Homero Θύον appellata est, ab aliis Θύα. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (100). *Propert.* 3. 5. 63. *thyiam* vocat. — Ejus usus in mensis ante Ciceronis tempora Romæ ignorabatur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (91). — Provenit etiam circa Hammonis delubrum, et in inferiore *Cyrenaicæ* parte. *Theophrast.* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (100). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 98.) hanc exhibet synonymiam: Θύον Homer. Odyss. 5. 60.; Θυία et Θυίας Theophrast. Hist. 5. 5.; Θυία Athen. 15. 207. et *Citri arbor Plin. l. c.* sunt *Cedrus Atlantica* Anguill. et *Thuya articulata* Desfont. Fl. atl. 2. 353.

CĬTULE, adverb. deminut. a *cito*, quidam leg. apud *Apul.* 10. *Met.* Protinus gradus citule referens. Ita *Aldus* cum aliis; sed *Elmenhorst.*, *Pricæus*, *Floridus* et *Oudendorp.* habent *scitule*; et quidem recte: nam hic observat, celeritatem indicari voce *protinus*, præterea nullum adesse exemplum adjectivi *citulus*, cum e contrario præsto sit auctoritas adjectivi *scitulus* a *Plauto* præsertim usurpati, quem potissime imitatur *Apulejus*.

CĬTUM, i, n. 2. *V.* HERCTUM.

CĬTUS, a, um, proprie est Partic. præter. pass. a *cieo*, idem quod citatus, motus, permotus. *Horat. Epod.* 9. 20. Hostiliumque navium portu latent Puppes sinistrorsum citæ. Cf. *Cels.* 2. 3. *ad fin.* Cita alvus. — At sæpius est Adjectivus, unde Comp. *Citior* et Superl. *Citissimus*; et idem est quod incitatus, celer, velox (It. *presto*, *veloce*; Fr. *prompt*, *rapide*; Hisp. *pronto*, *rápido*, *veloz*; Germ. *schnell*, *rasch*, *in raschem Laufe*; Angl. *swift*, *quick*, *nimble*, *speedy*). *Nævius* apud *Paul. Diac.* p. 352. 22. *Müll.* Topper citi ad ædis venimus Circæ. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 86. Hercle est ad perdundum magis, quam ad scribendum citus amator. *Id. fragm.* apud *Paul. Diac.* p. 61. 16. *Müll.* Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quam famam reor. *Lucret.* 1. 378. Duo corpora lata si cita dissiliant. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Vox acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva. *Catull.* 63. 42. Somnus fugiens citus abiit. *Sall. Cat.* 15. Citus modo, modo tardus incessus. *Virg.* 4. *Æn.* 574. Solvite vela citi. *Id.* 9. *ibid.* 37. Ferte citi ferrum. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 425. *Horat.* 1. *Od.* 37. 24. Nec latentes Classe cita reparavit oras. *Id.* 1. *Sat.* 10. 92. I puer, atque meo citus hæc subscribe libello. *Ovid.* 3. *Art. am.* 65. Cito pede labitur ætas. *Id.* 2. *Met.* 562. Ite citi. Adde *eumd.* 2. *Pont.* 4. 25. *Liv.* 33. 48. Nocte via cita regionem quamdam transgressus. *Val. Max.* 3. 8. *extern.* 1. Dum aliud forte citioris curæ negotium tractatur. *h. e.* quod minorem patitur moram, quod magis urget. *Tac.* 12. *Ann.* 12. Si citi advenissent. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Tac.* 1. *Ann.* 63. agmine. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 42. (72). alvus. *Ovid.* 2. *Fast.* 244. aquæ. *Id.* 2. *Met.* 75. axis. *Catull.* 55. 26. (*al.* 58. 9.). bigæ. *Ovid. Heroid.* 5. 20. canes. *Poeta trag.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 67. classis. *Tac.* 12. *Ann.* 31. cohortes. *Seneca Hippol.* 1074. currus. *Id. ibid.* 395. cursibus. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 52. equi. *Plaut. Amph.* 1. 1. 88. equites. Adde *eumd. Stich.* 2. 2. 66. *Quintil.* 6. 4. 14. factum citissimum. *Ovid.* 1. *Met.* 543. fuga. *Tibull.* 4. 1. 97. funda. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 11. horæ. *Tac.* 15. *Ann.* 38. ignis vento. *Id.* 14. *ibid.* 26. legiones. *Id.* 16. *ibid.* 11. milites. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 8. et 2. *Od.* 16. 29. mors. *Seneca Hippol.* 961. mundus. *Ovid.* 15. *Met.* 732. navis. *Tac.* 2. *Ann.* 6. naves remis. *Id.* 2. *Hist.* 40. Numida equo. *Ovid.* 2. *Fast.* 741. passu. *Horat. Art. P.* 252. pes citus iambus. *h. e.* qui brevis est temporis, et cito profertur. Sic *celeres iambos* dixit *Id.* 1. *Od.* 16. 24. *Ovid.* 10. *Met.* 591. plantis. *Catull.* 64. 6. et *Tibull.* 4. 1. 69. puppis. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 14. et *Virg.* 8. *Æn.* 642. quadrigæ. *Ovid. Heroid.* 21. 70. ratis. *Tac.* 1. *Hist.* 53. Cito sermone homo. *h. e.* prompto. *Virg.* 5. *Æn.* 610. tramite. *Horat. Epod.* 17. 7. et *Tibull.* 1. 5. 3. turbo. *Horat.* 1. *Od.* 37. 18. venator.

CĪVĬCA, æ, f. 1. subaudi *corona*. *V.* voc. seq. sub *b.* et in fin.

CĪVĬCUS, a, um, adject. Apud *Liv.* 1. 40. juxta optimos MSS. codices *vicinæ* pro *civicæ* recte corrigitur in illis verbis: Regnare Romæ advenam non modo vicinæ, sed ne Italicæ quidem stirpis. — Civicus est ad cives pertinens, idem quod civilis; nisi quod *civicus* poeticum est, *civilis* vero in prosa oratione usitatior (It. *da cittadino*, *civile*; Fr. *de citoyen*, *civil*; Hisp. *civil*, *lo que toca y pertenece al derecho de ciudad*; Germ. *zum Bürger*, *zur Bürgerschaft gehörig*, *ihn* (*sic*) *betreffend*; Angl. *relating to a citizen*, *civil*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. fragm.* apud *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.* Qui ilico erat intra muros civicos. *h. e.* intra muros patriæ urbis et civitatis. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 23. Civica jura. *Id.* 2. *Od.* 1. 1. Motus civicus. *Id.* 3. *ibid.* 24. 26. Civica rabies. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 126. bella. *Id.* 1. *Fast.* 22. Ferre arma civica pro reis. *h. e.* dicendi facultatem adhibere in reis defendendis. *Sil. It.* 8. 21. invidia. *Quintil.* 9. *Declam.* 16. Concupiscere quamdam humanitatis civicam gloriam. *h. e.* quæ ex cive servato nascitur. *Flor.* 4. 2. 75. furor. Adde *eumd.* 3. 21. 5. *Inscript.* apud *Orell.* 4360. amor. — *b*) Speciatim *Corona civica*, inter militares nobilissima, dabatur ei, qui civem in pugna, occiso hoste, servasset. Eam dabat ipse civis servatus servatori suo, testem vitæ salutisque perceptæ, ut *Gell.* 5. 6. loquitur. Fuit primo ex fronde iligna: postea magis placuit ex æsculo Jovi sacra: demum ex quercu. *V.* QUERCUS. Eamdem ex gramine factam commemorat *Vet. Scholiastes ad Cic. Planc.* 30. 72. in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 75.: sed fortasse perperam *Scholiastes* coronæ civicæ tribuit, quod proprium erat obsidionalis. — Leges ad merendam eam fuere: civem servare, hostem occidere; utque eum locum, in quo civem servavit, eo die obtinuerit: ut servatus fateatur; alias testes nihil prosunt: ut civis fuerit tam qui servarit, quam qui servatus est; auxilia enim, quamvis rege servato, decus id non dant. Sub imperatoribus eæ leges non semper servatæ sunt. Ipsis enim aliquando is honos habitus ob id solum, quod cives non occidissent, postquam assiduis bellis civilibus, meritum videri cœperat, civium sanguini pepercisse. Iidem jus eam tribuendi ad se traxere, nimirum aliquid rati de sua potestate, si privato civi tantum decus alteri conferre licuisset. Honores ejus, qui civicam obtinuerit, hi sunt: accepta corona licet uti perpetuo: ludos ineunti semper assurgi, etiam ab senatu in more est: sedendi locus in proximo senatui: vacatio munerum omnium ipsi, patrique, et avo paterno conceditur. Hæc ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 3. (7). et *Gell.* 5. 6., ubi plura de hac re. *Cic. Planc.* 30. 72. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, et se ab aliquo servatos esse fateantur. Adde *eumd. Pis.* 3. 6.; *Virg.* 6. *Æn.* 772.; *Ovid.* 1. *Fast.* 614. et 3. *Trist.* 1. 36.; *Liv.* 10. 46.; *Val. Max.* 3. 2. 24. et 2. 8. *ad fin.*; *Tac.* 12. *Ann.* 31.; *Masurium* apud *Gell.* 5. 6.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3567. — Hinc

Civica, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, eodem sensu. *Seneca* 1. *Clem.* 26. Multis salutem dare, et ad vitam ab ipsa morte revocare, et mereri clementia civicam. *Quintil.* 6. 3. 79. Civica donare aliquem. *Gell.* 8. 6. Civica dignus. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CĪVĪLIS, e, adject. Comp. *Civilior* et Sup. *Civilissimus* sub *B.* — Civilis, in prosa præcipue oratione usitatior quam *civicus* (*V.* CIVICUS), est ad cives pertinens (It. *di cittadino*, *cittadinesco*, *civile*; Fr. *de citoyen*, *civil*; Hisp. *civil*, *lo que toca y pertenece al derecho de ciudad*, *y de sus moradores*; Germ. *zum Bürger*, *zur Bürgerschaft gehörig*, *ihn* (*sic*) *betreffend*; Angl. *of or belongig to a citizen*, *civil*).

A) Externa seu politica ratione occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 31. 78. Dii inter se quasi civili conciliatione et societate conjuncti. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. 4. At debeo pro civili parte rempublicam velle salvam. *h. e.* quantum ad civem pertinet, spectat. *Liv.* 3. 28. Romani, civilem esse clamorem, atque auxilium adesse inter se gratulantes etc. *h. e.* civium suorum, non hostium. *Justin.* 12. *in fin.* Victus est non virtute hostili, sed fraude civili. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ovid.* 7. *Met.* 142. acies. *Cic. Divin. in Verr.* 5. 18. actio. *h. e.* qua cives jus suum forensi ratione persequuntur. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 47. æstus. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 6. et *Tac.* 1. *Ann.* 9. arma. *Cic.* 7. *Att.* 13. 9. et *pro leg. Manil.* 10. 28.; *Sall. Cat.* 47.; et *Nepos Att.* 7. bellum. *Horat. Epod.* 16. 1. et *Lucan.* 1. 1. bella. *Propert.* 2. 1. 27. busta. *Cic. Cæcin.* 7. 18. calamitas. *Id.* 5. *Fam.* 12. commutationes. *Id.* 5. *ibid.* 12. 2. conjuratio. *Id.* 1. *Offic.* 41. 148. consuetudo. *Id.* 1. *Orat.* 11. 49. controversiæ. *Horat.* 3. *Od.* 8. 17. curæ super urbe. *Vellej.* 2. 7. dignitas. *Tac.* 14. *Ann.* 60. discidium. *Sall. Cat.* 5. discordiæ. *Tac.* 1. *Ann.* 62. discordiæ. *Sall. Jug.* 41. dissensio. *Liv.* 7. 5. exemplum. *Id.* 42. 35. exercitus civilis. *h. e.* conflatus ex civibus. *Cic.* 7. *Att.* 13. facinus præclarum. *Id. Planc.* 10. 26. ferrum. *Horat.* 4. *Od.* 15. 18. furor. *Tac.* 1. *Ann.* 43. iræ. *Cic. Cæcin.* 26. 74. lex. *Ovid. Heroid.* 6. 35. Mars. *Liv.* 1. 47. mos. *Stat.* 1. *Silv.* 80. nefas. *Cic.* 13. *Phil.* 3. 5. odium. *Claudian. B. Get.* 565. odia. *Quintil.* 2. 4. 27. officia. *h. e.* munera, quæ a civibus tum publice, tum in administranda republica, tum privatim inter se geruntur. *Cic. Orat.* 9. 30. oratio. *h. e.* quæ habetur apud cives, popularis. *Id.* 7. *Phil.* 3. 7. pax. *Isid.* 2. *Orig.* 24. philosophia. scilicet ea, per quam totius civitatis utilitas administratur. *Tac.* 3. *Hist.* 15. præda. *Quintil.* 2. 15. 36. quæstiones. *Virg.* 6. *Æn.* 772. quercus. *h. e.* corona civica. *Cic.* 1. *Invent.* 5. 6. ratio. *h. e.* ἡ πολιτική, civilis reipubl. administratio. *Id.* 3. *Orat.* 16. 59. res. *Tac.* 2. *Hist.* 5. rerum civilium peritus. Cf. *Cic.* 1. *Orat.* 14. 60. rerum civilium cognitio. *Lucret.* 3. 70. et *Cic.* 15. *Fam.* 15. sanguis. *Cic.* 1. *Invent.* 5. 6. et 2. *Orat.* 31. 123. scientia. *h. e.* quæ docet rationem reipublicæ gerendæ, et inter cives vivendi. Adde *Quintil.* 2. 15. 33. *Sueton. Gramm.* 10. *in fin.* sermo. *h. e.* communis et vernaculus omnium civium. *Cic. Fontej.* 8. 16. studia *h. e.* æmulationes inter cives, ut *Forcellinus* interpretatur, seu potius civium inter se amor et favor. Aliter *Eutrop.* 8. 10. 10. studia civilia. *h. e.* scientiarum studia, quæ in republicæ otio ac tranquillitate quam maxime florent. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 16. undæ. *Sueton. Cal.* 52. vestitus. *h. e.* quo cives communiter utuntur. *Nepos Epam.* 10., *Sall. Jug.* 95. et *Tac.* 4. *Hist.* 38. victoria. *Tac.* 3. *Ann.* 54. victoriæ. *Quintil.* 1. *proœm.* § 10. et 11. 1. et 12. 2. vir. *h. e.* qui scit rempublicam administrare et cives regere; et ab Italis alicubi dicitur *repubblichi-*

ata, ἀνὴρ πολιτικός. ¶ 2. Speciatim. — a) *Jus civile* generatim dicebatur quod usuvenerat inter homines ejusdem civitatis, et præcipue quo unusquisque suum tuebatur. *Cic. Top.* 2. 9. Jus civile est æquitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas. *Id.* 1. *Orat.* 42. 188. Sit ergo in jure civili finis hic, legitimæ atque usitatæ in rebus causisque civium æquabilitatis conservatio. Adde *eumd. Cæcin.* 25. 70.; *Cajum* 1. *Instit.* 1.; et *Justin.* 1. 2. 1. — Erat et *jus civile*, quod Romæ invaluerat, ex principiis tum scriptis (XII Tab.), tum ex moribus atque consuetudine ortis, ut colligimus ex *Cic. Top.* 5. 28. Ut si quis jus civile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, juris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 5. 17. — b) Interdum *jus civile* opponitur *juri gentium* vel *naturæ* vel *naturali*, ut apud *Cic.* 1. *Off.* 17. 69. et 1. *ibid.* 5. 23., et *Sext.* 42. 91.; et *Dig.* 1. 1. 11. Attamen et hoc sensu semper dicebatur *jus civile*, numquam autem *jus civile Romanum*, vel *nostrum*. V. *Klotz* ad *Cic. Balb.* 11. 28. *vol.* 3. *p.* 1052. — c) Interdum idem *jus civile* opponitur *juri publico*; ut apud *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 5. 18., 3. *Verr.* 42. 108. et *Cæcin.* 3. 8.: *V. Klotz* ad *h. l. vol.* 1. *p.* 471. — d) Interdum *jus civile* opponitur *juri honorario* vel *juri prætorio*: namque civile antiquissimum erat, et legibus XII Tab., senatusconsultis ac plebiscitis maxima ex parte constabat; contra *jus honorarium* vel *prætorium* ex posterioribus prætorum edictis ortum erat, ut patet ex *Cic. Cæcin.* 12. 34. *V. Klotz* ad *h. l. vol.* 1. *p.* 490.; et cf. *Dig.* 1. 1. 7. *pr.* — e) Stricto sensu *jus civile* κατ' ἐξοχὴν, vel *auctoritas jurisperitorum* erat jus, quod ipsi jurisconsulti juris fontes interpretati paullatim invenerunt, sibique compararunt, quodque nullo peculiari nomine distinguebatur, quum *legis actiones* amplecteretur. *V.* hac de re *Liv.* 9. 46.; *Val. Max.* 2. 5. 2.; *Cic.* 6. *Att.* 1. 8. et 1. *Orat.* 41. 185.; et *Dig.* 1. 2. 2. § 5. et seqq. *Cic. Cæcin.* 12. 33. Ex jure civili agere. *Id.* 3. *Verr.* 42. 109. De jure civili novi quid instituere. *Id. Cæcin.* 3. 4. De jure civili fit judicium. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 39. Jura civilia. De hisce omnibus juris speciebus *V.* plura in JUS. — f) Hinc *civile* dicebatur quidquid ex humanis institutis vel ex jure criminali usuvenerat. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 5. 18.; *Cajus* 3. *Instit.* 84.; et *Dig.* 19. 5. 15. Actio civilis. *h. e.* actio ex jure civili. *Dig.* 38. 10. 4. cognatio. *h. e.* quæ a civili jure inducta, eique opponitur quæ est a natura. *Gell.* 12. 1. *in fin.* amor. *h. e.* qui oritur ex civium conjunctione inter se et opponitur *naturali*, qui oritur ex sanguine. *Dig.* 35. 1. 21. et 47. 1. 1. *pr.* Civilis constitutio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 77. 79. (188).; *Varro* 1. *R. R.* 28. 1.; et *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. Civilis dies. *h. e.* qui uno solis circumactu constat, et noctem etiam comprehendit, qualis apud Romanos fuit a media nocte ad mediam noctem; apud Athenienses inter duos occasus; apud Umbros a meridie in meridiem; apud Babylonios a sole exorto ad exortum sequentem: eique opponitur *naturalis dies*, qui est ab exorto ad occasum solis, ut est apud *Censorin. de die nat.* 23. *Cajus* 3. *Instit.* 133. et *Dig.* 2. 14. 7. § 2. Civilis obligatio. *h. e.* quæ a jure civili exoritur, et apud JCtos passim *naturali* opponitur. *Cajus* 1. *Instit.* 158. et 2. *ibid.* 110. Civilis ratio. *Papinian. Dig.* 28. 6. 7. Civilia verba. *h. e.* quibus in civilibus et forensibus actionibus ac formulis uti mos est. — Apud JCtos *civile* opponitur etiam *criminali*, ut est apud *Scævolam Dig.* 49. 5. 2.

B) Morali ratione eleganter *civilis* dicitur, qui moderatus est, et eadem cum aliis civibus ratione vivendi et agendi utens, atque adeo humanus, comis, facilis: et dicitur sæpe de viris principibus, qui civiliter et comiter cum inferioribus se gerunt, tamquam si æquo jure cum iis sint. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 13. Ipse pater patriæ (quid enim civilius illo?) Sustinet in nostro carmine sæpe legi. *Liv.* 5. 3. Si quidquam in vobis non dico civilis, sed humani esset. *Id.* 27. 6. Neque magistratum continuari satis civile esse. *Id.* 45. 32. Civilis animus. *Plin. Paneg.* 83. incessus. Adde *eumd. ibid.* 78. *Quintil.* 3. 8. 59. ingressus. *Tac.* 1. *Ann.* 33. Germanico civile ingenium, mira comitas. *Id.* 4. *Hist.* 3. Ut princeps loquebatur, civilia de se, de republica egregia. *Id.* 1. *Ann.* 12. Plusquam civilia agitare. Adde *eumd.* 2. *Ann.* 82. *Sueton. Claud.* 12. In semet augendo parcus atque civilis, prænomine imperatoris abstinuit. *Id. Vesp.* 11. Vespasianus civilis et clemens. *Id. Tib.* 11. Genus vitæ civile admodum instituit, sine lictore aut viatore gymnasia obambulans, mutuaque cum Græculis officia usurpans. *Id. ibid.* 26. Civilem admodum inter initia, ac paullo minus quam privatum, egit. *Id. Cæs.* 75. *in fin.* Civili animo ferre aliquid. *Id. Claud.* 1. et *Domit.* 12. Civilis animi esse. *Id. Vesp.* 9. Non oportere maledici senatoribus: remaledici civile fasque esse. *h. e.* a civibus passim usurpatum atque adeo inter cives ferendum. *Eutrop.* 7. 13. Civilis erga amicos. *Id.* 10. 16. in cunctos. Adde *eumd.* 8. 1., ubi Superlativus occurrit. *Spartian. Hadrian.* 20. In colloquiis, etiam humillimorum, civilissimus fuit. *Capitolin. Pertin.* 9. Civilem se salutantibus et interpellantibus semper exhibuit.

CĪVĪLĬTAS, ātis, f. 3. (civilis). ¶ 1. Ars seu prudentia tuendæ ac conservandæ civilis societatis. Ita hac voce usus *Quintil.* 2. 15. 33. Quam enim πολιτικὴν appellat *Plato in Gorgia*, ipse *civilitatem* vertit. *Id.* 2. 17. 14. Aristoteles rhetoricæ particulam civilitatis assignat. *h. e.* ait esse partem illius facultatis, qua civilis societas administratur. Adde *eumd.* 2. 15. 33. ¶ 2. Dicitur etiam *civilitas* ea virtus, quæ ad actus et vitam publicam pertinet, et in comitate quadam et modestia constituta est, superbiæ et crudelitati contraria. *V.* dicta in CIVILIS sub *B.* Hanc *Sueton.* Augusto tribuit, *in ejus Vita* 51., et cum clementia conjungit. *Id. Claud.* 35. Primis imperii diebus quamquam jactator civilitatis, neque convivia inire ausus est, etc. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 20. et *Eutrop.* 7. 21. et alibi.

CĪVĪLĬTER, adverb. Comp. *Civilius* legitur apud *Plin. Paneg.* 29.; Sup. *Civilissime* sub 2. — Civiliter est more civium, ut civem decet (It. *civilmente, da cittadino*; Fr. *en citoyen, comme il convient à un citoyen, civilement*; Hisp. *civilmente*; Germ. *auf bürgerliche Weise, wie es einem Bürger zukommt, bei ihm üblich ist*; Angl. *like a citizen, after the manner of a citizen*). ¶ 1. Externa seu politica ratione occurrit — a) Generatim. *Cic.* apud *Lactant.* 3. 14. Philosophiæ quidem præcepta noscenda, vivendum autem civiliter. (sed fortasse *Lactant.* non *Ciceronis* verba retulit, sed sententiam). *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. 3. Civiliter sine armis certare. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 583. *Liv.* 33. 46. Civiliter opibus suis uti. *Id.* 38. 56. Repulisse a corpore ejus viatorem, et tribunis retinentibus magis pie, quam civiliter vim fecisse. *Gell. præfat.* 18. Vir civiliter eruditus. *Juvenal.* 5. 112. Poscimus, ut cœnes civiliter. *h. e.* communi cum aliis convivis mensa, non ut alia tibi fercula vilia et minuta ponantur, aliis exquisitiora. *V. Plin.* 2. *Ep.* 6. et *Martial.* 3. 60. et 82. — b) Speciatim est secundum leges et jura civium. *Paul. Dig.* 50. 16. 134. Annum civiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numerare. *Martian. ibid.* 47. 10. 37. Injuriarum actio civiliter moveri potest. *Ulp. ibid.* 11. 6. 1. Qui civiliter obligatus non est. — c) Item speciatim apud *eumd. ibid.* 47. 2. 92. *Civiliter agere* et *criminaliter agere* opponuntur. *V.* CRIMINALITER. ¶ 2. Est etiam *civiliter* moderate, facile, comiter, eo modo, quo in CIVILIS sub *B.* dictum est. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 41. At quoniam semel est odio civiliter usus. *Seneca* 4. *præf. Excerpt. controv. de Augusto.* Non civiliter tantum, sed etiam familiariter questus est. *Tac.* 3. *Ann.* 76. Civiliter accipere aliquid. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 21. et 2. *Hist.* 91. *Eutrop.* 7. 8. *de Augusto.* Civilissime vixit.

CĪVIS, is, m. et f. 3. Antiquitus efferebatur *ceivis*, unde in *Tab. Bant.* legitur CEVS. Item *zib* et plur. num. *zibem* pro *civis* et *cives* occurrit in nummis Segestanis: *V. Ragguagli dei lavori academici della Società R. Borbon. per l'anno* 1828. *p.* 16. — Antiquissima forma CEIVEI vel *civi* communis fuit Dativo et Ablativo: in posterum autem factum est, ut Ablativus a Dativo distingueretur, sed tamen hoc nomen et novam formam *cive* et veterem *civi* retinuit. *Ovid.* 3. *Fast.* 282. Et cum cive pudet conseruisse manus. Adde *Juvenal.* 10. 278. Pro altera positione *Plaut. Pers.* 4. 3. 6. Atticam civitatem ausi civi femina. Adde *Cic.* 7. *Att.* 3. et 14. *ibid.* 11., itemque in aliis quinque locis, quæ affert *Priscian.* 7. *p.* 766. *Putsch.* in quibus omnibus *civi* haberi in vett. codd. tum ipse, tum *Voss. l.* 4. *de Grammat. c.* 12. testantur. Accedit analogiæ ratio. Recte enim dicimus *vecte* et *vecti*, *igne* et *igni*, *nave* et *navi*, et alia hujusmodi plurima, quæ *Voss. ibid.* congerit. V. *Zumpt.* in *Cic. Verrin. vol.* 1. *p.* 270. — Civis dicitur et est homo liber, urbis, aut oppidi incola, et eodem cum ceteris jure utens (It. *cittadino*; Fr. *citoyen*; Hisp. *ciudadano*; Germ. der *Bürger*; Angl. *a citizen, a free man or woman*). *Civi* opponitur vel *peregrinus* ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 35. 77. et 1. *Off.* 34. 124.; et *Liv.* 22. 35.: vel *advena*, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 31. 74.: vel *hospes*, ut apud *Ter. Phorm.* 2. 2. 14.: vel denique *hostis*, ut apud *Liv.* 8. 36.; *Horat.* 1. *Ep.* 17. 33.; *Ovid.* 13. *Met.* 234.; et *Curt.* 8. 14. 46. — Ceterum *civis* occurrit ¶ 1. Generatim — a) Masc. genere. *Ennius Ann.* 5. 2. Cives Romani tunc facti sunt Campani. *Cato R. R. præfat.* Quanto pejorem civem existimarint feneratorem, quam furem, hinc licet existimari. *Plaut. Rud.* 2. 4. 22. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat. *Ter. Andr.* 5. 3. 8. Præter civium morem atque legem. *Cic.* 7. *Verr.* 57. 147. Cervices in carcere frangebantur indignissime civium Romanorum, ut jam illa vox et illa imploratio: CIVIS ROMANVS SVM, etc. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 62. 162. *Id.* 3. *de republ.* 25. 37. Ut rex civibus suis aut parens liberis (*dicitur imperare*). *Id. Balb.* 13. 30. Asciscere aliquem civem. *Id.* 3. *Off.* 11. 47. Esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere. *Id. Arch.* 5. 11. Se gerere pro cive. *Id.* 13. *Fam.* 30. Fieri civem Romanum. *Id. Balb.* 11. 28. Duarum civitatum civem esse. *Id.* 1. *Off.* 34. 124. et 2. *ibid.* 23. 83. Civis bonus. *Id.* 9. *Att.* 19. Boni cives. *Id.* 1. *Off.* 25. 86. Gravis et fortis civis. *Id. Flacc.* 3. 8. Civis amantissimus reipublicæ. *Id. Sext.* 12. 29. bene meritus. *Id. Balb.* 21. 51. gravissimi et sapientissimi. *Id.* 4. *Tusc.* 19. 43. improbus. *Id.* 2. *Cat.* 6. 12. perditus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 13. seditiosi. *Id.* 1. *Cat.* 12. 29. clarissimi. *Nepos Att.* 3. Facere aliquem civem. *Sall. Cat.* 9. Cives cum civibus de virtute certabant. *Virg.* 12. *Æn.* 583. Exoritur trepidos inter discordia cives. *Horat. Epod.* 2. 8. potentiores. Adde *Senec.* 1. *Clem.* 5. 6. *Lex duod. tab.* in *Dig.* 48. 4. 3. Hostem civi tradere. — b) Fem. genere. *Plaut. Pers.* 4. 3. 6. Civis femina. *Id. Pœn.* 1. 2. 139. Civis Attica. *Ter. Eun.* 5. 2. 19. Civis virgo. *Id. ibid.* 4. 7. 35. Eam esse dico liberam, civem Atticam, meam sororem. Adde *eumd. Heaut.* 4. 7. 8., *Andr.* 1. 3. 16. et *ibid.* 4. 5. 41. *Cic. Balb.* 24. 55. Ad populum de Calliphana Veliense, ut ea civis Romana esset, tulisse. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 3523. ¶ 2. Speciatim quoties reperitur una cum pronominibus poss. *meus, tuus, suus*, etc., vel etiam absolute, ita tamen ut eadem pronomina poss. facile subintelligi possint, *civis* est qui sequiori ævo Latinitatis *concivis* dictus fuit. *Ennius* apud *Pers.* 6. 9. Lunai portum est operæ cognoscere, cives! *Plaut. Rud.* 3. 4. 37. Defende cives tuas senex. Adde *eumd. Aulul.* 3. 1. 1. et *Trin.* 1. 2. 63. *Cato* apud *Festum p.* 234. *Müll.* Camerini cives nostri oppidum pulcrum habuere. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 17. Te metuunt omnes cives tui. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 6. Dabunt mihi veniam mei cives. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 1., *Mil.* 14. 36. et 34. 93., 1. *Fin.* 4. 10. et 1. *Tusc.* 3. 5. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 53. O cives, cives, quærenda pecunia primum est. *Liv.* 4. 3. Quibus quid aliud quam admonemus, nos cives eorum esse. Adde *eumd.* 2. 2. *Aurel. Vict. Cæsar.* 13. *sub fin.* Ascito prius ad imperium Hadriano cive propinquoque. *V.* CONCIVIS. ¶ 3. Figurate. *Cic.* 1. *Legg.* 23. 61. Civis totius mundi. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CĪVĬTAS, ātis, f. 3. (civis). In Genitivo plurali habet *civitatum* et *civitatium*. Ac prior quidem positio passim legitur: altera vero habetur apud *Varron.* 8. *L. L.* 66. *Müll.*, ubi ait: In patrio casu hoc genus dispariliter dicitur, civitatum, parentum, civitatium, parentium. *Liv.* 42. 30. Optimam conditionem civitatium fore. Adde *eumd. ibid.* 44. et 45. 34.; *Quintil.* 2. 16. 4. et 2. 4. 33.; *Vellej.* 2. 42.; et *Annæum Cornutum* apud *Charis.* 1. *p.* 100. *Putsch.*; et cf. *Priscian.* 7. *p.* 771. *Putsch.* Quamvis autem non ubique editiones *Livii*, *Quintil.* et *Velleji* constantes fortasse sint, tamen vel una *Varronis* auctoritas dubitare non patitur. Adde in vetustis lapidibus et MSS. sæpissime legi *civitatium*, ac præcipue in *Cod. palimps. Cic. de republ.* ab *A. Maio* edito. — Ceterum *civitas* plura significat, accipi enim potest, ut docet *Verrius Flaccus* apud *Gell.* 18. 7., et pro loco et oppido, et pro jure quoque omnium, et pro hominum multitudine. Itaque commode ad duas præcipue significationes redigi potest, *A*) Abstractam alteram, *B*) alteram vero, uti ajunt, concretam.

I.) Proprie.

A) Abstracte civitas est ipsa civis conditio atque jura eidem conjuncta, sive ipsum jus civium, quod exactius *jus civitatis* a *Cic. Cæcin.* 34. 98., *Arch.* 5. 11. et *Balb.* 12. 29. appellatur. Porro hac significatione — *a)* Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Off.* 11. 35.; et *Liv.* 1. 3. et 6. 4. accipere aliquem in civitatem. *Cic. Cæcin.* 34. 99. et 100., et 35. 101. et *Dom.* 30. 79.; et *Sueton. Cæs.* 28. adimere civitatem alicui. *Cic. Balb.* 12. 36.; et *Sueton. Aug.* 40. adipisci. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 182., *Cæcin.* 34. 100. et *Dom.* 29. 77.; et *Nepos Att.* 3. amittere. *Liv.* 6. 40.; et *Tac.* 11. *Ann.* 24. asciscere aliquem in civitatem. *Cic. Arch.* 4. 6. ascribere aliquem in civitatem. *Lex* apud *eumd. Cic. loc. cit.* § 7. ascribere aliquem fœderatis civitatibus. *Id. Cic. ibid.* 5. 10. ascribere aliquem in aliis civitatibus. *Tac.* 11. *Ann.* 23. assequi civitatem. *Cic. Balb.* 13. 31. consequi beneficio alicujus. *Id. Arch.* 4. 7. et 5. 10. et *Balb.* 24. 88.; *Liv.* 1. 28. et 8. 14.; et *Sueton. Aug.* 40. dare alicui. *Cic. Balb.* 5. 11. decedere de civitate. *Id. ibid.* 84. 100. deponere civitatem. *Id. ibid.* 11. 28. dicare se civitati. *Id. ibid.* 12. 30. dicare se in civitatem. *Id. ibid.* 3. 7. et 13. 30.; *Cæs* 1. *B. G.* 47.; et *Sueton. Cæs.* 24. donare aliquem civitate. Et figurate *Colum.* 1. *R. R.* 1. 12. civitate Romana donare agricolationem. Similiter *Quintil.* 8. 1. 3. oratio civitate donata. *Cic. Cæcin.* 34. 100. et *Dom.* 30. 79.; et *Liv.* 45. 15. eripere civitatem alicui. *Nepos Themist.* 9. esse ejusdem civitatis. *Cic. Dom.* 30. 79. frui civitate. *Id. Balb.* 2. 5. furari civitatem, genus suum ementiri. *Id. ibid.* 8. 21. habere civitatem. *Id. Arch.* 5. 10. impertiri alicui. *Id. Cæcin.* 33. 98. et *Balb.* 13. 31. manere in civitate. *Id. Balb.* 11. 27. et 13. 30. mutare civitatem. *Id. ibid.* 13. 31. et 18. 42. mutari civitate. V. *Klotz* ad *Cicer. Oration.* vol. 3. p. 1054. et seq. *Sueton. Aug.* 40. negare civitatem alicui. *Id. Cæs.* 8. petere civitatem. *Cic. Cæcin.* 34. 100., *Arch.* 10. 22. et *Balb.* 13. 31. recipere aliquem in civitatem. *Id. Cæcin.* 34. 100. relinquere civitatem. *Id. ibid.* 12. 30. retinere civitatem. *Id. Ligar.* 11. 33. retinere aliquem in civitate. *Id.* 2. *Legg.* 2. 5. suscipere aliquem in civitatem. *Sueton. Claud.* 25. usurpare civitatem Romanam. *h. e.* falso gerere se pro cive Romano. Cf. *eumd. Cal.* 38. — *b)* Jungitur et nonnullis Substantivis. *Cic. Dom.* 30. 78. Ademptio civitatis. *Id. ibid.* 30. 81. Ereptor civitatis. *Id.* 7. *Verr.* 62. 162. Commemoratio civitatis. *Id. ibid.* § 160. Nomen civitatis. *Id.* 2. *Legg.* 2. 5. Patria una naturæ, altera civitatis. *Id. ibid.* Cato ortu Tusculanus, civitate Romanus. *Liv.* 9. 43. Civitas sine suffragii latione.

B) Concreto, uti ajunt, sensu civitas est civium multitudo in eodem loco habitans eodemque jure vivens, ut docet *Cic.* 6. *de republ.* 13. 3. Conventicula et cœtus hominum jure sociati, quæ c i v i t a t e s appellantur. Qua sane significatione differt a *re publica* et ab *urbe*: V. H o m o n y m. in fin. ¶ 1. Generatim ponitur pro populi vel civium communitate, quæ eodem jure vivit unumque reipublicæ corpus efficit, ut patet ex *Liv.* 43. 23. Nulla est civitas, quæ non improbos cives aliquando et imperitam multitudinem semper habeat. — Hac autem significatione usurpatur — *a)* De parva communitate et de singulis civitatibus. *Cic.* 5. *Verr.* 41. 104. Duarum mihi civitatum reliquos feci agros – fere optimos ac nobilissimos, Ætnensem et Leontinum. *Id. ibid.* 43. 103. Tyndaritana nobilissima civitas. *Id.* 6. *ibid.* 1. 3. Unde igitur potius incipiam, quam ab ea civitate, quæ tibi – in deliciis fuit? – C. Hejus est Mamertinus – omnibus rebus illa in civitate ornatissimus. *Id. ibid.* 7. 15. Mamertina civitas. *Id. ibid.* 8. 17. Civitas Centuripina, Catanensis, Halæsina, Tyndaritana, Hennensis, Agyrinensis, ceteræque Siciliæ civitates. *Id. Mur.* 23. 47. Homines honesti atque in suis civitatibus et municipiis gratiosi. *civitates* sunt coloniæ et præfecturæ, quæ, præter municipia, suffragii jus habebant, ut adnotavit *Manut.* Theodosii vero temporibus coloniæ æque ac municipia sine ullo discrimine *civitates* appellabantur. *Id.* 5. *Verr.* 23. 56. Homo honestæ civitatis honestissimus. *Liv.* 29. 38. Consentia et Pandosia et ignobiles aliæ civitates. Hinc in *Inscript. Lat. Gr.* apud *Orell.* 1949. quæ prius *civitati Ephesiæ*, deinde δήμῳ Ἐφεσίων dicitur. — *b)* Etiam integra natio, varia per oppida aut pagos dispersa, iisdem legibus utens, et unum reipublicæ corpus efficiens, civitas appellatur. *Cic.* 1. *de republ.* 3. 5. et 8. 13., et *Sull.* 9. 28.; et *Quintil.* 6. 3. 103. et 12. 2. 20. Civitas nostra. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Omnis civitas Helvetiæ in quatuor pagos divisa est. *Id.* 4. *ibid.* 3. et *Tac.* 1. *Ann.* 37. Civitas Ubiorum. *Liv.* 34. 16. Bergistanorum. *Id.* 34. 41. Læta civitas (*Lacedæmoniorum*) celeberrimum – ludicrum in adventum Romani exercitus indixerunt. *Tac. Germ.* 41. Hermundurorum civitas fida Romanis. *Id. Agric.* 17. Brigantum civitas, quæ numerosissima provinciæ totius perhibetur. — Hisce porro significationibus — *a)* Jungitur nonnullis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *de republ.* 28. 44. administratio civitatis. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. amplitudo gravitasque civitatis. *Cic. Brut.* 97. 332. clades civitatis. *Id. Balb.* 19. 45. conditiones civitatum atque causæ. *Id.* 1. *Orat.* 11. 46. gubernacula civitatum. *Id.* 1. *de republ.* 2. 2. gubernatio civitatis. *Quintil.* 5. 10. 25. leges, instituta, opiniones civitatum. *Id.* 1. 2. 2. mores. *Id.* 3. 8. 14. vires et mores. — *b)* Item pluribus Adjectivis. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. ampla et florens. *Nepos Alcib.* 1. amplissima. *Cic. Arch.* 4. 6. æquissimo jure ac fœdere civitas, Heraclea. *Nepos Trasyb.* 2. et *Quintil.* 1. 2. 2. clarissima. *Cic. Balb.* 19. 44. fidelissima atque amicissima nobis. *Id. ibid.* 21. 48. et *Nepos Att.* 2. fœderatæ. *Cic.* 5. *Verr.* 6. 13. sine fœdere immunes atque liberæ. *Id.* 7. *ibid.* 31. 134. et *Flacc.* 33. 55. et 36., et *Liv.* 34. 17. graves. *Cic. Flacc.* 34. 57. gravissima et moderatissima. *Id.* 5. *Verr.* 23. 56. honestissima. *Id.* 1. *Phil.* 2. 4. libera. *Nepos Chabr.* 3. magnæ liberæque. *Cic. Flacc.* 25. 56. locuples. *Id. Balb.* 15. 34. optime merita. *Id. Mil.* 34. 93. et 1. *Orat.* 19. 85. bene morata. *Id. Flacc.* 25. 56. ornata. *Nepos Cimon.* 3. potentissimæ. *Liv.* 21. 1. validiores opibus. — *c)* Item pluribus Verbis. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. Administrare civitatem. *Id.* 1. *de republ.* 7. 12. condere novas civitates, aut conservare jam conditas. *Id.* 6. *ibid.* 12. 12. convertit se civitas tota. *Id. Dom.* 33. 88. ejicere aliquem e civitate. Cf. *Nepot. Themist.* 8. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 76. evertere civitatem funditus. *Quintil.* 2. 16. 4. evertere statum civitatis. *Cic.* 1. *Orat.* 19. 86. instituere civitates, scribere leges. *Id.* 1. *Off.* 25. 86. inducere in civitatem seditionem atque discordiam. *Nepos Pelop.* 2. liberare civitatem. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 32. mutare statum civitatis. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 4. verso civitatis statu. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. persequi bello civitatem. *Cic. Dom.* 33. 90. suffragium ferre de civitatis salute. Cf. *eumd.* 6. *de republ.* 12. 12. salus civitatis nititur in aliquo. *Ter. Adelph.* 4. 5. 54. vivere in aliqua civitate. ¶ 2. Speciatim civitas significat civium multitudinem, urbis alicujus incolas, cives omnes. *Pacuvius* apud *Non.* p. 429. 6. *Merc.* Nil sollicita studio obstupido suspenso animo civitas. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 17. 2. Postquam nuntiatum est, ut pugnatum esset in Gallos, id civitas graviter tulit. Adde *eumd.* apud *eumd.* 13. 28. *Sisenna* apud *Non.* p. 429. 15. *Merc.* Cum variis voluntatibus incerta civitas trepidaret. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 45. 137. Ego tibi, Carneade, prætor esse non videor, quia sapiens non sum, nec hæc urbs, nec in ea civitas. – Aristoteles – non dubitavisset quin et prætor ille esset et Roma urbs et eam civitas incoleret. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 34. 76., *Mil.* 8. 20., *Sext.* 14. 32., 2. *de republ.* 25. 46. et *Dom.* 36. 96. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. (*Orgetorix*) – conjurationem nobilitatis fecit et civitati persuasit etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 4. et 19. *Sall. Cat.* 31. Quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies erat. *Liv.* 3. 47. Cum civitas in foro exspectatione erecta staret. Adde *eumd.* 2. 37. et 26. 18. *Horat.* 4. *Od.* 2. 51. Io triumphe non semel dicemus Civitas omnis. Adde *Sueton. Cal.* 6. et *Tac.* 3. *Ann.* 11. *Inscript.* apud *De-Vita Antiq. Bener.* p. 27. n. 4. TVLLIDIO ARGOLICO COMITI FABRICARVM TOTIVS CIVITATIS BEN. VRBIS. ¶ 3. Apud antiquos poetas et in prosa etiam oratione apud sequioris ævi scriptores, improprie, per quamdam metonymiam contenti pro continente, ponitur aliquando *civitas* pro urbe; hoc est pro mœniis et ædificiis. Hinc *Verrius Flaccus* apud *Gell.* 18. 7. recensens omnes hujus vocis usus, etiam pro loco et oppido poni ait, ut diximus sub init. *Ennius* apud *Non.* p. 429. 4. *Merc.* Et civitatem video Argivum incendier. *Petron. Satyr.* 8. Errare per totam civitatem. *Id. ibid.* 141. *in fin.* Circumduci per civitatem. *Seneca* 6. *Benef.* 32. pererratam nocturnis comissationibus civitatem. *Quintil.* 12. 9. 2. Expugnandæ civitates quamlibet præcisis impositæ rupibus, aut operum mole difficiles. *Sueton. Vesp.* 4. Secessit in parvam ac deviam civitatem. *Id. ibid.* 17. Civitates terræ motu aut incendio afflictæ. *Tac.* 6. *Ann.* 42. Civitas septa muris. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 1. Civitatem condiderunt, quam Romulus Romam vocavit. *Lactant.* 4. 21. Expugnare Judæos et civitates eorum solo adæquare. *Ulp. Dig.* 47. 12. 3. § 5. Lex municipalis permittat in civitate sepeliri. ¶ 4. Civitas ponitur etiam pro ipso *statu civitatis*, ut *Cic.* vocat 1. *de republ.* 20. 33., sive pro ipsa administrandæ civitatis ratione vel forma. *Cic.* 1. *de republ.* 26. 42. et 31. 47. Civitas popularis. *h. e.* communitas, in qua populus dominatur, Gr. δημοκρατία. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (200). Regiam civitatem Ægyptii, popularem Attici invenere. *h. e.* communitatem populi, cui rex imperat, Gr. μοναρχία; et communitatem, in qua populus dominatur, Gr. δημοκρατία. — *NB.* Juxta *Forcellinum* aliquando sumitur pro administratione civitatis. *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 25. Qui privatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum et sui cognoscentem videre in civitate quis speret? *h. e.* in magistratu. *At alii rectius leg.* in potestate. *Id. Dom.* 27. 71. Voluisti me ita esse in republica, magis ut arcessitus imperio populi Romani viderer, quam ad administrandam civitatem restitutus. *At hic* reipublicæ administrationem *significat* non per se, sed propter Verbum adjunctum.

II.) Figurate ponitur pro quacumque communitate vel societate. *Plaut. Rud.* 1. et seq. Qui gentes omnes mariaque et terras movet, ejus sum civis civitate cœlitum. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 23. Ut jam universus hic mundus una civitas sit communis deorum atque hominum existimanda. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

H o m o n y m. Celebre est discrimen inter *civitatem* et *urbem*, quod hæc proprie mœnia et ædificia significet; illa cives, qui ibi incolunt. Item civitas differt a *republica*, quia hæc sita est in ipsius civitatis seu communitatis administratione. *Cic. Sext.* 42. 91. Tum r e s ad communem utilitatem continentes, quas p u b l i c a s appellamus; tum conventicula hominum, quæ postea c i v i t a t e s nominatæ sunt; tum domicilia conjuncta, quas u r b e s dicimus, invento et divino jure et humano mœnibus sepserunt. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 26. 41., 1. *Off.* 25. 88., 2. *ibid.* 21. 78.; 9. *Fam.* 14., *Sull.* 9. 28., 1. *de republ.* 37. 58., 2. *Off.* 22. 78.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 13.

CĪVĬTĀTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* civitas, parva civitas. ¶ 1. Pro jure civitatis, quod tamen parvi momenti erat, dixit *Seneca Apocolocynt.* Hic quæstu se sustinebat: vendere civitatulas solebat. *h. e.* jura civitatis. ¶ 2. Item parva urbs. *Apul.* 10. *Met.* Ad quamdam civitatulam pervenimus. Adde *Cassiod.* 4. *Hist. Eccl.* 21. et *Ennod. Opusc.* 2. p. 1013.

CL

CLĂBŬLA, æ. *V.* CLAVOLA.

CLĂBŬLĀRIS vel clavularis, e, et clăbŭlārius vel clavularius, a, um, adject. Cursus publicus ita appellatus est, qui concedebatur militibus, quoties ex aliis in alia loca transferri eos oporteret. Hæc vero vehicula magni ponderis capacia ad hoc destinabantur; et distincta erant a biroto, rheda, et veredo, ut constat ex *Cod. Theod.* 6. 29. 2. § 2. *Jac. Gothofredus* ad *eumd. Cod.* 8. 5. 23. probat, cursum clabularem falso vocatum, in quo quatuor boves adhibebantur, et eumdem fuisse, atque angariam; etymon vero vocis non a clavis, quibus confixum undique esset vehiculum, sed a clavulis, seu taleis, quibus constabat: hinc apud *Ammian.* 20. 4. 11. qui illius meminit, *clavularis*, non *clabularis* quidam Codd. habent. Sunt etiam, qui *caballaris* reponendum putant: sed *clabularis* ex MSS. fide retinet *Brisson.* de *V. S.* Docet autem *Cujacius* ad *Cod. Justin.* 12. 51. 22. (ubi pro *cursum angulatem* legi vult *clabularem*) ductam esse appellationem a *clabula*, quæ vehiculi quoddam genus sit. Sed de *clabula* hac notione adhuc quærendum. *Cod. Theod.* 8. 5. c. 62. Cursus clabularius. *Impp. Constant.* et *Julian. Cod. Theod.* 6. 29. 2. § 2. Ne quis habens unius copiam rhedæ, flagitet duas, aut rhedam usurpet, cui birotum, vel veredum postulare, vel clabulare permissum est. — *Lydus de mensib.* p. 1. c. 9. Κλαβουλάριος, ὀχηματικός, κλάβον γὰρ τὸν οἴακα καλοῦσιν. Ex his constat, *Lydum* non a

clavulis, seu *taleis*, sed a *clavo* seu *temone* hujus vocis originem deducere. Alii doctiores viderint, quid probandum.

CLACENDIX *vel* Clacendix, icis, m. 3. *Paul. Diac.* p. 46. 16. habet *clacendix* (al. *calcendix*) et docet, esse genus conchæ. *Priscian.* autem 5. p. 655. *Putsch.* habet *claxendix*, et interpretatur concham, qua signum tegitur, affertque hoc *Plauti* fragmentum in Vidularia: *Opposita est claxendix? at ego signi dicam quid sit. Voss.* in *Etymol.* ex hoc *Plauti* loco colligi posse putat, claxendice tegi solere signum, quo res clauderentur atque obsignarentur: et duci posse a Dorico κλᾷξαι, quod *Hesych.* exponit κλεῖσαι *claudere*. Ceterum quod ad scriptionem attinet, præter allatas formas, in MSS. Codicibus occurrunt etiam *clasendix*, *classendix* et *clascendix*.

CLADES, is, f. 3. In Genitivo plurali reperitur etiam *cladum* pro *cladium*. *Sil. It.* 7. 505. Liceat si vincere, finem Promitti cladum. *Id.* 9. 353. Ut sola cladum tuearis nomina fama. Adde *eumd.* 16. 672. — Ceterum

I.) Proprie clades est, cum rami arborum franguntur sive tempestate, sive nimio fructuum pondere, sive etiam cum cæli, sive soli vitio inutiles facti amputari debent: a κλάδος *ramus*, vel a κλαδεύω *ramos amputo*, vel a κλάω *frango*. Quo videtur respexisse *Plaut. Capt.* 4. 4. 3. Clades, calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum. *V.* CALAMITAS. — Sed tamen dicitur de quavis jactura, damno, calamitate, præcipue vero de jactura et calamitate, quæ in bello capitur. *Lucret.* 6. 1124. Hæc igitur subito clades nova pestilitasque Aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas etc. *Id.* 6. 1089. Mortifera clades. *Id.* 5. 348. Cladem dare late, magnasque ruinas. *Id.* 5. 370. Cladem importare pericli *Id.* 5. 48. Superbia ac petulantia quantas Efficiunt clades! *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 5. 17. *in fin.* Clades pugnæ Cannensis. *Cic. Brut.* 97. 332. Nisi cursum ingenii tui, Brute, premit hæc importuna clades civitatis. *Id.* 1. *Tusc.* 10. 25. Atque hæc vetusta — luctifica — clades nostro infixa est corpori. *Id.* 2. *Nat. D.* 3. 7. Cladem afferre alicui. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 12. 21. *Sall. Cat.* 39. Quod si primo prœlio Catilina superior discessisset, profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset. *Id. Jug.* 59. Ni pedites cum equitibus permisti magnam cladem in congressu facerent. *Id. ibid.* 16. Affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppressit. *Id. in orat. Lepidi* § 3. Clades exercituum. *Propert.* 3. 4. 9. Pisæ clades. *Virg.* 12. *Æn.* 556. Iret ut — subita turbaret clade Latinos. *Horat.* 3. *Od.* 6. 19. Hoc fonte derivata clades Inque patres populumque fluxit. *Id.* 4. *ibid.* 14. 32. Sine clade victor. *Id.* 3. *ibid.* 3. 62. Clades tristis. *Albinov.* 1. 12. Fortior ut possis cladibus esse tuis. *h. e.* amissione filii. *Ovid.* 7. *Met.* 561. Erumpit clades in aliquem. *Id.* 2. *ibid.* 281. Cladem levare. *Id.* 9. *ibid.* 176. Pasci cladibus alicujus. *Id.* 14. *ibid.* 185. Cladibus asper. *Id.* 5. *Trist.* 4. 33. Clades subita. *Id.* 5. *ibid.* 358. Clades metuere. *Liv.* 2. 13. Cui (*Mucio*) postea Scævolæ a clade dextræ manus cognomen inditum. *Id.* 8. 2. Plus populationibus quam prœliis cladium fecit. *Id.* 39. 1. Magna clade eos castigavit asperius iter et exercitatior hostis. *Id.* 3. 26., 5. 11. et 8. 12. Accipere cladem. *Id.* 25. 19. Superesse cladi sua temeritate contractæ. *Id.* 5. 21. Clades captæ urbis. *Id.* 22. 4. Pervastare agrum omni belli clade. *Id.* 22. 50. Privatæ per domos clades vulgatæ. *Id.* 30. 6. Bina castra una clade deleta. *Id.* 29. 3. Magnam cladem inferre hosti. *Vellej.* 2. 112. 4. Clades pæne exitiabilis. *Curt.* 4. 16. 10. Quis tot — clades nunc singulorum, nunc universorum aut animo adsequi queat aut complecti. *Id.* 4. 12. 15. Quod si — supervenisset, ingens clades accipi potuit. *Id.* 4. 3. Terrestri simul navalique clade obrui. *Id.* 7. 9. 22. Ut omnes qui defecerant, pariter belli clade premerentur. *Id.* 4. 1. Omni clade vastare provinciam. *Seneca Med.* 207. Obrui clade. *Lucan.* 3. 36. Clades minari. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 79. 81. (191). Urbs tota terræ motu corruit, et Taygeti montis magna pars abrupta cladem eam insuper ruina pressit. *Id.* 16. *ibid.* 32. 57. (132). A quo deinde tempore majestas populi Rom. resurrexit, quæ antea vastata cladibus fuerat. Adde *Quintil.* 9. 2. 62. *Flor.* 1. 9. Clades domus. *h. e.* domus omnino extincta. *Sueton. Ner.* 38. de *incendio Urbis*. Per sex dies ea clade sævitum est. *Claudian.* 3. *Rapt. Proserp.* 197. Efficere clades.

II.) Metonymice *clades* dicitur, qui alteri cladem infert. *Virg.* 6. *Æn.* 844. Geminos, duo fulmina belli, Scipiadas cladem Libyæ.

CLADESTINUS, a, um, adject. calamitosus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 109. Clades, cladestinus.

CLĂGĂLŌPES, is, f. 3. avis quædam, quæ et pygargus dicitur: videtur appellata a κλάζω *clango*, unde aor. 2. ἔκλαγον, et ἀλώπηξ *aquila*, ita ut hoc nomine significetur aquila clamans. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 11. 138. Sumine cum magno lepus atque aper et pygargus; *hæc habet*: Pygargus, avis genus, clagalopes appellatur. *V.* CLANGA et PYGARGUS.

CLAM, adverb., ut putat ipse *Priscian.* 14. p. 988. *Putsch.* Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur *clam* esse syncop. pro *celam* a *celando*, quod confirmare videtur *Ulp. Dig.* 43. 24. 3. § 7. Clam facere videri, Cassius scribit, eum, qui celavit adversarium, neque ei denunciavit: si modo timuit ejus controversiam, aut debuit timere. *Paul. Diac.* p. 66. 8. *Müll.* Clam a clavibus dictum, quod his, quæ celare volumus, claudimus. *Id.* aliter derivandam censet in v. *Callim* (*p.* 47. 3. *Müll.*), quam vide suo loco. Recentiores autem philologi putant hanc vocem conjungendam esse cum *clepo*, *h. e.* furor: *V.* CLEPO. — Ceterum *clam* significat latenter, occulte (It. *di nascoso*, *nascostamente*, *segretamente*; Fr. *secrètement*, *en cachette*, *à la dérobée*; Hisp. *secretamente*, *ocultamente*; Germ. *auf verstohlene*, *heimliche Weise*, *heimlich*, *verstohlen*, *verhohlen*; Angl. *without the knowledge of*, *privately*, *privily*, *secretly*). Illud etiam hoc loco animadvertimus *clam* opponi sæpius *palam*, interdum *propalam*: ut apud *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat. Adde *Ennium* apud *Gell.* 12. 4. et *Plaut. Merc.* 5. 4. 63. *Sueton. Ner.* 22. Ad omnes etiam minimos Circenses commeabat secessu, primo clam, deinde propalam. Præterea modo *furtim* jungitur, ut apud *Plaut. Pœn.* 3. 3. 49. Hæc clam furtimque esse vult, ne qui sciant. Modo *furtive*, ut apud *eumd. ibid.* 5. 2. 62. Clam furtive accipere aliquid. Modo *tacitus*, ut apud *Tibull.* 1. 11. 34. Imminet et tacito clam venit illa (*mors*) pede. Modo *occulte*, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 10. 23. Per istos, quæ volebat, (*in navem*) clam imponenda, occulte exportanda curabat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Clam occulteque facere aliquid. — Porro *clam* usurpatur aut *A*) Absolute, adverbii more, aut *B*) Cum aliquo casu.

A) Absolute, adverbii more. *Plaut. Truc.* 4. 3. 21. Mea nunc facinora aperiuntur, clam quæ speravi fore. *Id. Merc.* 1. 1. 43. Clam abire ad aliquem. *Id. Bacch.* 5. 2. 27. Canis clam mordax. *Ter. Eun.* 2. 3. 28. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo. Adde *Cic. Cæcin.* 32. 92.; *Dig.* 41. 2. 6.; et *Cajum* 4. *Instit.* 151. et 166. Rursus *Ter. Andr.* 2. 6. 13. Clam amare. *Id. Hecyr.* 5. 2. 15. parere. *Id. Eun.* 1. 7. 25. subducere se alicui. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 9. 23. Unde ignis cluet mortalibus clam divisus. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 4. Ut in rebus — ab ipso rege et ab intimis ac domesticis Pompeji clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, ita versamur. *Id.* 3. *Tusc.* 8. 17. Clam deponere aliquid. *Id. Cœl.* 9. 20. subministrare tela. *Cæs.* 4. *B. G.* 30. Suos clam ex agris deducere cœperunt. *Nepos Eumen.* 2. Nisi ille clam noctu ex præsidiis ejus effugisset. *Liv.* 5. 36. Nec id clam esse potuit, cum etc. *Id.* 33. 37. Clam mussantes carpere decretum. *Id.* 31. 47. Haud clam tulit iram adversus prætorem, quod etc. *h. e.* non celavit, non tacuit. *Catull.* 25. 5. Clam prædicare amores. *Tibull.* 2. 1. 84. palam pecori, clam sibi quisque vocet. *Id.* 1. 8. 60. nullo strepitu clam reserare fores. *Virg.* 1. *Æn.* 354. clam superare ferro incautum. *Ovid. Rem. am.* 694. Nec dic quid doleas, clam tamen usque dole. *Id.* 13. *Met.* 432. clam alendum aliquem committere alicui. *Id.* 3. *Amor.* 11. 8., et *Dig.* 43. 24. 3. § 8. Clam facere aliquid. *Phædr.* 3. 10. 19. Simulavit iter ad villam clamque in oppido subsedit. *Sueton. Tib.* 6. Clam petere navigium. *Id. Cæs.* 31. præmittere cohortes. *Id. Domit.* 2. Struere insidias clam palamque.

B) Cum aliquo casu: non tamen cum Genitivo (quod affirmabat etiam *Forcellinus*), namque apud *Plaut. Merc.* 1. 1. 42. Illico res exsolatum ad illam abibat clam patris. τὸ *patris* non est Genitivus adverbii *clam*, sed nominis *res*, scilicet res patris clam abibat ad illam; quod sane confirmant quæ leguntur *ibid.* v. 46. Objurgare pater hic me noctes et dies — lacerari valide suam rem, illius augeri. — Neque cum Dativo clam usurpatur, namque apud *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 8. Meretricem commoneri, quam sane magni referat, mihi clam est. mihi et clam fortuito tantum junguntur. — Itaque *clam* occurrit solummodo cum Accusativo aut Ablativo personæ, cui rem aliquam celare volumus, ut docent *Servius* ad *Donat.* p. 1793. *Putsch.*, *Cledon.* p. 1880. et *Pompon.* ad *Donat.* p. 309. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 33. Nam is illius filiam compegit in navem miles clam matrem suam. Adde *eumd. Amph. prol.* 107., *Asin. greg.* 1., *Cas. prol.* 51., et *ibid.* 2. 2. 27. et 2. 8. 32., *Merc.* 1. 2. 43. et alibi, et *Most.* 5. 1. 13. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 36. Clam patrem. Adde *Auct. B. Hisp.* 3. et 35., *Pseudo-Cic. in Sall.* 5.; et *Gell.* 2. 23. — *b*) Cum Ablativo. *Plaut. Merc.* 3. 2. 2. Empta est amica clam uxore mea et filio. Adde *eumd. Curc.* 1. 3. 17., *Merc.* 4. 6. 5. et *Truc.* 2. 1. 37., et *Cæs.* 2. *B. C.* 32. — *c*) *Clam me* et *clam te* sæpe occurrunt, quin tamen definiri possit utrum *me* et *te* sint Accus., an Ablat. Præterea *clam me est*, *clam te est* significant me latet, nescio; te latet, nescis: et *clam me habere* significat me celare. *Plaut. Rud.* 1. 2. 44. Neque potest clam me esse, si qui sacrificant. *Ter. Heaut.* 1. 1. 46. Hæc clam me omnia. *Id. Hecyr.* 2. 1. 19. Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam. *Id. ibid.* 4. 1. 52. Ut hic laturus hoc sit, non edepol clam me est. *Et ibid.* 4. 2. 1. Non clam me est, tibi me esse suspectam. *Id. Andr.* 1. 5. 52. Nec clam te est. *Id. Hecyr.* 4. 1. 4. Id qua causa clam me habuisse dicam? Adde *eumd. ibid.* 4. 4. 35.

CLĀMĀTĬO. *V.* CLAMITATIO.

CLĀMĀTOR, ōris, m. 3. qui clamat. Sæpe dicitur de rabulis, qui clamoribus ineptis, et verbosa contentione ac strepitu forum rumpunt. *Cic.* 3. *Orat.* 21. 78. Clamatores odiosi ac molesti. *Id. Brut.* 49. 182. Ut intelligi possit, quem existimem clamatorem, quem oratorem fuisse. Adde *Gell.* 19. 9. — In illo *Martial.* 12. 26. Nec venit ablatis clamator verna lacernis, etc. quidam intelligunt nomenclatorem, qui hunc et illum nomine vocat: at alii leg. *clamatus*.

CLĀMĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui clamat, ut *clamatoria avis* apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 14. 17. (37)., quæ scilicet inconditum et mali augurii clamorem edit: atque ob id etiam *prohibitoria* dicitur. *V.* CLIVIA.

CLĀMĀTUS, a, um. *V.* CLAMO.

CLĀMĀTUS, us, m. 4. idem ac clamor. *Paulin. Nol.* 15. 279. Sed neque clamatu est, neque mobile corpus; Jam similis exanimo.

CLĀMĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. repetitus clamor. *Plaut. Most.* 1. 1. 6. Quid tibi, malum, hic ante ædes clamitatio est? *alii rectius habent* clamatio.

CLĀMĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* a clamo. — Part. *Clamitans* mox et sub I. — *Clamito* est verbum prosæ orationis omnino proprium adeoque numquam apud Poetas, sæpe vero apud *Cic.* aliosque hujus generis scriptores occurrit. — Ne quis vero putet *clamitare* idem esse ac *sæpe clamare*; *clamito* enim haud raro conjungitur cum *sæpe*, ut apud *Ter. Adelph.* 1. 1. 35. Venit ad me sæpe clamitans, quid agis, Micio, cur perdis adolescentem? *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Suorum fidem implorare cœpit, sæpe clamitans, liberum se, liberæque civitatis esse. — Itaque rectius clamo est totis viribus clamo, valde clamo, vociferor (It. *gridare*, *schiamazzare*; Fr. *crier fort*, *vociférer*; Hisp. *gritar mucho*, *con un tono elevado*, *alto*; Germ. *mit aller Absicht und Gewalt*, *heftig und aus vollem Halse schreien oder rufen*; Angl. *to cry aloud*, *vociferate*).

I.) Proprie occurrit de hominibus, (animalibus enim tribuitur tantum apud *Phædr.* 1. 9. 7. Ipsum (*passerem*) accipiter nec opinum rapit Questuque vano clamitantem interficit.), et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Cæcin.* 3. 9. Ut illi clamitant. Adde *Phædr. l. c.* — *b*) Additis iis, quæ clamitantur, eo modo quo clamitantur. *Ter. Andr.* 1. 1. 117. Venit Chremes postridie ad me, clamitans: Indignum facinus etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 40. 84. Quidam caricas Cauno advectas, *Cauneas* clamitabat. Adde *eumd. Planc.* 31. 75.; *Varron.* 6. *L. L.* 68. *Müll.*; *Liv.* 2. 55., 9. 24. et 27. 48.; *Sueton. Aug.* 40.; et *Tac.* 1. *Ann.* 18. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 2. *Tusc.* 25. 60. Cum ex renibus laboraret, ipso in ejulatu clamitabat, falsa esse illa, quæ antea de dolore ipse sensisset. Al-

de Cœlium apud Cic. 8. Fam. 12. 2.; Cæs. 5. B. G. 7.; Curt. 6. 7. 27., 9. 8. 7. et 10. 7. 10.; Senec. Ep. 101.; Tac. 12. Ann. 7. et 2. Hist. 29.; et Sueton. Cal. 58. Etiam Passive impersonaliter. Liv. 1. 9. Thalassio eam ferri clamitatum. — d) Cum Conjunctivo. Tac. 12. Ann. 31. Et jam erat in aspectu Messalina clamitabatque audiret Octaviæ et Britannici matrem. Adde eumd. 12. ibid. 36. — e) Cum Accusativo rei. Ter. Andr. 4. 4. 28. Quid clamitas? Liv. 3. 13. Hæc Volscio clamitante adeo concitati homines sunt. Plin. 9. Ep. 6. Clamitare nomen alicujus. h. e. alta voce dicere. Tac. 2. Ann. 23. sæva et detestanda alicui. h. e. clamando imprecari. Macrob. 1. Saturn. 10. Saturnalia. — Cum Accusativo personæ, quæ vocatur. Plaut. Pseud. 5. 1. 30. Clamitant me, ut revertar. h. e. vocitant. — Cum duplici Accusativo. Ter. Andr. 4. 5. 20. Clamitent me sycophantam: hereditatem persequi, mendicum. V. Donat. ad h. l. Ascon. p. 31. 13. Bait. Clamitans eum modo consulem, modo dictatorem. Adde Tac. 2. Ann. 21., 12. ibid. 35. et 3. Hist. 10.; et Sueton. Ner. 25.

II.) Translate occurrit de inanimis. Cic. Rosc. com. 7. 20. Nonne ipsum caput, et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? h. e. præ se ferre, ostentare. V. CLAMO et LOQUOR.

CLAMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Clamans I. a.; Clamatus I. e. f. g. — Ratione habita etymi, hæc vox conjungenda est cum Græcis κλέω, κλείω, καλέω voco, cf. κέκλημαι et κέκληκα; sed juxta Varron. 6. L. L. 67. Müll. per onomatopœiam efficta est. — Clamo est vociferari, elata voce dicere (It. gridare, dire ad alta voce; Fr. crier, pousser un cri, appeller en criant; Hisp. gritar, levantar la voz; Germ. schreien, laut rufen; Angl. to cry, south, cry aloud, exclaim).

I.) Proprie occurrit de hominibus; interdum vero etiam de brutis animantibus, et de inanimis: et quidem — a) Absolute. Plaut. Mil. glor. 3. 2. 11. PA. Dormit Sceledrus intus? LV. non naso quidem: nam eo magnum clamat. h. e. valde stertit. Ter. Phorm. 4. 3. 58. DEM. Oiol. nimiumst. CHREM. ne clama: petito hasce a me decem. Adde eumd. Adelph. 3. 3. 26., ibid. 4. 7. 9. et Hecyr. prol. alt. 33. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 15. 48. Qui quid in dicendo posset, numquam satis attendi: in clamando quidem video eum esse bene robustum atque exercitatum. Quintil. 9. 2. 85. Clamante multum advocato. Id. 12. 8. 2. Occasio clamandi. — Addito Ablativo cum præpositione de. Cic. Cluent. 11. 31. Cum et de suo, et de uxoris interitu clamaret. h. e. elata voce quereretur. — Addito Dativo personæ, cui quis clamat. Ter. Andr. 3. 2. 11. Illis, quæ sunt intus, clamat de via. — De brutis animalibus. Phædr. 3. 16. 6. (Cicada) multo validius clamare cœpit. — Et poetice de rebus inanimis. Sil. It. 4. 526. Spumea saxosis clamat convallibus unda. h. e. strepit, resonat. Id. 9. 516. Clamante procella. Stat. 11. Theb. 116. Clamant amnes, freta, nubila, silvæ. Id. 10. ibid. 94. Non hinc pelagi, licet omnia clament Litora, non illinc cœli fragor. — Denique de abstractis. Propert. 1. 18. 18. An quia — non ulla meo clamat in ore fides. — b) Additis ante vel post iis, quæ clamantur, eo reapse modo, quo clamantur. Catull. 67. 14. Ad me omnes clamant: janua, culpa tua est. Virg. 3. Æn. 19. Et cum clamarem: quo nunc se proripit ille? Horat. A. P. 428. Clamabit enim: pulcre, bene, recte! Adde eumd. 1. Ep. 17. 48., 1. ibid. 19. 47. et A. P. 400. Ovid. Rem. am. 597. Perfide Demophoon, surdas clamabat ad undas. Adde eumd. 2. Amor. 6. 48., 4. Fast. 451. et 485. Seneca Ep. 27. Clamo mihi ipse: numera annos tuos etc. Adde Sueton. Cæs. 82. — c) Cum Accusativo et Infinito. Ter. Adelph. 1. 2. 11. Clamant omnes indignissime factum esse. Cic. Quinct. 8. 31. Clamabat porro ipse Quinctius sese idcirco nolle satis dare. Adde eumd. 3. Verr. 55. 144., 4. ibid. 72. 177., 4. ibid. 77. 188., 6. ibid. 29. 67., Mur. 37. 78., 1. Fin. 18. 57. et 5. Att. 21. 12.; et Horat. 2. Ep. 1. 80. — d) Addito fine, ad quem quis clamat. Cic. 4. Verr. 19. 17. Clamare cœperunt sibi ut haberet hereditatem. Adde Dig. 29. 5. 1. § 35. — e) Cum Accusativo rei, quæ clamando vocatur. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 56. Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo. Ter. Adelph. 5. 3. 3. Quid agam? quid clamem? quid querar? Cic. 7. Verr. 7. 17. Cum maxime — hoc de pecunia clamaret, in vincula conjectus est. Propert. 1. 17. 23. Illa meum extremo clamasset pulvere nomen. h. e. conclamasset, ut fiebat in exsequiis. Adde Ovid. 8. Met. 220. et 11. ibid. 665. Liv. 21. 1. Ac per urbem Saturnalia diem ac noctem clamata. Id. 21. 62. et Ovid. 1. Amor. 2. 25. triumphum. h. e. Io triumphe. Seneca 3. Ira 15. Quid clamas? quid vociferaris? Plin. 7. Hist. nat. 60. 60. (212). et Aquilius apud Varron. 6. L. L. 89. Müll. meridiem. — f) Cum Accusativo rei, aut personæ, quæ clamoribus impletur. Plaut. Asin. 2. 3. 10. Ita hæc morata est janua; extemplo janitorem clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem. Id. Aulul. 2. 4. 20. Quin divum atque hominum clamat continuo fidem, suam rem perisse etc. Lucilius apud Diomed. 1. p. 372. Putsch. Ergo e somno pueros cum mane expergitus clamo. Propert. 2. 15. 6. Nec tibi clamatæ somnus amarus erit. Virg. 6. Æn. 43. Hylam nautæ quo fonte relictum Clamassent. Id. 4. ibid. 674. Morientem nomine clamat. h. e. vocat. Ovid. 2. Met. 443. Aspicit hanc, visamque vocat: clamata refugit. Id. 5. ibid. 398. Clamare matrem ore. Id. 6. ibid. 106. comites. Adde eumd. 6. ibid. 525. et 4. Fast. 453. Petron. Satyr. 127. Humus Venerem clamavit in herbas. Stat. 4. Silv. 8. 15. dulci tremit ecce tumultu Tot dominis clamata domus. h. e. tot vagientium puerorum vocibus impleta. Id. 5. Theb. 462. Et non speratis Lemnos clamatur alumnis. h. e. clamoribus vagientium puerorum oppletur. Al. leg. celebratur. Cod. 7. 40. 13. aliquem in judicium. — g) Cum duplici Accusativo. Cic. apud Augustin. 3. contra Acad. 7. Ab ejus, quos deserit, insanus, imperitus temerariusque clamabitur. Al. leg. clamitabitur. Propert. 3. 9. 46. Clamare aliquem deum. Virg. 12. Æn. 600. Se causam clamat crimenque caputque malorum. Horat. 2. Sat. 3. 130. Insanum te omnes pueri clamentque puellæ. Id. 1. ibid. 2. 130. Clamare te miseram. Id. 1. Ep. 16. 36. aliquem furem. Curt. 4. 16. 15. Senum ululatus feminarumque — barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium. Petron. Satyr. 107. Invidiam facis nobis, ingenuos honestosque clamando. h. e. nos appellando, nominando. Stat. 6. Theb. 557. Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena Phædimus.

II.) Translate clamare est clare aperteque aliquid significare, ejusque cognitionem ingerere: ad rem Cic. 1. Cat. 8. 21. De te autem, Catilina, — cum tacent clamant (in senatu). — Occurrit sæpe de inanimis et abstractis. Plaut. Bacch. 2. 3. 50. Quom mi ipsum nomen ejus Archidemidis clamaret dempturum esse, si quid crederem. Cic. Rosc. com. 13. 37. Quid enim restipulatio clamat? Id. 4. Verr. 42. 104. Tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas atque interlitas esse clamant. Id. 1. Fin. 19. 55. Sensus enim cujusque, et natura rerum, atque ipsa veritas clamat quodammodo, non posse, etc. Id. 2. ibid. 20. 65. Clamat virtus, beatiorem fuisse, etc. Catull. 6. 6. Nam te non viduas jacere noctes Nequicquam tacitum cubile clamat. V. CLAMITO et LOQUOR.

CLĀMOR, ōris, m. 3. (clamo). Olim clamos dictum est: sed sua quoque ætate obsoletum fuisse, indicat Quintil. 1. 4. 13. Legitur a multis in Ennio apud Festum p. 375. 8. Müll. et apud Varron. 7. L. L. 101. Müll. — Clamor est vociferatio (It. grido, clamore; Fr. cri, clameur; Hisp. grito, clamor; Germ. das Geschrei, laute Rufen, der Ruf; Angl. a loud voice, cry, shoute).

I.) Proprie usurpatur de hominibus, ut patet ex Cic. 3. Herenn. 14. 25. In amplificationibus, cum cohortatione utemur voce attenuatissima, clamore leni, sono æquali, commutationibus crebris, maxima celeritate. ¶ 1. Generatim. Ennius apud Varron. 7. L. L. 104. Müll. et apud Festum p. 375. 8. Müll. Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit. Plaut. Amph. 1. 1. 93. Equites parent citi, ab dextera maxumo cum clamore involant, impetu alacri inruunt etc. Ter. Hecyr. 3. 1. 35. Proh Juppiter, clamorem audivi. Cic. 6. Verr. 43. 94. Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur. Cæs. 3. B. G. 22. Clamore ab ea parte munitionis sublato cum ad arma milites concurrissent. Adde eumd. 7. ibid. 81. Sall. Jug. 53. Ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurritur. Virg. 1. Æn. 91. Insequitur clamorque virûm, stridorque rudentum. Horat. 1. Od. 27. 7. Impium lenite clamorem, sodales. Liv. 4. 37. Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset. Excitatior crebriorque ab hoste sublatus; ab Romanis dissonus, impar, segnius sæpe iteratus incerto clamore prodidit pavorem animorum. Sueton. Aug. 71. Magnis clamoribus rem gerere. h. e. clamitando, contendendo. — Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cic. 3. Orat. 61. 227. acutissimus. Liv. 6. 24. et Curt. 9. 4. alacer. Ovid. 3. Fast. 221. blandus. Liv. 3. 28. civilis. (h. e. civium). Id. 4. 28. dissoni. Plin. 2. Ep. 14. immodicus insolitusque. Curt. 3. 10. inconditus et trux. Virg. 12. Æn. 268. ingens. Id. 3. ibid. 524. lætus. Curt. 3. 2. et 10. 3. lugubris. Ovid. 8. Met. 447. mœsti. Virg. 3. Æn. 128. nauticus. Id. 11. ibid. 609. subito clamore erumpere. Ter. Heaut. pr. 40. summus. Ovid. 3. Trist. 3. 43. supremus. Curt. 5. 12. varius ac dissonus. — Item pluribus Verbis. Cic. 2. Divinat. 23. 50. edere clamorem. Virg. 3. Æn. 566. dare. Cic. 7. Verr. 36. 94. et Plin. 12. Ep. 14. excipi ab aliquo clamore. Plaut. Bacch. 4. 8. 33. et Auct. B. Afr. 80. facere clamorem. Liv. 3. 44. ad clamorem fit concursus. Cic. 7. Verr. 38. 93. cum clamore fit concursus ad domum. Virg. 5. Æn. 451. it cælo clamor. Id. 4. ibid. 665. ad atria. Cic. 6. Verr. 43. 94. et clamore fama percrebuit. Virg. 5. Æn. 523. clamore templum petere. Cic. Flacc. 6. 15. profundendo clamore. Lucret. 4. 543. profusus sermo cum clamore. Virg. 5. Æn. 228. resonat clamoribus æther. Liv. 3. 28. significatur aliquid clamore. Ennius apud Macrob. 6. Saturn. 1. tollere clamorem. Adde Plaut. Curc. 2. 2. 27.; Cic. 2. ad Q. fr. 1. 3.; Liv. 3. 28. et 3. 62.; et Virg. 3. Æn. 672. Id. Virg. 2. ibid. 437. vocari clamore aliquo. ¶ 2. Specialim ponitur pro acclamatione et plausu: et quidem — a) Sæpius in bonam partem. Cic. 12. Fam. 7. 1. Dixi de te, quæ potui, tanto clamore consensuque populi, ut etc. Id. 1. Orat. 33. 152. Hæc sunt, quæ clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt. Id. 1. Att. 14. 4. Si unquam mihi περίοδοι, ἢ καμπαί, ἢ ἐνθυμήματα suppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores. Id. Brut. 95. 326. Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. h. e. clamores de se excitabat. Adde eumd. 3. ad Q. fr. 1. 3. Virg. 5. Æn. 491. Clamor secundus. Adde Horat. 1. Ep. 18. 53. Phædr. 5. 5. 28. Movere plausus, suscitare clamores. Adde Plin. 4. Ep. 5. et 4. ibid. 19.; Tac. 1. Hist. 62.; et Quintil. 4. 2. 37., 12. 9. 8. et 12. 6. 4. — b) Interdum etiam in malam partem. Cic. 2. Att. 18. 1. Clamoribus et conviciis et sibilis consectari aliquem. Adde eumd. 2. ad Q. fr. 1. 3.; et Cœlium apud Cic. 8. Fam. 2. 1.

II.) Improprie, a Poetis tantum, usurpatur — a) De voce animalium. Lucret. 4. 182. et 910. Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri. Virg. 1. G. 362. celeres revolant ex æquore mergi, Clamoremque ferunt ad sidera. Adde eumd. 4. ibid. 76. — b) Item de quocumque rerum inanimum strepitu. Lucret. 6. 140. Hæc multo si forte humore recepit ignem, continuo magno clamore trucidat (nubes). Virg. 3. Æn. 566. Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere. Horat. 3. Od. 29. 38. Non sine montium clamore vicinæque silvæ.

CLĀMŌSĒ, adverb. (clamosus) cum clamore. Quintil. 11. 3. 45. Ne dicamus omnia clamose, quod insanum est.

CLĀMŌSUS, a, um, adject. Sup. Clamosissimus sub B. 1. — Est autem clamore plenus.

A) Active clamosus est qui assidue clamat. Juvenal. 14. 191. Clamosus pater. Martial. 5. 85. magister. Id. 11. 99. lictor. Quintil. 6. 4. 15. altercator.

B) Passive. ¶ 1. Est qui cum clamore fit. Cic. 3. Herenn. 13. 23. Continuatio est orationis enuntiandæ acceleratio clamosa. Juvenal. 8. 186. Clamosum ageres ut phasma Camilli. Quintil. 5. 13. 2. Clamosa actio. Veget. 4. Veterin. præfat. 1. Clamosissimæ mortes boum. ¶ 2. Item clamosus dicitur locus clamore plenus. Stat. 4. Silv. 1. 18. Urbs clamosa. Id. 3. ibid. 5. 16. Clamosi turba theatri. Id. 4. Theb. 458. valles. Adde Juvenal. 9. 144. Martial. 10. 53. Circus clamosus. Id. 12. 18. Subura. — Cum Genitivo. Sil. It. 14. 269. undæ clamosus Helorus.

CLANCŬLĀRIUS, a, um, adject. (clanculo, clam) occultus, clandestinus. Martial. 10. 3. Poeta quidam clancularius. Tertull. Pall. 4. Tantum Lydiæ clanculariæ licuit, ut Hercules in Omphale, et Omphale in Hercule prostitueretur. h. e. amica, quarum clam Hercules consueverat. Impp. Theod. et Valentin. Nov. constit. 27. § 3. Omnis contractus, qui clancu-

lario vel emente, vel vendente in fraudem legis initum fuerit, caret firmitate.

CLANCŬLŌ, adverb. (clam). Est recentior forma pro clanculum. *Apul.* 3. *Met.* Puer clanculo profugit. *Id.* 9. *ibid.* Clanculo furari. Adde *eumd.* 10. *ibid.* et *de Mag.*; *Augustin. Ep.* 54. *sub fin.* et *Ammian.* 21. 12. *Macrob.* 5. *Saturn.* 18. Virgilius fuit ut scrupulose et anxie, ita dissimulanter et clanculo doctus.

CLANCŬLUM, adverb. *deminut.* a clam, et ejusdem significationis. Occurrit apud Comicos tantum: et quidem — *a*) Absolute sive adverbii more. *Plaut. Amph.* 1. 3. 25. Clanculum abire a legione. *Id. Asin.* 5. 2. 31. Aucupare clanculum ex insidiis aliquid. *Id. Men.* 3. 2. 13. exaudire aliquid. *Id. ibid.* 3. 3. 8. surripere quidpiam. *Id. Bacch.* 2. 3. 83. advenire. *Id. Cas.* 2. 8. 8. Captare clanculum sermonem alicujus. *Id. Pœn.* 4. 2. 91. dicere aliquid. Adde *eumd. Most.* 5. 1. 4. *Ter. Heaut.* 3. 1. 63. Agere clanculum inter se. *Id. Eun.* 3. 5. 41. Venit clanculum per impluvium. *Id. ibid.* 3. 5. 23. Spectare sic per flabellum clanculum. *Id. ibid.* 3. 1. 21. mordere. — *b*) Cum Accusativo personæ. *Ter. Adelph.* 1. 1. 27. Alii clanculum patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia, ea etc.

CLANCŬLUS, a, um, adject. legitur a *Salmas.* in *Tertull. Pall.* 4. Jam virum alicui clanculus functus. *Sed al. leg.* clanculo.

CLANDESTĪNŌ, adverb. (clandestinus) clam, occulte. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 10. Clandestino agere negotium. *Lucilius* apud *Non.* p. 38. 19. *Merc.* Clandestino committere alicui aliquid.

CLANDESTĪNUS, a, um, adject. Est qui velit scribi *clamdestinus*, quod sit a *clam*: sed contra est consuetudo, et auctoritas *Vel. Long.* p. 2237. *Putsch.* et *Dausquii.* — Est autem qui clam fit, occultus, secretus. *Plaut. Cas.* 5. 3. 6. Clandestinæ nuptiæ. *Id. Amph.* 1. 2. 28. suspicio. *Lucret.* 2. 127. Clandestini et cæci motus. *Id.* 1. 779. natura. *Cic. Senect.* 12. 40. colloquia cum hostibus. *Id.* 2. *Off.* 23. 81. introitus. *Id. Sull.* 11. 33. scelus. *Crassus* apud *Cic. Orat.* 66. 223. Clandestinis consiliis oppugnare aliquem. *Cæs.* 7. *B. G.* 61. Clandestinis nunciis legationibusque sollicitare aliquem. Adde *eumd.* 7. *B. G.* 1. *Liv.* 42. 24. consilium. *Id.* 4. 36. denunciatio. *Id.* 42. 18. scelera. *Id.* 3. 36. et *Sil. It.* 7. 267. fœdera. *Auct. B. Gall.* 8. fuga. *Grat. Cyneg.* 183. clandestinus Acarnan.

CLANGA, æ, f. 1. genus aquilæ, a κλαγγή *clangor. Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (7). Tertii generis (*est aquila*) morphnos, quam aliqui et clangam vocant *V.* CLAGALOPES. At *Sillig* vocem *clangam*, quam codices tantum barbari exhibent, rejecit et *plangum* emendavit ex *Aristot.* 9. *Hist. anim.* 32., ubi πλάγγος legitur.

CLANGO, is, ere, n. 3. Part. *Clangens.* — Præteritum alii tribuunt *clanxi*, alii *clangui*: prius videtur magis accedere ad Latinam analogiam: nam et *ango* et *pango* habent *xi*. Neutrius tamen ullum adhuc exemplum vidimus. — Ceterum *clangere* est Græcum verbum a Latinis usurpatum ad exprimendum tubæ sonum. Ipsi enim quoque κλάγγω, et κλαγγάζω dicunt, tametsi latiore significatione. Est autem fictum a similitudine soni: quare non tubæ solum, sed et aliis similibus vocibus tribui potest, ut ex usu vocis *clangor* apparet; præsertim cum *clango* facile conjungi possit cum *clamo* et κλάζειν. *Accius* apud *Non.* p. 463. 15. *Merc. de maris strepitu.* crepitu clangente. *V.* CACHINNO. *Val. Flacc.* 3. 349. Lucttificum clangente tuba. *Stat.* 4. *Theb.* 342. et jam horrida clangunt Signa tubæ. *Auct. carm. Philom.* 57. Aquilæ clangunt. — *Clangere* est etiam oratorie eloqui, et opponitur τῷ *frigutire* apud *Fronton.* V. *Fronton. loc. cit.* in FRIGUTIO.

CLANGOR, ōris, m. 3. κλαγγή (clango), sonans strepitus, stridens sonitus (It. *il rimbombo sonoro, il tuono strillante*; Fr. *son eclatant, bruit, cri*; Hisp. *ruido fuerte, sonido fuerte*; Germ. *der Klang, das laute Getön, der schreiende Ton*; Angl. *shound noisy*). Occurrit — *a*) Sæpissime de variis variarum avium vocibus. Nam aquilæ tribuit *Liv.* 1. 34.; fulicæ *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (361).; accipitri *Id.* 10. *ibid.* 8. 10. (23).; anseribus *Id.* 18. *ibid.* 35. 87. (363)., *Liv.* 5. 47., et *Colum.* 8. *R. R.* 13. 2.; gruibus *Stat.* 12. *Theb.* 517.; passeri *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 63.; phœnici *Claudian. carm. de Phœnic.* 45.; gallinis *Apul.* 9. *Met.* — Et generatim de avibus stridentibus alasque concutientibus. *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 24. *Æschylum vertens.* Clangorem fundere. *Id.* 2. *Divinat.* 30. 63. *vertens locum Homeri Iliad.* 2. Tremulo clangore volare. *Virg.* 3. *Æn.* 226. Magnis quatere clangoribus alas. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 528. et 13. *ibid.* 611.; *Senec. Herc. Œt.* 1390.; *Sueton. Domit.* 6.; et *Apul. Flor.* — *b*) De latratu canum usurpat *Grat. Cyneg.* 186. At clangore citat, quos nondum conspicit apros, Ætola quæcumque canis de stirpe. At *Marklandus* ad *Stat.* 1. *Silv.* 4. 55. corrigit *clamore.* — *c*) De sono tubæ. *Virg.* 2. *Æn.* 313. Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 526. et 11. *ibid.* 192.; *Lucan.* 1. 237.; *Sil. It.* 2. 19.; et *Stat.* 3. *Theb.* 650. — De sono quoque litui usurpat *Pacat. Paneg. Theodos.* 33.

CLARĀTOR, ōris, m. 3. qui clarat. *Charis.* 1. p. 52. *Putsch.* Nomenclator sine *u* dicitur, ut Verrius ait, velut nominis clarator. Ita *Lindemann.* ex unico Codice Neapolit.; *Putschius* legit *calator.*

CLĀRĒ, adverb. (clarus). Comp. *Clarius* et Superl. *Clarissime* in omnibus paragraphis. — Clare est lucide, splendide (It. *lucidamente, chiaramente*; Fr. *clairement, avec clarté*; Hisp. *claramente, luminosamente*; Germ. *hell, klar*; Angl. *clearly, splendidly, brightly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu refertur ad visum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 36. Clare oculis videre. *Catull.* 66. 9. et *Petron. Satyr.* 111. Clare fulgens. *Vitruv.* 9. 1. 7. *Schneid.* Veneris stella clarissime lucens. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 52. Octavo Kal. Aug. Aquarius incipit occidere clare. *h. e.* cum luce, interdiu. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 22. (43). In opaco clarius micant. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 4. Nitens clarius astris. ¶ 2. Latiori sensu refertur etiam ad auditum: ad rem *Quintil.* 8. 3. 62. Res clare atque ut cerni videantur enunciare. *Plaut. Rud.* 2. 6. 52. Clare dentibus crepitare. *Id. Pers.* 4. 3. 30. recitare. *Id. Amphitr.* 5. 3. 3. et *Bacch. greg.* v. 5. plaudere. *Ter. Andr.* 4. 4. 13. Unde est, dic clare. MY. a nobis. *Cic.* 2. *Att.* 20. 30. Cum omnes aperte loquantur, et jam clare gemant. *Cæs.* 3. *B. C.* 94. Clare, ut milites exaudirent: Tuemini, inquit, castra, etc. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 27. Clare certumque locuto. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 16. 59. *Vitruv.* 5. 3. 5. *Schneid.* Clarissime vagatur vox in loco. *Cels.* 1. 8. Clare legere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 89. (193). Pisces clarissime audiunt. Adde alter. *Plin.* 2. *Ep.* 18. *Martial.* 7. 92. Clare et palam petere aliquid. *Quintil.* 11. 3. 55. sonare. *Id.* 11. 3. 160. excreare. *Gell.* 4. 20. Clare ac sonore oscitare. *Sueton. Cal.* 22. Clarius fabulari.

II.) Translate refertur ad intellectum, et significat aperte, manifeste, plane. *Lucret.* 1. 920. Nunc age quod superest cognosce et clarius audi. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. 2. Quo propius ea contentio accedit, eo clarius id periculum apparet. *Nepos Att.* 1. Clare eniteseit aliquid. *Horat.* 4. *Od.* 8. 19. indicare aliquid. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 5. (14). profiteri aliquid. *Id.* 37. *ibid.* 2. 6. (16). intelligere aliquid. *Quintil.* 1. 1. 1. et 2. 17. 25. Ostendere aliquid clare. *Id.* 2. 5. 7. intelligitur aliquid. *Id.* 12. 1. 26. elucet aliquid. *Id.* 2. 5. 73. enitescit. *Id.* 10. 1. 67. illustrare opus. *Id.* 9. 1. 19. Clarissime lucet aliquid.

CLĀREO, es, ui, ere, n. 2. splendeo, luceo (It. *esser chiaro, risplendere*; Fr. *luire, briller*; Hisp. *lucir, brillar*; Germ. *hell, klar sein, glänzen, leuchten*; Angl. *to be clear or bright, to shine*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Non.* p. 85. 25. *Merc.* Hoc lumen candidum claret mihi. *Cic. Arat.* 107. rutilo cum lumine claret Fervidus ille Canis. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 229. divino semita gressu claruit.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad intellectum, et significat apparere, manifestum esse. *Lucret.* 6. 937. quod in primo quoque carmine claret. *h. e.* manifestum est ex primo libro. *Tac.* 4. *Hist.* 73. Quo eventu Germanica bella tractaverimus, satis claret. *Al. leg.* clarum est. *Claudian* IV. *Cons. Honor.* 191. ventura potestas Claruit Ascanio, etc. ¶ 2. Refertur etiam ad moralia, et significat illustrem esse, nobilem, celebrem. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 4. 10. et apud *eumd.* 1. *Off.* 24. 84. Ergo postque magisque viri nunc gloria claret. *Turpilius* apud *Non.* p. 85. 22. *Merc.* Cujus adventu insula hodie claret Cyprus. *Sueton. Ner.* 1. Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Calvinorum et Ænobarborum. *Justin.* 2. 1. Clarere virtutibus.

CLĀRESCO, is, ere, n. 3. Legitur et *clarisco* in quibusdam libb. apud *Apul. de Mundo*: ubi quidam habent etiam *clariscantes*, ut sit a *clarisco, as*, alii *claricantes*, alii *coruscantes*, teste *Elmenhorst. ibid. ad p.* 63. — De Præter. Perfecto *clarui* V. in CLAREO. — Claresco est clarus fio, splendesco (It. *farsi lucido, chiaro*; Fr. *devenir clair, brillant*; Hisp. *hacerse claro, luminoso*; Germ. *hell, klar werden*; Angl. *to grow bright or clear, to shine*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de visu. *Seneca Herc. fur.* 124. Clarescit dies, ortuque Titan lucidus croceo subit. *Val. Flacc.* 7. 30. oblatis clarescant atria villis. *h. e.* aureo vellere splendescant. *Tac.* 15. *Ann.* 37. Circumjecta tecta luminibus clarescere. ¶ 2. Latiori sensu occurrit etiam de auditu. *Virg.* 2. *Æn.* 301. Clarescunt sonitus. *h. e.* clarius audiuntur, vehementius reboant. *Gabius Bassus* apud *Gell.* 5. 7. Vox clarescit et resonat. *Quintil.* 1. 11. 7. Tibiæ præclusis, quibus clarescunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem spiritum reddunt.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad intellectum, et significat apertum fieri, manifestum fieri. *Lucret.* 1. 1108. Namque aliud ex alio clarescit. Adde *eumd.* 5. 1455. *Quintil.* 6. 4. 9. Neque tamen hoc ipsis monitoribus clarescit. *Al. aliter leg.* Adde *eumd.* 3. 8. 61. et 8. 5. 19. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 12. *ante med.* Et hæc sit præsentis operis consummatio, ut, animam esse immortalem, clarescat. *Lactant.* 3. 2. Veritas patefacta clarescit. ¶ 2. Item refertur ad moralia, et significat celebrem, illustrem fieri. *Tac.* 4. *Ann.* 52. Clarescere facinore. *Id.* 2. *Hist.* 53. magnis inimicitiis. *Id. Germ.* 14. Facilius inter ancipitia clarescunt. Adde *eumd. dial. de Orat.* 36., et *Stat.* 3. *Silv.* 3. 120. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 3. placitusque petit clarescere vulgi.

CLĀRĬCĬTO, as, are, a. 1. voco, quasi clara voce cito. *Lucret.* 5. 945. Claricitat late sitientia sæcla ferarum. Ita *Lambin.* cum aliis. Al. leg. *clare citat.*; *al.* rectius *claru' citat.*

CLĀRĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus clarificandi. *Augustin. in lib.* 83. *Quæst. c.* 62. Post clarificationem Domini, idest resurrectionem a mortuis. Adde *Not. Tir. p.* 47.

CLĀRĬFĬCO, as, are, a. 1. Part. *Clarificatus.* — Clarifico est clarum facio. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 50. (127). Nasturtium visum clarificat. *Ita edition. vett. A.* 1469., 1470. et 1472. *et* Aldus. *At* Harduin. *quod in MSS. suis invenit comparat, hoc in textum recepit.* — Translate. *Lactant.* 3. 18. Ut nomen suum grandi aliquo facinore clarificaret. Adde *Sedul.* 4. 173. et 5. 8. et 9.; et *Paulin. Nolan.* 26. 304. *Cassiod.* 8. *Variar.* 22. Tot laboribus, tot laudibus clarificato, illustri viro Cypriano suggestum quoque patriciatus addidimus.

CLĀRĬFĬCUS. *V.* CLARISONUS.

CLĀRĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Actus clarigandi, *h. e.* repetendi ab hostibus res suas. *V.* CLARIGO. Hoc sensu legitur apud *Plin.* 2. *in Ind. l.* 22. 3. *vol.* 1. p. 77. *Sillig. Quintil.* 7. 3. 13. esse dicit ex iis vocibus, quæ obscuriores et ignotiores sunt, et finitione indigent, si ab oratore usurpentur. *Cf. Liv.* 1. 32., et *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 53. et 10. *ibid.* 14. ¶ 2. Sumitur etiam pro jure capiendi hominis, vel rei cujuspiam hostilis, injuriarum, aut violati fœderis causa. *Liv.* 8. 14. Veliterni jussi trans Tiberim habitare, ut ejus qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset; nec prius, quam ære persoluto, is qui cepisset, extra vincula captum haberet.

CLĀRĬGO, as, are, a. 1. antiquum verbum, quod significat res injuste ablatas ab hostibus repetere, vel damni illati compensationem postulare. Institutum enim fuit ab Anco Marcio, ex disciplina Æquicolarum, ut priusquam alicui populo bellum inferretur, legati ad eorum fines mitterentur, qui res ablatas repeterent, aliaque postulata exponerent, propter quæ bellum indici necesse erat. Hostibus deinde imperata non facientibus bellum indicebatur, et inferebatur. Omnem hunc ritum *Liv.* 1. 32. diligenter exsequitur. *Clarigare* igitur dicebatur legatus, cum postulata exponebat, et res repetebat, quia nimirum *clara* voce utebatur, ut exaudiri longe posset. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Semper e legatis, cum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. Adde *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 53., item ad 10. *ibid.* 14. ubi aliud etymon hujus vocis proponit, quod nempe sit ἀπὸ τοῦ κλήρου, *h. e.* sorte. Nam per bellicam, inquit, sortem agros hostium invadebant: unde et κληρονόμοι dicuntur qui jure sortiuntur bona defuncti. Sed profecto major est auctoritas *Plinii.*

CLĀRISCO. *V.* CLARESCO sub init.

CLĀRĬSŎNUS, a, um, adject. clare sonans. *Cic. Arat.* 280. Clarisonæ auræ. *Catull.* 64. 320. Hæc cum clarisona pellentes vellera voce. *Id. ibid.* 125. Clarisonas imo fudisse e pectore voces. *Scaligero* placet hic, quod in suo codice legit, *clarificas*, hoc est *claras* simpliciter; eo modo, quo *ibid.* 407. *justificam mentem* dixit, *h. e.* justam.

CLĀRISSĬMĀTUS, us, m. 4. status, seu dignitas eorum, qui *Clarissimi* appellabantur. *Ammian.* 21. 16. Nec sub eo dux quisquam cum clarissimatu provectus est. Adde *Cod. Theod.* 6. 24. 9. *V.* CLARUS II. 2. sub fin.

CLĀRĬTAS, ātis, f. 3. (clarus) splendor, lux (It. *chiarezza*, *splendore*; Fr. *clarté*, *éclat*; Hisp. *claridad*, *luz*, *esplendor*; Germ. *die Helle*, *Klarheit*, *Helligkeit*; Angl. *clearness*, *brightness*, *splendour*, *light*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de visu sive oculis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (37). Sidus Veneris claritatis est tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur. Adde eumd. *ibid.* § 30. *Id.* 9. *ibid.* 35. 54. (107). Claritas matutina. *Id.* 23. *ibid.* 4. 41. (84). Elixchnia claritatis præcipuæ. *Id.* 18. *ibid.* 11. 29. (114). Claritas oculorum. *Id.* 20. *ibid.* 10. 42. (108). Asparagi oculis claritatem afferunt. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (116). Claritatem visus adjuvat nitrum. — *Ad claritatem* absolute, nempe *oculorum*, sæpissime usurpatur in sphragidibus ocularioruin, qui collyria conficiebant ad curandos oculorum morbos. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 4234. *V.* DIAPSORICUM, FLOGIUM, ISOCHRYSON. — Hanc claritatem Græci vocant ὀξυδέρκειαν. Eadem ita indicatur a *Seneca Ep.* 64. Hoc (*collyrio*) acuitur visus. ¶ 2. Latiori sensu occurrit etiam de auditu. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. In pedibus celeritas, vis in manibus, claritas in voce. Cf. *Quintil.* 6. *præfat.* § 11. *Vitruv.* 5. 3. 8. *Schneid.* Chordarum sonitus claritas. *Quintil.* 9. 4. 131. vocalium. *Id.* 11. 3. 4. Sonus prætenuis et immodicæ claritatis.

II.) Translate. — ¶ 1. Refertur ad intellectum, et accipitur pro perspicuitate et evidentia sermonis, qua res ita exponuntur, ut manifestæ et claræ fiant. *Quintil.* 8. 3. 70. Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus. *Id.* 2. 16. 10. Claritas orationis. Adde *Cod. Theod.* 1. 1. 6. § 1. ¶ 2. Sæpius tamen sumitur pro fama, excellentia, nobilitate, dignitate, amplitudine, quibus fit, ut aliquid clarum ac notum omnibus reddatur, et magni æstimetur. Porro inter *claritatem* et *gloriam* hoc interesse docet *Seneca Ep.* 102., quod hæc multorum judiciis constet, illa bonorum. *V.* ibi multa de claritate; et cf. *Quintil.* 10. 1. 72. *Cic.* 1. *Phil.* 13. 38. Num hujusce, cum pro salute reipublicæ tanta gessisses, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? *Id.* 13. *Fam.* 68. 2. Quæ quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen etc. Adde eumd. 2. *Divinat.* 31. 66. et 1. *Off.* 21. 70. *Nepos Eumen.* 3. Viri claritate præstantes. *Laberius* apud *Gell.* 17. 14. Summus gradus claritatis. *Auct. B. Afr.* 22. Claritas nominis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 16. (94). Esse in claritate. *Id.* 14. *ibid.* 4. 6. (13). Vino Maroneo antiquissima claritas. *Id. ibid.* 4. 5. (44). Cato insignis claritate litterarum. *Id.* 13. *ibid* 22. 43. (128). Claritatem dare alicui rei. *Id.* 21. *ibid.* 19. 120. (188). Nunc ipsa claritas herbarum dicetur, *h. e.* clariores et nobiliores herbæ recensebuntur. *Id.* 4. *ibid.* 7. 12. (25). Nec cedentes Athenis claritate Thebæ. Alter *Plin.* 2. *Ep.* 14. Causa claritate personarum insignis. *Id.* 4. *ibid.* 9. et *Quintil.* 8. 6. 7. Claritas generis. *Quintil.* 5. 11. 5. Excellere claritate nascendi. Adde eumd. 3. 7. 19. *Tac.* 1. *Hist.* 49. Claritas natalium. *Flor.* 3. 12. rerum bellicarum. Adde *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. — Hac significatione occurrit etiam in plurali numero. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (53). Claritates operum. *Id.* 37. *ibid.* 13. 77. (201). Ingeniorum. ¶ 3. *Claritas tua* sequiori ævo fuit titulus honoris, quo clarissimi viri appellabantur. *Pelagon. Veterin.* 14. Congruum est, ut de lumbis et de renibus apud claritatem tuam pauca dicamus. *Acta Martyr.* apud *Ruinart.* p. 266. Ex his unus ante conspectum claritatis tuæ adstat. *V.* CLARUS. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CLĀRĬTŪDO, inis, f. 3. est altera eaque antiquior forma ejusd. claritas.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de visu. *Tac.* 1. *Ann.* 28. Fulgor et claritudo deæ (*lunæ*). Adde *Lactant.* 2. 9. ¶ 2. Latiori sensu occurrit etiam de auditu. *Gell.* 7. 5. Histrio, qui gestus et vocis claritudine et venustate ceteris antestabat. εὐφωνία.

II.) Translate est fama, dignitas, nobilitas, amplitudo. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Inclitissima claritudo. *Sisenna* apud *Non.* p. 82. 7. *Merc.* Celeriter conficere aliquid summa cum claritudine. *h. e.* summa cum fama et gloria. *Sall. Jug.* 2. *in fin.* Artes animi, quibus summa claritudo paratur. *Id. ibid.* 7. In tantam claritudinem brevi pervenerat, ut etc. *Vellej.* 2. 130. 1. Eminere claritudine. *Tac.* 4. *Ann.* 6. Claritudo militiæ. *Id.* 15. *ibid.* 71. nominis. *Id. ibid.* 35. et 3. *ibid.* 55. familiæ. *Id.* 15. *ibid.* 65. virtutum. *Id.* 12. *ibid.* 8. studiorum. *Id.* 2. *ibid.* 43. generis. *Id.* 12. *ibid.* 2. Cæsarum.

CLARITUS, adverb. pro clare, ut *publicitus* pro *publice*, olim dictum fuisse ex *Celso* docet *Charis.* 1. p. 190. *Putsch.*

CLĀRĬVĬDUS, a, um, adject. (clarus *et* video) qui clare videt. *Marcell. Empir.* 18. Clarividi sensus.

CLĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Clarandus* II. 1. — Claro est clarum facio, illustro (It. *far chiaro*, *illuminare*; Fr. *éclairer*, *illuminer*; Hisp. *aclarar*, *iluminar*; Germ. *klar od. hell machen*; Angl. *to make clear*, *illuminate*).

I.) Proprie occurrit apud Poetas tantum. *Cic. Arat.* 39. æstatis primordia clarat. *Id.* 1. *Divinat.* 12. 21. Juppiter excelsa clarabat sceptra columna. *Stat.* 5. *Theb.* 284. ita fatus in aera rursus Solvitur et nostrum visus arcentibus umbris, Mitis iter longo claravit limite flammæ.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad intellectum et significat ostendere, declarare. *Lucret.* 4. 778. multaque nobis Clarandum est, plane si res exponere avemus. *Id.* 3. 35. Hasce secundum res animi natura videtur, Atque animæ claranda meis jam versibus esse. *Apul. de Deo Socrat.* Clarare obscura. ¶ 2. Refertur etiam ad moralia, et significat illustrem ac famosum reddere. *Horat.* 4. *Od.* 3. 3. Illum non labor Isthmius Clarabit pugilem.

CLĀROR, ōris, m. 3. claritas, splendor. *Plaut. Most.* 3. 1. 111. Ædes filius tuus emit: sed scin' cujusmodi? speculo claras, clarorem merum.

CLĀRUS, a, um, adject. Comp. *Clarior* et Superl. *Clarissimus* in omnibus fere paragraphis. — Clarus est lucidus, splendens (It. *chiaro*, *lucido*, *luminoso*; Fr. *clair*, *éclatant*, *brillant*; Hisp. *claro*, *luminoso*, *brillante*; Germ. *hell*, *klar*; Angl. *clear*, *bright*, *shining*, *sheeny*, *splendid*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de visu sive oculis: et quidem — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 157. Quibus oculi parum clari sunt, inungito. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 1. *G.* 460. aquilo, *h. e.* serenum inducens, ut *Servius* exponit, Græce λαμπρός. *Tac.* 1. *Ann.* 28. cœlum. *Lucret.* 4. 233. candor. *Id.* 5. 1257. color. *Id.* 2. 830. color clarissimus. *Seneca Hippol.* 339. dea clara mundi (*luna*). *Horat. Carm. sæc.* 23. dies clarus. *Virg.* 5. *Æn.* 43. dies clara. *Lucret.* 1. 1001. flumina. *Id.* 6. 84. fulmina. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 62. gemmæ clarissimæ. *Virg.* 2. *Æn.* 569. incendia. *Horat.* 4. *Od.* 13. 14. lapides. *Cic.* 6. *de republ.* 11. 11. locus illustris et clarus. *Lucret.* 5. 771. loca. *Horat.* 2. *Satyr.* 7. 48. lucerna. *Lucret.* 3. 1. lumen. *Id.* 4. 823. lumina oculorum. *Cic. Sull.* 14. 40. lumen clarissimum. *Virg.* 1. *G.* 5. clarissima mundi Lumina. *h. e.* sol et luna. *Plaut. Amph.* 1. 3. 49. et *Virg.* 1. *Æn.* 588. lux. *Virg.* 7. *Æn.* 141. pater omnipotens ter cælo clarus ab alto Intonuit. *h. e.* cælo sereno, ut *Servius* exponit. *Cic. Arat.* 4. pectus Andromedæ *de astro*. *Lucret.* 6. 163. scintillæ ignis. *Horat.* 4. *Od.* 8. 31., *Seneca* 1. *Clem.* 3. 3. et *Hippol.* 410. sidus. *Virg.* 3. *Æn.* 519. signum. *h. e.* quod flamma constabat. *Quintil.* 5. 12. 8. sol clarissimus. *Lucret.* 2. 51. splendor vestis clarus. *Ovid.* 4. *Met.* 335. vitrum. *h. e.* pellucidum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 41. 105. stellæ clarissimæ. *Horat.* 3. *Od.* 1. 42. sidere clarior. — *b*) Addito per Ablat. quo quid clarum est. *Plaut. Most.* 3. 1. 111. Ædes speculo claræ. *h. e.* ut speculum. *Lucret.* 5. 296. pendentes lychni, claræque coruscis Fulguribus pingues multa caligine tædæ. *Cic. Arat.* 179. stellæ parvo cum lumine claræ. *Virg.* 8. *Æn.* 673. Et circum argento clari delphines in orbem Æquora verrebant. *Id.* 9. *ibid.* 582. ferrugine clarus Hibera. *Id.* 4. *G.* 93. insignis et ore Et rutilis clarus squamis. *Ovid.* 15. *Met.* 190. cumque albo Lucifer exit Clarus equo. *Id.* 13. *ibid.* 704. Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam. ¶ 2. Latiori sensu occurrit etiam de auditu, sive de voce ac sono: et jungitur pluribus Substantivis, quæ, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 27. clamor. *Ovid.* 2. *Met.* 625. ictus. *Seneca Hippol.* 12. lamenta. *Ovid.* 13. *Met.* 806. latratus. *Cels.* 1. 2. lectio. *h. e.* quæ fit clara voce. *Ovid.* 4. *Met.* 138. plangor. *Plaut. Asin.* 5. 2. 97. plausum clarum dare. *Lucret.* 4. 569. sonor. *Quintil.* 11. 3. 55. spiritus. *Sueton. Vit. Lucan.* strepitus clarior. *Quintil.* 8. 3. 16. syllabæ clariores. *Virg.* 5. *Æn.* 139. tuba. *Cic. Cluent.* 48. 134. et *Cæcin.* 8. 22.; *Lucret.* 4. 713.; *Liv.* 7. 31.; et *Ovid.* 3. *Met.* 703. voce clara. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. et *Cic.* 5. *Tusc.* 7. 19. clariore voce.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad intellectum, et ponitur pro manifesto, aperto, patenti, quod scilicet facile percipi potest. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 6. Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. *Id. Mil.* 2. 6. Sin illius insidiæ clariores hac luce fuerint. *Id.* 1. *Tusc.* 37. 90. Id quod est luce clarius. *Id.* 1. *Fin.* 21. 71. Si ea, quæ dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt. *Id.* 1. *Divinat.* 3. 6. Præsertim cum id – solis luce videatur clarius. *Id.* 5. *Verr.* 25. 61. Clara res est, quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima atque notissima. *Id. Rosc. com.* 3. 8. Ego, quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo. Cf. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 1. Vide ut mihi certa et clara attuleris. Rursus *Cic.* 6. *Att.* 9. 1. Admiratus sum σύγχυσιν litterularum, quæ solent tuæ compositissimæ et clarissimæ esse. *Id.* 1. *Tusc.* 32. 78. Labamus mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus: in his est enim aliqua obscuritas. Adde eumd. 7. *Verr.* 38. 101. *Liv.* 22. 39. Omnia non properanti clara certaque erunt. *Ovid.* 3. *Fast.* 28. An somno clarius illud erat? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 14. 12. (61). Massinissam post LXXXVI. annum generasse filium, quem Metimanum appellaverit, clarum est. *Tac.* 6. *Ann.* 22. Documenta clara. *Quintil.* 10. 1. 51. Materia clarissima. ¶ 2. Refertur etiam ad moralia, et ponitur pro nobili, insigni, excellenti, celebri: qua significatione occurrit — *a*) Absolute. — Generalim. *Cato* apud *Cic. Planc.* 27. 66. Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii rationem extare oportere. *Plaut. Rud.* 4. 2. 28. Ubi nobilitas mea clara erit. *Cic.* 1. *Cat.* 2. 4. Interfectus est – C. Gracchus, clarissimo patre, avo, majoribus. *Id.* 3. *Fin.* 2. 7. Cato quasi helluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. *Sall. Jug.* 1. Animus – abunde pollens potensque et clarus est. *Liv.* 10. 37. Pax tamen clarior majorque – parta est. *Plin.* 2. *Ep.* 13. 4. Pater ei in equestri gradu clarus, clarior vitricus etc. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 19. auctor generis clarissimus. *Plin.* 7. *Ep.* 33. consules clarissimi. *Cic. Sext.* 69. 144. et 14. *Att.* 11. cives fortissimi et clarissimi. *Nepos Thrasyb.* 2. civitas clarissima. *Horat.* 3. *Od.* 1. 47. dux clarus. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 8. exempla clara et illustria. *Tac.* 12. *Ann.* 31. facinora. *Sall. Jug.* 30. facundia clara pollensque. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (129). flumina. *Horat.* 1. *Od.* 5. 54. genus. *Vellej.* 2. 9. ingenia. *Cic.* 1. *Tusc.* 48. 116. mortes claræ. *Ovid.* 11. *Met.* 285. nomen. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (145). oppida. *Ovid.* 3. *Art. am.* 338. opus clarius. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 91. parentes clari. *Id.* 1. *ibid.* 6. 58. patre claro natus. *Cic. Brut.* 51. 191. poeta clarus. *Cels.* 1. *præfat.* et *Sueton. Gramm.* 4. professores sapientiæ clarissimi. *Virg.* 5. *Æn.* 564. progenies clara. *Lucan.* 10. 56. proles. *Lucret.* 1. 423. propago. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 111. pugna clara et memorabilis. Adde *Liv.* 9. 37. *Id. Liv.* 9. 17. reges. *Tac.* 1. *Ann.* 1. scriptores. *Cic. Senect.* 7. 22. viri clari et honorati. *Id.* 2. *Verr.* 15. 44. et 7. *ibid.* 58. 153. vir fortissimus et clarissimus. *Id. Rabir. Post.* 16. 44. viri præpotentes et clari. Adde *Nepot. Att.* 18., et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 250. *Cic. Amic.* 27. 102. virtus clara et insignis. — Speciatim *clarissimus* vox fuit, qua senatores et consules honoris causa appellabantur, ut est apud *Plin.* 7. *Ep.* 33.; *Lamprid. Elagab.* 4. et *Alex. Sev.* 21.; et *Martian. Dig.* 49. 14. 18. *Plin.* 10. *Ep.* 51. Fuscus Salinator clarissimus vir. *Id.* 6. *ibid.* 11. Fuscus Salinator clarissimus juvenis (*ejus filius*). Hinc *clarissimus vir* dicitur P. Servilius Vatia collega in consulatu App. Claudii Pulcri an. U. C. 675. apud *Cic.* 13. *Fam.* 68. 3. Postea omnes proconsules, item consulares, cor-

rectores provinciarum, et alii, ut constat ex *Cod. Justinian.* 8. 14. 5. Ex *Marin. Frat. Arv.* p. 544. ita est appellatus præfectus prætorio, ex *eod. ibid.* p. 528. magister Fratrum Arvalium, item ex *Inscript.* apud *Gruter.* 270. 6. et 1081. 1. pontifices, et ex alia apud *eumd.* 173. 5. magister Saliorum. *Clarissimus ordo* est senatorius apud *Vopisc. Aurelian.* 18. *in fin.* V. ILLUSTRIS. *Clarissimæ feminæ* apud *Ulp. Dig.* 1. 9. 8. Feminæ nuptæ clarissimis personis clarissimarum personarum appellatione continentur: clarissimarum feminarum nomine senatorum filiæ, nisi quæ viros clarissimos sortitæ sunt, non habentur. *Clarissimus juvenis*, et *clarissimus puer*, et *clarissima puella* dicebantur filii clarissimorum virorum, quod multis confirmat exemplis *Jo. Labusius* in *Dissert. intorno l'ant. Marm. di Giulio Ingenuo*, ac præsertim hac inscriptione *ibid.* p. 23. T. FLAVIVS SECVNDVS PHILIPPIANVS VIR. *clarissimus* LEG. AVGGG. PROV. LVGVD. CVM IVLIA NEPOTILLA *clarissima femina* SVA, ET T. FLAVIO VICTORINO PHILIPPIANO *clarissimo iuveni* TRIB. MIL. LEG. V. MACED. ET T. FLAVIO ARISTO VLPIANO *clarissimo puero*. Alia *Inscript.* apud *Passionei cl.* 9. n. 41. SCRIBONIA MAXIMA *clarissima puella* VIXIT DIEBVS XLV. — Brevius et rectius *clarissimus vir* et *viri clarissimi* dicti sunt qui quæstura functi atque in senatorum numerum relati fuerant, nec non eorumdem filii, ut patet ex *Cic.* 15. *Att.* 20. 2. In posterum vero, quemadmodum *clarissimatus* honor, ita etiam *clarissimi* appellatio ab Imperatoribus arbitrario concessa est. *Cassiod.* 7. *Variar.* 38. Clarissimatus honorem regia tibi largitur auctoritas. Quapropter nihil jam obscurum agere patiaris, qui clarissimatus dignitate resplendes. Grande siquidem vitæ testimonium est, non tam clarum, quam clarissimum dici. Cf. loca *Cic.* 1. *Orat.* 45. 198. et *Leg. Manil.* 17. 51.; *Sall. Cat.* 51. 19.; *Plin.* 9. *Ep.* 13., item loca *Lamprid.*, *Dig.* et *Vopisc.* superius citata, necnon allatas Inscriptiones et *Isid.* 9. *Orig.* 4. 12. — *b*) Addito, quo quis clarus est. — Per Ablat. sine præpositione. *Cic.* 2. *Orat.* 37. 154. Certe non tulit ullos hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 47. Clarus causis agendis. *Id.* 2. *Sat.* 5. 194. servatis Achivis. *Id.* 3. *Od.* 1. 17. triumpho. *Ovid.* 11. *Met.* 218. conjuge. *Id. Heroid.* 17. 52. nobilitate. *Id. ibid.* 19. 147. origine. *Id.* 1. *Fast.* 471. utroque parente. *Liv.* 9. 7. genere et factis. *Id.* 7. 31. luxuria superbiaque. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 19. 18. (49). sapientia. Alter *Plin.* 1. *Ep.* 10. vita. *Quintil.* 10. 1. 83. et 10. 1. 90. acumine inventionum. *Id.* 3. 6. 64. arte medicinæ. *Id.* 10. 1. 83. eloquendi suavitate. — Raro per Genitivum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 4. (8). Vetuit (*Alexander*) in gemma se ab alio scalpi quam a Pyrgotele, non dubie clarissimo artis ejus. *Vellej.* 2. 8. 3. Clarissimus disciplinæ. — Sæpius per Ablativum cum præpos. *in*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Clarissimi in ea scientia. *Quintil.* 2. 3. 3. in arte tibiarum. Adde *eumd.* 1. 6. 35., 10. 5. 14., 12. 2. 7. et 12. 10. 49. — Aliquando per Accusat. cum præpos. *ob*. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 32. Clarus ob id factum. — Interdum per Ablat. cum præpos. *ex*. *Cic. Rabir. Post.* 9. 23. Ex republica, ex doctrina nobilis et clarus. — Interdum etiam addita origine. *Virg.* 1. *Æn.* 550. Trojanoque a sanguine clarus Acestes. — Hinc

Clara, *ōrum*, n. 2. absolute, substantivorum more. *Sil. It.* 1. 570. Tempore Martis Utendum est rapto, et grassandum ad clara periclis.

CLASSEUS, a, um, adject. ad classem pertinens. *Cassiod.* 5. *Variar.* 17. Ostuisti oculis nostris subito classeam silvam hominum, domos aquatiles, exercituales pedes, qui nullo labore deficiant, sed inconcussos homines ad destinata perducant; trireme vehiculum remorum tantum numerum prodens, sed hominum facies diligenter abscondens.

CLASSĬAM unimammiam vel unomammiam cum dixit *Plaut. Curc.* a. 3. v. 75. joculariter intelligi voluit regionem Amazonum, quæ dexteram mammam ferro secabant, quo expeditius arma tractarent. *V.* AMAZON in ONOM.

CLASSĬĀNUS, a, um, adject. ad classem pertinens. *Tab. ænea*, quæ pertinet ad annum CV. a Chr. n. apud *Cardinali. Diplom. imp.* n. XII. *p.* 157. Ala classiana civium Romanorum. *h. e.* ex classiariis.

CLASSĬĀRIUS, a, um, adject. ad classem pertinens. *Tac.* 12. *Ann.* 8. Olcartus centurio classiarius. *Lamprid. Commod.* 15. Cum illi sæpe pugnanti, ut deo, populus favisset, irrisum se credens, populum Romanum a militibus classiariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. — Hinc sæpius

Classiarii, *ōrum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt qui in classe, hoc est instructis bello navibus pugnant. *Nepos Themist.* 3. Classis Græcia cum classiariis regis conflixit. *Id. Milt.* 7. Utrisque venit in opinionem signum a classiariis regis datum. *Auct. B. Alex.* 20. In his rebus occupato Cæsare militesque hortante, remigum magnus numerus et classiariorum ex longis navibus nostris in molem se ejecit. *Tac.* 12. *Ann.* 56. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 27. et *Sueton. Oth.* 8. — Hoc genus militiæ parum honestum apud Romanos fuit. Itaque justis militibus classiarii opponuntur apud *Sueton. Galb.* 12. Nam cum classiarios, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret; recusantes non modo immisso equite disjecit, sed decimavit etiam. Hinc *classiariorum* nomine veniunt etiam nautæ, qui in classe sunt, et remigio inserviunt, τὸ ναυτικόν. *Cæs.* 3. *B. C.* 100. Per equites dispositos aqua prohibere classiarios instituit. *Auct. B. Alex.* 12. Cum non jam virtute propugnatorum, sed scientia classiariorum se victos viderent. *Tac.* 14. *Ann.* 4. Triremi et classiariorum remigio vehi. — Classiarii etiam pro cursoribus habiti. *Sueton. Vesp.* 8. Classiarios, qui ab Ostia et Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine, jussit posthac excalceatos cursitare. — Quamquam nihil fere de fabris navalibus apud rerum antiquarum scriptores occurrat, et eorum mentio tantum sit in *Inscript.* apud *Gruter.* 640. 1. (*V.* NAVALIS); ii tamen *classiariorum* nomine significari videntur in hac *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 477. 10. COLLEGIVM DENDROPHORORVM, ET CLASSIARIORVM MISENATIVM AVRELIO CANVSIO Q. FIL. PRAENESTINO PATRONO OPTIMO *aere communi* FIERI CENSVIT. Cum in hoc titulo Classiarii Dendrophoris conjungantur, iis scilicet, qui materiem ad classem ædificandam, vel reficiendam comportabant (*V.* DENDROPHORI), videntur illi nec milites, nec remiges vel nautæ fuisse, sed fabri, qui in Misenensi navali navibus fabricandis vel reficiendis operam dabant. Sic *ballistarii* dicti sunt, qui ballistas facerent et qui ballistis missilia jacerent. V. *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 146. *edit. Patav.*

CLASSĬCEN, inis, m. 3. V. *Classicus*, *i*, in fin. voc. CLASSICUS.

CLASSĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a classis, parva classis. *Cic.* 16. *Att.* 2. 4. Cassius cum classicula sua venerat.

CLASSĬCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

CLASSĬCUS, a, um, adject. ad classem pertinens, et quidem

A) Classicus est ad classem pertinens, qua ordinem seu partem populi significat.

I.) Proprie. *Gell.* 7. 13. docet classicos appellatos esse a *Catone* non omnes, qui in classibus erant, sed primæ tantum classis homines, qui centum et viginti quinque millia æris, ampliusve censi erant: *infra classem* vero, qui in secunda classe, et in aliis inferioribus describebantur: quod confirmat *Paul. Diac.* p. 113. 12. *Müll.*

II.) Translate *classici testes*, qui censu aliquo sunt, et fide digni: cujusmodi signandis testamentis adhibebantur. *Paul. Diac.* p. 56. 15. *Müll.* — Hinc *classici scriptores* vocantur, qui in prima veluti classe sunt, qui vulgo probantur, et auctoritatem legitimam ex communi consensu obtinent. *Gell.* 19. 8. *ad fin.* Classicus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius.

B) Refertur etiam ad classem, qua naves bello instructas significat. *Propert.* 2. 1. 28. Aut canerem Siculæ classica bella fugæ. *Liv.* 21. 61. et 26. 48. Classici milites. *Vellej.* 2. 85. 2. Classicum certamen. *Id.* 2. 81. 2. Corona classicæ insigne. *h. e.* navalis. *Tac.* 1. *Hist.* 31. Classica legio. *h. e.* conflata e classiariis ad justam militiam evectis, de quibus ex *Sueton.* in CLASSIARIUS dictum est. Sic in nummis Antonii *classica* dicitur *Legio XVII.*, quæ in classe militabat. — Hinc

Classici, *ōrum*, m. plur. 2. absolute sunt iidem qui classiarii, *h. e.* in classe remigantes. *Curt.* 4. 3. 18. Tandem remis pertinacius everberatum mare, velut eripientibus navigia classicis, cessit. *Tac.* 2. *Hist.* 17. Intercepti centum equites ac mille classici. *V.* NAVALIS. *Hygin. Gromat.* p. 10. *col.* 2. Classici Misenates D., Ravennates DCCC.

Classicus, *i*, m. 2. absolute, qui cornu canens populum per classes ad comitia vocabat. *Commentarius anquisitionis* apud *Varron.* 6. *L. L.* 92. *Müll.* Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat. *Varro* 5. *ibid.* 91. Tubicines a tuba et canendo, similiter liticines. Classicos a classe: qui item cornu canunt, tum, cum classes comitiis ad comitiatum vocant. *Leg. hic quidam classicines.* — Item *classici* dici videntur, qui classico milites ad pugnam vocant, in illo *Hygin. Gromat.* p. 10. *col.* 2. Tendere debebunt (*cameli*), si in hostem exituri erunt, in prætentura juxta classicos. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

Classicum, *i*, n. 2. absolute (subaudi *signum*), substantivorum more ¶ 1. Est sonus tubæ aut cornus, quo populus per suas classes ad comitia, vel concionem convocabatur, ut colligitur ex *Commentario anquisitionis* apud *Varron.* 6. *L. L.* 92. *Müll.*, cujus verba *V.* paullo supra in *Classicus*, *i*. ¶ 2. Præcipue dicitur de signo quod tuba datur in castris et classe ad milites convocandos, pugnam indicendam, aliarumque militarium actionum tempora significanda. *Horat. Epod.* 2. 6. Nec excitatur classico miles truci. *Liv.* 7. 36. Consul classico ad concionem convocat. Adde *eumd.* 5. 47. *Id.* 2. 45. Silentium classico facere. *Lucan.* 2. 523. Jubere classica. *Id.* 4. 186. dare bello. *Id.* 7. 476. concipere cornu. Adde *eumd.* 1. 238. *Sueton. Cæs.* 32. Ingenti spiritu classicum exorsus. *Id. Vitell.* 11. Urbem ad classicum introiit paludatus. Adde *Senec. Thyest.* 574. et *Quintil.* 2. 11. 4. — Classici signum erat præcipuum imperatoriæ dignitatis. Eo enim jubente solummodo, atque etiam præsente, canebatur, et cum in militem capitaliter animadvertebatur. *Cæs.* 3. *B. C.* 82. de *Pompejo*. Suum cum Scipione honorem partitur, classicumque apud eum cani et alterum illi jubet prætorium tendi. *Liv.* 28. 27. Classicum apud eos cecinit. Adde *eumd.* 28. 27. *in fin.* et *Tac.* 2. *Ann.* 32. Hinc *prætoria classica flare* dixit *Propert.* 3. 2. 41. Adde *Veget.* 2. *Milit.* 22. ¶ 3. Ipsum quoque instrumentum, quo signa dabatur, *classicum* dicitur, uti docet *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 17. *p.* 122. *Bait.*, itemque *Servius* ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 637. Classica jamque sonant, et bello tessera signum. *Virg.* 2. *G.* 539. Necdum etiam audierant inflari classica. *Tibull.* 1. 1. 46. Martia cui somnos classica pulsa fugent. *h. e.* inflata.

CLASSIS, is, f. 3. In Ablativo habet *classe* et *classi*. *Virg.* 1. *Æn.* 382. raptos ex hoste penates Classe veho mecum. *Id.* 8. *ibid.* 11. Advectum Ænean classi victosque penates. Ceterum in prosa oratione Ablativus *classe* est usitatior; quamvis et *classi* occurrat apud *Liv.* 23. 41. et *Vellej.* 2. 79. 2. V. *Drakenborg.* ad *Liv.* loc. cit., *Kreissig.* ad *Liv.* 32. 8. et *C. L. Schneider* vol. 2. *part.* 1. *p.* 228. — Ad etymologiam quod attinet, qui primam statuunt notionem eam, qua multitudinem navium significat, deducunt a *cala* lignum, vel a κάλως *funis nauticus*: qui vero partem populi primo significare volunt, a *calando*, hoc est vocando derivant, ut sit quasi *calassis* (quod putat et ipse *Quintil.* 1. 6. 33.), vel simpliciter a Græco κλῆσις, Dorice κλᾶσις vocatio, a καλέω. Duplicis hujus etymi si alterutrum verum est, secundum certe. Nam, ut ait *Paul. Diac.* p. 225. 5. *Müll.* vetustius fuit, multitudinem hominum, quam navium, classem appellari. Et in *Lege Numæ* apud *Festum* p. 189. 13. et p. 249. 22. *Müll.* ponitur *procincta classis* pro exercitu instructo, ut et infra dicemus. Tunc autem classem navalem Romani nondum fecerant, neque fortasse unquam viderant. V. *Cardinali Iscriz. Velit.* p. 60. — Itaque classis proprie significat concionem seu convocationem populi; sed occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu, pro cœtu seu convocata populi multitudine (It. *moltitudine convocata*, *radunanza*, Fr. *population convoquée*, *assemblée*; Hisp. *multitud convocada*, *asamblea*; Germ. *d. berufene Mannschaft*, *d. Aufgebot*, *d. Versammlung*; Angl. *a multitude assembled*, *a convocation*, *an assembly*). ¶ 1. Generatim ponitur de quacumque civium multitudine ad aliquid convocata: et quidem — *a*) Classis est cœtus, ordo, seu pars civium distributorum ratione census, atque adeo ratione comitiorum ad suffragia ferenda convocatorum. Servius enim Tullius, ut narrat *Liv.* 1. 43., populum in quinque classes divisit, habita ratione census, ut qui centum millium æris (*Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (43). centum

et decem millia æris ponit; *Paul. Diac. p.* 113. 12. centum viginti millia; *Gell.* 7. 13. centum viginti quinque millia) aut majorem censum haberent, primæ classis essent: secundæ, usque ad quinque et septuaginta millia: tertiæ quinquaginta millium censum esse voluit: quartæ quinque et viginti millium: quintæ demum undecim millium. Qui vero minus hoc censu habuissent, proletarii et capite censi dicti sunt, nec ullam propriam classem constituerunt. *Cic.* 2. *Phil.* 33. 84. Prima classis vocatur; renunciatur: deinde, ut assolet, suffragatarum secunda classis vocatur etc. *V.* CENTURIA. Adde eumd. 2. de *republ.* 22. 39. et *Flacc.* 7. 15.; *Liv.* 1. 42. et eumd. *Liv.*, *Plin.* et *Gell.* locc. superius citt. — Hinc formula *Infra classem*, qua usus est *Cato* apud *Gell.* 7. 13. et *Paul. Diac. p.* 113. 12. (ubi locum corrigendum esse recte putavit *Müllerus*), quæ significat omnes infra primam classem censos. — Præterea figurate, hoc est ad hujusmodi Romanorum civium distributionem alludens *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 23. 73. Quis hunc philosophum non anteponat Cleanthi, Chrysippo reliquisque inferioris ætatis? qui mihi cum illo collati, quintæ classis videntur. — *b*) Apud sequioris ævi Scriptores etiam ad alios ordines transfertur. *Colum.* 1. *R. R.* 9. 7. Classes non majores, quam denum hominum faciundæ, *scil.* operarum. *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann.* Abite, ut alii veniant ad officinam. Subiit ergo alia classis, *scil.* servorum. *Sueton. Tib.* 46. Tres classes comitum (*imperatoris*) facere. *Quintil.* 1. 2. 23. Cum præceptores pueros in classes distribuunt. *Id. ibid.* Ducere classem. ¶ 2. Olim dicebatur etiam de exercitu terrestri, ideoque classis idem erat atque *exercitus armatus*: V. *Liv.* 4. 34. ibique Interpp. Nam quas *classes* Servius Tullius primus instituit, atque in varias divisit centurias, non pacis solum, sed belli etiam et militis deligendi causa instituit, ut docet *Liv.* 1. 42. et 43. Hinc *classis procincta* in *Lege Numæ* idem est, quod exercitus instructus, ut *Festus* docet p. 189. 13. et p. 249. 22. *Müll.* Cf. *Paul. Diac. p.* 56. 12. et p. 225. 5. *Müll. Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Equo Dialem Flaminem vehi, religio est: classem procinctam extra pomœrium videre etc. Ipse *Gell.* 1. 11. Cum procinctæ classes erant et instructæ acies cœptumque in hostem progredi. *Paul. Diac. p.* 56. 3. Classes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus. Et ἀρχαϊκῶς *Virg.* 7. *Æn.* 715. quos frigida misit Nursia, et Hortinæ classes populique Latini. *h. e.* Hortinorum equitatus, ut *Servius* exponit. *Servius* huc trahit etiam illud *ejusd.* 2. *Æn.* 30. Classibus hic locus: hic acies certare solebant. Cf. *Apul.* 6. *Met.* Cuncta formicarum accolarum classis. *h. e.* cunctus exercitus. Cf. et *Priscian. de XII. Ver. Æn.* 3. p. 1245. *Putsch.* Classis plura significat et navium multitudinem et hominum collegia, quæ συμμορίας Græci vocant, et equitum ordines. – Sonitus quoque tubarum *classica* inde nominatur: quia *classes* equitum ordines vocant, ut dictum est, qui maxime utuntur tubis. ¶ 3. Sæpissime vero dicitur de multitudine navium ad militarem usum instructarum (It. *armata navale*, *flotta*; Fr. *flotte*; Hisp. *flota*, *armada de mar*; Germ. d. *Flotte*, *vereinigten Kriegsfahrzeuge*; Angl. *a fleet of ships of war*, *an armament*). *Columna rostrata Duilii* apud *Orell. Inscript.* 549. CLASESQVE NAVALES PRIMOS ORNAVET..... CVMQVE EIS NAVEBOS CLASEIS POENICAS (vicit). *Nepos Themist.* 3. Classis Græciæ cum classiariis regis conflixit. *Cic.* 7. *Verr.* 50. 131. Amissionem classis alicui objicere. *Liv.* 28. 7. Accessus classi est facilis. — *a*) Hoc sensu jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cæs.* 2. *B. C.* 43. advolat classis celeriter. *Virg.* 8. *Æn.* 79. advehi classe. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. ædificare ornareque classes. Adde *Nepot. Themist.* 2. et *Arist.* 3. *Virg.* 5. *Æn.* 794. amittere classem. *Sall. epist. Mithrid.* amittere optimos milites cum classibus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 43. 83., 3. *Verr.* 18. 48. et 7. *ibid.* 33. 86.; *Nepos Thrasyb.* 4. et *Milt.* 5.; *Liv.* 8. 3. et 9. 38.; et *Curt.* 10. 1. 16. appellere classem. *Virg.* 3. *Æn.* 472. aptare classem velis. *Horat. A. P.* 64. arcere classes Aquilonibus. *Virg.* 4. *Æn.* 299. et 1. *G.* 255. armare classem. *Cic.* 7. *Verr.* 52. 137. capere et incendere. *Id. ibid.* 52. 136. cogere pecunias classis nomine. *Sueton. Aug.* 49. collocare (*classem*) Miseni, Ravennæ: *V.* infra sub b. *Cic. Flacc.* 14. 33. et *Nepos Milt.* 4. comparare classem. *Cic.* 7. *Verr.* 35. 92. conflagrat classis prædonum incendio. *Virg.* 10. *Æn.* 155. conscendere. *Nepos Con.* 4. contrahere. *Liv.* 23. 45. dare nomina in classem. *Id.* 36. 41.; *Virg.* 1. *G.* 251.; et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 191. deducere classem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). depugnare classe. *Cic. Orat.* 45. 153. devincere classe Pœnos. *Cæs.* 1. *B. C.* 36. dimittere classem quoquoversus. *Id.* 3. *ibid.* 5. disponere classem in ora. *Cic. Flacc.* 14. 32. distribuere bipartito. *Liv.* 40. 26. classem ducere in oram. *Seneca Agam.* 570. in saxa. *Nepos Themist.* 2. efficere classem celeriter. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 87. est in portu classis. *Id. ibid.* 35. 91. expulsa et ejecta in littus classis. *Sall. epist. Mithr.* exuere aliquem classe pulcherrima. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. et 3. *B. C.* 42. facere classem. *Nepos Themist.* 7. facit classis naufragium. *Virg.* 5. *Æn.* 843. ferunt æquora classem. *Id.* 5. *ibid.* 832. ferunt sua flamina classem. *Sall. Jug.* 81. fundere et fugare classes. *Cic. Flacc.* 13. 31. habere classem. *Ovid. Heroid.* 3. 153. impellere classem remige. *Cic.* 7. *Verr.* 35. 91. inflammare atque incendere. *Id. ibid.* 51. 132. instruere atque ornare. Adde *Liv.* 23. 26. *Virg.* 4. *Æn.* 309. moliri. *Cic. Flacc.* 14. 32. navigare classe. *Id. ibid.* navigat classis cursu et remis, non tantum sumptu et litteris. *Liv.* 9. 30. ornandæ classis reficiendæque causa. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 31. 80. et 51. 132., et *pro leg. Manil.* 4. 9. *Curt.* 10. 2. 2. parare classem. *Cic.* 7. *Verr.* 32. 83. et 50. 131.; et *Cæs.* 3. *B. C.* 14. præesse classi. *Curt.* 3. 5. præparare classem. *Nepos Milt.* 1. proficisci classe. *Cic.* 7. *Verr.* 33. 87. provehitur classis. *Virg.* 1. *Æn.* 551. quassatam classem subducere. *Id.* 7. *ibid.* 106. religare classem ab aggere ripæ. *Id.* 3. *ibid.* 117. sistere classem in oris. *Ovid.* 8. *Met.* 102. solvere retinacula classis. *Liv.* 41. 24. et 42. 48.; et *Virg.* 6. *Æn.* 697. stat classis alicubi. *Nepos Timol.* 3. supprimere classem. *Cic.* 3. *Off.* 11. 46. valere classe. *Virg.* 1. *Æn.* 378. vehere penates classe. — Classes apud Romanos variæ fuerunt, ut Ravennas, Misenensis, Flavia Mœsica (de qua *Cavedoni Spicil. p.* 34.), Syriaca, Germanica, Latina, Britannica, Alexandrina, Ægyptia, Pontica. V. *Cardinali Diplom. imp. p.* 251. et 285. — *b*) Narrat *Sueton.* in *Vita August.* 49. illum classem Miseni, et alteram Ravennæ ad tutelam superi sive Hadriatici maris, et inferi sive Tyrrheni collocasse. Similia habet *Tac.* 4. *Ann.* 5. Hinc plurimæ leguntur inscriptiones apud *Gruter.*, *Murat.* aliosque collectores, quæ militibus utriusque classis positæ fuerunt. Ex *Veget.* 5. *Milit.* 1. compertum est, classem Miseni Galliam, Hispaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam; classem vero Ravennæ Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Cretam, Cyprum petere consuevisse; et singulas legiones cum iisdem classibus fuisse. Quot navibus singula classis constaret, ignoratur omnino, licet quidam existiment, eas CC.. fuisse. *Jos. Vernazza Diplom. di Adrian. p.* 30. rectissime conjicit ex *Inscript.* apud *Gruter.* 383. 7. classem Misenensem potioris juris fuisse, quam Ravennatem. *Id. ibid. p.* 16. probat, utramque classem an. U. C. 856., a Chr. n. 103. prætoriæ appellatione decoratam fuisse; ex quo cujusque inscriptionis, quæ ad classiarios pertinet, tempus argui posse confidit: idem denique probat, plurimis adductis scriptorum et inscriptionum auctoritatibus, honestam missionem ab imperatoribus concessam fuisse militibus præsertim classiariis, quandoque etiam legionariis, alarum equitibus peditibusque, ac cohortium prætoriarum, cum nempe, ob pacem cum exteris gentibus initam, aut aliquam imperii vel familiæ imperatoriæ faustitatem, populo congiarium, militibus donativum distributum fuit, ac illi sunt cusi nummi, in quibus *Liberalitas Aug. I.*, vel *II.* vel *III.* et sic deinceps inscriptum legitur. V. *Cardinali Diplom. imp. p.* 170. — *c*) Aliquando est multitudo navium onerariarum ad comportanda frumenta. *Lamprid. Commod.* 17. Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent. — *d*) *Classis* dicta de una navi tantum, legitur apud *Virg.* 6. *Æn.* 334. Lyciæ ductorem classis Orontem. *Stat.* 1. *Achill.* 31. mihi classis funesta minatur. Adde *Paulin. Nolan.* 21. 79. Quidam huc referunt etiam illud *Horat.* 3. *Od.* 11. 47. Me vel extremos Numidarum in agros Classe relegat. — *e*) *Pingere classes* apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 41. (149). est naves pingere.

CLĂTHRĀTUS *vel* clatratus, a, um. *V.* CLATHRO.

CLĀTHRI *vel* clatri, ōrum, m. plur. 2. *Clatri* sine aspiratione rarius occurrit: *V. Inscript.* in v. CLATHRO. — *Clathra*, *orum*, n. plur. recte Latine dici negat *Caper de verb. dub. p.* 2248. *Putsch.* Attamen *Nicol. Heins.* in melioribus *Propertii* libris invenisse se ait 4. 5. 72. Cum fallenda meo pollice clathra forent. *Al. leg.* claustra. — Ceterum clathri (τὰ κλῇθρα Atticorum, τὰ κλαΐθρα Dorum sunt, nec prisca forma Æolensium ΚΛΑΙΘΡΟΙ videtur defuisse) sunt virgæ ligneæ, vel ferreæ, in cratis modum dispositæ, quibus fenestræ, vel januæ muniuntur, ut luminis et aeris usu inclusus potiatur (It. *ferrata*, *inferriata*, *gelosia*; Fr. *barreaux*, *grille*, *grillage*; Hisp. *reja*; Germ. *Gitter*; Angl. *balusters*, *a balustrade*, *railing*). *Cato R. R.* 4. Clathros interesse oportet pede (in *faliscis clathratis*). *Horat. Art. P.* 473. velut ursus Objectos caveæ valuit si frangere clathros. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 10. Spissos clathros infigere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (21). Clathris ferreis circumdare aliquid. Adde *Claudian. Laud. Stilich.* 3. 272. et *Inscript.* apud *Orell.* 3299. — Quod addunt quidam Lexicographi, *clathros* poni etiam pro instrumento rustico ad terram eradicandam, ex illo *Colum.* 10. *R. R.* 72. Tu penitus clathris eradere viscera matris Ne dubita; *Jenson.* A. 1472. edidit: Tu penitus marris eradere viscera matris etc. *Aldus* vero A. 1514. et *al.* Tu penitus latis eradere viscera marris etc. Quod procul dubio rectius est, quodque retinuit etiam *Schneider.*

CLĂTHRO *vel* clātro, as, āvi, ātum, are, a. 1. De ratione scribendi *V.* voc. præced. — Particip. *Clathratus* in fin. — Clathrare est clathris claudere. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 4. Satis est seris transversis ita clathrare, ne spatiorum laxitas pecudi præbeat fugam. — Hinc Part. præter. pass.

Clathratus, *a*, *um*, adjectivorum more. *Cato R. R.* 4. Faliscas clathratas. *V.* FALISCUS. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 26. Neque solarium apud nos est, neque fenestra, nisi clathrata. *Vet. Inscript.* opt. notæ apud *Gruter.* 207. *col.* 2. EISDEM (*h. e. idem*) FORES CLATRATAS (*sic sine aspiratione*) DVAS CVM POSTIBVS AESCVLNEIS (*pro æsculineis*) FACITO.

CLAUDEO, ere, n. 2. *vel* claudo *vel* clodo, is, (clausum), ere, n. 3. (claudus). Part. *Claudens* sub I.; *Clausurus* sub II. — Claudeo idem est quod claudico, nisi quod claudeo est minus usitatum (It. *zoppicare*; Fr. *boiter*, *être boiteux*; Hisp. *cozear*, *estar coxo*; Germ. *hinken*, *lahm sein*; Angl. *to halt*, *limp*, *be lame*).

I.) Proprie. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (330). Clodunt ita (*pecudes*) lippiuntque ab afflatu et alvo citā pereunt. *Paul. Nolan.* 27. 241. Claudens matris ab alvo.

II.) Translate sæpius occurrit pro hærere, vacillare, deficere. *Cæcilius* apud *Priscian.* 10. p. 889. *Putsch.* An ubi vos sitis, ibi consilium claudeat? *Cic. Brut.* 58. 214. In quacumque enim una (*parte*) plane clauderet (*al.* claudicaret), orator esse non posset. *Id. Orat.* 51. 170. Quid est cur claudere, aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? *Id.* 5. *Tusc.* 8. 22. Beatam vitam, etiam si ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo majore parte obtinere nomen suum. *Sallust.* in *fragm.* 3. *Hist.* apud *Priscian.* 10. p. 889. *Putsch.* Conjuratione claudit. Ita *Priscian.* interpretatur. *Id. in orat. C. Licinii Macri trib. pl.* § 10. Neque enim ignorantia res claudit. *Id. in alio fragm.* Nihil socordiā claudebat. Duo hæc loca affert *Donatus* ad *Terentii Eun.* 2. 3. 39., item ad illud *ibid.* 1. 2. 83. Nuncubi meam benignitatem sensisti in te claudier? ubi *Scalig.* quoque *l.* 2. *lection. Auson. c.* 21. pro claudicare exponit. *Liv.* 22. 39. Si altera parte claudet respublica. V. *Alschefski* ad *h. l.* *Fronto Ep. ad Anton. Aug. p.* 122. *Nieb.* Quā causā claudat aliquantum amor erga te meus. *Apul. Florid.* 4. *n.* 18. Quo utinam mihi – oratio suppeteret ac non hic maxime clauderet. *Gell.* 1. 7. Si explicuit diceret, imperfecto et debili numero verborum sonus clauderet. *Id.* 4. 7. *extr.* Nisi tertia syllaba – circumflexe ponatur, numerus clausurus est. *Id.* 13. 20. Sentias suavitatem sonitus claudere. *Auson. prol. sept. Sap.* 31. Sed si memoria Rebus vetustis claudit (*al.* cludit). *h. e.* labat, deficit. *Symmach.* 1. *Ep.* 27. Ne forte in nos parentis claudat affectio. — *Forcellinus* separatim exhibuit *Claudeo*, *es* et *Claudo*, *is*: ad quam postremam verbi formam omnia fere loca, quæ sub hoc n. II. allata sunt, retulerat: sed in fine hæc addiderat: Quædam sunt ex his locis, quæ si certa est lectio, ad *Claudeo*, *es*, pertinere

possunt. Verum magna horum pars aliter ab aliis legitur, vel exponitur. Fortasse ex secundo *Sallustii* loco, et altero *Ausonii* certi aliquid conjici posse videtur, ad hunc verbi usum et significationem adstruendam.

CLAUDICATIO, ōnis, f. 3. claudicandi actus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. 84. In quo stante atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 61. 249. *Colum.* 6. *R. R.* 12. 1. Sanguis dimissus in pedes claudicationem affert. Adde *Val. Max.* 8. 11. *extern.* 3.

CLAUDĬCO, as, are, n. 1. Vulgo dicebatur *clodico*, teste *Cic.* 2. *Orat.* 61. 249. — Part. *Claudicans* I. *a.* — Claudicare est altero tantum pede incedere, vel alterum pedem infirmum et instabilem, aut curtum habere: ab antiquo *claudeo* vel *claudo* (It. *zoppicare*; Fr. *boiter*, *être boiteux*; Hisp. *coxear*, *estar coxo*; Germ. *lahm sein*, *hinken*; Angl. *to halt*, *limp*, *be lame*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 249. Graviter claudicans ex vulnere ob rempubl. accepto. *Ovid.* 3. *Fast.* 758. percusso claudicat ille genu. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 12. 3. et *Sueton. Aug.* 80. *Justin.* 6. 2. 6. Claudicare incessu. — *b*) Speciatim de alis avium. *Lucret.* 6. 834. Claudicat extemplo pennarum nisus inanis. — *c*) Item speciatim de machinarum nutatione. *Lucret.* 4. 516. Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum. *h. e.* pendet.

II.) Translate ponitur pro vacillare, deficere, peccare etc.: ad rem *Quintil.* 11. 3. 43. Sermo inæquabilitate horum omnium, sicut pedum claudicet. *Lucret.* 3. 454. *de senib.* Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque. *Cic. Brut.* 63. 227. Actio paullum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. *Id.* 3. *Orat.* 51. 198. Ut in versu vulgus, si est peccatum, videt; sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit. *Id.* 1. *Nat. D.* 38. 107. Tota res vacillat, et claudicat. *h. e.* casum minatur. *Id.* 1. *Fin.* 20. 69. Verentur, ne si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. *h. e.* non æquo jure utrinque coli. *Id.* 1. *Off.* 33. 119. Ut constare in vitæ perpetuitate possimus nobismetipsis, nec in nullo officio claudicare. *h. e.* deficere, peccare. *Id. Orat.* 51. 173. Si quid in nostra oratione claudicat. *Id.* 5. *Tusc.* 8. 22. Si beata vita ex aliqua parte claudicaret. *At recentiores cum* Orell. *leg.* clauderet. Sic apud *Liv.* 22. 39. Respublica altera parte claudicat. *leg.* claudet. *Quintil.* 10. 1. 99. In comœdia maxime claudicamus. *h. e.* nos Latini Græcis inferiores sumus. Adde *eumd.* 11. 3. 43. *Colum.* 4. *R. R.* 2. 1. In pluribus pedamentis fructus claudicat. *h. e.* non æque provenit. Adde *Claudian. Epigr.* 79. 3. et *Scribon. Compos.* 200.

CLAUDĬGO, ĭginis, f. 3. idem quod claudītas. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 1. Quibus (*jumentis*) remorata basis longi temporis claudiginem fecerit.

CLAUDĬTAS, ātis, f. 3. vitium claudicandi. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). Et fascinationes repercutimus, dextræque clauditatis occursum. *h. e.* occursum ejus, qui dextro pede claudus sit. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 43. 68. (170). et *Apul. Florid.* 3. 16. — In plur. num. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 6. (33). Clauditates oculive orbitatem etc.

CLAUDO *vel* clodo, is, ere, n. 3. *V.* CLAUDEO.

CLAUDO, dis, si, sum, dere, a. 3. Alia forma *cludo*, *dis*, *si*, *sum*, *dere*, quæ usitatissima est in compositis, occurrit apud *Lucret.* 1. 355. et 4. 600. et alibi; *Varron.* 3. *R. R.* 3. 5.; *Scribon. Compos.* 42.; *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 47. (125).; *Quintil.* 9. 4. 65. pluries; *Gell.* 12. 14.; *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann.*; *Stat.* 11. *Theb.* 00.; *Sil. It.* 15. 655., atque haud raro in *Inscriptt.* Addi possent, ne quis putet verbum esse obsoletum, loca *Ovid.*, *Martial.*, *Valer. Flacci*, *Senecæ* utriusque, *Sueton.*, *Justini*, *Celsi*, *Taciti*, *Juvenal.*, quorum omnium editiones etsi modo *claudo* habeant, modo *cludo* (quod et de modo citatis exemplis fatendum est), tamen usum verbi frequentissimum extra dubium ponunt. Sed tamen ab ætatis aureæ scriptoribus hæc forma *cludo* omnino rejecta fuisse videtur: itaque apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 100. pro *cludit* plerique rectius leg. *eludit.* — Formam *clodo* exhibet *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (330). hisce verbis: Nec contra septemtrionem paveris (*pecudes*), supra dictum: clodunt ita lippiuntve ab afflatu et alvo cita pereunt. *At hic alius Codex leg.* clodant, *al.* cludantur, *al. denique* dotantur. Vulgatam scripturam *Dalec.* explicat: *oculos aperire nequeunt.* *Harduin.* tales pecudes ait oculos claudere, ut qui nictatione laborent. *Gronov.* ad *Liv.* 22. 39. *clodere* idem esse quod *claudicare* putat, cui sententiæ refragatur particula ve, clare scilicet docens etiam in priore verbo de oculis agi. *Schneider.* ad *Col.* 7. *R. R.* 3. 25. vitii aliquid latere opinatur, cui opinioni *Sillig* ita accedit, ut fortasse *clodantur* (quod duo Codices exhibent) sit legendum, qua voce rusticis propria morbus aliquis pecudibus proprius significetur. — Part. *Claudens* sub *B.*; *Clausus* in omnibus ferme paragr. et in fin.; *Clausurus* et *Claudendus* sub *A. a.* — Ceterum *claudo* (quod *Forcellinus* deducit a κέλω *impello*, unde κελάω, κελαύω, κελαύδω, ac tandem κλαύδω) ratione habita etymi recte conjungi potest cum κλαΐζω, quod dorice pro κληΐζω *claudo*, a κλεΐς, κλειδός *clavis* (*cf.* etiam Germ. *schliessen* et *Schloss*); et est idem quod obsero (It. *chiudere*, *serrare*; Fr. *fermer*, *enfermer*, *clore*; Hisp. *cerrar*, *tapar*; Germ. *schliessen*; Angl. *to shut*, *close*). Verum claudere tria præcipue significat, prout *A*) aditus, vel *B*) exitus, vel denique *C*) totum aliquid circum undique obseratur atque obstruitur.

A) Claudere ponitur de iis, quorum aditus obseratur: qua significatione eidem opponitur *aperire* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142., quocum cf. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 3.; vel *reserare* apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (49)., cf. *Cic.* 2. *Off.* 15. 55. et *Liv.* 40. 8.; vel *patefacere* apud *Cic. pro leg. Manil.* 8. 21. et *Catull.* 68. 67.; vel denique *promere* apud *Sall. Cat.* 10., quocum cf. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 42. Porro claudere — *a*) Usurpatur de iis omnibus, quæ aut machinis quibuscumque, aut naturā suā ita obserari possunt, ut eorum aditus minime pateat, cujusmodi sunt portæ, januæ, domus etc., vel oculi, os etc. Jungitur autem pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 1. *Æn.* 141. carcerem ventorum claudere. *Scribon. Compos.* 42. cicatrix est claudenda. *Quintil.* 10. 3. 25. cubiculum. *Horat.* 3. *Od.* 7. 20. domum. *Sic Ovid.* 1. *Pont.* 7. 37. Sed neque (*domus*) claudenda est. *Ovid.* 8. *Met.* 629. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (49). domos. Sic figurate *Cic. Quinct.* 30. 93. Habere domum clausam pudori et sanctimoniæ, patentem atque adeo expositam cupiditati et voluptatibus. *Et* 7. *Verr.* 15. 39. Domus clausa contra cupiditatem et audaciam alicujus. *Tac.* 16. *Ann.* 15. effugia villæ claudere. *Ovid.* 6. *Fast.* 485. fana. *Id.* 1. *Amor.* 5. 3. fenestræ partem. *Quintil.* 11. 3. 20. foramina. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 29. fores cubiculi. Adde *Tibull.* 1. 9. 44.; *Ovid.* 4. *Met.* 433.; *Quintil.* 10. 3. 25. et *Sueton. Ner.* 47. *Lucret.* 4. 600. fores cludere. *Tibull.* 1. 2. 7. januam serā. Adde *Sil. It.* 17. 356. *Sueton. Aug.* 22. Janum Quirinum. *h. e.* Jani templum: sic in nummo aureo et æreo *Neronis* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 273. PACE P. R. TERRA MARIQVE PARTA JANVM CLVSIT. *Catull.* 61. 231. ostia. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann.* Cluso ostio redimus ad officium. *Virg.* 1. *Æn.* 298.; *Horat.* 3. *Od.* 5. 23.; et *Ovid.* 3. *Met.* 385. portas. Sic *Ovid.* 14. *Met.* 784. Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit; Et clausura fuit. *Martial.* 11. 99. sellam. *scil.* gestatoriam. *Ovid.* 15. *Met.* 389. sepulcrum. *Cic. Dom.* 21. 54.; *Horat.* 1. *Sat.* 3. 131. et *Seneca* 7. *Benef.* 21. tabernas. *Ovid.* 5. *Met.* 287. tecta. *Sil. It.* 15. 545. thalamos. *Scribon. Compos.* 269. vas. *Cato R. R.* 5. villam. — Similiter *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Claudere et aperire pupulas. *Propert.* 2. 13. 17. ocellos claudere. *Lucan.* 5. 28. oculos. *Martial.* 10. 63. 6. lumina alicui. *h. e.* oculos. Cf. *Ovid.* 3. *Met.* 503. et 10. *ibid.* 63. *Virg.* 1. *Æn.* 298. lumina in æternam noctem. *h. e.* mori. *Catull.* 65. 18. Si linguam clauso tenes in ore. *Propert.* 3. 7. 36. ora. *Ovid.* 2. *Art. am.* 92. et *Tac.* 2. *Ann.* 40. ora loquentis. *Cic.* 4. *Tusc.* 1. 2. Aures clausæ ad doctissimas voces philosophorum. *Liv.* 40. 8. Aures criminibus claudere. *Seneca Ep.* 123. Cludere aures malis vocibus. — *b*) Item usurpatur de locis, a quorum aditu vel accessu, quocumque modo, quis prohibetur. *Cic. Flacc.* 25. 61. Cum L. Flacco consuli portas tota Asia claudebat. *Id.* 7. *Verr.* 27. 68. Opus est ingens —: nihil tam clausum ad exitum, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri, nec cogitari potest. *Id. pro leg. Manil.* 8. 21. Patefactum nostris legionibus esse Pontum, qui ante ex omni aditu clausus esset. *Liv.* 27. 36. Quod clausæ hieme Alpes essent. *Virg.* 2. *G.* 317. Rura gelu tum claudit hiems. *Ovid.* 13. *Met.* 407. Longus in angustum qua clauditur Hellespontus. — Porro hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. *Cic.* 1. *Phil.* 10. 25. aditus omnes fori claudere. *Tac.* 12. *Ann.* 68. aditus cunctos custodiis. Et figurate *Stat.* 6. *Theb.* 752. aditus ad vulnera. *Catull.* 68. 67. campum. *Martial.* 12. 57. 23. cursum. *Liv.* 21. 57. commeatus. *Tac.* 15. *Ann.* 64. corpus clausum adversus vim veneni. *h. e.* obstructum. *Cic.* 9. *Att.* 15. 1. exitus maritimos. *Tac.* 14. *Ann.* 9. humus clausa. *Id.* 6. *ibid.* 33. incessus alios. *Ovid.* 8. *Met.* 543. et 1. *Fast.* 272. iter alicui. Cf. *Martial.* 11. 92. mors iter vocis claudit. *Varro* 7. *L. L.* 21. *Müll.* locum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 7. mare clausum. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (125). Sævitia tempestatum cludit mare. *Virg.* 10. *Æn.* 22. mœnia clausa. *Id.* 1. *ibid.* 378. Olympo clauso. *Id.* 1. *ibid.* 237. orbem terrarum alicui claudere. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 85. patriam alicui. *Id.* 14. *Met.* 781. portum objice. *Liv.* 27. 46. transitum alicui. *Id.* 29. 2. viam alicui. Adde *Stat.* 2. *Theb.* 6. — Et cum abstractis. *Liv.* 27. 18. et *Ovid.* 6. *Met.* 572. Claudere fugam alicui. *Sil. It.* 17. 120. flatus. — Et figurate *Cic.* 12. *Fam.* 9. 1. Tamquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos. *Liv.* 42. 14. Eo silentio clausa curia erat. — *c*) Denique usurpatur de fluminibus, rivis et similibus, quorum cursus cohibetur ac sistitur. *Propert.* 4. 4. 4. Claudere aquas. *Ovid.* 15. *Met.* 291. fontes. *Virg.* 3. *Ecl.* 111. Claudite jam rivos pueri: sat prata biberunt. ubi ἀλληγορικῶς subest jussio silentium indicentis. Sic *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 83. (133). Sideritis sanguinem claudit. *Justin.* 15. 3. *ad fin.* Cludere sanguinem. — Similiter de respirandi meatibus. *Ovid.* 8. *Met.* 828. vitales vias et respiramina claudere. *Propert.* 3. 9. 11. hiatus serpentis. *Ovid. Ib.* 550. viam animæ laqueo. *Id.* 7. *Met.* 604. animam laqueo. *Lucan.* 8. 59. animam cludere. Sic *Liv.* 44. 45. Vocem alicujus claudere. Et *Tac.* 1. *Hist.* 33. Cludere somnum.

B) Item claudere ponitur de iis, quorum exitus obstruitur, adeoque est finire, concludere, qua significatione eidem opponitur *inchoare* apud *Quintil.* 9. 4. 71. et *Martial.* 13. 14.; et raro admodum proprie, fere semper figurate et translate occurrit. — *a*) Generatim. *Horat.* 2. *Od.* 4. 24. Ætas clausit lustrum octavum. *h. e.* annos quadraginta natus est. Sic *Inscript.* apud *Lupium Dissert. T.* 1. *p.* 144. FILIOLO PIENTISSIMO APVD CVPRESSES DIEM CLAVDENTI. *Ovid. Heroid.* 13. 165. Ultima mandato claudetur epistola parvo. *Id.* 3. *Fast.* 384. Claudere opus aliquod. *h. e.* perficere, absolvere. *Quintil.* 6. 1. 52. tragœdias, comœdias. *Lucan.* 5. 44. nostrum exhausto jus clauditur anno. *Martial.* 13. 14. Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes? *Sil. It.* 15. 635. labores ingentis belli. — Claudere spatham capulo quid sit, *V.* CLAUSULA 1. — *b*) Speciatim *claudere agmen* dicuntur, qui postremo agminis loco sunt, apud *Cæs.* 1. *B. G.* 25.; et *Curt.* 3. 3. 21. et 4. 12. 4. Similiter *Sil. It.* 7. 590. Claudere aciem. *Cf. Auct. B. Afr.* 89. — *c*) Item speciatim occurrit de oratione ac rhythmo. *Cic. Orat.* 68. 229. Claudere sententias numeris. *Id. ibid.* 58. 198. Universa comprehensio et species orationis clausa et terminata est. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 28. Claudere verba pedibus. *h. e.* versus facere. *Id.* 1. *ibid.* 10. 59. aliquid pedibus senis. *h. e.* hexametro versu complecti. *Quintil.* 1. 5. 31. vocem Latinam. *Id.* 9. 4. 18. Cludere et inchoare sententias. *Id.* 2. 15. 27. Disputatio clauditur. *Id.* 9. 4. 65. Cludere versum. *Stat.* 11. *Theb.* 58. Cludere bella. *h. e.* bellorum narrationem. — Neutrorum more *Apul. Florid.* n. 18. Si non hic maxime oratio clauderet. *h. e.* desineret. Alii tamen rectius aliter legunt et exponunt.

C) Denique claudere ponitur de iis, quæ circum undique obstruuntur, et est cingere, circumdare: occurrit autem

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est includere, recondere, abdere. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 42. Statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset. — *a*) Sic de hominibus. *Virg.* 6. *Æn.* 734. clausus tenebris et carcere cæco. *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 37. Claudere aliquem carcere. *Val. Flacc.* 1. 602. carcere et vinclis. *Tac.* 15. *Ann.* 69. cubiculo. *Id.* 4. *ibid.* 30. aliquem Gyaro aut Donusā. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 53., 14. *ibid.* 63. et 16. *ibid.* 9. *Id.* 15. *ibid.* 53. Clausus domo et hortis. *Id.* 1. *Hist.* 49. *sub fin.* Clausus intra domum. *Tubero* apud *Gell.* 6.

4. Claudere aliquem in atras et profundas tenebras. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 59. in arca. *Liv.* 23. 2. in curia. *Ovid.* 3. *Met.* 698. in tectis. *Justin.* 27. 1. Claudere se in aliquo loco. Sic *Ovid.* 1. *Met.* 262. Aquilonem Æoliis in antris. Et *Val. Flacc.* 1. 239. clusos invenit in ignibus Argos. — *b)* De brutis animantibus. *Virg.* 3. *G.* 214. claudere tauros intus. *Id.* 3. *Æn.* 642. pecudes lanigeras in antro. *Id.* 3. *G.* 352. armenta clausa stabulis. *Horat. Epod.* 2. 45. pecus cratibus claudere. *Ovid.* 3. *Fast.* 679. hædos saturos. *Id. ibid.* 743. apes in arbore inani. *Val. Flacc.* 1. 305. apes innumeras. *Tac.* 4. *Ann.* 49. Armenta juxta clausa. — *c)* De inanimis. *Gell.* 12. 14. Tot verba in paucissimas litteras cludere. *Lucan.* 5. 245. Ensis clausus. *h. e.* vaginâ conditus. *Sil. It.* 1. 681. claudere ferrum. *Stat.* 1. *Theb.* 350. humeros clipeo. *h. e.* onerare, tegere. *Sil. It.* 9. 588. latos humeros tegmine. *Id.* 14. 158. Ora cassis claudit. *Id.* 5. 277. Claudere vulnus sub casside. *Id.* 10. 630. vultus casside. *Val. Flacc.* 2. 338. flammam. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Claudere utensilia annulo. *h. e.* obsignare. Huc pertinet et illud *Lucret.* 6. 197. Cludere ventos nubibus. ¶ 2. Speciatim hoc sensu occurrit de locis, quæ circum undique terrâ, mari, aliisve cincta et circumdata sunt. — *a)* Generatim. *Cic.* 4. *Verr.* 2. 4. Urbs, quæ cum manu munitissima esset, tum loci naturâ terrâ ac mari clauderetur. *Id.* 7. *ibid.* 37. 96. Oppidum portu clauditur. *Varro* 3. *R. R.* 14. 1. Quem (locum) circum totum aquâ claudas. *Liv.* 30. 24. Insula ea sinum ab alto claudit. *Id.* 41. 27. Forum porticibus tabernisque clausum. *Id.* 21. 54. Rivus præaltis ripis undique clausus. *Tibull.* 2. 3. 45. Claudit et indomitum moles mare. *Id.* 4. 1. 23. Omnia cælo clauduntur. *Virg.* 4. *G.* 364. lacus speluncis clausus. *Ovid.* 1. *Met.* 568. Est nemus Æmoniæ, prærupta quod undique claudit Silva. *Id.* 4. *ibid.* 646. pomaria mœnibus claudere. *Curt.* 5. 4. 5. Persis ab altero latere perpetuis montium jugis clauditur. *Quintil.* 1. 10. 42. Quantum campi claudat circuitus. Cf. *Ovid.* 2. *Fast.* 222. *Seneca Œdip.* 504. Claudere orbem fluctibus. — *b)* Speciatim de hostili circumventione in re militari. *Cæs.* 3. *B. C.* 23. Tenere locum, littora, portus clausos custodiâ. *Nepos Milt.* 7.; *Liv.* 25. 22. et *Lucan.* 3. 342. Claudere urbem operibus. Sic *Auct. B. G.* 8. 40. Oppidum clausum operibus. *h. e.* circumdatum. *Nepos Epam.* 8. Claudere urbem obsidione. *Auct. B. Alex.* 61. Clausus obsidione. *Nepos Datam.* 8. Claudere adversarios locorum angustiis. *Tibull.* 4. 1. 85. locum ducto vallo. *Seneca Troad.* 317. clusus atque hostem tremens. — *c)* Item de hostili circumventione in re venatoria. *Varro* 3. *R. R.* 3. 5. Quæ maceriæ ad villam venationis causa cluduntur. *Virg.* 6. *Ecl.* 56. claudere nemorum saltus. *Tibull.* 4. 3. 7. colles indagine. Sic *Lucan.* 6. 42. et silvas vastasque feras indagine. Cf. *Stat.* 2. *Theb.* 553. *Tibull.* 1. 4. 49. valles insidiis. *Ovid.* 5. *Fast.* 371. capreas leporemque rete.

II.) Translate est condere, recondere, abdere. *Ter. Eun.* 1. 2. 84. Nunc ubi meam benignitatem sensisti in te claudier. *V.* CLAUDEO. *Id. Andr.* 3. 3. 41. Nolo tibi ullum commodum in me claudier. *h. e.* nolo, quidquam in me esse clausum et obseratum, quod in tuum commodum cedere possit. *Cic.* 4. *Fam.* 13. 6. Et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, me insinuabo. *Id.* 2. *Off.* 15. 55. Claudere rem familiarem. cui *ibidem opponitur* aperire vel reserare. *Id.* 5. *Verr.* 25. 63. Clausa habere sua consilia. *Sall. Cat.* 10. Aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. *Ovid.* 2. *Met.* 641. deum clausum pectore habere. Adde *eumd.* 4. *Fast.* 846. *Sil. It.* 10. 378. pavor clausus. *Tac.* 3. *Ann.* 15. Tiberius obstinatus claususque. *h. e.* secretus, sua consilia occultans. — Hinc a Part. præter. pass. *clausus* est

Clausum vel *clusum*, i, n. 2., quod absolute, substantivorum more usurpatur pro claustro vel clausura. *Tabula Eracl. ær. v.* 71. SAEPTVM CLAVSVMVE HABEAT. *Lucret.* 1. 354. Clusa domorum. *Id.* 4. 613. Clusa viarum. *Sall. Jug.* 12. Clausa effringere. *Virg.* 4. *G.* 303. Linquere aliquid positum in clauso. *Colum.* 12. *R. R. præfat.* § 3. ex *Cicer. in Œcon.* Fructus clauso custodire. *Al. leg.* in clauso. *Id.* 7. *ibid.* 6. 5. Numerum majorem, quam centum capitum, sub uno clauso non expedit habere.

CLAUDUS, a, um, adject. Raro admodum dicitur *cludus* (ut apud *Plaut. Pseud.* 2. 2. 64. Apud anum illam doliolarem, cludam, crassam.) vel *clodus* (ut apud *Arator. Act. Apost.* 266. Israel clodus habet etc.) — Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur esse a χαλάω *laxo*, unde χαλαίνω et χαλαύδω, tandem χλαυδῶ, hinc Latinum extrita aspirata *claudo*, atque adeo *claudus*, *claudico* etc. — Claudus est altero pede læsus (It. *zoppo*; Fr. *boiteux*; Hisp. *coxo*; Germ. *lahm*, *hinkend*; Angl. *lame*, *halting*, *limping*).

I.) Proprie usurpatur ¶ 1. Stricto sensu de animalibus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. 84. Claudum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano sic accepimus. *Nepos Agesil.* 8. Claudus altero pede. *Virg.* 5. *Æn.* 278. pars vulnere clauda retenta Nexantem nodis. *Horat.* 3. *Od.* 2. 32. Pes claudus. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 17. 61.; *Caj.* 3. *Instit.* 214.; et *Apul.* 4. *Met.* — *Claudi more tenere pilam*, proverb. dixit *Cic. Pis.* 28. 69. pro nullo delectu nulloque judicio tenere, ac sequi quicquid doctum indoctumque sit: quia claudi cum pedibus diffidant, quoquo modo possunt, pilam arripiunt, arcteque tenent: vel quia pilæ tantum retinendæ apti sunt, non remittendæ, aut cursitando excipiendæ: vel demum quia tunc solum pilam excipere et tenere solent, si commode illis mittatur. — Proverbii speciem habet et illud *Plaut. Aulul.* 1. 1. 34. Quasi claudus sutor domi sedet totos dies. ¶ 2. Latiori sensu de machinis. *Lucret.* 4. 438. At maris ignaris, in portu clauda videntur Navigia. *Liv.* 37. 24. Claudæ naves. *h. e.* quæ remos fractos habent, qui veluti illarum pedes sunt. Adde *Curt.* 9. 9. 13. et *Tac.* 2. *Ann.* 24.

II.) Improprie occurrit ¶ 1. De oratione, cui aliquid deest. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 11. Carmina clauda alterno versu. *h. e.* alterno breviore, ut est in elegiis. *Quintil.* 9. 4. 70. Clausulæ claudæ atque pendentes. *Id. ibid.* § 116. Clauda oratio, seu periodus. *h. e.* cui aliquid deest; cui opponitur *redundans* et *nimia*. ¶ 2. De abstractis, et est deficiens, mancus, inconstans. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 86. Clauda nec officii pars erit ulla tui. *h. e.* manca erit, deficiet. *Sil. It.* 13. 33. Clauda fides. *h. e.* vacillans, inconstans. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CLAUSIBILIS, e, *et*

CLAUSILIS, e, adject. qui claudi potest. Vocabula a Lexico expungenda; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 83.

CLAUSTRĀLIS, e, adject. ad claustrum pertinens. *Cassiod.* 11. *Variar.* 14. Quæ (*urbs Comum*) licet munimen claustrale probetur esse provinciæ etc.

CLAUSTRĀRĬUS, a, um, adject. ad claustrum pertinens. *Lamprid. Elagab.* 12. Claustrarius artifex. *h. e.* qui claustra et seras facit.

CLAUSTRĬTĬMUS, i, m. 2. ea forma, qua *æditimus*, significat eum, qui claustris januæ præest, ut *Gell.* 12. 10. docet, ubi *Lævium* antiquum scriptorem hac voce usum tradit. Al. rectius leg. *claustritumus*, a claustris tuendis; quemadmodum et *æditumus* pro *æditimus*.

CLAUSTRĬTŬMUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

CLAUSTRUM, i, n. 2. Legitur etiam *clostrum* ea ratione, qua *plostrum* pro *plaustrum* et similia, sed tamen raro, ut apud *Caton. R. R.* 13. et 135., *Senec.* 7. *Benef.* 21., et *Petron. Satyr.* 80. et 121., quamvis hic alii aliter legunt. — In *Not. Tir.* p. 84. legitur *clustrum* pro *claustrum*, sed nulla prorsus auctoritate. — Ceterum *claustrum* a verbo *claudo* et a Græcis κλεῖθρον et κλεῖστρον et Dorice κλαῖστρον, dicitur et est quidquid claudendo inservit, vectis, sera, repagulum, quo janua aut quidpiam aliud clauditur (It. *ciò che serve a chiudere*, *catenaccio*, *stanga*, *sbarra*, *toppa*; Fr. *ce qui ferme*, *serrure*, *verrou*, *cloture*; Hisp. *lo qui sirve á cerrar*, *clausura*, *cerradura*, *cerojo*, *pestillo*; Germ. *die Vorkehrung zum Schliessen*, *das Schloss*, *der Verschluss*; Angl. *a bar*, *bolt*, *barrier*). Occurrit *A)* Raro admodum in singulari, *B)* sæpius in plurali numero.

A) In singulari numero raro admodum occurrit. *Curt.* 4. 5. 21. Objicere claustrum. Adde *eumd.* 7. 6. 13. *Cæs. German. Arat.* 196. foribus præducit vincula claustri. Adde *Petron. Satyr.* 80., ubi tamen alii aliter leg.; et *Gell.* 14. 6. *Seneca* 7. *Benef.* 21. Per clostrum, qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit.

B) Sæpius occurrit in plurali numero, et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de portis, januis et similibus, quæ aditum ad locum aliquem præbent, et est vectes, sera, repagulum. *Cato R. R.* 13. Claves cum clostris in cellas duas (lege *cellam*). *Id. ibid.* 135. Nolæ emes claves, clostra Romæ. *Varro* apud *Non.* p. 515. 12. *Merc.* Claves, claustra. Cf. *Ulp. Dig.* 32. 50. *in fin.* Armariis et loculis claustra et claves cedunt. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 52. Effringi multorum fores, revelli claustra. Adde *Liv.* 5. 2. *Catull.* 61. 76. pendere claustra. *Virg.* 2. *Æn.* 259. laxare. *Id.* 9. *ibid.* 758. Rumpere claustra manu sociosque immittere portis. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 9. Rursus *Virg.* 7. *Æn.* 184. portarum ingentia claustra. *Horat.* 3. *Od.* 11. 44. Aliquem intra claustra tenere. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 17. relaxare claustra. *Petron. Satyr.* 11. discutere. *Sil. It.* 7. 334. reserare. *Val. Flacc.* 3. 53. nocturna claustra cadunt muris. *Martial.* 10. 28. Ferrea perpetua claustra tuere sera. ubi *claustra* sunt ipsæ portarum valvæ. Cf. *Seneca Thyest.* 564. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 195. arcæ claustra remoliri. — Et de ferarum clausuris. *Liv.* 43. 59. Claustris retinere feras. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 8. Claustra pati. *Plin. Paneg.* 81. Feræ claustris fractæ. Huc pertinet et illud *Stat.* 2. *Silv.* 5. 4. *de leone mansueto.* Quid quod abire domo rursusque in claustra reverti etc. *h. e.* in caveam. ¶ 2. Generatim ponitur fere de omnibus, quæ claudendo qualibet ratione inserviunt, ut sunt aggeres, sæpta, mœnia, vallum, etc., imo etiam dicitur de quovis loco concluso. *Liv.* 37. 14. Onerarias ducere multa saburra gravatas, atque eas in faucibus portus supprimere. Et eo minoris molimenti ea claustra esse, quod, in fluminis modum, longum et angustum et vadosum ostium portus sit. *Cassius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 21. *Müll.* Hellespontum et claustra. ubi *Varro* hæc addit: *Claustra*, quod Xerxes quondam eum locum clausit, nam ut Ennius ait: *Isque Hellesponto pontem contendit in alto*; nisi potius ab eo quod Asia et Europa ubi collidit, mare inter angustias facit Propontidis fauces. *Virg.* 1. *Æn.* 56. Circum claustra fremunt venti. *Id.* 2. *G.* 161. Lucrino addita claustra. Sic *Sil. It.* 12. 442. claustra maris. *Id.* 5. 44. undæ. *Seneca Hippol.* 1166. Dædalea claustra. *h. e.* labyrinthus. *Ovid.* 4. *Met.* 86. claustra urbis relinquere. *h. e.* urbis clausuram. Sic *Stat.* 10. *Theb.* 614. claustra Thebarum. *Tac.* 4. *Ann.* 49. Ut aquam pabulumque eriperet, contrahit claustra. *h. e.* circumvallationem. ¶ 3. Item ponitur pro antemurali, propugnaculo, aut loco quacumque ratione munito, quo regnum, provincia, ager vel regio aliqua hostes ingressu prohibet, quoque capto regnum, provincia etc. tota caperetur: Itali dicunt *la chiave del regno*. *Cic.* 7. *Verr.* 32. 84. Alicui claustra loci committere. *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 88. Corinthus erat posita in angustiis atque in faucibus Græciæ, sic ut terra claustra locorum teneret etc. *Id. Flacc.* 13. 30. Omnes sinus, promontoria, littora, insulas, urbes maritimas claustris imperii nostri contineri. *Liv.* 9. 32. Sutrium, quæ urbs velut claustra Etruriæ erat. Adde *eumd.* 6. 9. *Id.* 42. 67. Macedoniæ tutissima claustra. *Id.* 32. 21. Inexpugnabilia claustra fauce Epiri. *Id.* 45. 11. et *Tac.* 2. *Hist.* 82. Claustra Ægypti. Sic *Sueton. Vesp.* 7. Alexandriam transiit, ut claustra Ægypti obtineret. *Virg.* 3. *Æn.* 411. claustra Pelori. *Curt.* 4. 8. 4. Nili fluminis. *Tac.* 2. *Ann.* 59. terræ et maris. *Id.* 3. *Hist.* 43. Claustra maris præsidio tueri. *Id.* 1. *ibid.* 6. Claustra Caspiorum. *Id.* 3. *ibid.* 2. montium. *Id. ibid.* 8. Ægyptus claustra annonæ.

II.) Figurate metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Cic. Mur.* 8. 17. Cum ego claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum non *magis* nobilitati, quam virtuti pateret. *Id.* 1. *leg. Agr.* 1. 1. Vectigal sub signo claustrisque reipublicæ positum. *Lucret.* 1. 71. Confringere portarum naturæ claustra. *h. e.* naturæ arcana reperire et revelare. *Id.* 1. 416. Claustra vitai resolvere. *h. e.* vitalia corporis receptacula et munimenta diffringere. *Id.* 3. 397. Vitai claustra coercere. *Vellej.* 1. 17. Eminentia cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata. *h. e.* arctati temporis spatio, ut *Id. ibid.* loquitur 16. *Seneca Ep.* 70. Servitutis humanæ claustra perfregerunt. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Versus invito te claustra tua perfregerunt. *Id. ibid.* 11. Nunc, refractis pudoris et reverentiæ claustris, *omnia* patent omnibus. *Quintil.* 13. *Declam.* 10. Obluctantia diu legum veluti claustris scelera, libera porta prorumpunt.

CLAUSULA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, *clausula* est tamquam *deminut.* a *clausa*, subaudi *pars*; quod censuisse videtur etiam *Paul. Diac.*, cujus hæc sunt verba p. 56. 7. *Müll.* Clausula, quam Græci ἐπῳδὸν vocant, a brevi conclusione est appellata. — Ceterum clausula est extrema pars alicujus rei, a *clau-*

do, quæ finire significat (It. *clausola, conclusione, fine*; Fr. *fin, terme, conclusion*; Hisp. *fin, termino, remate*; Germ. *das Schlusstheilchen, Endstückchen, das Ende, der Schluss*; Angl. *the ende, a close, conclusion*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *Att.* 3. 3. Clausula est difficilis in tradenda provincia. *Id.* 5. *Verr.* 14. 35. Clausula edicti. *Id.* 13. *Phil.* 21. 47. et 2. *Fam.* 4. 2. Clausula epistolæ. *Id. Cæl.* 27. 65. Mimi ergo est jam exitus, non fabulæ: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulæum tollitur. Cf. *Senec. Ep.* 77.; et *Sueton. Aug.* 99. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 101. (247). Ungues clausulæ nervorum summæ existimantur. *Seneca Ep.* 66. Bonum, quod beatæ vitæ clausulam imposuit. *Colum.* 3. *R. R.* 19. 3. Clausulam imponere disputationi. *Id.* 12. *ibid.* 57. 5. Clausula peracti operis. — *Apul. Florid. n.* 9. clausulam strigilis pro capulo strigilis posuit. Quo pertinet illud *Spartian. Hadrian.* 10. Capulo eburneo spatham claudere. κατακλείειν Græci dicunt hoc eodem sensu. Est autem capulus tum ensis, tum strigilis extrema pars: et *claudere* pro finire adhiberi, supra suo loco diximus. Hæc ex *Salmas. Commentar.* ad *Spartian. loc. cit.* ¶ 2. Speciatim apud Rhetores clausula usurpatur — *a*) De conclusione ac fine periodi. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 181. Clausulas, atque interpuncta verborum, animæ interclusio, atque angustiæ spiritus attulerant. *h. e.* verborum conclusiones. *Id.* 2. *ibid.* 59. 240. Addere clausulam. *Id. Orat.* 64. 215. Clausulæ, quæ numerose et jucunde cadunt. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 44. 173.; 3. *ibid.* 50. 192.; et *Quintil.* 2. 2. 12., 2. 15. 28. et 8. 5. 4. — *b*) Apud Rhetores dicta est etiam *clausula* brevis et acuta in fine sermonis cujusque sententia. Tempore enim *Quintil.*, ut *Id.* 8. 5. 4. docet, turpe ac prope nefas ducebant respirare ullo loco, qui acclamationem non peteret: unde minuti corruptique sensiculi, et extra rem petiti tota oratione spargebantur. — *c*) Apud Grammaticos clausula est versus minor subjectus majoribus. *Isid.* 1. *Orig.* 39. 24. Clausulas lyrici appellant quasi præcisos versus integris subjectos, ut est apud Horatium (*Epod.* 2. 1.): *Beatus ille, qui procul negotiis*: deinde sequitur præcisus: *Ut prisca gens mortalium*: sic et deinceps alterni, quibus aliqua pars deest, et ipsi præcedentibus similes, sed minores. *Mar. Victorin. art. gramm.* 1. p. 2500. *Putsch.* Neque in epodis singuli versus sine clausulis suis et assequelis audiri poterunt ἐπῳδοί. — Hinc (addit cl. *Furlanetto*) etiam *Virgilius* sæpe versus imperfectus reliquit, ut *Æn.* 4. 361. *Italiam non sponte sequor.* ubi *Servius*: Et oratorie ibi finivit, ubi vis argumenti consistit. *Heynius* in *Disquis.* 1. § 18. ad *Æneid.* putat, hos versus ideo imperfectos esse relictos, quia poeta properaret ad novam sententiam. Ita etiam sentire videtur *Donatus* in *Vit. Virg.* § 9. Contra vero sentit *Viscont.* in *Iconogr. Gr. T.* 1. p. 371, nam ibi affirmat, exemplo versus Græci apud *Pausan.* 5. 19. Τυνδαρίδα Ἑλέν. φέρετον, Αἴθραν δ' Ἀθάναζε Ἕλκετο., Virgilium data opera hos versus ita imperfectos reliquisse, et eos eruditos carpit, qui id non suboluissent. Harum clausularum exempla multa suppetunt apud poetas Græcos et Latinos. — *d*) Denique et ipsa periodus *clausula* dicitur, quæ definitur a *Diomed.* 1. p. 275. *Putsch.* compositio verborum plausibilis structuræ, exitu terminata. ¶ 3. Item speciatim a JCtis — *a*) Clausula vocatur phrasis vel dictio, quâ formula aliqua concluditur. *Dig.* 4. 6. 21. pr., 4. 6. 26. § 1. et 9. *Fragm. Vatic.* § 166. — *b*) Item sæpe sumitur etiam pro parte qualibet, seu capite edicti, legis, scripturæ, licet extrema non sit. *Ulp. Dig.* 4. 8. 25. Hæc autem clausula, *diem compromissi proferre*, nullam dat arbitro facultatem. Adde *ibid.* 6. 23. *a med.* et *ibid.* 6. 26. *ad fin.* et alibi sæpe.

CLAUSUM, i. n. 2. *V.* CLAUDO in fin.

CLAUSŪRA vel clusura, æ, f. 1. — *a*) Generatim est id quod claudit. *Inscript.* apud *Orell.* 2510. IN COLLO QVADRIBACIVM MARGARITIS N. XXXVI. ZMARAGDIS N. XVIII. IN CLVSVRIS DVO IN TIBIIS ZMARAGDI DVO etc. *Vulgat. interpr. Baruch* 6. 17. Sicut ad sepulcrum adductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris et seris, ne a latronibus expolientur. — *b*) Speciatim est castrum, præsertim apud medii ævi scriptores. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 27. 2. § 4. Ubi antea fines et clausuræ provinciarum erant. Adde *ibid.* 1. 31. 4. *Cassiod.* 2. *Variar.* 5. In Augustanis clausuris. *Al. hic leg.* clusuris.

CLAUSUS, a, um, *V.* CLAUDO.

CLĀVA, æ, f. 1. ramus ex arbore recisus cum nodis, cui maximum pondus inest in parte inferiori: etymon vocis est a *clavus*: unde *irrasam clavam* dixit *Sil. It.* 8. 586., et *clavam trinodem Ovid.* 1. *Fast.* 575. Alii describunt baculum cum nodo in capite instar clavi (It. *mazzero, mazza, bastone nodoso, o pannocchiuto*; Fr. *gros bâton, massue*; Hisp. *baston grueso, porra*; Germ. *die Keule, der Knüppel, knotiger Stock*; Angl. *a club, batoon, cudgel*). Usurpatur autem ¶ 1. In re agraria. *Cato R. R.* 12. inter torcularii instrumenta clavam enumerat, et videtur intelligere vectem, quo torcularium versatur. *Alii leg.* clavem. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Linum clavis tundere. ¶ 2. Item *clava* enumeratur inter antiquissima et rudiora arma. *Plaut. Rud.* 3. 5. 17. DAE. I sane! sed scin' quomodo? I dum, Turbalio, curriculo affer duas clavas. LA. clavas? DAE. Sed probas: propera cito. Ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es. *Lucret.* 5. 966. Consectabantur silvestria secla ferarum Missilibus saxis et magno pondere clavæ. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. Cum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati clavis et fustibus repelluntur. *Virg.* 10. *Æn.* 318. Nec longe Cissea durum Immanemque Gyan, sternentes agmina clava, Dejecit leto. *Ovid.* 1. *Fast.* 575. Occupat Alcides, adductaque clava trinodis Ter quatit etc. *Id.* 4. *Pont.* 10. 79. Non tibi sunt hostes ferro clavaque domandi. Adde *Curt.* 9. 4. 3. *Sil. It.* 2. 157. Agmina vastabat clava. *Id.* 8. 586. Aptabat dextris irrasæ robora clavæ. — Hinc clava assidue Herculi tribuitur, eoque telo plurima domuisse dicitur monstra: cf. *Virg.* 10. *Æn.* 318. sup. cit. *Propert.* 4. 9. 39. Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ? *Ovid. Heroid.* 9. 117. Instruxitque manum clava domitrice ferarum. Adde *eumd.* 9. *Met.* 114. et 236.; *Sueton. Ner.* 53.; et *Paul. Diac.* p. 62. 7. *Müll.* — *Clavam Herculis extorquere* proverb. apud *Macrob.* 5. *Saturn.* 3. et *Donat. in Vita Virgilii* de re factu impossibili. — *Clava Herculis* Latine vocatur herba, quæ et nymphea. *Marcell. Empir.* 33. — Fuit etiam exercitatio et ludus adolescentium et militum tironum, sicut hasta, pila, equus, cursus etc. *Cic. Senect.* 16. 58. Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastam, sibi clavam: nobis senibus talos relinquant et tesseras. *Veget.* 2. *Milit.* 11. Clavas ligneas, pro gladiis, tironibus dabant: eaque modo exercebantur ad palos. *et infra.* Contra illum palum tamquam contra adversarium, tiro cum crate illa et clava, velut cum gladio se exercebat et scuto. ¶ 3. Clava fuit etiam insigne philosophorum. Idem enim est dicere de iis *pallium et baculus*, quod *pallium et clava*. Exempla habes apud *Sidon.* 4. *Ep.* 11.; 9. *ibid.* 9. *ad fin.* et *carm.* 15. 197. ¶ 4. Denique *clava* dicitur ramus ex arbore recisus serendi causa. *V.* TALEA. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 13. *de citreo.* Citri arbor quatuor modis seritur, semine, ramo, talea, clava. *et infra.* Clava seri commodius potest, quæ sit manubrii crassitudine, longitudine cubitali, ex utraque parte levigata, nodis et aculeis recisis, sed integra summitate gemmarum, per quas spes futuri germinis intumescat.

CLĀVĀRIUM, ii, n. 2. donativum in clavos caligares comparandos, ut calcearium, quod in calceos impenditur. *Tac.* 3. *Hist.* 50. Seditiosæ militum voces terrebant, clavarium flagitantium.

CLĀVĀRIUS, ii, m. 2. qui clavos ligneos facit. *Inscript.* apud *Murat.* 941. 1., quæ est apud *Orell.* 4164. L. CARVIVS L. L. SEXTVS CLAVAR. MATERIAR. SIBI etc.

CLĀVĀTOR, ōris, m. 3. qui clavas fert. Sic appellati sunt, qui militibus ligneas clavas ferebant, iidem fortasse cum calonibus. *Plaut. Rud.* 3. 5. 25. Eccum clavator venit. Adde *eumd. Mil. glor.* 5. 2. 11. — Ita etiam appellari potest miles tiro, qui clavis ligneis utitur, eo modo quo in CLAVA 2. sub fin. dictum est. *Paul. Diac.* p. 62. 9. *Müll.* Calones militum servi dicti, quia ligneas clavas gerebant, quas Græci κᾶλα vocant. Is quoque qui hujusmodi telo utitur, clavator appellatur.

CLĀVĀTUS, a, um. *V.* CLAVO.

CLĀVELLUS, i, m. 2. *V.* CLAVULUS.

CLĀVICĀRIUS, ii, m. 2. qui clavos facit. *Impp. Theodos.* et *Valentinian. Cod.* 10. 64. 1. Lecticarii, clavicarii, quadrigarii.

CLĀVICĀTUS, a, um, adject. clavi notatus. *Simplic.* p. 80. *Goes.* Qui autem appellant arbores notatas, scire debemus in lingua (*lege* idioma) regionis, qui (*lege* quas) clavicatas vocant, quas (*lege* quæ) fines declarandi causa denotantur in Brittiis.

CLĀVĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* clavis, parva clavis. ¶ 1. Proprie. *Cæs. German. Arat.* 195. in *Cassiep.* Qualis ferratos obici clavicula dentes Succutit, et foribus producit vincula claustri. ¶ 2. Item capreolus vitis: ita dicta fortasse a clavi, qua vectem, seu claustrum significat: quia sicut hac valvæ limini adhærent et firmantur, ita illa vitis adhæret arbori ac se ipsam sustinet. *Cic. Senect.* 15. 52. Vitis ut se erigat claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 47. 120. *Plin.* 23. *procem.* 3. (5). Claviculæ ipsæ, quibus vites repunt. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 6. 2. ¶ 3. Ita etiam appellatur propugnaculum ante portam urbis in formam cavæ lunæ. *Hygin. Gromat.* p. 17. *col.* 2. Similiter clavicula circinatur ex linea interiori valli, et puncto mediæ portæ, adaperto circino ad cardinem portæ, ex media præter viam circinabis in eamdem lineam, quæ centro serviet. Item puncto manenti adjicies latitudinem et vallum, et iterum circinabis in eamdem lineam, ut intrantes semper deterti sint, et advenientes in recto cursu excludantur; nomenque ab effectu clavicula trahit. V. *Lange* ad *h. l.* p. 207. et seq.

CLĀVICŬLĀRIUS, ii, m. 2. qui claves gerit. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. 6. Erunt clavicularii, vel carceris custodes.

CLAVICULATIM, adverb. in modum claviculæ, vitis intortæ et crispatæ. Affertur a quibusdam exemplum *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103)., sed ibi leg. *canaliculatim*, vel *cuniculatim*.

CLĀVĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (clava et gero), qui clavam gerit. *Ovid.* 4. *Fast.* 68. Hospes Aventinis armentum pavit in herbis Claviger. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 22. et 284. et 1. *Fast.* 544. *Id.* 7. *Met.* 437. *clavigeram prolem* Vulcani appellat Periphetem Vulcani filium, insignem latronem a Theseo occisum: qui Corynetes Κορυνήτης dictus est, hoc est clava pugnans, a κορύνη, clava, ut est apud *Hygin. fab.* 158., qui tamen *fab.* 38. Neptuni filium facit. *Sil. It.* 3. 14. Exin clavigeri veneratus numinis aras.

CLĀVĬGER, gĕri, adject. m. 2. (clavis et gero) qui claves gerit. *Ovid.* 1. *Fast.* 228. Clavigerum verbis alloquor ipse deum. *h. e.* Janum, qui fingebatur dextrâ baculum, sinistrâ clavem habens, ut *Id. ibid.* 99. tradit, quia est omnium januarum custos ac præses, ut docet *Macrob.* 1. *Saturn.* 9. *V.* ibi alia in hanc rem, et apud *Ovid. loc. cit.*

CLĀVIS, is, f. 3. In Accusativo singularis numeri habet etiam *clavim*, ut apud *Plaut. Most.* 2. 1. 78., *Tibull.* 2. 4. 31., et *Charis.* 1. p. 101. *Putsch.*: sæpius tamen habet *clavem*. — In Ablativo quoque et in *e* et in *i* desinit. Pro altera positione stat locus *Varron.* 1. *R. R.* 22. 6. inferius allatum sub I. 1.: pro altera *Juvenal.* 15. 158. Turribus atque una portarum clave teneri. — Ceterum *clavis* ratione habita etymi est a Græco κλεῖς et Dorice κλαΐς idem significante, ut docet etiam *Paul. Diac.* p. 56. 5. *Müll.* Claudere et clavis ex Græco descendit: atque est instrumentum ferreum, quo ostia, arcæ et id genus multa clauduntur et aperiuntur (It. *chiave*; Fr. *clef*; Hisp. *llave*; Germ. *der Schlüssel*; Angl. *a key*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Inventa est clavis a Theodoro Samio, teste *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (198). De clavibus autem veterum earumque generibus, quæ minori, quam nunc, artificio fiebant, necnon de ratione claudendi, multa *Salmas. in exercitat. Plin.* p. 926. et seqq. — *a*) Generatim. *Plaut. Most.* 2. 1. 78. et *Dig.* 19. 1. 17. pr. Claves ædium. Rursus *Plaut. ibid.* 2. 1. 57. Laconica clavis. *h. e.* qua foris ædes claudebantur, et intus aperiebantur; Laconum inventum: ad discrimen earum, quæ intus tantummodo claudebant, quales olim primo claves apud Græcos fuisse, ex *Theone* probant *Scalig.* et *Meurs. l.* 2. *miscell. Laconic.* c. 17. Alii putant, ita fuisse compositas, ut foris quidem clauderent, at intus aperire non possent. Verba sunt *Plauti*: Clavem mihi harunce ædium Laconicam jam jube efferri intus: hasce ego ædes occludam hinc foris. *Id. Cas.* 5. 2. 7. Ubi intus hanc novam nuptam deduxi, clavem obduxi. *clavem* hoc loco nonnulli accipiunt pro vecti, seu claustro, aut sera, qua intus fores clauduntur. Immo *Scalig.* eodem sensu adhibitum ait a *Virg. Mor.* 13.: sed hic locus varie ab aliis legitur; et apud *Plaut.* alii rectius leg. *abduxi*. Denique nonnulli hoc eodem sensu, at minus recte accipiunt etiam illud *Tibull.* 1. 7. 30. tua si bona nescis Servare, ah frustra

clavis inest foribus. Cic. Dom. 10. 25. Tu heluoni spurcissimo omnes horreorum claves lege tua tradidisti. Varro apud Non. p. 545. 12. Merc. Claves, claustra. Id. 1. R. R. 22. 6. Quæ non possunt esse sub clavi (h. e. clausa esse), quam maxime facere, ut sibi in conspectu, oportet. Adde Dig. 21. 1. 17. § 15. Sall. Jug. 12. Claves portarum adulterinæ. Cf. Ovid. 3. Art. am. 643. Clavis adultera. Liv. 27. 24. in fin. Claves imponere portis. Horat. 2. Od. 14. 26. Cæcuba servata centum clavibus. Tibull. 2. 4. 21. sentit janua clavem. Martial 9. 47. 2. Aptare claves foribus. Apul. 9. Met. Subdita clavi pessulos reduco. h. e. retraho, eximo aperiendi causa. Petron. Satyr. 94. Clavem eximere. Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (198). Invenire clavem. — b) Speciatim clavem dare vel tradere est rei familiaris dominium, aut custodiam tradere. Papinian. Dig. 31. 79. a med., et ibid. 18. 1. 74.; item 31. 1. 77. § 21. et 41. 2. 1. § 21.; Inscript. apud Don. cl. 2. n. 180.; Inscript. apud Murat. 337. 5. et 439. 1.; Inscript. apud Gruter. 496. 7.; et in primis Cic. Dom. 10. 25. — Hinc dabatur clavis domus novæ nuptæ primum ingredienti; quo significabatur, eam matremfamilias institui: eadem adimebatur, cum divortii causa uxor domo exigebatur. Cic. 2. Phil. 28. 69. Mimam illam suas res habere jussit, ex XII. Tabulis, claves ademit, exegit. Ita Non. 4. 152. edit. veter, P. Victor et Manut. etc., itemque Orellius. Alii male legunt: Ex XII. Tabulis causam addidit, exegit. — c) Item speciatim Paul. Diac. p. 56. 7. Müll. Clavim consuetudo erat mulieribus donare ob significandam partus facilitatem. ubi claves matrifamiliæ traditæ et in repudio ademptæ non recte immiscentur a Dacer. ¶ 2. Latiori sensu clavis adunca trochi apud Propert. 3. 12. 6. est instrumentum, quo trochus agitatur. ¶ 3. Item clavem torcularii apud Caton. R. R. 13. interpretatus est Gesnerus vel simpliciter clavem cum clostris, ut in cella olearia, vel vectim. Alii, libris optimis repugnantibus, leg. clavam, inter quos Forcellinus, cui Cato videbatur intelligere vectem, qua torcularium versatur.

II.) Figurate est sententia, quæ epigramma aliquod claudit. Fronto Laud. fumi et pulver. sub init. p. 255. Niebhur. Ut novissimos in epigrammatis versus habere oportet aliquid luminis, sententia clavi aliqua vel fibula terminanda est.

CLĀVO, as, ātum, are, a. 1. (clavus). — Part. Clavans 1.; Clavatus 1. et 2. — Clavo est clavis vincio, ut docet Paul. Diac. p. 56. 9. Müll. Clavata dicuntur aut vestimenta clavis intertexta, aut calciamenta clavis confixa. ¶ 1. Generatim. Paulin. Nolan. 21. 103. Clavante ferro firma ligni robora. Plin. 9. Hist. nat. 36. 61. (130). Concha clavata ad turbinem usque, aculeis in orbem septenis fere. h. e. aculeis instar clavorum munita, clavis abundans. Cf. Cassiod. de anim. 9. a med. Cur triginta duobus dentibus gingivarum nostrarum ordo clavatus est? ¶ 2. Speciatim est vestem purpureis clavis ornare. Lamprid. Alex. Sev. 37. Mantilia cocco clavata. h. e. clavi cocci colore distincta. Vopisc. Bonos. 15. Tunicæ auro clavatæ. V. CLAVUS, LACULATUS et MAPPA.

CLĀVŎLA vel clavula vel clabula, æ. f. 1. deminut. a clava; tener ramus ex utraque parte æquabiliter præcisus (quem alii taleam appellant) plantandi causa. Varro 1. R. R. 40. 4., ubi alii leg. clavula. Adde Non. p. 414. 20. Merc. ubi clabula scriptum est. Clavam autem appellat hoc idem Pallad. V. CLAVA. 3.

CLĀVŬLA. V. CLAVOLA.

CLĀVŬLĀRIS. V. CLABULARIS.

CLĀVŬLUS, i, m. 2. deminut. a clavus, parvus clavus. ¶ 1. Proprie. Cato R. R. 21. Imbrices medias clavulis figere. Varro 2. R. R. 9. 15. Imponere canibus cingulum circum collum ex corio firmo cum clavulis capitatis. ¶ 2. Clavulus est etiam morbus, de quo V. CLAVUS II. a. Marcell. Empir. 33. a med. Verendi virilis clavulis et ulceribus aloe trita utiliter imponitur. Al. leg. clavellis.

CLĀVUS, i, m. 2. Ratione habita etymi, a claudendo quidem dictum putant: sed rectius cum clava conjunges: clavus enim dicitur et est quidquid obtunditur vel percutitur, seu quidquid percutiendo infigitur; et tria præcipue significat, unde et alia, scilicet A) id quo aliquid figitur et alteri rei jungitur; B) fustem, manubrium, quo gubernaculum torquetur; et denique C) in tunicis Romanorum clavi erant segmenta, fere e purpura, ipsi tunicæ assuta ornatus gratia.

A) Clavus dicitur et est id, quo aliquid figitur et alteri rei jungitur (It. chiodo, chiavello; Fr. clou; Hisp. clavo; Germ. der Nagel; Angl. a nail).

I.) Proprie. — a) Generatim. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Plin. 16. Hist. nat. 10. 20. (51). adigere clavum in arborem. Id. 10. ibid. 18. 20. (40). arbori. Cf. Id. ibid. 40. 76. (207). avellere clavum adactum. Cæs. 3. B. G. 13. configere transtra clavis. Cato R. R. 18. corrigere aliquid clavis. Plin. 28. Hist. nat. 6. 17. (63). defigere clavum. Plaut. Men. 1. 1. 10. excutere clavum. Cato R. R. 20. figere aliquid clavis duplicibus. Adde Plaut. Trin. 4. 4. 32. Cf. Vitruv. 7. 3. 1. Schneid. Asseres clavis fixi. Liv. 28. 20. figere clavos. Cato R. R. 21. cupam tendere, qua clavus est. Pallad. 2. R. R. 15. 18. imprimere clavum. Id. ibid. 18. in fin. occludere aliquid clavis. Liv. 7. 3. pangere clavos. Cæs. 2. B. C. 10. religare tigna laminis clavisque. — Jungitur et pluribus Adjectivis, ex quibus patet clavos sæpius ex metallo aliquo, interdum etiam ex ligno constare. Cato R. R. 18.; Plaut. Trin. 4. 4. 32.; Cæs. 3. B. G. 13.; Vitruv. 7. 3. 1. Schneid.; et Plin. 28. Hist. nat. 6. 17. (63). clavi ferrei. Plin. 16. Hist. nat. 10. 20. (51). æreus. Pallad. 2. R. R. 15. 18. cuprinus vel ferreus. Id. 4. ibid. 10. 4. aeneus. Scribon. Compos. 16. Cyprii æris. Cato R. R. 18. cornei. h. e. ex cornu arbore. Cf. Plin. 16. Hist. nat. 46. 76. (206). — Præterea jungitur aliis Adjectivis, quibus ipsius clavi qualitas innotescit. Cic. 7. Verr. 21. 52.; Horat. 1. Od. 35. 18.; et Arnob. 2. 13. Clavus trabalis. h. e. quo trabes figebantur, quique omnium maximus erat. Petron. fragm. Tragur. 75. Burmann. tabularis. h. e. quo tabulæ vel asseres figebantur. Plin. 9. Hist. nat. 18. 33. (69). et 22. ibid. 22. 46. (94). caligares. vel Id. 34. ibid. 14. 41. (143). caligarii. h. e. ferrea acumina militarium caligarum soleis suffixa, de quibus Juvenal. 3. 247. planta mox undique magna Calcor, et in digito clavus mihi militis hæret. et 16. 24. offendere tot caligas, tot millia clavorum. Vitruv. 7. 3. 11. Schneid. muscarii. h. e. qui sunt capite latiore et in modum umbellæ, cujusmodi sunt comæ quarumdam herbarum, quæ ideo muscaria appellantur: V. MUSCARIUM. — b) Hinc Clavo clavum ejicere, Græco ἥλῳ τὸν ἧλον ἐξελαύνειν, (Itali dicunt cacciar chiodo con chiodo) proverbii species apud Cic. 4. Tusc. 35. 75. Novo quodam amore veterem amorem, tamquam clavo clavum ejicere. V. Klotz ad h. l. et v. EXANCLO I. 1. — c) Aliquid trabali clavo figere est firmum, proprium perpetuumque reddere: et hoc proverbii genus est. Cic. 7. Verr. 21. 52. Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret. Adde Arnob. 2. 13. Similiter Plaut. Asin. 1. 3. 4. Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis. — d) Hinc Poetæ clavos Necessitati, quæ Fortunæ administra fuisse credita est, tribuunt, quod rata, fixa et firma ea esse oportet, quæ necessitate et fato fiunt. Horat. 1. Od. 35. 17. Fortunam ita alloquitur: Te semper anteit serva (al. sæva) Necessitas Clavos trabales et cuneos manu Gestans ahena. Id. 3. ibid. 24. 5. Si figit adamantinos Summis verticibus dira Necessitas Clavos, non animum metu, Non mortis laqueis expedies caput. Jo. Bapt. Vermiglioli Ant. Iscriz. di Perugia T. 1. tab. 2. p. 43. pateram, sive speculum exhibuit, atque interpretatus est, in quo fabula repræsentatur Meleagri et Atalantæ, quibus adstans una Parcarum, Atropos alata, sinistrâ clavum parieti applicat, dextrâ vero illum malleo figit. — e) Mos fuit priscis temporibus Volsiniis præsertim in templo deæ Nortiæ (quæ, teste Capell. 1. p. 21., eadem fuit cum Nemesi, seu Fortuna), deinde etiam Romæ dextro lateri ædis Jovis Capitolini, ex qua parte fuit Minervæ templum, clavum quotannis idib. Septemb. figere, qui, cum raræ essent per ea tempora litteræ, numeri nota fuisse fertur (numerus autem Minervæ inventum fuit); atque ideo singuli clavi indices erant numeri annorum. Hæc ex Liv. 7. 3. Morcell. vero De stil. Inscript. Lat. T. 1. p. 27. edit. Patav. veteris cujusdam Kalendarii auctoritate fretus censet, hos clavos fuisse parvos quosdam clypeos litteratos, qui singuli regum primum, deinde consulum nomina continerent, ita ut clavi annales dicerentur, qui, teste Paul. Diac. p. 56. 10. Müll., ideo parietibus sacrarum ædium figebantur, ut per eos numerus colligeretur annorum, ac insuper in his aliquam fuisse temporis notam, ut constaret, a quo potissimum numerus esset ineundus. Hanc consuetudinem ab Hebræis Etruscos mutuatos fuisse putat Andr. Adamius in Storia di Volseno T. 1. p. 82., quos mense Septembri annum civilem incepisse, notum est. Hinc Ovid. 3. Fast. 89. ait, mensem Martium quintum fuisse Faliscis, Etruriæ populis, quia scilicet, Januario et Februario omissis, annum incipiebant ab Septembri. Cic. 5. Att. 15. 1. Laodiceam veni pridie Kal. Sext. Ex hoc die clavum anni movebis. h. e. numerabis initium anni mei in provinciæ administratione. Hunc morem annorum numerandorum ex clavis parieti affixis proprium fuisse rusticorum confirmat Petron. Satyr. 135. Burmann. Et paries circa palea satiatus inani, Fortuitoque luto, clavos numerabat agrestes. Cf. hac de re Niebuhr. Röm. Geschicht. T. 1. p. 393.; De Mattheis, Dissert. sull'origine dei numeri Rom.; et Müller, Rerum Etrusc. IV. 7. 6. T. II. p. 329. — Progressu vero temporis, cum fastus consulares marmore inscripti fuissent, clavi figendi mos intermissus est, at religionis tantum causa repetitus fuit, pestilentiæ nempe avertendæ, vel flagitiosi facinoris expiandi, vel plebis sedandæ causa, ut narrat Liv. 7. 3., 8. 18. et 9. 28.: eo enim ritu Romani fatorum acerbitatem in melius vertere, vel Fortunæ volubilem rotam sisti posse putarunt.

II.) Figurate numeratur clavus inter morbos hominum, pecudum et olearum. — a) Quod ad homines attinet, est verrucula, seu tuberculum callosum in plantis humani pedis ex contusu plerumque nascens, clavique caput referens, ex quo magni aliquando dolores existunt, præsertim ingredienti. Differt a callo quia hic sine dolore est. Plin. 28. Hist. nat. 16. 62. (222). Clavos et rimas, callique vitia fimum apri sanat. Cels. 5. 28. n. 14. Excidere clavum. et ibid. tollere. et ibid. radere, et circumpurgare. Plin. 22. Hist. nat. 23. 49. (101). pedum circumscarificare. Id. 26. ibid. 11. 66. (106). pedum extrahit ladanum. Id. 22. ibid. 23. 49. (103). Clavi, qui vulgo morticini appellantur. — In aliis quoque corporis partibus clavi nascuntur, ut Cels. loc. cit. docet. Plin. 24. Hist. nat. 14. 77. (126). Lycium clavos in naribus sanat. Id. 26. ibid. 14. 87. (142). Aristolochia clavos in ulcere natos extrahit. — In oculo clavus dicitur callosum in ejus albo tuberculum, cui nomen a figuræ similitudine est, inquit Cels. 6. 7. n. 12. — b) In cervicibus boum ex attritu jugi clavi fiunt, teste Colum. 6. R. R. 14. 6. ubi eorum sanandorum rationem tradit. Similiter oves dupliciter clavis infestantur, sive cum subluvies atque intertrigo in ipso discrimine ungulæ nascitur, seu cum idem locus tuberculum habet, etc. Id. 7. ibid. 5. 11. — c) Apum quoque abortus, clavus dicitur, cum folliculus ille, in quo fetus est, vitio aliquo ceræ instar induruit. Plin. 11. Hist. nat. 16. 16. (50). Ita enim legit ibi Harduin. ex MSS.: alii clerus. Sillig. Harduini lectionem retinuit; et Schneider., qui ad Colum. 9. R. R. 13. 10. lectionem clerus probaverat, ad Aristot. 1. 8. 27. T. 2. p. 675. codicum scripturam recte præfert. — d) De olearum vitio. Plin. 17. Hist. nat. 24. 37. (223). Olea, præter vermiculationem, clavum etiam patitur, sive fungum placet dici, vel patellam: hæc est solis exustio.

B) Est præterea clavus navis gubernaculum, seu potius fustis, manubrium, quo gubernaculum torquetur, ut recte docet Servius ad Virg. 5. Æn. 176. Ennius apud Isid. 19. Orig. 2. 12. Ut clavum rectum teneam navimque gubernem. Hinc Dum clavum rectum teneam proverbialis locutio est apud Quintil. 2. 17. 24., et videtur significare, non timere aliquem, si arguatur, quod res non ex sententia cesserit, dummodo recte officio suo functus sit. Ceterum Cic. Senect. 6. 17. Cum – ille (gubernator) clavum tenens quietus sedeat in puppi. Virg. 10. Æn. 218. regere clavum. Id. 5. ibid. 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister; Hortaturque viros, clavumque ad littora torquet. Stat. 10. Theb. 177. vidui moderamina clavi. — Et figurate Cic. Sext. 9. 20. Clavum tanti imperii tenere, et gubernacula reipublicæ tractare. — Abjicere clavum metaphorice est curam alicujus rei deponere apud Arnob. 3. 11. 106.

C) Denique in tunicis Romanorum clavi erant segmenta, fere e purpura, ipsi tunicæ assuta ornatus gratia, Græce σημεῖα. V. ad Quintil. 11. 3. 138. et ibid. p. 714. in Addendis ed. Spalding. Sed qua figura ii fuerint, utrum ex lato in acutum desinenti la-

star clavi, an rotundi solumque clavi caput referentes; an virgularum, seu linearum modo medium vestem intersecantes; an denique partes ipsius tunicæ anteriores hinc inde pendentes, et ex adstricto in latum desinentes, res est admodum incerta et multis ambagibus involuta, quæque miras lites inter eruditos excitavit, *Ferrar.* præsertim, et *Ruben. de re vestiar.*, quæ fusius persequi, non est nostri instituti. V. *Pitisc.* in *Lex. antiquitat.* et *Grævii præfat. ad T. VI. antiquitat. R.*, ubi *Rubenius* contra *Ferrar.* defenditur, et clavum fuisse virgam, seu lineam affirmatur. Ceterum hujusmodi *clavi* memorantur a *Varron.* 9. *L. L.* 79. *Müll.* et apud *Non. p.* 448. 30. et p. 576. 33. *Merc.*; *Liv.* 9. 7. et 30. 17.; *Horat.* 1. *Sat.* 5. 36. et *ibid.* 6. 25. et 28.; *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 35.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (193). et 9. *ibid.* 39. 63. (136).; *Quintil.* 8. 5. 28. et 11. 3. 138.; *Sueton. Cæs.* 45. et *Aug.* 38. 73. et 94.; *Sil. It.* 3. 27. et *Stat.* 5. *Silv.* 2. 17. — Hinc *clavus* aliquando pro ipsa tunica ponitur. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 10. Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas. — Hujusmodi ornatus in tunica a solis senatoribus, et equitibus gestabatur. Nam cetera plebs simplices tunicas habuit. Sed senatores latum clavum adhibebant, equites angustum. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 29. Induiturque humeris cum lato purpura clavo. *Vellej.* 2. 88. 2. Mæcenas vixit angusto clavo pæne contentus. *h. e.* equestri dignitate. *Plin.* 2. *Ep.* 9. Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro impetravi. *h. e.* jus dignitatis senatoriæ. *Sueton. Claud.* 24. Latum clavum alicui tribuere. *Inscript.* in *Annal. dell' Instit. Archeol. a.* 1842. p. 152. SEX. QVINTILIVS SEX. F. ANI. VALERIVS MAXIMVS LATOCLAVO EXORNATVS A DIVO AVGVSTO NERVA. — Hinc *angusticlavii* dicti sunt, qui angusto clavo utebantur, *laticlavii*, qui lato, ipsæque tunicæ, *laticlaviæ*. — Nonnunquam clavorum ornatus aliis etiam pannis additus est. *Martial.* 4. 46. Et lato variata mappa clavo. *Petron. Satyr.* 32. hujusmodi mappam appellat *laticlaviam*. *V.* MAPPA.

CLAXENDIX. *V.* CLACENDIX.

CLĒMA, ătis, n. 3. κλῆμα, herba ex genere sanguinariæ, seu polygoni. Græce κλῆμα palmitem, aut flagellum vitis significat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113). De synonymia. *V.* POLYGONON.

CLĒMĂTIS, ĭdis, f. 3. κληματίς, herba smilaci similis, geniculata, repens per arbores. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 49. (84). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 252.) hanc exhibet synonymiam: Ἀτραγένη Theophr. Hist. plant. 5. 10.; Κληματῖτις Dioscor. 1. 182. et *Clematis* Plin. l. c. sunt *Vitis silvestris caustica* Gesn. Hort. et *Clematis Vitalba* L. Spec. plant. 766. *V.* voc. seq. ¶ 1. Alia est *clematis* Latine *centunculus* dicta. *V.* CENTUNCULUS. ¶ 2. Aliæ sunt hoc nomine herbæ apud Græcos: de quibus *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 88. (138). et seq. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 287.) postquam ait, ex *Plinii* verbis de *clematide* et *clematitide* nihil certi erui posse, hæc addit: « Le seul moyen qui reste pour éclaircir ce passage consiste à donner la synonymie des diverses plantes nommée *clematis* ou *clematitis* n. I. Κληματὶς δαφνοειδὴς καὶ πολυγονοειδὴς, καὶ μυρσινοειδὴς Dioscor. 4. 7.; Κληματὶς φιλεταίριον Ejusd. in Nothis et *Clematis Ægyptia* Plin. 1. 24. c. 15. sunt *Vinca major* et *Vinca minor* L. Spec. plant. 304. — II. Κληματὶς ἑτέρα καὶ ἐπιγητὶς, φυλάκουνον Ægypt., Ἀμβούξον Romanor. Dioscor. 3. 7. in Nothis: Κληματῖτις Ejusd. 4. 182. sunt *Clematis cirrhosa* L. Spec. plant. 766. — III. *Clematis, aliqui ekite seu lagine* Plin. l. c. et Asclepias κιρχαία καὶ δίρχαια Dioscor. 3. 134. sunt *Asclepias nigra* L. Spec. plant. 312.

CLĒMĂTĪTIS, ĭdis, f. 3. κληματῖτις, herba, species aristolochiæ, longissimæ tenuitatis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 54. (96). *V.* ARISTOLOCHIA, et PLISTOLOCHIA. Adde *Apul. Herb.* 19.

CLĒMENS, entis, adject. omn. gen. Comp. *Clementior* I. et II.; Sup. *Clementissimus* II. — Ratione habita etymi *Forcellino* videtur esse a præter. perf. pass. κεκήλημαι, et sync. κέκλημαι verbi κηλέω *mulceo*. Recentiores vero philologi rectius opinantur esse a *clam* et *clepo*, unde fieret forma *clĕpŏmĕnus* et per syncopen *clemens* qui clam se movet, quietus, placidus; cui opponitur *vehemens*, idest *vehemens*, qui celeriter se movet, incitatus, præceps: quo sensu *clemens* occurrit apud *Gell.* 1. 11. Gradu clementi, et silentio est opus (It. *placido*, *quieto*, *tranquillo*; Fr. *doux*, *qui a peu d'intensité*; Hisp. *calmo, quieto, tranquilo*; Germ. *in ruhiger Bewegung befindlich*, *gemach sich bewegend*, *gelinde*, *mild*; Angl. *quiet*, *placid*, *calm*, *tranquil*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de aquis, aere, tempore etc. *Catull.* 64. 272. Undæ clementi flamine pulsæ tarde procedunt: Post vento crescente, magis magis increbrescunt. *Ovid.* 9. *Met.* 116. nec, qua sit clementissimus amnis, Quærit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 2. Intepescit annus, permittitque clementior dies opera moliri. *Curt.* 5. 3. 1. de *Tigri fluvio.* Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo præterit. *Val. Flacc.* 6. 747. Clementi turbine erigi. *h. e.* paullatim et placido cursu extolli. *Sil. It.* 1. 198. At qua diversas clementior adspicit Arctos. *Stat.* 5. *Theb.* 468. Detumuere animi maris, et clementior Auster Vela vocat. *h. e.* minus furens ac violentus. *Gell.* 2. 21. Clemens mare. *Pallad.* 3. *R. R.* 112. 1. Plagæ clementiores. *Claudian. III. Cons. Honor.* 165. Clementes auræ. ¶ 2. Latiori sensu et figurate ponitur de locis leniter acclivibus, et quæ facile ascendi possunt: cui opponitur arduus, præceps. *Apul.* 4. *Met.* Clementi denique transmisso clivulo, pervenimus ad locum destinatum. *V.* CLEMENTER I. 2. *Claudian. de B. Gild.* 511. Pars insulæ solo planaratibus clemens. *h. e.* commoda et apta navigiis appellendis: cui opponitur *ibid.* 512. scopulosa.

II.) Translate refertur ad animum, et significat lenem, mitem, mansuetum, humanum; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 37. Clementi animo ignoscere. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 22. Benigno et clementi animo esse in aliquem. *Id. Andr.* 1. 1. 9. Justa et clemens servitus. *Id. Adelph.* 1. 1. 17. Clementem vitam urbanam atque otium sequi. *Id. ibid.* 5. 4. 9. Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus. *Donatus* hic distinguit, ut *clemens* ad animum referatur, *placidus* ad vultus tranquillitatem. *Cic. Planc.* 13. 31. Clementes judices et misericordes. *Id.* 1. *Off.* 38. 137. Clementi castigatione uti. *Id.* 1. *Cat.* 2. 4. Cupio – me esse clementem, cupio in tantis reipubl. periculis me non dissolutum videri etc. *Nepos Epam.* 3. Epaminondas continens, clemens patiensque admirandum in modum non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias. *Sall. Jug.* 25. Clemens rumor. *h. e.* qui infra verum est, et minus atrocia vulgat, quam sunt. *Priscian.* 18. p. 1202. *Putsch.* exponit, non nimius: quod eodem recidit. *Horat.* 3. *Od.* 11. 46. Quod viro clemens misero peperci. *Liv.* 8. 31. *extr.* Sententia clementior. *Id.* 38. 17. Clementia ingenia accolarum. *Id.* 1. 26. Clemens interpres populi. *Val. Max.* 7. 6. *extern.* 3. In discrimine vitæ clementissima suffragia populi experiri. *Id.* 5. 9. 4. Acta clementia magnorum virorum. *Seneca* 1. *Clem.* 11. 1. Fuerit moderatus et clemens. Adde 1. *ibid.* 20. 2. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 13. 14. (35). Arimphæis ritus clementes. *Tac.* 2. *Ann.* 57. Germanicus erat, ut retuli, clementior. *Sueton. Aug.* 67. Clemens dominus. — Interdum occurrit de cicuribus et domesticis animalibus. *Varro* 3. *R. R.* 7. 2. Alterum genus illud columbarum est clementius, quod cibo domestico contentum intra limina januæ solet pasci. — *b*) Cum adjuncta. *Cic. Rosc. Am.* 30. 85. Præest huic quæstioni vir et contra audaciam fortissimus, et ab innocentia clementissimus. *h. e.* erga innocentiam. Est enim *clemens* circa recte agentes: *placidus* etiam circa delinquentes, ut *Donat. loc. cit.* distinguit. Quod licet non semper verum sit, (*clemens* enim dicitur etiam qui in reos parce ac leniter animadvertit, ut in illo *Cic. loc. cit.* de Catilina puniendo) tamen ad hunc *Cic.* locum optime facit. Porro singularis est in his verbis usus præpositionis *a* vel *ab*, quæ alias significat *propter*, vel *quod attinet ad*, ut *imparatus a pecunia*, *copiosus a frumento*, quæ sunt *Ciceronis*; et *a secundis rebus incauti*, quod est *Livii*. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 12. Etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. *Id.* 7. *Att.* 7. 7. In cæde principum clementior. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 550. moderataque laudant Tempora, quod clemens aditu, quod pectore. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CLĒMENTER, adverb. (clemens). Comp. *Clementius* I. 1. et 2. et II.; Sup. *Clementissime* II. — Clementer est paullatim, quiete, placide (It. *adagio*, *quietamente*, *placidamente*; Fr. *doucement*, *modérément*; Hisp. *lentamente*, *tranquilamente*; Germ. *in gelinder Bewegung*, *oder Thätigkeit*, *aus sanfte Art*, *gemach*, *gelinde*; Angl. *gently*, *mildly*, *quietly*, *placidly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de motu, qui placide fit ac quiete. *Plaut. Merc.* 5. 2. 111. EV. Sequere sis. CH. Sequor. EV. clementer, quæso: calces deteris. *Id. Epid.* 2. 2. 20. Animo male est: recipiam anhelitum. PE. clementer acquiesce. *Id. Stich.* 4. 1. 26. Hodicne exoneramus navem, frater? PA. clementer volo. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 30. Non desiit assidue tremere Campania: clementius quidem, sed etc. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 27. insani spirant clementius Austri. *Pallad.* 12. *R. R.* 5. Clementer agitant oleas venti. *Gell.* 5. 14. Leo caudam clementer et blande movens. ¶ 2. Latiori sensu et figurate occurrit de locis paullatim surgentibus, et ascensu facilibus. *Seneca Œdip.* 280. Cælum petens Clementer acto colle Parnassus biceps. *Tac.* 13. *Ann.* 38. et *Colum.* 2. *R. R.* 2. 1. Collis clementer et molliter assurgens. *Tac. Germ.* 1. Molle et clementer editum montis jugum. cui *ibid.* opponitur inaccessus ac præceps. *Sil. It.* 1. 274. Clementer crescente jugo. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 52. Explorare, si qua Apennini juga clementius adirentur. *Id.* 12. *Ann.* 33. Si qua clementer accedi possunt. Sic *Lactant. de Opif. Dei* 13. *circa med.* Teretes suræ clementer exstantes.

II.) Translate accipitur pro leniter, moderate, remisse, benigne. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 5. Dixi equidem tibi, quo id pacto fieri posset clementissime. *Lucret.* 3. 314. at ille Tertius accipiat quædam clementius æquo. *Cic.* 7. *Verr.* 8. 19. Si quid est factum clementer, ut dissolute factum criminer. *Id.* 6. *ibid.* 40. 86. Leniter et clementer accipere aliquem. Cf. *Liv.* 27. 15. Rursus *Cic.* 6. *Att.* 1. 3. Clementer ferre aliquid. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Clementer et moderate jus dicere. *Liv.* 29. 2. Hostico tanquam pacato clementer ductis militibus. *h. e.* sine populatione et injuria. *Seneca* 2. *de Ira* 23. Clementissime uti civili victoria. *Plin.* 8. *Ep.* 24. Molliter clementerque tractare aliquem. *Id.* 5. *ibid.* 16. *in fin.* Recens dolor consolationes rejicit: mox desiderat, et clementer admotis acquiescit. *Phædr.* 4. 19. Clementer respondere. *Gell.* 1. 18. Clementissime scribere de aliquo.

CLĒMENTĬA, æ, f. 1. quietus status alicujus rei, tranquillitas, lenitas, placiditas (It. *placidezza*, *quietezza*, *milezza*; Fr. *mouvement doux*, *sans violence*, *douceur*; Hisp. *moderacion*, *calma*, *quietud*; Germ. *die gelinde Bewegung*, *der ruhige Verlauf*, *der sanfte*, *milde*, *gelinde Zustand*; Angl. *mildness*, *gentleness*, *calmness*, *stillness*).

I.) Proprie occurrit fere de anni tempestatibus, mari, fluminibus etc. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 16. et 5. *ibid.* 5. 6. Clementia hiemis. *Id.* 11. *ibid.* 3. 9. Clementia nascentis anni. *Id.* 9. *ibid.* 13. 4. Clementia diei. *Lucan.* 8. 366. emollit gentes clementia cæli. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Æstatis mira clementia: semper aer spiritu aliquo movetur. *Stat.* 3. *Theb.* 527. Clementia Nili. *Apul. de Deo Socrat.* Tranquillitas maris et clementia ventorum. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 1012. Tempestatis clementia læta serenæ. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 235. Clementia gurgitis. *h. e.* placidus cursus.

II.) Translate refertur ad animum, et significat lenitatem et moderationem animi, benignitatem, humanitatem, misericordiam: et est pars temperantiæ, ut *Cic.* 2. *Invent.* 54. 164. et *Seneca* 2. *Clem.* 3. docent. ¶ 1. Generatim *clementiæ* opponitur *crudelitas* apud *Cic. Dejot.* 15. 43.; *Ligar.* 3. 10., 10. *Att.* 4. et 7. *Verr.* 44. 115.; *Senec.* 2. *Clem.* 2. et *Plin.* 3. *Ep.* 4. — Item opponitur *severitas* apud *Senec.* 1. *Clem.* 4. et 2. *ibid.* 4.; *Tac.* 3. *Ann.* 50. et 6. *ibid.* 30. — Item *atrocitas* apud *Senec.* 2. *Clem.* 4. et *Tac.* 12. *Ann.* 32. — *Clementia* conjungitur cum *facilitate* apud *Ter. Adelph.* 5. 4. 7. Facilitas et clementia.; cum *mansuetudine* apud *Cic.* 7. *Verr.* 44. 115. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam.; cum *mansuetudine* et *humanitate* apud *Cic.* 1. *Q. fr.* 1. 8. *extr.* Tuo denique imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis.; cum *lenitate* apud *Cic.* 14. *Att.* 19. Lenitas et clementia.; cum *placabilitate* apud *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. Nihil enim laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.; cum *probitate* apud *Sall. in orat. Lepidi ad pop. Rom.* § 1.; denique cum *misericordia* apud *Gell.* 7. 3. Clementia et misericordia. — De *Clementia* duos libros scripsit *Seneca*, in quorum altero c. 3. plures ejus definitiones proponit. Ceterum clementia usurpatur — *a*)

De hominibus. *Cic. Ligar.* 10. 30. Confugere ad clementiam alicujus. *Id. Dejot.* 13. 38. Referre aliquid acceptum ad clementiam alicujus. *Id.* 14. *Att.* 22. Uti clementia. *Nepos Alcib.* 10. 3. Violare clementiam. *Ovid.* 8. *Met.* 57. Clementia victoris. *Id.* 3. *Trist.* 5. 39. et *Quintil.* 9. 2. 28. Clementia ducis. *Liv.* 45. 4. Se suaque in alicujus fidem et clementiam permittere. *Quintil.* 7. 4. 18. Clementia juris. *Tac.* 11. *Ann.* 32. Expetere alicujus clementiam. *Id.* 2. *ibid.* 42. Offerre clementiam. *Id.* 12. *ibid.* 52. Trahere aliquid ad clementiam. *Id.* 15. *ibid.* 35. Clementia judicis. — *b*) De brutis animantibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (27). Apes sine clementia tardantes puniunt. *Id.* 8. *ibid.* 7. 7. (23). Elephanti clementia contra minus validos. *Id.* 8. *ibid.* 16. 19. (48). Leonis clementia in supplices. ¶ 2. Specialim. Clementia præcipua est principum virtus, et dos prima, ut *Vopisc.* loquitur *Aurelian.* 44. Hi enim maxime eam exercere possunt in subditos peccantes, lenius in eos animadvertendo et mite imperium exercendo. Hinc inter ceteros imperatorum titulos hic quoque fuit, ut *clementissimi* dicerentur. In appellando etiam *clementiæ* nomen adhibebatur, ut est apud *Lamprid. Alex. Sev.* 65. et alibi in historia Augusta. ¶ 3. Olim Clementia dea habita est, ut Pax, Fides, Victoria, Concordia, etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (14). et *Stat.* 12. *Theb.* 481., ubi ejus aram et colendi rationem describit. Adde *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 6. et seq.

CLEŌNĬA, æ, f. 1. κλεωνία, herba quæ est eadem atque belenium. *Theodor. Priscian.* 4. 1. Item semen cleoniæ: nascitur autem in locis humidis, et similis est sinapi.

CLEŌNĬCĬON, ii, n. 2. κλεωνίκιον, herba eadem quæ clinopodion. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 87. (137). At *Sillig* ex *Dioscor.* 3. 99. cleonicon scripsit.

CLEŌNĬCON. *V.* voc. præced.

CLEŎPĀTRĬCUS, a, um, adject. Cleopatranus, ad Cleopatram pertinens: *V.* CLEOPATRA in ONOM. — Hinc *Sidon.* 8. *Ep.* 12. *in fin.* Cleopatricæ dapes. *h. e.* sumptuosissimæ.

CLEPO, is, clepsi, cleptum, ere, a. 3. — Præteritum *clepit* legunt nonnulli apud *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22.; sed perperam; nam *clepsit* ibi legendum est cum *Oreli.* — *Clepsit* pro *clepserit* per syncopen occurrit apud *Liv.* 22. 10. *V.* infra sub I. — Ratione habita etymi, clepo conjungi potest cum Græco κλέπτω, et Latinis *clam*, *clemens*, ut docet *Varro* 7. *L. L.* 94. *Müll.* et idem significat quod Gr. κλέπτω scilicet clam furari (It. *rubar di nascosto*; Fr. *voler*; Hisp. *hurter*; Germ. *heimlich fortnehmen, stehlen*; Angl. *to thieve, steal, purloin, pilfer*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu clepere est clam furari. *Vetus Formula* apud *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. SACRVM SACROVE COMMENDATVM QVI CLEPSIT RAPSITQVE. *Vetus Formula* apud *Liv.* 22. 10. SI QVIS CLEPSIT, NE POPVLO SCELVS ESTO NEVE CVI CLEPTVM ERIT. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 6. Ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10, 23. Clepere dolo aliquid. *Idem* apud eumd. 3. *Nat. D.* 27. 68. Agnum inter pecudes aurea clarum coma Quondam Thyestem clepere ausum esse e regia. Adde *Lucilium* apud *Varron.* 7. *L. L.* 94. *V.* CLEPSO. *Manil.* 1. 27. Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur. *Prudent. Psychom.* 562. Quod rapere et clepere est, avideque abscondere parta. ¶ 2. Latiori sensu ponitur etiam pro occultare, tegere. *Seneca Med.* 155. Levis est dolor, qui capere consilium potest. et clepere se. *Id. Herc. fur.* 799. Ac se tegmine ingenti clepit. — Huc pertinet et illud *Cic.* apud *Non.* p. 20. 14. *Merc.* (4. *de republ.* 5. 11.). Non modo ut Spartæ, rapere ubi pueri, et clepere discunt. — Hæc autem verba, ut *Madwig* ad *Cic. Fin.* p. 748. adnotat, sunt cujusdam veteris poetæ, aut certe ad allatum verbum Gr. κλέπτειν per jocum alludunt.

II.) Translate. *Pacuvius* apud *Non.* p. 20. 18. *Merc.* Sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intelligo. *h. e.* aucupatur, clam audit. *Accius* apud eumd. p. 20. 12. Ut ne quis nostra auribus verba cleperet. *Varro* apud eumd. p. 20. 20. et p. 510. 37. Clepere se opificio. *h. e.* clam labori se subtrahere. V. *Oehler, M. T. Varronis Sat. Menipp. reliq.* p. 171.

CLEPO, ōnis, m. 3. fur qui clepit. Legit apud *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* ex mera conjectura *Heinsius.* Alii aliter.

CLEPSO, is, ere, a. idem quod clepo. *Lucilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 94. *Müll.* Atque aliquos ibus ab rebus clepsere foro qui. Clepsere, addit *Varro*, dixit, unde etiam alii clepere, id est corripere. Jam vero *clepsere* non est *h. l.* perfectum (ait *Mullerus* in notis), sed præsentis infinitivus modus, quantum ex Varronis ipsius sequentibus verbis intelligi potest. Cf. *G. Hermann. Opusc.* III. p. 119. et V. *Scalig.* ad *Varron.* l. c. in *Conjectan.*

CLEPSY̆DRA, æ, f. 1. κλεψύδρα, horologium aquarium, horas aqua dimetiens, idest vas vitreum, in cujus fundo foramen est guttatim aquam destillans, ex cujus deminutione labentis temporis mensura cognoscitur: a κλέπτω *furor*, et ὕδωρ *aqua*, quia paullatim et quasi furtim aqua detrahitur. *Seneca Ep.* 24. 19. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit. — Est inventum Græcorum: a quibus ad Romanos transiit, tunc præcipue cum lege a Cn. Pompejo M. lata in tertio suo consulatu, ut est apud *Tac. Dial. de oratorib.* 38., cœptum est definiri oratoribus tempus dicendi. *Cic.* 3. *Orat.* 34. 138. Hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, etc. Adde *eumd.* 2. *Tusc.* 27. 67. — Eam ita describit *Apul.* 3. *Met.* Citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua, populum sic adorat etc. — Non omnes clepsydræ ejusdem erant capacitatis, ut colligitur ex *Plin.* 2. *Ep.* 11., ubi ait: Dixi horis pæne quinque. Nam duodecim clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. *Al. leg.* decem clepsydris, *alii* viginti. — Dare clepsydras, hoc est spatium ad dicendum, judicum erat: petere, actoris et rei. *Martial.* 6. 35. Septem clepsydras magna tibi voce petenti Arbiter invitus, Cæciliane, dedit. Hinc *Dare alicui aquam* apud *Plin.* 6. *Ep.* 2. — Earum numero finito, indicebatur dicenti silentium, ut *Plin.* loquitur 1. *Ep.* 23., nisi alias insuper impetrasset; unde *clepsydras addere* apud *Plin.* 2. *Ep.* 11. *Apul. de Mag.* Quoniam mihi pro accusationis longitudine largiter aquæ superest, cedo, si videtur, singula consideremus. — In castris quoque usus clepsydræ fuit. *Veget.* enim 3. *Milit.* 8. *a med.* docet, vigilias nocturnas in quatuor partes ad clepsydram divisas esse, ut non amplius, quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. Quo pertinet, ut adnotavit *Stewech. ad loc. Veget. cit.*, locus ille *Cæs.* 5. *B. C.* 13. Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris, breviores esse noctes, quam in continenti videbamus.

CLEPSY̆DRĀRĬUS, ii, m. 2. qui clepsydras facit, aut vendit. *Inscript.* apud *Murat.* 935. 8. P. AELIO ZENONI AVTOMATARIO CLEPSYDRARIO etc.

CLEPTA, æ, m. 1. κλέπτης, qui clepit. *Plaut. Truc.* 1. 2. 9. Dum ille agitat, fiunt ceteri cleptæ.

CLĒRĬCĀLIS, le, adject. ad clericum pertinens. *Sidon.* 6. *Ep.* 7. Clericale tirocinium. *Id.* 7. *ibid.* 2. Clericalis comitatus.

CLĒRĬCĀTUS, us, m. 4. dignitas et officium clerici. *Hieronym. Ep.* 60. n. 10. Clericatum non honorem intelligens, sed onus. Adde *eumd. Ep.* 125. n. 8. et *Ep.* 52. n. 5. et *Ep.* 57. n. 12.; et *Sidon. in concione Ep.* 9. l. 7.

CLĒRĬCUS, i, m. 2. κληρικός, qui cultui divino in Ecclesia Catholica per sacros Ordines addictus est, in sortem scilicet Domini vocatus: a κλῆρος *sors*. *Hieronym. Ep.* 60. n. 10. et *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. sacr.* 32.

CLĒRUS, i, m. 2. κλῆρος. ¶ 1. Apud Ecclesiasticos Scriptores est ordo clericorum: a κλῆρος sors, quod hi in sortem Domini vocati sunt. *Tertull. Monog.* 12. Ut solos, qui sunt in clero, monogamiæ jugo adstrinxerit. Adde *Prudent.* 4. περὶ στεφ. 78. ¶ 2. Est etiam agri portio, prædium; κλῆρος enim apud Græcos idem significat. *Inscript.* apud *Franz. Corp. inscript. Gr. T.* 3. p. 9. n. 3835. SI IN QVANTAS PARTICVLAS, QVOS CLEROS APPELLANT, AGER AEZANENSI IOVI DICATVS A REGIBVS DIVISVS SIT, NON CONSTAT etc. — *NB.* De clero pro abortu apum. *V.* CLAVUS.

CLĪBĀNĀRĬUS, ii, m. 2. miles cataphractus, hoc est lorica munitus, non ea quidem ex squamis confecta, sed ex solido ferro in formam clibani quodammodo reflexo. Ita speciatim dicti sunt milites cataphracti Persarum, ut est apud *Lamprid. Alex. Sev.* 56. et *Ammian.* 16. 10. 16. Adde *Cod. Theod.* 14. 17. 19. et *Eutrop.* 6. 7. 9. — Quanquam et in aliis nationibus clibanarii fuere. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 22. de Alpinis quibusdam populis: Operimento ferri equi atque homines pariter obsæpti: clibanariis in exercitu nomen est. V. *Salmas.* ad *Lamprid. loc. cit.* — *Lydus de magistrat. Rom. l.* 1. *c.* 46. Κλίβανα οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σίδηρα καλύμματα καλοῦσιν, ἀντὶ τοῦ κηλώματα, idest cælamina.

CLĪBĀNĬCĬUS, a, um, adject. ad clibanum pertinens. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 5. Panis clibanicius est in testa coctus. Est itaque is, qui Græce κλιβανίτης dicitur: Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105).: Latine etiam *testicius* et *testuacius*.

CLĪBĀNUS, i, m. 2. κλίβανος, vas amplum e testa, ferro, vel ære, in quo panes et alia coquuntur, aut torrentur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105). Panes furnacei, vel artopticii, aut in clibanis cocti. *Id.* 33. *ibid.* 6. 34. (103). Stibium uritur, offis fimi bubuli circumlitum, in clibanis. *Id.* 27. *ibid.* 10. 59. (83). Granum glaucii, in olla fictili luto circumlitum, in clibanis calefaciunt. Adde *eumd.* 20. *ibid.* 9. 39. (99). — Clibani argentei mentio fit a *Petron. Satyr.* 35., sed ibi ditissimi hominis, et deliciarum plus æquo studiosi supellectilem describit. — Ejus figura erat ejusmodi, ut in inferiori parte latior esset, in superiori angustior, quod colligitur ex *Colum.* 5. *R. R.* 10. 4. et *Arbor.* 19. 2., ubi docet, scrobes clibano similes esse faciendas, imo, quam summo patentiores, ut radices arborum latius evagentur. Ejus amplitudinem colligere licet tum ex allatis *Plinii* locis, tum ex eo, quod tradit *Id.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). clibanum calefieri instar furnorum, corticibus lini decussis; et *Cels.* 2. 17. et 3. 21. ad eliciendum sudorem aptum esse, ea ratione, qua laconicum: ut propterea multis idem ac furnus esse creditus sit: a quo tamen differt tum magnitudine, nam furnus capacior esse solet; tum quia furnus structilis atque immobilis est, hic mobilis et ex alia materia. — Invenitur tamen et pro furno. *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 18. et *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 30. Figurate de intestini recti cavitate dixit *Veget.* 2. *Veter.* 19. 1. *Schneid.* Manum in interiorem partem longanonis protendis, et si inveneris ipsum longanonem clibano subtili patere (*h. e.* nimis angustum esse) scias eum strophum pati. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

CLĪDĬON vel

CLĪDĬUM, ii, n. 2., κλειδίον, jugulus thynni præcipuam in cibis gratiam habens. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (48). Thynni membratim cæsi cervice et abdomine commendantur, atque clidio, recenti duntaxat. — Vox *clidion* Latio est amandanda. Nam *Schneiderus* in *Ind. Script. R. R.* in *V. Pelamis* probat, vocabula *atque clidio* esse intempestivam hominis docti glossam, cum significet cervicem, quæ loco priore legitur. Hoc autem arguit comparato loco simili *Xenocratis* c. 35., quem legesis in *V.* MELANDRYUM.

CLĪDŪCHOS vel

CLĪDŪCHUS, i, m. 2. κλειδοῦχος claviger, a κλείς *clavis*, et ἔχω *habeo*. *Plinio* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (54). est nomen duarum statuarum, quarum altera a Phidia, altera ab Euphranore facta fuit. Putant quidam, iis expressum fuisse Plutonem claves tenentem, quia is Inferorum portas clausas servat. V. *Annal. dell' Instit. T.* 4. p. 383. not. 1.

CLĬENS, entis, comm. gen. 3., ut *Charis.* docet 1. p. 77. *Putsch.* et *Caper de verb. dub.* p. 2248.: quamquam sæpius mascul. gen. occurrit. — In Genitivo plurali habet *clientium* et *clientum*. *Horat.* 3. *Od.* 1. 13. illi turba clientium. et *ibid.* 5. 53. Quam si clientum longa negotia. — *Lydus de Magistrat. Rom. l.* 1. *c.* 20. deducit originem vocis a *coliens* pro colens, quippe qui patronum suum colit. Sed reapse est a κλείω pro καλέω *invoco*, *appello*, *honoro*. Recentiores vero philologi rectius hanc vocem malunt derivari a κλύειν (*V.* CLUENS) *obediens*. — Ceterum *cliens* est qui se ad potentiorem aliquem applicat, ut ejus patrocinio defendatur et protegatur (It. *cliente*, *clientolo*; Fr. *protégé*, *client*; Hisp. *protegido*, *cliente*; Germ. *der Hörige*, *Schützling*; Angl. *a client*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim apud ceteras nationes præter Romanos occurrit etiam — *a*) De privatis hominibus. *Plaut. Men.* 4. 2. 2. Atque ut quique sunt optumi maxumi, morem habent hunc; clientes sibi omnes volunt esse multos. Adde *Ter. Adelph.* 4. 1. 13. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Orgetorix omnem suam familiam, omnes clientes obæratosque suos eodem conduxit. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 15. et 19.; *Sall.*

Jug. 71.; *Liv.* 2. 16.; *Curt.* 7. 4. 21.; *Tac.* 1. *Ann.* 57. et 12. *ibid.* 13. — b) De tota civitate. *Cæs.* 4. *B. G.* 6. Eburones, qui sunt Trevirorum clientes. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 31., 5. *ibid.* 39., 6. *ibid.* 12. et alibi. ¶ 2. Speciatim apud Romanos cliens est non modo qui se ad potentiorem aliquem applicat, ut ejus patrocinio defendatur et protegatur; verum etiam qui causam, quam in judicio habet, alicui tuendam committit, cui respondet patronus (*V.* PATRONUS) ut apud *Cic.* 2. *Phil.* 41. 107. Quos clientes nemo habere velit, non modo illorum esse cliens. Et apud *Ovid.* 1. *Art. Am.* 88. Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens. *Legg. XII. Tabul.* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 609. PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO. *Cato* apud *Gell.* 5. 13. Adversus cognatos pro cliente testatur, testimonium adversus clientem nemo dicit. *Id. ibid.* Fallere clientem. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Mallius Glaucia quidam – cliens et familiaris istius T. Roscii. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 20. 66. Clarissimi viri nostræ civitatis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis – injurias propulsare, eorumque fortunas defendere. *Cæs.* apud *Gell.* 5. 13. Deserere clientes. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 532. Facundus causam sæpe clientis agat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 14. 12. (61). Catonem censorium octogesimo anno e filia Salonii clientis sui (*filium generasse clarum est*). *Juvenal.* 9. 72. Deditus, devotusque cliens. *Martial.* 9. 3. addictus. *Quintil.* 5. 10. 26. Clientibus abundans, destitutus. *Tac. Agric.* 12. Clientem propugnare. *Gell.* 20. 1. *a med.* in fidem accipere. *Sueton. Aug.* 56. Adesse clientibus. *Id. Cæs.* 71. Studium et fides erga clientes.

II.) Improprie seu figurate cliens dicitur qui deum aliquem præcipue colit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 77. Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes, Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra. *Martial.* 12. 77. Sed ipse divum Offensus genitor trinoctiali Affecit domicœnio clientem. *h. e.* Æthonem Jovem Capitolinum adorare solitum.

CLĬENTA, æ, f. 1. (cliens) mulier, quæ sub alterius patrocinio est. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 193. Habeo eccillam clientam meam. *Horat.* 2. *Od.* 18. 8. Honestæ clientæ. Adde *Afranium* apud *Charis.* 1. p. 77. *Putsch.* et *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* 9. p. 66. *Niebhur.*

CLĬENTĒLA, æ, f. 1. (cliens) patrocinium, quod patronus clienti præstat (It. *patrocinio, protezione, clientela*; Fr. *patronage, protection, clientèle*; Hisp. *patronazgo, clientela*; Germ. *d. Schutzgenossenschaft, Clientel*; Angl. *patronage, protection, clientship*). Occurrit ¶ 1. Abstracte. — a) De clientela Romanorum propria: V. CLIENS I. 2. *Ter. Eun.* 5. 9. 9. Commendare se alicui in clientelam et fidem. *Cic. Rosc. Am.* 33. 93. Esse in fide et clientela alicujus. *Id. ibid.* 37. 106. Conferre se in fidem et clientelam alterius. *Id.* 13. *Fam.* 64. 2. Clientelas acceptas a majoribus confirmare et beneficiis obligare. *Id.* 4. *Cat.* 11. 23. Pro clientelis hospitiisque provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo. *Id.* 14. *Att.* 12. Scis, quam diligam Siculos, et quam illam clientelam honestam judicem. *h. e.* quam honestum putem eorum patronum esse. *Cæs.* 2. *B. C.* 18. Magna esse Pompeji beneficia, et magnas clientelas in citeriore provincia, sciebat. *Sall. Jug.* 87. Alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et affinium opes multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt. *Tac.* 3. *Ann.* 55. Per nomen et clientelas illustrior. *Justin.* 8. 4. Adulari ultro sordidam paullo ante clientelæ suæ partem. — Formulam ineundæ ac suscipiendæ clientelæ habes in duob. veter. lapidib. apud *Murat.* 302. 1. et 2., quos una cum aliis illustravit *Morcell. De stil. Inscript. Lat. T.* 1. p. 300. et seqq. edit. *Patav.* — b) De civitatibus et nationibus. *V. Cliens* I. 1. b. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. Magnæ Æduorum clientelæ erant. *Id. ibid.* Veteres clientelas restituere. *Id. ibid. in fin.* Se Rhemis in clientelam dicare. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 15. (32). Recipere gentes in clientelas. *Tac. dial. de orat.* 3. Coloniarum et municipiorum clientelæ. *Id. ibid.* 36. Clientelis exterarum nationum abundare. — c) Figurate *Sueton. Gramm.* 6. Scriptores ac poetæ sub clientela Musarum sunt. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu, clientela est multitudo clientum, ut *servitium* est multitudo servorum: qua significatione occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores, ut recte adnotavit *Dietsch* ad *Sall. Jug.* 87.: contra *Forcellinus* concreto, uti ajunt, sensu accepit loca *Cic.* 4. *Cat.* 11. 23., *Cæs.* 2. *B. C.* 18. et *Sall. Jug.* 87., a nobis superius allata sub 1. a. *Vellej.* 2. 29. Qui (*ager Picenus*) totus paternis ejus clientelis refertus erat. *Sueton. Tib.* 2. Italiam per clientelas occupare tentavit. *Id. Cal.* 3. Clientelas alicujus vexare. *Tac.* 12. *Ann.* 36. Incedentibus regiis clientelis. *Id.* 14. *ibid.* 61. Vita in extremum adducta a clientelis et servitiis alicujus.

CLĬENTŬLA, æ, f. 1. deminut. *a* clienta. *Pseudo-Ascon. ad Cic.* 3. *Verr.* 46. 120.; ubi tamen pro *clientula* legendum est *clienta*, ut legit *Bait.* p. 193. fretus auctoritate edit. princip. Ald.

CLĬENTŬLUS, i, m. 2. deminut. *a* cliens. *Tac. dial. de orat.* 37. Ne clientulorum loco potius, quam patronorum numerarentur.

CLĪMA, ătis, n. 3. κλίμα. In Abl. plur. *climatis* occurrit apud *Firmic.* 2. *Mathes.* 13. — Est autem *clima* Græca vox, quæ inclinationem significat, et apud Latinos occurrit in artibus tantum: scilicet ¶ 1. Apud agrorum cultores clima dicebatur genus mensuræ agrorum, quæ sexaginta pedibus quadris constabat. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 4. Pes multiplicatus in passus, et actus, et climata, et jugera procedit. *et mox.* Clima quoquoversus pedum est sexaginta. Adde *Isid.* 15. *Orig.* 15. 4. ¶ 2. Apud astrologos est inclinatio cœli, hoc est tantum spatium, quantum satis est ad inducendam differentiam dimidiatæ horæ in dierum longitudine, a κλίνω *inclino*, quia certo spatio inclinat ad Polum, vel declinat ab Æquatore. *Firmic. Mathes. loc. cit.*; *Apul. Trismeg.* Horarum et climatum distantibus punctis. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 246. Secundum clima nostri cœli, Arctous circulus infra horizontem non venit. Adde *Tertull. Anim.* 49. et *Capell.* 8. p. 296. Habet et *Vitruv.* 1. 1. 10. *Schneid.*, sed Græce. ¶ 3. Hinc clima occurrit etiam pro loco, seu plaga, regione; et quidem de corpore animali dixit *Veget.* 2. *Veterin.* 15. 3. *Schneid.* Quatuor digitis sub umbilico ad veretrum versus medio climate ventris (*h. e.* e regione) sagittam injicies, ut non solum cutem, verum etiam peritonæum ipsum aperias.

CLĪMĂCIS, ĭdis, f. 3. κλιμακίς, *deminut. a* climax, parva scala. *Vitruv.* 10. 17. 8. *Schneid.* Climacidos scapi longitudo foraminum XIII. *Climacidos* dixit pro *climacidis*, Græca inflexione. *Turneb. l.* 2. *Adversar. c.* 5. putat significari canalem eum, qui in catapulta vocatur σύριγξ: nam in ballistis (de quibus hic *Vitruv.* loquitur) propter amplitudinem nomen mutare, et climacidem, hoc est scalulam vocari.

CLĪMACTER, ēris, m. 3. κλιμακτήρ, a κλίμαξ *scala*, est annus scansilis, vel scalaris, qui et gradarius, et decretorius a medicis dicitur, senibus fatalis plerumque, aut periculosus, ad quem per septenariam pervenitur: et sic præcipue vocatur annus LXIII. quia ex pluribus multiplicatis climacteribus conficitur, quales sunt 14. 21. 28. 35. etc. Nam per omnem vitam septimus quisque annus periculosus est. Habent hanc vocem *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (161).; *Gell.* 3. 10. et *Firmic.* 4. *Mathes.* 14. *V.* etiam *Gell.* 15. 7. et *Censorin. de die Nat.* 14.

CLĪMACTĒRĬCUS, a, um, adject. κλιμακτηρικός, quasi dicas scalaris, ut annus climactericus. *Censorin. de die Nat.* 14. V. vocem præced. Sic *Plin.* 2. *Ep.* 20. 4. Habes climactericum tempus. Adde *Tertull. Idolol.* 9. *V.* SCANSILIS.

CLĪMACŬLÆ, ārum, f. 1. telorum genus. *Gell.* 10. 25., ubi plerique alii aliter leg.

CLĪMĂTĬAS, æ, m. 1. κλιματίας, a κλίνω *inclino, sterno*, sunt terræ motus, qui limes ruentes et obliqui, urbes et ædificia, montesque complanant. *Ammian.* 17. 7. 16. Epiclintas *Apul.* vocat *de Mundo*, ab ἐπικλίνω *inclino*. Utraque enim vox Græca est.

CLĪMAX, ăcis, f. 3. κλίμαξ apud Græcos *scalam* significat. Apud Grammaticos et Rhetores est figura, Latine *gradatio*, qua ab una re ad aliam gradatim ascendimus, ut *Ovid.* 3. *Fast.* 21. Viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupita. *Capell.* 5. p. 176. Climax est ascensus, ut est Ciceronis pro *Mil.* (cap. 23). Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etc. Adde *Quintil.* 9. 3. 54. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CLĪNĀMEN, ĭnis, n. 3. inclinatio, declinatio. *Lucret.* 2. 292. Id facit exiguum clinamen principiorum.

CLĪNĀTUS, a, um. *V.* CLINO.

CLĪNĀTUS, us, m. 4. (clino) idem ac declinatus vel declinatio, seu nominum inflexio per suos casus et verborum per sua tempora. *Servius de accent.* § 9. p. 527. Nisi forte quis eo demersus imperitiæ sit, ut in Græca nostraque lingua soni simul et clinatus discrimen ignoret. *V.* CLINO.

CLINDĬA, æ, m. 1. *Ambros. de Elia et Jejun.* 17. *sub fin.* Plerique etiam vino utuntur ut equuleo; et quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim vincit dolorem: fidem autem potus excludit. Cognovi plerosque fiduciales exulceratos nomen suum negasse. Quis inter clindias texit, quod latere cupiebat? *Vulgatæ editiones habent:* Cognovi plerosque fidiculis exulceratos nomen suum negasse. Quis inter cyathos etc. *At Codices MSS. fere ad unum exhibent lectionem superius allatam. Et hoc consensu nonnihil moti fuerunt* Maurini editores, ut germanam lectionem esse hanc suspicarentur: atque ea forsan ætate, qua non minimum degeneraverat latinitas, homines fiducia plenos et constantia, quique quod sum fidei commissum esset, nullis tormentis evulgarent, *fiduciales* vulgo dici solitos; similiter etiam hosce lectulos, quibus epulantes accumbebant, *clindias* seu *clindia*, quasi κλινίδια appellatos. Verum hujus conjecturæ penes doctiores esto judicium.

CLĪNE, es, f. 1. κλίνη, thorus aut lectus deorum. *Inscript.* apud *Orell.* 1892. T. M. D. D. SOLI SERAPI CVM SVA CLINE DEXTRINIA IVSTA DEXTRINII IVSTI FILIA AGRIPP. D. D. *h. e.* Agrippinensium decurionum decreto. Ceterum cf. *Thucyd.* 3. 68. κλίνας κατασκευάσαντες, ἀνέθεσαν τῇ Ἥρᾳ.

CLINGO, is, ere, a. 3. *Paul. Diac.* p. 56. 13. *Müll.* Clingere cingere a Græco κυκλοῦν dici manifestum est. *Al. leg.* a Græco κλείειν, quod est claudere. Sic in *Gloss. Isid.* Clingit, cludit. *Voss.* tamen in *Etymol.* magis placet, ut clingere sit crebro corporis motu imitari motacillam, quæ κίγκλος dicitur, quia in uno *MS. Paul. Diac.* pro κλείειν invenit κίγκλειν, et in aliis κιγκλίζειν.

CLĪNĬCE, es, f. 1., κλινική, ars medendi ægros lecto affixos: a κλίνη *lectus*. Ita appellari cœpta est medicina, cum primum ad artis regulas redacta est, inventique sunt, qui eam palam profitentes, ægros lecto affixos circum invisere cœperunt, variisque remediis (præter ea, quæ natura instituit) ex artis præceptis curare. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Hippocrates traditur instituisse medicinam hanc, quæ clinice vocatur. *Id.* 30. *ibid.* 11. 30. (98). In quartanis medicina clinice propemodum nihil pollet.

CLĪNĬCUS, a, um, adject. (clinice) ad clinicem, sive ad medendi artem pertinens. *Inscript.* apud *Gruter.* 400. 7., quæ est apud *Orell.* 2983. P. DECIMVS P. L. EROS MERVLA, MEDICVS CLINICVS, CHIRVRGVS OCVLARIVS. *Prudent. Apothes.* 273. clinicus ut se Dignetur præstare deus morientibus æquum. *h. e.* Æsculapius. — Hinc

Clinicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est qui medendi artem profitetur, et ægros lectulo decumbentes invisit et curat. *Martial.* 9. 96. Herodes clinicus. ¶ 2. Etiam vespillo *clinicus* appellatur, nam lectulis mortuos efferebat. *Martial.* 3. 93. Quod si cadaver exigis tuum scalpi, Sternatur a Coricle clinico lectus. *Al. leg.* archiclinico. *Id.* 1. 30. Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus: Cœpit quo poterat clinicus esse modo. ¶ 3. *Clinicus* aliquando dicitur etiam ipse æger lecto affixus. *Hieronym. Ep.* 105. n. 5. Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est? Quidam addunt *Plinii* locum 25. *Hist. nat.* 5. 24. (60).; sed recte *Harduin.* pro *clinicis* reposuit *cynicis* ex *MSS.* — Hinc *Clinici* dicebantur *Cypriani* ætate, qui dilato baptismo in infirmitate et languore, aqua salutari non loti sint, sed perfusi tantum, *h. e.* aspersi. *Cyprian. Epist.* 69. *ad fin.* Et tantus honos habebatur hæreticis, ut inde venientes non interrogent utrumne loti sint an perfusi, utrumne Clinici an Peripatetici?

Clinice, es, f. 1. absolute, substantivorum more, est femina medendi perita. *Inscript.* apud *Gruter.* 635. 10. IVLIAE QVINTIANAE CLINICE FIL. KARISSIMAE MATER POSVIT ET SIBI.

CLĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Clinatus.* — Clino est inclino, reclino, a Græco verbo κλίνω. *Lucret.* 2. 243. Quare etiam atque etiam paullum clinare necesse est Corpora. Adde *Petron. Satyr.* 127. *Cic. Arat.* 53. *de Pegaso.* Clinata est ungula. et *de aquila.* 86. Clinata est Aquilonis ad auras. *Lu-*

cret. 6. 583. Ad cælumque magis quanto sunt edita quæque, In clinata minent in eamdem prodita partem. *h. e.* clinata immineant.

CLĪNŎPĂLE, *es*, *f.* 1. κλινοπάλη, a κλίνη *lectus*, et πάλη *lucta*. *Sueton. Domit.* 22. Assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, clinopalem vocabat. *Aurel. Victor.* in *Cæsar.* 11. eamdem rem narrans utitur eodem verbo, sed Græcis litteris. — Hinc ἀνακλινοπάλη dicitur infamis illa palæstra puerorum pathicorum, cum ii conquiniscunt ad stuprum patiendum, ut puellæ ad idem resupinantur. *Martial.* 14. 201., cujus lemma est *Palæstrita*. Non amo, qui vincit, sed qui succumbere novit, Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

CLĪNŎPŎDĬON, ii, *n.* 2., κλινοπόδιον, herba, quæ et cleonicion, et ocimoides appellatur, serpyllo similis, surculosa, palmi altitudine: nascitur in petrosis, orbiculato foliorum ambitu speciem lecti pedum præbens: unde et nomen. Nam κλίνη *lectum*, et πούς, ποδὸς *pedem* significat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 87. (137). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 265.) hanc exhibet synonymiam: Κλινοπόδιον Dioscor. 3. 109: et *Clinopodion* Plin. l. c. cum synonym. sunt *Clinopodium vulgare* L. Spec. plant. 821.

CLĪNŎPUS, ŏdis, *m.* 3. κλινόπους, pes lecti. Vox Græca a κλίνη *lectus*, et πούς, ποδὸς *pes*: unde Genitivus rectius efferri potest *clinopodus*. *Lucilius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4.

CLINUS, a, um, adject. fortasse idem ac clinicus, aut clinatus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 93. et 100.

CLĬPEĀTUS *vel* clupeatus, a, um. *V.* CLIPEO.

CLĬPEĀTUS, i, *m.* 2. *V.* voc. seq.

CLĬPEO *vel* clupeo, as, āvi, ātum, are, a. 1. De ratione scribendi *V.* CLYPEUS sub init. — Part. *Clipeatus in fin.* — Clipeare est clipeo munire. *Pacuvius* apud *Non. p.* 87. 25. *Merc.* Chlamyde contra astu clupeat brachium. *h. e.* Clamydem circum brachium involvit in modum clipei. — Sæpius occurrit Part. præter. pass.

Clipeatus, a, um, hoc est ¶ 1. Clipeo munitus. *Virg.* 7. *Æn.* 793. Agmina clipeata. Cf. *Sil. It.* 8. 436. *Ovid.* 3. *Met.* 110. seges clipeata virorum. — Hinc *Clypeatus*, i, *m.* 2. absolute, substantivorum more. *Plaut. Curc.* 3. 1. 54. Clipeatus elephantum ubi macherà dissicit. *Liv.* 44. 41. A tergo cætratis erat, frontem adversus clipeatos habebat. *Curt.* 7. 9. 2. In proris clipeatos locaverat. ¶ 2. *Clipeata imago* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. est imago in clipeo depicta, vel sculpta. *V.* CLIPEUS.

CLIPEOLARIUM, ii, *n.* 2. locus, in quo reponuntur clypeola. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 126.

CLIPEOLARIUS, ii, *m.* 2. qui clipeola fabricatur, aut vendit. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* 126., ubi mendose legitur *clipellarium*, ut et *clipellarius* pro *clypeolarium*, et *clypeolarius*.

CLĬPEŎLUM, i, *n.* 2. *deminut. a* clypeus, parvus clypeus. *Hygin. fab.* 139. Eisque clypeola ænea et hastas dedit.

CLĬPEUS *vel* clupeus, i, *m.* 2., *aut* clipeum *vel* clupeum, i, *n.* 2. testibus *Charis.* 1. *p.* 59. *Putsch.* et *Non. p.* 196. 20. *Merc.* Vide infra sub I. 1. — Quod ad scriptionem attinet, *Forcellinus* qui *clypeum* scripsit, hæc ait: Scribitur et *clupeus*, Græca υ in Latinum u mutata; et *clipeus* per i Latinum. *Plin. Secundus de dub. Serm.* apud *Charis.* 1. *p.* 59. *Putsch.* et *Caper de Orthogr. p.* 2242. ita distinguunt, ut *clipeum* dicamus, quo in pugna utimur, *clupeum* vero *imaginem*. Contra *Cornel. Fronto de differ. verbor. ibid. p.* 2197. *clypeum* imaginis esse ait, *clupeum* armorum. Sed *Plinium* satis refutat *Charis. ibid.*, et consuetudo. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 73. *Müll.* In altisono cœli clupeo. *V.* infra sub II. 1. Ubi *clupeus* est cava pars cœli, quæ oculis patet. Hucusque *Forcellinus*. Sed scriptio *clypeus* omnino falsa est ac propterea rejicienda: analogia enim et vetera monumenta *clipeum* vel *clupeum* tantummodo probant atque exhibent: V. *Monum. Ancyr. p.* 377. 20.; et *Inscriptt.* apud *Orell.* 1760., 3853., 4052., 2154., 2500., 2501., 3701. — Ratione habita etymi, alii deducunt a καλύπτω *tego*; alii a κλέπτω *furor* aut *occulo*, quia clipeus abscondit et furatur quodammodo lævam partem hominis; alii a κύκλος *rotundus*, per metathesin, quia rotunda aut ovata figura est; alii denique a γλύφω *sculpo*, quia clipei imagines cælatas habere solent. Postrema hæc etymologia est *Plinii* 35. *Hist. nat.* 3. 4. (12)., ubi damnat perversam grammaticorum subtilitatem, a *cluendo* ducentium. — Quidquid vero sit de etymo, *clipeus* est scutum rotundum, quod milites sinistrâ gerebant tegendo ab ictibus corpori (It. *scudo rotondo*; Fr. *bouclier rond*; Hisp. *escudo redondo*; Germ. d. *Rundschild*; Angl. *a shield, bouckler, target*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu clipeus, ut diximus, erat scutum rotundum et plerumque æreum, quod milites Græci et Romani sinistrâ gerebant tegendo ab ictibus corpori. — a) Mascul. genere. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 93. *Müll.* Heheu, ipse clipeus cecidit. *Plaut. Trin.* 2. 4. 195. Gestandus peregre clipeus, galea, sarcina. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 97. Epaminondas quæsivit, salvusne esset clipeus. Cf. *Plaut. Trin.* 3. 2. 96. et *Truc.* 2. 6. 25. Adde *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 34., 1. *Divinat.* 44. 99., 2. *Orat.* 17. 73. et *Orat.* 70. 231.; *Nepotem Iphicr.* 1.; et *Liv.* 9. 19. et alibi. *Virg.* 2. *Æn.* 444. clipeosque ad tela sinistris Protecti objiciunt. *Id. ibid.* 227. tegi sub orbe clipei. Adde *eumd.* 2. ibid. 671., 3. *ibid.* 637., 7. *ibid.* 686. et alibi. *Ovid.* 12. *Met.* 375. Excipere ictus clipeo. *Id.* 13. *ibid.* 73. Opponere clipeum. *et ibid.* 79. Latere sub clipeo. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 621. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 4. (12). *Stat.* 4. *Theb.* 330. humeros clipeo claudere. — b) Neutro genere. *Liv.* 1. 43. Arma his imperata, galea, clipeum, ocreæ, lorica. Adde *eumd.* 35. 10., 35. 41. et 34. 35. *Virg.* 9. *Æn.* 709. Dat tellus gemitum et clipeum superintonat ingens. Adde *Licinium* et *Laberium* apud *Non. p.* 196. 23. *Merc.*; *Pompon.* apud *Charis.* 1. *p.* 59. *Putsch.* aliosque: et *V.* inf. 4. — c) *Clipeum sumere post vulnera* proverb. apud *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 35., serum remedium adhibere. ¶ 2. Latiori sensu dicitur etiam *clipeus* discus ex ære, aut alia quapiam materia, in qua sculpebantur, vel pingebantur deorum et magnorum virorum imagines usque ad pectus repræsentatæ: ea ratione, qua hodieque fit præsertim in stemmatis familiarum, quæ etiam Itali vocant *scudi*. Mos hic a Trojanis usque temporibus initium habuit, origine plena virtutis (inquit *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 4. (13).) faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit usus illo. Adde *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. *ad fin.* Quo pertinet illud *Horatii* 1. *Od.* 28. 11. quamvis clipeo Trojana refixo Tempora testatus, etc. Quidam grammatici (ut est apud *Charis.* 1. *p.* 59. *Putsch.*) voluerunt, hac significatione usurpari tantum neutro genere: quo modo usurpat *Liv.* 35. 10. *in fin.* et 25. 39. bis. Hinc *Trebell. Claud.* 3. Illi clipeus aureus, vel, ut grammatici loquuntur, clipeum aureum senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago. *Clipeatæ imaginis* figuram habes apud *Visc. Iconogr. Rom. tab.* 12. *C. n.* 5. et *Iconogr. Gr. T.* 1. *tab.* 4., 6. et 30. — Sed hoc discrimen alii scriptores optimi non servant. *Tac.* 2. *Ann.* 83. Cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis. *Sueton. Cal.* 16. *in fin.* Decretus est ei clipeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent. Adde *Asin. Poll.* apud *Charis. loc. cit.* — Hujusmodi clipea ornatus causa in templis, aliisque locis publicis affigi solebant. Exemplum habes apud *Livium loc. cit.* et in *Inscript.* apud *Gruter.* 374. 1. et 441. 7. ¶ 3. Item *clipeum* antiqui ob rotunditatem etiam corium bovis appellarunt, in quo fœdus Gabinorum (*alii* Gabiorum, *alii leg.* Sabinorum) cum Romanis fuerat descriptum, ut ait *Paul. Diac. p.* 56. 1. edente *Müllero*, qui *Gabinorum* scripsit fretus et Codicum et præcipue *Dionysii* 4. 58. auctoritate, ubi diserte traditur, Gabinorum fœdus corio ejus bovis, qui in fœdere feriendo mactatus erat, inscriptum fuisse. V. *Niebhur. Röm. Gesch. T.* 1. *p.* 537. ¶ 4. Denique *clipeum* (neutro gen.) vocat *Vitruv.* 5. 10. 5. *Schneid.* instrumentum æneum catenis pendens ex orbiculari fenestra Laconici fornicis, per cujus reductiones ac demissiones perficitur sudationis temperatura.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam *clipeus* dicitur cava pars cœli, quæ oculis patet. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 73. *Müll.* Quid noctis videtur in altisono cœli clupeo? ¶ 2. A similitudine rotundæ figuræ *clipeus* dicitur solis orbis. *Ovid.* 15. *Met.* 192. Ipse dei (*Phœbi*) clipeus, terra cum tollitur ima, Mane rubet, terraque rubet cum conditur ima. ¶ 3. Item meteori genus forma clipei igniti in cælo apparens. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. *in fin.* Quandoque fiunt trabes, quandoque clipei et vastorum imagines ignium. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 34. 34. (100). ¶ 4. Translate ponitur pro præsidio et munimine. *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 432. Subnixus Stilichone tuo, quem fratribus ipse Discedens clipeum defensoremque dedisti. Adde *eumd.* 1. *in Rufin.* 264.

Homonym. *Clipeus* differt a *parma* materiâ, quia hæc fere e loro seu corio, clipeus plerumque ex ære. Differt a *scuto* materiâ et figurâ, quia scutum fuit ligneum, teste, præter ceteros, *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (209)., figura vero quadrata oblonga, et curvata: clypeus rotundus, ut dictum est, et æreus. *Liv.* 8. 8. Clipeis antea Romani usi sunt: postquam deinde stipendiarii facti sunt, scuta pro clipeis fecere. *Id.* 1. 43. Primæ classi arma imperata; galea, clipeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære: secundæ classi scutum pro clipeo, et præter loricam omnia eadem. *Id.* 9. 19. Arma, clipeus, sarissæque illis (*Macedonibus*); Romano scutum, majus corpori tegumentum, et pilum, haud paulo quam hasta vehementius ictu missuque telum. — Ex his apparet, scutum secundæ classi datum fuisse, quod sine lorica esset, atque ut clypei et loricæ loco foret, totumque corpus protegeret; quatuor enim pedes longum erat, et duos semis latum. Aliquando tamen scriptores, et præsertim poetæ, promiscue unum pro altero usurpant.

CLĪTELLÆ, ārum, f. plur. 1. a κλιτύς, locus declivis aut devexus, ut *Scalig.* ad *Paul. Diac.* et *Voss.* censent: sed rectius a κλίνω *clino*; clitellæ enim sunt ephippia, quæ imponuntur dossuariis jumentis, ad onera commodius gestanda (It. *basto, basterna*; Fr. *bât*; Hisp. *basto*; Germ. d. *Tragsattel der Lastthiere, Saum-oder Packsattel*; Angl. *dorsers or dorsels*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 3. 2. 94. Vehit hic clitellas. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 5. 13. 40. Clitellis apportare aliquid. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 47. Hic muli Capuæ clitellas tempore ponunt. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 13. 8. *Phædr.* 1. 15. Clitellas asino imponere. et *ibid.* portare. — *Bovi clitellas imponere* proverb. de quo *V.* in BOS I. *e.*

II.) Figurate. ¶ 1. *Clitellæ* erat locus Romæ ita dictus a similitudine: et in via Flaminia loca quædam devexa subinde et acclivia. *Paul. Diac. p.* 59. 15. *Müll.* ¶ 2. Item genus tormenti. *Idem ibid.*

CLĪTELLĀRĬUS, a, um, adject. ad clitellas pertinens. *Clitellaria jumenta* sunt quæ clitellis sarcinas portant. *Cato R. R.* 10. Asini clitellarii. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 3. Mulo clitellario afferre aliquid. *Plaut. Most.* 3. 2. 94. Ego homines habeo clitellarios: magni sunt oneris: quidquid imponas, vehunt. — *Clitellaria* inscribitur una ex amissis *Plauti* Comœdiis, et Græco nomine *Astraba*. Ex ea aliquot fragmenta supersunt, quorum unum et alterum affertur a *Varron.*, *Paul. Diac.*, *Nonio*, *Prisciano*, etc. apud quos *Cistellaria* alicubi legitur invitis *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.* et aliis. Quid vero sibi velit hæc vox *V.* in ASTRABA.

CLĪTELLĬFĔRUS, fĕra, fĕrum, adject. qui clitellas fert. Legitur hæc vox in *Inscript.* apud *Smet.* 171. 27.

CLIVA. *V.* CLIVUS sub init.

CLĪVĬUS, a, um, adject. sinister, qui est mali ominis. *Clivia avis* dicta est ab auguribus, quæ aliquid fieri prohibebat, ideo a *Labeone* prohibitoria dicta, ab aliis clamatoria. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 14. 17. (37)., ubi al. leg. *clivina*, male, ut censet *Harduinus*. — Huc pertinet, quod tradit *Paul. Diac. p.* 64. 10. *Müll.* *clivia auspicia* dicta esse, quæ aliquid fieri prohibebant: omnia enim, inquit, difficilia, clivia vocabant: unde et clivi loca ardua. Hæc *Paul. Diac. l. c.* V. *Annal. dell' Instit. T.* 4. *p.* 242.

CLIVINUS. *V.* voc. præced.

CLĪVŌSUS, a, um, adject. in clivum assurgens: cui opponitur *planus*, ut apud *Colum. loc.* paullo infra *cit.* *Virg.* 1. *G.* 108. Clivosus trames. *Id.* 2. *ibid.* 212. Clivosus rus. *Ovid.* 3. *Fast.* 415. Olympus clivosus. *h. e.* arduus. *Id.* 1. *Amor.* 14. 11. Ida. *Colum. Arbor.* 4. 3. Locis aridis et clivosis altius vites deponuntur, quam humidis et planis. Adde *eumd.* 2. *R. R.* 15. 1. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 55. (200). Clivosum solum. — Allegorice. *Sil. It.* 6. 120. Talis lege deûm clivoso tramite vitæ Per varios præceps casus rota volvitur ævi. *h. e.* difficili, laborioso, et molestiarum pleno.

CLĪVŬLUS, i, *m.* 2. *deminut. a* clivus, parvus clivus. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 10. Locus est ad hos usus

extructus, qui duos parietes adverso clivulo inædificatos habet. Apul. 4. Met. Clementi transmisso clivulo.

CLĪVUS, i, m. 2. Olim cliva neutr. gen. in plur. num. usuvenisse testatur Cato apud Non. p. 195. 2. Merc. Loca ardua et cliva depressa. Frontin. de limit. p. 43. Goes. Per cliva, et confragosa loca cunt, qua iter fieri non potest. — Clivus derivatur a κλιτύς ex κλίνω clino, inclino. — Est autem clivus acclivitas, ascensus: itemque ipse locus acclivis et arduus (It. erta, poggio, collina; Fr. pente douce, montée peu rapide; Hisp. pendiente, declive ú declivio, repecho; Germ. d. sanft ansteigende Höhe, Anhöhe, d. Abhang; Angl. a hill, cliff, steep, ascent). Occurrit — a) Generatim, et usurpatur de loco. Plaut. Asin. 3. 3. 118. Agitare quadrupedem adversum clivum. Ter. Adelph. 4. 2. 35. Clivus deorsum versus est: hac te præcipitato. Cæs. 7. B. G. 46. Mollire clivum. Id. 3. B. C. 46. Milites ex inferiore loco adversus clivum cursu incitati. Virg. 3. G. 292. Juvat ire jugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo. Horat. 1. Ep. 13. 10. Viribus uteris per clivos. Ovid. 8. Met. 694. Nituntur longo vestigia ponere clivo. Id. 1. Fast. 264. Clivus arduus in valles. Id. 3. Amor. 13. 6. Via difficilis clivis. Id. Nuc. 77. Per tabulæ clivum labi. h. e. per tabulam devexam. Seneca Vita beat. 15. a med. Frangere clivum. Adde Colum. 2. R. R. 4. 11. et Curt. 8. 11. — b) Speciatim Clivus sacer (quem Petron. Satyr. 44. absolute clivum appellat) apud Horat. 4. Od. 2. 35. est clivus Capitolinus, hoc est locus acclivis Romæ, per quem in Capitolium ascendebatur. Cic. 2. Att. 1. 7.; Liv. 3. 18. et Plin. 19. Hist. nat. 1. 6. (23). Clivus Capitolinus. Similiter apud Varron. 5. L. L. 158. Müll. Clivus Cosconius, Pullius, Publicius. — c) Raro admodum occurrit de aliis rebus. Ovid. Heroid. 18. 122. Clivus aquæ. Id. 8. Met. 662. Clivus mensæ. h. e. inæqualitas mensæ in aliquam partem deflexæ. Paul. Dig. 8. 2. 19. Gradus, vel clivos propius januam meam jure facere possum. Inscript. apud Orell. 111. M. CONSIVS M. L. CERINTHVS ACCENSVS VELATVS IMMVNIS CVM SIM EX VOLVNTATE MEA ET IMPENSA MEA CLIVOM STRAVI LAPIDE AB IMO SVSVM — ITERVM EVNDEM CLIVOM AB IMO LEVAVI ET CLIVOM MEDIVM FREGI ET DEPRESSI. — d) Locum habet etiam in nonnullis, quæ proverbialiter efferri videntur. Ovid. Heroid. 20. 41. Mille doli restant: clivo sudamus in imo. h. e. in initio laboris sumus. Adde similem locum apud eumd. Remed. am. 394. Seneca Ep. 31. Surge, et respira, et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera. h. e. istam difficultatem vince. Sil. It. 4. 605. perque aspera duro Nititur ad laudem virtus interrita clivo. Petron. fragm. Tragur. 47. Burmann. Nec adhuc sciebamus, nos in medio lautiarum, quod ajunt, clivo laborare.

CLŎĀCA, æ, f. 1. A colluendo dictam esse docent Paul. Diac. p. 558. Müll. et Mar. Victorin. 1. artis Grammat. p. 2469. Putsch.; alii ab antiquo cluo, purgo: quare et cluaca scribendum putant: qua in sententia est Mar. Victorin. ibid. Sed usus antiquissimus contra est. — Ceterum cloaca est locus cavus, sive is publicus, sive privatus sit, fossa, via subterranea parietibus in modum aquæductus munita, per quam aqua pluvia extra urbem, vel in fluvium dilabens urbis sordes secum rapit (It. chiavica, fogna, privata; Fr. egout, cloaque; Hisp. albañar, cloaca; Germ. Schleuse, Cloake, Abzugscanal; Angl. a common-sewer, sink).

I.) Proprie. Cic. Cæcin. 13. 36. Qui de fossis et cloacis interdicit. Id. Sext. 35. 77. Corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri. Liv. 1. 38. Aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis, siccare. Id. 39. 44. Detergere cloacas. Adde Horat. 2. Sat. 3. 243. Colum. 3. R. R. 15. 6. Cœnum cloacarum. Plin. 36. Hist. nat. 2. 2. (6). Cloacarum redemptor. Adde Sueton. Ner. 28. et Plin. 10. Ep. 41. in fin. Ulp. Dig. 43. 23. qui est De cloacis, 1. Purgare et reficere cloacas. et ibid. Cloacam immittere. Venulej. ibid. 2. facere in publicum. In Edicto principis apud Frontin. Aquæd. 111. abluere. Inscript. apud Mommsen. Inscript. Neap. 4472. A. AIGIVS C. F. L. RVNTIVS C. F. SISIPVS M. PVPIDIVS M. F. AID. DE S. S. CLOVACAS FACIVN. CORR. EIDEMQVE PROBARVNT. — De admirandis cloacarum substructionibus Romæ a Tarquinio Prisco factis, multa Plin. 36. Hist. nat. c. 15. et Cassiod. 3. Variar. 30. Meminit etiam Liv. 1. 38. et 56. et 5. 55. — Arcem ex cloaca facere, proverbium, V. in ARX.

II.) Improprie seu figurate, per contemptum de bibosæ anus stomacho et ventre usurpat Plaut. Curc. 1. 2. 29. Prolue cloacam. Cf. Varron. apud Non. p. 209. 19. Merc. Cloaca intestini.

CLŎĀCĀLIS, e, adject. ad cloacam pertinens. Cato apud Paul. Diac. p. 59. 18. Müll. dixit cloacale flumen pro cloacarum omnium colluvie. Sidon. 3. Ep. 13. Cloacalis fœculentia. Id. 1. Ep. 5. de Ravennæ situ. Cloacalis pulis fossarum discursu lintrium ventilata.

CLŎĀCĀRE, inquinare. Paul. Diac. p. 66. 2. Müll. Adde Gloss. Lat. Gr. seu Labb. Cloaco μολύνω.

CLŎĀCĀRĬUM, ii, n. 2. tributum, quod solvitur pro cloacis reficiendis, aut purgandis. Ulp. Dig. 7. 1. 27. § 3. Si quid cloacarii nomine debeatur. Adde Paul. ibid. 30. 39. § 5.

CLŎĀCĀRĬUS, ii, m. 2. qui cloacas purgat. Edict. Diocle. p. 20. Cloacario omni die operanti pasto diurnos ✕ vigintiquinque.

CLŎĀCĪNA. V. CLUACINA.

CLŎĀCŬLA, æ, f. 1. deminut. a cloaca, parva cloaca. Lamprid. Elagab. 17. Ut cadaver ejus in cloaculam milites mitterent.

CLŌDĬCO, as, āvi, ātum, are. V. CLAUDICO sub init.

CLŌDO, is, ere. V. CLAUDO sub init.

CLŌDUS, a, um. V. CLAUDUS sub init.

CLŌNOS, i, f. 2. κλόνος, herbæ nomen apud Apul. Herb. 8. quam sceleratam, batrachion, et multis aliis nominibus appellat.

CLOSTELLUM, i, n. 2. deminut. a clostrum, parvum clostrum. Petron. Satyr. 140. Rimari per clostellum.

CLOSTRUM, i, n. 2. V. CLAUSTRUM sub init.

CLŌTHO, us, o, on, f. Κλωθώ, una Parcarum: a κλώθω neo, glomero, quia fila vitæ hominum nere dicitur. V. ONOM. — Hinc figurate pro vita ponitur. Sil. It. 5. 404. Ille sibi longam Clotho turbamque nepotum Crediderat. h. e. longam vitam.

CLUĀCĪNA vel Cloacina, æ, f. 1. cognomen est Veneris, quasi purgatricis et expiatricis. Cum Sabini jam jam dimicaturi adversus Romanos propter raptas virgines, in ipsa acie, raptis conciliantibus, pacem fecissent, depositis armis myrtea verbena in eodem loco purgati sunt (V. Nibby del foro Rom. p. 159.): ibique postea signum Veneris positum fuit, quæ inde Cluacina dicta est: cluere enim (ai. cluare, ut apud Servium mox citand.) antiqui purgare dicebant. Ita Plin. 15. Hist. nat. 29. 36. (119)., ubi quidam perperam pugnare pro purgare leg. (eademque lectionis varietas est apud Servium ad Virg. 1. Æn. 720.) ideoque de Venere armata Cluacinam intelligi volunt: sed pugnare eo loco minus apte convenit, ut et Voss. adnotavit in Etymol. in V. Cluo. — Alii (inter quos est Lactant. 1. 20.) ita dictam censent a cloaca, quod ejus simulacrum in cloaca maxima repertum fuerit, et a T. Tatio consecratum. Addit Lactant., cum ignoraretur, cujus esset effigies, ideo Veneri dicatam fuisse, quod circa eum locum, ubi reperta fuerat, ludi omnis impudicitiæ pleni Floræ meretrici celebrabantur. Sed profecto Lactantium hic alucinatum fuisse constat; nam cloaca maxima fere centum et quinquaginta post Tatium annis a Tarquinio Prisco constructa est. Prudent. Apotheos. 265. Nemo Cloacidæ, aut Eponæ super astra deabus Dat solium. Plaut. Curc. 4. 1. 9. Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium; qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum. — Ex hoc Plauti loco quidam putant derivandam esse a cluere, celebrari, illustrem, gloriosum esse: sed hoc non est tanti, ut a Plinio recedendum sit. — Quod Tertull. Pall. 4. a med. dixit adyta Cloacinarum, duas fuisse Cloacinas colligi videtur, nempe alteram in foro prope Novas tabernas, ut est apud Liv. 3. 48., alteram eo loco, ubi Sabini pugnaturi steterant, ad lacum Curtium. Alii dicunt, putasse Tertull. Cloacinam esse cloacæ præsidem, atque adeo tot fuisse Cloacinas, quot cloacas: hinc adyta Cloacinarum esse ipsas cloacas. — Ad scriptionem quod attinet, Cluacinam malunt et qui a cluendo derivant, et qui a cloaca, quam cluacam quoque scribi, supra monuimus: Cloacinam vero, qui a cloaca secundum meliorem consuetudinem; quibus adstipulatur nummus gentis Mussidiæ apud Eckhel. D. N. V. T. 5. p. 258.

CLŪCĬDĀTUS, a, um, part. ab inus. clucidare, dulcis. Paul. Diac. p. 55. 11. Müll. Clucidatum dulce et suave dicebatur. Id. p. 98. 10. Glucidatum suave et jucundum. Græci etenim γλυκὺν dulcem dicunt. Gloss. Lat. Gr. Gloditatus (corrige Glucidatus) ἡδύς. Nævius apud Varron. 7. L. L. 107. Müll. Clucidatus, suavis, addit Varro, tametsi a magistris accepimus mansuetum. Ubi clucidatus legendum conjecit Scalig. et edidit ipse Müll.; alii enim caudatus, alii caudacus leg. — Jam vero clucidatum est antiquior scribendi forma pro glucidatum; clucidare autem est Græcum γλυκίζειν (v. titulus in Corp. Inscript. Græc. T. 1. p. 791.) ex Dorica vel Bœotica forma γλυκίδδειν in Latinum sermonem translatum.

CLŪDEN, inis, n. 3. gladius scenicus, sic dictus a cludendo, quod ejus acies in manubrium prælongum refugeret atque includeretur, cum histrio, in tragœdia agenda, ipse se confodere simulabat. Apul. de Mag. Quas tamen (tragœdias) cum saltas, tanta mollitia animi, tanta formido ferri est, sine cludine saltas. Ita Oudendorp. cum aliis. Lips. quoque Elector. l. 1. c. 28., sed subdubitans. Alii leg. clunaculo, quod V.

CLŪSIVĬUS. V. voc. seq.

CLŪSĬUS, ii, m. 2. cognomen Jani pacis tempore, a cludendo, quod tunc ejus templi fores clausæ erant: quemadmodum Patulcius dictus est tempore belli, quo eædem fores patebant. Ovid. 1. Fast. 129. modo namque Patulcius idem, Et modo sacrifico Clusius ore vocor. Adde Macrob. 1. Saturn. 9. ad fin. ubi alii leg. Clusivius, ea ratione, qua Consivius dictus est a conserendo, id est a propagine generis humani, quæ Jano auctore conseritur, ut ait Macrob. ibid. Sic et Ops consiva dicta est, nempe terra, ex qua cuncta generantur: a conserendo. Festus p. 186. 26. Müll.

CLŪDO, dis, si, sum, dere. V. CLAUDO sub init.

CLŪDUS, a, um. V. CLAUDUS sub init.

CLŬĔO, es, ere, 2. Est etiam alia forma cluo, is, ere, quæ neutrorum more apud sequioris ævi Poetas tantum modo usuvenit, scilicet apud Auson., Prudent. et Symmach., quorum loca V. infra sub A. c. — Clueo proprie idem est quod audio: a κλύω, ut Voss. docet in Etymol. Metaleptice autem ponitur pro dicor, nominor, perhibeor (It. esser nominato, esser tenuto, essere stimato, esser celebre; Fr. être appelé, réputé, passer pour; Hisp. ser llamado, reputado; Germ. sich irgend wie bezeichnet oder genannt hören, heissen, für etwas gelten und vor der Welt sein; Angl. to be named or called, to be accounted, reputed, reckoned, or esteemed). Usurpatur autem A) Active, sed neutrorum significatione, et B) Passive.

A) Active, sed neutrorum significatione occurrit — a) Cum Nominativo et Infinito. Ennius apud Non. p. 88. 1. Merc. Per gentes esse cluebat omnium miserrumus. Plaut. Bacch. 4. 9. 1. Atridæ duo fratres cluent fecisse facinus maximum. Adde Lucret. 4. 50. — b) Cum duplici Nominativo. Plaut. Amph. 2. 2. 16. Id modo si mercedis datur mihi, ut meus victor vir belli clueat. Id. Epid. 2. 2. 5. Senati qui columen cluent. Id. Pseud. 2. 1. 16. Magna facinora, quæ clara et diu clueant. Id. Trin. 2. 2. 31. Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent. Adde Pacuvium apud Cic. 2. Tusc. 10. 23. et Lucilium apud Non. p. 87. 32. Merc. Lucret. 1. 118. Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, Per gentes Italas hominum quæ clara clueret. Id. 2. 351. Nec minus atque homines, inter se nota cluere. Id. 3. 207. Quæ tibi cognita res in multis, o bone, rebus Utilis invenietur, et opportuna cluebit. Adde eumd. 2. 521., 2. 790. et 1. 631. Terentian. p. 2383. Putsch. Dum victor cluet omnium. — Addunt quidam locum Cic. Brut. 25. 97. Duo Cæpiones multum cluentes consilio et lingua. Sed clientes ibi legendum. Sequitur enim: Plus auctoritate tamen, et gratia sublevabant. — c) Interdum definitur per adverbia, aut etiam absolute occurrit. Plaut. Men. 4. 2. 6. Res magis quæritur, quam clientium fides cujusmodi clueat. Id. Trin. 2. 4. 95. Ita sis, ut nomen cluet. Id. ibid. 3. 1. 19. Nimium difficile est reperiri amicum, ita ut nomen cluet. h. e. ut nomen sonat. Id. Capt. 3. 5. 31. Cluere gloria. Id. Pœn. 5. 4. 20. victoria. Lucret. 1. 450. Nam quæcumque cluent, aut his conjuncta duabus Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis. Cluere hoc loco ponitur pro esse, existere: nam ex eo quod est aliquid, dicitur et nominatur. — d) Et forma cluo. Auson. Profess. 21. in fin. sed quos meruisse deceret Nancisci, ut cluerent patribus ingenuis. Prudent. 2. in Symmach. 584. gloria nocta cluit. Adde Symmach. 1. Ep. 1.

B) Passive eadem significatione. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 12. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo qui cluear? *Pacuvius* apud *Non. p.* 88. 2. *Merc.* Sed hi cluentur hospitum infidelissimi. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 88. 5. *Merc.*

CLUIOR, *V.* voc. seq.

CLŪIS, e, adject. nobilis, illustris. *Capell.* 4. p. 97. Neque ipsam grammaticam, neque alteram opinioris iræ cluem. *Gloss. Isid.* Cluior, nobilior. Apud *Capell.* al. rectius leg. *opimi oris præcluem.*

CLŪMÆ, folliculi hordei. Ita *Paul. Diac.* p. 55. 13. *Müll.* — Itaque sunt eadem ac glumæ.

CLŪNA, æ, f. 1. simia ita dicta, ut videtur, a clunibus tritis. *Paul. Diac.* p. 55. 9. *Müll.* Clunas simias a clunibus tritis dictas existimant.

CLŪNĂCLUM vel

CLŪNĂCŬLUM, i, n. 2. *Paul. Diac.* p. 50. 6. *Müll.* Clunaclum cultrum sanguinarium dictum, vel quia clunes hostiarum dividit, vel quia ad clunes dependet. *Gell.* varia enumerans gladiorum nomina 10. 25. Machæræ, spathæ, pugiones, clunacula. *Isid.* 18. *Orig.* 6. 6. Clunabulum (*lege* Clunaculum) quod religetur ad clunem. Et *Isid. Gloss.* Sica, cluniculus (*an legendum* clunaculum?), machæra, spathona.

CLŪNĀLIS, le, adject. ad clunes pertinens. *Clunales pedes* apud *Avien. Arat.* 361. sunt posteriores pedes feræ Helices. Sic *Cæsar. German. Arat.* 42. *de eod.* Quique priora tenet vestigia, quique secunda Clunibus hirsutis.

CLŪNĬCŬLA, æ, f. 1. vel

CLŪNĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* clunis, parva clunis. *Favorin. Gellii* æqualis scriptor apud *eumd.* 15. 8. Ceterarum avium atque altilium tantum apponatur, ut a cluniculis inferiori parte saturi fiant.

CLŪNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (clunis, *et* fero). *In jocoso epitaph. mulæ P. Crassi* apud *Ferret. in Mus. Lapid.* l. 5. 28., *quod tamen suppositicium creditur.* DIS PEDIBVS SAXVM. CINCIAE DORSIFERAE ET CLVNIFERAE, VT INSVLTARE ET DESVLTARE COMMODETVR, P. CRASSVS MVLAE SVAE CRASSAE BENEFERENTI SVFFEDANEVM HOC CVM RISV POS. VIXIT ANNOS XI. *h. e.* dorso et clunibus ferenti. *V.* et voc. seq.

CLŪNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (clunis et gero) qui dorso et clunibus fert. *Inscript.* apud *Smet.* 171. 27. BOVO CLVNIGERO.

CLŪNINSTĂRIDYSARCHĪDES, æ, m. 1. Vox joculariter ficta a *Plauto Mil. glor.* 1. 1. 14. ad significandum terribilem quemdam imperatorem hostium, quem Pyrgopolinices, jactator et arrogans miles, vicisse se gloriatur in campis Gurgustidoniis. Conflata est ex duabus Latinis vocibus *clunis* et *instar*, et totidem Græcis ἡδὺς *dulcis*, vel δὺς *ægre*, et ἄρχομαι *impero*; qua in compositione præter ridiculum, obsceni quoque aliquid subest. Fortasse est ab allatis Latinis vocibus *clunis* et *instar*, et a Græcis ὁ δὺς (*h. e.* κακῶς) ἀρχόμενος (ὡς πρωκτὸς), nostrates vulgo dicunt *far col culo*, h. e. male agere.

CLŪNĪNUS. *V.* CLURINUS.

CLŪNIS, is, f. frequentius, quam m. 3., quamvis sit communis generis teste *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* et *Priscian.* 5. p. 652. *Putsch.* Rectus casus singularis est *clunis*, teste *Priscian. loc. cit.* — In numero tamen singulari usurpatur tantum Ablativus. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* clunis fortasse est a κλόνις *os lumborum*, quod a κλίνω pro κλίνω *inclino*: juxta *Cavedoni*, *Sagg. num.* p. 140., est a χλούνης *cubans*, unde omissa aspiratione factum est *clunes*. Ceterum *clunis* est nates, prominentia carnosa circa anum: et dicitur tum de hominibus, tum de bestiis (It. *natica*, *chiappa*, *groppa*; Fr. *fesse*, *derrière*, *croupion des animaux*; Hisp. *asentadera*, *anca*, *nalga*, *obispillo*, *rabadilla*; Germ. *die Hinterbacke*, *od. der Hinterbacken*, *die Hinterkeule*; Angl. *the buttock*, *haunch*). *Plaut.* apud *Non.* p. 196. 31. *Merc.* Quasi lupus ab armis valeo, clunes defectos gero. *Paul. Diac.* p. 61. 17. *Müll.* pro *defectos gero* habet *infractos fero*. Alii apud *Non.* leg. *desertos*. Adde *Lucret.* 4. 1266. et *Liv.* 44. 5. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 89. *de equo.* Quod pulcræ clunes, breve quod caput, ardua cervix. *Id.* 2. *ibid.* 8. 91. Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes. *h. e.* macras. Adde *Cels.* 7. 29.; *Colum.* 8. *R. R.* 5. 19. et 8. *ibid.* 7. 2.; et *Petron. Satyr.* 21. et 23. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 55. (132). Residere in clunes. *Id. ibid.* 32. 50. (115). Cervi nantes – et capita imponentes præcedentium clunibus. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 8. 8. (25). et 29. *ibid.* 6. 30. (141).; et *Martial.* 11. 100. *Juvenal.* 5. 167. aut aliquid de clunibus apri. *Id.* 11. 164. Ad terram tremulo descendunt clune puellæ. Adde *eumd.* 2. 21. et 6. 334.; et *Apul.* 8. *Met.*

CLŪO, is, ere, a. 3. antiquum verbum, idem quod purgo, teste *Plin.* *V.* CLUACINA.

CLŪO, is, ere, n. 3. idem quod clueo. *V.* CLUEO sub init.

CLŪPEA, æ, f. 1. piscis minimus Padi, qui attilum ejusdem fluminis piscem persequitur, et venam quamdam ejus in faucibus morsu appetens exanimat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (44). et *Flor.* 2. 2. 19. Adde *Ennii Phages.* apud *Wernsdorf.* *T.* 1. p. 187. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CLUPEO, CLUPEUM, CLUPEUS, *V.* CLYPEO, CLYPEUM, CLYPEUS.

CLURA, πίθηκος. Ita *Gloss. Labbæi* e *Philox.* Est a Gr. κολοῦρα, de quo *V.* voc. seq.

CLŪRĪNUS, a, um, adject. Clurinum pecus apud *Plaut. Truc.* 2. 2. 14. et *Arnob.* 3. 16. sunt simiæ: nam *clura* simiam significat, ut in *Veteri Glossario Labb.* legitur. Apud *Plautum* alii leg. *clusinum*, quod putat *Turneb.* l. 10. c. 25. dictum esse ab oppido Clusio, ubi non admodum egregia essent fortasse pecora: et ex ambiguitate a *cludendo*. Clauduntur enim meretrices, quæ clam habentur, et pecora morbida. *Lambin.* interpretatur *candidum*, seu *lutei coloris*. Al. leg. *cluninum*, eodem tamen sensu, a *cluna*: alii *aelurinum*, h. e. felinum: alii *gruninum*: alii *lurinum*, h. e. coriaceum: alii *larinum*, h. e. suillum: alii alia. Sed præstat *clurinum* retinere; nam *clura* contractum est a κολοῦρα, quod est compositum a κόλος truncus et οὐρὰ *cauda*; ut *glans* est a γάλανος.

CLŪSĀRIS, e, adject. (cludo) qui claudit, clusarius. *Hygin.* apud *Goes.* p. 181. Anguli clusares. *et* p. 156. Portio quadrata clusaris. *Inscript.* opt. notæ, apud *Fabrett.* p. 239. n. 638. Aqua clusaris. *h. e.* quæ fluendo viam claudit et aditum prohibet.

CLŪSĀRĬUS, a, um, adject. (cludo) ad claudendum aptus, ut angulus clusarius, *Hygin.* apud *Goes.* p. 156. Latus clusarium, *ibid. p.* 183.

CLŪSĬLIS, le, adject. (cludo), qui facile clauditur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (132). Conchæ clusiles et mordaces.

CLŪSĪNUS. *V.* CLURINUS et ONOM.

CLŪSOR, ōris, m. 3. qui cludit. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *a med.* Clusor statarius nemora retibus circumvenis. *h. e.* claudis indagine saltus.

CLUSTER, ĕris. *V.* CLYSTER.

CLUSTRUM, i. *V.* CLAUSTRUM.

CLŪSŪRA, æ. *V.* CLAUSURA.

CLŪSUS, a, um. *V.* CLAUDO.

CLŪTĬNĀTOR, ōris, m. 3. idem quod glutinator. Legitur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6445.

CLŪTUS, a, um, adject. celeber, gloriosus: a κλυτός, Græca υ in u Latinum versa; vel est particip. verbi *clueo* pro *cluitus*. Hinc fit inclutus. Hæc, *Paul. Diac.* p. 55. 14. *Müll.*

CLŸBĀTIS, is, f. 3. κλυβάτις, herba, quæ et helxine, et Latine parietaria, et perdicalis appellatur. *Apul. Herb.* 81.

CLŸMĔNOS vel

CLŸMĔNUS, i, m. 2. κλύμενος, herba est a Clymeno Cæneí filio, Arcadiæ *rege*, ejus inventore appellata, hederæ folio et semine, ramosa, caule inani, articulis præcincta, odore gravi, in silvestribus et montuosis locis nascens. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 33. (70). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 333.) hanc exhibet synonymiam: Περικλύμενον Dioscor. 4. 14.; Περικλύμενον, οἱ δὲ κλύμενον, οἱ δὲ σκλήριον Ejusd. in Nothis et *Clymenus* Plin. l. c. sunt *Lonicera Periclymenum* L. Spec. plant. 247. — De nomine propr. *V.* ONOM.

CLŸPEĀTUS, a, um. *V.* CLIPEO.

CLŸPEĀTUS, i, m. 2. *V.* CLIPEO.

CLŸPEO. *V.* CLIPEO.

CLŸPEUS. *V.* CLIPEUS.

CLYSMUS, i, m. 2. κλυσμός, idem quod clyster, et ab eadem radice. *Scribon. Compos.* 155. Alvum acri clysmo trahere. *et ibid.* 194. Alvum acri clysmo ducere. Adde *ibid.* 197. — Item ipsæ fæces, quæ clystere ejiciuntur. *Paul. Diac.* p. 78. 13. *Müll.* Eudimon lineum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod κλυσμὸς emittitur. *Müllerus* ita edidit Græce; alii Latine *clysmos*.

CLYSTER, ēris, m. 3. κλυστήρ. Legitur et *cluster* apud *Scribon. Compos.* 179. mutata Græca υ in u Latinum: quod in quamplurimis aliis vocibus a Latinis factitatum est. — Penultimam corripuit *Æmil. Macer de herb. c. de anetho.* Appositus digitis, aut intus clystere fusus. Sed non est imitandus. — Ceterum clyster, κλυστήρ a κλύζω *abluo*, occurrit ¶ 1. Pro ipso instrumento, quo medicamentum aliquod liquidum in aures aut in alvum injicitur abluendi et purgandi gratia. *Cels.* 7. 27. Humorem clystere intus adigere. Hinc *oricularius clyster*, hoc est auricularis, apud *eumd. Cels. ibid.* et apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1., est instrumentum, quo in aures aliquid infunditur. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 33. (65). Clysteribus marinam aquam infundere tepefactam. *Sueton. Claud.* 44. Immittere aliquid per clysterem. *Scribon. Compos.* 200. Clystere injicere aliquid. Adde *eumd.* 112. et *Veget.* 1. *Veterin.* 15. 3. *Schneid.* ¶ 2. Item ipsum medicamentum liquidum, quod in aures aut per inferna in alvum injicitur abluendi et purgandi gratia. A *Celso* 2. 12. Latina voce *lotio* appellatur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 3. 23. (56). Helleborum extrahere medicamentis, aut clysteribus. *Sueton. Ner.* 20. Purgari clystere et vomitu. *Scribon. Compos.* 154. Mane per clysterem alvus ducenda, ovorum albis temperatum. *Id. ibid.* 179. Acri clystere alvum ducere. *Ulp. Dig.* 9. 2. 9. Medicamentum alicui infundere vel ore vel clystere.

CLYSTĒRĬO, as. *V.* CLYSTERIZO.

CLYSTĒRĬUM, ii, n. 2. κλυστήριον, idem quod clyster. *Scribon. Compos.* 114. Pastillus, qui clysterio immittitur torminosis per anum. *et ibid.* 118. Per clysteria caldam immittere. Adde *Paul. Diac.* p. 78. 13. *Müll.*

CLYSTĒRIZO, as, are, a. 1. clystere purgare. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Synanchicos clysterizare. *Veget.* 2. *Veterin.* 14. 5. *Schneid.* Clysterizabis (*jumentum*) etiam et aqua calida, et oleo. *Al. leg.* Clysteriabis. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 17. 3. *Schneid.*

CN

CNASŌNAS (Dor. κνάσωνας) acus, quibus mulieres scalpunt caput. Hæc *Paul. Diac.* p. 52. 17. *Müll.* Est a κνάω *scalpo*, *scabo*. *Scalig.* hic, et ad vocem *acus* idem putat esse cum discerniculo.

CNĒCĪNUS. *V.* CNEDINUS.

CNĒCUS, i. *V.* CNICOS.

CNĒDĪNUS, a, um, adject., κνήδινος vel κνίδινος, ad urticam pertinens, ut *cnedinum oleum* apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (30). Nam κνήδη seu κνίδη Græce *urtica* est. Al. leg. *cnecinum*, sed male, inquit *Harduin.* In edition. *Sillig.* est *cnidinus*.

CNĒMIS, idis, f. 3., κνημὶς, ocrea, pars infima tegumenti militaris. Occurrit translate tantum. *Mall. Theod.* 4. *de metr.* 12. Huic autem metro post tres versus additur chemis (*leg.* cnemis) heroici versus, ut est apud eumdem *Horat.* (1. *Od.* 2. 4.) Terruit urbem. *Dionys. Perieg.* v. 714. vocat κνημῖδας infimas montium partes; pedes autem postremos recte appellari infimas versuum partes, nemo neget, qui meminerit, *Mar. Victorin. de metr. Horat.* p. 2610. *Putsch.* primos pedes trimetri iambici *caput* vocasse. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CNEŌRON *vel Latina positione*

CNEŌRUM, i, n. 2. κνέωρον, nomen fruticis, qui et cnestron, κνήστρον, et thymelæa dicitur, similis oleastro, foliis angustioribus, gummosis, si mordeantur, myrti magnitudine; semine, colore, et specie farris: granum fert lini simile, quod aliqui linum vocant. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 35. (114). Ita porro est vocata a κνάω *scabo*, quia linguam mordet. *V.* COCCUM. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 124.) hanc exhibet synonymiam: Κνέωρον Theophr. 6. 2.; Κνέωρον Hipp., test. Gal. in Sprengel Hist. Rei herb. 1. 41. (cujus fructus κόκκοι κνίδειοι dicuntur ab Hipp. etc.); Χαμαιλαία, Πυρὸς Ἄχνη, Ἀχνηστος, Κοκκος κνίδειος, Κνέωρον, Κνήστρον Dioscor. 4. 172.; Θυμελαία (cujus fructus κόκκος κνίδειος) ἀπόλινον Ejusd. l. c.; *Granum gnidium*, *thymelæa*, *chamelæa*, *cneoron* etc. Plin. l. c. et 27. 9. 46. (70).; et *Casia humilis* Virg. 2. G. 213. et 4. ibid. 30. et 304.; et *Casia* Hygin. apud Plin. 21. Hist. nat. 9. 29. (53). sunt *Daphne Gnidium* L. Spec. plant. 511. et *D. Cneorum* L. loco cit.? Quorumd.

CNEPHŌSUM antiqui dicebant tenebricosum. Græ-

ei enim κνέφας appellant obscurum. Hæc *Paul. Diac.* p. 51. 9. *Müll.* *V.* GNEPHOSUM.

CNESTOR, oris, m. 2. idem quod cneoron. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 35. (114). Granum cnidium, quod aliqui linum vocant, fruticem vero thymelæam, alii chamelæam, alii pyros achnen, aliqui cnestorem, alii cneorum. *Codex palimps. Veronen.* a *Moneo* editus hanc exhibet lectionem (p. 164. 1.), eamque confirmat in *Indice lib.* 1. ubi de lib. 13. agitur (p. 115. 1.). *Sillig* primo in loco leg. *cnestrum*, altero cnestron. *V.* CNEORON.

CNESTRON *vel Latina positione*

CNESTRUM, i, n. 2. *V.* CNEORON.

CNICOS *vel*

CNICUS *vel* cnecus, i, f. 2. κνίκος et κνῆκος herba Ægypto peculiaris, Italiæ ignota. duplicis generis, silvestris et sativa. Silvestris duæ sunt species, una caule rigido, semine candido, grandi et amaro: alio nomine *atractylis*: altera hirsutior, torosiore caule, et qui pæne humi serpat, minuto semine. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 53. (90). et *ibid.* 32. 107. (184).; *Scribon. Compos.* 135. et *Colum.* 7. *R. R.* 8. 1. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 58.) hanc exhibet synonymiam: I. Κνῆκος Theophr. Hist. plant. 7. 4.; Κνίκος Dioscor. 4. 1907, Hipp., Arist., Galen. etc., et *Cnicos* Plin. l. c. sunt *Carthamus tinctorius* L. Spec. plant. 1162. — II. Ἀτρακτυλὶς ἢ φόνος Theophr. 6. 4.; Κνίκος ἄγρια Quorumd., præcipue Galen. de Simpl. fac. 6. p. 161, et *Cnicos silvestre sive Cnicos mitius* Plin. l. c. sunt *Carthamus mitissimus* L. Spec. plant. 1164. et *Carduncellus mitissimus* Decand. 3004. — III. Ἄχορνα Theophr. Hist. plant. 6. 4.; Ἀτρακτυλὶς Dioscor. 3. 107. et *Cnicos silvestre et hirsutum* Plin. l. c. sunt *Centaurea lanata seu benedicta* Decand. l. c.

CNĪDE, es, f. 1. κνίδη, genus zoophyti, Latine *urtica*, quod tamen noctu vagatur, et sedem mutat. Natura huic est carnosæ frondis; et carne vescitur. Vis pruritu mordax, eadem quæ terrestris urticæ. Contrahit ergo se quam maxime rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensque devorat. Alias marcenti similis, jactari se fluctu patitur algæ vice, et contactos pisces, attrituque petræ scalpentes pruritum invadit, etc. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146). et 9. *ibid.* 45. 68. (146).; et *Plaut. Rud.* 2. 1. 9. *V.* URTICA. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CNIDĪNUS. *V.* CNEDINUS.

CNISA *vel*

CNISSA, æ, f. 1. κνῖσα vel κνίσσα, fumus et nidor pinguedinis incensæ, aut carnis assæ. *Arnob.* 7. 3. Nisi forte hostiarum Deus animas devorat, aut ex aris ardentibus nidorem consectatur et fumos, pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc suda de sanguine, et prioribus humecta de succis. *Gloss. vet.* Κνισσα nidor. *Homer.* usus est hac voce *Iliad.* 1. 66.

CNŌDAX, ăcis, m. 3., κνώδαξ, pro κινώδαξ ἀπὸ τοῦ κινεῖσθαι: instrumentum, quod infigitur in extremis scaporum capitibus, et in armillam immissus versatur (It. *pirone, spranghetta*; Fr. *pivôt, boulon*; Hisp. *quicio, exe, pernio, gozne*; Germ. *der Kegelzapfen*; Angl. *pivot*). *Vitruv.* 10. 2. 11. *Schneid.* Ferreos cnodaces, uti subscudes in capitibus scaporum implumbavit, et armillas in materia ad cnodaces circumdandos infixit etc. Alii scribunt *chodax*, sed minus recte, inquit *Philander*. — Simile est huic ferreum instrumentum unciuatum, quod infigitur in magnum aliquod pondus, et, immissa fune, ope trochleæ attollitur. Itali vocant *ulivella*, nostri *gripiu*. Scribit *Turneb.* l. 26. c. 2. cnodaces proprie esse stilos ferreos in tornis, qui utrinque materiam, quæ tornatur atque versatur, distinent.

CO

CŌA, æ. *V.* CHUS.

CŌACCĒDO, is, ere, n. 3. (cum et accedo) idem quod accedo, vel simul accedo. *Plaut. Curc.* 2. 3. 65. Pro iis decem coaccedunt minæ.

CŌACCĪDENS, entis, adject. omn. gen. quod simul accidit, sive quod una cum aliis rerum accidentibus coexistit et conjungitur. *Priscian.* 17. p. 1047. *Putsch.* Est tamen et cum substantia et qualitate in ore posita, et cum aliis coaccidentibus additur interrogatio etc.

CŌĂCEO, es, ui, ere, n. 2. *V.* COACESCO.

CŌĂCERVĀTIM, adverb. acervatim. *Apul. Florid.* n. 9. Quæ utinam possem non sigillatim ac discretim, sed cunctim et coacervatim offerre. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. a med. Et si per superna egeritur sine vehementi tussicula, neque coacervatim, sed per partes excluduntur liquida. *Id.* 3. *ibid.* 3. *sub init.* Nunc jugiter nocte atque die, nunc coacervatim, sed interjecto spatio, ut per diem bis vel semel. *Id.* 3. *Acut.* 3. Potum dabimus non coacervatim, sed paullatim.

CŌĂCERVĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et acervo) acervus, cumulus, copia.

I.) Proprie. *Isid.* 15. *Orig.* 16. 7. Agger est media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus strata, ab aggere, id est coacervatione, dicta, quam historici viam militarem dicunt.

II.) Translate. — *a*) De orationis figura. *Cic. Partit. Orat.* 33. 122. Frequentatione argumentorum et coacervatione universa. *Quintil.* 5. *Declamat.* 13. *in fin.* Explicare aliquid coacervatione, cui opponitur per partes. — *b*) Generatim. *Dig.* 2. 1. 11. Coacervatio actionum.

CŌĂCERVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌĂCERVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et acervo). Part. *Coacervans* I.; *Coacervatus* I. et II.; *Coacervandus* I. — Coacervo est in acervum congero, acervo (It. *ammucchiare, rammontare, ammassare*; Fr. *entasser, accumuler, amonceler*; Hisp. *acumular, cumular, amontonar*; Germ. *zusammenhäufen, in Menge über einander häufen oder zusammenbringen*; Angl. *to heap together, heap up, collect into one mass, accumulate, amass*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 27. 71. Cogere et coacervare pecunias. *Id.* 1. *ibid.* 5. 14. Constructa et coacervata pecunia. *Id.* 6. *Verr.* 24. 64. Magnam vim emblematum coacervare. *Id.* 7. *ibid.* 57. 148. Cives R. conjectos in lautumias; indignissimo in loco coacervatam multitudinem civium. *Id. Rosc. Am.* 46. 133. Coacervare aliquid ex multis familiis in una domo. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Coacervata cadavera. *Auct. B. Afr.* 91. Omnibus rebus eo coacervatis. *Liv.* 5. 39. Coacervare cumulos armorum. *Id.* 22. 7. hostium. *Catull.* 64. 359. Bustum coacervatum aggere excelso. *Dig.* 17. 1. 36. Coacervare summas. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 15. Qui parvo tempore multam sibi militiam coacervans. *Mamertin. jun. Gratiar. act.* 20. Studium pecuniæ coacervandæ. — Duriuscula locutio videtur quibusdam in illo *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 66. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, et ceteros horum similes, non modo emere, verum etiam coacervare possis. *h. e.* acervis pecuniæ implere.

II.) Translate. *Cic. Partit. Orat.* 11. 40. Verisimilia, etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen cum sunt coacervata, proficiunt. *Ovid.* 8. *Met.* 485. Per coacervatos pereat domus impia luctus. *Lactant.* 5. 17. Coacervare errores. *Ambros.* 1 *de Jacob et vit. beat.* 5. crimina.

CŌĂCESCO, ăcescis, ăcui, ăcescere, n. 3. *Forcellinus* perfectum coacui deduxit a præs. coaceo, quam formam nullo confirmavit exemplo. — Coacesco est idem quod acesco, vel simul acesco (It. *inacetire*; Fr. *devenir tout à fait aigre, s'aigrir entièrement*; Hisp. *acedarse, avinagrarse*; Germ. *zusammensäuern, versauern*; Angl. *to grow sour, tart, harsh, or stale*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 65. 2. Si est (vinum) ex eo genere uvæ, quod mature coacescat, ante vindemiam consumi oportet. *Cf.* locum *Cic. Senect.* 18. 65. allatum sub. II., et *Dig.* 33. 6. 9. *pr.* *Cels.* 4. 5. *ad fin.* Si coacuit intus cibus, aut computruit. *Id.* 1. 2. *in fin.* Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit.

II.) Translate. *Cic. Senect.* 18. 65. *ad fin.* Ut non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. *Id. fragm. Scaur.* (19. ed. *A. Majo* in *Class. Auct.* T. 2. p. 314.). Quare cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? *h. e.* improbiorem scelestioremque factam fuisse.

CŌACTĒ, adverb. (coactus) Comp. *Coactius* 1. et 2. — Coacte proprie significat coacervatim, per cumulos: sed occurrit translate tantum et ¶ 1. Refertur ad tempus, et ponitur pro brevi tempore, cito. *Gell.* 10. 11. *ad fin.* Cum significandum est, coactius quid factum et festinantius, tum rectius *præmature factum* id dicitur, quam mature. ¶ 2. Refertur etiam ad rationem, qua aliquid verbis aut aliter repræsentatur, et ponitur pro presse, et alicui rei inhærendo. *Gell.* 19. 2. Hos Græci appellant vel ἀκολάστους, vel ἀκρατεῖς: nos eos vel incontinentes dicimus, vel intemperantes. ἀκολάστους enim si interpretari coactius velis, nimis id verbum insolens erit. *h. e.* si velis ad verbum vim Græcæ vocis exprimere. Quidam leg. *coarctius*, hoc est *angustius*. Eadem lectionis varietas est apud *Hieronym.* 1. *in Matth.* 5. — ¶ 3. Denique refertur etiam ad illationes, quæ per vim deducuntur. *Tertull. Baptism.* 12. Alii plane satis coacte injiciunt, tunc Apostolos, etc. Adde *eumd. Anim.* 42. Similiter *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 5. 2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum.

CŌACTĬLĀRĬUS, a, um, adject. *Coactilaria taberna* apud *Capitolin. Pertin.* 3. est in qua coactilia fiunt, et venduntur. Al. tamen leg. *coctilicia*, et intelligunt eam, in qua coctilia ligna venduntur. *V.* COCTILICIUS et COCTILIARIUS. — Hinc

Coactilarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui coactilia conficit. *Inscript.* apud *Gruter.* 648. 4., quæ est apud *Orell.* 4203. M. BALLONIVS M. L. LARISCVS LANARIVS COACTILARIVS CONJVGI CARISSIMAE B. M. FEC. V. *V.* vocem sequent. et COACTOR I. 1.

CŌACTĪLIS, le, adject. qui factus est ex lana non texta, sed coacta, cujusmodi sunt crassiores illi panni, quos Itali ex Græca voce πιλητός, vel πιλωτός paullisper immutata *feltri* appellant, quosque *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (192). describit. *V.* COACTUS in v. COGO. *Edict. Dioclet.* p. 21. Centunculum equestre coactile album, sive nigrum librarum trium ✕ centum. — Hinc

Coactilia, ium, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Ulp. Dig.* 34. 2. 26. Coactilia vesti cedunt.

CŌACTIM, adverb. coacte. *Sidon.* 9. *Ep.* 16. Si quod schedium temere jacens chartulis putribus continebatur, raptim coactimque translator festinus exscripsi. *h. e.* colligendo et simul conjungendo.

CŌACTĬO, ōnis, f. 3. actus cogendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu *coactio* occurrit apud *Veget.* 2. *Veterin.* 9. 1. *Schneid.*, et est in animalibus passionis nomen, ex qua ægritudinum diversa genera nascuntur, ideo sic appellata, quia ab injuria, vel labore, vel ex coactione contingat. Adde *eumd. ibid.* 10. 5. et 15. 5. ¶ 2. Latiori sensu est actus redigendi in compendium *Cajus* 4. *Institut.* 15. Cum ad judicem venerant, antequam apud eum causam perorarent, solebant breviter ei, et quasi per indicem rem exponere: quæ dicebatur causæ collectio, quasi causæ suæ in breve coactio. Similia habet *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 1. *Verr.* 9. 26. p. 164. *Bait.* ¶ 3. Item latiori sensu est actus colligendi. Hinc *coactio argentaria* est munus colligendi pecunias. *Sueton. Vesp.* 1. Coactiones argentarias factitavit. *V.* COACTOR I. 3. — Quidam huc addunt locum *Plauti Asin.* 1. 3. 51. Vetus est, Nihili coactio est. *Sed alii aliter leg.* *V.* COCIO.

II.) Translate est actus cogendi, *h. e.* impellendi. In veteri quodam lapide apud *Gruter.* 337., in quo enumerantur decora cujusdam Diodis agitatoris in ludis Circensibus, dicitur is vicisse semel sexaginta millia nummum novis coactionibus: quod explicat *Panvin. de Lud. Circens.* l. 1. c. 14. novis modis illum populo inusitatos cursus suscipere cogente, v. g. ut sine flagellis curreret, ut non clamaret, ut alienis equis uteretur, etc. At certior est locus *Capell.* 1. p. 14. Quoties deos super ejusdem (*Philologiæ*) coactione conquestos etc. Hæc enim præcedunt p. 9.: crebrius in nos jus habet illa (*Philologia*) deos, urgens in jussa coactos.

CŌACTO, as, are, a. 1. *V.* intensivum a *cogo*, vehementer, vel sæpe cogo. *Lucret.* 6. 1120. Qua graditur, conturbat, et immutare coactat. Adde *eumd. ibid.* 1159.

CŌACTOR, ōris, m. 3. (cogo) qui cogit, hoc est colligit (It. *raccoglitore, esattore*; Fr. *collecteur, receveur*; Hisp. *colector, el que recoge, receptor*; Germ. *der etwas zusammendrängt oder zusammentreibt*; Angl. *a collector*).

I.) Proprie. ¶ 1. *Coactor lanarius* est idem ac coactiliarius. *Inscript.* apud *Gruter.* 648. 3. L. CORNELIVS JANVARIVS LANARIVS COACTOR. ¶ 2. *Tac.* 2. *Hist.* 68. Conclamatum repente, quartamdecimam legionem ad prælium venire: sed erant agminis coactores. *h. e.* qui postremo cogunt, et claudunt agmen.

¶ 3. Coactor dicitur etiam quicumque res, fructus, pecunias, vectigalia, etc. exigit et colligit. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 150. Menses decem ab coactore releget porcos sectarios. *h. e.* a subulco. — *b*) Speciatim coactor dicitur minister publicani mercede conductus, qui vectigalium ac tributorum pecunias exigit et colligit. Hic aliquando ipsa nomina propria pecunia ab ipsis publicanis redimebat, deminuto pretio, ut postea eadem exigens lucraretur. *Cic. Rabir. Post.* 11. 30. Utrum accessionem decumæ, ut nostri facere coactores solent, etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 347. 4. AVRI LVSTRALIS COACTOR. — *c*) Item speciatim qui argentariis inservit in eorum pecuniis colligendis, et in auctionibus pecunias colligit, et res auctione venditas emptoribus addicit. Exemplum habes apud *Cic. Cluent.* 64. 180. Huc pertinet illud *Horatii* de patre suo 1. *Sat.* 6. 86. Si præco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor Mercedes sequerer. *Acron* enim et *Porphyr.* patrem *Horatii* coactorem argentarium fuisse testantur. *Auct. Vitæ Horat.* (*quem quidam* Sueton. *putant*) scribit fuisse *coactorem exactionum. Inscript.* apud *Nibby*, *Viaggio antiquar. T.* 1. p. 58., quæ est apud *Orell.* 2001. M. VLPIO AVG. LIB. MARTIALI COACTORI ARGENTARIO CAESARIS N. VLPIA MARTINA FILIA. Hinc patet Imp. M. Ulpium Trajanum per libertos suos argentariam exercuisse, sin minus Romæ, saltem in municipiis et coloniis; nam hic lapis Vejis repertus est. Cf. aliam *Inscript.* apud *Orell.* 3252. — *d*) Ipsi quoque argentarii pecunias a variis exigentes coactores vocantur. *Scævola Dig.* 4. 7. 40. *ad fin.* Argentarius coactor, cum pæne totam fortunam in nominibus haberet, servis actoribus ita libertatem dedit. — *e*) Etiam collegia, seu corpora negotiatorum suos coactores habuisse constat ex *Inscript.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 11. P. CAECILIVS P. L. EROS COACTOR VINARIVS DE FORO VINARIO. *Corporis vero negotiatorum vinariorum* mentio est in *Inscript.* apud *Gruter.* 626. 6.

II.) Translate coactor est qui cogit, *h. e.* compellit ad aliquid faciendum. *Seneca Ep.* 52. Invenies aliud genus hominum, qui cogi ad rectum compellique possunt: quibus non duce tantum opus sit, sed adjutore, et, ut ita dicam, coactore. *Ex his Senecæ verbis satis colligitur, hac notione hoc verbum in usu non fuisse.*

CŌACTŪRA, æ, f. 1. quod ex aliqua re collectum est. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 3. *de olivitate facienda.* Ut seorsum reponatur uniuscujusque diei coactura.

CŌACTUS, a, um. *V.* COGO.

CŌACTUS, us, m. 4. (cogo). Extra Ablativum casum singularis numeri exempla nondum vidimus: at V. *Capell.* locum in fin. — Coactus est impulsus. *Cic.* 1. *ad Brut.* 17. Quoniam efflagitas, coactu tuo scribam. *Id.* 7. *Verr.* 29. 75. Coactu atque efflagitatu meo. *Cæs.* 5. *B. G.* 27. Coactu civitatis. *Lucret.* 2. 272. ut cum impulsi procedimus ictu, Viribus alterius magnis, magnoque coactu. *Capell.* 8. p. 274. Quamquam auscultare physicis in ipso adstruendi limine non dedigner, qui subtilium corporum teneritudinem suis coactibus circumductam in quasdam tectas vias et circulorum intercapedines non æstimant disparari.

CŌADDO, is, ere, a. 3. (cum *et* addo) addo, vel simul addo. *Cato R. R.* 40. 2. Salicem Græcam discindito, argillam, vel cretam coaddito. Adde *Plaut. Cas.* 3. 1. 4.

CŌADJĬCĬO, is, ere, a. 3. (cum *et* adjicio) simul adjicio. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 2. Coadjicitur in binas urnas ligula cumulata salis. *At* Schneider. *pro coadjicitur, rectius legit* co adjicitur.

CŌADJŪTOR, ōris, m. 3. qui simul adjuvat. Habetur de hac voce exemplum in *Inscript.* apud *Gruter.*, sed *spuria* et *nullius adeo auctoritatis. Alia* tamen opt. notæ legitur apud *Orell.* 3427. PRO SAL. AVGG. MARTI CONSER. P. AEL. RVFINVS COADJVTOR OFF. RAT. (*h. e.* officii rationalium) VOVIT CORNIC. PRAEF. KASTR. LEG. XIII. G. V. L. P. *h. e.* geminæ valentis libens posuit.

CŌADŎLEO, es. *V.* voc. seq.

CŌADŎLESCO, lescis, lēvi, lescere, n. 3. (cum *et* adolesco). Part. *Coadolescens.* — Legitur et *coadulesco. V.* ADOLEO et ADOLESCENS sub init. — Coadolesco est simul adolesco. *Tertull. Anim.* 16. Ut irrationale inoleverit, et coadoleverit in anima. *Id. ibid.* 19. Vis animæ arborum coalescens, et coadolescens robori suo. *Vulgat. interpr.* 4. *Esdr.* 4. 10. Et dixit mihi: Tu quæ tua sunt tecum coadolescentia non potes cognoscere.

CŌĂDŌRO, as, are, a. 1. (cum *et* adoro). Part. *Coadorandus.* — Coadoro est simul adoro. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 4. Christus coadorandus et conglorificandus. *Ambros.* 3. *de Sp. S.* 12. *a med.* Coadoratur in Patre Christus.

CŌĂDŪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum *et* adunatio) actus adunandi. *Imp. Justinian. Cod.* 5. 12. 31. § 2. Et non esse expectandam post singulas æstimationes unam coadunationem totius calculi.

CŌĂDŪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌĂDŪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* aduno). Part. *Coadunatus.* — Coaduno est idem quod aduno. *Ulp. Dig.* 10. 4. 7. Si ansam scypho injunxeris, aut brachium statuæ coadunaveris. *Paul. ibid.* 2. 14. 9. *in fin.* Spectavimus summas plures, quia illæ excedunt in unam summam coadunatæ. *Dictys Cret.* 4. *B. Troj.* 13. Haud prius abire destitit, quam reliquiæ coadunarentur. *Vulgat. interpr. Joel.* 2. 16. Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes. Adde *Aurel. Victor. Vir. illustr.* 1., ubi tamen plerique aliter legunt.

CŌÆDĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌÆDĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* ædifico). Part. *Coædificatus.* — Coædifico idem est ac junctim ædifico. *Cic.* 13. *Att.* 33. 4. Sed casu sermo de urbe augenda. A ponte Milvio Tiberim duci secundum montes Vaticanos; campum Martium coædificari; illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. *Manutius* legendum putabat *totum ædificari*, sed *coædificari* recte se habet; nam hic *Cicero* significat, Cæsarem habuisse in animo veterem campum Martium urbi adjungere, et novum veteri contiguum, æquata inter Tiberium et montes Vaticanos planitie, ædificare, ubi populus centuriata comitia habere posset, hæc enim extra pomœrium fieri debebant. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 53. 119. *Id. Partit. orat.* 10. 36. Loci culti, an inculti, celebres an deserti, coædificati an vasti. Adde *Vulgat. interpr. Ephes.* 2. 22.

CŌÆGRESCO, is, ere, n. 3. (cum *et* ægresco) simul ægresco. *Tertull. Anim.* 5. Corpus compatitur animæ, cui afflictæ cura, angore, amore coægrescit. *Al. leg.* cohærescit.

CŌÆGRŌTO, as, are, (cum et ægroto) simul cum alio ægroto. *Hieronym.* vertens locum *Theophrast.* 1. *advers. Jovinian. n.* 47. Si ipsa (*uxor*) langueris, coægrotandum est.

CŌÆQUĀLIS, e, adject. (cum et æqualis) idem quod æqualis. *Petron. Satyr.* 136. Sinciput coæquale natalium suorum. *h. e.* ejusdem ætatis. Similiter *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 1. 1. Iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem. — Hinc

Coæquales, ium, m. plur. 3. absolute. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 8. Anser ubi se paullum confirmavit, in gregem coæqualium compellitur. *Justin.* 23. 4. 9. In ludo inter coæquales discens. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 4407.

CŌÆQUĀLĬTAS, ātis, f. 3. (cum et æqualitas) idem fere quod æqualitas. *Modestin. Dig.* 27. 1. 8. Coæqualitas honorum militiæ fortior videtur privilegio, quod etc.

CŌÆQUĀLĬTER, adverb. (cum et æqualiter) idem fere quod æqualiter. *Boeth. in Porphyr.* 5. *p.* 105. Propositarum numero rerum si unum dempseris, atque id, quod dempto uno relinquitur, in totam summam numeri multiplicaveris, dimidium ejus, quod ex multiplicatione factum est, erit coæqualiter et pluralitati, quam propositarum rerum differentiæ continebant.

CŌÆQUĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌÆQUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* æquo). Part. *Coæquatus* II. 1. et *Coæquandus* II. 2. — Coæquare est æquum, æqualem facere (It. *uguagliare, spianare*; Fr. *rendre égal, aplanir, égaliser, niveler*; Hisp. *igualar, allanar*; Germ. *gleich mit etwas Anderem machen*; Angl. *to make equal or even, to level, equalize*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 129. Cylindro, aut paviculа coæquare aream. Adde *eumd. ibid.* 91. *Sall. Cat.* 20. Exstruere mare, coæquare montes. *Colum.* 3. *R. R.* 16. 1. Coæquare pastinatum. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 17. 4., 4. *ibid.* 4. 2. et 11. *ibid.* 3. 48.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 13.

II.) Translate. ¶ 1. Coæquare est omne prorsus inter plura discrimen auferre. *Cic.* 5. *Verr.* 41. 95. Tu sic ordinem senatorium despexisti: sic ad injurias libidinesque tuas omnia coæquasti. *Sallust. orat.* 2. ad *Cæs. de rep. ordin.* 8. Coæquari gratiam omnium difficile est. *Id.* 2. *ibid.* 11. Ita coæquati dignitate, pecunia, virtute, anteire alius alium properabit. ¶ 2. Item coæquare est verbis componere, seu comparare. *Lactant. de ira Dei* 7. Coæquare aliquem cum aliquo. *Hieronym. in Isaj.* 5. 17. 14. Quarum gentium tantus impetus fuit, ut maris fluctibus coæquandus sit.

CŌÆQUUS, a, um, adject. (cum *et* æquus) idem quod æquus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (162). Mirum dictu, ex innumeris populis pars coæqua in commerciis, aut latrociniis degit. *h. e.* altera pars commerciis, altera latrociniis dedita est. *Ita antiq.* Edit. A. 1470. et 1472. *Aliæ habent* pars æqua, *quam lectionem retinuit et* Sillig.

CŌÆSTĬMO, as, are, a. 1. (cum et æstimo) idem quod æstimo, vel simul æstimo. *Cels. Dig.* 47. 2. 67. § 7. Furti actione hoc quoque coæstimabitur. Ita *Torrentin.* At *Haloander* habet *æstimabitur.*

CŌÆTĀNEO, as, are, n. 1. (cum *et* ætas) coætaneus sum. *Tertull. Resurr. carn.* 45. Contemporant fœtu, coætaneant natu. *Al. rectius leg.* coætant.

CŌÆTĀNEUS, a, um, adject. (cum et ætas) qui ejusdem est ætatis, æqualis, coævus. *Porc. Latro declam. in Catil.* 2. Scipioni coætaneo suo. *Apul.* 8. *Met.* Amicus, coætaneus, contubernalis. *Tertull. advers. Hermog.* 6. Cui materia coætanea est. *Vulgat. interpr. ad Gal.* 1. 14. Proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos.

CŌÆTERNUS, a, um, adject. (cum *et* æternus) simul et æque æternus. *Tertull. advers. Hermog.* 11.; *Hieronym. Ep.* 16. *n.* 4.; *Augustin. Serm.* 38. *de verb. Dom.* 7.; et *Boeth. de consol. Philos.* 5. *pros.* 6.

CŌÆTO. *V.* COÆTANEO.

CŌÆVUS, a, um, adject. (cum *et* ævum) qui est ejusdem ævi, coætaneus, æqualis. *Augustin. Serm.* 38. *de verb. Dom.* 7. et *Prudent.* 12. *Cathemer. de Epiph.* 137. Addebant quidam locum *Cic. Vatin.* 13. 32., sed ibi pro coævos legendum esse coquos, jampridem viri docti adnotarunt.

CŌAGGĔRATUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌAGGĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* aggero). Part. *Coaggeratus.* — Coaggero est aggerando obruo, tego. *Colum.* 8. *R. R.* 6. 1. Ova quidam paleis, aut furfuribus obruunt, nonnulli faba fresa coaggerant. *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 273. Agger est media viæ eminentia coaggeratis lapidibus strata. Hinc sumpsit *Isid.* 15. *Orig.* 16. 7., cujus verba *V.* in COACERVATIO I.

CŌĂGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus coagitandi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Anima calescit coagitatione pulmonum. *Victor.*, *Gruter.* et alii minus recte leg. *contagione*: quamquam *coagitatio* vix Ciceronis ævo usitata fuisse vox videtur: hinc *Heindorfius* legit *concitatione*; et *Orellius* retinuit contagione.

CŌĂGĬTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌĂGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* agito). Part. *Coagitatus.* — Coagito est agito, vel simul agito. *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Fel melle optimo mixtum, et diu coagitatum. Adde *Apic.* 2. 1. et 4. 3. *Theod. Priscian.* 4. *a med.* Lomentum fabacium cerne, et acetum simul immixtum et diligenter coagitatum.

CŌAGMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. (coagmento) connexio, conjunctio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 119. Copulatio rerum, et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ. *Id.* 1. *ibid.* 8. 20. Coagmentatio dissolubilis. *Id. Tim.* 5. 14. Omnis coagmentatio corporis vel calore, vel frigore labefactatur, et frangitur. *Vitruv.* 2. 9. 11. *Schneid.* Ulmus et fraxinus in commissuris et coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (172). In construendis parietibus alternas coagmentationes facere.

CŌAGMENTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌAGMENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* ago). Part. *Coagmentatus* I. et II.; *Coagmentandus* II. — Coagmento est conjungo, compono (It. *connettere, congiungere*; Fr. *assembler, réunir*; Hisp. *juntar, unir, agregar*; Germ. *zusammenfügen, verbinden, oder zusammenleimen*; Angl. *to join or glue together, to patch up, cement, fasten together, connect*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 20. 71. Opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvit. *Id.* 3. *Fin.* 22. 74. Quid in operibus manu factis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inve-

niri potest? *Id.* 1. *Tusc.* 20. 71. Nihil est in animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 8. Coagmentare fissuras. *Curt.* 4. 7. 23. *de signo Jovis.* Umbilico maxime similis est habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus. *h. e.* compactus, compositus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (111). Allium pluribus coagmentatur nucleis. Adde *Vitruv.* 8. 6. 8. *Schneid.*

II.) Translate. *Cic. Brut.* 17. 68. Verba compone et quasi coagmenta. *Id. Orat.* 23. 77. Verba verbis quasi coagmentare. *Id.* 3. *Orat.* 43. 171. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et lævis. Cf. *Quintil.* 8. 6. 63. *Id. Quintil.* 12. 10. 77. Verbis perpendendis et coagmentandis. Rursus *Cic.* 7. *Phil.* 8. 21. Coagmentare pacem.

CŌAGMENTUM, i, n. 2. (cum *et* ago). Occurrit in plurali numero tantum, et est compositio, colligatio, constructio, connexio. Coagmenta, inquit *Non.* p. 42. 20. *Merc.*, sunt conjunctiones arctæ et compares, a cogendo, idest stringendo (It. *connessione*, *concatenazione*, *congiungimento*; Fr. *assemblage*, *jointure*, *réunion*; Hisp. *trabazon*, *juntura*, *reunion*; Germ. *der Ort, wo etwas zusammengefügt wird*, *die Fuge*; Angl. *a fastening or joining of things together*, *a cementiq*, *connecting*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 18. Orbem olearium punicanis coagmentis facito. *Plaut. Most.* 3. 2. 144. Viden' coagmenta in foribus? specta, quam arcte dormiunt! *Cæs.* 3. *B. G.* 105. Palma inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitit. *Vitruv.* 8. 7. 8. *Schneid.* Coagmenta tabulorum calce viva ex oleo subacta sunt illinenda. Adde *eumd.* 2. 3. 4., 2. 8. 3., 4. 4. 4., 5. 10. 3. et 7. 1. 4.; et *Val. Max.* 1. 6. 12.

II.) Figurate. *Gell.* 17. 9. Litteræ singulariæ sine coagmentis syllabarum.

COAGNITUS, a, um, adject. simul agnitus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 79.

CŌĀGŪLĀRE, is, n. 3. subaudi *intestinum*, proprie enim est adjectivum, quod substantivorum more occurrit. *Veget.* 2. *Veterin.* 16. 1. *Schneid.* Intolerabilem dolorem intestinis inferunt lumbrici, vermes et tineolæ, quas alii pediculos appellant. Nam coagulare et aqualiculum intus erodunt et vulnera faciunt. *Id. ibid.* 17. 1. Sed quia pestes ipsæ sæpius ad coagulare se conferunt, et potio, quæ per os data, ad loca ubi morantur, rarius pervenit, ideo etiam per anum adhibenda sunt clysteria. *Id.* 6. *ibid.* 10. 3. Postero die idem animal pronum constituatur in clivo, et per clysterem intestino illius tepidæ potionis sextarius ingeratur, quatenus alternis diebus ex utraque parte injecta potio coagulare, quod appellatur, possit infundere, in quo illæ noxiæ bestiolæ congregantur, et pertuso ventriculo excruciata doloribus animalia perimunt. — Jam vero ad hanc vocem illustrandam hæc adnotavit *Schneiderus* ad *Veget.* locum, quem omnium primum citavimus. *Sambuci* Codex pro *Nam coagulare et aqualiculum* habet *Namque gulam et aqualiculum.* Sed si de bobus etiam intelligi voluit *Vegetius*, tum *coagulare* est ἤνυστρον, in quo lac coagulatur, ventriculi conclave quartum. Nam cap. 17. recte *Sambuci* Codex *coagulare* habet pro *coagula.* *Platnerus* a *Gesnero* consultus putabat, esse coagulare vel ipsum colon, vel ejus principium, cæcum intestinum, quoniam ultra has partes clysmata non adscendunt. Libro 6. 10. 3. pro *coagulare Sambuci* liber habet *longanonem.*

CŌĀGŪLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus coagulandi. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 18. (30). et 24. *ibid.* 10. 45. (158). Coagulatio lactis. *Theod. Priscian.* l. 2. p. 2. c. 7. Et si identidem, humoribus multum solutis, fluxus sputorum inquietudinem et vigilias procurabit, tunc ad eorum coagulationem vel digestionem succum ptisanæ vel alicæ dabo.

CŌĀGŪLĀTUS, a, um. *V.* vocem seq.

CŌĀGŪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* ago). Part. *Coagulatus.* — Coagulo est cogo, constringo, denso, spisso: et dicitur de liquidis, quæ coeundo solidantur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (123). Summa probatio balsami est, ut lac coagulet, in veste maculas non faciat. *Id.* 20. *ibid.* 23. 97. (259). Cannabis aquæ infusa coagulare eam dicitur. *Id.* 20. *ibid.* 14. 53. (147). Lac coagulatum. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (186). Sudor quidam coagulatus in spumam. *Id.* 16. *ibid.* 11. 22. (53). Coagulata pix. *At Sillig. rectius legit* spissatur ut coagulo. *Pallad.* 6. *R. R.* 9. 1. Coagulare caseum. — Et verborum mediorum significatione, hoc est sine Accus. *Theod. Priscian.* 1. 19. Olivarum amurcam coques primum igne fortiore ad primam mundationem; secundo et tertio molli vapore, quo pinguescere possit. Cum vero coagulaverit, reponis in vas mundum; et cum frigescere cœperit, linteola infusa loco percusso apponimus.

CŌĀGŬLUM, i, n. 2. (coagulo, cum *et* ago, *h. e.* a *coagendo*, seu cogendo, hoc est constringendo, ut *Non.* p. 28. 23. *Merc.* docet) id quod cogendo, seu constringendo et connectendo inservit; occurrit autem

I.) Proprie in artibus tantum, et ponitur ¶ 1. De liquidis, quæ chemica ope densantur ac spissantur. — a) Generatim. *Gell.* 17. 8. *ad fin.* Causa oleo coaguli celerioris in levitate est. *Id.* 3. 16. *ad fin.* Dies, quibus conceptum in utero coagulum (*virilis seminis*) conformatur. — b) Speciatim ac sæpius significat id quod adhibetur ad lac densandum, ut ventriculus lactentis hædi, agni etc. (It. *presame*, *gaglio*, *coagulo*; Fr. *présure*, *ce qui coagule*, *coagulum*; Hisp. *cuajo*; Germ. *das Lab*; Angl. *a calf's maw or ruen*, *cheese-lope*, *earning*). *Varro* 2. *R. R.* 11. 4. In lactis duos congios addunt coagulum magnitudine oleæ, ut coeat: quod melius leporinum et hædinum, quam agninum. Alii pro coagulo addunt de fici ramo lac et acetum. *Ovid.* 4. *Fast.* 545. Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte. *Id.* 13. *Met.* 829. Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda Servatur: partem liquefacta coagula durant. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 274.; *Colum.* 7. *R. R.* 8. 1. et 12. *ibid.* 8. 1.; et *Calpurn.* 3. *Ecl.* 69. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (117). Fici succus coaguli modo lac contrahit. *Id.* 11. *ibid.* 41. 96. (237). Lacte asinæ coaguli vice utuntur. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 32. 50. (118). et 28. *ibid.* 10. 45. (162). ¶ 2. *Coagulum* quoque appellatur ipsum lac coagulatum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 45. (158). Si coagulum alicui nocuerit.

II.) Figurate *coagulum* dicitur quidquid conjungit et colligat. *Varro* apud *Non.* p. 28. 23. *Merc. de vino.* Hoc hilaritatis dulce seminarium, Hoc continet coagulum convivia. *Publius Syrus* v. 27. Amicitiæ coagulum unicum est fides. *Gell.* 12. 1. *ad fin.* Vinculum illud coagulumque animi atque amoris. *Ammian.* 29. 2. Palladius ille, coagulum omnium ærumnarum. *h. e.* qui omnes ærumnas secum quodammodo trahit, omnium malorum causa.

CŌĂLESCO, alescis, alui, alitum, alescere, n. 3. *verbum inchoativum* a *cum* et *alo.* Part. *Coalescens* II.; *Coalitus* I. et II. — Participium præteritum passivum vulgari tantum sermone usurpatum initio statim videtur; ideoque solummodo apud serioris ævi scriptores occurrit. — Coalesco est simul alesco, concresco, coeundo sive conjuncte cresco (It. *crescere assieme*, *congiungersi crescendo*; Fr. *croître ensemble*, *croître et s'unir*, *faire corps*; Hisp. *crecer juntos*, *creciendo unirse*; Germ. *mit irgend etwas zusammen gross werden oder zusammenwachsen*, *sich wachsend oder zunehmend verbinden*; Angl. *to grow together*, *coalesce*, *unite*, *grow to*, *attach itself to*).

I.) Proprie occurrit de inanimis omnibus, quæ natura sua crescendo cum aliis coeunt et conjunguntur. *Lucret.* 6. 1066. Saxa vides primum sola coalescere calce. *Ubi tamen alii leg.* coolescere, *ut sit ab* olesco *cresco*: *V.* OLESCO. Adde *eumd.* *Lucret.* 2. 1061., ubi eadem est lectionis varietas. *Vitruv.* 7. 11. 1. *Schneid.* Ita æs et ea arena ab ignis vehementia confervescendo, una coaluerint inter se dando et accipiendo sudores etc. Ita *Schneiderus* ex conjectura: vulgati libri leg. *coaruerint.* *Varro* 1. *R. R.* 41. 2. Ne prius exarescat surculus, quam coalescat. *Sall. Jug.* 98. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa. *Ovid.* 2. *Art. am.* 649. Dum novus in viridi coalescit cortice ramus. *Colum. Arbor.* 27. 3. Sic interposito triennio coalescit firus olivæ. *Id.* 2. *R. R.* 18. 5. Impetus aquarum proluit terram, nudatisque radicibus gramina non patitur coalescere. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 6. 4., 3. *ibid.* 5. 2. et 3. *ibid.* 18. 6.; et *Sueton.* *Aug.* 92. *Cajus Dig.* 41. 1. 9. pr. Plantæ, quæ terra coalescunt, solo cedunt. Adde *eumd. ibid. fragm.* 7. § 13. et *fragm.* 26. § 12., et 2. *Instit.* 74. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 76. (166). A partu coalescit vulnus. *h. e.* coit. *Id.* 11. *ibid.* 37. 57. (157). Cilium vulnere aliquo diductum non coalescit. *Gell.* 17. 8. Vinum idcirco minus cito coalescit, semina quædam caloris in se habet. *h. e.* congelatur. *Id.* 12. 1. Nihil interesse putat, cujus in corpore cujusque ex sanguine concretus homo et coalitus sit. *Apul. Dogm. Plat.* 1. p. 171. 38. Sphærarum ingenium ex igne coalitum et fabricatum. *Ulp. Dig.* 39. 2. 9. Nec arbor potest vindicari a te ea, quæ translata in agrum meum cum terra mea coaluerit. *Id. ibid.* 9. 51. 76. Si crusta non coaluerit, nec unitatem cum terra mea fecerit. Huc referri potest et illud *Quintil.* 18. *Declam.* 9. Infantia coalescit (*h. e.* roboratur et crescit), pueritias consurgit.

II.) Translate est uniri, jungi, convenire: et occurrit — a) Præcipue de hominum multitudine ac populis, qui conjunguntur et simul invalescunt. *Sall. Cat.* 6. Hi (*Trojani atque Aborigenes*) postquam in una mœnia convenere —, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Adde *eumd.* *Jug.* 87. *Id. orat.* 2. *ad Cæs. de rep. ordin.* Concordia inter veteres et novos coalescit. *Liv.* 1. 8. Quæ (*multitudo*) coalescere in populi unius corpus nulla re, præter quam legibus, poterat. *Id.* 2. 48. Ut cum patribus coalescerent animi plebis. *Id.* 23. 35. Tanta concordia coaluerant animi. Adde *eumd.* 1. 2. et 11., 2. 48., 23. 45., 26. 40. et 29. 31. *Vellej.* 2. 90. 1. Bellis civilibus sepultis coalescentibusque reipublicæ membris, quæ longa annorum series laceraverat. *Id. ibid.* 48. 5. Coalescentis pacis conditiones. *Tac.* 11. *Ann.* 24. Ut non modo singuli viritim, sed terræ, gentes in nomen nostrum coalescerent. *Id.* 3. *ibid.* 38. Coalescere in atrox bellum. *Id.* 6. *ibid.* 44. animo ad obsequium. *Id.* 2. *Hist.* 7. Victores victosque numquam solida fide coalescere. *Id.* 2. *ibid.* 37. Neque exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere. — b) Generatim. *Lucan.* 10. 79. partesque fugatas passus coalescere. *Quintil.* 2. 9. 3. Eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia. *Tac.* 1. *Hist.* 21. Dum Galbæ auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. *Id.* 3. *ibid.* 53. Culpam in Mucianum conferre, cujus criminationibus coaluissent pericula sua. *Plerique leg.* eviluissent: at cf. *Cod. Theod.* 14. 15. 6. et *Cod.* 1. 17. 2. § 6. Rursus *Tac.* 13. *Ann.* 26. Coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse etc. *Id.* 14. *ibid.* 1. Vetustate imperii coalita audacia. *Id.* 4. *Hist.* 55. Coalita libertate. — c) Speciatim de verbis. *Quintil.* 1. 5. 65. Compositæ (*voces*) e duobus quasi corporibus coalescunt, ut *maleficus.* et *ibid.* 7. 26. Vocales, quæ in unum sonum coalescunt et confunduntur.

CŌĂLĬTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CŌĂLĬTUS, us, m. 4. *Arnob.* 4. 33. Quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli. *h. e.* consortio, commercio, societate. *Orellius* ad h. l.: Substantivi *coalitus*, us, unum nostrum exemplum citatur in Lexicis. Hinc *Elmenhorstius* et alii reponebant cœtu. Sed *Orellii* lectionem confirmat *Ambros.* 5. *Hexaemer.* 21. Ergo mediis castrorum vallibus humor ille roris infunditur, paullatimque processu temporis in mella cogitur, cum fuerit liquidus ab exordio, et coalitu ceræ florumque odore fragrare mellis incipit suavitatem.

CŌALLŬO, is, ere, a. 3. idem quod alluo, vel simul alluo. Affertur locus *Pomponii* *Dig.* 41. 1. 30., ubi *Torrentin.* et *Haloander* pro *coalluendo* habent *colluendo.*

CŌĂLO, is, ere, a. 3. (cum *et* alo). Part. *Coalendus.* — Coalo est simul alo. *Hieronym.* 1. *in Jovinian.* n. 36. Receptacula vulvæ ad suscipiendos, et coalendos fetus condita. — Præter. perf. *coalui*, quod huc retulit *Forcellinus*, *V.* in COALESCO.

CŌALTERCOR, āris, ari, dep. 1. (cum *et* altercor) simul, vel invicem altercor. *Boeth.* *Aristot. Elench. sophist.* 1. 3. p. 734. Primum igitur sumendum est, quot conjectant, qui in orationibus decertant et coaltercantur.

CŌĂMĀTOR, ōris, m. 3. qui simul cum alio amat. *Cæcil.* apud *Non.* 2. 447. *edit. vet.* Libera essem jamdiu, si habuissem ingenio istoc coamatores mihi. *Sed videtur esse mendum, ex præcedentis vocis terminatione ortum; ideoque Mercerus recte legit* amatores.

CŌAMBŬLO, as, are, n. 1. Part. *Coambulans.* — Coambulo est simul ambulo. *Claud. Mamert.* 1. *de statu Anim.* 3. Numquid si quisquam dicat: Ambulat ille, et ille coambulat; aut loquitur ille, et ille colloquitur: nonne et colloquentem loqui, et coambulantem ambulare significat? *Vulgat. interpr. Sap.* 19.

20. Flammæ e contrario corruptibilium animalium non veraverunt carnes coambulantium.

CŎĂMĪCUS, *i*, m. 2. idem quod amicus. Legitur a quibusdam in *carm. Vet. Poetæ* apud *Cic. Amic.* 26. 99. ex aliquot MSS.; sed alii plerique, inter quos *Orellius*, cum emendatis libb. *comicus*.

CŎANGUSTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŎANGUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et angusto). Part. *Coangustatus* I. — Veteres dixerunt et *conangustatus*, teste *Paul. Diac.* p. 65. 8. *Müll.* — Coangustare est in angustum redigere, coarctare (It. *ristringere*, *ridurre in istretto*; Fr. *rétrécir*, *resserrer*, *presser*; Hisp. *angostar*, *recoger*; Germ. *zusammenzwängen*, *in die Enge zusammenziehen*, *einengen*; Angl. *to straiten*, *narrow*, *contract*, *confine*).

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 16. 15. Ut apes coangustent (*alvos*), ne in vasto despondeant animum. *Pontedera ex Cod.* legit *conangustent*. *Cels.* 7. 27. *in fin.* Quo facilius fistula claudatur, vel certe coangustetur. *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. § 5. Coangustare ædium aditum. *Id.* 43. 12. 1. § 15. aquam. — Passive occurrit de personis, quæ in arctum rediguntur. *Auct. B. Hisp.* 5. Dum cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur. *Id. ibid.* Milites ripis appropinquantes, coangustati præcipitabantur. *Aurel. Vict. Epit.* 42. Nec multo post apud Lugdunum coangustatus, gladio transfosso latere expiravit.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 32. Hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. *Dig.* 50. 16. 120. Coangustare aliquid interpretatione.

CŎĂPOSTŎLUS, i, m. 2. qui simul cum alio apostolus est. *Cassiod. Complex.* ad 2. *Petr.* 10. Laudat fratrem et coapostolum suum. *scil.* Paulum.

CŎAPTĀTĬO, ōnis, f. 3. apta conjunctio. *Augustin.* 4. *Trinit.* 2. In omni compaginatione, vel, si melius dicitur, coaptatione creaturæ. Hanc enim coaptationem (sic mihi nunc occurrit) dicere volui, quam Græci ἁρμονίαν vocant. Adde *eumd.* 22. *Civ. Dei* 24. *a med.*, et *Boeth.* 1. *Music.* 41. *a med.*

CŎAPTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŎAPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et apto). Part. *Coaptans* occurrit apud *Alcim. Ep.* 2.; *Coaptatus* I. — Coapto ¶ 1. Generatim est aptum reddo. *Augustin. Ep.* 23. *sub fin.* Coaptabitur veritati. *Id.* 22. *Civ. Dei* 24. *a med.* Mensuræ, quibus inter se cuncta connexa sunt et coaptata. *Id.* 1. *Doctr. Christ.* 14. Ligaturam similem membris similibus coaptare. Adde *Prudent. Psychom.* 557. ¶ 2. Item est matrimonio jungere. *Capell.* 1. p. 3. Eam in Palladis injuriam non placuit (*Mercurio*) coaptari. *h. e.* matrimonio jungere. *Koppius* contra *Goezium* hanc lectionem ex optimis codicibus recte defendit.

CŎAPTUS, a, um, adject. aptus, accommodatus. *Capell.* 2. p. 35. Nisi hæc, quibus plenum pectus geris, coaptissima egestione vomueris. *Alii rectius leg.* coartissima. *V.* COGO in fin.

CŎARCTĀTĬO *vel rectius* coartatio, ōnis, f. 3. (cum et artatio). Coarctatio est actus coarctandi; cui *laxatio* recta opponitur, ut apud *Vitruv.* 9. 8. 6. *Schneid.* Laxatio earum, aut coarctatio efficit aut vehementem, aut lenem aquæ cursum. *Auct. B. Alexandr.* 74. Cæsar irridebat eo loco militum coarctationem. *Liv.* 27. 46. Coarctatio plurium in angusto tendentium facilior futura erat.

CŎARCTĀTUS *vel rectius* coartatus, a, um. *V.* COARCTO.

COARCTĒ. *V.* COACTE.

CŎARCTO *vel rectius* coarto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et arto). De scribendi ratione *V.* ARTO, as. — Part. *Coarctatus* I.; *Coarctandus* II. 1. et 2. — Coarcto est in arctum redigo, coangusto; eique *laxare* vel *dilatare* recta opponuntur (It. *ridurre in istretto*, *ristringere*; Fr. *serrer*, *presser*, *resserrer*, *rétrécir*; Hisp. *angostar*, *recoger*, *reducir*, *estrechar*; Germ. *zusammendrängen*, *zusammenzwängen*, *ins Enge zusammenziehen*; Angl. *to straiten*, *press together into a small compass*, *compress*).

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Att.* 10. Cnæus noster, quid consilii capiat, nescio, adhuc in oppidis coarctatus. *Liv.* 28. 5. Coarctare iter. *Id.* 33. 6. Itinera coarctata maceriis. Cf. *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. § 25. Via coarctata. *Val. Max.* 9. 7. Sudario os et fauces coarctare. *Petron. Satyr.* 98. Araneis oleo madentibus vulnus coarctare. *Tac. dial. de Orat.* 39. forum. *Sueton. Aug.* 30. alveum Tiberis. *Frontin. Aquæd.* 35. Coarctare, vel laxare formulas modulorum. *Colum.* 2. *R. R.* 19. 2. Coarctare fenum in struem. *Id.* 8. *ibid.* 7. 1. Gallinæ in caveis ita coarctatæ, ne versari possint. *Id.* 2. *ibid.* 2. 9. Fossa latius aperta summa parte declivis, et ad solum coarctata.

II.) Translate occurrit ¶ 1. De tempore, et est brevius facere. *Ovid.* 5. *Fast.* 546. noxque coarctat iter. *Liv.* 45. 17. Tempora censuræ coarctanda. *Val. Max.* 4. 1. 3. Coarctare tempus potestatis censoriæ. Adde *Sueton. Aug.* 34. *in fin.* et *Cajum* 2. *Instit.* 170. *Tac.* 2. *Hist.* 71. Coarctati consulatus. *h. e.* ad brevius tempus redacti. ¶ 2. De oratione, et est compingere breviterque dicere. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 163. Ut hæc, quæ coarctavit, et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet. *Plin.* 1. *Ep.* 20. Coarctare plura in unum librum. ¶ 3. Morali ratione significat cogere. *Paul. Dig.* 18. 1. 57. Coarctandus est emptor venditionem adimplere. *Cod. Theod.* 2. 29. 2. Coarctare aliquem ad solutionem debiti.

CŎĀRRO *vel*

CŎĀRESCO, ārescis, ārui, ārescere, n. 3. (cum et aresco) aresco, vel simul aresco. *Vitruv.* 7. 11. 1. *Schneid.* Æs, et ea arena ab ignis vehementia confervescendo cum coaruerint. *At Schneid. legit* coaluerint. *V.* COALESCO. I.

CŎARGŬO, is, ui, ere, a. 3. (cum et arguo). Part. *Coarguendus* sub *B.* — Coarguo est idem quod arguo, vel simul arguo, ostendo, demonstro rem aliter esse ac videtur aut putatur, demonstro rem esse malam et improbandam, ut patet ex *Quintil.* 4. 2. 106. Sermo aversus a judice et brevius indicat interim et coarguit magis. *V.* ARGUO. — Occurrit autem *A*) Cum Accusativo personæ, et *B*) Cum Accusativo rei.

A) Cum Accusativo personæ coarguere est improbare, demonstrare aliquem reum esse; et usurpatur — *a*) Absolute. *Cic. Flacc.* 5. 11. Græcus testis - vinci, refelli, coargui putat esse turpissimum. *Id.* 6. *Verr.* 47. 104. Omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus. *h. e.* ostenditur, probatur esse reus. Adde *eumd. Mil.* 14. 36.; *Sueton. Tib.* 25.; et *Quintil.* 5. 13. 38. *Liv.* 26. 27. Coarguere aliquem coram. — *b*) Addito Genitivo rei vel criminis, cujus quis coarguitur, vel reus esse probatur. *Cic.* 7. *Verr.* 59. 152. Coarguere aliquem avaritiæ nimiæ. *Id. Sull.* 15. 44. aliquem commutati judicii. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 71. (187). sceleris alicujus. *Tac.* 13. *Ann.* 20. facinoris. — *c*) Addito Ablativo. *Cic.* 6. *Verr.* 47. 104. Coarguere aliquem criminibus. *Id. Cluent.* 14. 41. literis. *Sall. Cat.* 47. sermonibus, quos habere solitus esset. *Liv.* 39. 28. decreto.

B) Cum Accusativo rei coarguere est demonstrare aliquid, præter aliorum opinionem, falsum esse, et vituperatione ac pœna dignum: et usurpatur — *a*) Absolute. *Cic. Mur.* 4. 9. Sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit. *Id.* 3. *Fam.* 8. 7. Non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. Coarguere errorem alicujus. *Id. Ligar.* 5. 16. Refellere et coarguere mendacium alicujus. *Id.* 9. *Att.* 6. 2. culpam suam. *Id.* 2. *Invent.* 46. 137. aliquod aliis quoque constitutionibus factum. *Nepos Epamin.* 6. Lacedæmoniorum tyrannidem. *Ovid.* 11. *Met.* 193. Obruta verba refert, dominique coarguit aures. *h. e.* manifestat, pervulgat. *Liv.* 34. 6. Nullam (*legem*) abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis rei publicæ inutilem fecit. *Id.* 31. 26. Coarguere aliquid. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (130). Quidam brevitate radicum celerius senescere arbores putant: quod coarguunt ficī, quarum radices longissimæ et senectus ocissima. *h. e.* falsum esse ostendunt. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (119). Balsami fructus adulteratur Petræo hyperico: quod coarguitur magnitudine, inanitate etc. *h. e.* deprehenditur. *Seneca Tranquill.* 12. *a med.* Cujus vanitatem capta mens non coarguit. *h. e.* non detegit, non deprehendit. *Quintil.* 2. 6. 3. Coarguere vitia. *Sueton. Domit.* 15. Ad coarguendam temeritatem artis. *Tac.* 3. *Ann.* 12. Coarguere iniquitatem. *Dig.* 34. 9. 5. § 14. secundas tabulas, vel codicillos. — *b*) Addito Ablativo modi, quo aliquid coarguimus. *Cic. Rosc. Am.* 30. 83. Certum crimen multis suspicionibus coarguitur. *Id.* 2. *Herenn.* 5. 8. Coarguere rem aliquam certioribus argumentis. *Orellius* tamen non *rem*, sed *reum* legit. *Id.* 1. *leg. Agr.* 6. 17. aliquid suspicionibus et conjectura. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Auct. B. Alex.* 68. Cæsar, cum defensionem ejus nullam posse excusationem ejus imprudentiæ recipere coarguisset. Adde *Quintil.* 4. 2. 4.

CŎARGŪTĬO, ōnis, f. 3. actus coarguendi. *Hieronym. Ep.* 41. n. 4. Hæc sunt, quæ coargutione non indigent (*h. e.* demonstratione); perfidiam eorum exposuisse, superasse est.

CŎARMATUS, a, um. *V.* COARMO.

CŎARMĬO, ōnis, m. 3. (cum et arma). *Forcellinus* exhibet et aliam formam *coarmius*, *ii*. — Coarmio est qui iisdem armis instructus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 334. 4., quæ est apud *Orell.* 2571. FLAMMA SECutor VIX. AN. XXX., PVGNAT XXXIIII., VICIT XXI. STANS VIIII. (*h. e.* stetit, anceps victoria) MISSUS IIII. NATione SRVS, *h. e.* Syracusanus. (At *Henzen.* rectius interpretatur *Syrus*). HVIC DELICATVS COARMIO MERENTI FECIT.

COARMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et armo). Part. *Coarmans* et *Coarmatus*. — Coarmo est simul armo: sed occurrit translate tantum. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 45. Ille sacratissimus homo orationibus milites coarmavit et alios urbis habitatores. *Id.* 7. *ibid.* 40. *a med.* Semetipsos patrum rationibus coarmantes. *Id.* 7. *ibid.* 46. *ad fin.* Hi rabie coarmati blasphemiæ.

CŎARTĀTĬO, ōnis. *V.* COARCTATIO.

CŎARTĀTUS, a, um, et } *V.* COARCTO.
CŎARTO, as }

CŎARTĬCULO, as, are, a. 1. (cum et articulo). *Arnob.* 1. 52. Coarticulare ora mutorum in officium sermonis dandi. *h. e.* solvere, et facere, ut articulate loquantur.

CŎASPERNANS, antis, particip. ab inusit. coasperno, aspernans, rejiciens, recusans. *Tac.* 1. *Hist.* 5. Coaspernantes veterem disciplinam. *Al. rectius leg.* aspernantes.

CŎASSĀTĬO *vel* coaxatio, ōnis, f. 3. De scribendi ratione *V.* voc. seq. sub init. — Coassatio est coassandi actus. Si fiat ex asseribus seu tigillis, est eorum contextus supra trabium contignationem, ad excipiendas tabulas: si fiat ex tabulis, est contabulatio. *Vitruv.* 6. 3. 9. *Schneid.* Imponenda est contignatio, supra coaxationem pavimentum, sub dio ut sit circuitus. *Id.* 7. 1. 1. In contignationibus vero diligenter est animadvertendum, ne, qui paries non exeat ad summum, sit extructus sub pavimentum, sed potius relaxatus supra se pendentem habeat coaxationem. Adde *eumd.* 7. 1. 5., cujus verba in seq. v. afferuntur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (186). Necessarium binas per diversum coassationes substerni.

CŎASSO vel coaxo, as, āvi, ātum, are, a. 1. De duplici, quam ponimus, scribendi ratione sic habe, alteram ab *assis*, alteram ab *axis* esse. Porro *assis* rectius scribitur, ut dictum est in ASSIS sub init. — Ceterum coasso ab *assis* est contabulo. *Vitruv.* 7. 1. 5. *Schneid.* Cum coaxatum fuerit, super altera coaxatio transversa sternatur.

CŎASSĬGNO, as, are, a. 1. (cum et assigno). Part. *Coassignandus*. — Coassigno est simul designo, exprimo. *Boeth. Aristot. Topic.* 5. 2. p. 696. Non enim erit bene positum proprium, nam, quemadmodum nec in terminis oportet præter eam orationem, quæ indicat substantiam, adjungere quippiam plusculum; sic in propriis præter eam orationem, quæ facit proprium, quod dictum est, quidquam coassignandum.

CŎASSŎLET, idem quod assolet, legitur a quibusdam in *Plaut. Epid.* 1. 1. 5.: sed ibi rectius legitur *eo assolet*.

CŎASSŪMO, sūmis, sumpsi, sumptum, sūmere, a. 3. (cum et assumo). Part. *Coassumptus*. — Coassumo est simul assumo. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 3. p. 709. Quare non est possibile sine altero alterum cognoscere, eo quod necessarium est in alterius oratione coassumi et alterum. *Id. ibid.* 6. 5. p. 716. Imparis autem (*numeri*) coassumpta est oratio.

CŎASSUMPTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CŎAUCTĬO, ōnis, f. 3. augmentum. *Cic.* 5. *Verr.* 82. 189. Hoc crimen est, ut intelligis, non ex æstimatione, neque ex ternis denariis pendere crimen, sed ex coauctione annonæ et æstimationis. *h. e.* ex adjectione et auctario addito a Verre annonæ atque æstimationi frumenti. *Sic legit* Orell. *ex* Victor., Steph., Lamb. aliisque: *nonnulli vero* conjunctione.

CŎAUDĪTOR, ōris, m. 3. qui simul cum alio aliquem magistrum habet. *Boeth. de diis et præsens.* ab *Orellio* edit. inter opera *Cic. T.* 5. *P.* 1. p. 392. Fuit enim Tullius eidem Marco Varroni condiscipulus et

condiscipulus sub doctore Antiocho, partim Stoico, partim Academico.

COAUDĪTUS, a, um, particip. simul auditus. *Paul. Diac.* p. 65. 8. Conauditum coauditum, sicut conangustatum dicitur.

CŌAUGMENTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *coaugmento*, auctus, ut coaugmentata constructio, apud *Capell.* 5. p. 167., ubi al. rectius leg. *coagmentata*.

CŌAX, κοάξ, vox est ranarum, teste *Servio* ad *Virg.* 7. *Æn.* 16., ducta a Græcis. Sic enim *Aristophanes* earum clamores expressit. — Hinc est verbum

CŌAXO, as, are, n. 1. verbum onomatopœicum, exprimens ranarum vocem. *Sueton. Aug.* 94. Negantur ibi ranæ coaxare. *Auct. carm. Philom.* 62. Garrula limosis rana coaxat aquis. Adde *Spartian. Get.* 6. — *NB.* Aliam significationem *V.* in COASSO.

CŌBIO, ōnis. *V.* GOBIO.

CŌBION, ii, n. 2. κώβιον. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 45. (71), tradit cobion esse speciem tithymali, etiam dentroidem dictam, et leptophyllon, in petris nascentem, comosissimam ex omnibus maxime, cauliculis rubentibus, et semine copiosissimam. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 397.) hanc exhibet synonymiam: Τιθύμαλλος ὁ ἐν ταῖς πέτραις φυόμενος Dioscor. 4. 165. et *Tithymalus dendroides*, *aliis cobios*, *aliis leptophyllos* Plin. l. c. sunt *Euphorbia dendroides* L. Spec. plant. 662.

CŌBIUS, ii, m. 2. *V.* GOBIUS.

COCCĒTUM. *V.* COCETUM.

COCCEUS, a, um, adject., κόκκινος, cocci colorem habens. *Lamprid. Alex.* 42. Hoc solum imperatorium habens, quod lacernam cocceam acciperet. *Al. rectius leg.* coccineam. *Id. Diadumen.* 3. Indumenta coccea et purpurea. *Capell.* 1. p. 3. Strophium cocceum. *Ita legendum conjecit* Susines, *at* Kopp *legit* e cocco. Etiam in *Not. Tir.* p. 159. legitur *coccum, cocceus, coccineus*.

COCCĬNĀTUS, a, um, adject. vestibus coccineis indutus. *Sueton. Domit.* 4. Puerulus coccinatus. *Martial.* 1. 97. Qui coccinatos non putat viros esse. Adde eumd. 5. 35.

COCCĬNEUS, a, um, adject., κόκκινος, cocci colorem habens (It. *di grana, scarlatto, chermisino*; Fr. *de couleur d'écarlate*; Hisp. *escarlata*; Germ. *von d. Scharlachbeere. scharlachfarben*; Angl. *of a scarlet or crimson colour*). *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (177). Trychnus, cui acini coccinei, granosi folliculi. *Sillig.* leg. *coccini*. *Petron. Satyr.* 32. Coccineum pallium. *Id.* 38. 5. tomentum. *Martial.* 14. 131. *in lemmate*. Lacernæ coccineæ. *Tertull. Cult. fem.* 10. Coccineæ oves. *V.* AERINUS et COCCEUS.

COCCĬNUS, a, um, adject. κόκκινος, idem quod coccineus. *Petron. Satyr.* 28. Coccina gausapa. *Juvenal.* 3. 283. læna. *Martial.* 2. 29. aluta. *V.* COCCINEUS. — Hinc

Coccina, orum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt vestes coccineæ. *Martial.* 2. 39. Coccina famosæ donas, et ianthina mœchæ. Adde eumd. 2. 43. et 14. 131.

Coccinum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est ac coccum. *Hieronym.* in *Isaj.* 1. 1. 18. Peccata, quæ prius in modum coccini sanguinea fuerunt, dimittentur. *Capell.* 2. *p.* 36. Ipsa species ovi interioris coccino circumlita exterius rutilabat. *Vulgatam hanc lectionem optimis codicibus confirmatam retinuit etiam* Koppius.

COCCUM, i, n. 2. κόκκος, est

A) Granum arboris parvæ aquifoliæ ex genere ilicis, (quod et *cusculium* vocant, κοσκύλιον) illius cortici veluti scabies quædam adhærens, innumerisque scatens vermiculis, ex quibus contusis color fit aptus lanis tingendis præstantissimus, et magni pretii. Nascitur in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia, Lusitania; pessimum in Sardinia, ut apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 12. (32). legitur. Color ejus est rubens, sed qualis in rosa, et cum amabili nitore conjunctus. Non ubique idem est, cum pro varia locorum, in quibus provenit, natura, vel roseo dilutior, vel magis sater et nigricans sit. Differt a *purpura*, quæ intensiorem ac nigriorem habet ruborem; coccum vero est dilutius. Quare aliquando purpura cocco superaddebatur, ut gratior esset et mirabilior cocci color, qui ita mixtus *hysginus* dicebatur, teste *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (140). Ob eamdem rationem, et propter utriusque affinitatem, coccineum cum purpureo aliquando confunditur. Optimum fuit *Galaticum*: ex qua voce quidam putant derivatum esse quod Itali dicunt *scarlatto*, Galli *l'écarlate*, Hisp. *escarlata*, Germ. *Scharlach*, Angl. *scarlet*: quamvis fortasse hoc ab illo aliquantum differat. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 298.) de cocco agens ad *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 12. (32) hæc ait: « Cette production, dont Pline ne connaissait ni l'origine ni la nature, n'est point une galle, mais le corps extrêmement distendu d'un insecte, le Kermès, animal connu sous le nom de Κόκκος βαφικὴ que lui donne Dioscoride 4. 48. et Théophraste 3. 16., se récolte sur le chêne nommé, par les botanistes, *Quercus coccifera*, arbre qui abonde dans l'Europe méridionale, en Grèce et ailleurs. Nous avons fréquemment trouvé le chêne au Kermès dans la péninsule Ibérique, notamment sur les versans méridionaux de la Sierra Morena. Le Latins nommaient le Kermès *vermiculus*, mot qui exprime la même chose que vermillon. Le mot Arabe Kermès (*quermez*) a la même signification; les Arabes nommaient *quermezi* la couleur rouge que produit cet insecte: c'est de là que nous avons formé notre mot *cramoisi* ». Et mox: « On ne récolte guère aujourd'hui en Espagne le Kermès, insecte fort peu employé en teinture depuis la decouverte de la cochenille ». — Est aliquis cocci usus etiam in medicina. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 4. (8). Coccum ilicis vulneribus recentibus ex aceto imponitur etc. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 224.) hæc ait: « Toutes le propriétés attribuées au Kermès animal, et qui sont confirmées par Dioscoride 4. 146., sont tout-à-fait hypothétiques, et ce médicament est abandonné, du moins en France ».

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (140). *Martial.* 5. 23. Vestis madida cocco. *Id.* 10. 76. Fulgere cocco. Adde *Quintil.* 11. 1. 31. Rursus *Martial.* 3. 2. Cocco rubere.

II.) Figurate. Per metonymiam coccum etiam dicitur pannus, seu vestis, aut filum cocco tinctum. *Sil. It.* 17. 396. ardenti radiabat Scipio cocco. *h. e.* paludamento coccineo. Nam præcipue imperatorum paludamenta cocco tingebantur, ut *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (3). docet. *Sueton. Ner.* 30. Funes ne.i purpura et cocco. Adde *Fronton.* 1. *Ep. ad M. Cæsar.* 2.

B) *Coccum Gnidium*, quod et *Granum Gnidium* appellatur, granum est cujusdam fruticis, qui thymelæa dicitur, oleastro simile, foliis angustioribus, gummosis, si mordeantur, myrti magnitudine, semine, colore et specie farris: ad medicinæ tantum usum. *Cels.* 5. 5. et 8.; *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 46. (70)., et 13. ibid. 21. 35. (114),; et *Scribon. Compos.* 131. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 124.) hanc exhibet synonymiam: Κνέωρον Theophr. 6. 2.; Κνέωρον Hippocr. test. Gal. in Spreng. Hist. rei herb. 1. 41. (et les fruits κόκκοι κνίδειοι Hippocr. etc.); Χαμαιδάφνη, Πυρός, Ἄχνη, Ἄχνηστος, Κόκκος κνίδειος, Κνέωρον, Κνήστρον Dioscor. 4. 172; Θυμελαία (et le fruit κόκκος κνίδειος) ἀπόλινον Ejusd. l. c.; *Granum gnidium*, *thymelæa*, *chamelæa* etc. Plin. locc. citt.; *Casia humilis* Virg. 2. G. 213. et 4. ibid. 30. et 304.; et *Casia* Hygin. apud Plin. 21. Hist. nat. 9. 29. (53). sunt *Daphne Gnidium* L. Spec. plant. 511. et *D. Cneorum* L. loco cit.? Quorumdam.

COCCȲGIA, æ, f. 1. κοκκυγία vel κοκκυγέα, herbæ genus, quæ *Rhus Cotinus* L. Spec. 383., teste ipso cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 129.) vocatur a botanicis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 41. (121). Similis (*andrachnæ*) et coccygia folio, magnitudine minor. Proprietatem habet fructum amittendi lanugine, pappum vocant, quod nulli arborum evenit. De eadem ita *Theophr.* 3. *Hist. plant.* 16., quam ipse κοκκυγρίαν vocat: ἴδιον δὲ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαπποῦσθαι τὸν καρπόν. *h. e.* fructum in pappos abire.

COCCȲMĒLON vel *Latina positione*

COCCȲMĒLUM, i, n. 2. κοκκύμηλον, inter genera malorum enumerat ex *Cloatio Macrob.* 2. *Saturn.* 15. Quidam exponunt genus pruni præcocis. Fortasse idem est ac Damascenum. Rem hactenus dubiam confirmat locus *Isid.* 17. *Orig.* 7. 10. Coccymela, quam Latini ob colorem prunum vocant, alii a multitudine enixi fructus nixam appellant. Cujus generis damascena melior, a Damasco oppido, unde prius asportata est, dicta. Et *Var. Auct. de limit.* p. 266. *Goes.* Si coccymelus, hoc est siliqua silvatica fuerit, tres trifinium demonstrant. *Alii* pro coccymelus *legunt nullo sensu* cibarellus.

COCCYX, ȳgis, m. 3. κόκκυξ, genus avis, de quo multa *Plin.* 10. *Hist. nat.* 9. 11. (25). *V.* CUCULUS.

CŌCĒTUM, i, n. 2. genus edulii (*rectius potionis*) ex melle et papavere factum. Ita *Paul. Diac.* p. 39. 8. *Müll.* Hinc *Tertull.* in *Valentinian.* 12. Accii patina, Nestoris cocetum. *Quædam editt. hic perperam habent* coccetum. — *Voss.* in *Etymol.* putat, *Tertullianum* respicere ad κυκεῶνα Nestoris, quem *Homer.* laudat *Iliad.* l. 11. v. 624., quique et cinnus dicitur. Quod est maxime probandum; nam idem *Homer. ibid.* v. 638. de eodem ait: ἐν τῷ ῥά οἱ κύκησε, atque, ut a μείρω *divido* est verbale μορητός, Latine *moretum*, ita *cocetum* est a κυκητός, quod a κυκάω *misceo*; sæpe enim Latini Græcorum υ in ο vertunt, ut ἄγκυρα *ancora*, μύλη *mola*, νύξ *nox*. Hinc etiam deducenda vox *cocus*, is nempe qui plurium rerum edulium commixtione cibos parat. *V.* COCUS. Varia porro fuit cyceonis, seu coceti compositio: nam κυκεὼν *Homeri loc. cit.* ex vino constat et farina, cui caseus caprinus supra rasus fuit; *Hesychii* ex vino, melle, aqua et farina; *Orphei* vero *Argonaut.* v. 325. ex farina, taurino sanguine et aqua marina; *Ovidius* denique de vetula Cereri potum præbente hæc ait 5. *Met.* 449. Divamque videt, lymphamque roganti Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta. Hucusque *Forcellinus*. — *Placidus* in *Glossis* p. 448. ed. *Mai.* Cocetum a Græco κακόνα cotina. *Corrige* vult *Müllerus* ad *Paul. Diac.* l. c.) κυκεῶνι, *ultimo vocabulo deleto*. Glossaria Labb. *explicant* ζωμοτάριχος. *Ex* Tertull. *loc. cit.* Dacer. cum Voss. *pro* edulii *apud* Paul. Diac. *legi voluit* potionis (*quod et* Forcellinus). *Sed Tertullianus illo vocabulo licentius usus est.* — Ceterum V. *Corus* ad *Theophr. Charact.* p. 177.

COCHLĀCÆ dicuntur lapides ex flumine rotundi ad cochlearum similitudinem. *Paul. Diac.* p. 39. 7. *Müll.*, ubi *Scalig.* adnotat, detortum esse a Græco κόχλακες, *h. e.* calculi, lapilli: quare videtur scribendum *cochlacæ*. Al. leg. *cochalacæ*; alii *conchalacæ*; *Voss.* in *Etymol.* legendum esse putavit *cochleacæ* vel *cochlecæ*. At *Müll.* ex optimis Codd. *coclacæ*; et nihil mutavit, cum nihil impedire visum sit, quominus antiquiores Romanos, quo tempore adspiratio litteræ *C* nondum in usum venerat, e Græco κόχλακες voc. *coclacæ* fecisse poneremus.

COCHLEA, æ, f. 1. κοχλίας. Scribitur et *coclea* sine aspiratione Latinorum more: quod damnare non ausim, cum admittat *Velius Longus de Orthogr.* p. 2230. *Putsch.* — Cochlea est limax, animal notum, testa inclusum tortili et turbinata (It. *chiocciola*, *lumaca*; Fr. *limaçon*, *escargot*; Hisp. *caracol*; Germ. d. *Schnecke*; Angl. *a snail*).

I.) Proprie. — a) Generatim de cochleis testa inclusis. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 29. Vincere cochleam tarditudine. Adde eumd. *Capt.* 1. 1. 13. *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. Si quis medicus ægroto imperet, ut sumat *terrigenam*, *herbigradam*, *domiportam*, *sanguine cassam*, potius quam, hominum more, cochleam dicere. *Id.* 4. *Herenn.* 49. 62. Iste, qui tamquam cochlea, abscondens retentat sese tacitus. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 4. 59. — b) Variæ sunt cochlearum genera, albæ in Reatino agro; Illyricæ, quibus magnitudo præcipua; Africanæ, quibus fecunditas; Solitanæ, quibus nobilitas; item Astypalæicæ, et Siculæ, et Balearicæ, quas cavaticas vocant, quoniam in speluncis nascuntur. Laudatissimæ fuere Africanæ; ex his Solitanæ. V. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 56. 82. (173). et seqq. et 30. *ibid.* 6. 15. (45). et seqq.; item *Varron.* 3. *R. R.* 14., ubi earum alendarum rationem docet. — c) *Cochleæ nudæ* dicuntur, quæ sunt sine testa. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 36. (112). et 30. *ibid.* 7. 19. (56). — d). Interdum cochlea dicitur de sola testa cochleæ. *Martial.* 11. 18. Vix implet cochleam peracta messis, Et mustum nuce condimus picata. — Et latiori sensu de testudine. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 32. Nusquam Cyniphiis vagata campis Curvarum domus uda cochlearum. — e) Hinc in *cochleam* est in modum tortilis testæ cochlearum. *Cels.* 8. 10. n. 1. Fascia brevissima adhibenda est, quæ circa fracturam (*ossis*) ter voluta sursum versum feratur et quasi in cochleam serpat. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 2. Specus alii simplices et recti, alii in cochleam retorti. Et *Interpr. vulgat.* 3. *Reg.* 6. 8. Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ: et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. *h. e.* per scalam in modum cochleæ factam. Cf. eumd.

Ezech. 41. 7. Et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.

II.) Improprie. ¶ 1. Per similitudinem cochlea dicitur genus ostii tortuosi, oblique flexi et versatilis, duplici orbe compositi, quodque apud nostrates sanctimoniales passim obtinet, vulgo ruota. At Schneiderus in Indice Script. R. R. p. 132. ad V. Cavea probare conatur, cochleam fuisse appellatam ostium illud, quod Latini etiam cataractam, Itali Saracinesca dicunt, quodque catenis aut funibus tollitur, ac momento temporis demittitur: ideo autem sic appellari, quia repræsentat illud operculum, quod cochleæ habere solent et cornea materia. Varro 3. R. R. 5. 8. de ornithone. Ostium habere debet humile et angustum, et potissimum ejus generis, quod cochleam appellant, ut solet esse in cavea, in qua tauri pugnare solent. ¶ 2. Item a similitudine cochlea dicitur lignum in torculari erectum, canaliculis circum oblique cavatis striatum, quod in similiter cavatum lignum immissum, dum vertitur, prelum vel attollit, vel deprimit. Apud Italos lignum hoc erectum et versatile dicitur vite: quod vero immobile manet, madrevite, Græce περικόχλιον: apud Latinos non habet, quod sciam, proprium nomen. Vitruv. 6. 6. 3. Schneid. Torcular cochleis torquere. Adde Plin. 18. Hist. nat. 31. 79. (317).; et Pallad. 4. R. R. 10. 10. et 11. ibid. 19. 2. ¶ 3. Item machina haustoria, ad aquam hauriendam et tollendam, cujus faciendæ rationem Vitruv. 10. 6. 1. Schneid. perscribit. Est autem machina, cujus in medio rota est, quæ dum a calcantibus versatur, machina intus cochleæ instar detornata aquas exsorbet ex aquario septo et retrorsus emittit. Adde eumd. Vitruv. 5. 12. 5. et 10. 3. 9. Schneid.

COCHLEAR vel

COCHLEĀRE, is, n. 3. Forma cochleare occurrit tantum apud Martial. loco infra cit. — Cochlear ¶ 1. Est ligula ex altera parte acuta, ex altera latior et cavata: illa extrahuntur ex sua testa cochleæ, hac ova, et alii ejusmodi liquidiores cibi (It. cucchiajo; Fr. cuiller; Hisp. cuchar ò cuchara; Germ. d. Löffel, Esslöffel; Angl. a spoon). Cels. 6. 14. Chelidoniæ succus, per cochlear illita uva, maxime prodest. et paullo post. Aquam cochleari exceptam uvæ subjicere. Plin. 28. Hist. nat. 2. 4. (19). Ovorum calyces cochlearumque protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari. Petron. Satyr. 33. Accipimus cochlearia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. Martial. 14. 121. cui lemma est Cochlearia. Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis: Numquid scis, potius cur cochleare vocer? ¶ 2. Est etiam mensura liquidorum, quarta pars cyathi. Colum. 12. R. R. 21. 3. Musti cochlear cumulatum, vel simile genus poculi ejus, qui est quarta pars cyathi, adjicitur in binas urnas. Plin. 27. Hist. nat. 4. 5. (17). Bibitur aloe in duobus cyathis aquæ, cochlearis mensura. Id. 23. ibid. 4. 38. (76). Folia decoquuntur ex melle, et dantur cochlearibus contra sanguinis excretiones. Itali: a cucchiaj. Adde Rhemn. Fann. de pond. p. 78. et seqq., et V. LIGULA.

COCHLEĀRIS, e, adject. Plin. 21. Hist. nat. 27. 99. (172). Vincapervinca hydropicis datur in aqua cochleari mensura. h. e. quantum capit cochlear. Ita plereque edition. cum antiquis A. 1469. 1470. 1472. et Harduino. Nam Elzeviriana 1538. habet cochleari. At Sillig. optimis Codd. Harduini lectionem confirmavit ac retinuit.

COCHLEĀRIUM, ii, n. 2. (cochlea). ¶ 1. Est locus in quo servantur et aluntur cochleæ. Varro 3. R. R. 14. 1. Idoneus sub dio sumendus locus cochleariis. Adde eumd. 3. ibid. 12. 2. ¶ 2. Item cochlear, κοχλιάριον, cochlearium appellatum, quod cochleam repræsentat, seu potius, quod primo cochleæ tegumentum cochlearii loco adhibitum. Plin. 20. Hist. nat. 22. 86. (242). Si cochlearii mensura in die sorbeatur in aquæ cyatho. Adde eumd. 21. ibid. 27. 99. (127)., ubi alii adjective legunt cochleari mensura; quo modo Sillig. leg. etiam loco proxime superiori. Scribon. Compos. 112. a med. Sumuntur cochlearia tria cumulata. et mox. Movente aliquo cochleario liquorem, ne quid subsidat. Id. ibid. 96. Cochleario dare aliquid. Adde Apic. 3. 18.

COCHLEĀRIUS, ii, m. 2. qui cochleas vendit. Legitur apud Prob. gramm. Append. § 71. edit. Vindob.

CŎCHLEĀTIM, adverb. in modum cochleæ. Sidon. 4. Ep. 15. ad fin. Agger cochleatim fractus.

CŎCHLEĀTUS, a, um, adject. canaliculis in cochleæ formam constructis munitus. Cassiod. de anim. 9. Concavæ et cochleatæ aures. — Pomponius apud Non. p. 103. 15. et 182. 14. Merc. Ubi insilui in cochleatum equuleum, ibi tolutim tortor. cochleatus equuleus dici videtur (si modo sana est lectio) qui oblique, et veluti in cochleam graditur. Sequitur enim, ibi tolutim tortor, h. e. torqueor, in girum feror. Turneb. putat legendum esse coleatum. At cochleatum retinendum; nam in equuleo plures erant cochleæ, seu rotulæ striatæ, quibus immissi funes reorum membra distendebant, torquebantque. Porro hanc lectionem confirmat Ruinard. Act. Mart. p. 241. n. IV. Τότε ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν βληθῆναι αὐτὸν εἰς κοχλίαν καὶ σφοδρῶς βασανίζεσθαι.

CŎCHLEŎLA, æ, f. 1. deminut. a cochlea, parva cochlea. Hieronym. Ep. 64. n. 19. Purpura ex maris cochleolis tingitur. Id. 2. in Jovinian. 6. Si omne quod movetur et vivit, ad vescendum factum est, et præparatum gulæ, respondeant mihi, cur ceti, delphines, phocæ minutæque cochleolæ conditæ sint?

CŎCHLIS, ĭdis, f. 3. κοχλίς, parva cochlea. ¶ 1. Nomen est gemmæ cujusdam, cochleæ similitudinem habentis, cujus meminit Plin. 37. Hist. nat. 12. 74. (193). ¶ 2. Adjective columna cochlis est in modum cochleæ intus cavata, ascendendi causa. Hujusmodi fuit Romæ in regione octava in Foro Trajani, et in nona ad templum Divi Antonini, ut est apud P. Vict. de Reg. Urb. Rom. c. 8. et 9.

COCHLŒ, on, m. plur. 2. Græca terminatione, κόχλοι, sunt concharum genus, cui testa est cochleæ instar tortuosæ. Plin. 32. Hist. nat. 11. 53. (147). Concharum genera, inter quæ et margaritiferæ, cochlœ, quorum generis pentadactyli, item helices etc. Ita recte legit Sillig; alii aliter.

CŌCIĀTOR vel rectius cōciōnātor, ōris, m. 3. idem quod cocio vel coctio. Gloss. Vet. Cociator, μετάβολος.

CŎCĬNĀTŌRIUS, a, um. V. COQUINATORIUS.

CŌCIO vel coctio, ōnis, m. 3. Cociones, inquit Paul. Diac. p. 51. 3. Müll., dicti videntur a cunctatione, quod in emendis vendendisque mercibus tarde perveniant ad justi pretii finem. Itaque apud antiquos prima syllaba per u litteram scribebatur. Hæc Paul. Diac., qui 20. 12. Müll. docet, coctionem dici etiam arilatorem: quod confirmat Gell. 16. 7., ubi docet, Laberium pervulgate cocionem dicere, quem veteres arilatorem dixerunt: qua in re ipsum reprehendit, ut qui obsoletum verbum, et ex surdidiore vulgi usu petitum adhibuerit. Scalig. ad Paul. Diac., et Voss. in Etymol. in V. Arilator, Laberium defendunt, et hanc vocem non esse inter pervulgata et proculcata reponendam, exemplo Plauti ostendere conantur. Sed Plauti locus, qui est Asin. 1. 3. 5., item Mil. glor. 3. 2. 29. varie a variis legitur, nec certi quidquam confirere posse videtur. Nam alii conctio, alii cotio pro cautio legunt: alii cocio quidem retinent, sed cocum interpretantur. V. Taubmann. Etiam Salmas. apud Petron. hanc vocem legi vult. V. in fine verbi CONCIO. Gloss. Isid. Cocio arilator. Gloss. Labb. Cocio μετάβολος, μεταπράτης, μεταβολή.

CŌCIŌNĀTOR, ōris. V. COCIATOR.

CŌCIŌNĀTŪRA, æ, f. 1. res cocionis. Gloss. Labb. Cocionatura μεταπρασις.

CŌCIŌNOR, āris, ari, dep. 1. cocionis more ago, hoc est in emendo, aut vendendo difficilis sum. Quintil. 12. Declam. 21. Vendidit quanti voluit; et ut hoc ad nostras accederet moras, fortasse diu cocionatus est. Al. aliter leg.

CŎCLĂCÆ. V. COCHLACÆ.

COCLEA, coclear et derivata. V. COCHLEA, COCHLEAR etc.

COCLES, ĭtis, m. 3. ex co et oculus, aut parce detorta a κύκλωψ. Varro quidem ita dictum esse ait, quasi ocles; quod videri potest per syncopen dictus ab oculus: sed Voss. et Scalig. derivari censent a cyclops. Cyclopes enim unoculi fuerunt. — Ceterum cocles idem est ac luscus, qui unum tantum habet oculum, ut Varro 7. L. L. 71. Müll., et Plin. 11. Hist. nat. 37. 55. (150). docent. V. LUSCINUS. Ennius apud Varron. loc. cit. decem coclites, qui montibu' summis Ripæis fodere. Lucilius apud Non. 13. 2. edit. veter. Ducentos Cyclopes coclites. De his fortasse locutus est Plaut. Curc. 3. 1. 23. De Coclitum prosapia te esse arbitror: nam ii sunt unoculi. — De cognom. Rom. V. ONOM.

COCOCOCO, est vox ficta per onomatopœiam, quæ gallinarum et gallorum cantum exprimit. Petron. fragm. Tragur. 59. Burmann. Cum esses capo, cocococo, atque cor non habeas (lege habebas).

COCOLŌBIS vel

COCOLŪBIS, is, f. 3. Ita Hispani vocant uvam eam, quam Dyrrachini basilicam appellant: cresta di gallo vulgo vocant Itali. Colum. 3. R. R. 2. 19. ubi cocolubis legitur; et Plin. 14. Hist. nat. 2. 4. (30).

COCTA, æ. V. COCTUS.

COCTĀNA, ōrum. V. COTTANA.

COCTĪBĬLIS. V. COQUIBILIS.

COCTĬCUS, a, um, adject. Veget. 6. Veterin. 28. 20. Schneid. Malagmam cocticam sic facies. Morgagni Ep. 3. § 34. coctam emendat. et putat opponi crudis, quæ habet cap. 12. et 23. ejusdem Veget. Sed Hippiatrica p. 288. hoc ipsum μάλαγμα κοπτὸν appellant et plenius habent. Male igitur Gesner. censebat cocticam esse vocem hybridam, a coquo ductam, cum casu Græco. Stadius κοπτικὸν μάλαγμα esse suspicabatur. Nos vero putamus, Vegetium, Hippiatrica secutum, ex Gr. κοπτὸς fecisse copticus; ita ut sit malagma tundendo factum. Ceterum viderint eruditi.

COCTĪLĪCIUS, a, um, adject. ad coctilia pertinens, ut Coctilicia taberna apud Capitolin. Pertin. 3., in qua nempe coctilia, seu ligna cocta servantur ac venduntur, quibus utebantur Romani, ne fumum facerent. V. COCTILIS. — Auct. Mémoir. de littér. et beaux arts de l'Acad. de Turin. ann. 1805-1808. p. 410. et seqq. putat, tabernam coctiliciam apud Capitolin. loc. cit. significare eam, in qua amphoræ, dolia, et alia hujusmodi vasa venderentur, quia urbs Pollentia in Liguria, prope quam in Apennino villa Martis fuit patria imperatoris Pertinacis, ob opera figulina maxime celebraretur. Sed cum idem Capitolin. ibid. 1. narret, Pertinacis patrem filio nomen imposuisse ex continuatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret; idem vero ibid. 3. hæc habeat: Pater ejus tabernam coctiliciam in Liguriam exercuerat; patet coctilicius ea notione esse usurpatum, quam supra attulimus. Quidam perperam hic legunt coactiliciam; alii coactiliariam.

COCTĪLIS, e, adject. Lateres coctiles sunt, qui e terra fiunt, et in fornacibus coquuntur, quod Italice mattoni, terracotta: et murus coctilis qui ex hujusmodi lateribus fit. Varro 1. R. R. 14. 4. Lateres coctiles. Ovid. 4. Met. 57. ubi dicitur altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem. Curt. 5. 1. 25. et Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (193). Lateruli coctiles. — Hinc

Coctilia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt ligna cocta, (ut ea appellat Ulp. Dig. 32. 55. ad fin.) et arida, ne fumum faciant, ξύλα ἄκαπνα: non tamen sunt carbones, qui in totum combusti sunt et nigri, atque adeo ligna dici non possunt. Valerian. in quadam epist. apud Trebell. Claud. 14. Dabis coctilium batilla quatuor.

COCTĪO, ōnis, f. 3. ipse coquendi actus. Cassiod. 7. Variar. 17. Coctio calcis. — Hinc et de hominibus coctionem facere ponitur pro concoquere, et cibum in ventriculo conficere. Plin. 20. Hist. nat. 9. 39. (101). Coquitur et in melle cibi gratia, maxime ut coctionem facias. Adde Not. Tir. p. 167. — NB. Coctio est etiam idem qui cocio, quam vocem V.

COCTĪTO, as, are. a. 1. frequent. a coquo, frequenter coquere. Paul. Diac. p. 61. 13. Müll.

COCTĪVUS, a, um, adject. qui facile vel coquitur, vel maturatur, vel concoquitur. Plin. 15. Hist. nat. 23. 25. (94). Castaneæ populares nigræ, quæ coctivæ vocantur. h. e. quas Itali succiole, nostrates lesse dicunt. De his loquitur Martial. 5. epigr. 78. Et quas docta Neapolis creavit Lento castaneæ vapore tostæ. — Apud Apic. 9. 4. coctiva condimenta videntur esse, quæ cito et facile coquuntur: vel quæ coqui necesse est, ut edulia sint.

COCTŌNA. V. COTTANA.

COCTOR, ōris, m. 3. qui coquit. Legitur apud Petron. Satyr. 95., ubi coctores a multis exponuntur coqui. Quidam minus recte leg. lictores. In Not. Tir. p. 167. Coctio, coctor. — Coctor calcis est idem ac calciarius. Edict. Diocles. p. 19. Calcis coctori X quinquaginta. Imp. Constantius Cod. Theod. 14. 6. 1. Coctoribus calcis per ternas vehes singulæ ampho-

ræ vini præbeantur. — *NB.* Translate pro decoctore *Seneca* 3. *Benef.* 26. Coctori credere pecuniam. *At al. rectius leg.* decoctori. — *Coctores juris* joculariter et ambigue dixisse *Plaut. Pœn.* 3. 2. 9. putat *Parœus*: sed alii rectius leg. coctiores. *V.* Coctus in fine voc. COQUO.

COCTŪRA, æ, f. 1. (coquo). ¶ 1. Abstracte est ratio seu modus coquendi. *Vitruv.* 7. 9. 1. *Schneid.* Revertar nunc ad minii temperaturam. Ipsæ enim glebæ, cum sunt aridæ, pilis ferreis contunduntur et moluntur, et lotionibus et cocturis crebris relictis stercoribus efficitur ut adveniant colores. Adde *Senec. Ep.* 90. 33., et *Colum.* 11. *R. R.* 3. 23. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (143). Apiciana coctura coquere aliquid. *Id.* 34. *ibid.* 8. 20. (96). Exurente coctura æs fragile conficitur. *Apic.* 6. 2. Dimidia coctura decoques, dum obduretur. *et ibid.* Modica coctura coquere. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est id, quod coquitur. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 7. Si quinta pars picis Bruttiæ in universam cocturam adjiciatur. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 20. 4. ¶ 3. Item moderata cœli temperies, qua fructus optime coquuntur et maturescunt. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 61. (55). Ea cœli temperies fulsit, quam cocturam vocant.

COCTŪRĀRIUS, ἑψητής. *Gloss. vet.*

COCTUS, a, um. *V.* COQUO.

CŎCŬLA, orum *vel*

CŎCŬLUM, i, n. 2. a verbo *coquere.* ¶ 1. *Cocula*, ut ait *Paul. Diac.* p. 39. 3. *Müll.*, sunt vasa ænea, coctionibus apta. *Cato R. R.* 11. Ahenum coculum, quod capiat culleum. *Plaut.* apud *Isid.* 20. *Orig.* 8. 1. Ex æneis coculis mihi excocta est omnis misericordia. Quidam afferunt et illud *ejusd. Plauti Capt.* 4. 2. 67. Laridum atque epulas foveri coculis ardentibus. *Sed plerique alii leg.* foculis ferventibus. *Varro* apud *Non.* p. 531. 32. *Merc.* sub vocibus *Fornum* et *Fornaces*: Cocula, qui coquebant panem, primum sub cinerem, postea in forno. *Forcellinus* legebat feminino genere: *Cocula*, quæ coquebat etc. atque hæc addebat: Sed *cocula* hic potest etiam idem esse quod *coqua*. Sane alii scribunt *coquula*. At rectius *Müllerus*, qui ad *Paul. Diac. loc. cit.* affirmat τὸ *qui* instrumentale esse, ut sæpissime apud *Varronem*: V. *eumd. Varron.* 5. *L. L.* 21. *Müll. Glossaria Labb.* Coculum, χαλκίον. Cf. etiam *Isid.* et *Placid.* loca in seq. paragr. allata. ¶ 2. *Paul. Diac. loc. cit.* etiam hæc addit: Alii *cocula* dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia. *Scalig.* κάγκανα ξύλα recte comparat. In Latinis vero scriptoribus hujus significationis nullum est exemplum. Sed tamen et *Festo Glossæ Isid.* Cocula ligna arida, vel vasa ærea. Porro quæ *Placidus* p. 448. edente *A. Mai* habet: *Coculis, æreis vasis, a coquendo. Vel assulis aridis glebis* (lege *glebisque*) *terræ cum suo gramine. Interdum alio loco ramis*, omnia e pleniori *Festo* hausta putat *Müllerus* ad *Paul. Diac. loc. cit.*

CŎCUS, i, m. *V.* COQUUS.

CŌDA, æ. *V.* CAUDA.

CŌDEX, icis. *V.* CAUDEX.

CŌDĬCĀRIUS, a, um. *V.* CAUDICARIUS.

CŌDĬCILLĀRIS, e, adject. ad codicillos pertinens. *Lamprid. Alex. Sev.* 49. Pontificatus, et Quindecimviratus, et Auguratus codicillares fecit. *h. e.* ut missis codicillis deferret, cui placuisset. Nam eas dignitates olim populus, postea senatus distribuerat.

CŌDĬCILLĀRIUS, a, um, adject. idem ac codicillaris. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 6. 22. 7. *pr.* Codicillariæ dignitates. *h. e.* datæ per codicillos imperatoris. Adde *ibid.* § 2., et *ibid.* 6. 22. 6. V. *Borghesi* apud *Gervasio Iscriz. di Mar. Lelliano* p. 21. — Hinc

Codicillarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est is, qui *a codicillis* dicitur in *Inscript.* allata in v. CODICILLUS, quæ est apud *Orell.* 5009. V. *Kellermann.* ad *Vigil. Rom. laterc.* p. 17., ubi ex pluribus inscriptionibus ibidem citatis probat legendum *codicillarius tribuni*: quam sententiam sequitur et *Henzen Inscript. Latin.* etc. vol. III. p. 358. ad n. 3171., eamque confirmat *Inscript.* n. 6791. p. 359. et 360.

CŌDĬCILLUS, i, m. 2. *deminut. a* codex vel caudex, parvus codex vel arboris truncus: et occurrit

A) Stricto sensu. *Cato R. R.* 55. et 130. Codicilli oleaginei.

B) Latiori sensu, tamquam materia, in qua veteres perscribebant (teste *Dig.* 50. 16. 148.) ¶ 1. In plurali numero *codicilli* (qui et *pugillares*: unde *Catull.* 42. *in Mœcham*, quæ *v.* 5. *pugillaria* dixerat, mox *v.* 11. etc. *codicillos* appellat) sunt parvæ tabellæ scriptoriæ, cera illitæ, in quibus stilo perscribitur. His usi sunt veteres ante chartæ inventionem, cum per litteras aliquid alicui significandum erat, ut colligitur ex illo *Plinii* loco 13. *Hist. nat.* 13. 27. (89). Homerus Bellerophonti codicillos datos, non epistolas, prodidit. et 33. *ibid.* 1. 4. (12). Cum codicillos missitatos epistolarum gratia indicet. — Sed et post inventam chartam eorum usus mansit, cum vel propere aliquid scribendum erat, vel cum chartam in promptu non habebant, ut in itinere, in cœna, in senatu, etc. *Cic.* 8. *Phil.* 10. 28. Hic hesterno die sententias nostras in codicillos et omnia verba referebat. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Codicillos accipere. — Perscriptos codicillos aliquando in chartam transcribebant, mittendi causa, cum primum commode poterant, ut est in illo *Cic.* (teste *Manut.*) 9. *Fam.* 26. 1. Accubueram hora nona, cum ad harum exemplum in codicillis exaravi. — Sed et ipsos codicillos mittebant loco epistolæ, præsertim cum vicinus et familiaris admodum erat, cui scribebatur, et fidissimus, qui perferebat. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 11. 1. Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. *Id.* 6. *Fam.* 18. 1. Simul accepi a Seleuco tuas litteras, statim quæsivi a Balbo per codicillos, quid esset in lege. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 2. Cum non longe a Piræeo abessem, puer Acidini obviam mihi venit cum codicillis, in quibus erat scriptum etc. *Seneca Ep.* 55. *in fin.* Adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere. *Lips. in Epistol. institut. c.* 2. docet, ex hoc *Senecæ* loco, proprie codicillos esse, quos ad præsentes mittimus, Italice *viglietti*, epistolas vero, quas ad absentes. Hoc tamen discrimen non semper verum est. Nam codicilli ponuntur etiam universim pro epistola. *Sueton. Cal.* 55. Perferre ad aliquem codicillos in Mauritaniam. *Id. Oth.* 10. Exarare codicillos consolatorios ad aliquem. ¶ 2. Item pro libello cujusvis generis. *Seneca Clem.* 15. Petiit, ut sententiam suam quisque scriberet: deinde priusquam aperirentur codicilli etc. *Tac.* 11. *Ann.* 34. Simul codicillos libidinum indices tradidit. ¶ 3. Item pro scripto, quo princeps officium ac munus publicum alicui tradit (It. *diploma, patente*: Fr. *écrit impérial, diplôme*; Hisp. *diploma, patente*; Germ. *Cabinetsordre, Kaiserl. Patent*; Angl. *a diploma*). *Sueton. Claud.* 29. Suppositi, aut etiam palam immutati datorum officiorum codicilli. *Id. Cal.* 18. Senatori codicillos misit, quibus prætorem eum extra ordinem designabat. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 6. 4. 23. Consulares, ac prætorios codicillos consequi. *h. e.* consulatum, ac præturam per codicillos. — Hinc *a codicillis* is dicebatur, qui principum codicillis alicui tradendis præerat. *Inscript.* apud *Orell.* 5009. T. AVRELIVS EGATHEVS IMP. ANTONINI AVG. LIB. A CODICILLIS D. POS. *h. e.* donum posuit. ¶ 4. Item pro scriptura, qua quis ultimam suam voluntatem significat, minus tamen solemni, quam testamentum: qua de re *V.* JCtos. *Tac.* 15. *Ann.* 64. *in fin.* Sine ullo funeris solemni crematur. Ita codicillis præscripserat. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 16. *Ulp. Dig.* 29. 7. qui est De jure codicillorum, 1. Codicillos facere. *Paul. ibid.* 8. conficere. *Marcell. ibid.* 19. scribere ad aliquem. *Julian. ibid.* 2. Dare alicui aliquid per codicillos. *Martian. ibid.* 6. legare codicillis. — In sing. numero. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 8. 18. 7. Aliquid alicui conferre testamento, legato, codicillo. Adde *ibid.* 16. 5. 40. ¶ 5. Denique pro libello supplici. *Tac.* 4. *Ann.* 39. Componit ad Cæsarem codicillos etc. *Id.* 6. *ibid.* 9. Precari aliquid per codicillos. Adde *Sueton. Ner.* 49.

CŌDĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* cauda vel coda, parva cauda. *Apic.* 7. 1. *in lemmate*, ubi alii *cuticula*.

CŌDĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* codex, idem quod codicillus. *Eugen. Tolet. præf.* ad *Dracont.* Semum mihi opusculum videbatur, si non inde aliquid in hoc codiculo haberetur. *Priscian.* quoque 3. p. 613. *Putsch.* hanc vocem affert, sed nullo Latini scriptoris exemplo confirmat.

CŒBUS. *V.* CUBUS.

CŒCĬGENUS, CŒCĬTAS, CŒCUS etc. *V.* CÆCIGENUS, CÆCITAS, CÆCUS.

CŒLĀMEN, CŒLĀTOR, CŒLĀTŪRA etc. *V.* CÆLAMEN, CÆLATOR, CÆLATURA etc.

CŒLEBS, ibis. *V.* CÆLEBS.

CŌĔLECTUS, a, um, adject. simul electus. *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 5. 13. Salutat vos ecclesia, quæ in Babylone coelecta.

CŌĔLEMENTĀTUS, a, um, adject. ex elementis compositus. Est *Tertulliani advers. Valentin.* 23.

CŒLES, CŒLESTĪNUS, CŒLESTIS. *V.* CÆLES, CÆLESTINUS, CÆLESTIS.

CŒLĬĂCUS, a, um, adject. κοιλιακός. *Cœliacus morbus* dicitur, qui in ipsius ventriculi porta, qua intestinis jungitur, consistit. Sub hoc venter indurescit, dolorque ejus est: alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit: extremæ partes frigescunt: difficulter spiritus redditur. Ita *Cels.* 4. 12. describit, sed ipsam vocem Græce usurpat. Sunt tamen aliæ hujus morbi species, de quibus medicos consule. Est a κοιλία *alvus*. *Cato R. R.* 125. Cœliacus dolor. — Hinc *Cœliaca medicina*, quæ contra hunc morbum datur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (201). Medicinæ pepticæ et cœliacæ. — *Cœliacus* etiam dicitur, qui tali morbo laborat. *Varro* 3. *R. R.* 16. 22. Apes cœliacas fieri. — Hinc

Cœliacus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, dicitur qui cœliaco morbo laborat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (204). Cœliacis et dysentericis medetur jecur vaccinum. *Id.* 30. *ibid.* 7. 19. (58). Cœliacorum dolores mulcere. Adde *eumd.* 20. *ibid.* 14. 53. (148)., 20. *ibid.* 18. 76. (202). et 23. *ibid.* 1. 10. (14). *Scribon. Compos.* 93. Facit hoc medicamentum ad cœliacos, qui subito universa dejiciunt. Adde *eumd. Compos.* 111.; *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. et *Theod. Priscian.* 2. *P.* 2. 18.

CŒLĬBĀLIS, CŒLĬBĀRIS, CŒLĬBĀTUS. *V.* CÆLIBALIS, CÆLIBARIS, CÆLIBATUS.

CŒLĬCŎLA, CŒLĬCUS, CŒLĬFER, CŒLĬFLUUS, CŒLĬGENUS, CŒLĬLOQUUS. *V.* CÆLICOLA, CÆLICUS, CÆLIFER, CÆLIFLUUS, CÆLIGENUS, CÆLILOQUUS.

CŒLĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (cælum et gero) idem quod cælifer. *Avien. Phænom.* 574. Pœnus Atlas, subiit celsæ qui pondera molis Cæliger.

CŒLĬŌTĬCUS, a, um, adject. κοιλιωτικός, dicitur genus medicamenti ventrem purgantis: a κοιλία *alvus*. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Urinalia atque ventriflua medicamina, quæ diuretica et cœliotica Græci vocaverunt. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 1.

CŒLĬPŎTENS, CŒLĬTUS. *V.* CÆLIPOTENS, CÆLITUS.

CŒLO, as. *V.* CÆLO.

CŒLON, i, n. 2. κοῖλον, cyaneus, cæruleus color. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 13. 57. (162). *Sillig.* ex *Cod. Bamberg.* leg. *cylon*, quam vocem *V.*

CŒLUM cum derivatis. *V.* CÆLUM.

CŌĒMENDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌĒMENDO, as, āvi, ātum, are a. 1. (cum et emendo) Part. *Coemendatus*. — Coemendo est emendo, corrigo. *Arnob.* 2. 18. Parvulus — concinnavit scientiolas, et ad unum exitum temporibus plurimis coemendata perduxit.

CŒMĒSIS, is, f. 3. κοίμησις, dormitio, seu cantus somnum inducens. *Capell.* 9. p. 355. Harmonia cœmesin modulata, in thalamum quoque virginis magna cunctorum voluptate pervenit. *h. e.* cantum dormitioni inducendæ aptum modulata, quem Græci κατακοιμητικόν dicunt: opponitur autem *egersimo*, hoc est e somno excitanti, cujusmodi carmen canebatur summo mane, quo novi conjuges e somno lectoque excitabantur. *V.* locum *Scholiast. Theocriti* in not. *Grotii* ad p. 2. *Capellæ*. Alii perperam leg. cinerin. *Kopp* vero Græcis litteris edidit.

CŒMĒTĒRIUM, ii, n. 2. κοιμητήριον, Græce significat locum ad dormiendum destinatum: a κοιμάω *dormio*: item in quo sepulta jacent mortuorum corpora. In posteriori hac significatione adhibetur a *Tertull. Anim.* 51. et *Hieronym. Scriptor. Eccles.* de *S. Ignatio.*

CŌĔMO, ĕmis, ēmi, emptum vel emtum, ĕmere, a. 3. (cum et emo). Part. *Coemptus* et *Coemendus*. — Coemo est simul emo (It. *comperare insieme*; Fr. *acheter à la fois*; Hisp. *comprar junto*; Germ. *zusammennehmen beim Kaufe, zusammekaufen*; Angl. *to buy up commodities, to purchase*). *Ter. Adelph.* 2. 2. 17. Coemisse hinc quæ illuc veheres multa. *Cic.* 6. *Verr.* 59. 133. Quæ tum non modo venditabant, verum etiam coemebant. *Cassius* apud *Cic.* 15. *Fam.* 19. 3. Sulla bona omnia coemit. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Jumentorum et carrorum quam maximum numerum coemere. *Id.* 7. *ibid.* 55. Magnus numerus equorum in Italia coemptorum. *Horat.* 1. *Od.* 29.

13. Libri undique coempti. *Id.* 2. *Sat.* 3. 245. Luscinias prandere coemptas. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. 9.; *Liv.* 2. 34., 4. 13. et 5. 25.; *Petron. Satyr.* 112.; *Juvenal.* 14. 293.; *Quintil.* 11. 1. 30.; *Sueton. Ner.* 5. et *Vesp.* 16.; et *Dig.* 47. 11. *pr. Donatus* in *Vit. Virgil.* n. 1. Silvis coemundis et apibus curandis reculam auxit. — Pro conducere quidam leg. apud *Sueton. Vesp.* 18. Poetas, nec non et artifices coemit, item Colossi refectorem magna mercede donavit. *Grævius* aliique interpretes legendum probarunt *Coæ Veneris* pro *coemit.*

CŎEMPTĬO, ōnis, f. 3. (coemo). ¶ 1. Generatim est actus coemendi et raro admodum occurrit, ut in *Cod. Theod.* 14. 16. 3. Sic apud *Boeth. de consol. Philos.* pros. 4. dicitur *coemptio*, quod Græce μονοπώλιον. Adde *Ennod. Opusc.* 2. p. 1010. ¶ 2. Speciatim ac sæpius coemptio est ratio quædam matrimonii ineundi. Ea se uxor, et maritus invicem coemebant per formulas illas: *Vis ne mihi esse materfamilias? Vis ne mihi esse paterfamilias?* Differt ab usu et *confarreatione*, quæ duo præterea matrimonii genera fuere. Coemptionis faciendæ ratio hæc erat, *Varrone* auctore apud *Non. p.* 531. 10. *Merc.* Mulier nubens tres ad virum asses ferre solebat, atque unum quidem, quem manu tenebat, tamquam emendi causa marito dabat; alium, quem in pede habebat, ponebat in foco Larium familiarium, tertium in sacciperio cum condidisset, compito vicinali solebat resignare; atque hoc pacto dicebatur in potestatem mariti venire. Addit *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 103. adhibitum fuisse ignem et aquam, duo nempe maxime necessaria elementa. *Cic. Muren.* 12. 27. Horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. *V.* voc. seq. *Id. Flacc.* 34. 84. In manum, inquit, convenerat. Nunc audio: sed quæro, usu, an coemptione? usu non potuit, etc. coemptione? omnibus ergo auctoribus. *Id.* 1. *Orat.* 56. 237. Neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eumdem ejus mulieris, quæ coemptionem fecerit, causam posse defendere. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 43. *Müll.*; *Cajum* 1. *Instit.* 110., 113. 59. et 115. et 4. *ibid.* 38.; *Boeth. ad Cic. Top.* 3. 14. *vol.* 1. p. 299. *Bait.*; *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 31.: et V. *Pauly's Realencyclop. vol.* 4. p. 1470. et seqq.

CŎEMPTĬŌNĀLIS, e, adject. Coemptionalis senex, apud *Plaut. Bacch.* 4. 9. 52. et *Curium* ad *Cic.* 7. *Fam.* 29. 1. dicitur senex nullius pretii, nulliusque usus, nisi ad coemptiones faciendas. Est enim ille *Coemptionalis senex* apud ICtos, qui ex veteri more condendi testamenti per æs et libram, ementi hereditatem accedebat, et familiæ sacra in se transferebat, ut secum commorerentur; et sic heres ab hoc onere liber esset. Sacra enim privata, ex lege XII. Tab. perpetua esse debebant, et ad heredes transire. Itaque ficticia quadam venditione in pauperrimos senes transferebantur, quibus nulli essent heredes. Hi porro *coemptionem facere* dicebantur, *h. e.* simul emere hereditatis jura. Nisi malis dicere, non a testatore, sed ab herede ipso post aditam hereditatem comparatum esse senem, cui ficticia mancipatione hereditatem traderet, et a quo rursus nova stipulatione illam redimeret. Quo fiebat, ut a sacrorum onere liber esset, quippe qui non hereditatis, sed emptionis titulo possidebat. *Cic. Muren.* 12. 27. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. *J. F. Gronovius de pec. vet. l.* 4. c. 8. contendit, *senem coemptionalem* apud *Plautum* et *Curium* esse illum, qui solus vendi nequit, sed inter rejicula mancipia confertur, ut gregatim vendatur.

CŎEMPTĬŌNĀTOR. *V.* voc. seq. sub 2.

CŎEMPTOR *vel* coemtor, ōris, m. 3. ¶ 1. Coemptor est qui plura simul emit. *Juvenal.* 14. 293. frumenti dominus piperisque coemptor. *Al. rectius leg.* coempti. *Apul. de Mag.* Testium coemptor. ¶ 2. Item qui coemptionem facit. *Ulp. lib. regular. tit.* 11. *De tutelis* n. 5. Qui liberum caput mancipatum sibi vel a parente, vel a coemptore manumisit. *Al. leg.* coemptionatore. Ita profecto legitur apud *Cajum* 1. *Institut.* (edente *Goeschenio*) § 115., 118. et 166. Qui liberum caput mancipatum nobis vel a parente, vel a coemptionatore manumiserimus. *Ex quo liquet,* verba Ulpiani *nuperrime allata ex hoc* Caji *loco esse desumpta.* Adde *Caj.* 3. *ibid.* 84.

CŎEMPTUS *vel* coemtus, a, um. *V.* COEMO.

CŒNA vel cœna vel cena, æ, f. 1. *Festus* p. 205. 15. *Müll.* docet, veteres *cesna* vel *cesna* dixisse pro *cœna.* — *Cœna* scribitur etiam cum diphthongo ae, *cæna*; et rectius sine diphthongo, *cena*, ut legitur in *Kalendar. Prænest.* ad prid. Non. April. apud *Fogginium.* Pro prima scriptione stat *Isid.*, cujus locum infra afferemus, et *Inscriptio* apud *Dausq.*, in qua ipse legit *caenarent.* Secundam habet *Festus*, et *Inscriptio* apud *Spon. Miscell. p.* 292., in qua *caenaculo* scriptum est. Tertiam denique plurimis adductis maximæ auctoritatis exemplis unice veram probavit *Marin. Frat. Arv.* p. 287., qui ibid. affirmat, in *Inscriptione* a *Dausquio* allata, et Spoleti adhuc exstante, non *cænarent*, sed *cenarent* suismet oculis vidisse: in *Inscriptione* vero, in qua *cænaculo* legit *Sponius*, quisque *cenaculo* legat necesse esse, cum ipsa apud Lirim amœnem adhuc exstet, atque ita ediderit *Manutius.* — Ratione habita etymi rectius deducitur a Gr. θοίνη *epulum, convivium*, quam a κοινῇ *communis*, ut proprie sit epulatio multorum simul vescentium, quemadmodum putabat *Isid.* 20. *Orig.* 2. 14. Cœna vocatur a communione vescentium: κοινὸν quippe Græci commune dicunt. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 7., et cf. *Plutarch. Symposiac.* 8. 6. — Ceterum *cœna* est epulum, convivium, cibus, seu præcipuum apud Romanos epulum, quod apud antiquos Romanos circa meridiem fiebat, ad vesperam autem ultimum fiebat epulum, quod *vesperna* dicebatur, teste *Paul. Diac.* p. 54. 4.; p. 338. 4. et p. 368. 8. *Müll. V.* et SCENSAS. In posterum vero *jentaculum* fuit primus cibus, quo jejunium mane solvebatur; *prandium* cœptus dici cibus circa meridiem sumptus; *merenda* cibus, qui tribus circiter post meridiem horis sumebatur; *cœna* denique in antiquissimæ vespernæ locum successit, h. e. ad vesperam fiebat tamquam epulum omnium præcipuum et copiosissimum. Hinc *prandium* et *cœna* quandoque opponuntur, ut apud *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 19. 89. Quid ego prandia, cœnas commemorem? Adde *Sueton. Vitell.* 13. (It. *cena, pranzo*; Fr. *dîner, repas*; Hisp. *comida*; Germ. *die Hauptmahlzeit der Römer*; Angl. *the principal meal of the Romans, a sort of late dinner*). ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Trin.* 2. 4. 69. Apposita sit cœna, popularem quam vocant. *h. e.* epulum, quod populo datur. Idem fortasse significat *cœna libera* apud *Petron. Satyr.* 26. *Burmann. Cic.* 5. *Tusc.* 34. 38. Negavit, se illo jure nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. *Seneca* 6. *Tranquill.* 1. Athenodorus ait: ne ad cœnam quidem se iturum ad eum, qui sibi nil pro hoc debiturus sit. — *a*) Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 35. ars cœnarum. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 25. et *Martial.* 10. 31. caput cœnæ. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 65. deûm cœnæ. *Gell.* 17. 8. fundus et fundamentum cœnæ. *Philargyr.* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 74. Genus cœnæ solemne, viaticum, adventicium, geniale. *Sueton. Vesp.* 2. honus cœnæ. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 38. impensæ cœnarum. *Martial.* 12. 48. magister cœnarum. *Petron. Satyr.* 92. ordo cœnæ. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 7. pater cœnæ. *Id.* 2. *Od.* 14. 28. pontificum cœnæ. Cf. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Rursus *Horat. A. P.* 91. Thyestæ cœna. — *b*) Item jungitur pluribus Adjectivis. *Sueton. Ner.* 42. abundantissima. *Varro* 3. *R. R.* 6. 6. et *Seneca Ep.* 95. aditialis. *V.* ADITIALIS. *Sueton. Vitell.* 13. adventicia. *V.* ADVENTICIUS. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22. antelucana. *Id.* 7. *Fam.* 26. 2. auguralis. *Juvenal.* 14. 171. amplior. *Catull.* 13. 3. bona atque magna. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 35. brevis. *Plaut. Men.* 1. 1. 25. centenaria. *V.* CERRALES. *Petron. Satyr.* 14. Cynica. *Ter. Phorm.* 2. 1. 28. et *Horat.* 2. *Sat.* 2. 77. dubia. *V.* DUBIUS. *Plaut. Cas.* 3. 6. 18. ebria. *Juvenal.* 5. 85. feralis. *Quintil.* 10. 1. 58. grandes. *Plin.* 9. *Ep.* 17. lautissima. *Petron. Satyr.* 26. libera. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 104. magna. *Id.* 3. *Od.* 29. 15. munda. *Plin.* 3. *Ep.* 1. nitida et frugi. *Plaut. Curc.* 5. 2. 61. et *Sueton. Cal.* 25. nuptialis. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 103. opimæ. *Plaut. Trin.* 2. 4. 69. popularis. *V.* supra. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 27. prior. *Sueton. Ner.* 16. publicæ. *Id. Domit.* 7. et *Martial.* 2. 69. et 7. 19. recta. *V.* RECTUS. *Apul.* 4. *Met.* Saliares. *Sueton. Tib.* 34. solemnes. *Seneca Thyest.* 900. et *Sueton. Claud.* 21. subita. *Seneca Ep.* 95. sumptuosa. *Cic.* 9. *Att.* 13. 6. tempestivæ. *Plaut. Capt.* 1. 2. 86. terrestris. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 86. varia. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 61. viatica. — *c*) Jungitur etiam nonnullis Præpositionibus. *Cato R. R.* 114. et 156. Ante cœnam. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. Hæc inter cœnam Tironi dictavi. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 25. 63.; *Quintil.* 9. 3. 58.; et *Sueton. Aug.* 71. *Cic. Dejot.* 7. 21. et *Quintil.* 1. 10. 19. post cœnam. *Sueton. Ner.* 22., *Tib.* 56., *Domit.* 21. et *Vesp.* 22. Super cœnam. Fercula *ante cœnam* sunt quæ principio cœnæ inferuntur; quæ vero deinde apponuntur, *in cœna* appellantur. *Metellus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Cœna hæc fuit: Ante cœnam echinos, ostreas, peloridas, turdum, asparagos etc. In cœna sumen, sinciput aprugnum, patinam piscium etc. *V. Horat.* 2. *Sat.* 8.; *Plin.* 1. *Ep.* 15.; *Martial.* 11. 53.; et *Juvenal.* 5. et 11., qui cœnarum Romanarum apparatum, et fercula describunt. — *d*) Cum Præpositionibus et Verbis. *Ter. Heaut.* 1. 2. 9. et *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 91. abducere aliquem ad cœnam. *Plaut. Men.* 1. 2. 15. et 38. et *Stich.* 3. 1. 38. condicere ad cœnam aliquo. *Ter. Andr.* 2. 2. 32. ferre aliquid in cœnam alicui. *Val. Max.* 8. 1. 8. fit aliquid in cœnam. *Ejus* verba sunt: Rogatus, ut omasum in cœnam fieri juberet. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 17. *Burmann.* Quem ex eis (*porcis*) vultis in cœnam fieri? *h. e.* coquere et condire cœnæ causa. *Cic.* 7. *Fam.* 9. et *Quintil.* 7. 3. 33. invitare aliquem ad cœnam. *Ter. Eun.* 3. 2. 6. ire ad cœnam. *Cato R. R.* 5. et 143. ire ad cœnam aliquo. *Cic.* 9. *Fam.* 24. 2. itare ad cœnam. *Plin.* 1. *Ep.* 15. promittere alicui ad cœnam. *h. e.* se iturum ad cœnam. *Sueton. Tib.* 56. proponere quæstiones super cœnam. *h. e.* inter cœnandum. *Ter. Heaut.* 3. 1. 46.; *Cic. Rosc. Am.* 35. 98. et *Cœl.* 8. 20. redire a cœna. *h. e.* domum suam post cœnam reverti. *Ter. Eun.* 2. 2. 35.; *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. § 19.; et *Horat.* 1. *Ep.* 7. 61. venire ad cœnam. *Ter. Andr.* 2. 6. 22. et *Phorm.* 5. 9. 64.; *Cic.* 6. *Att.* 3. 9.; *Horat.* 2. *Sat.* 7. 30.; et *Sueton. Tib.* 6. vocare ad cœnam. — *e*) Cum Verbis tantummodo. *Gell.* 17. 8. accipere aliquem cœnâ. *Quintil.* 11. 2. 12.; *Plin.* 6. *Ep.* 31.; et *Sueton. Cæs.* 73. et *Claud.* 32. adhibere aliquem cœnæ. *Plaut. Rud.* 2. 6. 25. anteponere cœnam. *Ter. Heaut.* 1. 1. 14. apparare. *Id. Phorm.* 2. 2. 28.; *Sueton. Galb.* 12. et *Plin.* 3. *Ep.* 1. apponere. *Martial.* 13. 14. claudere cœnas lactuca. *Plaut. Rud.* 2. 6. 25. cœnare cœnam. *Varro* apud *Non.* p. 249. 8., p. 232. 9. et p. 349. 9. *Merc.* Committere cœnam maturo ovo. *Sueton. Tib.* 42. et *Claud.* 21. condicere cœnam alicui. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 91. condire cœnam suavitate. *Id. Aulul.* 2. 7. 3. et *Cas.* 3. 6. 10.; *Cœlius Antipater* apud *Gell.* 10. 24.; et *Nepos Cim.* 4. coquere cœnam. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 32. curare cœnam. *Id. Capt.* 3. 1. 34. et 4. 4. 2.; *Ter. Heaut.* 3. 1. 46.; *Cic.* 9. *Fam.* 20. 2.; et *Sueton. Oth.* 3. dare cœnam alicui. *Quintil.* 7. 3. 31. deesse cœnæ. *Horat. A. P.* 376. ducere cœnam. *Cic.* 9. *Att.* 13. 6. et 9. *Fam.* 24. 2. facere cœnas. *Plin.* 7. *Ep.* 3. facere cœnam alicui. *h. e.* parare, curare, dare. *Cic. Rosc. Am.* 21. 59. imperare cœnam puero. *Gell.* 2. 24. instruere cœnam pomis et oleribus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 116. ministratur cœna pueris. *Cic.* 9. *Att.* 13. 6. obire cœnas. *Sueton. Aug.* 74. præbere cœnam ternis ferculis. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 70. producere cœnam jucunde. — *f*) *Cœna comesa venisse*, proverbio dicitur, qui sero et re confecta advenit. *Varro* 1. *R. R.* 2. 11. — *g*) *Cœnam rapere de rogo*, proverbio dicitur apud *Catull.* 59. 3., de famelicis et esurientibus. ¶ 2. Latiori sensu. — *a*) *Cœnam* pro ipsis convivis dixit *Juvenal.* 2. 120. Ingens cœna sedet. — *b*) In illo *Plinii* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (11). Quam cœnam appellavit ille nidum: *cœna* ponitur pro loco, in quo cœnatur. *V.* integrum loc. — *c*) *Prima, altera, tertia cœna* apud *Martial.* 11. 31. sunt prima, secunda, tertia cœnæ fercula.

CŒNACELLUM *et* cænacellum, i, n. 2. deminut. a cœnaculum. Voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 140.

CŒNĀCŬLĀRĬUS *vel* cænacularius *vel* cenacularius, a, um, adject. ad cœnaculum pertinens. — Hinc

Cœnacularia, iæ, f. 1. absolute, substantivorum more, pro arte cœnacularia: unde *cœnaculariam exercere* apud *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. § 1. dicitur is, qui cœnacula conducit, ut aliis cum lucro locet.

Cœnacularius, ii, m. 2. absolute est, qui cœnaculum conducit. *Ulp. Dig.* 13. 7. 11. § 5.

CŒNĀCŬLĀTUS *vel* cœniculatus, a, um, adject. qui cœnaculum habet. Hinc *domus cœniculata*, quæ summum cœnaculum habet, legitur apud *Marin. Papir. dipl.* n. CXXIII. § 2. et n. III. p. 336. *col.* 2. Hæ autem papyri pertinent ad ann. a Chr. n. DCXVI.: et

propterea, ratione habita ætatis, hæc quoque vox a Lexico est expungenda.

CŒNĂCŬLUM *vel* cœnaculum *vel* cenaculum, i, n. 2. (cœna).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 162. *Müll.* Ubi cubabant, cubiculum; ubi cœnabant, cœnaculum vocitabant. – Posteaquam in superiore parte cœnitare cœperunt, superioris domus universa cœnacula dicta. Hæc *Varro*. Itaque in hac posteriori significatione fere adhibetur (It. *parte superiore della casa, soffitta*; Fr. *étages supérieurs, chambres placées à ces étages*; Hisp. *el superior quarto de casa*; Germ. *Sprachgebrauche, die einzelnen Zimmer des oberen Gestockes*; Angl. *the upper part of a house, the garret, attic*). A Græcis ὑπερῷον dicebatur, ut et *Gloss. Labb.* testantur. Hinc *Paul. Diac.* p. 54. 8. *Müll.* Cœnacula dicuntur, ad quæ scalis ascenditur. *Liv.* 39. 14. Hispalæ cœnaculum super ædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso. — Creberrimæ erant Romæ ædes cum cœnaculis. Nam cum crevisset in immensum populi multitudo, omnesque jam areæ ædificiis occupatæ essent, id unum reliquum fuit, ut ipsæ ædes in magnas altitudines additis contignationibus extollerentur, ut narrat *Vitruv.* 2. 8. 17. *Schneid.* Hinc *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Roma in montibus posita et convallibus, cœnaculis sublata atque suspensa. — Hujusmodi cœnacula in diversa cubicula distincta solebant locari pauperibus. Nam ditiores in planis ædium habitabant, ut commodioribus. Hinc *Horat.* 1. *Ep.* 1. 91. Quid pauper? viden', ut mutat cœnacula, lectos etc.? *Juvenal.* 10. 17. egregias Lateranorum obsidet ædes Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles. *Sueton. Vitell.* 7. Meritorium cœnaculum. Adde *eumd. Aug.* 78.; *Quintil.* 6. 3. 64.; et *Dig.* 7. 1. 13. § 8., 8. 2. 41. pr., 9. 3. 5. § 9. et 19. 2. 30. *Inscript.* apud *Orell.* 4323. IN PRAEDIS IVLIAE SP. F. FELICIS LOCANTVR BALNEVM VENERIVM ET NONGENTVM TABERNAE PERGVLAE CENACVLA EX IDIBVS AVG. PRIMIS IN IDVS AVG. SEXTAS. ANNOS CONTINVOS QVINQVE. — Cœnaculum etiam vocatum fuit pars superior in Circo tecta porticu. *Sueton. Aug.* 45. Ipse Circenses ex amicorum fere libertorumque cœnaculis spectabat. *V.* plura hac super re apud *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 420. *edit. Patav.*: et cf. *Inscript.* apud *Orell.* 4324. LOCANTVR EX I. IVLIS PRIMIS TABERNAE CVM PERGVLIS SVIS ET COENACVLA EQVESTRIA ET DOMVS etc. Ubi *Orell.*: *equestria*, quod voc. is jungit cum v. *cœnacula*, solitam significationem retinere credo seditionem, locorum equestrium in theatro, quæ simul cum ædibus locarentur. — Quod in quibusdam inscriptionibus monumentorum legitur cœnaculum sepulcro adjunctum, putat *Spon. Miscell.* p. 292. esse locum, in quo daretur cœna, seu epulum ex testamento defuncti.

II.) Translate. *Ennius* apud *Tertull. advers. Valentinian.* 7. Cœnacula maxima cœli. *h. e.* superioris cœli partes. Cf. *Interpres Virgil.* edent. *Mai.* p. 63. *Plaut. Amph.* 3. 1. 3. *de Jove.* In superiore qui habito cœnaculo. *Alcim. Ep.* 78. Cœnaculum furni.

CŒNĀRĬUS, ii, m. 2. officium monasticum, penes quem erat cura reficiendorum fratrum æstivis diebus vespere. *Inscript.* apud *Margarin. Inscript. Basil. S. Pauli* p. 16. *n.* 222. HIC IACET NOMINE MATRONA C. F. (*h. e.* clarissima femina) IN PACE VXOR CORNELII PRIMICERII CENARIORVM. Pertinet hæc inscriptio ad ann. a Chr. n. CCCCLII. At *Jo. Lamius* in opera, cui titulus *De erudit. Apostolor.*, p. 244., recte putat legendum *cellariorum* pro *cœnariorum*.

CŒNĀTĬCUS *vel* cænaticus *vel* cenaticus, a, um, adject. ad cœnam pertinens. *Plaut. Capt.* 3. 1. 30. Est illic mihi una spes cœnatica. *h. e.* cœnandi. — Hinc

Cœnaticum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est pecunia, quæ pro cœna dabatur. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 171. *n.* XXXIII. C. IVLIVS AVG. L. NARCISSVS CENATICVM DEDIT SACERDOTIBVS ET HONORARIIS ET DECVRIONIBVS DVPLVM. — *Cœnatica, orum*, in *Cod. Justinian.* 12. 38. 3. erant genus exactionis, quod milites solebant a provincialibus exigere quasi pro cœna.

CŒNĀTĬO *vel* cænatio *vel* cenatio, ōnis, f. 3. (cœna) proprie esset manducandi actio in cœna: sed occurrit metonymice tantum, et est locus, in quo cœnatur (It. *cenacolo, refettorio, tinello*; Fr. *salle à manger*; Hisp. *comedero, comedor*; Germ. *d. Speisezimmer*; Angl. *an apartment for supping in*). Differt a triclinio, ut patet ex *Plin.* 2. *Ep.* 17. et 5. *ibid.* 6. Utrobique enim cœnationem et triclinium diversis in locis nominat. Item ex *Servio* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 702., ubi negat hæc duo idem esse. Unum autem discrimen in eo videtur esse, quod triclinium est tantummodo is locus, in quo lecti tricliniares sternuntur; cœnatio vero latius patet, et eum quoque locum significat, in quo stibadium, seu sigma ad accumbendum adhibebatur. Aliud, quod cœnatio in summa parte ædium fuit, triclinium non item: item cœnatio angustior et domesticorum, triclinium amplius et excipiendis hospitibus. Aliæ fortasse differentiæ erui poterunt ex locis Scriptorum, quos subteximus, in quibus cœnationum mentio fit. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 2.; *Seneca Provid.* 4., *Consol. ad Helv.* 9., *Ep.* 95. et 115., et 4. *Quæst. nat.* 13.; *Petron. fragm. Tragur.* 77. *Burmann.*; *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 12. (60).; *Juvenal.* 7. 181.; *Martial.* 2. 59.; et *Sueton. Ner.* 31. — Cœnationes primo in summa ædium parte fuisse sub dio, postea vero tecto coopertæ, cl. *Furlanetto* videbantur. *Seneca Ep.* 90. § 8. Ista nata sunt jam nascente luxuria: non enim tecta cœnationi epulum recepturæ parabantur. *et mox* § 12. Versatilis cœnationi laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula mutentur.

CŒNĀTĬUNCŬLA *vel* cænatiuncula *vel* cenatiuncula, æ, f. 1. *deminut.* a cœnatio, parva cœnatio. *Plin.* 4. *Ep.* 30. Fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manufacta. Et *Not. Tir.* p. 166. Cœnatiuncula.

CŒNĀTŌRĬUS *vel* cænatorius *vel* cenatorius, a, um, adject. ad cœnandum pertinens. *Capitolin. Maxim. jun.* 4. Vestis cœnatoria. *Sidon.* 2. *Ep.* 9. *ad fin.* fames. — Hinc

Cœnatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est etiam locus cœnando factus, cœnatio. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 533., quæ est apud *Orell.* 2393. IOVI *optimo maximo* DOLICHENO Q. PUBLICIVS MODESTINVS SEVIR ET CLAVD. CENATORIVM *pecunia* SVA *fecit*. *Gloss. Cyrill.* Cenatorium, οἴκημα, δειπνητήριον. Exhibent etiam *Not. Tir.* p. 166. Cœnatorium, cœnatio.

Cœnatoria, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt cœnatoriæ vestes. *Petron. Satyr.* 21. Lassitudine abjecta cœnatoria repetimus. *Martial.* 10. 87. 12. Cœnatoria mittat advocato. Adde *eumd.* 14. 135. *in lemmate*; et *Pompon. Dig.* 34. 2. 34. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* 41. CENATORIA ALBA. Adde *ibid.* 4.

CŒNĀTŬRĬO *vel* cænaturio *vel* cenaturio, is, ire, a. 4. *desider.* a cœno, cupio cœnare. *Martial.* 11. 78. Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

CŒNĀTUS *vel* cænatus *vel* cenatus, a, um. *V.* CŒNO.

CŒNĬPĔTA, æ, utriusq. gen. 1. is qui cœnam petit. Apud *Martial.* 9. 15. est lemma *in amicum cœnipetam*.

CŒNĬTO *vel* cænito *vel* cenito, as, are, a. 1. *frequentat.* a cœno, sæpius cœno. Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Fam.* 16. 2. Ego si foris cœnitarem, Cn. Octavio non defuissem. *Id.* 9. *ibid.* 7. 1. et 9. *ibid.* 16. 7. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 50. (143). Cœnitare apud aliquem. *Varro* 5. *L. L.* 162. *Müll.* in superiore parte ædium. *Val. Max.* 2. 1. 2. cum aliquo. *Sueton. Ner.* 27. in publico. *Id. Aug.* 76. solum. — Et passive impersonaliter. *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. Ut patentibus januis prandiitaretur, et cœnitaretur. — *b*) Cum Accus. *Apul.* 9. *Met.* 1. sacrificales epulas cum sacerdotibus cœnitabat.

CŒNO *vel* cæno *vel* ceno, as, āvi, ātum, are, a. 1. De ratione scribendi *V.* CŒNA sub init. — Part. *Cœnans* et *Cœnaturus* sub *A. a.*; *Cœnatus* sub *A. d.*; *Cœnandus* sub *B. a.* — Cœnare est cœnam sumere (It. *cenare, mangiare*; Fr. *dîner, faire un repas, manger*; Hisp. *comer*; Germ. *die Hauptmahlzeit einnehmen, zum Abende speisen*, und *überh. Mahlzeit halten, speisen*; Angl. *to sup*). Occurrit autem *A*) Absolute sive neutrorum more, et *B*) Cum Accusativo.

A) Absolute cœnare est cœnam sumere, manducare: et usurpatur — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 156. Si voles in convivio multum bibere cœnareque libenter, ante cœnam esto crudam quantum voles ex aceto, et item, ubi cœnaveris, comesto aliqua V. folia. *Plaut. Amph.* 1. 1. 159. Apage, non placet me hoc noctis esse: cœnavi modo. *Ter. Andr.* 1. 1. 61. Eho, quid Pamphilus? quid? symbolam dedit, cœnavit. *Id. Eun.* 5. 4. 14. Cœnare cum aliquo. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 70.; *Sueton. Cal.* 24.; et *Juvenal.* 10. 235. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 246. Illud egregium Sexti et ex tempore: *Manus lava, inquit, et cœna*. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. § 19. Cum Pomponia foris cœnaret. Cf. *Plaut. Men.* 1. 2. 17. et *Martial.* 12. 19. *Id.* 1. *Fam.* 2. 3. Eo die casu apud Pompejum cœnavi. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 7. 1., 2. *ad Q. fr.* 6. 2., 2. *Orat.* 86. 352. et 2. *ibid.* 60. 246.; *Nepot. Hann.* 12.; et *Sueton. Cæs.* 39. Rursus *Cic.* 13. *Att.* 52. 1. Triclinium, ubi cœnaturus ipse Cæsar esset. *Id. Vatin.* 13. 31. In funere familiari cum toga pulla cœnare. *Id.* 2. *Invent.* 4. 14. Cœnare simul. *Varro* 5. *L. L.* 162. *Müll.* Ubi cœnabant, cœnaculum vocitabant. *Cels.* 1. 3. *post med.* Qui vomuit, si mane id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde cœnare. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 18. Sed queis cœnantibus una. *Quintil.* 7. 3. 31. Cœnare in littore. *Gell.* 19. 7. ad aliquem. *h. e.* apud aliquem. — *b*) Jungitur pluribus Adverbiis modum significantibus, quorum hæc sunt præcipua. *Plin.* 1. *Ep.* 15. apparatius. *Martial.* 11. 35. belle. *Lucilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. numquam bene in vita cœnasti. Adde *Catull.* 13. 1.; et *Horat.* 1. *Ep.* 6. 46. *Juvenal.* 5. 112. civiliter. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 25. frugaliter. *Id. ibid.* honeste. *Plaut. Cas.* 3. 6. 19. lepide nitideque. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. libenter. *Id.* 5. *Tusc.* 34. 97. melius. *Id.* 2. *Fin.* 8. 24. nequiter, prave, turpiter. — *c*) Passive impersonaliter. *Nepos Att.* 14. Neque umquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est. *Sueton. Tib.* 44. Ut multis ministrantibus cœnaretur. *Liv.* 2. 4. Cum cœnatum apud Vitellios esset. Quædam editiones cum antiquis a. 1470. et 1480. habent: *Cum cœnati apud Vitellios essent*: ex qua lectione docent nonnulli, æque recte dici *cœnatus sum* in præterito, ac *cœnavi*: quod et *Varro* admittit apud *Gell.* 2. 25. — *d*) Part. præter. *Cœnatus*, quemadmodum *potus* et *pransus*, vocis passivæ, significationis autem activæ, seu potius deponentis, ut ait *Varro l. nuperrime cit.*, est qui cœnavit. *Plaut. Aulul.* 2. 7. 5. Si autem deorsum comedent, si quid coxerint, Superi incœnati sunt, et cœnati inferi. Adde *eumd. Curc.* 2. 3. 75. *Cic. Dejot.* 7. 20. Cur te lotum voluerit, cœnatum noluerit occidere? *Id.* 1. *Divinat.* 27. 57. Qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte, etc. *Id.* 2. *Att.* 16. 1. Cœnato mihi et jam dormitanti epistola est illa reddita. *Sall. Jug.* 114. Statim milites cœnatos esse jubet. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 10. 61. et *Varron.* apud *Non.* p. 94. 18. *Merc.*

B) Cum Accusativo — *a*) Rei, quæ in cœna comeditur. *Plaut. Rud.* 2. 6. 24. Scelestiorem cœnam cœnavi tuam, quam quæ Thyestæ quondam posita est. *Id. Pers.* 4. 3. 4. Cœnare alienum. *Id. Pseud.* 3. 2. 56. coctum. *Id. Rud.* 2. 6. 24. cœnam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 234.; et *Martial.* 12. 17. aprum. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 27. aves, conchylia, pisces. *Id.* 1. *Ep.* 5. 2. olus. *Id.* 1. *ibid.* 15. 34. patinas omasi. *Id.* 1. *ibid.* 18. 48. pulmenta laboribus empta. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 51. 72. (142). Cœnare summas rerum naturæ opes. *h. e.* in cœna absumere. *Id.* 24. *ibid.* 1. 1. (4). Cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet. *scil.* herbas comedendo. *Juvenal.* 1. 95. Cœnare fercula septem. *Id.* 8. 85.; et *Martial.* 12. 17. ostrea. *Apul.* 4. *Met.* Saliares se cœnasse cœnas crederet. *Pers.* 5. 9. Olla sæpe insulso cœnanda Glyconi. — *b*) Joculariter *Plaut. Asin.* 5. 2. 86. Ecastor cœnabis hodie, ut dignum est, magnum malum. *ubi est Accusativus rei, sive mali, quod quis cœnæ loco pati debebat.* — *c*) Cum Accusativo rei, quæ in cœna fit, vel agitur. *Poeta* apud *Sueton. Aug.* 70. Dum nova divorum cœnat adulteria. *h. e.* inter cœnandum adulteria committit cum feminis dearum habitu sedentibus. — *d*) Cum Accusativo temporis, quod cœnando transigitur. *Plaut. Truc.* 2. 2. 26. Tuas centum cœnatas noctes mihi dono dari. *h. e.* noctes, quæ hunc cœnando traducuntur.

CŒNŌBĪTA, æ, m. 1. Cœnobitæ dicuntur, qui in eodem simul loco sub iisdem legibus vivunt, quales sunt quos hodie *Fratres* appellamus: de quibus multa *Augustin.* 1. *Mor. Eccles. Cathol.* 31. Est autem Græca vox a κοινός communis, et βίος vita. *Hieronym. Ep.* 22. n. 34. et 35.

CŒNŌBĬUM, ii, n. 2. κοινόβιον. Græca vox est, et proprie significat vitæ societatem et communitatem: a κοινός communis, et βίος vita. Sed accipitur etiam pro loco, in quo simul vivunt, qui Cœnobitæ dicuntur. *Hieronym. Ep.* 22. n. 36.

CŒNŌMYĪA, æ, f. 1. quadrisyllab. κοινόμυια. *Hieronym. Ep.* 106. n. 86. Κυνόμυια, non, ut Latini interpretati sunt, *musca canina*, dicitur per υ Græcam litteram; sed juxta Hebraicam intelligentiam per δίφθογγον debet scribi οι, ut sit κοινόμυια, id est, *omne muscarum genus. Id. in Isaj.* 3. 7. 10. Misit Dominus ranas, locustas, cíniphes et cœnomyiam. *Vulgat. interpr. Psalm.* 77. v. 45. Misit in eos cœnomyiam.

CŒNON, i, n. 2. κοινόν, collyrii genus. *Inscript.* apud *Orell.* 4234. C. STLP. HYPNI COENON AD CLARITATEM. Sic *Tochon, cachets des oculistes p.* 63. Hypni cœnon ad claritatem. *Id. ibid. p.* 62. P. Ælii Theophiletis cœnon ad claritatem.

CŒNŌNĒSIS, is, f. 3. κοινώνησις, communicatio, inter sententiarum figuras recensetur ab *Isid.* 2. *Orig.* 21. Cœnonesis autem dicitur communicatio consilii cum judicibus aut adversariis, ut si dicas: Vos consulo judices, aut vos adversarii; quid me facere convenit, aut quid vos facturi fueritis. *Vulg. editt.* habent cœnosis *vel* kœnosis; *sed male.*

CŒNŌPUS. *V.* CHENOPUS.

CŒNŌSĬTAS *vel* cœnositas, ātis, f. 3. locus cœnosus. *Fulgent. in Contin. Virgil. p.* 156. *Munk.* In temporales gurgitis cœnositates, morumque feculentias transit.

CŒNŌSUS *vel* cænosus, a, um, adject. Comp. *Cœnosior* I. — Cœnosus est plenus cœno.

I.) Proprie. *Colum.* 7. *R. R.* 10. 6. Cœnosus lacus. *Juvenal.* 3. 266. gurges. *Solin.* 40. *ad fin.* Cœnosior liquor. — *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. bis. ed. *Aldo.* Semen (*virile*) aut cholericum, aut aquosum, aut cœnosum. *h. e.* spissum nimis atque concretum.

II.) Figurate. *Salvian.* 3. *Gub. D.* 10. *a med.* Quis est aut humano sanguine non cruentus, aut cœnosa impuritate non sordidus? *scil.* vitiorum.

CŒNŌTĒTA, æ, f. 1. κοινότης, analogia, quam morbi et eorumdem curandorum modi ad se invicem habent. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 16. (p. 269. *Haller.*). Urgentiore cogente cœnoteta.

CŒNŬLA *vel* cænula *vel* cenula, æ, f. 1. *deminut. a* cœna, parva cœna. *Cic.* 9. *Fam.* 24. 2. Cœnulas facere. *Id.* 5. *Tusc.* 32. 91. Hesterna cœnula non intellexistis, me pecunia non egere? *Varro* apud *Non.* p. 408. 3. *Merc.* Cœnulam sermone variare. *Martial.* 5. 79. Cœnula parva. *Sueton. Claud.* 21. condicta.

CŒNŬLENTUS *vel* cænulentus, a, um, adject. cœno conspersus. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Cœnulenti pedes.

CŒNUM, i, n. 2. Scribitur et cænum per *ae*. Sic enim legi in veterib. libris, et Virgilio Carpensi, testatur *Manut.* in *Orthogr.*: cf. et *Wagner. Orthogr. Virgil. p.* 419. et seq. Sed *Dausq.* alteram magis probat: frequentior certe est. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est a κοινὸν *sordidum*; sed juxta recentiores philologos hæc vox conjungenda est cum *cunio*, unde *inquino*. — Ceterum cœnum est variarum sordium collectio, quæ fastidium affert (It. *fango, lordura*; Fr. *boue, fange, ordure*; Hisp. *lodo, cienno*; Germ. *Unflath, Koth, Unrath*; Angl. *dirt, mire, mud, filth*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 3. 133. Pulcrum ornatum turpes mores cœno pejus collinunt. Adde eumd. *Pœn.* 4. 2. 4. Cœno collitus. *Lucret.* 6. 978. Volvi in cœno. *Cic.* 4. *Tusc.* 24. 54. Omnes stultos insanire, ut male olere omne cœnum. *Id.* 7. *Verr.* 68. 173. Oblitus cœno. *Id. fragm.* apud *Lactant.* 3. 19. Jacere in cœno. Adde *eumd.* 2. *Att.* 21. 4.; *Virg.* 4. *G.* 40. et 6. *Æn.* 296. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 27. Cœno cupiens evellere plantam. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 418.; et *Colum.* 2. *R. R.* 15. 16. et 7. *ibid.* 4. 6. *Curt.* 3. 13. 11. Demergi in cœnum. Adde *eumd.* 4. 3. 25. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 22. (36). Damnantur fontes, qui cœnum faciunt. Adde *eumd.* 31. *ibid.* 6. 32. (61).; et *Stat.* 9. *Theb.* 502. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Loca tenacia gravi cœno. Adde *Sueton. Vitell.* 17.; *Paul.* 5. *Sentent.* 4. 13.; et *Dig.* 41. 1. 26. § 3. *Lactant.* 6. 23. Immergere se cœno. — Cœnum *bibulum* est arena apud *Stat.* 4. *Silv.* 3. 20. Hic, cœno bibulo viam gravante, Et campis iter amne detinente, Longos eximit ambitus. *Cœnum* vero *tenax* est lutum apud *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 443. cunctantia pronus Per vada reptabat cœno submixta tenaci. — Proverb. est illud *Lucilii* apud *Non. p.* 138. 22. *Merc.* Mordicus petere aurum e flamma expediat, e cœno cibum. *V.* FLAMMA.

II.) Figurate. ¶ 1. Cœnum usurpatur pro statu seu conditione vili ac sordida. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 17. Ex lutulento cœno elicere aliquem. Cf. *eumd. Pœn.* 4. 2. 4. *Lucret.* 3. 77. Ipsi se in tenebris volvi, cœnoque queruntur. *h. e.* humilem ac sordidam vitam ducere. *Liv.* 10. 15. Ex cœno plebejo consulatum extrahere. ¶ 2. Est etiam convicium in sordidum ac vitiosum hominem. *Plaut. Pers.* 3. 3. 2. O eho! lutum lenonium, commixtum cœnum, sterquilinium publicum, impure, inhoneste etc. Adde *eumd. Pseud.* 1. 3. 132. *Cic. Dom.* 18. 47. O cœnum, o portentum, o scelus! *Id. Sext.* 8. 20. Habeo quem opponam labi illi atque cœno.

Homonym. *Cœnum* differt a *luto*, quod *cœnum* est, ut diximus, variarum sordium collectio, quæ fastidium parit, unde *Cic.* 4. *Tusc.* 24. 54. *male olere omne cœnum* ait; *lutum* vero sola aqua et terra constat. *Paul. Dig.* 47. 11. 1. Si quis aliquem cœno, luto obliniverit. *V.* et LIMUS.

CŌEO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, 4. (cum *et* ire). Quod ad scriptionem attinet, nonnulli *conire* scribebant, quos carpit *Quintil.* 1. 6. 17. et 1. 5. 69. — Præteritum perfectum Infiniti *coïisse* occurrit apud *Virg.* 12. *Æn.* 709.; *coïsse* apud *Propert.* 3. 15. 8. et 3. 2. 6., et *Ovid.* 6. *Fast.* 94. — Part. *Coiens* sub *A.* 1.° 1. a.; *Coitus* sub *A.* 2.° b.; *Coiturus* sub *B.* 2.; *Coeundus* sub *A.* 2.° b. — Coeo est simul eo, convenio, conjungor (It. *andare insieme, unirsi*; Fr. *aller ensemble, venir ensemble, se réunir, se joindre*; Hisp. *ir juntos, juntarse*; Germ. *zusammengehen*; Angl. *to go or come together, assemble, meet, collect, resort*). Occurrit autem *A*) de animalibus; *B*) de inanimis; et *C*) de abstractis.

A) De animalibus usurpatur 1.°) materiali, aut 2.°) morali significatione.

1.°) De materiali animalium conjunctione occurrit ¶ 1. Generatim, et quidem — *a*) Absolute. *Liv.* 2. 50. Coeuntibusque Hetruscis, jam continenti agmine sæpti, – cogebantur breviore spatio et ipsi orbem colligere. *Ovid.* 11. *Met.* 24. Et coeunt, ut aves si quando luce vagantem Noctis avem cernunt. *Id.* 3. *Fast.* 753. Millia crabronum coeunt, et vertice nudo Spicula defigunt. *Curt.* 8. 12. 9. Coivere, quod ex utriusque vultu posset intelligi, amicis animis. *Id.* 10. 3. 6. Et cum frequentes coissent (*milites peregrini*), adhibito interprete talem orationem habuit. Adde *eumd.* 6. 8. 23., 10. 6. 15., 10. 8. 23. et alibi. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coeuntium scrutarentur. — *b*) Addito loco, versus quem plures coeunt. *Cic.* 7. *Att.* 3. 10. Coire in Piræeum. *Curt.* 6. 8. 17. et 10. 8. 14. in regiam. *Tac.* 4. *Ann.* 69. in aliquem locum. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Coimus (*h. e.* alter alteri obvius est) in porticum Liviæ, cum alter ad alterum tenderemus. *Ovid.* 4. *Met.* 83. ad solitum locum. *Curt.* 7. 2. 21. ad aliquem. *Id.* 7. 2. 29. ad nemus. *Id.* 8. 1. 47. ad regiam. *Catull.* 64. 37. Pharsaliam. *Horat. Art. P.* 207. aliquo. *Curt.* 10. 8. 18. ad præstanda alicui justa. — *c*) Raro admodum addito loco, in quo plures conveniunt. *Vellej.* 2. 101. 1. Cum rege Parthorum – in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, æquato utriusque partis numero, coiit. *Sueton. Aug.* 35. Apud aram ejus dei, in cujus templo coiretur. Cf. *Lucret.* 5. 450. ¶ 2. Speciatim in re militari coire dicuntur milites, cum conglobantur ad se defendendos. *Cæs.* 1. *B. C.* 75. Reliqui coeunt inter se, et repentino periculo exterriti, sinistras sagis involvunt gladiosque distringunt, atque ita se a cetratis equitibusque defendunt. *Liv.* 7. 37. et *Virg.* 4. *G.* 73. Coire inter se. *Liv.* 6. 3. Neque se conglobandi coeundique in unum, aut arma capiendi datur spatium. Adde *Virg.* 9. *Æn.* 801. et 10. *ibid.* 410. *Curt.* 4. 15. 32. Coire ad sonitum notæ vocis, ut signum. Adde *eumd.* 4. 13. 4. *Vellej.* 2. 61. 2. Coire in formam justi exercitus. ¶ 3. Item in re militari occurrit de congressu pugnantium. *Virg.* 12. *Æn.* 708. genitos diversis partibus orbis Inter se coiisse viros et cernere ferro. Cf. *Ovid.* 3. *Met.* 236. *Manil.* 4. 83. Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres. *Lucan.* 2. 225. multumque coitur Humani generis majore in prælia damno. *Val. Flacc.* 3. 635. Quin age, quid tantæ coeunt in prælia gentes? Adde *eumd.* 8. 284. et 430. *Stat.* 10. *Theb.* 408. Hæc pugnæ facies: coeunt sine more, sine arte. — Hinc cœtus apud *Plaut. V.* CŒTUS I. Cf. *Nemesian.* 4. *Ecl.* 34. de niveâ coiere in cornua vaccâ (*tauri*). ¶ 4. Denique de congressu venereo, generationis causa, frequentissimum est. *Lucret.* 4. 1051. Veneris qui telis accipit ictus – Inde feritur eo tendit gestitque coire. *Ovid.* 11. *Met.* 744. coeunt fiuntque parentes. — *a*) Hoc sensu occurrit de brutis animalibus. *Ovid.* 3. *Fast.* 193. Cum pare quæque suo coeunt volucresque feræque, Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet. *Id.* 2. *Art. am.* 615. in medio passimque coit pecus. Adde *eumd.* 9. *Met.* 732. et 10. *ibid.* 394.; *Colum.* 6. *R. R.* 27. 3.; et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 74. (146). — *b*) De hominibus, occurrit etiam cum Dativo, idque non solum de mare, sed etiam de femina. *Ovid. Rem. am.* 33. Fac coeant furtim juvenes timidæque puellæ. *Id. Heroid.* 4. 129. Nec quia privigno videar coitura noverca. *Seneca Consol. ad Marc.* 17. Dionysius tyrannus arcesset ad libidinem mares feminasque; et inter fœdos regiæ intemperantiæ greges parum erit simul binis coire. *Cod.* 5. 17. 10. Coire uxori. *Cajus* 1. *Instit.* 84. alieno servo. *Curt.* 5. 1. 37. Liberos conjugesque cum hospitibus stupro coire. *Id.* 8. 2. 19. stupro cum liberis. *Id.* 8. 4. 26. cum captiva. *Quintil.* 7. 3. 10. cum aliena uxore. *Id.* 5. 11. 35. et *Cajus* 1. *Instit.* 85. cum ancilla. *Quintil.* 5. 9. 5. cum viro. — Occurrit etiam, quamvis raro, de legitimo matrimonio. *V.* infra sub 2.° *b.*

2.° Usurpatur et de morali plurium hominum conjunctione, et quidem — *a*) Absolute. — Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 25. ut coeat par jungaturque pari. *Id. Art. P.* 12. Sed non ut placidis coeant immitia, non ut Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. *Ovid.* 8. *Met.* 787. neque enim Cereremque Famemque Fata coire sinunt. *Id.* 6. *Fast.* 94. Binaque cum populis regna coisse suis. Cf. *Quintil.* 2. 16. 9. Ut vaga illa multitudo coiret in populos. — Speciatim usurpatur de plurium conjunctione, quæ fit ad certum aliquem finem, ut ad fœdus vel societatem ineundam, aut sæpius ad deliberandum quid agendum sit. *Ter. Eun.* 3. 4. 1. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo in hunc diem, ut de symbolis essemus: locus, tempus constitutum est. *Lex Voconia* apud *Cic. Cluent.* 54. 148. QVI EORVM COIT, COIERIT, CONVENIT, CONVENERIT, QVO QVIS IVDICIO PVBLICO CONDEMNARETVR. *Cic.* 1. *Att.* 17. 11. Cæsar cum eo coire per Arrium cogitat et Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse conjungi. *Id. post redit. in senat.* 7. 16. Cum hoc coire ausus es, ut etc.? *paullo ante dixerat* consociare consilia. Cf. *Id. Dom.* 18. 47. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Gentes, quæ simul coierunt. *Id. ibid.* 22. Principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum, et quo loco visum est, agri attribuunt. *Nepos Pelop.* 2. Nam duodecim adolescentuli coierunt. *Id. Att.* 8. Se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. *Liv.* 4. 7. Patricii – coiere et interregem creavere. Adde *eumd.* 4. 43. *Id.* 9. 26. Coire vel conjurare adversus rempubl. *Virg.* 12. *Æn.* 292. coeunt in fœdera dextræ. *Sueton. Aug.* 32. Plurimæ factiones, titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem coibant. *Tac.* 12. *Ann.* 47. Coire in societatem. Adde *eumd.* 3. *Hist.* 12. — Item speciatim occurrit de legitimi matrimonii conjunctione. *Virg.* 7. *Æn.* 317. Hac gener atque socer coeant mercede suorum. *Ovid.* 1. *Met.* 60. Coire tædæ jure. *Curt.* 8. 1. 9. connubio. *Id.* 9. 1. 26. et *Quintil.* 5. 11. 32. nuptiis. *Dig.* 24. 1. 27. matrimonio. *Ibid.* 45. 1. 134. *pr.* in matrimonium. — *b*) Hoc sensu usurpatur etiam cum Accusativo rei, *coire societatem* etc. activo more. *Cic.* 2. *Phil.* 10. 24. Utinam, Cn. Pompei, cum C. Cæsare societatem aut numquam coisses, aut numquam diremisses! *Id. Rosc. Am.* 31. 96. Si nullam societatem neque sceleris, neque præmii cum homine ullo coieras. *Id. ibid.* 31. 87. Coire societatem cum aliquo de aliqua re. Adde *eumd. Quinct.* 24. 76., *Rabir. perduell.* 7. 21., 1. *Legg.* 23. 60. et 2. *Nat. D.* 48. 123.; et *Nepot. Con.* 2. *Paul. Dig.* 17. 2. 65. Coire societatem in rem aliquam faciendam. Adde *ibid.* 48. 12. 2. *pr. Martian. ibid.* 47. 22. 1. Ne sub prætextu hujus illicitum collegium coeant. *h. e.* ineant, faciant. *Ibid.* 17. 2. 52. § 4. Negotiationem sagariam coire. — Et passive *Cic. Rosc. Am.* 7. 20. Societas coitur. *Id.* 5. *Fam.* 19. 2. Ad coeundam societatem vel periculi, vel laboris. Adde *Gell.* 1. 9. *in fin. Paul. Dig.* 17. 2. 65. *pr.* Si unius rei societas coita sit. *Ulp. ibid.* 17. 2. 52. Si plures sint inter eosdem societates coitæ. *Id. ibid.* 3. Societate sine pupilli auctoritate coita, pupillus non tenetur. Adde *Ammian.* 26. 6. *Nerat. Dig.* 12. 4. 8. Quod dotis causa nondum coito matrimonio datur. — *c*) Et cum Accusa-

tivo personæ. *Ovid. Heroid.* 6. 123. Mille procis placui, qui me coire querentes, Nescio quem thalamis præposuisse suis. *h. e.* qui me convenerunt. Alii tamen leg. *cupiere*, alii *petiere.*

B) De inanimis, quæ aliquo modo inter se adhærent vel uniuntur, coire usurpatur ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 395. semina – possint Concursare, coire et dissultare vicissim. *Id.* 1. 838. sanguenque creari Sanguinis inter se multo coeuntibus guttis. Adde *eumd.* 1. 770., 2. 564., 5. 191. et 664. *Liv.* 37. 31. Coit deinde (*murus* vel *urbs*) ex utraque parte in arctiorem velut cuneum. *Virg.* 11. *Æn.* 860. donec curvata coirent Inter se capita (*arcus*). Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 180. ut cornua (*lunæ*) tota coirent Efficerentque orbem. *Propert.* 3. 2. 6. Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem Sponte sua in muri membra coisse ferunt. *Ovid.* 4. *Met.* 377. ubi complexu coierunt membra tenaci. *Id.* 2. *ibid.* 670. tum digiti coeunt. *Id.* 5. *ibid.* 410. Quod coit angustis inclusum cornibus æquor. *Curt.* 7. 3. 9. Ad ultimum in carinæ maxime modum (*structura*) coit. Cf. *Seneca Hippol.* 1043. Ultima facies in monstrum coit. *h. e.* in monstri speciem componitur. Rursus *Curt.* 5. 1. 14. Iidem (*amnes*) – paulatim in arctius coeunt. *Id.* 8. 13. 9. Quasi in arctum coeuntibus ripis. Adde *Sil. It.* 1. 52. *Curt.* 5. 4. 24. Arborum rami alio alius implicati et coeuntes. *Cels.* 2. 8. Palpebræ dormientis non coeunt, sed album oculorum apparet. *Quintil.* 8. 3. 45. Labris coeuntibus. *Val. Flacc.* 3. 253. Porta coit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (97). Cornua bisulcis dentata forcipibus, cum libuit, ad morsum coeuntibus. *Stat.* 9. *Theb.* 502. Hac undæ coeant et ineluctabile cœnum. Adde *Quintil.* 11. 3. 21. ¶ 2. Speciatim ponitur de vulneribus, quæ clauduntur. *Cels.* 2. 10. Arteria incisa neque coit, neque sanescit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 93. (227). Cutis vulnerata non coit. Sic *Propert.* 3. 24. 18. Vulneraque ad sanum nunc coiere mea. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 40. Rumpere vulnera coeuntia. *Id.* 3. *ibid.* 2. 9. spatioque suo coitura putavi Vulnera. — Huc alludit *Horat.* 1. *Ep.* 3. 32. male sarta Gratia nequiquam coit, et rescinditur. Cf. *Petron. Satyr.* 113. Coeuntis gratiæ cicatricem recentem rescindere. ¶ 3. Item speciatim de iis, quæ frigore contrahuntur, aut inter se chæmica vi adhærent. *Lucret.* 6. 844. Frigore cum premitur porro omnis terra coitque Et quasi concrescit. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 85. Mentiar an coeat duratus frigore Pontus. *Virg.* 3. *Æn.* 30. gelidusque coit formidine sanguis. *Varro* 2. *R. R.* 11. 4. Ut coeat lac. *Cels.* 2. 8. Si in magno abscessu multum puris coit. *Colum.* 12. *R. R.* 10. 4. Ut defrutum et medicamenta coeant. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (178). Bitumen spissatur et in densitatem coit. ¶ 4. Denique de litteris et vocabulis. *Quintil.* 1. 4. 11. Vocalibus in se ipsas coeundi natura. *Id.* 1. 1. 37. Asperrime coeuntibus inter se litteris. Adde *eumd.* 9. 4. 35. *Id.* 1. 5. 67. Hæc non tam ex tribus (*vocabulis*), quam ex particulis trium coeunt.

C) De abstractis raro admodum occurrit. *Propert.* 3. 13. 8. Vix memini nobis verba coisse decem. *h. e.* decem verba nos inter nos fecisse. *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 41. Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat? Non possunt nullis ista coire modis. *Seneca* 2. *Benef.* 29. Cum quædam ne coire quidem in idem natura patiatur, ut velocitatem corporum et vires. *Lucan.* 8. 494. Virtus et summa potestas non coeant. *Quintil.* 11. 3. 9. Perfectum quiddam fieri, cum omnia coierunt, necesse est.

CŒPI, isti. *V.* voc. seq.

CŒPĬO, cœpis, cœpi, cœptum, cœpere, 3. De orthographia, non est dubium, quin per diphthongum oe scribendum sit. Ita enim fere in veterib. lapidib. et libris, testibus *Manut.* et *Cellar.* Accedit auctoritas grammaticorum, qui *cœpi* a *cœpio*, hoc est incipio, deduci ajunt, et *cepi* a *capio*. Quod enim apud *Plaut.* legitur in *Merc.* 5. 2. 9. *Lora in manus cœpi meas.* et in *Pœn.* 5. 5. 5. *Pignus cœpi*: id inconstantiæ editionum et MSS. tribuendum est. In *Monum. Ancyr.* habetur *opera cœpta.* Sed hoc exemplum fortasse unicum est. — Part. *Cœptus* sub *B.* 2.° et in fin.; *Cœpturus* sub *B.* 1.° — Ratione habita etymi, *cœpio* est vel compositum a *cum* et *apio*, vel derivatum a *capio*, *cepi*. — Cœpio est idem ferme quod incipio (It. *cominciare*; Fr. *commencer*; Hisp. *comenzar*, *empezar*; Germ. *angreifen*, *beginnen*, *anfangen*, *unternehmen*; Angl. *begin*, *have begun*, *or taken in hand*). Ratione autem usus, distinguendum est. *A*) Præsens *cœpio* a *B*) Præterito *cœpi*, *cœpisti* etc.

A) *Cœpio* antiquum est ac parum usitatum: occurrunt enim tantummodo Præs. *cœpio* et *cœpĕre*, Fut. *cœpiam*, et Imperf. *cœperet* dubia tamen lectione: porro jungitur fere cum Accusativo rei. V. *Paul. Diac.* p. 59. 10. *Müll.* et *Non.* p. 89. 16. *Merc.* Cato apud *Paul. Diac.* *l. c.* Cœpiam seditiosa verba loqui. *Plaut. Pers.* 1. 3. 41. Lubido extemplo cœpere est convivium. *Id. Men.* 5. 5. 37. Neque pugnas neque ego lites cœpio. *Id. Truc.* 2. 1. 23. Ubi nihil habeat, alium quæstum cœpiat. *Cæcilius* apud *Non.* *l. c.* Aere obscuro hercle desine, mane cœpiam. *Ter. Adelph.* 3. 4. 33. Aut non sex totis mensibus prius olfecissem, quam ille quidquam cœperet. Ita hic legit *Priscian.* 10. p. 879. et 18. p. 1193. *Putsch.* Alii *cœperit.*

B) Quod ad alia tempora attinet, usurpantur Præter. act. *cœpi*, *cœpisse*, Plusquam perf. *cœperam*, Fut. exact. *cœpero*, Part. fut. *cœpturus* et Perf. pass. *cœptus sum*: cetera enim tempora sumuntur ab *incipere*, ut patet ex *Cic.* 7. *Verr.* 10. 27. et *Ovid.* 1. *Art. am.* 615. — Quod vero ad constructionem attinet, occurrit — 1.°) Absolute, et quidem — *a*) De personis, quæ aliquid facere incipiunt. — Generatim. *Cic. Rab. Post.* 3. 5. Ut magis pœniteret cœpisse, quam liceret desistere. Cf. *Ovid. Heroid.* 9. 23. Cœpisti melius, quam desinis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 40. Dimidium facti, qui cœpit, habet. Cf. *Auson. Epigr.* 82. *Ovid.* 9. *Met.* 619. Nam primum – non cœpisse fuit, cœptum expugnare secundum est. *Quintil.* 10. 1. 46. Nos rite cœpturi ab Homero videmur. *Id.* 9. 4. 74. T. Livius hexametri exordio cœpit. *Id.* 8. 6. 50. Quo ex genere cœperis, hoc desinas. Adde *eumd.* 7. 1. 2. et 9. 4. 23. — Speciatim de oratione vel sermone, cujus initium significatur per particulas *ita*, *sic*, *ad hunc modum* etc. *Liv.* 28. 27. Tum – ita cœpit: Numquam mihi etc. *Virg.* 1. *Æn.* 528. Postquam – coram data copia fandi, Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit. *h. e.* cœpit loqui. Adde *Phædr.* 4. 23. 3. *Tac.* 2. *Ann.* 37. Ad hunc modum cœpit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 41. et 1. *Hist.* 36. — *b*) De aliquo rerum statu, aut de inanimis, quin tamen eorumdem agendi vis significetur. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. Inde navis inchoandæ exordium cœpit. Cf. *Cic. Fat.* 15. 35. *Lucret.* 5. 1415. Sic odium glandis cœpit. *Nepos Epam.* 10. Postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedæmoniis cœpit. *Sall. Jug.* 33. Post uti silentium cœpit. *Id. ibid.* 62. Cum primum deditio cœpit. *Id. ibid.* 84. Quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Adde *eumd. ibid.* 91. *Liv.* 2. 6. Simul et cetera equestris pugna cœpit. *Cels.* 1. *præfat.* Neque interesse, an nunc jam pleraque explorata sint, si a consilio tamen cœperunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 41. (98). Vere cœpturo germinant. *Quintil.* 2. 17. 8. Quando cœperit hæc ars. *Id.* 5. 10. 72. A quo jurgium cœpit. *Tac.* 15. *Ann.* 54. Donec proditio cœpit e domo Scævini. *Id.* 4. *ibid.* 49. Obsidium cœpit per præsidia. — 2.°) Cum Infinito, et quidem — *a*) Verbum *cœpi* et simul Infinitus, quocum jungitur, forma occurrunt activa. *Ennius* apud *Paul. Diac.* p. 325. 21. *Müll.* Nec quisquam sophiam, sapientia quæ perhibetur, in somnis vidit quam sam discere cœpit. *Ter. Heaut.* 1. 1. 76. Ubi video, hæc cœpi cogitare. *Lucret.* 4. 532. Cœperunt foras ire primordia vocum. *Cic.* 7. *Verr.* 10. 27. Cum autem ver esse cœperat. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. 7. Pristinis orbati muneribus hæc studia renovare cœpimus. *Id.* 3. *Fam.* 6. 11. Simul ac progredi cœpero. *Id.* 1. *Att.* 4. Si quando abundare cœpero. *Propert.* 4. 4. 72. Hic primus cœpit mœnibus esse dies. *Virg.* 3. *G.* 237. Fluctus ut in medio cœpit cum albescere ponto. *Phædr.* 1. 3. Male mulcatus graculus Redire cœpit ad proprium genus. *Forcellinus* interpretatus est *rediit*; affirmat enim hoc verbum aliquando ita poni, ut redundare videatur: et addit illud *Justin.* 4. 5. Demosthenes censere cœpit. *h. e.* censuit. — *b*) Verbum *cœpi* activa, Infinitus autem passiva occurrit forma: tunc vero apud Classicos scriptores Infinito Modo usurpantur certa quædam verba, quæ Mediorum significatione pollent, quæque fere sunt *fieri*, *haberi* vel *duci*, *creari*, *moveri*, *augeri*, *verti* et similia. *Cato R. R.* 33. Ubi uva varia fieri cœperit. *Cic.* 14. *Fam.* 18. 1. Si quæ rapinæ fieri cœperunt. Adde *eumd. Brut.* 27. 106. *Sall. Cat.* 12. Postquam divitiæ honori esse cœpere, – paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Adde *eumd. Jug.* 92. et *Horat.* 1. *Ep.* 15. 27. *Lucret.* 2. 611. per terrarum orbes fruges cœpisse creari. *Sall. Jug.* 41. Moveri civitas et dissensio civilis quasi permistio terræ oriri cœpit. *Id. fragm.* Fiducia augeri nostris cœpit. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 106. et *Sueton. Tib.* 73. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 149. In rabiem cœpit verti jocus. — Raro cum aliis Verbis, et fere apud sequioris ævi scriptores. *Horat. Art. P.* 21. Amphora cœpit institui. *Curt.* 6. 10. 15. Si cœpisset audiri. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 41. 88. (238). Cum cœpit illum vocari. *Tac.* 1. *Hist.* 16. Quod eligi cœpimus. *Justin.* 11. 5. *ad fin.* Cum prohiberi finibus cœpisset. *Forcellinus* interpretatus est cum *prohiberetur*, nam hic quoque verbum *cœpisset* redundare putavit: *V.* superius sub 2.° *a.* in fin. — *c*) Denique Verbum *cœptus sum*, etc. passive occurrit apud Classicos et jungitur cum Infinitis passivis. *Plaut. Men.* 5. 1. 18. Jure cœpta est appellari canis. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 7. Quoniam de re publica consuli cœpti sumus. *Id.* 1. *Orat.* 37. 168. Ante petita est pecunia, quam esset cœpta deberi. *Id.* 4. *Fam.* 4. 3. Postquam armis disceptari cœptum sit de jure publico. Adde *eumd. Brut.* 7. 26. et 88. 301. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Undique in murum lapides conjici cœpti sunt. *Id.* 1. *ibid.* 47. Quæ (*res*) inter eos agi cœptæ neque perfectæ essent. *Id.* 4. *ibid.* 18. Materia cœpta erat comportari. *et Ibid.* Pons institui cœptus est. *Auct. B. Hisp.* 15. Insequenti tempore pro muro pugnari cœptum est. *Nepos Hann.* 11. Repente in eas (*naves*) vasa fictilia – conjici cœpta sunt. Adde *eumd. Timoth.* 3. et *Epam.* 7.; et *Catull.* 95. 2. *Sall. Jug.* 27. Res in senatu agitari cœpta. Adde *Liv.* 1. 57. et 2. 1. (*V. Drakenborg.* ad hunc locum), 3. 38., 21. 8. et 21. 23. — 3.°) Usurpatur etiam cum Accusativo rei, cujus initium fit. *Plaut. Cas.* 3. 5. 57. Cur ego non id perpetrem, quod cœpi? *Ter. Eun.* 4. 7. 30. Si quidquam hodie hic turbæ cœperis. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 45. Nam quod ad dexteram cœpit cursum ab læva signum præpetens. *Virg.* 6. *Æn.* 327. Talia fatus erat, cœpit cum talia vates. *Quintil.* 6. *prœm.* 15. quæ cœperamus. *Sil. It.* 15. 120. dies, quo primum orsi Carthaginis altæ Fundamenta, novam cœpere mapalibus urbem. — Hinc Part. præter. pass.

Cœptus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit. *Sall. Jug.* 24. Bellum cœptum et patratum. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 162. *Id. Virg.* 8. *Ecl.* 12. cœpta carmina. *Ovid. Heroid.* 17. 169. amor. *Id.* 4. *Fast.* 10. Opus cœptum perficere. *Liv.* 2. 1. urbs. *Id.* 1. 8. magnitudo. *Seneca Med.* 1011. facinus. *Id. Hippol.* 602. verba. *Tac.* 12. *Ann.* 50. Romanus propero agmine limitem a Tiberio cœptum scindit. *h. e.* institutum, factum. *Id.* 1. *ibid.* 65. Cœpta luce. *Id.* 12. *ibid.* 31. Cœpta hieme. *Id.* 2. *ibid.* 13. nocte. — Hinc

Cœptum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, significat principium, id quod agere cœpimus. *Lucret.* 1. 419. Cœptum pertexere. *Virg.* 1. *G.* 40. Annuere audacibus cœptis alicujus. *Ovid.* 2. *Trist.* 555. manus ultima cœpto Defuit. *Id.* 9. *Met.* 615. Tædia cœpti sui capere. *Id.* 1. *ibid.* 2. Dii cœptis aspirate meis. *Id.* 8. *ibid.* 67. Cœpta placent. *Id.* 3. *Pont.* 1. 139. Differre cœpta sua. *Liv.* 42. 10. In cœpto perstare. *Id.* 24. 13. Cœpta maturare. *Id.* 23. 35. enunciare. *Id.* 23. 41. impedire. *Id.* 42. 59. Cœpto audaci deesse. *Id.* 45. 15. Bene cœptum. Cf. *Vellej.* 2. 14. Bene cœpta. Rursus *Liv.* 36. 15. temere cœpta. *Seneca Theb.* 103. Desistere cœpto. *Sil. It.* 16. 224. vanique absistere cœpti Spe jubet. *Sueton. Ner.* 34. Cœptorum exitu opperiri. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 629. *Burmann.* In cœpto puerum reddidit Hippocratem. *h. e.* selliferum equum, ut *Id.* paullo superius dixerat, scilicet principio puerum stupri patientem reddidit.

CŎĔPISCŎPATUS, us, m. 4. dignitas coepiscopi. *Augustin. Ep.* 31. Majorem mihi coepiscopatus sarcinam imponeret.

CŎĔPISCŎPUS, i, m. 2. qui simul cum alio ejusdem loci, aut provinciæ episcopus est. *Hieronym. advers. Luciferian.* 9.; *Augustin. Ep.* 3. *extr.*, *Sidon.* 4. *Ep.* 25. et *Justinian. Cod.* 1. 1. *sub fin.* Adde *Paulin. Nolan. Ep.* 7. (*al.* 46.) 2., ubi sumitur pro coadjutore episcopi.

CŒPTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŒPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *intensivum a* cœpio. — Part. *Cœptans*, *Cœptatus* et *Cœptandus.* — Cœpto est incipio, vel totis viribus incipio; et occurrit — *a*) Raro admodum absolute. *Tac.* 1. *Ann.*

97. Is disposita classiariorum copia cœptantem cum maxime conjurationem disjecit. Adde eumd. 3. *Ann.* 4. *Ammian.* 20. 4. Cœptante nocte. *Solin.* 1. Roma condita est Olympiade septima cœptante. — *b*) Sæpius cum Infinito. *Lucret.* 1. 268. Ne cœptes diffidere dictis. Adde eumd. 4. 112. et 406. et 6. 233. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 24. Animal cœptat ea, quæ naturæ apta sentit, appetere. Adde eumd. *Arat.* 141.; et *Sil. It.* 15. 696. *Tac.* 2. *Hist.* 21. Valens coercere seditionem cœptabat. Adde eumd. 2. *ibid.* 10. et 81.; et *Sueton. Oth.* 11. — *c*) Cum Accusativo rei. *Ter. Phorm.* 4. 3. 21. Quid hic cœptat. Adde eumd. *Eun.* 5. 7. 1. *Liv.* 20. 12. Ad rebellionem cœptandam. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Cœptare hostilia invicem. *Id.* 2. *ibid.* 73. fugam. *Id.* 4. *ibid.* 44. Patres cœptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. *Id.* 1. *Ann.* 56. Cœptare pontem. *Id.* 1. *ibid.* 38., 1. *ibid.* 45. et 2. *ibid.* 31. seditionem.

CŒPTUM, i, n. 2. *V.* CŒPIO in fin.

CŒPTUS, a, um. *V.* CŒPIO.

CŒPTUS, us, m. 4. idem quod cœptum. *Cic.* 4. *Fin.* 15. 41. Primos suos quasi cœptus appetendi fuisse, ut se conservaret etc. *ubi particula quasi hujus vocis adhibendæ excusationem præferre videtur:* V. *Madvig.* ad h. l. *Stat.* 12. *Theb.* 644. dignas insumite mentes Cœptibus.

CŎEPŬLŌNUS, i, m. 2. qui simul epulatur. *Plaut. Pers.* 1. 3. 20. Te coepulonus compellat tuus.

CŎEPŬLOR, āris, ari, dep. 1. (cum *et* epulor) una cum aliis epulor. Part. *Coepulans* occurrit apud *Ambros. Ep.* 9. 70. Ibi tum quæstionem hujusmodi proposuit Sampson juvenibus coepulantibus.

COEQUITO, as, are, n. 1. simul equito. Adstruunt quidam ex *Livio* 37. 19. Coequitaverunt autem sex millia equitum, etc. *Sed plerique leg.* cum equitatu: erant autem etc.

CŒRARE pro *curare*, in edicto ædilium apud *Gell.* 4. 2. et in veteri senatusconsulto apud eumd. 15. 11. antiqua scriptura est, nec facile in usum traducenda, quamquam sæpissime in *Inscriptionibus* etiam post Augusti tempora insculptis *cœravit* et *cœrarunt* legere est pro *curavit* et *curarunt*. V. *Inscript.* in DUUMVIR, IDEM et MURUS.

CŒRĀTOR pro *curator* est antique dictum a *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7.

CŎERCEO, es, ui, itum, ere, a. 2. (cum *et* arcere, quæ significat continere). Part. *Coercens* I. 1.; *Coercitus* I. 1. et 2., et in fin.; *Coercendus* I. 3. — Coercere est continere, includere, et veluti constringere aliquid, ne ultra crescat, aut evagetur (It. *rinserrare, ristringere, rinchiudere*; Fr. *fermer de tous côtés, resserrer dans des bornes, limiter, contenir*; Hisp. *volver á apretar, á restringir, limitar, caver, incluir*; Germ. *zusammenzwängen, zusammensperren, zusammenschränken, in sich zusammenhalten oder einschränken*; Angl. *to keep in, confine, restrain, check*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 101. Restat ultimus, omnia cingens et coercens cœli complexus. *Id. ibid.* 22. 58. Qui (*mundus*) omnia complexu suo coercet. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 31. *Lucret.* 3. 397. est animus vitai claustra coercens. *Id.* 6. 952. qui ferri quoque vim penetrare suëvit Denique, qua circum colli lorica coercet. *Varro* apud *Non.* p. 478. 10. *Merc.* Coercere ventrem. *Liv.* 5. 5. Quibus (*operibus*) intra muros coercetur hostis. *Id.* 36. 24. Miles coercitus in receptis ex potestate hostium urbibus. *Virg.* 6. *Æn.* 439. et novies Styx interfusa coercet (*mortuos*). Cf. *Horat.* 2. *Od.* 18. 38. Tantalum atque Tantali genus coercet (*Orcus*). Rursus *Virg.* 9. *Æn.* 27. Messapus primas acies, postrema coercent (*h. e.* claudunt) Tyrrhidæ juvenes. *Horat.* 1. *Od.* 10. 18. Coercere turbam virgâ. Cf. *Seneca Hippol.* 1077. terga equorum verbere. *Ovid.* 1. *Met.* 477. Vitta coercebat positos sine lege capillos. Adde eumd. 2. *ibid.* 412. *Id.* 2. *Trist.* 531. Coercere aliquem arcto spatio. *Id. Heroid.* 14. 3. Clausa domi teneor gravibusque coercita vinclis. Cf. *Cic.* 3. *Off.* 5. 23. et *Cels.* 3. 18. *Ovid.* 5. *Met.* 643. Coercere ora equorum frenis. Adde eumd. 6. *ibid.* 226. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 27. Eo quasi onere (*testæ*) coercita in latitudinem se (*lactuca*) diffundit. *Id.* 9. *ibid.* 8. 10. Coercere examen (*apum*) æris strepitu. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 72. (141). Ex eo cœpimus carcere coercere animalia. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. (5). Galliæ Alpibus coercitæ. *Tac.* 1. *Ann.* 11. Coercere imperium intra terminos. *Dig.* 41. 1. 3. § 2. aliquem custodia. — Et figurate. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 73. Coercere verba numeris, *h. e.* metro ligare. ¶ 2. Speciatim, etiam apud JCtos, usurpatur de aquis, quæ alveo suo continentur. *Liv.* 21. 31. *ad fin.* Amnis nullis coercitus ripis. Adde *Cic. Brut.* 91. 316., cujus verba *V.* infra sub II. init.; et *Ovid.* 1. *Met.* 343. *Dig.* 43. 22. 1. § 6. et 8., et *ibid.* 47. 11. 10. Coercere aquam. Cf. *Cic. Top.* 9. *Curt.* 8. 13. 9. Impetum aquarum coercere. — Hinc figurate *Horat. Epod.* 9. 36. Cæcubum coercet nauseam. ¶ 3. Item speciatim est verbum agricolarum proprium, qui inutiles arborum ramos amputant. *Cato R. R.* 139. Illiusce sacri (*luci*) coercendi ergo. *V.* COLLUCO et COINQUIRE. *Cic. Senect.* 15. 52. Quam (*vitem*) serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro amputans, coercet ars agricolarum. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 21. 7. et 4. *ibid.* 1. 5.; *Quintil.* 8. 3. 10. et 9. 4. 5.; et *Dig.* 43. 27. 1. § 7. et 9.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad intellectum, et est reprimere, cohibere, refrenare. *Cic. Brut.* 91. 316. Is dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Adde eumd. 2. *Fin.* 1. 3.; et *Quintil.* 9. 2. 76., 10. 3. 10., 10. 4. 1. et 12. 1. 20. *Horat. Art. P.* 293. carmen, quod non Multa dies et multa litura coercuit. *Quintil.* 2. 15. 36. Rhetoricam anguste intraque civiles quæstiones coercere. ¶ 2. Morali ratione dicitur præcipue de magistratibus, qui alios legibus, minis, vel etiam puniendo et castigando in officio continent: qua significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Varro* 1. *R. R.* 17. 5. aliquem verberibus potius quam verbis. *Cic.* 3. *Off.* 5. 23. aliquem morte, exilio, vinculis, damno. Et passive *Id.* 2. *Fin.* 22. 73. coerceri pœnæ aut infamiæ metu. *Id.* 1. *ibid.* 1. 2. admissum semel coerceri reprimique non potest. *Id.* 3. *Orat.* 1. 4. aliquem pignoribus ablatis. *Sueton. Aug.* 42. aliquem voce severissima. *Tac.* 4. *Hist.* 8. aliquem præceptis. *Sueton. Ner.* 4. aliquem edicto. *Cels.* 3. 18. aliquem fame, vinculis, plagis. *Liv.* 39. 32. aliquem ab effuso studio. *Sueton. Aug.* 40. ambitum multiplici pœna. *Seneca Hippol.* 256. animos. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. civem mulcta, vinculis verberibusque. *Id.* 1. *Cat.* 1. 3. civem perniciosum acrioribus suppliciis, quam acerbissimum hostem. *Id.* 1. *Orat.* 43. 194. et *Quintil.* 12. 2. 28. cupiditates. *Curt.* 7. 6. 15. defectionem. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 79. delicta suppliciis. *Curt.* 8. 1. equites. *Liv.* 32. 27. fenus. *Id.* 39. 32. gentes per expeditiones. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 4. fures dextra coercet. *Ovid.* 1. *Fast.* 715. hostem armis. *Cic.* 5. *Verr.* 80. 208. improbitatem multorum unius improbi supplicio. *Sueton. Domit.* 8. incesta Vestalium severe. *Id. Aug.* 21. incursiones. *Liv.* 2. 23. iras hominum. Adde *Stat.* 11. *Theb.* 667. *Cic.* 1. *Att.* 18. juventutem coercere, resecare libidinem. *Tac.* 2. *Ann.* 85. libidinem feminarum. *Cels.* 1. *B. C.* 67. milites coercere et in officio retinere. *Cic.* 2. *Off.* 7. 24. oppressos vi, coercere imperio. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. 8. postulantes. *Nepos Timol.* 5. procacitatem alicujus manibus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 134. pueros fuste. *Liv.* 41. 27. rabiem gentis. *Cic.* 5. *Att.* 21. 10. Salaminios per turmas equitum. *Sall. Cat.* 29. *in fin.* socios atque cives omnibus modis. *Seneca Hippol.* 213. se. *Tac.* 2. *Ann.* 43. spes alicujus. *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 47. temeritatem ut ratio coerceat. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 61. terras omnes. ¶ 3. Apud Medicos coerceri dicuntur morbi, quorum vis remediis adhibitis reprimitur et cohibetur. *Cels.* 5. 19. n. 19. Emplastrum, quod supercrescentem carnem coercet. *Id.* 7. 7. n. 14. Ovi album imponendum, quod inflammationem coerceat. Cf. *Horat. Epod.* 9. 36., cujus verba sub I. 2. retulimus. — *NB.* Addunt quidam poni etiam pro cogere, compellere: sed ad id confirmandum minus idoneis utuntur exemplis. Nam quod afferri potest ex *Messala Corvino de progen. Aug.* 23. *ad fin. Superatos hostes Romæ cohabitare* coercuit: libellus ille incertæ admodum est auctoritatis, et, si *Vossium* audis, omnino nullius. — Hinc Part. præter. pass.

Coercitus, a, um, si cum particula negativa jungatur, speciatim ponitur pro *coercibilis*, ut apud *Sall. Jug.* 91. *in fin.* Genus hominum mobile, infidum, neque beneficio, neque metu coercitum. V. *Dietsch.* ad *h. l. Tac.* 4. *Ann.* 30. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et ne pœnis quidem unquam satis coercitum, per præmia eliciebantur. Cf. eumd. *Agric.* 33.

CŎERCIO. *V.* voc. seq. sub init.

CŎERCĬTĬO, ōnis, f. 3. In plerisque, quos adducemus, locis (et apud *Lactant. in Epit.* 2. *ad fin.* et *Augustin. Ep.* 48. 2.) alii legunt *coercio*, vel *coertio*, aut *coerctio*: quod videtur per syncopen factum, quemadmodum a *pueritia* fit *puertia* etc. — Coercitio est actus coercendi, cohibitio, refrenatio: a supino *coercitum* verbi *coerceo*.

I.) Proprie est restrictio, in angustum compressio vel coarctatio. *Arnob.* 6. 17. Concludi se (*dii*) patiuntur, et in sedis obscuræ coercitione latitare. *Capell.* 6. p. 208. Continentis terræ limes interfluentis freti coercitione distinguitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est punitio, castigatio, pœna, quibus aliquem coercemus atque in officio retinemus. *Liv.* 4. 53. Ferre damnum, aliamque coercitionem adversus aliquem. Adde eumd. 26. 36. *Cels.* 3. 18. Onerare aliquem asperioribus coercitionibus. *Seneca* 2. *Ira* 27. *ad fin.* Indignamur, aliqua admonitione, aut coercitione nos castigatos. Adde eumd. *Brev. Vit.* 3. *Quintil.* 9. 2. 2. Interpellatio, interpellantis coercitio, contentio, purgatio. *Julian. Dig.* 50. 16. 200. Coercitio capitalis. *Paul. ibid.* 48. 1. 2. pecuniaria. At verba *Pauli* sunt: Publicorum judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna mors aut exilium est: non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio, pœna est. Hinc vides, non pecuniariam *coercitionem*, sed *pecuniariam pœnam* dixisse *Paulum* hoc in loco. *Modestin. ibid.* 47. 21. 1. Terminorum avulsorum non multa pecuniaria est, sed pro conditione admittentium coercitione transigendum. *Lex vetus* apud *Frontin.* 2. *Aqued.* 129. EOQVE NOMINE IIS PIGNORIS CAPIO, MVLTAE DICTIO COERCITIOQVE ESTO; IDQVE IIS SINE FRAVDE SVA FACERE LICEAT, IVS POTESTASQVE ESTO. ¶ 2. Hinc est facultas coercendi, imperium, quo magistratus aliquem coercere et punire potest. *Sueton. Claud.* 38. Coercitionem popinarum ædilibus ademit. *Id. Aug.* 45. Coercitionem in histriones magistratibus ademit. *Paul. Dig.* 1. 21. 5. § 1. Jurisdictio sine modica coercitione nulla est. *Vetus lex* apud *Hygin. de limit.* p. 207. *Goes.* Quos agros dedero, assignavero, in eis agris jurisdictio coercitioque esto coloniæ illius, cujus civibus agri assignabuntur.

CŎERCĬTOR, ōris, m. 3. qui coercet, et continet, ac servat. *Eutrop.* 7. 20. Diligens coercitor disciplinæ militaris.

CŎERCĬTUS, a, um. *V.* COERCEO.

CŒRO. *V.* CŒRARE.

CŎERRO, as, are, n. 1. (cum *et* erro) aberro, simul cum aliis ambulo. *Paul. Dig.* 1. 15. 3. § 3. Sciendum præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere et coerrare calceatum.

CŎESSENTĬĀLIS, e, adject. qui cum ipsa essentia conjunctus est in ipsaque inseparabiliter inest. *Boeth. fragm. in Cic. Topic. de diis et præsension.* p. 390. *Bait.* Asserunt enim (*philosophi*), quod divinitas, quæ incommutabilis puriorisque essentiæ incorporalitate beatur, suis se finibus continens nec in minus effluit, nec in majus exuberat. Unde fit, ut, quidquid virtutis in divinis eminet, sive illud sapientiæ sit, sive actionis, totum inseparabiliter natura possideat; ita ut eis sit coessentiale et unitum, quidquid ab omni conditione mutabilitatis extat alienum. *Isid.* 7. *Orig.* 3. 1. Proprie tamen ipse vocatur Spiritus Sanctus, tamquam sanctitas coessentialis et consubstantialis amborum, *h. e.* Patris et Filii.

CŒRŬLA, CŒRŬLANS, CŒRŬLEĀTUS, CŒRŬLEUS, CŒRŬLUS. *V.* CÆRULA, CÆRULANS, CÆRULEATUS, CÆRULEUS, CÆRULUS.

CŒTUS, us, m. 4. *Cœtu* pro *cœtui* habet *Catull.* 66. 37. cælesti reddita cœtu. *et* 64. 385. sese mortali ostendere cœtu. — Ratione habita etymi est per syncopen pro *coitus*, ab eodem *coeundi* verbo descendens; unde in MSS. codicibus, ubi alii *cœtus*, alii *coitus* legunt: *V.* infra sub I. 1. — Significat connexionem, conjunctionem, congressum plurium rerum simul coeuntium (It. *unione, congiungimento, assembramento*; Fr. *jonction, rencontre*; Hisp. *junta, union*; Germ. *das Zusammengehen, der Zusammengang*; Angl. *an assembly, meeting*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est connexio, conjunctio. *Plaut. Amph.* 2. 2. 25. Nos, auspicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus, *h. e.* primo pugnantium

congressu. *Lucret.* 1. 1015. Omne genus motus et cœtus experiundo Tandem deveniunt in tales disposituras. *Id.* 2. 1001. Mors dissipat cœtum rerum. *Id.* 3. 858. Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu conjugioque Corporis atque animæ consistimus uniter apti. In hoc *Lucretii* loco (cui adde similem 2. 918.) qui *coitu* legunt, disyllabum faciunt per synæresim. *Curt.* 9. 4. 9. Ceterum omnium cœtus maritimis similes fluctus movet. *ubi alii* coetus, *alii* coitus *legunt*, quemadmodum et in *Poeta* apud *Gell.* 19. 11. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. *in fin.* Si moræ quid plusculæ fuisset in cœtu osculi. *Gell.* 14. 1. Principes Chaldæi – stellarum motus et vias et discessiones et cœtus intuentes. — Hinc occurrit etiam de coitu Venereo. *Auson. Epigr.* 108. ubi cassa libido Femineos cœtus, et non sua bella lacessit. Adde *Arnob.* 5. 43., et confer *Colum.* 6. *R. R.* 23. 3. et *Vinet. ad Auson. Ep.* 71. 1. *V.* COITUS. ¶ 2. Sæpissime concreto, uti ajunt, sensu ponitur pro congregatione et conventu hominum. Et proprie quidem nomen est multitudinis magnæ coeuntis ex consensu, ut *Seneca Excerpt.* 3. *Controv.* 8. docet. — *a*) Occurrit fere de hominibus. *Cic. Senect.* 23. 84 Cum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar. *Id.* 2. *Fin.* 24. 77. Opiniones, quæ in senatu, quæ apud populum, quæ in omni cœtu concilioque proferendæ sint. *Id.* 2. *ibid.* 4. 11. Meretricem adducere in cœtum matronarum. *Id.* 2. *Orat.* 57. 233. in hoc tali cœtu. *Id.* 3. *ibid.* 18. 65. Alicui concionem aut senatum aut ullum cœtum hominum committere. *Id.* 1. *ibid.* 8. 30. Posse dicendo tenere hominum cœtus. *Id.* 1. *Cat.* 4. 10. Cœtum dimittere. *Id.* 1. *ibid.* 3. 6. Cœtus nefarii. *Id.* 6. *de republ.* 13. Concilia cœtusque hominum jure sociati. *Id.* 7. *Verr.* 72. 186. Omnes dii, qui vehiculis tensarum solemnes cœtus ludorum initis. *Catull.* 46. 9. Cœtus dulces comitum. Adde ejusd. *Catull.* loca allata sub init. *Virg.* 5. *Æn.* 107. Cœtu complere littora. *Id.* 5. *ibid.* 43. Advocare viros in cœtum. *Id.* 1. *ibid.* 730. Cœtum celebrare. *Horat.* 3. *Od.* 2. 23. Cœtus vulgares. *Ovid.* 3. *Met.* 403. Cœtus viriles. *Id.* 13. *ibid.* 898. Soluto cœtu discedere. *Liv.* 2. 37. Cœtus hominum deorumque. *Id.* 7. 5. Procul cœtu hominum. *Id.* 3. 38. Cœtus congressusque impotentium dominorum. *Id.* 27. 35. Maximo cœtu ludicrum celebrare. *Id.* 7. 25. Cœtus socialis. *Id.* 5. 16. et 39. 14. Cœtus nocturni. *Id.* 4. 25. Cœtus indicere in domos tribunorum. *Id.* 1. 18. Juvenum æmulantium studia cœtus habere. *Seneca Hippol.* 482. Calere cœtus civium. *Id. Excerpt.* 3. *Controv.* 8. Qui cœtum et concursum fecerit, capitale sit. *Quintil.* 2. 9. 2. Cœtus scholarum. *Id.* 2. 15. 18. Judicia et alii cœtus. *Tac.* 4. *Hist.* 45. multitudinis. *Id.* 2. *Ann.* 40. Celebrare cœtus clandestinos. *Id.* 16. *ibid.* 34. Agere cœtus frequentes illustrium virorum. *Id.* 3. *ibid.* 40. Per conciliabula et cœtus seditiosa disserere. *Id.* 13. *ibid.* 18. Frequentari cœtu salutantium. *Id.* 1. *ibid.* 16. Miscere cœtus. *h. e.* congregare, cogere. *Sueton. Cal.* 32. Cœtus epulantium. *Id. Cæs.* 41. Movere novos cœtus. *Val. Flacc.* 3. 113. Accedere cœtus. — *b*) Raro admodum de brutis, quemadmodum de cycnis *Virg.* 1. *Æn.* 401. ludunt stridentibus alis, Et cœtu cinxere polum.

II.) Translate. *Auct. Declam. in Sallust.* 6. Cœtus omnium vitiorum.

CŎEXERCENS, entis, particip. ab inusit. *coexerceo*, simul exercens. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. Item alterni laboris exercitio, hoc est colluctantium, vel coexercentium, quam Græci ἑκατεροχοκίας, vel τραχηλισμὸν vocant.

CŎEXERCĬTATUS, a, um, particip. ab inusit. *coexercito*, simul exercitatus. *Quintil.* 2. 17. 41. Ars constat ex præceptionibus consentientibus, et coexercitatis ad finem vitæ utilem. ubi *coexercitatæ præceptiones* respondent Gr. ἐγγεγυμνασμένας καταλήψεις.

COFĀNUS, i, m. 2. *Apul. fragm.* edente *Oudend.* p. 609. Cinni, et illæ quæ dicuntur ab Aristotele in libris Animalium pelicani, qui ab Apulejo dicuntur cofani.

COFRA, æ, f. 1. capitis tegmen: est a κέφος Ionice κοῦφος *levis*, quod a κόω *cavo*. etenim cavum etiam leve est. *Venant. Vit. S. Radeg.* 13. Camisias, manicas, cofeas, fibulas, cuncta auro, sancto tradit altari.

CŌGĬTĀBĬLIS, e, adject. sub cogitationem cadens. *Seneca Ep.* 58. *ante med.* Quod est, nec visu, nec tactu, nec ullo sensu comprehenditur, cogitabile est. *Apul. Mag.* Deus paucis cogitabilis, nemini effabilis.

CŌGĬTĀBUNDUS, a, um, adject. qui multum cogitat. *Gell.* 2. 1. Stare solitus Socrates dicitur ore atque oculis eumdem in locum directis cogitabundus.

CŌGĬTĀMEN, inis, n. 3. idem ac cogitatio. *Novatian. Trinit.* 6. Necessaria hæc membra hominibus fuerunt, non Deo, quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset.

CŌGĬTĀTĒ, adverb. consulto, accurate (It. *appensatamente, consideratamente*; Fr. *avec réflexion*; Hisp. *con reflexion*; Germ. *wohl durchdacht, nach reiflicher Ueberlegung*; Angl. *advisedly, considerately*). *Plaut. Pœn.* 5. 4. 51. Verba facere cogitate, commode. *Id. Mil. glor.* 3. 3. 68. Abeamus ergo intro, hæc uti meditemur cogitate. *Id. Trin.* 2. 2. 46. Minus caute et cogitate rem suam tractare. *Cic. Arch.* 8. 18. Quæ vero accurate cogitateque scripsisset. *Id.* 1. *Off.* 8. 27. An consulto et cogitate fiat injuria. *Orell.* ita legit: alii *cogitata*, nonnulli etiam *cogitato*.

CŌGĬTĀTIM, adverbialiter pro cogitate. *Paul. Diac.* p. 61. 9. *Müll.*

CŌGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (cogito). *Paul. Diac.* p. 66. 7. *Müll.* Cogitatio dicta velut coagitatio, id est, longa ejusdem rei agitatio in eadem mora consilii explicandi. (Cf. *Varron.* 6. *L. L.* 43. *Müll.*; *Cic.* 1. *Off.* 6. 19. et *Vitruv.* 1. 2. 2. *Schneid.*); vel, ut *Plato* definit *in Theæteto*, et *in Sophista*, interior collocutio, qua sese animus noster alloquitur. ¶ 1. Generatim accipitur tum abstracte, tum concreto, uti ajunt, sensu: scilicet — *a*) Pro ipso cogitandi actu, ut apud *Cic. Mil.* 29. 79. Fingite animis: liberæ enim sunt cogitationes, et quæ volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem etc. — *b*) Item pro meditatione. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 17. Omne illud tempus Crassus posuit in acerrima et attentissima cogitatione. Sic apud *Quintil. toto c.* 6. *l.* 10. dicitur de meditatione, qua oratores et poetæ opera sua moliuntur, et mente præparant, antequam scribant. — *c*) Aliquando pro deliberatione et proposito. *Sueton. Cal.* 48. Vix a tam præcipiti cogitatione revocatus, inhiberi nullo potuit modo, quin etc. — *d*) Item pro ipsa re solerter excogitata, invento. *Vitruv.* 2. *præf.* Ad te cogitationes et formas affero dignas tua claritate. — Porro una alterave harum significationum usurpatur — *e*) Addita re, quam quis cogitat, et quidem — Per Genitivum. *Cic. Muren.* 22. 45. accusationis. *Id. Parad.* 1. 2. § 10. auri, argenti, amœnitatum, supellectilis, epularum. *Cæs.* 3. *B. C.* 17. et *Liv.* 36. 7. belli. *Vellej.* 2. 17. 2. petendi consulatus. *Cic.* 1. *Att.* 11 3. loci alicujus non modo usus, sed etiam cogitatio. *Quintil.* 4. *pr.* 7. suscepti muneris. *Cic.* 7. *Fam.* 3. 1. et *Curt.* 7. 8. 4. officii, periculi. *Id.* 3. *ibid.* 13. 5. et 5. *ibid.* 16. 14. rerum. *Liv.* 40. 5. ejus rei. *Cic. Sext.* 51. 110. et *Tac.* 1. *Hist.* 17. rerum novarum. *Cic. Sext.* 4. 11. timoris præteriti. *Balb.* apud *Cic.* 8. *Att.* 15. a. § 1. virtutis suæ. — Per Relativum. *Cic.* 14. *Att.* 20. 4. Quæris, ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 22. 51. *Brutus* apud *Cic. Ep.* 2. *ad Brut.* 3. Cogitatio, cujus sit filius. — Per Accusativum et Infinitum. *Quintil.* 1. 7. 33. Sedet (*al.* redit) illa cogitatio, quosdam fore, qui – putent etc. — *f*) Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 17. acerrima atque attentissima. *Curt.* 9. 3. 9. altior nostro animo. *Quintil.* 10. 6. 6. male cohærens. *Id.* 10. 7. 17. difficilior. *Id.* 10. 3. 29. fortuita. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 2. 5. graves et multæ. *Quintil.* 12. 1. 6. impotentissimæ. *Cic. Mil.* 29. 79. inanis. *Quintil.* 6. 1. 27. inanes. *Cels.* 1. *præfat.* inquieta. *Cic. Sull.* 23. 64. intimæ. *Id Mil.* 29. 79. liberæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (146). et *Tac.* 15. *Ann.* 54. magna. *Quintil.* 10. 7. 19. melior. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 95. mollissimæ. *Sueton. Cal.* 46. præceps. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 5. posteriores. *Quintil.* 10. 7. 8. provisa et formata. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 154. quotidianæ. *Id.* 12. *Phil.* 2. 5. sapientiores. *Curt.* 10. 8. secretæ. *Tac. Germ.* 22. simplices. *Cic.* 3. *Off.* 2. 4. et *Quintil.* 5. 7. 2. tacita. *Cic. Ligar.* 2. 9.; *Liv.* 9. 17. et *Quintil.* 6. 1. 44. tacitæ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (52). transvolans subito animum. *Quintil.* 9. 4. 12. turbidiores. *Cels.* 1. 4. tuta. *Quintil.* 10. 7. 19. tutior. *Curt.* 4. 10. vanæ. *Id.* 8. 3. 14. variæ. — *g*) Item jungitur pluribus Verbis. *Cic. Amic.* 9. 32. abjicere cogitationes suas in rem humilem contemptamque. *Catull.* 35. 5. accipere cogitationes alicujus. *Cic. post red. in senat.* 7. 16. adducere aliquem in cogitationem. *Quintil.* 1. 12. 11. afficit sensus cogitatio magis quam fatigatio. *Cic.* 12. *Att.* 35. amplecti aliquam cogitationem toto pectore. *Id.* 3. *Herenn.* 19. 32. amplectitur aliquid cogitatio. *Id.* 6. *Fam.* 1. 1. avertere cogitationem a miseriis. *Id.* 10. *Att.* 6. 1. applicare cogitationes suas. *Tac.* 4. *Hist.* 80. agitare aliquid cogitatione. *Liv.* 36. 7. Avertere aliquem in universi belli cogitationem. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 5. avocare animum ad cogitationem suam ab aliqua re. *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 71. hoc ne in cogitationem quidem cadit. *Curt.* 8. 3. 14. commovent aliquem cogitationes variæ. *Cic.* 3. *Fam.* 11. 2. complecti cogitatione absentem. *Id.* 1. *Tusc.* 22. 51. et *Quintil.* 11. 2. 10. aliquid. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 50. comprehendere cogitatione qualis sit animus. *Id. Flacc.* 27. 66. comprehendere cogitatione aliquid. *Id.* 2. *Off.* 1. 2. conferre omnes curas cogitationesque in aliquam rem. *Id.* 2. *Orat.* 30. 130. conquirere aliquid cogitatione. *Id.* 1. *Orat.* 2. 6. et *Seneca* 6. *Benef.* 7. convertere se aliquo cogitatione. *Cic.* 9. *Att.* 11. deduci ad aliquam cogitationem. *Id.* 3. *Orat.* 5. 17. defixum esse in cogitatione aliqua. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 48. et 1. *Nat. D.* 15. 39. depingere aliquid cogitatione. *Auct. B. Alex.* 12. deponere cogitationem alicujus rei. *Sueton. Ner.* 47. differre cogitationem in posteram diem. *Vellej.* 1. 10. 2. disjicere cogitationem alicujus. *Cic.* 6. *Fam.* 13. excidit alicui cogitatio. *Id. Sext.* 4. 11. excitare memoriam ad alicujus rei cogitationem. *Curt.* 7. 8. 4. excutere cogitationem. *Nepos Alcib.* 9. ferri omni cogitatione ad patriam liberandam. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 47. fingere aliquid cogitatione. *Id. Parad.* 1. 2. § 10. habere cogitationem alicujus rei. *h. e.* de re quapiam cogitare, ejusque curam habere. *Quintil.* 12. 11. 27. habuit eam cogitationem, ut, etc. *h. e.* ita putavit, eam habuit opinionem. *Sulpic.* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. incidere in aliquam cogitationem. *Cic.* 7. *Att.* 3. 2. injicere alicui cogitationem de re aliqua. *Plin.* 1. *Ep.* 8. immorari honestis cogitationibus. *Cic.* 9. *Att.* 11. impertiri aliquid temporis alicui cogitationi. *Id. Amic.* 16. 59. inducere animum in spem cogitationemque meliorem. *Id.* 5. *Fam.* 13. 2. labefactare et convellere cogitationem alicujus. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 6. mandare litteris cogitationes suas. *Quintil.* 1. 1. 28. morari cogitationem. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 51. occurrit mihi cogitatio. *Id.* 1. *Nat. D.* 57. 106. percipere aliquid cogitatione. *Id.* 1. *Orat.* 50. 218. percurrere aliquid animo et cogitatione. *Id.* 3. *Orat.* 5. 17. ponere tempus in cogitatione. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 29. sejungere cogitatione aliquid ab aliqua re. *Curt.* 7. 1. 4. subibat horum cogitatio exercitum. *h. e.* hæc cogitabat exercitus. *Cæsar* apud *Cic.* 9. *Att.* 7. c. § 1. suscipere cogitationem de aliqua re. Adde *Cic.* 14. *Att.* 23. 4. et *Balbum* apud *Cic.* 8. *Att.* 15. a. § 1. *Tac.* 12. *Ann.* 3. tradere alicui intimas cogitationes. *Cic.* 1. *Fam.* 2. traducere animum alicujus ab omni alia cogitatione ad aliquid tuendum. *Id.* 1. *Nat. D.* 38. 105. valere tantum modo ad cogitationem. *Sulpic.* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. venire in aliquam cogitationem. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 186. versor omni mente in ea cogitatione curaque ut, etc. *Id.* 2. *leg. Agr.* 2. 5. versantur in animo meo multæ et graves cogitationes. *Curt.* 6. 6. versare se ad omnes cogitationes. *Cic.* 1. *Orat.* 44. 156. vertitur cogitatio in se ipsa. *Curt.* 8. 5. vertere cogitationem in bellum. *Id.* 10. 8. volvere secretas cogitationes inter se. — *h*) *Cogitationis pœnam nemo patitur*, dictum est *Ulp. Dig.* 48. 19. 18., quod in proverbium abiit, cum significamus, non esse puniendum aliquem, quod male cogitaverit. ¶ 2. Speciatim a *Cicerone* sumitur non semel pro ipsa cogitandi facultate (quam ipse 1. *Tusc.* 27. 66. *vim cogitationis* appellat), hoc est mente, ratione, ingenio, solertia, ut 1. *Legg.* 7. 22. Homo solus ex tot animantium generibus particeps rationis et cogitationis. *Id.* 3. *Nat. D.* 9. 22. Nihil est mundo melius in rerum natura: ne in terris quidem urbe nostra. Num igitur idcirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas? *Id.* 2. *ibid.* 7. 18. Illud autem, quod vincit omnia, rationem dico, et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, etc. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. Verres ingenio et cogitatione nulla. *h. e.* hebes, stupidus, stultus.

CŌGĬTĀTŌ, adverb. cogitate. *Cic.* 1. *Off.* 8. 27. Permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, an consulto et cogitato fiat injuria. *Sed valde dubia est lectio, et rectius cum* Orellio *legendum est* cogitate: *V.* COGITATE in fin.

CŌGĬTĀTŌRĬUM, ii, n. 2. receptaculum cogita-

tionum. *Tertull. Resurr. Carn.* 15. Caro erit omne animæ cogitatorium. Adde *eumd. Spectac.* 2., et de *anim.* 14.

COGĬTĀTUM, i, n. 2. *V.* COGITO in fin.

CŌGĬTĀTUS, a, um. *V.* COGITO.

CŌGĬTĀTUS, us, m. 4. idem quod cogitatio, vel cogitatum. *Seneca Ep.* 11. 6. O felicem illum, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! *Recentiores tamen aliter legunt, ita ut cogitatus sit part. præter. v. cogito:* *V.* COGITO 1. c. s. *Apul.* 4. *Met.* 5. Divinato et antecapto meo cogitatu. Adde *Tertull. Idolol.* 23.

CŌGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cogitans* 1. c. ζ.; *Cogitatus* 1. c. ε., 2. b. α. et in fin.; *Cogitaturus* 2. b. β.; *Cogitandus* 2. b. α. — Ratione habita etymi, est a cogo, per syncopen pro *coagito*, ut docet *Varro* 6. *L. L.* 43. *Müll.* Cogitare a cogendo dictum; mens plura in unum cogit, unde eligere possit. — Itaque *cogitare* est plura mente cogere seu colligere ad aliquid inveniendum, eaque agitare cum aliqua mora consilii explicandi (It. *pensare*; Fr. *penser*; Hisp. *pensar*; Germ. *denken*; Angl. *to revolve in the mind, thinke, ponder, consider, meditate*). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu pro mente revolvere, considerare, meditari, mente sibi aliquid repræsentare: et occurrit — *a*) Absolute de simplici cogitandi actu. *Plaut. Stich.* 1. 1. 51. Scio atque in cogitando mærore augeor. *Ter. Phorm.* 2. 1. 10. Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere. *Id. Heaut. prol.* 11. Cogitare commode. *Id. Eun.* 3. 3. 1. magis magisque. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 111. Loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare. *Id.* 1. *Fin.* 6. 21. Quorum (εἰδώλων) incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus. *Id.* 1. *Off.* 44. 156. Acutissime cogitare. — *b*) Interdum addito, quem ad finem cogitemus. *Ter. Andr.* 1. 2. 21. Cogitare ad disturbandas nuptias. *Cic.* 9. *Att.* 6. 7. Ad hæc igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita. *h. e.* ad hæc amovenda. *Quintil.* 7. 1. 4. pro aliqua parte. — *c*) Sæpius additis iis, quæ cogitamus: et quidem — *α*) Directa et plana oratione. *Cato* apud *Gell.* 16. 1. Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet, benefactum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Adde *Plaut. Most.* 3. 2. 13. et *Ter. Eun.* 4. 2. 8. Et cum particula aliqua, cujusmodi sunt *sic, ita* etc. *Ter. Eun.* 1. 1. 11. Proin tu dum tempus est, etiam atque etiam cogita, here: quæ res in se etc. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur etc. — *β*) Cum Accus. et Infinito. *Seneca Ep.* 115. Numquid enim in hoc – furor non est, quod nemo nostrum mortalem se cogitat? quod nemo imbecillum? immo in illo quod nemo nostrum unum esse se cogitat. Adde *Quintil.* 5. 10. 122., 7. 1. 48., 7. 10. 10. — *γ*) Sequente relativo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 22. Nec æquum, anne iniquum imperet, cogitabit. Cf. *id. Merc.* 2. 3. 10. Neque quid loquar, cogitatum est. *Ter. Andr.* 5. 1. 7. Dum id efficias, quod cupis, neque modum benignitatis, neque quid me ores cogitas; nam si cogites etc. *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 58. Ad ferendum igitur dolorem – plurimum proficit, toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. *Seneca Ep.* 15. § 8. Qui non cogitamus, quam jucundum sit nihil poscere, quam magnificum sit plenum esse, nec ex fortuna pendere. Adde *eumd. ibid.* § 9. — *δ*) Cum Ablativo rei aut personæ, et præpos. *de*. *Ter. Eun.* 1. 2. 114. Me expectes, de me cogites. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 4. Ut acrius aliquando et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 140. Tibi autem de me cum sollicitudine cogitanti subito sum visus emersus ex flumine. *Id.* 7. *Att.* 4. 3. Tu ipse cum Sexto scire velim quid cogites de exeundo de totaque re quid existimes. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 5. *in fin. Id. Rabir. perduell.* 10. 29. Spe atque animo de se et gloria sua cogitare. *Id.* 1. *Fam.* 7. 3. Toto animo de aliquo ac de alicujus ornamentis et commodis cogitare. *Id.* 13. *Att.* 12. 4. Toto pectore de aliqua re cogitare. *Id.* 3. *Verr.* 9. 26. Animo vacuo ac soluto de aliqua re agere et cogitare. *Tibull.* 4. 5. 10. Si modo, cum de me cogitat, illa calet. *Curt.* 6. 8. 5. Cogeris potius de periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. — *ε*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 46. Quemadmodum astitit severa fronte curas cogitans. *Ter. Eun.* 4. 2. 1. Cœpi egomet mecum inter vias – aliam rem ex alia cogitare et omnia in pejorem partem. Adde *eumd. ibid.* 4. 6. 21. *Id. Phorm.* 2. 1. 13. Pericla, damna, exilia peregre rediens semper cogites, aut filii peccatum, aut uxoris mortem. *Id. Adelph.* 5. 3. 22. Cogitare aliquid secum. *Id. ibid.* 5. 3. 32. aliquid in animo vere. Adde *eumd. ibid.* 1. 1. 5. *Cic. Dejot.* 13. 38. Hæc ille reputans et dies noctesque cogitans – non succenset. *Id.* 15. *Fam.* 16. 2. Si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus. *Id.* 1. *Orat.* 51. 223. Acuto homine nobis opus est, – qui sagaciter pervestiget, quid sui cives iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, expectent. *Id.* 1. *Off.* 4. 14. Aliquid libidinose aut facere aut cogitare. *Id.* 2. *leg. Agr.* 24. 64. aliquid cum animis suis. *Id.* 2. *Legg.* 1. 2. Nihil enim his in locis, nisi saxa et montes, cogitabam. Et sequente etiam relativo. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 12. 37. Animal agit aliquid: nihil enim agens ne cogitari quidem potest, quale sit. *Lucret.* 4. 773. quare quod cuique libido Venerit, extemplo mens cogitet ejus id ipsum. Adde *eumd.* 4. 787. *Liv.* 41. 18. Cogitare omnia animo. *Tibull.* 4. 4. 19. te solum candida secum Cogitat. *Curt.* 5. 10. 5. Diu omnibus cogitatis placuit etc. *Seneca Ep.* 11. *sub fin.* O felicem illum, qui non præsens tantum, sed etiam cogitatus emendat! *h. e.* dum alterius menti obversatur, ejusdem mores emendat. Ita vero legendum est ex antecedentibus et consequentibus, quæ videsis: *alii non actus tantum, sed etc.*; *vulgata vero lectio, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus, quam Forcellinus sequutus est et τὸ cogitatus pro nomine quartæ declinat. accepit.* — Hinc et Part. præter. pass. *Cic. Senect.* 11. 38. Res multum et diu cogitatæ. *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Sapientis hominis cogitata ratio. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de ipsa cogitandi agendique ratione, quam quis rebus perpensis ac deliberatis amplectitur et sequitur: qua significatione usurpatur — *a*) Absolute, et fere jungitur cum Adverbiis *male, amice* etc.: ita ut *bene* vel *male cogitare de aliquo* sit alicui beneficium, aut malum parare. *Cato R. R. proœm.* § 4. Minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt. *Cic. Senect.* 6. 17. Carthagini male jam diu cogitanti bellum multo ante denuncio. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (26). *Antonius* apud *Cic.* 14. *Fam.* 13. A. § 2. Si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. 1. Ut – ipse facile animadverterem, male eam de me cogitare. Adde *Nepot. Hann.* 2. Si quid amice de Romanis cogitabis. Adde *Sueton. Cæs.* 75. — *b*) Sæpius addito eo, quod facere cogitamus; et quidem — *α*) Cum Accus. rei, fere in malam partem. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 19. Desinant furere, et proscriptiones et dictaturas cogitare. *Id. Mil.* 12. 32. Cogitati furores. *Id.* 2. *Phil.* 34. 85. Attuleras domo meditatum et cogitatum scelus. Adde *Curt.* 5. 10. 15. et 6. 11. 52. Rursus *Cic. Mil.* 17. 45. Cogitatum facinus. Adde *Sueton. Tib.* 19. *Nepos Ages.* 6. Quod latere arbitrabantur, quæ cogitarent. *Id. Datam.* 6. *in fin.* Quod ad suam perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Multæ res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret. *Horat.* 2. *Od.* 11. 2. Quid bellicosus Cantaber et Scythes Cogitet. Similiter figurate *Virg.* 1. *G.* 462. quid cogitet humidus Auster, Sol tibi signa dabit. *Curt.* 8. 7. 10. Sunt hic, qui mecum pulcherrimam rem cogitaverunt. *Id.* 6. 11. 37. Cogitare facinus. *Id.* 8. 6. 30. in aliquem. *Id.* 6. 7. 30. nefas in aliquem. Adde *Sueton. Cæs.* 75. *Curt.* 6. 10. 14. Cogitatum parricidium. cui ibid. *opponitur* consummatum. Adde *Sueton. Cal.* 12. *Tac.* 4. *Ann.* 28. Cogitare cædem principis et novas res. *Petron. Satyr.* 82. cædem et sanguinem. *Martial.* 1. 116. suspendium. — *β*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 10. De pernicie populi Romani et exitio hujus urbis cogitare. *Id. Mil.* 25. 67. De vita alicujus nefarie cogitare aut moliri. *Auct. B. Alex.* 32. Neque eum consilium suum fefellit, quin hostes, eo prælio audito, nihil jam de bello essent cogitaturi. *Sueton. Cal.* 34. de Homeri carminibus abolendis. — Et in bonam partem *Cic.* 13. *Att.* 12. 4. Cogitare de Scapulanis hortis. *h. e.* emendis. — *γ*) Cum Infinito fere in bonam partem. *Cato R. R.* 3. Ædificare diu cogitare oportet, conserere cogitare non oportet, sed facere oportet. *Ter. Heaut.* 3. 3. 46. Quid facere cogitas? Adde *eumd. Eun.* 5. 2. 58. *Cic.* 2. *Att.* 9. *in fin.* Antium me ex Formiano recipere cogito. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 28. 75. *Nepos Eumen.* 2. Cogitabat – omnium partes corripere atque complecti. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 5. Si comportatis bene rebus cogitat uti. Adde *eumd. Art. P.* 144.; et *Sueton. Ner.* 18. — *δ*) Ellipsis est in his, quæ sequuntur; quæ tamen de itinere faciendo et quidem in epistolis tantum occurrunt. *Cic.* 16. *Att.* 2. 4. In Pompejanum cogitabam. *scil.* ire. *Id.* 7. *Fam.* 4. A. d. IX. Kal. in Cumanum veni cum Libone tuo vel potius nostro: in Pompejanum statim cogito, sed faciam ante te certiorem. Adde *eumd.* 2. *Att.* 8. 2. *Id.* 9. *ibid.* 1. 2. Hinc vero vulgo vadunt. Etiam M. Lepidus, quocum diem conterere solebam, cras cogitabat. *scil.* proficisci. — Hinc

Cogitatum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est cogitatio, vel res cogitata. *Nepos Datam.* 6. Quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus. — Sæpius in plur. num. occurrit. *Ter. Phorm.* 2. 1. 53. Cogitata proloqui. *Cic. Brut.* 72. 253. præclare eloqui. *Id. Dejot.* 7. 21. perficere. *Nepos Pausan.* 3. patefacere. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 1. 1. Cogitata sapientum. *Id. Quinct.* 29. 90. Ex ceteris dictis, factis cogitatisque Sext. Nævii. *Vellej.* 2. 13. 4. Optime cogitata. *quibus ibid. opponuntur* male facta.

CŌGNĀTA, æ. *V.* COGNATUS.

CŌGNĀTĬO, ōnis, f. 3. (*cum* et *nascor*) est communis nascendi causa, communis origo, atque adeo conjunctio naturæ et sanguinis (It. *parentela, cognazione, parentado*; Fr. *parenté*; Hisp. *parentesco*; Germ. *die Verwandtschaft durch Abstammung*; Angl. *relation by blood, kindred*).

I.) Proprie. ¶ 1. Usurpatur de hominibus: et quidem — 1.°) Abstracte. *Cic.* 4. *Verr.* 10. 27. Ut quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat. *Id. ibid.* 43. 125. Amplissima cognatione, et pluribus amicitiis vir. *Id. ibid.* 26. 61. Est mihi tecum cognatio. *Id.* 6. *ibid.* 33. 72. Cognatione esse conjunctum cum aliquo. *Id.* 5. *Fin.* 33. 65. Cognatione patruelis, amore germanus. Adde *eumd.* 7. *Verr.* 47. 125. et *ibid.* 68. 176.; *Cæs.* 6. *B. G.* 22.; *Nepot. præf.* § 7.; *Liv.* 26. 33.; *Sueton. Ner.* 3.; et *Plin. Paneg.* 37. — *Cara cognatio* vocabatur dies ille solemnis, qui et *Charistia*, quam vocem *V.* supra suo loco. *Martial.* 9. 55. Cara daret solemne tibi cognatio munus. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 724. *n.* 443. ITEM VIII. K. MART. DIE KARAE COGNATIONIS AD MARTIS EODEM LOCO DIVIDERENT SPORTVLAS, PANEM ET VINVM. *Tertull. Idolol.* 10. Etiam strenæ captandæ, et septimontium, et brumæ et caræ cognationis honoraria exigenda omnia. *Auson.* etiam *præf. Parental.* ejus diei festi meminit. — *Lux propinquorum* vocatur a *Martial.* 9. 56. Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales, Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro. *V. Val. Max.* 2. 1. 8. — 2.°) Concrete, uti ajunt, sensu sumitur aliquando pro ipsis cognatis. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. 21. Cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur. Adde *eumd. Cluent.* 6. 16.; *Cæs.* 7. *B. G.* 32. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (76). et 35. *ibid.* 11. 40. (136)., ubi duas celebrium pictorum tabulas *cognationis* nomine appellat, quod in iis cognatorum multitudo depicta fuit. ¶ 2. De brutis animalibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (157). Cognatio equorum. *Id. ibid.* 50. 76. (203). caprarum. ¶ 3. Et de plantis. *Id.* 16. *ibid.* 12. 23. (61). arborum. *Id.* 19. *ibid.* 6. 33. (108). cæparum. *Id.* 16. *ibid.* 36. 64. (157). papyri cum calamis. ¶ 4. Et de aliis rebus. *Id.* 2. *ibid.* 105. 109. (235). Bitumini magna cognatio ignium.

II.) Translate accipitur pro quacumque conjunctione, similitudine, et convenientia unius rei ad aliam. *Cic.* 6. *Verr.* 37. 81. Cognatio studiorum et artium propemodum non minus est conjuncta, quam ista generis et nominis. Adde *eumd. Arch.* 1. 2. *Id.* 2. *Divinat.* 14. 33. Distantium rerum cognatio naturalis. *Id.* 1. *ibid.* 30. 64. Animus tenetur cognatione deorum. *Id. Orat.* 56. 186. Numerus non habet aliquam necessitudinem, aut cognationem cum oratione. Adde *eumd. Sull.* 20. 59., et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 115. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 33. 39. (97) Regioni alicui societas est, sive cognatio dierum ac noctium cum alia. *h. e.* habet dies ac noctes ejusdem longitudinis. Adde *Cels.* apud *Quintil.* 9. 2. 105.; et *Quintil.* 1. 4. 12. et 1. 10. 36.

CŌGNĀTUS, a, um, adject. *Cognatum* pro *cognatorum* est apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 211. — *Cognatus*, a *cum* et *gnatus* pro *natus*, est simul natus, qui est ejusdem originis: ut patet ex *Ovid.* 1. *Met.* 80.

recens tellus, seductaque nuper ab alto Æthere cognati retinebat semina cœli. *Juvenal.* 5. 103. anguillis longe cognata colubræ.

I.) Proprie. ¶ 1. Sæpissime dicitur de hominibus et quidem — *a*) Stricto sensu de iis, qui sanguine invicem conjuncti sunt, et ab uno eodemque progenitore nati (It. *congiunto*, *consanguineo*, *parente*; Fr. *parent*; Hisp. *pariente*; Germ. *blutsverwandt*, *verwandt durch gemeinsamen Ursprung*; Angl. *related by blood*, *nearly akin*, *closely allied*, *of the same race*). Quomodo differant ab *agnatis*, *V.* AGNATIO. Porro hac significatione occurrit sæpe *Cognatus*, *i*, m. 2. et *Cognata*, *æ*, f. 1. absolute. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 86. Vos estis ambæ meæ filiæ: et hic est cognatus vester. *h. e.* filius fratris mei. *Id. ibid. prol.* 96. Alteram efflictim perit, suam sibi cognatam, imprudens. *Id. Stich.* 4. 2. 2. cognati mei. *Ter. Adelph.* 5. 8. 24. His proximus cognatus. *Id. Eun.* 1. 2. 68. Nemo neque notus neque cognatus. *Id. Hecyr.* 4. 2. 16. Amicas et cognatas deserere. *Id. Phorm.* 5. 3. 20. In cognatam peccare. *Id. ibid.* 2. 3. 5. Negat Phanium hanc sibi cognatam Demipho? hanc Demipho negat esse cognatam? *Cic. post red. ad Quirit.* 3. 6. Pro Propilii reditu adolescentes filii, multi præterea cognati atque affines deprecati sunt. *Id. Rosc. Am.* 34. 96. Tot propinqui cognatique optime convenientes. *Id. Cæcin.* 5. 15. Amici cognatique alicujus. — *b*) Latiori sensu ponitur de iis omnibus, quæ ad cognatos pertinent. *Catull.* 68. 98. cognati cineres. *Propert.* 3. 7. 10. rogi. *Virg.* 3. *Æn.* 502. cognatæ urbes, populique propinqui. *h. e.* a populis ejusdem gentis conditæ. *Id.* 12. *ibid.* 29. sanguis. *Ovid.* 9. *Met.* 412. Cognatumque latus Phegeius hauserit ensis. *h. e.* hominis affinitate conjuncti. *Id.* 2. *ibid.* 663. et 13. *ibid.* 615. corpora. *Id.* 15. *ibid.* 451. mœnia. *Id.* 6. *ibid.* 498. pectora. *Lucan.* 1. 4. cognatæ acies. *h. e.* Cæsaris ac Pompeji, generi et soceri. *Sil. It.* 11. 179. Capys magno cognatus Iulo. *Stat.* 1. *Theb.* 11. cognataque mœnia Baccho, *h. e.* Thebæ; nam Semele Bacchi mater Thebana fuit. *Id. ibid.* 102. Tartara dicit cognata Tisiphones, quæ in fabulis est soror Tartari, ut est apud *Hygin. præf. Id.* 1. *Achill.* 92. freta. *Sidon. carm.* 15. 27. Plurimus hic Briareus populoso corpore pugnat, Cognatam portans aciem. — *Horat.* 2. *Sat.* 6. 63. O quando faba Pythagoræ cognata. *scil.* Pythagoras, teste *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (118)., docebat in faba mortuorum animas esse. — *NB.* Sequiori ævo Latinitatis *cognatus* dici cœptus est uxoris meæ frater; et *cognata* uxor fratris mei: ex quo venit Italica vox *cognato*. Sunt in hanc rem tres *Inscript.* apud *Fabrett.* c. 3. n. 184., 588. et 589. et alia apud *De-Vita Antiquit. Benevent. cl.* 9. *n.* 80. et apud *Gruter.* 895. 4. ¶ 2. Dicitur etiam de brutis animalibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 4. (13). *de aquilis.* Cognatum genus excipiunt, et educant cum suis. ¶ 3. Item de plantis. *Id.* 16. *ibid.* 10. 16. (38). Sex genera cognatarum arborum picem ferunt. ¶ 4. Item de inanimis. *Id.* 36. *ibid.* 24. 59. (182). Cognata calci res gypsum est. *Cognatas terras* dixit *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 144. Siciliam et Italiam, quia olim conjunctæ fuerunt: et *cognatos nubibus amnes*, *Stat.* 1. *Theb.* 200., quia et nubibus fiunt imbres, unde amnes crescunt.

II.) Translate est similis, conveniens. *Cic. Tim.* 6. Deus mundo formam maxime sibi cognatam et decoram dedit. *Id.* 3. *Orat.* 51. 197. Nihil est tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 280. Ex more imponens cognata vocabula rebus. Adde *Quintil.* 1. 5. 48. *Vellej.* 2. 130. 1. Qui (*princeps*) quod umquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum.

CŌGNĬTĬO, ōnis, f. 3. est actus cognoscendi, intelligentia, notio, scientia (It. *cognizione*, *conoscimento*; Fr. *connaisance*, *notion*; Hisp. *conocimiento*, *nocion*; Germ. *das Kennenlernen oder Erkennen einer Sache*, *die Erkenntniss*; Angl. *knowledge*, *acquaintance with*, *skill in*). ¶ 1. Generatim usurpatur abstracte. — *a*) In genere. *Cato* apud *Gell.* 20. 5. Itaque ego cognobiliorem cognitionem arbitror. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 33. Eum (*anulum*) hæc cognovit Myrrhina in digito, modo me habentem: rogat unde sit: narro omnia hæc: inde est cognitio facta, Philumenam compressam esse ab eo, etc. Adde *eumd. Eun.* 5. 3. 12. *Cic. Top.* 18. 67. Causarum cognitio cognitionem eventorum facit. *Gell.* 16. 8. *ad fin.* Dialecticæ studium atque cognitio in principiis insuavis videri solet. — *b*) Item de externo actu, quo personam aliquam cognoscimus. *Cic.* 13. *Fam.* 78. 2. Huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio et munio. *Id. Arch.* 2. 5. Omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum (*Archiam*) existimarunt. V. *Stürenberg.* ad h. l., et adde *eumd. Cic.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. *ad fin.* — *c*) Item aliquando sumitur pro iis, quæ cognitionem ac scientiam pariunt, ut sunt præcepta, regulæ ac principia scientiarum atque artium. *Cic.* 2. *Legg.* 19. 47. Jurisconsulti sæpe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur. *Id.* 3. *Fin.* 5. 17. Rerum autem cognitiones – propter se adsciscendas arbitramur, quod habeant quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. – Artes etiam ipsas propter se assumendas putamus, cum quia sit in his aliquid dignum assumptione, tum quod constent ex cognitionibus, et contineant quiddam in se ratione constitutum ac via. Cf. *Quintil.* 12. 4. 2. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Itaque nisi ea virtus, quæ constat ex hominibus tuendis –, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et jejuna videatur. *Id.* 1. *ibid.* 43. 153. Cognitio contemplatioque naturæ manca quodammodo atque inchoata. *Id.* 1. *ibid.* 4. 13. Cognitio rerum occultarum. *Id.* 1. *Tusc.* 29. 71. animi. *Id.* 2. *Nat. D.* 56. 140. deorum. *Id.* 1. *Off.* 44. 158. Collocare se totum in cognitione et scientia. *Id.* 3. *Orat.* 29. 112. Perquirere cognitionem et scientiam rei alicujus. *Id.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Capere cognitionem alicujus rei. *Id. Orat.* 35. 122. Res, quæ in perfacili cognitione versantur. *Id.* 5. *Fin.* 12. 34. Quæ corporis sunt, cognitionem habent faciliorem. *Id.* 3. *ibid.* 11. 37. et 1. *Off.* 6. 19. Res cognitione dignæ. *Id.* 1. *ibid.* 43. 154. et 153., et 2. *ibid.* 2. 5. Res cognitione dignissimæ. *Quintil.* 10. 1. 90. Scriptores non indigni cognitione. ¶ 2. Item generatim, sed concreto, uti ajunt, sensu cognitio idem est quod notio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 14. 36. Usitatas perceptasque cognitiones deorum tollere. *Id. ibid.* 17. 44. Insitas deorum vel potius innatas cognitiones habere. *Id.* 2. *Fin.* 5. 16. Extorquere ex animis cognitiones verborum quibus imbuti sumus. ¶ 3. Speciatim sæpe est forense verbum, et significat inquisitionem causæ, ut reperta rei veritate sententia judicialis feratur. Opponitur autem sæpe juri ordinario, quia cognitio est juris extraordinarii, et pertinet ad summos magistratus, scilicet consules, prætores, præfectos provinciarum, senatum, principem (aut eos quibus princeps id negotii dederit), qui cum reum apud se causam agere cogunt, neque eum ad jus ordinarium, dato judice, remittunt, extra ordinem cognoscere dicuntur: et hæc est proprie cognitio. *V. Digestor.* 50. *t.* 13., *qui est* De extraordinar. cognitionib., ubi multæ enumerantur causæ, quæ per cognitionem finiuntur. *Cic. ad Capiton.* 16. *Att.* 16. c. § 11. Quæ lex EARVM RERVM, QVAS CAESAR – EGISSET, consulibus cognitionem dedit. *Id. ibid.* § 12. Decretum consulum, quorum et lege et senatusconsulto cognitio et judicium fuit. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 25. 60., 2. *Legg.* 21. 36. et 22. 60. *Id. Brut.* 32. 87. Dies cognitionis. *Liv.* 1. 49. Cognitiones capitalium rerum. *Id.* 1. 50. Cognitio inter patrem et filium. *Id.* 4. 26. Cognitio vacantium militiæ munere. *Id.* 40. 12. Cognitionis formula. *Plin.* 6. *Ep.* 31. Cognitionem suscipere. *Id.* 10. *ibid.* 64. Hæc quoque species incidit in cognitionem meam. *Id. ibid.* 97. Cognitio de Christianis. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 72. de famosis libellis. *Quintil.* 7. 2. 20. In cognitionem senatus aut principis venire. Adde *eumd.* 3. 10. 1. *Id.* 3. 6. 70. et *Dig.* 51. 2. 39. *pr.* Cognitio prætoria. *Sueton. Claud.* 12. magistratuum. *Id. ibid.* 15. Alium interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse etc. *Id. Tib.* 62. Deditum et intentum esse cognitioni. *Id. ibid.* 28. Cognitionem flagitare de criminibus ac reis. *Id. Claud.* 9. recipere falsi testamenti. *Id. Rhet.* 6. cædis. *Id. Claud.* 43. Cognitione damnare aliquem. *Edict. Dioclet. p.* 22. Avvocato (*h. e.* advocato) sive jurisperito mercedis in postulatione ✕ ducentos quinquaginta, in cognitione ✕ mille. — Inter officia domus Augustæ fuerunt etiam officiales *a cognitionibus*, nempe quibus principes cognoscendarum causarum curam demandabant. *Seneca in fin. Apocolocynt.* Menandro liberto suo tradidit, ut a cognitionibus ei esset. *V.* plura huc spectantia doctissime disputata a *Marin. Frat. Arv. p.* 795. et *seqq.* Huc pertinent *Inscriptt.* apud *Gruter.* 271. 4., 285. 6. etc., in quibus *Judices sacrarum cognitionum* commemorantur. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 60. L. AELIO HELVIO DIONYSIO C. V. IVDICI SACRARVM COGNITIONVM TOTIVS ORIENT., PRAESIDI SYRIAE COELE, CORRECTORI VTRIVSQVE ITALIAE etc. — In *Inscript.* autem apud *Fabrett.* c. 4. n. XII. FLAVIVS ABASCANTES A COGNITIONIBVS videtur esse Circensium judex; ipse enim extat in quadriga, quæ ducitur ab auriga, coronam manu tenens.

CŌGNĬTĬŌNĀLIS, le, adject. ad cognitionem judicialem pertinens. *Impp. Diocletian.* et *Maximian. Cod.* 7. 42. 1. Cognitionales sententiæ. Adde *Justinian. ibid.* 45. 13. *Fragm. Cod. Theod.* p. 89. Sacrilegii pœna constringit tam cognitionale officium, quam eos, qui nostris minime paruerunt constitutis. — Apud *Symmach.* 10. *Ep.* 62. (*Jureti* 55.) *in fin.* Cognitionalis nomen est officii cujuspiam, puta ejus, qui cognitiones forenses in acta refert, aut quid simile.

CŌGNĬTĬŌNĀLĬTER, adverb. per cognitionem judiciariam. *Justinian. Cod.* 7. 63. 5. *ad fin.* Si quis ad appellationis judicem introductus, sive cognitionaliter, etc.

CŌGNĬTOR, ōris, m. 3. proprie est qui cognoscit: sed occurrit speciatim tantum, et

I.) Proprie. ¶ 1. Cognitor appellatur, qui de conditione ac statu alicujus, quem probe novit, testimonium dicere potest apud eos, qui minime noverunt; idem ac notor. *Cic.* 7. *Verr.* 65. 167. Homines tenues obscuro loco nati navigant, adeunt ad ea loca, quæ numquam antea viderunt: ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. *et ibid.* § 168. Qui tibi neque notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis R. esset, in crucem tolleretur. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 5. 13. et cf. *Donatum* ad *Ter. Eun.* 4. 7. 35. ¶ 2. Item qui alterum in jure defendit, advocatus. Causam enim ejus, et rationes defensionis diligenter perdiscit, et apud judices vel per se, vel per alium prius a se edoctum exponit. Differt a procuratore: quia cognitor præsentis causam tuetur; procurator absentis quæcumque negotia tractat, ut *Paul. Diac.* p. 57. 9. *Müll.* docet. *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. Ex æquo et bono jus constat, quod ad veritatem et utilitatem communem videtur pertinere, quod genus, ut *major annis LX.*, *et cui morbus causa est*, *cognitorem det*. *Id.* 1. *Divinat. in Cæcil.* 4. 11. Me Siculi defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum, me cognitorem juris sui, me actorem causæ totius esse voluerunt (*V. Pseudo-Asconii* verba huc pertinentia in ADVOCATUS). *Id. Rosc. com.* 18. 53. Tu in eam litem cognitor Roscii factus es. *et mox.* Nisi te in suam litem dedisset cognitorem. *Id.* 4. *Verr.* 43. 106. Cognitorem alicui adscribere. *et ibid.* Cognitorem fieri pro aliquo. *et ibid.* alicui. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 60. 137. et 34. 78. et *Cæcin.* 5. 14.; *Quintil.* 3. 6. 71.; et *Caj.* 4. *Instit.* 97. 124. — Cognitor est etiam sectoris valde similis, nempe is qui ærarii aut fisci debitores vel veteres, vel latentes detegit et accusat; atque ejus operæ pretium partem bonorum, quæ proscribuntur, consequitur. Hoc genus officii *cognitura* appellatur. Dicitur autem *cognitor* honesto vocabulo (cum *delator* potius, aut *sector* appellari posset) quia causam fisci, aut ærarii ultro tuendam suscipit, et tamquam legum custodem se præbet; revera autem bonorum alterius proscriptionem ac proprium lucrum spectat. Hoc sensu adhiberi creditur *cognitor urbis* apud *Manil.* 5. 316. Sed varia est ejus loci interpretatio; quemadmodum varia est etiam illius *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 23. Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ, Quas aliquis duro cognitor ore legat. ¶ 3. Est præterea cognitor, qui causam vel crimen alterius judicii causa cognoscit, quæsitor, judex. *Impp. Gratian.*, *Valentin.* et *Theodos. Cod. Theod.* 9. 27. 5. Omnes cognitores et judices a pecuniis manus abstineant. Adde *ibid.* 10. 10. 20. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 205. Te cognitore dignus ire in carcerem. Adde *eumd. ibid.* 793. *V.* COGNITIO 3.

II.) Figurate, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., cognitor dicitur, quicumque extra rem forensem est alicujus defensor ac procurator. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 9. Si eritis secuti sententiam C. Cæsaris, quoniam hanc is in republica viam, quæ popularis habetur, secutus est, fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore hujusce sententiæ, mihi populares impetus pertimescendi. Adde *eumd. Harusp. resp.* 21. 45. *Liv.* 39. 5. Alienarum simultatum tribunum pl. cognitorem fieri, turpe est. *Forcellinus* hunc *Livii* locum ad super. paragr. I. 2. retulerat: et in sequenti *Horatii*

loco cognitorem pro actore acceperat. Horat. 2. Sat. 5. 38. Ire domum, atque Pelliculam curare jube; si cognitor ipse, Persta atque obdura. Fronto de eloq. (edente Ang. Majo) p. 229. edit. Rom. Mercurius nuntiis præditus, Apollo pæanum auctor, Liber dithyramborum cognitor, Fauni vaticinantium indicatores.

COGNĪTŌRIUS, a, um, adject. ad cognitorem pertinens. Cajus 2. Institut. (edente Goeschenio) § 252. Stipulabatur, ut etiam pateretur, eum hereditarias actiones procuratorio, aut cognitorio nomine exsequi. Adde eumd. ibid. § 39. Id. ibid. 4. ibid. § 124. Cognitoriæ exceptiones. Adde eumd. ibid. § 82. Fragm. Jur. Antejustin. (edente A. Majo) p. 89. Cognitorium edictum, quod pertinet ad eos, qui dantur cognitores.

CŎGNĪTŪRA, æ, f. 1. munus, quo quis fungitur in delaturis faciendis; V. COGNITOR I. 2. in fin. Sueton. Vitell. 2. Cujus filius sectionibus et cognituris uberius compendium nactus est. Alii minus recte consuturis legunt. V. CONSUTURA. Cajus 4. Institut. § 124. Si vero cognitori non liceat cognituram suscipere, per alium cognitorem, aut per se ipsum liberam habet agendi potestatem. Adde eumd. 4. ibid. § 83. et Paul. 1. Sentent. 2. 2.

COGNĪTUS, a, um. V. COGNOSCO.

COGNĪTUS, us, m. 4. idem ac cognitio. Apul. 9. Met. Multarum civitatum obitu, et variorum populorum cognitu summas adeptum virtutes cecinit. h. e. quod multas civitates obierit, et varios populos cognoverit. — Ceterum occurrit tamquam Supinum verbi Cognosco, ut apud Val. Max. 5. 7. extern. 1. Jucundiora cognitu. Paul. Diac. p. 59. 13. Müll. Cognitu facilia eadem ratione dicitur, qua dictu facilia, et perspectu et factu facilia.

CŌGNŌBĬLIS, le, adject. Comp. Cognobilior. — Cognobilis est qui cognosci, aut intelligi potest. Cato apud Gell. 20. 5. extr. Cognobilior cognitio. Gell. ibid. a med. Libri acroatici his solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt. Est Gr. ξυνετοί.

COGNŌMEN, inis, n. 3. (cum et nomen) appellatio ab ingenio, fortuna, habitu corporis, rebus gestis, aliisque causis fere sumpta, — a) Alicui addita præter prænomen ac nomen gentilicium, quibus unice gaudebant prisci Romani, ut M. Tullius Cicero, C. Julius Cæsar, T. Manlius Torquatus etc. (V. Quintil. 7. 3. 27.): quibus interdum et quarta addita est appellatio, scilicet agnomen, quam vocem V. Porro cognomen antiquissimis Romanis nullum fuisse probat Cavedoni Marm. Mod. p. 230. Hinc recte Fabrett. p. 240.-242. observat, cognominis defectum in Inscriptionibus esse testimonium vetustatis: quod confirmat Cavedoni Marm. Mod. p. 210. in nota et præcipue Borghesi in Oss. num. P. 1. oss. 8. et 9. Cic. 3. Off. 31. 112. Atque hic T. Manlius is est, qui Galli – torque detracto cognomen (Torquati) invenit. Id. Rosc. Am. 6. 17. Nam duo isti sunt T. Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est, iste qui adest Magnus vocatur. Liv. 2. 33. M. Marcius –, cui cognomen postea Coriolano fuit. Id. 32. 2. sub fin. Creati Publ. et Sex. Ælii: Pætis fuit ambobus cognomen. — b) Interdum cognomen dicta est etiam appellatio, quæ quarto loco addebatur, quæque deinde agnomen proprio vocabulo dicta est. Cic. 2. Att. 13. 2. Quanto in odio noster amicus Magnus? cujus cognomen una cum Crassi Divitis cognomine consenescit. scilicet is erat M. Licinius Crassus Dives. Cf. Id. 2. Off. 16. 57. P. Crassus cum cognomine Dives, tum copiis. Huc referri potest et illud ejusdem Cic. Amic. 2. 6. Cato quasi cognomen jam habebat in senectute sapientis. — c) In nominibus aliarum gentium præter Romanam, item in nominibus ad geographiam pertinentibus aliisque cognomen secundo loco addebatur. Nepos Arist. 1. Aristides cognomine Justus est appellatus. Varro 2. R. R. 1. 8. Bosphorus cognomine Cimmerius. Plin. 12. Hist. nat. 13. 30. (51). Dare Arabiæ cognomen Felicis. — d) Hinc cognomen dicitur etiam alicujus loci appellativum, commune namque nomen subauditur, ut Hesperia, hoc est terra, et Alba, hoc est urbs. Sic Virg. 3. Æn. 163. Est locus: Hesperiam Graji cognomine dicunt. Id. 8. ibid. 48. urbem Ascanius clari condet cognominis Albam. Propert. 4. 1. 69. Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum. Adde Claudian. B. Get. 555. — e) Porro hisce significationibus jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Plin. 33. Hist. nat. 10. 47. (153). accipere cognomen. Liv. 1. 10. addere alicui. Plin. 22. Hist. nat. 6. 6. (12). addere alicui cognomen Felicem. Sil. It. 1. 155. adsciscere cognomen. Sueton. Cal. 22. assumere cognomina complura. Horat. 1. Sat. 3. 58. dare alicui cognomen tardo ac pingui. Sueton. Tib. 67. deferre alicui. Cic. Cluent. 26. 72. deligere ex imaginibus. Virg. 3. Æn. 163. et 702. dicere aliquid cognomine aliquo. Horat. 2. Sat. 2. 56. ducere cognomen ex aliqua re. Cic. Muren. 14. 31. ferre præ se aliquid cognomine. Liv. 30. 42. habere cognomen sapientis. Cic. 6. de republ. 11. habere ab aliquo hereditarium. Horat. 2. Sat. 3. 26. imponere alicui. Vellej. 2. 5. 1. merere. Cic. 6. de republ. 11. parere sibi. Id. 6. Phil. 4. 11. sumere ex re aliqua. Id. 3. ibid. 6. 16. et Plin. 35. Hist. nat. 4. 7. (19). trahere ex contumelia. Cic. Cluent. 26. 72. uti cognomine. — f) Apud veteres Romanos si plures fuissent in eadem familia fratres, solo prænomine distinguebantur, ut M. Tullius Cicero, Q. Tullius Cicero: verum Augusto imperante, et veterum familiarum decora in honorem quam maxime restituente, primarii Urbis viri illustria proavorum suorum cognomina propriis addere cœperunt. Hinc factum est, ut ita cognominarentur L. Æmilius Lepidus Paullus, qui consul fuit an. U. C. 720., Cn. Cornelius Lentulus Cossus, cos. an. 753., T. Statilius Sisenna Taurus, cos. an. 769.; qui tamen compendii causa Paullus Lepidus in nummis apud Eckhel. D. N. V. T. 5. p. 129., et Cossus Cn. F. Lentulus in nummis apud eumd. loc. cit. p. 185., idemque Cossus Cornelius Lentulus in Inscript. apud Gruter. 107. 1. et 2., et Sisenna Statilius Taurus apud Tacit. 2. Ann. 1. — g) Progressu vero temporis fratres eodem prænomine ac nomine, diverso tamen cognomine, vel a matre, vel ab avia, vel ab aliqua hereditate, vel aliunde deducto, a se invicem, et ab eorum patre discernebantur, ut apparet ex Inscript. apud Gruter. 555. 2. L. OCLATIO L. F. MEN. TERTIO PATRI, ET L. OCLATIO L. F. MEN. FLORENTINO FRATRI L. OCLATIVS L. F. MEN. ROCIANVS VIVUS FECIT. Hic autem mos ea de causa invaluisse videtur, quod, succrescente libertinorum numero, cum eorum nomen servile ex lege manumissionis in cognomen abiisset, factum propterea est, ut omnes ejusdem patroni liberti idem prænomen nomenque sibi adsciscerent, atque adeo solo cognomine inter se distinguerentur, quod profecto varium esse oportebat. Id autem fieri cœpit a Flaviorum temporibus. V. Morcelli T. 2. p. 240. — h) Hinc etiam accidit, ut cum idem prænomen esset omnibus fratribus et collibertis commune, (quo prisci Romani maxime gaudebant, teste Horat. 2. Sat. 5. 32. Quinte, puta, aut Publi: gaudent prænomine molles Auriculæ) in desuetudinem paulisper abierit, cujus rei testes habemus plurimas Inscriptiones apud Gruter., Fabrett., Murat. aliosque, ut hæc apud Gruter. 715. 7. VIPSANIO FIRMO VIPSANIVS LONGINVS FILIO. Ita enimvero post inverta, Augusto imperante, proavorum splendida cognomina sæpissime nomen gentilicium omittebatur; quo factum est, ut passim legere sit Q. Metellus, M. Brutus, C. Cæsar pro Q. Cæcilius Metellus, M. Junius Brutus, C. Julius Cæsar. — i) Non raro etiam accidit, ut quis non modo bina, sed etiam tria, quatuor, quinque, vel plura cognomina ob aliquam aut plures hereditates, vel alias ob causas sibi assumpserit. Hinc uni eidemque viro hæc prænomina, nomina et cognomina tribuuntur in Inscript. apud Jo. Labusium, Ant. Monum. Bresc. p. 35. A. PLATORIO A. F. SERG. NEPOTI APONIO ITALICO MANILIANO C. LICINIO POLLIONI. (Hic Hadriano Aug. percarus fuit). Alia apud Marin. Iscriz. Alb. p. 59. L. FABIO M. F. GAL. CILONI SEPTIMINO C. ATINIO ACILIANO LEPIDO FULCINIANO. (Hic consul fuit an. a Chr. n. 304.) Adde alias apud eumd. Frat. Arv. p. 234. Ceterum de pluribus cognominibus consule Vermiglioli Iscriz. Perug. p. 207. — l) Etiam feminas plura cognomina habuisse, patet ex Inscript. apud Fea, Framm. di Fasti Cons. p. 35. VALERIA TOSSIA PIA SABINA ELAEMERIA. — m) Quandoque liberti pro nomine gentilicio patroni, cum is conspicuæ esset originis, ejusdem cognomen loco nominis sibi tribuebant, ut C. Mæcenas C. L. Encarpus apud Labus. Lettera nel M. Ricoglitore n. 78. Giugno 1831. V. alia exempla ibid. et apud Borghesi della G. Arria p. 38. — Nonnullis visum est cognomen poni aliquando pro ipso nomine, ut apud Gell. 10. 12. His præstigiis a Plinio Secundo scriptis non dignum esse cognomen Democriti puto. Sed perperam: in allato enim Gellii loco τὸ Democriti est cognomen pro Democritiæ præstigiæ, ea scilicet significatione, quam superius sub c et d exhibuimus.

COGNŌMENTUM, i, n. 2. idem ac cognomen. Plaut. Mil. glor. 4. 2. 47. MI. Pulcer salve. PY. Meum cognomentum quis commemoravit? Id. Pseud. 4. 2. 18. SY. Hominem ego hic quæro malum, legirupam, impium, perjurum atque improbum. BA. Me quæritat: nam illa mea sunt cognomenta, nomen si memores modo. Adde eumd. Pers. 1. 2. 2. Poeta apud Cic. 2. Fin. 5. 15. Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur. Sallust. fragm. apud Gell. 18. 4. Cn. Lentulus collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit. Gell. ibid. 7. Cui cognomentum Insano factum est. Messala apud Senec. Suasor. 2. p. 20. Bip. Omnia grandia probabat: ei impositum est cognomen, vel, ut Messala ait, cognomentum, et vocari cœpit Senecio Grandio. (scil. quia cognomentum grandior vox est, quam cognomen. V. GRANDIO.). Tac. 12. Ann. 55. Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum. Adde eumd. 1. ibid. 31. et 2. ibid. 60. — Forcellinus addidit etiam locum Cic. Milon. 17. 46. C. Cassinius cognomento Schola. At ibi alii leg. cognomine: Orellius vero ex melioribus Codicibus utramque vocem rejecit.

COGNŌMĬNĀTIM, adverb. per derivationem eorumdem nominum. Priscian. de declin. nom. p. 1301. Putsch. Et quæ (nomina) cognominatim ex his prolatis ficta sunt, ut hic magistratus, hujus magistratus.

COGNŌMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. cognomen. Afranius apud Non. p. 87. 23. Merc. Genus cognominationis. Cassiod. Complex. 2. Petr. 1. Simon nomen est proprium, Petrus cognominatio ejus.

COGNŌMĬNĀTUS, a, um. V. COGNOMINO.

COGNŌMĬNIS, e, adject. qui ejusdem nominis cum alio est, ut docet Paul. Diac. p. 40. 5. Müll.: et occurrit — a) Absolute. Plaut. Bacch. 1. 1. 5. Duæ germanæ meretrices cognomines. Virg. 6. Æn. 383. gaudet cognomine terrâ. Al. leg. terræ. Sueton. Vitell. 2. Quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomines (h. e. eodem nomine), ac tantum prænominibus distinctos, reliquit. — b) Cum Genitivo aut Dativo. Plautus apud Servium ad Virg. 6. Æn. 383. Illa mei cognominis fuit. Al. leg. mea. Plin. 6. Hist. nat. 2. 2. (5). Veneti Henetorum cognomines. Vellej. 1. 1. Cognominem patriæ suæ Salamina constituit. Plin. 4. Hist. nat. 12. 26. (82). Axiacæ cognomines flumini. Adde eumd. 35. ibid. 4. 7. (19). Sueton. Oth. 1. L. Salvius Otho filium minorem Marcum cognominem sibi reliquit.

COGNŌMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Cognominatus 1. et 2. — Cognomino ¶ 1. Stricto sensu est cognomen impono, cognomine appello (It. cognominare; Fr. surnommer, donner un surnom; Hisp. apellidar con algun renombre; Germ. zubenamen, mit einem Zunamen belegen. Angl. to surname). Plin. 21. Hist. nat. 11. 39. (67). Amaracus, quem Phrygium cognominant. Id. 21. ibid. 3. 7. (10). Scipio, Serapio cognominabatur, propter similitudinem suarii cujusdam negotiatoris. Adde eumd. 29. ibid. 1. 4. (5). Justin. 15. 2. Ptolemæus, ne minoris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Id. 7. 1. Macedonia antea Emathia cognominata est. Adde Gell. 2. 22., ubi et apud Justin. ll. citt. ait Forcellinus, cognomino esse pro simplici nomino, appello, dico. — Hinc Part. præt. pass. cognominatus, a, um. Claudius Quadrigarius apud Gell. 9. 13. Quo ex facto ipse posterique ejus Torquati sunt cognominati. Adde Plin. 33. Hist. nat. 10. 47. (133). et 35. ibid. 10. 37. (112). Sueton. Aug. 7. Augustus Thurinus cognominatus. Flor. 3. 5. Ponticæ gentes a Pontico cognominatæ mari. ¶ 2. Latiori sensu Verba cognominata sunt quæ eamdem habent vel pæne eamdem significationem, et amplificationis causa in oratione conglobantur: atque ita dicta sunt ad similitudinem Græcæ vocis συνώνυμα. Cic. Partit. orat. 15. 53. Verba ponenda sunt juncta, facta, cognominata, etc.

COGNOSCENS, entis. V. COGNOSCO.

COGNOSCENTER, adverb. cum cognitione. Tertull. 4. contr. Marcion. 22. Manifesta te mihi, ut cognoscenter te videam.

COGNOSCĬBĬLIS, e, adject. Comp. Cognoscibilior. — Cognoscibilis est, qui cognosci potest. Boeth. Aristot. Analyt. post. 1. 21. p. 541. Sed quod a in d sit, prius est et cognoscibilius, quam quod a in e,

per hoc enim illud demonstratur, credibilius autem est per quod.

COGNOSCIBILITER, adverb. per cognitionem. Vulgat. interpr. Sapient. 13. 5. A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.

COGNOSCO, gnoscis, gnōvi, gnitum, gnoscere, a. 3. (cum et gnosco vel nosco). Variis in temporibus syncopen patitur. Legimus enim cognosti pro cognovisti apud Ter. Andr. 3. 4. 7.; cognostis pro cognovistis apud eumd. Hecyr. prol. 8.; cognosse pro cognovisse apud Lucret. 1. 332., Catull. 90. 3. et Ovid. 15. Met. 4.; cognoram pro cognoveram apud Cic. 1. Orat. 31. 143. et Catull. 66. 26.; cognorat pro cognoverat apud Nepot. Att. 10.; cognossem pro cognovissem apud Cic. Flacc. 21. 51. et Catull. 91. 3.; cognosses pro cognovisses apud Cic. Flacc. 21. 51.; cognossent pro cognovissent apud Nepot. Lysandr. 4.; cognoro pro cognovero apud Cic. 2. Fam. 11. in fin., 5. Att, 4. 3. et 7. ibid. 20. 2. in plerisque editionibus (tametsi Aldus habet cognovero); cognorim pro cognoverim dixit Cælius apud Cic. 9. Att. A. § 1.; cognoris pro cognoveris legitur apud Ter. Phorm. 2. 1. 35. et Lucret. 6. 533.; cognorit pro cognoverit apud Ter. Eun. 5. 4. 11. Denique cognoscendum pro cognoscendorum habet Plaut. Rud. 4. 4. 101. — Part. Cognoscens in fin.; Cognitus 1. 6. et in fin.; Cogniturus 1. c.; Cognoscendus 1. a. — Ratione habita etymi et significationis, hæc vox conjungenda est cum Gr. γιγνώσκω. — Itaque cognosco est personam vel rem aliquam noscere disco, nosco, bene nosco, etiamsi id fiat experientia, sensibus vel quacumque alia externa ratione; ita tamen ut intellectus vel mentis actus, numquam excludatur: V. Döderlein. Latein. Synon. vol. 6. p. 175. (It. imparare a conoscere, conoscere, conoscere appieno; Fr. chercher à connaître, connaître, prendre une connaissance approfondie; Hisp. aprender á conocer, conocer, conocer plenamente; Germ. eine Person oder Sache kennen lernen, erkennen, zu ihrer Erkenntniss gelangen; Angl. to study, to know, be acquainted with). Occurrit ¶ 1. Generatim: cognosco ponitur pro personam aut rem discere nosco, perdisco, intelligo, scio, plane nosco; atque etiam recognosco: et usurpatur — a) Cum Accus. personæ aut rei, quæ cognoscitur. Ennius apud Pers. 6. 9. Lunaï portum est operæ cognoscere, cives. Cf. Sall. Cat. 12. Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris (h. e. videndo cognoveris) in urbium modum exædificatas, visere templa deorum. Cato R. R. 2. Ubi ea (paterfamilias) cognovit. Id. ibid. Ubi hæc cognita æquo animo sient. Plaut. Pseud. 4. 2. 30. HA. Cedo mihi epistolam. SY. Accipe, cognosce signum (h. e. agnosce, recognosce). HA. Eho, Polymachæroplacidos purus putus est ipsus: novi. et ibid. v. 45. video et cognosco signum. Id. Rud. 4. 4. 101. Huc opesque spesque vestrûm cognoscendûm condidi. Ter. Eun. 2. 3. 18. Utilitatem in ea re faciam ut cognoscas meam. Lucilius apud Non. p. 275. 22. Merc. Rem cognoscas simul et dictis animum attendas postulo. Cic. 1. Fam. 17. 10. Scribo tamen, ut te admoneam, quod ipse – experiendo tamen magis, quam discendo cognovi. Id. 5. ibid. 12. Ut ceteri, viventibus nobis, ex litteris tuis nos cognoscant. Id. 1. ibid. 5. 6. § 1. Quæ hic agantur quæque acta sint, ea te ex litteris multorum et nunciis cognoscere arbitror. Id. Senect. 23. 83. Neque vero eos solos convenire aveo, quos ipse cognovi; sed etiam illos, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi. Id. 5. Fin. 26. 76. Habere aliquid perceptum, comprehensum, cognitum. Lucret. 1. 697. Credit enim sensus ignem cognoscere vere. Cæs. 1. B. G. 14. Quibus rebus cognitis cum ad has suspiciones certissimæ res accederent. Adde Nepot. Con. 4. Rursus Cæs. 3. B. G. 7. Cognoscere regiones. Id. 7. ibid. 16. Per certos exploratores, quæ ad Avaricum agerentur, cognoscebat. Sall. Jug. 14. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthæ parum cognita transversos agat. Liv. 5. 35. Gallos, novam gentem, pace potius cognosci quam armis. Virg. 2. G. 490. Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Id. 9. Æn. 245. Venatu assiduo totum cognovimus amnem. Propert. 1. 6. 13. An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas, Atque Asiæ veteres cernere divitias. Petron. Satyr. 7. Cum ego negarem, me cognoscere domum. — Porro jungitur pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cæs. 1. B. G. 22. aliquid ex armis atque insignibus. Al. ab armis. Cic. 7. Verr. 4. 9. aliquid non tam ex re, quam ex alicujus factis decretisque. Id. 2. Fam. 10. aliquid ex aliquo. Id. pro leg. Manil. 13. 36. quædam magis ex aliorum contentione, quam ipsa per sese. Nepos Att. 14. aliquid ex aliqua re. Phædr. 4. 21. aliquem ex sermone. Al. ab sermone. Tac. 12. Ann. 24. aliquid clamore. Nepos Dion. 8. animos omnium facile. Tac. 2. Ann. 59. antiquitatem. Sic Nepos Att. 18. cognitam diligenter habere antiquitatem. Cic. 2. Orat. 41. 177. artem cognoscere. h. e. perdiscere. Id. apud Non. p. 275. 32. Merc. bellicam rem et omnem reipublicæ disciplinam ex annalium monumentis. Tibull. 3. 5. 23. campos Elysios. Virg. 6. Ecl. 25. carmina. Id. 2. Æn. 10. casus alicujus. Ter. Andr. 1. 1. 22. consilium alicujus. Cæs. 5. B. G. 7. consilia alicujus omnia. Cic. apud Non. p. 276. 6. Merc. consuetudinem aliquam et studium sermonemque. Lucret. 2. 742. corpora tactu. Curt. 6. 11. cuncta diligentius. Virg. 1. G. 177. curas tenues. Sall. fragm. 2. deditionem per nuncios. Cæs. 3. B. C. 18. dicta alicujus ab iis, qui sermoni interfuerunt. Id. 1. B. G. 19. fidem alicujus. Adde Cic. 1. Fam. 9. 3. Virg. 4. G. 375. fletus gnati. Nepos Ages. 11. formam alicujus. Sueton. Cal. 13. infantem. Cic. 2. leg. Agr. 10. 25. insidias. Sall. Cat. 59. iter hostium et perfugis. Cæs. 1. B. G. 19. justitiam. Cic. 1. Orat. 34. 159. leges. Virg. 4. Ecl. 60. matrem risu. Sall. Jug. 7. naturam alicujus et mores. Cic. 1. Off. 43. 154. et Lucret. 3. 1085. naturam rerum. Propert. 1. 13. 13. noctes. h. e. agere. Ovid. 12. Met. 251. os. Nepos Att. 10. puerum aliquem in ludo. Cic. 5. Att. 4. 3. rationem. Nepos Hann. 7. responsum. Id. Timol. 3. sententiam alicujus. Sueton. Cal. 3. sepulcra. Virg. 4. G. 375. strepitus pedum. Cæs. 1. B. G. 19. temperantiam alicujus. Cic. 1. Orat. 47. 204. virtutem. Cæs. 1. B. G. 19. voluntatem alicujus. — b) Cum duobus Accusativis, vel cum aliquo alio casu addito. Cic. 1. Fam. 7. 2. Quo quidem tempore – cognovi Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum, ex magistratibus autem L. Racilium et fide et animo singulari. Id. 7. Verr. 66. 169. Ut ille – perangusto freto divisa servitutis ac libertatis jura cognosceret. Id. 5. Fam. 13. 1. Cognoscere aliquem res humanas contemnentem et optime contra fortunam paratum armatumque. Id. 13. ibid. 21. 2. aliquem hominem pudentem et officiosum. Id. ibid. 19. 3. aliquem virum optimum gratissimumque. Id. ibid. 23. 2. aliquem hominem summa probitate, humanitate observantiaque cognoscere. h. e. experiri, sentire. Id. 3. Verr. 7. 18. judices in judicando nimium sui juris sententiæque. Nepos Amic. 2. aliter rempubl. se habentem. Id. Eumen. 8. paria facta quorumdam. Id. Att. 9. Memorem gratumque cognosci. Virg. 1. Ecl. 42. Nec tam præsentes alibi cognoscere divos. h. e. experiri, sentire. Id. 12. Æn. 903. nec currentem se, nec euntem cognoscere. — c) Cum Accus. et Infinito, et passive cum Nomin. et Infinito. Cic. 16. Att. 16. A. § 1. Attici nostri te valde studiosum esse cognovi. Cæs. 5. B. G. 20. Ab his cognoscit, non longe ex eo loco oppidum – abesse silvis paludibusque munitum. Id. 2. B. C. 21. Quos – pœnam tulisse cognoverat. Lucret. 3. 118. Nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis Esse. Nepos Pausan. 4. Signoque detracto cognovit – sibi esse pereundum. h. e. intellexit. Plin. 2. Hist. nat. 108. 112. (246). Nam et a Germania immensas insulas non pridem repertas cognitum habeo. — Cic. 1. Fam. 5. 6. Ut – a ceteris omnibus quam gratissimus erga te esse cognoscerer. Sall. Jug. 46. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum esse. Propert. 2. 2. 16. Cognitus Iphicli surripuisse boves. Claudian. 2. in Rufin. 293. Ut cessisse ducem, propius venisse cohortes, Cognita Rufino. h. e. ut hæc cognita fuerunt Rufino. Sic Virg. 1. Æn. 671. Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum Littora jactetur, odiis Junonis iniquæ, Nota tibi. — Et cognito absolute. Liv. 37. 13. Ex agrestibus cognito, hostium naves ad Æthaliam stare, consilium habitum est. h. e. cum ex agrestibus notum fuit etc. Id. 33. 41. Cognito vivere Ptolemæum. Adde eumd. 44. 28. Tac. 1. Ann. 46. Nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico. — d) Sequente relativo. Cato R. R. 2. Ubi cognovit, quomodo fundus cultus siet, operaque quæ facta infectaque sient. Ter. Andr. 1. 1. 22. Eo pacto, ut gnati vitam et consilium meum cognosces, et quid facere in hac re te velim. Id. ibid. 3. 4. 7. Tamen cognosti, qui siem. Cic. 5. Fam. 2. 1. Tamen et absens cognoscebam, quæ esset tua in hoc pestifero bello cavendo et prædicando sententia. Cæs. 1. B. G. 21. Qualis esset natura montis – qui cognoscerent, misit. Sall. Jug. 79. Id socordiane an casu factum sit, parum cognovit. — e) Cum præpos. de et Ablativo personæ aut rei, de qua facti sumus certiores. Cic. 5. Att. 21. 10. Habes consilia nostra: nunc cognosce de Bruto. Id. 1. Fam. 8. 1. Ex eodem de toto statu rerum cognosces. Adde eumd. 4. ibid. 4. 3. Cæs. 7. B. G. 1. Ibi cognoscit de Clodii cæde. Adde Sall. Jug. 73. ¶ 2. Speciatim cognoscere ponitur pro agnoscere, sive recognoscere, hoc est animadvertere personam aut rem aliquam esse eamdem ipsam, quam prius novimus. Ter. Heaut. 4. 1. 44. Postquam aspexi annulum, illico cognovi. Adde eumd. Hecyr. 5. 3. 32. Id. Eun. 5. 3. 6. Cognoscitne signa? Cf. Plaut. Pseud. 4. 2. 30. et 45., cujus verba superius attulimus 1. sub init. Cic. 3. Cat. 5. 10. Introductus est Statilius: cognovit et signum et manum suam. Adde eumd. ibid. § 12., et Sall. Cat. 47. Rursus Cic. Pis. 37. 91. Numerum militum reliquiasque cognoscere. Id. 7. Verr. 28. 72. Alii cives Romani, ne cognoscerentur, involutis e carcere capitibus – rapiebantur. Varro apud Non. p. 276. 9. Merc. Vereor, ne me quoque, cum domum ab Ilio revertero, præter canem cognoscat nemo. Sall. Cat. 61. Fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Liv. 2. 40. Qui insignem mæstitiâ inter ceteras cognoverat Veturiam. Adde eumd. 4. 29., 8. 39., 24. 16. et alibi. Ovid. 3. Pont. 2. 103. mores, Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor. h. e. similes suis agnoscat. Id. 3. Art. am. 508. Cognoscat faciem vix satis illa suam. Id. 6. Met. 137. Cognoscere amores suos. Id. 4. Trist. 4. 79. aliquem vice sermonis. Stat. 4. Theb. 638. alumnos. — Et absolute Ovid. 2. Fast. 185. Illa quidem tamquam cognosceret astitit amens. — Hoc sensu occurrit etiam in re judiciali, et cognosci dicitur qui tamquam certa illa persona, immo eadem illa, qua de quæritur, agnoscitur et recognoscitur. Cic. 3. Verr. 5. 14. Cum eum Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent lacrimantesque defenderent. Adde eumd. 7. ibid. 28. 72. ¶ 3. Item speciatim usurpatur de scriptis et libris, quorum cognitionem legendo acquirimus, et est perdiscere, perquirere, perpendere, haud aliter ac Gr. ἀναγιγνώσκειν: cf. Dig. 50. 16. 58. pr. Cic. Brut. 26. 98. Crassus domi jus civile cognoverat. Adde alia generatim elata, quæ sub 1. retulimus. Et speciatim Nepos Lysand. 4. Cognoscere librum. h. e. perlegere et addiscere. Id. Datam. 5. et Con. 4. litteras. Adde Sueton. Gramm. 23. ¶ 4. Item per euphemismum cognoscere virum, feminam, quemadmodum et Græce γιγνώσκειν, occurrit de consuetudine concubitus. Cic. Flacc. 21. 51. Quem tu, cum ephebum Temni cognosses etc. V. integrum locum. Ovid. Heroid. 6. 133. Turpiter illa virum cognovit adultera virgo. Cf. Catull. 61. 147. Tac. 4. Hist. 44. Pontia stupro cognita. Stat. 2. Achill. 228. tacito jam cognita furto Deidamia mihi. Justin. 5. 2. Uxorem alicujus adulterio cognoscere. Adde eumd. 22. 1. ¶ 5. Sæpissime cognoscere dicitur, qui notionem sibi comparat ejus rei, de qua et in bonam et in malam partem judicium ferre potest: ac propterea — a) Cognoscere dicuntur spectatores, qui in theatro adsunt. Ter. Andr. prol. 14. Favete, adeste æquo animo et rem cognoscite. Adde eumd. Hecyr. prol. 8., ibid. prol. alt. 12., et Eun. prol. 42. — Item orator vel advocatus, qui in perorandæ causa totus incumbit. Cic. Quinct. 1. 3. Qui – temporis quidem certe vix satis habui, ut rem tantam, tot controversiis implicatam possem cognoscere. Id. 2. Orat. 24. 99. Hoc ei primum præcipiemus, quascumque causas erit acturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat. — b) Sæpius est forense verbum, et significat quod est judicis proprium, scilicet inquirere in causam, aut crimen aliquod judicii ferendi causa, ea ratione, quæ in v. COGNITIO explicata est: et occurrit — α) Absolute. Cic. 4. Verr. 10. 28. Verres adesse jubebat, Verres cognoscebat, Verres judicabat. Seneca Med. 194. Si judicas, cognosce: si regnas, jube. Adde Quintil. 4. 2. 21., Sueton. Claud. 33. et Ner. 15. Plin. 10. Ep. 85. Cognoscere pro tribunali. Callistrat. Dig. 1. 18. 9. pr. § 1. Proconsul existimare debet, utrum ipse cognoscat, an judicem dare debeat. — β) Cum Accus. Cic. 2. Off. 23. 82. Cognoscere causas. Id. 3. Verr. 10. 27. causam. Adde Nepot. Miltiad. 7. et Cajum 1. Instit. 93. Sic Quintil. 11. 1. 77. Accidit

nonnumquam, ut judex eamdem causam, de qua pronunciavit, cognoscat iterum. Adde eumd. 4. 1. 3. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 48. 118. Ut aliquando de rebus ab isto cognitis judicatisque, et de judiciis datis dicere desistamus. *Inscript.* apud *Orell.* 3042. ELECTVS AD COGNOSCENDAS VICE CAESARIS COGNITIONES. — γ) Cum Ablat. et præpos. *de*, vel *super* etc., aut etiam cum Genitivo. *Cic.* 16. *Att.* 16. B. § 8. Cum consules oporteret ex senatus consulto de actis Cæsaris cognoscere. *Id.* 3. *Verr.* 10. 27. Hac de re ostendat se ipsum cogniturum. *Id.* 4. *ibid.* 7. 19. Cognoscere de hereditate. *Id.* 5. *Phil.* 19. 53. de agro Campano. *Auct. B. Alex.* 68. De controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit. *Tac.* 13. *Ann.* 32. Cognoscere de capite famaque conjugis. *Dig.* 1. 18. 21. de servo corrupto. *Ulp. Dig.* 23. 2. 13. et 24. 1. 7. § 6. super re aliqua. et *ibid.* 13. 4. 4. ex actione aliqua. et *ibid.* 27. 8. 2. Judex, qui tutelæ cognoscit, *h. e.* ex actione tutelæ. Sic *ibid.* 28. 5. 35. familiæ herciscundæ. *h. e.* ex actione familiæ herciscundæ. — Hinc Part. præs.

Cognoscens, entis, occurrit — a) Adjective. *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 25. Cognoscens sui. *h. e.* qui se ipsum novit et recte judicat. — b) Item substantivorum more pro eo qui disquirit et judicat. *Inscript.* apud *Gruter.* 459. 7. T. FL. POSTVMIO TITANIO V. C. COS. PROCOS. PROV. AFRICAE COGNOSCENTI VICE SACRA etc. Alia apud *Gruter.* 1101. 8. L. VALERIO L. F. CL. POPILIO BALBINO MAXIMO COS. ORD. COGNOSCENTI AD SACRAS APPELLATIONES etc. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 3151. et 3185.

Cognitus, a, um, quod est Part. præter. pass., cujus exempla superius attulimus, Adjective quoque occurrit; unde Comp. *Cognitior* et Sup. *Cognitissimus*, quæ vide sub c. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 92. Res penitus perspectæ planeque cognitæ. *Id.* 1. *Fam.* 7. Res perspecta et cognita. *Id. Mur.* 11. 25. Ratio pervulgata et cognita. *Id.* 1. *Off.* 6. 18. Incognita pro cognitis habere. *Id. Cluent.* 47. 131. Nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti. Cf. et locum *Cic.* sub *b. Plin.* 12. *Hist. nat.* 21. 45. (99). Res nostro orbi tantum nominibus cognitæ. *Sueton. Aug.* 21. Scythæ audito modo cogniti. — b) Cum Dativo. *Cic. Cæcin.* 36. 104. Homo singulari pudore, virtute cognita et spectata fide, amplissimis viris Etruriæ totius in utraque fortuna cognitus multis signis et virtutis et humanitatis. *Cæs.* 3. *B. C.* 38. Cognitus hosti. *Id.* apud *Cic.* 9. *Att.* 16. § 2. Bene cognitum esse alicui. *Tac.* 1. *Hist.* 1. Alicui nec beneficio nec injuria cognitus. — c) Comp. et Sup. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 28. Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant. *Id.* 14. *Met.* 14. Quanta sit herbarum, Titani, potentia nulli Quam mihi cognitius, qui sum mutatus ab illis. *Catull.* 4. 14. Tibi hæc fuisse et esse cognitissima.

Homonym. Compositum *cognoscere* differt a simplici *noscere*: namque *cognoscere*, cum plenius ac sonantius vocabulum sit, et significatione latius patet et usitatius est, quam *noscere*, cujus vis minor est. *Ter. Hecyr. prol.* 8. Alias (*fabulas*) cognostis ejus; quæso, hanc noscite. Huc pertinent, et illa *Forcellini*: Inter *notum* et *cognitum*, si subtilius philosophari velimus, illud interest, quod *notus* dicitur, qui quocumque modo scitur; *cognitus*, qui bene perspectus et compertus. *Cic. fragm. contra C. Anton.* apud *Ascon.* Quidam homo nobilis et valde in hoc largitionis quæstu notus et cognitus. — Præterea *cognoscere* differt etiam a ceteris ejusdem verbi compositis: scilicet ab *agnoscere*, quod proprie significat rursus cognoscere, et dicitur de iis rebus, quæ antea vidimus et novimus; contra *cognoscere* proprie est de rebus ante non cognitis: præterea *cognoscere* est velut genus, quod etiam *agnoscere* velut speciem complectitur, ideoque ponitur et pro *agnoscere*, ut diximus 2. *V.* et AGNOSCO. — Differt etiam a *pernoscere*, quod raro tamen occurrit, quodque mentis aciem rerum notiones penitus intuentem ac percipientem significat. *Ter. Andr. prol.* 24. Favete, adeste æquo animo et rem cognoscite, ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum. — Differt a *dignoscere*, quod est duas diversas res cum suo discrimine cognoscere, discernere. — Denique recta opponitur verbo *ignoscere*, quod est ab *in* privativa et *nosco*, quasi nolis de peccato cognoscere, sed ipsum ignorare ac remittere. *Ter. Heaut.* 2. 1. 6. Et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus. Cf. eumd. *Eun. prol.* 42. — Porro inter *cognoscere* et *intelligere* illud interest, quod *intelligere* proprie significat rationales mentis notiones per actus reflectendi ac per synthesin, ut philosophi vocant, acquisitas; contra *cognoscere* proprie significat historicas cognitiones per sensus comparatas vel ab aliis traditas. *Cic.* 3. *Nat. D.* 24. 61. Quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam, cum cognovero.

CŌGO, cōgis, cŏēgi, cōactum, cōgere, a. 3. (cum *et* ago). In *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 170. legitur *coguit pro cogit*, ut aliquando *tinguo* pro *tingo*. — Part. *Cogens* I. *B.* 3.; *Coactus* in omnibus paragr. et in fin.; *Coacturus* I. *B.* 3.; *Cogendus* I. *B.* 4. — Cogere proprie est multa simul in unum locum vocando vel impellendo agere, ducere (It. *ridurre insieme*; Fr. *pousser plusieurs objets dans un lieu, réunir*; Hisp. *volver à unir, reunir*; Germ. *zusammentreiben*; Angl. *to drive, to collect*). Quoniam vero hujusce verbi significatio latissime patet, cuncta revocanda videntur ad hæc quatuor: scilicet I. Cogere est multa simul in unum locum agere vel afferre, adeoque in unum colligere et congregare; II. Plura impellendo ac per vim in unum locum contrahere; III. Compellere ad aliquid faciendum, vim aut necessitatem afferre; IV. Denique apud philosophos est necessario inferre, dicendo concludere.

I.) Cogere est multa simul in unum locum agere vel afferre, adeoque in unum colligere et congregare: et usurpatur *A*) de animalibus, et *B*) de inanimis.

A) De animalibus, et quidem ¶ 1. De brutis, quæ vocando vel impellendo in unum congregantur. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 15. Cogantur (*oves*) quidem intro. *Virg.* 3. *Ecl.* 20. Tityre, coge pecus. *Id. ibid.* 98. oves. *Id.* 6. *ibid.* 89. pecudes stabulis. *Dig.* 9. 2. 53. boves in angustum. ¶ 2. De hominibus, qui in unum locum congregantur et convocantur. — a) Generatim. *Cic. Cæcin.* 21. 59. Perge porro hoc idem interdictum sequi: HOMINIBVS COACTIS. Neminem coegeris: ipsi convenerunt sua sponte. Certe cogit is, qui congregat homines et convocat. Coacti sunt ii, qui ab aliquo sunt in unum locum congregati. – Sed quia plerumque, ubi multitudine opus est, homines cogi solent, ideo de coactis compositum interdictum est. *Et sic semper, quoties agitur* Interdictum de vi: cf. *Cic. ibid.* 11. 33., 22. 63. et 23. 66.; et *Dig.* 47. 8. 2. *pr.* § 3. 7. et 12: et consule *Klotz* ad *Ciceronis oration.* vol. 1. p. IX. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 5. 13. Publice coactis operis ædificare navem. Adde eumd. 7. *ibid.* 19. 48. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Orgetorix ad judicium omnem suam familiam – coegit, et omnes clientes obæratosque – eodem conduxit. *Sall. Jug.* 80. Eorum multitudinem in unum cogit. *Id. ibid.* 10. Cogere amicos. *h. e.* comparare. *Liv.* 32. 2. Cogere numerum. *Virg.* 4. *Æn.* 289. socios ad littora. *Horat. Art. P.* 419. turbam ad merces emendas. — b) Speciatim occurrit de copiis, quæ in unum colliguntur; qua significatione *cogere* est idem ac *contrahere*: V. CONTRAHO. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 2. Cogere exercitum in unum locum. *Cæs.* 2. *B. G.* 5. et 6. *ibid.* 9.; et *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 2. copias in unum locum. *Cæs.* 1. *ibid.* 15. cohortes ex Marsis et finitimis ab regionibus. *Id. ibid.* Equitatus ex omni provincia coactus. *Id.* 5. *ibid.* 3. equitatum peditatumque. *Id. ibid.* 39. manus quam maximas posset. *Id. ibid.* 4. multitudinem hominum ex agris. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. c. § 2. cohortes Luceria. *Id. ibid.* 12. A. § 3. omnes copias Brundisium. *Sall. Jug.* 95. equites ab Latio et ab sociis. *Id. ibid.* 8. aliquos ad militiam. *Id. ibid.* 54. et 66.; et *Tac.* 12. *Hist.* 15. exercitum. *Liv.* 45. 15. aliquos in provinciam. *Id.* 36. 3. aliquos in classem. *Virg.* 8. *Æn.* 7. auxilia undique. *Id.* 9. *ibid.* 463. acies in prælia. *Id.* 7. *ibid.* 43. totamque sub arma coactam Hesperiam. *Vellej.* 2. 34. 1. XXIV. millibus juvenum coactis. — c) Item speciatim occurrit de senatu, judicibus etc. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 7. et 5. *Fam.* 2. 3.; et *Liv.* 3. 39. Cogere senatum. *Liv.* 1. 48. et *Tac.* 1. *Hist.* 85. senatum in curiam. *Cic.* 1. *Phil.* 5. 11. aliquem in senatum. *Propert.* 4. 1. 13. Buccina cogebat priscos ad verba Quirites. *h. e.* convocabat ad concionem. *Quintil.* 7. 2. 19. Cogere consilium (*judicum*) de reo. *Dig.* 50. 9. 2. legitimum numerum decurionum. Adde *ibid.* 26. 7. 3. § 7.

B) De inanimis. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Invent.* 32. 98. Vis ventorum invitis nautis Rhodiorum in portum navim coegit. *Cæs.* 3. *B. G.* 9. Naves in Venetiam – quam plurimas possunt, cogunt. *Liv.* 21. 26. Ingens coacta vis navium est. *Virg.* 7. *Æn.* 509. Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis Scindebat. *Id.* 4. *G.* 420. Est specus ingens – quo plurima vento cogitur – unda. *Dig.* 48. 6. 1. Qui arma, tela – domi suæ coegerit. Similiter *Seneca Hippol.* 401. Cogere comas nodo. ¶ 2. Speciatim de colligendis fructibus et pecuniis. *Cato R. R.* 65., 66. et 144. Cogere oleam. *Plaut. Trin.* 2. 4. 125. Vinum priusquam coactum est, pendet putridum. *Varro* 1. *R. R.* 6. 3; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 70. et 12. *ibid.* 3. 9.; et *Dig.* 33. 7. 27. § 2. Cogere fructus. *Varro* 6. *ibid.* 1. 78. fructum. *Id.* apud *Non. p.* 27. 26. *Merc.* Quam (*ceram*) apes Milesiæ coegerint ex omnibus floribus libantes. *Dig.* 24. 3. 7. § 1. Cogere vindemias. — *Ter. Heaut.* 1. 1. 94. Cogere talenta ad quindecim. *Cic.* 4. *Verr.* 48. 120. et 6. *Att.* 2. 8. Cogere pecuniam. Cf. *Liv.* 43. 2. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 57. 141. pecuniam a civitatibus statuarum nomine. *Id. Rabir. Post.* 11. 30. pecuniam alicui ex decumis. *Id.* 2. *Legg.* 9. 22. stipem: *h. e.* eleemosynam. *Id.* 3. *Verr.* 37. 70. stipendium. *Varro* apud *Non.* p. 264. 22. *Merc.* Aliquid quærere cogereque peculi. *Horat.* 3. *Od.* 3. 55. aurum. *Id.* 1. *Ep.* 10. 46. plura quam satis est. *Dig.* 40. 7. 3. § 8. aliquid ex mercedibus suis. *Tac.* 6. *Ann.* 2. et *Dig.* 49. 14. 31. bona alicujus in fiscum. ¶ 3. Item speciatim ponitur de iis, quæ cum dispersa sint, in unum congregantur ita ut totum aliquid efficiant. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Cælum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Tum autem concretus in nubes (*aer*) cogitur. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 20. *Lucret.* 6. 761. ut tempestate coacta Fulmina diffugere atque imbres ventosque videmus. *h. e.* collectis et glomeratis nubibus procellosis. *Id.* 6. 734. ad altos denique montes Contrusæ nubes coguntur. *Id.* 6. 31. uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animæque marisque fuissent Et liquidi simul ignis. *Lucan.* 3. 69. nubes Borea cogente sub axem. *Virg.* 4. *G.* 231. apes bis gravidos cogunt fetus. — Et figurate *Cic.* 2. *Orat.* 33. 142. Est enim – pollicitus, jus civile, quod nunc diffusum et dissipatum esset, in certa genera coacturum et ad artem facilem redacturum. Cf. *Id.* 1. *ibid.* 42. 191. Dum hæc, quæ dispersa sunt, coguntur. ¶ 4. Hinc usurpatur de iis omnibus, quæ naturâ suâ aut hominum arte condensantur et spissantur: quo sensu verbo *cogere* opponitur verbum *remittere*, ut apud *Virg.* 4. *G.* 36. nam frigore mella Cogit hiems eademque calor liquefacta remittit. *Cels.* 5. 22. n. 2. Aloes, aluminis, turis, – mellis quantum satis sit ad ea cogenda. (*mox*: Picis liquidæ quantum satis sit ad jungendum). et *ibid.* n. 4. Quæ urinâ impuberis pueri coguntur. *Id.* 2. 8. Alvus in hac valetudine ea tuta est, quæ quotidie coacta, eaque convenientia his quæ assumuntur, reddit. *h. e.* excrementa figurata, duriora ac spissata; Gr. συνεστηκότα. Hinc *Id. ibid.* 3. *sub fin.* Coacta alvus. *h. e.* quæ hujusmodi excrementa reddit. *Ovid.* 8. *Met.* 666. lactis massa coacti. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 64. (126). Cogere lac in duritiam. *Id.* 11. *ibid.* 32. 37. (112). Ros spissatus sole in magnitudinem milii cogitur. *Id.* 29. *ibid.* 6. 37. (116). Vel sole coactum ad crassitudinem mellis. *Id.* 2. *ibid.* 39. 39. (105). Liquor coactus in nivem. *Id. ibid.* 42. 42. (111). Aer coactus in liquorem. *Id.* 27. *ibid.* 10. 65. (91). Nam et carnes coguntur additâ (*eâ herbâ*). *Scribon. Compos.* 100. et 149. Cogere medicamenta in pastillos. — Sic cum de lanis pannisve agitur, coactus est idem ac coactilis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (192). Lanæ et per se coactam vestem faciunt. *Al. leg.* Lanæ et per se coactæ vestem faciunt. *V.* COACTILIS, et *Coacta* in fine hujus vocis. — Et figurate *Gell.* 6. 2. Ratione quadam principali necessario coacta atque connexa sunt fato omnia. ¶ 5. Hinc *cogere agmen* est *agmen claudere*, vel posteriori parti exercitus præesse. *Liv.* 34. 28. Primæ legionariæ cohortes ibant; levis armatura et equites agmen cogebant. Adde eumd. 38. 18., 42. 10. et 42. 64.; et *Curt.* 3. 3. 25. — Allegorice *Cic.* 15. *Att.* 13. 1. Assentior tibi, ut nec duces simus, nec agmen cogamus; faveamus tamen. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 114. et 11. *ibid.* 97. *Seneca Ep.* 12. *ad fin.* Sic ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen, et consummet atque expleat vitam. — Similiter *Virg.* 12. *Æn.* 457. cuneis coactis se agglomerare.

II.) Cogere est etiam plura per vim in unum locum impellere ac compingere: qua significatione usurpatur et proprie et improprie. ¶ 1. Raro admodum

occurrit de inanimis, quæ in locum aliquem per vim impelluntur et compinguntur. *Virg.* 2. *G.* 62. Cogere vites in sulcum. *h. e.* in sulcum circumarando componere, et veluti culturæ assuefacere. *Ovid.* 10. *Met.* 295. Cogere cornua in orbem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (163). Aquarum figura coacta in verticem. *Seneca Hippol.* 1223. Pinus vertice coacto humum attingens. *Plin.* 19. *Hist. nat. præfat.* 1. (5). Linum tusum fractumque et in mollitiem lanæ coactum. — Sic et de cibis *Varro* apud *Non. p.* 264. 27. *Merc.* Sed pancarpineo cibo coacto libamenta legens caduca victus. Et *Curt.* 6. 4. 4. Rursusque angustioribus coercitus ripis iter cogit. ¶ 2. Figurate. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 10. Cogere verba in pedes alternos. *h. e.* colligere et constringere elegiaco metro. *Quintil.* 1. 5. 93. Aliquam syllabam ex duabus in unam cogere. *Gab. Bassus* apud *Gell.* 5. 7. In unum tantummodo exitu collecta et coacta vox. *Auct. Paneg. ad Pison.* 59. adstrictas in nodum cogere voces. *h. e.* in syllogismos aut enthymemata orationem componere. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 400. Italia coacta in angustias. *Liv.* 22. 15. Saltus in arctas coactus fauces. *Id.* 9. 33. Potestatem intra sex mensium et anni cogere spatium. *Seneca* 1. *Ira* 7. Iram ad salutarem modum cogere. *Plin.* 37. *Hist. nat. præfat.* 1. (1). *de gemmis loquens.* Coacta in arctum rerum naturæ majestas. *Quintil.* 6. 3. 104. Urbanitas est virtus in breve dictum coacta. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 2. 6. (13). Chamæplatani arbores coactæ brevitatis: quoniam arborum etiam abortus invenimus. *h. e.* brevitate summa, arctissimis limitibus circumscripta: *Forcellinus* vero acceperat brevitatem vi factam, non naturalem. ¶ 3. Sæpius occurrit de animalibus, quæ in arctum impelluntur, aut quocumque modo coercentur, domantur, aut in officio continentur. *Plaut. Pers.* 5. 2. 9. Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedes cogam! Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (168). Cogere asinum in cursum verberibus. Et *Sil. It.* 16. 384. fumantes equos verbere assiduo. Adde *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 226. *Ter. Heaut.* 4. 2. 2. Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ. *Sisenna* apud *Non. p.* 261. 29. *Merc.* Summoti et intra mœnia rursum coacti. *Cic. Rabir. perduell.* 2. 6. Me – ex comparato et constituto spatio defensionis in semihoræ curriculum coegisti. *Sall. Jug.* 85. Cogere supplicio milites. *Id. ibid.* 18. Finitimos armis aut metu sub imperium suum coegere. *Liv.* 41. 22. Sub jus judiciumque suum totam coegit gentem. *Id.* 43. 1. Oppida vi atque armis in deditionem cogere. *Id.* 10. 45. hostes in obsidionem justam. *Id.* 3. 38. jure homines. *Propert.* 4. 1. 128. aliquem in tenues lares. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 8. aliquem in breve. *Id.* 3. *Od.* 9. 17. Quid si prisca redit Venus Diductosque jugo cogit aëneo? *Val. Flacc.* 7. 239. Cernis ut infelix thalamos ego cogar in illos. *Sueton. Cæs.* 20. Collegam in eam desperationem coegit, ut etc. *Quintil.* 1. 3. 15. Cogere pueros verberibus. — Huc pertinet et *cogere aliquem in ordinem.* Cogere autem in ordinem dicitur privatus, qui magistratui resistit, eumque juri suo uti vetat, vel ejus majestatem lædit: quod a militari disciplina petitum videtur, cum is, qui tribunus vel centurio est, in ordinem gregariorum militum cogitur seu redigitur; quod quidem contumeliosum habebatur. *Liv.* 3. 51. *extr.* Decemviri querentes se a patribus in ordinem cogi, non ante, quam perlatis legibus, depositures imperium se ajebant. Adde *eumd.* 3. 35., 25. 3. et 25. 4. *Plin.* 1. *Ep.* 23. Tribunatum esse potestatem sacrosanctam, et quam in ordinem cogi, ut a nullo, ita ne a se quidem deceat. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 6. Similiter *Stat.* 12. *Theb.* 165. Cogere aliquem in mores et hominem. *h. e.* ad humanitatem impellere. — Hinc

III.) Cogere est compellere ad aliquid faciendum, vim aut necessitatem afferre: et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Phorm.* 2. 1. 6. Invitus feci: lex coegit. *Id. Andr.* 4. 1. 34. Scio: tu coactus tua voluntate es. *Id. ibid.* 4. 4. 41. Coactus legibus eam uxorem ducet. *Cic. Amic.* 8. 26. Vim quidem hoc est afferre. Quid enim refert, qua me ratione cogatis? Cogitis certe. *Id.* 1. *Fam.* 5. 3. Quorum utrum minus velim, non facile possum existimare: sed, si res coget, est quiddam tertium etc. *Id. Dom.* 35. 93. Quis unquam audivit, cum ego de me nisi coactus ac necessario dicerem? *Id.* 2. *Legg.* 8. Deus cogens et vetans. Hunc locum a *Forcellino* allatum minime inveni. *Sall. Jug.* 110. Tutius imperitare volentibus, quam coactis. *Virg.* 2. *G.* 10. aliæ (*arbores*) nullis hominum cogentibus ipsæ Sponte sua veniunt. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 11. Cogi posse negat. *Id.* 1. *ibid.* 9. 2. Cogere aliquem prece. *Seneca Troad.* 573. Coacta dices, sponte quod fari abnuis. — Sic Part. præter. pass. coactus plurimis jungitur Ablativis. *Ter. Andr.* 1. 5. 40. egestate coactus. *Cic.* 7. *Verr.* 33. 87. fame. *Propert.* 3. 24. 11. ferro, igne. *Ter. Andr.* 1. 1. 45. inopia. *Seneca Octav.* 2. ira. *Ter. Adelph.* 1. 1. 44. malo coactus qui suum officium facit, etc. *Cic.* 3. *Off.* 10. 32.; *Seneca Octav.* 724.; et *Dig.* 4. 2. 10. § 1. metu. *Auct. B. Gall.* 8. 43. et *Nepos Themist.* 8. necessitate. *Auct. B. Gall.* 8. 13. pavore. *Cic.* 5. *Verr.* 30. 72. et *Cæs.* 1. *B. C.* 40. necessaria re. *Cic. Divin. in Cæcil.* 2. 4. tempore et officio. *Id.* 3. *Off.* 31. 112. terrore. *Ter. Phorm.* 1. 4. 37. (scio) vi coactum te esse invitum. *Lucret.* 3. 485. vi morbi. — *b*) Addito, ad quid quis cogitur. — *α*) Per Accus. et præpos. *ad* vel *in*. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 57. Cogere aliquem ad lacrimas. *Nepos Themist.* 4. Cogere omnes ingratiis ad depugnandum. *Liv.* 45. 41. ad pugnam. *Virg.* 12. *Æn.* 581. ad prælia. *Ovid.* 3. *Amor.* 15. 9. ad arma. *Id.* 2. *Art. am.* 419. ad gaudia. *Sueton. Tib.* 54. ad voluntariam mortem coactus. — *Auct. B. Gall.* 8. 38. Cogere aliquem in supplicium contra naturam suam. *Ovid. Ib.* 206. in lacrimas. *Quintil.* 3. 8. 23. in necessitatem. — *β*) Sequente particula *ut*. *Ennius* 5. *Ann.* 15. Cogebant hostes lacrimantes, ut misererent. *Ter. Andr.* 4. 1. 30. Nec te quivit hodie cogere, ut illam duceres. *Id. Hecyr.* 2. 2. 26. Vi cœpi cogere, ut rediret. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 9. Coactus est, ut vita se ipse privaret. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Existimabant vi coacturos, ut etc. *Nepos Alcib.* 4. Coacti, ut se devoverent. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 9. 2. — *γ*) Sequente Infinito. *Lucilius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 63. *Müll.* Vis est vita, vides, vis nos facere omnia cogit. *Cic.* 5. *Fam.* 6. 1. Ut – ceteros – cogerem potius mihi credere, quam illis. *Id.* 3. *Off.* 13. 55. Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? *Sall. in epist. Mithr.* Coactus regredi. Adde *Cic.* 3. *Att.* 3., *Cæcin.* 14. 39. et alibi; *Lucret.* 5. 820. et 6. 838.; *Varron.* 2. *R. R.* 2. 7. et 5. 15.; *Nepot. Dion.* 2. et 8., *Timoth.* 4. et *Timol.* 2.; *Sall. Jug.* 84; *Liv.* 38. 13.; *Virg.* 2. *Ecl.* 7.; *Horat.* 1. *Od.* 34. 11.; *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 106.; *Sueton. Aug.* 81.; et *Quintil.* 1. 6. 14. — Cum vero de medicamentis sermo est, significat vim habere, efficere. *Scribon. Compos.* 121. Cito supprimit sanguinem, et vulnus cogit coire. *Id. ibid.* 206. *ad fin.* Vetera ulcera cicatricem ducere cogit. Adde *eumd. ibid.* 217. et 227. — *c*) Cum Accusativo rei, ad quam quis cogitur; et quidem — *α*) Cum duplici Accusativo, *cogere aliquem aliquid*, vel *cogi aliquid*, ita tamen, ut Accusativus rei per certa, et non alia vocabula efferatur, cujusmodi sunt *id*, *hoc*, *quid* etc. *Ter. Adelph.* 3. 4. 44. Quod vos vis cogit, id voluntate impetret. *Cic.* 1. *de republ.* 2. 3. Ergo ille, cives qui id cogit omnes imperio legumque pœnâ, quod vix paucis persuadere oratione possunt, etiam his – ipsis est præferendus doctoribus. *Liv.* 4. 26. Si quidem cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules – possent. Adde *eumd.* 6. 15. *Virg.* 3. *Æn.* 56. Auri sacra fames, quid non mortalia cogis Pectora? *Quintil.* 11. 1. 22. Ut – invidiam omnem in eum regereret, qui hoc se coegisset. — *β*) Cum uno tantum Accusativo rei. *Ter. Phorm.* 2. 1. 8. Etiamne id lex coegit? *Cic.* 2. *Legg.* 6. 14. Plato – hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. *Id.* apud *Non. p.* 321. 17. *Merc.* Idque ipsa natura non invitaret solum, sed etiam cogeret. *Nepos Eumen.* 8. Militum id cogebat voluntas. *Ovid.* 2. *Art. am.* 367. Cogis adulterium dando tempusque locumque. *Vellej.* 2. 81. 1. Qui (*exercitus*) – quod cogere se posse putat, rogare non sustinet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (125). Nunc idem hoc avaritia cogit. — Hinc Part. præter. pass. ponitur de ipsis rebus, quæ vi, vel ab invitis fiunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 73. Auspicium coactum et expressum. *Virg.* 2. *Æn.* 196. et *Ovid.* 6. *Met.* 628. Coactæ lacrimæ. *Seneca Troad.* 871. scelus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 25. (93). injuria. *Quintil.* 9. 4. 147. numeri arcessiti et coacti. *Tac.* 4. *Ann.* 51. deditio. *Id.* 16. *ibid.* 19. mors. *Stat.* 5. *Theb.* 463. thalamus. In illo *Lucan.* 7. 395. Rus vacuum, quod non habitet, nisi nocte coacta Invitus, questusque Numam jussisse, senator. *nox coacta est*, in qua senator cogitur ex veteribus cærimoniarum institutis vigilare et sacra facere.

IV.) Apud philosophos cogere est etiam dicendo concludere, seu necessario aliquid ex antecedentibus inferre. *Cic.* 1. *Invent.* 47. 87. Aliud enim, quam cogebatur, illatum est. *Id.* 2. *Legg.* 13. 33. Sunt autem ea, quæ posui, ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. *Id.* 2. *ad Brut.* 7. 4. Hoc cogere volebat, falsas litteras esse. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 33. Innumerabilia sunt, ex quibus effici cogique possit, nihil esse quod etc. Adde *eumd. Fat.* 5. 9. et 16. 38. — Hinc Part. præter. pass.

Coactus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Coactissimus* sub *a*. — *a*) Coactus est vi adactus, vi compulsus. *Capell.* 2. p. 35. Et cum dicto leniter dextra cordis ejus pulsum pectusque pertractat, ac nescio qua intima plenitudine distentum magno cum turgore respiciens: nisi, inquit, hæc, quibus plenum pectus geris, coactissima egestione vomueris foraque diffuderis, immortalitatis sedem nullatenus obtinebis. *Kopp.* ita edidit ex optimis Codicibus; vulgata lectio est *coaptissima*. Quod vero *coactus* hoc loco significet *vi compulsus*, docent quæ sequuntur; *scil.* At illa omni nisu magnaque vi, quidquid intra pectus semper senserat, evomebat. — *b*) Item *coactum* aliquid dicitur, quod minus congruit cum re, de qua agitur. *Gell.* 1. 4. *ad fin.* Quod absurdum et nimis coactum foret, si nondum redditam gratiam eo ipso redditam diceret, quia debetur. Adde *eumd.* 16. 14.

Coacta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, idem ac coactilia, quorum usus erat in castris et apud pauperiores. *Cæs.* 3. *B. C.* 44. Milites aut ex coactis, aut ex centonibus, aut e coriis tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent. *Alii perperam leg.* subcoactis, *quidam* subactis.

CŌHĂBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. Legitur apud *Augustin. Ep.* 137. *sub. fin.*

CŌHĂBĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui simul habitat. *Augustin. Serm.* 1. in *Fer. II. Pentec.* et *Cassiod.* 3. *Variar. ep.* 48.

CŌHĂBĬTO, as, are, a. 1. (cum et habito). Part. *Cohabitans* et *Cohabitandus*. — Cohabito est simul habito. *Messala Corvin. de progen. Aug.* 23. *a med.* Romulus superatos hostes Romæ cohabitare coercuit. et *ibid.* 26. Romæ cohabitandos destinat. *Hieronym. Ep.* 101. Si non cohabitante, saltem vicino te in Domino. Adde *Augustin. Ep.* 12.

CŌHÆRĀRĬUS, ii, m. 2. pro eo, qui alicui in aliquo munere adjungitur, et auxilii causa cohæret, legitur a quibusdam apud *Cic.* 3. *Legg.* 4. 10., ubi alii *cœrator*, at *Orell.* curari census sit.

CŌHÆRENS, entis. *V.* COHÆREO.

CŌHÆRENTER, adverb. junctim, sine intervallo. *Flor.* 2. 17. 5. Dimicatum est non continue, nec cohærenter, sed prout causæ lacessierant. *Ammian.* 16. 10. Ut quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret junctura cohærenter aptata.

CŌHÆRENTĬA, æ, f. 1. compositio, connexio, conjunctio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 155. Jam vero circuitus solis et lunæ reliquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohærentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus præbent. *Gell.* 6. 13. Cohærentia mortis et vitæ. *Id.* 15. 3. Cum quibus verbis præpositio ista neque cohærentia vocis, neque significatione sententiæ convenit. *Macrob.* 5. *Saturn.* 15. regionum *cohærentiam* vocat quam paullo post *continentiam* dicit.

CŌHÆREO, hæres, hæsi, hæsum, hærere, n. 2. (cum et hæreo). Part. *Cohærens* I. *a.* et in fin.; *Cohæsus* in fin. — Cohæreo est adhæreo, connexus, unitus sum alicui rei (It. *essere unito o attaccato, aver connessione*; Fr. *être uni*, *attaché à*, *avoir de la liaison, de la cohérence*; Hisp. *estar unido, atado, tener coherencia, copulacion*; Germ. *zusammenhangen*; Angl. *to stick or adhere together*, *to adhere to*, *be united or attached to*).

I.) Proprie usurpatur materiali sensu de iis omnibus, quæ vel ex variis partibus constant inter se connexis, vel etiam aliis rebus unita sunt; et occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 1007. Nec res ulla magis, primoribus ex elementis Indupedita suis, arte connexa cohæret. Adde *eumd.* 1. 601. *Cic. Tim.* 5. 13. Mundus ita apte cohæret, ut dissolvi nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus. Adde *eumd. ibid.* 4. 11. *Id.* 1. *Acad.* (post.) 7. 28. Natura cohærens, et continuata cum omnibus suis partibus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 6. 24. *Curt.* 3. 11. 4. Sed conferti et quasi cohærentes tela vibrare non poterant. Adde *eumd. ibid.* § 3., 4. 3. 14. et 4. 4. 7. *Tac. Germ.*

18. Connexa et cohærentia ædificia. — b) Cum Ablativo rei, propter quam aliquid cohæret vel constat. *Cic.* 1. *Legg.* 8. 24. Cum alia, quibus cohærent homines, e mortali genere sumpserint; animus tamen est ingeneratus a Deo. *Id.* apud *Lactant.* 5. 8. 10. Mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret et nititur etc. *Quintil.* 8. 3. 68. Alii extremo complexu suorum cohærentes. c) Addito, cum quo quid connexum atque unitum est. — Per Ablat. cum præp. *cum*, aut sine præpositione. *Cic.* 2. *Orat.* 80. 325. Ut cohærens cum omni corpore membrum esse videatur. *Ovid.* 1. *Amor.* 4. 9. Nec mihi silva domus, nec equo mea membra cohærent. *Id.* 4. *Met.* 552. scopuloque affixa cohæsit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 125. et 11. *ibid.* 76. *Curt.* 4. 4. 11. Quippe turris — muris hostium propemodum cohærebat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (177). Exemplum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohæreat. At Cf. *eumd.* 5. *ibid.* 24. 21. (87). *African. Dig.* 47. 2. 63. *a med.* Fructus quamdiu solo cohærent, fundi sunt. *Papinian. ibid.* 49. 17. 16. Dos cohæret matrimonio. Adde *ibid.* 4. 1. 65. § 2. et 41. 7. 44. § 2.; et *Cod. Theod.* 15. 1. 41. — Per Accus. et præp. *inter*. *Lucret.* 2. 65. Nam certe non inter se stipata cohæret materies. Cf. *Cic. Orat.* 44. 149. *Curt.* 7. 3. 21. Sic inter se juga velut *serie* inter se cohærentia perpetuum habent dorsum. — Per Ablat. et præp. *in*. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (109). Margaritæ cohærentes in conchis. — Per Dat. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 21. (87). Qui cohærent Mesopotamiæ, Rhoali vocantur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur de quibuscumque vinculis et rationibus non materialibus, quibus aliqua inter se conjunguntur. Sic — a) De externa verborum conjunctione. *Cic. Orat.* 44. 149. Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se quam aptissime cohæreant, aut etc. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 43. 172. et *Quintil.* 9. 4. 66. — b) De sanguinis conjunctione. *Quintil.* 8. 3. 75. Turpes et perniciosos, etiam si nobis sanguine cohæreant, amputandos. — c) De alia quacumque conjunctione. *Curt.* 5. 1. 2. Quas (*res Asiæ*) — sicut inter se cohærent, ita opere ipso conjungi haud paullo aptius videri potest. *Id.* 6. 3. 8. Tot gentes — non sacris, non moribus, non commercio linguæ nobiscum cohærentes. *Plin.* 7. *Ep.* 7. Est mihi perjucundum, quod viri optimi mihique carissimi ita cohæsistis, ut invicem vos obligari putetis. *h. e.* eam societatem atque amicitiam iniistis, ut, etc. ¶ 2. Speciatim ponitur de iis, in quibus nihil est absonum, sed omnia sibi constant, et congrue apteque respondent. — a) Generatim. *Ter. Andr.* 2. 2. 23. Paullulum obsonii; ipsus tristis; de improviso nuptiæ: non cohærent. *Cic.* 3. *Tusc.* 25. 61. Omnibus modis fulciendi sunt, qui ruunt nec cohærere possunt propter magnitudinem ægritudinis. *Id.* 5. *ibid.* 28. 80. Virtutes sine vita beata cohærere non possunt, nec sine virtute vita beata. *Id. Harusp. resp.* 27. 60. Vix hæc, si undique fulciamus, jam labefacta — cohærebunt. *Id.* 3. *Off.* 3. 11. Qui primum hæc natura cohærentia opinione distraxissent. *Quintil.* 11. 1. 85. Iis legibus Sullæ cohærere civitatem. *Vellej.* 2. 47. 2. Concordia male cohærens inter Pompejum et Cæsarem. — b) Præcipue vero hoc sensu occurrit de oratione et cogitationibus. *Cic.* 1. *Invent.* 14. 19. Quod illa, quæ dicuntur, si vehementer velis congruere et cohærere cum causa, ex eis ducas oportet etc. *Id. Topic.* 12. 53. Quidquid enim sequitur quamque rem, id cohæret cum re necessario, et quidquid repugnat, id ejus modi est, ut cohærere numquam possit. *Id. Cæcin.* 18. 52. Sermo mehercule, et familiaris, et quotidianus, non cohærebit, si verba inter nos aucupabimur. Cf. *eumd. Cæl.* 7. 15. In quo non modo crimen non hærebat, sed vix diserti adolescentis cohærebat oratio. *Id.* 2. *Phil.* 8. 18. Non cohærentia inter se. *Id.* 5. *Fin.* 27. 79. Ea, quæ dicit, præclare inter se cohærent. *Id.* 3. *Nat. D.* 1. 4. Multa dicta sunt, etiam si minus vera, tamen apta inter se et cohærentia. *Quintil.* 6. *procem.* § 3. Oratio carens dispositione, tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi. Adde *eumd.* 4. 2. 89. *Id.* 10. 6. 6. Cogitatio male cohærens. — Hinc Part. præs.

Cohærens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Cohærentior* translate occurrit apud *Gell.* 1. 18. *in fin.* Aptius et cohærentius furem a furvo, id est nigro appellari. — Et Part. præter. pass.

Cohæsus, a, um, adjective occurrit apud *eumd. Gell.* 15. 16. *de fissa quercu.* In naturam rediit, stricta denuo et cohæsa.

CŎHÆRES, ēdis. *V.* COHERES.

CŎHÆRESCO, is, ere, n. 3. (cum et hæresco *inchoat. ab* hæreo). Part. *Cohærescens.* — Cohæresco est adhæresco, cohæreo. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 17. Ut concursionibus inter se cohærescant (*atomi*). Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 20. 54. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 16. 64. (172). Digiti tactu cauliæ cohærescentes. *Id.* 24. *ibid.* 15. 80. (130). Pituita in gula cohærescens. *Sillig* in priore *Plinii* loco legit *cohærens.*

CŎHÆSUS, a, um. *V.* COHÆREO in fin.

CŎHERCEO, ces, cui, citum, cere. *V.* COERCEO.

CŎHĒRES vel cohæres, ēdis, m. et f. 3. (cum *et* heres) qui simul heres constitutus est. — a) Mascul. genere. *Cic.* 3. *Verr.* 46. 127. Omnibus, quibus hereditas venerit, coheredem prætorem esse oportere. *Id.* 13. *Fam.* 46. 1. Zoilus est coheres meus. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 2. 1. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 107. Forte coheredum senior male tussiet. *Petron. fragm. Tragur.* 76. *Burmann.* Facere aliquem coheredem alteri. Adde *Plin.* 7. *Ep.* 6.; *Quintil.* 5. 14. 16.; *Caj.* 4. *Instit.* 12.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2909. — b) Femin. genere. *Papinian. Dig.* 34. 9. 16. Filiam nepti coheredem dare. *Inscript.* apud *Andr. Adami, Storia di Volseno T.* 2. p. 170. HERENNIA IANVARIA COHERES.

CŎHĬBENTĬA. *V.* voc. seq. ad fin.

CŎHĬBEO, bes, bui, bitum, bere, a. 2. *Cohibessit* pro *cohibuerit* dictum putant nonnulli a *Lucret.* 3. 445. Corpore qui nostro raro magis am cohibessit. Sed *V.* INCOHIBESCO. — Part. *Cohibens* I. 1. et 2.; *Cohibitus* I. 2. et in fin.; *Cohibendus* I. 2. — Cohibeo, a *cum* et *habeo*, est intus habeo, contineo, comprehendo (It. *tenere in se, contenere*; Fr. *contenir, renfermer*; Hisp. *caber, contener, incluir, encerrar dentro de si*; Germ. *zusammenhalten, in sich halten, in sich umschlossen halten, in sich enthalten*; Angl. *to hold or contain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur pro intus habere, continere, comprehendere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 13. 35. Propterea quod omnes naturas ipsa (*universa natura*) cohibet et continet. *Id. Senect.* 15. 51. Terra semen sparsum cohibet, deinde tepefactum compressu suo diffundit. *Id. Cæl.* 5. 11. Brachium cohibere togā. *Lucret.* 2. 1029. Sidera in se cohibent clarum purumque colorem. *Id.* 1. 530. Et quo quæque magis cohibet res intus inane. Adde *eumd.* 1. 511. *Id.* 6. 107. Nives et grandines cohibent nubes. *Virg.* 3. *Æn.* 424. At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 14. Ova marem cohibent callosa vitellum. *Id.* 1. *Od.* 28. 1. Cohibent aliquem (*mortuum*) pulveris exigui parva munera. *Ovid. Heroid.* 9. 59. Cohibere lacertos auro. — Et figurate *Cic. Fat.* 9. 19. Causæ cohibentes in se efficientiam naturalem. ¶ 2. Latiori sensu est includere, coercere, concludere, cingere aliquid ne exeat, adeoque sistere. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 1. Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleusides. *Auct. B. Afr.* 94. Tempestatibus in portubus cohibebatur Cæsar. *Virg.* 9. *Æn.* 738. Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum. *Curt.* 6. 2. 11. Qui a Dario capitali supplicio destinatus cohibebatur in vinculis. *Horat.* 3. *Od.* 4. 80. Pirithoum cohibent catenæ. *Ovid.* 14. *Met.* 224. Æolus cohibens ventos carcere. *Cels.* 8. 4. Sanguis spongia in aceto tincta cohibendus est. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 69. (93). Idæa herba spissandi cohibendique naturam habet. — Hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (49). alvum cohibere. *Curt.* 8. 9. 12. Aquilones cohibiti jugis montium. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 2. 2. (6). capillum. *h. e.* ne cadat. *Horat.* 4. *Od.* 6. 34. cervos arcu. *Id.* 2. *Ep.* 1. 255. claustra cohibentia Janum. *Id.* 3. *Od.* 14. 23. crinem nodo. *h. e.* colligare. *Tac. Germ.* 9. parietibus deos. *h. e.* in ædibus, seu templis simulacra deorum collocare. *Stat.* 6. *Theb.* 512. manum alieni. *Curt.* 10. 3. 6. milites intra castra. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (29). ploratum infantis. *Id.* 28. *ibid.* 6. 17. (61). profluvia urinæ. *Id.* 2. *ibid.* 43. 43. (113). spiritus nube cohibitus tonat. *Id.* 28. *ibid.* 6. 17. (62). spiritum cohibere. *h. e.* respirationem sistere. *Ovid.* 15. *Met.* 346. ventos in antris. *Horat.* 2. *Od.* 20. 8. undā cohiberi Stygiā.

II.) Translate est coercere, in officio continere, impedire, sistere: ad rem *Liv.* 22. 3. Interim equitatu — ab effusa prædandi licentia hostem cohibendum. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 56. Occurrit autem — a) Cum Accusativo, quod est fere nomen abstractum. *Cic. Marcell.* 3. 8. Animum vincere, cohibere iracundiam. *Id. pro leg. Manil.* 23. 66. Ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohibere. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 45. 101. *Id.* 5. *Phil.* 13. 37. Ejus furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus. *Gell.* 12. 28. Cohibere atque includere aliquid infra modicum numerum. — Porro jungitur pluribus aliis Abstractis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plin. Paneg.* 79. affectus suos. *Tac.* 15. *Ann.* 43. altitudinem ædificiorum. *Id.* 15. *ibid.* 21. *in fin.* ambitionem. *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. 1. assensionem a rebus incertis. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 21. 68. assensus omnes. *Id. ibid.* 29. 94. assensum ab aliqua re. *Liv.* 9. 29. bellum. *Cic.* 3. *Phil.* 2. 5. conatus crudelissimos alicujus. *Apul. de deo Socrat.* fabulam. *h. e.* narrationem. *Plin. Paneg.* 14. ferociam Parthorum et superbiam magno terrore. *Id. ibid.* 36. fiscum. *Sil. It.* 15. 745. fugam. *Propert.* 2. 25. 30. gaudia clausa in sinu tacito. *Stat.* 10. *Theb.* 393. gradum. *Plin. Paneg.* 4. gratiarum actiones. *Cic.* 1. *de republ.* 5. 9. et 3. *Phil.* 2. 5. impetus. *Virg.* 12. *Æn.* 314. iras. *Cic. Mil.* 28. 77. libidines effrenatas a conjugibus aliorum. *Tac.* 6. *Ann.* 16. malum. *Plaut. Trin.* 4. 4. 12. manus ab alieno. *Cic.* 2. *Off.* 5. 28. motus animi turbatos. *Gell.* 1. 11. orationem ferocientem. *Tac.* 1. *Hist.* 11. provincias. Ejus verba sunt: Rhætia, Noricum, Thracia, et quæ aliæ procuratoribus cohibentur. *h. e.* reguntur adeoque in officio continentur. *Id.* 3. *Ann.* 11. sensus suos. *Id.* 3. *ibid.* 56. spes aliorum pravas. *Id.* 16. *ibid.* 26. spiritus alicujus. *Arnob.* 2. 67. sumptus. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 45. temeritatem cohibere semper et ab omni lapsu continere. *Gell.* 12. 5. violentias effrenati doloris cohibere et coercere intra se. *Sueton. Rhetor.* 6. voces nimias laudantium. — Occurrit etiam de personis. *Plaut. Merc. prol.* 64. Arcte cohibitus a patre filius. Sed *Cohibere se* frequentius usurpatur, et est se refrenare, animum regere. *Ter. Heaut.* 5. 1. 46. Non tu te cohibes? non te respicis? *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Visne tu te cohibere, et meminisse hominem te esse natum? *V.* hic *Manut. Gell.* 4. 9. Cohibere se certis legibus et finibus. Adde *Cod. Theod.* 11. 30. 49. — b) Cum Infinito. *Cic. Cæcin.* 23. 66. An inde quo cohibitus es accedere? *At valde dubia est lectio*: Orellius *leg.* prohibitus. Rursus *Cic.* 3. *Tusc.* 25. 60. Necessitas ferendæ conditionis humanæ quasi cum deo pugnare cohibet. *At* Orellius *leg.* prohibet: *alii* coercet impetum cum deo pugnandi. *Auct. B. Gall.* 8. 23. Quem timor cohibebat cujusquam fidei suam committere salutem. — c) Cum Conjunctivo et particula *quominus*. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Vix cohibuere amici, quominus eodem mari oppeteret. Adde *eumd. ibid.* 10. — *NB.* In illo *Calpurnii Eclog.* 4. 19. Jam puerum calamos et odore vincula ceræ Jungere nunc cohibes, levibus quem sæpe cicutis Ludere conantem vetuisti fronte paterna. *cohibere* scriptum est pro *connivere*, et significat permittere, indulgere. Ita *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Sev.* 54., ubi plura hac de re. Favent veteres Glossæ, in quibus legitur: *Cohibet*, καμμύει, καταμύει. Sic *cohibentia* pro *conniventia* legitur ab eodem in *Cod. Theod.* 9. 40. 15. et *ibid.* 10. 20. 10. Verum apud *Calpurn.* al. leg. *Jungere non cohibes*, quod præstat: in Codice vero *conhibentia*. Ita etiam legitur in *Fragm. Cod. Theod.* 5. 13. 2. (ab *Amed. Peyronio* edit.): Si rationalis vel ejus officium per conhibentiam fundum hujusmodi tradendum esse crediderit, summo supplicio sese adficiendum esse cognoscat. Hinc nuperrimus illorum editor *C. F. Ch. Wenckius* substituendum curavit *conniventiam*. — Hinc Part. præter. pass.

Cohibitus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Cohibitior*: et translate est arctus, pressus, coercitus, modestus. *Gell.* 7. 14. Genus dicendi magnificum in Ulixe et uber est, subtile in Menelao et cohibitum. *Auson. Grat. act.* 27. Cujus unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior?

CŎHĬBĬLIS, e, adject. (cohibeo). Occurrit translate tantum de oratione apud *Gell.* 16. 19. 1. Herodotus celeri et cohibili oratione fabulam scripsit. Ubi *cohibili* est *cohærente et brevi*; nisi forte legendum est *coibili*: alii legunt *volubili*. — *Gloss. Lat. Gr.* Cohibilis, facilis, εὐχερής.

CŎHĬBĬLĬTER, adverb. (cohibilis a cohibeo). Comp. *Cohibilius.* — Cohibiliter occurrit translate tantum pro breviter. *Apul. Mag.* 36. *p.* 297. 35. *Elmenh.* Ordinatius et cohibilius eadem Græce et Latine adnitar describere. *Al. leg.* cohibitius, *al.* coibilius: *quæ idem fere significant. Id. Florid. sub fin.* Fabulam in pauca cogamus, quantum potest fieri cohibiliter.

CŎHĬBĬTĬO, ōnis, f. 3. cohibendi actus. *Cic.* 5. *Verr.* 14. 37. Cohibitio tollendi, nisi pactus esset, vim adhibebat pactioni, non voluntatem. *Al. leg.* prohibitio, *quam lectionem præfert etiam* Orell. *Lactant. Ira Dei* 18. *a med.* Hæc sui cohibitio gloriosa est, qua compescitur aliquod imminens magnum malum. Et *ibid. ante med.* Cohibitio iræ.

CŎHĬBĬTUS, a, um. *V.* COHIBEO.

CŎHIRCĬNĀTĬO. *V.* COLLURCINATIO.

CŎHŎNESTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŎHŎNESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et honesto). Part. *Cohonestatus* et *Cohonestandus.* — Cohonesto est amplius honesto, majori honore afficio (It. *rendere ancor più onorevole, onestare*; Fr. *orner, parer, honorer*; Hisp. *ornar, adornar, ennoblecer*; Germ. *dazu beitragen, dass etwas anständiger und in grösserem Ehrenschmucke erscheine*; Angl. *to commend, grace, set off, honour, amplify, do honour to*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cic. Quinct.* 15. 50. Funus, quo amici conveniunt ad exsequias cohonestandas. *Id.* 4. *Verr.* 69. 168. Quorum tu auctoritate statuas cohonestare tuas conatus es. *Id.* 13. *Fam.* 11. 3. Cohonestare aliquem. *Liv.* 25. 16. aliquid virtute. *Id.* 38. 47. victoriam. *Tac.* 3. *Ann.* 76. funus laudatione pro rostris, et ceteris solemnibus. *Inscript.* apud *Orell.* 5037., quæ correctior apud *Mommsen. Inscriptt. Neap.* 2517. AD MEMORIAM PVELLAE IPSIVS COHONESTANDAM PLACERE HVIC ORDINI FVNVS PVBLICVM EI DECERNI. — Et εἰρωνικῶς *Arnob.* 5. 23. Vellem videre patrem illum deorum bubulis esse cohonestatum cornibus etc. — *b*) Speciatim apud *Plin.* cohonestare defluvia capitis semine illito, 22. *Hist. nat.* 13. 15. (31). est corrigere et cohibere capillorum defluvium, quo caput deturpatur. Similiter *Cohonestare res turpes* apud *Arnob.* 5. 43. est honestis verbis rerum turpitudinem contegere, ut honestæ esse videantur.

COHONORO, as, are, a. 1. cohonesto, honoro. *Paul. Diac. p.* 37. 1. *Müll.* Coronæ dicuntur, quod cohonorent eos, quibus imponuntur. *Est hæc vulgata lectio: at* Müll. *ex optimis Codicib. legit* honorent; *et* cohonorent *fictum ait esse vocabulum, quod sono nominis corona similius esset.*

CŎHORRĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (cum et horreo) horrore corripior ob frigus, aut metum. *Cic.* 3. *Orat.* 2. 6. Tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit. *Id.* 5. *Att.* 21. 12. Cohorrui primum; etenim erat interitus civitatis. *Id.* 6. *de republ.* 10. Quem ut agnovi, equidem cohorrui. Adde *eumd.* 7. *Att.* 1. 1. — *NB.* Cum hujusce verbi occurrant tantum Perf. et Plusquamperf., nonnulli hæc tempora ad sequens referunt verbum.

CŎHORRESCO, is, ere, n. 3. idem ac cohorreo: quam vocem *V.* in fine. *Augustus in epist. ad Tib.* apud *Sueton. Tib.* 21. Attenuatum te esse continuatione laborum cum audio, dii me perdant, nisi cohorrescit corpus meum.

CŎHORS, ortis, f. 3. Ad scriptionem quod attinet, *Dausqu.* mavult scribi *cors* sine aspiratione: contra *Vossio* magis placet *chors*, quod ita legatur in vett. libb., et quod aptissime derivatur a Græco χόρτος. Ceterum cum de villatica sermo est, in prosa oratione libri MSS. exhibent *cohors, chors* et *cors*; inter poetas autem *Ovid.* 4. *Fast.* 704. habet *cohors*; *Martial.* 7. 53., 11. 53. et 13. 44. habet *chors* vel *cors*: cum vero agitur de re militari, cohors ubique legitur, præterquam in aliquot *Inscriptt.*, *Eckhel.* enim *D. N. V. T.* 6. *p.* 53. animadvertit, in nummis ἀρχαϊκῶς *chortium* pro *cohortium* haberi, ut in *Inscript.* apud *Gruter.* 538. 8., in qua Marcianus dicitur *miles chort. XII.* Ita porro scribitur etiam in aliis multis. — In Genit. plur. num. *cohortum* pro *cohortium* est in *Inscript.* apud *Murat.* 832. 9., si modo sana est lectio. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum*, est a χύω pro χάω *hisco*: hinc χόρω, cujus præter. perf. pass. κέχορται, unde χόρτος septum et Latinum *chors, chortis.* Hinc *Varro* 5. *L. L.* 88. *Müll.* Cohors, quod in villa ex pluribus tectis conjungitur ac quiddam fit unum; sic hic ex manipulis copulatur. Cohors, quæ in villa, quod circa eum locum pecus coerceretur: tametsi cohortem in villa Hypsicrates dicit esse Græce χόρτον apud poetas dictam. V. *Scalig.* et *Müll.* ad h. l. Quidquid sit, certe Latinum *cohors* cum Græco χόρτος *hortus* est conjungendum. — Itaque cohors duo præcipue significat, scilicet ¶ 1. Locus est in villa, maceriis aut sæpe circumdatus, in quo altiles aves custodiuntur, et alia ad usum villæ servantur (It. *corte*; Fr. *cour fermée, cour de ferme*; Hisp. *corte cerrada*; Germ. *die Hürde oder das Gehäge, der eingehägte Hof, Kirchhof*; Angl. *a fen, coop, small inclosure for containing sheep, poultry etc.*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato* apud *Festum p.* 146. 29. *Müll.* Mapalia vocantur ubi habitant: ea quasi cohortes rotundæ sunt. *Glaucia* apud *Cic.* 2. *Orat.* 65. 263. Villam in Tiburto habes, cortem in Palatio. *Varro* apud *Non. p.* 83. 18. *Merc.* Ad focum hieme cœnitabant, æstivo tempore in propatulo; rure in corte, in urbe in tabulino. *Id.* 3. *R. R.* 3. 6. In plano cohors, in qua pascuntur gallinæ. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 8. Cohors ipsa, per quam vagantur gallinæ, non tam stercore, quam uligine careat. *Id.* 2. *ibid.* 15. 8. Filicem permiscere cum purgamentis chortis. *scil.* ad sterquilinium faciendum. *Ovid.* 4. *Fast.* 704. *de vulpe.* Abstulerat multas illa cohortis aves. *Martial.* 7. 14. et 13. 45. Chortis aves. *h. e.* pulli gallinacei. *Id.* 3. 58. Vagatur omnis turba sordidæ chortis, Argutus anser, gemmeique pavones etc. Adde *eumd.* 7. 53. et 11. 53.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 22. — *b*) Speciatim. *Varro* 1. *R. R.* 13. 2. Chortes in fundo magno duæ aptiores; una ut interius compluvium habeat locum ubi aqua saliat. – Boves enim ex arvo æstate reducti hic bibunt, hic perfunduntur, nec minus e pabulo cum redierunt anseres, sues, porci. In chorte exteriore lacum esse oportet, ubi maceretur lupinum, item alia, quæ demissa in aqua ad usum aptiora fiunt. Chors exterior crebro operta stramentis ac palea, occulcata pedibus pecudum, fit ministra fundo, ut sit ex ea quod evehatur. *Colum.* 2. *R. R.* 15. 8. fere similia habet. *Innocent. de cas. litt. p.* 224. *Goes.* Ideo plerumque casa aquam in corte habet. — *c*) *Chors* etiam appellatur sæptum, in quo includuntur oves, cum longe a villa pascuntur. *Varro* 2. *R. R.* 2. 9. — *d*) Dicitur etiam de stabulis boum in ipsa villa. *Vitruv.* 6. 6. 1. *Schneid.* ¶ 2. Cohors est etiam hominum multitudo, quæ personam aliquam circumdat, hominum manus, comitatus: sed occurrit fere speciatim pro militum manu; et ducta est appellatio, vel ex eo quod sicut in villa ex pluribus tectis conjungitur (ut ait *Varro* 5. *L. L.* 88. *Müll.* loco super. cit.), sic ex manipulis copulatur cohors; vel ex eo, quod quemadmodum villatica cohors, ita et militaris rotunda esse solet, unde et *globus militum* dicitur. Ceterum — *a*) In legione Romana decem fuere cohortes, quarum prima et numero militum et dignitate præcedebat. Olim cum legio sex millibus militum constabat, sexcenti in cohorte fuerunt in tres manipulos divisi, ut ex *Cincio* docet *Gell.* 16. 4. Deinde aucto legionis numero, cohortium quoque ratio mutata est. Quare *Veget.* 2. *Milit.* 6. suo tempore in singulis cohortibus, præter primam, milites fuisse ait 555., equites 66., *h. e.* turmas duas: primæ vero 1105., equites 132., *h. e.* turmas quatuor. *Cæs.* 3. *B. G.* 1. Constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare: ipse cum reliquis ejus legionis cohortibus in vico Veragrorum hiemare. Adde *Sall. Jug.* 100.; *Virg.* 2. *G.* 279.; *Vellej.* 2. 5. 2. et *Tac.* 3. *Ann.* 33. — Per synecdochen de toto exercitu dixit *Stat.* 5. *Theb.* 672. anne ducem servatricemque cohortis Inachiæ ingratis coram tot millibus audes Mactare? — Ceterum cohortium elenchus habetur apud *Borghesi Iscriz. del Reno p.* 9.-13. et *Cardinali Memor. Rom. T.* 3. *p.* 220. — *b*) Differt a *turma*, quæ proprie est equitum, cohors peditum. *Cic. Marcell.* 2. 7. Nihil sibi ex ista laude cohors, nihil turma decerpit. Adde *eumd.* 15. *Fam.* 2. 7. et 6. *Att.* 2. 8. — *c*) Interdum *cohortes* opponuntur legionibus, et significant certas auxiliorum divisiones. *Cæs.* 1. *B. C.* 73. Cohortes alariæ et legionariæ. *Liv.* 10. 41. alares. *Cæs.* 1. *B. C.* 63. auxiliares. *Auct. B. Alex.* 62. auxiliariæ. *Sall. Jug.* 58. Cohortes sociorum. *Tac.* 5. *Hist.* 1. sociæ. — Hinc sæpe per cohortes absolute auxiliaris miles designatur ut apud *Sall. Jug.* 46.; *Vellej.* 2. 112. 5. et *Tac.* 2. *Hist.* 89. *Flor.* 3. 21. 18. Cum hinc octo legiones, inde quingentæ cohortes starent in armis. — *d*) Cohortes dicuntur etiam aliquando a Romanis ipsæ hostium copiæ in certas quasdam partes divisæ. *Liv.* 7. 7. Cohortes Hernicorum. *Id.* 10. 40. Samnitium. Adde *Sil. It.* 15. 718. — *e*) Quod vero apud *Plin.* 10. *Ep.* 107. et 108. legitur *cohors equestris*, putant nonnulli genus cohortium fuisse, in quibus certus esset equitum numerus pediti admixtus: idque colligi etiam ex *ep.* 32. *ejusdem lib.*, ubi *ex cohortibus equites duo, centurio unus* nominantur. Quo pertinere videntur *cohortes equitatæ*, quarum mentio fit in *Inscript.* apud *Gruter.* 550. 5. et 1108. 5. quæ est apud *Orell.* 3398., item alia apud *Maff. Mus. Ver.* 365. 3. C. NONIO. C. F. AN. CAEPIAN. PRAEF. COH. III. BRITT. EQVITATAE. Huic persimilis est alia apud *Don. cl.* 6. n. 19. Sic *Veget.* 2. *Milit.* 6. singulis cohortibus, ex quibus legio constituitur, suos adscribit equites, ita ut primæ, quæ majorem militum numerum habuit, equites 132., reliquis autem omnibus 66. tribuat. *Tac.* quoque 4. *Hist.* 19. equites in cohortibus agnoscit. Hi tamen revera non tamquam pars cohortis censendi sunt, sed turmæ cohortibus adjunctæ. Apud *Liv.* 4. 38. parmata cohors dicitur globus equitum, qui, decurione hortante, ex equis desilientes impetum hostium sistunt. De *cohortibus* vero *equitatis* multa disserit *Franc. Ant. Zacharia* in *Gorii Symb. Litter. Flor. T.* 4. p. 157. Illud denique addendum putamus, *Schelium* ad *Hygin. Gromat. p.* 86. nos ex ipso *Hygino* docere, cohortem equitatam esse, quæ quartam circiter partem equitum habebat. — *f*) De *cohorte prætoria*, quæ circa prætorem, seu imperatorem erat custodiæ causa (quæque memoratur a *Cæs.* 1. *B. G.* 40. et 1. *B. C.* 75.; *Sall. Cat.* 60. et 61.; *Cic.* 2. *Cat.* 11. 24. aliisque, et *Paul. Diac.* p. 223. 2. *Müll.*), *V.* PRÆTORIUS. — *g*) Item cohors quæ *prætoria* dicitur a *Cic.* 3. *Verr.* 14. 36.; *cohors prætoris* ab eodem *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. § 12., 4. *Verr.* 27. 66. et 6. *ibid.* 61. 115.; et cohors absolute a *Catull.* 10. 10., *Horat.* 1. *Ep.* 3. 6. et 1. *ibid.* 8. 14., et *Tibull.* 1. 3. 2.) speciatim dicta est de comitatu, seu satellitio magistratuum in provincias euntium: quæ partim erat officialium iis inservientium, partim voluntariorum sine officio. Hi erant adolescentes nobiles, qui sua sponte cum proconsulibus exibant, ut usu rerum peritiores domum redirent. *Cic.* 4. *Verr.* 27. 66. Quidquid ab eo peteretur, judicem de sua cohorte daturum. — *h*) Sub imperatoribus aulicorum quoque turba cohors dicta est. *Sueton. Ner.* 5., *Cal.* 19. et *Galb.* 7. Cohors amicorum. — Quod ad exterarum gentium reges translatum est a *Curt.* 6. 2. 11. et 6. 1. 17. Cohors amicorum. *Id.* 8. 6. 7. et 10. 7. 16. Cohors nobilium. — *i*) Sumitur denique pro quacumque congregatione aut turba, ita tamen ut ad militarem cohortem semper fiat allusio: occurrit autem — De hominibus. *Varro* apud *Non. p.* 25. 9. *Merc.* Cohortes cinædorum atque hamiotarum aurupumque. *Catull.* 63. 25. vaga cohors divæ (Cybeles). *Virg.* 10. *Æn.* 328. cohors stipata fratrum. *Horat.* 2. *Od.* 19. 22. impia Gigantum. *Id. Epod.* 16. 60. laboriosa Ulixei. *Ovid.* 11. *Met.* 89. assueta Satyri. *Stat.* 11. *Theb.* 292. famulæ cohortes. *h. e.* servorum. *Id.* 12. *ibid.* 531. innuptæ. *Gell.* 2. 18. Phædon ex cohorte illa Socratica fuit. — De brutis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (143). Cohortes canum. *Claudian. Phœn.* 77. alituum. — De abstractis. *Horat.* 1. *Od.* 3. 31. febrium. *Gell.* 1. 19. *in fin.* disciplinarum.

COHORTĀLĪNUS, a, um, adject. Apud sequioris ævi scriptores legitur *curtalinus*, quia *curs* ab iis pro *chors* seu *cohors* dictum est. Habetur apud *Paulin. Nolan. Ep.* 22. (al. 7.) 2. Hæc el. *Furlanetto.* At pro *curtalinus* apud *Paulin.* lege *cortalinus*, quod analogiæ propius accedit. — Ceterum *cohortalinus* est cohortalis miles, et speciatim palatinæ militiæ adscriptus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 16. 5. 48. Cohortalina militia. *Iidem ibid.* 6. 55. 14. Cohortalinorum militia.

COHORTALIS, e, adject. ad cohortem pertinens. ¶ 1. Est ad cohortem villaticam pertinens. *Cels.* 2. 18. *a med.* Pullus cohortalis. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 2. Cohortalis est avis, quæ vulgo per omnes fere villas conspicitur. *h. e.* gallina. Adde *eumd.* 1. *ibid. præfat.* 27., 6. *ibid.* 27. 4. et 8. *ibid.* 1. 3. *Id.* 8. *ibid.* 2. 6. Exercetur cohortalis ratio, quam Græci vocant ὀρνιθοτροφίαν. *Id.* 8. *ibid.* 3. 8. Cohortalis officina. *h. e.* ὀρνιθών. ¶ 2. Item ad cohortem militarem, et speciatim ad prætoriam pertinens. Hinc *Imp. Zeno Cod.* 12. 58. *qui est De Cohortalib. et principib.*

cornicularii, ac primipilarii, 13. Cohortale officium. *Imp. Constantin. ibid.* 6. 62. 3. Cohortali ratione gravatus. *Imp. Leo. ibid.* 1. 39. 13. Cohortalibus obsequiis obligatus. *Impp. Valentin. et Valens ibid.* 51. 2. Cohortalium corpus. Adde *Cod. Theod.* 7. 20. 4. § 3. et alibi.

CŌHORTĀTĬO, ōnis, f. 3. hortatio, quæ præcipue pluribus fit, ut hi communiter aliquid agant. *Cic.* 16. *Att.* 13. c. § 2. Incredibiliter me commovet tua cohortatio. *Id.* 1. *Orat.* 47. 204. Concitare aliquem cohortatione sua ad studium cognoscendæ virtutis. *Id. Cluent.* 50. 138. Cohortatio judicum ad honeste judicandum. Adde *eumd.* 1. *Fam.* 7. 9. *Nepos. Hann.* 11. Facere cohortationem militum. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 30.

CŌHORTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* cohortatio, brevis cohortatio. *Ambros. lib.* 4. *Ep.* 33. *ad Demetriad.* Adhibere cohortatiunculas.

CŌHORTĀTUS, a, um. *V.* COHORTO et COHORTOR.

CŌHORTĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* cohors, paucorum hominum manus. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 4. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit.

CŌHORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cohortatus.* — *Cohorto* pro *cohortor* dicebant antiqui. *Claudius Quadrigarius* apud *Non.* p. 472. 19. *Merc.* Et dicerent, castra capta esse, atque hos cohortarent uti maturarent. *Cato* apud *Gell.* 15. 13. 5. Exercitum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras, atque instruxit.

CŌHORTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. usitatius quam antiquum *cohorto* (cum *et* hortor). Part. *Cohortans* sub *a.*; *Cohortandus* sub *b.* — Cohortor occurrit tantum in prosa oratione, est idem quod *hortor*, vel simul, aut valde hortor, et occurrit fere de pluribus, quos ad unum idemque agendum aliquis hortatur; ideoque sæpius ponitur de concionibus et copiis. Usurpatur autem — *a*) Absolute omnino, hoc est sine Accusativo personæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 148. Hac (*eloquentia*) cohortamur, hac persuademus. *Id.* 1. *Orat.* 61. 258. Quod mehercule vereor, ne majorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. — Et sequente *ad* cum Accusativo rei. *Id.* 2. *ibid.* 9. 35. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare? — Et sequente particula *ne*. *Cæs.* 7. *B. G.* 86. Cohortatur, ne labori succumbant. *Sueton. Galb.* 10. Cohortantibus invicem, ne etc. — *b*) Cum Accusativo tantum personæ. *Cic.* 1. *Orat.* 8. 30. Non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum. *Id.* 1. *ibid.* 25. Cohortatus suos, prœlium commisit. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 5. *Quintil.* 11. 3. 124. Cohortari semetipsos. — *c*) Cum Accusativo personæ et præpos. *ad* cum Accusativo rei, ad quam aliquem hortamur. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 16. Cohortari aliquem ad virtutis studium. *Id.* 2. *Fam.* 4. 2. Teque ad studium summæ laudis cohortabor. *Id.* 15. *Att.* 1. 3. ad pacem. *Id.* 4. *Phil.* 5. 10. Sic ego vos ardentes et erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. *Quintil.* 12. 1. 28. militem ad prœlium. *Sueton. Claud.* 46. aliquem ad concordiam. — *d*) Cum Accusativo personæ, et — Conjunctivo cum particula *ut*. *Cæs.* 3. *B. C.* 82. Scipio milites cohortatur, ut prædæ participes esse velint. Adde *Tac. Agric.* 36. et *Sueton. Oth.* 10. — Conjunct. cum particula *ne*. *Cæs.* 3. *B. C.* 43. Cohortatur suos, ne animo deficiant. — *e*) Cum Infinito. *Auct. B. Alex.* 21. Cohortando suos ad pontem et munitiones contendere. Adde *Tac.* 12. *Ann.* 49.

CŌHOSPES, itis, qui simul cum alio hospes est. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 438. Culmina Felicis dignatur et ipse cohospes. Adde *eumd. carm.* 21. 385.

CŌHOSPĬTANS, antis, m. 3. idem ac cohospes. *Paulin. Nolan. epist.* 32. *sect.* 6.

CŌHUM duo inter se diversa significat, scilicet

A) C o h u m, lorum, quo temo buris cum jugo colligatur, a cohibendo dictum. Hæc *Paul. Diac.* p. 39. 4. *Müll.* De eadem re, ut videtur, *Varro* 5. *L. L.* 135. *Müll.* Sub jugo medio cavum, quod bura extrema addita oppilatur, vocatur c o u s a c a v o (*fortasse* chao).

B) C o h u m poetæ cælum dixerunt a c h a o, ex quo putant cælum esse formatum. Hæc *Paul. Diac.* p. 39. 5. *Müll. Varro* 5. *L. L.* 19. *Müll.* Omnino ego magis puto a c h a o c h o u m (*scil. idem quod* cohum), hinc c a v u m et hinc c æ l u m, quoniam, ut dixi, hoc *circum supraque, quod complexu continet terram* cavum cælum. *Diomed.* 1. *p.* 361. *Putsch. Inchoo inchoavi*, sic dicendum putat Julius Modestus, quia sit compositum a c h a o initio rerum. Sed Verrius et Flaccus (*ita scilicet scribitur*) in postrema syllaba adspirandum probaverunt. C o h u m enim apud veteres *mundum* significat, unde substractum *incohare*. Et *Gloss. Placid. p.* 448. edente *Mai.* C h o u m naturam universam. Chao (*lege* a chao) id est inani. *Ennius* 1. 159. Vix solum complere cohum terroribus cæli. Ubi videtur significare cavum cæli, et ut est apud *Virg.* 4. *Æn.* 451. cæli convexa. *Müllerus* autem in *adnot.* ad *Paul. Diac. l. c.* locum *Ennii* ita legendum putat: pilam vix Sol mediam complere cohum terroribu' cæli.

CŌHUMĬDO, as, are, a. 1. madefacere. *Apul.* 8. *Met.* Cohumidare genas lacrimis.

CŌĬBĬLIS, e, adject. qui facile coit et cohæret. *V.* exemplum in COHIBILIS, ex *Gell.*

CŌĬENS, euntis. *V.* COEO.

CŌIMBĬBO, bibis, bibi, bibere, a. 3. (cum *et* imbibo) simul imbibo: sed occurrit translate tantum. *Arnob.* 5. 30. Si aperte hoc facere confessis maledictionibus coimbibissetis. At *Orell.* legit *combibissetis.*

CŌINFĔRO, fers, ferre, a. anom. (cum *et* infero) idem quod congruo. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 3. p. 711. Infert enim unaquæque differentiarum proprium genus, ut gressibile et bipes animal coinferunt.

COINQUĬLINUS, i, m. 2. qui simul locum aliquem incolit. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 21.

CŌINQUĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. pollutio, impuritas. *Vulgat. interpr.* 1. *Esdr.* 6. 21. Qui se separaverant a coinquinatione gentium.

CŌINQUĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CŌINQUĬNO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (cum *et* inquino). Apud *Arnob.* 5. *sub fin.* et alibi legitur *conquino*, non tamen certa ubique lectione. At *Mar. Victorin. p.* 2467. *Putsch.* probat *conquinat*, damnat vero *coinquinat.* — Part. *Coinquinatus* I. et in fin. — Coinquino est commaculo, conspurco, inquino (It. *imbrattare, lordare*; Fr. *souiller*; Hisp. *ensuciar*; Germ. *besudeln, beflecken*; Angl. *to defile, pollute*).

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 19. Coinquinatus stercore. *Id. ibid.* 7. 2. Coinquinari stercore. — Item contagione labefactare. *Id.* 7. *ibid.* 5. 6. Cui primo quoque tempore occurrendum est, ne totam progeniem coinquinet. *Seneca Ep.* 2. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quæ ubi varia sunt et diversa, coinquinant, non alunt. *h. e.* morbum afferunt.

II.) Translate occurrit de vitiis. *Accius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 68. Matres coinquinari regias, contaminari stirpem, admisceri genus. *Val. Max.* 6. 1. 6. Coinquinare se crimine stupri. *Id.* 9. 7. *in fin.* se maximo scelere. *Arnob.* 4. 34. alicujus famam, et vitam. — Hinc Part. præter. pass.

Coinquinatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Coinquinatior. Prudent.* 6. *Cathemer.* 53. Qui coinquinatum vitiis cor implavit. *Arnob.* 7. 16. Quid esse his potest coinquinatius?

CŌINQUĬO, is, ire, a. 4. *vel* Coinquo, is, ere, a. 3. In quibusdam MSS. legitur etiam *coninquo* et *conchuo.* — Part. *Coinquendus.* — *Coinquire* vel *coinquere* est idem ac *coinquinare* (*V.* tamen in fine); et — Proprie usurpatur de amputatione sacrarum arborum, quæ in alicujus numinis luco crescerent, quæ cum incæduæ et inviolabiles essent, profanari videbantur si amputarentur, ideoque, (teste *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (267).) *Cato* arbores religiosas lucosque succidi permisit piaculari sacrificio prius facto. Hinc *Paul. Diac. p.* 64. 3. *Müll.* C o i n q u e r e deputare. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 43. *lin.* 15. ARBORES ADOLEFACTAE, ET COINQVENDAE. Alia *ibid. n.* 35. *lin.* 7. LVCI COINQVENDI, ET OPERIS FACIENDI CAVSA. Has *Inscriptt.* habes etiam apud *Orell. vol.* 1. *p.* 390. et *vol.* 2. *p.* 391. *Alfen. Dig.* 19. 2. 29. In lege locationis scriptum erat: Redemptor silvam ne cædito, neve coinquito, neve deurito, neve quem coinquere, cædere, urere sinito. *Alii leg.* cingito, coinquere. Addunt nonnulli locum *Paul. Dig.* 37. 7. 5. ubi est eadem lectionis varietas. Alium locum *Paul. Diac. V.* in SCRIBONIANUS. *Trebat.* 7. *de relig.* apud *Servium* ad *Virg.* 11. *Æn.* 316. Luci, qui sunt in agris, qui concilio (*lege* novitio) capti sunt, hos lucos eadem cæremonia moreque conquiri (*lege* coinquiri) haberique oportet, ut ceteros lucos, qui in antiquo agro sunt. — Hucusque *Forcellinus.* Ceterum etiam *Charisii* 1. p. 62. *Putsch.* opinio, *quinquatrus* dictas esse a *quinquando, id est lustrando*, huc eodem recte referri videtur a *Marinio* (*Frat. Arv. T.* 1. *p.* 309.), qui post *Salmasium Exerc. Plin. p.* 61. *cl.* 1. optime de hujus vocabuli restitutione meruit. Originem autem verbi *Scalig.* expedivit; descendit non ab *inquere*, sed *anquere*, id est *angustiorem reddere*, quod fit succisa arborum prolixitate. Hæc *Müllerus*, qui propterea certa conjectura id reddidit *Paulo Diac. p.* 65. 19. C o i n q u e r e coercere.

COINTUS pro *quintus* Græcorum more, qui κοίντος scribunt, legitur in antiqua *Inscript.* apud *Pier.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 648.

COIRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. antiqua scriptione pro *curo*, as exhibent *Inscriptt.* apud *Orell.* 566. et 570. COIRAVERVNT.

CŌĬTĬO, ōnis, f. 3. (cum *et* itio) actus coeundi. ¶ 1. Materiali sensu ponitur — *a*) Pro simplici congressu et colloquio. *Ter. Phorm.* 2. 2. 32. Senex adest: vide, quid agas: prima coitio est acerrima. Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet. — *b*) Pro coitu venereo. *Solin.* 49. *in fin. de camelis.* Inventum est, ut desiderium in eis coitionis quadam castratione exsecraretur. *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. In omni genere animantium, quæ ex coitione nascuntur. Adde *Lactant.* 1. 8. 6.; et *Cod. Theod.* 15. 8. 2. *Impp. Theodos. et Valentin. Cod.* 11. 40. 6. Lenones patres et dominos, qui suis filiabus vel ancillis invitis peccandi necessitatem imponunt, placet pœnæ mancipentur exsilii, metallis addicendi publicis: quæ minor pœna est, quam si præcepto lenonis cogatur quispiam coitionis sordes ferre, quas nolit. ¶ 2. Morali significatione dicitur fere de conventu, et coetu hominum occulte inito ad conspirandum contra aliquem; et significat etiam ipsam conventionem, seu pactum, quod in coitione fit. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 6. § 4. Quod scribis te audisse, in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. Ejusmodi enim pactiones in ea coitione factæ sunt, quas etc. *Id. Planc.* 22. 53. Coitionem facere. *Id.* 4. *Att.* 18. 3. dirimere. Adde *eumd. Cluent.* 54. 118. et 3. *ad Q. fr.* 1. 5. § 16.; *Liv.* 2. 35., 3. 35., 3. 65., 7. 32. et 9. 26.; et *Cod. Theod.* 16. 7. 1.

CŌĬTUS, a, um. *V.* COEO.

CŌĬTUS, us, m. 4. (est idem quod cœtus a coeo) conjunctio, unio, coitio (It. *congiunzione, unione, assembramento*; Fr. *réunion, jonction*; Hisp. *reunion, junto, union*; Germ. *das Zusammengehen, oder Zusammentreffen*; Angl. *a joining or uniting together*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cels.* 2. 10. *in fin.* Digito vena fricanda, ut recens coitus ejus resolvatur, iterumque sanguinem fundat. *Id.* 5. 18. *n.* 31. Prodest ea compositio etiam ad omnem coitum humoris emolliendum. *Id.* 6. 7. *n.* 7. Sordium coitus in auribus. *Id.* 3. 27. *n.* 4. materiæ. *Quintil.* 9. 4. 59. Coitus syllabarum (ut fit per synæresin). *Gell.* 1. 25. Coitus et copula vocum. *Vet. Poeta* apud *Gell.* 19. 11. Tum si moræ quid plusculæ Fuisset in coitu osculi, Amoris igne percita (*anima*) Transisset et me linqueret. — Similiter *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (47). Luna morata in coitu solis biduo. *h. e.* in conjunctione solis cum renovatur. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 39. 74. (191). ¶ 2. Specialim ponitur pro congressu venereo hominum et brutorum animalium. *Ovid.* 7. *Met.* 709. Sacra tori coitusque novos thalamosque recentes Primaque deserti referebam fœdera lecti. *Cels.* 2. 1. *ad fin.* Si neque pubertate, neque primis coitibus finita sunt. Adde *eumd.* 19. 2. *in fin.*; *Colum.* 6. *R. R.* 23. 3. et 6. *ibid.* 24. 3.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (155)., 8. *ibid.* 50. 76. (200)., 10. *ibid.* 52. 73. (143). et 22. *ibid.* 22. 38. (81). *Stat.* 10. *Theb.* 796. Monstrifer coitus. Adde *Quintil.* 8. 6. 24.; *Sueton. Cal.* 25. et *vit. Hor.*; et *Cajum* 1. *Instit.* 64. et 87. ¶ 3. Est etiam arborum coitus, cum aliqua ratione mas arbor feminæ adjungitur. De coitu palmarum *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (35). — Est etiam prima arborum germinatio apud *eumd.* 17. *ibid.* 2. 2. (11). ¶ 4. Etiam insitio hoc nomine appellatur, ut est apud *eumd.* 17. *ibid.* 14. 24. (103).

CŌIX, icis, f. 3. κόϊξ. Coices appellantur palmæ cujusdam generis in Æthiopia, de quibus *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (47). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.*

79.) ad h. l. hæc ait: « Ce passage est presque tout entier emprunté à Théophraste; cet auteur nomme (1. 16.) l'arbrisseau qui donne les dattes coiques, κύκας; et quelques modernes le rapportent au *Cycas circinalis* L., espèce de palmier qui a servi de type pour la formation d'une famille nouvelle, les cycadées. Il est difficile de trouver dans le peu que disent les auteurs anciens du κυκας des données suffisantes pour décider si ce rapprochement est ou non vraisemblable. — L'on doit se borner seulement à regarder cet arbre comme un palmier distinct du dattier ».

COJŬGĀLIS, COJUS etc. *V.* CONJUGALIS, CONJUX etc.

CŌLA, æ, f. 1. idem ac colon, quam vocem *V. Venant.* 1. *præfat.* Ii, qui epilogorum calce jucundi, colæ fonte profluī, commate succiso venusti.

CŌLA, æ, f. 1. idem quod colis vel caulis: de vite dixit *Venant.* 5. *præfat.* Quoniam, quo volueris, colæ pampineæ diffundis propagines.

CŎLÆPĬUM, ii. *V.* COLIPHIUM.

CŎLĂPHIZO, as, are, a. 1. κολαφίζω, colapho percutio. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 12., *de fuga in persecut.* 2. et 2. *ad Corinth.* 12. 7.

CŎLĂPHUS, i, m. 2. κόλαφος, ictus manu in pugnum compressa inflictus: a κολάπτω *tundo* (It. *pugno*; Fr. *soufflet*, *coup de poing*; Hisp. *soplamoco*, *bofeton*; Germ. *der Faustschlag*; Angl. *a blow or buffet with the fist*). Occurrit — *a*) In sing. num. *Plaut. Pers.* 5. 2. 65. Icere colaphum. *Juvenal.* 9. 5. Colaphum alicui incutere. *Quintil.* 6. 3. 83. ducere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Ursi sæpe in arena colapho infracto (*capite*) exanimantur. — *b*) In plur. num. *Plaut. Rud.* 4. 3. 68. Verbum addo etiam unum: jam in cerebro colaphos abstrudam tuo. *Id. Pers.* 2. 4. 22. Deligere aliquem in terram colaphis. *Id. Capt.* 1. 1. 20. Perpeti colaphos. *Ter. Adelph.* 2. 2. 37. Colaphis tuber est totum caput. *Id. ibid.* 2. 1. 46. Infringere alicui colaphos plus quingentos. *Seneca Constant. sap.* 14. Percutere aliquem colaphis. *Juvenc.* 4. 569. Et palmæ in malis colaphique in vertice crebri Insultant. — *Tertull. Spectac.* 18. pro alapa sumere videtur ubi ait: Pugnos, et calces, et colaphos, et omnem petulantiam manus, etc. — Ex locis supra allatis illud argui posse videtur, *colaphum*, Græce κόλαφον, significare eam percussionem, et quæ pugno fit, sive manu compressa; et quæ manu aperta, ejusque parte interiore, a Latinis etiam *alapa* dicta, a nostratibus vulgo simili fere sono *slepa*, ab Italis vero *schiaffo* cum *colapho* sono item conveniente; quæque demum fit manu aperta, ejusque parte exteriore, quam Itali *manrovescio* et *rovescione* appellant.

CŎLĂSIS, is, f. 3. Græca vox κόλασις, castigatio, legitur apud *M. Cl. Sacerd.* 1. 167., et est schematis genus.

CŌLĀTŌRII equi dicuntur a *Veget.* 4. *Veterin.* 6. *ad fin.* (si modo ea verba *Vegetii* sunt, et non ab aliena manu inserta) quos *tolutarios* antiquiores Latini appellant. Imo apud *Senec. Ep.* 87., ubi habetur *tolutariis*, in omnibus MSS. legisse se *colutariis*, aut *colatariis* testatur *Salmas.* ad *Capitolin. Maximin.* 3., ex quibus libenter, inquit, emendarem *colatoriis*. Nam ita dicti sunt equi minutim ambulantes, Græce σακκισταί, vel σακκιστοί, a sacco, vel colo, quod minutim vacuefieri consuevit. Hæc et plura ibi *Salmas.* Ceterum *Schneiderus* vulgatam lectionem exhibet (*Veget.* 6. *Veterin.* 6. 7.) ac tueri videtur.

CŌLĀTŪRA, æ, f. 1. quod colando remanet. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. Urina ita subalbida, ut colaturæ liquidæ colorem fingat.

CŌLĀTUS, a, um. *V.* COLO, as.

CŎLAX, acis, m. 3. κόλαξ, assentator: a κολακεύω *adulor*. Est parasiti nomen in *Ter. Eun. prol.* 25. et 30.

COLCHĬCUS, a, um, adject. qui est ex Colchide: *V.* ONOM. — Hinc

Colchicum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, herba est venenata, ut cicuta. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (129).

CŌLEATUS, a, um, adject. coleos habens. *Pomponius* apud *Non.* p. 195. 15. *Merc.* Ubi insilui in coleatum equuleum, ibi tolutim tortor. At hic aliter est legendum: *V.* COCHLEATUS. *Id.* apud *eumd.* p. 470. 13. *Merc.* Incœpi contui: conspicio coleatam cuspidem. τὸ αἰδοῖον ἀρρενικόν, ut *Turneb. Advers.* l. 6. c. 9. interpretatur.

CŎLĔPĬUM, ii. *V.* COLIPHIUM.

CŌLES, is. *V.* CAULIS.

CŌLĔUS, i, m. 2. Quod ad scriptionem attinet, recentiores nonnulli præferunt *culeus* pro *coleus*, testiculus: est a κολεός, Jonice κουλεός *saccus ex corio*. *V.* PSOLOIS. *Cic.* 9. *Fam.* 22. et *Martial.* 12. 84. *Auct. Priap.* 14. Stamus sub Jove coleis apertis. — *Si coleos haberemus*, *h. e.* si viri essemus, vel ut *Pers.* loquitur 1. 103. si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis. *Petron. fragm. Tragur.* 44. *Burmann.* Sed si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret. *V.* CULLEO.

CŎLĬAS, æ, m. 1. ὁ κολίας, genus piscis e genere lacertorum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146).

CŎLĬCE, es, f. 1. genus medicamenti, quod datur ad coli dolores. *Cels.* 5. 25. n. 12. Colice Cassii ex his constat: croci, anisi, castorei etc. Adde *Scribon. Compos.* 120. et 121.

CŎLĬCŌSUS, a, um, adject. idem ac colicus. *Pelagon. Veterin.* 21. Compositio ad colicosos.

CŌLĬCŬLUS, i. *V.* CAULICULUS.

CŎLĬCUS, a, um, adject. ad colon intestinum pertinens. Hinc *Colicum medicamentum*, quod datur ad coli dolores. *Cels.* Græce habet 4. 14. Medicamentum, quod κωλικὸν nominatur. *Hoc idem dicitur* COLICE, *quam voc. V.* Latine autem occurrit apud *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. n. 99. Castechados appellatum colicum medicamen. — Hinc

Colicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, dicitur qui coli doloribus laborat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 12. 44. (122). Ergo etiam cœliacis Philistio dedit; et coctum dysentericis et colicis Plistonicus. Ita *Harduin.* ex MSS., quam lectionem tuetur et *Sillig. Veget.* 6. *Veterin.* 28. 27. *Schneid.* Compositio ad colicos.

CŌLĪNA, æ, f. 1. V. CULINA.

CŌLĪGO, inis, f. 3. domus, quæ incolitur. *Arnob.* 2. 67. In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos. Al. leg. *In penetralibus Vestæ ignes perpetuos*, etc. Priorem lectionem tuetur *Salmas.* tum ad *Tertull. Pall.*, tum in *Exercitat. Plin.* non semel: additque, etiam *colium* hac significatione usurpari apud *Tertull. Spectac.* 5., ubi hujusmodi affert inscriptionem aræ cuidam insculptam: CONSVS CONSILIO, MARS DVELLO, LARES COLIO POTENTES. ubi alii leg. COMITIO.. *V. Salmas.* in *Exercitat. Plin.* p. m. 913.

CŎLĬPHĬUM, ii, n. 2. Quidam scribunt *collyphium*, sed minus recte. — Coliphium est cibus, quo utebantur athletæ ad vires firmandas. Olim vescebantur siccis ficubus, quia magnam vim habent ad augendum robur corporis: sed Pythagoras quidam athleta carnium primus usum invexit, ut *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (121). docet. Videri itaque possint coliphia esse pultes ex assis et concisis carnibus confectæ, suillis maxime et bubulis, quas luctatori comederent, ut essent validiores. *Plaut. Pers.* 1. 3. 12. Collyræ facite ut madeant, et coliphia: ne mihi incocta detis. *Martial.* 7. 67. Cum coliphia sedecim comedit. *Juvenal.* 2. 53. Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ. — Juvat hanc interpretationem Græca vox κωλήματα, (a qua *Salmas.* originem ducere ait) quæ significat summitates membrorum animalium, a κωλήψ *talus*, *perna*, vel a κωλήν *petiolus*. Utebantur enim carnibus, quæ minimum succi et pinguedinis haberent, quæque maxime aridæ essent et siccæ. Quod autem sæpe ex carne suilla coliphia fierent, confirmatur ex illo *Petron. fragm. Tragur.* 70. *Burmann. de coquo ingenioso.* Volucris de bulba (h. e. *vulva*) faciet piscem, de lardo palumbum, de perna turturem, de colæpio (*lege* colepio) gallinam. — Nihilominus *Vet. Scholiast. Juvenal.*, eumque secuta tota fere interpretum natio, quibus contraire non ausim, *coliphia* fuisse dicunt panes azymos recenti caseo commixtos: deducuntque a κῶλον *membrum*, et ἶφι *valide*, *fortiter*, quod membris vires adderent. Docent etiam in formam veretri fuisse confectos: ut de iis intelligi possit illud *Martial.* 14. 69., cujus lemma est *Priapus siligineus*. Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum. — At *V. Schneider.* ad *Veget.* 6. *Veterin.* 1. 2. in nota, ubi plura de hac re; ex quibus *coliphia* videntur carnes et pulpamenta esse ex contendicibus decerptæ, quæ veteres *strebulas* vocarunt.

CŌLĬPĬLĀRĬUS, ii, m. 2. qui colem, seu mentulam et coleos depilat; idem appellatur dropacista et depilator. *Gloss. Philox.* Colipilarius δρωπακιστής.

CŌLIS *et* CŌLES, is. *V.* CAULIS.

CŎLĬTOR, ōris, m. 3. idem ac cultor. *Inscript.* apud *Murat.* 126. 1. PRO SALVTE SACERDOTVM ET MANDIDATORVM ET COLITORVM HVJVS LOCI.

COLIUM. *V.* COLIGO.

COLLĀBASCO vel conlabasco, is, ere, n. 3. (cum *et* labasco) collabi incipio, nuto et casum minitor: sed translate tantum occurrit. *Plaut. Stich.* 4. 1. 16. Ut cuique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassa labet, amici collabascunt. *Lucret.* 3. 600. Conquassatur enim tum mens, animæque potestas Omnis: et hæc ipso cum corpore collabascunt. *Al. rectius leg.* collabefiunt, *quia prima syllaba in labo, as, brevis est.*

COLLĂBEFACTĀTUS vel conlabefactatus, a, um. *V.* voc. seq.

COLLĂBEFACTO vel conlabefacto, as, avi, atum, are, a. 1. (cum et labefacto). Part. *Collabefactatus.* — Collabefacto est labefacto, corrumpo. *Ovid.* 1. *Fast.* 566. Et vastum motu collabefactat onus. *Lucret.* 1. 492. Collabefactatus rigor auri solvitur æstu. *h. e.* solutus.

COLLĂBEFACTUS vel conlabefactus, a, um. *V.* voc. seq.

COLLĂBEFĪO vel conlabefio, fis, factus sum, fieri, n. (cum *et* labefio). Part. *Collabefactus.* — Collabefio est solvor, corrumpor.

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Naves adeo graviter inter se concitatæ conflixerunt, ut vehementissime utræque ex concursu laborarent; altera vero, præfracto rostro, tota collabefieret. *Lucret.* 3. 600. Hæc (*mens animæque potestas*) ipso cum corpore collabefiunt. *Alii minus recte leg.* collabascunt. *Id.* 4. 698. quod fracta magis redolere videntur Omnia, quod contrita, quod igni collabefacta. *Al. leg.* concalefacta.

II.) Translate. *Nepos Arist.* 1. A Themistocle collabefactus testula illa, exsilio decem annorum multatus est. h. e. dejectus, oppressus.

COLLĂBELLO vel conlabello, as, are, a. 1. labra labris adjungo. *Laberius* apud *Non.* p. 90. 22. *Merc.* Collabella osculum.

COLLĀBOR *vel* conlabor, lābĕris, lapsus sum, lābi, dep. 3. (cum *et* labor). Scribitur et *collabsus*: V. LABOR, eris. — Part. *Collabens* I. c.; *Collapsus* I. et II. — Collabor est labor, vel simul cum alio labor, concido, corruo (It. *sdrucciolare*, *cadere*; Fr. *tomber avec ou en meme temps*, *s'écrouler*; Hisp. *caer*, *resbalarse juntos*; Germ. *in sich zusammenstürzen oder fallen*; Angl. *to fall entirely or together*, to *sink*, *fail*, *give way*).

I.) Proprie usurpatur. — *a*) De ædificiis aliisque rebus inanimis. *Liv.* 29. 18. Ad aliquotum jam altitudinis excitata erant mœnia, cum subito collapsa ruinâ sunt. *Id.* 35. 9. Circa portam Flumentanam collapsa quædam ruinis sunt. Adde *eumd.* 41. 5. Cf. *Sil. It.* 7. 727. Qui collapsa pressi jacuere ruina. *Virg.* 6. *Æn.* 226. Postquam collapsi cineres. *Tac.* 2. *Ann.* 47. Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ nocturno motu terræ. *Sueton. Cæs.* 81. Fastigium domus collabitur. *Id. Aug.* 30. Ædes sacras vetustate collapsas. Adde *eumd. Claud.* 25. et *Cal.* 21.; *Dig.* 21. 3. 7. § 16. et 25. 1. 1. § 5. *Inscript.* apud *Orell.* 26. AEDEM .... VETVSTATE COLLAPSAM. — *b*) Item de humani corporis membris. *Virg.* 3. *G.* 485. Ossa morbo collapsa. *Cels.* 2. 6. Ad ultima jam ventum esse testantur nares acutæ, collapsa tempora, oculi concavi. *Id.* 7. 26. Iter urinæ senectute collapsum. — *c*) De personis, quæ, deficientibus viribus, cadunt. *Virg.* 4. *Æn.* 664. Atque illam media inter talia ferro Collapsam aspiciunt comites. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 584. *Id.* 4. *ibid.* 391. suscipiunt famulæ collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo. Cf. *eumd.* 9. *ibid.* 434. inque humeros cervix collapsa recumbit. *Ovid.* 6. *Met.* 295. Hæc frustra fugiens collabitur. *Id.* 7. *ibid.* 826. subito collapsa dolore concidit. *Id.* 5. *ibid.* 96. Defectos cecidit collapsus in artus. *Id.* 10. *ibid.* 186. Collapsos alicujus artus excipere. *Curt.* 4. 10. 19. Inter socrus et virginum filiarum manus (*Darii uxor*) collapsa erat. *Id.* 8. 2. 39. Inter manus regis collapsus extinguitur. Adde *eumd.* 7. 6. 22. *Tac.* 2. *Ann.* 31. ad gemitum collabentis adcurrere liberti. Adde *Sueton. Ner.* 42. *Petron. Satyr.* 41. Collabi ante pedes alicujus. *Val. Flacc.* 7. 152. et in miseræ collabitur ora sororis. *Stat.* 1. *Achill.* 195. Collabi sato.

II.) Translate. *Plaut. Truc.* 3. 2. 3. Nisi si clanculum collapsus est hic in corruptelam suam. *Val. Max.* 6. 2. 10. Ira in se ipsa collapsa est. *Cod.* 5. 11. 9. Si — prior mulier in fata collapsa fuerit. *Pacat.*

Paneg. ad Theodos. 11. Collapsam rempublicam excipere.

COLLĂBŌRO vel conlaboro, as, are, n. 1. simul laboro, simul curam ago. Tertull. Pœnit. 10. Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere: condoleat universum, et ad remedium collaboret, necesse est.

COLLĂCĔRĀTUS vel conlaceratus, a, um, particip. ab inusit. conlacero, idem quod laceratus. Tac. 3. Hist. 74. Confossum, collaceratumque corpus.

COLLĂCRĬMĀTĬO vel conlacrimatio, et collacrumatio vel conlacrumatio, ōnis, f. 3. idem quod lacrimatio. Cic. 2. Orat. 45. 190. Signa doloris voce, vultu, collacrimatione denique ostendere.

COLLĂCRĬMO vel conlacrimo, et collacrumo vel conlacrumo, as, āvi, ātum, are, a. 1. est idem quod lacrimo vel simul lacrimo, fleo; et occurrit — a) Absolute. Plaut. apud Gell. 1. 24. Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt. — Etiam de singulis personis pro simplici lacrimare. Ter. Andr. 1. 1. 79. Ibi tum filius – curabat una funus, tristis interim, nonnumquam collacrumabat. Cic. 6. de republ. 9. Complexus me senex collacrimavit. — b) Cum Accusativo rei. Cic. Sext. 58. 123. Histrio casum suum collacrimavit.

COLLACTĀNĔUS vel conlactaneus, a, um, adject. De hac forma V. Charis. et Capr. sub init. voc. seq. — Collactaneus qui simul cum alio eodem est lacte nutritus. Paul. Dig. 40. 2. 13. Si collactaneus, vel educator etc. Adde Cajum 1. Instit. 39. et Inscriptt. apud Orell. 2281. et 4672., ubi collactaneus legitur. — Scævola Dig. 34. 4. 30. § 1. Titia testamento Sejam libertam, eamdemque collactaneam heredem instituerat. Inscript. apud Maffei. Mus. Veron. 149. 4. ANNIAE AQVILINAE COLLACTANEAE C. JAVOLENVS SEVERVS B. M. POSVIT.

COLLACTEUS vel conlacteus, a, um, adject. idem quod collactaneus: quamvis Charis 1. p. 62. Putsch. dici negat: Fl. vero Caper orthogr. p. 2242. Putsch. sic distinguit: Collactaneus est eisdem mammis educatus: collacteus quia uno eodemque lacte creatus est. Inscript. apud Reines. cl. 9. n. 16., quæ est apud Orell. 678. VERNA COLLACTEVS DAVSI. Adde aliam apud Gruter. 585. 8. — Capell. 1. p. 3. Sed quod sororis ejus collactea et indiscreto amica fœdere videtur etc. Adde eumd. 2. p. 27., et Inscript. apud Clem. Cardinali Iscriz. Veliterne p. 129. n. 65. V. voc. seq. Quidam tribuunt etiam Juvenali 6. 306., sed incerta est lectio.

COLLACTITIUS, a, um, adject. idem quod collactaneus vel collacteus. Inscript. apud Renier 509. TELTONIVS EROSION COLLACTITIO DVLCISSIMO FECIT. At videtur error lapicidæ pro collactio.

COLLACTĬUS, a, um, adject. Scribitur et conlactius. Hygin. Fab. 224. Croton conlactius Musarum. — Est idem quod collacteus. Inscript. apud Gruter. 632. 8. et 661. 2. et 3. et alibi. Alia apud Clem. Cardinali Iscriz. Veliterne p. 129. n. 65. L. FAENIVS VITALIS FAENIAE L. F. PRISCILLAE SORORI, VIX. AN. I. MENSIBVS XI. DIEBVS XXIV., FAENIAE HYGIAE COLLACTIAE EJVS, VIX. AN. I. MENSES IX., L. FAENIO PHILETO PATRI, FAENIAE MEDVSAE MATRI FECIT, SIBI, SVIS, POSTERISQVE EORVM. Cum L. Fænius Vitalis Fæniam Priscillam appellet sororem, Fæniam vero Hygiam collactiam, nec hujus patris mentionem faciat, apparet, hanc a Fænia Medusa una cum filia Fænia Priscilla lacte nutritam fuisse, ideoque collactiam Priscillæ ac simul Medusæ alumnam fuisse. V. ALUMNUS.

COLLÆTOR vel conlætor, āris, ari, dep. 1. (cum et lætor) simul lætor, congaudeo. Tertull. idolol. 14. Collætemur ex communione naturæ.

COLLÆVATUS vel conlævatus, a, um. V. voc. seq.

COLLÆVO vel conlævo et rectius collevo vel conlevo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et levo). Part. Collevatus. — Collævo est lævem reddo, lævigo: et occurrit — a) Generatim. Colum. 6. R. R. 17. 8. Polenta cum melle conlævata. Plin. 17. Hist. nat. 22. 35. (192). Plaga arboris falce collævata. — b) Speciatim de medicamentis, quæ morbi vim emolliunt ac minuunt. Seneca Ep. 64. Hoc (collyrio) asperitas oculorum collævatur. Plin. 23. Hist. nat. 1. 18. (30). Mustum prodest interaneis vesicæ: collævat enim ea.

COLLAPSĬO, ōnis, f. 3. (collabor) casus, ruina. Jul. Firmic. de err. proph. relig. 21. Cadentium fulminum funesta collapsio.

COLLAPSUS vel conlapsus, a, um. V. COLLABOR.

COLLĀRE, is, n. 3. V. COLLARIS, e.

COLLĀRĬA, æ, f. 1. V. voc. seq.

COLLĀRIS, e, adject. ad collum pertinens. Offa, sive offula collaris legitur apud Petron. fragm. Tragur. 56. Burmann. et exponitur caro cervicis. — Hinc

Collare, is, n. 3. absolute, substantivorum more ¶ 1. Ab Apic. 7. 5. et 6. collare porcinum dicitur, caro cervicis, et circa collum porci. ¶ 2. Item vinculi genus, quo collum adstringitur; et speciatim — a) Quo noxiorum collum adstringitur. Lucilius apud Non. p. 36. 26. Merc. Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum Deportem. — b) Item cingulum e corio cum clavulis capitatis, quo canum colla protegunt contra morsus ferarum. Varro 2. R. R. 9. 15. Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur his collaria, etc. — Plaut. Capt. 2. 2. 107. Hoc quidem haud molestum est, quod collus collaria caret. Quidam putant esse Ablat. a collaria, æ, f. 1. Alii dicunt hoc loco esse adjectivum, et subintelligendum esse catena. Quid si collaria esset Accusativus pluralis a collarium, ii, n. 2.? Nam et eum casum careo admittit. At quidam MSS. habent collario, quam vocem agnoscit etiam Priscian. 2. p. 590. Putsch.; quæque admittenda videtur, tamquam Ablat. a collarium, ii.

COLLĀRĬUM, ii, n. 2. V. voc. praeced. in fin.

COLLĀTĀTUS vel conlatatus, a, um, adject. dilatatus, amplatus. Cic. Orat. 56. 187. Quod si et angusta quædam atque concisa, et alia est collatata et diffusa oratio etc. Ita habent Aldus 1514., Petron. Victor. aliique; at Schützius optime edidit dilatata et fusa oratio. Sed tamen Orellius priorem lectionem tuetur.

COLLĀTĔRO vel conlatero, as, are, a. 1. latus claudo, ad latus sto. Capell. 3. p. 56. C vocales utrimque collaterat.

COLLĀTĪCĬUS vel conlaticius, et collatitius vel conlatitius, a, um, adject. ex plurium collatione factus. Seneca Consol. ad Marc. 10. Collaticiis, et ad dominos redituris instrumentis scæna adornatur. Quintil. 6. Declam. 11. Collaticia sepultura. Apul. 8. Met. Collaticia stipe. Inscript. apud Murat. 476. 6., quæ est apud Orell. 3730. PECVNIA CONLATITIA. — Collaticia myrrha dicitur a Plin. 12. Hist. nat. 16. 35. (69). quæ non est unius generis, sed ex variis in unum collatis permixta. — Ex ære collaticio quidpiam facere apud Tertull. advers. Valentinian. 12. proverbio dicitur, qui alienis opibus et auxilio, non solo Marte suo aliquid facit.

COLLĀTĬO vel conlatio, ōnis, f. 3. Conlatio scriptum est in Inscript. apud Gruter. 428. 6., quæ est apud Orell. 3807. ET CONLATIONEM REDDIDIT. h. e. pecuniam, quæ conlata fuerat, restituit conlatoribus. — Collatio est actus conferendi, seu plura simul in unum locum ferendi, quod et a pluribus fit. ¶ 1. Generatim est plurium rerum in unum locum illatio. — a) Stricto sensu. Cic. 1. Orat. 48. 210. Qui cum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus etc. h. e. de ineundo prœlio cum hostibus. Id. apud Ascon. in Orat. in Tog. cand. p. 85. Bait. Collatio centuriarum. Plin. 37. Hist. nat. 9. 42. (126). Optimæ hyacinthi, quæ in collatione aurum albicare cogunt. Forcellinus hoc loco collationem pro comparatione accepit. — b) Figurate. Plaut. Mil. glor. 3. 3. 66. Ubi facta erit collatio nostrarum malitiarum, haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur. collatio malitiarum est conjunctio malitiarum in unum collatarum. Dig. 47. 10. 15. § 4. vocum. — c) Hinc collatio absolute significat disputationem. Augustin. 2. Retractat. 39. et alibi. — d) Sic est etiam contributio alicujus rei in commune, dividundi gratia. Unde tituli 6. et 7. l. 37. Digest. De collatione bonorum, et dotis: cum scil. filii emancipati, vel filia matrimonio juncta bona sua et dotem conferunt simul cum ceteris bonis paternis, ut ad eorum possessionem una cum fratribus, qui in potestate patris fuerunt, contra testamenti tabulas admittantur. ¶ 2. Speciatim de pecunia ponitur, et est indictio, tributum, quo ab omnibus conferuntur pecuniæ in usum reipublicæ. Liv. 4. 60. Patres – conferre ipsi primi et – æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Sueton. Ner. 44. Collationem recusare. Adde eumd. ibid. 38. et Tit. 7.; et Inscript. apud Orell. 1229. — Differt tamen a tributo, quia hoc a principe in certa quantitate indicitur: collatio libera est quoad summam pecuniæ, licet et ipsa imponatur. Liv. 6. 14. Tributo collatio facta. Id. 5. 25. Collatio stipis aut decimæ. Plin. Paneg. 41. 1. Remittere collationes. Tac. Germ. 29. Collationibus et oneribus exemptum esse. Sueton. Cal. 42. Filia nata, patria conquerens onera, collationem in alimonium atque dotem puellæ recepit. ¶ 3. Item est comparatio. — a) Generatim. Cic. 2. Nat. D. 29. 70. Quæ est in collatione ista similitudo? Id. 2. Divinat. 17. 38. Tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. Id. 4. Tusc. 38. 84. Philosophia constat collatione rationum. Adde eumd. 4. Fin. 27. 75. Auct. B. G. 8. 8. Legio, quæ collatione reliquarum, nondum eamdem ceperat virtutis opinionem. Adde Quintil. 7. 7. 2. et 8. 3. 77.; et Cod. Theod. 9. 19. 2. § 1. V. et locum Plin. sub 1. a. — b) Speciatim apud Rhetores collatio, Græce παραβολή, est oratio rem cum re ex similitudine conferens, ut definit Cic. 1. Invent. 30. 49. Adde Quintil. 5. 11. 23. — c) In philosophia ponitur pro analogia. Cic. 3. Fin. 10. 33. Cumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis; hoc quarto, quod extremum posui, boni notio facta est. Cum enim ab iis rebus, quæ sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. Adde Senec. Ep. 120. — d) Apud Grammaticos est gradus Adjectivorum comparativus et dicitur collatio secunda, aut superlativus et dicitur collatio tertia. Festus p. 181. 28. Müll. Ocius secundæ collationis, et deinde tertiæ ocissime, frequentata sunt. Adde eumd. p. 286. 26. Müll.

COLLĀTĪTIUS vel conlatitius, a, um. V. COLLATICIUS.

COLLĀTĪVUS vel conlativus, a, um, adject. qui a pluribus confertur. Hinc Paul. Diac. p. 58. 17. Müll. Collativum ventrem, magnum, turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur. Plauti verba sunt Curc. 2. 1. 13. Qui hic est homo cum collativo ventre, atque oculis herbeis? — Item Paul. Diac. p. 37. 13. Müll. Collativum sacrificium dicitur, quod ex collatione offertur. h. e. collata a pluribus impensa. — Et generatim Macrob. 1. Somn. Scip. 6. circa med. Nec solum explicandis corporibus hi duo numeri collativum præstant favorem, sed etc. Nazar. Paneg. ad Constantin. 18. in fin. Innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, dum collativam vim conferunt, compendiosam victoriam præstiterunt. — Hinc

Collativum, i, n. 2. absolute, substantivorum more (ut donativum), est idem quod collatio, tributum. Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod. 6. 26. 3.

COLLĀTOR vel conlator, ōris, m. 3. (cum et lator) qui simul confert, qui accumulat. ¶ 1. Generatim. Fulgent. 1. Mythol. 1. Salutis certissimus collator. ¶ 2. Speciatim qui aliquid una cum aliis pendit. Plaut. Curc. 4. 1. 13. Symbolarum collatores. — Hinc apud JCtos est qui collationem seu tributum pendit. Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod. 7. 6. 5. ¶ 3. Item qui unum aliquid cum alio confert, seu comparat. Augustin. Ep. 147. Collatorem enim et disputatorem, non assentatorem se esse cupiebat.

COLLĀTŌRĬUS. V. CHALATORIUS.

COLLĀTRO vel conlatro, as, are, a. 1. (cum et latro) est idem quod latro, adlatro; sed occurrit translate tantum. Seneca Vit. beata 17. Si quis ex istis, qui philosophiam collatrant. h. e. conviciis insectantur.

COLLĀTUS vel conlatus, a, um. V. CONFERO.

COLLĀTUS vel conlatus, us, m. 4. Extra Ablativum casum exempla nondum mihi reperta sunt. — Collatus est idem quod collatio. ¶ 1. Est actus conferendi seu plurium rerum in unum illatio. Auct. B. Hisp. 31. Congressus et clamor, quibus rebus maxime hostes conterrentur, in collatu pari erant conditione. h. e. in conferendis et conserendis manibus. ¶ 2. Item est plurium inter se disputatio ad cogitationes cognitionesque invicem communicandas. Censorin. de die nat. 1. Cum tuo collatu scirem me plura didicisse. h. e. te conferente et docente.

COLLAUDĀBĬLIS vel conlaudabilis, e, adject. (cum et laudabilis) laudabilis, laude dignus. Prudent. Hamartig. 694. nec bonus est, nec collaudabilis ille.

COLLAUDĀTĬO vel conlaudatio, ōnis, f. 3. (cum

et laudatio) idem ferme quod laudatio. *Cic.* 2. *Invent.* 43. 125. Qui scriptum defendit, his locis poterit uti: primum scriptoris collaudatione. Adde eumd. 2. *Herenn.* 9. 13.

COLLAUDĀTOR *vel* conlaudator, ōris, m. 3. (cum et laudator) qui collaudat. *Augustin.* 4. *Confess.* 14. *in fin.* Nullo collaudatore mirabar.

COLLAUDĀTUS *vel* conlaudatus, a, um. *V.* voc. seq.

COLLAUDO *vel* conlaudo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et laudo). Part. *Collaudatus.* — Collaudo est idem quod laudo vel valde laudo. *Plaut. Truc.* 2. 6. 15. Præfica alios collaudare absentes, sese vero non potest, *h. e.* aliorum laudes dicere. Adde eumd. *Asin.* 3. 2. 30. et *Pœn.* 5. 4. 11.; et *Ter. Adelph.* 3. 3. 13. *Plaut. Capt.* 2. 3. 61. Collaudare aliquem quantis laudibus. *Id. Trin.* 2. 2. 17. et 5. 2. 24. et *Ter. Eun.* 5. 8. 16. et 60. aliquid. *Cic.* 9. *Att.* 16. Cum ejus clementiam per litteras collaudavissem. *Id.* 5. *Phil.* 11. 28. Collaudare factum alicujus. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. orationem satis multis verbis. Adde eumd. 1. *Orat.* 8. 30., 1. *Fam.* 7. 5. et 7. *Verr.* 62. 161. *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Collaudati milites. *Auct. B. Afr.* 35. Collaudati a Cæsare, stipendioque donati. *Curt.* 7. 5. 38. Aliquem multum collaudare. Adde *Nepot. Ages.* 1. et *Att.* 4.; *Horat.* 1. *Sat.* 6. 70.; *Ovid.* 10. *Met.* 365.; *Liv.* 1. 52. et 26. 48.; *Curt.* 7. 2. 17., 8. 6. 19. et 10. 9. 10.; *Stat.* 6. *Theb.* 490.; et *Sueton. Cæs.* 16.

COLLAXO *vel* conlaxo, as, are, a. 1. idem quod laxo. *Lucret.* 6. 231. Quia nimirum facile omnia circum Collaxat, rareque facit lateramina vasi. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. Surgens ex isto liquore vaporatio collaxat tomentia. *Id.* 2. *Tard.* 1. Sic denique stomacho laxato, plurima certe collaxantur.

COLLECTA *vel* conlecta, æ, f. 1. (colligo). ¶ 1. Collecta dicitur id, quod confertur a multis in convivium, collatio, symbola: hinc *Varro* 6. *L. L.* 66. *Müll.* Collecta quæ ex pluribus locis in unum lecta. *Cic.* 2. *Orat.* 57. 233. Collectam a conviva exigere. ¶ 2. Pro multorum in unum locum coitione orandi causa sumitur a *Hieronym. Ep.* 108. n. 19. Post alleluja cantatum (quo signo vocabantur virgines ad collectam) nulli residere licitum erat.

COLLECTĀCULUM *vel* conlectaculum, i, n. 2. locus, ubi aliquid colligitur, receptaculum, ut *Collectacula aquæ* apud *Innocent. de casis litter.* p. 230. *Goes. Cassiod.* 10. *Variar.* 30. *de elephante.* Quod si quis præbere contempserit postulata, vesicæ collectaculo patefacto, tantam dicitur alluvionem egerere, ut etc.

COLLECTĀNEUS *vel* conlectaneus, a, um, adject. collecticius. *Collectaneum æs* dicitur quod est ex usu coemptum, inquit *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 20. (94)., *h. e.* æs jam usu detritum, et variis emptionibus hinc inde collectum. — *Sueton. Cæs.* 56. narrat, Cæsarem, inter alia, scripsisse librum, qui *Dicta collectanea* inscribebatur. — *Collectanea*, orum sunt scripta, quæ ex pluribus excerpta locis in unum collecta sunt. *Gell.* 4. 14. Cum librum nonum Atteji Capitonis Collectaneorum legeremus, qui inscriptus est *De judiciis publicis.* Ita legitur in quibusdam libb.; sed alii rectius *Conjectaneorum.*

COLLECTĀRIUS *vel* conlectarius, ii, m. 2. qui colligit pecuniam, et cum alia pecunia, accepto pretio, poscentibus commutat: item qui argentariorum pecunias exigit et cogit, coactor. *Impp. Honor. et Theodos.* 4. 2. 16. Si quis collectarius honoris pretium dederit ambienti. *Symmach.* 10. *Ep.* 49. Vendendis solidis, quos plerumque publicus usus exposcit, collectariorum corpus obnoxium est. Adde *Nov. Valent.* III. 2. 9. 1. § 1.; et *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 8. a med.

COLLECTE, adverb. generatim. *Non.* p. 164. 1. *Merc.* Positum concinne, vel collecte.

COLLECTĪBILIS, e, adject. qui colligi potest. *Boeth. de syllog. hypothet.* 2. p. 637. Quocirca et in disjunctiva propositione totidem syllogismos esse necesse est, totidem vero collectibiles complexiones; nam, cum ita proponitur, aut non est *a*, aut non est *b*, ita dicitur, si sit *a*, non erit *b*.

COLLECTĪCIUS *vel* conlecticius, et collectitius *vel* conlectitius, a, um, adject. ¶ 1. Est quod constat ex rebus undique et sine delectu collectis. Hinc *collecticius exercitus* dicitur, qui ex undique collectis, et sine delectu raptimque conscriptis militibus cogitur. *Cic.* 7. *Fam.* 3. 2. Signa tirone et collecticio exercitu cum legionibus robustissimis contulit. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 23. Ignis collecticius. *h. e.* collecto hinc inde pabulo factus. ¶ 2. *Collecticius* etiam est, cui tempore famis, cum in mortem penuria cogeretur, opitulari non potuit dominus aut patronus; et ab alio collectus fuerit. *Impp. Honor. et Theod. Constit.* 2. a *Sirmondo* edit. *in lemmate.* Collecticios eorum esse, qui collegerint, aut pretii duplum numerari aut expensas.

COLLECTIM *vel* conlectim, adverb. breviter, paucis, summatim. *Claud. Mamert.* 3. *de statu Anim.* 14. Collectim strictimque sub mentis oculos redegi. *Priscian.* 9. p. 860. *Putsch.* Quoniam igitur de generalibus præteriti perfecti temporis verborum formis collectim docuimus, nunc separatim per singulas conjugationes etc.

COLLECTIO *vel* conlectio, ōnis, f. 3. (colligo) congregatio, plurium in unum adunatio (It. *adunamento, raccoglimento*; Fr. *action de rassembler, réunion*; Hisp. *el acto de reunir, reunion*; Germ. *d. Zusammenlesung, Sammlung*; Angl. *a gathering or collecting together, a collection*).

I.) Proprie usurpatur de inanimis. ¶ 1. Generatim. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 22. de *Medea.* Ut eorum membrorum collectio dispersa celeritatem persequendi retardaret. *Petron. Satyr.* 98. Collectio spiritus, *scil.* quæ fit, cum respirationem cohibemus. *Dig.* 9. 2. 27. § 25. fructuum. *Paul. Diac.* p. 96. 17. *Müll.* terræ. ¶ 2. Speciatim a medicis collectiones dicuntur tumores præter naturam ex humoribus in partem aliquam corporis defluentibus. Est autem generale nomen abscessuum, vomicarum, aliorumque tumorum. *Seneca Ep.* 68. In pectore collectio et vomica est. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 37. (57). Extrahere collectiones. *Id. ibid.* 42. (70). inhibere. *Id.* 22. *ibid.* 25. 68. (138). mollire. *Id. ibid.* 58. (122). discutere. *Id.* 23. *ibid.* 4. 47. (92). lenire. *Id.* 24. *ibid.* 11. 61. (102). minuere. *Id.* 26. *ibid.* 12. 79. (127) sanare. *Id.* 27. *ibid.* 12. 70. (94). sedare. *Id.* 24. *ibid.* 4. 7. (13). siccare. *Id.* 26. *ibid.* 4. 10. (22). sistere. *Id.* 20. *ibid.* 8. 30. (74). solvere. *Scribon. Compos.* 206. Si quis emissarium collectionis apto loco, id est infra sinum, ubi collectio est, fecerit.

II.) Translate. ¶ 1. In re pecuniaria et similibus, collectio est quæstus, comparatio. *Seneca Ep.* 74. Collectio aut detractio amicorum. ¶ 2. Apud Rhetores est idem, quod Græce ἀνακεφαλαίωσις, scilicet brevis rerum jam dictarum repetitio vel epilogus. *Cic. Brut.* 88. 302. Attulerat minime vulgare dicendi genus: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones. Adde *Quintil.* 4. 4. 2. ¶ 3. In re philosophica *collectio* est idem quod συλλογισμός, sive argumentatio, qua, quibusdam positis, aliud quidpiam colligitur et concluditur. *Seneca Ep.* 45. Persuadere alicui aliquid subtilissima collectione. *Id. ibid.* 85. Respondere collectioni Peripateticorum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (85). Ratio geometricæ collectionis numquam fallacis. Adde *Arnob.* 1. 53.; *Pseudo-Ascon. in* 4. *Verr.* 10. 26.; et *Dig.* 29. 7. 14. — Hinc *Rutil.* apud *Quintil.* 9. 2. 103. collectionem, quæ apud illum est συλλογισμός, inter figuras sententiarum enumerat. ¶ 4. Denique collectio est etiam ratio, computatio. *Gell.* 1. 1. *in lemmate.* Quali proportione, quibus collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit. *V.* integrum caput.

COLLECTĪTIUS *vel* conlectitius, a, um. *V.* COLLECTICIUS.

COLLECTĪVUS *vel* conlectivus, a, um, adject. collecticius. ¶ 1. Generatim. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 7. 3. Ut scias, illic non cælestem esse, nec collectivum humorem, sed, quod dici solet, vivam aquam. ¶ 2. Speciatim est qui aliquid per argumenta, sive syllogismos colligit ac concludit. *Quintil.* 7. 1. 60. Ratiocinativa atque collectiva quæstio oritur. *Id.* 3. 6. 46. status. ¶ 3. Item speciatim *collectivum nomen* dicitur a Grammaticis, quod in singulari numero plura colligit ac significat, ut *populus, exercitus, concio*, etc. *Priscian.* 2. p. 581. *Putsch.* Idem *comprehensivum* dicitur, quam voc. V. Sic *Boeth. de divis.* p. 644. Sic igitur generis unius sit divisio multiplex. Illud autem scire perutile est, quoniam genus una quodammodo multarum specierum similitudo est, quæ earum omnium convenientiam substantialem monstret, atque ideo collectivum plurimarum specierum genus est.

COLLECTOR *vel* conlector, ōris, m. 3. qui simul legit, vel simul eosdem versat scriptores, aut eadem studia tractat. *Augustin.* 1. *Confess.* 17. Mihi recitanti acclamabatur præ multis coætaneis, et conlectoribus meis. *h. e.* condiscipulis.

COLLECTRIX, īcis, f. 3. quæ colligit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 99. Præcantatrici, collectrici, hariolæ, atque haruspici. Ita legit *Turneb. in comment. ad jocos Cicer.*, et collectricem exponit, quæ religionis causa stipem colligit. Alii tamen rectius leg. *conjectrici.*

COLLECTUS *vel* conlectus, a, um. *V.* COLLIGO.

COLLECTUS *vel* conlectus, us, m. 4. collectio. *Lucret.* 4. 415. At collectus aquæ digitum non altior unum. *Tertull. Anim.* 37. Collectus auri et argenti. *Frontin. de limit.* p. 43. *Goes.* Collectus aquæ pluvialis finem alterius fundi influit.

COLLĒGA *vel* conlega, æ, m. 1. in dignitate et honore socius. Dicuntur autem collegæ, ut *Varro* censet 6. *L. L.* 66. *Müll.*, a *legendo*, quia una lecti sint. Hinc ¶ 1. Stricto sensu consules inter se, et prætores inter se itemque ipsorum consulum collegæ erant, quia iisdem comitiis creabantur et qui in eorum locum suppositi, subiecti, additi, adlecti, ut *Id. Varro ibid.* ait, dicebantur. *Messala* apud *Gell.* 15. 13. Collegæ non sunt censores consulum aut prætorum: prætores consulum sunt. *Ulp. Dig.* 50. 6. 173. pr. Collegarum appellatione hi continentur, qui sunt ejusdem potestatis. — Sed tamen generatim omnes qui eodem magistratu eodemve reipublicæ officio, etiam sacerdotali, fungebantur, collegæ erant inter se. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Pericles cum haberet collegam in prætura Sophoclem. *Id.* 2. *Phil.* 34. 85. Tu unus inventus es, qui eum, quem collegam regni habebas, dominum habere velles. *Id. Amic.* 11. 39. Collega in censura. *Id.* apud *Ascon. Corn.* p. 71. *Bait.* Collegæ magistratum abrogare. Adde eumd. 2. *Phil.* 33. 84., 3. *Off.* 14. 60. et *Servium* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 1. et 2. *Nepos Alcib.* 3. et 7. Dare alicui collegam. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 6. 40. *Vellej.* 2. 56. 4. Collega consulatus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 45. (150). in consulatu. *Tac.* 2. *Hist.* 66. Esse collegam alicui. *Id.* 2. *Ann.* 42. Destinare se collegam consulatui alicujus. *Id.* 6. *ibid.* 8. Collegam esse alicujus regendis cohortibus prætoriis. ¶ 2. Latiori sensu, sed raro tamen, collegæ dicuntur etiam qui eadem, non publica, sed privata exercent officia; adeoque collega est socius. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 113. Qui (*Metrodorus*) est Epicuri collega sapientiæ. — *b*) Sic speciatim collegæ dicuntur conservi a *Plaut. Asin.* 3. 2. 10. et 30. Cf. *Petron. Satyr.* 29. Et collegæ quidem mei riserunt. — *c*) Item histriones apud *Juvenal.* 8. 197. — *d*) Item contutores. *Paul. Dig.* 26. 7. 13. et 15. *ad fin.* — *e*) Item coheredes. *Id. Dig.* 46. 3. 101. — *f*) Item qui sunt ejusdem collegii. *Hermogenian. Dig.* 27. 1. 41. et *Paul. ibid.* 42. et 46. — *g*) Item commilitones. *Inscript.* apud *Gruter.* 520. 3. Q. ANNIO AFRO SPECVLATORI LEG. VII. GEM. FEL. INTESTATO DEFVNCT. COLLEGAE EIVS D. S. F. — *h*) Item medici inter se. *Theod. Priscian.* 3. 13. — *i*) *Sidon.* 6. *Ep.* 1. vocat Petrum apostolum collegam Lupi episcopi Tricassini; qui tamen non est imitandus, cum *collegæ* tantum recte dicantur qui simul eodem honore et dignitate funguntur. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

COLLĒGĀTĀRIUS, ii, m. 2. cui conjunctim cum alio legatum est. *Ulp. Dig.* 7. 2. 10. et *ibid.* 30. 34. § 11. et 16. Adde *Cajum* 2. *Instit.* (edente *I. F. L. Goeschenio*) § 199.

COLLĒGIĀLIS, e, *et*

COLLĒGIĀRIUS, a, um, adject. ad collegium pertinens. *Inscript.* apud *Gruter.* 322. 4. FIDEIQVE VESTRAE COLLEGIALI COMMITTO, VT, etc. *Tertull. Spectac.* 11. Collegiarii ministri.

COLLĒGIĀTUS, a, um, adject. qui in aliquo collegio est. *Inscript.* apud *Gruter.* 449. 6., quæ est apud *Orell.* 4108. C. PETRON. C. F. POP. MARCELLINO INTER PRIMOS COLLEGIATO IN COLLEGIO NAVICVLARIORVM, etc. Adde aliam apud eumd. 860. 13., quæ est apud *Orell.* 4058.; aliam apud *Orell.* 3948.; *Cod. Theod.* 6. 30. 16. et 7. 20. 12. § 3.; et *Cod. I.* 11. *tit.* 17. qui est *De collegiatis*, etc.

COLLĒGIUM *vel* conlegium, ii, n. 2. Reperitur etiam *collegius* gen. masc. *Inscript.* in *Anecd. Litter. Rom. Tom.* 3. p. 466. QVANDIV IS COLLEGIVS STETERIT. Adde alias apud *Murat.* 980. 2. et 162. 3.; et cf. *Inscript.* apud *Orell.* 2413., 4101., 4123. et 4087. — Collegium (a cum et lego) est societas

corum, qui pari dignitate et honore sunt, seu collegarum societas: et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte pro communi ejusdem officii vel muneris administratione, sive pro collegarum societate. *Servius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. *in fin.* Ita, quæ nostra officia fuerunt, pro collegio et pro propinquitate – omnia ei præstitimus. *Liv.* 10. 22. *de duobus consulibus.* Nil concordi collegio firmius ad tuendam rempublicam. *Id.* 10. 13. Decium expertum: mihi concordi collegio virum – mecum consulem faciatis. Adde *eumd.* 10. 26., 4. 17. et 5. 18.; *Vellej.* 2. 8. 2. et 2. 90. 1.; et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (54). *Tac.* 3. *Ann.* 31. Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. Adde *eumd.* 1. *Hist.* 52. *extr.* ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu frequentius usurpatur, et collegium est societas vel corpus hominum, ut minimum trium (quod colligitur ex *Nerat. Prisco Dig.* 50. 16. 85.) ejusdem dignitatis, muneris, vel artis. Differt ab *ordine*, qui plures complectitur, ut ordo senatorius, equestris, publicanorum etc., et significat certum hominum statum, sive ii societate conjuncti sint, sive non. Plura fuere Romæ collegia: horum amplissima et vetustissima pontificum, augurum, septemvirum, vel quindecevirum, et haruspicum: deinde collegia quæstorum, tribunorum, artificum Capitolinorum, et alia, quæ in antiquis maxime inscriptionibus reperiuntur. Hæc collegia a Numa antiquitus instituta, ut narrat *Plutarch.* in *Num.* 17., deinde L. Cæcilio, Q. Marcio consulibus, h. e. anno U. C. 686. sublata sunt ob cœtus factiosorum hominum, præter pauca, quæ utilitas civitatis desiderasset, ut ait *Ascon.* in *Cornel. p.* 75. *Bait.*; inde ea restituit Publ. Clodius, teste *Cic. Pis.* 4. 9. et *Sext.* 15. 34.; at C. Julius Cæsar, ut ait *Sueton. Cæs.* 42., ea, præter antiquitus constituta distraxit, iterumque dissolvit Augustus, teste eodem *Aug.* 32. Hujusmodi collegia Itali vocant *fraglie.* Hæc si publica auctoritate essent instituta, facultatem habebant decernendi ac judicandi de certis rebus ad se pertinentibus. *Cic. Sext.* 14. 32. Nulla Romæ societas, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium etc. *Id.* 3. *Off.* 20. 80. Cum collegium prætorum tribuni pl. adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur. *Id.* 4. *Verr.* 41. 100. Agere causam apud collegium tribunorum pl. *Id. Brut.* 1. 1. Cooptare aliquem in collegium. *Id. Dom.* 18. 47. Collegium coit. *h. e.* congregatur. *Id. pro C. Cornel.* apud *Ascon. p.* 75. *Bait.* Constituere collegium. *Liv.* 4. 26. Tribuni secedunt, et pro collegio pronunciant, placere etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 72. Venire per aliquem in collegium pontificum. *Tac.* 14. *Ann.* 17. *in fin.* Collegia contra leges instituta dissolvere. *Martian. Dig.* 47. 22. (qui est *De collegiis et corporib.*) 3. Recipere aliquem in collegium. *Id. ibid. l.* 1. Illicitum collegium coire. *Ulp. ibid.* 2. Illicitum collegium usurpare. *Martian. ibid.* 3. Celebrare collegium. — Collegia Romæ, et fortasse etiam in municipiis et coloniis solebant in pompis signa seu vexilla sua præferre. *Eumen. Paneg. Constant. Flav. nomine* 8. Omnium signa collegiorum, omnium deorum nostrorum simulacra sæpius tibi occursura protulimus. *Vopisc. Aurelian.* 34. Jam populus Romanus, jam vexilla collegiorum atque castrorum multum pompæ addiderant. — *Barpt. Borghesius Dec. num.* 7. *oss.* 7. probat, Romæ quatuor fuisse antiquitus collegia majora sacerdotum, pontificum nempe, augurum, XV. virorum sacris faciendis, et VII. virorum epulonum, quibus, ann. U. C. DCCLXVII., quo obiit Cæsar Augustus, additum est collegium sodalium Augustalium, post quos locum habuisse videntur Fratres Arvales. — Ceterum generatim collegia — *a)* Alia erant, quibus publica officia erant demandata. *Cic.* 3. *Off.* 20. 80. Collegium prætorum. *Id.* 4. *Verr.* 41. 100.; *Dom.* 18. 47. et 3. *Legg.* 10. 24.; *Liv.* 4. 26. et 42. 32.; *Val. Max.* 6. 3. 4. et *Sueton. Cæs.* 23. et 78. tribunorum. *Sueton. Claud.* 24. quæstorum. — *b)* Alia, quibus sacrorum cura publice fuerat demandata. *Cic. Dom.* 12. 33.; *Cæs.* 1. *B. C.* 72.; *Liv.* 30. 2.; et *Inscript.* apud *Orell.* 1181. et 2144. pontificum. *Cic Brut.* 1. 1., 3. *Fam.* 10. et 2. *Phil.* 33. 83.; et *Inscript.* apud *Orell.* 81*. augurum. *Cic. Brut.* 33. 127. sacerdotum. *Id.* 6. *Verr.* 49. 108. Amplissimum decemvirale collegium. — *c)* Alia erant præterea quamplurima tum sacra, tum profana, *h. e.* sacerdotum, doctorum hominum, mercatorum, artificum etc. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 5. 2. et *Liv.* 5. 50. Capitolinorum. *Sueton. Dom.* 4. Flavialium. *Inscript.* apud *Orell.* 2436. Arvalium. *Ibid.* 3297. et 3953. Augustalium. *Ibid.* 2407. et 4947. Silvani. *Val. Max.* 3. 7. 11. poetarum. *Liv.* 2. 27. et *Tac.* 14. *Ann.* 17. *extr.* mercatorum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 5. 2. Mercurialium. *Inscript.* apud *Orell.* 4916. scænicorum Flavianorum. *Ibid.* 4059. æneatorum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 1. (1). ærariorum fabrûm. *Id.* 35. *ibid.* 12. 45. (159). figulorum. *Dig.* 3. 4. 1. et *Inscript.* apud *Orell.* 4082. pictorum et naviculariorum. *Dig.* 32. 1. 93. § 4. fabrorum. *Inscript.* apud *Orell.* 4066. ferrariorum. V. *Pauly's Realencycl. vol.* 2. *p.* 493. et seqq. ¶ 3. Ponitur etiam pro quacumque societate. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 1. Ambubajarum collegia. *Apul.* 4. *Met.* et alibi sæpe. Collegium latronum. ¶ 4. *Collegium* pro loco collegii. *Inscript.* apud *Murat.* 182. 4. COLLEGIVM SILVANI RESTITVERVNT .... CVRATORES.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 17. 19. (39). Noctuæ resupinæ pedibus repugnant: auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ. *h. e.* communione, societate. Adde *Manil.* 2. 160. et *Prudent.* 10. *Cathem.* 32.

COLLĒMA, ătis, n. 3. κόλλημα, glutinamentum. *Capell.* 3. *sub init. p.* 49. Niloticæ fruticis collemata. *h. e.* papyri. qui fiebant ex plurimis philyris glutine quodam junctis.

COLLEPRŌSUS *vel* coleprosus, i, m. 2. qui simul leprosus est. *Sidon.* 6. *Ep.* 1. Colleprosi mei conditio.

COLLĒTĬCUS, a, um, adject. κολλητικός, qui tamquam colla agglutinat. *Veget.* 2. *Veterin.* 18. 2. *Schneid.* Ex curabis clysteriis colleticis, ut foramina illa sanentur. Vulgo *collecticiis*: sed *Gesnerus* conjecerat legendum *colleticis*, quam vocem *Schneiderus* probavit, et in textum recepit.

COLLĒTIS, is, f. 3. κολλητίς, herba verbenaca sic appellata, quod vulnera conglutinet atque putredines abstergeat, apud *Apul. Herb.* 3.

COLLĒVO *vel* conlevo, as, etc. *V.* COLLÆVO.

COLLIBERO *vel* conlibero, as, are, a. 1. simul libero. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 57.

COLLĪBERTA *vel* conliberta, æ. f. 1. quæ simul cum altera ejusdem patroni liberta est. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 18. *n.* 13. PATRONAE BENEMERENTI FECERVNT, ET COLLIBERTIS, COLLIBERTABVS, POSTERISQVE. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 575., 3927. et 3929.

COLLĪBERTUS *vel* conlibertus, i, m. 2. Apud *Gruter.* sæpenumero legitur *conlibertus*; et est qui simul cum altero ejusdem patroni libertus est. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 88. Collibertus meus eris. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 59. 154.; *Dig.* 36. 3. 18. *pr.* et 37. 15. 1. § 1.; et *Inscript.* apud *Orell.* 4744. et in aliis sæpe.

COLLIBESCIT *vel* conlibescit, ebat, impers. 3. mihi et aliis libet. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 35.

COLLĪBET *vel* conlibet, *et* collubet *vel* conlubet, bebat, buit *et* bitum est, bere, impers. 2. (cum *et* libet *vel* lubet). — Apud *Ter. Eun.* 5. 9. 26. *alii leg.* collibuit, *alii* collibitum est. — Collibet est idem quod libet, seu lubet. — Hujusce tamen Verbi occurrit tantum Præter. Perf. et quidem — *a)* Active. *Sall. Cat.* 51. Matresfamiliarum pati, quæ victoribus collubuissent. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 6. Si collibuisset. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 2.; *Orat. Cic. in Sall.* 6. 17.; et *Orat. Sall. in Cic.* 1. 2. — *b)* Passive. *Plaut. Amph.* 1. 1. 187. Utcumque animo collibitum est meo. *Id. Cist.* 1. 2. 6. Magis libera uti lingua collibitum est mihi. Adde *eumd. Merc.* 2. 1. 34. et *Most.* 1. 3. 136. *Cic.* 15. *Fam.* 16. 2. Doceas tu me oportebit, in mea ne potestate ut sit spectrum tuum, ut simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 38. 108.

COLLĪBĬTUS, a, um, particip. a *collibet*, valde libitus. *Capell.* 1. *p.* 10. Et fit collibitum manere jussis. *h. e.* et magis libet parere jussis.

COLLĪBRO *vel* conlibro, as, are, a. 1. idem quod libro. *Cato R. R.* 19. Inter arbores medium quod erit, id ad mediam collibrato.

COLLĪCELLUS, i, m. 2. deminut. dupl. *a* collis, parvus colliculus. *Auct. incert. rei agrar. p.* 245. *Goes.* Arca in collicello circa aram. Adde *ibid. p.* 272.

COLLĪCIÆ *vel* conliciæ, *et* colliquiæ *vel* conliquiæ, ārum, f. plur. 1. (cum *et* liquere) canalis, qui colligit aquam aut ex stillicidiis ædium, aut ex agrorum sulcis, atque inde alio derivat atque emittit. *Paul. Diac. p.* 114. 4. *Müll.* Colliciæ tegulæ, per quas aqua in vas defluere potest. *h. e.* canalis, qui colligit aquam ex stillicidiis ædium. Adde *Vitruv.* 6. 3. 1. *Schneid.*, ubi habetur *colliquiæ* eodem sensu. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 264. ex *Ælio Gallo.* Vallos, tegulas grandes, quæ supra collicias infimæ ponuntur. — Sunt etiam ampliores sulci in agris, per quos aqua extra sata deducitur, sive receptacula aquarum ex sulcis defluentium, ut inde extra agrum deferantur. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 3. Crebros sulcos aquarios. quos nonnulli elices vocant, faciamus, et omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes derivemus. *Forcellinus* ad *h. l.* vocem a *liquo*, as deducit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). In usu est et collicias interponere, si ita locus poscat, ampliore sulco quæ in fossas aquam educant. *Forcellinus* ad *h. l.* vocem ab antiquo *lacio* traho, duco deducit; et *Plinii* locum a *Columellæ* loco distinguere videtur.

COLLĪCIĀRIS *vel* conliciaris, e, adject. ad collicias pertinens, ut *Colliciares tegulæ* apud *Caton. R. R.* 14., *h. e.* ipsæ colliciæ. *V.* DELICIA.

COLLĪCŌSUS, a, um, adject. collibus abundans. *Probus* ad *Virg.* 3. *G.* 338. Dumi vocantur aspera loca et inculta collicosa.

COLLĪCULUS, i, m. 2. deminut. *a* collis, parvus collis. *Martial.* 12. 25. 4. Credis colliculis, arboribusque meis. Adde *Apul. Florid.* 1. *n.* 1.; et *Var. Auct. de limit. p.* 309. *Goes.*

COLLĪDO *vel* conlido, dis, si, sum, dere, a. 3. (cum *et* lædo). Part. *Collisus* in omnibus paragr. — Collido est simul cum alia re percutio, adeoque frango, contundo (It. *percuotere o dibattere una cosa con un'altra*; Fr. *frapper contre, heurter ensemble, comprimer*; Hisp. *achocar una cosa contra otra, comprimir*; Germ. *zusammenschlagen oder stossen*; Angl. *to strike or dash one thing against another, to dash or beat together, clas together*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 533. Nam neque collidi sine inani posse videtur Quidquam, nec frangi, nec findi in bina secando. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 31. Humor ita mollis est, ut facile comprimi collidique possit. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 221. Anulus ut fiat primo colliditur aurum. *Curt.* 8. 9. 8. Magno motu amnis uterque colliditur. *Id.* 4. 3. 17. Mare fluctus ciet, et inter se navigia collidit. *Id.* 9. 9. 16. inter se naves. *Seneca Ep.* 11. Dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. *Quintil.* 2. 12. 10. Collidere manus, terræ pedem incutere. *Id.* 9. 4. 37. Consonantes si binæ collidantur, stridor est, ut Ars studiorum. *h. e.* concurrant. — Sæpius occurrit Part. præter. pass. *Collisus. Cic.* 2. *Phil.* 29. 73. Argentea vasa collisa. *Cels.* 5. 26. *n.* 23. Solet etiam, colliso corpore, exigua parte findi cutis. *Seneca* 3. *Ira* 22. Collisus nasus. *Sil. It.* 3. 698. alta sonoro, Collisis trabibus, volvuntur murmura luco. *Manil.* 1. 855. Cum silva sibi collisa crematur. *h. e.* lignum ligno affrictum accenditur. *Cajus* 3. *Instit.* 223. Collisum os. *Paul. Dig.* 50. 16. 14. *pr.* scyphi. *Ulp. ibid.* 34. 2. 28. Cui aurum vel argentum factum legatum est, si fractum vel collisum sit, non continetur. *h. e.* ita collisione corruptum, ut formam amiserit. — *Collisus* absolute dicitur, qui casu, aut ictu aliquo læsus est. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (98). Mons collisus inter hæc claustra. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (33). Succidam lanam imponunt desquamatis, percussis, collisis. Adde *Cajum* 3. *Instit.* 217.

II.) Translate collidere est aliquos inimicos et hostes facere: unde *collidi* est bellum committere, præliari. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 7. Græcia barbariæ lento collisa duello. *h. e.* longo bello conflictata. *Vellej.* 2. 52. 3. Collisa inter se duo reipublicæ capita. *Quintil.* 5. *Declam.* 7. Collisa pignora. *h. e.* parentes et liberi inter se mutuo infesti. *Id.* 14. *ibid.* 7. Potes efficere, ut propinquitas, ut amicitia se collidat. *Sil. It.* 7. 566. Procursusque viros colliserat acer. Cf. *eumd.* 11. 45. *Stat.* 6. *Theb.* 435. Ambitiosa pios collidit gloria fratres. *h. e.* committit, et inimicos facit. Eadem translatione Itali dicimus, *urtare con alcuno.* Similem habes locum apud *Petron. Satyr.* 10. et *Senec. Provid.* 3. *sub fin.* — Hinc etiam ea, quæ inter se pugnant, collidi dicuntur. *Quintil.* 7. 7. 2. Duæ leges colliduntur. *h. e.* inter se pugnant. Adde *eumd.* 5. 7. 32., 7. 2. 11. et 7. 10. 17.

COLLĪGĀMENTUM, i, n. 2. colligatio. *Boeth. de syllog. categ.* 1. *p.* 582. Nomen et verbum duo co-

læ partes sunt putandæ; ceteræ enim non partes, sed orationis supplementa sunt: ut enim quadrigarum frena vel lora non partes, sed quædam quodammodo ligaturæ sunt, et, ut dictum est, supplementa, non etiam partes; sic conjunctiones et præpositiones et alia hujusmodi non partes orationis sunt, sed quædam colligamenta.

COLLĬGĀTE *vel* conligate, adverb. Comp. *Colligatius.* — Colligate est conjuncte, constricte. *Augustin.* 1. *Doctr. Christ.* 28. Prout quisque tibi temporaliter colligatius adhærere potuerit.

COLLĬGĀTĬO *vel* conligatio, ōnis, f. 3. (cum *et* ligare) conjunctio, vinculum (It. *legamento*, *congiunzione*, *connessione*; Fr. *liaison*, *enchaînement*; Hisp. *ligazon*, *conjuncion*; Germ. *die Zusammenfügung*, *Verbindung*; Angl. *a binding or tying together*, *connexion*, *conjunction*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 7. 21. Sesquialteris autem intervallis et sesquitertiis et sesquioctavis sumptis ex his colligationibus in primis intervallis, sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat. *Vitruv.* 10. 1. 2. *Schneid.* Scansoria machina catenationibus, et transversariis, et plexis colligationibus continetur. *Val. Max.* 8. 14. 6. Phidias clipeo Minervæ effigiem suam inclusit: qua convulsa, tota operis colligatio solveretur.

II.) Translate. *Cic. Fat.* 14. 31. Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt. *Id.* 1. *Divinat.* 56. 127. Colligatio causarum omnium. *Id.* 1. *Off.* 17. 53. Arctior est colligatio societatis propinquorum.

COLLĬGĀTUS *vel* conligatus, a, um. *V.* COLLIGO, as.

COLLĬGENTĬA, æ, f. 1. collectio. *Boeth. de syllog. hypothet.* 1. p. 623. Ergo si ratio colligentiæ talis sit, ut constituat et confirmet assumptio, quod enunciatio prima pronunciat, sexdecim necesse est fieri complexiones, ex quibus octo tantum servant consequentiæ necessitatem: reliquæ vero octo nihil idoneum videntur habere ad fidem. *Cassiod. Dialect.* p. 569. Ita ut primo libro de regula colligentiarum artis dialecticæ disputaret.

COLLĬGO *vel* conligo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* ligare). Part. *Colligatus* I. et II. 1.; *Colligandus* I. — Colligo est simul ligo, constringo, connecto (It. *legar insieme*; Fr. *attacher*, *lier ensemble*; Hisp. *ligar*, *enlazar juntos*; Germ. *fest verbinden*, *zusammenbinden*; Angl. *to bind or tie together*).

I.) Proprie. *Vetus formula apud Cic. Rabir. perduell.* 4. 13. I, LICTOR, COLLIGA MANVS. Cf. *Liv.* 1. 26. *Plaut. Epid.* 5. 2. 23. Colligandæ hæ sunt tibi hodie. *Id. Pseud.* 4. 3. 16. Colligare vasa. *Ter. Eun.* 5. 5. 13. aliquem miseris modis. *Varro* 4. *L. L.* 29. edit. vet. Colligare capillum in capite. Apud *Müll.* locum non inveni. *Cic. Tim.* 5. 13. Unum interjectum medium et se ipsum et ea, quibus esset interpositum, colligaret. *Id. ibid.* 11. 35. Colligatus vinculis. *Id. ibid.* Omne colligatum solvi potest. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Scutis uno ictu pilorum transfixis et colligatis. *Colum.* 2. *R. R.* 17. 3. Solum conspissatum et herbis colligatum. *Sueton. Tib.* 61. Colligare vulnera. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Colligare linum in fasciculos manuales. *Id.* 35. *ibid.* 15. 51. (181). Bitumen vulnera colligat, glutinat nervos. *h. e.* adstringit et claudit. At *Sillig* leg. *colligit.*

II.) Translate. ¶ 1. Colligare est simpliciter congregare, unire, conjungere. *Cic.* 3. *de republ.* 2. 3. Colligare homines inter se sermonis vinculo. *Id. Orat.* 50. 168. sententias verbis. Cf. *Gell.* 18. 7. Rursus *Cic. ibid.* 34. 120. Annorum DCC. memoriam uno libro colligavit. *h. e.* complexus est. *Id.* 1. *Nat. D.* 4. 9.. Res inter se aptæ colligatæque. *Id.* 1. *Off.* .. 15. Genera officiorum inter se colligata atque implicata. ¶ 2. Est etiam cohibere, impedire. *Cic.* 9. *Fam.* 17. 2. Quid faciat tamen, non habet: ita se cum multis colligavit. *h. e.* irretivit, ut quod vult facere, non possit. *Id.* 11. *Phil.* 11. 26. Ni Brutum colligassemus in Græcia. *h. e.* decrevissemus senatusconsulto (de quo 10. *Phil.* in fin.), ut in Græcia se teneret præsidii causa. Al. leg. *in Græciam.* *Id.* 11. *ibid.* 2. 4. Brutus impetum Antonii furentis colligavit, progressu arcuit. *h. e.* impedivit, cohibuit.

COLLĬGO *vel* conligo, ligis, lēgi, lectum, ligere, a. 3. (cum *et* lego). Part. *Colligens* II. 1. *a.*; *Collectus* in omnibus paragr. et in fin.; *Collecturus* II. 4.; *Colligendus* I. 1. b. et II. 3. — Colligo est simul lego, congrego, cogo, sive, ut ait *Non.* p. 273. 19. *Merc.*, in unum redigo (It. *raccogliere*, *ragunare*, *ammassare*; Fr. *cueillir*, *rassembler*, *ramasser*; Hisp. *coger*, *recoger*, *juntar*; Germ. *zusammenlesen*, *sammeln*; Angl. *to gather together*, *collect*, *assemble*).

I.) Proprie usurpatur ¶ 1. De rebus, — *a*) Quæ, cum passim dispersæ sint, in unum locum rediguntur. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 34. Colligere præsegmina. *Ter. Adelph.* 5. 3. 62. stipulam. *Lucilius* apud *Non.* p. 273. 28. *Merc.* omnia furtim. *Titinius* apud *Festum* p. 197. 28. spolia. *Cic.* 7. *Verr.* 33. 87. radices palmarum. *Id.* 4. *ibid.* 19. 40. Castra movere et vasa colligere. *h. e.* vasa militaria: cf. *Liv.* 21. 47. et *V.* VAS. *Id. Cic. Sext.* 6. 15. Colligere naufragium. *h. e.* fractæ navis tabulas. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. sarmenta virgultaque. *Varro* 3. *R. R.* 16. 37. apes in vas aliquod. *Id.* apud *Non.* p. 251. 30. *Merc.* stramenta post messem. *Sall. Jug.* 75. vasa. *Nepos Hann.* 10. serpentes. *Catull.* 14. 19. omnia venena. *Tibull.* 3. 2. 19. ossa. *scil.* combusti cadaveris. Sic *Sueton. Tib.* 54. reliquias. *h. e.* corporis. *Ovid.* 5. *Met.* 399. flores. *Horat.* 1. *Od.* 1. 4. pulverem Olympicum. — *b*) Item de fluidis et similibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Aer – concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus. *Virg.* 9. *Ecl.* 63. pluviam. *Quintil.* 10. 1. 109. pluvias aquas. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 15. imbres. *Ovid. Rem. am.* 38. aquas. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 1. aquam uberiorem. *Quintil.* 5. 14. 31. fontes fistulis. *Virg.* 1. *G.* 324. nubes ex alto. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 31. pulverem turbine. *Lucret.* 6. 558. ventum per loca cava. Adde *eumd.* 6. 124. et 571. *Virg.* 1. *G.* 427. ignes. Adde *Sil. It.* 17. 93. Rursus *Virg.* 3. *G.* 85. ignem collectum sub naribus premere. *Sil. It.* 14. 390. flatus cornibus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 26. (78). spiritum. Sic *Quintil.* 11. 3. 53. Longiorem dicturis periodum colligendus est spiritus. *h. e.* ducendus est spiritus, respirandum est. *Lucret.* 3. 859. materiam corporis humani post obitum. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 53. sordem. — Hinc dicitur etiam *colligere* in compositionibus medicamentorum, illud, quod postremo loco adjicitur, et cetera in unum conjecta cogit et congregat. *Scribon. Compos.* 138. Aloes victoriati pondus, colophoniæ victoriati pondus: una teruntur. adjicitur mellis quod satis est ad colligenda ea. *et ibid.* 138. Hæc trita succo lactucæ colliguntur, et finguntur pilulæ. Adde *eumd. Compos.* 95., 129. et 160.; et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 27. (114). — *c*) Item de fructibus, pecunia etc. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 1. Colligere fructus. *Ovid.* 8. *Met.* 647. olus horto riguo. *Id. ibid.* 677. uvas de vitibus. *Liv.* 38. 45. *ad fin.* stipem a tyrannis. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 47. pecuniam. *Id.* 2. *ibid.* 2. 26. collecta viatica. — Sic *vivere collecto* (est *Collectum*, i, n. 2. absolute, substantivorum more) dicuntur animalia, quæ cibum colligunt, vel ab aliis collectum depascuntur: cui opponitur *vivere rapto.* *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 60. (159). Rostra rapto viventibus adunca, collecto recta. — *d*) Item de iis, quæ distenduntur et in unum cogi possunt, cujusmodi sunt vestimenta. *Plaut. Capt.* 4. 2. 9. Collecto quidem est pallio: quidnam acturust? *Martial.* 7. 33. Colligere togam. Sic *Ovid.* 3. *Met.* 169. Sparsos per colla capillos Colligere in nodum. *Id.* 8. *ibid.* 319. crinis nodum collectus in unum. Et per metonymiam *Id.* 5. *ibid.* 338. immissos hederâ collecta capillos. *Virg.* 1. *Æn.* 324. Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes. *Id.* 5. *ibid.* 15. Colligere arma navis. *h. e.* vela contrahere. *Tibull.* 1. 8. 14. pedes. — *e*) Item de singulis quoque rebus, quæ nobis e manibus excidunt, et significat sublevare, tollere. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Liber semel elapsus est: quem dum consequitur colligitque, cecidit coxamque fregit. *Martial.* 12. 83. Colligere et referre laxum de pulvere follem. — *f*) Denique ponitur etiam de iis, quæ moventur, et est cohibere, sistere. *Ovid.* 2. *Met.* 398. Colligere equos. *Tac.* 2. *Ann.* 21. hastas protentas. *Sil. It.* 7. 694. tardatos turbata fronte Latinos Collegisse gradum videt. *Id.* 6. 400. Colligere gressum. Et figurate *Id.* 9. 477. iram. *h. e.* cohibere. Et de medicamentis *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 26. (85). Acria viscerum colligere. *h. e.* impedire. ¶ 2. De personis, quæ plures in unum coguntur et congregantur. *Varro* apud *Gell.* 13. 11. Belli homunculi collecti. *h. e.* ad convivium. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 8. Ex urbe, ex agris ingentem numerum hominum colligere. *Id.* 2. *Fin.* 4. 12. de pagis omnibus bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos. *Id.* 2. *Cat.* 3. 5. Exercitus collectus ex senibus desperatis, ex agresti luxuria. *Id.* 6. *Phil.* 3. 7. Omnes copias undique colligere. *Id.* 7. *Verr.* 51. 133. et *Velley.* 2. 110. 3. Milites collecti. *Nepos Alcib.* 7. et *Liv.* 1. 5. Colligere manum. *Nepos Hann.* 6. reliquos ex fuga. *Virg.* 2. *Æn.* 798. pubem. *Curt.* 8. 14. 22. dispersos. *Sil. It.* 10. 3. Colligere hostes. *h. e.* cogere hostes, ut se in arctum contrahant. — Hoc sensu occurrit etiam *colligere se*, ut apud *Cic. pro leg. Manil.* 9. 24. Colligere se ex regno alicujus. *Auct. B. Afr.* 70. Rursus ad aciem passim, conversis equis, se colligebant. *Sil. It.* 10. 390. se in mœnia. — Item *collecti* absolute dicuntur. *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Collecti in æstuaria ac paludes. *Tac.* 2. *Ann.* 11. Milites collecti in orbem. *h. e.* conglobati. Cf. *eumd. Agric.* 37. Sic *Liv.* 2. 50. Colligere orbem. *h. e.* militum globum breviore spatio contrahere. ¶ 3. De singulis personis colligere occurrit apud Poetas, et significat contrahere, in arctum cogere. *Virg.* 12. *Æn.* 491. Substitit Æneas et se collegit in arma. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 412. Sic *Sil. It.* 10. 129. collectus in arma. Rursus *Virg.* 2. *G.* 154. Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Id.* 12. *Æn.* 862. Alitis in parvæ subitam collecta figuram. *Propert.* 3. 9. 29. Colligere se in tenues umbras. *Ovid.* 13. *Met.* 910. apicem collectus in unum. *Stat.* 11. *Theb.* 515. Colligere artus in clipeum. *Sil. It.* 10. 255. corpore collecto.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de rebus non materialibus, quæ coguntur atque in unum rediguntur: scilicet — *a*) De scriptis. *Cic.* 1. *Off.* 29. 104. Multaque multorum facete dicta, ut ea, quæ a sene Catone collecta sunt. *Id.* 1. *Orat.* 42. 191. Atque interea tamen – vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri justâ juris civilis scientiâ. *Id.* 3. *ibid.* 24. 92. Res undique collectæ, arcessitæ, comportatæ. *Id.* 4. *Tusc.* 2. 3. Colligere vestigia Pythagoreorum. (Similiter apud *Lucan.* 4. 442. colligere vestigia presso rostro dicitur canis, qui naso vestigia fere rimatur). *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 58. multa in unum locum. *Quintil.* 5. 10. 120. Quædam collecta edere. *Id.* 5. 7. 18. Colligere sparsa argumenta. *Sueton. Gramm.* 10. antiqua verba et figuras alicui. *h. e.* in usum alicujus. Et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 17. (45). Quinquaginta ferme volumina, quæ a me collecta in arctum, ut legentes boni consulant. *h. e.* in epitomen redacta. — *b*) De oratione et narratione. *Plaut. Trin.* 3. 3. 62. Sexcentæ ad eam rem causæ possunt colligi. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 38. Sed quid ego istius mediocres injurias colligo? *Id.* 4. *Fam.* 3. 1. Cum accuratissime monuisti senatum collectis omnibus bellis civilibus. *Id. Brut.* 77. 269. et 36. 137. Colligere aliquos homines jam diu. *Id.* 1. *Fin.* 10. 34. aliquos memoriter. *Id.* 7. *Verr.* 50. 131. multorum naufragia fortunæ. *Id.* 3. *Legg.* 10. 23. peccata consulum. *Id.* 4. *Tusc.* 37. 88. multa in conventu vitia in aliquem. *Id.* 2. *Orat.* 20. 86. testes domestico præconio. *Id.* 1. *ibid.* 57. 243. multa ex legibus et ex senatusconsultis et ex vita ac sermone communi. *Plin. Paneg.* 75. Sed quid singula consector et colligo? — *c*) De supputatione et summa facienda. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (85). Libros repertos P. Cornelio, M. Bæbio coss., ad quos a regno Numæ colliguntur anni DXXXV. *h. e.* supputantur. *Id.* 36. *ibid.* 12. 17. (79). Ambitus cacuminis pedes sexdecim colligit. *h. e.* continet. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 6. 11. (23).; *Quintil.* 2. 17. 38.; et *Tac. Germ.* 37. et *Dial. de orat.* 17. Sic apud *Plaut.* in *Supposit. Amph. scena*, *quæ incipit* Dii vostram fidem, *colligere rationes* est inire. — *d*) De iis, quæ mente ac præcipue memoria simul comprehenduntur. *Cic.* 1. *Invent.* 1. 1. Cum – maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo. *Id.* 4. *Fam.* 13. 7. Quæ si colliges, et sperabis omnia optime etc. *Id.* 5. *ibid.* 2. 4. Quæ cum omnia collegeris, tu ipse velim judices etc. ¶ 2. Hinc sæpe ponitur pro deducere, concludere, et quibusdam positis aliud quidpiam inferre: et usurpatur — *a*) Absolute. *Pers.* 5. 85. Mendose colligis, inquit Stoicus. Adde *Quintil.* 10. 1. 84. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 21. Ita cognitione et ratione collegit, ut etc. *Gell.* 11. 13. Qui ita dicit: Si hoc feceris, cupide fecisse videris; rem dicit sensus alicujus ratione collectam et confectam. — *b*) Cum Accusativo rei, *aliquid*, *aliquid ex aliqua re*, *per aliquam rem*, *aliqua re* etc. *Liv.* 7. 37. Cum in exiguum orbem contracta castra essent, paucitatem inde hostium colligentes, etc. *Quintil.* 4. 4. 5. singula crimina ex pluribus. *Id.* 8.

4. 16., 5. 10. 80. et 7. 8. 6. ex alio aliud. *Sueton. Tib.* 67. aliquid ex oratione alicujus. *Petron. Satyr.* 126. Ex vultibus mores hominum. *Quintil.* 5. 10. 11. aliquid per aliud. *Id.* 5. 13. 14. aliquid pluribus. *Id.* 3. 6. 29. aliquam rem signis. *Id.* 7. 4. 1. aliquid conjecturâ. — c) Cum Accus. et Infinito. *Cic.* 2. *Off.* 16. 57. Bene etiam colligit hæc pueris et mulierculis – esse grata. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 13. Modo enim disputatio nostra colligebat unicuique corporis parti proprium esse attributum officium. *Quintil.* 7. 3. 18. Cicero Serv. Sulpicium occisum ab Antonio colligit. — Et passive. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 61. (*si modo is versus* Ovidii est, *quod Heinsio non videtur*). Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro. — d) Sequente relativo. *Cic.* 2. *Att.* 23. 1. Ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 119. Hic error tamen et levis hæc insania quantas Virtutes habeat, sic collige. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 1. 51.; *Ovid. Heroid.* 11. 88.; *Vellej.* 2. 86. 2.; et *Quintil.* 1. 10. 42. ¶ 3. Eleganter *colligere se*, animum vel *animos*, *mentem*, adhibetur pro vires animumque recipere, ut docet ipse *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 78. Dum se ipsi colligant. Quid est autem se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere? *Id.* 5. *Fam.* 18. 1. Rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas. *Id.* 1. *Orat.* 7. 24. Quasi colligendi sui causa, in Tusculanum se contulit. *Id. Quinct.* 18. 53. Si hæc duo tecum verba fecisses: quid ago? aliquid loci rationi et consilio dedisses; tu te collegisses. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 20. 48., 1. *Fam.* 9. 10., 1. *Divinat.* 27. 57., 7. *Att.* 3. 6. et 15. *ibid.* 21. 1.; *Afranium* apud *Charis.* 2. p. 195. *Putsch.*; *Senec. Ep.* 11.; et *Sueton. Cal.* 50. *Lucret.* 3. 938. Colligere se ex somno. *Cæs.* 3. *B. C.* 56. se ex maximo timore. *Id.* 1. *ibid.* 14. Se colligere et confirmare. *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 58. Neque ea plane videt animus, cum tam repente in insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit: sed cum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. *Liv.* 10. 41. Colliguntur animi. *Id.* 3. 60. *in fin.* Colligere animos. *Sueton. Ner.* 48. et *Tac.* 1. *Ann.* 12. animum. *Plin.* 2. *Ep.* 11. animum cogitationemque. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 55. Colligere mentem cum vultu. *Id.* 14. *Met.* 352. mentem ab æstu. *scil.* amoris. *Curt.* 8. 6. 22. Mente collecta. ¶ 4. Est etiam conquirere comparare, acquirere; et dicitur fere in bonam partem, interdum tamen et in malam. *Cic. Amic.* 17. 61. Benevolentiam civium blanditiis et assentationibus colligere, turpe est. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 16. 1. Ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem sum collecturus. *Id.* 7. *Verr.* 8. 19. Colligere invidiam crudelitatis et re aliqua. — Hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sueton. Claud.* 12. amoris favorisque tantum. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. auctoritas nova et repente collecta. *Cic.* 1. *Herenn.* 5. 8. benevolentiam ab auditorum persona. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 7. benevolentiæ colligendæ artificium. *Id.* 9. *Fam.* 16. 2. benevolentiam conciliare et colligere. *Plin. Paneg.* 33. *in fin.* crimina majestatis. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 72. existimationem multo sudore, labore vigiliisque. *Sueton. Claud.* 7. existimationem omnibus lenociniis colligente. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 22. 71. famam conservare ante collectam. *Liv.* 21. 48. *extr.* famam clementiæ. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 13. frigus. *Propert.* 2. 11. 9. gaudia. *Val. Flacc.* 2. 351. ignes blandos. *scil.* amoris. *Horat. Art. P.* 158. iram colligere. *cui ibid. opponitur* ponere. *Val. Flacc.* 7. 335. iras. *Ovid.* 3. *Met.* 258. odium. *Virg.* 9. *Æn.* 63. rabies edendi collecta ex longo. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 234. et 9. *ibid.* 212. *Id.* 3. *G.* 235. robur. *Cic.* 1. *Legg.* 19. 50. rumorem bonum. *Id. Cluent.* 28. 77. rumorum et concionum ventos omnes colligere. *Id. Brut.* 82. 283. sanguinem vitiosum. Cf. *Stat.* 6. *Theb.* 680. *Virg.* 3. *G.* 327. sitim. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 75. usum patiendi. *Liv.* 29. 30. et *Sil. It.* 1. 307. vires. *Ovid.* 2. *Art. am.* 339. vires usu. — Hinc Part. præter. pass.

Collectus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Collectior*, et ponitur pro adstricto, contracto, brevi. *Apul. de Mag.* Et cupio ad pauciora me cogere, tanto beatior futurus, quanto collectior. *h. e.* pauperior, angustiores habens possessiones. *Calpurn. Flacc. declam.* 2. Illic effusiora corpora, illic collectiora nascuntur. *Tertull. Monog.* 14. Infirmitatem carnis tempore jam collectiore disrutere. Sic eadem significatione, sed figurate *Stat.* 2. *Silv.* 1. 42. Et castigatæ collecta modestia frontis. *h. e.* adstricta, adeoque humilis.

COLLĪMĬTĀNEUS *vel* conlimitaneus, a, um, adject. qui limite jungitur, conterminus. *Solin.* 40. Collimitanea Galatiæ Phrygia. *Alii leg.* Collimitata a Collimito.

COLLĪMĬTĬUM *vel* conlimitium, ii, n. 2. coitio, vel conjunctio limitum. *Solin.* 49. *de amne Jaxarte.* Hoc est collimitium, in quo limes Persicus Scythis jungitur. *Alii leg.* colliminium. *Ammian.* 15. 4. 1. Alemannicis pagis collimitiis Romanis latius irrumpentibus.

COLLĪMĬTO *vel* conlimito, as, are, a. 1., *aut etiam*

COLLĪMĬTOR *vel* conlimitor, āris, ari, dep. 1. limitibus conjungo. *Ammian.* 31. 2. 14. Gelonis Agathyrsi collimitant. *Solin.* 25. Gelonis Agathyrsi collimitantur.

COLLĪMO *vel* conlimo, as, avi, atum, are. *V.* COLLINEO sub init.

COLLĪNA, æ, f. 1. parvus collis. *Innocent. de cas. litt.* p. 224. *Goes.* Casa super se habet collinam externam. *Et mox.* Per collinam autem via excurrit usque in trigonium constitutum.

COLLĪNEĀTĒ *vel* conlineate. *V.* COLLINIATE.

COLLĪNEO *vel* conlineo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*cum et linea*). Part. *Collineatus* sub *b.* — In multis editionibus *Cicer.*, *Gellii*, et *Apul.* pro *collineo* habetur *collimo*, *as*: quod qui Latinum putarunt, deducebant a *limus*, *a*, *um*, quia qui aliquo ictum dirigit, limis ac semiapertis oculis id facere soleat: atque ob eam rationem alii *connives* in loco *Gellii* mox citando reponebant. Verum recepta jam est omnium eruditorum calculo ea lectio, quam posuimus; et verbum *collimo* e Latinorum albo expunctum. — Sunt etiam qui cum in variis MSS. *collinio*, seu *conlinio* invenerint, hoc quoque rectum putent, cum et *delinio* pro *delineo*, a linea non semel reperiatur. — Ceterum collineare est recta veluti linea dirigendo, scopum attingere, vel recta linea ad scopum dirigere: et occurrit — a) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 121. Quis est enim, qui totum diem jaculans non aliquando collineet? *V. Madvig.* ad *Cic. Fin.* p. 382. — b) Cum Accusativo rei. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 22. Si cui sit propositum collineare hastam aliquo, aut sagittam. *h. e.* hasta, aut sagitta aliquem scopum ferire. *Gell.* 9. 1. Si in editiora mittas, et, ad percutiendum superne aliquid, manum et oculos collinees. *h. e.* recta linea ad scopum dirigas. Sic *Apul.* 9. *Met.* 42. p. 237. Collineatis oculis ad umbram meam. *Id. Florid.* n. 23. Collineato pro fronte sita, et connniventibus ad regulam lineis. *Capell.* 7. p. 237. Colliniate lucis nitor. *Augustin. Serm.* 250. *de Tempore.* De silvis et montibus ligna et lapides præciduntur, et inter manus fabrorum et opificum dolantur, collineantur (*h. e.* ad rectam lineam inter se connectuntur), complanantur. Ligna ista et lapides si non sibi certo ordine cohærerent, si non se pacifice innecterent, si non se invicem cohærendo quodammodo amarent, nemo huc intraret.

COLLĪNĬĀTE *vel* conliniate, adverb. Sup. *Colliniatissime.* — Colliniate est ita, ut recta scopus attingatur: sed translate tantum occurrit. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 48. *Mai.* Eumque quam colliniatissime efficiat ac depingat. *Id. ibid.* 58. Currus falcatos e porphyrite lapide, sed colliniatissime una cum animantibus et aurigis ad veri faciem videre erat plurimos. *h. e.* affabre exsculptos.

COLLĪNĬĀTUS pro *collineatus* legitur apud *Capell.* 7. p. 237. *V.* COLLINEO.

COLLĪNĪTUS *vel* conlinitus, a, um, part. præter. pass. a *collino*, collitus. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 8. Pastinacæ semina, et succus armoraceæ, cum melle collinita, oculorum sedant dolorem. *Nonnulli leg.* conlævata; *alii* circum levata, *unde* circumlævigata *conjiciebat* Heins. *et* circumlita *Burmann.* Denique *Schneiderus* lævigata *de suo dedit pro vulg.* conlinita.

COLLĪNO *vel* conlino, linis, lēvi, litum, linere, a. 3. (*cum et lino*). Part. *Collitus.* — Collinere est ungere, inungere (*It. ungere*; *Fr. oindre*; *Hisp. untar*; *Germ. beschmieren*, *bestreichen*; *Angl. to anoint*, *daub*, *besmear*). *Plaut. Most.* 1. 3. 133. Pulcram ornatum turpes mores pejus cœno colliount. Adde *eumd. Pœn.* 1. 2. 95. *Id. Pers.* 4. 2. 4. Luteus, et cœno collitus. *Horat.* 1. *Od.* 15. 20. Crines pulvere collines. *Ovid. Remed. am.* 351. cum positis sua collinet ora venenis. *Gell.* 17. 9. Tabulas cera collevisse. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 15. Fila favis scirpea floreis, Presso melle prius collita fingimus.

COLLĪNUS, a, um, adject. ad collem pertinens. ¶ 1. Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 6. 2. Tria genera sunt agrorum, campestre, collinum et montanum. *Cels.* 2. 18. Frumentum valentius est collinum, quam campestre. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 1. Mustum ex vineis collinis. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 6. 5. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 3. Collina aqua. *Id.* 3. *ibid.* 2. 6. loca. *Id.* 12. *ibid.* 21. 4. vina. ¶ 2. Speciatim *Collinus* est ad colles pertinens Romanæ urbe contentos, qui collis *Viminalis* et *collis Quirinalis* erant. *Varro* 5. *L. L.* 45. *Müll.* Regio urbis Collina. *Id. ibid.* 56., *Cic. Mil.* 9. 25. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (13). Collina Tribus. *scil.* una ex urbanis quæ dicta est a collibus Quirinali et Viminali, ubi constituta fuit. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 303. 1. L. ANNIO L. F. COL. HONESTO HON. NOVO PUBL. etc. Adde *ibid.* 96. 5. et 434. 9. — Sæpius *porta Collina*, quæ Romæ fuit prope collem Quirinalem. *V.* AGONENSIS. *Ovid.* 4. *Fast.* 871. Templa frequentari Collinæ proxima portæ. *h. e.* ædes Veneris Erycinæ, de qua *Liv.* 40. 34. verba facit. Ceterum ejusdem *portæ Collinæ* meminere *Cic.* 2. *Legg.* 23. 58.; *Liv.* 8. 15., 5. 41. et alibi; *Vitruv.* 3. 2. 2. *Schneid.*; *Ovid. Rem. am.* 549.; *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (76).; *Tac.* 3. *Hist.* 82.; *Festus* p. 333. 32. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 10. 7. et p. 332. 7. *Müll.* — *Juvenal.* 6. 290. proximus Urbi Hannibal et stantes Collina in turre mariti. *h. e.* in turri ad portam Collinam: *V. Liv.* 26. 10. *Propert.* 4. 5. 11. Collinas herbas. *h. e.* circa portam Collinam nascentes.

COLLĪPHĬUM, ii. *V.* COLIPHIUM.

COLLĬQUEFACTUS *vel* conliquefactus, a, um, particip. ab inusit. *colliquefio*, liquefactus. *Cic. Cluent.* 62. 173. Venenum colliquefactum in potione. *Varro* 2. *R. R.* 4. 6. Glacies colliquefacta.

COLLĬQUEO *vel* conliqueo. *V.* COLLIQUO.

COLLĬQUESCO *vel* conliquesco, is, ere, n. 3. (*cum et liquesco*) idem quod liquesco, liquidus fio.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 22. 2. Dum ea, quæ addideris, in pice colliquescant. *Apul. de Mag.* Cum caro in humorem crassum et spumidum inimico igni colliquescit. — Huc nonnulli referunt et Plusq. perf. *colliquisset*, quod *V.* in COLLIQUO.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate est se in lacrimas solvere. *Fronto de nepot. amiss.* 2. Victorini mei lacrimis tabesco, colliquesco. ¶ 2. Translate est idem ac liquet, patet. *Boeth. de syllog. hypothet.* 1. p. 623. Quoquo autem alio modo assumptiones verteris, nihil evenit necessarium: ut autem omnis propositionum et syllogismorum ratio collucescat, exempla subjecimus, quibus facilius id, quod superius docuimus, colliquescat.

COLLĬQUET, ere, impers. 3. idem quod liquet, manifestum est. *Boeth.* 1. *Music.* 10. p. 1377. Atque ut id evidentius colliqueret, etc.

COLLĬQUĬÆ *vel* conliquiæ, ārum. *V.* COLLICIÆ.

COLLĬQUO *vel* conliquo, quis, qui, quere, n. 3. Nonnulli minus recte efferunt *colliqueo* n. 2. *V.* et COLLIQUESCO. — Colliquo est idem quod liquo, as, liquefacio; tamquam a *liquo*, *is*, unde *liquor*, *eris* a *Virgilio* usurpatum. *Varro* apud *Non.* p. 334. 27. *Merc.* Fulmine ita est ictus, ut cista esset integra, aurum colliquisset. *Alii leg.* colliculsset, *ut* deliciii *a* deliquesco. Sic *Id. ibid.* Quin æs, stannum, aut quid aliud ejus generis fervefactum colliquisset. *Utrobique, ait Forcellinus, Accusativus se subintelligitur. Sunt tamen hæc omnia variis conjecturis et lectionibus obnoxia.*

COLLIS, is, m. 3. In Ablativo casu *colli* pro *colle* rarum est et poeticum. *Lucret.* 2. 317. Nam sæpe in colli tondentes pabula læta. Adde *eumd. ibid.* 322. Cf. *Dietsch.* ad *Sall. Jug.* 50. — Ratione habita etymi, *a colendo* dictum putat *Varro* 5. *L. L.* 36. *Müll.*, sed falso; rectius enim alii deducunt a κολωνός seu κολώνη, quæ idem significant, et a verbo Lat. *cello*, unde *celsus.* — Ceterum *collis* est parvus mons (*It. colle*, *collina*, *poggio*; *Fr. colline*, *coteau*, *éminence*; *Hisp. collina*, *collado*, *cerro*; *Germ.* d. *Hügel*, d. *Anhöhe*; *Angl. a hill*, *hillock*, *easy ascent*, *rising ground*). ¶ 1. Stricto sensu. — a) Generatim. *Cic.* 5. *Verr.* 18. 47. Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc ac desertos videbam. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Quod is collis – paullulum ex planitie editus tantum

adversus in latitudinem patebat – atque ex utraque parte lateris dejectus habebat et frontem leniter fastigatus paullatim ad planitiem redibat, ab utroque latere ejus collis transversam fossam obduxit. *Virg.* 9. *Ecl.* 7. qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo. h. e. ex alto in campos dissolvi. *V.* tamen *Servium.* — b) Jungitur pluribus Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. acclivis molliter. *Ovid.* 15. *Met.* 305. altus. *Virg.* 2. *G.* 112.; et *Cæs.* 2. *B. G.* 18. aperti. *Virg.* 9. *Ecl.* 49. aprici. *Tac.* 2. *Ann.* 80. arduus. *Quintil.* 12. 9. 2. asperi. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 1. assurgens clementer et molliter. *Liv.* 1. 3. Aventinus. *Id.* 1. 12. Capitolinus. *Virg.* 8. *Æn.* 598. cavi. *Id.* 8. *ibid.* 604. celsus. *Seneca Agam.* 90. celsi. *Tac.* 2. *Ann.* 80. deruptus. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. declivis ab summo æqualiter. *Curt.* 4. 12. et 4. 13. editus. *Id.* 7. 10. editi. *Ovid.* 14. *Met.* 347. fecundi. *Horat.* 1. *Od.* 20. 12. Formiani. *Sil. It.* 15. 475. frondosus. *Curt.* 5. 4. frondibus læti. *Ovid.* 14. *Met.* 9. herbiferi. *Stat.* 6. *Theb.* 255. incurvi. *Sil. It.* 5. 192. latebrosi. *Sacr. Argeorum* apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.* Latiaris. *Curt.* 7. 4. magni. *Virg.* 2. *G.* 179. maligni. *Sacr. Argeorum* apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.* Martialis. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. medio in colle. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (74). montani. *Liv.* 1. 12. Palatinus. *Varro* 5. *L. L.* 52. *Müll.* Quirinalis. *Curt.* 3. 10. rigentes gelu. *Ovid.* 14. *Met.* 846. Romulei. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 109. (133). saxosi. *Sacr. Argeorum* apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.* Salutaris. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. silvestris. *Virg.* 3. *G.* 555. supini. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 109. (133). terrenus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 421. umbrosus. *Lucret.* 2. 322. viridis. — c) Jungitur etiam nonnullis Verbis. *Virg.* 1. *Æn.* 423. ascendere collem. *Sall. Jug.* 50. 1. degredi colle. *Tac. Agric.* 37. insidere summa collium. *Seneca Hippol.* 7. scandere colles. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. scandere jugum collis. ¶ 2. Specialim *colles* apud Romanos dicuntur Viminalis et Quirinalis. *V.* COLLINUS 2. — Quem *Martial.* 12. 18. appellat *collem Dianæ dominæ*, est collis Aventinus, ubi Dianæ templum fuit. ¶ 3. Apud Poetas collis aliquando pro monte occurrit. *Catull.* 61. 1. Collis Heliconius. *Sil. It.* 3. 420. *de Pyrenæis montibus.* Nomen Bebrycia duxere a virgine colles.

COLLĪSIO *vel* conlisio, ōnis, f. 3. duorum aut plurium corporum mutua percussio. *Justin.* 11. 12. 6. Nunciatur, uxorem ex collisione abjecti partus decessisse. *Theod. Priscian.* 2. *Part.* 2. c. 21. Quando generaliter interioribus membris dolor juvatus, nexu quodam, ex collisione humoris ventositatisque colligatur etc. *Macrob. de differ. Gr. Lat. verb.* p. 2761. *Putsch.* Cum Latini nullum Infinitum monosyllabum habeant, Græci paucissima habent, quæ referantur ad solam secundam συζυγίαν περισπωμένων, ut σπᾶν, θλᾶν: etenim πνεῖν, χεῖν, ῥεῖν, non sunt integra, sed ex collisione contracta.

COLLĪSUS *vel* conlisus, a, um. *V.* COLLIDO.

COLLĪSUS *vel* conlisus, us, m. 4. idem ac collisio. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (114). Sono quodam et collisu ipso margaritarum. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 12. Collisus dentium.

COLLITEO *vel* conliteo, es, ui, ere, n. 2. simul lateo, a *con* et *lateo.* Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 94.

COLLITESCO *vel* conlitesco, is, ere, n. 3. idem ac colliteo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 94.

COLLITUS *vel* conlitus, a, um. *V.* COLLINO.

COLLĪVUS, a, um, adject. qui in colle positus est. *Boeth.* 2. *Geometr.* p. 1230. Sunt autem loca publica hæc, quæ scribuntur, silva et pascua publica Augustinorum, quæ ullo modo alienari nequeunt; et possident tutelam aut templorum publicorum, aut balneorum, quæ loca colliva appellant.

COLLIX, icis, f. 3. κόλλιξ, pastillus rotundus. Translate spelunca oblonga, unde aphronitrum stillat in nitrariis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (113). Proxima ætas medicorum aphronitrum tradidit in Asia colligi in speluncis, mollibus distillans: specus eos collicas vocant. *Alii leg.* colycas, *alii* belicas, *alii* cochleas. *Sillig* retinuit vulgatam scripturam *colycas*, licet ipsi scribendum videretur σχώληκας collato *Photio*: σκώληξ, τὸ πρὸς τῇ γῇ οἴδημα τῆς θαλάσσης, οἷον τὸ προσαράσσον κῦμα. et *Hesychio.* σκώληξ, τὸ κυλιόμενον κῦμα, καὶ ἀπὸ τῆς ἅλω τὸ ἀνηθεῖν καὶ συναγθεῖν εἰς λαχμητόν: unde nitrariorum specus sane *scolex* dici potuit.

COLLOBATARIUS. *V.* CALOBATARIUS.

COLLOCĀTIO *vel* conlocatio, ōnis f. 3. actus collocandi, compositio, dispositio (It. *collocamento, disposizione*; Fr. *disposition, arrangement*; Hisp. *colocacion, disposicion, distribucion*; Germ. *d. Stellen an einem Orte, d. Auf-oder Hinstellung*; Angl. *a placing, settling, disposing, laying out, bestowing*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic. Tim.* 9. 26. Collocatio siderum. *Vitruv.* 5. 3. 1. *Schneid.* Collocationes mœnium. ¶ 2. Specialim collocatio verborum in oratione est, qua ita componuntur verba, atque struuntur, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et lævis. Ita *Cic.* 3. *Orat.* 43. 171. definit. *Id.* 2. *ibid.* 13. 54. Perpolire opus aliquod verborum collocatione, et tractu orationis leni et æquabili. *Id. Orat.* 70. 232. Compositi oratoris bene structam collocationem dissolvere permutatione verborum. Adde *eumd. ibid.* 25. 83.; et *Quintil.* 1. 10. 22. *Cic.* 2. *Orat.* 42. 181. Collocatio argumentorum. *Id. Partit. orat.* 3. 9. et 4. 14.; et *Quintil.* 3. 3. 8. rerum. ¶ 3. Item specialim de matrimonio. *Cic. Cluent.* 60. 190. Collocatio filiæ.

COLLOCĀTUS *vel* conlocatus, a, um. *V.* voc. seq.

COLLŎCO *vel* conloco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et locare). Part. *Collocans* II. 3.; *Collocatus* in omnibus paragr.; *Collocandus* I. a. et II. 1. — Collocare est verbum prosæ orationis fere proprium, quod ratione significationis propius accedit verbo *statuere*, quam verbo *ponere*; significat enim rem aut personam in loco, qui eidem conveniat vel eamdem deceat, statuere, seu generatim locare, disponere (It. *collocare, porre, disporre*; Fr. *mettre, placer, poser, disposer*; Hisp. *poner, colocar, meter, disponer*; Germ. *stellen, setzen, legen*; Angl. *to place, settle, dispose, arrange*).

I.) Proprie ponitur de loco, in quo res aut persona statuitur; et occurrit etiam in re militari de copiis, quæ aliquo in loco disponuntur. Usurpatur autem — a) Absolute. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 2. Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat. *Id.* 5. *Phil.* 6. 18. Cum erat ventum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ collocabantur. *Id.* 3. *Cat.* 9. 21. Signum Jovis collocatum. *Id. Sext.* 38. 83. Statuam mortui collocare. Adde *Quintil.* 7. *proœm.* 2. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 35. 160. tabulas et signa propalam. *Id.* 4. *Verr.* 3. 6. sedem ac domicilium. *h. e.* figere. *Id. Pis.* 12. 28. Quem ad Cn. Pompejum interimendum collocatum fuisse constabat. *Sall. Jug.* 45. Sine tumultu præsidiis collocatis – occulte pontem obsidunt. *Liv.* 44. 37. Postquam metata castra impedimentaque collocata animadvertit. *Ovid.* 2. *Met.* 733. chlamydemque, ut pendeat apte, Collocat. *Sueton. Galb.* 18. *ad fin.* Curulis perverse collocata. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Cecidit, coxamque fregit: quæ parum apte collocata, male coiit. *Quintil.* 7. *proœm.* 1. Nisi disponendis eis collocandisque (*saxis et materiæ*) artificum manus adhibeatur. *Dig.* 1. 1. 5. Collocare ædificia. *Ibid.* 11. 79. 14. § 4. marmor et vestem. — Similiter ponitur de verborum dispositione in oratione, de qua cf. *Cic. Partit. orat.* 2. 9., ubi pluries hoc verbum occurrit. *Id. Orat.* 24. 80. Ornatus verborum duplex, unus simplicium, alter collocatorum. *V.* integrum locum. Adde *eumd. ibid.* 68. 227. *Quintil.* 8. 1. 1. In conjunctis intuendum est, ut sint emendata, ut collocata, ut figurata. Adde *eumd.* 4. 5. 1. et 7. 10. 16. Huc pertinet et illud *Tac.* 6. *Ann.* 27. De cujus moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi. *h. e.* satis disserui. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 20. — *Collocare aliquam in lecto* est in lecto ponere apud *Ter. Eun.* 3. 5. 45., ubi alii, ac præcipue recentiores, legunt *in lectum.* Notat hic *Donatus* hoc sensu *collocare* verbum esse proprium pronubarum. Eodem sensu *collocare* absolute dixit *Catull.* 61. 188. Cognitæ bene feminæ, collocate puellulam. *V.* infra sub II. 2. Hinc joculariter *Plaut. Amph.* 1. 1. 146. Agite pugni; heri homines quatuor in soporem collocastis. *h. e.* sopitos stravistis. — Hinc adhibetur etiam pro sternere. *Martial.* 5. 65. Quot tua Mænalios collocat hasta sues. — b) Raro admodum, addito loco, in quem aliquid disponitur. *Plaut. Men.* 5. 6. 28. Collocare vasa et servos in tabernam. *Id. Aulul.* 4. 8. 6. se in arborem. *Ter. Eun.* 3. 5. 45. aliquam in lectum. *V.* supra sub a. in fin. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. turrim in muros. *Sall. Jug.* 65. exercitum in provinciam hiemandi gratiâ. — c) Sæpius addito loco, in quo aliquid statuitur vel ponitur: et quidem — Per Ablat. et præpos. in. *Cato R. R.* 18. Collocare trabes in trabeculis. *Plaut. Asin.* 3. 3. 67. crumenam in collo. *Cic. Brut.* 57. 261. tabulas bene pictas in bono lumine. *Id.* 1. *Orat.* 35. 163. suo quidque in loco. *Al. omittunt præpos. Id. Partit. orat.* 4. 14. hastam in manu. *Id. Pis.* 25. 61. tabernaculum in campo Martio. *Id.* 7. *Phil.* 7. 19. aliquem in specula. *Id.* 2. *Tusc.* 17. 39. aliquem in cubili. *Id. Planc.* 41. 97. in nave. *Id. Amic.* 23. 87. in solitudine uspiam. *Id.* 2. *Phil.* 37. 94. unum ex suis comitibus in tetrarchia. *Catull.* 66. 56. se in gremio Veneris. *Id.* 10. 23. pedem grabati sibi in collo. *Virg.* 4. *G.* 424. juvenem in latebris. *Horat. Epod.* 17. 68. saxum supremo in monte. *Ovid.* 2. *Met.* 526. aliquem in thalamo. *Cels.* 7. 7. aliquem in adverso sedili. *Sueton. Aug.* 100. corpus in vestibulo. *Dig.* 43. 21. 3. § 2. fistulas in rivo. — Et in re militari. *Cic.* 12. *Fam.* 23. 2. Collocare legiones in cervicibus alicujus. *Id.* 2. *leg. Agr.* 27. 74. præsidium in capite et cervicibus Quiritium. *Id. Brut.* 63. 222. aliquem in præsidiis reipubl. *Nepos Hann.* 11. præsidia in littore. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. *in fin.* præsidium in oppido. *Id.* 3. *ibid.* 1. legionem in aliquo loco. *Id.* 3. *ibid.* 29. *in fin.* exercitum in hibernis. *Id.* 5. *ibid.* 32. insidias bipartito in silvis. *Id.* 3. *ibid.* 19. copias in convalle ex insidiis. *Al. leg.* in insidiis. *Sall. Cat.* 59. reliqua signa in subsidio. — Per alias præpos. *Cic. Mil.* 10. 37. Collocare insidias alicui ante fundum suum. *Id.* 3. *Verr.* 24. 63. comites apud hospites. *Sall. Jug.* 55. cohortes adversus pedites hostium. *Tac.* 13. *Ann.* 7. legiones propius Armeniam. *Sueton. Aug.* 43. aliquem super se. *Id. Cal.* 54. super pulpitum. *Id. ibid.* 24. infra se. *Id. Ner.* 13. juxta se. *Id. Tit.* 9. Collocatis circa se ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. *Id. Aug.* 33. Collocare lecticam pro tribunali. — Per Adverbia, per Ablativum sine præpos., etc. *Cic.* 7. *Verr.* 37. 96. Ipsam illam ad partem littoris, ubi iste – castra luxuriæ collocarat. Cf. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Ibi præsidium collocat. Rursus *Cic.* 5. *Fin.* 2. 4. Collocare se Athenis. *Sueton. Aug.* 49. classem Miseni, et alteram Ravennæ. *Id. Claud.* 25. singulas cohortes Puteolis et Ostiæ. *Ovid.* 1. *Met.* 722. de oculis *Argi.* Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis Collocat.

II.) Translate, scilicet ratione loci, quæ inest in ipso verbo, ad alias rationes translata. ¶ 1. Generatim occurrit — a) De conditione in qua quid ponitur, vel de re in qua quis occupatur. — Raro admodum per Accus. et præpos. in. *Plaut. Merc.* 3. 2. 10. Collocare se in otium. Cf. *eumd. Amph.* 1. 1. 148., cujus verba *V.* supra sub I. a. in fin. — Sæpius per Ablat. et præpos. in. *Plaut. Pers.* 1. 1. 8. Collocare multa in pectore suo. *Ter. Heaut.* 4. 3. 11. rem alicujus in tuto. Cf. *Quintil.* 12. 11. 17. famam in tuto. *Cic. Haruspp. resp.* 25. 53. aliquem in tuto. *Id.* 3. *Cat.* 11. 26. Triumphos suos, omnia ornamenta honoris in animis aliquorum condi et collocari velle. *Id. Cœl.* 20. 49. Collocare palam sese in meretricia vita. *Id.* 1. *Off.* 44. 158. se totum in cognitione et scientia. *Id.* 5. *Tusc.* 1. 2. totos se in optimo vitæ statu exquirendo. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. omne suum studium in doctrina ac sapientia. *Id. Cœl.* 17. 39. adolescentiam suam in amore et voluptatibus. *Id. Orat.* 51. 173 Natura collocavit judicium sonorum in auribus. *Id. Quinct.* 26. 83. Collocare spem præsentis maleficii in incerto reliqui temporis eventu. *Id.* 3. *Verr.* 3. 9. spem in causa, in honesto aliquo præsidio, aut in alicujus aut eloquentia aut gratia. *Id.* 1. *Orat.* 7. 25. spem dignitatis suæ in aliquo. Cf. *Auct. B. Alex.* 29. spem salutis in fuga. Rursus *Cic.* 4. *Herenn.* 17. 24. omnes bene vivendi rationes in virtute. *Id.* 2. *Tusc.* 26. 64. benefacta in luce. *Id.* 1. *Orat.* 43. 192. aliquid in usu quotidiano. *Quintil.* 7. 1. 4. aliquid in conspectu. — b) Item de externo statu vel gradu, aut possessione in qua quis constituitur. *Cic.* 4. *Herenn.* 16. 23. Collocare aliquem in amplissimo statu. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 2. 6. aliquem in aliquo gradu dignitatis. *Id. post red. in senat.* 1. 2. aliquem in amplissimo consilio et in altissimo gradu dignitatis. *Id. Dom.* 31. 82. Aliquem in aliquo loco honores populi collocaverunt. *Id.* 3. *Off.* 5. 25. Herculem in concilio cœlestium. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. virtutes in deorum numero. *Id. Parad.* 3. 2. § 25. aliquem in sede ac domo atque in republ. *Id. Flacc.*

33. 72. familiam suam in possessione prædiorum. *Id. Dom.* 37. 100. aliquem in ædibus suis. *Id.* 3. *Orat.* 32. 120. aliquem in regno majorum suorum. *Id.* 4. *Cat.* 6. 12. Allobrogum gentem in vestigiis hujus urbis atque in cinere deflagrati imperii. *Nepos Miltiad.* 2. Collocare multitudinem (*hominum*) in agris. *h. e.* colonia deducta, homines in agris ponere, ut ibi domicilium figant eosque colant. Et eodem sensu, sed omissa præpos. *Sueton. Aug.* 13. *in fin.* Cum veteranos reducendos et municipalibus agris collocandos recepisset. ¶ 2. Speciatim sæpe ponitur pro nuptui dare: quæ translatio ex eo ducta est, quod pronubæ novam nuptam in lecto collocabant, ut superius diximus sub I. *a.* in fin., allatis *Ter. Eun.* 3. 5. 45. et *Catull.* 61. 188. locis, quæ vide. Occurrit autem — *a*) Cum additis, quæ matrimonium significant. *Plaut. Trin.* 3. 3. 7. Collocare aliquam nuptum. Sic *Ulp. Dig.* 3. 2. 11. se nuptum. *Torrentin.* se nuptiis *leg. Cæs.* 1. *B. G.* 18. propinquas suas nuptum in alias civitates. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 6. filiam nuptui in dimidia parte reliqui agri. *h. e.* dotem in dimidia parte reliqui agri assignando. *Plaut. Trin.* 1. 2. 122. filiam in conditionem se dignam. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 104. sororis suæ filiam in matrimonium. Adde *Cajum* 2. *Instit.* 235. et 238.; et *Dig.* 23. 2. 19. et 23. 2. 59. *Scævola Dig.* 36. 1. 77. § 1. filiam in matrimonio. — *b*) Sæpius cum Dativo viri tantum. *Cic. Brut.* 26. 98. Collocare filiam suam alicui. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 18. et *Nepot. Att.* 19. *Sueton. Cal.* 24. Drusilla collocata L. Cassio. Adde *eumd. Cæs.* 21. — *c*) Raro absolute. *Nepos Epam.* 3. Cum virgo nubilis propter paupertatem collocari non posset. Adde *eumd. Arist.* 3. *Justin.* 9. 6. 2. Collocantis filiam. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 39.; et cf. *Ennium* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 38. ¶ 3. Item speciatim *collocare rem familiarem*, *pecuniam* et similia est occupare, impendere, eo loco ponere, ut fructus uberes reddat. — *a*) Cum addito, in quo quid impenditur vel occupatur. *Plaut. Most.* 3. 3. 12. Bene res nostra collocata est istoc mercimonio. *Id. Men.* 5. 6. 1. Bonus servus, qui rem herilem procurat, videt, collocat. *Cic. Cæcin.* 5. 15. Nusquam posse eam (*pecuniam*) melius collocari. *Id. pro leg. Manil.* 7. 18. In provincia pecunias magnas collocatas habere. *Id. Cæcin.* 4. 11. Quo mulieri esset res cautior, curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. *h. e.* assignavit fundum, ut ex eo dos percipi possit. *Cajus Dig.* 17. 1. 2. Collocare pecunias in emptiones prædiorum. *Sueton. Tib.* 48. duas patrimonii partes in solo. *Id. Aug.* 39. *in fin.* pecunias graviore fenore. *Tac.* 6. *Ann.* 17. duas fenoris partes in agro. *Martian. Dig.* 35. 2. 88. pecuniam idoneis nominibus. — *b*) Et absolute. *Cic.* 2. *Off.* 25. 90. et *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 63. Collocare pecuniam. — *c*) Latiori autem sensu. *h. e.* metaphorâ ducta ex metaphorâ præcedenti: quam ad rem facit locus *Cic.* 2. *Off.* 12. 42. Sed et pecuniæ non quærendæ solum ratio est, verum etiam collocandæ. – sic gloria et quærenda et collocanda ratione est. *Id. Cæcin.* 4. 11. pecuniam in fundo. et *Tac.* 6. *Ann.* 45. Millies sestertium et munificentia collocatum. *Cic.* 7. *Verr.* 22. 58. Pretia ac munera bene collocare apud aliquem. *Id.* 2. *Off.* 20. 70. beneficium melius apud bonos, quam apud fortunatos. Adde *eumd. ibid.* § 63. et 13. *Fam.* 28. 3. *Id.* 3. *Phil.* 2. 3. Non enim patrimonium effudit, sed in salute reipublicæ collocavit. *Al. leg.* in salutem. *Martial.* 1. 114. Bonas horas male collocare. *Cic.* 7. *Verr.* 14. 37. Ædilitas recte collocata et in luco posita. *h. e.* recte data viro dignissimo. — *d*) Huc referri potest et illud *Jabolen.*, ubi *collocare* (si tamen sana est lectio) ponitur pro simplici *locare*, qua significat aliquid alicui faciendum dare, constituta mercede. *Dig.* 19. 2. 51. Non enim interest, utrum uno pretio, an in singulas operas collocetur, si modo universitas consummationis ad conductorem pertinuit. ¶ 4. Denique *collocare* absolute usurpatum est constituere, ordinare, componere: et occurrit — *a*) Raro admodum de personis. *Festus* p. 249. 5. *Müll.* In judice collocando. *h. e.* constituendo, eligendo. — *b*) Raro etiam de rebus. *Poeta* apud *Cic.* 3. *Orat.* 58. 219. Sed mihi cum tetulit coronam ad collocandas nuptias, tibi ferebat etc. *Cic.* 2. *Fam.* 13. 2. Mihi erat in animo – cum prima æstiva attigissem militaremque rem collocassem, decedere. *Vulgata* lectio est hæc: at *Cod. Med.* leg. militaremque conlocarem; *Orellius* militemque collocassem; *alii* rem militaremque collocassem. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. 12. Tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. Vix ut rebus, quas constituissent, collocandis atque administrandis tempus daretur. *Auct. B. Alex.* 33. *in fin.* Sic rebus omnibus confectis et collocatis ipse – profectus est in Syriam. Cf. *Gell.* 18. 8. Collocare verba. *V.* COLLOCATIO 2.

COLLŎCŬPLĒTO *vel* conlocupleto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* locupleto). Part. *Collocupletandus* II. — Collocupleto est locupleto, ditem facio.

I.) Proprie. *Ter. Heaut.* 2. 3. 17. Tu interea loci conlocupletasti te, Antiphila.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Herenn.* 18. 28. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ et collocupletandæ causa.

COLLŎCŪTĬO *vel* conlocutio, *et* colloquutio *vel* conloquutio, ōnis, f. 3. actus colloquendi, colloquium, sermo. *Cic.* 1. *Tusc.* 13. 30. Hominum collocutio aut consensus. Adde *eumd.* 12. *Att.* 1. 2. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. Secutæ sunt collocutiones familiarissimæ cum Trebonio. *Id.* 2. *Herenn.* 15. 23. Venire in collocutionem cum hostium ducibus. *Id.* 1. *Fam.* 9. 4. Hac me mente fuisse, et senatus ex me audivit, et tu in nostris sermonibus collocutionibusque vidisti. *Collocutio* est colloquium, quod fit remotis arbitris, et de arcanis rebus: sermo latius patet, et publicum quoque colloquium significat. *Manut.* Sed *V.* COLLOQUIUM. sub init.

COLLŎCŪTOR *vel* conlocutor, *et* colloquutor *vel* conloquutor, ōris, m. 3. qui simul cum aliquo loquitur. *Tertull. advers. Praxeam* 5. Dum loqueris, collocutorem pateris sermonem. *Augustin.* 9. *Confess.* 6. Quæ inseruntur ibi ex persona collocutoris mei.

COLLŎQUĬUM *vel* conloquium, ĭi, n. 2. (cum *et* loquor) sermo inter duos, collocutio: quamvis *colloquium* magis concreto, uti ajunt, sensu accipi videatur, quam *collocutio*; ait enim *Varro* 6. *L. L.* 57. *Müll.* Colloquium cum conveniunt in unum locum loquendi causa. *Titinius* apud *Non.* p. 256. 15. *Merc.* Colloquia cum aliqua blanditer comparare. *Turpilius* apud *eumd.* p. 355. 14. Se conferre in colloquium aliquorum. *Lucret.* 4. 598. Colloquium clausis foribus videre. *h. e.* percipere, audire. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Venire in congressum et colloquium alicujus. *Id.* 9. *ibid.* 1. 2. Pervenire ad congressum colloquiumque alicujus. *Id.* 2. *ibid.* 4. 7. Colloquia amicorum absentium. *h. e.* commercia litterarum. *Id.* 13. *ibid.* 11. 27. Colloquia cum hostibus, cum civibus. *Id.* 12. *Att.* 15. Carere omnium colloquio. *Id.* 14. *ibid.* 6. 1. Colloquium cum aliquo pro re nata non incommodum. *Id. Senect.* 12. 40. Clandestina colloquia cum hostibus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 6. Rerum colloquia leviorum. *Id.* 3. *Off.* 1. 1. Colloquio alterius non egere. *Id. Partit. orat.* 9. 34. et *Quintil.* 4. 2. 107. Colloquia personarum. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 5. Facere colloquium. *Cæs.* 1. *B. G.* 35. Venire in colloquium de aliqua re. *Id.* 3. *B. C.* 19. Crebra inter se colloquia habere. *Id.* 3. *ibid.* 18. *in fin.* Per colloquia de pace agere. *Id.* 1. *ibid.* 9. Componere controversias per colloquia. *Id.* 1. *ibid.* 3. Evocare aliquem ad colloquia. *Nepos Datam.* 11. In colloquio esse aliquandiu. *Id. ibid.* 1. Ad colloquium venire. *Id. ibid.* 10. Colloquium petere. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 552. et *Sueton. Aug.* 27. *Nepos Hann.* 6. Convenire in colloquium. *Propert.* 4. 10. 32. Colloquium dare. *Virg.* 7. *Æn.* 91. Frui colloquio deorum. Adde *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 54. *Ovid. Rem. am.* 587. Fugere colloquium. *Id. Heroid.* 21. 18. Sunt nobis vices colloquii. *Id.* 3. *Fast.* 344. Colloquium deûm. *Liv.* 27. 1. Occulta colloquia habere cum aliquo. *Id.* 34. 61. Serere colloquia cum aliquo. *Id.* 1. 23. Opus est colloquio. *Id.* 21. 32. Se immiscere colloquiis. *Vellej.* 2. 102. 2. Se temere credere colloquio. *Curt.* 5. 6. 16. Colloquia captivorum. *Petron. Satyr.* 6. Subducere se a colloquio præceptoris. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (39). Colloquia et humanitatem homini dare. *Id.* 10. *ibid.* 49. 70. (137). et *Gell.* 10. 12. Interpretari linguas et colloquia avium. *Stat.* 5. *Theb.* 83. Colloquia solertia. *Tac.* 3. *Ann.* 40. secreta. *Id.* 1. *ibid.* 16. nocturnum. *Val. Flacc.* 3. 293. Adesse colloquiis.

COLLŎQUOR *vel* conloquor, lŏqueris, lŏcūtus *vel* lŏquūtus sum, lŏqui, dep. 3. (cum *et* loquor). Part. *Colloquens* sub *B. a.*; *Collocuturus* sub *B. b.* — Colloquor est simul loquor (It. *ragionare insieme*, *abboccarsi*; Fr. *s'entretenir*, *s'aboucher*, *conférer*; Hisp. *abocarse*, *conferir*; Germ. *zusammen reden oder sprechen*; Angl. *to speak together*, *converse*, *confer*). Occurrit *A*) Active, et *B*) Mediorum apud Græcos verborum more ac significatione.

A) Active ἀρχαϊκῶς tantum usurpatur — *a*) Cum Accusativo personæ pro alloqui. *Plaut. Capt.* 4. 2. 53. Perlubet hunc hominem colloqui. Adde *eumd. Amph.* 3. 2. 17., *Asin.* 1. 2. 24. et 3. 1. 20., *Men.* 2. 3. 77., *Mil. glor.* 4. 2. 18., *Most.* 3. 2. 97., *Pseud.* 1. 3. 16. et 22. et *Trin.* 5. 2. 11. et 26. — *b*) Cum Accusativo rei, de qua loquimur. *Nepos Themist.* 9. De his rebus quas tecum colloqui volo. — *c*) Cum Accusativo, quem Grammatici dicunt qualitatis. *Cic.* 1. *Orat.* 7. 26. De temporibus deque universa republica multum inter se colloqui.

B) Mediorum apud Græcos verborum more ac significatione sæpius usurpatur, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 68. Deinde utrique imperatores in medium exeunt extra turbam ordinum; colloquuntur simul. Adde *Ter. Andr.* 5. 6. 10., *Eun.* 2. 3. 76. et 3. 2. 14. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 10. 1. Tu vero, ut me et appelles et interpelles et obloquare et colloquare velim. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 43.; et *Nepot. Datam.* 11. *Liv.* 3. 36. Aditus colloquentibus difficiles. Adde *Curt.* 7. 1. 14. — *b*) Cum præpos. cum et Ablat. personæ, quacum loquimur. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 55. Ubicumque datum erat spatium solitudinis, ut colloqui mecum una posset. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 1. sæpissime cum aliquo per litteras. *Id.* 16. *Att.* 8. clam cum aliquo. Adde *eumd. Brut.* 6. 218., 1. *Tusc.* 41. 98. et 1. *Divinat.* 30. 64. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. cum aliquo per aliquem. *Nepos Alcib.* 5. cum aliquo per internuntios. *Id. Dion.* 2. cum aliquo de aliqua re. *Id. Att.* 8. Respondit, se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque etc. Adde *eumd. Pausan.* 2.; et *Vellej.* 2. 51. 3. — *c*) Haud raro *inter se colloqui* occurrit. *Cic.* 1. *Orat.* 8. 32. Hoc uno præstamus feris, quod colloquimur inter nos. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 41. 90.; *Auct. B. Afr.* 56.; et *Curt.* 8. 4. 11. — *d*) Cum Dativo. *In suppositis Merc. Plautini, scæna, quæ incipit: Syra non redit.* Nulli colloquor libentius.

COLLŪBUS, i. *V.* COLLYBUS.

COLLŪCEO *vel* conluceo, ces, xi, cere, n. 2. (cum *et* luceo). Præter. perf. *colluxi* affert *Forcellinus*, sed nullo exemplo confirmat. — In 3. conjugat. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 10. Collucis insigni stola. Ita *Heins.* ex veteri MS.; alii *colluces*. — Part. *Collucens* II. — Colluceo est idem quod luceo, vel valde luceo (It. *rilucere*, *risplendere*; Fr. *briller*, *jeter un grand éclat*; Hisp. *brillar*, *resplandecer*; Germ. *in hellem, vollem Lichte*, *in voller Erleuchtung erscheinen*, *leuchten*; Angl. *to shine together*, *shine with a powerful light*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 893. Tæda accensa per undas collucet. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. Sol in immenso mundo longe lateque collucet. *Id. Tim.* 9. Cœlum colluret omnibus. *Catull.* 61. 45. pocula. *Virg.* 4. *Æn.* 567. et *Curt.* 3. 8. 22. Sævæ faces collucent. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 4. faces per campum. Rursus *Virg.* 9. *Æn.* 166. Collucent ignes. Adde *Curt.* 3. 8. 18. *Ovid. Heroid.* 14. 25. Lampades undique collucent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 47. 67. (132). Plumæ ignium modo collucent noctibus. — *b*) Addito Ablativo sine præpos., aut cum præpos. *ab*, rei qua quis collucet. *Cic.* 6. *Verr.* 32. 71. Cujus fulgore collucere atque illustrari Jovis templum oportebat. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 105. Mare a sole collucet, albescit et vibrat. *Virg.* 5. *Æn.* 4. collucent mœnia flammis. *Ovid.* 4. *Met.* 403. ignibus ædes. *Liv.* 24. 21. omnia luminibus. *Id.* 38. 6. acies tota flammis. *Curt.* 3. 3. 3. castra fulgore ignis. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 89. polus ignibus. *Tac.* 3. *Hist.* 23. Vitelliani adverso lumine. *Sueton. Tib.* 14. aræ ignibus.

II.) Improprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Quorum (*hominum*) operibus agri, insulæ littoraque collucent distincta tectis et urbibus. *Id.* 5. *Verr.* 22. 58. Vidi collucere omnia (*in foro comitioque*) furtis tuis, prædâ provinciarum, spoliis sociorum atque amicorum. *Virg.* 10. *Æn.* 539. Totus collucens veste atque insignibus armis. *Ovid.* 5. *Fast.* 363. Vel quia purpureis collucent floribus agri. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 3. Undique versicoloribus pomis gravidus collucet autumnus. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 293.

COLLŪCERNATIO. *V.* COLLURCINATIO.

COLLŪCESCO *vel* conlucesco, is, ere, n. 3. idem quod simul lucere: sed occurrit translate tantum. *Boeth. de syllog. hypothet.* 1. p. 383. Ut autem

omnis propositionum et syllogismorum ratio collucescat, exempla subjecimus. — *Conlucescit* imperson. legitur etiam in *Not. Tir.* p. 118.

COLLŪCO *vel* conluco, as, are, a. 1. (cum *et* lux) proprie ac generatim significat lucentem et clarum reddere; sed occurrit specialim tantummodo in re agraria, et est silvæ arbores vel ramos recidere, ita ut silva ipsa lucidior et clarior reddatur. *Paul. Diac.* p. 37. 12. *Müll.* Conlucare dicebant, cum profano silvæ rami deciderentur officientes lumini. *Festus* p. 348. 18. *Müll.* Conlucare arbores est succisis arboribus locum implere luce. Priore loco ait esse ramos *decidere:* posteriore ipsas *arbores succidere.* Hæc posterior explicatio verior videtur, tum quia *Festi* verba sunt, cum illa sint *Pauli* ejus epitomatoris: tum quia pro *decidendis ramis* est aliud verbum, *sublucare. Cato R. R.* 139. Lucum conlucare Romano more sic oportet. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 3. Feriis non permittitur serere, neque terram aperire, neque arborem collucare. *Plin.* quoque posteriorem probat 17. *Hist. nat.* 28. 47. (267). Cato arbores religiosas lucosque succidi permisit, sacrificio prius facto cujus rationem precationemque eodem volumine tradidit. Respicit *Plin.* ad caput *Catonis* citatum, in quo rationem tum sacrificii, tum precum in eo habendarum perscribit. Cum autem *Plin.* dicat *lucos succidi*, satis aperte significat, quid sit *lucum conlucare* apud *Catonem.* Ideo autem sacrificium fieri jubet *Cato*, ut placentur dii, quibus luci sacri esse putabantur. — Aliter tamen, ac *Forcellinus*, sentit *Müllerus*, qui ad *Paul. Diac.* l. c. hæc ait: Festus (v. sublucare) *conlucare* esse ait *succisis arboribus locum implere luce.* Non tamen mirum, si in alia operis parte aliter de ejusdem voc. significatu statuit. *Glossaria* certe *Labb.*, in quibus legitur: *Conluco.* ἐκκαθαίρω δένδρον, eam interpretationem, quam hic *Paulus* proponit, confirmat *Festi* fuisse. Neque aliter *Colum.* 2. *R. R.* 22. 3. arborem collucare.

COLLUCRIUM *vel* conlucrium, ii, n. 2. videtur significare sacrificium illud, quod, antequam collucarentur luci, facere solebant veteres Romani. *V.* COINQUIO. At hæc vox a Lexico est expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 69.

COLLUCTĀTĬO *vel* conluctatio, ōnis, f. 3. actus colluctandi, lucta, conatus adversus aliquem (It. *lotta, combattimento*; Fr. *combat, lutte*; Hisp. *combate, lucha*; Germ. d. *Ringen mit Jmdm.*; Angl. *a struggling or contending together, a wrestling*).

I.) Proprie occurrit — a) De hominibus et brutis. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. *de juvencis.* Ne in colluctatione alter alteri noceat. *Ulp. Dig.* 9. 2. 7. § 4. Si in colluctatione, vel pancratio alius alium occiderit. — b) De amantium complexibus usurpat *Apul.* 9. *Met.* Dum Veneris colluctationibus securius operantur. *Id.* 2. *ibid.* His et hujusmodi colluctationibus ad confinia lucis usque pervigiles egimus. Adde *Lactant.* 1. 17. de Minerva a Vulcano compressa. — c) De agone mortali. *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 18. *de mulo exspirante.* Ipsa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur. — d) De conjunctione dexteræ in salutationibus. *Tertull. de virg. veland.* 11. Rebecca, cum ad sponsum perduceretur, non sustinuit dexteræ colluctationem, nec osculi congressionem.

II.) Translate de vitiis pronunciationis. *Quintil.* 11. 3. 56. Est alius concursus oris, et cum verbis suis colluctatio. *h. e.* difficultas quædam verborum apte exprimendorum.

COLLUCTĀTOR *vel* conluctator, ōris, m. 3. qui cum aliquo luctatur. *Lactant. de opif. Dei* 1. 7. Ille colluctator et adversarius noster, scis quam sit astutus.

COLLUCTOR *vel* conluctor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum *et* luctor). Part. *Colluctans* et *Colluctatus* II. — Colluctor est simul luctor.

I.) Proprie occurrit — a) Absolute. *Apul.* 2. *Met.* Medios latrones invado, ac singulis, ut quemque colluctantem offenderam, gladium altissime demergo. — b) Cum Dativo. *Prudent. Hamartig.* 523. Colluctari prædonibus.

II.) Figurate. ¶ 1. Occurrit — a) Cum Ablat. et præpos. *cum. Colum.* 1. *R. R.* 3. 9. Imbecilliorem agrum, quam agricolam esse debere: quoniam, cum sit colluctandum cum eo (*agro*), si fundus prævaleat, allidi dominum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (5). *de veneno.* Cum eo solo colluctatur. *Gell.* 12. 5. Philosophus cum petulantia morbi colluctans. — b) Absolute. *Vulgat. interpr. Eccli.* 51. 25. Colluctata est anima mea in illa (*sapientia*), et in faciendo eam confirmatus sum. ¶ 2. Cum Infinito pro conari dixit *Capell.* 4. p. 96. His igitur præceptis parere colluctans.

COLLŪDIUM *vel* conludium, ii, n. 2. ludus cum aliquo. ¶ 1. Generatim de jocis innocuis. *Solin.* 12. *de delphinis.* Post assueta colludia. Adde *Symmach.* 3. *Ep.* 5. ¶ 2. Specialim, in re præcipue juridica, est deceptio, fraus. *Ammian.* 19. 5. Confessus debitum, per colludia in nomen fisci translatum. Adde *Imppp. Valent., Valens et Gratian. Cod.* 9. 49. 7.; *Cod.* 11. 31. 3.; et *Symmach.* 4. *Ep.* 20. et *V.* voc. seq.

COLLŪDO *vel* conludo, dis, si, sum, dere, n. 3. (cum *et* ludo). Part. *Colludens* 1. — Colludo est simul cum alio ludo (It. *giuocare, scherzare insieme*; Fr. *jouer avec ou ensemble*; Hisp. *jugar juntos*; Germ. *zusammenspielen*; Angl. *to play or sport together, play with*). ¶ 1. Generatim occurrit — a) Absolute. *Virg.* 1. *G.* 369. Aut summa nantes in aqua colludere plumas. *h. e.* ludentium more volitare. *Inscript.* apud *Orell.* 3166. POTIVS PECORA VENDERE QVAM DIGITIS CONLVDENTIBVS TRADERE. — b) Cum Dativo *Horat. Art. P.* 159. Puer gestit paribus colludere. ¶ 2. Specialim *colludere* apud JCtos dicuntur inter se litigantes, cum ficte et veluti per ludum litigant, alterque patitur se superari, ut tertio cuipiam præjudicium afferatur. *Cic.* 1. *Verr.* 24. 58. Inimicus hostis esset, tanta contumelia accepta, nisi tecum collusisset, et tuæ potius existimationi servisset, quam suæ. *Ulp. Dig.* 48. 5. 3. Colludere magis cum uxore, quam eam animo accusare. Adde *ibid.* 3. 4. 7. § 9. — Similiter procurator colludere cum emptore dicitur, cum ab eo corrumpitur pretio, ut vilius aliquid vendat, ut est apud *Julian. Dig.* 41. 5. 7. § 6.

COLLŪGEO *vel* conlugeo, es, ere, n. 2. (cum *et* lugeo) idem quod lugeo, vel simul lugeo. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 5. Lacessiti collugent, ingemunt.

COLLUM, i, n. 2. Cf. Gr. κῶλον, quod significat et membrum et intestinum crassum. Reperitur etiam *collus*, i, m. apud *Plaut. Capt.* 2. 2. 108. et 4. 3. 2.; cui adde *Catonem, Nævium, Accium, Lucilium, Cæcilium* et *Varron.* apud *Non.* p. 200. 14. et seqq. *Merc.*; quorum tamen omnium auctoritas non persuadet *Quintil.* 1. 6. 42., ut in ornata oratione usurpari permittat. — Ceterum *collum* est pars corporis, quæ caput sustentat (It. *collo*; Fr. *cou*; Hisp. *cuello*; Germ. d. *Hals*; Angl. *the neck*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus ceterisque animantibus, ut colligitur ex *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 67. (177).; et quidem — a) Generatim. *Cato* apud *Non.* l. c. Accipite, si voltis, hoc onus in vestros collos. *Plaut. Amph.* 1. 1. 293. Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum vel labra, malæ, mentum, barba, collum, totus. *Cic.* 5. *Verr.* 33. 76. Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. *h. e.* in ornamenta colli. *Id. Brut.* 91. 313. Procerum et tenue collum. *Id.* 2. *Nat. D.* 47. 123. Quæ autem altiora sunt (*animalia*), ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, adjuvantur proceritate collorum. *Lucret.* 2. 802. Collum columbarum. *Cf. Cic.* 2. *Acad.* (pr.) 7. 19. *Lucilius* apud *Non.* l. c. Anseris collus. *Varro* apud eumd. *ibid.* Collus pavonis. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 10. Jubæ deinde variæ vel ex auro flavæ vel per colla cervicesque in humeros diffusæ. — b) Specialim *dare collum* est victum se fateri. *Virtus* enim tum collum pedibus calcatur, tum jugum collo imponitur. *Propert.* 2. 8. 19. India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 648. Colla triumphati proculcat Honorius Istri. Similiter *Sil. It.* 10. 216. Subdere colla fortunæ. Hinc *eripere colla jugo* apud *Horat.* 1. *Sat.* 7. 91. est servitutem evadere, in libertatem se vindicare. — c) Item specialim reis in jus, vel in carcerem trahendis colla prehendi et torqueri solebant, et fauces obstringi arrepta circa collum tunica, ut vel inviti prompti sequerentur. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 45. Priusquam obtorto collo ad prætorem trahor. *Id. Curc.* 5. 3. 13. Collum obstringe, abduce istum in malam crucem. Similiter *Cic.* 6. *Verr.* 10. 24. Obtorta gula de convivio in vincula abripere. — Aliquando etiam, ut notat *Turneb.* l. 8. c. 34., magistratus ipsi, castigandi gratiâ, minus obedientibus collum torquebant. *Liv.* 4. 53. Consul eum, paucis appellantibus tribunum, collum torsisset, metu ceteri sacramento dixere. — d) Porro hisce omnibus significationibus, modo proprii, modo figuratis, jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Plaut. Trin.* 2. 4. 191. actum est de collo meo. *Ovid.* 6. *Met.* 625. adducere colla lacertis. *Curt.* 3. 12. 26. admovere aliquem collo suo *Sil. It.* 15. 361. amplecti colla alicujus. *Stat.* 4. *Theb.* 827. angere colla monstri. *Ovid.* 18. *Met.* 331. aptare vincula collo. *Virg.* 3. *G.* 167. assuescere servitio colli. *Ovid. Heroid.* 8. 93. captare colla lacertis. *Plaut. Capt.* 2. 2. 104. caret collus collaria. *Ovid.* 2. *Art. am.* 457. cingere colla lacertis. *Virg.* 6. *Æn.* 700. circumdare brachia collo. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. committere alicui collum *Plaut. Epid.* 2. 2. 10. conjicere pallium in collum. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 83. conjicere vincula collo. *Quintil.* 11. 3. 82. contrahere collum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 810. ducere juga collo. *Tibull.* 2. 6. 2. gerere arma collo. *Ovid. Heroid.* 2. 192. jactare colla. *Id.* 3. *Met.* 389. injicere brachia collo. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. inserere collum in laqueum. *Seneca Theb.* 148. inserere colla catenis. *Virg.* 2. *Æn.* 236. intendere vincula collo. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. invadere in collum alicujus. *h. e.* injicere brachia collo atque amplecti. *Virg.* 1. *Æn.* 719. pendere collo complexuque alicujus. *Ovid.* 15. *Met.* 126. percutere collum securi. *Cœlius* apud *Quintil.* 4. 2. 124. petere alicujus collum amplexu. *Ovid.* 1. *Art. am.* 630. plaudere colla quadrupedum. *Cæcilius* apud *Non.* l. c. præcidere collum. *Plaut. Capt.* 4. 3. 2. prætruncare collos. *Ovid.* 7. *Met.* 211. premere collum aratro. *Virg.* 11. *Æn.* 622. reflectere mollia colla. *Q. Cic. Petit. cons.* 3. 8. secare alicui collum gladio. *Virg.* 2. *G.* 542. solvere fumantia colla equorum. *Tibull.* 1. 2. 91. subdere colla vinculis. *Colum.* 2. *R. R.* 3. 2. subigere colla boum. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 13. supponere colla jugis. *Virg.* 11. *Æn.* 11. suspendere aliquid collo. *Cic.* 7. *Verr.* 42. 608. sustinere avaritiæ alicujus pœnam collo et cervicibus. *Ovid.* 2. *Met.* 100. tenere colla lacertis. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 42. tollere aliquem in collum. *Ovid.* 6. *Met.* 377. tumescunt colla.

II.) Improprie dicitur de iis, quæ colli similitudinem ac speciem referunt: et quidem — a) De vasis. *Cato R. R.* 88. Amphoram defracto collo puram impleto aquæ puræ. *Phædr.* 1. 26. et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 48. (176). Collum lagenæ. *Plin.* 17. *ibid.* 21. 35. (161). Colla fictilia. *h. e.* tubuli fictiles. — b) De floribus. *Virg.* 9. *Æn.* 436. lasso papavera collo Demisere caput. — c) De montibus. *Stat.* 9. *Theb.* 643. frondea colla Parnassi. *h. e.* juga subjecta vertici.

Homonym. Quid collum a *cervice* differat, *V.* CERVIX in fin.

COLLŪMĬNO *vel* conlumino, as, are, a. 1. illumino, vel simul illumino. *Apul. de Deo Socrat.* Serv. Tullius flamma colluminetur a capite. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 830. Solis radius colluminat omnes.

COLLŬO *vel* conluo, luis, lui, lūtum, luere, a. 3. (cum *et* luo). Part. *Collutus.* — Colluo est idem quod lavo, vel simul lavo: et occurrit — a) Absolute. *Pompon. Dig.* 41. 1. 30. § 2. Cum amnis paullatim colluendo, locum eminentem supra alveum fecit. — b) *Colluere aliquid* vel *aliquid aliqua re* est liquore aliquo luendo mundare. *Cato R. R.* 100. Metretam amurca colluere. *Pers.* 1. 18. Liquido plasmate guttur colluere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (53). Colluere dentes aquâ. *Id.* 28. *ibid.* 19. 77. (252). Lacte equino juvantur vulvæ collutæ. *Id.* 23. *ibid.* 6. 56. (105). Os collutum decocto. *Id.* 25. *ibid.* 13. 105. (166). Succus verbenacæ aceto collutus. *Id.* 37. *ibid.* 10. 50. (135). Gemma melle colluta. Adde eumd. 28. *ibid.* 11. 48. (174). — Et cum Ablat. et præpos. *de. Id.* 23. *ibid.* 4. 38. (77). De oleo colluere os ad dentium firmitatem.

COLLURCHĪNĀTĬO *vel* conlurchinatio, *et* collurcinatio *vel* conlurcinatio, ōnis, f. 3. aviditas, voracitas: a lurcor. *Apul. de Mag.* Quæ omnia in paucis annis hic degulator studiose in ventrem condidit, et omnimodis collurcinationibus dilapidavit. *Claud. Mamert. de statu Anim.* 2. 9. *ad fin.* Qui stipem suam variis collurcinationibus dilapidavit parasitico more. *V.* LURCABUNDUS. — Quidam apud *Apul.* leg. *cohircinationibus*, et exponunt, hircinis lasciviis: apud *Mamert.* vero *collucernationibus*: sed utrumque minus recte.

COLLUS, i, *V.* COLLUM sub init.; et CULLUS.

COLLŪSĬO *vel* conlusio, ōnis, f. 3. actus colludendi; sed occurrit specialim tantummodo in re juridica, pro dolo, fraude ex composito facta, eo modo, quo in

COLLUDO 2. explicatum est. *Cic.* 5. *Verr.* 13. 33. Cum verbo judicium sit in edicto, re quidem vera tuorum comitum collusio cum decumanis sociis tuis. *Seneca* 5. *Controv.* 31. *ad fin.* Noluit videri, per collusionem patri titulum fortissimi viri contigisse. *Ulp. Dig.* 40. 16. qui est *De collusione detegenda*, 4. Si libertinus per collusionem fuerit pronunciatus ingenuus. *Martian. ibid.* 8. 5. 19. Cedere litem adversario per collusionem. Adde *ibid.* 12. 2. 30. § 3. *Apul. de Mag.* p. 322. *Elm.* Hinc jam illa inter virum et uxorem nota collusio: qui amplam stipem mulieri detulerunt, nemo eos observat, suo arbitratu discedunt; qui inaniores venere, signo dato pro adulteris deprehenduntur, et quasi ad discendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid scripserint.

COLLŪSIUM, ii, n. 2. idem quod collusio. *Ulp. Dig.* 17. 1. 8. Si per collusium procuratoris absolutus sit adversarius. Ita *Torrentin.*, ubi in margine adscriptum est pro varia lectione *collusionem*, quod alii plerique receperunt: at fortasse rectius *colludium*, quod in *Cod. Justinian.* et sæpius in *Cod. Theodos.* occurrit.

COLLŪSOR vel conlusor, ōris, m. 3. qui cum altero ludit. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Phil.* 39. 101. Hunc tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 23. 56. et 5. *ibid.* 5. 13. *Plin.* 9. *Ep.* 33. Delphinus collusor puerorum. Adde *Sueton. Cal.* 41. et *Dig.* 11. 5. 1. § 1. ¶ 2. Speciatim est qui in judicio colludit: *V.* COLLUSIO. *Impp. Diocletian. et Maxim. Cod. Theod.* 7. 20. 2. Contra collusorem pœna statuta.

COLLŪSŌRIE vel conlusorie, adverb. per collusionem. *Ulp. Dig.* 30. 1. 50. § 2. Qui collusorie de hereditate litigavit.

COLLUSTRĀTUS vel conlustratus, a, um. *V.* COLLUSTRO.

COLLUSTRĪUM vel conlustrium, ii, n. 2. collegium rusticum, quod agrorum lustrationibus præerat; ex *Siculo* vero *Flacc.* inter *Auct. rei agrar.* p. 29. *Goes.* liquet pagorum magistros pagos lustrare solitos fuisse. *Inscript.* apud *Murat.* 89. 3. eaque emendatior apud *Jo. Labusium* in *Ant. Monum. Bresc.* p. 67., quæ est apud *Orell.* 1773. FATIS FATALIBUS DRVINVS M. NONII ARRII MVCIANI COS. ACTOR PRAEDIORVM TVBLINATIUM TEGVRIVM A SOLO INPENDIO SVO FECIT ET IN TVTELA EJVS HS. N. CC. CONLVSTRIO FVNDI VETTIANI DEDIT. *h. e.* iis, qui fundum Vettianum conlustrare solent: Itali dicunt *il consorzio*. V. *Labus Fasti della Chies.* T. 5. p. 644., ubi vocem hujus Inscript. *conlustrio* interpretatur ille *lustrationi*: at *Orellius l. c.* nobiscum sentit, putat enim collustrium fuisse collegium eorum, qui communibus lustrationibus fundorum uterentur.

COLLUSTRO vel conlustro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et lustro). Part. *Collustrans* et *Collustratus* sub 1. — Collustro est illustro, collumino: et occurrit ¶ 1. Objective, uti ajunt, et significat in luce collocare. *Cic.* 2. *Nat. D.* 36. 92. Sol omnia clarissima luce collustrans. *Id.* 2. *Divinat.* 43. 91. Luna lumine solis collustrari putatur. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 17. *Id. Orat.* 11. 36. In picturis alios horrida et opaca; contra alios nitida, læta, collustrata delectant. ¶ 2. Subjective, uti ajunt, et significat luce a se emissa aliquid circumdare, adeoque circumspicere. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 69. Cum omnia collustrarem oculis. *Virg.* 3. *Æn.* 651. omnia. *Tac.* 2. *Ann.* 45. cuncta.

COLLŪTĪO vel conlutio, ōnis, f. 3. actus colluendi, ablutio. *Scribon. Compos.* 53. Cum dolor dentium urgebit, varie sedandus est partim collutione quorumdam, partim commanducatione. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. Adhibenda etiam oris collutio ex potu aquæ calidæ.

COLLŪTŬLO vel conlutulo, as, are, a. 1. (cum et lutum) luto inquino, polluo: sed occurrit translate tantum pro dedecus afferre. *Plaut. Trin.* 3. 2. 66. Hæc famigeratio te honestet, me autem collutulet, si sine dote duxeris. Cf. *Non.* p. 84. 25. *Merc.*

COLLŪTUS vel conlutus, a, um. *V.* COLLUO.

COLLŬVĬĀRIS vel conluviaris porcus dicitur, qui cibo permixto, et colluvie nutritur. *Paul. Diac.* p. 57. 8. *Müll.* Alii leg. *colluvialis.*

COLLŬVĬĀRĬUM, ii, n. 2. canalis, per quem colluvies et immunditiæ ejectantur. Est qui affert in hanc rem locum *Sueton. Aug.* 40., sed ibi *colluvione* legitur: *V.* loc. in COLLUVIO. — *Vitruv.* usurpat de spiraculis, quæ caventur in canalibus aquæductuum ad emittendum aerem. Verba ejus sunt 8. 6. 8. *Schneid.* Etiam in ventre colluviaria sunt facienda, per quæ vis spiritus relaxetur. Alii leg. *columnaria*; sed *colluviaria* retinendum: nam, ut ait *Polænus* ad *Frontin. Aquæd.* p. 160., ita videntur appellata, quod ea non modo spiramentorum loco essent, sed etiam quod per ea egeri possent, ubi opus esset, inquinamenta, itaque rivi purgarentur. Certe *Schneider.* hanc lectionem retinuit. V. *Avellino Descriz. d'una casa Pompej.* p. 77. *col.* 1.

COLLŬVĬES vel conluvies, ēi, f. 5. (colluo). Concreto, uti ajunt, sensu tantummodo usurpatur, et est sordes varii generis simul confluentes, concursus immunditiarum (It. *ragunamento d'immondezze*; Fr. *réunion d'immondices*; Hisp. *reunion d'inmundicias*; Germ. *d. Zusammenspülung*; Angl. *conflux of different impurities*).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 15. 8. Colluvies cortis et ædificii. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5. 6. et 1. *ibid.* 6. 21.; et *Lucan.* 4. 313. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 116. (176). Medetur et suibus effossa sine ferro et addita in colluviem poturis. *h. e.* in aquam sordidam, in qua furfures et olera mixta sunt. *Ulp. Dig.* 43. 22. 1. § 2. Cloaca est locus cavus, per quem colluvies quædam fluit. Adde *ibid.* § 4.

II.) Figurate. *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 7. Et te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quæ perspicitur futura, colluvie regnare. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 15. et 41., et 5. *Hist.* 12. *Id.* 2. *Hist.* 16. In multa colluvie rerum, majoribus flagitiis permixti. *Id.* 2. *Ann.* 55. Colluvies nationum. *Justin.* 2. 6. populi.

COLLŬVĬO vel conluvio, ōnis, f. 3. (colluo) idem fere quod colluvies, pariterque concreto, uti ajunt, sensu usurpatur, sed figurate tantum. *Cic. Senect.* 23. 85. O præclarum diem, cum ex hac turba et colluvione discedam! Cf. *Non.* p. 82. 9. *Merc.* Rursus *Cic. Vatin.* 9. 23. Ferocitas Gracchorum, audacia Saturnini, colluvio Drusi, et cruor Cinnanus. Cf. *Cod. Theod.* 13. 3. 7. *Cic. Sext.* 7. 15. Ille nefarius ex omnium scelerum colluvione natus. *Liv.* 3. 6. Mixtorum omnis generis animantium colluvio. *Id.* 4. 2. Colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum afferre. *Id.* 3. 11. rerum. Adde *eumd.* 22. 43. et 26. 40. *Curt.* 10. 2. 6. Colluvio ordinum hominum. Adde *Plin.* 3. *Ep.* 8. *Gell.* 1. 15. 17. Colluvio verborum teterrima. *Sueton. Aug.* 40. sanguinis peregrini et servilis. — In plur. num. *colluviones* legitur apud *Arnob.* 5. 22.

COLLŬVĬUM vel conluvium, ii. *V.* ALLUVIUM.

COLLȲBISTA vel collybistes, æ, m. 1. κολλυβιστής, mensarius, vel nummularius, qui ex pecuniæ permutatione quæstum facit. *Hieronym. Comment.* 21. *Matth.* docet, apud Judæos distingui *collybistas* a *nummulariis*. Hos enim esse, qui pro pecunia mutuanda usuras pecuniæ exigunt; *collybistas* vero, qui non quidem pecunias, sed alterius generis munuscula usuræ loco accipiunt, ut frictum cicer, uvas passas, poma, et hujusmodi species, quæ Græce τρωγήματα, *h. e.* bellaria, et ab ipsis *collyba* appellantur: quam significationem etiam *Hesych.* apud Græcos agnoscit. Hæc autem munuscula collybistæ accipiebant, quia usuras, seu pecuniam, accipere vetitum eis erat. *V.* CAMBIO et CAMPSO.

COLLȲBUS vel collubus, i, m. 2. κόλλυβος. *Collybum* neutr. gen. habes apud *Hieronym. loc. cit.* in voce præced. — Collybus est permutatio pecuniæ cum pecunia alterius generis. Id enim significat, præter cetera, Græca vox, teste *Poll. l.* 3. *c.* 9. *et l.* 7. c. 33. Hoc sensu *Cic.* 12. *Att.* 6. 1. Vide ne qua lacuna sit in auro. Ego ista novi: sed certe in collybo est detrimenti satis. *Cassius Parmens.* apud *Sueton. Aug.* 4. Non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: Materna tibi farina ex crudissimo Ariciæ pistrino: hanc finxit manibus collybo decoloratis Neruloncnsis mensarius. *h. e. e.* contrectatione pecuniæ permutandæ. *V.* MUTATURA. — Ponitur etiam pro pretio, quod accipit nummularius pro opera impensa in pecuniis permutandis. *Cic.* 5. *Verr.* 78. 181. Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione et collybo, deinde pro nescio quo cerario. et *mox.* Nam collybus quinam esse potest, cum utantur omnes uno genere nummorum? V. *Cavedoni Mon. di Atene* p. 26. *nota C.*

COLLȲRA, æ, f. 1. κολλύρα, genus panis, rotundæ fere figuræ, lata et compressa, quod vel in sartagine frigitur ex jure, vel sub cinere coquitur. *Plaut. Pers.* 1. 3. 12. Collyræ facite ut madeant, et colliphia.

COLLȲRĬCUS, a, um, adject. ad collyras pertinens. *Plaut. Pers.* 1. 3. 15. et 17. Jus collyricum. *h. e.* ex quo collyræ coquuntur, et eduntur.

COLLȲRĪDA, æ, f. 1. idem quod collyris, seu parva collyra. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 6. 19. Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam. *Id. Levit.* 7. 12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admixtione conspersas. Adde *ibid.* 8. 26.

COLLȲRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* collyrium, parvum collyrium. *Macer* (*exiguæ admodum auctoritatis scriptor*) 4. 12. Vel collyriolum si supponatur in anum.

COLLȲRIS, idis, f. 3. κολλυρίς, parva collyra.

I.) Proprie. *Augustin. de Gen. ad litt.* 8. 5. *ad fin.* Profecto licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit.

II.) Improprie. ¶ 1. *Tertull. Cult. fem.* 2. 7. ponitur pro ornamento in capitibus feminarum figura collyridem referente. De qua *V.* in COLLYRA. ¶ 2. *Collyris* est etiam herba, alias malva erratica. *Apul. Herb.* 40.

COLLȲRĬUM, ii, n. 2. Reperitur etiam *colyrium* et *colurium* unico *l*, et *y* in *u* Latinum verso. — Collyrium, Græce κολλούριον, et extrita priore diphthongi vocali, κολλύριον, est medicamentum ex solidis rebus confectum, ad varios usus, tereti fere figura, in modum caudæ muris truncatæ, (a κόλος *mutilus*, et οὐρά *cauda*, ut placet *Voss.*) quod fistulosis corporis partibus immitti solet, veluti meatui naris affectæ, vel aurium, ano, etc. *Cels.* 5. 28. n. 12. Collyrium fieri debet altera parte tenuius, altera paullo plenius: idque ea parte, qua tenuius est, antecedente, demitti oportet in fistulam. *Scribon. Compos.* 142. Injicere collyrium in anum. *Id. ibid.* Fiant collyria magnitudinis nucleorum pineorum. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 4. *de equorum morbis.* Collyrium tenue inditur foramini, quo meat urina. *Id. ibid.* Subjicere collyria, quæ ventrem movent. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (139). Axungia collyrii modo subdita. *Id.* 26. *ibid.* 12. 78. (126). Verbasci radicis medulla collyrii tenuitate in fistulam additur. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 11. 47. (168). et *Cajum* 2. *Instit.* 79. — Est præterea medicamentum sive liquidum, sive solidum ad oculorum morbos. Hac notione nonnulli derivant a *collyra*, quod omnia collyria solida et sicca in panes redigi soleant collyris similes. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 30. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus illinere. *Cels.* 7. 7. n. 4. et 8. Inungere oculum collyrio. — Apud *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *collyrium* dicuntur pilæ columnarum structiles in collyrii figuram effictæ. *V. Interprr.* ad *h. l.* et v. COLURIA in hoc Lexico.

CŌLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Præter. perf. *colavi* nusquam occurrit. — Part. *Colans* et *Colatus.* — Colare est paullatim liquorem aliquem, stillatimque emittere, vel rem aliquam per colum purgare: a *colum.* *Scribon. Compos.* 271. Colare aliquid per linteum. *Colum.* 9. *R. R.* 16. 1. Ceram per stramenta defusam colare. *Id.* 12. *ibid.* 11. 1. Mel expressa aqua coletur. *Id.* 7. *ibid.* 8. 7. Colare cribro thymum. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (86). Terra colans. *h. e.* stillatim emittens aquam. *Id. ibid.* 8. 44. (95). Colata fex. *Id.* 25. *ibid.* 13. 103. (164). Succus linteo colatus. *Id.* 21. *ibid.* 4. 49. (83). Favi sporta colati. Adde *Pallad.* 9. *R. R.* 27. *Apic.* 4. 2. Accipies asparagus, in mortario fricabis, aquam suffundes, per colum colabis. *Apul. Flor.* 1. n. 6. Colare aurum. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 19. *Schneid.* aliquid ad colum. — Poetice *amnes inductis retibus colare* est rete piscari apud *Manil.* 5. 193. *V.* COLUM. — Hinc Part. præter. pass.

Colatus, a, um, Adjective quoque occurrit, unde Comp. *Colatior*; sed figurate. *Tertull. Anim.* 9. Berylli fluctuant colato nitore. Cf. *Gonor. observ.* 2. 7. p. 266. *Id. ibid.* 48. Certiora et colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus.

CŎLO, cŏlis, cŏlui, cultum, cŏlere, a. 3. Part. *Colens* I. 1. et in fin.; *Cultus* in fin.; *Culturus* I. 2.; *Colendus* II. 3. — *Colo*, ratione habita etymi, conjungi potest cum *cello* et κέλλω, h. e. *traho, duco,*

impello, unde βουκόλος qui boves ducit, bubulcus; vel etiam cum πόλω et πολέω volvo, verto, atque ideo tracto, curo, Græcum enim π sæpe in c apud Latinos vertitur, quemadmodum ab ἵππος fit equus, a λείπω linquo, ab ἕπομαι sequor, ab ὄπ (τομαι) oculus, etc. — Ceterum colo est studium, operam, laborem pono in re aliqua perficienda, assiduus sum circa rem aliquam, exerceo, excolo, curo (It. lavorare, coltivare, esercitare; Fr. travailler, cultiver, soigner; Hisp. labrar, cultivar; Germ. etwas treiben, betreiben, um etwas herum sein Geschäft treiben; Angl. to exercise, labour upon, cultivate).

I.) Proprie et stricto sensu. ¶ 1. Usurpatur de agris; quo sensu colere est generale verbum, quod tractare agrum, conserere, arare et similia tam 2am species complectitur, ut colligimus ex Caton. R. R. 61. Quid est agrum bene colere? bene arare. Quid secundum? arare. Tertio? stercorare. Et mox. Cetera cultura est multum serere, et diligenter eximere semina, et per tempus radices plurimas cum terra ferre; ubi radices bene operueris, calcare bene. Occurrit autem — a) Fere cum Accusativo. Cic. Rosc. Am. 18. 50. Suos agros studiose colere. Colum. 2. R. R. 2. 4. Neque enim aliud est colere, quam resolvere et fermentare terram. Ovid. 1. Amor. 13. 15. Prima bidente vides oneratos arva colentes. — Jungitur et pluribus aliis Substantivis, agros generatim vel peculiare quoddam culturæ genus significantibus, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cato l. c.; Ter. Phorm. 2. 3. 17.; Cic. 2. leg. Agr. 25. 67.; Varro 1. R. R. 17. 2.; Liv. 5. 5.; et Plin. 18. Hist. nat. 6. 7. (38). agrum. Cic. 2. Tusc. 5. 13.; Cæs. 5. B. G. 12.; Nepos Pausan. 3.; Curt. 5. 5. 23.; et Colum. 1. R. R. præfat. 19. agros. Horat. 2. Od. 15. 22. et Gell. 19. 12. arbores. Quintil. 1. 12. 7. arbustum. Horat. 3. Od. 5. 24.; Ovid. 1. Amor. 13. 15. et Quintil. 1. 12. 7. arva. Colum. 1. R. R. præfat. 14. fines patrios. Virg. 2. G. 36. fructus. Ovid. 15. Met. 134. fruges. Cato R. R. 2.; Varro 1. R. R. 1. 2.; et Horat. 2. Sat. 5. 13. fundum. Ovid. 1. Pont. 8. 50. glæbam. Virg. 4. G. 118; et Ovid. 14. Met. 624. hortos. Cf. Curt. 4. 1. 19. Colum. 1. R. R. præfat. 14. jugera agri captivi. Quintil. 1. 12. 7. oleas. Ovid. 14. Met. 687. poma. Cic. Rosc. Am. 17. 49.; et Colum. 1. R. R. præfat. 12. prædia. Catull. 64. 38.; Tibull. 1. 5. 21. Colum. 1. R. R. præfat. 17. et 1. 1. rura. Virg. 2. G. 413. rus. Colum. 2. R. R. 2. 8. solum. Quintil. 1. 12. 7. vineta. Cic. 4. Fin. 14. 38. et apud Macrob. 2. Saturn. 16.; et Gell. 19. 12. vitem. — Colere monumentum patris est jocus in ambiguo, quo usus est Augustus apud Macrob. 2. Saturn. 4. Vettius, cum monumentum patris exarasset, ait Augustus: Hoc est vere monumentum patris colere. — b) Raro absolute. Varro 1. R. R. 2. 8. Duo in primis spectasse videntur Italici homines colendo; possentne etc. Virg. 1. G. 121. pater ipse colendi Haud facilem esse viam voluit. Adde Dig. 19. 2. 54. § 1. ¶ 2. Quoniam qui agros colunt, ibidem permanere et habitare necessario debent, (qua in re populi agricolæ a pastoribus distinguuntur); vel etiam quoniam loco, in quo habitamus, curam impendimus: factum est, ut colere ponatur sæpissime pro habitare, quamvis aliquantulum ab ipso differat: V. Homonym. in fin. Occurrit autem — a) Cum Accusativo loci. Plaut. Aulul. prol. 3. Hanc domum jam multos annos est cum possideo et colo. Id. Bacch. 4. 2. 21. Colere regiones Acherunticas. Cic. 2. Fam. 12. 2. Urbem, urbem, mi Rufe, cole et in ista luce vive. Forcellinus recte hic accepit colere pro frequentem et assiduum esse in loco aliquo; quod tamen idem est atque habitare. Id. 2. Nat. D. 66. 164. Homines, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. Adde Tac. 2. Ann. 60. Lucret. 5. 953. Colere nemora, montes silvasque. Catull. 63. 70. Idæ loca. Virg. 4. Æn. 343. urbem Trojanam. Id. 6. ibid. 735. Elysium. Ovid. 4. Fast. 437. Unaque, pastorem vidisset an arva colentem, Vox erat. Id. 11. Met. 146. Colere silvas et rura. Curt. 4. 8. 6. Urbem advenarum frequentia culturа. Id. 7. 7. 4. Colere regionem. Id. 9. 2. 3.; et Tac. 1. Ann. 59. et Germ. 28. ripam. — Et de Poetis Propert. 3. 5. 41. Me juvat in primâ coluisse Helicona juventâ. — De brutis vero Virg. 3. G. 430. Anguis stagna colit. Ovid. 2. Met. 380. Quæ colat elegit (cygnus) contraria flumina flammis. — b) Absolute — Et quidem cum additis Adverbiis loci, ubi quis habitat. Plaut. Pseud. 1. 2. 68. Huncine hic hominem pati colere juventatem? Liv. 24. 49. Maurusii prope Oceanum adversus Gades colunt. Id. 21. 26. Colere circa ripam Rhodani. Id. 45. 29. prope Axium flumen ad regionem orientis. Curt. 1. 7. 19. qua vergit ad Oceanum. Id. 6. 2. 13. super Bosphorum. Id. 7. 8. 30. ultra Tanaim usque ad Thraciam. Manil. 1. 234. circum terram. Apul. 1. Met. extra urbem et pomœrium. Tac. 2. Ann. 41. usque ad Albim. Gell. 9. 4. ultra Borysthenem. — Omnino absolute. Liv. 42. 67. Antrona voluntate colentium recepit. Adde Curt. 9. 9. 2.; et Tac. Germ. 16. et 32. — Impersonaliter. Plaut. Most. 3. 2. 77. Quia hic audivit esse æstatem perbonam: sub dio coli absque sole perpetuum diem. ¶ 3. Hinc ponitur etiam de diis, qui aliquo in loco vel circa personam aliquam habitare credebantur: quo sensu colere est etiam curam habere, prospicere, fovere, amare; numinis enim præsentia et auxilium sunt unum idemque; cf. præsentem esse. Plaut. Pœn. 5. 1. 17. Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt. Id. ibid. 5. 4. 14. Juppiter, qui genus colis alisque hominum etc. Sic Cic. 1. Nat. D. 41. 115. Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dii non modo (juxta Epicurum) homines non colant, sed penitus nihil curent, nihil agant? Catull. 36. 12. Quæ (Venus) sanctum Idalium Uriosque apertos Quæque Ancona Cnidumque arundinosam Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos, Quæque Durrachium Adriæ tabernam. Liv. 5. 21. Juno regina, quæ nunc Vejos colis. Id. 24. 38. Di, qui hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque colitis. Adde eumd. 29. 27. et 31. 30. Virg. 2. Ecl. 61. Pallas, quas condidit arces, Ipsa colat. Id. 3. ibid. 60. Jovis omnia plena: Ille colit terras, illi mea carmina curæ. Servius huc trahit et illud 1. Æn. 19. Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo. Horat. 2. Ep. 1. 7. dum terras hominumque colunt genus (Castor et Pollux). Adde Ovid. 1. Met. 576., 5. ibid. 498. et 663., 14. ibid. 331. et 15. ibid. 545.

II.) Improprie, seu latiori sensu colere ponitur pro curam impendere alicui rei aut personæ ita ut hæc sit perfecta, elegans, prospera: et usurpatur ¶ 1. Raro, materiali ratione — a) De inanimis. Varro apud Non. p. 251. 32. Merc. Colligabant stramenta, qui (h. e. quibus) domicilia colerent. h. e. casam stramentis tegerent, sarcirent, instruerent. Similiter Ovid. 2. Met. 737. Pars secreta domûs ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos. Alii leg. comptos: Heinsius tamen putat, vulgatam lectionem non esse temere sollicitandam; Statius enim 6. Theb. de Gorgoneo capite: variâ formidine cultum Tollit in astra nefas. Cf. etiam August. apud Macrob. loco super. cit. sub I. 1. a. in fin. — b) Sæpius de corpore vel humani corporis membris, quæ accurate comuntur. Ovid. 3. Art. am. 107. Corpora si veteres non sic coluere puellæ. Tibull. 1. 9. 9. Colere capillos. Id. ibid. 67. Ah pereant artes et mollia jura colendi. h. e. comendi. Ovid. 10. Met. 534. formam augere colendo. Curt. 9. 9. 21. Colere brachia et lacertos auro. Petron. Satyr. 32. lacertum armillâ aureâ. V. et Cultus in fine hujus voc. — Huc referri potest et illud Plaut. Pœn. prol. 13. Exerce vocem, per quam vivis et colis. ubi vivis, est victum tibi paras; colis, victum ac vestitum. ¶ 2. Sæpissime, morali ratione, de rebus ponitur, et est curam habere, fovere, plurimi facere, honorare. Cic. 1. Off. 2. 4. In officio colendo sita est vitæ honestas omnis, in negligendo turpitudo. Ovid. 2. Art. am. 121. ingenuas pectus coluisse per artes Cura sit. — Hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Plaut. Men. 4. 2. 10. æquum et bonum. Lucret. 5. 1144. ævum. h. e. ætatem agere. Cic. 3. Herenn. 3. 4. affinitates. Plaut. Cist. 1. 1. 23. et Cic. 1. Off. 2. 5. amicitiam. Sall. Jug. 8. amicitiam populi Romani. Cic. 2. Fin. 26. 83. et Amic. 22. 35. amicitias. Curt. 8. 2. 32. amicitiam cum fide. Virg. 11. Æn. 584. et Tibull. 2. 4. 52. amorem. Cic. 3. Fam. 13.; Ovid. 2. Fast. 508. et Sueton. Tib. 60. artes. Plaut. Trin. 2. 2. 16. artes malas. Propert. 3. 13. 48. aurum victâ pietate. Liv. 7. 30. beneficium acceptum. Cic. 3. Herenn. 3. 4. clienteias, cognationes. Id. 1. Off. 41. 149. conciliationem et consociationem communem totius generis hominum. Id. 2. Fin. 31. 102. diem natalem alicujus. Id. 2. Orat. 35. 148. diligentiam. Id. Brut. 31. 117. disciplinam aliquam. Plaut. Capt. 2. 1. 26. dolos astu. Cic. 1. Invent. 2. 3. et Curt. 7. 8. fidem. Ovid. 1. Met. 90. fidem rectumque. Curt. 10. 3. 9. fortitudinem. Cic. 1. Off. 1. 3. genus orationis æquabile et temperatum. Id. 3. Herenn. 3. 4. hospitia. Id. ibid. et 1. Legg. 12. 33. jus. Liv. 27. 17. jus et fas. Cic. 1. Off. 2. 5. justitiam et liberalitatem. Adde eumd. 2. Tusc. 13. 31. et 3. Fin. 22. 71. Id. Parad. 5. 1. § 34. leges sequi et colere. Sil. It. 6. 464. Martem. h. e. bellum. Cic. 2. Fin. 31. 101. memoriam defuncti. Id. post red. ad Quirit. 10. 24. memoriam beneficii colere benevolentia sempiterna. Ovid. 2. Fast. 518. militiam. Plin. Paneg. 1. morem. h. e. sequi. Plaut. Cas. 5. 4. 1. mores Massilienses. Sall. Cat. 9. mores bonos. Martial. 9. 12. Musas severiores. Cic. 1. Legg. 5. 16. munus aliquod colere et efficere. Plaut. Stich. 1. 1. 35. officium suum. Liv. 45. 8. et Ovid. 11. Met. 297. pacem. Plaut. Asin. 3. 1. 6.; Ter. Hecyr. 3. 4. 33.; et Cic. 3. Off. 21. 82. pietatem. Cic. 5. Verr. 3. 6. pudorem et pudicitiam. Plaut. Pœn. 5. 2. 137. quæstum suum. Cic. Flacc. 4. 9. religionem et fidem testimoniorum. Cf. eumd. Fontej. 10. 21. Plaut. Pœn. 4. 2. 7. servitutem colere apud aliquem. h. e. servire. Cic. 3. Herenn. 3. 4. societates. Id. 5. Fin. 19. 50. et 3. Fam. 13. studia. Id. Brut. 91. 315. studium philosophiæ. Id. 12. Att. 28. nec victum, nec vitam. Id. fragm. apud Non. 4. 280. edit. vet. victum lautum et elegantem. Cic. Arch. 7. 16. virtutem percipere et colere. Plaut. Rud. 1. 5. 25. vitam. h. e. agere, seu vivere. Adde eumd. Trin. 3. 2. 71. Sic Ter. Heaut. 1. 1. 84. vitam inopem colere. Adde Cic. 4. Herenn. 14. 21. et 12. Att. 28.; et Virg. 3. G. 532. ¶ 3. Cum Accusativo personæ significat cura, studio, observantia, obsequio, veneratione prosequi: et occurrit — a) Raro de externa colendi alicujus ratione. Cic. 10. Att. 8. 9. Nihil mihi unquam gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti. h. e. meæ Tulliæ curam habuisti eique prospexisti. Sall. Jug. 85. Milites arcte, se opulenter colere. Cf. Sueton. Cæs. 67. Liv. 40. 57. Regionum principes donis colere. Adde eumd. 31. 43. et 45. 20.; et Curt. 3. 7. 11. Nepos Att. 20. Colere aliquem litteris. h. e. sæpe ei scribendo. — b) Sæpius morali ratione, et colere est plus quam observare: V. Homonym. in fin. Plaut. Cist. 1. 1. 18. Colere aliquem et magnificare. Cf. Ter. Adelph. 3. 2. 54. Id. Ter. Phorm. 2. 4. 9. Colere amatores. Id. Adelph. 3. 8. 4. Familiam colere, adjuvare, adjungere. Cic. 13. Fam. 25. Colere aliquem diligentissime. Id. Amic. 22. 85. Amicos deligere et colere. Id. 16. Att. 16. D. § 14. Mirifice aliquem colere et amare. Id. 2. Legg. 3. 5. Magistratus colere diligereque. Id. Amic. 22. 82. Colere inter se ac diligere. Id. 13. Att. 11. 1. Colere inter se commodius. Id. 5. Fam. 8. 2. Neque unquam mihi tui colendi aut ornandi voluntas defuit. Id. 4. ibid. 4. 5. Colere aliquem summâ observantia. Id. ibid. 1. 1. viros doctissimos semper. Id. Flacc. 22. 52. aliquem in primis. Id. Brut. 1. 1. aliquem in parentis loco. Id. 2. Phil. 38. 99. aliquem patris loco. Id. 2. leg. Agr. 35. 95. majores suos in deorum immortalium numero. Id. 1. de republ. 12. 18. aliquem ut deum. Cf. Curt. 8. 5. 11. reges suos inter deos. Id. 4. 7. 28. divinis honoribus regem. Id. 4. 2. Parentum loco culti. Nepos Att. 20. Colere aliquem florentem. Liv. 44. 1. socios cum fide. Id. 23. 40. Qui non desciverant, ut socii fideles accepti cultique. Quintil. 5. 7. 6. senem adolescentulus. Id. 6. 3. 94. domum alicujus. Tac. 2. Ann. 42. aliquem nullo officio. Adde Sueton. Oth. 2. Martial. 2. 55. Vis te, Sexte, coli: volebam amare. Parendum est tibi: quod jubes, colêris. Sed si te colo, Sexte, non amabo. Gell. 3. 1. ad fin. In sese colendo parcum esse. — Huc pertinet et illud Horat. 1. Od. 35. 21. Te Spes et albo rara Fides colit Velata panno, nec comitem abnegat. ¶ 4. Sæpe refertur ad religionem, et usurpatur cum Accusativo deorum aut sacrorum; jungiturque cum verbo venerari, a quo differt: V. Homonym. in fin. Cic. 1. Nat. D. 41. 115.; Liv. 39. 15. et Ovid. 1. Pont. 9. 38. Colere deos. Rursus Cic. 1. Nat. D. 20. 56. deos pie sancteque. Id. 3. Herenn. 3. 4. jus in deos religiose. Id. Harusp. resp. 13. 28. omnia illa (divina) summâ religione. Id. 1. Tusc. 12. 27. magnâ curâ cæremonias sepulcrorum. Id. Arch. 11. 27. Musarum delubra. Cæs. 6. B. G. 16. deum maxime Mercurium. Nepos Timol. 4. sacellum sanctissime. Id. Themist. 8. sacrarium summâ cæremonia. Liv. 1. 7. aram ritu alicujus dei. Id. 3. 57. religiones pie magis quam magnifice. Ca-

tull. 61. 48. aliquem cœlitum. *Virg.* 1. *G.* 30. numina alicujus. *Id.* 5. *Æn.* 458. templum. *Id.* 7. *ibid.* 602. morem sacrum. *Horat. carm. sæc.* 2. Phœbum et Dianam. *Ovid.* 6. *Met.* 171. Latonam per aras. *Id.* 3. *Pont.* 1. 76. deum pietate. *Id.* 15. *Met.* 518. deum templis. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 10. *Ovid.* 3. *Amor.* 16. 10. Cererem secubitu. *Id.* 4. *Pont.* 15. 24. numina pietate. *Id.* 6. *Fast.* 179. festa cæsâ sue. *Id.* 4. *ibid.* 296. focos virginitate. *Id.* 6. *Fast.* 283. virgineis dea culta ministris. *Id.* 11. *Met.* 578. Colere templa. *Id.* 4. *Pont.* 2. 49. sacra Musarum. *Curt.* 4. 3. 21. Apollinem nimia religione. *Id.* 10. 3. nomen alicujus inter deos. *Seneca Herc. Œt.* 580. deum precibus. *Plin. Paneg.* 11. deum aris, pulvinaribus, flamine. *Sueton. Galb.* 4. simulacrum supplicationibus. *Id. Vitell.* 2. imagines Narcissi et Pallantis inter Lares. — Hinc

Colens, entis, particip. præs. substantivorum quoque more occurrit cum Genitivo. *Cic. Planc.* 33. 80. Qui (*sunt*) sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvunt?

Cultus, a, um, particip. præter. pass. Adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Cultior* et Sup. *Cultissimus* in omnibus ferme paragr. Occurrit autem

I.) Proprie, seu stricto sensu de agris, et *culto* opponitur *incultus, silvester*, aut *neglectus*, ut apud *Cic. Rosc. com.* 12. 33. Ager, qui neque villam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus. – Tum erat ager incultus sine tecto; nunc est cultissimus cum optima villa. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Arborum autem consectione omnique materia et culta et silvestri partim ad calefaciendum corpus – utimur etc. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 25. Atque in his ipsis haberet cognitum, quid ferret aut recusaret collis, quid campestris positio, quid cultus, quid silvester ager. *Quintil.* 5. 11. 24. Ut si animum dicas excolendum, similitudine utaris terræ, quæ neglecta sentes atque dumos, culta fructus creat. Rursus *Cic. Quinct.* 3. 12. Pecuaria res ampla et rustica, sane bene culta et fructuosa. *Varro* 1. *R. R.* 2. 20. Ager cultior. *Curt.* 7. 3. 18. Tandem ad cultiora perventum loca est, commeatuque largo recreatus exercitus. *Quintil.* 8. 3. 8. Fundus cultior.

II.) Improprie, seu latiori sensu ¶ 1. Ponitur — *a*) Raro de ipso corpore bene compto. *Augustus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Quid? Ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? — *b*) Sæpius de vestitu. – Absolute. *Ovid.* 2. *Trist.* 499. cultus adulter. *Curt.* 3. 7. 14. Turba muliebriter culta. *Sueton. Cæs.* 67. Milites cultos habere. *Martial.* 10. 98. minister, Quo nec filia cultior, nec uxor. — Addito Ablat. *Sueton. Ner.* 32. Matrona culta purpura. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 41. 95. (251). Sacerdos veste candida cultus. *Martial.* 14. 26. Captivis poteris cultior esse comis. Cf. *Id.* 5. 30. Elegia cultis comis. *h. e.* culto stilo. ¶ 2. Sæpe ad intellectum transfertur, et est institutus, eruditus, excultus. *Cic.* 2. *Tusc.* 5. 13. Animi non omnes culti fructum ferunt. *Ovid.* 3. *Art. am.* 341. Culta carmina. *Id.* 1. *Amor.* 15. 28. et 3. *ibid.* 9. 66. Cultus Tibullus. *Curt.* 7. 8. 11. Mores nostri et tempora et ingenia cultiora sortiti. *Gell.* 19. 8. Nec unquam factum est, quoties cum loquentem audivimus, quin rediremus fere cultiores doctioresque. *Frontin. Aquæd.* 3. Ita enim cultiores appellant. *h. e.* qui cultius urbaniusque loquuntur. *Martial.* 3. 59. culta Bononia. *Aurel. Vict. Epit.* 45. Vultu decens, solers ingenio, sermone cultissimus. — Hinc

Culta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt agri culti. *Lucret.* 1. 164. genus omne ferarum Incerto partu culta ac deserta teneret. *Id.* 5. 1369. Inque dies magis in montem succedere silvas Cogebant, infraque locum concedere cultis. *Virg.* 4. *G.* 372. Pinguia culta. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 153. et 2. *ibid.* 196.; *Horat.* 1. *Ep.* 12. 13.; et *Ovid.* 1. *Fast.* 683. et 4. *ibid.* 922. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 49. (83). Milax amat culta.

Homonym. *Colere* differt

1.° Ab *habitare*: hoc enim significat tantum sedem ac domicilium in loco aliquo habere; illud significat præterea ipsius loci curam habere, eumdem ornare, frequentiam ipsi ac famam adquirere. *Cic.* 6. *Verr.* 53. 119. Coliturque ea pars (*urbis*) et habitatur frequentissime.

2.° *Colere*, cum agitur de hominibus, differt ab *observare*: *observare* enim est assidue cum aliquo esse honoris et officii causa, quasi attente observando tempora et loca, quibus adesse, inservire et gratificari alicui possis; *colere* præterea est alicui reapse officia præstare, reapse gratificari: huc adde quod *observare* ad *pietatem*, *colere* ad *opera* potius refertur. *Cic.* 1. *de republ.* 12. 18. Fuit enim hoc quasi quoddam jus inter illos, ut – Africanum ut deum coleret Lælius; domi vicissim Lælium, quod ætate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio. *Id. Mur.* 34. 70. Diligenter observari videmur et coli. Adde eumd. 6. *Fam.* 10. 4., 13. *ibid.* 22. 1. et 78. 2., 2. *Att.* 19. et 1. *Off.* 41. 149. *Sall. Jug.* 10. *in fin.* Vos – colite, observate talem hunc virum.

3.° Denique *colere*, cum agitur de religione, differt a *venerari*: *colere* enim omnes omnino cultus externi actus complectitur assiduamque animæ in Deum observantiam, pietatem ac reverentiam significat; *venerari* est precibus, voce et similibus Deum honorare et rogare; illud est totum, hoc est pars: illud ex persuasione, pietate atque amore, hoc autem etiam ex timore procedit; illud positum est in assiduis ac perpetuis operibus, quomodo assidue ac perpetuo agros colimus, ut fructus inde percipiamus, hoc vero temporaneum est atque interdum data tantum occasione fit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. 119. Deos –, quos nos colere, precari venerarique solemus. *Id.* 2. *ibid.* 28. 71. Hos deos et venerari et colere debemus. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 35. 95. *Liv.* 39. 15. Hos esse deos, quos colere, venerari precarique majores nostri instituissent.

CŎLŎBĂTHRA *et* CŎLŎBĂTHRĀRIUS. } *V.* CALOBATARIUS.

CŎLŎBĬCUS, a, um, adject. κολοβικός. *Firmic.* 8. *Mathes.* 14. n. 8. Morientur aut spastici, aut colobici, aut apoplectici. *h. e.* membro aliquo truncati et debilitati: a κολοβός *mutilus, truncatus.*

CŎLŎBĬUM, ii, n. 2. κολόβιον, tunica sine manicis, qua antiqui Romani utebantur: a κολοβός *mutilus. Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 616. Tunicæ vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat dicens: Manicatis et talaribus tunicis: nam colobiis utebantur antiqui, quæ dicta sunt ἀπὸ τοῦ κολοβοῦ. *V. Labus Fasti T.* 1. p. 402. — Dicitur etiam *Colobus*, i. *Impp. Gratian. Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 14. 10. 1. Coloborum, ac pænularum induat vestimenta. *Nisi forte mendum sit pro colobiorum.*

CŎLŎBOS, on, adject. κολοβός *mutilus*: ita vocatur metrum, cui syllaba deest, quod etiam catalecticum dicitur. *Mall. Theodor.* de metr. 5. Metrum iambicum senarium colobon constat ex pedibus superius comprehensis, et pro sexto pede una tantum syllaba ponitur, ut est apud Horatium: Trahuntque siccas machinæ carinas. *Id. ibid.* 7. Versus pentameter anapæsticus colobos fit ita: Tuba terribilis procul ære sonoro. *Mar. Victor.* p. 2501. *Putsch.* Hoc metrum quidam colobon vocant.

CŎLŎBUS, i, m. 2. *V.* COLOBIUM in fin.

CŎLŎCĀSĬA, æ, f. 1. *et*

CŎLŎCĀSĬA, ōrum, n. plur. 2. κολοκάσιον, herba Ægyptia, alio nomine cyamus. *Virg.* 4. *Ecl.* 20. Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. *Ubi colocasiæ flores intelligit. Servius* ad *h. l.*: Colocasia Romæ post devictam ab Augusto Ægyptum innotuit. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 15. 4. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 51. (87). In Ægypto nobilissima est colocasia. *Martial.* 8. 33. 13. Lenta minus gracili crescunt colocasia filo. *h. e.* colocasia certa instar filorum tenduntur, ut scribit *idem Plin. loc. cit.* Cf. et *Martial.* 13. 57. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 14. et 5. *ibid.* 3. 5. — Ejus foliis varie implexis Ægyptii pocula conficiunt, in iisque potare gratissimum habent. *Plin. loc. cit.* — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 53.) hanc exhibet synonymiam: Ἄρον κυρηναικὸν Galen. de Fac. alim. 2. 147. et Athen. Deipnosop. 3. 1.; et *Colocasia* Virg., Plin., Pallad. et Martial. ll. citt. sunt *Arum Colocasia* L. Spec. plant. 1368.

CŎLŎCĀSĬUM, ii. *V.* voc. præced.

CŎLŎCYNTHIS, idis, f. 3. κολοκυνθίς, cucurbitæ silvestris genus, sativa minus, de qua *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (14). multa habet. Cf. *Veget.* 4. *Veterin.* 17. 7. *Schneid.*; et adde *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 9., et *Theod. Priscian.* 1. 5. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 370.) hanc exhibet synonymiam: Κολοκυνθίς, κολοκυνθα ἀγρία, σικυα πικρὰ, κολοκυνθα ἀλεξανδρινη Dioscor. 4. 178. et Auct. Græcor. varior. et *Colocynthis* Plin. l. c. et Auct. Latin. varior. sunt *Cucumis Colocynthis* L. Spec. plant. 1435.

CŎLON, et *Latina positione* Colum, i, n. 2. κῶλον et κῶλον. De forma *colus* V. sub 3. infra. — *Colum* proprie significat membrum: atque adeo ¶ 1. Generatim usurpatur pro parte carminis aut orationis, ex incisis seu commatibus constante. *Augustus* apud *Donatum in vita Virg.* n. 12. Ut sibi de Æneide vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret. *Pseudo-Ascon.* in *Cic. Divin. Verr.* 13. 43. Villose ambo cola. At *Bait.* in *Cic. Op. T.* 5. p. 116. *Orell.* leg. capita. *Quintil.* 9. 4. 78. Colon Anacreontion. — Latine *membrum* dicitur a *Cic. Brut.* 44. 162. et *Orat.* 62. 211. *V.* et COLA. ¶ 2. Specialim colon dicitur crassum intestinum, quintum in ordine intestinorum, medium inter cæcum et rectum, quod a sinistro rene ad dextrum super ventriculi fundum fertur; et ex quo excrementa, diu ibi morata, eum accipiunt colorem, quo egeruntur. *Cels.* 1. 7. vocat *intestinum laxius*: et 4. 14. *intestinum plenius*. Græce alii scribunt κόλον, et a κοῖλος *cavus* deducunt, quia plures habet cavitates, seu cellulas: alii κῶλον. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (203). A Græcis appellatur colon, ubi dolorum magna causa est. — Quoniam vero in hoc intestino acerbissimi dolores fiunt, qui *colici* appellantur; hac fere significatione occurrit. *Plin.* 22. *ibid.* 22. 37. (79). Coli tormenta. *Scribon. Compos.* 122. Coli dolor. *Id. ibid.* 119., 173. et 263. Coli inflatio. *Id. ibid.* 106. Colum inflatum. ¶ 3. Item ipse quoque coli dolor ac morbus, *colum* dicitur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 15. 57. (162). Cuminum bibitur propter colum. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (102). Sal colum levat. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 1. 6. (9). *Scribon. Compos.* 122. Colo infestari. Adde *Marcell. Empir.* 29. — *Colus*, i, m. 2. idem ac morbus colicus. *Seren. Sammon.* 31. 1. Cum colus, invisum morbi genus, intima carpit.

CŌLŌNA, æ, f. 1. (colo) De Dat. et Ablat. plur. *V.* in fin. — Colona est rustica mulier, quæ agros colit. *Ovid.* 4. *Fast.* 692. habebat Rus breve cum duro parca colona viro. *Id. Nuc.* 72. Et condit lectas parca colona nuces. Adde *eumd.* 2. *Fast.* 646. et 3. *ibid.* 415.; et *Paul. Dig.* 19. 2. 54. § 2., ubi sunt qui putant, *colonam* positum esse pro colonia, *h. e.* rure, prædio. Al. leg. *coloniæ*. *Inscript.* apud *Orell.* 4644. C. F. D. M. C. VERGILIVS MARTANVS COLONVS AGRI CAELI (*h. e.* C. Ælii) ARNKI ANTIENNAE CERTAE COLONAE AGRI SS. (*h. e.* supra scripti) ANORVM XXII. CONIVGI. — In Dativo et Ablat. plurali etiam *colonabus* pro *colonis*, ad sexus distinctionem, utuntur Latini. *Impp. Leo et Majorian. Novell.* 1. *ante med.* Illa discretione servata, ut si ex colonabus nati sint, curiæ inserantur; si ex ancillis editi, collegiis deputentur.

CŌLŌNĀRĬUM. *V.* COLUMNARIUM.

CŌLŌNĀRĬUS, a, um, adject. (colo) colonicus, qui alicujus agros colit, et ejusdem servus est. *V.* COLONUS. *Sidon.* 5. *Ep.* 19. *de colono, qui liberam puellam stupri causa rapuerat.* Mulier tum demum videbitur non ludibrio addicta, sed assumpta conjugio, si reus, mox cliens factus e tributario, plebejam potius incipiat habere personam, quam colonariam. *Cod.* 1. 4. 24. Colonaria condicio.

CŌLŌNĀTUS, us, m. 4. (colonus) conditio coloni, hoc est ejus, qui ad agrum colendum destinatus est. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 14. 18. 1., et *Impp. Constant.* et *Constans ibid.* 12. 1. 33.

CŌLŌNĬA, æ, f. 1. (colo) est locus, in quo sedem figebant homines ad habitandum agrosque colendos. ¶ 1. Generatim colonia est quivis agricolationis locus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 23. Villicus coloniæ suæ terminos egredi non debet. Adde *Paul. Dig.* 19. 2. 24. § 4., et *Scævolam ibid.* 33. 7. 20., et *ibid.* 48. 8. 2. § 23.; item *Tabulam æneam Vellejatem* erutam anno 1747., et a *Petro De-Lama* anno 1819. editam et illustratam: ubi sæpius *colonia* hoc sensu accipitur, ut *Id.* monet p. 35. ¶ 2. Item generatim *Plaut.* jocülariter sic appellat quodlibet domicilium. *Aulul.* 3. 6. 39. Eam affectat viam, ut commutet coloniam. *Id. Pseud.* 4. 6. 34. Quid ego cesso facere, ut det nomen ad molarum coloniam? *h. e.* ut ad molam damnetur. ¶ 3. Speciatim colonia est pars civitatis, aut sociorum deducta in aliquem locum, colendi et inhabitandi gratia: itemque ipse locus. Igitur colonia est oppidum, quo olim rex, vel senatus, vel populus partem civium vel sociorum misit ad habitandum. Porro coloniæ aliæ erant *civiles*, aliæ *militares*: civiles constabant ex civibus pauperibus, qui in aliquem locum agri colendi causa deducebantur: mi-

litares constabant ex militibus veteranis, qui in aliquem locum, tamquam in laboris requiem deducebantur, simul ut adversus hostium excursiones præsidio essent. Præterea aliæ erant Romanæ, aliæ Latinæ. Romanæ civium Rom. jure utebantur, Latinæ jure Latii. *Ascon.* ad *Cic. Pis.* p. 3. 9. *Bait.*; *Gell.* 16. 13.; *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 12.; *Hygin. limit.* p. 159. *Goes.* Cf. *Panvin.* l. 3. de *Rep. Rom.*; *Sigon. de jure provinciæ* c. 10. et l. 2. *de antiquo jure Italiæ* c. 2.; *Madvig. Opusc. Acad.* p. 208. et *Pauly's Realencyclop.* vol. 2. p. 504. et seqq. — Coloniæ in Italia triginta erant ann. U. C. 545., ut colligimus ex *Liv.* 27. 9. et 10. — *Cic.* 2. *leg. Agr.* 27. 73. Majores nostri colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii viderentur. *Vellej.* 1. 14. 1. Post septem annos Sutrium deducta colonia est, et post annum Setina, novemque interjectis annis Nepe. Rursus (*Cic. Fontej.* 1. 3. Colonia civium Rom. *Id.* 2. *Phil.* 39. 100. veteranorum. *Id. ibid.* 40. 102. florens. *Id. Cæcin.* 33. 98.; et *Liv.* 3. 9. Latinæ. Cf. *Ascon. Pis.* p. 3. 16. *Bait. Nepos Con.* 1. Lacedæmoniorum. *Curt.* 4. 1. 10. Græcorum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 2. (12). immunes. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Liv.* 9. 4. abducere colonias. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 2. (12). alluit fluvius coloniam. Cf. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. *Vellej.* 1. 15. condere colonias. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 6. 3. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. constituere coloniam in Janiculo. *Ascon.* ad *Cic. Pis.* p. 3. 14. *Bait.* constituere novis colonis. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. deducere colonias. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 7. 20. et *Brut.* 20. 79.; *Liv.* 39. 58.; et *Ascon.* ad *Cic. Pis.* p. 3. 9. et 19. *Cic.* 2. *de republ.* 4. 9. deducere coloniam in Asiam, Thraciam, Italiam, Siciliam, Africam. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. quo, in quæ loca. *Id.* 2. *Phil.* 40. 102. Casilinum. *Liv.* 10. 1. Soram atque Albam. *Ascon.* ad *Cic. Pis.* p. 3. 9. *Bait.* Placentia colonia deducta. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 6. 17. et 2. *ibid.* 28. 75. deducere colonos in coloniam. *Curt.* 9. 7. 1. milites in colonias. *Sueton. Tib.* 38. disponere colonias. *Id. Cæs.* 42. distribuere. *Cic.* 1. *Off.* 17. 54. exire in alias domos, tamquam in colonias. *Liv.* 8. 23. imponere coloniam in agro. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 102. lustrare coloniam. *Id. ibid.* 1. 3. mittere coloniam in Æoliam, Joniam, Asiam, Siciliam, Italiam. *Liv.* 8. 14. mittere Antium. *Varro* 3. *R. R.* 16. 9. mittere colonias. *Nepos Cim.* 2. 2.; et *Liv.* 4. 49. mittere homines in colonias. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. occupare regionem coloniis. *Id.* 2. *ibid.* 31. 86. occupare veteres colonias colonis suis. *Id.* 2. *Phil.* 39. 100. peragrare colonias. *Id. Cæcin.* 33. 98. proficiscuntur cives in colonias Latinas. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 28. 75. tenere libertatem populi præsidiis et coloniis interclusam. — Figurate *Varro* 2. *R. R.* 16. 29. *de apibus.* Cum progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebro Sabini factitaverunt, propter multitudinem liberorum. — *NB.* Multæ sunt urbes, quibus Coloniæ nomen hæsit, quod in eas olim Romani colonias deduxerant, ut Colonia Agrippinensis, Colonia Allobrogum, Colonia Trajana, etc. de quibus *V. Geographos.* et ONOM.

Homonym. *Colonia* differt a *municipio*: municipes enim sunt cives alicujus municipii, legibus suis et suo jure utentes: coloni sunt cives unius civitatis in aliam deducti, et ejus jure utentes, a qua sunt propagati. *V. Gell.* 16. 13.

CŎLŌNĬĀRĬUS, a, um, adject. ad coloniam pertinens, qui ex aliqua colonia est. *Cajus Institut.* (edente *Goeschenio*) 3. § 56. Latinos Junianos lex liberos perinde esse voluit, atque si essent cives Romani ingenui, qui ex urbe Roma in Latinas colonias deducti Latini coloniarii esse cœperunt. *Id. ibid.* 1. § 28. Si Latini facti uxores duxerint vel cives Romanas, vel Latinas coloniarias. Adde *Ulp. Sent.* 19. 4. Mancipatio locum habet inter cives Romanos et Latinos colonarios (*lege* coloniarios), Latinosque Junianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum.

CŎLŌNĬCUS, a, um, adject. ¶ 1. Colonicus a *colono* est ad colonos pertinens. *Varro* 1. *R. R.* 17. 2. Leges colonicæ, in quibus scribimus: Colonus in agro surculario ne capras tum pascat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (189). Ovium summa genera duo: tectum, et colonicum: illud mollius, hoc in pascuo delicatius. *Id.* 26. *ibid.* 10. 62. (96). Ovis colonica. *Colonicæ oves* sunt, quas omnes norunt, et pascunt; ita dictæ quod passim in omnibus fere coloniis, *h. e.* in prædiis et fundis alantur; cum tectæ rariores essent, et in quibusdam tantummodo Italiæ regionibus; et non nisi intentissima cura, magnaque impensa alerentur, ut apud *Colum.* 7. *R. R.* 4. videre est. — Hinc *Colonica*, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est casa coloni, hoc est aratoris, rustici. *Auson.* 4. *Ep.* 6. Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis, Et tingit piceo lacrimosa colonica fumo. *At hic quoque colonica potest esse Adject. nominis pergula.* ¶ 2. Colonicus est etiam a *colonia*, unde *cohortes colonicæ* apud *Cæs.* 2. *B. C.* 19. sunt collectæ ex delectu in Romanorum coloniis habito. *Sueton. Aug.* 46. Decuriones colonici. *h. e.* coloniarum.

CŎLŎNŎMON Melos, κολόνομον, est cantus dissonans, imperfectus, mutilus, a musicis legibus deficiens: a κολὸς *mutilus*, et νόμος *distributio*. Legitur apud *Auson. Epist.* 11., ubi *V. Scaliger.* At colonomon (ait cl. *Furlanetto* in 1.° *Append.*) potius est, quod idem *Ausonius ibid.* vocat *dissonum*, *h. e.* partim Græcis, partim Latinis versibus compositum, quemadmodum est illud quod *epist.* 12. apud *eumd.* legitur.

CŎLŌNUS, a, um, adject. ad coloniam spectans, culturæ idoneus. *Cic.* 5. *Phil.* 19. 53. Utique C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambove cognoscerent, qui ager colonus esset, quo milites veterani deducti essent. *Al.*, inter quos *Orellius*, *leg.* rectius *qui ager iis coloniis esset quo*, etc. *Sedul.* 3. 9. *de Christo.* Quippe feras qui vitiis erat, virtute colona Omnia fructificans.

CŎLŌNUS, i, m. 2. qui agros colit. ¶ 1. Generatim — *a*) Est qui agris colendis laborat. *Cato R. R. proœm.* § 2. Virum bonum cum laudabant, ita laudabant: bonum agricolam bonumque colonum. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 287. Optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus. *Varro* 2. *R. R. proœm.* 5. Ratio ac scientia coloni est, ut ea, quæ in agricultura nascantur e terra, fructum faciant. Adde *eumd.* 5. *L. L.* 21. *Müll.*; *Virg.* 9. *Ecl.* 4. et 1. *G.* 125.; *Horat.* 1. *Od.* 35. 6. et 2. *ibid.* 14. 12.; *Ovid.* 1. *Met.* 272. *Seneca Ep.* 114. *ad fin.* Adspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant. — *b*) Item qui aliorum agros conducit, et per se vel per familiam colit, atque inde pensionem domino persolvit. *Cic. Cæcin.* 32. 94. Qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 34. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 1. Paterfamilias comiter agat cum colonis, et avarius opus exigat, quam pensiones. *Id. ibid.* Urbanus colonus, qui per familiam mavult agrum, quam per se colere. *Scævola Dig.* 33. 7. 20. Coloni, qui finita conductione de colonia discesserant. *Cajus ibid.* 19. 2. 25. *a med.* Colonus partiarius. *Ulp. ibid.* 15. Dare colono remissionem ob sterilitatem. — Ceterum colonorum triplex genus fuit: liberorum, servorum et aldiorum. Liberi agros colebant, ut hodie apud nos rustici homines, pactis quibusdam inter eos et dominos factis: servi, qui nullis pactis obstricti operas suas agro colendo, velint nolint, dare debebant; aldii, qui *partiarii* dicebantur, quique, ut ait *Augustin.* 10. *Civ. Dei* 1., conditionem debent genitali solo propter agriculturam sub dominio possessorum. Hi porro apud nostrates dicuntur *servi della gleba*. V. *Amadut.* in *Leg. nov. Theodos.* p. 289. ¶ 2. Speciatim ponitur pro incola: unde jculariter *Plaut. Asin.* 2. 2. 32. Catenarum colone. — *Forcellinus* ait hoc sensu a Poetis usurpari, et citat *Virg.* 1. *Æn.* 16. et 7. *ibid.* 63. et 409.; item *Propert.* 2. 24. 29.; *Tibull.* 4. 1. 139.; *Seneca Hippol.* 288.; *Ovid.*; *Lucan.* etc. At his in locis fere accipitur ea significatione, quæ sequenti paragr. notatur. ¶ 3. Item speciatim qui in aliqua colonia publice deducta habitat. *Cic.* 3. *Nat. D.* 19. 48. Circeii coloni nostri Circejenses religiose colunt. Adde *eumd.* 1. *leg. Agr.* 6. 14. et 2. *ibid.* 27. 74., *Sull.* 21. 60. et 2. *Phil.* 40. 102.; *Nepot. Miltiad.* 1.; *Liv.* 1. 14.; *Horat.* 2. *Od.* 6. 5.; *Vellej.* 1. 14. 6. et quos proxime superiori paragrapho citavimus. *Justin.* 16. 3. Conscripta colonorum manu, urbem Heracleam condiderunt.

CŎLŎPHON (Græce κολοφών) dixerunt, quum aliquid finitum significaretur, ut ait *Paul. Diac.* p. 37. 14. *Müll.* Hinc proverbium, *Colophonem addere*, κολοφῶνα ἐπιτιθέναι, cum summa operi manus imponitur. Ejus originem inde Strabo deducit *l.* 14. *ante med.* quod Colophonii in bellis adeo equitatu præstabant ceteris nationibus, ut quocumque accessissent in auxilium, victoriam pararent, et bello finem imponerent. — *NB.* De nomine urbis *V.* ONOM.

CŎLOR, ōris, m. 3. *Colos* pro *color* adhibetur non solum a poetis, ut *Lucret.* 6. 207. Flammeus est plerumque colos et splendidus ollis: et *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 43. Is colos thalassicus est; verum etiam a prosæ scriptoribus, ut *Sall. Cat.* 15. Colos ei exsanguis, fœdi oculi etc. Ita enim ibi legit *Val. Prob.* in *Cathol.* p. 1456. et 1467. *Putsch.* Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 42. (150). Sic dicimus *lobos*, *arbos*, *odos* etc. V. *Non.* 8. 27. *edit. vet.* Rectius tamen *color* dicitur, eodem *Probo* judice, immo ipso *Quintil.*, qui dum 1. 4. 13. docet, *arbos*, *labos*, *vapos*, *clamos* et *lases* pro *laser* ætatis fuisse, satis indicat, antiquam esse hujusmodi positionem et pæne obsoletam. — Ceterum *color* est qualitas, quæ ad visum spectat, et dicitur etiam de materia quæ colorem inducit (It. *colore*; Fr. *couleur*; Hisp. *color*; Germ. d. *Farbe*; Angl. *a colour*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de re quacumque. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Color albus præcipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili. *Virg.* 4. *Æn.* 701. *de Iri.* Mille trahens varios adverso sole colores. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (193). Lanarum nigræ nullum colorem bibunt. *Tac. Germ.* 6. Distinguere scuta lectissimis coloribus. — Jungitur plurimis Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Lucret.* 2. 817. albus. cui recta opponitur niger. *Plin.* 8. *Ep.* 20. albidior cæruleo. *Sueton. Ner.* 32. amethystinus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (16). et 2. *ibid.* 18. 16. (79). ardentissimus. *Ovid.* 4. *Met.* 165.; et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (16). ater. *Lucret.* 6. 205.; *Ovid.* 12. *Met.* 393. et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (76). aureus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 12. (30). austeri. quibus ibid. opponuntur floridi. *Id.* 2. *ibid.* 18. 16. (79). blandus. *Varro* 3. *R. R.* 7. 10. bonus. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (41). melior. *Id.* 8. *ibid.* 20. 29. (71). buxeus. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. et *Virg.* 1. *G.* 453. cæruleus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). candens. *Vitruv.* 10. 2. 15. *Schneid.*; *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 23. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). candidus. *Plin.* 37. *ibid.* 2. 11. (33). cereus. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 4. cervinus. *Lucret.* 5. 1257. claro colore splendere. Adde *eumd.* 2. 1030. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). *Colum.* 2. *R. R.* 2. 16. et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (83). cinereus. *Id.* 27. *ibid.* 10. 59. (83). croceus. *Scribon. Compos.* 173. crocinus. *Virg.* 3. *G.* 82. deterrimus. *Ovid.* 6. *Met.* 65. diversi. *Id.* 3. *Trist.* 1. 55. exsanguis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 22. (39). flammei. Cf. *Lucret.* 6. 207. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 40. fuscus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 31. (56). herbidus. *Id.* 2. *ibid.* 18. 16. (79). et 8. *ibid.* 38. 57. (137). igneus. *Id.* 12. *ibid.* 12. 26. (43). languidus. *Horat.* 4. *Od.* 8. 7. liquidus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 86. (136). in luteum inclinatus. *Id.* 27. *ibid.* 13. 109. (133). in luteum languescens. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 6. maculosus. *Lucret.* 2. 774. marmoreus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (48). melleus. *Id.* 32. *ibid.* 7. 24. (74). nativus. *Virg.* 4. *G.* 306. novi. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (108). nubilus. *Lucret.* 2. 829. phœniceus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 25. 76. plures. *Plin.* 8. *Ep.* 20. pressior. *Lucret.* 6. 1073. purpureus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). radians. *Scribon. Compos.* 213. rufus. *Virg.* 4. *G.* 335. sator. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (44). et *Martial.* 12. 48. sulphureus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (67). surdus. *Lucret.* 2. 421. tetri. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 28. (47). tenerior. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 43. thalassicus. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 18. Tyrii. *Lucret.* 2. 786. et *Virg.* 1. *G.* 452. varii. *Ovid.* 10. *Met.* 136. viridis. *Martial.* 12. 64. vivus. — Porro aliquot colorum genera quibus in veste mulieres utebantur, enumerat *Ovid.* 3. *Art. am.* a v. 173.; et qui in pictura locum habent, *Plin.* 35. *Hist. nat.* c. 6.; et qui proprii sunt equorum, *Inscript.* apud *Orell.* 2593. — Jungitur et pluribus Verbis. *Ovid.* 15. *Met.* 412. assimulare quoscumque colores. *Virg.* 6. *Æn.* 272. aufert nox colorem. *Lucret.* 2. 420. compungunt aciem colores. *Tibull.* 1. 4. 29. deperdere colores. *Virg.* 9. *Ecl.* 49. Duceret apricis in collibus uva colorem. *h. e.* traheret, inficeretur. *Seneca Ep.* 71. ducit lana colores. *Quintil.* 1. 1. 5. eluere lanarum colores. *Lucret.* 2. 827. evanescit color. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (76). excitatur color repercussu. *Virg.* 4. *Ecl.* 42. mentitur lana colores. *Lucret.* 2. 419. pascunt colores oculos. *Horat.* 3. *Od.* 5. 27. non refert amissos lana colores. *Scribon. Compos.* 213.

sumere colores. *Virg.* 4. *Æn.* 701. et *Quintil.* 12. 10. 44. trahere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (151). transire in mille colores. — Et de materia colorando apta (de qua *V.*, ut diximus, *Plin.* 35. *Hist. nat.* c. 6., et *Flor.* 4. 12. 16.). *Plin.* 11. *Hist.* nat. 38. 91. (225). accipere colorem. *Id.* 8. *ibid.* 48. 73. (193). bibere. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (103). inducere picturæ. *Id. ibid.* 10. 36. (85.) terere. Et *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 7. temperare. ¶ 2. Speciatim occurrit de humanæ cutis ac faciei præcipue colore. — *a)* Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 30. Obtinere colorem. *Ter. Eun.* 2. 2. 11. Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis? *Id. Andr.* 5. 3. 7. Num ejus color pudoris signum usquam indicat? *Cic.* 1. *Off.* 36. 130. Formæ dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. *Id.* 5. *Tusc.* 16. 46. Candiduli dentes, venusti oculi, color suavis. *Id.* 4. *ibid.* 23. 52. Color, vox, oculi, spiritus. *Id.* 3. *Cat.* 5. 13. Color, oculi, vultus, taciturnitas. *Ovid.* 9. *Met.* 321. Emittere colorem. *Id.* 2. *Trist.* 487. Fucare colorem. — *b)* Jungitur nonnullis Adjectivis, quorum hæc sunt præcipua. *Ovid.* 2. *Met.* 541. albus. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 64. egregius. *Sall. Cat.* 15. exanguis. *Horat. Epod.* 12. 10. fucatus. *Tibull.* 4. 4. 6. informis. *Ter. Eun.* 4. 4. 22. mustellinus. *Horat.* 2. *Od.* 4. 3. niveus. *Virg.* 11. *Æn.* 819. purpureus. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 12. sanguinolentus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 20. (42). validus. *Horat. Epod.* 17. 21. verecundus. *Ter. Eun.* 2. 3. 26. verus. — *c) Fortis color* est, quod Itali *buon colore, buona cera*, hoc est qui bonam corporis valetudinem ac robur significat. *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* 1. Si quicquam nos amas, dormi per istas noctes, ut forti colore in senatum venias, et vehementi latere legas. — *d) Mutare colorem* est eorum, qui vel ira, vel metu, aliave magna perturbatione expallescunt. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 34. Mordear opprobriis falsis mutemque colores. Adde *Curt.* 4. 6. 18.; et cf. *Cic. Cluent.* 19. 54. Crebra coloris mutatio. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 17. color illi non mansit. *Ovid.* 2. *Met.* 601. Excidit illi color. *Id.* 3. *ibid.* 99. pariter *cum mente colorem* Perdiderat. *Et* 10. *ibid.* 459. color illam relinquit. *Seneca* 1. *Ira* 1. Vertere colorem. Huc pertinet illud *Cic. Harusp. resp.* 1. 2. Repente sine vultu, sine colore, sine voce constitit. Cf. *Liv.* 39. 34. Adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret. Et *Petron. fragm. Tragur.* 63. *in fin. Burmann.* Post hoc factum numquam coloris sui fuit: immo post paucos dies freneticus periit. — *e) Nullius coloris homo* proverb. apud *Plaut. Pseud.* 4. 7. 99. de homine prorsus ignoto, et quem, albus an ater sit, nescias. *V.* ALBUS. ¶ 3. Item speciatim, sed latiori sensu, — *a) Color* dicitur externus rerum splendor ac pulcritudo, quæ oculos capiat. *Horat.* 2. *Od.* 2. 1. Nullus argento color est avaris Abdito terris. — *b)* Item de pulcra hominum facie, quæ oculos animumque capiat. *Virg.* 2. *Ecl.* 17. O formose puer, nimium ne crede colori. Cf. *Horat.* 4. *Od.* 13. 17. et *Ovid. Heroid.* 3. 141.

II.) Translate. ¶ 1. Color ponitur pro specie, facie, ornatu extrinseco. — *a)* Generatim. *Cic.* 4. *Att.* 16. 10. Amisimus non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 59. Dives, inops, Romæ seu fors ita jusserit exul, Quisquis erit vitæ, scribam, color. *h. e.* ratio seu conditio vitæ. *Id.* 1. *Ep.* 17. 23. Omnis Aristippum decuit color et status et res. Sic *Stat.* 2. *Silv. procem.* In omni vitæ colore tersissimus. *Seneca Ep.* 52. Color tertius hominum. *h. e.* tertia species vel tertium genus. Adde *eumd. Ep.* 75. Similiter *Id. Seneca Ep.* 108. Novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint. *h. e.* ne hilum quidem profecerint. *Quintil.* 10. 1. 59. Multa magis, quam multorum lectione formanda mens et ducendus est color. *h. e.* dicendi genus comparandum. — *b)* Speciatim de oratione usurpatur: ad rem *Cic.* 3. *Orat.* 52. 199. Si habitum orationis etiam et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quædam, sed tamen teres et tenuis etc. — Præcipue vero dicitur de stilo, seu extrinseco ipsius ornatu, quo delectamur. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 96. Ornatur oratio genere primum, et quasi colore quodam et succo suo. *Id. Brut.* 46. 171. Color urbanitatis in oratione. *Horat. Art. P.* 86. Operum colores. *Id ibid.* 236. Color tragicus. *Petron. Satyr.* 2. Carmen sani coloris. *Quintil.* 6. 3. 5. Omnes colores, aspere an leniter, an etiam summisse loqui. *Id.* 6. 3. 107. Urbanitas non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi. *Id.* 12. 10. 71. Non unus color prooemii, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis servabitur. Adde *eumd.* 3. 6. 92. *Id.* 11. 1. 58. Totus actionis color. ¶ 2. Quoniam coloribus figuram aliquam repræsentamus; sic color ponitur etiam de iis, quæ alicui rei quomodocumque repræsentandæ atque ornandæ inserviunt. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 2. Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. *Id. Brut.* 87. 298. Intelliges nihil illius (*Catonis*) lineamentis nisi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. *Id.* 2. *Att.* 21. 4. Omnibus pictus et politus artis coloribus. *Gell.* 14. 4. Justitiæ vultum severis atque venerandis verborum coloribus depingere. ¶ 3. Item, quoniam coloribus res etiam deformes ac turpes teguntur, ita color ponitur pro subtiliter exquisita defensione, prætextu, excusatione. — *a)* Generatim. *Quintil.* 3. 8. 44. Dare colorem rebus deformibus. *Id.* 12. *Declam.* 21. Color patrocinii. *Id.* 16. *ibid.* 1. Excogitare colorem aliquem. *Juvenal.* 6. 279. Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem. *Marcell. Dig.* 5. 2. 5. Res illo colore defenditur apud judicem, ut videatur ille non sanæ mentis fuisse, cum testamentum inique ordinaret. Adde *ibid.* 21. 1. 49. et 47. 14. 1. § 4. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 3. 6. 3. Sub colore adipiscendæ possessionis. — *b)* Speciatim apud Rhetores *color* dicitur pars controversiæ, seu potius controversiarum quoddam genus, in quo tota ratio accusationis aut defensionis in eo sita est, ut factum minus probabile exquisitis conjecturis, suspicionibus et causis subtiliter inventis tegatur et coloretur. Hujus rei exempla passim habentur in Controversiis *Senecæ*. Huc pertinet illud *Quintil.* 4. 2. 88. Sunt quædam et falsæ expositiones, quarum in foro duplex genus est: alterum, quod instrumentis adjuvatur (puta testibus, tabulis seu veris, seu falsis etc.); alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim ad solam verecundiam pertinet; unde etiam mihi videtur dici *color*. *Id.* 11. 1. 81. Quod si nulla contingit excusatio, sola colorem habet pœnitentia. Adde *eumd.* 4. 2. 95. et alibi. *Seneca* 1. *Controv.* 8. Colorem a parte patris quidam duriorem fecerunt. *Id.* 1. *ibid.* 1. Latro colore simplici pro adolescente, habere non quod excuset, sed quod glorietur. — Fuscus illum colorem introduxit, quo frequenter uti solebat, religionis. — Albucius hoc colore etc. *V.*, si plura cupis, *N. Fabri adnotat.* ad *Senec.* 1. *Controv.* 1. ubi *Color*.

COLŎRĀBĬLIS, e, adject. qui colorari potest. Proprie et figurate, Græcos imitatus, de sono dixit *Capell.* 9. p. 319. Principalium sonus ἐναρμόνιος et χρωματικός dicitur, quam (*phthongon*) nos vix forsan recte colorabilem memoramus; et ideo hoc nomen accepit, quia inter principales colores album tetrumque quidquid interjacens invenitur, colorabile Graja significatione perhibetur.

COLŎRĀTĒ, adverb. cum coloribus. Translate *Quintil. Declam.* 285. Colorate affert quidem iste tale patrocinium.

COLŎRĀTOR, ōris, m. 3. qui colorem inducit. *Gloss. Lat. Gr.* Colorator στιλβωτής et ἰνδικοπλάστης. *Salmas.* ad *Vopisc. Firm.* 3. Coloratores, ait, dici eos, qui parietes colorant, et colores tectoriis illinunt. Fuit inter officia domus Augustæ, nempe vel infector, vel pictor. *Inscript.* apud *Murat.* 887. 3. ANTHEROS LIVIAE COLORATOR. *Alia* apud *Mommsen. Inscr. Neap.* 5505. C. CANINIVS C. L. PHILOGENES CO LORATOR ET RVBRIAE L. L. ANTIOCHIS. — *Colorator* inscripta fuit una ex *Laberii* comœdiis, ex qua fragmentum refert *Gell.* 7. 9.

COLŎRĀTŪRA, æ, f. 1. coloris inductio. *Gloss. Cyrill.* Χρωσμός coloratura.

COLŎRĀTUS, a, um. *V.* COLORO.

COLŌREUS vel colorius, a, um, adject. variis coloribus pictus. *Augustus in suo testam.* apud *Charis.* 1. p. 80. *Putsch.* Gausapes purpureas, et coloreas meas. *Vopisc. Aurel.* 46. Concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent, cum antea coloreas habuissent. *Paul. Dig.* 34. 2. 32. § 7. et 34. 32. 70. § 12. Vestis tam coloria, quam versicoloria. *Versicoloria vestis* hoc loco (ut et sæpe alibi apud JCtos) est ea, quæ nativum mutavit, et artificiali quopiam colore tincta est: qua ratione *coloriæ* opponitur, quæ varios artificiales colores aut inductos, aut intextos habet. *V. Salmas.* ad *Vopisc. loc. cit.*, ubi plura hac de re.

CŎLŌRĬFĬCUS, a, um, adject. colorem inducens. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. Burmanni. T.* 2. p. 309. Cumque colorifico nimbos fulgore repleris. *Al. leg.* Cumque color ficto etc.

CŎLŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (color). Part. *Coloratus* in fin. — Coloro est colorem induco, pingo (*It. colorire, dar colore*; *Fr. colorer, donner une couleur*; Hisp. *colorar*; Germ. *eine Sache farbig machen, färben*; Angl. *to colour, paint, stain, dye*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 110. Individua corpora formare, figurare, colorare, animare non possunt. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 5. (16). Colorare lineas testa trita. At *Sillig.* ex Cod. Bamberg. omnino aliter legit. *Id. ibid.* 6. 13. (31). lignum sinopide. *Id.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (55). Pira colorantur sole. *Scribon. Compos.* 228. Colorare medicamentum rubrica vel atramento. Adde *eumd. ibid.* 230. et 259. ¶ 2. Speciatim ponitur de sole, qui fuscum colorem inducit. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 60. Cum in sole ambulem, natura fit ut colorer. *Catull.* 11. 7. Sive quæ septemgeminus colorat Æquora Nilus. *h. e.* viridem Ægyptum nigra fecundat arena, ut apud *Virg.* 4. *G.* 291. legitur. *Propert.* 3. 13. 16. Quos Aurora suis rubra colorat equis. Adde *Senec. Ep.* 108. et *Quintil.* 5. 10. 81.

II.) Translate. ¶ 1. Colorare est speciem quamdam, faciem, ornatum rei vel homini inducere. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 60. Ut, cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer; sic cum istos libros studiosius legerim, sentio orationem meam quasi colorari. *Id. Orat.* 13. 42. Eloquentia hujus nutrimentis educata, ipsa se postea colorat, et roborat. *Seneca Ep.* 71. *ad fin.* Hæc (*philosophia*) nisi alte descendit, et diu sedit, animum non coloravit, sed infecit. *Capell.* 3. p. 178. Vocem lectione coloremus. *Ambros.* 2. *de Cain et Abel.* 3. *in fin.* Adspicio — velut quamdam incanam Ecclesiæ curiam, quæ prætendat ipso quodam vultu et specie gravitatis quod revereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur. ¶ 2. Significat etiam prætextum inducere. *Val. Max.* 8. 2. 2. Libidinosam liberalitatem debiti nomine colorare. *h. e.* tegere. Sic *Prudent.* 3. *Cathemer.* 35. Inepta nunc omnes sua Vultu colorant serio. — Hinc Part. præter. pass.

Coloratus, *a*, *um*, Adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Coloratior* sub I. 2.: est autem colorem habens, et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Arcus ipse ex nubibus efficitur quodammodo coloratus. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 35. Cœlum Tithoni conjuge coloratum. *Tac. Agric.* 11. Colorati vultus Silurum. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui ex solis radiis fuscum colorem contraxerunt: quod *colorare* absolute dixit *Quintil.* 5. 10. 81. Sol colorat: non utique qui est coloratus, a sole est. *Virg.* 4. *G.* 293. Colorati Indi. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 6. Seres. *Martial.* 10. 68. Etrusci. — Similiter de fructibus. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 12. Comæ Cereris coloratæ. *h. e.* segetes flavæ et maturæ. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 67. Coloratæ uvæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56). Colorata pira. *h. e.* quæ *Venerea* alio nomine appellantur: fortasse Italorum *pere dipinte*. — Et de hominibus qui sanitate corporis ac viribus pollent. *Cels.* 2. 2. Si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est. *Senec. Vita beat.* 7. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem mollem, enervem, pallidam, atque fucatam, etc. *Id. Constant. Sap.* 13. Scit sapiens, omnes hos, qui togati purpuratique incedunt, valentes coloratosque, male sanos esse. *Quintil.* 8. *procem.* 19. Colorata corpora. *Frontin.* 1. *Strat.* 2. Coloratiora hominum, ut ex vis, corpora.

II.) Translate. ¶ 1. Coloratus est specie aliqua vel ornatu instructus. *Cic. Brut.* 46. 170. Quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio. ¶ 2. Occurrit etiam de oratione pro fucata. *Seneca Ep.* 16. Quæ scribis, unde veniant, scio: non sunt ficta et colorata. *h. e.* fucata. — Hinc *coloratæ declamationes* quæ vocantur, videntur esse, quarum tota ratio colore constat. *V.* COLOR II. 3. *b.* In declamationibus minoribus *Quintiliani post declam.* 307. legitur: *Finiunt tractatæ, incipiunt coloratæ*: et præterea *colorata* inscribitur declamatio 384. *P. Pithœus in epist. ad P. Neveletum Dosch.* varias exponit conjecturas ad explicandum, quid sit declamatio

colorata, et *tractata*: sed nusquam sibi satisfecit. *N. Faber in adnotat.* ad *Senec.* 1. *Controv.* 1. ubi *Color*, scribit, vereri se, ne qui primus sic illas distinxit, illudere. aut crucem figere ingeniis voluerit.

CŌLOS. *V.* COLOR sub init.

CŌLOSSĔROS, ōtis, m. 3. Colosseros ob egregiam corporis amplitudinem et speciem appellatus est Kaius Proculus apud *Sueton. Cal.* 35. Græce est κολοσσέρως, a κολοσσὸς *colossus*, et ἔρως *amor*: prima vox pertinet ad significandam amplitudinem corporis, secunda ad speciem.

CŌLOSSĒUS, a, um, adject. κολοσσαῖος, altus et amplus instar colossi, sed occurrit de statuis tantum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (39). Moles excogitatas videmus statuarum, quas colosseas vocant, turribus pares. *Id.* 35. *ibid.* 7. 33. (51). Nero jusserat colosseum se pingi centum viginti pedum in linteo. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (26). Mars sedens colosseus. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (78). Colossea Virtus et Græcia. Adde *Sueton. Vesp.* 23.

CŌLOSSĬCUS, a, um, adject. κολοσσικός, idem quod colosseus; sed Græca tantum terminatione occurrit. *Vitruv.* 10. 2. 13. *Schneid.* Basis Apollinis colossici. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (54). Signum colossicon nudum. — *Colossicoteros*, *h. e.* altior et amplior, Comparativum est Græcæ positionis, κολοσσικώτερος, et legitur apud *Vitruv.* 3. 5. 9. *Schneid.* Ipsa (opera) colossicoteram habeant magnitudinum rationem. *Et* 10. 2. 5. Colossicotera amplitudinibus et ponderibus onera. *Schneider.* Latinis litteris edidit; at *Klotz.* rectius putat, hæc Græce scribenda esse.

CŌLOSSUS, i, m. 2. κολοσσός. Originem hujus vocis Græci Etymologi ducunt ἀπὸ τοῦ κολούειν τὰ ὄσσε, *hoc est*, minuenda oculorum acie: nam in spectanda altitudine oculi caligant. — Ceterum colossus est statua immodicæ proceritatis: et occurrit — *a*) Generatim. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (128). Euphranor fecit et colossos. Adde *eumd.* 34. *ibid.* 7. 18. (42).; *Sueton. Ner.* 31.; *Martial.* 8. 44. et *Spectac.* 2. 1. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 31. Lusit, et enormes manus est experta colossos. *Gran. Licinian. p.* 46. ed. *Pertz.* Extendit duos colossos duodenum cubitorum ex ære, unum Olympio, alterum Capitolino Jovi. — *b*) Speciatim κατ᾽ ἐξοχὴν dicebatur colossus statua Solis, quæ Rhodi fuit, facta a Charete vel Lachete Lydio Lysippi discipulo, ex ære, altitudine septuaginta cubitorum: quæ inter septem orbis miracula numerabatur. De eo *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (41). verba facit. Meminerunt etiam *Sueton. Vesp.* 18. et *Paul. Diac. p.* 58. 2. *Müll.* — *NB.* Adjective pro *colosseus*. *Lamprid. Alex. Sev.* 25. Statuas colossas in urbe multas locavit. Adde *eumd. ibid.* 28. *Casaubon.* tamen utrobique vult legi *colosseas*.

CŌLOSTRA *vel* colustra, æ, f. 1. Legitur etiam *colustrum*, *i*; et sane in singulari num. habetur apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 22. et in *lemmate epigr. Martial* mox citandi: in plurali autem num. usurpatur a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (236). et *Martial.* 13. 38.: immo *Servius loc. cit.* negat, sed frustra, feminino genere usurpari. — Ceterum *colostra* est primum lac, quod statim post partum feminæ edunt, densum, et facile coalescens, atque adeo fetui noxium, si sugat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (123). Est autem colostra prima a partu spongiosa densitas lactis. *Id.* 11. *ibid.* 41. 96. (236). Ex primo lacte a partu colostræ fiunt. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 3. 17.; et *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 1. qui ambo feminine usurpant. *Cf. Non. p.* 81. 10. *Merc.* — Fuit quondam in ciborum deliciis. *Martial. l. c.*, cujus lemma est *Colostrum.* Surripuit pastor quæ nondum stantibus hædis De primo matrum lacte colostra damus. — Usurpatur etiam in blanditiis amantium. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 174. Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus. Adde *ibid.* 177. et *Laber.* apud *Non. loc. cit.*

CŌLOSTRĀTĬO, ōnis, f. 3. morbus, quo pulli et infantes corripiuntur, colostra sugentes: ea enim in stomacho coagulata letalis est. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (237). Pullis asinarum biduo a partu maternum lac gustasse, letale est. Genus mali vocatur colostratio.

CŌLOSTRĀTUS, a, um, adject. colostratione laborans. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (123). Concipere nutrices exitiosum est: hi enim sunt infantes, qui colostrati appellantur, densato lacte in casei speciem.

CŌLOSTRĔUS, a, um, adject. ad colostrum pertinens. *Cassiod.* 12. *Variar.* 14. *a med.* Exormiston inter pisces regium genus, colostrea delicata teneritudine præditum.

CŌLŌTES, æ, m. 1. κωλώτης, idem quod stellio. Occurrit apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 28. (90). *Et* 9. *ibid.* 29. 46. (87). — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

COLPA pro culpa dixere olim veteres, teste *Priscian.* 1. p. 554. *Putsch.*

CŎLŬBER, bri, m. 2. Dativus et Ablativus plur. numeri *colubris* potest esse tum a *coluber*, tum a *colubra*, quam vocem *V.* infra loco suo. — Ratione habita etymi, quidam putant, proprie dici de anguibus, qui nemorum umbras incolunt: quasi *colens umbras*. Alii esse vocem corruptam a χέλυδρος. Sed colubrum a chelydro aperte distinguit *Virg.* 3. *G.* 415. *et seqq.* Alii denique a κολυμβᾶν, quia cavernas subeat. Rectius tamen hæc vox conjungenda est cum *columbus* et Græco κολυμβός. — Ceterum *coluber* est vox poetarum propria, et passim usurpatur de quocumque serpente. *Virg.* 2. *Æn.* 471. Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus etc. *Id.* 2. *G.* 320. Candida venit avis longis invisa colubris. *Ovid.* 11. *Met.* 775. Latens herba coluber. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 620. — Hinc accipitur etiam pro peculiari serpentum genere, quod in ædibus libenter habitat, atque in stabulis boum, et pecorum, quibus maxime noxium est. *Virg.* 3. *G.* 418. Aut tecto assuetus coluber succedere et umbræ, Pestis acerba boum, etc. Hic in quibusdam Italiæ locis vocatur *anza*. — Sæpe dicitur de serpentibus, quas crinium vice habere Medusa et Furiæ, Inferorum monstra, finguntur, ut apud *Lucret.* 5. 27.; *Ovid.* 9. *Met.* 73.; *Lucan.* 6. 664.; et *Val. Flacc.* 6. 175.

CŎLŬBRA, æ, f. 1. De Dativo et Ablativo plur. numeri, *V.* voc. præced. sub init. — Colubra est femina colubri: at sæpius usurpatur, quam *coluber*, pro quocumque serpente. — *a*) Generatim. *Lucilius* apud *Non. p.* 202. 21. *Merc.* Marsus colubras disrumpit cantu. Adde *Turpilium* et *Varron.* apud *eumd. l. c. Horat.* 1. *Sat.* 8. 42. Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ etc. Adde *eumd.* 1. *Od.* 17. 8.; et *Ovid.* 6. *Met.* 559. et 15. *ibid.* 715. *Cels.* 5. 27. 3. Colubra ipsa tuto estur: ictus ejus occidit. Adde *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 19. (53). *Juvenal.* 5. 104. Anguilla longæ cognata colubræ. — In illo *Colum.* 10. *R. R.* 231. Spargantur cæcis nasturtia dira colubris, Indomito male sana cibo quas educat alvus. *cæcæ colubræ* sunt lumbrici, qui in hominum intestinis gignuntur. — *b*) *Colubra restem non parit*, *h. e.* non est dissimilis proles parentibus. Proverb. apud *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* — *c*) Sæpe dicitur de anguibus, quæ crinium loco caput Furiarum et Medusæ cingunt. *Ovid.* 4. *Met.* 474. 491. et 783., et 6. *ibid.* 119.; et *Lucan.* 9. 634. et alibi. Hinc apud *Plaut. Stich.* 2. 1. 50. *Quas tu vides colubras?* videtur esse interrogatio cuipiam facta, qui furiosus videatur, veluti si Furias videat. Ita enim *Muret. l.* 14. *variar. lect. c.* 19., ubi simul ridet eorum opinionem (inter quos est *Lambin.*) qui verbum *excolubrare* ex isto loco confictum in linguam Latinam intrudere voluerunt.

CŎLŬBRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (coluber *et* fero) qui colubras fert. *Ovid.* 5. *Met.* 241. Colubriferi lumina monstri. *h. e.* Medusæ, cujus est apud *Lucan.* 9. 677. colubriferum collum.

CŎLŬBRĬMŎDUS, a, um, adject. in modum colubrorum. *Coripp. fragm.* 4. Illa colubrimodis Avarum gens dura capillis.

CŎLŬBRĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

CŎLŬBRĪNUS, a, um, adject. ad colubrum pertinens. *Plaut. Truc.* 4. 3. 6. Colubrino ingenio esse. *Tertull. Spectac.* 18. Ipse gestus colubrina vis. — Hinc

Colubrina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est herba eadem ac draconlea, vel bryonia, vel vitis alba. *Apul. Herb.* 44.

CŎLŬBROR. *V.* COLUMBOR.

CŎLŬBRŌSUS, a, um, adject. a *coluber*. *Tertull. advers. Valentinian.* 4. Actu colubroso viam delineavit. *h. e.* detorto, flexo.

CŌLUM, i, n. 2. κῶλον. *V.* COLON.

CŌLUM, i, n. 2. a Græco κοῖλον concavum. Colum est vas vimineum, aut setaceum, per quod vinum, lac, et alii liquores in aliud vas transmittuntur (It. *colatojo*; Fr. *tamis*, *sas*, *filtre*; Hisp. *filtro*, *manga*; Germ. *das Seihgefäss*, *Seihsieb*, *Durchschlag*; Angl. *a colander*, *strainer*). *Cato R. R.* 11. Cola vitilia. *Virg.* 2. *G.* 242. Colaque prelorum fumosis deripe tectis. *Scribon. Compos.* 150. Oleum transmissum per colum. et *Compos ult.* Colare aliquid per colum. *Colum.* 12. *R. R.* 38. 7. Per colum junceum liquatus succus. *Id. ibid.* 19. Cola juncea, vel spartea, ex crudo, idest non malleato sparto, præparata habeat. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 2. 70. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 52. (173). Aqua per colum transiens. *Colum* hic appellat arenam, per quam aqua in cisternis purgatur. *V.* QUALUM. Adde *Apul.* 3. *Met.* — *Colum vinarium*, quod legitur apud *Martial.* 13. 103. *in lemmate*, fuit vas æneum (cujusmodi Pompejis repertum Neapoli nunc asservatur, et cujus figuram ac descriptionem videre et legere est in *Mus. Borbon. T.* 2. *tab.* 60.) plurimis minutisque foraminibus pertusum, in quod nive injecta vinum infundebatur et colabatur, ut per eamdem transeundo ejus austerior vis frangeretur calorque nimius tolleretur; nam veteres Romani in editis ædium partibus, non in infimis, ut apud nos, illud servabant. Pauperiores vero illud sacco linteo colabant, quem propterea *Id. ibid.* 104. *in lemmate* vocat *saccum vinarium*. *V.* SACCUS et SACCO. *Cf. Dig.* 34. 2. 21. *pr.* — Apud *Auson. Epist.* 4. 57. *cola* sunt nassæ vimineæ, in quas si pisces inciderint, exitum non habent: ita dictæ, quia transmittunt aquam, et piscem in sicco destituunt. Hac ratione dixit *Manil.* Et colare vagos inductis retibus amnes, 5. 193., quia rete transfundit aquas, et piscem retinet.

CŎLUMBA, æ, f. 1. proprie et stricto sensu est femina columbi (It. *colomba*; Fr. *pigeon femelle*, *colombe*; Hisp. *paloma*; Germ. *d. Taube*; Angl. *a dove*, *pigeon*, *culver*). *Horat. Epod.* 16. 32. Adulteretur et columba milvio. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 56. Oscula dat cupido blanda columba mari. *V. Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (104). ubi multa de hac ave, more suo. — Usurpatur etiam de maribus, seu potius universim de toto genere. *V.* COLUMBUS. *Varro* 3. *R. R.* 7. 1. In villam ultro involant columbæ. *V.* ibi plura de earum nutriendarum ratione. Adde *eumd.* 9. *L. L.* 56. et 5. *ibid.* 76. *Müll. Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 79. In columba plures videntur colores. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 5. 18.; *Virg.* 2. *Æn.* 516.; et *Horat.* 1. *Od.* 2. 20. et 1. *ibid.* 37. 18. *Ovid.* 1. *Met.* 506. Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ. Adde *Tibull.* 1. 8. 18.; *Martial.* 12. 60.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 24. — Hæ aves Veneri sacræ sunt, tum ob concubitus frequentiam ac fecunditatem, tum ob pennarum nitorem et pulcritudinem: tum denique quod ovum illud exclusisse dicuntur, ex quo Venerem natam fuisse in ripa Euphratis, tradit *Hygin. fab.* 197., ideoque ejus currum trahere dicuntur. Aliam hujus rei causam adducit *Lactant.* ad *Stat.* 4. *Theb.* 226., qui integram de columba fabulam narrat. *V.* PERISTERA. Hinc *Ovid.* 15. *Met.* 386. *Cythereidas* vocat. Hinc etiam adhibetur *columba* in blanditiis. *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 50. Meus pullus passer, mea columba, mi lepus. Adde *eumd. Asin.* 3. 3. 103. — Apud Syros sanctæ fuere et inviolabiles. *V.* PALÆSTINUS in ONOM.

CŎLUMBAR, āris, n. 3. proprie est idem quod columbarium, seu lectus, in quo habitant columbæ: sed tamen occurrit ¶ 1. Pro quodam vinculi genere, cui collum inseritur, quia id simile est foraminibus, in peristerotrophiis, ubi columbæ nidificant. *Plaut. Rud.* 3. 6. 50. Nam in columbari collum haud multo post erit. *Cf. Turneb. Adversar.* 26. 2. et *Salmas. de mod. usur. p.* 613. ¶ 2. *Columbar* dicitur etiam foramen in navi, per quod remus in aquam emittitur. *Festus p.* 169. 8. *Müll.* Columbaria in nave appellantur ea, quibus remi eminent. *Isid.* 19. *Orig.* 2. 3. Columbaria in summis lateribus navium loca concava, per quæ eminent remi; dicta credo, quod sint similia latibulis columbarum, in quibus nidificent. *Columbaria* plur. num. hoc sensu ad *columbar*, potius quam ad *columbarium* retulimus, quod *Festus loc. cit.* ex *Plauto* affert voc. *columbar* ac deinde interpretatur. ¶ 3. *Columbar* est etiam convicium in illo *Plauti* apud *Festum loc. cit.* Non ego te novi, navalis scriba, columbar impudens. ubi *columbar* vocat scelestum hominem columbari dignum, quemadmodum *Lucilius* carcerem vocat eum, qui meruit in vincula conjici. *Scalig.* ad *Fest.*

CŎLUMBĀRIS, re, adject. qui est columbi. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 3. Partes hæ columbari carent stercore. Ita *Jenson. a.* 1472. Aliæ edition. rectius habent *columbarii*.

CŎLUMBĀRIUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

CŎLUMBĀRIUS, a, um, adject. ad columbos per-

tineus: sed occurrit absolute tantum, substantivorum more,

Columbarium, ii, n. 2. ¶ 1. Est locus, in quo habitant columbæ. *Varro* 3. *R. R.* 7. 3. Itaque pastorem columbarium quotquot mensibus crebro oportet everrere. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (51).; *Pallad.* 1. *R. R.* 24.; et *Dig.* 10. 2. 8. § 1. *V.* et *Colum.* in COLUMBARIS. ¶ 2. Item loculamentum in ipso columbario singulis columborum paribus destinatum: quanquam hoc sensu rectius a recto *columbar*, quam *columbarium* deduxeris. *Varro loc. cit.* Singulis paribus columbaria fiunt rotunda, in ordinem crebra. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 3. Tabulæ superponantur, quæ vel loculamenta, vel fictilia columbaria recipiant. ¶ 3. A similitudine sic appellatur etiam cubile tigni et trabis in ædium parietibus. *Vitruv.* 4. 2. 4. *Schneid.* Utraque enim, et inter denticulos et inter triglyphos, quæ sunt intervalla metopæ nominantur: ὀπὰς Græci tignorum cubilia, uti nostri ea cava columbaria. ¶ 4. Item foramen rotundum in machina haustoria, per quod aqua in tympano concepta egreditur. *Id.* 10. 4. 2. *Schneid.* ¶ 5. Item loculus in sepulcris, in quo olla cinerum reponebatur. Asserit hanc metaphoricam significationem variis antiquis inscriptionibus *Fabrett.* p. 9. *et seqq.* et figuris exhibitis confirmat. *V. Marini Frat. Arv.* p. 674. et *Inscriptt.* apud *Orell.* 2975., 4513. et 4544. — *NB.* De alia significatione. *V.* COLUMBAR 2.

Columbarius, ii, m. 2. qui columbas curat. *Varro* 3. *R. R.* 7. 7. Quos (*accipitres*) columbarii solent interficere.

CŌLUMBĀTIM, adverb. more columbarum. *Vet. Epigr.* in *Anthol. Lat.* t. 3. *epigr.* 219. Da columbatim mitia basia. *V.* COLUMBULATIM et COLUMBOR.

CŌLUMBĪNĀCEUS, a, um, adject. columbinus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. *ad fin.* Pullus gallinaceus, aut columbinaceus.

CŌLUMBĪNUS, a, um, adject. ad columbos pertinens. ¶ 1. Qui est ex columbis. *Varro* 3. *R. R.* 7. 9.; et *Cic.* 9. *Fam.* 18. 3. Pulli columbini. *Columbini* absolute pro *pulli columbini* est apud *Martial.* 13. 66. in *lemmate*. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 56. Columbinum ovum. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 1. stercus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 27. (46). stercora. *Id.* 17. *ibid.* 27. 47. (259). fimus. ¶ 2. Item qui columbarum speciem, ac præcipue colorem habet. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (43). Terra alba, rufa, columbina, argillacea, tofacea, etc. *Isid.* 19. *Orig.* 10. 9. lapis. — *Columbina vitis* inter varia ejus arboris genera recensetur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (8). Columbinæ vites sunt acinosissimæ. *Harduin.* ex MSS. *e racemosissimis* legit. — *Columbinus cicer* (apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 32. (124).) quod alii Venerium vocant, genus est ciceris candidi, rotundi, levis, arietino minoris, quod religio in pervigiliis adhibet. Ita dictum videtur a colore columbino. — *Columbinum saxum*, quod *Palladius* recenset inter genera lapidum, ex quibus calx excoqui potest, videtur et ipsum a colore columbino denominatum esse. Ejus verba sunt 1. *R. R.* 10. 3. Calcem quoque ex albo saxo duro, vel Tiburtino, aut columbino fluviali coquemus, aut rubro, aut spongia etc. — *Columbinum collum* dicitur argumentum Arcesilæ a *Capell.* 2. p. 46. Arcesilam ignorantiæ magistrum vocat *Lactantius*, et *Cicero* omnem funditus philosophiæ rationem ait sustulisse. Docebat enim ἀκαταληψίαν, nihilque certo sciri posse asserebat, utebaturque argumento remi infracti et colli columbini (ut testis est *Cicero* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 79.), in quo aliud quid videtur, quam revera est. Cf. *Lucret.* 2. 800. — *Columbina supina* absolute, quæ Græce peristereon hyption, dicitur verbenaca ab *Apul. Herb.* 3., quia est columbis esca jucunda. — *Columbinum venenum* quidnam fuerit, disces ex *Sueton. Cal.* 54. Columbo victori, leviter tamen saucio, venenum in plagam addidit, quod ex eo columbinum appellavit. Sic certe inter alia venena scriptum ab eo repertum est. At *Columbus* apud *Sueton. loc. cit.* est nomen propr. cujusdam gladiatoris.

CŌLUMBOR, āris, ari, dep. 1. pro columbarum more oscula figere, usus *Mæcenas* apud *Senec. Ep.* 114. Quid si quis feminæ cirro crispatæ labris columbatur? Ubi *Lipsius* adnotavit, in suo codice legi *colubratur*: quod non abhorret, inquit, a Mæcenatis sermone: et scimus bestias illas arcte jungi. Quin et duplex lingua colubrorum; et idem *Plaut.* alibi (*Asin.* 3. 3. 105.). Fac me proserpentem bestiam, duplicem ut habeam linguam. Hæc *Lipsius*.

CŌLUMBŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* columba, parva columba. *V.* COLUMBULUS.

CŌLUMBŬLĀTIM, adverb. more columbulorum, idem ac columbatim. *Cn. Mattius* apud *Gell.* 20. 9. Sinuque amicam refice frigidam caldo Columbulatim labra conserens labris. Ita legunt *Voss.*, *Salmas.*, *Scalig.*, *Gronov.*, aliique quamplures, ut metri ratio constet: alii minus recte *columbatim*.

CŌLUMBŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* columbus, parvus columbus. *Catull.* 29. 9. Ut albulus columbulus Dionæus. *Alii rectius leg.* columbus, aut Adoneus. *Plin.* 9. *Ep.* 25. Tu passerculis, et columbulis nostris inter aquilas vestras dabis pennas. *h. e.* versibus nostris amatoriis; alludit enim ad Passerem *Catulli*, et Columbam *Stellæ*. Quoniam vero alludit ad Columbam *Stellæ*, illud *columbulis* videretur esse potius a *columbula*, quam a *columbulus*: sed quia duo hæc *passerculis et columbulis* conjunguntur, et *Plin. ibid.* de utrisque locutus *continendus* masc. gen. ait; rectius fortasse τὸ *columbulis* a *columbulus* deduces.

CŌLUMBUS, i, m. 2. Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum Gr. κόλυμβος et *coluber*. — Columbus est avis domestica nota (It. *piccione*, *colombo*; Fr. *pigeon mâle*; Hisp. *palomo*; Germ. *die männl. Taube*, *d. Tauber*; Angl. *a dove*, *pigeon*). Proprie est mas columbæ. *Varro* 9. *L. L.* 56. *Müll.* Quædam aliter olim ac nunc: nam erat cum omnes mares et feminæ dicebantur c o l u m b æ, quod non erant in eo usu domestico, quo nunc: nunc contra propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas c o l u m b u s, femina c o l u m b a. Adde *Plaut. Rud.* 3. 6. 49.; et *Catull.* 27. 9. — Usurpatur et universim de utroque genere, quemadmodum ab *Horat.* 1. *Ep.* 10. 5. Sic *Plin.* 10. *Hist. nat.* 9. 11. (25). Rictus columbi. Adde locum *Colum.* in *H o m o n y m.* — Alia huc pertinentia *V.* in COLUMBA, quæ sæpius usurpatur, quam *columbus*.

H o m o n y m. *Columbus* differt a *palumbis*, qui sunt aves silvestres columbis majores, et in arboribus aut sæpibus nidificant. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 1. P a l u m b o s c o l u m b o s q u e cellares pinguissimos facere.

CŌLŬMELLA, æ, f. 1. *deminut. a* voce *columa*, ut veteres dicebant exempto *n*, pro *columna* (quamvis et *columnella* in MSS. legatur: V. in fine hujus voc.), parva columna.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 20. Columella ferrea. Adde *eumd. ibid.* 22. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Duæ primum trabes in solo æque longæ, distantes inter se pedes IV., collocantur: inque eis columellæ pedum in altitudinem V. defiguntur. Adde *Vitruv.* 10. 5. 4. *Schneid.* et *Inscript.* apud *Orell.* 4517. — *b*) Speciatim de parva columna sepulcrali. *Cic.* 2. *Legg.* 26. 66. Demetrius Phalereus super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 23. 65.

II.) Improprie. ¶ 1. Ob similitudinem columella est eadem ac pagina in membranis et chartis. *Rufin.* 2. *Invect.* in *Hieronym.* n. 36. Origenes voluit ostendere, qualis apud Judæos Scripturarum lectio teneretur, et in propriis paginis vel columellis editiones eorum singulas quasque descripsit, et ea, quæ apud illos sunt addita vel decerpta, certis quibusdam signis additis ad versiculorum capita designavit. ¶ 2. Translate. *Columellæ* dicti sunt majores servi in familia, quos heri negotiis suis præficiebant, quod his niteretur domus tamquam columellis. *Lucilius* apud *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2. 1. 57. Servu' neque infidus domino, neque inutili quoiquam Lucili columella hic situ' Metrophanes. *Martial.* quoque posteriorem hunc versum refert 11. 90. Quidam vero putant *Columnellam* hic esse nomen proprium Metrophanis servi. *Salmasius* legere malebat, *columella hac*, ut sententia sit: Metrophanem Lucilii servum situm esse sub hac columella. Legitur et *columnella* apud *Caton. R. R.* 20. et 21. in editione Jensoniana a. 1472. et Aldina a. 1514. Nam in aliis est *columella*. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

CŌLŬMELLĀRIS, e, adject. qui formam habet columellæ. *Columellares dentes* in equis vocantur, quos quarto ætatis anno incipiente, ejectis binis utrimque veteribus, emittunt, uti docent *Varro* 2. *R. R.* 7. 2. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (168). Hi autem sunt iidem ac canini, et columellares vocantur propter rotundam longitudinem columellarum instar. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 48. Dentes caninos vulgus pro longitudine et rotunditate *colomellos* vocat.

CŌLŬMEN, inis, n. 3. Ratione habita etymi vox conjungenda cum *culmen*, quod vel ab eo per syncopen fit, vel inserta per epenthesin vocali, ipsum creat: ambo autem vocabula sunt a *celsus* et *cello*, hoc est sursum impello. — Itaque *columen* est cacumen seu vertex alicujus lineæ (It. *colmo*, *cima*, *sommità*; Fr. *cime*, *faîte*, *sommet*; Hisp. *cima*, *cumbre*; Germ. d. *Höhepunkt*; Angl. *te top*, *summit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. Quæ (*Phœbi fax*) magnum ad columen flammato ardore volabat. *Nigidius* apud *Servium* ad illud *Virg.* 1. *G.* 258. Oritur Canicula cum Cancro; in columen venit cum Geminis: occidit cum Tauro. Adde *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 17. (57). — Et latiori sensu de quacumque summitate. *Catull.* 63. 71. Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus. *h. e.* montibus Idæ Phrygiæ. Cf. CULMEN. ¶ 2. Speciatim dicitur de summo tecto quarumcumque ædium, itemque de parte muri superiore, quæ in fastigium desinit. *Cato R. R.* 15. Maceriam sine calce, ex cæmentis et silice, altam P. V. facito, et columen P. I. *Varro* 3. *R. R.* 7. 1. In turribus et columinibus villæ. *h. e.* in extremo tecto casæ rusticæ. *cf.* CULMEN. *Cic.* 1. *Divinat.* 12. 20. *in carm. de suo consul.* Ni post excisum ad columen formata decore Sancta Jovis species claros spectaret in ortus. *h. e.* fastigium Capitolii. *Seneca Herc. fur.* 999. Huc eat, et illuc aula disjecto objice, Rumpatque postes: columen impulsum labet. Adde *eumd. Thyest.* 54. ¶ 3. Item speciatim, sed stricto sensu, de summa trabe, quæ tectum sustinet. *Vitruv.* 4. 2. 1. *Schneid.* Columen in summo fastigio culminis: unde et columnæ dicuntur. *Id.* 4. 7. 5. Columen canterii.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro eo, qui summum locum tenet in re aliqua. *Plaut. Amph.* 1. 1. 211. Advenisti, audaciæ columen. *Cic.* 13. *Phil.* 12. 26. Columen amicorum Antonii Cotyla Varius. *Colum.* 3. *R. R.* 4. 3. Cum vitem seruerit, summa sedulitate culturæ serviat; id enim quasi caput et columen est impensarum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 17. (57). Pars hæc vitæ jam pridem venit ad columen, expertis cuncta hominibus. *Gell.* 19. 14. Ætas Ciceronis et Cæsaris doctrinarum multiformium variarumque artium columina habuit M. Varronem et P. Nigidium. ¶ 2. Item pro sustentaculo, et dicitur præcipue de hominibus. *Tubero* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 1. 57. Hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur. *Plaut. Cas.* 3. 2. 6. et *Epid.* 2. 2. 5. Senati columen, præsidium popli. *Ter. Phorm.* 2. 1. 57. Bone custos salve: columen vero familiæ. *Cic.* 5. *Verr.* 76. 176. familiæ. *Id. Sext.* 8. 19. reipublicæ. *Id. Flacc.* 17. 41. accusationis. *Liv.* 38. 51. Caput columenque imperii Rom. *Catull.* 64. 26. Columen Thessaliæ (*Peleus*). *Horat.* 2. *Od.* 17. 4. rerum mearum (*Mæcenas*). *Curt.* 9. 6. 8. Macedoniæ columen ac sidus. *Seneca Troad.* 123. patriæ. *Id. ibid.* 6. Asiæ. *Sil. It.* 15. 385. Ausonii regni. *Tac.* 6. *Ann.* 37. partium.

CŌLŬMIS, e, adject. idem quod incolumis. *Plaut. Trin.* 3. 3. 15., ubi alii leg. *incolumis*. Agnoscit tamen etiam *Isid.* tum 10. *Orig.* 54., tum in *Glossis*, ubi legitur: *Colume*, *sanum*, et *Columes*, *salvos*. Verum hæc omnia non satis efficiunt, ut cuivis sine scrupulo usurpare liceat.

CŌLUMNA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, dicta est a *columen* seu *culmen*, ut docent *Vitruv.* 4. 2. 1. *Schneid.* et *Paul. Diac.* p. 55. 5. *Müll.*, quia primo ita sunt appellata fulcimenta illa, quæ summam tecti trabem fulciunt. Olim autem *columna* scribebatur, licet *columa* pronunciarent, uti docet *Quintil.* 1. 7. 29., unde *columellæ* appellatio facta est. — Ceterum columna est fulcimentum, sustentaculum oblongo, rotundo et erecto lapide, vel ligno constans, quo aliquid nititur et sustinetur (It. *colonna*; Fr. *colonne*, *pilier*, *pieu*; Hisp. *coluna*, *pilar*, *pilarejo*; Germ. *die Säule*; Angl. *a pillar*, *column*).

I.) Proprie seu stricto sensu. ¶ 1. Generatim in architectura *columnæ* primo dicta sunt qualiacumque fulcimenta vel sustentacula, ut colligimus ex *Varron.* 3. *R. R.* 5. 11. et *Vitruv.* 4. 2. 1. *Schneid.* Progressu vero temporis ædificiorum ornamento ac majestati inservierunt, teste ipso *Cic.* 3. *Orat.* 46. 180. Columnæ et templa et porticus sustinent, tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. — Hinc varia co-

lumnarum genera in architectura, scilicet columnæ Corinthiæ, Doricæ, Joniæ, Tuscanicæ, Atticæ etc.; de quibus deque earum rationibus V. *Vitruv.* 4. 1. 1. et seqq. *Schneid.*; *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 56. (178).; et *Pauly's Encyclop.* vol. 2. p. 1293. et seqq. — *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 2. Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat. *Id.* 3. *Verr.* 51. 133. Exigere columnas ad perpendiculum. *Id. ibid.* 55. 145. Columnas dealbare. *Id. ibid.* dejicere, reponere. *Id.* apud *Quintil.* 5. 13. 40. et *Sueton. Aug.* 72. Columnæ Albanæ. *Id. Dom.* 29. 62. marmoreæ. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. § 1. politæ. *Varro* 3. *R. R.* 5. 11. lapideæ. *Virg.* 1. *Æn.* 432. immanes excisæ rupibus. *Horat.* 2. *Od.* 18. 4. recisæ Africa ultima. *Propert.* 3. 2. 9. Tænariæ. *Ovid.* 2. *Met.* 1. Regia solis erat sublimibus alta columnis. *Id.* 3. *Pont.* 2. 49. templa vastis innixa columnis. *Sueton. Cæs.* 85. Solidam columnam, prope xx. pedum, lapidis Numidici, in foro statuere. *V.* infra sub 2. c. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Metaponti templum Junonis columnis vitigineis stetit. *Id.* 33. *ibid.* 1. 21. (69). Tellus ligneis columnis suspenditur. *Martial.* 5. 13. centenis incumbunt tecta columnis. ¶ 2. Speciatim occurrit de columnis, quæ ad alicujus memoriam atque honorem erectæ sunt. Horum præcipuæ memorantur — a) *Columna Mænii*, ut appellat *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 11. (20)., et sæpius *Mænia*, quæ Romæ fuit in foro, ad quam tresviri capitales crimina cognoscebant nequam servorum, furum, et hujusmodi infimorum hominum (ut ex *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 16. 50. et *Pseudo-Ascon. ibid.* colligitur), qui ibidem rei damnati alligabantur et puniebantur. Eodem vocari solitos a creditoribus eos, qui gravi ære alieno premerentur, significare videtur *Cic. Sext.* 8. 18., ut *Manut.* ad *Divin. in Q. Cæcil.* adnotavit. Sed *V.* etiam quæ addidit ad *loc. cit.* pro *Sext.* Hujus columnæ *Cic.* meminit etiam pro *Cluent.* 13. 39. et *Sext.* 58. 124.; *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212).; et *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 1. 101. Porro, ut *Pseudo-Ascon. loc. cit.* docet, sic appellata est a quodam Mænio, qui cum censoribus Catoni et Flacco domum suam vendidisset, ut eo loco basilica ædificaretur, excepit sibi jus columnæ, supra quam tectum projicerit ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiamtum in foro dabatur. Hanc *Pseudo-Asconii* sententiam *Forcellinus* secutus, aliam fuisse ait columnam C. Mænii, qui consul fuit una cum L. Furio Camillo, eamque in victoriæ signum devictis hostibus posuerat, ut docet *Plin. loc.* superius *cit.* At recentiores (inter quos cf. *F. Osann de col. Mænia, Giessen* 1844.) *Pseudo-Asconii* opinionem omnino respuunt, et unam tantummodo fuisse Romæ columnam Mæniam, a consule Mænio in victoriæ signum positam (de quo *Plin. loc. cit.*) validis argumentis contendunt. — b) *Columna rostrata C. Duilii* memoratur a *Quintil.* 1. 7. 12.: cf. *Plin. loc. cit.* — c) *Columna C. Julii Cæsaris* memoratur a *Cic.* 1. *Phil.* 2. 5. et *Sueton. Aug.* 85. — De *columna bellica* V. **BELLONA** in ONOM. ¶ 3. Item speciatim proverbialiter apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 54. Columnam mento suffulcire *dicitur is*, qui brachio tamquam columna mentum suffulcit. *V.* **COLUMNATUS** in fin. — Item proverbialiter *Cic. Orat.* 67. 224. Incurrere amentem in columnas. *h. e.* caput in januam impingere. ¶ 4. Item columnæ apud bibliopolas dicebantur pilæ, in quibus libri venales prostabant. *Horat. Art. P.* 372. mediocribus esse poetis Non di, non homines, non concessere columnæ. ¶ 5. Et generatim pro quocumque sustentaculo. *Cic.* 1. *Divinat.* 12. 21. Juppiter excelsa clarabat sceptra columna. ¶ 6. Denique allegorice de personis ponitur, quæ aliorum columen sunt ac præsidium. *Horat.* 1. *Od.* 35. 14. Injurioso ne pede proruas Stantem columnam. *h. e.* statum et incolumitatem rei publicæ: qua significatione prævit *Ennius* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 1. 57.

II.) Improprie sive latiori sensu ponitur de pluribus, quæ columnæ imaginem referunt; scilicet ¶ 1. De montibus et scopulis, qui præcipue in alicujus regionis vel regni finibus positi sunt. — a) *Columnæ Herculis* sunt duo montes ad fretum Gaditanum Calpe, nunc *Gibilterra*, in Europa, et Abyla, nunc *Ceuta*, in Mauritania regione Africæ, qui procul spectantibus columnarum speciem præbent. Porro Herculi sacrati sunt, quia eo usque laboribus suis orbem peragravit. Additur etiam fabula, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium oceanum in nostrum mare admisisse. *Mela* 1. 5. 3. et 2. 6. 8.; et *Plin.* 3. *Hist. nat. præfat.* § 4. et 13. *ibid.* 25. 49. (138). Quidam putant, Phœnices, ubi primum fretum Gaditanum præteriere, duas columnas erexisse Herculi et Astarti, Soli nempe et Lunæ: mox Græcos columnas appellasse ob quamdam similitudinem, montes Calpen et Abylam. — b) *Herculis columnas* memorat apud Frisios, quæ eamdem ab Phœnicibus originem habent, *Tac. Germ.* 34. — c) *Columna Rhegia* dicta est extremitas Italiæ apud Rhegium, quæ inter meridiem et occidentem spectat. *Mela* 2. 4. 8.; et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 10. (73). et *ibid.* 8. 14. (86). Cf. *Cic. Sext.* 8. 18. et V. *Klotz* ad *h. l.* — d) Quas memorat *Protei columnas*, *Virg.* 11. *Æn.* 262. intelligit fines Ægypti, ubi Proteus regnavit. Mos enim fuit in regionum finibus columnas ponere ad terminos discernendos. *V.* ibi *Servium.* ¶ 2. Est etiam hoc nomine genus procellæ, seu turbinis, cum tamquam demissa columna in mare de cælo descendit: quam freta circum Fervescunt graviter spirantibus incita flabris: Et quæcumque in eo tum sunt deprensa tumultu Navigia, in summum veniunt vexata periclum, etc. Ita *Lucret.* 6. 425. *Plin.* vero 2. *Hist. nat.* 49. 50. (134). ita vocari ait, cum spissatus humor rigensque ipse se sustinet. ¶ 3. Item species ignis cælestis, columnæ figura apparentis. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 20. ¶ 4. Apud *Martial.* 6. 49. et 11. 51. est eadem ac mentula. Sic *Auct. Priap.* 10. Adstans inguinibus columna nostris. ¶ 5. Denique *columna narium* dicitur narium recta pars propter quod æqualiter sit in longitudine et rotunditate porrecta, apud *Isid.* 11. *Orig.* 1. 48.

CŎLUMNAR, āris. *V. Columnarium* in voc. **COLUMNARIUS.**

CŎLUMNĀRIS, e, adject. ad columnam pertinens. *Prudent. Hamartig.* 476. mediasque tenebras Luce columnari scindens exercitus olim. *h. e.* splendore igneæ columnæ, quæ noctu Hebræis in deserti itinere præibat.

CŎLUMNĀRĬUS, a, um, adject. ad columnas pertinens: hinc

Columnarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Subaudi *vectigal*, et est genus tributi, quod pro singulis domorum columnis exigebatur. Eo autem consilio impositum videtur, ut hac pœna ab insanis ædificiorum sumptibus Romani ditiores et luxui dediti deterrerentur. Et fortasse pertinuit ad legem Juliam sumptuariam, (cujus meminit *Sueton. Cæs.* 43.) qua omnium impensarum numerus et modus definiebatur. *Cic.* 13. *Att.* 6. 1. De aquæductu probe fecisti: columnarium vide ne ullum debeamus: quamquam mihi videor audisse a Camillo commutatam esse legem. *V.* **OSTIARIUM.** In allato *Cic. loc. cit.* MS. quoddam perperam habet *colonarium*, teste *Ursino.* — Res eadem, sed non eadem origo fuit *columnarii*, quod inter alias acerbissimas exactiones pecuniarum a Pompejo civitatibus Asiæ imperatum, narrat *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Neque enim hoc ad eam legem pertinuit, de qua *Cic. loc. cit.* meminit, sed extra ordinem, atque ex arbitrio et avaritia Pompeji impositum est, ut unde unde pecunias ad bellum cogeret. ¶ 2. *Columnarium* fuit etiam locus extra urbem, in quo marmora conficiendis præsertim columnis excidebantur. Nam prope oppidum Ferentinum, quod nunc *Marino* esse traditur, ad radices montis Albani, unde columnæ marmoreæ Romam portabantur, teste *Sueton. Aug.* 72., repertus est lapis cum *Inscriptione*, quam affert *Fabrett.* p. 463. n. 95., quæ est apud *Orell.* 4034., quæque pertinet ad ann. U. C. 784., a Chr. n. 31. L. CORNELIVS A. F. FAB. VLIPIVS CENSEO LOCVM QVI EST EXTRA PORTAM MEDIANAM AB EO LOCO IN QVO SCHOLA FVIT LONGUM P. LXVII. AD RIVOM AQVAE ALBANAE ET A VIA INTRORSVS, IN QVO ANTEA COLVMNARIVM PVBLICVM FVIT LATVM P. X. HONORIS CAVSSA M. JVNIO SILANI L. NONIO POSTERISQ. EIVS DARI. Alia inscriptio, quæ nunc Patavii exstat, quæque mendosa legitur apud *Murat.* 571. 2. QVOD L. CANIVS FESTVS, C. AVFIDIVS CANDIDVS, C. AVILIVS Q. F., L. CARVIVS STABILIS PRAEFECTI *verba fecerint*, L. PERPERNAM AMIANTVM LOCVM COLVMNAR. EXTRA PORTAM ROMANAM ROGARE CLX. PED. etc. Si certo constaret, lapidem hunc ad municipium Patavinum pertinere, conjicerem, locum columnarii fuisse sex circiter ab urbe passuum millibus, nempe ad radices illius montis Euganei, cui nunc *Lispida* nomen est, unde lapides, quibus olim Patavini usi sunt, excisos fuisse satis compertum est; quemadmodum Romanos ex monte Albano illos excidisse vidimus. — Ceterum cum in duabus allatis Inscript. COLVMNAR. legatur, pro *columnarium*, *ii*, potest esse etiam *columnar*, *aris*, qua ratione et *columbarium* et *columbar* occurrit.

Columnarii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 9. 5. Nolo te putare, Favonium a columnariis præteritum esse: optimus quisque eum non fecit. *h. e.* ab improbis hominibus, et infimæ plebis, cujusmodi erant, qui ad columnam Mæniam in judicium sæpe vocabantur, aut qui circa eamdem otii fallendi causa versarentur, similes subrostranis et subbasilicanis, quia et ipsi inde sic appellati, quod pro rostris et ad basilicas esse solerent. Ita censet interpretandum *Manut.*, rejicitque eorum opinionem, qui contra veteres omnes libros *colonariis* legi volunt.

CŎLUMNĀTĬO, ōnis, f. 3. columnarum exstructio, seu ædificatio per columnas. *Apul. Florid.* 4. n. 18. Nec proscenii contabulatio, nec scenæ columnatio.

CŎLUMNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. columno, columna sustentatus. *Varro* 3. *R. R.* 5. 12. Tholus rotundus columnatus. *Ambros.* 1. *de Cain et Abel.* 5. ad *fin.* Sed ne forte incomptam domus magnitudinem putes, et diversoria te columnata delectent: sapientia ædificavit sibi domum, et fulsit columnas septem. — Joculariter *columnatum os* dicitur a *Plauto Mil. glor.* 2. 2. 56. quod est brachio tamquam columna suffultum, ut faciunt ii, qui cogitabundi brachium mento supponunt.

CŎLUMNELLA, æ, f. 1. *V.* **COLUMELLA** in fin.

CŎLUMNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (columna et fero). *Prudent.* 9. *Cathemer.* 51. Sic habuit generosa patrum Turba columniferum radium. *h. e.* columnam ignis, quæ Hebræis in deserto præibat.

CŎLŪRI, ōrum. *V.* **COLURUS.**

CŎLŪRĬA, ōrum, n. plur. 2. *Coluria rotundata* sunt pilæ structiles e saxis in orbem excisis: a κόλουρος *cauda mutilus*, quia carent in vertice ornamentis columnarum propriis. Differunt a columnis, quæ ex uno tantum lapide fiunt. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. a *med.* Porticus magis rotundatis fulta coluriis, quam columnis invidiosa monubilibus. Al. rectius leg. *colyriis*, vel *collyriis* eodem sensu: quemadmodum et *colluria* pro *collyria* aliis scribere placet. Sæpe enim Græca υ in u Latinum mutatur: et *collyriorum* figura ad columnæ seu pilæ figuram proxime accedit.

CŎLURNUS, a, um, adject. qui est ex corylo arbore (quæ et *corulus* scripta reperitur) per metathesin factus ex *corulnus*, quod insuavem atque impeditam pronunciationem haberet. Hanc originem voci assignant *Priscian.* 2. p. 595.; et *Servius* ac *Vet. Interpr. Virg.* ab *A. Mai.* edit. p. 13., ad illud *Virg.* 2. *G.* 396. Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. *Paul. Diac.* p. 37. 7. *Müll.* tamen deducit a cornu arbore, quamvis falso; ait enim: Colurna hastilia ex corno arbore facta. *Gloss. Labb.* Colurnum κρανέα δένδρον. Colurnum λεπτοκαρύïνον ἢ κράνινον. In his interpretamentis κράνινον concinit cum *Pauli* sententia, λεπτοκαρύϊνον cum *Prisciani* et *Servii* opinione. Utramque originem, a cornu et corylo, prodit *Placidus* in *Gloss.* p. 448. ed. *Mai.* Alii dictum putant quasi κόλον ἔρνος. *h. e.* ramum mutilum; sed hoc nihil juvat ad genus arboris indicandum, ex qua *colurnus* fiat. At sententia, quæ prima omnium allata est, a cunctis eruditis probatur.

CŎLŪRUS, a, um, adject. κόλουρος, cauda mutilus, truncatus: a κόλος *mutilus*, et οὐρά *cauda.* ¶ 1. Apud Astronomos coluri duo circuli sunt in cælesti sphæra, transeuntes per polos mundi, seque mutuo ibi rectis angulis secantes: quorum alter transit per puncta æquinoctialia Arietis et Libræ, et dicitur Colurus æquinoctiorum; alter solstitialia tangit Cancri et Capricorni, et vocatur Colurus solstitiorum. Dicti sunt, quasi κόλοι τὴν οὐράν, *h. e.* cauda mutili, quia eorum pars in Antarcticum vergens, nobis inconspicua est, et quasi trunca. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. Præter hos alii duo sunt coluri, quibus nomen dedit imperfecta conversio, etc. et *mox*: sed ad Australem verticem non pervenire creduntur. ¶ 2. *Colurum metrum* dicitur a *Plotio de Metris* p. 2619. *Putsch.*, quod pede brevius est.

CŎLUS, us, f. 4. In Ablativo singulari haud raro occurrit *colo* pro *colu*, et in Accusativo pluralis numeri sæpius *colos*, quam *colus* legimus, quod confir-

mat Priscian. 5. p. 654. et 6. p. 719. Putsch.: hinc factum est, ut nonnulli etiam colus, i, f. 2. efferrent; at in recto casu plurali hæ culi non ausim dicere, ait Voss. l. 4. Gramm. c. 20.; al. leg. apud Stat. 3. Theb. 241. — Masculino genere occurrit tantum apud Catull. 64. 311., et Propert. 4. 1. 72. et 4. 9. 48., ubi tamen Forcellinus feminine legi malebat. Afferunt etiam locum Prisciani 6. p. 719. Putsch., qui tamen, si attente legatur, femininum tantummodo genus admittit. — Ceterum colus (fortasse a κόλος mutilus, est enim ligni frustum) est instrumentum, in quo lanæ pensum ponitur, et fuso fila deducuntur (It. conocchia, rocca; Fr. quenouille; Hisp. rueca; Germ. d. Rocken, Spinnrocken; Angl. a distaff, rock). Cic. 2. Orat. 68. 277. Quando ad me venis cum tua colu et lana? Cf. Non. p. 198. 15. Merc. Catull. 64. 311. Læva colum molli lana retinebat amictam. Propert. 4. 9. 48. Colu Lyda pensa diurna facere. Adde Tibull. 1. 3. 86. et 2. 1. 63. Virg. 8. Æn. 409. Tolerare colo vitam. Ovid. 4. Met. 229. Et colus et fusus digitis cecidere remissis. Adde eumd. Heroid. 9. 116., 1. Art. am. 702. et 3. Fast. 818. Sidon. carm. 22. 197. Vacuare colus. h. e. fila deducere. Adde Val. Flacc. 2. 148. Plin. 8. Hist. nat. 48. 74. (194). Lana in colo et fuso Tanaquilis. Id. ibid. Colus compta, et fusus cum stamine. Adde eumd. 21. ibid. 15. 53. (90).; Stat. 1. Achill. 582. et 635., et 9. Theb. 839.; Juvenal. 14. 249.; et Martial. 7. 47. — De ipsa lana in colo. Seneca Herc. Œt. 669. colos, quas indoctæ nevere manus. — Colus tribuitur Parcis, quæ fila nere dicuntur vitæ nostræ, tamdiu duraturæ, donec pensum in colo duraverit. Ovid. 2. Amor. 6. 45. Septima lux aderat, non exhibitura sequentem: Et stabat vacua jam tibi Parca colo. Stat. 6. Theb. 380. seu hujus Extrema jam fila colo. h. e. extremi vitæ dies. Id. 3. ibid. 241. sic fata mihi, nigræque Sororum Juravere colus. Val. Flacc. 6. 444. de Medea. recoquit fessos ætate parentes, Datque alias sine lege colus. h. e. annos vitæ addit. Id. ibid. 645. diva (Atropos) supremas Rumpit iniqua colus. h. e. vitam adimit. Seneca Herc. fur. 559. Parcarumque colus irrevocabiles. Inscript. apud De-Lama, Guida al Mus. Parm. p. 55. RAVPVIT NOSTRAS ATROPVS IPSA COLVS.

CŎLUS, i. V. COLON.

CŎLUSTRA, æ. V. COLOSTRA.

CŎLŪTEA, ōrum, n. plur. 2. mala sunt illius arboris, quæ a Theophrast. l. 3. Hist. plant. c. 17. appellatur κολουτέα, fortasse a κολούω amputo; ejus enim foliis pecora saginantur. Plaut. Pers. 1. 3. 7. Commisce mulsum; struthea, coluteaque appara, bene ut in scutris concaleant, et calamum injice. Quidam varias lectiones non unas commenti sunt: alii enim coluthea vel collubia, vel collutea, vel colutra legunt.

CŎLŪTHĬA, ōrum, n. plur. 2. est genus quoddam concharum seu muricum apud Plin. 32. Hist. nat. 7. 27. (84). et ibid. 11. 53. (147).

CŎLȲMA, atis, n. 3. κώλυμα, obstaculum. Affertur a Pompej. gramm. p. 184. Lindemann.; sed nullo Latini scriptoris exemplo confirmatur.

CŎLYMBĂDES Olivæ, κολυμβάδες, olivæ conditiciæ: a κολυμβάω innato, quod ob suam levitatem muriæ innatant, ut Plin. 15. Hist. nat. 3. 4. (16). docet. Cf. eumd. 23. ibid. 3. 36. (73). Earum condiendarum rationem tradunt Colum. 12. R. R. 47. 8. et Pallad. 12. R. R. 22. 1. Cæl. Aurel. 1. Tard. 11. ad med. Pulmentum dabimus salsum, assum, vel coctum: dabimus etiam — olivas ex viridi novitate messas, quas colymbadas vocant. Adde eumd. 4. ibid. 3. ante med., ubi Græcis litteris scribit; et Theod. Priscian. l. 2. p. 2. c. 13.

CŎLYMBUS, i, m. 2. κόλυμβος, piscina, natatio: Græca vox. Lamprid. Elagab. 23. Marinæ aquæ colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime, eosdem et singulis amicis natantibus dimisit, et iterum piscibus implevit. Sic Prudent. 12. περὶ στεφ. 36. Donec virenti fluctuet (liquor) colymbo. Hic male quidam leg. corymbo. Inscript. apud Murat. 484. 3., quæ est apud Orell. 4043. ESCOLIMBVM A COLO (lege et colymbum a solo) CONSTITVIT. Alia apud Henzen. 6630. VALENTINIANO VALENTI ET GRATIANO AVG. FL. ANTIGONVS VP. PP. (h. e. vir perfectissimus præpositus) COLYMBVM ANNVS VETVSTATE LAPSVM TESTACIO PICTVRIS AC STATVIS CVM OMNI CVLTV ADORNAVIT.

CŎMA, æ, f. 1. capillus aliqua cum cura compositus, ut Paul. Diac. p. 63. 14. Müll. definit, ubi a Græco κοσμέω orno deducit: alii derivant a κομέω curam gero, nutrio; et sane ratione habita etymi, hæc vox conjungenda est cum Græcis κόμη coma, κομεῖν curam gerere, κόσμος ordo, venustas, et Latino comere. — Ceterum, rectius quam Paulus Diac. l. c. Servius ad Virg. 5. Æn. 556. docet, proprie sic dici capillos non cæsos, qui comuntur et renodantur (It. chioma; Fr. chevelure, cheveux; Hisp. cabellera; Germ. d. Haupthaar; Angl. the hair of the head).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de hominibus. Accius apud Cic. 3. Tusc. 26. 62. Scindens dolore identidem intonsam comam. Cic. Sext. 8. 18. Alter unguentis affluens, calamistrata coma. Lucret. 4. 1220. Inde Venus varias producit sorte figuras, Majorumque refert vultus vocesque comasque. — a) Jungitur pluribus Adjectivis et Participiis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Virg. 4. Æn. 590. abscissæ. Id. 1. ibid. 407. ambrosiæ. Id. 4. ibid. 280. et 12. ibid. 868. adrectæ horrore. Seneca Hippol. 803. brevior. Tibull. 1. 6. 80. et Seneca Troad. 183. cana. Ovid. Heroid. 12. 156. compositæ. Virg. 6. Æn. 48. et Tibull. 4. 2. 11. comptæ. Sil. It. 16. 120. crispæ. Val. Flacc. 3. 591. culta. Propert. 2. 19. 36. demissis comis plangere pectora. Seneca brev. vit. 11. disjecta. Ovid. 1. Amor. 5. 10. dividuæ. Propert. 2. 13. 56. effusa. Ovid. 1. Amor. 9. 38. effusæ. Horat. 1. Od. 5. 4.; Tibull. 1. 5. 44.; Val. Flacc. 8. 237.; et Martial. 5. 68. flava. Ovid. Heroid. 5. 122. flaventes. Val. Flacc. 5. 588. flexilis. Sueton. Ner. 51. formata in gradus. Ovid. 1. Amor. 14. 21. formosæ. Propert. 2. 2. 5. fulva. Ovid. 1. Art. am. 108. et Curt. 9. 10. 90. hirsutæ. Curt. 5. 6. 18. et Seneca Herc. fur. 789. hirtæ. Seneca ibid. 468. horrentes. Tibull. 1. 9. 14. horrida. Varro apud Non. p. 390. 9. Merc. intonsa. Curt. 9. 10. 9. intonsæ. Seneca Hippol. 394. jactæ temere. Ovid. 12. Met. 409. levis pectine. Id. 1. Amor. 1. 20. longæ. Horat. Epod. 11. 28. longa. Tibull. 3. 4. 28. myrtea. h. e. media inter flavam et nigram, Italice castagna. Ovid. 1. Amor. 14. 56. nativa, cui empta opponitur apud Martial. 12. 23. Ovid. 3. Art. am. 353. neglectæ. Propert. 3. 10. 14. nitidæ. Ovid. 2. Art. am. 734. odoratæ. Sueton. Ner. 20. pinguissima. Plin. 31. Hist. nat. 2. 10. (14). porrecta coma esse. Liv. 38. 17. promissæ et rutilatæ. Cf. Varron. apud Non. p. 362. 20. Merc. Stat. 10. Theb. 545. resupinæ. Tibull. 1. 10. 23. et 2. 2. 6. de diis et geniis. sancta. Sil. It. 8. 140. sparsa. Horat. 3. Od. 19. 25. spissa. Varro apud Non. p. 329. 11. Merc. teres volans. — b) Jungitur et pluribus Verbis activis, quorum hæc sunt præcipua. Horat. 3. Od. 30. 16. et Ovid. 1. Amor. 7. 36. cingere comam lauro. Seneca Hippol. 399. cogere comas nodo. Ovid. Heroid. 21. 88. comere. Quintil. 2. 5. 12. comere acu. Seneca Brevit. vitæ 11. compellere deficientem comam hinc atque illinc in frontem. Ovid. Rem. am. 679. et Quintil. 11. 3. 148. componere. Virg. 1. Æn. 319. dare, diffundere ventis. Ovid. Heroid. 16. 67. erigit horror comas. Seneca Herc. fur. 912. exornare comas. Id. Hippol. 371. fingere. Petron. Satyr. 126. flectere pectine. Quintil. 1. 6. 44. frangere comam in gradus. Cf. Sueton. Ner. 57. Tibull. 4. 7. 32. implicare comas sertis. Ovid. 1. Amor. 2. 23. nectere myrto. Adde eumd. Heroid. 19. 131. Val. Flacc. 6. 709. nutrire comas flore Sabæo. Virg. 11. Æn. 77. obnubere. Tibull. 1. 8. 11. ornare fuco. Ovid. Heroid. 13. 39. pectere. Id. 2. Met. 733. permulcere. Id. 1. Fast. 406. ponere arte manuque. Id. 1. Amor. 7. 68. Pone recompositas in statione comas. Horat. 2. Od. 11. 24. religare nodo. Id. Epod. 11. 28. renodare. Ovid. 1. Art. am. 518. resecare. Id. 3. Fast. 16. restituere turbatas. Similiter Seneca Brev. vit. 12. disjectam comam restituere. Sueton. Cal. 47. rutilare et summittere. Id. Ner. 51. summittere pone verticem. Accius apud Cic. 3. Tusc. 26. 62. scindere. Seneca Hippol. 371. solvere. Virg. 2. G. 368. stringere comas vittis. Ovid. 2. Art. am. 304. torquere igne. Virg. 1. Æn. 477. trahere alicui. Seneca Brev. vit. 12. turbare. Cf. Ovid. 3. Fast. 16. et Quintil. 11. 3. 148. Ovid. 2. Met. 412. variare positu. Virg. 3. Æn. 405. velare. Martial. 2. 11. Vellere comam. — c) Græcorum more, jungitur etiam Participiis præter. pass. tamquam Accusativus. Ovid. 3. Amor. 9. 52. dilaniata inornatas comas. Id. Heroid. 12. 63. disjecta comas. Id. 4. Met. 139. laniata comas. Virg. 9. Æn. 478. scissa comam. Horat. 2. Ep. 1. 110. vincti comas fronde. — d) Denique jungitur nonnullis Verbis neutris. Horat. 4. Od. 10. 3. decidunt comæ. Ovid. 6. Met. 141. defluunt. Id. Heroid. 5. 122. diriguere comæ. Horat. 4. Od. 10. 3. involitant humeris. Curt. 5. 6. 18. prominent. Ovid. 3. Met. 100. rigent terrore. Virg. 2. Æn. 774. steterunt. ¶ 2. Latiori sensu, at raro, ponitur etiam de ferarum juba vel pilis. Accius apud Cic. 3. Nat. D. 27. 68. Agnum inter pecudes aurea clarum coma. Similiter Seneca Herc. Œt. 736. comam appellat ipsa lanæ fila, vel floccos. Colum. 7. R. R. 3. 7. Mercaberis comas intonsas: variam et canam comam improbabis, quod sit incerti coloris. At Schneider. rectius leg. Mercaberis oves intonsas: variam canamque improbabis. Gell. 5. 14. Leo toris, comisque cervicum fluctuantibus. Pallad. 4. R. R. 13. 2. de equo. Aures breves, patulæ nares, coma et cauda profusior. — Hinc de galeæ cristis. Stat. 8. Theb. 389. galeæque tremunt horrore comarum.

II.) Translate ponitur de iis, quæ comæ speciem ac similitudinem referunt, scilicet ¶ 1. De plantis, et quidem — a) De arborum frondibus. Horat. 1. Od. 21. 5. Coma nemorum. Adde eumd. 4. ibid. 3. 11. et 7. 2. Ovid. 2. Amor. 16. 36. arboreas mulceat aura comas. Id. 1. ibid. 7. 54. populeas ventilat aura comas. Adde eumd. 10. Met. 103. et 11. ibid. 47. Plin. 5. Ep. 6. Hippodromi nemus comæque. Adde Catull. 4. 12., Tibull. 1. 4. 30. et 1. 7. 34.; Virg. 4. G. 137., 2. Æn. 629., 12. ibid. 209. et 7. ibid. 60.; et Senec. Herc. Œt. 383. et 1577. — b) Specialim coma dicitur quidquid hilari venustate crinium modo summa ramorum, vel caulicorum exornat. Ovid. 4. Fast. 438. Illa papavereas subsecat ungue comas. h. e. capita in modum comarum expansa. Plin. 13. Hist. nat. 4. 7. (30). Coma palmæ in cacumine. Id. 18. ibid. 7. 10. (53). Milii comæ granum complexæ fimbriato capillo curvantur. Id. 19. ibid. 6. 32. (102). Coma cepæ. Id. 12. ibid. 25. 54. (113). balsami. — c) Item comæ telluris sunt herbæ, flores, et segetes, quibus tellus ornatur, quemadmodum coma caput hominis. Ovid. 3. Amor. 10. 12. de Cerere. Falce coloratas subsecuitque comas. Colum. 10. R. R. 277. Tellurisque comas sacris aptate canistris. ¶ 2. Ponitur etiam de lucis ignisque radiis in morem comæ expansis. Catull. 61. 77. Viden', ut faces splendidas quatiunt comas? Albinov. ad Liv. 256. flamma Æthera subjectis lambit et astra comis. Sic coma Phœbi apud Senec. Herc. Œt. 727. sunt radii solis. Cf. eumd. Œdip. 311. ¶ 3. Et pro lanugine membranarum et chartarum, ex quibus volumina conficiuntur: quæ pumice, aut dente lævigari solebant. Tibull. 3. 1. 10. Lutea sed niveum involvat membrana libellum, Pumex et canas tondeat ante comas. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

CŎMĂCUM, i, n. 2. succus cinnami succo similis, ex arbore in Syria nascente, quæ a Theophrasto l. 9. Hist. plant. c. 7. κόμακος appellatur, ac propterea ita est scribendum, non camacum, apud Plin. loc. cit. in CAMACUM.

CŎMANS, antis, adject. Hic Adjectivus, qui Homerico κομόων respondet, Participii formam præseferens, a coma factus est. Verbum enim como, are, ut docet Servius ad Virg. 3. Æn. 468., numquam apud Latinos aureæ vel argenteæ ætatis usuvenit; sed tantum apud serioris ævi scriptores. V. COMO, as, suo loco. — Ceterum comans est comam habens, comatus (It. chiomato, capelluto; Fr. chevelu, Hisp. cabelludo; Germ. langhaarig; Angl. having long or bushy hair, with flowing hair).

I.) Proprie usurpatur tum de hominibus, tum de brutis. Virg. 3. G. 312. Setæ comantes hircorum. h. e. villosæ, lanutæ. Id. 12. Æn. 6. Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros. Id. 12. ibid. 86. Colla comantia equorum. Val. Flacc. 3. 136. ruit ille comanti Ore iacens supra. h. e. ore comis ex inclinatione antependulis contecto. Id. 5. 595. viden' alta comantem Pectora? h. e. comam seu pilos habentem in pectore: ut sit hellenismus. Id. 6. 122. Pellis comans villis. h. e. villosa. Plin. 10. Hist. nat. 63. 83. (180). Equæ comantes. Sil. It. 16. 59. Crines comantes. Stat. 7. Theb. 369. In terga comans Abantiades. Gell. 3. 9. Comans juba equi. — Et de galearum cristis. Virg. 3. Æn. 468. Et conum insignis galeæ, cristasque comantes. Id. 2. ibid. 391. Galea comans. h. e. cristata.

II.) Translate. ¶ 1. De plantis. Virg. 4. Æn.

192. Sera comans narcissus. *Id.* 13. *ibid.* 413. Dictamnus flore purpureo comans. *Val. Flacc.* 3. 403. jugum silvæ. *Id.* 1. 429. silvæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 8. 16. (59). Herba foliis semper comantibus. *Sil. It.* 10. 550. manu celsam pinum flammaque comantem Attollens. *Stat.* 5. *Theb.* 502. humus. h. e. herbosa. ¶ 2. De lucis radiis. *Ovid.* 15. *Met.* 749. Stella comans. *h. e.* crinita, cometes. *Val. Flacc.* 5. 367. Astro comantes Tyndaridæ. *h. e.* fulgenti et stellato apice in vertice insignes.

CŌMARCHUS, i, m. 2. κώμαρχος et κωμάρχης, vici magister: a *κώμη pagus, vicus*, et *ἄρχων princeps, præses. Plaut. Curc.* 2. 3. 7. Nec demarchus, nec comarchus.

CŌMĂRON, i, n. 2. κόμαρον. ¶ 1. Ita appellatur a Græcis unedo, qui est fructus arbuti. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 28. (99). ¶ 2. Item herba, quæ fraga gignit, ob id etiam *fragum* dicta. *Apul. Herb.* 37.

CŌMĀTŌRIUS, a, um, adject. ut *comatoria acus*, quæ ad comam figendam inservit. *Petron. Satyr.* 21. Acu comatoria malas alicui pungere. Hinc *Martial.* 14. 22. Figat acus tortas sustineatque comas.

CŌMĀTULUS, a, um, *deminut. a* comatus. *Hieronym. Ep.* 54. n. 13. Comatulos, comptos, atque lascivos domus tuæ tecta non videant. *Id. Ep.* 66. n. 8. Comatuli pueri.

CŌMĀTUS, a, um, adject. Hic quoque adjectivus Participii formam præseferens a *coma* factus est, æque atque *comans*, quam vocem *V.* sub init. — Comatus est comam habens longiorem, aut densiorem, comans (It. *chi ha grande chioma, cappelluto*; Fr. *chevelu*; Hisp. *cabelludo*; Germ. *langhaarig*; Angl. *with long or bushy hair*).

I.) Proprie. *Sueton. Cal.* 35. Pulcros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. *Auct. Priap.* 37. Frontem comatos Arcadas vides Faunos. *h. e.* fronte comosa, cetera calvos. *Martial.* 1. 73. Calvus cum fueris, eris comatus. *Id.* 10. 83. Comata tempora. Adde *Val. Flacc.* 7. 636. — *Comati* sunt pueri intonsa et integra coma. *Martial.* 12. 70. O quantum diathreta valent, et quinque comati! *Id.* 12. 9. Rumpis, Basse, latus, sed in comatis. — De Comatis Bellonæ *V.* in CAPILLATUS. — *Comata Gallia* est omnis Gallia transalpina, quæ in Belgicam, Celticam, et Aquitanicam dividebatur; excepta tamen Narbonensi, quæ *Bracata* dicta fuit. Ratio appellationis est, quia ejus populi comam non tondebant, sed omni ætate nutriebant. Porro *comatæ* opponebatur *togata* Gallia. *Lucan.* 1. 442. Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora Crinibus effusis toti prælate Comatæ. Adde *M. Anton.* apud *Cic.* 8. *Phil.* 9. 27.; *Catull.* 29. 3.; *Melam* 3. 2. 4.; et *Plin.* 4. *Hist. nat.* 17. 31. (105).

II.) Translate. *Catull.* 4. 11. Comata silva. *h. e.* frondosa.

COMBAJŪLO, as, are, a. 1. (cum *et* bajulo) idem fere quod bajulo, vel simul bajulo. *Venant. Vit. S. Radeg.* 29. Infirma membra (ægrotæ) combajulat.

COMBATUO, is, ere, a. 3. simul batuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 117.

COMBENNŌNES eidem bennâ sedentes. Ita *Paul. Diac. p.* 32. 14. *Müll. V.* BENNA.

COMBĪBO, bibis, bibi, bibere, a. 3. (cum *et* bibo). Part. *Combibens* I. 2. — Combibo est simul cum aliis bibo, haurire simul, simul imbibere (It. *bere insieme*; Fr. *boir avec d'autres*; Hisp. *beber juntos*; Germ. *zusammentrinken, zusammenschlürfen, oder einsaugen*; Angl. *to drink together*).

I.) Proprie. ¶ 1. Absolute et stricto sensu combibo est cum aliis bibo, compotor sum. *Seneca Ep.* 123. Ad artem æque combibendi et convivandi peritissimus. ¶ 2. Sæpius occurrit cum Accusativo et significat penitus haurire, excipere, imbibere; et usurpatur — *a*) De animalibus. *Horat.* 1. *Od.* 37. 26. fortis et asperas Tractare serpentes, ut atrum Corpore combiberet venenum. *Ovid.* 13. *Met.* 944. Combibunt guttura succos. *Id.* 2. *Art. am.* 326. Et sicco lacrimas combibat ore tuas. *Id. Heroid.* 11. 53. Et cogor lacrimas combibere ipse meas. *Seneca Ep.* 49. Video te lacrimas combibentem. *Martial.* 10. 12. 1, precor, et totos avida cute combibe soles. — *b*) De inanimis, quæ naturâ suâ aliquid absorbent. *Cato R. R.* 100. Oleum sic in metretam novam infusurus eris: amurca ita uti est cruda prius colluito, oppilato; agitatoque diu, ut bene combibat. *Ovid.* 15. *Met.* 273. Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis. *h. e.* absorbetur terris. *Id.* 13. *ibid.* 410. Combibit ara cruorem. *Id.* 5. *ibid.* 455. os maculas. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 17. Quæ semel oleum testa combibit. *Id.* 12. *ibid.* 39. 1. uvæ mustum. *Id.* 12. *ibid.* 47. 10. Dum aliquatenus baccæ salem combibat. *Id.* 12. *ibid.* 10. 2. et 12. 43. cæpa jus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (80). Ut scrobes solem pluviasque combibant. *Stat.* 10. *Theb.* 675. Cupressus flammas combibit. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 7.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 9. Puer jam inflci debet iis artibus, quas si, dum tener est, combiberit, ad majora veniet paratior. Adde *Senec. Ep.* 71. *Sil. It.* 11. 402. Combibat illapsos ductor per viscera luxus.

COMBĪBO, ōnis, m. 3. qui simul bibit, compotor. *Cic.* 9. *Fam.* 25. 2. Controversiæ, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis. Adde *Lucilium* apud *Non. p.* 38. 13. *Merc.*

COMBĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. binorum conjunctio, vel etiam generatim conjunctio. *Diomed.* 3. *p.* 503. *Putsch.* Feritur quoque senarius iambicus combinatis pedibus ter, et singulis combinationibus præponitur quilibet pes de supra memoratis quinque. *Et paullo post.* Sæpius autem tertiæ combinationis secundo pede invenitur communis syllaba. *Et mox.* Quadratus, qui per combinationem quater feritur, etc. Adde *eumd. ibid. p.* 504.

COMBĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMBINO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* bini). Part. *Combinans* et *Combinatus.* — Combino est bina jungo, conjungo. *Sidon.* 9. *Ep.* 8. Obsequia combinans numeris æquata, non meritis. *Augustin.* 8. *Confess.* 6. Se, et tres alios contubernales exisse deambulatum in hortos, atque illic ut forte combinati spatiabantur, *etc. h. e.* bini et bini deambulabant. *Diomed.* 3. *p.* 503. *Putsch.* Feritur senarius iambicus combinatis pedibus ter. *Simplic. p.* 80. *Goes.* Tertia pars, quam quinto et sexto libro combinavimus. *Hygin. Gromat. p.* 4. *col.* 1. Ut posset exercitus combinatus educi.

COMBĪTERE pro coire, simul ire, a *bito, is*, citat *Voss. l.* 4. *Institut. Orator. c.* 1. *n.* 7. ex *Varron.* 4. *L. L.*, quem locum nondum vidimus.

COMBRĒTUM, i, n. 2. herba bacchari similis, procerior tamen, et foliorum exilitate usque in fila attenuata. Trita cum axungia, vulnera mire sanat. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 16. (30). et *ibid.* 19. 77. (133). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 20.) ad h. l. hæc ait: «Césalpin a décidé que ce *combretum*, que l'on a écrit quelquefois *combetum*, était une joncée nommée en Toscane *herba luziola*, plante rapportée au *Luzula maxima* Retz. Ce nom de *combretum* est maintenant appliqué à une plant fort différente. Pline est le seul auteur de l'antiquité qui en ait parlé; il dira plus loin que le *combretum* est peu différent du *bacchar*. Nous sommes forcés de convenir que ce qu'il en a dit ne permet pas du tout d'arriver à sa détermination ».

COMBULLĬO, is, ire, n. 4. simul bullio. *Apic.* 6. 8. Diu combulliat, donec spisset.

COMBŪRO, būris, bussi, bustum, būrere, a. 3. (cum *et* buro *sive* uro. *V.* BUSTUM). Part. *Comburens* et *Comburendus* I.; *Combustus* I., II. et in fin. — Comburo est idem quod uro, accendo (It. *abbruciare*; Fr. *brûler*; Hisp. *quemar, abrasar*; Germ. *zusammenbrennen, durch Brand zerstören*; Angl. *to burn together, burn or consume utterly*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De igne. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Quæ neque Dardaniis campis potuere perire, Nec cum capta capi, nec cum combusta cremari. *Cato R. R.* 38. Virgas et sarmenta — in segete comburito. Ubi eas combusseris, ibi papaver serito. *Plaut. Curc.* 1. 1. 51. Fumo comburi nihil potest. *Id. Aul.* 2. 6. 12. Comburere ædes. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 22. Nam mihi nimius calor comburebat gutturem. *h. e.* exsiccabat. *Lucret.* 6. 152. Turbine ventorum comburens (*flamma*) impete magno. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Calanus Indus — sua voluntate vivus combustus est. *Id.* 1. *Q. fr.* 2. 2. § 6. Comburere aliquem vivum. Adde *Asin. Poll.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 3. et *Auct. B. Hisp.* 20. Rursus *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 33. annales. *Id.* 1. *Nat. D.* 23. 63. Libri Protagoræ in concione combusti. *Id. Rosc. Am.* 31. 91. Comburere subsellia. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. naves. *Liv.* 33. 11. commentarios regios. *Cels.* 5. 21. 6. Cochleæ cum testis suis comburendæ. *Id.* 5. 8. Charta combusta. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 57. (119). Comburere grana tritici. *Sueton. Tit.* 36. vestes religiosas cum instrumento omni. *Dig.* 9. 2. 30. § 3. stipulam, spinam. Adde *Cod. Theod.* 16. 5. 66. § 1. — Et de cadaverum ustione. *Cic.* 14. *Att.* 10. 1. Meministine te clamare, causam perisse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus laudatusque. Adde *Servium* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. 3. — *b*) Item de solari aliove fervore. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. Sol comburit solum.

II.) Translate. — *a*) *Comburere diem* apud *Plaut. Men.* 1. 2. 43. est totum diem hilare et congræcando transigere, usque dum in noctem transeat. Tunc enim dies quodammodo moritur. Mortuorum autem corpora in rogis comburuntur. Eadem ratione *diem componere* dixit *Virg.* 1. *Æn.* 378., et *condere diem Horat.* 4. *Od.* 5. 29. *V.* INCENDO. — *b*) Item alludens ad cadaverum ustionem *Cic.* 1. *Q. fr.* 2. 2. § 6. Comburere aliquem judicio. — *c*) Item de amoris igne. *Propert.* 2. 13. 19. *de Jove.* Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io. *h. e.* amore accensus. — Hinc a Part. præter. pass.

Combustum, i, n. 2. et sæpius *Combusta, orum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur vulnera, ulcera vel similia, quæ ignis vi ac damno illata sunt. *Scribon. Compos.* 221. Emplastrum ad combustum mirifice facit. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (17). Succus impositus mire combusta sanat. *Id.* 22. *ibid.* 25. 69. (141). Faba livoribus et combustis medetur.

COMBUSTĬO, ōnis, f. 3. combustura. *Firmic.* 4. *Mathes.* 12. *circa med.* Vitia vero faciet ex igne, idest præcisiones et combustiones.

COMBUSTŪRA, æ, f. 1. adustio. *Apic.* 4. 4. Transferes in alterum cacabum ptisanam, sic ne fundum tangat, propter combusturam. *Æmil. Macer de rosa* 21. Et combusturis præclare subvenit ignis. Legitur etiam in lemmate *Seren. Sammon. sub fin.* Combusturis igne, vel frigore.

COMBUSTUS, a, um. *V.* COMBURO.

CŌMĒ, es, f. 1. κώμη. ¶ 1. Herba eadem quæ tragopogon, seu barba hircina. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 117. (142). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 474). hanc exhibet synonymiam: Τραγοπώγων, ἢ τετράπωγων, οἱ δὲ κόμην καλοῦσι Dioscor. 2. 173. et *Tragopogon seu come* Plin. l. c. sunt *Tragopogon crocifolium* L. Spec. plant. 1110. ¶ 2. Est etiam Græce pagus, vicus, κώμη. *Liv.* 38. 12. Transgressi Mæandrum ad Hieran comen pervenerunt. *Et ibid.* 15. Postero die ad Xylinem, quam vocant, comen posuit castra.

CŌMĒDO, ēdis, ēdi, ēsum vel *rarius* estum, ēdere, a. 3. (cum *et* edo). Habet varia tempora et personas alia ratione declinatas. Dicimus enim *comes* pro *comedis*, *comest* pro *comedit*. *comestis* pro *comeditis*; item *comesto* pro *comedito*; *comesses* pro *comedisses*, *comesset* pro *comedisset* (et pro *comederes* et *comederet*, ait *Forcellinus*); *comesse* pro *comedisse* (et pro *comedere*, addit *Forcellinus*). Quæ omnes formæ aureo quoque sæculo usuvenerunt: quemadmodum etiam aliæ antiquæ Conjunctivi formæ *comedim* pro *comedam*, *comedis* pro *comedas* et *comedint* pro *comedant*, quæ leguntur apud *Plaut. Curc.* 4. 4. 4., *Bacch.* 4. 4. 91., *Trin.* 1. 2. 65. et *Truc.* 2. 6. 53., in familiari saltem sermone aurea quoque ætate usurpatæ sunt, teste *Cic.* 11. *Fam.* 21. 2., quocum cf. *Non. p.* 83. 32. *Merc.* Tribuuntur *Cic.* etiam 9. *Fam.* 20. *in fin.* a *Nonio l. c.*, *P. Victore*, *Lambin.*, *Manut.* Alii tamen aliter legunt. Quod attinet ad Part. præter. pass., *Diomed.* 1. *p.* 382. *Putsch.* scribit, ambigi apud veteres, rectius ne sit *comestus*, an *comesus*; sed *comesus* melius esse statuit. — Part. *Comesus* et *Comestus* in omnibus ferme paragraphis; *Comedendus* I.; *Comesurus* II. 1. b.; *Comesturus* I. — Ceterum *comedere* est simul edere, sed occurrit fere pro omnia omnino edere, edendo consumere, vorare (It. *mangiare*; Fr. *manger, avaler*; Hisp. *comer, mascar, tragar*; Germ. *essen, durch Essen aufzehren, aufessen*; Angl. *to eat, eat up*).

I.) Proprie dicitur de animalibus. *Cato R. R.* 58. Ubi oleæ comesæ erunt. *Id. ibid.* 30. Ubi dapa profanata comestaque erat. *Id. ibid.* 150. Ubi comederis, comesto aliqua v. folia. *Plaut. Cas.* 1. 1. 38. Nisi ruri te acervum comederis. *Id. ibid.* 4. 1. 21. Novi ego illas ambas estrices: corbitam cibi comesse possunt. *Id. Truc.* 1. 2. 54. Vos abibitis et comestis. *Ter. Heaut.* 2. 3. 14. Quid comedent? quid ebibent?

Titinius apud *Non.* p. 81. 14. *Merc.* Plus comest sola uxor. *Pomponius* apud *eumd.* p. 81. 21. Quod molendum conduxit, comest. *Cic. Cluent.* 61. 173. Celerius potuit (*venenum*) comestum, quam epotum, in venas permanare? Ita *Priscian.* legit 10. p. 891. *Putsch.*, alii vulgo *comesum*. *Id.* 2. *Nat. D.* 25. 65. Ex se enim natos comesse fingitur solitus (*Saturnus*). *Id. Brut.* 60. 217. Nisi se suo more jactavisset, hodie te istic *muscæ* comedissent. *Varro* apud *Non.* p. 152. 22. *Merc.* Acinis electis et comestis. *Id.* apud *eumd.* p. 81. 19. Qui pote plus, urget: pisces ut sæpe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter. Cf. *Id.* apud *eumd.* p. 335. 50. *Catull.* 23. 4. Quorum dentes vel silicem comesse possunt. *Valgius* apud *Diomed.* 1. p. 382. *Putsch.* Comesi patinā. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 19. Ut libet, hæc porcis hodie comedenda relinques. *Val. Max.* 9. 12. *extern.* 6. Qui cum jam comestis omnibus (*ficis*) supervenisset. *Afer* apud *Quintil.* 6. 3. 93. Non comedi panem et aquam bibo. *Martial.* 5. 39. Cræso divitior licet fuissem, Iro pauperior forem, Si concham toties meam comesses. *Hieronym. in Isaiam* 2. 3. 17. Qui carnes agni comesturus est et celebraturus Pascha. — Proverbium est illud *Plaut. Most.* 3. 1. 32. Tam facile vinces, quam pirum vulpes comest. — Item illud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 11. Num cœna comesa venimus. (de iis, qui nimis sero et re peracta præsto sunt).

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe ponitur pro dilapidare, absumere, dissipare: ad rem *Plaut. Trin.* 2. 1. 20. Ni amplius etiam quod ebibit, quod comest, quod facit sumpti, dabitur. Cf. *eumd. ibid.* 2. 4. 5. et *Truc.* 1. 2. 54. Hac autem significatione occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 6. Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod habent. Adde *eumd. Trin.* 2. 2. 79. *Id. Trin.* 2. 4. 5. Argentum comesum, epotum, elotum in balneis. *Id. Bacch.* 4. 4. 91. Comedere aurum. *Id. Trin.* 2. 4. 14. rem. Sic *Cic.* 11. *Fam.* 21. 2. rem familiarem. *Titinius* apud *Non.* p. 81. 16. *Merc.* Qui rem disperdit et meam dotem comest. *Afranius* apud *eumd.* p. 81. 17. Comedere dona. *Novius* apud *eumd.* p. 81. 25. pecuniam paternam. *Cic.* 9. *Fam.* 20. 3. Sed cura —, ut valeas, ne ego te jacente bona tua comedim. *Id. Flacc.* 36. 91. Quasi bona comesse Romæ non liceret. *Id. Sext.* 51. 110. Usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 15. 40. Rursus *Cic. Sext.* 52. 111. Comedere patrimonium. *Pseudo-Cic. in Sall.* 7. Patrimonio non comeso, sed devorato. Adde *Quintil.* 6. 3. 74. *Didius* vel *Didymus* apud *Diomed.* 1. p. 382. *Putsch.* Comesto patrimonio. *Cic.* 9. *Fam.* 18. 4. Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, cum cantherium comedisti, Romam pervehi. *Id.* 11. *Phil.* 14. 37. Comedere beneficia alicujus. *h. e.* rem beneficio alicujus acquisitam, absumere. Simile est illud 13. *ibid.* 2. 3. Veterani suis rebus exhaustis, beneficiis Cæsaris devoratis, fortunas nostras concupiverunt. *Catull.* 29. 15. Comedere ducenties aut tricenties. — *b*) Rarius occurrit *comedere aliquem*, hoc est ejus rem consumere. *Plaut. Trin.* 1. 2. 65. Hostesne, an cives comedis, parvi pendere. *Id. Most.* 1. 1. 11. Sine, venire salvum, quem absentem comes. *Id. Pseud.* 4. 7. 25. Jamne illum comesurus es? *Ter. Eun.* 5. 9. 57. Hunc comedendum et deridendum vobis propino. *Alii legunt* comedendum et ebibendum. *Ita etiam legit* Non. 1. 140. edit. veter., et hoc magis est consentaneum parasito hic loquenti. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 335. 20. *Merc. Juvenal.* 1. 34. Et cito rapturus de nobilitate comesa Quod superest. *h. e.* expoliata, bonis multata. ¶ 2. *Comedere aliquem oculis* est avide et cupide aspicere. *Martial.* 9. 60. Inspexit molles pueros oculisque comedit. Sic *Justin.* 21. 5. devorare oculis. — In illo *Lucilii* apud *Non.* p. 81. 26. *Merc.* Commanducatur, totum complexa, comestque: videtur obscenus sensus latere, simili ratione, ac *vorare* legitur in *Priap.* 53. 31. ¶ 3. *Comedere se* pro curis macerari, tristem esse. *Plaut. Truc.* 2. 7. 36. Quisnam illic homo est, qui ipsus se comest, oculis malis, tristis? Animo hercle homo suo est miser, quisquis est. *Cic.* apud *Non.* p. 81. 29. *Merc.* Qui se ipse comest.

CŌMĔDO, ōnis, m. 3. qui bona sua comedit, teste *Paul. Diac.* p. 58. 7. *Müll. Lucilius* apud *Non.* p. 11. 9. *Merc.* Vivite lurcones, comedones vivite ventres. *Varro* apud *eumd.* p. 93. 21. Quod comedonibus convenit usu, quibus mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet.

CŌMĔDUM, bona sua consumentem antiqui dixerunt. Ita *Paul. Diac.* p. 58. 6. *Müll.*

CŎMES, itis, m. et f. 3. proprie est is, qui cum alio iter facit; a *cum* et *eo*, *is*; ponitur tamen et pro socio, quamvis ab hoc differat: *V.* Homonym. in fine (It. *compagno, compagna, socio, socia, partecipe*; Fr. *compagnon, compagne*; Hisp. *acompañador, compañero, asociado*; Germ. *d. Mitgänger, Gefährte, Theilnehmer, Genosse*; Angl. *a companion, associate, attendant, assistant*).

I.) Proprie ponitur de hominibus et raro de ceteris animantibus; et quidem ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Epid.* 5. 1. 25. Age age, absolve me — ne comites morer. *Ter. Heaut.* 3. 1. 46. Nam unam ei cœnam atque ejus comitibus dedi. Cf. *eumd. Hecyr. prol. alt.* 27. et 5. 3. 25. *Lucret.* 4. 577. Palantes comites cum montes inter opacos Quærimus etc. *Cic.* 3. *Verr.* 25. 64. Erat comes ejus Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines, qui miro artificio, quocumque venerat, hæc investigare omnia solebat. *Nepos Agesil.* 6. Adjunctis de suis comitibus locum tutum reliquit. *Catull.* 11. 1. Furi et Aureli, comites Catulli Sive in extremos penetrabit Indos etc. *Virg.* 4. *Æn.* 677. comitemne sororem Sprevisti moriens? *Id.* 6. *ibid.* 447. illis Laodamia it comes. *Horat.* 1. *Od.* 7. 26. Ibimus o socii comitesque. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 5. 17. *Ovid. Heroid.* 13. 163. Me tibi venturam comitem. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat.* 1. *Od.* 35. 22. abnegare se comitem. *Virg.* 6. *Æn.* 778. addere sese comitem alicui. *Vellej.* 2. 53. 1. aggregare aliquem comitem alicui. *Ovid.* 8. *Met.* 175. destituere comitem. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 12. educere aliquo. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (10). epulari intra arboris specum cum duodevicesimo comite. *Ovid. Heroid.* 14. 54. esse comitem alicui. *Martial.* 12. 38. hærere alicui comitem. *Virg.* 2. *Æn.* 86. mittere aliquem comitem alicui. *V.* infra sub 2. *Ovid.* 1. *Art. am.* 127. negare se comitem. — *b*) Addita re, in qua quis comes est. — Per Genitivum. *Cic.* 9. *Att.* 10. 2. Adjungere se comitem fugæ alicujus. *Id. Amic.* 11. 37. Non enim paruit Ti. Gracchi temeritati, sed præfuit: nec se comitem illius furoris, sed ducem præbuit. *Id. Sull.* 23. 66. Comes honoris, calamitatis. *Id. Muren.* 4. 11. alicujus rei. *Virg.* 2. *Æn.* 294. fatorum. *Ovid.* 8. *Met.* 565. laborum. *Liv.* 22. 60. virtutis. Adde *eumd.* 1. 3. *Vellej.* 2. 53. Habere aliquem comitem fugæ. Cf. *Senec. Med.* 541. *Plin.* 1. *Ep.* 5. consilii. *Stat.* 6. *Theb.* 814. belli. *Martial.* 12. 25. exsilii. Adde *Sueton. Cal.* 45. et *Tib.* 6. — Per Dativum verbo interposito. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 15. Aliquem comitem habere consiliis suis. — Per Ablativum et præp. *in*. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 2. Comitem in ulciscendis quibusdam se præbere. — *c*) Cum sermo est de disciplinis, comes est sectator. *Plin. præf. Hist. nat.* Qui (*Cicero*) de re publica Platonis se comitem profitetur. — *d*) Comes dicitur etiam conjux. *Inscript.* apud *Gruter.* 822. 6., quæ est apud *Orell.* 2666. V. F. L. RHODIVS FESTVS CASSIAE MAXIMAE COMITI OPTIMAE ET P. PAPIRIO EVTYCHO ET SIBI. ¶ 2. Speciatim comes dicitur puerorum custos et magister. *Virg.* 2. *Æn.* 86. Mittere aliquem comitem alteri. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 545.; *Sueton. Tib.* 12.; et *Stat.* 5. *Silv.* 2. 60. — Hinc comes cognominatur Hercules in duabus *Inscriptt.* apud *Gruter.* 45. 7. et 8., et in quindecim apud *Gud.* p. 32. et 33., cui additur sæpe *custos*, aut *conservator*. — Olim pædagogi honestiore vocabulo *comites* dicti sunt: pueros enim re vera per urbem comitantur. *Sueton. Claud.* 35. Ne cujus comiti, aut librario calamariæ, aut graphiariæ thecæ adimerentur. *Id. Aug.* 98. Thrasyllus Tiberii comes. Adde *eumd. Tib.* 12. ¶ 3. *Comites magistratuum* apud *Sueton. Cæs.* 42. sunt ii, qui magistratus in provincias euntes sequebantur, de quibus in COHORS dictum est. Quo pertinet et illud *Cic.* 8. *Att.* 1. 2. Hominem certum misi de comitibus meis. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 24. 63., 3. *ibid.* 28. 86., 4. *ibid.* 10. 27., 1. *Q. fr.* 1. 3. § 11. et *Rabir. Post.* 7. 19.; *Catull.* 28. 1.; et *Sueton. Cæs.* 4. et *Ner.* 5. — Hi duplicis erant generis; alii sine certo officio, qui et amici appellabantur; alii alicui muneri addicti. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 1. Celso gaudere, et bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer, comiti scribæque Neronis. — Similiter *comites* dicebantur, qui actorem aliquem sequebantur in provincias euntem ad publicam quæstionem instituendam. *Cic. Flacc.* 6. 13. ¶ 4. Ab his videtur initium habuisse, quæ procedente tempore orta est, sub imperatoribus, Comitum dignitas, nempe honestiores amici, qui imperatorem assidue comitabantur, præsertim in expeditionibus, *Conti*: de quibus passim mentio fit in *Cod. Justin.* et *Theodos.* et apud *Sulpic. Sever. dial.* 1. 20. et in *Vita S. Martini* 20. aliosque medii ævi scriptores. A Græcis quoque eorum temporum Κόμητες appellantur. Sæpe hi ad varia palatina et provincialia officia, ut munera admoti sunt: quæ enumerat *Brisson. de verb. signif.*, *Du Fresne in Glossar.*, *Pitisc. in Lex. Antiquit. Rom.* et alii. *V.* etiam cap. 5. *Indicis Inscriptionum Gruteri*: sic ex. gr. imperante Valentiniano *comes thesaurorum* fuit quidam a Sapore postea bello captus ann. post Chr. n. 260., ut patet ex *Exc. e Cod. Vatic.* ed. *Mai.*, quæ in compendium redegit *Borghesius*, n. 55. Luculentum hujus muneris exemplum habetur in *Inscript.* apud *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 132. L. FVLVIVS PLAVTIANVS NECESSARIVS AVGG. (*nempe* Septimii, Severi et Caracallæ) ET COMES PER OMNES EXPEDITIONES EORVM. Adde etiam *Sueton. Aug.* 16., *Tib.* 46., *Vitell.* 11. et *Vesp.* 4.; et *Inscriptt.* apud *Orell.* 723. et 750. — *NB.* De comitibus seu comitiis legionum quædam habet *Orell. Inscript.* 3446.: at *Henzen.* p. 347. ad *Orell. Inscript. cit.* hæc ait: *Comites legionum* omnes spurii sunt; quatuor enim, quos *Sponius* ex schedis Barberinis protulit, et exigua harum auctoritas suspectos reddit, et in nominibus hominum, legionum, civitatium plurima insunt, quæ confictos titulos esse declarant. Eorum unum *Fabrettius* 607. 57. denuo proposuit, sed ex appendice ad vitam Colotii fraudibus scatenti; de eo cf. etiam *Borghesium, Burbul.* p. 37.

II.) Translate occurrit de inanimis, quæ cum alia re conjunguntur. *Plaut. Men.* 5. 6. 20. Metum comitem mihi adhibeam, culpam ut abstineam. *Lucret.* 2. 578. Quæ (*nox*) non audierit mixtos vagitibus ægris Ploratus, mortis comites et funeris atri. *Id.* 3. 291. Frigida aura comes formidinis. *Cic. Muren.* 6. 13. Tempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. *Id.* 1. *Orat.* 17. 75. Ars et doctrina comites ac ministræ oratoris. *Id. Brut.* 12. 45. Pacis comes otiique socia eloquentia. *Id. Balb.* 4. 9. Casus eventusque rerum comites consiliorum. *Id.* 4. *Tusc.* 8. 19. Exanimatio quasi comes pavoris. *Horat.* 4. *Od.* 5. 24. Culpam pœna premit comes. *Id. ibid.* 12. 1. Veris comites animæ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 32. 32. (119). Comitemque æris alieni atque litis esse miseriam. *Id.* 33. *ibid.* 11. 52. (145). Drusillanus quingenariam lancem habuit, et comites ejus octo octingentarum quinquaginta librarum. *Sil. It.* 4. 134. Hasta comes dictis. Adde *eumd.* 9. 568. *Quintil.* 1. 4. 5. Grammatice dulcis secretorum comes.

Homonym. *Comes* differt a *sodali* et *socio*: quia *comes* est, qui cum alio iter facit; *socius*, qui una cum alio aliquid possidet, aut curat; *sodalis*, qui cum alio versatur in rebus lætioribus, ut in conviviis, in ludis etc., et maxime pertinet ad adolescentes; item qui est ejusdem collegii. *Comes* igitur minus est, quam *socius*. Nam euntem tantummodo sequitur; *socius* adjuvat. Quamquam hæc discrimina non semper servantur. *Cic.* 13. *Fam.* 71. 1. Agusius et comes meus fuit illo miserrimo tempore, et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius. *Id.* figurate *Fontej.* 17. 39. Vitæ socia virtus, mortis comes gloria fuisset. *Cæs.* 3. *B. C.* 80. Cum se victoriæ Pompeji comitem esse mallet, quam socium Cæsaris in rebus adversis.

CŎMĒSOR *et* comestor, ōris, m. 3. qui comedit, comedo. *Cajus Dig.* 21. 1. 18. Servus somniculosus, piger, tardus, comesor. Al. leg. *comessator*. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 1. Quis tam comesor mus Ponticus, quam qui Evangelia corrosit? *Isid.* 10. *Orig.* 58. Comesor a comedendo satis. Est enim gulæ ac ventri immoderate deditus. In *Gloss. Philox.* legitur: Comestor, καταφαγας.

CŌMESSĀBUNDUS, CŌMESSĀTIO, CŌMESSĀTOR, etc. *V.* COMISSABUNDUS, COMISSATIO etc.

CŎMESTĪBĬLIS, e, adject. edulis, qui comedi potest. *Isid.* 17. *Orig.* 7. Arbor fructum ferens comestibilem.

CŎMESTĬO, ōnis, f. 3. manducatio. *Poeta in Anthol. Lat. T.* 1. p. 544. *Burmann.* Plebeja, simplex, rara comestio. *Isid.* 20. *Orig.* 1. Coctum quasi co-

ctum dicitur, id est ab igne et aqua violento modo actuque comestioni aptum.

COMESTŪRA, æ, f. 1. actus comedendi. *Cato R. R.* 157. Brassica, quæ vocatur σελινοειδὴς, hæc septem habet bona in comestura. Ita Aldus a. 1514. At aliæ editiones cum Jensoniana: *Quæ vocatur septembona in commixturam.* Ex quibus verbis *Catone* indignis quidam Lexicogr. vocem *commixtura*, *h. e.* commixtionem, in Latinitatem invehere conati sunt. Illa vero *Pontedera* in *Antiqu. Lat. Gr.* p. 83. et *Schneiderus* in *adnotat.* spuria esse putant.

CŎMĔSTUS, a, um. *V.* COMEDO, is.

CŎMĒSUS, a, um. *V.* COMEDO, is.

CŎMĒSUS, us, m. 4. actus comedendi. *Isid.* 20. *Orig.* 1. 1. Ab esu et comesu mensæ factum vocabulum.

CŎMĒTA, æ, m. 1. *Latina positione, vel sæpius Græca positione*

CŎMĒTES, æ, m. 1. κομήτης. Dictus est *cometes* a κόμη, hoc est *coma*, quia late splendorem velut comam fundit. Ideo autem est masculini generis, quia κομήτης vel adjectivum est masculini generis, vel adjective usurpatur, et ἀστὴρ *stella* subintelligitur. — Hinc cometes est stella crinita. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Stellis his, quas Græci cometas, nostri cincinnatas vocant. *Virg.* 1. *G.* 488. non diri toties arsere cometæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (89). Cometes admodum faustus Augusto. *Id. ibid.* 58. 59. (149). Comete illis noctibus flagrante. *Lucan.* 1. 529. et terris mutantem regna cometen. *Sil. It.* 8. 628. crine corusco Regnorum eversor rubuit letale cometes. Adde *Val. Flacc.* 6. 608. — De variis cometarum generibus multa *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 272. et *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 15. et 7. *ibid.* 6. — Dicitur etiam *sidus cometes*, *stella cometes*: ut apud Græcos *Xiphilin.* 86. 17. Ἀστὴρ κομήτης. *V.* dicta in ABROTONITES. *Tac.* 14. *Ann.* 22. Inter quæ et sidus cometes effulsit. *Id.* 15. *ibid.* 47. Sidus cometes sanguine illustri semper Neroni expiatum. *Justin.* 37. 2. Stella cometes septuaginta diebus ita luxit, ut etc. — Latina positione in singulari. *Prudent.* 12. *Cathemer.* 21. Tristis cometa intercidat. *Manil.* 1. 821. fulgente cometa. *Seneca Octav.* 232. Cometam pandere infestam facem. — *NB.* De nomine pr. *V.* ONOM.

CŌMĬCĒ, adverb. comicorum more. *Cic.* 3. *Orat.* 8. 27. Res tragicas comice, tristes remisse tractare. Adde *Senec. Ep.* 100. *ad fin.*

CŌMĬCUS, a, um, adject. κωμικός, κωμῳδικός, ad comœdiam pertinens. ¶ 1. Generatim comicum dicitur quidquid ad comœdiam pertinet. *Plaut. Pœn.* 3. 2. 20. Agite, inspicite: aurum est eo. Profecto, spectatores, comicum: macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves. ubi *aurum comicum* sunt lupini, quibus pro pecunia in comœdiis utuntur. *Cic. Rosc. com.* 10. 28. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. *Id.* 3. *Nat. D.* 29. 72. Comicæ levitates. *Id. Orat.* 20. 67. Apud comicos poetas (*h. e.* comœdiarum scriptores), nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. *Horat. Art. P.* 89. Versibus exponi tragicis res comica non vult. *Cæs.* apud *Sueton.* in *Vita Terent.* Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis, Comica ut æquato virtus polleret honore Cum Græcis. *Vitruv.* 5. 6. 9. *Schneid.* Comicæ scænæ ædificiorum privatorum et mænianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos imitatione communium ædificiorum rationibus. *Id.* 5. 7. 2 actores. Sic *Quintil.* 2. 10. 13. Quod faciunt actores comici. *h. e.* comœdi, sive histriones, qui comœdias agunt. *Id.* 11. 3. 125. Comicus gestus. *Id.* 9. 4. 140. senarius. *Id.* 11. 3. 79. et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 88. (137). Comicæ personæ, *h. e.* quibus comici in scena utuntur. *Tertull. Anim.* 50. Quod hoc Menandri (*hæretici*) balneum (*baptismo substitutum*) comicum credo. *h. e.* ficticium et Menandro poeta comico dignum. ¶ 2. Speciatim comici dicuntur, qui in comœdiis inducuntur: cf. *Cic.* 2. *Fam.* 13. 2. *Plaut. Capt.* 4. 1. 15. et *Pomponius* apud *Non.* p. 83. 6. *Merc.* Comici servi. *Plaut. Most.* 5. 2. 30. et *Varro* apud *Donatum* ad *Ter. Adelph.* 5. 8. 16. senes. *Cæcilius Statius* apud *Cic. Senect.* 11. 36. et *Amic.* 26. 99. Comici stulti senes. *Cic. Rosc. Am.* 16. 47. Adolescens comicus. *Propert.* 4. 5. 44. mœcha comica Thais. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 91. Comicus Davus. — Hinc

Comicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Est comœdus, sive histrio, qui comœdias agit. *Plaut. Pœn.* 3. 2. 4. Condoctior sum, quam tragœdi, aut comici. Adde *eumd. Pers.* 4. 2. 4. et *Rud.* 4. 7. 23. *Inscript.* apud *Gruter.* 1089. 6. L. ACILIO L. F. POMPT. EVTYCHAE COMICO PRIMO SVI TEMPORIS etc. ¶ 2. Item comœdiarum scriptor. *Cic. Orat.* 55. 184. Comicorum senarii, propter similitudinem sermonis, sic sæpe sunt abjecti, ut etc. Adde *Quintil.* 2. 16. 3. et 9. 3. 14.

CŎMĬNUS. *V.* COMMINUS.

CŌMIS, e, adject. Quod ad scriptionem attinet, cum in MSS. cõis pro comis et cũis pro communis legamus, cumque comis et communis unum idemque interdum significent; ita factum est, ut nonnullis in locis alii *comis*, alii *communis* legerint, ut apud *Cic. Senect.* 17. 59. *V. Faerni* ad *Ter. Heaut.* et Interprett. ad *Cic.* 2. *Fin.* 25. 50. Cf. etiam *Cic. Balb.* 16. 36. Comp. *Comior* et Superl. *Comissimus.* — Ratione habita etymi, *Varro* 7. *L. L.* 89. *Müll.* deducit originem a Græco κῶμος, quod significat comissationem, hilaritatem, lasciviam: ut *comis* proprie sit hilaris, lascivus, facetus. Quo nonnulli trahunt illud *Horat.* 1. *Sat.* 10. 41. comis garrire libellos Unus vivorum, Fundani. *h. e.* festive, hilariter, ac lascive libellos conscribere. *Alii tamen legunt* comes garrire libellos. — Ceterum comis generatim dicitur et est, qui in omni actione et sermone facilem se præbet, benignus, humanus, civilis, commodus (It. *cortese, benigno, umano, gentile*; Fr. *obligeant, complaisant, affable, aimable, doux, gracieux*; Hisp. *obligante, cortes, afable, agradable*; Germ. *artig, willig, gefällig, zuvorkommend*; Angl. *courteous, kind, humane, gentle, mild, affable, complaisant*). Occurrit autem — a) Absolute. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 39. Ego dum illo licitumst usa sum benigno et lepido et comi. *Id. Heaut.* 5. 1. 39. Animo comi esse et leni. *Cic. Balb.* 16. 36. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur, *qui erranti comiter monstrant viam* (quæ verba sunt *Ennii*, teste eodem 1. *Off.* 16. 51.) benigne, non gravate. *Id. Muren.* 31. 66. Quemquam ne existimas Catone commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse? *Id.* 2. *Fin.* 25. 80. Bonum virum, comem atque humanum esse. *Nepos Dion.* 1. Ingenium docile, come, aptum ad artes optimas. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 65. Fuerit Lucilius – comis et urbanus. *Id.* 2. *ibid.* 8. 76. Conviva comis. *Ovid.* 2. *Art. am.* 177. Amica comis et blanda. *Id.* 3. *ibid.* 510. Oculis comibus allicere amorem. *Id.* 3. *Fast.* 684. Anus comis. *Liv.* 9. 36. Hospitio comi accipere aliquem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 10. (28). Tiberius Cæsar, minime comis imperator. *Quintil.* 6. 2. 18. Vir bonus et comis. *Tac.* 14. *Ann.* 48. Sermo et congressus comis. *Id.* 4. *ibid.* 7. vis. *Id. Germ.* 21. victus inter hospites. *Sueton. Vesp.* 22. Super cœnam autem, et semper alias comissimus. *Al. leg.* communissimus. *Apul.* 10. *Met.* Sermones comissimi. *Id.* 11. *ibid.* Senex comissimus. — b) Addita persona erga quam quis comis est. *Plaut. Trin.* 2. 1. 24. Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. *Cic. Senect.* 17. 59. Comem atque humanum esse erga aliquem in omnibus rebus. *At recentiores, inter quos* Orell., *leg.* communem. *V.* sub init. hujus vocis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 133. Comem esse in aliquem. *Tac. Agric.* 22. alicui. *V. Madvig.* ad *Cic.* 2. *Fin.* 25. 80. — c) Addita re, qua quis comis est. *Cic.* 2. *Fin.* 25. 80. Comis in amicis tuendis. Cf. *eumd. Senect.* 17. 59., cujus verba sub *b* retulimus. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 41. Comis garrire libellos. *V.* integrum locum sub init. *Seneca Ep.* 88. Comes verbis, rebus, affectibus.

CŌMISSĀBUNDUS *vel* comessabundus, a, um, adject. De ratione scribendi *V.* COMISSOR sub init. — Comissabundus est qui comissationibus indulget. *Liv.* 9. 17. Per quam (*Indiam*) temulento agmine comissabundus incessit (*Alexander*). Adde *Curt.* 5. 7. 10. et 9. 10. 26. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 6. (9). Juvenes comissabundi.

CŌMISSĀLĬTER, adverb. hilare, per comissationem. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Cantatas sæpe comissaliter nobis Phaethontiadas risi.

CŌMISSĀTĬO *vel* comessatio, ōnis, f. 3. De ratione scribendi *V.* COMISSOR sub init. — Ratione habita etymi, est a κῶμος juxta *Varron.*, qui 7. *L. L.* 89. *Müll.* ait: C o m i t e r, hilare ac lubenter, cujus origo Græca κῶμος; inde c o m i s s a t i o Latine dicta. *V.* et COMISSOR sub init. — Ceterum comissatio est epulum, quod post cœnam fit: in quo differt a *convivio*, quod justa cœna est et idoneo tempore initur (*V.* H o m o n y m. in fin. voc. COMISSATOR): et jungitur fere cum *convivio*. *Cic. Cæl.* 15. 35. Convivia, comissationes, cantus, symphoniæ. Adde *eumd. Mur.* 6. 13. et 2. *Cat.* 5. 10. *Liv.* 40. 13. Lusus, convivium, comissatio. *Id.* 1. 57. Conviviis comissationibusque otium terere. Adde *eumd.* 40. 15. *Seneca Consol. ad Helv.* 10. Ingens vectigal singulis comissationibus exsorbere. *Id.* 6. *Benef.* 32. Pererrare civitatem nocturnis comissationibus. *Martial.* 12. 48. Non Albana mihi sit comissatio tanti. Adde *Gell.* 1. 9. *Sueton. Vitell.* 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in jentacula, et prandia, et cœnas comissationesque. *Id. Tit.* 7. Ad mediam noctem comissationes extendere. Adde *eumd. Cal.* 55. — *Comissatio tempestatis*, et *tempestas comissationis* duæ sunt translationes, quarum primam, ut minus significantem, alteram ut nimis, improbat *Cic.* 3. *Orat.* 41. 164.

CŌMISSĀTOR, ōris, m. 3. De orthographia *V.* voc. seq. — Comissator est qui comissationibus, atque intempestivis conviviis interest; quem ita definit *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 3. p. 179. Comissator (*est*), cui voluptas perpetua comissandi est.

I.) Proprie. *Ter. Adelph.* 5. 2. 8. Commodus comissator. *Cic. Cæl.* 28. 67. Alia fori vis est, alia triclinii: non idem judicum, comissatorumque conspectus. Adde *Liv.* 40. 7.; *Petron.* 65. 3.; *Martial.* 9. 62. 15.; *Quintil.* 3. 6. 26.; et *Gell.* 4. 14. — *Martial.* 5. 16. At nunc conviva est comissatorque libellus. *h. e.* interest, et legitur in conviviis et comissationibus.

II.) Figurate. *Cic.* 1. *Att.* 16. 11. Nostri isti comissatores conjurationis barbatuli juvenes. *h. e.* consortes et socii conjurationis Catilinariæ, quæ per comissationes inita fuit.

H o m o n y m. *Comissator* in eo differt a *conviva*, quod hic justæ cœnæ tempus non prægreditur. *Liv.* 40. 9. *ad fin.* C o n v i v a m me tibi committere non sum ausus: c o m i s s a t o r e m te cum armatis venientem recipiam?

CŌMISSOR *vel* comessor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Varia est in hac voce tum de origine, tum de orthographia opinio. Alii derivant a verbo Græco κωμάζω, vel a κῶμος, a quo illud deducitur (*V.* COMISSATIO sub init.): alii a *comesum*: alii usque ab Hebræa lingua etymologiam ducendam putant. Scribi volunt alii *comessor*, alii *commissor*: sunt etiam quibus placet *comassor*. Sed *comissor*, *comissatio*, etc. et pluribus arridet (*Manutio*, *Voss.*, *Dausq.*, *Cellario*, et aliis) et plures habet veteres libros ac lapides, quibus confirmatur. — Part. *Comissans.* — Comissari proprie significat post cœnam rursus comedere, ut patet ex *Sueton.*, cujus hæc sunt verba *Domit.* 21. Convivabatur frequenter ac large, sed pæne raptim; certe non ultra solis occasum, nec ut postea comissaretur: sed ponitur etiam universim pro intempestiva convivia celebrare, epulis ultra modum indulgere. *Plaut. Most.* 1. 4. 5. Comissatum ire ad aliquem. *Id. ibid.* 22. domum. *Id. Stich.* 5. 4. 4. Comissatum vocare aliquem. *Ter. Eun.* 3. 1. 52. Comissatum aliquem introducere. *Horat.* 4. *Od.* 1. 10. Tempestivius comissari. *Liv.* 40. 7. Quin comissatum ad fratrem imus? *Id.* 40. 13. Aliquem comissatum sequi. *Id.* 3. 29. Epulæ instructæ dicuntur fuisse ante omnium domos: epulantesque cum carmine triumphali et solemnibus jocis, comissantium modo, currum secuti sunt. Adde *Curt.* 8. 10. 18. et 9. 10. 27. *Petron. Satyr.* 23. Adjuvit hilaritatem comissantis cymbalistria. Adde *Quintil.* 11. 3. 57. et *Sueton. Cal.* 32.

CŌMĬTĀBĬLIS, e, adject. qui comitatur. *Paulin. Nolan.* 10. 298. Ipse obit, atque illi suus est comitabilis error.

CŌMĬTAS, ātis, f. 3. (comis) proclivitas ad hilaritatem, benignitas, facilitas, lenitas, affabilitas (It. *cortesia, benignità, gentilezza, piacevolezza*; Fr. *obligeance, complaisance, affabilité, bonté*; Hisp. *complacencia, afabilidad, cortesia*; Germ. d. *Freundlichkeit, Leutseligkeit, Gefälligkeit, Artigkeit*; Angl. *courtesy, affability, complaisance, gentleness, address, civility, humanity, mildness*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Comitati* sæpe opponitur *severitas*, ut apud *Cic. Brut.* 40. 148., *Orat.* 10. 34. et *Mur.* 31. 66.; *Nepot. Att.* 15.; et *Plin.* 8. *Ep.* 21.: interdum *austeritas*, ut apud *Quintil.* 2. 2. 5. — Haud raro autem cum *comitate* conjungitur *humanitas*, ut apud *Nepot. Miltiad.* 8.; aut *facilitas*,

ut apud *Cic. Mur.* 31. 66. et *Amic.* 18. 66.; aut *benignitas*, ut apud *Cic.* 5. *Fin.* 22. 65., et *Liv.* 3. 7. et 9. 42.; aut *beneficentia*, ut apud *Cic.* 2. *Orat.* 84. 343.; aut denique *munificentia*, ut apud *Liv.* 5. 3. — *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 1. Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas. *h. e.* facilis et paratus sum ad enarrandum. *Cic. Senect.* 4. 10. Erat in illo viro comitate condita gravitas. *Id. Brut.* 40. 148. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis. Scævolæ multa in severitate non deerat tamen comitas. *Id. Mur.* 31. 66. Si illius comitatem et facilitatem tuæ gravitati severitatique asperseris. *Id.* 1. ad *Q. fr.* 2. 2. Ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus. *Id.* 2. *Off.* 14. 48. Comitas affabilitasque sermonis maxime conciliat animos hominum. *Id.* 2. *Orat.* 43. 182. Comitas verborum. *Id.* 2. *Invent.* 51. 164. Animos temere concitatos comitate retinere. *Id.* 6. *Att.* 6. 1. Obsequio et comitate alicujus delectari. *Liv.* 1. 34. Comitas invitandi. *Id.* 9. 42. Comitate benignitatem adjuvare. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 15. Comitate laborem levare. *Sueton. Aug.* 74. Comitate cœnam præbere. *Id. ibid.* 53. Comitate excipere aliquid. *Tac.* 1. *Hist.* 63. Omni comitate excipere aliquem. *Id. Agric.* 16. Comitate curandi provinciam tenuit. *Id.* 2. *Ann.* 72. Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes. *Id.* 1. *ibid.* 29. Comitate permulcere milites. *Id. ibid.* 71. Lenire comitate memoriam cladis. ¶ 2. Speciatim sumitur pro largiendi facilitate. *Plaut. Trin.* 2. 2. 49. PH. Habuitne rem? LY. habuit. PH. Qui eam perdidit? LY. per comitatem edepol, pater. *Id. ibid.* 75. Comitati esse alicui. *h. e.* liberalitatem exercere in aliquem. *Id. Rud. prol.* 38. Rem bene partam comitate perdere. *Sueton. Oth.* 3. Die, quem Nero necandæ matri destinarat, ad avertendas suspiciones cœnam utrique exquisitissimæ comitatis dedit. *h. e.* summa impensa omnibus lautitiis et luxu affluentem.

COMĬTĀTENSIS, e, adject. ad comitatum pertinens, hoc est ad dignitatem et munus comitum. *Impp. Constantius et Constans Cod. Theod.* 12. 1. 38. Comitatense munus subire. *Ammian.* 18. 4. Comitatensis fabrica. *h. e.* machinatio, calumniosa delatio comitum aulicorum. *Impp. Theodos. et Honor. Cod.* 12. 36. 14. Comitatensis legio. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 7. 20. 4. Comitatenses milites. Hos *Salmas.* ad *Vopisc. Prob.* 14. docet, esse milites legionarios, qui castra habebant ad limites imperii custodiæ causa: et differre a *ripensibus* et *limitaneis*, qui extra castra in ipsis limitibus et ripis fluminum degebant. *Cassiod.* 12. *Variar.* 22. Comitatenses excubiæ.

COMĬTĀTUS, a, um. *V.* COMITO.

COMĬTĀTUS, us, m. 4. comitum multitudo (*It. seguito, compagnia, comitiva, corteggio*; *Fr. cortège, foule qui accompagne, train, suite*; *Hisp. comitiva, acompañamiento, tren*; *Germ. d. Gefolge*; *Angl. a number of followers, a train, retinue, suit, equipage*). Occurrit *A*) Abstracte, et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte usurpatur

I.) Proprie. *Cic.* 8. *Att.* 3. 2. Comitatum optimorum et clarissimorum civium deserere. *Id. Sull.* 3. 9. Ex tanto comitatu virorum amplissimorum aliquem abstrahere. Cf. *Id.* 2. *Fin.* 34. 111. Tanto virtutum comitatu opus est. *V.* eumd. infra sub II. *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum triginta ad mare pervenit. *Quintil.* 1. 2. 5. Assiduus amici aut liberti comitatus. *Id.* 5. *Declam.* 13. *ad fin.* Convictibus et comitatibus lætari. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Magno ceterarum volucrum comitatu. — Speciatim. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (11). Osthanes exornatus comitatu Alexandri. *h. e.* eo honore decoratus, ut allegeretur inter comites et amicos Alexandri in ejus expeditionibus. *Tac.* 13. *Ann.* 40. Dejici congressu et comitatu.

II.) Translate. *Cic. Parad.* 2. 1. § 16. Animus tot virtutum præsidio, tantoque comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Traduces virgultorum comitatu obiter rigorati, qua deficiunt. *Id.* 15. *ibid.* 13. 12. (44). Pruna hordearia appellata, a comitatu frugis ejus. *h. e.* quia simul cum hordeo maturescunt. *Id.* 18. *ibid.* 20. 09. (263). Comitatus utriusque causæ.

B) Concreto, uti ajunt, sensu *comitatus* ponitur pro comitibus; et quidem ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 21. 51. Prædonis societas atque comitatus. *Id.* 5. *ibid.* 88. 205. Comitatum exsilio quærere. *Id.* 3. *Cat.* 2. 6. Cum jam pontem Milvium cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent. *Id. Mil.* 10. 28. Muliebris ac delicatus ancillarum puerorumque comitatus. *Id. Marcell.* 4. 11. Multo magnoque comitatu gerere aliquid. *Id.* 6. *Fam.* 19. Si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. *Virg.* 2. *Æn.* 311. Magno comitatu venire. Adde eumd. 12. *ibid.* 336.; *Curt.* 4. 12. 2.; *Senec. Ep.* 7.; *Quintil.* 7. 2. 45.; *Tac.* 11. *Ann.* 12.; et *Sueton. Cæs.* 31. ¶ 2. Speciatim dicitur de turba hominum simul iter facientium, quo tutiores sint ad latrones et alia viarum pericula. *Cic.* 3. *Cat.* 3. 6. Litteræ, quæcumque erant in eo comitatu, integris signis, prætoribus traduntur. *Cæs.* 1. *B. C.* 51. Nunciatur Afranio, magnos comitatus, qui iter habebant ad Cæsarem, ad flumen constitisse. *V.* ibi reliqua. Italice dici potest *caravana*. Adde eumd. *ibid.* 48. et 54.; et *Sall. Cat.* 45. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 13. 15. (40). Comitatus rerum Alexandri Magni. *h. e.* comites expeditionum et rerum gestarum Alexandri. Adde *Liv.* 28. 22.; et *Sueton. Tib.* 6. ¶ 3. Apud inferioris ævi scriptores *comitatus* accipitur pro comitibus aulæ principis, et pro ipsa aula. *Tac.* 2. *Hist.* 65.; *Plin.* 20. *Paneg.* 3.; *Macer Dig.* 49. 16. 13.; *Auson. Epist.* 17.; *Symmach.* 9. *Ep.* 8.; *Augustin. Ep.* 129.; et *Sulpic. Sever. Dial.* 2. 5. — *NB. Comitatus* alio sensu *V.* in COMITIATUS, us.

COMĬTER, adverb. (comis). Quod ad scriptionem attinet, *comiter* etiam et *communiter* in MSS. libris permutantur; sic apud *Liv.* 25. 12. alii leg. *communiter*. V. *Cic. Balb.* 16. 36., et quæ dicta sunt in voce COMIS sub init; nec non in fine hujus voc. — Superl. *Comissime*. — Comiter est benigne, hilare, lubenter, facile, libenti animo (*It. benignamente, piacevolmente, di buona voglia*; *Fr. d'une manière affable, avec bonté, avec douceur*; *Hisp. afablemente, agradable y cortesmente*; *Germ. auf willige, zuvorkommende Weise*; *Angl. courteously, affably, complaisantly, gently, civilly*). *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Mensam sermonesque suos rerumque suarum Comiter impertit. *Id.* apud *Cic.* 1. *Off.* 16. 51. Erranti comiter viam monstrare. *Cic. Balb.* 16. 36. hæc eadem *Ennii* verba refert, et *comiter* interpretatur *benigne, non gravate*. Sic *Varro* 7. *L. L.* 89. *Müll.* Apud Ennium: *Si voles advertere animum, comiter monstrabitur.* Comiter, hilare ac lubenter, cujus origo Græca κῶμος. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 61. Datne ab se (*mulier*) operam? PA. lepidissime et comissime. *Id. Pœn.* 3. 6. 10. et *Rud.* 1. 5. 28. Comiter facere aliquid. Sic *Carmen antiq.* apud *Liv.* 25. 12. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant. *Ter. Phorm.* 3. 3. 4. Comiter adjuvare aliquem. *Cic. Dejot.* 7. 19. Comiter et jucunde esse in convivio. *Id.* 3. *Att.* 15. 7. consolari aliquem. *Id.* 13. *Phil.* 2. 4. Salutare benigne, comiter appellare unumquemque. *Ovid.* 2. *Fast.* 788. Comiter excipere aliquid. *Liv.* 1. 22. Excepti hospitio ab Tullo blande ac benigne, comiter regis convivium celebrant. *h. e.* libenter, jucunde, hilare. *Id.* 23. 33. Comiter hostes pro hospitibus accipere. *Id.* 6. 34. sciscitari. *Id.* 9. 43. alicui munera mittere. Adde eumd. 42. 1., 42. 24. et 45. 19. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 1. agere cum aliquo. *Quintil.* 12. 10. 71 dicere. *Tac.* 1. *Hist.* 13. administrare provinciam. *Gell.* 13. 4. Sensim et comiter admonere aliquem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Comiter habitare. *h. e.* eleganter, splendide. Hæc notio inde oritur, quod *comis* dicitur etiam, qui sumptus non extimescit; et *comitas* liberalitatem quoque et prodigendi facilitatem adsignificat, ut suis locis dictum est. — *Comiter servare majestatem populi R.*, quod legitur in quodam fœdere apud *Cic. Balb.* 16. 36., est libenter, non gravate. *Cicero* ibi reprehendit eos, qui illud *comiter* dicebant esse *communiter*. Formula erat: *majestatem populi R. comiter conservanto*: et adjiciebatur tantummodo in iis fœderibus, in quibus alter populus inferior erat, et non æquo jure in amicitiam veniebat, uti docet *Proculus Dig.* 49. 15. 7. § 1., ubi *Haloander* quidem *communiter*: at *Torrentin.* habet *comiter*, quod rectius profecto est, ut ex hoc *Ciceronis* loco apparet. Eadem illa formula legitur etiam apud *Liv.* 38. 11., sed pro *comiter* habetur *sine dolo malo*. Ex quo etiam intelligitur, *communiter* hic locum non habere.

CŌMĬTĬA, ōrum. *V.* COMITIUM, II.

CŌMĬTĬÆ, ārum, f. plur. 1. idem ac comitia, orum. *Inscript.* optimæ notæ apud *Marin. Frat. Arv.* p. 43. NE IMPROBAE COMITIAE FACTAE FVERVNT IN AVENTINO.

CŌMĬTĬĀCUS, i, m. 2. qui comitiva dignitate præditus est, qui comes et magister utriusque militiæ, hoc est equitum peditumque, dicebatur. V. *Noris.* ad *Cenot. Pisan.* p. 441.

I.) Proprie. *Cassiod.* 6. *Variar.* 13. Formula magistri scrinii et comitivæ primi ordinis, quæ danda est comitiaco, quando permilitat. *Id.* 7. *ibid.* 30. Si quos etiam comitiacorum ad comitatum judicaveris esse dirigendos.

II.) Translato et obsceno sensu utitur hac voce *Auct. incert. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 613. *Burmann.* In *lemmate*. Ad lenonem comitiacum. mox p. 614. Non jam miles eris humilis, sed divite nummo Fies militiæ mox utriusque comes. *h. e.* si lenonem agere perseveraveris, præeris pueris et puellis meritoriis, et quorum corporibus vulgandis maximos quæstus facere poteris.

CŌMĬTĬĀLIS, e, adject. ¶ 1. Est ad comitium pertinens. *Vopisc. Tacit.* 7. Comitiale tribunal. *h. e.* in comitio. ¶ 2. Item ad comitia pertinens. *Cic.* 2. ad *Q. fr.* 2. 3. Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. *h. e.* dies, quibus comitia habentur, vel haberi possunt. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 29. *Müll.*; *Liv.* 3. 11.; et *Paul. Diac.* p. 38. 12. *Müll.* Porro *comitiales* dies erant in numero dierum fastorum: ab iis tamen differebant. Non enim quicumque comitiales, iidem et fasti; sed tunc solummodo, quando agi cum populo, et comitiorum conventus haberi non poterat et licebat; tunc, inquam, dies comitialis etiam fastus dies erat, et prætorem adire quivis permittebatur. Quod si die comitiali comitia haberentur, eo die neque adiri prætor, neque senatus adiri poterat. Itaque dies comitiales casu tantummodo fasti erant, non natura. Hac ratione intelligendum est illud *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet: et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest: comitialibus utrumque potest. — Hujusmodi dies signantur in Calendario littera *C*, fueruntque toto anno CLXXXIV. *Manut. de veter. dier. rat.* — *Comitialis mensis*, in quo comitia habentur. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 140. Similiter *Cæs.* 1. *B. C.* 5. Comitiale biduum. — In illo *Plaut. Pœn.* 3. 2. 6. Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos. Nam istorum nullus nefastus est, comitiales sunt meri. *comitiales homines* dici videntur homines litigiosi, atque adeo facile perjuri ac mendaces, qui assidue in comitio versantur, parati semper ad alterum circumveniendum perjuriis, dolis, fallaciis, nulla habita fastorum, aut nefastorum dierum ratione. Hujusmodi autem hominum magnam semper copiam in comitio fuisse, ostendit et illud *ejusdem* in *Curc.* 4. 1. 9. Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium: qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum etc. — *Comitialis lex* est in comitiis lata et rogata. *Pacat. Paneg.* 7. Sed in præturis quoque, aut ædilitatibus capessendis ætas spectata sit petitorum; nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occupavit. Cl. *Furlanetto* in 1.° *Append.* hæc afferens *comitialem legem* affirmavit eamdem esse atque annalem; de qua *V.* ANNALIS. — *Comitialis morbus*, qui et *major*, et *sacer morbus* dicitur, ἐπιληψία, est, quo homo subito concidit, ex ore spumæ moventur: deinde interposito tempore ad se redit, et per se ipsum consurgit. Modo cum distentione membrorum, aut nervorum prolabitur aliquis, modo sine illis. Ita *Cels.* 3. 23. describit. Ratio appellationis est, quia si quis forte ipso comitiorum tempore illo corriperetur, comitia dissolvi, ac in alium diem differri necesse erat, ut ex *Festo* p. 234. 28. *Müll.*, et ex *Seren. Samm.* c. 57. v. 1015. discimus. *Cels.* 2. 8. Comitialis morbus ante pubertatem ortus, non ægre finitur. Adde eumd. 2. 1.; *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 33. (69)., 25. *ibid.* 5. 21. (52). et 5. 24. (68).; *Scribon. Compos.* 99.; et *Dig.* 21. 1. 33. — Hic idem morbus *comitiale vitium* dicitur a *Seneca* 3. *Ira* 7. — Hinc

Comitialis, is, comm. gen. 3. absolute, Substantivorum more, dicitur qui sacro morbo laborat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 44. (114). Comitiales fiunt, qui ubera hauriunt ab apii cibo. *Id.* 32. *ibid.* 4. 14. (37). Fel testudinum naribus illitum comitiales erigit attollitque. Adde eumd. 20. *ibid.* 5. 15. (31)., 28. *ibid.* 7. 23. (83). et 32. *ibid.* 9. 37. (112).

CŌMĬTĬĀLĬTER, adverb. ex morbo comitiali.

Plin. 22. *Hist. nat.* 21. 20. (50). Folia heliotropii contractionibus medentur, etiamsi id comitialiter acciduat.

COMĬTĬĀNUS, a, um, adject. ad comites pertinens. Hinc *comitiani* dicuntur officiales Comitis Orientis, quorum mentio in *Cod. Theod.* 8. 4. 18. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

CŌMĬTĬĀRĬUS, a, um, adject. qui est in modum comitiorum. *Liv.* 23. 16. In hac comitiaria exercituum statione. *Sed meliores libri hab.* quotidiana.

CŌMĬTĬĀTUS, a, um. *V.* COMITIO.

CŌMĬTĬĀTUS, us, m. 4. populi ad comitia habenda congregatio, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 91. *Müll.* Classicos a classe, qui lituo cornuve canunt, tum cum classes comitiis ad comitiatum vocant. Al. minus recte leg. *ad comitatum. h. e.* ad coitionem, seu conventum, ut sit a *comito, as,* frequentativo a *comeo* pro *coeo. Cic.* 3. *Legg.* 19. 44. Tum leges præclarissimæ de XII. Tabulis translatæ duæ: quarum altera privilegia tollit; altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. *Id.* 3. *ibid.* 12. 27. Omnibus magistratibus auspicia dantur, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 12. 31. et 3. *ibid.* 4. 11. *Messala* apud *Gell.* 13. 15. Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest.

CŌMĬTĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Comitiatus* 2. — Comitiare proprie est comitia habere: sed occurrit specialim tantummodo, et ¶ 1. Est sacrificium in comitio facere. *Festus* p. 278. 14. *Müll.* Quando rex comitiavit, fas. Sic notatum esse diem in Fastis in honorem regis sacrorum ajunt qui de feriis menstruis scripserant, quæ nonis *Februar.* in Curia a rege (*sacrorum*) dicuntur. Eæ vero a multis scriptoribus traditæ sunt. Nam quo die rex in comitium venit, ejus pars anterior nefas habetur: contra autem posterior fas: quia sacris peractis inde abit. Quod si quis alius pro rege eo die in comitio fecerit, puta pontifex, tunc hic dies totus est nefastus. Hæc *Festus*: cujus verba perperam intellexisse videtur *Paulus Diac.* ita eum locum more suo in pauca redigens: Quando rex comitiavit, fas, in Fastis notari solet: et hoc videtur significare: quando rex sacrificulus, divinis rebus perfectis, in comitium venit. (Hucusque *Forcellinus*: at in *Mülleri* editione *Festi* sententia eadem est, sed verba omnino diversa; *Pauli* autem verba non inveni). Refellit hanc *Pauli* explicationem etiam locus *Varronis* 6. *L. L.* 31. *Müll.* ex emendatione *Scaligeri*: Dies, qui vocatur sic: Quando rex comitiavit, fas: dictus ab eo, quod eo die rex sacrificiolus itat ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Itaque post id tempus lege actum sæpe. Hæc *Varro*: ubi pro *itat* alii legebant *dicat*, nulla sententia. Porro is dies, *Quando rex comitiavit*, notabatur in Fastis, *Q. Rex C. F.* vel *Q. R. C. F.*: hoc enim docet ipse *Festus loc. cit.* et *Kalendar. Prænest.* apud *Orell. Inscriptt. vol.* 2. p. 386. *V.* REGIFUGIUM. ¶ 2. *Tribuni comitiati* sunt in comitiis creati. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 10. 30. p. 142. *Bait.* Tribunorum militarium duo sunt genera. Primum eorum, qui *rufuli* dicuntur; hi in exercitu creari solent: alii sunt *comitiati*, qui Romæ comitiis designantur. — Hi passim in inscriptionibus vocantur TRIBVNI MILITVM A POPVLO. TRIB. MIL. A. P. — Addunt quidam et *Cicer.* locum 4. *Att.* 15., sed is locus dubius est. ¶ 3. Est etiam publice, in populi conventu exprobrare. *Tertull. Pall.* 5. *ante med.* Hæc pro pallio interim, quantum nomine comitiasti. *h. e.* in comitio exprobrasti. *V.* INCOMITIO.

CŌMĬTĬUM, ii, n. 2. Dictum est a *comeundo*, hoc est coeundo et conveniendo; ita ut *comitium* proprie sit populi conventus, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 155. *Müll.* hisce verbis: Comitium ab eo, quod coibant eo comitiis curiatis et litium causa. Adde *Paul. Diac.* p. 38. 12. *Müll.* — Occurrit autem *A*) singulari, et *B*) plurali numero.

A) Singulari numero et concreto, uti ajunt, sensu comitium generatim est publici conventus vel concionis locus.

I.) Proprie. ¶ 1. Romæ comitium locus fuit in foro juxta Curiam, ubi causæ disceptabantur et comitia curiata habebantur: unde *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 22. 58. Comitium locus propter senatum, quo coire equitibus et populo R. licet. Multis annis tecto caruit; unde ob tempestatem sæpe comitia dissolvebantur: deinde circa Hannibalis in Italiam adventum tecto munitum fuit, ut *Liv.* 27. 36. narrat. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. NI PAGVNT, IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSAM CONICIVNTO. Cf. *Cic. Sext.* 35. 75., 2. *Verr.* 22. 58., 5. *Verr.* 4. 9. et 4. *Att.* 3. 4.; *Liv.* 5. 55. et 34. 45.; *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (77).; et *Sueton. Cæs.* 10.: et V. *Becker röm. Alterth. vol.* 1. p. 273. *Plaut. Curc.* 4. 1. 9. Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium. *Cic. Brut.* 84. 289. In comitium veniant, ad stantem judicem dicant. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 19. 49., 2. *de republ.* 17. et 1. *Divinat.* 17. 32.; *C. Titium* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12.; *Varron.* 1. *R. R.* 2. 9.; *Liv.* 1. 36., 5. 33., 6. 15. et 10. 24.; *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 11. (21). et 6. 16. (26).; *Sueton. Aug.* 43.; et *Tac.* 13. *Ann.* 38. et *Agric.* 2. — In comitio sumebantur etiam supplicia de sontibus. *Liv.* 22. 57. L. Cantilius eo usque virgis in comitio cæsus erat, ut etc. *Plin.* 4. *Ep.* 11. Celer eques Romanus cum in comitio virgis cæderetur. *Et mox.* Si comitium et virgas pati nollet, ad confessionem confugeret. — Per metonymiam sumitur pro ipsis hominibus in comitio congregatis. *Festus* p. 169. 26. *Müll.* Incomitiare significat tale convicium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est in conventum venire. ¶ 2. Extra Romam. *Nepos Ages.* 4. Si privatus in comitio esset Spartæ. *h. e.* in eo loco, ubi Ephori conveniebant.

II.) Improprie. Duræ sunt illæ translationes *Apuleji de Mag.* Impensius cetero corpore os colendum, quod est animi vestibulum et orationis janua et cogitationum comitium. *Et Mamertini Grat. act. ad Julian.* 15. Sacra mens ad honorum et magistratuum ornamenta respexit: versari cœpit in sacri pectoris comitio consulatus.

B) Plurali numero *comitia* erant populi universi conventus ferendorum suffragiorum causa.

I.) Proprie. ¶ 1. Romæ. — *a*) Comitiorum tria erant genera, curiata (V. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 11. 27. et *Dom.* 14. 38.; *Liv.* 5. 52. et *Lælium Fel.* apud *Gell.* 15. 27.), centuriata (V. *Cic.* 3. *Legg.* 19. 44.), et tributa (V. *Cic.* 3. *Legg.* 19. 45. et 2. *leg. Agr.* 11. 27.; et *Lælium Fel. loc. cit.*); de quibus *V.* suis locis. — *b*) Locus comitiorum curiatorum non erat nisi intra pomœrium, scilicet in comitio. Centuriata comitia habebantur in loco quidem inaugurato, sed extra pomœrium, scilicet in Campo Martio: unde *Cic. Rabir. perduell.* 4. 11. Qui in Campo Martio comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi jubes. Tributis comitiis non erat unus destinatus locus, sed modo intra, modo extra Urbem convocabantur, interdum in Campo Martio, nonnumquam in Capitolio, aliquando in Circo Flaminio. — *c*) Ex Comitiis rursus alia erant consularia (*Cic.* 2. *Verr.* 6. 17. et *Mur.* 18. 38.), alia prætoria (*Liv.* 10. 22.), alia ædilicia (*Varro* 3. *R. R.* 2. 1.), alia quæstoria (*Cic.* 7. *Fam.* 30. 1.), alia tribunicia (*Cic.* 1. *Att.* 1. 1., *Liv* 6. 39.; et *Sueton. Cæs.* 76.) etc.; quibus scilicet consules, prætores, ædiles, quæstores, tribuni creabantur. Apud *Liv.* 1. 35. *comitia creando regi* etiam legas. — *d*) Præterea jungitur hoc nomen aliis Adjectivis, quorum hæc sunt præcipua. *Lælius Fel. loc. cit.* et *Cajus* 2. *Instit.* 101. calata comitia. *Cic.* 4. *Att.* 15. gratuita, *quibus opponuntur* apud *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 56. largitione inquinata. *Plin. præfat. Hist. nat.* § 9. flagrantia comitia. *h. e.* in quibus magna est candidatorum contentio, et ardet ambitus, ut *Cic.* loquitur 4. *Att.* 15. *a med. Liv.* 3. 51. militaria. *Cic. Cæl.* 8. 19. pontificia. *Id.* 2. *leg. Agr.* 12. 31. vera. — *e*) Jungitur et pluribus Genitivis. *Sueton. Cæs.* 80. militum plebis comitia. *Nepos Att.* 4. amicorum. *Cic.* 3. *Legg.* 19. 45. capitis. *Id.* 4. *Att.* 2. 6. censorum. *Liv.* 3. 20. consulum. *Id.* 45. 35. ferendæ legis. (Ponuntur etiam a *Livio* comitia de populo a tribunis in forum advocato ad legem perferendam, 3. 17. Tantum hostium est in arce supra forum curiamque: comitia interim in foro sunt, senatus in curia est: senator sententiam dicit; alii Quirites suffragium ineunt). *Liv.* 3. 29. falsi testis. *Id.* 9. 46. Flavii. *Sueton. Aug.* 56. magistratuum. *Cic.* 3. *Verr.* 7. 19. et 1. *Att.* 1. 2. mea. Cf. *Id.* 1. *Att.* 4. Q. fratris. *Id.* 2. *leg. Agr.* 7. 18. pontificis maximi. *Id.* 1. *ad Brut.* 5. sacerdotum. *Sueton. Cæs.* 76. tribunorum. — *f*) Jungitur et nonnullis Substantivis. *Varro* 3. *R. R.* 5. 18. athletæ comitiorum. *Liv.* 3. 24. disceptatio comitiorum. *Sueton. Aug.* 10. jus pristinum comitiorum. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. obnunciationes comitiorum. *Vellej.* 2. 124. 3. ordinatio comitiorum. *Liv.* 3. 51. prærogativa comitiorum. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 33. rogator comitiorum justus. — *g*) Denique jungitur pluribus Verbis. *Cic.* 1. *Att.* 10. adesse comitiis alicujus. *Id.* 10. *Fam.* 26. 12. conficere comitia. *Id. ibid.* currere ad comitia. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 18. 3. detrudere comitia in alium mensem. *Liv.* 6. 37. differre comitia omnium rogationum. *Cic.* 1. *Att.* 14. 14. dimittere comitia. *Id.* 4 *ibid.* 15. 7. ducere comitia. *Liv.* 3. 37. edicere comitia consulibus creandis. Adde *eumd.* 40. 59. *Cic.* 4. *Att.* 15. 8. facta sunt comitia. *Id.* 2. *Verr.* 6. 17. facere comitia consularia. *Liv.* 1. 35. fieri comitia regi creando. *Cic.* 4. *Att.* 1. ferre legem comitiis centuriatis. *Id.* 3. *Legg.* 19. 45. gesta sunt comitia illa armis civilibus. *Id.* 2. *Divinat.* 18. 43. habere comitia populi. *Id.* 1. *ibid.* 17. 35. habere comitia consulibus subrogandis. (Ceterum *habere comitia* dicitur is, qui comitia indicit iisque præest, ut dictator, vel consules alter ambove, vel pontifex maximus. Ejus id erat jus, ut haberet et accipiendi et rejiciendi petentium nomina facultatem. *Cic.* 4. *Att.* 2. 6. Si comitia censorum proximi consules haberent. *L. Piso* apud *Gell.* 6. 9. Eum ædilem curulem renunciaverunt; at ædilis, qui comitia habebat, negat accipere etc.). *Liv.* 1. 34. *ad. fin.* indicere comitia creandis decemviris. *Sueton. Vesp.* 5. inire comitia secundi consulatus. *Liv.* 3. 24. inire comitia de reo. *Cic.* 7. *Fam.* 30. institutis comitiis quæstoriis. *Capitolin. Anton. Philos.* 10. interesse comitiis. *Cic.* 1. *Att.* 4. obire comitia alicujus. *h. e.* comitiis interesse, quibus aliquis magistratum petit. *Id. post red. in sen.* 5. 11. obnunciare comitiis. *Sueton. Vitell.* 11. ordinare comitia in decem annos. *Cic.* 4. *Att.* 15. perscribere tota comitia. *Id.* 2. *leg. Agr.* 9. 22. præesse comitiis. *Id.* 10. *Fam.* 26. 3. protrudere comitia. *Id. Mil.* 9. 25. sustinere tota comitia suis humeris. *Varro* 6. *L. L.* 93. *Müll.* vocare populum ad comitia. ¶ 2. Extra Romam, comitia dicuntur populi conventus in Sicilia summo sacerdoti eligendo apud *Cic.* 4. *Verr.* 52. 188. Sic *Tabul. Heracl.* v. 24. In municipio, colonia, præfectura — comitia IIviris, IVviris aliive magistratui rogando subrogandoque habere. Et *Liv.* 42. 43. Comitia prætoria Bœotorum.

II.) Translate et joculariter. *Plaut. Aulul.* 4. 7. 20. Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia. *h. e.* ubi de fama et salute mea agitur. *Id. Pseud.* 4. 7. 134. Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia. *Id. Truc.* 4. 3. 45. Meo illic nunc fiunt capiti comitia.

CŌMĬTĪVUS, a, um, adject. ad aulæ comites pertinens, ut *comitiva dignitas* apud *Veget.* 2. *Milit.* 9. et *comitiva sedes* in *Cod.* 1. 33. 3. et alibi. — *Comitiva*, æ, f. 1. absolute pro *comitiva dignitate* occurrit apud *Cassiod.* V. COMITIACUS.

CŌMĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Comitatus* in fin. — Comito est idem quod *comitor*, sed usu rarius; est enim comitem me præbeo, assector. Occurrit autem — *a*) Active, sed apud Poetas tantummodo. *Propert.* 2. 7. 15. Quod si vera meæ comitarent castra puellæ. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 43. Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas. *Id.* 2. *ibid.* 2. 83. Quem pia nobiscum proles comitavit ad undas. *Id.* 1. *ibid.* 9. 47. Comitare funera. *Id.* 11. *Met.* 259. Nostraque adulantes comitant vestigia. *Id.* 8. *ibid.* 692. Comitare gradus alicujus. — *b*) Passive apud Poetas, et in prosa etiam oratione apud argentei ævi scriptores. *Lucret.* 1. 99. Non ut — posset claro comitari hymenæo. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 47. Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 25. 55. (110). Sed in alto quoque comitantur (*conchæ*) marinis canibus. *Justin.* 30. 2. 4. Visuntur, salutantur, comitantur. — Hinc Part. præter. pass.

Comitatus, a, um, (quod Adjective quoque occurrit, unde Comp. *Comitatior* sub *b*) sæpius usurpatur quam *comito*, a classicis quoque scriptoribus; et quidem — *a*) Cum Ablativo personæ aut rei, qua quis comitatus est. *Cic. Dom.* 28. 76. Quo die me populus Rom. a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate lætitiaque comitatum honestavit. *Id. Cæl.* 14. 34. Mulier alienis viris comitata. *Tibull.* 3. 2. 13. Comitatus dolore. *Virg.* 1. *Æn.* 316. Ipse uno graditur comitatus Achate. *Id.* 2. *ibid.* 580. Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 33. Militibus et armis comitatus. *Id.* 2. *Art. am.* 279. Musis. Adde *eumd.* 2. *Met.* 441. et 845., 3. *ibid.* 215., 9. *ibid.* 687. et 10. *ibid.* 9. *Curt.* 6. 5. 26. Trecentis feminarum comitata. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (65). Gladiolus comitatus hyacintho. Adde *Senec.*

Hippol. 1.; *Stat.* 2. *Achill.* 309. et *Tac.* 14. *Ann.* 8. — *b*) Absolute, more Adjectivorum, unde Comp. *Comitatior*. *Cic.* 2. *Cat.* 2. 4. Parum comitatus ex Urbe exivit. *Id.* 12. *Phil.* 10. 25. Aggredi aliquem bene comitatum. *Id.* 5. *Tusc.* 39. 113. Cum quidam quæreret, quid ei cæcitas attulisset, respondit, puero ut uno esset comitatior. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 37. 52. (100).; *Quintil.* 12. 8. 3.; et *Apul. de Mag.*

CŎMĬTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Comitans* I. *a.* et II. *a.*; *Comitatus* I. *b.* — Comitor, usitatius quam comito, est comitem me præbeo, assector (It. *accompagnare*; Fr. *accompagner, suivre*; Hisp. *acompañar*; Germ. *sich zum Begleiter aufwerfen, als Begleiter anschliessen*; Angl. *to accompany, attend, wait upon, go along, with, follow*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Virg.* 3. *Æn.* 660. Lanigeræ comitantur oves. *Plin. Paneg.* 24. Liberum est ingrediente per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. *Sil. It.* 4. 30. Dextrâ lævâque trahuntur Parvi, non æquo comitantes ordine, nati. *Tac.* 3. *Hist.* 50. Sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 1. et *Germ.* 46.; et *Dig.* 17. 10. 15. § 16. — Præcipue usurpatur Ablativus absolutus Participii *Comitans*: et sæpe occurrit de iis, qui alicujus funus prosequuntur. *Nepos Att.* 22. Elatus est in lecticula – sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis. Adde *eumd. Eumen.* 13. *Virg.* 2. *Æn.* 40. magna comitante caterva. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 498.; *Ovid.* 11. *Met.* 275., 13. *ibid.* 402. et 631.; *Curt.* 5. 13. 8. et 6. 5. 11.; *Senec. Hippol.* 424.; *Martial.* 11. 52.; *Tac.* 5. *Ann.* 10. et 3. *Hist.* 41.; et *Sueton. Ner.* 48. — Figurate *Propert.* 4. 3. 16. Illapsi non comitante deo. *h. e.* invito deo. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quam assectamur. *Lucret.* 2. 638. Propterea magnam armati matrem comitantur. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Cum iis propinqui Inducioniari, qui defectiones auctores fuerant, comitati eos ex civitate excessere. *Virg.* 8. *Æn.* 462. gressumque canes comitantur herilem. *Id.* 4. *ibid.* 543. Comitari nautas fuga. *Id.* 6. *ibid.* 612. iter alicujus. *Id.* 11. *ibid.* 51. Nos juvenem exanimum vano comitamur honore. *Id.* 11. *ibid.* 61. supremum honorem. *Id.* 1. *G.* 346. hostiam. *Curt.* 3. 19. Virgines cum parvo filio comitabantur patrem. *Id.* 5. 6. 15. fugientes. *Id.* 5. 13. 16. parricidas. Adde *eumd.* 6. 5. 4. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (63). funerantium more exsequias. *Sil. It.* 3. 180. vocantem. *Stat.* 8. *Theb.* 590. bellum. *Gell.* 4. 18. Concio Scipionem in Capitolium comitata. *Sueton. Gramm.* 23. Comitari herilem filium in scholas. *Id. ibid.* 3. aliquem in exsilium. *Id. Tib.* 6. currum Augusti triumpho. *Id. Domit.* 2. triumphum equo. Adde *eumd. Cal.* 10. — *c*) *Comitari cum aliquo* minus Latine dicitur. Legitur enim in Inscriptione inferioris ævi apud *Reines. cl.* 14. *n.* 171., quod et ipse *Reines.* admonuit.

II.) Translate usurpatur de inanimis et abstractis, et significat una esse, conjunctum esse. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 60. An est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia? *Virg.* 4. *Æn.* 48. Teucrûm comitantibus armis Punica se quantis attollet gloria rebus! *Ovid.* 3. *Fast.* 865. Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem Desilit. *Tac. Agric.* 5. Ad spem consulatus revocatus est comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari. — *b*) Cum Dativo personæ aut rei, quacum aliquid eam assectans conjungitur. *Cic.* 2. *de republ.* 21. 44. Etenim illi injusto domino atque acerbo aliquandiu in rebus gerendis prospere fortuna comitata est. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 68. Tardis enim ingeniis virtus non facile comitatur. *Id.* 5. *ibid.* 35. 100. Cetera, quæ comitantur huic vitæ. — *c*) Cum Accusativo personæ aut rei. *Curt.* 8. 19. 5. Hominem consequitur aliquando, numquam comitatur divinitas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (121). Comitatur fama unionis ejus parem etc. *Quintil.* 9. 4. 7. Quando comitetur semper artem decor. *Dig.* 45. 1. 126. § 1. Qui (*usus fructus*) proprietatem comitatur. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 243. Superbia comitatur honores.

COMMA, ătis, n. 3. κόμμα. ¶ 1. Est vox Græca idem significans, quod *incisum* Latine, hoc est partem periodi minorem: a κόπτω *cædo*: unde *Capell.* 5. p. 173. Quæ multis constat ex membris, quæ κῶλα Græci dicunt; et ex cæsis, quæ κόμματα appellant. Græce scribitur a *Cic. Orat.* 62. 211. et 66. 223., et *Quintil.* 9. 4. 22. Latine autem aliquoties a *Quintil.* 1. 8. 6. (ubi quid sint *commata sotadeorum*, V. *Spalding. ibid.* p. 197.), *Diomed.* 2. p. 460., *Valer. Probo*, *Donato*, et aliis Grammaticis. — Præterea *commata* vocantur signa, quibus in scribendo utimur ad incisa distinguenda. *Donat.* p. 1742. *Putsch.* At cl. *Furlanetto* in 1.ª *Append.* hæc recte adnotavit: Nequaquam ita intelligenda est *ibid.* vox *comma*, incisum enim ibi etiam significat. — *Comma* est etiam idem ac tome, (quam vocem *V.*) et significat partem alicujus versus, ut primam partem illius versus Priapei, *Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Priape*, apud *Terentian. de metris* p. 2411. *Putsch.* Sed de commatibus tradunt constare duobus. — ¶ 2. Sunt etiam in versu *commata*, et fere sunt, quas alii vocant *cæsuras*, cum scilicet post pedem, aut pedes dimetiendo syllaba superest, nec sententia absoluta est. Nam si sit absoluta, *colon* dicitur. (quamquam aliquando promiscue unum pro altero sumitur). *Valer. Prob.* 1. p. 1390. *Putsch.*, *Beda de metris ibid.* p. 2396., *Mar. Victorin.* 1. *ibid.* 2478. etc. — Hucusque cl. *Forcellinus*. At res aliter se habere videtur. Nam *Pompej. gramm.* p. 413. Colon dicitur (ait), quotiescumque integri pedes determinant sensum. Ergo optimus *omnium* colon est. *Arma virumque cano* comma vocaverunt. His consonat *Atil. Fortunat.* p. 2689. *Putsch.* Colon est pars, sive partes versus integris pedibus impletæ, ut *Defecisse videt sua*; habet enim tres pedes similes. Comma pars versus sive partes imperfectæ, ut *Arma virumque cano*; habet enim duos integros pedes et dimidium. Et colon dictum quasi a corpore abscissum integrum membrum: comma vero, quasi trunca pars membri a corpore amputata. Idem confirmare videtur *Sidon.* 9. *Ep.* 16. *in carm.* elegos frequenter Subditos senis pedibus rotavi Commate bino. *h. e.* pentametros duplici commate constantes. ¶ 3. Comma est etiam incile, seu fossa ad latus fluminis ad aquam derivandam. *Ulp. Dig.* 47. 11. 10. Commata etiam et diacopi, qui in aggeribus fiunt, plecti efficiunt eos, qui admiserint. *Chomata* exhibent editiones, et scio nonnullos ad voc. *comma* traxisse, quæ de Nili aggeribus dixit *Id. Ulp. ibid.* (*V.* CHOMA): at in loco mox allato, cum *commata* in *aggeribus* fieri dicantur, aliud certe significant, ac *choma*, h. e. agger. Ceterum viderint eruditi.

COMMĂCERO, as, are, a. 1. (cum et macero). Part. *Commaceratus* II. — Commacero est idem ac macero.

I.) Proprie. *Marcell. Empir.* 36. *ad fin.* Commacerare aliquid in aqua pluviali. — *Strabo Gall.* 14. Pistillo lilia præstat Commacerare gravi. *h. e.* terere: at nimis licenter hic secundam syllabam corripit.

II.) Translate. *Ambros. de Isaac et anim.* 3. *ad med.* Considera animam commacerari quod sero (*Dominus*) veniat et affligi. *Id. in Luc.* 5. 6. Æterno fidei commaceratus jejunio.

COMMACESCO, is, ere, n. 3. (cum et macesco) idem quod macesco. *Varro* apud *Non.* p. 137. 3. *Merc.* Noster Atticus iturus in curiam commacescebat. *Al. leg.* cum macore accedebat: *quod magis est vero simile: quia Non. ibi de macore agit. V.* MACESCO.

COMMĂCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMMĂCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* maculo). Part. *Commaculatus* I. et II. — Commaculo est idem quod maculo, aut valde maculo.

I.) Proprie. *Virg.* 8. *Ecl.* 47. Commaculare manus sanguine. *Tac.* 1. *Ann.* 39. Sanguine suo altaria deûm commaculare. *Paulin. Nolan.* 6. 165. Commaculatus sanguine.

II.) Translate. *Cic. Cæl.* 7. 16. Commaculare se infinito ambitu. *Sall. Jug.* 102. se cum Jugurtha miscendo. *Pseudo-Sall. de repub. ordin.* p. 186. 12. *Orell.* laudes bonorum flagitiis. *Stat.* 11. *Theb.* 751. occursu dum non pia templa, domosque Commacules. *Tac.* 16. *Ann.* 32. Flagitiis commaculati. *Cod. Theod.* 3. 12. 3. Commaculare se consortiis aliquorum. *Id.* 3. 16. 2. viduitatem stupri procacitate. — Absolute. *Sall. or. Lep.* p. 160. 2. *Orell.* Commaculati satellites.

COMMĂDEO, es, ere, n. 2. (cum *et* madeo) idem quod madeo, vel prorsus madeo. *Cato R. R.* 156. Coquito, usque donec ea commadebit bene.

COMMĂGĒNE, es, f. 1. Κομμαγηνή, Syriæ regio juxta Euphratem fluvium, de qua *V.* ONOM. — Est etiam hoc nomine herba (fortasse nardus Syriaca, inquit *Harduin.*) in Commagene proveniens, a qua Commagenum medicamentum denominatur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 13. (55). *V.* voc. seq.

COMMAGĒNUS, a, um, adject. ad Commagenen Syriæ regionem pertinens: *V.* COMMAGENUS in ONOM. — Hinc *Commagenum medicamentum* a Commagenis inventum, constat adipe anserum, cinnamo, casia, pipere albo, et Commagene herba; obrutis nive vasis, odore jucundo; utilissimum ad perfrictiones, convulsiones, cæcos et subitos dolores, omniaque quæ acopis curantur: unguentum pariter et medicamentum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 13. (55). et 10. *ibid.* 22. 28. (55).; et *Pompon. Dig.* 34. 2. 21. § 1. — Etiam *Commagina*, scilicet *herba*, scribitur apud *Plin. Valer.* 2. 28. *sub init.* Galla cum commagina comburitur, cinis ejus extinguitur vino, illinitur ventri. *Nisi forte hic mendum sit pro* Galla commagena, *de qua* Plin. 16. Hist. nat. 7. 9. (27).

COMMĂGISTER, tri, m. 2. qui simul cum alio magister est. *Inscript.* ann. 1844. in *Transilvania* reperta, et in Mus. urbis *Pesth* reposita, hæc habet: IVLIVM IVLII QVOQVE COMMAGISTRVM SVVM EX DIE MAGISTERII SVI NON ACCESSISSE AD ALBVRNVM etc. Hæc pertinet ad ann. a Chr. n. 168. Ita cl. *Furlanetto* in 1.ª *Append.*

COMMĂLAXO, as, are, a. 1. (cum *et* malaxo) Part. COMMALAXATUS I. — Commalaxare proprie est tenerum ac mollem reddere.

I.) Proprie. *Pelagon. Veterin.* 11. 7. Cyclaminis radices, cineres cum farina ervi, melle adjecto, commalaxata atque ita imposita prosunt. *Id. ibid.* 12. 2. Cum radicibus cucumeris silvatici melle commalaxatis.

II.) Translate ponitur pro subigere, exercere, maturare. *Varro apud Non.* p. 82. 11. *Merc.* Philosophia commalaxat eam partem. Cf. *eumd.* 6. *L. L.* 96. *Müll. Aggen.* in *Frontin. de controv.* p. 68. *Goes.* Per longum tempus attigui possessores vacantia loca, quasi invitante loci opportunitate, invaserunt, et per longum tempus impune commaluerunt. *Goes.* mallet *convoluerunt* vel *commalaxarunt*.

COMMALLEŎLO, as, are, a. 1. *Hygin. de limit. constit.* p. 195. *Goes.* Quicunque modus limitem excedet, commalleolari debebit. *h. e.* præcidi, secari, ut videtur. Sed alii leg. *commallari*, alii *convallari*: (*V.* et in fine voc. præced.). Quidquid illud sit, barbariem sapit.

COMMANDO, dis, sum, dere, a. 3. (cum *et* mando). Part. *Commansus*. — Commando est commanduco. *Seren. Sammon.* 36. 684. myrti frondes commandere potest. *Marcell. Empir.* 8. Radix rutæ commansa.

COMMANDŪCĀTIO, ōnis, f. 3. actus commanducandi. *Scribon. Compos.* 53. Dolor dentium sedandus commanducatione. *Id. ibid.* 104. Commanducatio olivarum contusarum.

COMMANDŪCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMMANDŪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* manduco). Part. *Commanducans*, *Commanducatus* et *Commanducandus*. — Commanduco est idem quod manduco, mando, vel mandendo vehementer tero. *Val. Max.* 3. 3. *extern.* 4. Dentibus abscisam et commanducatam linguam in os ejus ira patens expuit. *Scribon. Compos.* 9. Pyrethri radiculam commanducare. *Id. ibid.* 165. Commanducandus pastillus. *Id. ibid.* 53. Portulaca commanducata. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 6. (12). Ulcera visco commanducato et imposito sanari. *Id. ibid.* 4. 6. (11). Quidam commanducantes acinos, expuunt cortices. *Id.* 25. *ibid.* 13. 105. (165). Commanducantur et plantaginis radices.

COMMANDŪCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem quod commanduco, sed occurrit figurate solummodo. *Lucilius* apud *Non.* p. 81. 26. et p. 479. 2. *Merc.* Ipsum Commanducatur totum complexa, comestque. *Id.* apud *eumd.* p. 123. 27. mediastinum atque bubulcum Commanducatus corrupit.

COMMĂNEO, es, ere, n. 2. (cum *et* maneo). Part. *Commanens*. — Commaneo est idem quod maneo, vel semper maneo. *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. Qui in domo commanent. Adde *Cod. Theod.* 7. 8. 1. *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 8. Commanere aliquo loco. *Cassiod.* 8. *Variar.* 31. Philomela inter commanentium turbas pullos nutrit intrepida.

COMMANICULARIUS. *V.* COMMANIPULARIUS.

COMMĂNĬFESTO, as, are, a. 1. (cum *et* manifesto) simul manifesto. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 2. p. 707. Si non manifesta est contrarii oratio et hoc, quod dicitur, quæ bene assignantur, contrarias commanifestant.

COMMĂNĬPŬLĀRIS, is, m. 3. (cum *et* manipulus) commilito, qui est ex eodem manipulo. *Tac.* 4. *Hist.* 46. Prensare commanipularium pectora. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 521. 9.; item aliam apud *Murat.* 2034. 6., quæ est apud *Orell.* 3555., ubi est *commaniplaris*.

COMMĂNĬPŬLĀRĬUS, ii, m. 2. commanipularis. Legitur in *Inscript.* (non tamen optimæ notæ) apud *Reines. cl.* 8. *n.* 74., at in eadem apud *Gud.* 146. 1. legitur mendose *commanicularius*.

COMMĂNĬPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. societas commanipularium. Occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu, pro commanipularium contubernio. *Spartian. Nig.* 10. Ut tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret.

COMMĂNĬPŬLO, ōnis, m. 3. (cum *et* manipulus) socius manipularis, miles in eodem manipulo. *Spartian. Nig.* 10. Decem commanipulones securi percuti jussit.

COMMĂNĬPŬLUS, i, m. 2. idem quod commanipulo. *Inscript.* apud *Gruter.* 517. 9. *et* 532. 1. COMMANIPVLVS ET HERES EIVS etc. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 3557., et aliam apud *Henzen.* 6846. Alia apud *Gruter.* 46. 10. REGRESSI CVM COMMANIPVLIS LIBENTES VOTVM SOLVERVNT. — Contracte *commaniplus* apud *eumd. Gruter.* 551. 4. FLORVS COMMANIPLVS EIVS. V. et COMMANUCULUS.

COMMANSUS, a, um. *V.* COMMANDO.

COMMANUCULUS, i, m. 2. idem ac commanipulus. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 200. CENTVRIONES CVM COMMANVCVLIS SVIS. Pertinet hæc inscriptio ad an. a Chr. n. 205. At commanuculus videtur esse error lapidicidæ, aut exscriptoris pro *commanipulus*.

COMMARCĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (cum *et* marceo) est idem quod marceo vel omnino marceo; sed occurrit figurate tantummodo et est langueo, segnis fio, paulatim tabesco. *Ammian.* 17. 10. 1. Bellicosus ante hæc et industrius repente commarcuit. *Id.* 31. 12. 13. Ut miles fervore calefactus æstivo, siccis faucibus commarceret.

COMMARGĬNO, as, are, a. 1. (cum *et* margino) idem quod margino, margine munio. *Ammian.* 31. 2. 2. Commarginare pontes.

COMMARĪTUS, i, m. 2. qui simul maritus est, qui eadem muliere abuti cupit, quæ alii despondit. *Plaut. Cas.* 4. 2. 18. Compar, commaritus, villicus.

COMMARTYR, ўris, m. 3. socius in martyrio. *Tertull. Anim.* 55. Solos hic commartyres suos vidit.

COMMASCŬLO, as, are, a. 1. (cum *et* masculus) quasi dicas masculum ac virilem facere, corroborare. *Apul.* 2. *Met.* His cognitis animum meum commasculo. *Macrob.* 7. *Saturn.* 11. Commasculare frontem.

COMMASTĪCO, as, are, a. 1. (cum et mastico) est simul mastico. *Æmil. Macer. de camomilla* 36. Ægilopas curat, si quis commasticet illam. *Id. de thure* 25. Origano junctum si quis commasticet ipsum.

COMMATĬCUS, a, um, adject. κομματικός, brevis, per commata, hoc est incise membratimque conscriptus. *Sidon.* 4. *Ep.* 3. Hymnus commaticus, copiosus, dulcis, elatus. *Id. carm.* 23. 450. At si dicat epos, metrumque rhythmis Flectat commaticis, tonante plectro, Mordacem faciat silere Flaccum. *Hieronym. Scriptor. eccles.* in *Theotimo.* Veteris eloquentiæ breves commaticosque tractatus edidit. *Id. præfat. in Ep. ad Galat.* Origenes decimum Stromatum suorum librum commatico super explanatione ejus sermone complevit. *Id. præfat.* in *XII. Proph.* Osee commaticus est et quasi per sententias loquens.

COMMĀTRŌNA, æ, f. 1. *Tertull.* 2. *ad uxor.* 8. Dives aliqua est commatronæ nomine inflata. *Al. rectius leg.* matronæ.

COMMĀTŪRESCO, escis, ŭi, escere, n. 3. (cum et maturesco) omnino maturesco, ad plenam maturitatem pervenio. *Colum.* 12. *R. R.* 41. 7. Est et illa probata compositio, ut, cum muria dura pausea alba ubi commaturuerit, omne jus defundatur, etc. Ita edidit *Schneiderus* ex *Cod. Sangermanensi* pro *maturuerit*, quod dederat *Gesnerus.*

COMMEĀBĬLIS, e, adject. (commeo) commeando vel transeundo aptus. ¶ 1. Active est qui ultro citroque commeat. *Arnob.* 7. 28. Quidquid reciprocos halitus auris commeabilibus ducit. ¶ 2. Passive, qui facile pertransiri potest. *Id.* 2. 59. Venæ fistulatæ, et commeabiles. Adde *eumd.* 3. 13.

COMMEĀTĀLIS, e, adject. ad commeatum pertinens. *Commeatalis miles*, teste *Gothofredo*, dicitur is, cui in stipendii partem dantur alimenta ex commeatu atque alimento publico. Legitur apud *Justinian. Cod.* 1. 27. 2. § 9., ubi est qui putat legendum *commentilis*. Sed nihil mutandum; etenim apud *Cassiod.* 7. *Variar.* 36. in *lemmate* legitur *Formula commeatalis*, qua scilicet commeatus alicui in provincias conceditur. Hucusque cl. *Furlanetto.* At in *Cod.* tum *loc. cit.*, tum 12. 38. 16. § 2. et seqq. *Commeatales, ium*, m. plur. 3. absolute, substantivorum more, usurpantur; et videntur esse milites, qui commeatus, h. e. exercitus cibos et alia usui necessaria, ex alio in alium locum ferenda, tuendi causa comitabantur.

COMMEĀTĬO, ōnis, f. 3. commeandi actus, itio, iter. *Ennod.* 6. *Ep.* 30. Quorum commeationem vos ignorasse non credidi.

COMMEĀTOR, ōris, m. 3. qui hac illac commeat. *Apul.* 11. *Met.* et *Apolog. de Mercurio.* Ille superum commeator, et inferum.

COMMEĀTUS, us, m. 4. actus commeandi, transitus. ¶ 1. Generatim raro admodum occurrit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 64. In eo conclavi ego perfodi parietem, qua commeatus clam esset hinc huic mulieri. Cf. *eumd. ibid.* 2. 5. 58. et *Stich.* 3. 1. 44. *Dig.* 43. 8. 2. § 25. Si viæ publicæ exemptus commeatus sit. *Pallad.* 1. *R. R.* 3. Fauces commeatum liquidæ vocis exercent. ¶ 2. Sæpius speciatim usurpatur et est militare verbum, quod tria præcipue significat: ac primo quidem sumitur pro facultate et venia, quæ datur militibus discedendi ab signis ad certum tempus, ut docent *Festus* p. 277. 26. *Müll.*, *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 1. 2. 100. et *Cod. Theod.* 7. 12. 1. Usurpatur autem — *a*) Stricto sensu in re militari. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 62. Quos (nummos) qui dederat, commeatum totius æstatis abstulerat. *Id. ibid.* 43. 111. In commeatu remanere alicubi. *Id.* 1. *Herenn.* 14. 24. Qui ad diem commeatus non venit, quod eum aquæ interclusissent. *Liv.* 1. 57. In his stativis – satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis, quam militibus. *Id.* 3. 46. et 43. 11. Dare commeatum alicui. *Id.* 23. 18. Dilabi sine commeatibus. *Id.* 3. 24. Esse frequentem ad signa sine ullo commeatu. *Id.* 33. 29. Esse in commeatu. *h. e.* abesse ab exercitu. *Id.* 3. 46. Sumere commeatum. *Vellej.* 2. 11. 2. Cum, commeatu petito, Romam venisset. Adde *Sueton. Tib.* 10. et *Ner.* 35. *Sueton. Tib.* 72. et *Dig.* 4. 6. 35. § 9. Abesse commeatu. *Sueton. Claud.* 16. Excedere Italia sine commeatu. *Id. Cal.* 29. Commeatus alicui propagatur. *Id. Tib.* 12. Repetere castra a commeatu. *Tac.* 15. *Ann.* 10. Quintam legionem procul habebat, reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat. *Id.* 1. *Hist.* 46. Sparsa pars manipuli per commeatus. *Plin.* 3. *Ep.* 4. Commeatum accipere. *Quintil.* 7. 4. 14. Adesse ad commeatus diem. *Paul. Dig.* 49. 16. 14. Commeatus spatium excedere. *Ibid.* 50. 1. 2. § 6. Ultra commeatum abesse. *Ulp. ibid.* 50. 1. 22. Qui liberum commeatum impetraverunt. *h. e.* ubi velint morandi arbitrium, ut ibi exponitur. — *b*) Latiori sensu extra rem militarem. *Cic.* 13. *Att.* 41. *in fin.* Cras igitur, nisi quid a te commeatus. *Alii tamen aliter legunt. Vellej.* 2. 99. 2. Commeatum acquiescendi a continuatione laborum petiit. *Seneca Ep.* 54. Longum mihi commeatum dederat mala valetudo: repente me invasit. *Id.* 3. *Quæst. nat. præfat. ad fin.* Assidua servitus sine intervallo, sine commeatu. ¶ 3. Secundo, item in re militari, est copiarum, impedimentorum aliarumque rerum ex uno in alium locum terra marive translatio. *Cæs.* 5. *B. G.* 23. Quod – nonnullæ tempestate perierant naves, duobus commeatibus exercitum reportare instituit. *Auct. B. Afr.* 34. Allienus secundum commeatum mittit ad Cæsarem. Adde *eumd.* 36. *Sueton. Ner.* 20. Alexandrini, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant. Cf. *Tac.* 13. *Ann.* 39. *Id. Tac.* 14. *ibid.* 33. Londinium – copiâ negotiatorum et commeatuum insigne. *Sueton. Tib.* 38. Commeatibus per municipia ac colonias dispositis. Similiter *Apul.* 8. *Met.* Canes – per omnem nostrum commeatum morsibus ambulare. ¶ 4. Tertio denique, item in re militari. — *a*) Sæpissime ponitur pro annona exercitus, vel urbis, vel etiam privatorum, quæ aliunde commeando comportatur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 70. Commeatum inimicis intercludere. Adde *Sueton. Aug.* 16. Rursus *Plaut. Epid.* 3. 2. 7. Importare commeatum in coloniam. *Q. Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 17. 2. Magno commeatu prædaque ingenti copiari. *Cic.* 7. *Verr.* 21. 52. Foro et commeatu populum Romanum jurare. Adde *Dig.* 48. 4. 4. Rursus *Cic. pro leg. Manil.* 17. 53. Cum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibebamur. *Cæs.* 3. *B. C.* 23. Commeatibus nostros intercludere instituunt. *Id.* 2. *ibid.* 9. Sustinere commeatus. *h. e.* annonæ copiam. *Id.* 3. *ibid.* 2. Petere commeatum. *Nepos Phoc.* 2. Privare civitatem commeatibus. Adde *eumd. Miltiad.* 7. *Sall. Cat.* 58. Commeatus abunde. *Id. Jug.* 43. Commeatus affatim. *Id. ibid.* 28. Commeatus parare. *Id. ibid.* 36. Commeatum in Africam portare. *Id. ibid.* 75. Commeatus spes. *Id. ibid.* 86. Commeatu naves onerare. *Liv.* 28. 4. Commeatus frumenti. *Id.* 5. 54. Commeatus maritimi. *Id.* 2. 14. Commeatum convehere. *Id.* 9. 32. et 22. 22. advehere. *Id.* 2. 23. et 9. 15.; et *Curt.* 4. 9. 8. subvehere. *Liv.* 7. 37. Multitudo suis commeatibus gravis. *Id.* 7. 39. In commeatus mittere. *Id.* 4. 52. Maximos commeatus Tiberis devehit. *Curt.* 4. 2. 2. Commeatum large et hospitaliter adducere. *Id.* 4. 10. Commeatuum copia. *Sueton. Cal.* 43. Contrahere omnis generis commeatum. *Tac.* 11. *Ann.* 10. Urbem commeatibus firmare. *Id.* 12. *ibid.* 43. Commeatus legionibus portare. — *b*) In hac significatione interdum ita sumitur pro alimentis, ut frumentum non comprehendat: significat autem cibos et alia usui necessaria, quæ secum milites humeris vel jumentis comportant. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 69. Qua cibatus commeatusque ad te et legiones tuas tuto possit pervenire. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. At Cæsaris exercitus – commeatus omni genere præter frumentum abundabat. *Id.* 3. *B. G.* 23. Supportare frumentum et commeatum. *Id. ibid.* 6. Frumenti commeatusque inopia. *Id.* 1. *ibid.* 39. Rei frumentariæ commeatusque causa. Adde *eumd. ibid.* 48. *Sall. Jug.* 50. Parati frumentum dare, commeatum portare. Adde *Inscript.* apud *Marin. Difesa dei Corsini* p. 140. P. AELIO FELICISSIMO QVI COMMEATUM PERCEPIT SVB LOLLIO VRBICO *præfecto* VRBIS. Hinc apud *Capitolin. M. Aurel.* 7. Frumentaria perceptio. — c) Figurate de aliis rebus. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 9. Proficisci in commeatum argentarium. *h. e.* ad quæstum faciendum.

COMMĔDĬTOR, āris, ari, dep. 1. (cum *et* meditor) valde meditor, rem aliquam tota mente comprehendo.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Herenn.* 18. 31. Locos egregie commeditari oportebit, ut perpetuo nobis hærere possint. *Orellius* cum plerisque ita legit: alii aliter.

II.) Figurate de inanimis est exercere, imitari, reddere. *Lucret.* 6. 111. Carbasus ut quondam magnis intenta theatris – fragiles sonitus chartarum commeditatur. *Sed hic quoque alii aliter.*

COMMĔJO, is, ere, a. 3. (cum et mejo) idem quod mejo. *Commejo lectum*, et *mejo* habet *Charis.* 5. p. 261. *Putsch.*, nulla tamen adducta scriptoris Latini auctoritate.

COMMELĔTO, as, are, a. 1. hybrida vox ex cum et Gr. μελετᾶν, idem quod *commeditari. Hygin. fab.* 125., ubi *de Marsya.* Tibiis assidue commeletando, sonum suaviorem in dies faciebat. *V.* MELETOR.

COMMEMBRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *commembro*, compactus, conjunctus. *Paulin. Nolan. Ep.* 44. (*al.* 31.) 4. Commembrata in Domini corpore fidei compago.

COMMĔMĬNI, isti, isse, verb. defect. (cum et memini) simul memini, vel idem quod simplex memini, vel potius bene memini. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Truc.* 1. 2. 17. DIN. Me illis quidem hæc verberat verbis, nam ego huic dona adcongessi. AST. Commemini. Adde *eumd. Pers.* 2. 1. 8. *Ter. Eun.* 3. 5. 16. Sic commemineram. *Id. Phorm.* 3. 2. 38. Ego si satis commemini. *Ovid.* 3. *Fast.* 792. Itur ad Argeos (qui sint, sua pagina dicet) Hac, si commemini, præteritaque die. — *b*) Addita re, quam quis bene meminit, et quidem — Per Accusativum. *Plaut. Amph.* 1. 1. 98. Hoc, adeo hoc commemini magis, quia illo die impransus fui. Adde *eumd. Curc.* 4. 2. 7., *Mil. glor.* 3. 3. 40. et *Pœn.* 3. 4. 16. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 227. Quem hominem probe nosse, et commeminisse se, ajebat. *Id.* 1. *Tusc.* 6. 13. Ego autem non commemini, antequam natum, me miserum. — Item cum Accusativo quantitatis, ut Grammatici dicunt. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 25. Ecquid commeministi Punice? — Per Genitivum. *Plaut. Trin.* 4. 3. 20. Non fugitivus est hic homo, commeminit domi. — Per Relativum. *Id. Truc.* 4. 3. 4. Commemini, quo quidque pacto sitis confectam, scio. — Per Infinitum præs. *Id.*

Curc. 5. 3. 32. RH. Promistin', – te omne argentum redditurum? CA. Non commemini dicere. Adde eumd. *Men.* 5. 9. 15. et *Mil. glor.* 3. 1. 49.

COMMĔMŎRĀBĬLIS, e, adject. dignus commemoratione, memorabilis. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 111. Pugna clara et commemorabilis. *Cic. Marcell.* 4. 10. Vir optimus, et commemorabili pietate ac virtute præditus. *Id.* 2. *Nat. D.* 52. 131. Multa commemorabilia proferre.

COMMĔMŎRĀMENTUM, i, n. 2. (commemoro) mentio. *Cæcilius Statius* apud *Non.* p. 84. 5. *Merc.* Pudebat, credo, commemoramentum stupri. *Fronto* (edente iterum Romæ *A. Maio*) p. 224. de *Arione.* Cantare orditur mari et cælo artis suæ supremum commemoramentum.

COMMĔMŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. commemorandi actus, mentio. Occurrit autem — *a*) Raro admodum absolute. *Ter. Andr.* 1. 1. 16. Istæc commemoratio quasi exprobratio beneficii est. — *b*) Sæpius objective, uti ajunt, seu cum Genitivo rei, cujus mentio fit. *Cic.* 2. *Verr.* 39. 101. Qui (*Verres*) – non in oblivione jacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset. *Id. Arch.* 11. 29. Non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri. *Id. Orat.* 34. 120. Commemoratio antiquitatis. *Id.* 4. *Verr.* 78. 192. fortitudinis. *Id.* 6. *ibid.* 55. 123. hominum. *Id.* 10. *Fam.* 5. 1. paternæ necessitudinis. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 12. § 36. virtutis. *Quintil.* 5. 11. 6. rei gestæ. Adde eumd. 11. 1. 18. *Tac.* 13. *Ann.* 3. liberalium artium. *Dig.* 22. 3. 31. pecuniarum in chirographo. — *c*) Raro admodum subjective, uti ajunt, seu cum Genitivo ejus, qui rem aliquam meminit. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 1. Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quamdam immortalitatis rapit: sed etiam etc. Cf. *Id. Planc.* 40. 95. Aliquid tua commemoratione celebrare.

COMMĔMŎRĀTOR, ōris, m. 3. qui commemorat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 26. Commemorator, non obliterator vetustatum.

COMMĔMŎRĀTŌRĬUM, ii, n. 2. quod inservit rei in mentem revocandæ. *Ambros.* 1. *Offic. Ministr.* 25. *init.* Sit igitur nobis vita majorum disciplinæ speculum, non calliditatis commemoratorium; imitandi reverentia, non disputandi astutia. *Barth.* cum aliis ita legit: *Maurini* tamen editores habent *commentarium.*

COMMĔMŎRĀTUS, a, um. *V.* COMMEMORO.

COMMĔMŎRĀTUS, us, m. 4. commemoratio. *Apul. Florid.* 1. n. 16. Quibus verbis gratias habiturus sum commemoratu meo? *h. e.* ego commemorando?

COMMĔMŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et memoro). Part. *Commemorans. Commemoratus* et *Commemorandus* 2. *a.* — Commemoro est in memoriam revoco, mentionem facio (It. *rammemorare, far menzione*; Fr. *rappeler à la mémoire des autres ou à la sienne*; Hisp. *recordar, traer à la memoria*; Germ. *etwas in's Gedächtniss zurückrufen, einer Sache gedenken*; Angl. *to mention, make mention of*). Occurrit ¶ 1. Raro admodum de eo, qui aliquid secum ipse in memoriam revocat ac mente revolvit. *Cic. Senect.* 11. 38. Quid quaque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Adde eumd. 6. *Fam.* 22. 1. et *Sueton. Aug.* 45. ¶ 2. Sæpius usurpatur de eo, qui coram aliis aliquid in memoriam revocat, dicit, narrat: et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 36. Nunc ab hero ad herum meum majorem venio fœdus commemoratum. *Id. ibid.* 4. 7. 88. Chlamydem hanc commemores, quanti conductast. *Ter. Eun.* 5. 8. 14. Quid commemorem primum aut laudem maxime? *Cic.* 3. *Off.* 6. 31. Consulens ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati. *Id. Amic.* 20. 71. Beneficia meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. *Id. Quinct.* 2. 8. Nam quid hoc indignius aut iniquius commemorari potest? *Id.* 1. *Verr.* 14. 42. O commemoranda judicia præclaramque existimationem ordinis nostri! Adde eumd. 1. *Fam.* 9. 18. *Catull.* 64. 116. Sed quid ego a primo digressus carmine plura Commemorem? *Justin.* 11. 2. Refugia salutis suæ et unica præsidia commemorans. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Liv.* 27. 4. amicitiam commemorare et renovare. *Lucret.* 1. 401. argumenta. *Cic.* 4. *Fam.* 4. 2. et *Cæs.* 3. *B. C.* 66. causas. *Cic.* 7. *Verr.* 47. 125. cognationem verbis. *Stat.* 9. *Theb.* 194. damna. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 12. dicta. *Id.* 6. *Verr.* 52. 115. direptionem urbis. *Quintil.* 10. 1. 82. jucunditatem Xenophontis. *Plaut. Truc.* 4. 4. 29. nomen. *Tac.* 6. *Ann.* 5. officia. *Cic. Parad.* 6. 1. § 42. pecuniam. *Ovid.* 12. *Met.* 162. pericula exhausta. *Id.* 9. *ibid.* 4. prælia sua. *Cic.* 6. *Verr.* 60. 135. quæ visenda sunt. *Lucret.* 6. 938. res. — Passive. *Cic. Dejot.* 14. 40. Quæ (*tuæ clementiæ monumenta*) si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. *Nepos præfat.* § 1. Commemorari aliquid in virtutibus alicujus. *Nazar. Paneg. Constantin.* 8. Incrementum felicitatis est malorum commemorata depulsio. — Deponentis forma. *Augustin. enarrat. in Psalm.* 54. Homines malos, quos patitur, commemoratus est. *Al. leg.* commemoraturus. *Vulgat. vet. Ital. Tob.* 4. 3. Commemorare enim, fili, quanta pericula viderit, cum te pareret. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 160. Critolaum istum, quem simul cum Diogene venisse commemoras, etc. Adde *Nepot. Alcib.* 2. — *c*) Cum Relativo. *Plaut. Cist.* 1. 1. 67. Quid id? unde est tibi cordolium? commemora, obsecro. *Ter. Phorm.* 4. 5. 3. Cui dem, quamobrem dem, commemorabo. *Id. ibid.* 5. 8. 42. Quid ego commemorem singillatim, qualis, etc. Adde *Nepot. Att.* 21. — *d*) Cum Ablativo et præpositione de. *Cic. Fontej.* 14. 30. Illi, de quibus antea commemoravi. Adde eumd. *Rabir. perd.* 9. 24.; et *Nepot. Dion.* 6. Rursus *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 72. Similiter a nobis de antiquis philosophis commemorari, atque seditiosi solerent claros viros – nominare. *Id.* 3. *Orat.* 20. 75. Metrodorus, de cujus memoria commemoravit Antonius. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 37. Omnes de tua virtute, integritate, humanitate commemorant. *Nepos Hann.* 2. Alicui multa de fide sua et odio in Romanos commemorare. *Id. Att.* 17. Plura de alicujus pietate.

COMMENDĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Commendabilior* sub *a.* — Commendabilis est qui commendari potest, commendatione dignus: et occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 37. 7. *extr.* Quæ commendabilia apud Africanum erant. *Trebell. in XXX. Tyrann.* 16. Quare commendabiliorem (*eum*) patri fecerat. Adde *Nazar. Paneg. Constant.* 12. — *b*) Addito Ablativo rei, ob quam quis commendatione dignus est. *Liv.* 42. 5. Perseus multis cædibus infamis, nec ullo commendabilis merito. *Val. Max.* 9. 1. 2. Aviculæ cantu commendabiles. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 37. Densum arbustum commendabile est fructu et decore. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 18. (62). Commendabilis succo ex austero dulci.

COMMENDĀTĪCĬUS *vel commendatitius*, a, um, adject. Ratione habita scriptionis, legitur et *commendatitius*; at *commendaticius* præstat, atque ita edidit *Torrentin.* et *Pandect. Florentinis Dig.* 41. 1. 65. — Commendaticium est id, quo quis, vel quid commendatur, ut commendaticiæ litteræ apud *Cic.* 5. *Fam.* 5. 1. Statueram nullas ad te litteras mittere, nisi commendaticias. Adde *Dig.* 41. 1. 65. *pr. Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. Commendaticiæ tabellæ. — Hinc

Commendaticiæ, ārum, f. plur. 1. absolute, substantivorum more, sunt *litteræ* commendaticiæ. *Augustus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Accipe commendaticias, quia illic neminem nosti.

COMMENDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus commendandi (It. *raccomandazione*; Fr. *recommandation*; Hisp. *recomendacion*; Germ. *Empfehlung*; Angl. *commendation*). Occurrit ¶ 1. Abstracte, sive pro ipso commendandi actu. — *a*) Absolute et quidem singulari numero. *Cic.* 12. *Fam.* 26. 2. Scio enim quantum ponderis mea commendatio sit habitura. *Id. ibid.* 29. 3. Ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. *Id.* 1. *ibid.* 3. 2. Ut intelligat, meam commendationem non vulgarem fuisse. *Id.* 12. *ibid.* 26. 2. Caput est meæ commendationis, ne patiare etc. *Id.* 13. *ibid.* 17. 3. Commendatio accurata. *Id.* 1. *ibid.* 7. 9. magna. *Id.* 2. *Off.* 13. 46. prima. *Id.* 5. *Tusc.* 36. 103. in vulgus. *Id.* 12. *Fam.* 26. 1. Egere commendatione. Adde *Quintil.* 9. 4. 128. Rursus *Cic.* 7. *Fam.* 18. 1. Commendationem renovare. Adde eumd. 13. *ibid.* 15., 16., 26., 30., 33., 34. etc. et alibi sæpe. *Catilina* apud *Sall. Cat.* 35. Fiduciam tribuere commendationi. *Plin.* 10. *Ep.* 3. Quibus singulis multum commendationis accessurum etiam ex meis precibus indulgentiæ tuæ credo. *Quintil.* 9. 1. 21. Facit aliquid ad commendationem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (240). Brevis commendatio. Huc pertinet et illud ejusd. 15. *ibid.* 3. 4. (16). Olivæ oleo suo condiuntur sine arcessita commendatione. Cf. eumd. 13. *ibid.* 1. 1. (2). — *b*) In plurali numero. *Cic.* 13. *Fam.* 32. 1. Ne exæquare videar ambitione quadam commendationes meas. — *c*) Cum Genitivo objecti, uti ajunt, *h. e.* ejus qui commendatur. *Cic.* 8. *Att.* 4. 1. Contempti hominis commendatio. *Id. Orat.* 36. 124. Commendatio sui. cui ibid. opponitur offensio adversarii. Cf. *Dig.* 1. 16. 4. § 3. *Cic. Dejot.* 1. 2. Ineuntis ætatis commendatio. — *d*) Cum Genitivo subjecti, uti ajunt, *h. e.* ejus qui commendat. *Cic.* 1. *Fam.* 3. 1. Nostra ceterorumque amicorum commendatio. *Id. Cæl.* 3. 6. Commendatio ac judicium meorum. *Id.* 12. *Fam.* 26. 2. et alibi sæpe. Commendatio mea. *Sueton. Cæs.* 75. Dare aliquid alicui ex commendatione alicujus. — Hoc sensu jungitur et inanimis. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 357. Commendatio oculorum. *h. e.* quæ fit per oculos. *Id. Planc.* 13. 31. naturæ. *Id. Pis.* 1. 1. fumosarum imaginum. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu commendatio ponitur pro ipsa re, quæ commendatione adeoque laude digna est; atque hinc pro laude, pretio, existimatione. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 9. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. *Id. Brut.* 67. 238. Commendatio ingenii. *Id.* 1. *Cat.* 11. 28. majorum. *Id.* 2. *Orat.* 52. 211. probitatis. *Id. Flacc.* 11. 24. famæ. *Forcellinus* postremum hunc *Ciceronis* locum et sequentem *Nepotis* ad superiorem paragraphum retulit: sed tamen ait, has duas notiones eodem fere recidere. *Nepos Alcib.* 1. Tanta erat commendatio oris atque orationis, ut etc. *Auct. B. Alex.* 41. formæ atque ætatis. *Quintil.* 4. 2. 113. animi. *Id.* 11. 3. 154. morum. *Id.* 9. 3. 14. vetustatis. *Cic.* 2. *Fin.* 12. 35. Ponere aliquid in prima commendatione. *h. e.* primam laudem ei tribuere. Adde eumd. 5. *ibid.* 15. 41. et 17. 46. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 45. (162). Candor est in commendatione. *h. e.* magni ducitur. *Id.* 37. *ibid.* 5. 20. (78). Beryllis summa commendatio in longitudine.

COMMENDĀTĪTĬUS, a, um. *V.* COMMENDATICIUS.

COMMENDĀTĪVUS, a, um, adject. qui ad commendationem pertinet. *Commendativus casus* dictus est a quibusdam casus dandi, quia verbis commendatoriis aptus est. *Priscian.* 5. p. 670. *Putsch.*

COMMENDATOR, ōris, m. 3. qui commendat. *Plin.* 6. *Ep.* 23. Fautor et commendator. Adde *Vopisc. Prob.* 2.; *Nazar. Paneg. Constant.* 4.; et *Symmach.* 1. *Ep.* 40.

COMMENDĀTŌRĬUS, a, um, adject. idem quod commendaticius. *Sidon.* 9. *Ep.* 10. Quem litteris non commendatoriis minus, quam refutoriis jam placatus insinuo. Adde *Jul. Epit. nov.* c. 6. § 26.

COMMENDĀTRIX, icis, f. 3. quæ commendat. *Cic.* 1. *Legg.* 22. 58. Lex commendatrix virtutum. *Plin.* 8. *Ep.* 20. Terra miraculorum ferax et commendatrix.

COMMENDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMMENDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Commendans* 2.; *Commendatus* 1. *a.*, 3. et in fin; *Commendandus* 1. *b.* — Ratione habita compositionis et etymi, *commendare* est a *cum* et *mandare*, hoc est *manui dare*; ideoque *commendo* est rem aut personam aliquam in alterius manus trado, alteri committo, depono, ut faveat, opituletur, curamque habeat eamdem, quam ipse habui (It. *depositare, consegnare, affidare*; Fr. *mettre en depot, confier, recommander*; Hisp. *depositar, confiar, recomendar*; Germ. *eine Person oder Sache Jemdm. zum Schutze, zur Obhut oder Aufsicht übergeben, anvertrauen, empfehlen, überantworten*; Angl. *to commit to any one's charge, consign to any one's care, entrust with*). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu, ita ut commendare præcipue significet rei aut personæ traditionem, quæ alteri fit: et quidem — *a*) De materiali tantum rei aut personæ traditione, quæ alteri aut personæ aut loco fit, ut ait *Ulp. Dig.* 50. 16. 186. Commendare nihil aliud est, quam deponere. — Proprie. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. SACRVM SACROVE COMMENDATVM QVI CLEPSIT RAPSITVE, PARRICIDA ESTO. Cf. eumd. *ibid.* 16. 40. *Id. Cic.* 15. *Fam.* 20. 1. Oratorem meum (*h. e.* opus, cui titulus *Orator*) – Sabino tuo commendavi. *h. e.* tradidi, commisi. *Justin.* 35. 2. 1. Demetrius duos filios apud hospitem cum magno auri pondere commendaverat. Sic *commendare aliquem ad aliquem* dixit *Hygin. fab.* 3. *extrem.* et 66.: al-

gnificat autem mittere ad aliquem, ut sub ejus custodia et tutela sit. *Papinian. Dig.* 16. 3. 24. Centum nummi, quos hac die commendasti mihi. *Spartian. Pescenn.* 10. Jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent. *Sil. It.* 15. 541. Commendare semina sulcis. Cf. *Virg.* 5. *Ecl.* 36. *Paul.* 1. *Sentent.* 21. 4. Qui corpus ad tempus alicui loco commendatum nudaverit. *Inscript.* apud *Orell.* 4370. Commendare corpora sarcophago. — Et figurate. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. Commendare aliquid litteris. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 36. Voce oratoris commendare historiam immortalitati. *Id.* 10. *Fam.* 12. 5. nomen suum immortalitati. Similiter *Curt.* 9. 35. Numen suum commendare posteritati sanguine suo. Rursus *Cic.* 5. *Fam.* 12. 6. Commendari per aliquem sempiternæ gloriæ. Cf. *eumd. ibid.* § 1. *Id.* 9. *Phil.* 5. 10. Monumentis ad omnem memoriam vitam alicujus commendare. *Auct. B. Afr.* 34. Commendare se fugæ. — *b*) Sæpius occurrit de morali personæ aut rei traditione, quæ alteri fit; et usurpatur præcipue de morientibus, qui uxorem, filios etc. alicui committunt. — Raro absolute. *Cic.* 3. *Off.* 10. 45. Cum is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. Hi de salute sua desperantes — parentes suos commendabant. — Fere cum Dativo personæ, cui quis aut quid commendatur. *Ter. Adelph.* 3. 4. 11. Ille tibi moriens nos commendavit senex. Adde *eumd. Eun.* 3. 5. 39.; *Auct. B. Afr.* 88.; *Propert.* 4. 11. 73.; et *Sueton. Claud.* 46. Rursus *Ter. Eun.* 3. 5. 29. Commendare virginem alicui. *Id. ibid.* 5. 2. 47. Se alicujus commendare et committere fidei. Cf. *Cic.* 3. *Att.* 20. *Ter. Eun.* 5. 9. 9. se alicui in clientelam et fidem. *Al. aliter leg. Cic. Arch.* 8. 18. Jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. *Id. Mur.* 1. 2. et 15. *Fam.* 2. Commendare aliquem fidei alicujus. *Id.* 3. *Fin.* 2. 9. alicui liberos suos testamento. *Id. Dom.* 56. 142. alicui aliquam rem non modo committere, verum etiam commendare. *Id. Quinct.* 31. 98. se alicui, suas omnes spes fortunasque commendare. *Id. Rosc. Am.* 39. 113. famam, fortunas alicui commendare et concredere. *Id.* 11. *Phil.* 9. 21. rerum decertationem consulibus committere et commendare. *Id. Prov. cons.* 14. 35. provinciam fidei, virtuti, felicitati alicujus. *Id. Harusp. resp.* 7. 14. pontificum auctoritati, fidei, prudentiæ sacra religionesque. *Id.* 1. *Orat.* 53. 228. tutelæ alicujus filios suos. *Id.* 3. *Fin.* 5. 16. Placet his —, simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum. *h. e.* Gr. οἰκειοῦσθαι. *Catull.* 15. 1. Commendare se alicui ac suos amores. *Ovid.* 3. *Fast.* 776. natos curæ numinibusque alicujus. *Tac.* 1. *Hist.* 90. rempubl. patribus. *Id.* 4. *Ann.* 77. Neronem et Drusum dis. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 23. ¶ 2. Latiori sensu *commendo* est personam aut rem aliquam alicui verbis vel scriptis laudando committo, precorque ut faveat atque opituletur. — *a*) Raro absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 76. Qualem commendes, etiam atque etiam aspice. *Fronto* 1. *ad Amic.* 3. (edente iterum Romæ *A. Maio*). Istæ commendantium litteræ laudationis munere fungi visæ sunt. — *b*) Sæpius cum Dativo personæ, cui quis aut quid commendatur. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 5. Nunc tibi omnem rem atque causam, meque totum commendo atque trado. *Id.* 7. *ibid.* 29. 1. Commendare aliquem alicui de meliore nota. *Id.* 13. *ibid.* 21. 1. diligenter. *Id.* 1. *ad Brut.* 6. 2. et 13. *Fam.* 53. 2. diligentissime. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 4. intime. *Id.* 3. *Fam.* 1. 3. valde. *Id.* 13. *ibid.* 23. 2. et 36. 2. majore studio. *Id.* 23. *ibid.* 25. magno opere. *Id.* 13. *ibid.* 43. 1. unice. *Id. ibid.* 54. studiose, studiosius. *Id. ibid.* 51. aliquem alicui commendatione ea quæ potest esse diligentissima. *Id. ibid.* 28. alicui rem domumque alicujus majorem in modum. Adde *eumd. ibid.* 37. et 40. ¶ 3. Latissimo sensu *commendare* etiam dicuntur ea, quæ augent pretium, aut pulcritudinem rei, quibus res ipsa cara fit et grata. *Cic.* 1. *Orat.* 59. 252. Quæ (vox) una maxime eloquentiam commendat. *Id.* 2. *Off.* 13. 47. P. Rutilii adolescentiam ad opinionem et innocentiæ et juris scientiæ P. Mucii commendavit domus. *Id. Brut.* 59. 216. Nulla re magis commendatur orator, quam verborum splendore et copia. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 43. 183. et 13. *Att.* 19. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 1. et 2. *ibid.* 1. 261.; et *Quintil.* 8. 3. 2. Commendare se aliqua re. Rursus *Horat.* 1. *Ep.* 15. 21. Quod (*vini genus*) me Lucanæ juvenem commendet amicæ. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 7. Si me non veterum commendant magna parentum Nomina. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (16). Commendandi habitus causa. *Id.* 13. *ibid.* 19. 33. (111). Loti nucleus vini succo suo commendans. *Id.* 23. *ibid.* 9. 81. (159). Myrti semen commanducatum oris odorem commendat. *Id.* 36. *ibid.* 6. 8. (49). Marmora commendantur maculis, aut coloribus. Adde *Quintil.* 6. 2. 13. *Quintil.* 10. 5. 8. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. *Plin.* 9. *Ep.* 5. Justitiam tuam provincialibus multa humanitate commendas. *Gell.* 7. 3. *sub fin.* Nunc commendat, nunc objurgat, nunc etc. *h. e.* laudat. — In malam partem pro notare *Ulp. Dig.* 42. 5. 3. Tutorem fraudulenta conversatio suspectum commendat. *h. e.* suspectum reddit, tamquam suspectum notat. — Hinc Part. præter. pass.

Commendatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Commendatior* et Sup. *Commendatissimus.* ¶ 1. Est concreditus, commissus. *Trebonius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 16. *in fin.* Matrem meosque tibi commendatos habe. *Cic.* 2. *Phil.* 13. 32. Quæ res gloriosior? quæ commendatior erit memoriæ hominum sempiternæ? Adde *eumd. Balb.* 19. 43. *Id.* 11. *Fam.* 26. Ceteris rebus habeas eos commendatissimos. ¶ 2. Item in pretio habitus, laudatus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 18. 58. (200). Homines honore aliquo litterarum commendati. *Id.* 25. *ibid.* 10. 81. (130). Fama commendatior. *Id.* 16. *ibid.* 36. 65. (161). Calami commendatiores. *Petron. Satyr.* 110. Vultus commendatior.

COMMENSŪRĀBĬLIS, e, adject. qui eadem mensura cum alio mensurabilis est. *Boeth.* 1. *Arithm.* 18. p. 1000. Qua vero ratione tales numeros invenire possimus, si quis nobis eosdem proponat, et imperet agnoscere, utrum aliqua mensura commensurabiles sint, an certe sola unitas utrosque metiatur, reperiendi ars talis est. Adde *eumd. ibid. p.* 740. et 1393., et *V.* voc. seq.

COMMENSŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. proportio. *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 1. *p.* 680. Robur in nervis et ossibus, pulcritudo autem membrorum quædam commensuratio videtur esse. *Id.* 1. *Music.* 31. *p.* 1085. Si igitur percussiones gravium sonorum commensurabiles sint percussionibus acutorum sonorum, ut in his proportionibus, quas supra retulimus; non est dubium, quin ipsa commensuratio sibimet misceatur, unamque vocum efficiat consonantiam. *Id. Aristot. Topic.* 6. 2. *p.* 706. Et quod sanitas commensuratio (*est*) calidorum et frigidorum.

COMMENSŪRĀTUS, a, um, particip. ab inus. *commensuro*, qui simul cum alio eadem mensura mensurabilis est. *Boeth.* 1. *Music.* 29. p. 1084. In his comparationibus gravitatis atque acuminis has consonantias necesse est inveniri, quæ sibi commensuratæ sint, id est quæ notam possunt communem habere mensuram. *Id. ibid. p.* 544. Commensuratam diametrum. Adde *eumd.* p. 1392.

COMMENSUS, a, um. *V.* COMMETIOR.

COMMENSUS, us, m. 4. congruentia mensurarum, συμμετρία. Negat *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (65). Græcam vocem συμμετρία habere Latinum nomen: commensum tamen jam appellaverat *Vitruv.* qui scribit 3. 1. 2. *Schneid.* Reliqua membra suos habent commensus proportionis. *et mox* § 3. Similiter ædium membra convenientissimum debent habere commensuum responsum. Adde *eumd.* 1. 3. 2. et 6. *præfat.* 7. *Schneid.* V. COMPETENTIA.

COMMENTACULUM. *V.* COMMETACULUM.

COMMENTĀRĬENSIS, is, m. 3. qui commentariis præest, hoc est libris, in quibus publice aliquid scribitur. ¶ 1. Specialiter commentarienses dicti sunt, qui acta perscribebant, quoties apud Fiscum agebatur, ut apparet ex *Paulo Dig.* 49. 14. 45. § 7. — Præterea enumerantur inter officiales præfecti prætorio Africæ a *Justinian. Cod.* 1. 27. 1. § 8. in notitia, quæ subjicitur legi primæ ejus tituli: et multiplex commentariensium gradus ibi innuitur. ¶ 2. *Inscript.* apud *Henzen.* 6280. D. M. AELIO PRIMO AVG. LIB. AELIVS IRENAEVS COMMENTARIENSIS VILLAE TIBVRTIS AMICO ET COLLIBERTO B. M. F. *Commentariensis* in hac *Inscript.* est inter officia domus Augustæ; Tiburtis enim est villa notissima, quam in agro Tiburtino Hadrianus Aug. sibi comparavit. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 591. 10. ¶ 3. Item qui præerant carceri, et vinctorum nomina in commentarium referebant, ut patet ex *Cod.* 9. *tit.* 4. qui est De custodia reorum 4. Horum meminit etiam *Callistrat. Dig.* 48. *tit.* 20. qui est De bonis damnatorum 6. Adde *Dig.* 48. 20. 16., et *Cod. Theod.* 8. 15. 5. § 1. — ¶ 4. Fuere etiam in militia. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 28. 71. p. 179. 18. *Bait.* Accensus est nomen ordinis et promotionis in militia: ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. Ex *Inscript.* quam primus edidit *Jo. Laburius* in *Ara antica scop. in Hainburgo p.* 63., quæque est apud *Orell.* 3487. et pertinet ad an. a Chr. n. 212., satis constat, in unaquaque legione unum fuisse commentariensem, eumque corniculario dignitate inferiorem fuisse. *V.* COMMENTARIUS.

COMMENTĀRĬŎLUM, i, n. 2. et

COMMENTĀRĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* commentarium, parvum commentarium. Occurrit — *a*) Neutro genere in singulari numero. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 58. Volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum. — *b*) Masculino genere in plur. numero. *Hieronym. Ep.* 119. n. 1. Qui in sacram Scripturam commentariolos reliquerunt. — *c*) In plur. numero, ita tamen ut, quo genere, incertum sit. *Cic.* 4. *Fin.* 4. 10. Neque a commentariolis suis discedere. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 2. 5.; et 1. *Phil.* 7. 16.; et *Quintil.* 1. 5. 7.

COMMENTĀRĬUM, ii, n. 2. et

COMMENTĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. seq.

COMMENTĀRĬUS, a, um, adject. ad epitomen pertinens. Occurrit tantum apud *Gell.* 14. 3. Xenophon in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios reliquit. *Id.* 13. 19. *in fin.* Quæ postea ita esse, uti dixerat, cognovimus cum et laudationes funebres et librum commentarium de familia Porcia legeremus. — Hinc

Commentarius, ii, m. 2., absolute, substantivorum more usurpatur. *Commentarius* dicitur liber, in quo res continuate et diligenter, simpliciter tamen et sine ornamentis, breviter et quasi per capita describuntur, memoriæ gratia: a *commentor, aris*. Hinc *Cæsar* libros de bellis a se gestis *commentarios* inscripsit, quod nudi essent, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto, ut *Cic. Brut.* 75. 262. (Cf. *Auct. B. G.* 8.) scribit. *Isidor. de differ. verbor. n.* 86. Inter *commentarios* et *commentaria* hoc interest, quod commentarii libri, commentaria volumina dicuntur. Hinc apparet, *commentarius* esse nomen adjectivum modo masculino *liber*, modo neutri *volumen* junctum, quemadmodum videre est infr. Ceterum hoc illas omnes hujusce nominis formas referemus, de quarum genere ambigitur. Porro occurrit — *a*) In singulari numero, et *commentarius* erat cujuscumque rei, sive publicæ, sive privatæ epitome; cujusmodi in judiciis erat libellus, in quo causæ agendæ summa capita perscripta erant. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 11. Commentarius rerum urbanarum. *Cic.* 7. *Verr.* 21. 54. Decretum prætoris ex commentario audire. *Id. ibid.* 21. 54. Recita commentarium. *Id.* 7. *Att.* 3. Referre aliquid manu sua in commentarium. *Id.* 3. *Tusc.* 22. 54. Disputationem in commentarium referre. *Id.* 14. *Att.* 14. Commentarium Cæsaris tueri. *Liv.* 39. 47. Senatus quæri jussit ab eo, ecquem de his rebus commentarium a patre accepisset? *Liv.* sic loquitur de Demetrio filio regis Macedonum, misso legato a patre ad Romanum senatum. *Seneca Ep.* 33. Turpe est seni ex commentario sapere. *Id.* 3. *Controv. præfat.* Sine commentario dicere. *Sueton. Tib.* 61. Commentarium de vita sua summatim breviterque componere. *Gell.* 1. 23. Inferre aliquid commentario. *Festus p.* 286. 17. et 165. 3. *Müll.* Commentarius sacrorum. — Dicitur etiam de alicujus magni libri compendio vel epitome apud *Cajum* 2. *Instit.* 23. et 145., et 3. *ibid.* 17. et 38. — *b*) Sæpius occurrit in plurali numero, et sunt libri in quibus breviter et quasi per capita, quæ acciderunt memorabilia describuntur. *Cic. Brut.* 14. 55.; *Liv.* 4. 3. et *Quintil.* 8. 2. 12. Commentarii pontificum. *Cic. Brut.* 18. 72. antiqui. *Id.* 3. *Fin.* 3. 10. Aristotelii. *Asinius Pollio* apud *Sueton. Cæs.* 56. et *Cic.* 1. *de republ.* 10. 16. Philolai. *Cic. Rabir. perd.* 5. 15. regum. *Varro* 6. *L. L.* 88. *Müll.* In commentariis consularibus. *Liv.* 1. 32. regis Numæ. *Id.* 1. 60. Tullii. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 75. (197). auctorum. *Quintil.* 2. 11. 7. puerorum. *Id.* 10. 7. 30. et 4. 1. 69. orationum Ciceronis. *Id.* 3. 8. 67. rhetorum. *Sueton. Aug.* 64. diurni. — Jungitur

pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 5. *Fam.* 12. conficere commentarios rerum omnium. *Id.* 2. *Orat.* 55. 224. consignare aliquid publicis commentariis. *Vellej.* 2. 60. 4. corrumpere commentarios actorum. *Cic. Sull.* 15. 43. quærere aliquid ex commentariis. *Id.* 1. *Phil.* 1. 2. reperire aliquid in commentariis alicujus. *Id. Brut.* 75. 262. scribere commentarios rerum suarum. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 3. scrutari sero commentarios antiquorum. *Cic.* 3. *Off.* 2. 8. tangere aliquem locum breviter in commentariis. *Liv.* 1. 31. volvere commentarios alicujus. — *A commentariis* dicitur, qui commentariis præest. *Inscript.* apud *Gruter.* 307. 1., 578. 1., 587. 6., 592. 4. et 5. et alibi; et *Inscript.* apud *Orell.* 794. et 2904.: et est inter officia domus Augustæ. — Etiam in militia fuit *a commentariis* idem ac commentariensis. *V.* COMMENTARIENSIS. *Inscript.* apud *Donat.* 275. 4., quæ est apud *Orell.* 3464. M. AFICIO T. F. CAM. TIRONI 7. LEG. XV APOLLIN. EVOC., A COMMENT*ariis* CVSTOD*iarum*. Is nempe fuit, qui, ut ait *Cic.* 7. *Verr.* 57. 147. rationem carceris conficit, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. — *c*) Commentariorum nomine vocatur etiam expositio et interpretatio scriptorum: cum scilicet breviter et nude adnotantur ea, quæ expositione indigent. *Gell.* 1. 12. In commentariis Labeonis, quæ ad duodecim tabulas composuit. *Hieronym.* in *Rufin.* n. 16. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt, quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant, ut prudens lector judicet, quid verius sit, et quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet.

Commentarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est quod *Commentarius*. V. hanc vocem sub init. *Cic. Brut.* 44. 164. Ipsa illa non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paullo plenius. *Varro* 6. *L. L.* 90. *Müll.* Ut commentarium indicat vetus anquisitionis M. Sergii. *Liv.* 42. 6. Commentarium, quod de apparatibus belli – fecerat (*Eumenes*). — *Gell.* 2. 6. Grammatici, qui commentaria in Virgilium composuerunt. Adde *eumd.* 1. 21.

COMMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus commentandi, meditatio: et occurrit *A*) Abstracte, et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte. ¶ 1. Generatim est meditatio. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 74. Tota philosophorum vita commentatio mortis est. *Id.* 2. *ibid.* 18. 42. Commentatio ferendi doloris. *Id.* 3. *ibid.* 16. 34. Commentatio parendi. ¶ 2. Speciatim est meditatio rerum, de quibus coram aliis locuturi sumus. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 118. Quos locos multa commentatione atque meditatione paratos habere debetis. *Id.* 1. *ibid.* 33. 150. Subitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 34. 157.; 9. *Fam.* 20.; et 12. *ibid.* 2. — In plur. numero. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 257. Nam et subitæ ad propositas causas exercitationes, et accuratæ et meditatæ commentationes, ac stilus ille tuus – multi sudoris est. Adde *eumd. Brut.* 27. 105. et 71. 249. ¶ 3. Item speciatim commentatio dicitur a *Quintil.* 5. 10. 1. ea figura, quæ Græce vocatur ἐνθύμημα. *V.* COMMENTUM 3.

B) Concreto, uti ajunt, sensu, commentatio est ipsa lucubratio commentando confecta. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 21. (60). Seneca, tentata Indiæ commentatione, etc. *h. e.* descriptione. *Id.* 8. *ibid.* 16. 17. (44). Commentatio Aristotelis de natura animalium. *h. e.* dissertatio. — Sequente Relativo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 8. (26). S. Sulpicii principis viri commentatio est, quamobrem mensa linquenda non sit. — In plur. numero. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (7). Extant Democriti commentationes. Adde *Gell. præfat.* § 4.

COMMENTĀTĪCĬUS, a, um, adject. *Cassiod. Complex.* ad 2. *Petr.* 3. Commentaticiæ fabulæ. *At hic videtur legendum* commenticiæ.

COMMENTĀTŌR, ōris, m. 3. qui commentatur. ¶ 1. Generatim est qui commentatur et excogitat aliquid. *Apul. de Mag.* Omnium falsorum commentator, omnium simulationum architectus. *Tertull. Resurr. carn.* 33. Nullam parabolam non aut ab ipso invenias edissertatam, aut a commentatore Evangelii præluminatam. *h. e.* ab eo, qui Evangelium conscripsit. V. *Luc. cap.* 18. ¶ 2. Speciatim est interpres, qui alicujus scripta illustrat et declarat. *Justinian. Cod.* 4. 8. 7. Commentator legum. Adde *Cod.* 1. 17. 2. et *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 11.

COMMENTĀTUS, a, um. *V.* COMMENTO.

COMMENTĪCĬUS *vel* commentitius, a, um, adject. commentando inventus, excogitatus: tum in bonam, tum in malam partem. *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 70. Commenticii et ficti dii. *Id.* 5. *Fin.* 30. 90. Nomina nova et commenticia. *Id.* 1. *Orat.* 53. 230. Commenticia civitas Platonis. *Id.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Futiles et commenticiæ sententiæ. *Id.* 3. *ibid.* 24. 63. Commenticiarum fabularum reddere rationem. *Id.* 3. *Off.* 9. 39. Fabula ficta et commenticia. *Id. Rosc. Am.* 15. 42. Crimen commenticium. *Id.* 1. *Nat. D.* 11. 28. Commenticium quiddam efficere. *Id. Rosc. Am.* 29. 82. Commenticiæ res. *Sueton. Claud.* 21. Commenticia spectacula. *h. e. usitatis* opposita. *Gell.* 3. 19. Si licet res commenticias dicere. *Id.* 12. 1. Commenticiæ fraudes. *Cod. Theod.* 7. 18. 11. Commenticiæ epistolæ. *Ibid.* 2. 10. 1. Commenticiæ venditiones. *Paul. Dig.* 48. 19. 20. Jure commenticio repertum est. *h. e.* novo, recenter constituto.

COMMENTĪŎR, īris, ītus sum, īri, dep. 4. (cum *et* mentior). Part. *Commentitus.* — Commentior est idem ac fingo, mentior. *Apul. de Deo Socrat.* Si qua commentiatur, redarguere. *Id.* 7. *Met.* Virum commentitus bonum. *Id. de Mag.* Lignum a me quæsitum commentiri. *Divi Fratres in quadam epist.* apud *Ulp. Dig.* 48. 18. 1. *ad fin.* Quos habere se, commentitus fuerat. Ita *Torrentin.* et *Gothofr.* Al. leg. *commentus.*

COMMENTĪTĬUS, a, um. *V.* COMMENTICIUS.

COMMENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Commentatus* 1. — *Commento* olim dictum est pro *commentor*, teste *Priscian.* 8. p. 797. *Putsch.*; et idem significat. ¶ 1. Est mente verso, meditor, excogito; atque hac significatione occurrit tantum Part. præter. pass. *Q. Cic.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 26. Isque diu et multis lucubrationibus commentata oratione vide ut probare possit te non peccasse. *Cic. Brut.* 88. 301. Sua et commentata et scripta meminisse. ¶ 2. Item est commentaria scribere; sed occurrit figurate tantum. *Plaut. Men.* 5. 7. 30. Nimis bene ora commentavi, atque ex mea sententia. *h. e.* ora verberibus, quasi commentarium litteris, conscripsi. *V.* CONSCRIBO et CONSCRIBILLO.

COMMENTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum *et* mens; vel a particip. *commentus* verbi *comminiscor*). Part. *Commentans* 2. — Commentor est mente verso, meditor, excogito vel solus, vel cum aliis, quid mihi agendum, aut dicendum sit, vel quæ mihi ventura sint: hinc de more *commentari* dicuntur oratores, qui dicenda meditantur. ¶ 1. Stricto sensu et generatim occurrit — a) Absolute. *Plaut. Cas.* 2. 3. 25. Ut cito commentatus est! *h. e.* ut cito cogitando invenit fallaciam. Adde *eumd. Cist.* 2. 1. 33. et *Truc.* 4. 2. 24. *Cic. Amic.* 2. 7. His proximis Nonis cum in hortos Bruti auguris commentandi causa, ut assolet, venissemus. (loquitur *Cic.* de auguribus, qui statis diebus conveniebant de auguriis aut captis, aut capiendis meditaturi). — Speciatim de oratore, qui ad causam agendam se parat. *Cic.* 12. *Fam.* 2. 1. Ad quem (*diem*) paratus venerat, cum in villa Metelli complures dies commentatus esset. *Varro* apud *Non.* p. 455. 19. *Merc.* Itaque videas barbato rostro illum commentari et unum quodque verbum statera auraria pendere. *Quintil.* 11. 3. 160. Crebro digitorum labiorumque motu commentari. — Hinc etiam de oratore, qui periculi faciendi causa orationem suam recitat. *Cic. Brut.* 90. 310. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone, et cum Q. Pompejo – quotidie. Adde *eumd. ibid.* 22. 87. et 3. *Orat.* 23. 86. — Hinc ponitur etiam pro causam dicere, disputare, disserere; idque modestiæ gratia. *Plaut. Pœn. prol.* 1. Achillem Aristarchi mihi commentari lubet. *h. e.* scribendo imitari Achillis comœdiam ab Aristarcho conscriptam. *Cic.* 5. *Fin.* 25. 75. Satisne videor pro meo jure in vestris auribus commentatus? *Lambin.* ita leg.; quocum consentit *Orellius*, qui hæc addit in not.: Urbanissime hoc dicit Piso, quod ego rusticius sic explico: « Videorne vobis satis arroganter vestra abusus esse patientia, qui, quasi in cubiculo, omni arbitro remoto, commentatus, eadem negligentia coram vobis sententiam meam exposuerim, quum æquum fuisset apud vos elegantiore oratione uti? — *b*) Cum Accusativo. *Cic. Brut.* 88. 301. Ut quæ secum commentatus esset, ea sine scripto redderet eisdem verbis, quibus cogitasset. *Id. ibid.* 22. 87. Causam commentari. *Id.* 7. *Fam.* 1. 5. Multos annos nihil aliud commentari. *Id.* 5. *Fin.* 15. 42. Commentari aliquid et discere. *Id.* 9. *Att.* 4. 1. Θέσεις suas. *Id.* 4. *Att.* 38. id ipsum secum. *Id.* 3. *Tusc.* 14. 29. secum futuras miserias. *Id. Rosc. Am.* 29. 82. Commentari orationem in reum. — *c*) Sequente Relativo. *Cic.* 4. *Fam.* 6. 3. Te exopto quamprimum videre, et commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *de*. *Cic.* 3. *Phil.* 14. 36. Consules – multos menses de populi Romani libertate commentati atque meditati. ¶ 2. Raro admodum commentari ponitur pro scribendo summa rerum capita elaborare. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 13. Commentari mimos. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (209). Commentari aliquid. *Id. præfat. Hist. nat.* § 30. Cato commentans de militari disciplina. ¶ 3. Rarius pro scribendo componere. *Gell.* 1. 9. Neque percontari, neque commentari quæ audierat, fas erat. *Sueton. Gramm.* 2. Carmina diligentius retractare, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facere. *h. e.* disputando exponere.

COMMENTOR, ōris, m. 3. qui aliquid excogitat, inventor. *Ovid.* 3. *Fast.* 785. Luce sua ludos uvæ commentor habebat. *h. e.* Bacchus. *Auct. Epit. Iliad.* 527. fraudisque subit commentor Ulysses. Adde *eumd.* 579.

COMMENTUM, i, n. 2 *et*

COMMENTUS, a, um. *V.* COMMINISCOR.

COMMĔO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (cum *et* meo). Part. *Commeans* et *Commeaturus* 1. — Commeare est ultro citro ire, ut exponit *Festus* p. 277. 26. *Müll.*; sive est prætergredi, ingredi et egredi, accedere et recedere, aliquo pervenire, sed tamen sine consilio ibidem manendi (It. *andare e tornare, passare*; Fr. *aller et venir, passer d'un endroit à l'autre*; Hisp. *ir y venir, pasarse de un lugar à otro*; Germ. *seinen Gang machen oder nehmen, passiren, ein – und aus –, ab – und zugehen*; Angl. *to go to and fro, go and come, pass*). Usurpatur ¶ 1. De animalibus, vel de rebus, quæ facile moventur; et quidem — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 36. *extr.* Ut tuto ab repentino hostium incursu etiam singuli commeare possent. *Curt.* 5. 1. 25. Quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 3. Libentius dominus commeaturus sit, si vexationem viæ non reformidet. *Dig.* 33. 7. 20. § 5. Non legatos eos, qui forte veluti commeantes transissent. — *b*) Sæpius cum Adverbiis motus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 84. Sursum deorsum ultro citroque commeare. *Auct. B. Afr.* 20.; *Liv.* 25. 30; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (104). et 13. *ibid.* 17. 32. (106).; *Sueton. Cal.* 19. ultro citroque. *Varro* 3. *R. R.* 5. 16. *Müll.* Ultro ac citro commeare. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 31. retro. *Nepos Eumen.* 8. et *Dig.* 43. 8. 2. § 21. viâ aliquâ. *Dig.* 9. 3. 1. § 2. in via. *Sueton. Ner.* 31. qua. *Liv.* 4. 9. *in fin.* aliquo ex oppido. *Curt.* 4. 4. 20. Commeantes libero mari. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 32. (63). Simili ratione commeare. *Tac.* 13. *Ann.* 38. invicem. *Plin.* 2. *Ep.* 7. præter statuam. *Dig.* 43. 19. 7. et *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 37. per fundum. *Justin.* 44. 4. 4. per tramitem angustum. — c) Item definito termino, unde et quo commeatur. *Cic. pro leg. Manil.* 18. 55. Insula Delos, quo omnes undique cum mercibus commeabant. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Sidera ab ortu ad occasum commeantia. *Id.* 8. *Att.* 9. 3. Ab aliis commeare. *Gell.* 6. 10. E domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat. *Id.* 17. 11. Spiritus a summo ore in pulmonem, atque inde rursus in os commeat. *Liv.* 5. 47. *extr.* Commeare inter Vejos Romamque. *Plaut. Truc.* 3. 2. 14. crebro in urbem. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 100. huc raro in urbem. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Mercatores ad eos sæpe commeant. *Tac.* 1. *Ann.* 46. in Germanias. *Cic.* 7. *Verr.* 18. 46. ad furta. *Liv.* 33. 29. et *Tac.* 4. *Ann.* 27. ad varios usus. — *d*) Passive impersonaliter. *Ulp. Dig.* 43. 18. *leg. ult. extr.* Si sine ponte commeari non possit. *Id. Dig.* 9. 3. 1. Sine periculo per itinera commeari. — *e*) Cum Accusativo. *Modestin. Dig.* 48. 10. 27. § 2. Qui usus falso diplomate vias commeavit. Cf. locum *Plaut.* mox citand. ¶ 2. De inanimis et abstractis. *Plaut. Capt.* 1. 2. 82. Nam meus scruposam victus commeat viam (*V.* COMMETO). *Id. Curc.* 3. 28. Nam illæc catapultæ ad me crebro commeant. *Cic. Cæl.* 16. 38. Cujus in hortos, domum, Bajas jure suo libidines omnium commearent. *Id.* 6. *Att.* 9. 3. Crebro enim illius litteræ ab aliis ad nos commeant. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 41. et *Cod. Theod.* 1. 16. 3. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Posse enim

eodem Flecro internuncio sermones commeare. *Cod. Theod.* 15. 2. 1. Per quorum prædia ductus (*aquæ*) commeat.

COMMERCĀTUS, a, um. *V.* COMMERCOR.

COMMERCĬOR, ăris, ari, dep. 1. idem ac commercor; hinc *commerciare* apud Italos recentiores. *Cassiod.* 5. *Variar.* 39. *a med.* Commerciandi licentiam æquabili ratione revocare.

COMMERCĬUM, ii, n. 2. (cum et merx). Antiqui *commircium* scripserunt: sed ea scriptura iis est relinquenda. *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2236. *Putsch.* — Commercium est mercium mutatio, ut definit *Cajus* 3. *Instit.* 93. et 179. (It. *commercio*; Fr. *trafic, commerce, négoce*; Hisp. *tráfico, comercio*; Germ. *d. Waarentausch und Verkehr*; Angl. *commerce, commercial intercourse, traffic*).

I.) Proprie et stricto sensu. ¶ 1. Commercium est actus emendi merces et vendendi invicem. *Sall. Jug.* 18. Mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. *Liv.* 4. 52. Commercio aliquem prohibere. *Id.* 40. 58. Thraces commercio faciles. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 3. (7). Commercia victus gratiâ invecta. Alter *Plin. Paneg.* 29. Diversas gentes ita commercio miscuit, ut quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur. *Dig.* 50. 11. 3. Commerciis utilem se exhibere. Adde *Cod. Theod.* 7. 20. 7. *Dig.* 49. 5. 6. Jus commercii. — Occurrit etiam de emptione rerum, quæ in mercium numero non recensentur. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram et libertatem. Hic ipse puer, quem Cæsaris nomen incitare videtur in Cæsaris interfectores, quanti æstimet (si sit commercio locus) posse, nobis auctoribus, tantum, quantum profecto poterit, quoniam vivere et pecuniam habere et dici consulares volumus? *Juvenc.* 3. 310. Vel quæ digna queunt animæ commercia poni? *h. e.* pretium. ¶ 2. Item est emendi merces et vendendi invicem jus, ut *Ulpian. regular. tit.* 19. 5. definit: hinc *commercium alicujus rei* habere dicitur is, qui eam vel alienare, vel acquirere potest. *Cic.* 5. *Verr.* 4. 93. In agro Segestano Panormitanis commercium est. *Id.* 6. *ibid.* 59. 133. L. Crasso, Q. Scævolæ commercium signorum et tabularum pictarum cum Græcis hominibus non fuit. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 50. 124. *Liv.* 43. 5. *ad fin.* Ut denorum equorum iis commercium esset. *h. e.* ut denos equos emere possent. Adde *eumd.* 35. 29. et 45. 29. *Ulp.* 19. 4. Commercium dare alicui. Adde *Paul. Dig.* 4. 1. 62. et 30. 1. 39. *in fin.*, et *Ulp. ibid.* 45. 1. 34. Hinc *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 8. 51. 10., 11., 12. etc. Res commercio redimere. *h. e.* jure recuperandi. — Hinc etiam *Virg.* 10. *Æn.* 532. commercia belli tollere. *h. e.* facultatem vicissim redimendi captivos et vicissim ignoscendi. Similiter *Tac.* 3. *Hist.* 81. Commercia belli dirimere. Adde *eumd.* 14. *Ann.* 33. ¶ 3. Item ponitur pro ipsis rebus, quæ commercio distrahuntur, et speciatim pro annona, seu commeatu ciborum omnium, qui ad milites sustentandos pertinent. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (18). Romani duces primam semper in bellis commerciorum habuere curam. *Id.* 35. *ibid.* 13. 47. (168). Sabulum portare cum reliquis commerciis militaribus. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 14. Certior factus hostem inopem commercio laborare. ¶ 4. Item pro locis, in quibus exercetur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (45). Qui commercia ea et litora peragravit. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 58. Per commercia Assyriæ ripæ trahi.

II.) Translate, seu latiori sensu. ¶ 1. Generatim ponitur pro usu et consuetudine. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 4. Quid tibi mecum est commercii, senex? Adde *eumd. Bacch.* 1. 2. 9. et *Stich.* 4. 1. 15. *Id. Rud.* 3. 4. 20. Commercium cum re aliqua. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 66. Habere commercium cum Musis, id est, cum humanitate et cum doctrina. *Id. Senect.* 12. 42. Voluptas nullum habet cum virtute commercium. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 35. Exercent illi sociæ commercia linguæ. *Id.* 5. *ibid.* 8. 9.; *Liv.* 1. 18.; 9. 36. et 25. 53.; *Curt.* 5. 5. 19. et 6. 3. 8. Commercium linguæ. *Liv.* 5. 15. sermonum. *Id.* 5. 3. plebei. *Id.* 5. 15. et *Sueton. Claud.* 42. studiorum communium commercium. *Liv.* 41. 24. juris præbendi repetundique. *Vellej.* 2. 63. 2. epistolarum. *Curt.* 6. 10. 23. aliarum gentium. *Id.* 8. 9. 19. vitiorum. *Sil. It.* 2. 506. culpæ. *Val. Max.* 5. 3. *extern.* 3. dandi et accipiendi beneficii. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (39). et *Sueton. Claud.* 42. sermonis. *Tac.* 6. *Ann.* 19. sortis. *Id. Agric.* 2. loquendi et audiendi. *Sueton. Tib.* 34. Commercium strenarum exercere. *h. e.* strenas ac munuscula vicissim dare et accipere. ¶ 2. Speciatim de consuetudine stupri. Absolute. *Plaut. Truc.* 1. 1. 76. Astaphium est ancillula. Cum ea quoque etiam mihi fuit commercium. *Val. Max.* 8. 2. 2. Commercium libidinis habere cum aliqua muliere. *Sueton. Cal.* 36. Quosdam obsides dilexisse fertur commercio mutui stupri. ¶ 3. Item speciatim apud JCtos est idem, quod collusio. *Cod. Theod.* 3. 11. 4.; 11. 4. 1. et alibi. *V.* COLLUSIO.

COMMERCOR, ăris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum et mercor). Part. *Commercatus.* — Commercor est simul mercor, coemo. *Plaut. Pers.* 4. 9. 12. Qui hic commercaris cives, homines liberos. *Id. Capt. prol.* 26. et 1. 1. 32. Commercari captivos. *Sall. Jug.* 70. Commercari arma, tela. — Part. *Commercatus, a, um* passive occurrit in *Afranio* apud *Non.* p. 28. 30. *Merc.* Jucunditatis plus inest in te mihi, Quam commercatis conquisitæ eduliis.

COMMĔRĔO, es, ŭi, ĭtum, ere, a. 2. (cum et mereo). Part. *Commeritus.* — Commereo est idem quod mereo; sed in malam partem accipitur, ut docet *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 2. 1. 47. (It. *trarsi addosso, rendersi colpevole*; Fr. *mériter, se rendre coupable*; Hisp. *merecer*; Germ. *sich zuziehen, zu Schulden kommen lassen, verwirken*; Angl. *to merit, deserve*). *Plaut. Trin.* 1. 1. 4. Amicum — concastigabo pro commerita noxia. *h. e.* pro culpa admissa. *Id. Most.* 5. 2. 56. Commerere noxiam. *Id. Epid.* 1. 1. 59. Commerere aliquid mali in se. *Id. Merc.* 4. 6. 12. culpam in se. *Ter. Andr.* 1. 1. 112. Quid commerui aut peccavi pater? *Id. Hecyr.* 4. 2. 4. Numquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei. *Id. Hecyr.* 1. 4. 9. et *Phorm.* 1. 4. 28. Commerere culpam. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 232. Interrogabatur reus, quam quasi æstimationem (*h. e.* pœnæ) commeruisse confiteretur. *Ovid.* 1. *Fast* 362. Quid bos, quid placidæ commeruistis oves? *Id.* 2. *Trist.* 4. An semel est pœnam commeruisse parum?

COMMĔRĔOR, ēris, ĭtus sum, eri, dep. 2. Part. *Commeritus.* — Commereor eodem prorsus usu et significatione occurrit, qua *commereo. Plaut. Aulul.* 4. 10. 8. Me hanc culpam commeritum scio. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 36. Numquam quicquam erga me commerita est, quod nollem. *h. e.* admisit. — In bonam partem occurrit tantum apud serioris ævi scriptores. *Gell.* 1. 6. Commeritus est fidem sedulitatis et veritatis. *Arnob.* 2. p. 93. Cœpit Juppiter certo tempore cultus et sacrificia commereri.

COMMERGO, is, ere, a. 3. simul mergo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 119.

COMMĔRĬTUM, i, n. 2. idem quod meritum. *Mar. Victorin.* p. 2540. *Putsch.* Ipsa quidem syllaba brevis remanet facta unius temporis, superiorem autem a se syllabam, quæ fuerat brevis, commerito suæ proceritatis extenditur. *h. e.* ob suam proceritatem.

COMMETACULA virgæ, quas flamines portant pergentes ad sacrificium, ut a se homines amoveant. Hæc *Paul. Diac.* p. 64. 17. *Müll. Id.* p. 56. 16. Commetaculum genus virgulæ, qua in sacrificiis utebantur. — Utraque interpretatio ejusdem rei est idemque significat. Ita edidit *Müll.*; alii leg. *commotaculum a motando*, hoc est movendo.

COMMĒTĬOR, tīris, ensus sum, tīri, dep. 4. (cum et metior). Part. *Commetiendus.* — Commetior est idem quod metior, vel simul metior. *Plaut. Most.* 3. 3. 8. Omnes porticus sumus commensi. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 39. Commetiri oportet cum tempore negotium. *Id. Tim.* 9. 29. Commetiri sidera inter se numero. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 2. Reperire rationem de commetiendis agris.

COMMĒTO, as, are, 1. *frequentativum a commeo. Novius* apud *Non.* p. 89. 30. *Merc.* Cum ad lupam nostram tam multi crebro commetant lupi. *Afranius* apud *eumd. loc. cit.* Quo tu commetas? *Bentlej* ad *Horat.* 2. *Sat.* 5. 79. restituendum putat *Terentio Heaut.* 3. 1. 35. Commetare ad mulierculam. et *Plauto Capt.* 1. 2. 82. Commetare viam scruposam. quod et *Taubmann.* viderat. Alii utroque loco *commeare.*

COMMICO, as, are, n. 1. simul mico. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 110.

COMMICTĪLIS, e, adject. a cum et *mingo*; occurrit translate tantum, et est vilis, contemptibilis, quasi qui comingi possit. *Pomponius* apud *Non.* p. 83. 5. *Merc.* Servus comicus commictilis.

COMMICTUS, a, um. *V.* COMMINGO.

COMMĪGRĀTĬO, ōnis, f. 3. commigrandi actus. *Seneca Consol. ad Helv.* 6. de stellis. Aliunde alio commigratio est.

COMMĪGRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (cum et migro) idem quod migro, vel simul migro, sive alio eo, ut ibi habitem. *Plaut. Pers.* 1. 3. 56. Si quidem hic leno nondum sex menses Megaribus huc est cum commigravit. *Id. Trin.* 4. 3. 77. huc habitatum. *Ter. Adelph.* 4. 5. 15. Neque diu huc commigrarunt. *Id. Andr.* 1. 1. 43. huic viciniæ. cf. *Non.* p. 490. 21. *Merc.* et *Priscian.* 17. p. 1101. *Putsch. Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 7. In domum tuam commigrabis. *Liv.* 5. 53. et 41. 8., et *Sueton. Tib.* 1. Romam. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (135). Athenas. *Tac. Germ.* 27. e Germania in Gallias. *Senatuscons.* apud *Spangenb. Monum. leg.* n. 42. in deserta ac ruentia.

COMMĪLES, ĭtis, m. 3. socius, vel auxiliarius in militia, commilito. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (16). Commilitibus singulis HS quinquaginta data. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *militibus. Cæs.* 2. *B. C.* 29. Commilitesque nonnulli graviores sermones, etc. Ita quædam editiones, atque in his Aldina 1513., nec improbat *D. Vossius*: sed alii *commilitones*: et *Davis.* suspicatur legendum *comminitantesque. Inscript.* apud *Murat.* 819. 4. L. HETRIO Q. F. CENT. LEG. GALLIANAE IVL. ROSCIUS COMMILES.

COMMĪLĬTĬUM, ii, n. 2. societas militiæ.

I.) Proprie. *Vellej.* 2. 29. 5. Assuetus commilitio prudentissimi ducis. *Plin.* 10. *Ep.* 18. Instructus commilitio tuo. *h. e.* doctus militarem disciplinam, quia tecum militavit. Adde *eumd. ibid.* 11. *Quintil.* 5. 10. 111. Uti commilitio alicujus. *h. e.* militare simul cum aliquo. *Tac.* 1. *Ann.* 60. Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium asciti. Adde *eumd.* 3. *Hist.* 5.; *Justin.* 5. 10. 3. et 11. 5. 3.; *Flor.* 4. 4. 2.; et *Dig.* 49. 17. 19.

II.) Translate occurrit de societate quacumque. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 72. Et commilitii sacra tuenda putas. *h. e.* communionem studiorum. *Apul. Florid.* 3. n. 16. Jura amicitiæ a commilitio studiorum inchoata. *Manil.* 1. 780. Et commilitio volucris Corvinus adeptus Et spolia et nomen, qui gestat in alite Phœbum.

COMMĪLĬTO, as, are, n. 1. (cum et milito). Part. *Commilitans.* — Commilito est simul milito: sed occurrit figurate tantum apud *Flor.* 3. 5. 23. Luna quasi commilitans, cum a tergo se hostibus præbuisset, umbras suas quasi hostium corpora petebant.

COMMĪLĬTO, ōnis, m. 3. (cum et miles) socius militiæ.

I.) Proprie. *Cic. Dejot.* 10. 28. Qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit. *Cæsar* apud *Sueton. Cæs.* 67. Nec milites eos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat. Adde *Augustum* apud *eumd. Aug.* 25.; *C. Cassium* apud *Quintil.* 6. 3. 90.; *Varron.* apud *Non.* p. 92. 6. et p. 196. 28. *Merc.*; *Liv.* 3. 50.; *Curt.* 3. 5. 8.; *Val. Max.* 3. 2. *extern.* 3.; et *Sueton. Claud.* 10. *Vellej.* 2. 59. 4. Habere aliquem commilitonem belli. Adde *Aurel. Vict. Epit.* 1. et *Dig.* 29. 1. 1. *pr.* — Ita etiam vocatæ sunt ab Elagabalo Imp. meretrices. *Lamprid. Elagab.* 26. Apud eos concionem habuit quasi militarem, dicens eas commilitones.

II.) Translate ponitur pro quocumque socio. *Petron. Satyr.* 80. Egreditur superbus cum præmio Ascyltos, et paullo ante carissimum sibi commilitonem fortunæque etiam similitudine parem, in loco peregrino destituit abjectum. *Flor.* 1. 11. 4. Imperator — pactus victoriam templa promisit et reddidit, plane quasi stipendium commilitonibus diis.

COMMĪNĀBUNDUS, a, um, adject. multa minans vel minatus. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 15. Comminabundus nobilibus et superbis.

COMMĪNANS, antis. *V.* COMMINOR.

COMMĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod minæ, seu comminandi actus. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Orationis autem ipsius, tamquam armorum, est vel ad usum comminatio et quasi petitio, vel ad venustatem ipsa tractatio. Cf. *Quintil.* 9. 1. 33. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (181). Taurorum tota comminatio. Adde *Dig.* 26. 7. 7. § 7. et 37. 14. 1. — *b*) In plurali numero. *Liv.* 26. 8. Fabius terreri et circumagi ad nutus comminationesque Hannibalis flagitiosum ducebat. *Sueton. Tib.* 37. Reges comminationibus magis, quam vi repressit.

COMMĬNĀTĪVUS, a, um, adject. comminandi vim habens. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 25. Non dubitativum, sed comminativum exprimens sensum.

COMMĬNĀTŌR, ōris, m. 3. qui comminatur. *Tertull. advers. Gnost.* 9. Ignium comminator.

COMMĬNĀTUS, a, um. *V.* COMMINOR.

COMMINGO, mingis, minxi, mictum *vel* minctum, mingere, a. 3. (cum *et* mingo). Part. *Commictus* 1. et 2. De forma *comminctus* V. 2. in fin. — Commingo est mictu aspergo. ¶ 1. Stricto sensu. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 90. Comminxit lectum potus. — *Commictum cœnum* apud *Plaut. Pers.* 3. 3. 3. est convicium in hominem vilem ac spurcum. ¶ 2. Latiori sensu est quocumque sordido liquore fœdare. *Catull.* 78. 7. puræ impura puellæ Suavia comminxit spurca saliva tua. *Al. leg.* conjunxit. *Id.* 99. 10. tamquam commictæ spurca saliva lupæ. *h. e.* scortum vulgatissimum. Alii leg. *comminctæ*, ab eodem verbo *commingo*: alii *commixtæ*.

COMMĬNISCO, is, ere, a. 3. activa positione pro comminiscor occurrit apud *Apul.* 4. *Met.* Remedium e re nata validum, eo volente, comminiscimus. *Est qui legit* comminiscimur. At *Priscian.* 8. p. 791. *Putsch.* verbum *comminiscor* passive usurpatum fuisse ab antiquis ait, et exemplum *Appii Cæci* subdit ibid. p. 792. hisce verbis: Amicum cum vides, obliviscere miserias, inimicus si es commentus nec libens æque. *Commentus*, addit *Priscian.*, Græco πεπλασμένος. — Part. COMMENTUS *V.* in voc. seq.

COMMĬNISCOR, minisceris, mentus sum, minisci, dep. 3. Part. *Commentus* in fin. — Ratione habita etymi est a *cum* et *mens*, *meminisse*, ut docet *Varro* 6. *L. L.* 44. *Müll.*; et significat aliquid meditando invenire (It. *inventare pensando*; Fr. *imaginer*, *inventer*, *créer dans son esprit*; Hisp. *imaginar*, *inventar*; Germ. *etwas erdenken*, *ersinnen*, *durch Nachdenken erfinden*; Angl. *to devise*, *imagine*, *invent*). Usurpatur ¶ 1. In bonam partem, et significat ea invenire, quæ adhuc ignota erant. — *a*) Generatim. *Liv.* 37. 5. Nihil adversus tale machinationis genus parare aut comminisci oppidani conabantur. *Id.* 29. 37. et *Sueton. Vesp.* 23. Comminisci vectigal. *Mela* 1. 12. 1. Phœnices litteras et litterarum operas aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commenti sunt. *Sueton. Claud.* 21. Comminisci novas litteras. *Id. Aug.* 30. excubias nocturnas vigilesque. *Id. Cal.* 37. novum balinearum usum. *Id. Ner.* 34. navem solutilem. — *b*) Speciatim a Philosophis *comminisci* dicitur, qui res expromit propria imaginandi vi effictas, et quæ rebus vere existentibus opponuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 59. Epicurus monogrammos deos et nihil agentes commentus est. Adde *eumd.* 4. *Fin.* 16. 43. et *Fat.* 3. 5. ¶ 2. Sæpius in malam partem accipitur pro falsi aliquid fingere, aliquem mendaciis decipere: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Herenn.* 7. 10. Ingeniosior ad comminiscendum. *Id.* 2. *ibid.* 8. 12. Causam non fuisse quare quispiam confingeret et comminisceretur. — *b*) Cum Accusativo. *Plaut. Asin.* 1. 1. 89. Fabricare quidvis, quidvis comminiscere. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 71. Reperire et comminisci consilium. *Id. Pseud.* 4. 7. 64. Docte comminisci dolum. *Id. ibid.* 2. 3. 23. mendacium. *Id. Bacch.* 4. 9. 58. maledicta. *Ter. Heaut.* 4. 6. 8. semper hujusmodi res. *Id. ibid.* 4. 2. 7. Quid agam? aut quid comminiscar? *Cic.* 6. *Att.* 1. 8. Ne me hoc – commentum putes. *Liv.* 26. 27. Crimen ex se fortuitu comminisci. *Quintil.* 5. 13. 30. tantum scelus. *Dig.* 42. 6. 1. § 5. talem fraudem. — *c*) Sequente Relativo. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 35. Neque jam quo pacto celem herilis filiæ probum – queo comminisci. *Id. ibid. v.* 30. Nec queo comminisci, quid hero dicam meo. *Id. Amph.* 3. 3. 23. Fac, Amphitruonem advenientem ab ædibus ut abigas quovis pacto, fac, commentus sies. *h. e.* fac callide excogitaveris. Male *Non.* 2. 152. *edit. vet.* exponit communitus. — Hinc Part. præter.

Commentus, *a*, *um*, passive usurpatur pro ficto. *Ovid.* 6. *Met.* 565. Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat. *h. e.* ficta, excogitata. *Id.* 1. *Art. am.* 319. Sacra commenta. *eod. sensu.* Adde *eumd.* 3. *Met.* 558. *Paul.* 5. *Sentent.* 4. § 8. Commenta fraus. *h. e.* excogitata. *V.* COMMINISCO.

Commentum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est res meditando inventa inventio. *Sueton. Vesp.* 18. Mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit. Adde *Justin.* 22. 4. 3. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 56. (117). Officinarum hæc, immo verius avaritiæ commenta sunt. *Id.* 35. *ibid.* 13. 47. (166). *Commenta terræ* appellat quasdam terræ miras proprietates, et veluti miracula: quasi hæc illa cogitando invenerit. Ita enim legit *Harduin.* ex *MSS.* Alii *segmenta.* ¶ 2. Item est fictio seu res ficta. *Ter. Andr.* 1. 3. 20. Mihi quidem hercle non fit veri simile atque ipsis commentum placet. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. *Liv.* 1. 19. Metus deorum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset. *Id.* 41. 41. Commenta mortalium. *Ovid.* 13. *Met.* 38. animi. *Id.* 12. *ibid.* 54. rumorum. *Justin.* 21. 4. 3. Ut religione votorum nefanda commenta tegerentur. *commenta* sunt meditata consilia dominationis occupandæ. *Dig.* 27. 9. 9. Callidum commentum. ¶ 3. Item apud Rhetores est idem quod ἐνθύμημα, commentatio. *Vitell.* apud *Quintil.* 9. 2. 107. Cf. *ibid.* 5. 10. 1. *V.* COMMENTATIO 3.

COMMĬNISTER, tri, m. 2. simul minister. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 13. *a med.* Indicavimus autem hæc vobis, dilectissimi atque carissimi comministri. Adde *eumd. ibid.* 11. *ante med.* et 7. *ibid.* 10.

COMMĬNISTRO, as, are, a. 1. (cum *et* ministro) idem quod ministro. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (106). Extremam fistulam intestini contra durum ac potestatum iniquitates comministrant. *Harduin.* et *Sillig.* legunt *commonstrant.*

COMMĪNO, as, are, a. 1. (cum *et* minare, *quod significat* ducere, agere). Occurrit tantum Part. *Comminans* apud *Apul.* 7. *Met.* Gregatim pecua comminantes.

COMMĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum *et* minor). Part. *Comminans* sub *a.*; *Comminatus* in fin.; *Comminandus* sub *b.* — Comminor est idem quod minor, vel valde minor (It. *minacciare*; Fr. *faire des menaces*, *menacer*; Hisp. *amenazar*; Germ. *drohen*; Angl. *to threaten loudly*). Occurrit — *a*) Absolute. *Sueton. Cal.* 22. *extr.* Vox comminantis audita est. Adde *Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* 7. 1. et *Dig.* 5. 1. 71. — *b*) Cum Accusativo rei, quam quis minatur. *Liv.* 10. 39. Comminando magis, quam inferendo pugnam, dies absumebatur. *Id.* 42. 7. Ut qui idipsum oppugnatione comminanda quæsisset. *Id.* 31. 26. Comminari obsidionem. *Auct. B. Afr.* 71. impetum. *Sueton. Cæs.* 14. necem alicui. *Dig.* 5. 2. 7. accusationem. — Item cum Accusativo adverbiali. *Apul.* 10. *Met.* Pupillæ acre comminantes. — *c*) Cum Accusativo personæ, quam quis minatur. *Dig.* 1. 16. 9. § 3. Proconsul potest – comminari etiam et terrere filium a patre oblatum. Adde *ibid.* 1. 12. 1. § 10. et 1. 15. 3. § 1. — *d*) Cum Dativo personæ. *Sueton. Cæs.* 62. Ut aquilifero morsanti cuspide sit comminatus. — *e*) *Comminari inter se* dixit *Liv.* 44. 9. Hinc quinquaginta ferme pedum spatio distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem – cum evasissent etc. — Hinc Part. *præter.*

Comminatus, *a*, *um*, passive occurrit apud *Apul.* 6. *Met.* Scrupulus comminatæ mihi mortis. Adde *eumd.* 10. *ibid.*

COMMĬNŬO, mĭnŭis, mĭnŭi, mĭnūtum, mĭnŭĕre, a. 3. (cum *et* minuo). Part. *Comminutus* sub I. et II.; *Comminuendus* sub I. — Comminuo est fere idem quod minuo, minutatim frango (It. *sminuzzare*, *stritolare*; Fr. *mettre en pièces*, *en morceaux*, *briser*, *morceler*; Hisp. *romper*, *quebrar*, *desmenuzar*; Germ. *klein machen*, *etwas klein schlagen*, *in kleine Stücke zerbrechen*, *zertrümmern*; Angl. *to crush or break to pieces*, *bruise or crumble into small parts*, *comminute*, *fritter*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Donatum* p. 1777. et apud *Servium.* 1. *Æn.* 412. Comminuere cerebrum. *Plaut. Rud.* 4. 4. 74. Ego tibi comminuam caput. *Id. Bacch.* 5. 1. 31. Comminuere fores et portas securibus. *Id. Men.* 5. 2. 102. artua scipione. *Cic. Pis.* 38. 93. Illi statuam deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant. *Id.* 6. *Verr.* 25. 56. Dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est et comminutus. *Sall. Jug.* 60. Scalæ comminutæ. *Ovid. Medic. fac.* 72. Utraque (*fabas et lupinos*) de nigris comminuenda molis. *Id.* 5. *Fast.* 508. Comminuere faces. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (180). Testudo rostri acie comminuit omnia. *Id.* 3. *ibid.* 103. 106. (233). Lapis comminutus. *Petron. fragm. Tragur.* 64. *Burmann.* Comminuere vasa crystallina. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 73. Vitrea comminuta. — Occurrit etiam de medicamentis, quæ aliquid frangunt ac terunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 13. (23). Raphani cortices decocti mane poti comminuunt et ejiciunt calculos. — Et figurate. *Plaut. Bœot.* apud *Gell.* 3. 3. Comminuere diem articulatim. *h. e.* in exiguas partes dividere et distribuere.

II.) Translate est debilitare, vires infringere; et occurrit de pecunia et patrimonio, item de civili potentia, et de vi quacumque. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 43. Quid juvat immensum argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra? Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem. *Cic.* 4. *Att.* 3. *sub fin.* Animo dumtaxat vigemus: re familiari comminuti sumus. *Id.* 7. *Verr.* 37. 98. Opes civitatis victæ, comminutæ et depressæ. Cf. *Sall. Jug.* 62. Comminuere spes regni. Rursus *Cic. Quinct.* 6. 26. Nullum est officium tam sanctum, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. *Id.* 2. *Off.* 11. 40. Variatum Lusitanum C. Lælius fregit et comminuit. *Ovid. Heroid.* 3. 131. Comminuere aliquem lacrimis. *h. e.* frangere, vincere. *Id.* 12. *Met.* 472. nec te natalis origo Comminuit. *Id.* 3. *Pont.* 3. 31. Comminuere vires ingenii. *Quintil.* 1. 7. 33. Ingenia concidere et comminuere. *Plin.* 9. *Ep.* 2. Frigida negotia, quæ simul et avocant animum, et comminuunt. *Flor.* 1. 3. 3. Comminuere hostem. Adde *eumd.* 2. 6. 28.

COMMĪNUS *vel* cŏminus, adverb. Comp. *Comminius* sub *E.* I. — Cum, ratione habita etymi, vox composita sit a *cum* et *manus*, rectius scribitur *comminus*, ut docent *Beda de Orthogr.* p. 2331. *Putsch.* et *Fronto de differ. Serm.* p. 469. ed. *Mai.*, et multi cum *Dausq.* scribebant, inveniturque in multis optimis libris. Cf. *Kortte ad Sall. Jug.* 60. et *Zumpt.* ad *Curt.* 3. 4. — *Comminus*, si vocem interpretari velimus, est ita, ut altera manus alteram tangat: et occurrit

A) Apud classicos ætatis aureæ scriptores in prosa oratione de re bellica tantum: et quidem

I.) Proprie, et significat prope, in propinquo loco, seu potius *comminus ferire aliquem* est gladio vel alio quopiam telo manu stricto ferire, sicut *ferire eminus*, emisso e *manu* telo percutere. Itaque huic adverbio sæpe opponitur *eminus*, ut in *Ennio* apud *Festum* p. 270. 19. *Müll.*, *Cic. Senect.* 6. 19., *Lucret.* 6. 905., *Liv.* 21. 34. et 31. 24., *Ovid.* 3. *Met.* 119. et *Apul.* 5. *Met.*: interdum opponitur *conjectione telorum*, ut apud *Cic. Cæcin.* 15. 43.; vel *missilibus*, ut apud *Liv.* 44. 35.; vel denique *jaculis*, ut apud *Val. Flacc.* 1. 365. *Ennius* apud *Festum* l. c. Quæ mea comminus machæra atque hasta hostibit eminus. *Cic. Senect.* 6. 19. Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut comminus gladiis uteretur. *Id. Balb.* 9. 23. Pugnare comminus in acie cum hoste. Adde *eumd. Planc.* 30. 72.; *Cæs.* 1. *B. G.* 52. et 1. *B. C.* 58.; et *Nepot. Chabr.* 12. Rursus *Cic.* 4. *Tusc.* 22. 50. Video utrumque comminus ictu cecidisse contrario. *Sall. Jug.* 60. Comminus instare. *Liv.* 44. 35. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant: comminus stabilior et tutior parma aut scuto Romanus erat. *Id. ibid.* Comminus gladio rem gerere. *Id.* 1. 33. conferre signa. *Id.* 42. 47. conferre vires. *Id.* 27. 18. conserere manus. *Curt.* 3. 11. 4. conserere pugnam. *Ovid.* 3. *Met.* 118. de fratribus unum Comminus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse. *Id.* 12. *ibid.* 482. Comminus aggredi aliquem. *Stat.* 10. *Theb.* 213. sternere hostes. *Tac.* 6. *Ann.* 35. prævenire. *Id.* 15. *ibid.* 4. Ad exequendas obsidiones nulla comminus sudaria.

II.) Figurate, ita ut ad rem bellicam allusio fiat. Cf. *Cic.* 2. *Divinat.* 10. 26. Sed hæc fuerit nobis tamquam levis armaturæ prima orationis excursio; nunc comminus agamus, experiamurque, si possumus, cornua commovere disputationis tuæ. Sic *Lucret.* 4. 1043. illam Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu; Et, si comminus est, hostem ruber occupat humor. Adde *Apul.* 5. *Met. Cic.* 2. *Att.* 1. 2. Qui me epistola petivit, ad te, ut video, comminus accessit. *Alii omittunt præp.* ad. *Propert.* 2. 15. 22. Aut celer agrestes comminus ire sues. *Forcellino* hoc in loco Accusativum regere videbatur. *Ovid.* 5. *Fast.* 176. in apros et hirsutas comminus ire feras. *Virg.* 3. *G.* 374. Cervos comminus obtruncare ferro. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 19. (70). Lacertæ comminus insidiari sagittâ. *Apul.* 8. *Met.* Comminus conferre vestigium. *Sil. It.* 5. 500. in certamina comminus sævo Ire viro.

— Huc referri potest et illud *Lucret.* 6. 905. Multaque præterea prius ipso cocta vapore Eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignes. — Huc denique pertinet illud *Virg.* 1. *G.* 104. jacto qui semine comminus arva Insequitur. *h. e.* manus, ut ita dicam, conserit cum agro, quem colit; agrum manibus colit: *V.* tamen infra sub *B.* II.

B) Apud Poetas aureæ quoque ætatis, et apud sequioris ævi scriptores *comminus* generatim usurpatur pro prope, in propinquo loco.

I.) Proprie. *Val. Flacc.* 5. 583. Comminus arma semper habere. *h. e.* semper habere præ manibus. Sic *Apul. de mund.* Comminus attrectare cuncta. Et *Pompon. Dig.* 13. 7. 3. Recipere a debitore suo comminus pecuniam. *h. e.* ab ipsis debitoris sui manibus. — Et latiori sensu. *Catull.* 64. 108. quercus radicibus exturbata Prona cadit, lateque et comminus obvia frangit. *h. e.* prope et longe. *Propert.* 3. 1. 26. Fluminaque Æmonio comminus isse viro. *Forcellino* hoc in loco Dativum regere videbatur. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 73. quæque est procul urbe Quirini, Aspicit hirsutos comminus Ursa Getas. Adde *Val. Flacc.* 1. 263. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (55). Sole comminus facto. *h. e.* propius accedente. Adde *eumd.* 18. *ibid.* 28. 68. (277). *Id.* 35. *ibid.* 3. 6. (17). Ubi Atalanta et Helena comminus pictæ sunt nudæ ab eodem artifice. *Tac.* 1. *Hist.* 41. Viso comminus armatorum agmine. *Id.* 12. *Ann.* 12. Non comminus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petivit. — Comp. *Cominius* usurpavit *Tertull. Carn. Christi* 2. 1. Accedant adhuc comminius ad congressum. — Denique de intellectu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (240). Romæ, ubi omnium gentium bona comminus judicantur. *Gell.* 13. 8. Exerceri in rebus comminus noscendis periclitandisque.

II.) Translate aliquando refertur ad tempus, et significat statim, sine intermissione. Ita enim exponit *Servius* in illo *Virg.* 1. *G.* 104. jacto qui semine comminus arva Insequitur. Addit *Servius* hunc significatum in Gallia Cisalpina frequentissimum esse, atque ibi vulgo dici: *vade ad eum, sed comminus:* unde videri *Virgilium* hoc in loco patriam consuetudinem secutum esse. Huc pertinere *Forcellino* videbatur et illud *Venuleji Dig.* 45. 1. 137. Continuus actus stipulantis et promittentis esse debet, ut tamen aliquod momentum naturæ intervenire possit: et comminus responderi stipulanti oportet. *Alii rectius exponunt* coram, in præsentia.

Homonym. Inter *comminus* et *prope* hoc interest, quod *comminus* semper refertur ad motum aut actionem aliquam; *prope* non semper. Quare dicimus *prope esse, prope sedere*, non *comminus esse* aut *sedere.* Hoc tamen discrimen perpetuum non est. Cf. locum *Lucret.* 4. 1043. superius allatum sub *A.* II. Hæc *Forcellinus.* Rectius tamen, *comminus* videtur fuisse initio statim militare vocabulum; quod in posterum latiori significatione pro *prope*, quamvis raro, usurpatum sit. *V.* quæ superius diximus sub *A.*

COMMĬNŪTIM, adverb. (comminuo) minutatim. *Apic.* 4. 4. Comminutim concisa. *Al. leg.* minutatim.

COMMĬNŪTUS, a, um. *V.* COMMINUO.

COMMIS, is, f. 3. κόμμις. A Latinis antiquissimo tempore dicebatur *cummis*, deinde *commis*, seriori autem ævo *gummi.* De significatione *V.* GUMMI. — *a*) Feminino genere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 20. (67). Fit et ex sarcocolla commis utilissima pictoribus etc. Sic enim ibi legendum esse, docet *Harduin.* ex *MSS.* omnib. *Scribon. Compos.* 72. Commis Alexandrina. Adde *eumd. ibid.* 23., 27., 28., 29., etc. — *b*) Est etiam mascul. gen. *Scribon. Compos.* 21. Commis Alexandrini p. xx. — *c*) Reperitur et *commi* indeclin. neutr. gen. *Id. ibid.* 251. Commi quod vocant, etc., aceto dilutum bene facit. — *NB.* Ceterum CUMMIS et GUMMI *V.* loco suo.

COMMISCEO, misces, miscui, mixtum *vel* mistum, miscere, a. 2. (cum et misceo). *Commisci* pro *commisceri* dixit *Lucret.* 5. 802.: et *commiscis* pro *commisces* dixit *Veget.* 3. *Veterin.* 10. 3. et 3. *ibid.* 15. 12. *Schneid.* — Part. *Commixtus* in omnibus paragr.; *Commiscendus* I. *a.* — Commisceo est idem quod misceo, vel simul misceo (It. *mescolare;* Fr. *mêler, mélanger;* Hisp. *mezclar;* Germ. *zusammen oder vermischen oder mengen;* Angl. *to mix or mingle together, to mix up, to blend, confuse*).

I.) Proprie de materialibus rebus occurrit; et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Pers.* 1. 3. 7. Commiscere mulsum. Cf. *Dig.* 6. 1. 3. § 2. *Sueton. Vitell.* 13. Commiscere scarorum jocinora, phasianorum et pavonum cerebella, murænarum lactes. *Lucret.* 1. 855. cibos commixto corpore esse. *Virg.* 9. *Æn.* 76. commixta favilla. *Id.* 12. *ibid.* 835. commixti corpore tanto Teucri. *h. e.* mixti in unum cum tanto populo. — Specialim de coitu venereo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. In bestiis commiscendorum corporum miræ libidines. *Julian. Epit. nov.* 107. § 373. et 375. Commisceri. *h. e.* coire. — *b*) Cum Ablativo et præp. cum. *Cato R. R.* 93. Postea amurcam cum aqua commisceto æquas partes. Adde *eumd. ibid.* 103. et 109. *Cic. Dom.* 57. 144. Ignem Vestæ cum communi urbis incendio commiscere. *Lucret.* 6. 376. Ventus commiscet se cum igne. *Sueton. Aug.* 25. Servos cum ingenuis commiscere. — *c*) Cum aliis præpositionibus. *Cato R. R.* 96. Inter se omnia pariter commisceri. *Lucret.* 3. 284. plura inter se. *Scribon. Compos.* 56. multa in unum. *Virg.* 4. *G.* 409. fumus commixtus in auras. — *d*) Cum Ablativo sine præpos. *Scribon. Compos.* 265. Cera et oleum commiscetur ceteris. *Id. ibid.* 32. Crocum, psimmithium, commis aqua pluviali commiscentur. *Lucret.* 6. 332. commixta vis venti calore. *Virg.* 8. *Æn.* 255. commixtis igne tenebris. *Id.* 2. *G.* 327. æther magno commixtus corpore. *Sueton. Vitell.* 2. Commixtæ salivæ melle. — *e*) Cum Ablativo aut Dativo: forma enim ambigua est. *Lucret.* 5. 802. nec liquidum corpus turbantibus aeris auras commisci. *Sueton. Cæs.* 81. Libellum ceteris libellis commiscere. *Id. Domit.* 17. reliquias Phyllidis cineribus Juliæ. — In Part. præter. pass. *Plaut. Most.* 1. 1. 40. Canis apro commixta. *Virg.* 3. *Æn.* 633. frusta mero cruento. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 24. Chio nota commixta Falerni.

II.) Translate. ¶ 1. Commiscere est duo vel plura inter se ita arcte conjungere, ut in unum coalescant unumque efficiant. *Plaut. Rud.* 2. 6. 3. Nam si quis cum illo (*Neptuno*) quid rei commiscuit. *h. e.* navigationi se dedit. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 68. Ne quid tecum consilii commisceam. *Cic.* 4. *Herenn.* 35. 47. Jus accusationis cum jure testimonii commiscere. *Id. Marcell.* 2. 7. Numquam temeritas cum sapientia commiscetur. *Lucret.* 6. 1157. gemitu commixta querela. *Virg.* 12. *Æn.* 618. commixtus clamor. *Seneca Ep.* 7. Quo major est populus, cui commiscetur, hoc periculi plus est. *Dig.* 42. 6. 1. § 1. Admissis commixtisque creditoribus. *Id.* 35. 2. 1. § 14. Utrasque partes in computatione commiscere. ¶ 2. Item ponitur de eo, quod ex hac duarum vel plurium rerum mixtione conflatur. *Virg.* 6. *Æn.* 762. primus ad auras Ætherias Italo commixtus sanguine surget Silvius Albanum nomen. *Quintil.* 3. 8. 55. Materiæ ex utroque commixtæ. — Hinc

Commixtum; i, n. 2. absolute, substantivorum more, sunt res mixtæ. *Cato R. R.* 93. Amurcam cum aqua commisceto æquas partes: deinde ad oleam circumfundito. Ad arborem maximam, amphoram unam commixti sat est.

COMMISCĬBĬLIS, le, adject. qui misceri potest. *Tertull. Anim.* 12. Commiscibilis animus.

COMMĪSĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. proprie est actus, quo miseratione in alios afficimur: sed occurrit tantum apud Rhetores pro ea orationis parte, in qua auditorum animos miseratione seu pietate commovemus. *Cic.* 2. *Herenn.* 31. 50. Commiserationem brevem esse oportet: nihil enim lacrimâ citius arescit. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 58. 219. et 2. *ibid.* 28. 25.; et *Quintil.* 10. 1. 107.

COMMĪSĔRĔOR, ēris, ĕritus sum, eri, dep. 2. (cum et misereor) idem quod commiseror. *Gell.* 7. 5. Ut Electra comploret, commisereaturque interitum ejus. *At plerique leg.* commiseretur que: quod *est a* commiseror. — Passive impersonaliter. *Id.* 16. 19. Navitas precum ejus commiseritum esse illactenus, ut, etc.

COMMĪSĔRESCO, is, ere, n. 3. (cum et miseresco) idem quod miseresco, commiseror: et occurrit — *a*) Personaliter. *Ennius* apud *Non. p.* 472. 29. *Merc.* Servos et nostrum imperium et fidem Myrmidonum commiserescite. — *b*) Impersonaliter. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 53. Ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi commiseresceret.

COMMĪSĔRĒTUR, itum est, eri, impers. 2. *V.* COMMISEREOR in fin.

COMMĪSĔRO, ōnis, m. 3. qui commiseratur, vel qui commiseratione dignus est. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 9. Apud illum suum nescio quem συνταλαίπωρον, idest commiseronem. *Et ibid.* 36. Commiserones, et condibiles hæretici.

COMMĪSĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum et miseror). Part. *Commiserans* sub *a.* et *b.*; *Commiserandus* sub *b.* — Commiseror est idem quod miseror, vel valde miseror, miseratione afficior, conqueror: et occurrit — *a*) Absolute apud Rhetores tantum, a quibus orator commiserari dicitur, cum in oratione sua animos auditorum miseratione afficere conatur. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 46. Cum commiserari, conqueri cœperit. Adde *Quintil.* 11. 3. 58. et *V.* COMMISERATIO. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quæ nos miseratione afficit. *Accius* apud *Non. p.* 445. 11. *Merc.* Te commiserabor magis, quam miserabor mei. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 69. Hæc exornatio plurimum prodest in amplificanda et commiseranda re. *Nepos Agesil.* 5. Ut commiseratus sit fortunam Græciæ. *Gell.* 5. 14. Leo gemitus edens, et murmura dolorem cruciatumque vulneris commiserantia. Cf. et COMMISEREOR.

COMMISSĀTĬO et

COMMISSĀTOR. *V.* COMISSATIO et COMISSATOR.

COMMISSĬO, ōnis, f. 3. proprie est actus committendi: sed occurrit tantum ¶ 1. Stricto sensu pro commissura, conjunctione. *Ambros.* 2. *Hexæm.* 5. Solent artifices singula prius facere, et postea habili commissione connectere. ¶ 2. De pugna aut ludis, ut commissio pugnæ, commissio ludorum *Cic.* 13. *Att.* 26. 1. et 16. *ibid.* 5. 1., idest initium pugnæ, vel ludi. Sic commissio poetarum: quam *Sueton. Cal.* 20. vocat certamen. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Ludis pantomimi producti in commissione. Adde *eumd. Paneg.* 54. *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Laberius sequenti statim commissione mimo novo interjecit hos versus. — Pro scriptis ipsis, quæ in commissionibus edebantur, Græce ἀγωνίσματα, Caligula posuit, cum, Senecam commissiones meras componere, argueret. Notabat enim in eo dicendi genus, quod magis ad pompam et ostentationem, (quod faciunt ii, qui committunt sua opera), quam ad gravitatem comparatum esset. *Sueton. Cal.* 53. Adde *eumd. Aug.* 89. ¶ 3. Est etiam commissum, peccatum. *Arnob.* 4. 31. Piaculi dicitur contracta esse commissio.

COMMISSOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Est qui committit seu componit. *Gloss. Cyrill.* Συμβολόμαχος commissor pugnæ. ¶ 2. Item admissor, qui scelus aliquod committit. *Ennod.* 1. *Ep.* 4. Tobias propheta hujusmodi commissoribus occurrit, et divina voce testatur, dicens: Non licet nobis aliquid manducare furtivum.

COMMISSŌRĬUS, a, um, adject. ut *lex commissoria*, idest exceptio adjecta contractui, contra quam si alteruter contrahentium commiserit, in multam incurrit, de qua conventum est. *Ulp. Dig.* 18. 3. 4. § 2. Si fundus lege commissoria venierit, ut nisi intra certum diem pretium exsolutum sit, inemptus fiat. Adde *ibid.* 18. 3. 3.; *Fragm. Vatican.* § 3. et seq.; et *Cod. Theod.* 3. 2. 1. — Hinc

Commissoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, eadem lex dicitur. *Papinian.* apud *Ulp. loc. cit.* Exercere commissoriam. Et ipse *Ulp. ibid.* 43. 23. 11. *sub fin.* Si forte prædium commissoria venierit.

COMMISSUM, i. *V.* COMMITTO in fin.

COMMISSŪRA, æ, f. 1. (committo) junctura, compages (It. *commessura, giuntura;* Fr. *joint, jointure, commissure;* Hisp. *juntura;* Germ. d. *Zusammenlassung oder Zusammenfügung;* Angl. *a joining together, joint, juncture, commissure*). Occurrit ¶ 1. De materialibus rebus. *Cato R. R.* 135. Commissura funis. *h. e.* nodus ad capita funis, ne dissolvatur. Cf. *Seneca* 5. *Benef.* 12. 2. Commissuræ nodorum et moræ. *Lucilius* apud *Non. p.* 513. 4. *Merc.* rimarum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 139. Ossa mirabiles commissuras habent. *Id.* 2. *ibid.* 60. 150. Digitorum molles commissuræ. *Id. Tim.* 7. 21. Ut et ipse secum, et inter se ex commissura jungerentur. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Commissura pluteorum atque aggeris. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 6. lapidum. *Id.* 1. *ibid.* 3. *ante med.* colorum. *h. e.* ubi unus color in pictura alteri committitur. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 11. (29). Rursus *Seneca* 7. *Benef.* 21. *extr.* Per claustrum, qua se commissura laxaverat, denarios inseruit. *Colum.* 3. *R. R.* 17. 4. et *Arbor.* 26. 9. Commissura vitis. *h. e.* insitionis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (158). navium. *Id.* 17. *ibid.* 10. 11. (61). nucum. *Id.* 18. *ibid.* 31. 74. (311). piscium. *h. e.* nodus, quo Pisces signum cœleste invicem nectuntur.

V. NODUS. Scribon. Compos. 196. dentium. ¶ 2. De orationis partibus. Quintil. 9. 4. 37. Consonantes, quæ sunt asperiores, in commissura verborum rixantur. Id. 7. 10. 16. Sensus inter se juncti atque ita cohærentes, ne commissura pelluceat. (Pers. eadem translatione eamdem sententiam expressit 1. 64. V. JUNCTURA). Id. 12. 9. 17. Commissuræ orationis hiantes.

COMMISSURĀLIS, le, adject. qui facile commissuram admittit. Veget. 3. Veterin. 13. 4. Schneid. Loci ossuosi et commissurales. Id. 3. ibid. 51. Impetigines quoque in articulis vel genibus inter nervos commissuralibus locis aliquando nascuntur.

COMMISSUS, a, um. V. COMMITTO.

COMMISTIM. V. COMMIXTIM.

COMMISTUS, a, um. V. COMMISCEO.

COMMĪTIGO, as, are, a. 1. (cum et mitigo) tundendo mollem seu mitem reddo. Ter. Eun. 5. 8. 4. Utinam tibi commitigari videam sandalio caput. Donatus interpretatur tundendo deprimi atque deponi. Alii exponunt comminui, frangi, præsertim si Voss. audias, qui in Etymol. vocem mitis a Græco μειοῦν, minuere derivari censet. Sed V. MITIGO.

COMMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (cum et mitto). Commissit pro commiserit quidam legunt apud Phædr. 1. 14. — Part. Committens sub A. 3.; Commissus in omnibus fere paragr. et in fin.; Commissurus sub B. 2.° b. et c.; Committendus sub C. a. — Committere tria præcipue significat, scilicet A) sinere, ut duo simul jungantur, adeoque simul mittere, jungere; B) morali ratione est sinere, ut actio contra legem fiat, adeoque facere, patrare, sed in malam partem; denique C) est alteri mittere, adeoque dare, tradere, concredere.

A) Committere est simul mittere, jungere, conjungere; et usurpatur ¶ 1. De duobus vel pluribus inanimis, quæ materiali ratione inter se junguntur sibique invicem adhærent: et occurrit — a) Absolute. Pacuvius apud Non. p. 40. 31. et p. 248. 21. Merc. Barbaricam pestem navibus nostris obtulit, novâ figurâ factam, commissam infabre. Liv. 38. 7. Commissis operibus. scil. obsidionis. Voss. leg. cum omissis operibus errore scribarum. Commissa opera sunt juncta: Id. enim Liv. eodem lib. 38. c. 4. Per nondum commissa inter se munimenta urbem intravit. Curt. 3. 1. 13. et 7. 7. 14.; et Seneca Med. 35. Maria (duo) commissa. Ovid. 6. Met. 178. Mœnia commissa. Id. 1. Amor. 13. 46. de Jove. Commisit noctes in sua vota duas. Sic Seneca Herc. Œt. 1697. Nox commissa. h. e. gemina, conjuncta alteri nocti. Ovid. 4. Met. 369. commissa corpore toto (Nympha) inhærebat. Val. Flacc. 4. 310. cervix committitur primo artu. Juvenal. 14. 310. Domus commissa plumbo. — b) Addito — Dativo rei, cui quid committitur. Lucret. 5. 1362. Unde etiam libitum est stirpes committere ramis. Virg. 3. Æn. 428. pistrix Delphinum caudas utero commissa luporum. Ovid. 12. Met. 315. Qua navis fronti committitur. Cf. eumd. ibid. 478. Id. Heroid. 2. 31. commissa dextera dextræ. Liv. 39. 2. Committere viam viæ. Curt. 4. 2. 16. Moles, quæ urbem continenti committeret. Cels. 8. 1. Medulla spinæ commissa cerebro. Plin. 10. Ep. 50. Committere lacum flumini. Trajanus apud Plin. 10. Ep. 51. lacum mari. — Addito Ablativo rei cum præpos. cum. Cels. 8. 1. Costæ committuntur cum osse pectoris. — Sæpius occurrit committere plura inter se, ut apud Liv. 38. 4. Per nondum commissa inter se munimenta urbem intrare. Cels. 7. 19. Suturis oras vulneris inter se committere. Et figurate de verborum dispositione in oratione ex Lucilio Quintil. 9. 4. 113. Lexeis inter se vermiculate commissæ. Id. 7. procœm. 1. Dispositio res in ordinem digestas atque inter se commissas devincit. Adde eumd. 9. 4. 23. et 58. — Denique et committere plura in unum occurrit. Ovid. 6. Met. 579. Commissa in unum crura. Cels. 8. 1. Suturæ calvariæ in unum committuntur. ¶ 2. Usurpatur etiam de hominibus et brutis, qui ad certamen inter se conjunguntur. Propert. 4. 4. 57. Commissas acies ego possum solvere. h. e. acies, quæ sibi adversæ stabant, ut prælium inirent, vel quæ jam inter se pugnabant. Sic Ulp. Dig. 9. 1. 1. § 1. Cum arietes vel boves commisissent, et alter alterum occidisset. Sueton. Ner. 11. Committere camelorum quadrigas. Id. Cæs. 39. quingenos pedites, elephantos vicenos, tricenos equites hinc et inde. Id. Aug. 45. pugiles Latinos cum Græcis. Cf. eumd. Claud. 34. Id. Cal. 56. Nec cessavit criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Adde Martial. 8. 43. Huc pertinet et illud Catull. 61. 16. Quare nunc animos saltem committite vestros. — Poetæ quoque et oratores committi dicuntur, cum ad ingenii certamen descendunt, vel eorum scripta invicem comparantur. Propert. 2. 3. 21. sua scripta cum antiquæ Corinnæ committere. Juvenal. 6. 433. Committit vates, et comparat inde Maronem etc. Sueton. Gramm. 17. Ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat. Adde Martial. 7. 24. ¶ 3. Item occurrit de iis, quæ a duobus simul junctis fiunt: et committere est duos pluresve in certamen conjicere, ut cum exercitus congrediuntur, vel cum in ludis exercitationes et ludicra spectacula eduntur. Et primo quidem significat certamen incipere, ut apud Nepot. Miltiad. 6., Flor. 2. 15. 2. et Justin. 2. 12. (Sic apud Liv. 31. 28. Hac satis felici expeditione bello commisso etc. h. e. bello inito. Et apud Curt. 9. 4. 27. Committere aut differre obsidionem. h. e. incipere). Deinde simpliciter ponitur pro pugnare, etc. Hac porro significatione occurrit — a) Cum Accusativo. — In re militari. Plaut. Pers. 1. 3. 32.; Cic. 1. Divinat. 35. 77.; Cæs. 1. B. G. 25., 50., 52. et alibi sæpe; Nepot. Miltiad. 5. et 6., Eumen. 3. et Hann. 11.; Horat. 4. Od. 14. 5. Committere prælium. Ovid. 12. Met. 68. et Val. Flacc. 6. 31. prælia. Sic Claudian. VI. Cons. Honor. 221. Et duplici turro committens prælia. Cic. Mur. 15. 33. et 3. Cat. 3. 6.; Sil. It. 8. 619.; Sueton. Aug. 96. et Stat. 6. Theb. 113. pugnam. Liv. 8. 25., 21. 40., 36. 6. et alibi; Justin. 5. 4. 1. et 22. 8. 2.; et Flor. 2. 15. 2. bellum. Liv. 23. 41. certamen. Flor. 4. 2. 46. aciem. Sil. It. 13. 155. Martem. Sueton. Ner. 23. agona musicum. Liv. 5. 25. rixam. Cf. Colum. 9. R. R. 15. 4. — Huc referri potest et illud Frontin. 1. Strateg. 5. Relicto buccinatore, qui vigilias divideret, et quarta vigilia commissa (h. e. cum cœpta esset), eum sequeretur. — De ludis. Plaut. Pers. 5. 1. 19.; Cic. 3. ad Q. fr. 4. 6. et 3. Fin. 2. 8.; et Sueton. Claud. 21. Committere ludos. Sic Virg. 5. Æn. 113. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. Liv. 2. 36. spectaculum. Varro apud Non. p. 249. 10. et p. 282. 4. et p. 319. 14. Merc. cœnam maturo ovo. — Et generatim, ita tamen, ut ad aliquod certaminis genus allusio fiat. Cic. Rosc. Am. 5. 11. Judicium inter sicarios hoc primum committitur. Ovid. 6. Met. 418. Sermo committitur. Propert. 4. 7. 19. Venus commissa. Vellej. 2. 64. 4. Tribuni sanguine commissa proscriptio (h. e. cœpta est); Ciceronis, vel satiato Antonio, pœna finita. Juvenal. 7. 10. Et vendas potius, commissa quod auctio vendit. h. e. quæ est veluti certamen inter præconem et licitatores, quin et inter licitatores ipsos. — b) Raro absolute in re militari. Sueton. Vesp. 5. Priusquam committeretur. subaudi prælium. Sic Eutrop. 5. 6. Contra quem Sulla iterum commisit. h. e. pugnam. Et Id. 9. 24. Parva manu cum copiosissimo hoste commisit.

B) Secundo Committere ponitur de actione, quæ justa legem moralem aut civilem minime licet; et significat sinere vel permittere, ut hæc actio fiat, facere, patrare, sed semper in malam partem. In hac significatione usurpatur — 1.°) Cum Accusativo ipsius illicitæ actionis: et quidem — a) Cum Accusativo tantum. Lucilius apud Non. p. 249. 5. Merc. At enim dicis clandestino tibi quod commissum foret, ne muttires cuiquam, nec mysteria ecferres foras. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 11. 35. Ego etiam quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum. Adde eumd. 3. Verr. 43. 110. Id. Mil. 23. 61. Magna vis est conscientiæ –, ut neque timeant qui nihil commiserint, et pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint. Cf. Quintil. 7. 2. 20. Horat. Art. P. 168. Commisisse cavet, quod mox mutare laboret. — Jungitur autem pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Quintil. 7. 2. 11. et 7. 3. 1.; et Sueton. Aug. 69. adulterium. Ovid. Heroid. 11. 59.; et Quintil. 7. 4. 43. et 10. 1. 12. cædem. Cic. 16. Fam. 10. 1. culpam. Ulp. Dig. 39. 2. 15. in fin.; et Cajus 3. Instit. 211. damnum. Cæs. 7. B. G. 4. delictum majus. Cic. Rosc. Am. 23. 65. et 3. Fam. 10. 2.; et Sall. orat. 2. ad Cæs. facinus. Sall. Cat. 25. facinora. Cic. Brut. 61. 229. flagitium. Horat. 1. Od. 28. 31. fraudem. Ulp. Dig. 44. 7. 24. furtum vel injuriam. Quintil. 5. 10. 19.; et Sueton. Cal. 23. incestum. Cic. Rosc. Am. 22. 62. maleficis. Ovid. 9. Met. 625. nefandum aliquid. Cic. 6. Phil. 1. 2. nefarias res. Quintil. 7. 2. 2. parricidium. Virg. 6. Æn. 569. piacula. Quintil. 7. 2. 18. sacrilegium. Cic. Sull. 2. 6.; et Dig. 48. 9. 7. scelus. — b) Cum Accusativo actionis, et præpos. adversus, in, erga aliquem, ut apud Cic. 3. Verr. 2. 6. Multa enim et in deos et in homines impie nefarieque commisit, quorum scelerum pœnis agitatur. Id. 3. Att. 20. 3. Quod secus a me erga te commissum videretur. Virg. 1. Æn. 231. Quid meus Æneas in te committere tantum, Quid Troes potuere? Liv. 42. 38. Quæ Philippi – bello adversus populum Romanum commisissent. — 2.°) Absolute, hoc est sine Accusativo rei; et quidem — a) Committere in vel contra legem, vel committere lege etc. dicuntur ii, qui aliquid contra legem faciunt, et quo obnoxii fiunt pœnæ lege statutæ. Cic. Brut. 12. 48. Isocrates, quasi committeret contra legem, sæpe in judicium vocatus est. Adde eumd. Cluent. 34. 92. Dig. 4. 4. 37. § 1. Committere contra leges. Marcell. Dig. 48. 10. 10. et Papinian. ibid. 48. 5. 39. in legem. Sic Pompon. ibid. 34. 3. 8. § 2. adversus testamentum. Paul. ibid. 17. 2. 65. in pro socio actionem. Varro 2. R. R. 1. 16. Greges ad publicanum profiteatur: ne si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant. Quintil. 7. 1. 9. Committere lege de sicariis. — b) Sequente part. ut. Plaut. Trin. 3. 2. 78. Id me commissurum, ut patiar fieri etc. Ter. Andr. 2. 1. 5. Non committet hodie umquam, iterum ut vapulet. Lucilius apud Non. p. 249. 3. Merc. Neque committet, ut pereat sibi. Cic. 8. Phil. 5. 15. Ego nolo quemquam civem committere, ut morte multandus sit. Id. 2. Off. 14. 50. Committere, ut accusator nominere. Id. 3. Fam. 9. 3. Non est meum committere, ut negligens videar. Adde eumd. 5. ibid. 5. 3., 1. Att. 6. 1., 1. ibid. 20. 3. et 8. ibid. 3. 7., 1. Legg. 13. 37., 2. Orat. 57. 233., 3. Off. 2. 6. et alibi; Cæs. 1. B. G. 13. et 46.; Brutum apud Cic. 11. Fam. 20.; et Liv. 25. 6. aliosque. — c) Sequente quare, cur etc. Cæs. 1. B. G. 14. Neque commissum a se intelligeret, quare timeret. Liv. 5. 46. Cædicius negare, se commissurum, cur sibi quisquam imperium finiret. — d) Sequente Infinito. Colum. 4. R. R. 2. 3. Hoc cum sæpius bubulci fieri videant, non committunt scamna facere. Ovid. 9. Met. 630. Cum pigeat tentasse, libet tentare: modumque Exit, et infelix committit sæpe repelli. h. e. ita facit, ut merito repellatur. — 3.° Cum Accusativo rei, cui quis actione sua obnoxius est: scilicet — a) Committere pœnam, mulctam etc. est legem violando pœnæ, mulctæ etc. lege statutæ obnoxium fieri. Cic. Cluent. 37. 103. et Dig. 35. 1. 6. pr. Committere mulctam. Cic. 5. Verr. 12. 30.; Quintil. 7. 4. 20.; et Dig. 3. 5. 1. pœnam. h. e. debere. Cajus, modo sana sit lectio, dixit Dig. 2. 2. 4. in pœnam edicti. Et figurate Cic. Dom. 37. 145. Devotio capitis convicta et commissa. h. e. quæ, impleta conditione, perfecta est. Et Quintil. 6. 4. 17. Committere discrimen omne. h. e. quidpiam facere, ex quo in discrimen adducaris. — b) Apud JCtos committere legem, edictum, stipulationem dicitur is, qui facit aliquid, ex quo lex, aut edictum, aut stipulatio vim habet atque obligat. Ulp. Dig. 18. 3. 4. § 2. Lex commissa. h. e. quæ robur suum habere cœpit. Id. ibid. 37. 4. 8. § 4. et 10. § 1. Edictum commissum. Adde Paul. ibid. 37. 4. 3. § 11. Id. Paul. ibid. 24. 3. 56. Committere stipulationem. — c) Sæpe cum Accusativo rei, quæ fisco vel cuicumque alteri vindicatur propter aliquam conditionem violatam. Cic. 13. Fam. 56. Hypothecæ commissæ. h. e. quæ in potestatem creditoris veniunt ob omissionem solutionis ad diem dictam. Id. 3. Verr. 10. 27. Hereditas Veneri Erycinæ commissa. Id. 4. ibid. 14. 36. Hereditas palæstræ commissa. Id. Flacc. 21. 51. Fiducia tibi commissa. V. FIDUCIA. Paul. Dig. 39. 4. 11. § 2. Merces commissæ. Ulp. ibid. 39. 14. 6. Mancipium commissum. Paul. Dig. 3. 5. 12. Periculum erat, ne prædia in publicum committerentur. Cf. ibid. 16. 1. 17. § 2.

C) Denique frequenter committere ponitur pro dare, tradere, concredere: et dicitur de iis rebus, quæ dubium eventum habere possunt: raro autem usurpatur de materiali alicujus rei alteri traditione, sæpius de morali; semperque significat nos illi fidere, cui quid committimus vel tradimus. Porro occurrit — a) Committere aliquid alicui, raro autem aliquid tantum. Plaut. Most. 3. 3. 21. Egon abs te ausim non cavere, ne quid committam tibi. Ter. Andr. 1. 5. 61. Bona nostra hæc tibi committo et tuæ mando fidei.

Lucilius apud *Non.* p. 249. 14. *Merc.* Quod sua committunt mortali claustra Camœnæ. *Cic. Dom.* 1. 1. Ut omnis reipublicæ dignitas, omnium civium salus, vita, libertas, aræ, foci, di, penates, bona, fortunæ, domicilia vestræ sapientiæ, fidei potestatique commissa creditaque esse videantur. *Id.* 7. *Verr.* 14. 35. Honor non solum datus, sed etiam creditus ac commissus. *Id.* 10. *Att.* 2. 2. Fortunæ sunt committenda omnia. *Id.* 3. *Fam.* 10. 10. Quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicavit? — Ipsi quoque auctores *committere* dicuntur opera sua, cum ea recitant: quia nimirum in discrimen famæ veniunt. *Sueton. Claud.* 41. Historiam in adolescentia scribere aggressus est: et cum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. — De materiali rei alteri traditione. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 50. (170). aliquid cælo. *h. e.* aeri. *Horat. Art. P.* 301. caput tonsori. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. collum tonsori. *Ovid.* 11. *Met.* 73. crus laqueis. *Colum.* 6. *R. R.* 29. 4. equam labori. *Phædr.* 1. 14. 16. pedes calceandos alicui. *Horat.* 1. *Od.* 3. 11. ratem pelago. Cf. *Lucan.* 5. 691. aliquem mari. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 4. semen solo. *Virg.* 1. *G.* 223. semina sulcis. *Tibull.* 1. 7. 31. semina terræ. *Cels.* 6. 18. n. 2. ulcus frigori. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 25. vinum venis. *Virg.* 2. *G.* 289. vitem sulco. *Id.* 10. *Æn.* 68. vitam ventis. — De morali rei traditione. *Ovid.* 13. *Met.* 431. aliquem alendum alicui. Cf. *eumd.* 3. *Art. am.* 527. *Cic.* 4. *Att.* 1. *ad fin.* aliquid litteris. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 21. amores suos tabellis. *Horat.* 4. *Od.* 9. 11. calores (*h. e.* amores) fidibus. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 174. causam alicui. *Id.* 5. *Verr.* 3. 6. consilia sua. *Seneca Hippol.* 608. curas suas auribus alicujus. *Cic. Dom.* 8. 18. bella alicui. *Sueton. Domit.* 6. belli summam alicui. *Cic. Cluent.* 46. 129. delictum hominum fortunæ judicio. *Apul.* 7. *Met.* divitias publica custodela. *h. e.* publice custodiendas, ubi notandus Ablativus pro Dativo. *Cic.* 1. *Att.* 13. 4. epistolam alicui. *Id. Quinct.* 31. 98. existimationem ac spem reliquæ vitæ alicui. *Cæs.* 3. *B. G.* 60. facinus alicui. *Ter. Heaut.* 4. 3. 36. filiam alicui. *Id. Andr.* 3. 5. 3. fortunas suas alicui. Cf. *Cic.* 2. *Off.* 9. 33. *Virg.* 10. *Æn.* 156. gentem externo duci. *Ter. Andr.* 1. 5. 6. gnatam suam alicui uxorem. *Al. leg.* in uxorem. *Seneca Med.* 33. habenas alicui. *Cic.* 3. *Verr.* 32. 82. incommoda sua legibus et judiciis. *Nepos Lysandr.* 1. *in fin.* imperium summum potestatemque alicui. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 15. et *Cic.* 2. *Off.* 9. 33. liberos suos alicui. *Cic.* 1. *Att.* 13. 1. litteras liberiores alicui. *Id. Planc.* 25. 61. magistratus alicui. *Ter. Andr.* 1. 4. 3. mulierem alicui primo partu. *Id. Eun.* 5. 1. 16. ovem lupo. *quod* proverbium est, haud aliter ac Gr. illud καταλείπειν ὄιν ἐν λύκοισι. *Cic. Mil.* 25. 68. partes reipublicæ omnes alicui. *Virg.* 9. *Æn.* 675. portam alicui. *h. e.* custodiendam. *Forcellinus* interpretatus est claudere. *Cic.* 1. *Off.* 25. 85. procurationem reipublicæ alicui. *Id.* 13. *Fam.* 5. rem magnam difficilemque alicui. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 67. rem et vitam alicui. *Sueton. Aug.* 28. rempublicam alicui. *Justin.* 2. 12. salutem navibus. *Seneca* 2. *Benef.* 35. suffragium et jurisdictionem insanis. *Id. Phœn.* 132. verba cæcis modis. *Id. Herc. Œt.* 149. vices alicui. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 231. virtutem (*canendam*) indigno poetæ. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 60. et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 67. vitam alicui. — Huc pertinent et illa *Cic. Fontej.* 14. 30. Hominem fidei alicujus committere, potestati permittere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. § 37. Aliquos fidei potestatique alicujus committere et credere. *Id.* 1. *Att.* 13. 2. periculo litteras. *Id. Rosc. Am.* 42. 123. Quæ posita sunt in suspicionibus, ea vestris ingeniis conjecturæque committo. *Cæs.* 3. *B. C.* 74. rem prælio. *Seneca Ep.* 3. aliquid inimico. *Quintil.* 4. 1. 25. animo judicis non ante conciliato nudam quæstionum asperitatem. *Id.* 11. 2. 20. aliquid aliorum sententiæ. — *b)* Sæpissime occurrit *committere se alicui homini, loco, rei* etc. *Ter. Eun.* 5. 2. 47. Commendare et committere se fidei alicujus. *Lucilius* apud *Non.* p. 248. 25. *Merc.* Committere se improbis. *h. e.* se improbis immiscere. *Cic. Mil.* 23. 61. se populo, senatui, publicis præsidiis et armis. *Id. Sext.* 54. 116. se theatro populoque Romano. *Id. Dom.* 19. 49. se populo. *Id.* 15. *Att.* 11. Auctor non sum, ut te urbi committas. *Id.* 4. *Verr.* 37. 91. Hiemi sese fluctibusque committere. *Id.* 12. *Phil.* 10. 25. se itineri. *Id.* 16. *Fam.* 8. 1. se navigationi, viæ. Cf. *eumd.* 12. *Phil.* 10. 24. *Id.* 1. *Att.* 13. et pro *leg. Manil.* 11. 31. se aut mortis aut servitutis periculo. *Id.* 9. *Att.* 6. timidius se fortunæ. *Nepos Att.* 6. se civilibus fluctibus. *Cels.* 1. 2. *extr.* se frigori, æstui, labori. *Liv.* 5. 18. se hosti æquo loco. Adde *eumd.* 27. 28. *Id.* 3. 42. se hostibus æquo certamine. *Virg.* 3. *G.* 78. se ponto. *Ovid.* 8. *Met.* 551. se undis. *Sueton. Ner.* 26. se publico. — Huc pertinet et illud *Ovid.* 3. *Fast.* 231. Committi mucronibus strictis. — *c)* Etiam *committere aliquid* aut *aliquem in fidem alicujus, in aliquem locum, rem* etc. haud raro occurrit. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 31. Committere tergum suum in fidem alicujus. Adde *Liv.* 30. 14. *Cic.* 8. *Att.* 17. legiones in conspectum Cæsaris. *Liv.* 4. 27. rem in casum ancipitis eventus. *Id.* 8. 32. rempublicam in discrimen. *Id.* 3. 2. rem in aciem. *Id.* 40. 21. duos filios in aleam casus. — *d) Committere se in conspectum, locum* etc. sæpius usurpatur. *Cic.* 6. *Verr.* 11. 26. Committere se in conspectum populi Romani. *Id. Rosc. Am.* 23. 64. se in conclave. *Id.* 3. ad *Q. fr.* 2. 2. se in senatum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 21. 68. se in locum præcipitem. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. se longius a portibus. *Liv.* 7. 26. *ad fin.* se in aciem. Cf. *eumd.* 23. 11. *Id.* 28. 18. *ad fin.* se in hostilem terram, in regiam potestatem, in fidem inexpertam. Adde *eumd.* 30. 14. — *e)* Denique absolute *alicui committere* est se alicujus fidei ac potestati credere ac prorsus permittere. *Plaut. Curc.* 5. 2. 54. Sanan es, quæ isti committas? *Ter. Heaut.* 5. 2. 13. Eis commisi et credidi. *Cic.* 6. *Verr.* 7. 16. Hæc cum scirem et cogitarem, commisi tamen, judices, Hejo. *Id.* 2. *leg. Agr.* 8. 20. Universo populo neque ipse committit, neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. Quod certe sæpe flaverant venti, quibus necessario committendum existimabat. — Item *committere alicui de aliqua re* eodem sensu. *Cic.* 5. *Verr.* 60. 137. Tum iste negat, se de existimatione sua cuiquam, nisi suis commissurum. — Et *committere alicui, ut* etc. similiter apud *eumd. Mil.* 26. 70. Cum senatus ei commiserit, ut videret, ne quid respublica detrimenti caperet. — Hinc a Part. præter. pass. *Commissus, a, um,* cujus exempla superius attulimus, Et

Commissum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Generatim ponitur pro cœpto, incepto. *Liv.* 44. 6. Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes. ¶ 2. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 4. *Verr.* 9. *ad fin.* videtur innuere *commissum* proprie dici id, quod contra testatoris voluntatem factum aut non factum ab herede, multa aliqua pœnaque plectitur. Verum sæpius latiori significatione usurpatur pro quocumque scelere. *Plaut. Men.* 5. 2. 21. Nisi aut quid commisi, aut jurgii est causa. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Commissum sacrum. *Id. Sull.* 26. 72. audacius. *Horat.* 3. *Od.* 27. 38. Plorare turpe commissum. *Ovid.* 4. *Fast.* 590. præmia commissi. *Virg.* 1. *Æn.* 140. Post mihi non simili pœna commissa luetis. *Sil. It.* 13. 368. Commissa punire justâ securi. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 5. post pœnam liceat commissa fateri. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 304. Commissa improba. ¶ 3. Item specialim *commissum* apud JCtos est id, quod ob vectigal non solutum, vel omissam apud publicanos professionem, fisco vindicatur: item ipsa adjudicatio fisci. *Sueton. Cal.* 4. Vectigalibus indictis, cum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent. *Quintil. Declam.* 341. Quod quis professus non est apud publicanos, pro commisso tenetur. *Id. ibid.* Venire in commissum. *Ulp. Dig.* 39. *tit.* 4. *qui est* De publicanis et commissis, 16. In commissum cadere. *Et ibid.* Incidere in causam commissi. *Et infra.* Pœna commissi. *Paul. ibid.* 11. *ad fin.* Res, quæ commisso vindicanda est. *h. e.* fisco adjudicanda. *Scævola ibid.* 19. 2. 61. *ad fin.* Tollere onus navis commisso. ¶ 4. Denique ponitur pro re, quæ alicujus fidei aut silentio committitur. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 38. Commissumque teges et vino tortus et ira. *Cic.* 2. *Tusc.* 13. 31. Homo propter vim doloris enuncians commissa, prodens conscios. *Nepos Epam.* 3. et *Juvenal.* 9. 93. Commissa celare. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 84. tacere. *Id. Art. P.* 200. tegere. *Id.* 1. *Sat.* 3. 95. prodere. *Claudian.* 2. *in I. Cons. Stilich.* 56. negare.

COMMIXTIM *vel* commistim, adverb. idem ac mixtim. Translate tantum occurrit apud *Modestin. Dig.* 27. 1. 2. § 9. Qui habet commixtim tres curatorias et tres tutelas.

COMMIXTĬO vel commistio, ōnis, f. 3. idem ac mixtio. *Apul. de Mag.* Quorum moderatus usus salutaris; sed commistio, vel quantitas noxia est. Adde *Marcell. Empir.* 8. *Theod. Priscian.* 3. 3. Ad eorum sensum mordacem et calidum temperandum, lactis temperabo commixtione. — Et de copula conjugali *Capell.* 1. p. 15. Cum Pallas ita expers totius copulæ censeatur, ut neque de ulla commixtione progenita, neque ipsa procreare quidquam monstretur.

COMMIXTŪRA, æ, f. 1. *V.* COMESTURA.

COMMIXTUM, i. *V.* COMMISCEO in fin.

COMMIXTUS, a, um. *V.* COMMISCEO.

COMMŎBĬLIS, e, adject. facile movens. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. Lux commobilis corporis. *h. e.* commovens corpus.

COMMŎDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus commodandi, hoc est dandi aliquid utendum ad tempus sine mercede. *Apul. Herm. Trismeg.* Communicationes, commodationes alternæ: qui est humanitatis inter se firmissimus nexus.

COMMŎDĀTOR, ōris, m. 3. qui commodat sive qui dat aliquid utendum ad tempus sine mercede. *Paul. Dig.* 47. 2. 55. Si servus commodatoris rem surripuerit. Adde *Ulp. ibid.* 13. 6. 7. et 47. 2. 14.

COMMŎDĀTUM, i, n. 2. *V.* COMMODO, as, in fin.

COMMŎDĀTUS, a, um. *V.* COMMODO, as.

COMMŎDĒ, adverb. Comp. *Commodius* et Superl. *Commodissime* I. 1. et 2. — Commode est cum modo, apte, ad rem, convenienter (It. *acconciamente, a proposito, aggiustatamente;* Fr. *dans la mesure convenable, convenablement, bien, dùment;* Hisp. *convenible mente, convenientemente;* Germ. *gehörig, der Sachlage entsprechend, angemessen, recht und passend, abgepasst;* Angl. *fitly, aptly, to the purpose, conveniently, commodiously*).

I.) Proprie occurrit de modo, et ¶ 1. Generatim. *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 18. 12. Quid est hoc? rugat pallium: amictus non sum commode. *Cic. Rosc. Am.* 4. 9. Neque satis me commode dicere posse intelligo. Nam commoditati ingenium est impedimento. *Gell.* 9. 9. Nausicaa recte atque commode confertur cum Diana venante, *etc.* nequaquam autem conveniens Virgilius fecit, etc. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *D. Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. 1. administrare commode rem publicam. *Cæs.* 6. *B. G.* 20. administrare commodius suam rempublicam. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 3. agere commodius. *Id.* 5. *Verr.* 58. 134. audire minus commode. *h. e.* minus bene. *Id.* 11. *Fam.* 16. capere satis scite et commode tempus adeundi. *Ter. Heaut. prol.* 14. cogitare. *Cic.* 13. *Att.* 11. colere commodius inter se. *Plaut. Most.* 1. 3. 97. componere commode capillum. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 33. dicere. Cf. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 14. Videre, satisne ea commode dici possint Latine. Adde *Quintil.* 10. 3. 105. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. dicere facete et commode. *Id. Amic.* 1. 1. dicta commode et breviter. *Id.* 2. *Off.* 25. 90. disputare commodius. *Id.* 1. *Fin.* 19. 63. disserere. *Ter. Andr.* 3. 1. 17. dividere aliquid temporibus. *Cic.* 14. *Fam.* 7. esse commodissime istic. *Ter. Heaut.* 4. 3. 7. evenit commode aliquid. *Cic.* 10. *Att.* 3. facere. Cf. *Id.* 11. *ibid.* 7. 7. Quod litteras, quibus putas opus esse, curas dandas, facis commode. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 4. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 1. 1. fecissent commodius tribuni pl. si, etc. *Cels.* 4. 12. facit commode cyatho lactis cyathus aquæ mixtus, et sic datus. Cf. *Scribon. Compos.* 141. *Nepos Themist.* 10. facere commodius verba. Cf. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 51. *Quintil.* 9. 2. 33. fingere aliquid. *Cic.* 7. *Verr.* 50. 131. gerere res minus commode. *Quintil.* 9. 4. 145. inserere aliquid. *Gell.* 19. 5. bibliotheca satis commode instructa libris. *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. laudare aliquem satis commode. *Plin.* 5. *Ep.* 29. et 9. *ibid.* 34. legere commode. *Cic.* 7. *Att.* 1. loqui commode cum aliquo. *Varro* 2. *R. R.* 5. 11. pascuntur armenta commodissime in nemoribus. *Quintil.* 6. 3. 96. commode positi versus. *Id.* 6. 3. 54. respondet aliquid commodius. *Nepos præfat.* 1. saltare. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 231. commode scripta oratio. Cf. *Plin.* 5. *Ep.* 15. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 20. statuere finem orationi. *Quintil.* 9. 3. 82. subjungere aliquid alicui rei commodissime. Adde *eumd.* 4. 1. 76. *Sueton. Aug.* 99. transigere mimum vitæ. *P. Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. 6. tueri commodius aliquid. *Plin.* 3. *Ep.* 20. 11. valere. *Ejus verba sunt:* Ecquid commode vales? *h. e.* bene te habes? ¶ 2. Specialim, ratione habita externæ rerum difficultatis, commode est facile, sine ulla molestia. *Cic.* 16. *Att.* 6. Magis commode, quam strenue navigavi.

Cæs. 5. *B. G.* 47. Transire vallem commodissime. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 110. Vivere commodius. *Id.* 2. *ibid.* 2. 91. Consumere commode viaticum. ¶ 3. Item speciatim, ratione habita humanæ societatis, commode est moderate, humaniter, comiter. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 189. Aliquid huic responde, amabo, commode, ne incommodus nobis sit. *Id. Cas.* 5. 1. 1. Accipere aliquem bene et commode. *Ter. Heaut.* 3. 2. 43. Loqui commodius.

II.) Translate ponitur etiam de tempore, et significat opportune, in tempore: cf. *Ter. Andr.* 3. 1. 17. et *Cic.* 11. *Fam.* 16. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 2. 3. 9. Commode ipse exit Lesbonicus. Cf. *Titinium* et *Sisennam* apud *Charis.* 2. p. 116. *Lindemann.*: *Vide* COMMODO adverbium. — *b*) *Commode cum* est vix dum, eodem ipso tempore quo. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 61. Adducitur a Veneriis atque adeo attrahitur Lollius, commode cum Apronius a palæstra redisset. *Orell.* sic leg.; *Zumpt.* vero de hac lectione dubitat. *Id.* 2. *Att.* 12. 2. Emerseram commode ex Antiati in Appium ad Tris Tabernas, ipsis Cerealibus, cum in me incurrit etc.

COMMŎDĔRĀTUS, a, um, particip. ab inus. *commodero*, aptus, qui mensuræ apte respondet. *Cod. Theod.* 14. 17. 15. Dispositio ad certorum ordinum commodum commoderata.

COMMŎDĬTAS, ātis, f. 3. concinnitas, convenientia (It. *aggiustatezza*; Fr. *mesure convenable, juste mesure, symétrie*; Hisp. *medida, proporcion ó correspondencia de una cosa con otra*; Germ. d. *Umstand, dass etwas angemessen oder passend ist*; Angl. *aptness, juste proportion, symmetry*). Occurrit *A*) Stricto sensu, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu, et quidem

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Invent.* 25. 36. Habitum autem appellamus, animi et corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem: ut virtutis aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam, et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio et industria partam. *Sueton. Aug.* 79. *ad fin.* Staturam habuit brevem, sed quæ commoditate et æquitate membrorum occuleretur.

II.) Figurate. *Cic.* 1. *Herenn.* 1. 1. Non parum habet in se fructus copia dicendi, et commoditas orationis. Adde locum *ejusd. Rosc. Am.* 4. 9. in *V.* COMMODE I. 1.

B) Latiori sensu. ¶ 1. Ponitur de re, et est ipsius rei apta cum fine suo convenientia, adeoque opportunitas, facilitas, utilitas, commodum. *Plaut. Men.* 1. 2. 31. ME. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis. PE. Ita ego soleo: commoditatis omnes articulos scio. *Id. Pœn.* 4. 2. 94. Commoditatem alicui creare. *Ter. Andr.* 3. 3. 37. At, si corrigitur, quot commoditates, vide. *Id. Phorm.* 5. 6. 7. Commoditatibus aliquem diem onerare. *Cic.* 3. *Nat. D.* 36. 86. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitæ a dis se habere. *Id.* 2. *Invent.* 12. 40. In loco opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea consideranda est. *Id. Amic.* 7. 23. Plurimas et maximas commoditates amicitia continet. *Id.* 2. *Off.* 4. 14. Percipere fructum aut commoditatem ex aliqua re. *Id.* 1. *ibid.* 3. 9. Vitæ commoditas jucunditasque. *Id.* 1. *ibid.* 39. 138. Domus commoditas dignitasque. *Id.* 5. *Fin.* 12. 29. Commoditates corporis. *Liv.* 4. 60. Cum commoditas juvaret. *V. Alschefski* ad *h. l. Id.* 1. 33. Commoditas itineris. *Id.* 5. 54. Mare vicinum ad commoditates. ¶ 2. Item de homine, et est moderatio, liberalitas, indulgentia, facilitas. *Plaut. Mil. glor.* 4. 9. 5. Ehem te quæro: salve, vir lepidissime, cumulate commoditate: præter ceteros duo di quem curant. *Ter. Adelph.* 4. 5. 77. Magnam mihi injecit sua commoditate curam, ne etc. *Cæcilius Stat.* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Omnes meos dolos, fallacias, præstigias præstrinxit commoditas patris. Adde *Ovid. Heroid.* 16. 310. et *ibid.* 17. 176. — Hinc *mea commoditas* apud *Plaut. Epid.* 5. 1. 8., *Men.* 1. 2. 28. et *Pœn.* 1. 3. 12. est appellatio hominis commodum aliquod alteri afferentis.

COMMŎDĬUS, a, um, adject. ad Commodum R. Imp. pertinens, ut Nonæ Commodiæ apud *Lamprid. Comm.* 12., *h. e.* mensis Augusti, quem *Commodum* appellari a nomine suo is jusserat, ut *Id. ibid.* 11. narrat. At fortasse pro *Commodius* legendum est *Commodus*, quod occurrit in *Inscript.* apud *Orell.* 884. IDVS COMMODAS.

COMMŎDO, adverb. Proprie est casus Ablativus nominis *commodum*, et significat idem quod commode vel commodum. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 61. Ecce autem commodo aperitur foris. *Id. Frivol.* apud *Charis.* 2. p. 174. *Putsch.* Commodo dictitemus. *Charis.* ibi loquitur de adverbiis in *e* et *o* simul desinentibus. *Titinius* apud *eumd.* 2. p. 178. *Putsch.* Nunc adeo visam: velle rem magnam ajebat sese mecum loqui, et commodo eccum exit. *Sisenna* apud *eumd. ibid.* Ramus ad ipsum: atque ipse commodo de parte superiore descendebat. *Commodo* utrobique significat *in tempore*: *Putsch.* recte leg. *commodo*, et *Lindemann.* falso *commode*. V. integrum locum. *Seneca Ep.* 70. Commodo mori.

COMMŎDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Commodans* II. 2. in fin.; *Commodatus* II. 2.; *Commodandus* I. et II. 2. — Commodare proprie est accommodare, aptare (It. *adattare, aggiustare*; Fr. *disposer convenablement, ajuster, adapter*; Hisp. *ajustar, adaptar, acomodar*; Germ. *zurecht machen, angemessen einrichten*; Angl. *to adjust, adapt*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Cato R. R.* 135. Trapetum ubi arvectum erit, ubi statues, ibi et commodato concinnatoque. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 5. Natura stirpium sic se commodat. *Quintil.* 11. 3. 89. Commodare manum ad verba. *de gestu loquitur.* Vetus quidam Codex habet *accommodare*. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Spongiæ commodandæ podici. Huc referri potest et illud *Macrob. de differ. Gr. Lat. verb.* p. 2757. *Putsch.* Præteritum quoque tempus optanti necessarium, quia sæpe in longinquis quid evenerit nescientes, optamus evenisse quod nobis *commodet*.

II.) Translate. ¶ 1. Absolute est benigne facere cum aliquo, indulgere alicui, admittere aliquid in gratiam alicujus: et occurrit — *a*) Absolute omnino. *Plaut. Pers.* 2. 5. 19. Commodabo: sequere hac sis. *Cic.* 6. *Verr.* 9. 20. Tritici modium LX. millia publice commodasti. Ita enim quidam Lexicographi referunt. Sed *Cic.* solum dicit *At publice commodasti*, *h. e.* commodo civitatis Messanæ consuluisti; remittendo tritici modium LX. millia, quæ empta populo R. Mamertini dare debebant. Cf. *eumd.* 2. *Orat.* 51. 207. et 2. *Fin.* 35. 117. (*V.* mox) et 6. *Verr.* 3. 6. — *b*) Absolute occurrit etiam *commodare alicui*, vel *alicui aliqua re*, vel *alicui in aliqua re*. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. Neque enim, si tuam ob causam cuipiam commodes, beneficium illud habendum est, sed feneratio, nec gratia deberi videtur ei, qui suam ob causam commodaverit. Cf. *eumd.* 13. *Fam.* 54. *Id.* 13. *Fam.* 32. 2. Peto a te, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitasque patietur, commodes. Cf. *eumd.* apud *Non.* p. 275. 17. *Id.* 13. *Fam.* 35. 2. Peto a te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes. *Id. ibid.* 37. Peto a te, ut tantum ei commodes in hac re, quantum, etc. *Liv.* 23. 48. Commodare rei publicæ ad tempus. ¶ 2. Cum Accusativo rei, qua quis alteri indulget, seu cum altero benigne facit; et commodare generatim significat dare, præbere, benigne facere concedendo alicui aliquid: qua significatione verbo *commodare* opponitur verbum *gravari*, ut apud *Plaut. Rud.* 2. 4. 21., cujus verba *V.* paullo infra. — Specialiter vero significat dare aliquid utendum ad tempus sine mercede: et dicitur fere de iis rebus, quæ eadem redduntur, ut JCti ex *Cajo Dig.* 44. 7. 1. § 2. et 3. definiunt. *Ulp. Dig.* 13. *tit.* 6. *qui inscribitur* Commodati, 3. Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita. — Hanc tamen regulam Latini scriptores non servare creduntur. *Phædr.* 1. 17. Calumniator ab ove cum peteret canis, Quem commodasse panem se contenderet. *Al. leg.* commendasse, h. e. deposuisse. *V.* COMMENDO. Addunt quidam locum *Cic. Cæl.* 13. 32. Quæ si se aurum Cælio commodasse non dicit, etc., sed ibi de auro facto sermo est, ut *ibid.* 21. plane colligitur; non de pecunia. De *Cic.* loco 6. *Verr.* 9. 20. superius dictum est sub II. 1. *b.* Addunt etiam verba *Plauti Asin.* 3. 3. 135.; sed in his non *commodo, as*, sed *commodus* adject. habetur. *V.* COMMODUS. — Porro hac significatione verbo *commodare* opponitur *mutuum dare* sive *mutuari*, ut apud *Cic.* 2. *Off.* 4. 15. Ut esset vita munitior, atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus. Adde *Cajum Dig.* 44. 7. 1. § 2. et 3. Item verbo *commodare* opponitur verbum *donare*, ut apud *Cic. Marcell.* 6. 19. Ut hæc a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. — Ceterum huc illa pertinent *Plaut. Rud.* 2. 4. 21. AMPEL. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat? SCEPARN. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat? *Id. Pers.* 2. 3. 2. Commodare alicui opes, spes, bonas copias. *Id. Cist.* 4. 2. 75. loquelam suam. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 34. Nam meritus de me est, quod queam illi ut commodem? *Lucilius* apud *Non.* p. 275. 13. *Merc.* Certa sunt sine detrimento quæ inter sese commodent. *Cic.* 1. *Off.* 16. 51. Ut quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. *Id.* 13. *Fam.* 48. Quibus tu quæcumque commodaris, erunt mihi gratissima. *Id.* 4. *Herenn.* 51. 64. Ædes commodare amico ad nuptias. *Id.* 6. *Verr.* 42. 91. nomen suum alicui ad translationem criminis. *Sall. Cat.* 16. Ex illis (*juvenibus*) testes obsignatoresque falsos commodare. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 40. aurem patientem culturæ. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 53. aurem alicui. *Id.* 1. *Amor.* 8. 86. Commodat illusis numina surda Venus. *Liv.* 31. 12. Quamquam vereatur ne suas vires, aliis eas commodando, minuat. *Vellej.* 2. 70. 4. manum morituro. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 4. Advocatus commodat præsentiam suam amico. *Seneca Ep.* 8. Commodare vocem et manum candidato in senatum. *Id. Consol. ad Marc.* 13. *a med.* Commodati filii. *h. e.* in adoptionem dati. V. *Liv.* 45. 40. *sub fin. Seneca Med.* 907. alicui scelera. *h. e.* admittere in gratiam alicujus. *Petron. Satyr.* 111. lacrimas lugenti. *Plin.* 10. *Ep.* 12. diplomata. *Id. Paneg.* 71. oculos, vocem, manum. *Id.* 2. *Ep.* 11. operam suam alicui ad aliquid. *Stat.* 4. *Theb.* 75. iras alicui. *Quintil.* 6. 3. 64. pænulam. *Id.* 2. 8. 4. præceptorem se alicui. *Tac.* 15. *Ann.* 53. nomen et periculum ad spem inanem. *Id. Agric.* 32. Britanni dominationi alienæ sanguinem commodantes. *Id. ibid.* 19. veniam parvis peccatis, magnis severitatem. *Capitolin. M. Aurel.* 18. Nemo eum plangendum censuit, certis omnibus, quod a diis commodatus ad deos redisset. *Javolen. Dig.* 38. 5. 12. Commodare fidem suam amico. *Cajus* 4. *Instit.* 153. habitationem. *Paul.* 5. *Sentent.* 16. 3. homines. — Hinc a Part. præter. pass. *Commodatus, a, um*, cujus exempla superius attulimus, fit

Commodatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Commodatum dicitur res ipsa commodata. *Ulp. Dig.* 13. 6. 5. § 3. Si, ut certo loco reddatur commodatum, convenit. *Id. ibid.* Commodatum accipere. *et ibid.* Rogare commodatum. ¶ 2. Item contractus, quo quid alicui utendum conceditur. *Ulp. ibid.* 1. § 1. Teneri actione commodati. *Paul. ibid.* 2. Dare actionem commodati in aliquem. *Ulp. l. c.* 5. Teneri commodati. *et ibid.* Agere commodati. Adde *Cajum* 4. *Instit.* 33.

COMMŎDŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et modulatio) convenientia, symmetria. *Vitruv.* 3. 1. 1. *Schneid.* Proportio ratæ partis membrorum in omni opere, totiusque commodulatio.

COMMŎDŬLE, adverb. *deminut.* a commode, et

COMMŎDŬLUM, adverb. *deminut.* a commodum, aliquantum commode. *Plaut. Stich.* 5. 4. 8. Pro opibus nostris satis commodule convivium. *Id. Rud.* 2. 6. 11. Commodule esse alicubi. *Arnob.* 2. 18. Fortuita quædam commodule provenire. — *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 155. Commodulum obsona, ne magno sumptu.

COMMŎDŬLUM, i, n. 2. deminut. a commodum, parvum commodum. *Arnob.* 1. 9. Eventa hæc non commodulis nostris, sed ipsius pendenda sunt rationibus naturæ.

COMMŎDUM, adverb. Proprie est Accusativus singul. neutrius generis ab Adjectivo *commodus*, Adverbii more usurpatus de tempore, et quidem in familiari tantum sermone: significat autem eodem ipso tempore, adeoque opportune (It. *a tempo, opportunamente*; Fr. *a propos, à point*; Hisp. *a proposito*; Germ. *gerade, eben*; Angl. *in due season, opportunely*). Occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 2. 2. 37. Ad aquam præbendam commodum adveni domum decumo post mense etc. Adde *eumd. Trin.* 5. 2. 12. et *Apul.* 1. *Met.* Rursus *Plaut. Merc.* 1. 2. 104. Si istac ibis, commodum obviam venies patri. *Id. Cas.* 3. 4. 3. Sed eccum ante ædes: ad te hercle ibam commodum. *Ter. Phorm.* 4. 3. 9. Id cum hoc agebam commodum. Adde *Apul.* 3. *Met.* et *Florid.* p. 341. 15., et *Symmach.* 2. *Ep.* 47. *Cic.* 13. *Att.* 9. 1. Commodum enim egeram diligentissi-

me. Adde *Apul.* 1. et 4. *Met*; et *Gell.* 2. 2. — b) Cum Adverbio *postquam*, ut apud *Plaut. Stich.* 2. 2. 40. Postquam me misisti ad portum cum luci simul, commodum rabiosus ecce sol superabat ex mari. — c) Sequente *cum*, et *commodum cum* est vix dum, tantum quod. *Ter. Eun.* 2. 3. 51. Cum hac respicio ad virginem, illa sese interea commodum huc advorterat. *Cic.* 13. *Att.* 9. 1. Commodum discesseras heri, cum Trebatius venit. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 19. 1. et 30. 2., 10. *ibid.* 6. 1.; et *Symmach.* 1. *Ep.* 11. ubi part. *cum* Conjunctivo jungitur.

COMMŎDUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

COMMŎDUS, a, um, adject. (cum et modus). Comp. *Commodior* in omnibus paragr.; Sup. *Commodissimus* 2. a. et b. — Commodus est modum servans, debitis mensuris respondens, adeoque aptus, accommodatus, conveniens (It. *proporzionato, conveniente*; Fr. *qui est convenable, juste, proportionné, dans la mesure*; Hisp. *convenible, proporcionado*; Germ. *mit oder nach dem gehörigen Masse, abgemessen, passend, dem gehörigen Masse oder Verhältnisse entsprechend*; Angl. *convenient, apt, fit, suitable*). Occurrit autem ¶ 1. Stricto sensu de rebus, quæ ita se habent, ut se habere debent, præcipue ratione habita ponderis et mensuræ. *Plaut. Asin.* 3. 3. 134. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, cujus inopia est? Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri. *Id.* infra *ibid.* 144. minas bonas vocat. Cf. eumd. *Merc.* 2. 3. 101. et *Pseud.* 4. 7. 127. *Id. Rud.* 5. 2. 31. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena. Adde *Lucilium* apud *Non. p.* 206. 27. *Merc. Horat.* 3. *Od.* 19. 14. tribus, aut novem Miscentor cyathis pocula commodis. *h. e.* plenis. — *Plaut. Most.* 1. 3. 98. Capillus commodus. *Id. Asin.* 2. 3. 21. Homo tristi fronte, commoda statura. *Dig.* 34. 1. 16. § 1. alimenta. — *Cels.* 8. 1. Quo suturæ pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior. *h. e.* melior, integrior. Adde *Quintil.* 6. 3. 77. Hinc *Plin.* 3. *Ep.* 16. Vivere filium, atque etiam commodiorem esse simulabat. *h. e.* filium se melius habere, filium convalescere simulabat. Sic *M. Aurel.* apud *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* 3. Ad te non scripsi, quia te commodiorem esse audieram. ¶ 2. Latiori sensu de iis rebus usurpatur, quæ suo fini respondeat, ac propterea ponitur pro opportuno, apto, utili: et quidem — a) Absolute. *Ter. Andr.* 5. 2. 3. Adventus commodior. *Id. Hecyr.* 5. 3. 10. res. *Cic. Cæcin.* 3. 8. Faciliore et commodiore judicio ad jus suum pervenire. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 7. Litteræ satis commodæ. *Id.* 9. *Att.* 3. Si commodius anni tempus esset. *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Quo ex portu commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat. *Id.* 7. *ibid.* 6. Status commodior rerum urbanarum. *Ovid.* 2. *Pont.* 8. 72. Exsilium commodius. *Id.* 3. *Pont.* 3. 64. Locus commodior. *Liv.* 42. 67. hiberna. *Id.* 22. 2. Cum longius, ceterum commodius iter ostenderetur. *Dig.* 19. 2. 9. Commoda habitatio. *Cajus* 4. *Instit.* 31. Jus commodius. — b) Item absolute, sed speciatim, *commodum, commodius, commodissimum est aliquid* vel *fit, est aliquid esse* vel *fieri* vel *facere* etc. sæpe significat libet, placet, censetur, visum est: nempe quia quæ libenter facimus, facilia et commoda sunt. *Plaut. Amph.* 2. 1. 8. Proinde ut commodum siet. Cf. eumd. *ibid.* 3. 1. 2. *Ter. Eun.* 3. 2. 49. Si id non commodumst. *Cic.* 5. *Verr.* 13. 33. Aut eum judicem quem commodum erat, præconem, haruspicem, medicum suum dabat. Ubi *Pseudo-Ascon.* Veluste posuit pro eo, *quem volebat.* Sic *Ter.* (*Adelph.* 1. 2. 38.) *Amat? dabitur a me argentum; dum erit commodum.* Nam meretrici dare quando est commodum? sed est positum pro eo, *quam diu libuerit.* Hactenus *Pseudo-Ascon.* Cf. *Cic.* 5. *Verr.* 70. 165. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 23. 87. At Numerius Furius — cum est commodum, cantat. *Id.* 1. *Att.* 20. 1. Nihil duco esse commodius, quam scribere. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 30. 2. *Cæs.* 5. *B. G.* 11. Ipse — commodissimum esse statuit omnes naves subduci etc. *Cels.* 4. 4. Commodum est hyssopum cum mulsa decoquere. *Id.* 4. 22. Imponere noctu malagmata commodius est. Adde *Plin. Paneg.* 48. et *Quintil.* 6. 1. 9. — c) Addito cui rei aliquid commodum est. *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 26. Exornationis genus commodum auditu propter brevem et absolutam conclusionem. *Liv.* 30. 19. Curationi omnia commodiora. *Virg.* 4. *G.* 129. Terra commoda Baccho. *h. e.* apta vitibus. *Ovid.* 2. *Fast.* 288. Vestis commoda ad cursum. — d) Item addito cui personæ aliquid commodum est. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 9. Hoc et vobis et meæ commodum famæ arbitror. *Id. Phorm.* 1. 2. 81. Quod erit mihi bonum atque commodum. *Id. ibid.* 5. 9. 37. Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire hem tempus est. *Cic.* 13. *Att.* 48. Id, si tibi erit commodum, cures velim. *Id.* 1. *Divinat.* 49. 111. Ut ostenderet, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse. *Id.* 9. *Fam.* 2. Putabam, qui obviam mihi venisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum, etc. *Id.* 3. *Verr.* 26. 65. Ut quos ei commodum sit invitet. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 16 39. et *post red. in senat.* 5. 12. *Cæs.* 3. *B. C.* 85. Ratio belli commodissima Cæsari. *Liv.* 34. 3. Lex satis commoda omnibus. *Tac. dial. de orat.* 12. Primordia eloquentiæ commoda mortalibus. ¶ 3. Item latiori sensu de personis quoque usurpatur, et *commodus* est moderatus, humanus, facilis, comis, modum servans, et facile aliis se accommodans: hinc *commodo* opponitur *inhumanus* apud *Cic.* 5. *Verr.* 9. 23.; et *tristis* apud *Plaut. Bacch.* 2. 17. Hac autem significatione occurrit — a) Absolute. *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus, Scitus, secunda loquens in tempore, commodus verbum paucum etc. *Plaut. Most.* 1. 3. 98. Ubi tu commoda es, capillum commodum esse credito. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 47. Commodus conviva. *Id. Pœn.* 3. 3. 2. convivæ. *Id. Pseud.* 1. 5. 28. homines. *Ter. Andr.* 5. 2. 3. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi. *Id. Adelph.* 5. 2. 8. Comissator haud sane commodus. *Id. Heaut.* 3. 2. 10. Mulier commoda et faceta. *Cic. Mur.* 31. 66. Quemquamne existimas Catone proavo tuo commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis? *Id.* 4. *Herenn.* 18. 25. Commodus et sui cognoscens. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. Multo te esse jam commodiorem mitioremque nunciant. Adde *Horat.* 4. *Od.* 8. 1. et 2. *Ep.* 1. 227., et *Sueton. Tib.* 33. — Huc pertinet et illud *Cic. Amic.* 15. 54. Commodis moribus esse. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 78. 192. — Et figurate. *Horat. Art. P.* 257. Spondeos stabiles in jura paterna recepit (*iambus*) Commodus et patiens. — b) Addito cui personæ quis commodus est. *Cic.* 5. *Verr.* 9. 23. Apronius, qui aliis inhumanus et barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 9. Mihi commodus uni *Propert.* 2. 27. 4. Stella homini commoda. cui ibid. *opponitur* mala. — *NB. Commodus* est etiam cognom. Rom., de quo *V.* ONOM. — Hinc

Commodum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, dicitur quidquid suo fini respondet, adeoque opportunum atque utile est. ¶ 1. Stricto sensu *commodum* est opportuna rerum conditio, temporis opportunitas; qua significatione plures occurrunt elegantes locutiones, quæ maxime accedunt ad Italicas loquendi formulas. *Cic.* 12. *Att.* 28. 3. Et velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas. *Id.* 16. *ibid.* 2. 1. Commodum alicujus expectare. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 38. 1. et 14. *ibid.* 2. 3. *Id. Mur.* 23. 47. Contra valetudinis commodum laborare. — Speciatim occurrit formula *commodo meo, tuo, suo, nostro* etc. *Cic.* 2. *Verr.* 18. 56. Etiam si spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus. *Id.* 4. *Fam.* 2. 4. Tu, quod commodo tuo fiat, velim venias. *Id.* 13. *Att.* 48. 1. Quod utinam! iterum utinam! tuo tamen commodo. Adde *Cæs.* apud *Cic.* 14. *Att.* 1. 2. — Item *commodo reipublicæ facere aliquid. Cic.* 1. *ad Brut.* 5. Si minus id commodo reipublicæ facere posses. Adde *eumd.* 1. *Fam.* 1. 3.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 35., 5. *ibid.* 46. et 6. *ibid.* 33. — Item *per commodum reipublicæ. Liv.* 22. 57. Ut primo quoque tempore, quantum per commodum reipublicæ fieri posset, Romam veniret. Adde *eumd.* 10. 25., 31. 11. et 37. 50. — Et *per commodum* absolute apud *eumd.* 30. 29. et 42. 18. — Item *commodo* apud *Senec. Ep.* 70. — Denique *ex commodo*, ut apud *Colum.* 6. *R. R.* 2. 14. Ex commodo mandere, aut festinanter. *Id.* 12. *ibid.* 10. 3. Levi igne, et tenuibus lignis fornacem incendemus, ut ex commodo mustum ferveat. *h. e.* paullatim. *Seneca Ep.* 46. Librum tuum accepi, et tamquam lecturus ex commodo, adaperui, ac tantum degustare volui. ¶ 2. Item stricto sensu *commodum* dicitur et est quidquid benigne alicui datur, præbetur, conceditur: et quidem — a) Commodum est ipsa res commodata. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 6. Forum ac basilicas non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum, commodis hospitum, non furtis nocentium ornare. Cf. *Isid.* 5. *Orig.* 25. 16. — b) Specialiter accipitur pro præmio, quod datur militibus emeritis: *V.* EMERITUM. Ceterum commoda militibus post viginti stipendia erant duodecim mille sestertii; at prætorianorum post sexdecim stipendia erant viginti mille sestertii. V. *Sueton. Aug.* 49. p. 247. in nota. Hinc notatur apud *eumd. Cal.* 44. Caligula, qui commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam rescidit. Cf. et *Lips. Mil. Rom.* 5. 19. *Cic.* 7. *Fam.* 8. 1. Sum admiratus, cur tribunatus commoda, dempto præsertim labore militiæ, contempseris. *Brutus et Cassius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 2. 3.; et *Sueton. Ner.* 32. et *Vitell.* 16. Commoda veteranorum. *Cic. post red. in senat.* 14. 25. Provincialia ornamenta commodaque. *Ovid.* 1. *Art. am.* 131. Militibus commoda dare. *Sueton. Cal.* 44. Commoda emeritæ militiæ. *Id. Aug.* 49. missionum. *Id. ibid.* 24. emeritorum præmiorum. *Id. ibid.* 31. sacerdotum. *Dig.* 34. 4. 23. primipili. — c) Item pro mercede, annona, quæ datur familiis publicis reipublicæ inservientibus. *Frontin. Aquæd.* 118. Commoda publicæ familiæ ex ærario dantur: Cæsaris familia ex fisco accipit commoda. — d) Hinc *ex commodis* est ex reditibus publicis, seu potius ex sportulis, quæ municipibus et incolis distribuebantur, cum alicui viro de patria sua benemerenti statua publice ponebatur: etenim habetur in *Inscript.* apud *Murat.* 681. 2. HVIC SPLENDID. ORDO EX SPORTVLIS SVIS OB MER. EIVS STATVAM PONENDAM CENSVER. Item in alia apud *eumd.* 1059. 1. C. IVLIO REGINO ORDO DECVRIONVM EX SPORTVLIS SVIS OB MERITA. *Fronto* 2. *ad Amic.* 6. Ususne est per quinque et quadraginta annos omnibus decurionum præmiis, commodisque, cœnis publicis? Tandem *Inscript.* apud *Gruter.* 1102. 6. P. VOLVMNIO L. L. VIOLENT IIII. VIR. II. VIR. MVNICIPES ET INCOLAE EX COMMODIS. Ita edidit cl. *Furlanetto*: at *Gruterus* pro L. L. habet L. F.; et *Vermiglioli Inscriz. Perug.* p. 423. probat, in lapide sculptum fuisse. II. h. e. secundo. Hic tamen male interpretatur illud *ex commodis*: nostra vero interpretatio confirmatur etiam ex *Inscriptt.* allatis ad *V.* EPVLVM, ubi *ex epulis suis* idem significat. — e) Interdum et de privatis occurrit. *Dig.* 34. 1. 16. Libertis libertabusque alimenta, commoda, quæ viva præstabat, dari testamento jusserat. *h. e.* alimenta ac commoda. ¶ 3. Latiori sensu usurpatur fere in plurali numero, et significat utilitates, emolumenta, fructus, ut patet ex *Seneca Ep.* 87. 33. Alia est commodorum conditio, alia bonorum: commodum est, quod plus usus habet, quam molestiæ: bonum sincerum debet esse, et ab omni parte innoxium. *Ter. Andr.* 3. 3. 41. Nolo tibi ullum commodum in me claudier. *Cic.* 2. *Orat.* 82. 335. Qui utilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, vectigalium, præsidii militum, ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. *Cic.* 1. *Tusc.* 36. 87. et *Lucret.* 3. 2. Commoda vitæ. *Cic.* 3. *Fam.* 10. et *Horat.* 1. *Ep.* 14. 37. mea. *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 23. Commodorum compensatio. *Nepos Phoc.* 4. Commoda populi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 3. publica. *Vellej.* 2. 13. 3. plebis. *Quintil.* 11. 1. 75. Commodum alienum, suum. *Tac.* 1. *Ann.* 22. communia. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat. Art. P.* 175. adimere commoda. *Ter. Eun.* 3. 5. 25. capere aliquid commodi ex aliqua re. *Catull.* 59. 63. capere nihil commodi. *Cic. Rosc. Am.* 15. 44. carere commodis. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 36. 87. *Ter. Heaut.* 5. 4. 17. comparare commodum suum ex alicujus commodo. Adde *Ter. Andr.* 4. 1. 4. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. § 27. consulere alicujus commodis. *Ter. Eun.* 5. 8. 3. contingunt commoda alicui subito. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 76. dare alicui. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 38. demere sibi. *Cic.* 3. *Off.* 6. 30. detrahere de alterius commodis. *Ter. Eun.* 2. 3. 81. frui commodis. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 4. inhibere commoda alicujus. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. inservire suis commodis. *Plaut. Most.* 1. 3. 118. invidere alicujus commodis. *Id.* 5. *Verr.* 78. 182. labefactare atque oppugnare alicujus commoda. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 37. limare commoda alicujus obliquo oculo. *Cic.* 3. *Off.* 2. 23. nocere alteri sui commodi causa. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 6. 28 *Id. Rosc. Am.* 38. 112. officere et obstare alicujus commodis. *Id.* 1. *Invent.* 1. 1. oppugnare commoda patriæ. *Quintil.* 7. 4. 10. petere commoda. *Cic. pro leg. Manil.* 24. 71. præferre commodis suis et rationibus aliquid. *Ter.*

Adelph. 2. 3. 9. Omnia sibi post putare præ alicujus commoda. *Id. Andr.* 4. 3. 24. remorari alicujus commoda. *Id. Hecyr.* 3. 5. 31. sequi alicujus commodum. *Ter. Heaut. prol.* 50. servire alicujus commodis. Adde *eumd. Hecyr.* 3. 5. 45. et *Cic.* 1. ad *Q. fr.* 1. 8. *Nepos Phoc.* 4. stare adversus commoda populi. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 42. sunt commoda ex aliquo. *Id. Andr.* 3. 3. 15. Plus mali est quam commodi.

Commodum, adverb. *V.* loco suo.

Commodo, adverb. *V.* loco suo.

COMMŒNĪO, is, ivi, itum, ire, *et*

COMMŒNĪTUS, a, um. *V.* COMMUNIO, is.

COMMŎLĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (*cum et* molior) est idem fere quod molior.

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 254. Cum commoliri tempestas fulmina cœptat. — Et figurate. *Statius Cæcil.* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Quem dolum ad eum, aut machinam commoliar. *h. e.* comminiscar.

II.) Translate. *Favorin.* apud *Gell.* 3. 19. Originem vocabuli confabricatus commolitusque magis est, quam enarravit.

COMMŎLĪTUS, a, um. *V.* COMMOLO.

COMMOLLĬO, is, ire, a. 4. (*cum et* mollio) idem quod mollio. *Marcell. Empir.* 8. *sub fin.* Duritias palpebrarum commollit ac discutit. Occurrit etiam in *Not. Tir.* p. 169. Commolliat.

COMMŎLO, is, ui, itum, ere, a. 3. (cum *et* molo). Part. *Commolitus* 1.; *Commolendus* 2. — Commolo est idem ac molo, mola premo. ¶ 1. Stricto sensu. *Colum.* 12. *R. R.* 28. 1. Minutissime aliquid commolere. *Id. ibid.* 50. 20. Olivam primo quoque tempore commolere, preloque subjicere. *Id. ibid.* 50. 18. Bacca (*olivæ*) commolita et expressa. ¶ 2. Latiori sensu significat cædere minutatim, et de arboribus usurpatur, quæ ictu fulminis attactæ fuerunt; etenim rami a fulmine tacti decidebantur, deinde adolebantur. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. 43. QVOD VI TEMPESTATIS ICTV FVLMINIS ARBORES SACRI LVCI DEAE DIAE ATTACTAE ARDVERINT, EARVMQVE ARBORVM ERVENDARVM, FERRO FENDENDARVM, ADOLENDARVM, COMMOLENDARVM, ITEM ALIARVM RESTITVENDARVM CAVSA.

COMMŎNĔFĂCĬO, facis, feci, factum, facere, a. 1. (commoneo et facio). Passive *Commonefio, fis, factus sum, fieri.* — Part. *Commonefaciendus.* — Commonefacio est mentionem facio, commemoro, commoneo. ¶ 1. Cum Accusativo personæ est idem quod commonere, monere: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 13. *Fam.* 72. 1. Scripserunt, te propter magnitudinem provinciæ – etiam atque etiam esse commonefaciendum. — Festive *Plaut. Stich.* 1. 2. 6. Vos monumentis commonefaciam bubulis. *h. e.* cædam loris bubulis. — *b*) Addito Genitivo rei. *Cic.* 4. *Herenn.* 24. 33. Cum ipse te veteris amicitiæ commonefaceret, commotus es. *Sall. Jug.* 53. Commonefacere milites beneficii sui. — Et passive. *Cic.* 7. *Verr.* 43. 111. Nemo est, qui legat, quin tui sceleris et crudelitatis ex illa oratione commonefiat. — *c*) Addito Ablativo rei et præp. *de. Impp. Theodos. et Valentin. Cod.* 1. 1. 3. Commonefacere subditos de religione. — *d*) Sequente relativo. *Q. Metellus* apud *Cic.* 5. *Fam.* 3. 2. Ad Lollium perscripsi; de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret et commonefaceret. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 19. — *e*) Sequente part. *ut. Cic.* 4. *Verr.* 17. 41. Illi eum commonefaciunt, ut etc. Adde *Dig.* 7. 43. 8. ¶ 2. Cum Accusativo rei, quæ in aliorum memoriam revocatur. *Cic.* 6. *Verr.* 64. 144. Laudatio, quæ commonefaceret istius turpem calamitosamque præturam. *Vitruv.* 2. 1. 5. *Schneid.* Commonefacere mores vetustatis. — Cum Accusativo et Infinito. *Tac.* 6. *Ann.* 12. Simul commonefecit, sanxisse Augustum, etc.

COMMŎNĔO, es, ui, itum, ere, a. 2. (*cum et* moneo). Part. *Commonitus* sub 1.° *a.* et *e.* — Commoneo est idem quod moneo, admoneo, sive in mentem revoco (It. *far venire in mente, ricordare, avvisare*; Fr. *faire souvenir, avertir, faire venir à l'esprit*; Hisp. *recordar, traer á la memoria, advertir*; Germ. *Imdn an etwas erinnern oder mahnen*; Angl. *to call to mind, remind, put in mind, advise, warn*). Occurrit autem — 1.°) Cum Accusativo personæ, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 8. Meretricem commoneri quam sane magni referat, nihil clam est. *Cic.* 3. *Fin.* 1. 3. Dicit Epicurus, ne argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum judicium ejus in sensibus, ut commoneri nos satis sit, nihil attineat doceri. Adde *Quintil.* 11. 3. 130. *Sueton. Tib.* 22. Commonito pro rostris populo. Adde *Cod. Theod.* 13. 9. 6. — Huc pertinet et illud *Quintil.* 11. 2. 28. Quarum (*notarum*) recordatio commoneat et quasi excitet memoriam. — *b*) Cum Accusativo personæ et Genitivo rei. *Plaut. Rud.* 3. 4. 38. Commonere aliquem suarum miseriarum. *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 44. Te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commonebant. Adde *Quintil.* 1. 5. 7. — *c*) Cum Accusativo et personæ et rei. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 27. Officium vestrum ut vos malo cogatis commonerier. *paragoge pro* commoneri. *Cic.* 6. *Verr.* 26. 57. Ut hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluxerat. — *d*) Cum Ablativo rei et præp. *de. Cic.* 3. *Verr.* 59. 154. Quis venit in Circum maximum, quin de avaritia tua commoneretur? *Id. Partit. orat.* 27. 96. Commonere aliquem de periculo. — *e*) Sequente relativo. *Plaut. Trin.* 4. 3. 43. Hoc qui in mentem venerit mihi, re ipsa modo commonitus sum. *Ter. Andr.* 1. 5. 17. Nunc me hospitem lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile, aliorum exempla me commonent. *Liv.* 34. 51. Commonitosque in quo statu rerum accepisset eos, dimisit. *Al. leg.* admonitos. Adde *Quintil.* 11. 2. 30. — *f*) Sequente *ut* vel *ne. Ter. Andr.* 1. 5. 45. Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem. Adde *Quintil.* 4. 1. 78.; *Dig.* 13. 6. 12. § 1.; et *Cod. Theod.* 8. 5. 7. *Cels.* 1. 3. Commoneo tamen, ne quis hoc cotidianum habeat. — 2.°) Cum Accusativo rei tantum. *Quintil.* 6. 1. 50. Cum amice aliquid commonemus. *Sil. It.* 13. 111. Postquam properata satis, quæ commonet usus. — 3.°) Cum Genitivo rei tantum. *Quintil.* 11. 2. 24. Horum tamen utcumque commonet locus.

H o m o n y m. Quid *commoneo* ab *admoneo* differat, *V.* in fine v. ADMONEO.

COMMŎNĬTĬO, ōnis, f. 3. (commoneo) monitio. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 54. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus illis commonitionibus matutinis etc. *Al. leg.* commotionibus: *Orell.* commentationibus. *Quintil.* 4. 2. 51. Non inutilis erat in extrema parte commonitio. *Id.* 4. 1. 9. Si hæc commonitio judicis, quo se ad quæstionem acrius intendat. Adde *Cod.* 11. 73. 2. et *Cod. Theod.* 6. 35. 10.

COMMŎNĪTOR, ōris, m. 3. qui commonet. *Symmach.* 7. *Ep.* 105. Adjeci commonitorem. *Al. aliter leg.*

COMMŎNĪTŌRĬŎLUM, i, n. 2. parvum commonitorium. *Hieronym. Ep. ad Amand.* (*T.* 4. p. 161.). Reperi junctam epistolæ et commonitoriolo tuo brevem chartulam.

COMMŎNĪTŌRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

COMMŎNĪTŌRĬUS, a, um, adject. commonendo idoneus, ad commonitionem, sive ad recordationem pertinens. *Gennad. de vir. illustr.* 97. Epistolas velut commonitorias fidei reliquit. — Ceterum occurrit tantummodo apud Juris peritos. *Cod.* 1. 3. 33. *pr.* Sententia judicis commonitoria. *Suffragium commonitorium* est tacitus assensus concedendi rem aliquam, et conventio absque scriptura facta. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 4. 3. — Hinc

Commonitorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, scriptum vel epistolam denotat, qua quis officii admonetur, ut sunt mandata, quæ scriptis dantur legatis proficiscentibus.

I.) Proprie. *Ammian.* 28. 1. Commonitorium repertum est manu scriptum Hymetii. Adde *Symmach.* 6. *Ep.* 21.; *Cod.* 12. 50. 10. § 1.; *Cod. Theod.* 2. 29. 2. § 3., 6. 29. 10. et 7. 4. 27.; et *Augustin. Ep.* 129. *in fin.*

II.) Figurate. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. in *Carm.* Phœbus commonitorium Thaliæ.

COMMŎNĪTUS, a, um. *V.* COMMONEO.

COMMONSTRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMMONSTRO, as, avi, atum, are, a. 1. (cum *et* monstro). *Commonstrasso* ἀρχαϊκῶς pro *commonstravero* habet *Plaut. Epid.* 3. 4. 5. — Part. *Commonstratus.* — Commonstro est idem quod monstro, ostendo (It. *mostrare*; Fr. *montrer*; Hisp. *mostrar*; Germ. *zeigend nachweisen*; Angl. *to show, point out*). Occurrit — *a*) Absolute, sive cum Accusativo tantum. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 83. Commonstra, si novisti, Agorastoclem. Adde *eumd. Epid. loc. cit.*; et *Ter. Phorm.* 2. 1. 75. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 203. Commonstrare viam. *Id.* 2. *ibid.* 39. 162. sedes argumentorum. *Id. Tim.* 12. 37. leges fatales ac necessarias. *Id.* 3. *Orat.* 55. 210. Si non sunt omnes patefacti, at certe commonstrati loci. — Et cum Dativo personæ. *Ter. Heaut.* 5. 4. 4. Commonstrare parentes suos alicui. *Cic.* 2. *Orat.* 41. 162. aurum alicui. — *b*) Sequente Relativo. *Plaut. Curc.* 4. 1. 6. Commonstrabo, quo facile invenietis loco.

COMMŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus commorandi, sive longa mora.

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Fam.* 19. 1. Nam et villa et amœnitas illa commorationis est, non diversorii. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 7. Multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum. *h. e.* moram, cunctationem. *Id.* 9. *Fam.* 15. 3. Quod autem alterà epistolà purgas te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem commorationis urbanæ, neque ego aliter accepi. *Ita leg. nonnulli, neque immerito, quamvis* Cod. Medic. aliique atque ideo ipse Orell. *pro* commorationis, *leg.* moderationis. *Orell.* enim hanc subdit explicationem: Ut in urbe remanens, moderatione uterer, nec nimis aperte pristinam libertatem requirens, Cæsarem offenderem, vel eo ipso fortasse, quod Neapolim proficiscerer.

II.) Improprie *commoratio* est figura rhetorica, cum in loco firmissimo, quo tota causa continetur, manetur diutius, et eodem sæpius reditur, ut *Cic.* 4. *Herenn.* 45. 58. definit. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 53. 202.; et *Quintil.* 9. 1. 27. et 9. 2. 4.

COMMORDEO, es, ere, a. 2. (cum *et* mordeo). Part. *Commorsus* vide in ALYSSON, ubi afferuntur verba *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 57. (95). ubi tamen plerique, inter quos et *Sillig*, pro *commorsos* legunt *morsus.* — Commordeo est idem quod mordeo, vel furiose mordeo.

I.) Proprie. *Seneca* 4. *Controv.* 29. Quædam feræ tela ipsa commordent.

II.) Translate. *Seneca Vita beat.* 21. Infelicem linguam bonorum exercete convicio: instate, commordete.

COMMŎRĬOR, mŏrĕris, mortuus sum, mŏri, dep. 3. (cum *et* morior). Part. *Commoriens* et *Commortuus* 1. — Commorior est simul morior (It. *morire insieme*; Fr. *mourir avec, en même temps*; Hisp. *morir juntos*; Germ. *zusammensterben*; Angl. *to die along with, die together*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (47). *de gallis dimicantibus.* Nec finis sæpe commorientibus. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 11. 11. (32)., et *Dig.* 28. 1. 32. § 14. — Hinc *Commorientes*, Græce συναποθνήσκοντες, titulus fuit comœdiæ Plautinæ, teste *Ter. Adelph. prol.* 7. Et ea fragmentum affert *Priscian. sub fin. l.* 6. p. 725. *Putsch.* — *b*) Cum Dativo. *Sall. fragm.* 2. *Histor.* apud *Arusian. Mess.* p. 220. *Lindemann.* Obviam ire et commori hostibus. *Seneca Ep.* 77. 11. Fortior esses, si multa hominum millia tibi commorerentur. *h. e.* tecum una. *Ambros.* in *Luc.* 10. 22. Venit ergo, ut consepultos per baptismum et commortuos Christo ad perpetuitatis gratiam reservaret. — *c*) Cum Ablativo et præp. *cum. Liv. Epit.* 2. In acie cum Arunte commortuus est. *Val. Max.* 6. 8. 2. Commori cum aliquo.

II.) Figurate. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Duo venena commoriuntur. *h. e.* propria vi destituuntur.

COMMŎRO, as, are, n. 1. pro *commoror, aris*, tamquam Latinum atque in usu apud vetustissimos, enumerat *Priscian.* 8. p. 797. *Putsch.* inter verba, quæ duplicem positionem, activam et passivam habent. Quidam confirmant etiam auctoritate *Plinii* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (116)., sed eo loco incerta admodum lectio est. Certior est apud *Isid.* 11. *Orig.* 3. Quæ (*Sirenes*) inde in fluctibus commorasse dicuntur, quia fluctus Venerem creaverunt.

COMMŎROR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (cum *et* moror). De alia forma *Commoro, as, V.* voc. præced. — Part. *Commorans*, *Commoratus*, et *Commoraturus* sub *A.* — Commoror est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Verbum transitivum; et duo diversa significat, scilicet

A) Commoror, tamquam Verbum neutrum, est idem quod moror, vel multum moror in loco, aut in re aliqua; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Senect.* 23. 84. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum (*vitam*) dedit. Adde *eumd.* 1. *ad Brut.* 18. 1. *Id. Rosc. Com.* 16. 48. Ipsa mihi veritas manum injecit et paullisper consistere et commorari coegit. *Id. Mil.* 10. 28. Paullisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est. *Plin.* 22. *Hist.*

nat. 25. 71. (147). Elelisphacos cum vino commorantes menses trahit, abundantes sistit etc. *Id.* 19. *ibid.* 8. 34. (116). Si paullum commorere. *Sueton. Tib.* 11. Ad occasionem majoris spei commorari. — *b*) Addito loco, ubi quis moratur, aut studio vel re, in qua quis moratur: sæpe cum Accusativo temporis, vel cum aliquo Adverbio. *Ter. Phorm.* 4. 1. 6. Quid illic tamdiu, quæso, igitur commorabare, ubi id audieras? *Cic.* 6. *Fam.* 19. *in fin.* Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat. *Id. Quinct.* 6. 23. Romæ dies triginta fere Quinctius commoratur. *Id.* 5. *Att.* 12. 3. Commorari Romæ. *Id.* 3. *Fam.* 5. 5. Ephesi triduum sum commoratus. *Id.* 7. *Verr.* 36. 95. Prædones unam solam noctem ad Pelorum commorati. *Id.* 16. *Fam.* 3. 1. Commorari unum diem apud Alyziam. *Id. Manil.* 5. 13. diutissime apud aliquem. *Id. Cluent.* 13. 37. Cum ibi diem posterum commoraretur. *Pompej. ad Domit. post ep.* 12. *l.* 8. *Cic. ad Att.* c. Commorari circum istæc loca. *Sueton. Aug.* 17. Brundisii. *Dig.* 50. 5. 4. plus justo temporis itinere aut in alio loco. *Ibid.* 33. 7. 18. § 3. in regione. — *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 6. diutius in tam misera, tamque turpi vita commorari. *Id.* 6. *Fam.* 10. in armis civilibus. *Id. Cluent.* 19. 53. Cum pluribus verbis in eo (*h. e.* dicendo) commoratus essem, Scamandro factas insidias esse. *Id. Orat.* 40. 137. Versare multis modis eamdem rem, et hærere in eadem commorarique sententia. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 72. 292. et *Quintil.* 9. 1. 41. *Quintil.* 8. 3. 46. in eo vitio. *Id.* 11. 3. 156. in toga componenda. *Id.* 8. *procem.* 31. cum singulis pæne syllabis.

B) Active cum Accusativo est retardare, detinere. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 51. Me nunc commoror, cum has fores non ferio. *Id. Amph.* 2. 2. 58. An te auspicium commoratum est? Adde *eumd. Men.* 1. 2. 64.

COMMORSICO, *as*, are, a. 1. *frequent. a* commordeo. *Apul.* 7. *Met.* Dentium candentium renudatis hastis totum me commorsicat.

COMMORSUS, *a*, um. *V.* COMMORDEO.

COMMORTĀLIS, le, adject. mortalis. *Colum.* 3. *R. R.* 20. 4. Quæ propter infirmitatem commortalis naturæ consequi nequeamus. *At lectio valde dubia videtur.*

COMMORTŪUS, a, um. *V.* COMMORIOR.

COMMŌSIS, is, f. 3. κόμμωσις, primum mellificii fundamentum, ex tenaci et viscosa constans materia, a κόμμι, quod Latini *cummi* vel *gummi* dicunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 7. 6. (16).

COMMOTĀCŪLA. *V.* COMMENTACULA.

COMMOTĒ, adverb. cum commotione: occurrit tantum Comp. *Commotius* apud *Augustin. de dono Persever.* 53. Et contradicens aliquanto commotius, pæne cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit.

COMMŌTIÆ (*lymphæ*) ad lacum Catiliensem a commotu, quod ibi insula in aqua commovetur. *Varro* 5. *L. L.* 71. *Müll.*

COMMŌTĬO, ōnis, f. 3. actus commovendi, motus (*It. commozione, agitazione; Fr. mouvement, commotion; Hisp. movimiento, conmocion; Germ. durchschütteInde Bewegung; Angl. commotion, agitation*).

I.) Proprie. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 5. Addunt (*vino*) glycyrrhizæ aliquantulum, et utuntur, cum diu vasorum commotione miscuerint. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. Gravior gestationis commotio. *Id.* 1. *ibid.* 13. Ventris commotio. Adde *Cod.* 1. 27. 2. § 8.

II.) Translate de animo. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 13. Voluptati duas res subjiciunt, lætitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. *Id.* 4. *Tusc.* 28. 61. Commotiones animorum a recta ratione aversæ sunt vitiosæ. *Id.* 5. *ibid.* 14. 42. Temperantia est moderatrix omnium commotionum. *Id.* 3. *ibid.* 4. 8. Commotio animi. *Quintil.* 5. 10. 28. Commotionem accipi volunt temporarium animi motum, sicut iram, pavorem. Adde *Lactant.* 6. 15. et 7. 10.; et *Cod. Theod.* 11. 36. 14.

COMMŌTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* commotio, exigua commotio. *Cic.* 12. *Att.* 11. Atticæ hilaritatem libenter audio, commotiunculis συμπάσχω. *h. e.* levibus ejus febriculis maxime afficior; has supra *Id. ibid.* 6. *horrores* appellaverat. Hinc *Plaut. Pers.* 1. 2. 25. Nunc hac introibo: visam hesternas reliquias, quierint recte, necne: num fuerit febris.

COMMŌTO, *as*, are, a. 1. *frequent. a* commoveo. *Theod. Priscian.* 1. 8. Assidue commotare. *At in edit. Ald. a.* 1547. *aliter omnino legimus in hoc cap., scilicet:* Easdem (*parotidas*) frequenter per initia mollientes spongia in posculis infusa compescimus, assidue humectando.

COMMŌTRIA. *V.* COMOTRIA.

COMMŌTUS, a, um. *V.* COMMOVEO.

COMMŌTUS, us, m. 4. Idem quod commotio, sed in solo Ablativo casu apud *Varron.* 6. *L. L.* 71. *Müll.* A fontibus et fluminibus ac ceteris aquis dei, ut Tiberinus ab Tiberi, et ab lacu Velini Velinia, et Lymphæ Commotiæ ad lacum Catiliensem a commotu, quod ibi insula in aqua commovetur.

COMMŎVEO, mōves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (cum et moveo). *Commōrunt* per syncopen pro *commoverunt* occurrit apud *Lucret.* 2. 765.; *commōrit* pro *commoverit* apud *Horat.* 2. *Sat.* 1. 18. et *ibid.* 1. 45., et *Cœlium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. 1.; *commōsse* pro *commovisse* apud *Cic.* 7. *Verr.* 37. 96. et 7. *Fam.* 18. 3.; *commōrat* pro *commoverat* apud *Ter. Phorm.* 1. 2. 51. et *Turpilium* apud *Non. p.* 278. 2. *Merc.*; *commōsset* pro *commovisset* apud *Cic.* 5. *Verr.* 18. 45. et *Planc.* 37. 90. — Part. *Commotus* in omnibus paragr. et in fin.; *Commovendus* I. 1.° e. — Commoveo est idem quod moveo, vel potius simul aut valde moveo (*It. muovere, commuovere; Fr. mettre fortement en mouvement, mouvoir; Hisp. mover; Germ. in Bewegung setzen, verrücken, aus seiner Lage bringen, in Gang bringen, fortbringen, fortbewegen; Angl. to move together or wholly, move, stir, remove*).

I.) Proprie, et quidem — 1.°) Absolute. — *a*) Generatim de pluribus ac diversis occurrit. *Cato R. R.* 107. Commoveto (*id quod coquitur*), videto ne aduras. *Plaut. Amph.* 1. 1. 186. Neque miser me commovere possum præ formidine. *Cic.* 2. *Orat.* 57. 233. Eorum, qui agunt in scæna, spectante Roscio, quis se commovere potest, cujus ille vitia non videat? Similiter *se commovere*, modo proprie, modo figurate, occurrit apud *Plaut. Truc.* 4. 3. 44.; *Cic.* 1. *Cat.* 3. 7.; *Nepot. Ages.* 6.; *Liv.* 2. 54. et 21. 62.; et *Plin. Paneg.* 64. Paullo aliter *Cic. Mil.* 31. 85. Religiones mehercule ipsæ, quæ illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur et jus in illo suum retinuisse. *Id.* 3. *Verr.* 55. 145. Atque in illis columnis dico esse, quæ a tuo redemptore commotæ non sint. *Id.* 2. *Orat.* 44. 186. Facilius est enim currentem, ut ajunt, incitare, quam commovere languentem. *Id.* 5. *Fam.* 20. 1. Etsi mei commodi causa commovere me noluisti. *Lucret.* 2. 765. Ut mare, quum magni commōrunt æquora venti, Vertitur in canos – fluctus. *Id.* 6. 1118. Commovet se cælum. *Virg.* 2. *Æn.* 217. avis – commovet alas. *Id.* 7. *ibid.* 494. Hunc (*cervum*) procul errantem rabidæ venantis Iuli Commovere canes. *Curt.* 5. 3. 20. Ea ipsa (*saxa*) – in eos, qui commoverant, recidebant. *Id.* 8. 4. 12. Hic calor stupentia membra commovit. *Seneca Agam.* 633. Parmæ commotæ sonuere. *Val. Flacc.* 5. 71. Jam prora fretum commoverat. *Id.* 2. 33. Commovere molem. *Sil. It.* 4. 93. ubi commoto docuerunt pulvere nubes, Hostem ferre gradum. *Id.* 6. 59. pennâ commotâ volucris. *Petron. Satyr.* 113. Commovere caput. *Id. ibid.* 27. labra. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 3. ancilia. — Huc pertinent et illa *Colum.* 2. *R. R.* 2. 26. Commovere colla. *h. e.* a naturali positione removere. *Cic.* 2. *Att.* 7. 2. Commovere bilem. *h. e.* ira incitari. *Curt.* 4. 1. 38. et *Sil. It.* 8. 404. Commovere arma. *h. e.* figurate bellum inferre. Similiter *Cic. Planc.* 37. 90. omnium parricidiorum tela. — *b*) Speciatim est e *loco movere*, et eleganter in re militari usurpatur. *Liv.* 9. 40. Ingens fuit certamen inter dictatorem et magistrum equitum, ab utra parte victoria inciperet: prior Junius commovit hostem, lævo dextrum cornu. Et translate *Cic.* 2. *Divinat.* 10. 26. Nunc comminus agamus experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuæ. — *c*) Item speciatim *nummus commoveri* dicitur, cum ex ærario expenditur alicui creditori; sive quum senatus, aut consulis, aut prætoris jussu, chirographo vero quæstoris, itemque mensarii publici ex ærario alicui solvitur. *Cic. Fontej.* 1. 1. Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur. *Id. fragm. pro Fontejo* (*edente B. G. Niebhurio*) p. 63. Extra ordinem pecunia est data? Immo vero nummus nullus sine litteris multis commotus est. *Id. Flacc.* 19. 44. Cum civitate mihi res est acerrima et conficiendarum litterarum diligentissima; in qua nummus commoveri nullus potest sine quinque prætoribus, tribus quæstoribus, quatuor mensariis, qui apud illos (*Temnitas in Cilicia*) a populo creantur. — *d*) Item in re agraria apud *Cic.* 3. *Verr.* 18. 45. Glebam non commovere in agro. *h. e.* nihil omnino agere. — *e*) Item *commoveri sacra* dicebantur, cum solemnibus diebus aperiebantur templa deorum instaurandi sacrificii causa. Tunc enim deorum simulacra mano commovebantur. Hoc vulgo *apertiones* appellabant. Ita *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 301. Commota sacra. ubi *V.* Interppr. Quia vero qui hæc faciebant, ea occasione solebant miras voces edere; hinc jocülariter *Plaut. Pseud.* 1. 1. 107. Scis tu quidem, mea si commovi sacra, quo pacto et quantas soleam turbellas dare. *h. e.* si artes et fallacias meas instauravi. *Forcellinus* ait, at fortasse minus recte, huc pertinere illud quoque *Horat.* 2. *Sat.* 1. 45. at ille Qui me commorit (melius non tangere clamo) Flebit, et insignis tota cantabitur Urbe. *Plaut.* potius respexit (quod et *Taubmann.* observat) ad illa *Catonis R. R.* 134. Priusquam porcum immolabis, Jano struem commoveto, sic: Jane pater te hac strue commovenda bonas preces precor etc. *V.* OBMOVEO et MOVEO. Sic *Seneca Med.* 786. Commovere tripodes. — *f*) Denique *aciem commovere* apud *Liv.* 2. 65. et 9. 27. est instructa acie ad prælium incedere. Cf. *eumd.* 2. 10. — 2.°) Addito loco, a quo aliquid amovetur. *Sisenna* apud *Non.* p. 33. 20. *Merc.* Agmen perturbatum pedites insinuant ac loco commovent. *Cic.* 7. *Verr.* 37. 96. Commovere castra ex aliquo loco. *Id.* 5. *Fin.* 15. 42. se ex loco aliquo. *Id.* 6. *Fam.* 20. 3. Te istinc ne commoveas. *Id.* 3. *ibid.* 5. 2. Qui se domo non commoverunt. *Id.* 3. *Att.* 13. 1. Commovere se Thessalonica. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 12. favos sedibus suis.

II.) Translate usurpatur *A*) de personis, et *B*) de inanimis et abstractis.

A) De personis, commovere est incitare, agitare; vel generatim afficere: ad rem *Ter. Heaut.* 4. 4. 8. Dormiunt: ego pol istos commovebo. *Id. Andr.* 5. 2. 23. Ego te jam commotum reddam. *h. e.* turbatum, sollicitum, anxium. — Ceterum ¶ 1. Ponitur de morbosa corporis, aut animi commotione, ut generatim colligimus ex *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (108). Afflantur alii sidere, alii commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 1. Huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat (*h. e.* levi febricula tentatus fuerat), defuit: a. d. VII. Id. April. veni ad Quintum, eumque vidi plane integrum. — Porro hoc sensu de animi seu mentis perturbatione sæpius occurrit Part. præter. pass. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 80. Flexanima tamquam lymphata aut Bacchi sacris commota. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 208. Qui species alias veri scelerisque tumultu Permixtas capiet, commotus habebitur. *h. e.* insanus. *Et eodem sensu Id. ibid.* v. 278. Commota mens. Similiter *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 40. (152). Commotæ mentes. *Et id.* 23. *ibid.* 1. 16. (23). Commotus mente. *h. e.* mente perculsus ex morbo, ἀπόπληκτος. *Tac.* 6. *Ann.* 45. Cajus commotus ingenio. *h. e.* captus. ¶ 2. Morali ratione, ponitur de affectionibus, quæ animum afficiunt et perturbant; et quidem — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 2. 3. 25. SIM. Tace. DAV. Commovi. *Id. Phorm.* 1. 2. 51. Commōrat (*puella*) omnes nos. *h. e.* animos nostros graviter affecit. *Cic. Rabir. perduell.* 6. 18. Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur. *h. e.* nihil me terret. *Id. Ligar.* 3. 9. Nimis urgeo: commoveri videtur adolescens. *h. e.* perturbari. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 5. 2. Commovit me. *h. e.* id mihi persuasit. Adde *eumd. Rosc. Am.* 41. 119., 9. *Fam.* 16. 1. et 16. *ibid.* 18. 2. *Id.* 2. *Orat.* 45. 189. et *Quintil.* 6. 2. 7. Commovere judices. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 13. 41., 6. *Verr.* 50. 110. et 3. *ad Q. fr.* 5. 4. Commoveri animo. *Id.* 4. *Verr.* 34. 82. Omnia domo ejus abstulit, quæ paullo magis animum cujuspiam aut oculos possent commovere. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Si quos adversum prælium et fuga Gallorum commoveret. *Curt.* 8. 3. 14. Variæ hinc cogitationes invicem animum diversa agitantem commoverant. *Quintil.* 6. 1. 51. Commovere theatrum. *Id.* 6. 1. 38. Commotus vultu. *h. e.* turbatus. — Similiter Part. præter. pass. absolute usurpatur. *Virg.* 1. *Æn.* 126. Sensit Neptunus graviter commotus. *h. e.* indignatus. Sic apud *Sueton. Aug.* 51. et *Tib.* 51. commotus pro irato ponitur. Cf. *Ter. Phorm.* 1. 4. 6. *Claudian.* 1. *Rufin.* 182. commoti pectoris ignis. *h. e.* irati. *V.* et *Commotus* in fin. — *b*) Addito

Ablativo rei, qua quis commovetur. *Ennius* apud *Varron.* 6. *L. L.* 67. *Müll.* Nihil me increpitando commoves. *Ter. Andr.* 5. 1. 34. Ita animus commotus metu, spe, gaudio. *Turpilius* apud *Non. p.* 278. 2. *Merc.* Commórat hominem lacrimis. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 23. Noster autem exercitus – nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commovebatur. *Id.* 7. *Fam.* 17. 1. Commoveri litteris alicujus. *Id.* 3. *ibid.* 10. 1. primo nuncio. Adde *Nepot. Datam.* 7. Rursus *Cic.* 7. *Fam.* 17. 2. commendatione alicujus. *Id. Arch.* 5. 9. unius litteræ liturâ. *Id. Fontej.* 16. 36. alicujus miseriis et periculis. *Id. Mur.* 19. 40. Antonii ludis. *Id.* 1. *Invent.* 55. 106. conquestione. *Id.* 4. *Tusc.* 8. 18. proditoris supplicio misericordiâ. *Id.* 1. *Off.* 29. 102. Commotus aut libidine aliqua, aut metu. *Id.* 5. *Fam.* 6. 2. gratulatione alicujus. *Id. Pis.* 25. 61. levi cupiditate. *Id.* 1. *Herenn.* 1. 1. spe quæstus aut gloria. *Lucret.* 3. 153. Mens commota metu. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Commoveri et amore fraterno et existimatione vulgi. *Id.* 2. *B. C.* 12. Hostes turris repentina ruina commoti. *Sall. Cat.* 32. et *Ovid.* 6. *Met.* 549. irâ. *Virg.* 4. *G.* 471. Umbræ Erebi commotæ cantu. *Nepos Alcib.* 10. Commotus his rebus. *Id. Datam.* 6. nova re. *Id. Dion.* 2. sermone. *Curt.* 6. 9. 10. Commoveri periculo alicujus. *Id.* 6. 9. 28. Commovere concionem oratione. *Id.* 4. 10. 26. Commotus multiplici expectatione. *Id.* 4. 2. 15. indigna nece. *Id.* 8. 11. 17. militum interitu. *Id.* 8. 14. 41. non odio, sed miseratione. *Id.* 9. 5. 11. dedecoris indignitate. *Sil. It.* 3. 512. promissis. *Stat.* 9. *Theb.* 831. justis querelis. — c) Cum Ablat. et præp. *in*, h. e. *commoveri in aliqua re*, ut apud *Ter. Andr.* 1. 1. 66. Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi, neque commovetur animus in ea re tamen. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 125. Vidi enim vos in hoc nomine, cum testis diceret, commoveri. — Similiter dixit *Ter. Eun.* 3. 5. 19. In hac (*virgine*) commotus sum. *h. e.* amore arsi. — d) Cum Ablat. et præp. *ex. Auct. B. Afr.* 57. Cum commoti ex tali incommodo essent. *Id. ibid.* 72. Quibus ex rebus Cæsar vehementer commovebatur. — e) Denique *commovere aliquem ad aliquid*, vel *ut aliquid faciat*, est excitare, incitare. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 5. 4. Ne sane satis commoveor animo ad ea, quæ vis, canenda. *Id.* 4. *Herenn.* 40. 52. Commovere homines ad turpe compendium. *Id.* 1. *ibid.* 1. 1. aliquem, ut conscribat. Cf. *Ter. Andr.* 1. 5. 45.

B) De inanimis et abstractis ¶ 1. Ponitur pro rem movere, ut ipsa turbetur, ut inde periculum ipsi oriatur. *Cic.* 4. *Fin.* 19. 53. Et sis, si una littera commota sit, fore, tota ut labet disciplina. Utrum igitur tibi litteram videor, an totas paginas commovere? *Id.* 2. *Orat.* 51. 205. Si convellere adoriamur ea, quæ non possint commoveri. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 5. Id impositum perniciem commoveret. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Hinc inopia rei nummariæ commoto simul omnium ære alieno. *h. e.* pecuniæ feneb̄ris ratione perturbata, sive imminente periculo amissionis pecuniæ creditæ. ¶ 2. Item est in lucem pertrahere, promovere, excitare: et occurrit — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 18. Philo – dum nova quædam commovet, – et aperte mentitur etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 4. 8. Quod – sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commoverim. *h. e.* excitaverim. *Id.* 1. *Orat.* 25. 114. *de animo et ingenio.* Præclare se res habet, si hæc accendi et commoveri arte possint: inseri quidem et donari ab arte non possunt. *Id.* 2. *ibid.* 5. 20. Porticus, palæstra et sessiones gymnasiorum et Græcarum disputationum memoriam commovent. *Id. ibid.* 66. 266. Risus est commotus. *Id.* 7. *Verr.* 8. 20. Commovere bellum aut tumultum. Adde *eumd.* 9. *Fam.* 13. *Lucret.* 5. 1434. magnos belli æstus. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. 1. tantas turbas. — b) Speciatim usurpatur de animi affectionibus. *Cic.* 2. *Orat.* 47. 195. Commovere misericordiam, invidiam, iracundiam alicui. *Id.* 6. *Verr.* 21. 47. magnum et acerbum dolorem alicui. *Id.* 3. *Phil.* 7. 18. invidiam in aliquem. *Id.* 1. *Invent.* 54. 103. odium summum in aliquem. *Id. Cluent.* 64. 180. suspicionem in aliquem. *Id.* 1. *Att.* 4. crebras expectationes sui. *Curt.* 5. 5. 7. plures lacrimas. *Quintil.* 6. 1. 46. et 10. 1. 64. miserationem. *V.* præcipue *eumd. Quintil.* 4. procem. 6., 5. 8. 3. et 6. 2. 9. — Hinc Part. præter. pass.

Commotus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Commotior. Cic.* 3. *Orat.* 9. 32. Genus dicendi in agendo commotus. *Id.* 1. *Divinat.* 37. 113. Actio non potest esse vehemens, nisi est animus ipse commotior. *Id. Brut.* 34. 129. Patronus – genere toto paullo fervidior atque commotior. *Liv.* 6. 14. Consilium commotius ad omnia turbanda. *Al.*, minus recte, *leg.* commodius. *Seneca Ep.* 116. *a med.* vocat amorem, rem commotam impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi. *h. e.* turbatam, seu turbulentam, turbidam, vel insanam, præcipitem. *Tac.* 12. *Ann.* 55. Cilicum nationes commotæ. *h. e.* ad rebellionem commotæ. Sic *Id.* 14. *ibid.* 31. Commoti ad rebellationem Trinobantes. *Id.* 4. *ibid.* 3. Drusus commotior animo. *h. e.* incensus, inflammatus. *Id.* 11. *ibid.* 2. Commotus majorem in modum Claudius. *h. e.* misericordiâ permotus.

COMMUGENTO, *convocanto. Paul. Diac. p.* 65. 17. *Müll.*

COMMULCEO, es, ere, a. 2. (cum *et* mulceo). Part. *Commulcens* I. — Commulceo est idem quod mulceo, delinio, mitigo.

I.) Proprie. *Apul.* 9. *Met.* Trepidantem puerum commulcens.

II.) Translate. *Tiro Cic. lib.* apud *Gell.* 7. 3. Commulcere sensus judicum honorificis verecundisque sententiis. *Arnob.* 1. 59. Commulcere aures (*dicendo*). *Id.* 7. 28. Tus narium commulcet sensus.

COMMULCO, as, are, a. 1. (*cum et* mulco) idem fere ac mulco. *Apul.* 8. *Met.* Indidem sese multinodis commulcat ictibus.

COMMULGEO, mulges, mulsi, mulgere, a. 2. (cum *et* mulgeo) totum mulgeo. Translate *Lucret.* 4. 1203. Et commiscendo cum semen forte virile Femina commulsit subita vi, corripuitque. *Alii tamen aliter leg.*

COMMULTĬPLĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *commultiplico*, simul multiplicatus. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1216. Horum latus, id est quinque, cathetum constituit; aream autem basis medietas et cathetus commultiplicati metiuntur.

COMMŪNĀLIS, e, adject. *Aggen. Urbic. de limit. agror. p.* 66. scribit in Etruria *communalia loca* appellari loca compascua, in commune aliquibus assignata, quæ apud *Frontin. ibid. p.* 41. *Goes. communia* absolute dicuntur.

COMMUNDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMMUNDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* mundo). Part. *Communddatus* et *Commundandus.* — Commundo est idem quod mundo. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 3. Vasa aqua dulci eluenda sunt, et commundanda. *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. § 10. Mulier ex somno statim ornata, non tamen commundata. Ita *Torrentin.* Al. leg. *emundata. Ulp. Dig. loc. cit.* Mulieres, quæ se commundaverint lotæ in balneo. *Jul. Obsequ. de prodig.* 115. Commundatum templum.

COMMŪNE, is, n. 3. *V.* COMMUNIS.

COMMUNEFACIO, facis, feci, factum, facere, a. 3. communem facere. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 751. Communefacit, *communefecit*, communefactum.

COMMŪNĬCĀBĬLIS, e, adject. qui communicari potest. *Boeth. in libr. de interpr. ed. sec. p.* 340. Nec vero hoc nunc dicitur, quod nomen Platonis de pluribus non potest prædicari, sed proprietas Platonis. Illa enim proprietas naturaliter de pluribus non dicitur, sicut hominis, et ideo incommunicabilis qualitas est ipsa Platonitas, communicabilis vero qualitas universalis, quæ et in pluribus et in singulis est. *Ambros. de Dignit. Sacerd* 1. Sed cunctis eam (*pecuniam*) communicabilem faciens.

COMMŪNĬCĀBĬLĬTER, adverb. vicissim. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 5. *p.* 526. Si triangulus non esset alius, quam isosceles, secundum quod isosceles videretur utique inesse. Et proportionale, quod communicabiliter est, secundum quod numeri sunt, et secundum quod lineæ et secundum quod solida.

COMMŪNĬCĀRĬUS dies, qui et pandicularis, dicebatur, in quo omnibus diis communiter sacrificabatur. *Paul. Diac. p.* 220. 19. *Müll.*

COMMŪNĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. communicandi actus, participatio (*It. comunicazione*; *Fr. communication*; *Hisp. comunicacion, participation*; Germ. *die Theilhaftigmachung, das Austauschen, d. gegenseitige Mittheilung*; Angl. *an imparting, sharing, communicating*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Att.* 17. 6. Sermonis communicatio, quæ mihi suavissima tecum solet esse. *Id. Balb.* 13. 31. Largitio et communicatio civitatis. *Id.* 5. *Fin.* 23. 65. Conjunctio inter homines hominum, et quasi quædam societas et communicatio utilitatum. *Id.* 5. *Fam.* 19. 2. Communicatio consilii. *Tiro* apud *Gell.* 7. 3. criminis cum pluribus aliis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 80. (129). nominum. *Dig.* 23. 2. 1. juris. *Id.* 27. 3. 1. § 14. damni. ¶ 2. Speciatim est hoc nomine figura rhetorica, ἀνακοίνωσις, cum quasi cum iis ipsis, apud quos dicimus, deliberamus, aut adversarios ipsos consulimus: ut *Cato*: Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? *Cic.* 3. *Orat.* 53. 204.; et *Quintil.* 9. 1. 30. et 9. 2. 20. et 23.

COMMŪNĬCĀTĪVUS, a, um, adject. qui aptus est ad communicandum. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 2. 28. *p.* 521. Si vero duo habet propria totum genus, ut leo forte et communicativum, quo modo cognascemus utrum utriusque sit signum?

COMMŪNĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui communicat, et participem facit. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 4. 36. Familiaris communicatores rei. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ad fin.* Communicatores impietatis. ¶ 2. Speciatim apud *Tertull. Pudic.* 22. est particeps ecclesiasticæ communionis, excommunicato oppositus. Alii, inquit, ad metalla confugiunt, et inde communicatores revertuntur.

COMMŪNĬCĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui communicat. *Augustin. Ep.* 45. Et ad eum a transmarinis Ecclesiis communicatorias litteras mitti.

COMMŪNĬCĀTUS, a, um. *V.* COMMUNICO.

COMMŪNĬCĀTUS, us, m. 4. idem quod communicatio. *Apul. de Deo Socrat.* Nullo inter se propinquo communicatu.

COMMŪNĬCEPS, icipis, m. et f. 3. idem quod municeps, ejusdem municipii civis. *Inscript.* apud *Gruter.* 68. 3., quæ est apud *Orell.* 3062. C. OPPIVS C. L. LEONAS – ADLERSVS PATRONIS SANCTISSIMIS COMMVNICIPIBVS SVIS.

COMMŪNĬCO, as, āvi, ātum, are, 1. (communis). Part. *Communicans* I. 3. *a.*; *Communicatus* I. 1. *b.*; *Communicandus* I. 1. *a.* et I. 3. *a.*; *Communicaturus* I. 1. *b.* — Communico est commune facio cum aliis, ita ut id multorum sit (It. *comunicare*; Fr. *mettre en commun, communiquer*; Hisp. *comunicar*; Germ. *etwas unter Mehreren gemein oder gemeinschaftlich machen*; Angl. *to communicate, impart, commune, confer*). Occurrit autem *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active; et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Communicare est res aliquas cum aliis communes facere, ut hi omnes æqualiter participes earumdem sint, nullo prorsus discrimine inter communicantem et accipientes: et occurrit — a) Generatim. *Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Quod auxilium sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. *Id. ibid.* 48. 140. Desinent suam causam cum Chrysogono communicare. Adde *eumd. ibid.* 49. 142. *Id.* 5. *Verr.* 20. 50. Nam socii putandi sunt, quos inter res communicata est. *Id.* 1. *Legg.* 12. 33. Communicare aliquid inter omnes. *Id. Cluent.* 47. 130. Quod – illis censoribus erant judicia cum equestri ordine communicata. *Ascon.* ad *Cic. Pis.* 39. *p.* 16. 23. *Bait.* Qua (*lege*) communicata sunt judicia senatui et equitibus Romanis et tribunis ærariis. *Curt.* 6. 5. 30. Haud dubitavit (*mulier*) fateri, ad communicandos cum rege liberos, se venisse. *h. e.* ad liberos cum rege procreandos. *Sueton. Aug.* 75. *in fin.* Ut per singulos lectos licitatio fieret, et seu jactura seu lucrum communicaretur. *Id. Domit.* 7. Quædam ex maximis officiis inter libertinos equites Romanos communicare. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (108). Communicare laborem. *h. e.* æque inter se dividere. — *b*) Speciatim usurpatur de iis, quorum alios conscios et participes facimus voce aut scriptis: quo sensu occurrit *communicare de aliqua re inter se*, *aliquam rem inter se*, *aliquam rem cum alio*, *aliquam rem*, *de aliqua re* vel *persona cum aliquo*, et denique *communicare* absolute. *Cic.* 15. *Fam.* 14. 2. Ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus. *Id.* 11. *ibid.* 27. 2. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt. *Id. Quinct.* 4. 15. Cum et de societate inter se multa communicarent, et de tota illa ratione Gallicana. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Communicare consilia cum finitimis civitatibus. *Liv.* 6. 11. consilia cum plebejis magistratibus. Adde *eumd.* 10. 22., 28. 28., 37. 16., 38. 29. et alibi. *Id.* 3. 70. Communicando consilia laudesque. *Cæs.* 2. *B. C.* 4. et *Sueton. Cal.* 56. Communicare consilia. *Sall. Cat.* 18. consilium. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 3. Pompejus mecum sæpissime de te communicare solet. Adde *eumd.* 4.

ibid. 4. 5. *Cæs.* 3. *B. C.* 18. Quibus communicare de maximis rebus Pompejus consueverat. *Oberlinus* tamen edidit *Quibuscum.* Adde *Sueton. Tib.* 18. Eodem sensu *Liv.* absolute dixit 9. 14. Cum collega se communicaturum respondit. — *c*) Item speciatim rem cum re communicare, est æquis partibus permiscere, conjungere. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione facta cum dotibus communicant. *Cic.* 12. *Fam.* 2. 1. Quod ego periculum non extimesco, modo vestri facti gloriam cum mea laude communicet. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 3. Privabo potius illum debito testimonio, quam id cum mea laude communicem. ¶ 2. Communicare est etiam alios alicujus rei participes facere, ita tamen, ut qui dat seu communicat, supra ceteros emineat: sive communicare dicitur, qui ex propriis rebus partem quidem aliis dat, sed majorem sibi retinet: quo sensu *communicare aliquid cum aliquo* sæpius occurrit; et quidem — *a*) Generatim. *Cic. Amic.* 19. 70. Ut, si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant suis communicentque cum proximis. *Cic.* 5. *Fam.* 16. 5. Communicare curam doloris sui cum aliquo. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 11. 33. furta benignissime cum aliquo. *Id.* 7. *Verr.* 47. 125. hostium spolia et præmia laudis cum aliquo. *Id.* 2. *Invent.* 39. 114. præmia cum improbis. *Id. Pis.* 2. 5. Provinciam cum Antonio communicavi. *Ita legunt nonnulli atque ita legendum censet* Orell.; *alii* commutavi. *Cæs.* 7. *B. G.* 37. Cum his præmium communicat hortaturque etc. *Id.* 8. *ibid.* 19. Victoriæ gloriam cum legionibus communicare. *Sall. Cat.* 56. Alienum suis rationibus existimans, videri causam civium cum servis fugitivis communicasse. *Liv.* 23. 5. Civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum. *Id.* 22. 27. Sibi communicatum cum illo, non ademptum imperium esse. *h. e.* divisum cum illo. *Ovid.* 13. *Met.* 239. At sua Tydides mecum communicat acta. — *b*) Speciatim de iis, quorum alios conscios ac participes facimus voce aut scriptis. *Cic.* 1. *Att.* 18. 1. Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quocum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, una communicem. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 58. 250. *Cæs.* 6. *B. G.* 20. Si quis quid de republica a finitimis rumore ac fama acceperit, uti ad magistratum deferat, neve cum quo alio communicet. *Curt.* 6. 7. 21. Intrantemque admonet pridie communicatæ cum ipso rei. — *c*) Interdum et *communicare aliquid alicui* occurrit. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur *Id. ibid.* 23. *in fin.* Iis omnium domus patent victusque communicatur. *Mamertin. Paneg. Maxim.* 10. Exiguam sibi communicasse regionem. Cf. locum *Ascon.* superius cit. sub 1. *a.* — *d*) Item absolute *communicare aliquid* reperitur. *Ter. Andr.* 1. 5. 4. Nonne oportuit præscisse me ante, nonne prius communicatum oportuit? *Cic. Sull.* 3 9. Neque ego hoc partiendæ invidiæ, sed communicandæ laudis causa loquor. Oneris mei partem nemini impertio, gloriæ bonis omnibus. *Liv.* 4. 56. Si quando promiscui honores, communicata respublica esset, tum se animadversuros etc. *Quintil.* 9. 2. 22. Nonnumquam communicantes aliquid inexspectatum subjungimus. — *e*) Denique singularis est illa loquendi ratio apud *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 50. Communicabo te semper mensâ meâ. *h. e.* participem te faciam mensæ meæ, mensæ meæ te convivam adhibebo. ¶ 3. Denique communicare dicitur qui particeps fit, sive alicujus rei partem alteri demit sibique assumit; et — *a*) *Communicare aliquid cum aliquo* hac significatione usurpatur. *Plaut. Trin.* 1. 2. 153. Nunc ego te quæso, ut me – juves communicesque hanc mecum meam provinciam. *Cic. Amic.* 6. 22. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas, partiens communicansque, leviores *Id. ibid.* 7. 24. Si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est qui id non maximis efferat laudibus? *Id.* 15. *Fam.* 21. 2. Cum mecum inimicitias communicasti (*h. e.* te professus es inimicum inimicorum meorum), cum me concionibus tuis defendisti. V. *Zumpt.* ad *Cic.* 7. *Verr.* 2. 5. *Id. Cic. Brut.* 73. 254. Quo enim uno vincebamur a victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. — b) Absolute. *Tac. Agric.* 8. Primo Cerealis labores, modo et discrimina, mox et gloriam communicabat. *Quintil.* 8. *Declam.* 6. *ad fin.* Solos ergo communicabit misera planctus? *Gell.* 9. 12. Illud etiam dictum a Virgilio eamdem habet formam communicatæ ultro et citro significationis. *h. e.* ab uno sensu ad alium traductæ, ut ait *Forcellinus*; sive significationis modo activæ, modo passivæ.

II.) Translate pro inquinare adhibuit *Tertull.*, nempe quia quod cum aliis communicatur, polluitur quodammodo: et ipsa vox *communis* aliquando in Scripturis immundum significat, *Spectac.* 17. Quæ ore prolata communicant hominem. Adde *eumd. Patient.* 8.

B) Neutrorum more apud Scriptores Ecclesiasticos tantum — *a*) *Communicare alicui*, ex Gr. κοινωνεῖν τινι (*V. Kortte* ad *Cic.* 1. *Fam.* 7. 6.) ponitur pro conversari. *Justin.* 36. 2. *ad fin.* Caverunt, ne cum peregrinis communicarent. *Quidam MS. habent* convicerent: *V.* ibi Interppr. *Augustin. Ep.* 162. Communicare malis. *Sulpic. Sev. Dial.* 3. 11. Quotidie communicantes Ithacio. Adde *ibid.* 13. — *b*) *Communicare alicui rei* est participem esse. *Augustin. loc. cit.* Communicare altari Christi. *Id.* 3. *contra Crescon. grammat.* 36. Communicare peccatis alienis.

COMMŪNICOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. pro communem facere cum altero, occurrit apud *Liv.* tantummodo 1. 24. Jussosque suo consilio bellum – exsequi, nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus integram spem communicati non sint. V. *Alschefski* ad h. l.

COMMŪNĬO, ōnis, f. 3. (communis) communitas, societas (It. *comunanza*, *società*, *partecipazione*; Fr. *communauté*, *association*, *participation égale à quelque chose*; Hisp. *comunidad*, *sociedad*, *participation iguale*; Germ. *die Gemeinschaft*, *der gemeinsame Antheil*, *gemeinschaftliche Besitz*; Angl. *communion*, *mutual participation*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 23. Inter quos est communio legis, inter eos communio juris est. *Id. Balb.* 12. 29. Communio beneficiorum, præmiorum, civitatis. *Id.* 5. *Tusc.* 2. 5. litterarum et vocum. *Id. Rosc. Am.* 22. 63. Multum valet communio sanguinis. *Id.* 2. *Acad.* (*pr.*) 14. 44. visorum. *Id. Mil.* 37. 100. Bona, fortunas meas in communionem tuorum temporum contuli. *Id.* 1. *Orat.* 42. 189. Plures partes communione complecti. *Id.* 3. *ibid.* 19. 72. In pristina communione manere. *Tac.* 15. *Ann.* 43. Communio parietis. *Id.* 12. *ibid.* 19. victoriæ. *Sueton. Aug.* 74. Provocare ad communionem sermonis. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. Inire communionem sagariam. — *Communiones* dicuntur etiam agri indivisi, quique compascui sunt omnibus possessoribus in confinio positis, aliter dicuntur pascui in commune: alii omnino sunt agri publici, qui omnibus greges suos pascere volentibus communes sunt, quos vulgo *beni communali* appellamus. V. *De Lama* ad *Tab. alim. Vellej.* p. 36. et *Borghesi epist.* datam cl. Furlanetto die 26 Jun. a. 1826., quæ MSS. asservatur in Biblioth. Seminarii Patavini. *Tavola aliment. Vellejat.* a *Petro De Lama* edita, *col.* 3. *lin.* 54. Fundum Solonianum cum communionibus, qui est in Vellejate *et col.* 4. *lin.* 84. Fundum Antonianum, Collianum, Valerianum, Cornelianum cum communionibus. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiæ scriptores *communio* est consuetudo et conversatio mutua Christianorum inter se. *Sulpic. Sever.* 2. *Histor. sacr.* 45. Inire communionem cum aliquo. *Et ibid.* Secernere se a communione alicujus. *Et ibid.* 37. Suspendere aliquem a communione. *h. e.* excommunicare. *Augustin. in Psalm.* 57. *n.* 15. Imperatores nostræ communionis. *h. e.* Ecclesiæ catholicæ. *Id. Ep.* 51. 6. Privare aliquem communione sancti Altaris. *h. e.* Eucharistiæ.

COMMŪNĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (cum et munio). *Commœnio* pro *communio* occurrit apud *Fronton.*, cujus verba inferius afferuntur: cf. etiam *Gell.* 17. 11. — Communio est muris, aggere et fossa munio, vel valde munio.

I.) Proprie. *Cæs.* 1. *B. C.* 43. Quem tumulum si occupasset Cæsar et communisset, etc. *Id.* 5. *B. G.* 47.; *Liv.* 2. 32., 21. 32. et 42. 38.; et *Curt.* 5. 5. et 6. 4. Communire castra. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. et *Nepos Alcib.* 7. castella. *Nepos Miltiad.* 2. loca castellis idoneis. *Liv.* 22. 32. Hibernacula mature communita. *Id.* 2. 49. Communire præsidium. *Flor.* 3. 19. *ad fin.* Communitas armis copias fame delevit. *h. e.* munitionibus inclusas. *Fronto de fer. Als.* (edente iterum Romæ *A. Majo*) ep. 3. Ditem quoque patrem ferunt causatum, amnibus, et paludibus, et stagnis Stygiis Acheruntem ægre commœniri. — Et figurate. *Gell.* 17. 11. Nihil humoris influere in pulmonem ore ipso arteriæ commœnito.

II.) Translate. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 6. Communire auctoritatem suiæ. *Id. Rosc. Com.* 15. 43. Causa Roscii testimoniis communita. *Id. Cæcin.* 26. 74. Jus parum communitum.

COMMŪNIS, e, adject. In *Senatuscons. de Bacchan.* legitur *comoinis* pro *communis.* — Comp. *Communior* et Sup. *Communissimus*, dubia tamen lectione, reperiuntur apud *Sueton. Claud.* 21. et *Vesp.* 22.; *V.* infra sub 2. — Ratione habita etymi, videtur esse a *cum* et *munus*, quia commune est, quod ad multorum munia seu munus pertinet, ut *Voss.* in *Etym.* in *Munus* docet; sive id, cujus pars seu munus pluribus est; ideoque *communis* opponitur *proprio*, ut apud *Quintil.* 7. 3. 24. Quod commune cum aliis est, desinit esse proprium. Et *Cic. Senect.* 11. 35. Non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. *Id. Balb.* 11. 27. Quod commune est liberorum populorum, non proprium fœderatorum. Adde *eumd.* 11. *Fam.* 31. 1. — Item *communis* opponitur *privato*, ut apud *Cic.* 1. *Off.* 7. 20. Deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. Adde *Horat.* 2. *Od.* 15. 13. et *Plin.* 1. *Ep.* 8. — Ceterum communis est qui est multorum, vulgaris, itemque publicus (It. *comune*, *pubblico*; Fr. *qui appartient à plusieurs ou à tous*, *commun*, *public*, *général*; Hisp. *comun*, *general*; Germ. *gemein*, *gemeinsam*, *gemeinschaftlich*, *allgemein* oder *öffentlich*; Angl. *common*, *the same*, *general*). Occurrit autem ¶ 1. Generatim. *Senatuscons. de Bacchan.* NEVE PECVNIAM QVISQVAM EORVM COMOINEM ..... ABVISE VELET. *Plaut. Trin.* 5. 2. 28. Megaronides communis hoc meus et tuus benevolus commentust. *Ter. Adelph.* 5. 3. 18. Vetus verbum hoc quidem est: Communia esse amicorum inter se omnia. Cf. *Cic.* 1. *Off.* 16. 51. Ut in Græcorum proverbio est amicorum esse communia omnia. Et *Nepos Epam.* 3. Ut posset judicari omnia ei cum amicis fuisse communia. *Cic. Rosc. com.* 10. 27. Panurgus fuit Fannii. Is fuit ei cum Roscio communis. *Id. Orat.* 17. 54. Quæ (*memoria*) communis est multarum artium. *Id. Prov. cons.* 9. 20. Ut commune officium censuræ communi animo et voluntate defenderent. *Id. ibid.* 1. 2. Quem dolorem vos communem semper vobis mecum esse duxistis. *Id.* 7. *Fam.* 12. Commune nihil potest esse apud eos, qui etc. *Id.* 1. *Off.* 17. 53. Multa enim sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia etc. *Id.* 3. *ibid.* 10. 45. Loquor autem de communibus amicitiis: nam in sapientibus viris perfectisque nihil potest esse tale. *Id.* 1. *Orat.* 54. 248. Aliud est enim esse artificem cujusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem, nec rudem. *Varro* 1. *R. R.* 8. 5. Quæ (*vinea*) sæpe vulpibus et hominibus fit communis. *Sall. Cat.* 1. Alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est. *Nepos Timol.* 1. Hac mente per haruspicem communemque affinem – fratrem tyrannum interficiendum curavit. *Liv.* 4. 20. Qui si in ea re sit error – existimatio communis omnibus est. *Id.* 42. 14. Martem esse communem et eventum incertum belli. *Horat.* 2. *Od.* 15. 13. Privatus illis census erat brevis, Commune magnum. *h. e.* census reipublicæ. *Id.* 1. *Ep.* 10. 34. Cervus equum pugna melior communibus herbis Pellebat. *Ovid.* 1. *Met.* 135. Communemque prius, ceu lumina solis et auras, Cautus humum longo signavit limite mensor. *Lucan.* 1. 85. Facta tribus dominis communis Roma. — *a*) Porro jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Nepos Arist.* 3. ærarium. *Quintil.* 3. 6. 41. appellatio. *Ovid.* 7. *Met.* 127.; *Quintil.* 6. proœm. 12.; et *Cod. Theod.* 11. 40. 12. aura. *Lucret.* 5. 956. et *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 16. bonum. *Cic.* 14. *Fam.* 3. 1. calamitas utriusque nostrum. *Id.* 13. *ibid.* 10. 2. et *Sall.* 3. 9. causa. *Id.* 1. *Orat.* 49. 213. causæ forenses et communes. *Nepos Arist.* 2. classis Græciæ. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 23. civitas communis deorum atque hominum. *Plin.* 1. *Ep.* 8. 13. commoda. *Cic.* 4. *Tusc.* 29. 63. conditio legque vitæ. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 152. conditione super communi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 24. 62. consuetudo et vita hominum. *Id.* 1. *Orat.* 51. 221. consuetudo vitæ. *Quintil.* 11. 1. 12. et 12. 2. 19. consuetudo loquendi. *Cincius* apud *Festum* p. 241. 13. *Müll.* consilium. *Ter. Adelph.* 5. 3. 7. corruptela nostrûm liberûm. *Tac.* 1. *Hist.* 89. curæ. *Id. Amic.* 4. 15. do-

mus et militia. *Id.* 4. *Verr.* 6. 18. et *Flacc.* 6. 13. fama atque sermo. *Quintil.* 3. 11. 6. filia. *Dig.* 35. 2. 25. *pr.* filius. *V. infra* natus et nati. *Cic.* 1. *Off.* 17. 58. fortuna cum propinquis. *Seneca Med.* 1002. fugæ. *Ovid. Heroid.* 15. 317. gaudia. *Quintil.* 11. 3. 92. gestus. *Id.* 2. 5. 11. habitus. *Cic.* 6. *Verr.* 9. 21. hostes communes omnium. *Id. Flacc.* 11. 24. humanitatis communis jus. *Id. Balb.* 5. 13. imperium. *Quintil.* 2. 16. 19., 3. 8. 2. et 9. 1. 12. intellectus. *Id.* 5. 10. 18. intellectus communis omnium. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 249. intelligentia. Cf. *eumd. Orat.* 33. 117. commune judicium popularisque intelligentia. *V. infra* mens et sensus. *Id.* 1. *Orat.* 36. 165. ista communia et pervagata. *Id.* 2. *ibid.* 52. 209. et 2. *Herenn.* 10. 14. jus. *Nepos Themist.* 7. jus gentium. *Lucan.* 10. 93. jura regni. *Cic.* 2. *Verr.* 7. 18. laus. *Nepos Pelop.* 4. laudes. *Cic.* 4. *Tusc.* 29. 63. lex vitæ. *Quintil.* 7. 1. 47. lex communis omnium. *Cic.* 2. *Herenn.* 10. 14. leges. *Id. Sext.* 1. 1. libertas. *Id.* 2. *Orat.* 17. 72. litteræ. *Id.* 4. *Verr.* 46. 112. et 13. *Fam.* 11. 1. loca. *h. e.* ædes publicæ, ut porticus, basilicæ, fora, etc. *Plaut. Cas. prol.* 19. locus communis. κατ' εὐφημισμὸν est Orcus, vel terra ipsa, quæ, ut ait *Lucret.* 5. 260., est rerum commune sepulcrum. *Seneca* 1. *Contror.* 2. locus communis. *h. e.* lupanar: ejus verba sunt: Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti. *Tac.* 6. *Ann.* 49. luctus parentum. *Cic. Quinct.* 23. 74. et 7. *Verr.* 9. 23. lux. *h. e.* diurna lux (cf. *Ovid.* 1. *Met.* 135. communia lumina solis. et *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 261. sol communis). *Plaut. Rud.* 4. 3. 36. mare commune omnibus. *Cic.* 6. *Fam.* 4. 1.; et *Liv.* 5. 12., 7. 8., 8. 23. 28. 41. et alibi. Mars belli (cf. ξυνὸς Ἐνυάλιος *Homer. Iliad.* 18. 309.). *Cic.* 3. *Orat.* 29. 115. mens communis. *V. supra* intellectus et intelligentia, et *infra* sensus. *Plin. Paneg.* 49. mensa. *Cic. Amic.* 4. 15. militia. *Id.* 7. *Fam.* 1. 1. mimi. *Id. Senect.* 19. 67. mors omni ætati est communis. *Eutrop.* 7. 8. mors communis. *h. e.* naturalis. *Cic. Orat.* 11. 36. mos verborum. *Quintil.* 3. 2. 17. mos loquendi. *Virg.* 2. *Æn.* 780. natus. *Id.* 4. *G.* 153. nati. *V. supra* filia et filius. *Quintil.* 9. 1. 7. nomen. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 25. natura omnium. *Seneca Thyest.* 139. nefas. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 33. nota veri et falsi. *Nepos Datam.* 10. odium. *Cic. Senect.* 1. 2. onus. *Id.* 2. *Off.* 13. 35. opinio. *Id.* 11. *Att.* 1. 1. et alibi. pericula. *Virg.* 4. *Æn.* 709. periculum commune ambobus. Adde *Tac. Agric.* 12. *Ter. Adelph.* 2. 1. 34. pernicies communis adolescentibus. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 3. pestis. *Ovid.* 5. *Met.* 523. pignus. *Virg.* 4. *Æn.* 102. populus. *Cic.* 1. *Orat.* 31. 137. et 1. *Fam.* 9. 23.; et *Quintil.* 2. 5. 15. præcepta omnium communia et contrita. *Cic.* 2. *Verr.* 46. 121. proverbia. *Id.* 4. *Fin.* 27. 76. prudentia. *Id.* 1. *Legg.* 7. 23. ratio communis est inter eos. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (40). ratio siderum peculiaris, neque communis cum supradictis. *Sisenna* apud *Non.* p. 522. 17. *Merc.* res communes. *h. e.* res publica; ejus verba sunt: Quondam Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 6. 36. *Cic.* 1. *Invent.* 40. 73. et *Sext.* 6. 15.; et *Lucret.* 1. 44. salus. *Cic. Pis.* 40. 96. salutatio. *Id. Sext.* 13. 29. scelera conjuncta atque communia. *Cic.* 2. *Orat.* 16. 68. et 1. *ibid.* 3. *in fin.* sensus communis. *h. e.* cognitio eorum, quæ ab omnibus cognosci solent; quo qui carent, stupidi vocantur: sic *Horat.* 1. *Sat.* 3. 66. Communi sensu plane caret, inquimus. Adde *Phædr.* 1. 7. 4.; *Senec.* 1. *Benef.* 12. et *Ep.* 5.; et *Quintil.* 1. 2. 20. *V. supra* intellectus, intelligentia et mens. *Cic.* 1. *Off.* 17. 55. sepulcra. *Lucret.* 5. 260.; *Catull.* 68. 89.; et *Horat.* 1. *Sat.* 8. 10. sepulcrum. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 243. et 1. *Off.* 37. 134.; *Petron. Satyr.* 113.; et *Quintil.* 2. 10. 13. sermo communis. *h. e.* usitatus et vulgaris. *Virg.* 9. *Æn.* 183. statio. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 11. studia. *Cic. Pis.* 41. 99. supplicium improbis et probis commune. *Id.* 1. *Invent.* 27. 40. temporis genus. *Id.* 1. *Orat.* 1. 2. tempora. *Id. Amic.* 5. 18. usus vitaque communis. *Id.* 3. *Fin.* 1. 3. usus omnium artium vulgaris communisque. *Id.* 1. *Off.* 16. 51. usus hominum communis. *Ovid.* 6. *Met.* 349. usus aquæ. *Cic.* 1. *Off.* 16. 52., 3. *ibid.* 12. 52. et *Amic.* 5. 18.; et *Nepos Alcib.* 4. utilitas. *Cic.* 4. *Herenn.* 26. 36. verbum. *Quintil.* 8. 2. 24. verba planiora et communia magis. *Claudian. Ep.* 61. 3. verba communia. *h. e.* prosa oratio. *Cic.* 1. *Off.* 17. 58. vita victusque. *Id.* 1. *Orat.* 58. 248. vita communis et vulgaris hominum. Adde *eumd.* 1. *Off.* 3. 3. et *Amic.* 6. 21. *Ter. Adelph.* 5. 8. 30. et *Cic. Senect.* 11. 35. vitium. Adde *Nepot. Chabr.* 3. et *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 22. *Lucret.* 1. 1202. voluptas. — *b*) *Communes dii* sunt non patrii, sed omnibus æque venerandi. *Virg.* 12. *Æn.* 118. In medioque focos et dis communibus aras Gramineas. *Id.* 8. *ibid.* 275. Communemque vocate deum. *Val. Flacc.* 4. 761. Communesque vocant superos. Adde *eumd. ibid.* v. 218. *Inscript.* apud *Gruter.* 13. 9. IOVI O. M. FORTVNAEQVE MELIORI AVG. ET DIAE DEABVSQVE COMMVNIBVS. *V.* AZONI in ONOM. — *c*) *Communis paganus* is dicitur, qui est ex eodem pago, idem ac compaganus, ut *municeps*, qui est ex eodem municipio. *V.* MUNICEPS. *Inscript.* apud *De Vita Antiq. Benev.* p. 28. n. 10. M. NASELLIVS M. F. PAL. SABINVS ET NASELLIVS VITALIS PATER PAGANIS COMMVNIBVS PAGI LVCVL. PORTICVM CVM APPARATORIO ET COMPITVM A SOLO PECVNIA SVA FECERVNT ET IN PERPETVVM VI. ID. IVN. NATALI SABINI EPVLANTIBVS HIC PAGANIS ANNVOS ✕ CCXXV. DARI IVSSERVNT etc. ¶ 2. Specialim *communis homo* dicitur, qui, etsi dignitate polleat, se communem quodammodo facit, cum omnibus versari non dedignatur, comis, facilis, affabilis. *Nepos Att.* 3. Hic – sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. *Cic. Senect.* 17. 59. Cyrum minorem regem Persarum – et ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum fuisse, et ei etc. *Id.* 4. *Fam.* 9. 2. An, qui in bello – suo et certorum hominum minime prudentium consilio uteretur, eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse? *h. e.* magis usurum consilio ceterorum. *Id. Amic.* 18. 65. Amicus simplex et communis et consentiens. Cf. *Plin. Paneg.* 24. et *Eutrop.* 8. 5. *Sueton. Claud.* 21. Nec ullo spectaculi genere communior, aut remissior erat. *Id. Vesp.* 22. Super cœnam et super aleam communissimus. Adde *Ter. Heaut.* 5. 1. 39., ubi tamen plerique legunt *comis*, quod in locis *Suetonii* allatis restituendum recte putant nonnulli critici: *V.* et quæ dicta sunt in v. COMIS sub init. Ad hanc notionem quidam apud *Servium* trahebant et illud *Virg.* 8. *Æn.* 275. Communemque vocate deum. ¶ 3. Item specialim in artibus — *a*) Apud Dialecticos et Rhetores *loci communes* sunt sedes argumentorum artis rhetoricæ et dialecticæ. *Cic.* 3. *Orat.* 27. 106. et *Orat.* 36. 126.; et *Quintil.* 2. 1. 9. — *b*) Item apud Rhetores *commune* dicitur quidquid utrique parti convenit, sive id quo actor et adversarius æque uti possunt. *Cic.* 1. *Herenn.* 7. 11. et 1. *Invent.* 18. 26. Exordium commune. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 78. 319.; et *Quintil.* 4. 1. 71. — *c*) Apud Grammaticos *genus commune* est eorum nominum, quæ simul masculina sunt et feminina, vel masculina, feminina simul et neutra. *Charis.* 2. *p.* 126. *Putsch.* — *Verbum commune* est, quod *or* positione desinens activam simul et passivam significationem habet. *Gell.* 15. 3.; et *Priscian.* 8. p. 787. *Putsch.* — *Communis syllaba*, quæ tum brevis est, tum longa, h. e. anceps. *Charis.* 1. p. 3., *Diomed.* p. 423. et *Donatus* p. 1380. *Putsch.* — Hinc

Commune, is, n. 3. absolute, substantivorum more, usurpatur

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim *commune* dicitur quidquid ad plures vel ad omnes pertinet. — *a*) In plur. num. *Cic.* 1. *Off.* 7. 20. Deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 4. Paucis ostendi gemis, et communia laudas. *h. e.* omnes omnino cives, Italice *il publico*. *Ovid.* 13. *Met.* 273. modo ne communia solus Occupet. — *Communia* absolute apud *Frontin. de limit. agror.* p. 41. *Goes.* dicuntur compascua loca, in commune aliquibus assignata: quæ *Aggen. Urbic. ibid.* p. 66. in Etruria scribit *communalia* appellari. — *b*) In sing. num. *commune* dicitur caput et summa rei, de qua societas inita est. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. *in fin.* Non debet de communi id consequi. *Et ibid.* De communi sarcire. *Paul.* 1. *Sentent.* 18. § 3. Accipere aliquid ex communi. — Hinc *judicium communi dividundo*, est re, quæ ad plures pertinet, apud JCtos: de quo *Dig.* 10. *tit.* 3. agit. *Cic.* 7. *Fam.* 12. 2. Quod jus statues communi dividundo, cum etc. *Paul.* 1. *Sentent.* 18. § 1. et 5. Arbiter communi dividundo. Adde *Cajum* 4. *Instit.* 42.; *Ulp.* 19. 16.; et *Dig.* 2. 1. 11. § 2. et alibi. ¶ 2. Specialim *commune* est respublica, ut et *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 38. 95. docet, Gr. τὸ κοινόν. *Cincius* apud *Festum* p. 241. 18. Commune Latium. *Cic.* 3. *Verr.* 38. 95. Quomodo iste commune Milyadum vexarit. *Id.* 4. *ibid.* 46. 114., 59. 145. et 63. 151. Commune Siciliæ. *Ovid.* 12. *Met.* 7. commune gentis Pelasgæ. ¶ 3. Hinc *in commune* vel *in communi* est in rem communem. *Plaut. Asin.* 2. 2. 20. In commune metuere. *Ter. Andr.* 3. 3. 16. Utrique, id a te oro, in commune ut consulas. *h. e.* ut consilium capias, quod communiter utrique utile sit. Adde *Curt.* 5. 9. 14. et 9. 1. 21.; et *Tac.* 12. *Ann.* 5. et *Agric.* 15. *Cic.* 2. *Invent.* 3. 8. Ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus. Adde *eumd. Quinct.* 3. 12. *Liv.* 6. 40. Vocare honores in commune. *h. e.* promiscuos patribus et plebi. *Sueton. Ner.* 15. In commune deliberare. *Quintil.* 6. 1. 7. prodesse. *Id.* 5. 11. 24. laborare. *Tac.* 15. *Ann.* 63. disserere. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. redigere. *et ibid.* emere. *Mela* 1. 8. 4. In familias passim et sine lege dispersi, nihil in commune consultant. — *In commune* est etiam formula exclamandi pro æquis partibus. *Phædr.* 5. 6. Eja, inquit, in commune quodcumque est lucri. Adde *Senec. Ep.* 119.

II.) Translate *in commune* significat in universum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (9). Quæ ad cuncta arborum genera pertinent in commune, dicemus. Adde *Quintil.* 7. 1. 49. *Tac. Germ.* 27. Hæc in commune de Germanorum origine; nunc singularum gentium etc. *Id.* 15. *Ann.* 12. *ad fin.* His atque talibus in commune alacres iter properabant.

COMMŪNĬTAS, ātis, f. 3. (communis) communio, societas. ¶ 1. Generatim. — *a*) Est societas seu communis inter se plurium personarum status vel conditio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 41. 116. Communitas est alicui cum aliquo. *Id.* 6. *Phil.* 2. 3. Quæ vobis potest cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis esse communitas? Adde *eumd.* 1. *Off.* 16. 51. *Id. Amic.* 17. 61. Communitas inter aliquos. *Id. ibid.* Omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. Communitas et societas humana. *Id. ibid.* 45. 159. maxime apta naturæ. *Id. ibid.* 14. 45. Communitas et societas vitæ. Adde *eumd. ibid.* 7. 20. *Id. ibid.* 44. 156. Junctum esse alicui communitate. *Id. ibid.* § 157. Communitas et conjunctio humana. *et ibid.* Consociatio hominum atque communitas. *Id.* 9. *Fam.* 24. 3. Communitas vitæ atque victus. *Id.* 3. *Fin.* 20. 65. Naturalis communitas. *Id. ibid.* § 66. civilis. *Id.* 4. *ibid.* 4. Societas et communitas generis humani. — *b*) Absolute ponitur etiam pro justitia civili, *h. e.* quæ pertinet ad communem hominum utilitatem, ut *Cic.* 1. *Off.* 43. 155. loquitur. *Id. ibid.* § 152. Omnis honestas manat a partibus quatuor, quarum una est cognitionis, altera communitatis, etc. *V.* ibi reliqua et cf. *ibid.* 45. 159. ¶ 2. Specialim est humanitas, benignitas, comitas. *Nepos Miltiad.* 8. Sed in Miltiade erat cum summa humanitas, tum mira communitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. *Sic habent veteres Codices; recentiores et vulgatæ editiones leg.* comitas. Cf. COMMUNIS 2.

COMMŪNĬTER, adverb. Comp. *Communius* in fin. — Communiter est una cum aliis, vel una cum omnibus, non divisim: eique opponitur *separatim*, ut apud *Cic.* 13. *Fam.* 12. 1. Alia epistola communiter commendavi legatos Arpinatium; hac separatim. *Proprie* quoque eidem opponitur apud *Quintil.* 9. 1. 23. Figura, quam non communiter, sed proprie nominamus (It. *insieme, con altri*; Fr. *ensemble, conjointement, en commun*; Hisp. *junto, juntamente*; Germ. *auf gemeinschaftliche Art und Weise, gemeinsam, gemeinschaftlich*; Angl. *in common with others, commonly, conjointly, together*). *Cato R. R.* 136. Communiter piscere. *Cic. Rosc. Am.* 37. 108. Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet. *Id.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. Adde *Horat. Epod.* 16. 15. *Cic. Senect.* 1. 2. Communiter uti aliqua re. *Id.* 3. *Off.* 4. 17. appellare aliquid. *Id. ibid.* 20. 80. Conscripserunt communiter edictum: idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. *h. e.* de communi sententia. *Id.* 11. *Att.* 5. Ex tuis litteris intellexi, et iis, quas communiter cum aliis scripsisti, et iis quas tuo nomine. *Id. Arch.* 12. 32. Quæ communiter de ipsius studio locutus sum. *Id. Fontej.* 6. 12. Aurium judicium promiscue et communiter stultis ac sapientibus a natura datum. *Varro* 2. *R. R.* 10. 2. Qui pascunt, eos cog re opor-

tet, in pastione diem totum pascere communiter. *Nepos Pelop.* 2. Communiter deligere aliquid cum aliquo. *Ovid.* 6. *Met.* 262. parcere. *Liv.* 1. 10. parare bellum. *Id.* 29. 17. complecti omnia. *Id.* 1. 45. Dianæ Ephesiæ fanum communiter a civitatibus Asiæ factum. *Sueton. Tib.* 21. administrare provincias. *Apul. dogm. Plat.* 3. Quæ communiter appellatur propositio. *Diomed.* 3. p. 480. *Putsch.* Epos dicitur Græce carmine hexametro divinarum rerum et heroicarum humanarumque comprehensio. Latine paullo communius carmen auditur.

COMMŪNĪTĬO, ōnis, f. 3. actus communiendi, et ipsa munitio. *Vitruv.* 10. 13. 1. *Schneid.* Murum continenter pulsantes – totam communitionem dissipaverunt. *Schneider.* ita leg.: alii *commotionem*; alii *communionem*. — Figurate. *Cic.* 2. *Orat.* 79. 320. Omne autem principium aut rei totius, quæ agetur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et communitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem. *Orell.* ita legit; al. *munitionem*; al. aliter.

COMMŪNĪTUS, a, um. *V.* COMMUNIO, is.

COMMŪNĪTUS, adverb. communiter. *Varro* apud *Non.* p. 510. 5. *Merc.* Ut deos colere debet communitus civitas, sic singulæ familiæ debemus.

COMMURMŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. submissus clamor multorum simul mussantium. *Gell.* 11. 7. *ad fin.* Commurmuratio fieri cœpta est a plerisque, quasi monstrum verbi admirantibus.

COMMURMŬRO, as, are, a. 1. (cum et murmuro) idem quod murmuro, vel simul murmuro, musso. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 31. (62). *de ciconiis.* Congregatæ inter se commurmurant. *Sil. It.* 15. 821. Inferias in tempore dignas Missurum fratri, clauso commurmurat ore.

COMMURMŬROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem quod commurmuro. *Cic. Pis.* 25. 61. Ut scriba secum ipse commurmuratus sit: ratio quidem etc. *Varro* apud *Non.* p. 478. 9. *Merc.* Hoc Græcis renunciato, ut facile intelligeres, nos ab his amari, commurmurantur. *h. e.* obloquuntur, obtrectant.

COMMŪTĀBĬLIS, e, adject. (commuto) mutabilis, qui commutari potest. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 30. Ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod commutari non posset; item nihil argenteum, nihil æreum, si commutabilis esset natura argenti et æris: similiter etc. *Id. Parad.* 1. 1. § 7. Hæc imbecilla et commutabilia pecuniæ verbo *bona* putaverunt appellanda. *Id.* 1. *Att.* 17. *a med.* Nos hic in republica infirma, misera, commutabilique versamur. *Id. Amic.* 25. 92. Animus varius, commutabilis, multiplex. *Id. Mil.* 26. 70. Quam sit varia vitæ commutabilisque ratio. *Varro* 9. *L. L.* 99. *Müll.* Quod si infecta modo conferrent, omnia verbi principia incommutabilia viderentur, ut in his p u n g e b a m, p u n g o, p u n g a m; et contra ex utraque parte commutabilia, si perfecta ponerent, ut p u p u g e r a m, p u p u g i, p u p u g e r o. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores *commutabilis* est idem quod communis. *Cic.* 1. *Invent.* 18. 26. Exordium commutabile est, quod ab adversario potest leviter mutatum ex contraria parte dici. Adde *Quintil.* 4. 1. 71.

COMMŪTĀBĬLĬTER, adverb. commutando, idem ac communicabiliter. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 17. p. 556. Si vero, sicut in genere, similiter se habebit, ut propter quid commutabiliter, analogum. *Id.* in *Aristot. de Interp. ed. sec.* p. 364. Una quidem vera, altera falsa, sed indefinite et commutabiliter.

COMMŪTĀTĒ, adverb. mutando. *Cic.* 4. *Herenn.* 42. 54. Eamdem rem dicemus non eodem modo, sed commutate. *Al. aliter leg., sed perperam.*

COMMŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac mutatio. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 59. Annuæ commutationes semper eodem modo fiunt. *Id.* 5. *Fam.* 12. 4. Commutationes civiles. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 68. temporum quadripertitæ. *Id.* 2. *Divinat.* 42. 89. cœli. *Id.* 12. *Att.* 36. dominorum. *Id.* 1. *ibid.* 14. voluntatis. *Id. Amic.* 21. 79. morum aut studiorum. *Id.* 2. *Herenn.* 28. 45. nominum. *Id. Fat.* 9. 17. Commutatio fit ex vero in falsum. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 45. rerum. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 27. et 6. *ibid.* 12.; et *Nepot. Alcib.* 5. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 68. magnæ rerum. *Id.* 1. *B. G.* 16. voluntatum et animorum. *Id.* 5. *ibid.* 1. crebræ æstuum. *Nepos Dion.* 6. subita. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94. ventorum. *Quintil.* 9. 1. 6. ordinis. ¶ 2. Speciatim est etiam figura rhetorica, Græce ἀντιμεταβολή, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ex transjectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur, ut: Esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas. *Cic.* 4. *Herenn.* 38. 40. ¶ 3. Item speciatim de rerum permutatione. *Liv. epit.* 19. Commutatio captivorum. — Similiter *facere inter se commutationes et consilia*, *h. e.* collationes communicationesque, non usitate dixit *Claudius Quadrigarius*, sed non hercle inscite, nec ineleganter, inquit *Gell.* 17. 2. *in fin.*

COMMŪTĀTUS, a, um. *V.* COMMUTO.

COMMŪTĀTUS, us, m. 4. idem ac mutatio. *Lucret.* 1. 794. quoniam quæ diximus ante In commutatum veniunt.

COMMŪTESCO, is, ere, n. 3. (cum et mutus) idem quod obmutesco. *Gloss. Cyrill.* Φιμοῦμαι, obmuteo, commutesco.

COMMŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et muto, *quod est pro* movito). Part. *Commutatus* 2.; *Commutaturus* et *Commutandus* 1. *a.* — Commuto est idem quod muto, vel simul muto, permuto; quamvis ab hoc differat: *V.* H o m o n y m in fin (It. *mutare, cangiare*; Fr. *changer, transformer entièrement*; Hisp. *mudar, transmutar, cambiar*; Germ. *vertauschen, verwechseln, austauschen, eines um das andere geben oder nehmen*; Angl. *to change, alter, exchange*). ¶ 1. Generatim commutare est aliud pro alio substituere: et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei tantum, *h. e.* commutare aliquid. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 35. Commutare pallium. *Id. Capt. prol.* 37. inter se vestem ac nomina. *Id. Most.* 1. 3. 44. colorem. *Id. Aulul.* 3. 6. 40. coloniam. *h. e.* locum. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 56. oculos orationemque aliam sibi. *Ter. Andr.* 2. 4. 7. et *Eun.* 5. 5. 3.; et *Lucret.* 3. 1072. locum. *Cic.* 1. *Off.* 13. 39. Cum Regulus de captivis commutandis Romam missus esset. *Justin.* 3. 1. 8. loricam cum aliquo. — Figurate *Commutare verba* est verba multa ultro citroque habere, altercari. *Ter. Andr.* 2. 4. 7. Crede, numquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum. *Id. Phorm.* 4. 3. 33. Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis hodie verba inter vos. — *b*) Cum Accus. unius rei et Ablat. alterius sine præpos., *h. e.* commutare aliquid aliqua re. *Lucret.* 5. 1105. Commutare vitam priorem novis rebus. *Cic.* 2. *Herenn.* 19. 29. compendium leve maxima fraude. *Id.* 3. *Orat.* 42. 167. verbum verbo. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 14. invidiam possessionis pecuniā. *Id. Cluent.* 46. 129. fidem suam et religionem pecuniā. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. studium belli gerendi agri culturā. *Sall. orat.* 2. *de republ. ordin.* contumeliam alicujus vitā sua. *h. e.* vitæ suæ periculo alicui contumeliam inferre. *Colum.* 12. *R. R.* 26. 2. Mustum primo quoque tempore absumito, aut ære commutato. — *c*) Cum Accusat. unius rei, et Ablat. alterius et præpos. *cum*, *h. e.* commutare aliquid cum aliqua re. *Cic. Sext.* 16. 37. Commutare gloriam constantiæ cum caritate patriæ. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 3. mortem cum vita (εὐφημίας ἕνεκα hoc dicebant pro *mori*). — *d*) Cum Accusat. unius rei, et Ablat. alterius et præpos. *pro*, *h. e.* commutare aliquid pro aliqua re. *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. *ad fin.* Commutare vinum pro oleo, vel oleum pro vino. — *e*) Absolute. *Plaut. Trin.* 1. 2. 21. Vin' commutemus? tuam ego ducam, et tu meam. ¶ 2. Commutari dicuntur etiam ea, quæ in aliam formam vel faciem vertuntur, quæque absona vel dissimilia fiunt ab his, quæ fuerunt. *Varro* 1. *R. R.* 69. 1. Quæ manere non possunt, antequam se commutent, ut celeriter promas ac vendas. *h. e.* antequam corrumpantur. *Id. ibid.* 40. 2. Semen vetus tantum valet in quibusdam rebus, ut naturam commutet. *Id.* 9. *L. L.* 99. *Müll.* Syllabas commutare. *Lucret.* 5. 829. Omnia commutat natura. *Cic.* 1. *Off.* 10. 31. Sed incidunt sæpe tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna esse justo homine –, commutantur fiuntque contraria. *Id.* 5. *Fin.* 25. 74. Fures rerum, quas ceperunt, signa commutant. *Id.* 16. *Att.* 14. 22. Tempora commutantur in horas. *Id. Fat.* 9. 17. Commutare aliquid ex vero in falsum. *Id.* 1. *Invent.* 53. 102. Aliquid commutare et corrigere. *Id. Harusp. resp.* 27. 60. Commutare statum reipublicæ. *Id.* 3. *Cat.* 10. 25. rempublicam. *Id.* 5. *Verr.* 20. 51. Jura omnia et consuetudinem superiorum. *Id.* 16. *Att.* 7. sententiam. *Id.* 4. *Fin.* 3. 7. Quibus etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo, et iidem abeunt, qui venerant. *h. e.* nihil commutantur sententiā. *Id.* 2. *Orat.* 52. 211. Commutare animos atque omni ratione flectere. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. 42. Commutare et accommodare frontem et vultum et sermonem ad alicujus sensum et voluntatem. *Cæs.* 1. *B. G.* 23. et 2. *B. C.* 38. Commutare consilium. *Id.* 3. *B. C.* 27. tempus. *Nepos Att.* 8. In quo (*tecto*) nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. *Id. Dion.* 4. Vitæ statum commutatum ferre non potuit. *Plin.* 7. *Ep.* 19. Librum legi et – adnotavi, quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer.

H o m o n y m. *Commutare* et *permutare* unum idemque significant, quamvis proprie differant. ut docet *Festus* hisce verbis p. 214. 1. *Müll.* P e r m u t a t u r id proprie dici videtur, quod ex alio loco in alium transfertur: at c o m m u t a t u r, quum aliud pro alio substituitur. Sed ea jam confuse in usu sunt.

CŎMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. in morem comæ effundo, coma vestio. *Tertull. Pall.* 3. Vellera, quæ muscosæ lanositatis lautiores conchæ comant. *Paulin. Nolan.* 28. 246. (*al.* 298.) *de pinu.* Semper amans celsis alta comare jugis. V. COMANS: et audi *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 468. *Comans* est participium notum: non enim est verbum *como.* *V.* et COMATUS.

CŌMO, cōmis, compsi vel comsi, comptum vel comtum, cōmere, a. 1. Part. *Comens* I. 2.; *Comptus* in omnibus paragr. et in fin.; *Comendus* II. — Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum Græcis κομέω, κομψός, κόσμος, ut docet ipse *Paul. Diac.* p. 63. 13. *Müll.*, necnon cum Germ. *kämmen*: juxta *Döderlinium* vero est vox composita ex *cum* et *emere*, unde *coemere* et per syncopen *comere*, quasi una simul sumere atque in ordinem redigere. Ceterum *comere* est ornate componere, ornate ordinare (It. *ornatamente disporre od ordinare*; Fr. *disposer, arranger*; Hisp. *disponer, colocar en orden*; Germ. *zusammenehmen und zusammenlegend ordnen*; Angl. *place or set in order, dispose, orden*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim comere dicitur qui res apte jungit et ordine componit. *Lucret.* 4. 31. animi docui natura quid esset, Et quibus e rebus cum corpore compta vigeret (*h. e.* apte conjuncta et ordine composita) Quove modo distracta rediret in ordia prima. *Id.* 3. 360. ex quo pacto inter se mixta quibusque Compta modis. *Id.* 1. 948. dum perspicis omnem Naturam rerum, qua constet compta figurā. *Virg.* 8. *Æn.* 128. rami vitta compti. ¶ 2. Speciatim ad cultum capitis pertinet, seu potius de capillis et lana usurpatur, et est pectendo ornare vel ornate componere: occurrit autem — *a*) Sæpe de capillis et capite. *Cic. Pis.* 11. 25. Compti capilli. Adde *Virg.* 10. *Æn.* 832. et *Sil. It.* 7. 447. *Martial.* 12. 83. Comere capillos dente secto. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 199. Comere caput. Sic *Tibull.* 1. 9. 16. Nec nitidum tarda compserit arte caput. *Quintil.* 12. 10. 47. Caput comptum in gradus atque annulos. *Ovid.* 2. *Fast.* 560. Comat virgineas hasta recurva comas. *Quintil.* 2. 5. 12. Inustas comas acu comentes. *Tibull.* 4. 2. 10. Comere crines. *Sil. It.* 13. 122. cervam aureo pectine. *Stat.* 3. *Theb.* 424. cristas. *Id.* 4. *ibid.* 43. Auriga comit equos. — *b*) Raro de aliis humani corporis partibus. *Quintil.* 8. *proœm.* 19. Corpora vulsa atque fucata muliebriter comere. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 110. Colla genasque comere. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 337. vultus. — *c*) Refertur etiam ad personas interdum cum Accus. object. Græcorum more, sæpius absolute. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 20. longas compta puella comas. *Plaut. Stich.* 5. 4. 19. Amica mea dum comit dumque se exornat. Adde *Tibull.* 4. 6. 3. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 70. Pueri præcincti et compti. *Ovid. Heroid.* 4. 75. Compti juvenes. *Id. Medic. fac.* 24. viri. — *d*) Denique ponitur de lana, et generatim de iis, quæ manibus levigantur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (194). Colus compta. *h. e.* colus cum sua lana. *Claudian.* *VI. Cons. Honor.* 525. vestesque et cingula comit Sæpe manu.

II.) Translate occurrit fere de oratione. *Quintil.* 8. 3. 42. Non quia comi et expoliri non debeat oratio. *Lucan.* 10. 83. quem Cleopatra sine ullis Tristis adit lacrimis simulatum compta dolorem. *h. e.* in ornatu præferens dolorem simulatum, vel ornata seu instructa dolore simulato. *Gell.* 1. 9. Linguæ orationisque comendæ gratia. *Auson. Edyll.* 4. 58. Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti, Comis etc. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 71. Comere divitias opibusque immittere lucem. *h. e.* ornare et liberalitate illustres reddere. — Hinc Part. præter. pass.

Comptus, *a*, *um*, Adjective quoque usurpatur,

unde Comp. *Comptior* et Sup. *Comptissimus*; et dicitur translate fere de oratione pro expolito. *Cic. Senect.* 9. 28. Compta et mitis oratio. *Tac.* 1. *Hist.* 19. Comptior sermo. *Quintil.* 10. 1. 70. Isocrates in diverso genere dicendi nitidus et comptus. *V.* COMPTE et COMPTULUS. *Augustin. de quantit. anim.* 33. Anima mundissima et comptissima.

CŌMŒDĬA, æ, f. 1. κωμῳδία. *Comœdiai* antiquus Genitiv. est *Plauti Pœn. prol.* 50. — Comœdia est poema dramaticum, civium et vulgi actiones stilo populari imitans, non sine salibus ac jocis, exitu læto. Ejus finis est vitæ privatæ exemplum proponere, ut inde mores suos quisque corrigat. Differt a tragœdia, quæ illustres personas inducit, terrorem ac misericordiam commovet, exitus habet horribiles, et stilo utitur gravi, tumido et a communi consuetudine remoto. — Dicta est a κώμη, *vicus* et ᾠδή, *cantus*, quod initio per vicos discurrentes hujusmodi lusus actitabant, teste *Paul. Diac.* p. 39. 6. *Müll.* At rectius *Varro* 7. *L. L.* 89. *Müll.* docet, comœdiam dictam esse a κῶμος (unde et *comissatio* Latine dicta), hoc est *convivium*, quod in Bacchi honorem fiebat: a cujus dei festis diebus et tragœdia originem duxit. ¶ 1. Stricto sensu in Latinis scriptoribus comœdia Græcorum significatione semper occurrit: apud quos vetus comœdia mordacibus dictis abundabat, magnâ in quemque invehendi licentiâ, ut est apud *Horat. Art. P.* 281.; nova minus habuit acerbitatis, plus artis atque elegantiæ. Ceterum plura de comœdiæ origine, partibus, etc. *V.* apud *Scalig. de Poet. lib.* 1. et *Voss. lib.* 2. *Institut. Poet. c.* 22. 23. etc. *Plaut. Amph. prol.* 96. Argumentum comœdiæ. *Id. ibid.* v. 88. Comœdiam agere. Adde *Ter. Eun. prol.* 22. et *Heaut. prol.* 4.; et *Quintil.* 11. 3. 111. *Ter. Andr. prol.* 26. facere. *Et ibid.* 27. spectare. *et ibid.* et *Hecyr. prol.* 4. et 7. exigere. *h. e.* rejicere, improbare. *Cic.* apud *Donatum in fragm. de Tragœd. et Com.* Comœdia est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis. *Id. Brut.* 62. 224. Athenienses Hyperboli improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notaverunt. Adde *Quintil.* 6. 1. 52. Rursus *Cic. Orat.* 31. 109. Placere in comœdiis. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Comœdia antiqua. Adde *Quintil.* 10. 1. 65. *Horat. A. P.* 93. Interdum tamen et vocem comœdia tollit. *Id. ibid.* 281. et *Quintil.* 10. 1. 9. Comœdia vetus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 2. prisca. *Quintil.* 3. 8. 51. Actores comœdiarum. *Id.* 10. 1. 9. Comœdiæ scriptores. *Volcatius Sedigitus* apud *Sueton. Vit. Ter.* 3. 3. Comœdias edere. *Sueton. ibid.* 16. dare. *Id. Claud.* 11. docere. ¶ 2. Villam quamdam suam humiliore loco positam figurate comœdiam appellat *Plin.* 9. *Ep.* 7. Hujus in littore (*ad Larium lacum*) plures villæ meæ; sed duæ, ut maxime delectant, ita exercent. Altera imposita saxis, more Bajano, lacum prospicit; altera, æque more Bajano, lacum tangit. Itaque illam tragœdiam, hanc appellare comœdiam soleo; illam quod quasi cothurnis, hanc quod quasi socculis sustinetur.

CŌMŒDĬCĒ, adverb. κωμῳδικῶς, comœdorum more, comice. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 58. Euge, euge, euschеme hercle adstitit, et dulice, et comœdice. Adde *Paul. Diac.* p. 61. 11. *Müll.*

CŌMŒDĬCUS, a, um, adject. κωμῳδικός, comœdus. *Apul.* 3. *Florid.* n. 16. Diu in arte comœdica nobilis.

CŌMŒDĬŎGRĂPHUS, i, m. 2. κωμῳδιογράφος, qui comœdias scribit. Quidam ajunt, usurpatam fuisse a *Cicerone*, cujus verba sint apud *Victorin.* et *Probum Grammatic.*, sed falluntur. Vox certe Græca est a κωμῳδία et γράφω. Legitur tantum apud *Val. Prob.* p. 1486. *Putsch.* Sic Plautus et antiqui comœdiographi.

CŌMŒDUS, a, um, adject. κωμῳδός, ad comœdiam pertinens. *Juvenal.* 3. 100. Natio comœda est. — Hinc

Comœdus, i, m. 2. absolute, substantivorum more est actor comœdiarum. *Cic. Rosc. Com.* 11. 30. Qui in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comœdos. Adde *eumd. Orat.* 31. 109.; *Quintil.* 1. 11. 1. et alibi sæpe; *Sueton. Tib.* 47.; *Plin.* 1. *Ep.* 15. 2.; *Juvenal.* 3. 94.; *Cajum* 3. *Instit.* 212.; et *Dig.* 9. 2. 22. § 1. *Inscript.* (Parii reperta) in *Ann. dell' Instit. Archeol. a.* 1842. p. 152. COLONIA P. PVBLILIVM INGENVVM COMOEDVM PROPTER SINGVLAREM ARTIS PRVDENTIAM ET MORVM PROBITATEM (*honorat*).

Homonym. Inter *histrionem* et *comœdum* hoc interest, quod *comœdus* solas agit comœdias, et in scæna: *histrio* quascumque fabulas, atque etiam extra scænam, ut in conviviis, in funeribus, etc. *Quintil.* 6. 2. 35. Vidi ego sæpe histriones atque comœdos, cum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. Cf. et locum *Cic. Rosc. Com.* superius allatum.

CŌMŌSUS, a, um, adject. Superl. *Comosissimus* sub *b*. — Comosus est idem quod comatus: et occurrit — *a*) De hominibus. *Phædr.* 5. 8. 2. Calvus, comosa fronte, nudo corpore. *Auct. Priap.* 37. 2. Phœbus comosus, Hercules lacertosus. — *b*) De plantis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 45. (71). Tithymalum comosissimum ex omnibus. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (22). Hemeris in orbem comosa.

CŌMŌTRĬA seu commotria, æ, f. 1., mulier ornandorum capillorum artifex. Sex Romæ fuisse *comotrias* Vestæ ministras, docent ex Festo multi Lexicographi. Nos *Festi* locum nondum invenire potuimus. *V.* CHAMETÆRA.

COMPĂCĀTUS, a, um. *V.* COMPACO.

COMPĂCISCOR *vel* compĕciscor, păcisceris *vel* pĕcisceris, pactus *vel* pectus sum, pacisci *vel* pĕcisci, 3. (cum et paciscor). Part. *Compectus* sub *A* et *B.*; *Compactus* sub *B.* — Compaciscor est simul pactum facio: sed negat *Charis.* 2. p. 177. *Putsch.* esse in usu linguæ Latinæ; et sane apud Scriptores occurrit tantum Præter. perf. *compectus* vel *compactus*, *A*) modo deponentis verbi forma, *B*) modo passive.

A) Deponentis forma et activa significatione. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 129. Si sumus compecti, sive consilium unquam iniivimus. *h. e.* si simul pactum aliquod fecimus. *Id.* in *nov. fragm. Cistell.* (edente *A. Mai*) p. 17. v. 11. Quæ esset ætatem mecum exactura, mecum matrimonio compecta sit, capere oportet.

B) Passive occurrit tantum Part. præter. pass., et quidem Ablat. absol. — *a*) *Compacto* vel *compecto*, *h. e.* ex composito; et fere in malam partem accipitur. *Plaut. Capt.* 3. 1. 29.; *Afranius* apud *Charis.* 2. p. 177. *Putsch.*; *Cic.* 10. *Att.* 12. 2.; et *Liv.* 5. 11. Compacto aliquid agere. *Cic. fragm. orat. Scaur.* (edente *A. Peyronio*) p. 70. n. 8. Itaque compecto cum matre Bostaris consilium cepit, ut etc. — *b*) *De compacto* eodem sensu. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 126. De compacto faciunt consutis dolis. Adde *eumd. Capt.* 3. 1. 24. — *c*) *Ex compacto* eodem sensu. *Sueton. Cæs.* 20. Auctores ex compacto nominare. Adde *Cod.* 7. 53. 3.

COMPĂCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et paco). Part. *Compacatus.* — Compacare est simul pacare. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 20. Qui compacaret Ægyptios propter dogma tumultuantes. *Alii leg.* compellaret. *Id.* 8. *ibid.* 13. *ante med.* Denuo inter se barbari compacati, a vicinis gentibus Hunnorum deprædabantur.

COMPACTĪCĬUS, a, um, adject. qui ex multis compactus est. Legitur apud *Tertull. advers. Valentinian.* 31. Compacticius ille Soter. *Alii leg.* comparcinus, *alii* comparcivus.

COMPACTĪLIS, e, adject. compactus, colligatus, coagmentatus.

I.) Proprie occurrit in artibus. *Vitruv.* 4. 7. 4. *Schneid.* Supra columnas trabes compactiles imponantur. *h. e.* tignis conjunctis compositæ, ut *Philander* exponit. *Id.* 10. 14. 2. Postes compactiles. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (88). *de nucibus.* Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. *h. e.* putamine bifido, sed probe connexo. — *Compactiles fines* in re agraria, apud *Innocent. de casis litter.* p. 239. *Goes.* quinam dicantur, multis explicat idem *Goes. de antiqu. Agrar. c.* 8. p. 77. *V.*

II.) Translate *compactilis* dicitur de animalibus, quæ corpore sunt breviore, sed bene constituto, et veluti quadrato, aut rotundo, στρογγύλους Græci vocant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 18. (46). Leonum genera duo: compactile et breve, crispioribus jubis: hos paviliores esse, quam longos, etc. *Id.* 11. *ibid.* 18. 19. (59). *de apibus.* Optimæ breves et in rotunditatem compactiles.

COMPACTĬO, ōnis, f. 3. actus compingendi. ¶ 1. Abstracte est colligatio, connexio. *Cic.* 5. *Fin.* 11. 33. Compactio membrorum. *Ambros.* 2. *Hexaem.* 1. Quis ergo non miretur, dissimilibus membris disparem mundum in corpus unum assurgere, — ut quæ tam discreta natura sunt, in unitatis et pacis vinculum individua compactione nectantur? ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu, sunt ipsæ res simul colligatæ et compactæ. *Vitruv.* 10. 14. 2. *Schneid.* Insuper hanc compactionem erigantur postes compactiles. Similiter *Id.* 2. 7. 3. Lapidicinæ spissis compactionibus solidatæ. *Boeth. de diis et præses.* edit. inter *Cic. Op.* ab *Orell. T.* 5. p. 394. Si mundus est quædam quasi quatuor elementorum generalium compactio etc.

COMPACTĪVUS, a, um, adject. idem ac compactus sive agglutinans. *Isid.* 17. *Orig.* 7. 10. Hæc sola arbor gummi glutinosum et compactivum destillat, quo et medici et scriptores utuntur.

COMPACTO. *V.* COMPACISCOR.

COMPACTŪRA, æ, f. 1. idem quod compactio, a *compingo*: sed concreto tantum, uti ajunt, sensu legitur apud *Vitruv.* 4. 7. 4. *Schneid.* Compactura habet laxationem.

COMPACTUS *vel* compectus, a, um, *pro* convento, constituto. *V.* COMPACISCOR.

COMPACTUS, a, um, *pro* coagmentato, colligato, conjuncto. *V.* COMPINGO.

COMPÆDĂGŌGĪTA, æ, m. 1. συμπαιδαγωγίτης, servus, qui simul cum aliis in eodem pædagogio domini educatus est. Vox hybrida a Latino cum, et Græco παιδαγωγίτης, quæ legitur in trib. *Inscriptionib.* apud *Fabrett.* p. 361. n. XIII. 98. et 99. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2818. 2819. Alia apud *Gruter.* 585. 9. ERASTO VIX. AN. XXII. COMPAEDAGITAE (*lege* compædagogitæ) B. MER.

COMPÆDĂGŌGĬUS, ii, m. 2. qui una cum aliis sub pædagogo est. Vox hybrida, ut dictum est in voce præced., legiturque in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 361. n. 97. PVERI COMPAEDAGOGII.

COMPĂGĀNUS, a, um, adject. qui est ejusdem pagi. *Inscript.* tempore secundi consulatus Pertinacis Aug. exarata, *h. e.* ann. a Chr. n. 193., apud *Gruter.* 209. 1. SENTENTIAM, QVAM TVLIT INTER COMPAGANOS etc.

COMPĀGES, is, f. 3. (compingo). De alia forma, *V.* COMPAGO suo loco. — Compages est connexio et colligatio rerum simul compactarum, compactio (It. *concatenazione*, *commettitura*; Fr. *jointure*, *emboiture*, *liaison*; Hisp. *juntura*, *encaxadura*, *ligazon*; Germ. *d. Zusammengefüge*, *d. Fuge*, *d. zusammengefügte Bau*; Angl. *a joining or setting together*, *a joint*, *commissure*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 1068. Laxare compages (*saxorum*). *Curt.* 4. 4. 12. Saxorum compage laxata. *Id.* 4. 3. 6. Crebris fluctibus compages operum se laxant. *Virg.* 1. *Æn.* 127. laxæ laterum compages (*navis*). *Id.* 2. *ibid.* 297. compagibus arctis Clauduntur belli portæ. *Ovid.* 3. *Met.* 30. Efficiens humilem lapidum compagibus arcum. *Sueton. Aug.* 43. Laxatis sellæ curulis compagibus. *Lucan.* 3. 491. Compagem solvere muri. *Id.* 10. 248. magnosque cavæ compagis hiatus. *Id.* 2. 487. pontis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (215). glutinis. *Id.* 25. *ibid.* 3. 6. (20). in genibus. *Seneca Herc. Œt.* 1135. et 1228. Compages rumpere. *Id. Œdip.* 580. Compage rupta. *Tac.* 12. *Ann.* 25. Saxorum compages distractæ. *Id.* 3. *Hist.* 27. Compage contorum soluta. *Gell.* 6. 1. Natura, quæ compagem hanc mundi fecit.

II.) Improprie. *Cic. Senect.* 21. 77. Dum sumus in his inclusi compagibus corporis. *Vellej.* 2. 127. 3. Sufficiente etiam vigori animi compage corporis. *Lucan.* 5. 119. Compages humana labat. *h. e.* conjunctio animæ cum corpore. — *Lucret.* 4. 1109. et 1201. Hærere in Veneris compagibus. *h. e.* hærere in amplexibus. *Tac.* 4. *Hist.* 74. *ad fin.* Octingentorum annorum fortunâ disciplinâque compages hæc coaluit, quæ convelli sine exitio convellentium non potest. *h. e.* societas, imperium, respublica. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Singularum compagum membra tractemus.

COMPĀGĬNA, æ, f. 1. conjunctio. *M. Baro de casis litter.* apud *Goes. Agrar.* p. 239. Colligo ab omni compagina litterarum. et *Innocent. ibid.* p. 245. et 246. Omnis compagina litterarum.

COMPĀGĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. compages, junctura. *Cassiod. in Psalm.* 17. Fiat hujus versiculi compaginatio præpostera verborum, ut melius hic sensus nobis possit aperiri.

COMPĀGĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMPĀGĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (compages). Part. *Compaginans* 2.; *Compaginatus* et *Compaginandus* 1. — Compagino est compingo, copulo, connecto. ¶ 1. Stricto sensu. *Prudent.* 10. περὶ στεφ.

889. revulsis qui medetur ossibus, Aut fracta nodis sarciens compaginat. Adde *Augustin.* 13. *Confess.* 30. et *Paulin. Nolan. Ep.* 32. (*al.* 12.) *n.* 10. *Ammian.* 21. 2. Orbis scuti axiculis compaginatus. *Id.* 16. 11. Naves ad compaginandos paraverat pontes. Adde *eumd.* 28. 2. et *Augustin. serm.* 1. *Fer.* 3. *Pentec. Isid.* 6. *Orig.* 13. Ante usum chartæ vel membranarum de libris arborum volumina fiebant, id est compaginabantur; unde et scriptores a libris arborum librarios vocaverunt. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro finitimum esse. *Auct. rei Agrar. p.* 346. *Goes.* Compaginantes agri, limitesve.

COMPAGO, ginis, f. 3. idem quod compages. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 297. observat, antiquos dixisse tantum *compages* et *ambages*, posteritatem vero admisisse, ut etiam *compago* diceretur: non ideo tamen mutandam esse declinationem obliquorum: neque dicendum *compaginis:* quamvis fateatur ab *Ovidio* id usurpatum. Locus *Ovidii* est 1. *Met.* 711. disparibus calamis compagine ceræ Inter se junctis, etc. Sed et *Cels.* usurpat 4. 7. A compagine corporis ad viscera transeundum est. Adde *Manil.* 1. 717., 725. et 838. *Seneca Ep.* 91. Sive flammarum violentia compaginem soli ruperit. Et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Mundus nullarum egens compaginum. Denique *compago* Nom. sing. numeri occurrit apud *Stat.* 7. *Theb.* 43. Nullus vero alius, præter allatos casus, apud Latinos scriptores adhuc repertus est. *V.* COMPAGES.

COMPĀGUS. *V.* CAMPAGUS.

COMPĀGUS, i, m. 2. est pagus majori alii pago contributus. Habetur in vet. Inscrip. apud *Mazoch. in comment. ad Tabul. Heracleens. p.* 399., quæ est apud *Orell.* 3793. PAGVS HERCVLANEVS SCIVIT — CONLEGIVM, SEIVE MAGISTREI JOVEI COMPAGEI — VTEI IN PORTICVM PAGANAM REFICIENDAM PEQVNIAM CONSVMERENT, etc. V. *Danieli Numism. Capuana p.* 95. et 102., ibique p. 108. *not.* g.

COMPALPO, as, are, a. 1. (cum *et* palpo) idem quod palpo, contrecto, tango. *Augustin. Serm.* 214. *de Temp.* Noli superficiem compalpare, descende in te, penetra interiora cordis tui.

COMPAR, ăris, adject. (cum *et* par). Ablativus sing. numeri habet et *compari* ut apud *Liv.* 36. 44., et *compare* ut apud *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 38. et 3. *Art. am.* 359. — Compar est par, æqualis, par omnino (It. *eguale, pari*; Fr. *égal, pareil*; Hisp. *igual, parejo*; Germ. *völlig gleich*; Angl. *equal, even, like, suitable*). Usurpatur *A*) Adjective, et *B*) Substantivorum more.

A) Adjective occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 1. 9. Id demum compar connubium fore. *Id.* 23. 6. Compar Latinorum postulatio. *Id.* 38. 44. Compari Marte concurrere. *Al. leg.* pari. *Auct. B. Hisp.* 23. Prælium compar. *Val. Max.* 9. 14. *extern.* 2. Duo lineamentis oris et omnium membrorum compares erant. — *b*) Cum Dativo. *Lucret.* 4. 1251. natura viri compar uxori. *Liv.* 28. 42. *ad fin.* Consilium tuum parentis tui consilio compar. *Id.* 8. 6. Milites militibus, centuriones centurionibus, tribuni tribunis compares. *Id.* 8. 10. Funus morti compar. — *c*) Cum Genitivo. *Gell.* 6. 11. Quia tantisper similis et compar eorum fias.

B) Absolute, substantivorum more — ¶ 1. *Compar*, comm. gen. 3. ponitur pro socio, sodali, conjuge. Itali eodem sensu *compáre* dicunt pro sodali, amico. *Plaut. Pseud.* 4. 3. 9. Hunc comparem metuo meum. *Horat.* 2. *Od.* 5. 2. Munia comparis æquare. *h. e.* uxoris. *Ovid.* 3. *Art. am.* 358. Bellatorque sua prorsus sine compare bellat. *h. e.* rex sine regina in ludo latrunculorum. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 760. 5. et 793. 9., apud *Reines. cl.* 20. *n.* 36. 129. et 322., et apud *Orell.* 2656., in quibus *compar* pro marito aut pro uxore ponitur. — Præcipue cum de re agitur venerea. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 64. Compressiones arctæ amantum comparum. Adde *eumd. Cas.* 4. 2. 18. et *Catull.* 68. 125. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 38. Taurus cum vacca compare. ¶ 2. *Compar*, ἰσόκωλον, figura rhetorum, qua membra plura orationis ponuntur pari fere numero syllabarum, ut *in prælio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat*, etc. *Cic.* 4. *Herenn.* 20. 28.

COMPĂRA, æ, f. 1. idem ac compar. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 67. *de equa veloci.* CVRSANDO FLAKRIS COMPARA, AETATE ABACTA VIRGINI, SPEVDVSA, LETHEN INCOLIS.

COMPĂRĀBĬLIS, e, adject. qui comparari et conferri potest. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. Comparabile est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. *Id.* 1. *ibid.* 28. 42. Simile autem ex specie comparabili, aut ex conferenda atque assimulanda natura judicatur. *Liv.* 39. 52. Trium clarissimorum virorum mors comparabilis.

COMPĂRĀTĒ, adverb. alterius comparatione. *Cic. Top.* 22. 84. Cum quæritur quale quid sit, aut simpliciter quæritur, aut comparate: simpliciter, expetenda ne sit gloria; comparate, præponenda ne sit divitiis gloria.

COMPĂRĀTĪCĬUS, a, um, adject. ¶ 1. *Aurum comparaticium*, apud *Imppp. Valent., Gratian. et Valentin. Cod. Theod.* 12. 40. 2. est quod per singulorum collationem ac tributum confertur. ¶ 2. Est idem quod comparabilis. *Tertull. advers. Valentinian.* 13. Angelorum comparaticius antistatus.

COMPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. duo inter se diversa significat: aut enim *A*) est a *cum* et *par, paris*, et significat collationem; aut *B*) est a *cum* et *parare*, et significat apparatum, præparationem.

A) Comparatio, a *cum* et *par, paris*, est collatio, cum duo vel plura inter se conferuntur (It. *comparazione, paragone*; Fr. *comparaison, parallèle*; Hisp. *comparacion, cotejo, parangon*; Germ. d. *Zusammenstellung von Gleichem mit Gleichem*; Angl. *a comparing or likening, comparison*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, et est æqua proportio, quæ inter duas vel plures interest res. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Cum solis et lunæ et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem est facta conversio. *Vitruv.* 9. 8. 4. *Schneid.* Item — horologiorum ex aqua comparationes explicuit. *h. e.* rationes, adeoque ipsorum constructiones; quam postremam interpretationem *Forcellinus* exhibuit. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 13. Item custodiendum est, ne in comparatione vel statura, vel viribus impar cum valentiore jungatur (*bos*). — Hæc vox videtur nova fuisse *Ciceronis* tempore, et fortasse ab illo ipso novata, præsertim in sensu τῆς ἀναλογίας et collationis. Ita enim loquitur *Tim.* 4. *extr.* Id optime assequitur quæ Græce ἀναλογία, Latine (audendum est enim, quoniam hæc primum a nobis novantur) comparatio proportiove dici potest. Adde *eumd. ibid.* 5. et 7.; et *Colum.* 2. *R. R.* 2. 3. ¶ 2. Latiori sensu est conferendi actus, qui verbis fit; et primo quidem est constitutio et conventio, quæ inter magistratus locum habebat in distributione provinciarum: *V.* COMPARO sub *A.* 3. *Liv.* 6. 30. Manlius Volsci provincia sine sorte, sine comparatione, extra ordinem data. ¶ 3. Item est rerum inter se collatio, quæ mente ac verbis fit. *Cic. Topic.* 18. 71. Parium comparatio nec elationem habet, nec submissionem. *Id. ibid.* Comparatio majorum, minorum. *Id.* 1. *Off.* 43. 152. Eorum, quæ honesta sunt, potest incidere sæpe contentio et comparatio, utrum sit honestius. *Id.* 2. *ibid.* 25. 88. Comparatio utilitatum. *Id.* 1. *Orat.* 60. 217. Orationis suæ cum scriptis alienis comparatio. *Id.* 10. *Fam.* 5. 1. Res in comparatione difficilis ad judicandum. *Id.* 1. *Off.* 17. 58. Comparatio, quibus plurimum sit tribuendum. *Id. ibid.* 3. 10. Disserere de comparatione rerum. *Id.* 5. *Tusc.* 13. 38. Aliquam comparationem habere. *Curt.* 3. 11. 20. Strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat. *Vellej.* 2. 9. Usque in comparationem Græcorum ingeniorum evecti. *Sueton. Aug.* 79. Ut nonnisi ex comparatione procerioris intelligi posset. Adde *Curt.* 10. 8. 9. *Sueton. Rhet.* 6. Demittere se in comparationem. *Quintil.* 5. 13. 57. Comparatio argumentorum. *Id.* 2. 4. 24. rerum. *Id.* 1. 5. 4. similium. *Id.* 7. 2. 22. Ducere comparationem non una via. *Id.* 2. 4. 21. Comparatio uter melior uterve utilior. *Id.* 8. 4. 9. et 8. 5. 5. per comparationem. *Seneca Ep.* 43. Comparatio magnitudinem aut tollit aut deprimit. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Comparatio deterioris. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 9. 11. (27). Suos comparatione ejus damnat ut alienos. *Id.* 34. *ibid.* 7. 18. (44). Victus comparatione. ¶ 4. Speciatim apud Rhetores *comparatio criminis* est cum reus aliud aliquod factum rectum aut utile profert, quod ut fieret, illud de quo arguitur, se commisisse fatetur, ut *Cic.* docet 1. *Invent.* 11. 15., nempe quia fit comparatio facti honesti cum crimine, quod ejus facti causa admissum est. Adde *eumd. Cic.* 2. *ibid.* 24. 72. et 1. *Herenn.* 14. 24. ¶ 5. Denique apud Grammaticos comparatio est gradus comparativus. *Quintil.* 1. 5. 45. Per comparationes et superlationes. — Item ipsius comparativi gradus ratio. *Charis.* 2. p. 129. *Putsch.* His et comparatio accidit, quoniam aut in qualitate sunt, aut quantitate, magnus major maximus etc. Adde *Donat.* p. 1745. *ibid.*

B) Comparatio, a *cum* et *parare*, est apparatus, præparatio, acquisitio, inquisitio, quæ fit ad certum aliquem finem (It. *apparecchio, procaccio, acquisto*; Fr. *apprêts, acquisition*; Hisp. *aparejo, aquisicion*; Germ. d. *Bereitmachung, d. Instandsetzung, Anschaffung, Herbeischaffung, Zurüstung*; Angl. *provision, preparation, acquisition*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. Reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. *sub fin.* Pompejus omnia pollicetur et Cæsar: quibus ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam. *Id. Brut.* 76. 263. Comparatio et disciplina dicendi. *Id. Cluent.* 67. 191. Totius hujus ab illa inventa et adornata est criminis comparatio. *h. e.* apparatus rerum ad crimen inferendum idonearum. *Id.* 2. *Fin.* 28. 92. Si tam facilis, quam vultis, voluptatis comparatio. *h. e.* acquisitio. Sic *Id. Mur.* 21. 44. Comparatio suffragatorum, testium. *Auct. B. Afr.* 35. pugnæ. *Liv.* 42. 17. veneni. *Val. Max.* 4. 4. 5. nimis anxia divitiarum. *Seneca Ep.* 9. amicitiæ novæ. — *b*) Speciatim et pro emptione adhibetur. *Trajan. ad Plin.* 10. *Ep.* 37. Proficiscens ad comparationem frumentorum. *Ulp. Dig.* 5. 1. 52. Cum appareat, id legislatorem sensisse ex genere comparationis. *Papinian. ibid.* 41. 3. 44. *pr.* Comparatio servorum.

COMPĂRĀTĪVĒ, adverb. per comparationem. *Gell.* 5. 21. *Compluries* cum dicimus, non comparative dicimus. — A Grammaticis adhibetur de gradibus. *Charis.* 1. p. 87. *Putsch.* Adverbialiter *docte*, comparative *doctius*, superlative *doctissime*.

COMPĂRĀTĪVUS, a, um, adject. comparationem continens. ¶ 1. Apud Rhetores est qui pertinet ad plurium rerum inter se collationem. *Cic.* 2. *Invent.* 23. 76. Comparativa judicatio. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 24. 73. *Quintil.* 7. 4. 3. Hoc genus ἀντίστασις Græce nominatur: comparativum nostri vocant. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 12. In omni qualitate comparativa. *h. e.* in omni comparatione. ¶ 2. A Grammaticis passim dicitur *comparativus* absolute, et *comparativum*, i: ibi subauditur *gradus*, hic *nomen*, vel *genus*. *Gell.* 5. 21. Contra formam perpetuam in comparativo. Adde *Charis.* 2. p. 131. *Putsch.* et alibi; et *Donat.* p. 1745. *V.* et PRÆLATIVUS. — In neutr. plur. *Quintil.* 9. 3. 19. Comparativa. — De Ablat. *Priscian.* 5. *p.* 671. *Putsch.* Comparativus casus apud eosdem est ablativus, quia utimur eo in comparationibus, ut fortior Hectore. *Cf. Gell.* 5. 21. Vocabulum comparativum.

COMPĂRĀTOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Comparator est qui comparat, aut confert aliquid. *Julian. Epit. nov. c.* 44. § 77. litterarum. ¶ 2. Est etiam emptor. *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 17. *ad fin.* Fundus ejus esse videtur, cujus nomine comparatus est, non a quo pecunia numerata est, si tamen fundus comparatori sit traditus. *Inscript.* apud *Murat.* 559. 4., quæ est apud *Orell.* 4168. C. IVLIO ALCIMO RAVENNATI COMPARATORI MERCIS SVTORIAE. Adde *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 10. 33. 1.; *Cod. Theod.* 3. 1. 2. et 11. 7. 4.; et *Paul.* 2. *Sentent.* 17. § 15.

COMPĂRĀTUS, a, um, particip. *V.* COMPARO.

COMPĂRĀTUS, us, m. 4. apparatus. *Vitruv. præf. l.* 7. § 17. *Schneid.* Amplo modulorum comparatu architectari.

COMPARCINUS *et*
COMPARCIVUS. *V.* COMPACTICIUS.

COMPARCO vel comperco, is, parsi, parsum, ere, n. 3. (cum *et* parco). Comparco est parcendo colligo, parsimonia utor (It. *risparmiare, sparagnare*; Fr. *économiser, amasser en épargnant*; Hisp. *ahorrar*; Germ. *zusammensparen*; Angl. *to scrape together, husband well, save by parsimony*).

I.) Proprie. *Ter. Phorm.* 1. 1. 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defrudans genium, comparsit miser, id illa universum abripiet. *Hanc lectionem tuentur* Cod. Bemb., *Non. p.* 117. 30. *Merc.*, et *Charis.* 2. *p.* 197. *Putsch.* et *p.* 133. *Lindemann.*: Codd. reliqui *habent* compersit. *Paul. Diac. p.* 60. 5. *Merc.* Comparsit Terentius pro *compersit* posuit. Ita *Salmas.* et alii. Al. (inter quos *Müll.*) leg. *pro compescuit*; quæ sane lectio et interpretatio vel alium *Terentii* locum designat, vel si hunc, est parum ad rem. *V.* tamen *Müll.* ad h. l., et cf. infra n. II. *Fronto Laud. neglig. p.* 329. (edente *Maio*). Non æque diligentes ad quærendum victum

et comparcendum cibum leones, ut formicas esse. *Pacat. Paneg. Theodos.* 32. *ad fin.* Comparcendo laxare annonam. *Solin.* 22. *extr.* 2. Fructus compercere in hiemem.

II.) Translate ponitur pro se abstinere, se continere. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 137. Comperce, amabo, me attrectare. cf. *Müll.* ad *Paul. Diac. loc. cit.*

COMPĀRĔO, āres, ārŭi, ere, n. 2. — Part. *Comparens* sub *b* in fin. — Compareo idem est ac pareo, appareo, in conspectu sum, adsum. Occurrit — *a*) De personis et aliis animantibus. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 2. Qui modo nusquam comparebas, nunc cum compares, peris. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 68. Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens. *h. e.* videbor tibi. *Cic.* 2. *de republ.* 10. 17. Cum subito sole obscurato non comparuisset (*Romulus*). Cf. *Eutrop.* 1. 2. *Cic. Cluent.* 64. 180. Suspicio in servos, qui non comparebant, commovebatur. *Id.* 12. *Att.* 2. 1. Pompejus non comparet, nec in Balearibus omnino fuit. *Lucret.* 6. 1219. nec tamen ulla comparebat avis. *Liv.* 8. 37. Nec auctor, nec causa terroris comparuit. *Sueton. Aug.* 14. Repente comparuit incolumis. *Id. Rhet.* 4. Ferunt olim præcipitatum in flumen, paulo post cum cornibus extitisse, ac statim non comparuisse. *Paul. Dig.* 29. 5. 6. Si unus ex dominis non compareat. *h. e.* non adsit judici. — *b*) De rebus inanimis. *Plaut. Trin.* 2. 4. 10. Nequsquam argenti ratio comparet tamen. *Id. Amph.* 2. 1. 83. Et memor sum, et diligens, ut, quæ imperes, compareant. *Cic.* 3. *Verr.* 50. 132. Signa et dona comparere omnia etc. *h. e.* extare. *Id. Sull.* 26. 73. Quæ ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant. *Id. Orat.* 71. 234. In Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent. *Id. Brut.* 32. 122. Nobis quidem pueris hæc (*oratio*) omnium optima putabatur, quæ vix jam comparet in hac turba novorum voluminum. *Nepos Cat.* 3. In quibus (*libris*) multa industria et diligentia comparet. *Liv.* 6. 1. Imprimis fœdera et leges – conquiri, quæ comparerent, jusserunt. *Id.* 32. 10. Iis, quorum agros urbesque populatus esset, redderet res, quæ comparerent: ceterorum æstimatio fieret. *h. e.* exstarent. Adde *eumd.* 25. 40., 26. 30., 27. 26., 29. 21. et 31. 35. *Ovid.* 6. *Met.* 410. Impositum est non comparentis in usum Partis ebur. *Seneca præfat. l.* 1. *Controv.* Sæpe quod quærenti non comparuit, aliud agenti præsto est. *h. e.* non venit in mentem.

COMPĀRĬLIS, e, adject. idem quod compar. *Auson. Ecl.* 2. 38. Nescit comparilea laterum formare figuras. *Arnob.* 2. p. 68. Ratio comparilis. Hunc *Arnobii* locum citat *Klotz*; ipse minime inveni.

COMPĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Comparassit* pro *comparaverit* est apud *Plaut. Epid.* 1. 2. 19. — Part. *Comparatus* in omnibus paragr.; *Comparaturus* sub *B*. I. 1.; *Comparandus* sub *A*. 4. — Comparare duo inter se diversa significat: aut enim *A*) est a *cum* et *par*, *paris*, et significat paria conjungere; aut *B*) est a *cum* et *parare*, et significat apparare, præparare. Quoniam vero et *par*, *paris* et *parare* ab uno eodemque etymo deducuntur; ex iis quæ afferemus locis facile quisque percipiet, inter unam alteramque significationem maximum cognationis vinculum interesse.

A) Comparare, a *par paris*, proprie et stricto sensu significat paria simul jungere, quæ paria sunt bina conjungere (It. *appajare, congiungere a paja*; Fr. *apparier, accoupler*; Hisp. *aparear, juntar*; Germ. *als Paar zusammenstellen, als Paar und Paar vereinigen*; Angl. *to pair, match*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, generatim. *Plaut. Asin.* 3. 3. 78. Prehende auriculis, compara labella cum labellis. *Accius* apud *Non.* p. 255. 30. *Merc.* Quia meum senium cum dolore tuo conjungam et comparem. *Cic. Tim.* 5. Ut inter ignem et terram aquam deus animamque poneret, eaque inter se compararet et proportione conjungeret. *Liv.* 10. 15. Ita L. Volumnius de plebe cum Appio Claudio consul est factus, priore item consulatu inter se comparati. Adde *eumd.* 40. 46. ¶ 2. Speciatim est in paria ordinare ad certamen, binos committere, sive in contentionem deducere. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. 2. Non putasset sibi Pompejus de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen –: cum Æsernino Samnite Pacidejanus comparatus viderer. *Cic.* hoc loco imitatus est *Lucilium* apud *Non.* p. 257. 18. *Merc.*, qui verbo *componere* eodem sensu usus est. Rursus *Cic. Quinct.* 1. 2. Verum ita se res habet, ut ego – cum patrono disertissimo comparer: P. Quinctius – cum adversario gratiosissimo contendat. *Liv.* 30. 28. Erexerunt omnium animos Scipio et Hannibal, velut ad extremum certamen comparati duces. *Justin.* 6. 2. Non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene comparatum fuerit. — Hinc est etiam arenæ verbum: nam cum producti gladiatores in paria ordinabantur, ut inter se pugnarent, non solum *committi* et *componi*, sed et *comparari* dicebantur. *Sueton. Cal.* 35. Hunc in arenam deductum Threci, et mox hoplomacho comparavit. ¶ 3. Latiori sensu, *comparare* absolute, vel *comparare inter se* dicuntur qui de re aliqua communi voluntate inter se statuunt. Præcipue vero huc locum habet in distributione provinciarum. *Liv.* 3. 41. Legionibus scriptis inter se decemviri comparabant, quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus oporteret. *Id.* 4. 40. Tandem ita comparatum est, ut alternis diebus summam imperii haberent. *Id.* 24. 10. Decretum, ut Coss. sortirentur, compararentve inter se, uter comitia haberet. Adde *eumd.* 8. 6., 25. 41., 26. 8., 29. 20. et alibi. *Id.* 33. 43. Placere, consules Hispaniam citeriorem et Italiam provincias aut comparare inter se, aut sortiri. *Id.* 42. 31. Ut consules inter se provincias Italiam et Macedoniam compararent, sortirenturve. Adde *eumd.* 28. 45. et 38. 35. ¶ 4. Item est duas vel plures personas aut res inter se conferre ad earumdem æstimationem faciendam: qua significatione primo occurrit stricto sensu pro æquare, conferendo parem facere. *Cic.* apud *Non.* p. 256. 1. *Merc.* Neminem tibi profecto hominem ex omnibus anteposuissem, aut etiam comparassem. *Id.* 1. *de republ.* 5. 9. Accedere ad rempublicam plerumque homines nulla re dignos, cum quibus comparari sordidum sit. *Id.* 12. *Fam.* 30. 7. Honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi. *Nepos Timol.* 2. Nullius consilium non modo antelatum, sed ne comparatum quidem est. Adde *eumd. Themist.* 5. et *Iph.* 1. *Auct. B. G.* 8. *præfat.* Commentarios – non comparandos superioribus atque insequentibus ejus scriptis contexui. *Catull.* 61. 64. Quis huic deo compararier ausit. *est paragoge pro* comparari. *Liv.* 28. 28. Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? Adde *eumd.* 21. 43. *Ovid.* 13. *Met.* 338. et se mihi comparet Ajax? ¶ 5. Secundo, latiori sensu, est duo vel plura inter se conferre: et occurrit — *a*) *Comparare aliquid* absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 40. 172. Majora et minora et paria comparabimus sic. Adde *eumd. Topic.* 18. 68. *Id. Orat.* 27. 95. Nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. *Id.* 2. *Herenn.* 28. 45. In comparandis rebus. *Id.* 1. *Off.* 4. 11. Comparare similitudines. *Id. Topic.* 18. 69. Res numero, specie comparare. *Id. ibid.* 18. 71. res æqualitate ipsa. *Tac.* 1. *Hist.* 7. imperatores forma ac decore corporis. *Quintil.* 7. 7. 2. Si optio tyrannicidæ et viri fortis comparetur. *Id.* 7. 2. 22. Comparare singula in aliquo crimine. *Id.* 6. 5. 3. Plura perpendere et comparare. — Et absolute omnino, *h. e.* sine Accus. *Quintil.* 8. *procem.* 29. Comparandi anxietas. Adde *eumd.* 1. 5. 26. — *b*) *Comparare aliquid alicui rei* sæpius occurrit. *Cic. Senect.* 5. 14. Equi fortis et victoris senectuti comparat suam. *Liv.* 9. 19. Copias copiis comparare vel numero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorum. *Curt.* 8. 4. 25. Si regiæ stirpi compararetur ignobilis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 112. Comparare se pauperiorum turbæ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (60). Tus non comparandum priori. *Id.* 9. *ibid.* 35. 59. (122). Antonius comparatus histrioni. *Quintil.* 8. 4. 13. Comparare tota totis, partes partibus. *Id.* 9. 3. 1. antiquum sermonem nostro. *Id.* 10. 1. 98. Varii Thyestem cuilibet Græcarum. *Plin. Paneg.* 89. Comparatus filio tuo vinceris. — *c*) Etiam *comparare aliquem cum aliquo*, aut *aliquid cum aliqua re* sæpe occurrit. *Cic. Dom.* 51. 130. Quæso, pontifices, et hominem cum homine et tempus cum tempore et rem cum re comparate. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 54. 121. et 2. *Phil.* 46. 117. *Id.* 3. *Fam.* 6. 1. Cum meum factum cum tuo comparo. *Id.* 3. *Off.* 1. 2. Sed neque hoc otium cum Africani otio, nec hæc solitudo cum illa comparanda est. *Id.* 2. *ibid.* 6. 20. Comparare orationem cum magnitudine utilitatis. *Id. ibid.* 25. 88. corporis commoda cum externis et externa cum corporis. *Quintil.* 7. 2. 22. personam cum persona. Adde *eumd.* 12. 7. 3. — *d*) Interdum *comparare plures* aut *plura inter se* occurrit. *Cic.* 1. *Off.* 43. 152. Eæ (*partes honestatis*) – sæpe inter se comparentur necesse est. *Id.* 2. *ibid.* 25. 88. Ipsa inter se corporis commoda comparare. *Quintil.* 3. 6. 87. leges inter se. — *e*) *Comparare aliquem ad aliquem* dixit *Ter. Eun.* 4. 4. 14. Nec comparandus hic quidem ad illum est. — *f*) Denique *comparare* sequente Relativo, est per comparationem judicare, æstimare. *Accius* apud *Non.* p. 257. 7. *Merc.* Proin tu, id cui fiat, non qui facies, compara. *Cic.* 2. *Herenn.* 28. 45. Cum compareretur, utrum satius sit populum frumentum accipere, an non accipere. *Id.* 2. *Off.* 5. 16. Deinde comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu etc. *Liv.* 2. 32. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 5.

B) Comparare, a *cum* et *parare*, est aliquid acquirere, et congerere ad certum aliquem finem: et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Usurpatur de iis, quæ ad communem usum parantur; et est colligere, congerere, inquirere, acquirere, itemque emere, coemere. — *a*) De inanimis ac materialibus. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 1. Negoti sibi qui volet vim parare, navem et mulierem, hæc duo comparato. *Id. Epid.* 1. 2. 10. Comparare alicui quadraginta minas. *Id. Asin.* 2. 1. 2. argentum. *Ter. Heaut.* 4. 8. 14. Ut – des, qui aurum ac vestem atque alia, quæ opus sunt, comparet. *Non.* p. 257. 6. *Merc.* exponit emere, coemere. *Cic.* 4. *Verr.* 31. 83. Sthenius ab adolescentia paullo studiosius hæc compararat, supellectilem ex ære elegantiorem et Deliacam et Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti – satis. *Id. fragm. Œcon.* apud *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 2. Comparare victum et cultum humanum labore et industria. *Id. Pis.* 29. 71. discipulum. *Cæs.* 3. *B. C.* 4. Dardanos, Bessos, partim mercenarios, partim imperio aut gratia comparatos adjecerat. *Liv.* 1. 34. Urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato L. Tarquinium Priscum edidere nomen. *Catull.* 10. 15. Comparare homines ad lecticam. *Curt.* 5. 6. 3. Supellex non ad usum modo, sed ad ostentationem luxus comparata. *Sueton. Cæs.* 47. Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparasse. *Id. ibid.* 75. Comparare bestias ad munus populi. *Id. Cal.* 27. varias pecudes carius. *Id. Cæs.* 10. multiplicem undique familiam. *Id. Cal.* 22. magisteria sacerdotii et ambitione et licitatione. *Apul.* 7. *Met.* Inde vobis epulas Saliares comparaturus. *Plin.* 10. *Ep.* 37. Cum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 17. Servus comparatus si fugerit, pretium dominus reddere cogetur. Adde *Imppp. Valent., Theodos.* et *Arcad. Cod.* 10. 33. 1. *Ulp. Dig.* 13. 4. 2. Comparare merces. *Pompon. ibid.* 6. 1. 70. Comparare injusto pretio. — In postremis hisce locis *Forcellinus* vocem *comparare* interpretatus est *emere*: at *Hieronym.* 3. *in Rufin.* n. 6. eumdem reprehendit, quod comparatum pro *empto* dixerit: addit autem: Comparatio æqualium est, emptio pretii annumeratio. — *b*) Haud raro occurrit etiam de spiritualibus et abstractis. *Ter. Heaut.* 2. 4. 17. Comparare commodum suum ex incommodo alterius. *Cic.* 1. *Invent.* 1. 1. et 1. *Fin.* 20. 65. amicitias. *Id.* 2. *Invent.* 34. 111. artes optimas. *Id.* 4. *Herenn.* 20. 28. Divitias comparat diligentia. *Id.* 2. *Off.* 13. 45. Comparare gloriam ex bellicis rebus. *Id.* 2. *Fam.* 4. sibi laudem artibus. *Id.* 5. *Tusc.* 12. 36. sibi optime vivendi rationem. *Id.* 7. *Verr.* 10. 26. remedium sibi ad magnitudinem frigorum et tempestatum vim. *Id.* 3. *Orat.* 26. 103. silvam rerum. *Id.* 1. *Invent.* 1. 1. societates. *Id.* 1. *ibid.* 45. 199. subsidium sibi non solum ad causarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis. *Id.* 4. *Herenn.* 20. 27. Virtutem comparat industria. *Cæs.* 5. *B. G.* 53. auctoritatem sibi re bene gesta. *Quintil.* 1. 2. 31. Vim dicendi tantis comparatam laboribus ad unum auditorem demittere. ¶ 2. Usurpatur de iis, quæ ad peculiarem et temporaneum aliquem finem parantur, apparantur, præparantur: et occurrit — *a*) Absolute omnino. *Cic.* 16. *Fam.* 11. 3. Omnino et hæc quoque parte diligentissime comparatur. *Id. Planc.* 20. 49. Ut ne daretur – spatium comparandi. *Nepos Thrasyb.* 2. Hos, tempore ad comparandum dato, robustiores fecit. Adde *Liv.* 35. 45., 38. 12. et 42. 52. — *b*) Sæpius cum Accusativo personæ aut rei, quæ præparatur tamquam instrumentum ad finem assequendum. — Porro hac significatione junguntur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. Cluent.* 67. 191. accu-

satorem filio suo. Adde *eumd. Rosc. Am.* 11. 30. *Id.* 1. *Invent.* 15. 20. animum auditoris ad reliquam dictionem. *Tibull.* 1. 10. 42. aquam calidam fesso marito. *Liv.* 42. 30. arma, milites, classem. *Curt.* 4. 9. 3. arma. Adde *Quintil.* 12. 1. 1. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 3. auxilia voluntaria. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 8. canem pecuarium ad rixam, ad pugnam, ad cursum. *Cic. Flacc.* 14. 33. et *Nepos Miltiad.* 4. classem. *Nepos Ages.* 2. classes. *Cic. Orat.* 66. 223. et *Nepos Ages.* 2. copias. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 3. copiam Capuæ et circa Capuam. *Quintil.* 2. 10. 10. declamatio in ostentationem comparata. *Ter. Eun.* 2. 3. 63. donum alicui dono contra. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 3. equitatum. *Id.* 3. *Phil.* 6. 14. et 5. *ibid.* 13. 36.; *Nepos Arist.* 3., *Datam.* 4., *Ages.* 2. et *Hann.* 3.; *Liv.* 28. 13.; et *Curt.* 4. 14. 12. exercitum vel exercitus. *Nepos Dion.* 6. factionem. *Quintil.* 3. 2. 2. ferrum in tutelam sui, in alterius perniciem. *Horat. Epod.* 2. 30. imbres nivesque comparat annus hibernus. *Liv.* 42. 43. legati in Bœotiam comparati sunt. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 3. manum firmam evocatorum. Adde *Nepot. Dion.* 4. et *Datam.* 5.; et *Sueton. Tib.* 25. *Nepos Datam.* 4. milites ad resistendum. *Cæs.* 7. *B. G.* 12. præsidium. *Cic. Dom.* 12. 30. rem. *Cæs.* 4. *B. G.* 7. re frumentaria comparata. *Nepos Eumen.* 8. utres et sulcos ad rem perficiendam. *Plaut. Amph.* 3. 3. 5. vultum ex vultu alterius comparare. *h. e.* confirmare, componere. — Specialim *comparare se* frequenter occurrit. *Cic. Mil.* 10. 28. Paulisper dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 19. Comparare se ad respondendum. *Cæs.* 7. *B. G.* 79. se ad eruptionem atque omnes casus. *Auct. B. Afr.* 14. se ad circumeundum. *Liv.* 28. 33. se ad iter. — Et mediorum apud Græcos Verborum more *Cic.* 3. *Herenn.* 3. 4. Ita fiet, ut eisdem locis et ad suadendum et ad dissuadendum simus comparati. — In re autem publica *comparare homines ad aliquid* est hominum suffragium, auxilium, vim etc. ad aliquid assequendum sibi acquirere, adjungere et præparare. *Liv.* 5. 6. Comparare sex tribunos ad intercessionem. *Id.* 9. 34. Tribunicium auxilium sibi comparare adversus aliquem. — *c*) Cum Accusativo rei, quâ utimur, aut conditionis seu status rei, qui efficitur, et est conficere, efficere aliquid tamquam apparatum ad aliquem finem: jungitur autem pluribus Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. *Cic.* 3. *Verr.* 1. 2. accusationem comparare et constituere. *Id.* 2. *Att.* 17. 1. aditus sibi ad res pestiferas. *Id.* 3. *Phil.* 1. 1. bellum contra aras et focos. *Nepos Eumen.* 7. bellum adversus aliquem. *Id. Dion.* 5. et *Ages.* 2.; et *Liv.* 9. 29. et 32. 28. bellum. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 65. convivium magnifice et ornate. *Plaut. Capt. prol.* 47. dolum alicui comparare et confingere. *Liv.* 23. 35. dolum ad capiendos eos. *Cæs.* 4. *B. G.* 18. fugam. *Cic. Cluent.* 16. 47. insidias alicui per aliquem. Adde *Curt.* 9. 7. 4. *Id. Curt.* 6. 9. 17. insidias capiti alicujus. *Id.* 6. 2. 4. insidiæ comparatæ in caput alicujus. *Nepos Alcib.* 10. iter ad aliquem. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 147. laudationem alicui per vim et metum a civitatibus. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. 2. ludos. *Plaut. Cas.* 2. 8. 72. malum magnum alicui. *Sisenna* apud *Non. p.* 256. 7. *Merc.* malum publicum clandestinis consiliis. *Ovid.* 2. *Fast.* 780. metum alicui. *Cic.* 4. *Herenn.* 20. 27. nuptias domi. *Id. Flacc.* 38. 96. periculum alicui. *Cæs.* 4. *B. G.* 31. subsidia ad omnes casus. *Cic.* 4. *Herenn.* 28. 38. tumultus C. Gracchi tumultus domesticos et intestinos comparat. — *d*) Cum Infinito. *Ovid.* 2. *Trist.* 267. Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta Comparat, audaces instruit igne manus. Adde *Virg. Cul.* 204.

II.) Translate de hominum animo aut de intima rerum indole ponitur, et est moribus, studiis, conditione ad aliquid præparare atque instituere: occurrit autem — *a*) Raro de personis. *Ter. Eun.* 1. 1. 2. An potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias. *h. e.* confirmem, constituam, ut *Non. p.* 256. 19. *Merc.* interpretatur. *Turpilius* apud *eumd. Non. ibid.* Numquam unius me comparavi servire elegantiæ. *Cic.* 3. *Orat.* 9. 32. Quoniam sic fuimus semper comparati, ut etc. *Id.* apud *Non. p.* 256. 23. *Merc.* Quamobrem se comparet hic civis ita necesse est, ut sit contra hæc — semper armatus. Adde *Accium* apud *eumd. Non. ibid. Ter. Adelph.* 2. 2. 4. Numquam vidi iniquius certationem comparatam, quam hodie inter nos fuit. *Forcellinus* interpretatur *commissam. Id. Heaut.* 3. 1. 97. Ita comparatam esse hominum naturam omnium etc. *Cic. Balb.* 13. 31. O jura præclara atque divinitus a nostris majoribus inde a principio Romani nominis comparata! *h. e.* constituta, instituta. Adde *eumd. Dom.* 29. 77. et *Amic.* 27. 101. *Id. Quinct.* 16. 51. Majores nostri raro id accidere voluerunt; prætores, ut considerate fieret, comparaverunt. — *b*) Sæpius de rebus, et quidem per pronomina ejus. *Accius* apud *Non. p.* 256. 19. *Merc.* Atque id ego semper mecum sic agito et sic comparo, quo pacto magnam molem minuam. *Cic.* 4. *Herenn.* 16. 24. Bene majores nostri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent. *Plaut. Amph.* 2. 2. 5. Itaque cuique comparatum est in ætate hominum, ita dis placitum, voluptatem ut mæror comes consequatur. *Ter. Phorm.* 1. 1. 7. Quam inique comparatumst, hi, qui minus habent, ut semper aliquid addant divitioribus. *Cic. Cluent.* 21. 57. Jam hoc prope iniquissime comparatum est, quod etc. *h. e.* pessima hæc consuetudo invaluit etc. Cf. *Afranium* apud *Non. p.* 256. 27. *Merc. Cic. Rosc. Am.* 53. 153. Ne quid acrius, quam more majorum comparatum est, factum videretur. *Id.* 1. *ad Brut.* 12. Hoc præclare legibus comparatum est, quod etc. *Liv.* 39. 29. Ita comparatum more majorum erat, ne etc. *Id.* 3. 68. Natura hoc ita comparatum est, ut etc. *h. e.* ita rerum natura fert.

COMPARTĬCEPS, cĭpis, adject. idem quod particeps. *Vulgat. interpr. ep. ad Ephes.* 3. 6. Gentes esse coheredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus. *Ambros. lib.* 5. *in Luc. cap.* 6. *post init.* Ad vulnera nostra descendit; ut usu quodam et copiâ suæ naturæ, comparticipes nos faciat esse regni cælestis.

COMPARTĬCĬPO, as, are, a. 1. (cum *et* participo) aliquem participem facio. *Ambros. Ep.* 7. Ipse, si quid melius habes, nobis comparticipato.

COMPARTĬOR, iris, iri, dep. 4. (cum *et* partior) idem quod impertior, communico. In *Vet. Decreto* sub Antonino Pio apud *Gruter.* 408. *lin.* 39., quod est apud *Orell.* 4040. CVM QVIBVS MVNERA DECVRIONATVS COMPARTIAMVR.

COMPARTŬRĬO, is, ire, n. 4. (cum *et* parturio) simul parturio. *Ambros.* 4. *Hexæm.* 7. Mecum congemiscit et comparturit. *Id.* 4. *ibid.* 8. Illa ergo (*luna*) non sponte mutatur; tu sponte mutaris. Illa congemiscit et comparturit in sua mutatione; tu non intelligis et gratularis frequenter.

COMPASCO, scis, stum, scere, a. 3. (cum *et* pasco). Part. *Compastus* 2. *b.* — Compasco est simul pasco, pabulum præbeo; et occurrit ¶ 1. Absolute. *Fragm. leg. Thoriæ* apud *Gruter.* 202. *lin.* 25. NEIVE QVIS IN EO AGRO AGRVM OCCVPATVM HABETO, NEIVE DEFENDITO, QVO MINVS, QVEI VELIT COMPASCERE, LICEAT. *Cic. Topic.* 3. 12. Si compascuus est ager, jus est compascere. Adde *Quintil.* 5. 10. 85. *Scævola Dig.* 8. 5. 20. Habere jus compascendi. — ¶ 2. Cum Accusativo; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, quæ depascitur. *Varro* 2. *R. R. proœm.* 5. Pabulum in fundo compascere, quam vendere, plerumque magis expedit. *Id.* 1. *ibid.* 53. Messe facta, spicilegium venire oportet, aut, si sunt spicæ raræ, et operæ caræ, compasci. — *b*) Cum Accusativo pecorum quibus aliquid depascendum relinquitur. *Varro* 1. *R. R.* 2. 17. Colonus in agro surculario ne caprâ natum compascat. *Schneid. leg. pascat. Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (61). Ostrea Brundusiana in Averno compasta. — *c*) Cum Accusativo status, qui pascendo adimitur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (169). *de ostreis.* Nuper excogitatum, famem longæ advectionis a Brundusio compascere in Lucrino.

COMPASCŬUS, a, um, adject. ad compascendum pertinens. *Cic. Top.* 3. 12. Si compascuus est ager, jus est compascere. Adde *Fragm. leg. Thoriæ* apud *Gruter.* 202. et *Inscript.* apud *Orell.* 3121. *Quintil.* 5. 10. 85. et *Scævola Dig.* 8. 5. 20. Jus compascuum. *h. e.* jus compascendi. *Paul. Diac. p.* 40. 1. *Müll.* Compascuus ager relictus ad pascendum communiter vicinis. *Sicul. Flacc. p.* 18. *Goes.* Inscribuntur compascua, quod est genus quasi subsecivorum, sive loca, quæ proximi quique vicini pascant.

COMPASSĬBĬLIS, e, adject. qui compatitur. *Tertull. advers. Prax.* 29. Pater si compassibilis, utique passibilis.

COMPASSĬO, ōnis, f. 3. (cum *et* passio). ¶ 1. Stricto sensu est communis dolor. *Tertull. Resurr. carn.* 40. Quod pro compassione promittitur. *Id. ibid.* 3. 4. Compassio sententiarum. *h. e.* consensus. ¶ 2. Latiori sensu est idem ac misericordia. *Cassiod.* 4. *Hist. Eccl.* 2. Licet sine ulla compassione sint, vel audientes tamen confusi quiescant.

COMPASSUS, a, um. *V.* COMPATIOR.

COMPASTOR, ōris, m. 3., qui simul pascit. *Hygin. fab.* 187. Alter compastor.

COMPASTUS, a, um. *V.* COMPASCO.

COMPĀTER, tris, m. 3. qui jura parentis simul habet, id est conjux. *Inscript.* apud *Zaccheria, Marm. Salonit. cl.* 4. *n.* 8. D. M. FLAVIO CAROSO VETERANO ATTICIA VESACIA COMPATRI BENIGNISSIMO. Alia *ibid. cl.* 10. *n.* 117. MAMILLA PAVLA DE PATRIMONIO SVO SIBI ET AELIO PAVLINO COMPATRI SVO DOMVM AETERNAM *f. h. e.* sepulcrum posuit. Initio autem pro *Mamilla* videtur scribendum *Mamilia.*

COMPĀTĬENTĬA, æ, f. 1. proprie est idem quod compassio: sed occurrit translate tantum apud *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. *c.* 2. His (*ægrotis*) licet difficile succurri possit, attamen pro causæ magnitudine et pro ipsius professionis compatientia (*h. e.* quantum medicorum ars patitur, quantum per medicorum artem licet), adjutoria, quæ competentia didicimus aut exercuimus, non negabuntur.

COMPĂTĬOR, pătĕris, passus sum, păti, dep. 4. (cum *et* patior). Part. *Compatiens* 1. et 2.; *Compassus* 1.— Compatior est simul patior, et occurrit ¶ 1. Proprie. *Tertull. advers. Prax.* 29. Quid est compati, quam cum alio pati? *Id. Anim.* 5. Anima compatitur corpori. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 16. Tussicula fit compatientibus vicinis partibus. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 2. Similiter etiam inguen eorum huic quam — maxime compatiens ægritudini. *Alcim. Avit.* 3. *in fin.* Ceu tibi compasso miserans succurre latroni. ¶ 2. Item misericordia moveri. *Augustin. Ep.* 40. *n.* 6. Non mentientis æstu, sed compatientis affectu. *Id.* 3. *Confess.* 2. Cum ipse patitur, miseria: cum aliis compatitur, misericordia dici solet. Adde *Sulpic. Sever. sub fin. dial.* 3.

COMPĀTRŌNUS, i, m. 2. simul patronus. *Ulp. Dig.* 38. 5. 1. § 5. Adversus compatronum Faviana non competit. Adde *eumd. ibid.* 26. 4. 3. § 4. et 26. 4. 5. § 4.

COMPĀTRŬĒLIS, is, m. 3. idem fere quod patruelis. *Inscript.* apud *Rénier* 227. Q. AELIVS LVCANVS MILES COMPATRVELI CARISSIMO.

COMPAUPER, ĕris, m. 3. socius in paupertate. *Augustin. Serm.* 25. *ex* 50. *homil. c.* 3. Pascendos habemus compauperes nostros.

COMPĀVESCO, is, ere, n. 3. idem quod expavesco. *Gell.* 1. 23. Hoc illa ut audivit, animo compavescit. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 6.

COMPĀVĬO, is, itum, ire, a. 4. (cum *et* pavio) simul pavire, simul tundere. Occurrit tantum Part. præter. pass. *Compavitus, a, um*, apud *Apul.* 7. *Met.* Misera illa compavita, atque dirupta. *Al. minus recte leg.* compavida.

COMPECCĀTOR, ōris, m. 3. qui simul peccat. *Hieronym. Ep.* 112. *n.* 5. Ego in parvo tuguriolo cum monachis, id est cum compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo.

COMPECCO, as, āvi, ātum, are, n. 1. idem quod pecco, vel simul pecco. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. *in fin.* Themison quoque secundo libro Tardarum passionum in quibusdam eisdem compeccasse videtur, cum plurimum ventrem depurgandum crediderit ex diagridio. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 2. *ad fin.*

COMPĔCISCOR. *V.* COMPACISCOR.

COMPECTO. *V.* COMPACISCOR.

COMPECTŎRĀTUS, a, um, adject. qui pectore alterius pectori adhæret, vel cujus partes alterius partibus ita adhærent, ut partes pectoris inter se. *Apulej. in erron. vener. Poetar.* Quin et cum tenera membra molli lectulo Compectorata adhærent Veneris glutino. *Alii tamen legunt* Cum pectora arcte; et *Scriverius* hoc *Apuleji* poemation supposititium, aut saltem infimæ vetustatis, censet.

COMPECTUS, a, um. *V.* COMPACISCOR.

COMPĔDA, æ. *V.* COMPEDUS.

COMPĔDES, um. *V.* COMPES.

COMPĔDIO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (compes). Præter. perf. *compedivi* nusquam occurrit. — Part. *Compeditus* I. — Compedio est compedibus vincio; et occurrit

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 23. 9. *Merc.* Domo exeo, intro, et pedes corrigiis compedio. *Cato R. R.* 56. Servi compediti. *Plaut. Capt.* 5. 1. 24. In lapicidinas compeditum condidi. *Seneca Tranquill.*

10. Compediti ægre ferunt onera et impedimenta crurum. Adde *Dig.* 4. 3. 7. § 7. et 47. 10. 15. § 14.

II.) Translate. *Augustin. Ep.* 39. Timeo, te rebus mortalibus perniciosissime compediri.

COMPEDĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

COMPEDUS, a, um, quod pedes simul vincit. *Varro* apud *Non.* p. 28. 9. et p. 451. 25. *Merc.* Viscum, sagenam, lineamque compedam. Ita *Scalig.* legendum putat, ut sit a recto *compeda*, æ.

COMPELLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus compellandi, appellatio: et occurrit ¶ 1. Generatim pro simplici compellandi actu. *Cic.* 4. *Herenn.* 15. 22. Exclamatio est, quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuspiam compellationem hoc modo: Te nunc alloquor, Africane etc. ¶ 2. Speciatim est appellatio cum reprehensione et objurgatione conjuncta. *Cic.* 12. *Fam.* 25. 2. Nec destiti labefactare eum, qui etc. Itaque crebras compellationes meas non tulit. *Id.* 3. *Phil.* 7. 17. Nec sentit amens, commendationem esse compellationem suam. *Gell.* 1. 5. Maledictis compellationibusque probrosis jactatus est.

COMPELLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Compellans* 2. *a.*; *Compellaturus* 2. *b.* — Ratione habita etymi, *compellare* est a *compellere*, ut *appellare* ab *appellere* (*V.* APPELLO, as, sub init.): ideoque *compellare* ad litteram est aliquem ad se appellando, vocando, nominando arcessere, atque ad se admovere, ut apud *Liv.* 23. 47. Tauream nomine compellavit congredique ubi vellet jussit. Similiter apud *Ovid.* 3. *Met.* 147. Participes operum compellat Hyantius ore. Hinc falso *Voss.* in *Etymol.* ait, *compellare* esse a *cum*, et antiquo et inusitato *pello*, *as*, loquor. Et falso quidem, sed veritati propius *Forcellinus* qui opinatur, *compellare* esse a *cum* et fortasse a πελάω, poetice pro πελάζω, *admoveo*, *appropinquo*. — Ceterum compellare generatim est alloqui, appellare, nominare (It. *parlare o volgere il discorso ad alcuno, nominare*; Fr. *adresser la parole*, *apostropher*; Hisp. *dirigir la palabra á alguna persona*, *llamar una persona*; Germ. *anreden*, *ansprechen*, *anrufen*; Angl. *to accost*, *address*, *call by name*). Occurrit autem ¶ 1. Generatim: et quidem — *a*) Raro absolute. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 13. *Att.* 23. 2. Excita, compella, loquere. — *b*) Cum Accusativo personæ tantum. *Plaut. Rud.* 4. 7. 1. Quam mox licet te compellare, Dæmones? *Virg.* 3. *Æn.* 398. Incensum pectus amore Compellare virum, et casus cognoscere nostros. — *c*) Adjecto Ablativo modi, quo quis aliquem appellat. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41.; *Virg.* 5. *Æn.* 161. et 6. *ibid.* 499.; et *Ovid.* 14. *Met.* 839. Compellare aliquem voce. *Catull.* 64. 24. carmine. *Virg.* 3. *Æn.* 474. Quem (*Anchisen*) Phœbi interpres multo compellat honore. *Id.* 2. *ibid.* 372. Atque ultro verbis compellat amicis. *Ovid.* 8. *Met.* 788. et 12. *ibid.* 585. Compellare aliquem talibus dictis. *Liv.* 10. 18. et 23. 47.; et *Curt.* 4. 13. 20. nomine. *Val. Flacc.* 2. 402. questu. — *d*) Cum Adverbiis. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 72. Blande compellabo hominem: hospes hospitem salutat: salvum te advenire gaudeo. *Id. Men.* 2. 3. 23. Compellare aliquem familiariter. *Id. Pseud.* 2. 4. 11. magnifice. — *e*) Adjecta causa, propter quam quis vocatur. *Val. Max.* 6. 1. 12. Compellare aliquem de stupro. *h. e.* verbis ad stuprum sollicitare: quod *compellare* absolute dixit *Hygin. Fab.* 57. ¶ 2. Speciatim est appellare accusandi causa vel reprehendendi, objurgandi, conviciandi: et quidem — *a*) In rebus et sermonibus familiaribus. *Cic.* 1. *Herenn.* 14. 24. Mimus quidam nominatim Accium poetam compellavit in scæna. *Nepos Timol.* 1. Quin cum fratricidam impiumque detestans compellaret. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 31. Magna compellans voce cuculum. *Id.* 2. *ibid.* 3. 296. Hæc mihi Stertinius, sapientum octavus, amico Arma dedit, posthac ne compellarer inultus. *Liv.* 22. 12. Pro cunctatore segnem, pro cauto timidum – compellabat. — *b*) In re judiciali et forensi. *Cic. post red. in senat.* 13. 52. Nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur. *Id. ibid.* 5. 12. Neque solum id dixit (*consul*), sed quos ei commodum fuit compellavit. Adde *Liv.* 34. 2. *Cic.* 3. *Phil.* 7. 17. Idem etiam Q. Ciceronem – compellet edicto: nec sentit amens commendationem esse compellationem suam. Adde *Sueton. Cæs.* 17. et *Tac.* 16. *Ann.* 27. *Cic.* 2. *Att.* 2. Nigidium minari in concione se judicem, qui non adfuerit, compellaturum. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. 2. Compellari ea lege me voluerunt, qua dicere non poterant. Adde *Nepot. Alcib.* 4. et *Liv.* 43. 2.

COMPELLO, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (cum et pello). Part. *Compellens* I. *b.*; *Compulsus* in omnibus paragr.; *Compellendus* I. *a.* et *b.* — Compellere proprie est in unum locum vel diversa, vel diversorum animalia cogere, inquit *Servius* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 2.; sive est animalia et res, quæ facile moveri possunt, per vim pellendo, aut verberando, ad locum aliquem cogere vel congregare (It. *cacciare insieme*, *radunare*; Fr. *faire marcher ensemble*, *pousser ensemble*, *rassembler*; Hisp. *pujar juntos*, *juntar*; Germ. *zusammentreiben*; Angl. *to drive or bring together*, *assemble*, *collect*).

I.) Proprie verbo *compellere* opponitur *dispellere*, ut apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 149., vel *aspellere* ut apud *eumd. Trin.* 3. 2. 46., vel *expellere* ut apud *Cic. Pis.* 7. 16. — Porro usurpatur — *a*) Raro absolute. *Cic. Pis.* 36. 87. Omni totius provinciæ pecore compulso, pellium nomine quæstum renovasti. *h. e.* in unum locum coacto. Cf. *Lucret.* 2. 564. *Virg.* 1. *Æn.* 575. utinam rex ipse Noto compulsus eodem Adforet Æneas. *Dig.* 43. 21. 1. § 4. Aquæ derivandæ compellendæque ex flumine causa. *Cod. Theod.* 1. 14. 1. Tributa exigere, suscipere, compellere. — *b*) Sæpius addito termino, quo quis aut quid compellitur. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 35. Lycum canes in plagam compellant. *Cic. Pis.* 7. 16. Me domo mea expulistis, Cn. Pompejum domum suam compulistis. *h. e.* domum suam confugere coegistis. *Id. Mil.* 27. 88. Civem domum vi et armis compellere. *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Qui dispersos homines in agris ratione quadam compulit in unum locum. *Varro* 2. *R. R.* 2. 18. Compellere agnos in gregem ovium. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. *ad fin.* naves hostium in portum. *Id.* 7. *B. G.* 65. hostes inter oppida murosque. *Nepos Ages.* 5. adversarios intra mœnia. *Id. Hamilc.* 2. hostes eo. *Liv.* 25. 34. hostes intra vallum. *Id.* 10. 2. hostem in navem. *Id.* 41. 19. Dardanos victos in urbem. *Id.* 35. 29. hostes ad castra. *Id.* 2. 55. consules e foro in curiam. *Id.* 1. 7. armentum in speluncam. *Id.* 9. 31. vim ingentem pecoris in saltum avium. *Virg.* 7. *Ecl.* 2. Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum. *Id.* 2. *ibid.* 3. Hædorumque gregem viridi compellere hibisco. *h. e.* ad hibiscum, ut *Servius* exponit. *Horat.* 1. *Od.* 24. 16. quam (*imaginem*) virga semel horrida Nigro compulerit Mercurius gregi. *Ovid. Heroid.* 7. 94. Compellere homines sub antrum. *Cels.* 8. 11. ossa in suas sedes. *h. e.* reponere. *Id.* 6. 7. *ad fin.* Si pulex in aure est, compellendum eo lanæ paullulum est. *h. e.* adigendum. *Curt.* 8. 11. 1. Compulsi hostes intra munimenta. *Id.* 3. 1. 13. Utroque (*mari*) in arctas fauces compellente terram. *Sueton. Cæs.* 64. Cæsar eruptione hostium subita compulsus in scapham. *Id. Ner.* 38. Compellere plebem ad monumentorum deversoria. *Id. Vitell.* 15. Sabinum et reliquos Flavianos in Capitolium. *Justin.* 4. 4. Hostes in fugam compulit, et socios obsidione liberavit. *Forcellinus* ait hoc loco *compello* esse pro simplici *pello*.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Plaut. Asin.* 3. 3. 148. Qui hosce amores nostros dispulsos compulit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 35. 112. Cum sit enim campus, in quo exultare possit oratio, cur eam tantas in angustias et in Stoicorum dumeta compellimus? *Id.* 3. *Orat.* 36. 145. Me quidem in Academiam totam compulisti. *Liv.* 1. 33. Omni bello Latino Medulliam compulso. Adde *eumd.* 2. 16. ¶ 2. Translate est per vim adigere, vi cogere: et occurrit — *a*) Absolute, præcipue Part. præter. pass. *Plaut. Trin.* 3. 2. 46. Ille qui aspellit, is compellit; ille qui consuadet, vetat. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 11. Periculis compulsum se ad causam quorumdam adjungere. *Cæs.* 3. *B. C.* 41. Angustiis rei frumentariæ compulsum discessisse. *Liv.* 27. 30. Compulsus metu. *Id.* 9. 34. vi atque injuriis. *Ovid. Heroid.* 20. 63. Hæc ego compulsus, non est mirabile, formâ Si pignus volui etc. *Quintil.* 9. 4. 138. Compellere judicem aliqua indignatione. — *b*) Addito, ad quid quis compellitur. — Per Accusativum et præpos. *ad.* *Plaut. Bacch.* 4. 10. 10. Compellere aliquem ad virtutem, aut ad frugem. *Cic. Marcell.* 5. 13. Ad illa arma fato nescio quo compulsi. *Liv.* 35. 19. Compellere aliquem ad pacem. *Ovid.* 5. *Met.* 219. ad bellum. *Curt.* 10. 1. 45. ad defectionem. *Id.* 9. 1. 19. barbaros ad deditionem. Sic *Sueton. Aug.* 14. aliquem fame ad deditionem. *Id. Claud.* 37. ad cavendum ulciscendumque. *Id. ibid.* 15. ad confessionem. *Id. ibid.* 21. ad pugnam. *Id. Tib.* 8. ad latebras. *Id. Vesp.* 16. Necessitate compulsus ad rapinas. Cf. *Lucan.* 7. 90. Rursus *Sueton. Aug.* 66., *Cal.* 23. et *Ner.* 35. ad necem. *Id. Tib.* 56. et *Quintil.* 7. 3. 7. ad mortem. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (9). ad laqueum. *Dig.* 6. 1. 24. ad opera. *Ibid.* 1. 6. 2. ad impudicitiam. — Per Accusativum et præpos. *in.* *Cic.* 1. *Fam.* 9. 21. Cum vero in hunc sensum et alliciar beneficiis hominum et compellar injuriis, facile patior etc. *Liv.* 25. 29. et *Tac.* 2. *Hist.* 27. Compellere aliquem in metum. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 11. in socordiam. *Quintil.* 7. 3. 7. tyrannum in mortem. — *c*) Sequente Conjunctivo et part. *ut.* *Plaut. Bacch.* 4. 4. 4. Callidum senem callidis dolis compuli et perpuli, mihi omnia ut crederet. *Curt.* 8. 8. 2. Compulsus rabie, ut etc. Adde *Sueton. Cæs.* 1. et 24. et *Vesp.* 2.; et *Tac. dial. de orat.* 4. — *d*) Cum Infinito. *Ovid.* 3. *Fast.* 866. Compulerant regem jussa nefanda pati. *Curt.* 5. 1. 35. Quæ virum compulit amœnitatem naturæ genere hujus operis imitari. *Lucan.* 3. 144. Compulit desistere cœpto. *Sueton. Domit.* 14. Compulsus gratiam facere edicti. Adde *eumd. Tib.* 62. *Justin.* 16. 5. Filias nubere servis suis compellit. *Id.* 30. 3. Pacem petere compellitur. *Id.* 9. 7. Precibus amicorum redire compulsus. Adde *Cajum* 2. *Instit.* 237. et 243.

COMPENDIĀRĬA, æ, f. 1., et

COMPENDIĀRĬO *sive*

COMPENDIĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

COMPENDIĀRĬUS, a, um, adject. brevis, et veluti ad certam metam per compendium ducens. *Cic.* 2. *Off.* 12. 43. Hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse. Adde *Val. Max.* 7. 2. *extern.* 1. et locum *Plinii* allatum infra in *Compendiaria.* — Hinc

Compendiaria, æ, f. 1. subaudi *via*, absolute, substantivorum more, est iter brevius, quasi per compendium factum: sed occurrit translate tantum pro modo atque artificio ad aliquid assequendum et breviori tempore et melius. *Seneca Ep.* 119. Ad maximas te divitias compendiaria ducam. Adde *eumd. ibid.* 27. *Varro* apud *Non.* p. 202. 5. *Merc.* Compendiariâ ad voluptatem pervenire. *Petron. Satyr.* 2. Ægyptiorum audacia tam magnæ artis (*picturæ*) compendiariam invenit. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (100). Philoxenus breviores picturæ vias et compendiarias invenit. V. *Heynium Opusc. T.* 6. p. [illegible]

Compendiarium, ii, n. 2. subaudi *iter*, absolute, substantivorum more usurpavit *Seneca Ep.* 73. Te in cœlum compendiario ducam. *Nonnulli hanc vocem tamquam Adverbium acceperunt.*

COMPENDIĀTUS, a, um. *V.* COMPENDIO.

COMPENDIFĀCĬO, făcis, fēci, factum, făcere. *V.* COMPENDIUM.

COMPENDĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Compendiatus.* — Compendiare est in compendium redigere. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 9. Facturus sermonem compendiatum. *Id. ibid.* 1. Compendiare Novum Testamentum. — Figurate *Compendiare alicui* apud *Augustin. extr. l.* 7. *quæstion. in Heptateuch.* est occidere, ut ipsemet interpretatur: quasi compendiaria via ad mortem perducere.

COMPENDĬŌSĒ, adverb. Comp. *Compendiosius.* — Compendiose est idem quod compendio. *Cassiod.* 8. *Variar.* 29. Quod proprio sumptu decuit aggredi, compendiose vobis constat offerri. *Sidon.* 7. *Ep.* 10. Qui quid negotii ferat, præsentaneo compendiosius potest intimare commeatu. *Theod. Priscian. l.* 2. p. 1. c. 1. *in fin.* Postquam illius ægritudinis species, quæ solis febribus cum propriis accidentibus designantur, hac pagina compendiose composui; in sequenti ordine acutas omnes passiones propriis nominibus atque etiam accidentia designabo.

COMPENDĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Compendiosior* 2. — Compendiosus est utilis, fructuosus, qui lucrum quærit. ¶ 1. Proprie et stricto sensu. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 5. Quod etsi per partes nonnumquam damnosum est, in summa tamen fit compendiosum. ¶ 2. Latiori sensu est in compendium redactus, brevis. *Apul.* 11. *Met.* Concepti sermonis compendiosa verba suggerentes. *Id.* 6. *ibid.* Monstrare iter compendiosum. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 334. Mortis citæ Compendiosus exitus. *Nazar. Paneg. Constant.* 18. Compendiosa victoria. *h. e.* de pluribus gentibus uno prœlio reportata. *Capell.* 6. p. 198. Quæ dimensio item fieri compendiosior potest. — Et

absolute *Id.* 5. p. 169. Ego tamen compendiosiora percurram.

COMPENDĬUM, ĭi, n. 2. est a *cum* et *pendo*, ideoque ad litteram est quidquid simul penditur; ac propterea *compendium* dictum est quidquid vendendo et pendendo ex parsimonia lucramur; aliis verbis est lucrum ex parsimonia, hoc est quidquid lucramur rem nostram servando, non rem de novo acquirendo, qui *quæstus* dicitur (confer primum *Ciceronis* locum inferius allatum). *Compendio* opponitur *dispendium* (ut est apud *Paul. Dig.* 17. 2. 65.), quod est damnum seu jactura ex prodigentia aut incuria. Quamquam illud discrimen non est perpetuum. *Cassiod.* 7. *Variar.* 32. Pondus constitutum denariis præcipimus debere servari, qui olim tam penso, quam numero vendebantur: unde verborum vocabula competenter ab origine trahens, *compendium* et *dispendium* pulcre vocitavit antiquitas. V. *Varronis loc. cit.* in COMPENDO (It. *risparmio*, *guadagno*, *utile*; Fr. *fruit des économies*, *économie*, *épargne*, *avantage*; Hisp. *ahorro*, *economia*, *ventaja*, *provecho*; Germ. *d. Ersparte*, *d. Ersparniss*, *d. Gewinn*, *Vortheil*, *Profit*; Angl. *a gaining*, *saving*, *gain got by saving*, *profit*, *advantage*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, et, ut diximus, est quidquid lucramur rem nostram servando. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Verr.* 3. 6. Quos provincia mercibus suppeditandis cum quæstu compendioque dimittit. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 46. 109. *Id. Flacc.* 3. 7. In uberrima re turpe compendium effugere. *Id.* 3. *Off.* 15. 63. Facere aliquid compendii sui, quod non liceat. *Id.* 4. *Herenn.* 40. 52. Aliquem ad turpe compendium commovere. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Servire privato compendio suo. *Id.* 7. *B. G.* 43. Capti compendio ex direptis bonis. *Liv.* 8. 36. Privatum compendium. *Tibull.* 1. 3. 39. Nec vagus ignotis repetens compendia terris. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 41. (70). Apes, res præcipui quæstus et compendii. *Id.* 23. *ibid.* 7. 64. (127). Magno ligni compendio percoquere aliquid. *Sueton. Tib.* 48. Compendium captare ex aliqua re. *Callistrat. Dig.* 48. 20. 6. Vertere aliquid in compendium suum. — *b*) Præcipue occurrunt formulæ *compendium facere*, et *facere aliquid compendi* vel *compendii* eo modo quo *facere lucri*, *facere dispendii*: immo nonnulli *compendifacio* junctim scribunt, sed revera duæ voces sunt: et non solum divisim recte adhibetur *compendi facio*, vel absque synæresi *compendii*; sed etiam inverso ordine, aut interjecto verbo. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 51. Compendium edepol haud ætati optabile fecisti, cum istanc nactu's impudentiam. *Id. Pers.* 4. 3. 2. Ego hodie compendi feci duos panes. *Id. Truc.* 2. 4. 26. Alicui aliquid compendi facere. *Id. Cas.* 3. 1. 3. Ad compendium ponere aliquid. *Id. ibid.* 3. 1. 4. Conddere aliquid ad compendium. ¶ 2. Latiori sensu generatim est lucrum ex deminutione operæ, actionis, temporis etc.; et interdum est etiam abbreviatio. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 5. Compendium temporis sequi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (214). et 18. *ibid.* 20. 49. (181). Compendium operæ. *Sil. It.* 10. 476. Donare alicui compendia leti. *h. e.* mortem accelerare. *Stat.* 2. *Theb.* 658. Compendia timidæ vitæ. *h. e.* dilatio vitæ. *Ulp. Dig.* 5. 1. 72. Compendium edictorum. *h. e.* cum pro multis edictis unum tantum promulgatur, quod pro omnibus sit. *Quintil.* 1. 1. 24. Syllabis nullum compendium est: perdiscendæ omnes. — *Compendia alimentaria* apud *Capitolin. Pertin.* 9. sunt sumptus et erogationes in alimenta pauperum impensæ. — Eodem sensu *compendium facere* occurrit. *Plaut. Rud.* 1. 2. 89. Errationis fecerit compendium. *Id. Pseud.* 2. 2. 11. præconis. — Item *compendi facere aliquid* usurpatur. *Plaut. Pæn.* 1. 2. 138. Curam hanc facere compendi potes. *Id. Pseud.* 4. 7. 41. Operam fac compendi quærere. *h. e.* parce quærere. — Figurate *Gell.* 2. 27. Quæstus atque compendium gloriarum. ¶ 3. Speciatim de oratione occurrit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 186. Quam potes, tam verba confer maxime ad compendium. *h. e.* dic quam paucissimis potes. *Id. Most.* 1. 1. 57. Orationis operam compendi face. *Id. Capt.* 5. 2. 12. Satis facundus: sed jam fieri dictis compendium volo. *Id. Bacch.* 2. 2. 6. Compendi multa verba faciam tibi. *Id. Asin.* 2. 2. 41. Verbis velitationem fieri compendi volo. Adde *Pacuvium* apud *Non.* 1. 493. *edit. vet. Quintil.* 1. 1. 24. Brevia docendi monstrare compendia. *Censorin. de die nat.* 5. Quam potero, compendio dicam. ¶ 4. Item speciatim *compendium viæ*, quod sæpius *compendium* absolute dicitur, est via brevior. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (38). Compendium viæ quatridui deprehensum est. *Ovid.* 3. *Met.* 234. sed per compendia montis Anticipata via est. *Quintil.* 6. 2. 46. Compendium durum aridumque. *Id.* 2. 13. 16. Compendio ducere aliquem. *Justin.* 2. 10. *extr.* Ducere aliquid per compendium. *Flor.* 3. 3. Marius mira velocitate occupatis compendiis, prævenit hostem. *Tac.* 2. *Ann.* 55. Per Cycladas et compendia maris assequitur Germanicum. *Id.* 12. *ibid.* 28. Propioribus compendiis ire. — Et figurate *Plin. Paneg.* 95. Quæ ad honores compendia paterent. Similiter *Gell. præfat.* Ducere ingenia celeri facilique compendio ad utilium artium contemplationem.

COMPENDO, is, ere, a. 3. (cum *et* pendo) idem quod pendo, vel simul pendo: hoc vocabulo usus est *Varro*, ad etymon vocis *compendium* declarandum, 5. *L. L.* 183. *Müll.* Compendium dicitur, quod cum compenditur una fit. Occurrit etiam in *Not. Tir.* p. 98.

COMPENSĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum *et* penso *a* pendo) proprie est actus ille, quo addendo aliquid æquales redduntur lances: sed

I.) Proprie et quidem generatim sumitur pro collatione rei cum re, ut debiti cum credito, damni cum emolumento: item imputatio duarum summarum, ita ut qui debet centum, tantundem minus debeat, quantum ex alio capite creditor erat. *Justin.* 3. 2. Emere non pecunià, sed compensatione mercium. *Modestin. Dig.* 16. 2. 1. Compensatio est debiti et crediti inter se distributio. *Paul. ibid.* 24. 3. 15. Compensationes proderunt ob res amotas, donatas et impensas. Adde *ibid.* 8. 2. 21. § 2.; et *Cajum* 4. *Instit.* 66.

II.) Figurate. *Cic.* 5. *Tusc.* 33. 95. Hac utitur compensatione sapiens, ut voluptatem fugiat, si ea majorem dolorem effectura sit. *Id.* 1. *Nat. D.* 9. 23. Incommoda vitæ compensatione commodorum lenire.

COMPENSĀTĪVUS, a, um, adject. ad compensationem inserviens. *Marius Victorin. Rhet.* 1. p. 137. *Capperon.* Primo debet dicere *feci*, *sed profui*, et probare plus se profuisse, quam obfuisse, quæ est qualitas compensativa, quam ideo Cicero comparationem vocat. *Id. ibid.* 2. p. 217. Est in hoc themate etiam alia constitutio vel relativa, vel compensativa, vel absoluta. *Cassiod.* 7. *Variar.* 6. Afficiam mentem compensativo remedio consolari.

COMPENSĀTO, adverb. cum compensatione. *Tertull. Pall.* 2. Alias versura compensato redit. *Al. leg.* compensati.

COMPENSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMPENSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentativum a compendo.* — Part. *Compensans*, *Compensatus* et *Compensandus* 1. — Compensare proprie significat simul pensare res, ut pondera æquentur. (It. *pesare insieme*, *compensare*, *uguagliare*, *porre a sconto*; Fr. *peser*, *mettre en balance*, *équilibrer*, *contre-balancer*, *contre-peser*; Hisp. *pesar juntos*, *abalanzar*, *contrapesar*; Germ. *Eins gegen das Andere abwägen*; Angl. *to weigh together*, *weigh one against the other*, *balance*). Occurrit ¶ 1. Generatim, et significat æquare, sarcire, rependere; et occurrit — *a*) Adjecto Ablativo sine præposit. *Cato* apud *Cic. Flacc.* 29. 72. Catonis est dictum: Pedibus compensari pecuniam. *h. e.* vilitatem pretii, quod solvitur in emptione agri longinqui, compensari et quodammodo augeri labore pedum, et incommodis longorum itinerum. *Cic.* 3. *Orat.* 4. 14. Labores magnà compensati glorià mitigantur. *Id.* 7. *Verr.* 13. 33. Damna ætatis fructu compensata. *Id. Orat.* 64. 216. Compensare paucitatem pedum gravitate et tarditate. *Id. ibid.* 69. 231. vitium vel facultate vel copia. *Id.* 7. *Att.* 17. reipublicæ turpitudinem otio. *Id. Senect.* 11. 35. vitia senectutis diligentià. *Id. Mur.* 35. 71. omnia operà suà. *Id. Fontej.* 1. 3. Massilienses Gallicorum bellorum pericula populo R. copiis remisque compensarunt. *h. e.* exæquarunt pericula intentata populo R. copiis et remis eidem prompte suppeditandis. At *Orell.* rectius leg. *copiis armisque*, al. aliter. *Id.* 2. *Off.* 19. 68. Ceterisque operis et officiis erit id, quod violatum est, compensandum. *h. e.* sarciendum. *Ovid. Heroid.* 3. 51. Tot tamen amissis te compensavimus unum. *h. e.* tanti te æstimavimus, quanti tot amissos. *Curt.* 10. 1. 2. Compensare facinora ministerio. *Val. Max.* 1. 1. *extern.* 1. tarditatem supplicii gravitate. *Quintil.* 11. 1. 87. alia laude. *Lucan.* 8. 248. magnosque sinus Telmessidos undæ Compensat medio pelagi. *h. e.* alto navigans recto itinere, facit compendium sinus Telmessici. *V.* PRÆCIDO. *Forcellinus* hunc *Lucani* locum ad subs. paragr. 2. retulit. — *b*) Adjecto Ablativo cum præposit. *cum*. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 97. Compensabatur cum summis doloribus lætitia. *h. e.* conferebatur. *Id.* 5. *ibid.* 18. 48. Cum curis et laboribus compensare voluptatem. *Id. Pis.* 30. 75. Nonne compensabit cum uno versiculo tot mea volumina laudum suarum? *Horat.* 1. *Sat.* 3. 69. amicus dulcis, ut æquum est, Cum mea compenset vitiis bona. *Forcellinus* hunc *Horatii* locum ad propriam hujus verbi significationem declarandam sub init. retulit. — *c*) Cum Dativo. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *ante med.* Cretæ mille nomismata carmini compensantes Homerico. — Apud JCtos significat aliquando imputare. *Ulp. Dig.* 12. 6. 23. Potest tamen retineri et compensari quod solutum est. V. *Dig.* 16. *tit.* 2. qui est *De compensationibus.* ¶ 2. Speciatim apud sequioris ævi Scriptores ponitur pro compendium viæ facere. *Seneca Hippol.* 83. Hac pergam, Qua via longum compensat iter. Cf. *Lucan.* 8. 248., cujus verba superius sub 1. *a.* retulimus.

COMPERCO, percis, persi vel parsi, percere n. 3. *V.* COMPARCO.

COMPERĔGRĪNUS, i, m. 2. qui simul cum alio peregrinus est. *Sidon.* 7. *Ep.* 17. *in fin. carm.* Abraham jam te comperegrinus habet.

COMPĔRENDĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. dilatio judicii in diem tertium: a *cum* et *perendie.* ¶ 1. Comperendinatio stricto sensu erat dilatio sententiæ ferendæ, postquam utraque pars, actor et reus, totam caussam recitaverat. Olim enim, in rebus capitalibus, caussa recitata, aut statim sententia dicebatur, aut si quid non liquere videretur, ampliabatur. C. Servilius Glaucia legem tulit, ut post primam actionem, secunda in tertium diem constitueretur, in qua iterum acta caussa, demum sententia ferretur. ¶ 2. In aliis autem caussis latiori sensu *comperendinatio* erat ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem. Nam cum in rem aliquam agerent litigatores, poscebant judicem, qui dabatur post trigesimum diem: quo dato, deinde inter se diem perendinum, ut ad judicium venirent, denunciabant. Denique *comperendinatio* dicitur etiam ipsa caussæ recitatio post dilationem perendini diei. Hæc ex *Pseudo-Ascon.* ad *Cicer.* 3. *Verr.* 9. 26. *V.* AMPLIATIO. Præter *Pseudo-Ascon.* utuntur hac voce *Seneca Ep.* 97.; *Plin.* 5. *Ep.* 71. et *Gell.* 14. 2. — Porro quamvis ipsa vox diei tertii dilationem significet, tamen ex *Cic.* 3. *Verr.* 7. 20. et 6. *ibid.* 15. 33. satis colligitur, etiam plurium dierum dilationem hoc nomine appellari potuisse. Olim enim liberæ comperendinationes erant, ut ait *Tac. dial. de Orat.* 38., postea restrictæ sunt legibus, ut significat *Plin.* 6. *Ep.* 2. 61., tum quoad numerum, tum quoad spatium temporis.

COMPĔRENDĪNĀTUS, a, um. *V.* COMPERENDINO.

COMPĔRENDĪNĀTUS, us, m. 4. idem quod comperendinatio. *Cic.* 3. *Verr.* 9. 26. Adimo comperendinatum. *Id. Brut.* 22. 87. Unum, quasi comperendinatus, medium diem fuisse, etc.

COMPĔRENDĪNO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Comperendinatus* 1. — Comperendinare est judicium in diem tertium differre (*V. Comperendinatio*), et generatim judicium differre. ¶ 1. Stricto sensu *comperendinare reum* dicitur judex, qui rei judicium differt. *Cic.* 1. *Verr.* 7. 20. Nemo istum comperendinatum, sed condemnatum judicaret. *Id.* 3. *ibid.* 9. 26. Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus. *h. e.* ut ejus judicium in diem tertium differretur. Ad *eumd.* 6. *ibid.* 15. 33. *Paul. Diac.* p. 283. 1. *Müll.* Res comperendinata significat judicium in diem tertium constitutum. ¶ 2. Latiori sensu *comperendinare* dicuntur etiam litigatores inter se. *V.* COMPERENDINATIO sub 2. *Cic.* 2. *Verr.* 11. 34. Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias; mea, ut ante primos ludos comperendinem. *h. e.* me et te dixisse profitens, comperendinationis judicibus faciam potestatem. Ita enim interpretatur *Pseudo-Ascon.* ad *h. l.*

COMPĔRENDĪNUS, a, um, adject. a *cum* et *perendie.* Apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. comperendini dies sunt, quibus vadimonium licet dicere, *h. e.* in quos transferri licet caussæ actionem. *Cajus* 4. *Instit.* 15. Posteaquam judex datus esset, comperendinum diem, ut ad judicem venirent, denunciabant.

COMPĔRĔO, is, ii, ire, n. 4. simul pereo. *Diomed.* 1. *p.* 369. *Putsch.* docet hoc verbum differre a *comperio*, quod illud in præterito habeat *comperi* accentu acuto; hoc *comperi* (per syncopen pro *comperii*) accentu circumflexo, et *comperieram*. Alia hujus verbi exempla nondum vidimus.

COMPĔRĬO, pĕris, pĕri, pertum, pĕrire, 4. Part. *Compertus* in fin. — *Comperrit* pro *compererit* legitur in *Fragm. leg. Thoriæ* apud *Gruter* 202. *lin.* 39.... REI IVDICANDAE MAXSVME VERVM ESSE COMPERRIT. — Ratione habita etymi, est a *cum* et inusit. *perio*, a quo fit *peritus*, et composita *experior*, *reperio* etc. *V.* PERITUS sub init. Juxta *Forcellinum* vero est a *cum* et *pario*, quasi sit in lucem edo; quia quæ in luce sunt, plane cognoscuntur. — Ceterum comperio est intelligo, rescio, invenio, deprehendo multa cum certitudine, recte ac certo scio (It. *scoprire*, *risapere*, *trovare di certo*, *intendere*; Fr. *apprendre comme certain*, *apprendre de bonne main*, *tenir de bonne source*; Hisp. *estar noticioso*, *instruido de alguna cosa*, *saber cierta*; Germ. *etwas genau und zuverlässig erfahren*, *sichere Nachricht von etwas erhalten*, *etwas in Erfahrung bringen*; Angl. *to discover*, *find out*, *ascertain for a certainty*, *get intelligence of*, *detect*, *learn*, *be informed*). Occurrit — 1.°) Absolute, ita tamen ut Accusativus rei facile ex antecedentibus subaudiatur. *Ter. Eun.* 5. 1. 9. Atqui certo comperi. *Id. Heaut.* 1. 1. 69. Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii. *Cic.* 5. *Fam.* 5. 2. Ex multis audivi: nam comperisse me, non audeo dicere. — 2.°) Sæpius addita re, quam comperimus: et quidem — *a*) Per Accusativum. *Cic. Cluent.* 68. 192. Aliquid ex testibus audire et comperire. *Id.* 11. *Att.* 8. Scribit, se id certis auctoribus comperisse. *Id. Cluent.* 45. 126. Comperire aliquid testibus, tabulis, gravi aliquo argumento. *Id. Brut.* 80. 277. Cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret. Adde *eumd. Cluent.* 14. 43. *Id.* 1. *Cat.* 4. 10. et 1. *Att.* 14. 5. omnia. *Cæs.* 4. *B. G.* 19.; *Nepos Eumen.* 8. et *Hann.* 2.; et *Sall. Jug.* 22. Comperire aliquid. *Nepos Pausan.* 4. aliquid ex litteris. *Id. Datam.* 3. rem gestam ab aliquo. *Liv.* 5. 46. legem latam. *Catull.* 60. 2. stellarum ortus atque obitus. *Tac.* 6. *Ann.* 21. horam suam genitalem. — *b*) Item *comperire aliquid de aliquo* interdum occurrit. *Cic. Sull.* 21. 86. Nihil de hoc consul comperi, nihil suspicatus sum, nihil audivi. Adde *eumd. Cluent.* 45. 127.; et *Quintil.* 4. 1. 79. — *c*) Item *comperire de aliqua re* simpliciter. *Ter. Andr.* 1. 3. 6. Primum jam de amore hoc comperit. *Nepos Pausan.* 5. Comperire de scelere filii. *Sall. Jug.* 68. de rebus actis. — *d*) Cum Accusativo et Infinito. *Ter. Andr.* 1. 1. 63. Item alio die quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum quidquam attinere. *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. Posteaquam comperit eum posse vivere. *Cæs.* 4. *B. G.* 19. Postquam per exploratores pontem fieri comperisset. Adde *Nepot. Alcib.* 8.; *Liv.* 5. 35.; *Horat.* 2. *Ep.* 1. 12.; et *Quintil.* 1. 7. 24. — *e*) Sequente Relativo. *Sall. Jug.* 67. Id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus. Adde *eumd. ibid.* 113.; *Liv.* 31. 39.; et *Quintil.* 2. 4. 42. — Hinc sæpissime occurrit et Part. præter. pass.

Compertus, *a*, *um*, adjectivorum more, et est certo cognitus, exploratus, deprehensus: et quidem — *a*) Adjectivorum more simpliciter. *Cic. Cluent.* 14. 43. Facinus manifesto compertum atque deprehensum. *Liv.* 42. 13. Comperta et explorata adferre. *Id.* 7. 39. Quidam compertum attulerunt, T. Quintium in Tusculano agrum colere. *Id.* 29. 31. *in fin.* Comperta oculis perferre Romam. — Similiter *Cic. Cluent.* 45. 127. et *Fontej.* 9. 19.; *Cæs.* 1. *B. G.* 44.; et *Liv.* 3. 48., 29. 18. et 41. 7. Habere aliquid compertum. Sic *Sall. Cat.* 60. *extr.* Compertum habeo, milites, verba viris virtutem non addere. *h. e.* certo scio. Similiter *Scribon. Compos.* 106. Auxilia, quæ ex usu prodesse eis, comperta habemus. *Cic. Cluent.* 47. 131. Nihil comperti habere. *Liv.* 39. 49. *a med.* Habere rem aliquam pro comperta. *Tac.* 2. *Ann.* 12. Nunciare comperta. *Curt.* 7. 1. 6. Pro comperto fuit. *Sueton. Ner.* 31. *extr.* Pro comperto polliceri. — Et absolute *Apul.* 9. *Met.* Pro comperto novam rabiem pertinaciter durare. *h. e.* profecto, certe. — *b*) Sequente Infinito. *Liv.* 30. 39. Pecuniam ex ærario scribas — clam egessisse per indicem comperti. *Sueton. Aug.* 67. Compertus adulterare matronas. — *c*) Item *compertus in aliqua re* dicitur. *Sueton. Tib.* 35. Uxor comperta in stupro generi. *h. e.* deprehensa. Hinc *Müllerus* putat *compertam* ortum ex compendio scribendi pro *comprehensam*: sed hoc minime necessarium; comperire enim est deprehendere. *Sulpicius* vero *Severus* 1. *Hist.* 38. David Bersaben quamdam miræ feminam pulcritudinis stupro compertam habuit. *h. e.* stupro seu adulterio cognitam, quod dicendi genus *Severo* peculiare est. — *d*) Cum Genitivo *compertus alicujus criminis* est manifesto reus. *Liv.* 7. 4. Juvenis nullius probri compertus. *Id.* 32. 1. Compertos sacrilegii in vinculis Romam mittere. *Id.* 22. 57. Vestales compertæ stupri. Adde *Justin.* 11. 11. *Tac.* 1. *Ann.* 3. et 4. *ibid.* 11. Compertus flagitii. — *e*) Impersonaliter *compertum est* sæpe occurrit. *Sall. Cat.* 2. Tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Adde *eumd. ibid.* 14.; *Tibull.* 4. 1. 119.; *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 4. (8).; *Quintil.* 1. 8. 19.; *Tac.* 4. *Ann.* 73. et 6. *ibid.* 5. — *f*) *Comperto* absolute, cum compertum esset, apud historicos occurrit. *Sall.* apud *Priscian.* 18. p. 1130. *Putsch.* Comperto, Bithyniam consuli datam. *Liv.* 33. 5. Nondum comperto, quam in regionem venisset. Adde *eumd.* 31. 39.; et *Tac.* 2. *Ann.* 60., 4. *ibid.* 36. et alibi.

COMPERNIS, e, adject. a *cum* et *perna*, qui genua habet plus justo conjuncta, uti *Paul. Diac.* p. 41. 1. *Müll.* interpretatur. *Plaut.* apud *Festum* p. 375. 20. *Müll.* Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum. *Lucilius* apud *Non.* *p.* 26. 3. et 12. *Merc.* Compernem, aut varam ivisse Amphitruonis ἄκοιτιν Alcmenam. *Varro* 9. *L. L.* 10. *Müll.* Si quis in consuetudine ambulandi jam factus sit vatia aut compernis. — NB. *Nonius loc. cit.* compernes dici ait, qui sunt longis pedibus: sed *Vossio* in *Etym.* et *Salmas.* in *Exercit. Plin.* p. 914. audiendus non videtur. Quod si *compernes* intelligeremus, non qui genua, sed qui calcanea nimis juncta habent, (nam et calcanea *pernæ* nomine significantur, Græce πτέρναι: unde *perniones*) facilius *Nonii* explicatio admitti posset: quia qui calcanea sic juncta habent, pedes quidem vel habent, vel videntur habere longiores.

COMPERPETŪUS, a, um, adject., coæternus. *Prudent. Apoth.* 339. Et comperpetuum retro Patris, et Patre natum.

COMPERTĒ, adverb. (comperio). Comp. *Compertius.* — Comperte est certe, explorate. *Gell.* 1. 23. Exquisite et comperte Julius Paulus dicebat. *Id.* 1. 11. Qui hoc compertius memoriæ tradiderunt.

COMPERTOR, ōris, m. 3. inventor, repertor. *Alcim. Avit.* 4. *carm.* 148. trascenditur omni Crimine compertor leti.

COMPERTUS, a, um. *V.* COMPERIO.

COMPERTUS, us, m. 4. certa cognitio. Occurrit Ablativus tantum sing. num. apud *Apul.* 1. *Met.* Non modo compertu evidentia, verum etiam factu facilia senties. *Forcellinus* τὸ *compertu* Supinum passivum esse ait.

COMPES, pĕdis, f. 3. (cum et pes, pedis). Masculino genere protulit *Lactant. de mort. Persecut.* c. 21. Compedes parati. Adde *Vulg. interpr. Jerem. thren.* 3. 7., ubi occurrit Accus. sing. *compedem*. — Ceterum in prosa oratione usurpatur fere plurali numero: et in singulari numero Recti et Dativi casus exempla nondum vidimus; sed Genitivus *compedis* legitur apud *Claudian.* 2. *in Eutrop. prol.* 3., Accusativus *compedem* apud *Vulgat. interpr. Jerem.* ut nuper diximus; Ablativus *compede* apud *Colum.* 8. *R. R.* 2. 15., *Tibull.* 1. 7. 42. et 2. 6. 25., *Horat. Epod.* 4. 4., *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 6., *Juvenal.* 11. 80. et *Martial.* 9. 58. — Est et alia forma *compeda*, *æ*, quam *V.* loco suo. Ceterum compedes sunt vincula, quibus servorum, captorum aliorumve pedes vinciuntur; plerumque e ligno; item ex ferro etc.: hinc compedibus opponuntur *manicæ*, ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 16. 77. Interdum tamen per catachresin dicuntur de vinculis manuum, hoc est de manicis; ut in illo *Varron.* apud *Non.* p. 28. 6. *Merc.* Nequidquam sæpe æratas manus (*al. leg.* manu) compedes conor revellere. (It. *ceppi*; Fr. *entrave*, *liens pour les pieds*; Hisp. *maniotas*, *trabas*; Germ. d. *Fussschelle*, *Fussfessel*; Angl. *a fetter*, *chain for the feet*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de vinculis, quibus servorum, captorum aliorumve pedes vinciuntur. *Cato* apud *Gell.* 11. 18. 18. Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt. *Plaut. Capt.* 5. 4. 28. Compedibus quæso ut tibi sit levior filius atque his gravior servus. *Id. Pers.* 3. 3. 15. Compedium tritor (*al. rectius* contritor), pistrinorum civitas. *Ter. Phorm.* 2. 1. 18. Herus si redierit, molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes. *Cic. Rabir. perduell.* 7. 20. Cum — esset una — etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus. *Tibull.* 2. 7. 7. Spes etiam valida solatur compede vinctum. *Claudian.* 2. *in Eutrop. prol.* 3. Et solitus tardæ passuros compedis orbes. — Jungitur nonnullis Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Varro* apud *Non. loc. cit.* æratæ. *Curt.* 5. 12. 20.; *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (151). et *Justin.* 11. 15. aureæ. *Plaut. Capt.* 3. 5. 64. et *Pseud.* 4. 7. 80. crassæ. *Martial.* 9. 58. decenni. *Tibull.* 1. 7. 42. et *Horat. Epod.* 4. 4. durâ. *Juvenal.* 11. 80. magnâ. *Tibull.* 2. 7. 7. validâ. — Jungitur etiam nonnullis Verbis, quorum hæc sunt præcipua. *Plaut. Capt.* 5. 4. 30. adimere compedes. *Id. ibid.* 3. 5. 64. capere. *Ovid. Heroid.* 20. 8. compescere aliquem compedibus. *Plaut. Capt.* 5. 4. 30. dare compedes. *Justin.* 1. 6. *extr.* demere. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 80. gerere. *Id. Capt.* 3. 5. 76. impingere alicui. *Id. Pers.* 2. 3. 17. imponere alicui. Cf. *Varron.* apud *Non. p.* 28. 13. *Merc. Id. Men.* 1. 1. 4. indere. *Val. Max.* 3. 23. 3. minitari alicui. *Varro* apud *Non.* p. 28. 6. *Merc.* revellere. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 77. tenere aliquem compedibus. *Curt.* 5. 12. 20. et *Justin.* 11. 15. vincire aliquem compedibus. — Ex illo *Plauti Pseud.* 4. 7. 80. *Ubi suram aspicias, scias, posse eum gerere crassas compedes*: possit quis fortasse putare, compedes non solum pedibus, sed etiam cruribus inde consuevisse. — *Auson. Edyll.* 7. *in fin. epist. dedic.* Sic vetus verbum jubet: Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber. *proverb.* in eum, qui sibi ipsi auctor mali est. ¶ 2. Speciatim sunt compedes inter mulierum ornamenta. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (151). Luxu feminarum compedes sibi ex argento facientium, quas induere aureas mos tritior vetat. *h. e.* periscelides, seu laminas crura strictius ambientes, quibus catenulæ interponebantur, ut minutis æquisque passibus incedendo uterentur. V. *Rosenmull.* ad *Isai. c.* 3. *v.* 16. et 20.

II.) Translate. *Cic.* 8. *Att.* 3. 5. Age jam, has compedes: fasces inquam hos laureatos efferre ex Italia quam molestum est. *Id.* 1. *Tusc.* 31. 75. In compedibus corporis esse. *Varro* apud *Non.* p. 28. 13. *Merc. de ventis adversis.* Aerias compedes corpori imponere. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 3. Hebrus nivali compede vinctus. *Id.* 4. *Od.* 11. 23. Telephum puella tenet gratâ compede vinctum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 33. 14. *Liv.* 32. 37. Et ipsum Philippum — compedes eas (*urbes*) Græciæ appellare. Cf. Gr. πέδαι. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 4. Exsoluta compede Saturnus. *Statius* loquitur hic de obscœnis Saturnalibus.

COMPES pro *compos* dixerunt antiqui, teste *Priscian.* 1. *p.* 553. *Putsch.* Cui rei confirmandæ illud facit, quod etiam verbum *Competo* usurpatur pro *compos sum*.

COMPESCO, scis, scŭi, scitum, scere, a. 3. Supinum *compescitum* agnoscitur a *Priscian.* 10. *p.* 887. *Putsch.*, ut *dispescitum* a *dispesco*: at hoc sine auctoritate Latini scriptoris. — Part. *Compescendus a.* — Ratione habita etymi, juxta veteres *compescere* proprie significat una pascere et in eodem pascuo continere, ut *Paul. Diac. p.* 40. 2. et 72. 11. *Müll.* exponit. At rectius, juxta recentiores, hoc verbum conjungendum est cum *compedire*, *compes* et similibus. Posset etiam conjungi cum verbo *compesco*, quod *V.* loco suo. — Itaque compescere generatim significat cohibere, coercere, refrenare (It. *raffrenare*, *trattenere*, *reprimere*; Fr. *contenir*, *refréner*, *réprimer*, *arrêter*; Hisp. *contener*, *refrenar*, *reprimir*; Germ. *zusammen* —, *in Schranken oder im Zaum halten*, *beschränken*, *hemmen*; Angl. *to restrain*, *check*, *curb*, *stop*, *confine*, *keep in*, *repress*). Prosæ orationis scriptores, qui aureo sæculo floruerunt, ab hoc verbo de industria abstinuisse videntur: et sane apud *Cic.* nonnulli legebant *Rabir. perduell.* 6. 18. Quin compescitis istam vocem indicem stultitiæ? sed *continetis* habent libri, præcipue optimi: quamvis *Quintil.*, cui magis credendum putavit *Forcellinus*, habeat 11. 3. 169. Compescere vocem. — Apud ceteros autem scriptores frequenter usurpatur tum proprie, tum figurate; et quidem — *a*) Cum Accus. personæ aut rei. *Tibull.* 4. 1. 91. equum celerem arctato compescere freno. *Id.* 1. 2. 1. vinoque novos

compesce dolores. Plin. 14. Hist. nat. 20. 25. (124). Resina compescere nimiam vini feritatem. Sil. It. 3. 617. Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum. h. e. continebit intra fines Sarmaticos. Plin. 10. Ep. 42. Nullus sipho, nulla hama ad incendia compescenda. — Porro jungitur pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Val. Flacc. 1. 338. aliquem auro. Ovid. Heroid. 20. 8. aliquem compedibus, catenis. Horat. 1. Sat. 8. 31. aliquem pœnis. Propert. 1. 13. 11. amicos vulgares. Horat. 1. Ep. 2. 63. animum frenis, catenâ. Tac. Agric. 8. ardorem animi. Sil. It. 9. 16. arma. Dig. 30. 4. 12. audaciam alicujus. Sueton. Tib. 36. cærimonias externas. Scribon. Compos. 240. et 272. carnem eminentem. Quintil. 11. 1. 40. civem seditiosum. Horat. 2. Od. 20. 23. clamorem. Cod. Theod. 9. 6. 1. conatus nefarios pœnâ. Cod. Theod. 9. 7. 2. crimen abolitione. Virg. 3. G. 468. culpam (morbi) ferro. Ovid. Rem. am. 69. curas. Stat. 3. Silv. 3. 41. damna alicujus compescere cantu. h. e. carmine solari. Seneca Herc. fur. 519. dextram impiam. Sil. It. 2. 144. dolores morte. Tibull. 1. 4. 11. equum habenis. Seneca Hippol. 515. famem compescunt poma. Propert. 3. 17. 3. fastus Veneris. Ovid. Heroid. 16. 229. flammam mero. h. e. amorem. Seneca Hippol. 165. flammas amoris. Ovid. 1. Trist. 2. 87. fluctus. Sil. It. 3. 599. fluvium ripis. Val. Flacc. 6. 306. frondes. Claudian. Bell. Get. 315. fugam. Vellej. 2. 12. furorem alicujus armis. Ovid. 5. Trist. 6. 45. furores. Claudian. 2. in Eutrop. 144. gaudia lacrimis. Stat. 12. Theb. 361. gemitus. Dig. 4. 6. 35. homines malos. Ovid. 2. Met. 313. ignibus ignes. Seneca Hippol. 475. impetum dementem. Ovid. 4. Trist. 6. 5. iram leonum. Sil. It. 7. 330. iras. Juvenal. 1. 160. labellum digito. Seneca Herc. Œt. 1374. lacrimas. Sueton. Cal. 1. legiones. Plaut. Pœn. 5. 2. 75. linguam. Horat. 2. Ep. 2. 122. luxuriantia (de stilo loquitur: cf. infra). Id. 1. ibid. 12. 16. mare. Id. 1. Od. 16. 22. mentem. Sil. It. 4. 123. minas. Ovid. 3. Art. am. 501. mores rabidos. Phædr. 1. 2. 12. mores dissolutos vi. Sueton. Tib. 37. motus hostiles. Id. Cæs. 16. multitudinem. Propert. 1. 16. 31. ocellos suos. Ovid. 3. Trist. 4. 65. officium timor compescit. h. e. cohibet, impedit, ne officio fungar. Id. 2. Art. am. 97. pennas. Plin. Paneg. 80. populos tumentes. Colum. 4. R. R. 21. 2. pueritiam seminum. Lucret. 3. 967. querelas. Horat. 2. Sat. 8. 63. risum mappâ. Sueton. Tib. 36. ritus Ægyptios Judaicosque. Quintil. 12. 1. 26. scelera improborum. Tac. 1. Ann. 42. seditionem. Ovid. 1. Met. 102. sitim multâ undâ. Id. 9. ibid. 396. tristitiam. Scribon. Compos. 239. et 42. ulcus. Lucan. 1. 370. undas remo. Seneca Med. 179. et Troad. 319. verba. Quintil. 11. 3. 160. vocem. Seneca Herc. Œt. 1127. voces. — Specialim compescere lucum, interprete Paul. Diac. p. 65. 16. Müll., est lucum suis finibus cohibere: hoc est, ut opinor, ramos et arbores, qui extra fines luco assignatos evagantur, amputare: qua ratione dixit Colum. 4. R. R. 17. 5. et 4. ibid. 21. 2. Compescere vitem. et Virg. 2. G. 370. ramos compesce fluentes. Item Colum. 5. R. R. 6. 11. Ramos propius ferro compescere. Id. 1. ibid. 27. 2. umbras (frondis). Id. 4. ibid. 32. 5. arundinem. Et Ovid. 14. Met. 630. brachia spatiantia (arborum). — Pertinet etiam ad artem fulloniam. Unde Titinius apud Non. p. 245. 32. Merc. compescere cretam dixit, h. e. pedibus subigere, et cogere cretam in vestimenta penetrare, dealbandi causa: qua de re et in ARGUTOR dictum est, et in CONCILIO dicetur. — b) Cum Infinito pro abstinere, parcere. Plaut. Bacch. 3. 3. 59. Cave malum et compesce in illum dicere injuste. Alii leg. comperce. Cf. Paul. Diac. p. 60. 5. Müll. Putat vero Priscian. 18. p. 1198. Putsch. Latine dici compesco illum insanire, et ne insaniat, quemadmodum Græci dicunt παύω τόνδε λυπεῖσθαι, et μὴ ποιεῖν τόδε: sed nullo id confirmat exemplo.

COMPETENS, entis, adject. V. COMPETO.

COMPETENTER, adverb. (competo). Comp. Competentius; Sup. Competentissime. — Competenter est habita ratione, convenienter. Apul. de Mag. Competentissime videor usus Platone. h. e. valde apposite. Prudent. 10. περὶ στεφ. 118. Persona quæque competenter plectitur. Adde Apul. Herm. Trismeg. Ulp. Dig. 24. 3. 22. § 6. Quatenus filiæ et patri competenter consulatur. Paul. ibid. 22. 5. 16. Competenter punire. h. e. pro ratione dignitatis, aut culpæ. Adde Symmach. Ep. 9. 128. Hieronym. advers. Helvid. 2. In alio loco competentius disseram. Theod. Priscian. 1. 17. Et lenticulæ semicoctæ et aqua bene contritæ cataplasma competentius adhibetur.

COMPETENTĬA, æ, f. 1. proprie est actus simul petendi, concursus. ¶ 1. Generatim tamen usurpatur pro convenientia, proportio, symmetria. Gell. 1. 1. Secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam. Macrob. 1. Somn. Scip. 19. Certi sunt numeri, per quos inter omnia, quæ sibi conveniunt, junguntur, aptantur, fit jugabilis competentia. ¶ 2. Item est stellarum concursus et situs. Gell. 14. 1. Nasci ad eamdem competentiam.

COMPETĪTĬO, ōnis, f. 3. actio aliquid simul petendi. ¶ 1. Generatim. Sidon. 2. Ep. 9. Inter aleatoriarum vocum competitiones. ¶ 2. Specialim est petitio judicialis, quæ jure fit. Cod. Theod. 2. 23. 1. § 1. et 9. 42. 23.

COMPETĪTOR, ōris, m. 3. qui aliquid simul cum alio petit, præsertim honores. ¶ 1. Generatim. Cic. 1. Off. 12. 38. Dum civi aliter contendimus, si est inimicus; aliter si competitor: cum altero certamen honoris et dignitatis est; cum altero capitis et famæ. Adde eumd. Planc. 4. 9. et 10., 1. Att. 1. 1. et 2. et Brut. 30. 113.; Q. Cic. Pet. cons. 8. 6.; Liv. 6. 41. et 37. 57. extr.; Quintil. 3. 7. 2., 7. 1. 29. et 9. 2. 97.; Sueton. Cæs. 13. 19.; et Dig. 50. 2. 3. § 2. Sidon. 7. Ep. 9. Omnes competitores placebant sibi, omnes omnibus displicebant. ¶ 2. Specialim in re forensi et judiciali est actor. Cod. Theod. 10. 9. 2. et seq.

COMPETĪTRIX, īcis, f. 3. quæ simul petit. Cic. Mur. 19. 40. Nos quoque habuimus scænam competitricem.

COMPĔTO, pĕtis, pĕtīvi vel pĕtii, pĕtītum, pĕtere, 3. (cum et peto). Part. Competens sub B.; Competiturus sub A. II. 3. — Competere est eodem petere, hoc est ire, convenire, congruere (It. metter capo, andare a finire insieme; Fr. aboutir au même point, se rencontrer; Hisp. alindar, terminar en la misma parte; Germ. nach einem Punkte hinstreben, an einem Punkte zusammentreffen; Angl. to meet, join or meet one with another). Habet autem A) et neutram significationem, B) et activam.

A) Neutra significatione usurpatur

I.) Proprie, sed raro admodum, pro eodem petere, convenire, congruere. — a) Absolute. Varro 6. L. L. 25. Müll. Ubi viæ competunt, tum in compitis sacrificatur. Cf. Plin. 2. Hist. nat. 18. 16. (80). Præterquam ubi recti angulorum competant ictus. — b) Cum Accusativo et præpos. in. Colum. 4. R. R. 17. 1. Si cacumina arundinum in unum competunt. Id. 2. ibid. 2. 9. Fossæ aliquæ fiunt patentes, quædam etiam obcæcantur, ita ut in patentes ora hiantia cæcarum competant.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de tempore, et est simul evenire, contingere: occurrit autem — a) Absolute. Colum. 3. R. R. 21. 6. Quarum vitium maturitas competit. Adde eumd. 2. ibid. 8. 4., 11. ibid. 1. 32. et 12. ibid. 2. 85.; et Plin. 18. Hist. nat. 26. 63. (232). Huc pertinet et illud Scævolæ Dig. 2. 14. 47. Remanserunt apud me trecenta et octoginta sex, et usuræ, quæ competierunt. h. e. quæ huic tempori respondebant. — b) Cum Accusativo et præp. in, cum Dativo, aut cum Ablativo et præp. cum. Plin. 16. Hist. nat. 39. 74. (191). Si competunt coitus lunæ in novissimum diem brumæ. Sueton. Cæs. 40. Fastos correxit – adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent. Tac. 2. Hist. 50. extr. Tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse. ¶ 2. Ponitur et de aliis rationibus, et est aptum esse, quadrare, sive, ut Non. p. 276. 16. Merc. exponit, par esse vel simile: unde in æstimatione rerum, hoc illi competit, dicimus. Usurpatur autem — a) Absolute. Colum. 8. R. R. 17. 3. Si loci situs ita competit. Id. 9. ibid. 5. 1. Si villæ situs ita competit, non est dubitandum, quin etc. Verum si positio repugnabit, etc. Adde eumd. 9. ibid. 1. 1. Sueton. Aug. 31. Si cujuspiam neptium suarum competeret ætas. Scævola Dig. 8. 2. 41. Titius aperto pariete domus suæ, quatenus stillicidii rigor et tignorum protectus competebat. h. e. aptus erat, sinebat. — Et impersonaliter Seneca Ep. 75. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem; sed si ita competit, ut idem ille, qui sanare potest, compte – disserat. — b) Cum Dativo, aut cum Accusativo et præp. ad. Colum. 4. R. R. 19. 3. Si cuncta competunt voto. Sueton. Oth. 12. Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. Apul. de Mag. Quid enim piscis competit ad amoris ardorem accendendum? ¶ 3. In jure competere est convenire, pertinere. Dig. 12. 2. 11. § 2. et 17. 2. 52. Actio competit alicui. Sic Ulp. Dig. 50. 16. 54. Actio competitura. Quintil. 3. 6. 11. Actio competit in aliquem. Ulp. Dig. 19. 1. 25. circa med. Ex empto mihi adversus te actio competit. Papinian. Dig. 1. 20. 1. Hoc mihi competit jure magistratus. Hujusmodi sexcenta leguntur in libris Digestorum. Apul. 10. Met. Extrema pœna competit in latrones. Eumen. Paneg. Constant. 4. Ei competit hereditas. Scævola Dig. 40. 4. 54. Respondi: si testator fraudandi consilium non habuisset, competere libertates. h. e. libertates datas testamento convenientes esse et valere. ¶ 4. Denique apud historicos ponitur de personis, pro constanter valere, compotem esse, ut Non. p. 276. 17. Merc. exponit. Sall. apud eumd. ibid. Sic vero quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere. Liv. 22. 5. Ut vix ad arma capienda aptandaque pugnæ competeret animus. Tac. 3. Ann. 46. Militiæ nescii oppidani neque oculis, neque auribus satis competebant. Adde eumd. 3. Hist. 73.

B) Active, hoc est cum Accusativo rei, quam simul cum alio adipisci nitimur. ¶ 1. Generatim competo est simul cum alio, seu adversus alium peto. Justin. 13. 2. Occiso Alexandro, non, ut læti, ita et securi fuere, omnibus unum locum competentibus. Aurel. Vict. Vir. illustr. 59. Unam duobus speciosam competentibus. — Hinc apud Augustin. serm. 216. (al. 8. de Divers.) et serm. 28. Competentes sunt infantes et catechumeni, quia sacramentum Baptismi simul petunt, et sunt quodammodo competitores et candidati Christianæ Religionis. ¶ 2. Specialim in jure. Cod. Theod. 10. 10. 27. § 6. Competere bona. ¶ 3. Pro impetere, aggredi, dixit Paulin. Nolan. 15. 134. solus competitur Felix. V. ibid. v. 154. et 157. — Hinc Part. præs.

Compĕtens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. Competentior 1. ¶ 1. Est congruus, conveniens. Apul. Florid. n. 16. Personæ rebus competentes. Gell. 19. 13. Ratio etymologiæ cum sententia vocabuli competens. Auct. Paneg. Maxim. et Constant. 7. Quid enim competentius, quid providentia tua dignius facere potuisti? ¶ 2. Item legitimus. Ulp. Dig. 2. 1. 19. Apud competentem judicem litem suscipere. Id. ibid. 3. 3. 35. Competens tribunal. Papinian. ibid. 39. 5. 32. sententia.

COMPĔTUM, i, n. 2. V. COMPITUM.

COMPĪLĀTĬO, ōnis, f. 3. plurium rerum hinc inde excerptarum accurata collectio. Cic. 2. Fam. 8. 1. Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata, et Chresti compilationem mitteres? h. e. commentarium rerum urbanarum, ut ait Cælius apud Cic. 8. Fam. 2. 2. in fin. in quo, ut Id. ait ibid. 1. 1. senatus consulta, edicta, fabulæ, rumores, hisque similia erant perscripta a Chresto liberto suo.

COMPĪLĀTOR, ōris, m. 3. spoliator, fur. Hieronym. Præfat. in Hebraicar. quæst. in Gen. Hoc idem passus est ab æmulis et Mantuanus vates, ut cum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur. Adde Isid. 10. Orig. 44. et V. FUROR, aris.

COMPĪLĀTUS, a, um. V. voc. seq.

COMPĪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et pilo). Part. Compilatus I. a. — Compilare proprie significat cogere, et in unum condere, ut ait Paul. Diac. p. 40. 12. Müll., et dicitur specialiter de iis, qui res alienas multas simul undique surripiunt, colligunt et asportant (It. rubare, spogliare; Fr. piller, voler, dépouiller; Hisp. pillar, hurtar, robar, saquear; Germ. ausplündern; Angl. to rob, spoil, plunder, pillage).

I.) Proprie occurrit — a) Cum Accusativo personæ aut rei, quæ spoliatur. Cic. 2. Orat. 66. 268. Malui compilari, quam venire. Id. 3. Verr. 13. 35. Quasi non apertissime consulem, exercitum, provinciamque compilarit. Pseudo-Ascon. hoc loco ita interpretatur: pilos evellerit; sic fraudaverit furto, ut ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit. Id. Cic. 1. Nat. D. 31. 86. Compilare fana. Id. 3. Phil. 12.

20. horrea. *Id.* 6. *Verr.* 24. 53. Qui uno imperio ostiatim totum oppidum compilarit. *Id. Vatin.* 2. 5. Compilare rem publicam. *Liv.* 43. 7. templa omnibus ornamentis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 77. Formidare servos, ne te compilent fugientes. Adde *Phædr.* 4. 11. 2. *Paul. Dig.* 48. 13. 9. § 1. Sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilaverunt. *Ibid.* 19. 2. 55. horrea. *Papin. ibid.* 3. 5. 33. Compilatæ hereditatis postulare aliquem. Apud *Haloandr.* legitur *expilatæ*. *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann. ad fin.* Domum fugi tamquam copo compilatus. — b) Cum Accusativo rerum, quæ furto aut vi auferuntur. *Plaut. Men.* 4. 1. 2. Compilare quidquid domi est. *Apul. de Mag.* bona alicujus.

II.) Figurate in re litteraria. *Cic. Mur.* 11. 25. Cn. Flavius ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilavit. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 121. ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes.

COMPĪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Significat etiam ita fuste cædere et convellere, ut ne pilus quidem in toto corpore relinquatur, ut *Forcellinus* interpretatus est. *Apul.* 7. *Met.* Totum me puer compilabat cædens fusti grandissimo. *Loquitur hic asinus ab agasone suo male habitus.* Rursus *Id.* 9. *ibid.* Nec dubio me lanceis, vel venabulis, immo vero et bipennibus membratim compilassent.

COMPINGO, pingis, pēgi, pactum, pingere, a. 3. (cum et pango). Part. *Compactus* sub *A.* I. et in fin. — Compingere duo præcipue significat, scilicet *A*) componere, conjungere, committere, coagmentare; et *B*) in locum aliquem abscondendo detrudere et conjicere.

A) Compingere est componere, conjungere, coagmentare: et occurrit

I.) Proprie. *Virg.* 2. *Ecl.* 36. Fistula disparibus septem compacta cicutis. *Id.* 12. *Æn.* 674. Turris compactis trabibus. *Vitruv.* 10. 2. 14. *Schneid.* Compingere fusos sextantales ab rota ad rotam. *Colum.* 6. *R. R.* 19. 1. Roboreis axibus compingitur solum. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 3. Quædam ædificia a fabris negligentius solutiusque composita, terræmotus sæpius agitata compegit. *Id. Med.* 365. Argo compacta manu Palladia. *Martial.* 12. 72. Casa male compacta. *Apul. Florid.* n. 9. Etiam crepidas sibi compegerat. *Gell.* 6. 1. Ut natura tenuissimis ossiculis caput compingeret. *Paul. Dig.* 45. 1. 83. Si navem dominus dissolvisset, et iisdem tabulis compegisset. *Arnob.* 2. 18. Compingere vestes, sellas, naves, aratra. *Inscript.* apud *Orell.* 39. pontem. — Huc pertinent et illa, quæ *Forcellinus* translate accepit, *Gell.* 11. 16. Absurdum esset, si ex *multitudine* et *negotio* verbum unum compingerem. *Lactant.* 7. 7. Ut summam illam, quæ continet universa, et compingerent et implerent.

II.) Figurate ponitur de iis, quæ scriptores ac præcipue poetæ componunt, et sæpius confingunt ac comminiscuntur. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 6. Græce nescio quid ais te compegisse, quod ut æque pauca scripta, placeat tibi. *Arnob.* 1. 57. Falsa de Christo compingimus? et vos de diis vestris falsa et inania jactatis. *Id.* 4. 30. Ignominiosas de diis compingitis fabulas.

B) Compingere est etiam in locum aliquem abscondendo detrudere et conjicere: et usurpatur

I.) Proprie. — *a*) *Compingere aliquid alicubi* dixit *Plaut.* 2. 6. 61. Vidulum, aurum atque argentum ubi omne compactum fuit. — *b*) *Compingere aliquem in aliquem locum* sæpius occurrit. *Plaut. Amph.* 1. 1. 3. Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint? *Id. Men.* 5. 5. 39. Compactus in carcerem. *Id. Mil. glor.* 2. 1. 34. Compingere filiam alicujus in navem clam matrem. *Id. Men.* 4. 3. 16. Tibi habe (*pallam*), aufer, utere vel tu, vel tua uxor, vel etiam in oculos compingite. *Cic.* 8. *Att.* 8. 1. Picenum amiserit culpa: in Apuliam se compegerat. *h. e.* in Apuliæ angustias se conjecerat. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 1. Compingere aliquem in vincula.

II.) Figurate. *Plaut. Rud.* 4. 4. 103. Quæ parentes in tam angustum tuos locum compegeris. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 46. Oratorem excludi a gubernaculis civitatum, ac tantum in judicia et contiunculas, tamquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. — Hinc Part. præter. pass.

Compactus, a, um, adjective quoque usurpatur, et ¶ 1. Generatim est coagmentatus, colligatus, conjunctus. *Cic.* 3. *Fin.* 22. 74. Quid enim aut in natura — aut in operibus manu factis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? Adde *eumd. Tim.* 8. 25. *Lucret.* 5. 916. Compacta membra animantum. ¶ 2. Specialim, et juxta *Forcellinum* translate, dicitur de corpore, cujus statura brevior quidem est, sed membra bene sunt composita, et inter se optime colligata quodammodo et connexa. *Colum.* 6. *R. R.* 1. 2. Etruria boves progenerat compactos, sed ad opera fortes. *Id. ibid.* 37. 6. Asinus feminibus lacertosis, cruribus compactis. Adde *eumd. ibid.* 1. 3. *Sueton. Vesp.* 20. Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Compactum corpus et robustum. *Pallad.* 4. *R. R.* 11. 2. Boum cervix torosa atque compacta.

COMPINGUESCO, is, ere, n. 3. simul pinguesco, coagulor. *Tertull. Anim.* 25. Præsumunt, semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum, compinguescere in solam (*alii leg.* solidam) substantiam carnis.

COMPĪTĀLĀRIS, e, adject. ad compitales deos pertinens. *Compitalares Augustales* in *Inscript.* apud *Gruter.* 179. 3. fuisse puto sacerdotes ab Augusto institutos sacris Compitalibus faciendis. Nam is ea sacra bis anno coli jussit, teste *Sueton.* in ejus *Vita* 3. Adde *Inscript.* apud *Murat.* 918. 8., quæ est apud *Orell.* 3958. D. M. L. VIBVSIO SECVNDO COMPITAL. LAR. AVG. Quidam tamen rectius legunt *Compitales Lares*. V. COMPITALIS.

COMPĪTĀLĪCIUS, *vel* compitalitius, a, um, adject. ad Compitalia pertinens. *Cic. Pis.* 4. 8. Ludi Compitalicii. *Id.* 7. *Att.* 7. 3. Compitalicius dies. et 2. *ibid.* 3. *ad fin.* Compitaliciæ deambulationes. Adde *Sueton. Aug.* 31. *Inscript.* apud *Orell.* 2413. D. M. L. TERENTIO FIDO ET NOVICIAE CONTVBERNALI EIVS COLLEGIVS COMPITALICIVS. — *Compitalicia* absolute pro *Compitalibus* quidam adstruunt ex *Cic. Pis.* 4. 8. ubi alii *Compitalia* rectius leg.

COMPĪTĀLIS, e, adject. ad compita pertinens. *Sueton. Aug.* 31. Compitales Lares ornare bis anno instituit Augustus vernis floribus et æstivis. *h. e.* qui, ut ait *Ovid.* 5. *Fast.* 615., compita servant, Et vigilant nostra semper in urbe, Lares. *Ovid. ibid.* fabulatur fuisse nympham, Laram nomine, quæ quod Jovis amores Junoni detexerat, ab illo lingua mutilata fuit, et Mercurio tradita, ut ad inferos duceretur. In itinere Mercurius illam compressit, et geminos procreavit, qui *Lares Compitales* habiti sunt. — Hinc

Compitales, ium, absolute, substantivorum more, sunt sacerdotes ab Augusto institutos sacris Compitalibus faciendis. *Inscript.* apud *Murat.* 918. 8., quæ est apud *Orell.* 3959. C. TORASIVS DEDIT VI. AVG. ET COMPITALIRVM (*sic*) AVG. ET MAG. VICORVM HS. CXX. Ubi *Hagenb.* notat: Lego *Compitalibus Larum Aug.* In Murat. *Compitali* (vel *Compitalicio*) ut Sexviri Augustales fuere in Collegiis Augustalium Sacerdotum Sexprimi, ita inferioris ordinis et loci collegium fuisse puto *Compitales Larum Aug.* Cf. et COMPITALARIS, quod ex duobus vocabulis (*Compitalium Larium*) conjunctim, nec recte scriptis effictum fuit; et V. *Bullettin. dell' Instit. Archeol. a.* 1842. *p.* 108. Cf. et *Compitalia*, de quibus mox.

Compitalia, ium, n. plur. 3. substantivorum more. — In Genitivo habet *Compitalium*, et *Compitaliorum*, teste *Charis.* 1. *p.* 37. *Putsch.* V. SATURNALIA sub init. — Ceterum *Compitalia* sacra erant et ludi, qui fiebant in compitis in honorem Larium. *Varro* 6. *L. L.* 25. *Müll.* Compitalia dies attributus Laribus Compitalibus; ideo ubi viæ competunt, tum in competis sacrificatur. Quotannis is dies concipitur. — In fabulis est, Ocrisiam ancillam Tanaquillis reginæ uxoris Tarquinii Prisci, dum foco adsideret, extitisse subito e mediis cineribus Larem familiarem, qui eam compressit, et Servium Tullium procreavit, qui sextus fuit Romanorum rex, et in honorem crediti patris compitales ludos instituit, ut *Plin.* 36. *Hist. nat.* 27. 70. (204). narrat. Nam lignea sacella in compitis extruxit, jussitque singulas domos liba conferre, et sacra facientibus non ingenuos, sed servos adesse et ministrare, ut est apud *Dionys. Halicarn. l.* 4. Celebrabantur hiemis tempore non multo post Saturnalia: non tamen habebant diem certum, sed concipiebantur quotannis a prætore. *Auson. in Eclogar. de Feriis Rom.* Et nunquam certis redeuntia festa diebus, Compita per vicos cum sua quisque colit. Adde *Paul. Diac. p.* 40. 3. *Müll.* Porro ejus indictionis formula legitur apud *Gell.* 10. 24. his verbis: *Die noni populo Romano Quiritibus Compitalia erunt. Quando concepta fuerint, nefas.* *h. e.* dies nefastus esto. Cf. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. *extr.* — Uno tantum die celebrabantur, ut *Festus p.* 254. 34. *Müll.* docet. Nam quod apud *Cic. Pis.* 4. 8. habetur: Cum in III. Kal. Jan. Compitaliorum dies incidissent; *Manut.* et *Lambin.* legunt *incidisset*, quod probat *Garatonius* in not. ad eumdem locum, et reponendum censet *in Kal.* pro *in III. Kal.* — Eos ludos tacito nomine descripsit *Virg.*, teste *Servio*, 8. *Æn.* 717. ludisque viæ, plausuque fremebant. *Cato R. R.* 5. Rem divinam, nisi Compitalibus, in compito aut in foco ne faciat. Adde *eumd. ibid.* 57. *Cic.* 2. *Att.* 3. *ad fin.* Tu pridie Compitalia memento. *Id. Pis. loc. cit.* Compitaliorum dies. *ubi quidam male legunt* Compitalitiorum. — *Compitalia* inscripsit unum e suis Mimis *Laberius* poeta, teste *Gell.* 16. 7. et 9. — Locus *Charisii* 1. *p.* 20. *Putsch.*, ex quo quidam docent, Compitalia celebrata fuisse in honorem eorum, qui peregre mortui essent, corruptæ lectionis esse videtur: tametsi in *Gloss. Philox.* quiddam simile habetur.

COMPĪTUM *vel* competum, i, n. 2. *Competum* pro *compitum* occurrit apud *Varron.* 6. *L. L.* 25. *Müll.* — Legitur etiam *Compitus*, i, m. 2. in *Cæcilio* et *Varron.* apud *Non.* locis infra cit. sub. I. *a.* — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum*, potius quam a *competo*, est a *cum* et *bito*, quo nempe omnes conveniunt. Unde *compita semitarum* dixit *Solin.* 17. *ad fin.* Rectius tamen deduces a *competo*, teste *Varron.* loco superius cit. — Ceterum *compitum* est locus ubi plures viæ competunt, hoc est confluunt, sive bivium illud sit, sive trivium, sive quadrivium, etc.: et effertur fere in plurali numero, rarius in singulari (It. *crocicchio, trebbio, imboccatura di più strade*: Fr. *endroit où aboutissent plusieurs chemins, chemin fourchu, carrefour*; Hisp. *encrucijada, crucero*; Germ. *d. Scheideweg, Kreuzweg*; Angl. *a cross-way, cross-roade, place where two or more ways meet*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Cato R. R.* 5. Rem divinam nisi Compitalibus in compito aut in foco ne faciat. *Cæcilius* apud *Non. p.* 196. 9. *Merc.* Adjacentem compitum. *Varro* apud *eumd. ibid.* Ubi compitus erat aliquis. Adde *eumd. Varron.* apud *Non. p.* 94. 27. *Merc.* et 6. *L. L.* 25. *Müll.*; *Liv.* 27. 4.; *Festum p.* 174. 7. *Müll.*; *Dig.* 8. 10. 12. § 3.; *Inscript.* apud *Gruter.* 107. 1. inferius allatam; et *Tertull. Testim. anim.* 1. *ad fin.* et *Resurr. carn.* 60. — *b*) In plurali numero, *compita* fere occurrunt de locis, ubi publicæ fiebant auctiones, aut ubi sacra et ludi fiebant in honorem Larium. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 3. 7. In triviis aut in compitis auctionari. Adde *Liv.* 34. 2. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 25. unde frequentia Mercuriale Imposuere mihi cognomen compita. *h. e.* homines in compitis vagantes et otiosi. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 6. 50., et 1. *Ep.* 1. 49. Cf. *Gell.* 1. 22. Id dicitur non in compitis tantum, neque in plebe vulgaris, sed in foro, in comitio, apud tribunalia. *Virg.* 2. *G.* 382. Præmiaque ingeniis pagos et compita circum Tesidæ posuere. *Propert.* 4. 1. 23. Parva saginati lustrabant compita porci. *Id. ibid.* 3. 57. Flore sacella tego, verbenis compita velo. *Ovid.* 1. *Fast.* 142. Servet ut in ternas compita secta vias. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 615. et 5. *ibid.* 140. *Grat. Cyneg.* 483. Idcirco aereis molimur compita lucis. *h. e.* erigimus aras in lucis, ad quas sacra fiant. — Ceterum in compitis aræ constitui solebant, vel Jani bifrontes, vel sacella totidem lateribus aperta, quot erant viæ concurrentes, cujusmodi sunt, quos Itali vocant *capitelli*: ubi sacra et ludi fiebant in honorem Larium. *V. Compitalia*, ium, in COMPITALIS; et cf. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (66). In pagis eo conveniebant agrestes vel ludi causa, vel sacrificii, vel ut concilia sua agitarent, buccina convocati. *Philargyr.* ad *Virg. loc. cit.* — Ipsæ quoque aræ, vel potius sacella, seu Jani; *compita* dicta sunt. *Inscript.* apud *Gruter.* 107. 1. COMPITVM REFECERVNT, TECTVM, PARIETES ALLEVARVNT, etc. *Scalig.* minus recte leg. *convitium*. Alia apud *De-vita Antiq. Benev. p.* 28. *n.* 10. COMPITVM A SOLO PECVNIA SVA FECERVNT, ET PAGANIS ANNVOS X CCXXV. DARI IVSSERVNT EA CONDITIONE, VT NON. IVN. PAGVM LVSTRENT. — *Pers.* 4. 28. Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit. *h. e.* ut exponit *Salmas.* ad *Solin. p.* 212. ex *Vet. Scholiaste*, ad sacella in compitis, in omnes viarum partes patentia. Tangit autem ritum et morem rusticorum affigendi ad compita rustica instrumenta fracta emeriti et elaborati operis indicium. Posais tamen

pertusa *compita* intelligere ipsa loca pluribus viis pervia, in quibus palo erecto agrestes donaria sua suspenderent. At *Vet. Scholiast.* hæc habet: *Compita* sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito *pertusa*, quia per omnes quatuor partes pateant, vel etc.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Pers.* 5. 35. et vitæ nescius error Diducit trepidas ramosa in compita mentes. *h. e.* in ambiguum vitæ instituendæ: quemadmodum qui ad compitum pervenit ignarus locorum, nescit, quo itinere viam pergat. Hic certe Poeta Herculem ad bivium respexit. ¶ 2. Translate. *Tertull. Resurr. carn.* 60. Spelunca oris, et gulæ lapsus, et compitum stomachi.

COMPLĂCEO, ces, cŭi *et* complăcĭtus sum, cere, n. 2. (cum *et* placeo). Apud optimos scriptores hujusce verbi occurrunt tantum Præter. Perfectum et Plusquam perfectum: unus *Gell.* habet 17. 9. *complacebat.* — Part. *Complacitus* etiam in fin. — Ceterum complacere proprie dicitur de eo, quod pluribus simul placet; interdum tamen idem est ac placere. *Plaut. Rud.* 3. 4. 22. Hæ Veneri complacuerunt. *Id. ibid.* 1. 3. 3. Hoc deo complacitumst. Adde *eumd. Amph. prol.* 106. *Ter. Andr.* 4. 1. 21. Postquam amare me dixi, complacitast tibi. *Id. Heaut.* 4. 5. 25. Ejus sibi complacitam formam. *Colum.* 9. *R. R.* 16. 2. Ut et tibi et Gallioni nostro complacuerat. *Ambros.* 1. *Hexaëmer.* 9. Propriis itaque sermonibus naturam lucis expressit, quæ videndo complacet, quoniam ipsa videndi officium subministrat. *Gell.* 17. 9. Ante ila, sicuti dixi, complacebat. *h. e.* erat conventum inter eos, ut Id. *ante dixerat.* — Hinc Part. præter. *Gell.* 18. 3. Consilium acceptum ab universis et complacitum est. Adde *Apul.* 4. *Met. Capell.* 2. p. 29. *in carm.* Semper complacitis amica Musis, cui, etc. — *Vulgat. interpr. Psalm.* 76. 8. Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?

Complacitus, a, um, passive usurpatur (nisi malis esse figuram zeugma), unde et Comp. *Complacitior*: *V.* supra ad fin.

COMPLĂCĬTUS, a, um. *V.* voc. præced.

COMPLĀCO, as, are, a. 1. (cum *et* placo) idem quod placo, placidum reddo. *Tiro Cic. libert.* apud *Gell.* 7. 3. In principiis patroni, qui pro reis dicunt, conciliare sibi, et complacare judices debent.

COMPLĀNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus complanandi. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 1. *a med.* Sub exiguo terræ tumulo ac complanatione expirare.

COMPLĀNĀTOR, ōris, m. 3. qui complanat. *Apul. de Mag. in Carm.* Pulvisculus complanator tumidulæ gingivulæ.

COMPLĀNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMPLĀNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* planus). Part. *Complanatus.* — Complano est planum facio, æquo (It. *appianare*; Fr. *aplanir*, *niveler*; Hisp. *nivelar*; Germ. *ebnen*, *boden-gleich machen*; Angl. *to level*, *flatten*, *make plain or smooth*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 151. Terram bene tabulā, aut manibus, aut pedibus complanato. Hunc locum refert etiam *Gell.* 3. 14. Adde locum *Augustin.* cit. in v. COLLINEO. *Cic. Dom.* 38. 101. Complanare domum alicujus. *h. e.* solo æquare, deruere. *Auct. B. Alex.* 63. opera constituta. *h. e.* deruere et disjicere munitiones castrorum. *V.* integrum locum. Adde *Dig.* 39. 3. 3. § 2. *Sueton. Cal.* 37. Complanata fossuris montium juga. *h. e.* destructa, solo æquata. *Id. Cæs.* 44. Completus et complanatus lacus. *Apul. Florid.* n. 23. Lapis omnifariam complanatus.

II.) Translate. *Seneca Provid.* 5. *ad fin.* Multa accident dura, aspera, sed quæ molliat et complanet ipse. *h. e.* faciliora reddat.

COMPLANTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus complantandi. *Gloss. Gr. Lat.* Καταφύτευσις complantatio.

COMPLANTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* planto) simul planto. *Gloss. Cyrill.* Καταφυτεύω complanto. *Ibid.* Φυτεύω planto, complanto, novello. — Part. *Complantatus* solummodo figurate occurrit. *Ambros. Ep.* 42. *extr.* Complantatus virtutibus. *Vulgat. interpr. ep. ad Rom.* 6. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus. Unde *Cassiod. Complex. ad Rom.* 11. Qui similitudini mortis complantatus agnoscitur.

COMPLAUDO, is, ere, a. 3. (cum *et* plaudo) simul plaudo. *Paulin. Nolan.* 18. 8. Concordate meis, precor, et complaudite, fratres, Carminibus.

COMPLECTĪBĬLIS, e, adject. qui complecti potest. *Boeth. de syllog. hypothet.* 2. p. 628. Harum igitur, quæ æquimodæ esse dicuntur complexionem, nulla est complectibilis.

COMPLECTO, ctis, xum, ctere, a. 3. idem quod *complector*, sed antiqui usus, ut docet *Priscian.* 8. p. 798. *Putsch.* — a) Activa forma occurrit solum in vulgari sermone. *Pomponius* apud *Non. p.* 472. 33. *Merc.* Quin ergo, quando convenit, complectite. *Vitruv.* 10. 2. 11. *Schneid.* Scapos duos transversarios complectit et compegit. *h. e.* connexuit. Al. leg. *complexus est. Schneider.* vero *complexus compegit* recte prefert. — b) Passive. *Plaut. Amph.* 1. 1. 134. Qui complexus cum Alcumena cubat. *Lucret.* 2. 153. Corpuscula complexa meant inter se, conque globata. *Hæc tamen duo ad deponentem formam recte referri possunt. Cic. Rosc. Am.* 13. 37. Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. *Cic.* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Cupio, cum tam invidiosa fortuna complecti. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*). 4. 6. Quæ sollicitudo non amplius quam unius anni spatio complectitur. Addunt et locum *Scævolæ Dig.* 45. 1. 133., sed ibi valde dubia est lectio. Quidam tandem male legunt *complecti* pro *compleri* apud *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. et 3. *Fin.* 12. 41.

COMPLECTOR, ctĕris, xus sum, cti, dep. 3. (cum *et* plecto, *hoc est* necto). Part. *Complectens* I. 2.; *Complexus* I. 1. et alibi sæpe; *Complectendus* II. 3. a. — Complecti significat cingere, brachiis cingere, amplecti, manu apprehendere, concludere, comprehendere, continere, circumdare (It. *cingere*, *abbracciare*, *comprendere*, *circondare*; Fr. *entourer*, *embrasser*, *enlacer*; Hisp. *cercar*, *abrazar*, *rodear*, *circundar*; Germ. *sich um eine Person oder Sache herumschlingen*, *sie gleichsam mit seinem Körper ringsumflechten und so umfassen*, *umschlingen*, *umarmen*, *umgeben*, *umschliessen*; Angl. *to comprise*, *go round*, *encircle*, *compass*, *surround*, *comprehend*, *contain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de hominibus ceterisque animantibus; et quidem — a) Cum Accusativo personæ aut rei, quam quis complectitur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 53. Vidi et illam et hospitem complexam atque osculantem. Sic *Cic.* 16. *Att.* 5. Complecti et osculari aliquem. *Ter. Andr.* 1. 1. 106. Accurrit: mediam mulierem complectitur. Adde *Curt.* 8. 1. 46. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 103. Tum ille arctius puellam complexus: Accipio, inquit, mea filia omen. *Id. ibid.* 28. 58.; *Liv.* 7. 42.; et *Virg.* 5. *Æn.* 766. Complecti inter se. quod *Quintil.* dixit 7. 10. 17. Complecti invicem. *Nepos Eumen.* 4. Hi cum inter se complexi in terram ex equis decidissent. *Curt.* 5. 3. 20. Eminentia saxa complexi — conabantur ascendere. *Lucret.* 4. 1189. Complecti viri corpus. *Virg.* 6. *Æn.* 786. nepotes. *Id.* 8. *ibid.* 558. et *Ovid.* 6. *Met.* 494. dextram complexus euntis. Adde *Curt.* 6. 7. 8. *Ovid.* 12. *Met.* 428. maritum. *Lucan.* 3. 691. hostem. *Id.* 10. 89. pedes alicujus. *Quintil.* 6. 1. 34. genua. — Sic de Somno, tamquam de persona *Cic.* 6. *de republ.* 10. Me arctior somnus complexus est. Et *Virg.* 2. *Æn.* 253. Sopor complectitur artus. — b) Addito Ablativo rei, qua aliquem aut aliquid complectimur. *Curt.* 7. 4. 37. Complecti hastam manu. *Id.* 7. 11. 15. saxa manibus. *Id.* 9. 5. 13. ramos dextrā. *Virg.* 5. *Æn.* 31. ossa patris gremio. *Ovid.* 9. *Met.* 772. aram passis capillis. *Id.* 10. *ibid.* 407. membra lacertis. *Id.* 3. *ibid.* 727. Avulsum caput digitis complexa cruentis. — c) Absolute; ita tamen, ut ex præcedentibus et consequentibus, quid sibi velit hoc verbum, aperte innotescat. *Plaut. Curc.* 1. 3. 32. Nequeunt complecti satis. *h. e.* se invicem brachiis complecti. Similiter *Id. Truc.* 2. 4. 19. Complectere. Adde *eumd. Men.* 5. 9. 65. et *Mil. glor.* 4. 8. 19. *Id. Amph.* 1. 1. 134. Qui complexus cum Alcumena cubat. *Cic. Fontej.* 17. 36. Præsertim cum virgo Vestalis ex altera parte germanum fratrem complexa teneat. *Virg.* 8. *Æn.* 259. Hic Cacum — Corripit in nodum complexus. *Propert.* 1. 10. 5. Cum te complexā morientem, Galle, puellā Vidimus. Adde *Stat.* 2. *Silv.* 1. 121. — Absolute est etiam arenæ verbum, et complecti dicitur luctator cum adversarii corpus brachiis cingit. *Nepos Epam.* 2. Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset et contendere. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de inanimis, et quidem — a) Raro proprie. *Cic. Senect.* 15. 52. Claviculis suis quasi manibus, quidquid est nacta, (*vitis*) complectitur. *Lucret.* 2. 153. Corpuscula complexa meant inter se comqueglobata. *Forcellinus* τὸ *complexa* passive accepit. *Catull.* 64. 307. Corpus tremulum complectens undique vestis. *Virg.* 1. *Æn.* 693. ubi mollis amaracus illum (*Ascanium*) Floribus et dulci aspirans complectitur umbrā. *Cajus* 2. *Instit.* 74. Si (*planta*) radicibus terram complexa fuerit. — b) Sæpius figurate dicitur — De locorum spatio, quod plura concludit et continet. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Extimus (*orbis cœlestis*), qui reliquos omnes complectitur. *Id.* 2. *Nat. D.* 21. 54. Non est enim ætheris ea natura, ut vi suā stellas complexa contorqueat. *Ovid.* 8. *Met.* 731. Mare terram complexum. *Curt.* 7. 11. 1. Petra in altitudinem xxx. eminet stadia, circuitu c. et l. complectitur. *Id.* 8. 10. 24. xxxv. stadia murus urbem complectitur. Adde *Senec. Hippol.* 1162. et *Lucan.* 4. 159. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 1. Moles Latium complexa forum. — De spatio temporis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (280). Vergiliæ — semestri spatio intra se messes vindemiasque et omnium maturitatem complexæ. — Ponitur etiam de personis, quæ aliquibus, præsertim militaribus, aliquem aut aliquid cingunt et circumdant. *Cic. Tim.* 6. Complecti animum mundi cælo. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. et 74. Complecti spatium munitionibus. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 112. et *Curt.* 4. 8. 2. *Vellej.* 2. 51. Complecti aliquem obsidione. Huc pertinet et illa *Ovid.* 5. *Met.* 618. Ruris aliquantum depresso aratro complecti. *Id.* 1. *Trist.* 6. 7. Effigiem alicujus fulvo auro complecti.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro aliquid in se continere, itemque re aliqua potiri. *Cic.* 1. *Off.* 17. 57. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est. Sic *Quintil.* 8. 3. 69. Licet hæc omnia complectatur eversio. Adde *eumd.* 2. 15. 3. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 11. Cum est idoneam complexa naturam. *h. e.* assecuta, potita. *Id.* 10. *Fam.* 12. 5. Quam (*facultatem*) quoniam complexus es, tene, perfice. *Liv.* 44. 1. Vires populi Rom. jam terrarum orbem complectentis. *Curt.* 6. 3. 4. Plures provincias complexus sum, quam alii urbes ceperunt. *Seneca Octav.* 478. Augustus complexus est astra. *h. e.* adeptus. ¶ 2. Speciatim morali ratione est amare, fovere, tueri; et occurrit — a) Absolute, hoc est cum Accusativo tantum personæ aut rei. *Cic. Amic.* 15. 54. Quos fortuna complexa est. *Id.* 2. *Fam.* 8. 2. Da te homini: complectetur, mihi crede. Adde *eumd. ibid.* 6. 4. et 12. *ibid.* 5. *Id.* 5. *Fin.* 23. 67. Cura quædam alios appetens atque complectens. *Id.* 16. *Att.* 15. 3. Ut adolescentem totamque causam veteranorum complecterer. — Et cum abstractis. *Cic. Brut.* 93. 322. Complecti philosophiam. *h. e.* colere, tractare, discere. Similiter *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 9. artes ingenuas. Rursus *Cic.* 5. *Phil.* 16. 44. Complecti causam aliquam. *Id.* 2. *Att.* 6. 1. otium. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 5. oratorem. *h. e.* eloquentiam. *Seneca Ep.* 1. omnes horas. — b) Cum addito Ablativo. *Cic. Tim.* 5. 13. Complecti se concordi quadam amicitia et caritate. *Id.* 6. *Fam.* 14. et *Marcell.* 3. 10. aliquem summa benevolentia. *Id.* 7. *Fam.* 8. 3. aliquem omni comitate. *Id. Pis.* 32. 80. aliquem omnibus studiis, laboribus, vitæ periculis. *Id. Prov. cons.* 16. 38. aliquem honoribus et beneficiis. *Id. Planc.* 33. 82. aliquem beneficio. *Liv.* 7. 40. omnes cives caritate. *Plin.* 3. *Ep.* 11. aliquem arcta familiaritate. ¶ 2. Item speciatim intellectuali ratione est assequi, comprehendere; et quidem — a) Est mente et cogitatione comprehendere et plane intelligere: et occurrit — Fere cum Ablativo *animo*, *cogitatione* etc. *Cic.* 5. *Fam.* 17. 4. et *Quintil.* 10. 6. 3. Complecti aliquid animo. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 5. 19. animo rei magnitudinem. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 70. animo proxima quæque suo. *Curt.* 10. 1. animo infinita. *Id.* 4. 16. 10. Tot ludibria fortunæ assequi animo et complecti. Et omisso Accusativo *Cic. Senect.* 5. 15. Etenim cum complector animo, quatuor causas reperio. *Id.* 1. *Tusc.* 22. 50. et *Quintil.* 10. 7. 30. Complecti animum cogitatione. *Cic.* 3. *Fam.* 11. aliquem absentem cogitatione. *Id. Orat.* 2. 8. Quod nullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. *Id.* 2. *Fin.* 34. 112.; *Curt.* 9. 2. 11.; et *Quintil.* 12. 1. 25. et 12. 2. 17. Complecti aliquid mente. *Cic.* 2. *Divinat.* 71. 146.; et *Quintil.* 11. 2. 27. et 2. 7. aliquid memoriā. Sic *Quintil.* 8. *proœm.* 8. Memoria complectitur aliquid. *Id.* 12. 11. 22. aliquid scientiā. *Id.* 11. 2. 2. aliquid iterata lectione. Huc pertinet et illud ejusdem *Quintil.* 2. 4. 38. Honesto complecti justum, pium, reli-

giosum. — Interdum et *complecti aliquid* absolute occurrit eodem sensu, quoties tamen peculiaris verbi significatio ex antecedentibus et consequentibus facile innotescat. *Cic.* 4. *Verr.* 12. 32. Verum ut totum hoc genus complectamini judiciorum, prius jura Siculorum, deinde istius instituta cognoscite. *h. e.* ut plane intelligatis. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 114. Perficies, ut ego ista innumerabilia complectens nusquam labar, nihil opiner? *Quintil.* 11. 2. 36. Complecti quæ scripsimus. *Tac. Agric.* 46. Famamque ac figuram animi, magis quam corporis, complectantur. *Fronto ad Amic.* 2. *Ep.* 5. Tantum Volumnio tribue honoris facultatisque amicitiæ tuæ complectendæ. *Quod tamen ad* COMPLECTO *referendum videtur.* — *b*) Item est oratione persequi, oratione plane comprehendere et explicare, oratione concludere: et occurrit — Fere cum Ablativo *oratione*, *verbis* etc. *Cic. post redit. ad Quir.* 2. 6. In vestro beneficio tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim. *Id.* 6. *Verr.* 26. 57. Complecti facta alicujus oratione. *Id.* 5. *Fin.* 9. 26. Ut jam liceat una comprehensione omnia complecti. *Id.* 1. *ibid.* 5. 15.; et *Quintil.* 5. 10. 54. aliquid verbis. *Cic.* 6. *Fam.* 6. 1. aliquid litteris. *Id.* 3. *Orat.* 44. 175. sententiam numero quodam et astricto et soluto. *Id. Brut.* 3. 14. libro omnem rerum memoriam breviter et perdiligenter. *Quintil.* 3. 1. 14. artem pluribus libris. *Id.* 3. 6. 13. sententiam verbis. *Id.* 2. 21. 21. dicendo omnes res subjectas. *Id.* 3. 1. 4. carmine præcepta philosophiæ. *Id.* 5. 10. 1. nomine aliquid. *Id.* 8. 3. 82. plura paucis. *Id.* 1. 1. 31. syllabis verba. *Id.* 9. 6. 68. in sermonibus aliquid. *Id.* 11. 1. 66. semel plura. *Id.* 7. 3. 29. breviter causas. — Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 15. 64. Si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult. *Id. Pis.* 31. 75. Complecteris amplissimos viros ad tuum scelus. *h. e.* oratione tua amplissimos viros, tamquam tui sceleris participes, tibi adjungis. *Quintil.* 6. 3. 44. Sermonem habitum complectitur dialogus. *Id.* 7. 1. 48. Omnes complectitur lex. *h. e.* nullum excipit, omnes omnino comprehendit. — *c*) Denique est etiam per syllogismum colligere, concludere. *Cic.* 1. *Invent.* 40. 73. Hoc autem fieri poterit, si complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem, etc.

COMPLĒMENTUM, i, n. 2. quod additur ad complendum et perficiendum aliquid, supplementum; et occurrit translate tantum. *Cic. Orat.* 69. 230. Apud alios numero servientes inculcata reperias inania quædam verba, quasi complementa numerorum. *Tac.* 3. *Ann.* 38. Addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. *Cod. Theod.* 9. 24. 3. Complementum accusationis.

COMPLEO, ples, plēvi, plētum, plere, a. 2. *Complerunt* per syncopen pro *compleverunt* occurrit apud *Cæs.* 7. *B. G.* 27. et 1. *B. C.* 56. et *Virg.* 11. *Æn.* 37.; *complesti* pro *complevisti* apud *Horat. Epod.* 6. 9.; *complerint* pro *compleverint* apud *Virg.* 6. *Æn.* 712.; *complesse* pro *complevisse* apud *Cic.* 6. *Verr.* 35. 77.; *compleret* pro *compleverat* apud *eumd. Cluent.* 34. 93.; et *complerant* pro *compleverant* apud *Virg.* 5. *Æn.* 107. — Part. *Complens* I. 1. *b.*; *Completus* I. 1. *b.*, II. 3. et in fin.; *Complendus* I. 1. *a.* — *Compleo*, ratione habita etymi, est a *cum* et inus. *pleo*, ex quo plura sunt composita, ut *impleo*, *repleo* etc., necnon derivata, ut *plenus*, *plus*, *plures* etc.: et significat ad summum usque impleo (It. *compire*, *empire affatto*; Fr. *remplir*, *combler*; Hisp. *llenar*, *cumplir*; Germ. *etwas zufüllen*, *vollständig anfüllen*, *ausfüllen*, *ganz voll machen*; Angl. *to fill*, *fill up*).

I.) Proprie usurpatur de inanimis. ¶ 1. Generatim de iis omnibus, quorum spatium omnino impletur; et occurrit — *a*) Raro absolute. *Quintil.* 11. 1. 91. Quia, ut in cibis, alia aliis magis complent. — *b*) Sæpius cum Accusativo rei, cujus spatium completur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. Tune aut inane quidquam putes esse, cum ita completa et conferta sint omnia, ut etc. *Id.* 1. *Att.* 18. 1. Domus bene completa. *Id.* 13. *Att.* 34. Complere paginam volui. *Lucret.* 1. 516. Loca complere. *Id.* 2. 324. Complent legiones loca camporum. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. Hostes postero die – castra oppugnant, fossam complent. Sic *Auct. B. Hisp.* 16. Ad fossas complendas. Rursus *Cæs.* 7. *B. G.* 27. Milites murum celeriter complerunt. *Liv.* 41. 3. Metu, ne complerentur navigia. *Id.* 45. 35. Completis ripis obviam effusâ multitudine. *Virg.* 3. *Æn.* 71. Decedunt socii naves et littora complent. *Propert.* 2. 1. 6. ædes complent amatores. *Colum. Arbor.* 4. 5. Complere scrobem ad medium, deinde usque in summum. *Ovid.* 12. *Met.* 616. urnam bene. *Quintil.* 1. 2. 28. vascula. *Sil. It.* 2. 127. spatium. — *c*) Sæpius cum addito Ablativo rei, qua quid completur: et jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sueton. Aug.* 30. alveum Tiberis ruderibus. *Manil.* 2. 237. æquora partu. Ejus verba sunt: et partu complentes æquora Pisces. *Nepos Hann.* 9. amphoras plumbo. *Ovid.* 5. *Met.* 2. atria turbâ. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 28. cælum humano genere completum. *Liv.* 44. 9. Circum bestiis. *Plaut. Amph.* 1. 1. 95. corpora (*Vertentibus Teleboïs*) telis complebantur. *Liv.* 9. 24. cuncta complentur fugâ. *Cic.* 6. *Verr.* 35. 77. Dianam (*h. e.* Dianæ simulacrum) coronis et floribus complere. *h. e.* operire, ornare. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. exercitum omni copia. *Tibull.* 2. 1. 50. favos melle. *Liv.* 42. 61. flumen naufragorum trepidatione natantium. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. fossas sarmentis et virgultis. *Cic. Cluent.* 34. 93. gradus Aurelios concitatis hominibus. *Liv.* 30. 28. Hispanias monumentis ingentium rerum. *Lucan.* 3. 66. horrea messibus. *Val. Flacc.* 8. 138. littora bello. *Virg.* 5. *Æn.* 107. littora cœtu. *Id.* 2. *ibid.* 495. loca late milite. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. montem hominibus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 217. munus Apolline dignum (*h. e.* bibliothecam) libris. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 119. mundum animorum multitudine. *Nepos Hann.* 11. naves serpentibus. *Sall. Cat.* 59. omnia compleri armis, cadaveribus, cruore. *Liv.* 34. 9. omnia fugâ. *Tac.* 11. *Ann.* 23. ora et exitus specuum sarmentis virgultisque. *Virg.* 6. *Æn.* 712. ripas agmine. Adde *Liv.* 45. 35. *Plaut. Cist.* 1. 2. 8. se flore Liberi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. se conchis. Cf. *Id.* 5. *Tusc.* 35. 100. multo cibo et potione compleri. *Nepos Hann.* 9. statuas æneas pecuniâ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 127. terræ complentur renovatione stirpium. — *d*) Raro cum addito Genitivo, Græcorum more. *Plaut. Amph.* 4. 1. 8. Quis fuerit, quem propter corpus suum stupri compleverit. *h. e.* adulterio gravida facta sit. Adde *eumd. ibid.* 1. 2. 9. et *Men.* 5. 5. 3. *Cic.* 7. *Verr.* 57. 147. Cum completus jam mercatorum carcer esset. *Id. Senect.* 14. 46. Conviviumque vicinorum quotidie compleo. *Lucret.* 5. 1161. Complere urbes ararum. Cf. PLENUS, CONFERTUS etc. — *e*) Denique *compleo* pro *compleor* neutrorum more usurpat *Propert.* 2. 5. 1. Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes, Ad cujus jacuit Græcia tota fores. ¶ 2. Speciatim in re militari *complere naves*, *classes*, *legiones* etc. est legitimum militum numerum implere. *Cæs.* 1. *B. C.* 56. Complere naves colonis pastoribusque. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 327. naves bis denas seu plures complere. *Servius* ad *h. l.* adnotat hanc esse proprie phrasim nauticam. Nam et Græce πληρώματα dicuntur remiges et milites, qui navibus imponuntur. *V.* PLEROMARIUS. *Cæs.* 2. *B. C.* 4. naves piscatorias sagittariis tormentisque. *Id.* 1. *ibid.* 25. legiones in itinere. *h. e.* delectu habito legitimum uniuscujusque legionis numerum implere. *Nepos Miltiad.* 5. Horum adventu decem millia armatorum sunt completa. *Sall. Cat.* 55. Complere cohortes pro numero militum. *Liv.* 24. 11. classem sociis navalibus. *Sil. It.* 8. 119. legio completa per manipulos. ¶ 3. Item speciatim est fœtu gravidare. *Lucret.* 4. 1245. Complere mulieres. Adde *eumd.* 4. 1268.; *Plaut. Amph.* 4. 1. 8., cujus verba superius allata sunt sub 1. *d.*; et *Arnob.* 4. 21. ¶ 4. Denique ponitur etiam de luce, odore, spiritu, clamore et similibus, quibus circum undique diffusis loca replentur. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Cuncta suâ luce complet sol. *Id.* 2. *Nat. D.* 46. 119. mundum suâ luce. *Id.* 2. *ibid.* 19. 49. terras largâ luce. *Id.* 5. *Verr.* 12. 31. Omnia moto ac spiritu suo, vini, unguenti, corporis odore complere. *Id.* 6. *de republ.* 18. Aures complet sonus. Adde *eumd.* 3. *leg. Agr.* 1. 3. *Id. Orat.* 38. 131. Complere forum plangore et lamentatione. *Lucret.* 5. 593. maria ac terras omnes cælumque rigando lumine sol complet. *Id.* 6. 197. speluncas complent venti. *Id.* 5. 226. Complere locum vagitu. *Id.* 2. 358. nemus querelis. *Id.* 4. 1014. omnia clamoribus. *Id.* 5. 1065. omnia vocibus. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. omnia fletu. *Sall. Cat.* 50. omnia luctu. *Liv.* 35. 48. maria terrasque inani sonitu verborum. *Id.* 5. 91. Clamor omnia variis vocibus complet. *Propert.* 2. 16. 37. Complere æquora fremitu. *Tibull.* 2. 4. 18. orbem complet luna. *Virg.* 3. *Æn.* 645. lunæ se cornua lumine complent. *Id.* 9. *ibid.* 113. agmina vox complet. *Id.* 9. *ibid.* 39. Complere mœnia clamore. *Horat. Epod.* 6. 9. Cum timenda voce complesti nemus. *Id. A. P.* 205. Complere sedilia flatu. *Ovid.* 14. *Met.* 537. æra tinnitibus et murmure. *Id.* 5. *ibid.* 153. atria ululatu. *Id.* 5. *ibid.* 3. atria fremitu. *Id.* 6. *Fast.* 513. aures ululatibus. *Seneca Herc. Œt.* 798. cælum clamore. *Lucan.* 5. 154. spatium antri vox complet. *Claudian. Cons. Prob. et Olyb.* 31. Complere aures sermonibus.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de animo, qui re aliqua completur: et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 1. 3. Completi sunt animi auresque vestræ, me gratificantem septem tyrannis – agrariæ legi et commodis vestris obsistere. *Juvenc.* 1. 116. Completusque (*Zacharias*) canit venturi conscia dicta. *h. e.* divino numine impletus. — *b*) Cum addito Ablativo. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 69. Compleri gaudio. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 127. Complere animum voluptate. *Cæs.* 2. *B. C.* 21. milites bona spe. *Id.* 2. *ibid.* 4. civitatem summa spe et voluntate. *Liv.* 34. 9. omnia terrore. *Curt.* 3. 13. 10. cuncta pavore. *Seneca Œdip.* 1211. Sidera et manes et undas scelere complevi meo. *Quintil.* 9. 4. Complere judicem indignatione. *Id.* 8. 6. 14. tædio. *Lucan.* 5. 412. animos robore. — *c*) Cum addito Genitivo. *Plaut. Amph.* 1. 2. 9. Erroris illos et dementiæ complebo. *Id. Men.* 5. 5. 3. Complere aliquem flagitii et formidinis. ¶ 2. Item ponitur de tempore, et est annos transiisse, vixisse. *Cic. Senect.* 5. 13. Gorgias centum et septem complevit annos. *Nepos Att.* 21. Complere septem et septuaginta annos. *Liv.* 44. 9. vix unius horæ tempus. *Virg.* 9. *Æn.* 108. tempora debita Parcæ. *Ovid.* 4. *Trist.* 7. 77. Et jam compleral genitor sua fata. *h. e.* ad finem vitæ pervenerat. Sic 15. *Met.* 816. Hic sua complevit tempora. *Id.* 3. *ibid.* 312. Infans materna tempora complet. *h. e.* menses partus. *Id.* 15. *ibid.* 395. Complere quinque sæcula vitæ. *Scævola Dig.* 33. 2. 35. Post completum quinquennium. *Ibid.* 3. 1. 1. § 3. Complere XVII. annos in totum. *Ibid.* 44. 7. 6. *pr.* diem novissimum. *Ibid.* 4. 4. 3. § 3. diem natalem. ¶ 3. Denique ponitur etiam de numero aliisque rebus, et est perficere, absolvere. *Cic. Flacc.* 14. 32. Summa completa. *Id.* 5. *Verr.* 49. 116. Complere summam promissi. Cf. *Macrob.* 3. *Saturn.* 1. Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 87. Solis lustrationem annuam menstruo spatio luna complet. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 46. et *Tibull.* 2. 4. 18. *Cic.* 3. *Fin.* 13. 43. Corporis commodis completur beata vita. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 14. 40. et 16. 47. *Id.* 5. *Fin.* 24. 71. Complent ea quidem vitam beatissimam. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. His rebus completis, legiones reduci jussit. *Curt.* 10. 6. 6. Rerum humanarum sorte completa. *Liv.* 8. 11. Complere dodrantem ex Privernati. *Gell.* 13. 5. studia. *Id.* 18. 1. omnes numeros vitæ beatæ. *Dig.* 28. 6. 41. § 5. assem. *Fragm. Vatic.* § 12. usucapionem. *Cod.* 4. 49. 4. emptionem. — Huc referri possunt et illa *Firmic.* 5. *Mathes.* 9. Erunt formosi, venusti, membrisque ac toto corpore completi. *h. e.* compacti, vel absoluti. *Claudian. B. Get.* 143. Stilicho tres potuit complere duces. *h. e.* trium ducum vices præstare. *Al. leg.* superare. — Hinc Part. præter. pass.

Completus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Completior*. *Cic. Orat.* 50. 168. Perfectus et completus verborum ambitus. *h. e.* absolutus. *Gell.* 1. 7. Illud sic compositum jucundius ad aurem completiusque est; insuavius hoc imperfectiusque. *Al. minus recte leg.* complexius.

COMPLĒTIO, ōnis, f. 3. complementum; et occurrit ¶ 1. De materiali alicujus rei complemento. *Paul. Diac.* p. 105. 2. *Müll.* Igitur nunc quidem pro completionis significatione valet, quæ est ergo. *Forcellinus* putabat, fortasse legendum *complexionis*, quia *igitur* complexionem quamdam orationis significat. Adde *Jul. Ep. nov. c.* 66. § 234. ¶ 2. De rerum absolutione et perfectione. *Justinian.* 3. *Institut. tit.* 23. Nisi scripta completiones acceperint. *Cod.* 8. 38. 15. *pr.* Operis completio. *Augustin. Ep.* 161. Evidentissima completione sanctæ prophetiæ.

COMPLĒTĪVUS, a, um, adject. qui aliquid complet, ut conjunctio completiva quæ apud *Priscian.* 16. p. 1026. *Putsch.* Ut quæ invenitur etiam completiva, ut Virgilius (9. *Æn.* 767.): Alcandrumque Haliumque, Noemonaque Prytanimque. *Boeth. in Aristot. Categ.* 1. p. 126. Sed dicendum est, quod

sunt aliæ differentiæ, quæ dicuntur completivæ prædicati, et cujuslibet illius speciem informantes, quæ communi nomine specificæ nominantur.

COMPLĒTOR, ōris, m. 3. qui complet. *Juvenc.* 2. *in Matth.* 12. 572. legum completor Jesus.

COMPLĒTUS, a, um. *V.* COMPLEO.

COMPLEX, ĭcis, adject. (cum *et* plico) invicem socius, præsertim vero socius sceleris, conscius, eodem scelere una cum aliis implicitus. — *a*) Absolute. *Arnob.* 3. 40. Dii Complices. *h. e.* consentes; et ita dicti videntur, quod sint una voluntatum quodam fœdere et vinculo concordiæ conjuncti, et quasi invicem connexi atque implicati. *V.* CONSENTES in ONOM. *Prudent. Hamartig.* 614. De semine complicis hydri. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *ad fin.* Ceterisque complicibus oppressis. — *b*) Cum Genitivo. *Ambros.* 3. *Offic.* 4. Complex honestatis est utilitas, et utilitatis honestas. Hinc falso *Isid.* in *Gloss.* C o m p l e x, qui in uno peccato vel crimine alteri est applicatus ad malum, ad bonum vero numquam dicitur. *Salvian.* 2. *advers. Avar.* 2. Si multos complices pœnæ videatur habere damnatus. Adde *Cod. Theod.* 6. 4. 21.

COMPLEXĀTUS, a, um. *V.* COMPLEXO.

COMPLEXIM, adverb. complectendo. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 84. Complexim contrectare mulierem. *Al. leg.* complexum, *et quidem rectius.*

COMPLEXĬO, ōnis, f. 3. (complector) connexio, conjunctio. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 19. Ita effici complexiones, et copulationes, et adhæsiones atomorum inter se. Et *Ambros.* 1. *Hexæmer.* 2. Non ut philosophi disputant, validiorem atomorum complexionem perseverantiæ jugis præstare causam. — Sic de obliquo Zodiaci ambitu. *Apul. de Mundo.* Quam (*regionem*) circulo suo ambit Signifer, obliqua complexione circumdatus et signis duodecim illuminatus. — Et pro corporis habitudine. *Firmic.* 5. *Mathes.* 9. Tranquilli, quieti, alacres, bonæ complexionis. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. *ante med.* Supradicti spem futuræ conglutinationis negant, et ob hoc complexionis contraria sæpe adjutoria poscunt, quæ sint diversis adversa. — Etiam *synalœphen* et *synæresin* figuras grammaticæ, *complexiones* dici Latine, testatur *Quintil.* 1. 5. 17. — Denique huc pertinet et illud *Capell.* 6. *p.* 203. Universa provinciæ (*Hispaniæ*) civitates, præter insulas atque alias contributas, ducentas nonaginta quatuor tota complexione dinumerat. ¶ 2. Speciatim est actus, quo aliqua verbis comprehendimus et conjungimus. *Cic.* 2. *Phil.* 37. 95. At quibus verbis modo æquum sibi videri, modo iniquum: mira verborum complexio. — Hinc dicitur et de periodo, in qua, ut ait *Cic.* 3. *Orat.* 44. 175., orator sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 179. Longissima est complexio verborum, quæ volvi uno spiritu potest. ¶ 3. Item speciatim ponitur de sententiarum, aut idearum compositione. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 29. Neque alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. ¶ 4. Item de narratione. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 37. Brevis complexio ipsius negotii. *h. e.* brevis narratio, quæ totum negotium complectatur. Adde *eumd. Orat.* 25. 85. ¶ 5. Item de conclusione argumenti, quæ propositionem et assumptionem complectitur. *Cic.* 1. *Invent.* 37. 67., 1. *ibid.* 40. 72. et 1. *ibid.* 47. 87., et 2. *Herenn.* 18. 28.; et *Quintil.* 1. 14. 5. ¶ 6. Est etiam idem ac dilemma, quod utrimque adversarium complectitur atque implicat. *Cic.* 1. *Invent.* 29. 44.; et *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil. c.* 14. ¶ 7. Denique est figura Rhetorum, quæ repetitionem et conversionem complectitur. *Cic.* 4. *Herenn.* 14. 20.

COMPLEXĪVĒ, adverb. conjunctim. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccles.* 1. *sub init.* Sed tu, o potentissime Theodosi, ut complexive dicam, cunctam superasti, Deo juvante, virtutem.

COMPLEXĪVUS, a, um, adject. qui complectitur, connexivus. *Gell.* 10. 29. *in tit.* Quod particula *atque* non complexiva tantum sit; sed etc. *Capell.* 3. *p.* 63. Cum complexiva conjunctio est *que*. *Boeth. in Porphyr. Dial.* 2. *p.* 43. Atque ideo species illa, quod plura in se accidentia suscepit, accidentis illius complexiva est. *Cur. Fortun. Art. rhet.* 1. *p.* 71. Hujusmodi controversia quid vocatur? Complexiva. Cur ita? Quoniam duos in se vel plures complectitur status.

COMPLEXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Complexatus.* — Complexo est idem quod complector. *Coripp.* 1. 104. Portum, quem geminæ complexant brachia ripæ. *Apul.* 10. *Met.* Arctissime complexatum me totum recepit. *V.* et voc. seq.

COMPLEXOR, āris, ari, dep. 1. *frequent. a* complector; idem quod amplexor. Part. *Complexans* tantum occurrit apud *Vulgat. Interpr. Marc.* 10. 16. Et complexans eos et imponens manus. *Potest tamen esse et a superiori verbo* COMPLEXO.

COMPLEXUS, a, um. *V.* COMPLECTOR.

COMPLEXUS, us, m. 4. actus complectendi, amplexus, circulus, ambitus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de animalibus: et quidem — *a*) De hominibus. *Cic. Cœl.* 20. 49. Complexus et osculatio. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. Complexus (*plur. num.*) summæ benevolentiæ. *Id.* 3. *Tusc.* 20. 46. Complexus corporum. *Catull.* 64. 88. Complexus mollis matris. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 43. O qui complexus, et gaudia quanta fuere. *Ovid.* 4. *Met.* 377. Complexus tenax. *Lucan.* 8. 723. Arcti complexus. *Martial.* 11. 79. Complexus femineus. *Stat.* 6. *Theb.* 866. Villosi complexus ursi. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 3. *Verr.* 3. 7. abripere aliquem e complexu alicujus. *Liv.* 3. 57. abripere aliquem a complexu alicujus. *Id.* 2. 40. accipere complexum. *Colum.* 12. *R. R.* 1. 2. adjacere complexibus feminæ. *Ovid.* 5. *Met.* 249. allevare complexibus artus. *Id.* 12. *ibid.* 326. ambire complexibus quercum. *Virg.* 5. *Æn.* 742. arcere aliquem a complexibus alicujus. *Cic. Fontej.* 17. 36. avellere atque abstrahere aliquem de matris complexu. *Catull.* 62. 21. et *Virg.* 4. *Æn.* 619. avellere aliquem complexu alicujus. *Cic.* 12. *Att.* 1. 1. currere (*utinam possim*) continuo ad complexum meæ Tulliæ. *Ovid.* 10. *Met.* 388. dare complexus alicui. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 3. dimittere aliquem e complexu suo. *Id. Dom.* 37. 98. distrahere aliquem a complexu suorum. *Sall. Jug.* 51. divellere liberos a parentum complexu. *Cic.* 14. *Fam.* 4. 1. emori in alicujus complexu. *Liv.* 2. 40. ferre complexum matri. *Quintil.* 6. 1. 42. et 8. 3. 68. hærere in complexu liberorum. *Petron. Satyr.* 11. illigare arctissimis complexibus aliquem. *Stat.* 10. *Theb.* 458. implere suos lætis complexibus. *Catull.* 61. 108. implicari in alicujus complexum. *Cic.* 2. *Divinat.* 69. 143. et *Scribon. Compos.* 18. jungi Venereo complexu. *h. e.* συνουσία. *Seneca Phœnis.* 464. jungere complexus. *Virg.* 1. *Æn.* 713. pendere complexu colloque alicujus. *Seneca Octav.* 730. petere complexus alicujus. *Cic. Planc.* 41. 100. retinere vi et complexu aliquem. *Virg.* 8. *Æn.* 583. tenere aliquem complexu. Cf. *Cic. Pis.* 9. 19. *Cic. Planc.* 38. 95. trucidare aliquem in complexu liberorum conjugumque. *Id.* 2. *Phil.* 25. 60. venire in sinum et complexum alicujus. — Eadem significatione *complexus* occurrit ad rerum mensuram definiendam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (203). Cedrus crassitudinis ad trium hominum complexum. *h. e.* quantum tres homines brachiis amplecti possunt. Cf. *Propert.* 4. 7. 96. — *b*) De brutis. *Ovid.* 3. *Met.* 47. *de serpente.* Necare aliquem complexibus. *h. e.* spiris. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (91). *de polypis.* Luctari complexu. — *c*) Interdum significat etiam prælium, decertationem. *Cæs.* 3. *B. C.* 8. Bibulus (*dux Pompejanus*) nullum laborem, aut munus despiciens, neque subsidium exspectans, si in Cæsaris complexum venire posset. *h. e.* si cum Cæsare confligere prælio posset, ad imitationem nempe sermonis Græci συμπλέκεσθαί τινι. Alii tamen leg. *conspectum*. *Tac. Agric.* 36. Complexus armorum. Cf. *Quintil.* 4. *Declam.* 22. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de inanimis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 22. 58. Mundus, qui omnia complexu suo coercet et continet. *Id.* 2. *ibid.* 40. 101. Ultimus, omnia cingens et coercens, cœli complexus. Adde *Lucret.* 1. 1064. et 5. 471. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 45. (161). Lapides speculares alligati complexu silicis.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro spirituali complexu, sive pro summo amore. *Cic.* 15. *Fin.* 23. 65. Totius gentis humanæ complexus. *Id.* 14. *Fam.* 4. 3. In sinu semper et complexu alicujus esse. Cf. *Id. Pis.* 9. 19. Me ipsa suo complexu patria tenuisset. *Id.* 2. *Cat.* 10. 22. Postremum genus, quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, immo vero de complexu ejus ac sinu. *Plin. Paneg.* 47. Artes in complexu, oculis, auribus habere. ¶ 2. De rerum conjunctione, quæ per orationem fit, et est complexio. *Quintil.* 1. 5. 3. Complexus loquendi seriesque. *Id.* 3. 5. 7. Complexus rerum, personarum, temporum. *Id.* 3. 6. 57. Negotialis quæstio, quam πραγματικὴν vocat, in qua de rebus ipsis quæritur, remoto personarum complexu. *h. e.* adjunctis, circumstantiis. *Id.* 7. 3. 18. Complexus verborum et nominum. *h. e.* conjunctiones seu particulæ copulativæ. *Id.* 9. 3. 18. Complexus sermonis.

COMPLĬCĀBĬLIS, e, adject. qui plicari potest. *Isid.* 14. *Orig.* 7. Valvæ, quæ intus revolvuntur, et duplices complicabilesque sunt. *Placidi Gloss.* ab *A. Mai* ed. in *Class. Auct. T.* 6. p. 564. Fores, quæ foras vertuntur, valvæ, quæ introrsum aperiuntur, et sunt duplices complicabilesque.

COMPLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus complicandi.

I.) Proprie. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 26. Cum omnis fuerit folliculus complicatione vacuatus.

II.) Translate sumitur pro multiplicatione. *Augustin.* 1. *Music. n.* 19. Si denariam complicationem persequi velis, ut hoc modo progrediaris, decem, viginti, triginta etc.

COMPLĬCĀTUS, a, um, *et* COMPLĬCĬTUS, a, um. } *V.* voc. seq.

COMPLĬCO, as, āvi, *vel* ŭi, ātum *vel* ĭtum, are, a. 1. (cum *et* plico). Part. *Complicatus* I. et II.; *Complicitus* I.; *Complicandus* I. — *Complictus* pro complicatus legitur apud *Pelagon. Veterin.* 10. *ante med.* Nec (*equi*) stare possunt, sed, complictis inter se cruribus, concidunt. *Videtur tamen abbreviata scribendi forma.* — Ceterum complicare est simul plicare (It. *piegar insieme*; Fr. *plier, rouler*; Hisp. *plegar*; Germ. *zusammenfalten, zusammenwickeln, einwickeln*; Angl. *to fold together*).

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 1. 2. 80. Armamentis complicandis studuimus. *Id. Rud.* 4. 3. 1. Complicare rudentem. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. et 12. *Att.* 1. Complicare epistolam. *Seneca Ep.* 90. Diogenes se complicuit in dolio, et in eo cubavit. *Apul.* 1. *Met.* Complicitus in genua. *Id.* 9. *ibid.* Asino per scalas complicitis pedibus in cœnaculum attracto. *Id.* 5. *ibid.* Articulari morbo complicatus et curvatus.

II.) Translate. ¶ 1. *Complicatus* est tectus, intricatus, obscurus; cui contrarium est explicatus. *Cic.* 3. *Off.* 19. 76. Animi sui complicatam notionem evolvere. ¶ 2. Item multiplicatus: *V.* COMPLICATIO 2. *Capell.* 6. *p.* 194. Cujus (*gnomonis*) umbræ prolixitas vicies quater complicata circuli duplicis modum reddit. *Id. ibid. p.* 198. Verum illa stadia quingenta trecenties sexagesies complicata faciunt semel millies octingentiesque centena. *h. e.* 500 × 360 = 180, 000.

COMPLŌDO, dis, si, sum, ere, a. 3. (cum *et* plaudo). — Part. *Complodens* et *Complosus.* — Complodere est ita collidere ut sonus edatur, simul plaudere; ut *complodere manus*, quod in gestu oratorio scænicum esse, *Quintil.* 1. 3. 123. affirmat. *Seneca* 1. *Ira* 1. Complosæ sæpius manus. *Petron. Satyr.* 18. *extr.* Complosis manibus in risum effusa est. *Id. ibid.* 24. Complosit illa tenerius manus. *Apul.* 9. *Met.* Varuasque manus complodens sæpicule. — Alium præterea hujus verbi usum non reperio.

COMPLŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. ploratus et vehemens lamentatio multorum simul: et fere dicitur de plorate in re desperata; et occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 1. 41. et 30. 12. Comploratio oritur. *Id.* 40. 9. Nocturna comploratione excitus. *Justin.* 11. 9. et *Gell.* 12. 5. Edere complorationem. *Cod. Theod.* 13. 5. 6. Querelæ infructuosæ complorationis. — *b*) Addito Genitivo, uti ajunt, subjectivo, hoc est ejus qui complorat. *Liv.* 3. 47. Lamentabilis mulierum comploratio. Adde *eumd.* 1. 26. et 26. 29. — *c*) Addito Genitivo, uti ajunt, objectivo, hoc est ejus, qui comploratur. *Liv.* 2. 40. Mulierum comploratio sui patriæque. *Gell.* 10. 3. Facere complorationem rei acerbæ.

COMPLŌRĀTUS, a, um. *V.* COMPLORO.

COMPLŌRĀTUS, us, m. 4. idem quod comploratio. *Liv.* 25. 26. Lacrimis et justo comploratu prosequi mortuos. *Id.* 22. 55. Coercere comploratus familiarum. *Id.* 23. 42. Comploratus conjugum ac liberorum exaudire.

COMPLŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* ploro). — Part. *Comploratus* sub *a.* — Complorare est simul cum aliis vehementer graviterque plorare, deflere: et usurpatur plerumque in re desperata. — *a*) Personaliter. *Cic. Dom.* 37. 98. Videre inimicos, nondum morte complorata, arbitria funeris petentes.

Ovid. 1. *Trist.* 3. 95. Complorare se suosque penates. *Liv.* 22. 55. Cum vivi mortuique promiscue complorarentur. *Id.* 5. 39. Romani complorati omnes pariter vivi mortuique. Adde *eumd.* 37. 7. *Petron. Satyr.* 111. Complorata femina ab omnibus quintum jam diem sine alimento trahebat. *Gell.* 7. 5. Complorare et commisereri interitum alicujus. *Quintil. Declam.* 16. Complorare fortunam. — *b*) Impersonaliter. *Flor.* 2. 15. 8. Comploratum publice statim, et pari voce clamatum est.

COMPLŌSUS, a, um. *V.* COMPLODO.

COMPLŬO, is, ere, a. 3. (cum *et* pluo). Part. *Complutus* I. 2. et II. — Compluere est simul pluere.

I.) Proprie. ¶ 1. Intransitive et impersonaliter. *Varro* 5. *L. L.* 16. *Müll.* Deorsum, quo impluebat, impluvium dictum: et sursum, qua compluebat, compluvium. ¶ 2. Passive *compluor, eris, plūtus sum, plui*, est aqua pluvia conspergi. *Augustin.* 1. *de Genes. contr. Manich.* 23. Firmamentum erat inter aquas inferiores, in quibus Noe natabat, et superiores, quibus compluebatur. *Cassiod. Instit. div. litt.* 3. Ager cælesti rore complutus. Adde *Vulgat. interpr. Ezech.* 22. 24. et *Amos.* 4. 7.

II.) Translate est saxis depluentibus, velut imbre, perculsus, apud *Solin.* 10. *de gruib.* Nautæ compluti sæpe ex illo casu imbre saxatili.

COMPLŪRES, plura et pluria, plurium, adject. plur. (cum *et* plures). Non est comparativum, ut *Gell.* 5. 21. monet, sed positivum. — Pro *complura* invenitur etiam *compluria*, nempe quia veteres dixerunt *hoc complure*, in singular. num. *Cato* 2. *Orig.* apud *Donat.* ad illud *Ter. Phorm.* 4. 3. 6. Fana compluria. *Ter. Phorm. loc. cit.* Quid agitur? cum. Multa advenienti, ut fit, nova hic: compluria. *Cic. fragm.* apud *Donat. loc. cit.* Confirmandi genera compluria. — Apud veteres Grammaticos magnæ lites exstiterunt, utrum rectius esset *complura*, an *compluria*, et *complurium*, an *complurum*: de quibus *Gell.* 5. 21., *Charis.* 1. *p.* 56. *et* 100. *Putsch.* Usus quidem certe habet *complura* et *complurium*. — Comparative usurpasse videtur *Ter. Heaut.* 1. 1. 11. Agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet, servos complures. *h. e.* plures, quam tu habeas. — Superlativum *complurimi, orum* est sine auctoritate. *Auct. B. G.* 8. 14. Complurimis diebus iisdem in castris consumptis. *Sed ibi nunc leg.* compluribus. *Gell.* 11. 1. Bucera in ea terra gigni complurima. *Al. leg.* compluria, *alii rectius* quam plurima. — Ceterum *complures* videtur plus aliquid significare, quam *plures* aut *multi*; ad litteram enim est plures vel multi simul (It. *più o molti*; Fr. *plusieurs, beaucoup, bon nombre ensemble*; Hisp. *muchos*; Germ. *Mehrere, ziemlich viele von einer Art, nicht wenige*; Angl. *many, a great many, very many, several, a good many, a considerable number*). Usurpatur autem *A*) Adjective, et *B*) Substantivorum more.

A) Adjective. *Cic.* 10. *Fam.* 6. 3. Complures in perturbatione reipublicæ consules dicti, quorum nemo etc. *Id.* 2. *ibid.* 8. 2. Cum Pompejo complures dies versatus sum. *Id.* 2. *Orat.* 26. 111. Ambiguorum complura sunt genera. *Orell.* lectionem Edd. vett. *quum plura* prætulit. *Nepos Epam.* 4. Vitam excellentium virorum complurium uno volumine concludere. — Porro jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur: *Horat.* 1. *Sat.* 10. 87. alii. *Nepos Hann.* 9. amphoræ. *Id. Timol.* 2. et *Att.* 4. et 12. anni. *Id. Datam.* 10. castella. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 110.; *Auct. B. G.* 8. 14.; et *Curt.* 3. 7. 15. dies. *Cato* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 4. 3. 6. fana. *Cic.* apud *eumd. ibid.* genera confirmandi. *Nepos Conon.* 4. et *Datam.* 11. locis. *Liv.* 40. 45. loca. *Ter. Phorm.* 3. 2. 35. et *Nepos Eumen.* 5. menses. *Ter. Adelph.* 2. 2. 22. mulieres. *Nepos Conon.* 4. naves. *Id. Pausan.* 2. et *Cat.* 2. nobiles. *Ter. Phorm.* 3. 2. 35. nova. *Cic.* 4. *Verr.* 19. 47. paria scyphorum. *Nepos Cimon.* 4. pauperes. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. ratibus compluribus factis. *Liv.* 40. 51. sacella publica. *Nepos Epam.* 4. scriptores. *Ter. Heaut.* 1. 1. 11. servos. *Sueton. Aug.* 79. tonsoribus. *Nepos Alcib.* 5. urbes. *Quintil.* 8. 2. 11. virtutes. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 55. Vulcani.

B). Substantivorum more occurrit — *a*) Absolute. *Cato* apud *Gell.* 17. 2. Et complures in laboribus miserrimas vitas exegerunt. *Al. leg.* compluries vel compluriens. Adde *Cic.* 1. *Nat. D.* 4. 8. et *Nepot. Timol.* 5. *Liv.* 43. 15. A compluribus videri. *Sall. Cat.* 24. Compluribus narrare aliquid. *Sueton. Tib.* 12. Mandata ad complures dare. — Et neutro genere. *Cæcilius* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 3. Complura ne ponere quidem. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. et alibi sæpe. Ejusdem generis complura. — *b*) Raro admodum cum Genitivo. *Auct. B. G.* 8. 48. Complures hostium.

COMPLŪRĬENS *vel* compluries, adverb. sæpius, sæpe, teste *Paul. Diac.* p. 59. 19. *Müll.* C o m p l u r i e n s a compluribus significat sæpe. *Cato* apud *Paul. Diac. loc. cit.* Contumelias mihi dixisti compluriens. *Idem* apud *Gell.* 5. 21. Compluries eorum milites multi alteri alteros occidere: compluries transfugere: compluries in imperatorem impetum facere. Adde *eumd.* apud *Non. p.* 87. 15. *Merc.* Quidam afferunt etiam ejusdem *Caton.* locum apud *Gell.* 17. 2., ubi tamen rectius *complures* legendum: *V.* COMPLURES sub *B. a. Plaut. Pers.* 4. 3. 65. Senex ego jam compluries. Adde *Gell.* et *Non.* locc. citt.

COMPLŪRĬMI et **COMPLŪRĬMA.** } *V.* COMPLURES sub init.

COMPLŪRĬMUM, adverb. maxime. *Ammian.* 14. 5. Is (*Paulus*), jussa licentius supergressus, fluminis modo fortunis complurimum sese repentinus infudit. *Sic habent veteres editiones, recentiores vero* complurium. *Ambros. de Obit. fr. sub init.* Ita in unius necessitudinis gradu complurimum mihi necessitudinum officia impendebas. *Sic vulgatæ editiones; sed legendum videtur* complurium. *Eamdem varietatem exhibent libri apud* Apul. 9. Met. p. 613. ed. Oudend.

COMPLUSCŬLE, adverb. deminut. *a* compluries, et significat sæpius. *Gell.* 17. 2. Veteres compluscule ita dixerunt.

COMPLUSCŬLI, æ, a, adject. plur. num. deminut. *a* complures. *Plaut. Rud.* 1. 2. 43. Compluscull dies. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 102. Dies compluscules bene conveniebat sane inter eas. *Gell.* 7. 11. Ex eo loco Tullii verba compluscula libuit ponere. *Id.* 18. 2. Conveniebamus ad eamdem cœnam compluscull.

COMPLŪTOR, ōris, m. 3. qui compluit. *Augustin. Serm.* 8. *de divers. c.* 3. Seminatori et complutori vestro multiplicatam reddetis ubertatem.

COMPLŪTUS, a, um. *V.* COMPLUO 2.

COMPLŬVIĀTUS, a, um, adject. ad compluvii modum factus: *compluviata* dicitur *vitis*, cujus palmites ab altiore jugo ad humiliores palos descendunt quadruplici serie, ut in ædium compluvio pluvia a quadrilatero tecto in chortem subjectam decidit. *V.* COMPLUVIUM 2. *Varro* 1. *R. R.* 8. 2. Jugationis species duæ, una directa, altera compluviata, in longitudinem et latitudinem jugata. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (164). Quinque generum vites: sparsis per terram palmitibus; aut per se vite subrecta; vel cum adminiculo sine jugo; aut pedatæ simplici jugo; aut compluviatæ quadruplici. *Et paullo post.* Compluviata copiosior vino est, dicta a cavis ædium compluviis.

COMPLŬVĬUM, ii, n. 2. (cum *et* pluvia). ¶ 1. In Romanorum ædibus *compluvium* est unus idemque locus, qui *cavum ædium* et *cavædium* atque *impluvium* appellatur, secundum diversas rationes. Nam cum sit locus in mediis ædibus, *cavum ædium* dicitur: cumque eodem decidat et recipiatur aqua pluvia e stillicidiis in interiorem ædium partem propendentibus, *compluvium* et *impluvium*: cum hoc tamen discrimine, quod si consideretur superiore sui parte, qua pluviæ confluentes e tecto decidunt, *compluvium*. Ita vero vim vocum spectantes, distinguunt *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 108. 14. *Müll.* Hinc *Ter. Eun.* 3. 5. 41. et *Phorm.* 4. 4. 27. *impluvium* pro *compluvio* posuit. Ceterum vox *compluvium* legitur etiam semel apud *Varron.* 1. *R. R.* 13. 3. et *Sueton. Aug.* 92., ac ter apud *Vitruv.* 6. 3. 1. *Schneid.*, ubi uno in loco videtur *compluvia* appellare ipsas colliciás, quæ e tegulis tectorum aquam in compluvium, seu impluvium deferunt. Verba *Varronis loc. cit.* sunt: Chortes in fundo magno duæ aptiores: unam ut interius compluvium habeat lacum, ubi etc. In chorte exteriore lacum esse oportet, etc. Ubi compluvium potest esse adjectivum, et τὸ *lacum* afficere. *Schneider.* vero pro *lacum* legendum censet *locum*. ¶ 2. Compluvia in ædibus erant fere quadrata figura: ex quo factum est, ut *compluvia* ob similitudinem dicerentur jugationes vitium adminiculis in quadrum erectarum et colligatarum. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 14. Si vitis brachiis in aliena jugorum compluvia perrepserit. *Id.* 4. *ibid.* 26. 3. Directæ palmæ per jugorum compluvia decurrant. *V.* COMPLUVIATUS.

COMPLŬVĬUS, a, um. *V.* voc. præced. sub 1. in fin.

COMPONDĔRO, as, are, a. 1. (cum *et* pondero) simul pondero: occurrit tantum Part. *Componderans* apud *Apul. Trismeg.* Pari lance componderans.

COMPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (cum *et* pono). *Componier* pro *componi* per paragogen est *Catulli* 68. 141. — Præteritum *composivi* antiquum est. *Inscript.* antiquior *Cicerone* apud *Gruter.* 204. 2. CORAM INTER EOS CONTROVERSIAS COMPOSIVERVNT. — Part. præter. pass. *Compostus* per syncopen pro *compositus* est *Lucilii* apud *Cic.* 3. *Orat.* 43. 171. et *Orat.* 44. 149.; *Varron. Atacini* apud *Senec.* 3. *Controv.* 16.; et *Virg.* 1. *Æn.* 249. — Part. *Componens* 6.; *Compositus* in omnibus paragr. et in fin.; *Componendus* 5. — Compono est simul pono, apte pono, colloco, construo (It. *mettere insieme, comporre*; Fr. *mettre, placer, poser ensemble*; Hisp. *poner, colocar, meter juntos*; Germ. *zusammenlegen, stellen oder setzen*; Angl. *to put or place togheter, place in order, arrange*). Usurpatur ¶ 1. Generatim, et est plura vel unum aliquid pluribus partibus constans in locum aliquem conferre; et occurrit — *a*) Stricto sensu de inanimis. *Cato R. R.* 112. Uvas —, si pluvia est, in tecto in cratibus componito. Adde *eumd. ibid.* 82. *Id. ibid.* 76. Componere aliquid in qualo. *Id. ibid.* 113. amphoras in culleum. *Id. ibid.* 37. ligna in caminum, codicillos domino in acervum. *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 21. Omnia (*aurum, ornamenta, vestis pretiosa*) composita sunt, quæ donavi, ut ferat. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 5. I ergo intro et compone quæ tecum simul ferantur. *Cic. Dejot.* 6. 17. Locus, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. *Propert.* 1. 10. 22. Mollia composita littora fronde tegit. *Horat.* 3. *Od.* 17. 14. Dum potis, aridum compone lignum. *h. e.* repone ligna super foco, ut *Id.* 1. *ibid.* 9. 5. loquitur. *Gell.* 5. 3. Componere lignum. *h. e.* caudices ligni apte in fascem colligere. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (48). Carpiturque (*amomum*) cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. *Id.* 13. *ibid.* 4. 7. (32). Seritur autem pronum, et bina juxta composita semina. — *b*) Latiori sensu ponitur etiam de hominibus ceterisque animantibus. — Raro generatim. *Virg.* 8. *Æn.* 321. Is (*Saturnus*) genus indocile ac dispersum montibus altis Composuit. *h. e.* congregavit, necnon cædibus deterruit adeoque sedavit. Et *Propert.* 2. 26. 33. Et tabula una duos poterit componere amantes. — Specialim in re militari *componi* dicuntur exercitus, quorum legiones, cohortes etc. unum in locum coguntur aut simul junctæ ad finem aliquem disponuntur. *Sisenna* apud *Non.* p. 257. 13. *Merc.* Componere se ad confligendum. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 458. cohortes Vestinas in secunda acie. *Id.* apud *Priscian.* 9. *p.* 872. *Putsch.* Subsidiis, ut soluerat, compositis. *Liv.* 37. 2. Agmen compositum ad iter, magis quam ad pugnam. *Id.* 24. 35. Agmine ad omnes casus composito. *Liv.* 28. 22. Pugna composita. *Id.* 44. 38. Compositis suis quisque ordinibus. *Virg.* 11. *Æn.* 599. numero compositi (*equites*) in turmas. *Tac.* 15. *Ann.* 29. Eques compositus per turmas. *Id. Agric.* 37. Compositi firmis ordinibus. *Id.* 12. *Ann.* 16. Composito agmine incedere. *Id.* 12. *ibid.* 29. Componere legionem, ipsa e provincia lecta auxilia pro ripa. *Id.* 2. *ibid.* 78. concurrentes desertores per manipulos. *Id. Germ.* 6. aciem per cuneos. *Id.* 1. *Hist.* 87. classiarios in numeros legionis. *Id.* 13. *Ann.* 40. exercitum pugnæ. ¶ 2. Item est reponere, condere præcipue servandi gratia, quia quæ ita conduntur, apte et cum cura poni solent; et occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Merc.* 1. 2. 80.; et *Liv.* 26. 39. et 36. 44. Componere armamenta. *h. e.* vela ceteraque navium instrumenta reponere. *Horat.* 4. *Od.* 14. 51. Te cæde gaudentes Sycambri Compositis venerantur armis. *h. e.* in vagina reconditis. *Propert.* 1. 9. 13. Componere tristes libellos. *Al. leg.* deponere. *Tibull.* 1. 1. 77. composito securus acervo. *Virg.* 8. *Æn.* 317. nec jungere tauros, Aut componere opes norant et parcere parto. Cf. *Seneca Herc. fur.* 167. Huc pertinet et illud, quod figurate dixit *Horat.* 1. *Ep.* 1. 12. Condo et compono, quæ mox depromere possim. — *b*) Specialim de terræ fructibus, qui servandi gratia conduntur, ac præcipue si, ut et animalium carnes, condimentis

muniantur. Cato R. R. 162. Componere pernas. Colum. 12. R. R. 55. 2. tergora suis. Id. ibid. 54. rapa. Id. ibid. 47. 6. Eadem conditura posset etiam regia componi et orchita. Id. ibid. 9. 1. Componere siccatos coliculos. Id. ibid. 10. 2. cepam in fidelia. Id. ibid. 13. 2. herbas. Pallad. 12. R. R. 22. 5. olivas. Scribon. Compos. 60. herbam ollâ novâ. Adde eumd. Compos. 132. Dig. 19. 2. 11. § 4. fœnum. Ibid. 33. 7. 12. § 1. fructus in urceis, capsellis. ¶ 3. Item componere est aptare ad decumbendum, jacendum; et occurrit — a) De somno. Virg. 4. G. 438. Vix defessa senem passus componere membra. Val. Flacc. 7. 247. Componere oculos. Cf. Quintil. 11. 3. 74. Supercilio altero erecto, altero composito. Rursus Sil. It. 7. 204. lumina componit somnus. Adde eumd. 10. 343. Sic Seneca Herc. fur. 809. Custos opaci pervigil regni canis Aures componit. h. e. demittit. — Hinc componere se est decumbere, jacere. Virg. 1. Æn. 698. aulæis jam se regina superbis Aurea composuit sponda. Id. 4. G. 189. de apibus. Post ubi jam thalamis se composuere, siletur In noctem. Cf. Ovid. 1. Amor. 4. 53. bene compositus somno vinoque. Adde eumd. 2. ibid. 5. 22. — Et figurate Plin. 5. Ep. 18. Componere se in villa. h. e. abstrahere se ab urbanis curis et negotiis, ac in villam se recipere. — Neque aliter Virg. 1. Æn. 374. Ante diem clauso componet vesper Olympo. h. e. condet, finiet. nam eadem ratione dixit 9. Ecl. 52. condere soles cantando. et Horat. 4. Od. 5. 29. condere diem. Et sane — b) Specialim componere est sepelire; quia nimirum cum cura cadavera vel cineres mortuorum conduntur et colliguntur. Propert. 2. 24. 35. Componere ossa alicujus. Ovid. 3. Fast. 547. Compositusque cinis tumulique in marmore carmen. Val. Flacc. 7. 203. Cinerem et ossa Componam sedemque dabo. — Et de ipsis personis. Tibull. 3. 2. 26. Sic ego componi versus in ossa velim. Catull. 68. 98. Compositus prope cineres cognatos. Horat. 1. Sat. 9. 27. Est tibi mater, cognati? – Omnes composui. Virg. 1. Æn. 249. placida compostus pace quiescit. Ovid. 5. Fast. 426. Busta avi compositi. Id. 4. Met. 157. Componi eodem tumulo. Id. 9. ibid. 503. Componere toro mortuam. Sil. It. 9. 95. aliquem terrâ. Adde Tac. 1. Ann. 47. et Agric. 45. ¶ 4. Componere usurpatur etiam de iis, quæ, cum inordinata sint, in ordinem disponuntur: et quidem — a) Ponitur de comis, vestibus, vultu etc. Plaut. Most. 1. 3. 96. Viden capillum: satis compositust commode? Cic. Rosc. Am. 46. 135. Composito et delibuto capillo. Ovid. Rem. am. 679. et Quintil. 11. 3. 156. Componere comas. Virg. 4. G. 417. crines. Horat. 2. Sat. 3. 77. et Quintil. 11. 3. 156. togam. Cf. Ovid. 4. Met. 318. Quum se composuit, quum circumspexit amictus. Id. Ovid. 13. ibid. 767. Componere vultus. Tac. 1. Ann. 7.; Plin. 3. Ep. 16.; et Quintil. 9. 1. 21. vultum. Sueton. Cal. 50. vultum ad speculum in omnem terrorem. Tibull. 4. 7. 9. vultum famæ. Ovid. 1. Art. am. 160. pulvinar. Et figurate Id. 3. Fast. 484. torum bene. Huc pertinet et illud Colum. 5. R. R. 5. 9. vitem in brachia. — b) Componere aliquam rem ad vel in aliquid, aut aliquid alicui rei est eam ordinare, conformare, aptare: quibus rationibus etiam figurate occurrit. Plin. 7. Ep. 1. in fin. Componere animum vultumque ad abstinentiam. Quintil. 11. 3. 120. orationis vultum ad id, quod efficere tendimus. Id. 1. 11. 19. gestum oratoris ad similitudinem saltationis. Id. 9. 2. 34. figuram ad imitationem alterius scripturæ. Id. 11. 3. 120. utramque manum ad modum aliquid portantium. Lucan. 3. 596. carbasa ventis. Id. ibid. 717. Me quoque mittendis rectum componite telis. Cf. Compositus in fin. — c) Præcipue vero usurpatur de iis, quæ, cum turbata sint, sedantur et ad tranquillitatem reducuntur. — Raro proprie. Varro Atacinus apud Senec. 3. Controv. 16. et Ep. 56. Desierant latrare canes urbesque silebant: Omnia noctis erant placida composta quiete. Virg. 1. Æn. 135. Sed motos præstat componere fluctus. Ovid. 3. Art. am. 259. Cum mare compositum est, securus navita cessat. Adde eumd. Heroid. 13. 136. Lucan. 5. 701. fessumque tumentes Composuit pelagus ventis patientibus undas. — Huc pertinet et illud Virg. 3. G. 191. de equo. Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare Compositis. h. e. moderatis. — Sæpius translate occurrit de litibus quæ dirimuntur, bellis, seditionibus etc. quæ sedantur ac pacantur. Plaut. Curc. 5. 3. 23. Si possum hoc inter vos componere. Id. Merc. 5. 2. 112. Pacem componi volo meo patri cum matre: nam nunc est irata. Ter. Phorm. 4. 3. 15. Cur non – vides inter nos sic hæc potius cum bona ut componantur gratia, quam cum mala? Id. Hecyr. 3. 5. 29. Neque alio pacto componi potest inter eas gratia. Sall. apud Non. p. 264. 17. Merc., fragm. 190. 21. edit. recent. Lenones et vinarii laniique pretio compositi. h. e. conventione facta pretii, redempti. — Porro hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Horat. 1. Sat. 5. 29. amicos aversos. Tac. 2. Ann. 4. Armeniam. Id. 3. Hist. 53. Asiam. Asin. Pollio apud Cic. 10. Fam. 33. 3.; Nepos Hann. 6. et Alcib. 8.; Sall. Jug. 120.; Virg. 12. Æn. 109.; et Vellej. 2. 25. 1. bellum. Tac. 12. Ann. 55. et 1. Hist. 85. ceteros clementiâ. Id. 14. ibid. 28. comitia prætorum. Cæs. 3. B. C. 9. extr.; et Inscript. apud Gruter. 204. 2. controversias. Virg. 4. Æn. 341. curas. Cf. Sil. It. 12. 682. Tac. 4. Hist. 50. discordias. Sil. It. 17. 356. gentem. Virg. 3. Ecl. 108. lites. Seneca Thyest. 338. minas. Ovid. 3. Art. am. 370. mores suos. Liv. 2. 13. et 30. 40. pacem. Tac. 12. Ann. 49. plura moderatione, quam vi. Id. 1. ibid. 45. et 11. ibid. 18. præsentia. Id. Agric. 16. priora. Liv. 4. 10. res seditione turbatas. Sueton. Vitell. 9. res Germanicas. Liv. 3. 53. res ad componendas mitti. Sueton. Cæs. 4. seditionem civilem. Cf. eumd. Tib. 25. Id. Cal. 1. statum Orientis. Lucan. 1. 297. tumultum. — Et absolute Plin. 5. Ep. 1. Coheredes mei componere et transigere cupiebant. — Et passive impers. Cic. Rosc. Am. 47. 136. Posteaquam id, quod maxime volui, fieri non potuit, ut componeretur. Cæs. 3. B. C. 16. Pompeji summam voluntatem esse, ut componeretur atque ab armis discederetur. — Denique etiam de animo occurrit. Seneca Ep. 89 Animum componit philosophia. Adde eumd. Consol. ad Helv. 16. Cels. 3. 18. Componere mentem insanientis. Seneca Ep. 2. et Sil. It. 11. 352. Composita mens. h. e. bene ordinata, cohibitis affectibus. Sil. It. 3. 162. Componere mentem somno. Id. 13. 317. Religio sævas componit mentes. ¶ 5. Item componere est etiam disponere et ordinare ratione habita alicujus rei: et — 1.°) Proprie raro admodum occurrit. Cic. 2. Divinat. 47. 98. Si ad rem pertinet, quomodo affecto cælo compositisque sideribus quodque animal oriatur. Id. 4. Att. 9. 1. Tibi vero gratias agebat, quod signa componenda suscepisses. Sall. Jug. 103. Exercitu in hibernis composito. Seneca Hippol. 839. Diem parem libra componit. h. e. diem nocti parem facit. — 2.°) Sæpius translate occurrit: et — a) Generatim ponitur pro constituere, ordinare. Cic. 15. Att. 26. 3. Ego itinera sic composueram, ut Nonis Quinctilibus Puteolis essem. Id. 3. Legg. 18. 42. Compositâ et constitutâ republicâ. Id. 2. ibid. 13. 32. Auspicia ad utilitatem reipublicæ composita. Id. Brut. 22. 87. In consideranda causa componendaque diem ponere. Sall. in epist. Mithrid. § 2. Ego non – validissimus præbeo exemplum, quo rectius tua componas. Id. Jug. 93. Ex sententia omnibus rebus paratis compositisque. Liv. 4. 13. Necdum compositis maturisve rebus. Id. 45. 17. Componere res Macedoniæ. Et Justin. 17. 3. leges et senatum annuosque magistratus et reipublicæ formam. Horat. 3. Od. 29. 33. Quod adest, memento componere æquus. Plin. 2. Ep. 17. x. et vii. millibus pass. ab urbe (villa) recessit, ut peractis, quæ agenda fuerint, salvo et composito die possis ibi manere. — b) Specialim est personam aut rem præparare et conformare ad certum aliquem finem. Quintil. 10. 1. 43. Componere omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ. Id. 12. 9. 20. animum ad omnes casus. Et paullo supra. Componi non ad animum judicis, sed ad stomachum accusatoris. Sic Val. Flacc. 1. 321. Componere animum ad hos casus. Rursus Quintil. 11. 1. 46. oratorem ad hæc omnia. Id. 9. 4. 114. Aliquem satis in aliquid componit multa scribendi exercitatio. Id. 3. 7. 4. Componere laudem ostentationi. Tac. dial. de orat. 41. civitatem ad votum. V. COMPOSITUS in fine hujus vocis. — c) Item specialim est condicere, cum alio ex compacto disponere; adeoque in malam partem est machinari, struere, parare. Plaut. Pœn. 3. 5. 28. Eum allegaverunt, suum qui servum diceret cum auro esse apud me: composita est fallacia, ut eo me privent atque inter se dividant. Ter. Adelph. 4. 7. 16. Quin jam virginem despondi: res composita est: fiunt nuptiæ. Cic. 4. Verr. 22. 54. Ita causa componitur, ut item palæstritæ – peterent hereditatem etc. Id. 5. ibid. 6. 141. Crimen ab inimicis Romæ compositum. Sall. fragm. 226. Societatem prædarum cum latronibus composuisse. Cf. Liv. 27. 46. Rursus Sall. Jug. 66. Compositis inter se insidiis. Id. ibid. 119. extr. dolo. Liv. 40. 40. in fin. Cum summa concordia, quos dimitterent, quosque retinerent milites, composuerunt (duces). Id. 3. 53. Composito jam ante consilio. Id. 25. 16. Dies rei gerendæ composita. Horat. 1. Od. 9. 18. Nunc et campus et areæ – Composita repetantur hora. Tibull. 1. 2. 22. Compositis notis. Tac. 4. Ann. 10. Locum beneficii tempusque componere. Id. 2. Hist. 100. proditionem. Id. 4. ibid. 14. Compositi seditionis auctores. — Et absolute Liv. 2. 37. Tullus, ut domi compositum cum Marcio fuerat, ad consules venit. Tac. 4. Ann. 68. Compositum inter ipsos, ut etc. — Hinc formulæ ex composito, de composito, composito, quas V. in fine hujus vocis sub Compositum. — d) Raro est etiam comminisci, confingere. Plaut. Amph. 1. 1. 210. Næ tu istuc hodie malo tuo compositis mendaciis advenisti, audaciæ columen, consutis dolis. Accius apud Non. p. 260. 22. Merc. Sic multi, animus quorum atroci vinctus malitia est, composita dicta e pectore evolvunt suo. Tibull. 3. 7. 3. Non bene mendaci risus componitur ore. Id. 1. 7. 4. Componere insidias alicui. Propert. 2. 32. 19. insidias in aliquem. Et Tac. 12. Ann. 54. insidias inter se. Propert. 2. 7. 69. fraudes. Id. 2. 2. 6. At me composita pace fefellit Amor. — Hinc etiam de oratione ponitur, cum rem verbis repræsentamus aliter atque ipsa est. Sall. fragm. 215. edit. recent. In quis longissimo ævo plura de bonis falsa in deterius composuit. Id. fragm. 220. Curetes – vetustatem, uti cetera, in majus componentem, altores Jovis celebravisse. ¶ 6. Ponitur etiam pro admovere, jungere; et quidem — a) Proprie. Lucilius apud Non. p. 260. 28. Merc. Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis compono. Id. apud eumd. p. 260. 30. Tum latus componit lateri et cum pectore pectus. Cic. 3. Fin. 22. 74. Quid in operibus manufactis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? Virg. 8. Æn. 486. Componens manibusque manus atque oribus ora. Propert. 2. 2. 64. Mercurio et sanctis fertur Bœbeidos undis Virgineum Brimo composuisse latus. h. e. concubuisse. Tibull. 1. 5. 8. Componere caput. Huc referri potest et illud Sil. It. 6. 246. Ibo alacer, solusque manus componere monstro Sufficiam. h. e. congredi. — Hinc apud Medicos etiam occurrit. Cels. 8. 10. n. 2. Componere ossa. h. e. fracta vel luxata colligare. Sic Id. ibid. 8. a med. Jugulum compositum. — b) Translate occurrit de oratione, cujus membra inter se apte junguntur: ad rem Lucilius apud Cic. 3. Orat. 43. 171. et Orat. 44. 149. Quem lepide lexeis compostæ, ut tesserulæ, omnes arte, pavimento atque emblemate vermiculato. Cic. Brut. 17. 68. Verba componere et quasi coagmentare. Id. 3. Orat. 43. 171. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et lævis. Cf. eumd. Orat. 44. 150. Sic Sall. Jug. 85. Composita verba. h. e. inter se bene juncta. Cic. 1. Orat. 12. 50. oratio. Id. Orat. 70. 232. Orator compositus. ¶ 7. Item ex multis rebus unam conflare, — a) Quod faciunt qui medicinas et unguenta, atque alia hujusmodi conficiunt. Cic. Divinat. in Q. Cæcil. 14. 47. Liber ex alienis orationibus compositus. Sall. Jug. 18. Exercitum ex variis gentibus componere. Id. ibid. 2. Genus humanum compositum est ex animo et corpore. Colum. 6. R. R. 4. 1. Vires custodiuntur medicamento, quod componitur etc. Scribon. Compos. 10. Medicamentum, quod ex his rebus componitur. Adde eumd. Compos. 68. et 85. Id. Compos. 214. Componere emplastrum. Ovid. Rem. am. 351. venena. Sil. It. 3. 375. filum lino. — Et de verbis. Plin. Hist. nat. præfat. § 32. Vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis et litigatoribus composuit. Quintil. 1. 5. 3. Verba composita. quibus ibid. opponuntur simplicia. — b) Item universim pro facere. Cic. Tim. 13. Atque is quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat statu: qui autem erant ab eo creati, etc. — c) Item pro condere, ædificare. Virg. 3. Æn. 387. Quam tuta possis urbem componere terra. Id. 7. ibid. 6. Componere aggerem tumuli. Propert. 2. 6. 5. Thebas deletas. Ovid. 1. Fast. 706. templa deis Ledæis. Sil. It. 15. 51. mensam gramine. Dig. 9. 2. 27. § 33. et 34. 2. 25. § 11. lapides. ¶ 8. Hinc sæpissime poni-

tur pro scribere, facere, cum de litteris sermo est. Cic. 6. Verr. 16. 38. Compone hoc, quod postulo, de argento: de reliquo videro. Nec scriptum habeo, nec possum edere. Id. 3. ad Q. fr. 1. 4. Poema ad Cæsarem, quod composueram, incidi. Sic Horat. 2. Ep. 1. 76. Poema illepide compositum. Rursus Cic. 1. Att. 19. 10. Commentarium consulatus mei Græce compositum tibi misi. Id. Orat. 44. 150. Stilus exercitatus efficiet facile hanc viam componendi. Plin. Hist. nat. præfat. § 25. Immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat. Alter Plin. 3. Ep. 10. Composuisse me quædam de filio vestro, non dixi vobis etc. — Porro hac significatione jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cic. 6. Att. 1. 8. actiones. Quintil. 11. 3. 68. actionem. Id. 3. 6. 104. aliqua de judicialibus causis. Id. 1. procem. 1. aliquid de ratione dicendi. Ovid. 2. Trist. 361. amores. Cic. 15. Att. 4. argumentum. Quintil. 3. 1. 11. et 12. 11. 4. artem. Cic. Brut. 12. 48. artes (rhetoricas). Id. 2. Orat. 19. 83. artificium de jure civili. Vellej. 1. 5. 3. bellum Troicum. Tibull. 1. 2. 93. blanditias tremula voce. Id. 1. 2. 55. cantus. Ovid. 5. Trist. 12. 60. et Quintil. 11. 2. 11. carmen. Horat. 2. Sat. 1. 63. et 2. Ep. 2. 91. et 106. carmina. Ovid. 2. Amor. 1. 10. casus alicujus. Quintil. 1. 8. 19. commentarios. Ovid. 3. Amor. 15. 3. elegos. Cic. 2. leg. Agr. 20. 53. exemplum litterarum. Id. 1. Herenn. 7. 12. exordium nimium apparate. Id. 1. Acad. (post.) 4. 17. (certam quamdam) formulam disciplinæ. Id. 1. Legg. 4. 14. formulas stipulationum et judiciorum. Quintil. 1. 5. 54. grammaticam. Cic. Cæcin. 21. 59. interdictum. Tibull. 4. 1. 35. laudes alicujus. Lucret. 4. 967. leges. Quintil. 12. 8. 5. libellos. Cic. 2. Orat. 55. 224. librum. Id. 16. Fam. 20. libros. Liv. 27. 28. litteras nomine alicujus. Quintil. 2. 1. 11. locos communes. Id. 10. 1. 71. opus ad utilitatem alicujus. Id. 2. 15. 30. orationem. Liv. 1. 33. oratio ad conciliandos plebis animos composita. Tac. 15. Ann. 52. rationes familiares. Horat. 2. Ep. 1. 251. res gestas. Cic. 10. Fam. 22. senatusconsultum. Vellej. 1. 3. 2. tempora Iliaca. Cic. 15. Att. 13. testimonium. Id. Dom. 47. 123. verba ad religionem deorum immortalium composita. Propert. 2. 34. 41. verba composita Achilleo cothurno. Ovid. 9. Met. 521. verba meditata manu trementi. Horat. 1. Sat. 4. 8.; Propert. 1. 7. 19.; et Quintil. 10. 3. 8. versus. ¶ 9. Componere est etiam duos vel plures inter se committere, unde componi dicuntur etiam gladiatorum paria, cum committuntur, ut inter se pugnent. Lucilius apud Non. p. 257. 17. Merc. et apud Cic. de Opt. gen. or. 6. 17. Samnis sparcus homo, vita illa dignu' locoque, Cum Placidejano hic componitur, optumu' longe Post homines natos gladiator qui fuit unus. Adde Quintil. 2. 17. 33. Horat. 1. Sat. 7. 19. Rupili et Persi par pugnat, uti non Compositum melius cum Bitho Bacchius. Cf. Auson. Edyll. 12. 102. Et figurate Seneca Provid. 2. Ecce par deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus. Cf. Sil. It. 16. 615. composuit propioribus ausis Dignum te fortuna parem. Adde Quintil. 2. 17. 34. — Hinc componere se vel componi alicui est singulari certamine cum aliquo congredi. Sil. It. 17. 549. quisnam se lumine cæco Composuit nobis? Adde eumd. 10. 70. Id. 11. 212. Componi alicui. Huc referri potest et illud Lucan. 3. 195. mortale genus componere cum ventis pelagique furentibus undis. — Et in re judiciali Tac. 15. Ann. 51. Epicharis cum indice composita. h. e. Epicharis et index simul ad quæstionem vocati, ut ex ipsorum comparatione veritas innotesceret. — Denique figurate de hominibus Horat. 1. Sat. 1. 103. pergis pugnantia secum Frontibus adversis componere. ¶ 10. Denique significat etiam comparare, conferre, quia simul poni, quæ conferre volumus, necesse est; et occurrit — a) Cum Accusativo et Dativo. Accius apud Non. p. 257. 15. Merc. Quid est cur componere ausis mihi te, aut me tibi? Id. apud eumd. p. 260. 23. Componere dicta factis. Catull. 68. 41. Homines divis componier, non æquum est. Cic. Flacc. 26. 61. Componere dignitati alicujus suam. Alii legunt anteponere. Virg. 1. Ecl. 24. et 4. G. 176. si parva licet componere magnis. Ovid. 13. Met. 530. cladi alicujus suam. Auson. 1. Ecl. 10. divinis humana. — b) Cum Accusativo et Ablativo addita præpos. cum. Sall. Jug. 48. Componere alicujus dicta cum factis. Quintil. 7. 2. 22. Componere causam nostram cum causa adversarii. — Hinc Part. præter. pass.

Compositus, a, um, adjective quoque usurpatur, (unde Comp. Compositior et Sup. Compositissimus sub I.) et omnibus profecto significationibus, quibus verbum, ut ex allatis superius exemplis patet. Hinc

I.) Proprie est ordinatus, recte dispositus, adeoque elegans et artificiose factus. Ter. Eun. 5. 4. 12. Nihil videtur mundius, nec magis compositum quidquam, nec magis elegans. Cic. 6. Att. 9. Admiratus sum σύγχυσιν litterularum tuarum, quia solent tuæ compositissimæ et clarissimæ esse. Liv. 28. 22. Acrior impetu atque animis, quam compositior ordine ullo pugna fuit. V. INCOMPOSITUS. — Et de oratione. Quintil. 1. procem. 8. Quare in his quoque libris erant eadem aliqua –, omnia vero compositiora, et quam nos poterimus, elaborata. V. supra 6. ad fin.

II.) Translate. ¶ 1. Est bene præparatus, recte conformatus. Cic. 2. Verr. 11. 32. Ex accusatione perficiam, ut nemo unquam – paratior, vigilantior, compositior ad judicium venisse videatur. Id. 4. Herenn. 16. 59. Equus bene naturâ compositus. ¶ 2. Compositus alicui rei, aut in vel ad aliquam rem est de industria conformatus. Liv. 26. 19. Arte quadam ab juventa in ostentationem virtutum compositus. Curt. 4. 7. 26. Vates in adulationem compositus. Flor. 3. 10. Nomen quasi terrori compositum. Al. aliter leg. Quintil. 10. 1. 43. Omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita. Id. 6. 3. 18. Attici maxime ad risum compositi. Cf. Id. 2. 8. 7. Alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen. Tac. 1. Hist. 82. extr. Compositus in obsequium. Id. 2. ibid. 9. in mœstitiam. Al. leg. ad mœstitiam. V. supra 4. et 5. ¶ 3. Item est sedatus, pacatus, adeoque gravis. Quintil. 11. 3. 110. Composita actio. Sic Tac. 13. Ann. 1. actus. Rursus Quintil. 6. 2. 9. Mites et compositi affectus. — Transfertur et ad genus dicendi. Quintil. 10. 2. 16. Fiunt pro grandibus tumidi, pressis exiles, lætis corrupti, compositis exultantes. — Denique huc referri potest et illud Tac. 13. Ann. 1. Vir ætate composita. h. e. ætate maturus. V. supra 4. ad fin. ¶ 4. Denique est confictus, simulatus. Quintil. 8. procem. 23. Composita et ficta. Tac. dial. de orat. 12. Si hæc fabulosa nimis et composita videntur. Id. 1. Ann. 7. Falsi ac festinantes vultuque composito. Id. 15. ibid. 16. Quæ augendæ infamiæ composita. — Hinc

Compositum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, in Ablativo tantum casu occurrit; et ex composito, vel de composito, vel denique composito est ex constituto. Liv. 5. 14. Clarissimi viri ex composito prægarati ad petendum. Adde eumd. 1. 9. et 36. 25.; Sall. fragm. 201.; Sueton. Claud. 37. et Tac. 4. Hist. 68. Apul. init. de Mag. De composito necopinantem incessere maledictis. Nepos Datam. 6. Perfugas mala fide compositoque fecisse. Adde Ter. Phorm. 5. 1. 29. et Virg. 2. Æn. 129.

COMPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus comportandi, seu advehendi. Vitruv. 1. 5. 1. Schneid. Cum per portus marinæ subvectiones habuerint ad mœnia comportationes expeditas.

COMPORTĀTUS, a, um. V. COMPORTO.

COMPORTĬŌNĀLIS, e, adject. quod intra alicujus possessionis terminos invenitur. Aggen. Urbic. p. 51. Goes. Terminos, qui intra possessionum fines inveniuntur, comportionales appellavit antiquitas. Anonym. ibid. p. 254. Comportionalium signa. Frontin. in Gromat. vet. p. 40. Tum de comportionalium terminorum positione. Boeth. ibid. p. 389. Quos comportionales fieri oportet.

COMPORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et porto). — Part. Comportans sub b.; Comportandus sub a.; Comportatus sub b. — Comportare idem est ac portare, vel simul portare, vel portare in unum locum (It. portare insieme, condurre; Fr. transporter ensemble; Hisp. transportar juntos; Germ. zusammenfahren, zusammenführen, zusammenschaffen; Angl. to carry or bring together). Usurpatur autem fere proprie, et quidem — a) Addito, unde aut quo aliquid comportatur. Cic. Pis. 10. 23. Arma in templum Castoris luce et palam comportarentur. Id. 5. Att. 18. 2. Frumentum ex agris in loca tuta comportatur. Sall. Jug. 79. 6. Aurum argentumque domum regiam comportant. Id. ibid. 47. Huc frumentum et alia, quæ bello usui forent, comportare. Cæs. 3. B. C. 42. Eo frumentum commeatumque ab Asia comportari imperat. Id. ibid. 12. Comportare aquam in arcem. Id. 3. B. G. 25. Ad aggerem cæspitibus comportandis. Liv. 25. 27. Comportare eo commeatus. Id. 25. 13. Quo frumentum comportare. Id. 36. 2. Comportare frumentum ad mare in Græciam. Auct. B. Afr. 69. sarcinas in acervum. Horat. 2. Sat. 3. 104. citharas emptas in unum. — b) Absolute. Cic. 3. Orat. 24. 91. Apparatu nobis opus est, et rebus exquisitis undique, et collectis, arcessitis, comportatis. Virg. 9. Æn. 613. semperque recentes Comportare juvat prædas, et vivere rapto. Horat. 1. Ep. 2. 49. valeat possessor, oportet, Si comportatis rebus bene cogitat uti. Liv. 25. 20. Quæ in eam rem opus erant, comportare. Sueton. Cal. 3. Comportare cæsorum reliquias. Val. Max. 5. 3. Comportans scelestum onus. Dig. 33. 7. 8. Comportare uvas in qualis.

COMPOS, ŏtis, comm. gen. 3. Ratione habita etymi compos derivari solet a potis, h. e. potens, dominus: ut compos dicatur, qui quod vult facit: cui contrarium est impos. Ita Servius ad Virg. 9. Ecl. 5. et Vossius in Etym. — Ceterum compos est qui obtinuit et assecutus est aliquid. ¶ 1. In bonam partem usurpatur de materiali aut spirituali earum rerum possessione, ad quas cupidine intendimus et nitimur; et quidem — a) Sæpe cum Genitivo. — Speciatim. Ter. Adelph. 3. 2. 12. Vix sum compos animi: ita ardeo iracundia. h. e. vix sanus sum, vix apud me sum. Eodem sensu Cic. Pis. 20. 48. Si tuæ mentis compos fuisses. Id. 2. Phil. 38. 97. Tu es mentis compos? tu non constringendus? Adde Ovid. 8. Met. 35.; Curt. 3. 5. 4.; Quintil. 11. 3. 77.; Sueton. Vesp. 5.; Tac. 15. Ann. 70.; et Dig. 1. 18. 13. Liv. 27. 5. Vix ut compotes mentium præ gaudio essent. Similiter Cic. 2. Nat. D. 13. 36. Rationis et consilii compos. Et eodem sensu Liv. 8. 18. sub fin. Alienatas mentes compotes sui facere. Adde Curt. 4. 12. 17. Cels. 5. 26. 13. Quædam mente labuntur: quædam sui compotes dolore urgeri se confitentur. V. et infra sub b. etc. — Generatim. Plaut. Amph. 2. 2. 13. Perduelles vicit et domum compos laudis revenit. Cic. Sext. 69. 146. An ego in hac urbe esse possim, his pulsis, qui me hujus urbis compotem fecerunt? Id. 5. Tusc. 13. 39. Omnes virtutis compotes sunt beati. Id. 1. Orat. 48. 210. Quarum rerum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem. h. e. qui eas res ingenio et scientia possiderent. Quintil. 12. 1. 7. Mens compos sceleris. h. e. quæ meditatum scelus jam perfecit. Plin. 10. Ep. 3. in fin. Facere aliquem compotem gratulationis. h. e. efficere, ut gratulari possit. — Jungitur aliis etiam Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Colum. 1. R. R. 1. 17. agricolationis. Sil. It. 11. 366. anni memorabilis. Liv. 30. 1. consulatus. Cod. Theod. 3. 16. 1. dotis suæ. Liv. 30. 1. laudis bellicæ. Plaut. Capt. prol. 41. libertatis compotem facere aliquem. Adde Cod. Theod. 4. 8. 5. § 1. Plaut. Capt. 3. 4. 89. et Liv. 1. 32. patriæ. Sil. It. 8. 231. pugnæ. Id. 8. 72. regni. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 47. 145. scientiæ. Liv. 29. 22. et Sueton. Tit. 5. spei compos. h. e. qui sperata obtinuit. Vellej. 1. 10. victoriæ. Ejus verba sunt: L. Paullo magnæ victoriæ compoti, quatuor filii fuere. Val. Max. 1. 1. 1. victoriarum. Liv. 7. 40. et Horat. Art. P. 76. voti compos. h. e. qui quod optarat, est assecutus. Sic Ovid. 1. Art. am. 486. Insequere, et voti postmodo compos eris. Adde Curt. 9. 9. 27. Seneca Hippol. 710. Nunc me voti compotem facis. Sueton. Aug. 58. Compos factus votorum meorum. V. et infra sub c. — b) Cum Ablativo. Sallustius apud Donatum ad Ter. Adelph. 3. 2. 12. Neque animo, neque lingua satis compos. Virg. Cul. 189. vix compos mente refugit. Liv. 5. 40. Matres ac conjuges, in suos quæque, simul corpore atque animo, vix præ gaudio compotes, effusæ. Alii ita distinguunt corpore atque animo vix præ gaudio compotes. Alii leg. compote: qua ratione compos animus dicetur eadem sententia. Sed cf. Cic. 1. Orat. 48. 210., cujus verba superius retulimus sub a. Id. 3. 70. Prædaque ingenti compotem exercitum reducunt. Inscript. apud Murat. 106. 6. QVOT (h. e. quod) SE FECIT VS COMPOTEM FECISSET. — c) Absolute. Liv. 1. 10. Nec multitudine compotem ejus doni vulgari laudem. Sil. It. 4. 808. Tum vero trepidare metus vix compos Imilce. Subaudi sui. Seneca Agamemn. 364. Tibi grandævi lassique senes Compote voto reddunt grates. h. e. qui compotes voti facti sunt. ¶ 2. In malam quoque partem ab antiquis tantum dictum est de eo, qui in aliquam calamitatem incidit; quod et Non. adnotavit p. 456. 25. et 521. 27. Merc.: et

quidem — *a*) Cum Genitivo. *Nævius* apud *Non.* p. 456. 25. *Merc.* Eam nunc esse inventam probri compotem scis. *Al. leg.* opprobriis. *Plaut. Epid.* 4. 1. 32. Ærumnosæ et miseriarum compos. *Id. Truc.* 4. 3. 60. Culpæ compos. *h. e.* reus. — *b*) Cum Ablativo. *Accius* apud *Non.* p. 521. 27. *Merc.* Magnis compos et multis malis.

COMPOSCO, is, ere, a. 3. (cum et posco) simul posco. Occurrit tantum Part. *Composcens* apud *Capell.* 5. *p.* 136. Bellaque composcens, arcus atque Herculis arma. *Alii leg.* compescens, *alieno tamen sensu.* Etiam in *Not. Tir.* p. 58. legitur: Composcit, compoposcit. At *Koppius* ex optimis libris rectius legit apud *Capell. loc. cit.* Delìacos poscens arcus etc.

COMPŌSĬTĒ, adverb. Comp. *Compositius* II. 2. — Composite est ordinate, bene ordinate.

I.) Proprie. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 5. Docere boves composite, ac sine pavore ambulare. *h. e.* ordinate, sive sedate, placide. *Gell.* 1. 5. Multa munditia, et circumspecte compositeque indutus. *h. e.* ornate, apte.

II.) Translate dicitur ¶ 1. De sermone in ordinem bene apteque disposito. *Cic. Orat.* 71. 236. Composite et apte, sine sententiis dicere, insania est: sententiose autem, sine verborum et ordine et modo, infantia. *Id.* 1. *Orat.* 11. 48. Composite, ornate, copiose eloqui. *Sall. Cat.* 55. Bene et composite disserere. *Id. ibid.* 50. Composite et magnifice miserati sunt casum reipublicæ. ¶ 2. De modo agendi tranquillo et gravi. *Tac.* 15. *Ann.* 3. Compositius cuncta, quam festinantius agerent.

COMPŌSĬTĬCĬUS, *vel* compositìtius, a, um, adject. idem quod compositus, aut qui potest componi. *Varro* 6. *L. L.* 55. *Müll.* Hinc etiam famigerabile et sic compositìtia alia item. *Id.* 8. *ibid.* 61. Quoniam est vocabulorum genus, quod appellant compositìtium, et negat conferri id oportere cum simplicibus, de quibus adhuc dixi; de compositis separatim dicam. *Tertull. Anim.* 9. Dissolubile omne compositicium et structile.

COMPŌSĬTĬO, ōnis, f. 3. actus componendi, confectio, structura, compages, coagmentatio (*It. composizione*; *Fr. action de reunir, assemblage, combinaison, composition*; Hisp. *el acto de reunir, trabazon, combinacion, composicion*; Germ. d. *Zusammenlegung*, oder *Zusammensetzung*; Angl. *a putting together, framing, compounding*).

I.) Proprie. ¶ 1. Compositio dicitur repositio et conditura earum rerum, quæ servandi causa condiuntur, ut oleæ, uvarum, raporum et hujusmodi. *Colum.* 12. *R. R.* 44. 1. Compositio rerum auctumnalium. *Id. ibid.* 51. 1. olei. Adde *eumd. ibid.* 47. 2. ¶ 2. In usu medicinali idem est ac præparatio vel mixtura. *Cic.* 2. *Nat. D.* 58. 146. Compositiones unguentorum. *Seneca* 4. *Benef.* 28. remediorum. Adde *Cels.* 5. 26. *extr.* et 6. 6. *n.* 16.; *Colum.* 12. *R. R.* 2. 6., *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 77. (149).; et *Scribon.* qui librum suum *Compositiones medicas* inscripsit. Hinc figurate *Seneca Ep.* 8. Salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando. ¶ 3. Item compositio dicitur plurium partium apta connexio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 18. 47. Quæ compositio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species humana potest esse pulcrior? — Hinc apud *Vitruv.* 1. 2. 3. *Schneid. compositiones* sunt ipsæ fabricæ, quarum partes apte inter se compositæ symmetriam habent. Adde *eumd.* 1. 2. 2. ¶ 4. Item est commissio, comparatio. *Cic.* 2. *Fam.* 8. 1. Compositio gladiatorum.

II.) Improprie. ¶ 1. Compositio est ordo, sive apta plurium rerum dispositio. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 40. 142. Ordo est compositio rerum aptis atque accommodatis locis. *Id.* 1. *Tusc.* 18. 41. Sonorum varia compositio harmonias efficit plures. *Id.* 2. *Legg.* 22. 55. Compositio juris pontificalis. *h. e.* quod alii dicunt, *Corpus Juris. Id.* 3. *Fin.* 22. 74. Compositio disciplinæ. *Id.* 3. *Legg.* 5. 12. Compositio magistratuum. *h. e.* constitutio, institutio, ordinatio. *Id.* 2. *ibid.* 12. 29. Compositio anni. *Al. leg.* compositor: *V.* hanc vocem. — *b*) Speciatim est apta verborum collocatio. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 18. Compositio est verborum constructio, quæ facit omnes partes orationis æquabiliter perpolitas. *Id. Brut.* 88. 303. Erat Hortensius compositione aptus, facultate copiosus. Adde *eumd. Orat.* 43. 147., 2. *Orat.* 14. 58. et alibi; et *Quintil.* 9. 4. 1. et alibi sæpe. ¶ 2. Compositio est etiam actus pacandi, vel dirimendi lites; adeoque pactum, conventio. *Cic.* 2. *Phil.* 10. 24. Pacis, concordiæ, compositionis auctor esse non destiti. *Id. Rosc. Am.* 20. 33. Servare aliquem per compositionem. *Cæs.* 1. *B. C.* 17. De compositione agere. Adde *eumd.* apud *Cic.* 9. *Att.* 13. a. § 1., 1. *B. C.* 32. et 3. *ibid.* 15.; et *Dig.* 28. 16. 6. *pr.* et alibi.

COMPŌSĬTĪVUS, a, um, adject. componens vel compositus. *Marc. Capell.* 9. *p.* 320. Scissum vero dicitur trium sonorum compositiva quædam qualitas.

COMPŌSĬTO. *V.* COMPONO in fin.

COMPŌSĬTOR, ōris, m. 3. qui simul ponit et disponit, qui in ordinem ponit. *Cic. Orat.* 19. 61. Non enim inventor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia. *Id.* 2. *Legg.* 12. 29. Compositor anni. *h. e.* qui Kalendarium facit. Alii tamen leg. *compositio. Ovid.* 2. *Trist.* 356. operum. *Festus p.* 266. 26. *Müll.* historiæ Cumanæ. *Imp. Justinian. Cod.* 6. 28. 4. *circa med.* Tribonianus et ceteri compositores juris. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 2. *ad fin.* melodiæ. *Coripp.* 1. 17. morum. *h. e.* corrector et moderator.

COMPŌSĬTŪRA, æ, f. 1. *Compostura* per syncopen legitur apud *Caton. R. R.* 22. — Compositura est idem quod compositio: et ¶ 1. Stricto sensu. *Cato loc. cit.* Compostura olei. *Lucret.* 4. 327. simulacra feruntur, Et feriunt oculos turbantia composituras. *h. e.* commissuras, compages. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de verborum connexione. *Sinnius Capito* apud *Gell.* 5. 20. Solœcismus est impar et inconveniens compositura partium orationis.

COMPŌSĬTUS, a, um. *V.* COMPONO.

COMPOSSESSIO, ōnis, f. 3. communis cum aliquo possessio. *Gloss. Philox.* Compossessione (*lege* Compossessio) σύγκτησις.

COMPOSSESSOR, ōris, m. 3. qui simul cum alio possidet. *Tertull. Idolol.* 14. Compossessores mundi, non erroris.

COMPOSTĪLE, is, n. 3. idem ac repositorium. *Ennod.* 1. *carm.* 24. *in lemmate.* De compostile habente septem gabatas.

COMPOSTŪRA, æ, f. 1. *V.* COMPOSITURA.

COMPOSTUS, a, um. *V.* COMPONO sub init.

COMPŌTĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et potatio) est idem ac convivium; sed hoc vocabulum effinxit atque usurpavit *Cicero* eo tantum consilio, ut Græcum συμπόσιον Latine redderet. *Cic. Senect.* 13. 45. Bene enim majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt; melius, quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant. Adde *eumd.* 9. *Fam.* 24. 3.

COMPŌTENS, entis, adject. qui simul cum alio potest. *Inscript.* apud *Gruter.* 41. 2. Diana compotens.

COMPŌTĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. compotem facio. ¶ 1. Active. *Plaut. Rud.* 4. 2. 6. Piscatu novo me uberi compotivit. *Apul. Florid. sub fin.* Compotire aliquem prædæ. *Id.* 11. *Met.* Compotire aliquem voti. ¶ 2. Passive, *compotiri* (quod *Forcellinus* deponentis formâ retulerat) est compos fieri, potiri. *Plaut. Rud.* 1. 3. 22. Ita hic solis locis compotita sum. *h. e.* hæc loca sola nacta sum. *Tertull. advers. Valentinian.* 11. Non visu, nec auditu ejus compotiri fas est.

COMPŌTOR, ōris, m. 3. combibo. *Cic.* 2. *Phil.* 17. 42. Tum adhibes joci causa magistrum, suffragio tuo et compotorum, rhetorem. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 8. 22.

COMPŌTRIX, icis, f. 3. quæ simul potat. *Ter. Andr.* 1. 4. 4. Importunitatem spectate aniculæ: quia compotrix ejus est. *Sidon.* 2. *Ep.* 9. *a med.* Cum libere desiisset assectarum meorum turba compotrix.

COMPRÆBĔO, es, ui, ere, a. 2. (cum et præbeo) simul præbeo. *Mar. Victorin. Expos. in* 2. *Rhet. Cic.* p. 190. ed. *Orell.* Quas (*partes orationis*) cum pleno præceptorum genere compræbuerit, *etc. Baiter.* hæc in nota: Ex *Cod. Bas.* (qui v. *pleno* omittit) recipiendum videbatur *compræbuerit*, verbum vix a librariis confictum, neque ab hac Latinitate alienum, etsi nondum in Lexicum Forcellini receptum.

COMPRÆCĪDO, is, ere, a. 3. (cum et præcido). idem ac præcido, seco. *Hygin. de limit.* p. 177. *Goes.* Hæ duæ lineæ altera alteram compræcident. *Al. leg.* comprehendent.

COMPRÆS, ædis, m. 3. est ejusdem rei populo sponsor. Ita *Paul. Diac.* p. 39. 10. *Müll. V.* PRÆS.

COMPRANSOR, ōris, m. 3. qui simul prandet, sodalis, compotor. *Cic.* 2. *Phil.* 39. 101. Hunc agrum tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas.

COMPRĔCĀTĬO, ōnis, f. 3. supplicatio, genus precationis, quæ solemni quodam ritu fiebat apud Romanos clara quidem voce a sacerdote vel a magistratu, a populo vero submissa. *Liv.* 39. 15. Nulli unquam concioni tam non solum apta, sed etiam necessaria hæc solemnis deorum comprecatio fuit. Adde *Gell.* 13. 22., ubi quædam prisca verba ex antiquis Romanorum comprecationibus affert.

COMPRĔCOR, āris, atus sum, ari, dep. 1. (cum et precor) idem quod precor, vel valde precor; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 41. Abi intro et comprecare. — Similiter et *comprecor* absolute aliis verbis interdum interseritur, ut apud *Ovid.* 14. *Met.* 379. Me tenet, et teneat per longum, comprecor, ævum. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 640. et 12. *ibid.* 285. — *b*) Cum Dativo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 108. Jovi prodigiali aut mola salsa, aut thure comprecatam oportuit. — *c*) Cum Accusativo. *Ter. Adelph.* 4. 5. 65. et 70. Comprecari deos, ut etc. *Catull.* 64. 191. Comprecari fidem cælestum.

COMPRĔHENDĬBĬLIS, e. *V.* COMPREHENSIBILIS.

COMPRĔHENDO, dis, di, sum, dere, a. 3. (cum et prehendo). *Comprendo* per syncopen non poetas modo metri causa, sed et prosæ scriptores aliquando usurpasse, viri docti adnotarunt. — Scribitur et *comprehendo* et *deprehendo*, quod ex Pandect. Florentin. repræsentavit *Haloander* in libris Digestorum (quamquam *Torrentin.* non item) placetque non unis criticis. *V.* PREHENDO. — Part. *Comprehensus* in omnibus paragr.; *Comprehendendus* I. 1. — Ceterum *comprehendo* est idem quod prehendo, vel simul prehendo, manibus capio, arripio, teneo (It. *prendere, pigliare, afferrare e tener fermo con le mani*; Fr. *prendre, attraper, tenir renfermé*; Hisp. *tomar, coger ó asir con la mano, atrapar, y tener*; Germ. *etwas durch Zusammenschluss d. Hände ergreifen oder erfassen, oder überh. durch zusammenfassen festnehmen und halten*; Angl. *to take or seize hold of, lay hold of, catch, apprehend*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est materiali seu physico modo rem aut personam aliquam arripere ac tenere. — *a*) De inanimis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 33. 92. Quid (*opus est*) manibus, si nihil comprehendendum est? *Lucret.* 6. 456. Inde ea (*corpora*) comprendunt inter se conquegregantur. *Liv.* 30. 10. Easque ipsas (*naves*) – malis antennisque de nave in navem trajectis ac validis funibus velut uno inter se vinculo illigatis comprendit. *Forcellinus* leg. *ac validis funibus comprehendit*; et pro *colligare* accepit. *Cels.* 7. 12. Sæpe enim forfex cum dentem comprehendere non possit et frustra comprehendat, os gingivæ comprehendit et frangit. *Id. ibid.* 4. *n.* 3. Oras vulneris suturæ comprehendunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (46). Manum elephantorum mordicus comprehendere. *h. e.* dentibus. Sic *Lucan.* 4. 727. Comprehendere morsu. — *b*) De personis. *Cæs.* 5. *B. G.* 31. Consurgitur ex consilio: comprehendunt utrumque et orant, ne etc. *Virg.* 2. *Æn.* 793. Ter frustra comprensa manus effugit imago. *Tibull.* 2. 5. 91. natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet. — *c*) Et de physicis viribus. *Justin.* 23. 2. 4. Comprehensus morbo toto corpore. *Id.* 22. 3. 9. Comprehendi pestiferâ lue. Hinc ovis, quæ hieme non comprehenditur, apud *Colum.* 7. *R. R.* 3. 15. est quæ frigore non corripitur, sed sine valetudinis detrimento per hiemem durat. — *d*) Denique de iis rebus, quæ uniunt et conglutinant. *Scribon. Compos.* 88. Ubi omnium unitas mortario facta est, melle despumato medicamentum comprehenditur. Adde *eumd. Compos.* 70. 227., et alibi; et *Veget.* 6. *Veterin.* 27. 1. *Schneid. Celsus* hoc sensu *excipio* utitur. ¶ 2. Speciatim *comprehendere* usurpari solet — *a*) De iis, quæ aliquo vase, aliove spatii circuitu continentur. *Varro* 1. *R. R.* 7. 3. Ut nuces integras, quas uno modio comprehendere possis – cum easdem, si fregeris, vix sesquimodio concipere possis. *Curt.* 6. 6. 24. Circuitus ejus triginta et duo stadia comprehendit. *Sil. It.* 4. 101. tantum campi dirimebat ab ictu, Quantum impulsa valet comprendere lancea nodo. — *b*) Item de plantis, quæ satæ proveniunt. *Dig.* 47. 7. 3. § 4. Plantæ comprehendunt terram. — Et sæpius absolute. *Colum.* 3. *R. R.* 17. *extr.* Rubrica ad comprehendendum radicibus iniqua. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 5. 1.

et 5. *ibid.* 6. 18.; et *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 5., 4. *ibid.* 10., et alibi. — Item absolute de insitis. *Varro* 1. *R. R.* 40. 6. Cum ramulus comprehendit. Hinc translate *Cic. Cluent.* 2. 6., cujus verba *V.* infra sub II. 3. Et translate etiam *Quintil.* 10. 2. 16. Proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii etc. *h. e.* assumunt, imbuuntur. — *c)* De feminis, quæ ex concubitu concipiunt. *Cels.* 5. 21. *extr.* Si mulier non comprehendit, adeps leonina etc. — *d)* Item tum de iis quæ igne corripiuntur, tum de igne qui res corripit. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Illæ (*casæ*) celeriter ignem comprehenderunt. *Virg.* 7. *Æn.* 73. Visa – longis comprendere crinibus ignem. V. *Servium* ad *h. l.* Rursus *Virg.* 2. *G.* 305. Ignis robora comprendit. *Ovid.* 9. *Met.* 234. avidis comprenditur ignibus agger. *Auct. B. G.* 8. 43. Opera flammâ comprehensa. — Et absolute, cum de incendio sermo est. *Liv.* 26. 27. Comprehensa ædificia, comprehensæ latumiæ. — *e)* Præcipue vero usurpatur de personis, quæ cum reatum aliquem admiserint, ad pœnam subeundam capiuntur. *Ter. Eun.* 5. 5. 23. Aliquem pro mœcho comprehendere et constringere. Adde *eumd. ibid.* 5. 1. 20. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 4. Hominem comprehendit, et in custodiam Ephesi tradidit. *Id.* 2. *Cat.* 1. 3. Tam nefarium hostem comprehendere. *Id.* 3. *ibid.* 7. 16. Nefarios duces captos jam et comprehensos tenetis. *Cæs.* 5. *B. G.* 21. Multi in fuga comprehensi sunt. *Catull.* 62. 31. Comprehendere fures. *Nepos Pausan.* 4. et 5. Pausaniam. *Id. Pelop.* 5. Pelopidam. *Id. Hann.* 7. et 12. Hannibalem. *Liv.* 1. 41. interfectores fugientes. Adde *eumd.* 21. 26. et 42. 26. *Id.* 1. 51. servos. *Id.* 3. 48. Virginium. *Id.* 26. 14. præsidium Punicum. — Et apud JCtos etiam cum Infinito. *Cod. Theod.* 16. 4. 5. *pr.* Qui interesse conventibus interdictis fuerint comprehensi. — *f)* Et de inanimis. Apud *Sueton.* comprehendere vehicula meritoria est, quod nos dicimus *fermare le sedie da vettura*, vehicula evectionum jubere inservire nemini, et præsto esse in usum unius alicujus: quod aliquando factum fuisse a Tiberio et Caligula, narrat ille *Tib.* 38. et *Cal.* 39. Eodem sensu dixit *Liv.* 26. 7. et 29. 24. Comprehendere naves. — Similiter comprehendere epistolas est intercipere. *Justin.* 20. 5. Comprehensis epistolis, proditionis damnatur. — *g)* Denique figurate comprehendere dicimur commissa, cum ea deprehendimus ad puniendum. *Cic. Mil.* 27. 72. Comprehendere adulterium nefandum. *Id. Flacc.* 16. 38. audaciam manifesto. *Id. Cluent.* 16. 47. rem aliquam indicio alicujus. — Huc referri potest et illud ejusdem *Cic.* apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. *ante med.* Veniebam, sed non me comprehendit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ab amplexu, quo aliquem comprehendimus, est amplecti, favere. *Cic. Cæl.* 6. 13. Comprehendere multos amicitia, tueri obsequio. *Id.* 13. *Fam.* 15. 3. adolescentem humanitate sua. *Id. Planc.* 19. 47. Totam Atinatem præfecturam omnibus officiis per se, per patrem, per majores suos comprehendit. ¶ 2. Sæpius est dicendo complecti, explicare; et occurrit — *a)* Fere addito Ablativo instrumenti, vel Adverbio ejusdem Ablativi vicem gerente. *Cic.* 12. *Att.* 21. 1. Cato verbis luculentioribus et pluribus rem eamdem comprehenderat. *Id. Rosc. com.* 5. 15. Perinde ac si in hanc formulam omnia judicia, – arbitria, – officia – conclusa et comprehensa sint. Adde *eumd.* 3. *Off.* 16. 67. *Id.* 1. *Orat.* 8. 34. Ac ne plura, quæ sunt innumerabilia, consecter, brevi comprehendam. *Id.* 2. *Fin.* 7. 20. In alio libro breviter comprehensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiæ dicitur. Adde *Quintil.* 9. 3. 91. Rursus *Cic. Brut.* 8. 34. Sententiam circumscriptione quadam verborum comprehendere et concludere. *Lucret.* 6. 1082. breviter paucis comprendere multa. *Varro* 1. *R. R.* 9. 1. In ea (*terra*) enim et lapis et arena et cetera ejus generis sunt in nominando comprehensa. *Cels.* 5. 27. n. 3. Emplastra quoque, quæ supra comprehensa sunt. *h. e.* quæ supra dicta sunt. *Id.* 3. 23. *circa med. et in fin.* Eo genere victus habito, qui supra comprehensus est. *Ovid.* 13. *Met.* 160. comprendere aliquid dictis. *Quintil.* 7. 3. 2. Breviter verbis comprehensa enunciatio. *Sueton. vit. Plin.* bella viginti voluminibus. *Cajus* 1. *Instit.* 27. lege aliquid. *Dig.* 45. 2. 11. § 1. tabulis aliquid. — Hinc poetice *comprehendere aliquid numero* est numerare apud *Virg.* 2. *G.* 104. et *Ovid.* 2. *Art. am.* 447. Immo numerum comprendere virorum dixit *Ovid.* 5. *Trist.* 11. 19. — *b)* Rarius absolute. *Cic. Brut.* 5. 19. Eisque (*libris*) nosmetipsi ad veterem rerum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. *Cels.* 6. 18. Ut omnia, quæ salutaria accepi, comprehenderem. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 27. Tot premor adversis, quæ si comprendere coner, Icariæ numerum dicere coner aquæ. ¶ 3. Denique est assequi, deprehendere, intelligere; et — *a)* Raro admodum occurrit de externis sensibus. *Sil. It.* 3. 408. Comprendere aliquid visu. *h. e.* videre: quod *comprehendere* absolute dixit *Gell.* 13. 30. Vix ipsos litterarum apices potui comprehendere. — *b)* Sæpius ad intellectum refertur: ad rem *Cic. Cluent.* 2. 6. Si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si oratio labefactabit, si denique veritas extorquebit etc. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 41. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat, et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, *scientiam*. — Jam vero usurpatur — Addito Ablativo *animo, cogitatione, memoria, mente, scientia* etc. *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 64. Hoc non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. *Id.* 2. *Orat.* 31. 136. Quæ sunt in rerum natura animo celeriter comprehendere. *Id. Balb.* 1. 3. omnes animo virtutes penitus. *Id. Flacc.* 27. 66. omnia suis animis et cogitatione. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 21. Animo aliquid tenere comprehensum, non sensibus. *Id. ibid.* § 22. Aliquid animo comprehendere et tenere. *Id.* 2. *Fin.* 2. 6. Videor mihi habere bene cognitam voluptatem, et satis firme conceptam animo atque comprehensam. *Id.* 1. *Tusc.* 21. 50. Intelligere et cogitatione comprehendere, qualis sit animus. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 21. Eo minus id possum mente comprehendere. *Id.* 5. *Tusc.* 41. 121. Disputationes memoriâ comprehendere. *Id.* 9. *Fam.* 22. Quæ ab adolescentia a sapientissimis viris tradita memoriâ et scientiâ comprehendisti. *Id.* 1. *Orat.* 23. 108. Ars ita definitur, ex rebus penitus perspectis planeque cognitis scientiaque comprehensis. — Similiter *Colum.* 6. *R. R.* 24. 3. Certis signis comprehendere licet, quem sexum generaverit. *Pallad.* 3. *R. R.* 13. 8. Illud experimentis assiduis comprehendi, vites melius provenire etc. — Absolute, ita tamen ut sensus ex antecedentibus et consequentibus facile innotescat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 17. Esse aliquid, quod comprehendi et percipi posset. Adde *eumd. ibid.* 7. 22. et 8. 23.; et 1. *Acad.* (*post.*) 11. 42. *Cels.* 1. *præfat.* Contemplationem rerum naturæ comprehendere.

COMPREHENSĒ. *V.* COMPRESSE.

COMPREHENSĬBĬLIS, e, adject. qui comprehendi, seu capi potest.

I.) Proprie. *Lactant.* 7. 12. Solidum et comprehensibile corpus.

II.) Translate. ¶ 1. Est qui per sensus externos comprehenditur sive percipitur. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 24. Tenuia foramina, nec oculis comprehensibilia. ¶ 2. Item qui mente comprehendi seu intelligi potest; quo sensu hac voce *Cicero* omnium primus usus est pæne invitus, cum quo pacto Græcam vocem καταληπτός verteret, vix haberet. Inquit enim 1. *Acad.* (*post.*) 11. 41. Id autem visum cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile. Feretis hæc? nos vero, inquit: quonam enim modo καταληπτός diceres? *Paræus* in *Lex. Crit.* contendit *Comprehendibile* legendum esse. *Cels.* 1. *præfat. Ritt.* Natura non comprehensibilis. *Ceteri leg.* incomprehensibilis. *Arnob.* 1. 61. Vix ullis comprehensibiles causæ. *Macrob. Somn. Scip.* 1. 2. Attollere se ad non comprehensibilia.

COMPREHENSĬO, ōnis, f. 3. actus comprehendendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio, comprehensio. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 145. ¶ 2. Speciatim est conjectio in vincula. *Cic.* 2. *Phil.* 8. 18. Nam comprehensio sontium mea, animadversio senatus fuit.

II.) Translate. ¶ 1. Occurrit de oratione; et quidem est — *a)* Plurium litterarum conjunctio, idem quod syllaba. *Charis.* 1. *init.* Syllabæ dicuntur – Latine *connexiones* aut *conceptiones*, quod litteras concipiunt atque connectunt; aut *comprehensio*, hoc est litterarum juncta enunciatio. — *b)* Item conclusio, continentia. *Cic. Orat.* 58. 198. Universa comprehensio et species orationis. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 147. Consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio. — *c)* Item ambitus et colligatio verborum, periodus, ut colligimus ex *Quintil.* 5. 10. 61. Epicherema est certa quædam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus minimum partibus constat. *Cic. Brut.* 44. 162. Comprehensio, et ambitus, et colligatio verborum (si sic periodum appellari placet) contractus et brevis. *Id. ibid.* 37. 140. Verba collocare et comprehensione devincire. *Id. Orat.* 44. 149. Ut comprehensio numerose et apte cadat. Adde *Quintil.* 9. 4. 124. ¶ 2. Ratione habita intellectus est perfecta cognitio, perceptio; qua significatione hanc vocem ex Græca κατάληψις primus effinxit *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 41. Mens amplectitur maxime cognitionem: et istam κατάληψιν, quam, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus, amat. Adde *eumd.* 1. *ibid.* (*post.*) 11. 41., ubi pluribus exponit, quid *comprehensione* significetur. *Id.* 3. *Fin.* 15. 49. Cognitiones comprehensionesque rerum appetitionem movent. *Seneca* 4. *Benef.* 33. Certissima rerum comprehensio.

COMPREHENSĪVUS, a, um, adject. qui comprehendit. *Boeth. de definit. p.* 660. Cupiditas est aliena appetendi desiderium, quod similiter conversum non manet, quia minus comprehensivum definitione quam res nominis postulabat. *Priscian. p.* 1264. *Putsch.* Et comprehensivum (*nomen*), quod Græci περιεκτικὸν vocant, veluti *lauretum*, *myrtetum*, *rosetum*.

COMPREHENSO, as, are, a. 1. *frequentativum a* comprehendo, totis viribus comprehendo et constringo. *Claudius Quadrigarius* apud *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.* Comprehensare suos quisque, servare, amplexare.

COMPREHENSUS *vel* COMPRENSUS, a, um. } *V.* COMPREHENDO.

COMPRENDO, is, di, sum, ere, a. 3. *V.* COMPREHENDO sub init.

COMPRESBȲTER, ĕri, m. 2. qui sodalis est in dignitate presbyteri. *Cyprian. Ep.* 55. Aliæ litteræ tuæ per Quintum compresbyterum missæ. Adde *Augustin. de cura gerenda pro mort. in fin.* et *Ep. ad Hieronym. inter hujus epistolas n.* 111. vel potius 67.

COMPRESSĀTUS, a, um. *V.* COMPRESSO.

COMPRESSĒ, adverb. Comp. *Compressius* sub *a.* et *b.* — Compresse proprie est comprimendo, urgendo: sed translate tantum occurrit; et quidem — *a)* De oratione, et est presse, præcise, breviter, ideoque adverbio *late* opponitur. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 17. Quod latius loquerentur rhetores, dialectici compressius. *Est qui legit* comprehensius, *sed perperam.* — *b)* Dicitur etiam de modo, et est instanter seu vehementer urgendo. *Gell.* 1. 23. Quærit compressius violentiusque. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 6.

COMPRESSĬO, ōnis, f. 3. actus comprimendi (*It. compressione*; Fr. *action de comprimer, compression*; Hisp. *el acto de comprimir, compresion*; Germ. *d. Zusammendrückung*; Angl. *a pressing or squeezing together, compression*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 7. 8. 4. *Schneid.* Cum manibus premitur, aurum compressione coactum intra, purum invenitur. *Scribon. Compos.* 84. Musculorum compressio. *Gell.* 16. 3. Ventrem strictissime circumligare: ea compressione esuritionem depelli. ¶ 2. Speciatim — *a)* De amantium complexu. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 64. Compressiones arctæ. — *b)* De concubitu. *Hygin. fab.* 187., *Arnob.* 3. 70. et *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 34.

II.) Translate ponitur de oratione, et strictam ac præcisam dicendi rationem significat. *Cic. Brut.* 7. 29. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves. *V. Ellendt* ad *h. l.*

COMPRESSIUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. a compressio, parva compressio. Plures Lexicographi huic voci auctoritatem adstruunt ex his *Plauti* verbis: *dulces amantium compressiunculæ*: quæ nos in *Plauto* nondum vidimus. *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.* refert hæc *Plauti* verba ex *Pseud.* 1. 1. 66. Papillarum horridularum compressiunculæ. Sed ibi passim legitur *oppressiunculæ*.

COMPRESSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentativum a* comprimo. Part. *Compressatus*. — Compresso est totis viribus comprimo. *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 3. 273. Solent amantes semina ex malis orbiculatis duobus primis compressare digitis, eaque mittere in cameram velut augurium, ut si cameram contigerint, posse sperari ad effectum duci,

quod animo conceperint. Tertull. contr. Gnost. 3. Compressati sunt valde, postquam instituit super illos Deus critas. Coripp. 7. Joann. 538. Et modo cum teneris culmos compressat aristis Læva manus.

COMPRESSOR, ōris, m. 3. qui comprimit et pro stupratore legitur in 2. Argum. Aululariæ Plauti, cujus auctor a nonnullis ipse Plautus, ab aliis scriptor ejus æqualis, ab aliis Priscianus creditur. Eodem sensu Mythogr. Vatic. 1. 18. ed. ab A. Mai in Class. Auct. T. 3. p. 6. Ne puella (Io) Junonis iram procuderet, a compressore (Jove) in vaccam transfigurata est.

COMPRESSUS, a, um. V. COMPRIMO.

COMPRESSUS, us, m. 4. in solo sexto casu reperitur et idem est ac compressio. Occurrit autem ¶ 1. Generatim. Cic. Senect. 15. 51. Terra semen tepefactum vapore et compressu suo diffundit. Plin. 11. Hist. nat. 28. 34. (98). de lampyridibus. Nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc compressu obumbratæ. ¶ 2. Speciatim pro concubitu. Plaut. Epid. 4. 1. 15. Meo compressu peperit filiam. Adde eumd. Truc. 2. 6. 18. et Amph. prol. 109. Ter. Adelph. 3. 5. 29. Virgo ex eo compressu gravida facta est.

COMPRĬMO, primis, pressi, pressum, primere, a. 3. (cum et premo). Part. Comprimens I. 4.; Compressus in omnibus paragr. et in fin.; Compressurus II. 3.; Comprimendus I. 4. — Comprimo est idem quod premo, vel simul premo, contraho, stringo (It. premere, comprimere, stringere; Fr. comprimer, presser, serrer, étreindre; Hisp. comprimir, apretar, oprimir, estrechar; Germ. zusammendrücken, pressen oder drängen; Angl. to press, press or squeeze together, keepe close, hold fast, compress).

I. Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Cas. 2. 6. 53. Compressān palmā (h. e. pugno), an porrectā ferio? Cf. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 47. 145. Tum, cum plane compresserat (digitos) pugnumque fecerat. Et Quintil. 2. 20. 7. Compressa in pugnum manus. Et eodem sensu Id. 11. 3. 104. Compressa manus. Rursus Plaut. Pseud. 3. 1. 21. Comprimere dentes posse videor aliquo modo. Cic. 2. Nat. D. 48. 123. Tum admonita a squilla pina morsu comprimit conchas. Id. Harusp. resp. 25. 55. Ita serpens compressa atque illisa morietur. Lucret. 6. 212. Hasce igitur (nubes) cum ventus agens contrusit in unum Compressitque locum cogens. Id. 6. 865. Comprimere aliquid manu. Adde Lucan. 8. 681. Lucret. 6. 1192. nares. Horat. 1. Sat. 4. 138. hæc ergo mecum Compressis agito labris. Phædr. 4. 2. 14. Comprimere murem. Ovid. 6. Met. 556. Compressa forcipe lingua. Colum. 2. R. R. 3. 1. Manibus dorsum boum comprimere. Seneca 2. de Ira 4. Ne oculi ad intentationem subitam digitorum comprimantur. h. e. conniveant. Similiter Quintil. 11. 3. 76. Oculi compressi in dicendo. Adde Colum. 6. R. R. 9. 3. Ovid. Heroid. 1. 102. Ille (filius) meos oculos comprimat, ille tuos. Plin. 12. Hist. nat. 11. 23. (40). Florem comprimit noctu lanugo, aperire incipit solis exortu. Lucan. 8. 790. Comprimere arenam saxo. Sil. It. 2. 538. ora. Martial. 12. 78. natos. ¶ 2. Speciatim comprimere virginem, vel mulierem est vitiare apud Plaut. Aulul. prol. 30., Epid. 4. 1. 10., Cist. 1. 3. 10. et 14. et 2. 3. 72., et Asin. 2. 2. 26.; Ter. Hecyr. 4. 1. 57. et 5. 3. 30., et Phorm. 5. 8. 20.; Liv. 1. 4. aliosque. Hinc ludit in ambiguo Plaut. Truc. 2. 2. 6. ubi ancilla ad servum conversa ait: Comprime; hic vero, sermonem ejus abrumpens, ait: Spero meam quidem hercle (scil. amicam): te qui solitus, comprimat. Huic tandem illa ait: Iram dixi. — Eodem sensu compressus puer aut vir est stupratus. Plaut. Rud. 4. 4. 31. Si herus te (puer) comprimere solitus, hic noster nos non solet. Adde Novium apud Priscian. 10. p. 879. Putsch., et Senec. 1. Quæst. nat. 16. — Denique de brutorum coitu dixit Colum. 8. R. R. 11. 5. ¶ 3. Item speciatim ponitur de iis, quæ comprimuntur, ut arctentur. Liv. 8. 8. Comprimere ordines aciei. h. e. arctare. Ovid. 1. Amor. 11. 21. versus ordinibus. h. e. proximis atque arctissimis inter se lineis. Seneca 6. Benef. 34. Commeantium in utramque partem catervis itinera compressa. Id. Hippol. 1024. Comprimitur terra duobus fretis. V. Compressus in fine hujus voc. ¶ 4. Item est, quæ moventur, continere, cohibere. Ter. Phorm. 5. 6. 29. Comprimere animam. Id. Heaut. 3. 3. 29. manus. — Hinc compressis manibus sedere, h. e. cessare, otiosum esse, proverb. apud Liv. 7. 13., cui simile est illud Lucani 2. 292. Compressas tenuisse manus. ubi alii minus recte leg. complosas. — Plaut. Amph. 1. 1. 192. Comprimere linguam alicui. h. e. facere, ut sileat. Id. Mil. glor. 2. 6. 88. linguam suam. Stat. Theb. 11. 33. tela manu. Dig. 39. 3. 1. § 1. aquam. cui ibid. opponitur immittere. — Hinc apud Medicos dicitur de iis, quæ adstringunt vel contrahunt. Cels. 1. 10. Alvus, si per se mota est, comprimenda est. Id. 6. 18. n. 7. Nec acribus cibis utendum, nec alvum comprimentibus. Et absolute eodem sensu Id. præfat. a med. Si morbus aliquem compresserit. Id. 4. 5. extr. Comprimere stomachum. h. e. adstringere, ut cibum contineat. V. Compressus in fine hujus voc.

II.) Translate. ¶ 1. Est tegere, abscondere. Cic. 4. Att. 12. 3. Scripsi equidem olim ei iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut numquam emanaturam (orationem) putarem. Id. 5. ibid. 21. 8. et 5. Verr. 77. 179. Comprimere frumentum. Sic Id. Dom. 6. 14. Tenere aliquod frumentum compressum. Cf. Liv. 38. 35. Frumentarios ob annonam compressam damnarunt. Rursus Cic. Dom. 24. 63. Odio compresso et tacito. Id. 10. Att. 4. 6. Comprimere delicta magna. Liv. 26. 51. famam captæ Carthaginis. ¶ 2. Sæpius est frenare, cohibere, coercere; et occurrit — a) De personis. Plaut. Cas. 2. 3. 32. Ohe, jam satis, uxor, est: comprime te: nimium tinnis. Id. Most. 1. 3. 46. Vix comprimor, quin involem illi in oculos. Id. Rud. 4. 4. 81. et Liv. 5. 45. Comprimere aliquem. h. e. facere, ut sileat. Eodem sensu Plaut. Rud. 5. 3. 46. Comprimi talento. Val. Max. 4. 7. 1. Compressus perseveranti interrogatione. — Sic dicitur de hostibus et gentibus. Cæs. 3. B. C. 65. Comprimere Pompejanos. h. e. eorum impetum retardare. Liv. 10. 18. Etruriæ populos. Id. 42. 26. Ligures. — b) Sæpius de animi cupiditatibus, itemque de cœptis. Cic. Pis. 25. 59. Incensam alicujus cupiditatem comprimere et restinguere. Id. Cæl. 32. 75. Voluptates prima ætate compressæ et constrictæ. Id. Fat. 5. 10. Vitiosa natura edomita et compressa est doctrina. Tac. 4. Hist. 16. Se Canninefatem tumultum (dixit) compressurum. — Porro jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Liv. 7. 15. ambitionem hominum. Virg. 8. Æn. 184. amorem edendi. Cic. Flacc. 22. 53. animos suos. Id. 15. Fam. 4. 10. audaciam alicujus. V. conatum infra. Justin. 5. 10. bellum. Virg. 4. G. 87. certamina. Cic. 10. Phil. 5. 11. conatum atque audaciam hominis furentis. Id. 2. Off. 17. 58. conatus furoresque. Sueton. Aug. 19. conjurationes. Cic. 2. Fin. 17. 54. conscientiam animi. Plaut. Merc. 2. 3. 6. consilium alicujus. h. e. impedire. Sil. It. 9. 650. cursum comprimit deus. Cic. Vatin. 1. 2. ferocitatem alicujus. Ovid. ad Liviam sub fin. fletus. Sil. It. 8. 32. fluctus insanos curarum. Id. 9. 492. flumina imperio. Adde eumd. 17. 208. Cic. Muren. 11. 24. furores tribunicios dicendo. Virg. 5. Æn. 802. furores. Id. 6. ibid. 389. gressum. Id. 2. ibid. 73. impetum. Curt. 7. 2. 31. indignationem. Stat. 6. Theb. 399. iram. Cic. Topic. 22. 86. lætitiam exultantem. Curt. 10. 3. 3. licentiam. Colum. 4. R. R. 27. 6. luxuriam. Liv. 1. 60. motus. Ovid. 1. Met. 206. murmura voce manuque. Cic. Dejot. 12. 34. plausum. Virg. 5. Æn. 802. rabiem cæli marisque. Tac. 2. Hist. 11. rebellionem. Liv. 2. 23. et Curt. 7. 2. 31. seditionem. Liv. 5. 2. ad fin. seditiones. Cic. Dom. 55. 140. timorem. Liv. 26. 10. tumultum. Curt. 10. 3. 3. violentiam. Plaut. Pseud. 1. 4. 16. vocem atque orationem. — Hinc Part. præter. pass.

Compressus, a, um, Adjective quoque occurrit, unde Comp. Compressior. Sic — a) Pro arctato. Cels. 2. 11. Caliculus oris compressioris. Plin. 17. Hist. nat. 11. 16. (80). Fossura ore compressiore. Id. 16. ibid. 10. 19. (49). Nucamenta compressiora. — b) Pro adstricto, contrario. Cels. 1. 3. post med. Compressus venter. Id. præfat. post med. Compressum corpus, eodem sensu. Et paullo post. Compressi, aut fluentes morbi. h. e. adstringentes alvum, vel solventes.

COMPRŎBĀBĬLIS, e, adject. idem quod probabilis. Cassiod. Instit. divin. litt. 30. de antiquario. Verba cælestia multiplicat homo, et quadam significatione comprobabili, si fas est dicere, tribus digitis scribitur, quod virtus sanctæ Trinitatis efflatur.

COMPRŎBĀTĬO, ōnis, f. 3. approbatio. Cic. 5. Fin. 22. 62. Et offensione turpitudinis, et comprobatione honestatis.

COMPRŎBĀTĪVE, adverb. affirmative. Priscian. 18. p. 1148. Putsch. Ecce hic et interrogative et comprobative posuit ἄν. h. e. affirmative, ut Id. paullo supra, vel confirmative, ut Id. paullo post dixit.

COMPRŎBĀTUS, a, um. V. voc. seq.

COMPRŎBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et probo). Part. Comprobatus 1. et 2.; Comprobaturus 1. — Comprobo est idem quod probo, vel valde probo, probum esse judico, confirmo (It. approvare, provare; Fr. approuver entièrement, trouver juste, agréer; Hisp. aprobar, calificar por bueno; Germ. billigen oder gutheissen; Angl. to approve, prove, confirm). Occurrit ¶ 1. Subjective, ut ajunt, sive ratione habita ejus qui aliquid comprobat; et est valde per se probare, probum esse judicare, confirmare, pro vero aut legitimo cognoscere. Cic. pro leg. Manil. 24. 69. Istam tuam et legem et voluntatem et sententiam laudo vehementissimeque comprobo. Id. 16. Att. 16. D. § 14. Des operam, ut Plancus noster quam primum confirmet et comprobet (decretum). Id. ibid. E. § 15. Quem arbitramur decretum consulum comprobaturum. Id. Cæcin. 25. 72. Has comproba tabulas. Adde eumd. Balb. 18. 42. et 2. Nat. D. 3. 8. Nepos Hann. 3. Id Carthaginem delatum publice comprobatum est. Liv. 5. 9. Si imperatores sui non comprobassent factum. Adde eumd. 5. 9. et 34. 3.; Quintil. 10. 1. 130.; et Sueton. Aug. 53. et 68. ¶ 2. Item objective, uti ajunt, sive ratione habita rei quæ comprobatur; et est coram aliis repræsentare et confirmare aliquid ut rectum, justum, commodum, aptum. Plaut. Pœn. 1. 2. 94. Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant. Ter. Andr. 5. 1. 5. Ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes. Cic. Orat. 63. 214. Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit. Id. Cæl. 24. 58. Comprobatum venenum. h. e. probatum, pro vero et potenti cognitum et deprehensum. Id. 1. Invent. 30. 48. Judicatum est res assensione, aut auctoritate, aut judicio alicujus comprobata. Id. 1. Fin. 20. 65. Oratione, vita et factis et moribus comprobare aliquid. Id. Dom. 6. 15. Deos numine suo reditum meum comprobasse. Adde eumd. 1. Divinat. 23. 46., 1. Fin. 20. 65. et alibi. Cæs. 5. B. G. 58. Comprobat hominis consilium fortuna. Sall. Cat. 49. Indicium comprobatum. Catull. 61. 62. Fama quod bona comprobet. Inscript. apud Gruter. 187. 4. CONSVLES EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERE, IIDEMQVE COMPROBAVERE.

COMPRŌMISSĀRĬUS, a, um, adject. ad compromissum pertinens. Callistrat. Dig. 4. 8. 41. Nemini licere minorem XX. annis compromissarium judicem eligere. h. e. qui ex compromisso ab utraque litigantium parte eligitur ad litem componendam. Adde ibid. 26. 5. 4. Julian. epit. nov. c. 86. § 335. Compromissarii arbitri.

COMPRŌMISSUM, i, n. 2. V. voc. seq. in fin.

COMPRŌMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. Part. Compromittens 1. — Compromittere ¶ 1. Generatim est simul promittere. Cassiod. 6. Hist. Eccl. 1. Eisque spolia peremptorum hostium compromittens. ¶ 2. Speciatim est mutuo promisso fidem suam obligare; et quidem — a) Extra litem. Senatuscons. de Bacchan. n. 14. COMPROMESSE. syncope pro compromisisse. Ulp. Dig. 4. 8. 13. § 2. Compromittere de aliqua re. — b) Speciatim de partibus litigantibus, quæ mutuo promisso fidem suam obligant, se arbitri electi judicio obtemperaturas. Cic. 2. ad Q. fr. 15. 6. extr. Tribunicii candidati compromiserunt petere ejus arbitratu. Quod aliis verbis dixit Id. 4. Att. 15. Tribunicii candidati jurarunt se arbitrio Catonis petituros. Ulp. Dig. 4. 8. 9. § 2. Compromittere in pupillum, in furiosum, aut surdum, aut mutum. Id. ibid. 44. 4. 4. Compromittere in arbitrum. Adde eumd. ibid. 4. 8. 21. — Hinc

Compromissum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est promissum invicem factum; et specialiter potestas decidendi controversiam data arbitro a litigatoribus promittentibus, se ejus judicio obtemperaturos. Cic. 12. Fam. 30. Sese, quo minus id facerent, et compromisso et jurejurando impediri. Id. Rosc. com. 4. 12. Compromissum facere. Adde eumd. 4. Verr. 27. 66. Proculus Dig. 17. 2. 76. Ex compromisso ad arbitrum itum est. Adde ibid. 5. 1. 81.

COMPRŎPĔRO, as, are, n. 1. simul propero. Vox a Lexico expurgenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 95. Comproperat.

COMPROPINQUO, as, are, n. 1. simul propinquo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 104. Compropinquat.

COMPRŌVINCIĀLIS, e, adject. qui ejusdem est provinciæ. *Sidon.* 7. *Ep.* 7. Non primi comprovincialium cœpistis esse, sed ultimi.

COMPTE *vel* comte, adverb. Comp. *Comptius.* — Compte occurrit translate tantum de oratione, et est ornate, composite. *Seneca Ep.* 75. Compte disserere de aliqua re. *Gell.* 7. 3. *post med.* Distincte, compte, atque modulate res acta est. *Id. ibid.* Distinctius numerosiusque ac comptius dicere.

COMPTOR, ōris, m. 3. qui comit et exornat, ornator. *Cassiod.* 4. *Variar.* 51. Fundator egregius fabricarum earumque comptor eximius: quia utrumque de prudentia venit, et apte disponere et extantia competenter ornare.

COMPTŬLUS *vel* comtulus, a, um, adject. *deminut. a* comptus. *Hieronym. Ep.* 128. n. 4. Lascivi et comptuli juvenes.

COMPTUS *vel* comtus, a, um. *V.* COMO.

COMPTUS *vel* comtus, us, m. 4. proprie est rerum connexio. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 857. Nil tamen est ad nos, qui comptu conjugioque Corporis atque animæ – consistimus uniter apti. *V.* COMO I. ¶ 2. Specialim dicitur de capillis, et est eorumdem cultus, ornatus. *Afranius* apud *Paul. Diac.* p. 40. 9. *Müll.* Cf. *eumd. Paul.* p. 63. 13. — Per metonymiam ponitur pro compta coma. *Lucret.* 1. 87. Infula virgineos circumdata comptus.

COMPUGNANTĬA, æ, f. 1. pugna, certamen. *Gennad. de viris illustrib.* 13. Compugnantia animæ. *Isid.* 5. *Orig.* 35. Facit hoc confinium frigoris et caloris, et compugnantia inter se contrariorum aerum.

COMPUGNO, as, are, n. 1. (cum *et* pugno). Part. *Compugnans* 1. — Compugnare ¶ 1. Est inter se pugnare. *Gell.* 14. 5. *extr.* Clamantes compugnantesque illos reliqui. Adde *eumd.* 12. 5. *Hieronym. prol. Paralipom. ante med.* Totus orbis inter se trifaria varietate compugnat. Adde *Sulpic. Sever. de Vita S. Martini* 14. — Et figurate *Ambros.* 6. *Hexæmer.* 9. Nobis autem in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit tamquam in arce, et ab omni vel minima offensione defendi; quæ duo sibi compugnantia videbantur. Adde *eumd.* alibi sæpe. ¶ 2. Est eodem tempore simul pugnare. *Veget.* 1. *Veterin.* 13. 6. Compugnare amaritudinem.

COMPULSĀMENTUM, i, n. 2. pulsatio: et translate hortamentum, instigatio. *Fulgent. Planc.* 3. *Mythol.* 6. Sororum compulsamento percita.

COMPULSĀTĬO, ōnis, f. 3. pulsatio: et translate contentio, pugna. *Tertull. Apolog.* 21. Nec alia magis inter nos et Judæos compulsatio est, quam quod jam Christum venisse non credunt. Adde *eumd. ibid.* 38.; et *Fulgent. Mythogr. præfat. extr.*

COMPULSĬO, ōnis, f. 3. translate tantum occurrit, et est actus compellendi ad aliquid faciendum. *Hermogenianus Dig.* 36. 1. 14. *extr.* Cessat compulsio, tametsi indemnitatis cautio offeratur. Adde *Cod. Theod.* 11. 1. 14. Apud *Cassiod.* 12. *Variar. Ep.* 10. dicitur de iis, qui debitores ad tributa solvenda compellunt. *V.* COMPULSOR.

COMPULSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* compello, et est totis viribus pulso.

I.) Proprie. *Apul.* 7. *Met.* Imaginem suavii mentiendo ore improbo compulsat et morsicat.

II.) Translate est contendere, sicut *compulsatio* est contentio. *Tertull. Apolog.* 20. Regnis regna compulsant.

COMPULSOR, ōris, m. 3. qui compellit.

I.) Proprie. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. 3. Bos mansuetus qui non modum compulsoris excedat.

II.) Translate compulsor est — *a*) Qui ad tributa solvenda compellit: *V.* COMPULSIO. *Ammian.* 22. 6.; et *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11. *tit.* 7., *qui est* De exactionib. 15.; *ibid.* 8. 8. 7. et 12. 1. 186. — *b*) Item qui alium compellit, ut sibi quidpiam præstet, quod non debet. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 8. 10. 3. et 4.

COMPULSUS, a, um. *V.* COMPELLO.

COMPULSUS, us, m. 4. conflictus. *Apul.* 8. *Met. de apro.* Fera dentium compulsu, quem primum insiliit, contabunda rimatur.

COMPUNCTĬO, ōnis, f. 3. pungendi actus.

I.) Proprie. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 77. (133). Laterum compunctiones tollit. *Ita edition. ann.* 1469., 1470. *et* 1472. *Sed* Aldina, Elzevir., Harduini et Sillig. *habent* punctiones. — Figurate *Ambros.* 2. *de Abraham* 4. In Ægyptum impellitur, ubi compungi possit. Stimulus enim mentis caro nostra est, et passiones ejus compunctiones sunt nostræ.

II.) Translate apud Scriptores Ecclesiasticos est peccati admissi dolor. *Salvian.* 6. *de Gubern. D.* 5. Fletus est compunctio animæ. *Id. ibid.* 18. Me (*Deus*) beneficiis suis provocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem. *Id.* 4. *advers. Avar.* 3. Sancti semper in compunctione, semper in cruce positi. *Isid.* 7. *Orig.* 12. Isti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium. *Ennod.* 4. *Ep.* 24. Ex compunctione defluens imber oculorum.

COMPUNCTŌRĬUS, a, um, adject. qui pungit: et translate qui excitat et hortatur. *Sidon.* 6. *Ep.* 6. Restat, ut vestra beatitudo compunctorii salubritate sermonis avidam nostræ ignorantiæ pascat esuriem.

COMPUNCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

COMPUNGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (cum *et* pungo). Part. *Compunctus* I. 1. et 2. — Compungo idem est quod pungo, puncturis signo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Phædr.* 3. 6. 3. Vis ne dolone collum compungam tibi? *Cels.* 6. 18. *n.* 9. *sub fin.* Acu quippiam compungere. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 8. Aculeis urticæ compungi. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (28). Vitiligines acu compunctæ. — Pro lædere *Lucret.* 2. 420. Colores compungunt aciem, lacrimareque cogunt. *Id. ibid.* 432. Compungere sensus corporis. — Et figurate *Cic.* 2. *Orat.* 38. 158. Ipsi (*dialectici*) se suis acuminibus compungunt. *Augustin.* 3. *Civ. Dei* 25. Ut Gracchorum pœna testis concionantium memoriam compungeret. ¶ 2. Specialim est puncturis notare. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. Barbarum, et eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis, districto gladio jubebat anteire. *Seneca Ep.* 88. *a med.* Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam. ubi *Fickert* legit: *ineptias, quibus aliena carmina compinxit.*

II.) Translate pro pœnitere est apud *Sulpic. Sever.* 3. *Dial.* 13. Sic *Paulin. Petroc.* 5. 458. Hoc igitur compuncta malo plebs cuncta, vel ætas Martinum exorat. *Alcim.* 2. 207. O quoties ori admotum compuncta (*Eva*) retraxit (*pomum*)! Adde *Vulgat. Interpr. Psalm.* 108. 17. et 34. 16.

COMPURGO, as, are, a. 1. purificare, mundare omnino. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 50. (127). Compurgare visum. *Ita legit* Sillig.; *quidam vero* clarificare, *ut dictum est in v.* CLARIFICO, *quam V.*

COMPŪTĀBĬLIS, e, adject. qui computari potest, vel debet. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (139). Nis computabili impendio, tædioque.

COMPŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus computandi, exacta ratio impensæ, vel reditus. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 2. *R. R.* 13. 9. Computatio dierum. *Seneca Ep.* 84. *circa med.* Unus numerus fit ex singulis, cum minores summas et dissidentes computatio una comprehendit. *Id.* 7. *Benef.* 10. Quid sunt istæ tabulæ, quid computationes, et venale tempus, et sanguinolentæ centesimæ? *Plin.* 6. *Hist. nat.* 33. 38. (209). et *Frontin. Aquæd.* 78. In computationem venire. *Plin.* 9. *ibid.* 35. 58. (120). Computationem expostulare. *Id.* 2. *ibid.* 108. 112. (247). Quæ mensura Romana computatione efficit trecenties quinquies centena millia passuum. *Id.* 6. *ibid.* 33. 38. (206). Computatio efficit tantum. Alter *Plin. Paneg.* 38. Aliquid vocare ad computationem. *Maxim. Dig.* 35. 2. 68. Facere computationem. *et ibid.* infra. *Ulpian.* 2. 11. et *Cajus* 2. *Instit.* 265. Computatio pretii. ¶ 2. Per metonymiam ponitur pro parsimonia. *Seneca* 4. *Benef.* 11. Si utilitas me, et sordida computatio liberalem facit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (192). Operarum ista computatio est in latifundiis, non legitima naturæ festinatio.

COMPŪTĀTOR, ōris, m. 3. qui computat, et rationes confert. *Seneca Ep.* 87. Diligentissimi computatores.

COMPŪTĀTUS, a, um. *V.* COMPUTO.

COMPŪTEO, es, ere, n. 2. simul puteo. *Gloss. Cyrill.* Συσσήπω, computeo. *V.* et COMPUTREO.

COMPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Computans, Computatus, Computaturus* et *Computandus.* — Computo est idem quod puto, vel simul puto, considero, cogito: et specialiter dicitur de iis, qui rationes putant, et quantitatis alicujus modum considerant (It. *computare, far conto*; Fr. *calculer, compter, supputer*; Hisp. *calcular, contar*; Germ. *zusammenrechnen, berechnen*; Angl. *to compute, count, reckon, calculate*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Phil.* 37. 94. Compellarat hospitem præsens, computarat, pecuniam imperarat. *h. e.* Italice: *aveva bravato il suo ospite da faccia a faccia, gli avea fatto suo assegnamento, l'avea taglieggiato.* Adde *Senec.* 5. *Benef.* 17. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (88). Eubolidis, digitis computans. — Figurate. *Seneca Ep.* 14. Plures computant, quam oderunt. *h. e.* lucrum cogitant, vel quærunt. Cf. *Juvenal.* 6. 651. — *b*) Cum Accusativo. *Plaut. Merc.* 2. 2. 51. Digitis rationem computat. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 3. Computare rationem operis. *Seneca* 3. *Benef.* 16. annos. Cf. *Quintil.* 12. 11. 19. Et *Juvenal.* 6. 198. facies tua computat annos. *h. e.* numerat quodammodo atque ostendit. *V. paullo post alium locum* Juvenal. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (38). Computare impendium operæ. *Id.* 6. *ibid.* 33. 38. (209). Computetur latitudo Asiæ ab Æthiopico mari, etc. *Id.* 2. *ibid.* 68. 68. (173). Computetur mensura tot fluminum. *Id. præf. Hist. nat.* § 18. Cum somno valetudinem computamus. *Sueton. Domit.* 4. Fecit ludos sæculares computata ratione temporum ab anno, quo Augustus ediderat. *Quintil.* 12. 11. 19. Computare tempora. *Id.* 11. 3. Computare litteras. *h. e.* lente pronunciare: at recentiores aliter omnino legunt. *Ulp. Dig.* 49. 4. 1. Biduum appellationis ex die sententiæ latæ computandum erit. *Id. ibid.* 23. 3. 10. Fetus dotalium pecorum ad maritum pertinent, quia fructibus computantur. *Id.* 24. 3. 7. Computare aliquid in fructu. *Torrent.* habet *in fructum. Auct. rei agrar.* p. 246. *Goes.* In litteris computatum colligo. — Ex illo *Juvenal.* 10. 245. de *Nestore*: atque suos jam dextrâ computat annos, colligitur mos antiquorum computandi digitis sinistræ manus usque ad centum, inde dextræ: qua de re plura ex *Beda Cœlius Rhodiginus l.* 23. *c.* 12. — *c*) Cum Relativo. *Quintil.* 1. 12. 17. Ne velim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant, computaturum. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (118).

COMPŪTRESCO, trescis, trŭi, trescere, n. 3. (cum *et* putresco) idem quod putresco, vel simul putresco. *Cassius Hemina* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (86). Propterea arbitrari eos (*libros*) non computruisse. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 7. Arbusculæ mutuo contactu computrescunt. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 23. (68). Sanguisugæ, quæ in vino computruere. *At Sillig ex Cod. Bamberg. leg.* computuere. — Per tmesin divisit *Lucret.* 3. 344. Sed penitus pereunt convulsi, conque putrescunt.

COMPŪTUM, i, n. 2. et

COMPŪTUS, i, m. 2. ratio, computatio. *Firmic.* 1. *Mathes.* 12. *ad fin.* Primos discentes computos, digitos tarda agitatione deflectunt. *Auct. de casis litter.* p. 236. *Goes.* Quod computum colligo, si, etc.

COMTĒ, adverb. *V.* COMPTE.

COMTULUS, a, um. *V.* COMPTULUS.

COMTUS, a, um. *V.* COMO, is.

COMTUS, us. *V.* COMPTUS, us.

CŎMŬLA, æ, f. 1. deminut. *a* coma, parva coma. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Curabo, longe tibi sit comula ista bessalis. *Commodian.* 60. 11. Levatis comulas granulatim.

CŌMUS, i, m. 2. pagus. *Cassiod.* 4. *Variar.* 51. Comœdia a pagis dicta est, comus enim pagus vocatur; ubi rustici gestientes humanos actus lætissimis carminibus irridebant. At *Cassiodorus* hic fallitur; nam pagus Græce κώμη dicitur; κῶμος vero, unde comœdia, comissatio est in comis.

CON, præposit. idem quod *cum*, nisi quod illa solum in compositione locum habet, ut *Priscian. extr. l.* 14. *Putsch.* docet. Amittit autem aliquando *n*, ut in *coeo*, ut adnotavit *Quintil.* 1. 5. 69.; sæpe in aliam litteram mutat, ut in *communis, colligo, corrado*, tametsi iis locis quidam malunt semper *con* retineri; retinetur vero semper ante *f* et *s*, quod in vocibus etiam Latinis Græce scriptis, ut κονσουλ etc. servatur: *V. Cic. Orat.* 48. 159. et *Gell.* 2. 17. — Fere significat *simul*, ut in *conjungo*; aliquando *contra*, ut in *contendo*; aliquando *valde*, ut in *concrepo.*

CŌNĀBĬLIS, e, adject. qui cum conatu fit. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 1. Conabiles atque laboriosi vomitus.

CŌNĀBUNDUS, a, um, adject. enisus. *Beda de Orthogr.* p. 2341. *Putsch.* Obnixus, id est conabundus.

CŌNĀMEN, inis, n. 3. conatus, nisus: vox est fere

poetica, quæ occurrit ¶ 1. Abstracte. *Lucret.* 6. 326. magnum conamen sumit eundi. Adde *eumd. ibid.* 836. et 1040. *Ovid.* 4. *Fast.* 325. exiguo funem conamine traxit. Adde *eumd.* 3. *Met.* 60., 8. *ibid.* 366. et 10. *ibid.* 390.; *Lucan.* 4. 287.; et *Sil. It.* 1. 33., 5. 296. et 7. 142. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. *Ovid.* 15. *Met.* 223. Paullatimque tremens, et nondum poplite firmo Constitit, adjutis aliquo conamine nervis. *h. e.* adminiculo geniculis adaptato, ne varæ aut compernes fierent. *V.* et voc. seq.

CŌNĀMENTUM, i, n. 2. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 7. (27). *de sparto.* Ad reliquos usus laboriose evellitur, ocreatis cruribus, manu, textisque manicis, convolutum osseis ilignelsve conamentis. *h. e.* osseis vel iligneis fustibus, aut bacillis, quibus juvetur conatus evellentium spartum. *Harduin. V.* CONAMEN 2. Sillig. vocem manu *omittendam recte putat.*

CONANGUSTĀTUS. *V.* COANGUSTATUS.

CŌNĀTĬO, ōnis, f. 3. conatus, conamen. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit: illa comminatio est et conatio sine ictu; ista jaculatio cum ictu. Est qui leg. *tonatio*, sed minus recte. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 9. Conatio ponderis perferendi. *Id.* 5. *ibid.* 1. Ponderis levandi ex inferioribus conatio. Apud *Plin. Valer.* 2. 28. dicitur *conatio* nisus cacaturientis.

CŌNĀTUM, i, n. 2. *V.* CONOR in fin.

CŌNĀTUS, a, um. *V.* CONOR.

CŌNĀTUS, us, m. 4. animi vel corporis impetus, nisus, conamen (It. *sforzo, tentativo*; Fr. *effort, tentative*; Hisp. *esfuerzo, tentativa*; Germ. d. *Ansatz*, oder *Anlauf*, d. *Unterfangen*, d. *Anstrengung* und *Bemühung, etwas zu thun*; Angl. *an attempt, endeavour, effort, exertion*). *Ter. Heaut.* 4. 1. 8. Ne ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Dedit natura belluis et sensum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. *Id. Orat.* 29. 103. Nulla est ullo in genere laus orationis, cujus in nostris orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. *Id.* 12. *Fam.* 10. 2. Conatus optimi et præclarissimi. *Id.* 10. *Phil.* 11. 24. Princeps fuit ad conatum exercitus comparandi. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Militum concursu et telis repulsi hoc conatu destiterunt. *Liv.* 21. 39. Audax trajiciendarum Alpium conatus. *Id.* 32. 28. In ipso conatu belli gerendi. *Scribon. Compos.* 101. Conatus alicujus supra vires. *Quintil.* 2. 4. 4. generosi. *Tac. Agric.* 13. ingentes adversus Germaniam. *Sueton. Ner.* 12. Primo statim conatu. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sueton. Oth.* 4. accedere conatibus alicujus. *Cic. Quinct.* 14. 47. agere aliquid majore conatu studioque. *Quintil.* 8. 5. 29. attollere se conatibus crebris parvisque. *Liv.* 3. 5. capere frustra conatus. Adde *eumd.* 9. 4. et 21. 29. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 11. comprimere conatus nefarios. *Nepos Datam.* 4. deterreri a conatu resistendi. *Cæs.* 2. *B. C.* 21. infringere conatus adversariorum. *Ovid.* 4. *Met.* 249. et *Rem. Am.* 683. obstare conatibus alicujus. *Auct. B. Alex.* 9. occurrere conatibus alicujus. *Cic.* 5. *Fam.* 2. parare conatum omnem in perniciem alicujus. *Liv.* 7. 6. proficisci magno conatu ad hostes. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 26. prohibere omnes alicujus motus conatusque. *Id. Harusp. resp.* 4. 7. refutare conatum alicujus. *Id. Brut.* 10. 42. sedare conatum iracundiæ suæ. *Virg.* 12. *Æn.* 910. succidere in mediis conatibus. *Sil. It.* 13. 161. vibrare nudis conatibus hastam. *Cic.* 1. *Off.* 30. 109. vindicare alicujus perditos conatus.

CONAUDĪTUM, conauditum, sicut et conangustatum dicitur. *Paul. Diac. p.* 65. 8. *Müll.*

CONCĂCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Concacatus.* — Concaco est cacando conspurco. *Phædr.* 4. 17. 11. *de canib.* Totam timentes concacarunt regiam. *Seneca Apocoloc.* 4. Væ me, puto, concacavi me. Quid autem fecerit, nescio, omnia certe concacavit. — Translate *concacatus catillus*, *h. e.* dape colorata, quasi stercore, illitus. *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann* Habuimus caseum molle, ... et catillum concacatum, pax palam edens! In *Cod. Tragur.* legitur, *cangagatum pax palam edes*, ex quibus recte ita interpretatur *Franc. Oriolus*, ut, cum Trimalchio non verecunde *concacatum* appellasset catillum cibo illitum, continuo excusantis fere interjectionem *pax* addiderit convivam appellans.

CONCĂDENS pro *concidens* legitur a nonnullis apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. *ad fin.* Ne usurpaveris.

CONCÆDES, is, f. 3. In singulari num. occurrit tantummodo apud *Ammian.* 16. 12. Sed concæde arborum densa undique semitis clausis, ægre vixere barbari longius amandati. — Ceterum *concædes* plurali numero usurpantur, et sunt fragmenta ex rebus excisis simul posita, vel acervus arborum simul cæsarum ad impediendas vias. *Veget.* 3. *Milit.* 22. Rursus post se præcisis arboribus vias claudunt, quas concædes vocant, ut adversariis facultatem adimant persequendi. *Al. leg.* concides, *quod idem est: al.* compedes, *quod* Stewech. *improbat. Tac.* 1. *Ann.* 50. Castra in limite locat, latera concædibus munitus. Adde *Ammian.* 16. 11. et 12., et 17. 10. Rem quoque ipsam memorat *Cæs.* 2. *B. G.* 17. et 3. *ibid.* 29., tametsi vocem non usurpet.

CONCÆSUS, us, m. 4. (cum *et* cædo) percussio. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Hispanico (*h. e.* ense suo) pectus (*Galli*) hausit; dein continuo humerum dexterum eodem concæsu incidit. *Scaliger.* ita leg.; alii aliter. Cl. *Furlanetto* legendum putavit *concessu*, hoc est Galli patientia ac stupore. Porro *concessu* legit etiam *Aug. Krause, Vitæ et Fragmenta veterum Historicorum Romanorum*, p. 251.

CONCĂLEFĂCĬO *vel* concalfacio, facis, fēci, factum, făcere, a. 3. (cum *et* calefacio). Part. *Concalefactus.* — Concalefacio est calefacio, vel valde calefacio; et occurrit — *a*) Active. *Cic.* 2. *Orat.* 78. 316. Et ait idem, cum brachium concalefecerit, tunc se solere pugnare. — *b*) Passive, et quidem — Formâ *concalefio, factus sum, fieri* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 42. Concalefactam et spirabilem, idest animalem esse voluit. *Lucret.* 4. 698. Omnia quod contrita, quod igni concalefacta. *Varro* 3. *R. R.* 9. 11. Vertere ova, ut æquabiliter concalefiant. Apud *Nepot. Eumen.* 5. occurrit per syncopen *concalfieri.* — Formâ *concalefacior* apud *Vitruv.* 4. 7. 4. *Schneid.* Trabes concalefaciuntur et celeriter putrescunt. — Figurate *Cic.* apud *Non. p.* 92. 22. Nos Ventidianis rumoribus concalficimur. *Ita leg.* Mercer.: *editiones vulg.* concalfecimus.

CONCĂLEFACTŌRIUS, a, um. *V.* CONCALFACTORIUS.

CONCĂLEFĪO. *V.* CONCALEFACIO.

CONCĂLEO, cales, calŭi, cālere, n. 2. (cum *et* caleo) calidus sum.

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 1. 3. 7. Struthea coluthеaque appara bene, ut in scutris concaleant. *Id. Amph.* 1. 3. 15. Prius abis, quam lectus, ubi cubuisti, concaluit locus. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 16. 38. et *Colum.* 2. *R. R.* 18. 1.

II.) Translate. *Ter. Heaut.* 2. 3. 106. Concaluit: quid vis? *h. e.* amore ardet.

CONCĂLESCO, is, ere, n. 3. calorem concipio, calidus fio. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 42. Corpora nostra ardore animi concalescunt. *Vitruv.* 6. 6. 4. *Schneid.* Frumenta non poterunt cito concalescere. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 17. Olea reposita in tabulatum celeriter concalescet. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (304).

CONCALFACTŌRIUS *vel* concalefactorius, a, um, adject. idem ac calefaciens, vel aptus ad calorem excitandum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 83. (141). Vis ei (*herbæ*) concalfactoria.

CONCALLEO, es, ŭi, ere, n. 2. (cum *et* calleo) idem ac calleo, callum obduco.

I.) Proprie, ita tamen ut et ad translatum sensum allusio fiat. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 25. Callidos appello, quorum, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit.

II.) Translate. *Id.* 4. *Att.* 16. 10. Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit. *h. e.* stupidus, obtusus, hebes factus est.

CONCĂMERĀTĬO, ōnis, f. 3. ædis membrum arcuato opere. *Vitruv.* 6. 8. 1. *Schneid.* Si hypogea concamerationesque instituentur. Adde *eumd.* 2. 4. 2. *Schneid.*, *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (22). et *Labeon. Dig.* 32. 30. — In quadam *Inscript.* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 105. legitur *concamaratio ferrea*, et ab ipso *Reinesio* exponitur loculamentum, seu armarium ad reponendas imagines. Hæc eadem *Inscriptio* legitur apud *Fabrett. p.* 688. *n.* 100., ibique *concameratio* est: quæ quidem videtur esse velut mutulus arcuatus, quo imagines illæ parastaticæ imponuntur. *V.* PARASTATICUS, et *Vitruv.* 5. 10. 3. *Schneid.*, ubi quomodo struantur concamerationes ex ferreis regulis, docet. Hanc eamdem *Inscript.* habet *Orell. n.* 2518. et nonnullis mutatis *n.* 1596., qui utrobique legit *concameratio*: sed *concamaratio* occurrit in alia *Inscript.* apud *Henzen* 6596.

CONCĂMERĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONCĂMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Concameratus* et *Concamerandus.* — Concamero est idem ac camero, idest ad fornicis formam et arcuato opere ædifico. *Vitruv.* 3. 4. 1. *Schneid.* Intervalla autem concameranda aut solidanda fistucationibus. *Id.* 5. 11. 2. *Schneid.* Concamerata sudatio. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 42. (148). Eodem lapide architectus Timochares Alexandriæ Arsinoes templum concamerare inchoaverat. *Id.* 11. *ibid.* 24. 28. (82). Concamerare specum. *Sueton. Aug.* 90. In abditum et concameratum locum se recipere. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 3033. *Cod.* 8. 10. 1. Concamerare balneum. — *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Durant per hiemem uvæ pensili concameratæ nodo. *h. e.* e camera suspensæ.

CONCANDĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (cum et candeo) idem quod candeo, ignesco. *Manil.* 1. 874. Numquam futilibus concanduit ignibus æther. *MSS. Codd. habent* excanduit.

CONCĂPES. *Lex XII. Tab.* apud *Festum p.* 364. 26. *Müll.* Tignum junctum ædibus, vineæque concapes ne solvito: ast qui junxit, duplione damnator. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 3. *qui est* De tigno injuncto, 1. Lex duodecim tabularum neque solvere permittit tignum furtivum ædibus, vel vineis junctum, neque vindicare. Quod providenter lex effecit, ne vel ædificia sub hoc pretextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum, qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem. Hactenus *Ulpian.*, ex quo facile colligi videtur, *concapes tignum* dici furtivum, a con, et capio aufero. Hinc *furtum conceptum. V. Conceptus, a, um*, in v. CONCIPIO. *Scalig.* ad *Fest.* interpretatur *tignum vineæ concapes*, lignum depactum ac defixum terræ, et caput habens cum capite vitis commissum, ejus sustinendæ causa: a *caput*, ut *procapis, præcipes*, etc. quæ iidem a *caput* ducuntur. Al. aliter leg. *Müllerus* pro *concapes* legit *concapit*, et plura ibi adnotat, quæ videsis.

CONCAPSA, æ, f. 1. capsa, quæ aliam includit. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 150.

CONCAPTĪVUS, a, um, adject. socius in servitute. *Hieronym. præfat.* in *vers. Ezech.* Exorsus est ad concaptivos loqui. Adde *Vulgat. Interpr. Tob.* 1. 3., *ad Roman.* 16. 7., *ad Coloss.* 4. 10. et *ad Philem.* 23. *Venant. ep. præmiss. carm.* 6. *lib.* 5. Tandem nec opinato concaptivo meo.

CONCARNĀTĬO, ōnis, f. 3. carnalis conjunctio. *Tertull. Monogam.* 9. *sub fin.* Occasio tertiæ concarnationis. *h. e.* digamiæ.

CONCARNO, as, are, a. 1. (cum *et* caro) carne conjungere: ex Gr. συσσαρκοῦν finxit *Tertull. Car. Christi* 20. Cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur et conviseeratur, etc. *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 3. *Schneid.* Si os concarnari non potuerit. *h. e.* carne tegi.

CONCASTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* castigo) idem quod castigo. *Plaut. Trin.* 1. 1. 4. Nam ego amicum hodie meum concastigabo pro commerita noxia. Adde *eumd. Bacch.* 3. 3. 91. et 5. 2. 56. *M. Aurel. inter Ep. Fronton. ad M. Cæs.* 1. *ep.* 9. Tu ne es, qui me nuper concastigabas, quorsum Græce scriberem?

CONCĀTĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. continuus ordo vinculorum.

I.) Proprie. *Cassiod.* 12. *Variar.* 19. Fixum concatenatione navigium.

II.) Translate. ¶ 1. Est continuus ordo alicujus rei. *Augustin.* 3. *Civ. Dei* 30. Sceleratarum concatenatio causarum. *Tertull. Apolog.* 19. Concatenationes temporum. ¶ 2. Item constrictio. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Concatenatio mentis.

CONCĀTĒNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONCĀTĒNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* cateno). Part. *Concatenatus.* — Concateno est simul astringo, connecto. *Lactant.* 3. 17. *de atomis Epicur.* Hamata esse oportet, ut possint invicem concatenari. *Minuc. Felix* 17. 2. Cohærentia, connexa, concatenata. Adde *Ambros. Ep.* 23. *Priscian. de metr. Terent.* § 25. Qui iambus nec concatenatus esse potest cum consequente. Et similiter figurate *Vet. Scholiast* ad *Cic. Mil.* 6. (edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 104.). Hæc sibi familiaria concatena-

vit. — Gruter. ex conjectura tribuit etiam Plauto Capt. 2. 1. 9. Quia concatenati sumus. Al. tamen cum catenis, vel cum catenatis.

CONCĂTERVĀTUS, a, um, adject. coacervatus. Ammian. 31. 13. 2. Concatervatis manipulis, ut nec mucronem exserere, aut manus reducere quisquam posset. Id. 29. 5. 38. Concatervatæ copiæ.

CONCĂVĀTUS, a, um. V. CONCAVO.

CONCĂVĬTAS, ātis, f. 3. cavum. Cæl. Aurel. 2. Tard. 1. n. 14. Concavitas atque distantia loco motos articulos sequitur. Adde Cassiod. præfat. in Psalm. c. 4.

CONCĂVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et cavo). Part. Concavans et Concavatus. — Concavo est in cavum conformo; hinc etiam curvo, inflecto. Ovid. 2. Met. 195. Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpios. Colum. 8. R. R. 5. 11. Ita factis concavatis nidis, ne decidant ova. Nemesian. Eclog. 3. 49. Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit. Fulgent. 2. Mithol. 3. Sicut enim pavus stellatum caudæ curvamen concavans etc.

CONCĂVUS, a, um, adject. (cum et cavus) sinuosus, cavus; cui convexus opponitur. Lucret. 2. 619. Concava cymbala. Cic. Fat. 5. 10. Stupidum esse Socratem dixit, quod jugula concava non haberet. Id. 2. Nat. D. 39. 98. Concavæ altitudines speluncarum. Virg. 4. G. 49. concava pulsu Saxa sonant. Ovid. 4. Met. 30. Concava æra. h. e. tintinnabula. Id. 1. Trist. 11. 20. Inque modum tumuli concava surgit aqua. h. e. unda inflata et tumens. Id. 8. Met. 334. vallis. Id. 10. ibid. 127. brachia Cancri. Cf. eumd. 15. ibid. 369. Id. Heroid. 6. 66. vela. Id. 1. Art. am. 402. Concava puppis. h. e. capax. Cf. eumd. 4. Fast. 276. Colum. 2. R. R. 16. 4. Concavæ positionis campus. Scribon. Compos. 238. uterus. Seneca Herc. Fur. 767. genæ. Id. Ep. 56. Manus plana aut concava. Plin. 11. Hist. nat. 37. 61. (162). dentes. Id. 16. ibid. 24. 38. (92). folia. — Hinc

Concava, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt loci concavi, ut fossæ, etc. Claudian. III. Cons. Honor. 46. ascensu vincere montes, Planitiem cursu, valles et concava saltu. Lactant. Div. Inst. 7. 26. Sub concavis terræ occultari.

CONCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, 3. (cum et cedo). Part. Concedens II. A. 2.; Concessus II. B. a.; Concessurus I. A. a.; Concedendus II. A. 2. — Concedere idem est quod cedere, et duo præcipue significat, scilicet I.) Generatim est recedere, abire; et II.) Speciatim est dare locum alicui, permittere.

I.) Concedere est recedere, abire; et interdum etiam ire aut venire, nam et cedo hunc usum habet: et occurrit

A) Proprie est ab uno ad alium locum ire; et usurpatur — a) Absolute. Plaut. Amph. 3. 3. 1. Concedite atque abscedite. Ter. Hecyr. 4. 2. 22. Tempus est concedere. Sic omnes causas præcidam omnibus. Id. Eun. 1. 2. 102. Impetrare nequeo hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum? — b) Addito termino, a quo quis concedit: et quidem — Per Ablat. sine præpos. Plaut. Epid. 5. 2. 16. Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis? h. e. num discessi ab oculis tuis? Virg. 10. Æn. 215. Jamque dies cælo concesserat. Sil. It. 11. 326. At tu securis concede penatibus. Id. 3. 628. Concedere solio. — Per Ablat. cum præpos. Plaut. Pers. 1. 1. 51. At pol ego abs te concessero. Id. Most. 2. 1. 82. Concedere a foribus. Similiter Ter. Phorm. 5. 1. 14. Concede hinc a foribus paullulum istorsum. Id. Hecyr. 4. 3. 57. Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus. Cic. 1. Cat. 7. 17. Si te parentes odissent tui, ab eorum oculis aliquo concederes. Virg. 2. Æn. 91. superis concessit ab oris. — Per Adverbia. Plaut. Pseud. 1. 5. 158. et Ter. Eun. 1. 2. 126. Concedam hinc intro. Ter. Heaut. 3. 1. 90. Concede hinc domum. — c) Addito termino, ad quem quis concedit: et quidem — Per Accus. sine præpos., quoties agitur de propriis urbium nominibus. Nepos Themist. 8. Argos habitatum concessit. Tac. 14. Ann. 10. Concedere Neapolin. Id. 3. ibid. 11. Patavium. Similiter Ter. Hecyr. 4. 3. 7. rus concessura. Id. Heaut. 3. 1. 90. Concedere domum. — Per Accus. et præpos. Plaut. Aulul. 4. 5. 6. Tantisper hic ego ad januam concessero. Ter. Andr. 4. 4. 12. Concede ad dexteram. Liv. 21. 15. Concedere in hiberna. Tac. 5. Ann. 19. in insulam. Id. 5. Hist. 23. trans Rhenum. Horat. 1. Sat. 4. 143. in turbam. Aurel. Vict. Vir. illustr. 49. sub fin. in exilium voluntarium. — Per Dativum. Apul. 6. Met. Cœnæ nuptiali concessit. h. e. ad cœnam iit nuptialem. — Per Adverbia. Plaut. Merc. 5. 9. 27. mss. Te volo igitur: concede huc (h. e. veni huc; cf. eumd. Bacch. 4. 2. 28.). so. concessi. Id. Asin. 3. 3. 56. istuc. Ter. Heaut. 1. 1. 122. huc. Cic. 2. Divinat. 20. 45. Docet, unde fulmen venerit, quo concesserit. Curt. 3. 4. 5. Concedere retro.

B) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro evanescere, cessare. Virg. 8. Æn. 41. tumor omnis et iræ Concessere deûm. Id. 10. ibid. 820. vita per auras Concessit mœsta ad manes. ¶ 2. Speciatim de personis ponitur, et concedere vitâ, vel concedere absolute est mori. Tac. 14. Ann. 51. Concessit vita Burrus, incertum valetudine, an veneno. Adde eumd. 1. ibid. 3. et 12. ibid. 39. — Absolute Id. 4. ibid. 38. Ut quandocumque concessero, cum laude famam nominis mei prosequantur. Adde eumd. 13. ibid. 30.; et cf. Virg. 2. Æn. 91. ¶ 3. Concedere dicuntur etiam illa, quæ ab una in aliam conditionem mutantur. Lucret. 5. 1010. mulier, conjuncta viro, concessit in unum. Sall. Jug. 18. Victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere. Id. fragm. Hist. 3. 22. Concedere in dominationem. Liv. 28. 7. et 39. 2. in deditionem. Id. 28. 31. et 38. 16. in ditionem alterius. Justin. 24. 2. extr. in matrimonium alicujus. Sil. It. 15. 6. in Tyrias leges. — Et passive impers. Liv. 2. 33. Agi de concordia cœptum: concessumque in conditiones, ut etc. Cf. Tac. 1. Ann. 79. Ut in sententiam Pisonis concederetur. Similiter Liv. 32. 23. extr. Concedere in sententiam alicujus. Et Tac. 2. Hist. 1. in partes. — Concedere in illos, aut in istos, h. e. ad illorum, aut istorum sententiam accedere, dixit Cic. fragm. Acad. apud Augustin. 3. contra Acad. 7.

II.) Concedere est cedere, dare locum alicui: et usurpatur A) Neutrorum more, et B) Active.

A) Neutrorum more. ¶ 1. Ponitur de vi aliqua, cui locum cedendo subjicimur; et occurrit — a) Raro admodum absolute. Liv. 3. 60. Postquam concessum propemodum de victoria credebant. Adde eumd. 4. 16. — b) Sæpius cum Dativo personæ aut rei, cui quis cedit. Plaut. Amph. 1. 1. 120. Neque nox quoquam concedit die. h. e. diei. Id. Cas. 2. 4. 15. De Casina certum est, concedere homini nato nemini. Cic. 1. Off. 22. 77. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Al. leg. laudi. Id. 4. Tusc. 29. 63. Naturæ vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. Id. 1. Cat. 9. 22. Concedere temporibus reipublicæ. Horat. 2. Sat. 3. 305. veris concedere. h. e. veritatis vi se subjicere. Tac. 3. Hist. 29. ictibus saxorum. Id. 13. Ann. 40. obsidioni. — Sic concedere fato, aut in fatum, et concedere naturæ est mori. Primum est Plinii Paneg. 11. et Val. Flacc. 1. 554., alterum Modestini Dig. 34. 3. 20., tertium Sall. Jug. 16. ¶ 2. Item ponitur de alicujus voluntate aut desiderio, cui quis cedit seque subjicit. Ter. Hecyr. 3. 5. 28. Sed quando sese indignam deputat matri meæ, cui concedat. Id. ibid. 2. 1. 37. Rus habitatum abii, concedens vobis. Cic. Mur. 23. 47. Concessit senatus postulationi tuæ. Id. Cæcin. 24. 67. Concedere jurisconsultis. — Huc pertinet et illud Ter. Phorm. 5. 3. 22. Numquamne hodie concedes mihi, neque intelliges? h. e. credes mihi, vel consentias, ut Non. p. 269. 32. Merc. exponit. — Et absolute. Cæs. 1. B. G. 7. Cæsar concedendum non putabat. ¶ 3. Item de peccatis ponitur, et est idem quod ignoscere, quocum aliquando jungitur, ut apud Cic. Rosc. Am. 1. 3. Neque temere dicto concedi, propter ætatem et prudentiam. Id. 4. Verr. 3. 96. Concedere alienis peccatis. Id. 5. Fam. 6. alicui. Horat. 1. Sat. 4. 140. vitio. ¶ 4. Denique sæpius est primas alicui dare; et occurrit — a) Cum Dativo tantum. Cic. 4. Fam. 3. 1. Etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie et peste reipublicæ molestiam traxerit. Id. 10. ibid. 3. Nemini concedens, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse. Id. 3. Fin. 1. 1. Voluptas concedit dignitati. Cæs. 4. B. G. 7. Sese unis Suevis concedere. Sall. Jug. 11. Ut ætati concederet. Liv. 6. 6. Majestati ejus viri concedere. Virg. 2. Ecl. 57. Nec, si muneribus certes, concedat Iolas. — Et passive impers. Sall. Jug. 102. Sulla, cujus facundiæ, non ætati a Manlio concessum —, locutus. — b) Addita re, qua quis primas alteri cedit; et interdum addito etiam Accusativo quantitatis, uti Grammatici appellant. Cic. 4. Verr. 11. 24. Nec amore in hanc patriam nobis concedant. Id. Dejot. 10. 28. Quam nemini (solebat) in illa causa studio et cupiditate concedere. Id. Rosc. Am. 40. 118. Num iste discipulus magistro videtur tantulum de arte concedere? Id. 14. Att. 18. Neque ei quidquam in desperatione concede. Tac. 3. Hist. 64. Concedere alicui de gloria. Cf. Liv. 3. 60., cujus verba superius retulimus sub II. 1. a. — Priscian. 18. p. 1198. Putsch. affirmat Latinam esse hanc loquendi rationem, concedo tibi ullius rei, quemadmodum Attici dicunt παραχωρῶ σοι τοῦδε: sed exemplum quod rem conficiat, nullum affert.

B) Active concedere est dare, permittere, largiri, condonare; et occurrit — a) Cum Accusativo rei et fere semper cum Dativo personæ. — Generatim; et quidem Activâ formâ. Plaut. Cas. 2. 3. 47. Illum mihi æquius est, quam me illi, quæ volo concedere. Cic. Amic. 11. 38. Concedere amicis quidquid velint. Id. Cæcin. 35. 103. Neque concedere quidquam audaciæ petulantiæque alicujus. Id. Planc. 14. 33. Concedere libertatem alicui in aliqua re. Sic Cæs. 4. B. G. 15. Iis Cæsar libertatem concessit. Rursus Cic. Divin. in Q. Cæcil. 15. 49. Concedere alicui primas in dicendo partes. Cf. Nepos Timoth. 2. Sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt. Cic. 3. Verr. 15. 38. bona diripienda. Sic Cæs. 3. B. C. 8. oppidum militibus ad diripiendum. Liv. 10. 24. honores et præmia alicui. Auct. B. G. 8. 44. et Auct. B. Alex. 31. vitam alicui. Adde Sueton. Cæs. 88. Virg. 7. Æn. 305. Calydona Dianæ in iras. Horat. 2. Ep. 2. 142. ludum pueris. Propert. 3. 7. 59. hoc laudis alicui. Stat. 5. Silv. 3. 264. veniam alicui. — Item generatim, sed Passive. Cæs. 2. B. G. 44. Habere sedes in Gallia ab ipsis Gallis concessas. Adde Liv. 21. 1. et Quintil. 12. 10. 43. Virg. 2. Æn. 798. Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ. Ovid. 3. Amor. 4. 15. de equo. ut primum concessas sensit habenas. Id. 9. Met. 453. Amare concessa. Horat. 1. Sat. 4. 113. Concessa Venus. Lucan. 2. 446. Concessa pudet ire via, civemque videri. — Speciatim ponitur et pro condonare, remittere. Ter. Adelph. 2. 2. 9. Si nunc de tuo jure concessisses paullulum. Cf. Cic. 2. Off. 18. 64. Id. Cic. 4. Verr. 1. 49. Concedere peccata. Sueton. Ner. 29. extr. multis delicta. Plin. 8. Ep. 2. partem octavam pretii. Et ipso in jure Cic. Rosc. com. 6. 19. Laudem veritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas. Id. Cluent. 69. 195. Peccata liberum parentum misericordiæ concesserunt. — Item specialim in re politica. Cic. Prov. cons. 18. 44. Dolorem et inimicitias meas reipublicæ concessi. Id. 2. Phil. 2. 4. Concedere alicui auguratus petitionem. Id. Marcell. 1. 3. Cum M. Marcellum senatui reique publicæ concessisti. Adde eumd. Ligar. 12. 37.; Nepot. Att. 7. extr.; et Tac. 2. Ann. 55. — b) Cum Infinito. Lucret. 1. 830. nec nostrâ dicere linguâ Concedit nobis patrii sermonis egestas. Horat. Art. P. 373. mediocribus esse poetis Non di, non homines, non concessere columnæ. Curt. 8. 8. 3. Servis quoque pueros hujus ætatis verberare concedimus. Stat. 6. Theb. 134. concedunt plangere matri. — Et passive Cæs. 6. B. G. 19. De republica nisi per concilium loqui non conceditur. — c) Cum Accusativo et Infinito. Lucret. 4. 380. oculos falli concedimus. Cic. Rosc. Am. 28. 76. Culpam inesse concedam. Id. Amic. 14. 50. Concedatur profecto verum esse etc. — Apud Poetas occurrit etiam passive concessus pro eo, cui concessum est, seu concedor pro mihi conceditur. Virg. 3. Æn. 700. et fatis numquam concessa moveri Apparet Camarina procul. Manil. 4. 337. Quæ fastidito concessa est jure potiri. — d) Sequente ut, aut ne. Cic. 3. Verr. 12. 32. Vos, quæso, date hoc et concedite pudori meo, ut etc. Id. Rosc. Am. 19. 54. Verum concedo tibi, ut ea prætereas, quæ, cum taces, nulla esse concedis. Sic Sueton. Aug. 32. Judicandi munus detrectantibus vix concessit, ut etc. Rursus Cic. 1. Off. 35. 129. Nec vero histrionibus oratoribusque concedendum est, ut iis hæc apta sint, nobis dissoluta. Auct. B. G. 8. 48. Unum illud erat, ut timori suo concederetur, ne in conspectum veniat cujusquam Romani. — Et per ironiam Cic. Amic. 5. 18. Concedant, ut hi viri boni fuerint. Cf. Id. 13. Fam. 18. Non concedam, ut Attico nostro jucundiores tuæ litteræ fuerint, quam mihi. — e) Concedere est etiam frequentis usus in disputando, cum damus adversario aliquid eorum, quæ contra nos dicuntur; et occurrit — Sequente Conjunctivo, ita tamen ut concedo parenthesi sit includendum. Cic. 4. Verr. 32. 78. Concedo: forsitan

aliquis aliquando ejusmodi quidpiam fecerit. *Catull.* 114. 5. Quare, concedo, sit dives, dum omnia desint. — Absolute, ita tamen ut Accusativus ex ipso orationis contextu facile innotescat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 89. Beatos esse deos sumpsisti: concedimus. Huc pertinet et illud ejusdem *Cic.* 2. *Divinat.* 51. 106. Videsne, quæ dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? — Item absolute efferuntur et illa *Cic.* 1. *Fam.* 2. 2. Consules neque concedebant, neque valde repugnabant. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 13. te, dulcis amice, reviset Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.

CONCELĔBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONCELĔBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et celebro). Part. *Concelebrans* I.; *Concelebratus* II. 1.; *Concelebrandus* I. et II. 2. — Concelebro est idem quod celebro, frequento.

I.) Proprie est aliquem locum sæpe et frequenter invisere, festum aliquod solemne reddere. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 32. Diem natalem concelebrare. *Id. Cas.* 4. 3. 2. Age, tibicen, suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo. *h. e.* fac personet platea hymenæi vocibus. *Lucret.* 1. 4. Alma Venus, cœli subterlabentia signa, Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes Concelebras. *h. e.* invisendo, et frequentando animantum frequentia comples. *Non. p.* 274. 31. *Merc.* exponit *commoves*. Alii explicant, quæ cœlo, terra, marique vagaris. *Id.* 2. 345. Loca aquarum concelebrant volucres. *Cic. pro leg. Manil.* 21. 61. At eam quoque rem (*triumphum*) populus Romanus studio omni visendam et concelebrandam putavit. *Q. Cic. Petit. Consul.* 11. 44. Convivia concelebrentur et passim et tributim. *Tibull.* 1. 8. 50. Concelebrare ludos Geniumque choreis. *Liv.* 8. 7. *ad fin.* Concelebrare funus. *Ovid.* 4. *Fast.* 354. Concelebrare dapes. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 4. (9). Mercatus in Delo concelebrante toto orbe.

II.) Translate occurrit ¶ 1. De rebus, quæ simul cum aliis diligentissime fiunt. *Cic.* 1. *Invent.* 3. 4. Studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituerunt. ¶ 2. De iis, quæ ludis et canticis comitata, aut litteris tradita vulgantur et nota omnibus redduntur. *Lucilius* apud *Non. loc. cit.* Multis inductum sermonibu' concelebravit. *h. e.* diu amavit. *Lucret.* 5. 1330. Carmina cantu concelebrare. *Cic.* 2. *Invent.* 23. 70. Virtutis concelebrandæ causâ monumentum statuere. *Q. Cic. Petit. Consul.* 13. 50. Concelebrare rumorem. *Cæs.* 3. *B. C.* 72. Concelebrare victoriam per orbem terrarum famâ ac litteris. *h. e.* vulgare, et notam omnibus reddere. *Porc. Latro declam. in Catil.* 29. Concelebrata divinatio. *h. e.* prædicata, jactata.

CONCELLĀNEUS, i, m. 2. qui cum altero in eadem cella habitat. *Ennod. Opusc.* 6. Quem sacerdotem substantiæ exilitas non permiserit habere consortem, ipse concellaneus fiat alterius.

CONCELLITA, æ, m. 1. qui in una simul cella cum alio monachum agit. *Sidon.* 8. *Ep.* 14. Concellita Luporum Maximorumque. — Est etiam quisquis in eadem cella habitat, vel qui eidem cellæ præest. *Inscript.* apud *Donat.* 320. 1. *ex Passion.* p. 35. n. 12. TI. IVLIVS SEIVS FECIT SIBI ET EVTYCHO CONCELL. ET FVRNARIO. Sunt qui putant legendum *concellario* vel *concellioni*.

CONCĒLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem quod celo. *Gell.* 11. 9. Non id postea concelavit, quin gloriæ quoque hoc sibi assignavit. *Id.* 15. 2. Concelare errores.

CONCENTĬO, ōnis, f. 3. concentus, multorum simul canentium vox; quod vocabulum ex Gr. ἁρμονία fluxit *Cic. Tim.* 8. Est autem unus ex omnibus rationis concentionisque (ἁρμονία Græce) sempiternarum rerum et sub intelligentiam cadentium compos et particeps. *Orell.* sic legit; alii *consensionisque*, et alii *contentionisque*. *Cic. Sext.* 55. 118. Cum ageretur togata, *Simulans*, caterva tota, clarissima concentione, in ore impuri hominis imminens, concionata est: Huic vitæ tuæ, etc. *Apul. de Mundo.* Mundanæ varietates, et instar unius concentionis.

CONCENTOR, ōris, m. 3. qui concinit. *Isid.* 7. *Orig.* 12. Concentor dicitur qui consonat.

CONCENTŬRIO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et centuria) per centurias colligo et dispono. Jöculariter *Plaut. Pseud.* 1. 5. 159. Dum concenturio in corde sycophantias. *Id. Trin.* 4. 2. 160. Epistola illa mihi concenturiat metum in corde. *h. e.* auget.

CONCENTUS, us, m. 4. vox et cantus multorum simul, consensus et harmonia plurium una canentium (It. *concerto, armonia*; Fr. *concert, harmonie*; Hisp. *concierto*; Germ. *d. zusammenstimmende Singen oder Tönen Mehrerer*; Angl. *a concert of music, singing in tune, symphony*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est consensus et harmonia plurium una canentium. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Sonus, qui acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. *Id.* 1. *Legg.* 7. 21. et *Virg.* 1. *G.* 422. Concentus avium. *Ovid.* 1. *Fast.* 155. volucres concentibus aera mulcent. *Id.* 11. *Met.* 11. Concentus vocisque lyræque. *Liv.* 9. 41. Concentus tubarum ac cornuum. Adde *Quintil.* 1. 10. 11. *Id. Quintil.* 9. 4. 11. Concentus signorum. *Stat.* 6. *Theb.* 227. Multa gemunt contra raucis concentibus agri. ¶ 2. Metonymice usurpatur de multis vocibus consonis. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 196. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo, non modo catervæ atque concentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes ejiciantur. V. *Ellendt.* ad h. l. et cf. *Tac.* 16. *Ann.* 4. *Gell.* 7. 20. *ad fin.* Ebriosa dixit propter consequentis litteræ concentum. Loquitur *Gell.* de illo *Catulli* 27. 4. Ebriosa acina ebriosioris. — De multitudinis plausu in theatro dixit *Plin. Paneg.* 2. et 46. — Apud *Tertull. advers. Jud.* 1. *Concentus disputationis* est ipse disputantium clamor et concertatio.

II.) Translate. ¶ 1. Abstracte de coloribus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 24. (91). Omnium in transitu colore inenarrabili, et in unum redeunte concentum. — Item de plurium odorum mistione. *Id.* 12. *ibid.* 19. 42. (86). Comitata vero fabula est ad meridiani solis repercussus inenarrabilem quemdam universitatis halitum e tota peninsula existere, tot generum aura e spirante concentum. At *Sillig* rectius leg. *conceptum*. ¶ 2. Fere concreto, uti ajunt, sensu ponitur de animis, seu de personis pro concordia, consensione, et cum *consensu* sæpe jungitur. *Cic.* 3. *Orat.* 6. 21. Omnium doctrinarum quasi consensus concentusque. *Id.* 2. *Divinat.* 4. 34. Naturæ concentus atque consensus. *Id.* 1. *Off.* 40. 145. Melior actionum, quam sonorum concentus est. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 31. Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi. Adde *Tac. Germ.* 3. et *Plin. Paneg.* 4.

CONCEPTĀCŬLUM, i, n. 2. quod aliquid continet.

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 45. 44. (115). In domibus multis manu facta, inclusa opacitate, conceptacula auras suas habent. *h. e.* Italice, *gli sfiatatoj artificiali nel vuoto dei muri producono vento.* Hæc *Vitruv.* 7. 4. 1. *Schneid.* vocat *spiramenta*. *Gell.* 18. 10. Vena est conceptaculum sanguinis: arteria est conceptaculum spiritus. Adde *Frontin. Aquæd.* 22. (cujus verba *V.* in voc. seq.); *Macrob.* 7. *Saturn.* 12.; et *Cod. Theod.* 15. 2. 2. et 5. *Cassiod.* 11. *Variar.* 6. *ad fin.* Esto conceptaculum, quod audita custodias, quod suscepta non fundas.

II.) Translate. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). Superbia alibi conceptaculum, sed in superciliis sedem habet.

CONCEPTĒ, adverb. idem ac conceptis verbis: *V. Conceptus* in fin. voc. CONCIPIO. *Vetus Scholiast.* ab *A. Mai* editus ad *Cic. orat. cum populo grat. eg.* p. 43. edit. Rom. an. 1828. Concepte posita sententia.

CONCEPTĒLA, æ, f. 1. conceptaculum. *Frontin. Aquæd.* 22. Nec Virgo, nec Appia conceptelas, idest piscinas habent. *Poleni* editio ex MSS. habet *conceptacula*: quod certe est magis Latinum quodque habet etiam *Buecheler*.

CONCEPTIO, ōnis, f. 3. actus concipiendi, complexio, comprehensio.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est comprehensio seminis. *Cic.* 2. *Divinat.* 22. 49. Conceptio mulæ contra naturam fortasse: sed partus prope necessarius. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 40. (83). Caucalis conceptionibus multum confert. — Huc pertinet et illud *Vitruv. præfat.* 8. *Schneid.* Terra ex cœlestium imbrium conceptionibus inseminata, fetus procreat. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est collectio, complexio. *Frontin. Aquæd.* 66. 67. 71. 73. et alibi. Conceptio aquæ. *h. e.* collectio ejus ex fonte, lacu vel flumine, ut per aquæductum in urbem perducatur. Et *ibid.* Modus conceptionis. *h. e.* quantitas aquæ collectæ et in aquæductum derivatæ. *Vitruv.* 9. 1. 2. *Schneid.* Mundus est omnium naturæ rerum conceptio summa.

II.) Translate. ¶ 1. Conceptio judicii, verborum, jurisjurandi etc., est ratio, institutio, ordo, formula. *Cic.* 2. *Invent.* 19. 58. Omnis conceptio privatorum judiciorum in jure constituitur. *Paul. Dig.* 3. 5. 46. In extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur. *Ulp. ibid.* 12. 2. 34. Si de qualitate juramenti fuerit dubitatum, conceptio ejus in arbitrio judicantis est. *Paul. ibid.* 2?. 3. 56. Conceptio stipulationis. *Id. ibid.* 48. 2. 3. libellorum. *Pompon. ibid.* 45. 1. 5. verborum. ¶ 2. *Conceptio rei* apud *Gell.* 11. 13. est expressio, seu explicatio rei verbis facta. Adde *Arnob.* 5. 36. ¶ 3. Apud Grammaticos idem est, quod syllaba. *Charis.* 1. p. 1. *Putsch.* V. COMPREHENSIO II. 1.

CONCEPTĬŌNĀLIS, e, adject. ad conceptionem pertinens. *Fulgent.* 2. *Mithol.* 8. Juppiter Tiresiæ conceptionale fatum futuri germinis subministrat. *Alii leg.* conceptionem fatim. *V.* FATIM. *Firmic.* 7. *Mathes.* 1. Si una malevola (*stella*) in conceptionali sole fuerit inventa, qui natus fuerit, exponetur.

CONCEPTĪVUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

CONCEPTĪVUS, a, um, adject. ¶ 1. Est qui concipitur, hoc est aliunde petitur et assumitur. *Tertull. Resurr. carn.* 40. Fides et dilectio non substantiva animæ, sed conceptiva. *h. e.* quæ in anima concipiuntur. ¶ 2. Item qui exprimitur et declaratur. Hinc *Conceptivæ feriæ* apud *Varron.* 6. *L. L.* 26. *Müll.*, quæ non habebant certos et constitutos dies, sed a magistratibus, vel sacerdotibus concipiebantur in dies certos, vel etiam incertos, ut Latinæ, Sementivæ, Paganalia, Compitalia; vulgo *festa mobilia*. Ita *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. et *Paul. Diac.* p. 62. 15. *Müll.* Eas *Varro loc. cit.* 29. vocat etiam *conceptas*. Quod vero *cit. c.* 26. scribit *conceptivas esse, quæ non sunt annales*, non hoc dicit, non fuisse quotannis observatas, sed non recurrisse intra ipsum anni spatium, at modo antea, modo postea, quotannis tamen. *V. Marin. Frat. Arv.* p. 128. — Hinc

Conceptivum, i, m. 2. absolute, substantivorum more, pro mente atque imaginandi vi dixit *Venant.* 5. 6. *in pros.* Conceptivo meo.

CONCEPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* concipio. — Part. *Conceptans* II. — Concepto est simul capio, comprehendo, et speciatim semen ad fetum comprehendo.

I.) Proprie. *Arnob.* 4. 21. His in lucem prodeunt generationibus dii vestri, quibus asini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis conceptatur et genitur terrenarum proluvies bestiarum.

II.) Translate. *Ammian.* 31. 10. 26. Germani exarsere flagrantius, majoraque conceptantes, nostra confidentius irruperunt. *h. e.* cogitantes, parantes.

CONCEPTOR, ōris, m. 3. qui concipit. *Arat.* 2. *Act. Apost.* 16. 437. Peccati conceptor erat.

CONCEPTUM, i, n. 2. *V.* in CONCEPTUS, us.

CONCEPTUS, a, um. *V.* CONCIPIO.

CONCEPTUS, us, m. 4. idem quod conceptio.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte et quidem — *a*) Generatim. *Sueton. Vitell.* 8. Flagrante triclinio ex conceptu camini. *h. e.* quod caminus ignem conceperat. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (53). *de Tiberi.* Novenorum conceptu dierum navigabilis. *h. e.* postquam cohibitæ fuerint aquæ, ut emissæ largius fluant. — *b*) Speciatim est conceptio fetus. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 93. Quædam oriebantur ex hominum pecudumve conceptu. Adde *eumd. Tim.* 11. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 43. (126). Cochleæ in cibo sumptæ accelerant partum: item conceptum. — Dicitur etiam eodem sensu de plantis. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (13). Ut absumpto partu arborum sequatur protinus conceptus, idest germinatio. *Id. ibid.* 18. 30. (134). Conceptus satorum. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu ponitur pro ipso fetu, et reperitur aliquando in neutro genere, si tamen certa est lectio. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (248). Conceptus leporis utero exemptus. *Sueton. Domit.* 22. Coacta conceptum a se abigere. *Scribon. in epist. ad C. Jul.* Medicamentum, quo conceptum excutitur. ¶ 3. Item est conceptaculum. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 15. Vidisse flumina ingentia, et conceptus aquarum inertium vastos. *V.* CONCEPTIO I. 2.

II. Translate pro consilio, cogitatione, deliberatione. *Firmic.* 5. *Mathes.* 12. Qui omnes animi sui conceptus studeant ad finem usque deducere. *Capell.* 5. p. 137. Quam pronunciandi congruens modulatio, qui gestus in motu, quæ profunditas in conceptu.

CONCERNO, is, ere, a. 3. (cum et cerno). ¶ 1.

Concerno est simul cerno. Augustin. 5. Confess. 10. extr. Talem naturam ejus nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem, et non inquinari, non videbam. h. e. misceri, veluti ea, quæ simul cernuntur, h. e. cribrantur. ¶ 2. Item constituo, decerno. Q. Cic. Petit. cons. 5. 19. Hæc tibi omnia parata esse debebant, sicut parata esse concerno. Hæc cl. Furlanetto in Appendic. At Orell. ex meliorib. Codd. leg. confido.

CONCERPO, pis, psi, ptum, pere, a. 3. (cum et carpo). Part. Concerptus I. — Concerpo est idem ac discerpo, lacero.

I.) Proprie. Cic. 10. Att. 12. Tu eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito. Liv. 38. 55. Concerpere librum. Adde Gell. 4. 18. Plin. 21. Hist. nat. 3. 9. (13). Folia coronæ concerpta in scyphum. Id. 28. ibid. 15. 61. (216). Linteolum concerptum. Adde eumd. 31. ibid. 9. 45. (100). Sueton. Ner. 47. Concerpere litteras. Apic. 4. 3. sub init. Pulpas piscis cocti concerpis. Alii tamen aliter leg.

II.) Translate. Cælius apud Cic. 8. Fam. 6. ad fin. Quod scripsi, Curionem valde frigere, jam calet: nam ferventissime concerpitur. h. e. dictis laceratur.

CONCERPTUS, a, um. V. voc. præced.

CONCERRÆ. V. CONGERRO.

CONCERTĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et certo) certamen, contentio. Cic. Sext. 36. 77. Concertatio magistratuum. — Ceterum occurrit de dialectica disputatione. Id. 1. Divinat. 30. 62. Carneades concertationis studio modo ait hoc, modo illud. Adde eumd. 1. Orat. 43. 194. Id. 2. ibid. 16. 68. Sine ulla serie disputationum, et sine jejuna concertatione verborum. Id. Partit. orat. 23. 81. Concertatio captatioque verborum. ubi illa disputandi prudentia eidem opponitur, et Turneb. l. 3. Adversar. c. 2. recte notat designari a Cic. hac voce sophistarum τὴν ἐριστικήν. Id. 1. Fin. 8. 27. Concertatio in disputando pertinax. Plin. 29. Hist. nat. 1. 5. (11). de medicis. Nec dubium est omnes istos, famam novitate aliqua aucupantes, anima statim nostra negotiari. Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente ne videatur accessio alterius. Adde eumd. 20. ibid. 18. 76. (200).

CONCERTĀTĪVUS, a, um, adject. pertinens ad simul certandum. Quintil. 7. 2. 9. Mutua accusatio, quam Græci ἀντικατηγορίαν vocant, nostri quidam concertativam.

CONCERTĀTOR, ōris, m. 3. qui simul certat, æmulus. Tac. 14. Ann. 29. Paullinus scientia militiæ, et rumore populi, Corbulonis concertator.

CONCERTĀTŌRĬUS, a, um, adject. contentiosus. Cic. Brut. 83. 287. Hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus.

CONCERTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CONCERTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (cum et certo). Part. Concertans 1.; Concertatus 2.; Concertaturus 3. — Concerto est idem quod certo, vel simul certo. ¶ 1. Generatim est æquis viribus cum alio certare, æmulari. Colum. 8. R. R. 15. 4. Aves nandi velocitate concertant. Sueton. Aug. 21. Pluribus quondam de regno concertantibus. — Cum Dativo, figurate. Manil. 5. 507. triclinia templis Concertant, tectique auro jam vescimur auro. ¶ 2. Speciatim est cum aliquo verbis disputare aut altercari. Cic. 3. Att. 12. Numquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarim. Id. pro leg. Manil. 10. 28. Sæpius cum hoste conflixit (Pompejus), quam quisquam cum inimico concertavit. Id. 3. Nat. D. 16. 42. Concertare cum aliquo de re quapiam. Sueton. Cal. 22. De aliqua re super cœnam concertare. — Et cum Accusativo. Cic. Partit. orat. 28. 99. Quæ ante, quam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non sint. h. e. certando disputata. ¶ 3. Item speciatim de bellica pugna. Cæs. 6. B. G. 5. Pro explorato habebat, Ambiorigem prælio non esse concertaturum. — Et jlocaliter Ter. Adelph. 2. 2. 3. Te audio nescio quid concertasse cum hero.

CONCESSĀTĬO, ōnis, f. 3. cessatio. Colum. 11. R. R. 1. 16. In itinere conficiendo sæpe dimidio maturius pervenit is, qui naviter, et sine ullis concessationibus permeabit.

CONCESSĬO, ōnis, f. 3. actus concedendi. ¶ 1. Generatim occurrit — a) Cum Genitivo subjecti, seu personæ concedentis, quod fere per pronomen possessivum effertur. Cic. 3. Att. 21. Et nostra concessione omnem vim sui juris amiserint. Id. orat. in. Tog. cand. fragm. II. 1. p. 522. Orell. Concessio competitorum. — b) Cum Genitivo objecti, hoc est rei concessæ. Cic. 3. leg. Agr. 3. 11. Concessio agrorum. Adde Tac. 3. Ann. 73. Plancus apud Cic. 10. Fam. 8. 3. Concessiones præmiorum. — c) Addita re concessa per part. ut. Varro 1. R. R. 17. 7. Concessio, ut peculiare aliquid in fundo pascere liceat. ¶ 2. Speciatim concessio est figura rhetorica, cum aliquid etiam iniquum videtur orator pati atque concedere, ut quæ deinde dicturus est, graviora videantur. Quintil. 9. 2. 51. ¶ 3. Item speciatim pars constitutionis juridicialis, cum reus postulat sibi ignosci: et dividitur in purgationem et deprecationem. Cic. 1. Herenn. 14. 24. et 2. Invent. 31. 94.

CONCESSĪVUS, a, um, adject. qui concedit. Vox est Servii ad illud Virg. 10. Æn. 33. neque illos Juveris auxilio. Concessivus est, inquit, modus iste secundum Probum. Diomed. 1. p. 390. Putsch. Concessiva species. Vet. Scholiast. ad Cic. Sull. 13. (edente A. Mai. in Class. Auct. T. 2. p. 265.). Ad formam concessivam revocans argumentationem.

CONCESSO, as, āvi, ātum, are, n. 1. frequentat. a concedo, cesso, desisto: et occurrit — a) Absolute. Plaut. Asin. 2. 2. 24. Concessare pedibus. Fronto ad M. Antonin. Aug. 1. Ep. 2. Qui interdum concessarit, aut restiterit. per syncop. pro concessaverit. — b) Cum Infinito. Plaut. Pœn. 1. 2. 9. Numquam concessavimus lavari, aut fricari, aut ornari.

CONCESSUM, i, n. 2. permissio, concessio. Cic. Cæl. 20. 48. Sed abhorret non modo ab hujus sæculi licentia, verum etiam a majorum consuetudine atque concessis. Ernestus suspicatur legendum esse concessu. V. CONCESSUS, us.

CONCESSUS, a, um. V. CONCEDO.

CONCESSUS, us, m. 4. idem quod permissio: sed Ablativo tantum casu occurrit. Cic. Cæl. 12. 28. Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus ætati. Id. 1. Fam. 6. extr. Quiescere concessu et beneficio alicujus. Id. Tim. 11. in fin. Philosophia data est mortalium generi deorum concessu atque munere. Adde eumd. Brut. 21. 84. Cæs. 7. B. G. 20. Cæsaris concessu. Tac. 12. Ann. 41. fratrum. Adde eumd. Tac. alibi sæpe; et V. CONCÆSUS.

CONCHA, æ, f. 1. κόγχη, testa durior piscium (de testarum varietate omnino videndus Plin. 9. Hist. nat. 33. 52. (102).) a voce Græca allata (It. guscio, nicchio, conchiglia; Fr. coquille; Hisp. concha; Germ. d. zweischalige Muschel; Angl. a shell-fish, a shell, sea-shell).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de quacumque duriore piscium testa. Plaut. Rud. 2. 1. 15. Nisi quid concharum cepimus, incœnati sumus profecto. Adde eumd. ibid. v. 8. Cic. 2. Orat. 6. 22. Conchas et umbilicos ad Cajetam legere. Id. 2. Nat. D. 48. 123. Pinna duabus grandibus patula conchis, etc. admonita a squilla, morsu comprimit conchas. Adde Lucret. 2. 374. et 4. 937.; et Virg. 2. G. 348. Ovid. 6. Fast. 174. Ostreaque in conchis tuta fuere suis. Id. 4. Met. 725. Conchæ cavæ. Id. 15. ibid. 264. marinæ. Horat. 2. Sat. 4. 28. viles. — Conchæ minutæ sunt, quas nos cappe appellamus, frequentes in cibis. Plin. 35. Hist. nat. 6. 18. (36). ¶ 2. Specialiter dicitur de illis, in quibus margaritæ nascuntur: de quibus multa Plin. 9. Hist. nat. 35. 54. et alibi. Adde Sueton. Ner. 31. ¶ 3. Hinc metonymice ponitur pro margarita. Tibull. 2. 4. 29. Hic dat avaritiæ causas, et Coa puellis Vestis, et rubro lucida concha mari. Adde eumd. 4. 2. 19.; Propert. 3. 11. 6.; et Ovid. 10. Met. 260. et 2. Amor. 11. 13. ¶ 4. Item speciatim de illis, quibus integuntur purpuræ, ex quarum sanie nobilissimus ille purpureus color olim fiebat. Lucret. 2. 500. Melibœaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore. Hinc pro ipsa purpura occurrit apud Ovid. 10. Met. 267. Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis. ¶ 5. Denique de testa cochlearum. Colum. 10. R. R. 323. teneras audent erodere frondes Implicitus conchæ limax hirsutaque campe.

II.) Figurate. ¶ 1. Est genus vasis concavum ad conchæ similitudinem ad varios usus. Horat. 1. Sat. 3. 13. sit mihi mensa tripes et Concha salis puri. h. e. salinum. Id. 2. Od. 7. 22. funde capacibus Unguenta de conchis. h. e. ampullis: conchas vero hasce unguentarias fuisse plerumque ex conchis margaritarum, colligi potest ex Plin. 9. Hist. nat. 35. 54. (109). Cato R. R. 66. Capulator concha oleum tollat. Sic Colum. 12. R. R. 5. 50. Conchæ, quibus oleum depletur. Plin. 33. Hist. nat. 5. 26. (88). Chrysocolla tunditur, dein lavatur in conchis. h. e. in catinis. Martian. Dig. 33. 7. 17. Penicuti, canteria, conchæ. h. e. vasa, in quibus colores ad pingendum servantur. Juvenal. 6. 303. Cum bibitur concha. h. e. cum in vase unguentario vinum bibitur unguento mistum; quod in luxu et ebrietate aliquando fiebat. Adde Paul. 3. Sentent. tit. 7. sub fin.; item Caton. R. R., ubi pro certo genere mensuræ ponitur, 56. Sumito farinæ minutæ conchas duas. ¶ 2. Propter similitudinem formæ, concha dicitur etiam genus tubæ, quæ a Poetis tribuitur Tritonibus, qui sunt Neptuni tubicines. Plin. 9. Hist. nat. 5. 4. (9). Visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem. Adde Ovid. 1. Met. 333. Lucan. 9. 349. ventosa perflantem murmura concha. Virg. 6. Æn. 171. tribuit Miseno tubicini Æneæ. ¶ 3. Significat etiam pudendum muliebre, quod hodieque nostrates ostrica appellant. Plaut. Rud. 3. 3. 42. Te (Venus) ex concha natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas. h. e. harum puellarum pudenda. Hac de re cf. Fulgent., qui 2. Mythol. 4. ait: Venus concha marina pingitur portari, quod hujus generis animal toto corpore simul aperto in coitum misceatur, sicut Juba in Physiologis refert.

CONCHĀTUS, a, um, adject. in modum conchæ curvatus. Plin. 10. Hist. nat. 20. 22. (43). Conchata cauda pavo quærit, etc.

CONCHEUS, a, um, adject. ad concham pertinens. Virg. Cul. 66. nec Indi Conchea bacca maris pretio est. Bacca conchea est margarita.

CONCHĬCLA, æ, f. 1. per syncopen pro conchicula, deminut. a conchis. Conchicla faba apud Apic. 5. 4. eadem est ac conchis, scil. faba integra et solida, cum cortice suo decocta. Cf. Petron. Satyr. 66. — Hinc

CONCHĬCLĀTUS pullus vel porcellus apud Apic. 5. 4.

CONCHIS, is, f. 3. κόγχος. Hoc nomen carere plurali numero docet Priscian. 5. p. 663. Putsch. — Conchis est faba integra, et cum cortice suo, a conchæ similitudine, quod fracto cortice velut implicita conchis suis caruncula videatur, cui opponitur faba fresa: vel edulium ex faba peculiari ratione condita, de qua Apic. loc. cit. in voce præced. verba facit. Ab Athen. l. 4. c. 16. inter viliores cibos numeratur, et κόγχος appellatur. Martial. 13. 7. cujus lemma est Conchis faba. Si spumet rubra conchis tibi pallida testa, Lautorum cœnis sæpe negare potes. Adde eumd. 7. 77. Juvenal. 3. 293. Cujus aceto, Cujus conche tumes? Adde eumd. 14. 131. M. Aurel. inter epist. Fronton. 4. ad M. Cæs. ep. 6. (edente iterum A. Mai). Quid me censes prandisse? panis tantulum, cum conchim, cæpas et mænas bene prægnantes alios vorantes viderem. Hic Id. Maius perperam putat, conchim esse adverbium.

CONCHĬSŎNUS, a, um, adject. qui concha sonat. Stat. 1. Achill. 55. cantuque quieto Conchisoni Tritones eunt, scopulosaque Cete. Ita legit in suo codice Ricciolius auctor Prosodiæ Bononiensis. Ceteri omnes habent armigeri. Ad quem locum ita notat Vet. Scholiast. anonym. in Bibliotheca Florentina Medicea: Tritones sunt pisces, qui dicuntur magna buccina ferre arma Neptuni.

CONCHĪTA. V. CONCHYTA.

CONCHŬLA, æ, f. 1. deminut. a concha, parva concha. Cels. 2. 29. Omnes fere conchulæ, maximeque jus earum. Val. Max. 8. 8. n. 1. Constat, vagas litoribus conchulas, et umbilicos lectitasse. Adde Apul. de Mag.

CONCHȲLĬĀRĬUS, ii, m. 2. Secundam syllabam Latini producunt: at Græci corripiunt. — Magister conchyliarius is dicitur, qui lanæ conchilio inficiendæ præest, idem ac purpurarius. Inscript. apud Donat. 315. 8. AVRELIUS FRUCTUARIS MAGISTER CONQUILIARIVS. h. e. conchyliarius, nam sæpe Latini, ut probat Marin. Frat. Arv. p. 293., c et ch mutant in q et qu, y vero sæpissime in u vel i. V. vocem seq.

CONCHȲLĬĀTUS, a, um, adject. ¶ 1. Est conchylii colore tinctus, purpureus. Cic. 2. Phil. 27. 67. Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. Plin. 9. Hist. nat. 39. 64. (138). Conchyliata vestis. Plin. Valer. 1. 9. Ad omnes infusiones auriculæ conquiliata (leg. conchyliata) lana obturandæ sunt. Cf. Sueton. Cæs. 43.; et Petron. Satyr. 54. Et Marcell. Empir. 9. Cum opus

est, infunditur hæc compositio in auriculam ex lana conchyliata, eaque clauditur. Hinc *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 25. (77). Per se conchylio infecta lana magnopere prodest auribus. *V.* CONCHYLIARIUS. ¶ 2. Item purpura amictus. *Seneca Ep.* 62. Relictis conchyliatis, cum illo seminudo loquor.

CONCHŸLILEGŬLUS *vel* conchyliolegulus, i, m. 2. (conchylium *et* legere) qui conchylia in mari quæritat. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 11. 7. 15. Qui patre conchylilegulo geniti probantur.

CONCHŸLIS, idos, f. 3. patronym. quasi conchyliata. *Catull.* 64. 49. Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco. Ita vulgo legitur, et ita habent Lexicographi multi: sed veteres Codices exhibent *conchyli*; estque constructio: *fuco roseo conchyli* pro *conchylii*. Sic *Lucret.* 6. 1072. Purpureusque color conchyli mergitur una Corpore cum lanæ. et *Seren. Sammon.* 43. 805. Purpura torretur conchili perlita fuco. et *infra* 64. 1109. Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum. — Non videtur igitur hæc vox *conchylis* temere in Latium inducenda: tametsi in utroque *Sammonii* loco sunt qui legunt *conchylis*.

CONCHŸLIUM, ii, n. 2. κογχύλιον piscis ex genere concharum. ¶ 1. Generatim usurpatur ad significandas quascumque marinas conchas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (128). Lingua purpuræ longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua conchylia. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Ostreisque et conchyliis. ¶ 2. Speciatim vero conchylium idem est ac ostrea. *Cic. Pis.* 27. 67. Extructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. *Horat. Epod.* 2. 49. Conchylia Lucrina. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 2. 74., 2. *ibid.* 4. 30. et 2. *ibid.* 8. 27.; et *Cels.* 2. 18. ¶ 3. Item speciatim est idem ac murex vel purpura, ex cujus sanie purpureus color fiebat. *Lucret.* 6. 1072. Color conchyli. *Catull.* 64. 49. fucus conchyli. Adde *Vitruv.* 7. 13. *Schneid. Colum.* 8. *R. R.* 16. 9. Limosa regio idonea est conchyliis, muricibus et ostreis. *V.* OSTRUM. ¶ 4. Item color *austerus in glauco et irascenti similis mari*, ut *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (127). loquitur, qui olim ex eo pisce contrito extrahebatur ad tingendas vestes, maximoque in pretio habebatur. Alius erat a colore *purpuræ*, vel quia purpura e pelagio et murice (ejusdem generis conchis, diversæ tamen speciei) admixtis fiebat; vel potius ex minori, vel majori tincturæ saturitate (quod et *Seneca* monet 1. *Quæst. nat.* 3. *ad fin.*), quia *purpura* fuit colore rubeo nigricanti, *conchylium* non quidem rubebat, sed ad purpuram tamen accedebat. Nam conchylii tres fuere gradus: unus in heliotropio, et in aliquo ex his, plerumque saturatior; alius in malva, ad purpuram inclinans; alius in viola serotina, conchyliorum vegetissimus, ut *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 22. (46). docet. *V.* OSTRUM. *Cic.* 6. *Verr.* 26. 59. Per triennium isti stragulam vestem confecit: nihil nisi conchylio tinctum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 61. (129). Concharum ad purpuras et conchylia eadem est materia, sed distat temperamento. *Sueton. Cal.* 17. Feminis ac pueris fascias purpuræ et conchylii distribuit. — Tincturæ hujus originem tradit *Cassiod.* 1. *Variar. ep.* 2. *extr.* Cum fame canis avida in Tyrio littore projecta conchylia impressis mandibulis contudisset, illa naturaliter humorem sanguineum defluentia, ora ejus mirabili colore tinxerunt. Et ut est mos hominum occasiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes, fecerunt principibus decus nobile, etc. Hæc *Cassiod.* Verum ea omnis tingendi ratio jampridem omnino desiit: et hujus purpuræ loco successit fucus, quo omnes illos colores non infeliciter, et minori impendio imitamur. — Animadvertendum tamen est illud discrimen inter *purpuram* et conchylium non omnino semper servari a scriptoribus. Nam, ut alios omittam, ipse *Cic.* modo allatus, paullo post *purpuram* nominat, cum *conchylium* dixisset. ¶ 5. Hinc aliquando *conchylium* ponitur ad significandas ipsas vestes conchylio tinctas. *Juvenal.* 8. 101. Spartana chlamys, conchylia Coa. Adde *eumd.* 3. 81.; *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 60. (124)., et *Quintil.* 1. 2. 6.

CONCHŸTA *vel* conchita, æ, m. 1. κογχίτης, qui conchylia quærit in mari. *Plaut. Rud.* 2. 2. 5. Salvete fures maritimi, conchytæ, atque hamiotæ.

CONCĬDENTĬA, æ, f. proprie est actus simul vel pariter cadendi; sed occurrit in re grammatica apud *Priscian.* 17. p. 1090. *Putsch.* Illud tamen sciendum, quod — per ζεῦγμα, id est adjunctionem, et concidentiam, quam συνέμπτωσιν Græci vocant, et procidentiam, id est ἀνάπτωσιν, et numeri diversi et genera, diversi casus et tempora et personæ — copulantur.

CONCĪDES. *V.* CONCÆDES.

CONCĬDO, cidis, cidi, cadere, n. 3. (cum et cado). Part. *Concidens* II. *b.* — Concido est idem quod cado, ruo, vel simul cado (It. *cadere, rovinare*; Fr. *tomber à la fois, dechoir, s'ecrouler*; Hisp. *caer, resbalarse*; Germ. *zusammenfallen, zusammenstürzen, umstürzen, hinstürzen*; Angl. *to fall down, fall to the ground*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De inanimis, et quidem — Generatim. *Cic.* 6. *de republ.* 25. Vel concidat omne cælum. — Speciatim de ædificiis. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 353. Concidit conclave. *Tac.* 14. *Ann.* 6. navis veluti terrestre machinamentum. *Sueton. Tib.* 74. turris terræ motu. — Similiter concidere urbes, immo ipsæ regiones dicuntur, quæ ruunt, pereunt, deficiunt. *Cic.* 4. *Herenn.* 8. 12. Urbs incendio conflagrata concidit. *Virg.* 11. *Æn.* 245. Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus. *Vellej.* 1. 1. Eodem anno quo Carthago concidit. *V.* infra sub II. *b.* in fin. — *b*) De brutis, et quidem — Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Equus repente concidit. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Alces arbores pondere affligunt, atque una ipsæ concidunt. — Speciatim de hostiis. *Lucret.* 2. 352. Nam sæpe ante deûm vitulus delubra decora Turicremas propter mactatus concidit aras. Adde *Tibull.* 1. 2. 62.; et *Ovid.* 8. *Met.* 765. et 10. *ibid.* 272. Sic rursus *Lucret.* 1. 100. de *Iphigenia.* Hostia concideret mactatu mæsta parentis. — *c*) De hominibus, et quidem — Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Concidit et sonitum simul insuper arma dederunt. *Plaut. Epid.* 2. 2. 16. Pone in cursu concidi. *Virg.* 5. *Æn.* 447. Entellus — ad terram graviter Concidit, ut quondam cava concidit — pinus. *Id. ibid.* 333. Concidere in fimo immundo. *Liv.* 24. 8. sub pondere. *Phædr.* 5. 7. 7. casu gravi. — *d*) Speciatim ac sæpe sumitur pro mori, et ponitur de morte violenta. *Lucret.* 3. 488. ut fulminis ictu Concidit et spumas agit. Adde *Liv.* 41. 16. et 10. 29. *Cic.* 1. *Tusc.* 37. 89. Brutus in prælio concidit. *Nepos Epam.* 9. Sparo percussus concidit. Adde *eumd. Ages.* 5. *Sueton. Claud.* 34. Cum par gladiatorum mutuis ictibus concidisset. Adde *eumd. Ner.* 33. et *Tib.* 73. *Quintil.* 4. 2. 54. Sanus bibit, statim concidit. Adde *eumd.* 5. 13. 15. *Ovid. Heroid.* 7. 196. Ipsa suâ Dido concidit usa manu. *Sil. It.* 1. 307. Concidit exacti medius per viscera teli. — Eleganter *Ovid. Heroid.* 21. 215. Concidimus macie.

II.) Translate est ruere, perire, deficere: et usurpatur — *a*) Raro admodum de inanimis. *Horat.* 3. *Od.* 16. 11. Concidit auguris Argivi domus. *h. e.* extincta est: ubi tropus est in voce *domus*. cf. superius I. *a.* ad fin. Rursus *Horat.* 1. *Od.* 12. 30. Concidunt venti fugiuntque nubes. *h. e.* ponunt flatus. — *b*) Sæpius de personis. *Cic.* 3. *Att.* 10. 2. Ecquis unquam tam ex amplo statu —, tantis præsidiis bonorum omnium concidit? *Id.* 7. *ibid.* 25. Malas causas semper obtinuit: in optima concidit. Sic *Id.* 1. *ibid.* 16. 5. Judicum vocibus — fractus reus, et una patroni omnes conciderunt. Cf. *Nepos Phoc.* 2. Concidit maxime uno crimine, quod etc. Adde *Tac.* 16. *Ann.* 21. et 29. *Auct. B. Hisp.* 23. Hujus concidentis viri casu passim audito. Rursus *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 119. Contrahi autem animum Zeno et quasi labi putat et concidere. *Auct. B. G.* 8. 19. Hostes concidunt animis. *Ovid.* 15. *Met.* 422. Cernimus — illas assumere robora gentes, Concidere has. Et *Tac.* 3. *Ann.* 4. Concidit respublica. *V.* supra sub I. *a.* in fin. — *c*) De abstractis. *Lucret.* 4. 509. Non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa Concidat extemplo, nisi etc. *Cic.* 1. *Att.* 16. 7. Senatus auctoritas concidit. *Id. pro lege Manil.* 7. 19. Romæ, solutione impedita, fides concidit. *Id. Orat.* 43. 148. Meæ forenses artes et actiones publicæ conciderunt. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 146. artificia. *Id.* 6. *Verr.* 6. 12. Hæc præclara nomina artificum Verris æstimatione conciderant. *Nepos Pelop.* 2. Imperii majestas concidit. *Liv.* 28. 26. Tum omnis ferocia concidit. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 14. Ipsum morte tua concidit auxilium. *Tac.* 12. *Ann.* 13. Persarum opes conciderant. *Id.* 2. *Hist.* 57. Concidit bellum. *h. e.* finitum est.

CONCĪDO, cidis, cidi, cisum, cidere, a. 3. (cum et cædo). Part. *Concisus* in omnibus paragr. et in fin.; *Concidendus* I. 1. — Concido est idem quod cædo, item simul, aut minutatim cædo (It. *tagliare, tagliare a pezzi*; Fr. *déchirer en frappant, couper en morceaux, tailler en pièces*; Hisp. *cortar, tajar, partir*; Germ. *zerschneiden, abschneiden, zerhauen, zusammenhauen*; Angl. *to cut, cut in pieces*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de inanimis usurpatur; et quidem — *a*) Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 110. *Müll.* Sucridia ab suibus concidendis. *Müll.* legit *cædendis*, quod rectius. *Cic. Flacc.* 30. 73. Concidere nervos. *Cels.* 5. 26. n. 34. Quidquid aridum est, usque ad sanum corpus concidere. *Colum.* 12. *R. R.* 22. 2. Hæc minute concidito, et admisceto pici. *Ovid.* 2. *Fast.* 647. Ligna senex minuit concisaque construit alte. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 37. (58). Radix minute concisa. *Petron. Satyr.* 141. Concidere corpus in partes. *Sueton. Claud.* 16. essedum argenteum. — *b*) Speciatim est destruere. *Liv.* 38. 39. Quinquaginta tectas naves aut concidit, aut incendit. — *c*) Item intercidere, interrumpere. *Cæs.* 3. *B. G.* 9. Pedestria itinera concisa æstuariis. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (47). Humidiorem agrum fossis concidi, atque siccari, utilissimum est. — *d*) Item dividere, distinguere. *Juvenal.* 14. 291. Concisum argentum in titulos faciesque minutas. *h. e.* in pecuniam redactum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 73. (184). Materies concisa — nodis. *h. e.* arboris truncus, vel trabs nodis distincta. Cf. *Id.* 10. *ibid.* 29. 43. (81). *de cantu lusciniæ.* Nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso. *h. e.* respiratione distincta, atque, ut ita dicam, interrupta. ¶ 2. Latiori sensu de personis occurrit, et — *a*) Significat percutere, verberare, præsertim si ex verbere cutis laceratio sequatur. *Cic.* 3. *Verr.* 47. 122. Virgis plebem Romanam concidere. *Juvenal.* 6. 413. aliquem loris. *Id.* 3. 300. Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat. — *b*) Item conficere, occidere, præcipue de exercitu adverso prælio cæso. *Cic.* 5. *Att.* 16. *ad fin.* Concisos exercitus nostros a Barbaris nunciabant. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Inopinantes adgressus magnam partem eorum concidit. *Id.* 2. *ibid.* 11. Illi novissimos adorti, — magnam multitudinem eorum conciderunt. *Nepos Dion.* 10. Nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur. Adde *eumd. Datam.* 6. et *Hann.* 3. — *c*) Habet etiam obscenum sensum, ut percido. V. *Cic.* 5. *Verr.* 66. 155., ubi examinat verba illa Timarchidis, *cæde, concide* (ibique cf. *Zumpt.*); *Pompon.* apud *Non.* p. 166. 2. *Merc.*; et *Lamprid. Elag.* 10. V. RHETORISSO.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis; et est — *a*) In minutas partes dividere. *Cic. Orat.* 69. 231. Minutos numeros sequens, concidit delumbatque sententias. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 13. 42. Hæc autem universa concidunt etiam minutius. *h. e.* disputando dividunt. Adde *Quintil.* 5. 10. 91. et 3. 11. 21., quibus locis *concidere* pro nimis minute dividere adhibetur. Quo pertinet etiam locus *Plinii* 18. *Hist. nat.* 25. 59. (223). Nec deinde parvorum siderum mentione concidenda ratio est. *h. e.* rerum dicendarum series dividenda atque interrumpenda. *Harduin.* aliter explicat. — *b*) Item abolere. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 4. Cum omnem auctoritatem universi ordinis in conspectu populi Romani concideris. *Ulp. Dig.* 28. 4. 1. Concidere testamentum. *h. e.* abrogare. ¶ 2. Eleganter ponitur etiam de personis pro labefactare, evertere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 33. 93. Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus concidit. *Id.* 5. *Phil.* 11. 28. Concidere aliquem decretis senatus. *Id.* 12. *ibid.* 5. 11. Nondum erat vestris tam gravissimis tamque multis judiciis ignominiisque concisus. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 4. Vatinium arbitratu nostro concidimus. *Et ibid.* 6. *ad fin.* Servius allisus est, ceteri conciduntur. *h. e.* judicio perduntur, damnantur, ut *Manut.* exponit. *Quintil.* 1. 7. 33. His (*ineptis cavillationibus*) ingenia concidi et comminui credo. — *Concidere aliquem articulatim* dixit *Plaut. Epid.* 3. 4. 52. pro ludificare, fallere, magna aliqua re fraudare. Mox enim sequitur: *tibi os est sublitum plane et probe.* — Hinc Part. præter. pass.

Concisus, a, um, adjective quoque occurrit (unde Comp. *Concisior*), sed refertur tantum ad genus dicendi, poniturque — *a*) Pro adstricto, brevi: quod quæ necessaria omnino non sunt, conciduntur atque omittuntur. *Cic. Brut.* 17. 66. Concisæ sententiæ. *Id.* 3. *Orat.* 53. 202. Distincte concisa brevitas. *Id.* 2. *ibid.* 14. 61. Angustæ et concisæ disputationes. *Quintil.* 6. 4. 2. Brevis et concisa actio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). Nimis subtilis et concisa ratio. — *b*) *Concisa oratio* dicitur, quæ brevioribus

incisis constans, non continua, sed veluti membratim concisa est. *Cic.* 2. *Orat.* 80. 327. Quamquam hoc ipsum *effertur, imus,* concisum est. *Quintil.* 9. 4. 42. Compositio multis clausulis concisa subsultat. *Id.* 17. *Declam.* 15. *extr.* Multum palloris attoniti, concisa verba, trepida suspiria. — Et de ipso oratore *Cic. Orat.* 13. 40. Thrasymachus concisus minutis numeris. — Comp. *Concisior* legitur apud *Vulgat. interpr. Jos.* 6. 5. Cumque intonuerit vox tubæ longior atque concisior.

CONCĬĔO, cies, cīvi, cītum, ciēre, a. 2. *et* concio, cis, civi, citum, cire, a. 4. (cum *et* cieo, *vel* cio). De supino *concitum* V. dicta in CIEO sub init. — Forma vero *concire* est apud *Lucret.* 2. 267. et 6. 410.; *Val. Flacc.* 2. 460.; *Lucan.* 5. 597.; *Liv.* 25. 27.; et *Tac.* 5. *Hist.* 19. et alibi sæpe. — Ceterum hoc verbum occurrit sæpe apud *Lucret.* et *Tac.*; nusquam vero apud *Cic.*: *V.* infra sub II. 1. in fin. — Part. *Conciens* I. 2.; *Concitus* I. 1.; *Concitus* I. 2.; *Conciendus* I. 2. — *Concieo* vel *concio* est idem quod *cieo* et *cio*, hoc est moveo, commoveo; et fere in malam partem accipitur, *concire* enim est cum perturbatione commovere, ut *Non. p.* 90. 7. *Merc.* docet; excitare externa, aut interna perturbatione (It. *muovere, commuovere, eccitare*; Fr. *mettre en mouvement ensemble, mouvoir, exciter, agiter*; Hisp. *mover, excitar*; Germ. *aufregen, zusammentreiben*; Angl. *to move, stir up, rouse, excite*).

I.) Proprie, scilicet de perturbatione externa. ¶ 1. Stricto sensu de inanimis. *Lucret.* 6. 827. quasi quemdam conciet æstum. *Id.* 6. 410. Juppiter et tenebras fremitus et murmura concit. Sic *Sil. It.* 12. 611. Fulminaque et tonitrus et nimbos conciet atros. *Virg.* 8. *Æn.* 921. Saxa concita murali tormento. Cf. *eumd.* 9. *ibid.* 902. concita cursu. *Ovid.* 3. *Met.* 79. concitus imbribus amnis. *Id.* 7. *ibid.* 154. concita flumina. *Id.* 4. *ibid.* 706. navis concita. Sic *Plin.* 25. *Hist. nat.* 3. 7. (23). Mors concita ob cruciatus. *h. e.* properata. *Sillig* vero multo rectius legit *conscita* a *conscisco.* ¶ 2. Latiori sensu ponitur de hominibus pro convocare, congregare, sed cum perturbatione ac tumultu. *Ennius* apud *Non. p.* 90. 12. *Merc.* conciebant populum. *Liv.* 1. 59. Lucretiæ corpus in forum deferunt, concientque miraculo rei novæ homines. *Id.* 4. 55. Concienda plebs. *Id.* 1. 8. Obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem. *Id.* 25. 27. Cum exercitum ex tota insula conciri videret. *Vellej.* 2. 74. Conciens eos ad arma. *Val. Flacc.* 6. 34. Quanto Scythiam — molimine Perses Concierit. *h. e.* quanto apparatu Scythas ad se convocaverit ad bellum. *Id.* 2. 460. ruit e sparso concita mapali Agrestum manus. ubi concita *habet pænultimam longam.* *Tac.* 5. *Hist.* 19. Donis auxilia conciebant. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (30). *Tac.* 11. *Hist.* 19. Concire hostem. *h. e.* contra se excitare. Adde *eumd.* 3. *Ann.* 38. et 40., et 12. *ibid.* 15. *Id.* 16. *ibid.* 17. Melia accusatorem concivit Fabium Romanum. *h. e.* contra se excitavit.

II.) Improprie ponitur de interna animi perturbatione: et quidem ¶ 1. De personis, quæ vehementi aliquo affectu excitantur. *Virg.* 9. *Æn.* 694. immani concitus ira. *Ovid.* 1. *Art. am.* 312. Aonio concita Baccha deo. *Id.* 10. *Met.* 690. a numine. *Id.* 6. *Fast.* 521. ad vocem concitus urget iter. Adde *eumd.* 7. *Met.* 413., 3. *ibid.* 711., 4. *ibid.* 519., 6. *ibid.* 158.; *Horat.* 3. *Od.* 15. 10., et *Quintil.* 11. 1. 65. *Liv.* 3. 53. Ne cui fraudi sit concisse milites ad repetendam libertatem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (21). Concitus fame. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Concitos per largitionem veteranos. Huc referri potest et illud *Curt.* 7. 4. *ad fin.* Equus calcaribus concitus. — Apud *Cic. Cæcin.* 5. 14. Defensor nimium litigiosus, concitus ad rivam, *recentiores rectius leg.* contritus ad regiam. ¶ 2. De abstractis. *Plaut. Men.* 5. 5. 4. Qui suo regi tantum concivit mali. *Id. Amph.* 1. 2. 14. Amphitruo uxori turbas conciet, atque insimulabit probri. *Ter. Heaut.* 5. 2. 17. Quantas turbas concivi insciens. *Id. Hecyr.* 3. 1. 33. Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram conciverit. *Ovid.* 2. *Trist.* 388. dolor concitus a læso amore. *Tac.* 1. *Hist.* 4. Varios motus animorum conciverat. *Id.* 14. *Ann.* 17. Concire seditionem. *Lucan.* 5. 597. Inde ruunt toto concita pericula mundo. *h. e.* provocata, commota: ubi pænultima est producta. — Et de ipso perturbationis effectu. *Accius* apud *Non. p.* 90. 9. *Merc.* Pontus strages conciet.

CONCĬLĬĀBŬLUM, i, n. 2. — *a*) Absolute est locus, ubi in concilium convenitur, inquit *Paul. Diac. p.* 38. 3. *Müll.*: *h. e.* ubi congregantur homines colloquendi et agendi causa, qualia in vicis sunt et in agris, ubi rustici coeunt certis diebus, vel ad emendum et vendendum, vel ad agendum de rebus publicis ad se pertinentibus. In provinciis erant minora quædam oppida, aut vici, qui constituebantur a prætoribus tum nundinis habendis, tum juri inter provinciales dicundo: atque adeo cum municipiis, coloniis, oppidis, præfecturis, foris, vicis, et castellis numerantur a *Paulo* 4. *Sentent. tit.* 6., *Tertull. Apolog.* 37. et in fragmento veteris legis Mamiliæ apud *Goes. p.* 339. Conciliabula videntur fuisse loca publica, in quæ populus plurium urbium proximarum conveniebat ad agendum de rebus publicis, quæ loca progressu temporis municipia, vel coloniæ evaserunt. Nam eorum aliqua interdum relata esse in jus municipii, testantur *Frontin. de limit.* et *Aggen. Urbic. ibid. p.* 41. et 60. Quin putat *Turneb. l.* 1. *Adversar. c.* 11., quotiescumque *Livius* conciliabula notat, intelligere omnia oppida et castella extra urbem, ubi aliqui essent conventus juridici: ut 40. 37. Supplicationem in biduum in urbe, et per omnia fora conciliabulaque edixerunt. et 7. 15. *extr.* Nundinas et conciliabula obire. *et* 34. 1. Etiam ex oppidis conciliabulisque convenerunt. *et ibid.* 56. Conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta. Adde *eumd.* 25. 5., 39. 14., 43. 14. *Tac.* 3. *Ann.* 40. Per conciliabula et cœtus seditiosa disserebant. — Quidam tribuunt etiam *Ciceroni fragm. de Divin.*; at quæ afferunt, non sunt *Ciceronis*, sed *Gracchi* apud *Diomed.* 1. *p.* 371. *Putsch.* — *b*) Cum addito Genitivo. Apud *Hieronym. Ep.* 60. *n.* 12. *Conciliabula Martyrum* sunt loca, in quæ convenitur ad eorum memoriam celebrandam, ut fana, sacella, etc. — Apud *Tertull. Spectac.* 8. *Conciliabula spectaculorum* sunt loca, in quæ conveniunt homines spectandi causa, ut circus, theatra, etc. — Jlocaliter *Plaut. Trin.* 2. 2. 33. appellat *conciliabula damni*, et *Bacch.* 1. 1. 47. absolute *conciliabula* domos meretricum.

Homonym. Inter *forum* et *conciliabulum* hoc est discrimen, quod, quamvis utrobique jus diceretur, et negotiationes fierent; tamen *fora* majora, et frequentiora, et majoris erant juris, quam *conciliabula*. Ita *Turneb. loc. cit.* At *Popma* ita distinguit, ut fora in oppidis essent aut vicis, *conciliabula* in agris; illa juri dicundo præsertim destinata, hæc nundinis et negotiationibus rusticorum prima institutione assignata.

CONCĬLĬĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conciliandi, consociatio, conjunctio, communitas. ¶ 1. Est externa aut interna rerum hominumve conjunctio. — *a*) De externa conjunctione. *Cic.* 1. *Off.* 41. 149. Communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus. *Id.* 2. *Nat. D.* 31. 78. Dii inter se quasi civili conciliatione et societate conjuncti. — *b*) De interna conjunctione. *Quintil.* 4. 1. 41. Honestum ad conciliationem satis per se valet. Adde *eumd.* 3. 3. 12. ¶ 2. Apud philosophos est commendatio, qua aliquid conveniens alicui redditur, et secundum naturam; vel etiam propensio, proclivitas ad eas res, quæ secundum naturam, aut jucunda et utilia sunt. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 22. Non inest in primis naturæ conciliationibus honesta actio. *Id. ibid.* § 21. Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quæ sunt secundum naturam. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 131. ¶ 3. Apud Rhetores est figura, qua auditorum benevolentia tecta laude captatur: quæ a *Cic.* 3. *Orat.* 53. *extr.* Benevolentiæ captatio dicitur. *Quintil.* 9. 1. 32., et 9. 2. 3. ¶ 4. Item comparatio, acquisitio, captatio. *Cic. Cluent.* 31. 84. Pecuniam Staieno dedit Oppianicus, non ad corrumpendum judicium, sed ad conciliationem gratiæ. ¶ 5. Pertinet etiam ad conventiones et contractus. Nam omnis conventio *conciliatio* nominatur, inquit *Donatus* ad *Ter. Eun.* 4. 4. 2., cujus verba *V.* in CONCILIO.

CONCĬLĬĀTOR, ōris, m. 3. qui conciliat, pararius. ¶ 1. Generatim cum addito Genitivo rei. *Varro* 2. *R. R.* 4. 8. Lanius conciliator suillæ carnis datus populo. *h. e.* qui parat, condit, commendat et facit, ut populo sapiat. *Nepos Att.* 12. Conciliator nuptiarum. *Liv.* 27. 15. *ad fin.* proditionis. *Sueton. Aug.* 48. Promptissimus affinitatis cujusque atque amicitiæ conciliator et fautor. *Apul. de Mag.* Quietis, concordiæ, pietatis auctor, conciliator, fautor. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 58. *Pseudo-Ascon.* ad 4. *Verr.* 8., ubi *Cicero* habet: *quidam istius excursor et emissarius.* Sic vocantur conciliatores furtorum. *h. e.* qui aliis indicant res auferendas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 59. 85. (181). Piscis conciliator capturæ. *h. e.* qui in causa est, cur ceteri capiantur, ilex. ¶ 2. Speciatim et absolute sumitur pro lenone. *Vopisc. Carin.* 16. Matronianum, veterem conciliatorem, præfectum prætorii fecit.

CONCĬLĬĀTRĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* conciliatrix. *Cic. Sext.* 9. 21. Erat enim hominum opinioni, nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus.

CONCĬLĬĀTRIX, īcis, f. 3. quæ conciliat. ¶ 1. Generatim cum addito Genitivo rei. *Cic. Amic.* 11. 37. Virtutis opinio conciliatrix amicitiæ. *Id.* 1. *Legg.* 9. 27. Vis orationis conciliatrix est humanæ maxime societatis. ¶ 2. Speciatim et absolute in re amatoria usurpatur, nec tamen semper in malam partem, ut docet *Paul. Diac. p.* 62. 13. *Müll.* Conciliatrix dicitur, quæ viris conciliat uxores, et uxoribus viros. Et *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 77. Non vides, quam blanda conciliatrix et quasi sui sit lena natura? *Plaut. Mil. glor.* 5. 1. 17. Itaque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi. Quo sensu usurpavit etiam *Lucilius* apud *Non. p.* 23. 4. *Merc.* Hinc *Inscript.* aræ apud *Romanelli Top. Nap. T.* 3. *p.* 52. VENERI CONCILIATRICI. — Inscripta fuit *Conciliatrix* una ex comœdiis T. Quinctii Attæ veteris poetæ. *V.* ATTA in ONOM.

CONCĬLĬĀTŪRA, æ, f. 1. lenocinium. *Seneca Ep.* 97. Cum Clodius conciliaturas exerceret in ipsa causæ dictione.

CONCĬLĬĀTUS, a, um. *V.* CONCILIO.

CONCĬLĬĀTUS, us, m. 4. conjunctio, copulatio. Occurrit tantum de rebus naturalibus, et solummodo in sexto casu singularis numeri. *Lucret.* 2. 936. nec quicquam commutari sine conciliatu Principiûm. *Id.* 1. 575. Quorum condenso magis omnia conciliatu Arctari possunt. *Id.* 2. 99. connexa conciliatu. Hinc *Id.* 2. 133. Corpora, quæ sunt parvo conciliatu. *h. e.* parva mole, et paucitate rerum simul concretarum.

CONCĬLĬCĬĀTUS, a, um, adject. (cum *et* cilicium) cilicio amictus. *Tertull. Pudic.* 13. Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliciatum et concineratum cum dedecore et horrore compositum prosternens in medium ante viduas, ante presbyteros omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, bonus pastor et benedictus papa concionaris.

CONCĬLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Concilians* sub *C.* 1.; *Conciliatus* sub *B.* 1. et 2. et in fin.; *Conciliaturus* sub *B.* 2.; *Conciliandus* sub *B.* 1. — Conciliare tria præcipue significat; scilicet *A*) Videtur esse verbum fullonum, et significat premere, subigere, cogere; *B*) Sæpe adhibetur pro conjungere, copulare; *C*) Denique usurpatur pro comparare, parere, acquirere.

A) Conciliare videtur esse verbum fullonum, et significat premere, subigere, cogere. *Varro* 6. *L. L.* 43. *Müll.* Vestimentum apud fullonem cum cogitur, conciliari dictum. *Varro* hanc vocem deducere videtur a *cogere* ejusque frequent. *cogitare*. At *Scalig.* in *Conjectan.* deducit a *ciliis*, h. e. pilis: et κιλίκια Græce dicuntur quæcumque e pilis confecta. Alii a *salio* derivant, et *consiliari* legunt: atque ajunt significari illam subsultationem, qua fullones pedibus vestimenta subigebant, quam *Seneca Ep.* 15. appellat *saltum fullonium*: quod et nostrates vestium infectores facere videmus. Quo allusisse volunt *Plaut. Pœn.* 1. 1. 60. Placet consilium. MI. Immo etiam ubi expolivero, magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude est. Hæc ex *Vossii Etymol.* Denique *conciliata tapetia* (h. e. densata, spissata, coacta, bene subacta) ex conjectura quidam legunt apud *eumd. Plaut. Pseud.* 1. 2. 14. et *Stich.* 2. 3. 54., ubi alii *conchyliata*, et *consuta*; alii etiam *consiliata*. — Quod si hæc esset prima vocabuli significatio, quæ sequuntur omnia translata essent.

B) Sæpe adhibetur pro conjungere, copulare, in unum cogere: et occurrit ¶ 1. De naturalium elementorum, vel pharmacorum similiumve commistione. *Lucret.* 2. 900. corpora materiai Conciliantur ita, ut etc. *Id.* 5. 466. Omnia quæ sursum cum conciliantur in alto, Corpore concreto subtexunt nubila cælum. *Id.* 1. 603. Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte, Non ex ullorum conventu conciliata.

Adde *eumd.* 6. 890. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Traduces bini inter se obvii miscentur alligan turque una conciliati. — Et de pharmacis. *Seren. Sammon.* 40. 754. Gramen hyoscyami ceræ sevoque vetusto Concilia, mixtisque locos perduce dolentes. *h. e.* misce, commisce. Cf. quod figurate dixit *Ovid. Heroid.* 6. 94. Moribus et forma conciliandus amor. ¶ 2. Usurpatur etiam de hominibus et est conjungere, immo translate significat benevolum, amicum facere: et occurrit — *a*) Fere cum Dativo personæ, cui quis conciliatur. *Cic.* 12. *Fam.* 23. 2. Conciliare sibi legiones pecunia. Adde *Liv.* 21. 20. *ad fin. Nepos Ages.* 2. *ad fin.* et *Themist.* 10. aliquem alicui. *Cæs.* 7. *B. G.* 7. Conciliare civitatem Avernis. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 55. *Quintil.* 6. 1. 11., 4. 3. 9. et 8. *proœm.* 11. judicem alicui. *Tac.* 16. *Ann.* 14. Pammenem sibi similitudine fortunæ. *Id.* 2. *Hist.* 58. Maurorum animos Vitellio. — *b*) Omisso Dativo personæ, qui tamen ex ipsius orationis contextu facile subauditur. *Cic.* 2. *Off.* 5. 17. Conciliare animos hominum et ad usus suos adjungere. *Id.* 3. *Orat* 53. 204. et *Liv.* 1. 35. animos plebis. *Nepos Hann.* 10. ceteros reges. *Quintil.* 6. 1. 12. accusatorem. *Id.* 11. 1. 61., 2. 5. 7. et 3. 9. 7. judicem. *Id.* 4. 1. 25. animum judicis. *Id.* 11. 1. 8. animos judicum. *Sueton. Oth.* 6. animos militum. *Tac.* 1. *Hist.* 18. animos. *Id.* 15. *Ann.* 31. Spem dedit posse impelli, et plures conciliare. *h. e.* aggregare, adsciscere. Huc referri potest et illud *Calpurn.* 4. *Ecl.* 60. truces hæc fistula tauros Conciliat. *h. e.* lenit, mansuefacit. — *c*) Si de mutua conjunctione sermo est, jungitur præpos. *inter. Cic.* 5. *Fam.* 7. 2. Non dubito, quin respublica nos inter nos conciliatura conjuncturaque sit. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. Homines inter se conciliare et conjungere. Cf. *Id.* 10. *Fam.* 27. Conciliare pacem inter cives. *Id. Rosc. Am.* 22. 63. Feras inter se partus atque educatio et natura ipsa conciliat. — *d*) Absolute. *Quintil.* 11. 3. 161. Nihil est ad conciliandum gratius verecundia. *Id.* 3. 4. 15. Illa sunt communia, conciliare, narrare, docere.

C) Denique conciliare est etiam comparare, parere, acquirere; tunc enim *res* rebus, homines hominibus quodammodo conjunguntur: et occurrit ¶ 1. De personis, et quidem — *a*) Generatim. *Plaut. Capt.* 1. 2. 28. Si ullo pacto ille (*captivus*) huc conciliari potest. *h. e.* huc redimendo adduci: *cf. eumd. ibid. prol.* 33. Cf. et *Tac.* 16. *Ann.* 23. Conciliare provinciam ad spes novas. *h. e.* sibi adjungere, secum trahere ad spes novas. — *b*) Speciatim est verbum nuptiarum et amoris. Nam *conciliare* dicuntur, qui nuptias inter aliquos, vel lenocinii opera amores jungunt. — Cum Dativo. *Ovid.* 1. *Amor.* 13. 42. Num me nupsisti conciliante seni? *Catull.* 68. 130. Ut simul est flavo conciliata viro. *h. e.* matrimonio juncta. — Absolute. *Plaut. Trin.* 2. 2. 104. Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas. *Sueton. Cæs.* 50. Existimabatur (*Servilia*) etiam filiam suam Tertiam Cæsari conciliare. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 203. Te magis, ah demens, veterem si respicis artem, Conciliare decet. *h. e.* lenonis artem exercere. — Item cum Accus. *nuptias*, vel aliquid simile. *Justin.* 7. 6. 10. Uxorem duxit, conciliante nuptias fratre. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 69. Conciliare toros jugales. — Denique cum Accusativo et præp. *ad* est idem quod adducere. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 206. Conciliare aliquam ad aliquem. ¶ 2. De inanimis ponitur — *a*) Generatim pro commendare, adeoque comparare: ad rem *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 41. Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno Et dictis artes conciliasse suas. *h. e.* commendasse tyranno, seu potius tyrannum suis artibus conciliasse, amicum fecisse. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 131. Frui iis rebus, quas primas homini natura conciliavit. — *b*) Hinc speciatim ponitur pro comparare, acquirere. *Cic.* 4. *Verr.* 58. 142. Inventa est ratio, quare iste HS CXX. millia uno genere conciliarit et ceperit. — *c*) Denique ponitur etiam non raro pro emere; item pro medium se præbere in contractibus emptionis et venditionis. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 24. Qui illum dudum conciliaverant mihi peregrinum Spartanum. *Id. Epid.* 3. 4. 35. MI. Estne empta mihi hæc? PE. Istis legibus habeas, licet. MI. Conciliavisti pulcre. *h. e.* vili emisti. Sic *Id. Pers.* 4. 3. 60. Recte conciliare. *Cui contrarium est* male conciliare, ut apud *Ter. Eun.* 4. 4. 2. Prodi, male conciliate. *h. e.* magno empte, atque adeo male. Adde *Plaut. Pseud.* 1. 2. 1. ¶ 3. De abstractis quoque ponitur pro conficere, comparare, parere, afferre, et — *a*) Fere in bonam partem. *Plaut. Trin.* 4. 2. 14. Conciliare nugas. *h. e.* comparare, conficere, perficere. *Id. ibid.* 2. 4. 43. affinitatem et gratiam. *h. e.* comparare, parere. Adde *Sueton. Cal.* 3. *Ter. Heaut.* 5. 5. 2. pacem. *Cic. Arch.* 8. 17. Conciliare sibi amorem ab omnibus. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 51. 206. *Id. Dejot.* 14. 39. Dejotarus, quocum mihi amicitiam respublica conciliavit. *Id. Cluent.* 3. 7. Si quis mihi deus vestram ad me audiendum benevolentiam conciliarit. *Id. Mur.* 20. 41. Gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam æquitatis largitio. *Id. Partit. orat.* 15. 53. Conciliare fidem. *Id.* 1. *Att.* 2. voluntatem alicujus. *Nepos Timol.* 3. Tantum otium toti insulæ conciliavit, ut etc. *Liv.* 29. 22. Ipsa deformitas Pleminii favorem ad vulgum conciliabat. *Id.* 21. 60. Conciliare famam. *Id.* 29. 11. majestatem. *Quintil.* 2. 7. 4. laudem. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (117). Duo genera vini: unum quo somnus concilietur, alterum quo fugetur. *Id.* 33. *ibid.* 1. 4. (9). auctoritatem alicui. *Tac. dial. de orat.* 9. Carmina et versus dignitatem nullam auctoribus suis conciliant. *Stat.* 9. *Theb.* 449. Conciliare vires alicui. *h. e.* augere, addere. — *b*) Interdum et in malam partem occurrit. *Lucret.* 3. 877. Conciliare alicui incommoda. *Nepos Epam.* 5. servitutem. *Quintil.* 6. 3. 16. risum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 29. (117). inimicis odium omnium hominum. Adde *Quintil.* 5. 13. 38. — Hinc Part. præter. pass.

Conciliatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Conciliatior* et Sup. *Conciliatissimus*, et est amore conjunctus, adeoque benevolus factus. *Liv.* 21. 2. Hasdrubal – Hamilcari conciliatus. *Curt.* 7. 9. *sub fin.* Ætatis flore conciliatus sibi. Adde *Sueton. Vitell.* 7. et *in vita Terent.* 1. *Symmach.* 9. *Ep.* 37. Est nobis conciliatissimus ob vitæ integritatem. *Quintil.* 4. 2. 24. Prooemium idcirco comparatum est, ut judex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior et intentior. *h. e.* benevolentior. *Gell.* 12. 5. Homo voluptati quidem natura conciliatus, a dolore autem abjunctus alienatusque est. *h. e.* cupidus voluptatis amicus.

CONCILIUM, ii, *n.* 2. Ratione habita etymi, primo creditur esse vox artis fullonicæ, qua significetur coactio, coagmentatio; *V.* voc. præced. sub *A.*: recentiores vero putant esse a *concire*, quamquam *Paul. Diac.* p. 38. 2. *Müll.* putat dictum esse quasi *concalium*, a *con* et *calando*, hoc est convocando. — Ceterum *concilium A*) Generatim ponitur pro quavis conjunctione, seu coagmentatione; et *B*) Speciatim est conventus hominum in unum locum deliberandi causa convocatorum.

A) Generatim concilium ponitur pro quavis conjunctione, seu coagmentatione. ¶ 1. Usurpatur de rebus, quæ a natura ipsa inter se connexæ et coagmentatæ sunt. *Lucret.* 1. 483. Corpora sunt porro partim primordia rerum, Partim concilio quæ constant principiorum. Adde *eumd.* 1. 518. *Id.* 1. 770. Sin ita forte putas ignis terræque coire Corpus et aerias auras roremque liquorum, Nil in concilio naturam ut mutet eorum; etc. *Id.* 2. 108. Multaque præterea magnum per inane vagantur, Conciliis rerum quæ sunt rejecta. *h. e.* quæ cum aliis ab aliarum rerum coagmentatione et compositione semota sunt. *Id.* 2. 119. Conciliis et discidiis exercita crebris. *h. e.* crebro simul hærentia et invicem discreta. Adde *eumd.* 1. 1081. et 2. 564. ¶ 2. Hinc occurrit etiam de coitu venereo: qua significatione dixit *Lucret.* 1. 184. genitale concilium. *Arnob.* 2. 16. Corporalibus conciliis fetus feræ procreant. *h. e.* concubitu maris et feminæ. ¶ 3. Itaque figurate *concilium* dictum est etiam flos iasiones herbæ, quæ uno folio constat, sed ita complicato, ut plura videantur; unde fortasse nomen, nempe a folio conciliato et coagmentato: vel potius ita appellatur, quia amores conciliat; nam *Plin.* cum illius meminisset 21. *Hist. nat.* 17. 65. (105)., iterum mentionem facit his verbis 22. *ibid.* 22. 39. (82). Concilium vocant: et hujus eadem commendatio ad stimulandos coitus. ¶ 4. *Concilium nominis* apud *Tertull. Pall.* 4. est compositio nominis ex duabus vocibus conflati, ut *Salmas.* adnotavit. Al. tamen leg. *consilium*. — Huc referri posset et illud *Ovid.* 1. *Met.* 710. Hoc mihi concilium tecum manebit. *h. e.* hoc pacto tibi ero conjunctus. Al. tamen leg. *consilium*. ¶ 5. Denique concilium generatim ponitur de quorumque hominum cœtu. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 72. Devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum. *Id.* 3. *Off.* 9. Concilium pastorum. *Id. Senect.* 23. 84. animorum. *Id.* 2. *Fin.* 4. 12. Tamquam meretricem in matronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere. *Id.* 6. *de republ.* 13. *extr.* Concilia cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur. *Virg.* 3. *Æn.* 679. Cyclopum horrendum concilium. *Id.* 5. *ibid.* 735. piorum. *Horat.* 4. *Od.* 5. 4. patrum. *Ovid.* 10. *Met.* 144. ferarum. *Stat.* 6. *Theb.* 355. Musarum. *Id.* 3. *ibid.* 178. mulierum.

B) Speciatim concilium est conventus hominum in unum locum deliberandi causa convocatorum (It. *consiglio*; Fr. *conseil*; Hisp. *consejo*; Germ. *Rath*; Angl. *a meeting*, *council*) ideoque significat tum concreto, uti ajunt, sensu ipsos homines deliberandi causa in unum convocatos, tum abstracte ipsum consiliantum hominum conventum, tum deliberandi actum, tum denique ipsum quod, re deliberata, captum est consilium. Porro discrimen, quod nonnulli interesse putant inter *concilium* et *consilium*, ut *concilium* sit conventus hominum in unum locum deliberandi causa convocatorum, *consilium* vero sit ipsa concilii sententia et decretum; hoc, inquam, discrimen satis firmis probari nequit argumentis, præsertim cum sæpissime in libris accidit, ut duo hæc nomina confundantur, quamquam neminem lateat, *senatum* ex. gr. dici *concilium* quatenus coit conciturque, et *consilium* quatenus consulit. Rejicienda etiam est eorum sententia, qui opinantur *concilium* esse hominum conventum, in quo unus tantum auctor est, verba facit, cumque alios de sententia rogaverit, ipse unus decernit; *consilium* vero hominum conventum, in quo res communi omnium sententia aguntur, deliberantur et decernuntur: namque occurrit apud *Cæs.* 2. *B. G.* 4. *Commune Belgarum concilium*; et contra apud *eumd.* 1. *ibid.* 40. *consilium* legitur, quamvis in eo unus Cæsar verba faciat. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 30. et 7. *ibid.* 1. Cf. etiam *Cic.* 2. *Fin.* 21. 77. Opiniones, quæ in senatu, quæ apud populum, quæ in omni cœtu concilioque proferendæ. Et *Plaut. Bacch.* 1. 1. 6. Quid in concilio consuluistis? — *a*) Ceterum ea significatione, qua diximus, generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Tamquam ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset. *Id. Dom.* 28. 74. Plebi quoque urbanæ majores nostri conventicula, et quasi concilia quædam esse voluerunt. *Al.*, *et ipse* Orell., *leg.* consilia. *Id.* 2. *Legg.* 12. 31. Concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere. *Sic legit* Orell.; *al.* consilia. — Jungitur et aliis Verbis, quorum hæc sunt præcipua. *Liv.* 1. 54. adhibere aliquem in concilium. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. adhibere aliquem ad concilium. *Virg.* 11. *Æn.* 304. cogere concilium. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. constituere diem concilio. *Id.* 1. *ibid.* 40., 2. *ibid.* 10., 3. *ibid.* 3. et alibi sæpe. convocare concilium. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 2. vocare. *Liv.* 42. 17. dare legatis. *Curt.* 6. 11. 9. differre in posterum diem. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. dimittere. *Liv.* 36. 3. esse concilii eorum. *h. e.* fœderis Achaici. *Id.* 32. 22. excedere concilio. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. fugere concilia conventusque. *Cic.* 2. *Invent.* 12. 42. habere concilium populi. *Liv.* 1. 50. indicere. *Plaut. Capt.* 3. 1. 33. inire. *Cæs.* 6. *B. G.* 3. transferre. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 49. vocari in concilium. — Hac significatione adjunctum etiam habet patrium casum *conventus*. *Tabula ænea Romæ reperta in Aventino anno* 1776., apud *Morcell. de stil. Inscript. Lat. T.* 1. p. 390. *edit. Patav.* CONCILIVM CONVENTVS CLVSIENSIS. — *b*) Sumitur et pro comitiis populi R. *Liv.* 3. 71. Concilio populi a magistratibus dato. *V.* ibi reliqua, et adde *eumd.* 7. 5. Quidam tamen *Lælius* vetus scriptor apud *Gell.* 15. 27. docuit, *concilium* et *comitia* in hoc differre, quod in his universus populus, in illo pars aliqua tantummodo convocetur. — *c*) Item pro contione. *Liv.* 24. 37. *extr.* Sibi darent populi concilium, ut sciretur, utrum etc. *Nepos Timol.* 4. Habere concilium populi. — *d*) Item pro paucorum conventu. *Nepos Epam.* 5. Habere concilium amicorum. *Al. leg.* consilium.

CONCĬNENS, entis. *V.* CONCINO.

CONCĬNENTĬA, æ, f. 1. (concino) idem quod concentus.

I.) Proprie de musica. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 2. *extr.* Musicæ concinentiæ necessitas. *Id. ibid.* 3. *init.* Octo musicos cantus, et unam maxime concinentiam, quæ confit ex omnibus.

II.) Translate est recta proportio partium in architectura. *Sidon.* 8. *Ep.* 4. Parietes ad concinentiam architectonicam fabre locati. *Concinnantiam* hic

quidam reponunt a *concinnus*: sed hoc a Latina consuetudine longius abest. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 21. Hæc dissonantia contrariorum sibi corporum, ut quodlibet vivens corpus existat, in quamdam concinentiam cogitur nutu creatoris.

CONCĬNĔRĀTUS, a, um, adject. (cum *et* cinis) cinere conspersus. *Tertull. Pudic.* 13, cujus verba *V.* in CONCILICIATUS.

CONCINGO, is, ere, a. 3. (cum *et* cingo) circum cingere. *Theod. Priscian.* 4. 1. *a med.* Herbam Artemisiam inclinatus de sinistra manu evelle, sine nodo concingis te. — Hoc verbum exhibent etiam *Not. Tir. p.* 158. Concingit, concinxit, concinctum.

CONCINNANTĬA. *V.* CONCINENTIA II.

CONCINNĀTĪCĬUS *vel* concinnatitius, a, um, adject. multa arte connexus. *Apul.* 2. *Met.* Nam Milonis boni concinnaticiam mensulam rogatus accubueram *h. e.* concinne instructam.

CONCINNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus concinnandi, seu condiendi.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 106. *in lemmate*, ubi agitur de ratione aquæ marinæ concinnandæ, *h. e.* condiendæ.

II.) Translate de scriptis. Apud *Auson. Ep.* 17. *concinnatio epistolæ* est ipsa epistolæ compositio, seu ipsa ratio epistolæ conscribendæ. Adde *eumd. ibid.* 7. et 15. *Marius Victorin. p.* 2547. *Putsch.* Quæ ex iisdem veluti fontibus derivata innumerabiles metrorum species, nunc per adjectionem, nunc detractionem, aut transmutationem, vel concinnationem processisse videantur.

CONCINNĀTOR, ōris, m. 3. qui concinnat, ordinator.

I.) Proprie de inanimis. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 1. Capitum et capillorum concinnatores.

II.) Translate. ¶ 1. De scriptis. *Auson. Ep.* 16. 10. Hunc dico, qui lingua potens, Minorem Atridam præterit, Mellifluentem Nestora, Concinnatorem et Tullium. ¶ 2. Concinnator dicitur etiam qui comminiscitur, et arte, dolo, fallaciis conficit aliquid. *Arnob.* 4. 32. Concedamus, deformitatum tantarum concinnatores esse atque inventores poetas. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Sutores fabularum, concinnatores criminum. *Ulp. Dig.* 1. 16. 9. Circa advocatos patientem esse proconsulem oportet: nec ideo dissimulare, si quos causarum concinnatores, vel redemptores deprehendat.

CONCINNĀTŌRIUS, a, um, adject. *Paul. Dig.* 33. 9. 6. Instrumentum pistrini, item universa vasa concinnatoria in penu non continentur. *h. e.* vasa condiendis cibis apta; nam *concinnare* etiam condire significat. Sed rectius leges *cocinatoria*, vel *coquinatoria*. *V.* COQUINATORIUS.

CONCINNĀTUS, a, um. *V.* CONCINNO.

CONCINNĒ, adverb. Comp. *Concinnius.* I. et II. — Concinne idem est ac composite, apte, convenienter, eleganter.

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 2. 2. 38. Vestita, aurata, ornata est lepide! ut concinne! ut nove! *Fronto de orat.* 1. (edente iterum Romæ *A. Maio* p. 242.). Aquæ de sipunculis (*pro* siphunculis) concinnius saliunt, quam de imbribus.

II.) Translate de sermone, et significat eleganter, vel etiam facete. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 69. Concinne, ut multa, Timæus, qui cum dixisset, etc. *Id.* 2. *Orat.* 19. 81. Hæc sunt concinne distributa, sed non perite. *Id. Rosc. Com.* 16. 49. Rogare aliquem blande et concinne. *Auson. Grat. act. ad Gratian.* 8. Concinnius eloqui.

CONCINNIS, e, adject. idem quod concinnus, aptus. *Apul.* 5. *Met.* Lucernam concinnem, completam oleo subde aliquo tegmine. *Alii rectius leg.* Lucernam concinne completam oleo.

CONCINNĬTAS, ātis, f. 3. aptitudo, convenientia, elegantia plurium rerum inter se apte compositarum: et aliquando in malam partem sumitur pro ornatu nimis exquisito (It. *aggiustatezza*, *acconcezza*, *ornamento*; Fr. *arrangement ingénieux*, *convenable*; Hisp. *ordiniamento*, *disposicion conveniblе*; Germ. *kunstgerechte Zusammenfügung*, *d. Schmuck*; Angl. *neatness*, *elegance*, *exactness*, *concinnity*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 115. Non est ornamentum virile, concinnitas. *h. e.* ornatus nimis exquisitus. *Gell.* 2. 26. Concinnitates colorum. ¶ 2. Specialiter in oratione est quædam aptitudo et suavitas dictionis, quæ non ex coagmentatione verborum, neque ex quæsito numero nascitur, sed ex usurpatione quarumdam figurarum, quæ sunt compar, contrapositum, similiter cadens, et similiter desinens. His enim quatuor fit oratio per se numerosa et concinna: periodus apte concluditur, auresque auditorum mira suavitate delectat. Exemplum esto in illo *Cic. Mil.* 4. 10. Est igitur hæc, judices, non scripta, sed nata lex, etc. quod ipse *Cic.* affert *Orat.* 49. 165.; item in illo 6. *Verr.* 52. 115. Conferte hanc pacem cum illo bello, etc. quod quidem ipse affert *Orat.* 50. 167., qui *ibid.* 44. 149. de hac ipsa concinnitate sic habet: Collocabuntur igitur verba, aut ut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis; aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat. *V.* si lubet *Jac. Ludovic. Strebæum de elect. et colloc. verb. lib.* 2. *c.* 2. Adde *Cic. Brut.* 83. 287. *Id. Cic. ibid.* 95. 325. Ornata concinnitas sententiarum.

CONCINNĬTER, adverb. concinne. *Gell.* 18. 2. Versus uno multifariam verbo concinniter implicati.

CONCINNĬTŪDO, dinis, f. 3. concinnitas. *Cic.* 1. *Invent.* 18. 25. Exordium splendoris, et festivitatis, et concinnitudinis minimum debet habere, propterea quod ex his suspicio quædam apparationis atque artificiosæ diligentiæ nascitur.

CONCINNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Concinnans* 2.; *Concinnatus* et *Concinnandus* 1. — Concinnare ¶ 1. *Paul. Diac.* p. 38. 1. *Müll.* interpretatur *apte componere*; et a *concinere* deducit, quod significat *convenire*: ac sane primo valet — *a*) Apte et convenienter res multas inter se componere, adornare, polire, ut *concinnare capillum* V. CONCINNATOR 1. Hinc *concinnare struices patinarias* apud *Plaut. Men.* 1. 1. 26. est adornare varios cibos ad convivium. *Concinnare vinum* apud *Caton. R. R.* 114., 115. et 122. est variarum rerum compositione admixtum condire ad varios usus medicinæ. Ubi est animadvertendum, mirari quodammodo *Plinium*, quod in hoc sensu *Cato* hoc verbum adhibuerit. Ait enim 14. *Hist. nat.* 20. 25. (129). Cato jubet vina concinnari (hoc enim utitur verbo) cineris lixivii cum defruto etc. *Concinnare trapetum* apud *eumd. Caton. R. R.* 135. *in fin.* est adornare et polire. *Concinnare aream* apud *Plaut. Asin.* 1. 3. 64. est purgare, ut offundendo cibo alliciantur aves et capiantur. *Concinnare vultum* apud *Petron. Satyr.* 113. est ornare, comere. Et translate *concinnare ingenium* apud *Senec. Ep.* 7. est ornare, bonis artibus instruere. *Concinnare cadaver* est cadaver membratim discerptum componere sepeliendi causa, ut apud *Apul.*, cujus hæc sunt verba 7. *Met.* Cadaver, disjectis partibus, tandem totum repertum, ægreque concinnatum, terræ dedere. — *b*) Quod si sermo est de rebus, quæ vetustate aliave causa laceræ sunt, concinnare est instaurare, reficere. *Plaut. Epid.* 2. 2. 38. Ego tibi hanc (*pallam*) hodie probe lepideque concinnatam referam temperi. Adde *eumd. Men.* 3. 2. 2. et 5. 1. 33. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 9. Cetera, si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. ¶ 2. Sumitur etiam simpliciter pro conficere, vel *facere*, ut exponit *Non.* p. 43. 18. *Merc.* (ac derivat a *cinnus*, quod est potionis genus e multis liquoribus confectum; quod etymon *Vossio* in *Etymol.* magis placet, quam illud a *Paul. Diac.* superius allatum sub 1.). *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. 3. Nactus in navigatione nostra pusillum laxamenti, concinnavi tibi munusculum ex instituto meo. *h. e.* versiculos conscripsi. *Plaut. Truc.* 4. 3. 19. Livorem tu te scapulis concinnas tuis. *h. e.* paras. Sic *Id. Rud.* 1. 2. 8. Concinnare lutum. *Lucret.* 6. 436. hinc prorumpitur in mare venti Vis, et fervorem mirum concinnat in undis. *h. e.* facit, concitat. Adde *eumd.* 6. 584. et 1117., et 4. 1279. *Afranius* apud *Non.* p. 433. 31. *Merc.* Concinnare aliquid controversiæ. *Phædr.* 2. 4. 25. quantum mali. *h. e.* struere, moliri, facere. *Seneca Ep.* 117. Concinnare alicui multum negotii. *h. e.* facessere, molestiam creare. *Hieronym. præfat.* in *l.* 4. *Jerem.* Calumnias concinnantes. ¶ 3. Si *concinnare* cum Adjectivo jungatur, est idem ac reddere. *Nævius* apud *Non.* p. 90. 30 *Merc.* Transit Melitam Romanus exercitus, insulam urit, populatur, vastam rem hostium concinnat. *h. e.* vastat, seu *colligit*, ut exponit *Non. ibid.*; et quoniam in veteri *Nonii* editione *Forcellinus* hæc legerat: *populatur, vastat, rem hostium concinnat*; hæc addiderat: Fortasse εἰρωνικῶς locutus est *Nævius*, atque illud voluit dicere, quod Itali, *gli concia pel dì delle feste*. *Plaut. Capt.* 3. 4. 7. Me insanum verbis concinnat suis. *h. e.* facit, ut insaniam. *Id. Amph.* 1. 3. 32. Concinnare uxorem lacrimantem. *h. e.* in causa esse, cur uxor ploret. Cf. *eumd. ibid.* 2. 2. 90. *Id. Capt.* 4. 2. 39. Lanii concinnant liberis orbas oves. *h. e.* oves pluries jam fetas occidunt, deinde eisdem fraudulenter testiculos aptant, ut mares esse videantur; quod etiam modo apud nos non raro usuvenit. *Id.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 3. *Müll.* Concinnare annonam caram e vili. *h. e.* facere, ut cara sit. *Id. Stich.* 2. 1. 13. Concinnare viam tranquillam. *h. e.* munire viam. *Id. Trin.* 3. 2. 58. Concinnare se levem suis. *h. e.* præbere se facilem suis. — *NB.* Si *Nonio* credimus p. 43. 23. *Merc.*, concinnare significat etiam consentire. Sed profecto *concinnare* confundit cum *concinere*: et loca *Cicer.*, quæ affert ex 4. *Fin.* 22. et ex *fragm.* 2. *Acad.*, in correctioribus libris *concinere* habent: idem dicito de alio loco 5. *Fin.* 28. 83. qui affertur ab nonnullis lexicogr. ad confirmandam *Nonii* sententiam.

CONCINNUS, a, um, adject. De etymo *V.* voc. præced. sub init. — Comp. *Concinnior* in omnibus paragr. — *Concinnus* idem est ac apte compositus, conveniens, elegans (It. *acconcio*, *ben aggiustato*, *adorno*; Fr. *convenablement disposé*, *bien ajusté*, *élégant*; Hisp. *conveniblemente dispuesto*, *elegante*; Germ. *kunstvoll zusammengefügt*, *wohl eingerichtet*; Angl. *nicely fitted*, *well adjusted*, *neat*, *elegant*). Occurrit absolute, et quidem ¶ 1. Generatim ponitur de externa partium dispositione, et est elegans, pulcher. *Plaut. Pers.* 4. 3. 77. Virgo concinna facie. *Cic. Pis.* 10. 22. Cum ipse nudus in convivio saltaret: hic autem non tam concinnus helluo, nec tam musicus, jacebat in suo Græcorum fætore atque vino. ubi *concinnus helluo* festive dicitur, qui quamdam in ipsa helluatione elegantiam, munditiam, et artificium sectatur. *Id.* 3. *Q. fr.* 1. 1. Totum in eo est, tectorium ut concinnum sit. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 2. Concinna Samos. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 10. 36. (23). Pictor elegans et concinnus. *Id.* 16. *ibid.* 34. 62. (148). Helicis folia angulosa et concinniora. εὐρυθμότερα habet *Theophr. Hist. plant. l.* 13. *c.* 18. de eadem re verba faciens. ¶ 2. Item absolute, sed speciatim transfertur ad orationis elegantiam, ornatum, numerum significandum. *Cic. Brut.* 95. 325. Sententiæ non tam graves et severæ, quam venustæ et concinnæ. *Id. Orat.* 19. 65. Sententiæ concinnæ. *quibus ibid opponuntur probabiles.* Adde *eumd. Brut.* 78. 272. *Id.* 3. *Orat.* 25. 100. Oratio concinna, distincta, ornata, festiva. *Id. ibid.* 53. 203. Reditus ad rem aptus et concinnus. *Id. Orat.* 6. 20. Alii in eadem jejunitate (*dicendi*) concinniores, idest faceti, florentes etiam, et leviter ornati. *Id.* 5. *Fin.* 5. 13. *Aristo* concinnus et elegans. *Id. Pis.* 25. 59. Ut es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus e schola. *Nepos Epam.* 15. Concinnus in brevitate respondendi. *h. e.* apposite et paucis respondens. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 74. Versus paullo concinnior. *Id.* 1. *Sat.* 10. 23. sermo. *Quintil.* 9. 3. 91. Concinna transgressio verborum, id est hyperbaton. ¶ 3. Cum Dativo personæ concinnus est qui bene convenit, commodus. *Lucret.* 4. 1272. viris Venus ut concinnior esset. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 50. ineptus, Et jactantior hic paullo est: concinnus amicis Postulat ut videatur. ubi *concinnus amicis* est, cui cum amicis bene convenit. — Hinc *concinnum est*, commodum est, conveniens, utile est. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 33. Age, age, ut tibi maxime concinnum est.

CONCĬNO, cinis, cinui, centum, cinere, a. 3. (cum *et* cano). Part. *Concinens* sub *A.* 1., *B.* II. et in fin. — Concino idem est ac cano, vel simul cano (It. *cantare*, *cantare insieme*; Fr. *chanter*, *jouer ensemble*; Hisp *cantar*, *cantar juntos*; Germ. *gemeinschaftlich singen oder tönen*; Angl. *to sing*, *sing together*, *sing in concert*). Occurrit autem *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Hæc cum pressis et flebilibus modis concinuntur, difficile est, etc. *Catull.* 61. 12. Concinere carmina nuptialia. *Id.* 65. 13. carmina. *Tibull.* 2. 5. 88. de *Phœbo*. Qualem te memorant, Saturno rege fugato, Victori laudes concinuisse Jovi. *Id.* 2. 5. 10. Concinere sua festa Palilia. *Horat.* 4. *Od.* 2. 33. Concines majore poeta plectro Cæsarem. et *ibid.* 41. Concines lætosque dies. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 23. Ælinon in silvis idem pater, Ælinon, altis Dicitur invita concinuisse lyra. *Sueton. Cal.* 6. Expergefactus e

somno Tiberius est gratulantium vocibus atque undique concinentium: Salva Roma, etc. cf. Catull. 61. 123. ¶ 2. Speciatim ponitur pro vaticinari, vaticinando canere. Propert. 2. 28. 38. funestum concinit omen avis. Ovid. 3. Amor. 12. 1. tristia semper amanti Omina non albæ concinuistis aves.

B) Neutrorum more: et quidem

I.) Proprie de instrumentorum harmonia usurpatur. Liv. 9. 32. Concinunt tubæ, et signa inferuntur. Adde eumd. 30. 5. et Cæs. 3. B. C. 100. Colum. 12. R. R. 2. 4. Ubi (chorus) – consensit atque concinuit. Tac. 1. Ann. 68. Cornua ac tubæ concinere. Sueton. Cal. 54. Concinere tragœdo pronuncianti. — Et de uno tantum. Ovid. Heroid. 7. 2. concinit albus olor.

II.) Translate est convenire, concordare. Cic. 2. Nat. D. 7. 19. Mundi partes inter se concinentes. Id. 1. ibid. 7. 16. Stoici cum Peripateticis re concinere videntur, verbis discrepare. Id. 5. Fin. 28. 83. Videsne ut hæc concinant? Liv. 6. 35. ad fin. Faxo, ne juvet vox ista, Veto, qua nunc concinentes collegas nostros tam læti audistis. Plin. 3. Hist. nat. 1. 3. (16). Ita fit, ut nulli duo concinant. — Hinc Part. præs.

Concinens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. Concinentius apud Claud. Mamert. 2. Stat. anim. 5. Quæ parilitas numerosa est, quia tanto est numeris vicinius, quanto est quidquam concinentius. Arnob. 3. 40. Ut videtis, hic quoque nihil concinens dicitur, nihil una pronunciatione finitur. h. e. concors, consentaneum, cohærens.

CONCĬO, cis, cīvi, citum, cire. V. CONCIEO.

CONCĬO, ōnis. V. CONTIO.

CONCĬŌNĀBUNDUS, CONCĬŌNĀLIS, CONCĬŌNĀRIUS, CONCĬŌNĀTOR, CONCĬŌNĀTŌRIUS, CONCĬŌNOR. V. CONTIONABUNDUS, CONTIONALIS, CONTIONARIUS, CONTIONATOR, CONTIONATORIUS, CONTIONOR.

CONCĪPĬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Ratione habita etymi videtur factum a compilo, epentesi τοῦ ci, (V. INCITEGA), ejusdem enim est significationis. Nam quemadmodum Non. p. 12. 26. Merc. suppilare interpretatur involare, vel rapere, ita Paul. Diac. p. 62. 6. Müll. Concipilavisti, inquit, dictum a Nævio pro corripuisti, et involasti. Ita ct. Forcellinus; juxta recentiores vero concipilo est frequent. a concipio, et significat totis viribus arripere. — Ceterum concipilo occurrit apud Plaut. Truc. 2. 7. 61. Etiam, scelus viri, minitare? quem ego offatim jam, jam, jam concipilabo. h. e. corripiam, lacerabo, discerpam. Superius v. 52. et infra v. 65. offatim te, inquit, machæra conficiam. Claud. Mamert. 2. Stat. anim. 11. Fas est multimodo veritatis gaudio falsiloqui cerviculam salubri concisione concipilare.

CONCĬPĬO, cipis, cēpi, ceptum, cipere, a. 3. (cum et capio). Part. Concipiens I. 1.; Conceptus in omnibus fere paragr. et in fin.; Concepturus I. 3. — Concipio est idem quod capio, vel simul, aut intus capio, comprehendo, contraho, recipio (It. contrarre, ricevere, pigliare, capire; Fr. prendre, saisir, contracter; Hisp. tomar, asir, contraer; Germ. zusammenfassen, d. h. rings herum oder ganz fassen, ergreifen, in sich aufnehmen; Angl. to conceive, receive, contracte).

I.) Proprie usurpatur de rebus, quæ sub sensus cadunt, et occurrit ¶ 1. Generatim, et quidem — a) Absolute. Grat. Cyneg. 29. cassem laqueabis, ut omnem Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem. h. e. capiat. Varro 5. L. L. 25. Müll. Trulleum latius concipit aquam. Lucret. 6. 502. Nubes concipiunt marinum humorem. Id. 6. 627. docui multum quoque tollere nubes Humorem magno conceptum ex æquore ponti. h. e. haustum, collectum. Cf. Ovid. 1. Met. 271. Concipit Iris aquas. Et Id. 6. ibid. 397. Terra concipit lacrimas. Curt. 6. 4. Amnis ex fonte conceptus. Rursus Lucret. 6. 880. Stuppa jacit flammas concepto protinus igni. Cæs. 2. B. C. 14. Ut uno tempore turris tormentaque flammam conciperent. Cf. Plin. 24. Hist. nat. 17. 101. (158). Concipere ignem e longinquo. Adde Ovid. 15. Met. 347. Concipere absolute est ignem concipere: alii tamen ignem adjiciunt: V. ACCENDIUM et INFLAGRO. Et figurate de amore. Catull. 7. 9. Concipere validos ignes. Ovid. 1. Met. 337. Buccina concepit aera. Id. 12. ibid. 569. non concipientibus auras infirmis pennis. Curt. 4. 3. 2. Vela concipiunt magnam vim venti. Plin. 16. Hist. nat. 31. 57. (131). Platani plurimum ventorum concipiunt propter densitatem ramorum. Huc referri potest et illud Ulp. Dig. 47. 7. 3. Arbor, quæ radicem non conceperit. Plin. 21. Hist. nat. 13. 44. (74). Flores noxium virus concipiunt, aquoso vere marcescentes. Et Colum. 7. R. R. 5. 14. Concipere morbum. Id. ibid. 5. 3. Ex calore et æstu concepta pestis. — Et figurate Cic. 2. Verr. 16. 49. Delere potestis maculam conceptam aliquot per annos huic ordini. Hinc Id. 1. Off. 34. 123. Concipere dedecus. — b) Addito Ablativo rei, qua quid concipitur seu recipitur. Cic. 1. Nat. D. 55. 138. Pars animæ redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam etc. Varro 1. R. R. 7. 3. Nuces integras, quas uno modio comprehendere possis, si fregeris, vix sesquimodio concipere possis. Ovid. 7. Met. 17. Excute virgineo conceptas pectore flammas. Adde Catull. 64. 92. Seneca 1. Quæst. nat. 3. ad fin. Arcus est imago solis, roscida et cava nube concepta. Quintil. 11. 3. 119. Concipere ventum veste. Curt. 3. 6. medicamentum venis. ¶ 2. Speciatim furtum conceptum est deprehensum, cum apud aliquem coram testibus res furtiva invenitur, ut Paul. 2. Sentent. tit. 32. docet. Hinc furti concepti, immo absolute concepti agere dicitur is, qui rem furtivam concepit et invenit: et concepti actione is tenetur, apud quem furtum quæsitum et inventum est, quamvis ipse fortasse fur non sit. Id. ibid. Adde Justinian. 4. Institut. tit. 1. § 4. et Gell. 11. 18. V. et LANX. ¶ 3. Item speciatim concipere aquam est e flumine, aut lacu in aquæductum derivare, quo in urbem perducatur. Frontin. Aquæd. 11. Concipitur Augusta ex lacu Alsietino, via Claudia, milliario decimoquarto. ¶ 4. Denique speciatim et quidem sæpe dicitur de feminis, quæ semen ad fetum comprehendunt; item de arboribus aliisque inanimis, quæ aliquid producunt: — a) Absolute. Lucret. 4. 1262. more ferarum – putantur concipere uxores. – Nam mulier prohibet se concipere. Varro 2. R. R. 1. 17. Quædam e vento concipiunt certo tempore equæ. Adde Cic. 2. Divinat. 22. 49. Tertull. 3. advers. Marcion. 13. Concepturα et paritura juvencula. Plin. 16. Hist. nat. 25. 39. (94). concipere arbores dicit, cum primum germinant. — b) Cum Accusativo. Cic. Cluent. 12. 33. Ut id, quod conceperat, servaret, ut salvum parere posset. Plin. 9. Hist. nat. 51. 75. (165). Pisces ova concipiunt. Petron. Satyr. 33. Pavonis ova gallinæ jussi supponi, et timeo, ne jam concepta sint. h. e. ne pullos habeant conceptos et formatos. Al. aliter leg. Rursus Cic. 2. Nat. D. 10. 26. Semina, quæ terra concipit. Virg. 1. G. 87. terræ concipiunt pabula. Plin. 18. Hist. nat. 7. 10. (56). Frumenta quædam in tertio genu spicam incipiunt concipere. — c) Addito per Ablativum, etiam cum præpos., unde quis conceptus est. Cic. Cluent. 11. 31. Conceptus ex fratre. Ovid. 6. Fast. 633. Servius conceptus a captiva. Sueton. Tib. 62. Conceptus ex adulterio. Adde eumd. Aug. 17. et Claud. 27. Ovid. 2. Fast. 183. Puer furto conceptus. Id. 3. Met. 214. De lupo concepta Nape. Plin. 8. Hist. nat. 16. 17. (42). Conceptus leone. Ovid. 4. Met. 611. de Danae. Concipere aliquem pluvio auro. Id. 10. ibid. 328. semine alicujus. — d) Denique consequens pro antecedenti ponitur in illo Ovid. 11. Met. 222. Namque senex Thetidi Proteus, Dea, dixerat, undæ, Concipe. h. e. nube. Et causa pro effectu in illo Ejusd. 10. ibid. 470. concepta crimina portat. h. e. fetum crimine conceptum.

II.) Translate de animo ponitur: ad rem Plaut. Pœn. 1. 2. 65. Concipere oculis. Et Cic. 6. Verr. 45. 101. Cupiditatem auribus concipere. Itaque ¶ 1. Ponitur fere de animi affectibus, et concipere absolute, vel concipere mente, animo, pectore, est suscipere, in se admittere, animoque occultare et clam nutrire. Cic. post redit. ad Quir. 1. 1. Quod odium scelerati homines in rempublicam conceptum jamdiu continerent. Id. 4. Tusc. 9. 21. Discordia est ira acerbior, intimo odio et corde concepta. Cf. Cæs. 3. B. C. 16. Habere inimicitias cum aliquo, conceptas ex ædilitate. Rursus Cic. Sull. 24. 67. Furor conceptus erupit. Id. Mur. 39. 84. Hoc quod conceptum respublica periculum parturit, consilio discutiam et comprimam. h. e. intestinum et veluti intra viscera. Id. 3. Legg. 14. 32. Non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem. Id. 1. Tusc. 30. 72. Concipere fraudes. Id. 6. Verr. 32. 72. Nefarium scelus conceptum. h. e. excogitatum et patratum. Id. 2. Cat. 4. 7. Concipere malum aut scelus. Id. 3. Verr. 4. 9. scelus in se. Id. Sull. 5. 16. flagitium cum aliquo. Liv. 10. 24. amorem. Sic Ovid. 10. Met. 582. laudando concipit ignem. h. e. amorem. Rursus Liv. 33. 33. et Vellej. 2. 106. Concipere aliquid spe. Sic Ovid. 6. Met. 554. et 1. Fast. 485.; et Petron. Satyr. 97. spem. Et Curt. 10. 2. spem ex aliquo. Id. 10. 7. Spes concepta de aliquo. Virg. 11. Æn. 368. Concipere robur pectore. Id. ibid. 519. curam ducis. Ovid. 1. Met. 166. Concipere animo iras ingentes. Id. 2. ibid. 640. furores fatidicos mente. Id. 15. ibid. 335. vires. Sueton. Aug. 6. Concepta opinio. h. e. qua imbutus est animus. Quintil. 10. 7. 14. Affectus bene concepti. h. e. alte in animum infixi. ¶ 2. Ponitur et de intellectu seu mente, et est comprehendere, intelligere, mente sibi repræsentare; et occurrit — a) Cum Accusativo. Cic. 2. Divinat. 39. 81. Imbecilli animi superstitiosa ista concipiunt. Id. 1. Legg. 22. 59. Quoniam principia rerum quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit. Id. 2. Fin. 2. 6. Voluptas firme concepta animo atque comprehensa. Adde Liv. 1. 36. et 9. 18. Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (124). Quæ neque concipi animo, nisi ab iis qui videre, neque humano sermone enarrari possunt. Id. 33. ibid. 4. 21. (73). Fragor, qui concipi humana mente non potest. Id. 3. ibid. 5. 9. (67). Concipere æstimationem dignam alicujus rei. Quintil. 1. 10. 4. Imaginem quamdam (oratoris) concipere animo. Id. 9. 1. 19. Concipere cogitationem. Et eodem sensu Id. 8. 3. 88. et 12. 10. 6. visionem. Adde eumd. 2. 20. 4. et 12. procem. 1. Id. 6. procem. 2. Concipere summa de aliquo. Ovid. 2. Pont. 7. 16. Pectore concipio nil nisi triste meo. h. e. cogito, meditor. Id. 7. Met. 22. Concipere thalamos. Stat. 5. Silv. 1. 3. Concipere solatia alicui. h. e. solatia in aliquem meditari. Martial. 8. 56. de Virgilio. Protinus Italiam concepit et Arma virumque Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi. — Sic conceptum fœdus apud Virg. 12. Æn. 158. h. e. animo conceptum, animo statutum. — b) Sequente Relativo. Plin. 3. Ep. 9. Concipere animo potes, quam simus fatigati, quibus toties agendum etc. — c) Cum Accusativo et Infinito, haud aliter ac verba sentiendi. Ovid. 2. Met. 76. Forsitan et lucos illic urbesque domosque Concipias animo delubraque ditia donis Esse. Adde eumd. 2. Pont. 2. 9. Cels. 7. præfat. sub fin. Ego eumdem quidem hominem posse omnia ista præstare concipio. h. e. intelligo, video, admitto. Adde eumd. 4. 1. a med. Tac. 2. Ann. 39. Agrippam ferre ad exercitus, non servili animo concepit. Vellej. 2. 117. Concepit (h. e. putavit, in animum induxit) eos homines, qui nihil præter vocem membraque habent hominum, quique gladiis domari non poterant, posse jure mulcari. — Et Cic. 3. Off. 29. 107. Quod ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est. ¶ 3. Denique est quod animo concepimus, id verbis etiam concipere seu comprehendere, adeoque exprimere, pronunciare, proferre: et dicitur de iis, quæ certa verborum ratione et formula comprehensa dicuntur. Hinc — a) Generatim. Liv. 3. 5. Difficile est, quot ceciderint, exacto affirmare numero: audet tamen Antias Valerius concipere summas. Ovid. 7. Met. 594. Concipere vota. Seneca Herc. fur. 926. preces. — Aliquando concipere verba, preces, dicitur is qui dictata ab aliis verba pronunciat. Seneca Troad. 1100. Dum verba fatidici et preces Concipit Ulysses vatis. — Namque concipere verba est verborum formulam exprimere, quam alius totidem verbis referat, et concepta verba sunt, quæ certa formula comprehenduntur, ratio et formula certa verborum, ut docet Varro 6. L. L. 3. edit. veter. Ex. gr. concipere verba juramenti, vel juramentum, præire juraturo verba juramenti; et conceptis verbis jurare est jurare certa formula ab eo præscripta et dictata, qui juramentum defert. Plaut. Cist. 1. 1. 100. Ille conceptis juravit verbis apud matrem meam. Cic. Cluent. 48. 134. Conceptis verbis pejerare. Id. 3. Off. 29. 108. Quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro. Liv. 7. 5. Stans ferro intento, nisi in quæ conceptisset verba, juraret, se patris ejus accusandi causa concilium plebis numquam habiturum, se eum extemplo transfixurum minatur. Id. 1. 32. Concipere jusjurandum. Sic Tac. 4. Hist. 41. Senatus jusjurandum concepit, quo etc. Id. 4. ibid. 31. Cum cetera jurisjurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes aut etiam silentio transmittebant. Petron. Satyr. 113. extr. Jurat Eumolpus ver-

bis conceptissimis. — Similiter *concipere vadimonium* est proferre formulam vadimonii; et *concipere libellum, edictum*, etc. apud JCtos est certis verbis comprehendere ac describere. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. Negat, in tanta multitudine quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset. *Ulp. Dig.* 13. 6. 1. Qui edictum concepit, commodati fecit mentionem. *Id. ibid.* 48. 19. 9. Ne tabelliones instrumenta forment, neve libellos concipiant. *Id. ibid.* 41. 1. 38. *circa med.* et *Paul. ibid.* 24. 3. 45. Concipere stipulationem. *Jabolen. ibid.* 5. 1. 35. obligationem in futurum. *Cajus ibid.* 4. 5. 8. actiones in bonum et æquum. *Papinian. ibid.* 20. 1. 1. Concepta conventio. *Id. ibid.* 1. 5. 8. Tenor instrumenti male concepti. — *Concipere fœdus* apud *Virg.* 12. *Æn.* 13. est verborum fœderis exprimere formulam et fœdus facere, id est conceptis verbis fœdus ferere, ut ait *Servius* ad *h. l.* Qui docet etiam concipere vestimenta dici sarcinatores, cum e diverso conjungunt et adsuunt. Quam recte et vere, ipse viderit. Denique huc referri potest et illud *Sueton. Cal.* 40. Pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur (*exigebatur*). — Hinc figurate *concepta classica cornu* apud *Lucan.* 7. 476. est signum pugnæ datum sono cornus. — *b*) Speciatim est verbum sacrorum; et *concipere sacra, diem, ferias, bellum* et similia, est certis verbis dies, ferias, aut bellum indicere: ad rem *Varro* 6. *L. L.* 3. *extr. edit. veter.* Mysteria pristina sacris concepta verbis. *Id.* 6. *ibid.* 25. *Müll.* Ubi viæ competunt, tum in competis sacrificatur; quotannis is dies (*Compitalia*) concipitur. Sic *conceptæ feriæ* apud *eumd.* 6. *ibid.* 29. eædem sunt, quæ *conceptivæ*, quam vocem *V. Liv.* 5. 17. Magistratus vitio creatos, Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse. Sic in re augurali, ut docet *Varro* 7. *L. L.* 8. *Müll.*, *concipere templum* est locum in cælo conceptis certisque verbis definire, intra quem auguria capienda sunt. *Liv.* 22. 1. Concipere auspicia. *Varro* 5. *ibid.* 86. Per feciales fiebat, ut justum conciperetur bellum. — *Concipere bellum alicui* singulari constructione dixit *Silius It.* pro conceptis verbis jurare, se bellum alicui illaturum. Locus est *l.* 13., ubi Hamilcar de Hannibale loquens, ait *v.* 744. decimum modo ceperat annum Excessisse puer, nostro cum bella Latinis Concepit jussu. Cf. 1. 79. et seqq.; et *Liv.* 21. 1. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Conceptus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Conceptissimus* apud *Petron. Satyr.* 113. *extr.*, cujus verba *V.* supra sub II. 3. *a.*

CONCĪSĒ, adverb. stricte, concisa ratione: et occurrit de oratione tantum. *Quintil.* 12. 2. 11. Quamquam eâ (*dialecticâ*) non tam est minute atque concise in actionibus utendum, quam in disputationibus.

CONCĪSĬO, ōnis, f. 3. (concido) actus concidendi. *V. Claudii Mamert.* verba in v. CONCIPILO allata, in quibus *concisio* stricto sensu occurrit. Ceterum enim est verbum Rhetorum proprium. *Cic. Partit. orat.* 6. 19. Dilucidum fit usitatis verbis, propriis, dispositis aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum. *h. e.* aut comprehensione continua, aut membratim intermissa, aut cæsim abrupta. *V.* in *Orat.* 63. triplicis hujus modi exemplum. — Apud Grammaticos *concisio* est syncope. *Priscian.* 1. *p.* 559. *Putsch.* Longa vocalis ante finalem per concisionem, ut *audit* pro *audivit*. *Id.* 4. *p.* 626. *Tego, tegis, tegimen* et per concisionem *tegmen*.

CONCĪSOR, ōris, m. 3. (concido) qui concidit. *Coripp. Laud. Justin.* 4. 21. Gemit undique fessus Concisor nemorum, crebrisque securibus ictus Congeminant.

CONCĪSŌRIUS, a, um, adject. ad concidendum pertinens. *Veget.* 1. *Veterin.* 56. 31. *Schneid.* Ferramento concisorio animalium soleas purgare.

CONCĪSŪRA, æ, f. 1. actus concidendi, concisio; et occurrit ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (63). Quam statuam inaurari jussit Nero: dein cum pretio periisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris, in quibus aurum hæserat, remanentibus. *Al. leg.* conscissuris. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro divisione. *Seneca Ep.* 100. *ante med.* Desit sane varietas marmorum, et concisura aquarum cubiculis interfluentium. *h. e.* minuta divisio aquarum, quæ tubulis concipiuntur, ut in varias ædium partes influant. Itali *tagli* appellant, quos alveos a flumine ducunt ad aquas derivandas.

CONCĪSUS, a, um. *V.* CONCĪDO.

CONCĬTĀMENTUM, i, n. 2. incitamentum. *Seneca* 3. *Ira* 9. Quis ignorat, lituos et tubas concitamenta esse?

CONCĬTĀTĒ, adverb. Comp. *Concitatius* 2.; Sup. *Concitatissime* 1. — Concitate est citatim, cum impetu. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 4. Tum concitate agitur pecus eousque dum anhelet. *Quintil.* 11. 3. 133. Concitate itur, frigide reditur. *Lactant.* 6. 1. *sub fin.* Ad mortem concitatissime properant. *Augustin.* 5. *Civ. Dei* 26. Concitatissime rapere aliquid. ¶ 2. Speciatim de oratione. *Quintil.* 10. 2. 23. Alia concitate, alia remisse dicenda sunt. Adde *eumd.* 8. 3. 40. et 11. 3. 23. *Id.* 12. 10. 26. Concitatius movere affectus. *Id.* 1. 8. 1. Concitatius dicere.

CONCĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. vehemens commotio, impetus. ¶ 1. Plerumque concitatio est vehemens animi commotio, vel perturbatio. *Cic.* 5. *Tusc.* 16. 48. Sapiens ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacat. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. *ad fin.* Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes. *h. e.* irarum impetus. *Id.* 2. *Divinat.* 11. 27. Concitatione mentis edi, et quasi fundi naturale genus divinandi. Sic *Liv.* 9. 7. Concitatio animorum. — Et absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 37. 80. Atque etiam illa concitatio declarat, vim in animis esse divinam. *scilicet* cum vocum gravitate et cantibus pelluntur animi vehementius, ut statim supra dixerat. Similiter absolute dixit *Quintil.* 1. 11. 12., 2. 8. 11., 7. 4. 13., 10. 1. 114., et 11. 3. 146. ¶ 2. Significat etiam popularem tumultum vel seditionem. *Cic. Brut.* 14. 56. Plebis contra patres concitatio et seditio. *Cæs.* 3. *B. C.* 106. *extr.* Crebræ continuis diebus ex concursu multitudinis concitationes fiebant.

CONCĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui concitat, et tumultus ac turbæ auctor est. *Cic. Dom.* 5. 11. Seditionis instimulator et concitator tu fuisti. *et paullo post* § 13. Sergius signifer seditionis, concitator tabernariorum. *Auct. B. G.* 8. 38. Concitatorem belli ad supplicium deposcere. *Id. ibid.* 21. Concitator multitudinis. *Liv.* 25. 4. turbæ ac tumultus. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 2.; et *Senec.* 3. *Ira* 2., qui postremus absolute dixit.

CONCĬTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ concitat. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 62. (96). Concitatricem vim habet satyrion. *Id.* 19. *ibid.* 8. 44. (154). Eruca concitatrix Veneris.

CONCĬTĀTUS, a, um. *V.* CONCITO.

CONCĬTĀTUS, us, m. 4. idem ac concitatio: sed occurrit tantum Ablat. sing. num. apud *Sidon. carm.* 23. 365. Cum est id mediis, ut ille primus Pressus dexteriore concitatu, Partem si patefecerit sinistram, Totas ad podium ferens habenas, Curru prætereatur intus acto.

CONCĬTĒ, adverb. concitate. *Venant.* 8. *carm.* 15. 3. Concite, presbytero recitante Leone sereno, Irem. ubi *Venantius*, malus prosodiæ auctor, ultimam syllabam corripuit.

CONCĬTIM, adverb. idem ac concitate. *Apul.* in *fragm.* 10. *Met.* apud *Oudend.* p. 717. Et cum ad inguinis capulum formosa mulier concitim veniebat. *Alii leg.* conatim vel connatim.

CONCĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* a concieo. — Part. *Concitans* II. 1. *a.*; *Concitatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Concitaturus* II. 1. *a.*; *Concitandus* II. 1. *c.* — Concito est cito, incito, celeriter moveo, commoveo, agito (It. *muovere, promuovere, incitare, eccitare, commuovere*; Fr. *imprimer un mouvement violent, pousser violemment, exciter, presser*; Hisp. *mover, pujar violentamente, excitar*; Germ. *sehr heftig, wiederholt bewegen, erregen, erschüttern*; Angl. *to stir up, put violently in motion, excite, push forward, stimulate, incite*).

I.) Proprie occurrit præcipue apud Poetas et Historicos. — *a*) Absolute, aut addito Ablativo rei, qua quis concitatur. *Lucret.* 3. 291. Est et frigida multa, comes formidinis, aura, Quæ ciet horrorem membris et concitat artus. *Et ibid. v.* 300. At ventosa magis cervorum frigida mens est, Et gelidas citius per viscera concitat auras. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Conversio cæli concitatior. *Liv.* 2. 6. Concitare equum calcaribus. Adde *eumd.* 3. 61. et 8. 7. *Nepos Datam.* 4. Equo concitato ad hostem vehitur. *Liv.* 35. 5. Equos quam concitatissimos immittere. *Cæs.* 1. *B. C.* 70. Magno cursu concitati. *Liv.* 35. 29. Concitato cursu. *Quintil.* 2. 11. 4. Concitatissimus corporis motus. *Val. Flacc.* 6. 284. Avis concitat alas. *Ovid.* 2. *Fast.* 286. Concitare feras. *h. e.* venando insectari. — Et de inanimis. *Liv.* 36. 44. Concitare naves. *Id.* 30. 25. et 37. 11. classem. *Id.* 34. 39. tela. Sic *Val. Flacc.* 6. 340. Concitare missile. *h. e.* magna vi jacere. *Curt.* 4. 3. Mare vento concitatum. *Ovid. Heroid.* 7. 42. Eurus concitat eversas aquas. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 30. 33. (127). Concitat se Hellespontus. *h. e.* movetur et excurrit. *Ovid.* 1. *Fast.* 436. Concitare nemus. — *b*) Addito, in quid quis se concitat, per Accusativum et præp. *in*. *Liv.* 8. 39. et *Virg.* 7. *Æn.* 476. Concitare se in aliquem. *Liv.* 22. 17. Concitare se in fugam. *Val. Flacc.* 3. 583. Concitare se fuga in locum aliquem.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de personis, quarum animus commovetur atque accenditur; et occurrit — *a*) Absolute, ponitur etiam pro movere ad seditionem. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 144. Quo enim spectat illud, cum artificia tolli quereris a nobis, nisi ut opifices concitentur? *Id. Flacc.* 7. 17. Contio concitata. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. 4. Concitare non modo nationes, sed etiam servitia. Adde *Sall. Cat.* 46. *Liv.* 4. 11. Concitans multitudinem. *Nepos Aristid.* 1. Concitata multitudo reprimi non potest. *Liv.* 3. 15. Concitaturus Volscos et Æquos. *Quintil.* 9. 4. 11. Concitare animos. *Id.* 11. 3. 74. Pater concitatus. *Id.* 11. 3. 170. Concitare judicem. *h. e.* ad iram odiumve movere; apud *eumd.* 6. 1. 9. *concitare* opponitur placare, mitigare. Cf. *Varro* 2. *R. R.* 5. 14. Tabani boves concitare solent. — Hinc *concitatum* dicitur quidquid pertinet ad hominem vehementi aliquo affectu commotum. *Liv.* 10. 5. Concitatior clamor. *Quintil.* 3. 9. 7. Concitatus animus. *Id.* 6. 2. 9. et 11. 3. 162. affectus. *Id.* 10. 1. 44. vis ingenii. *Id.* 3. 8. 58. et 60. oratio. *Id.* 11. 1. 3. causæ. *Id.* 8. 3. 14. Concitatius dicendi genus. *Id.* 12. 9. 3. Vibrantibus concitatisque sententiis velut missilibus uti. *Id.* 11. 3. 175. Erecta et concitata vox. — Speciatim *concitare hostem* apud *Dig.* 48. 4. 3. dicebatur, qui hostes ad arma in patriam inferenda adducebat; hic autem juxta Legg. XII. Tabul. majestatis reus habebatur: *V. Klotz* ad *Cic. Orat.* vol. 1. p. 528. — *b*) Addita per Ablativum re, qua quis concitatur. *Cic. Mur.* 31. 65. Animi quodam impetu concitatus. *Id.* 2. *Orat.* 46. 191. Concitari omni motu animi. *Id.* 1. *Divinat.* 31. 66. Cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. *Id. fragm. pro Scauro* apud *Priscian.* 6. p. 689. *Putsch.* Pellicatus dolore concitata. *Liv.* 23. 7. et 42. 59. ira. Adde *Quintil.* 6. 3. 46. Rursus *Liv.* 6. 15. Concitare multitudinem fallaci spe. *Sall. Cat.* 35. aliquem injuriis. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 18. familiam seditionibus. *Ovid.* 2. *Fast.* 849. Brutus clamore Quirites Concitat, et regis facta nefanda refert. *Tac. Agric.* 38. Concitare aliquem aspectu pignorum. Cf. *Quintil.* 9. 4. 9. Compositione, velut amentis quibusdam nervisve, intendi et concitari sententiæ videntur. — *c*) Addito fine, ad quem quis concitatur; et quidem — Per Accus. et præp. *ad*. *Cic. Brut.* 89. 306. Admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus. *Id.* 1. *Orat.* 47. 204. Concitari ad studium cognoscendæ virtutis. *Cæs.* 7. *B. G.* 42. Concitare multitudinem ad arma. Adde *Horat.* 1. *Od.* 35. 16. Rursus *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Omnem Galliam ad auxilium nostrum concitavimus. *Sueton. Tib.* 54. Concitare aliquem ad convicia. *Id. Cæs.* 8. colonias ad audendum. *Id. Oth.* 10. Concitatus exemplo ad despiciendam vitam. *Quintil.* 6. 1. 20. Concitare judicem ad fortiter judicandum. *Id.* 10. 2. 5. nos ad quærendum. *Id.* 1. 2. 24. aliquem ad depellendam ignominiam. — Per Accus. et præp. *adversus*. *Liv.* 1. 59. Ad concitandum adversus regem exercitum. Adde *eumd.* 5. 4. — Per Accus. et præp. *in*. *Cic.* 5. *Verr.* 3. 6. Is in te non - squalore ac lacrimis Siciliæ concitetur? *h. e.* irascetur. *Quintil.* 6. 2. 27. Qui in iram concitat se. — Per Accus. et præp. *inter*. *Liv.* 7. 8. Concitari vocibus inter se. — Per Infinitum. *Ovid.* 13. *Met.* 226. quæ vos dementia, dixi, Concitat, o socii, captam dimittere Trojam? ¶ 2. Usurpatur etiam de abstractis, et concitare est producere, creare. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 227. Concitare misericordiam populi. *Id.* 7. *Verr.* 8. 21. invidiam in quempiam ex aliqua re. Adde *Quintil.* 6. 1. 14. Rursus *Cic.* 1. *Invent.* 53. 100. gravem

offensionem in aliquem. *Id. ibid.* 54. 105. odium in superbiam. *Id.* 2. *Orat.* 58. 235. risum. *Id. Mur.* 39. 83. discordiam et seditionem. *Id.* 2. *Fam.* 1. magnam expectationem sui. *Id.* 4. *Cat.* 3. Miscere et concitare nova mala. *Id.* 15. *Fam.* 4. 6. Concitare bellum. Adde *Auct. B. G.* 8. 22.; *Nepot. Hamil.* 4.; *Liv.* 5. 5.; et *Flor.* 4. 5. 1. Sic *Liv.* 35. 12. *extr.* Ætoli concitabant bellum Romanis. *h. e.* adversus Romanos. Similiter *Ovid.* 4. *Pont.* 11. 41. Concitare iram populi alicui. *h. e.* contra aliquem. *Cæs.* 3. *B. C.* 18. tumultum. Adde *Liv.* 38. 33. *Sall. Hist. fragm.* 3. 22. *p.* 234. *Gerlach.* turbas. *Phædr.* 1. 29. sibi periculum. *Quintil.* 10. 1. 105. pugnam. *Id.* 11. 3. 8. lacrimas. *Cels.* 6. 6. *n.* 15. Medicamenta, quæ pituitam concitant. *Id.* 2. 13. Bilis concitat morbos. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (169). Concitare somnum. — Hinc Part. præter. pass.

Concitatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Concitatior* et Sup. *Concitatissimus*, quorum exempla *V.* supra sub I. et II. 1. a.

CONCITOR, ōris, m. 3. concitator. *Liv.* 45. 10. Concitores vulgi. *Id.* 23. 41., 29. 3., 37. 45. et alibi; et *Justin.* 2. 9. *extr.* Concitor belli. *quibus locis al. leg.* concitator. Certa est lectio apud *Tac.* 4. *Ann.* 28. et 4. *Hist.* 56. Concitores belli.

CONCITUS vel concitus, a, um. *V.* CONCIEO.

CONCĬTUS, us, m. 4. concitatio, impetus. In sexto casu singulari *Claud. Mamert. Genethl. Maxim.* 8. Quis simili concitu eques, aut velivola navis?

CONCIŪNCŬLA. *V.* CONTIUNCULA.

CONCĪVIS, is, comm. gen. 3. qui ejusdem civitatis jure gaudet. Latini veteres dixere *civis*, aut *municeps*: posteriorum quidam *concivis*. ut *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 17. vertens συμπολίτης ex *D. Pauli ep. ad Ephes.* 2. 19. *Venant.* in *epist.* præmissa *carm.* 6. *lib.* 5. *ante med.* Igitur cum me moveret lamentabilis concivis tam jactura, quam patria etc. *Id.* 7. *carm.* 7. 61. Inter concives meruit te, Gallia, lumen. *Id. ibid.* 14. 9. Inter concives merito qui clarior exstat. *Id.* 9. *ibid.* 13. 9. Droctoveo, dulci clero et concivibus, oro. *Cassiod. de Anim.* 18. Tamen bonis Angelis videntur esse concives. Adde *Gloss. Cyrill.* et *Gloss. Philox. Scipio* quoque *Maffejus Veron. illustr. par.* 2. *l.* 1. *p.* 13. et in *Mus. Veron. p.* 87. 5. affert curtum lapidem sine capite et cauda, in quo legitur mutila hæc *Inscript.* .... DIC. Q. .... ROM. ET AVG. .... CONCIVIVM ROM. .... TANNIA ANN. VII. .... EQIT. CYREN. ANN. VI. At lapis, quem ipsemet meis oculis attentius inspexi, inter voces CON et CIVIVM punctum habet a manu antiquiore; ideoque patet, litteras CON. non ad insequens verbum *civium* pertinere, sed fortasse reliquias esse vocis alicujus, quæ in mutilo marmore deest: flocci igitur facienda hujus inscriptionis auctoritas, quam convellere tentavit etiam *Bezzonico Dalla Torre Disquis. Plin. T.* 1. *p.* 208. Est etiam locus in *fragm. Agrar. de Limit. p.* 261. *Goes.* Exactum concivium locum primum appellatum, deinde dictum fundum. Sed locus obscurus est, et incertæ lectionis, ut et ejus auctor incertæ auctoritatis. Quare *concivis* vox est minus Latina, ut συμπολίτης minus probata Græcis, teste *Polluce init. c.* 4. *l.* 3. et *Herodian. in Phrynic. p.* 471.

CONCLĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. multorum clamor. ¶ 1. De clamoribus mæstitiam significantibus. *Tac.* 3. *Ann.* 2. Lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. *Seneca* 1. *Clem.* 12. Exaudire conclamationem tot militum sub gladio gementium. ¶ 2. Item acclamatio. *Cæs.* 2. *B. C.* 26. Curio universi exercitus conclamatione imperator appellatur.

CONCLĀMĀTUS, a, um. *V.* CONCLAMO.

CONCLĀMĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequent.* a conclamo. — Conclamito idem est quod clamito, vel simul clamito. *Plaut. Merc.* 1. 1. 51. Conclamitare tota urbe.

CONCLĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* clamo). Part. *Conclamans* 1. d. et in fin.; *Conclamatus* 2., 5. et in fin. — Conclamo idem est ac simul clamo vel valde clamo (It. *gridare insieme*, *gridare ad alta voce*; Fr. *crier ensemble*, *proclamer hautement*, *s'écrier*; Hisp. *gritar juntos*, *gritar con un tono elevado*; Germ. *zusammenrufen*, *laut rufen*; Angl. *to cry together*, *cry aloud*). Ceterum ¶ 1. Generatim, particula *cum* subjective, uti ajunt, sumpta, *conclamare*, significat clamare simul, simul alta voce et præcipue cum plausu clamare; et occurrit — a) Cum Accusativo. *Cæs.* 5. *B. G.* 37. Suo more victoriam conclamant. Adde *Cic. Flacc.* 7. 17., et *Virg.* 10. *Æn.* 738. — b) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 6. *Phil.* 1. 2. Cum vos universi una mente atque voce, iterum a me conservatam esse rempubl. conclamastis. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Conclamant se paratos esse. Adde *eumd.* 3. *B. G.* 18. *Virg.* 2. *Æn.* 232. Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divæ Numina, conclamant. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 8. — c) Sequente *ut* significat alta voce concire. *Cæs.* 5. *B. G.* 26. *extr.* Conclamaverunt, uti aliqui ex nostris ad colloquium prodirent. — d) Eadem significatione cum Conjunctivo omissa part. *ut*. *Cæs.* 3. *B. C.* 6. Conclamantibus omnibus: imperaret, quid vellet. *Curt.* 4. 1. Conclamant, duceret, quo videretur. — e) Absolute de lamentis, vel gaudio. *Liv.* 1. 58. Conclamant vir paterque (*Lucretiæ*). *Id.* 1. 58. de duobus *Horatiis*. Ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus exercitus. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 74. *Stat.* 6. *Theb.* 13. planctu conclamat uterque Isthmos, Echioniæ responsant flebile Thebæ. *h. e.* resonat, personat. ¶ 2. Item generatim, sed particula *cum* intensive sumptā, conclamare est alte clamare, et usurpatur etiam de singulis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 22. Ubi abiit, conclamo: heus quid agis etc? Adde *eumd. Men.* 5. 9. 94. *Ovid.* 6. *Met.* 227. Hei mihi! conclamat. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 843.; *Virg.* 3. *Æn.* 523.; et *Tac.* 3. *Hist.* 29. *extr. Cæs.* 1. *B. G.* 47. *extr.* Ariovistus – conclamavit, quid ad se venirent etc. *Seneca Œdip.* 974. Conclamare deos omnes. *Martial.* 9. 46. 5. *de Prometheo.* Videris immensis cum conclamata querelis Saxa senis, etc. — Etiam absolute occurrit apud *Ovid.* 4. *Met.* 691. Conclamat virgo. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 385. et *Quintil.* 2. 2. 12. ¶ 3. Item generatim, sed particula *cum* objective, uti ajunt, sumptā, conclamare est vocare, invocare: sed raro admodum occurrit. *Virg.* 7. *Æn.* 504. Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes. *Ovid.* 13. *Met.* 73. Conclamare socios. *Apul.* 7. *Met.* Nisi ploratu femineo conclamatum viatorum præsidium accurrisset. ¶ 4. Speciatim in re militari — a) *Conclamare ad arma* est milites ad arma vocare. *Liv.* 6. 28. Conclamatum ad arma, concursumque in muros est. Adde *eumd.* 3. 50., 7. 12., et 10. 32. — b) *Conclamare vasa*, ἀναζυγὴν συμαίνειν, est denunciare inter milites, ut vasa colligant; quod fiebat, cum exercitus moturus erat castra. *Cæs.* 1. *B. C.* 66. Signum dari jubet, et vasa militari more conclamari. *V.* VAS, vasis. — Et absolute eodem sensu. *Id. ibid.* 75. Ut militare institutum servaretur, conclamari jussit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 67. et 3. *ibid.* 75. ¶ 5. *Conclamatum est*. πεπρακται, proprium eorum, qui morientibus assistunt, et translate pro finitum est, desperatum est. Solebant enim cadavera septem diebus servare, eorumque faciem pluries frigida abluere, nomenque eorum clara voce inclamare, ne forte syncope correptos pro mortuis funerarent: *Donatus* ad *Ter. Eun.* 2. 3. 56. Cf. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 218. et *Vetus Scholiast.* ad *Lucan.* 2. 23. Conclamare aliquem. *h. e.* aliquem mortuum alta voce clamare. *Liv.* 4. 40. Ut ex mæstis paullo ante domibus, quæ conclamaverant suos, procurreretur. *Lucan.* 2. 23. quum corpora nondum conclamata jacent. *h. e.* corpora, in quibus nulla spes vitæ restat. *Apul.* 2. *Met.* Defletus et conclamatus mortuus. *Id.* 2. *de dogm. Platon.* Conclamata et desperata corpora. Sic *Conclamata suprema* apud *Quintil.* 8. *Declam.* 10. et *Ammian.* 1. 30. et 30. 10. sunt voces, quibus recens mortui sæpe nomine vocabantur. Adde *Stat.* 2. *Silv.* 6. 5. — Hinc *conclamatum est* proverbio dicebatur pro actum est, omnia desperata ac perdita sunt, ut apud *Ter. Eun.* 2. 3. 56. Desine, jam conclamatum est. — Hinc Part. præter. pass.

Conclamatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Conclamatissimus*. ¶ 1. Ponitur pro celebri ac famoso. *Sidon.* 6. *Ep.* 1. Conclamatissimus primipilaris. *Id.* 8. *ibid.* 3. Conclamatissimæ declamationes. ¶ 2. Item pro perdito, miseratione dignus. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 233. Res conclamatæ. *h. e.* desperatæ et perditæ. *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. Mandragoram, aliasque herbas conclamati frigoris piperi temperatis. ubi *conclamatum frigus* est maximum, veluti quo corpora conficiuntur et pereunt.

Conclamans, *antis*, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Conclamantissimus* apud *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Conclamantissimus fons. *Alcim. Ep.* 28. *ante med.* Conclamantissimus prophetarum Esaias.

CONCLASSARE, conjungere classes. *Gloss. Isid.*

CONCLAUDO, dis, si, sum, dere, a. 3. Alia forma pro *concludo*. Occurrit tantum Part. præter. pass.

Conclausus, *a*, *um*, apud *Colum.* 3. *R. R.* 12. 2. Eadem veluti conclausa et coartata semina comprimere.

CONCLĀVĀTÆ dicebantur, quæ sub eadem erant clave. *Paul. Diac. p.* 58. 1. *Müll.* Ubi ædes subintelligendum videtur: ut hoc voluerit significare, *conclavatas ædes* dicta fuisse plura cubicula, quæ porta una unaque clavi clauderentur. *Scalig.* putat legendum esse *conclavia*.

CONCLĀVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conclavandi. *Gloss. Cyrill.* Συγκλωσις, conclavatio.

CONCLĀVE, is, n. 3. (cum *et* clavis). In Genit. plurali reperitur et *conclaviorum* et *conclavium*. *Vitruv.* 6. 3. 8. *Schneid.* Altitudines conclaviorum, quæ oblonga fuerint, sic habere debent rationem, etc. *Id.* 7. 9. 2. In expolitionibus conclavium. — Ceterum *conclave* est pars ædium, cubiculum, membrum, quod clave claudi potest. Si simplex, idem est ac cubiculum (It. *stanza*, *camera*, *gabinetto*); si alia habet cubicula adhærentia (ut est apud *Paul. Diac. p.* 39. 9. *Müll.* et *Donat.* ad *Ter. Eun.* 3. 5. 35.) quæ una clave clauduntur, idem est atque ædes (It. *appartamento*). Tamen ex exemplis, quæ infra citantur, satis apparet *conclave* dici quamcumque ædium partem, dummodo claudi clave possit. *Plaut. Aulul.* 3. 3. 24. Qui angulos omnes mearum ædium et conclavium mihi pervium faciis. Adde *eumd. Most.* 3. 2. 157. *Ter. Eun.* 3. 5. 35. Dum apparatur virgo in conclavi sedet. *Id. Heaut.* 5. 1. 29. Est mihi ultimis conclave in ædibus quoddam, retro. *Cic. Rosc. Am.* 23. 64. Cum cœnatus cubitum in idem conclave cum duobus filiis isset. *Id.* 2. *Orat.* 86. 353. Conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse. *Quintil.* 11. 2. 13. et *Val. Max.* 1. 8. *extern.* 7. eamdem hanc rem narrantes, *triclinium* appellant. Adde *Cic.* 6. *Verr.* 26. 58. et 1. *Divinat.* 15. 26.; *Nepot. Dion.* 9.; *Vitruv. loc. supra cit.*; et *Horat.* 2. *Sat.* 6. 113. *Liv.* 39. 14. Ut sacerdotes ejus sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi ad quæstionem servarent. *h. e.* libera custodia, extra publicum carcerem. *V.* CUSTODIA. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 2. Excelsissimum conclave pretiosissima vasa et vestem desiderat. *Id.* 8. *ibid.* 1. 3. Aves, quæ conclavibus sæpius saginantur. Adde *Sueton. Aug.* 72. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 9. 3. 3. Unum carceris conclave. *h. e.* unus carcer.

CONCLAVĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a

CONCLAVIS, is, f. 3. clavis, quæ simul cum aliis adhibetur. Sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 84.

CONCLĀVO as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* clavis). *Gloss. Gr. Lat.* Conclavo, συγκλῶ. *h. e.* clavibus simul claudo.

CONCLĒRĬCUS, i, m. 2. (cum *et* clericus) comes in clericatu. *Julian. epit. nov. c.* 115. § 475. Et *Augustin. Ep.* 122. *ad Hipponenses.* Dilectissimis fratribus concleric is. *Id. Ep.* 88. Conclericos nostros plagis immanissimis quassaverunt.

CONCLINISCO. *V.* CONQUINISCO.

CONCLŪDENTER, adverb. consequenter. *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 1. 10. *p.* 744. Valde et sæpe facit videri redargui, maxime sophistica calumnia interrogantium, cum nihil colligentes non interrogationem faciunt id, quod est ultimum, sed concludenter dicunt veluti colligentes, non igitur hoc et hoc.

CONCLŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (cum *et* claudo). Part. *Concludens* II. 3. a.; *Conclusus* in omnibus paragr. et in fin. (*V.* et CONCLAUSUS loco suo); *Conclusurus* II. 2. b. — Concludo est idem quod claudo, vel simul claudo (It. *rinserrare*, *rinchiudere*; Fr. *enfermer*, *enclore*; Hisp. *encerrar*, *cercar*; Germ. *zusammenschliessen*, *um-oder einschliessen*, *zusammen-oder einsperren*; Angl. *to shut up*, *fasten up*, *inclose*).

I.) Proprie occurrit — a) Absolute, sive cum Accusativo tantum. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 56. Ne bestiæ quidem, quas delectationis causā concludimus, – facile patiuntur sese contineri. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 24. 54. Concludere aliquem. *Cf. Dig.* 48. 6. 6. Filium suum raptum atque conclusum. *Vitruv.* 6. 8. 4. *Schneid.* Itemque – cuneis ad centrum respondentibus fornices concluduntur. *h. e.* simul clauduntur, vel connectuntur. Adde *eumd. ibid.* § 3. *Curt.* 5. 1. 15. Mediam namque (*Mesopotamiam*) ab utroque latere (*Tigris et Euphrates*) concludunt. *Pallad.* 1. *R. R.* 29. 3. Ne eos (*phasianos*) pituita concludat. *h. e.* op-

pilet. — Hac significatione occurrit sæpe Part. præter. pass. Cic. 2. Nat. D. 7. 20. Conclusa aqua facile corrumpitur. Lucret. 3. 568. Conclusa primordia. Id. 4. 460. et Horat. 1. Sat. 4. 76. Conclusus locus. V. in fin. Cæs. 3. B. G. 9. Longe aliam esse navigationem concluso mari, atque in vastissimo Oceano. Dig. 50. 16. 59. Statio conclusa atque munita. — Huc pertinent et illa Plaut. Curc. a. 3. v. 79. Quis enim in cavea si forent conclusi itidem, uti pulli gallinacei. Et Ter. Phorm. 5. 1. 17. Conclusam hic habeo uxorem sævam. — Ceterum concludere aliquem in aliquo loco barbariem sapit: ac propterea apud Cic. Tim. 3. 8. Deus intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore: legendum est inclusit; quam lectionem optimi libri confirmant. — b) Addito loco, in quem quis includitur, per Accus. et præp. in. Plaut. Cas. a. 1. v. 44. Concludere aliquem in fenestram. Id. Epid. 3. 3. 21. aliquam in ædiculam seorsum. Id. Rud. 3. 1. 18. bestiam in vincla. Id. ibid. 2. 3. 61. cistellulam in vidulum. Ter. Adelph. 4. 2. 13. se in cellam aliquam cum aliqua. Id. Eun. 4. 3. 25. quempiam aliquo. — c) Addita per Ablativum re, qua quis concluditur. Vitruv. 10. 12. Schneid. Concludere rudentes cuneis ad foramina. Horat. 1. Sat. 4. 19. Auræ follibus conclusæ. Virg. 1. Æn. 425. optare locum tecto et concludere sulco. Seneca Hippol. 122. Concludere monstra domo cæcâ. Val. Flacc. 1. 479. fissaque fluctu, Vel pice, vel molli concludere vulnera cerâ. h. e. obturare. Sueton. Ner. 31. Piscina conclusa porticibus. — d) Denique huc pertinent et illa, quæ jocalariter Terentius et Plautus dixerunt: scilicet metaphora sumpta ab animalibus, quæ hinc atque hinc a venatoribus, canibus etc. circumdata aliquo compinguntur ac truduntur. Ter. Andr. 2. 3. 12. Ut ab illa excludar, hac concludar. Plaut. Trin. 4. 2. 64. SY. Illi, illi, illi.... devoravi nomen imprudens modo. CH. Non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet. h. e. qui nomen, veluti dentibus conclusum, minime profert.

II.) Translate. ¶ 1. Concludere ponitur pro cogere, in arctum compellere, in angustias adigere. Ter. Eun. 5. 9. 17. An fortunam collaudem, — quæ tot res, tantas, tam opportune in unam conclusit diem? h. e. quæ fecit, ut tot tantæque res uno evenirent die. Id. Hecyr. 4. 4. 8. Tot me nunc rebus miserum concludit pater. h. e. me in arctum compellit. Cic. Rosc. com. 4. 12. Eidem et infinitam largitionem remittebas, et eumdem in angustissimam formulam sponsionis concludebas? Id. ibid. 5. 15. In hanc formulam (sponsionis) omnia judicia legitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia domestica conclusa et comprehensa sunt. Id. 1. Orat. 42. 187. Omnia fere, quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt. Id. 1. Legg. 5. 17. Jus civile in parvum quemdam et angustum locum concluditur. Id. 1. Orat. 61. 260. Orator concludatur in ea, quæ sunt in usu civitatum vulgari et forensi. Id. Cæcin. 22. 63. Vis verbis interdicti concluditur. Nepos Epam. 4. sub fin. Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus. h. e. complecti. ¶ 2. Item pro finire; et quidem — a) Generatim. Cic. Mur. 20. 41. In qua (provincia) laus æquitatis, integritatis, facilitatis ad extremum ludorum voluptate concluditur. Id. 5. Fam. 12. 5. Viri excellentis ancipites variique casus exitu notabili concluduntur. Id. 4. Verr. 31. 82. Facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum atque conclusum. — b) Speciatim ponitur de oratione, et est orationi finem imponere. Cic. 9. Att. 10. 5. Concludere epistolam. Id. 5. Verr. 69. 163. Qua epistola recitata, conclusurum me esse crimen decumarum dixeram. Id. 6. ibid. 61. 115. Totam hujus generis orationem concludere et definire. Adde eumd. Amic. 26. 100. Id. Orat. 35. 122. Concludere perorationem. Et absolute, Id. 2. Orat. 78. 307. Ut concludamus atque ita peroremus. — c) Item speciatim concludere verba aut sententias est eas numeris claudere, hoc est numerose explicare. Cic. Orat. 57. 200. Verborum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur. Id. 2. Fin. 32. 105. Concludam, si potero, Latine. Id. Orat. 69. 230. Utitur ea trajectione verborum, et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias. Adde eumd. Brut. 8. 34. et Partit. orat. 6. 19. Id. Orat. 5. 20. Oratio neque perfecta, neque conclusa. h. e. numerosa, periodica. Horat. 1. Sat. 4. 40. neque enim concludere versum Dixeris esse satis. Quintil. 1. 5. 26. Vocem acuto tenore concludere. ¶ 3. Hinc est etiam verbum disputantium, et ponitur pro colligere argumentatione: occurrit autem — a) Cum Accusativo. Cic. Orat. 35. 122. Concludere argumentationes. Id. 4. Acad. (2. pr.) 14. 44. et Quintil. 5. 13. 60. argumentum. Sic Tac. dial. de orat. 31. Et singula statim argumenta concludens. Rursus Cic. Orat. 40. 137. et 3. Fin. 8. 27. argumentum ratione. Id. 1. Fin. 7. 22., 2. Nat. D. 8. 22. et 1. Divinat. 32. 71. rationem. Id. 2. Orat. 53. 215. Demonstrando id, quod illi concludere velint, non effici ex propositis, nec esse consequens. Id. 2. Nat. D. 7. 20. Concludere aliquid brevius angustiusque. Id. 2. Fin. 1. 3. aliquid ex rebus concessis. — b) Cum Accusativo et Infinito. Cic. 2. Fin. 19. 63. Deinde concludebas, summum malum esse dolorem. Id. 2. ibid. 27. 85. Perfecto et concluso, neque virtutibus, neque amicitiis usquam locum esse, etc. Adde eumd. 4. Acad. (2. pr.) 14. 44.; et Quintil. 3. 9. 2. Gell. 14. 1. sub fin. Genethliacos nullo pacto consulendos esse, hujusmodi argumentis concludebat. — Hinc Part. præter. pass.

Conclusus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. Conclusior apud Hygin. 4. Astron. 14. Locum conclusiorem lumine implere.

Conclusum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, occurrit pro conclusione, sive complexione syllogismi, qua totius argumenti vis et ratio concluditur. Cic. 3. Fin. 8. 27. Satisne hoc conclusum videtur? Certe: quod enim efficiebatur ex his duobus, quæ erant sumpta, in eo vides esse conclusum.

CONCLŪSĒ, adverb. Occurrit tantum de oratione pro numerose, concinne. Cic. Orat. 53. 177. Cum, ut fit, fortuito sæpe aliquid concluse apteque dicerent.

CONCLŪSĬO, ōnis, f. 3. actus concludendi (It. rinchiudimento conclusione; Fr. action de fermer, de clore, clôture; Hisp. el acto de cerrar, clausura; Germ. d. Einverschliessung, Zusammenschliessung, Verschliessung; Angl. a shutting, closing).

I.) Proprie et quidem — a) Abstracte. Vitruv. 10. 12. Schneid. Cuneorum conclusio. Cæl. Aurel. 2. Acut. 3. et 10. Palpebrarum conclusio. — b) Sæpius concreto, uti ajunt, sensu. Vitruv. 5. 12. 2. Schneid. Ita conformandæ portuum conclusiones. — Et de obsidione. Cæs. 2. B. C. 22. Gravi pestilentia conflictati ex diuturna conclusione. Adde Nepot. Eumen. 5. et Vitruv. 5. 9. 8. Schneid. eodem sensu.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim conclusio est finis alicujus rei. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 10. In extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui. ¶ 2. Speciatim in oratione conclusio est exitus et determinatio totius orationis, ut Cic. 1. Invent. 52. 98. definit. Id. 2. Orat. 19. 80. Conclusio orationis. Et conclusiones absolute dixit Id. 1. Invent. 14. 20.; et Quintil. 6. 1. 1., et 8. 5. 13. — Item pro epilogo. Cic. 2. Herenn. 30. 47. Conclusiones, quæ apud Græcos ἐπίλογοι nominantur, tripartitæ sunt, etc. In quatuor locis uti possumus conclusionibus, in principio, secundum narrationem, secundum firmissimam argumentationem, in conclusione. h. e. in peroratione. ¶ 3. Item speciatim in oratione conclusio verborum est eorum apta collocatio et compositio, qua numerus et periodus efficitur. Cic. 3. Orat. 44. 174. Hæc duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. Adde eumd. 2. ibid. 8. 34. Id. Brut. 8. 33. Verborum quasi structura, et quædam ad numerum conclusio. Id. Orat. 50. 169. Conclusio sententiarum. Item eadem prorsus significatione occurrit conclusio absolute apud eumd. ibid. 51. 169.; et Quintil. 3. 3. 2., 5. 14. 30., 10. 2. 17., et 9. 4. 22. ¶ 4. In argumentatione — a) Conclusio est complexio syllogismi, qua totius argumenti vis et ratio concluditur. Gell. 2. 8. Conclusionem syllogismi non in fine posuit, sed in principio. Adde eumd. ibid. 7. — b) Item est ipsa argumentatio, quoniam certis propositionibus et certo ordine collocatis concluditur: et occurrit — Cum addito Genitivo. Cic. 1. Fin. 9. 30. et 2. Divinat. 49. 103. Conclusio rationis. Id. 4. Acad. (2. pr.). 8. 26., et 10. 30., et 13. 40. argumenti. — Absolute. Cic. 3. Nat. D. 7. 18. Zenonis breves et acutulæ conclusiones. Id. 4. Acad. (2. pr.). 4. 8. Ex quo illa conclusio nascitur: si, sol quantus sit, etc. Adde eumd. ibid. 21. 67. et 41. 128. et 3. Fin. 8. 27.; et Quintil. 5. 14. 1.

CONCLŪSĬUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. a conclusio. Translate pro brevi argumentatione. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 24. 75. Quorum sunt contorta et aculeata quædam sophismata: sic enim appellantur fallaces conclusiunculæ. Id. 2. Tusc. 18. 42. Stoici contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis effici volunt, non esse malum, dolorem.

CONCLŪSĪVĒ, adverb. Idem quod concludenter. Cassiod. Inst. div. litt. 1. a med. De quo conclusive dictum est: Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus.

CONCLŪSŪRA, æ, f. 1. Vitruv. 6. 8. 3. Schneid. Administrandum est, uti levent onus parietum fornicationes cuneorum divisionibus, et ad centrum respondentes earum conclusuræ. h. e. colligationes, nexus.

CONCLŪSUS, a, um. V. CONCLUDO.

CONCLŪSUS, us, m. 4. Idem quod conclusio: sed occurrit tantum in sexto casu singul. apud Cæl. Aurel. 1. Tard. 4. Conclusu corporis corrigere.

CONCOCTĬO, ōnis, f. 3. generatim et proprie est actus concoquendi; sed speciatim tantum occurrit, et est digestio cibi in stomacho. Cels. 1. 8. Prodest adversus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare. Id. 3. 22. Ne stomachus gravetur, et concoctionem impediat. Plin. 27. Hist. nat. 7. 28. (49). Absinthium adjuvat concoctiones. Id. 23. ibid. 8. 79. (151). Fructus difficilis concoctioni. Id. 20. ibid. 5. 20. (42). Cæpæ utiles præcordiis et concoctioni. Adde eumd. 11. ibid. 37. 79. (200).

Homonym. In quo concoctio differat a digestione, V. in fin. voc. DIGESTIO.

CONCOCTUS, a, um. V. CONCOQUO.

CONCŒNA, æ, m. 1. qui simul cœnat, compransor, conviva. Gloss. V. CONGERRO.

CONCŒNATĬO, ōnis, f. 3. cœna, convivium. Hac voce ad Græcam σύνδειπνον Latine vertendam usus est Cic. Senect. 13. 45. Accubitionem epularem Græci tum compotationem, tum concœnationem vocant. Adde eumd. 9. Fam. 24. 3.

CONCŎLO, is, ŭi, ere. V. COMMALAXO.

CONCŎLŌNA, æ, f. 1. quæ est ejusdem urbis vel municipii. Augustin. Ep. 169. ad Euseb. Duas sanctimoniales concolonas suas de fundo catholicorum Christianorum transtulit.

CONCŎLOR, ōris, adject. omn. gen. 3. ejusdem coloris. Occurrit — a) Absolute. Virg. 8. Æn. 82. sus Candida per silvam cum fetu concolor albo. Adde Ovid. 6. Met. 406. et 10. ibid. 735. Plin. 10. Hist. nat. 20. 42. (80). et 28. ibid. 9. 37. (139). — b) Cum Dativo. Ovid. 1. Fast. 80. Et populus festo concolor ipse suo est. h. e. candidis togis indutus refert quodammodo candorem et lætitiam diei festi. Adde eumd. 11. Met. 500. Plin. 8. Hist. nat. 33. 51. (121). Oculi concolores corpori. Colum. 7. R. R. 3. 1. Lingua concolor lanæ. Adde eumd. 8. ibid. 33. 51. Stat. 4. Silv. 7. 14. ubi Dite viso Pallidus fossor redit, erutoque concolor auro. — c) Cum Genitivo. Capell. 9. p. 303. loquitur Phœbus. In argumentum præscientiæ mihi corvus alludit, cygnus etiam sociatur, ut diei noctis proventus nos avibus præsentire concolor temporum pluma testetur. h. e. cygnus diei, corvus noctis.

CONCŎLŌRANS, antis, adject. eumdem colorem referens. Tertull. Pudic. 8. Concolorantes figuræ.

CONCŎLŌRUS, a, um, adject. concolor. Capell. 6. p. 213. Carystus marmoreis fluctibus concolora.

CONCŎMĬTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CONCŎMĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. (cum et comito). Part. Concomitans et Concomitatus. — Concomito est simul comito. — a) Passive. Plaut. Mil. glor. 4. 3. 13. Quibus concomitata recte deveniat domum. Cf. Comitatus, a, um in fin. voc. COMITO. — b) Activa forma. Venant. 8. carm. 6. 157. Porrigit ipsa decens Arelas pia dona Genesi, Astris Cæsareo concomitante suo. Id. ibid. 7. 183. Quæ circa te acies, vel quando iter ire parares, Millia prægressus concomitando tuos?

CONCŎPŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem quod copulo. Lucret. 6. 1075. Denique res auro argentum concopulat una. Al. leg. copulat: et adhuc constat versus, si synalæphe abstineas: quod non est Lucretio inusitatum.

CONCŎQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 3. (cum et coquo). Part. Concoquens I. 3. et 4.; Concoctus in omnibus fere paragraphis; Concoquendus I. 2. b. et II. 1. — Concoquo idem est ac coquo, vel bene coquo (It. cuocere; Fr. faire cuire avec; Hisp. cocer juntos; Germ. zusammenkochen; Angl. to boil, seethe).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Varro 2. R. R.

10. 7. Vel ad focum afferre ligna, ac cibum concoquere. In edit. Jenson. an. 1472. est conquærere: ex quo Aldus 1514. edidit concoquere: alii habent coquere. Lucret. 2. 853. Concocti odores. Seneca Ep. 95. ante med. Ostrea echinis, spondyli perturbati mullis, concoctique. Al. rectius leg. Ostrea, echini, spondyli, mulli perturbati, concoctique. Plin. 31. Hist. nat. 10. 46. (122). Sal nitrum sulphuri concoctum in lapidem vertitur. ¶ 2. Latiori sensu est cibum in stomacho conficere, et occurrit — a) Absolute. Catull. 23. 8. pulcre concoquere. Plin. 11. Hist. nat. 53. 118. (283). Somno concoquere. Seneca 4. Benef. 39. Surgam ad sponsalia – etiam si non concoxerim. — Sic Mirifice concoquit (brassica), apud Caton. R. R. 156. significat: promovet, adjuvat digestionem. — b) Cum Accusativo rei. Cic. 2. Fin. 20. 64. Cibus facillimus ad concoquendum. Id. 2. Nat. D. 49. 124. Stomachi calore conchas concoquere. Adde eumd. 2. ibid. 54. 136. Id. 2. ibid. 55. 137. cibum. Varro 3. R. R. 9. 20. de cibo in stomacho gallinarum confecto. Bis die cibum dant, observantes ex quibusdam signis, ut prior sit concoctus, quam secundum dent. Cels. 3. 22. Cibi, qui facile concoquuntur. ¶ 3. Dicitur et de aliis rebus, quæ caloris vi ad partium dissolutionem perducuntur. Colum. 2. R. R. 18. 3. Fœnum in se concoquitur. Plin. 22. Hist. nat. 22. 46. (94). de boleto. Si caligaris clavus affuerit nascenti, omnem illico succum in venenum concoquit. Id. 18. ibid. 11. 2. (110). Terra acceptum humorem concoquens intra se vice succi continet. — Specialim de iis, quæ ad suppurationem perveniunt. Cato R. R. 157. Eadem (brassica) tumida concoquit, eadem erumpit. h. e. ad maturitatem ducit. Sic Plin. 21. Hist. nat. 19. 74. (127). Concoquere suppurationes. Id. 22. ibid. 24. 50. (107). Propolis alvorum tubera discutit, dura concoquit. h. e. emollit et ad suppurationem perducit. Id. 32. ibid. 9. 34. (106). Sive discutere panos opus sit incipientes, sive concoctos emittere. Pani concocti sunt maturi, seu qui ad suppurationem pervenere. Id. 24. ibid. 6. 36. (54). Juniperus tusses concoquit et duritias. — Etiam absolute eodem sensu Plin. 24. Hist. nat. 9. 38. (62). Vomicæ et pani difficile concoquentes. h. e. difficile collectum pus maturantes. Hinc ¶ 4. Se concoquere est consumere, absumere. Plaut. Trin. 2. 1. 3. Egomet me concoquo, et macero, et defatigo.

II.) Translate. ¶ 1. Ratione habita intellectus est cogitare, perpendere: ad rem Seneca Ep. 2. Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt –: cum multa percurreris, unum excerpe, quod concoquas. Id. Ep. 84. In his, quibus aluntur ingenia, quæcumque hausimus, non patiamur esse integra, ne aliena sint: concoquamus illa. Sic Cic. Rosc. com. 15. 45. Tibi – diu deliberandum et concoquendum est, utrum potius Chæreæ injurato, an Manilio et Luscio juratis credas. Id. Harusp. resp. 26. 55. Justitiam concoquere et meditari. Liv. 40. 11. Clandestina consilia concocta. Quintil. 11. 2. 43. Concoquere recordationem. ¶ 2. Morali ratione est æquo animo pati, strenue ferre; sive est admittere, probare, more ventriculi cibos admittentis et concoquentis: ad rem Cic. 9. Fam. 4. Vide, utra te κρίσις magis delectet, an hæc, quam noster Diodotus non concoquebat. Id. 3. ad Q. fr. 9. 5. Ut ejus ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. Liv. 4. 15. Ut quem senatorem concoquere civitas vix posset, regem ferret. Petron. Satyr. 105. Ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi. Id. ibid. 82. Sicco ore famem concoquit. h. e. jejunus tolerat famem.

CONCORDĀBĬLIS, e, adject. qui concordari facile potest. Censorin. de die nat. 10. 4. Non promiscue voces omnes cum aliis junctæ concordabiles in cantu reddunt effectus.

CONCORDĀTĬO, ōnis, f. 3. pro reconciliatione dixit Vulgat. interpr. Eccli. 22. 27. Est enim concordatio. Et 27. 23. Et maledicti est concordatio.

CONCORDĀTUS, a, um. V. CONCORDO.

CONCORDE, adverb. idem ac concorditer. Inscript. apud Fea, Var. di notiz. p. 171. ME REDDITE CONJVGI MEAE, QVAE MECVM VIXIT TAM CONCORDE AD FATALEM DIEM. Alia Inscript. apud Visc. Mus. Pio-Clem. T. 1. p. 73., quæ est apud Orell. 4517. QVIS, VERA VT CVPIANT, CONCORDE VIVERE, MENS EST.

CONCORDĬA, æ, f. 1. a corde congruente, ut ait Varro 5. L. L. 77. Müll., est unanimitas et consensus; eique opponitur discordia, ut patet ex trita et celebri sententia Sall. Jug. 10. Concordiā res parvæ crescunt; discordiā maxumæ dilabuntur. Cf. Senec. Ep. 94. (It. concordia; Fr. concorde, harmonie, accord; Hisp. concordia; Germ. d. Einherzigkeit; Angl. concord, agreement, union, harmony, unanimity).

I.) Proprie usurpatur de personis. Plaut. Amph. 1. 2. 12. Redigere uxorem in concordiam viri. Adde Liv. 6. 42. Rursus Plaut. Amph. 3. 3. 7. Redire in concordiam. Cic. 7. Att. 3. Adducere rem ad concordiam. Id. 1. ibid. 18. 3. Ordinum concordiam disjungere. Adde Lentulum apud eumd. Cic. 12. Fam. 15. 3. Id. Cic. 13. Phil. 1. 2. Confirmare concordiam cum aliquo. Cf. Curt. 10. 8. 23. Concordiam et pacem firmare. Rursus Cic. 1. Att. 17. 10. Concordiam conglutinare. Id. 1. ibid. 14. 4. Concordia equestris. h. e. ordinis equestris. Id. ad Pompej. post ep. 11. l. 8. ad Att. Fore, ut in Italia possemus concordiam constituere. Id. Cluent. 55. 152. Esse conjunctum alicui concordia. Id. ibid. 36. 101. Interpres pacis et concordiæ. Adde Liv. 2. 33. Rursus Cic. 3. Cat. 10. 25. Reconciliatio concordiæ. Id. 5. Verr. 7. 23. Tantam habebat morum similitudo conjunctionem atque concordiam. Balbus apud Cic. 8. Att. 15. A. § 1. Cæsarem et Pompejum in pristinam concordiam reducere. Sall. Orat. 1. ad Cæs. de republ. ordin. ad fin. Pacem concordiamque stabilire. Liv. 40. 8. Aliquorum perpetua vitæ concordia. Id. 40. 51. Fidelis concordia. Id. 41. 25. De reconcilianda concordia agere. Id. 4. 43. Concordiam copulare. Vellej. 2. 65. Se cum Bruto Cassioque juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam. h. e. societatem. Quintil. 6. 1. 50. Ad concordiam hortari. Sueton. Oth. 8. Concordiam et quietem suadere. Gell. 2. 12. Restituere et conciliare concordiam. — Et per metonymiam Ovid. 8. Met. 303. Et cum Pirithoo felix concordia Theseus. h. e. Pirithous et Theseus inter se ita concordes, ut viderentur unum idemque.

II.) Improprie. ¶ 1. Concordia ponitur etiam de inanimis et abstractis. Cic. 3. Fin. 6. 21. Rerum agendarum ordo et, ut ita dicam, concordia. Id. 1. ibid. 14. 47. Animos quasi concordia quadam placare ac lenire. ¶ 2. Translate. — a) Specialim discors concordia νεῖκος καὶ φιλία, est earum rerum, quæ cum inter se diversæ sint, tamen commixtæ unum quoddam corpus conficiunt, dum una alterius vires temperat et coercet, ut fit in mistis elementorum. Ovid. 1. Met. 433. et discors concordia fetibus apta est. Adde Horat. 1. Ep. 12. 19. Similiter Manil. 1. 141. discordia concors. Plin. 29. Hist. nat. 4. 17. (61). Concordia rerum ac repugnantia. — Hinc Lucan. 1. 98. Temporis angusti mansit concordia discors, Paxque fuit non sponte ducum. ubi concordia discors est amicitia simulata. — b) Generatim vero concordia ponitur pro concentu, harmonia, et ipsa attrahendi vi. Colum. 12. R. R., ubi Ciceronis Œcon. citat, 2. 4. Ex concordia vocum amicum quiddam et dulce resonat. Quintil. 5. 10. 124. Sociata nervorum concordia cantus vocis plurimum juvat. Cf. Petron. Satyr. 127. Concordia Sirenum. h. e. Sirenum concentus. Plin. 34. Hist. nat. 14. 42. (147). Concordia, quam magnes cum ferro habet. Adde eumd. 24. ibid. 1. 1. (1). Quintil. 1. 10. 12. Concordia dissimilium. — NB. De Concordia dea, itemque de Concordia urbe. V. ONOM.

CONCORDĬĀLIS, e, adject. ad concordiam pertinens. Firmic. 6. Mathes. 32. Uxores, quæ semper concordialibus vinculis copulentur.

CONCORDĬĀLIS, is, m. 3. est sacerdos deæ Concordiæ, ut Augustalis Augusti. Hujusmodi sacerdotium proprium fuit Patavinorum; Patavii enim sex repertæ sunt inscriptiones, quæ illius mentionem faciunt. Inscript. apud Gruter. 877. 9., quæ est apud Orell. 1165. T. LIVIVS LIVIAE T. F. QVARTAE L. HALYS CONCORDIALIS PATAVI SIBI ET SVIS OMNIBVS. Adde aliam apud Orell. 2384.; et V. Ursat. Marm. erud. ep. 8.

CONCORDIS, e, adject. pro concors, antiquum est et obsoletum. Cæcilius Stat. apud Priscian. 6. p. 726. Putsch. Modo fit obsequens, hilaris, comis, communis, concordis, dum id, quod petit, potitur. Adde eumd. Priscian. 7. p. 764. Putsch.

CONCORDĪTAS, ātis, f. 3. idem ac concordia. Pacuvius apud Non. p. 88. 20. Merc. Concorditatem hospitio adjunctam, et perpetuam probitatem conservetis.

CONCORDĪTER, adverb. Comp. Concordius et Superl. Concordissime. — Concorditer est unanimiter, concordi voluntate. Ennius apud Charis. 2. p. 177. Putsch. Alternum serere diem concorditer. Plaut. Curc. 2. 2. 14. Sane illi inter se congruunt concorditer. Cic. Rabir. perduell. 5. 14. Mors fratris, quocum concordissime vixerat. Ovid. 7. Met. 752. et dulces concorditer exigit annos. Liv. 4. 45. Bellum gerere concordius. Sueton. Tib. 7. Concorditer et amore mutuo vivere cum aliqua. Adde Inscript. apud Gruter. 612. 1., ubi Sup. concordissime legitur.

CONCORDĬUM, ii, n. 2. idem quod concordia. Papinian. Dig. 23. 4. 27. Reversa post jurgium, per dissimulationem mulier, veluti venali concordio. Ita Torrentin.; at rectius Haloander habet concordia.

CONCORDĬUS, a, um, adject. idem quod concors. Inscript. apud Renier 3352. ANTONIVS – CVM OMNIBVS CONCORDIVS. — De cognom. Rom. V. ONOM.

CONCORDO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. Concordans II. a.; Concordatus in fin. — Concordare est concordem esse.

I.) Proprie usurpatur de personis, et concordare significat eadem sententia atque voluntate esse; et occurrit — a) Absolute. Justin. 27. 3. Ne tunc quidem fratres concordare potuerunt. Adde eumd. 1. 10., et Dig. 24. 1. 32. § 19. — b) Cum Ablativo et præp. cum. Ter. Phorm. 2. 3. 86. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam senectutem oblectet.

II.) Improprie ponitur de inanimis, et est convenire, in unum convenire; et occurrit — a) Absolute. Cic. 4. Tusc. 13. 30. Sic animi sanitas dicitur, cum ejus judicia opinionesque concordant. Ovid. 10. Met. 147. Et sensit varios – concordare modos. Dig. 43. 30. 1. § 5. Concordans matrimonium. — b) Cum Dativo. Ovid. 1. Met. 518. Concordant carmina nervis. — c) Cum Ablat. et præp. cum. Seneca Ep. 75. Sermo concordat cum vita. Quintil. 11. 3. 69. Caput concordat cum gestu. — Hinc Part. præter. pass.

Concordatus, a, um, est concorditer factus, seu concors. Papinian. Dig. 11. 5. 48. Matrimonium bene concordatum dirimere.

CONCORPŎRĀLIS, e, adject. (cum et corpus) qui est ejusdem corporis, ad idem corpus pertinens. Vulgat. interpr. Ephes. 3. 6. Gentes esse coheredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium. — Hinc

Concorporalis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, contubernalis, commanipulo, h. e. qui in eodem est contubernio. Ammian. 28. 5. Ne uno quidem cædibus concorporalium superesse permisso. Adde eumd. 21. 12. 5.

CONCORPŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et corpus) plurium rerum in unum corpus collectio. Tertull. 4. advers. Marcion. Concorporatio Legis et Prophetarum. Adde eumd. Baptism. 8.

CONCORPŎRĀTUS, a, um. V. CONCORPORO.

CONCORPŎRĬFĬCĀTUS, a, um, adject. in unum corpus redactus. Tertull. advers. Valentin. 23. In mundo coelementato et concorporificato.

CONCORPŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et corpus). Part. Concorporatus in fin. — Concorporo est in unum corpus redigo. Plin. 22. Hist. nat. 24. 53. (113). Facillimeque cum melle concorporatur. Id. 27. ibid. 12. 90. (112). Polyanthemum vitiligines concorporat. h. e. delet vitiliginem, et reliquo corpori cutem reddit parem. — Hinc apud seriores mi scriptores sæpius occurrit Part. præter. pass.

Concorporatus, a, um, h. e. in unum corpus redactus. Ammian. 22. 8. Hi scopuli stetere concorporati. Tertull. Pudic. 15. Concorporatus Ecclesiæ. Marcell. Empir. 36. Cum bene permixtum et concorporatum videris medicamen.

CONCORS, cordis, adject., a cum et cor, ut docet Cic. 1. Tusc. 9. 18. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur. De alia forma V. CONCORDIS. — In Ablativo singularis numeri habet etiam concorde, teste Priscian. 7. p. 764. Putsch. — Neutr. plur. num. concordia legitur apud Virg. 3. Æn. 542., Sil. It. 13. 650. et Pers. 5. 49. — Comp. Concordior et Sup. Concordissimus I. — Concors dicitur qui est unius cordis, id est unius animi (It. concorde, d'accordo; Fr. uni de cœur, qui est d'accord, qui vit en bonne intelligence; Hisp. unanime, conforme; Germ. eines Herzens und eines Sinnes, einträchtig, harmonirend; Angl. of one mind or will, agreeing, concordant, unanimous).

I.) Proprie usurpatur de hominibus; et occurrit — a) Absolute. Nævius Bell. Pun. 1. 3. Novem Jovis

concordes filiæ sorores. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 7. Et (ut) multo fiat civitas concordior. *Ter. Hecyr.* 4. 3. 11. Credo ea gratia concordes magis – fore. *Cic. Liger.* 2. 5. Concordissimi fratres. *Virg.* 4. *Ecl.* 47. Concordes stabili fatorum numine Parcæ. *Id.* 6. *Æn.* 827. Concordes animæ. *Ovid.* 3. *Met.* 479. duo concordes anima moriemur in una. *Liv.* 6. 6. Concordibus animis juncti. *Propert.* 2. 34. 6. Bene concordes ad arma vocare. *Sil. It.* 8. 8. milles. *Tac.* 6. *Ann.* 42. Concordem agere. *Sueton. Cæs.* 19. Nihil non amsurum eum, concordi et consentiente collega. — *b*) Addito quocum quis est concors per Ablat. et præpos. cum, aut per Dativ. *Afranius* apud *Non.* p. 394. 2. *Merc.* Adolescentes optimæ, bene convenientes concordesque cum viris. *Liv.* 4. 2. Ne secum quidem ipse concors. *Seneca Vit. Beat.* 1. Sibi concors. *Tac.* 3. *Ann.* 33. Concors alicui conjux. *Id.* 11. *ibid.* 37. Florenti filiæ haud concors.

II.) Improprie ponitur de inanimis et abstractis. *Cic. Tim.* 5. 13. Amicitia et caritate concordi se complecti. *Id.* 3. *Legg.* 12. 28. Moderatus et concors civitatis status. *Lucan.* 4. 197. mensæ. *Virg.* 3. *Æn.* 542. Equi sueti frena jugo concordia ferre. *h. e.* concordes ferre frena jugo juncti. *Ovid.* 1. *Met.* 25. Concors pax. *Id.* 5. *ibid.* 661. Concordi sono. *Id.* 8. *ibid.* 705. Concordes egimus annos. *Liv.* 1. 13. Concors regnum duobus regibus est. *Id.* 42. 10. Concors censura. *Propert.* 4. 5. 6. Concors torus. *Seneca Agamemn.* 781. Concordi gradu ire. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (53). Nilus se totum aquis concordibus rursus junxit. *Id.* 7. *ibid.* 12. 10. (56). tam concordi figura. *Sil. It.* 16. 69. Concordi currere freno. *Id.* 4. 100. Insania concors. *Id.* 16. 68. fuga. *Id.* 11. 439. Concordem citharæ movere per carmina linguam. *Pers.* 5. 49. Concordia fata. *Manil.* 1. 141. Concors discordia. *Lucan.* 4. 197. Instituere mensas concordes.

CONCRASSO, as, are, a. 1. crassum reddo. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Lac liquida concrassat.

CONCRĀTĪCIUS, a, um, adject. qui ex consertis cratibus fit. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. § 13. Ut ibi concraticium parietem inter se ædificarent. In emendatissimis libr. legitur *craticium*.

CONCRĒBRESCO, brescis, brui, brescere, n. 3. idem quod crebresco, densus fio, augesco. *Virg. Cir.* 25. Cum levis alterno Zephyrus concrebruit Euro. *V.* CREBRESCO.

CONCREATUS, a, um. *V.* CONCREO.

CONCRĒDĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONCRĒDO, crēdis, crēdidi, crēditum, crēdere, a. 3. (cum et credo) Part. *Concreditus* sub *b.* — Concredo (quod verbum apud veteres tantum occurrit: *V.* et voc. seq.) est idem quod credo vel omnino credo, ideoque etiam committo, servandum do, fidei trado alicujus (It. *credere intieramente*, *e perciò affidare, consegnare, confidare*; Fr. *croire, confier sans réserve, mettre en dépôt*; Hisp. *creer, confiar sin excepcion*; Germ. *mit Hingebung u. ohne Zurückhalten Imdm glauben oder vertrauen*; Angl. *to consign, commit, confide, entrust*). Occurrit autem — *a*) Absolute pro credere. *Propert.* 1. 10. 11. Sed quoniam non es veritus concredere nobis. Cf. *Plaut. Rud.* 4. 4. 83. — *b*) Cum Accusativo rei, quæ concreditur sive alicui committitur. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 104. Quod modo concreditumst. — Plerumque addito Dativo, vel Accusativo et præp. in. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 141. Concredere alicui aurum. *Id. Aulul.* 3. 6. 45. Aurum concreditum. *Id. ibid. prol.* 6. Concredere thesaurum auri. *Id. Rud.* 4. 4. 83. alicui (*vidulum*). *Id. Men.* 5. 1. 2. alicui marsupium cum argento. *Id. Aulul.* 4. 2. 8. aurum alicujus fidei. *Id. Trin.* 1. 2. 104. aliquid clam taciturnitati, fidei et fiduciæ alicujus. *Id. Merc.* 2. 1. 9. quippiam alicui in custodiam. *Id. Pers.* 3. 3. 36. alicui aliquid in manum. *Cic. Quinct.* 20. 62. Cui tu rem et famam tuam commendare proficiscens et concredere solebas. *Id. Rosc. Am.* 39. 113. Fama mortui, fortunæ vivi alicui commendatæ atque concreditæ. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 43. nugas alicui. *Catull.* 64. 213. cum gnatum ventis concrederet Ægeus. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 7. vites teneriores calido cælo. *Id. præfat.* § 4. navigia mari. *Forcellinus* hæc tria postrema loca translate accepit. *Sil. It.* 5. 523. telo fortunam. — Et pro assignare, attribuere (translate juxta *Forcellinum*), *Sever. Ætna* 157. summis si forte putas concredere causis Tantum opus, etc.

CONCRĒDUO, duis, dui, duere, a. 3. pro concredo, Plautinum est: *Aulul.* 3. 6. 48. Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo. *Id. Cas.* 2. 8. 45. Et ego amorem meum omnem concredui.

CONCRĔMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus concremandi, incendium. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 15. *de Phaeth.* Sibi atque mundo concremationis detrimenta conflavit.

CONCRĔMĀTUS, a, um. *V.* CONCREMO.

CONCRĔMENTUM, i, n. 2. quod simul cohæret, concretio, collectio. *Apul. de Mag.* In corpore concrementa varii fellis et turbidi spiritus et pinguis humoris ægritudinum incitamenta sunt.

CONCRĔMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et cremo). Part. *Concrematus* et *Concrematurus*. — Concremare est idem quod cremare, vel simul cremare, in cinerem redigere: et ab argentei ævi scriptoribus pro *comburere* usurpatum occurrit. *Liv.* 8. 30. Concremare arma hostilia subdito igne. *Id.* 21. 14. domos super se ipsos. *Id.* 3. 53. Vivos igni concrematuros minabantur. Adde *eumd.* 9. 12. *Id.* 6. 33. Concremare Satricum urbem igni. Sic *Seneca Ep.* 9. *ad fin.* Concrematæ urbes. Adde *eumd. Phœn.* 346. Rursus *Liv.* 5. 42. omnia tecta. *Id.* 41. 9. naves fulminis ictu. *Seneca Hippol.* 316. funebres rogos una face. *Id.* 6. *Benef.* 22. Repentino concrementur incendio. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 18. 41. (83). Quantum (*cinnamomi*) Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. *Sueton. Cal.* 15. Concremare commentarios. *Id. Oth.* 10. epistolas. *Gargil. Mart. de re hort.* (edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 1. p. 407). Amygdalæ concrematæ Austris.

CONCRĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et creo). Part. *Concreatus*. — Concreo est idem quod creo, vel simul creo. *Gell.* 19. 5. *in tit.* Ex nive crystallus concreatur. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 7. Negari nequit, diabolum quoque et incorporeo corporeoque factum, utpote sanctis Angelis concreatum, duplicis esse substantiæ. Adde *Vulgat. Interpr. Eccli.* 1. 16. et 11. 16.

CONCRĔPĀRIUS, a, um, adject. a concrepando. *In Supposit. Bacchidis Plautinæ, prol.* 3. Ore concrepario frequenter fremunt, atque male mussitant. — Vel una hæc vox satis ostendere potest, quam levi sint auctoritate illa *Plauto* Supposita.

CONCRĔPĀTĬO, ōnis, f. 3. strepitus. *Arnob.* 2. 42. Concrepationes scabillorum.

CONCRĔPĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* a concrepo. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 56. Virgarum concrepitat fragor.

CONCRĔPO, as, pŭi, pĭtum, are, n. 1. (cum et crepo). Part. *Concrepans*. — Concrepo est idem quod crepo, resono, strepo, sonitum edo (It. *fare strepito, risuonare, crosciare*; Fr. *bruire, craquer, résonner*; Hisp. *retumbar, resonar, rechinar, crujir*; Germ. *einen klingenden, knarrenden, schnarrenden Ton geben*; Angl. *to make a noise, rustle, rattle, ring*). Occurrit autem ¶ 1. Neutrorum more; et quidem — *a*) De foribus, quæ aperiuntur, stridore. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 76. Foris concrepuit hinc a vicino sene. Adde *eumd. Bacch.* 2. 2. 56. *Id. Bacch.* 4. 2. 28. Fores concrepuerunt. *Id. Men.* 2. 2. 73. Concrepuit ostium. Adde *eumd. ibid.* 3. 2. 57.; et *Ter. Andr.* 4. 1. 58. et *Hecyr.* 4. 1. 6. — *b*) De sonitu armorum simul percussorum. *Cæs.* 7. *B. G.* 21. Armis concrepat multitudo. *Liv.* 28. 29. Exercitus gladiis ad scuta concrepuit. *Id.* 6. 24. Simul primo concursu concrepuere arma, hostis dolo, non metu pedem retulit. Adde *eumd.* 28. 8. — *c*) De sonitu cymbalorum et similium. *Propert.* 3. 18. 6. Cymbala concrepuere deo. *Cic. Cæl.* 27. 65. Scabilla concrepant, aulæum tollitur. *Ovid.* 3. *Fast.* 740. Æriferæ comitum concrepuere manus. — *d*) *Concrepare* absolute, et *concrepare digitis* (vel *concrepare digitos*, cujus locutionis exemplum *V.* infra sub 2.) est pollice et digito medio inter se collisis crepitum edere, quo signo lautiores domini apud Romanos ad viliora ministeria servos vocare solebant, quodque superbiam et arrogantiam ostentabat. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 51. Concrepuit digitis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 30. 82. Qui, simul ac decemviri concrepuerint, armati in cives et expediti ad cædem esse possint. *h. e.* digitis concrepantibus signum dederint. *Id.* 3. *Off.* 19. 71. Si digitis concrepuerit. *Hieronym. Ep.* 125. n. 18. Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, contractisque naribus ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans. — Sunt qui putent, *concrepare digitis* illum etiam significare digitorum sonitum, quem Galli dicunt *faire craquer les doigts*, Itali *fare scricchiolare le dita*, quemque *Aristænetus l.* 1. *ep.* 16. ita describit, ἐμάλαττε τοὺς δακτύλους ἐκ τῶν ἁρμῶν ἠρέμα χαλῶσα; cum nempe condyli digitorum ita distenduntur, ut crepitum edant, quod tamen non probant. Ceterum hoc puerile et amatorium apud Græcos habebatur, ut etiamnum est apud nostrates adolescentes. V. *Athenæi* locum *Dipnosoph. l.* 12. c. 7., in quo Aristobulus statuam describit Sardanapali hoc gestu utentem: τύπον λίθινον συμβεβληκότα, τῆς δεξιᾶς χειρὸς τοὺς δακτύλους ὡς ἂν ἐπικροτοῦντα. Eadem fere habet *Strabo l.* 14. *p. marg.* 672. ¶ 2. Active cum Accusativo, quemadmodum et *crepo*, et *resono*, et *persono*, etc. *Ovid.* 5. *Fast.* 441. Temesæaque concrepat æra. *Petron. Satyr.* 22. *extr.* Æra concrepans omnes excitavit. Adde *Martial.* 11. 16. 4. *Petron. ibid.* 59. Concrepare hastis scuta. *Id. ibid.* 27. Lautissimus homo digitos concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti supposuit. *V.* supra sub 1. *d.*, et Cf. etiam CONTERO et INFRINGO.

CONCRESCENTĬA, æ, f. 1. concretio. *Vitruv.* 8. 3. 18. *Schneid.* Ex aquarum subsidentia in corporibus et concrescentia.

CONCRESCO, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. 3. (cum et cresco). *Concresse* pro *concrevisse* est apud *Ovid.* 7. *Met.* 416. — Part. *Concretus* sæpissime occurrit Mediorum apud Græcos Verborum vi: *V.* et in fin. — Concresco est crescendo coalesco, conglutinor, coeo, conglacio (It. *rappigliarsi, condensarsi, agghiacciarsi*; Fr. *s'épaissir, se coaguler, se durcir*; Hisp. *espesarse, condensarse, coagularse, endurecerse*; Germ. *zusammenwachsen, sich an-oder zusammensetzen, verdichten, verhärten, erstarren*; Angl. *to grow or be joined together, to freeze, to curdle*). Occurrit — 1.°) Absolute; et quidem — *a*) Ponitur de iis, quæ crescendo coagmentantur, coalescunt, et condensata indurescunt; qua significatione verbo *concrescere* opponitur *liquere*, ut apud *Cic. Tim.* 14., cujus verba *V.* in voc. seq. sub 1. *Lucret.* 6. 627. Una nocte vias quoniam persæpe videmus Siccari mollisque luti concrescere crustas. *Id. ibid.* 845. Terra concrescit frigore. *Id.* 3. 20. Nix acri concreta pruinâ. *Id.* 6. 494. Quo pacto pluvius concrescat in altis nubibus humor. Adde *eumd. ibid.* 248. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Aqua neque conglaciaret frigoribus, neque nive pruinaque concresceret, nisi etc. *Id. ibid.* 39. 101. Aer concretus in nubem cogitur. *Id. ibid.* 16. 42. Crassum cælum et concretum. *Id.* 1. *Tusc.* 18. 42. Crassus hic et concretus aer, qui est terræ proximus. *Id.* 1. *Divinat.* 57. 130. Pingue et concretum cælum. *Virg.* 3. *G.* 360. Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ. *Id.* 1. *ibid.* 236. Zonæ cæruleæ glacie concretæ. *Id.* 2. *ibid.* 376. Frigora canâ pruinâ concreta. *Id.* 12. *ibid.* 905. gelidus concrevit frigore sanguis. *Id.* 3. *G.* 463. Et lac concretum cum sanguine potat equino. Sic *Ovid.* 12. *Met.* 436. et *Tac. Germ.* 23. Lac concretum. Et *Colum.* 7. *R. R.* 8. 3. Cum lac concrevit. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 277. Concretis sanguine crines. *Ovid.* 14. *Met.* 201. Concreta sanguine barba. *Id.* 3. *Trist.* 12. 29. Mare concrescit glacie. *Id.* 9. *Met.* 220. Imbres gelidis concrescunt ventis. *Liv.* 21. 36. *extr.* Alte concreta glacies. *Curt.* 8. 4. Concretum gelu. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 16. 30. (104). Mare concretum. *Martial.* 4. 3. Concretæ frigore aquæ. — *b*) Item concrescere dicuntur, quæ per se crescendo augentur, roborantur majoraque fiunt. *Lucret.* 5. 831. Porro aliud concrescit et e contemptibus exit. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 10. Lana quanto prolixior in pecore concrescit, tanto magis obnoxia est rubis. — *c*) Item de iis, quæ aliarum rerum adjectione augentur atque coagmentantur. *Lucret.* 6. 808. Nonne vides etiam terra quoque sulfur in ipsa Gignier et tætro concrescere odore bitumen? *Virg.* 1. *G.* 391. testâ cum ardente viderent Scintillare oleum et putres concrescere fungos. *Ovid.* 7. *Met.* 416. Has (*spumas*) concresse putant nactasque alimenta feracis Fecundique soli vires cepisse nocendi. — *d*) Denique de iis ponitur, quæ contrahuntur simulque densantur. *Propert.* 4. 8. 41. Nanus et ipse suos breviter concretus in artus. *h. e.* compactus, contractus. *Al. leg.* curvatus. Huc pertinet et illud *Cic. carm. de suo Cons.* 1. *Divinat.* 11. 18. Cum claram speciem concreto lumine luna Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est. *h. e.* colore in se contracto, adeoque subobscuro, pallido, hebete. Cf. *Quintil.* 8. *Declam.* 8. Facies concreta squalore diutino. *h. e.* contracta, pallescens, et lacrimas quodammodo ex longo fletu concretas ha-

bens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 81. (358). Cum cinis in foco concrescit. — 2.°) Cum addito: scilicet — *a*) Additâ formâ, quam aliquid concrescendo assumit; et quidem — Per Accusativum et præp. *in*. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 45. (163). Concrescere in lapidem. *Id.* 20. *ibid.* 2. 10. (37). Sordes caudarum concretæ in pilulas. — Per Dativum. *Ovid.* 5. *Met.* 673. rigido concrescere rostro Ora videt. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 202. *Propert.* 4. 5. 65. Vidi ego rugoso tussim concrescere collo. *h. e.* pituitam ex tussi spissescere et densari. — *b*) Addito, unde aliquid concrescit; et quidem — Per Ablativum et præp. *de*, *e*, etc. *Lucret.* 1. 840. de terris terram concrescere parvis. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 30. Omne corpus, aut aqua, aut aer, aut ignis, aut terra est; aut id quod est concretum ex his. *h. e.* compositus, conflatus, cui opponitur *simplex*. *Id. ibid.* 14. 34. Aliquid concretum ex pluribus naturis. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 57. Et figurate *Cic. Pis.* 9. 21. Illud funestum animal ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex omnium scelerum importunitate concretum. — Per Adverbium *unde*. *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 56. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa – videor posse dicere, unde concreta et quo modo facta sint. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 25. 61. et 5. *ibid.* 24. 69. — Per Ablativum sine præpos. *Virg.* 6. *Ecl.* 33. ut his exordia primis Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis. *h. e.* collectus et informatus sit, ut *Servius* exponit. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 8. Valles, quæ fluminum alluvie et inundationibus concreverint, aptas esse vineis. *h. e.* in altitudinem creverint, congesto limo. Adde *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 60. — *c*) Addita re, cui alia concrescendo affigitur atque adhæret. *Lucret.* 4. 1257. Concrescunt semina membris. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Nihil est animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum. Adde *eumd. ibid.* 27. 66. — Figurate. *Cod.* 5. 4. 28. Uxor marito concrescat. — Hinc Part. præter. pass.

Concretus, a, um, Adjective quoque occurrit, unde Comp. *Concretior* I. et II.

I.) Proprie est densus, coagulatus. *Lucret.* 4. 1237. Semen concretius æquo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (239). Butyrum est spuma lactis concretior. — *Concreta ossa* apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 18. 18. (78). et *ibid.* 19. 18. (80). sunt ossa sine medulla.

II.) Translate. *Virg.* 6. *Æn.* 746. Concretam exemit labem, purumque reliquit etc. *h. e.* affinem, inhærentem. *Ovid.* 2. *Pont.* 11. 10. Concretus dolor. *h. e.* qui non funditur in lacrimas.

CONCRĒTIO, ōnis, f. 3. actus concrescendi, coagmentatio, coagulatio. ¶ 1. Abstracte. *Cic. Tim.* 14. Causæ, quæ vim habeant frigoris et caloris, concretionis et liquoris. *Id.* 1. *Nat. D.* 25. 71. Corporum individuorum concretio. *Firmic.* 1. *Mathes.* 3. prava corporis. *Tertull. Anim.* 52. substantiarum. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu. *Cic.* 1. *Tusc.* 27. 66. Mens segregata ab omni concretione mortali. *h. e.* ab omni materia, seu ab omni corpore.

CONCRĒTĪVUS, a, um, adject. qui concrescit. *Gloss. Philox.* Concretiva, συγκρίματα.

CONCRĒTUS, a, um. *V.* CONCRESCO.

CONCRĒTUS, us, m. 4. concretio. In sexto casu singulari. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 35. (70). *de myrrha*. In concretu albicantis succi et tabescentis.

CONCRĪMĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem ac criminor. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 97. Ut si illic concriminatus siet adversus militem meus conservus.

CONCRISPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Occurrunt tantum Part. *Concrispans* 2. et *Concrispatus* 1. — Concrispo est simul crispo; et occurrit ¶ 1. Cum Accusativo. *Vitruv.* 4. 1. 7. *Schneid.* Capillamento concrispati cincinni. *Ammian.* 16. 12. 36. Tela concrispans. *h. e.* vibrans, telis micans. ¶ 2. Absolute. *Vitruv.* 8. 1. 1. *Schneid.* In quibus locis videbuntur humores concrispantes, et in aera surgentes. *h. e.* vapores humidi undatim e terra surgentes, et crispi. *Forcellinus* cum veter. edit. legebat *se concrispantes*.

CONCRISPĀTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONCRISPUS, a, um, adject. idem quod crispus. *Isid.* 19. *Orig.* 22. Citrosa (vestis), quasi concrispa ad similitudinem citri.

CONCRŬCĬFĪGO, is, ere, a. 3. simul cum aliis crucifigo. Translate tantum occurrit apud *Sidon.* 6. *Ep.* 1. Sed si tu inter et illum, cui concrucifigeris, Jesum Christum Dominum nostrum, intercessor assistas, non ulterius descendemus in infernum viventes.

CONCRŬCIO, as, are, a. 1. valde crucio. Passive tantum occurrit apud *Lucret.* 3. 148. cum caput, aut oculus tentante dolore Læditur in nobis, non omni concruciamur Corpore.

CONCRUSTĀTUS, a, um, adject. crusta obductus. *Ammian.* 17. 7. 11. Soliditates concrustatæ. *Id.* 30. 6. Meatus gelidis frigoribus concrustati.

CONCŬBA, æ, f. 1. idem quod concubina. *Isid.* 10. *Orig. litt. P.* Pellex apud Græcos proprie dicitur, a Latinis concuba vel concubina.

CONCŬBANS, antis. *V.* CONCUBO.

CONCŬBĀTIO, ōnis, f. 3. actus recumbendi. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Ipsa lecti concubatio neque dura, neque plus satis mollis erit procuranda.

CONCŬBĀTUS, us, m. 4. pro *concubinatus* legitur in edit. *Torrentini* apud *Martian. Dig.* 25. 7. 3., ubi alii *concubinatus*.

CONCŬBĪNA, æ, f. 1. mulier, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantum causa domi suæ habet. *Masurius* apud *Paul. Dig.* 50. 16. 144. scribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quæ cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: eamque nunc vero nomine amicam, paullo honestiore concubinam vocari. *V.* CONCUBINATUS sub init.; et *Dig.* 25. *tit.* 7., qui *De concubinis* inscribitur. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 183. In concubinæ locum aliquam ducere. Adde *Plaut. Epid.* 3. 4. 30., *Mil. glor.* 2. 1. 62. et alibi; *Cæcilium* apud *Quintil.* 4. 2. 124.; *Tac.* 1. *Hist.* 72.; *Sueton. Domit.* 22.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2673. aliasque.

CONCŬBĪNĀLIS, e, adject. ad concubinum pertinens, impudicus, ut concubinales illecebræ. *Sidon.* 9. *Ep.* 6. *extr.*

CONCŬBĪNĀTUS, us, m. 4. ad litteram est simul cum alio cubatio: at ex consuetudine significavit statum vel conditionem hominis cælibis, qui non mariti animo, sed concubitus tantum causa mulierem nubilem domi suæ habet; itemque statum vel conditionem hujusce mulieris. Concubinatus vero, etsi mulieri dedecori erat, Romanis tamen legibus minime vetabatur, immo erat aliquid medium inter *matrimonium justum* et *adulterium* aut *stuprum*. V. *Pauly's Realencyclop.* vol. 4. p. 1653. *Plaut. Trin.* 3. 2. 64. Aliquam alicui in concubinatum, non in matrimonium dare. *Id. Pœn. prol.* 102. Emere aliquam sibi in concubinatum. *Sueton. Ner.* 28. Super nuptarum concubinatus Vestali virgini Rubriæ vim intulit. *Ulp. Dig.* 48. 5. 13. Dare se in concubinatum. *Id. ibid.* 25. 7. 1. Habere aliquam in concubinatu. et *ibid.* Esse in concubinatu alicujus.

CONCŬBĪNUS, i, m. 2. (concumbo). ¶ 1. Generatim, et primario quidem sensu, est qui non nefandæ Veneris, sed quacumque de causa simul cum alio cubat. *Tertull. Resurr. carn.* 16. Gladium latrociniis ebrium quis non a domo tota, nedum a cubiculo, nedum a capitis sui officio relegabit, præsumens scilicet, nihil aliud se quam illudia animarum somniaturum urgentium et inquietantium sanguinis sui concubinum? *h. e.* illum, qui dormiens secum habet gladium, quo earum corpora confossa sunt. ¶ 2. Specialim vero ac sæpius *concubinus* dicitur qui concubinam domi suæ habet (*V.* CONCUBINATUS sub init. et CONCUBINA); itemque impurus lecti socius, meritorius, mollis, effeminatus. *Catull.* 61. 130. et 132.; *Auct. B. Hisp.* 33.; *Curt.* 10. 2. 27.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (180).; *Quintil.* 1. 2. 8.; *Sueton. Galb.* 22. et *Tac.* 13. *Ann.* 21. — Hinc ponitur et pro mœcho, adultero, apud *Martial.* 6. 22.

CONCŬBĪTĀLIS, e, adject. ad concubitum pertinens. *Tertull.* 2. *ad Nation.* 11. Conationes concubitales.

CONCŬBĪTIO, ōnis, f. 3. idem quod concubitus. *Hygin.* 2. *Astron.* 12. Perseus inusitato genere concubitionis natus.

CONCŬBĪTOR, ōris, m. 3. concubinus. Legitur in quadam declamatione, quæ inscribitur *Tribunus Marianus* c. 5. Si quis masculorum erit concubitorum; et præterea dicitur esse *Tertull.*, *Salvian.* et *Justin.* in *novellis Constitutionib.* Certe est *Julian. Epit. nov.* c. 34. § 118. et *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 6. 9. et 1. *Tim.* 1. 10.

CONCŬBĪTUS, us, m. 4. (concumbo). ¶ 1. Generatim est actus vel ratio simul jacendi; et occurrit — *a*) De dentium collocatione. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Concubitus dentium. *h. e.* eorum vehemens confixio, ut ipsemet exponit, *h. e.* constrictio. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 6. — *b*) Item concubitus est ordo jacendi in lecto convivali. *Propert.* 4. 8. 36. Quæris concubitus? inter utramque fui. ¶ 2. Specialim usurpatur pro actu concumbendi vel coitu; et quidem — *a*) De hominibus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 16. 42. Concubitus deorum cum humano genere. *Liv.* 4. 2. Concubitus plebis patrumque. Adde *Horat. A. P.* 398.; *Tibull.* 2. 5. 53.; *Ovid.* 4. *Met.* 207. et alibi; *Senec.* 3. *Controv.* 21.; *Sueton. Aug.* 94.; et *Dig.* 35. 1. 15. et alibi. — *b*) De brutis animalibus. *Virg.* 4. *G.* 198. *de apibus*. Quod nec concubitu indulgent. pro concubitui. Sic *ibid.* 158. victu invigilant, pro victui. Plura hac de re habet *Gell.* 4. 16. *V.* ASPECTUS. Ceterum *concubitus* pro brutorum coitu occurrit apud eumd. *Virg.* 6. *Ecl.* 50. et 3. *G.* 130.; item apud *Colum.* 8. *R. R.* 15. 7. et alibi.

CONCŬBĬUM, ii, n. 2. (cum et cubo) generatim est simul cum alio cubatio; et usurpatur ¶ 1. Pro ipso concubitu. *Gell.* 9. 10. Puris honestisque verbis venerandum illud concubii pudici secretum dicere. Adde *Ennium* apud *Non.* p. 342. 23. *Merc.* ¶ 2. Item pro concubiæ noctis tempore; a concubitu dormiendi causa dictum concubium, quod fere omnes tunc cubant, ut *Varro* 6. *L. L.* 7. et 7. *ibid.* 78. *Müll.* docet. *Plaut. Trin.* 4. 2. 44. Concubium sit noctis, priusquam etc. Adde *Censorin. de die nat.* 24.; *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *extr.*; et *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 268. et 3. *ibid.* 587. — Hinc

CONCŬBĬUS, a, um, adject. (cum et cubo). *Concubia nox* (nam extra hanc formulam non occurrit) a *concubitu dormiendi causa* dicta, ut est apud *Varron.* 6. *L. L.* 7. *Müll.*, est primi somni tempus, ut *Sisenna* apud *Non.* p. 91. 22. *Merc.* definit. Partes enim noctis, ut docet *Censorin. de die nat.* 24., ubi hæc ex professo tradit, apud Latinos hæ sunt: prima *crepusculum*: secunda id tempus quod dicebant *luminibus accensis*, antiqui *prima face*: tertia *concubium*, cum itum est cubitum: quarta *nox intempesta*, qua nihil agi tempestivum est: quinta *ad mediam noctem*: sexta *media nox*: septima *de media nocte*: octava *gallicinium*: *conticinium* nona: decima *ante lucem*: undecima *diluculum*. Confirmat *Servius* hæc eadem proponens, et quidem ex Varronis sententia, ad illud *Virg.* 2. *Æn.* 268. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit. Confirmat etiam ad 3. *Æn.* 587., et *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *extr.*, et *Non.* p. 91. 22. *Merc.* Sisennæ locum afferens, et *Petr. Victor.* l. 8. *Variar. lect.* c. 3., ubi locum illum *Liv.* 25. 9. Hannibal concubia nocte movit etc., non alia ratione intelligendum esse contendit, quam ut *concubia nox* primum noctis tempus significet. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Concubia nocte visum esse in somnis ei, etc. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 39. et 3. *Hist.* 39., item *Plin.*, qui 29. *Hist. nat.* 6. 34. (110). addita præpositione, *nocte in concubia* dixit. — Quod vero apud *Varron.* loc. cit. *concubia nox* cum *nocte intempesta*, et cum *silentio noctis*, et *conticinio* confundi videtur; primo id *Varro* refert non ex sua, sed ex aliorum sententia: deinde minutam illam Censorini divisionem non semper servavere scriptores: ex quibus *Apul.* quoque 2. *Met. post med.* videtur *concubiam noctem* non pro primo somni tempore, sed pro nocte jam provecta posuisse. Ejus verba sunt: Ecce crepusculum, et nox provecta, et nox altior, et deinde concubia altior, et jam nox intempesta. Idem fere habet *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* *V.* INTEMPESTUS.

CONCŬBO, as, are, n. 1. idem quod concumbo. *Gloss. Cyrill.* Συγκατακλίνομαι, concubo. Συγκατακεῖται, concubo. *Gloss. Philox.* Συγκατακεῖται, concubat. — Præterea Part. *Concubans* usa est *Sulpicia poetria* apud *Scholiast. Juvenal.*, cujus verba *V.* in CADURCUM. — Ceterum *V.* in CONCUMBO.

CONCULCĀTIO, ōnis, f. 3. actus conculcandi, *h. e.* pedibus simul calcandi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 26. (68). Bibunt cameli, obturbata conculcatione prius aqua: aliter potu non gaudent. *Sillig* pro *conculcatione* legit *proculcatione*, et nullam affert variantem lectionem, quod sane mirum. *Cod.* 3. 34. 14. § 1. Conculcatio fructuum in area.

CONCULCĀTUS, a, um. *V.* CONCULCO.

CONCULCĀTUS, us, m. 4. idem quod conculcatio; sed occurrit translate tantum apud *Tertull. Resurr. carn.* 22. Tunc erit Hierusalem conculcatui nationibus.

CONCULCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et calco). Part. *Conculcans* et *Conculcandus* II.; *Conculcatus* occurrit tantum apud *Vulgat. interp.*

Ezech. 16. 6. et 34. 19., et alibi sæpe. — Conculco est simul calco, proculco (It. *conculcare*; Fr. *fouler avec les pieds, écraser sous les pieds*; Hisp. *hollar entre pies*; Germ. *zusammentreten*; Angl. *to tread or trample under foot, tread down*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 25. Vinaceos conculcato in dolia picata. *V.* CONCULCATIO.

II.) Figurate est dictis factisque aspernari: ad rem *Cic. Pis.* 25. 61. Ut ad portam Æsquilinam, Macedonicam lauream conculcarim. *Lucret.* 5. 1139. regibus occisis subversa jacebat Pristina majestas soliorum et sceptra superba Et capitis summi præclarum insigne cruentum Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem: Nam cupide conculcatur nimis ante metutum. *Cic. Flacc.* 22. 53. Istum semper illi ipsi domi proterendum esse et conculcandum putaverunt. *Id.* 8. *Att.* 11. 4. Conculcari miseram Italiam, videbis proxima æstate, et quati utriusque vi. *Id. Dom.* 42. 110. Pontificem a pedisequis conculcari jubere. *Seneca Ep.* 23. Disjice et conculca ista, quæ extrinsecus splendent: ad verum bonum specta. *Hieronym.* in *Isaiam* 14. 51. 14. Conculcans adversarios tuos.

CONCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cŭbitum, cumbere, n. 3. (cum *et* cubo). Hujusce verbi præsens tempus legitur tantum apud *Ovid.* 10. *Met.* 338., *Senecam*, *Juvenalem* et *Augustin. locc.* infra *citt.*: hinc factum est, ut nonnulli præsenti tempore aliam formam *concubo* admiserint, quam *V.* loco suo. — Part. *Concumbens* 2. a.; *Concubiturus* 2. b. — Concumbo est una cubo, dormio (It. *giacere o giacersi con altrui*; Fr. *coucher ensemble ou avec*; Hisp. *acostar juntos*; Germ. *sich zusammenlegen*; Angl. *lie together, lie with*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Propert.* 4. 1. 4. ubi navali stant sacra palatia Phœbo, Evandri profugæ concubuere boves. ¶ 2. Specialim autem ex usu accipitur pro rem Veneream habere: et usurpatur — *a*) Absolute. *Juvenal.* 6. 190. Concumbunt Græce. Adde *eumd. ibid.* 406. *Augustin.* 1. *Civ. Dei* 19. Quæ (*mulier*) oppressa concumbenti nulla voluntate consenserit. — *b*) Cum Ablat. et præp. *cum*. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 33. cum aliqua. *Cic. Fat.* 13. 30. Concubiturum cum uxore Lajum, et ex ea Œdipum procreaturum. *Id.* 1. *Invent.* 29. 44. cum viro. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 337. et 3. *Art. am.* 522.; *Senec.* 3. *Controv.* 21.; et *Dig.* 1. 6. 6. — *c*) Cum Dativo. *Propert.* 2. 12. 16. Endymion Phœbi cepisse sororem Dicitur, et nudæ concubuisse deæ. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 338.

CONCŬMŬLĀTUS, a, um, adject. accumulatus. *Tertull. Virg. vel.* 7. *extr.* Coma concumulata in verticem.

CONCŬPĬO, is, ere, a. 3. (cum et cupio). Est idem quod valde cupio; et occurrit tantum Præs. *Concupis*, et Part. *Concupiens* cum Genitivo. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Curantes magna cum cura, concupientes Regni, dant operam simul auspicio augurioque. Adde *Capitolin. Maximin.* 13., ubi *concupiens* jungitur cum Infinito. *Commodian.* 61. 4. Et te parem concupis fieri pecuniæ tantæ. — Ceterum in Præsenti et Imperfect. usitatius est CONCUPISCO, cui verbo retulimus etiam Præterita huc allata a *Forcellino*.

CONCŬPISCENTĬA, æ, f. 1. vehemens appetitus, vehemens cupido. *Curt.* 8. 6. 18. Adeo pertinax spes est, quam humanæ mentes, quam ingentes concupiscentiæ devoraverunt. Hæc tamen lectio suspecta est eruditis: et sane nimis aperte ineptam scioli cujuspiam interpretationem sapit: V. *Zumpt.* ad *h. l.* Ceterum hanc vocem habent *Tertull. Resurr. carn.* 45. et *Anim.* 16.; *Hieronym. Ep.* 63. *n.* 1.; et *Paulin. Nolan. Ep.* 30. 3.

CONCŬPISCENTĬALĬTER, adverb. cum concupiscentia. *Augustin. de peccat. merit.* 2. 9. Et hoc quod in membris ejus concupiscentialiter movetur. Adde *eumd. ibid.* 28.

CONCŬPISCENTĪVUS, a, um, adject. ad concupiscentiam pertinens: pro concupiscendi vi ac facultate, ad Græcam vocem Latine asserendam usus est *Tertull. Anim.* 16. Concupiscentivum, quod vocant ἐπιθυμητικόν. *V.* CONCUPISCITIVUS.

CONCŬPISCĬBĬLIS, e, adject. quod concupisci potest, concupiscendus. *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 1. 24. Et aurum et vasa concupiscibilia. Adde *Hieronym. Quæst. Hebr.* in 1. *Paralip.* 1., et *Ambros. Ep.* 11. *ad Iren.*

CONCŬPISCĬTĪVUS, a, um, adject. *Hieronym.* in *Ezech.* 1. 1. 7. *V.* locum in *V. Irascitivus*. Quod vero *Hieronym.* vocat *concupiscitivum*, *Tertull.* appellat *concupiscentivum*. Hoc idem *Cic.* 1. *Divinat.* 29. vocat *eam partem animi, quæ voluptate alitur*.

CONCŬPISCO, cŭpiscis, cŭpīvi *vel* cŭpii, cŭpitum, cŭpiscere, a. 3. (cum et cupio). Part. *Concupiscens*, *Concupitus* et *Concupiscendus* sub *a*. — Concupisco est idem quod cupio, vel valde cupio, appeto (It. *desiderare avidamente, bramare*; Fr. *désirer ardemment, convoiter*; Hisp. *desear ardientemente, codiciar*; Germ. *innig begehren, heftig nach etwas trachten, heiss verlangen*; Angl. *to desire greatly, thirst after*). Usurpatur autem — *a*) Cum Accusativo. *M. Antonius* apud *Cic.* 5. *Phil.* 12. 33. Quid concupiscas, tu videris: quod concupiveris, certe habebis. *Cic.* 1. *Phil.* 12. 29. Credo enim vos – non pecuniam –, non opes violentas et populo Rom. minime ferendam potentiam, sed caritatem civium et gloriam concupivisse. *Id.* 4. *Tusc.* 11. 24. Cum est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio etc. *Id. ibid.* 6. 12. Concupitum adipisci. *Id.* 1. *Divinat.* 21. 51. Cujus mors ita gloriosa fuit, ut eam concupisceret filius. *Id. Parad.* 3. § 49. Signa, tabulas, supellectilem, vestem infinite concupiscenti. *Id.* 8. *Att.* 13. Omnia omnium concupivit. *Id. Orat.* 1. 4. Qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. *Id.* 15. *Fam.* 6. 2. Honos non nimis concupiscendus. *Sall. Orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. ad fin.* Non assentando, neque concupita præbendo. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *ante med.* Concupita oblatio. *h. e.* concupitorum. — Jungitur et aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Horat. Epod.* 3. 19. aliquid. Adde *Curt.* 7. 8. 13.; *Plin.* 11. *Hist. nat.* 6. 5. (15).; et *Quintil.* 1. 2. 6. *Nepos Att.* 13. aliquid intemperanter. *Liv.* 1. 56. aliquid alicui concupiscendum relinquere. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 25. bellum, otium. *Sueton. Cæs.* 30. dominationem. *Sall. Cat.* 51. domum aut villam. *Tac. Agric.* 21. eloquentiam. *Quintil.* 12. 10. 16. facundiam. *Id.* 5. 13. 6. laudem. *Nepos Pausan.* 1. majora. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 53. nihil desiderabile. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 9. 3. nihil mihi concupisco. *Nepos Con.* 5. plura quam efficere potuit. *Curt.* 8. 5. 6. talia. *Liv.* 3. 67. tribunos plebis. *Sueton. Vesp.* 12. triumphum. *Nepos Alcib.* 7. tyrannidem. — Et de inanimis, quod translate *Forcellinus* accepit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (120). *de faba*. Aquas in flore maxime concupiscit, cum vero defloruit, exiguas desiderat. — *b*) Absolute, ita tamen ut Accusativus ex ipso orationis contextu facile innotescat. *Cic. Quinct.* 21. 69. Sicut tu semper summe concupisti. *Tac.* 1. *Hist.* 21. Fingebat et metum, quo magis concupisceret. Adde *eumd. ibid.* 53. et 2. *ibid.* 76.; et *Plin.* 3. *Ep.* 2. — *c*) Cum Infinito tantum. *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 22. Quid erat, quod concupisceret Deus mundum signis et luminibus tamquam ædilis ornare? Adde *eumd. Cluent.* 9. 26. et 4. *Fin.* 3. 7.; et *Nepot. Lys.* 2. *Petron. Satyr.* 111. Concupiit scire, quid faceret. Adde *Quintil.* 2. 9. 2. et 12. 10. 14.; *Tac.* 16. *Ann.* 21. et *Sueton. Ner.* 20. — *d*) Cum Infinito et Accusativo. *Sueton. Cal.* 28. Cum discerpi senatorem concupisset.

CONCŬPĪTOR, ōris, m. 3. qui concupiscit. *Firmic.* 8. *Mathes.* 22. *extr.* Rerum alienarum concupitores.

CONCŬPĪTUS, a, um. *V.* CONCUPISCO.

CONCŪRĀTOR, ōris, m. 3. qui una cum alio curator est. *Ulp. Dig.* 26. 10. 3. Cum possit tutelæ a concuratoribus conveniri, consequens erit, etc. *Justinian.* 1. *Institut. tit.* 24. § 1. Potest unus offerre satisdationem, et contutori suo, vel concuratori præferri.

CONCŪRĀTUS, a, um. *V.* CONCURO.

CONCŪRĬĀLIS, is, m. 3. qui est ejusdem curiæ. *Inscript.* quæ pertinet ad an. a *Chr.* n. 257. apud *Fea, Fast. Cons.* p. 13. *n.* 46. IDEO COOPTAMVS RVTILIVM VIATOREM PATRONVM CVM IIS QVI INFRA *scripti sunt*, NONIVM GRATILIANVM C. V. ET IGNATIVM SATTIANVM C. V. PLEROSQVE SPLENDIDOS EQVITES ROMANOS ET CONCVRIALES EIVSDEM VIATORIS.

CONCŪRO, as, are, a. 1. idem quod curo. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 22. Unum in mente est mihi nunc, satis ut commode pro dignitate opsonii hæc concuret coquus. — *Id. ibid.* 3. 2. 14. Quo mihi causa mage concurato atque advigilato est opus. *Bothe* ita legit, at nihil in vulgata lectione mutandum.

CONCURRO, curris, curri *vel* cŭcurri, cursum: currere, n. 3. (cum et curro). De altero Præterito *concucurri* testimonium affert *Priscian.* 10. p. 901. *Putsch.* ex *Caton. contra C. Pisonem*: adde *Liv.* 29. 18., *Auct. B. Afr.* 50., *Sueton. Cæs.* 15. et *Flor.* 4. 2. *ante med.*; et *V.* Interpr. ad *Liv.* 5. 38. — Part. *Concurrens* I. *A.* 3. *b.*; *Concursurus* I. *A.* 1. *a.* — Concurro est simul curro, convolo, convenio in unum locum (It. *correre insieme, concorrere*; Fr. *courir ensemble ou avec*; Hisp. *correr juntos*; Germ. *zusammenlaufen oder rennen, d. h. von zwei Seiten auf einem Punkte zusammentreffen*; Angl. *to run together, run along with, meet, flock, or rush together, concur*).

I.) Proprie usurpatur *A*) De hominibus aliisque animantibus, et *B*) De inanimis.

A) De hominibus aliisque animantibus. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Absolute. *Cato* apud *Priscian. loc. cit.* Video hac tempestate concucurrisse omnes adversarios. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. Concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii: descriptam legem ad me afferunt. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 5. Si diem nobis dixerit, tota Italia concurret, ut etc. *Id.* 7. *Verr.* 26. 68. Cum omnes – concurrerent. *Id.* 1. *Tusc.* 23. 55. Licet concurrant omnes plebeji philosophi etc. *Nepos Dion.* 10. Celeri rumore dilato – multi concurrerant, quibus tale facinus displicebat. Adde *eumd. Timol.* 5. *Sall. Jug.* 60. Jam scalis egressi milites prope summa ceperant, cum oppidani concurrunt. *Val. Max.* 4. 1. 12. Concurrite, concurrite, cives: mœnia urbis nostræ eversa sunt. *Auct. B. Afr.* 58. Existimans (*hostes*) ante se concursuros. — Et passive impers. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. Contionem in primis advocari jubet: summa cum expectatione concurritur. — *b*) Addito termino, a quo plures concurrunt. *Nepos Pelop.* 3. Non solum qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrerunt. Adde *Lucan.* 3. 320. — *c*) Sæpius addito loco aut fine, ad quem plures concurrunt. *Ter. Eun.* 2. 2. 25. Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes. *Cic. Rabir. Post.* 7. 18. Si jam vobis nunciaretur, in senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis. Adde *Sueton. Tib.* 11. Rursus *Cic.* 2. *Verr.* 30. 80. Quæ fuit igitur causa, cur cuncta civitas Lampsacenorum de contione – domum tuam concurrerit? *Id. Mil.* 15. 39. Ipse – signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent. *Id.* 1. *Tusc.* 37. 89. Concurrere ad non dubiam mortem. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit. Adde *Quintil.* 1. 2. 16. *Sall. Cat.* 56. Cujus (*servitii*) initio ad eum magnæ copiæ concurrebant. *Nepos Phoc.* 2. Ad quem (*Piræeum*) recuperandum cum populus armatus concurrisset. Adde *eumd. Eumen.* 3. *Sueton. Cæs.* 32. Concurrere ad audiendum. — Hinc *concurrere ad arma* est formula militiæ propria. *Cæs.* 3. *B. G.* 22. Cum ad arma milites concurrissent. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 22., 5. *ibid.* 39., 7. *ibid.* 4. et alibi sæpe. — Et passive impers. *Cic.* 10. *Phil.* 10. 21. Concurritur undique ad commune incendium restinguendum. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 20. et *Quintil.* 1. 2. 16. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. Ex proximis castellis eo concursum est. *Liv.* 4. 60. Concursum – ad curiam esse. *Sueton. Cal.* 6. In Capitolium concursum est. ¶ 2. Specialim ponitur de iis, qui ad aliquem confugiunt salutis vel auxilii causa. *Cic.* 8. *Att.* 3. 4. Nullæ vires, nulla sedes, quo concurrant, qui rem publicam defensam velint. *Id.* 2. *ad Brut.* 2. 2. Ne darem perditis hominibus hominem – nobilem, quo concurrerent. Adde *Sall. Cat.* 56. *Justin.* 19. 1. Siciliæ populis, propter assiduas Carthaginiensium injurias, ad Leonidam concurrentibus. — Apud *Cic. Quinct.* 16. 53. Non statim ad C. Aquilium, aut ad eorum aliquem, qui consuluntur, concurrisses. *legendum est* cucurrisses. Sic apud *eumd. ibid.* 24. *sub fin.* Ut statim de jure aliquis concurrerit. *plerique al. rectius leg.* cucurrerit. ¶ 3. Item specialim concurrere est militare verbum, quod ponitur pro pugnam inire, congredi; et occurrit — *a*) Absolute. *Galba* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. 3. Repente Antonius in aciem suas copias de vico produxit et sine mora concurrit. *Sall. Cat.* 63. Maximo clamore cum infestis signis concurrunt. Adde *eumd. Jug.* 59. *Liv.* 2. 11. Herminius concurrit ex insidiis. *Id.* 6. 7. *extr.* Simul concurreritis, quod quisque consuevit, faciet. Adde *eumd.* 9. 25. *Virg.* 12. *Æn.* 315. mihi jus concurrere soli. *Id.* 8. *ibid.* 7. Concurrere infestis cuspidibus. *Ovid.* 3. *Fast.* 811. ferro. *Justin.* 30. 4. prælio. *Martial.* 9.

72. diris armis. Adde *Auct. B. Afr.* 39.; *Sueton. Claud.* 21.; et *Tac.* 6. *Ann.* 35. — Similiter *Virg.* 1. *G.* 318. Omnia ventorum concurrere prœlia vidi. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (340).; et *Lucan.* 1. 40. — Et passive impers. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 7. Militia est potior. quid enim? concurritur; horæ Momento cita mors venit aut victoria læta. Adde *Sall. Jug.* 53.; et *Liv.* 10. 40. et 44. 38. — Figurate *Seneca Œdip.* 830. Concurrit illinc publica, hinc regis salus. *h. e.* pugnant inter se quodammodo, ut una alteram impediat. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *cum*. — Sic de duobus tantum singulare certamen ineuntibus. *Nepos Eumen.* 4. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. *Vellej.* 2. 27. Concurrens mutuis ictibus cum fratre, occubuit. — Et de duobus exercitibus. *Vellej.* 2. 70. Cæsar et Antonius cum Bruto et Cassio acie concurrunt. Adde *Liv.* 5. 38. et 8. 8.; *Ovid.* 13. *Met.* 87.; *Sueton. Oth.* 10.; et *Stat.* 11. *Theb.* 185. — *Seneca Consol. ad Helv.* 2. Concurrere cum dolore: pugnare, atque eum vincere conari. — *c*) Etiam *inter se concurrere* usurpatur. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. Concurrunt equites inter se. *Liv.* 26. 51. Rudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt. *Virg.* 1. *G.* 489. Acies inter se paribus concurrere telis. Adde *eumd.* 10. *Æn.* 436., ubi de singulari certamine sermo est; et *Liv.* 29. 18. *Auct. B. Afr.* 59. Cum acies inter se concucurrissent. *Ita enim habent meliores libri.* — Huc referri potest et illud *Flor.* 4. 2. *ante med.* Mutuis ictibus in se concucurrit. — *d*) Cum Dativo, præsertim apud Poetas; nam apud *Liv.* 24. 15. incerta est lectio. *Virg.* 1. *Æn.* 493. audetque viris concurrere virgo. *Id.* 10. *ibid.* 10. Abnueram, bello Italiam concurrere Teucris. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 149. *Ovid.* 5. *Met.* 89. et 12. *ibid.* 596. Concurrere comminus hosti. *Id.* 3. *Art. am.* 5. Nudos concurrere armatis. *Val. Flacc.* 4. 155. Isti frustra quisquam concurrere monstro Audeat. Adde *eumd.* 3. 512. — *e*) Cum Accus. et præpos. *contra*. *Auct. B. Afr.* 6. Equites contra tantam multitudinem audacissime concurrunt. ¶ 4. Denique speciatim apud JCtos concurrere dicitur, qui simul cum alio habere jus, aut dominium in rem aliquam apud judicem contendit. *Ulp. Dig.* 37. 11. 2. Si non sit, qui ei concurrat, habeat solus bonorum possessionem. *h. e.* qui cum eo ad partem possessionis veniat. Sic *Papinian. ibid.* 5. 2. 16. Filia in hereditatem legitimam fratri non concurrit. *Ulp. ibid.* 20. 4. 7. Concurrere in pignus. *et mox* in pignore. *h. e.* simul cum alio habere jus, aut dominium in pignus.

B) De inanimis occurrit ¶ 1. Generatim, et ponitur de iis omnibus, quæ inter se quomodocumque incurrunt. *Lucret.* 6. 97. quia concurrunt Ætheriæ nubes contra pugnantibus ventis. *Id.* 6. 155. nubes Frontibus adversis concurrunt. *Virg.* 8. *Æn.* 692. pelago credas innare revulsas Cyclades, aut montes concurrere montibus altos. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 224. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 83. 85. (199). Montes duo inter se concurrerunt. Et *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 3. et *Val. Flacc.* 1. 59. Concurrunt ponto Cyaneæ. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 62. et *Melam* 2. 7. 3. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 205. actor Cum stetit in scena, concurrit dextera lævæ. *h. e.* plausus dantur. *Lucan.* 1. 75. omnis mixtis Sidera sideribus concurrent. ¶ 2. Speciatim ponitur — *a*) De navibus, præsertim cum prœlium initur. *Auct. B. Alex.* 46. Naves adversæ rostris concurrunt. *Liv.* 37. 30. prorâ. Adde *eumd.* 44. 42.; et *Lucan.* 3. 663. — *b*) *Os* (vel *labra*) *concurrere* dicitur, cum contrahitur et ægre diducitur: et dicitur de iis, qui verecundia vel timore impediuntur, quo minus libere loquantur. *Seneca* 2. *Benef.* 1. Homini probo ad rogandum os concurrit et suffunditur rubor. Adde *eumd.* 3. *Ira* 13. *Quintil.* 11. 3. 121. His accedunt vitia non naturæ, sed trepidationis, cum ore concurrente rixari, etc. Antea dixerat *eod. cap.* Est aliis concursus oris et cum verbis suis colluctatio. Adde *eumd.* 10. 7. 8. *Seneca Ep.* 11. Quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. V. *Lips. ad cit.* 2. *Benef.* — *c*) Item de iis occurrit, quæ morborum vi aliquo confluunt. *Cels.* 3. 10. Superimponenda sunt cataplasmata reprimentia, ne plus eo materiæ concurrat. Adde *eumd.* 7. 2. et 2. 12. — *d*) Item in oratione de litteris et verbis. *Cic. Orat.* 45. 154. Cum autem *nobis* non dicitur, quia si ita diceretur, obscenius concurrerent litteræ. *Id.* 3. *Orat.* 43. 172. Ut neve aspere concurrant (*verba*), neve vastius diducantur. *V.* CONCURSUS. — *e*) Figurate *Propert.* 3. 7. 17. Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ. *h. e.* convenit et placet, ut *Forcellinus* interpretatus est; seu potius cui currenti contingit, ut recentiores interpretantur.

II.) Improprie, et cum abstractis, est simul accidere, convenire, conjungi. — *a*) Generatim. *Ter. Andr.* 3. 2. 31. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio. *Id. Heaut.* 2. 2. 3. Concurrunt multæ opiniones, quæ etc. *Id. Adelph.* 4. 4. 17. Tot concurrunt verisimilia. *Cic. Orat.* 59. 200. Ante enim circumscribitur mente sententia confestimque verba concurrunt, quæ mens eadem — statim dimittit, ut etc. *Id.* 5. *Fin.* 10. 28. Etsi quid potest intelligi aut cogitari esse aliquod animal, quod se oderit? Res enim concurrent contrariæ. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 141. Nisi ista casu nonnumquam, forte temere concurrerent. *Id.* 1. *Off.* 14. 145. Quæ ut concurrant omnia, optabile est; sin minus etc. *Id.* 1. *Att.* 20. Raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt. *Al., inter quos* Orell., *leg.* cucurrerunt. *Id. Planc.* 32. 78. Sæpe concurrit, ut eodem tempore in omnes verear, ne possim gratus videri. — *b*) Speciatim *concurrere nomina* dicuntur, quæ eodem tempore solvenda sunt, ut si v. gr. debitoribus meis eadem sit dies præstituta ad solvendum, quæ dies mihi a creditoribus meis constituta est. *Cic.* 16. *Att.* 3. 6. Scripsi, ut si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subveniret. — *c*) Frequens est usus apud JCtos. *Ulp. Dig.* 3. 2. 13. Sponsalia in idem tempus concurrunt. *h. e.* conveniunt, incidunt. *Id. ibid.* 9. 2. 5. Interdum concurrit actio legis Aquiliæ et injuriarum. *h. e.* eodem tempore, vel in eadem causa seu petitione locum habet. — *d*) Denique apud ipsos JCtos *concurrere cum aliqua re* est convenire, concordare. *Ulp. Dig.* 20. 2. 30. Toties ei sua præsumptio proficit, quoties concurrit cum veritate. *h. e.* convenit, concordat. *Id. ibid.* 30. 53. Concurrit cum summa. *h. e.* summam æquat.

CONCURSĀTĬO, ōnis, f. 3. concursandi actus, discursio (It. *il correr qua e là*; Fr. *action de courir çà et là*; Hisp. *el acto de correr*; Germ. *das Hin- und Hergehen oder -laufen, - reisen*; Angl. *a running up and down*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Verr.* 30. 75. Quid ego — hujus lacrimas et concursationes proferam? *Id.* 2. *leg. Agr.* 34. 94. Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum? et in Albana et Seplasia quæ concursatio percuntantium? *Id. Dom.* 6. 14. Quid puerorum illa concursatio nocturna? *Id.* 1. *Fam.* 1. 3. Libonis et Hypsæi non obscura concursatio et contentio. *h. e.* huc et illuc discursio petendi causa. Adde *eumd. Sull.* 23. 66. *Id. Brut.* 60. 242. Qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, si quam habebat, præbebat populo cum multa concursatione magnoque clamore. *h. e.* discursu per suggestum. *Id.* 1. *leg. Agr.* 3. 8. Concursatio decemviralis. *h. e.* decemvirûm per provincias. *Liv.* 35. 49. Concursatio regis a Demetriade nunc Lamiam, nunc Chalcidem. *Id.* 5. 40. Concursatio incerta (*mulierum*) nunc hos, nunc illos sequentium rogantiumque. *Id.* 41. 2. Concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios. *Seneca Ep.* 3. Exagitatæ mentis concursatio. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (110). formicarum. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Concursationes et preces. — Item concursus. *Cic.* 2. *Divinat.* 71. 146. Cedo tandem, qui sit ordo, aut quæ concursatio somniorum. ¶ 2. Speciatim in re militari. *Curt.* 8. 14. 13. Miles melior concursatione, quam cominus. *h. e.* pugna instabili, non stataria.

CONCURSĀTOR, ōris, m. 3. qui huc illuc discurrit: occurrit speciatim tantum in re militari, et *concursatori* opponitur *statarius*: *V.* voc. præced. sub 2. *Liv.* 31. 35. Nec pedes concursator et vagus. *h. e.* peditatus in pugna huc illuc discurrens. *Id.* 27. 18. Levis et concursator hostis, atque intervallo tutus, cum procul missilibus pugna eluditur: instabilis idem ad cominus conserendas manus.

CONCURSĀTŌRIUS, a, um, adject. ut *concursatoria pugna*, quæ scil. concursando fit. *Ammian.* 16. 9. 1. *V.* CONCURSATIO 2. et CONCURSATOR.

CONCURSĬO, ōnis, f. 3. concursus, cum res plures eodem tempore accidunt, vel simul in eumdem locum concurrunt; et occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 6. Corpusculorum (*atomorum*) concursio fortuita. *Id.* 1. *Fin.* 6. 17. Atomos per infinitum inane ita ferri, ut concursionibus inter se cohærescant. *Id. Topic.* 20. 76. Concursio rerum fortuitarum. *Id. Orat.* 44. 151. Crebra ista vocum concursio, quam ut vitiosam fugit Demosthenes. *Id.* 4. *Herenn.* 12. 18. Crebræ vocalium concursiones vastam et hiantem orationem reddunt. *Gell.* 14. 1. Stellarum concursiones. *Cf. Cic. Tim.* 10. ¶ 2. Speciatim est apud Rhetores figura verborum per adjectionem, qua verba in principio et fine repetuntur, et concurrunt: alio nomine complexio dicta; Græce συμπλοκή. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Concursio et impetus in eadem verba. Adde *Quintil.* 9. 1. 33.

CONCURSĪTO, as, are, n. 1. *frequent.* a concurro, idem quod concurso. *Venant. Vit. S. Rad.* 24. Quanto fervore excitata ad coquinam concursitabat!

CONCURSO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequentativum a concurro.* — Part. *Concursans* sub *A.* 1. — Concurso est simul huc illuc curro, discurro (It. *correre qua e là, scorrere*; Fr. *courir çà et là, de côté et d'autre*; Hisp. *correr a cà y allà*; Germ. *hierhin und dorthin laufen, umher-oder hin-und herrennen, gehen, reisen*; Angl. *to run to and fro, run up and down*). Usurpatur autem *A*) Neutrorum more absolute, et *B*) Cum Accusativo.

A) Neutrorum more absolute. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 2. 214. Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes Concursant. *Id.* 3. 393. Et quam, intervallis tantis tuditantia, possint Concursare, coïre et dissultare vicissim. *Cic.* 1. *Att.* 14. 5. Cum dies venisset —, concursabant barbatuli juvenes. Adde *eumd. Rosc. Am.* 20. 81. *Id.* 4. *Cat.* 8. 17. Concursare circum tabernas. *Id.* 2. *Nat. D.* 44. 115. Corpora huc et illuc casu et temere concursantia. *At Orellius pro* concursantia *legit* cursitantia. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Tum demum Titurius — trepidare et concursare. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 28. *Auct. B. Afr.* 82. ultro citroque. *Liv.* 4. 6. toto foro. *Id.* 9. 24. per viam. *Seneca* 7. *Benef.* 14. Aliquem concursantem et sollicitum et anxium videre. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (362). Aquaticæ aves concursantes. *Id.* 37. *ibid.* 9. 51. (134). Stella concursans. *Gesner.* pro *concursans* conjecit legendum *coruscans*; quod prætulit etiam *Sillig*, et quidem recte. — Occurrit etiam de magistratibus, qui provincias obeunt. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 29. Cum vero ætas summa esse jam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ semper prætores in itineribus consumere consueverunt, propterea quod tum putant obeundam esse maxime provinciam, cum etc. —; tum, inquam, cum concursant ceteri prætores, iste etc. — Et impersonaliter. *Cæs.* 5. *B. G.* 50. Cæsar — in iis administrandis rebus quam maxime concursari — jubet. ¶ 2. Speciatim in re militari. *Liv.* 5. 8. Ita ancipiti prœlio castra Romana oppugnabantur; concursantesque, cum huc atque illuc signa transferrent, etc. Et paullo aliter *Id.* 28. 2. Ceterum asperitas locorum et Celtiberis, quibus in prœlio concursare mos est, velocitatem inutilem faciebat. *V.* CONCURSATIO 2. et CONCURSATOR.

B) Cum Accusativo rei, quam circum concurrimus. *Cic. Mur.* 21. 44. Concursare omnes fere domos omnium. *Id.* 2. *Divinat.* 63. 129. Deos concursare omnium mortalium non modo lectos, verum etiam grabatos, et cum stertentes aliquos viderint, etc. *Id.* 7. *Verr.* 31. 80. Obire provinciam et concursare. *Id.* 7. *Fam.* 1. 5. Ut nostras villas obire, et mecum simul lecticula concursare posses.

CONCURSUS, us, m. 4. *Concursus, i*, secundæ declin. *Lucret.* 1. 384. Postremo duo de concursu corpora lata Si cito dissiliant etc. *Non est tamen in omnibus codicibus eadem lectio.* — Ceterum concursus est actus concurrendi (It. *concorso*; Fr. *concours, affluence*; Hisp. *concurso, concurrencia*; Germ. d. *Zusammenlauf, Zulauf*; Angl. *a concourse, meeting*); et occurrit *A*) De hominibus ceterisque animalibus; et *B*) De inanimis et abstractis.

A) De hominibus ceterisque animalibus. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Epid.* 2. 2. 27. Fit concursus per vias. *Cic.* 5. *Att.* 16. 3. Incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. *Id. Brut.* 84. 289. Fiunt concursus ex tota Græcia. *Id.* 1. *ad Brut.* 3. Tantæ multitudinis concursus est ad me factus. Adde *Nepot. Phoc.* 4. *Cæs.* 1. *B. C.* 53. Quibus litteris nunciisque Romam perlatis, magni domum concursus ad Afranium, magnæ gratulationes fiebant. *Id.* 1. *ibid.* 76. Fit celeriter concursus in prætorium. *Auct. B. Hisp.* 22. ab oppidanis. *Liv.* 2. 56. in forum a tota urbe. Rursus *Cic.* 1. *Cat.* 1. 1. Concursus bonorum. *Id. Dom.* 56. 142. municipiorum. *Vellej.* 2. 103. 4. civitatis. *Virg.* 9. *Æn.* 454. ingens concursus ad ipsa Corpora seminecesque

viros. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 78. clamor utrimque, Undique concursus. — *Facere concursum* dicitur, qui multitudinem circa se trahit. *Cic. Dejot.* 10. 28. Cum equitaret cum suis delectis equitibus, quos concursus facere solebat! *Liv.* 27. 7. Lælius cum agmine captivorum ingressus Urbem, magnum concursum hominum fecit. — Contra *concursum facere* apud *Auct. B. Hisp.* 23. est concursum parare ejusdemque participem esse. ¶ 2. Speciatim de turba, adeoque de cœtu seditioso. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 52. Quem concursum in oppido factum putatis? quem clamorem? *Id. Sull.* 5. 15. Ille ambitus judicium tollere ac disturbare – voluit – lapidatione atque concursu. *Seneca* 3. *Excerpt. controv.* 8. Non quotiens convenerunt in aliquem locum plures, cœtus et concursus est: sed quotiens convocati, quotiens parati quasi ad ducem suum concurrerunt. *Et ibid. in lemmate.* Accusatur pater quod cœtum concursumque fecerit. Adde *Paul.* 5. *Sentent.* 26. 1.; et *Dig.* 48. 6. 5. pr. ¶ 3. Item speciatim significat congressionem pugnantium, conflictum. *Nepos Thrasyb.* 1. Concursus prœlii. *Id. Cim.* 2. Barbarorum uno concursu maximam vim prostravit. Adde *eumd. Eumen.* 4., *Iphicr.* 1., *Chabr.* 4. et *Hann.* 11. *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. Adde *Liv.* 42. 59.; et *Tac.* 2. *Hist.* 24. — Figurate. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 22. 70. Concursum omnium philosophorum sustinere. ¶ 4. Denique speciatim apud JCtos *concursus* est, quando duo vel plures concurrunt, hoc est conveniunt super re aliqua, quæ ad ipsos in solidum pertinet dividenda; consensus. *Cels. Dig.* 32. 78. Totam hereditatem esse singulis datam, partes autem concursu fieri. *Ulp. ibid.* 39. 2. 15. § 18. Cum plures mittuntur in possessionem, æqualiter omnes quasi in totum missi, concursu partes habebunt. *Id. ibid.* 7. 2. 1. *extr.* Ususfructus per concursum divisus. Adde *Fragment. Vatic.* § 79.

B) De inanimis et abstractis. ¶ 1. De inanimis ponitur — *a*) Generatim pro conflictione, qua una res in alteram incurrit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Concursu quodam fortuito atomorum effectum esse cœlum et terram. Adde *Quintil.* 7. 2. 2. *Lucret.* 6. 172. Concursu eodem natus tonitrus. Adde *eumd.* 1. 680. et 6. 161. *Liv.* 29. 27. A meridie nebula occepit, ita ut vix concursus navium inter se vitarent. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Ut utræque naves ex concursu laborarent. Adde *Sueton. Ner.* 34. *Ovid.* 16. *Met.* 811. Concursus cœli. *h. e.* unde tonitrua fiunt. *Cels.* 1. 4. Concursus lunæ et solis. *h. e.* coitus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (75). Concursus quinque amnium in unum confluens. *Dig.* 39. 3. 2. § 7. Concursus aquarum. — *b*) Speciatim *concursus oris* est oris contractio, cum quis difficulter loquitur. *Quintil.* 11. 3. 56. *V.* CONCURRO I. *B.* 3. — *c*) Item speciatim ponitur de verbis et litteris. *Cic.* 3. *Orat.* 43. 171. Asper et hiulcus verborum concursus. Adde *eumd. Orat.* 44. 150. *Quintil.* 9. 4. 33. Concursus vocalium. ¶ 2. Denique speciatim jungitur et abstractis. *Cic.* 5. *Fam.* 13. 2. Quæ cogitatio vi tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata. *Id.* 7. *ibid.* 33. Maximarum quasi concursus occupationum. *Id.* 2. *Fin.* 34. 111. Tantus concursus honestissimorum studiorum, tantus virtutum comitatus. *Id. Partit. orat.* 30. 104. Ex rationis et firmamenti conflictione et quasi concursu quæstio exoritur.

CONCURVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et curvo) idem quod curvo. *Laberius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Non me flexibilem concurvasti, ut carperes.

CONCUSSĪBĬLIS, e, adject. qui concuti potest. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 25. Nonne concussibilis tuor fuit novæ voluntati, ut etc.

CONCUSSĬO, ōnis, f. 3. actus concutiendi (It. *scuotimento*; Fr. *secousse, agitation, ébranlement*; Hisp. *sacudida, sacudimiento*; Germ. d. *Zusammenschütteln*, d. *Erschütterung*; Angl. *a shaking*).

I.) Proprie de inanimis dicitur. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 20. Vasa sine concussione portare. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 25. *sub fin.* Illa vasta concussio, quæ duas suppressit urbes. *Plin.* 7. *Ep.* 9. Ut faces ignem assidua concussione custodiunt.

II.) Translate morali ratione dicitur a JCtis crimen, quo quis alterum illicite terret intentanda accusatione gravioris criminis, vel simulando jussa, aut minas magistratuum, ut ab eo pecuniam extorqueat periculi vitandi causa. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 13. *qui est* De concussione, 1. Si simulato præsidis jussu concussio intervenit. Adde *ibid.* 2. et *ibid.* 3. 6. 1. *in fin.*, et *Tertull. ad Scapul.* 4. et 5. Dicitur autem concussio, quia *terror* est *metus concutiens*, teste *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19.

CONCUSSOR, ōris, m. 3. qui concutit: sed occurrit translate tantum, et est qui alterum injuste terret pecuniæ extorquendæ causa. *V.* vocem præced. II. *Tertull. de Fuga* 12. Quid enim dicit ille concussor? da mihi pecuniam. Adde *ibid.* 13.

CONCUSSŪRA, æ, f. 1. concussio: sed occurrit translate tantum, et est terror illatus ad extorquendam pecuniam. *V.* CONCUSSIO II. *Tertull. ad Scapul.* 13. Omni petenti me dabo in causa eleemosynæ, non in concussuræ.

CONCUSSUS, a, um. *V.* CONCUTIO.

CONCUSSUS, us, m. 4. concussio. *Lucret.* 6. 289. Quo de concussu sequitur gravis imber. Adde *eumd. ibid.* 547. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 55. (193). Coquitur in calicibus, crebro concussu. *Sillig* vero ex Cod. Bamberg. aliisque optimæ notæ legit in calicibus crebro concussis. — Extra Ablat. casum exempla nondum vidimus: nisi velis admittere quod quidam afferunt ex *Ovid.* 6. *Met.* 695. et 15. *ibid.* 810., ubi pro *concussum* et *concussibus* plerique reponunt *concursum*, etc.

CONCUSTŌDĬO, is, ire, a. 4. simul custodio. In *epitaph.* Jucundi servi Liviæ Drusi Cæsaris uxoris, apud *Maff. Mus. Ver.* p. 170. n. 1., *Inscript.* apud *Orell.* 2456. VOS VESTROS NATOS CONCVSTODITE PARENTES. — Nonnulli legunt etiam apud *Plaut. Aulul.* 4. 9. 11.; sed ibi lectio incerta est.

CONCŪSUS. *V. Contusus* in voc. CONTUNDO.

CONCŬTĬO, cūtis, cussi, cussum, cŭtere, a. 3. (cum et quatio). Part. *Concutiens* I. 2. et II. 3.; *Concussus* in omnibus paragr. et in fin.; *Concutiendus* I. 2. et II. 4. — Concutio est commoveo, simul agito (It. *scuotere insieme, sbattere*; Fr. *agiter, secouer, ébranler*; Hisp. *agitar, sacudir, golpear*; Germ. *zusammenschütteln*, *zusammenschlagen*; Angl. *to shake, move violently, agitate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu raro admodum occurrit, et significat duas res simul collidere. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 28. Utrum cavæ manus concutiantur, an planæ et extensæ. Sic *Ovid.* 11. *Met.* 465. concussâ manu signum dare. *Tac. Germ.* 11. Concutere frameas. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpissime significat personam aut rem aliquam, non cum alia collidere, sed unam ipsam vehementer commovere atque agitare, et quidem materiali ratione. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. It eques, et plausu cava concutit ungula terram. *h. e.* ungula equorum. quod *Virg.* dixit 8. *Æn.* 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Vetus Poeta, et fortasse *Id. Ennius* apud *Ter. Eun.* 3. 5. 42. Qui (*deus*) templa cœli summa sonitu concutit. Adde *Lucret.* 6. 386. *Accius* apud *Non.* p. 503. 8. *Merc.* Sed quid tonitru turbida torvo concussa repente æquora sentimus sonere? *Lucret.* 5. 551. tonitru concussa repente Terra supra se quæ sunt concutit omnia motu. *Id.* 6. 358. Concutitur cœli domus undique totaque tellus. — Jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur: et quidem — *a*) Active. *Ovid.* 8. *Met.* 781. agros capitis sui motu concutere. *Propert.* 1. 7. 15. aliquem arcu concutere. *h. e.* percutere, ferire. *Ovid.* 11. *Met.* 509. arces concutit aries ballistave. *Id.* 1. *ibid.* 143., 7. *ibid.* 130. et 12. *ibid.* 468. arma concutere manu. *h. e.* micare armis ad eadem jacienda. *Lucret.* 6. 592. artus concutit frigus. Adde *eumd.* 5. 1075. *Lucan.* 6. 163. aures Cæsaris concutit fragor. *Ovid.* 1. *Met.* 179. cæsariem concutit Juppiter. *Id.* 2. *ibid.* 49. caput illustre terque quaterque concutiens. *Seneca Ep.* 15. corpus concutit gestatio. *Quintil.* 6. 3. 9. corpus totum vi sua concutit risus. *Virg.* 8. *Æn.* 3. equos acres. *h. e.* inter prœlia incitare: V. *Servium* ad h. l. *Id. Virg.* 6. *ibid.* 101. frena furenti. *Ovid.* 6. *Met.* 691. freta concutit Boreas. *h. e.* turbat. *Virg.* 5. *Æn.* 146. lora undantia immissis jugis. *Val. Flacc.* 6. 6. monstrum irrevocabile belli. *h. e.* hastam. *Curt.* 8. 2. 22. munimenta arietibus admotis. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 12. oraque singultu concutiente sonant. *Id.* 2. *Met.* 849. orbem nutu suo concutit Juppiter. *Stat.* 8. *Silv.* 1. 179. pectora planctu. *Seneca Herc. fur.* 331. sceptra. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (362). se concutientes corvi. *Lucret.* 2. 1100. serena cœli concutere sonitu. *Ovid.* 12. *Met.* 79. tela vibrantia. *h. e.* micare hasta, vel hastam jacere. *Id.* 13. *ibid.* 644. tempora. *Id.* 8. *ibid.* 605. undas. — Figurate. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 34. denique te ipsum Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim Natura aut etiam consuetudo mala. *h. e.* excute, expende; translatum a toga concussa vel excussa, ut decidant latentia. Cf. *Arrian. Epict.* 3. 14. 3. ἐνσείσθητι, ἵνα γνῷς τίς εἶ. — *b*) Passive. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (112). aera ictu stellarum cadentium concuti. *Juvenal.* 3. 100. aliquis concutitur cachinno. Cf. *Lucret.* 1. 918. et 2. 976. *Cels.* 3. 21. *a med.* corpus concutiendum est multa gestatione. *Lucret.* 3. 250. sanguis concutitur. *h. e.* agitatur. — *c*) Part. præter. pass. *Concussus*, a, um. *Dig.* 19. 2. 59. ædificium terræ motu concussum. *Virg.* 3. *G.* 151. æther mugitibus. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 59. carina. *Id.* 2. *Fast.* 846. coma. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 70. corpus vulnere. *Lucret.* 1. 919. corpora cachinno. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 50. raucaque concussæ signa dedere fores. *Id.* 7. *Met.* 200. freta. *Val. Flacc.* 6. 650. humus. *Virg.* 4. *G.* 81. ilex. *Lucret.* 2. 949. materies omnes concussa per artus. *Ovid.* 13. *Met.* 175. mœnia concussa dextrâ. *Propert.* 3. 13. 53. mons. *Dig.* 39. 2. 18. § 11. paries. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 6. (17). picturæ ne ruinis quidem templi concussæ. *Virg.* 1. *G.* 159. quercus. *Val. Flacc.* 1. 340. remo concusso tollere ratem. *Sil. It.* 8. 355. tellus agmine virorum concussa. *Liv.* 3. 10. terra ingenti concussa motu est. *Sueton. Ner.* 20. theatrum terræ motu concussum. *Lucret.* 5. 1236. urbes concussæ cadunt. — Et cum Accus. Græcorum more. *Lucan.* 2. 335. pectus concussa crebris verberibus. *V.* infra II. 3.

II.) Translate. ¶ 1. Ratione habita externarum virium, raro admodum in bonam partem occurrit pro excitare, concitare. *Virg.* 7. *Æn.* 338. Fecundum concute pectus. *V.* Interprett. ad h. l. *Petron. Satyr.* 124. Tu concute plebem, Curio. *h. e.* concita. *Juvenal.* 10. 327. Nec Sthenobœa minus, quam Cressa excanduit, et se Concussere ambæ. *h. e.* ad vindictam excitarunt. *Flor.* 3. 12. Non leviter se Numidia concussit. *h. e.* se ad bellandum concitavit. ¶ 2. Item ratione habita externarum virium, sæpius in malam partem occurrit, et est turbare, labefactare, de statu movere. *Cic.* 2. *Phil.* 42. 109. Is leges Cæsaris, et rempublicam concutere posset, evertit. Adde *Plin. Paneg.* 6. Rursus *Cic. Mil.* 28. 78. Hominum licentia concussa. *h. e.* metu turbata, concita. *Sed al. leg.* compressa. *Nepos Epam.* 6. Concutere opes Lacedæmoniorum. *Liv.* 33. 19. regnum. *Id.* 28. 44. Concusso jam et pæne fracto Hannibale. *Curt.* 4. 14. 20. Imperium Persarum magno motu concutere magis, quam affligere. Adde *Senec. Thyest.* 358. *Vellej.* 2. 78. Concutere provincias magnis momentis. *Id. ibid.* 79. Concussit eum graviter fortuna. *h. e.* multavit. *Id.* 2. 121. Hostium vires concussæ. *Tac.* 1. *Hist.* 16. Concutere orbem. *Id.* 3. *ibid.* 45. domum. *Id.* 14. *Ann.* 43. Concussum senatusconsultum. *h. e.* abrogatum. *Plin.* 10. *Ep.* 115. Civitates parte legis concutiuntur. *Quintil.* 9. *Declam.* 10. *extr.* Hoc divitias tuas concutit? *h. e.* absumit. *Aurel. Vict. Cæsar.* 13. Concussæ bello gentes. *Lucan.* 1. 182. Concussa fides. *h. e.* fides, Italice *il credito*, defecit. Alio sensu *Tac.* 5. *Hist.* 25. Concussa Transrhenanorum fides. *h. e.* quæ a constantia deflexit. ¶ 3. Ratione habita vis animi. — *a*) Universim ponitur pro quovis animi affectu turbari. *Seneca Tranquill.* 2. Quod desideras autem, magnum et summum est, Deoque vicinum, non concuti. Hanc stabilem animi sedem Græci εὐθυμίαν vocant, etc. — *b*) Speciatim sæpe tribuitur terrori, quo tremor et concussio inducitur. Hinc *terror* definitur *concutiens metus* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19. Cf. *Ovid. Heroid.* 2. 82. Quapropter *concutere* etiam absolute, est terrore afficere. — Active. *Sall. Cat.* 24. Quod factum primo populares conjurationis concusserat. *Virg.* 12. *Æn.* 594. Quæ (*fortuna*) totam luctu concussit funditus urbem. *Curt.* 8. 2. 24. Ingensque barbaros pavor – concusserat. *Id.* 4. 1. 20. Strepitus armorum, qui totam Asiam concusserat. *Vellej.* 2. 90. 3. Concutere aliquem terrore belli. *Val. Flacc.* 6. 470. mentes. *Quintil.* 4. 2. 37. omnia tumultu et vociferatione. — Passive, h. e. Part. præter. pass. *Virg.* 5. *Æn.* 700. casu concussus acerbo. *Id.* 4. *ibid.* 666. urbs concussa. *Id.* 11. *ibid.* 451. turbati animi concussaque vulgi pectora. *Tac.* 2. *Hist.* 99. *extr.* Concussa Cæcinæ mens. — Et addito Accus. *Virg.* 5.

Æn. 869. casuque animum concussus amici. Id. 12. ibid. 468. concussa metu mentem Juturna virago. Horat. 2. Sat. 3. 293. mater delira necabit. Quone malo mentem concussa? timore deorum. V. supra sub I. 2. c. in fin. ¶ 4. Hinc apud JCtos concutere dicuntur, qui alios timore injecto inducunt ad dandam sibi pecuniam. Paul. 5. Sentent. tit. 25. § 12. Aliquem terrere et concutere. Ulp. Dig. 1. 18. 6. § 3. Illicita ministeria ad concutiendos homines. Adde Cod. Theod. 9. 27. 6.; et V. CONCUSSIO, CONCUSSOR et CONCUSSURA. — Hinc Part. præter. pass.

Concussus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. Concussior apud Capell. 4. p. 96. Pallas aliquanto concussior. h. e. turbatior.

CONDĀLIUM, ii, n. 2. κονδύλιον, genus esse anuli, docet Paul. Diac. p. 38. 15. Müll.: estque a κόνδυλος, digiti articulus, mutato υ in α, κύλιξ calix. Quod vero fuerit servorum proprium, colligitur ex Plauto Trin., ubi servus, se ipsum alloquens, hæc dicit 4. 3. 7. Satin' in thermopolio Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem? — Fuit etiam Latina fabula Condalium inscripta (quæ jam intercidit), ex qua versum affert Varro 7. L. L. 77. Müll., quæ ita appellata fuit, quia in ea Plautus (seu quicumque alius auctor fuit: nam Plauti fuisse, Accius, seu Attius negat apud Gell. 3. 3.) Menandri fabulam, Δακτύλιον dictam, in Latinum verteret. Porro δακτύλιον anulum significat.

CONDĀTOR, ōris, m. 3. qui aliquid cum aliis dat seu confert. Gloss. Gr. Lat. Condator, συντελεστής.

CONDĔCENS, entis. V. CONDECET.

CONDĔCENTER, adverb. decenter. Gell. 16. 12. ut Mosell. et Aldus edidere. Alii rectius leg. condecenter.

CONDĔCENTĬA, æ, f. 1. idem ac decentia. Cic. 3. Orat. 52. 200. Sic verbis quidem ad aptam compositionem et condecentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur. Ita ediderunt Ald., Junt., Manut. et Grut.; sed Orellius leg. decentiam.

CONDĔCERNO, is, ere, a. 3. simul decerno. Occurrit tantum Part. Condecernens apud Cassiod. 2. Hist. Eccl. 12. a med. Condecernente simul et consignante maxime Alexandriæ civitatis episcopo.

CONDĔCET, cere, impers. 2. (cum et decet). Part. Condecens in fin. — Condecet est idem ac decet, et occurrit cum Accusativo personæ, aut cum Infinito. Plaut. Amph. 2. 2. 90. Capies quod te condecet. Id. Cas. 3. 5. 24. Quod haud Atticam condecet disciplinam. Id. Pœn. 1. 2. 92. Magis pudorem, quam aurum gerere condecet. Adde eumd. Pseud. 4. 1. 24., Aulul. 4. 1. 4. et Truc. 2. 1. 10.; et Turpilium apud Non. p. 277. 9. Merc. — Hinc Part. præs.

Condecens, entis, adjective quoque occurrit (unde Comp. Condecentior) pro decenti, convenienti. Ammian. 16. 10. Cujus originem loco condecenti monstrabo. Al. leg. competenti. Auson. Gratiar. act. 27. Cujus familiaris habitus condecentior, aut militaris succinctior?

CONDĔCLĪNO, as, are, a. 1. simul declino. Priscian. 17. p. 1065. Putsch. Genitivus declinatus a nominativo congrue huic condeclinat tam sequentes casus, quam numeros. h. e. declinat ceteros casus et numeros genitivo congruos.

CONDĔCŎRĀTUS, a, um. V. CONDECORO.

CONDĔCŌRĒ, adverb. idem ac decore, pulchre, apte. Gell. 14. 4. Condigne mehercule et condecore Chrysippus depinxit Justitiam.

CONDĔCŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et decoro). Part. Condecoratus. — Condecoro est idem ac decoro. Ennius apud Varron. 5. L. L. 50. Müll. Ova parire solet genu' pennis condecoratum, Non animas. Ter. Hecyr. prol. 37. Vobis datur potestas condecorandi ludos scænicos. Vetus epigr. apud Plin. 35. Hist. nat. 10. 37. (115). Dignis digna loca picturis condecoravit. Vitruv. 1. 1. 11. Schneid. Disciplina condecorata et abundans eruditionibus variis ac plurimis. Cod. Theod. 10. 22. 1. Condecorare aliquid auro argentove.

CONDĔCŪRĬĀLIS, is, m. 3. qui una cum alio fuit decurio. Fragm. Jur. civ. ante Justinian. edit. ab A. Majo p. 39. Decuriales quoque, qui ob id ipsum vacant, a tutelis condecurialis filii non vacare, si non habeant aliam excusationem. Inscript. in Bullett. Archeol. a. 1847. p. 119. ET CETERIS CONDECURIALIBUS SINGULIS HS.... DEDIT.

CONDĔCŪRĬO, ōnis, m. 3. qui simul cum alio decurio est. Inscript. apud Maff. Mus. Ver. 465. 1., quæ est apud Orell. 3733. CIVI ET CONDECVRIONI D. D. P. P.

CONDĒLECTOR, āris, ari, dep. 1. pari voluptate afficior. Est idem ac delector apud Vulgat. interpr. Paul. ep. ad Rom. 7. 22. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.

CONDĒLĬQUESCO, is, ere, n. 3. liquesco. Cato R. R. 23. Eam fiscellam quassato crebro, uti resina condeliquescat.

CONDEMNĀBĬLIS, e, adject. damnandus. Pallad. de insitione 11. Est nostræ studium non condemnabile Musæ.

CONDEMNĀTĬO, ōnis, f. 3. condemnandi actus. ¶ 1. Stricto sensu condemnatio opponitur absolutioni, et est judicis propria. Pseudo-Ascon. ad Cic. Divin. in Q. Cæcil. 7. 24. A absolutionis, C condemnationis littera. Ulp. Dig. 2. 10. 5. Condemnatio pecuniaria. Id. ibid. 42. 1. 59. Condemnationem facere. h. e. condemnare. Id. ibid. 4. 2. 14. pati. Adde Cajum 3. Instit. 180. ¶ 2. Latiori sensu condemnationem facere apud Gordian. Imp. Cod. 8. 14. 8. et tit. 27. est obtinere, ut adversarius condemnetur.

CONDEMNĀTOR, ōris, m. 3. qui condemnat. ¶ 1. Stricto sensu est judex, qui condemnat. Tertull. 2. advers. Marcion. 9. Delicti interdictor et condemnator. ¶ 2. Latiori sensu est accusator, qui reum peragit. Tac. 4. Ann. 66. Claudiæ condemnator.

CONDEMNĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CONDEMNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et damno). Part. Condemnatus et Condemnaturus et Condemnandus sub 1. b. — Condemno proprie est personæ aut rei damnum affero: et occurrit ¶ 1. Stricto sensu de judice, qui aliquem ex lege damnat, hoc est reum esse edicit; eique opponitur absolvere, ut apud Cic. 3. Verr. 9. 26. Qua (lege) vel cito absolvi, vel tarde condemnari licebat. Adde eumd. Cluent. 22. 60. et 61.; et Ascon. ad Cic. Mil. p. 53. 16. et p. 54. 19. Baiter. (It. condannare; Fr. condamner; Hisp. condenar; Germ. verdammen, verurtheilen, schuldig sprechen; Angl. to condemn). Usurpatur autem a) Absolute. Cic. Rosc. com. 9. 26. Pactionem, inquit, mecum fecerat. Idcirco videlicet, ne condemnaretur. — Quid erat causæ cur metueret, ne condemnaretur? Adde eumd. Cluent. 22. 59.; et Quintil. 5. 10. 99. Rursus Cic. Rosc. Am. 39. 113. Condemnari judicio turpissimo. Id. 2. Nat. D. 29. 73. Condemnare aliquem indictâ causâ. Id. Cluent. 22. 60. aliquos nullo præjudicio facto ex ipsa causa. Id. 7. Verr. 44. 114. aliquem de consilii, de comitum sententia. Sueton. Cal. 38. Super quadraginta reos ex diversis criminibus condemnavit. Paul. 5. Sentent. 26. Condemnare civem Romanum. — b) Addito Genitivo pœnæ vel criminis, cujus quis condemnatur. Cic. Cluent. 36. 98. et Sueton. Cæs. 9. Condemnare aliquem ambitus. Cic. 1. Orat. 54. 233. capitis. Sic Sueton. Domit. 11. Unum e familiaribus suis capitis condemnaturus. Rursus Cic. 4. Verr. 8. 22. Condemnare aliquem injuriarum. Id. ibid. 36. 99. majestatis. Id. Flacc. 18. 43. Condemnatus pecuniæ publicæ. Id. 6. Fam. 6. 11. Nefariorum scelerum condemnati. Id. 14. ibid. 14. sceleris. Id. Cæcin. 71. 91. sponsionis. Sall. Cat. 36. rerum capitalium. Serv. Sulpicius apud Gell. 4. 4. Condemnare aliquem quanti interfuit eam uxorem accipi aut dari. Gell. 11. 18. in fin. Quin dominus furti sit condemnandus. Alfen. Dig. 15. 3. 16. Condemnari amplioris pecuniæ. Et ibid. 3. 2. 6. § 5. mandati. — Titinius apud Non. p. 277. 5. Merc. Nunc ejus voti condemnatus, immolavit hostiam. h. e. obnoxius ad præstandum, quod voto promiserat, quia, quod optabat, obtinuit. Adde Turpilium apud eumd. p. 277. 10. Sic condemnare aliquem voti legitur in Inscript. in Bullett. Archeol. a. 1845. p. 79. — c) Addito cum præpos. de Ablativo criminis. Cic. 2. Phil. 23. 50. Condemnatus de alea. Sueton. Cæs. 41. de ambitu. Paul. Dig. 6. 1. 35. Debet etiam de fructibus possessor condemnari. — d) Addito Accusativo pœnæ, quâ quis condemnatur. Cajus 4. Instit. 52. Condemnare certam pecuniam. Id. 4. ibid. 48. aliquem ipsam rem, pecuniam. Dig. 42. 1. 27. usuras usurarum. — Et passive Cic. Quinct. 3. 13. Condemnari arbitrium pro socio. Cajus 2. Instit. 252. Quidquid hereditario nomine condemnatus fuisset. — e) Addito Accusativo pœnæ cum præpos. ad vel in. Sueton. Claud. 14. Condemnare aliquem ad bestias. Id. Cal. 27. ad metalla, aut ad bestias. Papinian. Dig. 26. 9. 5. Condemnatus ad pecuniam. Tib. 51. extr. in antliam. Cajus 4. Instit. 61. in reliquum. Dig. 21. 1. 31. § 5. in partem pretii. Ibid. 22. 1. 19. Condemnare possessorem in fructus perceptos. Papinian. ibid. 27. 3. 21. aliquem in solidum. Scævola ibid. 46. 1. 45. in certam quantitatem. — f) Addito Ablativo pœnæ. Cic. 2. Fam. 1. 1. Condemnabo eodem te crimine. Liv. 5. 12. Condemnare aliquem denis millibus æris. Sueton. Domit. 14. pœna capitali. Dig. 3. 2. 6. § 1. aliquem actionibus famosis. Ibid. 46. 1. 45. partis æstimatione. Ibid. 3. 2. 6. § 2. alieno nomine. Cajus ibid. 10. 1. 3. certa pecunia. Papinian. ibid. 27. 3. 21. pecunia minori. ut Torrentin. recte legit; alii enim leg. in pecunia minori. — g) Raro admodum sequente part. ut. Ulp. Dig. 42. 1. 4. Condemnatus, ut pecuniam solvat. — h) Addito etiam Dativo personæ, cui quis aliquam indemnitatem ex sententia judicis præstare debet: hinc condemnare aliquem alicui est condemnando obligare, ut aliquid alicui præstet. Cic. 4. Verr. 8. 22. Hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat. V. Klotz ad h. l. Scævola Dig. 20. 4. 21. Ob summam, qua ex tutela ei condemnatus erat. Adde ibid. 49. 8. 1. § 4. — Et addito Accusativo rei, quam quis præstare debet. Cajus 4. Instit. 46. Recuperatores illum libertum illi patrono HS X millia condemnanto. Cf. 4. ibid. 48. ¶ 2. Latiori sensu condemnare dicitur etiam accusator, qui reum peragit, atque obtinet, ut condemnetur. Plaut. Most. 5. 1. 40. Tanto apud judices hunc argenti condemnabo facilius. Cic. Rosc. com. 9. 25. Quem per arbitrum circumvenire non posses —, hunc per judicem condemnabis, cujus de ea re nullum est arbitrium? Id. Divin. in Q. Cæcil. 10. 30. Ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est. Adde eumd. 7. Verr. 69. 177., Cluent. 4. 9. et 42. 120. et Cæcin. 12. 35. Sueton. Tib. 8. Fannium Cæpionem — reum majestatis apud judices fecit et condemnavit. Adde eumd. Vitell. 2.; et Dig. 23. 3. 33., 26. 7. 2. et 48. 5. 2. V. DAMNO. ¶ 3. Extra rem forensem est improbare, arguere; et usurpatur — a) Cum Accusativo personæ. Cic. 1. Orat. 38. 172. Condemnare aliquem inertiæ et impudentiæ sententiâ suâ. Id. 14. Fam. 14. 2. generum suum sceleris. Cæs. 7. B. G. 19. Condemnari summæ iniquitatis. — b) Cum Accusativo rei, quæ improbatur. Cælius apud Cic. 8. Fam. 1. 1. Condemnare arrogantiæ officium alicujus. Cic. Prov. cons. 10. 25. Qui Gabinii litteras insigni quadam nota atque ignominia nova condemnastis. Id. Pis. 17. 39. Tuum factum condemnatum judicio amicorum. Sic Cæsar ad Cic. post Ep. 8. l. 10. ad Att. factum alicujus.

CONDENSĀTĬO, ōnis, f. 3. densatio. Cæl. Aurel. 3. Acut. 18. extr. Constrictio et condensatio.

CONDENSĀTUS, a, um. V. CONDENSO.

CONDENSEO, es, ere, a. 2. denseo. Lucret. 1. 392. Quod se condenseat aer. Al. leg. condenserat, ut sit præter. pro condensuerat.

CONDENSĬTAS, ātis, f. 3. densitas. Apul. de Mundo. Aeris condensitas. Al. leg. densitas.

CONDENSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Condensatus. — Condenso est densum facio. Varro 2. R. R. 3. 9. Oves se congregant ac condensant in locum unum. Colum. 7. R. R. 8. 4. Caseus ponderibus condensatur. Adde eumd. 2. ibid. 17. 6. Auct. B. Afr. 13. Condensare aciem. Dict. Cret. 2. 2. Condensatis utrimque frontibus.

CONDENSUS, a, um. adject. (cum et densus) spissus, densus (It. denso; Fr. épais, dense, dru, serré; Hisp. espeso, condensado, denso, cerrado; Germ. dicht zusammen, dicht; Angl. thick, crowded, close, dense). Usurpatur — a) Fere absolute. Lucret. 6. 465. Condensa atque arcta nubila. Id. 1. 55. Condensa contextaque corpora. Id. 1. 607. Condenso agmine. Id. 1. 576. et 2. 99. Condenso conciliatu. Id. 6. 102. corpore. Id. 5. 487. terra. Virg. 8. Æn. 497 littore puppes. Id. 2. ibid. 516. columbæ. h. e. Hecuba ejusque filiæ. Liv. 26. 5. a med. Irrumpere condensam aciem. Plin. 10. Hist. nat. 73. 94. (202). Insidunt pardi condensa arbore. Ita Harduin. ex MSS., alii vero condensa arborum. Sil. It. 14. 639. Condensos ruere. Id. 13. 600. Condensos hærere. Id. 1. 305. Condensa arma. Auct. B. Afr. 14. turmæ. Sisenna apud Non. p. 141. 27. Merc. Condensiores manipulatim resistere hostibus instituisset. Al. leg.

Cum densi in orbes manipulatim etc.; *al.* Cum densiores manipulatim etc., *quam lectionem prætulit* Mercerus. — *b*) Addito Ablativo. *Liv.* 25. 39. Vallis condensa arboribus. *Auct. B. Afr.* 50. Olivetum crebris arboribus condensum.

CONDENTĀLIS, e, adject. (cum *et* dens) conclavatus. *Gloss. Cyrill.* Συγγεγομφωμένος, condentalis.

CONDEPSO, is, ui, ere, a. 3. (cum *et* depso) commisceo, manibus subigo, mollio. *Cato R. R.* 40. Hæc bene una condepsito. Adde *ibid.* 76. *Non.* p. 39. 11. *Merc.* docet esse a Græco δέψω, seu δεψέω, subigo, mollio. *Pomponius* apud *Non.* p. 39. 13. Partem insipui, conclusi, condepsui. Adde *Titinium* apud *Non.* p. 245. 32. *Merc. V.* locum in **ARGUTOR**; ubi tamen pro *condepsis*, legendum est *compescis*.

CONDESCENDO, is, ere, n. 3. (cum *et* descendo) idem quod descendo.

I.) Proprie. *Ambros. De Isaac et anim.* 5. *ad med.* Videntes itaque eam filiæ Hierusalem Christo inhærentem et adhuc adscendentem cum eo (dignatur enim quærentibus frequenter occurrere et condescendere ut eos elevet) dicunt etc. Et figurate. *Id. ibid.* 8. *post init.* Etsi ipse potens in sermone sit et scientia, condescendat tamen ad eorum inscitiam, qui non intelligunt, et simplici et planiore atque usitato sermone utatur, ut possit intelligi.

II.) Translate ponitur pro obsecundare. *Cassiod.* 11. *Variar.* 16. Quibus dominorum nostrorum clementia voluit condescendere.

CONDĒSERTOR, ōris, m. 3. qui simul deserit. *Tertull. Carn. Chr.* 1. Condiscipulus et condesertor ejus Valentinus.

CONDIĀCŌNUS, i, m. 2. comes in diaconatu. *Augustin. Ep.* 149. *ed. Bened.* Occasione filii et condiaconi nostri Rufini, quæ prima occurrit. *Et ibid.* Condiaconus autem noster.

CONDIĀRIUM, ii, n. 2. locus, in quo aliquid reconditur. *Gloss. Isid.* Condiarium, ærarium. Et in *Not. Tir.* p. 68. Ærarium, condiarium.

CONDĪCIO, ōnis, f. 3. Ratione habita scriptionis, magna lis est, ait *Forcellinus*, utrum per *c*, an per *t* scribi oporteat. *Dausq.* *t* præfert (quo inclinare videtur etiam *Cellar.*) quia est propius origini, *perditio* a *perditus*, etc. *conditio* a *conditus*. Vetera monumenta apud *Manut.* plerumque *condicio* exhibent. At bona *Forcellini* pace *condicio* recte scribendum est, quia *condicio* originem ducit a *condicere* ideoque nihil commune habet cum voce *conditio* a *condio* aut a *condo*; ac præterea *condicio* exhibent non modo vetera monumenta apud *Manut.*, verum etiam *Inscript.* optimæ notæ apud *Orell.* 775., *Cod. palimps. Cic.* 1. *de republ.* 4. apud *A. Mai.*, et alter *Instit. Caji* apud *Goeschenium*, item *Inscript.* a *Viscont.* edit. in *Mus. Pio-Clem. T.* 6. p. 240. edit. Mediol. et *Marini Inscriz. Alb.* p. 138. *l.* 3. Expresse autem per *c* scribendam vocem statuit idem *Viscont. Mon. Gab.* p. 97. Adde *Arnob.*, qui hæc ait 4. 20. Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera condicionibus veniunt ante quæsitis? usu, farre, coemptione genialis lectuli sacramenta condicunt? *Ita recte edidit* Orellius, *alii perperam* conducunt. — Itaque condicio a *condicere*, est pactio certam legem in se continens, ut *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 52. definit; sive rectius est pactum vel mutuo consensu constitutum, vel ab eo qui superior est alteri denunciatum (It. *accordo, patto, condizione*; Fr. *condition, clause, pacte*; Hisp. *condicion, pacto, cláusula*; Germ. d. *Verabredung*, d. *Uebereinkunft*, d. *Bedingung*; Angl. *a lawe, rule, pact, condition*). ¶ 1. Stricto sensu et quidem generatim. *Plaut. Men.* 4. 3. 91. TRACH. Equas condiciones audes ferre? CH. Jamdudum fero, ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies. TRACH. Manedum, refero condicionem. *Ter. Heaut.* 2. 3. 84. Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his mittenda sunt. Harum duarum condicionum nunc utram malis vide. *Cic. Cæcin.* 14. 40. Videte, per deos immortales, quod jus nobis, quam condicionem vobismetipsis, quam denique civitati legem constituere velitis. *Id. Parad.* 5. 2. *ad fin.* Cupiditate peculii nullam condicionem recusant durissimæ servitutis. *Id. Rabir. Post.* 6. 15. Statuere condicionem duriorem alicui, quam ferre possit. *Id.* 4. *Phil.* 5. 11. Condicio pacis. Adde *Vellej.* 2. 48. 5. Et *Cæs.* 2. *B. G.* 15. Confirmare sese neque legatos missuros, neque ullam condicionem pacis accepturos. *Liv.* 27. 15. Condicio deditionis. *Quintil.* 4. 1. 26. Condicio controversiæ. — *a*) Jungitur nonnullis Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 5. *Verr.* 50. 118. et *Cluent.* 31. 91. æqua condicio. *Vellej.* 2. 25. æquis condicionibus bellum componere. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 40. æquitas condicionum. *Cic. Quinct.* 14. 46. æquissima condicio. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. 1. valde bona. *Id.* 2. *leg. Agr.* 7. 17. certa. *Id.* 13. *Fam.* 14. commodissima. *Id. Quinct.* 5. 20. difficilior. *Quintil.* 5. 6. 3. iniqua. *Cic.* 4. *Verr.* 59. 131. optima. *Id. Quinct.* 31. 97. tolerabilis. — *b*) Item jungitur plurimis Verbis. *Cic.* 6. *Fam.* 2. accedere ad condicionem. *Id.* 16. *ibid.* 12. et *Ter. Andr.* 1. 1. 52. accipere condicionem. *Balbus* apud *Cic.* 8. *Att.* 15. adducere aliquem ad aliquam condicionem. *Tac.* 4. *Hist.* 65. aspernari condiciones pacis. *cui ibid. opponitur* subire. *Cic. Quinct.* 5. 19. astringere aliquem suis condicionibus. *Id.* 4. *Cat.* 1. 1. dare condicionem alicujus rei. *Id.* 5. *Verr.* 24. 60. depecisci ad condicionem alicujus. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. descendere alterutram ad condicionem. *Liv.* 29. 12. dicere condiciones pacis. *dicere*, quemadmodum et *ferre condiciones*, est ejus, qui superior sit. *Vellej.* 2. 48. discutere condiciones pacis. *Plaut. Men.* 4. 2. 24. et *Rud.* 5. 3. 51. et 4. 3. 91.; *Cic.* 16. *Fam.* 12., 7. *Att.* 15. 1. et 7. *Phil.* 1. 2.; et *Liv.* 2. 13. ferre condicionem vel condiciones. *V.* paullo sup. dicere. *Cic.* 16. *Fam.* 12. fugere a condicionibus. *Auct. B. Alex.* 65. imponere condiciones. *Cic.* 1. *Verr.* 6. 16. manere in condicione atque pacto. Adde *eumd.* 7. *Att.* 55. *Id.* 2. *Fam.* 6. manet condicio. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. 1. omittere condicionem. *Id. Quinct.* 6. 27. perducere aliquem ad suas condiciones. *Vellej.* 2. 48. postulare condiciones pacis. *Cic. Quinct.* 8. 30. producere aliquem condicionibus. *Id. Cluent.* 46. 129. proponere condicionem alicui. *Vellej.* 2. 48. recipere condiciones. *Cic. Quinct.* 14. 46. repudiare condicionem. *Id. Cæl.* 6. 14. et *Cæs.* 1. *B. G.* 42. respuere. *Vellej.* 2. 48. rumpere condiciones pacis. *Cic.* 16. *Fam.* 12. stare nolle suis condicionibus. *Id.* 9. *Att.* 15. et *Orat.* 71. 235. uti alicujus condicione. *Id.* 5. *Verr.* 62. 148. venire ad alicujus condicionem. — *c*) Jungitur etiam sæpe Pronom. demonstr. *Cic.* 4. *Herenn.* 24. 34. et 1. *Tusc.* 39. 93. ea condicione. Sic *Liv.* 29. 12. In eas condiciones pax convenit. *Cic.* 2. *Divinat.* 44. 93., *Orat.* 71. 235. et 5. *Verr.* 6. 12.; et *Sall. Jug.* 79. *extr.* eadem condicione. *Cic.* 1. *Orat.* 22. 101. et 2. *ibid.* 7. 27. ista condicione. *Id. Rosc. com.* 13. 38. hac condicione. *Id.* 5. *Verr.* 29. 70.; et *Liv.* 2. 13. et 30. 16. *extr.* his condicionibus. Sic *Nepos Thrasyb.* 3. Inter eos pacem fecit his condicionibus etc. *Cic.* 2. *Verr.* 52. 137. et *Flacc.* 18. 43. ulla condicione. — *d*) Apud classicos Auctores nusquam occurrit *sub ea, hac, ista condicione*; ut firmissimis argumentis contra *Forcellini* sententiam probavit *Stürenb.* ad *Cic. Arch.* 10. 25., cujus verba *F.* in fine hujus paragr. sub *f.*: sed tamen *sub condicione* legitur apud *Liv.* 6. 10. et *Ovid.* 4. *Fast.* 320. Sic etiam *Phædr.* 4. 10. Matrem fecit heredem senex sub condicione, ut etc. Jungitur præterea et aliis præp. *Sall. Jug.* 61. *extr.* per condiciones. *Tac.* 3. *Hist.* 65. *extr.* per condicionem. *Fragm. juris antiq.* ab *A. Mai.* edita § 50. Ususfructus in mancipatione, vel in jure cessione an deduci possit, vel ex tempore, vel ad tempus, vel ex condicione, vel ad condicionem, dubium est. — *e*) Absolute occurrit aliquando Ablat. *Cic.* 6. *Fam.* 2. 2. condicione. Adde *Curt.* 4. 11. 13. *Sall. Jug.* 112.; et *Liv.* 23. 7. et 34. 23. *extr.* condicionibus. Sic *Vellej.* 2. 108. Finitimos omnes aut bello domuit, aut condicionibus juris sui fecit. — *f*) Sequente *ut* aut *ne*, quæ tamen particulæ non ab hoc nomine, sed ab aliquo Pronom. demonstr. pendent. *Cic.* 4. *Cat.* 1. 1. Dare alicui conditionem eam, ut etc. *Id.* 7. *Verr.* 22. 58., *Mur.* 27. 56., *Sext.* 16. 37. et 15. *Att.* 1. 1.; *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. 2.; *Liv.* 5. 32. et 24. 1.; *Phædr.* 4. 5. 8. et *Sueton. Galb.* 15. ea condicione, ut. *Cic. Rosc. com.* 13. 38. hac condicione, ut. *Cic. Arch.* 10. 25. Jussit ei præmium tribui, sed ea condicione, ne quid postea scriberet. *Sic legit* Stürenb., *ut superius diximus*; Forcellinus *vero cum veterr. editionibus* sub ea condicione. Adde *eumd. Fontej.* 16. 35. et *Sueton. Tib.* 26. — *g*) Sequente part. *si*, quæ pariter pendet a Pronom. demonstr. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 4. Libram ea condicione daret, si reciperes etc. Adde *Sueton. Cæs.* 68., *Claud.* 24. et *Vitell.* 6. ¶ 2. Item stricto sensu, sed speciatim pertinet ad rem nuptialem, et significat occasionem, quæ offertur nubendi, aut uxorem ducendi; unde *condicio uxoria* apud *Cic. Amic.* 10. 34.: usurpatur autem — *a*) In bonam partem. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 60. Condicionem accipere. *Id. Trin.* 1. 2. 129. Collocare aliquam in se dignam condicionem. *Ter. Phorm.* 4. 1. 13. Ferre condicionem alicui. *Cic.* 2. *Phil.* 38. 99. Quærere condicionem aliam. *Liv.* 3. 45. *extr.* Condicionem filiæ quærere. *Sueton. Galb.* 5. Amissa uxore Lepida remansit in cælibatu, neque sollicitari ulla condicione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem etc. Adde *Plaut. Aulul.* 3. 5. 2., *Stich.* 1. 2. 81. et *Truc.* 4. 3. 73.; *Nepot. Att.* 12.; *Senec.* 1. *Benef.* 9.; *Sueton. Cæs.* 27. et *Aug.* 63.; et *Plin.* 1. *Ep.* 10. et 14. — Hinc *Condicione tua non utor*, formula est dissolvendi sponsalia. *Cajus Dig.* 24. 2. 2. — Figurate *Martial.* 11. 53. Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me: Condicio est melior si tibi nulla, veni. — *b*) Obsceno sensu. *Ter. Andr.* 1. 1. 52. Accipere condicionem. *Cic. Cæl.* 15. 36. Habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco præparasti, quo omnis juventus natandi causa venit: hinc licet condiciones quotidie legas. *Sueton. Aug.* 69. Quærere condiciones. *Lamprid. Elagab.* 5. Emissarios habebat, qui ei bene vasatos perquirerent, et eorum condicionibus frui posset. *Id. ibid.* 8. Lavacrum publicum in ædibus aulicis fecit, ut ex eo condiciones bene vasatorum hominum colligeret. ¶ 3. Item stricto sensu ac speciatim condicio est optio, præcipue apud JCtos. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (20). Quam prætulerant, quorum condicio erat, Col. *Ulp. Dig.* 38. 5. 1. *circa med.* Deferre condicionem emptori, utrum malit etc. *Scævola ibid.* 31. 49. Facere condicionem alicui, utrum malit etc. ¶ 4. Latiori sensu sumitur pro qualitate, ratione, natura, indole, ingenio, statu. *Cic. Planc.* 4. 11. Est enim hæc condicio liberorum populorum, – posse suffragiis vel dare vel detrahere quod velis cuique. *Id. Rabir. Post.* 12. 35. Ista condicio est testium, ut quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus. *Id.* 15. *Att.* 1. Ea condicione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. *Id.* 5. *Fam.* 18. Ea videtur condicio impendere legum, judiciorum, temporum etc. *Id. Marcell.* 3. 8. Ea vicisti, quæ et naturam et condicionem, ut vinci possent, habebant. *Sueton. Aug.* 17. Pro cujusque condicione. — *a*) Jungitur pluribus Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 21. 57. agri condicio. *Quintil.* 10. 2. 23. causarum inter ipsas diversa. *Colum.* 12. *R. R.* 4. 4. conditura. *Quintil.* 7. 5. 2. disceptationis duplex. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 101. (158). frumenti. *Cic. Mil.* 34. 92. infimi generis hominum condicio atque fortuna. *Id.* 12. *Fam.* 23. imperii et status provinciæ condicio. *Id.* 2. *leg. Agr.* 7. 17. juris certa. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 16. loci. Adde *Quintil.* 12. 10. 2. *Id. Quintil.* 1. 5. 28. metri. *Cic.* 3. *Cat.* 1. 2. nascendi incerta. *Paul. Dig.* 48. 19. 48. personæ. *Quintil.* 3. 10. 2. personarum. *Colum.* 4. *R. R.* 12. 1. regionis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (187). ruris. *Cic.* 10. *Fam.* 7. serviendi. *Id.* 4. *Cat.* 8. 16. et *Cæl.* 23. 57. servitutis. *Id.* 1. *Off.* 13. 41. servorum condicio et fortuna. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 53. sortis. *Cic. Marcell.* 4. 12. victoriæ condicio et vis. *Id.* 3. *Off.* 21. 81., *Rabir. Post.* 7. 16. et 14. *Phil.* 12. 33. vitæ condicio. *Id. Cluent.* 55. 150. vitæ condiciones. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 65. vivendi condicio. — *b*) Item jungitur nonnullis Adjectivis, quorum hæc sunt præcipua. *Sueton. Cal.* 35. abjecta condicio. *Horat.* 1. *Od.* 1. 12. Attalicis. *Id.* 2. *Ep.* 1. 152. communis. *Id.* 1. *ibid.* 1. 51. dulcis. *Cic. Cluent.* 55. 150. duriores legum. *Id.* 1. *Tusc.* 8. 15. humana. *Id. Balb.* 9. 24. infima. Adde *eumd.* 1. *Off.* 13. 41. *Id. Cluent.* 34. 94. iniqua conditione causam dicere. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 8. 14. (91). Latinæ condicionis populi. *h. e.* jure Latii gaudentes. *Id.* 4. *ibid.* 10. 17. (36). liberæ condicionis civitas. *h. e.* libera. *Cic. Tim.* 11. 36. et 14. *Phil.* 12. 33. mortalis condicio (quæ *condicio mortis* dicitur a *Virg.* 12. *Æn.* 880.). *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 7. optimâ condicione prædia. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 6. similis condicio publicantium et nominatim dicantium. *Cic.* 4. *Cat.* 8. 16. tolerabilis. *V.* alia infra sub *c* verb. *esse*. — *c*) Denique jungitur et aliquot Verbis. *Cic.* 5. *Verr.* 6. 15. convellere et commutare condicionem amicitiæ. *Id.* 6. *Fam.* 1. esse afflictiore condicione, quam etc. *Id. Senect.* 19. 68. esse meliore condicione, quam etc. Sic *Id.* 3. *leg. Agr.*

2. 9. Immunis commodiore condicione sunt, quam illa quæ pensitant. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. longe alia condicione esse ac ceteri. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 52. excutere condicionem alicujus. *Cic. Prov. cons.* 7. 17. facere disparem condicionem in utrisque pari scelere. *Id.* 2. *Divinat.* 44. 93. et 5. *Fam.* 16. nasci aliqua condicione. *Id. Cæl.* 9. 22. providere condicioni civium. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. *extr.* recipere aliquos in parem juris libertatisque condicionem. *Cic. Rabir. Post.* 7. 16. sequi condicionem aliquam vitæ. — d) Hinc *condicio* interdum est idem ac ratio, via, modus, ut animadvertit *Forcellinus*; quamvis et hæc in superiora recidunt. *Lucret.* 2. 300. Et quæ consuerunt gigni, gignentur eadem Condicione. *h. e.* simili ratione, ut paullo ante dixerat. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Appetit animus aliquid agere semper; neque ulla condicione quietem sempiternam potest pati. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. *a med.* Perferri litteræ nulla condicione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiuntur tabellarii.

CONDICIONĀBILIS, e, adject. condicionalis. *Tertull. advers. Gnost.* 9. Condicionabilis persecutio.

CONDICIONĀLIS, e, adject. condicionem habens adjunctam. *Tertull. advers. Jud.* 13. *sub fin.* Condicionalis comminatio. *Cajus* 4. *Instit.* 119. Condicionalis condemnatio. *Ulp. Dig.* 34. 4. 9. Datio condicionalis. *Ibid.* 28. 8. 8. contractus. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 696. Condicionalia fata. *h. e.* quæ sub aliqua condicione eventura sunt. *Ulp. Dig.* 50. 16. 54. Condicionales creditores dicuntur, quibus nondum competit actio, est autem competitura: vel qui spem habent, ut competat. — *Condicionales servi*, et *condicionales* absolute, dicti sunt ministrorum quoddam genus, qui ea condicione erant, ut illi muneri essent addicti et mancipati, neque ab eo liberari, aut ad majora aspirare possent. Horum fit mentio apud *Imp. Constant. Cod.* 1. 10. 7. et *Imp. Leon. ibid.* 8. 18. 11. et in *Cod. Theod.* non semel. De his etiam intelligendum est illud *Tertull. Idolol.* 12. Opera et condicionalis eram. *h. e.* condicione servus.

CONDICIONĀLITER, adverb. sub condicione: cique pure vel *simpliciter* opponitur. *Cajus Dig.* 35. 1. 17. At si condicionaliter concepta sit causa, veluti hoc modo: Titio, si negotia mea curaverit, fundum do, etc. Adde *Paul. ibid.* 46. 3. 98. § 5. et *Dig.* alibi sæpe.

CONDĪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (cum et dico). Part. *Condictus* 1. et in fin. — Condicere ad litteram est simul dicere; ideoque est aliquid mutuo consensu constituere; sive est dicendo denunciare, ut *Paul. Diac. p.* 64. 16. *Müll.* exponit, sed dicitur de iis rebus, quas denunciamus alteri, prius mutuo consensu constitutas. ¶ 1. Generatim occurrit tantum de negotiis publicis aut privatis. *Vetus formula* apud *Liv.* 1. 32. QVARVM RERVM, LITIVM, CAVSARVM CONDIXIT PATER PATRATVS POP. ROM. QVIRITIVM PATRI PATRATO PRISCORVM LATINORVM etc. *condixit*, h. e. pactus est, constituit, convenit cum patre patrato Latinorum. Sed multæ sunt super hunc locum lites eruditorum. *Justin.* 3. 7. *sub fin.* Condicere inducias. *h. e.* mutuo consensu facere: qua in re cur *Justinum Scioppius* reprehendat, quasi minus Latina dicendi ratione usus sit, non se videre ait *Gronov. lib.* 1. *Observat. c.* 1. *Id. Justin.* 15. 2. *ad fin.* Per epistolas se invicem confirmantes, tempus et locum coeundi condicunt. Adde *Tac. Germ.* 11. *Gell.* 10. 24. *ad fin.* Condicere aliquid in diem tertium. *Pomponi. Dig.* 18. 1. 66. In vendendo fundo quædam, etiam si non condicantur, præstanda sunt; veluti ne fundus evincatur: quædam ita demum, si condicta sunt; veluti viam, iter, actum etc. *Phædr.* 4. 24. Simonides, Victoris laudem cuidam pyctæ ut scriberet, Certo condixit pretio. *h. e.* convenit. At alii, præcipue recentiores plerique omnes, leg. *conduxit*, quod *Forcellino* minus rectum videbatur. — Hinc Part. præter. pass. *Plaut. Curc.* 1. 1. 5. Dies status condictus. *Cincius* apud *Gell.* 16. 4. Status condictusve dies cum hoste. *Ammian.* 20. 1. Cum Scotorum excursus, rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vastaret. V. *Condictum, i*, in fine hujus voc. — Denique figurate *Plin. Hist. nat. præfat.* § 6. Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo. *h. e.* cum hanc operam scribendam sumerem, adeoque denunciarem, publicarem, ederem. — Quod vero *Scalig.* ad *Cir. Virg.* 187. adnotavit, *condicere* proprium esse proditorum, qui condicunt et constituunt iis, quibus arcem aut urbem proditurl sunt: velim idonea solidaque auctoritate confirmasset. V. *Gronov. loc. cit.* ¶ 2. Speciatim *condicere alicui cœnam*, et *ad cœnam*, vel *condicere* absolute, est denunciare alicui, se apud eum cœnaturum, ipso volente. Nam si recusaret, non *condicere* diceremus, sed *indicere* etc. *Plaut. Men.* 1. 2. 15. Ad cœnam aliquo condicam foras. *Id. Stich.* 3. 1. 28. Eo condicere in symbolam ad cœnam. *Id. ibid.* 3. 1. 38. Ad cœnam condicere. *Sueton. Tib.* 42. Seni cœnam ea lege condixit, ne etc. *Id. Claud.* 21. Subita condictaque cœnula. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 20. Nam cum mihi condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. ¶ 3. Item speciatim apud JCtos *condicere aliquid* (quam formulam minus recte interpretatus est *Paul. Diac. p.* 64. 16. et *p.* 66. 4. *Müll.*) est actione repetere, seu denunciare alicujus rei restitutionem. *V.* CONDICTIO 2. *Julian. Dig.* 39. 6. 13. Si alienam rem mortis causa donavero, eaque usucapta fuerit, verus dominus eam condicere non potest, sed ego, si convaluero. *Ulp. ibid.* 12. 1. 11. Condicere pecuniam alicui. *h. e.* ab aliquo repetere. Sic *Cajus* 2. *Instit.* 79. rem furibus. Et *Dig.* 13. 1. 8. § 1. rem ex causa furtiva. ¶ 4. Raro admodum et apud sequioris ævi scriptores, *condicere* occurrit in re philosophica pro convenire, consentire. *Tertull. Anim.* 8. Et ipsi philosophi ex contrariis universa constare condicunt. *Forcellinus* interpretatur est simul dicunt, quod eodem recidit. Adde *eumd. Tertull. advers. Gnost.* 14.; et *advers. Hermog.* 11. *sub fin.*, quo postremo in loco, etiam juxta *Forcellinum*, significat convenire, consentire, simul vivere. — Hinc a Part. præter. pass. *Condictus, a, um*, cujus exempla superius attulimus sub 1.,

Condictum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est *quod in communi est dictum*, inquit *Paul. Diac. p.* 39. 1. *Müll.*; sive idem est ac condictio. *Gell.* 20. 1. *sub fin.* Metius Suffetius pactum atque condictum cum rege populi Rom. perfide ruperat. *Apul. Florid. n.* 16. Interim dies ire, neque Philemon ad condictum venire. *ubi alii interpretantur* ad condictum diem venire.

CONDICTĪCIUS *vel* condictitius, a, um, adject. ad condictionem pertinens, ut *actio condicticia*, qua aliquid condicimus, et repetimus. quæ eadem est ac condictio. *Ulp. Dig.* 12. 2. 13. § 2. Atque ideo neque furti, neque condicticia tenetur.

CONDICTĬO, ōnis, f. 3. actus condicendi, sive, ut a *Paul. Diac. p.* 66. 4. *Müll.* definitur, in diem certum ejus rei, quæ agitur, denunciatio. Occurrit speciatim tantummodo, et ¶ 1. Fuit verbum augurale. Nam *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 117. docet, condictionem esse, cum denunciatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit. ¶ 2. Frequenter legitur apud JCtos, a quibus definitur: actio in personam, qua denunciatur alicui, ut rem ad nos pertinentem restituat. Est autem multiplex, ut videre est *Dig. lib.* 12. *tit.* 1. 4. 5. 6. 7. et *ibid.* 13. *tit.* 1. 2. 3., in quibus de variis condictionum generibus agitur. Hinc illæ loquendi rationes *condictione petere*, aut *repetere*, per *condictionem agere*, *condictione teneri*, etc. locis cit. Adde *Cajum* 4. *Instit.* 18. et seq. — Dicitur autem *condictio* ex vetere forensi more, quo, postquam actor reum coram prætore citaverat, condicebant mutuo consensu, et constituebant certum diem, quo causam in judicio disceptarent. Quare, licet aliquando illa constitutio et condictio locum in aliqua actione non habeat, usus tamen obtinuit, ut *condictio* nominetur. — Fortasse etiam *Cicero* hac voce est usus *Topic.* 31. 82. Ut si quæratur, a naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi condicione hominum, et pactione. *condicione* tamen habent libri omnes.

CONDICTUS, a, um. *V.* CONDICO.

CONDIDISIT. *V.* CONDO sub init.

CONDIGNĒ, adverb. multum digne, convenienter, merito, adeoque opportune; ut res postulat (It. *condegnamente*; Fr. *d'une manière tout à fait digne*; Hisp. *dignamente*; Germ. *nach gebührender Würde*; Angl. *worthily, suitably*). Occurrit — a) Absolute. *Plaut. Men.* 5. 5. 8. Condigne hæc meretrix fecit, ut mos est meretricius. *Id. Bacch.* 3. 2. 8. Condigne is quam technam de auro adversum meum fecit patrem! Adde *eumd. Pœn. a.* 2. *v.* 17. *Id. Aulul.* 3. 4. 6. Condigne perdere aliquem. *Gell.* 1. 6. Condigne et recte loqui. *Id.* 14. 4. Condigne et condecore depingere. — b) Cum Ablativo. *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 52. Post id cum lassus fueris et famelicus, noctu ut condigne te cubes, curabitur. *Id. Capt.* 1. 1. 39. Moribus alicujus condigne moratum esse.

CONDIGNUS, a, um, adject. multum dignus, conveniens (It. *degno*; Fr. *tout à fait digne*; Hisp. *digno, totalmente degno*; Germ. *entsprechend würdig*; Angl. *worthy, deserving*). Occurrit — a) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 3. 39. Ecastor condignum donum, qualis est qui donum dedit. *Collect. legg. Mos.* 15. 3. Condignæ pœnæ. — b) Cum Ablativo. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 25. Simia te condigna. Adde *Plin. Hist. nat. præfat.* § 11. *Gell.* 3. 7. Pulchrum facinus, Græcarumque facundiarum magniloquentia condignum. — c) Cum Dativo. *Cod. Theod.* 9. 28. 1. Condigna crimini ultio. Adde *Novell.* 35. 1.

CONDIMENTĀRĬUS, a, um, adject. ad condimenta pertinens. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (105). Cepæ condimentariæ. *Id.* 19. *ibid.* 8. 50. (165). Satureja dicta in condimentario genere. — Hinc

Condimentarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui condimenta conficit, aut vendit. Metaphorice *Tertull. Anim.* 23. Doleo Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.

CONDĪMENTUM, i, n. 2. quod ad aliquid condiendum aptum est, vel quo aliquid conditur (It. *condimento*; Fr. *assaisonnement, épices*; Hisp. *guiso, condimento*; Germ. *Würze, Gewürz*; Angl. *a seasoning, sauce, pickle*).

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 31. cum condiunt, Non condimentis condiunt, sed strigibus. Adde *eumd. Cas.* 2. 33. seqq. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 90. Socratem audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Adde *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 47. (160). *Colum.* 12. *R. R.* 51. 2. Arida condimenta. *Id.* 12. *ibid.* 8. 1. Condimenta viridia. *h. e.* olera recentia, quibus utimur in cibis condiendis.

II.) Translate sæpius sumitur, et ¶ 1. Ratione habita delectationis, condimentum dicitur quidquid eamdem auget. *Plaut. Pœn.* 5. 6. 33. Plausus est postremum condimentum fabulæ. Adde *eumd. Trin.* 2. 2. 91. *Cic.* 2. *Orat.* 67. 171. Facetiæ sunt condimenta omnium sermonum. *Id. Amic.* 18. 66. Accedat huc suavitas, oportet, sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Adde *eumd.* 2. *Off.* 33. 120. *Quintil.* 6. 3. 19. Condimentum quoddam simplex orationis. ¶ 2. Ratione habita doloris, significat lenimentum, mitigationem. *Plaut. Rud.* 2. 3. 71. Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. Severitas alicujus multis condimentis humanitatis mitigatur.

CONDĬO, dis, divi *vel* dii, ditum, dire, a. 4. Ratione habita etymi, ex veteribus alii a *con* et antiquo duo pro do derivabant: alii a Græco γανδυεῖ, unde γανδύσματα *condimenta*. Fides sit penes ipsos. Recentiorum vero alii putant *condire* esse ejusdem originis ac *condere* (V. *Caton. R. R.* 117. et *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108.; et cf. CONDO): alii contra, inter quos *Mazoch.*, conjungendam esse ajunt hanc vocem cum Hebraica חנט *aromate condio*. — Part. *Conditus* I. 1. 2. et in fin.; *Condiendus* I. 2. — Condire est servare, admixtis condimentis componere (It. *mettere in conserva, condire*; Fr. *confire, assaisonner pour conserver*; Hisp. *confitar*; Germ. *einmachen, würzen*; Angl. *to season, salt, pickle or powder meat*).

I.) Proprie. ¶ 1. Condiri dicuntur, quæ servandi causa admixtis condimentis componuntur: et occurrit fere de fructibus et herbis. *Cato R. R.* 117. Condire oleas albas. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 66., cujus verba *V.* infra sub 2. *Colum.* 12. *R. R.* 7. 5. Condire capparim, caulem, cunilam, cymam, digitellum, ferulam, pedem milvi, pulejum, rutam, saturejam. *Id. ibid.* rutam muria tantum sine aceto. *Id.* 12. *ibid.* 9. 3. lactucam. *Id. ibid.* 10. 2. corna, pruna, genera pirorum et malorum. *Id. ibid.* 48. 5. Cum condiverunt inulam. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 23. (119). Caules summi vitium condiuntur in aceto ac muria. — De mortuorum cadaveribus *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108. Condiunt Ægyptii mortuos, et eos domi servant. ¶ 2. Dicitur etiam de iis, quæ esui et potui inserviunt, et est aromata vel alia admiscere, ut sapida reddamus, saporemve iisdem addamus: et occurrit — a) Raro admodum absolute. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 31. Cum condiunt, non condimentis condiunt, sed strigibus. — b) Sæpius cum Accus. rei, quæ conditur. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 21. Condire cœnam. *Id. ibid.* 3. 2. 41. Meas qui esitabunt escas, quas condivero.

Cic. 7. *Fam.* 26. Fungos, helucias, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. *Id.* 5. *Tusc.* 34. 91. Epulas labore in venatu, sudore, cursu, fame, siti condire. *Varro* 1. *R. R.* 66. Oleas albas, quas condideris novas, nisi condieris, propter amaritudinem illas respuit palatum. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 69. Jus male conditum. *Colum. R. R. præfat.* § 5. Gulosius condire cibos. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (68). Condiendis aliis (*vinis*) pinguius gignit Marsilia. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 10. 16. (38). *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. Vinum conditum. *V. Conditum, i*, in fine hujus voc. — Et de aliis rebus. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 93. Unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis. *V.* infra *Conditus* sub I.

II.) Translate est mitigare, lenire, suavius ac dulcius aliquid reddere: et occurrit — a) Generatim. *Cic.* 12. *Att.* 40. 3. Hilaritas illa, qua hanc tristitiam temporum condiebamus. *Id. Cluent.* 26. 72. Qui ea vitia, quæ a natura habebat, etiam studio atque artificio quodam malitiæ condivisset. *Id. Senect.* 4. 10. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas. *Id. Mur.* 31. 66. Si illius comitatem et facilitatem tuæ gravitati severitatique asperseris, non ista quidem erunt meliora, sed certe condita jucundius. *Quintil.* 5. 14. 35. Aliquid natura asperum voluptatibus condire. *Id.* 6. 3. 96. Urbanitatem ambiguitate condire. — b) Speciatim de oratione. *Cic. Orat.* 55. 185. Duo sunt, quæ condiant orationem, verborum numerorumque jucunditas. *Quintil.* 12. 10. 38. Gratiam verborum condire. *V.* infra *Conditus* sub II. — Hinc part. præter. pass.

Condītus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Conditior* sub I. et II.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 7. Sapor vini conditus. *Cic. Senect.* 15. 56. Conditiora facit hæc supervacanei etiam operis aucupium atque venatio.

II.) Translate fere de oratione. *Lucilius* apud *Cic.* 13. *Att.* 52. 1. Nec id solum, sed bene cocto et condito sermone bono. *Cic.* 2. *Orat.* 56. 227. Nec apud populum gravior oratio, neque lepore et festivitate conditior. *Id. Brut.* 29. 100. Nisi id, quod dicitur, sit voce, vultu, motuque conditius. — Et de oratore ipso. *Cic. Brut.* 48. 177. Nemo urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior.

Condītum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, apud Græcos recentiores κονδῖτον, apud Italos *vino confettato*, est vinum aromatis conditum, et præcipue melle et pipere. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (108). Qualia (*vina*) nunc quoque fiunt, pipere et melle addito, quæ alii condita, alii piperata appellant. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 32. et 11. *ibid.* 19.; *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. a *med.* et 5. *ibid.* 1. *ad fin.*; et *Apic.* 1. 1. et 2. *Lamprid. Elagab.* 21. Condito piscinas et solia temperavit.

CONDISCIPLINA, æ, f. 1. disciplina, seu educatio plurium. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 88. Disciplina, condisciplina.

CONDISCĬPŬLA, æ, f. 1. *Martial.* 10. 35. Hac condiscipula, vel hac magistra Esses doctior, et pudica Sappho. *Apul.* 9. *Met.* Areteo meam condiscipulam memoras.

CONDISCĬPŬLĀTUS, us, m. 4. societas discipulorum sub uno magistro. *Nepos Att.* 5. Cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime. Adde *Justin.* 12. 6. 17. *Inscript.* apud *Henzen.* 7392. PRODILLIVS IN MODVM FRATERNAE ADFECTIONIS ET AB INEVNTE AETATE CONDISCIPVLATV ET OMNIB. BONIS ARTIBVS COPVLATISSIMVS AMICVS etc.

CONDISCĬPŬLUS, i, m. 2. qui simul cum aliquo discipulus est. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 41. Dicæarchum vero cum Aristoxeno æquali et condiscipulo suo, doctos sane homines omittamus. Adde *eumd.* 5. *Att.* 19. 3.; *Nepot. Att.* 1.; *Senec. Ep.* 66.; *Quintil.* 1. 2. 26.; *Sueton. Ner.* 22.; *Plin.* 1. *Ep.* 19. et *Inscript.* apud *Orell.* 4685.

CONDISCO, discis, didici, discere, a. 3. (cum et disco). Part. *Condiscens* II. — Condisco

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est una disco, condiscipulus sum. *Apul.* 3. *Florid.* n. 18. Quemdam ex his, qui mihi Athenis condidicere, percontari facio. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius est idem quod disco, assuesco: et occurrit — a) Cum Accusativo rei. *Horat.* 4. *Od.* 11. 34. Condisce modos, amanda Voce quos reddas. *Ovid. Heroid.* 4. 25. Ars fit, ubi a teneris crimen condiscitur annis. *Sil. It.* 7. 462. Condiscere pacem oculis. — In prosa oratione occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores. *Sueton. Ner.* 20. genera plausuum. Adde *Cod. Theod.* 1. 12. 2. — b) Sæpius cum Infinito. *Plaut. Curc.* 1. 3. 4. Merum condidicit bibere. *Id. ibid.* 4. 3. 2. Eapse iracundia, qua excidionem facere condidici oppidis. Adde *eumd. Pœn.* 3. 1. 11. et *Pseud.* 4. 1. 35. *Cic. Planc.* 5. 13. Condiscat, censeo, mihi paullo diligentius supplicare. *Horat.* 3. *Od.* 2. 3. Pauperiem pati puer condiscat. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 3. 19.; *Quintil.* 1. 9. 2.; et *Plin.* 7. *Ep.* 21. — c) Sequente Relativo. *Cic. Quinct.* 3. 12. Quare quod socium tibi cum velles adjungere, nihil erat, nisi ut in tua pecunia condisceret, qui pecuniæ fructus esset.

II.) Translate occurrit præcipue de plantis, quas alicui rei assuefacimus. *Colum.* 4. *R. R.* 15. 3. Ut flagellum paullatim condiscat suis radicibus ali. *Id.* 3. *ibid.* 10. 16. Paullatim fructum ferre condiscit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (24). Naturæ rudimentum liliis facere condiscentis. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 22. 35. (184).

CONDĪTĀNEUS, a, um, adject. Utrum sit a condo vel a condio, incertum est, ut docet *Non.* p. 94. 9. *Merc.* — Ceterum *conditaneus* est qui conditur. *Olea conditanea* apud *Varron.* 1. *R. R.* 24. 1. est quæ, usui apta cum sit, condi et condiri solet. Eadem a *Caton. R. R.* 6. *conditiva* appellatur.

CONDĪTĀRĬUS, a, um, adject. ad condiendum pertinens. *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 8. *post med.* Coquina conditaria. *h. e.* taberna, ubi cibi cocti et conditi prostant.

CONDĪTĒ, adverb. cum conditura. *Augustin. de morib. Manich.* c. 43. Multa (*poma*) – et corpore capiuntur salubrius et sapiunt in ore conditius.

CONDĪTĪCIUS vel condititius, a, um, adject. qui conditur, seu reponitur, conditaneus. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 2. *de columbis.* Duobus, aut tribus mensibus acceptant conditicia cibaria: ceteris seipsas pascunt seminibus agrestibus. At *Goes.*, *Pontedera* et *Schneider.* leg. *conditiva.*

CONDĪTĬO, ōnis, f. 3. (condere) actus condendi et occurrit

I.) Proprie de fructibus reponendis ac servandis. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 116. Nec fruges terræ baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones tradidisset. *Alii leg.* conditio, et *ad voc. sequent. referunt.*

II.) Translate est factio, opus. *Prudent. Hamartig.* 19. Simulacrum structile flatu Concaluisse Dei: Dominum quoque conditioni Impositum. *Tertull. Habit. mul.* 8. Dei conditio est et tus et merum et ignis, qui vescitur, et animalia etc. Adde *eumd.* de *Spectac.* 2., et alibi. — Ceterum alio sensu *V.* CONDICIO loco suo.

CONDĪTĬO, ōnis, f. 3. (condire) actus condiendi. ¶ 1. Dicitur de iis, quæ, servandi causa, admixtis condimentis componuntur. *Varro* 1. *R. R.* 61. Conditio amurcæ. — Huc a nonnullis refertur etiam locus *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 116., quem attulimus in voc. præced. sub I. ¶ 2. Item de iis, quæ condimentis sapidiora redduntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 58. 146. Quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint. *Varro* 5. *L. L.* 109. *Müll.* Jus, quod jucundum magis conditione succi. *Colum.* 12. *R. R.* 51. 1. Conditiones vini. *Arnob.* 2. 42. Glaciali conditione tuceta.

CONDĪTĪVUS, a, um, adject. idem quod conditicius: a condo. *Cato R. R.* 6. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Conditiva olea. *Varro* 1. *R. R.* 24. 1. eamdem *conditaneam vocat. Cato* ibid. 7. et *Varro* 1. *R. R.* 59. 1. Conditiva mala. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 9. Viridia pabula suibus plerumque nocent: itaque mane, priusquam procedant in pascua, conditivis cibis sustinendæ sunt. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 8. 2. et *Cf.* CONDITICIUS — Hinc

Conditivum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus, ubi aliquid conditur, ac reponitur. Pro sepulcro (quod alii *conditorium* appellant) accipitur a *Seneca Ep.* 60. Qui latitant et torpent, sic in domo sunt, tamquam in conditivo. Adde *eumd. ibid.* 82. *init.* et *Inscript.* apud *Orell.* 4511., quam *V.* in ACCUMBITORIUM. Sed in hac Inscriptione sepulcrali cum accumbitorium sit locus, in quo accumbitur ad mensam feralem, videtur, *conditivum longum P. VI., latum P. IIII.* fuisse locum, in quo vasa et cetera supellex cœnæ inserviens reponenda et conservanda erant.

CONDĬTOR, ōris, m. 3. (condere) qui aliquid condit, seu reponit servandi causa. ¶ 1. Stricto sensu *conditor* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 21. est nomen cujusdam dei, qui condendis servandisque fructibus præerat. *V.* CONVECTOR. ¶ 2. Latiori sensu sæpius usurpatur, et est qui facit, instituit, componit, creat, auctor. — a) Fere definitur additis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Claudian.* in *Carm. Pasch.* Christus redeuntis conditor ævi. *Ovid.* 6. *Fast.* 21. anni Romani conditor. *h. e.* scriptor fastorum. *Virg.* 8. *Æn.* 313. Evandrus Romanæ conditor arcis. Adde *Horat. A. P.* 394. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 10. argumenti sui. *Id.* 2. *Pont.* 11. 2. artis. *Curt.* 8. 5. 8. carminum. *Cic. post redit. in senat.* 6. 15. convivii conditores instructoresque. *Forcellinus* cum aliis leg. *conditores*, et ad voc. proxime seq. retulit. *Plin.* 10. *Ep.* 38. *ad Trajan.* disciplinæ militaris conditor firmatorque. *h. e.* qui restauravit insigniter militarem disciplinam pæne collapsam. *Liv.* 1. 42. omnis in civitate discriminis ordinisque conditor. *Ovid.* 2. *Trist.* 416. et *Ib.* 522.; *Vetus Epigr.* apud *Quintil.* 8. 3. 29.; et *Quintil.* 12. 11. 23. historiæ. *Plin. Paneg.* 1. et *Flor.* 1. 1. 1. imperii. *Sueton. Aug.* 98. insulæ conditor. *h. e.* κτιστής. *Liv.* 3. 58. juris Romani. Adde *Cod. Theod.* 2. 12. 1. et *Cod.* 7. 7. 1. *Plaut. Epid.* 3. 4. 85. legum atque jurium fictor, conditor cluet. Adde *Cod.* 1. 14. 12. § 1. *Liv.* 8. 34. libertatis. *Seneca Phœniss.* 655. mundi conditor Deus. *Cic. Cluent.* 26. 71. negotii totius conditor. *V.* voc. seq. *Vellej.* 2. 60. nominis Romani conditor et conservator Octavius. *h. e.* qui Rom. nomen pæne collapsum restituit. *Justin.* 2. 10. regni conditor Cyrus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (111). et 36. *ibid.* 15. 24. (106). rerum conditor. *h. e.* historiæ scriptor. *Liv.* 39. 17. sacri. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* maximus ille medicorum et hujus scientiæ conditor. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 1. et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 6. (11). sectæ conditor. *h. e.* auctor et princeps. *Cod. Theod.* 4. 4. 1. et 4. 4. 3. § 1. testamenti. *Liv.* 7. 1.; *Ovid.* 14. *Met.* 849.; et *Sueton. Aug.* 7. urbis. — NB. *Conditor factionis Russatæ* in *Inscript.* apud *Gruter.* 338. 4., *Prasinæ ibid.* 1089. 3., *Albatæ* apud *Heines.* cl. 5. n. 56. inter ministros Circenses numerantur. *Scalig.* ad *Catalect. Virg.* putat ita dictos eos, qui factionem ederent et missus suppeditarent, quod multis confirmat *Marin. Frat. Arv.* p. 215., quosque ex *Inscript.* apud *Gruter.* 338. 4. *factionum primos* appellatos fuisse conjicit. *Turneb.* l. 18. *Adversar.* c. 33. scribit esse eosdem, qui in *Gloss. Philox.* dicuntur ἀλεῖπται ἵππων, *h. e.* qui equos oleo ungebant et curabant. Sed quoniam factionibus sui quoque medici erant, ut apparet ex *Inscript.* apud *Gruter.* 339. 1., aliptas autem medicos intelligit *Salmas.* ad *Vopisc. Saturn.* 7. et 8., nempe eos, qui veneficiis et incantationum medicamentis aurigatores ad victoriam præparabant; ideo *conditores* hujusmodi fuisse idem putat. Alii, quia ἀλείφειν significat etiam cohortari, instigare, et ἀλείπτης est cohortator, excitator, censent, in *Glossa* significari eos, qui equos incitarent ad cursum. In alia *Inscript.* apud *Gruter.* 338. 5. habetur *Conditor gregis Russatæ*, h. e. qui equorum greges ad jugum adsuesceret et exerceret, ut quidem legit et interpretatur *Grævius.* Ceterum an de conditoribus Circensium *Glossa* allata loquatur, incertum est: et præterea pro ἵππων, ibi *Scalig. loc. cit.* legendum putat πίθων vel πιττῶν, ut intelligantur ii, qui cados pice illinebant, ut postea terræ infoderent ad vina condenda. — b) Absolute raro admodum occurrit, atque ita ut ex ipsius orationis contextu cujus rei quis conditor sit, facile innotescat. *Tibull.* 4. 1. 4. humilis tantis sim conditor actis. *h. e.* scriptor. — Sæpius de coloniæ vel urbis conditore. *Liv.* 5. 24. T. Sicinium – conditorem Vejos sequantur. *V.* integrum caput. Adde *eumd.* 7. 30.; et *Ovid.* 4. *Met.* 566. Rursus *Liv.* 5. 53. Conditor noster. Similiter de femina quoque dixit, ut *auctor*, *sponsor* etc. dicitur, *Tac. Germ.* 28. Ubii quamquam libentius Agrippinenses conditoris sui (*h. e.* Agrippinæ) nomine vocentur, etc. *V.* tamen loc. et Interpr. Sic *Frontin. de limit. agr.* p. 42. *Goes.* Relicta loca sunt, quæ sive locorum iniquitate, sive arbitrio conditoris relicta limites non acceperunt. — Ceterum cum addito Genit. *Inscript.* apud *Gruter.* 265. 5. CONDITOR COLONIAE. *Alia in Annal. dell'Istit. Archeol.* a. 1842. p. 132. IMP. CAESARI TRAJANO HADRIANO AVG. IOVI OLYMPIO CONDITORI COL. *h. e.* coloniæ.

CONDĬTOR, ōris, m. 3. qui cibos condit et instruit. *Cic. post red. in senat.* 6. 15. Hi voluptates omnes vestigant, hi sunt conditores instructoresque convivii. *At hunc Cicer. locum commode referri potest ad voc. præced.* CONDĬTOR. *Vet. epigr.* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 2. 50. Ciconiarum Rufus iste conditor. — Urbanum et lepidum est illud *Cic. Cluent.* 26. 71. Atque etiam ipse conditor totius negotii, Guttam aspergit huic Bulbo. *conditor* enim *negotii* est auctor et administrator, a *condo*: sed simul alluditur ad condientem cibos in nominibus *Gutta* et *Bulbo*. — De conditoribus factionum, h. e. ἀλείπταις ἵππων, *V.* in voce praeced.

CONDĬTŌRĬUM, ii, n. 2. locus, in quo aliquid servandum reponitur. ¶ 1. Generatim est locus in quo aliquid reponitur, ut *Conditorium muralium tormentorum*, idest repositorium machinarum, apud *Ammian.* 18. 9. 1. ¶ 2. Specialiter de mortuis ponitur, et — *a*) Sumitur pro loculo, seu arca, in qua cineres, aut cadavera in sepulcris conduntur. *Sueton. Aug.* 18. Per idem tempus conditorium et corpus Alexandri M. cum prolatum e penetrali subjecisset oculis, etc. Adde *eumd. Cal.* 52.; et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (19). — *b*) Item pro ipso sepulcro. *Petron. Satyr.* 112. Præclusis conditorii foribus. *Plin.* 6. *Ep.* 10. Ipsi nobis debemus etiam conditoria extruere. Adde *Inscript.* apud *Grut.* 1134. 6., quæ est apud *Orell.* 2473.

CONDĬTRIX, icis, f. 3. a verbo *condere*, est quæ condit. ¶ 1. Speciatim quæ in lecto reponit. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 11. Luna mortalium corporum et auctor et conditrix. ¶ 2. Item quæ alicujus rei auctrix est. *Marianus Lupercaliorum poeta* apud *Servium* et *Philargyr.* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 20. Quod conditricis nomine ab ipso omnes Romam vocant. *Apul. de Mag.* Paupertas prisca apud secula omnium civitatum conditrix. *Eumen. Paneg. pro restaur. Schol.* 9. *extr.* Conditrix Athenarum. Adde *Tertull. Spectac.* 7. et 1. *advers. Marcion.* 7.

CONDĬTUM, i. *V.* CONDO in fin.

CONDĬTUM, i. *V.* CONDIO in fin.

CONDĬTŪRA, æ, f. 1. a verbo *condere*. Conditura vitreorum (*subaudi vasorum*) apud *Petron. fragm. Tragur.* 31. *Burmann.* est ratio temperandi et conficiendi vitrea. Tiberium quoque Cæsarem hac voce usum, narrat *Isid.* 16. *Orig.* 15. *extr.*

CONDĬTŪRA, æ, f. 1. a verbo *condire*. ¶ 1. Conditura est actus, quo terræ fructus, servandi causa, condimentis componuntur. *Colum.* 12. *R. R.* 11. 2. Hac mella pro aqua mulsa utuntur nonnulli pro defruto in conditura olivarum. *Id.* 12. *ibid.* 48. 1. Conditura inulæ. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 49. 3. ¶ 2. Item conditura dicitur quidquid cibis saporem addit. *Seneca* 3. *Ira* 15. Liberos illi epulandos apposuit, subinde interrogans, an placeret conditura. *Colum.* 12. *R. R.* 19. 1. Conditurís adjuvare mustum. ¶ 3. Concreto, uti ajunt, sensu, est ipsum condimentum. *Dig.* 36. 6. 9. *pr.*

CONDĬTUS, a, um. *V.* CONDO.

CONDĪTUS, a, um. *V.* CONDIO.

CONDĬTUS, us, m. 4. a verbo *condere*. Occurrit tantum in Ablativo singulari et ¶ 1. Est condendi, idest fabricandi actus. *Apul. de Mag.* Veteranorum militum novo conditu splendidissima colonia sumus. *Censorin. de die Nat.* 4. *sub fin.* Qui in conditu Thebarum Cadmo fuerint adjumento. ¶ 2. Item actus reponendi atque abscondendi. *Auson. Profess.* 15. 16. Consilia nullus mente tam pura dedit, Aut altiore conditu texit data. h. e. diligentius memoriæ mandavit servavitque. *V.* voc. seq.

CONDĪTUS, us, m. 4. a verbo *condire*, est condiendi actus. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 4. Uvas, itemque olivas conditui legere licet. *Forcellinus* hunc *Colum.* locum ad voc. præcedentem retulit, hæc addens: Quidam volunt hoc loco esse *conditus* a condio: sed etiam a condo commode deducitur. Nam condere reponere est et servare.

CONDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. Part. *Condens* sub *D.* II. 2. *c.*; *Conditus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Condendus* sub *B.* I. 1. — *Condere*, a *cum* et *dare*, teste ipso *Paul. Diac.* p. 41. 6. *Müll.*, est simul dare, adeoque simul facere seu ad litteram colligere atque conficere (*V.* DO sub init.): hinc *condere* amplius patet quam *componere*, ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 1. 12. Condo et compono quæ mox depromere possim. scilic. condo, ne pereant; compono, ut suum locum obtineant. Ceterum *condere* fere speciatim usurpatur, et quatuor præcipue significat: est enim *A*) Colligare et componere, quamvis raro admodum; *B*) Plura colligendo abscondere et reponere servandi causa; *C*) Abscondere, occultare, aut etiam indere, immittere, ita tamen ut et abscondendi ratio subsit; *D*) Denique plura colligendo facere, ædificare, instituere.

A) Condere est colligare et componere, quamvis raro admodum occurrat, et fere de luxatis membris. *Cels.* 8. 22. Condere calcem. *Id.* 8. 23. Plantarum ossa iisdem modis, quibus in manibus, prodeunt, iisdemque conduntur. *Id.* 8. 20. *in fin.* Potest tamen conditus articulus medius aut summus canaliculo aliquo contineri.

B) Condere est etiam plura colligendo abscondere et reponere servandi causa: et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de iis omnibus, quæ reponuntur servandi causa; quo sensu verbo *condere* opponitur *promere*. — *a*) Absolute: præcipue de fructibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 156. Fructus condere et reponere. Adde *eumd. Brut.* 4. 16.; et *Varron.* 1. *R. R.* 62. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 157. Neque enim homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum et liberorum. Sic *Horat.* 2. *Ep.* 1. 140. Frumenta condita. Et *Auct. B. Afr.* 65. Condendi frumenti gratia. *Paul.* 2. *Sentent.* 8. § 2. Condere fruges. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Quæ agri efferant, condita mandare vetustati. Et sine Accus. *Colum.* 1. *R. R. proœm.* § 19. Condere largius. *h. e.* fructus abundantius reponere. — Similiter *Varro* 1. *R. R.* 13. Condere vinum. Sic *Martial.* 13. 111. Vina condita consule etc. *Tibull.* 1. 1. 142. Condere messem. *Id.* 1. 10. 49. succos uvæ. *Colum.* 1. *R. R. proœm.* § 20. vindemias. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (108). cibos. *Id. ibid.* (109). semina adrosa. *Sueton. Cæs.* 53. oleum. — Denique et de aliis rebus. *Cic. Cluent.* 26. 72. Qui illi pecuniæ, quam condiderat, spe jam atque animo incubaret. *Virg.* 3. *Ecl.* 43. pocula condita servare. — *b*) Addito termino, in quo aliquid servandum reponitur. *Cic.* 6. *Verr.* 63. 140. Litteras publicas in sanctiore ærario conditas habere. *Id.* 4. *ibid.* 2. 5. Aliquid domi suæ condere. Et figurate *Id. Mur.* 24. 49. Consulatus jam domi conditus. *h. e.* consulatus, quem assequi vel maxime confidebat, qui manibus tenebatur. *Horat.* 1. *Od.* 1. 9. proprio condidit horreo Quidquid de Lybicis verritur areis. *Id.* 1. *ibid.* 20. 3. Conditum testâ levi Sabinum. *Id. Epod.* 2. 15. Condere mella amphoris. *Ovid.* 8. *Met.* 666. corna in fæce. *Sueton. Aug.* 31. libros forulis. *Scribon. Compos.* 145. medicamentum vitro. *Dig.* 32. 52. § 3. libros in armariis, scriniis. — *c*) Addito termino, in quem aliquid servandum immittitur. *Plaut. Truc.* 3. 1. 9. Condere minas viginti in crumenam. *Id. Pseud.* 1. 3. 120. et *Truc.* 5. 1. 28. aurum intro. *Titinius* apud *Festum* p. 302. 11. *Müll.* et apud *Paul. Diac.* p. 303. 2. eo sucerdas. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 86. eo sortes. *h. e.* arca. *Varro* 1. *R. R.* 65. 1. mustum in dolium. *Sueton. Cal.* 15. cineres in urnas. *Id. Ner.* 12. barbam in pyxidem. *Id. ibid.* 28. legem in ærarium. ¶ 2. Speciatim ponitur de fructibus, quæ aromatis vel alia ratione condiuntur. *Cato R. R.* 117. Condere lenticulam in acetum. *Colum.* 12. *R. R.* 15. 2. ficus in orcas. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (48). fructum (*arboris*) in cados. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 666. ¶ 3. Item speciatim de hominibus, qui aliquo in loco custodiæ causa includuntur. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 120. Condere aliquem in pistrinum. *Cic.* 7. *Verr.* 29. 76.; *Liv.* 26. 16. et 29. 22.; et *Seneca* 1. *Benef.* 5. aliquem in carcerem. *Liv.* 23. 38. et 26. 34. in vincula. *Id.* 31. 23. et 45. 42.; et *Tac.* 4. *Hist.* 2. in custodiam. *Liv.* 27. 37. aliquem virum in arcam. — Hinc figurate *Ovid.* 1. *Fast.* 124. Ni teneant rigidæ condita bella seræ. ¶ 4. Item ponitur et pro sepelire. — *a*) Cum additis. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 56. Conditus in sepulcro. Adde *Virg.* 3. *Æn.* 67. et *Ovid.* 7. *Met.* 618. *Ovid.* 5. *Fast.* 451. et *Val. Flacc.* 5. 198. Condere aliquem tumulo. *Ovid.* 14. *Met.* 442. Æneia nutrix condita urnâ marmoreâ. *Virg.* 5. *Æn.* 48. Condere reliquias ossaque alicujus terrâ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 54. 55. (187). aliquem terrâ. *Id.* 36. *ibid.* 17. 27. (131). corpora defunctorum in lapide sarcophago. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 6. aliquem in humo. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108. Persæ mortuos cerâ circumlitos condunt. *Phædr.* 4. 4. O si maneret condito sensus patri. *Lucan.* 9. 151. inhumatos condere manes. — Et figurate *Seneca Ep.* 83. *ad fin.* Alexandrum – intemperantia bibendi et ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. — In sacris quid sit *fulgur condere* vel *fulmen condere*, quæ leguntur apud *Juvenal.* 6. 586., *Inscript.* apud *Orell.* 2482. et *Lucan.* 1. 607., *V.* in BIDENTAL et FULGUR. — Quod *Nonius* tradit p. 249. 32. *Merc. condere* dici pro consecrare, confirmatque illo *Virg.* 3. *Æn.* 67. *animamque sepulcro Condimus*; non satis probat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim condi dicuntur ea omnia, non tamen corporea et materialia, quæ aut iterum expromenda, aut etiam ab aliis secernenda reponuntur. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 30. Teneo omnia: in pectore condita sunt. *Cic.* 1. *Divinat.* 56. 128. Ut in seminibus vis inest earum rerum, quæ ex iis progignuntur, sic in causis conditæ sunt res futuræ. Et paulo aliter *Id.* 2. *ibid.* 54. 112. Quamobrem Sybillam quidem sepositam et conditam habeamus. *Catull.* 64. 238. Condere mandata corde memori. *Sil. It.* 13. 40. memori condita mente narrare. Cf. infra sub *C.* II. ¶ 2. Speciatim — *a*) De tempore, ponitur pro finire, explere, conficere, præcipue apud Poetas; quæ dicendi ratio originem habuisse videtur vel a *condendo lustro* (V. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 268., et vocem LUSTRUM in hoc Lexico); vel ab ipso siderum cursu, quo tempora definiuntur (V. *Virg.* 1. *G.* 458.). *Lucret.* 3. 1104. Condere secla vivendo. *Virg.* 1. *G.* 458. diem referre et condere. *Id.* 9. *Ecl.* 51. sæpe ego longos Cantando puerum memini me condere soles. *Horat.* 4. *Od.* 5. 29. diem condere collibus in suis. *Plin.* 9. *Ep.* 36. diem cito. Adde *eumd. Paneg.* 80. *Stat.* 10. *Theb.* 54. Condiderant jam vota diem. *h. e.* aliquis vota faciendo diem consumpserat. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 20. *ad fin.* Conversio cælestis hemisphærii, peractis horis duodecim, diem condit. *Sil. It.* 4. 482. Condere noctem. — *b*) Interdum et de aliis rebus, quæ finiuntur. *Propert.* 4. 4. 61. fora murmura condere. — *c*) Sic *nauta condit urbes* apud *Stat.*, est præterit, prætergreditur: Cf. ABSCONDO I. 4.

C) Condere est abscondere, occultare; aut etiam indere, immittere, ita tamen ut et abscondendi ratio subsit: qua significatione usurpatur

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim pro abscondere, occultare, occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 4. 434. in undis Sol fit ut videatur obire et condere lumen. Adde *eumd.* 5. 508. *Horat.* 2. *Od.* 16. 3. Lunam condunt nubes. *Id.* 1. *Ep.* 6. 25. Condere nitentia. *Virg.* 3. *Æn.* 237. scuta latentia. *Ovid.* 2. *Fast.* 786. vultus condit sol. Adde *Val. Flacc.* 7. 393. *Horat. Epod.* 7. 2. enses conditi. *h. e.* vaginâ inclusi. Sic *Phædr.* 5. 2. 8. Condere ferrum. *Quintil. proœm.* 15. gladium. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 44. *de morientibus*, alicui oculos. Similiter *Propert.* 4. 11. 64. Lumina condita. — Et condi Mediorum apud Græcos more ac significatione *Plin.* 8. *Hist. nat.* 59. 82. (223). Sorices et ipsos hieme condi auctor est Nigidius sicut glires. — *b*) Addita re, qua quis conditur — Per Ablat. sine præpos. *Propert.* 3. 16. 25. Condere se ferro et ære. *Virg.* 6. *Æn.* 211. Juppiter cælum condidit umbrâ. *Id.* 5. *ibid.* 243. Condere se porto. *Id.* 8. *ibid.* 66. fluvius lacu se condit. *Horat.* 1. *Od.* 10. 8. Condere aliquid jocoso furto. *Ovid.* 11. *Met.* 255. vultum æquore. *Id.* 3. *ibid.* 31. anguis conditus antro. *Seneca Herc. fur.* 243. Condere diem obductis pennis. *Id. ibid.* 1010. Condi Tonantis sinu. *Val. Flacc.* 7. 209. raptâ tellure. *Id.* 2. 320. se aquis. *Sil. It.* 6. 199. aliquid alvo. Huc referri potest et illud *Prudent. Psychom.* 105. gladium vaginæ. *Al. leg.* vagina, *sed* vaginæ *est in MSS.* Heinsio *teste.* — Per Ablat. et præpos. *Liv.* 27. 26. Condere turmas equitum medio in saltu. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (21). turmas equitum sub una ficu. *Curt.* 8. 1. 4. militem in silvis. *Virg.* 2. *Æn.* 401. nota conduntur in alvo. *Id.* 4. *G.* 473. aves condunt se in foliis. *Ovid.* 9. *Met.* 362. Condere aliquid sub cortice. *Dig.* 41. 1. 31. § 1. aliquid sub terra. — Per Accus. et præpos. *Lucret.* 5. 951. Condere membra inter frutices. *Virg.* 4. *Æn.* 177. et 10. *ibid.* 767. caput inter nubila. *Id.* 4. *G.* 473. in cunabula se condunt apes. *Id.* 1. *ibid.* 438. sol se condit in undas. *Id. ibid.* 422. sol conditus in nubem. *Propert.* 3. 17. 16. Arboris in frondes condita Myrrha novæ. *Ovid.* 2. *Met.* 274. Condere se in viscera terræ. *Seneca Consol. ad Marc.* 22. se in tenebras. *Sueton. Cal.* 51. se sub lectum. ¶ 2. Speciatim, præcipue apud Poetas, de telis et similibus dicitur, et est indere, immittere, ita tamen ut et abscondendi ratio subsit. — *a*) Per Ablat., etiam

cum præpos. *Virg.* 9. *Æn.* 347. Condere alicui ensem in pectore. *Id.* 12. *ibid.* 950. alicui ensem adverso sub pectore. *Ovid.* 13. *Met.* 459. telum jugulo vel pectore meo. Sic *Seneca Œdip.* 1037. Telum conditum jugulo. *Martial. Spectac.* 15. præcipiti venabula condidit urso. *Petron. Satyr.* 94. Suspendio vitam finire constitui, et jam cervices nodo condebam. — b) Per Accus. et præpos. *Ovid.* 13. *Met.* 392. Condere alicui ensem in pectus. *Id.* 13. *ibid.* 54. digitos in lumina. *Id.* 5. *ibid.* 423. sceptrum in gurgitis ima. *Id.* 12. *ibid.* 295. flammas in ora. *Stat.* 2. *Achill.* 439. discos in nubila. *Cels.* 7. 5. n. 2. Nihil tam facile in corpus, quam sagitta, conditur, eademque altissime insidit. — Et figurate *Ovid.* 1. *Met.* 726. stimulosque in pectora cæcos Condidit. *Al. leg.* in pectore.

II.) Translate dicitur de rebus non materialibus, et occurrit — a) Pro reponere. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 27. Tu vero, Metrodore, qui omne bonum in visceribus medullisque condideris etc. *Seneca Ep.* 7. *extr.* Condere aliquid in animum. *h. e.* memoriæ mandare. *Ovid. Heroid.* 20. 98. Et vocem memori condidit aure tuam. *h. e.* reposuit in animo. — b) Item generatim pro occultare. *Propert.* 2. 5. 24. Jurgia sub tacita condita lætitia. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Condere iram. *Sil. It.* 4. 609. letum alicujus sub gurgite. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 166. Oblivia condunt mentem. *h. e.* memoriam obscurant.

D) Denique condere est plura coacervando facere, ædificare, instituere: et usurpatur

I.) Proprie de ædificiis. — a) Generatim. *Liv.* 1. 7. et 28. 46. Condere aram. *Virg.* 2. *Ecl.* 61. arces. *Id.* 1. *Æn.* 276.; *Ovid.* 3. *Met.* 13. et 14. *ibid.* 775.; et *Justin.* 2. 12. 4. mœnia. *Horat. Epod.* 9. 26. sepulcrum. — b) Speciatim ac sæpius occurrit condere urbem, et fere ampliori significatione pro fundare. *Cic.* 3. *Cat.* 1. 2. Romulus, qui hanc urbem condidit. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 17. 30. et alibi sæpe; *Lucret.* 5. 1107.; *Sall. Cat.* 6.; *Liv.* 1. 19.; *Virg.* 1. *Æn.* 526., aliosque. — Sic etiam sæpe ad tempora significanda. *Liv. præfat.* § 6. Ante conditam condendamve urbem. *Ennius* apud *Varron.* 3. *R. R.* 1. 3. Condita est Roma. Adde *Cic.* 2. *de republ.* 10. 18. et *Sueton. Aug.* 7. *extr.* Similiter *ante Romam conditam*, et *post Romam conditam* sæpissime occurrunt, ut apud *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 3. Homerus fuit ante Romam conditam. — Sic *Varro* 5. *L. L.* 142. *Müll.* et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 8. Condere oppida. *Liv.* 1. 55. opus. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 92. Qui locus a forti Diomede conditus olim. (Negat *Bentlejus* hunc versum *Horatii* esse). *Vellej.* 1. 15. et *Justin.* 16. 3. 7. Condere colonias. *Justin.* 2. 74. civitatem. *Id.* 19. 1. 1. imperium. *V.* infra sub II. 1. in fin. *Justin.* 2. 1. 3. regna. — c) Sic *Virg.* 1. *Æn.* 33. Romanam condere gentem. Et *Justin.* 2. 6. 11. genus hominum. Huc pertinet, quod ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 303. optato conduntur Tibridis alveo, *Servius* adscribit: condi proprie dicuntur, qui sibi statuunt civitatem. *conduntur* ergo, sedem stabilem locant.

II.) Translate ponitur de rebus non materialibus, et ¶ 1. Generatim est instituere, constituere, parere. *Plaut. Rud.* 5. 3. 18. Juramentum rei servandæ, non perdendæ conditum est. *h. e.* comparatum, institutum. *Liv.* 5. 52. Condere novum collegium. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 37. (124). Nova secta condita. *h. e.* instituta. Et *Id.* 11. *ibid.* 37. 55. (150). Ita mos conditus etc. *h. e.* ita in more positum. *Virg.* 6. *Æn.* 793. aurea condet Sæcula qui rursus Latio. *h. e.* inducet, afferet. *Id.* 10. *ibid.* 34. cur nunc tua quisquam Vertere jussa potest, aut cur nova condere fata? Sic *Lucan.* 7. 131. Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum Conderet humanis. *Manil.* 1. 119. Et venit in terras fatorum conditus ordo. Adde *Val. Flacc.* 1. 531. Et *Stat.* 1. *Silv.* 2. 24. Ergo dies aderat Parcarum conditus albo Vellere. *Sil. It.* 16. 125. Sic sic, cælicolæ, portentaque vestra secundi Condite. *h. e.* constituite et firmate. *Phædr.* 3. *prol.* 53. Condere æternam famam ingenio suo. *h. e.* facere, comparare. *Sil. It.* 4. 37. dextra memorandum condere nomen. *Id.* 3. 71. factis sibi nomen. *Cajus* 1. *Instit.* 7. jura. *Flor.* 1. 3. 1. Condere militarem disciplinam omnem artemque bellandi. *h. e.* invenire, instituere. Sic *Justin.* 36. 2. 8. Prodigiorum sagacissimus erat, et somniorum primus intelligentiam condidit. — Et passive imperson. *Ulp. Dig.* 19. 5. 4. Natura rerum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula. *h. e.* constitutum est, comparatum est. Hinc condere etiam dicuntur, qui ita restituunt aliquid et restaurant, ut fecisse ipsi videri possint. *Flor.* 4. *extr.* Augustus imperium condidit. *V.* CONDITOR 2. ad fin. Etiam quod ex *eodem Flor.* nuper attulimus, huc a multis refertur. *Cic. Dom.* 36. 96. Rempublicam condere meo discessu, quam omnium interitu occidere malui. *Al. aliter leg.* Hæc *Forcellinus.* At *Flori* locum 4. 12. *extr.* commode referri potest ad superiorem paragr. *D.* I. b.: apud *Cic.* vero *Orellius* ex optimis Codic. pro *condere* legit *concidere.* ¶ 2. Speciatim est scribere, componere; et occurrit a) Cum Accus. operis. *Lex. XII. tab.* apud *Cic.* 4. *de republ.* 10. SI QVIS MALVM CARMEN OCCENTASSIT, SIVE CONDIDISIT etc. *Condidisit* sive *condidissit* antique est pro *condiderit*, sicut *occentassit* pro *occentaverit.* V. OCCENTO. Ita leg. *Scaliger.* At *Orell.* SI QVIS OCCENTAVISSET, sive carmen condidisset etc. Sic *Lucret.* 5. 2.; *Liv.* 27. 37. et 31. 12. *extr.*; *Horat.* 2. *Sat.* 1. 82.; et *Quintil.* 10. 1. 56. Condere carmen. Et *Virg.* 10. *Ecl.* 50. Chalcidico condita versu carmina. *Cic.* 1. *Att.* 16. 15. Condere Græcum poema. *Propert.* 2. 1. 14. Iliadas. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (162). Liber conditus de jaculatione equestri. *Id.* 5. *ibid.* 29. 31. (112). Condere prosam orationem Cadmus primus instituit. *Id.* 12. *ibid.* 4. 8. (18). Condere historiam. *Quintil.* 10. 1. 95. satyræ genus. — b) Cum Accus. rei, de qua in opere agitur. *Virg.* 6. *Ecl.* 7. Condere bella. *Ovid.* 2. *Trist.* 336. acta Cæsaris. *Id. Rem. am.* 465. jura. *Id.* 6. *Fast.* 24. festa numeris. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (43). aliquid annalibus. *Id.* 29. *ibid.* 1. 1. (1). Res conditæ Latio sermone. *Id.* 26. *ibid.* 2. 6. (10). Hippocrates primus medendi præcepta clarissime condidit. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (35). Condere laudes alicujus. *Quintil.* 3. 1. 19. aliqua in hac materia. *Stat.* 1. *Theb.* 8. prælia. — c) Absolute. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (88). Si, Homero condente, Ægyptus non erat. — Hinc Part. præter. pass.

Conditus, *a*, *um*, cujus exempla in omnibus fere paragr. superius attulimus, adjective quoque occurrit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 89. Liber aperit præcordia condita. *h. e.* arcana pectoris. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 53. (141). Oculi conditi. *h. e.* intus adducti.

Conditum, *i*, n. 2. et *Condita*, *ōrum*, plur. n. 2., absolute, substantivorum more, sunt locus, in quo conditur et servatur frumentum et aliæ species ad annonam pertinentes; item annona ipsa. *Spartian. Hadrian.* 11. Laborabat præterea, ut condita militaria diligenter agnosceret. *Capitolin. Gordian.* 28. Ut nulla esset civitas limitenea potior, quæ totius anni in aceto, frumento, et larido, atque hordeo, et paleis condita non haberet. *Symmach.* 10. *Ep.* 55. Patefacere angustias conditorum. *Eumen. Grat. act. ad Constantin.* 10. Fructus meritorum tuorum statim nos metere et in conditis referre jussisti. Adde *Paul. Dig.* 32. 95.; et *Cod. Theod.* 7. 4. 3. et 14. 4. 9.

CONDŎCĔFĂCĬO, facis, fēci, factum, facere, a. 3. (cum, doceo et facio). Part. *Condocefactus.* — Condocefacio est idem atque instruo, assuefacio; et occurrit — a) Cum Accusativo tantum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Belluas domitas et condocefactas. *Auct. B. Afr.* 71. Ut lanista tirones gladiatores condocefacere. *Id. ibid.* 27. elephantes. — b) Sequente partic. ut. *Cic.* 5. *Tusc.* 31. 87. Eumque condocefaciat, ut ea, quæ bona malave videantur, possit contemnere.

CONDŎCĔFACTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONDŎCEO, dŏces, dŏcui, doctum, dŏcere, a. 2. (cum et doceo). Part. *Condoctus.* — Condoceo est idem quod doceo, instruo. *Plaut. Pœn.* 3. 2. 3. MI. Fac modo, ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam. CO. Quin edepol condoctior sum, quam tragœdi, aut comici. Respicit *Plaut.* ad morem loquendi, quo histriones dicuntur *discere fabulam*, poetæ autem *docere.* Oportet enim histrionem probe suas partes didicisse, si vult bene agere. *Auct. B. Afr.* 19. Frenato equo uti condocuerat. — Part. præter. pass.

Condoctus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Condoctior.* V. supra.

CONDOCTOR, ōris, m. 3. qui simul cum alio docet. *Augustin.* 1. *Confess.* 9. *extr.* Si in aliqua quæstiuncula a condoctore suo victus esset.

CONDOCTUS, a, um. *V.* CONDOCEO.

CONDŎLĀTUS, a, um, particip. ab inusitato condolo, dolatus. Legitur a nonnullis 3. *Arnob.* 17., ubi alii rectius *conglobatus.*

CONDŎLEO, es, ŭi, ere, n. 2. (cum et doleo). Part. *Condolens.* — Condoleo (cujus tempus Præsens occurrit tantum apud *Tertull.* et *Hieronym.* locis infra citatis, optimi enim Scriptores Præterita usurparunt) est simul cum alio doleo, condolesco. *Plaut. Truc.* 2. 8. 2. Nunc mihi de vento miseræ condoluit caput. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Si pes condoluit, si dens, ferre — non possumus. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 2. 6.; *Horat.* 1. *Sat.* 1. 80. et *Tibull.* 1. 6. 36. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 41. Quorum alter ne condoluisse quidem unquam videtur. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 32. Ut tamen audisti percussum fulmine vatem, Admonitu matris condoluisse potes. *Tertull. Pœnit.* 10. Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere: condoleat universum necesse est. *Hieronym. Ep.* 112. n. 12. Animo condolentis cogitat.

CONDŎLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* condoleo, idem quod doleo simul, vel valde doleo; et occurrit — a) Absolute. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 38. Cum perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere, et concupiscere, et extimescere — dicerent. *Seneca* 3. *Ira* 10. Ulcera — ad suspicionem tactus condolescunt. — b) Cum Dativo tertiæ personæ pro συμπάσχειν. *Tertull. Anim.* 5. Animam compati corpori, cui læso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit.

CONDŎMO, as, ŭi, itum, are, a. 1. idem quod domo. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 98. Veteresque nugas condomare ac frangere.

CONDŌNĀTĬO, ōnis, f. 3. donatio. *Cic.* 2. *Verr.* 4. 12. Bonorum possessionumque contra omnium instituta adjectio et condonatio.

CONDŌNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONDŌNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et dono). Part. *Condonatus* sub *A.* 4. b.; *Condonandus* sub *A.* 4. a. — Condono est idem quod dono (It. *donare*; Fr. *donner*, *offrir en présent*; Hisp. *dar*, *donar*; Germ. *schenken*; Angl. *to give freely*, *grant*). Occurrit *A*) Cum Accusativo rei, et *B*) Cum Accusativo personæ.

A) Cum Accusativo rei. ¶ 1. Condonare est idem quod simpliciter donare; et occurrit — a) Cum Accus. rei tantum. *Plaut. Men.* 4. 2. 94. Ego illam (*pallam*) non condonavi, sed sic utendam dedi. — b) Sæpius addito Dativo personæ. *Plaut. Amph.* 1. 3. 32. Hanc pateram, Alcumena, tibi condono. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 67. Condonare apothecas hominibus nequissimis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 6. 15. omnia certis hominibus. *Id.* 5. *Phil.* 3. 6. Facultas agrorum latronibus suis condonandi. ¶ 2. Latiori sensu est aliquid lege, vel edicto, etc. alicui tradere, aliquid alicujus potentiæ permittere. *Cic.* 3. *Verr.* 41. 105. Condonare hereditatem alicui edicto. *Id. Dom.* 23. 60. Consuli totam Achajam, Thessaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam omnemque barbariam, bona civium Romanorum condonare. *Id.* 2. *leg. Agr.* 15. 39. Omnes gentes, nationes, provincias, regna alicujus ditioni, judicio, potestatique permittere et condonare. *Id.* 5. *Fam.* 13. *extr.* Potentiæ alicujus condonatus. — Figurate *condonare aliquem cruci* apud *Plaut. Rud.* 4. 4. 26. est cruci tradere. ¶ 3. Item est alicujus gratia, alicujus bono et commodo aliquid dare ac remittere, Fr. *sacrifier*, *dévouer*. *Cic.* 5. *Phil.* 18. 50. Condonare inimicitias reipublicæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. reipublicæ injuriam et suum dolorem alicujus voluntati ac precibus. *Sall. Jug.* 81. seque vitamque suam reipublicæ. — Huc referri possunt et illa *Cic. Cæl.* 32. 78. Ne patiamini illum absolutum muliebri gratia, M. Cælium libidini muliebri condonatum. Et *ejusd. Scaur.* 22. 45. Ut M. Æmilius — vanissimæ genti ac prope dicam pellitis gentibus condonetur. ¶ 4. Sæpius occurrit de pœnæ aut debiti remissione. — a) Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 22. 78. Qui pecunias creditas debitoribus condonandas putant. *Et mox.* Aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ. *Id. Mil.* 2. 6. Nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis condonetis. *Sall. Jug.* 27. Condonare Jugurthæ scelus. *Id. Cat.* 52. malefacta libidini alicujus. — b) Cum addito Dativo personæ, cujus gratiâ pœna aut debitum alteri remittitur. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. 2. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi et condono. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Alicujus præterita condonare fratri. — Præcipue de personis dicitur, quibus alterius gratia pœna aut debitum remittitur. *Cic. Cluent.* 39. 109. Qui illud etiam ipsum acerbe tulerit —, non sibi ac defensioni suæ condonatum esse Oppianicum. *Id. Planc.* 31. 75. Datus est tibi ille, condonatus ille.

Adde eumd. Ligar. 12. 36. et 13. Fam. 73. 2.; Liv. 3. 12. et 3. 53.; et Dig. 32. 68. § 1. Cæs. 1. B. G. 21. Dumnorigem Divitiaco fratri condonare se, dicit. h. e. ignoscere Dumnorigi propter fratrem. Aurel. Vict. Vir. illustr. 4. Patriis lacrimis condonatus. V. et sequentia sub B.

B) Cum Accusativo personæ, addito interdum etiam Accusativo rei, ἀρχαϊκῶς pro pœnam aut debitum alicui remittere, usurparunt Plaut. Bacch. 5. 2. 24. Si quam (malam rem) debes, te condono: tibi habe: numquam abs te petam. Cf. eumd. Pers. 5. 2. 36. Ter. Phorm. 5. 7. 54. Argentum, quod habes, condonamus te. Donatus ita distinguit integrum locum: Quid vis tibi? argentum quod habes? condonamus te. Eodem modo una cum Servio legit illud Virg. 1. Æn. 576. Vultis et his mecum pariter considere regnis? Urbem, quam statuo, vestra est. Porro illud te vult esse Ablativum: tametsi hoc loco ejus verba corrupta videntur. Afranius apud Non. p. 479. 29. Merc. Id aurum me condonat litteris. τὸ id aurum Accusat. esse a condono pendentem, negat Voss. l. 7. de Grammat. c. 21., quod dictum sit pro quod ad id aurum attinet: affirmant alii. — Passive impersonaliter. Ter. Eun. prol. 17. Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur. Quæ proferentur post etc. Hic quoque alii ita distinguendum putant: habeo alia multa, quæ: nunc condonabitur: ut sit quædam interruptio sermonis suspensioque; atque illud quæ criminose quidem dicatur; sed subito taceantur crimina, quæ dicturus videbatur.

CONDORMIO, is, ivi, itum, ire, n. 4. (cum et dormio) idem quod dormio, vel simul dormio. Plaut. Most. 2. 2. 55. Abimus omnes cubitum, condormivimus. Sueton. Aug. 78. Deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat. Adde Capitolin. Ver. 4. sub fin.; et Hygin. fab. 125.

CONDORMISCO, is, ere, n. 3. inchoativ. a condormio, idem quod dormio. Plaut. Curc. 2. 3. 81. Propino magnum poculum: ille ebibit: caput deponit, condormiscit: ei subduco anulum. Est qui legit cum dormiscit. Id. Rud. 2. 7. 13. Hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci. SCEP. Istic, ubi vis, condormisce. Adde eumd. Mil. glor. 3. 2. 13.

CONDRILLA, æ, et condrylle, es, et condrille, es, f. 1. et condrillon, i, n. 2. (tot enim modis legitur apud Plin. 21. Hist. nat. 15. 52. (89)., 21. ibid. 17. 65. (105). et 22. ibid. 22. 45. (91).) χονδρίλλη, intybi agrestis genus, amaro gustu, et acris in radice succi. — Quod ad scriptionem attinet, per ch rectius effertur. — Ceterum cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 136. hanc exhibet synonymiam: Χονδρίλλη καὶ κιχώριον καὶ σέρις Theophr.? Hist. plant. 7. 9. et 11. et Dioscor. 2. 161.; Κόλλα Græcor. recent. (Lemnos); et Condrillon sive Condrille Plin. locc. citt. sunt Chondrilla juncea L. Spec. plant. 1120. Idem Fée ibid. p. 135. Sibthorpii sententiam rejicit, qui putat Plinii condrillon vel condrilen esse Chondrillam ramosissimam, quam Sibthorpius ipse omnium primus apud Athenas invenit.

CONDUCENTER, adverb. V. CONDECENTER.

CONDUCIBILIS, e, adject. Comp. Conducibilior. — Conducibilis est qui conducit, h. e. prodest, utilis. Plaut. Epid. 2. 2. 75. Consilium ad eam rem conducibile. Id. Bacch. 1. 1. 18. Istuc facinus mihi conducibile esse arbitror. Adde eumd. Epid. 3. 2. 11.; Trin. 1. 1. 3. et 14., et Cist. 1. 1. 80. Cic. 2. Herenn. 14. 21. Utrum venustius, facilius, conducibilius, etc. Adde Sidon. 6. Ep. 1.

CONDUCO, cis, xi, ctum, cere, 3. (cum et duco). Conducier pro conduci habetur apud Plaut. Merc. 3. 4. 78. — Part. Conducens sub A. II. 3.; Conductus sub A. in omnibus fere paragr. et in fin.; Conducendus sub A. II. 2. b. — Conducere usurpatur A) Active, et B) Neutrorum more.

A) Active conducere est idem quod ducere, vel simul ducere, congregare, cogere (It. condurre, menare insieme; Fr. mener ensemble, rassembler, réunir; Hisp. llevar ó conducir juntos; Germ. zusammenführen; Angl. to bring or lead together, conduct, assemble, collect).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu conducere est plures personas unum in locum congregare; et de hominibus potius usurpatur, bruta enim cogi dicuntur. — a) Absolute. Cæs. 6. B. G. 31. Conducere copias suas. h. e. colligere. Tac. 1. Hist. 71. dispersas suorum copias. — b) Sæpius addito termino, ad quem aut a quo plures conducuntur. Sisenna apud Non. p. 514. 7. Merc. Prætor festinatim de castellis ad castra maxuma milites conduxit. Cic. 2. Invent. 1. 3. Crotoniatæ virgines unum in locum conduxerunt. Cæs. 1. B. G. 4. Conducere omnes clientes obæratosque eodem. Id. 2. ibid. 2. exercitum in unum locum. Id. 3. B. C. 13. extr. eo copias omnes auxiliaque. Varro apud Non. p. 274. 20. Merc. populum in forum. Sall. Jug. 55. milites in unum. Tac. 4. Hist. 47. exercitus in unum. Id. ibid. 2. cohortes dispersas in una castra. Id. 15. Ann. 26. Auxilia regum in unum conducta. ¶ 2. Latiori sensu ponitur etiam de inanimis, quæ unum in locum colliguntur vel comportantur. — a) Absolute. Lucret. 1. 650. Conductæ partes aut disjectæ. Cic. 8. Phil. 6. 17. Res geritur: conductæ sunt vineæ: pugnatur acerrime. Varro apud Non. p. 105. 33. et p. 451. 3. Merc. Conducere navem per viam loro. Ovid. 1. Met. 572. Peneus ab imo Effusus Pindo tenues agitantia fumos Nubila conducit. h. e. vapores collectos emittit. Id. 4. ibid. 375. Conducere cortice ramos. h. e. conjungere. Val. Flacc. 1. 479. fissaque fluctu Vel pice, vel molli conducere vulnera cera. h. e. conjungere, adeoque claudere, obducere. Colum. 7. R. R. 8. 1. Lac potest et agrestis carduï flore conduci. h. e. coagulari. Plin. 11. Hist. nat. 37. 88. (218). Ubi sunt nervi, interiores conducunt membra, superiores revocant. h. e. ducunt, trahunt. Cœl. Aurel. 2. Tard. 1. n. 8. Musculus conducitur, aut laxatur. h. e. contrahitur. Id. 3. ibid. 3. Cutis conducta. h. e. contracta. Sic Id. 5. ibid. 1. Contractus et conductus. Id. 3. Acut. 6. a med. His (opisthotonicis) crura conducuntur, et neque manus distenduntur. Id. 2. ibid. 3. Vultus conductus atque concurrentibus superciliis caperatus. Pallad. 1. R. R. 16. Cisternas construere, quibus omnium conduci possit aqua tectorum. — b) Addito termino, ad quem aliqua conducuntur. Lucret. 3. 532. Quod si forte putas, ipsam se posse per artus Introrsum trahere et partes conducere in unum, etc. Adde eumd. 1. 393., 4. 432. et 6. 968. Vitruv. 8. 1. 6. Schneid. Plures puteos fodere et per specus in unum conducere. Dig. 43. 21. 3. § 3. Conducere aquam in unum lacum. Solin. 32. a med. Cœno plagam oblinit, usque dum conducatur in cicatricem. ¶ 3. Figurate ponitur etiam de abstractis. Cic. 1. Invent. 40. 73. Ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem. Adde Quintil. 5. 14. 9. Arnob. 4. 27. Omnia probra, quæ in deorum maledicta conducitis. h. e. congeritis. Solin. 22. (al. 35.). Brumalis solstitio dies adeo conductus, ut ortus junctus sit occasui. h. e. brevis. — Huc referri potest etiam illud Gell. 4. 17. Hæc, quæ diximus, eo etiam conducunt, ut sciamus etc.

II.) Improprie. ¶ 1. Generatim conduci aliqua re est adduci, induci ad aliquid faciendum. Cato apud Gell. 1. 15. Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur. Plaut. Cas. 2. 8. 70. Tribus conduci non possim libertatibus, quin ego illis hodie comparem magnum malum. Cf. eumd. Asin. 5. 2. 36. Lucilius apud Non. p. 274. 21. Merc. Et virtute tua et claris conducere chartis. Forcell. ad h. l.: Non facile intelliges, quid sibi velit Non. h. l. ubi docet conducere poni etiam pro convertere. Hinc ¶ 2. Speciatim conducere hominem est operam alicujus hominis mercede comparare. — a) Generatim. Plaut. Trin. 4. 2. 11. Ille, qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum. Id. Aulul. 3. 2. 34. Conducere aliquem nummo. Id. Pseud. 3. 2. 15. coquum. Id. Aulul. 2. 4. 1. coquos. Id. Merc. 3. 4. 78. præconum quantum est. Id. Aulul. 3. 3. 9. aliquem coctum (h. e. ad coquendum), non vapulatum. Cic. 2. Off. 6. 22. Conducere aliquem mercede. Id. 2. Invent. 1. 1. Zeuxis magno pretio conductus. Id. Prov. cons. 4. 9. Conducere aliquem ad cædem faciendam. Id. Sext. 17. 38. Erat contentio non cum victore exercitu, sed cum operis conductis. Adde Ulp. Dig. 19. 2. 19. post med. Rursus Cic. 1. Phil. 9. 22. et Sall. Cat. 52. Multitudo conducta. Cic. 14. Phil. 6. 15. Homines conducti. Adde Paul. 5. Sentent. 26. § 3. Horat. 2. Sat. 7. 18. Conducere aliquem mercede diurna. Id. Art. P. 431. qui conducti plorant in funere. Ovid. 1. Amor. 10. 37. Conducere testes. Sueton. Aug. 70. choregum. Plin. 4. Ep. 13. præceptores publice. Id. 2. ibid. 14. Conducti et redempti mancipes. — b) Speciatim in re militari conducere homines est mercede ad militandum ducere. Cæs. 2. B. G. 1. Quod in Gallia a potentioribus, atque his, qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgo regna occupabantur. Nepos Datam. 8. Ex Græcia conductorum tria millia. quod respondet Gr. ξενολογεῖν. Liv. 30. 7. Quattuor millia Celtiberorum ab conquisitoribus conducta. Id. 30. 21. Conducere auxilia. Id. 23. 13. Ad conducenda viginti millia peditum. Curt. 3. 1. 1. militem ex Peloponneso. Id. 3. 9. 2. Græci pedites mercede conducti. — Hinc conducta bella apud Sil. It. 5. 196. sunt quæ milite mercede conducto geruntur. — c) Item speciatim est ad stuprum coemere. Plaut. Bacch. 5. 1. 11. Meretricem totum annum conducere. Id. Amph. 1. 1. 131. Hæc non scita est exercendo scorto conducto male. Nepos præfat. 4. Conducere viduam mercede. Auct. Priap. 35. Conducta est pretio puella parvo, Communis satis omnibus futura. — Sic poetice Ovid. 1. Amor. 10. 44. Conducere torum. ¶ 3. Usurpatur etiam de rebus, et est — a) Rem aliquam emere ad tempus, rem aliquam utendam pretio accipere: cui respondet locare, ut apud Cic. 1. Invent. 30. 47., Vellej. 1. 13. 4., Quintil. 4. 2. 61. et Dig. 13. 2. 1. Cic. Cœl. 7. 18. Conduxit in Palatio, non magno (subaudi pretio) domum. Sic Seneca 7. Benef. 5. Conduxi domum a te: in hac aliquid tuum, aliquid meum. Adde Dig. 13. 7. 11. § 5. Martial. 11. 82. Conductum repetens nocte jubente larem. — Porro jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua hæc sunt. Plaut. Merc. 3. 2. 17. ædes sibi. Adde Sueton. Tib. 35. Ulp. Dig. 43. 9. 1. aliquid ad fruendum. Cic. 2. ad Q. fr. 3. 7. domum. Cic. Cæcin. 32. 94. fundus conductus de Cæsennia. Dig. 7. 4. 29. pr. fundum ab aliquo. Ulp. Dig. 19. 2. 19. post med. habitationem in annum. Cic. 16. Fam. 18. 2. hortum. Gell. 18. 5. sub fin. librum studio pretioque multo. Cic. 16. Fam. 21. locum alicui. Plaut. Rud. prol. 57. et Ter. Adelph. 2. 2. 17. navem. Dig. 14. 2. 10. § 2. navem aversione. Horat. 1. Ep. 1. 92. navigium. Id. 1. Sat. 2. 3. nummi conducti. Sic Juvenal. 11. 46. pecunia conducta. Dig. 5. 1. 19. § 2. officinam. Plaut. Aulul. 3. 3. 7. operam alicujus. Cic. 1. Invent. 30. 47. portorium. Horat. 1. Ep. 1. 77. publica. Seneca 7. Benef. 5. rhedam ab aliquo. Dig. 5. 1. 19. § 2. tabernulam. Tibull. 1. 7. 85. telæ: ejus verba sunt: Firmaque conductis adnectit licia telis. Forcellinus cum Brouckus. interpretatur telas, quæ pretio faciendæ susceptæ sunt. Virg. 12. Æn. 520. tellurem. Cic. 1. Att. 17. et Liv. 43. 16. vectigalia. V. Conductum, i, in fine hujus voc. — b) Item conducere dicuntur, qui pretio aliquid faciendum suscipiunt, et fere cum Gerund. Plaut. Aulul. 3. 6. 31. Conducere agnum cædendum. Adde eumd. Capt. 4. 2. 39. Cic. 2. Divinat. 21. 47. Qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam. Liv. 23. 48. et 34. 6. Conducere præbenda. Vellej. 1. 13. 4. Cum juberet prædici conducentibus tabulas ac statuas in Italiam portandas. Cajus Dig. 19. 2. 25. Conducere columnam, dolium, lignum transportandum. Ulp. ibid. 19. 2. 19. mulierem vehendam nave. Id. ibid. 19. 2. 13. § 3. servum docendum. Ibid. 13. 6. 19. aliquid servandum. Ibid. 19. 2. 9. § 5. vitulos pascendos vel sarciendum quid poliendumque.

B) Neutrorum more, conducere, haud aliter ac Græcum συμφέρειν, significat prodesse, conferre, utile esse: quo sensu fere in tertiis personis usurpatur; et quidem — a) Absolute. Cic. 5. Fam. 19. 2. Ut dubitare non possimus, quin ea maxime conducant, quæ sunt rectissima. — Et cum Infinito. Id. 3. Off. 2. 5. Conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare, nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Plin. 17. Hist. nat. 12. 19. (92). Ventosis locis arbores crebriores seri conducit. — b) Cum Dativo. Plaut. Bacch. 1. 1. 22. Huic ætati non conducit tenebrosus locus. Vetus Poeta apud Non. p. 274. 22. Merc. Solus vero soli, quid re et quæstui conducat suo. Cic. 3. Off. 27. 101. Etiamne, si reipublicæ conducebat. Id. Prov. cons. 1. 1. Hoc maxime reipublicæ conducit, Syriam Macedoniamque decerni. Id. 4. Fam. 7. 1. Conducit aliquid saluti alicujus. Id. 1. Fin. 16. 52. alicui. Adde Colum. 9. R. R. 1. 3. et Quintil. 11. 1. 12. Rursus Cic. 1. de republ. 32. 49. omnibus. Id. 13. Fam. 48. laudi alicujus. Id. 1. Att. 1. rationibus nostris. Id. 1. Fam. 9. rationibus reipublicæ. Horat. Art. P. 195. proposito. Plin. 23. Hist. nat. 1. 23. (41). Corpus augere volentibus conducit inter cibos bibere. Et ibid. 1. 21. (36). Vinum conducit alvo citæ. Id. 17. ibid. 2. 2. (14). Imbres non conducunt vitibus. Tac. 15. Ann. 43. Conducere salubritati. — c)

Cum Accus. et præpos. *ad* vel *in*. *Plaut. Capt.* 4. 2. 6. Hoc ad ventris victum conducit. *Cic.* 1. *Off.* 3. 9. Consultant, conducat id, necne ad vitæ commoditatem. *Gell.* 20. 5. *de scriptis Aristot.* Ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum civiliumque rerum notitiam conducebant. — *Plaut. Cist.* a. 3. v. 4. Ut illud, quod in rem tuam bene conducat, consulam. *Sisenna* apud *Non.* p. 234. 29. *Merc.* Quod maxime in rempublicam conducere videretur. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Quod conducit in commune. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus, fit

Conductum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more (quod a JCtis plene dicebatur *locatum conductum*, ut in *Dig.* 19. 2.) est domus conducta, et dicitur fere de domibus pauperiorum. *Cic. Cluent.* 62. 175. Habere aliquid conducti. *Seneca* 7. *Benef.* 5. Nec conductum meum, quamvis sis dominus, intrabis. *Petron. Satyr.* 9. In conductum adcucurrit. *Ulp. Dig.* 9. 3. 1. *sub fin.* Habitare in conducto. *Id. Dig.* 19. 2. 15. Actio ex conducto. *h. e.* conductione. *Et ibid.* 19. 2. 7. Ex conducto teneri.

CONDUCTĒLA, æ, f. 1. idem quod conductio. *Interpr.* ad *Cod. Theod.* 4. 12. 1.

CONDUCTĪCIUS *vel* conductitius, a, um, adject. qui pretio ad tempus emitur, vel redimitur. *Plaut. Epid.* 2. 3. 8. et 5. 2. 41. Fidicina conducticia. *Vet. Auct. argum. comœd. Plautinæ Epid.* Persuasu servuli atque is conducticiam iterum pro amica ei subjecit. *Varro* 1. *R. R.* 17. 2. Conducticiæ liberorum operæ. *Nepos Iphicr.* 2. Conducticios exercitus. *Id. Chabr.* 1. Namque in ea victoria fidente summo duce Agesilao, fugatis jam ab eo conductitiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit cedere. *Porcius in carm. de Terent. in hujus Vita, quæ Suetonii esse creditur.* Habere domum conducticiam.

CONDUCTĬO, ōnis, f. 3. actus conducendi, seu in unum locum ducendi. ¶ 1. Stricto sensu est contractio, morbus, quo membrum aliquod contrahitur. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Conductio musculorum. *Id.* 3. *ibid.* 18. Conductio nervorum, quam Græci σπασμὸν vocaverunt. Adde *eumd.* 2. *Tard.* 1. *Id.* 3. *Acut.* 5. Conductio vultus. Et 3. *ibid.* 6. *sub init.* Utraque passio (*h. e.* conductio et extensio) ab accidenti nomen sumpsit; conductio a conducendo atque contrahendo; extensio ab extensione patientium partium. ¶ 2. In oratione est collectio, complexio. *Cic.* 1. *Invent.* 40. 74. Quare in longis argumentationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complecti oportet. *h. e.* conducendo in unum propositionem et assumptionem, ut *Id.* 1. *ibid.* 40. 73. explicat: ubi etiam hujus conductionis exemplum affert. ¶ 3. In contractibus est redemptio ad tempus. *Cic. Cæcin.* 32. 94. Conductio fundi. *Id.* 2. *Verr.* 6. 16. Renunciare totam conductionem. *Liv.* 43. 16. Conductio vectigalium. *Hygin. de limit.* p. 206. *Goes.* Hi agri et annua conductione solent locari. *V.* CONDUCTICIUS.

CONDUCTĪTĬUS, a, um. *V.* CONDUCTICIUS.

CONDUCTOR, ōris, m. 3. qui conducit; et speciatim — *a*) Qui aliquid faciendum pretio suscipit. *Cato R. R.* 14. Succidet, dolabit, lineabit secabitque materiam conductor. *Schneid.* ita legit; alii aliter. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Conductor operis alicujus. *Val. Max.* 8. 12. *extern.* 1. Conductores sacræ ædis. — *b*) Item qui conducit, seu emit aliquid ad tempus, cui *locator* respondet. *Plaut. Asin. prol.* 3. Hoc agite sultis, spectatores, nunc jam. Quæ quidem mihi atque vobis res vortat bene, gregique huic, et dominis, atque conductoribus (*subaudi* histrionum). *Cato R. R.* 150. Conductor II. menses pastorem præbeat. *h. e.* præbeat pastorem, qui arietes ex more Romano (V. *Varron.* 2. *R. R.* 2. 13.) tempore bimestri ante admissuram secretos largius pascat, ut ingeniose conjerit *Rokboell*, approbante *Schneidero*. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Quum resisteret Servilius consul reliquique magistratus, et minus opinione sua efficeret: ad hominum excitanda studia, sublata priore lege, duas promulgavit; unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit; alteram tabularum novarum. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 13. 12. *Plin.* 7. *Ep.* 30. Conductor agrorum. Adde *Dig.* 40. 7. 40. *Inscript.* apud *Murat.* 606. Conductores gregum oviaricorum. Alia apud *Orell.* 46. Conductor borreorum Sejanorum. Item alia apud *eumd.* 4324. Domus conductor. — c) Ita etiam appellatur, qui conducto diversorio alios hospitio excipit. *Rutil.* 2. 381. Sed male pensavit requiem stationis amœnæ Hospite conductor durior Antiphate.

CONDUCTRIX, īcis, f. 3., quæ conducit, *h. e.* emit seu redimit aliquid ad tempus. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 4. 65. 24. et 5. 12. 18.

CONDUCTUM, i, n. 2. *V.* CONDUCO in fin.

CONDUCTUS, a, um. *V.* CONDUCO.

CONDUCTUS, us, m. 4. contractio. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 15. Conductu superciliorum.

CONDULCO, as, are, a. 1. idem ac dulco: sed occurrit translate tantum. *Vulgat. interpr. Eccli.* 27. 26. Condulcabit os suum. Adde *ibid.* 40. 18. et 32.

CONDŬLUS *vel* condylus, i, m. 2. κόνδυλος, anulus. *Paul. Diac.* p. 38. 11. *Müll.*

CONDŬPLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. duplicatio, conduplicandi actus. ¶ 1. Pro mutuo duarum personarum amplexu jolulariter *Plaut. Pœn.* 5. 5. 18. Quid hoc est conduplicationis? quæ hæc congeminatio? *h. e.* amplexus. Adde *eumd. Pseud.* 5. 1. 18. ¶ 2. Item figura verborum. *Cic.* 4. *Herenn.* 28. 38. Conduplicatio est, cum ratione amplificationis, aut commiserationis, ejusdem unius, aut plurium verborum iteratio, hoc modo: Tumultus C. Gracchi tumultus domesticos et intestinos comparat. Item: Nunc etiam audes in horum conspectum venire, proditor patriæ: proditor inquam, patriæ venire audes in horum conspectum? Ab *eod.* 3. *Orat.* 54. 206. dicitur *revocatio verbi*: apud *Quintil.* 9. 3. 35. *regressio* quædam est: Græce ἐπάνοδος, sive rectius ἐπαναδίπλωσις dici potest. *Cic. Partit. orat.* 6. 20. hoc modo repetita verba *duplicata* appellat.

CONDŬPLĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*cum et duplico*) idem fere quod duplico. *Ter. Phorm.* 3. 2. 31. Hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit. Adde *Pacuvium* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 14. 24. *Lucret.* 3. 71. Sanguine civili rem conflant: divitiasque Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes. *Varro* 2. *R. R.* 4. 15. Conduplicare cibum. — Jolulariter de concubitu *Plaut. Pseud.* 5. 1. 18. Conduplicare corpora. *V.* CONDUPLICATIO 1.

CONDURDUM, i, n. 2. herba solstitialis, flore rubro, quæ e collo suspensa strumas comprimit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 5. 14. (35). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 384.) hæc ait: «Cette plante (*condurdum*) est encore au nombre de celles qui n'ont point été décrites par les auteurs grecs; elle est seulement indiquée par Pline; aussi ne peut-on la reconnaître, et l'on doit blâmer les commentateurs d'avoir proposé d'une manière décisive soit la *Valeriana rubra*, soit la *Saponaria vaccaria*; en effet, baser son opinion sur ces mots: *Herba solstitialis flore rubro*, sans autres renseignemens, est chose évidemment hasardée, puisqu'il est un grand nombre de plantes qui fleurissent au solstice, et qui portent une fleur rouge. *Plaute Pseud.* 1. 1. 36. parle aussi d'une herbe du solstice, qui vraisemblablement est la même que celle de Pline dans le passage que nous commentons ».

CONDŪRO, as, are, a. 1. durum facio.

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 968. Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni.

II.) Translate. *Cassiod.* 8. *Variar.* 50. *ante med.* Cujus teneri anni in robustam gentis audaciam condurari (*caeperant*).

CONDUS, i, m. 2. qui condendis cibis præpositus est, quemadmodum *promus*, qui cibum promit. Ceterum quia ejusdem fere officium esse solet cibos promere et recondere, factum est, ut, qui ei muneri præesset, *condus promus*, vel *promus condus* diceretur. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 14. Condus promus procurator peni.

CONDȲLŌMA, ătis, n. 3. κονδύλωμα, tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet (ut docet *Cels.* 6. 18. *n.* 8.) præsertim circa coronam podicis: ita dictum a similitudine condylorum, hoc est nodorum, qui in digitis, constricta in pugnum manu, eminent. *Cels.* 7. 30. *n.* 2.; *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 83. (143). et 22. *ibid.* 25. 60. (127).; *Scribon. Compos.* 224. et 225.; *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 11.; et *Theod. Priscian.* 1. 5.

CONDȲLUS, i, m. 2. κόνδυλος, junctura et nodus in digitorum articulis eminens. *Capell.* 1. *p.* 21. Ictibus crebris verticem, complicatis in condylos digitis, vulnerabat. — In illo *Martial.* 5. 78. 30. Parvi tibia condyli sonabit, *condylus* est nodus cannæ, ex qua tibia constat. Alii *Condyli* putant nomen tibicinis. *V.* TALITRUM. — Item anulus, de quo *V.* CONDULUS.

CONFĂBRĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. simul fabricare. Translate. *Gell.* 3. 19. 3. Confabricatus commolitusque magis est originem vocabuli C. iste Bassus, quam enarravit.

CONFĀBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. sermo, colloquium. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 3. Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ. *Symmach.* 9. *Ep.* 84. (al. 89.) Epistolæ confabulationem præsentis imitentur. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 19. Ne errorem crebra confabulatione renovaret.

CONFĀBŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui confabulatur. *Hieronym. Comment.* 2. *in ep. ad Galat.* 4. 8. Moyses et ceteri confabulatores Dei. *Ambros. Ep.* 6. 42. Ille primus homo —, opus Dei recens, confabulator assiduus.

CONFĀBŬLĀTUS, us, m. 4. idem quod confabulatio. *Sidon.* 9. *Ep.* 11. *ad fin.* Hos eloquii tui claritas, artifice confabulatu, dum compellit, etc.

CONFĀBŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum et fabulor) simul fabulor, colloquor, narro; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Merc.* 3. 3. 10. Nam nunc si illo introieris, amplecti voles, confabulari, atque osculari. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 106. Accedere ad aliquem confabulatum. — b) Cum Ablativo personæ et præpos. *cum*. *Plaut. Merc.* 1. 2. 76. Intus intra navim, uti prope astiti, et cum ea confabulatus est. — c) Cum Accusativo rei et Ablativo personæ per præpos. cum. *Plaut. Cist.* 4. 2. 77. Ego rem meam magnam confabulari tecum volo. — d) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Varro* apud *Gell.* 13. 11. Si de rebus ad vitæ usum pertinentibus confabulemur. — Quod quidam addunt ex *Plauto Most.* 2. 2. 78. Illisce hodie hanc confabulabunt fabulam: ut sit etiam *confabulo, as*; *conturbabunt* procul dubio legendum est.

CONFĂCĬO, ficis, ficere, a. 3. una facio. *Lucret.* 2. 903. Mollia confaciunt. *Al. leg.* cum faciunt. Addunt huc illud *Paul. Diac.* p. 59. 2. *Müll.* Confecerunt, una fecerunt. *Sed hoc ad conficio pertinere potest.* Hæc *Forcellinus*: at *Müllerus* ad *Paul. Diac. l. c.* rectius putat esse a *confacio*.

CONFĀMŬLOR, āris, ari, dep. 1. una famulor. Occurrit tantum Part. *Confamulans* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *sub fin.* Signa duo hylen naturamque significant confamulantes.

CONFĀMŬLUS, i, m. 2. qui simul famulus est. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 19. *ante med.* Ergo uterque vestrum ex æquo voluntatem præbens, in quo vos confamulus vester juste monet, obediat. *Et mox.* Dei namque populos, idest confamulos meos, congregari jam tempus est. *Ennod. Ep.* 19. Petitionem meam, quam per confamulum meum fratrem Florum destinavi.

CONFĀNENSIS, e, adject. qui eodem fano utitur, ut convicanus, qui eumdem vicum habitat. *Inscript.* apud *Steiner. Cod. inscript. Rom. Rheni* n. 12. I. O. M. CONFANENSES (*h. e.* confanenses) ARMISSES (*h. e.* Armissenses) V. S. L. L. M.

CONFARRĔĀTĬO, ōnis, f. 3. sacrorum communicatio, farre seu pane farreo (V. *Cajum* 1. *Instit.* 112.) adhibito. Cum triplex fuerit matrimonii contrahendi ratio apud Romanos, *coemptione*, *usu*, *confarreatione*, ut est apud *Arnob.* 4. 20.; hoc postremum locum habuit præcipue inter patricios et fiebat, cum certis verbis, et decem testibus præsentibus, solemnique sacrificio facto, in quo libum, seu panis ex farre confectus, a nova nupta prælatus, adhibebatur, mulier in manum viri conveniebat. Hac enim ratione communicatis inter virum et uxorem sacris, communicatio quoque totius vitæ significabatur. Hoc sacrificium et nuptiarum conjunctio fiebat per pontificem maximum, et flaminem Dialem, teste *Servio* ad *Virg.* 1. *G.* 31., (quibus vero ceremoniis *V.* in FARREATIO) eratque conjunctio maxime religiosa, ut ait *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (10).; sed paullatim in desuetudinem cum abiisset, et in solis tandem sacerdotum conjugiis servaretur, denique omnino adhiberi desita est, ut colligitur ex *Tac.* 4. *Ann.* 16. Adde *Ulp. Dig.* 9. 1.; *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 339. et 374.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2648. — Contraria est *diffarreatio*, et dissolutionem matrimonii significat, quæ farreo libo adhibito fiebat, ut docet *Paul. Diac.* p. 74. 13. *Müll.* *Inscript.* mutila apud *Murat.* 1024. 4., emendatior apud *Marin. Inscript. Alb.* p. 143., quæ est apud *Orell.* 2648. SACERDOTI CONFARREATIONVM ET DIFFARREATIONVM. Porro de confarreatione *V.* adnotata ad *Inscript.* apud *Orell.* 2650. et cf. *Klotz.* ad *Auctor. Jurispr. num.* p. 27.

CONFARREATUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFARREO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Confarreatus* et *Confarreaturus*. — Confarreare est verbum habens usum in ritu confarreationis, et significat, libato farre matrimonio jungi. *Tac.* 4. *Ann.* 16. Assuetudinem confarreandi. *Id. ibid.* Patricios confarreatis parentibus genitos, etc. *Apul.* 10. *Met.* p. 73 3. *Oudend.* Mulieris matrimonium confarreaturus. Adde *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 374. loc. cit. in FARREATIO. — Figurate *Hieronym. Ep.* 41. n. 4. Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de lactente puero et de victuro martyre confarreata. *h. e.* de infante minutis punctionibus perfosso, qui pro magno sacerdote haberetur, si viveret; pro martyre, si moreretur. Hinc cl. *Furlanetto* in *Append.* At lectio valde dubia mihi videtur.

CONFĀTĀLIS, e, adject. qui eadem fati necessitate tenetur. *Cic. Fat.* 13. 30. Copulata enim res est, et confatalis. *Cic.* hanc vocem finxit ad Gr. συνειμαρμένος Latine reddendam.

CONFATIGABILIS, e, adject. fatigabilis una cum aliis; et

CŌNFATIGO, as, are, a. 1. simul fatigo: sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 118.

CONFĒCĒRUNT, una fecerunt. *Paul. Diac.* p. 59. 2. *Müll. V.* CONFACIO.

CONFECTĬO, ōnis, f. 3. actus conficiendi, perfectio, complementum; et occurrit *A*) In bonam, et *B*) In malam partem.

A) In bonam partem usurpatur ¶ 1. Abstracte. *Cic.* 2. *Orat.* 12. 52. Erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio. *Id.* 14. *Phil.* 1. 1. Confectio hujus belli est D. Bruti salus. *Id. Senect.* 1. 2. Mihi jucunda hujus libri confectio fuit. *Id. Flacc.* 9. 20. Tributi confectio. *h. e.* collectio. *Id.* 1. *Divinat.* 51. 116. materiæ. *Id. Partit. orat.* 7. 26. memoriæ. *Cels.* 5. 14. *sub fin.* Confectio medicamenti, quod κολικὸν nominatur, ex his constat: costi, anisi, castorei, etc. At *Leon. Targa* probat, totum hunc locum insiticium esse, eumque propterea expunxit. Adde *Gell.* 17. 16. *Pallad.* 12. *R. R.* 5. et 13. *ibid.* 2. Confectio olei laurini. *Arnob.* 7. 25. Farta confectionis jure multiplici, atque impensarum varietate condita. *Cod.* 6. 23. 27. Confectio testamenti. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est res ipsa, quæ conficitur. *Pallad.* 11. *R. R.* 17. 2. Mundo linteo tegas, per quod facile confectio æstuabunda suspiret. *h. e.* mel musto admixtum, ex quo fit œnomeli.

B) In malam partem est consumptio, aut corruptio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 134. Intimi dentes conficiunt escas: quæ confectio etiam a lingua adjuvari videtur. *h. e.* commanducatio, adeoque consumptio. *Id.* apud *Non.* p. 269. 22. *Merc.* Confectio valetudinis, deformatio corporis. *h. e.* consumptio, aut corruptio.

CONFECTITO, as, are, a. 1. *frequentat. a* conficio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 36.

CONFECTOR, ōris, m. 3. qui conficit et absolvit; et occurrit *A*) In bonam, et *B*) In malam partem.

A) In bonam partem est effector, seu qui facit et absolvit. *Cic.* 4. *Verr.* 44. 108. Confector negotiorum. *Id.* 10. *Fam.* 20. *extr.* Totius belli confector. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 39. et *Inscript.* apud *Orell.* 772. *Vopisc. Aurel.* 29. Missis diligentissimis confectoribus requisiverunt tale genus purpuræ. Cf. *Isid.* 6. *Orig.* 11., cujus verba *V.* in CROCO. *Firmic.* 3. *Mathes.* 9. n. 7. Confectores coriorum. *Inscript.* apud *Spon. Miscell.* p. 221., quæ est apud *Orell.* 158. Confectores æris. *h. e.* qui æri e metallis eruendo et elaborando operam dant. Alii tamen putant, confectores æris eos fuisse, qui æs ipsum flavo orichalci colore tingebant et ornabant. In alia apud *Bertol.* in *Antiq. Aquilejens.* p. 2., quæ est apud *Murat.* 28. 3. et apud *Orell.* 2341. CON. FER. NOR., ipse legit. Confectoris ferri Norici.

B) In malam partem est consumptor, fractor. *Lucilius* apud *Non.* p. 268. 33. *Merc.* Confectores cardinum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 41. Ignis confector et est consumptor omnium. *Sueton. Aug.* 43. Confectores ferarum. *h. e.* qui cum bestiis pugnant easque occidunt. Adde *eumd. Ner.* 12. et *Quintil.* 9. *Declam.* 7. *V.* BESTIARIUS, et præcipue *Senec.* 2. *Ira* 43.

CONFECTŌRĀRĬUS, ii. *V.* CONFECTURARIUS.

CONFECTŌRĬUM, χοιροσφαγεῖον. *Gloss. Gr. Lat.*

CONFECTRIX, īcis, f. 3. quæ conficit; sed occurrit in malam partem tantummodo pro ea, quæ consumit. *Lactant.* 7. 11. Confectrix omnium rerum vetustas. *h. e.* quæ conficit et consumit. Hic *Lactant.* non ipsissima *Ciceronis* verba, sed sententiam verborum retulit, quæ ipse quidem affert 6. 11.; *Cic.* vero habet *Marcell.* 4. 11. Nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas.

CONFECTŪRA, æ, f. 1. confectio. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 5. Confectura mellis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 57. (162). Reliqua confectura (*cærulei*) eadem, quæ et chrysocollæ. *Id.* 13. *ibid.* 12. 23. (75). Confectura chartæ.

CONFECTŪRĀRĬUS, ii, m. 2. qui carnem suillam in frusta concidit atque in botulos indit. *Inscript.* apud *Gruter.* 361. 1., quæ est apud *Orell.* 3672. CORPUS SUARIORUM ET CONFECTUARIORUM — STATUAM PATRONO DIGNO PONENDAM CENSUIT. *Confecturarii* cum suariis conjuncti videntur esse ii, qui carnes animalium saliebant et condiebant, vel fumo indurabant. Nam et *conficere* hoc sensu usurpatur. *V.* CONFICIO. Al. leg. *Confectuarii*. In alia apud *Murat.* 954. 5., quæ est apud *Orell.* 4167., legitur *confectorarius*: et videri potest idem esse cum confectore, *h. e.* infectore.

CONFECTUS, a, um. *V.* CONFICIO.

CONFERCIO, fercis, fersi, fertum, fercire, a. 4. (cum et farcio). Part. *Confertus* etiam in fin. — Confercio est implendo farcio, infercio. *Varro* 3. *R. R.* 16. 35. *de apibus.* Non modo desistunt pugna, sed etiam conferciunt se. *h. e.* copulantur, et in examen coeunt. *Lucret.* 6. 158. Ventus enim quum confercit, franguntur in arctum Concreti montes nimborum. *Id.* 6. 509. Confertæ nubes vi venti mittere certant Dupliciter. *Id.* 6. 1262. Quo mage eos (*homines*) tum Confertos ita acervatim mors accumulabat. *Liv.* 3. 6. Ea colluvio mixtorum omnis generis animantium, et odore insolito urbanos, et agrestem confertum in arcta tecta æstu ac vigiliis angebat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 35. (68). Myrrham passim a vulgo coemptam in folles conferciunt. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (23). *de carbone faciendo.* Acervi confertis taleis luto caminantur. *Sillig.* vero leg. *consertis*. — Hinc Part. præter. pass.

Confertus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Confertior* et Sup. *Confertissimus* sub I.; et est conferciendo repletus, plenus, densus (It. *calcato*, *pieno zeppo*; Fr. *pressé*, *serré*, *entassé*; Hisp. *aprensado*, *acumulado*; Germ. *dichtgedrängt*, *dicht*, *vollgestopft*; Angl. *thick*, *crowded*, *crammed full or close*, *stuffed*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Priscian.* 5. p. 659. *Putsch.* Cæruleum spumat sale conferta rate pulsum. *h. e.* multis densisque navibus. Cf. *Liv.* 37. 11. Viâ sibi inter confertas naves factâ. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. Tunc inane quidquam putes esse, cum ita completa et conferta sint omnia? *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Ipsi, confertissima acie rejecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt. *Id.* 2. *ibid.* 23. Omnes Nervii confertissimo agmine — ad eum locum contenderunt. *Id.* 2. *ibid.* 25. Cæsar, ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri, signisque in unum locum collatis duodecimæ legionis confertos milites sibi ipsos ad pugnam esse impedimento, etc. *Sall. Jug.* 101. Confertis equis. *Id. Cat.* 60. Confertissimi hostes. *Virg.* 3. *G.* 369. confertoque agmine cervi Torpent mole nova. *Auct. B. Afr.* 13. Conferta acies. *Liv.* 9. 27. Samnites dextera parte raris ordinibus, sinistra confertiores steterant. *Id.* 2. 12. et 55., et 39. 31. Turba confertissima. *Sil. It.* 4. 158. spissæque ruunt conferta per arma Undæ Bojorum. *Tac.* 4. *Ann.* 62. Conferta moles. *Id.* 12. *ibid.* 36. Conferto gradu. *h. e.* collato gradu. *Al. leg.* conserto. *Sueton. Tib.* 2. Multitudo conferta. *Cod. Theod.* 9. 17. 5. Populi frequentia conferta. — Et absolute de militibus. *Sall. Jug.* 98. Confertissimos obsistere. *Cæs.* 1. *B. G.* 17. et 5. *ibid.* 16. Confertos præliari. *Liv.* 10. 29. Confertos stare. *Virg.* 2. *Æn.* 347. Quos ubi confertos audere in prælia vidi. — *b*) Addito Ablativo rei, qua quis confertus est. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Vino languidi, conferti cibo. *Al. leg.* confecti. *Liv.* 45. 2. Ingenti turbâ conferta templa. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (8). Vitis conferta acino. *Sil. It.* 7. 390. nil miles et alæ Juvere, aut densis legio conferta maniplis. *Stat.* 7. *Theb.* 260. et confertissima lucis Nysa. *h. e.* multos habens lucos.

II.) Translate occurrit semper cum Ablativo rei, qua quis confertus est. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 43. Liber confertus voluptatibus. *Id. Sext.* 10. 23. Otiosa vita et plena et conferta voluptatibus. *Id.* 2. *Fin.* 20. 64. Vita conferta voluptatum omnium varietate. *Quintil.* 5. 14. 27. Oratio conferta aggressionum et enthymematum stipatione.

CONFĔRENTĬA, æ, f. 1. *Gloss. Isid.* Conferentia, collatio.

CONFERMENTO, as, are, a. 1. fermentare. *Tertull. advers. Valentin.* 31. Donec totum semen confermentetur. *Alii minus recte leg.* confrequentetur.

CONFĔRO, confers, contŭli, collātum vel conlātum, conferre, anom. 3. (cum et fero). Part. præter. pass. scribitur sæpissime et *conlatus*. *Inscript.* apud *Gruter.* 426. 7., 447. 6. et 457. 8., et apud *Orell.* 3648. et 3991. AERE CONLATO. *Alia* apud *Gud.* p. 89. n. 8. PECUNIA CONLATA. — Part. *Conferens* sub *A.* I. *a.*; *Collatus* in omnibus fere paragr.; *Collaturus* sub *A.* II. 3.; *Conferendus* sub *E.* — Conferre proprie est plura in unum ferre (It. *portare insieme*, *portar più cose in un luogo*; Fr. *apporter ensemble*; Hisp. *traer*, *conducir juntos*; Germ. *zusammentragen*, *-bringen*, *oder-schaffen*; Angl. *to bring*, *carry*, *put*, *or lay together*). Quoniam vero, ratione habita usus, hoc verbum latissime patet; ejus omnes significationes ad quinque veluti summa capita redigendas putamus: scilicet conferre *A*) Est plura unum in locum simpliciter comportare, congerere; *B*) Item est plures personas aut res in unum conjungere, congerere ad aliquem finem; *C*) Item dicitur de iis rebus, quæ a pluribus in usum unum aliquem contribuuntur, et est tribuere, præstare, largiri, in re aliqua occupare; *D*) Item est personam aut rem una cum iis omnibus, quæ ad eamdem pertinent, aliquo convertere, vertere; *E*) Denique est plura componere, ut fiat comparatio.

A) Conferre est plura unum in locum simpliciter comportare, congerere: et usurpatur

I.) Proprie et stricto sensu. — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 2. Ut jurejurando sanciatur petunt collatis militaribus signis, quo more eorum gravissimæ cærimoniæ continentur. *Id.* 1. *ibid.* 16. Diem ex die ducere Ædui, frumentum conferri, comportari, adesse dicere. *Horat.* 3. *Od.* 4. 19. ut premerer sacrâ Lauroque collatâque myrto. *Id. Art. P.* 5. undique collatis membris. *Velley.* 2. 114. 4. Ferox juventus conferens arma, et prosternens se genibus imperatoris. *Petron. Satyr.* 115. *in fin.* Et Lycam quidem rogus inimicis collatus manibus adolebat. *Quintil.* 2. 6. 7. Conferre cibos ore suo. *Id.* 3. 9. 8. materiam. *Lucan.* 1. 101. mare separat Isthmos, Nec patitur conferre fretum. *h. e.* miscere. — *b*) Addito termino, ad quem aliqua conferuntur. *Nepos Alcib.* 10. Illi noctu ligna contulerunt circa casam eam. *Id. Ages.* 7. Nihil domum suam conferre. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Sarcinas in unum locum conferre. *Id.* 2. *ibid.* 25. Signa in unum locum collata. *Id.* 2. *ibid.* 13. Sua in oppidum conferre. *Liv.* 7. 15. Dictator signa in lævum cornu confert. *h. e.* transfert. *Curt.* 6. 6. 14. Conferre sarcinas in medium. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 1. uvas in fiscellam. *Id.* 1. *ibid.* 6. 7. Si proximum horreum, quo conferatur omne rusticum instrumentum. — *c*) Raro admodum addito termino, in quo aliqua conferuntur. *Ovid.* 3. *Met.* 236. *de Actæone.* Turba canum confert in corpore dentes.

II.) Translate. ¶ 1. Conferre pro simul ferre interdum transfertur ad scripta. *Cic.* 13. *Att.* 13. 1. Totam Academiam — ex duobus libris contuli in quatuor. Cf. *Quintil.* 8. *procem.* 1. Rursus *Cic.* 4. *Att.* 16. 2. Disputationem in alicujus personam conferre. *Liv.* 4. 4. *a med.* Cur enim non confertis, ne sit conubium divitibus et pauperibus? *h. e.* cur non una eademque lege simul rogatis, ne etc. *Id.* 27. 7. Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli, multis auctoribus. *h. e.* ad hunc annum retuli. *Quintil.* 10. 9. 32. Summas in commentarium et capita conferre. *Sueton. Cæs.* 44. Ex immensa diffusaque legum copia optima quæque et necessaria in paucissimos libros conferre. *Justin. præfat.* 1. Res Romanas Græco peregrinoque sermone in historiam conferre. *Dig.* 1. 2. 2. § 36. leges regias in unum. Adde *ibid.* 46. 7. 6. — Sic de pictura *Quintil.* 8. 5. 26. Plura in unam tabulam opera conferre. ¶ 2. Item transfertur ad orationem, cum eamdem concludimus, sive ejusdem epilogum facimus. *Plaut. Men. prol.* 6. Nunc argumentum accipite. — Quam potero in verba

conferam paucissima. *Id. Pers.* 5. 4. 52. Rem in pauca conferre. Adde *eumd. Asin.* 1. 1. 75., *Pseud.* 1. 3. 44. et *Pers.* 4. 4. 109. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. *Ovid.* 1. *Fast.* 161. non multis ille moratus, Contulit in versus sic sua verba duos. ¶ 3. Item ratione habita temporis, *conferre* est aliquid certo die agendum constituere, et numquam cum verbo *differre* est confundendum. *Cic.* 6. *Att.* 1. 24. Omnia in mensem Martium collata sunt. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 3. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo: ita quidquid conficio aut cogito, in ambulationis fere tempus confero. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. In posterum diem iter suum contulit. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quod in longiorem diem collaturus esset. *Id.* 3. *B. C.* 81. Eo omnem rationem belli conferre. *Plin. Paneg.* 61. Alicujus consulatum in annum aliquem conferre. ¶ 4. Denique est etiam jungere, conjungere. *Liv.* 33. 19. Conferre vires in unum. *Id.* 3. 8. *extr.* vires belli in unum. Sic *Plin.* 8. *Ep.* 14. *a med.* Collatis viribus. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 17. *Curt.* 7. 11. 3. Fontes, e quibus collatæ aquæ flumen emittunt. *Quintil.* 8. 5. 27. E singulis non membris, sed frustis collata oratio. Adde *eumd.* 2. 9. 3. *Plin. Paneg.* 23. Collata omnium vota in unius salutem. — Huc pertinet et illud *Vitruv.* 2. 6. 4. *Schneid.* Igitur dissimilibus et disparibus rebus correptis et in unam potestatem collatis, etc.

B) Conferre est etiam plures personas aut res in unum conjungere, congerere ad aliquem finem: et occurrit I.) In bonam, et II.) In malam partem.

I.) In bonam partem usurpatur ¶ 1. Proprie. *Conferre capita* dicuntur, qui consultaturi conveniunt. *Cic.* 5. *Verr.* 12. 31. Conferrent viri boni capita: de comissatione loquerentur inter se. *Liv.* 2. 45. Consules, velut deliberabundi, capita conferunt: diu colloquuntur. — Sic *conferre gradum* vel *pedem* est idem quod congredi, alicui admoveri atque appropinquare colloquendi causa. *Plaut. Merc.* 5. 2. 41. Contra pariter fer pedem et confer gradum. Adde *eumd. Men.* 3. 3. 30., *Pseud.* 2. 4. 17. et *Mil. glor.* 2. 2. 14. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 488. juvat usque morari Et conferre gradum et veniendi discere causas. — *Lucret.* 4. 1101. Conferre membra. *h. e.* invicem amplecti. *Cf. Apul.* 5. *Met.* Conferre ora. et *Tibull.* 1. 2. 21. nutus loquaces. ¶ 2. Translate est communicare consilia, colloqui consultandi causa: et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Ter. Adelph.* 3. 2. 1. Quod si omnes omnia sua consilia conferunt. *Id. Heaut.* 3. 1. 64. Conferre consilia ad adolescentes. *Plaut. Amph.* 2. 2. 156. Conferre sermonem. *Id. Curc.* 2. 3. 11. sermones inter se. *Cic.* 2. *Phil.* 15. 38. Cum aliquo aut sermones, aut consilia conferre. *Id.* 2. *Off.* 11. 39. Ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones. *Id.* 2. *Invent.* 4. 14. Conferre sermonem in via cum aliquo. *Id.* 5. *Att.* 21. 12. rationes. *Id.* 6. *Fam.* 21. 2. Utinam liceat conferre inter nos sollicitudines nostras. *Id.* 2. *Divinat.* 12. 28. Conferre aliquid inter se. *V.* paullo infra sub *c. Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. 2. Aliquem videre et omnia intima conferre. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 13. Seria multa mihi tecum collata recordor. *h. e.* tecum tractata, disputata. *Petron. Satyr.* 132. Conferre verba cum aliquo. *h. e.* verba facere. *Tac. Agric.* 15. Conferre injurias. *h. e.* injurias evomere. — *b*) Sequente Relativo. *Cic.* 2. *Fin.* 2. 4. Quærimus enim finem bonorum: possumusne scire, hoc quale sit, nisi contulerimus inter nos, cum finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? Adde *Liv.* 27. 20. — *c*) Absolute. *Plaut. Rud.* 2. 3. 8. Omnes sapientes decet conferre et fabulari. *Cic.* 1. *Att.* 20. 1. Cum erimus congressi, tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus. *At hic facile Accusativum subaudire possumus.* Aliter *Propert.* 2. 17. 33. Noli nobilibus, noli conferre beatis. *h. e.* noli te tradere nobilibus et divitibus, noli cum ipsis communicare.

II.) In malam partem conferre est admovere pugnandi causa, objicere, conserere; et fere usurpatur in re militari. ¶ 1. Proprie. — *a*) Generatim jungitur aliquot Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Nepos Eumen.* 3. et 11. arma conferre cum aliquo. *Liv.* 21. 1. arma inter se. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 114.; *Auct. B. Afr.* 9.; *Liv.* 8. 23. et 23. 28.; et *Sil. It.* 1. 56. castra castris conferre. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 79. Habere castra collata castris hostium. *h. e.* e regione. *Auct. B. Alex.* 37. castra conferre oppido. *Liv.* 26. 12. castra cum hoste. *Id.* 2. 30. castra propius. *Val. Flacc.* 6. 270. cursus: *ejus* verba sunt: adversas collatis cursibus hastas Conjiciunt. *h. e.* altero in alterum incurrente. *Ovid.* 1. *Fast.* 569. dextrâ collatâ movere prælia. *Cic. Fontej.* 1. 2. ferrum et manus conferre cum aliquo. *Liv.* 7. 33. gradum conferre cum aliquo: *ejus* verba sunt: Consul invadit hostem, et cum quo forte contulit gradum, obtruncat. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 42., et *V.* paullo infra *pedem conferre* eodem sensu. *Liv.* 10. 43. et *Virg.* 12. *Æn.* 678. manum conferre. *Ovid.* 5. *Met.* 242. pectora pectoribus conferre. *Liv.* 28. 2. pedem cum pede conferre. Sic *Id.* 26. 39. Collato pede rem gerere. Adde *eumd.* 6. 12., 7. 33. et 10. 29. Et *Curt.* 3. 11. Collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. *h. e.* junctis pedibus alius contra alium conferti pugnabant. — Et figurate de oratione litigantium. *Cic. Planc.* 19. 48. Non possum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius accedere. Et *Quintil.* 5. 13. 11. Plura argumenta simul invadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint, aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expediat. Adde *eumd.* 8. 6. 51. — *b*) Speciatim *conferre signa* pro congredi pugnandi causa sæpissime occurrit. *Cic. Pis.* 21. 49. Signa contulit cum Alexandrinis. Adde *Liv.* 1. 33. Rursus *Cic. pro leg. Manil.* 23. 66. Qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur. *collatis signis* significat congredientibus æquo campo integris aciebus sub signis et justo prælio decertantibus. *Liv.* 2. 50. Aliquoties æquo campo collatisque signis certatum est. *Id.* 38. 41. Prælio justo, acie aperta, collatis signis dimicandum erat. Adde *eumd.* 28. 38. *Id.* 37. 21. Regii signis collatis abire agmine, ad iter magis, quam ad pugnam composito, cœpere. *Id.* 29. 18. Collatis signis concurrere. — Et figurate de litigantium oratione. *Cic.* 7. *Att.* 3. 5. Reliquum est jocari, si hic sinat. Nam ego is sum, qui illi concedi putem utilius esse, quod postulat, quam signa conferri. Sic *Plaut. Cas.* 2. 5. 11. Collatis signis depugnare. — *c*) Item speciatim *Virg.* 10. *Æn.* 734. Obvius adversoque occurrit, seseque viro vir Contulit. *h. e.* cum viro congressus est. — *d*) Denique absolute. *Ovid.* 10. *Met.* 602. Quid facilem titulum superando quæris inertes? Mecum confer, ait. ¶ 2. Translate ponitur etiam de vi, quam hinc et illinc quomodocumque pugnantes exserunt. *Liv.* 21. 1. Haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico (*Romani et Carthaginienses*) conferebant bello. *Al. leg.* conserebant. *Id.* 21. 50. Ubi in altum evecti sunt, Romanus conserere pugnam et ex propinquo vires conferre velle. *Lucret.* 4. 841. manu certamina pugnæ. *Virg.* 10. *Æn.* 147. certamina belli inter se. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 54. Conferre lites. *h. e.* intendere. *Ovid.* 12. *Met.* 379. Collato Marte. *h. e.* comminus.

C) Conferre dicitur etiam de rebus, quæ a pluribus in usum unum aliquem contribuuntur, et est tribuere, præstare, largiri, in re aliqua occupare.

I.) Proprie. ¶ 1. *Dicitur* præcipue de pecuniis, quæ a pluribus in usum aliquem contribuuntur et solvuntur. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 1. *Verr.* 59. 145. et *Nepos Epam.* 3. Conferre pecuniam. *Cic.* 8. *Att.* 3. et *Sueton. Cæs.* 19. pecunias. *Cic. Flacc.* 25. 59. Pecuniam ad patris honores collatam filius abstulit. *Id.* 4. *Verr.* 65. 137. Conferre pecunias maximas ad honorem atque amplitudinem alicujus. Adde *eumd. ibid.* 64. 152. *Id. ibid.* 59. 145. pecunias in statuas. *Id. ibid.* pecunias in commune Siciliæ. *Nepos Att.* 8. pecunias alicui parti. *Sueton. Aug.* 57. pecunias in restitutionem domus. *Plin.* 10. *Ep.* 23. pecuniam in opus balinei. *Justin.* 3. 6. pecuniam in stipendium belli. *Dig.* 30. 15. 5. pecuniam tributi pro modo prædiorum. — Sic æs *conferre*, ut apud *Ovid.* 4. *Fast.* 351.; quæ dicendi ratio sæpissime occurrit in Inscriptionibus. *Inscript.* apud *Gruter.* 372. 7. L. AVRELIO L. L. VICTORI PLEB. SENIENSIVM AERE CONLATO etc. Sic *Sueton. Aug.* 59. Antonio Musæ statuam, ære collato, juxta signum Æsculapii statuerunt. Alia *Inscript.* apud *Gruter.* 373. 5. C. BAEBIO C. F. GAL. LVPVLO PLEBS VRBANA EX AERE CONLATO. Adde *alias* apud *Gruter.* 322. 5., 417. 4. et alibi sæpe; item *alias* apud *Orell.* 3614., 3991. etc. — Et generatim. *Cic. Quinct.* 3. 12. Aliquid impendere et in commune conferre. *Id.* 4. *Verr.* 53. 131. Conferre tributa quotannis ex censu. *Nepos Arist.* 3. Ejus arbitrio quadragena talenta quotannis Delum sunt collata. *Liv.* 26. 36. Conferre aurum argentumque in publicum. *Id.* 2. 33. *extr.* sextantes in capita. *Id.* 4. 60. tributum. *Id.* 5. 20. tributi minus. *Id.* 5. 47. aliquid ad honorem alicujus. *Sueton. Aug.* 30. quingenties HS. in cellam Capitolini Jovis una donatione. *Ulp. Dig.* 43. 7. 3. agros ad viam vicinalem faciendam. *Scævola ibid.* 50. 4. 5. magnam partem patrimonii alicui rei. *Cajus ibid.* 41. 1. 7. §. 8. Si vinum alius contulerit, alius mel. — *b*) Absolute. *Plaut. Most.* 5. 2. 39. Nos dabimus, nos conferemus nostro sumptu, non tuo. *Quintil.* 12. 7. 9. Conferre alicui ad victum. *Dig.* 11. 7. 16. in funus. *Inscript.* apud *Orell.* 612. in monumentum. *Paul. Dig.* 39. 2. 22. Non est fructuario permittendum uti, nisi contulerit. ¶ 2. Item de rebus materialibus pro præstare, tribuere, largiri, dono dare. *Plaut. Men.* 1. 2. 20. Conferre dona alicui. *Ter. Eun.* 3. 1. 60. fructum alio. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 23. 61. Æquum est prædas ac manubias suas imperatores in monumenta deorum immortalium atque in urbis ornamenta conferre. *Id.* 3. *Off.* 24. 93. pecuniam in reipublicæ magnum aliquod tempus. *Id.* 1. *ibid.* 20. 68. pecuniam ad beneficentiam liberalitatemque. *Nepos Ages.* 7. munera alicui. Sic *Propert.* 2. 2. 35. Hæc tibi contulerunt cælestia munera divi. *Sueton. Cal.* 20. præmia victoribus. *Quintil.* 1. 10. 18. impendia in educationem. *Plin.* 6. *Ep.* 32. puellæ L. millia nummûm. *Tac.* 3. *Ann.* 72. hostiles exuvias aut exundantes opes ornatum ad urbis et posterum gloriam.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime in bonam partem occurrit, et ponitur de consilio, studio, officio, opera, labore, diligentia et similibus, quæ alicujus commodo adhibemus, in aliqua re occupamus: et *conferre aliquid in aliquem* vel *in aliquid, ad aliquem* vel *ad aliquid*, interdum etiam *erga aliquem, alio* etc. sæpissime occurrunt. *Ter. Heaut.* 2. 4. 10. Alio animum suum conferre. *Id. Hecyr.* 3. 1. 18. animum aliquo. Sic *Auct. B. Alex.* 9. animum ad fodiendos puteos. *Cic.* 7. *Att.* 1. 2. omnem amorem suum omnemque prudentiam ad aliquam curam. *Id.* 1. *Off.* 14. 45. beneficium in aliquem. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 1022. OB BENEFICIA AB OPTIMO PRINCIPE IN SE COLLATA COLONIA AELIA etc. Similiter *alia* apud *Don. cl.* 9. n. 4. COLL. CENT. HELVIVS LEO OB MERITA ERGA SE COLLATA. Rursus *Cic.* 10. *Fam.* 5. 1. Conferre benevolentiam erga aliquem a pueritia. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. plurimum benignitatis in aliquem. *Id.* 10. *Fam.* 1. 3. omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem alicujus. Adde *eumd.* 1. *Off.* 33. 120. *Id.* 16. *Fam.* 4. 4. Ut quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris etc. *Id.* 4. *Att.* 1. Conferre plurimum operæ, studii, diligentiæ, laboris ad conficiendum reditum alicujus. *Id.* 4. *Fam.* 3. *ad fin.* omnem curam atque operam ad philosophiam. *Id.* 2. *Off.* 1. 2. omnes suas curas cogitationesque in rempublicam. *Id.* 10. *Fam.* 12. 5. curas ad dignitatem alicujus. *Id. Amic.* 19. 70. fructum ingenii et virtutis in proximum quemque. *Id.* 16. *Fam.* 13. ingenium suum ad se conservandum. *Id.* 1. *Off.* 14. 45. officia in aliquem. *Id.* 10. *Fam.* 1. 4. Quidquid in eum judicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse. *Id. pro leg. Manil.* 4. 9. Omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. *Id. Arch.* 9. 19. Conferre omne studium atque ingenium ad populi Rom. gloriam laudemque celebrandam. *Id. Ligar.* 1. 1. orationem omnem ad misericordiam. *Ovid.* 3. *Trist.* 5. 29. Quæque tibi linguæ est facundia, confer in illud, ut etc. ¶ 2. Raro admodum in malam partem occurrit. *Cic.* 9. *Att.* 8. 2. Conferre maledicta in aliquem. *Id.* 2. *Orat.* 43. 182. eadem (*vitia*) ex contrario in adversarios. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 4. Quæ nisi submoventur, pecudibus hominibusque conferunt pestem. ¶ 3. Hinc etiam *conferre* dicitur quidquid ad finem aliquem assequendum ex suo aliquid tribuit: ad rem *Colum.* 1. *R. R.* 1. 10. Alii (*scriptores*) – aliquod stipendium nostro studio contulerunt. *quod translatum est a superiori paragr. C.* I. 1. Item *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (175). Sulphur confert candorem. — Itaque *conferre*, haud aliter ac Gr. συμφέρειν, est prodesse, juvare: et occurrit fere in tertiis personis, *confert aliqua res aliquid, multum, plus, plurimum, parum, nihil, minimum* etc.; sed apud sequioris ævi scriptores, namque apud *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 15. optimorum Codicum auctoritate τὸ *conferre* tamquam glossema

expunctum est. — a) Cum Accus. et præpos. ad. Cels. 6. 6. Qui (oculi) cum magnam partem ad vitæ simul et usum et dulcedinem contulerant, etc. Colum. 12. R. R. præfat. 5. Metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Forcellino videbantur hæc esse Cic. fragm. Œcon.; et sane Colum. ex Cic. Œcon. hæc excerpsit, sed propriis reddidit verbis: V. quæ de Cic. paullo superius diximus. Adde Sueton. Tib. 4. Quintil. 7. 1. 41. Loca nihil ad probationem conferentia. Adde eumd. 1. 8. 7., 2. 19. 1., 3. 6. 7., 4. 2. 107. et alibi. — b) Cum Accus. et præpos. in. Quintil. 10. 7. 26. Rursus in alia plus prior confert (exercitatio). — c) Cum Dativo. Plin. 20. Hist. nat. 23. 98. (261). Succus radicis confert multum claritati oculorum. Id. 29. ibid. 1. 6. (13). M. Cato, cujus auctoritati triumphus atque censura minimum conferunt. Adde eumd. 17. ibid. 2. 2. (10). et 22. ibid. 23. 49. (102).; et Sueton. Vesp. 6. Quintil. 11. 2. 46. Quod et oratori et ipsi causæ plurimum confert. Id. 10. 1. 63. Alcæus plurimum moribus confert. Adde eumd. 1. 1. 6. et alibi. — Et sine Accus. Plin. 20. Hist. nat. 6. 23. (54). Allium voci confert. — c) Absolute, hoc est nullo sequente casu. Plin. 14. Hist. nat. 6. 8. (70). Senecta nihil conferente. Quintil. 1. 8. 8. Multum veteres Latini (auctores) conferunt. Id. 2. 5. 16. Plus conferunt lecti Cicero ac Demosthenes. Adde eumd. 4. 2. 123., 10. 8. 4. et 12. 6. 4. — d) Denique omnino absolute. Plin. 19. Hist. nat. 5. 26. (83). Confert alterna folia circumobruere. ¶ 4. Demum conferre est etiam rem aliquam alicui deferre, alicui committere. Cic. Marcell. 6. 18. Ut – videantur di immortales – omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse. Id. 13. Att. 12. 2. Ait, sine ulla controversia rem ad me esse collatam. Lucret. 6. 54. Ignorantia causarum conferre deorum Cogit ad imperium res et concedere regnum. Tac. 4. Hist. 53. Curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert.

D) Item conferre est personam aut rem una cum iis omnibus quæ ad eamdem pertinent, aliquo convertere, vertere.

I.) Proprie dicitur de iis, quæ ab uno in alium locum transferuntur: quo sensu sæpe occurrit conferre se pro ire, proficisci. — a) Absolute. Plaut. Bacch. 4. 6. 27. Bene navis agitatur, pulere hæc confertur ratis. — b) Sæpius addito termino, quo quis quid confert. — Generatim. Cic. 3. Att. 4. Statim iter Brundisium versus contuli. h. e. converti. Sic Brutus apud Cic. 12. Fam. 4. 4. iter eo conferre. Cic. pro leg. Manil. 7. 17. Conferre suas rationes et copias in aliquam provinciam. Auct. B. Alex. 39. legiones in mediam aciem. Auct. B. Afr. 60. tertiam aciem in sinistrum cornu, eodem equitatum. Liv. 23. 17. Aliquos eodem contulit audita Cannensis clades. Tac. 4. Ann. 46. parentes et conjuges illuc. — Similiter Cæs. 2. B. G. 13. Conferre se suaque omnia in oppidum. Id. 3. ibid. 28. se suaque eo. Nepos Themist. 2. se suaque in naves. — Hinc specialim conferre se, Mediorum apud Græcos more, pro ire, proficisci. Ennius apud Non. p. 518. 20. Derepente contulit sese in pedes! Adde Plaut. Bacch. 3. 1. 7. Gracchus apud Cic. 3. Orat. 56. 214. Quo me miser conferam? quo vertam? Cic. Cæcin. 8. 22. Conferre se in fugam. Id. Amic. 11. 37. se ad hostes. Sic Nepos Alcib. 5. et Con. 2. se ad aliquem. Rursus Cic. 3. Orat. 56. 213. Cum Æschines se Rhodum contulisset. Id. Flacc. 21. 49. se Romam. Lentulus apud Cic. 12. Fam. 4. 4. se Laodiceam. Nepos Pausan. 3. se Colonas. Liv. 9. 16. Se confert acies aliquo. Cels. 2. 12. Pituita eo se humorve confert.

II.) Translate. ¶ 1. Conferre se ad aliquem, aut ad rem aliquam, aut in rem aliquam, est se applicare, se dedere. Cic. Amic. 1. 1. Quo mortuo me ad pontificem Scævolam contuli. Id. Brut. 81. 281. et 11. Fam. 29. 2. Conferre se ad amicitiam alicujus. Id. 4. Phil. 2. 5. se ad senatus auctoritatem, libertatem populi Romani, ad universam rempublicam. Adde eumd. 4. Acad. (2. pr.) 3. 9. Id. 1. Acad. (post.) 9. 34. se ad investigationem naturæ. Id. Amic. 23. 86. se ad rem publicam. Id. Arch. 3. 4. se ad studium scribendi. Id. ibid. 7. 16. se ad studia litterarum. Id. 5. Fin. 20. 57. se ad studia doctrinæ. Adde Sueton. Gramm. 24. Rursus Cic. 7. Fam. 17. se in amicitiam et fidem alicujus. Id. Rosc. Am. 37. 106. se in alicujus fidem et clientelam. Id. 13. Fam. 10. se in societatem publicanorum. Id. 12. Phil. 3. 7. se totos et animis et corporibus in salutem reipublicæ. ¶ 2. Item dicitur de iis, quæ ab uno in alium statum mutantur et convertuntur. Plaut. Amph. 1. 2. 16. Conferre seditionem in tranquillum. Ter. Eun. 4. 6. 4. verba ad rem. h. e. Italice venire dalle parole ai fatti. Hinc sæpe apud Ovid. in Met.; ut 12. ibid. 145. corpus deus æquoris album Contulit in volucrem. Id. 4. ibid. 277. quem Nymphæ pellicis ira Contulit in saxum. Adde eumd. 9. ibid. 348. et alibi. Nonnulli leg. etiam apud Cic. 3. Off. 20. 82. Utrum ex homine se quis conferat in belluam. At ibi plerique, inter quos Orell., leg. convertat. ¶ 3. Conferre causam, culpam, etc. in aliquem est in eum rejicere, transferre culpam, præsertim falsam. Ter. Eun. 2. 3. 95. Si certum est facere, facias: verum ne post conferas culpam in me. Sic Plaut. Amph. 2. 2. 165. et Cic. 9. Att. 2. A. Conferre culpam in aliquem. Id. 12. Att. 31. causam in aliquem. Sic Liv. 5. 11. Qui noxii ambo, alter in alterum causam conferant. Cic. 3. Orat. 61. 228. Scitum est, causam conferre in tempus, cum afferre plura, si cupias, non queas. Id. 3. Verr. 15. 41. et Cæl. 12. 30. Conferre crimina in aliquem. Id. Rosc. com. 6. 17. Falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum. Id. Flacc. 17. 41. Conferre invidiam mortis alicujus in aliquem. Id. Rosc. Am. 35. suspicionem in aliquem. Id. Senect. 5. 14. vitia in senectutem. Id. Planc. 14. 35. permulta in aliquem, quæ ab eo numquam dicta sunt. Id. 5. Fam. 5. 2. verbum falso in aliquem. Cf. Id. Pis. 27. 64. Conferre in infamiam plebis ea, quæ per latrones acta sunt. Cæs. 1. B. G. 40. Conferre timorem suum in rei frumentariæ simulationem angustiasque itinerum.

E) Denique conferre est plura componere, ut fiat comparatio: ad rem Ter. Adelph. 1. 2. 14. Denique si conferendum exemplum est, non fratrem videt rei dare operam. Et Cic. 6. Verr. 54. 121. Conferte Verrem, non ut hominem cum homine comparetis, etc. — Porro hac significatione occurrit — a) Absolute, seu cum Accusativo tantum. Plaut. Pœn. 5. 2. 88. Tesseram conferre si vis hospitalem. Cic. 1. Off. 22. 77. Quæ res igitur gesta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Adde eumd. 6. Verr. 20. 45. Nepos Hann. 13. Quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari. Liv. 1. 39. Nec cum quæreretur gener Tarquinio, quisquam Romanæ juventutis ulla arte conferri potuit. Ovid. 6. Fast. 15. Nec quas Priamides in aquosæ vallibus Idæ Contulit. Id. 7. Met. 696. conferre faciem moresque duarum. Plin. 7. Hist. nat. 48. 49. (159). Collatis censibus, quos ante detulerat. Sueton. Cæs. 47. Conferre margaritarum amplitudinem. Plin. 8. Ep. 6. se. — Et de iis, quæ ab alio codice exscripta sunt Cic. 4. Verr. 77. 190. Hæc omnia summa cura et diligentia recognita et collata, et ab hominibus honestissimis obsignata sunt. — b) Cum addito Dativo. Cic. Orat. 4. 14. Parva magnis sæpe rectissime conferuntur. Id. 2. Invent. 80. 151. Conferre aliquid alicui rei. Lucret. 2. 1167. tempora præsentia præteritis. Horat. 1. Sat. 5. 44. Nil ego contulerim jucundo sanus amico. Propert. 1. 5. 7. conferre puellam puellæ. Adde eumd. 2. 2. 80. Id. 2. 21. 11. Num sibi collatam doluit Venus? Seneca 5. Controv. 33. Conferre ingenia ingeniis. — Immo cum Dativo liberiores quædam occurrunt dicendi rationes. Cic. 1. Off. 22. 78. Tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinæ conferendi sunt (Pausanias et Lysander). Propert. 1. 4. 9. conferre puellam levibus figuris. Ovid. 1. Pont. 1. 25. conferre se nominibus magnis. Phædr. 4. 23. se laudibus alterius. — c) Cum addito Ablat. et præpos. cum. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 23. 73. Quem cum eo conferre possumus non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi? Et mox. Qui mihi cum illo collati, quintæ classis videntur. Id. 6. Verr. 52. 121. Conferre pacem cum bello, leges cum vi, forum et jurisdictionem cum ferro et armis, adventum et comitatum cum exercitu et victoria. Id. ibid. 20. 45. vitam atque existimationem alicujus cum alterius. Id. Sull. 26. 72. vitam alicujus cum moribus alterius. Id. Opt. gen. orat. 6. 17. cum maximis minima. Id. 2. Fam. 12. 2. cum una ambulatiuncula omnes provinciæ fructus. Quintil. 5. 13. 12. argumenta cum argumentis. — Liberiora sunt illa Cic. 1. Tusc. 1. 2. Jam illa, quæ naturâ, non litteris assecuti sunt (majores nostri), neque cum Græcia, neque ulla cum gente sunt conferenda. Adde eumd. 1. Orat. 44. 197. Id. Cicero. Quæ conferri cum eorum studiis potest? Refert hæc verba Nonius p. 288. 20. Merc. et 2. Off., quæ in toto illo opere nondum vidi. — d) Raro admodum cum præpos. inter et Accus. se. Cic. Rosc. com. 7. 20. Vitam inter se utriusque conferte. — e) Item raro admodum cum præpos. ad et Accus. Varro 9. L. L. 28. Müll. Bos ad bovem collatus, similis.

CONFERRŪMĬNO, as, are, a. 1. idem ac ferrumino, conglutino. Plin. 27. Hist. nat. 8. 45. (69). Conferva appellata a conferruminando.

CONFERTĒ, adverb. Comp. Confertius. — Conferte est idem quod confertim. Ammian. 31. 15. Conferte in cuneum desciverunt ad Barbaros. Al. rectius leg. conferti. Id. 24. 7. Nunc de industria se diffundebant, aliquoties confertius resistentes.

CONFERTIM, adverb. dense, densis ordinibus. Sall. Jug. 54. Non confertim, neque in unum se recipiebant, sed alius alio etc. Liv. 31. 43. Confertim et pugnant et cedunt. Adde eumd. 21. 8. V. et voc. præced.

CONFERTUS, a, um. V. CONFERCIO.

CONFERVA, æ, f. 1. muscus, vel potius spongia aquarum dulcium, seu herba villosæ densitatis ac fistulosæ: a confervendo, quia ossa confracta sanat. Peculiaris est Alpinis fluminibus. Plin. 27. Hist. nat. 8. 45. (69). — Hoc nomine Apul. Herb. 59. appellari ait etiam consolidam. Et sane in nominis significatione satis conveniunt. — Ceterum cl. Fée ad Plin. loc. cit. (Op. cit. vol. 3. p. 445. et seq.) hæc ait: «Les anciens botanistes réunissaient, sous le nom de conferva, une foule de plantes aquatiques, qui aujourd'hui constituent une famille entière, composée d'un très-grand nombre de genres. Chercher à préciser l'espèce dont il s'agit ici, est de tout point impossible: toutefois le genres vaucheria, zignema et conferva sont ceux dont le plus grand nombre d'individus vivent au milieu des eaux courantes: il est même deux espèces, les Conferva rivularis et glomerata de Linné, sur lesquelles l'attention peut se diriger, car elles sont plus communes que les autres. Il est inutile de prévenir que l'application médicale qu'en fait Pline, est de tout point fabuleuse. C'est une plante inerte et inusitée. Les Grecs ne l'ont pas mentionnée dans les ouvrages qu'ils nous ont laissés ».

CONFERVĔFĂCIO, is, ere, a. 3. fervere facio. Lucret. 6. 352. Aurumque repente Confervefacit.

CONFERVĔO, ferves, ferbŭi, fervere, n. 2. (cum et ferveo). Part. Confervens I. 1. — Conferveo est simul ferveo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Pallad. 1. R. R. 35. 13. Urina bubula et amurca æqualiter mista confervenat. Theod. Priscian. 4. de semine sub init. Quærunt etiam, qua causa confervens atque crassum, post digestionem aquatum atque frigidum fiat (semen). ¶ 2. Specialim dicitur de ossibus fractis, quæ ferruminantur et coeunt. Cels. 8. 10. n. 1. Donec duæ partes ejus temporis, quo os quodque confervet, compleantur. Id. 8. 10. n. 7. Si quando ossa non conferbuerunt. et paullo post. Inter se ossa confervere. Al. leg. cohærere. Adde eumd. 8. 7.

II.) Figurate. Horat. 1. Sat. 2. 71. Mea cum conferbuit ira.

CONFERVESCO, is, ere, n. 3. confervere incipio, vel conferveo. Colum. 12. R. R. 23. 1. Nec postea tangitur vinum, dum confervescat. Plin. 18. Hist. nat. 30. 73. (302). Granum si tegulis subjaceat, confervescere. — Item incalescere. Vitruv. 2. 6. 4. Schneid. Aer inclusus versando confervescit. Adde eumd. 8. 3. 2. et 7. 11. 1.

CONFESSĒ, adverb. sine ulla controversia. Boeth. in Arist. Prædic. 2. p. 161. Quæ confesse a relativorum definitione segregata sunt. et ibid. p. 162. Quæ confesse relativa est.

CONFESSĬO, ōnis, f. 3. actus confitendi (It. confessione, manifestazione; Fr. aveu, confession; Hisp. confesion, manifestacion; Germ. d. Eingeständniss, die Bekenntniss, Anerkenntniss; Angl. a confession, acknowledgment). Occurrit ¶ 1. Generatim. Cato apud Gell. 7. 3. Ea confessionem faciunt, non defensionem. h. e. rem manifestant. Adde Cic. Milon. 6. 15. Id. Cic. 1. Invent. 32. 54. Quoniam taciturnitas imitatur confessionem. Sueton. Galb. 10. extr. Exprimere confessionem ejulatu. — Porro sæpe occurrit — a) Addito Genit., uti ajunt, objecti, sive rei, quam quis confitetur. Cic. Sext. 69. 145. Deferre ad aliquem indicia, litteras, confessiones communis exitii. Id. 1. Divinat. 17. 33. Confessio errati sui. Id. Milon. 6. 15. facti. Id. 1. Acad. (post.)

12. 44. ignorationis. *Id. Cluent.* 53. 148. captæ pecuniæ. *Liv.* 21. 18. et 36. 27. culpæ. *Vellej.* 2. 96. Dalmatia ducentos annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii. *h. e.* ita ut certo fateretur se esse sub R. imperio. *Sueton. Tib.* 19. Confessio facinoris. *Quintil.* 2. 11. 2. inscitiæ. *Id.* 11. 1. 76. pœnitentiæ. *Tac.* 2. *Ann.* 33. vitiorum. — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Liv.* 2. 4. Gratum id multitudini spectaculum fuit: submissa sibi esse imperii insignia; confessionemque factam, populi, quam consulis, majestatem vimque majorem esse. Adde *eumd.* 1. 45., 7. 7., 9. 2. et alibi. — *c*) Cum præpos. *de* et Ablat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Confessio de somno piscium. *h. e.* testimonium, quod pisces dormiant. — *d*) Cum Genitivo, uti ajunt, subjecti, sive ejus, qui rem confitetur. *Cic.* 7. *Verr.* 40. 101. Confessio illorum. *Id. post red. ad Quir.* 1. 1. inimicorum. *Cœl.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. Nefariæ patris confessiones. *Vellej.* 2. 43. Omnium confessione senatus princeps. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (14). Illius ævi confessione optimus agricola. *Quintil.* 6. 3. 9. Confessio vultus ac vocis. — *e*) Cum Pronom. possess. *Cic.* 7. *Verr.* 64. 166. Indui et jugulari sua confessione. *Id.* 6. *ibid.* 47. 104. Urgeri confessione sua. Adde *Liv.* 28. 40. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 12. Arguere aliquem confessione sua. *Cic.* 3. *Cat.* 6. 15. confessionibus suis. *Quintil.* 8. *procem.* 18. confessionem meam. ¶ 2. Speciatim ampliori significatione. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (103). Laser ad extera corporum indubitatas confessiones habet. *h. e.* testimonia eorum qui confitentur se eo sanatos. ¶ 3. Item speciatim confessio est exornatio oratoria, species prolepseos, ut apud *Cic. Rabir. Post.* 1. 1., ubi Rabirium sua quoque sententia reprehendendum fatetur, quod pecuniam regi crediderit. Ita *Quintil.* 9. 2. 17. Adde *eumd.* 12. 1. 33.

CONFESSĪVUS, a, um, adject. qui confitetur. *Caper de Orthogr.* p. 2246. *Putsch.* Confessiva fit vox et duplici voce abnegativa, ut *non nolo*; ostendo enim me velle.

CONFESSOR, ōris, m. 3. qui confitetur: et præsertim qui illustri aliquo testimonio confitetur et prædicat Catholicam fidem: præcipue vero qui pro ea in tormentis fuit, licet in his vitam non exuerit. *Sidon.* 7. *Ep.* 17. *in carm.* Sed confessorem virtutum signa sequuntur. Adde *Lactant. Mort. persecut.* 35.; *Hieronym. Ep.* 82. n. 7.; *Paulin. Nolan.* 28. 102. et 18. 152.; et *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 55.

CONFESSŌRIUS, a, um, ad confessionem pertinens. ¶ 1. *Confessoria actio*, cui opponitur *negatoria*, apud JCtos est, qua petimus ab alio, qui jus nobis competens auferre conatur, ut confiteatur tale jus ad nos pertinere, nosque in ea possessione relinquat. *Ulp. Dig.* 8. 5. 2. et 4., et 8. 8. 1. *pr.* § 1. ¶ 2. Item quæ datur alicui adversus confitentem de damno dato. *Ulp. Dig.* 9. 2. 23. § 11., 9. 2. 25. § 1. et 11. 1. 20. *pr.*

CONFESSUM, i, n. 2. *V.* CONFITEOR in fin.

CONFESSUS, a, um. *V.* CONFITEOR.

CONFESTIM, adverb. a *cum* et *ferri*, unde etiam *festinus* et *festinare*, quæ *V.* suo loco; perperam enim *Verrius Flaccus* apud *Gell.* 16. 14. a *fando* deducit; quod etymon ipsi *Gellio* nimis coartum atque absurdum videtur. Hinc *confestim* ¶ 1. Proprie et stricto sensu est jugi festinationis studio, ut veteres Grammatici apud *Charis.* 2. p. 176. *Putsch.* exponunt; et jungitur fere cum verbo *sequi* vel cum ejusdem compositis. *Sisenna* apud *Charis. loc. cit.* Confestim sequi Adde *Liv.* 44. 3. *Cic.* 2. *Invent.* 12. 42. Quæ gestum negotium confestim aut ex intervallo consequuntur. Adde *eumd. ibid.* 28. 43. *Lucret.* 4. 341. Insequitur candens confestim lucidus aer. Adde *Quintil.* 1. 2. 54. *Cæs.* 4. *B. G.* 32. Cohortes armari et confestim se subsequi jussit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 18. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro continuo, protinus, sine intermissione, sed ita ut festinationis studium semper subsit: et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 3. 3. 70. Abi ad thesaurum jam confestim clanculum. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Janitor: Quis tu? A Marco tabellarius. Confestim ad eam, cujus causa venerat, deducitur, eique epistolam tradidit. Et additis *sine ulla mora*, quæ verba Grammatici *parallela* dicunt, *Id. Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Rem administrandam arbitror sine ulla mora et confestim gerendam. *Liv.* 40. 12. Conjecti oculi in Demetrium sunt, velut confestim responsurus esset. *Lucret.* 4. 189. Suppeditatur enim confestim lumine lumen. *Virg.* 9. *Æn.* 231. confestim alacres admittier orant. Adde *Cic.* 14. *Att.* 4. 2.; *Lucret.* 5. 284.; *Nepot. Epam.* 4.; *Catull.* 64. 285.; *Liv.* 1. 32., 1. 51., 2. 7. et alibi sæpe; *Horat.* 1. *Ep.* 12. 9.; *Curt.* 4. 12. 1.; *Colum.* 2. *R. R.* 10. 16.; *Apul.* 10. *Met.*; *Sueton. Tib.* 13. et *Cal.* 15.; et *Dig.* 5. 1. 19. §. 2. — *b*) Interdum respondet adverbio *postea cum*, ut apud *Cic. Cluent.* 67. 192. Larini est commorata: postea autem, cum appropinquare hujus judicium ei nunciatum est, confestim huc advolavit. — Vel particulæ *cum*, ut apud *Nepot. Pausan.* 5. Hic cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. — Vel denique particulæ *ut*, quemadmodum apud *Liv.* 1. 12. Ut Hostus recidit, confestim Romana inclinatur acies. Adde *Sueton. Aug.* 10.

CONFESTĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod festinatio. *Apul.* 10. *Met.* p. 233. *Bipont.* Et itur confestim magna confestinatione ad illud sepulcrum. At *Elmenh.* p. 244. rectius legit *magna cum festinatione.*

CONFĒTA sus dicebatur, quæ cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium. *Paul. Diac.* p. 57. 21. *Müll.* Cf. *Virg.* 8. *Æn.* 43.

CONFEXIM pro *confecerim. V.* CONFICIO sub init.

CONFĪBŬLA, æ, f. 1. idem ac fibula. Apud *Caton. R. R.* 12. est ligneum vinculum, quo arbor seu trabs comprimitur, ne findatur.

CONFĬCIENS, entis. *V.* voc. seq.

CONFĬCIO, ficis, fēci, fectum, ficere, a. 1. (*cum* et *facio*). *Confexim* pro *confecerim* vel *confecero* quidam leg. apud *Plaut. Truc.* 4. 4. 39., quemadmodum *effexis* pro *effeceris* dixit *Id. Cas.* 2. 5. 63. — Passivum *confici*, etiam in Præsenti et Imperfecto, quacumque usurpatur significatione; quamquam præcipue apud Veteres forma *confio, confieri* usu venerit, a qua *Cicero* de industria se abstinuisse videtur. *V.* CONFIO loco suo. — Part. *Conficiens* in fin.; *Confectus* in omnibus fere paragr.; *Confecturus* et *Conficiendus* sub *A.* 1. — Conficere proprie est cum alio aliquid facere, simul operari, teste *Paul. Diac.* p. 59. 2. *Müll.* Confecerunt, una fecerunt. Sed sumitur generatim *A*) Pro facere, efficere, elaborare, exsequi, perficere, finire, complere; *B*) Item est sibi aliisve aliquid comparare præcipue plura colligendo; *C*) Denique est plura simul ad aliquid efficiendum ita præparare et usurpare, ut hæc eadem minuantur, mutentur, concidantur, immo etiam deleantur ac consumantur.

A) Conficere ponitur pro facere, efficere, elaborare, exsequi, perficere, finire, complere. ¶ 1. Generatim usurpatur de omnibus, quæ corporis aut animi viribus fiunt, perficiuntur, vel quomodocumque elaborantur. *Cic.* 3. *Orat.* 32. 127. Anulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. *Id.* 1. *Legg.* 6. 18. Ratio summa, insita in natura, cum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est. *h. e.* firmata et definita, facta, aptata rebus particularibus. *Id. Balb.* 20. 47. Si Marius tanta bella legisset, quanta gessit et confecit. *Id. Prov. cons.* 8. 19. Bellum affectum videmus, et, ut vere dicam, pæne confectum. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 90. Optimum est intra cal. decembr. sementem confecisse. *Auct. B. Alex.* 65. Hæc celeriter se confecturum sperabat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 45. (157). Prisci aurum et argentum ne dis quidem conficiebant. *h. e.* elaborabant. *Id. ibid.* 15. 50. (175). Ad ellychnia maxime conficienda. *Id.* 16. *ibid.* 36. 55. (159). Calamis Orientis populi bella conficiunt. — Porro jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. Cluent.* 26. 74 absolutio confici poterat sententiis XVI. *Ter. Adelph.* 4. 5. 69. aliquid dormienti. *Cic.* 2. *Att.* 4. 1. aliquid amanter diligenterque. *Nepos Con.* 3. aliquid per aliquem. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. aliquid diebus XX. ægerrime. *Cic.* apud *Non.* p. 269. 20. *Merc.*; *Cæs.* 1. *B. G.* 54. et 3. *ibid.* 28.; *Nepos Themist.* 4.; *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. *extr.*; *Sall. Cat.* 51.; *Liv.* 21. 10. bellum. Sic *Horat.* 2. *Ep.* 1. 254. duella confecta. *Nepos Dion.* 10. cæde confecta. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 9. centones confecti. *Id.* 12. *ibid.* 3. 8. cibum familiæ. *h. e.* parare. *Edict. Diocl.* p. 23. corium bubulum infectum formæ primæ X quingentis. Idem confectum ad soleanda calceamenta X septingentis quinquaginta. *corium confectum* dicitur a coriario medicatus, It. *conciato*, et opponitur infecto. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. delectu confecto. Adde *Liv.* 25. 8. *Cic. Rosc. Am.* 28. 76. facinus. *Id. Brut.* 74. 259. famam alicui conficit aliqua res. *Ter. Phorm.* 5. 2. 5. aliquid flagiti. *Cæs.* 6. *B. G.* 19. funeribus justis confectis. *Nepos Phoc.* 4. legitima quædam. *Id. Att.* 18. *extr.* librum Græce. *Id. Hann.* 13. libri Græco sermone confecti. *Cic.* 13. *Att.* 26. 2. litteras. *Id.* 16. *ibid.* 4. *sub fin.* ludorum confectorum nuncios expectare. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (108). medicamina. *Catull.* 68. 149. munus confectum carmine. *Cic.* 3. *Fam.* 11. *ad fin.* orationes confectæ. Adde *Nepot. Cat.* 3. Sic *Cic.* 2. *Orat.* 28. 121. partem orationis perpolire atque conficere. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 93. pallium conficitur tunicæque hibernæ bonæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 6. 12. (55). pelles candidas conficere. *h. e.* inficere. *V.* CONFECTOR; et cf. *Arnob.* 2. 41. Conficiendis quærere corporibus fucos. *Plaut. Merc.* 2. 3. 81. et *Pers.* 2. 4. 1. pensum. *Pallad.* 13. *R. R.* 6. pernas et lardum conficere. *h. e.* salire et condire servandi causa. *Sall. Cat.* 61. prælium. *Cic.* 6. *Att.* 7. 2. rationes confectæ. *Id.* 1. *Off.* 21. 76. rem vi manuque. *Id.* 16. *Att.* 16. s. § 8. res magnâ curâ, multâ operâ et labore. *Id.* 2. *Fam.* 15. res mehercule confecta ex mea sententia est. Alio sensu *Id.* 8. *Att.* 4. *extr.* Confecta res est. *h. e.* actum est de Italia. *Manut.* Ceterum priore significatione *Cæs.* 1. *B. G.* 3. ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt. *Nepos Pelop.* 3. et *Sall. Cat.* 46. quibus rebus confectis. *Nepos Hann.* 2. rem divinam. *Cic.* 13. *Fam.* 11. 1. et 6. *Verr.* 45. 99. sacra. Adde *Liv.* 30. 14. et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (89). *Cic.* apud *Non.* p. 269. 12. *Merc.* senatusconsulta confecta. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. reliquo sermone confecto. *Plaut. Capt.* 3. 5. 67. sesquiopus. *Cic.* 4. *Herenn.* 15. 22. significationem alicujus rei. *Id.* 3. *Verr.* 23. 60. tabulas. *Cæs.* 1. *B. G.* 29. tabulas litteris Græcis. *Sueton. Aug.* 73. vestis a filia neptibusque confecta. Adde *Cic.* 6. *Verr.* 26. 89. et *Colum.* 12. *R. R.* 3. 6. *Cæs.* 7. *B. G.* 3. vigiliam. ¶ 2. Speciatim confici dicuntur mandata, munera, negotia et similia, quæ perficiuntur, transiguntur, expediuntur: et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Planc.* 11. 28. Conficere legationem et mandata. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 14. 2., 9. *Phil.* 3. 6. et 5. *Att.* 14. 3.; et *Sall. Jug.* 13. mandata. *Cic.* 2. *Fam.* 12. 1. Cum tu hæc leges, ego jam annuum munus confecero. *Id.* 2. *Orat.* 3. 11. Conficere munus susceptum. *Id.* 10. *Fam.* 17. 1. negotium ex sententia. *Id.* 1. *Att.* 16. 5. totum negotium conficere per aliquem. Adde *Nepot. Con.* 3. et *Cæs.* 1. *B. C.* 29. *Cic.* 5. *Fam.* 20. Conferre cum aliquo et conficere rationes. *Cæs.* 3. *B. G.* 103. Conficere legationis officium. *Id.* 1. *B. C.* 7. rem sine pugna et sine vulnere. Cf. *Cic.* 3. *Att.* 23. 4. Modo res conficiatur. Adde *Nepot. Timol.* 1. et *Miltiad.* 1. *Sueton. Aug.* 78. Conficere residua diurni actus. — *b*) Absolute *Cic.* 1. *Att.* 13. 6. Ista confice. — Et omisso Accus. *Cic.* 7. *Fam.* 2. 1. Quod si mihi permisisses, qui meus amor in te, confecissem cum cohæredibus. *h. e.* negotium perfecissem. *Id.* 12. *Att.* 19. 1. Tu cum Apella Chio confice de columnis. *Id.* 1. *ibid.* 5. 4. De Acutiliano negotio, quod mihi mandaras, ut primum Romam veni, confeceram. — *c*) Denique cum Accusativo rei, quæ agendo, tractando, negotiando perficitur. *Ter. Andr.* 4. 1. 26. et 50., *Heaut.* 5. 1. 22. et *Phorm.* 2. 1. 28.; et *Sueton. Claud.* 26. Conficere nuptias. *Ter. Heaut.* 5. 2. 45. pacem in leges suas. Adde *Cic. Flacc.* 12. 29. *Cic.* 5. *Att.* 13. 1. pactiones. ¶ 3. Item speciatim de itineribus. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 1. Conficere ambulationem in Academia. *Id.* 5. *Att.* 12. 1. cursum. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 362. Rursus *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 2. cursum vitæ. *Id.* 1. *Nat. D.* 31. 87. Cursus annuos conficit sol. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 20. 52. *Id.* 5. *Att.* 14. 2. Iter conficiebamus æstuosa et pulverulenta via. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 14. et 4. *ibid.* 4.; *Nepot. Ages.* 1.; et *Sueton. Claud.* 17. *Cic. Senect.* 2. 6. Conficere longam aliquam viam. *Sueton. Cæs.* 57. longissimas vias celeritate incredibili. — Hinc ponitur etiam de loco, seu spatio, quod quis iter faciens transgreditur. *Virg.* 2. *G.* 541. Sed nos immensum spatiis confecimus æquor. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Sol conficit XII. signorum orbem. *Id.* 1. *ibid.* 31. 87. Disparibus temporibus eadem spatia conficiunt stellæ. Sic *Nepos Thrasyb.* 9. Conficere dimidium spatium itineris. Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 1. 1. Vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecta. *Id.* 4. *Att.* 16. 14. Ut mille passuum conficiatur. ¶ 4. Item speciatim de tempore et anni tempestati-

hus, et est finire, explere. Plaut. Trin. 3. 2. 77. Nimis longo sermone utimur: diem conficimus. Cic. Orat. 52. 176. Isocrates prope centum confecit annos. h. e. vivendo pergit, explevit. Id. 1. Tusc. 38. 92. Conficere annos sexaginta. Id. Cæl. 17. 39. omnem vitæ suæ cursum. Cf. superiorem paragr. 3. Id. Quinct. 12. 40. Biennio jam confecto. Id. 3. Fin. 22. 76. Extremum vitæ diem morte conficere. Id. 15. Att. 15. 4. Annuum tempus conficitur. Sil. It. 4. 89. Lux aderat, somnusque suas confecerat horas. — Sic Cic. 3. Fam. 9. 4. Confectis æstivis. Colum. 2. R. R. 8. 2. Æquinoctium conficitur. Adde eumd. 11. ibid. 2. 35. et 11. ibid. 3. 51. Seneca 3. Quæst. nat. 29. Bruma conficitur in aliquo astro. Adde Colum. 2. R. R. 8. 2., 8. ibid. 5. 1. et 9. ibid. 14. 12. Sic Plin. 18. Hist. nat. 26. 63. (232). Donec conficiatur bruma. h. e. donec brumæ tempus finiatur. Colum. 11. R. R. 2. 54. Messis conficitur. Apud Plin. 16. Hist. nat. 23. 36. (87)., 18. ibid. 25. 57. (207). et 18. ibid. 28. 68. (265). confectum sidus est, cum vel in cœlo apparere desiit, vel ejus vis peracta est et cessavit. Eodem sensu confici sidus dicitur apud eumd. 2. ibid. 41. 41. (108).

B) Conficere est etiam aliquid sibi vel aliis comparare, præcipue plura colligendo: et occurrit ¶ 1. Fere cum Accusativo rerum, quas colligendo quis comparat: et jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cæs. 2. B. G. 21. armata millia centum. Cic. 1. Att. 7. bibliothecam alicui. Id. pro leg. Manil. 21. 61. exercitum difficili reipublicæ tempore. Adde Liv. 2. 40. sub fin. Rursus Cic. 8. Att. 11. 2. exercitus maximos. Cæs. 1. B. C. 24. equites circiter ccc. Adde eumd. 3. B. G. 23. et Liv. 29. 35. Cic. 12. Att. 37. 2. hortos alicui. h. e. emendo comparare. Nepos Hann. 10. multitudinem magnam serpentum. Ter. Phorm. 1. 1. 4. paullulum nummorum. Plaut. Merc. prol. 95. peculium grande. Cic. Flacc. 9. 20. pecuniam. Id. 3. Verr. 52. 138. pecuniam permagnam ex aliqua re. Id. 9. Fam. 13. extr. reditum alicui. h. e. perficere, ut redire in patriam possit. Adde Sueton. Cæs. 5. Cic. apud Non. p. 193. 11. Merc. summa confecta ex singulis æribus. Ter. Eun. 5. 4. 6. virginem alicui: ejus verba sunt: Virginem, quam amabat, eam confeci sine molestia. h. e. devici, expugnavi, illi conciliavi. V. ibi Donat. Sic conficere centurias apud Cic. 11. Fam. 16. 3. et Q. Cic. Petit. cons. 5. 18. est parare sibi suffragia centuriarum in petitione honorum. Similiter Cic. Planc. 18. 45. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint. h. e. conciliare suam tribum amicis suis et cognatis. Quidam hic legunt reficere, sed male. — Huc pertinent et illa Cic. Brut. 74. 259. Conficere famam bene loquendi. Gr. ποιεῖν ὄνομα. Id. 2. Orat. 79. 324. Ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in causa. h. e. movendos, excitandos. Orellius pro trahitur legit trahemus. Ter. Heaut. 5. 3. 1. Nisi caves, aliquid gnato conficies mali. h. e. comparabis, afferes. Sic Id. Andr. 4. 1. 31. Quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines. ¶ 2. Raro admodum absolute ponitur, et conficere est efficiendi vim habere. Cic. Partit. orat. 26. 93. Sunt aliæ (causæ), quæ ipsæ conficiunt, aliæ, quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt etc. V. Conficiens in fin. hujus voc. ¶ 3. Cum duplici Accus. est reddere, seu facere ut quis aut quid in aliqua sit condicione. Cic. 1. Invent. 55. 106. In hac (conquestione) primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius commoveri possit. Cf. Varron. 1. R. R. 1. 2. ¶ 4. Denique est etiam verbum disputantium et significat efficere, manifestum facere, adeoque ponitur pro colligere, concludere, argumentatione inferre: ad rem Cic. 4. Herenn. 30. 41. Conclusio est, quæ brevi argumentatione ex iis, quæ ante dicta sunt, aut facta, conficit id, quod necessario consequatur. Adde eumd. 1. Invent. 31. 53. Id. 1. ibid. 40. 72. Cum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione. Al. tamen aliter leg. Adde eumd. ibid. § 73. et 2. ibid. 47. 87.; et Quintil. 5. 14. 9., 5. 14. 22., 9. 4. 69. et alibi.

C) Denique conficere est plura simul ad aliquid efficiendum ita præparare et usurpare, ut hæc eadem minuantur, mutentur, comminuantur immo etiam deleantur ac consumantur. ¶ 1. Ponitur de rebus physicis seu materialibus, quæ conciduntur suamque mutant formam. Cato R. R. 16. Conficere ligna ad fornacem. h. e. in frusta concidere. Cic. 2. Nat. D. 63. 158. Villis ovium confectis atque contextis homines vestiuntur. h. e. villis, qui ovibus avelluntur, in fila ducuntur etc. Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (191). Ceres invenit frumenta molere et conficere. h. e. in panes formare. Cic. 2. Nat. D. 54. 134. Dentes acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt. h. e. mandunt. Adde Liv. 2. 32. et Plin. 11. Hist. nat. 37. 61. (160). Rursus Cic. 2. Nat. D. 54. 134. et 55. 137. Cibus coctus et confectus. h. e. maceratus, digestus. Adde eumd. Tim. 6. Plin. 26. Hist. nat. 8. 28. (43). Alvus cibos non conficit. Adde eumd. 11. ibid. 37. 68. (180). et 37. 79. (201).; et Scribon. Compos. 122. ad fin. Sic apud Colum. 5. R. R. 6. 4. justa cibariorum conficere dicuntur pecudes, quæ justam pabuli quantitatem consumunt. Et figurate Quintil. 10. 1. 19. Lectio, non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta. ¶ 2. Item ponitur de rebus physicis seu materialibus, quæ delentur, consumuntur. — a) Generatim. Cic. Marcell. 4. 11. Nihil est enim opere et manu factum, quod non aliquando conficiat et consumat vetustas. Adde eumd. 2. Divinat. 57. 117. — b) Sic de cibis. Plaut. Men. 3. 2. 4. Conficere prandium. Cic. 9. Fam. 18. 3. pavones, pullos columbinos. — c) Et de rerum elementis. Lucret. 1. 904. Ignes conficiunt silvas. Id. 536. Confici igne, frigore. Cf. Cic. 3. Off. 6. 29. Val. Flacc. 6. 384. Machina confecta flammis. — d) Denique de re familiari. Ter. Phorm. 5. 5. 11. Conficere argentum alicujus. Cic. Flacc. 36. 90. patrimonium suum. Id. Sext. 51. 110. ornamenta equestris ordinis. h. e. censum equestrem. Id. post red. in senat. 5. 10. suam rem non minus strenue, quam publicam. ¶ 3. Ponitur etiam de hominibus ceterisque animantibus, et est concidere, occidere. — a) Proprie de hominibus. Plaut. Truc. 2. 7. 52. Jam hercle ego te hic hac offatim conficiam. Cic. Mil. 14. 37. Hæc (sica) — ad regiam me pæne confecit. Adde eumd. Harusp. resp. 1. 2. Nepos Alcib. 10. Conficere aliquem incendio. Liv. 1. 25. alterum Curiatium. Id. 42. 16. saucium. Adde Horat. 1. Sat. 9. 29. Sueton. Cal. 58. aliquem triginta vulneribus. Tac. 1. Ann. 6. aliquem ignarum inermumque. Adde eumd. 4. ibid. 7. Huc referri potest et illud Cic. 1. Nat. D. 36. 101. Ibes magnam vim serpentium conficiunt. — b) De venatoribus, qui feras excipiunt et occidunt. Sueton. Claud. 21. Et Domit. 19.; Lamprid. Commod. 13., et alii: unde CONFECTOR, quod V. sub 2. — c) Hinc figurate. Plaut. Pseud. 1. 5. 49. Conficiet jam te hic verbis. Liv. 22. 61. Conficere aliquem omnibus notis ignominiisque. — Et metaphorâ a venatoribus sumptâ Cic. 7. Verr. 58. 161. Si ex his laqueis te exueris, in illas tibi majores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me, ex superiore loco (h. e. ex oratorio suggestu), confici et concidi necesse est. — Eadem metaphorâ, sed obsceno sensu, Sueton. Ner. 29. Cum affatim desævisset, conficeretur a Doryphoro liberto. h. e. constupraretur. — d) Cum agitur de aliquo populo, natione, provincia, conficere est domare, sub suam potestatem redigere. Cic. 2. Invent. 37. 111. Hostes consectari et conficere. Liv. 2. 40. Conficere duos hostium exercitus. Nepos Lysandr. 1. Athenienses sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecit. h. e. debellavit. Cic. pro leg. Manil. 10. 28. Pompejus plures provincias confecit, quam alii concupiverunt. Forcellinus interpretatus est administravit; sed rectius accipies pro prostravit ac domuit: sic enim Liv. 26. 21. Questus —, quod provincia confecta exercitum deportare non licuisset. V. integr. loc. Adde eumd. 27. 5., 28. 28. et 40. 35. ¶ 4. Usurpatur etiam de hominibus, civitatibus, nationibus, quæ vi aliqua physica vel morali ad summum vitæ discrimen paullatim adducuntur, debilitantur, franguntur, delentur. — a) Active Cic. 3. Att. 8. 2. Cum meus me mæror quotidianus laceret et conficit, tum vero hæc addita cura vix mihi vitam reliquam facit. Adde eumd. 1. Fin. 18. 59. Id. 1. Orat. 17. 78. Quos in foro, quos in ambitione, quos in republica, quos in amicorum negotiis res ipsa ante confecit, quam etc. Adde eumd. 2. Phil. 15. 37. Liv. præfat. § 4. Quibus jampridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt. Adde eumd. 5. 19. extr. Seneca 3. Benef. 26. Quæ (accusandi rabies) omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Cf. Cic. Harusp. resp. 20. 42. — b) Sæpe passive. Cic. 2. Off. 1. 2. Confici angoribus. Id. 4. Fam. 13. 2. curis. Id. Orat. 10. 33. desiderio alicujus rei incendi et confici. Id. 14. Fam. 4. 1. lacrimis. Id. 3. Off. 6. 29. fame, frigore. Plin. 32. Hist. nat. 10. 39. (117). Cachecti, quorum corpus macie conficitur. — Et conficior absolute pro dolore conficior cum Accus. et Infinito dixit Cic. 10. Att. 18. 3. Ipse conficior venisse tempus, cum etc. — c) Sæpius Part. præter. pass.

Confectus, a, um, occurrit; et quidem — Addito Ablativo rei, qua quis conficitur; et jungitur pluribus Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. Catull. 68. 119. ætate parens confectus. Adde Sall. Jug. 9. extr. Virg. 11. Æn. 85. ævo. Tac. 3. Hist. 22. algore atque inedia confectus hostis. Colum. 1. R. R. 8. 20. annis confecta ætas. Cic. 11. Att. 11. cruciatu confectus maximorum dolorum. Ter. Andr. 2. 1. 5. cura. Cic. Mur. 40. 86. cum corporis morbo, tum animi dolore. Adde eumd. 1. Fin. 12. 41. Id. 7. Verr. 51. 134. fame atque inopia rerum omnium confecti ac perditi nautæ. Id. 1. Cat. 10. 26. fame, frigore, inopia rerum omnium. Id. 10. Fam. 17. laboribus concursationibusque. Virg. 3. Æn. 590. macie suprema confectus. Curt. 3. 11. 25. mœrore. Ennius apud Cic. Senect. 5. 14. senio. Sic Cic. Mil. 8. 20. Tota civitas confecta senio est. Id. Rabir. perduell. 7. 21. et Pis. 34. 84. senectute. Ovid. 6. Met. 37. senectâ. Cic. Sext. 9. 20. vino, ganeis, lenociniis adulteriisque confectus homo. Liv. 5. 3. vulneribus, vigiliis, opere paucitas oppidanorum confecta. Cæs. 2. B. G. 25. et 4. ibid. 5. vulneribus multis gravibusque. — Absolute. Cic. 14. Fam. 4. Mulier ægra, et corpore et animo confecta. Id. 2. Cat. 11. 24. Gladiator confectus et saucius. Id. Dom. 23. 59. Parvus filius lacrimans et confectus. Lucret. 3. 961. Confecti artus languent. Liv. 1. 25. Fessos confectosque aggredi. Plin. 26. Hist. nat. 12. 77. (125). Corpora confecta. Harduin. exponit senilia. — Hinc Part. præs.

Conficiens, entis, adjective quoque occurrit, unde Sup. Conficientissimus; et quidem — a) Absolute. Cic. Partit. orat. 26. 93. Causæ sunt aliæ, quæ ipsæ conficiunt, aliæ quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illæ superiores, conficientes vocentur, etc. h. e. quæ in scholis efficientes dicuntur. Et mox. Conficiens causa alia est absoluta, alia aliqua adjuvans. — b) Cum Genitivo. Cic. 5. Fin. 27. 81. Hæc, cum corporis bona sint, eorum conficientia certe in bonis numerabis. Græce τὰ τῶν ἀγαθῶν ποιητικά. Id. Flacc. 19. 44. Cum civitate mihi res est acerrima et conficientissima litterarum. h. e. quæ diligentissime omnia acta perscribit. Al. leg. conficiendarum litterarum diligentissima.

CONFICTIO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus confingendi, commentum. Cic. Rosc. Am. 13. 35. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit. ¶ 2. Significat etiam simulationem, atque idem est ac fictio, quam vocem V. Cæl. Aurel. 1. Acut. 11. ante med. Dabimus igitur congrua, fingentes ea, quæ ipsi (ægrotantes) petebant. At si minime consenserint, erit confictionis argumentatio adhibenda: ut si exempli causa vinum accipere cupiunt, mulsum demus.

CONFICTĬ ΤΟ, et rectius

CONFICTO, as, are, n. 1. frequentat. a confingo. Usus est Nævius apud Varron. 7. L. L. 107. Müll.

CONFICTOR, ōris, m. 3. qui fingit. Paulin. Nolan. Ep. 21. (al. 31) n. 4. ad Amand. Manichæus veri Creatoris negator, falsique confictor.

CONFICTUS, a, um. V. CONFIGO sub init.

CONFICTUS, a, um. V. CONFINGO.

CONFIDEJUSSOR, ōris. m. 3. qui simul cum alio fidejussit. Ulp. Dig. 46. 1. 10.; Modestin. ibid. 30.; Papinian. ibid. 48.; et Paul. ibid. 2. 14. 23.

CONFIDELIS, e, adject. qui ejusdem fidei est. Absolute, substantivorum more, usurpat Cassiod. 9. Hist. Eccl. 3. Is itaque tempore tempestatis confidelium suorum numerum gubernavit.

CONFĪDENS, entis. V. CONFIDO in fin.

CONFĪDENTER, adverb. (cum. et fidenter). Comp. Confidentius 1. et 2.; Sup. Confidentissime 2. — Confidenter ¶ 1. In bonam partem est fidenter, animose. Plaut. Amph. 1. 1. 153. Certum est confidenter hominem contra colloqui. Id. Mil. glor. 2. 5. 55. Qui æquo faciat confidenter quidquam, quam quæ mulieres faciunt. Id. Pseud. 1. 5. 44. Bene confidenterque astitisse intelligo. Adde eumd. Capt. 3. 5. 6. Cic. Cæl. 19. 44. Dicam jam confidentius de studiis ejus honestis, quoniam audeo quædam, fretus vestra sapientia, libere confiteri. Id. 2. Orat. 7. 28. Loqui confidenter. Plin. 10. Hist. nat. 75. 97.

(310). Confidentius affirmator. ¶ 2. In malam partem est impudenter, nimis audacter. Afranius apud Non. p. 262. 17. Merc. Excludere virum confidenter. Turpilius apud eumd. p. 262. 14. Confidentius vivere. Ter. Heaut. 5. 3. 7. In qua re nunc confidenter restas, stulta? Cic. 4. Herenn. 5. 8. Superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter factum. Id. 2. ibid. 5. 8. Ut confidentissime resistens responderet.

CONFĪDENTĬA, æ, f. 1. fiducia, fidentia, confisio, et cum spe conjungitur apud Plaut. Most. 2. 1. 3. Occidit spes nostra, nusquam stabulum est confidentiæ (It. confidenza, franchezza, coraggio; Fr. assurance, courage; Hisp. fianza, atreviemento, es fuerza; Germ. d. Zuversicht, Keckeit, d. Selbstvertrauen, feste Vertrauen; Angl. confidence, boldness, assurance, courage). Occurrit ¶ 1. Confidentia relative est idem quod confidere, seu confidendi actus. Plaut. Pseud. 2. 4. 73. Confidentia est inimicos meos posse perdere. Jlocaliter Id. Asin. 3. 2. 3. Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti. Hic Non. p. 262. 7. Merc., nescio an recte, confidentiam poni scribit pro duritia, patientia. At hic Plautus ut diximus, jocatur, quemadmodum in illo Pers. 2. 4. 49. Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. PAE. At confidentia illa militia militatur magis, quam pondere. h. e. illa Veneris militia ausu, non pondere militatur; nempe, ut ait Ovid. 2. Amor. 10. 24. Pondere, non nervis, corpora nostra carent. Cœlius apud Cic. 8. Fam. 8. 9. Afferre confidentiam alicui. ¶ 2. Absolute, et quidem in bonam partem, est virtus, qua quis suis viribus fidit, fiducia, fidentia, animus. Nævius apud Non. p. 262. 24. Merc. Excidit orationis omnis confidentia. Plaut. Amph. 5. 1. 2. Spes atque opes vitæ meæ jacent sepultæ in pectore, neque ulla'st confidentia jam meo in corde, quin amiserim. Id. Capt. 4. 2. 32. Satur homo est: habet profecto in ventre confidentiam. Cic. fragm. apud Non. p. 262. 24. Merc. Duas sibi res, quo minus in vulgus et in foro diceret, confidentiam et vocem defuisse. Veget. 1. Milit. 8. Tiro delectus exercitio prætentandus est, ut possit cognosci, utrum habeat confidentiam militarem. ¶ 3. Item absolute, sed in malam partem, est temeritas, audacia, impudentia. Cato apud Charis. 2. p. 204. Putsch. Atque quamquam multa nova miracula fecere inimici mei, tamen nequeo desinere mirari eorum audaciam atque confidentiam. Pacuvius apud Non. p. 260. 10. Merc. Coercere atrocem confidentiam. Accius apud eumd. p. 262. 16. Reprimere confidentiam. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 34. Confidentiam habere. Adde eumd. Pers. 2. 2. 49., cujus verba V. supra sub 2. Ter. Andr. 5. 3. 5. PAMPH. Ita prædicant. SI. Ita prædicant? ingentem confidentiam. Adde eumd. Eun. 5. 1. 22. Cic. 2. Herenn. 5. 8. Quæ signa confidentiæ, non innocentiæ sunt. Id. Flacc. 4. 10. Videte quo vultu, qua confidentia dicant. Id. 2. Phil. 40. 104. Confidentia et temeritas tua. Adde eumd. Cæcin. 1. 2.; Auct. B. Alex. 52.; Quintil. 11. 3. 160. et 12. 5. 2.; et Sueton. Cal. 51.

CONFĪDENTĬLŎQUUS, a, um, adject. confidenter loquens. Occurrit tantum Comp. apud Plaut. Trin. 1. 2. 164. Neque argutum magis, neque confidentiloquius (quam scurræ).

CONFĪDO, fidis, fisus sum (et fidi), fidere, n. 3. (cum et fido). Præter. confisus sum agnoscitur a Charis. 1. p. 222. Putsch., Diomed. 1. p. 352. etc., estque usu frequentius: nihilominus confiderunt legitur apud Liv. 44. 13. Agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse. Ubi frustra Sciopp. lectionem sollicitat. Hæc Forcellinus. Recentiores tamen philologi hanc Livii lectionem omnino dubiam esse affirmant. — Part. Confidens sub 1.° et in fin.; Confisus sub 2.° — Confido est credo, spero, fidem in aliquo repositam habeo (It. confidare, confidarsi, assicurarsi; Fr. mettre sa ferme confiance, se fier entièrement à; Hisp. confiar, tener seguridad; Germ. fest vertrauen, fest verlassen, seine Zuversicht auf etwas setzen; Angl. to trust, feel confident or well assured, confide or put confidence in). Occurrit — 1.°) Absolute. Cf. Cic. 3. Tusc. 7. 14. Qui fortis est, idem est fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est. Plaut. Pseud. 4. 7. 106. BA. Meam tu epistolam dedisti servo? cui servo? HA. Syro. BA. Non confidit. Sycophanta hic nequam est. Cic. 1. Tusc. 32. 78. A. Me nemo de immortalitate depellet. M. Laudo id quidem: etsi nihil nimis oportet confidere. Sall. Jug. 13. Igitur ubi legati satis confidunt, die constituto, senatus utrisque datur. Rursus Cic. 13. Fam. 6. 5. Tibique, ut confido, gratias agam. — 2.°) Addita persona, aut re, cui quis confidit, et quidem — a) Per Dativum. Cic. 5. Phil. 1. 2. Nisi vestræ virtuti constantiæque confiderem. Id. 1. Att. 9. 2. Quidquid ejusdem generis habebis, ne dubitaris mittere; et arcæ nostræ confidito. h. e. confide, me habere pecuniam præsentem, qua solvam. Id. Amic. 5. 17. Sibi ipsum confidere. Id. Flacc. 2. 5.; et Auct. B. Afr. 19. sibi. Sic Cæs. 3. B. C. 7. Neque ii sibi confisi, ex portu prodire sunt ausi. Et Ovid. 2. Art. am. 143. Alicui timide confidere. Rursus Cic. 3. Fin. 8. 29. sibi ac suæ vitæ et actæ et consequenti. Id. 6. Fam. 6. 4. divinationi. Id. 16. Att. 16. A. § 5. parum constantiæ suæ. Id. ibid. 16. E. § 15. aut liberalitati aut amicitiæ alicujus. Cæs. 1. B. G. 53. legioni maxime. Id. 3. B. C. 24. virtuti alicujus. Liv. 21. 19. fidei Romanæ et societati. Adde eumd. 39. 53. Curt. 4. 10. 16. Satis confisus Græcorum erga se benevolentiæ et fidei. Id. 8. 9. 2. causæ suæ ferocius confidere. Ovid. Heroid. 17. 173. vitæ. Id. 10. Met. 69. figuræ suæ. Lucan. 10. 82. formæ suæ. — b) Per Ablativum sine præpos. Cic. 5. Tusc. 14. 40. Corporis firmitate, aut fortunæ stabilitate confidere. Id. Rosc. com. 1. 2. Copia et facultate causæ confisus, vide, quo progrediar. Id. 8. Att. 19. voluntate aliorum. Id. 5. Tusc. 3. 8. arte. Lentulus apud Cic. 12. Fam. 14. 4. Nulla alia confisus urbe, Laodiceam se contulit. Cæs. 3. B. C. 83. Cum Scipio affinitate Pompeji confideret. Id. 3. B. G. 9. Confidere natura loci. Id. 1. B. C. 5. celeritate navium et scientia gubernatorum. Adde eumd. ibid. 57. Auct. B. Afr. 1. animo et spe. Liv. 21. 4. non alio duce plus. Ovid. 13. Met. 240. socio Ulixe. Sueton. Cæs. 86. senatusconsulto ac jurejurando. — c) Per Dativum, an per Ablat. incertum. Cic. 9. Att. 4. Optimatibus nihil confidere. Id. 5. Tusc. 13. 40. suis bonis. Liv. 2. 45. Consules magis non confidere, quam non credere suis militibus. non confidere pertinet ad virtutem militum, non credere ad voluntatem et benevolentiam. Cæs. 1. B. G. 53. Confidere viribus. Sall. Cat. 56. his amicis sociisque. Id. ibid. 52. diis immortalibus. Id. Jug. 112. Mario parum. Propert. 1. 11. 9. Atque utinam mage te remis confisa minutis Parvula Lucrina cymba moretur aqua. Virg. 5. Æn. 870. O nimium cœlo et pelago confise sereno. Id. 1. ibid. 456. Confidere rebus afflictis. Seneca Ep. 75. bono suo. Seneca Thyest. 615. bono fragili. Sueton. Tib. 19. ostento. Val. Flacc. 6. 625. regnis suis. — 3.°) Addita re, quam futuram confidimus. — a) Per Infinitum, vel per Accusativum et Infinitum, jungiturque verbis tam præsentis, quam præteriti et futuri temporis. Plaut. Stich. 3. 2. 1. Tam confido, quam potest, me meum obtenturum regem ridiculis meis. Adde Ter. Heaut. 1. 1. 108. et Adelph. 5. 3. 10. Cic. 7. Verr. 69. 176. Ego mei jam rationem officii confido esse omnibus persolutam. Id. 6. Att. 9. Spero, et hercule, ut me jubet Acastus, confido, te jam, ut volumus, valere. Id. ibid. 7. Confido, rem, ut volumus, esse. Id. 1. ibid. 10. Confido illum fore in officio. Adde eumd. ibid. 16. E. § 16., 11. Fam. 8., 3. Off. 2. 3. et alibi. Cæs. 2. B. C. 10. Opera tueri se posse confisi sunt. Adde eumd. 1. B. C. 23. Liv. 4. 32. Satis confidere, non diuturnum gaudium fore. Lucret. 5. 391. siccare prius confidunt (venti et sol) omnia posse. Tibull. 1. 10. 45. Stulte confisus amari. Adde Sall. Cat. 17. et Jug. 26.; Ovid. 9. Met. 256.; Quintil. 5. 12. 17.; et Sueton. Cæs. 29. Plin. 10. Ep. 26. Quia confido, domine, ad curam tuam pertinere, nuncio tibi, me Ephesum navigasse. h. e. pro certo habeo: hinc Forcellinus singulari paragrapho hunc locum distinxit. — b) Per Ablat. et præpos. de. Cæs. 2. B. C. 5. extr. Ne vel domesticis opibus, vel externis auxiliis de salute urbis confiderent. Nepos Miltiad. 1. Ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent. Ulp. Dig. 1. 3. 34. Cum de consuetudine civitatis vel provinciæ confidere quis videtur. — c) Per Ablat. et præpos. in. Auct. B. Afr. 19. Quippe qui in illorum sibi confideret multitudine. — d) Cum ut partic. et Conjunct. rarum est. Plin. 2. Ep. 5. Videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. Et illud Cicer. huc pertinere cuipiam videbitur, 1. ad. Q. fr. 2. 5. Spero, superiores fore nos: confido animo, ut in hac republica ne casum quidem ullum pertimescam. Ceterum confidere animo idem est ac confidere absolute: et Ciceronis locus, Orellio teste, corruptus est. — e) Cum Accus. Stat. 2. Theb. 573. Martisque e semine Theron Terrigenas confisus avos. Al. leg. confessus, sed Priscian. 18. p. 1185. Putsch. legit confisus, dictumque docet more Græcorum, qui Θαρρῶ τοῦτο, et τούτῳ dicunt. Cf. etiam Cic. 1. Tusc. 32. 78. Nihil nimis confidere. V. supra integr. loc. sub 1.°. — Hinc Part. præs.

Confidens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. Confidentior 1. et 2., et Sup. Confidentissimus 2. — Confidens ¶ 1. Apud veteres tantum in bonam partem occurrit, teste ipso Cic. 3. Tusc. 7. 14., cujus verba superius retulimus sub 1.°; et est qui sibi confidit, fiducia plenus. Plaut. Capt. 3. 5. 8. Decet innocentem servum atque innoxium confidentem esse. Id. Amph. 1. 1. 1. Qui me alter est audacior homo, aut qui me confidentior? Ter. Andr. 5. 2. 14. Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus. Donatus interpretatur constans. ¶ 2. Sæpe in malam partem accipitur pro temerario, impudenti, improbo. Ter. Phorm. 1. 2. 73. Est parasitus quidam Phormio, homo confidens, qui illum dii omnes perduint etc. Lucilius (minime vero Pacuvius, ut habet Forcellinus) apud Non. p. 262. 13. Merc. Improbus, confidens, nequam, malus videatur. Adde Turpilium apud eumd. ibid. Cic. 7. Phil. 1. 3. Nequam est homo ille atque confidens; multi præterea improbi. Virg. 4. G. 445. Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras Jussit adire domus? Adde Ammian. 24. 11. Horat. 1. Sat. 7. 7. Confidens et tumidus. Quintil. 9. 3. 65. Pro astuto sapiens, pro confidente fortis, pro illiberali diligens. Sueton. Domit. 12. ad fin. Ab juventa minime civilis animi, confidens etiam etc. Gell. 10. 20. extr. Nimis confidentius. Apul. de Mag. Mendacium confidentissimum.

CONFĪGO, figis, fixi, fixum, figere, a. 3. (cum et figo). Part. Confictus pro confixus habet Scaurus apud Diomed. 1. p. 373. Putsch. Sagittis confictus. Adde Veget. 2. Veterin. 14. 4. Schneid.; et V. FIGO sub init. — Part. Confixus I. 1. — Configere proprie est simul figere (It. configgere, conficcare; Fr. attacher, clouer ensemble; Hisp. atar, clavar juntos; Germ. zusammenstechen; Angl. to fix or fasten together).

I.) Proprie. ¶ 1. Est ferire, transverberare; et occurrit — a) Fere cum Ablativo instrumenti, quo ferimus. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 28. 89. Hercules filios suos configebat sagittis. Id. 2. Nat. D. 50. 126. Confixæ capræ sagittis. Ovid. 2. Pont. 7. 15. Sic ego Fortunæ telis confixus iniquis. Lucan. 3. 621. Configere aliquem cuspide. Plin. 32. Hist. nat. 7. 24. (75). Configere ranas juncis. Sueton. Cæs. 68. Cohors confixa multitudine sagittarum. Id. Domit. 3. Configere muscas stilo præacuto. — b) Absolute. Virg. 2. Æn. 429. Pereunt Hypanisque Dymasque Confixi a sociis. Id. 3. ibid. 45. Hic confixum ferrea texit Telorum seges. Nepos Datam. 9. Hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi conciderunt. — Configere cornicum oculos, est callidos homines et versutos astutia et calliditate superare: estque proverbialis locutio. Cic. Mur. 11. 25. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit. V. CORNIX. — Apud Cic. 2. Orat. 62. 253. legitur hic versus Lucilii: Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit. Unde quidam eruere sibi visi sunt confixus, us, aut confixum, i: alii confixum facere idem esse ajunt, quod configere. Sed enim omnia ibi incerta sunt, lectio, interpunctio, sententia: quamquam Janus Parrhas. de quæst. per epist. sect. 50. interpretatum se putat. ¶ 2. Item est res clavis conjungere, clavis munire. Cato R. R. 21. Configere sublaminas inter se. Cæs. 3. B. G. 13. transtra clavis ferreis. Vitruv. 10. 6. 3. Schneid. Tigna in capitibus habentia transversaria confixa. Id. 10. 15. 7. Arca compacta et confixa rudentibus extentis. Colum. 7. R. R. 3. 5. Configere tabulam aculeis. h. e. aculeos tabulæ infigere. Auct. B. Alex. 2. extr. Præterea alias ambulatorias (turres) totidem tabulatorum confixerant. — Et figurate Apul. de Mundo. Cælum confixum stellis. h. e. stellas habens infixas.

II.) Translate est aliquem transverberare adeoque debilitare: ad rem Ovid. 2. Pont. 7. 15. Sic ego Fortunæ telis confixus iniquis, Pectore concipio nil nisi triste meo. Afranius apud Non. p. 89. 33. Merc.

Confixum desidere. *Cic. Harusp. resp.* 5. 8. Ducentis confixos senatus consultis. *Id.* 12. *Phil.* 7. 18. Diffidebant Servilio: meminerant, ejus sententiis confixum Antonium. *Id.* 7. *ibid.* 2. 5. Omnes vigilias, curas, cogitationes in reipublicæ salute configere. *Al.*, *inter quos et* Orell., *leg.* defigere.

CONFĬGŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. conformatio, similitudo. *Tertull. Pudic.* 8.

CONFĬGŪRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFĬGŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* figuro). Part. *Configuratus.* — Configurare est figurare, conformare, ad similitudinem alterius effingere. *Colum.* 4. *R. R.* 20. 1. Ne pravitas statuminum ad similitudinem sui vitem configuret. *Lactant.* 7. 4. Homo ex rebus diversis ac repugnantibus configuratus est. *Id.* 1. 17. Simulacra configurata. Adde *eumd.* 2. 12. — Figurate. *Gell.* 12. 1. *ad fin.* Ex matris etiam corpore et animo recentem indolem configurat.

CONFĪNĀLIS, e, adject. ad confine pertinens. *Var. Auct. de limit. p.* 310. *Goes.* Confinales lineæ. *Cassiod.* 7. *Variar.* 4. Confinales populi. *h. e.* Rhætii, quia in finibus positi sunt Italiæ. *Isid.* 10. *Orig. litt.* C. Confinalis, eo quod sit genere vel loco affinis. *Veteres editiones habent* confinialis.

CONFINDO, findis, fidi, fissum, findere, a. 3. (cum *et* findo) idem quod findo. *Tibull.* 4. 1. 173. Et ferro tellus, pontus confinditur ære. — Part. *Confissus.* Confissus podagra apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. est sectus, *h. e.* concisus, vexatus: quemadmodum a *Martial.* 9. 93. *podagra cheragraque secatur Cajus*, dictum est. Al. tamen leg. *contusus*, alii *confusus.* Ceterum *findit*, *confindit*, legitur in *Not. Tir.* p. 122.

CONFĪNE, is. *V.* CONFINIS in fin.

CONFINGO, fingis, finxi, fictum, fingere, a. 3. (cum *et* fingo). Part. *Confictus* I. et II. — Confingere est fingere, facere (It. *formare*, *fare*; Fr. *façonner*, *faire*; Hisp. *labrar*, *hacer*; Germ. *zusammenbilden*; Angl. *to make*, *form*, *fashion*, *construct*).

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 47. (91). Halcyonum nidi ferro intercidi non queunt, nec unde confingantur, invenitur. *Id.* 11. *ibid.* 5. 4. (11). Apes favos confingunt et ceras. *Quintil.* 12. 3. 12. Conficta frons. *Varro* 5. *L. L.* 7. *Müll.* Ostendit, quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (195). Nomina ex Græce vanitate conficta. *Apul.* 8. *Met.* Confictum mendacium.

II.) Translate est simulo, comminiscor: ad rem *Cato* apud *Isid. de differ. verb.* 220. vol. 5. *p.* 29. *Areval.* Tu, inquam, si verum supprimis, falsarius agnosceris; si falsa confingis, mendax esse videris. Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Herenn.* 8. 12. Aut inimicos nostros, aut homines natura malevolos et maledicos confinxisse dicemus. — *b*) Cum Accusativo. *Plaut. Capt. prol.* 35. et 47. Confingere dolum. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 71. Confingere falsas causas ad discordiam. *Id. Andr.* 3. 3. 26. Lacrymæ confictæ dolis. *Id. Phorm.* 1. 1. 81. Omnia hæc confingam. *Cic.* 4. *Verr.* 37. 90. Confingere aliquid criminis. *Liv.* 40. 8. crimen. Adde *eumd.* 40. 42. *Id.* 34. 21. aliquam probabilem causam. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 4. rationes. *Petron. Satyr.* 132. Quod solum salvo pudore poteram confingere, languorem simulare cœpi. *Ulp. Dig.* 48. 18. 1. *ad fin.* Confingere homicidium in se. *h. e.* contra se, simulare se fecisse. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic. Dejot.* 6. 16. Id vos a viro optimo cogitatum esse confingitis. Adde *Justin.* 32. 2.

CONFINIALIS. *V.* CONFINALIS.

CONFINĬO, is, ire, n. 4. confinem esse. *Gloss. Cyrill.* Ὁμορέω, confinio.

CONFĪNIS, e, adject. (cum *et* finis) conterminus, finitimus (It. *confinante*; Fr. *qui confine*, *contigu*, *voisin*, *adjacent*; Hisp. *contiguo*, *junto*, *limitaneo*, *vecino*; Germ. *zusammen-oder einander gränzend*, *angränzend*; Angl. *next to*, *adjoining*, *bordering upon*, *contiguous*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 4. 49. Excursiones in confinem agrum Lavicanum factæ erant. *Varro* 1. *R. R.* 16. 1. Si quid ita est in confinibus fundis, ut etc. *Paul. Dig.* 10. 1. 4. § 8. docet in prædiis urbanis proprie *confines* non dici, quia plerumque communibus parietibus disterminantur; sed *vicinos*: ideoque in iis non habere locum judicium finium regundorum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 87. Hunc Venus e templis, quæ sunt confinia, ridet. *Val. Flacc.* 2. 633. tenet hinc veterem confinibus oris Pars Phrygiam. — *b*) Cum Dativo. *Cæs.* 6. *B. G.* 3. Confines hi erant Senonibus. *Nepos Datam.* 4. Quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. *Curt.* 6. 5. 11. Mardorum erat gens confinis Hyrcaniæ, cultu vitæ aspera et latrociniis assueta. *Ovid.* 1. *Met.* 718. Collo confine caput. *Id.* 13. *ibid.* 924. Sunt viridi prato confinia littora. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (91). Mauri confines Atlanti. *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (31). Africa confinis Æthiopiæ. *Dig.* 8. 3. 20. § 2. Fons confinis fundo.

II.) Translate est similis vel proximus; et occurrit — *a*) Cum Dativo. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 71. studio confinia carmina vestro. *Seneca Ep.* 120. *ante med.* Sunt virtutibus vitia confinia. Adde *Quintil.* 5. 11. 21. et 6. 3. 88. *Id. Quintil.* 9. 2. 92. Confinia sunt his celebrata apud Græcos schemata. *Symmach.* 10. *Ep.* 1. Cui proverbio ne videar esse confinis. — *b*) Cum Genitivo. *Gell.* 1. 2. Officia virtutum confinia. *Al. leg.* confinitima. — *c*) Absolute. *Cic.* 4. *Herenn.* 11. 16. Perveniunt ad confine genus ejus generis, quod appellamus fluctuans. *Al. omittunt* τὸ genus, *et leg.* confinium *cum* Orellio; *tamen præstat legere* ad confine ejus generis etc. — Hinc

Confinis, is, m. 3. absolute, substantivorum more. *Martial.* 2. 32. Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum. *Cajus Dig.* 18. 1. 35. *sub fin.* Si quis in vendendo prædio confinem celaverit. *Lactant.* 5. 2. Confines suos sedibus agrisque pellebat.

Confine, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est res confinis. *Cic.* 4. *Herenn.* 11. 16. Perveniunt ad confine ejus generis. *V.* supra sub II. *c. Seneca* 1. *Ira* 8. In confinibus hostis arcendus est. *Lucan.* 6. 649. Tænarus, mæstum mundi confine latentis Ac nostri. *Val. Flacc.* 6. 374. Inde Lycen ferit ad confine papillæ. *V.* et CONFINIUM I. *b.*

CONFĪNĬTĬMUS, a, um, adject. idem quod confinis, vel similis. *Gell.* 1. 2. Officia virtutum confinitima. *Al. rectius leg.* confinia.

CONFĪNĬUM, ii, n. 2. finis, seu terminus plurium agrorum communis (It. *confine*; Fr. *situation limitrophe*, *voisinage*, *confins*; Hisp. *confines*, *terminos*, *limites*; Germ. *d. Grenze*, *Schranken*; Angl. *a confine*, *common boundary*, *bound*, *limit*, *frontier*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Varro* 5. *L. L.* 74. *Müll.* Arbores in confinio natæ, in utroque agro serpunt. Adde *eumd.* 1. *R. R.* 16. 6.; *Cæs.* 1. *B. G.* 24.; *Liv.* 33. 3. et 37. 23.; *Tac.* 4. *Hist.* 72.; et *Germ.* 3. *extr.*; et *Dig.* 10. 3. 19. et 10. 1. 4. § 10. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 9. 10. (27). Ad confinium. *Id.* 12. *ibid.* 20. 44. (98). Ex confinio. *Dig.* 10. 32. 35. § 1. In eodem confinio. *Id.* 10. 1. 4. § 11. Confinium non intelligitur. *Apul.* 4. *Met.* Ad usque confinium cervicis. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Conveniet vicinitatibus et confiniis æquum esse et facilem (*vicinitates* in urbanis, *confinia* in rusticis prædiis proprie dici, in CONFINIS I. *a.* adnotavimus) *h. e.* vicinis et confinibus: immo plures MSS. libri pro *confiniis* habent *confinibus.* — Ceterum in plur. numero occurrit tantum forma *confinia*, quæ et a *confine*, is, recte derivari potest. *Ovid.* 3. *Art. am.* 201. Confinia supercilii. *Id.* 12. *Met.* 40. mundi. *Id.* 14. *ibid.* 7. et 18. *ibid.* 291.; et *Lucan.* 3. 275. terræ. *Val. Flacc.* 8. 180. Crastina namque dies trucis ad confinia ponti Cyaneasque vocat.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de tempore. *Tibull.* 4. 1. 70. Confinia mortis. Sic *Apul.* 11. *Met.* Ad mortis confinium accedere. *Ovid.* 5. *Fast.* 187. Confinia mensum. *h. e.* mensium. *Id.* 7. *Met.* 706. Aurora tenet confinia lucis et noctis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 401. et 13. *ibid.* 592. *Quintil.* 8. *Declam.* 19. Animam in confinio mortis ac vitæ librato dolore suspendere. *Cod. Theod.* 2. 7. 2. Confinium legitimi temporis. ¶ 2. Item de quacumque vicinitate. *Cic.* 4. *Herenn.* 11. 16. Perveniunt ad confinium ejus generis, quod appellamus fluctuans. *Al. leg.* confine, *al.* confine genus. *V.* CONFINIS II. *c. Vellej.* 2. 124. In arcto salutis exitiique confinio esse. *Colum.* 3. *R. R.* 5. 2. Mediocritas in confinio boni et mali posita est. *Tac.* 4. *Ann.* 58. Confinium breve artis et falsi. *Plin. Paneg.* 4. Confinio vitiorum. *Cod.* 5. 70. 6. Confinium furoris et insaniæ. *Capell.* 2. *p.* 47. Licet virgo a Jove ejus confinio assidere juberetur. *h. e.* prope.

CONFĪNĬUS, a, um, adject. idem ac confinis. *Frontin. de colon. p.* 144. *Goes.* Ager confinius lege Sempronia est assignatus.

CONFĬO, fis, fieri, passiv. a *conficio*, et est conficior, perficior; sed anom. et in quibusdam tantum personis ac temporibus usitatum. ¶ 1. Ponitur pro colligi ad aliquid conficiendum. *Liv.* 5. 50. Cum deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis confieret. *Est qui legit* conferretur. ¶ 2. Item confici, perfici: et dicitur — *a*) Specialim de iis, quæ ex pluribus conficiuntur. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 12. Curabit, ut panis diligenter confiat. *Id.* 2. *ibid.* 14. 1. Stercus confit ex pecudibus. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 40. (83). Quicumque ligno confit sal niger est. *Sueton. Cæs.* 20. Ut diurna acta confierent. — *b*) Generatim res confieri dicitur, quæcumque ad finem adducitur, seu perducitur. *Ter. Adelph.* 5. 8. 23. Hoc confit, quod volo. *Lucret.* 4. 290. Res confit utraque. *Id.* 2. 1069. Geni debent nimirum et confieri res. *Id.* 3. 413. Sine pernicie confiet eorum. *Al. leg.* non fiet. Adde *eumd.* 5. 889. *Balbus et Oppius* apud *Cic.* 9. *Att. post ep.* 7. A. § 1. Quo facilius per te res tota confieret. *Balbus* apud *eumd.* 8. *ibid. post ep.* 15. A. § 3. Quomodo in hujusmodi re, commodius cadere non potuit, quam ut res sine sanguine confieret. *Cæs.* 7. *B. G.* 68. Postquam id difficilius confieri animadvertit. *Virg.* 4. *Æn.* 117. Nunc qua ratione quod instat Confieri possit, paucis, adverte, docebo. Adde *Sulpicium* apud *Cic.* 4. *Fam.* 6. et *Tac.* 11. *Ann.* 58. *Imp. Leo Cod.* 2. 7. 11. Nisi prius in examine gesta confiant. *Arnob.* 2. 43. Maleficia cuncta confierent. *Id.* 7. 11. Ineluctabili omnia necessitate confiunt. ¶ 3. Item est consumi, absumi, confici. *Plaut. Trin.* 2. 4. 7. Hoc confit cito, quam si tu objicias formicis papaverem. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 51. Dum æquinoctium confiat. *V.* CONFUI et CONFORE.

CONFIRMĀTĒ, adverb. firme, firmiter. *Cic.* 4. *Herenn.* 11. 16. Hoc genus orationis sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate, neque viriliter se expedire.

CONFIRMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus confirmandi (It. *confermazione*, *stabilimento*; Fr. *action de consolider*, *d'assurer*, *affermissement*; Hisp. *el acto de asegurar*, *aseguramiento*; Germ. *d. Festmachen*, *d. Befestigung*; Angl. *a confirming*, *establishing*, *securing*). Occurrit ¶ 1. Generatim et est actus confirmandi et stabiliendi. *Cic.* 12. *Fam.* 8. 1. Non solum ad præsens perfugium, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. ¶ 2. Specialim est actus confirmandi et consolandi. *Cic.* 14. *Att.* 13. 4. Quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis. *Id.* 6. *Fam.* 3. Neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua. *Id.* 6. *ibid.* 6. 1. et *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Confirmatio animi. ¶ 3. Item specialim est actus confirmandi seu verbis probandi. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 48. Signum quiddam significat, quod indiget testimonii et gravioris confirmationis. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Multæ res Gallos hortabantur: Sabini cunctatio, perfugæ confirmatio. *Quintil.* 10. 5. 12. Destructio et confirmatio sententiarum. Adde *eumd.* 2. 17. 12. *Dig.* 1. 7. 39. Confirmatio adoptionis. ¶ 4. Apud Rhetores confirmatio duplex est. Altera enim est tertia pars orationis, qua fidem facimus, Græce πίστις, et ab *Tullio* quoque *fides orationis* dicta, *Partit. orat.* 12. 44. quæ dividitur in duas, unam, qua probamus nostra, alteram, qua confutamus adversariorum argumenta. *Cic. loc. cit.* 8. 27. Quatuor sunt partes orationis: quarum prima et postrema ad motum animi valet: is enim initiis est et perorationibus concitandus: secunda narratio: et tertia confirmatio. Hæc *Cic.* Altera *confirmatio* est hujus, quæ modo dicta est, prima pars, qua argumentando nostræ causæ fidem et auctoritatem et firmamentum adjungit oratio. *Cic.* 1. *Invent.* 14. 19., 1. *ibid.* 24. 34., 1. *Herenn.* 3. 4. et 1. *ibid.* 10. 18.; et *Quintil.* 4. 3. 1. ¶ 5. Denique abstractum pro concreto, uti ajunt, *confirmatio* est militum numerus arte bellandi præclarus et militari exercitatione confirmatus. *Ammian.* 16. 12. 49. Adusque primanorum legionem pervenit locatam in medio (quæ confirmatio castra prætoria dicitatur) ubi densior etc.

CONFIRMĀTĪVĒ, adverb. confirmando, affirmando. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 41. *sub fin.* Confirmative pronunciare et respondere.

CONFIRMĀTĪVUS, a, um, adject. ad confirmandum, seu ad firmandum aptus. *Priscian.* 15. *p.* 1020. *Putsch.* et 17. *p.* 1056. Confirmativa adverbia. *Vetus Scholiast.* ad illud *Juvenal.* 6. 457. Nil non permisit; *hæc habet*: Nam duo negativi unum confirmativum faciunt.

CONFIRMĀTOR, ōris, m. 3. qui confirmat. Cic. Cluent. 26. 72. Sequester et confirmator pecuniæ desiderabatur. Jul. Epit. nov. c. 3. § 10. Confirmator venditionis. Tertull. 4. advers. Marcion. 36. Confirmator erroris. Lactant. 1. Institut. 2. sub fin. Cujus sententiæ auctor est Democritus, confirmator Epicurus. h. e. affirmator et defensor.

CONFIRMĀTRIX, īcis, f. 3. quæ confirmat. Tertull. Cor. mil. 4. Harum disciplinarum traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix.

CONFIRMĀTUS, a, um. V. CONFIRMO.

CONFIRMĬTAS, ātis, f. 3. firmitas animi imperturbati, constantia, sed in malam partem in illo Plaut. Mil. glor. 2. 2. 34. Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam, confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam.

CONFIRMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et firmo). Part. Confirmans II. 2.; Confirmatus I., II. 2. et in fin.; Confirmaturus II. 3.; Confirmandus I. 1. et II. 3. — Confirmo est firmum facio, stabilem, solidum reddo (It. soldare, rassodare; Fr. affermir, consolider, fortifier; Hisp. afirmar, consolidar, soldar; Germ. machen, dass etwas fest, stark, dauerhaft werden, einer Sache Halt und Dauer verleihen; Angl. to confirm, strengthen, establish).

I.) Proprie. — a) Generatim de rebus materialibus. Vitruv. 2. 8. 7. Schneid. Confirmare soliditatem parietum. Cæs. 6. B. G. 20. Hoc ali vires nervosque confirmari putant. Adde Scribon. Compos. 163. Plin. 28. Hist. nat. 11. 49. (178). Dentes mobiles confirmat cervini cornus cinis. Adde Scribon. Compos. 57., 59. et 60. Rursus Plin. 25. ibid. 11. 83. (132). Polythrix defluentem capillum confirmat et densat. — b) Sæpe dicitur de corpore, quod a morbo firmatur, et sanitatem ac vires resumit. Cic. 10. Att. 17. 2. Valetudo confirmata et a vetere morbo et a novis tentationibus. Sic Cels. 2. 11. Ad confirmandam valetudinem. Cic. 16. Fam. 1. 1. et Cels. 4. 4. Confirmare corpus. Cels. 2. 10. extr. Cicatricula celerrime in venas confirmatur. Id. 4. 19. Neque ulla res magis intestina confirmat. Scribon. Compos. 104. et 107. Confirmare stomachum. Sueton. Vesp. 7. crus debile. — Hinc se confirmare dicuntur qui convalescunt. Cic. 16. Fam. 1. 2., 3. 1., 4. 4., et 5. 1. ad Tironem ægrotantem scribens: et eodem sensu Part. Confirmatus occurrit apud eumd. Cic. 16. ibid. 9. 11. et 4. 1. M. Aurel. apud Fronton. ad M. Cæs. 3. 19. Fortasse paucis te adhuc diebus, cum te necessario confirmas, non videbo. Similiter Cic. 5. Fin. 22. 62. Ætates confirmatæ. Cf. eumd. Amic. 20. 74. Et Colum. 4. R. R. 3. 4. Vinea se confirmat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim usurpatur de iis omnibus, quibus vim addimus, stabilitatem ac perpetuitatem quocumque modo comparamus. — Hoc sensu jungitur aliquot Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. Nepos Dion. 8. conjurationem. Sueton. Vitell. 9. imperium. Cic. pro leg. Manil. 9. 24. manum suam. h. e. exercitum. Nepos Hann. 1. odium erga Romanos. Sall. Cat. 33. opes factionis. Cic. 1. Phil. 1. 2. pacem. Cæs. 1. B. G. 3. pacem et amicitiam cum proximis civitatibus. Nepos Miltiad. 3. regnum. Sall. Cat. 44. societatem data acceptaque fide. Vellej. 2. 44. vires suas confirmare invidiâ alienæ potentiæ. Huc pertinet etiam illud Cic. 4. Herenn. 22. 31. Confirmavit animum suum ad virtutes. ubi al. legunt conformavit. — Præcipue vero in jure confirmare est ratum habere, approbare. Cic. Dom. 18. 47. Confirmare aliquid suffragiis populi. Id. 16. Att. 16. B. § 12. acta Cæsaris. Id. ibid. 16. D. § 14. decretum alicujus. Nepos Phoc. 3. decreta populi. Vellej. 2. 44. 2. acta alicujus in transmarinis provinciis. Sueton. Tit. 8. beneficia edicto. Id. Aug. 10. provinciam a Cæsare datam. ¶ 2. Speciatim morali ratione confirmare aliquem, animum, spem alicujus etc. est firmum ac fortem reddere, solari, in fide retinere. — a) Jungitur aliquot Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. Cic. pro leg. Manil. 9. 23. aliquem diffidentem rebus suis. Adde eumd. 4. Fam. 8. 1.; et Att. 2. 24. Plaut. Aulul. 2. 8. 1. animum suum. Cic. 6. Fam. 6. 2. animum alicujus sapientissimi hominis auctoritate etiam atque etiam. Id. Quint. 24. 77. animo satis certo et confirmato fore aliquid. Adde Sall. Cat. 46. Lucret. 1. 426. animus ratione. Cic. 1. Att. 16. 8. animos bonorum afflictos confirmare et excitare. Cæs. 1. B. G. 33. animos Gallorum verbis. Similiter Id. ibid. 47. Cæsar suos ad dimicandum animo confirmat. Vellej. 2. 120. animos gentium vacillantium. Id. ibid. paullo ante. Gallias. Cæs. 1. B. C. 15. homines. Nepos Cimon. 2. insulas bene animatas. h. e. in fide firmare. Sueton. Ner. 2. Massilienses obsidione laborantes adventu suo. Cæs. 5. B. G. 49. milites consolari et confirmare. Sueton. Cæs. 14. ordinem labantem. Id. ibid. 66. perterritos. Id. Aug. 43. populum consternatum ruinæ metu. Sall. Jug. 38. territos. Cæs. 7. B. G. timentes. — b) Hinc confirmare se est animo augeri ad aliquid agendum. Cic. 1. ad Q. fr. 3. 5. Erige te et confirma, si qua dimicatio subeunda est. Adde eumd. Quinct. 11. 39. et 7. Verr. 30. 95.; et Cæs. 2. B. G. 19. et 1. B. C. 14. Justin. 13. 2. Per epistolas se invicem confirmantes. Huc pertinet et illud Cæs. 1. B. C. 72. Cujus oratione confirmatus Lentulus etc. — c) Jungitur et abstractis. Cic. 1. Fam. 8. 2. Difficile est sensum in republica præsertim rectum et confirmatum deponere. Id. Divinat. in Q. Cæcil. 22. 71. Confirmare spem reliqui temporis. Sueton. Cal. 12. spem alicujus. Id. Tib. 52. suspicionem. — d) Interdum addita re, ad quam quis confirmatur. Sueton. Tib. 55. extr. Nepotem suum ad successionem imperii confirmare. Cæs. 1. B. C. 14. Gladiatores in forum productos libertati confirmat. h. e. liberos esse in perpetuum jubet. Al leg. libertatis, ut subintelligatur munere: alii rectius libertate, nempe donata. Hæc Forcellinus. At recentiores philologi libertati legunt, ut sensus sit: gladiatoribus animos addit, ad libertatem sua virtute adipiscendam. Sall. Jug. 25. ad fin. Profugas, multa pollicendo, confirmat, uti Romam pergerent. h. e. persuadet, dat animum, ut etc. ¶ 3. Item speciatim ratione habita intellectus frequenter significat, rationibus, argumentis, testibus comprobare aliquid. Lucret. 2. 185. Confirmare aliquid rebus. Cic. 2. Divinat. 17. 38. Tu non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. Id. 1. ibid. 32. 71. Confirmare divinationem. Id. 1. Legg. 16. 43. Si natura confirmatura jus non est. Id. Rosc. Am. 15. 42. Confirmare crimen commenticium. Id. 7. Verr. 34. 101. alicujus vituperationem atque infamiam aliquorum sermone. Id. 6. ibid. 9. 19. Quam minimum temporis dare alicui ad meditandum confirmandumque perjurium. Id. 1. Invent. 30. 49. Confirmare aut infirmare rem. Id. 2. Orat. 19. 80. Nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. Id. 1. ibid. 20. 90. Confirmare aliquid. cui ibid. opponitur refellere. Adde Quintil. 2. 9. 6. Rursus Cic. 5. Fin. 32. 95. et 96. Locum etiam atque etiam confirmare. Id. pro leg. Manil. 23. 68. causam auctoritatibus. Id. 1. Fin. 9. 30. aliquid rationibus exquisitis. Id. 4. Verr. 8. 23. aliquid testimoniis de aliqua re. Plin. 37. Hist. nat. 1. 4. (8). aliquam opinionem. Cic. 12. Fam. 7. Promisi et prope confirmavi. te non exspectasse, nec exspectaturum etc. h. e. et prope argumentis comprobavi etc. ¶ 4. Item ratione habita intellectus ponitur pro affirmare, asseverare. — a) Cum Accus. rei, quæ affirmatur. Cic. 16. Att. 5. 2. Hoc cum mihi non modo confirmasset, sed etiam persuasisset, etc. Cæs. 5. B. G. 27. Confirmare aliquid jurejurando. — b) Addito Ablat. cum præpos. de. Cic. Arch. 7. 15. Confirmare aliquid de omnibus. Id. 3. Flacc. 10. 1. De me tibi sic, contestans omnes deos, promitto atque confirmo, me etc. Id. 6. ibid. 6. 2. Memini me ex multis audire, te de celeri reditu meo confirmare. — c) Cum Accus. et Infinito. Cic. 6. Fam. 3. ad fin. Ego tibi hoc confirmo, nihilo te nunc majore in discrimine esse. Adde eumd. pro leg. Manil. 24. 71. et 2. Orat. 2. 6.; Cæs. 2. B. G. 15.; et Sall. Jug. 33. Nepos Lysandr. 1. extr. Confirmare fide se fore etc. — d) Absolute. Cic. Amic. 3. 10. Qualis, ut arbitror, nemo unquam erit; ut confirmare possum, nemo certe fuit. — e) Sequente partic. ne. Cæs. 7. B. G. 66. Conclamant equites, sanctissimo jurejurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad uxorem aditum habeat. — Hinc Part. præter. pass.

Confirmatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. Confirmatior 2. et 3., et Sup. Confirmatissimus 1. — Confirmatus, præterquam quod ceteris significationibus, ut exempla superius allata demonstrant, usurpatur ¶ 1. Pro certo ac definito. Porphyr. ad Horat. 1. Sat. 5. 27. Hi (Mæcenas et Agrippa) pepigerunt fidem confirmatissimam, et in una castra conferre signa utrosque exercitus jusserunt. ¶ 2. Item est animo auctus. Cæs. 3. B. C. 84. Quæ res in dies confirmatiorem ejus efficiebat exercitum. ¶ 3. Item affirmatus. Cic. 10. Att. 15. 1. Funisulanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatius illud idem. Cf. eumd. 2. Invent. 11. 35.

CONFISCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus confiscandi. Flor. 3. 9. 3. Divitiarum tanta erat fama, ut victor gentium populus, P. Clodio tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit.

CONFISCĀTUS, a, um. V. CONFISCO.

CONFISCĀTOR, ōris, m. 3. qui confiscat. Gloss. Lat. Gr. Confiscator, ταμιοῦχος.

CONFISCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Confiscatus I. et II. — Confiscare est in fiscum seu saccum reponere, præsertim vero in saccum principis: ac propterea

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est in fiscum seu saccum reponere. Sueton. Aug. 101. Quam summam repræsentari jussit: nam et confiscatam semper depositamque habuerat. ¶ 2. Speciatim confiscari dicuntur bona, quæ in fiscum principis rediguntur. Sueton. Cal. 16. Antiocho Commageno HS millies confiscatum. Id. Domit. 12. Confiscabantur alienissimæ hereditates. — Dicuntur et personæ confiscari, quarum bona in fiscum rediguntur. Sueton. Tib. 49. Constat præterea Galliarum et Hispaniarum principes confiscatos. Id. Aug. 15. Devictisque his et confiscatis. Adde eumd. Cal. 41.; et Dig. 27. 3. 9. § 6. et alibi.

II.) Figurate. Tertull. Fuga 12. Felices pauperes, qui totam animam in confiscato habent. h. e. in promptu seu in numerato.

CONFĪSĬO, ōnis, f. 3. confidentia. Cic. 4. Tusc. 37. 80. Fidentia, id est firma animi confisio, scientia quædam est.

CONFISSUS, a, um. V. CONFINDO.

CONFISUS, a, um. V. CONFIDO.

CONFIT. V. CONFIO.

CONFĬTEOR, fiteris, fessus sum, fiteri, dep. 2. Part. Confitens I. 1. b.; Confessus II. a. et in fin.; Confessurus I. 1. a.; Confitendus I. 1. b. — Passive occurrit tantum apud Ulp. Dig. 42. 1. 15. ad fin. Nomen, quod confitetur. h. e. quod in confesso est. V. Confessus 2. et Confessum in fin. hujus voc. et adde Part. Confitendus, de quo supr. — Ceterum confiteor est idem fere quod fateor, h. e. manifesto et dico, quod a me quæsitum est, ut ait Varro 6. L. L. 55. Müll. Fere autem de his dicitur, quæ sciri nollemus, et dicere pudet, ut Fateor: confiteri autem opponitur infitiari, ut apud Cic. Sext. 18. 40. Hominibus, omnia timentibus, tacendo loqui, non infitiando confiteri videbantur (It. confessare, manifestare; Fr. avouer, confesser, reconnaître; Hisp. confesar, manifestar; Germ. mit Worten eingestehen, einräumen, bekennen, zugeben; Angl. to confess, acknowledge).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. Ter. Phorm. 5. 9. 46. Ignosce: orat; confitetur; purgat. Quid vis amplius? Cic. 6. Phil. 6. 16. Quo etiam, ut confitear vobis, Quirites, minus hodierna die contendi. Adde Ovid. 5. Met. 52. et 13. ibid. 470.; Curt. 6. 11. 14.; et Tac. 11. Ann. 28. C. Jul. Victor. (edente A. Mai.) 14. Qui tuto confessurus fuit. — Et cum partic. ut. Plaut. Cist. 1. 3. 22. Ut eampse vos audistis confiterier. paragoge pro confiteri. — b) Cum Accusativo rei, quam quis confitetur. Plaut. Capt. 2. 3. 52. Apud hunc confessus es et genus et divitias meas. Cic. 2. Nat. D. 4. 11. Peccatum suum — vir sapiens confiteri mavult. Id. 2. Fin. 7. 21. Quod mihi quidem visus, cum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. Catull. 86. 2. Confiteri singula. Curt. 6. 11. 14. Craterus exigere, ut quæ confiteretur, in tormentis quoque diceret. Id. 6. 5. 11. Confiteri aliquid. Id. 6. 11. 31. crimen. Id. 8. 8. 2. facinus. Id. 3. 2. 11. et Ovid. Rem. am. 318. verum. Ovid. 14. Met. 703. amorem nutrici. Adde Quintil. 9. 2. 24. — Et addito Ablat. cum præpos. de. Cic. 4. Verr. 60. 140. Intelliges, hoc tibi de statuis confitendum esse. Adde eumd. Cluent. 65. 183.; et Quintil. 2. 4. 28. — c) Cum duplici Accus. Cæs. 1. B. C. 84. Confiteri se victos. Quintil. 1. 10. 19. se imperitum. Id. 5. 11. 42. causam Cæsaris meliorem. — d) Cum Accus. et Infinito. Cic. 5. Fam. 2. 2. Me abs te cupisse laudari, aperte atque ingenue confitebar. Adde Ter. Andr. 3. 5. 1. et Heaut. 2. 3. 97. et 5. 3. 12.; Lucret. 1. 271.; Cic. 1. Fam. 9. 18., Ligar. 8. 25. et 1. Nat. D. 7. 44.; Sall. Cat. 52.; Curt. 3. 12. 25.; Quintil. 2. 17. 19.; et Sue-

ton. Cap. 32. — c) Cum Ablat. et præpos. de. Cic. Rosc. Am. 41. 120. Confiteri de maleficio. Adde eumd. ibid. 42. 123. Id. Dom. 35. 93. de rebus objectis. Id. Partit. orat. 36. 127. de re. Id. 2. Verr. 2. 2.; Curt. 6. 5. 9. et Quintil. 8. 4. 23. de se. Tac. 14. Ann. 59. de cæde alicujus. Paul. 5. Sentent. 14. § 1. de sociis et sceleribus suis. ¶ 2. Speciatim apud Christianos scriptores confiteri est prædicare et palam affirmare ea, quæ ad Catholicam religionem pertinent. Prudent. 5. περὶ στεφ. 37. Nos lucis auctorem Patrem, Ejusque Christum filium, Datiane, confitebimur. V. CONFESSOR.

II.) Improprie est indicare, prodere, ostendere; quo sensu et fateor aliquando usurpatur: et occurrit etiam apud ætatis aureæ Poetas. — a) Cum Accusativo. Virg. 2. Æn. 591. pura per noctem in luce refulsit Alma parens, confessa deam. h. e. manifestans se deam. Cf. Petron. fragm. Tragur. 41. Burmann. Puer vitibus redimitus, confessus Lyæum. h. e. referens speciem Lyæi. Ovid. 3. Met. 1. Jamque deus posita fallacis imagine tauri, Se confessus erat. Cf. Plin. 27. Hist. nat. 2. 2. (6). Torpescunt scorpiones aconiti tactu – et vinci se confitentur. Rursus Ovid. 6. Met. 35. Confiteri iram vultu. Id. 1. Trist. 3. 113. timorem pallore. Apul. 2. Met. matronam. Quintil. 6. 1. 23. motum animi sui lacrimis. Id. 8. 3. 3. admirationem suam plausu. Claudian. Cons. Mall. Theod. 232. de Nilo. Lene fluit, nullas confessus murmure vires. h. e. non ostentans. — b) Cum Accus. et Infinito. Plin. 3. Ep. 14. Sublatis oculis agitatoque corpore vivere se confitentur. Adde Quintil. 1. 6. 15. et 4. 2. 122. Pallad. 7. R. R. 7. 6. de apibus. Tot reges esse, quot velut ubera videris, confitentur. Adde eumd. 1. ibid. 3. — c) Absolute. Ovid. 5. Met. 215. atque ita supplex Confessasque manus obliquaque brachia tendens etc. h. e. manus, quæ adversarium victorem confitentur. — Hinc Part. præter. pass.

Confessus, a, um, occurrit ¶ 1. Active, et est qui confessus est. Sall. Cat. 52. De confessis supplicium sumere. Ovid. 2. Pont. 2. 56. Non est confessi causa tuenda rei. Sic Dig. 48. 4. 4. § 1. Confessus in judicio reus. ¶ 2. Passive res confessa dicitur, quam quis confessus est. Leg. XII. Tabul. apud Gell. 15. 13. et 20. 1., et apud Dig. 42. 1. 15. Æs confessum. h. e. pecunia, quam quis se alteri debere confessus est. ¶ 3. Hinc sæpius passiva quidem significatione, sed adjective, ponitur pro claro, manifesto, de quo nulla est controversia. Cic. 7. Verr. 56. 130. Manifesta res et confessa. Colum. 2. R. R. 2. 14. Signa confessa et non dubia. Plin. 7. Hist. nat. 49. 50. (164). Ne pluribus moremur in re confessa. Id. 20. ibid. 11. 45. (116). Apiastrum in confessa damnatione est. h. e. ab omnibus damnatur. Id. 18. ibid. 28. 68. (269). Sidus confessum inter omnes. Quintil. 5. 14. 13. Propositio aut confessa est, aut probanda. Id. 8. 3. 13. Ornatus pressior et severior et minus confessus. h. e. minus patens. Id. 1. 5. 58. Verba Græca confessa. h. e. quæ manifesto Græca sunt. Id. 9. 2. 46. Fictio confessa. Plin. Paneg. 16. Confessa hostium obsequia. — Hinc

Confessum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, ponitur pro re manifesta, indubitata, quæ omnium confessione comprobata est. Plin. 10. Hist. nat. 49. 70. (138). De confessis disseruisse præstiterit. Quintil. 7. 1. 48. Versari in confessis. Id. 12. 1. 38. De confesso loqui. h. e. de crimine confesso et manifesto. — Hinc in confesso esse dicuntur, quæ manifesta sunt et certa. Seneca 3. Benef. 11. Parentum in confesso sunt merita. Plin. 35. Hist. nat. 8. 34. (54). Cum in confesso sit, fuisse etc. Adde Tac. Dial. de orat. 25. et 27. — In confessum venire est omnium confessione comprobari. Plin. 10. Ep. 85. extr. Res, quæ et in confessum venit, et exemplis defenditur. — Ad liquidum confessumque perducere aliquid, h. e. ad manifestum et concessum ab omnibus. Quintil. 5. 14. 11. Similiter Lactant. 2. 8. post med. Pro confesso et indubitato habitum est. — Ex confesso sine controversia. Seneca Ep. 76. ante med. Si quis omnia alia habeat, sed malus ex confesso sit. Quintil. 3. 5. 3. Laudare quæ constat esse honesta, et vituperare quæ ex confesso sunt turpia.

Homonym. Nonius p. 434. 29. Merc. assignat hanc differentiam inter confiteri et profiteri; quod illud necessitatis, hoc voluntatis sit. Sed verum discrimen est (addit Forcellinus), confiteor multo minus esse, quam profiteor. Confiteor enim simpliciter fateri est; profiteor vero non solum fateri, sed etiam præ se ferre et jactare aliquid. Præterea profiteri honestius est, quam confiteri, quod semper dicitur de manifestatione rei, ex qua pudore aliquo modo suffundimur. Non. ibid. Cic. apud eumd. ibid. Hoc ego non solum confiteor, verum etiam profiteor. Id. Cæcin. 9. 24. Ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur. Cf. Varron. 6. L. L. 55. Müll.

CONFIXILIS, e, adject. contignatus, coagmentatus. Apul. 4. Met. Confixilis machina.

CONFIXIO, ōnis, f. 3. actus configendi. Cæl. Aurel. 2. Acut. 3. Dentium confixio atque stridor. Id. 3. ibid. 6. a med. Dentium quoque concubitus, hoc est incumbens confixio. et 3. Tard. 2. ante med. Dentium confrictio (lege confixio) sive concubitus. Est tamen qui utrobique legit conflictio.

CONFIXUS, a, um. V. CONFIGO.

CONFLĀBELLO, as, are, a. 1. flabellis ignem concito. Translate Tertull. Spectac. 25. Conflabellare scintillas libidinum.

CONFLACCESCO, is, ere, n. 3. idem ad flaccesco, languidus fio. Gell. 2. 30. Fluctus, simul ac ventus posuit, sternuntur ac conflaccescunt.

CONFLĀGES loca dicuntur, in quæ undique confligunt venti, Paul. Diac. p. 40. 10. Müll. Al. leg. confluunt; al. conflant. Apud Isid. 14. Orig. 8. appellantur confrages. de quo vide suo loco. V. loco suo etiam CONFLUGES.

CONFLĀGITO, as, are, a. 1. simul flagito. Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (62). Ut magnis theatri clamoribus reponi apoxyomenon conflagitaverit. Ita edit. a. 1470. et 1472. Alii cum Harduin. legunt flagitaverit; quam lectionem Cod. Bamberg. confirmatam retinuit Sillig.

CONFLĀGRĀTIO, ōnis, f. 3. incendium. Seneca 3. Quæst. nat. 29. Id affirmat, ut conflagrationi, atque diluvio tempus assignet. Sueton. Tit. 8. Conflagratio Vesevi montis. Lactant. 2. 9. circa med. Conflagratione interire.

CONFLĀGRĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CONFLĀGRO, as, āvi, ātum, are, 1. (cum et flagro). Part. Conflagratus sub B.; Conflagraturus sub A. II. — Conflagro est A) Verbum neutrum, et B) Active quoque occurrit.

A) Neutrorum more conflagro est ardeo, incendio absumor; et occurrit

I.) Proprie. Cic. 2. Nat. D. 36. 92. Ut conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus. Id. 5. Verr. 35. 92. et Paul. 3. Sentent. 6. Incendio conflagrat classis. Liv. 30. 7. Castra flammis conflagrassent. Vitruv. 10. 16. 12. Schneid. Totam munitionem conflagrare cogere. Sueton. Vesp. 8. Tabulæ simul conflagraverant. — Et de membrorum ardore. Colum. 2. R. R. 2. 29. Boves inhibeat, ut colla eorum refrigescant, quæ celeriter conflagrant.

II.) Figurate. Cic. 7. Verr. 35. 92. Qua (nocte) prætor amoris turpissimi flamma, classis populi Romani prædonum incendio conflagrabat. Id. 1. Cat. 11. 29. An te non existimas invidiæ incendio conflagraturum? Id. 3. Verr. 15. 41. Hic istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit. Sic Liv. 24. 26. Ad ea addidit preces – ne se innoxiam invidia Hieronymi conflagrare sineret. Id. 7. 30. Cum viderimus, ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium esse.

B) Part. præter. pass. Conflagratus jam inde ab antiquis mediorum more usurpatum occurrit pro combustus. Cic. 4. Herenn. 8. 12. Urbs incendio conflagrata. Apul. de Mundo. Regiones Phaetontis ruina conflagratæ perierunt. — Hinc apud sequioris ævi scriptores etiam confragrare active usurpatum est. Hygin. fab. 179. Jovis cum fulmine et tonitribus venit, et Semelen conflagravit. Ne omiseris. Adde Vet. Scholiast. ad Horat. Epod. 5. 63.

CONFLAMMO, as, are, a. 1. inflammo. Cæl. Aurel. 4. Tard. 7. Sæpe conflammat atque inflat.

CONFLĀTILIS, e, adject. qui conflando factus est. Prudent. 10. περὶ στεφ. 295. Non esset ullus Jupiter conflatilis.

CONFLATIM, adverb. Gloss. Isid. Conflatim, copulatim, contexte.

CONFLĀTIO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus conflandi. Seneca 3. Quæst. nat. 29. Et illam, quæ in conflatione nostris placet, huc transferendam puto. Ita quidam Lexicographi: verum ibi legendum, conflagratione. Tertull. Fuga in persecut. 3. Fidei ustio et conflatio administratur ex Dei voluntate. h. e. incendium, ardor. Hieronym. 1. advers. Jovinian. n. 1. Cumque de granis minutissimis prius conflatione fornacis, deinde callida artificis manu fuerit monile compactum. ¶ 2. Apud Cæl. Aurel. 5. Tard. 2. videtur poni pro inflatione.

CONFLĀTOR, ōris, m. 3. qui conflat; sed occurrit speciatim tantum, et est monetarius, qui metalla conflat in pecuniam. Cod. Theod. 11. 21. 1. Conflatores figurati æris. Vulgat. interpr. Jerem. 6. 29. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator. Adde ibid. 51. 17.

CONFLĀTŌRIUM, ii, n. 2. vas, in quo conflantur metalla. Salvian. 7. Gub. Dei 14. Dissimillima inter se genera metallorum sacer sermo memoravit: et quomodo in eodem conflatorio res diversæ conflantur? Vulgat. interpr. Proverb. 27. 21. Probatur in conflatorio argentum.

CONFLATŪRA, æ, f. 1. conflandi ratio. Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (197). Invenit auri metalla, et conflaturam Cadmus Phœnix ad Pangæum montem. Adde Firmic. 6. Mathes. 31.

CONFLĀTUS, a, um. V. CONFLO.

CONFLĀTUS, us, m. 4. idem fere quod flatus. Ennod. Præcept. Cellulan. 7. Nec bonorum facem meritorum maledicentis creditum est extingui posse conflatu.

CONFLECTO, flectis, flexi, flexum, flectere, a. 3. (cum et flecto). Part. Conflexus. — Conflectere est flectere, inflectere. Plin. 2. Hist. nat. 41. 41. (107). Conflexa cubito juga. Ceterum conflecto occurrit tantum in Not. Tir. p. 119.

CONFLEO, es, ere, a. 2. simul cum alio fleo. Seneca Consol. ad Marc. 6. Si fletibus fata vincuntur, confleamus. Plerique leg. conferamus. scil. fletus.

CONFLEXUS, a, um. V. CONFLECTO.

CONFLICTĀTIO, ōnis, f. 3. conflictandi actus, hoc est collisio, allisio, concussio. Quintil. 3. 8. 29. Deformis et incommoda conflictatio turbæ in theatro. Apul. de Mag. Est enim miser comitiali morbo ita confectus, ut ter aut quater die corruat, omniaque membra conflictationibus debilitet. — Præcipue figurate sumitur pro pugna. Gell. 6. 3. Totius exercitus conflictatione oppugnatus serpens inusitatæ immanitatis. Al. leg. conflictione. Id. 15. 18. Exercituum duorum conflictatio. — De pugna forensi. Quintil. 7. 1. 18. Juris quæstiones solent esse nonnumquam ex aliis atque aliis conflictationibus. Al. hic quoque leg. conflictionibus. Cod. 1. 3. 33. § 8. Improbissimæ conflictationes.

CONFLICTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ conflictat et vexat. Tertull. 2. advers. Marcion. 14. Ægyptus hospitis populi conflictatrix.

CONFLICTĀTUS, a, um. V. CONFLICTO.

CONFLICTIO, ōnis, f. 3. confligendi actus, collisio. Quintil. 3. 6. 6. Si dicat quis: Sonus est duorum inter se corporum conflictio: erret, ut opinor; non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. — Item contentio, pugna. Cic. Partit. Orat. 16. 55. Rerum contrariarum et dissimilium et inter se pugnantium conflictio. Id. ibid. 30. 104. Ex rationis et firmamenti conflictione, et quasi concursu quæstio exoritur. Id. ibid. 29. 102. Conflictio cum adversario. Adde eumd. ibid. 29. 104. Id. 1. Divinat. 13. 18. Conflictio causarum. Adde Quintil. 3. 6. 4. et V. CONFLICTATIO.

CONFLICTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. a confligo. Part. Conflictans sub A. 2.; Conflictatus sub B. — Conflictare proprie significat totis viribus collidere, rem unam ad alteram totis viribus allidere; sed occurrit fere translate pro vexare, vehementer affligere. Occurrit autem A) Active, et B) Sæpius passive.

A) Active. ¶ 1. Absolute est collidere, pugnare, contendere; atque inde agitari, vexari. Ter. Phorm. 3. 2. 20. Nec cum hujusmodi, unquam usus venit, ut conflictares malo. ¶ 2. Cum Accusativo est ad terram allidere, humi prosternere. Tac. 6. Ann. 48. Qui plura per scelera rempublicam conflictavisset. Plin. 8. Hist. nat. 17. 21. (59). Fera sese conflictans mœrore.

B) Passive ponitur pro vehementer collidi, agitari, concuti, vexari, opprimi: et occurrit — a) Absolute, sed raro. Gell. 10. 6. Quanto artius pressiusque conflictata essem, si frater meus classem cum ingenti civium numero non perdidisset. Tac. 3. Hist. 82. Si tantum conflictati sunt, qui etc. — b) Sæpius addita

re, qua quis conflictatur, per Ablat. sine præpos. *Cic.* 6. *Fam.* 13. 3. Conflictari ab aliquo diuturnioribus molestiis. *Id.* 2. *Herenn.* 24. 37. incommodis magnis et multis. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 35. et *Nepot. Timol.* 1. Rursus *Cic.* 10. *Att.* 4. 4. duriore fortuna. *Id.* 5. *Verr.* 28. 69. iniquissimis verbis, improbis recuperatoribus. *Id.* 10. *Fam.* 25. judiciis turpibus. *Id. Quinct.* 13. 44. honestiore judicio. *Id.* 1. *Legg.* 11. 32. superstitione. *Nepos Dion.* 2. gravi morbo. Sic *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 27. (58). M. Agrippa supremis suis annis conflictatus gravi morbo pedum. Adde *Sueton. Claud.* 2. *Cæs.* 2. *B. C.* 22. Massilienses gravi pestilentia conflictati. *Id.* 1. *ibid.* 52. Conflictari magna inopia rerum necessariarum. *Auct. B. Afr.* 24. annona gravi. *Liv.* 40. 22. multis difficultatibus. *Cels.* 2. 7. doloribus. *Id.* 3. 7. *ad fin.* Si quis tussit, non debet vehementi siti conflictari. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Conflictari iniqua valetudine. *Sueton. Aug.* 17. tempestate in trajectu. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (203). sævissima hieme. *Tac. Agric.* 22. Exercitus conflictatus sævis tempestatibus. *Id.* 3. *Hist.* 59. Conflictari sæva hieme per transitum Apennini. *Id.* 2. *Ann.* 20. gravibus superne ictibus. *Id.* 6. *ibid.* 8. metu ac sordibus. *Id.* 6. *ibid.* 51. Multis æmulis conflictatus est. — *Lucret.* 3. 336. Sed communibus inter eos conflictatur utrimque Motibus accensus nobis per viscera sensus. *h. e.* concutitur, agitatur. Sed al. leg. *conflatur*, ut constet versus. — c) Addita persona aut re, cum qua quis conflictatur, fere per Ablat. et præpos. *cum*, et quamdam pugnandi notionem includit; eodem tamen recidit quoad sensum. *Ter. Andr.* 1. 1. 66. Qui cum ingeniis conflictatur hujusmodi. *Cic. Harusp. resp.* 19. 42. Cum his conflictari et pro salute patriæ quotidie dimicare, erat omnino illis molestum. *Nepos Pelop.* 5. Conflictatus autem est cum adversa fortuna. In hisce tribus exemplis quidam putant, *conflictari* deponentis forma adhiberi; quod mihi necessarium non videtur. *Gell.* 12. 8. Odio inter sese gravi et simultate diutina conflictari.

CONFLICTUS, a, um. *V.* CONFLIGO.

CONFLICTUS, us, m. 4. conflictio, collisio. ¶ 1. Stricto sensu apud optimos scriptores occurrit tantum Ablativus singularis numeri. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus. *Id.* 2. *Divinat.* 19. 44. Si nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. *Id. Cæcin.* 15. 43. Impulsu scutorum et conflictu corporum. — Figurate. *Gell.* 6. 2. Nullo fatalis incommodi conflictu urgeri. ¶ 2. Latiori sensu pro pugna occurrit, etiam in ceteris casibus præter Ablativum, apud sequioris ævi scriptores. *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 34. Testis pulcherrimi Savæ conflictus, si conflictus ille dicendus est, in quo ita miles invasit, etc.

CONFLĪGĀTUS, a, um, particip. pro *conflictus*, ab inusit. *confligo, as* (quod esset eadem forma ac *profligo*), idem ac profligatus. *Frontin.* 2. *Strateg.* 3. 5. Ipse mediam suorum aciem reduxit, ne ea parte ante cum hoste confligeret, quam cornibus confligatis medios undique circumvenisset. Sic MSS. et edition. omnes; *Modius* ne novæ voci locum daret, *profligatis* legere mavult.

CONFLĪGĬUM, ii, n. 2. idem ac conflictus, collisio. *Solin.* 9. In latebrosis rupium cavaminibus, quæ fluctuum confligiis adesa sunt. *Salmas.* legit *conflugium*, *h. e.* confluentiam, tamquam a *confluo*.

CONFLĪGO, fligis, flixi, flictum, fligere, a. 3. (cum *et* fligo). Part. *Conflictus* sub *A.* I. — Confligo est collido, allido, unam rem in aliam percutiendo incutio (It. *percuotere una cosa ad un'altra, cozzare*; Fr. *battre, frapper ensemble*; Hisp. *achocar una cosa contra otra*; Germ. *zusammenschlagen oder-stossen*; Angl. *to strike or dash one thing against another*). Occurrit autem *A*) Raro admodum active; et *B*) Sæpius neutrorum more.

A) Active; et quidem

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 1212. Semina cum Veneris stimulis excita per artus Obvia conflixit conspirans mutuus ardor. *h. e.* collisit inter se et commiscuit. *Id.* 2. 97. Partim intervallis magnis conflicta resultant (*corpora*). *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Illæ (*duæ triremes*) adeo graviter inter se incitatæ conflixerunt, ut vehementissime utræque ex concursu laborarent.

II.) Translate ponitur pro comparare et committere quæ sibi invicem adversantur. *Cic.* 2. *Invent.* 43. 126. In hoc commorari conveniet, sæpe id quod scriptum est recitando, sæpe cum scripto factum adversarii confligendo.

B) Neutrorum more sæpius occurrit pro adversari, pugnare, contendere, sive acie atque armis, sive judicio ac verbis: et usurpatur — a) Absolute. *Nepos Miltiad.* 5. Datis — fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat. Adde *eumd. Themist.* 4. *Lucret.* 3. 845. Ad confligundum venientibus undique Pœnis. *Cic. Pis.* 9. 20. Confligere armis. Cf. *eumd. Cæcin.* 16. 46. *Liv.* 30. 19. acie. Adde *Quintil.* 5. 7. 3. *Nepos Alcib.* 8. classe. *Sueton. Vesp.* 5. in conspectu omnium. *Cic. Cæcin.* 3. 8. Potuisti leviore actione confligere. *h. e.* judicio contendere. Sic *Id.* 1. *Herenn.* 9. 16. De iis rebus caute confligendum est, quibus in rebus tabulæ, aut alicujus firma auctoritas videbitur interfuisse. *Virg.* 2. *Æn.* 416. Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt. *Quintil.* 7. 7. 4. Diversæ quoque leges confligunt, aut similes. — b) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Cic. pro leg. Manil.* 10. 28. Confligere cum hoste. *Id.* 1. *Off.* 23. 81. In acie versari et manu cum hoste confligere. *Id. Dom.* 25. 66. Speravit, iisdem se copiis cum illo posse confligere, quibuscum ego voluissem dimicare. *Id.* 4. *Tusc.* 22. 50. Confligere cum apro Erymanthio. *Nepos Themist.* 3. cum classiariis. *Sall. Cat.* 57. *extr.*; *Liv.* 4. 17. et alibi sæpe; et *Sueton. Vesp.* 4. cum aliquo. *Cæs.* 7. *B. G.* 32. Pars civitatis cum parte civitatis confligit. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Copia confligit cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona spes cum *rerum omnium* desperatione. *Id.* 4. *Fin.* 2. 3. Universa illorum ratione cum tota vestra confligendum puto. — c) Cum addito *inter se*, ut apud *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Causæ, quæ inter se confligunt. — d) Cum Accus. et præpos. *adversus* vel *contra*. *Nepos Hann.* 8. Paucis navibus adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. *sub fin.* Ut pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem confligamus. — e) Cum Dativo. *Lucret.* 6. 371. Hiemes confligunt æstatibus. — f) Passive impersonaliter. *V.* loca superius allata *Lucret.* 3. 845. sub a, et *Cic.* 4. *Fin.* 2. 3. sub b. *Quintil.* 5. 7. 3. Duplici acie confligitur. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 358. magna confligitur ira, Quis melius vibrata puer vertigine molli Membra rotet.

CONFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* flo). Part. *Conflans* I. 1.; *Conflatus* in omnibus paragr.; *Conflandus* II. *a.* — Conflare est simul flare, vel flare in aliquam rem (It. *soffiare, soffiare insieme*; Fr. *souffler, souffler ensemble*; Hisp. *soplar, soplar juntos*; Germ. *zusammenblasen*; Angl. *to blow together*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est simul flare. *Plaut. Rud.* 3. 4. 59. Ego dabo ignem, si quidem in capite tuo conflandi est copia. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (138. et 143). Puer ignem conflans. ¶ 2. Et quia conflando excitatur ignis, hinc *conflare* ponitur pro accendere. *Lucret.* 1. 473. Numquam Tyndaridis formæ conflatus amore Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens Clara accendisset sævi certamina belli. *h. e.* ignis afflatus et accensus amore formæ Tyndaridis. *Liv.* 26. 27. Conflare incendium. Sic figurate. *Flor.* 3. 17. Drusus tantum conflavit incendium, ut etc. — Huc pertinet et illud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Intestina conflata. *h. e.* accensa: cl. *Furlanetto* interpretatus est inflata. ¶ 3. Quia vero ignem follibus conflando metalla liquantur, ideo *conflare* etiam solvere et liquare significat, vel conflando et liquando aliquid facere *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 31. *de miris fulminis effectis.* Loculis integris et illæsis conflatur argentum (*fulmine*). *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (197). Æs conflatum. *Id.* 33. *ibid.* 9. 46. (131). Argentum, æs Cyprium, et sulphur conflantur in fictili circumlito argilla. *Id.* 34. *ibid.* 16. 47. (157). Calculi conflati in album plumbum resolvuntur. *Id. ibid.* (159). Conflare plumbum, galenam. Sic *Dig.* 41. 1. 7. § 8. argentum. *Ibid.* 41. 1. 12. § 1. æs et argentum. *Sueton. Aug.* 52. Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes. Adde *Dig.* 48. 4. 6. *Id. Ner.* 32. Conflare simulacra ex argento et auro fabricata. *Seneca Phæniss.* 344. Templis deos obruite: maculatos lares conflate. *h. e.* incendio absumite. — *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 14. (30). Statuam conflatam a censoribus. *h. e.* conflando et liquando factam. Sic *Sueton. Galb.* 12. Conflare coronam auream. *Paul.* 5. *Sentent.* 25. § 1. nummos. — Et cum additis. *Virg.* 1. *G.* 508. Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem. *Quintil.* 9. 2. 42. Victorias aureas in usum belli conflare. — Allegorice *Flor.* 2. 6. Ubi semel se in Hispania movit gravis illa et luctuosa Punici belli vis, destinatumque Romanis jamdiu fulmen Saguntino igne conflavit.

II.) Translate ponitur pro componere, efficere, creare: et præsertim de iis rebus dicitur, quæ ex pluribus quasi in unum componuntur; ita tamen ut flandi significatio fere semper subsit: ad rem *Stat.* 9. *Theb.* 523. ceu ventis alte conflata resedit Tempestas. *h. e.* sufflata, afflata. Al. tamen leg. cum *elata*. Sed *conflata* habet etiam optimum MS. apud nos. — Ceterum hac significatione usurpatur tum de rebus physicis, tum de abstractis, et occurrit — a) Absolute, hoc est cum Accus. tantum. *Ter. Eun.* 5. 2. 35. Sæpe ex hujusmodi re quapiam et malo principio magna familiaritas conflata est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 100. Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. *Id.* 1. *Off.* 4. 14. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quærimus, honestum. Cf. *eumd.* 2. *Invent.* 3. 8. *Id. Cluent.* 6. 18. Nihil mali timuit, quod non totum a matre esset conflatum et profectum. *Id. ibid.* 4. 9. Ut intelligatis in tota illa causa — quid invidia conflarit. *Id. Sext.* 30. 66. Quæ ratio aut flandæ, aut conflandæ pecuniæ non reperiebatur. V. *Klotz* ad h. l. — Porro jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 4. *Verr.* 47. 116. accusationem et judicium. *Sall. Cat.* 14. et 15. æs alienum grande. *Cic.* 2. *Phil.* 28. 70. et 5. *Fam.* 2. 8.; *Nepos Chabr.* 2. et *Eumen.* 3.; *Auct. B. Gall.* 8. 6.; *Auct. B. Alex.* 1.; *Vellej.* 2. 55. 2.; et *Ascon.* ad *Cic. Cornel.* p. 73. *Hait.* bellum. *Sueton. Ner.* 36. conjurationem. *Cic. Partit. orat.* 35. 121. crimen conflatum. *h. e.* accusatio comparata. *Flor.* 1. 24. 1. discordiam. *Id.* 4. 4. 1. egestatem rei familiaris. *Cic. Sull.* 11. 33. et 4. *Phil.* 6. 18.; et *Vellej.* 2. 74. 2. exercitum. *Cic. Rosc. Am.* 1. 1. injuria novo scelere conflata. *Liv.* 3. 36. judicia. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 25. manus improborum ex perditis conflata. *Id. Rosc. com.* 16. 48. mendacium. *Id. Cæl.* 5. 12. monstrum ex contrariis naturæ studiis cupiditatibusque conflatum. *Vellej.* 2. 4. 6. mortem conflatam insidiis obire. *h. e.* per insidias illatam. *Cic. Harusp. resp.* 20. 42. pactiones et societates scelerum nefarias cum multis conflare. *Lucret.* 3. 70. rem civili sanguine conflant. *h. e.* divitias acquirunt. *Cic. Cluent.* 36. 99. seditionem. *Lucret.* 3. 336. sensus communibus motibus conflatur. *ubi al. male leg.* conflictatur: *V.* CONFLICTO sub *B. b.* in fin.; et cf. *Cic. Ligar.* 12. 35. Consensus fratrum conspirans et pæne conflatus. *h. e.* concors et pæne unus ex tribus. *Id. Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. suspicionem. *Quintil.* 5. 7. 23. testes sive odio, sive invidia, sive gratia, sive pecunia conflati. *Cic. Sull.* 5. 15. tumultus gladiatorum et fugitivorum conflatus. — b) Addita persona, cujus incommodo aliquid conflatur, fere per Dat. *Lucret.* 6. 1090. Conflare cladem hominum generi. *Cic.* 1. *Cat.* 9. 23. et *Cæl.* 12. 29.; et *Sall. Cat.* 49. invidiam alicui inimico. *h. e.* excitare invidiam in aliquem. *Cic.* 4. *Verr.* 54. 135. aliquid negotii alicui. *h. e.* molestiam creare. *Id. Sull.* 4. 13. periculum alicui. — Et cum Accus. et præpos. *in*. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 73. Conflare crimen invidiamque in aliquem.

CONFLŌRĔO, es, ere, n. 2. (cum *et* floreo) simul floreo. Occurrit tantum Part. *Conflorens*, et quidem translate apud *Augustin.* 4. *Confess.* 4. Coævus mihi, et conflorens flore adolescentiæ.

CONFLUCTŬO, as, āvi, ātum, are, n. 1. vel Confluctuor, āris, dep. 1. idem quod fluctuo, vel fluctuor. Quidam afferunt illud *Senec. Med.* 941. Haud aliter metu confluctuatur. Verum meliores codd. habent *meum cor fluctuatur*. *Apul.* 11. *Met.* Palla ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat.

CONFLUENS, entis. *V.* CONFLUO.

CONFLUENTĬA, æ, f. 1. actus confluendi. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. *a med.* Hæc est triplex causa vel podagræ, vel cujuslibet ex confluentia morbi, multitudo humoris etc. Ita hunc locum restituit *Pontanus*.

CONFLŪGES loca, in quæ rivi diversi confluent. Livius Andromeda: *Confluges ubi conventu campum totum inhumigant.* Hæc *Non.* p. 62. 20. *Merc.* Cf. CONFLAGES et CONFRAGES.

CONFLUGIUM. *V.* CONFLIGIUM.

CONFLUO, fluis, fluxi, fluere, n. 3. (cum *et* fluere). *Confluxet* syncop. pro *confluxisset* legitur apud *Lucret.* 1. 985., cujus verba *V.* infra sub I. *b.* — Part. *Confluens* I. 1., II. et in fin. — Confluo est una

fluo, concurro, convenio (It. *confluire*; Fr. *couler ensemble, confluer*; Hisp. *correr juntos*; Germ. *zusammenfliessen*; Angl. *to flow or run together, meet*).

I.) Proprie ¶ 1. Usurpatur de liquidis, quæ fluendo conjunguntur; et quidem — a) Absolute. *Sententia de finib. inter Genuat. et Vitur. regundis lata* apud *Orell. Inscript.* 3121. VBEI. CONFLOVONT. FLOVI. EDVS. ET. PORCOBERA. *Cic.* 6. *Verr.* 52. 117. Qui (*portus*) cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et confluunt. *Lucret.* 1. 381. Is (*aer*) porro quamvis – Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum Compleri spatium. *Lepidus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 34. A confluente Rhodano castra movi. *h. e.* ubi Rhodanus cum Arari fluit. Hinc *Confluens, entis*, quod *V.* in fine bujus voc. — b) Addito termino, in quem aliquid confluit. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Hoc quasi rostro finditur Fibrenus et divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus, cito in unum confluit. Sic *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (75). Quinque amnium in unum confluente concursu. *Lucret.* 1. 985. copia materiai Undique ponderibus solidis confluxet ad imum. Adde *eumd.* 6. 638. *Id.* 5. 498. omnis mundi quasi limus in imum Confluxit. *Id.* 1. 375. Confluere quo possent undæ. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (125). *Tibull.* 4. 1. 20. Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 4. 4. (13). Vasti amnes e diverso in Phasin confluunt. *Id.* 16. *ibid.* 12. 23. (57). Humor omnis e tota arbore in ulcus confluit. *Dig.* 8. 3. 20. § 1. Aqua in rivum confluit. *Cod.* 11. 42. 10. Fontes ad aquæductus confluunt. — c) Addito flumine, quorum aliud confluendo confunditur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (83). Quidam Panticapen confluere infra Olbiam cum Borysthene tradunt. ¶ 2. Pro colliquari, fluidum reddi, adhibetur a *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 17.

II.) Translate ponitur de iis omnibus, quæ, fluminis more, aliquo simul feruntur. ¶ 1. De hominibus et brutis animantibus — a) Fere addito termino, ad quem concurrunt. *Cic. Brut.* 74. 258. Confluxerunt et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. *Id.* 2. *Tusc.* 2. 6. Si ad hæc studia plures confluxerint. *Cæs.* 7. *B. G.* 44. Perfugarum magnus ad eum quotidie numerus confluebat. *Nepos Alcib.* 6. Ut ad ejus triremem vulgus conflueret. *Vellej.* 2. 55. 2. Undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Adde *eumd.* 2. 80. 4. *Sueton. Ner.* 20. Confluere Neapolim. *Id. Cæs.* 39. ad spectacula. — b) Raro admodum absolute. *Sueton. Cæs.* 16. Multitudinem sponte et ultro confluentem compescere. Adde *Gell.* 10. 6. 2., et *Cod. Theod.* 10. 19. 3. ¶ 2. De abstractis. *Plaut. Asin.* 2. 2. 47. Ut nos dicamur duo omnium dignissimi esse, quo cruciatus confluant. *Id. Epid.* 4. 1. 2. Cui multa in unum locum confluunt, quæ meum pectus pulsant simul. *Cic.* 1. *Invent.* 4. 5. Hinc ad ipsos, qui eloquentiam adepti sunt, laus, honos, dignitas confluit. *Id. Planc.* 34. 84. Causæ ad nos pleræque confluunt, qui miseris nihil negare possumus. *Lucret.* 6. 1256. nec minimam partem mæror is in urbem confluxit. *Ovid.* 9. *Met.* 740. Huc licet e toto solertia confluat orbe. *Sueton. Tib.* 10. Tot prosperis confluentibus. *Dig.* 46. 2. 34. § 2. Cum utriusque obligatio – in unam personam – confluat. — Hinc Part. præs.

Confluens, entis, m. 3. absolute, substantivorum more, est locus, in quem duo vel plura flumina confluunt: et occurrit — a) In sing. num. — Absolute. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 25. 29. (149). Incipit (*Mœsia*) a confluente supra dicto. *Inscript.* apud *Orell.* 660. AD ARAM QVAE EST AD CONFLVENTEM. — Addito Genitivo. *Cæs.* 4. *B. G.* 15. Cum ad confluentem Mosæ et Rheni pervenissent. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (122). In confluente Euphratis fossa perducti et Tigris. *Justin.* 32. 3. 8. In confluente Danubii et Savi. — b) In plur. num. — Absolute. *Liv.* 1. 27. et 4. 17. *extr.* Ubi Anienem transiit, ad confluentes collocat castra. *h. e.* ubi Anio in Tiberim influit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (126). In ripa Tigris circa confluentes. *Sueton. Cal.* 8. In Treveris, vico Ambiatino supra Confluentes. *h. e.* ubi Mosella in Rhenum influit, nunc *Coblentz*. V. ONOM. — Addito Genitivo. *Tac.* 2. *Hist.* 40. Confluentes Padi et Addum fluminum sexdecim inde millium spatio distantes petere. *Inscript.* apud *Gruter.* 13. 15., quæ est apud *Orell.* 4018. AD CONFLVENTES ARARIS ET RHODANI. Cf. CONFLUENTES in ONOM.

CONFLŬUS, a, um, adject. qui simul fluit. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 76. Unda revolvitur in semet revolans gurgite confluo. Adde *Paulin. Nolan.* 18. 114.

CONFLŬVĬUM, ii, n. 2. locus, in quem confluunt sordes ex vasis culinariis. *Varro* apud *Non.* p. 544. 20. *Merc.* Ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium? — Item collectio ipsa aquarum. *Sever. Ætn.* 119. Non ille ex tenui vacuoque agit aucta necesse est Confluvia. *Id. ibid.* 326. Donec confluvio resolutis æstibus, omnis Exsilit. *Al. leg.* confluviis devolvens æstibus ut sit *adjectiv.* confluvii æstus, *h. e.* confluentes ignes.

CONFŎDĬO, fŏdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 3. (cum et fodio). Part. *Confossus* in omnibus paragr. et in fin. — Confodio est idem quod fodio vel una fodio (It. *scavare, zappare*; Fr. *creuser, fouiller entièrement*; Hisp. *ahondar, cavar, profundir*; Germ. *zusammenstechen, gleichmässig umstechen oder umgraben*; Angl. *to dig*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est terram fodere, foveam in terra facere. *Cato R. R.* 129. Confodiatur minute terra. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 66. Confodere hortum. *Sisenna* apud *Non.* p. 141. 31. *Merc.* Loca palustria alte multifariam confossa. *Varro* 1. *R. R.* 18. 2. Confodere VIII. jugera. *Colum.* 4. *R. R.* 5. Trigesimo quoque die novella vineta confodere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 32. (142). Salices quoque omnibus annis confodi jubent mense Aprili. *Quidam leg.* confligi, *sed male*, Harduino *et* Sillig. *testibus*. ¶ 2. Latiori sensu, præcipue cum de personis agitur, est vulnerare, transfigere. *Cic. Sull.* 11. 33. Quinque hominibus comprehensis atque confossis. *Nepos Pelop.* 5. Conjectu telorum confossus concidit (*Pelopidas*). *Sall. Cat.* 29. Constituere ea nocte – de improviso domi suæ imparatum confodere. *Id. ibid.* 70. Catilina pugnans confoditur. *Liv.* 24. 7. Ut confoderetur aliquot vulneribus. Adde *eumd.* 35. 35. *Virg.* 9. *Æn.* 445. super exanimem sese projecit amicum Confossus. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 8. Juvare confossum ope medica. Adde *eumd.* 5. *Met.* 176. *Curt.* 4. 16. 23. Eodem telo plures confodere. Adde *eumd.* 3. 11. 11., 5. 13. 25., 8. 14. 34. et 9. 5. 17.; *Vellej.* 2. 22. 3.; et *Val. Flacc.* 6. 418. *Lucan.* 3. 743. Confodere jugulum. *Sueton. Aug.* 91. Lecticula confossa et lacerata. Adde *eumd. ibid.* 27. et 51. et *Cæs.* 81. et 82.; et *Tac.* 2. *Hist.* 34.

II.) Translate. *Plin.* 9. *Ep.* 26. *sub fin.* Exspecto, ut quædam ex hac epistola iisdem notis, quibus ea, de quibus scribo, confodias. *h. e.* damnes, et delenda esse censeas: ductum ab obelo, quem appingebant locis, quæ culpanda videbantur. *Liv.* 11. 5. Tamen eos tot judiciis confossos prædamnatosque venire ad populi judicium. *Seneca Vita beat.* 27. *sub fin.* Quin circumspicitis mala vestra, quæ vos ab omni parte confodiunt? *V.* FODIO. — Hinc Part. præter. pass.

Confossus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Confossior* apud *Plaut. Bacch.* 4. 8. 48. Verum te faciam, si tu me irritaveris, confossiorem soricina nænia.

CONFŒDĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. fœdus. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 35. Prima apud eos (*Cœnobitas*) confœderatio est, obedire majoribus.

CONFŒDĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFŒDĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et fœdus) Part. *Confœderatus* I.; *Confœderandus*. II. — Confœderare est fœdere jungere.

I.) Proprie. *Oros.* 2. 4. Sabinæ impiis nuptiis confœderatæ.

II.) *Figurate. Prudent.* 2. περὶ στεφ. 437. Confœderentur omnia Hinc inde membra in symbolum. *Hieronym. Ep.* 4. *n.* 1. Nascentem amicitiam ut Dominus confœderare dignetur, precor. *Id.* in *Chron. Euseb.* ad an. 110. a Chr. n. Ad confœderandam disciplinam.

CONFŒDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. fœdum reddo, conspurco, inquino. *Apul.* 7. *Met. in fin.* Liquido stercore strictim egesto faciem atque oculos ejus confœdassem.

CONFŒDUSTI, fœdere conjuncti. *Paul. Diac.* p. 41. 2. *Müll.* Nempe ut ab onus fit onustus, a vetus vetustus; sic a *fœdus fœdustus* ex lege analogiæ duci potest, ut *Voss.* monet in *Etymol.*

CONFŒTEO, es, ui, ere, n. 2. fœtere. Adstruitur verbis *Jul. Obseq. de Prodig.* 115. Sub simulacro Deæ cubile canis confœtuerat. *Sed multo rectius leges* confœte seu confetæ erat, vel cum fetu erat.

CONFŌMO, as, are, a. 1. ab inusit. *fumo*, dedolo, fomite arbores spolio. *Catull.* 19. 3. Quercus arida rustica conformata securi. *Alii rectius leg.* conformata.

CONFŎRĀNĔUS, ei, m. 2. qui est ejusdem fori, scilicet artis: nam artifices in foro habitant, vel in forum opificia sua venalia deferunt. *Gloss. Isid.* Conforaneus, unius fori. *Gloss. Philox.* Conforaneus, σύντεχνος.

CONFŎRE. *V.* CONFUIT.

CONFŎRĬO, is, ivi vel ii, ire, a. 4. polluo, inquino stercore: a *forio*. *Pompon.* apud *Non.* p. 114. 12. *Merc.* Conforisti me, Diomedes. *Salmas.* in *Exercit. Plin.* censet legendum *conforiasti*.

CONFORMĀLIS, e, adject. idem quod conformis. *Tertull. Resurr. carn.* 47. *ex epist. ad Philippens.* 3. 21. Transfigurabit corpus nostræ humilitatis conformale corpori gloriæ suæ. Adde *eumd.* 5. *advers. Marcion.* 10., ubi eadem verba repetit. Vulgata hab. *configuratum*.

CONFORMĀTĬO, ōnis, f. 3. alicujus rei forma, figura, compositio, seu dispositio, quæ ex pluribus partibus apte inter se accommodatis fit (It. *forma, disposizione, conformazione*; Fr. *conformation, forme, disposition*; Hisp. *conformacion, colocacion, ú distribucion*; Germ. d. *Zusammenformung oder Zusammenbildung, daher die Bildung oder Gestaltung*; Angl. *a forming, framing, fashionig, disposing*).

I.) Proprie occurrit de iis, quæ sub sensus cadunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 50. Quasi vero intelligant, qualis sit animus in ipso corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus. *Id.* 1. *Orat.* 25. 114. Conformatio et figura totius oris et corporis. *Id.* 1. *Nat. D.* 18. 47. Quæ compositio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species, humana potest esse pulcrior? *Id.* 2. *ibid.* 33. 85. Animantis figura conformatioque membrorum. *Vitruv.* 5. 6. 1. *Schneid.* Ipsius theatri conformatio sic est facienda, ut, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de verbis, et est dispositio, accommodatio et forma stili præcipue oratoris. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 151. Ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo. *Id.* 1. *ibid.* 5. 18. Actio vocis conformatione ac varietate moderanda est. *Id.* 3. *Off.* 25. 96. Conformatio et moderatio continentiæ et temperantiæ. ¶ 2. Item apud philosophos *conformatio animi* aut *conformatio* absolute dicitur rei notio, quam menti nostræ repræsentamus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 38. 105. Quid interest, utrum de hippocentauro an de deo cogitemus? Omnem enim talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant: vos autem adventum in animos et introitum imaginum dicitis. *Id. Topic.* 5. 27. Si usucapionem, si tutelam definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus; est tamen quædam conformatio insignita et impressa intelligentiæ, quam notionem voco. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 87. 357. ¶ 3. Apud Rhetores *conformationes* sunt figuræ generatim. *Cic. Brut.* 37. 140. Sententiarum ornamenta et conformationes. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 52. 201.; et *Quintil.* 9. 1. 4. et 9. 2. 1. ¶ 4. Item apud Rhetores. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 66. specialiter figuram prosopopœiam *conformationem* vocat: cui adstipulatur *Priscian. præexercit.* p. 1340. *Putsch.*

CONFORMĀTOR, ōris, m. 3. qui conformat et apte componit. *Apul. Trismeg.* Dominus, et omnium conformator, quem recte Deum dicimus.

CONFORMĀTUS, a, um. *V.* CONFORMO.

CONFORMIS, e, adject. alicujus rei forma similis. *Sidon.* 4. *Ep.* 12. Dii boni! Quantum naufragioso pelago conformis est motus animorum! *Vulgat. interpr. ad Rom.* 8. 29. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.

CONFORMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et formo). Part. *Conformatus* I. et II.; *Conformandus* II. — Conformo est formam alicui rei ex multis partibus apte compositis tribuo, efficio (It. *formare, fare*; Fr. *former, disposer, façonner*; Hisp. *formar, labrar*; Germ. *zusammenbilden - gest - alten - oder formen*; Angl. *to form, fashion, dispose, make, create*).

I.) Proprie. *Afranius* apud *Non.* p. 174. 32. *Merc.* Vide ut puellam curent, conforment jube. Cf. *Gell.* 17. 10. Ursa fetum edit informem, lambendoque id postea conformat et fingit. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 23. Ad majora quædam nos natura genuit et conformavit. *Id.* 3. *Nat. D.* 10. 26. Si mundum ædificatum, non a

natura conformatum putarem. *Id.* 3. *Herenn.* 20. 33. In primo loco rei totius imaginem conformabimus. *h. e.* efficiemus, mente concipiemus. *Catull.* 19. 3. Quercus arida rustica conformata securi. *Alii male leg.* conformata. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 10. Diebus quibus animantur ova, et in speciem volucrum conformantur. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 3. Effigies conformata caminis Siculis. *Gell.* 3. 16. Conformatur conceptum in utero coagulum. *Id.* 13. 9. *extr.* Imago tauri conformata et quasi depicta est locis earum stellarum, quas Vergilias vocamus.

II.) Translate. *Cic. Arch.* 6. 14. Animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. *Id. ibid.* 1. 1. Hæc vox hujus hortatu præceptisque conformata nonnullis aliquando saluti fuit. *h. e.* perpolita atque instructa. Cf. *Quintil.* 11. 3. 45. Conformare vocem secundum rationem. Rursus *Cic.* 4. *Fin.* 2. 5. Pars philosophiæ, qua mores conformari putantur. *Id. Muren.* 29. 60. Tuum consilium, Cato, vituperare non audeo: nonnulla in re forsitan conformare et leviter emendare possim. *Id.* 1. *Fam.* 8. 2. Conformare se ad alicujus voluntatem. *Id.* 1. *Orat.* 5. 17. Ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum. *h. e.* orationi vel eloquentiæ forma danda est, oratio oratoriis figuris exornanda. *Nepos fragm.* IV. 1. Philosophiam ante se incomptam conformare oratione sua. *Tac.* 4. *Ann.* 8. Hos orbatos parente tradidi patruo ipsorum, ut foveret ac tolleret, sibique et posteris conformaret. — Et pro imaginem quamdam vel formam verbis exhibere et significare dixit *Lucret.* 4. 113. Nunc tamen, id quoque uti conformem, exordia rerum Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.

CONFORNĬCO, as, are, a. 1. idem quod fornico. *Vitruv.* 5. 5. 2. *Schneid.* Cellæ confornicentur.

CONFORS, ortis, adject. omn. gen. ejusdem fortunæ particeps, ut consors ejusdem sortis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 16.

CONFORTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFORTO, as, are, a. 1. Part. *Confortatus* et *Confortandus.* — Conforto est fortem facio, consolor. *Macer carm.* 71. *de zedoaria.* Confortat stomachum. Sic *Gargil. Mart. de pom.* 16. (edente *A. Mai* in *Class. auct. T.* 3. p. 422.). Ceresiæ austeræ ventrem constringunt, stomachum confortant. *Lactant.* 4. 15. *ant. med. Esaiæ verba referens.* Confortamini manus resolutæ. *Hieronym. Ep.* 7. *n.* 4. Obsecro, ut etiam a Papa Valeriano ad eam confortandam litteras exigatis. *Jornand. Get.* 46. Regnoque suo confortato. *Alcim.* 1. 229 celeri confortant germina succo. *Vulgat.* 2. *Paral.* 13. 21. Confortato imperio suo.

CONFOSSUS, a, um. *V.* CONFODIO.

CONFŌTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFŎVEO, fŏves, fōvi, fōtum, fŏvere, a. 2. Part. *Confotus.* — Confoveo est idem quod foveo. *Afranius* apud *Non.* p. 523. 17. *Merc.* Jubeo hominem tolli, et collocari, et confoveri: solvo operam Dianæ. Cf. *Cod. Theod.* 7. 18. 4. pr. § 2. *Apul.* 8. *Met.* Lutore et illuvie pæne collapsa membra lavacro, cibo denique confoveret. *Hieronym.* 3. *advers. Rufin.* 8. Terra non debet gremio suo semina confovere. *Inscript.* apud *Fram, Relaz. d' un viaggio ad Ostia* p. 38. MISERIAE RECREATAE ET CONFOTAE. *Isid.* 11. *Orig.* 1. Semen receptum confovet, confotum corporat. *Id.* 17. *ibid.* 6. Dehinc confota (*herba*) surgit in arborem. *Vulgat. interpr. Esai.* 59. 5. Quod confotum est. — Addunt et locum *Catonis R. R.* 5. Confovere oleas, sed ea lectio admodum incerta est: immo *Schneid.* vocem *confovere* omittit.

CONFRĂCEO, es, vel

CONFRĂCESCO, frăcescis, frăcui, frăcescere, n. 3. idem quod fracesco, putresco. *Varro* 1. *R. R.* 13. 4. Fimum, quod recens, nequam, quod confracuit melius. Ita *Schneiderus* reponendum putat; alii leg. *conflaccuit.*

CONFRACTĬO, ōnis, f. 3. actus confringendi. *Cassiod. præfat. in Psalt.* Ipsi psalmi sextam diei horam in panis confractione lætificant. *Vulgat. interpr. Esai.* 24. 19. Confractione confringetur terra. Adde eumd. *ibid. Psalm.* 105. 23. *Ennod.* 8. *Ep.* 13. Nihil valetudini meæ de itineris confractione indico decessisse.

CONFRACTUS, a, um. *V.* CONFRINGO.

CONFRACTUS, us, m. 4. fractura. Quidam hanc vocem legunt apud *Cels. præf.* 1.; sed *Targa* in altera ejusdem editione p. 7. ex MSS. legendum probat *contactum*, et in textum recepit.

CONFRAGES loca, in quæ undique venti currunt ac sese frangunt. *Isid.* 14. *Orig.* 8. 27.

CONFRĂGŌSĒ, adverb. horride, inculte. *Marius Victorin.* p. 2550. *Putsch.* Intelligis igitur, ita confragose atque aspere coisse in unitatem connexionum, ut etc.

CONFRĂGŌSUS, a, um, adject. (confringo). Comp. *Confragosior* II. — Confragosus est asper, salebrosus, incultus, horridus: ab obsoleto *frago* pro *frango.* Dicitur de locis, in quibus nihil planum et continuatum, sed omnia sunt prærupta et confracta (It. *sassoso, rotto, aspro*; Fr. *raboteux, rocailleux, âpre*; Hisp. *aspero, escabroso, fragoso*; Germ. *bröckelig, holperig, uneben*; Angl. *rough, rugged, craggy, stony, uneven*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 18. 4. Confragosus ager. *Id.* 1. *ibid.* 20. 5. fundus. *Liv.* 28. 2. et 32. 4. Confragosa loca, implicataque flexibus vallium vias. *Id.* 44. 3. Confragosa via. Adde *Senec. Ep.* 84. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 8. locus lapidibus. Adde eumd. 6. *ibid.* 17. 2. Huc referri potest et illud *Sidon.* 9. *Ep.* 14. *circa med.* Confragosum diluvium.

II.) Translate. *Plaut. Men.* 4. 2. 25. Conditiones tortæ, confragosæ. *Id. Cist.* 2. 3. 70. Teneo istuc satis: sed ego illud quæro confragosum: quo modo prior posterior sit, posterior sit prior. *Quintil.* 5. 8. 1. Qui argumenta, velut horrida et confragosa, vitantes, amœnioribus locis desident. *Id.* 1. 1. 37. Versus ex asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos, et velut confragosos. Adde eumd. 8. 5. 29. *Mall. Theod. de metr.* 7. Dactylo pede adhibito, confragosius quiddam resonat et durius metrum anapæsticum. — Hinc

Confragosum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, pro loco confragoso. *Seneca Ep.* 51. *n.* 9. Fortior miles ex confragoso venit, segnis est urbanus et verna. *Liv.* 21. 32. Castra inter confragosa omnia præruptaque. Adde eumd. 5. 26. *Quintil.* 6. 1. 52. Confragosis atque asperis evecti, tota pandere possumus vela.

CONFRĂGUS, a, um, adject. (confringo) idem quod confragosus, sed magis poeticum. *Lucan.* 6. 126. Confraga densis arboribus dumeta. — Hinc

Confraga, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Stat.* 4. *Theb.* 494. Stabulans ad confraga silvæ. *Val. Flacc.* 3. 581. volucri ceu pectora tactus asylo Emicuit Calabris taurus per confraga septis, Obvia quæque ruens.

CONFRĀTER, tris, m. 3. *Inscript.* apud *Gruter.* 1157. 9. M. SALVIVS FORTVNATVS M. L. Q. V. A. P. M. IVN. FILIVS CONFRATRIBVS ET COJVX B. M. Fortasse pro *confratribus* legendum est *cum fratribus.* V. apud *Murat.* 1495. 9.

CONFRĔMO, is, ui, ere, n. 3. (cum et fremo) idem quod fremo, vel simul, aut valde fremo. *Ovid.* 1. *Met.* 199. Confremuere omnes. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 73. Illic agmina confremunt Syrorum. et *ibid.* 4. 14. urbes ubicumque togatæ Certent lætitia, nosterque ex ordine collis Confremat. *Sil. It.* 16. 398. Confremit et cælum, et percussus vocibus altis Spectantum Circus.

CONFRĔQUENTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFRĔQUENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et frequento). Part. *Confrequentatus.* — Confrequento est idem quod frequento, vel simul frequento. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 13. Nec aliis juventutis supplementis confrequentatæ (*apes*) novissime reliquæ intereant. Ita legit *Schneiderus*; aliæ editiones *frequentatæ. Prudent.* 1. περὶ στεφ. 7. Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ Confrequentant, obsecrantes voce, votis, munere. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 221. n. 587., quæ est apud *Orell.* 1414. VT NATALE FILIAE MEAE EPVLANTES CONFREQVENTETIS. Alia apud eumd. p. 724. n. 448., quæ pertinet ad an. a Chr. n. 153., et est apud *Orell.* 2417. VT VELINT DIEBVS INFRASCRIPTIS LOCVM CONFREQVENTARE. Et sine Accus. neutrorum more *Inscript.* apud *Gubrini, Comment.* VII. p. 75. T. FLAVIVS T. F. FAB. SILVANVS OBTVLIT COLL. SS. HS. VIII. M. N. (*h. e.* collegio suprascripto sestertium octo millia nummatim) VT QVOTANNIS NATALI EJVS DIE III. IDVVM DECEMBR. CONFREQVENTENT.

CONFRĬĀTUS, a, um. *V.* CONFRIO.

CONFRĬCĀMENTUM, i, n. 2. idem quod confricatio. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. Dentium confricamentis uti.

CONFRĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. fricatio. Occurrit translate tantum apud *Augustin.* 4. *Confess.* 8. Ingens fabula, et longum mendacium, cujus adulterina confricatione corrumpebatur mens nostra pruriens in auribus.

CONFRĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFRĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et frico). Part. *Confricatus* et *Confricandus* I. — Confrico est idem quod frico, vel una frico, valde frico.

I.) Proprie. *Annal. Pontif.* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 384. Confricati, oleo lentati paratique ad arma. *V.* LENTATUS. *Colum.* 7. *R. R.* 10. 3. Confricare totum os sale trito. *Id.* 2. *ibid.* 3. 1. boves substrictos. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 9. (31). Confricatis dentibus et gingivis. *Sueton. Claud.* 8. Confricare faciem sibi. *Veget.* 3. *Veterin.* 20. 1. oculum. *Id.* 4. *ibid.* 4. 11. Usturæ igne factæ ut sanescant, veteri urina bovis ipsius confricandæ sunt. *Id. ibid.* 5. 1. Allio cum sale pariter trito ipsa vulnera confricanda (*sunt*). — *Confricare alicui genua* dicuntur, qui aliquid enixe petunt, quod mos erat supplicum genua attingere, atque ad ea manus tendere, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (250). docet. *Plaut. Asin.* 3. 3. 80. Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur. A. Quidvis egestas imperat: fricentur. — *NB.* De locis *Caton. R. R.* 7. et *Varron.* 1. *R. R.* 60. *V.* in CONFRIO.

II.) Translate. *Tiro Tullius* apud *Gell.* 7. 3. Sensus judicum injuriis atque imperiosis comminationibus confricare. *h. e.* irritare, perstringere. *Cato ibid.* Ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confricet. *h. e.* atterat, imminuat. Utroque loco plerique al. leg. *confuto*; et quidem rectius.

CONFRINGO, fringis, frēgi, fractum, fringere, a. 3. (cum et frango). Part. *Confractus* I. et II. 1. — Confringo est idem quod una frango, perfringo (It. *rompere, spezzare*; Fr. *rompre, briser*; Hisp. *romper, quebrar*; Germ. *zusammen-oder zerbrechen*; Angl. *to break entirely, break to pieces, shatter*).

I.) Proprie ac stricto sensu dicitur de iis, quæ in particulas disrumpuntur. *Cato R. R.* 81. Ubi coctum erit, hirneam confringito, ita ponito. *Plaut. Capt.* 4. 4. 8. Aulas calicesque omnes confregit, nisi quæ modiales erant. *Id. Rud.* 1. 2. 64. Confracta navis in mari est illis. *Id. Most.* 2. 2. 23. Pulsando pedibus pæne confregi fores. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 24. Confringere imbrices et tegulas. *Lucret.* 1. 71. Confringere claustra portarum naturæ. *h. e.* arcana naturæ adire et cognoscere. *Cic. Flacc.* 30. 72. Membra, quæ debilitavit; manus, quas contudit; digitos, quos confregit, etc. *Liv.* 26. 46. Confringere fores cædendo. Cf. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. § 31. *Cels.* 7. 12. Ne sub forfice confringatur (*dens exesus*). *Seneca Herc. fur.* 272. Confringere sceptra manu. *Lucan.* 7. 573. Confractique ensibus enses. *Id.* 6. 123. turres valli impulsu. *Petron. Satyr.* 123. ac tumida confractum grandine cælum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 45. Ossa confracta. *Sueton. Ner.* 34. Confringere liburnicam (*navem*). *Ulp. Dig.* 39. 2. 24. § 9. Arbores vi tempestatis confractæ. — *Confregisti tesseram hospitalem*, allegorice, et proverbii cujusdam ratione, *h. e.* amicitiam dissolvisti. *Plaut. Cist.* 2. 1. 27.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate *confracta* dicuntur quæ oculis disrupta esse videntur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 44. 44. (115). Juga montium confracta in humeros. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (24). In æquo exstantia ostendens, et in confracto solida omnia. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Docetur blanditias et in omnem motum corporis confringitur. *h. e.* enodatur membris ad molles saltationes. *At alii rectius leg.* constringitur. ¶ 2. Translate est rem aliquam ad nihilum redigere. *Plaut. Trin.* 1. 2. 71. Rem alicujus confringere. *h. e.* patrimonium absumere, ducta, ut opinor, metaphora ab iis, qui naufragium faciunt. Cf. eumd. *Stich.* 4. 2. 49. *Titinius* apud *Non.* p. 316. 3. *Merc.* Confringere superbiam alicujus. *Cic.* 3. *Verr.* 5. 13. vi consilia senatoria. *Val. Max.* 4. 5. 2. Confregit rempubl. Terentius Varro Cannensis pugnæ temerario ingressu. *Id.* 7. 2. *ext.* 17. Confringere vires hostium. *Claudian.* 1. *Cons. Stilich.* 69. animum alicujus. — Hinc a Part. præter. pass.

Confractum, i, n. 2. quod absolute, substantivorum more, occurrit apud *Plin.* V. supra sub II. 1.

CONFRĬO, as, are, a. 1. (cum et frio). Part. *Confriatus.* — Confrio est idem atque infrio. *Cato R. R.* 7. Orbites ubi nigræ erunt et siccæ, sale confriato dies quinque. *Alii perperam leg.* confricato. *Varro*

1. *R. R.* 60. Orchites nigras, sale si sint confrixæ dies quinque, manere idoneas solere scribit Cato. *Hic quoque alii perperam leg.* confricatæ. *V.* FRIO et INFRIO.

CONFRIXO, as, are, a. 1. *frequentat. ab inusit.* confrigo, simul frigo. *Theod. Priscian.* 1. 6. Cum oleo confrixentur.

CONFUERIT. *V.* CONFUIT.

CONFŬGA, æ, m. et f. 1. qui confugit in aliquem locum, salutis ergo. *Imp. Leo Cod.* 1. 12. 6. et *Impp. Theodos. et Valent. ibid.* 3. 22. § 1. appellant *confugas*, qui ad asylum Ecclesiæ confugerunt. Adde *Cod. Theod.* 9. 45. 4.

CONFŪGĔLAM antiqui confugium dicebant. *Paul. Diac.* p. 39. 9. *Müll.*

CONFŬGĬO, fugis, fūgi, fŭgere, n. 3. (cum et fugio) idem quod fugio, vel simul fugio ad aliquem auxilii, aut salutis causa (It. *rifuggire*; Fr. *chercher un refuge, se réfugier*; Hisp. *refugiarse*; Germ. *zusammenfliehen, d. h. irgend wohin zum Anschluss sich fliehend begeben, also seine Zuflucht wohin nehmen, wohin flüchten*; Angl. *to flee, to for soccour, take refuge with, flee, have recourse to*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 5. Ad te confugimus: a te opem petimus. *Id.* 1. *ibid.* 35. 85. Priamum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Adde *Nepot. Pausan.* 4. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Magno numero interfecto, reliquos in naves confugere coegerunt. *Plin.* 8. *Ep.* 19. Ad unicum doloris levamentum, studia confugio. — Jungitur cum præpos. ad pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 24. ad aliquem domum. *Cic.* 2. *Off.* 12. 41. ad aliquem. Adde *Nepot. Themist.* 8. et 9. et *Iphicr.* 3.; et *Virg.* 1. *Æn.* 666. Rursus *Cic. Cæcin.* 34. 100. et *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 43. ad aram. *Cic. Ligar.* 10. 30. ad clementiam alicujus. *Ovid.* 8. *Met.* 689. ad ipsos deos. *Cajus* 1. *Institut.* 53.; et *Dig.* 1. 6. 2. et 21. 1. 19. § 1. ad fana deorum, ad statuas principum. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 4. 11. ad fidem alicujus. *Curt.* 6. 9. 24. ad militum manus, arma. *Cic. Fontej.* 11. 23. ad opem judicum. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 8. ad opem medicam. *Liv.* 1. 2. ad florentes Etruscorum opes. *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 5. ad philosophiam vitæ ducem. *Id.* 4. *Fam.* 6. 2. ad rem publ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (105). ad remedia. — Item cum præp. *in. Nepos Pausan.* 5. in ædem Minervæ. *Cic.* 3. *Att.* 15. 6. in agros alicujus. *Id.* 1. *Tusc. loc. cit.* in aram. *Curt.* 3. 1. 6. et 9. 8. 12. in arcem. *Dig.* 21. 1. 17. § 12. in asylum. *Nepos Eumen.* 5. in castellum. *Cic. Cæcin.* 34. 100. in exsilium quasi ad aram. *Id. Quinct.* 2. 10. in fidem, veritatem, misericordiam alicujus. *Curt.* 6. 10. 19. in montes. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. in naves. *Curt.* 10. 9. 21. in templum. *Id.* 4. 4. 12. in templa. *Id.* 10. 8. 13. in urbem. — *Nepos Thrasyb.* 2. Phylem. *Sueton. Aug.* 14. Prusiam. *Nepos Pausan.* 4. eo. *Cic.* 4. *Fam.* 6. 2. habere quo confugias. *Sueton. Aug.* 17. quo ille confugerat.

II.) Translate *confugere ad rem aliquam* dicitur qui consilium aliquod capit, quod auxilii aut salutis causam futurum sibi putat. *Ter. Heaut.* 4. 5. 45. Neque tu scilicet eo confugies, quid mea? num mihi datum est? etc. *h. e.* neque ad eam excusationem confugies, ut dicas, quid mea? etc. Cf. *eumd. Hecyr.* 5. 3. 24. *Lucret.* 3. 768. Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem, Confugient. *Al. leg.* confingent. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 28. Epicurus, ubi erubuit, confugit illuc, ut neget, etc. *Id.* 5. *Verr.* 83. 191. An, illuc confugies, vecturæ difficultate adductos ternos denarios dare maluisse? *Id.* 2. *Herenn.* 3. 5. Primum demonstrabit vitam integram, si poterit: id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, vim, persuasionem. *Asconius ad Cic. Cornel.* p. 60. 16. *Bait.* Is eo confugit, ut diceret etc. *Ovid.* 1. *Fast.* 571. Confugere ad artes patrias. *Plin.* 10. *Ep.* 13. Cui referre gratiam parem nec audeo quidem: itaque ad vota confugio. — Passive impersonaliter. *Lactant.* 1. *Inst. Div.* 2. 9. Ad Deum confugitur. *Al. leg.* confugiunt. Adde *eumd. De morte persec.* 33. 5.

CONFŬGĬUM, ii, n. 2. perfugium, locus, quo fugimus salutis causa. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 2. Qui mihi confugium, qui mihi portus eras. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 5. 6. *Stat.* 12. *Theb.* 504. Commune confugium ægris animantibus.

CONFŬIT, confŭtūrum, confŏre, verbum defectivum a *cum* et *esse*; et significat simul accidere, simul evenire. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 66. Confido confuturum. *h. e.* confore. *Ter. Andr.* 1. 1. 40. Qui mihi exorandus est, et spero confore. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. Si febres non fuerint, neque alia quælibet passio lumbricis confuerit.

CONFULGĔO, fulges, fulsi, fulgere, n. 2. idem ac fulgeo, vel valde fulgeo. *Plaut. Amph.* 5. 1. 15. Ardere censui ædes: ita tum confulgebant. Cf. *ibid. v.* 44. *Cinna* apud *Isid.* 19. *Orig.* 2 9. Lucida confulgent alti carchesia mali.

CONFULTUS, a, um, particip. ab inusit. *confulcio*, fultus. *Lucret.* 2. 97. Corpora intervallis magnis confulta resultant. *Al. leg.* consulta, a consilio, *is*: *alii* contusa; *alii rectius* conflicta.

CONFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (cum et fundo). Part. *Confundens* I. *a.*; *Confusus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Confusurus* II. 2.; *Confundendus* II. 1. — Confundo est simul res plures fundo (It. *spargere insieme, mescolare, confondere*; Fr. *mélanger, mêler, mettre ensemble*; Hisp. *confundir, mezclar*; Germ. *zusammengiessen oder-schütten*; Angl. *to pour out together, pour several things into one place, mingle, mix or blend together*).

I.) Proprie usurpatur de rebus physicis, quæ cum liquida sint, aut naturâ suâ facile fundi possint, demittuntur atque in unum miscentur; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Most.* 1. 3. 120. Iidem olent, quasi cum una multa jura confundit coquus. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 67. Jus confusum sectis herbis. Adde *Cic. Cluent.* 67. 173. *Id. Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 37. 118. Eas (*particulas minutas*) primum confusas, postea in ordinem adductas a mente divina etc. *Ovid.* 7. *Met.* 278. Arenti ramo jampridem mitis olivæ Omnia (*Medea*) confudit. *Curt.* 9. 9. 7. Tertio jam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc æstu confundente dispares undas. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3 11. (50). Melle, mox aceto, item oleo confusis crebroque permixtis. *Dig.* 10. 2. 31. Si irruptione fluminis fines agri confudit inundatio. *Ibid.* 6. 1. 3. § 2. Si quid – ita confusum est atque permixtum, ut deduci et separari non possit. — *b*) Addito loco, in quem aliquid magna copia funditur ac miscetur. *Cato R. R.* 106. et 107. Confundere vinum in vas picatum. *Id. ibid.* 123. materiem in lagenam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. Lapsus cibus in eam venam, quæ cava appellatur, confunditur. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 28. Cruor in fossam confusus. *Colum.* 12. *R. R.* 28. 4. In cado duarum urnarum quam optimi vini sextarium, aut si vasa recentia habebis, in ea confundito. *Dig.* 19. 2. 31. Complures frumentum in navem confunduut. — Figurate *Sil. It.* 14. 333. angusta foramina murus Arte cavata dabat, per quæ confundere tela Totum erat. *h. e.* tela magnâ copiâ emittere. — *c*) Addita re, quacum aliquid confunditur, per Ablat. et præpos. *cum. Cic. Tim.* 14. 41. Cum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit et contulit. *Ovid. Heroid.* 2. 95. Confundere lacrimas suas cum lacrimis alterius. — *d*) Denique addita per Dativum re, cui aliquid per confundendi actum jungitur. *Virg.* 3. *Æn.* 696. qui (*Alpheus*) nunc ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis. *Ovid. Medic. fac.* 61. Cornus cervi contrita confusa farinæ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur.

II.) Translate ponitur de iis, quæ inter alia conjiciuntur, cum aliis quomodocumque commiscentur, ita ut fere perturbationis ratio subsit. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum additis ejusmodi, ex quibus propria verbi significatio clare adhuc innotescat: ad rem *Cic. Brut.* 26. 100. Sed nec ejusmodi est (*ea oratio*), ut a pluribus confusa videatur. *h. e.* quasi simul fusa a pluribus. V. *Ellendt.* ad h. l. Ceterum occurrit, ut diximus, cum additis. *Cic.* 2. *Orat.* 79. 322. Est id quidem in totam orationem confundendum. *Liv.* 7. 12. *ad fin.* Confundere sermones in unum. *scil.* cum plures simul loquuntur. *Id.* 40. 46. Universorum voces confusæ in unum. *Id.* 1. 23. Duo populi confusi in unum. *Ovid.* 4. *Met.* 471. Imperium, promissa, preces confundit in unum. Adde *Quintil.* 1. 7. 26. — *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 61. Confundere vera cum falsis. *Id.* 1. *Off.* 27. 95. Decorum confusum est cum virtute. *Horat.* 1. *Od.* 17. 22. nec Semeleius Cum Marte confundet Thyoneus Prælia. *Ovid.* 2. *Trist.* 363. Confundere Venerem cum vino. — *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 35. Vis quædam sentiens et divina, quæ toto confusa sit mundo. *Id. Orat.* 57. 195. Omnes in oratione quasi permixti et confusi pedes. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 195. Diversum confusa genus panthera camelo. *Id. Art. P.* 213. Rusticus urbano confusus. *Curt.* 8. 8. 8. Confundere summa imis. *Quintil.* 6. 3. 59. Atticis Dorica dicta. *Juvenal.* 6. 283. mare cœlo. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 239. sacra profanis. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 200. proceres turbæ. — *b*) Raro absolute ponitur pro coacervare. — Generatim. *Varro* 2. *R. R.* 7. 5. Membra confusa. *Ascon.* ad *Cic. Cornel.* p. 70. *Bait.* Populus confusus. *Quintil.* 9. 4. 49. Confundere quinque continuos dactylos. — Specialiter de iis, quæ in oratione coacervantur. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 23. Cuperem equidem utrumque (*una dijudicare*), si posset; sed est difficile confundere. *Al. aliter leg. Id. Sext.* 2. 5. Quoniam singulis criminibus ceteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, de genere vitæ, de natura, de moribus: contendamque, ut in hac confusa atque universa defensione nihil a me prætermissum esse videatur. — Item specialiter apud JCtos ea *confundi* dicuntur, quæ ita miscentur, ut vel nullo modo, vel difficile separari possint. *Ulp. Dig.* 6. 1. 3., *Paul. ibid.* 4. etc. Sic *Ibid.* 42. 6. 1. § 12. Confusis bonis et unitis. Sic *confundere jus dominii* apud *Paul. Dig.* 10. 3. 19. est commune pluribus facere. — Item illæ obligationes, quæ ita in unam eamdemque personam cadant, ut vim suam amittant. *Ulp. Dig.* 49. 14. 29. *ad fin.* Obligationes, quas adeundo hereditatem confundit, non restituuntur. Adde *African. ibid.* 46. 1. 21., *Paul. ibid.* 36. 1. 59. et 80., et alibi sæpe. ¶ 2. Speciatim in malam partem accipitur, pro inordinate miscere, turbare. *Cic. Dom.* 49. 127. An tu hæc ita confundis et perturbas, ut, quicumque velit, quod velit, quomodo velit, possit dedicare? *Id.* 1. *Divinat.* 29. 60. Nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa (*in somno*) cernimus. *Lucret.* 4. 556. At si interpositum spatium sit longius æquo, Aera per multum confundi verba necesse est Et conturbari vocem, dum travolat auras. – Usque adeo confusa venit vox inque pedita. *Liv.* 9. 27. Signaque et ordines peditum atque equitum confundit. *Ovid.* 6. *Met.* 585. fasque nefasque Confusura ruit. *Colum.* 1. *R. R.* 9. 7. Multitudo diligentiam monitoris confundit. Sic *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 18. (36). Confundit pleroque similitudo nominum. — Porro hac significatione jungitur aliis Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. *Sueton. Aug.* 31. annum. *Curt.* 8. 14. 16. belluas. *h. e.* elephantos. *Virg.* 5. *Æn.* 496. et 12. *ibid.* 290. fœdus confundere. *h. e.* Gr. συγχέειν. *Petron. Satyr.* 132. hilaritatem alicujus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 70. (117). intellectum. *Sil. It.* 3. 663. iter. *Liv.* 4. 1. jura gentium. *Ovid.* 10. *Met.* 346. jura et nomina. *Lucan.* 1. 667. jus omne. *Sueton. Claud.* 33. lusum. *Liv.* 5. 50. memoriam. *Val. Flacc.* 5. 580. mensas positas. *Tac.* 1. *Hist.* 60. ordinem disciplinæ. *Id.* 2. *ibid.* 93. ordo militiæ confusus. *Quintil.* 10. 5. 23. priora. *Id.* 2. *Declam.* 16. quietem. *V. Confusus* in fine hujus voc. sub 1. ¶ 3. Item speciatim ponitur de corporis membris vultusque lineamentis, et est ita lædere ac deformare, ut agnosci nequeant. *Ovid.* 5. *Met.* 58. stipite – Perculit et fractis confudit in ossibus ora. *Id.* 12. *ibid.* 251. Ossa non agnoscendo confusa reliquit in ore. *Curt.* 8. 3. 13. Confuderat oris exsanguis notas pallor, nec quis esset nosci satis poterat. *Seneca Troad.* 111. Et ora et illas nobiles notas patris confudit imam pondus ad terram datum. *Petron. Satyr.* 105. et *Justin.* 3. 5. 11. Confundere omnia corporis lineamenta. *Lucan.* 2. 191. et 3. 758. vultus. Sic *Ovid.* 14. *Met.* 367. vultum Lunæ. V. *Confusus* in fine hujus voc. sub 2. — Huc referri potest et illud *Stat.* 5. *Theb.* 42. Olympus confusus. *h. e.* cælum dubia luce fulgens initio diei: vel caliginosum, aut nubilum. ¶ 4. Item de pudore, cujus causa quis hæret. *Ovid. Heroid.* 21. 111. et 3. *Trist.* 1. 81. Confundi pudore. *Curt.* 7. 7. 23. Non solum ira, sed pudore confusus. *Stat.* 2. *Theb.* 232. tacite subit ille supremus Virginitatis amor, primæque modestia culpæ Confundit vultus. Et figurate *Colum.* 10. *R. R.* 260. rosa ingenuo confusa rubore. — *Confundi* absolute pro pudore affici, est apud *Sulpic. Sever. de Vita D. Mart. c.* 9. Sic *Id. ibid.* 10. Qua ille voce confusus obstupuit. *h. e.* pudore confusus. ¶ 5. Sæpius transfertur ad animum, et *confundere* est animum affectu aliquo perturbare. *Lucret.* 2. 946. repente (*grandinis ictus*) adfligit, et omnes Corporis atque animi pergit confundere sensus. Adde *eumd.* 2. 439. *Liv.* 45. 42. Hæc tanto dicta animo magis confudere audientium animos, quam si miserabiliter de-

fiendo etc. *h. e.* misericordiâ commoverant. *Id.* 34. 50. Confundere aliquem. *Id.* 35. 15. Confundi mœrore. *Seneca* 3. *Clem.* 5. Metus et mœror confundit animum. *Quintil.* 1. 12. 1. Confundere et fatigare animum tot disciplinis in diversum tendentibus. *Ovid. Heroid.* 19. 193. Confundi hesternæ imagine noctis. Adde *eumd.* 15. *Met.* 770. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 44. Confundere immitem animum imagine tristi. *Plin.* 5. *Ep.* 5. Qui nuncius gravi me dolore confudit. *Id.* 3. *ibid.* 10. Veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem. *h. e.* veritus sum, ne vos dolore afficerem tristesque redderem etc. *Quintil.* 8. 3. 5. Fulmina non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur. *Id.* 2. *Declam.* 20. Neminem fuisse in domo, quem non fragor ille confuderit. *Stat.* 8. *Theb.* 283. Ingens honos confundit aliquem. *Juvenal.* 7. 68. Confundit aliquem Erinnys. *V.* paullo infra *Confusus* sub 3. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla passim retulimus,

Confusus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Confusior* 2. et 3.; Sup. *Confusissimus* 1. Adjective autem occurrit translate, et quidem ¶ 1. In malam partem confusus est inordinatus, in quo omnia permixta sunt ac perturbata. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 50. Ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum. Sic *Ovid.* 2. *Met.* 666., 12. *ibid.* 55. et 15. *ibid.* 606. Confusa verba. *Quintil.* 1. 1. 28. stilus. *Lucret.* 4. 565. et 615. vox. *Liv.* 30. 6. clamor. *Plin.* 4. *Ep.* 7. Os confusum. *h. e.* quod syllabas clare articulare nequit. Cf. *eumd.* 6. *ibid.* 11. — Similiter *Lucret.* 6. 607. mundi confusa ruina. *Id.* 6. 600. natura. *Virg.* 6. *Æn.* 503. strages. *Auct. B. G.* 8. 14. agmen. *Lucan.* 7. 127. castra confusa tumultu. *Sueton. Aug.* 44. Spectandi confusissimum et solutissimum morem correxit ordinavitque. ¶ 2. Item ponitur de corporis membris vultusque lineamentis, quæ vehementi aliquo affectu deformantur ac turbantur: cf. CONFUNDO II. 3. *Ovid.* 3. *Trist.* 5. 11. Confusi vultus. *h. e.* tristes. Adde *Liv.* 41. 15. *Curt.* 6. 7. 18. Ore confuso magnæ perturbationis notas præ se ferens. *Tac.* 4. *Ann.* 63. Facies confusior. ¶ 3. Sæpius transfertur ad animum, et dicitur de iis, qui affectu quopiam perturbati sunt. — *a*) Cum additis. *Liv.* 35. 35. *sub fin.* Animus confusus tantæ cogitatione rei. *Id.* 1. 7. Confusus atque incertus animi. *Id.* 6. 6. Confusus animo. *Id.* 6. 34. Confusa mulier ex recenti morsu animi. *Id.* 35. 15. *sub fin.* Confusus mærore. *Quintil.* 1. 10. 45. metu. *Sueton. Cæs.* 7. somnio. *h. e.* perterritus. *Justin.* 32. 2. turbâ querelarum. Huc pertinet et illud *Val. Flacc.* 1. 79. confusaque pectora firmat. *h. e.* dubitantia. — *b*) Absolute. *Liv.* 30. 15. Masinissa ex prætorio in tabernaculum suum confusus concessit. *h. e.* amore, metu et pudore simul turbatus. *Petron. Satyr.* 101. Confusus et consilii egens. Adde *eumd. ibid.* 74. et 130. — *Plin.* 7. *Hist. nat. præfat.* 1. (5). Nulli datus pavor confusior, quam homini.

CONFŪNĔRO, as, are, a. 1. idem quod funero, sepelio. *Juvenc.* 4. 96. Ejus ut adventus terræ confuneret orbem. Ita *Barth. adversar. l.* 13. *c.* 19. ex quodam MS. Alii *consumeret*.

CONFŪSĀNĔUS, a, um, adject. varius, multiplex, confusus. *Gell. præfat.* § 5. Variam, et miscellam, et quasi confusaneam doctrinam conquisierant.

CONFŪSĒ, adverb. Comp. *Confusius*. — Confuse est varias res confundendo, permixte, perturbate, sine ordine (It. *confusamente, senz'ordine. alla rinfusa*; Fr. *confusément, sans ordre, pêle-mêle*; Hisp. *confusamente, abarrisco*; Germ. *auf eine durcheinander-geworfene, nicht gehörig getrennte und auseinandergehaltene Weise, bisw. verworren*; Angl. *confusedly, without order or method*). *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. Modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus, post discrete et electe digeremus. *Id.* 2. *Fin.* 9. 27. Contemnit disserendi elegantiam: confuse loquitur. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 19. Confuse agere. *Id.* 8. *Phil.* 1. 1. Confusius hesterno die est acta res, quam etc. *Festus p.* 214. 4. *Müll.* Sed ea (*verba permutare et commutare*) confuse in usu sunt. *Gell.* 14. 2. Confuse varieque sententias dicere. *Pompon. Dig.* 21. 1. 36. Si confuse universis mancipiis constitutum pretium fuerit. cui *opponitur ibid.* singulorum mancipiorum constituto pretio.

CONFŪSIM, adverb. Idem quod confuse. *Varro* 9. *L. L.* 4. *Müll.* Nam confusim ex utraque parte pleraque dicuntur, quorum alia ad aliam referri debent summam. Addunt et locum *Plinii* 18. *Hist. nat.* 16. 43. (144)., sed ibi plerique libri *confusum* habent: immo *Sillig* legit *composuit*.

CONFŪSĬO, ōnis, f. 3. actus confundendi, permistio (It. *mescolamento, confusione*; Fr. *action de mêler, mélange*; Hisp. *el acto de mezclar, mezcla*; Germ. *d. Zusammengiessung*; Angl. *a mixing, or jumbling together, confusion*).

I.) Proprie raro admodum occurrit; et quidem — *a*) *Confusio* dicitur, cum res plures materiales ita miscentur, ut separari non possint; miscentur autem certo pondere ac mensura. *Paul. Dig.* 6. 1. 23. § 5. Ferruminatio per eamdem materiam facit confusionem: plumbatura vero non idem efficit. Adde *ibid.* 2. 1. 27. — *b*) Generatim vero *confusio* dicitur quæcumque plurium rerum permistio, etiamsi casu, vel nullo prorsus ordine fiat. *Apul. de Mundo.* Coloribus atris, albis, luteis et puniceis confusione modica temperatis. *Plin.* 3. *Ep.* 20. Procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina in medio, et indecora (*hominum*) confusio.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim confusio est actus plura coacervandi ac permiscendi in scriptis, in vitæ ratione etc. — *a*) Cum addito Genitivo. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 67. Atque hæc conjunctio confusioque virtutum, tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. *conspiratio consensusque virtutum* paullo ante dixerat. *Id.* 2. *Off.* 19. 65. Quam quidem (*juris civilis cognitionem atque interpretationem*) ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt. *Id. Mur.* 23. 47. Confusionem suffragiorum flagitasti. *h. e.* ut suffragia ferrentur non servato ordine classium et centuriarum. *Id.* 2. *Legg.* 10. 25. Suos deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum. *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 3. Perturbatio et confusio vitæ. — *b*) Absolute. *Quintil.* 3. 6. 29. Utrorumque modo sequatur summa confusio. Adde *eumd.* 10. 7. 5. et 12. 10. 32. — *c*) Apud JCtos — Cum addito Genitivo *confusio* est bonorum permistio. *Paul.* 5. *Sentent.* 9. § 4. Confusio bonorum. *Dig.* 30. 116. § 4. dominii. *Ibid.* 46. 1. 71. *pr.* obligationis. — Absolute *confusio* dicitur cum plures actiones, seu obligationes in una eademque persona ita uniuntur, ut vel omnes, vel earum aliqua suam vim amittat. *Ulp. Dig.* 18. 4. 2. *ad fin.* et *Modestin. ibid.* 46. 3. 75. Cum quis debitori suo heres extiterit, confusione debitor esse desinit. *Nerat. ibid.* 34. 3. 21. Confusione perinde extinguitur obligatio, ac solutione. *Paul. ibid.* 46. 1. 71. Mandator allegabat, se liberatum jure confusionis. ¶ 2. Specialim in illo *Taciti* 4. *Hist.* 40. Crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. *confusio* est rubor vultu suffusus. Fuit enim Domitianus (de quo hic sermo est) vultu pleno ruboris, ut *Sueton. in ejus Vita* 18. et *Plin. Paneg.* 48. testantur. Quod idem *Tac. Agric.* 45. confirmat. ¶ 3. Item specialim sumitur pro perturbatione animi. *Vellej.* 2. 124. Quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus? *Petron. Satyr.* 101. Simulationem lacrimis et vultus confusione obumbrare. Adde *Quintil.* 12. 5. 3. *Tac.* 3. *Hist.* 38. Causam confusionis quærenti, non se proprio metu, sed pro fratre *etc.*, respondit. *Plin. Paneg.* 86. Quam ego audio confusionem tuam fuisse, cum digredientem persequereris? *h. e.* tristitiam. *Id.* 1. *Ep.* 22. *extr.* Erit confusioni meæ non mediocre solatium, si etc. *h. e.* sollicitudini. *Sulpic. Sever. Ep.* 3. *sub fin.* Tam erat sancta de ejus gloria exultatio, quam pia de morte confusio. *h. e.* mœror, dolor.

CONFŪSUS, a, um. *V.* CONFUNDO.

CONFŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. occurrit translate tantum, et est oratio, vel pars orationis, qua adversariorum argumenta refelluntur. *Cic.* 1. *Herenn.* 3. 4. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio.

CONFŪTĀTOR, ōris, m. 3. qui confutat; sed occurrit translate tantum. *Hieronym. de Scriptor. Eccles. in Bardes.* Qui primum Valentini sectator, postea confutator, etc.

CONFŪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONFŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Confutatus* II. 1. et 2. — Confuto prima significatione videtur esse idem quod *confundo*, misceo, vel ejus frequentativum. Nam a *fundo* est *futo, futilis*, et *futum*, genus vasis aquarii. Igitur a *futo* fit *confuto*: quod *Non. p.* 249. 18. *Merc.* exponit commovere: *h. e.* permiscendo commovere: quod est confundere. Hinc est pacare, sedare.

I.) Proprie raro admodum occurrit. Sic de liquidorum ebullitione. *Titinius* apud *Non. p.* 87. 12., *p.* 249. 18. et *p.* 503. 6. *Merc.* Cocus magnum ahenum, quando fervit, paula confutat trua. *h. e.* ne humor fervens exundet, miscet, confunditque leviter, ejusque fervorem compescit. — Idem *Nonius p.* 87. 10. *Merc.* interpretatur *confundere* vel *committere* (quæ interpretatio cum illa altera valde congruit). *Varro ibid.* Harum ædium summe (*vulgo* summa) atria confutabant architectones. *Mercer.* in notis *p.* 672. et 673. pro *committere* cum aliis legendum esse putat *commiscere*. Præterea locum *Varronis* sic legendum conjicit: *harum ædium Summetriam confutabant architectones.* Nam quid est, ait, confutare atria? At symmetriam confutare, est damnare et improbare, docere ædes sine symmetria factas: proprium artis architectonicæ verbum. *Merceri* conjecturam recepit *Fr. Oehler* (*M. Ter. Varron. Satur. Menipp. Reliq. p.* 150. 4.) et *confutare* accipit pro *turbare*, quod præstat. Sic figurate *Apul.* 11. *Met. post init.*, cujus verba *V.* infra II. 1. — Hinc factum est, ut

II.) Translate ¶ 1. Ponatur etiam pro compescere, reprimere, adeoque refellere, quia (inquit *Voss.*) sicut *futo* fervens aqua, ita oratione compescuntur adversarii: ad rem *Apul.* 11. *Met.* Palla nigerrima splendescens atro nitore meum confutabat obtutum. *h. e.* perstringebat et retundebat aciem oculi mei. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Ne quid adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet. *Al. leg.* confricet. *Plaut. Truc.* 2. 3. 28. Ego istos, qui nunc me culpant confutaverim. *Ter. Phorm.* 3. 1. 13. ANT. Quid is fecit? GET. Confutavit verbis admodum iratum senem. *Id. Heaut.* 5. 1. 76. Hic, ita ut liberos est æquum, dictis confutabitur; sed Syrum, si vivo, ita exornatum dabo, ut etc. *Lucret.* 4. 487. An confutabunt nares oculive revincent? *Cic.* 5. *Tusc.* 31. 88. Epicurus maximis doloribus affectus, eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat. *Id.* 1. *Divinat.* 5. 8. Confutare argumenta Stoicorum. *Id. Partit. orat.* 38. 134. audaciam alicujus. *Id.* 2. *Nat. D.* 17. 45. Cujus opinionis levitas confutata a Cotta, non desiderat orationem meam. *Liv.* 37. 10. Confutare verba magnifica rebus. *Gell.* 5. 10. *extr.* Aliquem suo sibi argumento. *Id.* 7. 16. *in lemmate.* Confutare versibus delicatorum hominum luxuriantem gulam. *Tiro Tullius* apud *Gell.* 7. 3. Sensus judicum injuriis atque imperiosis comminationibus confutare. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores confutari aliquando pro convinci occurrit. *Ammian.* 17. 9. 18. Contra rempubl. tot suscepisse labores et pericula, confutati. *Id.* 26. 3. 7. Venefici, post agitatas quæstiones, nocuisse quibusdam, apertissime confutati. *Cod. Theod.* 11. 8. 1. Confutari crimine.

CONFŪTŪO, is, ere, a. 3. simul futuo. *Catull.* 37. 3. putatis Solis licere quidquid est puellarum, confutuere?

CONFŪTŪRUS, a, um. *V.* CONFUIT.

CONGARRĬO, is, ire, n. 4. sæpius blatero, obloquor. *Fronto* 1. *ad Amic. ep.* 15. (edente iterum Romæ *A. Maio*). Victorinus noster, sive Fronto nullum verbum prius, neque frequentius congarrit, quam *Hoc da*. Loquitur nempe de filiolo Aufidii Victorini generi sui.

CONGAUDĔO, es, ere, n. 2. Præter. *congaudi* pro *congavisus sum* legitur apud *Alcim. Avit. Ep.* 41. Congaudi misso, invidi vos visuro. — Part. *Congaudens*. — Congaudeo est idem quod gaudeo, vel simul gaudeo. *Tertull. advers. Gnost.* 13. *ex D. Paulo.* Gaudeo, et congaudeo omnibus vobis: perinde et vos gaudete, et congaudete mihi. *Cassiod.* 8. *Variar.* 11. Congaudete nunc, P. C., meis auspiciis, qui vestris favi semper honoribus. *Id.* 1. *Hist. Eccl.* 13. *ante med.* Compatiamur, aut congaudeamus ad invicem. *Paulin. Petrocor.* 2. 665. Pressit in absentem congaudens oscula dextram. *Augustin. Serm.* 44. Cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proposuit sequenda vestigia.

CONGĔLASCO, is, ere, n. 3. idem quod gelasco. *Gell.* 17. 8. Solere oleum congelascere. *et mox.* Vina rarenter congelascant. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *Ambros. de Noe et Arca* 15. Ut (*corpus*) neque frigore congelascat, nec æstivo calore solvatur.

CONGĔLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus congelandi, gelatio. *Colum.* 4. *R. R.* 8. 2. Brumæ congelationes. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 21. (33). Minui certo liquorum omnem congelatione deprehenditur.

CONGĔLĀTUS, a, um. *V.* CONGELO.

CONGĔLĬDUS, a, um, adject. *Congelida aqua* le-

gitur a quibusdam apud *Cels.* 4. 24., ubi plerique libri habent *egelida*, quidam etiam *calida*.

CONGĔLO, as, āvi, ātum, are, 1. (cum et gelo). Part. *Congelatus* sub A. I. — Congelare usurpatur *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active congelo est frigore adstringo, induro, concrescere facio: et occurrit

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 2. 4. Mare congelatum. *Vitruv.* 8. 3. 7. *Schneid.* Lacus ita salsi, ut habeant insuper se salem congelatum. *Ovid.* 11. *Met.* 61. in lapidem rictus serpentis apertos Congelat. *Scribon. Compos.* 271. Ubi se congelaverit adeps. *Colum.* 7. *R. R.* 8. 6. Congelare nucleos et lac. *Id.* 1. *ibid.* 6. 18. Oleum si congelatur, fracescet. *Id.* 3. *ibid.* 12. 1. Congelatæ radices. Adde *eumd.* 12. ibid. 50. 12. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (277). Luna cadentes pruinas congelat. *Martial.* 98. 7. Nec congelati gutta proderit nasi. *Pallad.* 4. *R. R.* 15. 1. Rosmarinus aqua mulsa decoctus congelatur.

II.) Translate de hominibus. *Val. Flacc.* 3. 577. pectora nautis Congelat hiberni vultus Jovis. Urbane et localiter *Martial.* 14. 147. 2. Stragula purpureis lucent villosa tapetis: Quid prodest, si te congelat uxor anus?

B) Neutrorum more est concrescere, coagulare.

I.) Proprie. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 30. ipse Cæruleos ventis latices durantibus, Ister Congelat et tectis in mare serpit aquis. *Id.* 6. *Met.* 306. Ipsa quoque interius cum duro lingua palato Congelat et venæ desistunt posse moveri. *Id.* 15. *ibid.* 414. quidquid vesica remisit, Vertitur in lapides, et congelat aere tacto.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Fam.* 13. 3. Gaudebam sane et congelasse nostrum amicum lætabar otio. *V.* CONGLACIO sub *A.* II.

CONGĔMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac geminatio, duplicatio. ¶ 1. Stricto sensu. *Cur. Fortunatian.* 3. *p.* 90. *Capper.* Verba quibus modis novantur? Primo Græca transferimus, ut nova ex his Latina confingamus; dehinc per congeminationem, ut Cicero *feras solivagas* dicit. ¶ 2. Latiori sensu pro amplexu ponitur in illo *Plaut. Pœn.* 5. 5. 18. Quid hoc est conduplicationis? quæ hæc congeminatio?

CONGĔMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONGĔMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et gemino). Part. *Congeminans* et *Congeminatus* sub *b.* — Congemino est idem ac gemino, duplico, itero (It. *raddoppiare, replicare*; Fr. *doubler, redoubler*; Hisp. *doblar*; Germ. *verzweifachen, verdoppeln*; Angl. *to double, redouble*). Usurpatur — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 2. 2. 154. Tu (*alium*), peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam: Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus. — *b*) Cum Accusativo. *Lucilius Sat.* 9. 9. L iciendo congeminat L. *Virg.* 12. *Æn.* 714. crebros ensibus ictus Congeminant. *Id.* 11. *ibid.* 696. Tum validam perque arma viro, perque ossa securim, Altior assurgens, oranti et multa precanti Congeminat. *h. e.* securis ictus iterat. Sic *Val. Flacc.* 6. 379. euroque securim Congeminans. *Id.* 2. *ibid.* 201. Congeminare vocem per aures. *Id.* 6. 512. Victores contra patrium Pæana Geloni Congeminant. *Sil. It.* 3. 196. sonitus. *Id.* 16. 714. fremitu suspiria rauco Congeminat. *Apul. de dogm. Plat.* Numeri et modi congeminati.

CONGĔMISCO, is, ere, n. 3. Part. *Congemiscens.* — Congemisco est idem quod congemo. *Augustin.* 6. *Confess.* 7. Congemiscebamus in iis, qui etc. *Tertull. Spectac.* 30. In imis tenebris congemiscentes. *Ambros.* 4. *Hexæm.* 8. Illa ergo (*luna*) non sponte mutatur; tu sponte mutaris. Illa congemiscit et comparturit in sua mutatione; tu non intelligis et congratularis frequenter. Adde *Cod. Theod.* 7. 8. 16.; et *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 411. Etiam in *Not. Tir.* p. 102. legitur Congemescit.

CONGĔMO, is, ui, ere, 3. (cum et gemo) idem quod gemo, vel simul aut valde gemo (It. *gemere*; Fr. *gémir*; Hisp. *gemir, quejarse*; Germ. *vereint mit Anderen oder in sich erseufzen, Seufzer ausstossen*; Angl. *to groan, groan loudly or together*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Muren.* 25. 51. Congemuit senatus frequens. *Sueton. Tib.* 23. Inchoata allocutione, derepente, velut impar dolori, congemuit. V. et CONGENUO. — *b*) Cum Accusativo. *Lucret.* 3. 947. Quid mortem congemis ac fles? *Val. Flacc.* 5. 12. positumque feretro Congemuere.

II.) Figurate. *Virg.* 2. *Æn.* 631. *de arbore excisa.* Vulneribus donec paulatim evicta, supremum Congemuit.

CONGĔNER, ĕri, m. 2. generi in affinitate socius. Congeneri dicuntur duo, pluresve generi respectu unius soceri. *Symmach.* 8. *Ep.* 40. Supremis congeneri interesse. *Al. leg.* generi.

CONGĔNER, ĕris, adject. ejusdem, vel similis generis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 28. (98). Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum unedoni. *Gloss. Cyrill.* Σύγγαμβρος, congener.

CONGĔNĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONGĔNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et genero). Part. *Congeneratus* I. — Congenero est simul genero.

I.) Proprie occurrit tantum Part. præter. pass. *Varro* 2. *R. R.* 4. 19. Porci congenerati. *h. e.* eodem partu editi. *Id.* 10. *L. L.* 39. *Müll.* Verba congenerata. *h. e.* quæ habent eamdem originem. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 15. Congeneratum parentis secium.

II.) Translate ponitur pro adjungere, associare, ut *Non. p.* 84. 29. *Merc.* interpretatur locum *Accii* in *Fidicinis.*

CONGĔNIS, e, adject. qui est ejusdem generis: cf. Græc. συγγενής. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 7. *p.* 528. Unde et in aliis conveniunt hæ rationes non congenes. *Et mox.* Difficile autem est nosse, si ex uniuscujusque principiis scimus, aut non, quod quidem est scire: opinamur autem hoc, si habeamus ex veris aliquibus syllogismum et primis scire, sed hoc non est, sed congenes oportet esse primis.

CONGĔNĬTUS, a, um, adject. simul genitus. Occurrit — *a*) Absolute. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 94. (231). Pili congeniti maturius defluunt, agnati celerius crescunt. — *b*) Cum Dativo. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Roborum vastitas intacta ævis, et congenita mundo.

CONGENTĪLIS, is, m. 3. qui est ejusdem generis. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 657. *n.* 491., quæ est apud *Orell.* 2491. ET OB DEDICATIONEM CONGENTILIBVS ET SACERDOTIBVS VISCERATIONEM ET *epulum* dedit. *Gloss. Philox.* Congentilis ὁμόεθνος.

CONGĔNŪCLO, as, are, n. 1. genua flecto, vel in genua procido: a *con* et *geniculo* per syncopen. *Cælius Antip.* apud *Non. p.* 89. 6. *Merc.* Ipse regis eminus equo ferit pectus advorsum: congenuclat percussus: dejecit dominum. *V.* et voc. seq.

CONGĔNŪCLĀTUS, a, um, adject. qui genu replicato cecidit. *Sisenna* apud *Non. p.* 57. 32. *Merc.* Multi plagis adversis icti et congenuclati, Romanis præcipitatis, ipsi supra voluti in caput. — Fortasse legendum est *congenuclatus* a *congenuclo.*

CONGĔNŬO, as, are, a. 1. genua conjungo. *Novius* apud *Non. p.* 474. 14. *Merc.* Mammas teneas, pedes extollas, congenues, suavies. At *Mercer.* leg. *pedes extollas, suavies, congemit.*

CONGER, gri, m. 2. γόγγρος. Negat *Charis.* 1. p. 12. *Putsch.* in recto casu *conger* dici, et solummodo *congrus* agnoscit. Docet enim Græca nomina in γρος, τρος, δρος, κρος Latine in *er* desinere, exceptis *Codrus* et *congrus*. Atqui præter *Plautum locc. infra citt., Ovid.* quoque *Halieut.* 115., et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 24. (57)., 9. *ibid.* 20. 36. (72). et 9. *ibid.* 62. 88. (185). in recto *conger* usurparunt. Habeat ergo sibi *Charis.* placitum suum. Tantummodo in *Not. Tir.* p. 182. legitur *congrus.* — Ceterum *conger* est piscis marinus longi corporis, anguillæ similis. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 165. Probus hic conger frigidus. *Id. Pers.* 1. 3. 30. Ut murænа et conger ne calefierent. Adde *eumd. Aulul.* 2. 9. 2.; *Ter. Adelph.* 3. 3. 23.; et *Ovid.* et *Plin. locc. citt.*

CONGĔRĬA, æ, f. 1. idem quod congeries. Usurpatur a *Frontin. de Colon.* p. 11., 119. et 125. *Goesii*, et ab *Innocent. de casis litt. ibid.* p. 224.; sed iis etiam relinquenda.

CONGĔRĬES, ei, f. 5. (congero) res multæ in unum congestæ (It. *congerie, mucchio, ammasso, bica, stipa*; Fr. *tas, monceau, amas, masse*; Hisp. *monton, congerie, cumulo*; Germ. *jede zusammengehäufte Masse, d. Zusammenhäufung*; Angl. *a mass, heap, pile, hoard*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) Fere cum Genitivo rerum, ex quibus congeries constat. *Ovid.* 9. *Met.* 236. Summa congeries silvæ. *Liv.* 31. 39. lapidum. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (318). Construere congeriem lapidum. *Id.* 13. *ibid.* 15. 30. (97). Congeries densa grani. *Id.* 8. *ibid.* 30. 54. (127). ramorum et fruticum. *Id.* 16. *ibid.* 11. 22. (54). struis. *h. e.* lignorum. *Tac.* 2. *Ann.* 22. armorum. *Lucan.* 8. 868. exigui pulveris. *Gell.* 2. 6. *extr.* Alta congeries sordium squallor appellatur. *Claudian. in Ruf.* 2. 135. vasta metalli. — *b*) Absolute, ita tamen ut ipso orationis contextu, quibus ex rebus congeries constet, facile innotescat. Sic — De lapidum acervo legitur apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (125). — De cadaverum cumulo apud *Val. Flacc.* 6. 511. — Præcipue de cumulo lignorum. *Quintil.* 5. 13. 13. Flamma, quæ magna congerie convaluerat. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 576. et *Claudian. idyll.* 1. 93. — Dicitur etiam eleganter de massa confusa rerum omnium durante Chao. *Ovid.* 1. *Met.* 32. et *Claudian.* 2. *in I. Cons. Stilich.* 10.

II.) Translate. ¶ 1. Generalim. *Lucan.* 5. 177. venit ætas omnis in unam Congeriem. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 136. Congeries honorum. ¶ 2. Specialim est schema oratorium, quod fit, cum multæ sententiæ, aut rationes in unum congeruntur: et pertinet ad amplificationem. *Quintil.* 8. 4. 3. et 8. 24. 26., ubi docet συναθροισμὸν vocari. Hujus exemplum esto illud *Ter. Heaut.* 2. 1. 15. Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.

CONGERMĀNESCO, is, ere, n. 3. (cum et germanus). Part. *Congermanescens.* — Congermanesco est idem quod coalesco, conjungor, consocior, germanorum fratrum more. *Claud. Quadrigarius* apud *Non. p.* 90. 18. *Merc.* Ut vos cum illis congermanescere sciatis. *Alii leg.* congerminascere. *Apul.* 2. *Met.* Jamque æmula libidine in amoris parilitatem congermanescenti mecum, Pereo, inquam.

CONGERMĀNĬTUS, a, um, adject. coalitus, consociatus. *Varro* apud *Non. p.* 90. 20. *Merc.* Postea cum his una rempublicam conjuncti, et congermaniti tenuere. *Alii leg.* congerminati, *alii cum Mercer.*, et *quidem rectius*, congermani.

CONGERMĀNUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONGERMĬNĀLIS, e, adject. ejusdem germinis. *Augustin.* 5. *Civ. Dei* 7. Spicas ceteris comvas, atque, ut ita dixerim, congerminales.

CONGERMĬNO, as, are, n. 1. idem quod germino vel simul germino. *Gell.* 20. 8. Cæpe revirescit, et congerminat decedente luna.

CONGĔRO, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. (cum et gero). Part. *Congerens* I. 2. *a.*; *Congestus* in omnibus paragr. et in fin.; *Congesturus* II. 3.; *Congerendus* II. 2. — Congero est comporto, coacervo, accumulo, congrego (It. *ammassare, ammucchiare, raccogliere*; Fr. *porter ensemble, amasser, amonceler*; Hisp. *llevar juntos, acumular, amontanar*; Germ. *zusammenschaffen, - schütten, - bringen oder-hausen*; Angl. *to carry or bring together, heap or pile up, amass, hoard, accumulate, collect*).

I.) Proprie usurpatur de iis, quæ materialia sunt vel pluribus constant partibus, quæque unum in locum comportantur: et occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Raro admodum absolute. *Martial.* 8. 44. Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est. *h. e.* opes accumula. *V.* infra sub I. 2. *c.* — *b*) Cum Accusativo rerum quæ congeruntur. *Nepos Themist.* 6. Undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. *Virg.* 6. *Æn.* 224. congesta cremantur Turea dona, dapes, fuso crateres olivo. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 70. congestis undique saccis Indormis inhians. *Propert.* 4. 9. 31. Congerere pulverem. *Colum.* 3. *Arb.* 6. terram. *Curt.* 3. 10. 17. frondem. *Id.* 8. 2. 25. Cædi tamen arbores et saxa congeri jubet. *Id.* 7. 11. 1. Congerere alimenta undique. *Ovid.* 14. *Met.* 777. arcisque via Tarpeja reclusa Dignam animam pœna congestis exuit armis. *Id.* 1. *ibid.* 153. Congerere montes. *Id.* 12. *ibid.* 513. robora. *Id.* 7. *ibid.* 160. tura. *Id.* 15. *ibid.* 89. corpus congesto corpore pinguescere. *Seneca Herc. Œt.* 1153. artus tenere. *Id. Herc. fur.* 1216. Congerere nemus. *h. e.* ligna. Sic *Id. ibid.* 506. silvas. *Quintil.* 7. *procem.* 1. cetera ædificanti utilia. *Sueton. Cæs.* 84. arida virgulta. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 85. 87. (201). Echinades insulæ ab Acheloo amne congestæ, majorque pars Ægypti a Nilo. — *c*) Cum additis *aliquid in aliquem locum, ad aliquem, aliquo, alicui personæ aut rei etc. Plaut. Pseud.* 3. 2. 34. Congerere herbas (*cibos*) in alvum. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 651. et 15. *ibid.* 89. *Ter. Eun.* 2. 3. 18. penum omnem in cellulam ad aliquem. *Lucret.* 3. 1023. laticem in vas pertusum. Adde *eumd.* 3. 949. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 66. Tritici grana in os pueri Midæ congesta. *V.* paullo infra locum huic similem. *Sueton. Vesp.* 4. Congerere lutum in prætextæ sinum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (125). lapides in situlam. *Id.* 11. *ibid.* 10. 10. (25). Excrementa congesta in unum

lorum. *Dig.* 19. 2. 57. Congerere terram in aream. *Val. Flacc.* 4. 717. hæc amnes vastos congerit tellus. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 78. Midæ dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. *Liv.* 1. 11. Scuta alicui (personæ) pro aureis donis congerere. *Seneca Herc. Œt.* 1153. Pindo congestus Athos. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (24). Tres anulos uni minimo digito congerere. *Sueton. Ner.* 19. Rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit. ¶ 2. Specialim vero — *a*) Ponitur de armis, quæ in aliquem inimico animo conjiciuntur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (15). Lanceas congerens miles. Sic *Seneca Œdip.* 871. Congerere saxa in caput alicujus. *Curt.* 8. 14. 38. tela in aliquem. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 13. — Similiter et de abstractis. *Val. Flacc.* 4. 307. Congerere ictus alicui. *Phædr.* 4. 1. plagas mortuo. — Huc referri potest et illud *Ovid. Heroid.* 18. 113. Congerere oscula. — *b*) Item ponitur de viatico, opibus, et similibus, quæ sibi vel aliis colliguntur. *Plaut. Trin.* 2. 4. 70 Si illi congestæ sint epulæ a cluentibus, si quid tibi placeat quod illi congestum siet, edisne etc. *Cic. Planc.* 10. 26. Congerere alicui viaticum. *Id. pro leg. Manil.* 9. 22. maximam vim auri atque argenti in regnum suum. *Tibull.* 1. 1. 1. sibi divitias fulvo auro. *Curt.* 5. 1. 11. opes in sedem illam. *Ovid.* 4. *Fast.* 618.; *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (136).; et *Sil. It.* 5. 266. opes. *Ovid. Heroid.* 17. 221. auri pondus. *Sil. It.* 13. 87. dona. — *c*) Denique ponitur de iis, quæ ex pluribus undique collectis construuntur. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Congerere aggerem ex materia. *Virg.* 6. *Æn.* 177. aramque sepulcri Congerere arboribus cœloque educere certant. *h. e.* pyram construere. *Id.* 1. *Ecl.* 69. culmen tuguri congestum cæspite. *Id.* 2. *G.* 156. Congesta oppida. *h. e.*, ut ait *Servius*, ædificata, constructa. — Præcipue de avibus et aliis, quæ nidificant. *Plaut. Rud.* 3. 6. 51. Congerere nidamenta in nervum. Sic *Seren. Sammon.* 1030. Congerere nidum. *Virg.* 4. *G.* 243. lucifugis congesta cubilia blattis. Et absolute *Id.* 3. *Ecl.* 69. notavi ipse locum, aeriæ quo congessere palumbes. *h. e.* nidificavere. Cf. *Gell.* 2. 29. *Cic.* apud *Charis.* 1. p. 82. *Putsch.* Apes in alvearium congesserant.

II.) Translate usurpatur de pluribus, quæ in aliquam personam aut in locum aliquem conferuntur, non tamen physica ac materiali ratione, sed potius morali. ¶ 1. Generatim fere occurrit in bonam partem, raro admodum in malam. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 117. Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit. Contra *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 7. Iis – nihil tributurum unquam populum Romanum, si omnia simul congesserit. Rursus *Cic. Dejot.* 4. 12. Pompejus, in quem cum dii atque homines omnia ornamenta congessissent, etc. *Id. Amic.* 16. 58. Congerere plus æquo in amicitiam. *Liv.* 42. 11. ingentia beneficia in aliquem. Adde *eumd.* 30. 1. *Ovid.* 8. *Met.* 112. spes omnis in unum Te mea congesta est. *Al. leg.* conjecta. *Seneca Consol. ad Helv.* 10. Apicius sestertium millies in culinam congessit. *h. e.* impendit, absumpsit. *Id.* 1. *Clem.* 14. Ambitiosæ majestati, quidquid potuimus titulorum, congessimus. *Tac.* 1. *Ann.* 4. *extr.* Congerere juveni consulatus, triumphos. Adde *Sueton. Cal.* 15. ¶ 2. Specialim ponitur de orationibus vel scriptis, in quæ plura undique coacervantur. *Cic. Brut.* 86. 297. Nam illud minus curo, quod congessisti operarios omnes: ut mihi videantur mori voluisse nonnulli, ut a te in oratorum numerum referrentur. *Quintil.* 12. 6. 5. Laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit. *h. e.* orationem ex variis rebus, argumentis sententiisque confectam et quasi exaggeratam. *Id.* 6. 3. 5. Congerere dicta. *Id.* 5. 13. 15. argumenta. *Id.* 10. 1. 56. undique nomina plurimorum poetarum. *Id.* 2. 11. 7. ex diversis orationem. *Id.* 4. 5. 7. Quæ per se levia sunt et infirma, turbâ valent. Ideoque congerenda sunt potius et velut turbâ pugnandum. — Huc pertinent et illa *Cic. Brut.* 97. 332. Ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. *Quintil.* 9. 1. 25. Omnia orationis lumina in aliquem locum congerere. *Claudian. Rapt. Pros.* 1. Inferni raptoris equos etc. audaci prodere cantu Mens congesta jubet. *h. e.* in se collecta et in hoc argumentum intenta tantummodo, omni alia cogitatione deposita: vel plena, conferta et quasi gravida rebus ad hoc argumentum pertinentibus. ¶ 3. Item specialim *congerere aliquid alicui aut in aliquem* est tribuere. — *a*) Raro admodum in bonam partem. *Sueton. Aug.* 98. Puteolanum sinum prætervehenti vectores fausta omnia et eximias laudes congesserant. *Id. Tit.* 11. Mortuo gratias agere laudesque congerere. Similiter *Martial.* 10. 68. ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congerere usque. *h. e.* iterare, repetere, sæpe dicere. *b*) Sæpius in malam partem pro culpæ vel crimini dare. *Cic. Mil.* 24. 65. Congerere crimina in aliquem. *Id.* 3. *Phil.* 6. 15. maledicta in aliquem. *Liv.* 3. 38. Vastati agri et periculorum imminentium causas in se congesturi. *Sueton. Tib.* 54. Accusare aliquem per litteras amarissime congestis probris. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Congestus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Congestior* apud *Auson. Mosell.* 132. Gobio non major geminis sine pollice palmis, Præpinguis, teres, ovipara congestior alvo. *h. e.* crassior, plenior.

CONGERO, ōnis, m. 3. qui congerit. *Plaut. Truc.* 1. 2. 6. Ut simitu adveniunt ad scorta congerones etc. *h. e.* fures, nempe qui ad se congregant et asportant, ut *Fulgent. Planc. de prisco serm.* p. 560. 13. *Merc.* interpretatur. Simili ratione *foras-gerones* dixit *Id. Plaut. ibid.* 2. 7. 1. — Sunt qui legunt congerrones. *V.*

CONGERRA vel concerra, æ, m. 1. *V.* voc. seq. in fin.

CONGERRO vel concerro, ōnis, m. 3. ineptus, levis: a γέῤῥα, quod significat cratem, seu scutum vimineum. *Varro* 7. *L. L.* 55. *Müll.* Congerro a gerra, et Græcum est: et in Latina cratis. *V.* CERRONES. Sunt itaque *congerrones* sodales familiariter conviventes, et nugis ineptiisque tempus simul terentes, collusores. *Plaut. Pers.* 1. 3. 9. Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus. *Id. Most.* 3. 3. 27. Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam. Adde *eumd. ibid.* 5. 1. 6. *Lucilius* apud *Festum* p. 363. 22. *Müll.* Tapullam rident legem congerræ opimi. *Al. leg.* congeræ *ex consuetudine veterum non geminandi consonantes: alii* concerræ vel concerræ: *alii* concœnæ, συνδεῖπνοι: Müll. *legendum putat* congerræ optimi. Ceterum etiam p. 207. 20. idem *Festus* hac positione congerra agnoscit. *V.* et CONGERO, onis.

CONGESTĒ, adverb. coacervatim, per congeriem. Occurrit translate tantum apud *Capitolin. Marc. Aurel. Anton.* 19. *extr.* Et quidem hæc breviter et congeste.

CONGESTĪCIUS vel congestitius, a, um, adject. congerendo acervatus. *Vitruv.* 3. 4. 2. *Schneid.* Si solidum non invenietur, sed locus erit congesticius, aut paluster, etc. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Agger ex materia congesticius. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 18. Sesama pinguibus arenis, vel congesticia humo proveniunt. *h. e.* comportata et soluta, non pressa et solida. *Pallad.* 10. *R. R.* 7. Congesticia terra. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 11. 2.

CONGESTIM, adverb. coacervatim, per congeriem, *h. e.* multis rebus in unum congestis. *Apul. de Mag.* Pleraque in littoribus omnibus congestim et acervatim jacent.

CONGESTĬO, ōnis, f. 3. actus congerendi, comportatio (It. *l'ammassare*; Fr. *action de mettre en tas, d'entasser*; Hisp. *el acto de acumular*; Germ. *d. Zusammenschüttung*, oder *Zusammenhäufung*; Angl. *a heaping together*).

I) Proprie. ¶ 1. Abstracte. *Vitruv.* 6. 8. 5. *Schneid.* Infinita vitia solet facere terræ congestio. *Id.* 10. 14. 1. Congestio fossarum. *Pallad.* 4. *R. R.* 1. 4. Infra terram effossæ viti surculos inserunt, et beneficio congestionis accumulant. *Id.* 1. *ibid.* 33. 1. Stercorum congestio. Adde *Cod. Theod.* 9. 17. 2. *pr.* ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu sunt ipsæ res, quæ congeruntur, congeries. *Javolen. Dig.* 19. 2. 57. Non ipsa congestio, sed humor ex ea congestione postea damno fuit.

II.) Translate. *Macrob.* 5. *Saturn.* 15. *ad fin.* Illam vero enumerationis congestionem apud Homerum Maro admiratus ita expressit, etc. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 22. Honorum congestio.

CONGESTĪTIUS, a, um. *V.* CONGESTICIUS.

CONGESTO, as, are, a. 1. Part. Congestans. — Congesto *frequentat.* a congero, in unum confero. *Commodian.* 64. 15. Congestet alius; tu bene vivere quære. *Augustin. de peccat. merit.* 1. 28. Sive acervatim multa congestans.

CONGESTUS, a, um. *V.* CONGERO.

CONGESTUS, us, m. 4. idem quod congestio, comportatio.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 68. Herbam autem asperam extitisse credo, avium congestu, non humano satu. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est cumulus, congeries rerum acervatarum. *Lucret.* 6. 724. Ubi possit magnus congestus arenæ Fluctibus adversis oppilare ostia contra. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 14. Congestu culmorum et frondium vasa supertegere. *Lucan.* 9. 486. Multo congestu pulveris. *Tac.* 1. *Hist.* 84. Congestu lapidum non stat urbs.

II.) Translate. *Seneca Consol. ad Polyb.* 26. Tantos rerum ex orbe toto coeuntium congestus. *Tac.* 2. *Hist.* 87. Nec coloniæ modo congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque vastantur. *Quintil.* 6. *proœm.* 1. Sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi etc.

CONGIĀLIS, e, adject. qui congium capit. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 15. Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. *Vitruv.* 10. 4. 4. *Schneid.* Situli æreí congiales.

CONGIĀRIUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

CONGIĀRIUS, a, um, adject. ad congium pertinens. *Cato* apud *Fronton.* 1. *ad Antonin. Imp.* ep. 2. (edente iterum Romæ *A. Maio*). Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos diadidi, neque eos malo publico divites feci. *vinum congiarium* est vini congius: *V.* infra *Congiarium* sub *B. a. Varro* apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 17. (96). Millia cadorum congiariorum divisit amplius centum. *cadus congiarius* est congium capiens, χοαῖος. *Al. leg.* cadum in congiarium. — Hinc

Congiarium, *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more,

A) Subaudi *vas*, et est vas, quod congium capit. Unde *Paulus JCtus* in cauponariæ tabernæ instrumento congiaria enumerat *Dig.* 33. 7. 13. *pr.* Adde *Isid.* 16. *Orig.* 26. 7.

B) Subaudi *donum*, et est liberalitatis nomen, ut *Quintil.* 6. 3. 52. docet. Quare — *a*) *Congiarii* nomine dictum est quod antiquitus in Romana republica distribuebatur in populum, et erant tot congii vini, aut olei, aut salis etc. De vini congiis *V.* loca *Caton.* et *Varron.* paullo superius in CONGIARIUS allata. De olei congiis testis est *Liv.* 25. 2. Ludi Romani magnifice facti, et congii olei in vicos singulos dati. De salis congiis *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (89). Ancus Martius rex salis modios sex mille in congiario dedit populo. *Cic.* 2. *Phil.* 45. 116. Muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam (*J. Cæsar*) delenierat. Adde *Senec.* 4. *Benef.* 28. et *Ep.* 73.; *Tac. Dial. de orat.* 17. et *Inscript.* apud *Henzen.* 6440., quæ pertinet ad ann. U. C. 762. — Multa habuisse congiaria, apud *Liv.* 37. 57. *a med.* dicitur is, qui multoties congiarium populo dedit. — Congiarium præcipue populo dabatur, cum novus Cæsar imperium capesseret: V. *Tertull. Apolog.* 35. *ad fin.* — *b*) Deinde translatum est etiam ad distributiones pecuniæ populo factas (quas tamen, quod ad milites attinet, improbat *Cato* loco superius allato in CONGIARIUS). *Sueton. Aug.* 41. Congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ fere summæ, modo quadringenos, modo tricenos, nonnumquam ducenos quinquagenosque nummos, ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent. *Id. Tib.* 20. Populo congiarium trecenos nummos viritim dedit. — *c*) Antiquis temporibus *congiarium* dicebatur etiam de donis militum. *Cic.* 16. *Att.* 8. 2. Legiones Macedonicæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt. *Curt.* 6. 2. 10. Duodecim millia talentum in congiarium absumpta sunt. *August. Monum. Ancyr.* col. III. IN COLONIIS MILITVM MEORVM CONSVL QVINTVM EX MANVBIIS VIRITIM MILLIA NVMMVM SINGVLA DEDI: ACCEPERVNT TRIVMPHALE CONGIARIVM IN COLONIIS HOMINVM CIRCITER CENTVM ET VIGINTI MILLIA. — *d*) At in posterum usu venit, ut *congiarium* de donis populi tantum diceretur, cum *donativum* ad milites pertineret. *Sueton. Ner.* 7. Populo congiarium, militi donativum proposuit. *Plin. Paneg.* 25. Datum congiarium populo, et datum totum, cum donativi partem milites accepissent. Adde *eumd. ibid.* 41.; et *Tac.* 12. *Ann.* 41. et 14. *ibid.* 11. — *e*) Dicitur etiam *congiarium*, quod privatim amicis datur, præcipue a principe. *Cic.* 10. *Att.* 7. *extr.* Avaritiam video fuisse et spem magni congiarii. *V.* integrum locum. *Cæs.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. *extr.* Plancus magno congiario donatus a Cæsare. *Sueton. Vesp.* 18. Coloss

refectorem insigni congiario magnoque mercede donavit. Adde *eumd. Cæs.* 27. *Quintil.* 6. 3. 52. Fab. Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit. *Seneca Brevit. vitæ* 8. Annua congiaria homines clarissimi accipiunt. *Id.* 2. *Benef.* 16. *de Alexandro Magno.* Et te in tantum fortuna sustulerit, ut congiaria tua urbes sint. Et figurate *Id. Consol. ad Marc.* 22. Sejanus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. *h. e.* vitam et res patris tui condonavit, quasi congiarii loco. Adde *eumd. Ep.* 29. et *Consol. ad Helv.* 10.

CONGĬLIS. *V.* CONGYLIS.

CONGIUM, ii. *V.* voc. seq.

CONGĬUS, ii, m. 2. χοεύς, έως, χοῦς, οός. Tum in *Gloss. vet.*, tum apud *Isid.* 16. *Orig.* 26. 6. legitur *congium* neutro genere; sed *Arevalus* in sua editione *congius* reposuit. — Ceterum *congius* est mensura liquidorum continens sextarios *sex*, uti *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 70. docet: heminas autem duodecim, ut ex *Caton. R. R.* 57. colligi videtur. Erat autem pars octava amphoræ: et vino, aut aqua plenus pendebat libras decem, ut ex *Plebiscit. Siliorum* apud *Festum p.* 246. 4. *Müll.* colligitur. Ejus figuram habes apud *Fabrett. Inscript.* p. 526. *Liv.* 25. 2. Congii olei in vicos singulos dati. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 2. 29. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (85). Quinque congiis austeri musti, congio mellis, et salis cyatho suffervefactis. *Id.* 17. *ibid.* 28. 47. (264). Amurcæ congios duos decoquere. *Id.* 16. *ibid.* 11. 22. (55). Resinæ albæ congius. *Id.* 14. *ibid.* 22. 28. (144). Novellius Torquatus pervenit ad proconsulatum, tribus congiis epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio. *V.* ejus *Inscript.* apud *Murat.* 7509., quam *Borghesius* correxit, suppletamque exhibent *Annal. dell' Instit. Archeol.* a. 1846. p. 317.

CONGLĂCĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONGLĂCĬO, as, āvi, ātum, are, 1. (cum *et* glacies). Part. *Conglaciatus* sub *B.* — Conglacio occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more conglacio est glacie adstringor, et usurpatur

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Aqua neque conglaciaret frigoribus, neque nive pruinave concresceret.

II. Figurate. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 3. Curioni nostro tribunatus conglaciat. *h. e.* iners, otiosus est. *Cellar.*

B) Active, sed forma tantum passiva. *Albinov.* 2. 101. Conglaciantur aquæ, scopulis se condit hirundo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 60. 61. (152). Grandinem conglaciato imbre gigni.

CONGLISCO, is, ere, n. 3. idem quod glisco, cresco. *Plaut. Trin.* 3. 2. 52. Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuum.

CONGLOBATIM, adverb. per globos. Adstruunt Lexicographi plerique ex *Liv.* 25., sed ibi certe non habetur.

CONGLŎBĀTĬO, ōnis, f. 3. adunatio in modum globi, vel plurium globorum conjunctio. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 15. Multa conglobatione ignium se conjungens illorum orbis, aliquanto matutini amplitudinem solis exsuperat. *Id.* 5. *ibid.* 13. Conglobatio nubium. *Tac. Germ.* 7. Non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ et propinquitates. *Theod. Priscian. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 13. Ergo cum interiora præcordiorum humorum minacium prius occupaverit conglobatio, etc.

CONGLŎBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONGLŎBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* globus). Part. *Conglobatus* 1. et 2. — Conglobo est in modum globi conjungo, conglomero, colligo (It. *ammucchiare, ammassare in forma di globo*; Fr. *conglober, arrondir, mettre en boule*; Hisp. *redondear*; Germ. *in Kugelgestalt zusammenbringen, zusammenballen, zu Rundungen zusammenhäufen*; Angl. *to gather into a round body or lump, conglobate, collect, crowd together, conglobe*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 2. 153 Sed complexa meant inter se (*corpuscula vaporis*) conque globata. *ubi est tmesis. Apul. de Mundo.* Rursumque in crassam nubium speciem (*venti*) conglobantur. ¶ 2. Latiori sensu et quidem generatim. *Varro* 3. *R. R.* 16. 29. *de apib.* Multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Terra solida, et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata. *Id.* 2. *ibid.* 45. 116. Mare, cum supra terram sit, conglobatur undique æquabiliter, neque redundat unquam, neque effunditur. *Id.* 2. *ibid.* 46. 117. Astra nixu suo conglobata. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 37. 118. Conglobata figura. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 49. 50. (134). Præter late funditur flatu, fulmen conglobatur impetu. *Id.* 9. *ibid.* 46. 70. (153). Conglobatum corpus in pilæ modum. *Id.* 10. *ibid.* 64. 84. (183). Homo in semet conglobatus. *Id.* 23. *ibid.* 2. 28. (59). Conglobatus sanguis. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Conglobata inter se pars contionis. ¶ 3. Item latiori sensu, sed speciatim est verbum militare et significat milites in globi modum disponere. *Sall. Jug.* 102. Catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt. Cf. *Id. Orat.* 1. *ad Cæs. de rep. ordin. post med.* Neque cunctæ gentes conglobatæ movere, aut contundere queunt hoc imperium. *Liv.* 22. 5. Fors conglobat et animus suus cuique pugnandi ordinem dabat. *Id.* 26. 40. Eos – fortuna similis conglobaverat Agathyrnam. *Id.* 25. 15. Ibi proditores conglobati, ubi Romanos fusos viderunt, conclamant, instare Pœnum. *h. e.* catervatim conjuncti. *Id.* 8. 11. Milites multis itineribus dissipati, cum se in unum conglobassent, etc. Adde *eumd.* 5. 41., 9. 23., 10. 5., 27. 14., 29. 33. et 44. 31. *Tac.* 14. *Ann.* 32. Miles se in templo conglobaverat. *Id.* 13. *ibid.* 39. Milites in testudinem conglobati. — Figurate. *Cic. Partit. Orat.* 16. 55. Maximeque definitiones valent conglobatæ. *h. e.* coacervatæ.

CONGLŎMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conglomerandi, globus, caterva, turba. *Justinian. Cod.* 12. 19. 13. § 1. Donec exeuntibus singulis ac recedentibus, recedere possit vetita conglomeratio.

CONGLŎMĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONGLŎMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et glomero). Part. *Conglomeratus* I. — Conglomero est in modum glomeris involvo.

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 210. Quam tenui constet textura, quamque loco se Contineat parvo, si posset conglomerari. *Cels.* 7. 18. *extr.* Venæ contortæ et conglomeratæ.

II.) Figurate est cumulare, superaddere. *Ennius* apud *Non. p.* 90. 15. *Merc.* Heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala!

CONGLŌRĬFĬCO, as, are, a. 1. Part. *Conglorificandus.* — Conglorifico est gloriosum reddo. *Tertull. Resurr. carn.* ex *epist. ad Rom.* 8. Compatimur, uti et conglorificemur. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 4. Christus condurandus, et conglorificandus.

CONGLŪTĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conglutinandi, glutinatio.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 20. 72. Omnis conglutinatio recens, ægre; inveterata, facile divellitur.

II.) Figurate. *Cic. Orat.* 23. 78. Circuitus conglutinatioque verborum.

CONGLŪTĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONGLŪTĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* gluten). Part. *Conglutinatus* I. et II. — Conglutino est glutine conjungo (It. *incollare*; Fr. *coller ensemble*; Hisp. *encolar juntos*; Germ. *zusammenleimen oder kleben*; Angl. *to glue together*).

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 16. 23. Erithacen vocant, quæ favos extremos inter se apes conglutinant. *Vitruv.* 7. 4. 3. *Schneid.* Calx utrasque res inter se conglutinat. *Ulp. Dig.* 32. 50. § 5. Perscripti libri nondum malleati, vel ornati continebuntur: proinde et nondum conglutinati. *h. e.* glutine compacti. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 36. Germinantes oculos aliqua sibi annexione conglutinare. *Ambros.* 5. *Hexæm.* 17. Legit enim (*hirundo*) festucas ore, easque luto allinit, ut conglutinare possit (*ad nidificandum*). — Dicitur et de contrahendis, inducendisque cicatricibus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 6. 24. (42). Vulneribus sanandis tanta præstantia est, ut carnes quoque, dum coquuntur, conglutinet. *Id.* 30. *ibid.* 13. 39. (115). Vermes terreni vulnera recentia conglutinant.

II.) Translate est conjungere, copulare. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 42. Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina, ut senem hodie doctum docte fallas. *h. e.* compone, confinge. *Ter. Andr.* 5. 4. 10. Meretricios amores nuptiis conglutinare *Cic. Senect.* 20. 72. Hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura dissolvit. *Id.* 3. *Phil.* 11. 28. Quid est in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus conglutinatus est. *Id.* 7. *Att.* 8. et *Amic.* 9. 32. Conglutinare amicitias. *Id.* 1. *Att.* 17. 10. Concordia conglutinata. *Id.* 11. *Fam.* 27. 2. Vitæ dissimilitudo non est passa, voluntates nostras consuetudine conglutinari. *Id.* 1. *Orat.* 42. 188. Rem dissolutam divulsamque conglutinare. *Id.* 2. *Herenn.* 3. 5. Animi vitium cum causa peccati conglutinare. *Apul.* 9. *Met.* Servus affixus atque conglutinatus domino.

CONGLŪTĬNŌSUS, a, um, adject. glutinis instar viscosus ac tenax. *Veget.* 2. *Veterin.* 12. 2. *Schneid.* Pars humoris fit conglutinosa in præcordiis.

CONGRĂDUS, a, um, adject. qui in eodem est gradu, vel qui pari passu procedit. *Avien. Arat.* 1239. Sidera labenti congrada soli.

CONGRÆCO, as, are, n. 1. idem quod græcor, aris, luxui me dedo Græcorum more. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 91. Pollicetur se daturum aurum mihi, quod dem scortis, quodque in lustris comedim, et congræcem, pater.

CONGRĀTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac gratulatio. *Cic.* 1. *ad Brut.* 3. Sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, congratulatioque me commovet. *Al.*, *inter quos et* Orell., *leg.* gratulatio. *Val. Max.* 9. 3. 5. Congratulationem ejus in Torquato spernendam credidit.

CONGRĀTŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum et gratulor). Part. *Congratulans* et *Congratulatus* sub a.; *Congratulaturus* sub b. — Congratulor est idem quod gratulor; sed rarioris usus: et occurrit — a) Absolute. *Plaut. Men.* 1. 2. 20. Congratulantes, quia pugnavi fortiter. *Gell.* 12. 1. Complexus hominem, congratulatusque assedit. — b) Cum additis. *Cic. Marcell.* 6. 19. Plerumque felicitati tum congratulabere. *Al.*, *inter quos et* Orell., *leg.* gratulabere. *Id. Sext.* 8. 20. Mihi homines præcipue congratulabantur. *Al. leg.* gratulabantur. *Id. Planc.* 27. 66. Si mihi tum essent omnes congratulati. *Liv.* 3. 54. Congratulare libertatem civitati restitutam. *Porc. Latro in Catil.* 36. Putate, ipsam majestatem amplissimi nominis ob liberationem suam summa vobis lætitia congratulaturam.

CONGRAVO, as, are, a. 1. simul gravo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 46.

CONGRĔDĬO, is, ere, n. 3. pro congredior. *Plaut. Epid.* 4. 1. 16. Quid si adeam? PE. haud scio an congredias, si hæc est. Ita *Nonius* legit p. 473. 12. *Merc.*, sed libri habent *congrediar.*

CONGRĔDĬOR, grĕdĕris, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (cum *et* gradior). Part. *Congrediens* I. 1. *b.*; *Congressus* I. 1. *a.* et 2. *b.*; *Congressurus* I. 1. *a.*; *Congrediendus* I. 2. *g.* — Congredior est una gradior, simul incedo, alicujus lateri adstans simul gradior (It. *camminare insieme o accanto*; Fr. *marcher avec*; Hisp. *andar de compañia*; Germ. *zusammenschreiten, zusammen-oder aneinander treten*; Angl. *to move or go together*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ac stricto sensu ponitur pro convenire, contra aggredi, accedere ad aliquem visendi aut colloquendi causa; et occurrit — a) Absolute. *Plaut. Curc.* 2. 1. 18. Jamjam novi: leno est Cappadox, congrediar. *Id. Pers.* 1. 1. 15. TOX. Congrediar. SAG. Contra aggrediar. Adde *eumd. Bacch.* 4. 9. 56. et *Epid.* 4. 1. 16.; et *Ter. Phorm.* 5. 6. 12. *Cic.* 8. *Att.* 15. 3. Nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompejum ad ullam condicionem accessurum putabam. *Id.* 15. *ibid.* 27. Te consolata est spes, brevi tempore congrediendi Adde *eumd.* 6. *ibid.* 8. 5.; *Nepot. Datam.* 11.; *Sall. Jug.* 109.; *Liv.* 42. 39.; *Virg.* 8. *Æn.* 467. aliosque. — Similiter *Cic. Pis.* 25. 59. Si ipse coram aggredi poteris, meditare etc. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 6. 1. Filius tuus a me abest: in Macedonia congrediemur. *Liv.* 38. 25. Congredi eo loco postero die. *Id.* 1. 7. cum altercatione. — Huc pertinet et illud *Lucret.* 1. 760. *de rerum elementis.* quare aut congressa peribunt, Aut ita diffugient etc. *h. e.* accumulata, connexa. Adde *eumd.* 2. 549. et 940., et 5. 192. et 427. — b) Addita præpos. cum et Ablat. personæ, quacum quis congreditur. *Plaut. Rud.* 4. 7. 33. Nam illic cum servo si quo congressus foret, etc. *Cic.* 2. *Att.* 25. Insinuatus in familiaritatem adolescentis, et cum eo sæpe congressus. Adde *eumd. Cæl.* 22. 53.; et *Liv.* 25 8., 42. 39. et alibi. — Huc pertinet et illud *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Luna tum congrediens cum sole, tum digrediens. — c) Cum Accus. personæ ἀρχαϊκῶς. *Plaut. Epid.* 4. 1. 19. Sin ea est, quam incerto autumo, hanc congrediar astu. *Id. Most.* 3. 2. 96. Nunc haud scio an (*illum*) colloquar: con-

grediar. Heus Theuropides. Aliter Sever. Sanct. 126. quin age. Bucole, Nos longam pariter congredimur viam. ¶ 2. Speciatim ac latiori sensu significat accedere ad aliquem pugnandi causa; et occurrit — a) Cum iis additis, quæ pugnandi significationem aperte definiunt. Cic. apud Gell. 15. 6. Congredi depugnandi causa. Cæs. 7. B. G. 65. prælio cum finitimis. Virg. 11. Æn. 631. in præliis. Liv. 7. 22. et Tac. 14. Ann. 34. acie. Cæs. 1. B. G. 36. armis. — b) Absolute. Nepos Ages. 3. Pepulit ergo, quotiescumque congressus est, multo majores adversariorum copias. Adde eumd. Datam. 8. et cf. Hann. 6. Virg. 12. Æn. 465. Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes Insequitur. Adde eumd. 2. ibid. 397.; Curt. 9. 5. 14. et 19.; et Quintil. 8. 3. 63. — Sic Cæs. 1. B. C. 40. Congredi impari numero. Liv. 8. 24. et Curt. 6. 1. 15. comminus. Curt. 6. 1. 10. totis viribus. — Denique hoc sensu congressus dicitur, qui comminus rem gerit. Virg. 12. Æn. 341. Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque: Hunc congressus et hunc, illum eminus. Tac. 2. Ann. 11. Pars congressi, quidam eminus proturbant. — c) Addita præpos. cum et persona, quacum quis congreditur. Plaut. Pseud. 2. 1. 6. Ut ubicumque cum hostibus congrediar, malorum meorum fretus virtute dicam, mei industriâ – facile ut vincam. Nepos Hann. 1. Quotiescumque cum eo congressus, semper discessit superior. Adde eumd. Eumen. 11.; Cic. apud Gell. 15. 6.; Cæs. 1. B. G. 39. et 40. et 7. ibid. 65.; et Liv. 21. 16. — d) Cum Accus. et præpos. contra, adversus. Cic. Ligar. 3. 9. Contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Aurel. Vict. Epit. 40. Maxentius adversus Constantinum congreditur. — e) Addito inter se. Id. Aurel. Vict. Cæsar. 42. Ipsi inter se acrioribus præliis per triennium congressi. — f) Cum Dativo antiquorum more, ut ait Servius ad illud Virg. 1. Æn. 475. Infelix puer atque impar congressus Achilli. Ovid. 12. Met. 75. perque acies aut Cygnum, aut Hectora quærens, Congreditur Cygno. Curt. 9. 7. 20. Congredi armato. Seneca Agamemn. 748. Te sequor nimium cito Congresso Achilli, Troade. Aurel. Vict. Cæsar. 39. ante med. Margum juxta Carinus Diocletiano congreditur. — g) Ablativus pro Accusativo videtur esse in illo Gell. 1. 11. In congrediendis hostibus atque in principiis præliorum.

II.) Translate metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. — a) Congredi dicuntur, qui verbis altercantur. Cic. 2. Nat. D. 1. 1. Næ ego, inquit, incautus, qui cum Academico et eodem rhetore congredi conatus sim. Cf. eumd. Planc. 5. 12. — b) Habet locum præcipue in re forensi. Cic. Mur. 32. 67. Remove ac prætermitte auctoritatem: congredere mecum criminibus ipsis. Id. Sull. 6. 47. Cum aliquo luctari et congredi. Ulp. Dig. 38. 9. 1. Creditores scire, utrum habeant, cum quo congrediantur. Adde Cod. 7. 56. 3. — c) Denique jungitur et abstractis. Cic. Topic. 25. 93. Appelletur status, in quo primum insistit, quasi ad repugnandum congressa defensio. Adde Quintil. 3. 6. 13. et 12. 9. 2.

CONGRĔGĀBĬLIS, e, adject. qui facile congregari potest, sociabilis. Cic. 1. Off. 44. 157. Apum examina, cum congregabilia natura sint, fingunt favos.

CONGRĔGĀLIS, e, adject. idem ac congregabilis. Terentian. Maur. p. 2411. Putsch. de syllaba. Vinculum nam signat ista congregale dictio. Luzacius conjicit legendum conjugale, nulla tamen fretus auctoritate: nam eodem illo modo affertur ille versus a Pompejo grammat. p. 34. Hinc apud Diomed. 2. p. 422. Putsch. Syllaba est proprie congregatio litterarum.

CONGRĔGĀTIM, adverb. idem quod gregatim, conjunctim, simul. Prudent. 7. Cathemer. 143. Cursant per ampla congregatim mœnia.

CONGRĔGĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et grex, gregis) adunatio, conjunctio (It. società, congregazione; Fr. congrégation, société; Hisp. congregacion; Germ. d. Wereinigung zur geschlossenen Gesellschaft; Angl. a congregation, society).

I.) Proprie. Cic. 3. Fin. 20. 65. Nos ad conjunctionem congregationemque hominum, et ad naturalem communitatem esse natos. Adde eumd. 4. ibid. 2. 4.; Senec. Ep. 5.; et Cod. Theod. 18. 14. 14.

II.) Translate occurrit de abstractis. Quintil. 7. 1. 31. Congregatio criminum accusantem adjuvat, separatio defendentem. Id. 6. 1. 1. Peroratio est rerum repetitio et congregatio. Gr. ἀνακεφαλαίωσις. Id. 5. 7. 18. Congregatio argumentorum. Id. 3. 5. 17. personarum, locorum, temporum.

CONGRĔGĀTĪVĒ, adverb. cum significatione congregationis. Asper p. 1732. Putsch. Et congregative (fiunt adverbia), ut una, pariter, simul.

CONGRĔGĀTĪVUS, a, um, adject. congregandi vim habens. Priscian. 15. p. 1021. Putsch. Congregativa adverbia, ut simul, una, pariter. Boeth. Aristot. Topic. 7. 2. p. 721. Differentias quidem contrarias de contrariis arbitramur prædicari, ut de albo et nigro: nam illud quidem disgregativum, hoc – autem congregativum visus.

CONGRĔGĀTOR, ōris, m. 3. qui congregat. Arnob. 6. 13. Cum sciret se horum omnium congregatorem atque vinctorem.

CONGRĔGĀTUS, a, um. V. CONGREGO.

CONGRĔGĀTUS, us, m. 4. idem ac congregatio. Jul. Valer. res gest. Alex. M. 2. 37. Mai. Hominum congregatu.

CONGRĔGIS, e. V. CONGREX.

CONGRĔGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et grex gregis). Part. Congregans I. 1.; Congregatus in omnibus paragr.; Congregandus II. — Congregare proprie significat in gregem cogere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de ovibus, ceterisque brutis animalibus. Plin. 8. Hist. nat. 47. 72. (188). Congregare oves, ut cœtu juventur. — Mediorum apud Græcos more et significatione se congregare usurpatur. Id. 8. ibid. 16. 17. (42). Ad paucos amnes se congregantibus feris. — Sæpius eodem sensu occurrit congregari, ut apud Cic. 1. Off. 44. 157. Ut apium examina non fingendorum favorum causa congregantur. Adde eumd. 2. Nat. D. 48. 124.; et Vellej. 1. 16. 2. Plin. 7. Hist. nat. præfat. 1. (5). Cetera animantia congregari videmus, et stare contra dissimilia. Id. 10. ibid. 23. 31. (62). Ciconiæ abituræ congregantur in loco certo. Id. 8. ibid. 22. 34. (81). Lupum congregari cum ceteris ejusdem generis. Adde Martial. 10. 100. ¶ 2. Latiori sensu de hominibus usurpatur pro in societatem colligere, cogere, conjungere. Cic. 1. Tusc. 25. 62. Qui dissipatos homines congregavit, et ad societatem vitæ convocavit. Id. 1. Orat. 8. 33. Dispersos homines unum in locum congregare. Id. Parad. 4. 1. § 27. Fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo. Id. Vatin. 10. 25. Hominem ad conservandam rempubl. natum, in idem Vettii indicium atque in eumdem hunc numerum congregasti. Id. Quinct. 16. 52. Aliquem cum aliquo congregavit voluntas. Id. 1. Nat. D. 15. 39. Ignotorum deorum turbam congregare. Seneca Ep. 62. Nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit. Tac. 1. Ann. 16. Deterrimum quemque congregare. — Se congregare mediorum apud Græcos more et significatione. Curt. 5. 13. 18. Se congregare. Cic. 14. Phil. 6. 15. Cives unum se in locum ad curiam congregabant. Id. Rabir. Perd. 7. 21. Congregare se cum aliquo. Id. 5. Fin. 15. 42. Homines libenter se cum æqualibus congregant. — Congregari sæpius occurrit. Absolute Liv. 7. 1. Quos (Gallos) primo palatos per Apuliam congregari jam fama erat. Adde Plin. 8. Ep. 14. Cum additis Cic. 1. Cat. 13. 32. Unum in locum congregari. Plin. 5. Hist. nat. 8. 8. (45). Gamphasantes nudi, præliorumque expertes, nulli externo congregantur. Tac. 1. Ann. 16. Congregari inter se. Sic Cic. Dom. 33. 89. Multitudo hominum ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregata. Id. 1. Off. 44. 157. Homines natura congregati. ¶ 3. Latissimo sensu dicitur etiam de inanimis et abstractis pro colligere, cogere. Lucret. 6. 454. Inde ea (corpora) comprendunt inter se conquegregantur. per tmesin. Tac. 1. Ann. 28. extr. Signa unum in locum congregare. Plin. 6. Hist. nat. 26. 30. (117). Mesopotamiam vicatim dispersam Macedones in urbes congregavere. Cic. Dom. 25. 67. Judicare potestis quanta vis illa fuerit oriens et congregata, cum hæc Pompejum terruerit jam distracta et exstincta.

II.) Translate de oratione. Quintil. 10. 1. 7. Congregare turbam vocabulorum. Id. 5. 12. 4. Firmissimis argumentis singulis instandum, infirmiora congreganda sunt. h. e. simul congerenda et coacervanda. Id. 9. 3. 45. Congregare verba idem significantia.

CONGRESSĬO, ōnis, f. 3. actus congrediendi, congressus. ¶ 1. Generatim. Cic. 1. ad Q. fr. 3. 4. Hoc malum minus acerbum fuit, quam fuisset cum congressio, tum vero digressio nostra. Id. Cluent. 14. 41. Nemo illum aditu, nemo congressione, nemo sermone, nemo convivio dignum judicabat. Id. 2. Phil. 18. 46. Prohibere aliquem non modo familiaritate, sed etiam congressione. Id. Topic. 15. 59. Amori congressio causam attulit; amor flagitio. Id. 1. Off. 37. 132. Sermo versetur in congressionibus familiarium. — Et de collocutione. Cic. 7. Fam. 10. sub fin. Una mehercule nostra vel severa, vel jocosa congressio pluris erit, quam etc. Cf. Id. ibid. 11. Una mehercule collocutio nostra pluris erit, quam etc. — Item de coitu. Lactant. 6. 20. a med. Satius est, ut se ab uxoris congressione contineat. Cf. Tertull. Anim. 61. Nos quoque, ut possumus, os cibo excusamus, etiam sexum a congressione subducimus. ¶ 2. Speciatim est actus congrediendi pugnæ causa, conflictus. Claud. Quadrigarius apud Gell. 9. 13. Ea congressio in ipso ponte, utroque exercitu spectante, facta est. Justin. 31. 6. Prima belli congressione, cum cedentes suos rex cerneret, etc. Id. 22. 3. Prima illi cum Hamilcare prælii congressio fuit. Id. 4. 5. 1. Prima congressione navalis certaminis Athenienses vincuntur. Adde eumd. 2. 12. 8., 4. 12., 8. 1. 12., 6. 4. 12. et 15. 1. 6. Veget. 4. Milit. 12. Quod si a fidentibus sive militaribus viris repellatur congressio, statim clausis crescit audacia.

CONGRĔGUS, a, um, adject. congregatus. Isid. 12. Orig. 7. Aliæ (aves) congregæ, id est gregatim volantes, ut sturni et coturnices.

CONGRESSOR, ōris, m. 3. qui congreditur. Ambros. Ep. class. I. 27. ad Iren. Denique bonus congressor (h. e. luctator) non æmulatur, non inflatur; immo etiam benedicit congredientem sibi: tali munere.

CONGRESSUS, a, um. V. CONGREDIOR.

CONGRESSUS, us, m. 4. idem quod congressio, conventus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — a) De hominum societate præcipue occurrit. Cic. 1. Att. 17. 2. Sperabam fore, ut omnia placarentur inter vos, non modo sermone ac disputatione, sed conspectu ipso congressuque vestro. Id. 11. ibid. 12. 3. Si quis congressus fuerit mihi cum Cæsare. Id. Sext. 52. 111. Omnes aditum, sermonem, congressum tuum fugiunt. Id. 12. Phil. 11. 26. Venire in congressum colloquiumque alicujus. Adde eumd. 6. Fam. 4. 5., 8. Att. 15. 3. et Cæl. 8. 20.; et Cæs. 3. B. G. 13. Liv. 7. 4. Urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitus. Adde Quintil. 1. 12. 20. et 12. 10. 62.; Tac. 13. Ann. 46.; et Sueton. Cæs. 65. — Et in plurali numero. Cic. Orat. 10. 33. Congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens tuos. Adde eumd. Amic. 23. 87. Virg. 5. Æn. 733. Petere congressus alicujus. Adde Liv. 1. 19. et 7. 40.; et Tac. 2. Ann. 28. et 46. ibid. 69. — b) Item de coitu. Plin. 12. Hist. nat. 14. 30. (54). Congressus feminarum. — c) Item de bestiis. Cic. 2. Nat. D. 48. 124. In quo admirandum est, congressu ne aliquo inter se, an jam inde ab ortu naturæ ipsæ congregatæ sint. Quintil. 1. 2. 20. Cum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit. ¶ 2. Speciatim ponitur pro conflictu, prælio. Cic. 2. Orat. 78. 317. In gladiatorio certamine ante congressum multa fiunt, quæ etc. Cæs. 1. B. C. 46. Nostri in primo congressu circiter septuaginta ceciderunt. Adde eumd. 1. ibid. 47. et Sall. Jug. 50. et 74. extr. Virg. 12. Æn. 514. Tres uno congressu mittere neci. Val. Flacc. 6. 322. Congressu iniquo subire. Adde Tac. 2. Ann. 3. et Dig. 43. 16. 3. § 14. — Et de certamine in re judiciali. Quintil. 3. 6. 4. Primus causæ congressus.

II.) Translate. Lucret. 1. 1063. Esse alios alibi congressus materiai. h. e. conjunctiones, coagmentationes. Adde eumd. 5. 68. Quintil. 11. 3. 35. Duriorum consonantium inter se congressus.

CONGREX, grĕgis, adject. Nominativum Congrex exhibent solummodo Gloss. Philox. Ὁμόφυλος, tribulis, congrex, gentilis. Hinc factum est ut nonnulli Congregis, e efferrent. Ceterum ¶ 1. Stricto sensu congrex dicitur qui est ejusdem gregis. Apul. 7. Met. Equinis armentis me congregem pastor aliquando permisit. Solin. 2. Diomedeæ aves congreges volitant. ¶ 2. Latiori sensu qui est ejusdem originis et gentis. Auctor Pervig. Ven. 43. Congreges inter catervas ire per saltus tuos. Auson. Ep. 10. 20. cernimus Augustas fervere vias, et congrege vulgo Nomen plateas perdere. h. e. multitudine congregata. Prudent. 2. contra Symmach. 634. quem congrege nexu Pax et Roma tenent. h. e. juncto, concordi. Ter-

tull. Pœnit. 11. Nullis comissationibus congreges. *h. e.* qui non intersunt, seu qui non congregantur comissandi causa.

CONGRŬĒ, adverb. congruenter. *Capell.* 6. *ubi de posit. terræ, p.* 195. Quod utique, si congrue videtur assertum etc. *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 3. 1. Stipulatio est verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus respondit. Adde *Cod. Theod.* 1. 2. 4.

CONGRŬENS, entis. *V.* CONGRUO.

CONGRŬENTER, adverb. Comp. *Congruentius* et Sup. *Congruentissime.* — Congruenter est convenienter, accommodate. *Cic.* 3. *Orat.* 10. 34. Ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus. *Id.* 3. *Fin.* 7. 26. Congruenter naturæ convenienterque vivere. *Fronto de oration.* 3. *ad fin.* (edente iterum Romæ *A. Maio*). Verbum quidem absurdum est, sed usurpatum concinnius, aut congruentius. *Minuc. Felix. Octav.* 40. *extr.* De toto congruentius promptiusque requiremus. *Tertull. Pudic.* 8. *ad fin.* Congruentissime exprimere. Adde *Augustin.* 1. *Doctr. Christ.* 12.

CONGRŬENTĬA, æ, f. 1. convenientia, congruitas. *Sueton. Oth.* 2. Per hanc insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit, congruentia morum. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Si avulsum statuæ caput inspiceres, non tu quidem ex illo posse congruentiam æqualitatemque deprehendere. *Apul. de Mag.* Demosthenes pronunciandi congruentiam ab speculo petivit. *Capell.* 1. *p.* 6. Modulationum congruentia.

CONGRŬĬTAS, ātis, f. 3. congruentia. Legitur a quibusdam apud *Symmach.* 9. *Ep.* 46. (*al.* 49.), ubi alii *congruens*, alii *congruitis*. Certa est lectio apud *Priscian.* 18. *p.* 1118. *Putsch.* Et sciendum, quod has quidem constructiones, quæ per nominativum absolvuntur, Stoici ἀξιώματα συμβάματα, id est dignitates vel congruitates vocabant —. Illas vero, quibus transitiones ab alia ad aliam fiunt personam, in quibus necesse est cum nominativo etiam obliquum aliquem casum proferri, παρασυμβάματα dicebant, hoc est minus quam congruitates —.

CONGRŬO, ŭis, ŭi, ŭere, n. 3. In illo *Ter. Heaut.* 3. 1. 91. Ne nos inter nos congruere, sentiant; τὸ *congruere* pænult. producta efferendum monent eruditi, ut versus constet, tamquam sit a *congrueo*, vel potius tamquam in Infinito sit etiam secundæ conjugationis. *Bentlejus* præterquamquod hunc versum alio transfert, *consentire* reponit ex conjectura. At *Bothe* edidit *congruisse:* alii aliter legunt. — Part. *Congruens* I. 2., II. et in fin. — Ratione habita etymi, *Paul. Diac. p.* 40. 4. *Müll.* deducit a *gruibus*, quæ se non segregant, sed conjunctim semper volant. Quare videtur *Solin.* proprie locutus esse (ut adnotavit *Voss. de Grammat. l.* 5. *c.* 32.) cum ait *c.* 10. *de gruib.* Ut si quæ defecerint, congruant universæ lassatasque sustollant. Idem tamen *Voss.* in *Etymol.* magis probat, si ducatur a *con* et *ruo*, littera *g* inserta; quod probant etiam recentiores philologi, quorum nonnulli, etsi a *cum* et inusit. *gruo* deducant, tamen affirmant *gruo* ejusdem esse originis ac *ruo.* — Ceterum *congruo* est convenio, concurro, simul ruo vel fluo (It. *scorrere insieme, cadere insieme;* Fr. *couler ensemble, coïncider*; Hisp. *colar juntos, caer juntos*; Germ. *zusammenfallen,-laufen, oder-treffen*; Angl. *to come together, meet*).

I.) Proprie usurpatur de motu, qui fit in loco seu spatio. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 7. 8. 2. *Schneid.* Guttæ in vas aquæ converruntur, et ibi inter se congruunt et una confunduntur. *Val. Flacc.* 2. 306. Arcem nata petit, quo jam manus horrida matrum Congruerat. *Id.* 6. 58. linguisque adversus utrimque Congruit, et tereti serpens dat vulnera gemmæ. *h. e.* adverso ore concurrit. ¶ 2. Speciatim congruere dicuntur corpora cælestia, cum inter se conveniunt in adspectu, et maxime in quadrato. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. 69. Ut cum totius mundi motus conversionesque perspexerit, sideraque viderit (*animus*) – cum ejus ipsius motu congruere certis infixa sedibus. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 19. Zeno congruere judicat stellas, et radios inter se committere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 79. 81. (191). Motus terræ fieri existimant vi siderum trium meantium cum sole, aut congruentium et maxime circa quadrata mundi.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de tempore, et est simul contingere, accidere: eique *discrepare* opponitur. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 129. Siculi suos dies mensesque congruere volunt cum solis lunæque ratione. *Liv.* 1. 19. Ut quarto et vigesimo anno ad metam eamdem solis – dies congruerent. *Id.* 1. 5. Sciebat, tempus, quo ipse eos sustulisset, ad id ipsum congruere. Adde *Vellej.* 1. 16. 2.; *Quintil.* 5. 5. 2.; et *Sueton. Cæs.* 40. et *Grammat.* 7. — Huc referri potest et illud *Ter. Eun.* 5. 8. 3. Cui tam subito tot congruerint commoda. *Recentiores leg.* contigerint. — Absolute. *Tac.* 1. *Hist.* 7. Forte congruerat, ut Clodii Macri et Fonteji Capitonis cædes nunciarentur. ¶ 2. Sæpissime ponitur de persona, quæ sibi constat, cumque suimet aliorumve sententia, moribus, vitæ ratione concordat; itemque de re, quæ ratione habita numeri, mensuræ etc. secum vel cum aliis convenit: uno verbo sumitur pro convenire, concordare, consentire, eique opponitur *dissidere*; et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Phorm.* 2. 1. 34. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt: unum cognoris, omnes noris. *Cic. Marcell.* 6. 16. Sensus nostri ut in pace semper, sic tum in bello congruebant. *Id.* 1. *Legg.* 20. 53. De re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. *Liv.* 8. 6. Latinos – lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes. V. *Congruens* in fine hujus voc. *Quintil.* 7. 2. 57. Res prout congruunt, aut repugnant. Adde *eumd.* 5. 10. 74.; et *Tac.* 12. *Ann.* 6. *Aurel. Vict. Cæsar.* 41. Ob diversos mores, tamen anxie triennium congruere quivere. *h. e.* concorditer vivere. — Et impersonal. *congruit*, conveniens, consentaneum est. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (171). Pluvio et caliginoso tractu (*vites*) rariores poni, sicco densiores, congruit. Alter *Plin.* 7. *Ep.* 2. Quem ad modum congruit, ut simul et affirmes – et scripta nostra desideres? V. *Congruens* in fine hujus voc. — *b*) Cum Dativo. *Ter. Phorm.* 4. 5. 14. Mulier mulieri magis congruit. *Cod. Bemb.* habet *convenit*. *Cic.* 3. *Orat.* 55. 210. Perspicuum est non omni causæ, neque auditori, neque personæ, neque tempori congruere orationis unum genus. *Cf. Quintil.* 11. 1. 4. Rursus *Cic.* 3. *Fin.* 6. 20. Quibus (*principiis*) congruere debent quæ sequuntur. *Liv.* 8. 6. Ubi responsa haruspicum insidenti animo religioni congruerunt. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (33). Crocum vino mire congruit. Adde *Nepot. Lysand.* 3.; *Quintil.* 4. 2. 89. et 9. 3. 40.; *Sueton. Cal.* 3.; *Tac.* 6. *Ann.* 22.; et *Apul. de Mag. Gell.* 1. 15. *sub fin.* *Loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congruit. — Impersonal. *congruit alicui rei vel personæ* occurrit apud *Ulp. Dig.* 1. 16. 13. Congruet bono et gravi præsidi curare, ut quieta provincia sit. *h. e.* convenit, decet. Adde *Vellej.* 2. 87. 3. — *c*) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Cic.* 2. *Att.* 8. Ejus sermo cum tuis litteris valde congruit. *Id.* 7. *ibid.* 13. *post med.* Reliqua patebant, et cum Terentiæ summa congruebant. *Id. Amic.* 8. 27. Congruere cum moribus et natura alicujus. Adde *eumd.* 3. *Off.* 3. 13. et *Harusp. resp.* 13. 29.; *Liv.* 23. 38.; et *Quintil.* 11. 3. 74. — *d*) Cum præpos. *in*, *ad*, vel adverb. *aliquo*. *Liv.* 25. 32. Omniumque in unum congruerunt sententiæ. Adde *eumd.* 26. 2. et 29. 6.; *Vellej.* 1. 16. 2.; et *Sueton. Cæs.* 40. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 76. (196). Murium jecusculis fibræ ad numerum lunæ in mense congruere dicuntur. Cf. *Liv.* 1. 5. et 1. 19. *Quintil.* 9. 4. 27. Ut jungantur (*verba*) quo congruunt maxime. — *e*) Sæpius cum addito *inter se*. *Plaut. Curc.* 2. 2. 14. Sane illi congruunt inter se concorditer. *Ter. Heaut.* 3. 1. 91. Ne nos inter nos congruere sentiant. *V.* quæ diximus sub init. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 30. Ut enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas; sic animi dicitur, cum ejus judicia opinionesque concordant. Adde *eumd. Rosc. Am.* 22. 62. et 3. *Fin.* 19. 62.; *Senec. Ep.* 9.; et *Quintil.* 12. 6. 17. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (72). Mensuræ nullæ inter se congruunt. — Aliter *Liv.* 9. 2. Quod sermo inter omnes congruebat. — Hinc Part. præs.

Congruens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Congruentior* sub 2.°; Sup. *Congruentissimus* sub 1.° et 2.° — Itaque congruens dicitur et est qui congruit, conveniens, consentiens: et occurrit — 1.°) De eo, qui sibi constat et consentit. *Liv.* 30. 34. Congruens clamor a Romanis, eoque major et terribilior: dissonæ illis voces. Sic *Apul. de Mag.* Congruentissima voce acclamare. *h. e.* maxime concordi. *Sueton. Tib.* 68. Ceteris membris usque ad imos pedes æqualis et congruens. — 2.°) Sæpius de eo, qui cum alio convenit, consentit, concordat: et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 14. 53. Genus dicendi aptum et congruens. *Id. Partit. orat.* 15. 54. Actio vocis, vultus et gestus congruens et aptus ad animos permovendos. *Id.* 1. *Legg.* 10. 30. Oratio verbis discrepans, sententiis congruens. *Tac.* 2. *Hist.* 4. Læta et congruentia exta. — Et substantivorum more. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 14. 44. Pro congruentibus sumere tam vehementer repugnantia. Adde *Quintil.* 5. 10. 107. *Liv.* 9. 31. Congruentia ad consulem afferre. — Hinc imperson. *congruens est*, conveniens est, cum Infinito. *Plin. Paneg.* 38. *ad fin.* Cum Nerva sanxisset, uti *etc.*, congruens erat, eamdem immunitatem parentes obtinere. *Tertull. Anim.* 58. Congruentissimum est, animam puniri. Et sequente part. *ut*. *Gell.* 17. 8. Congruens est, ut etc. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Orat.* 59. 222. Actio menti congruens esse debet. *Id.* 5. *Fin.* 21. 58. Actiones virtutibus congruentes. *Id.* 9. *Fam.* 24. Quibus litteris congruentes fuerunt aliæ postea multorum. *Id.* 2. *Fin.* 31. 99. Nihil congruens et conveniens decretis alicujus. *Sueton. Oth.* 12. Mors minime congrua vitæ. *Tac.* 1. *Ann.* 79. Congruentia his disserere. *Lactant.* 4. 26. Mortuorum corpora a morte revocavit. Quid congruentius Deo? — *c*) Cum præpos. *cum* et Ablat. *Cic. Brut.* 31. 117. Tubero vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat. *Id. ibid.* 38. 141. Gestus cum sententiis congruens. *Id.* 2. *Fin.* 14. 45. Homo cum hominibus natura et sermone et usu congruens. *Id.* 1. *Legg.* 13. 38. Cum quibusdam re congruentes, genere docendi differentes. — *d*) Cum addito *inter se*. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* Multitudo nullo modo inter se congruens.

CONGRUS. *V.* CONGER.

CONGRŬUS, a, um, adject. idem quod congruens, aptus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 23. Tecum illa verba facere de ista re volo. Nam cum illa sane congruost sermo tibi. *Ovid.* 15. *Met.* 478. Ora vacent epulis, alimentaque congrua carpant. *Al. leg.* mitia. *Rutil. de red. suo* 1. 304. Tristibus excepit congrua fata reis. *Papinian. Dig.* 39. 5. 32. Verecundiæ maternæ congruum ferre sententiam. *Ibid.* 2. 14. 1. Humanæ naturæ congruum est. Adde *Claudian. B. Get.* 402. *Id. in Ruf.* 1. 315. Congrua tempora. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 6. modus. Adde *Apul. de Dogm. Plat. Id Apul.* 7. *Met. init.* Congruo cunctæ multitudinis consensu. *h. e.* concordi, consentiente.

CONGȲLIS. *V.* GONGYLIS.

CONGȲRO, as, are, n. 1. simul gyro. *Vulgat. interpr. Judith.* 13. 16. Congyraverunt circa eam.

CŌNĬA, æ, f. 1. apud Prænestinos fuit ciconia. *V.* RABO, onis.

CŌNĬCĬO. *V.* CONJICIO sub init.

CŌNĬFER, fĕra, fĕrum, et

CŌNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. qui conos fert, *h. e.* nuces pineis similes. *Virg.* 3. *Æn.* 680. Aeriæ quercus, aut coniferæ cyparissi. Adde *Servium* ad h. l. *Catull.* 64. 106. Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum.

CŌNĪLA, æ, f. 1. κονίλη, herba eadem, quæ cunila, aliis origanum. *Apul. Herb.* 122.

CONINQUO. *V.* COINQUIO.

CŌNIPTUM, genus libaminis, quod ex farina conspersa faciebant. Hæc *Paul. Diac. p.* 40. 8. *Müll.* Græca vox a κονίπτω *pulvere aspergo*, ut docet *Dacer.*; vel rectius a κόνις *pulvis*, ut putat *Müll.*, qui propterea *conitum*, non *coniptum* legit. Apud *Paul. Diac.* alii leg. *conitum*. Quod vero ibidem *Paul. Diac.* addit *conitum* ab *Afranio* positum fuisse pro ornatu et excultu; placet criticis *comptum*, seu *comtum* reponi: atque totam hanc additionem ad vocem *Comptus, us*, pertinere.

CŌNĪRE, quam *coire*, malebant quidam analogiæ causa, tempore *Quintiliani*, quos ipse reprehendit 1. 6. 17. *V.* CONITUS.

CONISCO, as, are, 1. est *A*) Verbum activum, et *B*) Neutrum.

A) Active cōniscare est in coni formam struo. *Tertull. Pall.* 5. Æsopus histrio ex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris loquacibusque centum millium (*corrige* sexcentum ex *Plin.* 10. *Hist. nat.* 51. 72. (141).) patinam coniscavit. *Alii minus recte leg.* confiscavit.

B) Neutrorum more *cōniscare* dicitur de pecudibus colludentibus, aut concertantibus, cum capite demisso invicem incurrunt, aut saltibus impetunt lascivientes: a κόνις *pulvis*, aut κονίζω *pulverem moveo*, vel *pulvere aspergo:* quia hæc facientes pulverem ex-

cissent. *Lucret.* 2. 320. Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant. *Est qui legit* conissant, *eod. sensu: item qui* coruscant, *aut* corussant, ἀπὸ τοῦ κορύσσειν, incitare, irritare. Rem describit *Virg.* 2. *G.* 526. Inter se adversis luctantur cornibus hœdi. — Translate. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. 21. Caput opposuit, cum eo coniscans. — At recentiores philologi plerique omnes apud *Lucret.* et *Cic.* pro *coniscare* leg. *coruscare*, quod sane rectius.

CŎNISTĒRĬUM, ii, n. 2. κονιστήριον, locus in palæstris veterum, ubi luctaturi pulvere post unctionem aspergebantur, quo prehensiones essent firmiores, et non lubricæ. Ita *Philander*, et *Baldus* ad illud *Vitruv.* 5. 11. 2. *Schneid.* In duplici porticu collocentur hæc membra: ephebeum in medio, sub dextro coryceum, deinde proxime conisterium. V. *Visconti Mus. Pio-Clem. T.* 5. *p.* 215. et 258.

CŌNĬTI. *V.* ACONITI.

CONĪTUM. *V.* CONIPTUM.

CŌNĪTUS, a, um, particip. præter. a *coeo*, pro *coitus*. *Isid.* 18. *Orig.* 7. Coitus, quasi conitus. — Cui loco lumen affert *Quintil.* 1. 6. 17. Inhærent quidam molestissima diligentiæ perversitate, ut *audaciter* potius dicant quam *audacter* – et *conire*, non *coire*. V. COEO sub init.

CŌNĪUM, ii, n. 2. est Græca vox κώνειον, Latine cicuta. *Ambros.* 3. *Hexæm.* 9. Sturni vescuntur conio. *Et paullo post.* Nec illud præterit, quod conio plerumque furores libidinum marcuerunt. *Et paullo ante.* Cum tritico conium.

CONĪVŎLA, occulta. *Ita Paul. Diac. p.* 61. 8. *Müll.* A criticis varie locus hic legitur, et expenditur. Ceterum *conivola* videtur esse a coeundo, quod antiqui dicebant *conire*, ut recte explicat *Lindemann.* — De CONIVOLIS *V.* in CONTUOLI.

CONJĂCĔO, es, ere, n. 3. simul jaceo, concumbo. Occurrit tantum Part. *Conjacens* apud *Lactant. Placid. Mythol.* (ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 3. p. 94). *fab.* 30. Vulcanus illis (*Marti et Veneri*) conjacentibus superveniens, lectum catenis circumcinxit.

CONJACTŪRA, æ, f. 1. jactura pluribus communis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 67.

CONJECTĀNĔA, ōrum, n. plur. 2. dicuntur miscellanea, et adversaria, libri in quos conjectationes nostras referimus. *Gell.* 6. 5. Alfenus in Conjectaneorum libro secundo. Adde *eumd.* 14. 7., et *præfat.* § 9.

CONJECTĀRĬUS, a, um, adject. efficax, perfectus. *Cic. l.* 4. *Fin.* Illud vero minime conjectarium, sed in primis hebes illorum. Ita *Nonius p.* 91. 18. *Merc.*: sed vel fallitur, vel textus est corruptus. Nam neque locum habet illa interpretatio (debuit enim potius cum quibusdam lexicographis exponere, *quod scitur per conjecturam*) et verba *Ciceronis*, quæ habentur *l. cit.* 18. 50., non *conjectarium*, sed *consectarium* exhibent: quod longe est aptius illi sententiæ. Ceterum *Mercerus* apud *Non.* legit *conjecturarium*; *Orellius* vero *consectarium* recepit, nec mentionem quidem *Nonii* fecit. *V.* et CONJECTATORIUS.

CONJECTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conjectandi, conjectura. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (21). Quo minus plana de Deo conjectatio esset. *Id.* 6. *ibid.* 19. 22. (68). Unde conjectatio ingens opum est. *Id.* 10. *ibid.* 75. 97. (200). Somni quæstio non obscura conjectationem habet. *Gell.* 14. 1. *ad fin.* Lubrica atque ambagiosa conjectatione niti.

CONJECTĀTOR, ōris, m. 3. idem ac conjector. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 49. Quod portenti conjectatores cum secus ducerent. Adde *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente eodem) 1. 57.

CONJECTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad conjectionem pertinens. *Gell.* 14. 3. Ejus rei argumenta quædam conjectatoria protulerunt. *Est qui legit* conjectatoris, *h. e.* conjectando: *alii vero* conjectaria.

CONJECTĀTUS, a, um. *V.* CONJECTO.

CONJECTĬO, ōnis, f. 3. actus conjiciendi, jactus (It. *getto, lanciamento*; Fr. *action de jeter, de lancer, jet*; Hisp. *el acto de echar, tiro*; Germ. *d. Zusammenwerfen*; Angl. *a throwing, hurling*).

I.) Proprie. *Cic. Cæcin.* 15. 43. Neque ictu comminus, neque conjectione telorum.

II.) Translate. ¶ 1. Est actus plura componendi ad comparationem instituendam. *Cic.* 5. *Verr.* 82. 189. Annonæ atque æstimationis conjectio. *Orell.* leg. *coæctione*; sed V. *Klotz.* ad *h. l.* ¶ 2. *Conjectio causæ* apud *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 9. 26. p. 164. *Bait.*, et *Sabin.* apud *Paul. Dig.* 30. 17. 1. est brevis narratio, seu expositio causæ per summa capita, quæ fit, antequam illa plene agatur. Dicitur *conjectio*, vel quasi *in breve coactio*, ut *Pseudo-Ascon. ibid.* explicat, vel quia ex illa judex conjectionem de tota disputatione et causa facere potest. Adde *Cajum* 4. *Instit.* 15. ¶ 3. Denique est idem quod conjectatio, seu explicatio per conjecturam. *Cic.* 2. *Divinat.* 63. 130. Somniorum conjectionem ex Chrysippo definit hoc modo: Esse vim cernentem et explanantem, quæ a diis hominibus significentur in somnis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (13). De tota conjectione prisci quidem nostri perpetuo talia tradiderunt. Ita hoc loco *Harduin.* legit; *conjectione* vero interpretatur pro causa ipsa, seu quæstione. Ceterum apud *Harduin.* et vulgo verbis *de tota conjectione* nova periodus incipitur: at eadem verba primus *Gesner. Chrestom. p.* 672. ad superiora recte retulit, quem secutus est *Sillig.* V. integr. locum. *Ulp. Dig.* 28. 1. 21. Conjectionem facere alicujus rei ex consuetudine etc.

CONJECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* conjicio. — Part. *Conjectans* et *Conjectatus* II. *a.* — Conjecto est totis viribus res plures in unum jacio, ago, impello.

I.) Proprie. *Vetus decretum Ti. Sempron. Gracch. ex Annalib. desumptum* apud *Gell.* 7. 19. CVM L. CORNELIVS SCIPIO ASIATICVS TRIVMPHANS, HOSTIVM DVCES IN CARCEREM CONJECTAVERIT etc. *Gell.* 6. 13. Ne omnino, ut dicitur, immunes ac asymboli veniremus, conjectabamus ad cœnulam non cupedias ciborum, sed argutias quæstionum. *h. e.* conferebamus.

II.) Translate sæpius ponitur pro conjecturam facere, conjectando quærere, ex indiciis rem occultam ignotamque judicare; et occurrit — a) Cum Accusativo. *Ter. Eun.* 3. 4. 5. Neque scio, quid dicam, aut quid conjectem. *Liv.* 29. 14. *a med.* Meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam. *Id.* 5. 21. *sub fin.* Eventu rem conjectantes. *Id.* 21. 35. Conjectare iter. *Curt.* 4. 9. 11. Quantum procul conjectari poterat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 42. 42. (111). Densitas earum corpusque haud dubio conjectatur argumento. *Sueton. Domit.* 3. Quantum conjectare licet. *Tac.* 15. *Ann.* 55. Et cetera, quæ audierat, conjectaverat, docet. *Id.* 1. *ibid.* 32. Conjectare animos militares altius. *Id.* 1. *ibid.* 12. Vultu offensionem conjectaverat. *Id.* 14. *ibid.* 51. Conjectare valetudinem ex eo, quod etc. *Id.* 12. *ibid.* 49. ceteros ex aliquo. *Id.* 15. *ibid.* 55. et *Dig.* 32. 52. § 8 aliquid ex aliqua re. *Apul. de Deo Socrat.* Potentiæ deorum animis conjectatæ. Sic *Prudent.* 2. *in Symmach.* 97. Conjectare animo. *Tertull. Pall.* 6. Qui stellarem conjectat. *h. e.* astrologiam docet. — b) Cum Ablativo et præpos. *de*. *Tac.* 2. *Hist.* 97. *extr.* Perinde socii de imperio utriusque conjectabant: sed experimentum contra fuit. *Sueton. Ner.* 40. Conjectare nihil de ætate. *Id. Ner.* 6. de genitura alicujus multa et formidolosa. Cf. *Apul. de Deo Socrat.* — c) Cum Accusativo et Infinito. *Tac.* 3. *Hist.* 15. Conjectare aliquem acceleraturum. Adde *Curt.* 3. 11. 1., 4. 18. 31., 9. 9. 27.; *Sueton. Aug.* 95. *extr.* et *Cal.* 57.; et *Gell.* 17. 8. — d) Sequente Relativo. *Liv.* 40. 36. Si ex eo – quid sentiant conjectandum sit. Adde *Curt.* 7. 8. 2. *Quintil.* 7. 3. 5. Nomine uterque uno utitur: utrum sit in re, conjectat.

CONJECTOR, ōris, m. 3. qui conjicit: sed occurrit translate tantum, et ¶ 1. Generatim est interpres cujuscumque occultæ rei. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 34. Isti orationi Œdipo opus conjectore est, qui Sphingi interpres fuit. ¶ 2. Speciatim qui per conjecturas, somnia atque omina interpretatur, ut *Quintil.* 3. 6. 30. definit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Non habeo nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos conjectores, non interpretes somniorum. *Plaut. Amph.* 5. 1. 76. Tiresiam conjectorem advocabo, et consulam, quid faciendum censeat. Adde *eumd. Curc.* 2. 1. 31. *Cic.* 2. *Divinat.* 28. 62. Conjector et interpres somniorum. *Id. ibid.* 65. 134 Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 22. 45., *Partit. orat.* 2. 6.; *Vet. Poëtam* apud *eumd.* 1. *Divinat.* 21. 42.; et *Quintil.* 5. 7. 36.

CONJECTRIX, īcis, f. 3. quæ conjicit: sed occurrit translate tantum, et quidem speciatim pro ea, quæ somnia per conjecturam interpretatur. Nam sicut conjectoribus viri, ita conjectricibus feminæ utebantur. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 90. Da quod dem Quinquatribus Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque haruspicæ.

CONJECTŪRA, æ, f. 1. opinio, aut judicium rei occultæ ex indiciis apparentibus: a *conjectu* dicta, idest a directione quadam rationis ad veritatem, ut *Quintil.* 3. 6. 30. docet (It. *congettura*; Fr. *conjecture, présomption, jugement par conjecture*; Hisp. *conjetura*; Germ. *die aus Zusammenstellung verschiedener Merkmale gewonnene Muthmaassung, Vermuthung, d. Schluss*; Angl. *a conjecture, guess*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Trin.* 4. 2. 76. Quod ad exemplumst (*nomen*)? conjectura si reperire possumus. *Ter. Andr.* 3. 2. 32. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 23. Nunc quæso attendite, num aberret a conjectura suspicio periculi mei. Sic *Id.* 14. *Att.* 22. 1. Vereor, ne conjectura aberrem. Et 1. *Nat. D.* 36. 100. A conjectura aberrare. *Id. ibid.* 15. 39. Deos ita ignotos congregat, ut eos ne conjectura quidem informare possimus. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura. *h. e.* indicium. *Id. Rosc. Am.* 35. 97. Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda sit? Sic *Ter. Heaut.* 2. 3. 25.; *Cæs.* 7. *B. C.* 35. et *Varro* 1. *R. R.* 16. 32. Conjecturam capere ex re. *Cic.* 7. *Verr.* 9. 22. Ipsis judicibus conjecturam facere permittam, quod genus hoc prædandi, quam improbum, quam indignum videatur. Sic *Plaut. Pœn. prol.* 91. Conjecturam facere. *Id. Rud.* 3. 4. 66. secum facere. *Id. Cas.* 2. 3. 8. et *Cist.* 2. 1. 2.; *Ter. Heaut.* 3. 3. 13.; et *Cic.* 2. *Orat.* 74. 299. facere de se. *h. e.* ex se ipso facere conjecturam de re aliqua. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 2. de suo stomacho. Aliter *Id.* 4. *Verr.* 74. 183. De ceteris ex hoc conjecturam facere debebitis. Sic *Plin. Paneg.* 20. Conjecturam facere de moribus alicujus. Rursus *Cic. Mur.* 21. 44. Ex vultu candidatorum conjecturam faciunt, quantum quisque animi habere videatur. Sic *Ter. Adelph.* 5. 3. 36. Fit conjectura ex aliqua re. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 64. et 7. *Att.* 13. a. § 4. Assequi aliquid conjecturā. *Id.* 2. *Att.* 9. 1. Augurari aliquid conjecturā. *Id.* 1. *Orat.* 21. 95. Quantum auguror conjecturā. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. Quantum conjecturā consequebar. Adde *eumd.* 12. *Fam.* 10. 2. *Id.* 9. *ibid.* 2. 4. Conjectura ducit me aliquo. *Id. Brut.* 14. 56. Conjecturā duci ad suspicandum. *Id. Flacc.* 3. 7. Judicare aliquid conjecturā. *Id. pro leg. Manil.* 9. 26. Perspicere aliquid conjectura. *Id.* 8. *Att.* 11. et *Dom.* 5. 11. Prospicere aliquid conjecturā. *Id.* 1. *Att.* 1. Providere aliquid conjecturā. *Id. Orat.* 36. 126. Conjecturā quærere aliquid. Sic *Quintil.* 7. 2. 6. Quærere aliquid per conjecturam. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 6. 17. Coarguere aliquid suspicionibus et conjecturā. *Id.* 1. *Divinat.* 33. 72. Explicare aliquid conjecturā. *Id. Harusp. resp.* 25. 54. Sensu suo et conjecturā rapi. *Id. Rosc. Am.* 22. 62. Levi conjecturā rem pendere. *Id.* 1. *Divinat.* 14. 24. Artes, quæ conjecturā continentur, et sunt opinabiles. *V.* seq. paragr. *Cæs.* 3. *B. C.* 78. Pompejus quoque de Cæsaris consilio conjectura judicans ad Scipionem properandum sibi existimabat. *Varro* 1. *R. R.* 7. 3. Hoc licet conjectura videre ex aliquot rebus, ut etc. *Liv.* 10. 39. Tum, si qua conjectura mentis divinæ sit, nullii unquam exercitui fuisse infestiores. *Auct. B. Alex.* 58. Conjecturā aliquid scire. *Cels.* 1. *præfat. post med.* Non scientia comprehendere, sed conjectura prosequi. *Curt.* 6. 11. 21. Philotas verone an mendacio liberare se a cruciatu voluerit, anceps conjectura est. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 29. Nobis – conjectura ire in occulta tantum licet. *V.* CONJECTURO. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Hujus (*mundi*) extera indagare nec interest hominum, nec capit humanæ conjectura mentis. *Id. ibid.* 11. 8. (49). Scrutari aliquid conjecturā animi. *Quintil.* 1. 2. 25. Quantum animi mei conjectura colligere possum. *Sueton. Galb.* 7. Veritatis conjectura difficilis. *h. e.* cognitio. — Apud *Tryphonin. Dig.* 23. 3. 50. conjectura sumitur pro argumento conjecturali, seu pro ratione ex conjectura petita. ¶ 2. Speciatim conjectura dicitur interpretatio somniorum portentorumque. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Facta conjectura etiam in Dionysio est, paullo ante quam regnare cœpit etc. *V.* ibi reliqua. *Plaut. Curc.* 2. 1. 31. et *Rud.* 3. 1. 20.; *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 78., 2. *ibid.* 31. 66., 2. *ibid.* 59. 121. et 2. *ibid.* 63. 129.; *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 51.; et *Sueton. Vitell.* 18. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores est quod-

dani genus causæ, in quo controversia facti est, aut animi; de qua fuse *Quintil.* 7. 2. 1. et seqq. Adde *Cic.* 2. *Invent.* 5. 6.; et cf. eumd. 7. *Verr.* 28. 65. et *Cæl.* 28. 66. *V.* voc. seq.

CONJECTŪRĀLIS, e, adject. ad conjecturam pertinens. *Cels.* 1. *præfat.* post med. et 2. 6. ad *fin.* Medicina est ars conjecturalis. *Capell.* 1. *p.* 4. Delii virga conjecturalis. — *Constitutio*, seu *causa*, *quæstio*, *controversia*, *status conjecturalis* apud Rhetores dicitur, quum facti controversia est, *h. e.* cum quæritur factumne sit aliquid, an non: quia conjecturis utimur in hujusmodi causis tractandis. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14., ubi ponit exemplum, et 1. *Herenn.* 11. 18. Conjecturalis constitutio. *Id. Topic.* 11. 50. et *Quintil.* 2. 4. 26. causæ. *Cic.* 2. *Divinat.* 11. 28. genus. *Id. Topic.* 24. 92. quæstio. *Quintil.* 3. 6. 29. status. — Hinc

Conjecturalia, ium, n. plur. 3. absoluto, substantivorum more, vocat *Quintil.* argumenta, quæ conjectura nituntur, 4. 4. 8. In conjecturalibus nuda propositio. Cf. *Id.* 7. 1. 53. Hæc conjecturalia.

CONJECTŪRĀLĬTER, adverb. per conjecturas. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *ad fin.* Ad præsens nil conjecturaliter gestum, nil per ambages. *Aggen. Urbic. comm. in Front.* p. 64. Metiri aliquid conjecturaliter. *V.* ARGUMENTALITER.

CONJECTURARIUS, a, um. *V.* CONJECTARIUS.

CONJECTŪRO, as, are, a. 1. conjecturam facio, conjicio. Affertur locus *Senecæ* 7. *Quæst. nat.* 29. Nobis rimari illa, et conjecturare in occulto tantum licet. *Sed rectius leges* conjectura ire in occulta, *cum optim. codicib.* Certa est lectio apud *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 14. p. 554. Ad probandum autem terminos per divisiones, tria oportet conjecturare.

CONJECTUS, a, um. *V.* CONJICIO.

CONJECTUS, us, m. 4. idem quod conjectio, sive actus conjiciendi, jactus.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte. *Cic.* 4. *Att.* 3. 2. Q. fratris domus fracta conjectu lapidum. *Nepos Pelop.* 5. Telorum conjectu confossus. *Liv.* 2. 31. et 38. 14. Ad teli conjectum venire. Cf. *Petron. Satyr.* 90. Ut primum extra teli conjectum licuit consistere. *Lucret.* 4. 960. Altior conjectus animai. *Id.* 5. 417. Conjectus materiai. *Liv.* 7. 6. Conjectu terræ explere aliquid. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (18). Herbæ conjectu siccari amnes ac stagna. — Sic de membrorum motu ad locum aliquem. *Lucret.* 6. 435. Conjectu brachii trudere aliquid. — Item de oculis, qui aliquem in locum conjiciuntur. *Cic. Planc.* 8. 21. Non enim tribum Terentinam –, sed dignitatem, sed oculorum conjectum, sed solidam et robustam et assiduam frequentiam præbuerunt. Adde *Curt.* 9. 7. 25. Et per zeugma *Cic. Sext.* 54. 115. Vester in me animorum, oculorumque conjectus. Et *Plin. Paneg.* 17. Oculorum minarumque conjectus. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est idem quod acervus, collectio. *Lucret.* 5. 598. quo sic elementa vaporis Undique conveniunt, et sic conjectus eorum Confluit, ut etc. *Id.* 3. 199. Conjectus lapidum, spiciorumque. *Id.* 4. 415. aquæ. ¶ 3. Et pro aliquid conjiciendi facultate vel copia. *Liv.* 25. 16. Cum undique ex altioribus locis in cavam vallem conjectus esset.

II.) Translate est idem quod conjectura: ad rem *Quintil.* 3. 6. 30. Conjectura dicta est a conjectu, id est directione quadam rationis ad veritatem. Hoc tamen sensu legitur tantum apud *Aurel. Vict. Cæs.* 26. Haruspices progressi conjectu longius liberi quoque exitum denunciavere.

CONJĬCĬO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (cum et jacio). Veteres scripsere *conicio* simplici *i*, testibus criticis. Quin et *coicio* legi in antiquis quibusdam *Varronis*, *Justini*, *Ulpiani* et aliorum codicibus testatur *Pareus* in *Lex. Plaut.*, quod a *Laberio* usurpatum, *coicior in fullonicam*, reprehendit *Gell.* 16. 7. tamquam obsoletum, aut ex sordidiore usu vulgi desumptum: hinc factum est, ut recentissimi etiam inter criticos, *Madvig*, *Ellendt*, *Weissenborn* etc. præcipue formam *conicio* in suos libros adsciscerent. Cf. composita *abjicio*, *adjicio*, *dejicio*, *disjicio*, *injicio*, *rejicio*, et ipsum *jacio*. — Part. *Conjiciens* I. 1.; *Conjectus* in omnibus fere paragr.; *Conjecturus* II. 1.; *Conjiciendus* II. 3. — Ceterum conjicere proprie significat res plures in unum jacere, agere, impellere, non tam colligendi causâ, quam simul ferendi ad certum aliquem finem (It. *gettare insieme*, *tirare*, *cacciare*; Fr. *jeter ensemble*, *pousser ensemble*; Hisp. *echar*, *tirar juntos*; Germ. *zusammenwerfen*, *nach einem Orte hinwerfen*; Angl. *to throw together*, *throw*, *cast*, *fling*, *hurl*, *discharge*, *aim*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur pro jacere, agere, impellere, vel res plures in unum locum jacere; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Att.* 3. 2. Q. fratris domus – inflammata jussu Clodii, inspectante urbe, conjectis ignibus. *Lucret.* 1. 283. Montibus ex altis magnus decursus aquai Fragmina conjiciens silvarum arbustaque tota. *Id.* 2. 1061. Tandem, coaluerint ea (*semina rerum*), quæ, conjecta repente, Magnarum rerum fierent exordia semper. *Forcellinus* interpretatur collecta, congregata. *Auct. B. G.* 8. 5. Quæ (*tecta*) conjectis celeriter stramentis – erant inædificata. *Virg.* 2. *Æn.* 544. Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu Conjecit. *Id.* 5. *ibid.* 662. Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque Conjiciunt. *Id.* 9. *ibid.* 698. Antiphaten conjecto sternit jaculo. *Id.* 4. *ibid.* 69. Conjectâ sagittâ. *Ovid.* 15. *Met.* 735. conjectos cultros. *Id.* 5. *ibid.* 42. tela. *Id.* 11. *ibid.* 28. thyrsos. *Id.* 12. *ibid.* 454. venabula manibus conjecta. — *b*) Addito loco, in quem aliquid conjicitur, per Accus. et præpos. *in*, *inter*, *intra*. *Plaut. Epid.* 2. 2. 10. Conjicere palliolum in collum. *h. e.* colligere et in humerum rejicere, ut expeditior sis, vel etiam vitandi solis causa. Adde eumd. *Capt.* 4. 1. 12. *Id. Rud.* 3. 4. 64. aliquem in ignem. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Conjectus in plaustrum, et supra stercus injectum. *Lucret.* 2. 1072. Visque eadem et natura manet, quæ semina rerum Conjicere in loca quæque queat, simili ratione Atque huc sunt conjecta. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. E loco superiore in nostros tela conjiciebant. Adde *Nepot. Datam.* 9. et *Liv.* 2. 10. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. et *Auct. B. Afr.* 70. Conjicere pila in hostes. *Nepos Hann.* 10. serpentes vivas in vasa fictilia. *Id. ibid.* 11. vasa fictilia in naves. *Auct. B. Afr.* 87. incolas vivos constrictosque in flammam. *Liv.* 6. 1. ignem in sæpem. *Id.* 31. 27. sarcinas in medium. *Id.* 8. 11. sarcinas in unum locum. *Virg.* 4. *G.* 26. saxa in medium. *Ovid.* 7. *Met* 245. cultros in guttura velleris atri. *Id.* 8. *ibid.* 412. jaculum conjectum inter ilia. *Cæs.* 5. *B. G.* 55. Conjicere tela intra vallum. — *c*) Addito loco, in quem quid conjicitur, per Dativum. *Virg.* 11. *Æn.* 193. Hinc alii spolia occisis derepta Latinis Conjiciunt igni, galeas etc. *Id.* 7. *ibid.* 346. Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem Conjicit. et *ibid. v.* 456. Sic effata facem juveni conjecit. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 83. Aut sequitur captus conjectaque vincula collo Accipit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (134). Lupinum conjectum frutectoso solo, inter folia vepresque. At *Sillig.* legit *coactum*. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (23). Cinis conjectus dentibus exesis. — *d*) Raro admodum addito loco per Ablat. et præpos. *in*. *Ovid.* 3. *Met.* 90. conjectum in gutture ferrum. *Al. leg.* guttura. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 53. 78. (167). In Cæsaris piscinis a Pollione Vedio conjectus piscis. ¶ 2. Latiori sensu ponitur de personis aut rebus, quæ celeriter et magno impetu aliquem in locum trahuntur atque impelluntur; et occurrit — *a*) De personis. *Cic.* 7. *Verr.* 7. 17. et 1. *Tusc.* 40. 96.; et *Sueton. Cæs.* 17. Conjicere aliquem in carcerem. *Cæs.* 1. *B. G.* 47. et *Liv.* 29. 21. in catenas. *Sueton. Vitell.* 12. in compedes. *Nepos Phoc.* 3.; *Seneca Ep.* 9.; *Sueton. Aug.* 27.; et *Cajus* 1. *Instit.* 13. in custodiam. *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 13. in equuleum. *Id.* 7. *Verr.* 7. 17.; *Cæs.* 4. *B. G.* 27.; *Sall. Cat.* 42. *extr.*; *Nepos Miltiad.* 7., *Pausan.* 3. et *Pelop.* 5.; *Liv.* 29. 9. et 19.; *Seneca Ep.* 9.; et *Sueton. Tib.* 37. in vincula. *Cic. Mil.* 22. 60. servos in arcas. *Cæs.* 2. *B. G.* 16. mulieres in eum locum, quo exercitui aditus non sit. *Cic. Dom.* 15. 67. Cn. Pompejum foro curiaque privare domumque conjicere. *Cic.* 12. *Fam.* 25. aliquem in alicujus plagas. *Plaut. Pers.* 5. 2. 18. aliquem in tricas. *Cæs.* 4. *B. G.* 12., 7. *ibid.* 62. et 1. *B. C.* 82. hostes in fugam. *Curt.* 5. 3. 21. exercitum in angustias. *Liv.* 35. 28. eo impedimenta omnia et calonum turbam. — *b*) Sic *conjicere se in aliquem locum*, *aliquo*, etc. est impetu et celeriter proripere se. *Plaut. Merc.* 5. 2. 91. Quin, pedes, in curriculum vos conjicitis? *Ter. Phorm.* 1. 4. 13. Conjicere se in pedes. *h. e.* conjicere se in fugam, fugere. *Id. Heaut.* 2. 3. 35. Hæc ubi aperuit ostium, continuo hic se conjecit intro. Adde *Lucilium Sat.* 28. 47. *Plaut. Trin.* 3. 2. 96. Conjicere se in saginam ad regem aliquem. *Cic. Cæl.* 26. 62. se in intimum (*balnearum*). *Id.* 5. *Att.* 16. *extr.* se in ultimam provinciam Tarsum usque. *Id.* 9. *Fam.* 20. 1. se in castra alicujus. *Cæs.* 6. *B. G.* 39. se in signa et manipulos conjiciunt servi. *Cic.* 2. *Phil.* 9. 21. se in scalas tabernæ librariæ. *Forcellinus* cum aliis leg. *sub scalas*. *Cic. Sext.* 4. 9. se in maximam familiam gladiatorum. *h. e.* maximâ gladiatorum familiâ se circumdare ac munire. *Id.* 2. *Divinat.* 20. 46. se in latebram. *Liv.* 1. 12. se in paludem. *Nepos Themist.* 8. se in sacrarium. *Id. Ages.* 4. se in templum ex fuga. *Cic. Cæl.* 26. 63. et *Cæs.* 3. *B. C.* 26. se in fugam. — *c*) Item ponitur de rebus, et est impellendo vel celeriter movendo aliquem in locum cogere, comportare, colligere. — Cum Accus. et præpos. *in*. *Cato R. R.* 31. Conjicere fibulas in stercus aut in aquam. Adde eumd. *ibid.* 33. et 34. *Id. ibid.* 37. partem de nucleis in lacum. *Cic.* 4. *Verr.* 51. 127. sortes in hydriam. *Lucret.* 4. 1061. humorem in corpora. *Colum.* 12. *R. R.* 14. 6. mustum in vasa. Adde *Scribon. Compos.* 82. et 271. — Cum Ablat. et præpos. *in*, aut interdum sine præpos. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 2. salem in urceo fictili. *Scribon. Compos.* 57. in vino radices lapathi, ut una decoquantur. Adde eumd. *ibid.* 220. et 271. *Id. ibid.* 73. capita papaveris vase fictili. — Huc pertinent et sequentia. *Lucret.* 6. 730. Etesia flabra aquilonum Nubila conjiciunt in eas tunc omnia partes. *Cic.* 2. *Invent.* 32. 98. Navis vi tempestatis in portum conjecta. *Cæs.* 7. *B. G.* 85. Agger conjectus in munitiones. *Cels.* 7. 16. Filum in acum conjicere. Et absolute *Virg.* 6. *Æn.* 228. Purpureasque super vestes, velamina nota, Conjiciunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim *conjicere* ponitur pro personam aut rem aliquo trahere, vel in certa aliqua conditione vel statu collocare, qua significatione latissime patet; et occurrit — *a*) De personis. *Plaut. Pœn. prol.* 60. Conjici in morbum ex ægritudine. *h. e.* in morbum incidere, morbo affici. *Ter. Andr.* 3. 4. 23. et 5. 14. Conjicere aliquem in nuptias. Sic *Id. ibid.* 4. 1. 44. Conjectus in nuptias. h. e. impulsus, coactus. *Id. Heaut.* 2. 3. 51. Conjicere aliquem in lætitiam. *Id. Hecyr.* 1. 2. 57. se in malum. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. aliquem ex occultis insidiis in apertum latrocinium. *Id. Pis.* 39. 94. aliquos in aliquem ordinem. Sic *Liv.* 9. 46. forensem turbam in quatuor tribus. Adde eumd. 45. 15. *Cic.* 6. *Phil.* 4. 10. se in turbam. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 2. aliquem in breve tempus. Similiter *Cic. Mil.* 19. 49. se in noctem. Et *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Naves in noctem conjectæ. *Cic.* 12. *Fam.* 1. 1. Conjicere rempublicam in perturbationes. *Auct. B. Afr.* 10. animos in terrorem. *Liv.* 34. 28. hostes in terrorem ac tumultum. *Id.* 39. 25. in metum. *Id.* 36. 12. aliquem in legationem. *Sueton. Oth.* 10. Non amplius se in periculum tales tamque bene meritos conjecturum (*dixit*). *Seneca Ep.* 88. *a med.* Animus ad alias animalium formas aliasque conjectus. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 194. Mente et voluntate conjicere se in versum. *h. e.* dare se condendis carminibus. — *b*) De rebus, item de inanimis et abstractis. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 225. Conjectis oculis, gestu omni imminenti etc. Sic *Id. Cluent.* 19. 54., 1. *ad Brut.* 9. et *Amic.* 2. 9.; et *Tac.* 1. *Hist.* 17. Conjicere oculos in aliquem. *Cic. Harusp. resp.* 21. 45. Conjicitur in aliquem flamma illorum temporum. *Id. Sext.* 18. 40. Inimici oratio tam improba in clarissimos viros conjecta. *Id. Planc.* 12. 30. Conjicere maledicta in vitam alicujus. *Id. Mur.* 35. 73. crimina in nimiam alicujus diligentiam. *Liv.* 3. 24. crimen in ea tempora, quibus etc. *h. e.* affirmare crimen esse commissum iis temporibus etc. *Id.* 5. 47. culpam in vigilem. *Cæs.* 4. *B. G.* 27. In petenda pace ejus rei culpam in multitudinem conjecerunt. *Plerique alii leg.* contulerunt. *Auct. B. Alex.* 49. In gregem locupletium simultatum causæ tenues conjiciebantur. *Tibull.* 1. 9. 53. Conjicere querelas absenti. *Al. leg.* concinere: sed *Brouckus.* conjicere *defendit*. *Cic.* 2. *Off.* 17. 60. Periclem vituperat, quod tantam pecuniam in præclara illa propylæa conjecerit. *h. e.* absumpserit. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 4. In disputando conjecit illam vocem, oportere etc. *h. e.* vocem seu dictionem illam quasi jaculum conjecit. Sic sumptâ metaphorâ a gladiatorum ludo *Cic.* 1. *Cat.* 6. 15. Tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva declinatione effugi. *Auct. B. Afr.* 52. Conjicere prælium in noctem. *Sall.* apud *Festum* p. 250. 6. *Müll.* Mos, ut tabes, in urbem conjectus. At *Müll.* legit in urbem coicit. — *c*) Specialim occurrit de iis, quæ, scribendo, aliquem in locum congerimus. *Cic. Parad. proœm.* § 3. Illa ipsa, quæ Stoici probant, ludens conjeci in communes locos. *Id.* 16. *Att.* 6. 4. In proœmium conjeci in eum

librum, quem etc. *Id.* 2. *ibid.* 13. 1. Fasciculus, quo illam (*epistolam*) conjeceram. *Id.* 9. *ibid.* 13. 7. Libellus in epistolam conjectus. *Id.* 7. *ibid.* 16. 1. Conjicere plura in eamdem epistolam. Adde *eumd.* 3. ad *Q. fr.* 7. 23. *Id.* 2. *Legg.* 25. 64. legem in decimam tabulam. *Id. Cæcin.* 22. 63. verba ad interdictum. *Liv.* 4. 4. *extr.* aliquid sub legis vincula. ¶ 2. Specialim *conjicere causam* est causam agere, quod fit cum duo vel plures aliqua conferunt et ad examen vocant; uno verbo est de re aliqua disputare. *Lex XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. Conjicere causam. Cf. *Gell.* 17. 2. ubi alii aliter leg., sed minus recte; et V. *Gronov.* ad h. *Gellii loc.*, et *Pauly Real-encyclop. vol.* 2. p. 228. *Afranius* apud *Non.* p. 267. 31. *Merc.* Causam conjicere hodie ad te volo. Sic *Gell.* 5. 10. Cum ad judices, conjiciendæ consistendæque causæ gratiâ, venissent. Rursus *Afranius* apud *Non.* p. 267. 27. *Merc.* Vellem, intervenissem ante: nam, ut signa indicant, hi conjecere verba inter se acrius. *h. e.* verba commutarunt, certaverunt, contenderunt. Et absolute eodem sensu *Lucilius* apud *eumd.* p. 268. 5. Conjicere aliquid. *Afranius* apud *eumd.* p. 268. 3. Conjicere de aliqua re. *Id.* apud *eumd.* p. 267. 30. Nolim, mater, me præsente cum patre conjicere: non si me vivum vis, mel meum. — *NB.* Addit *Id. Nonius* p. 268. 1. usurpari etiam pro furari, auferre; confirmatque verbis ejusdem *Afranii* et *Lucilii*: quæ tamen non videntur satis aperte rem conficere. ¶ 3. Item speciatim, significat conjectura assequi; quia multa in mentem conjiciuntur et perpenduntur; tum pluribus consideratis, unum aliquid colligitur: vel desumitur a scopo feriendo, ut in CONJECTUS, us 1., ubi videre est sæpe adhibitum fuisse teli conjectum. Porro hac significatione occurrit — *a*) Cum Accus. rei, quam quis conjecturâ interpretatur. *Plaut. Curc.* 2. 2. 3. Mane sis, dum huic conjicio somnium. *h. e.* conjecturâ interpretor. *Cic.* 1. *Divinat.* 52. 118. Male conjecta, maleque interpretata, falsa sunt. *h. e.* male conjecturâ percepta. *Id.* 2. *ibid.* 31. 66. Illa tritici grana in os pueri Midæ congesta non tam mirabilia, quam conjecta belle. *Id.* 4. *Verr.* 6. 18. O præclare conjectum a vulgo in illam provinciam omen communis famæ atque sermonis. — *b*) Addita re, quam quis, conjecturam faciendo, colligit atque infert. *Plaut. Cas.* 1. 1. 6. Dehinc conjicito ceterum, possisne necne etc. *Ter. Phorm.* 1. 3. 14. Tu conjicito cetera, quid ego ex hac inopia nunc capiam etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 5. 13. Num igitur, quæ tempestas impendeat, vates melius conjiciet, quam gubernator? *Id. Brut.* 14. 53. Qui de matre suavianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque conjecit. Sic *Nepos Themist.* 1. De futuris callidissime conjicere. — Et cum Accus. et Infinito. *Cic.* 14. *Att.* 22. Cito conjeci, Lanuvii te fuisse. Adde *Nepot. Eumen.* 2. — Absolute. *Ter. Heaut.* 1. 1. 11. Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio.

CONJŬBEO, es, ere, a. 2. simul jubeo. *Edict. Dioclet. proœm.* Conjubemus, ut quod exspectandum fuit per jura naturæ etc.

CONJŬCUNDOR, āris, ari, dep. 1. simul jucundor. *Vulgat. interpr. Eccli.* 37. 4. Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus.

CONJŬGA, æ, f. 1. idem ac conjux. *Inscript.* apud *Steiner. Cod. inscript. Rom. Rheni* n. 726. D. M. MAT. (*h. e.* Matidius) MARINVS SIBI ET CENSORINIAE FAVSTINAE CONJVGAE DEF. V. L. M. *h. e.* VOVET libens merito; quæ locutio singularis quidem est in epitaphiis. *Alia* apud *Cavedoni, Inscriz. Crist. di Algeri p.* 23. GERMANA CONJVGA VIXIT ANNIS LXXX. *V.* et CONJUGUS.

CONJŬGĀLIS, e, adject. ad conjugium pertinens, connubialis, jugalis, conjugialis. ¶ 1. Generatim. *Tac.* 11. *Ann.* 4. *extr.* Conjugalis amor. et *ibid.* 27. licentia. *Id. Germ.* 18. et *Seneca Med.* 1. et *Thyest.* 1100. Dii conjugales. *h. e.* Juppiter, Juno, Lucina, Venus, Genius, Hymenæus. *Augustin.* 6. *Civ. Dei* 9. *n.* 3. plures alios enumerat conjugales deos, quem locum videsis. *Quintil.* 18. *Declam.* 7. Conjugalis societas. *Colum.* 8. 2. 11. Galli protegere debent conjugalem gregem. *h. e.* gallinas quodam veluti conjugio sibi attributas. *Arnob.* 4. 25. Conjugalia secreta. *Hygin.* (ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 28.) *fab.* 73. Conjugales nuptiæ. ¶ 2. Speciatim est in matrimonio casta, fidelis, conjugio digna. *Inscript.* apud *Gruter.* 602. 5. C. VERGILIVS MARTANVS ANVLENAE CERTAE CONJVGI CONJVGALI CASTAE CARAE BONAE FIDELI. *h. e.* conjugi conjugio meo dignæ. *Alia* apud *Murat.* 1296. 8. ANNIAE P. F. ISIADI P. CORNELIVS P. L. MAMERTI CONJVGI DVLCI FIDELI PIAE CONJVGALI ET SIBI.

CONJŬGĀLĬTER, adverb. conjugum more. *Augustin. Ep.* 89. (*al.* 157). 39. Conjugaliter vivere.

CONJŬGĀTĬO, ōnis, f. 3. in jugum colligatio, conjunctio. ¶ 1. Generatim. *Cic. Senect.* 15. 53. Adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio et propagatio vitium. *Alii plerique et* Orell. *ipse leg.* jugatio. — Pro commixtione. *Apul. Florid.* 4. *n.* 18. Ut etiam in amplissima lætitia subsit quædam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis et fellis. — *Conjugatio corporum* apud *Arnob.* 2. 16. et *Solin.* 2. 6. est συνουσία. Hinc *Id. Arnob.* 5. 21. Patrem cum filia communis uxoria conjugatione misceri, nefarium videbatur satis. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores *conjugata* dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur, ut *sapiens, sapienter, sapientia.* Hæc verborum *conjugatio* συζυγία dicitur: ex qua hujusmodi est argumentum: Si compascuus est ager, jus est compascere. Hæc *Cic. Topic.* 3. 12. Adde *eumd. ibid.* 9. 38., *ubi locum ex conjugatione* appellat. *Quintil.* 5. 10. 85. hunc locum quasi ridiculum, se omissurum fuisse ait, nisi *Cicero* ipse posuisset. ¶ 3. Item speciatim apud Logicos *conjugatio propositionum* dicitur ipsa connexio earum per aliam communem particulam (*h. e.* per medium terminum, ut vocant), qua inter se copulantur. Ita *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* ¶ 4. Item apud Grammaticos *conjugatio* est inflexio verborum per tempora et personas. *Comminian.* apud *Charis.* 2. p. 153. *Putsch.*, *Diomed.* 1. p. 337. *Putsch.*, *Capell.* 3. *p.* 83. (ubi tres tantum statuunt esse, quartam scilicet cum tertia conjungentes), et *Priscian.* 8. *p.* 836., ubi cum plerisque omnibus et *Charis.* ipso *loc. cit.* quatuor esse definit. Porro dicta est *conjugatio*, ut *ibid. Priscian.* docet, vel propter conjugatas consonantes, hoc est cognatas, ex quibus pleræque apud Græcos conjugationes regulam sumunt: vel quod una eademque ratione declinationis plurima conjugantur verba; quod ad Latinorum nominationem aptius est. Hæc *Priscian.*

CONJŬGĀTOR, ōris, m. 3. qui conjugat, seu conjungit. *Catull.* 61. 44. *de Hymenæo.* huc aditum ferat Dux bonæ Veneris, boni Conjugator amoris.

CONJŬGĀTUS, a, um. *V.* CONJUGO.

CONJUGIĀLIS, e, adject. ad conjugium pertinens, connubialis. *Ovid.* 6. *Met.* 536. Conjugialia jura. *Id.* 5. *ibid.* 3. Conjugialia festa. *Id.* 11. *ibid.* 743. Conjugiale fœdus.

CONJŬGIS, e, adject. conjugus, conjunctus, quasi eodem jugo copulatus. *Apul. de Mundo.* Elementorum mutui nexus arctis affinitatibus implicantur, et quinque conjuges copulæ his ordinatæ vicibus attinentur, ut, etc. Olim legebatur *quinque juges. Id.* 7. *Met.* Me cum meo vectore illo equo factum conservum atque conjugem. Adde *Solin.* 12.; et *V.* CONJUX et DIJUGO.

CONJŬGIUM, ii, n. 2. (cum *et* jugo *vel* jungo) ad litteram est actus parem cum pari sub uno eodemque jugo uniendi: hinc *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 16. Jugum imponebatur matrimonio conjungendis. Et *Isid.* 9. *Orig.* 7. 20. Conjugium est dictum, quia conjuncti sunt, vel a jugo, quo in nuptiis copulantur, ne resolvi, aut separari possint. — Sed fere specialiter usurpatur, et est conjunctio vitæ maris et feminæ, liberum causa: in quo *conjugium* differt a *connubio*, *conjugium* enim est matrimonium carnalis tantum copulæ ratione consideratum, *connubium* vero est matrimonium civilis juris ratione consideratum (It. *matrimonio*; Fr. *mariage*; Hisp. *casamiento*; Germ. d. *Ehe*; Angl. *marriage, matrimony, wedlock*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De hominibus, tum liberis, tum servis. *Ter. Andr.* 3. 3. 28. Uxorem demus: spero consuetudine et conjugio liberali devinctum Chreme. *Cic.* 1. *Off.* 17. 54. Cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis. Adde *eumd.* 4. *Fin.* 7. 17. et 6. *Att.* 8. 1. *Nepos Cim.* 1. Hujus conjugii cupidus Callias. *h. e.* hanc ducendi in uxorem. Sic *Ovid. Heroid.* 16. 171. Optare conjugium alicujus. *Id. ibid.* 21. 139. Promittere alicui conjugium cujuspiam. *Seneca Troad.* 59. Despondere sibi conjugia alterius. *Id. Med.* 144. Solvere conjugia. Adde *Catull.* 66. 28. et 68. 84. et 107.; *Virg.* 3. *Æn.* 475. et 4. *ibid.* 481.; *Ovid.* 2. *Met.* 804.; *Colum.* 12. *R. R. præfat.* § 1.; et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 37. (122). — Dicitur etiam de societate vitæ amantium, sed tamen honesta. *Tibull.* 3. 4. 73. Nescis, quid sit Amor, juvenis, si ferre recusas Immitem dominum conjugiumque ferum. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 295. et 14. *ibid.* 297. — *b*) De brutis animantibus. *Ovid.* 4. *Fast.* 336. Juvenca rudis conjugii. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (104). Columbæ conjugii fidem non violant. — Item pro coitu. *Virg.* 3. *G.* 275. *de equabus.* et sæpe sine ullis Conjugiis, vento gravidæ.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metaphoram sumitur pro ipsis conjugibus. — *a*) Cum sermo est de hominibus, sumitur pro altero conjuge. *Virg.* 3. *Æn.* 295. Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes, Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 423. et 433., et 11. *ibid.* 270. *Propert.* 3. 11. 18. Uxorum positis stat pia turba comis, Et certamen habent leti, quæ viva sequatur Conjugium. *h. e.* virum modo vitâ defunctum. *Tac.* 12. *Ann.* 65. Quod conjugium principis devotionibus petivissent. *h. e.* uxorem. *Ammian.* 11. 7. 4. Clamores quæritantium conjugium liberosque. *h. e.* uxorem. Hinc et *conjugia* pro duobus conjugibus apud *Cod. Theod.* 7. 1. 3. — *b*) De brutis animantibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (86). *de aspidibus* et 9. *ibid.* 8. 7. (21). *de delphinis.* Conjugia ferme vagantur. *h. e.* par ipsum maris et feminæ. *conjuga* qui legunt, optimis MSS. adversantur, teste *Harduino. Id.* 10. *ibid.* 12. 15. (31). *de corvis.* Parvis in vicis non plus bina conjugia sunt. — Et de altero tantum conjuge *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 1. Conjugia admissariis submittere. ¶ 2. Figurate. *Lucret.* 3. 858. qui coitu conjugioque Corporis atque animæ consistimus uniter apti. *h. e.* conjunctione corporis atque animæ, quæ viri cum uxore conjunctionis similitudinem refert.

CONJŬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* jugo). Part. *Conjugatus* 1. et 2. — Conjugo est idem ac conjungo: a *jugum*, quasi in unum jugum jungo. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 17. 58. Estque ea jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit. *Apul.* 5. *Met.* Conjugare sibi aliquam arrha et nuptiis. *Trebell. Gallien.* 11. Cum fratrum suorum filios conjugaret. Apud *Augustin.* 6. *Confess.* 13. *conjugatus* dicitur matrimonio junctus. ¶ 2. Speciatim *Conjugata verba* apud *Cic. Topic.* 3. 12. et 9. 38., et *Quintil.* 5. 10. 85. quid sint, *V.* in CONJUGATIO 2.

CONJŬGŬLUS, a, um, adject. deminut. a conjugus. *Conjugula myrtus*, est quædam myrti species: de qua ita *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 37. (122). Cato tria genera myrti prodidit, nigram, candidam, et conjugulam, fortassis a conjugiis, et illo Cluacinæ genere. *et mox.* Conjugulam existimo nunc nostratem dici. *Cato* autem ejus meminit *R. R.* 8. et 133., quibus locis myrtum conjugulum dicit. Videtur autem appellari ex mente *Plinii* a conjugiis, quibus præest Venus, cui myrtus sacra est; et ab expiationibus et purgationibus, in quibus myrtus adhibebatur, in eo loco, qui postea Veneri Cluacinæ sacer factus fuit. Sunt tamen qui putant, ideo appellari, quod in opere topiario apte cum pergulis et parietibus conjugetur. Hæc *Harduin.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 271.) hæc ait: « Nous n'essaierons pas de déterminer ces trois variétés qui rentrent dans celles dont parle Pline, et dont nous allons nous occuper. Le myrte conjugale est reconnu par notre auteur comme étant la même variété que le myrte de Rome». *V.* MYRTUS in hoc Lex.

CONJŬGUS, a, um, adject. conjugatus, conjunctus. *Apul.* 6. *Met.* Juno magni Jovis germana et conjuga. Adde 9. *ibid.*, ubi alii aliter leg. Quod vero quidam addunt ex *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (86). et 9. *ibid.* 8. 7. (21). Conjuga ferme vagantur, *V.* in CONJUGIUM II. 1. *b.* — *Conjuga personis pronomina* dicuntur a *Priscian.* 17. p. 1065. *Putsch.*, cum similiter et conjuncte per omnes personas definiuntur, vel demonstratione, vel relatione. *V.* INCONJUGUS.

CONJUNCTĒ, adverb. Comp. *Conjunctius* et Sup. *Conjunctissime* 2. — Conjuncte idem est ac simul (It. *unitamente, congiuntamente*; Fr. *conjointement, ensemble, à la fois*; Hisp. *juntamente, junto*; Germ. *auf verbundene Art und Weise, in Verbindung, vereint*; Angl. *conjointly, jointly*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 2. Conjuncte ne malles cum reliquis rebus nostra contexere, an civilem conjurationem ab externis bellis sejungeres. *Id.* 2. *Orat.* 61. 158. Si quando risus conjuncte, re verbo-

quo moveatur. *Id.* 2. *Herenn.* 1. 2. Dicere conjuncte de quibusdam rebus. Adde *eumd.* 1. *Invent.* 7. 9. *Liv.* 6. 39. Ferre legem conjuncte. — *Cic.* 2. *Orat.* 38. 158. Simpliciter aliquid dicere, vel conjuncte efferre. *simpliciter* est quod in scholis dicitur ὑποθητικῶς, *conjuncte* vero κατηγορικῶς. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 31. 149. ¶ 2. Speciatim morali ratione sæpe refertur ad amicitiam. *Nepos Att.* 10. Cum eo adeo conjuncte vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. *Cic.* 6. *Fam.* 9. Hunc sic semper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctius viverem. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 3. *Id.* 6. *ibid.* 9. et *Amic.* 1. 2. Conjunctissime atque amantissime vivere cum aliquo. Adde *Nepot. Att.* 5. *Plin.* 7. *Ep.* 8. Maximus noster, quem et ipse amo, sed conjunctius tu.

CONJUNCTIM, adverb. idem quod conjuncte. *Nepos Att.* 10. Neque suæ solum auxilium petiit salutis, sed conjunctim. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur. *Senatus-consult.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 5. Conjunctim referre de aliqua re. *Liv.* 6. 40. Conjunctim rogationes omnes accipere. — Conjunctim *legare* aliquid apud JCtos est rem aliquam simul legare pluribus, ita ut ejus singuli partem accipiant. *Pompon. Dig.* 30. 16., *Paul. ibid.* 33. etc.

CONJUNCTĬO, ōnis, f. 3. unio, copulatio (It. *congiunzione, unione*; Fr. *union, liaison*; Hisp. *union, ligazon, conjuncion, conexion*; Germ. d. *Verbindung*; Angl. *a joining or uniting together, union, agreement, connexion, conjunction*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 1. 1. *Schneid.* Machina est continens ex materia conjunctio maximas ad onerum motus habens virtutes. Sic *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 3. Conjunctionis rimas obducere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 119. Conjunctio mentis cum externis mentibus. *Id.* 2. *ibid.* 60. 124. et 2. *ibid.* 69. 142. Convenientia et conjunctio naturæ, quam vocant συμπάθειαν. *Id.* 5. *Fin.* 23. 67. Conjunctio confusioque virtutum. *Varro* 5. *L. L.* 63. *Müll.* Nata e spumis Venus conjunctione ignis et humoris. *Quintil.* 1. 1. 31. Inoffensa atque indubitata litterarum inter se conjunctio. ¶ 2. Speciatim morali ratione — a) Est amicitia, civilis necessitudo. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Conjunctio inter homines hominum. *Id.* 11. *Fam.* 15. Tua cum collega conjunctio. *Id.* 3. *ibid.* 10. *circa med.* Veterem conjunctionem dirimere, aut novam conciliare. *Id. Amic.* 20. 73. Amicitiæ conjunctionisque necessitudo. *Id. ibid.* 7. 23. benevolentiæ. *Id.* 14. *Phil.* 6. 16. Conjunctio et familiaritas. *Id. Cæs.* 15. 35. Ratio tantæ familiaritatis, consuetudinis, conjunctionis. *Id.* 6. *Phil.* 7. 20. Habere conjunctionem gratiæ cum aliquo. *Id.* 13. *ibid.* 5. 11. Pro paterna necessitudine et conjunctione. *Id.* 2. *Att.* 23. Pompejum a Cæsaris conjunctione avocare. *Id. Dom.* 11. 28. Hæc nostra conjunctio, hæc conspiratio in re publ. bene gerenda. *Id. Planc.* 8. 21. Conjunctio vicinitatis. — b) Item cognatio, affinitas. *Cic.* 1. *Off.* 17. 54. Conjunctiones fratrum, consobrinorum, sobrinorumque, sanguinis. *Id.* 4. *Fam.* 10. 10. et *Cluent.* 67. 190. Affinitatis conjunctio. *Id.* ad *Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Pro conjunctione et benevolentia nostra. — Huc referri potest et illud ejusdem *Cic.* 1. *Off.* 4. 11. Commune animantium omnium est conjunctionis appetitus, procreandi causa. — c) Item conjugium. *Varro* 2. *R. R.* 4. 9. Nuptialis conjunctio. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 11. Quod mihi de filia et de Crassipede gratularis, spero nobis hanc conjunctionem voluptati fore. Cf. *Id.* 4. *ibid.* 8. *extr.* Satisfacere conjunctioni et amori. Adde *Nepot. Att.* 19. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (120). Conjunctioni Venus præest. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 39. ¶ 3. Item speciatim apud Dialecticos est genus enunciationis, in qua duæ propositiones per particulam copulantur; quæ et *conjunctum* et *copulatum* dicitur. *Cic. Fat.* 6. 12. et 8. 15., et *Topic.* 14. 57.; *Quintil.* 7. 8. 1. et 8. 3. 46.; et *Gell.* 16. 8. ¶ 4. Item speciatim apud Grammaticos est pars orationis, quæ verba et sententias conjungit, ut *et, atque, aut, an, quin, quum*, et aliæ quamplurimæ, quas *Charis. l.* 2., *Diomed. l.* 1., *Priscian. l.* 16., *Valer. Prob. l.* 1. et alii enumerant. *Cic. Orat.* 39. 135. Cum, demptis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur. Adde *Quintil.* 1. 4. 18. et *Sueton. Aug.* 86. ¶ 5. Denique apud Rhetores est figura, cum interpositione verbi et superiores orationis partes comprehenduntur et inferiores, ut: Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate. *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 38.

CONJUNCTĪVUS, a, um, adject. conjungendi vim habens. *Tertull. advers. Hermogen.* 26. Nam et autem ipsum, velut fibula conjunctivæ particulæ, ad connexum narrationi appositum est. — *Conjunctivus* modus in verbis apud Grammaticos est, qui cum solus locutionem, seu sententiam implere non possit, alium modum sibi conjungit, ut *Cum scripsero, faciam*: qui et *subjunctivus* dicitur. *Dig.* 35. 1. 78. § 1. et alibi; *Servius in Art.* 2. *Donati p.* 1787. *Putsch.*; et *Capell.* 3. p. 83. — Hinc

Conjunctivus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem quod modus conjunctivus apud scriptores nuper citt.

CONJUNCTO, as, are, a. 1. *frequent.* a conjungo. *Prudent. Psychom.* 764. Quod sapimus, conjunctet amor. *Al. rectius leg.* conjungat.

CONJUNCTRIX, icis, f. 3. quæ conjungit. *Augustin.* 11. *Trin.* 10. Voluntas conjunctrix et separatrix hujuscemodi rerum.

CONJUNCTUM, i, n. 2. *V.* CONJUNGO in fin.

CONJUNCTUS, a, um. *V.* CONJUNGO.

CONJUNCTUS, us, m. 4. conjunctio. In sexto casu. *Varro* 10. *L. L.* 24. *Müll.* Sic bigæ, sic quadrigæ a conjunctu dictæ. Adde *Dig.* 32. 91. § 4.

CONJUNGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (cum et jungo). Part. *Conjungens* II. 1. *b.*; *Conjunctus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Conjuncturus* et *Conjungendus* II. 2. — Conjungo ad litteram est parem cum pari sub eodem jugo unio ac summitto; ideoque latiori significatione est simul jungo, copulo, connecto, adjungo (It. *congiungere, unire*; Fr. *joindre, unir, réunir*; Hisp. *juntar, unir, acercar*; Germ. *zusammenbinden oder-fügen, vereinigen*; Angl. *to join or unite together, connect, associate, couple, conjoin*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro parem cum pari sub eodem jugo unire, raro admodum occurrit. *Cato R. R.* 138. Conjungere boves. *h. e.* sub carrum jungere. Cf. *Lucret.* 5. 1299. Et bijugum prius est, quam *bis conjungere binos* (*equos*) etc. ¶ 2. Sæpius latiori sensu de iis usurpatur, quæ materiali ratione simul junguntur, copulantur, connectuntur; et occurrit — a) Absolute. *Liv.* 1. 44. Conjungere ædificia. *Virg.* 2. *Ecl.* 32. Calamos plures conjungere cerâ. *Id.* 1. *Æn.* 514. Conjungere dextras. Adde *Tibull.* 1. 6. 60. *Cels.* 7. 4. *n.* 3. Oras vulneris suturâ conjungere. *Sueton. Cal.* 19. Intervallum Bajarum ponte conjungere. *Cic.* 3. *Orat.* 37. 149. et *Quintil.* 8. 3. 36. Verba continuata et conjuncta. *h. e.* in ipso sermone collocata et contexta. Sic *Quintil.* 8. 3. 40. Conjunctus sermo. *h. e.* perpetuus. Apud *Cic. Orat.* 44. 150. Conjungere vocales. *h. e.* per συναλοιφὴν simul efferre. Cf. *Quintil.* 12. 10. 30. — b) Cum Dativo. *Vitruv.* 6. 7. 3. *Schneid.* Conjunguntur autem his (*porticibus*) domus ampliores. *Curt.* 5. 13. 10. Ita regebat cursum, ut primi conjungi ultimis possent. *Ovid.* 8. *Met.* 421. dextræ conjungere dextram. *Dig.* 1. 8. 9. § 4. aliquid muris. *V. Conjunctus* in fin. hujus voc. sub I. *b.* — c) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Lucret.* 3. 160. Conjungere animam cum animo. *Id.* 5. 563. naturam tenuem cum corpore. *Cic.* 7. *Fam.* 30. *extr.* epistolam cum altera.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est duo vel plura ad certum aliquem finem unire, copulare, connectere; et occurrit — a) Absolute. *Cic. Prov. cons.* 2. 3. Galliæ duæ, quas hoc tempore uno imperio videmus esse conjunctas. *Id.* 14. *Phil.* 11. 29. Æquum est enim militum-honorem conjungi. *Cæs.* 3. *B. G.* 11. Ne ex his nationibus auxilia in Galliam mittantur ac tantæ nationes conjungantur. *Virg.* 5. *Æn.* 712. Hunc cape consiliis socium et conjunge volentem. Cf. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 33. Latrones scelerum fœdere ac nefaria societate conjunctos. *Curt.* 5. 1. 2. Quas (*res*) —, sicut inter se cohærent tempore, ita opere suo conjungi haud paullo aptius videri potest. — Specialiter de iis ponitur, quæ junctis viribus simul geruntur. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 26. Quantum bellum futurum putatis, quod conjungant reges potentissimi. Sic *Sil. It.* 15. 52. Martem conjungere et duplicare acies. Et *Val. Flacc.* 6. 632. tantas conjungere vires. *Dig.* 40. 12. 23. § 2. Utrorumque judicia conjungere. — Item de iis, quæ continuantur. *Tac.* 6. *Ann.* 26. Conjungere abstinentiam cibi. *Sueton. Claud.* 23. rerum actum. *Id. Cal.* 17. consulatus. *Tac.* 13. *Ann.* 17. Nox eadem necem Britannici et rogum conjunxit. *h. e.* eadem nocte et extinctus et crematus fuit. — b) Cum Dativo personæ aut rei, cui altera unitur et connectitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Quod properans noctem diei conjunxerat, neque iter intermiserat. *Auct. B. G.* 8. 32. Oppidanos sibi conjungere. *Liv.* 42. 47. Ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent. *Id.* 8. 16. Conjungere arma finitimis. *Id.* 37. 13. se Rhodiæ classi. *Curt.* 8. 13. 4. se Barzenti. *Id.* 5. 1. 2. Igitur ante, quæ prælio apud Arbela conjuncta sunt, ordiar dicere. *Virg.* 10. *Æn.* 105. Conjungi fœdere alicui. *Vellej.* 2. 79. 1. Conjungere consulta factis. *Quintil.* 11. 2. 20. Sequentia prioribus conjungentes. *Id.* 5. 10. 51. Conjungere instrumentum facultati. *Id.* 1. 10. 17. laudem oratori. *Cajus* 4. *Instit.* 172. periculum alicui. — c) Cum præpos. *cum* et Ablat. personæ aut rei, quacum altera connectitur. *Cic. Senect.* 12. 42. Conjungere imperii dedecus cum probro privato. *Id. post red. in senat.* 2. 4. salutem alicujus cum communi salute. Adde *eumd. post red. ad Quir.* 7. 16. *Id. Fontej.* 10. 21. cum testibus religionem suam. *Id. Pis.* 9. 20. aliquem cum laude deorum. *Id. Brut.* 31. 120. disserendi rationem cum suavitate dicendi et copia. *Id.* 2. *Fin.* 6. 19. virtutis usum cum vitæ perfectæ prosperitate. *Id. ibid.* 6. 18. doloris vacuitatem cum voluptate. *Id. ibid.* 6. 19. sententiam suam cum alterius sententia. *Cæs.* 1. *B. C.* 18. eas cohortes cum exercitu suo. *Catull.* 64. 331. somnos cum aliquo. *h. e.* una cum aliquo dormire. *Sil. It.* 13. 446. dicta cum aliquo. *Quintil.* 10. 3. 1. judicium suum cum alterius auctoritate. — d) Cum præpos. *ad* et Accus. rei, quacum alia conjungitur. *Quintil.* 4. 1. 16. laudem alicujus ad utilitatem nostræ causæ. Adde *eumd.* 8. *proœm.* 33. *In his tamen duobus locis valde dubia est lectio.* — e) Raro admodum cum præpos. *in* et Ablat. *Cic.* 5. *Fam.* 17. 2. Cum in tui familiarissimi judicio ac periculo tuum crimen conjungeretur. *Id. Rosc. com.* 6. 16. Socium fallere, qui se in negotio conjunxit. — Et cum Accus. *Petron. Satyr.* 86. Conjungere omnia vota in unum. ¶ 2. Speciatim morali ratione — a) Sæpe refertur ad vinculum conjugii. *Cic.* 5. *Tim.* 23. 65. Conjungere domum conjugio et stirpe. *Nepos Pausan.* 2. se cum aliquo affinitate. *Curt.* 6. 9. 30. aliquam secum matrimonio. *Liv.* 29. 29. feminam sibi matrimonio. *Sueton. Ner.* 28. aliquam sibi justo matrimonio. *Id. Cal.* 26. aliquam sibi. *Ovid. Heroid.* 21. 247. *Cydippe loquitur.* cupio me jam conjungere tecum. *Tac.* 14. *Ann.* 60. Exin Poppææ conjungitur. *V. Conjunctus* in fin. sub II. 2. Similiter *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Conjungere connubia. *Curt.* 9. 1. 26. Nuptiæ non genere et nobilitate conjunctæ, sed electa corporum specie. — b) Sæpius ad benevolentiam, amicitiam, communiaque studia refertur. *Cic.* 5. *Fam.* 7. 2. Illud non dubito, quin, si te mea erga te studia parum adjunxerint, respublica nos inter nos conciliatura conjuncturaque sit. *Id.* 15. *ibid.* 11. Cui me studia communia, beneficia paterna tuaque conjunxerant. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Conjungere optimum quemque hospitio atque amicitia. *Sall. Jug.* 7. *extr.* multos sibi familiari amicitia. *Catull.* 64. 335. amor fœdere conjungit amantes. *Propert.* 1. 10. 15. diversos iterum conjungere amantes. *h. e.* reconciliare. — Similiter *Cic. Cluent.* 16. 46. Ad conjungendas amicitias. *Id.* 6. *Verr.* 65. 145. Conjungendæ necessitudinis causâ. *Id. Amic.* 8. 26. Ad benevolentiam conjungendam. *Sall. Jug.* 83. Copia societatis amicitiæque conjungendæ. — Hinc Part. præter. pass.

Conjunctus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Conjunctior* II. 1. 2.; et Sup. *Conjunctissimus* II. 2.: usurpatur autem iisdem significationibus, quibus Verbum ipsum, scilicet

I.) Proprie et latiori sensu conjuncta dicuntur, quæ in ipso spatio seu loco inter se materiali ratione connexa sunt, contermina, contigua; et occurrit — a) Absolute. *Vitruv.* 6. 6. 1. *Schneid.* Conjuncta bubilia habere. *Id.* 6. 6. 2. Vinariam cellam conjunctam habere. *Sueton. Aug.* 79. Conjuncta supercilia. *Dig.* 21. 1. 14. § 6. Conjunctis digitis nasci. *Ibid.* 42. 6. 1. § 12. Conjunctæ possessiones. — b) Cum Dativo. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. Castra muro oppidoque conjuncta. *Liv.* 22. 20. Conjuncta tecta muro portisque. *Nepos Datam.* 5. *extr.* Paphlagonia Cappadociæ. *Auct. B. G.* 8. 46. regio Oceano. *Vitruv.* 6. 6. 2. *Schneid.* balnearia culinæ. *Catull.* 62. 51. vitis ulmo. *Dig.* 18. 1. 51. littora fundo. — c) Cum præpos. *cum* et Ablat. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Sublicæ cum omni opere conjunctæ. — d) Cum Ablat. sine præpos. *Virg.* 10. *Æn.* 653. ratis celsi conjuncta crepidine saxi. — e) Cum addito *inter se*. *Lucret.* 3. 137. Nunc animum

atque animam dico conjuncta teneri inter se. Adde *eumd. ibid. v.* 568.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim conjuncta dicuntur quæ cum aliis non tamen materiali ratione connexa sunt, quæ ad alia pertinent. Interdum etiam quæ aliis consentanea sunt; et occurrit — *a*) Absolute. *Ovid.* 11. *Met.* 64. Passibus conjunctis spatiari. *Id. ibid.* 378. conjuncta tela ferre. *Quintil.* 3. 6. 94. et 3. 10. 1. Causæ conjunctæ, *quibus* ibid. *opponuntur* simplices. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 145. Decernitur non varie, sed prope conjunctis sententiis. *Al. leg.* cunctis. *Id.* 2. *Divinat.* 39. 82. Quæ est inter augures conveniens et conjuncta constantia, *h. e.* non dissidens. *Quintil.* 5. 8. 5. Temporis tres sunt partes, præcedens, conjunctum, insequens, *h. e.* præsens, seu conjunctum cum re, de qua agitur. Adde *eumd.* 5. 9. 1. et 7. 2. 46. *Cajus* 2. *Instit.* 207. Conjunctus legatarius. *Dig.* 28. 5. 17. § 2. Heredes conjuncti. *V.* DISJUNCTUS. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Off.* 9. 34. Justitia conjuncta intelligentiæ. *Id.* 1. *ibid.* 2. 6. Præcepta officii conjuncta naturæ, *h. e.* consentanea. *Id. Senect.* 17. 59. Virtuti alicujus conjuncta fortuna. *Id.* 3. *Orat.* 17. 64. Philosophia oratori conjuncta maxime. *Id.* 1. *Off.* 14. 44. Talis simulatio vanitati est conjunctior, quam liberalitati. — *c*) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Cic.* 2. *Off.* 9. 33. Prudentia conjuncta cum justitia. *Id. Sext.* 13. 29. Cetera cum collega conjuncta atque communia. *Id. Vatin.* 14. 33. Causa tua conjuncta cum clarissimi viri causa. *Id. Amic.* 4. 15. Conjuncta mihi cura de republica cum illo. *Id. Rosc. Am.* 14. 39. Vita rustica cum officio conjuncta. *Sueton. Cæs.* 6. Genus cum dis conjunctum. — *d*) Cum Ablat. et præpos. *ex*. *Quintil.* 6. 1. 54. Conjuncta ex pluribus causa. — *e*) Cum Ablat. sine præpos. *Cic.* 1. *Orat.* 5. 17. Celeritas et brevitas et respondendi et lacessendi subtili venustate atque urbanitate conjuncta. *Id. ibid.* 57. 243. Dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta. *Id.* 3. *Phil.* 14. 53. Summa miseria summo dedecore conjuncta. ¶ 2. Morali ratione sæpissime refertur ad nuptias, cognationem, affinitatem, amicitiam. — *a*) Occurrit fere cum additis. *Virg.* 8. *Ecl.* 32. O digno conjuncta viro! *Varro* 1. *R. R.* 17. 5. Dandaque opera, ut (*servi*) habeant — conjunctas conservas, e quibus habeant filios. Eo enim fiunt firmiores et conjunctiores fundo. *Taubman.* ad *Plaut. Cas. prol.* 68. ex hoc *Varronis* loco docet, servorum mulieres non uxores, sed *conjunctas* dici. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 52. Ut tecum conjunctus siem. *Cic. Amic.* 11. 39. Tum et cum iis et inter se conjunctissimos fuisse M. Curium, Ti. Coruncanium memoriæ proditum est. *Id. Dom.* 11. 27. Quod enim par amicitiæ consularis fuit unquam in hac civitate conjunctius, quam fuimus inter nos ego et Cn. Pompejus? *Id. Cluent.* 55. 152. Equites ordini senatorio dignitate proximos, concordia conjunctissimos esse cupiunt. *Id. Planc.* 11. 27. Cum aliquo maximis vinculis et propinquitatis et adfinitatis conjunctus. *Id. Amic.* 22. 84. Homines benevolentia conjuncti. *Id.* 10. *Fam.* 24. Ad omnes casus conjunctiores reipublicæ. *Id.* 14. *Att.* 13. *a. sub fin.* Ut nosmetipsi inter nos conjunctiores simus. *Id.* 1. *Att.* 16. *post med.* Multa consuetudine conjuncti inter nos sumus. *Id. Prov. cons.* 16. 38. Ut quam conjunctissimus huic ordini esset. *Id.* 1. *Phil.* 3. 7. Urbs mihi conjunctissima. *Id. Brut.* 92. 317. Dicendi ardore eram propior, et ætate conjunctior. *Id.* 1. *Legg.* 2. 6. Fannii ætate conjunctus Antipater. *Id.* 6. *Verr.* 33. 72. Cum populo Romano non solum societate atque amicitia, verum etiam cognatione conjuncti Segestani. *Id. Sull.* 20. 57. Homo amantissimus, familiarissimus, conjunctissimus officiis, usu, consuetudine. *Cæs.* 2. *B. G.* 4. Propterea quod propinquitatibus adfinitatibusque conjuncti — cognoverint. *Id.* 7. *ibid.* 33. Tanta et tam conjuncta populo Romano civitas. *Nepos præfat.* § 7. Quo nemo accedit nisi propinqua cognatione conjunctus. *Ovid.* 15. *Met.* 599. Sed nos obstitimus, quamvis conjunctior illo Nemo mihi est. *Sall. Jug.* 10. Sanguine conjunctus. *Vellej.* 2. 41. 2. C. Mario sanguine conjunctissimus. *Curt.* 7. 2. 35. Ducemque his Leonidam dedit, et ipsum Parmenioni quondam intima familiaritate conjunctum. — Similiter *Cic.* 3. *Fam.* 20. *ad fin.* Amicitia conjunctior. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Conjunctum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. *Conjuncta* apud Rhetores sunt *conjugata*: quæ *V.* suo loco. *Cic.* 2. *Orat.* 40. 166. Ex conjunctis sic argumenta ducuntur: Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, cum Q. Metellum tam pie lugere videatis. *V.* CONJUNCTIO II. 5. ¶ 2. Apud dialecticos est idem quod conjunctio, seu genus quoddam enunciationis: *V.* CONJUNCTIO II. 3. *Gell.* 16. 8. In omni conjuncto si unum est mendacium, etiamsi cetera vera sunt, totum esse mendacium dicitur. ¶ 3. *Conjuncta* apud physicos quæ dicantur, docet *Lucret.* 1. 451., cujus verba *V.* in EVENTUM.

CONJUNX. *V.* CONJUX sub init.

CONJŪRĀTIM, adverb. per conjurationem. Legunt quidam apud *Plaut. Asin.* 2. 2. 52. Siquidem omnes conjuratim cruciamenta conferant. *Al. leg.* conjurati.

CONJŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conjurandi, consensio juramento firmata. ¶ 1. Stricto sensu. In triplici Romanæ militiæ genere, præter *legitimam militiam, seu sacramentum*, et *evocationem*, erat et *conjuratio*, quæ propter imminens periculum ac tumultum (præsertim Italicum, aut Gallicum) cum singulos milites sacramentum dicentes exspectare non vacaret, omnes simul a duce, prolato vexillo, jurare jubebantur: qui proinde *conjurati* dicti sunt. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 614. et 8. *ibid.* 1. et 5.: cf. *eumd.* ad 2. *ibid.* 157. ¶ 2. Latiori sensu est consensio juramento firmata ad aliquid obtinendum, et quidem in bonam partem. — *a*) Proprie. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Is — conjurationem nobilitatis fecit, et civitati persuasit, ut etc. *h. e.* conjuratione nobilitatem sibi adjunxit. *Auct. B. G.* 8. 1. Civitates renovare belli consilia nunciabantur, conjurationesque facere. Adde *eumd. ibid.* 2. Bellum parare, conjurationesque facere. *Liv.* 6. 2. Etruriæ principum ex omnibus populis conjuratione de bello ad fanum Voltumnæ facta. Adde *eumd.* 9. 25. — *b*) Translate ponitur pro consensione multorum ad aliquid obtinendum. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 1. Quod hoc genus est, quæ hæc est conjuratio, ut omnes mulieres eadem æque studeant nolintque omnia? *Plin. Paneg.* 70. Urbana conjuratio. ¶ 3. Sæpius adhibetur in malam partem pro conjuratione, quæ fit contra patriam, legitimos dominos, etc. — *a*) Abstracte. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 6. Ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempub. videretis. et 4. *ibid.* 3. 6. Habere conjurationem, *h. e.* facere. *Id.* 3. *ibid.* 7. 17. Manifesto inventa atque deprehensa in rempubl. conjuratio. *Id.* 1. *ibid.* 11. 27. Conjurationis princeps. *Id.* 5. *Fam.* 6. 2. Aperte vindicem conjurationis oderunt. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 20. 46. et 3. *Off.* 10. 30.; *Nepot. Alcib.* 3. et *Dion.* 8. *Liv.* 39. 17. Capita conjurationis. Adde *Curt.* 6. 10. 6. Rursus *Liv.* 39. 18. Nefanda conjuratio in omne facinus et libidinem. *Id.* 30. 16. impia. *Id.* 39. 8. Clandestinæ conjurationes. *Sall. Cat.* 48. Esse in conjuratione. *Id. ibid.* 37. Conjurationem patefacere. *Vellej.* 2. 56. 3. Auctores conjurationis. *Tac.* 15. *Ann.* 54. Manifestus conjurationis. *Id.* 15. *ibid.* 73. Conjuratio adulta. *Id.* 16. *ibid.* 17. Conjurationem prodere alicui. *Id.* 15. *ibid.* 48. Conjuratio cœpta et simul aucta. *Sueton. Claud.* 9. Conjurationem detegere. *Id. Tib.* 65. opprimere. — *b*) Concreto, uti ajunt, sensu sumitur et pro cœtu ipso conjuratorum. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 13. Nemo est extra istam conjurationem perditorum hominum, qui etc.

CONJŪRĀTI, ōrum. *V.* CONJURO in fin.

CONJŪRĀTOR, ōris, m. 3. qui simul cum alio jurat. Putant quidam haberi apud *Plaut. Trin.* 4. 2. 30., ubi alii reponunt *cum jurator*.

CONJŪRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONJŪRO, as, āvi, ātum, are, 1. (cum et juro). Part. *Conjurans* sub *A.* 2.; *Conjuratus* in omnibus paragr. et in fin. — Conjuro est simul cum alio juro; et occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active occurrit tantum apud *Ovid. Heroid.* 21. 135. Quæ jurat mens est: nil conjuravimus illa.

B) Neutrorum more. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Plaut. Merc.* 3. 1. 38. Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, et ille mecum — nisi cum ille, aut ille mecum — neuter stupri causa caput limaret. *P. Africanus in vet. Orat.* apud *Gell.* 7. 11. *sub fin.* Conceptis verbis conjuravisti, sciens, sciente animo tuo. — *b*) Speciatim de plurium militum sacramento, quod ea ratione fiebat, quam diximus in v. CONJURATIO 1. *Cæs.* 7. *B. G.* 1. Ut omnes Italiæ juniores conjurarent, delectum tota provincia habere instituit. *Liv.* 22. 38. Conjurabant milites, se fugæ atque formidinis ergo non abituros. Adde *eumd.* 26. 25. Ita *Id.* 45. 2. Ut consul, quos, præter milites sociosque navales, conjuratos haberet, dimitteret. ¶ 2. Generatim est juramento in rem aliquam consentire: et quidem in bonam partem. *Cæs.* 2. *B. G.* 3. Neque se cum Belgis reliquis consensisse, neque contra populum Romanum conjurasse. *Virg.* 8. *Æn.* 5. simul omne tumultu Conjurat trepido Latium. *h. e.* propter vicinitatem belli omnes simul milites Latii sacramentum militiæ dicunt. *V. Servium* ad h. l. Cf. *Lactant.* 5. 8. *a med.* Non essent in terris mala, si ab hominibus in legem Dei conjuraretur. — Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 15. 5. Mala ducis avi domum, Quam multo repetet Græcia milite, Conjurata tuas rumpere nuptias. — Et poetice de inanimis *Ovid.* 12. *Met.* 6. conjurataque sequuntur Mille rates. *h. e.* classis sociorum. *Id.* 5. *ibid.* 150. agmina conjurata. — Denique figurate. *Horat. Art. P.* 411. alterius sic Altera poscit opem res, et conjurat amice. *Claud.* III. *Cons. Honor.* 3. 98. cui militat æther, Et conjurati veniunt ad classica venti. *Id. B. Get.* 49. Aut conjuratum querimur splendere serenum. *Id. ibid.* 163. nec conjurantis arenæ Turba fuit. ¶ 3. Sæpe in malam partem sumitur pro consentire in rem pravam, jurando simul cum aliis de bello injusto inferendo, de defectione, de nece alicujus, etc. *Cic.* 5. *Fam.* 6. 2. Me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, si quis me recipiat. *Id. Sull.* 25. 70. Catilina contra rempubl. conjuravit. *Id. Mil.* 24. 68. Servos conjurasse de Pompejo interficiendo. *Virg.* 1. *G.* 280. Et conjuratos cœlum rescindere fratres. *Liv.* 4. 45. Servitia urbem ut incenderent distantibus locis conjurarunt. *Id.* 39. 16. Cum aliquo in omne flagitium et facinus conjurare. *Sall. Cat.* 52. Conjuravere nobilissimi cives patriam incendere. *Id. Jug.* 66. Conjurare inter se. *Auct. B. Hisp.* 20. et 37. Conjurant inter se, ut etc. *Curt.* 7. 1. 6. Conjurare in Philippi cædem. *Quintil.* 4. 2. 72. in mortem patris. *Flor.* 1. 17. in excidium Romani nominis. *Lucan.* 2. 48. in arma. — Passive imperson. *Senec. Ep.* 14. Numquam sic contra virtutes conjurabitur, ut etc. Cf. locum *Lactant.* superius allatum sub 2. — Hinc part. præter. pass.

Conjuratus, *a*, *um*, adjective occurrit, et est qui simul cum alio juravit de re aliqua facienda sive in bonam, sive in malam partem. *Cic. Fontej.* 6. 11. Testes cupidi, irati, conjurati, ab religione remoti. *Virg.* 2. *G.* 496. Conjuratus Ister. *h. e.* populi Istrum accolentes conjurati. *Ovid.* 15. *Met.* 763. Conjurata arma. *Prudent.* 1. *Symmach.* 537. Conjuratas insidias moliri ad aliquem. — Hinc

Conjurati, *ōrum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Cic.* 4. *Cat.* 10. 20. Manus conjuratorum. Adde *Sall. Cat.* 52., et *Sueton. Cæs.* 17.

CONJUX vel conjunx, jŭgis, comm. gen. 3. (cum et jugum vel jungo). Ad scriptionem quod attinet, non solum *Conjux* et *Conjunx*, sed etiam *Cojux*, *Cojunxs* et *Conjunxs* reperitur in veterib. monumentis, quæ collegit *Manut.* in *Orthogr.* Verum iis abdicatis scribendi rationibus, quæ minores patronos habent usumque minimum; priores duæ ambæ sunt optimæ: tametsi prima *Manutio*, *Vossio* in *Etymol.* et *Dausquio* magis placet. — Ceterum *conjux* occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim conjux est, qui ejusdem servitutis jugo, vel eidem sorti, vel condicioni adstrictus est. *Apul.* 7. *Met.* Quamquam nec istud puduit me cum meo famulo meoque vectore illo equo factum conservum atque conjugem. *Loquitur hic Lucius ex homine asinus factus.* Hinc *conjux* et *pro contubernali* occurrit in plurimis *Inscriptionibus* apud *Fabrett. c.* 4. *a num.* 309. deinceps, quæ sunt apud *Orell.* 2841., 2842. etc.

B) Speciatim ac sæpissime ¶ 1. Conjux est lecti maritalis socius, maritus aut uxor; sæpius tamen hæc, quam ille, præsertim apud oratores. — *a*) Masc. gen. *Catull.* 61. 31. Ac domum dominam voca Conjugis cupidam novi. Adde *eumd.* 68. 81.; et *Virg.* 2. *Æn.* 317. et 4. *ibid.* 458. *Id. Virg.* 6. *ibid.* 473. Conjux pristinus. *Ovid.* 3. *Fast.* 461. perjurus. *Id.* 5. *Trist.* 5. 21. carus. Adde *eumd.* 1. *Met.* 605. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 20. orbatus. — Et in plur. num. de marito atque uxore simul. *Catull.* 60. 232. Boni conjuges. *Id.* 65. 80. unanimes. — *b*) Fem. gen. *Cic.* 4. *Cat.* 9. 18. De vita vestra, de conjugum vestrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium vobis judicandum est. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. Conjux fidelissima. *Horat.* 3. *Od.* 5. 41. pudica. *Id.* 2. *Sat.* 5. 31. fecunda. *Virg.* 2. *Æn.* 777. dulcis. Adde *Vet. Poetam* apud *Cic.* 3. *Nat. D.*

27. 66.; Cic. 4. Cat. 11. 24.; Lucret. 4.1274.; Catull. 64. 298. et 78. 1.; Horat. 1. Od. 1. 28.; Ovid. Heroid. 1. 77.; Liv. 1. 9.; Curt. 3. 13. 13.; Colum. 10. R. R. 271.; et Quintil. 6. 1. 33. — c) Interdum ponitur etiam pro sponsa, vel sperata. Virg. 9. Æn. 138. Conjuge prærepta. h. e. Lavinia. Turnus autem est qui loquitur. Sic Id. Virg. 7. ibid. 189. Circem vocat conjugem Pici, quæ tamen non erat, sed esse cupiebat, ut ibi Servius ait. Hinc ¶ 2. Item amica; hoc enim honestiore vocabulo concubina significabatur. Propert. 2. 7. 17. adrepta desertus conjuge Achilles. Adde Ovid. Heroid. 8. 86. Val. Flacc. 2. 208. Mavortis conjux. ¶ 3. Ponitur etiam de brutis animalibus. — a) De femina. Ovid. 1. Fast. 451. de columba. suo conjux abducta marito. Plin. 10. Hist. nat. 59. 79. (162). de pavonib. Mares singuli quinis sufficiunt conjugibus. — b) De mare et femina simul. Solin. 10. de delphinis. Quoquo eant, conjuges evagantur. Forcellinus adjective accepit: al. leg. conjugi a conjugus: al. conjugia, ut apud Plin., quod præstat. ¶ 4. De ulmis. Colum. 5. R. R. 6. 18. Si vetustam vitem applicueris, conjugem necabit.

CONLĀBASCO, CONLÆTOR, CONLĀTUS, CONLĀXO, et cetera hujusmodi, composita ex præp. con (cum) et verbis litterâ l incipientibus, quære in COLLABASCO, COLLÆTOR, COLLATUS, COLLAXO, etc.

CONLĒVĪTA, æ, m. 1. alicujus levitæ socius. Beda de Metr. p. 2382. Putsch. Hæc tibi, dulcissime fili et conlevita, Guthberte, diligenter ex antiquorum opusculis scriptorum excerpere curavi.

CONMĂCĔRO, et cetera hujusmodi, composita ex præp. con (cum) et verbis litterâ m incipientibus, quære in COMMACERO, etc.

CONNASCOR, nasceris, nātus sum, nasci, d. 3. (cum et nascor). Part. Connatus. — Connascor est simul nascor. Cassiod. 3. Variar. 6. Origo ipsa jam gloria est; lsus nobilitatis connascitur. Tertull. advers. Valentinian. 2. Vitia in corpore connata. Inscript. apud Fea, Framm. di Fasti cons. p. 57., quæ est apud Orell. 5013. AVRELIVS LVCIVS FRATER ET CONNATVS. h. e. gemellus.

CONNATATIO et

CONNATO, as, are, a cum et nato, afferunt multi ex Plauto. Sed nos invenire non potuimus, ne in Suppositis quidem.

CONNĀTUS, a, um. V. CONNASCOR.

CONNĀTŪRĀLIS, e, adject. congenitus. Boeth. Aristot. Analyt. post. 2. 17. p. 557. Videtur autem hæc omnibus inesse animalibus, habent enim connaturalem potentiam judicativam, quam vocant sensum.

CONNĀTŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. communis generatio. Isid. 11. Orig. 3. Alia (monstra) per connaturationem, ut in alia manu digiti plures connaturati et cohærentes reperiuntur, in alia minus, sive in pedibus.

CONNĀTŪRĀTUS, a, um, adject. congenitus. V. voc. præced.

CONNECO, as, are, a. 1. simul neco. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 122.

CONNECTO vel cōnecto, nectis, nexŭi, nexum, nectere, a. 3. (cum et necto). Gellii verbis 2. 17. et veterum monumentorum auctoritate freti recentiores philologi iique clarissimi, Wagner, Weissenborn, Halm etc. in suis editionibus Virgilii, Livii, Taciti etc. prætulerunt simplicem scribendi rationem, scilicet cōnecto, cōnexus, quemadmodum et cōnitor, cōnixus, cōnubium. V. Wagner Orthogr. Virgil. p. 455. — Part. Connectus, a, um pro Connexus legunt nonnulli apud Lucret. 2. 100. Exiguis intervallis connecta resultant. Item apud eumd. 3. 557. At al. leg. priore loco convecta, et quidem rectius; posteriore pro connectius leg. connexius, V. in fin. hujus voc. — Part. Connectens I.; Connexus I., II. et in fin. — Ceterum connecto est idem quod necto, vel simul necto, adeoque ampliori significatione aliis alia inserendo conjungo: ad rem Quintil. 5. 14. 2. Inexplicabili serie aliquid connectere (It. connettere, congiungere; Fr. attacher, lier ensemble, joindre; Hisp. atar, unir, enlazar; Germ. zusammenknüpfen oder verknüpfen, dah. verbinden und vereinigen; Angl. to fasten, tie or join together, to link together, join, unite, connect).

I.) Proprie de materiali rerum connexione usurpatur. Plaut. Mil. glor. 4. 4. 44. Id (pallium) connexum in humero lævo, expapillato brachio etc. Cic. 2. Nat. D. 38. 97. Qui tam ratos astrorum ordines tamque inter se omnia connexa et apta viderit. Cf. eumd. Partit. orat. 39. 137. et 4. Fin. 19. 59. Lucret. 2. 698. Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est Omnia. Id. 3. 691. Anima connexa per venas, viscera, nervos, ossaque. Adde eumd. 2. 268. et 2. 712. Virg. 4. G. 257. Aut illæ (apes) pedibus connexæ ad limina pendent. Adde Sil. It. 2. 220. Propert. 2. 4. 23. Crines connexi. h. e. nodo religati. Ovid. 12. Met. 430. Nodi connexi. Id. 9. ibid. 311. Brachia in genibus digitis connexa tenere. Curt. 4. 3. 17. Quadriremes connexæ vinculis. Id. 4. 9. 3. Ferreæ laminæ serie inter se connexæ. Sueton. Tib. 43. Triplici serie connexi homines. Plin. 16. Hist. nat. 40. 76. (202). Rates vero connecti quadraginta sestertium millibus plerasque. Tac. 2. Hist. 34. Naves connexæ validis utrimque trabibus. Id. 13. Ann. 53. Mosellam atque Ararim, factâ inter utrumque fossâ, connectere. Sil. It. 3. 414. et sueto certamine nanai Candida perspicuo connectant brachia ponto. Lucan. 3. 400. Lucus ramis connexis. Val. Flacc. 4. 334. Connectere tempora lauro. Claudian. 1. Rufin. 118. Illa ubi cæruleo vestes connexuit angue. Id. B. Get. 189. Et duo continuo connectens æquora muro Isthmos. — Cum Dativo rei, cui alia connectitur. Lucret. 2. 702. Multaque connecti terrestria membra marinis. Plin. 6. Hist. nat. 15. 17. (44). Adiabenis connectuntur Carduchi. Sil. It. 3. 675. connexa cacumina cælo. Cod. Theod. 10. 3. 5. Ædificia connexa pomœriis.

II.) Translate, haud aliter ac Gr. συνείρειν, ad alia refertur. — a) Generatim. Cic. 1. Fin. 20. 67. Amicitia cum voluptate connectitur. Id. Pis. 5. 11. Persequere connexos his funeribus dies. h. e. consequentes hæc funera. Plin. 2. Hist. nat. 18. 16. (79). His causis connexo visu et earum, quæ cælo continentur. Tac. 16. Ann. 30. Quod discrimini patris filiam connectebat. Id. 6. ibid. 47. Albucilla defertur impietatis in principem: connectebantur, ut conscii, Domitius, Vibius etc. h. e. adjiciebantur. Id. 3. ibid. 12. Connexa causa dolori meo. Id. 1. Hist. 65. Uno amne discretis connexum odium. Id. 2. Ann. 43. Silanus per affinitatem connexus Germanico. Sic absolute Id. 2. ibid. 50. et 4. ibid. 66. Connexus alicui. Stat. 1. Achill. 174. magno jam tunc connexus amore. S. Pompon. in Corp. Juris Antejustin. p. 168. ed. Bonn. Usus connexus servitutum. Cf. Dig. 3. 5. 17. et 27. 2. 13. — b) Specialim connectere ponitur pro continuare orationem, continuare narrationem, narrare, perscribere. Cic. Orat. 70. 235. Facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata connectere. Id. 3. Orat. 41. 166. Nam illud - non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur. Id. Partit. orat. 39. 137. Inter se pleraque connexa et apta. Adde Quintil. 10. 1. 2. Horat. 2. Ep. 2. 86. Connectere verba lyræ. Colum. 10. R. R. 227. gracili connectere carmina filo. Quintil. 2. 4. 15. et 9. 4. 58. Res ac verba connectere. Id. 2. 11. 5. Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum invenerint, destinant: eaque diu secum ipsi meditati, desperata connectendi facultate, deserunt. Id. 9. 4. 7. Connexa oratio. cui ibid. opponitur interrupta. Gell. 10. 29. Particula atque conjungit verba et connectit. Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (116). Connectere aliam majorem insaniam. h. e. narrando addere, perscribere. Sic Trebell. Gallien. 11. extr. Longum est, ejus versus orationesque connectere. h. e. perscribere. — c) Item speciatim apud dialecticos connectere est duas vel plures propositiones logica aliqua ratione inter se conjungere. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 30. 98. Omne, quod ipsum ex se connexum sit, verum esse. Id. Fat. 6. 12. Si enim est verum, quod ita connectitur: Si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur; illud quoque verum est etc. V. Connexum paullo infra. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius abunde retulimus,

Connexus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. apud Lucret. 3. 557. Sive aliud quidvis potius connexius ei Fingere. V. CONNECTO sub init.

Connexum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, apud dialecticos est propositio, in qua duo membra connexione particulæ si conjunguntur, ut docet Gell. 16. 8. Quod Græci συνημμένον ἀξίωμα dicunt, id alii nostrorum adjunctum, alii connexum dixerunt. Id connexum tale est: Si Plato ambulat, Plato movetur: Si dies est, sol super terras est. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 30. 96. Ipsa ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Adde eumd. Fat. 7. 14. et 8. 15.

CONNECTUS, a, um. V. voc. præced. sub init.

CONNERVO, as, are, a. 1. nervos simul addo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 108.

CONNEXĒ, Adverb. conjuncte. Capell. 4. p. 117. Hæc non nisi connexe dicuntur.

CONNEXĬO, ōnis, f. 3. actus connectendi, conjunctio. ¶ 1. Stricto sensu. Paul. Diac. p. 35. 13. Müll. Botulus genus farciminis propter connexionem a bolis sic appellatur. Ambros. 2. Hexæm. 1. Quis ergo non miretur dissimilibus membris disparem mundum in corpus unum assurgere, et insolubili concordiæ caritatisque lege in societatem et connexionem sui tam distantia convenire, ut etc. — Sæpius occurrit speciatim in artibus; et quidem ¶ 2. Pro complexione, seu conclusione syllogismi adhibetur multoties a Quintil. 5. 14. 6., 17., 19., 22. ¶ 3. Apud Charis. 1. init. est idem quod syllaba.

CONNEXĪVUS, a, um, adject. copulativus, complexivus. Gell. 10. 29. Atque particula a grammaticis conjunctio esse dicitur connexiva.

CONNEXUM, i, n. 2. V. CONNECTO in fin.

CONNEXUS, a, um. V. CONNECTO.

CONNEXUS vel cōnexus, us, m. 4. connexio. Lucret. 1. 626. varios connexus, pondera, plagas, Concursus, motus, etc. Adde eumd. 2. 76. et 1020., 3. 556. et 5. 443. Vitruv. 10. 1. 5. Schneid. Connexus staminis ad subtegmen ornatus adjicit honestatem.

CONNĪSUS, vel cōnisus, vel etiam connixus, a, um. V. CONNITOR.

CONNITEO, es, ui, n. 2. et

CONNITESCO, is, ere, n. 3. simul niteo et nitesco, simul resplendeo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 183.

CONNĪTOR vel cōnitor, niteris, nīsus vel nixus sum, niti, dep. 3. (cum et nitor). De ratione scribendi conitor et conisus unica n, V. CONNECTO sub init. — Quod vero attinet ad Particip., Servius ad Virg. 1. Æn. 144. connixus antiquorum, connisus recentiorum esse, ait. — Part. Connisus I. a. — Connitor est idem quod conor, admitor, operam do, simul et vehementer nitor; ideoque et pro parere ponitur, nisi enim dicuntur mulieres, cum pariunt, quod faciunt nixus edendo (It. fare ogni sforzo, sforzarsi; Fr. faire tous ses efforts, s'appuyer avec tous les efforts possibles sur; Hisp. esforzar, esforzarse; Germ. kraftig sich anstemmen; Angl. to strive together, strive greatly, try to the utmost, endeavour, struggle).

I.) Proprie occurrit — a) Absolute. Plaut. Mil. glor. 1. 1. 29. Pol si quidem connixus esses, per corium, per viscera perque os elephanti transtineret brachium. Cic. 2. Nat. D. 43. 110. Corniger est valido connixus corpore taurus. Cf. Arat. 290. Lucret. 2. 159. in quem cœpere locum connixa feruntur (primordia rerum). Virg. 1. Ecl. 15. capella gemellos Spem gregis ah! silice in nuda connixa reliquit. ubi Servius: pro eo quod est enixa, idest partu soluta: nam hiatus causa mutavit præpositionem, sicut (1. Æn. 566.) secludite curas pro excludite. Id. 5. Æn. 264. Connixus humeris. Id. 5. ibid. 642. dextrâ. Id. 10. ibid. 127. Fert ingens toto connixus corpore saxum. Id. 11. ibid. 613. adversis hastis connixi. Liv. 1. 33. Omnibus copiis connixus Ancus, acie vincit. Id. 3. 63. Undique omnes connixi. Id. 10. 33. Connixi resistunt. Adde eumd. 41. 4. Val. Flacc. 3. 193. Torserat hic totis connisus viribus hastam. Dig. 9. 2. 52. § 2. Si connitterentur (mulæ). — b) Addito in quid quis connititur — Per Accusativum et præpos. in. Cæs. 1. B. C. 46. Equitatus in summum jugum virtute connititur. h. e. nisu ascendit. Liv. 31. 21. Conniti in unum locum. Sil. It. 10. 252. in hastam. Tac. 11. Ann. 31. prœaltam in arborem. — Per Infinitum. Accius apud Cic. 1. Divinat. 22. 44. Deinde ejus germanum (arietem) cornibus connitier in me arietare. pro conniti paragoge. Adde Liv. 9. 31. Tac. 15. 51. Primores classiariorum labefacere connixa est. Adde Dig. 23. 3. 9. § 3. — Per particulam ut. Cic. 5. Fin. 15. 42. de infantib. Cum autem paullum firmitatis accesserit, connituntur, ut sese erigant. — Per Gerundium et præpos. ad. Curt. 7. 3. 13. Conniti ad surgendum. Val. Max. 2. 7. 2. Omnibus imperii nervis conniti ad revocandam pristinam disciplinam militiæ. Tac. 15. Ann. 66. Conniti ad convincendum aliquem.

II.) Translate. Cic. 2. Tusc. 21. 47. Præsto est -

ratio, quæ connixa per se et progressa longius fit perfecta virtus. *Id.* 3. *Off.* 2. 6. Quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, tantum fac ut efficias.

CONNĪVENTĬA, æ, actus connivendi: sed translate tantum occurrit, et est dissimulatio peccati. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* in *fin.* p. 152. *Bait.* Ad gratiam ne Hortensii, an suam, an etiam conniventia Ciceronis ipsius, parum comperimus. *Lamprid. Alex. Sev.* 54. Tribunos capitali supplicio affecit, quod per conniventiam seditionem fecissent exercitus. *Al. leg.* cohibentiam. *V.* COHIBEO. Adde *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 3. 79. et *Cod. Theod.* 2. 14. 1.

CONNĪVEO *vel* cōniveo, nives, nivi *vel* nixi, nivere, n. 2. Sunt qui scribunt *coniveo* unico *n*, sed paucissimos admodum habent fautores. Hæc *Forcellinus*, V. tamen quæ dicta sunt hac de re in v. CONNECTO sub init. — Perfecto *connivi* usi sunt *Cassius* apud *Priscian.* et *Apul.* locis infra citt.; quibuscum cf. *Probum* loc. infra cit.; *connixi* vero *Turpilius* apud *Priscian.* loc. infra cit.: *Hildebrandus* autem ad *Apul.* 11. *Met.* p. 146. formam quoque *connipseram* tamquam a *connibo* recepit. — Denique Infinitum *connivĕre* pro *connivēre* legitur apud *Calvum* loc. infra cit. sub *b.* — Part. *Connivens* I. — Ratione habita etymi, *conniveo*, juxta nonnullos, est ab absoleto *niveo*, h. e. oculos claudo, inquit *Voss.* in *Etymol.*; vel a νεύω, h. e. oculis innuo, ut aliis placet; vel a συννεφέω, h. e. obscuror, ut *Martinio* videtur. Quidquid autem sit de etymo, *connivere* certe significat id quod apertum est claudere, ut patet ex *Gell.* 16. 3. Cava ventris ac stomachi inanitate diutina contrahuntur et connivent. Sed tamen usurpatur fere pro oculos claudere vel pæne claudere (It. *serrare gli occhi*; Fr. *fermer, cligner les yeux*; Hisp. *cerrar, guinar los ojos*; Germ. *mit d. Augen zwicken oder blinzeln, d. Augenlider zusammenziehen*; Angl. *to wink or twinkle with the eyes*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute et generatim. *Plaut. Most.* 3. 2. 144. TR. Viden' coagmenta in foribus? TH. Video. TR. Specta, quam arcte dormiunt? TH. Dormiunt? TR. Illud quidem, ut connivent, volui dicere. *Turpilius* apud *Priscian.* 9. p. 866. *Putsch.* Dum ego connixi somno, hic sibi prospexit etc. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Quid melius, quam in mediis vitæ laboribus obdormiscere et ita conniventem somno consopiri sempiterno? *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Munitæ sunt palpebræ tamquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, et somno conniventibus etc. Adde *Colum.* 10. 259. et *Dig.* 14. 1. 4. § 1. Pro connivere *somno*, etiam *connivere* absolute dixit *Apul.* 4. et 8. *Met.* Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (10). Sic etiam *Capell.* 1. p. 13. Convenit virginis subire vinculum, quæ illum (*Mercurium*) etiam quiescere cupientem connivere non perferat. Rursus *Cic. Harusp. resp.* 18. 38. Conniventes oculos Appii Claudii Cæci optare. *h. e.* clausos. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 57. (156). Graviores alitum inferiore gena connivent: columbæ, et similia, utrâque. *Id. ibid.* 37. 54. (144). Duo omnino gladiatores, qui contra comminationem aliquam non conniverent: et ob id invicti. Cf. *Sueton. Cal.* 51. Ad tonitrua et fulgura connivere, et caput obnubere solebat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (144). Neroni fuerunt oculi, nisi cum conniveret, ad prope admota hebetes. *h. e.* nisi cum oculos non omnino, sed pæne clauderet, ut acrius aciem intenderet, aut nimium fulgorem evitaret. *Sil. It.* 7. 729. Connivent, solemque pavent agnoscere visa. — *b*) Olim, ut superius indicavimus, fuit etiam *connivo, is*, tertiæ conjugat. teste *Priscian.* 9. p. 866. *Putsch.* Hinc *Calvus ibid.* Cum gravis ingenti connivere pupula somno. — *c*) Cum Accus. *Cassius ibid.* Nam non connivi oculos ego deinde sopore. *nisi malis esse Accus. Græcum, ut subintelligatur* κατά. — *d*) Figurate. *Lucret.* 5. 776. *de sole et luna deficientib.* Cum quasi connivent, et aperto lumine rursum Omnia convisunt. *h. e.* obscurantur.

II.) Translate. — *a*) Generatim: ad rem *Quintil.* 10. 3. 16. Pleraque, nisi conniveamus, in oculos incurrunt. *Gell.* 13. 27. *sub fin.* Mens debet esse erecta, ardua, numquam connivens, numquam aciem suam flectens. *Cic. Cæl.* 17. 41. Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret interdum. — *b*) Speciatim ponitur pro dissimulare, quasi claudendo oculos, ne perperam facta videantur: Itali dicunt etiam familiari locutione, *far la gatta di Masino, che chiudeva gli occhi per non veder passare i topi. Cic. Cæl.* 24. 59. Pro dii immortales! cur interdum in hominum sceleribus aut connivetis, aut præsentis fraudis pœnas in diem reservatis? *Id.* 1. *Phil.* 7. 18. Ea ipsa concedo: quibusdam in rebus etiam conniveo. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 28. 77., *Mil.* 12. 32., et apud *Prob. Cathol.* p. 1482. *Putsch. Pers.* 6. 50. Væ, nisi connives! *Gell.* 2. 2. In publicis locis atque muneribus patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata, interquiescere paullulum et connivere. — Quod quidam ex *Silio It.* afferunt 7. 462. pacemque serenis Connivens oculis; *condiscens* alii reponunt, multo rectius.

CONNIXUS *vel* cōnixus, a, um. *V.* CONNITOR.

CONNŪBĬĀLIS *vel* cōnubialis, e, adject. Apud Poetas effertur etiam *connubĭālis* vel *connūbjālis*, ut apud *Claudian.* 2. *Ep.* 18. — Ceterum connubialis est ad connubium pertinens, conjugalis. *Ovid. Heroid.* 6. 41. Heu! ubi facta fides? ubi connubialia jura? *Stat.* 5. *Theb.* 112. Connubialia vincla. *Claudian.* *IV. Cons. Honor.* 649. Carmen connubiale. *h. e.* epithalamium. Sic *Id.* 2. *Ep. ad Seren.* 18. Vectigal connubiale lyræ.

CONNŪBĬĀLĬTER *vel* cōnubialiter, adverb. connubiali more. *Capell.* 6. p. 189. Cum ad Philologiæ concilianda consortia procum affatim connubialiter allegaret.

CONNŪBĬUM *vel* cōnubium, ii, n. 2. (cum *et* nubo). Ratione habita quantitatis, cum *u* in *nubo* longa sit, videtur longa esse etiam in *connūbio*; sæpe tamen, quemadmodum etiam in *prōnuba*, contrahitur, ut apud *Lucret.* 3. 778.; *Virg.* 1. *Æn.* 73., 3. *ibid.* 136., 4. *ibid.* 126. et 168. et alibi; et *Ovid.* 6. *Met.* 428. Cf. etiam *dīco* et *maledĭcus*. *V.* etiam CONNUBIALIS. — De ratione scribendi *conubium* unico *n*, *V.* CONNECTO sub init.: simplici *n* immo semper scribitur in tabulis æneis (*V.* CACOPHATON), et Pandectis Florentin. — Connubium est justum matrimonium jure civili Romanorum contractum: ideoque differt a *conjugio*: V. CONJUGIUM sub init. (It. *matrimonio*; Fr. *union conjugale, mariage*; Hisp. *casamiento*; Germ. d. *Vermählung, Ehe*; Angl. *wedlock, marriage*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, justum matrimonium, quod initio quidem Romanorum fuit proprium (*V.* seq. paragr. 2. sub init.); in posterum vero et de aliis gentibus dictum est. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Romulus Sabinorum connubia conjunxit. Adde *eumd.* 1. *Off.* 17. 54. *Virg.* 1. *Æn.* 77. Jungere aliquam alicui connubio stabili. *Id.* 4. *ibid.* 214. Repellere connubia alicujus. *Id.* 3. *ibid.* 319. Servare connubia. *h. e.* tenere, tueri fidem matrimonii: cf. *Val. Flacc.* 8. 121. *Ovid.* 6. *Met.* 428. Jungere sibi aliquem connubio filiæ. Adde *Liv.* 4. 5. et 4. 6.; et *Catull.* 62. 57. *Sall. Jug.* 80. Ejus civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum. *h. e.* junctis affinitatibus cum Numidis. ¶ 2. Latiori sensu est jus conjugii legitimi, ut *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 73. tradit, seu ut *Ulp. Regular. tit.* 5. definit, uxoris jure ducendæ facultas. Addit *Ulp. ibid.* Connubium habent cives R. cum civibus R., cum Latinis autem et peregrinis ita, si concessum sit: cum servis nullum est connubium. Hinc in veterib. æneis tabulis, quas plerique *honestas missiones* appellant, ac rectius diplomata dixeris, sub Vespasiano, Domitiano et Hadriano, apud *Gruter.* 573. 1. 2. et 574. 6. et 575. 1. militibus emeritis CIVITATEM DEDIT, ET CONNVBIVM CVM VXORIBVS, QVAS TVNC HABVISSENT, CVM EST CIVITAS IIS DATA: AVT SI CAELIBES ESSENT, CVM IIS, QVAS POSTEA DVXISSENT. (V. *Cardinali*, *Diplom. imp.* p. 133). Ex quibus patet, uxorem non esse legitimam jure civili Romanorum illam, quæ ex eo populo ducatur, quocum connubium non sit: neque communicari cum illa civium R. commoda, neque natos inde liberos cives R. esse, (quamvis ingenui et liberi futuri sint) nisi jus connubii concedatur, ut cum emeritis his militibus imperatorum liberalitate factum est. Hinc *jus connubii* vel *connubii societas* apud *Liv.* 4. 5. *extr.* et apud *Cic.* 2. *de republ.* 37. 63. et *Topic.* 4. 20. *Liv.* 1. 9. Connubia non erant Romanis cum finitimis. *Id.* 4. 3. Dare connubium finitimis externisque. *Id.* 4. 4. Ut connubium patribus cum plebe esset. *Curt.* 8. 4. 25. Persas et Macedonas connubio jungere. Adde *Ulpian.* 5. 3.; *Cajum* 1. *Instit.* 55.; et *Dig.* 23. 2. 45.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de coitu. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 21. Inire connubia alicujus. *h. e.* cum ea concumbere. Adde *Lucret.* 3. 778. et 5. 1011. Cf. *Martial.* 6. 11. Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ. *h. e.* adulteria committere. ¶ 2. Translate de plantis. *Plin.* 16. *Hist. nat. præfat.* 1. (1). Pomiferæ arbores ab homine didicere blandos sapores adoptione et connubio. *h. e.* insitione.

CONNŪBĬUS, a, um, adject. ad connubium pertinens. *Apul.* 9. *Met.* Mulieres liberas et connubia lege sociatas corrumpis. Hic *Oudendorpius* recte monet, in *MSS.* et plerisque editionib. *sociata* haberi, non *sociatas*, ac propterea ita esse locum interpretandum: corrumpis mulieres ingenuas, et connubia, quæ sociata et inita sunt ex lege. Patet igitur minime Latinum esse adjectivum *connubius*.

CONNŪBO, is, ere, n. 3. idem quod nubo. *Apul.* Nescientibus parentibus puellari ætate connupseramus. Ita *Faber*, *Juncker.* et alii. Ego nondum ea verba in *Apulejo* reperi.

CONNŪDĀTUS, a, um, adject. idem ac nudatus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (77). Mulier in mense connudata. *h. e.* nudata cum in menstruis est.

CONNŪMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. plurium rerum simul numeratio. *Priscian.* 18. p. 1138. *Putsch.* Potest enim per connumerationem aliquis sese illis, quibus imperat, adjungere, ut dux suos milites jubens committere prælium, aptissime dixit, *pugnemus, confligamus*. Cf. *eumd. ibid.* p. 1139.

CONNŪMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Connumeratus* et *Connumerandus* sub *b.* — Connumero est idem ac numero, vel annumero. — *a*) Absolute. *Arnob.* 5. 42. Quemadmodum connumeratis et dicitis. Adde *Cajum* 1. *Instit.* 2. § 4. — *b*) Cum additis. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 20. sit quanta dei clementia, cujus Se quoque in exemplis connumerare solet. *Sed annumerare plerique omnes legunt. Paul. Dig.* 1. 5. 14. Inter liberos connumerabitur. *Ibid.* 23. 2. 44. § 5. Connumerari aliquibus. *Ammian.* 25. 4. Vir profecto heroicis connumerandus ingeniis. *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 1. 4. p. 736. Non connumerato eo, quod erat in principio. *Priscian.* 18. p. 1139. *Putsch.* Qui dicit: *pugnemus fortiter, commilitones*, cum vocativo utitur, ad secundam loquitur personam: nam connumerando sese eis, etc.

CONNUNCIO, as, are, a. 1. simul nuncio; *et*

CONNUO, is, ere, n. 3. simul innuo; et

CONNUTRIO, is, ire, a. 4. simul nutrio: sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 42., 127., 123.

CŌNŌPĒUM, i, n. 2. κωνωπεῖον. Scribitur et *conopium*: atque hoc modo scribi malunt *Bentlej.* et *Heins.* cum pænult. correpta usurpatur: quia Græce et κωνώπιον legitur, extrita, ut mos est illis, præpositiva diphthongi. — Ceterum *Conopeum* est velum circa lectum ad arcendos culices, quos Græci κώνωπας vocant. Apud Ægyptios in usu maxime erat, cum propter paludes Nili magna culicum copia infestarentur. Græce scribitur κωνωπεῖον, et in quodam epigr. *etiam* κωνώπιον: qua ratione *Horat. Epod.* 9. 16. Sol aspicit conopeum. pænult. correpta. et *Propert.* 3. 9. 45. Fœdaque Tarpejo conopea tendere saxo. At *Juvenal.* 6. 80. Ut testudineo tibi Lentule conopeo etc., ubi spondaicus est versus. — Voce hac usus est etiam *Varro* 2. *R. R.* 10. 8., ne forte putes esse solum poeticam.

CŌNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Conarem* pro *conarer* legi apud *Priscian.* ex *Ennio*, referunt quidam, quod ego nondum vidi. — Part. *Conans*, *Conatus* et *Conandus*. — Conor est nitor, tento, do operam, aggredior, molior, cogito, mihi propono (It. *sforzarsi, tentare*; Fr. *essayer, s'efforcer, tâcher de*; Hisp. *esforzarse, procurar para*; Germ. *unternehmen, versuchen, einen Versuch machen, machen, sich unterfangen etwas zu thun*; Angl. *to strive, endeavour, attempt, try*). Usurpatur — *a*) Absolute. *Ter. Heaut.* 2. 2. 11. Dum moliuntur (*mulieres*), dum conantur, annus est. *Al. leg.* comantur: *al.* comuntur: sed minus recte. Cf. *Cic. Vatin.* 8. 10. *Cæs.* 6. *B. G.* 4. Conantibus, priusquam id effici posset, adesse Romanos nunciatur. *Nepos Datam.* 7. Qui prius cogitari, quam conari consuissent. Adde *Liv.* 45. 23. — Proverbium, seu potius sententia est illud *Manil.* 1. 95. Omnia, conando, docilis solertia vincit. — Huc pertinent et illa *Ter. Phorm.* 1. 2. 2. Conari obviam alicui. *subaudi* ire. Et *Andr.* 4. 1. 53. Conari manibus, pedibus, noctesque et dies, dum possim

tibi. — *b*) Cum Accusativo rei. *Ter. Andr.* 1. 2. 26. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis fallaciæ conari, etc. Adde *eumd. ibid.* 1. 5. 33. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 19. Desperant, se id, quod conantur, consequi posse. *Id. Orat.* 30. 101. Vides, Demosthenem multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle. *Id. ibid.* 10. 33. Conari opus magnum et arduum. Adde *eumd. Dejot.* 6. 18. et 1. *Fin.* 16. 52. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Nactus aditus ad ea conanda, quod etc. *Id.* 1. *ibid.* 65. Quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum. *Nepos Hann.* 8. Conari multa stulte. Adde *Liv.* 42. 59. *Virg.* 9. *Æn.* 398. Oppressum rapit, et conantem plurima frustra. — *c*) Cum Infinito. *Cic. Quinct.* 20. 62. Conaris hoc dicere, neminem extitisse, qui etc.? *Id. Rosc. Am.* 19. 54. Quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 44. Numquam ille me opprimet consilio: numquam ullo artificio pervertet: numquam ingenio me suo labefactare, atque infirmare conabitur. *h. e.* audebit, poterit. *Id.* 2. *Orat.* 14. 61. Poetas omnino, quasi alia quadam lingua locutos, non conor attingere. *Id.* 5. *Fam.* 12. 2. Coram me tecum hæc agere conantem deterruit pudor quidam. *Lucret.* 6. 768. ipsa de re nunc dicere conor. Adde *eumd.* 1. 26. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Id oppidum oppugnare conatus, expugnare non potuit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5. et 1. *ibid.* 8.; *Nepot. Themist.* 7.; *Catull.* 116. 3.; *Virg.* 2. *Æn.* 292.; et *Horat.* 1. *Od.* 6. 9. et 1. *Ep.* 1. 19. — Hinc a Part. præter.

Conatus, a, um, cujus exemplum superius retulimus,

Conata, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt cœpta, incepta. *Plaut. Merc.* 1. 1. 39. Conata eloqui. *Accius* apud *Non.* p. 202. 14. *Merc.* exequi. *Lucret.* 5. 386. patrare. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. et *Nepos Dion.* 8. perficere. *Liv.* 42. 11. Ut Persei conatis obviam iret. Adde *eumd.* 21. 50.; et *Ovid.* 10. *Met.* 420. et 14. *ibid.* 755. *Vellej.* 2. 42. 1. Conata alicujus destituere. Adde *eumd.* 2. 29. 1. et *Sil. It.* 12. 434. *Juvenal.* 13. 210. peragere. Adde *Quintil.* 8. 3. 60. et *Sueton. Galb.* 17.

CONQUĂDRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONQUĂDRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Conquadratus* sub *A.* — Conquadrare occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active conquadrare est in quadrum formare. *Varro* apud *Non.* p. 131. 13. et 520. 19. *Merc.* Aurum, later quod conquadravit regius. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 7. Perticæ conquadratæ.

B) Neutrorum more legitur tantum apud sequioris ævi scriptores, et conquadro est aptus sum, par fio, convenio; tum proprie, tum translate. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Hinc aquarum surgit cella coctilium, quæ consequenti unguentariæ, spatii parilitate conquadrat. *et Ep.* 4. Illi familiæ splendor, probitas morum, patrimonii facultas in omne decus pari lance conquadrant. *et* 3. *Ep.* 7. *ad fin.* Vero dicta conquadrant.

CONQUÆSTOR, ōris, m. 3. idem ac conquisitor, vel simul quæstor. *Varro* 5. *L. L.* 8. *edit. veter.* ubi tamen lectio valde dubia est. *Conquæstores* item legendum censet *Frid. Osannus* in *Analect. crit.* p. 177. apud *Plaut. Amph. prol.* 64. Nunc hoc a me orare a vobis jussit Juppiter, Ut conquæstores singuli in subsellia Eant per totam caveam, spectatoribus, Si cui favitores delegatos viderint.

CONQUASSĀTĬO, ōnis, f. 3. concussio, commotio. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 29. Morbus et ægrotatio ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur.

CONQUASSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONQUASSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* a concutio. Part. *Conquassatus* I. et II. — Conquasso est vehementer concutio.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 52. Si calix erit, conquassato. *h. e.* conterito, confringito. *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 97. Apulia maximis terræ motibus conquassata est. *Lucret.* 3. 442. Conquassatum corpus ex aliqua re. *Cod.* 1. 12. 6. § 5. Conquassatis rebus certis.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 26. 56. Exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus. *Id. Vatin.* 9. 10. Conquassata civitas. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. Omnes provinciæ conquassatæ sunt. *Lucret.* 3. 600. Conquassatur enim tum mens animique potestas Omnis. *Firmic.* 3. *Mathes.* 13. n. 4. Maximis periculis conquassari.

CONQUĂTERNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus quaternos vel quaterna jungendi. *Gloss. Cyrill.* Conquaternatio, κατὰ τέσσαρα ζεῦξις.

CONQUĂTERNO, as, are, a. 1. quaternos vel quaterna jungo. *Gloss. Philox.* Conquaternat, ζευγίζει κατὰ τέσσαρα. Adde *Gloss. Cyrill.*

CONQUĔROR, querĕris, questus sum, quĕri, dep. 3. (cum et queror). — Part. *Conquerens*, *Conquestus*, *Conquesturus*, et *Conquerendus*. — Conqueror est idem quod queror, aut valde queror, doleo, deploro (It. *dolersi*, *lamentarsi*; Fr. *se plaindre vivement de*, *exposer ses plaintes*; Hisp. *lamentarse*, *quejarse*; Germ. *sich beklagen*, *sich klagend auslassen*; Angl. *to complain*, *urge by way of complaint*, *bewail*, *lament*). Usurpatur — *a*) Absolute. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 15. Neque alia voce, ac res monebat, ipsa poterat conqueri. *Ovid.* 9. *Met.* 147. Conquerar an sileam? *Catull.* 64. 164. ignaris nequidquam conqueror auris. *Sil. It.* 8. 94. Conquerilurque tibi. *h. e.* tecum. *Sueton. Cæs.* 20. Conqueri in senatu. *Seneca fragm. a Niebhurio edit.* p. 100. Conquesturus venit. — *b*) Cum Accusativo rei, de qua conquerimur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 47. Deinde – conqueritur mecum mulier fortunas suas. Adde *Pacuvium* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 50., cujus verba *V.* in fin. in Homonym. *Titinius* apud *Non.* p. 232. 21. *Merc.* Mulier, credo, advorsum illum res suas conqueritur. *Cic.* 6. *Verr.* 50. 111. Non illi decumarum imperia, non bonorum direptiones, non aliqua judicia, non importunas istius libidines, non vim, non contumelias – conquerebantur. *Id. Sext.* 2. 3. Nihil ab eo prætermissum est, quod aut pro republica conquerendum fuit, aut pro reo disputandum. Adde *eumd.* 2. *Herenn.* 31. 50. *Liv.* 1. 53. Patris in se sævitiam intolerabilem conquerens. *Id.* 8. 33. aliquid apud aliquem. Adde *eumd.* 23. 22. et 25. 28.; *Tibull.* 1. 10. 53.; *Ovid.* 14. *Met.* 243.; *Quintil.* 6. 1. 18.; *Sueton. Aug.* 66.; et *Tac.* 1. *Hist.* 54. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Lucret.* 3. 612. Non jam se moriens dissolvi conquereretur (*homo*). Adde *Tibull.* 1. 10. 53. *Sueton. Tib.* 10. Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse graviter conquestus. Adde *eumd. Claud.* 2. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *de.* *Cic.* 5. *Fam.* 2. 6. Nihil tecum de tui fratris injuria conqueror. *Id.* 5. *Verr.* 18. 42. Conqueri de re aliqua. *Sueton. Aug.* 51. apud aliquem de aliqua re. — *e*) Sequente relativo. *Cæs.* 1. *B. C.* 74. Et quod non ab initio fecerint, conqueruntur. *Tac.* 15. *Ann.* 61. Seneca missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis quod a visendo eo prohiberetur, – respondit. *Id. ibid.* 60. Missum se ad ægrotum Senecam, uti viseret conquereretorque cur Pisonem aditu arceret.

Homonym. Inter *conqueri* et *lamentari* hoc interest, quod illud est graviter dolere justa accusatione admixta, et ut virum decet; hoc muliebri ejulatu et fletibus, feminarum more. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 50. Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet: id viri est officium, fletus muliebri ingenio additust.

CONQUESTĬO, ōnis, f. 3. actus conquerendi (It. *doglianza*, *querela*, *lamento*; Fr. *plainte amère*, *vive doléance*; Hisp. *queja*, *dolencia amarga*; Germ. *das Beklange*, *die Klage*; Angl. *a complaining*, *complaint*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. Ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio. *h. e.* nullus locus conquerendi et accusandi eos, qui injurias fecerunt. Adde *eumd. Orat.* 39. 135. et *Quintil.* 5. 13. 41. *Hieronym. advers. Jovinian.* 47. Deinde per noctes totas garrulæ (*uxoris cum viro*) conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus; ego in conventu feminarum misella despicior. — *b*) Cum Genitivo rei. *Seneca Ep.* 78. Conquestiones dolorum præteritorum. — *c*) Cum Ablativo et præpos. de. *Tiberius* apud *Sueton. Tib.* 70. Composuit et carmen lyricum, cujus est titulus: Conquestio de L. Cæsaris morte. Adde *Quintil.* 5. 12. 41. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores *conquestio* est una ex tribus conclusionis, seu perorationis partibus, in qua auditorum misericordiam captamus. In hac primum auditoris animum mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Hæc ex *Cic.* 1. *Invent.* 52. 98. et 1. *ibid.* 55. 106. Adde *eumd.* 3. *Herenn.* 13. 25.

II.) Improprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (66). Coturnicum volantium conquestio labore expressa.

CONQUESTUS, a, um. *V.* CONQUEROR.

CONQUESTUS, us, m. 4. idem quod conquestio. In sexto casu *Liv.* 8. 7. *ad fin.* Tum libero conquestu exortæ voces sunt. Adde *Sil. It.* 10. 294. et *Stat.* 1. *Achill.* 309.

CONQUĬESCO, quiescis, quiēvi, quiētum, quiescere, n. 3. (cum et quiesco). *Conquiesti* pro *conquievisti* est apud *Cic.* 1. *Fam.* 1. 1.; *conquiesse* pro *conquievisse* est apud *Liv.* 30. 13. *ad fin.*; et *conquierit* pro *conquieverit* apud *Cels.* 7. 19. — Part. *Conquiescens* et *Conquieturus* II. 2. — Conquiesco idem est quod quiesco, cesso, consisto (It. *riposarsi*, *fermarsi*, *cessare*; Fr. *se reposer*, *être en repos*, *s'arrêter*; Hisp. *reposarse*, *contenerse*, *cesar*; Germ. *der Ruhe sich überlassen*, *hingeben*, *in Ruhe bleiben*, *ausruhen*, *Ruhe halten*; Angl. *to rest*, *be at rest*, *take rest*, *repose*).

I.) Proprie de animalibus, ac præcipue de personis occurrit, et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint. *Id. Rosc. Am.* 26. 72. Ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. *Id. Arch.* 6. 12. Hic homo suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessæ conquiescant. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Ut meridie conquieverat. *h. e.* in lecto jacuerat dormiendi causa. *Id.* 3. *B. C.* 75. Impedimenta præmisit, ac conquiescere ante iter confectum voluit. *Varro* 3. *R. R.* 9. 8. Quæ (*pulices et cetera*) gallinam conquiescere non patiuntur. *Liv.* 1. 47. Nec nocte, nec interdiu virum conquiescere pati. Adde *eumd.* 21. 10. et 30. 13. *Sueton. Aug.* 78. Post cibum meridianum paullisper conquiescebat. — *b*) Cum Ablativo rei aut personæ et præpos. *de.* *Plaut. Pseud.* 1. 1. 121. De istac re in oculum utrumvis conquiescito. Proverbii genus; *V.* huic simile in AURIS. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 1. Quod tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti. *syncope* pro conquievisti. — *c*) Addita re, a qua quis cessando quiescit. *Cic.* 1. *Att.* 5. 7. Nos ex omnibus molestiis et laboribus uno illo in loco (*Tusculano*) conquiescimus. *Id. Balb.* 1. 3. Conquiescere a continuis bellis et victoriis. Cf. *eumd. Mil.* 25. 68., cujus verba *V.* infra sub 2. Adde *Plin. Paneg.* 53. — *d*) Addita re, in qua quis conquiescit. *Cic.* 2. *Fam.* 1. *extr.* Ut ætas nostra ingravescens, in amore atque in adolescentia tua conquiescat. *V.* et paragr. proxime seq.

II.) Improprie. ¶ 1. Translata atque elegantissima sunt illa, in quibus non cessatio ab opere, sed quies animi, securitas, et voluptas in re aliqua significatur. *Cic.* 9. *Fam.* 6. 5. In nostris studiis libentissime conquiescimus. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 6. 2. *Id. Amic.* 6. 22. Conquiescere in amici mutua benevolentia. *Seneca* 2. *Benef.* 28. in eadem mensura bonorum. ¶ 2. De inanimis. *Cic. Mil.* 14. 37. Quando illius postea sica illa – conquievit? Cf. *eumd. ibid.* 25. 68. Si Italia a delectu, urbs ab armis sine Milonis clade numquam esset conquietura. *Id. Rabir. Post.* 15. 42. His ipsis diebus (*hieme*) – cum – omnia bella jure gentium conquiescant. *Id. Dom.* 38. 101. Numquam conquiescit fletus bonorum. *Id.* 12. *Att.* 39. *extr.* Conquiescant litteræ, nisi quid novi extiterit. *Id. pro leg. Manil.* 6. 15. Navigatio conquiescit. *Id.* 1. *leg. Agr.* 7. 21. Vectigal conquiescit. *Liv.* 24. 47. imbre conquiescente. — Illa sunt medicorum. *Cels.* 6. 6. n. 34. Antequam sudor et calor domi conquierint. pro conquieverint. *Id.* 5. 26. n. 21. Sanguis conquiescit. *Id.* 7. 19. *extr.* Si inflammatio non conquierit. *Id.* 2. 8. Febris conquievit.

CONQUILIATUS. *V.* CONCHYLIATUS.

CONQUĬNISCO, quiniscis, quexi, quiniscere, n. 3. a *con*, et inusit. *quinisco*, a κινέω *moveo*. — Conquinisco autem significat inclinare se in faciem: ita enim interpretantur *Non.* p. 84. 25. *Merc.* et *Priscian.* 10. p. 885. *Putsch.*, qui a vetustissimis tantum usurpatum fuisse ait. *Pomponius* apud *Priscian. loc. cit.* Accessi ad patrem: prendi manum, in terra ut cubabat nuda, ad eum ut conquexi, interim me mulieres conspiciunt. — Translato et obsceno sensu idem significat ac cevere, ocquiniscere, nempe incurvare se ad stuprum patiendum, ut pueri solent. *Plaut. Cist.* 4. 1. 5. Faciundum est puerile officium: conquiniscam ad cistulam. *h. e.* inclinabo me, ut cistulam ex humo tollam. *Id. Pseud.* 3. 2. 75. Si iste ibit, ito: stabit, astato simul: Si conquiniscet istic, ceveto simul. *V.* OCQUINISCO, et PUERILIS.

CONQUĬNO, as. *V.* COINQUINO.

CONQUĪRO, quīris, quīsīvi, quīsītum, quīrere, a. 3. (cum *et* quæro). Quod apud *Paul. Diac.* p. 65. 19. *Müll.* legebatur *Conquirere, coerorre*; critici monent legendum esse *Coinquire*, vel *Coinquere*, (de quo *V.* suo loco), ut sermo sit de arboribus deputandis et coercendis. — Part. *Conquirens* I.; *Conquisitus* I. et in fin.; *Conquirendus* I. — Ceterum conquiro est diligenter quæro, investigo, comparo: a *con* et *quæro* (It. *cercare insieme*, *cercare con diligenza*, *raccogliere*; Fr. *chercher ensemble*, *rechercher soigneusement*, *rassembler*; Hisp. *buscar juntos*, *buscar cuidadosamente*, *inquirir*, *procurar*; Germ. *zusammensuchen*, *zusammenzuschaffen trachten*, *nach verschiedenen Seiten hin suchend zusammen-oder herbeibringen*; Angl. *to seek after*, *seek or search for diligently*, *try to procure*, *collect*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 19. 40. Conquiri Diodorum tota provincia jubet. Cf. eumd. 6. *ibid.* 48. 106. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Urorum cornua studiose conquisita ab labris argento circumcludunt. *Vellej.* 2. 41. 2. Conquirentibus eum ad necem. *Auct. B. Afr.* 8. Ad reliquas naves conquirendas. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 9. 2. aliquem terrâ marique. Adde *Nepot. Timol.* 3.; *Liv.* 22. 52.; et *Sueton. Vitell.* 10. *Propert.* 1. 2. 23. amantes. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. arma. *Seneca Vita beata* 11. bona terrarum ac maris. *Liv.* 25. 22. desertores. *Tac.* 3. *Hist.* 76. *extr.* dona ac pecunias acerbe per municipia. *Curt.* 9. 9. 1. duces. *Dig.* 45. 1. 137. fabros undique. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. frumenti quod esset. *Sueton. Tib.* 43. greges puellarum et exoletorum. *Tac.* 1. *Ann.* 47. impedimenta. *Liv.* 39. 16. libros. *Cæs.* 1. *B. C.* 61. naves toto flumine Ibero. *Id.* 1. *B. G.* 27. obsides. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 17. (82). opes meretricio quæstu. *Cic.* 12. *Fam.* 30. 4. pecuniam. Adde *Liv.* 29. 18. *Sall. Jug.* 75. ex agris quam plurimum domiti pecoris. *Nepos Att.* 11. proscriptos. *Sueton. Aug.* 83. pueros. *Liv.* 25. 7. sacra. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. servos. *Nepos Dion.* 8. socios ad aliquem interficiendum. *Liv.* 31. 11. transfugas. *Sueton. Aug.* 71. virgines.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Orat.* 8. 29. Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat uti præsentibus exemplis atque vivis? *Tac. Dial. de Orat.* 15. Mecum ipse conquiro causas hujus differentiæ. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Tac.* 14. *Ann.* 44. argumenta. *Id.* 15. *ibid.* 56. artes omnes ad aliquem opprimendum. *Lucret.* 3. 420. carmina Conquisita diu dulcique reperta labore. *Cic. Tim.* 14. causas. *Id.* 2. *Fin.* 33. 107. historiam omnium factorum et regionum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 87. Omnis studiose contra sensus. *Liv.* 40. 37. piacula iræ deûm. *Tac.* 12. *Ann.* 68. solatia. *Cic.* 3. *Off.* 33. 117. suavitates undique. *Id.* 1. *Fin.* 13. 42. voluptatem conquirere et comparare. *Cæs.* 2. *B. C.* 96. voluptates. *Tac.* 15. *Ann.* 21. suffragia. — Hinc Part. præter. pass.

Conquisitus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Conquisitissimus*. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Conquisiti atque electi coloni. *Id. Haruspresp.* 26. 57. Si unum hominem poeta aliquis, fictis conquisitisque vitiis deformatum, vellet inducere. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 62. Mensas conquisitissimis epulis extruere. *Cels.* 5. 26. *n.* 23. Peregrina et conquisita medicamenta. *Quintil.* 9. 3. 5. Conquisitæ figuræ.

CONQUĪSĪTĒ, adverb. studiose, cum cura. *Afranius* apud *Non.* p. 28. 30. *Merc.* Commercatis conquisite edulibus. *Cic.* 2. *Herenn.* 31. 50. Hæc si ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus etc. *Gell.* 3. 10. Hæc Varro conquisite admodum scripsit.

CONQUĪSĪTĬO, ōnis, f. 3. actus conquirendi. ¶ 1. Generatim. *Cic. Tim.* 2. 5. Difficillimum est in omni conquisitione rationis exordium. *Liv.* 7. 3. Conquisitio piaculorum. *Tac.* 2. *Hist.* 84. pecuniarum. Adde eumd. *Agric.* 6. *extr.*, ¶ 2. Speciatim in re militari *conquisitio militum* est militum delectus, Italice *requisizione*, cum imperator pro sua auctoritate, quos ei visum fuerit, etiam invitos ad militiam conscribit. Id in majoribus plerumque reipubl. periculis fieri consuevit. Alioqui enim ultro nomina dabant. *Cic. Prov. cons.* 2. 5. Exercitus ille noster, superbissimo delectu, et durissima conquisitione collectus, omnis interiit. *Liv.* 23. 32. *sub fin.* Ut in Piceno agro conquisitionem militum haberet. *Id.* 25. 6. *ad fin.* Conquisitionem ingenuorum per agros facere. *Al. leg.* habere. Adde eumd. 29. 34. et 35.

CONQUĪSĪTOR, ōris, m. 3. qui conquirit. ¶ 1. Generatim conquisitores dicuntur exploratores, qui aliorum facta clam arbitrantur. *Plaut. Amph. prol.* 65. Ut conquisitores singuli in subsellia eant per totam caveam etc. Adde eumd. *ibid.* 82., ubi legitur *conquistor*: et *V.* CONQUÆSTOR. ¶ 2. Specialiter conquisitores dicti sunt, qui a magistratibus mittebantur ad conquirendos, qui nomina militiæ darent, ut in voce præced. sub. 2. dictum est. *Cic. Mil.* 25. 67. Si Italiæ delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitant, si hæc arma, si delecta juventus contra Milonis impetum armata est. Adde eumd. 7. *Att.* 21. *Liv.* 21. 11. *extr.* Qui duo populi, delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, *etc. Auct. B. Alex.* 2. In omnes partes legatos conquisitoresque delectus habendi causa miserant. — Huc adlusisse videtur *Plaut. Merc.* 3. 4. 80. Certum est, præconum jubere jam quantum est conducier, qui illam investigent. Post ad prætorem illico ibo, orabo uj conquisitores det mihi in vicis omnibus, etc.

CONQUĪSĪTUS, a, um. *V.* CONQUIRO.

CONQUISTOR. *V.* CONQUISITOR 1.

CONRĀDO, CONRĀSUS, CONRĀTĬŌNĀLIS et similia. *V.* in CORRADO, CORRASUS, CORRATIONALIS etc.

CONRECTOR, CONRĔCUMBO et similia. *V.* in CORRECTOR, CORRECUMBO etc.

CONREGIŌNE, aut veteri scribendi more, *Conrecione*, significat e regione. *Paul. Diac.* p. 66. 3. *Müll.* teste: legiturque etiam in antiqua augurali formula templi effandi apud *Varron.* 7. *L. L.* 8. *Müll.*, *Scaligero* ita emendante: *Inter ea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi.* Conregione. *h. e.* intra eas regiones, qua oculi conspicient, ut ipsemet *Varro* mox interpretatur.

CONRĔGNO, CONRESŪPĪNĀTUS, CONRĔSUSCĬTO, CONREUS et similia. *V.* in CORREGNO, CORRESUPINATUS, CORRESUSCITO, CORREUS etc.

CONRĪDEO, CONRŌDO, CONRŪGO, CONRUO, atque ejus generis reliqua quære in CORRIDEO, CORRODO etc.

CONRUSPARI (*vel* Corruspari) conquirere, Plautus: Conruspare tua consilia in pectore. Hæc *Paul. Diac.* p. 62. 2. *Müll. V.* RUSPARI.

CONSĂCERDOS, ōtis, m. et f. 3. qui simul cum alio in eodem sacerdotio est. Est *Symmachi* 10. *Ep.* 74. et *Paulini Nol. Ep.* 20. (*al.* 10.) 2.; habetur etiam in *Inscript.* apud *De Vita*, *Act. Benevent.* cl. 1. n. 10. TRADENTE SIMVL COSINIA CELSINA CONSACERDOTE SVA. *Cyprian. Ep.* 52. *ante med.* Cornelium carissimum nostrum consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat.

CONSĂCRA, ōrum, n. plur. 2. sacra communia. *Gloss. Isid.* Confarreatio, consacrorum communicatio.

CONSĂCRO, as, etc. *V.* CONSECRO.

CONSÆPE, adverb. idem fere quod sæpe. *Gloss. Isid.* Consæpe, ut adsolet.

CONSÆPĬO *vel* consēpio, is, tum, ire, a. 4. (cum *et* sæpio). De scribendi ratione *V.* SÆPIO. — Part. *Consæptus* in fin. — Consæpio est idem quod sæpio, vel sæpe claudo. *Sueton. Ner.* 33. Denique bustum ejus consæpiri nisi humili levique materia, neglexit. *maceria* corrigendum monuit *Baumgarten Crus.* ad *Sueton.* loc. cit. — Sæpius occurrit Part. præter. pass.

Consæptus vel *conseptus, a, um*, hoc est circum sæptus et clausus.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 17. 59. Ager consæptus et diligenter consitus. *Liv.* 10. 38. Locus consæptus cratibus pluteisque. *Id.* 22. 57. Locus saxo consæptus. *Apul.* 2. *Met.* Frequentis populi circulo consæptus.

II.) Translate. *Ennius* apud *Non.* p. 183. 14. *Merc.* Teneor consæpta, undique venor. *h. e.* retibus. — Hinc

Consæptum vel *conseptum*, *i*, n. 2. Apud veteres reperitur etiam *consiptum*, teste *Paul. Diac.* p. 62. 10. et 61. 5. *Müll.*; sed hoc est obsoletum. — Consæptum absolute, substantivorum more, est locus consæptus, hoc est circum undique clausus.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 13. 2. Hæc enim si intra clausum in consæpto et sub dio etc. *Liv.* 10. 38. Ab integumento consæpti, quo etc. *h. e.* loci in mediis Samnitium castris consæpti cratibus pluteisque etc. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 7. Alter majores, alter minus amplas quam postulavit modus agri, villas extruxit: cum utrumque sit contra rem familiarem. Diffusiora enim consæpta pluris ædificamus etc. *Id.* 6. *ibid.* 23. 1. Laxo spatio consæpta facienda sunt, ne etc. *Id.* 8. *ibid.* 17. 3. de *piscinis*. Hos meatus fieri censemus per imam consæpti partem. *Apul.* 3. *Met. sub init.* Populus caveam consæptum mira celeritate complevit. *Id.* 11. *ibid.* Ædibusque conductis, intra consæptum templi larem temporarium mihi constituo. *Inscript.* apud *E. Q. Visconti Mus. Pio-Clem. T.* 1. *p.* 73. *edit. Medic.*, quæ est apud *Orell.* 4517. VETRINASQVE DE CONSAEPTO VLTIMO IN EVM LOCVM TRAJICIENDAS CVRAVERVNT. Pertinet hæc ad an. a Chr. n. 16. Alia apud *Murat.* 2097. 34. INTRA CONSCEPTVM (*corrige consæptum*) MACERIA LOCVS DIIS MANIBVS CONSECRATVS.

II.) Figurate. *Quintil.* 12. 2. 23. de *Cicer.* Neque se tanta in eo unquam fudisset ubertas, si ingenium suum consæpto fori, non ipsius rerum naturæ finibus terminasset. *h. e.* si tantummodo res forenses tractasset, non etiam philosophiam attigisset. *Apul.* 3. *Met.* Quæcumque commisero pectoris tui penetralibus, semper hæc intra consæptum clausa custodias. *h. e.* taceas.

CONSÆPTO *vel* consepto, as, are, a. 1. *frequentat. a* consæpio, uno sæpto includere. *Solin.* 32. de *Ægypto*. Eligitur sacer lucus, in quo consæptant animalia diversissimi generis.

CONSÆPTUM *vel* conseptum, i, *et*

CONSÆPTUS *vel* conseptus, a, um. *V.* CONSÆPIO.

CONSÆPTUS *vel* conseptus, us, m. 4. consæptum. In sexto casu *Strabo Gallus in fin.* Ut cum consæptu viridis consederis horti. *At hæc omnia a Lexico expungenda sunt; hic enim Gallus vixit post Caroli M. tempora.*

CONSĂLŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus invicem salutandi, vel multorum salutatio. *Cic.* 2. *Att.* 18. Huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica. *Tac.* 4. *Hist.* 72. Nulla inter coeuntes exercitus consalutatio. Adde eumd. 13. *Ann.* 16. et *Sueton. Oth.* 9.

CONSĂLŪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSĂLŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* saluto). Part. *Consalutatus* sub *b.* — Consaluto est invicem, vel simul saluto; et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ tantum. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 13. Cum inter se amicissime consalutassent. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (23). Consalutare aliquem nomine. *Sueton. Tib.* 17. populum. *Curt.* 7. 8. 5. et 10. 7. 7. aliquem. Sic *Petron. Satyr.* 7. Ridens eum consalutavi. Et *ibid.* 131. Ut me consalutavit, quid est, inquit, etc. — *b*) Cum duplici Accusativo. *Cic.* 2. *Phil.* 24. 58. Quam ex oppidis municipales, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Voroniam consalutabant. *Liv.* 36. 14. Consalutare aliquem regem. Adde eumd. 1. 7. *Id.* 3. 26. Dictatorem eum legati gratulantes consalutant. Adde eumd. 22. 29. *Seneca Vita beat.* 25. Cum deus undique consalutabor. Adde *Sueton. Aug.* 58., *Cal.* 22. et *Ner.* 8. *Tac.* 3. *Hist.* 86. Domitianum – Cæsarem consalutatum miles frequens – in patrios penates deduxit. Adde eumd. 12. *Ann.* 69.

CONSĀNESCO, sānescis, sānui, sānescere, n. 3. sanus fio. *Cic.* 4. *Fam.* 6. 2. Huc tam gravi vulnere, etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescunt. *Al. leg.* consenuisse *minus recte*. *Cels.* 7. 12. *n.* 4. *de lingua*. Et plerique quidem, ubi consanuerunt, loquuntur. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 3. Facta ulcera dum consanescunt, figulari creta linuntur. *Id.* 4. *ibid.* 27. 3. Vitis celeriter consanescit. Adde *Ulp. Dig.* 21. 1. 10. *pr.*, ubi alii pro *consanuerit* leg. *consanaverit*. V. CONSANO.

CONSANGUĬNEUS, a, um, adject. (cum *et* sanguis). *Consanguineûm* pro *consanguineorum* est apud *Lucret.* 3. 73. — Consanguineus est sanguine, hoc est generis vinculo junctus. Stricte *consanguinei* dicuntur a JCtis, *Cajo* 4. *Instit. tit.* 8. et aliis, fratres et sorores eodem patre geniti, quamvis fortasse non eadem matre. Hinc sæpe præsertim a Poetis *consanguineus* ponitur pro fraterno. Late autem *consanguinei* vocantur quicumque sanguine inter se connexi sunt, ut *Cassius JCtus* apud *Ulp. Dig.* 38. 16. 1. § 10. definit. Latissime vero omnes conjuncti, sive sint cognati, sive affines. Usurpatur autem *A*) Adjective, et *B*) Absolute, substantivorum more.

A) Adjective. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22.

44. Duos consanguineos arietes inde (*ex pecore*) eligi. *Ovid. Heroid.* 14. 121. Et consanguineæ quondam centesima turbæ, Infelix, uno fratre manente, cadam. *Id.* 8. *Met.* 476. Consanguineæ umbræ. *Val. Max.* 5. 5. 3. Consanguinea caritas. *Stat.* 11. *Theb.* 407. Stat consanguineum campo scelus. *h. e.* fratres ad singularem pugnam parati. *Id. ibid.* 60. de *Tisiphone.* Et consanguineos in prœlia suscitet angues. *h. e.* angues suis capillis immixtos, secumque uno partu genitos. (Similem locum habemus apud *Tibull.* 3. 4. 87. *de Cerbero*, et apud *Sidon. carm.* 15. 28. *de Briareo*). *Claudian. B. Gild.* 286. Ne consanguineis certetur comminus armis. *Id.* 2. *Rufin.* 237. Quid consanguineas acies, quid dividis olim Concordes Aquilas. *h. e.* exercitus amicos et affines etiam. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 267. O consanguineis felix auctoribus anne. — Figurate. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 4. Res rustica, quæ sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiæ est. *h. e.* quasi soror.

B) Absolute, substantivorum more, — *a*) *Consanguineus*, *i*, m. 2. ponitur etiam pro fratre. *Cic.* 2. *Att.* 23. 3. Sed Βοωπιδος nostræ consanguineus non mediocres terrores jacit. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 366. Et consanguineo toties data dextera Turno. Ubi *Servius*: Filius est enim Veniliæ sororis Amatæ. — Et figurate. *Id.* 6. *Æn.* 278. Et consanguineus Leti Sopor. Ὕπνος κασίγνητος Θανατοῖο, *Homer. Iliad.* 14. *v.* 231. — *b*) *Consanguinea*, *æ*, f. 1. pro sorore absolute occurrit apud *Catull.* 64. 117. ut linquens genitoris filiæ vultum, Ut consanguineæ complexum etc. Cf. *Sil. It.* 1. 608. et 655. Roma consanguinea Sagunti. *V.* in ONOM. quæ dicta sunt in v. ÆDUI. — *c*) Sæpius *Consanguinei*, *orum*, plur. 2. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 77. Meis consanguineis nolo te injuste loqui. *Cic.* 1. *Invent.* 24. 35. Hominum genus consideratur natione, Grajus, an Barbarus; cognatione, quibus majoribus, quibus consanguineis. Adde *eumd. ibid.* 54. 103.; et *Lucret.* 3. 73. et 6. 1282. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Ambarri necessarii et consanguinei Æduorum. et *ibid.* 33. Æduí fratres consanguineique sæpe numero ab senatu appellati. *Id.* 7. *ibid.* 77. Propinqui et consanguinei nostri. Adde *Sueton. Cæs.* 81.

CONSANGUĬNĬTAS, ātis, f. 3. sanguinis conjunctio, ut in voce præcedenti sub init. dictum est.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur pro fraternitate. *Ulp. Dig.* 38. 8. 4. Consanguinitatis jura a patre oriuntur; proximitatis autem nomine mater etc. Adde *Procul. ibid.* 1. 7. 44. ¶ 2. Latiori sensu pro quacumque sanguinis conjunctione. *Virg.* 2. *Æn.* 87. Consanguinitate propinquus. *Liv.* 7. 9. Cæritem populum, misericordia consanguinitatis, Tarquiniensibus adjunctum fama ferebat. Adde *eumd.* 8. 5.

II.) Translate. *Tertull. advers. Hæretic.* 32. *ad fin.* Consanguinitas doctrinæ. *h. e.* consensus, concordia, similitudo.

CONSĀNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem quod sano. *Colum.* 4. *R. R.* 28. 3. Nec propter gelicidia corticem movet, ut cicatricem consanet. *Id.* 4. *ibid.* 24. 22. Vitis laniata putrescit humoribus, ne plagæ consanentur. — Neutra significatione est consanescere. *Ulp. Dig.* 21. 1. 10. *pr.* Si homini digitus abscissus sit, membrive quid laceratum; quamvis consanaverit etc. Ita *Torrentin*: at *Haloandr.* habet *consolidaverit*. Suspicatur *Hotomann.* legendum *consanuerit*; quod præstat.

CONSARCĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSARCĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et sarcino). Part. *Consarcinans* II.; *Consarcinatus* I. et II. — Consarcino est consuo, simul sarcio (It. *cucire insieme, rattoppare*; Fr. *coudre ensemble*; Hisp. *coser juntos*; Germ. *zusammenschneidern*; Angl. *to sew or stitch together, to patch*).

I.) Proprie. *Ammian.* 31. 2. Indumenta et pellibus silvestrium murium consarcinata. *Apul.* 7. *Met.* Centunculi male consarcinati.

II.) Translate. *Gell.* 2. 23. *sub fin.* Versus sunt hi Cæcilii consarcinantis verba tragici tumoris. *Id.* 13. 24. Verbum supplendi numeri causa extrinsecus additum et consarcinatum. *Ammian.* 14. 5. Carmina multa consarcinando. *Id.* 14. 9. (*al.* 28.). Æmulis consarcinantibus insidias apud Constantium. *h. e.* commiscentibus. *Id.* 16. 8. Sussitque consarcinatis mendaciis, læsæ majestatis arcessere maritum. *Consutis dolis* eod. sensu dixit *Plautus Amph.* 1. 2. 211.

CONSARĪO vel

CONSARRĪO, is, ire, a. 4. (cum et sarrio). Part. *Consarriendus.* — Consarrio est idem quod sarrio, aut simul sarrio. *Cato R. R.* 48. Eo stercus minutum addito, consarrito, glebasque comminuito. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 46. Sulci omnes consarriendi.

CONSĀTĬO, ōnis, f. 3. *V.* CONSITIO sub init.

CONSĀTUS, a, um. *V.* CONSERO primo loco.

CONSAUCĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSAUCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et saucio). Part. *Consauciatus.* — Consaucio est idem quod saucio, vulnero. *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 26. Crebro et celeri vulnere corpus consauciari. *Sueton. Ner.* 26. *extr.* Prætoris caput consauciavit. *Id. Aug.* 20. Et crus et utrumque brachium ruina pontis consauciatus.

CONSĀVĬO et

CONSĀVĬOR. *V.* CONSUAVIO et CONSUAVIOR.

CONSCĂRĬFĬCO, as, are, a. 1. simul scarifico. *Gloss. Philox.* Conscarificat, κατασχάζει.

CONSCĔLĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq. in fin.

CONSCĔLĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et scelus). Part. *Conscaleratus* in fin. — Conscelero est scelere polluo, contamino. *Liv.* 40. 8. *sub fin.* Agite, conscelerate aures paternas. *Catull.* 67. 23. pater ipsius nati violasse cubile Dicitur, et miseram conscelerasse domum. *Ovid.* 7. *Met.* 34. Cur non et specto pereuntem, oculosque videndo Conscelero? — Hinc Part. præter. pass.

Consceleratus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Conisceleratissimus*, et est scelere pollutus, sceleatus; et occurrit — *a*) Addito Substantivo. *Cic. Cluent.* 67. 191. Illa consceleratа exsectio linguæ. *Id. ibid.* 10. 29. Nefarius et consceleratus vultus. *Id. Sull.* 10. 29. Consceleratus furor. *Id. ibid.* 9. 28. Voluntates consceleratæ et nefariæ. *Id.* 2. *Cat.* 9. 19. et *Liv.* 5. 18. Mens conscelerata et nefaria. Rursus *Cic. Cœl.* 6. 14. Impetus consceleratus. *Id.* 3. *Verr.* 35. 90. Pirata consceleratus. *Id. Dom.* 28. 76. Propulsare vim consceleratam. *Id. Rosc. Am.* 24. 67. Furiæ parentum pœnas a consceleratissimis filiis repetunt. *Liv.* 2. 37. *extr.* Conscelerati contaminatique homines. — *b*) Absolute. *Cic. Pis.* 20. 46. Deorum immortalium has esse in impios et consceleratos pœnas certissimas constitutas. *Tac.* 15. *Ann.* 55. Intestabilis et consceleratus.

CONSCENDO, scendis, scendi, scensum, scendere, a. 3. (cum et scando). Part. *Conscendens* et *Conscensus* I. 2. — Conscendo est idem quod adscendo (It. *ascendere, montare, salire*; Fr. *monter sur*; Hisp. *subir, montar, ascender*; Germ. *auf etwas steigen, sich steigend wohin begeben, etwas besteigen*; Angl. *to climb or go up to, mount, get up, ascend*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Cum Accus. et præpos. *in*. *Lucret.* 5. 1296. Et prius est repertum in equi conscendere costas. *Ovid.* 6. *Met.* 222. Conscendere in equos. *Petron. Satyr.* 116. In montem conscendere. — *b*) Sæpius cum Accus. sine præpos. *Liv.* 29. 2. *ad fin.* Quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat. Adde *eumd.* 1. 57.; *Auct. B. Hisp.* 13.; *Ovid.* 14. *Met.* 820.; *Curt* 5. 13. 15. et 10. 8. 4.; et *Sueton. Cal.* 51. *Val. Flacc.* 2. 444. Et sol ætherias medius conscenderat arces. — Jungitur nonnullis aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ovid.* 8. *Met.* 299. et *Stat.* 3. *Silv.* 1. 7. æthera. *Sil. It.* 3. 510. culmen summum. *Lucret.* 6. 47.; *Propert.* 2. 18. 13.; *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 1.; et *Curt.* 5. 10. 12. currum. *Catull.* 64. 126. et *Propert.* 1. 6. 3. montes. *Tibull.* 4. 1. 171. ramos excelsos vitis. *Virg.* 4. *Æn.* 646. rogum. *Id.* 1. *ibid.* 180. scopulum. *Seneca Med.* 973. tecta domus. *Sueton. Tib.* 17. et *Claudian.* 1. *Cons. Stilich.* 267. tribunal. ¶ 2. Specialim est nauticum verbum, et significat navim ingredi; occurrit autem — *a*) Cum Accus. et præpos. *in*. *Cic.* 14. *Fam.* 7. 2. Navem spero nos valde bonam habere: in eam simul atque conscendi, hæc scripsi. Sic *Cæs.* 5. *B. G.* 7. et *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. 1. Conscendere in naves. Rursus *Cic.* 14. *Att.* 16. 1. ab hortis in phaselum. — *b*) Cum Accus. sine præpos. *Cic.* 3. *Fam.* 10. 3. Conscendens jam navem Epheso Laodiceam revertitur. Adde *Cæs.* 4. *B. G.* 23.; *Nepot. Datam.* 4. et *Hann.* 7.; et *Liv.* 22. 19. *Justin.* 12. 10. Navibus conscensis Oceani littora peragrat. *Id.* 31. 4. Conscensa nave ad Hannibalem revertitur. *Curt.* 4. 4. 5.; et 4. 8. 7.; et *Sueton. Cæs.* 58. Conscendere navigium. *Virg.* 10. *Æn.* 155.; *Ovid.* 13. *Met.* 422., *Liv.* 44. 35.; et *Auct. B. Afr.* 10. classem. *Afranius* apud *Non. p.* 535. 30. *Merc.* cymbam. *Ovid.* 2. *Fast.* 95. puppim. *Virg.* 10. *Æn.* 155. Bis denis Phrygium conscendit navibus æquor. — *c*) Et absolute. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. *extr.* Vellem, quamprimum bona et certa tempestate conscendas. *Id.* 9. *Att.* 2. Si Comus bene comitatus conscendisset. Adde *Liv.* 22. 19. et 37. 11.; *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 41.; et *Quintil.* 4. 2. 41. — Sæpe cum addito, unde navis proficiscatur. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 6. Conscendere aut Labrone aut Pisis. *Id.* 1. *Phil.* 3. 7. et 14. *Att.* 16. 1. Conscendere ab eo loco, unde etc. *Id.* 9. *Att.* 14. 3. a Brundusio. *Id.* 6. *ibid.* 8. 4. Epheso conscendentes epistolam dare. *Liv.* 44. 23. Thessalonica. *Al. leg.* Thessalonicæ. — Raro admodum addito, quo navis proficiscatur. *Liv.* 31. 29. in Siciliam.

II.) Translate raro admodum occurrit. *Propert.* 2. 10. 23. Inopes laudis conscendere carmen. *Quintil. Declam.* 377. *init.* Per hominum deorumque contemptum ad ultimum nefas conscendere. *h. e.* ad parricidium. *Cod. Theod.* 6. 23. 2., 6. 24. 10. et 7. 8. 14. Ad superiorem gradum, ad summa fastigia dignitatum conscendere.

CONSCENSĬO, ōnis, f. 3. ascensio; sed occurrit specialim tantum, et est actus conscendendi in navem. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 68. Conscensio in naves cum fuga.

CONSCENSUS, a, um, *V.* CONSCENDO.

CONSCĬENTĬA, æ, f. 1. (cum et scientia). Hæc vox quadrisyllaba est apud *Paulin. Nolan. carm.* 4. 147. ed. *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 376. Non ullum bona formidet conscientia testem. — Usurpatur autem *A*) Pro communi plurium scientia, seu notitia alicujus rei, et *B*) Pro simplici scientia, seu notitia et cognitione, quam quisque habet privatim alicujus rei.

A) Conscientia est communis plurium scientia, seu notitia alicujus rei, tum bonæ, tum malæ, et occurrit — *a*) Absolute, ita tamen ut ex ipsius orationis contextu, de bona an de mala re sit accipienda, facile innotescat. *Cic.* 7. *Verr.* 71. 183. Non modo eos persequi, ad quos maxime culpa corrupti judicii, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit. Adde *eumd. Cœl.* 10. 23. *Curt.* 7. 1. 31. Quid igitur conscientiæ affertur indicium? *Id.* 6. 8. 12. Exonerare conscientiam. *h. e.* manifestare quæ novimus. *Tac.* 13. *Ann.* 12. Assumere aliquem in conscientiam. *h. e.* adsciscere, ut simul sciat. Sic *Id.* 12. *ibid.* 67. Adhibere conscientiam alicujus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 40, 4. *ibid.* 3., 13. *ibid.* 21., et 1. *Hist.* 27. et 28. — — *b*) Addito Genitivo subjecti, uti ajunt, seu personæ, quæ rei conscia est, sæpe etiam per Pronom. possess. *Cic. Flacc.* 16. 38. Hic ego, judices, vestram etiam conscientiam implorarem. *Id.* 2. *Fin.* 9. 28. Hominum conscientiâ remotâ. *Id.* 1. *Cat.* 1. 1. Constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Adde *Liv.* 2. 54. et *Sueton. Cal.* 56. *Tac.* 6. *Ann.* 21. Quoties super negotio consultaret, liberti unius conscientia utebatur. *Id. Agric.* 2. Illo igne conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur. *h. e.* comburendo alicujus historici scripta. Adde *eumd.* 2. *Ann.* 77. et 3. *ibid.* 40. Huc referri potest et illud *Justin.* 31. 4. Purgare publicam conscientiam. — *c*) Addito Genitivo, uti ajunt, objecti, sive rei, cujus plures sunt conscii. *Cic. Cluent.* 20. 56. An etiam consilia conscientiasque ejusmodi facinorum supplicio dignos judicarent. Cf. *Tac.* 1. *Hist.* 25. *Auct. B. G.* 8. 36. et *Tac.* 2. *Ann.* 22. Conscientia facti. *Tac.* 1. *Hist.* 12. conjurationis. *Ulp. Dig.* 48. 5. 29. Quicumque ob conscientiam stupri accepit aliquid, pœna erit plectendus. *Capitolin. Pertin.* 10. Tum Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis non fugit. — Hinc *conscientia* est idem ac consensio. *Consultat. Vet. JCti* ed. a *Schulting. Jurispr. Antejustin.* § 2. Divisio sic facta a marito mulieris ipsius, ut, illa nesciente, domus cum membris suis, vel hospitiis circumjectis divisa sit sine conscientia uxoris. Adde *ibid.* pluries.

B) Sæpius conscientia ponitur pro privata uniuscujusque scientia. ¶ 1. Generatim usurpatur pro simplici scientia, seu certa notitia et cognitione, quam quisque habet privatim alicujus rei, ita ut de re ipsa minime dubitet; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2.

Fin. 28. 71. Ut nostram stabilem conscientiam contemnemus, aliorum errantem opinionem aucupemur. *Liv.* 5. 25. Enimvero illud se tacere suam conscientiam non pati, quod etc. Adde *Quintil.* 10. 3. 2. et 11. 1. 17.; et *Tac.* 1. *Hist.* 5. — *b*) Addita re, cujus quis notitiam seu cognitionem habet — Per Genitivum. *Liv.* 8. 4. Conscientia virium nostrarum et suarum. *Id.* 3. 2. contracti culpâ periculi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (111). Regiæ fortunæ prælata litterarum conscientia. *Id.* 33. *ibid.* 3. 12. (40). In secreto margaritarum sacculi collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit. *h. e.* animus sciat et cogitet se habere margaritas. *Flor.* 2. 12. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. *h. e.* notitiam ac memoriam. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 39. Cum haberent conscientiam condicionis suæ. *h. e.* scirent se esse servos. *Quintil.* 1. 2. 10. Conscientia infirmitatis suæ. *Tac. Agric.* 27. victoriæ. *Justin.* 1. 7. 15. voluptatum suarum. — Per relativum. *Liv.* 3. 60. Illi conscientiâ, quid abesset virium, detrectavere pugnam. ¶ 2. Speciatim morali ratione est scientia boni et mali, justi et injusti, sive est conscientia moralis θεωρικὴ (ut a recentioribus plerisque inter philosophos vocatur), quæ legem moralem cum actionibus comparat judiciumque fert: hinc *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. 85. Virtutis et vitiorum etiam sine ulla divina ratione grave ipsius conscientiæ pondus esset, qua sublata jacent omnia. — *a*) De scientia boni et justi. *Cic.* 2. *Phil.* 44. 114. Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus est. *Id.* 3. *Fam.* 7. *extr.* Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officii mei. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 3. *Id. Senect.* 3. 9. Conscientia bene actæ vitæ. *Liv.* 29. 33. Egregia sæpe repetiti regni paterni conscientia. — *b*) Sæpius de scientia mali et injusti. *Cic. Pis.* 17. 39. Oppressus conscientia scelerum tuorum. Adde *Sall. Cat.* 5. *Cic. Parad.* 5. 3. § 40. Ex conscientia peccatorum timor exoritur. *Id. Mil.* 24. 64. Conscientia mediocrium delictorum. *Id. Cluent.* 13. 38. recentis maleficii. *Liv.* 28. 19. culpæ. *Vellej.* 35. 12. violatæ amicitiæ. *Id.* 2. 91. scelerum flagitiorumque. *Tac.* 12. *Ann.* 31. rebellionis. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 63. et 4. *Hist.* 41. — Cum Ablat. et præpos. *de*. *Sall. Cat.* 36. *in ep. Cat. ad Catul.* Satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi. — In plur. num. *Cic. Parad.* 2. 2. § 18. Te conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum. ¶ 3. Hinc sæpe dicitur de scientia ac judicio animi circa recte aut prave facta: ex qua oritur voluptas animi ex honestis actionibus; et timor, sollicitudo, anxietas ex turpibus: hanc recentiores plerique philosophi conscientiam πρακτικὴν vocant, sive sensum voluptatis, aut timoris, sollicitudinis, angoris. Hæc *conscientia animi* a *Cic.* 13. *Att.* 49. 2., 2. *Fin.* 16. 53. et 17. 54., et *Rosc. Am.* 24. 67., et *Cæs.* 3. *B. C.* 60., et *Auct. B. Afr.* 31. et *Phædro* 3. *prol.* 47. appellatur: nempe quia est propria solum animi cujusque. — *a*) Generatim, et quidem — Absolute. *Cic. Mil.* 23. 61. Magna vis est conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint. Cf. *eumd.* 3. *Nat. D.* 35. 85. *Id.* 12. *Att.* 28. 2. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Adde *eumd. Rosc. com.* 16. 46. et *Cluent.* 58. 159.; et *Liv.* 10. 18. *Seneca Ep.* 117. In quibus (*quæstiunculis*) ego — nec consentire salva conscientia possum. *V.* SALVUS. *Id.* 2. *Benef.* 20. Si quemadmodum debemus affecti sumus, conscientia eminebit in vultu. *Quintil.* 5. 6. 2. Adjicit ex abundanti hanc quoque conscientiæ suæ fiduciam. Sic *Conscientia mille testes* proverb. apud *eumd.* *Quintil.* 5. 11. 41. quo significatur, conscientiam numquam mentiri, sed rem prodere et certam facere, non secus ac si mille testibus confirmaretur. *Plin.* 3. *Ep.* 20. Multi famam, conscientiam pauci verentur. — Cum additis, quæ eamdem definiunt. *Cic. Brut.* 71. 250. Consolari se conscientia optimæ mentis. *Id.* 10. *Att.* 4. 5. Sustentari præclara conscientia. *Id.* 13. *ibid.* 20. In omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. *h. e.* metonymice, ab honestate. Sic *Plin.* 1. *Ep.* 12. Plurimas vivendi causas habens, optimam conscientiam, optimam famam, maximam auctoritatem. *Quintil.* 6. 1. 33. Deorum invocatio velut ex bona conscientia profecta videri solet. Adde *eumd.* 9. 2. 93.; *Cels.* apud *eumd.* 2. 15. 32.; et *Plin.* 10. *Ep.* 7. *Sall. Jug.* 66. Ex mala conscientia digna timere. Adde *Quintil.* 12. 1. 3.; *Senec. Ep.* 12. *ad fin.* et 1. *Clem.* 15.; et *Tac. Agric.* 1. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 24. 67. Sua (*quemque*) malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. — *b*) Plerumque tamen in malam partem accipitur. — Cum Addito Genit. *animi*. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 53. Animi conscientiâ excruciari. *Id. ibid.* 17. 54. Animi conscientiam non curare. Adde *eumd.* 13. *Att.* 49. 2.; *Cæs.* 3. *B. C.* 60.; *Auct. B. Afr.* 31. et *Phædr.* 3. *prol.* 47. — Sæpius absolute. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. Angor conscientiæ. *Id.* 3. *Off.* 21. 85. Labes conscientiæ in animo habere. *Id.* 2. *Cat.* 6. 13. Homo audacissimus, conscientiâ convictus reticuit. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 5. 10. *Id.* 2. *Herenn.* 5. 8. Signa conscientiæ. Sic *Curt.* 3. 6. 9. Aliquas conscientiæ notas in ipso ore deprehendere. *Sall. Cat.* 15. Conscientia mentem vexat. *Id. Jug.* 37. Ex conscientia diffidens rebus suis. *Liv.* 29. 36. Conscientia sibimet exilium consciscere. *Curt.* 5. 11. 7. Stimulante conscientia. *Seneca Ep.* 97. *sub fin.* Conscientia flagellantur facinora mala. *Quintil.* 5. 12. 40. Conscientia impulsus. — Et metonymice pro ipsa culpa, seu reatu, unde oritur conscientiæ angor. *Sall. Jug.* 60. Non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. — Cl. *Furlanetto* in altera *Append.* hæc addidit. *Merobaud. Cons. Aetii fragm.* 1. Quid enim eis prodest non habere conscios, cum habeant conscientiam? *Id. fragm.* 2. Habes tamen præmiatricem conscientiam tuam. At *Merobaud.* est scriptor nullius auctoritatis.

CONSCINDO, scindis, scidi, scissum, scindere, a. 3. (cum et scindo). Part. *Conscissus* I. et II. — Conscindo est idem quod scindo, discindo, discerpo, lacero (It. *lacerare*; Fr. *déchirer entièrement, lacérer*; Hisp. *desgarrar, lacerar*; Germ. *zerreissen, zerzausen*; Angl. *to cut or tear in pieces*).

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 1. 1. 32. Pallula conscissa. *Ter. Eun.* 5. 1. 4. vestis. *Id. ibid.* 4. 3. 4. Vestem omnem miseræ discidit: tum ipsam capillo conscidit. *Cic.* 7. *Fam.* 18. 4. Epistolam tuam conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non vel in concione recte legi posset. *Id.* 7. *ibid.* 25. 1. Epistola conscissa. *Id.* 5. *Verr.* 23. 56. Ibi, cum pugnis et calcibus Polemarchus conscissus esset, qui DCC. medimnûs decidere noluisset, mille promisit. *Al. leg.* concisus. *Pseudo-Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de repub. ord.* Plebs R. in villa publica pecoris modo conscissa. *Al. leg.* concisa. *Dig.* 47. 9. 6. Vela conscindere.

II.) Translate. *Lucret.* 5. 46. Quantæ conscindunt hominem cuppedinis acres Sollicitum curæ? *h. e.* vexant, cruciant. *Cic.* 8. *Att.* 16. 1. Is me optimatibus ait conscindi. *h. e.* maledictis lacerari. *Id.* 2. *ibid.* 19. 3. Qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. *Justin.* 2. 1. *sub fin.* Ægyptus adversum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis conscissa. *h. e.* intercisa: *al. tamen leg.* concisa.

CONSCĪO, is, ire, a. 4. (cum et scio) conscius sum, scio, cognosco. *Lex XII Tabul.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. et *Gell.* 17. 2. Ante meridiem caussam conscito. *h. e.* cognoscito. At ibi legendum *conjicito*: *V.* CONJICIO II. 2. — *Conscire sibi aliquid* est alicujus pravi facinoris conscium esse. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 61. Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. — Particip. *Consciens* apud *Tertull. Car. Chr.* 3. Consciens Christus, quid esset.

CONSCĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* conscius. *Catull.* 67. 41. Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem Solam consciolis hæc sua flagitia. *Al. leg.* cum ancillis: *alii aliter*.

CONSCISCO, sciscis, scivi vel scii, scitum, sciscere, a. 3. (cum et scisco). Part. *Consciscens* 2. *a.*; *Consciscendus* et *Conscitus* 2. *b.* — Conscisco est idem quod scisco, vel simul scisco, delibero, decerno, statuo (It. *deliberare, determinare*; Fr. *arrêter en commun après délibération, décider*; Hisp. *sentenciar, decidir, determinar*; Germ. *durch förmlichen Beschluss festsetzen und anordnen, beschliessen*; Angl. *to vote together or by common consent, to determine, resolve, decree*). Occurrit autem ¶ 1. Stricto sensu, pro deliberare, decernere, statuere, fuit verbum reipublicæ proprium. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 10. CREATIO MAGISTRATVVM, IVDICIA, POPVLI IVSSA, VETITA, QVOM SVFFRAGIO CONSCISCENTVR, OPTIMATIBVS NOTA, PLEBI LIBERA SVNTO. *Formula bellum indicendi* apud *Liv.* 1. 32. Quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt, pio puroque duello quærendas censeo; itaque consentio, conscisco que. *Id.* 10. 18. Tusci fere omnes consciverant bellum. *Al. leg.* conciverant: *alii* concitaverant. *Id.* 10. 34. *sub fin.* Fugam communi consilio consciscunt urbes aliquot. ¶ 2. Latiori sensu, et quidem in usu frequentiore habet significationem exsequendi, ut *consciscere sibi mortem*, nempe exsequi id quod deliberaveris et decreveris: et *consciscí* quasi per euphemismum dicuntur ea mala, quæ nos libere ac voluntario nobis ipsis eligimus atque inferimus. Usurpatur autem — *a*) Sæpius cum Dat. pron. pers. *sibi*. *Cic. Cluent.* 61. 171. Qui si quid animi ac virtutis habuisset, mortem sibi ipse conscisset. *syncope pro* conscivisset. *Id. Brut.* 11. 43. Veneno sibi mortem consciscere. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 56. 129., 1. *Tusc.* 34. 83., 1. *Off.* 31. 112.; *Cæs.* 1. *B. G.* 4. et 3. *ibid.* 22.; et *Liv.* 3. 58. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. 7. et *Nepos* apud *Gell.* 7. 18. Necem sibi consciscere. *Lucret.* 3. 81. Ut sibi consciscant mærenti pectore letum. *Liv.* 5. 53. Ut exsilium ac fugam nobis ex eo loco consciscеremus, quem etc. *h. e.* nos ultro exsilium ac fugam caperemus. *Id.* 29. 36. Conscientia sibimet ipsi exsilium consciscentes. Adde *eumd.* 10. 17. *Id.* 28. 22. Facinus in se ac suos fœdum ac ferum consciscunt. — *b*) Interdum omisso pron. pers. *sibi*. — Active. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 26. Alio modo — consciscam letum. *Liv.* 33. 48. et *Tac.* 3. *Hist.* 9. Fugam consciscere. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *circa med.* Neque incolumis fui Cæsare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus. *Gell.* 10. 17. Modus, quo Democritus cæcitatem conscivit, Laberius poeta describit. — Passive. *Cic.* 7. *Fam.* 3. 3. Consciscenda mors voluntaria. *Liv.* 39. 19. Ne mortis consciscendæ locum haberet. Adde *Dig.* 21. 1. 1. *Liv.* 9. 26. Calavios mors haud dubie ab ipsis conscita judicio subtraxit. Adde *Dig.* 48. 21. 3. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (107). Labor, incertum major, an longior, passim conscita nece. *Sueton. Cæs.* 36. et *Claud.* 31. De consciscenda nece cogitare. ¶ 3. Latissimo sensu est etiam consentire, convenire, concordare. *Nepos Alcib.* 11. Qui (*Theopompus et Timæus*) quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in uno laudando conscierunt.

CONSCISSIO, ōnis, f. 3. actus conscindendi. *Augustin. Mor. Eccles. Cath.* 34. Quid inter unitatem et conscissionem intersit.

CONSCISSŪRA, æ, f. 1. idem ac scissura. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (63). Etiam cicatricibus operis atque conscissuris remanentibus. *Harduin.* legit *concisuris* ex MSS., quam lectionem retinuit et *Sillig.* Editiones vet. 1469. 1470 et 1472. habent *conscissuris*.

CONSCISSUS, a, um. *V.* CONSCINDO.

CONSCĪTUS, a, um. *V.* CONSCISCO.

CONSCĬUS, a, um, adject. (cum et scio) qui rem aliquam *A*) Cum aliis scit, aut *B*) Solus scit.

A) Conscius est qui cum aliis scit aliquid sive bonum, sive malum, particeps, socius, testis (It. *consapevole, conscio, partecipe, complice*; Fr. *qui sait avec d'autres, participe, complice*; Hisp. *concio, complice*; Germ. *mitwissend, Mitwisser, Mitwisserind*; Angl. *conscious, privy to, witness of, partaking of, in the secret of*). In prosa oratione de personis tantum usurpatur; a Poetis vero dicitur etiam de rebus, quæ tamquam muti factorum testes videntur. Porro — 1.°) Conscius dicitur et est, qui rem aliquam cum aliis scit, quoniam ejusdem rei particeps est ac socius; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Cist.* 2. 3. 46. Fac me consciam. Adde *eumd.* 1. 1. 40. et *Most.* 2. 3. 46. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 53. Ut excogitet, quo modo occulte, sine teste, sine ullo conscio fallat. Adde *eumd.* 2. *Att.* 24. 1.; *Nepot. Miltiad.* 3. et *Dion.* 9.; *Horat.* 3. *Od.* 6. 29.; *Ovid.* 3. *Met.* 290. et 4. *ibid.* 63.; *Quintil.* 4. 2. 84. et 5. 7. 37.; *Sueton. Domit.* 10.; *Tac.* 1. *Ann.* 5.; et *Dig.* 42. 8. 10. § 2. — Poetice. *Catull.* 64. 24. Conscius rubor. *Ovid. Heroid.* 18. 105. nox, turris. *Id.* 2. *Met.* 438. silva. *Id.* 3. *ibid.* 290. Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunto Numina torrentis. *h. e.* testes. — *b*) Addita per Dativum persona, cujus quis particeps est ac socius. *Plaut. Rud.* 4. 2. 21. Aurum hic ego inesse reor: nec mihi conscius est ullus homo. *Ter. Heaut.* 1. 1. 69. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii. — Item cum Dativo personæ et Genitivo rei. *Ter. Phorm.* 1. 3. 4. Qui tam audacis facinoris mi conscius sis. *Sall. Cat.* 22. Alius alii tanti facinoris conscius. Adde *Curt.* 6. 10. 20. et *Tac.* 1. *Ann.* 43. — Huc pertinent et illa *Tac.* 1. *Hist.* 39. Conscii Othonis. Et *Tibull.* 1. 9. 3. Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum. *h. e.* exta, quæ

norunt quodammodo se manifestant deorum voluntatem. Similiter Ovid. 2. Amor. 1. 7. Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, saucius arcu, Agnoscat flammæ conscia signa suæ. h. e. quæ flammam suam repræsentent et significent. Cf. Martial. 4. 25. Et Phaethontei conscia silva rogi. Capell. 6. p. 220. Taurus mons conscius orbis. h. e. innumerarum gentium arbiter, ut habet Plin. 5. Hist. nat. 27. 27. (97). — 2.°) Conscius dicitur et est, qui cum aliis scit aliquid simpliciter; et occurrit — a) Cum Genitivo rei. Cic. 6. Fam. 5. 1. Homo omnium meorum in te studiorum et officiorum maxime conscius. Id. 14. Phil. 6. 16. Omnium consiliorum periculorumque testis, conscius, adjutor. Id. Cluent. 22. 59. Conscius maleficii. Sall. Cat. 26. Sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, cædis conscia fuerat. Id. ibid. 37. Conscius conjurationis. Liv. 9. 26. ante actæ vitæ. Curt. 6. 10. 20. sceleris. Virg. 2. Æn. 141. numina conscia veri. Horat. 2. Sat. 7. 60. Conscius herilis peccati. Sueton. Ner. 3. Conscius necis, cui ibid. opponitur auctor. — Poetice. Virg. 4. Æn. 519. conscia sidera fati. Ovid. Heroid. 17. 265. furtivæ conscia mentis Littera. Adde eumd. 7. Met. 385. et 13. ibid. 15. — b) Cum Dativo rei. Cic. Cæl. 21. 52. Huic facinori tanto mens tua liberalis conscia esse non debuit. Adde eumd. Cluent. 20. 52. Id. 5. Verr. 56. 124. Tot viros primarios esse temeritati et mendacio meo conscios. Tibull. 1. 9. 41. Conscius verbis. Ovid. 7. Met. 194. cœptis. Sic Lucan. 1. 20. gens nascenti conscia Nilo. h. e. quæ accolit Nili fontes. — Poetice. Virg. 4. Æn. 167. fulsere ignes et conscius æther Connubiis. h. e. præsens testis. Al. leg. Connubii. Ovid. 6. Met. 588. nox conscia sacris. Id. Heroid. 15. 138. antra conscia deliciis. — c) Raro cum Ablat. et præpos. in, vel de, quæ tamen et a Verbis pendent. Cic. 1. Att. 18. Qui mihi et in publica re socius, et in privatis omnibus conscius, et omnium meorum sermonum particeps esse soles. Propert. 1. 10. 2. Assueram vestris conscius in lacrimis. Cic. 2. Att. 24. 3. His de rebus conscium esse Pisonem generum meum. — d) Cum relativo. Nepos Dion. 8. Res multis consciis quæ gereretur, elata refertur ad Aristomachen.

B) Conscius etiam dicitur et est qui solus scit rem aliquam. Cum enim scius parum admodum sit in usu, pro eo conscius, quæ sonantior est vox, usurpari cœpta: quod et Non. p. 429. 23. Merc. advertit. Occurrit autem — 1.°) Sæpius cum Dativ. sibi, mihi, tibi, nobis, vobis etc.; et quidem — a) Raro admodum absolute. Ter. Eun. 1. 2. 119. Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio. Et in malam partem Sall. Jug. 40. Huic rogationi – conscii sibi – impedimenta parabant. — b) Sæpius cum addito Genitivo rei. Cic. 3. Off. 18. 73. Conscius sibi nullius culpæ. Cæs. 1. B. G. 14. Si alicujus injuriæ sibi conscius fuisset. h. e. injuriæ illatæ scisset se reum esse. Ovid. 2. Amor. 7. 11. Sibi conscius peccati. Curt. 7. 1. 21. sermonis nullius. Sueton. Claud. 38. iræ et iracundiæ. Similiter Virg. 1. Æn. 604. mens sibi conscia recti. Val. Flacc. 8. 401. sacri sibi conscia pacti Religio. Ovid. 8. Met. 530. diri manus sibi conscia facti. — c) Cum addito Dativo rei. Lucret. 3. 1031. mens sibi conscia factis. — d) Cum addito Ablat. et præpos. in. Lucret. 6. 393. Et potius, nulla sibi turpi conscius in re, Volvitur in flammis innoxius. — e) Cum addito Accus. et Infinito. Cic. 2. Tusc. 4. 10. Mihi conscius sum, nunquam me nimis cupidum fuisse vitæ. Adde Ter. Adelph. 3. 2. 50.; Matium apud Cic. 11. Fam. 28. 1.; et Quintil. 12. 11. 8. — f) Cum addito Relativo. Auct. B. G. 8. 44. Cum sibi conscius esset, quam inimicum deberet Cæsarem habere. — g) Conscius sum mihi benefacienti, vel benefaciens: σύνοιδα ἐμαυτῷ εὐπεποιηκότι, vel πεποιηκώς, formula Græcæ locutionis, qua testatur Priscian. 18. p. 1205. Putsch. etiam Latinos aliquando usos fuisse. — 2.°) Omisso Dativ. Pronominis person. — a) Generatim. — Absolute. Ovid. 1. Fast. 485. Conscia mens, ut cuique sua est, Ita spemque metumque Concipit. Virg. 5. Æn. 455. Tum pudor incendit vires et conscia virtus. Sic Id. 12. ibid. 668. Conscia virtus. h. e. quæ suas vires cognoscit. — Cum Genitivo rei. Virg. 8. Æn. 393. formæ conscia conjux. Ovid. 4. Fast. 311. mens conscia recti. Seneca Herc. Œt. 1207. Virtus conscia laudis. h. e. virtus, quæ scit laudem sibi deberi. — b) Speciatim conscius est idem ac reus; et occurrit — Cum Genitivo. Virg. 11. Æn. 812. conscius audacis facti. Propert. 1. 15. 38. admissæ nequitiæ. Ovid. 2. Amor. 2. 27. commissi. — Absolute. Plaut. Most. 3. 1. 13. Nihil est miserius, quam animus hominis conscius. Lucret. 4. 1131. Aut quum conscius ipse animus se forte remordet, Desidiose agere ætatem. Adde Sall. Cat. 14. Similiter Seneca Herc. fur. 692. Pudor serus conscios vultus tegit. Id. Hippol. 495. Omnes conscius strepitus pavet.

CONSCREOR, āris, āri, dep. 1. pituitam aut salivam excreando purgor. Plaut. Pers. 2. 5. 7. Magnifice conscreabor. Apud Non. p. 479. 16. Merc. hæc eadem Plauti verba referentem legitur consecrabor: sed vel corrupta est lectio, vel Nonius erravit turpiter, ut et Lips. adnotavit l. 2. Quæst. epistol. ep. 4.

CONSCRĪBILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. deminut. a. conscribo, sed ejusdem significationis, ut Non. p. 83. 2. Merc. docet. Videtur tamen continere aliquem contemptum. Varro apud Non. ibid. Itaque coram conscribillavit Herculis athletis. Idem apud eumd. p. 83. 1. Astrologi non sunt, qui conscribillarunt pigmentis cælum. Mercer. leg. pingentes cælum. Catull. 25. 10. Ne laneum latusculum, manusque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent. h. e. vibicibus notent, aut scarificent, lacerent. ἐγγράψωσι, ἐπιγράψωσι. (Antepænultima hoc loco a Catullo corripitur). Ita Homer. 4. Iliad. 139. de sagitta perstringente cutem Menelai. Ἀκρότατον δ' ἄρ' ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός. V. voc. seq. in fin.

CONSCRĪBO, bis, psi, ptum, bere, a. 3. (cum et scribo). Conscripsti syncop. pro conscripsisti legitur apud Plaut. Asin. 4. 1. 1., quem locum vide in SYNGRAPHUS. — Part. Conscriptus in omnibus paragr.; Conscribendus 1. — Conscribo proprie est simul scribo, et generatim plura in unum cogo scribendo (It. scrivere, mettere insieme più cose scrivendo; Fr. écrire ensemble; Hisp. escribir juntos; Germ. zusammenschreiben, in Schrift oder schreibend zusammenbringen; Angl. to write). Usurpatur autem ¶ 1. In re militari; et conscribere milites est cogere, et eorum nomina scribendo milites facere. Cf. Plaut. Mil. glor. 1. 1. 76. Cogere et conscribere latrones. Cæs. 1. B. G. 10. Duas legiones conscribere. Id. 1. B. C. 85. Legio conscripta. Id. 3. ibid. 4. Quas (legiones) Lentulus conscribendas curaverat. Adde eumd. 1. B. G. 24. et 2. ibid. 2.; Liv. 37. 2.; Vellej. 2. 16. 2. et Sueton. Cæs. 8. et 24. Vellej. 2. 20. 4. E quorum (novorum civium) delectu ccc. amplius cohortes conscripserat. Lentulus ad Coss. apud Cic. 12. Fam. 15. 7. Milites, quos Dolabella ex Asia conscripserat. Tac. 3. Hist. 25. Is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem – scrutatur. Id. 3. Ann. 42. Ala equitum conscripta Treveris. ¶ 2. Item, etiam extra rem militarem, est describere, et de civium classibus dicitur. — a) Generatim. Liv. 1. 13. Eodem tempore et centuriæ tres equitum conscriptæ sunt. Adde Tab. Heracl. v. 11. ær. Neapol. — b) Hinc speciatim in formula patres, conscripti in senatu Romano primum dicti sunt, inquit Paul. Diac. p. 41. 13. Müll., qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur. Cf. eumd. Paul. p. 7. 5. Et Festus p. 254. 22. Müll. explicatius hæc addit: Qui patres, qui conscripti vocati sunt in curiam? quo tempore regibus urbe expulsis, P. Valerius Cons. (Liv. 2. 1. et Tac. 11. Ann. 25. hoc L. Junio Bruto ejus collegæ attribuunt; Dion. Halic. l. 5. utrique consuli) propter inopiam patriciorum, ex plebe (Liv. ibid. ex primoribus equestris gradus) adlegit in numerum senatorum centum et sexaginta et quatuor, ut expleret numerum trecentorum et duo genera appellata sunt. Tangit hic Festus morem eorum temporum, quo, post senatores, hosce conscriptos additosque senatui, accensus ita eos vocare in senatum solebat: qui patres, quique conscripti, etc. V. Liv. loc. cit. Hosce conscriptos patres Tacit. loc. cit. appellat patricios minorum gentium, ut eos, quos Romulus instituerat, majorum. Liv. vero 1. 35. et 47. et Cic. 2. de republ. (edente A. Maio) 20. minorum gentium appellant illos centum, quos Tarquinius Priscus adlegerat. Qui vero post eos in senatum adsciti sunt (quod sæpius est factitatum) allecti sunt appellati: de quibus V. suo loco. Verum non desunt ex recentioribus, qui conscriptos putant appellatos eos, quos Romulus ipse post Sabinum bellum in senatum adscivit, et primis centum patribus adjunxit. V. plura apud eruditos, Sigon., Panvin., Manut. etc. — Procedente tempore omnes patres conscripti vocati sunt; quæ appellatio in Orationibus Ciceronis passim occurrit (quemadmodum 1. Cat. 11. 27. et post red. in Senat. 1. 1.) quæ in senatu habitæ sunt. Eadem appellatio occurrit etiam in iis orationibus, quæ, etsi extra curiam habitæ, maximam præferebant dignitatem, ut apud Cic. 2. Verr. 15. 44. (V. Klotz ad h. l.), Planc. 35. 87. et Pis. 8. 18. Cf. Nepot. Hann. 12. — Jlocaliter Quintil. 9. 3. 72. Ne patres conscripti videantur circumscripti. — Pater conscriptus sing. num. de uno tantum senatore dixit Cic. 13. Phil. 13. 28. — Absolute, omisso nom. pater. Horat. Art. P. 314. Didicere, quod sit conscripti, quod judicis officium. — Denique per similitudinem Apul. 6. Met. Di conscripti. ubi al. male addunt Musarum albo. — c) Item speciatim conscripti absolute iidem etiam sunt ac decuriones in municipiis et coloniis. Inscript. apud Gruter. 443. 6., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 242. PELMINI VESTINIS IN CVRIA AVG. PLACERE CONSCRIPTIS etc. Adde aliam apud eumd. 456. 1., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 102. ¶ 3. Conscribere etiam in malam partem accipitur; et — a) Modo conscribere cives dicitur, qui eorum nomina describit, quorum suffragia captare venarique vult. Cic. Planc. 18. 45. et 19. 47. Conscripsisse, sequestrem fuisse, tribules decuriasse. — b) Modo conscribere homines vel cives dicitur, qui eosdem ad conjurationem parat. Cic. post red. ad Quirit. 5. 13. Cum homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidissem. Adde eumd. post red. in Senat. 13. 33. et Sext. 15. 34. ¶ 4. Sæpe significat scribendo componere, rem aliquam scribendo tractare. Usurpatur autem — a) Cum Accusativo, et jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Ovid. 2. Pont. 9. 73. stultam conscripsimus artem. Liv. 26. 24. et Dig. 38. 17. 2. condiciones. Ovid. 5. Trist. 3. 55. veterum digne veneror conscripta virorum. h. e. scripta: alii tamen leg. cum scripta. Sueton. Tib. 6. edicta. Cic. 13. Att. 50. epistolam de his ipsis libris Cæsari conscribere. Cæs. 5. B. G. 48. epistola Græcis litteris conscripta. Catull. 68. 2. epistolium lacrimis conscriptum. Liv. 41. 24. fœdus. Cic. Cluent. 66. 186. fortunas alterius litteris conscriptas in judicium afferre. Liv. 26. 24. hæc conscripta consignataque sunt. Fragm. Vatic. § 314. instrumenta donationum. Cic. 4. Att. 1. 7. legem. h. e. componere legem populo proponendam. Id. Brut. 35. 132. liber conscriptus de consulatu, de rebus gestis. Nepos Lysand. 4. librum multis verbis. Vitruv. 7. procem. 14. Schneid. præcepta symmetriarum. Id. 1. procem. 3. perscriptiones terminatas. Cic. Cluent. 66. 185. quæstionem fictam. Dig. 34. 3. 31. rationes in chartis. Cic. Harusp. resp. 6. 11. scelera stilo impudico. Plaut. Asin. 4. 1. 1. syngraphum inter aliquos. Id. Pseud. 1. 1. 26. tabellas. Cic. Harusp. resp. 20. 42. et Sueton. Claud. 44. testamenta. Cic. 7. Fam. 19. Topica Aristotelea conscribere institui. Id. Rosc. Am. 35. 101. volumen. — Conscriptus interdum est idem quod subscriptus, quia qui subscribit, simul cum alio scribit. Ulp. Dig. 38. 17. 2. ad fin. Finge autem plenius condicionem conscriptam; nonne erit matri ignoscendum? — Et cum duplici Accus. Sueton. Claud. 38. In ordinem se coactum conscribere. — Cum Accusativo et Infinito occurrit in Cod. 5. 15. 3. — b) Cum Ablativo et præp. de. Cic. Senect. 23. 83. De quibus (viris) audivi et legi et ipse conscripsi. Id. 12. Att. 19. 2. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit. Id. 1. Herenn. 1. 1. De ratione dicendi conscribere. Quintil. 2. 11. 24. de artibus. ¶ 5. Conscribere est etiam aliquid scripturâ signare, delineare. Ovid. 2. Amor. 5. 17. Conscripta vino mensa. Plin. 28. Hist. nat. 2. 4. (20). Parietes incendiorum deprecationibus conscribere. Stat. 3. Silv. 1. 117. Conscripta formatur imagine tela. h. e. delineata, descripta. — Hinc jocula riter pro lacerare, scarificare, concidere. Plaut. Pseud. 1. 5. 131. Stilis me totum usque ulmeis conscribito. V. CONSCRIBILLO.

CONSCRIPTĬO, ōnis, f. 3. actus conscribendi ¶ 1. Proprie est militum descriptio, coscrizione apud recentiores Italos. Cassiod. 6. Hist. Eccl. 17. Ex nostris (Christiani) armati conscriptionibus contra nos bella suscipiunt. (Hæc sunt Juliani Aug. verba). ¶ 2. Item est actus componendi, seu rem aliquam scriptis tractandi. Cic. Cluent. 67. 191. Falsæ conscriptiones quæstionum. h. e. tabulæ. Vitruv. 7.

procem. 1. *Schneid.* Omnium generum sensus conscriptionibus memoriæ tradendos curaverunt. *h. e.* libris conscriptis. *Id.* 5. *procem.* 2. Conscriptio architecturæ. Cf. *eumd.* 7. *procem.* 1. *Sidon.* 7. *Ep.* 18. De libelli conscriptione meditari. *Arnob.* 7. 35. Quid historiæ sibi volunt, quid annales, quorum in conscriptionibus legimus, etc? Adde *eumd. ibid.* 46. et 1. 56.

CONSCRIPTOR, ōris, m. 3. qui conscribit; sed occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores pro eo, qui aliquid scribendo componit. *Quintil. Declam.* 277. Conditor conscriptorque legis. *Arnob.* 1. 54. Conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt. Adde *eumd. ibid.* 57., et *Augustin. Ep.* 18. *a med.*

CONSCRIPTUS, a, um. *V.* CONSCRIBO.

CONSĔCO, sĕcas, sĕcui, sectum, sĕcare, a. 1. (cum et seco). Part. *Consectus.* — Conseco est idem quod seco, concido (It. *tagliare*; Fr. *couper, mettre en morceaux*; Hisp. *cortar, dividir*; Germ. *zertheilen, schneidend abmindern*; Angl. *to cut, cut in pieces*). *Cato R. R.* 157. Brassica consecta. *Varro* 1. *R. R.* 59. 4. Servare rapa consecta in sinape. *Id.* 3. *ibid.* 10. 6. Nasturtium consectum minutatim. *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 34. Inde Tomos dictus locus est, quia fertur in illo Membra soror fratris consecuisse sui. *Ascon.* ad *Cic. Milon.* p. 36. *Bait.* Articulatim consecare aliquem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 9. (88). Truncus arboris consectus. *Id.* 12. *ibid.* 19. 43. (96). Consecare surculos. *Id.* 30. *ibid.* 4. 10. (28). Pulmones in tenues membranas consecti. *Id.* 36. *ibid.* 26. 66. (193). *de massa vitri ferventis.* Consecat usque ad ossa quidquid afflaverit corporis. *Petron. Satyr.* 137. tremulo deduxit vertice canos, Consecuitque genas, oculis nec defuit imber.

CONSĔCRĀNĔUS, a, um, adject. qui eorumdem sacrorum particeps est: item commilito, eodem sacramento obstrictus. *Capitolin. Gordian.* 14. Sacrati commilitones, immo etiam mei consecranei. *Tertull. Apolog.* 16. Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster. *Inscript.* apud *Henzen.* 5855. DEO INVICTO SOLI SOC. SACRVM PRO SALVTE ET INCOLVMITATE IMP. CAES. M. AVRELI ANTONINI PII FELIC. AVG. N. L. CAECILIVS OPTATVS TRIB. COH. I. VARDVL. CVM CONSECRANEIS VOTVM DEO.... A SOLO EXTRVXIT.

CONSĔCRĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac sacratio, sive actus aliquid ex profano sacrum ac religiosum faciendi, diis dicandi (It. *consacrazione*; Fr. *consécration*; Hisp. *consagracion*; Germ. *d. Weihe, Heiligsprechung*; Angl. *a consecration, dedication*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic. Dom.* 48. 125. An consecratio nullum habet jus, dedicatio est religiosa? *Id. ibid.* 50. 128. Consecratio honorum. *Id. ibid.* 50. 106. Domus consecratio. *V.* CONSECRO I. 1. *Id. Balb.* 14. 33. Legis aut pœnæ consecratio. *h. e.* punitio per maledictionem. ¶ 2. Specialim consecratio dicebatur imperatorum defunctorum in deos relatio, quod primum in Augusto factum est. Fiebat autem extructo rogo aromatibus farto immissoque igne; quo accenso aquila emittebatur, quam dicebant animam demortui ad deos evolantis. In Augustarum consecrationibus adhibebatur pavo, qui Junonis est sacer. Omnem hunc ritum *V.* apud *Herodian. l.* 4. *c.* 2. Ipsa autem vox *consecratio* hoc sensu occurrit apud *Tac.* 13. *Ann.* 2., *Sueton. Domit.* 2., et in nummis Augusti, Vespasiani, Titi etc., item Liviæ, Flaviæ Domitillæ, Marcianæ, Matidiæ etc. apud *Eckel.* et alios: nec semper pavo in nummis mulierum, sed aliquando etiam aquila visitur, ut in nummo Matidiæ, et alibi. ¶ 3. Item specialim institutio alicujus in sacerdotem. *Inscript.* apud *Gruter.* 303. 2. D. D. N. N. VALENTE ET VALENTINIANO AVG. VI. ID. APR. TRADIDIT HIEROCORAICA AVR. VICTOR AVGENTIVS FILIO SVO AEMILIANO ANNO TRICESIMO CONSECRATIONIS SVAE. Adde *Nov. Major. de episc. jud.* 4. 9. 1. et *Julian. epit. nov.* § 24. ¶ 4. Denique mira hujus vocis significatio est pro magica precatione seu sacrificio. *Lamprid. Elagab.* 9. Dictum est a quibusdam, per Chaldæos et Magos Antoninum id egisse, ut Marcomanni populo R. semper devoti essent atque amici, idque factis carminibus et consecratione. Cum quæreret quæ illa essent, vel ubi essent, suppressum est: constabat enim, illum ob hoc consecrationem quærere, ut eam dissiparet.

CONSĔCRĀTOR, ōris, m. 3. qui consecrat. *Firmic.* 4. *Mathes.* 7. *sub fin.* Consecratores simulacrorum. *Tertull. Pudic.* 21. *sub fin.* Auctor et consecrator Ecclesiæ. *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 9. Consecrator virginum.

CONSĔCRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ consecrat. *Tertull. advers. Gnost.* 3. Ægyptus, inter cetera animalia, bovis etiam consecratrix. *h. e.* quæ bovem quoque deum facit.

CONSĔCRĀTUS vel consacratus, a, um. *V.* voc. seq.

CONSĔCRO vel consacro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et sacro). Reperitur et consacro per *a*: quamquam rarius. *Inscript.* apud *Gruter.* 18. 6. EX VOTO SVSCEPTO ARAM CONSACRAVIT. *Alia* apud *eumd.* 867. 5. OLLARVM QVAE IN AEDIFICIIS INSVNT ET CONSACRATAE SVNT. Al. hic leg. *consecratæ.* — Part. *Consecratus* in omnibus paragr. et in fin.; *Consecrandus* I. 2. — Consecro est idem quod sacro, seu ex profano sacrum religiosumque facio, diis dico (It. *consecrare*; Fr. *consacrer, vouer, offrir à une divinité*; Hisp. *consagrar, dedicar, ofrecer á Dios*; Germ. *eine Person oder Sache* den *Göttern weihen*; Angl. *to consecrate, dedicate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim usurpatur — *a*) Absolute. *Cic. Dom.* 50. 128. Quia consecrabantur ædes, non privatorum domicilia, sed quæ sacræ nominantur: consecrabantur agri, non ita ut –, sed ut imperator agros de hostibus captos consecraret etc. *Id. ibid.* 47. 123. C. Atinius bona Q. Metelli consecravit, foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. *et ibid. paullo post.* Tu capite velato, contione advocata, foculo posito, bona Gabinii consecrasti. (*Habes hic ritum bona alicujus consecrandi.*) *Sueton. Cæs.* 81. Equos, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos et sine custode dimiserat. — Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. Dom.* 50. 128. ædes alicujus. *Id. ibid.* et *Sueton. Cæs.* 20. agros. *Cic. Dom.* 55. 140. et 43. 137. aram in littore. *Id. ibid.* 47. 123. et *Liv.* 43. 16. bona alicujus. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 2. 5. Carthaginem veterem nudatam tectis ac mœnibus consecrare. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 19. 51. *Id. Dom.* 45. 119. et *Harusp. resp.* 5. 9.; et *Sueton. Aug.* 5. domum. *Tac. Germ.* 9. *extr.* lucus ac nemora. *Liv.* 1. 44. locum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 24. 61. et *Sueton. Galb.* 4. simulacra. — Hac eadem significatione sæpe occurrit Part. præter. pass. fere adjectivorum more. *Cic.* 6. *Verr.* 2. 4. Hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit. *Id.* 6. *ibid.* 57. 128. Aristeus una cum Libero patre eodem in templo consecratus. *Id. Partit. orat.* 10. 36. Loci consecrati. *quibus ibid. opponuntur* profani. Adde *eumd.* 12. *Att.* 19. 1.; et *Cæs.* 6. *B. G.* 13. et 6. *ibid.* 17. *Liv.* 1. 44. Termini consecrati. — *b*) Cum Dativo personæ, cui aliquid consecratur. *Cic.* 6. *Verr.* 29. 67. Dare, donare, dicare, consecrare candelabrum Jovi Opt. Max. *formula aliquid diis addicendi. Id. Arch.* 11. 27. Martis manubias Musis consecrare. *Id.* 6. *Verr.* 48. 106. Siciliam Cereri et Liberæ consecrare. *Id.* 3. *Nat. D.* 38. 98. Quamvis licet Menti delubra, et Virtuti et Fidei consecramus. *Id. Dom.* 48. 125. domum et quidquid habet quispiam aliud Cereri. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Item Trallibus in templo Victoriæ, ubi Cæsari statuam consecraverant. *Catull.* 18. 1. Lucum alicui consecrare. *Curt.* 4. 7. 16. Tandem ad sedem consecratam deo ventum est. *Sueton. Aug.* 29. Ædem tonanti Jovi consecrare. ¶ 2. Specialim — *a*) *Consecrare aliquem* est inter deos referre et deum facere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 102. Belluæ a Barbaris propter beneficium consecratæ. *Id.* 3. *ibid.* 15. 39. Omne fere genus bestiarum Ægyptii consecraverunt. *Id.* 2. *ibid.* 26. 66. Aer autem, ut Stoici disputant, interjectus inter mare et cælum, Junonis nomine consecratur. *Id.* 2. *ibid.* 24. 62. Liber, quem nostri majores auguste sancteque cum Cerere et Libera consecraverunt. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 23. 61. et 2. *ibid.* 31. 78. *Id.* 2. *Legg.* 11. 27. Ex hominum genere consecratos, ut Herculem, coli lex jubet. *et mox.* Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu. *h. e.* manu et arte factis et consecratis earum signis in deorum numero habentur. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. In istis urbibus tuas virtutes consecratas, et in deorum numero collocatas vides. (Adde 3. *Nat. D.* 19. 50., ubi eodem modo locutus est.) Intelligit autem statuas positas virtutibus Q. Fratris, eo modo quo *Providentiæ Tiberii, Pietati Augusti, Clementiæ* etc., quæ leguntur in antiquis Impp. Rom. monumentis. *Lips. l.* 1. *Elect. c.* 14. *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. 51. Tempestates, quæ populi R. ritibus consecratæ sunt. *Horat.* 4. *Od.* 8. 27. Æacum Virtus, et favor, et linguæ potentium Vatum divitibus consecrat insulis. *Curt.* 9. 6. 26. Olympiadem matrem immortalitati consecrare. Adde *eumd.* 10. 5. 30. *Vopisc. Prob.* 23. Probi dignitas consecranda vultibus, et ornanda templis. *h. e.* iconibus factis deorum more colenda. — Hinc ponitur et de Romanis imperatoribus, qui post mortem inter deos referebantur. *V.* CONSECRATIO 2. *Tac.* 13. *Ann.* 14. *extr.* Simul intendere manus, adgerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare et tot irrita facinora. Adde *Sueton. Cæs.* 88., *Tib.* 51., *Cal.* 35. et *Ner.* 9. — Ex hac porro consuetudine factum videtur, ut consecrare generatim pro tumulare poneretur. *Inscript.* apud *Murat.* 1564. 11. C. VALERIVS EXPVRVS CIRRIONEM SVVM LIBERTVM ET ALVMNVM INDVLGENTISSIMVM SIB. CONSECRAVIT. — *b*) Interdum occurrit etiam de rebus, quarum origo ad deos refertur. *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 1. Cur – corporis curandi tuendique causa quæsita sit ars ejusque utilitas deorum immortalium inventioni consecrata. Adde *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 11. (30). *Cic.* 4. *Verr.* 21. 51. Honos hominis deorum religione consecratus. *Id.* 3. *Nat. D.* 19. 50. Memoriam virorum fortium consecrare honore deorum immortalium. *Liv.* 1. *præfat.* Si cui populo oportet licere consecrare origines suas et ad deos referre etc. *Id.* 23. 10. Diem adventus alicujus consecrare. ¶ 3. Item specialim ponitur pro devovere, et tamquam execrabile occidendum destinare: ad rem *Cic. Balb.* 14. 33. Consecratione legis aut pœnæ, cum caput ejus, qui contra fecerit, consecratur. *Liv.* 3. 48. Te, Appi Claudi, tuumque caput sanguine hoc consecro. *Plin. Paneg.* 64. Expressit verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, deorum iræ consecraret.

II.) Translate. ¶ 1. Quia quæ diis consecrantur, perpetuo sacra esse debent: hinc aliquando consecrare ponitur pro perpetuum facere, immortalitate donare. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. Cum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui. *Id.* 12. *Att.* 18. Consecrare aliquid omni genere monumentorum. *Id. Mil.* 29. 80. Qui tyrannos necaverunt, prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur. *Id. Sext.* 68. 143. Si in illo sanctissimo Hercule consecratam (*opinionem*) videmus. *Id.* 5. *Tusc.* 4. 11. Socratis multiplex ratio disputandi Platonis memoria et litteris consecrata. *Id.* 1. *ibid.* 14. 32. Vetera jam ista et religione omnium consecrata. *Quintil.* 12. 11. 7. Orator jam secretus et consecratus. *Id.* 1. 6. 41. Vocabula consecrata. ¶ 2. Addita persona aut re, cui quid consecratur, est addicere. *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt. *Id.* 2. *Legg.* 2. 5. Patria, pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus. *h. e.* perpetuo addicere. *Id. Harusp. resp.* 4. 7. *de Clodio.* Cogitet, si contentus sit iis sceleribus, quæ commisit, esse jam consecratum Miloni. *h. e.* devotum: veluti sacrum et detestabilem, destinatum esse Miloni, a quo per accusationem, legibus ac judicio conficiatur. *Id. fragm. de consolat.* apud *Lactant.* 1. 15. Consecrare aliquem ad opinionem omnium mortalium. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Consecratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Consacratissimus* in *Inscript.* apud *Kellerm. Vigil. Rom. laterc.* p. 72. n. 283. C. IVLIO ISIDORIANO 7. FRVM. IVLIA CHELIDON VXOR MERITO CONSACRATISSIMO etc.

Homonym. Inter *consecrare* et *dedicare* multiplex est discrimen. Consecrantur quæcumque res diis addicuntur, etiam agri, animalia etc.; dedicantur ea tantum, quæ ad deorum cultum proxime pertinent, ut signa, tabulæ, ædes, aræ, templa (*V.* adnotat. *Creuzer.* ad *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. p. 297.). Quæcumque dedicantur, consecrata sunt; non contra. Nam dedicatio supponit consecrationem; non contra. Dedicare interdum est uti incipere, encæniare: consecrare hoc sensu proprie non dicitur. Quædam consecrare quivis potest privatus: dedicare est magistratus, aut illius, quem populus jusserit. Consecratio non habet certam formulam: at in dedicatione pontifex verba præibat, quibus illa peragеretur. Denique alii consecrandi solemniter, alii dedicandi ritus fuere. Aliquando tamen hæc duo confunduntur. *Martial.* 4. 30. Et pisces venenare dedicatos. *h. e.* consecratos, Domitiano sacros in sinu Bajano. *V. Morcell. de stil.*

T. 1. p. 42., ac præcipue *Mazocch.* in *Amphith. Camp.* p. 79.

CONSECTĀNEUS, a, um, adject. qui consequitur, consequens. *Arnob.* 7. 5. Si teneamus, universos animorum affectus ignotos diis esse; consectaneum est credere, numquam deos irasci. — Hinc

Consectaneus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui aliorum opinionem, aut doctrinam sequitur, qui est ejusdem sectæ. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 27. *init.* Quanto humanius et tolerabilius consectaneus tuus Platonicus Apulejus erravit, qui *etc. Sidon.* 3. *Ep.* 6. Vos consectanei vestri Plotini dogmatibus inhærentes. *Id.* 7. *Ep.* 9. *init. contionis.* Et sic incipientes quosque, inter disputantium consectaneorum cathedras, mutum sustinuisse quinquennium. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 1. et 7. *ibid.* 14.; et *Tertull. Apolog.* 83. — *NB.* Ni fallor, *consectaneus, a, um* est a v. *consequor, consector*; at *consectaneus*, *i* est a præpos. *cum* et nom. *secta, æ*: quam distinctionem *Forcellinus* omisit.

CONSECTĀRIUS, a, um, adject. qui ex aliqua re consequitur, consequens, connexus. *Cic.* 4. *Fin.* 18. 50. Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes etc. Adde *eumd.* apud *Non.* p. 91. 18. *Merc.* — Hinc

Consectarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est argumenti brevis et adstricta conclusio, aperte ac statim ex præmissis consequens. *Cic.* 3. *Fin.* 8. 26. Consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant. Concluduntur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne honestum est. Bonum igitur quod est, honestum est. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 18. 48.

CONSECTĀTIO, ōnis, f. 3. sectatio. *Cic. Orat.* 49. 165. In hujus concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (70). Manifestum est, supervacuum esse, generum (*vini*) consectationem in numerum, cum eadem vitis aliud aliis in locis polleat. *h. e.* enumeratio.

CONSECTĀTOR, ōris, m. 3. qui consectatur. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 8. Imperator præsens omnes ad unitatem suam concordes et consectatores esse perstruxit. *Id. ibid.* 15. Placuit, Arium et consectatores ejus vocari Porphyrianos, ut quorum mores imitati sunt, eorum vocabulo perfruantur.

CONSECTATRIX, icis, f. 3. quæ sectatur. *Cic.* 2. *Off.* 33. 117. Est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis.

CONSECTĀTUS, a, um. *V.* CONSECTOR.

CONSECTĬO, ōnis, f. 3. sectio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Arborum autem consectione, omnique materia et culta et silvestri etc.

CONSECTO, as, are, a. 1. idem quod consector, sed passive tantum adhibetur a *Laberio* apud *Priscian.* 8. p. 793. *Putsch.* Uxorem tuam – a populo lapidibus consectari video. Cf. et *Consectandus* in voc. seq. — Sæpius vero usurpatur

CONSECTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *frequentat. a* consequor. — De activa forma *V.* voc. præced. — Part. *Consectans, Consectatus* et *Consectandus* I. 2. — Consector est idem quod sector, vel sæpe sector, aut omnino, aut diligenter sector (It. *seguitare, andar dietro*; Fr. *suivre ardemment, poursuivre*; Hisp. *seguir, ir detras, perseguir*; Germ. *mit aller Absicht, mit allem Streben etwas verfolgen, einer Sache nachgehen*; Angl. *to go after, follow after, pursue*).

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem occurrit fere cum Accusativo personæ aut rei. — *a*) De personis. *Plaut. Trin.* 2. 1. 12. Eos cupit (*Amor*), eos consectatur, subdole blanditur. *Ter. Eun.* 2. 2. 18. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt: hos consector, his ultro arrideo. — *b*) De inanimis. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 136. Angiporta hæc certum est consectarier (pro *consectari* paragoge). *h. e.* percurrendo sequi. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 117. Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre. — *c*) De consectatione, quæ fit propter corporis libidinem. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 19. Ad equas fuisti scitus admissarius, qui consectare qua mares, qua feminas. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (188). Arieti naturale agnas fastidire, senectam ovium consectari. ¶ 2. Sæpius usurpatur de hostili consectatione. *Cic.* 2. *Invent.* 37. 111. L. Licinius Crassus consul quosdam in citeriore Gallia –, quod excursionibus et latrociniis infestam provinciam redderent, consectatus est, et confecit. *Cæs.* 3. *B. G.* 15. Singulas naves nostri consectati expugnaverunt. *Id.* 3. *ibid.* 26. Quos equitatus apertissimis campis consectatus. *Id.* 4. *ibid.* 14. Ad quos consectandos Cæsar equitatum misit. *Id.* 5. *ibid.* 58. Recedentes equites consectantur atque occidunt. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 8. *Nepos Themist.* 2. Maritimos prædones consectando, mare tutum reddidit. Adde *eumd. ibid.* 4.; *Liv.* 39. 29. et 43. 10. *Vellej.* 2. 19. 2. Fugiens consectantes Sullæ equites. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 14. et 4. *Hist.* 1. — Et de venatica belluarum consectatione. *Lucret.* 5. 965. Et manuum mira freti virtute pedumque Consectabantur silvestria sæcla ferarum Missilibus saxis. Adde *Liv.* 41. 9. — Item cum Infinito. *Apul.* 8. *Met.* Dum forte passerem incantantem sæpiculæ consectatur arripere. — Et Figurate *Cic.* 2. *Att.* 18. 1. Consectari aliquem clamoribus et conviciis et sibilis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim fere in bonam partem accipitur pro maxime studere ad aliquid adipiscendum. *Cic.* 1. *Fin.* 10. 32. Dolorem ipsum amare, consectari, adipisci velle. *Id.* 2. *Off.* 15. 53. Alexander largitione benevolentiam Macedonum consectatur. *Id.* 2. *ibid.* 25. 86. Opes aut potentiam consectari. *Id. Pis.* 24. 57. Inanem aucupari rumorem, et omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari. *Id.* 13. *Att.* 23. 2. *extr.* Ne existimes eos, qui non debita consectari soleant, quod debeatur, remissuros. *Id. Cæcin.* 19. 54. Verba consectari, rem non considerare. ¶ 2. Speciatim de oratione occurrit, et est — *a*) Dicendo persequi. *Cic.* 2. *Orat.* 8. 34. Ac ne plura, quæ sunt pæne innumerabilia, consecter, comprehendam brevi. *h. e.* ne plura dicendo persequar. *Plin. Paneg.* 75. Sed quid singula consector, et colligo? quasi vero aut oratione complecti, aut memoria consequi possim. Adde *eumd.* 5. *Ep.* 6. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 52. 53. (139). Consectari ista subtilius. — *b*) Item dicendo imitari. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 90. Illa, quæ insignia ac pæne vitiosa (*sunt*), imitando consectari. *Id.* 3. *ibid.* 11. 141. Vitium, quod nonnulli de industria consectantur. *Id.* 1. *Legg.* 2. 7. Sisenna in historia puerile quiddam consectatur. *Id.* 3. *Fin.* 5. 19. Ubertatem orationis consectari. *Id.* 5. *Tusc.* 4. 11. Consectati rationem disputandi Socratis. *Ita leg. plerique Codd.*; Orellius vero consecuti *Gell.* 12. 1. Scite et perite noster Maro, cum versus illos Homeri consectaretur, etc. ¶ 3. Raro in malam partem occurrit, et est insectari, persequi, urgere. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 7. Omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. 2. Per hanc speciem simultatis eum consectater. *Auct. B. Afr.* 44. *a med.* Cives nefarie consectari.

CONSECTUS, a, um. *V.* CONSECO.

CONSECŪTIO vel consĕquūtio, ōnis, f. 3. actus consequendi. ¶ 1. Consecutio est idem quod consequentia. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Ipsa detractio molestiæ consecutionem affert voluptatis. *Id.* 1. *Invent.* 29. 45. Simplex conclusio ex necessaria consecutione conficitur. — *b*) Speciatim est genus argumenti, quod ex iis, quæ factum aliquod consequuntur, desumitur. *Cic.* 2. *Herenn.* 2. 3. enumerat inter sex partes, in quas distribuit narrationem defensoris, et 2. *ibid.* 5. 8. definit his verbis: Consecutio est, cum quæritur, quæ signa nocentis et innocentis consequi soleant. — *c*) Item genus complexionis, hoc est conclusionis argumenti, qua inferimus non id, quod ex ipsa argumentatione directo conficitur, sed aliud, quod ex illo sequi necesse est: ut, Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem: fecit igitur incestum. Ita *Cic.* 1. *Invent.* 40. 73., ubi addit paullo post: In iis argumentationibus, in quibus exitus perspicuus est, oportet consecutione uti. — *d*) Item unus ex tribus modis cognitionis, hoc est earum quæstionum rhetoricarum, quæ ad solam cognitionem referuntur. Hic autem modus tractatur, cum quid quamque rem sequatur, inquiritur: ut illud: Sit ne aliquando mentiri boni viri. *Cic.* 3. *Orat.* 29. 113. — *e*) Significat etiam rectam verborum constructionem, qua nimirum secundum leges grammaticæ unum post aliud apte consequitur, Gr. συνθεσις, ακολουθια. *Cic. Partit. orat.* 6. 18. Consecutio servanda est, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum, sic in conjunctis quod non est consequens, vituperandum est. ¶ 2. Est etiam idem quod adeptio. *Tertull. Baptism.* 18. *extr.* Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem. *Id. Resurr. carn.* 52. *post med.* Consecutio resurrectionis.

CONSĔCŪTUS vel consĕquūtus, a, um. *V.* CONSEQUOR.

CONSĒDO, as, āvi, are, a. 1. idem quod sedo. *Cato* apud *Charis.* 2. p. 184. *Putsch.* Maximos tumultus maturissime disjeci atque consedavi. Adde *Cic.* apud *Boeth.* 1. *Mus.* 1., cujus verba *V.* in voc. SPONDÆUS.

CONSĔDO, ōnis, m. 3. assessor, qui una sedet. *Cassius Hemina* apud *Non.* p. 62. 25. *Merc.* Nemo vicinus consedo.

CONSELLA, æ, f. 1. videtur esse idem quod sella, vel sella duplex. *Lucilius* apud *Non.* p. 235. 2. *Merc.* Consellas quoque prævalidis in funibus aptas. *Sed alii leg.* tonsillas.

CONSĒMĬNĀLIS, e, adject. idem ac consemineus. *Colum.* 12. *R. R.* 45. 6. Propter quod etiam conseminalium vinearum non est tam firmum vinum.

CONSĒMĬNEUS, a, um, adject., id, in quo varia semina commixta sunt, ut *silva conseminea*, quæ ex variis arborum generibus consita est: *vinea conseminea*, in qua diversa vitium semina acervatim confusa sunt. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 83. Silvam si quis barbaricam, hoc est consemineam velit facere. *Id.* 3. *ibid.* 21. 7. Idque in vineis non consemineis observari difficile est.

CONSĔNEO, es, ere, n. 2. Hanc præsentis temporis formam intulit cl. *Furlanetto*, quæ tamen ad sequentem rectius est referenda.

CONSĔNESCO, sĕnescis, sĕnui, sĕnescere, n. 3. (cum *et* senesco) idem quod senesco (It. *invecchiare*; Fr. *vieillir, devenir vieux*; Hisp. *envejecer*; Germ. *vor Alter zusammen-oder verfallen, alt und schwach, altersschwach werden*; Angl. *to grow old*).

I.) Proprie et stricto sensu ponitur de iis, qui temporis vetustate consenescunt. — *a*) De animalibus. *Horat.* 3. *Od.* 5. 5. Milesne Crassi conjuge barbara Turpis maritus vixit, et hostium Consenuit socerorum in arvis. *Ovid.* 8. *Met.* 632. Illâ sunt annis juncti juvenilibus, illâ Consenuere casâ. *Id.* 4. *Trist.* 8. 12. Inque Securus patria consenuisse mea. *Liv.* 9. 19. Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esset: Alexandro alieno in agro bellanti exercitus consenuisset. *Id.* 3. 20. Circa Casilinum, Cumas, Nolamque consenuisse. *Id.* 35. 34. Ne insontem indemnatum consenescere in exilio sinerent. *Vellej.* 2. 102. 3. Per quæ eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quam Romam regredi mallet. *Sueton. Gramm.* 6. Smyrnæ consenescere. — Figurate *consenescere in aliqua re* est assidue in eadem versari. *Quintil.* 3. 8. 67. Consenescere in commentariis rhetorum. *Id.* 12. 11. 16. Non est in una exercitationis specie consenescendum. Adde *eumd.* 10. 5. 17. — *b*) De inanimis: ad rem *Cic. Senect.* 9. 29. Quamvis consenuerint vires atque defecerint. *Propert.* 3. 5. 50. Haud ulla carina Consenuit. *h. e.* periit aliqua tempestate, antequam corrumpi vetustate inciperet. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (91). Consenuit tabula carie. *Claudian. epigr.* 2. 10. Nemus consenuit.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate sæpe ponitur pro deficere, languere; et quidem — *a*) De animalibus. *Plaut. Capt.* 1. 2. 25. Qui tuo mœrore maceror, macesco, consenesco, et tabesco miser. *Id. Stich.* 1. 3. 63. Consenescere præ mœrore atque ægritudine. *Varro* 3. *R. R.* 7. 6. Si fastidiunt, aut inclusæ consenescunt columbæ. *Id.* 3. *ibid.* 9. 14. Propter pedes consenescunt pulli. *h. e.* cum pedibus infestantur, quia propter eos languent, laborant et macie corrumpuntur. *Id.* 3. *ibid.* 9. 8. Ova consenescere. *h. e.* illa, quæ inveterascunt, et inutilia ad incubandum fiunt. *Cic. Cluent.* 5. 13. In manibus alicujus et gremio, mœrore et lacrimis consenescere. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 3. Veterno consenescere pecudes. — *b*) De inanimis. *Plaut. Rud.* 5. 2. 15. Namque quidem hoc vere natum est vera, ita in manibus consenescit. *h. e.* rubigine deteritur. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 8. Consenuit vitis vitio soli. ¶ 2. Translate dicitur de animo, de auctoritate et similibus, quæ languent ac deficiunt. *Liv.* 9. 3. Animum quoque patris consenuisse in affecto corpore rebatur. *Sall. Cat.* 20. Viget ætas, animus valet (*nobis*); contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. *Cic.* 2. *Att.* 23. 2. Omnes illius partis auctores ac socios nullo adversario consenescere. *Id.* 2. *ibid.* 13. *extr.* Noster amicus Magnus, cujus cognomen una cum Crassi Divitis cognomine consenescit. *h. e.* usurpari desiit. Adde *Plin.* 1. *Hist. nat. præfat.* § 1. *Liv.* 6. 23. Consenescunt vires. *Cic.* 1. *Orat.*

58. 217. Veteres leges aut ipsas sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas. Adde *Liv.* 3. 31. et 6. 29. et *Cod. Theodos.* 11. 30. 23. *Cic. Cluent.* 2. 5. Invidia interposito spatio et cognita causa consenescit. *Flor.* 3. 3. 5. Donec invicta illa rabies et impetus consenesceret. *Quintil.* 9. 4. 112. Totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, ut oratio, quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat.

CONSENĬOR, ōris, m. 3. simul senior. *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 5. 1. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum.

CONSENSĬO, ōnis, f. 3. actus consentiendi, consensus. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 17. 44. Omnium firma consensio. *Id.* 1. *ad Brut.* 7. Res omnium consensione laudata. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 30. Omni in re consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est. *Id. post redit. ad Quirit.* 8. 18. Tanta Italiæ consensio. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Tanta Galliæ consensio fuit libertatis vindicandæ, ut etc. Rursus *Cic. Amic.* 4. 15. Id, in quo est omnis vis amicitiæ, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. *Id. post redit. in Senat.* 15. 38. Nulla de illis magistratuum consensio. *Id.* 1. *Fam.* 9. 13. Mirifica senatus, incredibilis totius Italiæ, singularis omnium bonorum consensio in me tuendo. *Id.* 3. *Orat.* 5. 20. Omnia hæc, quæ supra et subter, unum esse, et una vi atque una consensione naturæ constricta esse. ¶ 2. Speciatim in malam partem pro conspiratione prava. *Cic.* 10. *Att.* 4. 1. Quorum societatis et sceleratæ consensionis fides quo eruperit, vides. Adde *eumd. Planc.* 15. 37. et *Fontej.* 3. 6. *Id.* 7. *Verr.* 4. 9. Nullinе motus in Sicilia servorum, nullæne consensiones factæ esse dicuntur? *Nepos Alcib.* 3. Hoc cum appareret non sine magna multorum consensione esse factum. *Id. Att.* 8. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. *Tac.* 3. *Ann.* 43. Augebantur eæ copiæ vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis et certamine ducum Romanorum. *V.* CONSENTIO I. 2. ¶ 3. Item speciatim inter figuras rhetoricas enumeratur a *Quintil.* 9. 2. 51.

CONSENSUS, a, um. *V.* CONSENTIO.

CONSENSUS, us, m. 4. *Consensu* pro *consensui* dixit *Cæs.* 7. *B. G.* 29. Cujus consensu ne orbis quidem terrarum possit obsistere. — Consensus est idem quod consensio, sive actus consentiendi, communis plurium adsensus (It. *consenso*; Fr. *conformité des sentiments, accord, unanimité*; Hisp. *acuerdo, conformidad de parecer, de sentir*; Germ. d. *Uebereinstimmung*, d. *Einstimmigkeit*, *Einhelligkeit*; Angl. *consent, agreement, unanimity*).

I.) Proprie de hominibus usurpatur, et quidem — *a*) Fere cum Genitivo personarum, quæ consentiunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 35. Quod si omnium consensus naturæ vox est. *Id.* 4. *Phil.* 5. 12. Numquam major consensus vester in ulla causa fuit. *Id.* apud *Non.* p. 269. 20. *Merc.* et *Liv.* 9. 7. Civitatis consensus. *Cic. Ligar.* 12. 34. Quis est, qui horum consensum conspirantem, et pæne conflatum non noverit? *Id.* 1. *Phil.* 15. 37. Consensus in eo populi. *Id. Haruspresp.* 28. 60. Consensus ordinum est divulsus. Adde *eumd.* 1. *ad Brut.* 3. 2. *Id.* 3. *Fam.* 3. 1. Tantus senatus consensus. *Id.* 1. *Phil.* 12. 30. Theatri consensus. *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Omnium consensu pax facta est. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 28., 7. *ibid.* 4. et *Quintil.* 10. 1. 74. *Cæs.* 7. *ibid.* 29. Consilii totius consensus. *Nepos Dion.* 6. Optimatium consensus. *Liv.* 8. 35. Populi Rom. consensus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (72). Vina, de quibus consensus ævi judicaverint, hæc sunt. *h. e.* homines consentientes. *Id.* 2. *ibid.* 2. 2. (5). Consensus mortalium. *Quintil.* 1. 6. 45. Bonorum consensus. *Id.* 10. 1. 30. eruditorum. *Id.* 10. 1. 53. grammaticorum. *Tac.* 1. *Hist.* 15. deorum hominumque. *Id.* 15. *Ann.* 73. patrum. *Id.* 1. *Hist.* 54. *extr.* Facilior inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam. — *b*) Addito Genitivo rei, in qua plures consentiunt. *Liv.* 23. 13. Consensus attentatæ defectionis. — *c*) Sæpe in sexto casu sing. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 15. Uno prope consensu. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Sese habere quasdam res, quas e communi consensu ab eo petere vellent. *Sueton. Aug.* 58. Consensu repentino maximoque. *Id. Domit.* 13. Ingenti consensu. — Et absolute *consensu* est idem quod una omnium sententia ac voce. *Liv.* 3. 35.; *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (39).; *Sueton. Aug.* 57.; et *Tac.* 1. *Hist.* 15. et 1. *ibid.* 55.

II.) Translate usurpatur de inanimis pro concentu harmonia, convenientia. *Lucret.* 3. 740. neque enim poterunt subtiliter esse Conexæ (*animæ*) neque consensu contagia fient. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 34. Conjunctio naturæ et quasi concentus atque consensus, quam συμπάθειαν Græci appellant. *Id.* 3. *Orat.* 6. 21. Mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. *Id.* 5. *Fin.* 23. 66. Conspiratio consensusque virtutum. *Quintil.* 5. 14. 6. Duorum antecedentium consensus.

CONSENTĀNĔĒ, adverb. convenienter, congruenter. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 4. 11. Cutis callitas (*in persicis*) et carnis squalior consentanee prodibunt ad parsimoniam vetustatis. *Lactant.* 3. 8. 20. Summum est bonum, cum natura consentanee vivere. *Hieronym.* 3. *in Rufin.* 1. *extr.* Narrare aliquid memoriter et consentanee. *h. e.* cum convenientia ad veritatem.

CONSENTĀNĔUS, a, um, adject. conveniens, aptus, congruus (It. *conveniente, confacente*; Fr. *conforme à, d'accord avec, convenable*; Hisp. *conforme, acorde, igual*; Germ. *von der Art, dass es übereinstimmt*, *mit etwas übereinstimmend*, *in Einklang stehend*, *dazu passend und gehörig*; Angl. *agreeable, suitable, consonant, meet, convenient, fit, answerable, consentaneous, consistent*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Legg.* 10. 23. Non necesse esse optimæ reipubl. leges dare consentaneas. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 28. *Id.* 2. *Orat.* 40. 170. Ex consentaneis et præcurrentibus et repugnantibus argumenta ducere. *h. e.* ex antecedentibus; quia quidquid antecedit quamque rem, id cohæret cum re necessario, ut *Id. Topic.* 12. 53. docet. *Vellej.* 2. 63. 2. Vir vita et morte consentaneus. *h. e.* constans et sibi conveniens. *V. Consentanei* in fin. hujus voc. — Hinc *consentaneum est*, conveniens est. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 31. Non par videtur, neque sit consentaneum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 42. Consentaneum est, in iis sensum inesse et intelligentiam. *Id.* 1. *Off.* 20. 68. Non est consentaneum, qui metu non frangatur, cum frangi cupiditate. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (246). et *Cajum* 3. *Instit.* 170. — *b*) Cum Dativo. *Cic. Orat.* 22. 74. Decere, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personæ. *Id.* 1. *Off.* 2. 6. Hæ disciplinæ, si sibi consentaneæ esse velint, de officio nihil queant dicere. *h. e.* si sibi ipsæ consentiant, ut *Idem* ait paullo supra. *Id.* 2. *Nat. D.* 22. 58. Actiones consentaneæ motibus. *Id.* 5. *Fin.* 21. 60. Actiones consentaneæ virtuti. *Id. Partit. orat.* 2. 7. Argumenta ipsi aut consentanea, aut dissentanea. *Id.* 3. *Off.* 4. 20. Formula Stoicorum rationi disciplinæque maxime consentanea. *Id.* 4. *Fam.* 13. 1. His temporibus consentaneum genus litterarum. *Id.* 9. *Phil.* 7. 15. Ejus mors vitæ sanctissime actæ consentanea fuit. *Id.* 2. *Divinat.* 65. 134. Majestati deorum obscura somnia minime consentanea. *Quintil.* 6. 3. 106. Divisio alicui consentanea. *Cod.* 7. 6. 1. Ambo casus sibi non consentanei. *Dig.* 7. 1. 6. Sententia utilitati rerum consentanea. — Et absolute *consentaneum est alicui* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 28. Cum diceret, ei, qui affirmaret nihil posse percipi, consentaneum esse, unum tamen illud dicere percipi posse, ut alia non possent, etc. Adde *eumd.* 3. *Off.* 33. 117. — *c*) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 2. Quod quidem erat consentaneum cum iis litteris, quas ego Romæ acceperam. — Hinc

Consentanei, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, vocantur sectatores alicujus sectæ vel hæreseos. *Impp. Dioclet. et Maxim.* in *Collat. Mos. et Rom. leg. tit.* 15. § 3. Consentaneos vero et usque adeo contentiosos (*scil.* ex Manichæis) capite puniri præcipimus, et eorum bona fisco nostro vindicari sancimus.

CONSENTES, um. *V.* ONOM.

CONSENTĬA Sacra, quæ ex multorum consensu sunt statuta. *Paul. Diac.* p. 65. 11. *Müll.* Ubi notant eruditi, fuisse gentilium inter se, ut Corneliorum, Valeriorum, etc. et pro tota gente facta fuisse, consentiente gentilitate. — De urbe *V.* ONOM.

CONSENTĬENS, entis. *V.* CONSENTIO.

CONSENTĬENTER, adverb. consentiendo. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. sec.* p. 437. Hæc Aristoteles consentienter his, quæ nos supra præmisimus, addidit de consequentia propositionum.

CONSENTĬO, sentis, sensi, sensum, sentire, n. 4. (cum et sentio). Part. *Consentiens* I. 1. et in fin.; *Consensus* in fin. — Consentio proprie et stricto sensu est simul sentio, ut apud *Lucret.* 3. 153. Verum, ubi vehementi magis est commota metu mens, Consentire animam totam per membra videmus: Sudoresque ita palloremque existere toto Corpore, et infringi linguam etc. Adde *eumd.* 4. 795. *Scribon. Compos.* 104. Qui stomachum solutum habent, consentiente corpore. — Ceterum latiori significatione sæpius occurrit pro sentire, convenire, concordare: sicut enim (inquit *Ulp. Dig.* 2. 14. 1.) convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum colliguntur et veniunt; ita qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, idest in unam sententiam decurrunt (It. *accordarsi, consentire*; Fr. *s'accorder avec, être d'accord*; Hisp. *ajustarse, convenirse, estarse de acuerdo*; Germ. *zusammen-oder übereinstimmen*, *über etwas übereinkommen*, *es gemeinschaftlich beschliessen und festsetzen*; Angl. *to consent, agree, accord, be of the same opinion*).

I.) Proprie usurpatur de personis. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Vetus formula* apud *Liv.* 1. 32. PVRO PIOQVE DVELLO QVAERENDAS CENSEO, ITAQVE CONSENTIO CONSCISCOQVE. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 65. At vero Epicurus una in domo – quam magnos quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges. *Id.* 2. *Divinat.* 58. 119. Animi consentientes. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 39. 84. *Sueton. Cæs.* 19. Concordi et consentiente collega. *Id. Aug.* 12. Ceteros duces et exercitus consentire pro partibus. Adde *Quintil.* 3. 8. 36.; et Cf. *Consentiens* in fine hujus voc. *Inscript.* apud *Mass. Mus. Vindobon.* p. 237. MARTI AMICO ET CONSENTIENTI SACRVM HERMIAS DEDICAV. *h. e.* fautori benevolo. *Alia ibid.* p. 238. MERCVRIO CONSENTIENTI SACRVM etc. — *b*) Raro admodum et in certis quibusdam formulis tantum occurrit cum Accus. rei, de qua consentitur. *Liv.* 8. 6. Consensit et senatus bellum. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. Id ne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse etc. id est Accusativus communis. V. *Consensus* in fine hujus voc. De alio Ciceronis loco *Senect.* 17. 61. vide sub *c*. — *c*) Cum Accusativo rei et Infinito. *Monum. Scip.* apud *Orell. inscript.* 552. HONC OINO PLOIRVME COSENTIONT R.... DVONORO OPTVMO FVISE VIRO LVCIOM SCIPIONE. Sic *Cic. Senect.* 17. 61. In quem illud elogium unicum: Plurimæ consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum. *Al. minus recte ita legebant*: In quem illud elogium unicum plurimæ consentiunt gentes, populi etc. ut illud elogium unicum esset *Accusativus verbi* consentiunt. Adde *eumd. Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. loco superius allato sub *b*. *Id.* 4. *Phil.* 3. 7. Omnes mortales una mente consentiunt, arma contra illam pestem esse capienda. Adde *Quintil.* 2. 15. 30., 3. 7. 28., 3. 8. 66., 4. 1. 38. et alibi. — *d*) Cum Infinito tantum. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 15. Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? Adde *Tac. Germ.* 34.; et cf. paragr. proxime sequentem sub *d*. — *e*) Cum part. *ut*. *Vetus formula* apud *Liv.* 1. 32. SENATVSQVE – CENSVIT, CONSENSIT, CONSCIVIT, VT BELLVM – FIERET. Cf. *Liv.* 4. 6. et 30. 24. *extr.* — *f*) Cum Ablat. rei et præpos. *de*. *Cic. Amic.* 23. 86. De cujus (*amicitiæ*) utilitate omnes uno ore consentiunt. *Id.* 1. *Phil.* 9. 21. Omnes jam cives de reipublicæ salute, una et mente et voce consentiunt. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 131. loco inferius cit. sub *l*. Cf. *eumd.* 2. *Fin.* 35. 117. et *Senect.* 17. 61. locis superius cit.; et *Tac.* 1. *Ann.* 13. infra sub *m*. — *g*) Cum Ablat. rei et præpos. *in*. *Cic. Sext.* 51. 109. In qua (*causa*) omnes honestates civitatis, omnes ætates, omnes ordines una consentiunt. Cf. *Id. Cluent.* 22. 60. In aliquo sibi constare et superioribus consentire judiciis. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. 4. Civitas in retinenda civitate consentiens. *Nepos Alcib.* 11. Nescio quo modo in illo laudando consenserunt. Adde *Quintil.* 11. 3. 11. et *Sueton. Cal.* 60. — *h*) Cum Accus. rei et præpos. *in*. *Justin.* 13. 4. Equites in Aridæum regem consentiunt. *h. e.* ad eum regem creandum. Cf. *Liv.* 9. 7.; *Quintil.* 5. 10. 12. et *Cajus* 3. *Instit.* 153. *Quintil.* 4. 2. 90. Quædam partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt. — *i*) Cum Accus. rei et præpos. *ad*. *Cic.* 4. *Phil.* 4. 10. Deos immortales ad rempublicam conservandam arbitror consensisse. *Id.* 5. *Att.* 18. 2. Consentire ad benevolentiam erga aliquem. *Liv.* 36. 40. ad decernendum triumphum. *Sueton. Cal.* 5. ad inducias. — *k*) Cum Dativo personæ aut rei. *Cic.* 1. *Off.* 2. 5. Hic si sibi ipse consentiat. *h. e.* a se ipso non desciscat. *Id.* 1. *Phil.* 1. 2. Atque his principiis reliqua consentiebant. *Horat.* 1.

Ep. 18. 65. Consentire suis studiis si quis crediderit te etc. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 4. Ubi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum canere videtur. Adde *Quintil.* 2. 15. 32., 3. 8. 61., 5. 11. 19. et alibi sæpe; et *Dig.* 38. 1. 48. *pr.* — *l*) Cum Ablat. personæ et præpos. *cum*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 131. Epicurus cum Cyrenaicis de voluptate non consentiens Cf. *eumd. Mur.* 1. 1.; et adde *Sueton. Aug.* 58. et *Quintil.* 2. 17. 2. — *m*) Cum addito *inter se*. *Dig.* 2. 15. 8. *pr.* Consentire inter se. Cf. *Quintil.* 9. 1. 17., cujus verba *V.* infra sub *n*. — *n*) Passive impersonaliter. *Tac.* 1. *Ann.* 13. De prioribus consentitur. *Gell.* 3. 11. Super ætate Homeri atque Hesiodi non consentitur. *Liv.* 30. 24. *ad fin.* Permixto pæne senatus populique concilio, consensum est, ut Hasdrubal Ægimurum trajiceret. Adde *eumd.* 9. 7. *Quintil.* 9. 1. 17. Inter plurimos consensum est, duas esse partes etc. Adde *eumd.* 5. 10. 12. ¶ 2. Speciatim in malam partem pro conjurare, conspirare; et occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 34. 49. Adversus consentientes nec regem quemquam satis validum, nec tyrannum fore. — *b*) Cum Ablat. personæ et præpos. *cum*. *Cic.* 7. *Verr.* 8. 18. Servos, quos ipse belli faciendi causa consensisse judicavit, etc. *Cæs.* 2. *B. G.* 3. Neque se cum ceteris Belgis consensisse. *Nepos Phoc.* 2. Consentire cum aliquo de aliqua re. — *c*) Cum Accus. rei et præpos. *ad*. *Nepos Datam.* 5. Consentire ad aliquem opprimendum. *Liv.* 27. 9. *extr.* ad prodendam Hannibali urbem Romam. — *d*) Cum Infinito. *Cic.* 2. *Phil.* 7. 17. Cum homines nefarii confiterentur, se urbem inflammare consensisse. *Id.* 6. *Fam.* 18. 2. Consenserunt cum Hispanis quibusdam Pompejum comprehendere ad Cæsaremque deducere.

II.) Translate de inanimis et abstractis (*V.* infra *Consentiens*) ponitur; et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Fin.* 3. 10. Ratio nostra consentit, oratio pugnat. *Horat.* 2. *Od.* 17. 22. Utrumque nostrum Incredibili modo Consentit astrum. Cf. *Quintil.* 2. 8. 15. et 3. 11. 20. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 52. Sed mihi neutiquam cor consentit cum oculorum adspectu. *Cic. Tim.* 3. 6. Oratio sibi constat et ex omni parte secum ipsa consentit. *Id. Brut.* 38. 141. Status, incessus omnisque motus cum verbis sententiisque consentiens. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Cum vultus Domitii cum oratione non consentiret. Adde *Quintil.* 11. 1. 2. et *Dig.* 46. 4. 14. — *c*) Cum addito *inter se*. *Cic.* 1. *Off.* 28. 98. Inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt. Cf. *Quintil.* 5. 7. 29. — *d*) Cum Dativo rei. *Cic. Partit. orat.* 9. 32. Si personis, si temporibus, si locis ea, quæ narrabuntur, consentient. Cf. *eumd.* 7. *Att.* 3. 3. et 1. *Phil.* 1. 2.; et *Quintil.* 2. 4. 37. — Hinc Part. præs.

Consentiens, *entis*, adjective quoque occurrit, et est unum et idem sentiens, conveniens, conspirans, concors. Cum alia hujusce Part. vel adjective usurpati exempla retulerimus; huc translata tantum congessimus. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 84. Hominum consentiens auctoritas. *Id.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio. *Id.* 5. *Tusc.* 25. 72. Consilium omnis vitæ consentiens et pæne conspirans. *Id. Senect.* 17. 61. Cujus de laudibus omnium est fama consentiens. *Id.* 1. *Phil.* 15. 36. Consentiens populi Romani universi voluntas. *Id.* 2. *Divinat.* 42. 89. Conjunctum aliquid habere aut consentiens. *Liv.* 10. 40. Milites spei pleni, clamore consentienti pugnam poscunt. *Sueton. Galb.* 13. Voce consentienti. — Et Part. ipsum præter. pass.

Consensus, *a*, *um*, adjective occurrit. *Gell.* 15. 26. Syllogismus est oratio, in qua consensis quibusdam et concessis aliud quid conficitur.

CONSENTĬUM, ii, n. 2. *vel minus recte* consentius, ii, m. 2. Vetus quædam *Inscript.* apud *Gruter.* 3. 1., quæ est apud *Orell.* 2120., ita incipit: CONSENTIO DEORVM. ubi intelligitur concilium deorum, hoc est dii Consentes: Gr. συνέδριον.

CONSEPELIO, is, ivi, sĕpultum, ire, a. 4. Part. *Consepultus* I. et II. — Consepelio est simul sepelio.

I.) Proprie. *Sulpic. Sev.* 3. *Dial.* 18. Sollicitus inquiras, ubi sit consepultus noster ille Pomponius. *Cyprian. Ep.* 68. Quod filios apud profana sepulcra deposuisset et alienigenis consepelivisset. *Ambros.* in *Luc.* 6. 7. Ut consepeliamur cum eo.

II.) Translate. *Tertull. Resurr. carn.* 23. et *Hieronym. Ep.* 14. n. 2. ex *D. Paulo ad Rom.* 6. 4. Consepulti Christo in Baptismate.

CONSĒPĬO, pis, ptum, pire, a. 4. *V.* CONSÆPIO.

CONSEPTO, as, are, a. 1. *V.* CONSÆPTO.

CONSEPTUM, i. *V.* CONSÆPIO in fin.

CONSEPTUS, a, um. *V.* CONSÆPIO.

CONSEPTUS, us. *V.* CONSÆPTUS, us.

CONSEPULTUS, a, um. *V.* CONSEPELIO.

CONSĔQUENS, entis. *V.* CONSEQUOR.

CONSĔQUENTER, adverb. ¶ 1. Absolute est idem quod sequendo, ex consequenti. *Apul.* 10. *Met. sub init.* Juvenis probe litteratus, atque ob id consequenter pietate modestiaque præcipuus. *Hieronym. Ep.* 22. n. 13. Quam viderint pallentem atque tristem; miseram et Manichæam vocant: et consequenter; tali enim proposito jejunium hæresis est. Adde *Cajum* 2. *Instit.* 179. et *Dig.* 26. 2. 10. *Capell.* 1. p. 10. Saturnus ejusque cælestis Juno consequenter acciti. ¶ 2. Cum Dativo est idem quod congruenter, convenienter. *Apul.* 11. *Met. init.* Corpora lunæ incrementis consequenter augeri. *h. e.* sequendo lunæ incrementa. *Ulp. Dig.* 10. 2. 18. His consequenter, si ex pluribus heredibus etc. *Papinian. ibid.* 35. 2. 11. Facile quis dixerit consequenter prioribus, non esse etc. Adde *eumd.* 11. 3. 14. § 6., 35. 2. 8. et 35. 2. 6. ¶ 3. Item significat deinceps. *Veget.* 2. *Veterin.* 10. 10. *Schneid.* Offeresque ei (*jumento*) lactucas, vel gramen diligenter lotum atque concisum, consequenter daturus hujusmodi potionem.

CONSĔQUENTĬA, æ, f. 1. actus post rem aliam sequendi, successio, consecutio: et occurrit — *a*) In singulari numero. *Cic.* 1. *Divinat.* 56. 128. Qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt. *Gell.* 12. 5. Per obscuram quamdam et necessariam naturæ consequentiam. *h. e.* per connexionem, qua sequitur, ut natura ad dolorem gemat. *Dig.* 42. 1. 42. Jam statutorum consequentia. — *b*) In plurali numero *Forcellinus* afferebat illud *Varron.* 9. *L. L.* 90. *Müll.* Quod quisque caput pertenderit, sequi debet ejus consequentias casus in declinando: ac non facere, cum dixerit recto casu Alcæus, in obliquis dicere Alcæoni. *At Müllerus rectius leg.* Quod quisque caput prehenderit, sequi debet ejus consequentes casus etc. — *c*) Sæpe occurrunt formulæ *per consequentiam* vel *per consequentias*, præcipue apud JCtos. *Cic.* 4. *Herenn.* 54. 67. Per consequentiam significatio fit, cum res quæ sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione: ut si salsamentarii filio dicas: Quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. Adde *Ulp.* 11. 3. *Papinian. Dig.* 4. 3. 19. Debitore liberato, per consequentiam ipse quoque fidejussor dimittitur. Adde *Paul. ibid.* 10. 1. 5. et *Dig.* 26. 4. 3. *Ulp. Dig.* 28. 8. 1. Prima ratio est, ut heres fiat: per consequentias contingit, ut debitum subeat. Adde *ibid.* 47. 10. 1., 48. 19. 9., 48. 22. 7. et 19. 1. 5.; et *Paul.* 4. *Sentent.* 8. § 2. Quin et in locis modo allatis *Papiniani* et *Pauli* in editione *Torrentini* pro *consequentiam* legitur *consequentias*.

CONSĔQUĬA, æ, f. 1. *Forcellinus* aliam quoque formam, dubitative tamen, recepit, scil. *consequium*, ii, n. 2. — Consequia est idem quod consequens, id quod consequitur. ¶ 1. Abstracte. *Lucret.* 5. 676.
Namque, ubi sic fuerunt causarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,
Consequiæ quodque est jam rerum ex ordine certo.
¶ 2. Concrete, uti ajunt, sensu est appendix. *Apul.* 5. *Met.* Psyche sublimis evectionis appendix miseranda et penduli comitatus extrema consequia. *Id.* 10. *ibid.* Novissimis trahebantur consequiis.

CONSĔQUOR, sĕqueris, sĕcūtus *vel* sĕquūtus sum, sĕqui, dep. 3. (cum *et* sequor). Hoc verbum olim passiva significatione usurpatum fuit. *Orbilius* vetus Scriptor apud *Priscian.* 8. p. 791. *Putsch.* Quæ vix ab hominibus consequi possunt. ἀνύεσθαι. *h. e.* obtineri. Et *Varro* apud *eumd.* 8. p. 792. *Putsch.* Consecuta negliguntur. Cf. et Part. *Consequendus* sub *B.* II. 1. — Ceterum occurrit activa significatione. Part. *Consequens* sub *A.* I. 2. et II., et in fin.; *Consecutus* sub *A.* I. 2. et 3.; *Consecuturus* sub *A.* II.; *Consequendus* sub *B.* II. 1. *Consequiturus* legitur in lamina ænea apud *Fra*, *Fast. Cons.* p. 13. n. 46. SPERAMVS BENEFICIA VESTRA POSSE CONSEQVITVROS. Pertinet ad ann. a Chr. n. 257. — Consequor est idem quod sequor, pone sequor, subsequor (It. *seguire*, *andar dietro*; Fr. *venir après*, *suivre*; Hisp. *seguir*, *ir detras de alguno*; Germ. *unmittelbar folgen*, *auf den Fuss nachfolgen*; Angl. *to follow*, *go after*). Consequi duo præcipue significat, quæ arctissime inter se conjuncta sunt: est enim *A*) Sequi, pone sequi, subsequi, ut ad aliquem aut aliquid perveniamus; et *B*) Est persequendo, urgendo, ad aliquem vel aliquid reapse pervenire.

A) Consequi est idem quod sequi, pone sequi, subsequi, venire postea.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de spatio; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 22. Ita vos decet: consequimini. Et figurate *Id. Amph.* 5. 1. 3. Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum consequi, ut jam opprimar. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 12. Una earum interea propere præcucurrit nuncians me venisse: ego ejus videndi cupidus recta consequor. *Id. Heaut.* 2. 3. 36. Continuo hic se conjicit intro: ego consequor. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. Ptolemæo peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus est. *Auct. B. G.* 8. 27. Consequuntur equites nostri, ut erat præceptum, invaduntque etc. *Curt.* 5. 4. 34. Per mediam aciem erupit: sed consecutis strenue hostibus, renovato prælio, cecidit. — *b*) Cum Accus. *Plaut. Amph.* 3. 1. 20. Mercurium jussi me continuo consequi, si quid vellem imperare. *Id. Rud.* 4. 3. 11. Vide num quispiam consequitur prope nos. *Id. Cist.* 1. 1. 93. Consecutus est clanculum me usque ad fores. *Id. Rud.* 2. 6. 9. Consequi aliquem strenue. *Id. ibid.* 1. 4. 21. Gradu vocem consequi. ¶ 2. Latiori sensu ponitur et de tempore, et consequi dicuntur quæ ratione temporis veniunt postea; occurrit autem — *a*) Absolute. *Cic. Mur.* 39. 85. Si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint. *Id. Senect.* 6. 19. Memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. *Id.* 1. *Fin.* 20. 67. Spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. *Id.* 2. *Herenn.* 5. 8. Tempora tria, præteritum, instans, consequens. *Id.* 1. *Phil.* 13. 32. Proximo, altero, tertio, denique reliquis consecutis diebus non intermittebas etc. *Id.* 1. *Fam.* 5. 1. Tamen afficior summo dolore ejusmodi tempora post tuam profectionem consecuta esse, ut etc. — Et de ipsis factis vel eventibus. *Cic.* 1. *Invent.* 54. 104. Quæque post negotium consecuta sunt. *Id.* 1. *Phil.* 15. 38. Ut, quicumque casus consecutus esset, exstaret constantiæ meæ testimonium. *Id.* 1. *Orat.* 35. 160. Hæc cum Crassus dixisset, silentium est consecutum. *Id.* 3. *ibid.* 2. 6. Tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse, audiebamus. *Id.* apud *Non.* p. 33. 22. *Merc.* In quo tua me provocavit oratio, mea consecuta est segnis. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 2. 2., 2. *ad Q. fr.* 6. 5. et 5. *Tusc.* 8. 18. — *b*) Cum Accus. personæ, aut rei. *Cic. Brut.* 15. 61. Hunc (*Cethegum*) consecutus est ætate Cato. *Vellej.* 2. 36. *extr.* Consecutus Sallustium Livius. *h. e.* qui post eum vixit floruitque. *Ter. Heaut.* 4. 7. 9. Hasce (*minas*) ornamentis consequentur alteræ. *Cic.* 1. *Phil.* 13. 32. Quis — libertatem pax consequebatur. Cf. *Nepot. Dion.* 6. et *Cim.* 3. ¶ 3. Ponitur etiam de ratione causæ et effectus, atque ideo *consequi* est ex alia re nasci, fieri; quo sensu differt a *sequi*, ut recte monuit *Klotz* ad *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 36.: hinc *consequi* pertinet plurimum ad dialecticos et locum habet in conclusionibus. — *a*) Fere cum Accus. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19. Ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur. Cf. *Id.* 1. *ibid.* 16. 36. Quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt. *Id. Fat.* 5. 9. Is non videt, quæ quamque rem res consequatur. *Lucret.* 4. 867. dolor quam consequitur rem. Adde *Nepot. Dion.* 6. — *b*) Cum additis *ex aliqua re*, *ab aliqua re* etc. *Cic.* 3. *Fin.* 19. 64. Ex quo illud natura consequitur, ut etc. *Lucret.* 1. 461. rebus ab ipsis Consequitur sensus. — *c*) Raro absolute. *Cic. Fat.* 7. 14. Si igitur, quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam, quod consequitur, necessarium. *Id.* 2. *Herenn.* 18. 27. Quoniam satis ostendisse videmur, quibus argumentationibus etc., consequi videatur, ut doceamus etc. Adde *Lucret.* 3. 912.; et *Quintil.* 2. 3. 2., 6. 3. 41. et alibi; et V. *Consequens* in fine hujus voc.

II.) Translate, morali ratione, metaphorâ sumptâ ab aliquo subsequendo, est imitando sequi, aliquid amplecti, exsequi, atque adeo auscultare, parere, obsequi: ad rem *Liv.* 24. 45. Se tamen — mediam consecuturum consilii viam. *Plaut. Asin.* 2. 1. 13.

Certum hercle est vestram consequi sententiam. Ter. Heaut. 1. 2. 35. Consilia consequi consimilia. Cic. 1. Nat. D. 15. 41. Quem (*Chrysippum*) Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui etc. Id. 2. Legg. 7. 18. Eum morem cum brevitate, si potero, consequar. h. e. dicendi morem. Id. 3. Cat. 6. 13. Dictæ sunt a principibus acerrimæ ac fortissimæ sententiæ, quas senatus sine ulla varietate est consecutus. Id. 1. Off. 32. 116. Consequi suum quoddam institutum. Id. Brut. 82. 284. exilitatem de industria. Adde eumd. ibid. 53. 197. et V. Ellendt. ad h. l. Pseudo-Sall. Orat. 2. ad Cæs. post med. Ubi plebes senatui obedit ejusque consilia consequitur.

B) Consequi est etiam persequendo, urgendo ad aliquem vel aliquid reapse pervenire.

I.) Proprie. — a) Absolute. Cic. 2. Cat. 4. 6. Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperam consequentur. Adde Auct. B. G. 8. 28.; Nepot. Themist. 7.; Liv. 1. 25.; et Curt. 5. 4. 34. — b) Cum Accus. Cic. 3. Att. 4. Nunc tu propera, ut nos consequare. Adde eumd. 3. ibid. 1. Id. 16. Fam. 1. 2. Si statim navigas, nos Leucade consequere. Id. 2. Invent. 4. 15. et Cn. Pompejus apud Cic. 8. Att. 12. A. § 3. Consequi aliquem in itinere. Cæs. 1. B. G. 53. Reliquos omnes equitatu nostri consecuti interfecerunt. Liv. 41. 10. Claudius prope consecutus est litteras suas. Id. 1. 48.; Curt. 4. 9. 25.; et Dig. 42. 8. 10. § 16. Consequi fugientem. Virg. 11. Æn. 741. Facile accipiter consequitur pennis columbam. Ovid. 9. Met. 126. Vulnere, non pedibus te consequar. Sic Seneca Hippol. 110. Consequi cursu feras. Ovid. 10. Met. 672. virum. Id. 8. ibid. 143. rates. Curt. 7. 8. 22. Scythas. Sueton. Cæs. 31. cohortes. — Figurate. Ter. Phorm. 5. 1. 23. Matrem ipsam ex ægritudine hac miseram mors consecuta est.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe est assequi, adipisci, obtinere: ad rem Cic. 2. Verr. 16. 48. Habeo certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. *ubi metaphora a venatione sumpta est.* Sic Curt. 4. 9. 19. *de militibus prædam agentibus.* Dum sua quisque spolia consequi studet. Hinc — a) Consequi dicitur qui aliquid magno conatu assequitur, obtinet, sibi comparat sibique retinet; et occurrit — *Consequi aliquid ab aliquo* vel *per aliquem*, ut apud Cic. 13. Fam. 1. 5. Nutu consequi aliquid ab aliquo. Id. 2. Off. 13. 45. Magnam laudem consequi et a summo viro et ab exercitu equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. Id. apud Non. p. 270. 16. Merc. Ea, quæ es ab senatu summo cum honore tuo consecutus. Adde Cajum 2. Instit. 55.; et Dig. 12. 1. 42. pr. et 15. 1. 9. § 1. Cic. 1. Fam. 7. 10. Consequi omnia per senatum. — *Consequi aliquid ex aliqua re*, ut apud Cic. 1. Fin. 10. 35. Quid ex eo consecutus est? laudem et caritatem. Id. Cæl. 7. 18. gloriosam victoriam ex reipublicæ causa. Id. pro leg. Manil. 1. 2. fructum amplissimum ex judicio alicujus. Id. 1. Fin. 10. 32. aliquid commodi ex laboriosa exercitatione corporis. Adde Quintil. 7. 2. 42. et Dig. 17. 1. 59. § 4. — *Consequi aliquid aliqua re*, ut apud Cic. 1. Fam. 7. 9. Consequi omnem gloriam omni cura atque industria. Id. 1. ibid. 5. 6. fracto impetu alicujus dignitatem et gloriam. Id. Planc. 1. 3. suis erga aliquem meritis impunitatem. Ovid. 5. Trist. 7. 68. præmium aliquod studio. — *Consequi aliquid in aliqua re*, ut apud Cic. 2. Off. 22. 79. In pernicie reipublicæ ne illam quidem, quam putant, gratiam consequi. Id. pro leg. Manil. 1. 2. aliquid in dicendo. Nepos Ages. 2. multum in re aliqua. Adde eumd. Att. 9. Quintil. 12. 11. 27. gloriam in rebus bellicis. — *Consequi aliquid* absolute. Cic. pro leg. Manil. 12. 34. Quis unquam aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus studio, tot loca adire potuit? Porro jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua sunt hæc. Cic. Planc. 23. 55. dignitatem quam volunt. Id. Orat. 5. 17. eloquentiam. Id. 2. Fam. 11. 1. famam eam, ut etc. Id. Planc. 5. 13. et Vellej. 2. 116. honores amplissimos. Vellej. 2. 118. jus equestris gradus. Cic. 12. Fam. 5. 1. laudem egregiam. Id. Planc. 25. 60. magistratum. Id. 1. ad Q. fr. 1. 43. nomen amplissimum. Id. 1. Off. 19. 64. opes quam maximas. Id. 3. ibid. 21. 82. potentiam. Id. Amic. 19. 70. præstantiam aliquam virtutis, ingenii, fortunæ. Id. Dom. 45. 117. et Quintil. 5. 10. 119. scientiam. Cic. 1. Fin. 10. 33. voluptates. — *Hoc consequi ut, ne.* Sic Cic. 1. Fam. 2. 4. Hoc videmur esse consecuti, ut ne etc. Vellej. 2. 124. 4. et Quintil. 2. 16. 9. ut. Quintil. 9. 2. 62. et Dig. 42. 3. 5. ne. — b) Interdum et in malam partem occurrit de iis, quæ invito animo assequimur. Cic. 1. Orat. 33. 150. Vere - illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. Quintil. 10. 1. 25. et 8. 2. 19. Consequi vitia. Plin. 19. Ep. 5. malignitatis famam. — c) Denique cum Accus. personæ, consequi aliquem dicuntur ea, quæ eidem eveniunt. Auct. B. G. 8. 31. Qua in re summa felicitas celeritasque in recipiendis civitatibus Fabium consequitur. Nepos Att. 19. Tanta prosperitas Cæsarem est consecuta, ut etc. Vellej. 2. 23. Cujus facti merita cum pœna consecuta est. Adde Quintil. 2. 10. 14. et 7. 4. 19. ¶ 2. Item est rem assequi ratione habita graduum, ac propterea est æquare; quo sensu occurrit — a) Generatim. Cic. Brut. 64. 228. Nec majorem consequi poterat (*Sisenna*), et minori necesse erat cedere. Adde Vellej. 1. 17. 7. Cic. 1. Fam. 8. 6. Nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. Id. 2. Orat. 13. 56. Ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. Huc pertinet et illud Colum. 11. R. R. 2. 90. His diebus, quæ præterita erunt superioribus, opera consequi oportet. h. e. persequi, exsequi, sive faciendo æquare. — b) Speciatim de iis, quæ oculis percipimus et assequimur. Varro 1. R. R. 12. 2. Animalia minuta, quæ non possunt oculi consequi. — c) Item speciatim et sæpius de iis, quæ mente vel intellectu, aut memoriâ percipimus, assequimur, complectimur. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 12. 39. Tantam caussam, tam expectatam et diligentia consequi et memoria complecti. Id. 6. Verr. 26. 57. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti. Id. Tim. 3. Consequi aliquid animo. Al. leg. omnino. Cæs. apud Cic. 2. ad Q. fr. 12. 4. Quantum conjecturâ consequor. Quintil. 2. 5. 21. Vim intellectu consequi. Et absolute Cic. Tim. 3. Consequi similitudinem veri. Id. 2. Herenn. 31. 50. Hæc si ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus etc. Et sequente relativo Lucret. 1. 460. rebus ab ipsis Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo. — d) Item sæpe de iis, quæ verbis æquamus vel oratione. Cic. Dom. 50. 129. Omnia si minus re, at verbis legitimis consequi. Id. 5. Phil. 13. 35. laudes alicujus verbis. Sic Ovid. 15. Met. 419. omnia verbis. Et sequente relativo Cic. apud Non. p. 270. 21. Merc. Nec quanta, nec qualia sint, verbis consequi possum. Id. post redit. ad Quirit. 2. 5. Neminem unquam tanta eloquentia fuisse, qui vestrorum magnitudinem beneficiorum non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. — Hinc Part. præs., cujus exempla superius retulimus,

Consequens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Consequentior* sub 2. a. ¶ 1. Consequens est qui recte atque ordine sequitur, qui apte cohæret, conveniens. Cic. Partit. orat. 6. 18. Ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum, sic in conjunctis, quod non est consequens, vituperandum est. V. CONSECUTIO sub 1. Id. 3. Fin. 15. 48. Consentaneum et consequens alicui. — Hinc *consequentia*, ἀκόλουθα, sunt ea, quæ rem aliquam natura et necessario consequuntur, et differunt ab *adjunctis*, quod hæc non semper eveniunt, illa semper, uti docet Cic. Topic. 12. 53. Præterea *adjuncta* sunt, quæ vel antecedunt rem ipsam, aut sunt in ipsa re, aut post, et spectantur in tempore: *consequentia* sunt post tantummodo, et spectantur in natura. Itaque hæc ad dialecticos proprie pertinent, illa ad oratores. Nihilominus Quintil. 5. 10. 75. cum illis hæc confundit, ut a viris doctis jam est observatum, tametsi 6. 3. 5. aperte distinxit. — Præterea *consequens* dictum est a nonnullis genus quoddam ridiculi, quod petitur ab iis, quæ natura sequuntur et cohærent. Quintil. 6. 3. 66. ¶ 2. Consequens est etiam quod ex alio sequitur, seu nascitur; quo sensu occurrit — a) Generatim. Cic. 1. Legg. 5. 15. Quoniam scriptum est a te de optimo reipublicæ statu, consequens esse videtur, ut scribas tu ipse de legibus. h. e. consentaneum, rationi conveniens. Sic Augustin. 15. Trinit. 19. sub fin. Quid consequentius, quam ut ipse sit caritas, qui etc. Et cum Infinito Gell. 1. 4. Consequens quidem fuerat sic dicere. Ulp. Dig. 43. 23. 15. extr. Consequens erit dicere, nihil eum consequi oportere. — b) Speciatim pertinet plurimum ad dialecticos, et consequens est id quod ex præcedentibus legitime infertur concluditurque. Cic. 5. Tusc. 7. 18. Se ante docuisse, nihil bonum esse, nisi quod honestum esset; hoc probato consequens esse, beatam vitam virtute esse contentam: et quo modo hoc sit consequens illi, sic illud huic etc. — Hinc

Consequens, entis, n. 3. et *Consequentia* plur. num., absolute, substantivorum more, eodem sensu usurpantur. Cic. 4. Fin. 24. 68. Teneamus illud necesse est, cum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit, non posse esse verum. et ibid. 19. 55. Consequentibus vestris sublatis etc. Id. 2. Orat. 53. 215. Demonstrando id, quod concludere velint, non effici ex propositis, nec esse consequens. Id. Orat. 35. 122. Ut efficiatur quod sit consequens iis, quæ sumentur ad quamque rem confirmandam. Adde eumd. 5. Tusc. 9. 24. et 17. 50., et Orat. 4. 16., et Quintil. 5. 10. 2.

CONSEQUUS, a, um, adject. idem quod consequens. Lucret. 5. 679. Consequa natura est jam rerum et ordine certo. *At hic legendum est* Consequiæ: V. CONSEQUIA. Sidon. 7. 11. Consequa paginæ parte. Claud. Mamert. 2. Stat. an. 9. ad fin. Sed a tractatoribus ad authenticos (h. e. S. Scripturæ libros) gradum consequa ratione faciamus.

CONSĔRĔNAT. V. DISSERENAT.

CONSERMŌCĬNOR, āris, ari, dep. 1. colloquor, sermonem habeo cum aliquo. Nigidius apud Gell. 10. 4. Spiritum atque animum porro versum, et ad eos, quibus consermocinamur, intendimus. Al. rectius leg. quibuscum sermocinamur.

CONSERMŌNOR, āris, ari, idem quod superius. Claud. Quadrigarius apud Gell. 17. 2. Cum his consermonabatur. Gell. ibid. *Sermonari* rusticius videtur, sed rectius: *sermocinari* crebrius est, sed corruptius.

CONSĔRO, sĕris, sēvi, sĭtum vel sătum, sĕrere, a. 3. (cum et sero). Cum *serere* significet seminare ac plantare, et in seriem quoque disponere ac connectere, putant quidam inveniri præteritum *conserui* etiam in propria significatione. Liv. 10. 24. Quam arborem conseruisset, sub ea legere alium fructum, indignum esse. *Al. leg.* seruisset; *al. ex conjectura* consevisset: *et sane* conserui *et* consevi *facile confundi possunt;* V. Alschefski ad h. l. — *Consatus* pro *consitus* occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores, Tertull. et Solin., cujus loca V. infra. — Part. *Conserens* I. b.; *Consitus* I. et II.; *Consatus* I. b.; *Conserundus* I. c. — Consero (de cujus etymo V. SERO et voc. seq. sub init.) est idem quod sero, una semino, una planto (It. *seminare o piantare insieme;* Fr. *semer, planter, ensemencer;* Hisp. *sembrar, plantar juntos;* Germ. *zusammensaen oder pflanzen;* Angl. *to sow, set, plant, sow together*).

I.) Proprie. — a) Absolute. Dig. 6. 1. 38. Conserere in alieno fundo. Ibid. 41. 1. 9. pr. in alienum fundum. — b) Sæpius cum Accusativo loci. Cato R. R. 6. Conserere agrum. Sic Cic. 2. Nat. D. 52. 130. Indus non aqua solum agros lætificat, sed eos etiam conserit: magnam enim vim seminum frumenti similium dicitur deportare. Et Virg. 1. Ecl. 73. en queis conserimus agros. Adde Dig. 7. 1. 9. § 6. Rursus Cic. Senect. 17. 59. Ager diligenter consitus. Quintil. 5. 10. 37. Locus consitus. cui ibid. opponitur incultus. — Cum addito Ablat. rei, quæ conseritur. Virg. 2. G. 38. Juvat Ismara Baccho conserere. Sall. Jug. 57. et Colum. 2. R. R. 2. 28. Ager arbustis consitus. Colum. 2. R. R. 2. 13. Conserere agrum lupino vel faba. Id. 7. ibid. 5. 6. Alii malleolo conseri vineam melius existimant, alii viviradice. Curt. 7. 4. 26. Conserere arva frumento. Id. 10. 1. 14. Insula palmis frequentibus consita. Gell. 19. 2. Fundus olea et vite consitus. Lucan. 9. 690. Libye nullo consita cultu. — Et de inanimis. Claudian. VI. Cons. Honor. Æraque vestitis numerosa puppe columnis Consita. h. e. rostra navium quasi sata et infixa columnis, quas Augustus post Antonium devictum, ex rostris navium Ægyptiacarum ornaverat. Forcellinus voc. consita interpretatus est conserta. At V. infra sub c. — Figurate. Lucret. 4. 1100. Muliebria arva conserere. Hinc di *conserentes*, qui sunt humanæ generationis præsides, nempe a muliebribus arvis conserendis, V. Arnob. 5. 18. Cf. et CONSIVIUS et CONSEVIUS. Solin. 9. ad fin. Olympias Alexandri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectavit, cum se coitu draconis consatam affirmaret. h. e. gravidam factam. Cf. Tertull. Resurr. carn. 16. Caro ab exordio uteri consata, conformata, congenita animæ. Id.

Anim. 43. Somnus est segregatio consati spiritus. — c) Cum Accus. rei, quæ conseritur. *Cato R. R.* 6. Hoc genus oleæ in XXV. aut in XXX. pedes conserito. *Id. ibid.* Conserere vineam in agro. *Id. ibid.* ibi Amineum (*vinum*). *Id. ibid.* 7. suum quidquid in fundo. *Id. ibid.* 6. olivetum. *Varro* 1. *R. R.* 24. Ager oliveto conserundo in Favonium spectet et soli ostentus sit. *Tibull.* 2. 1. 43. consita pomus. *Curt.* 6. 5. arbor. *Id.* 7. 2. 22. Nemora manu consita. *Propert.* 4. 4. 3. Lucus erat felix hederoso consitus antro. *Al. rectius leg.* conditus. — Et absolute *consita*, quemadmodum et *sata*, dicuntur quæcumque seminata vel plantata sunt. *Dig.* 6. 1. 53. — Et de inanimis. *Auct. B. Afr.* 31. Stili cæci mirabilem in modum consiti. *h. e.* in terram confixi.

II.) Translate est aliquid aliqua re spargere vel tegere. *Lucret.* 2. 211. sol lumine conserit arva. *h. e.* sparso lumine illustrat. *Plaut. Men.* 5. 2. 4. Consitus sum senectute. *h. e.* annis gravis, confectus. *Catull.* 64. 207. Ipse autem cæca mentem caligine Theseus Consitus, oblito dimisit pectore cuncta. *Virg.* 3. *Æn.* 127. crebris legimus freta consita terris. *h. e.* Ægeum mare, insulis frequens. — Cum translate sumitur, *evui*, *ertum*, habet in præteritis: nisi malis ad sequens verbum pertinere. Hæc *Forcellinus*, qui huc retulit loca *Arnob.* 1. 64. et *Quintil.* 9. *Declam.* 3., quæ *V.* in voc. seq. — Hinc

Consită, ōrum, n. plur. 3. absolute, substantivorum more. *V.* superius sub I. *c.* ad fin.

CONSĔRO, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere, a. 3. (cum et sero). Præteritum *consevi* pro *conserui* legitur apud *Fronton.* loc. infra cit. sub *A.* II.: cf. et voc. præced. sub init. — Part. *Consertus* sub *A.* I. et II., et sub *B.* I. 1.; *Conserturus* sub *B.* I. — Ratione habita etymi, docent etymologi, differre a superiore non solum positione præteriti, sed etiam origine ipsa, cum illud sit a σπείρω semino, hoc ab εἴρω necto: V. *Voss.* Ceterum consero est plura in lineas dispono, atque adeo in lineas disponendo connecto, conjungo (It. *mettere o disporre in fila*, *disponendo in fila intrecciare*, *congiungere*; Fr. *ordonnant en ligne lier*, *joindre*, *unir*; Hisp. *liar*, *atar*, *travar*, *unir*; Germ. *zusammenreihen*, *reihend verbinden*; Angl. *to join or knit together*). Occurrit *A*) Generatim, et *B*) Specialim.

A) Generatim conserere est in lineas disponendo connectere, conjungere.

I.) Proprie. — *a*) Occurrit *conserere aliquid aliqua re*, vel *aliquid* absolute. *Lucan.* 4. 136. Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. *Id.* 3. 513. rudis arbos conseritur. *Sil. It.* 4. 16. Conseritur tegimen laterum impenetrabile. *h. e.* thorax. *Auson. Mosell.* 48. Conserere sola crustis Phrygiis. *h. e.* marmore Phrygio solum sternere. — Sæpius usurpatur Part. præter. pass. *Virg.* 3. *Æn.* 467. Loricam consertam hamis auroque trilicem. *Id. ibid.* 594. Consertum tegmen spinis. Ubi *Servius* illigatum interpretatur. Cf. *Tac. Germ.* 17. *Curt.* 9. 1. 17. Vinculis conserta vehicula. *Sueton. Galb.* 18. Monile margaritis gemmisque consertum. — *b*) Item *conserere aliquid alicui rei*, vel *aliquid* absolute. *Curt.* 6. 5. 7. Ramos arborum alium alii, quasi nexu, conserere. *Id.* 4. 3. 18. Conserta navigia. *Id.* 5. 3. 23. Scutis super capita consertis. — Specialim de hominum corporibus. *Tibull.* 1. 8. 26. Conserere femur femori. *Ovid. Heroid.* 2. 58. Pœnitet et lateri conseruisse latus. Absolute *Tibull.* 1. 8. 36. Conserere sinus teneros.

II.) Translate est aliud cum alio connectere, conjungere. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 64. Vita conserta voluptatum omnium varietate. *Sed cum optimis Codd.* et Orell. *præstat legere* conferta. *Liv.* 7. 2. *ad fin.* Quæ exodia appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 10. Quid juvat nocti conseruisse diem? Cf. *Auson. in fin. ep.* 20. Vive, vale, et totidem venturos consere (*al. leg.* congere) Janos, Quot tuus, aut noster conseruere patres. *h. e.* vivendo continuavere. *Seneca Ep.* 90. *sub init.* Virtutes consertæ et inter se cohærentes. *Quintil.* 5. 10. 71. Ut sunt tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis consertus est. *h. e.* contextus initio, incremento, summa, ut *ibid.* subditur. *Val. Flacc.* 2. 617. conserta gentibus arva. *h. e.* frequentata, culta. *Quintil.* 9. *Declam.* 3. Ergo conseruit casus duratura longius a parvis initiis odia. — *b*) Specialim *conserere sermonem* est colloqui cum aliquo apud *Curt.* 8. 12. 5. Sic *Fronto ad Verum Imp.* (edente *A. Mai.*) ep. 8. Quam libenter consevisti sermonem! quamdiu produxisti! *Stat.* 2. *Silv.* 1. 5. Conserere verba.

B) Specialim occurrit formula, quæ jam inde ab antiquissimis temporibus usu venit, *conserere manum* vel *manus* pro pugnare, pugnam incipere.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim usurpatur de pugna, quam uterque incipit exercitus manus conjungendo. *Cic. Mur.* 9. 20. Duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit. Sic *Id.* 7. *Att.* 20. 1.; *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 3.; *Sall. Jug.* 50.; *Nepos Datam.* 8. et *Ages.* 3.; et *Liv.* 21. 41. Conserere manum. *Varro* 6. *L. L.* 64. *Müll.* Conserere manum cum hoste. Adde *Cic.* 7. *Att.* 20. 1. et *Nepot. Hann.* 4. *Liv.* 1. 25. Conserere manus. *Id.* 6. 12. *ad fin.* Ut decet spei plenos et cum imparibus conserturos manus. *Id.* 7. 40.; *Sall. fragm.* 1. 15. p. 217. *Gerlach.*; et *Ovid. Heroid.* 12. 100. Conserere manus inter se. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 60. Edunt vulnera conseruntque dextras. — NB. *Conserere manu* qui putant recte dici, nituntur præcipue celebri illa phrasi *ex jure manu consertum*, de qua *V.* infra sub 2., ubi lectionem hanc falsam esse indicavimus. Præterea locus *Cic.* 7. *Att.* 20. 1. in optimis quibusdam exemplaribus habet *manum*. — Hinc *Plaut. Bacch.* 4. 9. 43. Conserere pugnam alicui. *h. e.* contra aliquem. *Liv.* 32. 10. pugnam inter se. *Id.* 21. 8. et 21. 50.; *Curt.* 3. 11. 4.; et *Tac.* 2. *Ann.* 10. pugnam. *Liv.* 5. 36. et 21. 8. prælium. *Virg.* 2. *Æn.* 398. et *Curt.* 8. 13. 12. prælia. *Liv.* 35. 4. certamen. *Lucan.* 3. 560. bellum. *h. e.* prælium: et eodem sensu *Val. Flacc.* 3. 123. bella. Cf. *Lucan.* 2. 443. bella conserta bellis. *h. e.* quorum uno confecto aliud insurgit. Rursus *Liv.* 21. 1. Haud ignotas artes belli inter se conserere. *Id.* 21. 50. Sicubi conserta navis esset, haudquaquam par numerus armatorum ex ea pugnabat. *h. e.* conflixisset: *al. minus recte leg.* conserta manus. *Sil. It.* 6. 316. Consertæ campis acies. *Val. Flacc.* 6. 182. consertis junxere frementia telis Agmina. *h. e.* invicem conjectis: eodem sensu *Id.* 3. 123. Conserere tela manu. — Denique absolute *Liv.* 44. 4. Cum levi armatura conserere. ¶ 2. Specialim *in jure manum conserere* et *ex jure manum consertum vocare* sunt formulæ judiciales veterum. Est autem, *ex jure manum consertum vocare*, ducere aliquem ex jure ad conserendam manum in rem, de qua lis sit. Quo in loco cum erant litigatores, ex eo glebam prehendebant, deferebantque ad prætorem, ut in ea tamquam in toto agro jus suum persequerentur. *V. Gell.* 20. 10. *Legg. XII. Tabul.* apud *Gell. l. c.* SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT. *Ennius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 13. et apud *Gell. l. c.* Non ex jure manum consertum, sed mage ferro rem repetunt. *Vetus formula* apud *Cic. Mur.* 12. 26. FVNDVS SABINVS MEVS EST. EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AJO. INDE EGO TE EX IVRE MANVM CONSERTVM VOCO. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 41. Multis præessem, qui te ex jure manum consertum vocarent. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 64. *Müll.* Apud *Cic. Mur.* et *Orat.* loc. citt. aliquæ editiones et quidem optimæ habent *te ex jure manu consertum*, h. e. manu apprehensum: at hæc falsa est lectio, advertatur enim formulæ *Legg. XII. Tabul.* ab *Ennio* quoque memoratæ.

II.) Translate, metaphorā sumptā a superiori paragr. *B.* I. 1., scilicet a conserenda manu, videtur dixisse *Arnob.* 1. 64. Quid ergo vos subigit, quid hortatur maledicere, conviciari, inexpiabiles cum eo (*Christo*) conserere simultates, quem redarguere, quem tenere nemo hominum possit ullius facinoris in reatu? *Idem* enim dixit *Arnob.* 3. 4. Sed consilium non est parte in hac causæ diutius immorari: ne lites maximas concitare ac tumultuosa conserere videamur velle certamina.

CONSERPO, is, ere, n. 3. idem quod serpo. *Liv.* 30. 16. Crescit et conserpit quotidie malum. *Plerique al. rectius leg.* serpit.

CONSERRĀTUS, a, um, adject. in modum serræ factus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (122). Sed spectatissimum insigne gallinaceis corpore conserratum. *Sed melius alii leg.* corporeum, serratum; *quam lectionem retinuit etiam* Sillig.

CONSERTĒ, adverb. conjuncte. *Cic. Fat.* 14. 32. Omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt.

CONSERTĬO, ōnis, f. 3. conjunctio, connexio, implicatio. *Arnob.* 3. 13. Ad cervicum necessarias flexiones consertionibus verticularum atque ossea substructione fulciri.

CONSERTUS, a, um. *V.* CONSERO secundo loco.

CONSERVA, æ, f. 1. In Dativo plur. facit *conservabus*, quando distinctione opus est, ut in ASINA sub init. admonuimus. *Scævola Dig.* 33. 7. 28. § 1. Relictis conservabus et filiis suis. — Conserva est quæ cum aliis serva est, eumdemque dominum habet.

I.) Proprie. *Plaut. Cas.* 1. 20. Ut uxorem ducam Casinam conservam tuam. *Ter. Eun.* 2. 3. 74. Summa forma semper conservam domi videbis. *Varro* 1. *R. R.* 17. 5. Dandaque opera, ut operarii habeant peculium, et conjunctas conservas, e quibus habeant filios. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2798. et 4684.

II.) Figurate de inanimis. *Plaut. Asin.* 2. 3. 6. Nolo ego, fores conservas meas a te verberarier. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 74. Duraque conservæ ligna valete fores. *h. e.* servæ una cum janitore.

CONSERVĀBĬLIS, e, adject. qui conservari potest. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 13. Bonum conservabile.

CONSERVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conservandi, custodia: et occurrit — *a*) De inanimis. *Cic.* 2. *Off.* 3. 12. Frugum perceptio et conservatio. — *b*) De abstractis. *Cic.* 1. *Off.* 28. 100. Conservatio naturæ. *Id.* 1. *Off.* 36. 131. Tenere attentos animos ad conservationem decoris. *Id.* 1. *Orat.* 42. 188. Conservatio legitimæ æquabilitatis. *Quintil.* 5. 10. 3. Conservatio bonorum. In Nummo *Gallieni*, apud *Eckhel. D. N. V.* t. 7. p. 408. OB CONSERVATIONEM SALVTIS. *Item ibid.* OB CONSERVATIONEM PATRIAE.

CONSERVĀTĪVĒ, adverb. conservando. *Boeth. Aristot. Topic. l.* 13. *p.* 669. Si salubre multipliciter dicitur, et salubriter multipliciter dicetur: ut si salubre dicitur hoc quidem sanitatis effectivum, illud autem conservativum, quoddam vero significativum; et salubriter vel effective, vel conservative, vel significative dicetur. *h. e.* salubriter ad valetudinem vel efficiendam, vel tuendam, vel indicandam pertinet.

CONSERVĀTĪVUS, a, um, adject. qui conservat. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. p. 678. Similiter effectiva et conservativa, conjugata illi cujus sunt effectiva et conservativa, ut sanativa sanitatis etc. Adde *eumd. ibid.* p. 717., et in voc. præced.

CONSERVĀTOR, ōris, m. 3. servator, custos; et occurrit — *a*) Cum Genitivo. *Cic.* 8. *Att.* 9. 3. Alterum existimari conservatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum. *Id. Sext.* 24. 54. Dii immortales custodes et conservatores hujus urbis. *Id.* 9. *Att.* 10. 3. Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt. *Id. Sext.* 45. 97. Civitatis conservator. *Id. Harusp. resp.* 27. 58. patriæ. *Id. Dom.* 10. 26. et *Vellej.* 2. 66. 3. reipublicæ. *Vellej.* 2. 60. nominis Romani. *Gesta in sen. de rec. Cod. Theod.* p. 6. *Wenck.* legum, decretorum. *Inscript.* apud *Orell.* 795. GENERIS HVMANI. *Alia* apud *eumd.* 1080. et 1089. RERVM HVMANARVM. — *b*) Absolute in veterib. *Inscript.* sæpe est epitheton Jovis, ut apud *Gruter.* 18. 5. 7. 8. 9. 10., et 19. 1. et 3. IOVI CONSERVATORI. Quin *ibid.* 18. 6. habetur: IOVI OPT. MAX. SERVATORI, CONSERVATORI. et *ibid.* 19. 6. CVSTODI, CONSERVATORI. Cf. *Inscriptt.* apud *Orell.* 1225., 1226. et seqq., 1629., 4983. etc.; et adde alias apud *Gud.* p. 5. n. 2. 4. 5. 6. etc.

CONSERVĀTRIX, īcis, f. 3. quæ conservat; et occurrit — *a*) Cum Genitivo. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 26. Ut non dubitem dicere, omnem naturam esse conservatricem sui. *Arnob.* 4. 35. Virgines perpetui nutrices et conservatrices ignis. *Inscript.* apud *Orell.* 4639. PECVLII CONSERVATRIX. — *b*) Absolute est — Epitheton Junonis. *Inscript.* apud *Gruter.* 25. 2. et 4. IVNONI CONSERVATRICI. — Item Fortunæ. *Inscript.* apud *eumd.* 74. 6. et 75. 2. — Item matrumfamilias diligentiorum. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 14. n. 18. ANNIAE CONIVGI CONSERVATRICI EIVS. FECIT. *Alia* apud *Orell.* 4930. D. M. IVLIAE CALLIDOE C. IVLIVS HERMEROS LIBERTAE SVAE BENE MERITAE ET CONSERVATRICI SVAE SANCTISSIMAE FECIT. Adde alias apud *Gruter.* 815. 5. et 1142. 2.

CONSERVĀTUS, a, um. *V.* CONSERVO.

CONSERVĬTĬUM, ii, n. 2. servitium commune plurium. *Plaut. Capt.* 2. 1. 45. Quoniam dii me tibi esse nunc conservum volunt, te oro per conservitium commune, ne etc. *Tertull. Cult. fem.* 1. *sub init.* De meo jure conservitii et fraternitatis audeo ad vos verba ista facere.

CONSERVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et servo). *Conservavisse* pro *conservasse*, magis est litterati hominis, quam ex consuetudine loquentis. Hæc

Quintil. 1. 6. 21. — Part. Conservans, Conservatus, Conservaturus et Conservandus sub a. — Conservo est idem quod servo, custodio, tueor, retineo (It. conservare, custodire; Fr. conserver, maintenir, garder; Hisp. conservar, ahorrar, guardar; Germ. etwas in seinem Bestand erhalten, bewahren; Angl. to preserve, take care of, keep, defend, protect, watch over carefully, save). Usurpatur — a) De animalibus. Ter. Heaut. 4. 1. 40. Istuc recte: conservasti te et illam. Cic. 3. Fin. 5. 16. Placet his – simul atque natum sit animal – ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum, et ad suum statum, et ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda. Id. 3. Cat. 10. 25. Omnes salvos conservare. Id. 9. Fam. 13. 3. Aliquos incolumes conservare. Cæs. 2. B. G. 15. Cæsar dixit sese eos conservaturum. Id. 7. ibid. 41. Ædui Cæsaris beneficio conservati. Id. 3. B. C. 98. Conservare omnes. Id. 2. B. G. 12.; Catull. 15. 5.; Nepos Themist. 5. et 8. et Eumen. 10.; et Sueton. Aug. 17. aliquem. Nepos Datam. 2. Exercitus reliquus conservatus regis est. — b) De inanimis. Cic. 2. Off. 24. 87. Res familiaris conservari debet diligentia et parsimonia. Id. pro leg. Manil. 5. 12. Videte, ne – vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri et conservari non posse. Nepos Ages. 4. Etiam apud Barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit. — Jungitur aliis Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. Dig. 43. 21. 3. aquam. Sueton. Aug. 94. arborem. Id. Domit. 1. chirographum. Dig. 5. 3. 36. fructus. Ibid. 14. 2. 2. merces. Petron. Satyr. 135. opes. Cic. 6. Verr. 63. 140. rebus tuendis conservandisque præesse. Colum. 4. R. R. 20. 1. stirpem rectam. Lucret. 1. 1042. summam omnem. Sueton. Ner. 20. et 25. vocem. Scribon. Compos. 207. vulnus sine dolore. — Absolute. Ter. Adelph. 5. 3. 27. Conservare, quærere, parcere. Adde Dig. 1. 13. 41. — c) De abstractis. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 12. Obtinere et conservare necessitudinem cum publicanis. Id. 2. Divinat. 35. 75. Jus augurum reipublicæ causa conservatum ac retentum. Nepos Att. 6. Honores non petiit, quod capi non possent, conservatis legibus. Liv. 38. 11. Imperium majestatemque populi R. gens Ætolorum conservato sine dolo malo. Propert. 4. 3. 69. Incorrupta mei conserva fœdera lecti. — Jungitur pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Quintil. 3. 8. 45. ambitum. Liv. 31. 2. pristinum animum erga populum Rom. Quintil. 11. 3. 153. auctoritatem. Cic. 3. Fam. 7. extr. benevolentiam. Nepos Ages. 2. fidem. Lucret. 2. 709. genus. Nepos Ages. 2. inducias. Cic. 3. Off. 28. 103. et Nepos Hann. 2. jusjurandum. Cic. 11. Fam. 7. 2. libertatem et salutem populi Rom. Adde Dig. 40. 5. 55. § 1. Cic. Balb. 16. 36. et Dig. 49. 15. 7. § 1. majestatem populi Rom. comiter conservare. Cic. 4. Fam. 13. extr. memoriam alicujus rei. Lucret. 1. 677. naturam eamdem. Cic. Dejot. 13. 36. nomen aliquod retinere et conservare. Quintil. 1. 2. 4. opinionem. Cic. 6. Att. 1. 1. non οἰκονομίαν suam institutam, sed ordinem alterius conservare. Adde eumd. Rosc. com. 2. 6. Id. 6. de republ. 13. 13. patriam. Sueton. Aug. 45. privilegia athletis. Nepos Ages. 2. religionem. Cic. post red. ad Quir. 7. 17. et Nepos Epam. 7. rempublicam. Plin. 11. Hist. nat. 54. 119. (284). et Quintil. 2. 10. 6. vires. Cic. 3. Verr. 47. 124. voluntatem mortui. Id. 5. Fam. 3. 2. voluntatem pristinam erga aliquem conservare. — Hinc Part. præs.

Conservans, antis, adjective quoque occurrit. V. supra sub a.

CONSERVŬLA, æ, f. 1. deminut. a conserva, parva serva. Seneca 3. Controv. 21. p. 250. Bip. Ut domina nuberet, conservula de cellula exacta est.

CONSERVUS, i, m. 2. Conservûm pro conservorum habet Titinius apud Festum p. 270. 20. Müll. — Conservus est qui cum aliis servus est, eumdemque dominum habet. Plaut. Capt. 2. 1. 52. Ut qui herum me tibi fuisse, atque esse nunc conservum velint, etc. Id. Mil. glor. 4. 6. 30. Conservi, conservæque omnes bene valete, et vivite. Adde Ter. Adelph. 5. 3. 71. et Titin. apud Festum loc. cit. Cic. 12. Fam. 3. ad fin. Dominum ferre non potuimus, conservo servimus. h. e. M. Antonio, qui nobiscum Cæsari servierat. Adde eumd. Cluent. 61. 179. Horat. 1. Sat. 8. 8. Huc prius angustis ejecta cadavera cellis Conservus vili portanda locabat in arca. Id. 2. ibid. 7. 79. Nam Sive vicarius est qui servo paret, uti mos Vester ait, seu conservus. Adde Tac. Agric. 31.; Dig. 11. 3. 14. § 2. et alibi sæpe; et Inscript. apud Orell. 4598. Colum. 7. R. R. 12. 5. Satis est severos esse nec blandos, ut nonnumquam (villatici canes) etiam conservos (h. e. domini servos, ipsorum quasi canum conservos) iratius intueantur, semper excandescant in exteros. — Et morali ratione Seneca Ep 47. Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Servi sunt? immo homines. — Servi sunt? immo humiles amici. Servi sunt? immo conservi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunæ.

CONSESSĬO, ōnis, f. 3. idem ac consessus. Capell. 5. p. 139. Ipsum conventum superæ consessionis attestor. Ita Kopp.; alii minus recte confessionis.

CONSESSOR, ōris, m. 3. qui una cum alio sedet. — a) Generatim. Jul. Valer. res gest. Alex. M. 1. 43. Mai. Rex regum et consanguineus deorum, consessorque dei Mithræ, unaque oriens cum sole, Darius ipse Alexandro famulo meo jubeo dicoque hæc. V. FRATER. — b) Specialim qui una cum alio sedet in judicio, seu pro tribunali. Cic. 2. Fin. 19. 62. A. Varius, qui est habitus judex durior, dicere consessori solebat. — c) Item qui una cum alio sedet in theatro, vel circo. Cic. 2. Att. 15. 2. Præclarum spectaculum mihi propono, modo te consessore spectare liceat. Liv. 34. 54. Dives pauperem consessorem fastidit. Adde Val. Max. 1. 7. 8. — d) Item qui una cum alio sedet in convivio. Cic. Flacc. 11. 24. Consessores, convivæ, contubernales. Adde eumd. 5. Phil. 5. 13. Martial. 1. 27. Nec consessorum vicina nomismata tantum.

CONSESSUS, us, m. 4. locus ubi multi sedent: item ipsi homines uno in loco sedentes. — a) Generatim. Cic. 1. Att. 16. 3. Non enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit. Id. Quinct. 3. 11. A præconum consessu in Galliam transferri. Inscript. apud Gruter. 2. 11. I. O. M. ET CONSESSVI DEORVM DEARVMQVE PRO SALVTE IMPERII ROMANI. — b) Specialim de consessu in judicio. Cic. 3. Verr. 7. 19. Quis tam inimicus huic ordini fuit, qui non conspectu consessuque vestro commoveretur? Adde eumd. Mil. 1. 1. et Planc. 1. 2. — c) Item de consessu in theatro. Cic. Harusp. resp. 11. 22. Populus Rom. vinctus ipso consessu. Id. Sest. 50. 106. Contione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu. Id. ibid. 54. 115. Theatrales gladiatoriique consessus. Id. Senect. 18. 64. A cuncto consessu plausus multiplex datur. Id. Flacc. 17. 41. Dorylensis cum efferretur magna frequentia consessuque vestro. Lucret. 4. 78. Namque ibi consessum caveaï subter, et omnem Scenaï speciem patrum – inficiunt. Virg. 5. Æn. 340. Implere totum consessum caveæ clamoribus. (Ubi Servius notat, intelligi plebem, quia cavea consessus est populi. Eodem sensu consessum caveæ dixit Tac. 13. Ann. 54.). Virg. 5. ibid. 577. Postquam omnem læti consessum, oculosque suorum Lustravere in equis. Val. Max. 2. 4. 6. Spectantium consessum velorum umbraculis texit. Sueton. Aug. 44. Motus injuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. — d) Item consessus dicitur ipsum jus vel copia seu facultas apud aliquem sedendi. Cod. Theod. 6. 26. 16. Liberum consessum habere. Lamprid. Alex. Sev. 4. Cum amicis tam familiariter vixit, ut communis esset ei sæpe consessus, iret ad convivia eorum. Id. ibid. 18. Salutatus, consessum obtulit omnibus senatoribus. Cf. Inscript. apud Henzen. 7007. CVI ORDO SPLENDIDISSIMVS CIVITAT. ALBENSIVM (Albam intellige Helvorum, V. Plin. 3. Hist. nat. 4. 5. (36).) CONSESSVM DEDIT. h. e. qui adlectus est in ordine Decurionum.

CONSĔVIUS, ii, m. 2. deus quidam apud Romanos, qui, ut loquitur Tertull. 2. ad Nation. 11., consationibus concubitalibus præerat. Hic tamen idem videtur esse ac Janus Consivius, cujus mentionem facit Macrob. 1. Saturn. 9. V. CLUSIUS.

CONSICCO, as, are, a. 1. simul sicco. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 132.

CONSĬDEO. V. CONSIDO.

CONSIDERANTER, adverb. Comp. Considerantius. — Consideranter est idem quod considerate. Val. Max. 8. 1. ad fin. Consideranter et mansuete populi R. magistratus agebat. Fronto de differ. vocab., ubi ait p. 2194. Putschii. Consideratius proverbium ex cognomine, considerantius ex participio. Pallad. 3. R. R. 17. Cuneum inter corticem et lignum consideranter deponimus.

CONSĬDĔRANTĬA, æ, f. 1. consideratio. Vitruv. 6. 1. 10. Schneid. Tarditate animi sine considerantia irruentes, sine solertia, suis consiliis refragantur. Cic. 3. ad Q. Fr. 9. 2. de Milone loquens. Ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ᾽ ἀνεκτῶς, qui ludos HS ccc. comparet: cujus in hoc uno considerantiam et ego sustinebo, ut potero, et tu ut possis, est tuorum nervorum. Ita vulgo: lege tamen inconsiderantiam.

CONSĬDĔRĀTĒ, adverb. Comp. Consideratius; Sup. Consideratissime. — Considerate est cogitate, consulto, prudenter. Cic. 1. Off. 38. 136. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. Adde eumd. Quinct. 16. 51. Id. 1. Off. 27. 94.; 1. ibid. 45. 160. et 13. Fam. 5. 2. Agere considerate. Id. 1. Off. 15. 49. Judicio, considerate, constanterque delata beneficia. Id. 9. Att. 10. 2. Quid feci non consideratissime? Cæs. 3. B. C. 82. Consideratius facere. Atticus apud Cic. 9. Att. 10. 9. Valde videro, et consideratius utilitati nostræ consuluero. Liv. 4. 45. Consideratius concordiusque bellum gerere. Colum. 5. R. R. 11. 4. Demittere cuneum considerate. Sueton. Cæs. 77. Consideratius loqui cum aliquo. Quintil. 1. Declam. 2. Crimina considerate ficta. h. e. accurate, studiose.

CONSĬDĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. cogitatio, animadversio. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 41. 127. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturæ. Id. ibid. 11. 35. Circumspectio et accurata consideratio. Id. 2. Invent. 33. 103. Intendere considerationem in rem aliquam. Gell. 13. 28. extr. Subtilior verborum consideratio.

CONSĬDĔRĀTOR, ōris, m. 3. qui considerat. Gell. 11. 5. Quos Pyrrhonios philosophos vocamus, ii Græco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. Id ferme significat quasi quæsitores et consideratores. Augustin. Ep. 166. (al. 28.) n. 15. Animalis cujuscumque creatio, si habeat pium prudentemque consideratorem, ineffabilem laudem creatoris excitat. Adde eumd. Tract. 20. in Joann. ad fin.

CONSĬDĔRĀTUS, a, um. V. voc. seq. in fin.

CONSĬDĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Qui consydero per y scribunt, vix patronum invenient. Part. Considerans, Consideraturus et Considerandus II.; Consideratus in fin. — Ratione habita etymi, Paulo Diac. p. 42. 4. et p. 75. 8. Müll. placet dici a contemplatione siderum. Certe est a con et εἶδος, ἰδεῖν, videre, quemadmodum et sidus. Hinc considerare est oculis inspicere, attente intueri (It. considerare; Fr. considérer attentivement, regarder; Hisp. considerar; Germ. betrachten, beschauen, besehen; Angl. to inspect, examine, consider).

I.) Proprie occurrit — a) Cum Accusativo tantum rei, quam attente inspicimus. Plaut. Epid. 5. 1. 18. Contempla, Epidice, – considera: signum pictum pulcre videris. Cic. 6. Verr. 15. 33. Accessit ad argentum: contemplari unum quidquid otiose et considerare cœpit. Adde Colum. 12. R. R. 2. 6. Rursus Cic. 6. Verr. 27. 63. Considerare trullam gemmeam diligentius. Id. 6. Verr. 28. 65. candelabrum etiam atque etiam. Id. 1. Off. 41. 147. Pictores et ii, qui signa faciunt, suum quisque opus a vulgo considerari vult. Sall. Cat. 58. Cum vos considero, milites, etc. Ovid. 3. Met. 95. Dum spatium victor victi considerat hostis. Sueton. Cæs. 31. Considerare formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus. Id. Cal. 36. Feminas diligenter ac lente mercantium more. Gell. 2. 21. sidera. — b) Cum Accusativo et Infinito. Column. 11. R. R. 2. 67. Cum pampinos et folia decidere considerassent. — c) Sequente relativo. Ovid. 12. Met. 105. Num tamen exciderit ferrum considerat hastæ.

II.) Translate de mente usurpatur, et est cogito, expendo, meditor: et occurrit — a) Absolute. Cic. 10. Fam. 16. 1. Ille se considerare velle (ait). — b) Cum Accusativo rei, quæ mente perpenditur. Ter. Heaut. 2. 4. 5. Cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero. Cic. 5. Tusc. 1. 3. Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans. Id. Rosc. Am. 37. 106. Factum alicujus ex judicio alterius considerare. Id. 1. Invent. 10. 14. Ex se et ex sua natura aliquid considerare. Id. 14. Fam. 14. 1. Quod ipsæ optime considerabitis. Sall. Cat. 52. 2. Res atque pericula nostra considerare. Tac. 2. Hist. 76. Simul ipse qui sua-

det, considerandus est. — c) Cum Ablativo rei et præp. *de*. *Cic.* 7. *Att.* 13. a. 3. Sed de hoc tu videbis, quippe cum de me ipso ac de meis te considerare velim. Adde *eumd.* 14. *Fam.* 14. 2., 3. *Off.* 4. 18., pro *leg. Manil.* 19. 58. et 12. *Att.* 24. 1. — d) Sequente relativo. *Cic.* 5. *Verr.* 12. 29. Considerate cum vestris animis vosmet ipsi, ecquem putetis etc. *Id.* 7. *Att.* 13. a. 3. Sed velim consideres quid faciendum putes. *Id.* 7. *Verr.* 68. 174. Videas etiam atque etiam et consideres, quid agas. Adde *eumd.* 4. *Herenn.* 26. 35. et 1. *Invent.* 11. 14.; *Sall. Cat.* 20. et 44.; et *Quintil.* 7. 1. 8. *Sall. in ep. Mithrid. ad Arsac.* p. 177. 3. Omnes – considerare debent, liceat ne etc. *Id. ibid.* p. 179. 19. Nunc quæso considera – utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? *Liv.* 45. 12. Cum se consideraturum adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset. *Curt.* 7. 8. 30. Finitimos hostes an amicos esse velis considera. *Gell.* 17. 8. Consideremus, cur oleum sæpe stet. — e) Sequente part. *ut* vel *ne*. *Cic.* 1. *Off.* 21. 73. Considerandum est, ne temere desperet. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 17. Considerandum *erit*, ut solum pingue sit. *Id.* 8. *ibid.* 5. 9. Considerari debet, ut luna crescente id fiat. — f) Impersonaliter. *Cic.* 3. *Off.* 4. 18. Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur. *Id.* 1. *Invent.* 11. 14. Judicialis (*constitutio*) est, in qua, quid juris ex civili more et æquitate sit, consideratur. — Hinc Part. præter. pass.

Consideratus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Consideratior* et Sup. *Consideratissimus*: occurrit autem translate tantum pro cogitato, perpenso, adeoque cauto, circumspecto. — a) De actibus et qualitatibus. *Cic.* 2. *Invent.* 5. 18. Ratiocinatio est diligens et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Nihil feci iratus, nihil non diu consideratum, ac multo ante meditatum. *Id. Sull.* 26. 72. Factum paullo minus consideratum. *Id.* 2. *Invent.* 54. 164. Ratio bene considerata. *Id. Brut.* 42. 154. Considerata tarditas. *Id. Parad.* 5. 1. § 34. Considerata atque provisa via vivendi. *Id.* 9. *Att.* 2. Consilium consideratius. *Id. Fontej.* 9. 19. Qui illud verbum consideratissimum consuetudinis, *arbitror*, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus; ex toto testimonio suo sustulit. *Cod. Theod.* 8. 5. 19. Facilitas parum considerata. — b) De personis. *Cic. Cæcin.* 1. 1. Illud considerati hominis esse putavit etc. Adde *eumd. Quinct.* 3. 11. et *Liv.* 22. 39. *Auct. B. Afr.* 73. Cæsar tardior et consideratior erat factus. *Plin. Paneg.* 44. 5. Homo consideratus ac sapiens.

CONSĪDO, sidis, sēdi, sessum, sīdere, n. 3. Est a *con* et *sido*, et in præteritis a *sedeo*; caret enim præterito, teste *Priscian.* 10. *p.* 889. et 893. *Putsch.*, sed mutuatur a *sedeo*: neque tamen *consideo* temere in Latium invehere licet, cum nullum ejus exemplum in personis præsentis, aut futuri temporis invenire adhuc licuerit. Apud *Cic.* 2. *Att.* 4., ubi vulgo legitur *in otio consederit*, est qui legit *considerit*, ut sit præteritum verbi *Consido*. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 30. *extr.* Drusus, quia præsentia satis considerant, in Urbem rediit. *h. e.* sedata erant. Al. leg. *consederant*. At sæpe in MSS. Codicibus *consīdi* legitur pro *consēdi*, qua de re V. *Wagner* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 1. — Part. *Considens* II. 3. — Considere proprie dicitur de pluribus: interdum tamen occurrit et de una tantum persona, ut apud *Virg.* 7. *Ecl.* 1., *Colum.* 7. *R. R.* 3. 26. et *Sueton. Aug.* 35., quæ loca *V.* infra sub I., significat autem quamdam in sedendo peculiarem formam vel majestatem; paucis consido est ad sedendum me compono. Ceterum est simul sedeo (It. *mettersi a sedere*; Fr. *s'asseoir, se poser, prendre place*; Hisp. *asentar, tomar asiento, sentarse*; Germ. *sich zusammensetzen*; Angl. *to sit down together or along with*).

I.) Proprie *A*) Stricto sensu occurrit de hominibus aliisque animantibus, *B*) Latiori autem sensu de inanimis.

A) Stricto sensu considere de hominibus aliisque animantibus usurpatur, et est simul sedere, ponere se in aliquo loco, vel sedendo locum aliquem occupare. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. *Curt.* 7. 6. 6. Illi (*legati*) jussi considere affirmant etc. Adde *eumd.* 5. 2. 22. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 26. Nec aut recubat, aut considat (*pastor*). *Plin.* 6. *Ep.* 20. Vix consederamus. — b) Addito loco, in quo considitur. — Per Ablativum et præpos. *in*. *Cic. Brut.* 6. 24. In pratulo propter Platonis statuam consedimus. *Id.* 1. *Divinat.* 36. 78. Cum Platoni in cunis dormienti apes in labellis consedissent. *Id. Senect.* 18. 63. Considere certo in loco. *Id.* 1. *Orat.* 7. 29. in sedibus. Sic *Id.* 2. *Legg.* 3. 7. Si videtur, considamus hic in umbra. *Nepos Pausan.* 4. Eo index confugit: in ara consedit. *Liv.* 21. 46. Examen apum in arbore consederat. *Id.* 1. 48. et *Curt.* 8. 4. 15. Considere in sede alicujus. *Virg.* 3. *Ecl.* 55. in herba. *Ovid.* 13. *Met.* 931. in cæspite. *Curt.* 3. 14. in rupe. *Id.* 5. 2. 13. et 8. 4. 17. in sella. *Id.* 4. 6. 11. In turre consedit avis. Sic *Id.* 5. 2. 22. Scio apud vos filium in conspectu matris considere nefas esse. — Per Ablat. sine præpos. *Liv.* 42. 39. *extr.* Salutatio – benigna fuit, positisque sedibus consederunt. *Virg.* 4. *Æn.* 573. et *Val. Flacc.* 2. 442. Considere transtris. *Id.* 7. *ibid.* 169. solio avito. *Id.* 4. *ibid.* 349. tectis bipatentibus. *Id.* 7. *ibid.* 176. perpetuis mensis. *Virg.* 4. *G.* 65. medicatis considunt sedibus apes. *Ovid.* 2. *Met.* 869. tergo tauri. *Id.* 1. *ibid.* 679. saxo. *Id.* 6. *Fast.* 305. Ante focos olim longis considere scamnis. — Per alias præpos. *Virg.* 5. *Ecl.* 3. Cur non – hic corylis mixtas inter considimus ulmos? *Id.* 7. *ibid.* 1. sub arguta consederat ilice Daphnis. *Ovid.* 6. *Met.* 373. Considere super ripam stagni. *Curt.* 7. 7. 9. propius ipsum. — c) Passive impersonaliter. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 18. In silvam venitur, et ibi – considitur. ¶ 2. Speciatim eleganter dicitur de judicibus simul sedentibus judicandi causa. *Cic.* 3. *Verr.* 7. 19. Quo die primum, judices, citati in hunc reum consedistis. Adde *eumd.* 1. *Att.* 16. 3.; *Liv.* 20. 48.; et *Ovid.* 11. *Met.* 157. Sic absolute *Id. Ovid.* 13. *ibid.* 11. Consedere duces etc. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Considere in loco certo. *Liv.* 45. 7. in consilium. *Id.* 34. 61. ad jus dicendum. *Sueton. Cal.* 38. Cognoscebat de talibus causis, taxato prius modo summæ, ad quem conficiendum consideret. *Quintil.* 9. *Declam.* 10. De hac re consedistis: hoc concitavit istam judicii scænam. — Et de Atheniensis populi contione *Cic. Flacc.* 7. 16. Cum in theatro homines consederant. ¶ 3. Item speciatim est commorari, consistere, poniturque tum de singulis personis, tum de civitate, natione vel populo aliquo. *Cic.* 2. *Att.* 6. Dubito hic, an Antii considam, et hoc tempus omne consumam. *Id.* 5. *ibid.* 14. Considere aliquo loco. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. et 4. *ibid.* 8. in finibus alicujus. *Id.* 2. *ibid.* 4. et *Varro* 5. *L. L.* 53. *Müll.* ibi. *Liv.* 1. 34. Tarquiniis. *Virg.* 1. *Æn.* 572. Vultis et his mecum pariter considere regnis? *Id.* 4. *ibid.* 39. arvis aliquorum. *Id.* 4. *ibid.* 349. terrâ. *Id.* 10. *ibid.* 780. Itala urbe. *Id.* 3. *ibid.* 162. Cretæ. *Id.* 3. *ibid.* 378. Ausonio portu. *Curt.* 7. 3. 23. Permissum senioribus in novam urbem considere. *Id.* 6. 6. 24. Considere in campo. *Val. Flacc.* 8. 166. nostrâ aulâ. *Sil. It.* 15. 528. nostris in oris. *Stat.* 11. *Theb.* 152. regno. ¶ 4. Denique speciatim, sæpe hoc sensu ad rem militarem pertinet, et est castra ponere, consistere. *Cic.* 11. *Fam.* 4. 2. Cum quinque cohortes, sine centurione ullo, apud Philomelium consedissent. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Eodem die castra promovit, et millibus passuum sex a Cæsaris castris sub monte consedit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 21. et *Sall. Cat.* 57. *Cæs.* 1. *B. G.* 49. et 5. *ibid.* 9. Considere in aliquo loco. *Id.* 7. *ibid.* 58. in ripis contra Labieni castra. *Id.* 2. *ibid.* 16. trans flumen. *Id.* 3. *ibid.* 17. contra aliquem duo millium spatio. *Id.* 7. *ibid.* 79. non longius D. passibus a nostris munitionibus. *Sall. Jug.* 49. et *Curt.* 4. 12. 18. in colle. *Sall. Jug.* 49. inter virgulta. *Id. ibid.* 21. prope Cirtam haud longe a mari. *Id. ibid.* 51. superioribus locis. *Id. ibid.* 106. circiter duo millium intervallo ante aliquos. *Liv.* 10. 4. in insidiis. *Id.* 4. 17. in ripis. *Curt.* 8. 13. 5. in ripa. *Id.* 8. 1. 5. in silva. *Id.* 4. 13. 4. haud procul. *Id.* 7. 7. 31. Qua venturum sciebat, consedit occultus. *h. e.* in insidiis. — Absolute. *Sall. Jug.* 91. Castris egreditur, noctemque totam itinere facto consedit. Adde *eumd. ibid.* 52. et 98.

B) Latiori sensu ponitur de inanimis, et considere dicuntur quæcumque ima petunt, desidunt, descendunt, dehiscunt. — a) Absolute. *Cic. Prov. cons.* 14. 34. Quæ (*Alpes*) jam licet considant. *Ovid.* 13. *Met.* 408. Ilion ardebat, neque adhuc consederat ignis. *Curt.* 8. 10. 25. Ne tamen universa (*materia*) consideret. *Id.* 5. 13. 12. Paullisper inhibuit cursum, donec pulvis consideret. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 2. Patiemur picem considere: cum siderit, aquam eliquabimus. Adde *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 23. (106). et *Sil. It.* 17. 291. — b) Addito loco, in quem aliquid considit. *Liv.* 30. 2. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit. *Virg.* 2. *Æn.* 625. omne mihi visum considere in ignes Ilium. *h. e.* conflagrare et ruere. *Cf. eumd.* 9. *ibid.* 145. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 33. in ignem. *Stat.* 3. *Theb.* 185. in cinerem. — c) Addito loco, ubi aliquid considit. *Liv.* 30. 38. In Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 25. 28. (147). Qua mitescentia Alpium juga molli in dextra ac læva devexitate considunt. *h. e.* humiliora sunt et clivi clementioris. *Id.* 18. *ibid.* 35. 82. (356). Cum in cacuminibus montium nubes consident, hiemabit.

II.) Translate. ¶ 1. Raro de personis occurrit, et est aliquo in statu se ponere. *Cic.* 2. *Att.* 4. Cum Quintus noster jam in otio consederit. *Virg.* 11. *Æn.* 349. totamque videmus Consedisse urbem luctu. *h. e.* afflictam esse, et pæne dixerim luctu sepultam. V. *Servium* ad h. l. *Seneca Ep.* 17. Antequam incipio secedere et in alia parte considere. *h. e.* et ad aliam partem me vertere, seu mutare sententiam: sumptum a senatoribus, qui in hanc, aut illam partem sessum ibant, cum pedibus ibant in sententiam. ¶ 2. Sæpius occurrit de inanimis et abstractis, pro sedem figere, requiescere, terminari. *Plaut. Trin.* 2. 2. 21. Hæc si tibi capesses mea imperia, bona multa in pectore consident. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 50. Injustitia cujus in mente consedit. *Id. Tim.* 2. Sensus moventia eadem in opinione considunt, quæ ortum habere gignique diximus. *Orellius* tamen rectius legit: Sensus moventia quæ sunt, eadem in opinatione consistunt; quæ ortum habere gignique diximus. *Id. Harusp. resp.* 12. 24. Quorum (*ludorum*) religio tanta est, ut ex ultimis terris arcessita, in hac urbe consederit. *Id. Orat.* 27. 96. Hoc totum (*genus dicendi*) – spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit. *Id. Mur.* 8. 18. Consedit utriusque nomen in quæstura (*h. e.* ad ceteros honores non est progressum): nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique possit. *Id.* 3. *Orat.* 49. 289. Junctio verborum nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime heroo et pæone; sed varie distincteque considat. *h. e.* terminetur, claudatur. *Forcellinus* hæc duo postrema loca ad paragr. proxime seq. retulerat. ¶ 3. Item de vehementioribus animi motibus, vel similibus, et est minui, defervescere, sedari. *Cic. Brut.* 24. 93. Ardor animi non semper adest: isque cum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris extinguitur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 88. Furor consedit. *Id. Brut.* 3. 10. Eorum aspectu omnis, quæ me angebat, de republica cura consedit. *h. e.* cessavit, sedata est. *Liv.* 33. 7. Ubi terror ab necopinato visu consedit. *Id.* 42. 62. Cum jam ab re bene gesta consedisset ferocia. *Id.* 38. 17. Ubi ira consedit. *Sil. It.* 16. 218. bella. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 30. *extr.*, cujus verba sub init. exhibuimus. Huc referri potest et illud *Manil.* 2. 251. Libra sub emerito considens orbe laborum.

CONSĪGNANTER, adverb. Occurrit tantum Comp. *Consignantius* apud *Gell.* 1. 28. Græci significantius consignantiusque dixerunt. *h. e.* expressius.

CONSĪGNĀTĒ, adverb. Occurrit tantum Sup. *Consignatissime* apud *Gell.* 1. 15. Eupolidis quoque versus de id genus hominibus consignatissime factus est. *h. e.* id genus homines omnino significando.

CONSĪGNĀTĬO, ōnis, f. 3. *Quintil.* 12. 8. 11. Promittit litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes, etc. *h. e.* tabulas a pluribus obsignatas. Adde *Dig.* 22. 3. 4. et *Martian. ibid.* 48. 10. 1. et *Paul. ibid.* 48. 10. 16. § 2.

CONSĪGNĀTUS, a, um. *V.* CONSIGNO.

CONSĪGNĪFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. similis significatio. *Boeth. in Aristot. libr. de interpr. ed. pr.* p. 221. Quod dicimus *ferus*, cum alia parte nominis, quæ est *equi*, unum consignificat, id est *equiferus*, separatum etiam nihil extra significat. Quod si rursus ipsum nomen extrinsecus, non in alterius nominis parte, ponatur, per se sibi significat. Ergo non est similis in simplicibus nominibus compositisque partium consignificatio.

CONSĪGNĪFĬCO, as, are, a. 1. (*cum* et *significo*). Part. *Consignificans* occurrit apud *Priscian.* 3. p. 574. *Putsch.*, cujus verba *V.* in SYNCATEGOREMA. — Consignifico est simul significo. *Cassiod. de dialect.* Verbum est, quod consignificat tempus, cujus pars nihil extra significat. *Priscian.* 10. p. 1045.

Putsch. Conjunctio est pars orationis indeclinabilis, quia consignificat, vim vel ordinationem demonstrans. *Id.* 17. *p.* 1040. *ibid.* Præpositiones et conjunctiones semper consignificant, id est conjunctæ aliis significant, per se autem non. *V.* et voc. præced.

CONSIGNO, as, âvi, âtum, are, a. 1. (cum et signo). Part. *Consignans* 1.; *Consignatus* 1. et 2.; *Consignandus* 2. — Consigno est signis aliquid noto, ut id ratum, firmum validumque ab omnibus habeatur (It. *dare validità e autenticità ad una cosa munendola di un segno, come sarebbe suggello, sottoscrizione* etc.; Fr. *authentiquer en revêtant d'un sceau* etc.; Hisp. *autenticar, legalizar con el sello* etc.; Germ. *etwas unterzeichnen oder unterfertigen, mit Siegel und Unterschrift versehen, beglaubigen und urkundlich bescheinigen*; Angl. *to seal, affix a seal to*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, et ponitur de epistolis, testamentis, decretis et similibus, quibus nomen adscribendo vel sigillum imprimendo auctoritatem ac vim comparamus. *Plaut. Trin.* 3. 3. 46. et 88. Consignare epistolas. *Id. Curc.* 2. 3. 90. Tute tabellas consignato. *Id. Bacch.* 4. 8. 83. Æquum est tabellis consignatis credere. Quod dixit *Id. ibid.* 4. 9. 11. *tabellas obsignatas, consignatas*, duobus verbis unum atque idem significare voluisse videtur: nisi malis ita distinguere, ut *obsignatas* ad signum anuli referatur, *consignatas* ad scriptionem. Apud eumd. *Pers.* 4. 2. 12. Consignare tabellas alicui. *h. e.* consignatas seu obsignatas alicui tradere. *Cic. Quinct.* 6. 25. Tabulæ signis hominum nobilium consignantur. *Id. Dejot.* 13. 37. Senatus judicia de illo publicis populi Romani litteris monumentisque consignata. *Id. Flacc.* 16. 37. Laudatio consignata cretâ. *Id. post redit. in senat.* 11. 29. Vim et crudelitatem privilegii auctoritate honestissimorum hominum et publicis litteris consignare. *Id.* 3. *Legg.* 20. 46. Publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 28. Illius prætura et tua quæstura iisdem litteris consignata. *Id.* 5. *Verr.* 46. 109. Ratio Ætnensium et publicis et privatis litteris consignata. *Liv.* 39. 48. Placuit scribi id decretum et consignari a Lacedæmoniis. *Id.* 23. 38. Litteris perlectis, consignata omnia ad senatum misit. *Id.* 29. 12. Conscripta consignataque. *Cajus* 2. *Instit.* 181. Tabulas proprio lino propriâque cerâ consignare. *Ulp. Dig.* 1. 19. 13. *ante med.* Consignare legem. *Florentin. ibid.* 28. 1. 24. testamentum. *Hermogen. ibid.* 16. 1. 64. Pecuniam consignatam in publico loco deponere. *h. e.* in sacculo signato positam, ut *Ulp. ibid.* 16. 3. 1. *post med.* loquitur. Eodem modo intellige illud *Sueton. Claud.* 26. Dote inter auspices consignata. In *argum. Pseudoli Plautini.* Consignare symbolum. *h. e.* signis notare tesseram. *Hieronym. Vita Hilarion. n.* 34. Singulorum lectulos et ardentia membra consignans. ¶ 2. Latiori sensu est confirmare, testari, aliquid tamquam fide dignum signis demonstrare. *Cic.* 1. *Divinat.* 40. 87. Quis est, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas? *Id. Cluent.* 50. 139. Errat vehementer, si quis in orationibus nostris auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. *h. e.* scriptis commendatas, atque adeo ratas firmasque. *Id.* 2. *Orat.* 55. 224. Ubi sunt ii fundi, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? *Id. Tim.* 9. 26. Eorum siderum cursus, e quibus erat motus temporis consignandus. *Gell.* 14. 2. *a med.* An ex officio sit judicis causam, de qua cognoscit, interlocutionibus suis ita exprimere consignareque, ut ante sententiæ tempus signa et indicia faciat sensus sui. *Porc. Latro in Catil.* 17. Nulli non oculi te senatorum statim consignarunt. — Figurate. *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 57. Nec fieri posse, ut a pueris tot rerum insitas et quasi consignatas in animis notiones haberemus. *Cf. eumd.* 4. *Acad.* (2 pr.) 1. 2. Ut litteris consignamus, quæ monumentis mandare volumus: sic ille in animo res insculptas habebat. *h. e.* litteris notamus, perscribimus. ¶ 3. *Consignatus* labentis Latinitatis tempore in monumentis Christianis dictus est, qui Confirmationis Sacramentum susceperat. *Inscript.* apud *Oderic. Syllog. p.* 268. PICENTIAE LEGITIMAE NEOPHITAE DIE V. KAL. SEPT. CONSIGNATAE A LIBERIO PAPA etc. Hic Pontifex Romanus fuit ab ann. a Chr. n. CCCLVI. ad ann. CCCLXVI.

CONSILEO, es, ere. *V.* voc. seq.

CONSILESCO, silescis, silui, silescere, n. 3. (cum et sileo). Formam *consileo* effert *Forcellinus*, sed nullo exemplo confirmat. — Consilesco est idem quod conticesco, conquiesco. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 100. Me occultabo aliquot dies, dum hæ consilescunt turbæ, atque iræ leniunt. *Gell.* 12. 1. Omnis impatientissimæ sollicitudinis strepitus consilescit. *Id.* 5. 1. *extr.* Consiluisse universos dicit, quasi attonitos et obstupidos. *Ennius* quoque apud *Paul. Diac. p.* 58. 9. *Müll. consiluere* posuit pro *conticuere*. *Hieronym. in Isajam* 5. 14. 7. Ad ruinam Israel omnis terra consiluit.

CONSILIÂRIS, e, adject. idem quod *consiliarius* adject. Absolute *Paul. Dig.* 1. 22. 5. Consiliari eo tempore, quo adsidet, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est. Ita in Edit. *Torrentini*: at *Haloander* habet *Consiliariis eo tempore, quo adsident*, etc.; quod præstat.

CONSILIÂRIUS, a, um, adject. qui ad consilium pertinet, qui in consilium adhibetur. *Plaut. Truc.* 2. 1. 6. Magisque adeo ei consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius. *Id. Epid.* 1. 2. 56. Ego de re argentaria jam senatum convocabo in corde consiliarium. *Apul. de Dogm. Plat.* 2. Illam consiliariam, et illam alteram iratiorem animam presserunt. *h. e.* rationem et appetitum, ut loquuntur philosophi. *Gell.* 18. 3. Homines consiliarii. — *Consiliarium fulmen* apud haruspices dicebatur, quod ante rem fiebat, sed post cogitationem, cum aliquid in animo versantibus, aut suadebatur fulminis ictu, aut dissuadebatur. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 39. — Hinc

Consiliarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui in consilium adhibetur; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 2. Et ego te auctore amicissimo et sapientissimo, et tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem et benivolo certe, usus esses. *Id.* 3. *Legg.* 19. 43. Est boni auguris meminisse, Jovi opt. max. se consiliarium atque administrum datum. *Id.* 14. *Att.* 9. Ratio ædificandi initur, consiliario et auctore Vestorio. *Sueton. Tib.* 33. Offerre se consiliarium alicui. — *b*) Addito Genitivo personæ, cui quis est a consiliis. *Cic.* 1. *Fam.* 2. 3. Consiliarius regis. *Id.* 4. *Verr.* 17. 42. Verris amici et consiliarii. *Id.* 3. *Att.* 19. 3. mei. *Inscript.* apud *Gruter.* 458. 7., quæ est apud *Orell.* 3190. CONSILIARIVS AVGVSTORVM. Adde *aliam* apud *Murat.* 1024. 4., quæ est apud *Orell.* 2648. *Cod.* 1. 51. 3. Consiliarii judicum et cancellarii. — *c*) Addita re, ad quam agendam consilium datur. *Vellej.* 2. 56. Consiliarii cædis. *Sueton. Tib.* 55. Consiliarii in negotiis publicis.

CONSILIÂTIO, ônis, f. 3. actus consiliandi. *C. Jul. Vict. art. rhet.* (edente Romæ *A. Maio*). 14. Si causa est in argumentis, ad ea te potissimum converte; si in consiliatione, insiste. *Boeth. in Aristot. de interpr. edit. pr. p.* 247. Si quis enim aliquid consilio faciat, quidquid consiliatione peregerit, ejus rei ipse principium est. Adde *eumd. ibid. p.* 379., ubi hæc vox quinquies occurrit.

CONSILIÂTOR, ôris, m. 3. ¶ 1. Est idem ac consiliarius. *Phædr.* 3. 7. 2. Consiliator maleficus. *Plin.* 4. *Ep.* 17. Ille meus in gerendis honoribus consiliator et rector. *Apul.* 1. *Met.* Consiliator bonus. In *Inscript.* apud *Gud. p.* 7. *n.* 6. est epitheton Jovis. ¶ 2. Item qui consilium accipit. *Petron. Satyr.* 76. Mathematicus, consiliator deorum.

CONSILIÂTRIX, îcis, f. 3. quæ consilium dat. *Apul.* 5. *Met.* Illæ consiliatrices egregiæ tuæ.

CONSILIÂTUS. *V.* CONCILIO sub *A*.

CONSILIGO, siliginis, f. 3. herba, quæ a botanicis dicitur *pulmonaria*, ab aliis *leonis pata*, etc., cujus radix pulmonum vitiis, et phthisicis remedio est, præsertim pecoribus, trajecta per auriculam. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 3. et 7. *ibid.* 5. 14., *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 48. (86). et 26. *ibid.* 7. 21. (38).; et *Veget.* 1. *Veterin.* 12. 2. *Schneid.* V. et *Pelagon. p.* 19. *l.* 9. et seqq. — Dicta est *consiligo*, quod inter siliginem et triticum frequentissime nascitur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 340). hæc ait: « Végèce ayant déclaré que ce *consiligo* était sa pulmonaire, quelques commentateurs ont décidé qu'il s'agissait ici de la *Pulmonaria officinalis* L., et Sprengel est de cet avis. Brotero a pensé que c'était un vératre, *Veratrum album* L., ou ellébore blanc. Il n'y a pas plus de preuves pour l'une que pour l'autre de ces plantes ».

CONSILIO, is, ire, a. 4. a con et salio. Afferri solet locus *Livii* 24. 28., item *Taciti* 3. *Ann.* 46. et 6. *ibid.* 36., quibus tamen locis verbum *consilio* neque locum recte habet, et patronos perpaucos. — *Consiliare* in re fullonica quid sit, *V.* in CONCILIO.

CONSILIOR, âris, âtus sum, ari, dep. 1. Part. *Consilians* et *Consiliaturus*. — Consiliari est consilium habere, consultare; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 15. *Att.* 9. 2. Tu quid egeris tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Cum Domitius multum cum suis, consiliandi causa, secreto colloqueretur. *Horat.* 3. *Od.* 3. 17. Gratum elocuta consiliantibus Junone divis. Adde *Liv. epit.* 125. *Tac.* 2. *Hist.* 53. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi. Adde *Cod. Theod.* 12. 12. 12. § 1. — *b*) Cum Accusativo rei, de qua consultamus. *Cæs.* 1. *B. C.* 73. Hæc consiliantibus eis, nuntiatur etc. — *c*) Cum Dativo personæ, cujus commodo quis consilitur. *Horat. Art. P.* 196. Ille bonis faveatque, et consilietur amice. — *NB.* Omnia hæc loca ab aliis aliter leguntur. Nam *concilietur*, et *consilia habentibus* quidam reponunt apud *Horat. Art. P.*; et *consultandi* et *consultantibus* apud *Cæs.*, et *consulturi* apud *Tacit.*, denique *conciliandum* apud *Cicer.*: adeo ut non defuerint, qui ipsum verbum toto Latio exsulare jusserint. Verum ut de aliis taceam, exemplum *Horatii* ex *l.* 3. *Odar.* sumptum, non nisi vi adhibita mutari potest. Quare, ut de reliquis dubitetur, de participio *consilians* dubitari quidem certe non debet. Adde quod *consilior* septies occurrit apud *Vulgat. Interpr.*, scil. *Psalm.* 10. 14., *Eccli.* 37. 7., 39. 10. et 16. et 38., etc.

CONSILIÔSUS, a, um, adject. Comp. *Consiliosior* et Sup. *Consiliosissimus*. — Consiliosus est consilio valens. Vox est *M. Catonis*, teste *Gell.* 4. 9. ex qua gradus inflexit. *Fronto ad Verum Imp.* (edente *A. Maio*) *Ep.* 1. Cum multa ejusmodi consiliosa exempla in historiis et in orationibus lectitares, ad rem militarem magistra eloquentia usus es. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc. post med.* Si personam tractate consiliosiore pensemus. *h. e.* consideratiore. et 1. *Ep.* 1. Sicuti es in iis, quæ deliberabuntur, consiliosissimus.

CONSILIUM, ii, n. 2. Volunt quidam, proprie esse vocem artis fullonicæ, a *cum* et *salio*; et significare illam subsultationem, qua fullones pedibus vestimenta subigunt, ut in CONCILIO sub *A* dictum est: ubi et locum *Plauti* in hanc rem adduximus; cf. et *Varron.* 6. *L. L.* 43. *Müll.* Alii probabilius ac rectius deducunt a *consulendo* quasi pro *consulium*, eâdem formâ quâ *exilium*, *auxilium*, *concilium* etc. — Usurpatur autem *A*) Abstracte, et *B*) Concrete, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte accipitur I.) Pro effectu mentis vel intellectus, et II.) Pro causa sive pro ipsa facultate consilii capiendi.

I.) Consilium accipitur pro effectu mentis vel intellectus, et ¶ 1. Consilium dici potest, quatenus capitur, et est actus aliquid, præcipue inter plures, perpendendi proindeque deliberandi; ac propterea in plur. numero interdum consilia significant sententias, deliberationes. *Plaut. Truc.* 1. 2. 7. Consulta sunt consilia. Et joculariter *Id. Mil. glor.* 2. 2. 44. Paullisper tace, dum ego mihi consilia in animum convoco et dum consulto etc. *Ter. Andr.* 2. 1. 20. Neque pol consilii locum habeo, neque ad auxilium copiam. *Cic.* 10. *Att.* 1. 3. Magnum est et τῶν πολιτικῶν σκεμμάτων, veniendumne sit in consilium tyranni, si is de aliqua re bona deliberaturus sit. *Id.* 1. *Cat.* 1. 2. Publici consilii participem fieri. *Id.* 2. *Fam.* 7. 2. Se adhibere in consilium. *Sall. Cat.* 42. Nocturnis consiliis — festinando, agitando omnia, plus timoris quam periculi effecerant. *Liv.* 28. 26. Per eosdem dies, quibus hæc consultabant, consilium de iis Carthagini erat. *Id.* 23. 22. Publicum consilium convenire. *Id.* 4. 6. Consilia principum domi habere. Adde eumd. 9. 15. et 41. 1.; et *Virg.* 9. *Æn.* 227. *Liv.* 35. 18. Arcanis consiliis interesse. *Cæs.* 3. *B. G.* 33. et *Curt.* 3. 7. 8. Consilium inire. *Curt.* 3. 5. 12. Darius ergo — fortunam meam in consilio habuit. Adde *eumd.* 5. 5. 12. *Quintil.* 12. 2. 21. De quibus maxima sæpe in senatu consilia versata sunt. — *Res est consilii*, h. e. in deliberationem cadit. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. Quasi vero consilii res sit, et non necesse sit nobis cum Arvernis nosmet conjungere. — Sic *res est magni consilii*, h. e. in qua magno consilio est opus. *Cic.* 15. *Att.* 12. 2. Quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, magni consilii est. *Id.* 10. *ibid.* 1. 3. Nihil mihi adhuc accidit, quod majoris consilii esset. — *Mei, tui consilii est*, h. e. ad me, ad te, deliberatio pertinet. *Cic.* 3. *Fam.* 2. 2. Quid

in eo genere efficere possis, tui consilii est. *Nepos Con.* 4. Id arbitrium negavit Conon sui consilii. — *Meum, tuum consilium est*, eodem sensu. *Cic.* 14. *Fam.* 14. 1. Vestrum jam consilium est, non solum meum, quid sit vobis faciendum. Adde *eumd. ibid.* 18. ¶ 2. Consilium dici etiam potest, quatenus datur. *Plaut. Epid.* 1. 1. 89. Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 93. Quid das consili? *Id. Andr.* 2. 1. 9. Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 35. Dare consilium de maximis rebus. *Id. Cluent.* 31. 85. Cethegum – minus ei fidele consilium dedisse. *Horat.* 3. *Od.* 4. 41. Vos lene consilium datis et dato Gaudetis, almæ. Adde *Ter. Eun.* 2. 3. 85. et *Phorm.* 2. 4. 21.; et *Cic.* 2. *Fam.* 7. 2. et alibi. *Ter. Andr.* 2. 1. 35. Davum optime video, cujus consilio fretus sum. *Cic.* 4. *Fam.* 2. 2. Quod meum consilium exquiris. *Id.* 2. *ibid.* 7. 1. Teque hortor, ut omnia gubernes – prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. *Id.* 5. *ibid.* 2. 9. Aliquid sui consilii impertire alicui. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 17. Aliquem juvare aut re, aut opera, aut consilio bono. *Ter. Heaut.* 1. 1. 34. Aut consolando, aut consilio, aut re juvare. Cf. *Cic.* 7. *Fam.* 10. *extr. Id. Cic.* 2. *ibid.* 7. 2. Consilio aliquem juvare. *Id.* 15. *ibid.* 2. 2. Consilio atque opibus alicujus adjuvatur respublica. *Ter. Phorm.* 3. 1. 17.; et *Cic.* 6. *Att.* 3. *ad fin.* et 13. *ibid.* 31. 3. Facere aliquid de consilio alicujus. *h. e.* aliquo nobis consilium dante. Et sine præposit. *Ter. Andr.* 3. 2. 22. Quasi tu dicas, id factum consilio meo. Cf. tamen infra sub 3. in fin. *Curt.* 3. 7. 10. Rationem tam salubris consilii accipere. *Id.* 4. 1. 9. Saniora consilia pati. *Ovid.* 2. *Met.* 126. Consiliis, non curribus alicujus uti. Sic *Nepos Themist.* 2. *ad fin.* responsum oraculi Apollinis, quem Athenienses consuluerant, *consilium* appellat. ¶ 3. Denique consilium dicitur, quatenus est uniuscujusque voluntaria deliberatio, seu ratio excogitata faciendi aliquid, aut non faciendi, ut *Cic.* definit 1. *Invent.* 25. 36. et 2. *ibid.* 9. 31., vel ut plenius *Quintil.* 6. 5. 3. ratio quædam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habensque in se et inventionem et judicationem. — *a*) Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 73. Consilium est ita facere. *h. e.* decrevi, statui. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 44. Jube illam redire. r. Non est consilium, pater. *Cic.* 5. *Att.* 5. 1. Ibi Pomptinium expectare consilium est. *Sall. Jug.* 87. Quæ gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, non est consilium, Quirites. Adde *eumd. Cat.* 4.; *Liv.* 5. 2. et *Tac.* 1. *Ann.* 1. *Ter. Andr.* 4. 3. 18. Repudio quod consilium primum intenderam. *Id. ibid.* 3. 4. 10. Callidum consilium. *Id. Eun.* 4. 7. 14. Consilium illud rectum est de occludendis ædibus. *Cic.* 1. *Phil.* 1. 1. Consilium profectionis et reversionis meæ. *Id.* 4. *Fam.* 3. 1. Me – multa jam consolantur, maxime conscientia consiliorum meorum. *Id.* 7. *Att.* 9. Amentissimum alicujus consilium. *Id.* 10. *Fam.* 21. 1. Communi consilio bellum administrare. *Id.* 5. *Verr.* 25. 63. Clausa sua consilia habere de aliqua re. *Cæs.* 1. *B. C.* 78. Sed ex propositis consiliis duobus explicitius videbatur Ilerdam reverti. – Ibi se reliquum consilium explicaturos confidebant. *Liv.* 25. 38. In rebus asperis et tenui spe fortissima quæque consilia tutissima sunt. *Id.* 35. 32. Ne temere eam societatem celeritate nimia consiliorum everterent: consilia calida et audacia prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia esse. *Curt.* 7. 4. 11. Turbida consilia. *Vellej.* 2. 120. Temerario consilio uti. *Sueton. Aug.* 8. Præceps consilium et immaturum. — Porro jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 7. *Att.* 24. *extr.* abesse a consilio fugiendi. *Id.* 5. *ibid.* 11. 6. abjicere consilium ædificandi. *Curt.* 5. 8. 10. agitare consilium fugæ. *Seneca Ep.* 10. agitare mala consilia. *Ter. Eun.* 3. 5. 66. capere consilium una cum aliquo. Sic *Plaut. Merc.* 2. 3. 12. Nec quid corde nunc consilii capere possim scio. Adde *Ter. Eun.* 5. 2. 27.; et *Cic.* 14. *Fam.* 12. et 7. *Att.* 10. *Cic.* 2. *Off.* 9. 33. capere consilium ex tempore. *Id.* 11. *Fam.* 29. 1. in capiendo consilio. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. capiendi consilii ratio. *Plaut. Stich.* 4. 1. 72. capti consilii memor. *Cic.* 14. *Fam.* 12. capere id consilii. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. capere sibi consilium. *h. e.* sibi consulere, neglectis aliis. Sic *Id.* 1. *B. C.* 76. Postulat, ut jurent omnes, se exercitum ducemque non deserturos, neque sibi separatim a reliquis consilium capturos. *Cic. Dom.* 13. 114. capere perniciosa reipublicæ consilia. *Id.* 4. *Verr.* 17. 41. capere consilium non adesse. *Id. Quinct.* 16. 53. et *Cæs.* 7. *B. G.* 71. cepisse consilium hominis fortunas funditus evertere. *Cic.* 14. *Att.* 24. cepi consilium, legari a Cæsare. Adde *Liv.* 44. 11. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. capere consilium belli renovandi legionisque opprimendæ. Adde *Sall. Cat.* 16. *Cic.* 7. *Att.* 10. cepi subito consilium, ut, antequam luceret, exirem. *Plaut. Rud.* 1. 3. 21. capessere consilium. *Ter. Andr.* 1. 1. 43. et 2. 4. 1. captare aliquid consilii. *Cic.* 4. *Att.* 20. 4. commutantur in horas consilia. *Id.* 4. *Fam.* 2. 4. conjungere consilium cum alterius consilio. *Ter. Adelph.* 5. 4. 20. credere alicui consilia omnia. *Cic.* 10. *Fam.* 4. 3. discrepare a consiliis alterius. *Id. Rosc. Am.* 40. 117. enunciare sociorum consilia adversariis. *Ovid.* 11. *Met.* 415. facere certum aliquem sui consilii. *Cic.* 13. *Fam.* 1. impedire alicujus consilium. *Id.* 10. *ibid.* 21. 2. indicare temerarium suum consilium alicui. *Nepos Lysand.* 3. iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere. *Cic.* 8. *Att.* 14. 2. labat meum consilium. *Id.* 2. *Fam.* 15. *extr.* laudare alicujus consilium. *Tac.* 3. *Hist.* 3. miscere consilium cum aliquo. *Cic. Rabir. Post.* 1. 2. mulctantur crudelissime alicujus consilia a fortuna. *Nepos Eumen.* 9. mutare consilium. *Cic.* 15. *Att.* 3. narrare alicujus consilia turbulenta. *Id.* 1. *Cat.* 1. 1. patent alicujus consilia. *Id.* 1. *Off.* 31. 112. permanere semper in proposito susceptoque consilio. *Id.* 9. *Fam.* 5. 2. pœnitet nos consilii nostri. *Virg.* 1. *Æn.* 281. referre consilia in melius. *Ter. Phorm.* 1. 4. 1. reperire aliquod consilium celere. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 4. repetere paullo altius rationem consiliorum suorum. *Id.* 3. *Att.* 15. 4. revocare aliquem a turpissimo consilio. *Id.* 15. *ibid.* 4. 1. spectat alicujus consilium ad bellum. Sic *Id.* 2. *Orat.* 40. 169. Consilia nostra sempiternum tempus spectare debent. *Id.* 1. *Off.* 31. 112. suscipere consilium. *Virg.* 1. *Æn.* 658. versare nova consilia. — *b*) Speciatim consilium dicitur ipsa voluntas, seu potius ipsius voluntatis finis, vulgo intentio, cui opponitur actio. *Liv.* 1. 58. *sub fin.* Unde consilium abfuerit, culpam abesse. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 5. Quod – scripsi, totius facti tui judicium non tam ex consilio tuo, quam ex eventu homines esse facturos. — Hinc Ablativus *consilio* eleganter ponitur pro de industria, data opera. *Liv.* 35. 14. Secutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut suspectior Hannibal regi fieret. *Virg.* 7. *Æn.* 216. Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem Afferimur. Et cum opposito *casu* apud *Cic.* 5. *Fam.* 2. 8. Qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse. Cf. *eumd.* 2. *leg. Agr.* 3. 6. Similiter *Cæs.* 7. *B. G.* 20. Sine consilio hæc acciderunt. — Hinc *eo, hoc consilio*, ut etc. ea ratione, eo fine. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 72. Explicavi sententiam meam, et eo quidem consilio, tuum judicium ut cognoscerem. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 48. et 2. *ibid.* 9.; et *Sall. Cat.* 57. *Nepos Miltiad.* 5. Hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, etc. *Ter. Eun.* 5. 8. 1. Quo consilio huc imus? *Cic.* 3. *Nat. D.* 31. 78. Homines rationem, bono consilio a diis datam, in fraudem malitiamque convertunt. — *Consilio privato* aut *publico* aliquid facere est privata aut publica auctoritate. *Cic.* 3. *Phil.* 6. 14. Qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. Una navis, quæ privato consilio administrabatur, etc. *Nepos Pelop.* 1. Idque suo privato, non publico fecit consilio. — Denique in re militari consilium est vafra et subtilis ratio, subdolum inventum, quo hostes decipiuntur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 6. 15. Consilium imperatorium, quod Græci στρατήγημα appellant. *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Singulari militum nostrorum virtuti consilia cujusque modi Gallorum occurrebant. *Nepos Datam.* 6. Tali consilio, uno tempore et proditores perculit, et hostes profligavit. Adde *eumd. Iphicr.* 1. et *Eumen.* 5. Hinc *Quintil.* 5. 10. 37. Opportunus consiliis locus. *h. e.* insidiis.

II.) Consilium dicitur etiam ipsa facultas consilii capiendi, scilicet ratio, prudentia, solertia, celeritas animi in rebus pervidendis ac deliberandis. — *a*) De personis, quæ hujusmodi facultate præditæ sunt, aut carent. Cum *mente* conjungitur apud *Lucret.* 3. 138. Sed caput esse quasi et dominari in corpore toto Consilium, quod nos animum mentemque vocamus. *Id.* 3. 616. Denique cur animi numquam mens consiliumque etc. Cf. *eumd.* 3. 450. *Ter. Eun.* 2. 2. 10. Simul consilium cum re amisti? *Id. Andr.* 3. 5. 2. Quandoquidem tam iners, tam nulli consili sum. *Cic. Mur.* 12. 27. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt. *Id.* 14. *Att.* 21. 3. Animo virili, consilio puerili aliquid agere. *Cæs.* 3. *B. G.* 16. Omnes gravioris ætatis, in quibus aliquid consilii aut dignitatis fuit. *Id.* 3. *B. G.* 5. Vir et consilii magni et virtutis. *Nepos Datam.* 1. Vir fortissimus maximique consilii omnium Barbarorum. *Id. Alcib.* 1. Ad omnes res aptus consiliique plenus. Adde *eumd. Pausan.* 1. et *Plaut. Epid.* 1. 2. 49. Rursus *Nepos Datam.* 1. Magnitudine consilii, quo tantum non omnes superabat. *Sall. ep. Q. Pomp. ad senat. p.* 170. *Or.* Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio, quam consilio profectum. *Liv.* 1. 13. Cum – plus in illo senili animo non consilii modo, sed etiam virtutis esse – dicerent. *Horat.* 4. *Od.* 12. 27. Misce stultitiam consiliis brevem. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 48. miseros prudentia prima relinquit Et sensus cum re consiliumque fugit. *Vellej.* 2. 120. Verus magis imperatoris defectus consilio, quam virtute militum destitutus. — Hinc ille verborum lusus apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 38. 97. Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? — *b*) De inanimis, quæ consilio carent. *Horat.* 3. *Od.* 4. 65. Vis consili expers mole ruit sua. Cf. *Ovid.* 9. *Met.* 746. — Item de iis, quæ prudentia et ratione regi nequeunt. *Ter. Eun.* 1. 1. 12. Quæ res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 266. *Quintil.* 7. 2. 44. Scelera non habent consilium. γνώμη. Adde *eumd.* 6. 5. 11. — *NB.* Addunt quidam lexicographi alias significationes, ut ponatur pro animo et mente, pro voluntate, proposito, instinctu, electione, etc.; sed hæ commode ad unam aliquam earum, quas posuimus, referri possunt.

B) Concreto, uti ajunt, sensu sæpe sumitur pro cœtu hominum consultantium: qua notione frequenter in *concilium* mutatur in libris, et unum pro altero promiscue legitur. Occurrit autem ¶ 1. Generatim. et — *a*) Ponitur Græcorum significatione pro βουλή apud *Liv.* 23. 3. et 24. 22. — *b*) De senatu apud Romanos, qua de re V. *Liv.* 1. 8. *extr.* et *Vellej.* 1. 8. 6. *Cic.* 4. *Phil.* 6. 14. Senatum, id est, orbis terræ consilium delere gestit, ipse consilium publicum nullum habet. *Id.* 1. *Orat.* 82. 333. Hæc in senatu minore apparatu dicenda sunt: sapiens est enim consilium. Adde *eumd.* 7. *Phil.* 7. 19., 3. *Fam.* 8. 4., *Sext.* 65. 137., *Rabir. perduell.* 2. 4. et *Pis.* 3. 6.; et *Liv.* 23. 22. — *c*) De judicum collegio, cui de re aliqua sententia ferenda erat, ut apud *Cic. Rosc. Am.* 3. 8. et 52. 151., et *Cæcin.* 10. 29. Huc pertinent etiam formulæ *ire* et *mittere in consilium*, quæ occurrunt apud *Cic. Cluent.* 30. 83. *V.* MITTO. — *d*) Denique de familiarium consultantium cœtu. *Liv.* 2. 36. Consilium propinquorum. *Quintil.* 3. 8. 70. amicorum. Cf. *Senec.* 1. *Clem.* 9. ¶ 2. Speciatim ponitur de consultantium cœtu, quem quis ex jure adhibet sibique adjungit: quo sensu — *a*) Occurrit de iis, qui Romanis magistratibus deliberantibus assidebant; ac propterea magistratus ipsi *de* vel *ex consilii sententia pronunciare* dicebantur, ut apud *Cic.* 7. *Verr.* 21. 53. Cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, et de consilii sententia, Mamertinis se frumentum non imperare, pronunciat. *Nepos Phoc.* 3. *extr.* dixit, ex consilii sententia. *Liv.* 38. 60. *in fin.* Verterat invidia in prætorem et consilium ejus et accusatores. Adde *Cic. Brut.* 22. 86., *Balb.* 5. 11. et 7. *Verr.* 8. 18.; et *Festum p.* 238. 21. *Müll.*; cf. *Senec. Ep.* 67.: quibus in locis præcipue dicitur de prætore, de provinciæ præfecto, de regibus aut imperatoribus exterarum gentium. Raro autem occurrit in re militari, ut apud *Liv.* 24. 28. Consilium militare. vel apud *eumd.* 44. 35. Consilium castrense. Denique *consilium* dicuntur ipsi consiliarii, assessores, etc. Huc pertinent formulæ *in consilio alicui esse* vel *adesse*, *in consilium ire*, *consilium habere*, *convocare*, *advocare*, *dimittere*, *referre ad consilium* etc., quæ occurrunt apud *Cic. Quinct.* 1. 4., 2. 10., 6. 22., 10. 34. et 36., et 25. 79., *Cluent.* 27. 74. et 30. 83., 3. *Verr.* 29. 73., 4. *ibid.* 29. 80., 4. *ibid.* 30. 81. et 7. *ibid.* 21. 53., *Vatin.* 6. 15. et 11. 27. et 28., 1. *Att.* 16. et 1. *Orat.* 26. 121.; *Cæs.* 3. *B. G.* 3.; *Liv.* 8. 6., 9. 15., 22. 3., 25. 31., 27. 46., 28. 26., 30. 5., 32. 6. et alibi sæpe; *Nepot. Eumen.* 12.; et *Curt.* 4. 11. 1. et 6. 8. 1. — *b*) Interdum ponitur et de senatus, collegii etc. parte

aliqua ad aliquod munus electa. Sic *semestria consilia* apud *Sueton. Aug.* 35. erant senatores quidam electi, ut Augusto assiderent; *sanctius consilium* dicuntur a *Liv.* 30. 16. senatores nonnulli a senatu Carthaginem missi, et selecti Ætolorum viri eodem nomine appellantur ab eod. 35. 34.; denique *consilia* de centumviris occurrunt apud *Val. Max.* 7. 7. 1., et apud *Plin.* cujus hæc sunt verba 6. *Ep.* 33. Duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus. *h. e.* duabus centumvirum sessionibus. ¶ 3. Item speciatim ponitur de uno tantum homine, qui dat consilium. *Ovid.* 3. *Fast.* 276. Illa (*Egeria*) Numæ conjux consiliumque fuit. *Id.* 4. *Trist.* 2. 32. Hortator pugnæ consiliumque fuit. Adde *eumd. Heroid.* 17. 2??.

CONSĪMĬLIS, e, adject., idem quod *similis*, sed vox est sonantior, sive est valde similis, omnino similis (It. *affatto simile*; Fr. *entièrement semblable à*; Hisp. *semeja*, *semejable*; Germ. *völlig ähnlich*; Angl. *like*, *similar*). Occurrit — *a*) Absolute, et jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua hæc sunt. *Ovid.* 3. *Pont.* 7. 3. carmen. *Lucret.* 2. 736. colore. *Ter. Heaut.* 1. 2. 35. consilia. *Plaut. Men.* 5. 9. 4. imago. *Ter. Eun.* 3. 5. 38. ludus. *Lucret.* 1. 916. natura. *Id.* 1. 842. ratione. *Id.* 2. 1018. et 4. 89. res. *Tac.* 3. *Ann.* 13. studio. *Afranius* apud *Non.* p. 316. 9. *Merc.* vis. *Cod. Theod.* 6. 9. 2. § 1. viri honore. — Hinc *consimilia* absolute apud *Dig.* 34. 2. 23. § 2. Saga, tunicæ, pænulæ – et consimilia. Adde *Quintil.* 9. 3. 102. — *b*) Cum Genitivo. *Plaut. Capt.* 1. 2. 7. Liber captivus avis feræ consimilis est. Adde *Ter. Heaut.* 2. 4. 13.; *Afranium* apud *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.*; et *Lucret.* 5. 811. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 140. Causa aliqua consimilis causarum earum, quæ etc. — *c*) Cum Dativo. *Ter. Heaut.* 2. 4. 2. Formæ isti mores consimiles forent. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 28. Cum rem gessisset consimilem rebus iis, quas etc. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Ut consimilis fugæ profectio videretur. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 12. et 6. *ibid.* 27.; et *Plaut. Pœn.* 4. 2. 2. — *d*) Sequente part. *quasi*, aut *atque*, *ac*, *et*, *que*. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 50. Haud consimili ingenio, atque ille, est. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 8. Quia consimile est quom stertas quasi sorbeam. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 287. *Lucret.* 3. 7. quidnam tremulis facere artubus hœdi Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis? Adde *eumd.* 4. 232. *Fronto de orat.* (edente *A. Maio*) 1. Isti tam oratores, quam poetæ consimile faciunt, atque citharœdi solent.

CONSĪMĬLĬTER, adverb. idem quod similiter. *Gell.* 6. 16. Item pro A. Licinio consimiliter Cicero verbo isto utitur. *Id.* 11. 5. *extr.* Hæc autem consimiliter tam Pyrrhonii dicunt, quam Academici. Adde *eumd.* 17. 9.

CONSĪMĬLO, as, are, a. 1. consimilem facio. Occurrit tantum Part. *Consimilans* apud *Fulgent.* 3. *Mythol.* 15. Euripides consimilans Tantalum Jovi in tragœdia Electræ ait etc.

CONSĬPIO, sipis, sipui, sipere, n. 3. (cum et sapio). Part. *Consipiens.* — Consipere significat sapere, compotem mentis esse. *Liv.* 2. 45. Romani ex arce plenam hostium urbem cernentes, non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant. *Est qui legit* concidere: *est qui* concipere. *Seneca Constant. Sap.* 16. Ad injurias despiciendas non sapiente opus est viro, sed tantum consipiente, qui sibi possit dicere, etc. *Gell.* 7. 3. referens, ut videtur, verba *Tironis Tullii liberti*, Vereri sese, ostendit, ne patres, gaudio atque lætitia rerum gestarum prospere, de statu mentis suæ deturbati, non satis consiperent. Apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 2. 28. ed. *A. Mai.* In commune consipire, *jamdiu mutatum est*, *et nunc legitur* In commune consulere.

CONSIPTUM. *V.* CONSÆPIO in fin.

CONSISTIO. *V.* CONSTITIO.

CONSISTO, sistis, stiti, stitum, sistere, (cum et sisto). Part. *Consistens* sub *A.* I. 1.° 1. *b.*; *Consistendus* sub *B.* — Passive impersonaliter *consistitur* occurrit apud *Senec. Vita beat.* 3. et *Dig.* 5. 3. 1. *pr.*; *consistendum est* apud *Cic. Partit. orat.* 29. 101. — Consistere usurpatur *A*) Neutrorum more, et *B*) Raro admodum active.

A) Neutrorum more consisto est subsisto, commoror, sto (It. *fermarsi*, *arrestarsi*; Fr. *s'arrêter*, *se tenir*, *rester*; Hisp. *quedarse*, *cesar de andar*, *pararse*; Germ. *zum Stillstand kommen oder gebracht werden*, *still stehen*, *stehen bleiben*, *Halt machen*; Angl. *to stand firmly or steadily*, *stand fast*, *make a stand*, *stand*, *stop*).

I.) Proprie usurpatur 1.°) de hominibus ceterisque animantibus, et 2.°) de inanimis.

1.°) De hominibus ceterisque animantibus occurrit ¶ 1. Generatim, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 3. 4. 15. Jam hunc non ausim præterire, quin consistam et colloquar. *Ter. Eun.* 4. 2. 7. Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti. *Cic. Arch.* 8. 19. Bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur et consistunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 5. Viatores etiam invitos consistere cogunt. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 9. Ire modo ocius, interdum consistere. Adde *eumd. Epod.* 5. 11. et 1. *Sat.* 9. 62.; et *Virg.* 5. *Æn.* 507. *Cels.* 8. 15. Scala ita sita, ut consistere homo non possit. *h. e.* pedibus humi innixus stare. *Sil. It.* 7. 303. Ac jam constiterat. *h. e.* in pedes. *Ovid.* 7. *Met.* 573. si prohibent consistere vires, Corpora devolvunt in humum. Cf. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. — *b*) Cum additis. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. Tum ad mensam pueros delectos jussit consistere et diligenter ministrare. *Ovid.* 10. *Met.* 274. Consistere ad aras. *Id.* 10. *ibid.* 510. ad ramos. *Id.* 5. *Fast.* 532. ad terga alicujus. *Seneca Herc. fur.* 574. ad sonitum alicujus. Et passive impersonaliter, quamvis paullo aliter, *Seneca Vita beat.* 3. Ista quæ spectantur, ad quæ consistitur. *h. e.* inspiciendi causa moramur. — *Ovid.* 2. *Met.* 766. Consistere ante domum. *Id.* 15. *ibid.* 653. ante torum. *Id.* 7. *Met.* 72. ante oculos alicujus. Adde *eumd. Heroid.* 15. 161. *Id. Heroid.* 20. 75. ante vultus alicujus. *Lucan.* 2. 509. ante pedes alicujus. — *Plaut. Cist.* 4. 2. 31. Consistere hoc loco cum aliquo. *h. e.* subsistere alloquendi et colloquendi causa. Sic eodem sensu *Id. Curc.* 4. 2. 16. et *Cic.* 2. *Verr.* 7. 19. cum aliquo. Eodem pariter sensu *Cic. post red. in Senat.* 6. 14. in foro cum aliquo. *Id.* 1. *Orat.* 61. 261. Neque is consistens in loco, sed inambulans. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 6. et 4. *ibid.* 24. et 26.; *Virg.* 2. *Æn.* 68.; *Propert.* 1. 15. 18.; et *Ovid.* 10. *Met.* 601. et 15. *ibid.* 674. *Val. Flacc.* 8. 133. Consistere in hasta. *h. e.* hasta inniti. — Raro admodum cum præpos. *in* et Accus. rei, qua quis subsistit vel innititur. *Virg.* 5. *Æn.* 426. Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. *Seneca Ep.* 121. Consistere in pedes. Cf. *Tibull.* 4. 1. 101. Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen. *h. e.* sistat se agmine quadrato disposita. — *Quintil.* 1. 10. 27. et 11. 3. 118. Consistere post aliquem. *Ovid.* 6. *Met.* 373. super ripam. — Et cum Ablat. sine præpos. *Virg.* 4. *G.* 27. crebris consistant pontibus apes. *Ovid.* 4. *Met.* 186. et 9. *ibid.* 397.; et *Stat.* 1. *Theb.* 123. Consistere limine. — Cum Adverbiis loci. *Ter. Adelph.* 2. 1. 2. hic. *Varro* 5. *L. L.* 156. *Müll.* ubi. *Dig.* 8. 1. 15. *pr.* ibi. *Ibid.* 5. 1. 19. § 2. si quo. — Cum Infinito. *Auct. Priap.* 69. dominum toties audire legentem constiti. *h. e.* ut audirem. ¶ 2. Speciatim consistere dicuntur, qui ab itinere, aut ab opere cessant. *Cic.* 5. *Att.* 12. *extr.* Plura scribam ad te cum constitero: nunc eram plane in medio mari. *Id.* 7. *Verr.* 11. 28. In quibus (*oppidis*) consistere prætores et conventus agere solebant. *Id.* 3. *ibid.* 30. 101. Qui – Romæ post quæsturam illam nefariam vix triduum constitisset. *Id. Harusp. resp.* 11. 23. Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit. *Cæs.* 3. *B. C.* 102. Ipse ad ancoram una nocte constitit. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. 2. Quacumque iit, ergastula solvit –, constitit nusquam prius, quam ad Vada venit. *Propert.* 1. 20. 21. Hic manus heroum, placidis ut constitit oris, Mollia composita littora fronde tegit. *Virg.* 1. *Æn.* 541. primâque vetant consistere terrâ. *Id.* 1. *ibid.* 663. terrâ. *Id.* 10. *ibid.* 75. terrâ patriâ. *Id.* 8. *ibid.* 10. Latio. *Ovid.* 1. *Fast.* 490. In Aonia constitit exsul humo. ¶ 3. Item speciatim sæpe ad rem bellicam refertur, et significat subsistere, se in ordinem ad resistendum disponere, locum aliquem opportunum capere. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Tanta vi in Pompeji equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret. *h. e.* ut eorum unusquisque loco cederet. *Id.* 6. *B. G.* 39. Censent, ut in jugo consistant. *h. e.* contra hostem in jugo stantes resistant. *Id.* 4. *ibid.* 24. Consistere in fluctibus. *Forcellinus* præpositionem omisit. *Id.* 4. *ibid.* 26. in arido. *Id.* 3. *ibid.* 6. in locis superioribus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 13. *Id.* 1. *ibid.* 24. in acie. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 80. Rursus *Cæs.* 2. *B. G.* 23. In sinistra parte acies constitit. *Id. ibid.* 17. Reliquæ legiones contra consistere non auderent. *h. e.* hostibus resistere. Adde *Virg.* 12. *Æn.* 271. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. Audere consistere prope hostem. *Id.* 2. *ibid.* 26. Consistere juxta. *Id.* 7. *ibid.* 48. sub muro. *Id.* 1. *ibid.* 43. pari intervallo. *Sall. Jug.* 92. *extr.* pro opere. *Balbus* apud *Cic.* 8. *Att.* 15. A. § 1. Cum constiterit et timere desierit (*Cn. Pompejus*). *D. Brut.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 9. 1. Ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam. *Nepos Iphicr.* 2. Ut – sine ducis opera sic ordinatæ consisterent (*copiæ*), ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. *Liv.* 41. 2. Qui circa eum constiterant. *Id.* 29. 15. Consistunt signa in radicibus collium. Cf. *eumd.* 21. 32. *Id.* 21. 46. Constitit agmen. Cf. *Tibull.* 4. 1. 101., cujus verba superius retulimus sub 1. *b.* *Tac.* 4. *Hist.* 23. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens consistunt. *h. e.* seorsum in acie stant. *Liv.* 10. 36. Templum Jovi vovet, si constitisset a fuga Romana acies. ¶ 4. Apud JCtos significat sistere se in judicio contra aliquem. *Seneca* 2. *Ira* 7. Alius judicia patris accusat: alius cum matre consistit. *Papinian. Dig.* 5. 3. 49. Si bonæ fidei possessor velit cum debitoribus hereditariis consistere, audietur. *Hermogenian. ibid.* 5. 1. 53. In certis causis adversus dominos servis consistere permissum est. *Quintil.* 4. 1. 42. Consistere ex diverso. Sic *Tertull. Apolog.* 4. Jam de causa innocentiæ consistam. *h. e.* causam dicam. Adde *eumd. Idolol.* 13. ¶ 5. Denique consistere dicuntur, qui negotiandi causa aliquo in loco diu morantur, aut domicilium constituunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 42. Idem facere cogunt eos, qui negotiandi causa ibi constiterant. Adde *eumd. ibid.* 37.; et *Inscript.* apud *Orell.* 488., 1223., 1216., 4044. et 4077. *Juvenal.* 3. 296. Ede ubi consistas. *h. e.* dic qua regione habites. *Inscript.* non inelegans apud *Maff. Mus. Ver.* p. 241. n. 5., CIVES ROMANI EX ITALIA ET ALIIS PROVINCIIS IN RAETIA CONSISTENTES.

2.°) De inanimis quoque usurpatur, quæ cum quacumque ratione moveantur, a motu cessant et quiescunt: et quidem ¶ 1. De fluidis, quæ subsistunt. — *a*) Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 51. 1. Ut, si pluerit, non consistat aqua. *Id.* 2. *ibid.* 2. 19. Ut urina necubi in stabulo consistat. *Tibull.* 4. 1. 126. Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis. — *b*) Speciatim de aquis, quæ frigore concrescunt, aut de musto, quod deferbuit. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 1. ter frigore constitit Ister. *Id.* 9. *Met.* 662. frigore constitit unda. *Id.* 3. *Trist.* 10. 37. glacie pontus. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 3. Cum jam perfecte mustum deferbuit et constitit. — *c*) Item de sanguinis, diarrhœæ, etc. fluxu quæ minuitur vel cessat. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 38. Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere. *Cato R. R.* 126. Si alvus non consistet. *h. e.* fluxu laborabit. Adde *eumd. ibid.* 156. Sic *Cic.* 7. *Fam.* 26. 2. Tanta me διαφόρησις arripuit, ut hodie primum videatur posse consistere. *Al. leg.* videar: et tunc significat, recuperatis viribus firmior esse, stare posse. *Cels.* 4. 5. Stomachus constitit. ¶ 2. De aliis rebus, quæ moventur. *Cic.* 1. *Tusc.* 23. 54. Vel concidat omne cælum omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsa moveatur. *Virg.* 4. *G.* 484. Atque Ixionii vento rota constitit orbis. Sic *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Naves eorum – nostris adversæ constiterunt. — Et de talorum jactu. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 48. Dicitis multa de casu, ut, Venerium jaci posse casu, quatuor talis jactis; quadringentis, centum Venerios non posse casu consistere. ¶ 3. Item de iis, quæ suapte vi pollent. *Virg.* 3. *Æn.* 679. quales cum vertice celso Aeriæ quercus aut coniferæ cyparissi Constiterunt. *Colum. Arbor.* 4. 1. Vitis more arborum in se consistens. Adde *eumd. ibid.* 5. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Consistere est subsistendo immorari; et occurrit — *a*) De personis, quæ in sermone, honorum cursu, etc. immorantur. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 124. In hoc igitur – campo cum liceat oratori vagari libere atque ubicumque constiterit, consistere in suo. *Id. Rosc. com.* 16. 48. Ipsa mihi veritas manum injecit, et paullisper consistere et commorari cogit. *Id.* 3. *Verr.* 38. 96. Consistam in uno nomine. Adde *eumd. Partit. orat.* 35. 120. *Sueton. Aug.* 2. Cajus ejusque posteri – in equestri ordine constitere usque ad Augusti patrem. — *Consistere cum aliquo* pro concordare accipiunt nonnulli apud *Cic.* 4. *Fin.* 26. 72. Zenonem cum Aristone verbis consistere, re dissidere. *Sed ibi pro consistere legendum est consentire*: cf. *eumd. Cic.* 1. *Nat. D.* 7. 16. — *b*) De rebus est finem habere, desinere. *Plaut. Asin.* 3. 1.

17. Ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi. *h. e.* cessat. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 1. Si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam ætatis flexu constitisset. *Id.* 6. *Att.* 1. 7. Consistere usura debuit. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Qua nova re oblata omnis administratio belli consistit. *Ovid.* 6. *Met.* 627. Consistit ira. *Cels.* 3. 2. Videndum, morbus an increscat, an consistat, an minuatur. *Id.* 6. 6. n. 8. Cursus pituitæ constitit. *Colum.* 4. *R. R.* 7. 2. Plaga catenus constitit etc. ¶ 2. Eleganter ponitur pro firmum, stabilem, constantem esse. — *a*) Generatim. *Cic. Quinct.* 30. 94. Spes est et hunc miserum – aliquando tandem posse consistere. *Id. Cæcin.* 21. 59. Verbo quidem superabis, me ipso judice; re autem ne consistes quidem ullo judice. *Id. Quinct.* 22. 71. Quis magistratus aliquis reperiebatur, apud quem Alfeni causa consisteret. Adde *eumd. ibid.* 1. 5. *Id.* 1. *Att.* 16. 8. Pisonem consulem ulla in re consistere unquam sum passus. Adde *eumd. Quinct.* 24. 77. *Id.* 7. *Fam.* 17. 1. Certa aliqua in sententia consistere. *Id. Orat.* 9. 30. Qui Lysiam sequuntur, causidicum quemdam sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem, et qui in forensibus causis possit præclare consistere. *Id. Cluent.* 39. 108. Consistere in dicendo. *Id.* 2. *Orat.* 49. 200. in possessione judicii ac defensionis suæ. — *b*) Speciatim de animo. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 133. Deferto ad me, faxo actutum constiterit lymphaticum. *Ter. Adelph.* 4. 4. 5. Pectore consistere nil consili quit. Cf. *Cic.* 8. *Att.* 11. 1. Levatur enim omnis cura, cum aut constitit consilium, aut cogitando nihil explicatur. *Id. Cic. Dom.* 54. 139. Egit illa rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. *Id. Senect.* 20. 74. Mortem – timens quis tranquillo possit animo consistere? *Id.* 2. *Phil.* 28. 68. Consistere mente. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 2. Ei tantus clamor a nostris (*factus est*), ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. *Id.* 3. *Verr.* 3. 7. Consistere alicujus animum sine furore atque amentia non sinere. ¶ 3. Denique pro niti, contineri, stare. — *a*) Raro admodum de personis occurrit, et pro *existere* usurpatum videtur. *Cic. Brut.* 97. 333. Nonne cernimus vix singulis ætatibus binos oratores laudabiles constitisse? *Lambin.* leg. *extitisse*. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 6. Sine agri cultoribus nec consistere mortales, nec ali posse, manifestum est. — *b*) Sæpius occurrit, et quidem generatim, de inanimis, quæ fundamentum, stabilitatem ac vim habent vel acquirunt. *Cic. Rosc. Am.* 52. 152. In quo (*viro*) non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere. *h. e.* fundamento aliquo niti. Adde *eumd. Cluent.* 29. 78. *Liv.* 28. 26. Ut unde culpa orta esset, ibi pœna consisteret. *Lentulus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 34. 3. Etsi omni tempore summa studia officii mutuo inter nos certatim constiterunt. *Varro* 3. *R. R.* 8. 3. Turturum fructus id temporis maxime consistit. Cf. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 1. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 107. sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (68). Bæterrarum (*vini*) intra Gallias consistit auctoritas. *Ulp. Dig.* 30. 44. Legatum in omnibus consistit. *h. e.* validum, firmum, ratum est. Huc referri potest et illud *Gell.* 9. 15. Exponit controversiam parum consistentem, quod genus Græci ἄπορον vocant, Latine autem id non nimis incommode inexplicabile dici potest. *imbrogliata* hanc dicerent Itali. — Et de morbis, qui majorem acquirunt stabilitatem ac vim. *Cels.* 3. 34. Si nihilo magis malum constitit. Adde *eumd.* 5. 26. n. 23. *Scribon. Compos.* 90. Vesicæ dolor, qui cum fluore consistit. *Id. ibid.* 160. Podagra, quæ sine tumore consistit. *Id. ibid.* 27. Epiphoræ, quæ cum lacrima consistunt. Adde *eumd. ibid.* 102., 166. et 173. — *c*) Item de inanimis et abstractis, quæ in aliqua re nituntur, fere cum Ablat. et præpos. *in* vel *ex*, aut cum Ablat. sine præpos., aut cum aliis additis. *Cic. Quinct.* 9. 32. In hoc summa judicii causaque tota consistit. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 40. 182. *Id.* 2. *Phil.* 22. 53. Tibi certe confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. *Id.* 5. *Tusc.* 14. 40. In quibus vita beata consistit. *Id. ibid.* 14. 42. Omne bonum in una honestate consistit. Adde *eumd.* 11. *Fam.* 13. 4. *Id.* 3. *Phil.* 8. 19. Salus consistit in eo. *Id. Marcell.* 7. 23. Respublica consistit in unius mortalis anima. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. Majorque pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit. Adde *eumd. ibid.* 21. *Id.* 3. *ibid.* 14. Spes consistit in aliqua re. *Nepos Datam.* 8. Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. *extr.* Ita exiguo tempore magnoque casu totius exercitus salus constitit. Adde *Lucret.* 1. 1027. et 5. 61. et 66.; et *Quintil.* 12. 10. 50. *Lucret.* 1. 236. e quibus hæc rerum summa consistat. Adde *eumd.* 1. 839. et 873., 2. 585. et 5. 238.; et *Auct. B. Hisp.* 7. *Quintil.* 3. 5. 7. Quæstio circa res personasque consistit. Adde *eumd.* 6. 3. 19. *Id.* 3. 8. 24. Quæstio inter utile atque honestum consistit.

B) Active raro admodum occurrit pro constituere. *Lucret.* 6. 10. Et per quæ possent vitam consistere tutam. *At lectio valde dubia est.* Certior apud *Gell.* 5. 10. Cum ad judices conjiciendæ consistendæque causæ gratia venissent. — Item pro sistere active legunt nonnulli apud *Sall. Jug.* 53. et *Sil. It.* 15. 637.; sed apud *Sall.* falsa, apud *Sil. It.* dubia est lectio.

CONSISTŌRĬĀNUS, a, um, adject. ad consistorium pertinens, ut *Consistoriana comitiva* in *Cod.* 10. 30. 3. — Sæpius occurrunt *Comites consistoriani* vel *consistoriani* absolute, et sunt qui in consistorio adsident principi vel consiliaturi, vel cognituri. *Ammian.* 15. 5. Statuit Imperator, dispicientibus consistorianis et militaribus, in negotium præterinquiri. Adde *eumd.* 31. 12.; *Cod. Theod.* 1. 1. 6. § 2. et 11. 16. 15.; et *Cod. Justin.* 12. *tit.* 10. qui est *De Comitib. consistorianis*. V. et voc. seq. sub 3.

CONSISTŌRĬUM, ii, n. 2. proprie est locus, in quo plures consistunt: et occurrit ¶ 1. Generatim. *Tertull. Resurr. carn.* 26. vocat *consistorium* ipsam terram, in qua homines habitant atque consistunt. Item 2. *ad Uxor.* 6. lupanar appellat consistorium libidinum publicum. ¶ 2. Speciatim apud *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *post med.* sic dicitur locus in ædibus, in quo consistunt servi dominorum jussa exspectantes. ¶ 3. Item speciatim sub imperatoribus Romanis ita appellatum est consilium principis, hoc est viri illustres selecti, quibuscum princeps consilia communicabat: qui ideo *consistoriani* sunt appellati: a *consistendo*, quia cum eo ad consultandum consistebant. Item locus, quo illi conveniebant. *Auson. Grat. act.* 29. In illa vero sede, ut ex more loquimur, consistorii, ut ego sentio, sacrarii tui, nullus unquam superiorum aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit. *Ammian.* 14. 7. Admissus in consistorium. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12. 10. 1. Qui tranquillitatis nostræ consistorii dici comites meruerunt. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 28. 2. et 438. 1.; alias apud *Orell.* 3184. et 1140.; et *Cod. Theodos.* multis in locis.

CONSĬTĬO, ōnis, f. 3. idem quod satio: a *consero*. *Cic. Senect.* 15. 54. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones. — Apud *Tertull.* 2. *ad Nation.* 11. legitur *consatio*. Nam et *consatus* pro *consitus* idem usurpat.

CONSĬTĪVUS, a, um, adject. qui conseri potest. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 94.

CONSĬTOR, ōris, m. 3. qui conserit. *Ovid.* 4. *Met.* 14. *de Baccho.* genialis, et *Tibull.* 2. 3. 35. Jucundæ consitor uvæ.

CONSĬTŪRA, æ, f. 1. idem quod consitio. *Cic.* 1. *de republ.* 17. 29. Quæ videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinæ indiciis interpretabatur. Hæc eadem habet *Non.* p. 195. 9. *Merc.*

CONSĬTUS, a, um. *V.* CONSERO.

CONSĪVA, æ, f. 1. epitheton Opis apud *Festum* p. 186. 26. *Müll.* Itaque illa (*Ops*) quoque cognominatur Consiva, et esse existimatur terra. *Mullerus* ad h. l. hæc ait: *Consiviam* dicunt *Varro* 6. *L. L.* 21. *Müll.* et *Macrob.* 3. *Saturn.* 9.; ut *Janum Consivium* idem *Macrob.* 1. *ibid.* 9. Sed festum diem *Opeconsiva* dicit *Varro*, ex fide optimorum librorum, OPEC. Kalendaria, ab ipsa ope condenda, id est frugibus in area tritis in penus inferendis, quo circa ea dies celebrabatur a. d. VIII. Kal. Sept. Itaque non festum diem a dea, sed deam a festo die dictam putaverim Consiviam.

CONSĪVĬA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

CONSĪVĬUS. *V.* CLUSIUS et CONSIVA.

CONSŌBRĪNA, æ, f. 1. materteræ meæ filia, hoc est filia sororis matris meæ. *Cic. Quinct.* 4. 16. Quinctii consobrinam habet in matrimonio Nævius. Adde *Nepot. Attic.* 2.; *Ælium Gall.* apud *Festum* p. 297. 6. *Müll.*; et *Inscript.* apud *Orell.* 4093.: et *V.* voc. seq.

CONSŌBRĪNUS, i, m. 2. filius sororis matris meæ. *Cajus Dig.* 38. 10. 1. § 6. Consobrini, consobrinæ, idest qui, quæve ex duabus sororibus nascuntur, quasi consororini. Item amitini, amitinæ, idest qui, quæve ex fratre, et sorore propagantur: sed vulgus fere omnes istos communi appellatione consobrinos vocat (It. *cugino*; Fr. *cousin germain*; Hisp. *primo hermano*; Germ. *der von zwei Schwestern oder v. Schwester und Bruder Geborene*; Angl. *a cousin-german, the son of a mother's sister*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Ligar.* 4. 11. Ne sit cum hoc T. Broccho avunculo suo, ne cum ejus filio consobrino suo. *Id.* 2. *Orat.* 1. 2. Cum consobrinis nostris Aculeonis filiis, quocum erat nostra matertera. Adde *Ter. Hecyr.* 3. 5. 9. et ibi *Donatum*; *Afranium* apud *Non.* p. 557. 15. *Merc.*; *Cic.* 1. *Off.* 17. 54. et 2. *Fam.* 19. 2.; *Ælium Gall.* apud *Festum* p. 297. 6. *Müll.*; *Trebatium* in *Dig.* l. c.; et *Inscript.* apud *Henzen.* 5110. *V.* voc. præced. — *Consobrini* inscripta fuit quædam comœdia *Afranii* amissa, teste *Gell.* 15. 13. ¶ 2. Latiori sensu *consobrini* dicuntur etiam qui in ulterioribus gradibus cognationis conjuncti sunt, ut ex *Cajo loc. cit l.* 10. liquet. *Sueton. Cal.* 26. Ptolemæum regis Jubæ filium, consobrinum suum quo pacto tractaverit, etc. Adde *eumd. Claud.* 26.

CONSŎCER, ĕri, m. 2. Consoceri dicuntur, quorum alter filiam suam alterius filio uxorem dedit. *Sueton. Claud.* 29. App. Silanum consocerum suum crimine incerto occidit. *Ulp. Dig.* 24. 1. 32. § 20. Si consocer consocero donaverit. Adde *Auson. in fin. Parental. Martial.* 10. 33. 3. Sic tibi consoceri claros retinere Penates Perpetua natæ det face casta Venus. *Inscript.* apud *Cotugno Mem. di Venafro* p. 96., quæ est apud *Henzen.* 6849. LABERIAE POMPEJANAE C. F. — L. GABINIVS CONSTANTS PONTIF. PAT. COL. ET A MILITIIS CONSOCER. Adde aliam apud *Henzen.* 6517.; et *V.* CONSOCRUS.

CONSŎCĬA, æ. *V.* CONSOCIUS.

CONSŎCĬĀBĬLIS, e, adject. qui consociari potest. *Ambros. Ep.* 1. (*alit.* 7.) Quid enim tam consociabile, quam de divinis rebus sermonem contexere. *h. e.* congruum et conveniens.

CONSŎCĬĀTIM, adverb. simul, una. *Ammian.* 15. 11. 3. Matrona et Sequana consociatim meantes protinus funduntur in mare.

CONSŎCĬĀTĬO, ōnis, f. 3. societas, communio, conjunctio. *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Ita fit, ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 29. 100. et *ibid.* 41. 149. *Liv.* 40. 5. Consociatio gentis animum regis everterat. *Firmic.* 6. *Mathes.* 12. Consociatio sinistra siderum. *Capell.* 1. p. 14. Consociationis officia. *Impp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 14. 19. 1. Item immineant censuales, ne singuli eorum (*scholarium*) tales se in conventibus præbeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, et consociationes, quas proximas putamus esse criminibus, æstiment defugiendas.

CONSŎCĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSŎCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*cum et socio*). Part. *Consociatus* sub *a.*, *b.* et *c.*, et in fin. — Consocio est socium facio, societate conjungo (It. *unire in società*; Fr. *unir, associer*; Hisp. *juntar, asociar*; Germ. *zusammenbringen, vereinigen oder verbinden*; Angl. *to associate, join in fellow-ship, unite together*). Occurrit autem — *a*) Absolute. *Lucret.* 2. 110. Consociare motus. *Cic.* 6. *Parad.* 2. § 46. Qui videt domi tuæ pariter accusatorum atque judicum consociatos greges. *Horat.* 2. *Od.* 3. 10. Pinus et populus umbram hospitalem consociare amant. *Ovid.* 2. *Fast.* 246. Tria sidera consociata loco. *Liv.* 2. 1. Consociare animos aliquorum. *Id.* 8. 4. imperium. *Id.* 1. 13. regnum. *Id.* 1. 45. Di consociati. *Id.* 24. 24. Consociare rem. *Tac.* 14. *Ann.* 58. audaces. *Id.* 4. *ibid.* 33. formam rei publ. *Id.* 14. *ibid.* 4. seria. *Id.* 13. *ibid.* 23. vocem. — *b*) Cum Ablativo personæ et præp. cum. *Plaut. Rud.* 2. 6. 67. Consociare mihi quidem tecum licet. *Id. Most.* 1. 3. 119. Ubi sese sudor cum unguentis consociavit. *Cic. post redit. in Senat.* 7. 16. Tu ne ausus es cum A. Gabinio consociare consilia pestis meæ? Cf. *Liv.* 28. 27. et 28. Rursus *Cic.* 3. *Fin.* 21. 71. Cum amicis aut bene meritis consociare, aut conjungere injuriam. *Id.* 4. *Phil.* 2. 12. Consociatum esse cum senatu. *Id.* 1. *Legg.* 7. 23. Homines cum diis consociati. *Al. leg.* conciliati. *Liv.* 8. 14. Consociare arma cum Gallis. *Id.* 28. 25. furorem

usum cum cive aut externo. *Id.* 23. 44. Omnia cum iis sibi esse consociata. *Id.* 25. 18. Nihil sibi cum eo consociatum, nihil fœderatum hosti cum hoste. *Phædr.* 4. 11. 21. Consociare usum alicujus rei cum aliquo. *Tac.* 15. *Ann.* 67. facinus cum inermibus. — c) Cum Dativo reperitur apud *Albinov.* 1. 380. magno consociata Jovi. — d) Etiam *consociare aliquid inter se* interdum occurrit. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 66. Sic inter nos natura ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus. *Liv.* 1. 17. Patres rem inter se consociant. — e) Item *consociare se in aliquam rem* dixit *Liv.* 42. 29. In omnia belli pacisque se conciliare consilia. — Hinc Part. præter. pass.

Consociatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Consociatissimus* apud *Cic.* 3. *Fam.* 3. 1. Pro nostra consociatissima voluntate. *Al. leg.* constantissima, sed minus recte.

CONSŎCIUS, a, um, adject. idem quod socius. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 2. Elementa sibi valde consocia. *Ambros. Ep.* 9. 70. Quod secretum viri consors totius vitæ et consocia non comperisset. — Hinc

Consocii, *ōrum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more sunt iidem, qui socii. *Impp. Dioclet.* et *Maximian. Cod.* 10. 2. 3. Consortes atque consocii ad exigenda reliqua. *Firmic.* 3. *Mathes.* 13. n. 4. Consocii in quibusdam malis comprehensi.

CONSŎCRUS, us, f. 4. quæ una cum alia socrus est. *V.* CONSOCER. Legitur in lemmate carminis ultimi *Parentalium Ausonii*: Pomponia Urbica consocrus, uxor Juliani Censoris.

CONSŌLĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Consolabilior* 1. — Consolabilis est ad consolandum pertinens; et occurrit ¶ 1. Passive, et est qui consolationem admittit. *Cic.* 4. *Fam.* 3. 2. Est omnino vix consolabilis dolor. *Ambros. Ep.* 8. (*alit.* 61.) Tot funera non te admonent, unius feminæ decessionem consolabiliorem habendam? ¶ 2. Active, et est qui consolationem affert. *Gell.* 16. 19. Canere carmen casus illius sui consolabile.

CONSŌLĀMEN, inis, n. 3. idem quod consolatio. *Hieronym. Ep.* 62.

CONSŌLĀTĬO, ōnis, f. 3. levatio doloris aut etiam timoris, solamen, confirmatio (It. *consolazione, conforto*; Fr. *consolation*, *soulagement*; Hisp. *consolacion*, *alivio*; Germ. *Tröstung*, *Trost*, *Trosteinsprechung*, *Ermuthigung*; Angl. *consolation*, *comfort*, *solace*, *alleviation*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. *Cic. Brut.* 96. 330. Ea consolatione sustentor, quam tu mihi adhibuisti tuis suavissimis litteris. Sic *Id.* 5. *Fam.* 16. 1. Adhibere aliquam modicam consolationem. Cf. *eumd.* 4. *ibid.* 3. 3. *Id.* 3. *Tusc.* 32. 77. Erit in consolationibus prima medicina, docere, aut nullum malum esse, aut admodum parvum. *et mox.* Sapiens consolatione non indiget. Cf. eumd. 5. *Fam.* 16. 1. *Id.* 3. *Tusc.* 30. 73. Consolatione nihil levari. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 5. 4. Nihil est hujusmodi, ut ego me non multa consolatione quotidie leniam: sed erit illa consolatio maxima, si una erimus. *Id. Senect.* 2. 4. Præterita ætas nulla consolatione permulcere potest stultam senectutem. *Id. Prov. cons.* 7. 15. Uti consolatione. *Id.* 12. *Att.* 14. 3. Omnem consolationem vincit dolor. *Id. Mil.* 36. 100. Sustentat aliquem una consolatio. Cf. *eumd. Brut.* 96. 330. *Id.* 3. *Fam.* 2. 1. Occurrit mihi consolatio. *Id.* 5. *ibid.* 13. 1. gratissima. *Id.* 6. *ibid.* 4. 2. maxima. *Id. ibid.* 3. 4. levis. *Id.* 5. *ibid.* 16. 2. pervulgata. *Auct. B. Alex.* 8. Cæsar suorum timorem consolatione et ratione minuebat. *Auct. B. G.* 8. 38. Timentes animos consolatione sanat. — b) Cum addito Genitivo subjecti, hoc est ejus, qui consolationem affert. *Cic.* 5. *Fam.* 13. 1. Consolatio litterarum tuarum. *Id.* 3. *Tusc.* 22. 78. Epicuri. — c) Cum addito Genitivo objecti, hoc est doloris aut timoris, qui levatur. *Cic.* 1. *Att.* 17. *ante med.* Fuit mihi et laudis nostræ gratulatio tua jucunda, et timoris consolatio grata. *Id.* 6. *Fam.* 4. 2. Consolatio communium malorum, rerum incommodorum. ¶ 2. Speciatim — a) *Consolatio* inscribitur liber ad aliquem consolandum compositus. *Cic.* 3. *Tusc.* 31. 76. Ut fere nos omnia in Consolationem unam conjecimus. *h. e.* in libro, in quo consolati nos sumus in morte filiæ: de quo *Id.* 12. *Att.* 14. *Id.* 1. *Tusc.* 48. 115. Consolatio Crantoris. *Id.* 1. *ibid.* 26. 65. Ciceronis. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 28. 70. — Item supersunt tres *consolationes Senecæ* ad Helviam, ad Polybium, ad Marciam. — b) Item oratio vel sermo ad consolandum aptus. *Cic.* 3. *Orat.* 55. 211. Aliud dicendi genus — consolatio, aliud objurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Adde *Quintil.* 10. 1. 47. et 11. 3. 153.

CONSŌLĀTĪVUS, a, um, adject. aptus ad consolandum. *Isid.* 2. *Orig.* 21. Sententiarum species multæ sunt. — Exhortativæ, consolativæ.

CONSŌLĀTOR, ōris, m. 3. qui consolatur. *Cic.* 3. *Tusc.* 30. 73. Consolatores ipsos confiteri se miseros, cum ad eos impetum suum fortuna converterit. Adde *eumd.* 6. *Fam.* 4. 3.; et *Senec. Consol. ad Helv.* 1.

CONSŌLĀTŌRĬĒ, adverb. consolatoris more, consolando. *Sidon.* 6. *Ep.* 9. Quem non increpative, sed consolatorie compellare curavimus.

CONSŌLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad consolandum aptus. *Cic.* 13. *Att.* 20. A Cæsare litteras accepi consolatorias. *Sueton. Oth.* 10. Codicillos exaravit ad sororem consolatorios. *Cassiod.* 10. *Variar.* 18. Quid excogitaverit consolatorium principis pro vobis ingenium.

CONSŌLĀTUS, a, um. *V.* CONSOLOR.

CONSŎLĬDA, æ, f. 1. herbæ genus, alio nomine conferva, et inula rustica, et alum, σύμφυτον, lignosa, jucundi odoris, atque salivam provocans. Ejus plura genera herbarii faciunt. Dicta est a virtute quam habet solidandi et confirmandi. *Apul. Herb.* 59.

CONSŎLĬDĀTĬO, ōnis, f. 3. solidatio.

I.) Proprie. *Veget.* 5. *Veterin.* 9. 2. *Schneid.* Rebus stypticis et his, quæ consolidationem faciunt, curandus est.

II.) Translate. *Ulp. Dig.* 7. 2. 3. § 2. Jus adcrescendi non perit ei, apud quem consolidatus est, neque ab eo: et ipse quibus modis amitteret ante consolidationem, iisdem et nunc amittit. *h. e.* antequam usufructuarius proprietatem rei acquirat: hoc enim est *consolidatio*, uti docet *Justinian.* 2. *Institut.* tit. 4. § 3. Adde *Fragm. Vatic.* § 83.

CONSŎLĬDĀTOR, ōris, m. 3. qui firmat et solidum reddit. *Venant.* 1. *carm.* 20. 22. Nam quod pulcra domus, quod grata lavacra nitescunt, Consolidatorem te cecinere suum.

CONSŎLĬDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSŎLĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et solido*). Part. *Consolidatus* I. et II. — Consolido est solidum reddo.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Fam.* 20. 2. Ut apud duas civitates rationes confectas et consolidatas deponeremus. *h. e.* liquidas, cum expensis respondent accepta. *Quidam* consolatas *perperam leg.*: Orellius *autem rectius* confectas collatas. *Vitruv.* 2. 8. 7. *Schneid.* Græci non media farciunt, sed e suis frontatis perpetuum, et in unam crassitudinem parietem consolidant.

II.) Translate *consolidari ususfructus* apud JCtos dicitur, cum ad eum proprietatis jure revertitur, a quo abscesserat: vel cum usufructuarius acquirit proprietatem ejus rei, ex qua usumfructum percipiebat. *Triphonin. Dig.* 23. 3. 78. § 2. et *Ulp. ibid.* 7. 2. 3. et 6. — Pariter *ususfructus consolidatus* est confirmatus, idest conjunctus cum proprietate, cum scilicet usufructuarius proprietatem quoque fundi acquisivit. *Ulp. Dig.* 7. 2. 3. *sub fin.*

CONSŎLĬDUS, a, um, adject. solidus, stabilis, firmus. *Arnob.* 4. 36. Cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulati. *At* Orellius *ex correctione* Stewechii *edidit*: Cum omnibus, quos solidet germanitas, necessitudine copulati.

CONSŌLO, as, (āvi), ātum, are, a. 1. (cum *et antiq.* solo *pro* solor). Part. *Consolatus*. — Consolo activa forma raro admodum occurrit, et est dolorem vel timorem levo, confirmo, animos addo. — a) Activa forma. *Varro* apud *Non. p.* 473. 30. *Merc.* Per idem tempus Œdipus Athenas exsul venire dicebatur, qui consolaret. Cf. *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.* — b) Passiva forma; et quidem — Passiva etiam significatione. *Justin.* 22. 6. 4. Sic consolatis militibus, universas naves, consentiente exercitu, incendi jubet. Cf. Part. *Consolandus* in voc. seq. *Gell.* quoque loc. infra cit. docet, in usu esse *consolor te* et *consolor abs te*. — Mediorum apud Græcos more ac significatione. *Q. Metellus* apud *Gell.* 15. 13. Cum animum vestrum erga me video, vehementer consolor. *Asinius Pollio* apud *Priscian.* 8. *p.* 792. *Putsch.* Sed cum ob ea, quæ speraveram, dolebam, consolabar ob ea, quæ timui. Adde *Augustin.* 6. *Confess.* 1. 1. — *NB.* Quidam *consolatas rationes* perperam legunt apud *Cic.* 5. *Fam.* 20. 2.; *Forcellinus* legebat *consolidatas*; *Orell.* vero ex optimis Codd. reposuit *confectas collatas*. — Sæpius usurpatur

CONSŌLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum *et* solor). Part. *Consolans*, *Consolatus* et *Consolandus* 1. — De alia forma *V.* voc. præced. — Consolor est idem quod solor, dolorem vel timorem levo, confirmo, recreo, animos addo (It. *consolare*, *confortare*; Fr. *consoler*, *soulager*, *assurer*; Hisp. *consolar*; Germ. *sich bemühen Imdn Trost und Muth einzusprechen*, *ihn aufrichten*, *irgend etwas tröstend hinwegzunehmen*; Angl. *to console*, *comfort*, *solace*). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu de personis; et quidem — a) Absolute, ita tamen, ut Accusativus personæ ex ipsa orationis serie facile innotescat. *Ter. Heaut.* 1. 1. 34. Aut consolando, aut consilio, aut re juvero. *Cic.* 3. *Tusc.* 31. 75. Hæc igitur officia sunt consolantium, tollere ægritudinem, etc. Adde *eumd. ibid.* 33. 79. et 22. 51., et 6. *Fam.* 4. 2.; *Nepot. Eumen.* 11.; *Varron.* 1. *R. R.* 17. 7.; *Liv.* 26. 35.; *Ovid.* 1. *Met.* 360.; *Sueton. Aug.* 53.; et *Quintil.* 11. 3. 64. *Cæs.* 3. *B. C.* 98. Consolatus (*h. e.* cum timorem levasset, animos addidisset) consurgere jussit: et pauca apud eos de lenitate sua locutus, quo minore essent timore, omnes conservavit. Adde *eumd.* 1. *B. G.* 20. *Ovid.* 15. *Met.* 491. et consolantia verba Dicere. — b) Cum Accus. personæ tantum. *Ter. Adelph.* 3. 5. 2. Istam quod potes fac consolere. *Cic.* 5. *Fam.* 18. 1. Egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum. *Cæs.* 5. *B. G.* 4. Consolatus Induciomarum, hortatusque est, ut in officio permaneret. Adde *Cic.* 4. *Fam.* 8. 1., 5. *ibid.* 16. 1., et 3. *Tusc.* 32. 77.; et *Ovid.* 1. *Met.* 578. et 3. *Pont.* 3. 77. — Consolari semetipsum interdum est spe allici, duci. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 28. 77. Quæso, nolite vosmetipsos consolari: vere et diligenter considerate, num vobis, aut vestri similibus, integris, quietis, otiosis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? — — Et *aliquid consolatur aliquem*, ut apud *Cic.* 4. *Fam.* 3. 1. Me quidem — multa jam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum. *Id.* 15. *Att.* 27. 2. Te consolata est spes brevi tempore congrediendi. Cf. *Id.* 4. *Cat.* 4. 8. Spes hominem in miseriis consolari solet. — c) Cum Accus. personæ et cum addito alio casu rei. *Cic.* 6. *Fam.* 4. 2. Consolari aliquem de miseriis communibus. *Id.* 3. *Tusc.* 29. 71. aliquem de morte alicujus. *Id.* 5. *Att.* 11. 7. aliquem verbis alterius. *Id. Rosc. Com.* 14. 43. Inani et tenui spe te consolaris. *Id. Prov. cons.* 7. 16. Dummodo, cujus exemplo se consolatur, ejus exitum expectet. Adde *eumd. Brut.* 71. 250.; et *Catull.* 64. 182. *Cic.* 12. *Att.* 14. 3. Feci, quod ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. — d) Sequente Relativo. *Cic. Amic.* 3. 10. Consolari se illo solatio, quod etc. *Id. Sull.* 10. 29. Consolare te, quod etc. — Et cum Accus. et Infinito *Horat.* 1. *Sat.* 6. 130. His me consolor victurum suavius, ac si etc. *h. e.* me consolor animo cogitans, me victurum etc. ¶ 2. Latiori sensu de statu animi ponitur et est significatione consimili verbi compenso vel levo. *Cic.* 1. *Fin.* 12. 40. Ut ejus (*doloris*) magnitudinem celeritas, diuturnitatem adlevatio consoletur. *Id. Mil.* 35. 97. Brevitatem vitæ memoria posteritatis consolatur. *Id.* 7. *Fam.* 11. Ego desiderium tui spe tuorum commodorum consolabor. *Id.* 4. *Att.* 16. 10. Dicendi laborem delectatione oratoria consolor. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 6. *ad fin.* Sed hoc incommodum consolantur quotidianæ damnationes inimicorum. *Id.* 4. *Att.* 6. 2. et 4. *ibid.* 8. 1. Consolari dolorem alicujus. *Id.* 4. *Fam.* 6. 1. luctum alicujus. *Liv.* 45. 41. cladem alicujus. *Quintil.* 2. 12. 12. Inquirendo, scribendo talia consolemur otium nostrum.

CONSŌLŪTUS, a, um, particip. ab inusit. consolvo, simul solutus. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *a med.* Cerotaria apponenda ex oleo myrtino et melino aut viridi, contrita acacia atque consoluta. *Id. ibid.* 7. Admixto et consoluto adipe anserino vel gallinaceo.

CONSOMNĬO, as, are, n. 1. (cum *et* somnio) idem quod somnio. *Plaut. Most.* 3. 2. 68. TR. Senex volt ædificare gynæceum et balneas et porticum. SI. Quid ille consomniat? TR. Ego dicam tibi; dare volt uxorem filio.

CONSŌNANS, antis. *V.* CONSONO.

CONSŌNANTER, adverb. convenienter, concorditer. Occurrit tantum Sup. *Consonantissime* apud *Vitruv.* 6. 1. 6. *Schneid.* Consonantissime ad harmoniam composita.

CONSŌNANTĬA, æ, f. 1. vocum concordantia, concentus. *Vitruv.* 5. 5. 7. *Schneid.* Citharœdi convertunt se ad scenæ valvas, et ita recipiunt ab earum auxilio consonantiam vocis. *Gell.* 13. 20. Tanta jun-

cturæ differentia est in consonantia vocum proximarum. *Tertull. advers. Jud.* 11. *sub fin.* et *ibid.* 14. Consonantia scripturarum. *h. e.* consensus.

CONSŌNĀTĬO, ōnis, f. 3. similitudo soni. *Cassiod. de anim.* 12. *a med.* Primo proprie dici animam etymologiæ ipsius consonatione docuimus. *scil.* ab ἄνεμος *animus.*

CONSŌNĒ, adverb. una voce. *Apul.* 1. *Met.* Quoad mutua cohortatione consone clamitarent.

CONSŌNO, sōnas, sŏnŭi, sŏnare, n. 1. (*cum et sono*). Part. *Consonans* in omnibus paragr. et in fin. — (It. *consuonare, risuonare*; Fr. *résonner ensemble, retentir*; Hisp. *resonar, retumbar juntos*; Germ. *zusammentönen, im Einklang ertönen*; Angl. *to sound together, resound*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 72. Tubæ utrimque canunt: contra consonat terra. *Virg.* 5. *Æn.* 148. Tum plausu fremituque virum studiisque faventum Consonat omne nemus. Sic *Id.* 8. *ibid.* 305. Consonat omne nemus strepitu collesque resultant. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 451. *Tac.* 15. *Ann.* 37. Circumjecta tecta consonare cantu. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 32. *Vitruv.* 5. 8. 2. *Schneid.* Consonantes loci sunt, in quibus ab imis auxiliata vox cum incremento scandens, ingreditur ad aures discreta verborum claritate. *Id.* 5. 8. 1. *Schneid.* Consonantesque (*loci*), quos appellant συνηχοῦντας. *Varro* 3. *R. R.* 16. 30. Apes cum jam evolaturæ sunt, consonant vehementer. *Liv.* 36. 34. Consonante clamore (Quinctium orare, ut etc. *Seneca Ep.* 84. *a med.* Cum omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. *Petron. fragm. Tragur.* 78. *Burmann.* Consonuere cornicines funebri strepitu. — *b*) Speciatim *consonare verba* dicuntur, quæ similiter desinunt. *Quintil.* 9. 3. 72. Initia quoque, et clausulæ sententiarum, aliis, sed non alio tendentibus verbis, inter se consonant. Initia hoc modo: *Dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidiæ.* Rursus clausulæ: *vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, etc.* — *c*) Item speciatim quæ verba per paronomasiam efferuntur, ut *immoriaris, immorare. Quintil.* 9. 3. 72. In verbis tantum distantibus jucunde consonat vox, etc. Cf. *eumd.* 9. 3. 45., 75. et 77.

II.) Translate est concordare, convenire; et occurrit — *a*) Cum Dativo. *Auct. Declam.* in *Sallust.* 1. Ut omnis oratio moribus consonet. *Manil.* 2. 281. Virginis et Tauri Capricorno consonat astrum. *Id. ibid.* 622. veri per totum consonat ordo. *Seneca Ep.* 31. *a med.* Perfecta virtus est æqualitas ac tenor vitæ, per omnia consonans sibi. *h. e.* sibi conveniens, sibi constans et concordans. *Quintil.* 2. 20. 5. Consonare sibi in faciendis, ac non faciendis, virtutis est. Adde *Dig.* 19. 1. 48. et 35. 1. 90. — *b*) Cum Accus. et præpos. *ad. Seneca Vita beat.* 23. Optime dives, si opus ad hanc vocem consonet. — Hinc Part. præs.

Consonans, antis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Consonantior* affertur ex *Cic. Partit. orat.* 5. 17. Verba consonantiora, graviora, etc.: ubi tamen *Orellius* cum aliis plerisque omnibus legit *sonantiora.*

I.) Proprie. *Consonantes litteræ,* vel absolute *consonantes* dicuntur a Grammaticis, quæ per se nihil sonant, sed solum junctæ vocalibus. *Quintil.* 1. 4. 6., 1. 5. 20., 1. 7. 9. et alibi; et *Gell.* 4. 17. etc.

II.) Translate. *Consonans est,* conveniens est. *Ulp. Dig.* 12. 2. 34. § 8. Non semper consonans est, per omnia referri jusjurandum, quale defertur. *Scævola ibid.* 19. 1. 48. Hoc enim contractui bonæ fidei consonans est.

CONSŌNUS, a, um, adject. (*cum et sono*) idem vel simul sonans, consonans (It. *consonante, risonante*; Fr. *qui sonne ou retentit ensemble*; Hisp. *consonante*; Germ. *zusammentönend, in Einklang stehend*; Angl. *agreeing in sound*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ovid.* 13. *Met.* 610. et consonus exit in auras Ter clangor. *Id.* 1. *Amor.* 8. 59. Ipse deus vatum, palla spectabilis aurea, Tractat inauratæ consona fila lyræ. *Sil. It.* 17. 448. Consona vox. — *b*) Speciatim in re grammatica. *Terentian. Maur.* p. 2385. *Putsch.* Consona elementa. *V.* in fine hujus vocis.

II.) Translate est conveniens, concordans. *Cic.* 4. *Att.* 16. 3. Credo, Platonem vix putasse, satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. *Apul.* 2. *Met.* Totius orbis consono ore celebrari. *Claudian.* I. *Cons. Stilich.* 69. Docere juvenem consona regno. *h. e.* utilia. *Id.* 2. *Rapt. Pros.* 42. Consona fila telæ. — Hinc

Consona, æ, f. 1. absolute est littera consonans: et sæpissime legitur apud *Terentian. Maur.*

CONSŌPĬO, is, īvi, itum, ire, a. 4. (*cum et sopio*). Part. *Consopitus.* — Consopio est idem quod sopio, sive sensus obtundo soporem inducendo.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 791. Nocturnumque recens extinctum lumen, ubi acri Nidore offendit nares, consopit ibidem. *Sueton. Claud.* 44. Inter initia (*veneni*) consopitus. — *b*) Speciatim ponitur pro somnum inducere. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Quid melius, quam in mediis vitæ laboribus obdormiscere, atque ita conniventem somno consopiri sempiterno? *Id.* 2. *Divinat.* 68. 135. Somno consopiri. *Id.* 1. *Tusc.* 38. 92. Endymion a Luna consopitus.

II.) Translate. *Gell.* 16. 10. Quum omnis illa duodecim tabularum antiquitas lege Æbutia lata consopita sit. *h. e.* abrogata, abolita.

CONSŌPĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONSŌRŌRĪNUS, a, um, vox efficta ad formam vocis *consobrinus* declarandam. *V.* CONSOBRINUS.

CONSORS, ortis, adject. (*cum et sors*) cui eadem contigit sors, particeps, socius: *Varro* 6. *L. L.* 65. *Müll.* Consortes, ad quos eadem sors. Cf. *Paul. Diac.* p. 296. 7. *Müll.* et *V.* infra sub 2. (It. *consorte*; Fr. *qui participe à*; Hisp. *consorte, participe*; Germ. *dem das gleiche Loos fällt, der gleichen Theil hat*; Angl. *a partner, partaker, sharer, colleague*). Occurrit ¶ 1. Generatim, et est ejusdem sortis particeps, socius. — *a*) De personis. — Raro absolute, ita tamen ut ex ipsa orationis serie quænam sit relatio innotescat. *Lucret.* 6. 1277. et unusquisque suum pro re consortem mœstus humabat. *Lucan.* 1. 93. omnisque potestas Impatiens consortis erit. Adde *Sueton. Tib.* 1. et *Tit.* 9. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 712. A. MEMMIO CLARO A. MEMMIVS VRBANVS COLLIBERTO, IDEM (*h. e.* item) CONSORTI CARISSIMO. — Cum Genitivo. *Cic. Mil.* 37. 102. Quid respondebo tibi, Q. frater, consorti mecum temporum illorum? *Id. Brut.* 1. 2. Socius et consors gloriosi laboris. *Id. Flacc.* 13. 35. Consors mendicitatis. *hic* allusio fit ad alteram hujusce vocabuli significationem: *V.* sub 2. *Ovid.* 1. *Met.* 319. Consors tori. *Id.* 10. *ibid.* 246. et 6. *ibid.* 93. thalami. *h. e.* uxor. *Id.* 1. *Fast.* 675. operum. *Id. Heroid.* 3. 47. Consortes generis et necis. *h. e.* fratres et simul eadem nece interempti. *Id.* 3. *Pont.* 2. 82. urbis. *h. e.* populares, cives ejusdem urbis. *Id.* 3. *Fast.* 492. culpæ. et *ibid.* 873. pericli. *Curt.* 10. 7. 2. sacrorum cærimoniarumque. *Val. Max.* 1. 8. 5. pavoris. *Vellej.* 2. 74. vitiorum. *Seneca Ep.* 7. studiorum. *Sueton. Oth.* 8. imperii. *Plin.* 8. *Ep.* 14. consilii publici. *Id. Paneg.* 60. periculorum. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Collega imperii, consors tribuniciæ potestatis. *Sic* Hercules vocatur consors Aureliani Aug. ob res ab eodem præclare gestas in bello. *Inscript.* apud *Murat.* 256. 1. HERCVLI AVG. CONSORTI D. N. AVRELIANI INVICTI AVGVSTI RESPVBL. PIS. *h. e.* Pisanorum. — Cum Ablat. et præpos. *in. Cic.* 5. *Verr.* 66. 135. Consors in lucris atque furtis. *Lucret.* 3. 772. vis animi in origine prima. — Cum Dat. *Lucan.* 4. 178. consors studiis puerilibus ætas. — *b*) De inanimis. *Lucret.* 3. 333. consorti prædita vitâ. *Virg.* 4. *G.* 153. *de apib.* Solæ communes natos, consortia tecta Urbis habent. *Propert.* 1. 21. 1. Tu, qui consortem properas evadere casum Miles etc. *h. e.* similem, ejusdem sortis. ¶ 2. Speciatim *consortes* dicuntur, quorum hereditas nondum divisa est, qui communi patrimonio utuntur: teste *Paul. Diac.* p. 296. 7. *Müll.* Sors et patrimonium significat: unde consortes dicimus. *et p.* 92. 8. Disertiones divisiones patrimoniorum inter consortes. Cf. *eumd.* p. 86. 16.; *Varron. loc. cit.* sub init., *Dig.* 27. 1. 31. § 4.; et vide *Cujac. observ.* 5. 10. et v. SORS. Hinc dicitur plerumque de fratribus. — *a*) De personis. — Stricto sensu. *Cic.* 5. *Verr.* 23. 57. Cum ex agris tres fratres consortes profugissent, quod iis plus frumenti imperabatur, quam exararent. Cf. *eumd. Flacc.* 15. 35. *Liv.* 41. 27. et *Vellej.* 1. 10. 6. Censoris frater et quidem consors. *h. e.* qui communi adhuc patrimonio utebatur. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Circumscripto testamento, consors frater filium revocaverat. *Horat.* 3. *Od.* 21. 60. Consortem socium fallere. *Virg. Cir.* 15. Quatuor antiquis quæ heredibus est data consors. In *Cod. Justin.* 3. *tit.* 40. est *De consortibus ejusdem litis,* nempe qui cum communiter aliquid possideant, litem simul omnes contestantur. — Latiori sensu dicitur de consanguineis, ac præcipue de fratribus et sororibus, quia fratres et sorores eadem habent in hereditatem vel patrimonium jura. *Tibull.* 2. 5. 24. Romulus æternæ nondum formaverat Urbis Mœnia, consorti non habitanda Remo. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 47. Dea consors Phœbi. *h. e.* Diana. *Id. Heroid.* 13. 61. consors Ledæa gemellis. *h. e.* Castorum soror. *Id.* 11. *Met.* 346. Quæ dum Lucifero genitus miracula narrat De consorte suo. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 94. Sic *Albinov.* ad *Liv.* 437. consortes deas videtur significare Nereides, quas uno patre Nereo genitas fabulantur, ut est apud *Hygin. in præfat.* Cf. *Lucret.* 6. 1277., cujus verba sub 1. *a.* retulimus. — *b*) De inanimis. *Ovid.* 13. *Met.* 663. consortia pectora. *h. e.* sorores. *Id.* 8. *ibid.* 443. calidumque priori Cæde recalfecit consorti sanguine telum. *h. e.* fraterno. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CONSORTĀLIS, e, adject. ad consortium pertinens. *Frontin. de Coloniis* p. 111. *Goes.* Consortales lineæ.

CONSORTĬO, ōnis, f. 3. (*cum et sors*) consortium, seu communio bonorum, societas. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Off.* 6. 26. Dissolvetur omnis humana consortio. *Ita* Nonius *cum aliis plerisque,* 3. 39. *Merc.*; *alii* consociatio. *Liv.* 40. 8. Sociabilem consortionem inter binos Lacedæmoniorum reges. *Vellej.* 2. 99. et 103. Consortio tribuniciæ potestatis. *Val. Max.* 4. 6. 3. Consortio fati. *h. e.* similitudo mortis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 1. 1. (1). ait animalia terrestria degere *consortione quadam hominum,* quia terram incolunt quasi patrimonium cum hominibus commune. *V.* CONSORS. *Poeta* apud *Non.* p. 196. 18. *Merc.* In consortionem venire. — *b*) Speciatim absolute ponitur ratione habita magistratuum publicorumque officiorum. *Liv.* 6. 40. Quænam ista societas, quænam consortio est? *V.* integrum locum.

CONSORTĬUM, ii, n. 2. (*cum et sors*) communio bonorum, societas. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 4. 5. In rei publicæ consortio. *Petron. Satyr.* 101. Consortium studiorum. *Justin.* 21. 1. Dionysius (*junior Syracusarum rex*) non cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos interfecit; ut quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 3. Consortium regni. *Id.* 3. *ibid.* 34. Consortia rerum secundarum adversarumque. *Quintil.* 12. 1. 4. Honestorum turpiumque consortium. ¶ 2. Apud JCtos præcipue ponitur pro nondum divisa bonorum communione inter plures. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. *circa med.* Si inter fratres voluntarium consortium initum fuerit. *V.* CONSORS 2. *Hermogen. Dig.* 14. 2. 5. Consortium collationis. *Imp. Zeno ibid.* 5. 27. 5. concubinarum. Adde *Sueton. Claud.* 28.

CONSPARGO, CONSPARSIO etc. *V.* CONSPERGO, CONSPERSIO etc.

CONSPARSŪRA, æ, f. 1. idem quod conspersio, vel farinæ massa conspersa et subacta panis faciendi causa. *Vulgata vet. Ital. Numer.* 15. 19. Primitias consparsuræ vestræ, panem oblationis separabitis eum; sicut oblationem de area, sic auferetis eum cum primitiis consparsionis vestræ.

CONSPĀTĬOR, āris, ari, dep. 1. (*cum et spatior*) idem quod spatior, vel simul spatior. Occurrit tantum Part. *Conspatians* apud *Petron. Satyr.* 7. Video quosdam inter titulos furtim conspatiantes.

CONSPECTĬO, ōnis, f. 1. idem quod conspectus. *Jul. epit. nov. c.* 57. § 201.

CONSPECTOR, ōris, m. 3. inspector. *Tertull. Orat.* 13. Deus cordis conspector. *Vulgat. vet. Ital. Eccli.* 3. 34. Deus conspector, qui reddet gratiam. *Inscript.* apud *Paulovich. Marm. Macar.* p. 57. VICTORI FLAVI SECVNDI CONSPECTORI EPAPHRODITVS EIVSDEM. *Paulovich.* videtur *conspector* esse munus aliquod militare; at in militia non erant servi.

CONSPECTUS, a, um. *V.* CONSPICIO.

CONSPECTUS, us, m. 4. actus conspiciendi, aspectus (It. *vista, aspetto*; Fr. *vue, regard, coup d'œil*; Hisp. *vista, ojeada, mirada*; Germ. *der Hinblick, der Anblick*; Angl. *a sight, view*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Varro* 7. *L. L.* 9. *Müll.* Templum faciunt augures conspicione, qua oculorum conspectum finiant. *Id.* 5. *L. L.* 9. *Müll.* Illicere populum ad conspectum magistratus. Sic *Ter. Hecyr.* 5. 2. 22. Scio his fore meum conspectum in-

virum. *Cic.* 7. *Att.* 10. Subito consilium cepi, ut ante, quam luceret, exirem: ne qui conspectus fieret, aut sermo. *Id.* 2. *Orat.* 55. 226. *ex Crasso.* Audes in civium esse conspectu? *Liv.* 1. 18. Quod longissime conspectum oculi ferebant. *Id.* 1. 16. Nimbus conspectum ejus contioni abstulit. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 6. Villico juxta januam fiat habitatio, ut intrantium exeuntiumque conspectum habeat. *Spartian. Hadrian.* 21. Cum servum inter duos senatores e conspectu ambulare videret. — b) Jungitur pluribus aliis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Liv.* 34. 49. adducere aliquem in conspectum. *Id.* 37. 41. adimere alicui conspectum. *Ter. Eun.* 2. 3. 1. amittere aliquem e conspectu suo. *Liv.* 25. 16. amotus a conspectu locus. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. assistere in conspectu patris. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 3. astare in conspectu alicujus. *Liv.* 29. 27. auferri e conspectu alicujus. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 50. cadere in conspectum. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 14. considere in conspectu. *Virg.* 2. *Æn.* 67. consistere in medio conspectu. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41. dare sese in conspectum. *Ter. Phorm.* 2. 1. 31. dare se in conspectum alicui. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 33. 85.; et cf. *Liv.* 3. 69. et *Curt.* 3. 2. 2. *Nepos Timol.* 1. decedere morte ex hominum conspectu. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 5. est in conspectu aliquid. *V.* infra sub d. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 7. 6. et *Nepot. Datam.* 11. *Liv.* 6. 20. est conspectus inde in Capitolium. Adde *eumd.* 22. 10. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 88. evolat e conspectu fugiens quadriremis. *Id. Sull.* 9. 26. frui conspectu urbis. *Lucret.* 3. 49. fugare aliquem e conspectu hominum. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 3. 6. fugere conspectum alicujus. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 594. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 107. fugere e conspectu alicujus. *Id. Heaut.* 3. 1. 25. fugitare conspectum alicujus. *Virg.* 6. *Æn.* 109. ire ad conspectum alicujus. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 2. ponere aliquem in conspectum alicujus. *Liv.* 40. 4. ponere aliquid in conspectu. *Seneca* 3. *Benef.* 2. ponere extra conspectum. *Cic. Mur.* 41. 89. privare aliquem suorum consuetudine conspectuque. *Plaut. Most.* 5. 2. 33. prodire in conspectum alicujus. Adde *eumd. Bacch.* 4. 9. 84. et *Ter. Phorm.* 2. 4. 3. *Virg.* 9. *Æn.* 262. reddere conspectum alicujus. *Nepos Chabr.* 3. recedere a conspectu suorum. *Cic.* 2. *Phil.* 4. 8. stare in conspectu senatus. *Liv.* 39. 49. statuere aliquem in conspectu. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 24. venire in alicujus conspectum. Adde *Auct. B. Afr.* 2.; *Nepot. Con.* 3. et *Datam.* 10.; et *Curt.* 3. 6. 16. *Quintil.* 6. 3. 93. vitare alicujus conspectum. Adde *Vellej.* 2. 63. 1. *Ter. Phorm.* 2. 2. 1. vereri alicujus conspectum. — c) *In conspectu* est coram; et occurrit absolute. *Liv.* 1. 31. Missis ad id visendum prodigium, in conspectu crebri cecidere cælo lapides. *Virg.* 1. *Æn.* 188. Navim in conspectu nullam. — d) *In conspectu* occurrit etiam cum Genitivo, et quidem — De hominibus. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 3. 7. Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi R., non licet. *Id.* 2. *Fam.* 5. 1. Illustri loco sita est laus tua, in plurimorum et sociorum et civium conspectu. h. e. conspecta et cognita sociis et civibus. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. In conspectu imperatoris. *Petron. Satyr.* 107. In conspectu vestro supplices jacent. — De inanimis. *Varro* 1. *R. R.* 7. 6. Quercus, quæ est in oppidi conspectu. *Cic.* 2. *Legg.* 11. 27. In conspectu fundi villæque. *Id. Dejot.* 5. 15. In conspectu deorum Penatium necare hospitem. *Id.* 1. *Fam.* 7. 5. Non tam facile est nobis, quam tibi, cui prope in conspectu Ægyptus est. *Liv.* 40. 21. In conspectu locorum. *Gell.* 1. 11. Hostis in conspectu longinquo procul distans. — e) Denique *in conspectu* et similia occurrunt etiam figurate. *Cic.* 7. *Verr.* 66. 170. In conspectu legum libertatisque mori. *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Carthago et Corinthus procul erant a conspectu imperii. *Liv.* 24. 5. Primo statim conspectu. *Id.* 6. 8. Imperator conspectu suo prælium restituit. Cf. *Sueton. Cal.* 9.

II.) Translate. — a) Abstracte ponitur de animi contemplatione. *Cic.* 5. *Fin.* 31. 93. Qui quamvis minimam animi præstantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquatur. *Id.* 3. *Orat.* 40. 161. Illa ponunt pæne in conspectu animi, quæ cernere et videre non possumus. Cf. *eumd.* 5. *Fin.* 1. 2. — Sic de iis, quæ scribendo vel dicendo ita colligimus componimusque, ut ea uno intuitu videri possint. *Id. Brut.* 4. 15. Ut explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem. *Id.* 1. *Legg.* 22. 61. Conspectus et cognitio naturæ. *h. e.* contemplatio. *Id.* 3. *ibid.* 5. 12. Quam brevi, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio. Adde *Quintil.* 7. 1. 4. et 10. 1. 6. — b) Concreto, ut ajunt, sensu, conspectus est idem quod epitome vel σύνοψις. *Gell.* 17. 21. Conspectus quidam ætatum antiquissimarum, item virorum, qui in his ætatibus fuerunt. *Id.* 19. 10. Interrogavit quantus esset pecuniæ conspectus, ad id totum opus absolvendum. *h. e.* tota summa ex singularibus variarum expensarum summis confecta, et uno intuitu videnda.

CONSPERGO, gis, si, sum, gere, a. 3. (cum et spargo). *Dausqu.* in *Orthogr.* testatur, in nonnullis exemplaribus *Catonis* et *Varronis* legi *conspargo*. Cujus rei rationem etiam reddi posse, quod veteres in compositionibus vocales non immutabant. Nos *conspargo* legimus etiam in *Marcell. Empir.* 16. *ante med.* Sed potior est meliorum usus. — Part. *Conspergens* I. 1.; *Conspersus* I. et II — Conspergo est spargo, aspergo (It. *spargere, aspergere*; Fr. *semer, éparpiller, verser*; Hisp. *sembrar, desparramar, esparcir*; Germ. *besprengen, bespritzen, benetzen*; Angl. *to sprinkle, besprinkle, scatter, strew*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu — a) Absolute conspergere est aqua conspergere. *Plaut. Stich.* 2. 2. 30. Pinge humum, consperge ante ædes. Cf. *Phædr.* 2. 5. 15. *Sueton. Cal.* 43. Verri sibi vias, et conspergi propter pulverem, exigebat. — b) Cum Accusativo rei, quam conspergimus, et Ablativo rei, quâ aliquid conspergimus. *Plaut. Curc.* 1. 1. 80. Conspergere fores vino. *Cato R. R.* 76. Tracta placentæ farinæ L. II. (*h. e.* libris duabus) conspergito condepsitoque. *Forcellinus* cum veteribus Editionibus aliter legebat. *Id. ibid.* 121. Conspergere farinæ modium unum musto. *Cic. Planc.* 41. 99. Me amplexus est conspersitque lacrimis. *Lucret.* 3. 661. Conspergere terram tabo. *Id.* 4. 1233. aras sanguine. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (38). Lucifer terram rore conspergens. *Id.* 20. *ibid.* 1. 2. (3). Conspergere semen cinere. *Id.* 23. *ibid. præfat.* 3. (4). Conspersus aceto. *Colum.* 12. *R. R.* 55. 3. Caro sale conspersa. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 3. 8., 6. *ibid.* 12. 4., 6. *ibid.* 17. 8., et 8. *ibid.* 7. 3. — c) Cum Accusativo tantum. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 3. Uvas in dolium conjicito, pedibus calcato: ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito. *Sed ibi cum* Schneider. *legendum potius* inspergito. ¶ 2. Figurate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 111. Caput Tauri stellis conspersum est frequentibus. *Lucret.* 3. 33. anni Tempora conspergunt viridantes floribus herbas.

II.) Translate de oratione usurpatur cum Accusativo et Ablativo. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. In illis veteribus nostris, quæ Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus. *Id.* 3. *Orat.* 25. 96. Oratio conspersa quasi verborum sententiarumque floribus. *Quintil.* 8. 5. 28. Color dicendi multis ac variis veluti maculis conspergitur.

CONSPERSĬO *vel* consparsio, ōnis, f. 3. De ratione scribendi *V.* CONSPERGO sub init. — Conspersio ¶ 1. Generatim est actus conspergendi. *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 3. Salis crebra conspersio debet pecoris levare fastidium. ¶ 2. Speciatim est farinæ massa conspersa et subacta, panis faciendi causa. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 24., ubi alii leg. *consparsio*; item *advers. Valentinian.* 31., et *Pudic.* 13. et 18. ex *D. Paulo* 1. *Cor.* 5. Cf. et voc. CONSPARSURA.

CONSPERSUS vel consparsus, a, um. *V.* CONSPERGO.

CONSPĬCĀBĬLIS, e, adject. qui conspici potest, visibilis, adeoque conspiciendus, conspicuus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 631. *de Christo.* Tandem retectis vocibus propheticis, Ætate nostra comprobata antiquitas, Coram refulsit ore conspicabili. *Capell.* 6. p. 197. Septemtrio conspicabilis nobis. *Sidon.* 2. *Ep.* 4. Domicilium sacrario, porticibus ac thermis conspicabilibus coruscans. Adde *Sulpic. Sever.* in *Vita S. Martini* 21.

CONSPĬCĀBUNDUS, a, um, adject. sæpe et attente conspicans, mirabundus. *Capell.* 8. p. 270. Nupturam virginem conspicabunda Pallas, quid super dotalis eruditione feminæ comprobaret, exquirit.

CONSPĬCĀTUS, a, um. *V.* CONSPICOR.

CONSPĬCĬENDUS, a, um. *V.* CONSPICIO.

CONSPĬCĬLĬUM, ii, n. 2. locus unde aliquid conspici solet. Ita exponit *Non.* p. 84. 7. *Merc.* (Cf. *Placidi Gloss.* edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 449.) atque affert hæc *Plauti* verba in *fragm.* In conspicilio adservabam, pallium observabam. *Id. Plaut. Cist.* 1. 1. 92. Mater pompam me spectatum duxit: dum redeo domum, Conspicilio consecutus est clanculum me usque ad fores. Utroque loco al. leg. *conspicillum*: at posteriore alii reponunt ex *MSS.* *dum redeo domum, conspicit: illo eo secutus est*, etc. Porro frustra sunt, qui putant hac voce significari vitra ocularia, quorum usus ne cognitus quidem illorum temporum hominibus fuit. Nam quod afferunt ex eodem *Plauto* quidam Lexicographi, *Vitrum cedo: necesse est conspicilio uti*; nusquam hæc verba apud *Plaut.* extant, quod sciam. Nego, inquit *Voss. lib.* 3. *de nat. art. c.* 24. *sub fin.*, hæc esse Plauti: nego etiam, legi apud veterum quempiam.

CONSPĬCĬENTĬA, æ, f. 1. facultas conspiciendi. *Cassiod. de anim.* 3. Lumen aliquod substantiale animas habere, haud improbe videmur advertere. Nam si ipsum (*lumen*) in se lucidum non esset, (*anima*) rerum tantam conspicientiam non haberet.

CONSPĬCĬO, spicis, spexi, spectum, spicere, a. 3. (cum et specio). Part. *Conspiciens* I. 1. 2.°; *Conspectus* I. 1. 2.°, et 2.; *Conspiciendus* I. 2. — Conspicio est intueor, adspicio (It. *guardare, riguardare*; Fr. *regarder attentivement, jeter les yeux sur*; Hisp. *mirar, encarar, acatar*; Germ. *auf einen Person oder Sache seinen Blick richten und sie erblicken*; Angl. *to see, behold, look at or towards, observe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Conspicere est oculos aliquo vertere, oculos aliquo dirigere, attente aspicere. — 1.°) Absolute. *Plaut. Cist.* 2. 3. 78. Quid nunc supina susum in cælum conspicis? *Varro* 7. *L. L.* 9. *Müll.* Inter eas regiones, qua oculi conspiciant. *Petron. Satyr.* 140. Conspicere in tabernam. *Nepos Datam.* 11. *extr.* Quem (*locum*) cum digito demonstraret et ille conspiceret, aversum ferro transfixit. *hic* tamen etiam Accusativus rei adesse videtur. — 2.°) Cum addito, quod conspicitur; et quidem — a) Cum Accusativo personæ aut rei tantum. *Legis actio* apud *Cic. Cæcin.* 19. 54. Quandoque te in jure conspicio. Cf. *Cic. Muren.* 12. 26. *Plaut. Amph.* 2. 2. 122. Quid me interrogas? qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul. *Id. Capt.* 1. 1. 29. Quas (*ædes*) quotiescumque conspicio, fleo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 35. 89. Ut procul – vehiculum Argonautarum e monte conspexit (*pastor*). *Id.* 5. *Att.* 18. Ciliciam prope conspiciens. *Id.* 1. *Cat.* 7. 17. Carere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici, mallem. *Cæs.* 2. *B. G.* 21. Quæ quisque prima signa conspexit, ad ea constitit. *Id.* 1. *ibid.* 47. Quos cum apud se in castris Ariovistus conspexisset. *Lucret.* 2. 358. si queat unquam conspicere amissum fetum. *Augustus* apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (94). Sidus crinitum per septem dies in regione cæli – conspectum. *Nepos Miltiad.* 7. Qui (*lucus*) ex insula conspiciebatur. *Liv.* 33. 60. Cum inter se conspecti essent. *Catull.* 64. 86. Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo. *Virg.* 9. *Æn.* 237. locum insidiis conspeximus ipsi. *Ovid.* 12. *Met.* 526. Quæ mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum. *Curt.* 3. 3. 8. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago Solis – fulgebat. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 22. VII. Kal. Martias ventosa tempestas, hirundo conspicitur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 15. (78). Novissimam primamque (*lunam*) eadem die vel nocte, nullo alio in signo quam ariete conspici. *Sueton. Domit.* 11. Conspecto delatore ejus, vis, inquit, etc. *Val. Flacc.* 8. 210. *de Medea.* Hyperboreas movit conspecta pruinas. *Juvenal.* 2. 81. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. — Translatum ad inanima significat vergere. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 20. *de statua Jovis.* Si illud signum solis ortum et forum curiamque conspiceret. *hic* tamen et de persona, h. e. de Jove, sermo est. — b) Addito statu vel conditione, in qua conspecta res aut persona nobis apparet. — Per Accusativi appositionem, ut Grammatici dicunt. *Cic. Mur.* 41. 88. Imaginem parentis sui, quam paucis diebus laureatam conspexit. *Id. ibid.* Conspicere aliquem spoliatum omni dignitate. *Lucret.* 1. 317. strata viarum detrita vulgi pedibus. *Cæs.* 3. *B. G.* 3. superiora loca multitudine armatorum completa. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 26. *Nepos Hann.* 11. naves completas serpentibus. *Id. Datam.* 4. aliquem ad se ferentem. *Liv.* 21. 4. aliquem humi jacentem. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 49. adrasum quemdam. Et passive *Horat.* 3. *Od.* 7. 26. Quamvis non alius flectere equum sciens æque conspicitur. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 4. Terribilior niger conspicitur (*canis*). — Per Accus. et Infinitum. *Lu-*

vet. 6. 707. Corpus ut exanimum si quod procul ipse jacere Conspicias hominis. *Catull*. 64. 365. Conspexit, terra centum procurrere currus. Adde *Cæs*. 2. *B. G*. 24., et *Plin*. 9. *Hist. nat*. 9. 6. (45). Item *conspecto* absolute in sexto casu. *Sueton. Aug*. 15. Conspecto eum ad arma isse. ¶ 2. Eleganter *conspici* dicuntur, qui re aliqua excellunt sive bona, sive mala; ita ut notari et velut digito prætereuntium monstrari possint. — *a*) Raro active occurrit, semperque cum additis Adverbiis vel appositionis casibus. *Liv*. 1. 26. Quem paullo ante cum egregia stirpe conspexissent. *Id*. 39. 53. Demetrium ut pacis auctorem cum ingenti favore conspiciebant. *Horat*. 1. *Ep*. 6. 26. cum bene notum Porticus Agrippæ et via te conspexerit Appi. — *b*) Sæpius passive. *Cic. Pis*. 25. 60. Inania sunt ista – delectamenta pæne puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. *Id*. 3. *Herenn*. 15. 26. In gestu nec venustatem conspiciendam, nec turpitudinem esse. *Augustus* apud *Sueton. Claud*. 4. Ne quid faciat quod conspici et derideri possit. *Sall. Cat*. 7. Sic quisque – conspici, dum tale facinus faceret, properabat. *Nepos Att*. 13. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. *Liv*. 21. 8. *de Hannib*. Vestitus nihil inter æquales excellens; arma et equi conspiciebantur. *Id*. 1. 47. Qui te regium juvenem conspici sinis? *Id*. 5. 23. Maxime conspectus est ipse, curru equis albis juncto urbem invectus. *Horat*. 1. *Ep*. 15. 46. quorum Conspicitur nitidis fundata pecunia villis. *Ovid*. 4. *Met*. 19. tu formosissimus alto Conspiceris cælo. *Id*. 1. *Trist*. 6. 34. Prima bonis animi conspicerere tui. Adde *Vellej*. 2. 30. et 2. 91. *ad fin*.; et *Quintil*. 11. 3. 37. — Præcipue Ger. *Conspiciendus* hoc sensu occurrit. *Liv*. 6. 4. *extr*. Opus vel in hac magnificentia urbis conspiciendum. *Tibull*. 1. 2. 73. Totus et argento contextus, totus et auro, Insideat celeri conspiciendus equo. *Id*. 2. 6. 34. Nemesis Incedat donis conspicienda meis. *Ovid*. 5. *Fast*. 170. Cum satus est forma conspiciendus Hyas. *Id*. *ibid*. 118. hædorum mater formosa duorum, Inter Dictæos conspicienda greges. *Id*. 5. *ibid*. 552. Templaque in Augusto conspicienda foro. *Id*. 2. *Trist*. 113. *de domo sua*. Et neque divitiis, nec paupertate notanda; Unde fit in neutrum conspiciendus eques. *Val. Flacc*. 1. 261. signa veteri conspicienda metallo. Adde *Martial*. 9. 50. — De Part. *Conspectus* V. in fin.

II.) Translate de animo et cogitatione dicitur, sed raro admodum, atque ita ut ad propriam verbi significationem allusio fiat. *Plaut. Trin*. 3. 2. 10. Sat sapio, satis, in rem quæ sint meam, ego conspicio mihi. *h. e.* prospicio, provideo. *Id. Pseud*. 3. 1. 3. Næ illi, quantum ego nunc corde conspicio meo, multas ærumnas danunt. *h. e.* quantum animo et cogitatione assequor. *Cic. Balb*. 20. 47. Ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis. *Id. Mur*. 6. 13. Non debes temere consulem saltatorem vocare, sed conspicere, quibus præterea vitiis affectus sit. *h. e.* considerare. At *Klotz* pro *conspicere* recte admodum reposuit *circumspicere*. — Hinc Part. præter. pass.

Conspectus, a, um, adjective quoque occurrit ea significatione, qua superius diximus sub I. 2.; unde Comp. *Conspectior*. Significat autem conspicuum, insignem, conspicabilem, tum in bonam, tum in malam partem, ut exponit etiam *Servius* ad illud *Virg*. 8. *Æn*. 587. Ipse agmine Pallas In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis. Sic *Id*. 3. *G*. 17. et *Horat. Art. P*. 228. Tyrio conspectus in ostro. *Liv*. 4. 13. *de Sp. Mælio*. Quacumque incederet, conspectus elatusque supra modum hominis privati. *Id*. 45. 7. Patris avique fama conspectum eum efficiebat. *Id*. 30. 45. Conspecta mors. *Ovid*. 12. *Met*. 553. juventus. Rursus *Liv*. 22. 40. Plebs turba conspectior, quam dignitate. Adde *eumd*. 6. 5. *Id*. 2. 5. Damnati proditores, sumptumque supplicium, conspectius eo, quod pœnæ capiendæ ministerium patri de liberis consulatus imposuit. *Ovid*. 13. *Met*. 794. Nobilior pomis, platano conspectior alta. Adde *eumd*. 4. *ibid*. 795. *Juvenal*. 8. 140. Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. *Tac*. 4. *Hist*. 11. Ne in urbe conspectior mors foret, via Appia extinguitur. *Justin*. 11. 5. Reges stipendiarios conspectioris ingenii secum trahit, segniores ad tutelam regni relinquit.

CONSPĬCĬO, ōnis, f. 3. actus conspiciendi: vox augurum, qua significatur inspectio cæli ad templum determinandum, intra quod auguria capiantur. *Varro* 7. *L. L*. 9. *Müll*. Templum faciunt augures conspicione, qua oculorum conspectum finiant. et *paullo supra*: Interea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi. *V*. CONREGIONE.

CONSPĬCO, as, are, a. 1. idem quod conspicor, conspicio; sed vix ullius usus. Hinc *conspicor* passivum. *Varro* apud *Priscian*. 8. p. 792. *Putsch*. Paupertas enim hæc tunc non ita nutricata, ut nunc conspicatur: Ξεωρεῖται. *Plaut. Epid*. 1. 1. 67. Prius se convenire non vult, neque conspicari. De loco *Sall. Jug*. 53. *a med*. *V*. voc. seq. sub *a*.

CONSPĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum et specio). De activa forma *V*. voc. præced. — Part. *Conspicatus*. — Conspicor est idem quod conspicio, video, contemplor; et occurrit — *a*) Absolute. *Varro* 7. *L. L*. 9. *Müll*. *Contempla* et *conspicare* idem esse apparet. *Sall. Jug*. 53. *a med*. Cum interim Metellus ignarus hostium monte degrediens, conspicatur. Forcellinus *passive accepit* et ad v. CONSPICO retulit; *al*. male *leg*. conspicitur: cf. *Donatum* ad *Ter. Eun*. 2. 3. 93. et V. *Dietsch* ad *Sall*. loc. cit. — *b*) Cum Accusativo. *Plaut. Cist*. 4. 1. 4. Nec quemquam conspicor alium in via? Adde *eumd*. *Epid*. 1. 1. 3. *Ter. Eun*. 5. 9. 32. Cur te ergo in his ego conspicor regionibus? Adde *Cic*. 1. *Herenn*. 11. 18. *Cæs*. 5. *B. G*. 47. Trans vallem magnam hostium multitudinem conspicatur. Adde *eumd*. 1. *ibid*. 25., 5. *ibid*. 9., 6. *ibid*. 17., 1. *B. C*. 24. et 2. *ibid*. 22.; *Nepot. Eumen*. 9. et *Phædr*. 28. 25. — *c*) Cum Accusativo et Participio. *Plaut. Epid*. 3. 3. 54. Conspicari aliquem advenientem. Adde *Cæs*. 2. *B. G*. 27. *Liv*. 2. 20. Conspicatus Valerius ferocem juvenem Tarquinium, etc. Adde *Quintil*. 4. 2. 13. — *d*) Cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Curc*. 5. 1. 5. Ubi me hinc habere conspicata est anulum, rogat, unde habeam. Adde *eumd*. *Amph*. 5. 1. 18. et *Bacch*. 4. 4. 18. *Ter. Heaut*. 1. 1. 15. Neque tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodere, aut arare. — *e*) Sequente Relativo. *Cæs*. 2. *B. G*. 26. Ex loco superiore, quæ res in nostris castris gererentur, conspicatus.

CONSPĬCŬUS, a, um, adject. (conspicio). Comp. *Conspicuiores* est qui legi putat in *Cod. Justin*. 4. 63. 3., ubi plerique leg. *conspicuos*. — Conspicuus est qui conspicitur ab omnibus, visibilis, omnium oculis expositus; cui opponitur *occultus* apud *Ovid*. 4. *Trist*. 10. 108. Totque tuli terrā casus pelagoque; quot inter Occultum stellæ conspicuumque polum (It. *conspicuo, visibile*; Fr. *visible, qui frappe la vue*; Hisp. *visible, evidente*; Germ. *in die Augen fallend, sich dem Blicke darbietend, sichtbar*; Angl. *conspicuous, clear, visible, in sight*).

I.) Proprie et stricto sensu. *Augustus* apud *Plin*. 2. *Hist. nat*. 25. 23. (94). Sidus omnibus e terris conspicuum. *Ovid*. 3. *Pont*. 4. 21. Scilicet affectus similes, aut impetus idem Rebus ab auditis, conspicuisque venit? *h. e.* a rebus, quas audivimus et conspeximus. *Id*. 3. *Art. A*. 384. Conspicua loca. *Phædr*. 4. 6. 6. qui capitibus cornua Suis ligarant, ut conspicuum in prælio Haberent signum, quod sequerentur milites. *Curt*. 9. 6. 1. Tabernaculum undique conspicuum. *Seneca Thyest*. 126. Nives conspicuæ. *Plin*. 36. *Hist. nat*. 12. 16. (76). Pyramides conspicuæ undique adnavigantibus. *Tac*. 4. *Hist*. 29. Ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam Barbarorum aciem etc. *Lucan*. 4. 169. postquam spatio languentia nullo Mutua conspicuos habuerunt lumina voltus. — Figurate *Seneca Brevit. vitæ* 20. Habere mortem in conspicuo. *h. e.* tamquam præsentem intueri.

II.) Translate est conspici dignus, insignis, illustris; et occurrit — *a*) Absolute. *Liv*. 1. 34. Romanis conspicuum eum novitas divitiæque faciebant. Cf. *Sueton. Aug*. 45. Quod spectatorem – demonstrasset digito conspicuumque fecisset. *Ovid*. 8. *Met*. 373. ambo conspicui. *Id*. 4. *Trist*. 3. 82. Conspicuum caput. *Horat*. 3. *Od*. 16. 18. Late conspicuum tollere verticem. *Tac*. 4. *Hist*. 42. Illustres senes, conspicuæ feminæ. *Martial. Spectac*. 2. Conspicuæ venerabilis amphitheatri moles. — *b*) Cum Ablativo rei, qua quis est conspicuus. *Ovid*. 4. *Pont*. 7. 31. Nec mora, conspicuus longe fulgentibus armis. *Tibull*. 3. 3. 4. Insignis clara conspicuusque domo. *Ovid*. *Heroid*. 5. 139. Fide conspicuus Trojæ munitor. *h. e.* Apollo lyra insignis. Adde *eumd*. 12. *Met*. 467.; *Colum*. 7. *R. R*. 12. 4.; *Plin*. 11. *Hist. nat*. 42. 97. (241).; et *Sueton. Aug*. 72. *Plin*. 3. *Ep*. 3. Viri illustri laude conspicui. *Tac*. 3. *Hist*. 17. Consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis. *Quintil*. 18. *Declam*. 3. *extr*. Omni frequentia cœtuque conspicuus. — Hinc

Conspicuum, ui, n. 2. absolute. *V*. supra sub I. in fin.

CONSPĪRĀTĒ, adverb. conspiratione, consensu. Occurrit tantum Comp. *Conspiratius* apud *Justin*. 3. 5. 3. Lacedæmonii eo conspiratius ad arma concurrunt. *Concitatius*, et *confirmatius* sunt qui ex conjectura reponunt.

CONSPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conspirandi, conflandi, vel simul flandi: sed occurrit figurate tantum, et ¶ 1. Est signorum convenientia vel consensus. *Cic. fragm. Œcon.* apud *Colum*. 12. *R. R*. 2. 4. Ubi chorus canentium certis numeris ac pedibus veluti facta conspiratione, consensit atque concinuit. ¶ 2. Sæpius ponitur pro hominum sive animorum concordia, vel consensu; et quidem — *a*) In bonam partem. *Cic. Dom*. 11. 28. Conjunctionem et conspirationem in republica bene gerenda fictis sermonibus et falsis criminibus dirimere. *Id*. 4. *Cat*. 10. 22. Conspiratio bonorum virorum *Id*. 2. *Off*. 5. 16. hominum. *Id*. 5. *Fin*. 22. 69. Conspiratio consensusque virtutum. *Id*. 1. *ibid*. 20. 65. Amici magna amoris conspiratione consentientes. *Lentulus* apud *Cic*. *ad proquæst. et proprat*. 12. *Fam*. 15. 3. Facere concordiam et conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem. *Sueton. Cæs*. 13. Conspiratio optimatium. *Justin*. 34. 1. 1. civitatum. — *b*) Accipitur et in malam partem pro conjuratione et consensu in rem malam. *Cic. Dejot*. 4. 11. Nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. *Brutus* apud *Cic*. 11. *Fam*. 13. *extr*. Pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus. Adde *Quintil*. 6. 1. 9., et *Sueton. Aug*. 19.

CONSPĪRĀTUS, a, um. *V*. CONSPIRO.

CONSPĪRĀTUS, us, m. 4. idem quod conspiratio; et occurrit figurate tantum pro consensu, et quidem in sexto casu singulari. *Gell*. 1. 11. Achæos Homerus pugnam indipisci ait, non fidicularum tibiarumque concentu, sed mentium animorumque conspiratu tacito nitibundos.

CONSPĪRO as, āvi, ātum, are, 1. duo prorsus diversa pro etymi varietate significat, aut enim *A*) Est a *cum* et verbo *spirare*; aut *B*) Est a *cum* et nomine *spira*, æ.

A) Conspiro a cum et spīro, n. 1. (unde Part. *Conspirans* II. 1.; et pass. quoque *Conspiratus* II. 1. et 2.) proprie idem est quod conflare, hoc est simul spirare.

I.) Proprie. *Virg*. 7. *Æn*. 616. Æreaque assensu conspirant cornua rauco. Ubi *Servius*: nam et tubæ simul inflabantur. *Quintil*. 1. 10. 16. In iis operibus, in quibus plurium conatus, præeunte aliqua jucunda voce, conspirat. — *Conspiratus* sanguis *Veget*. 3. *Veterin*. 30. 1. *Schneid*. videtur esse ex arteria cum spiritu emissus; nam veteres putabant, arterias esse etiam spiritus receptaculum: ait enim *Cic*. 2. *Nat. D*. 55. 138. Sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. Hæc *Forcellinus*: at *Schneidero* conspiratus est densatus, constrictus; ac præterea pro *conspiratus* eidem rectius videtur *conspicitur*, quod in libris scriptis habetur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est convenire, consentire: et tribuitur etiam rebus inanimis. *Cic*. 3. *Nat. D*. 11. 28. Illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturæ, quam quasi cognationem continuatam conspirare dicebas. *Al. leg.* cognatione continuatam. *Id*. 2. *ibid*. 7. 19. Tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio. *Id. Ligar*. 12. 34. Fratrum consensus conspirans et pæne conflatus. *Lucret*. 4. 1205. Conspirans mutuus ardor. *Seneca Ep*. 84. *a med*. Multa præcepta sint, multarum ætatum exempla; sed in unum conspirata. *Macrob. præfat. l*. 1. *Saturn*. hæc ad verbum descripsit. ¶ 2. Specialim dicitur de iis, qui concordi animo simul in rem aliquam tendunt, eamque collatis consiliis et viribus aggrediuntur. — 1.°) In bonam partem. *Cic*. 1. *leg. Agr*. 9. 26. Colligite vos, tribuni plebis –, conspirate nobiscum, consentite cum bonis, communem rempublicam communi studio atque amore defendite. *Id*. 10. *Fam*. 12. 4. Mirabiliter populus Romanus et omnium ordinum consensus ad liberandam rempublicam conspiravit. Adde *eumd*. 3 *Phil*. 5. 13. *Cæs*. 3. *B. C*. 46. Milites legionis nonæ subito conspirati pila

conjecerunt. *V. Conspiro* sub *B. Plin.* 4. *Ep.* 13. Proinde consentite, conspirate etc. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 7. Ut mota æqualiter humus suis omnibus partibus ad educandum prolem novam conspiret. Et passive impersonaliter *Id.* 12. *R. R. præfat.* 8. *de conjug.* In commune conspirabatur ab utroque. — 2.°) Sumitur et in malam partem pro coire et conjurare in rem pravam; et quidem — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 10. Priusquam plures civitates conspirarent. Adde *Sueton. Cæs.* 9. et *Galb.* 10. *Phædr.* 1. 2. Hinc conspiratis factionum partibus, Arcem tyrannus occupat Pisistratus. *h. e.* cum multæ factiones in civitate coaluissent, et quasi simul spiratæ et conflatæ essent. V. *Conspiro* sub *B.* — Hinc etiam *Conspirati, ōrum*, absolute dicuntur consensu inter se colligati, conjurati. *Sueton. Domit.* 17. Cunctantibus conspiratis, quando et quomodo aggrederentur. Adde *eumd. Cæs.* 82. et *Ner.* 43. — *b*) Cum Accus. personæ et præpos. Passive impersonaliter *Sueton. Cæs.* 80. Conspiratum est in eum a sexaginta et amplius. *Id. Tib.* 8. Conspirare in aliquem. *Dig.* 1. 12. 1. § 10. contra aliquem. — *c*) Cum Accus. rei et præpos. *Liv.* 3. 36. *extr.* Conspirare in appellationem. *Id.* 3. 56. in injuriam. *Justin.* 16. 5. 12. in necem. Adde *eumd.* 20. 3. 4. *Tac.* 15. *Ann.* 68. in cædem alicujus. *Dig.* 49. 16. 3. § 21. in facinus. *Sueton. Claud.* 13. ad res novas. — *d*) Sequente part. *ut. Sueton. Cæs.* 9. Venit in suspicionem, conspirasse cum M. Crasso –, ut principio anni senatum adorirentur. — *e*) Cum Infinito. *Sueton. Claud.* 37. Pari modo oppressum ferunt Silanum, quem cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, etc.

B) *Conspiro* a cum et *spira*, *æ*, ductum, a. 1., dicitur de serpentibus in spiras suas se colligentibus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 22. Anguis ad navem Romanorum perrexit, et se in Ogulnii tabernaculo conspiravit. *Forcellinus* ad illud *Phædr.* 1. 2., quod superius sub *A.* II. 2. 2.° retulimus, Hinc conspiratis factionum *etc.*, post allatam interpretationem hæc addit: Nisi malis τὸ *conspiratis* derivare a *spiris*, h. e. quasi in modum spiræ, more anguium, in se collectis et constrictis. V. *Marquardi Gudii* adnotationes in hunc locum, ubi, præter cætera, quod alii leg. apud *Cæs.* 3. *B. C.* 46. Milites legionis nonæ subito constipati pila conjecerunt; *conspirati* reponit ex MSS., h. e. quasi in modum spiræ convoluti, conglobati.

CONSPISSĀTIO, ōnis, f. 3. condensatio, constipatio. *Theod. Priscian.* 1. 18. Conspissatio sordium.

CONSPISSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSPISSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et spisso) idem quod condenso. Occurrit tantum Part. *Conspissatus* apud *Colum.* 2. *R. R.* 18. 5. Conspissatum et herbis colligatum solum. *Id.* 12. *ibid.* 45. 3. Conspissata vinacea. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 18. (36). Creta decocta conspissataque.

CONSPLENDESCO, escis, escere, n. 2. (cum et splendesco) idem fere quod splendeo vel simul splendeo. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. III. *A. Mai*) 42. Circumsistentia tecta undique conspleudescere.

CONSPŎLIUM, ii, n. 2. genus libi in sacris adhibiti, apud *Arnob.* 7. 24., fortasse ex corio seu pelle animalium confectum.

CONSPONDEO, spondes, spondi, sponsum, spondere, a. 2. (cum et spondeo). Part. *Consponsus* etiam in fin. — Conspondeo est simul cum aliis spondeo. *In vet. Senatuscons. de Bacchan.* apud *Fabrett.* c. 6. p. 427. et apud *Murat.* 577. NEVE . POSTHAC . INTER . SED . (*h. e.* se) CONJOVRASE . NEVE . COMVOVISE . NEVE . CONSPONDISE . NEVE . CONPROMESISE . VELET. *Paul. Diac.* p. 41. 14. *Müll.* Consponsos antiqui dicebant fide mutua colligatos. *Consposos* est pro *consponsos* antiqua scribendi ratione. *V. Müll.* in *Paul. Diac. præfat. c.* 4. § 3. Adde *Nævium* apud *Varron.* 6. *L. L.* 70. *Müll.* — Hinc Part. prælet. pass.

Consponsus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit. *Apul.* 5. *Met.* Jugum sororium consponsæ factionis. *h. e.* par sororum, quæ conjuraverant. *Auson. Epist.* 10. 11. Te quoque ne pigeat consponsi fœderis. *h. e.* mutuo promissi.

CONSPONSĀTA, æ, f. 1. idem quod uxor. *Ambros.* in *Luc.* 3. 3. Et tu revertere pariter cum consponsata tua.

CONSPONSOR, ōris, m. 3. qui cum alio spondet; scilicet ¶ 1. Qui de eadem re cum altero spondet pro alio. *Cic.* 6. *Fam.* 19. 2. De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompejo: si Galba consponsor tuus redierit, non desinam cum illo communicare. *Id.* 12. *Att.* 17. Velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sit ne ita. ¶ 2. *Paul. Diac.* p. 59. 7. *Müll.* Consponsor conjurator. *h. e.* qui simul cum alio de eadem re jurat. Intelligit autem eos, inquit *Scalig.*, qui pœna sacramenti mutuo se provocant, cum in rem aliquam agunt, puta in litem vindiciarum: alter enim ab altero exigit juramentum. *Consponsor*, ait *Müll.* ad h. l., hic dicitur ea mente, qua *conspondisse* in *Senatuscons. de Bacchan.* (*V.* CONSPONDEO). Aliter *Isidori Glossæ.* Consponsores, alterutri fidem dicentes.

CONSPONSUS, a, um, et

CONSPŌSUS, a, um. *V.* CONSPONDEO.

CONSPŬO, spuis, spui, spūtum, spuere, a. 1. (cum et spuo). Part. *Conspuens* sub *A*; *Consputus* sub *B.* — Conspuo est idem quod sputo, sputum emitto; et occurrit *A*) Neutrorum more; et sæpius *B*) Active.

A) Neutrorum more. Speciem proverbii habet illud *Petronii fragm. Traqur.* 74. *Burmanni*, ubi Trimalchio de femina arroganti, et alios præ se contemnenti, *Inflat se*, inquit, *tamquam rana*, *et in sinum suum conspuit.* Ubi hoc dicere videtur: Adeo celso capite, erecta ac tumens fastu incedit, ut sinum suum conspuat, quoties salivam purgare opus est. Vel alludit ad morem veterum conspuendi sinus, quoties veniam a diis peterent spei alicujus, quam audacius concepissent, ut *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). docet. Itaque illa femina adeo multa et magna de se concipiebat, et sibi pollicebatur, ut avertendæ invidiæ causa sinum conspueret. *Vulgat. Interpr. Isai.* 50. 6. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.

B) Active. *Conspuere aliquem* est sputo fœdare. — *a*) Generatim. *Petron. Satyr.* 23. Consumptis versibus suis, immundissimo me basio conspuit. — Quod vero apud *Juvenal.* legimus de causidicis, 7. 111. Tunc immensa cavi spirant mendacia folles, Conspuiturque sinus; simpliciter puto intelligendum esse de iis, qui inter dicendum diu fatigati, una cum immensa verborum copia salivam expuunt etiam inviti, ac sinum conspurcant. Vetus Scholiastes *Juvenalis* et alii allusum volunt ad morem avertendarum fascinationum, ter in sinum spuendo: de quo *Plin. loc. cit.* — *b*) Speciatim ac sæpius, conspuere aliquem maxima omnium contumelia semper habita est. *Plaut. Curc.* 4. 2. 16. Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet: Qui constitit, culpant eum: conspuitur, vituperatur. *Apul. de Mag.* Faciem tuam spumabundus conspuisset. *Hieronym. Ep.* 50. n. 4. Quoties conspuit, et consputus abscessit? Adde *Dial. advers. Luciferian. sub init. Petron. Satyr.* 132. Convocat omnes quasillarias, familiæque sordidissimam partem, ac me conspui jubet. — Figurate. *Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes. h. e.* conspergit. Versiculus est *M. Furii Bibaculi*, quem refert ac deridet *Horat.* 2. *Sat.* 5. 41., item *Quintil.*, qui 8. 6. 17. illud *conspuit* tamquam duram metaphoram, hoc est a longinqua similitudine ductam, reprehendit. Poterat et illud adjicere, nimis sordidam esse vocem *conspuit*, et Jove indignam; et præterea nimis exilem, ut immensam vim nivium, quibus Alpes hieme conteguntur, significare possit. Animadversione dignus videtur etiam *Cassiod.*, qui ait 4. *Variar.* 50. *de Vesuvio.* Glebæ, spiritu quodam efflante, montis ore consputæ. *h. e.* ejectæ.

CONSPURCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSPURCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et spurco). Part. *Conspurcatus.* — Conspurco est fœdo, inquino. *Lucret.* 6. 21. Partim quod tetro quasi conspurcare sapore Omnia cernebat quæcumque receperat intus. *h. e.* fœdare adeoque corrumpere. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 9. Supersiliens avis proluvie ventris cibos et aquam conspurcat. *Tertull. Idolol.* 1. Quos enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus et constupratus incedit? — Hinc est etiam idem ac constuprare. *Sueton. Ner.* 35. Quem cum ante mortem conspurcasset. *Ita pro* constuprasset *edidere* Ernesti, Oudend. *et* Baumgarten.

CONSPUTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* conspuo. Part. *Consputatus.* — Consputo est sputo aliquem fœdo, inquino. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 2. Quasi signo dato, Clodiani nostros consputare cœperunt. *Tertull. advers. Jud.* 11. Maledictus, et consputatus, et convulsus, et compunctus.

CONSPŪTUS, a, um. *V.* CONSPUO.

CONSPŪTUS, us, m. 4. sputus, sputum. *Cassiod. de anim.* 12. Pertulisti in faciem odiosos consputus.

CONSTĀBĬLIO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (cum et stabilio). Part. *Constabilitus* et *Constabiliendus.* — Constabilio est idem quod stabilio, firmo. *Plaut. Capt.* 2. 3. 93. Edepol rem meam constabili. *et Ter. Adelph.* 5. 4. 9. Dis quidem esses, Demea, ac tuam rem constabilisses. *Tertull. advers. Valentinian.* 39. Constabilienda conversitas. *Juvenc.* 2. 766. mentem ad capienda Dei penetralia constabilistis. *Vulgat. interpr. Isai.* 48. 2. De civitate sancta vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti. *Lucret.* 2. 42. Subsidiis magni Epicuri constabilitas. *Ita quidam Lexicographi: sed pleræque omnes editiones hunc versum, tamquam spurium, expungunt.*

CONSTABILIS, e, adject. (cum et stabilis) simul stabilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 40.

CONSTĀBĬLĪTUS, a, um. *V.* CONSTABILIO.

CONSTAGNO, as, are, n. 1. congelo. *Fronto* p. 2198. *Putsch.* Glacies est, quæ ex coitu aquæ constagnat.

CONSTANS, antis. *V.* in fine v. CONSTO, as.

CONSTANTER, adverb. Comp. *Constantius*, Sup. *Constantissime* in omnibus paragr. — Constanter est firma ac stabili ratione (It. *costantemente*, *uniformemente*; Fr. *d'une manière constante*, *invariable*; Hisp. *constantemente*, *uniformemente*; Germ. *auf beständige od. feststehende*, *nicht wankende Art und Weise*; Angl. *firmly*, *steadily*, *consistently*, *uniformly*, *evenly*, *constantly*). Occurrit ¶ 1. Ratione habita temporis, et est firmo ac stabili modo. *Cic. Tim.* 13. Constanter in suo manere statu. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 14. 45. Manere in perspicuis firmius et constantius. *Id.* 2. *Nat. D.* 38. 97. Impetus cœli constantissime conficiens vicissitudines anniversarias. *Brutus* apud *Cic.* inter ep. 1. *ad Brut.* 16. 9. Si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consilium. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 6. Pars hominum vitiis gaudet, constanter et urget Propositum. — Et in malam partem. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 27. Di, quos experior nimium constanter iniquos. Adde *eumd.* 1. *Pont.* 5. 21. ¶ 2. Item occurrit de agendi ac sentiendi ratione, et est sibi ipsi constando et concordando, uno verbo *æquabiliter*, vel *æqualiter*, quibuscum aliquando jungitur: ut apud *Cic. Orat.* 58. 198. Æqualiter constanterque ingrediens oratio. Sic *Sall. Cat.* 2. Si imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello valeret, æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent. *et Tac.* 15 *Ann.* 21. Æquabilius et constantius regere provincias. — Ceterum hoc sensu occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Fin.* 27. 79. Dicere constanter. Cf. *eumd.* 5. *Tusc.* 9. 26., quem locum *V.* infra sub *b. Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 9. Constantissime dicere. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 8. 23. *Id.* 2. *Off.* 2. 7. Constanter facere. *Cæs.* 2. *B. G.* 2. Hi constanter omnes nunciaverunt. *h. e.* unanimiter. *Ovid. Heroid.* 17. 107. Constanter laudari ab aliquo. *Petron. Satyr.* 82. Constantissime ementiri aliquid. — *b*) Cum Dativo *sibi. Cic.* 5. *Tusc.* 9. 26. Quam sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. ¶ 3. Morali ratione est graviter, fortiter. *Cic.* 2. *Tusc.* 20. 46. Constanter et sedate ferre dolorem. *Id.* 4. *ibid.* 6. 12. Fit aliquid constanter prudenterque. *Id.* 4. *Att.* 16. 9. Quæris ergo me ut gesserim? constanter et libere. *Id.* 1. *Off.* 15. 49. Beneficia, quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt. *Id. Amic.* 2. 8. Acta constanter. Sic *Auct. B. Afr.* 84. Constanter agere. *Cæs.* 3. *B. G.* 25. Constanter et non timide pugnare. *h. e.* stataria pugna. Cf. *Sueton. Vesp.* 4. *Curt.* 4. 6. 14. Acrius, quam constantius prælium iniere. Adde *Sueton. Tib.* 19. *Id. Sueton. Tib.* 45. Constanter recusare aliquid. *Id. Aug.* 66. Amicitias constantissime retinere. *et ibid.* 10. Constantius exequi cetera. *Id. Ner.* 7. Constantissime ludere Trojam.

CONSTANTĬA, æ, f. 1. æquabilitas, perseverantia in eodem statu (It. *costanza*; Fr. *permanence*, *fermeté*, *invariabilité*; Hisp. *estabilidad*, *constancia*, *firmeza*; Germ. d. *Beständigkeit*, *Beharrlichkeit*, *Festigkeit*; Angl. *steadiness*, *firmness*, *constancy*, *consistency*, *perseverance*). Usurpatur ¶ 1. Ratione habita temporis et est rerum perseverantia in eodem statu; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 21. 56. Nulla igitur in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, constantia etc. *Id.* 3. *ibid.* 9. 23. Cursus stellarum sunt admirabili incredibilique constantia. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 21. 55. *Nepos Att.* 22. Tanta constan-

tia vocis atque vultus. — *b*) Cum Genitivo objecti, uti ajunt, sive rei, in qua quis aut quid constans est. *Cic.* 1. *Off.* 7. 23. Dictorum conventorumque constantia et veritas. *Id.* 4. *Att.* 17. Constantia promissi. *Auct. B. Alex.* 26. Perseverantia et constantia oppugnandi. ¶ 2. Refertur etiam ad agendi ac sentiendi rationem, et constantia præditus dicitur, qui secum ipse congruit, eadem semper dicendo et faciendo. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 82. Quæ est autem inter augures conveniens et conjuncta constantia? *h. e.* ut eadem semper dicant et sibi ipsis constent. *Id.* 2. *Herenn.* 6. 9. Testimoniorum constantia. *Id.* 1. *Off.* 15. 47. Stabilitas et constantia benevolentiæ. Adde *eumd. Amic.* 18. 65. *Id.* 5. *Tusc.* 10. 31. Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. *Id.* 2. *ibid.* 2. 5. Constantiæ causâ defendere aliquid. *h. e.* ut nobiscum congruamus. *Id.* 1. *Off.* 28. 98. Ordo et constantia et moderatio dictorum omnium atque factorum. Adde *eumd. Cluent.* 51. 141. *Id.* 1. *Off.* 31. 112. Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipsam perpetua constantia roboravisset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset etc. *Id. ibid.* 34. 125. In omni re servare constantiam. ¶ 3. Hinc morali ratione est firmitudo, gravitas, æquabilitas, habitus ille, quo præditus animus, neque metu, neque spe dejici de statu, aut a proposito deterreri potest: cf. *Seneca* in lib., cui titulus *De constantia sapientis* 1. 1. Occurrit — *a*) Sæpissime in sing. num. *Brutus* apud *Cic.* inter *ep.* 1. *ad Brut.* 16. 10. Te hortor, ne – fortem et liberum animum – sine constantia et æquabilitate nullum esse putaris. *Cic.* 2. *Verr.* 17. 52. Si soceri Scauri constantiam ceperis. *Id.* 7. *Phil.* 4. 14. Retinere constantiam, gravitatem, perseverantiam. Adde *eumd.* 4. *Tusc.* 17. 38., 2. *Cat.* 11. 25., *Sext.* 41. 88., 1. *Off.* 28. 98. et alibi sæpe; *Cæs.* 1. *B. G.* 40.; *Nepot. Thrasyb.* 1.; *Liv.* 42. 62.; *Horat. Epod.* 15. 15.; *Ovid.* 11. *Met.* 293.; *Val. Max.* 3. 8. 1.; *Senec.* 1. *Ira* 16.; *Sueton. Cæs.* 63.; *Quintil.* 1. *proœm.* 6. et 6. *proœm.* 11.; et *Tac.* 1. *Ann.* 48. — *b*) In num. plur. usurpat *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 14. Sic quatuor perturbationes, sunt tres constantiæ. *qua voce Gr.* εὐπάθειαι *significavit.* — *c*) Hinc et pro fiducia, audacia dixit *Tertull. Patient.* 1. Constantiam admonendi propriæ conversationis auctoritate dirigere. — *d*) Et pro robore. *Quintil.* 5. *Declam.* 3. Traxerat ex firmitate mentis magnam protinus et in membra constantiam. — *NB.* Pro substantia, seu pro ea ratione, qua aliquid constat et subsistit, afferunt quidam illud *Ulp. Dig.* 32. 11. *circa med.* Hic enim extinguitur ipsa constantia debiti. *At al. rectius leg.* substantia. — In illo *ibid.* 3. 2. 27. *edit. Torrentini*: Si velit quædam transferre, quædam relinquere, juste procurator hanc constantiam recusabit: illud *constantiam* error esse videtur pro *inconstantiam*, ut edidit *Haloand.*; inconstantiam quidem certe significat. — *NB.* Sunt etiam hoc nomine quædam feminæ, et quædam urbes, de quibus *V.* ONOM.

CONSTAT, stăbat, etc. *V.* CONSTO.

CONSTATILIS. *V.* COSTATILIS.

CONSTELLĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum *et* stella) compositio siderum, atque ex ea affectio cæli ad res quasdam. Vox est *Ammiani l.* 20. *in fin.* et 29. 2. *sub fin.*; *Capitolini Gordian.* 20.; *Spartiani Æl. Vero* 4.; *Augustini* 5. *Civ. Dei* 7. et 7. *Confess.* 6.; *Firmici* 1. *Mathes.* 1. et 4. *ibid.* 2.; et *Sidonii* 8. *Ep.* 11. *a med.*

CONSTELLĀTUS, a, um, adject. stellatus, stellis ornatus. *Trebell. Salonin. Gallien.* 2. Auratos constellatosque balteos rapuisse perhibetur.

CONSTERNĀTĬO, ōnis, f. 3. *Paul. Diac. p.* 42. 2. *Müll.* scribit, *consternationem* deductam esse a *sternutamento*, quod eo toto concutimur corpore. Al. tamen minus recte leg. *a sternata mente, quod ea etc.* Ceterum si notationem quæras, rectius a *sternere* derivabis. — Itaque consternatio est pavor, perturbatio, confusio (It. *costernazione*; Fr. *trouble, consternation*; Hisp. *turbacion*, *consternacion*; Germ. *das Scheu-oder Aufstüzigmachen, das Entsetzen, die Bestürzung*; Angl. *a great fear, alarm, or astonishment, consternation, dismay*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Liv.* 37. 42. Auxilia subsidiaria, pavore et consternatione quadrigarum territa, et ipsa in fugam versa. *Id.* 34. 2. Consternatio muliebris. *Val. Max.* 9. 7. 4. creditorum. *Id.* 9. 15. 4. populi. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Pavor et consternatio mentis. *Sueton. Cal.* 51. Non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat. Adde *eumd. Claud.* 12. ¶ 2. Specialiter dicitur de tumultu seditioso. *Liv.* 28. 25. Percunctantes magis, quæ causa iræ consternationisque foret, quam factum accusantes. *In eodem cap.* consternatio *appellatur* seditio. *Curt.* 8. 1. 24. Illum, seditione orta inter Macedones et Græcos, debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, etc. Adde *eumd.* 5. 10. 8., 7. 10. 13. et 10. 2. 21. *Sueton. Cæs.* 20. Nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre auderet. *Tac.* 2. *Hist.* 49. Nunciata consternatione ac licentia militum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 83., 1. *Ann.* 6. et 1. *ibid.* 39.

CONSTERNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSTERNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Consternans* 2.; *Consternatus* 1. et 2. — Ratione habita etymi, *Forcellino* videtur *esse a sterno, is*, quod qui ictu aliquo sternuntur, confunduntur animo ac turbantur: ut inter *consterno, as,* et *is*, hoc differat, quod hoc corporis, illud mentis proprium sit. Certe est quodammodo intensivum a *consternere*, qua ratione *appellare* ab *appellere*, *compellare* a *compellere etc.* derivatur; et de mente tantum usurpatur; et significat perturbare, perterrefacere (It. *costernare, spaventare, trar fuori di se*; Fr. *troubler, épouvanter, consterner*; Hisp. *turbar, espantar, consternar*; Germ. *in Entsetzung bringen, scheu machen, aufständig und aufstützig machen, ausser Fassung bringen*; Angl. *to alarm, terrify, affright, dismay, throw into confusion*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) De brutis animantibus. *Liv.* 38. 16. Ex eo tempore per ducentos jam annos pecorum in modum consternatos (*Gallos*) cædunt fugantque. *Id.* 37. 41. Partim vulneribus missilium, partim clamoribus dissonis ita consternavit equos, ut etc. et *ibid. ad fin.* Tumultum ac pavorem equis camelisque, et ipsis simul consternatis augebat. Adde *Sall.* apud *Priscian.* 8. *p.* 830. *Putsch.*; *Ovid.* 5. *Fast.* 310. et 2. *Met.* 314.; *Sil. It.* 13. 134.; et *Sueton. Ner.* 48. et *Galb.* 18. — *b*) De hominibus. *Pacuvius* apud *Non. p.* 262. 31. *Merc.* Unde exoritur? quo præsidio fretus? auxiliis quibus? quo consilio consternatur? qua vi? cujus copiis? *Nonius* exponit *erigitur*, sed hoc videtur dicere, erigitur et concitatur ad seditionem, seu ad rebellandum. Eodem modo intelligendum videtur quod ibidem dicit, *consternari*, *proterve loqui.* Nam proterve loquuntur, qui seditiose moventur. Ceterum ea loca admodum corrupta sunt. Hucusque *Forcellinus*: quod attinet ad priorem *Pacuvii* locum fortasse recte, quamvis *Klotz* aliter; quod vero ad posteriorem attinet, eum aliter omnino legit *Mercerus.* V. paullo infra. *Cæs.* 7. *B. G.* 30. Sic sunt animo consternati homines insueti laboris, ut etc. *Liv.* 6. 2. Itaque – flammis in castra tendentibus – ita consternavit hostes, ut etc. Adde *eumd.* 2. 40. et 8. 9. *Auct. B. G.* 8. 19. Consternati, quo sors tulerat, confugiunt. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 60. *Sueton. Aug.* 90. Consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris. Adde *eumd. ibid.* 23. *Stat.* 7. *Theb.* 130. turmasque metu consternat inani. — Interdum occurrit et addito consternationis effectu. *Pacuvius* apud *Non. p.* 262. 28. *Merc.* Consterna te, anime, ex pectore hac. *Liv.* 10. 43. Incerti quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur. Adde *eumd.* 38. 46. *Tac.* 3. *Hist.* 79. Fœdâ fugâ consternari. ¶ 2. Speciatim significat seditiose concitare. *Liv.* 8. 27. Tumultuque etiam sanos consternente, decernitur, ut societas etc. *Id.* 34. 3. Volo audire quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum. Adde *eumd.* 3. 15. et 21. 11. — Etiam cum addito. *Liv.* 7. 42. Eam multitudinem conjuratorum ad arma consternatam esse. *Id.* 21. 24. Galli metu servitutis ad arma consternati, Ruscinonem conveniunt. Cf. et *Pacuvium* sub 1. *b.*

CONSTERNO, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. (cum *et* sterno). Part. *Consternens* et *Consternendus* 1.; *Constratus* 1., 2. et in fin. — Consterno ¶ 1. Est sternendo operio, humi spargendo contego (It. *coprire, distendere*; Fr. *couvrir, joncher*; Hisp. *cubrir, derramar*; Germ. *bedecken oder belegen, zudecken oder bestreuen*; Angl. *to strew or cover all over*). Occurrit — *a*) Absolute, seu cum Accus. tantum rei, quæ stratis aliis operitur. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 69. Ex horreis direptum effusumque frumentum vias omnes angiportusque constraverat. *Varro* 9. *L. L.* 9. *Müll.* Qui triclinium constrarunt, si quem lectum imparem posuerunt etc. Cf. *Apul.* 9. *Met.* Lectus constratus. *Virg.* 4. *Æn.* 444. alte Consternunt terram concusso stipite frondes. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 24. (75). Pons constratus in navibus. *V.* infra *Constratus.* — *b*) Addito Ablat. rei, qua quid contegitur. — Hyperbolice. *Cic. Sext.* 39. 88. Forum corporibus civium constratum cæde nocturna. *Id. Arat.* 433. terram gravi corpore consternere. *Lucret.* 5. 1332. Concidere atque gravi terram consternere casu. *Virg.* 12. *Æn.* 543. late terram consternere tergo. *Sall. Jug.* 106. Omnia constrata telis, armis, cadaveribus. Cf. *Id. Cat.* 13. A privatis compluribus subversos montes, constrata maria. *h. e.* jactis molibus inædificata: at alii leg. *constructa*, alii *contracta*. *Liv.* 33. 49. et *Curt.* 9. 6. 7. Classibus maria consternere. *Curt.* 9. 8. 5. Amnis constratus navigiis. *Auct. B. G.* 8. 14. Palus constrata pontibus. *Sil. It.* 1. 125. Consternere campos milite. — *Cato R. R.* 43. Sulcos lapide, perticis saligneis, sarmentis consternere. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (81). Consternere lapide. *Catull.* 64. 163. purpurea consternens veste cubile. *Liv.* 21. 28. Consternere ratem pontis in modum humo injecta. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. contabulationem lateribus et luto. *Id.* 3. *ibid.* 96. Recentibus cæspitibus tabernacula constrata. *Id.* 4. *B. G.* 17. Tigna directa longuriis cratibusque consternere. *Inscript.* apud *Lupoli*, *Iter Venusin. p.* 15., quæ est apud *Orell.* 3316. BARBARIVS (*lege* Barbatius) POMPEIANVS CIVITATEM ABELLAM NVDA ARTE SOLI DEFORMITATE SORDENTEM, SILICIBVS E MONTIBVS EXCISIS, NOVE DIRVTIS MONVMENTIS ADVECTIS, CONSTERNENDAM ORNANDAMQVE CVRAVIT. *Tab. Heracl. v.* 53. *ex. Brit.*, apud *Murat.* 582. *a med.* SEMITAM LAPIDIBVS PERPETVIS INTEGRIS CONSTRATAM RECTE HABERE. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 23. Consternere aream silice. *Id.* 7. *ibid.* 3. 8. stabula culmis aut filicibus. *Id.* 8. *ibid.* 5. 3. Cubilia gallinarum constrata paleis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (127). Specus molli fronde constrati. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (92). Nidum Halcyones mollibus plumis floccisque consternunt. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Consternere viam lauro et rosis. ¶ 2. Interdum est etiam prosternere. *Liv.* 40. 45. Eadem tempestas in Capitolio aliquot signa constravit. *Jul. Epit. nov. c.* 4. § 15. Culcitæ humi constratæ. — Et figurate *Stat.* 2. *Silv.* 5. 1. Constrata ira. *h. e.* placata. *V.* STERNO. — Hinc Part. præter. pass.

Constratus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit. *Constratæ naves*, Gr. καταφράκτα πλοῖα, quæ et tectæ dicuntur, sunt quæ in superiori parte tabulatum habent, ubi consistere et unde pugnare milites possint: quo si careant, apertæ vocantur. Olim enim in puppi solum et prora consistentes pugnabant, ut *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). docet. *Cic.* 7. *Verr.* 40. 104. Potero ne in eos esse vehemens, qui naves inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas: in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem et minus exinanitam? *Cæs.* 3. *B. C.* 27.; *Auct. B. Alex.* 11. et *Liv.* 35. 46. Constratæ naves. *Curt.* 9. 10. 25. vehicula. — Hinc

Constrātum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, sunt tabulæ, aut aliud quidpiam constratum. *Liv.* 30. 10. Levia navigia sub constratis pontium per intervalla excurrebant. *Petron. Satyr.* 100. Super constratum puppis. *Et mox.* Ut super constratum navis occuparemus secretissimum locum.

CONSTĪPĀTĬO, ōnis, f. 3. actus constipandi, coactio. *Vopisc. Aurelian.* 21. Cum vellet omnibus simul, facta exercitus sui constipatione, concurrere. *Ammian.* 26. 6. Constipatione vendibilium militum cum honore quidem, sed in modum tenebatur obsessi.

CONSTĪPĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSTĪPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Constipatus.* — Constipo est idem quod stipo, colligo, condenso. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 79. Ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum, intelligetis. *Cæs.* 5. *B. G.* 42. Hostes se sub ipso vallo constipaverant. *Id.* 3. *B. C.* 46. Milites subito constipati pila conjecerunt. *Recentiores rectius leg.* conspirati. *V.* CONSPIRO. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 49. Inter carnifices et constipata sedebat Officia, extructo celsior in solio. *h. e.* ministros circa se stipatos ad obsequium.

CONSTIPULOR, aris, ari, dep. 1. simul stipulor. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 110.

CONSTIRPO, as, are, a. 1. simul exstirpo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 130.

CONSTĬTĬO, ōnis, f. 3. locus ubi consistitur, consistendi actio, statio. *Gell.* 16. 5. Ab illa grandis loci constitione et quasi quadam stabulatione vestibula appellata sunt. *Al. leg.* consistione. *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. hunc locum a *Gellio* descripsit: sed est utrobique eadem dubia lectio.

CONSTĬTŬO, ŭis, ŭi, ūtum, ŭere, a. 3. (cum et statuo). Part. *Constituens* I. 1.; *Constitutus* in omn. paragr. et in fin.; *Constituturus* II. 6.; *Constituendus* II. 4. — Constituo est idem quod statuo, seu personam aliquam aut rem firma ac stabili ratione pono ac colloco (It. *piantare, stabilire*; Fr. *placer, établir*; Hisp. *fundar, establecer*; Germ. *ein. Person oder Sache ganz, vollständig, fest hinstellen, aufstellen*; Angl. *to found, establish*).

I.) Proprie usurpatur de materiali alicujus rei positione ac collocatione. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Virg.* 6. *Æn.* 216. et ferales ante cupressos Constituunt. *Id.* 11. *ibid.* 185. Constituere pyras. *Cæs.* 1. *B. C.* 80. Castra posita, tabernacula constituta. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (41). Constituens colossum. — Similiter ponitur pro fundare, condere. *Cæs.* 1. *B. C.* 15. Constituere oppidum. *Virg.* 12. *Æn.* 194. nova mœnia. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 33. Urbs auspiciis a Romulo constituta. *Vellej.* 1. 1. Cognominem patriæ suæ Salaminam constituit. *Nepos Att.* 13. Ipsum tectum antiquitus constitutum plus salis, quam sumptus habebat. *h. e.* fabricatum. *Ovid.* 6. *Met.* 569. Constituere sepulcrum inane. *V.* et mox sub *b.* — *b*) Addito loco, in quo aliquid constituitur, per Ablat. sine præpos., vel per præpos. *in*, *ad*, *ante*. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. Cæsar – locis certis horrea constituit. *Lucret.* 4. 132. Sunt etiam quæ sponte sua gignuntur, et ipsa Constituuntur in hoc cælo, qui dicitur aer. *Cic.* 6. *Verr.* 11. 26. In Mamertinorum solo monumentum istius crudelitatis constitutum est. Cf. *Justin.* 43. 1. In radicibus Palatii templum Lyceo constituit. *h. e.* condidit, fabricatus est. Sic *Sueton. Cæs.* 10. Ædes in foro constituta geminis fratribus. *Id. Tib.* 37. Romæ castra constituit, quibus prætorianæ cohortes continerentur. *Id. Cal.* 41. Lupanar in palatio constituit. *Virg.* 5. *Æn.* 237. Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum Constituam ante aras. *Id.* 4. *G.* 542. Quatuor his aras alta ad delubra deorum Constitue. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Cæsar – ad extremas fossas castella constituit. *Cic. Cluent.* 13. 38. In eum invadunt, et hominem ante pedes Q. Manilii, qui tum erat triumvir, constituunt. ¶ 2. Speciatim pertinet sæpe hoc sensu ad rem militarem; et occurrit — *a*) Absolute pro sistere. *Sall. Jug.* 53. *ad fin.* Dein brevi cognitis insidiis, paullisper agmen constituit. *Liv.* 38. 25. *a med.* Constituit agmen, et expedire tela animosque equitibus jussis, constanter initium pugnæ accepit. Adde *eumd.* 33. 10. Nonnulli leg. etiam apud *Liv.* 27. 16. et *Sil. It.* 15. 634.: alii vero tum his, tum *Sallustii* loco aliter leg. — Huc referri potest et illud *Claud. Quadrigarii* apud *Gell.* 9. 13. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet. *h. e.* se sistere, consistere. — *b*) Addito loco, ubi, unde, vel quo milites disponuntur aut transferuntur. — Per Ablat. sine præpos. *Liv.* 28. 33. Quod reliquum peditum erat, obliquo constituerunt colle. *Forcellinus* leg. *in colle*; recentiores præpositionem omittunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 23. Aperto ac plano littore naves constituit. — Per præpos. *in*, *pro*, *ad*, *apud*, *intra* etc. *Sall. Cat.* 62. Octo cohortes in fronte constituit. *Cæs.* 4. *B. G.* 24. Naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant. *Id.* 7. *ibid.* 7. Constituere præsidia in oppidis. *Id.* 5. *ibid.* 38. Hiberna omnium legionum in Belgis constituit. *Id.* 2. *ibid.* 8. Reliquas sex legiones *pro* castris in acie constituit. *Id.* 4. *ibid.* 25. Naves longas – ad latus apertum hostium constitui jubet. *Nepos Themist.* 3. Classem apud Salamina exadversum Athenas constituit. *Cæs.* 2. *B. G.* 19. Ut intra silvas aciem ordinesque constituerant. *Id.* 1. *ibid.* 43. Legionem Cæsar passibus cc. ab eo tumulo constituit.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de spirituali, ut ita dicam, rerum collocatione: hinc — *a*) De iis, quæ menti repræsentamus, quæ ante mentis oculos ponimus. *Cic. Cæl.* 32. 79. Constituitote vobis ante oculos hujus etiam miseri senectutem. — *b*) Item de personis, quæ in condicione aliqua positæ sunt. *Ulp. Dig.* 1. 9. 5. Constitutos in dignitate senatoria. *Scævola ibid.* 32. 39. in discrimine vitæ. ¶ 2. Item generatim de moralibus inter homines relationibus, quæ statuuntur, junguntur, firmantur. *Cic.* 2. *Fin.* 24. 78. Si utilitas amicitiam constituet, tollet eadem. *Id.* 8. *Att.* 11. Constituere concordiam. *Id. Rosc. Am.* 8. 22. pacem. *Id. Partit. orat.* 9. 31. Idem. *Id. Flacc.* 11. 27. Libertas in republica constituta. *Id. Rosc. Am.* 6. 16. Victoria constituta. *Id.* 10. *Fam.* 3. Necessitudinem habui constitutam cum domo vestra, ante aliquanto, quam tu natus es. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. 27. amicitiam cum aliquo. *Sall. Jug.* 35. Constituere majestatem populi Romani. *h. e.* firmare, ut ipse *Non. p.* 261. 31. *Merc.* verbum *constituere* interpretatur. ¶ 3. Speciatim hoc verbum ad forum pertinet, et ponitur pro instituere, inducere, creare, condere. — *a*) De rebus. *Cic. Cæcin.* 14. 40. Constituere civitati legem. *h. e.* facere, condere. Sic *Id. Dom.* 48. 125. jura. *Id. Divinat. in Q. Cæcil.* 4. 11. judicium de pecuniis repetundis. *Id. Cluent.* 61. 181. quæstionem. *Id.* 1. *Orat.* 31. 143. controversiam. *Id. Cæcin.* 14. 40. Actio per hoc interdictum constituta. Adde *eumd. Partit. orat.* 28. 99. *Id. Rosc. Am.* 8. 23. Bona alicujus, auctione constituta, vendere. *Quintil.* 3. 11. 17. Constituere quæstionem. *Porro hæc et similia sæpe apud* JCtos occurrunt. — Sic *constituere pecuniam* apud eosdem JCtos est pacisci et convenire cum aliquo de pecunia alias debita certo tempore et solvenda: ac propterea *constituta pecunia* dicitur, quæ cum debita sit, insuper ad certum diem solvenda promissa est. Quod si debitor fallat, datur creditori in eum actio, quæ de *constituta pecunia*, et etiam *actio constitutoria* appellatur: *V.* CONSTITUTORIUS. Cujus rei passim exempla habes *Dig.* 13. *toto titulo* 5., qui *De constituta pecunia* inscriptus est: ubi etiam *leg.* 1. *Ulpian.* absolute dixit *de constituta teneri*. et mox, *de constituta experiri* etc. — Similiter a JCtis sunt illa *constituere sponsalia*, h. e. inire, *Ulp. Dig.* 23. 1. 6.; et *obligationem constitui*, h. e. contrahi, *Paul. ibid.* 44. 7. 3.: et similia his multa. — *b*) De personis. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 3. 10. Constituere accusatorem. *Id.* 2. *Verr.* 18. 35. testes, judices. Cf. *eumd.* 1. *Orat.* 24. 112. Te mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. *Id. Mur.* 2. 4. Constituere patronum alicui causæ. *Ulp. Dig.* 2. 1. 1. tutores pupillis. ¶ 4. Item constituere ponitur pro stabilire, sed ita ut ordinandi, disponendi, regendique significationem complectatur; et occurrit — *a*) De rebus præsertim publicis, de vivendi ratione et de relationibus. Apud *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Constituere rempublicam *dicuntur* qui legibus aliisque rationibus malis reipublicæ ingravescentibus medentur. Cf. *Nepos Att.* 12. Triumvir reipublicæ constituendæ. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 298. 1., quæ est apud *Orell.* 591. M. ANTONIVS IMP. CAESAR III. VIR. R. P. C. EX A. D. V. KAL. DEC. AD PR. KAL. IAN. SEXT. *h. e.* triumviri reipublicæ constituendæ ex ante diem v. Kal. Dec. (a. U. C. 711.) ad pridie Kal. Jan. sextas (a. U. C. 716). Rursus *Cic. Brut.* 2. 7. Quæ erant propria bene moratæ et bene constitutæ civitatis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 5. 10. Multas reipublicæ partes constituit. *Id. Sext.* 65. 137. Nosse descriptionem civitatis a majoribus nostris sapientissime constitutam. *Id.* 2. *Off.* 21. 73. Respublica et civitates constitutæ. *Id. Harusp. resp.* 7. 13. Post sacra constituta. *Id.* 2. *Invent.* 19. 57. Jus civile habemus ita constitutum, ut causa cadat is, qui etc. *Id. Senect.* 18. 62. Senectus fundamentis adolescentiæ constituta. *Id.* 1. *Off.* 34. 122. Ineuntis ætatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. *Nepos Lysandr.* 2. Decemviralem potestatem in omnibus urbibus constituere. *Cic.* 3. *Off.* 20. 80. Constituere rem nummariam de communi sententia. *Id.* 11. *Phil.* 2. 4. rem familiarem. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ad fin.* Ut frater meus vere existimet, adjuncto isto fundo, patrimonium fore suum per te constitutum. *Id.* 1. *Herenn.* 3. 4. Per exordium animus auditoris constituitur vel apparatur ad audiendum. *h. e.* præparatur, disponitur: illud autem *vel apparatur* putant critici esse apertissimum glossema. *Quintil.* 10. 1. 57. Jam perfectis constitutisque viribus. *h. e.* per litterariam institutionem. — *b*) De personis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 15. Constituere reges in civitate. Sic *Cæs.* 4. *B. G.* 21. Quem (*Commium*) ipse regem ibi constituerat. Rursus *Cic. Dejot.* 9. 25. Constituere aliquem regem. *Id.* 3. *Verr.* 30. 77. aliquem in locum alterius. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. 37. quempiam in aliquo munere. *Sueton. Tib.* 65. aliquem ducem. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 10. Ti. et C. Gracchus plebem in agris publicis constituisse. *Id. ibid.* 31. 84. Si Campanus ager dividatur, exturbari et expelli plebem ex agris, non constitui et collocari. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Ibi futuros Helvetios, ubi eos Cæsar constituisset atque esse voluisset. Cf. *Vellej.* 2. 32. *ad fin.* Reliquias prædonum in urbibus, remotoque a mari loco, in certa sede constituit. ¶ 5. Item est aliquid præfinire, definire, simul consensu cum aliquo determinare, ad certum aliquem finem. Hoc autem sensu latissime patet: quocirca, perspicuitatis causa, generalem hanc significationem quatuor paragraphis, hoc scilicet et tribus proxime sequentibus distinguendam putavimus. — Itaque constituere est aliquid præfinire, definire, simul consensu cum aliquo determinare externa potius ratione atque actu, et ponitur de spatio seu loco, tempore, pretio etc. *Plaut. Trin.* 2. 4. 180. Constituere diem nuptiis. *Ter. Andr.* 1. 5. 34. Olim in hunc diem sunt constitutæ nuptiæ. *Id. Eun.* 3. 4. 3. Dari anuli, locus, tempus constitutum est. Sic *Liv.* 38. 25. Tempus in posterum diem constituitur locusque. *Cic. Cæcin.* 11. 32. Cum Cæcina ad constitutam diem tempusque venisset. — Sic *constituere cum aliquo* est convenire. *Cic.* 4. *Verr.* 27. 65. Constitui cum hominibus, quo die mihi Messanæ præsto essent. *Id.* 1. *Cat.* 9. 24. Cui sciam, pactam et constitutam esse cum Mallio diem. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit. Cf. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 120. Constitui cum quodam hospite, me esse illum conventuram. — Et cum addito *inter se*. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 1. Constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia. — Et cum Dativo. *Cic.* 1. *Orat.* 62. 265. Sane vellem, non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Lælio. *Juvenal.* 3. 12. ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ. *h. e.* tempus præfiniebat, quo convenirent. — Interdum de tempore ponitur cum addito Dativo rei. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Constituere certum tempus alicui rei. *Id.* 1. *B. G.* 30. diem concilio. *Id.* 1. *ibid.* 23. posterum diem pugnæ. Sic *Cic.* 5. *Verr.* 73. 171. pretium frumento. Adde *Curt.* 9. 10. Absolute *Cic.* 12. *Att.* 31. 2. Quæris a me quod summum pretium constituam. — Porro cum Accusativo rei et Dativo personæ est idem quod assignare, attribuere. *Sall. Jug.* 12. Fines imperii singulis constitui placuerat. *Sueton. Claud.* 21. propria loca senatoribus. *Id. Aug.* 36. certam pecuniam proconsulibus. *Id. Vesp.* 18. rhetoribus e fisco annua centena. *Id. Claud.* 18. magna commoda fabricantibus naves. *Id. Ner.* 10. annua salaria alicui. *Id. Cæs.* 17. Præmia alicui constituta. *Ulp. Dig.* 50. 9. 4. Constitutum salarium. ¶ 6. In jure (cf. superiorem *paragr.* 5. sub init.) — *a*) Est deliberare, cum alio convenire. *Cic. Senect.* 7. 21. Omnia quæ curant, meminerunt: vadimonia constituta; qui sibi, quibus ipsi debeant. *Nepos Arist.* 3. Ad classes ædificandas exercitusque comparandos quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est qui constitueret. *Tac. Germ.* 11. Nec dierum numerum ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. — Et cum Dativo personæ. *Cic.* 1. *Off.* 10. 32. Ut si constitueris cuipiam te advocatum in rem præsentem esse venturum. *Id.* 1. *Att.* 7. L. Cincio HS xxcd constitui me curaturum Idibus Februariis. — *b*) Sæpius est decernere, sancire, præscribere: ad rem *Cic.* 5. *Phil.* 17. 47. Legibus annalibus grandiorem ætatem ad consulatum constituere. Et *Id.* 4. *Verr.* 56. 138. Censoribus, si quid commisissent, pœnæ legibus erant constitutæ. *Id. Balb.* 23. 64. De certo, de perspicuo, de utili, de probato vobis jure est constituendum. *Id. Quinct.* 9. 33. Cum majores ita constituerint, ut qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret. *Id.* 6. *Att.* 1. *sub init.* Cogitabam ejus multa inique constituta et acta tollere. *Id.* 7. *Verr.* 45. 117. Constituere supplicium in aliquem. *et Rosc. Am.* 26. 72. maleficio. *Id.* 7. *Verr.* 65. 168. Constitue, nihil opis esse in hac voce Civis Romanus sum. *Id. Dom.* 1. 2. Vobis constituendum est, utrum etc. *Id. Dom.* 12. 31. Perinde quasi – alio modo sit constituturus, aut de religione pontifex, aut de re publica civis, quam eum aut cærimoniarum jus, aut civitatis salus coegerit. *Sueton. Aug.* 18. Constituere ludos quinquennales. *Justin.* 42. 3. Iasoni, ut conditori, honores templaque constituit. — Huc referri possunt et illa *Cic.* 7. *Verr.* 51. 134. Constituere mercedem funeris ac sepulturæ. *h. e.* imponere. *et Rabir. Post.* 3. 5. modum alicujus rei. ¶ 7. Cum de mentis idea, uti ajunt, vel judicio agitur (cf. superiorem paragr. 5. sub init.), constituere est ideam ipsam vel judicium suis limitibus circumscribere, recte definire. Cf. *Cic. Amic.* 16.

56. Constituendi sunt, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi. *Id.* 1. *Orat.* 48. 210. Si quæreretur, quæ esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator. *Id.* 2. *Off.* 3. 9. In quo (*utili*) lapsa consuetudo – eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens et constitueret honestum esse aliquid quod utile non esset, et utile quod non honestum. *Id.* 11. *Fam.* 27. Nondum satis constitui, molestiæne plus an voluptatis attulerit mihi Trebatius. *Id. Quinct.* 29. 89. Omnino autem bona possessa non esse, constitui. *h. e.* probavi, ostendi, argumentis firmavi, argumentis definivi. *Quintil.* 3. 6. 12. Et hoc est, quod ante omnia constituere in animo suo debeat orator, quid maxime liquere judici vellet. *Ulp. Dig.* 37. 5. 5. Constituere apud se, utrum etc. *Id. ibid.* 50. 16. 60. Non enim magnitudo locum a fundo separat, sed nostra affectio: et quælibet portio fundi poterit fundus dici, si jam hoc constituerimus. ¶ 8. Denique sæpissime refertur ad voluntatem, et est deliberare, statuere. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 136. Quin rus uti irem, jam heri constitueram. Sic *Cic.* 16. *Att.* 10. Constitueram, ut in Arpino manerem. Adde *Sall. Cat.* 43. *Ter. Phorm.* 4. 3. 71. Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare. *Cic.* 1. *Orat.* 62. 265. Scævola in Tusculanum ire constituit. *Cæs.* 3. *B. G.* 1. Galba – constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare. *Id.* 4. *ibid.* 6. Cæsar – bellum cum Germanis gerere constituit. *Cic.* 7. *Att.* 7. 4. Quod jam a multis audio constitutum esse Pompejo et ejus consilio in Siciliam me mittere. *Id.* 14. *ibid.* 19. *sub fin.* Nihil ante de profectione constituam, quam etc. Cf. *Brutus* apud *Cic.* inter *ep.* 1. ad *Brut.* 6. Communiter constituemus de reditu ejus. *Cic. Cæcin.* 7. 20. Constituere aliquid de sententia amicorum. *Id.* 12. *Fam.* 19. Sed hæc melius ex re et ex tempore constitues. *Id.* 2. *ibid.* 8. *extr.* Quod quando et quomodo et per quos agendum sit, tu optime constitues. *Id.* 13. *Att.* 20. Itaque, ut constitui, adero. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Constitutus, a, um, adjective quoque usurpatur, et quidem translate pro bene ordinato et composito. — *a*) De externo rerum ordine atque compositione. *Cic.* 2. *Tusc.* 6. 17. Metrodorus quidem cum perfecte putat beatum, cui corpus bene constitutum sit. *h. e.* compactum, compositum. *Quintil.* 1. 10. 46. Geometria cum siderum certos constitutosque cursus numeris docet. *Id.* 11. 3. 20. Jam confirmatæ constitutæque vocis. — Singulare est illud *Gell.* 19. 12. Fundum mercatus est oleo atque vino constitutum. *h. e.* instructum, consitum. — *b*) De spirituali et morali ordine atque compositione. *Cic. Sext.* 45. 97. Qui integri sunt et sani et bene de rebus domesticis constituti. *Id. ibid.* 65. 137. A bonis viris, sapientibus et bene a natura constitutis. *Id.* 2. *Tusc.* 4. 11. Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? *Quintil.* 5. 10. 42. Hoc sequens habet et constituta discrimina et fortuita. — Hinc

Constitutum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Idem quod constitutio, lex, decretum: cf. CONSTITUO II. 5. et 6. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 16. Cum videas ordinem rerum et naturam per constituta procedere. *Imppp. Valens, Theodos.* et *Arcad. Cod.* 12. 41. 1. Constituti hujus auctoritate teneatur. *Impp. Honor.* et *Theodos. ibid.* 1. 11. 5. Quæ multiplicibus constitutis ad Ecclesiam volumus pertinere. ¶ 2. *Constitutum* est etiam conventio, consilium captum inter multos: cf. CONSTITUO II. 6. *a.* et II. 7. *Cic. Topic.* 12. 52. Apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium. *Id.* 11. *Att.* 16. Horum et timor idem fuit primo qui meus, et constitutum. *Id. Cœl.* 25. 61. Constitutum factum esse cum servis, ut venirent. Et festive *Id.* 7. *Fam.* 4. Si quod constitutum cum podagra habes, fac, ut in alium diem differas. — Hinc *constituto* vel *ex constituto*. *Cic. Cœl.* 8. 20. Numquam se, ne congressu quidem et constituto, cœpisse de tantis injuriis experiri. *Vellej.* 2. 110. Universa Pannonia, omnibus tractus ejus gentibus in societatem adductis, ex constituto arma corripuit. — *Ad constitutum* idem est quod ad constitutam diem. *Cic. Cæcin.* 12. 33. Qui ad constitutum experiundi juris gratia venissent. *Varro* 2. *R. R.* 5. 1. Qui tam sero venisset ad constitutum. *Flor.* 2. 6. Eurus ab Oriente quasi ad constitutum.

CONSTĬTŪTĒ, adverb. certe. *Boeth. in Aristot. libr. de interpr. ed. pr. p.* 249. Si dicam: Philoxenus cœnaturus est, Philoxenus cœnaturus non est, in tota quidem contradictione una vera est (*propositio*), altera falsa; sed nullus potest dividere, ut dicat, aut affirmationem constitute et definite veram esse, aut negationem.

CONSTĬTŪTĬO, ōnis, f. 3. actio constituendi, adeoque status, ratio consistendi, naturalis habitudo alicujus rei (It. *positura, stato, complessione*; Fr. *état, situation, condition, constitution*; Hisp. *estado, situacion, disposicion, constitucion*; Germ. *der Bau, der Zustand, die Beschaffenheit*; Angl. *a constitution, state, condition, appointment, disposition*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Off.* 33. 117. Nam si non modo utilitas, sed vita omnis beata corporis firma constitutione, ejusque constitutionis spe explorata – continetur. *Seneca Ep.* 121. Omnibus animalibus constitutionis suæ sensus est, et inde membrorum tam expedita tractatio. *et paullo post.* Omne animal primum constitutioni suæ conciliari: hominis autem constitutionem naturalem esse. *et mox.* Herba aliam constitutionem habet tenera et vix eminens sulco; aliam, cum convaluit; aliam, cum flavescit et ad aream spectat. *V.* integr. epist. — Figurate *Cic.* 2. *ad Brut.* 7. Scribere quid sentirem de tota constitutione hujus belli.

II.) Translate. ¶ 1. Est dispositio, ordinatio. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 18. Diligens dominus a mancipiis quærat, an ex sua constitutione justa percipiant. *Curt.* 5. 11. sub *fin.* Æterna constitutione nexuque causarum latentium, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. *Apul. Dogm. Plat.* 2. post med. Constitutio civitatum. ¶ 2. Item lex, statutum, jus. *Cic.* 2. *Legg.* 10. 23. Non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numæ nostrisque moribus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 21. (99). In tabulis æreis publicæ constitutiones inciduntur. *Quintil.* 7. 4. 5. Justum omne continetur natura vel constitutione. et *ibid.* § 6. Constitutio est in lege, more, judicato, pacto. ¶ 3. Constitutio est etiam opinio, positio, existimatio, qua quis aliquid apud se verum ac certum esse constituit. *Ulp. Dig.* 50. 16. 60. Ceterum adeo opinio nostra et constitutio locum a fundo separat, ut et modicus locus possit fundus dici, si fundi animo eum habuerimus. ¶ 4. Apud Rhetores, ut definit *Cic.* 1. *Invent.* 8. 10., Constitutio est prima conflictio causarum, ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: Fecisti: non feci, aut jure feci. *V.* ibi plura, *et* 2. *ibid.* 4. 12. 13. 14. etc., 2. *ibid.* 21. 62. etc. et 1. *Herenn.* 11. 18. et 19.; et *Quintil.* 3. 6. 2., ubi varias Rhetorum hac de re sententias affert, et definitionem ex *Cic.* allatam aut corrigit, aut explicat. Dicitur autem *constitutio*, quia in ea omnis causa constituitur et fundatur: qua ratione etiam *status* appellari solet. ¶ 5. *Prima constitutio* dicitur a Stoicis genus quoddam probationis per impossibile, uti docet *Apul. de syllog. categor.*

CONSTĬTŪTĬŌNĀRĬUS, ii, m. 2. qui constitutionum principalium exemplaribus edendis præest. *Fragm. Cod. Theodos.* (edente *W. F. Clossio*) p. 19. Impp. Theodos. et Valentinian. Augg. Constitutionariis. Præfectus urbis sciet, vobis licentiam in edendis exemplaribus contributam, confectionem quoque memorati corporis (*h. e.* Theodosiani Codicis) vestro tantum periculo procurandam, nec habeat vel de editione, vel de confectione commercium, cum ad vos certum sit redundare de falsitate discrimen. Dat. X. Kal. Jan. Romæ, Maximo II. et Paterio Coss. (*nempe an. a. Chr. n.* 443.) — Ex *Gestis in senatu* urbis Romæ de recipiendo Theodosiano Codice *ibid.* ab eodem *Clossio* editis, patet, duos fuisse hos constitutionarios, Anastasium nempe et Martium, quorum fidei et diligentiæ commissum fuit, ut constitutionum in Theodosiano Codice contentarum exemplaria eorumdem tantum manu conscripta edantur. *V.* CONTEXTOR.

CONSTĬTŪTĪVUS, a, um, adject. qui constituit. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 2. p. 32. Alio vero modo differentiæ fiunt constitutivæ specierum, id est, quæ species declarent atque constituant.

CONSTĬTŪTOR, ōris, m. 3. qui constituit, disponit, decernit, ut constitutor legum apud *Quintil.* 3. 6. 43., et Constitutor moderatorque cunctorum apud *Arnob.* 3. 2., et in *Inscript.* apud *Gruter.* 254. 4. T. AELIO HADRIANO ANTONINO AVG. PIO, CONSTITVTORI SACRI CERTAMINIS. *Lactant.* 3. 9. et 4. 6. Rerum omnium constitutor Deus.

CONSTĬTŪTŌRĬUS, a, um, adject. *Constitutoria actio* apud JCtos est, quæ datur in eum, cui pecunia, alias debita, ad diem certam constituta, hoc est promissa fuit, nec tamen soluta est, ut in CONSTITUO dictum est. *Paul. Dig.* 13. 5., qui est *De constituta pecunia*, 20. Nec enim quod crescit, aut decrescit peculium, pertinet ad constitutoriam actionem.

CONSTĬTŪTUM, i. *V.* CONSTITUO in fin.

CONSTĬTŪTUS, a, um. *V.* CONSTITUO.

CONSTĬTŪTUS, us, m. 4. cœtus. *Paul. Diac.* p. 42. 5. *Müll.* Constitutus hominum a consistentium multitudine appellatus. — Quod vero quidam addunt testimonium *Varronis* his verbis: *Comitiales dicti, quod tum esset populi constitutus ad suffragium ferendum*; legendum est, *quod tum esset populus constitutus* etc.

CONSTO, stas, stiti, stātum, stāre, n. 1. (cum et sto). Præteritum cum *consisto* commune habet. — Part. *Constans* in fin.; *Constaturus* II. 6. — Consto est idem quod sto, consisto, firmus immobilisque sto (It. *stare, stare fermo ed immobile*; Fr. *être en permanence, rester ferme, inébranlable*; Hisp. *quedar, estarse firme, inmobil*; Germ. *irgendwo in unbeweglicher Stellung sich befinden, stell-feststehen*; Angl. *to stand, to be consistent*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De personis. *Plaut. Curc.* 2. 3. 11. Constant, conferunt omnes sermones inter sese drapetæ. *Sisenna* apud *Non.* p. 273. 4. *Merc.* Multitudinem procul hostium constare viderunt. — *b*) De rebus. *Cato R. R.* 155. Per segetem in frumentis, aut in segete, aut in fossis sicubi aqua constat, aut aliquid aquæ obstat, id emittere, patefieri removerique oportet. Similiter *Colum.* 5. *R. R.* 9. 9. Si constet in scrobibus aqua, ea omnis haurienda est. *Schneid.* leg. *consistet.*

II.) Translate. ¶ 1. Cum addita perseverantiæ significatione est perstare, permanere, perdurare, constantem esse; et occurrit — *a*) De rebus et rerum hominumve statu vel conditione. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 20. Nullum est genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut quo cetera si careant, vim suam atque æternitatem conservare possint. *Id.* 7. *Fam.* 1. 1. Modo ut tibi constiterit fructus otii tui. *Virg.* 3. *Æn.* 518. Postquam cuncta videt cœlo constare sereno. *Servius* exponit suppetere, ut *Juvenal.* 6. 166. Quis feret uxorem, cui constent omnia? Itaque ex interpretatione *Servii* apud *Virg.* sensus est: ubi videt, adesse omnia, quæ significant serenitatem: et apud *Juvenal.* quis feret uxorem, cui suppetunt, seu adsunt omnia? scilicet pulcritudo, divitiæ, nobilitas, etc. quæ *ibid.* 161. enumeravit. Rectius tamen, præcipue apud *Virg.*, pro permanere, perseverare interpretaberis. *Ovid.* 15. *Met.* 258. cum sint huc forsitan illa, Hæc translata illuc; summa tamen omnia constant. *h. e.* si tamen rerum summæ ratio habeatur, omnia eadem vel admodum similia perdurant, perseverant. *Liv.* 39. 34. Primo adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret. *h. e.* expalluit: Italice *si fe' di molti colori*. *Seneca Ep.* 83. *extr.* In ebrietate tentantur pedes, lingua non constat. *Sueton. Cal.* 50. Valetudo ei neque animi, neque corporis constitit. *Phædr.* 4. 25. *in fin.* Dum sanitas constabit, pulcre meminero. Similiter *Cels.* 3. 19. Mens in illis laborat, in hoc vero constat. *h. e.* sana est, vel sana perseverat. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Uti numerus legionum constare videretur. *h. e.* uti numerus legionum idem esse ac permanere videretur. *Liv.* 1. 30. Nec pugna illis constare, nec fuga explicari sine magna cæde potuit. *Tac.* 2. *Hist.* 96. Unius legionis eam seditionem esse: ceteris exercitibus constare fidem. *Sueton. Tib.* 2. Precata propalam, ut ita demum se sequeretur, si pudicitia constaret. *Petron. Satyr.* 140. Ut constaret mendacio fides. — *b*) De personis occurrit cum Ablativo sine præpos., vel cum Ablativo et præpos. *in* ejus rei, in qua quis firmus perseverat. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 39. Nec porro malum, quo aut oppressus jaceas, aut, ne opprimare, mente vix constes. ubi *constare mente* est apud se esse. Sic *Liv.* 5. 42. Cum alia atque alia parte nova aliqua clades oriretur, non mentibus solum concipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant. *h. e.* neque auribus, neque oculis satis valebant, ut exaudire omnia et spectare possent. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 14. Qua in sententia si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recuperassent. ¶ 2. Cum addita convenientiæ vel congruentiæ significatione, est idem ac simul stare, hoc est convenire, cohærere, congruere: hoc autem sensu — *a*) Absolute occurrit formula *ratio constat*, et

quidem — Interdum proprie, ut apud *Cic. Flacc.* 28. 69. Auri ratio constat. *h. e.* apparet, ut *Id. Pis.* 25. 61. loquitur; sive in supputationibus constat ratio, cum accepta et expensa conveniunt et paria sunt. Sic *Sueton. Ner.* 30. Divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret (*h. e.* quibus accepta et expensa essent paria): prælautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. — Sæpius translate, hoc est metaphorâ ductâ a supputationibus, *ratio constare* dicitur, cum legitima est et patens causa aliquid faciendi, ita ut facile probare possis, cur hoc aut illud egeris. *Tac.* 1. *Ann.* 6. *extr.* Eam condicionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Sic *Plin.* 7. *Ep.* 6. Scietis, nobis constare silentii nostri rationem, cum etc. *Id.* 1. *ibid.* 9. Mirum est, quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur: pluribus junctisque non constet. *Id.* 9. *ibid.* 2. *extr.* Est summi amoris, negare veniam brevibus epistolis amicorum, quamvis scias, illis constare rationem. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 4., 10. *ibid.* 20. *extr.* et *Paneg.* 38. Eleganter etiam *Justin. præfat. in fin.* Ut otii mei apud te ratio constaret. — *b*) Cum Dativo personæ aut rei, cum qua quis aut quid convenit vel congruit. *Cic.* 1. *Off.* 33. 119. Ut constare in vitæ perpetuitate possimus nobismetipsis, nec in ullo officio claudicare. — Hinc *constare sibi* est secum ipsum congruere, eadem semper dicendo et faciendo. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 35. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent. *Id. Cluent.* 22. 60. Judices in Oppianico sibi constare, et superioribus consentire judiciis debuerunt. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 16. Me constare mihi scis. Adde *Quintil.* 5. 7. 11. Huc referri potest et illud *Vet. Poetæ* apud *Cic.* 2. *Fin.* 4. 14. Tanta lætitia auctus sum, ut mihi non constem. *Forcellinus* ita legebat et hoc loco *constare sibi* interpretatus est sui compotem esse, apud se esse; quod tamen eodem recidit. *Orellius* vero legit ut *nihil constet*. Similiter *Cic. Cluent.* 38. 106. Constare sibi et rei judicatæ. *Id.* 1. *Att.* 11. Si humanitati tuæ constare voles. — *c*) Cum præpos. *cum* et Ablativo rei, quacum quid convenit. *Cic.* 2. *Herenn.* 10. 14. Dicemus, contrariam sententiam non constare cum superioribus et inferioribus sententiis. *Id.* 2. *Invent.* 14. 45. Constetne oratio aut cum re, aut ipsa secum. ¶ 3. Cum addita significatione rem, qua de agitur, esse veram ac certam, vel veram ac certam a nobis haberi, *constare* est idem ac manifestum esse, liquere; et occurrit — 1.°) Personaliter. *Cic.* 1. *Invent.* 36. 65. Hæc propositio indiget approbationis: non enim perspicua est, neque constat inter omnes. *Id.* 3. *Fam.* 4. 2. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. *Id. Quinct.* 19. 61. Hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 17. 40.; et *Quintil.* 7. 2. 8. *Plin.* 3. *Ep.* 3. Circumspiciendus rhetor, cujus scholæ severitas, pudor in primis, castitas constet. — Raro admodum per Nominativum sequente Infinito. *Cic.* 1. *Invent.* 54. 104. Quæ constant esse peccata. *Id. Cluent.* 37. 104. Quæ præjudicia de eo facta esse constarent. *Id. Dom.* 54. 139. Quæ si omnia – acta esse constarent. V. *Klotz* ad *Cic. op. omn. vol.* 1. *p.* XVI. — 2.°) Sæpius impersonaliter usurpatur, et quidem — *a*) Absolute. *Cic. Mil.* 6. 15. Quid porro quærendum est? factumne sit? at constat. a quo? at patet. *Id.* 5. *Verr.* 21. 54. Nympho, antequam plane constitit, condemnatur. — *b*) Cum Infinito vel Relativo. *Cic. Cluent.* 13. 38. Quod Avilium cum eo fuisse et a multis visum esse constabat. *Id. Quinct.* 29. 89. In quo edicto constitit, Nævium ex edicto non possedisse. *Quintil.* 3. 9. 8. Quid cuique sit opus, constare decet. — *c*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic.* 13. *Att.* 10. Cum de Magio constet. *Quintil.* 7. 3. 7. Si prius de innocentia nostra constiterit. Adde *eumd.* 6. 4. 4. — *d*) Sæpius cum Dativo personæ, Accusativo et Infinito vel Relativo. *Cæs.* 4. *B. G.* 29. Quod omnibus constabat, hiemari in Gallia oportere. *Sall. Cat.* 53. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse. *Cic.* 13. *Fam.* 1. Etsi non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius libenter te Athenis visurus essem. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Neque satis Bruto – vel tribunis militum – constabat, quid agerent, aut quam rationem pugnæ insisterent. Cf. *Sall. orat.* 2. *ad Cæs. sub fin.* Mihi pro vero constat etc. — *e*) Cum præpos. *inter* et Accusativo personæ et Infinito occurrit præcipue formula *constat inter omnes*, h. e. est firma opinio omnium, omnes consentiunt, omnibus notum atque exploratum est, prædicatur ab omnibus. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 106. Tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum. Adde *eumd.* 1. *Invent.* 36. 62.; *Cæs.* 7. *B. G.* 44.; *Nepot. Alcib.* 1.; et *Quintil.* 6. 1. 8., 7. 7. 1. et alibi. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 3. Ut sæpe inter homines sapientissimos constare vidi. *Liv.* 10. 6. Cum inter augures constet, imparem numerum esse debere. — *f*) Cum addito *apud animum* vel *animo*, et Relativo. *Liv.* 30. 28. Nec satis certum constare apud animum poterat, utrum gaudio dignum esset etc. *Id.* 27. 44. Nec satis constabat animis – laudarent vituperarentne. — Huc referri potest et illud *Antonii* apud *Cic.* 13. *Phil.* 19. 42. Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre. *h. e.* certum et deliberatum est mihi. ¶ 4. Absolute sumitur aliquando pro simplici esse, existere, stare; qua significatione frequenter occurrit apud *Lucret.*, ut 1. 507. Nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus, Corpus ea non est: qua porro cumque tenet se Corpus, ea vacuum nequaquam constat inane. Adde *eumd.* 1. 246., 567., 582. et alibi. *Cic.* 2. *Orat.* 22. 93. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades. *Forcellinus* interpretatus est permanere, perdurare, et ad superiorem paragr. II. 1. retulit. *Id.* 1. *Nat. D.* 10. 25. Si ipsa mens constare potest vacans corpore. Adde *eumd. ibid.* 33. 92. *Virg.* 5. *Æn.* 748. et quæ nunc animo sententia constet. *Plin.* 3. *Ep.* 13. Nostræ cœnæ ut apparatus et impendii, sic temporis modus constet. Cf. et duas paragr. proxime seqq. ¶ 5. Quod si cum Ablativo sine præpos., vel cum Ablativo et præpos. *ex*, *in*, *de* conjungatur, constare significat ex pluribus rebus existere, conflari, compositum esse. — *a*) Cum Ablat. sine præpos. *Lucret.* 3. 187. quod mobile est, constare rotundis Perquam seminibus debet perquamque minutis. Adde *eumd.* 1. 222., 5. 19. et 485. et alibi. *Nepos Att.* 13. Domus amœnitas non ædificio, sed silva constabat. Cf. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Agri – constant campis, vineis, silvis. *Quintil.* 5. 14. 27. Constare totam orationem aut certe confertam esse aggressionum et enthymematum stipatione. *Id.* 11. 3. 91. Oratio actione constat, non imitatione. *Sueton. Aug.* 25. Quidquid auro argentoque constaret. *Curt.* 8. 8. Famâ bella constant: et sæpe etiam quod falso creditum est, veri vicem obtinuit. — b) Cum præpos. *ex*. *Plaut. Amph.* 1. 1. 79. Ex spiritu atque anhelitu nebula constat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 98. Nisi in eo (*homine*), qui ex animo constet et corpore caduco et infirmo. *et paullo post.* Temperantia constat ex prætermittendis voluptatibus corporis. *Id.* 2. *Orat.* 24. 104. Sive ex crimine causa constet, ut facinoris; sive ex controversia, ut hereditatis etc. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Adde *eumd.* 1. *Off.* 44. 157. et alibi; *Horat.* 2. *Sat.* 4. 64. et *Lucret.* 2. 385. — *c*) Cum præpos. *in*. *Nepos Att.* 14. Omnis ejus pecuniæ reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 89. Monuitque ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare. — *d*) Cum præpos. *de*. *Lucret.* 4. 1225. Semper enim partus duplici de semine constat. ¶ 6. Denique si ad pretium referatur, significat valere; et occurrit — 1.°) Proprie. — *a*) Cum Ablat. pretii. *Plaut. Truc.* 2. 6. 57. Jam mihi auro contra constat filius. *Varro* 2. *R. R.* 1. 14. Ut unæ quadrigæ Romæ constiterint quadringentis millibus. *Cic.* 7. *Verr.* 19. 48. Navis tibi constat gratis. *Seneca Troad.* 358. Constare ingenti mercede. *Plin.* 2. *Ep.* 6. magno. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 9. liber mihi constitit decussi. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 3. OPVS CONSTAT N. CCIↃↃ CCIↃↃ III LXXII. *h. e.* viginti tribus millibus septuaginta duobus nummis, seu sestertiis. V. *ibid.* apud *eumd.* alia hujusmodi exempla. *Martial.* 10. 11. Constatura fuit Megalensis purpura centum Millibus. Part. *Constatura* occurrit etiam apud *Lucan. loc.* infra *cit.*, *Senec.* 1. *Clem.* 19. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (30). — *b*) Cum Genit. pretii. *Cic.* 13. *Att.* 29. 2. Ambulatiuncula prope dimidio minoris constabit isto loco. *Sueton. Ner.* 27. Constare pluris. *Juvenal.* 7. 45. quanti. — *c*) Cum Adverbiis pretium significantibus. *Lucilius* apud *Non. p.* 272. 25. *Merc.* Trado aliis minimo, quod mihi constat carius. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 6. Feris pecudibus, quidquid vilissime constiterit dare. — d) Cum præpos. *super*. *Sueton. Cæs.* 26. Cujus (*fori*) area super HS. millies constitit. — 2.°) Translate. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Quanto detrimento et quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam. *Ovid. Heroid.* 7. 47. Exerces pretiosa odia et constantia magno, Si, dum me careas, est tibi vile mori. *Lucan.* 2. 17. quantis sit cladibus orbi Constatura fides superum. *Sil. It.* 2. 542. Hac mercede fides constet delapsa per auras. *Seneca Phœniss.* 661. Imperia pretio quolibet constant bene. — Hinc Part. præs.

Constans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Constantior* et Sup. *Constantissimus* 1. et 3. — Notat *Charis.* 1. p. 100. *Putsch.* quando hoc nomen est proprium, in sexto casu in *e* desinere, quando est adject. in *i*. Nihilominus adject. utramque positionem habet, ut et ipse fatetur. — Ceterum ¶ 1. Ea significatione, quam superius indicavimus sub II. 1., *constans* est stabilis, firmus, perseverans, immutabilis, immobilis. *Lucret.* 3. 190. Namque movetur aqua et tantillo momine flutat: At contra mellis constantior est natura Et pigri latices magis et cunctantior actus. Cf. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (27). Visula (*uva*) – impatiens variantis cœli, sed contra tenorem unum algoris æstusve constans. *Horat. Epod.* 12. 19. Cujus in indomito constantior inguine nervus, Quam nova collibus arbor inhæret. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 17. Constantissimus motus lunæ. *Id.* 2. *Nat. D.* 9. 24. Stellæ, quæ cursus certos et constantes habent. *Liv.* 5. 46. Constanti vultu graduque. *Id.* 6. 25. pax. *Ovid.* 1. *Amor.* 4. 70. Constanti voce negare. *Sueton. Galb.* 4. ætas. ¶ 2. Ea significatione, quam superius indicavimus sub II. 2., *constans* dicitur et est qui secum ipse congruit. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et convenientia. Cf. *Quintil.* 5. 4. 2. Rursus *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. Constante fama atque omnium sermone celebratum est. Adde *Sueton. Cæs.* 6. *Cic.* 12. *Fam.* 9. Constantes rumores. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 42. Firma et constans assensio. *Id. Harusp. resp.* 9. 18. Una et constans haruspicum vox. *Liv.* 10. 37. Constans memoria. *Sueton. Cæs.* 39. opinio. ¶ 3. Sæpius transfertur ad animum et significat stabilem ac tenacem propositi. — 1.°) De hominibus. — *a*) Frequenter absolute. *Cic. Rosc. com.* 16. 49. Venit ad Cluvium. Quem hominem? Levem? Immo gravissimum. Mobilem? Immo constantissimum. *Id. Cic. Rosc. Am.* 14. *ad fin.* constantem hominem *amenti* opponit; amens enim facile studiis et cupiditatibus huc illuc fertur et mutatur. *Id. Amic.* 17. 62. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes (*amici*) eligendi. *Id.* 1. *Off.* 23. 80. Fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis. *Id. Rosc. com.* 16. 47. Castissimus et constantissimus testis. Et in malam partem *Nepos Lysand.* 2. Inimici constantes. *h. e.* pertinaces. Cf. *Propert.* 1. 1. 3. Constans fastus. et *V. Horat.* loco mox citando. — b) Cum Ablat. rei et præpos. *in*. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 18. *de Fortuna.* Et tantum constans in levitate sua est. Sic in malam partem *Horat.* 2. *Sat.* 7. 18. Constantior in vitiis. — *c*) Cum Genit. *Tac.* 3. *Hist.* 57. Apollinaris neque fidei constans, neque strenuus in perfidia. — *d*) Cum præpos. *adversus*, *ad*. *Tac.* 4. *Hist.* 5. *extr.* Vir recti pervicax, constans adversus metus. *Aurel. Vict. Epit.* 1. Rarus ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. — 2.°) De moralibus hominum affectionibus. *Catull.* 64. 238. Constanti mente tenere aliquid. *Cic.* 13. *Phil.* 6. 13. Perpetua et constans voluntas in rempublicam. *Id. post redit. in senat.* 12. 30. Constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meæ. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 33. Constantique fide veterem tutare sodalem. *Tac.* 16. *Ann.* 35. Firmare animum constantibus exemplis. ¶ 4. Refertur etiam ad pretium: *V.* supra CONSTO sub II. 6.

CONSTRĀTOR, ōris, m. 3. qui consternit. *Auson. Technopægn. de deis*, 12. Velivolique maris constrator Leuconotos Libs. *h. e.* qui mare fluctibus tumidum et inæquale sternit et complanat. Sic *Virg.* 5. *Æn.* 763. placidi straverunt æquora venti. et 9. *Ecl.* 57. Et nunc omne tibi stratum silet æquor.

CONSTRĀTUM, i. *V.* CONSTERNO in fin.

CONSTRĀTUS, a, um. *V.* CONSTERNO.

CONSTREPO, pis, pere, n. 3. (cum et strepo). Part. *Constrepens* I. — Constrepo est idem quod strepo, perstrepo, concrepo.

I.) Proprie. *Apul.* 8. *Met.* Absonis ululatibus constrepentes. *Id.* 6. *ibid.* Currum deæ prosequentes, gannitu constrepenti lascivient passeres. *Id.* 4. *ibid.*

Domus tota constrepebat Hymenæum. *h. e.* canendo strepebat. *Id.* 11. *ibid.* Sistris argutum tinnitum constrepentes.

II.) Translate. *Gell.* 4. 1. Horum omnium et testimoniis et exemplis constrepebat.

CONSTRICTĒ, adverb. stricte, arcte. Occurrit tantum Comp. *Constrictius* apud *Augustin.* 1. *Doctr. Christ.* 26. Constrictius jungi alieni.

CONSTRICTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus constringendi. *Pallad.* 4. *R. R.* 1. Ubi germen solidius processerit, vincula oportet abscindi, ne adolescentia mollissimi germinis nodo duræ constrictionis angatur. *Scribon. Compos.* 84. Omnis constrictio in utramque partem exiget æque subjectam materiem. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 2. *a med.* Quo laquei constrictione et phlebotomi divisura in passione constituti non afficiantur. ¶ 2. In re medica est idem quod contractio. *Macrob.* 7. *Saturn.* 6. Stomacho in lassitudinem degeneranti, ad instaurandas constrictione vires, offerunt ægrescenti vinum. Adde *Theod. Priscian.* 2. 1. et alibi.

CONSTRICTĪVĒ, adverb. idem ac constricte. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *a med.* Constrictive tractata sæpissime tumescere videntes.

CONSTRICTĪVUS, a, um, adject. constringendi, seu adstringendi vim habens. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. Constrictivæ virtutis esse. *Id.* 2. *Tard.* 3. *ad fin.* Cibi constrictivi. *Garg. Mart. de pom.* (edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 421.) 9. Mespila viscida et constrictiva sunt immatura. Cf. *Mac. de mat. med.* 4. 10.

CONSTRICTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* constringo. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 16. Si medici ferramenta accuses, quod secent, et inurant, et amputent, et constrictent.

CONSTRICTŪRA, æ, f. 1. idem ac constrictio. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. *ad fin.* Si constricturam ex curatione mitigari videamus.

CONSTRICTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (cum et stringo). Part. *Constringens* I. 1.; *Constrictus* in omnibus paragr. et in fin.; *Constringendus* I. 2. — Constringo est idem quod stringo, vel simul aut valde stringo, vincio, colligo (It. *stringere*, *legare stretto*; Fr. *serrer etroitement*, *lier*; Hisp. *atar*, *legar*, *cerrar estrechamente*; Germ. *zusammenziehen*, *-binden*, *-schnüren*; Angl. *to bind together*, *tie fast*, *strain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est simul aut valde stringo. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 33. Vineam alligato recte, dum ne nimium constringas. *Plaut. Trin.* 3. 2. 93. Constringere sarcinam. *Val. Flacc.* 3. 80. princeps galeam constringit Jason. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (174). Lingua homini ita sæpe constricta venis, ut intercidi eas necesse sit. *Martial.* 11. 56. Constringatque tuos purpura texta toros. *h. e.* convestiat, contineat, operiat. — *b*) Speciatim in re medica constringere dicuntur, quæ fluxum alicujus humoris, ut alvi, urinæ, pituitæ, sudoris etc. cohibent. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 54. (100). Cotonea decocta amittunt constringentem vim succi. *Id. ibid.* 1. 24. (46). Vinum rubrum nigrumve magis constringit magisque calfacit. Hinc *constrictæ febres* apud *eumd.* 23. *ibid.* 7. 63. (120). sunt quæ cutem adstringunt, quæque sudorem, urinam aliosque humores cohibent. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro cohibere, continere, coercere. — *a*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 1. Constringe tute illi actutum manus. *Ter. Eun.* 5. 6. 23. Hunc pro mœcho postea comprehendere intus et constringere. *Cic.* 7. *Phil.* 8. 27. Bellua inclusa et constricta. *Auct. B. Afr.* 87. Vivum aliquem constrictumque in flammam conjicere. — Hinc *constringendus* dicitur, qui præ insania vinculis coerceri debet. *Cic.* 2. *Phil.* 38. 97. Tu mentis es compos? Tu non constringendus? *Id. Pis.* 20. 48. Si familiam tuam dimisisses, amici te tui constringendum putarent. — *b*) Cum Ablativo. *Cic. Sext.* 41. 88. Illum, – si posset, laqueis constringeret. *Id.* 1. *Orat.* 52. 226. Virtus semper libera est, etiamsi corpora sint capta armis, aut constricta vinculis. Adde *Quintil.* 7. 3. 14.

II.) Translate est morali aut intellectuali ratione colligare, coercere, arctare, limitibus circumscribere: ad rem *Lucan.* 7. 466. Torpor constringit pectora. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 1. Constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? *Id.* 2. *leg. Agr.* 10. 26. Constringere orbem novis legibus. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 33. *extr.* Constrictus legibus. Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 14. 47. Tradunt se libidinibus constringendos. *Id. Flacc.* 6. 15. Psephismata jurejurando constricta. *Id. Balb.* 5. 12. Græci homines, spectati viri, noluerunt religione videri potius, quam veritate fidem esse constrictam. *Id.* 1. *Orat.* 46. 202. Scelus et fraudem supplicio constringere. Adde *eumd.* 2. *Tusc.* 21. 48. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 11. Multis officiis implicatus et constrictus. *Id.* 2. *Tusc.* 2. 5. Necessitate constrictus. Adde *Liv.* 34. 3. *Quintil.* 2. 13. 1. Ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram. Adde *eumd.* 12. 2. 26. et *Curt.* 6. 7. *Lactant.* 1. 22. Leges afferebat, ut homines ad parendum non modo imperio, sed etiam religione constringeret. ¶ 2. Speciatim refertur ad sententias et orationem, ac ponitur pro in epitomen redigere, paucis exponere. *Cic.* 1. *Orat.* 42. 188. Quæ (*ars logica*) rem dissolutam divulsamque conglutinaret et ratione quadam constringeret. *Id. Brut.* 8. 34. Sententia, cum aptis constricta est verbis, cadit etiam plerumque numerose. *h. e.* comprehensa et colligata. *Quintil.* 3. 13. 5. Constricta narratio. *h. e.* brevis. Cf. et mox *Constrictus.* — Hinc Part. præter. pass.

Constrictus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit (unde Comp. *Constrictior*), et est contractus, condensus, spissus, brevis. *Quintil.* 1. 11. 10. Vidi supercilia – aliorum constricta, aliorum etiam dissidentia. *Petron. Satyr.* 132. Quid me spectatis constricta fronte, Catones? *h. e.* contracta, ut fit, cum ad severitatem vultus componitur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 18. (90). Constrictæ quidem (*ulmi umbram*) noxiam esse non arbitror. cui ibid. *opponitur* quæ in ramos emittitur. *Id.* 21. *ibid.* 10. 32. (58). Conyzæ folium tenuius et constrictius et angustius. *Martial.* 14. 37. cujus lemma est *Scrinium.* Constrictos nisi des mihi libellos, Admittam tineas trucesque blattas. *Curt.* 7. 3. Nives perpetuo rigore constrictæ. *h. e.* condensæ. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. Pulticula constrictior. *h. e.* spissior. *Val. Flacc.* 9. 423. Cervi cæca ira constricti. *h. e.* qui ira perciti se ipsos cornibus implicarunt. Sed forte legendum est *umbra*, inquit *Heins.*

CONSTRUCTĬO, ōnis, f. 3. structura, compositio (It. *struttura*, *costruzione*, *fabbrica*; Fr. *construction*, *structure*, *bâtisse*; Hisp. *construccion*; Germ. *d. Zusammenstellung*, *Zusammensetzung*, *d. Bau*; Angl. *a building*, *framing*, *making*, *construction*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. Quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura. *Seneca Consol. ad Polyb.* 37. Constructio lapidum. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 49. Constructio theatri. *Pallad.* 12. *R. R.* 22. Sternes olivas supra surculos fæniculi, et has constructiones usque ad vasculi plenitudinem patieris insurgere.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Rhetores *constructio verborum* est eorum apta collocatio et compositio; et occurrit — *a*) Cum Genitivo. *Cic. Brut.* 78. 272. Eratque verborum et delectus elegans, et apta et quasi rotunda constructio. *Id.* 1. *Orat.* 5. 17. Oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum. — *b*) Absolute. *Cic. Orat.* 44. 150. Nolo tam minuta hæc constructio appareat. *Plin.* 1. *Ep.* 16. Gravis et decora constructio. ¶ 2. Apud Grammaticos *constructio verborum* est compositio eorum ad regulas usumque Latinitatis, Gr. σύνταξις. *Priscian.* p. 1061. *Putsch.* et alibi sæpe.

CONSTRUCTĪVĒ, adverb. construendo. *Boeth. in Aristot. Analyt. prior.* 1. 42. p. 500. Constructive propositiones per primam ostenduntur figuram. Si enim verum est dicere, quidquid est homo, musicum esse, aut non musicum esse, quidquid est animal, sumendum, musicum esse, aut non musicum esse. Non est autem musicum quidquid est homo, destructive monstratur secundum dictos tres modos.

CONSTRUCTĪVUS, a, um, adject. qui aliquid construit. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 1. p. 672. Sunt autem ad utraque genera problematum communia universalia et constructiva et destructiva. *h. e.* quæ ad confirmandum et infirmandum valent. Adde *eumd. ibid.* p. 520. et 720.

CONSTRUCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSTRŬO, struis, struxi, structum, struere, a. 3. (cum et struo). Part. *Constructus* 1. et 2.; *Construiturus* pro *constructurus* barbarum est; legitur autem apud *Venant.* 2. *carm.* 10. *sub fin.* Horrea quandoquidem construitura Dei. — Construo est simul struo, struendo conjungo (It. *costruire*, *ammucchiare*, *mettere insieme*; Fr. *entasser*, *accumuler*; Hisp. *acumular*, *amontanar*; Germ. *zusammenbringen*, *zusammenhaüfen*, *aufbringen*, *aufhaüfen*; Angl. *to heap or pile up*). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu, ratione habita vis, quæ inest in præpositione, est concervare, aliud super aliud componendo reponere. *Cic.* 2. *Phil.* 38. 97. Tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 14. Omnibus rebus et modis constructa pecunia et coacervata. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 3. 96. Construere divitias. *et* 1. *ibid.* 1. 44. quid habet pulcri constructus acervus? Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 35. 161. Multæ et magnificæ res constructæ ac reconditæ. *h. e.* alia super aliam repositæ, accumulatæ. *et ibid.* § 162. Copia ornamentorum constructa uno in loco. *Virg.* 4. *G.* 213. Constructa mella. *Sisenna* apud *Non.* p. 195. 29. *Merc.* Construere carros. *h. e.* carraginem facere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (318). congeriem. *h. e.* saxa coacervare. *Id. ibid.* 28. 67. (262). Fœnum sectum verti ad solem, nec nisi siccum construi oportet. *h. e.* in metas extrui, ut *Colum.* 2. *R. R.* 19. 2. loquitur. ¶ 2. Cum addita ordinis significatione, generatim est struendo conjungo, compono, ædifico. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 19. Quibus oculis intueri potuit Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo atque ædificari mundum facit? *construi* significat partes simul ordine componi; *ædificari* configurari, conformari. *Id. Tim.* 5. Mundi corpus constructum ex proportione etc. *Id. Senect.* 20. 72. Ut navem, ut ædificium idem destruit facillime, qui construxit. *Id.* 2. *Legg.* 8. 19. Delubra patribus constructa. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 134. Dentibus autem in ore constructis manditur – cibus. *Id. ibid.* 52. 129. Gallinæ avesque – cubilia sibi nidosque construunt. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 6. 23.; *Ovid.* 15. *Met.* 397.; et *Liv.* 1. 26. *Virg.* 9. *Æn.* 712. Saxea pila constructa. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. Constructus rogus. *Sueton. Domit.* 8. Construere monumentum e lapide. *Id. Ner.* 38. horrea muro saxeo. Huc pertinet et illud *Catull.* 64. 304. Large multiplici constructæ sunt dape mensæ. *h. e.* instructæ. ¶ 3. Speciatim apud Grammaticos *construere* est unam partem orationis cum altera ita conjungere, ut Latini sermonis consuetudo servetur. *Priscian.* 17. et 18. *Putsch.* sæpe.

CONSTŬPEO, es, ui, ere, n. 2. (cum et stupeo) idem quod stupeo. *Juvenc.* 1. *in c.* 2. *Lucæ* 179. Mirantes laudant, læantes constupuerunt.

CONSTŬPRĀTOR, ōris, m. 3. stuprator. *Liv.* 39. 15. Simillimi feminis mares, stuprati et constupratores.

CONSTŬPRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSTŬPRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et stupro). Part. *Constupratus* I. et II. — Constupro est idem quod stupro.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Herenn.* 8. 12. In iis, qui violassent ingenuum, matremfamilias constuprassent, etc. *Q. Cic. Petit. cons.* 3. 10. Prope in gremio parentum prætextatos liberos constupravit. *Liv.* 29. 17. Constuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum. *Curt.* 10. 1. Nobilem virginem constupratam servo suo pellicem dederat. *Sueton. Vitell.* 12. Hunc adolescentulum mutua libidine constupratum conjecerat in compedes. Adde *Lamprid. Commod.* 5. — *NB.* De loco *Sueton. Ner.* 35. *V.* CONSPURCO.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Att.* 18. 3. *de judicio Clodiano.* Afflicta res publica est empto constupratoque judicio. *h. e.* in quo, ut ait *Id. ibid.* 15., etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. *Al. tamen leg.* stupratumque. *Tertull. Idolol.* 1. Quis enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus et constupratus incedit? *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian.* 9. Multi philosophorum reliquerunt frequentias urbium, et hortulos suburbanos, ne animæ fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia constupraretur.

CONSUĀDEO, es, ere, a. 2. (cum et suadeo) idem quod suadeo, vel valde suadeo. *Plaut. Asin.* 2. 1. 13. Cornix est ab læva, corvus porro ab dextera: consuadent. *Id. Merc.* 1. 2. 32. Saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo. *Id. Trin.* 2. 1. 126. Consuadet homini, etsi scelestus est. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 45.

CONSŪĀLĬA, ium *vel* iōrum, n. plur. ludi, inquit *Paul. Diac.* p. 41. 15. *Müll.*, quos in honorem Consi faciebant, quem deum consilii putabant. Romulus, fundata Urbe, cum connubiis ageret ad civium propa-

gationem, eaque sibi a finitimis negarentur; arcanum iniit consilium rapiendarum per vim mulierum: et Conso deo, qui arcani consilii præses habebatur, ludos vovit, fecitque, per quorum occasionem Sabinas abduxit, ut est apud *Liv.* 1. 9., qui Neptuno equestri sacros illos fuisse scribit: sed hic cum deo Conso idem fuit. *Varro* 6. *L. L.* 20. *Müll.* et *Dion. Halicarn.* *l.* 1. *et* 2. — Porro hi ludi celebrabantur quotannis in Circo ad aram subterraneam ejus dei, conjectis in ignem libaminibus et commissionibus equorum junctorum et injugum, quod arcanum Romuli consilium de Sabinis rapiendis Consus fortunavisset: quotannis, inquam, XII. Cal. Septembr., ut est in veteri Calendario apud *Gruter.* p. 133. et apud *Orell. Inscript.* vol. II. p. 411., et fortasse etiam XVIII. Cal. Jan., quia eo die in illo Calendario eædem prorsus notæ leguntur, quæ in Septembri: perque eos ludos equi ac muli immunes erant ab opere, et floribus coronabantur. *Dionys. Halicar. loc. cit.* Ceterum vocem *Consualia*, præterquam quod Scriptores super. *cit.*, usurpant etiam *Vetus Poeta* apud *Varron.*, quem citat *Non.* p. 21. 8. *Merc.* (ubi alii pro *Consualia* leg. *Cernualia*), *Paul. Diac.* p. 41. 15. *Müll.* et *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 636.

CONSUĀSOR, ōris, m. 3. suasor. *Cic. Quinct.* 5. 18. Hæc omnia Quinctius agebat, auctore et consuasore Nævio.

CONSUĀVIO *vel* consāvio, as, are, a. 1. et

CONSUĀVIOR *vel* consāvior, āris, ari, dep. 1. De ratione scribendi, *V.* SUAVIUM. — Part. *Consuaviatus.* — Consuavio est idem quod suavior, osculor. *Apul.* 6. *Met.* Juppiter prehensa Cupidinis buccula, consuaviat. *Id.* 2. *ibid.* Ubi primum consuaviatus eum etc.

CONSUAVIS, e, adject. simul suavis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 34. Consuavis, consuavissimus.

CONSŬBĬGO, is, ere, a. 3. simul subigo. *Gargil. de cur. boum a med.* Jumentum si male habuerit, cineris, lixivii cyathos VIII., olei cyathos VI. consubige. *V.* SUBIGO.

CONSUBSĪDO, is, ere, n. 3. (cum et subsido) idem quod subsido; sed occurrit translate tantum. *Minuc. Octav.* 40. Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati, sed perfectæ institutioni necessaria, de quibus crastino etc. *h. e.* remanent, reliqua sunt.

CONSUBSTANTĬĀLIS, e, adject. ejusdem substantiæ, seu naturæ. *Tertull. advers. Hermog.* 44. et *Augustin.* 6. *de Music.* 17.

CONSUBSTANTĬĀLĬTAS, ātis, f. 3. unitas substantiæ. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 7. *a med.* Quia et antiquorum aliquos agnovisset nomine consubstantialitatis usos in Patris et Filii deitate. Adde *eumd. ibid.* 9. et 10. *Cyprian. de Cœn. Dom. a med.* Usque ad consubstantialitatem Christi.

CONSUBSTANTĪVUS, a, um, adject. consubstantialis. *Tertull. advers. Valentinian.* 12. *extr.* et 18.

CONSŪCCĬDUS, a, um, adject. idem ac sucidus. *Auct. adnot. marg. Fronton. de eloq.* (edente *A. Maio*). Ut imperator philosophetur, ingratiis etiam purpureum erit pallium sumendum, cum philosophus habeat consucidum.

CONSŪDASCO, is, ere, n. 3. simul sudo, vel humorem emitto. *Colum.* 12. *R. R.* 48. 2. *de conditura olivæ.* Superposito copioso sale, ita uti olivas contegat, sicque triginta dies pati consudascere. *Al. leg.* consudescere.

CONSŪDESCO. *V.* voc. præced.

CONSŪDO, as, are, n. 1. (cum et sudo) vehementer sudo, vel humorem emitto. *Cato R. R.* 96. Oves unguito totas, sinito, biduum aut triduum consudent. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 71. Jube sis, te operiri: beatus eris, si consudaveris. *Colum.* 12. *R. R.* 7. 2. Herbæ sale conspersæ reponuntur, dum consudent.

CONSUĔFĂCIO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (consuesco et facio). Part. *Consuefactus* sub d; *Consuefaciendum* sub c. — Consuefacio est assuetum reddo, doceo, vel potius *assuefacio*, qua postrema voce pro *consuefacio* ætatis aureæ scriptores usi sunt (It. *assuefare, avvezzare*; Fr. *accoutumer, habituer à*; Hisp. *acostumbrar, avezar*; Germ. *gewohnt machen, eingewöhnen*; Angl. *to accustom, habituate*). Occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Adelph.* 3. 3. 60. Nil prætermitto: consuefacio: denique inspicere jubeo. — *b*) Cum Infinito. *Id. ibid.* 1. 1. 49. Hoc patrium est potius consuefacere filium, sua sponte recte facere, quam alieno metu. *Sall. Jug.* 82. Paullatim consuefacit eam multitudinem ordines habere, signa sequi, imperium observare. — *c*) Sequente part. *ut vel ne.* *Varro* 2. *R. R.* 9. 13. *de canib.* Consue quoque faciunt, ut alligari possint. *tmesis.* *Id.* 3. *ibid.* 9. 19. Cum pulli pinnas habebunt, consuefaciendum est, ut unam, aut duas sectentur gallinas. *Ter. Adelph.* 1. 1. 29. Ea ne me celet, consuefeci filium. — *d*) Passivum *consuefio* apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 18. Idem sibi domicilium esse quod sepulcrum, eoque consuefieri his diversoriis. *Gloss. Cyrill.* Ἠθισμένος, adsuetus, consuetus, consuefactus.

CONSUĔFACTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONSUĔO. *V.* voc. sequent. sub init.

CONSUESCO, suescis, suēvi, suētum, suescere, 3. (cum et suesco). In Præteritis sæpe syncopen patitur, ut *consuèris* apud *Cic.* 1. *Orat.* 34. 157.; et *consuèrint* apud *Cels.* 5. 28. n. 13.; et *consuèras* apud *Ovid. Heroid.* 15. 132.; et *consuèramus* apud *Balbum ad Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.*; et *consuèrunt* in veteri *Senatus Cons.* apud *Gell.* 15. 11.; et *consuèrat* apud *Cæs.* 1. *B. G.* 22.; et *consuèsset*, *consuèssent* apud *eumd.* 5. *ibid.* 27. et 7. *ibid.* 32., et *Nepot. Datam.* 7. et *Pelop.* 5.; et *consuèsse* apud *Cæs.* 1. *B. G.* 14.; et *consuèsti* apud *Cic.* 5. *Fam.* 12. 4. etc. pro *consueveris, consueveramus, consueverunt, consuevisset*, etc.: tametsi in aliquo ex his locis lectio variat. Ex quo patet, nihil certi afferre illos, qui verbum primitivum *consueo*, unde Jonicum vel potius inchoativum *consuesco* est derivatum, induci posse putant, et confirmari illo versu *Propertii* 1. 7. 5. Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores. *consuemus* enim potest esse syncope pro *consuevimus*. Quamquam et *Charis.* 3. p. 224. *Putsch.* agnoscit *consueo*; sed nullo firmat exemplo. *Priscian.* quoque 10. p. 885. fidem *Charisii* appellat. — Sunt qui alterum assignant Præteritum, *consuetus sum*, ut *Priscian.* 10. p. 885. *Putsch.* V. Part. *Consuetus* in fin. sub *A.* 1. *a.* — Ceterum *consuesco* est verbum *A*) Neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more consuescere est idem atque assuescere; in Præteritis autem exponitur verbo præsentis temporis, ut *novi, memini*, et significat solitum esse (It. *avvezzarsi, assuefarsi*; *essere avvezzo, essere solito*; Fr. *s'accoutumer*; *être habitué, avoir coutume*; Hisp. *acostumbrarse*; *esser habituado*; Germ. *sich gewöhnen, gewohnt werden*; *gewöhnt sein, die Gewohnheit haben*; Angl. *to be accustomed; be wont*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 103. Pabulum, quod dabis, amurca conspergito, primo paullulum, dum consuescant, postea magis. *Plaut. Asin.* 1. 3. 69. Bene salutando consuescunt, compellando blanditer etc. *Virg.* 2. *G.* 272. Adeo in teneris consuescere multum est. *Al. leg.* a teneris. — Sed absolute fere jungitur cum Adverbiis. *Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 16. a. Ut tuis consiliis, ut consuevi, in omnibus rebus utar. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 4. Ut consuèsti. *Propert.* 1. 7. 5. ut consuèmus. *Sueton. Cæs.* 73. sicut consuèrat. *Cic. Rosc. Am.* 2. 5. quemadmodum consuèrunt. — Interdum et per ellypsin. *Cic. Amic.* 19. 68. Nemo est, quin eo (*equo*), quo consuevit (*subaudi* uti), lubentius utatur, quam intractato et novo. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Eo die, quo consuèrat (*subaudi* sequi) intervallo, hostes sequitur. *Luccejus* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. Cum scribas, aut agas aliquid eorum, quorum consuèsti (*subaudi* aliquid agere), gaudeo. *Forcellinus* Hellenismum esse affirmavit, ὡν εἴωθας. — *b*) Sæpe cum Infinito. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 75. Disjungamus nos a corporibus, id est consuescamus mori. *Id.* 1. *Orat.* 34. 154. Cum minus idoneis (*verbis*) uti consuescerem. *Id. ibid.* 61. 261. Demosthenes multos versus uno spiritu pronunciare consuescebat. Adde *eumd.* 1. *Invent.* 2. 3. *Id. Rosc. com.* 16. 46. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. *Id.* 1. *Orat.* 22. 99. Immo rogemus Antonium, qui et potest facere quod requiris, et consuevit, ut te audio dicere. *Id. ibid.* 34. 157. Adhibere si consuèris etiam istam locorum – rationem. *Id. Quinct.* 28. 87. Quem ipse – procuratorem relinquere antea consuèsset. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Paullatim Germanos consuescere Rhenum transire. *Id. ibid.* 14. Consuèsse enim deos immortales – his secundiores interdum res – concedere. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 1. et 8. *Nepos Pelop.* 5. Quod (*legationis jus*) apud omnes gentes sanctum esse consuesset. Adde *eumd. Con.* 3.; *Horat.* 1. *Sat.* 7. 31.; *Cels.* 6. 6. 8.; et *Sueton. Tit.* 34. et *Ner.* 12. — Et cum verbo passivo. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Quam rem et paucis contigisse et pro magnis hominum officiis consuèsse tribui docebat. — Et impersonaliter. *Sall. Cat.* 22. Sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit. Adde *Auct. B. Alex.* 62. — *c*) Raro admodum cum Dativo, aut Ablativo, aut Accus. et præpos. *ad.* *Plin.* 8. *Ep.* 23. *ad fin.* Ne gravissimo dolori timore consuescerem. Adde *Colum. Arbor.* 1. 5. *Id. Colum.* 10. *R. R.* 163. sicco ut consuescat pulvere planta. *Id.* 8. *ibid.* 15. 7. Modo captæ aves, quæ consuevere libero victu. Adde *eumd. ibid.* 13. 1. *Quintil.* 2. 10. 8. Quibusdam pugnæ simulacris ad verum discrimen justamque aciem consuescere. ¶ 2. Speciatim *consuescere* virum *cum aliqua*, vel mulierem *cum aliquo* est turpem cum aliqua consuetudinem habere. *Plaut. Cist.* 1. 1. 89. Tu an unquam cum quoquam viro consuevisti? *Ter. Hecyr.* 4. 1. 40. et *Phorm.* 5. 6. 33. Cum aliqua consuevisse. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30.; *Nepot. Alcib.* 10.; et *Ter. Adelph.* 4. 5. 32., quo posteriore loco pro *cum illa consuevit* alii leg. *illi consuevit.* Immo *Donatus* adscribit, legi etiam *illam*; veteres enim dixisse *hanc rem consuevit*: rectius tamen cum recentioribus edit. legas *illā* omissa præpos.

B) Active aliquando ponitur pro consuefacere: sed tamen, præter Part. præter. pass. *Consuetus*, quod *V.* infra, active *consuescere* videtur vulgaris tantum sermonis proprium fuisse. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 9. Plostro, aut aratro juvencum consuescere. *Lucret.* 6. 397. An tum brachia consuescunt firmantque lacertos? — Dubia vero est lectio in sequentibus locis. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 19. Consuescat rusticos circa larem domini epulari. *Id. Arbor.* 1. 5. Consuescere vitem largo humori. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (70). Ideo sarriri convenit sæpius herbasque evelli; præterea semina fruticantia supputere ac falcem pati consuescere. *Forcellinus* addidit etiam locum *Plaut. Asin.* 1. 3. 69.; sed ibi nunc *consuescere* neutrorum more et quidem absolute adhibitum legitur. — Hinc Part. præter. pass.

Consuetus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Consuetissimus* sub *B.* Occurrit autem *A*) De animantibus, et *B*) De rebus.

A) De animantibus. ¶ 1. Generatim. Consuetus dicitur et est qui consuevit aliquid facere. — *a*) Absolute. *Plaut. Stich.* 5. 5. 16. Proinde ut consuetus antehac. *Varro* 9. *L. L.* 5. *Müll.* Populus – debet – si perperam est consuetus, corrigere se ipsum. — *b*) Cum Infinito. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 49. Qui consuetus in armis ævum agere. *Lucret.* 4. 713. quin etiam gallum – Auroram clara consuetum voce vocare. Adde *eumd.* 5. 209. et 6. 788. et 1042.; *Auct. B. Afric.* 73.; et *Auct. B. Hisp.* 25. — *c*) Cum Dativo vel Ablat. *Lucret.* 4. 999. At consueta domu catulorum blanda propago. *Al. leg.* domi. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 2. Genus mancipiorum otiis, Campo, Circo, theatris, aleæ, popinæ – consuetum. ¶ 2. Speciatim obsceno sensu de eo, qui turpem consuetudinem habuit. *Plaut. Amph.* 5. 1. 70. Is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubilibus. *Cæcilius* apud *Gell.* 2. 23. Consuetus cum ancilla clam uxore. *Cf. Gell.* 4. 3. — Absolute autem occurrit apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 113. et *Capt.* 4. 2. 87. — De brutis eodem sensu dixit *Varro* 2. *R. R.* 3. 2.

B) De re quoque dicitur, cui quis consuevit, et est solitus, usitatus. *Ter. Andr.* 1. 1. 108. Consuetus amor. *Sall. Jug.* 19. Animum a consueta lubidine continuit. *Id. ibid.* 87. Omnes labores, pericula consueta habere. *Virg.* 4. *G.* 429. Proteus consueta petens e fluctibus antra. *Ovid. Heroid.* 20. 242. Epistola clausa sit fine consueto sibi. *Id.* 2. *Met.* 266. Consuetas in auras. *Id.* 11. *ibid.* 259. cubilia. *Id.* 3. *Trist.* 3. 39. lectus. *Id.* 13. *Met.* 491. pectora. *Id.* 11. *ibid.* 637. Verba cuique consuetissima. *Juvenal.* 5. 74. Vin' tu consuetis audax conviva canistris Impleri? *Val. Flacc.* 4. 449. Consueta fata. *Sil. It.* 6. 271. rigor. *Cod.* 3. 28. 37. *pr.* ordo.

CONSUĒTĒ, adverb. de more. *Ammian.* 27. 2. 8. Cum calonum multitudo ad suscipiendum consueto pabulum prope acervum palearum stetisset.

CONSUĒTĬO, ōnis, f. 3. consuetudo. *Paul. Diac.* p. 61. 4. *Müll.* Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit. — Hinc eam vocem critici restitutum eunt *Amph.* 1. 2. 28. (quem scil. locum designasse videtur *Paul. Diac.*) Et clandestina ut celetur consuetio. Al. perperam, ut probat ad *h. l.* *F. H. Bo-*

the, leg. *suspicio*. Nam quod quidam legunt *consuetudo* (inter quos est *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 4. 5. 32.) ferri non posse ajunt, cum contra clamet ratio senarii carminis.

CONSUĒTŪDĬNĀRĬE, adverb. idem ac consuete. *Cassiod.* 12. *Variar.* 2. *ad fin.* Illum atque illum sedis nostræ milites tibi, officioque vestro, consuetudinarie præcipimus imminere, quatenus ordinatio nostra inculpabiliter sortiatur effectum.

CONSUĒTŪDĬNĀRĬUS, a, um, adject. solitus. *Sidon.* 7. *Ep.* 11. Invideo felicitati consuetudinarii portitoris, a quo contingit sæpius vos videri. *Jul. Epit. nov.* 21. § 69. Consuetudinariæ jussiones. *Sulpic. Sev.* 1. *Dial.* 14. Bestia ad consuetudinarium illud cœnæ tempus occurrit. Adde *Cassiod.* 5. *Variar.* 27. et *Salvian.* 4. *Gub. D.* 4.

CONSUĒTŪDO, inis, f. 3. (consuesco) externus habitus vel usus, in quo differt a *more*, qui internus est (*V.* Homonym. in fin.), et fit exercitatione, sive eorumdem artuum repetitione, ut docet *Cic.* 2. *Orat.* 87. 358. Exercitatio, ex qua consuetudo gignitur. Cf. *eumd.* 5. *Fin.* 25. 94. (It. *consuetudine*, *costume, abito, uso*; Fr. *habitude, coutume, usage*; Hisp. *habitud, hábito, costumbre*; Germ. *der Zustand der Gewöhnung, d. Gewohnheit*; Angl. *custom, usage, use, habit*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. *Plaut. Merc.* 5. 4. 41. Consuetudine rursus te animus huc inducet. *Ter. Heaut.* 2. 3. 41. Nam ea res dedit tum existimandi copiam quotidianæ vitæ consuetudinem, quæ cujus ingenium ut sit declaret maxime. *Cic.* 1. *Orat.* 20. 90. Quod consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret et eloquendi celeritatem incitaret. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Quidam ex his – eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta nocte ad Nervios pervenerunt. — *a*) Jungitur, præcipue cum verbo *esse*, personis, quibus est consuetudo. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 129. Est consuetudo Siculorum ceterorumque Græcorum, quod suos dies volunt cum solis lunæque ratione congruere, ut etc. Adde *eumd. Amic.* 5. 17. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Populi Romani hanc esse consuetudinem, ut etc. *Id.* 1. *ibid.* 50. Est apud Germanos ea consuetudo, ut etc. *Id.* 4. *ibid.* 7. Consuetudo Germanorum est resistere, neque deprecari. *Cic. Rabir. perduell.* 1. 1. Non est meæ consuetudinis rationem reddere etc. *Id. Mil.* 19. 51. Est consuetudo alicujus perpetua in vi inferenda. *Id.* 2. *Orat.* 3. 13. Disputare ad consuetudinem Græcorum. *Id. Cæcin.* 29. 85. Si vobis versutius, quam mea consuetudo defendendi fert, videbitur. — *b*) Jungitur etiam Genitivo rei, cui quis consuevit. *Cic. Rosc. Am.* 1. 3. Cognoscendi consuetudinem tollere de civitate. *Id. Fontej.* 10. 21. Consuetudo immanis et barbara hominum immolandorum. *Id.* 1. *Orat.* 33. 152. Consuetudo scribendi. *Id. Mur.* 13. 29. dicendi. *Id.* 5. *Verr.* 76. 176. et *Quintil.* 7. 2. 44. peccandi. *Cic. Mil.* 1. 1. fori. *Id.* 2. *Off.* 15. 55. Quod jam in proverbii consuetudinem venit. — *c*) Jungitur nonnullis Adjectivis, quorum hæc sunt præcipua. *Quintil.* 1. 1. 13. assidua. *Cic.* 2. *Nat. D.* 24. 62. et 1. *Orat.* 51. 221.; et *Quintil.* 11. 1. 12. communis. *Cic. Orat.* 48. 161. indocta. *Quintil.* 2. 5. 2. longa. *Cic.* 1. *Legg.* 12. 33. et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 36. mala. *Cic. Mil.* 1. 1. et *Quintil.* 1. 6. 43. vetus. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 248. et *Quintil.* 2. 13. 14. vulgaris. — *d*) Jungitur et nonnullis Verbis neutris. *Cic.* 14. *Phil.* 5. 12. increbrescit consuetudo. *Quintil.* 2. 1. 1. invalescit. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. inveterascit. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 68. serpit ac prodit. — *e*) Item aliis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 17. 45. abducere mentis aciem a consuetudine oculorum. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. *ad fin.* adducere aliquem in eam consuetudinem, ut etc. *Cic.* 2. *Phil.* 45. 116. afferre alicui consuetudinem serviendi. *Id.* 14. *Att.* 11. 1. alere consuetudinem perditarum contionum. *Id. Brut.* 57. 209. asciscere consuetudinem. *Id.* 1. *Off.* 18. 59. capere consuetudinem exercitationemque in omni officio. *Id.* 1. *ibid.* 18. 59. deduci ad parentium consuetudinem moremque. *Id.* 1. *Phil.* 11. 27. habere consuetudinem aliquam in republica. *Id.* 1. *Off.* 25. 82. imitari medicorum consuetudinem. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 3. 4. inducere aliquem in suam rationem consuetudinemque. *Id.* 5. *Verr.* 82. 189. et 16. *Fam.* 21. introducere consuetudinem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 14. 2. nancisci nonnullam consuetudinem alicujus rei. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 67. repetere ac referre consuetudinem longo intervallo. Adde *eumd.* 2. *Verr.* 6. 15. *Id.* 1. *Att.* 1. 4. refugere ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine. *Lepidus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 35. retinere consuetudinem in aliqua re. *Vatinius* apud *eumd.* 5. *Fam.* 9. servare consuetudinem suam in patrociniis tuendis. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 150. et 1. *Phil.* 11. 27. tenere consuetudinem suam. *Id.* 2. *Invent.* 22. 65. venit aliquid ex utilitatis ratione in consuetudinem. Sic *Id. Cæcin.* 2. 6. Hoc jam venit in consuetudinem. et *Id. Pis.* 19. 45. Senatus in eam benignitatis consuetudinem venit, ut etc. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 11. et *Auct. B. Alex.* 3. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 150. uti aliqua consuetudine. — *f*) Occurrit etiam frequenter aut Ablativus absolute vel cum præpos., aut Accusativus cum præpos. *Cæs.* 2. *B. G.* 19. Consuetudine sua Cæsar legiones expeditas ducebat. *Plaut. Trin.* 2. 2. 83. Consuetudine aliquid facere. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Cum Cæsar ad opus consuetudine excubaret. *Sall. Jug.* 36. Quæ quamquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. Adde *Cic. Rosc. Am.* 15. 44.; *Cæs.* 6. *B. G.* 27.; et *Nepot. Att.* 12. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Hunc, rogo, ex consuetudine tua et legas et emendes. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 12. *Id. Cæs.* 6. *ibid.* 26. *extr.* Huc cum se ex consuetudine reclinaverit. Adde *Sall. Jug.* 71.; *Auct. B. Afr.* 89.; *Quintil.* 1. 6. *extr.* et 2. 5. 1.; et *Sueton. Ner.* 42. *Cic. Arch.* 12. 32. Pro mea consuetudine. *Nepos Epam.* 2. Ad nostram consuetudinem. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 82. Secundum consuetudinem præcedentium temporum. *Cic.* 2. *Divinat.* 28. 60. et *Nepos Hann.* 12. Præter consuetudinem. *Cic.* 1. *Off.* 41. 148. Contra morem consuetudinemque civilem facere aliquid. *Cels.* 2. 2. Supra consuetudinem. ¶ 2. Specialim consuetudo dicitur solita vitæ seu vivendi ratio uniuscujusque propria. *Ter. Heaut.* 2. 3. 42. Quotidianæ vitæ consuetudo. *Cic. Rabir. perduell.* 1. 2. et *Marcell.* 1. 2. Consuetudo vitæ meæ. *Id.* 12. *Att.* 26. 2.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 31. victus. *Quintil.* 1. 6. 45. vivendi. *Nepos Epam.* 1. Consuetudo atque vita. ¶ 3. Item specialim dicitur de communi hominum vivendi ratione. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 248. Communis vita et vulgaris hominum consuetudo. *Id. Amic.* 6. 21. Consuetudo vitæ. — Hinc dicitur et de communi opinione ac judicio. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 24. 75. Quæ in consuetudine probantur. Cf. *eumd.* 2. *Off.* 3. 9. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 4. (15). Aquilam negant unquam solam fulmine exanimatam: ideo armigeram Jovis consuetudo judicavit. ¶ 4. Item apud JCtos dicitur de iis, quæ jamdiu invaluerunt, ita ut interdum legis vim etiam habeant: hinc *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 19. et 2. *Invent.* 54. 162. et *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 7. *Æn.* 601. Jus consuetudinis. Cf. *Cic.* 2. *Invent.* 22. 67. et *Julian. Dig.* 1. 3. 32. *Cic. Cæcin.* 8. 23. Prætor interdixit, ut est consuetudo, DE VI, HOMINIBVS ARMATIS. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 2. 5. Adductus sum veteri consuetudine institutoque majorum. Adde *Sueton. Rhet.* 1. Rursus *Cic. Cluent.* 35. 96. Morem consuetudinemque servare. Cf. *eumd.* 1. *Off.* 41. 148. *V.* infra in Homonym. ¶ 5. Item sæpius de communi ac recepto usu loquendi. — *a*) Cum addito Genitivo. *Cic. Amic.* 6. 21. et *Fat.* 11. 24.; et *Quintil.* 1. 6. 45. Consuetudo sermonis. *Cic. Brut.* 20. 78.; *Varro* 9. *L. L.* 17. *Müll.*; et *Quintil.* 1. 6. 43. loquendi. — *b*) Absolute. *Cic. Orat.* 47. 157. Consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. et *mox.* Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceat. Adde *Varron.* 8. *L. L.* 6. *Müll. Quintil.* 1. 6. 3. Consuetudo fecit analogiam. — *c*) Hinc *consuetudo Latina* aut *Græca* est ipse Latinus aut Græcus sermo, seu ratio Latine aut Græce loquendi communis. *Colum.* 12. *R. R. procem.* 7. Hæc in Œconomico Xenophon, et deinde Cicero, qui eum Latinæ consuetudini tradidit. *Id.* 6. *ibid.* 17. 7. Græci σίλφιον vocant, vulgus autem nostra consuetudine laserpitium. *Id.* 3. *ibid.* 2. 28. Unam etiam præcoquem vitem nobis ante hoc tempus incognitam Græca consuetudine dracontion vocitari comperimus. Adde *eumd. ibid.* 2. 30. ¶ 6. Item sæpe de convictu et vita communi. *Cic. Orat.* 10. 33. Consuetudo victus. *h. e.* convictus. Et in plur. num. *Id. Mil.* 8. 21. Familiaritates late patere non possunt, propterea quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. *Id. Dejot.* 9. 27. Consuetudines, amicitias, res rationesque jungere cum aliquo. *Id. post redit. ad Quirit.* 1. 3. Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ. *Id. Quinct.* 3. 12. Inductus consuetudine et familiaritate fecit societatem etc. Adde *eumd.* 10. *Fam.* 3. *Id. Arch.* 3. 6. Tenebat totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine. *Id. Rosc. Am.* 6. 15. Est mihi domesticus usus et consuetudo cum aliquo. *Id.* 1. *Att.* 15. *ad fin.* Multa et jucunda consuetudine conjuncti inter nos sumus. *Id.* 2. *Fam.* 1. Carere fructu dulcissimæ consuetudinis alicujus. *Id. Pis.* 28. 68. Dare se in consuetudinem. *Id.* 4. *Fam.* 13. 6. Insinuare se in consuetudinem alicujus. *Id.* 13. *ibid.* 23. Facere alicui consuetudinem cum aliquo. *h. e.* eum insinuare in consuetudinem alicujus. *Id. Cluent.* 13. 36. Immergere se penitus in consuetudinem alicujus. *Id.* 2. *Phil.* 15. 38. Permanere in eadem amicitiæ consuetudine. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. *ad fin.* Ad aliquam consuetudinem quempiam adducere. — Huc referri potest et illud *Cic.* 4. *Fam.* 13. 1. Consuetudo epistolarum. *h. e.* commercium litterarum. ¶ 7. Denique adhibetur etiam — *a*) Raro ad significandum honestum convictum conjugalem. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 40. Etsi me amor graviter consuetudoque ejus me tenet. Adde *eumd. Andr.* 3. 3. 28. *Sueton. Ner.* 35. Octaviæ consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere dixit uxoria ornamenta. Adde *eumd. Tib.* 7. — *b*) Sæpius in re turpi, et idem est ac συνουσία. *Ter. Andr.* 2. 6. 8.; *Liv.* 39. 9., *Quintil.* 8. 11. 34. et *Justin.* 8. 6. Sic *Sall. Cat.* 23.; *Curt.* 4. 10. 31. et *Sueton. Cal.* 24. Consuetudo stupri. V. *Cardinali, Dipl. Imp.* p. 268. *osserv.* VII.; et cf. CONSUESCO sub *A.* 2. et *Consuetus* pariter sub *A.* 2.

Homonym. Differunt *mos* et *consuetudo*, ut ex *Varrone* et *Festo* docet *Macrob.* 3. *Saturn.* 8. Nam *mos* est institutum patrium (sive ad sacra pertineat, ut ait *Festus*, sive ad alia quælibet), cujus usus seu cultus perseverans consuetudinem facit. Quare mos præcedit, ut causa; consuetudo sequitur. Hinc apud JCtos consuetudo est jus moribus constitutum, *Julian. Dig.* 1. 3. 32., quæ proinde vim legis obtinere debet, *Callistrat. ibid.* 38. Hoc sensu aliquando conjunguntur, ut in veteri edicto censorum apud *Sueton. Rhet.* 1. Quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt. *Cic.* 1. *Off.* 41. 148. Contra morem consuetudinemque civilem facere. *Id. Cluent.* 35. 96. Non mos consuetudoque servata. *Id.* 1. *Off.* 32. 118. Plerumque parentium præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. — Alii ita distinguunt, ut *mos* spectetur præcipue in vitæ institutis, *consuetudo* tum in vita, tum in ceteris rebus omnibus. Sed ne hoc quidem perpetuum est. — Hucusque *Forcellinus.* Ceterum ita fortasse rectius possis distinguere, ut *mos* sit internus vel moralis hominis habitus, *consuetudo* vero externus ipsius hominis habitus; quemadmodum etiam superius sub init. diximus. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 358. Exercitatio, ex qua consuetudo gignitur. *Id.* 5. *Fin.* 25. 94. Consuetudine quasi alteram quamdam naturam effici. Ceterum *mos* et *consuetudo* sæpe simul junguntur, ut, præterquam in locis superius allatis, apud *Cic. Mil.* 1. 1., 3. *de republ.* 10. 17., et alibi.

CONSUĒTUS, a, um. *V.* CONSUESCO.

CONSŬL, ŭlis, m. 3. Ratione habita scriptionis, jam inde ab initio usu venerat *consol* ut in *Columna rostr. Duilii* apud *Orell. Inscript.* 549. et in *Monum. Scipion. ibid.* 550. et 552.; vel *cosol* ut in *Monum. Scipion. ibid.* 553. (unde fortasse compendiario *cos*), veteres enim *n* litteram sæpe omittebant, ut in *foresia, tago, pago, resurges, tosus, Hortesia* etc. Deinde scriptus est *consul* et *consules*, ut in *Senatuscons. de Bacchan.* Posteriori demum tempore compendiario scribebatur cos. in singulari num., coss. in plurali (Eadem ratione MESS. *h. e.* menses in *Inscript.* apud *Gruter.* 556. 1.). *V. Zumpt.* ad *Quintil.* 1. 7. 29. vol. 5. p. 54. ed. *Spalding.*, et *Cavedoni Marm. Moden.* p. 146. — Ratione habita etymi, dicti sunt *consules* a *consulo, is*, vel qua significat consultare, deliberare; vel qua significat providere; vel qua significat judicare, statuere: *Accius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 80. *Müll.*, *Carbo* apud *Cic.* 2. *Orat.* 39. 165., *Cic.* 3. *Legg.* 3. 8., *Varro* apud *Non.* p. 23. 30. *Merc.* et 5. *L. L.* 80. *Müll.*, et *Quintil.* 1. 6. 32. Sed prior etymologia propior vero est. Cum enim regiam omnino potestatem primi consules haberent, populari vocabulo se nominari placuit, ut non suo arbitrio rempublicam administrare, sed de senatus populique consilio ac voluntate regere viderentur. — Ceterum

1.) Proprie — *a*) Generatim. *Consul* fuit summus

apud Romanos, post exactos reges, magistratus, a Junio Bruto introductus A. U. 245.: cf. Plin. 7. Hist. nat. 43. 44. (136). Duo viri fuere æquali potestate, quos penes omnis reipublicæ tum belli tum pacis administratio ac jus fuit: cf. Cic. 3. Legg. 3. 8. et Mur. 35. 74.; Liv. 2. 1. et seqq., 4. 2. et 8. 32.; et Dig. 1. 2. 2. § 8. et alibi. Creati sunt primo e patriciis, qui soli auspicia habere credebantur: sed post bellum Gallicum, reclamante plebe, alter eorum plebejus creari cœptus est: primusque e plebe consul factus est P. Sextius Sextinus a. U. C. 388., ante Chr. n. 366., teste Liv. 6. 42. Eorum imperium annuum fuit, (in quo etiam cum Carthaginensium Sufetis conveniebant: cf. Nepot. Hann. 7.). Creabantur autem priusquam veteres consules suum annum finirent, comitiis centuriatis, per eosdem consules veteres, alterum ambosve, vel per interregem, aut dictatorem: et dicebantur *designati* donec magistratum inirent, quod Kal. Jan. fiebat. Insignia consulatus fuere eadem, quæ regum, trabea, prætexta, scipio eburneus, sella curulis, et duodecim lictores cuique, qui totidem fasces virgarum cum securibus præferebant. Ætas petendi honorem eum erat annus quadragesimus secundus, lege annali: quo anno qui obtinuisset, dicebatur consul factus *anno suo*: sed inibat anno sequenti. — Consules post consulatum provinciam suam sortiebantur, sed jus liberorum in causa interdum fuit, cur quis alicui prælatus fuisset. Fronto ad Antonin. Pium Ep. 8. p. 260. edit. Rom. De jure sortiendi, quoad incertum fuit, disceptavi, et postquam jure liberorum prior alius apparuit, eam, quæ mihi remansit, splendidissimam pro electa habui. — b) Jungitur aliquot Verbis, quorum præcipua sunt hæc. Cic. 9. Att. 9. 3.; Cæs. 3. B. C. 1.; et Liv. 2. 8. et 2. 2. creare consulem. Cic. 2. leg. Agr. 2. 4. et Mur. 1. 2. et 2. 3.; Sall. Cat. 24.; et Liv. 9. 40. extr. declarare. Sall. Cat. 25. designare. V. paullo infra *designatus* sub c. Liv. 27. 6. dicere. Cic. 2. leg. Agr. 1. 3. facere. Id. Mur. 1. 1. et 2. Orat. 64. 260. et Liv. 7. 26. renunciare. Cic. Mur. 32. 83. et 39. 85.; Vatinius apud Cic. 5. Fam. 10. 2.; et Liv. 2. 8. sufficere. V. paullo infra *suffectus* sub c. Cic. 5. Verr. 91. 212. esse pro consule. V. PROCONSUL. — c) Jungitur et aliquot Adjectivis, aut Adverbiis numeralibus. *Consul designatus* (Cic. 11. Fam. 6.) quis fuerit, diximus sub a. — *Majorem consulem*, cui erat præsidium in senatu et comitiis, (inquit Festus p. 161. 31. Müll.) L. Cæsar putat dici eum, penes quem fasces sint: porro fasces duodecim, licet amborum consulum essent, alternis tamen mensibus alterutri præferebantur, uti colligitur ex Liv. 2. 1. et 8. 12. ad fin., Sueton. Cæs. 15. et Gell. 2. 15., scilicet ne terror plebi duplicaretur. Sed jam inde ab initio *major consul* dictus est, qui major natu erat: Cic. 2. de republ. 31. 55., quocum cf. Val. Max. 4. 1. 1. et Gell. 2. 15. Alii vero, teste Festo p. 161. 31. Müll., putant *majorem* dici eum, qui prior factus sit: denique lege Julia, teste Gell. 2. 15., *major* censebatur, qui plures, quam collega, liberos haberet, aut qui maritus, collega cælibe. — *Consul ordinarius* dicebatur qui principio anni magistratum occipiebat: nam qui medio anni cursu in mortui loco succedebant, dicebantur *suffecti*: et pares quidem potestate erant, non tamen dignitate. Nam ab ordinarii nomine anni designabantur, non a suffecti. Liv. 41. 18.; Seneca 3. Ira 21.; Sueton. Cæs. 76. et 80. et Domit. 2.; Plin. Paneg. 38.; Pompon. Dig. 1. 2. 2. § 8.; Lamprid. Alex. Sev. 43.; et Inscript. apud Orell. 1187. Inter suffectos consules fuit Plinius Secundus, qui ob id panegyricum Trajano scripsit. Ceterum de consulibus suffectis XI. Kal. Mai., h. e. natali urbis Romæ, V. Zirardini ad Leg. Nov. p. 494. — Quoties aliquis pluries consul creabatur, dicebatur *iterum*, *tertium* etc. *consul*; ut apud Cic. 1. Divinat. 35. 77. Consul iterum. Liv. 3. 67. Consul tertium. Ennius apud Gell. 10. 1. Quartum consul. Cic. Brut. 18. 72. Q. Maximo quintum consule. Id. Pis. 9. 20. C. Mario consuli et sextum consuli. Id. 3. Nat. D. 32. 80. C. Marius septimum consul. — Raro admodum *tertio*, *quarto consul* dicebatur pro *tertium*, *quartum* etc. Claud. Quadrigarius apud Gell. 10. 1. C. Marium creatum septimo consulem. — Similiter raro admodum dicebatur *bis*, *ter*, *quater* etc. *consul*; ut apud Plin. Paneg. 60. Ter consul. Cic. 2. Divinat. 36. 77. M. Marcellus ille quinquies consul. Cf. Nepot. Hann. 5. — d) Cum imperium consulum annuum esset, ab eorum nomine numerus annorum signabatur: ita ut seriem consulum scire opus esset, si quo anno quippiam gestum fuisse intelligi vellet. Nepos Hann. 13. quibus consulibus. h. e. quo anno. Cf. Martial. 13. 111. quo consule. Cic. Cluent. 49. 137. In consules designatos. h. e. in annum proxime sequentem. V. Klotz ad h. l. vol. 1. p. 628. Id. Brut. 88. 287. Proximis consulibus. h. e. anno proxime præterito. Sueton. Cæs. 1. Sequentibus consulibus. h. e. anno proxime sequenti. Seneca Ep. 4. Multos consules inter magna bona numerare. h. e. multos annos. Ulp. Dig. 2. 13. 1. § 2. Edito die et consule. h. e. adscripto die et anno. Contra Id. ibid. Editiones sine die et consule fieri debent. Id. ibid. 2. 13. 2. pr. Adjecto die et consule. Id. ibid. 2. 13. 6. § 6. Habere diem et consulem. Lucan. 4. 379. ignoto consule. Martial. 8. 45. Amphora centeno consule facta minor. h. e. quæ habet centum annos. Cic. Brut. 18. 73. Ante hos consules. Id. ibid. 15. 60. his consulibus. Id. Brut. 18. 72. C. Claudio Caci filio et M. Tuditano coss. Cæs. 1. B. G. 2. M. Messala et M. Pisone coss. — Et loquendi ratione rhetorum propria Cic. Arch. 3. 5. Romam venit Mario consule et Catulo. Id. Brut. 43. 161. Cum ipse esset Q. Cæpione consule natus et C. Lælio. — Ceterum ad tempus definiendum sæpius efferuntur duo consulum nomina cum addito coss. Cic. 5. Att. 21. Profert senatusconsultum Lentulo Philippoque consulibus. Id. 1. ibid. 2. L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo coss. filiolo me auctum scito. Adde eumd. 1. Tusc. 1. 3. et Brut. 18. 73. et 20. 78.; Cæs. 1. B. G. 6. extr.; Nepot. Hann. 13.; aliosque sæpissime. — A Poetis vero, et in rebus parvi momenti etiam apud oratores, unius tantum consulis, dummodo insignis, nomen effertur. Catull. 111. 1. Consule Pompejo primum, facto consule nunc iterum. Adde Virg. 4. Ecl. 11. Horat. 3. Od. 8. 12. Consule Tullo. Adde Cic. Brut. 80. 287.; et Horat. 3. Od. 14. 28. et 3. ibid. 21. 1. Id. 3. ibid. 28. 8. Bibuli consulis amphora. Cf. Seneca Ep. 114. Vina tot consulum. Sic etiam in *tesseris gladiatoriis*, brevitatis causa interdum, sed raro, unus tantum consul refertur: V. Orell. Inscript. 3124., et cf. Borghesi Ann. dell'Instit. Archeol. a. 1840. p. 229.

II.) Improprie. ¶ 1. Ipse proconsul interdum dicitur *consul*, ut apud Liv. 31. 49., 38. 33. et 39. 35.; et Nepot. Cato 1. V. Perizonii animadvers. hist. p. 307., Kreyssig. Lexic. Livian. p. 137., et Tzschucke ad Eutrop. 3. 14. ¶ 2. Aliquando hoc nomen aliis etiam magistratibus in quibusdam urbibus tributum est. Plin. 7. Hist. nat. 43. 44. (136). L. Fulcius Tusculanorum rebellantium consul. Auson. Urb. 14. 39. Diligo Burdigalam, Romam colo: civis in hac sum, consul in ambabus. Al. aliter. leg. In veteri Inscript. apud Gruter. 429. 9. memoratur consul Barcinonensis. et 351. 5. consul coloniæ Astigitanæ. Tamen de consulibus municipalibus merito suspectis V. Orell. Inscript. 3775. - 3784. ¶ 3. *Consul* fuit appellatus Juppiter, quem Græci Δία βουλαῖον et βουληφόρον nuncuparunt, h. e. consiliarium. Vopisc. Firm. 3. Sellam constituerat facere, in qua Juppiter aureus et gemmatus sederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis, Apenninis sortibus additis, quem appellari voluerat Jovem consulem, vel consulentem. Apul. de Mundo. Nec ambigitur, Jovem præstantem atque sublimem sedem tenere, et poetarum laudibus nomen ejus consulum ac regum nuncupationibus prædicari.

CONSŬLĀRIS, e, adject. ad consulem, vel consulatum pertinens. — a) Generatim jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Quintil. 6. proœm. 13. adoptio consularis. h. e. ejus qui consul fuit. Cic. 5. Phil. 17. 48. ætas consularis. h. e. qua licet consulatum petere. V. Consul I. a. Liv. 3. 39. animus. Vellej. 2. 68. armis consularibus oppressus. h. e. exercitu, cui consul præfuit. Cic. Mur. 40. 86. auctoritas. Id. ibid. 1. 1. auspicia. Id. 9. Att. 9. 3. comitia. Plin. Paneg. 41. cura et sollicitudo. Plin. 30. Hist. nat. 7. 20. (63). domus consularis. h. e. in qua aliquis consul fuit. Liv. 3. 29. et 10. 25. exercitus. Cic. Planc. 24. 59. et Sueton. Cal. 36. familia. Liv. 2. 54. fasces. Spartian. Æl. Vero 5. extr. fasti consulares. h. e. in quibus nomina consulum per ordinem describuntur. Cic. Pis. 16. 38. et Sall. Cat. 58. extr. imperium. Cic. 2. leg. Agr. 6. 14. libido. Horat. 2. Od. 10. 9. lictor. Cic. 7. Phil. 5. 15. loco. Id. Rabir. perduell. 1. 2. officium. Liv. 34. 6. oratio. Cic. Dom. 9. 24. et Inscript. apud Orell. 3666. provinciæ consulares. h. e. quæ dantur administrandæ consulibus, vel tempore consulatus, vel postquam magistratu abierint: de his extat integra Ciceronis oratio. Liv. 4. 8. res operosa ac minime consularis. Plin. 18. Hist. nat. 11. 29. (111). via consularis. h. e. publica, quæ etiam prætoria dicitur, ut Ulp. Dig. 43. 8. 2. § 22. docet. Vellej. 2. 92. vindicta consularis. h. e. quæ sumitur a consule. Martial. 7. 79. vinum consulare. — b) Speciatim *consularia ornamenta*, vel *insignia*, et *consularia* absolute erant insignia consularis dignitatis, quæ imperatores interdum nonnullis concedebant, licet consules nunquam fuissent. Sueton. Cæs. 76. Decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit. Adde eumd. Claud. 5. Tac. 4. Hist. 4. Adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco prætoria insignia. Adde eumd. 13. Ann. 10. et Vellej. 2. 58. 3. — *Consulares feminas* dicimus consularium uxores. Adjicit Saturninus et matres: quod nec unquam relatum est, nec unquam receptum. Ita Ulp. Dig. 1. 9. 1. pr. et § 1., quocum cf. Sueton. Aug. 60. Constat etiam ex Lamprid. Elagab. 4. insecutis temporibus matronas aliquando consulares esse dictas, non ob maritorum suorum consulatum gestum, sed ex privilegio imperatorum, quod affines eorum essent, nec nobilitatos maritos habuissent, ne scilicet innobilitatæ remanerent. — Hinc

Consularis vir vel *consularis*, is, m. 3. absolute, substantivorum more, est qui aliquando consul fuit, ac propterea *consularis* dicitur etiam qui adhuc consul est, ut apud Cic. 4. Cat. 2. 3. et 2. Phil. 46. 11… V. Klotz ad Ciceronis Orationes vol. 3. p. 653. Occurrit autem

I.) Proprie. Cic. 12. Fam. 4. Egregios consules habemus, sed turpissimos consulares. Adde eumd. 8. Phil. 4. 14. Nepos Hann. 12. Ut legati Prusiæ apud L. Quintium Flamininum consularem cœnarent. Sall. Cat. 57. Consulares omnes itemque senatus magna pars. — Id vero locum habuit primo et secundo a Christi nativitate seculo, non tamen tertio et quarto, ut probavit Marinius Frat. Arv. p. 794. et 800.; et apud scriptores Latinos et in Inscriptionibus plures consulares legere est, qui vel ex familia, in qua honor consulatus fuerit, vel inter consulares adlecti ex imperatorum privilegio fuerunt. — Hinc

II.) Improprie. ¶ 1. *Consulares legati*, aut *judices* dicuntur, qui consularem potestatem ab imperatoribus acciplant, (sive fuerint consules, sive non) qua legati, h. e. rectores alicujus provinciæ, aut judicis munere funguntur. Sueton. Aug. 33. et 47., Tib. 41. et 63., Vesp. 8. et Domit. 6.; Tac. Agric. 8., 14. et 40.; et Spartian. Hadrian. 22. Hujus generis sunt, qui in plurimis Inscriptionibus leguntur apud Gruter. et Reines. Consularis Æmiliæ, Consularis Campaniæ, Siciliæ, Tusciæ etc., nempe earum provinciarum rectores cum potestate et ornamentis consularibus. ¶ 2. *Consulares aquarum* dicebantur earum curatores, ut ex pluribus Inscriptionibus arguit Marinius Frat. Arv. p. 806.

Consularia, ium, n. 3. absolute, substantivorum more, V. CONSULARIS sub b.

CONSŬLĀRĬTAS, atis, f. 3. dignitas consularis viri. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. 6. 19. 1. Qui consularitatis functi sunt dignitate. h. e. qui consulares alicujus provinciæ fuerunt. Adde eumd. 6. 27. 10., 9. 26. 4. et 12. 1. 74. § 4. Inscript. apud Fabrett. p. 99. n. 224. OFFICIVM SEDIS CONSVLARITATIS PROVINCIAE NVMIDIAE. Paulin. Nol. in Vita S. Ambros. 5. Post hæc consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam Æmiliamque provincias.

CONSŬLĀRĬTER, adverb. more consulis, vel ut consulem decet. Liv. 4. 10. extr. Quinque consulatus eodem tenore gesti, vitaque omnis consulariter acta, verendum pæne ipsum magis, quam honorem, faciebant.

CONSŬLĀRĬUS, a, um, adject. consularis. Jul. epit. nov. c. 98. § 350. Consularia dignitas.

CONSŬLĀTUS, us, m. 4. consulis munus ac dignitas; itemque tempus, quo quis consul est. Cic. Planc. 25. 60. Honorum populi finis est consulatus: quem magistratum jam octingenti fere consecuti sunt. Id. 7. Fam. 3. Qui toto suo consulatu somnum non viderit. Id. 2. Tusc. 17. 41. Consulatus ille antiquus. Cæs. 1. B. C. 22. Petitio consulatus. Adde Q. Cic. Petit. cons. 1. 1. Liv. 4. 10. extr. Quinque consulatus gesti. Adde Val. Max. 5. 7. 1. Vellej. 2. 12. 3. Multiplicati consulatus ejus. Plin. 14. Hist. nat. 15. 17. (97). In tertio consulatu suo. Sueton. Domit. 2. 2. In sex

consulatibus. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 3. *Phil.* 5. 12. abdicare se consulatu. *Id.* 1. *Att.* 16. 5. abire consulatu. *Sueton. Aug.* 10. accipere consulatum. *Cic. Mur.* 26. 53. adipisci consulatum. *Sall. Jug.* 63. appetere consulatum. *Cic. post red. in senat.* 11. 27. comprobare consulatum alicujus. *Id. Mur.* 24. 49. Jam exploratus et domi conditus consulatus. *Sueton. Cæs.* 23. et *Galb.* 3. fungi consulatu. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 8. 25. gerere consulatum. Adde *Sall. Jug.* 35. *Liv.* 2. 54. inire consulatum. *Cic. Mur.* 1. 1. obtinere. *Id. ibid.* 3. 7. petere. Adde *Sall. Cat.* 16. *extr.*; et *V.* supra *Cæs.* 1. *B. C.* 22. et *Q. Cic. Petit. cons.* 1. 1.

CONSULCO, as, are, a. 1. *Consulcare frontem* est corrugare. In suppositis *Plauti Bacch.* scena, quæ incipit: *Mirum hodie*, v. 2. Ronchos cient, consulcant frontem, et ore concrepario frequenter fremunt.

CONSŬLO, sŭlis, sŭlui, sultum, sŭlere, 3. Ratione habita etymi, *Forcellinus* deducit a *cum* et *salio*, ut proprie dicatur, cum plures eadem de re, quasi consilientes, sententias et consilia sua conjungunt. Rectius tamen hæc vox cum vocibus *consul* et *consilium* convenit. *V.* et CONSUS in ONOM. — Part. *Consulens* sub *A. a.*; *Consultus* in fin.; *Consulturus* (non *Consuliturus*, quod barbarismus est apud *Venant.* 8. *carm.* 4. *a med.*) sub *A. d.*; *Consulendus* sub *B.* II. 2. — Consulere usurpatur *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more consulere est consultare, deliberare, consultando ac deliberando habere rationem et curam alicujus rei (It. *consultare, deliberare, aver cura di qualche cosa deliberando*; Fr. *délibérer, se consulter, en consultant avoir soin de*; Hisp. *consultar, deliberar, proveer*; Germ. *sich berathen, Rath suchen und finden, Rath halten und beschliessen, berathend für etwas sorgen*; Angl. *to consult, deliberate, to provide for, take care of*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Nunc mihi magnæ curæ est, – ne quid in consulendo adversi eveniat. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 20. Quære alium tibi firmiorem, dum tibi tempus consulendi est. Adde *eumd. Adelph.* 5. 9. 25. *Sall. Cat.* 1. Et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. *consulto opus est* significat rem egere consilii et deliberationis; quo sensu occurrit etiam apud *Curt.* 10. 6. *Liv.* 21. 16. Ut tot uno tempore motibus animi turbati trepidarent magis, quam consulerent. Adde *eumd.* 8. 13. *extr.* et 30. 42. *Horat.* 2. *Od.* 1. 14. Insigne mœstis præsidium reis Et consulenti, Pollio, curiæ. — *b*) Cum additis Adverbialibus definitionibus. *Plaut. Trin.* 2. 1. 16. Eos petit (*amor*), eos sectatur, subdole ab re consulit. *Ter. Heaut.* 3. 2. 10. Ubi te vidi animo esse omisso, et suavia quæ in præsentia essent, prima habere, neque consulere in longitudinem. *Sall. Cat.* 50. Ira aut misericordia impulsum male consulere. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Legatus agere ad præscriptum, imperator libere ad summam rerum consulere debet. *Liv.* 27. 9. Redirent – et tamquam integra re – cum suis consulerent. *Id.* 25. 38. Cogor vestram omnium vicem unus consulere. *Tac.* 1. *Ann.* 24. Ut Drusum mitteret nullis satis certis mandatis ex re consulturum. *Justin.* 2. 15. Sapienter in rem consulere. — *In commune consulere* apud *Ter. Andr.* 3. 3. 16., *Liv.* 22. 21., *Curt.* 5. 9. 14. et 9. 1. 21. et 10. 6. 15., et *Tac.* 2. *Ann.* 6.; et *in medium* apud *Liv.* 26. 12., *Virg.* 11. *Æn.* 335., *Lucan.* 5. 46. et *Tac.* 2. *Ann.* 5.; et *in publicum* apud *Plin.* 9. *Ep.* 13. *ad fin.*; et *in unum* apud *Tac.* 1. *Hist.* 68. et 4. *ibid.* 70. significant in commune bonum sententiam proferre, et quod omnibus utile sit, deliberare. — *c*) Occurrit etiam *consulere de aliquo* vel *de aliqua re*, vel cum additis Adverbialibus locutionibus. *Cic. Sull.* 22. 63. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat. *Id.* 7. *Att.* 13. 3. Aliter enim mihi de illis, ac de me ipso, consulendum est. *Sall. Cat.* 51. Postquam bello confecto de Rhodiis consultum est. *Id. Jug.* 105. Consulere de communibus negotiis. *Quintil.* 3. 8. 10. De quo quis consulit. *Tac.* 4. *Ann.* 40. Omnibus de rebus consulere. — Hinc *male de aliquo* vel *in aliquem consulere* est statuere, decernere aliquid, quod ei incommodum sit: et metonymice animadvertere, punire, male tractare. *Sall. fragm.* 1. *Hist.* apud *Augustin.* 2. *Civ. Dei* 18. Servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere. *h. e.* necare aut virgis cædere, tamquam si reges essent. *Liv.* 30. 43. *extr.* De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum: nominis Latini qui erant, securi percussi: Romani in crucem sublati. Adde *eumd.* 28. 29. *Id.* 3. 36. Consulere in aliquem libidinose crudeliterque. *Id.* 8. 13. crudeliter in deditos victosque. Adde *Justin.* 1. 7. et 5. 3. Sic *Tac. Agric.* 16. arroganter in deditos. Cf. infra sub *B.* I. 1. — Huc referri potest et illud *Plaut. Bacch.* 3. 6. 36. Occiperes tute amare, et me ires consultum male. *h. e.* mihi consuleres male, injuriam faceres: namque τὸ *me* pro *mihi* positum est, quemadmodum antiquos consuevisse, monet *Festus* p. 161. 6. *Müll.* — *d*) Cum Dativo personæ aut rei significat habere rationem et curam alicujus personæ aut rei, tueri, providere, prospicere. *Plaut. Trin.* 3. 2. 9. Tuæ rei bene consulere cupio. *Id. Asin.* 5. 2. 88. Dicebam, pater, tibi, ne matri consuleres male. *Ter. Heaut.* 4. 3. 37. Tu fortasse quid me fiat parvi, dum illi consulas. *Id. Hecyr.* 4. 4. 20. Qui mi consultum optime velit esse. *Cic.* 1. *Off.* 25. 85. Qui parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem. *Cæs.* 7. *B. G.* 12. Legati venerunt oratum, ut sibi ignosceret suæque vitæ consuleret. *Liv.* 2. 24. Ibi curæ patribus esse ostendit, ut consulatur plebi. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 1. Vinitor tria præcipue custodiat: primum, ut quam maxime fructui consulat, etc. *Id.* 3. *ibid.* 2. 2. At ubi vino consulimus, vitis eligitur, quæ et in fructu valet et in materia. *Propert.* 4. 4. 10. Ite et Romanæ consulite historiæ. *Ovid.* 14. *Met.* 374. dea consule nostris Ignibus. *h. e.* amori nostro. *Justin.* 6. 6. Consulere laboribus Græciæ et internecivis odiis. *h. e.* efficere, ut Græcia laboribus et calamitatibus levetur, et odia bellorum tollantur. *Tac.* 2. *Ann.* 26. Romanæ ultioni consultum est. *h. e.* effectum, ut ulcisci posset. — Jungitur et aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sall. Cat.* 33. civibus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. § 27. commodis et utilitati alicujus consulere, saluti que servire. *Liv.* 34. 49. concordiæ. *Cic.* 11. *Fam.* 20. 1. dignitati suæ. *Sall. Jug.* 33. dignitati magis quam iræ. *Cic. Cæl.* 9. 21. dolori potius quam fidei vestræ. *Id.* 5. *Verr.* 57. 131. existimationi suæ. *Id.* 3. *Fin.* 17. 57. famæ. Cf. *Sall. Cat.* 51. iræ magis quam famæ. *Cic.* 2. *Phil.* 2. 3. melius famæ, melius pudicitiæ. *Liv.* 2. 24. fortunis civium suorum. *Quintil.* 3. 1. 21. labori alicujus. *Liv.* 4. 24. libertati populi Romani consulturus. *Sall. Jug.* 98. militibus. *Cic.* 2. *Fam.* 18. *extr.* otio posteritatis consulere. *h. e.* providere, ut posteritas otio fruatur. *Nepos Epam.* 10. patriæ in aliqua re male consulere. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 60. pudori. *Id.* 5. *Verr.* 7. 16. pupillo. *Id.* 7. *Fam.* 2. rationibus alicujus prospicere et consulere. *Cæs.* 2. *B. G.* 60. receptui. *Sall. Cat.* 37. reipublicæ juxta ac sibi. *Tac.* 14. *Ann.* 22. quieti nobis. *Cic.* 4. *Fam.* 9. *extr.* temporibus et incolumitati et vitæ et fortunis suis. *Cæs.* 1. *B. C.* 69. timori magis, quam religioni perterritus miles consulere consuevit. — Sic *consulere saluti suæ*, et *consulere sibi*, et *consulere rebus suis*, sæpe dicitur in extremis periculis et re desperata, cum quis omnia facit sui unius tuendi causa, relicta aliorum cura. Exempla habes apud *Cæs.* 5. *B. G.* 27., 6. *ibid.* 30., 7. *ibid.* 66. et alibi, et apud *Sall. Jug.* 58., 62. et 88.; *Horat.* 1. *Ep.* 17. 1.; *Nepot. Themist.* 8. et *Att.* 21. et *Lysandr.* 2.; et *Liv.* 29. 7. etc. Simile est *sibi consilium capere* apud *Cæs.* V. CONSILIUM. — Similiter *tibi consultum optime esse volo*, apud *Ter. Phorm.* 1. 2. 1., est omnia cupio tua causa. Adde *Trajan.* apud *Plin.* 10. *Ep.* 106. — *e*) Raro absolute ac sequente part. *ut* vel *ne*. *Cic.* 3. *Verr.* 58. 153. Consulere viri ac prospicere debemus, ut etc. Adde *eumd.* 2. *Cat.* 12. 26. *Virg.* 9. *Æn.* 322. Tu ne qua manus se attollere a tergo possit, custodi et consule longe.

B) Active usurpatur I.) Cum Accusativo rei, quam deliberamus; et II.) Cum Accusativo personæ aut rei, a qua consilium petimus.

I.) Cum Accusativo rei, quam deliberamus, occurrit ¶ 1. Generatim et est consulendo statuere, decernere. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 6. Quid in concilio consuluistis? *Id. Pers.* 5. 2. 63. Certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt quid faciant. *Id. Truc.* 1. 2. 7. Consulta sunt consilia. *Id. Trin.* 2. 3. 4. Qui nil aliud, nisi quod sibi soli placet, consulit adversum filium. *Ter. Heaut.* 3. 1. 28. Pessime istuc in te atque in illum consulis, si etc. *Id. Adelph.* 1. 2. 47. Tun' consulis quidquam? *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 16. 1. Per liberos te oro, ne quid gravius de salute tua consulas. Cf. *Liv.* 26. 33. *Sall. Cat.* 51. Quæ reges atque populi – male consuluerint. *Liv.* 45. 8. In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet. Cf. sub *A. c.* — Et sequente Relativo. *Plaut. Rud.* 1. 4. 6. Nec quo eam, nec qua quæram consultum est mihi. *h. e.* ego scio, compertum est mihi. *Ter. Phorm.* 1. 3. 22. Cui de integro est, potestas etiam consulendi quid velis. *Cæs.* 7. *B. G.* 83. Bis repulsi Galli, quid agant, consulunt. *Liv.* 22. 29. Eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit. ¶ 2. Speciatim *consulere aliquid* est in consultationem adducere, examinare, cognoscere consilii capiendi causa. *Plaut. Most.* 5. 1. 43. Est consulere quiddam quod tecum volo. *Ter. Phorm.* 5. 1. 7. Ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret. *Cic.* 11. *Att.* 14. 2. Sed tamen aliquid consuli et prospici poterit. *Id.* 2. *ibid.* 16. 4. Nondum meas litteras legerat, quibus ad eum, re consulta et explorata, perscripseram. *Sall. Cat.* 52. Neque parari, neque consuli quidquam occulte potest. *Virg.* 11. *Æn.* 343. Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem Consulis, o bone rex. ¶ 3. Quia vero postquam consultaveris, judicare opus est ac statuere, etiam hunc sensum *consulo* habet, uti diserte *Quintil.* 1. 6. 32. et *Paul. Diac.* p. 41. 7. *Müll.* docent. Hinc est illud *boni consulere*, hoc est bonum judicare, bonum esse putare, atque adeo in bonam partem accipere. *Quintil. loc. cit.* Sitne consul a consulendo, an a judicando: nam et hoc consulere veteres appellaverunt: unde adhuc remanet illud: *Rogat, boni consulas*, idest bonum judices. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Eane fieri bonis bono genere gnatis boni consuluitis? *Ovid.* 3. *Pont.* 8. 23. Quæ quamquam misisse pudet, quia parva videntur; Tu tamen hæc, quæso, consule missa boni. Adde *eumd.* 4. *Trist.* 1. 106. *Plin.* 33. *Hist. nat. præfat.* 2. (4). Quærebat argentum avaritia: boni consuluit interim invenisse minium. Adde *Senec. Ep.* 9. et 75.; et *Quintil.* 8. *proœm.* 15. *Apul.* 8. *Met.* boni et optimi consulere *dixit*.

II.) Cum Accusativo personæ aut rei, a qua consilium petimus, usurpatur ¶ 1. Generatim, et quidem — *a*) Cum Accus. tantum personæ aut rei. *Cic.* 2. *Verr.* 11. 32. Nunc ego, judices, jam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. *Id.* 9. *Fam.* 26. Quid ergo faciam? te consulo, qui philosophum audis. *Curt.* 10. 6. 10. Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum eligi. Adde *Sueton. Aug.* 18. et 65. et *Cal.* 33. — Sic *Cic.* 11. *Fam.* 29. Consulere aliquem per litteras. *Id.* 1. *ad Brut.* 4. Quod me de Antonio consulis, puto etc. *Nepos Eumen.* 6. Mittere litteras et nuncios consultum, utrum etc. *Sueton. Aug.* 99. Versum compositum ex tempore pronunciavit, conversusque ad Thrasyllum, interrogavit, cujusnam putaret esse? quo hæsitante, subjecit alium: de hoc quoque consuluit. *subaudi* Thrasyllum: *h. e.* interrogavit, quæsivit sola sciendi causa. *Id. ibid.* 18. Consultus, num et Ptolemæum inspicere vellet. *Id. ibid.* 65. Neque adiri a quopiam, nisi se consulto, permisit. — Et de rebus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 136. quod quamque decebit, Eligat, et speculum consulat ante suum. Cf. *eumd.* 4. *Met.* 312. *Id.* 1. *Art. am.* 251. Consule de gemmis, de tincta murice lana, Consule de facie corporibusque diem. *h. e.* lucem exspecta, ut de gemmis, etc. judices. *Martial.* 9. 60. Consuluit nares, an olerent æra Corinthon. *Quintil.* 10. 2. 18. In suscipiendo onere vires suas consulere. *h. e.* videre num satis virium habeas. *Id.* 4. 2. 52. Consulere animum suum. *Id.* 9. 4. 93. aures suas. — *b*) Cum Accus. personæ, a qua consilium petimus, et Accus. rei, de qua consilium petimus. *Plaut. Men.* 4. 3. 26. Ibo et consulam hanc rem amicos, quid faciendum censeant. *Cic.* 7. *Att.* 20. 2. Nec te id consulo. *Petron. Satyr.* 38. Consulere prudentiorem cœpi ætates tabularum. V. *Zumpt.* ad *Curt.* 6. 28. ¶ 2. Speciatim occurrit de sacerdotibus, oraculis, vel diis, a quibus futuræ sortes quæruntur. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Amph.* 5. 1. 76. Ego Tiresiam conjectorem advocabo, et consulam quid faciundum censeat. *Cato R. R.* 5. Haruspicem, augurem, hariolum, Chaldæum ne quem consuluisse velit (*villicus*). *Cic.* 2. *Legg.* 16. 40. De quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas religiones etc. Sic *Sueton. Ner.* 40. Consulto Delphis Apolline. *Cic.* 2. *Divinat.* 4. 11. Num quis haruspicem consuluit, quemadmodum sit cum amicis viven-

dum? Adde Sueton. Tib. 63. Liv. 2. 42. extr. Consulere vates extis, per aves. Virg. 4. Æn. 64. spirantia consulit exta. h. e. inquirit in extis, quid dii portendant. Adde Ovid. 15. Met. 576. Rursus Virg. 7. Æn. 83. lucos. Ovid. 4. Fast. 158. anum Cumæam. Id. 1. ibid. 180. aves. Id. 2. ibid. 336. et Tac. 14. Ann. 30. deos. Ovid. 11. Met. 412. sortes. Id. 3. ibid. 9. oracula. Sueton. Vesp. 5. oraculum. Id. Aug. 94. mathematicos. Id. Domit. 16. Consultus haruspex de fulgure. Justin. 11. 7. Profectus ad consultandos augures vicinæ urbis. — b) Absolute. Cic. 1. Divinat. 17. 32. Id possetne fieri, consuluit. Cæs. 1. B. G. 53. Is se præsente de se ter sortibus consultum dicebat. ¶ 3. Item speciatim locum habet in re publica, et dicitur *consulere senatum, populum, plebem de aliqua re*, vel *consulere aliquam rem*, vel etiam *consulere* tantum. Porro *consuli populus* dicebatur, cum solemni illa formula, *Velitis, jubeatis*, rogabatur, utrum vellet, juberet aliquid fieri. Festus p. 266. 2. Müll. Rogatio est, cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus etc. Cic. Mil. 7. 16. Nihil de ejus morte populus consultus, nulla quæstio decreta a senatu est. Adde eumd. Dom. 27. 71.; et Sall. Jug. 15., 39. et 62. Liv. 6. 39. Consulere plebem in omnia simul. Id. 31. 7. 48. Quirites, utrum etc. Sall. Jug. 66. Senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decrevit. Id. Cat. 48. Itaque consulente Cicerone senatus censuit. Cic. 3. Legg. 4. 11. Ne plus quam de singulis rebus simul consulunto. Id. 10. Fam. 22. 2. Cum ea, quæ consulebantur, ad exitum non pervenirent. Liv. 2. 28. Eam rem coss. ad senatum deferunt; sed delatam consulere ordine non licuit: adeo tumultuose excepta est clamoribus. ¶ 4. Item pertinet sæpe hoc sensu ad JCtos, quos consulere dicimur, cum ex iis juris rationem sciscitamur. Hinc *Licet consulere?* formula erat adeuntium Jurisconsultos juris consulendi causa, vel petentium ut jus suum persequi liceret judicioque experiri. Cic. Mur. 13. 28. Itaque non modo beneficii collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquamdiu fuit, *licet consulere?* jam perdidistis. Horat. huc spectasse videtur 2. Sat. 3. 192. Ergo consulere, et mox respondere, licebit? Consule. Cic. Quinct. 17. 54. Ego pro te nunc hos consulo, post tempus et in aliena re, quoniam tu in tua re, dum tempus erat, consulere oblitus es. Id. Orat. 42. 143. Ut – eodem tempore et discentibus satisfacerent et consulentibus. Adde eumd. ibid. 16. 53., Cæcin. 24. 68. et Mur. 11. 25. Liv. 39. 40. de Catone. In pace, si jus consuleres, peritissimus. h. e. si eum de jure consuleres. Quintil. 6. 3. 92. Consulere aliquem, an suaderet etc. — Hinc *qui consuluntur* sunt ipsi JCti. Cic. 1. Legg. 4. 14. Quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? Id. 3. Verr. 46. 130. Quam inanes domus eorum, qui de jure civili consuli solent. Id. 7. Fam. 11. ad Trebat. JCtum. Consuli quidem te a Cæsare scribis; sed ego tibi ab illo consuli mallem. (ubi utramque sciscitandi juris et prospiciendi significationem festive conjunxit). — Hinc Part. præter. pass.

Consultus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Consultior* et Sup. *Consultissimus* 1. et 3. — Consultus occurrit ¶ 1. De rebus, et est consultando examinatus, perpensus, consilio discussus, adeoque etiam consultando constitutus. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 5. Bene consultum consilium. Sic Paul. 1. Sentent. 9. § 6. Consulto consilio. Et Gell. 6. 17. Consultâ operâ. h. e. certo consilio, dedita opera. Cic. 1. Orat. 58. 250. Quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. Sall. Jug. 97. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur. Ovid. 1. Art. am. 461. Verba consulta. h. e. perpensa: at al. rectius leg. *consueta*. Paul. Dig. 2. 15. 15. Consultius est huic pœnalem quoque stipulationem subjungere. h. e. melius est. Petron. Satyr. 88. Ubi sapientiæ consultissima via? h. e. omnium consilio probata. Fragm. Vatic. § 273. Ratione consultissima. Sic *lex consultissima* vocatur in Fragm. Cod. Theod. (edente A. Peyronio) 5. 13. 17. quæ providentissime constituta fuit ab Juliano Aug. de fundis emphyteuticis. Cf. Stat. 1. Achill. 81. ratus ordo deis, miscere cruentas Europæque Asiæque manus, consultaque bella Juppiter et tristes edixit cædibus annos. h. e. consultando constituta, consulto decreta. ¶ 2. De personis est doctus, peritus in aliqua facultate, ac præcipue in scientia juris. Cic. Mur. 11. 25., et 12. 26. et 27., 1. Orat. 48. 212., 2. ibid. 33. 142. et alibi; et Nepos Cat. 3. Juris consultus. Horat. Art. P. 369. consultus juris et actor Causarum. Cic. 9. Phil. 5. 10. Juris magis quam justitiæ consultus. Liv. 10. 22. Juris atque eloquentiæ consultus. Id. 1. 18. Consultissimus vir omnis divini et humani juris. Cf. Gell. 1. 13. Id. Gell. 11. 18. Jure consultus. Horat. 1. Od. 34. 3. Insanientis sapientiæ consultus. Colum. 11. R. R. 1. 12. Universæ disciplinæ consultus. — Et absolute Tertull. 2. advers. Marcion. 2. Consultiores sibimet videntur Deo. h. e. putant se plura scire, quam Deus. Ceterum apud optimos Scriptores ¶ 3. Quia Juris professores sunt, qui præ ceteris adiri et consuli solent, consilii petendi causa, hinc *consultus* absolute significat peritum in scientia juris. Cic. Cæcin. 27. 78. Ita justus et bonus vir est, ut naturâ, non disciplinâ consultus esse videatur. Id. Brut. 40. 148. Consultorum alterum (*Scævolam*) disertissimum, disertorum alterum (*Crassum*) consultissimum fuisse. Horat. 1. Sat. 1. 16. eris tu, qui modo miles, Mercator: tu consultus modo, rusticus. Adde eumd. 2. Ep. 2. 87.; Ovid. 1. Art. am. 83.; et Quintil. 7. 6. 1. — NB. In illo Lucretii 2. 97. Partim intervallis magnis consulta resultant; τὸ *consulta* quidam exponunt coacta, quasi consiliendo calcata. Alii vero rectius leg. *conflicta*. — Hinc

Consultum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Generatim est decretum, constitutio consultando statuta. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 6. Nam bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui. γνώμη. Cf. Gell. 14. 1. Cic. 1. Legg. 24. 62. Facta et consulta fortium et sapientium monumentis prodere. Id. 2. Fin. 32. 105. Si prima quæque ab eo consulta atque facta ipsius oblivione obruerentur. Sall. apud Non. p. 239. 6. Merc. Facta consultaque Alexandri. Virg. 11. Æn. 410. Nunc ad te et tua magne, pater, consulta revertor. Liv. 10. 39. Approbare consulta alicujus. Id. 3. 62. Consulto collegæ. Al. leg. consultu. Sil. It. 7. 35. Consulta fervida Gracchi. Id. 7. 560. Consulta pacata. Tac. 1. Ann. 40. Satis superque mollibus consultis peccatum. Id. 6. ibid. 6. Sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur. — Hinc Cic. 2. Herenn. 30. 49. Ex consulto fit aliquid. h. e. sapienter, considerate, cogitato, quasi petito consilio et re consulta. V. CONSULTO. ¶ 2. Speciatim consulta sunt consilii petitiones, quæ diis atque oraculis fiunt. Virg. 6. Æn. 151. Dum consulta petis, nostroque in limine pendes. Tac. 2. Hist. 4. Titus Veneris oraculum de se et per ambages interrogat. Sostratus sacerdos, ubi læta et congruentia exta, magnisque consultis annuere deam videt, etc. ¶ 3. Item speciatim *senatus consultum* vel conjuncte, sed minus recte, *senatusconsultum* est sententia et decretum senatus, ut docet Pompon. Dig. 1. 2. 2. ante med. Quia difficile plebs convenire cœpit, necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit: ita cœpit senatus se interponere: et quidquid constituisset, observabatur: idque jus appellatur senatus consultum. Cic. 1. Cat. 1. 3. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave. Id. 2. ad Q. fr. 8. ad fin. Senatus consultum est factum de ambitu in Afranii sententiam. et ibid. 3. 3. Ad Apollinis senatus consultum factum est, ea quæ facta essent a. d. VIII. Id. contra rempublicam esse facta. et ibid. Eodem die senatus consultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut etc. Id. 2. Fam. 7. 4. Ut senati consultum et leges defendas. Al. leg. senatus. V. SENATUS sub init. Id. 11. Phil. 12. 31. Interea provinciæ ab iis, a quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex senatus consulto successum sit. Adde eumd. 1. Att. 14. 5. et Gell. 1. 23. extr. Vopisc. Aurelian. 20. Aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est senatus consultum. — Formulam S. C. habes apud Cic. 5. Phil. 13. 36., Cæl. ad Cic. 8. Fam. 8. 5., et seq. Gell. 15. 11., Macrob. 1. Saturn. 12., et Frontin. Aquæd. 127. — Interdum duo hæc vocabula alio sejunguntur, aut pro *senatu* verbum aliud ponitur ejusdem significationis. Cic. Harusp. resp. 8. 16. Senatus extare consulta. Id. 1. Att. 14. 2. Omnia illius ordinis consulta. h. e. senatus. Id. 14. Phil. 13. 31. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus. Horat. 1. Ep. 16. 40. vir bonus est quis? Qui consulta patrum, qui leges juraque servat. Plin. 3. Hist. nat. 20. 24. (138). Vetere consulto patrum. — Etiam *senatus auctoritas* decretum senatus erat: cum eo tamen discrimine, quod cum senatus legitimus, id est quo loco, die, numero, et a quo magistratu oporteret, habitus, quippiam decreverat, tum, si tribunorum plebis nemo intercedebat, rata senatus voluntas erat, et *senatus consultum* dicebatur, eoque inscriptum publicis tabulis consignabatur et ad ærarium deferebatur. Sin quippiam horum deerat, infirmum illud decretum erat, nec *senatus consultum*, sed *auctoritas* vocabatur, propterea quod auctoritatem quamdam publicis tabulis testata senatus voluntas habere videbatur. In formul. S. C. apud Cæl. ad Cic. 8. Fam. 8. SI QVIS HVIC INTERCESSERIT, SENATVI PLACERE, AVCTORITATEM PERSCRIBI ET DE EA RE AD SENATVM POPVLVMQVE REFERRI. Cic. 1. ibid. 7. ante med. Senatus consultum nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit; eaque, quæ de ea scripta est, auctoritas cui scis intercessum esse, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur. Liv. 4. 57. Si quis intercedat senatus consulto, auctoritate se fore contentum. Sueton. Aug. 94. Senatum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, curasse, ne senatus consultum ad ærarium deferretur. — Interdum tamen senatus auctoritas S. C. significat. Cic. Dom. 37. 99. Ex senatus auctoritate et senatum et omnes bonos meæ salutis causa mutata veste vidi. Ex ejus autem orat. Planc. 35. 87. et Sext. 11. 26. et 12. 28. aperte colligitur, de ea re S. C. factum fuisse. Id. 2. Legg. 15. 37. Senatus auctoritas de Bacchanalibus. Ex Livio autem constat, senatus illud consultum fuisse. Adde eumd. Ciceronem 11. Fam. 7. et 15. ibid. 2. — De S. C. tacito, V. TACITUS in hoc Lexico. — Denique *senatus consultum* appellatur etiam cujusdam Græci consilii decretum a Cic. 6. Verr. 65. 146. V. SENATUS.

Homonym. Inter *consulta* et *decreta* hoc videtur esse discrimen (tametsi non perpetuum), quod illa sint, quæ de plurium sententia statuuntur; hæc, quæ quis solus sine aliorum consilio. Sall. Jug. 11. Oportere quinquennii consulta et decreta omnia rescindi.

CONSULTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus consultandi, et duo præcipue significat, scilicet *A*) Actum plurium hominum, qui de aliqua re inter se agunt eamque perpendunt; et *B*) Actum consilii petendi.

A) Consultatio est actus, quo plures studiose de re aliqua inter se agunt eamque perpendunt; et occurrit ¶ 1. Generatim. Ter. Hecyr. 4. 4. 23. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio est. Cic. 2. Invent. 25. 76. Res venit in aliquam consultationem. Adde eumd. 3. Off. 12. 50. (ubi *consultationi* ἐκ τοῦ παραλλήλου additur *deliberatio*) et 3. Herenn. 2. 2. Sall. Jug. 27. Prolatare consultationes. Liv. 9. 2. Ea modo consultatio erat. Adde eumd. 24. 28. Id. 36. 7. Circa hanc consultationem disceptatio omnis vertitur. Id. 2. 3. Per aliquot dies ea consultatio tenuit. Sueton. Ner. 41. Transigere raptim consultationem. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est quæstio infinita. Cic. Partit. orat. 1. 4. Quæstio quasnam habet partes? C. F. Infinitam, quam consultationem appello; et definitam, quam causam nomino. Adde eumd. ibid. 18. 63. et 19. 67., 3. Orat. 28. 109.; et in plur. num. eumd. 3. Orat. 29. 111.; et Quintil. 3. 8. 28. et 55. et 59.

B) Est actus consilii petendi, et occurrit ¶ 1. Generatim. Cic. 8. Att. 4. 3. Ego navem paravi: tuas litteras tamen exspecto, ut sciam, quid respondeant consultationi meæ. Sueton. Tib. 14. De consultationibus talos aureos in Aponi fontem jacere. ¶ 2. Speciatim apud JCtos est quæstio, seu facti species, quæ juris perito proponitur decidenda. Cic. Topic. 17. 66. Juris periti copiose de consultationibus suis disputant. Adde eumd. 2. Orat. 33. 142. Modestin. Dig. 31. 35. Respondit, ex verbis consultationi insertis, Mævium etc. — Similiter consultationes dicuntur, quæ a magistratibus aliquid de jure dubitantibus referuntur ad imperatores. Ulp. Dig. 4. 4. 11. § 2. Prætor quia dubitabat, ad imperatorem Severum retulit: ad quam consultationem rescripsit etc. Adde ibid. 28. 1. 37. et alibi.

CONSULTĀTOR, ōris, m. 3. qui consultat, hoc est petit consilium ab aliquo: V. voc. præced. sub *B*. 2. Pompon. Dig. 1. 2. 2. § 35. Ceteri adhuc in latenti jus civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus, potius quam discere volentibus se præstabant. Adde Quintil. 6. 3. 87., ubi al. leg. *consultor*.

CONSULTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad consultan-

dum pertinens. *Hostia consultatoria*, apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 5. est, qua voluntas deorum per exta disquiritur. Est qui legit *consultoria* eodem sensu.

CONSULTĀTUS, a, um. *V.* CONSULTO, as.

CONSULTĒ, adverb. Comp. *Consultius* et Sup. *Consultissime.* 1. — Consulte est considerate, provide, quasi petito consilio et re consulta. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Rud.* 4. 7. 14. Qui consulte, docte, atque astute cavet. *Liv.* 22. 38. Caute ac consulte gerere aliquid. *Id.* 22. 24. Ferocius, quam consultius rem gerere. *Tac.* 2. *Hist.* 24. Avidius, quam consultius properare. *Capitolin. Pertin.* 7. Annonæ consultissime providit. Adde *Cod.* 5. 38. 1.; *Cod. Theod.* 15. 1. 28.; et *Dig.* 28. 7. 8. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro consulto, sive de industria. *Spartian. Hadrian.* 2. Diu detentus, fractoque consulte vehiculo tardatus. Adde *Cod.* 5. 51. 4.

CONSULTŌ, adverb. quod latiori sensu tantum occurrit pro cogitato, de industria (It. *a bella posta, consigliatamente, consideratamente*; Fr. *exprès, à dessein, avec intention, de propos délibéré*; Hisp. *expresamente, con intento*; Germ. *nach vorausgegangenem Beschlusse, vorsätzlich, absichtlich*; Angl. *wisely, designedly, on purpose*). *Plaut. Poen.* 3. 5. 43. Consulto hoc factum est, mihi ut insidiæ fierent. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 85. Sunt qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fecisse consulto. *Id.* 1. *Off.* 8. 27. Utrum perturbatione aliqua animi, an consulto et cogitate fiat injuria. Adde eumd. 1. *Legg.* 8. 25. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Longior consulto ab Ambiorige instituitur sermo. Adde eumd. *ibid.* 16. et 50.; et *Sall. Jug.* 60. et 64. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 13. atque Extenuantis eas (*vires*) consulto. Adde *Liv.* 3. 28.; *Quintil.* 8. 4. 19.; *Tac.* 4. *Ann.* 16.; et *Sueton. Cæs.* 56.

CONSULTO, as, āvi, ātum, are, 1. *frequentat.* a consulo. Part. *Consultans, Consultatus* et *Consultandus* sub *B.* — Consulto est studiose consilia confero, delibero, mutuo consilia peto (It. *consultare, dimandar consiglio*; Fr. *consulter, demander conseil*; Hisp. *consultar, tomar ó pedir parecer*; Germ. *mit allem Eifer Rath halten oder Berathung pflegen*; Angl. *to ask advice, consult*) et occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more usurpatur — a) Absolute. *Plaut. Truc.* 2. 1. 15. Male corde consultare, bene loqui linguâ. *Id. Curc.* 1. 3. 51. nimium diu. *Liv.* 9. 9. Ad consultandum arcessere aliquem. Adde *Quintil.* 3. 8. 15. et *Sueton. Ner.* 15. — b) Addito per Relativum re, de qua plures consultant. *Cic.* 16. *Att.* 8. Consultabat, utrum Romam proficisceretur, an etc. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. Tum autem aut anquirunt, aut consultant, conducat id, nec ne, etc. Adde *Sall. Cat.* 52. et *Liv.* 6. 19. — c) Addita per præpositionem aliquam re, de qua plures consultant. *Plaut. Asin.* 3. 1. 35. Consultare ex sua re. *Cic.* 3. *Off.* 2. 7. Deliberare et consultare de officio. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Incommodo illo de Sabini morte perlato, omnes fere Galliæ civitates de bello consultabant. Adde eumd. 7. *ibid.* 77.; *Liv.* 10. 25. et 38. 14.; *Sueton. Ner.* 2.; et figurate *Quintil.* 3. 8. 6. *Sall. Fragm. Hist.* 4. 16. *p.* 241. *Gerlach.* et *Tac.* 2. *Hist.* 37. Consultare in medium. *Plin.* 3. *Ep.* 8. 18. in commune. Adde eumd. 6. *ibid.* 16. et *Melam* 1. 8. 4. *Tac.* 2. *Ann.* 28. et 6. *ibid.* 21. super aliqua re. *Quintil.* 3. 8. 18. propter aliquam rem. — d) Addita per Dativum personæ aut re, cui consultando providetur ac prospicitur. *Sall. Cat.* 6. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum, reipublicæ consultabant. *Aurel. Vict. Cæs.* 15. extr. Maribus frustratus, filiæ viro reipublicæ consultavit.

B) Active occurrit — a) Cum Accusativo rei, quæ consultando examinatur, perpenditur. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 35. Quid illæc illic in consilio duæ secreto consultant? *Cic.* 3. *Herenn.* 2. 2. Deliberationes partim ipsæ propter se consultandæ sunt. Adde *Liv.* 1. 21. et 1. 55. *Sil. It.* 6. 455. Quæ consultata senatus. *h. e.* deliberationes, senatus consulta. *Gell.* 1. 23. Cum in senatu res major quæpiam consultata est. *Id.* 1. 3. Multa cum animo meo ad casum tam ancipitem consultans. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. *Mela* 1. 8. 4. Nihil in commune consultare. — b) Cum Accusativo personæ, a qua consilium petitur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 4. Quid me consultas, quid agas? *Tibull.* 1. 4. 77. me, qui spernentur amantes, Consultent: cunctis janua nostra patet. *Dig.* 48. 1. 1. § 2. Consultare principem. *Plin. Paneg.* 76. ad *fin.* Consultare aves, revererique numinum monitus.

CONSULTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Consultatus est* pro *consultavit*, *h. e.* consilium petiit, est *Tertull. advers. Hermog.* 18. ex *Isajæ c.* 40. 14.

CONSULTOR, ōris, m. 3. qui consultat ac deliberat. Hinc ¶ 1. Qui secum ipse de aliqua re consultat. *Afranius* apud *Non. p.* 516. 8. *Merc.* Eaque ferme sedere (*lege* cedere) melius consultoribus, quam restrictim cogitata atque omnibus rationibus. ¶ 2. Item qui consulit, hoc est aliis consilium dat. *Versus antiquus* apud *Varron.* 3. *R. R.* 2. 1. Malum consilium consultori est pessimum. *Gell.* 4. 5. tradit, originem hujus proverbii ex eo ductam esse, quod cum in quodam prodigio Romæ expiando acciti Etrusci, contrariis religionibus data opera procurassent, proditi et delati ad populum, necati fuere. Ceterum *Vetus ille Poeta* apud *Varron.* videtur proverbium hausisse ab *Hesiod.* Ἔργ. καὶ ἡμ. *v.* 261. Idem proverbium paucis mutatis occurrit etiam apud *Sall. fragm. in Orat. Philippi in sen. p.* 162. 3. *Orell.* Denique prave consilia consultoribus noxæ esse. Cf. *Tac.* 6. *Ann.* 10. Sua exempla in consultores recidunt. *Sall. Jug.* 85. et 103. Consultor et socius periculi. *Id. in Orat. Licin. p.* 174. 16. *Orell.* Deum consultorem expectare. — Figurate *Id. Jug.* 68. Cupidine et ira pessimis consultoribus. ¶ 3. Denique consultor dicitur etiam qui consultat, hoc est consilium petit: et fere dicitur de iis, qui JCtos consulunt. *Cic. Mur.* 9. 22. Respondere consultoribus. *Id. Balb.* 20. 45. Scævola juris peritissimus, cum de jure prædiatorio consuleretur, consultores suos nonnumquam ad prædiatores rejiciebat. Adde eumd. 5. *Tusc.* 38. 112. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 9. Agricolam laudat juris legumque peritus, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. *Lucan.* 5. 107. Consultor dei. *h. e.* qui oraculum consulit.

CONSULTŌRIUS. *V.* CONSULTATORIUS.

CONSULTRIX, īcis, f. 3. quæ consulit, hoc est prospicit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 58. Natura non artificiosa solum, sed plane artifex a Zenone dicitur, consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium.

CONSULTUM, i. *V.* CONSULO in fin.

CONSULTUS, a, um. *V.* CONSULO.

CONSUM, comes, etc. Hæ formæ occurrunt tantum in *Not. Tir. p.* 7.; ceterum *V.* CONFUI.

CONSUMMĀBILIS, e, adject., qui consummari potest. *Seneca Ep.* 92. *a med.* Ratio in diis consummata est, in nobis consummabilis. *Prudent. Psychom.* 846. seu consummabilis ævi Perficiat lux plena viros.

CONSUMMĀTIO, ōnis, f. 3. consummandi actus, in unam summam collectio (It. *somma*; Fr. *la somme, le total*; Hisp. *suma*; Germ. *das zusammenbringen der Höhen und Grössen auf einen Punkt*; Angl. *a taking or collecting into one sum, the sum total*). Occurrit *A*) Stricto, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu. ¶ 1. Generatim. *Cels.* 1. 2. *extr.* Itaque non hæc, sed consummatio omnium (*ciborum*) nocet. *h. e.* complexus omnium simul. ¶ 2. Speciatim usurpatur de plurium numerorum summa. *Colum.* 12. *R. R.* 13. 7. Hac consummatione operarum colligitur, posse agrum ducentorum jugerum subigi duobus jugis boum totidemque bubulcis et sex mediastinis. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 23. 37. (121). Consummatio ambitus Europæ. *Pompon. Dig.* 21. 1. 36. Singulorum mancipiorum consummatio. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores *consummatio* (quæ διαλλαγή a quodam Gorgia rhetore appellatur) est, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur: quam *Rutilius* et *Celsus* inter schemata posuerunt. *Quintil.* 9. 2. 103.

B) Latiori sensu est perfectio, absolutio. *Colum. R. R. proœm.* 7. Ut res corporibus nostris, vitæque utilitati maxime conveniens, minime usque in hoc tempus consummationem haberet. *h. e.* ad perfectionem adducta fuerit. *Id.* 9. *R. R.* 2. 2. Consummatio susceptæ professionis. *Seneca Brevit. vitæ* 1. Vita in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. *Quintil.* 6. 1. 55. Epilogi et perorationis nomina ipsa aperte satis ostendunt, hanc esse consummationem orationis. *Id.* 2. 18. 2. Consummatio operis. *Plin.* 5. *Ep.* 12. Ut initium novæ liberalitatis esset consummatio prioris. *Dig.* 28. 4. 1. § 2. Consummatio testamenti. — *Consummatio primipili* est finis ac terminus ejus temporis, quo quis primum pilum ducens militare debuit. *Inscript.* apud *Murat.* 799. 6., quæ est apud *Orell.* 3453. ET PROPE DIEM CONSVMMATIONIS PRIMIPILI SVI DEBITVM NATVRAE PERSOLVIT. — *Consummatio gladiatorum* apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (22). est, cum singulare virtutis specimen edunt, propter quod rude donari merentur. *Harduin.* — *Consummatio alvi* apud eumd. 26. *ibid.* 8. 28. (43). est ejus ciborum confectio et in excrementa transmutatio.

CONSUMMĀTOR, ōris, m. 3. perfector. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 22. Alter initiator veteris Testamenti, alter consummator novi. Adde *Cyprian. de lapsis* 5.

CONSUMMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONSUMMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et summa). Part. *Consummans* sub *B.* 2.; *Consummatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Consummaturus* sub *B.* 2. — Consummo est in summam redigo, summam colligo (It. *ridurre in somma, sommare*; Fr. *additionner, faire la somme de*; Hisp. *sumar*; Germ. *die Höhen oder Grössen vereinigen*; Angl. *to add together, collect into one sum, sum up*). Occurrit *A*) Stricto, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu occurrit speciatim tantum de plurium numerorum summa. *Vitruv.* 1. 1. 4. *Schneid.* Per arithmeticen sumptus ædificiorum consummantur. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 8. Consummare pretium in assem. *Id.* 5. *ibid.* 2. 10. Hoc sexies ducendum est: quoniam sex latera sunt, quæ consummata efficiunt duo millia trecenteni et quadraginta. Adde *Cod.* 7. 54. 3. — Figurate de ipso numero, qui perfectâ summâ habetur. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 4. Is numerus consummat per totum jugerum seminum millia quatuor et viginti. Adde eumd. 3. *ibid.* 3. 10.

B) Latiori sensu est perficere, absolvere; et usurpatur ¶ 1. De iis, quæ perficiuntur atque absolvuntur, pluribus hinc inde in unum collectis. *Liv.* 28. 17. In alicujus decus nomenque velut consummata belli gloria. *Ovid.* 3. *Fast.* 166. In lustrum accedere debet, Quæ consummatur partibus, una dies. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 6. Duo jugera vinearum intra tempus biennii, ex una præcoque vite, insitione facta, consummata. *h. e.* omnino consita. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 45. (139). Consummare res maximas. ¶ 2. De externa rerum absolutione ac perfectione — a) Generatim. *Liv.* 29. 23. Consummare rem aliquam. *Curt.* 6. 10. 14. Non cogitato modo, sed etiam consummato parricidio. *Seneca Herc. fur.* 1039. Consummare sacrum. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 11. Opera ceræ consummare. *Plin.* 10. *Ep.* 48. Quoque modo consummare opera, ut inchoata sunt. Adde *Sueton. Cæs.* 30. et *Dig.* 1. 16. 7. *Inscript.* apud *Donat. cl.* 6. n. 62. D. AELIVS D. F. PAL. JANVARIVS monumentum .... VIVVS INCHOAVIT .... HEREDES CVM MACERIA CLVSVM CONSVMMAVER. Adde *alias* apud *Orell.* 511. et 2270., et *aliam* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 256., quam *V.* in voc. RECEPTACULUM. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 5. Cum primum partum consummaverint, gallinæ incubare cupiunt. *et ibid. circa med.* Pulli semiformes interimuntur, antequam toti partibus suis consummentur. *Quintil.* 3. 5. 1. Facultas orandi consummatur natura, arte, exercitatione. Adde eumd. 2. 6. 6.; 2. 17. 9. et 8. 6. 32. *Lucan.* 1. 336. et lassi Pontica regis Prælia, barbarico vix consummata veneno. *h. e.* finita morte Mithridatis, qui se ipsum veneno sustulit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (45). Anno spatio radice et caule consummantibus sese. — b) Speciatim de tempore. *Seneca Ep.* 12. Vitam consummare atque explere. *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. § 6. Consummato anno. — Et absolute. *Sueton. Cal.* 44. Nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit. *V.* CONSUMMATIO sub *B.* *Frontin.* 4. *Strat.* 3. 12. Milites consummati. *h. e.* qui annos militiæ expleverunt. Adde *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 148. ¶ 3. Denique de interiore rei aut personæ perfectione. *Vellej.* 2. 89. 2. Nihil felicitate consummari (*potest*), quod non Augustus — repræsentaverit. *Seneca Ep.* 88. Una re consummatur animus, scientia bonorum ac malorum immutabili etc. *Id. ibid.* 32. Vitam ante mortem consummare. *h. e.* virtute vitam moresque perficere. *Id.* 3. *Ira* 31. Consummare dignitatem alicujus. *h. e.* ad summum apicem evehere. *Colum.* 8. *R. R.* 1. 1. Quæ consummant ruris exercendi colendique scientiam. *Quintil.* 3. 9. 9. Consummare artem. *Id.* 10. 1. 89. oratorem. Adde eumd. 10. 2. 28. — Hinc Part. præter. pass.

Consummatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Superl. *Consummatissimus;* et est perfectus, numeris omnibus absolutus. — a) De abstractis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (48). Consummatæ artis exempla. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (177). Consummatum virium robur. *Quintil.* 1. *proœm.* 20. Consummata eloquentia. *Seneca Ep.* 72. Vir consummatæ sapientiæ. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 11. *Quintil.* 2. 21. 24. scientia. *Seneca* 3. *Benef.* 31. vita. — b) De personis. *Quintil.* 2. 19. 1. Consummatus orator. Adde *eumd.* 5. 10. 119. et 10. 5. 14. *Id.* 10. 1. 122. patroni. *Id.* 1. 9. 3. Opus etiam consummatis professoribus difficile. *Martial.* 1. 9. 1. Consummatus Cato. *Plin.* 2. *Ep.* 7. Juvenis consummatissimus.

CONSŪMO, sūmis, sumpsi *vel* sumsi, sumptum *vel* sumtum, sūmere, a. 3. (cum et sumo). *Consumpsti* pro *consumpsisti* est *Propert.* 1. 3. 37.; et *consumpse* pro *consumpsisse* dixit *Lucret.* 1. 233. — Part. *Consumens* III. 1.; *Consumptus* III. 1., 2. et 3.; *Consumpturus* III. 2.; *Consumendus* III. 1., 2. et 3. — Ratione habita etymi, *consumo* est per syncopen pro *consubimo* (*V.* SUMO sub init.), et stricto sensu significat aliquid manu abscondere, tegere, ab aliorum oculis auferre. Hinc tria præcipue significat, scilicet I.) Aliquid abscondere, tegere, ab aliorum oculis auferre; II.) Aliquid a loco aliquo paullatim auferre, ut id in re aliqua impendatur; III.) Denique aliquid ita impendere, ut usu ipso paullatim totum absumatur, exhauriatur, destruatur.

I.) Proprie et stricto sensu *consumere* est aliquid abscondere, tegere, ab aliorum oculis auferre; et occurrit de loco seu spatio. *Manil.* de ingenti marina bellua 5. 584. vastis urgent immensa torquibus orbes, Tergaque consumunt pelagus. *h. e.* sub se tenent et abscondunt. *Sil. It.* 5. 640. solus —, tela omnia solus Pectore consumo. Adde *eumd.* 10. 129. *Stat.* 10. *Theb.* 813. viden' ut jugulo consumpserit ensem? *h. e.* totum receperit texeritque. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 745. Sic in illo *ejusdem Statii* de Achille fictæ virginis personam abjiciente 2. *Achill.* 204. Jam clipeus breviorque manu consumitur hasta (Mira fides!) Ithacumque humeris excedere visus, etc. latet valde poetica sententia: significat enim, Achillem depositis subito puellaribus vestibus, adeo extitisse majorem seipso, ut hasta sumpta quasi brevior fieri visa sit, et velut in ejus manu abscondi.

II.) Latiori sensu *consumere* est aliquid a loco aliquo paullatim auferre, ut id in re aliqua impendatur: et occurrit de materia, viribus, tempore etc. ¶ 1. Generatim ac proprie usurpatur *consumere aliquid in aliquam rem* vel *aliquo*, et est id a loco, in quo est, auferendo impendere, aut simpliciter impendere, nulla habita emolumenti ratione. *Cic.* 1. *Herenn.* 3. 4. Inventio in sex partes orationis consumitur, in exordium, narrationem, etc. *h. e.*, ait *Forcellinus*, dividitur et distribuitur omnis in sex omnino partes; seu potius in sex omnino partes impenditur. *Id. Rabir. Post.* 3. 6. Non debuit is, qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumeret, quærere. *Liv.* 39. 5. Senatus pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset. *Virg.* 3. *G.* 173. tota in dulces consumunt ubera natos. *Propert.* 4. 6. 55. Consumit pondus pharetræ in arcus. *h. e.* sagittas arcui imponit et impendit seu jacit omnes. *Quintil.* 3. 11. 13. Consumere bona paterna in opera publica. *Javolen. Dig.* 35. 1. 39. § 5. pecuniam in monumentum. ¶ 2. Sæpius ac specialim usurpatur *consumere aliquid in aliqua re*, et est impendere, collocare, ponere, atque adeo exhaurire, ita tamen, ut emolumenti ratio habeatur, atque ipsius emolumenti significatio præ ceteris polleat. *Ter. Heaut.* 1. 1. 21. Quod in opere faciendo operæ consumis tuæ, si sumas in illis exercendis, plus agas. Adde *eumd. Adelph.* 5. 7. 2. *Cic.* 3. *Herenn.* 2. 3. Dolus consumitur in pecunia, pollicitatione, dissimulatione, maturatione, mentione etc. *Id. Fontej.* 1. 1. Plus ego in hac causa laboris et operæ consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis. *Id.* 4. *Herenn.* 8. 12. In iis, qui ingenuum violassent, matremfamilias constuprassent, maxima supplicia majores nostri consumpserunt. *h. e.* adhibuerunt. *Cæs.* 5. *B. G.* 11. In his rebus circiter dies X. consumit. *Lucret.* 5. 618. Annua sol in quo consumit tempora cursu. *Nepos Timoth.* 1. In qua (Samo) oppugnanda Athenienses mille et ducenta talenta consumpserant. *Liv.* 34. 8. Qui tamen plura verba in castigandis matronis, quam in rogatione nostra dissuadenda consumpsit. — Porro jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 1. 2. adolescentiam in forensi opera. *Id.* 1. *Off.* 1. 2. ætatem in studio. *Lucret.* 5. 1430. ævum in curis. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. 12. aurum in monumenis consumptum. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. 1. curæ omnes consumuntur in aliquo. *Id. Brut.* 31. 119. cura omnis in dialecticis consumitur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 48. curam in una re. Cf. *Cic.* 6. *Fam.* 14. 1. *Quintil.* 1. 2. 11. diem totum in uno discipulo. *Stat.* 8. *Theb.* 577. famem consumit in agna tenera leo. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 50. ingenium in musicis. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 1. 2. iter et navigationem partim in percontando, partim in rebus gestis legendis. *Id.* 6. *Fam.* 14. 1. laborem omnem, operam, curam, studium in salute alicujus. *Id.* 16. *Att.* 2. 3. manus suas non in defendenda republica, sed in plaudendo populus Romanus consumit. *Id.* 7. *Verr.* 25. 64. nox tota consumitur in exinanienda nave. *Id.* 1. *Herenn.* 10. 18. officium in aliqua re. *Id.* 1. *Fin.* 1. 1. operam in Græcis legendis. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 3. 6. et 6. *Fam.* 14. 1. *Id.* 1. *Orat.* 56. 234. operæ et laboris multum in aliqua re. *Id. Rosc. Am.* 15. 43. operæ plurimum studiique in prædiis colendis. *Id.* 2. *Orat.* 13. 57. otium suum in historia scribenda. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 14. pecuniam in agrorum coemptionibus. *Sil. It.* 12. 482. rabiem in hoste. *Cic.* 6. *Fam.* 12. 4. studium suum in virorum fortium factis memoriæ prodendis. *Id. Planc.* 30. 73. studium suum omne in alicujus honore. *Forcellinus* et *Orell.* leg. *honorem*: recentiores autem *honore*. *Nepos Epam.* 2. studii plurimum in aliqua re. *Cic.* 2. *Fin.* 21. 72. tempus in poetis evolvendis. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. pr.) 4. 12. *Id.* 13. *Phil.* 11. 24. tempus ætatis omne in lustris, popinis, alea, vino. *Id.* 5. *ibid.* 18. 49. vim omnem ingenii in populari levitate. *Id. Sext.* 13. 31. vim omnem tribunatus sui in salute alicujus.

III.) Denique *consumere* est aliquid ita impendere, ut usu ipso paullatim totum absumatur, exhauriatur, destruatur: et occurrit interdum cum Ablativo modi, uti ajunt. ¶ 1. De physicis rebus, quæ physico pariter modo comeduntur, vorantur, absumuntur, destruuntur. *Cato R. R.* 83. Ubi res divina facta erit, statim ibidem (*libras farris etc.*) consumito. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Agri multa ferunt manu quæsita, quæ vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati. *Id.* 1. *Legg.* 1. 3. Cum eam (*quercum*) tempestas vetustasve consumpserit. Sic *Id. Marcell.* 4. 11. Nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 49. et *Martial.* 9. 50. *Lucret.* 1. 226. ætas – consumens materiem omnem. *Scribon. Compos.* 140. Filicis Macedonicæ contusæ cum melle, quantum ipse voluerit, consumat. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 5. consumitur anulus usu. *Curt.* 7. 8. 15. Ferrum rubigo consumit. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Omnia consumuntur flammâ. *Liv.* 25. 7. Consumuntur ædes incendio. *Justin.* 5. 8. Cum urbem incendio consumendam censeret. Adde *Sueton. Cal.* 59. *Tac.* 1. *Hist.* 2. Consumpta incendio delubra. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 10. 7. (48). Spatio quidem consumi umbras indicio sunt volucrum præalti volatus. *h. e.* umbras imminui et ad nihilum redigi. Sic *Sil. It.* 3. 157. Donec iter liquidum volucri rapiente carina Consumpsit visus. *h. e.* abstulit. Hyperbolice *Stat.* 1. *Achill.* 446. ipsum jam puppibus æquor Deficit, et totos consumunt carbasa ventos. *h. e.* tot sunt vela navium, ut omnes ventos excipiant et velut consumant. — Porro jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. angues interficere atque consumere. *h. e.* vorare. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 92. aprum vitiatum. *Cic. Tim.* 6. 16. cibi confecti et consumpti detractio. *Sueton. Tib.* 72. draconem. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 27. et *Cæs.* 6. *B. G.* 43. fruges. *Cæs.* 7. *ibid.* 77. frumentum omne consumptum. *Ovid.* 8. *Met.* 875. materiem omnem. Sic *Val. Flacc.* 1. 831. Ingenti jacet ore chaos, quod pondere fessam Materiem lapsumque queat consumere mundum *Virg.* 7. *Æn.* 125. mensas arcisis dapibus. *Cæs.* 7. *B. G.* 18. pabulum. *Id.* 1. *ibid.* 46. tela. *h. e.* exhaurire jaciendo. *Petron. Satyr.* 102. vestes diutius vinctas ruga consumit. *Quintil.* 6. *proœm.* 3. viscera consumunt flammæ. ¶ 2. Item de personis, et est debilitare, valde conficere, immo etiam interficere. *Cic. Planc.* 37. 90. Si me vis aliqua morbi, aut natura ipsa consumpsisset. *Sall. fragm. Hist.* 1. 15. p. 216. *Gerlach.* Quos fortuna belli consumpserat. *Curt.* 8. 4. 13. Duo millia militum, – pestis illa consumpsit. *Vellej.* 2. 90. 3. In provincia (*scil.* Hispania) Scipiones consumpserunt. *h. e.* confecerunt, sustulerunt. *Justin.* 12. 5. Aut consumpturus (*h. e.* interfecturus) milites est, aut in ultimis terris in colonias distributurus. Sic *Paul.* 5. *Sentent.* tit. 17. Sane qui ad gladium dantur, intra annum consumendi sunt. Et *Ulp. Dig.* 48. 19. 3. Prægnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur. Jlocalariter *Horat.* 1. *Sat.* 9. 33. Garrulus hunc consumet. — Et cum addito Ablat. modi. *Auct. B. Afr.* 94. Ferro inter se depugnant: atque firmior imbecilliorem facile ferro consumpsit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 97. plagis hostem consumere. *h. e.* conficere, interficere. — Sæpius passive. *Cic.* 2. *Off.* 5. 16. Belluarum impetu quædam hominum genera consumpta. *h. e.* interfecta, deleta. *Id.* 3. *Orat.* 2. 6. Consumi lateris dolore. *Id. Prov. cons.* 3. 5. inopia, fame, morbo, vastitate. *Id.* 16. *Fam.* 10. Inedia et purgationibus et vi ipsius morbi consumptus es. *h. e.* valde imbecillis factus, fractus, confectus. *Cæs.* 7. *B. G.* 21. Tantus exercitus fame pæne consumptus. *Nepos Reg.* 2. Consumi morbo. *Auct. B. G.* 8. 41. siti. *Liv.* 40. 54. senio et mærore. *Tibull.* 1. 3. 55. immiti consumptus morte Tibullus. *Virg.* 10. *Ecl.* 43. Consumi ævo. *h. e.* ætatem peragere, vitam transigere. *Ovid. Ib.* 143. longis ab annis. *Id.* 14. *Met.* 148. senecta. *Id.* 9. *ibid.* 663. lacrimis suis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (63). peste. *Vellej.* 2. 52. 6. Consumptus acie. *h. e.* in prælio interfectus. ¶ 3. Denique ponitur de rebus quoque non materialibus, quæ non naturâ, sed hominis potius arte quocumque modo, non tamen physico, absumuntur, exhauriuntur, ad nihilum rediguntur. — a) De re familiari. *Ter. Heaut.* 3. 1. 56. Sumat, consumat, perdat (*rem meam*), decretum est pati. *Cic. Rosc. Am.* 2. 6. Sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. *Id.* 2. *Fin.* 8. 23. Consumere patrimonia. Adde *Senec.* 3. *Excerpt. Controv.* 1. *Sall. Cat.* 12. divitias. *Id. in ep. Pompej.* p. 171. *Orell.* rem familiarem. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. omnes fortunas sociorum. *Propert.* 2. 13. 9. ubi consumpto restabit munere pauper. *Seneca Ep.* 95. Consumere censum equestrem. *Quintil.* 3. 11. 16. bona paterna. — b) De tempore. *Cic. Tim.* 1. 2. Primum tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumere. *Id.* 1. *Orat.* 13. 57. Disserere de re aliqua consumendi otii causa. *Id.* 1. *Att.* 18. Tantum requietis habeo, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone consumitur. *Id.* 15. *Fam.* 4. 9.; *Liv.* 29. 33.; *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 37. et *Tac. dial. de orat.* 3. Consumere tempus. *Cic.* 11. *Fam.* 27. 5. horas multas suavissimo sermone. Adde *Martial.* 11. 78. *Cic.* 4. *Fam.* 12.; et *Sall. Jug.* 93. et 98. diem. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. *extr.* Magna pars diei consumpta. *Id.* 5. *ibid.* 4. Consumere æstatem in Treviris. *Sall. Jug.* 62. multos dies per dubitationem. *Propert.* 1. 3. 37. tempora. *Ovid.* 2. *Met.* 575. tempora cum blandis verbis. *Virg.* 2. *Æn.* 795. Consumpta nox. *Sueton. Tib.* 42. Consumere biduum epulando potandoque. *Tac.* 4. *Hist.* 43. *extr.* diem per discordiam. *Lucan.* 5. 276. ævum bellis. *Sil. It.* 15. 411. annum. — c) De viribus et actionibus. *Ter. Andr.* 1. 1. 133. Simul sceleratus Davus si quid consilii habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli. *h. e.* omnia consilia et fraudes exserat et adhibeat, nihilque intentatum relinquat. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 36. Actionem consumere et exhaurire. *h. e.* exserere omnem actionem oratoriam, gestus. *Id.* 15. *Fam.* 21. 3. Quin etiam ante, quam ad me veniatur, risus omnis pæne consumitur. *Id.* 1. *Tusc.* 43. 103. Consumere multam operam frustra. *Sall. Jug.* 27. *extr.* multam orationem frustra. *h. e.* habere, multa verba facere. *Id. ibid.* 93. labores. *Id. fragm. in epist. Cn. Pompej.* p. 170. *Orell.* Opes spesque meas consumpsi. *h. e.* amisi. *Id. ibid.* p. 171. fidem consumpsi. *h. e.* amisi. *Curt.* 6. 6. 6. Qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non possunt. *h. e.* qui id consecuti repetitis sceleribus, ut eorum misereri quis amplius non possit. *Id.* 5. 8. 6. Consumere verba frustra. *Ovid.* 8. *Met.* 106. preces. *Quintil.* 2. 13. 13. et 4. 2. 120. affectus. *Id.* 3. 11. 23. corpus orationis in parva momenta diducendo. *Id.* 12. 5. 2. bona ingenii. *Id.* 8. 6. 51. gratiam rei nimia captatione. *Id.* 12. 2. 13. vires ipsa subtilitate. *Seneca Herc. Œt.* 1083. Consumptas iterum deæ Supplent Eurydices colos. *h. e.* colos vacuas. *Petron. Satyr.* 23. Consumptis versibus suis. *h. e.* finitis, peractis. *Martial.* 10. 59. Pagina consumpta uno lemma-

te. *h. e.* a fronte ad calcem conscripta. *Tac.* 1. *Hist.* 42. Instans metus vocem consumpsit. *h. e.* interclusit, ademit. *Id.* 3. *ibid.* 24. Ignominiam consumpsistis. *h. e.* ignominiæ pudorem metumve abjecistis, nihil de ignominia laboratis. *Stat.* 1. *Theb.* 323. longo consumit gaudia voto. *h. e.* corrumpit, amittit gaudia spe dilata regnandi. — Sic apud JCtos *consumere optionem* dicitur is, qui cum facultatem eligendi haberet, ea plene usus est, ita ut amplius optionem non habeat. *Ulp. Dig.* 33. 5. 2. et 3. Similiter *consumi actio* dicitur, cum amplius locum non habet. *Id. Dig.* 50. 17. 172. Concurrentes actiones alia aliam consumit. Adde *ibid.* 47. 1. 2. — *d*) Interdum plus aliquid significat. *Ovid. Heroid.* 6. 163. Cum mare, cum terras consumpserit, aera tentet. *h. e.* postquam peragrare desierit maria et terras. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 4. *de Homero.* Æquore qui multo reducem consumpsit Ulyssem. *h. e.* omnes res gestas Ulyssis erroresque, usque dum perveniret in patriam, versibus persecutus est. — *NB.* Videtur etiam aliquando poni pro simplici sumo, assumo, capio. *Tryphonin. Dig.* 26. 7. 53. Hic sibi non consumpsit (*pecuniam mutuam*), nec quasi sua pecunia licenter abutitur. *Ulp. ibid.* 41. 1. 33. *extr.* Ex persona defuncti vires consumit. *At hic al. leg.* assumit: *quemadmodum et in superiori loco legendum videtur.*

CONSUMPTIBILIS *vel* consumtibilis, e, adject. qui consumi potest. *Cassiod. de anim.* 3. Cuncta cælestia flammeo referunt vigore constare, non isto fumeo, consumptibili et temporali.

CONSUMPTIO *vel* consumtio, ōnis, f. 3., actus consumendi. ¶ 1. Est actus insumendi, impendendi, perfectio. *Cic.* 4. *Herenn.* 22. 32. Hæc non videntur reperiri posse sine elaboratione et consumptione operæ. ¶ 2. Item actus conficiendi, absumendi. *Cic. Tim.* 6. 16. Ita se ipse consumptione et senio alebat sui: cum ipse per se et a se pateretur et faceret omnia.

CONSUMPTOR *vel* consumtor, ōris, m. 3., qui consumit, confector. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 41. Hic noster ignis confector est et consumptor omnium. *Seneca* 3. *Excerpt. controv.* 1. Veterani consumptores, *scilicet* patrimonii.

CONSUMPTRIX *vel* consumtrix, īcis, f. 3., quæ consumit. *Strabo Gallus* 2. 1. Bruma senectutis vernacula, totius anni Venter, et amplifui consumptrix suva laboris. At hæc auctoritate carent: citandus est potius *Hygin.* (ab *A. Mai* edit. in *Class. Auct. T.* 3. p. 22.) *fab.* 57. Cerberus terra est, quæ omnium corporum consumptrix est. Eadem fere habentur *ibid.* p. 306., ubi perperam *consumatrix* legitur. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 325. Terra consumptrix omnium corporum.

CONSUMPTUS *vel* consumtus, a, um. *V.* CONSUMO.

CONSUMTIBILIS, CONSUMTIO etc. *V.* CONSUMPTIBILIS, CONSUMPTIO etc.

CONSUO, suis, sui, sūtum, suere, a. 3. (cum et suo). Part. *Consutus* in omnibus paragr. — Consuo est idem quod suo vel simul suo (It. *cucire insieme*; Fr. *coudre ensemble*; Hisp. *coser juntos*; Germ. *zusammennähen oder flicken*; Angl. *to sew together, stitch up*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 1. 212. *sqq.* Advenisti, audaciæ columen, consutis dolis. *so.* Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis. *Consutæ tunicæ* Sosiæ sunt resarciendo refectæ. *Id. Stich.* 2. 3. 51. Babylonica peristromata consutaque tapetia. *Al. rectius leg.* conchyliata tapetia. *Varro* 9. *L. L.* 79. *Müll.* Si quis tunicam in usu ita consuit, ut etc. *Apic.* 7. 8. Lumbuli aperiuntur in duas partes, deinde revolvuntur assi et consuuntur. Adde *eumd. ibid.* 2. et 8. 7. *Dig.* 32. 52. 5. Membranæ nondum consutæ. *Id.* 34. 2. 19. Clavi vestimentis consuti.

II.) Figurate. Catachresis est quædam in illo *Plinii* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Pinacothecas veteribus tabulis consuunt. *h. e.* complent exornantque. *Plaut. Amph.* 1. 1. 211. *loco cit.* et *Pseud.* 1. 5. 126. Consutis dolis. *Consuti doli* in quodam Græco epigr. dicuntur δολοῤῥαφία: et *sutelæ* apud *Festum* p. 310. 27. *Müll.* sunt dolosæ astutiæ. — *Consuere alicui os*, vetare ne loquatur, silentium indicere. *Seneca Ep.* 47. At illi (*servi*) quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem. — Hinc a Part. præter. pass. *Consutus, a, um,*

Consutum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est vestis consuta. *Cajus* 3. *Instit.* (edente iterum *J. F. L. Goeschenio*) § 193. Qui furtum quærere velit, nudus quærat, linteo cinctus. Quid sit autem linteum, quæsitum est, sed verius est, consuti genus esse, quo necessariæ partes tegerentur.

CONSUPPLĬCĀTRIX, īcis, f. 3., quæ supplicat una cum alio. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 312. n. 387., quæ est apud *Orell.* 1501. PAVL. TOVTIA M. F. ET CONSVPPLICATRICES etc. Verum neque constanter ab omnibus ita legitur: neque vox ipsa est ejusmodi, quæ sine scrupulo adhiberi Latine possit. Hanc vocem improbat, ut fidei sublestæ, etiam *Marin. Fratr. Arv.* p. 627., ubi aliam affert Inscriptionem, in qua idem *Fabrett.* p. 535. n. 385. perperam legit *consupplicatrices.* Cum *Marin.* consentit et *Henzen.* ad hanc *Inscript.* p. 145.

CONSURGO, surgis, surrexi, surrectum, surgere, n. 3. (cum et surgo). Part. *Consurgens* et *Consurrecturus* sub *A.* 2. — Consurgo est magna cum dignitate surgo, vel simul surgo, assurgo, erigor (It. *levarsi in piedi, alzarsi*; Fr. *se lever tous ensemble, s'élever*; Hisp. *elevarse juntos, alzarse*; Germ. *sich zusammen oder mit allem Zubehör erheben, aufrichten, mit aller Umständlichkeit aufstehen*; Angl. *to rise, rise together, rise up to out of respect*). Occurrit *A*) Stricto sensu de hominibus aliisque animantibus, et *B*) Latiori sensu de inanimis.

A) Stricto sensu de hominibus aliisque animantibus. ¶ 1. Generatim, et quidem — *a*) Absolute. *Cic. Senect.* 18. 63. Cum ad Lacedæmonios accessisset (*grandis natu*) –, consurrexisse omnes illi dicuntur et senem sessum recepisse. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 23. et *Catull.* 63. 1. et 6. *Cic.* 4. *Fam.* 4. 3. Fecerat autem hoc senatus, ut – cunctus consurgeret et ad Cæsarem accederet. Adde *eumd.* 3. *ad Q. fr.* 2. 2.; *Liv.* 28. 57., 8. 7. et 8. 10. — Passive impersonaliter. *Cic.* 5. *Verr.* 63. 138. Itaque in curiam venimus. Honorifice sane consurgitur. — Et de singulis personis. *Lucret.* 3. 503. Tum, quasi vacillans, primum consurgit, et omnes Paullatim redit in sensus (*æger*) animamque receptat. *Liv.* 45. 7. Consurrexit consul et jussis sedere aliis – introeunti regi dextram porrexit. Adde *eumd.* 3. 71. *Ovid.* 3. *Fast.* 25. Languida consurgit; nec scit cur languida surgat. Adde *Sueton. Rhet.* 6. — Item passive impersonaliter. *Quintil.* 11. 3. 156. Leniter est consurgendum. — *b*) Addito loco, a quo quis consurgit. *Cæs.* 3. *B. C.* 37. Subito illi ex insidiis consurrexerunt. *Virg.* 10. *Æn.* 299. socii consurgere tonsis, Spumantesque rates arvis inferre Latinis. *Ovid.* 7. *Met.* 344. semilacerque toro consurgere tentat. *Id.* 7. *ibid.* 570. Inde graves multi nequeunt consurgere *Sil. It.* 13. 421. Consurgit strenuus, pergitque ad turbida portæ Ostia tartareæ. — Passive impersonaliter. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Consurgitur ex consilio. *Liv.* 2. 50. ex insidiis. ¶ 2. Speciatim est ad finem aliquem, sive ad aliquid agendum assurgere; qua significatione *consurgere* interdum figurate adhibetur. — *a*) Generatim occurrit fere in bonam partem. *Liv.* 10. 13. Se – ad suam gloriam consurgentes alios lætum aspicere. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 71. Sed magis in nostri curam consurge tuendi. *h. e.* excitari, accingi ad tuendum. *Plin. Paneg.* 54. Consurgere in venerationem. *Justin.* 13. 15. in æmulationem. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 31. Nec me Mæonio consurgere carmine – passus es. *h. e.* stilo gravi et Homerici similia carmina facere. — Et passive impersonaliter *Phædr.* 5. 7. In plausus consurrectum est. — *b*) Speciatim de iis, qui in alius inimico animo insurgunt. *Liv.* 8. 7. Cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset. *Virg.* 9. *Æn.* 749. sublatum alte consurgit in ensem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (43). Coitum sentit in adultera leo totaque vi consurgit in pœnam. — *c*) Item speciatim de alicujus populi tumultu et seditione. *Liv.* 33. 21. Senatum certiorem fecit, maritimam oram omnem ad finitimorum motum consurrecturam. *Id.* 10. 13. Consurgere suis sociorumque viribus ad bellum. *Id.* 33. 19. *a med.* Hispania quoque magno tumultu ad bellum consurrexit. *Virg.* 10. *Æn.* 90. Quæ causa fuit consurgere in arma Europamque Asiamque? *Val. Flacc.* 1. 673. In iras truces consurgere. *Lucan.* 1. 692. Consurgunt Romanæ partes. *h. e.* factiones civiles. *Tac.* 3. *Hist.* 1. Donec a tergo vires universæ consurgerent. *Sueton. Cæs.* 9. Consurgere ad res novas. *h. e.* seditionem movere. Adde *Flor.* 2. 12. 3.

B) Latiori sensu de inanimis, quæ aut vi sua, aut alieno impetu compulsa, assurgunt. — *a*) Generatim. *Lucret.* 2. 1109. Unde – consurgeret aer. Adde *eumd.* 4. 929., et 6. 474., 498., 886. et 1019. *Virg.* 5. *Æn.* 19. vespere ab atro Consurgunt venti. Cf. *Val. Flacc.* 1. 625. *Virg.* 7. *Æn.* 530. mare imo consurgit ad æthera fundo. *Tibull.* 4. 1. 74. Vel si sublimis fluctu consurgeret imo. Adde *Senec. Hippol.* 1015. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 44. (114). Venti e terra consurgunt. — *b*) Speciatim ponitur de arboribus, montibus, ædificiis et similibus. *Virg.* 9. *Æn.* 681. Consurgunt geminæ quercus intonsaque cælo Attollunt capita. *Id.* 5. *ibid.* 120. terno consurgunt ordine remi. *h. e.* alius super alium dispositi sunt: non tamen ad perpendiculum, sed oblique. *Tibull.* 4. 1. 151. presso tellus consurgit aratro. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 5. Quoniam jugata vineta melius consurgunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 11. 5. *Id.* 7. *ibid.* 9. 13. Ut limen in tantam altitudinem consurgat. *Val. Flacc.* 5. 155. in gelidas consurgens Caucasus Arctos. *Id.* 1. 499. tantamque operis consurgere molem. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Villa leniter et sensim clivo fallente consurgit. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 21. — Item speciatim, quamvis raro, abstractis jungitur. *Virg.* 8. *Æn.* 637. subitoque novum consurgere bellum Romulidis Tatioque seni. *Ovid. Heroid.* 16. 331. Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum. Adde *Senec. Ep.* 91. *Val. Flacc.* 1. 75. Fama consurgit. *Quintil.* 1. 11. 12. Ira. *Cod. Theod.* 4. 18. 2. lis altera ex litis prima materia.

CONSURRECTIO, ōnis, f. 3. actus consurgendi. *Cic. Harusp. resp.* 1. 2. Quem cum egredientem insequi cœpissem, cepi equidem fructum maximum et ex consurrectione omnium vestrum et ex comitatu publicanorum. *Id.* 1. *Att.* 16. Credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse, quæ consurrectio judicum facta sit, et me circumsteterint, etc. Utroque loco significatur, cum plures in senatu vel in consilio in unius sententiam ibant, aut se ad ei favendum paratos ostendebant.

CONSUSURRO, as, are, n. 1. (cum et susurro) idem quod susurro, vel simul cum alio susurro. *Ter. Heaut.* 3. 1. 64. Syrus cum illo vestro consusurrat: conferunt consilia.

CONSŪTILIS, e, adject., suendo conjunctus, compactus. *Cassiod.* 5. *Variar. ep.* 42. Consutili crate præcinctus, munitior redditur fragilitate cannarum.

CONSŪTUM, i, *V.* CONSUO in fin.

CONSŪTŪRA, æ, f. 1., sutoria ars. *Sueton. Vitell.* 2. Prodiderunt eumdem sutorem veteramentarium: cujus filius sectionibus et consuturis uberius compendium nactus etc. *Al. rectius leg.* cognituris, *quod hæ cum sectionibus magis cohærent.* V. COGNITURA.

CONSŪTUS, a, um. *V.* CONSUO.

CONSYLLABA, æ, f. 1. syllaba simul cum nomine juncta. *Cassiod. de orat.* 1. Nomina tetraptota, ut ditionis, ditioni, ditionem, ditione, cujus nominativum et vocativum non proferunt, nisi adjecta consyllaba, ut conditio. Hucusque cl. *Furlanetto* in *Append.* At mihi videtur divisim esse legendum ita: con syllaba.

CONTĀBĔFĂCĬO, facis, facere, a. 3. (cum, tabesco et facio) tabe corrumpo, tabefacio. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 19. Me miseria et cura contabefacit.

CONTĀBESCO, tābescis, tābui, tābescere, n. 3. (cum et tabesco) idem quod tabesco, tabe liquesco, consumor, corrumpor. *Plaut. Merc.* 1. 2. 91. Edepol cor miserum meum! quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem. *Cic.* 4. *Herenn.* 15. 22. O perfidiosæ Fregellæ! quam facile scelere vestro contabuistis! *Id.* 3. *Tusc.* 31. 75. Artemisia, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit.

CONTĀBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. tabulatio, tabulatum. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Altitudo turris perducta ad contabulationem. et *paullo post.* Contabulationem lateribus consternere. Adde *Vitruv.* 10. 15. 3. et 4. *Schneid.* — Apud *Apul. Florid.* 4. n. 18. *Contabulatio proscænii* est ipsum proscænium tabulis coagmentatis compositum. — *Id.* 11. *Met. post init.* ad vestium rugas et plexus significandos *contabulatione* usus est. Nam sicut contabulationibus ædes attollitur, ita sinuosis plexibus vestis eminet et intumescit. Ita quidam interpretes. Alii male leg. *contubulatione*, ut easdem rugas oblongas et teretes in modum tubuli significet. Ad priorem lectionem facit, quod *Tertull. Pall.* 1. et 5. has easdem rugas *tabulatum* et *tabulas* appellat.

CONTĀBŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTĀBŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et ta-

bula). Part. *Contabulatus*. — Contabulo est compactis tabulis consterno, tabulatum facio. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. Turres contabulantur: pinnæ loricæque ex cratibus attexuntur. *Id.* 7. *B. C.* 22. Totum murum ex omni parte turribus contabulaverant, atque has coriis intexerant. *h. e.* murum turribus contabulatis instruxerant. *Liv.* 24. 34. Turres contabulatæ. *Curt.* 5. 7. 8. Contabulatum mare molibus. *h. e.* contectum navibus et ponte. Significat trajectionem Xerxis per Hellespontum, strato navibus ponte. Sic *Sueton. Cal.* 19. Xerxes Hellespontum contabulavit. *h. e.* ponte navibus juncto contexit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (187). Pavimentum querneis axibus contabulare. *Id.* 15. *ibid.* 16. 18. (59). Contabulare pomaria. *h. e.* coagmentatis tabulis munire. *Frontin.* 3. *Strat.* 9. 8. Contabulatæ naves. *Ammian.* 27. 5. Ponte contabulato supra navium foros, flumen est transgressus.

CONTĀBUNDUS vel cunctabundus, a, um, adject., tarde incedens. *Apul.* 11. *Met.* Nec tamen inclementi me cursu proripui, sed placido ac prorsus humano gradu contabundus sensim irrepo. *Id. Florid.* n. 2. Paulisper contabundo volatu. — Videtur etiam idem significare, quod rimabundus, studiose perscrutans, tamquam sit a *contor*, *aris*, et *contus*. *Id.* 8. *Met.* Bellua, quem primum insiliat, contabunda rimatur.

CONTACTUS, a, um. *V.* CONTINGO.

CONTACTUS, us, m. 4. actus contingendi, tactus (It. *contatto, tocco, tatto*; Fr. *contact, toucher, attouchement*; Hisp. *contacto*; Germ. *d. Berührung*; Angl. *touched*). Occurrit ¶ 1. Generatim in bonam partem. *Virg.* 3. *Æn.* 227. *de Harpyiis.* Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant. *Ovid.* 7. *Met.* 239. refugitque viriles Contactus. *Id.* 4. *ibid.* 52. an, quæ poma alba ferebat, Ut nunc nigra ferat contactu sanguinis arbor. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 111. et *Cels.* 1. *præfat.* *Colum.* 11. *R. R.* 3. 50. Contactu mulieris languescunt incrementa virentium. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Solis atque lunæ contactus minio inimicus. *Id.* 7. *ibid.* 15. 13. (65). Bitumen ad omnem contactum adhærens. *Id.* 8. *ibid.* 15. 16. (40). Contactus fimi sequentes, ut ignis aliquis, amburit. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 59. 79. (163). ¶ 2. Sæpius in malam partem accipitur, et — *a*) Ponitur pro contagione, qua morborum communicatio fit. *Liv.* 4. 30. Vulgati contactu in homines morbi. Adde *eumd.* 25. 26. *Tac.* 6. *Ann.* 7. Plures infecti quasi valetudine et contactu. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 7. — *b*) Figurate, morali significatione ponitur pro mala societate. *Tac.* 1. *Hist.* 11. *ad fin.* Provinciæ in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. *Id.* 2. *ibid.* 60. Ceteræ legiones contactu bellum meditabantur. *Id.* 1. *Ann.* 43. *extr.* Discedere a contactu. *h. e.* a seditiosis. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 7.; *Sall.* in *orat. L. Phil.* p. 164. *Orell.*; et *Senec.* 2. *Ira* 21.

CONTĀGES, is, f. 3. (contingo) contactus, contagio. *Lucret.* 4. 335. *de arquatis.* Multaque sunt oculis in eorum denique mixta, Quæ contage sua palloribus omnia pingunt. *Id.* 3. 735. Et male multa animus contage fungitur ejus. *scilicet* corporis, *h. e.* vitia multa contrahit animus ex conjunctione et contagione corporis. Quidam leg. *contagi*, ut versui consulant: quemadmodum *parti* dictum est ab eodem 5. 512. pro *parte*, et *colli* 2. 317. pro *colle*, etc. *Id.* 6. 279. Ipse sua nam Mobilitate calescit et e contagibus ignis. *h. e.* ex contactibus particularum ignearum. Adde *eumd.* 6. 1242.

CONTĀGIO, ōnis, f. 3. (contingo). *Contagio* usitatior fuit apud Classicos aurei ævi scriptores; *contages* vero apud Poetas (V. *Charis.* 1. p. 54. *Putsch.*); *contagium* denique apud veteres fere et apud sequioris ævi scriptores (cf. *Paul. Diac.* p. 59. 12. *Müll.*, *Non.* p. 199. 2. *Merc.*, et *Mar. Victorin.* 1. p. 2469. *Putsch.*). *V.* CONTAGIUM sub init. — *Contagio* est actio, qua quis contactu vim aliquam in alium exercet; et occurrit ¶ 1. Raro in bonam partem pro conjunctione, vel cohærentia plurium rerum sese invicem tangentium. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Nam quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab eo spiritu, deinde contagione pulmonum. *Al. leg.* cogitatione. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 63. Cum est somno sevocatus animus a contagione corporis. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 30. 72. *Id.* 2. *Divinat.* 43. 92. Quæ potest igitur contagio ex infinito pæne intervallo pertinere ad lunam vel potius ad terram? *Id. Fat.* 3. 5. Naturæ contagio valet. *Id. ibid.* 4. 7. Contagio rerum. *Liv.* 40. 20. *extr.* Ab omni mentione et contagione Romanorum animos abstinere. ¶ 2. Sæpius in malam partem accipitur, et — *a*) Dicitur de iis rebus, quarum contactus aliis nocet. *Liv.* 28. 34. Contagio pestifera. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 16. Pusula nisi compescitur intra primam pecudem, universum gregem contagione prosternit. *Id.* 7. *ibid.* 5. 6. Contagione vexari. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (3). Quidam ex Asia lichenarum contagionem importavit. *Id.* 14. *ibid.* 21. 27. (134). Doliis etiam intervalla dari, ne inter sese vitia serpant, contagione vini semper ocissime. *Dig.* 19. 1. 13. *pr.* Contagio morbosi pecoris. — *b*) Sæpius, etiam figurate, morali ratione accipitur pro communicatione et societate rei malæ. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. et 3. *Orat.* 41. 164. Nolite hospites ad me adire illico istic: Ne contagio mea bonis umbrave obsit. *Cato R. R.* 132. Urna vini Jovi caste. Profanato sine contagione. *h. e.* non tangendo vinum, quod offers, seu profanas. *Plaut. Amph. prol.* 31. Ego, qui Jovis sum filius, contagione mei patris metuo malum. *h. e.* ob communionem sanguinis. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 72. Quibusque fuisset minima cum corporibus contagio. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 30. 63. *Id. Cluent.* 68. 193. Fugere contagionem aspectus alicujus rei. *Id.* 7. *Verr.* 3. 6. Contagio imitandi servilis belli. *Id.* 7. *ibid.* 71. 122. Illi, ad quos conscientiæ contagio pertinebit. *Id.* 2. *Off.* 23. 80. Non solum ipsa respublica cecidit, sed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum. *Id. Dom.* 41. 108. Aliqua se prædæ, societatis, emptionis contagione contaminare. *Id. Mur.* 37. 78. Latius patet illius sceleris contagio, quam quisquam putat: ad plures pertinet. Adde *eumd. Sull.* 2. 6. *Id.* 1. *Att.* 16. 3. Contagio turpitudinis. *Sall. Cat.* 10. *extr.* Post ubi contagio, quasi pestilentia invasit. *h. e.* prava morum mutatio ex mutua imitatione malorum civium. *Liv.* 9. 1. Ne quid ex contagione noxæ remaneat penes nos. *Id.* 1. 15. Belli contagione irritati Vejentium animi. Adde *Flor.* 2. 2. 4. et 2. 13. 1. *Liv.* 10. 18. Tusci fere omnes conciverant bellum: traxerat contagio proximos Umbriæ populos. *Id.* 9. 34. Contagio criminis. *Id.* 2. 37. facti dictive. *Id.* 28. 24. furoris. *Id.* 28. 27. et 28. 34. Contagione insanire.

CONTĀGIŌSUS, a, um, adject., quod contagium affert, vel tactu acquiritur. *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 2. *Schneid.* Hæc passio licet contagiosa sit. *Id.* 3. *ibid.* 70. 1. Scabies contagiosa est, et transit in plures.

CONTĀGIUM, ii, n. 2. *Paul. Diac.* p. 50. 12. *Müll.* docet *contagionem* dicendum esse, non *contagium*. *Marius* quoque *Victorin.* 1. p. 2469. *Putsch.* tradit, *contagio* scriptum esse apud omnes fere veteres, et poetarum licentiam primo fecisse *contagia*, postea dici cœpisse etiam in singulari *contagium*. Contra *Charis.* 1. p. 54. scribit, *contagium* veteres magis usurpasse, quam *contagionem*: si modo hoc in loco mendum aliquod non latet. Ego scriptorum probatorum usum sequens, grammaticos homines nihil moror. *V.* CONTAGIO sub init. — Ceterum contagium est idem quod *contagio*; nisi quod magis apta vox carmini, et frequentius a Poetis usurpata. A *Gell.* 12. 9. enumeratur inter vocabula ancipitia, seu media, ut sunt *valetudo*, *venenum* etc. ¶ 1. In bonam partem raro admodum occurrit pro contactu, conjunctione, vicinitate. *Lucret.* 3. 345. corporis atque animai Mutua vitales discunt contagia motus. Adde *eumd.* 3. 740. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 20. 18. (82). Contagium nimii humoris ex superiori circulo atque ardoris ex subjecto per hunc motum egerant. *Martial.* 11. 47. Cum sic feminei generis contagia vitet. Adde *Arnob.* 7. 28. ¶ 2. Sæpius in malam partem accipitur pro contactu inficiente et nocente, et quidem — *a*) Pro morbo, qui ex contactu contrahitur. *Lucret.* 3. 472. et 6. 1235. et *Sil. It.* 11. 13. Contagia morbi. *Virg.* 1. *Ecl.* 51. Nec mala vicini pecoris contagia lædent. *Horat. Epod.* 16. 61. Nulla nocent pecori contagia. Adde *Ovid. Rem. am.* 614. *Id.* 7. *Met.* 551. Afflatuque nocent, et agunt contagia late. *Curt.* 9. 10. 1. Contagium morbi etiam in alios vulgatum est. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 80. (157). Folia laurus pestilentiæ contagia prohibent. *Cod. Theod.* 9. 28. 2. Contagium funestæ pestis. Similiter *Ovid.* 15. *Met.* 195. melior natura quod illic Ætheris est, terræque procul contagia vitat. *Id.* 5. *Trist.* 4. 33. Contagia cladis. *Id. Rem. am.* 613. amantis. *Plin.* 4. *Ep.* 11. Contagium fœdum carnificis. — *b*) Morali ratione et figurate ponitur de communicatione et societate rei malæ. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 14. Contagia lucri. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 25. vitiant artus ægræ contagia mentis. *Lucan.* 3. 322. Contagia scelerum. *Flor.* 1. 15. Sabini quondam contagio belli se Latinis adjunxerant. *Id.* 3. 14. Mancinianæ deditionis contagium timens.

CONTĀMEN, inis, n. 3. est a *contingere*, unde fit *contagmen* et omissa *g contamen*, quemadmodum ab *exigere* fit *exagmen*, et inde *examen*. — Ceterum est idem quod contactus, contagio, et speciatim contagio nocens, contaminatio. *Tertull. carm.* 1. *advers. Marcion.* 23. Femineos usus vulgi contamine mixtos Illicitos. Adde *eumd. carm.* 4. 4. et 5. 1. *Capell.* 1. p. 5. Jam primum quippe Apollo offensus contamine monendorum, dedignatur augur Pythius nuncupari.

CONTĀMINĀBILIS, e, adject. qui contaminari potest. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 20. *ad fin.* Prophetam, quem contaminabilem pro humana substantia sciret.

CONTĀMINĀTIO, ōnis, f. 3. actus contaminandi, pollutio. *Ulp. Dig.* 48. 5. 2. Qui patitur uxorem suam delinquere, quique contaminatione non indignatur, etc. *Arnob.* 5. 18. Expositionis contaminationibus polluI. *Coll. Legg. Mos.* et *Rom.* 8. 5. Contaminatio pudoris. — Item vitium, morbus, corruptio. *Jul. Obsequ. de prodig.* 89. Quod (*pisces*) Liparenses avidius epulis appetentes, contaminatione ventris consumpti. Δυσεντερίαν fortasse intelligit. *Theod. Priscian.* 1. 32. Locis vero contaminatione vulneratis, omnia styptica adhibenda sunt, quibus illa caro corrupta et effeminata valeat durari vel stringi.

CONTĀMINĀTOR, ōris, m. 3., qui contaminat. *Lamprid. Alex. Sev.* 0. *de Elagab.* Contaminator honorum jure punitus est. *Tertull. Pudic.* 13. Paterni tori contaminator.

CONTĀMINĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTĀMINO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Contaminatus* in fin. — *Contamino* est ex *con* et obsoleto *tamino*, inquit *Voss.* in *Etymol.*, ipsum autem *tamino* ab Hebræa origine deducit. *Donatus* ad *Ter. Andr. prol.* 16. docet, proprie significare, manibus luto plenis aliquid attingere. Hinc alii deducunt ab obsoleto *tago* pro *tango*. Ab eo fit *tagimen*, per syncopen *tamen*, h. e. tactus; inde *tamino* etc., quod est probandum: *V.* CONTAMEN. — Itaque *contamino* ad litteram est contactum plurium rerum creare, et cum Accusativo rei est rem tangere, contingere, illicita præcipue ratione.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ter. Andr. prol.* 16. Contaminare fabulas. *h. e.* ex multis unam facere, ut *Donatus* explicat: quod est, subdit *Forcellinus*, omnes corrumpere. Eodem sensu *Id. Ter. Heaut. prol.* 17. Multas contaminare Græcas fabulas. Similiter *Cic. Dom.* 13. 35. Contaminare gentes. *h. e.* plures gentes per adoptionem inter se conjungere atque commiscere. ¶ 2. Latiori sensu est tangendo vel illicita ratione contingendo fœdare, commaculare, polluere, corrumpere; et occurrit — *a*) Cum Accus. rei tantum. *Paul. Dig.* 47. 11. 1. § 1. Aquas spurcare, fistulas, lacus, quodve aliud ad injuriam publicam contaminare. *Petron. Satyr.* 108. Contaminare ingenuos. *h. e.* servilibus notis facies eorum corrumpere. V. *Contaminatus* in fin. — *b*) Cum addito Ablativo. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 29. Contaminare se sanguine. *Seneca Œdip.* 389. rege cæso manus. *Sueton. Ner.* 56. Deam Syriam urina contaminavit. *Martial.* 1. 54. Sic interposito villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

II. Translate sæpius occurrit eodem sensu, quo superius diximus sub 2., et quidem — *a*) Cum Accus. tantum. *Sueton. Domit.* 8. Contaminare religionem deorum. — *b*) Fere cum addito Ablat. *Ter. Eun.* 3. 5. 4. Contaminare gaudium ægritudine aliqua. Adde *Cod. Theod.* 9. 38. 8. *Lucret.* 3. 896. se sensu suo. *Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Fingi maleficium nullum potest, quo iste se non contaminarit. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 72. se vitiis humanis. *Id. Dom.* 41. 108. se aliqua contagione prædæ, societatis, emptionis. *Id.* 3. *Off.* 8. 37. se scelere. Adde *Liv.* 40. 13. et *Tac.* 1. *Ann.* 35. Rursus *Cic. Harusp. resp.* 16. 35. nomen populi Romani tanto scelere. Similiter *Auct. B. Hisp.* 16. hospitium scelere. *Cic. Sull.* 16. 45. veritatem patefactam aliquo mendacio. *Id.* 2. *Herenn.* 3. 5. personam rei quampluribus vitiis. *h. e.* oratione sua ostendere personam rei quampluribus vitiis contaminatam esse. *Liv.* 29. 18. se ipsos ac domos suas præda. *Id.* 4. 1. Connubio plebis contaminari sanguinem suum patres rebantur. *Seneca Hippol.* 690. Contaminare se stupro. — Hinc Part. præter. pass.

Contaminatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Contaminatissimus* sub II. *a*. et *b*.

I.) Proprie et absolute. *Cic. Topic.* 18. 69. Ut anteponantur integra contaminatis, jucunda minus jucundis, etc. *Id. Pis.* 9. 20. Collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Cic. Cluent.* 68. 194. Contaminata superstitio. *Liv.* 2. 37. Sceleratí contaminatique. *Id.* 4. 4. Partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi. — Et sæpe in re turpi. *Cic. Dom.* 9. 23. Homo post homines natos turpissimus, sceleratissimus, contaminatissimus. *Horat.* 1. *Od.* 37. 9. Contaminato cum grege turpium Morbo virorum. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 37. *Sueton. Cæs.* 49. Flos ætatis contaminatus. *Id. Ner.* 29. Contaminatus pæne omnibus membris. — *b*) Cum addito Ablat. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 70. Judicia corrupta et contaminata vitio paucorum. Ubi *Pseudo-Ascon.* Corrupta judicia sunt in iis, qui acceperunt pecuniam: contaminata in iis, qui offensione ordinis infamantur. *Id.* 12. *Phil.* 7. 15. Quos nondum tot parricidiis contaminatos vix ferebamus. *Id. Cluent.* 35. 97. Contaminatus multis flagitiis. *Id. Prov. cons.* 6. 14. Sceleribus flagitiisque contaminatissimus. *Cæs.* 7. *B. G.* 43. Contaminati facinore. *Sueton. Vitell.* 4. Probris omnibus contaminatus. *Id. Vesp.* 9. Ordines negligentia contaminati. *Gell.* 2. 6. *sub fin.* Verbum contaminatum multo assiduoque usu.

CONTANTER. *V.* CUNCTANTER.

CONTĀRII, ōrum, m. plur. 2. In duab. *Inscript.* apud *Gruter.* 40. 2. et 3. videntur esse milites conto armati, quos κοντοφόρους Græci, *Veget.* vero 3. *Milit. ad fin.* appellat *contatos*: qui speciale militum genus constituebant, ut hastati, sagittarii, etc. *Turneb.* l. 15. *Adversar.* c. 21. legit etiam apud *Capitolin. Maximin.* 10., ubi alii leg. *contrarii.* — Videntur etiam ita appellati gladiatores, seu bestiarii, qui cum tauris, leonibus, leopardis conto pugnabant, ut videre est in nummis L. Livineji apud *Morell. tab.* 1. *n.* 2. *V.* tamen PONTARIUS.

CONTĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod cunctatio, timiditas, dubietas. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 18. 57. (201). Emi lienem vituli, quanti indicatus sit, jubent magi, nulla pretii contatione. *Apul.* 3. *Met.* Omnis contatio, ignavia omnis facessat e pectore. *et* 7. *ibid.* Nec more, nec contatio, sed calcalis omnibus ducatum ei deferunt.

CONTĀTUS, a, um. *V.* CONTARII et CUNCTOR.

CONTAX, ăcis, n. 3. κόνταξ, ludi genus, in quo palus exilnus ita jaculabatur, ut summo capite rectus in terra humectata ac mollita sisteret, isque sic depactus alio subinde misso everteretur. In quo certamine vincebat, qui palum suum rectius defixerat, et citius defixum everterat paucioribus missis paxillis. Hujus ludi mentio est in *Cod.* 3. 43. 3.

CONTECHNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1., techinam et fraudem aliquam struo. *Plaut. Pseud.* 4. 6. 34. Vide modo, ne illic sit contechnatus quippiam.

CONTECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTĔGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. (cum et tego). Part. *Contegens* et *Contectus* I.; *Contegendus* II. — Contego est idem quod tego, vel simul tego ad tuendum vel ad celandum (It. *coprire*; Fr. *couvrir entièrement*; Hisp. *cubrir enteramente*; Germ. *zu-oder bedecken*; Angl. *to cover all around*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Arch.* 10. 24. Si idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Cum arma omnia reposita contectaque essent. *Lucret.* 4. 353. ne simulacra Possint ullarum rerum contecta morari. *Ovid.* 9. *Met.* 391. sine munere vestro Contegat inductus morientia lumina cortex. *Curt.* 5. 4. 8. Platani et populi contegunt ripas. — *b*) Addita re, quâ quem contegimus: quæ ratione jungitur aliquot Substantivis, quorum hæc sunt præcipua. *Liv.* 26. 25.; *Curt.* 7. 9. 21. et *Val. Flacc.* 5. 58. aliquem tumulo contegere. *Ovid. Heroid.* 10. 274. aliquem humo. *h. e.* tumulare. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (73). arborum genera fimo. *Virg.* 12. *Æn.* 885. caput amictu. *Auct. B. Afr.* 47. *extr.* capita scutis. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. coria, ne igni corrumpantur, centonibus conteguntur. *Cic.* 1. *Off.* 37. 126. Corporis partes contegere atque abdere. *Tac.* 1. *Hist.* 49. corpus humili sepultura. *Val. Flacc.* 1. 813. membra sepulcro. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. musculum lateribus lutoque. *Cic. Sext.* 38. 82. se mensoria corbe contexit. *Curt.* 7. 9. 15. stipites hedera contexerat. *Martial.* 12. 45. Hædina tibi pelle contegenti Nudæ tempora verticemque calvæ. — Pariter Part. præter. pass. *Contectus* jungitur aliquot Substantivis. *Nepos Alcib.* 10. aliquis contectus veste. *Sueton. Ner.* 29. pelle. *Sil. It.* 5. 657. nimbo telorum. *Val. Flacc.* 1. 279. nubibus. *Plin. Paneg.* 12. campi contecti cædibus. *Ovid.* 5. *Met.* 447. casa contecta stramine. *Liv.* 8. 7. corpus contectum spoliis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 84. (356). ignis contectus. *Liv.* 10. 38. locus contectus linteis. *Id.* 40. 22. omnia contecta nebulâ. *Sueton. Ner.* 31. piscina contecta. *Curt.* 4. 7. 16. sedes undique ambientibus ramis contecta. *Val. Flacc.* 4. 177. spelunca apparuit ingens, Arboribus super et dorso contecta minanti. *Curt.* 5. 12. 16. vehiculum pellibus undique contectum. *Tac.* 2. *Hist.* 77. Vulnera contecta. *h. e.* abdita.

II.) Translate. — *a*) Raro de iis ponitur, quæ ad tuendum contegimus. *Liv.* 3. 60. Indignatio Volscos et Æquos incessit, si victores exercitus vallum potius, quam virtus et arma contegerent. *Sic vett. libb.; alii leg.* tegerent. *Tac.* 3. *Hist.* 73. *ad fin.* Quidam servili habitu, alii clientium fide contecti. — *b*) Sæpius de iis, quæ ad occultandum contegimus. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 41. Miseræ indigne factam injuriam contegere. *Cic. Prov. cons.* 4. 8. Contegere libidines fronte et supercilio, non pudore et temperantia. *Tac.* 13. *Ann.* 13. Contegendis quæ prima ætas et summa fortuna expeterent. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 77. et *Cod. Theod.* 7. 4. 21.

CONTĔMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et temero) temero, contamino, violo. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 18. Contemerare torum alicujus. *Martial. Spectac.* 10. 2. Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum, Ausus tam notas contemerare manus.

CONTEMNENDUS, a, um. *V.* CONTEMNO.

CONTEMNENTER, adverb. contemptim. Agnoscere videtur *Nonius* dum scribit p. 515. 33. *Merc.* Contemptim pro contemnenter, Nævius etc.

CONTEMNĬFĬCUS, a, um, adject. (contemnere et facio) qui contemnit. *Lucilius* apud *Non.* p. 88. 20. *Merc.* Ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis.

CONTEMNO, temnis, tempsi *vel* temsi, temptum *vel* temtum, temnere, a. 3. (cum et temno). Part. *Contemnens* 1. a.; *Contemptus* 1. b. et in fin.; *Contempturus* 1. b.; *Contemnendus* in fin. — Contemno est idem quod temno, negligo, despicio, sperno (It. *non far conto*, *sprezzare*; Fr. *mépriser*, *faire peu de cas*, *ne pas tenir compte de*; Hisp. *menospreciar*, *despreciar*; Germ. *miss-oder verachten*, *verschmähen*, *verwerfen*, *geringschätzen*, *herabsetzen*; Angl. *to undervalue*, *make no account of*, *contemn*, *despise*, *slight*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic. Orat.* 38. 131. Etiam est faciendum, ut irascatur judex, mitigetur, – contemnat, admiretur etc. Adde *Quintil.* 9. 1. 23. *Nepos Thrasyb.* 2. Quæ quidem res illis contemnentibus perniciei (*fuit*). ubi tamen Accusativus per se patet, quemadmodum in illo *Propert.* 2. 11. 5. Et tua transibit contemnens ossa viator. — *b*) Sæpe cum Accusativo tantum personæ aut rei. *Ennius* 19. *Ann.* 1. terrai frugiferai Contempsit fontes, quibus ex erugit aquæ vis. *Plaut. Asin.* 2. 4. 10. Tu, verbero, imperium meum contempsisti? Adde *Sall. Jug.* 14. Rursus *Plaut. Stich.* 2. 2. 33. Contundam facta Talthybi, nos contemnam omnes nuncios. *Forcellinus* leg. *contemnamque omnes nuncios*, et interpretatus est *contemni præ me faciam*; est enim Mercurius qui loquitur: subdidit tamen alios aliter legere. *Ter. Andr.* 1. 5. 13. Quot modis contemptus, spretus? *Id. ibid.* 3. 2. 22. Num quid habes, quod contemnas? *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 77. Quos (*Epicureos*) equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque contemnit. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 3. 7. *Id.* 1. *ibid.* 40. 95. Contemnamus igitur omnes ineptias – totamque vim bene vivendi – in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia ponamus. *Id.* apud *Non.* p. 436. 27. *Merc.* Amici nonnulli a te contemni ac despici ac pro nihilo haberi senatum volunt. *Id. Senect.* 18. 65. Contemni se putant (*senes*), despici, illudi. Adde *Quintil.* 4. 1. 57. *Cic.* 3. *Orat.* 14. 54. Quare omnes istos deridete atque contemnite. *Nepos Ages.* 8. Ignoti faciem ejus cum intuerentur contemnebant. *Id. Att.* 25. Nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt. *Sall. Jug.* 15. Fautores legum – Adherbalis dicta contemnere, Jugurthæ virtutem extollere laudibus. *Id. ibid.* 85. Ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant. *Liv.* 6. 41. Parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem fecerunt. *Id.* 22. 39. Omnia audentem contemnet Hannibal, nil temere agentem metuet. *Id.* 4. 35. Neminem plebejum contempturus. — Jungitur et pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 8. *Fam.* 4. aliquem valde contemnere. *Id.* 2. *Off.* 10. 36. aliquem despicere et contemnere. Sic *Id.* 3. *Verr.* 47. 123. tenuissimum quemque contemnere, despicere, liberum esse numquam ducere. *Id.* 1. *Off.* 9. 28. aliquid contemnere et pro nihilo ducere. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 23. 62. *Id.* 3. *Fin.* 8. 29. aliquid non curare et contemnere. *Quintil.* 6. 4. 10. aliquid contemnere, elevare, ridere. *Cic. Mur.* 11. 25. aliquid totum contemnere et abjicere. *Propert.* 1. 4. 23. aras nullas contemnere fletibus suis. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 4. casus humanos. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 5. consilium suum contemnere. *h. e.* rejicere. *Sueton. Cal.* 51. deos tantopere. *Lucret.* 1. 48. dona alicujus. *Seneca Hippol.* 200. famam. *Propert.* 2. 5. 29. famæ murmura. *Virg.* 4. *G.* 104. favos contemnunt apes. *h. e.* fastidiunt, negligunt, deserunt. *Cic. Mur.* 7. 15. genus L. Murenæ contempsisti; extulisti tuum. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 85. honores. *Cic. Mil.* 16. 43. judicia pœnamque. *Sall. Jug.* 31. jussa. *Quintil.* 1. *proœm.* 12. laborem bene dicendi. *Liv.* 38. 41. mare hibernum. *Quintil.* 5. 6. 3. metum jurisjurandi. *Liv.* 44. 27. multitudinem. *Lucret.* 2. 1045. murmura ponti. *Nepos Thrasyb.* 2. nihil in bello. *Sall. Jug.* 85. novitatem alicujus. *Cic.* 2. *Verr.* 3. 9. ordinem senatorium non usque eo despicere et contemnere. *Seneca Provid.* 3. Contemnere paupertatem, dolorem, mortem. *h. e.* non timere. *Liv.* 22. 34. plebem. *Cic. Mur.* 37. 78. rempublicam Catilina non usque eo despexit atque contempsit. *Id.* 5. *Fam.* 13. res humanas præclare contemnere. *Sall. Cat.* 52. verba. *Martial.* 11. 56. vitam. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 65. voces populi. *Cic.* 1. *Off.* 30. 106. voluptatem contemnere et rejicere. — A Poetis etiam de inanimis dicitur. *Lucret.* 2. 448. adamantina saxa – ictus contemnere sueta. Adde *eumd.* 5. 380. et 1216. *Tibull.* 1. 3. 37. Nondum cæruleas pinus contempserat undas. *Virg.* 2. *G.* 360. vites assuescant contemnere ventos. — *c*) Cum Infinito pro Accusativo. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 50. magna coronari contemnat Olympia. *Id.* 1. *ibid.* 1. 29. contemnas lippus inungi. *Seneca Phœniss.* 197. Nemo contempsit mori, qui concupivit. etenim qui mori cupit, mortem ipsam curat et amat: quod non est contemnere, sed quærere. Alias *contemnere mortem* dicitur, qui eam non timet: *V.* supra sub *b*. *Apul. de Mag.* Contempsit respondere. ¶ 2. Specialim *contemnere aliquid præ aliqua re* vel *aliqua re* est aliquid temnere et nihili ducere comparatione facta cum alia re. *Ter. Eun.* 2. 2. 8. Contemnere aliquem præ se. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Irridere atque contemnere Romam præ sua Capua. *Ovid.* 11. *Met.* 155. cantus Apollineos præ se. *Cic. Orat.* 13. 41. Testimonio Platonis aliorum judicia contemnere. *Id.* 2. *Cat.* 3. 5. Hunc exercitum et Gallicanis legionibus et hoc delectu magnopere contemnere. V. *Dietsch* ad *Sall. Jug.* 16. Sic *Cic.* 5. *Tusc.* 30. 85. Aliquid ex collatione contemnere. ¶ 3. Item specialim — *a*) *Contemnere se* est se ipsum parvi facere, modestiam præ se ferre. *Plaut. Trin.* 2. 2. 42. Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ. *Supra dixerat*: Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugis bonæ. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 6. 21. — *b*) Contra *se non contemnere* est se aliquid esse putare, non se abjicere. *Lucilius* apud *Cic.* 6. *Att.* 3. 7. Granius autem Non contemnere se et reges odisse superbos. *Cic.* 13. *Phil.* 7. 15. Quamquam est tanta in te, M. Lepide, auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo; tamen senatus se ipse non contemnit: neque vero fuit unquam gravior, constantior, fortior. *Id.* 12. *Att.* 21. *ad fin.* Ne me quidem contemno: meoque judicio multo stare malo, quam omnium reliquorum: neque tamen etc. — Hinc Part. pass.

Contemnendus, *a*, *um*, quod est contemni dignus, contemptibilis. — *a*) Absolute. *Nepos Epam.* 2. Hæc sunt levia et potius contemnenda. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 29. 43. (104). Nec minus clara exilii documenta sunt etiam in contemnendis animalibus. — *b*) Sæpissime adhibetur præcedente particula negativa. *Cic. Brut.* 79. 272. Defensiones non contemnendæ saneque tolerabiles. *Id. ibid.* 77. 268. Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo. *Id. Orat.* 69. 231. Asiaticorum rhetorum principes minime mea sententia contemnendi. Adde *eumd. Brut.* 13. 51. *Cæs.* 3. *B. C.* 110. Copiæ neque numero –, neque usu rei

militaris contemnendæ. *Sueton. Tib.* 20. Munus non contemnendum.

Contemptus, a, um, Part. præter. pass., cujus superius exempla retulimus sub 1., adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Contemptior* et Sup. *Contemptissimus*; et est despectus, spretus, neglectus, abjectus, vilis. — *a*) Positiv. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Homo Romæ contemptus et abjectus. *Id. Brut.* 25. 96. Q. Pompejus non contemptus orator. *Quintil.* 6. 1. 16. Vilis aliquis atque contemptus. *Sueton. Tib.* 73. Pro contempto se habitum fremens. *Tac.* 1. *Hist.* 60. Per avaritiam et sordes contemptus exercitui invisusque. *Cic. Planc.* 5. 12. Homo vita contempta ac sordida. *Horat.* 3. *Od.* 16. 25. Contemptæ dominus splendidior rei. — *b*) Comp. *Cic. Senect.* 9. 27. Quæ vox potest esse contemptior, quam Milonis Crotoniatæ? Adde *eumd.* 3. *Phil.* 6. 16.; *Liv.* 1. 49.; et *Sueton. Tib.* 13. et in *vit. Ter.* 2. — *c*) Superl. *Cic. Sext.* 16. 36. Contemptissimorum consulum levitas. *Id.* 2. *Divinat.* 57. 117. Philosophi non contemptissimi. *Id.* 5. *Verr.* 41. 98. Contemptissimi ac desipientissimi. *Seneca Ep.* 70. Si viderit rem etiam a contemptissimis posse contemni. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 80. Contemptissimæ escæ et potiones. *Sueton. Domit.* 15. Homo contemptissimæ inertiæ. Adde *Quintil.* 12. 2. 3.

Homonym. *Nonius* p. 436. 27. *Merc.* statuit discrimen inter *contemno* et *despicio*, quod hoc sit illo gravius: et præter *fragmentum* sub 1. a. superius allatum, addit alia duo similia *Ciceronis* loca 3. *Verr.* 47. 123. (Adde 2. *ibid.* 15. 43.) et *Senect.* 18. 65., in quibus *contemnere* primo loco ponitur, *despicere* autem secundo: sed nihil conficit. Nam contra primo loco est *despicere*, *contemnere* autem secundo in illis ejusdem *Cic.* 2. *Off.* 10. 36., *Mur.* 37. 78. et 2. *Verr.* 3. 9.: quæ omnia videsis sub 1. *a*.

CONTEMPĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTEMPĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et tempero). Part. *Contemperatus*. — Contempero est idem fere quod tempero, misceo. *Apul.* 10. *Met.* Illum aureum cantharum mulso contempera et offer. *Apic.* 4. 2. *ad fin.* Suffundes liquamen, adjicies sorba: in se contemperabis. *Veget.* 6. *Veterin.* 9. 7. *Schneid.* Contemperatis omnibus, si liquor spissior fuerit, tantum passi addes, ut etc. Adde *Marcell. Empir.* 16. — NB. *Vitruv.* 9. 1. 13. *Schneid.* Euripides ait, quæ longius a sole essent, hæc vehementius ardere; propiora vero contemperata habere. Itaque scribit in fabula Phaetonte sic: Καίει τὰ πόῤῥω, τἀγγύθεν δ' εὔκρατ' ἔχει. *At recte* Schneider., *præeunte* Valckenario, *τὸ contemperata correxit et leg.* cum temperata.

CONTEMPLĀBĬLIS, e, adject. *Ammian.* 30. 5. 16. Robo nulla jacientium sagittas et lapides contemplabili dextera cadere potuit. *h. e.* contemplante et certum ictum mittere adnitente. Cf. *eumd. ibid.* 23. 4. *V.* CONTEMPLATIO I.

CONTEMPLĀBĬLĬTER, adverb. contemplando. *Ammian.* 20. 7. 16. Intuta loca, carieque nutantia contemplabiliter machinæ feriebant hostiles. *h. e.* certum ictum destinando. *V.* CONTEMPLATIO I.

CONTEMPLĀBUNDUS, a, um, adject. attente et diu contemplans. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 40. *ad fin.* Spiritus propheticus, velut jam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, cruentum habitum carnis designat.

CONTEMPLATIM, adverb. contemplando. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 133.

CONTEMPLĀTĬO, ōnis, f. 3. (contemplo a cum et templum) actus contemplandi, inspectio, consideratio. Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, et speciatim dicitur de inspectione eorum, qui dirigunt oculis ictum sagittæ. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (194). Regio supra Sirbitum dicitur habere Nisicastes, Nisitas, quod significat ternum et quaternum oculorum viros: non quia sic sint, sed quia sagittis præcipua contemplatione utantur. *Solin.* 30. hunc eumdem locum exscribens, quod, *inquit*, et vident plurimum, et manifestissime destinant jactus sagittarum. Quæ lucem afferunt duobus *Ammiani* locis in CONTEMPLABILIS et CONTEMPLABILITER allatis. ¶ 2. Latiori sensu est quæcumque inspectio oculis fiat. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 93. Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 4. Contemplationem suam dirigere ad aliquid. *Petron. Satyr.* 12. Injecit contemplationem super humeros rustici. ¶ 3. Item latiori sensu est consideratio, quæ fit animo. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 127. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturæ. Adde *Cels.* 1. *præfat.* et *Quintil.* 3. 6. 86. Rursus *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50. Res magna et diligenti contemplatione dignissima. *Curt.* 10. 9. 7. Contemplatio publicæ felicitatis avertit aliquem aliquo. *Plin.* 2. *Ep.* 1. *sub fin.* Totus animus in hac una contemplatione defixus est. *Quintil.* 2. 18. 4. Contemplatione sui frui. *Gell.* 20. 5. Contemplationes naturæ. ¶ 4. Apud sequioris ævi scriptores est etiam idem quod respectus, cum scilicet in agendo habetur ratio alicujus rei, et quasi eam spectamus et contemplamur. *Justin.* 7. 5. 7. Quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. *Id.* 8. 3. 14. Reges Thraciæ, non contemplatione justitiæ ejus, sed invicem metuentes, disceptationum suarum judicem elegerunt. *Papinian. Dig.* 18. 1. 58. Contemplatione arborum fundum comparare. *Ulp. ibid.* 3. 5. 6. § 1. Si procuratori tuo mutuam pecuniam dedero tui contemplatione. et *ibid.* § 3. Si quis negotia mea gesserit, non mei contemplatione, sed lucri causa. *Id. ibid.* 2. 15. 8. *circa med.* Sed et personarum contemplatio habenda est. *h. e.* ratio habenda, discrimen faciendum. *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 21. Contemplatione mortis facta donatio. *h. e.* mortis causa. *Inscript.* apud *Orell.* 3161. CONTEMPLATIONE MERITORVM. Adde *aliam* apud *eumd.* 3619.

CONTEMPLĀTĪVUS, a, um, qui contemplatur. *Seneca Ep.* 95. Philosophia et contemplativa est et activa: spectat, simulque agit. *V.* PHILARGICUS.

CONTEMPLĀTOR, ōris, m. 3. qui contemplatur. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. Homo contemplator cœli ac deorum. *Seneca Consol. ad Helv.* 8. *sub fin.* Animus contemplator admiratorque mundi. *Apul. Florid.* 4. n. 18. Astrorum peritissimus contemplator. Adde *Ammian.* 19. 1. 7.

CONTEMPLĀTŌRĬUS στοχαστικός. *Gloss. Cyrill.*

CONTEMPLĀTRIX, īcis, f. 3. quæ contemplatur. *Cels.* 1. *præfat. post med.* Medicina contemplatrix eorum, quæ in morbis communia sunt. *Apul. Dogm. Plat.* 2. Disciplina contemplatrix bonorum.

CONTEMPLĀTUS, a, um. *V.* CONTEMPLO et CONTEMPLOR.

CONTEMPLĀTUS, us, m. 4. Occurrit tantum in sexto casu singulari; et est ¶ 1. Contemplatio. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 66. meque ipse reduco, A contemplatu submoveoque mali. ¶ 2. Item respectus: *V.* CONTEMPLATIO 4. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 1. Pro contemplatu probi improbive meriti. *h. e.* respectu.

CONTEMPLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Contemplatus* in fin. — Contemplo est idem quod *contemplor*, et antiquioribus tantum in usu fuit, testibus *Non.* p. 469. 31. *Merc.* et *Priscian.* 8. p. 797. *Putsch.* ¶ 1. Est diligenter intueri vel inspicere oculis. *Nævius* apud *Non.* p. 469. 33. *Merc.* Contemplo placide formam et faciem virginis. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 9. *Müll.* Contempla, et templum Cereris ad lævam aspice. Adde *eumd.* apud *Non.* p. 470. 5. *Merc. Plaut. Trin.* 4. 2. 21. Lora contemplat, circumspectat sese. *Id. Asin.* 3. 1. 38. Meum caput contemples. *Id. Epid.* 3. 3. 2. Habera speculum, ubi os contemplarent suum. *Id. Merc.* 2. 3. 72. Contemplent, conspiciant omnes. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 265., *Pers.* 4. 4. 15., *Epid.* 5. 1. 16., *Mil. glor.* 4. 2. 38. et *Most.* 1. 3. 16.; *Accium* apud *Non.* p. 469. 31. *Merc.*; et *Titin. ibid.* p. 470. 2. *Merc.* — Cum Infinito. *Nemesian. fragm. de aucup.* 3. p. 49. *Stern.* Cum pedicas necti (*al.* pendi) sibi contemplaverit astans. ¶ 2. Item est animo considerare, perpendere. *Apul. Florid.* 1. Ubi pauci boni artifices – omnifariam sapientiæ studium contemplarent. — Hinc Part. præter. pass.

Contemplatus, a, um, pro inspecto, considerato occurrit apud *Ammian.* 31. 15. 6. Scriptis recitatis, utque decebat, contemplatis. et *ibid.* 5. 9. Barbari, hoc contemplato, globos irrupere nostrorum.

CONTEMPLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Contemplans* et *Contemplatus* 2.; *Contemplandus* 3. — Est a con et *templum*, quæ auguralis vox est, et significat locum capiendis auspiciis ab augure lituo designatum, unde in omnes partes est liber aspectus, ut *Varro* 7. *L. L.* 9. *Müll.* docet. Itaque contemplari proprie significat undique circumspicere, ex omni parte attente intueri (It. *mirare attentamente, contemplare*; Fr. *regarder attentivement, contempler*; Hisp. *mirar con atencion, contemplar*; Germ. *sich umschauen, sich der Betrachtung und Anschauung überlassen*; Angl. *to view, survey, behold steadfastly, gaze upon, contemplate*). Occurrit ¶ 1. Absolute pro simpliciter intueri. *Plaut. Cist.* 4. 2. 33. Sed is hac abiit, contemplabor, hinc huc iit, hinc nusquam abiit. *Ter. Heaut.* 4. 1. 4. At satis ut contemplata modo sis. — Sic *Lucret.* 2. 113. et 6. 189. Contemplator, cum etc. et *Virg.* 1. *G.* 187. Contemplator item, cum se nux etc. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 61. Quod simile est Gr. ὅρα ὅταν κτλ. ¶ 2. Cum Accus. personæ aut rei est undique circumspicere, ex omni parte attente intueri. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 10. Eho mirari noli, neque me contemplarier. *paragoge pro* contemplari. *Ter. Phorm.* 1. 4. 32. Vultum contemplamini: hem, satin' est sic? *Cic. Planc.* 1. 2. Cum intueor et contemplor unumquemque vestrum. *Id.* 1. *Orat.* 35. 160. Sed ea (*ornamenta*) cum contemplari cuperem, vix aspiciendi potestas fuit. *Id.* 6. *Verr.* 15. 33. Accessit ad argentum: contemplari unumquodque otiose et considerare cœpit. *Id.* 5. *ibid.* 16. 41. Codicis lituras tui contemplare in Sthenii nomine. *Id.* 2. *Nat. D.* 38. 98. Contemplari oculis pulcritudinem cœli. *Id. ibid.* 2. 4. Cœlum suspicere cœlestiaque contemplari. *Id.* 1. *ibid.* 20. 52. Deus terras et maria contemplans. *Id. Senect.* 16. 55. Contemplari villam alicujus. *Horat.* 3. *Od.* 29. 7. Arvum contemplari. *Id.* 1. *Sat.* 2. 91. Corporis optima contemplari Lyncei oculis. *Id.* 1. *ibid.* 1. 67. nummos contemplor in arca. *Liv.* 35. 28. Contemplatus ab omni parte loci naturam, cum solus iret, secum ipse agitabat animo. *Id.* 30. 36. Contemplari situm Carthaginis. *Curt.* 3. 4. 11. Contemplatus locorum situs. *Id.* 4. 9. loci naturam. *Petron. Satyr.* 95. Contemplatus fœdissimam volutationem. ¶ 3. Item est animo, mente versare, considerare, perpendere. *Cic. Dejot.* 14. 40. Propone tibi duos reges et id animo contemplare, quod oculis non potes. *Id. Flacc.* 11. 26. Ut totam causam quam maxime intentis oculis, ut ajunt, acerrime contemplemini. *Id.* 1. *Nat. D.* 27. 77. Quis tam cæcus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret, etc.? *Id.* 1. *Off.* 43. 153. Quæ cognitione dignæ sunt summo otio securo ipsum contemplari. *Id.* 1. *Orat.* 23. 151. Omni acie ingenii contemplantibus ostendit se et occurrit aliquid.

CONTEMPŎRĀLIS, e, et

CONTEMPŎRĀNEUS, a, um, adject. qui est ejusdem temporis, æqualis. *Gell.* 15. 14. *in lemmate.* Contemporaneos fuisse Cæsari et Ciceroni M. Varronem et P. Nigidium. *Tertull. advers. Hermog.* 6. Inter coætaneos et contemporales ordo non est. Adde *eumd. ibid.* 7.

CONTEMPŎRO, as, are, a. 1. ejusdem temporis esse facio. *Tertull. Resurr. carn.* 45. Contemporant fetu, coætaneant natu.

CONTEMPTE vel contemte, adverb. idem quod contemptim; sed occurrit tantum Comp. *Contemptius* apud *Senec. Brevit. vitæ* 11. Quos in sua vides turba speciosius elidi, aut in aliena contemptius. *Tac.* 3. *Hist.* 47. Barbari contemptius vagabantur. Adde *Sueton. Domit.* 11. *V.* CONTEMPTIM.

CONTEMPTĬBĬLIS vel contemtibilis, e, adject. Comp. *Contemptibilior*. — Contemptibilis est vilis, contemni dignus. *Ulp. Dig.* 1. 16. 9. § 2. Patientem esse oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur. *Id. ibid.* 21. 2. 37. § 1. Si margarita, vel quid aliud non contemptibile vendierit. *Arnob.* 4. 34. Dii inhonorati, contemptibiles, viles. *Lamprid. Alex. Sev.* 20. Mollior et contemptibilior potestas imperii. *Porc. Latro in Catil.* 33. Nihil temeritate contemptibilius.

CONTEMPTĬBĬLĬTAS vel contemtibilitas, ātis, f. 3. contemptus, vilitas. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Continuatio contemptibilitatem parit.

CONTEMPTĪCIUS, a, um, adject. idem ac contemptibilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 72.

CONTEMPTIM vel contemtim, adverb. Comp. *Contemptius V.* in CONTEMPTE. — Contemptim est per contemptum. *Nævius* apud *Non.* p. 516. 1. *Merc.* Superbiter contemptim conterit legiones. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 34. Ne nos tam contemptim conteras. *Lucret.* 5. 1125. Et tamen e summo quasi fulmen dejicit ictos Invidia interdum contemptim in Tartara

tuitra. *Liv.* 9. 41. Magnifice de se et contemptim de Romanis loquentes. *Id.* 2. 35. Contemptim audire minas. *Id.* 7. 7. Morte consulis contemptim ad castra Romana succedentes. *Id.* 37. 10. Superbe quædam et contemptim in aliquem concionari. Adde *eumd.* 2. 50. et 6. 38. *Curt.* 9. 7. 18. E Dioxippo contemptim militarem eludente ferociam. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 9. *ad fin.*

CONTEMPTĬO *vel* contemtio, ōnis, f. 3. contemptus, despicientia (It. *dispregio*; Fr. *mépris, dédain*; Hisp. *menosprecio, desprecio, desden*; Germ. *die Verachtung, Geringschätzung*; Angl. *a despising, contemning, contempt, scorn, disdain*). *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 95. Totam vim bene vivendi in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia ponamus. Adde *eumd.* 1. *Off.* 4. 13. *Id.* 3. *Off.* 33. 117. Fortitudo est dolorum laborumque contemptio. *Id.* apud *Non.* p. 201. 30. *Merc.* Mortis dolorisque magna contemptio. Sic *Curt.* 10. 8. 29. Mortis perpetua contemptio. Rursus *Cic.* 3. *Phil.* 6. 16. Contemptio pecuniæ. *Id. Parad.* 4. 1. § 27. fortunæ. *Liv.* 6. 41. deorum immortalium. *Cic.* 1. *Invent.* 16. 22. Adducere adversarios in contemptionem. *Cæs.* 3. *B. G.* 17. et 5. *ibid.* 47. Venire alicui in contemptionem. *Id.* 3. *B. C.* 60. Magnam hæc res illis offensionem, et contemptionem ad omnes attulit.

CONTEMPTĬUS *vel* contemtius. *V.* CONTEMPTE.

CONTEMPTOR *vel* contemtor, ōris, m. 3. qui contemnit. *Sall. Jug.* 68. Inerat Metello contemptor animus et superbia, commune nobilitatis malum. *Liv.* 39. 40. Cato contemptor gratiæ et divitiarum. *Id.* 44. 22. Contemptor famæ. *Virg.* 7. *Æn.* 648. Contemptor divûm Mezentius. *Id.* 9. *ibid.* 205. Animus contemptor lucis. *h. e.* vitæ. *Ovid.* 3. *Met.* 514. Contemptor superûm. *Id.* 12. *ibid.* 170. Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu Cygnus. *Id.* 11. *ibid.* 7. nostri. *Id.* 9. *ibid.* 240. Suum contemptorem petere. *Id.* 3. *Fast.* 49. Contemptor Amulius æqui. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 18. (46). Contemptores vulnerum leones. Aliter *Plin. Paneg.* 55. Contemptor ambitionis animus. *Quintil.* 12. 1. 20. Minime sui contemptor Cicero. *Tac.* 4. *Hist.* 5. Contemptor opum. *Id.* 6. *Ann.* 38. infamiæ. *Sueton. Ner.* 56. religionum usquequaque.

CONTEMPTRIX *vel* contemtrix, īcis, f. 3. quæ contemnit; et occurrit — *a*) De personis et abstractis. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 2. Illa contemptrix mea. *Ovid.* 1. *Met.* 161. Progenies contemptrix Superûm. *Seneca Ep.* 88. Fortitudo contemptrix timendorum. *Sil. It.* 17. 411. Turba contemptrix pericli. — *b*) De inanimis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 44. (154). Eruca contemptrix frigorum. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (59). Vis invicta adamantis, ferri ignisque contemptrix.

CONTEMPTUS *vel* contemtus, a, um. *V.* CONTEMNO.

CONTEMPTUS *vel* contemtus, us, m. 4. contemptio, despicientia: et ponitur ¶ 1. De statu ejus, qui despicitur ac contemnitur. Apud *Lucret.* 5. 831. Porro aliud crescit et e contemptibus exit. *Exire e contemptibus* dicuntur ea, quæ adolescunt, et incremento proficiunt, atque ex humili abjectoque loco evadunt: quo fit ut contemni ac negligi desinant. Sic *Id. ibid.* v. 1276. Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore: Porro aliud succedit, et e contemptibus exit. *Id.* 3. 65. Turpis enim ferme contemptus et acris egestas – videntur. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. Hominibus Gallis, præ magnitudine corporum suorum, brevitas nostra contemptui est. Sic *Sueton. Claud.* 15. Passim ac propalam contemptui esse. *Liv.* 6. 2. Non odio solum apud hostes, sed contemptu etiam inter socios nomen Romanum laborare. *Ovid.* 13. *Met.* 859. Atque ego contemptus essem patientior hujus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 527. *Quintil.* 3. 7. 19. Corporis ac fortunæ quibusdam mala contemptum attulerunt. *Tac.* 3. *Ann.* 54. Leges contemptu abolitæ. ¶ 2. De statu ejus, qui alium despicit ac contemnit. *Tac.* 6. *Ann.* 45. Contemptus ambitionis. *Id.* 4. *ibid.* 38. *extr.* Contemptu famæ contemnuntur virtutes. *Id.* 5. *Hist.* 5. Contemptus moriendi. *Sueton. Vit.* 14. sui. *Id. Ner.* 39. infamiæ. *Id. Aug.* 93. Contemptui habere aliquid. *Quintil.* 12. 2. 30. Contemptus doloris. *Id.* 7. 2. 30. pecuniæ. *Id.* 11. 3. 80. Derisum, contemptum, fastidium naribus labrisque significare. — *NB.* Utrum *Cicero* quoque hac voce usus fuerit, incertum est. Nam quod *Seneca* ex eo affert *Tranquill.* 11., non satis constat, verba ne, an sententiam ejus retulerit. (*V. Cic. Mil.* 34.) Quod vero quidam putant referri a *Quintil.* 8. 3. 21. hæc verba ex Pisoniana, *non ex contemptum hominis exisse*: illa certe *Quintiliani* sunt, non *Tullii*, ut cuique locum legenti patebit.

CONTENDO, dis, di, tum, dere, a. 3. (cum et tendo). Part. *Contendens* I. et II. *B.* 2. *a.*; *Contentus* I. et in fin.; *Contendendus* II. *A.* 2. *a.* — Contendo est idem quod tendo, aut valde tendo, totis viribus intendo, undique intendo, extendo, vehementer traho (It. *tendere con forza, tirare*; Fr. *tendre avec force, tirer fort*; Hisp. *tender con fuerza, tirar con fuerza*; Germ. *etwas aus allen Kräften, von allen Seiten, eifrig spannen, fest zusammen- oder anziehen*; Angl. *to stretch, strain*).

I.) Proprie. *Sisenna* apud *Non.* p. 258. 26. *Merc.* Simul et tormenta contenduntur. Sic *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Ballistæ et reliqua tormenta eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta et adductæ vehementius. *Virg.* 12. *Æn.* 815. et *Ovid.* 6. *Met.* 286. Contendere arcum. Sic *Ovid. Remed. am.* 435. Arcus contenti. — Hinc metonymice de ipsis telis. *Virg.* 5. *Æn.* 520. aerias telum contendit in auras. *h. e.* jacit, torquet. *Id.* 10. *ibid.* 521. infensam contenderat hastam. *Sil. It.* 1. 323. Contenta sagitta. — Sic de fidibus *Cic.* 4. *Fin.* 27. 75. Ut in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum servare possit. — Hinc figurate de nervis ac viribus. *Cic. Fat.* 10. 21. Contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat etc. *Id.* 2. *Verr.* 12. 35. Onus dignum, in quo omnes nervos ætatis industriæque meæ contenderem. *Lucret.* 4. 989. Contendere summas vires de palma. *h. e.* intendere ad victoriam obtinendam. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 11. animum in curas. *Lucret.* 4. 1043. quo se contendit dira libido. — Similiter *Virg.* 4. *G.* 412. contende tenacia vincla. *h. e.* contrahe et constringe. *Ovid.* 3. *Art. am.* 285. Contendere ilia risu. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 2. *Müll.* Isque Hellesponto pontem contendit in alto. *h. e.* jecit, ab uno ad aliud littus extendit. Cf. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 3. 3. (24). Cappadocum gens usque ad ejus regionem contendit. *h. e.* pertinet, extenditur. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Submersamque navim remulco multisque contendens funibus abduxit. V. et *Contentus* in fin. hujus vocis. — Hinc figurate *Lucret.* 4. 472. Contendere causam contra aliquem. *h. e.* litem intendere, causam agere, quæstionem instituere. Sic *Gell.* 20. 10. Cum lege agitur, et vindiciæ contenduntur. *h. e.* intenditur actio de possessione.

II.) Translate duo diversa significat prout præpositio *cum A*) intensiva est, aut *B*) collectiva.

A) Cum præpositio *cum* intensiva est, ¶ 1. Contendere dicitur de corpore, et significat omnes corporis vires intendere, speciatim ad eundum ac proficiscendum; et occurrit — *a*) Pro maturare iter, accelerare, (quod interdum magis definitur per addita, ut apud *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Aliquo contendere magnis itineribus. et apud *eumd.* 3. *ibid.* 19. magno cursu). Cæterum hoc sensu, cum casibus motus ad locum, sæpissime occurrit, præcipue apud Historicos. Figurate *Cic. Orat.* 30. 105. Si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire. Proprie *Id.* 5. *Att.* 2. Tarsum veni, inde ad Amanum contendi. *Id.* 3. *Verr.* 26. *ad fin.* Contendere ad ædes. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. et 1. *ibid.* 37. *extr.* ad hostes. *Id.* 3. *ibid.* 24. et 2. *ibid.* 19. ad hostium, ad nostra castra. *Id.* 2. *ibid.* 12. ad oppidum. *Id.* 1. *ibid.* 27. ad Rhenum Suevosque Germanorum. *Id.* 1. *ibid.* 10. in Italiam. *Id.* 2. *B. C.* 42. in castra. *Id.* 2. *ibid.* 24. domum. *Nepos Cim.* 3. Lacedæmonem. *Id. Eumen.* 8. per loca sola. — Et addita itineris quantitate. *Cic. Rosc. Am.* 34. 97. Quæ res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? — Cum solo Accusativo omissa præpos. *Apul.* 2. *Met.* Cum dicto facesso, et cubiculum meum contendo. — Hinc *contendere se aliquo* est se conferre. *Licinius* apud *Non.* p. 260. 6. *Merc.* Quo die magistratum obiit, repente celeri gradu per forum se in Capitolium contendit. — *b*) Cum Infinito verborum itionem, profectionem etc. significantium: *Forcellinus* autem docet, esse in hac locutione ellypsin, qua subintelligitur *ire, proficisci*, aut quidpiam simile; quæ verba aliquando exprimuntur. *Cic. Planc.* 40. 96. A Vibone Brundisium terra petere contendi. Adde *Virg.* 1. *Æn.* 158. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Qua iter in Galliam erat, cum legionibus ire contendit. Sic *Sall.* 4. *Hist.* apud *Non.* p. 258. 23. *Merc.* Ad oppidum ire contendit. Rursus *Cæs.* 3. *B. G.* 6. Contendit reverti. *Id.* 4. *ibid.* 20. proficisci. — *c*) Hinc *contendere cursum ad aliquem* est dirigere. *Plaut. Cist.* 2. 1. 58. et *Virg.* 5. *Æn.* 824. ¶ 2. Usurpatur et de animo, pro laborare, conari, curare, niti; et occurrit — *a*) Absolute, seu cum Accusativo communi tantum. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 52. Jam in tanta istius impudentia remittendum est aliquid, ne omnia contendamus. *h. e.* ne omnia exaggerare videamur. Cf. *eumd.* 3. *Off.* 2. 6. Quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, tantum fac ut efficias. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Se id contendere et laborare, ne etc. *V.* locum sub *d. Id.* 4. *ibid.* 17. Id sibi contendendum existimabat. — *b*) Addita per Accus. et præpos. *ad* re, quam conando nitendoque spectamus. *Cæs.* 3. *B. G.* 3. Contendere iisdem itineribus ad salutem. *Cic.* 14. *Phil.* 12. 32. Maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contendere. *Id. Mur.* 31. 65. Ad ultimum animo contendissemus. Cf. *eumd. Orat.* 62. 210. *Id.* 2. *Off.* 13. 44. Ad ea rectis studiis debent contendere. — *c*) Interdum loco Accusativi cum præpos. *ad* ponitur Infinitus, qui actionem significat, quam conando spectamus. *Cæs.* 3. *B. G.* 15. Summa vi transcendere in hostium naves contendebat. *Id.* 5. *ibid.* 21. Hunc (*locum*) ex duabus partibus oppugnare contenderunt. *Id.* 3. *ibid.* 15. Fuga salutem petere contenderunt. *Id.* 5. *ibid.* 6. Omnibus precibus petere contenderunt, ut etc. *Quintil.* 10. 1. 125. Corruptum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendit. Cf. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 38. Neque ego nunc hoc contendo –, mutare animum. — *d*) Item id, quod conando spectamus, per particulam *ut* vel *ne* cum Conjunctivo significatur. *Cic.* 3. *Off.* 10. 42. Qui stadium currit, eniti et contendere debet, ut vincat. *Id. Ligar.* 3. 6. Quantum potero voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. Contende, quæso, atque elabora, ut etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Remis contendit, ut eam partem insulæ caperet. *Id.* 1. *ibid.* 31. Se id contendere et elaborare, ne ea quæ dixissent enunciarentur. — *e*) Hinc *contendere aliquid ab aliquo*, et sæpius *contendere ab aliquo ut* etc. est eniti, ut ab aliquo obtineas. *Cic.* 13. *Fam.* 7. Non erat causa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem. *Id. Quinct.* 24. 77. Cum a me peteret et summe contenderet, ut suam propinquam defenderem. *Id.* 9. *Att.* 17. Nec dubito, quin a me contendat, ad urbem veniam. *Est qui legit* ut veniam: *quam lectionem et* Orellius *in textum recepit, et nos præferendam ducimus. Id.* 1. *Orat.* 36. 166. Maxima voce, plurimis verbis contendere ab aliquo, ut etc. *Id.* 2. *Fam.* 6. Verecundius contendere ab aliquo, ut etc. *Id.* 1. *ad Brut.* 14. Omni studio a te contendo, ut ne etc. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. Ædui contendunt, ut ipsis summa imperii tradatur. — Huc pertinent et illa *Cic.* 12. *Fam.* 30. 5. A magistris cum contenderem de proferendo die. *Id.* 2. *Off.* 20. 71. Ne quid contra æquitatem contendas. — Vis interdum ipsi verbo addita est per Adverbia. *Sueton. Domit.* 2. Omni ope contendere, ut etc. *Al. leg.* opere. *Id. Vitell.* 3. Magnopere contendere, ne etc. *Id. Cæs.* 1. Pertinaciter contendere. — Denique cum Accus. *Varro* apud *Non.* p. 259. 32. *Merc.* Et petere imperium populi, et contendere honores. Et passive *Cic.* 4. *Verr.* 53. 131. Propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populi summa ambitione contenditur.

B) Cum præpositio *cum* collectiva est, ¶ 1. Active *contendere* est plura simul tendere, opponere, ut inter ea fiat comparatio; adeoque est comparare, conferre. Res autem quæ comparantur, aut ipsa loquendi ratione significantur (nota per numerum plur., vel per adjectivum *quisque* etc.); aut inter se connectuntur particula *et*, vel præpositione *cum*, vel interdum Dativo apud Poetas, vel raro admodum præpositione *ad*. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Si ipsas causas, quæ inter se confligunt, contendere velimus. *Id.* 2. *Invent.* 49. 145. Contendere leges. *Gell.* 2. 23. Græca comparare et contendere. *Tac.* 12. *Ann.* 1. Nec minore ambitu feminæ exarserant, cum suam quæque nobilitatem, formam, opes contenderet. *Id.* 13. *ibid.* 3. Vetera et præsentia contendere. *Nævius* apud *Non.* p. 259. 6. *Merc.* Cave, tuam contendas iram contra cum ira Liberi. Adde *Cæcilium* apud *eumd.* p. 259. 1. *Cic. Rosc. Am.* 33. 93. Quidquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito. *Id.* 3. *Nat. D.* 4. 10. Ratio mea cum tua ratione contendit. *Tac.* 4. *Ann.* 32. Nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 26. qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera

suorum. *Auson. Grat. act.* 14. Non ego me contendo Frontoni. Adde *Lucilium* apud *Non.* p. 258. 31. *Merc. Accius* apud *Non.* p. 259. 8. *Merc.* Video te, mulier, more multarum utier, ut vim contendas tuam ad majestatem viri. — Interdum alter tantum comparationis terminus significatur. *Varro* apud *Non.* p. 259. 10. *Merc.* Age nunc, contende alterum genus philotheoron. *Plautus* apud eumd. p. 258. 29. Signum recte comparebat, hujus contendi annulum. ¶ 2. Neutrorum more, sine Accusativo, et quidem generatim, sæpissime ponitur pro certare, confligere, in contentionem venire; et occurrit — *a*) Absolute, seu sine additis. *Cic.* 5. *Verr.* 42. 90. Is liceri non destitit: illi contenderunt. *Id. Cæcin.* 23. 65. Si contra verbis et litteris – contenditur. *Id. Planc.* 19. 47. In hac causa desinemus aliquando vulgari et pervagata declamatione contendere. *Id. Quinct.* 21. 68. Inimicissime atque infestissime contendere. *Seneca* 1. *Controv.* 1. Inter duos contendentes melius elidar. *Quintil.* 3. 4. 8. De his lite contenditur. — *b*) Cum Accus. et præpos. *inter. Lucret.* 3. 783. neque inter se (*animæ*) contendant viribus. *Cæs.* 5. *B. G.* 3. Inter se de principatu contendere. *Id.* 2. *ibid.* 9. Interim prælio equestri inter duas acies contendebatur. Paullo aliter *Sueton. Vitell.* 4. Inter citharœdos contendere. — *c*) Cum Ablat. et præpos. *cum. Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* In quo, etiam si multi mecum contenderent, tamen omnes facile superabo. *Id. Brut.* 70. 246. Jurgio contendere cum judice. *Id.* 4. *Herenn.* 52. 65. in judicio cum aliquo. *Id. Quinct.* 31. 96. jure cum aliquo. *Id.* 1. *Orat.* 10. 41. interdicto cum aliquo. *Id.* 7. *Att.* 9. 2. armis cum aliquo. *Cæs.* 7. *B. G.* 67. *extr.* bello cum aliquo. *Sall. Cat.* 53. cum magnis legionibus parva manu. *Nepos Arist.* 1. de principatu cum aliquo. *Ovid.* 10. *Met.* 570. pedibus cum aliquo. *h. e.* quod *Virg.* dixit 5. *Æn.* 291. Contendere cursu. *Propert.* 2. 24. 23. ingenio et arte cum aliquo. *Martial.* 7. 41. muneribus et carminibus cum aliquo. — Et de abstractis *Cic. Rosc. Am.* 47. 136. Quis enim erat, qui non videret humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? — Interdum alter casus omittitur; facile enim subauditur *inter se*, aut *cum hoste* etc. *Virg.* 6. *Æn.* 643. Contendunt ludo. *h. e.* inter se. *Nepos Miltiad.* 4. ad fin. Utrum mœnibus se defenderent, an obviam irent hostibus acieque contenderent. *h. e.* cum ipsis hostibus. — *d*) Cum Accus. et præpos. *contra. Cic.* 3. *Fin.* 20. 66. Tauri pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendunt. *Cæs.* 2. *B. G.* 13. Contendere armis contra populum Romanum. *Catull.* 64. 101. contra sævum monstrum. — Et cum Accus. communi. *Cic.* 1. *Off.* 31. 110. Nihil contra naturam universam contendere. *Id. Quinct.* 25. 78. Tamen ne vereris, ut possis hæc contra Hortensium contendere? *h. e.* defendere. — *e*) Cum Accus. et præpos. *adversus. Antonius* apud *Cic.* 14. *Att.* 13. Si duriorem te præbes, non contendam ego adversus te. — *f*) Denique apud Poetas cum Dativo. *Lucret.* 3. 6. quid enim contendat hirundo Cygnis? *Propert.* 1. 7. 3. primo contendis Homero. *Id.* 1. 14. 7. Non tamen ista meo valeant contendere amori. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 101. Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris. ¶ 3. Item neutrorum more, sed specialim, est in judicio vel lite valde affirmare, tueri, tenere; et occurrit cum Accus. et Infinito. *Cic. Planc.* 19. 48. Sic ego hoc contendo, me tibi – cujuscumque tribus rationem popósceris, redditurum. *Id.* 7. *Fam.* 32. 2. Ut sacramento contendas, mea non esse. *Nepos Themist.* 7. Ad Ephoros accessit, atque apud eos contendit, falsa his esse delata. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 37. Contendat laqueo collum pressisse paternum. *Ovid.* 2. *Amor.* 8. 10. Illum ego contendi mente carere bona. *Quintil.* 2. 5. 25. Quoniam – et fuisse nuper et nunc esse, quidni – contenderim? — Interdum Infinitus facile subintelligitur. *Cels. præfat. ante med.* Si manantia corpuscula iter claudunt, ut Asclepiades contendit. — Hinc Part. præter. pass.

Contentus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Contentior* I. et Sup. *Contentissimus* II.

I.) Proprie contentus est adductus, intentus, extentus, eique opponitur *laxus*, *remissus*: et occurrit de corpore ejusque membris. *Lucilius* apud *Non.* p. 266. 2. *Merc.* Muscipula contentâ, scorpius caudâ sublatâ. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. Onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt. *Lucret.* 1. 324. Contenta acies oculorum. Cf. *Id.* 4. 807. Oculi contendunt se, cum tenui quæ sint, cernere coeperunt. Et *Sueton. Tib.* 7. Contentis oculis aliquem prosequi. *Virg.* 3. *G.* 536. Contenta cervice trahunt stridentia plaustra. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 77. Contento poplite. — Hinc *Id.* 2. *Sat.* 7. 20. jam contento, jam laxo fune laborat.

II.) Translate est intensus, fervidus, concitatus. — *a*) Absolute. *Cic. Sext.* 6. 13. Contento studio cursuque venire. *Id. Orat.* 17. 56. Contenta voce atrociter dicere, summissa leniter. Sic *Apul.* 4. *Met.* Contentissima voce clamitans. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 169. illa per auras Tot freta, tot montes uno contenta volatu Transilit. *h. e.* concitata. Sic *Val. Flacc.* 3. 145. et pectus arundo Per medium contenta fugit. *Ammian.* 23. 11. Aut rapax, aut feritate contentior. — *b*) Addita re, in qua quis contentus est. *Lucret.* 4. 961. Aut quibus in rebus multum sumus ante morati, Atque in ea ratione fuit contenta magis mens, In somnis eadem plerumque videmur obire. Sic *Ovid.* 15. *Met.* 515. Mens exsiliis contenta suis.

CONTĔNĔBRASCO, ascis, avi, ascere, n. 3. simul tenebresco. Impersonaliter *Varro* 3. *R. R.* 2. 11. Rursus pascunt, quoad contenebravit. *Forcellinus* hunc locum ad CONTENEBRO retulerat, formamque admiserat *Contenebrat*, *abat*.

CONTĔNĔBRĀTUS, a, um. *V.* CONTENEBRO.

CONTĔNĔBRESCO, scis, scere, n. 3. simul tenebresco. Impersonaliter occurrit apud *Vulgat. interpr. Jerem.* 13. 16. Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat.

CONTĔNĔBRO, as, avi, atum, are, a. 1. Part. *Contenebratus*. — Contenebro est tenebris operio. *Tertull. advers. Hæret.* 12. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. *Id. Jejun.* 10. *circa med.* A sexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium.

CONTENSUS, pro *contentus*, vel *intensus*, legitur a nonnullis apud *Lucret.* 2. 98., ubi alii *condensus*.

CONTENTĒ, adverb. duo diversa significat, prout est *A*) a verbo *contendo*, aut *B*) a verbo *contineo*.

A) *Contente* a contendo, unde Comp. *Contentius* I. et II., et Sup. *Contentissime* II., est intente, extente, adducte.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Plaga hoc gravior, quo est missa contentius. *Id.* 5. *ibid.* 34. 79. Cum usque ad vesperum contentius ambularet.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 56. Genu M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse diceret, terram tangere. *Id.* 3. *Orat.* 55. 212. Iisdem ornamentis uti licebit, alias contentius, alias remissius. *Gell.* 18. 1. Acriter atque contente pro suis decretis propugnare. *Id.* 3. 3. Curiose atque contente Plauti comœdias lectitare. *Apul. Florid.* n. 8. Contentissime clamitare.

B) *Contente* a *contineo* est parce, continenter, ut *Non.* p. 83. 7. *Merc.* exponit. *Plaut. Asin.* 1. 1. 63. Illum mater arcte contenteque habet. *Pacat. Paneg. Theodos.* 13. Parce contenteque vivere.

CONTENTĬO, ōnis, f. 3. actus contendendi: sed occurrit translate tantum, et diversa quidem significatione, prout *A*) Præpositio *cum* est intensiva, aut *B*) Collectiva.

A) Cum Præpositio *cum* est intensiva, contentio est idem atque intentio, studium, conatus; eique *submissio* et *relaxatio* opponuntur: usurpatur autem ¶ 1. Subjective, uti ajunt, seu ratione habita hominis, bruti animantis etc., qui contendit ac conatur. De viribus physicis, ac — *a*) Præcipue de voce. *Cic.* 1. *Off.* 41. 146. Contentio et submissio vocis. Adde eumd. 2. *Tusc.* 24. 56. (Binæ contentiones vocis et remissiones apud eumd. 1. *Orat.* 61. 261. sunt binæ protases et apodoses periodi, quod in illis vox aliquantum contenditur, in his remittitur). Sic *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 85. (137). Vocis aut lateris contentiones. — Hinc *contentio* in re oratoria, ut definit *Cic.* 3. *Herenn.* 13. 23., ubi de mollitudine, seu inflexione vocis verba facit, est *oratio acris, et ad confirmandum et confutandum accommodata. V.* infra sub *B.* 3. Hæc dividitur in *continuationem* et *distributionem*. Illa est orationis enunciandæ acceleratio clamosa: hæc fit, cum raris et brevibus intervallis orator acriter vociferatur. — Porro *contentio orationis* est cum incitata fervensque fertur oratio: cui opponitur lenitas et remissio. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 255. Tu jamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas: neque minus hæc tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio probatur. — *b*) De aliis humani corporis conatibus, etiam absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 73. Equus submersus voraginibus non extitit: quem cum maxima contentione non potuisset extrahere etc. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 92. (197). Contentione plumam revomere. — *c*) De inanimis, ratione tamen habita virium, ex. gr. gravitatis, quæ in iisdem agunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Omnibus terræ partibus in medium vergentibus, nihil interrumpit, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. ¶ 2. Item subjective, sæpe transfertur ad animum. *Cic.* 2. *Orat.* 5. 22. Otii fructus est, non contentio animi, sed relaxatio. Adde eumd. *Arch.* 6. 12. *Id. Hortens.* apud *Non.* p. 261. 15. *Merc.* Magna animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele. Cf. eumd. 3. *Orat.* 61. 230. Aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros curamque laxemus. ¶ 3. Objective, seu ratione habita rei, ad quam contendimus, est studium, conatus aliquid adipiscendi. *Cic.* 1. *Off.* 26. 87. Contentio honorum *h. e.* studium et conatus honorum adipiscendorum. *Liv.* 4. 6. libertatis dignitatisque. *Quintil.* 4. 5. 12. dignitatis. *Id.* 1. 2. 24. palmæ. *h. e.* pro palma.

B) Cum Præpositio *cum* est collectiva, ¶ 1. Contentio est collatio et comparatio: *V.* CONTENDO II. *B.* 1. — *a*) Generatim. *Cic. Planc.* 2. 5. In ea causa contra dicendum est, in qua quædam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio. *Id. Pis.* 22. 51. Facere contentionem fortunarum. Adde eumd. 1. *Off.* 17. 57., ubi conjungitur *contentio* et *comparatio*; et 2. *Herenn.* 14. 21. — *b*) Hinc specialim apud Rhetores *contentio* est figura tum verborum, tum sententiarum, in qua et verba cum verbis, et sententiæ cum sententiis conferuntur et comparantur: eadem nimirum, quæ antithesis, contrarium et contrapositum. *Cic.* 4. *Herenn.* 15. 21., 18. 25. et 45. 58.; et *Quintil.* 9. 2. 2. Differt ea, quæ est verborum, ab ea, quæ sententiarum, quod illa, inquit *Cic.* 4. *Herenn.* 45. 58. ex verbis celeriter relatis constat, hic sententiæ contrariæ ex comparatione referantur oportet. — Hanc ipsam intellexisse videtur *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. et, qui eum locum describit ad verbum, *Quintil.* 9. 1. 31. Nam quod ait *Turneb.* ad *hunc loc.*, non posse hic scripi pro oppositione vocum contrariarum, quæ est figura verborum: Cicero autem et *Quintil.* hic enumerant figuras sententiarum: itaque intelligi vehementem et acrem orationem, quæ interdum habet δείνωσιν; primo quidem hæc *acris oratio* (de qua supra diximus) non est figura: deinde manifesto convincitur *Turneb.* ex *Cic. ad Herenn.*, qui contentionem etiam inter figuras sententiarum ponit, uti modo dictum est. — *c*) Item specialim apud Grammaticos *contentio* est *comparatio* seu collatio, unde fiunt gradus comparativus et superlativus. *Varro* 8. *L. L.* 75. Dicam de altero genere vocabulorum, in quo contentiones fiunt, ut album, albius, albissimus. — *d*) Quoniam vero comparatio proprie et stricto sensu est actus parem pari conjungendi, et contentio pro comparatione, ut diximus, usurpatur; ortum est fortasse singulare illud *Censorin. de die nat.* 5. Contentio gregum. *h. e.* eorum admissura. ¶ 2. Item frequentissime ponitur pro certamine, controversia, pugna: *V.* CONTENDO II. *B.* 2. — *a*) Generatim. *Cic. Sext.* 27. 58. Antiochus magna belli contentione superatus. *Forcellinus* hoc loco pro intentione et conatu accepit. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. Propter crebras contentiones præliorum. *Id. Mur.* 16. 34. Pugna summa contentione pugnata. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (148). Contentio Perusina. *h. e.* bellum circa Perusiam gestum. *Cic. Balb.* 8. 21. Magna contentio Heracliensium fuit, cum magna pars etc. *Id.* 2. *Phil.* 1. 2. Decertare cum aliquo contentione dicendi. *Id.* 1. *Off.* 38. 137. Contentiones, quæ cum inimicissimis fiunt. *Id.* 3. *Legg.* 10. 24. Facere contentionem cum aliquo de aliqua re. *Id.* 2. *Phil.* 3. 7. Tamquam mihi cum M. Crasso contentio esset, cum quo multæ et magnæ fuerunt. Adde *Quintil.* 4. 2. 132. Rursus *Cic.* 3. *Legg.* 11. 25. Habere aliquid contentionis cum aliquo. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 132. Est inter eos de tota possessione contentio. *Id. Sext.* 21. 47. Inter sapientissimos homines hæc contentio fuit, ut alii dicerent, etc., alii autem etc. Adde *Quintil.* 10. 1. 47. *Tac. Agric.* 9. Contentio adversus procuratores. *Cic. Cæl.* 22. 55. Ponere aliquid in contentione, utrum etc. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 19. 62. Neque fore unquam

venit in contentionem de accusando, *etc.* quin etc. — *b*) Speciatim in re oratoria, quatenus sermoni opponitur, est oratio, quæ adhibetur in disceptationibus judiciorum, contionum, senatus, ut ait *Cic.* 1. *Off.* 37. 132. — *c*) Item speciatim apud Rhetores *contentio* dicitur disputatio, quatenus distinguitur a quæstione seu controversia, quæ oritur ex scripto, aut aliis locis judicialibus. *Cic. Orat.* 14. 45. Quoniam quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, etc. Cui *Ciceronis* loco lucem affert, quod est 2. *Orat.* 24. 104. Adde *Quintil.* 3. 6. 44. — *d*) Denique *contentio* ponitur etiam pro sophistarum rhetorum vitio. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 47. Verbi enim controversia jamdiu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. Et latiori sensu *Curt.* 8. 4. 33. Animi prava contentione provectus. ¶ 3. In re oratoria, *contentio*, ut docet *Cic.* 3. *Herenn.* 13. 23., est oratio, seu pars orationis ad confirmandum et confutandum accommodata; qua nimirum orator sententiam suam argumentis confirmat, tuetur ac defendit: *V.* CONTENDO II. *B.* 3.

CONTENTIŌSĒ, adverb. Comp *Contentiosius* et Sup. *Contentiosissime.* — Contentiose est cum contentione et affirmandi pertinacia; occurrit enim tantummodo de rhetorica et dialectica. *Quintil.* 18. *Declam.* 6. Necesse est contentiosius loquaris, quod probare non possis. *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian.* 10. Quod si contentiose dixerint, etc. *Augustin.* 20. *Civ. Dei* 1. Contentiosissime defendere id quod falsum est.

CONTENTIŌSUS, a, um, adject. Comp. *Contentiosior.* — Contensiosus est qui cum contentione fit. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Oratio, de qua loquor, pugnax et contentiosa est. *Martian. Dig.* 1. 16. 2. Omnes proconsules, statim quam urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem, non tamen contentiosam, sed voluntariam. *h. e.* quæ exercetur in re, quæ in contentionem venit, vel in eos, qui de re aliqua jure contendunt. *Quintil.* 5. *Declam.* 1. Avidissimam moriendi cupiditatem contentiosa mendicitate fallebam. *h. e.* pertinaci. *Apul.* 8. *Met.* Et tamen ad hoc ipsum, quod non potest, contentiosa pernicie, quasi posset, impellitur. *h. e.* obstinatione perniciosa. *Augustin. Ep.* 174. Quid est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine?

CONTENTUS, a, um. *V.* CONTENDO et CONTINEO.

CONTĔRĔBRO, as, are, a. 1. terebrare. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 3. Humoris fluor ita jugis, ut ossa conterebret. *h. e.* carie exedat.

CONTĔRĔBRŌMĬA, æ, f. 1. vox composita a *contero*, et *Bromius* idem ac *Bacchus*, significat omnem illam terram, quam Bacchus exercitu lustravit: vel regionem quamcumque vini feracem: vel in qua multum vini conteritur, seu consumitur. Vox joculariter a *Plauto* novata *Curc. a.* 3. *v.* 76.

CONTERGO, gis, si, gere, a. 3. simul tergo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 80.

CONTERMĬNO, as, āvi, ātum, are, n. 1. confinio jungor, conterminus sum. *Ammian.* 14. 2. Per municipia, quæ iisdem conterminant. *Id.* 23. 6. Quibus Arabes beati conterminant.

CONTERMĬNUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

CONTERMĬNUS, a, um, adject. (cum et terminus) finitimus, vicinus (It. *confinante, vicino*; Fr. *limitrophe, contigu, voisin, proche*; Hisp. *limitaneo, contiguo, vecino*; Germ. *gränzbenachbart, angränzend*; Angl. *nigh to, neighbouring, bordering upon, touching at the boundaries, conterminous*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Fere cum Dativo. *Ovid.* 15. *Met.* 315. Sybaris nostris arvis conterminus. *Id.* 8. *ibid.* 553. Stabula ripæ contermina. *Id.* 4. *ibid.* 90. Ardua morus erat, gelido contermina fonti. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 14. 28. (90). Aethiopia Ægypto contermina. — *b*) Interdum cum Genitivo. *Apul.* 6. *Met.* Prædicti jugi conterminos locos appulit. *et paullo post.* Hujus conterminam quære Tænarum. *Sil. It.* 6. 510. conterminus æsculus ædis. *Al. aliter leg.* — *c*) Et cum Ablativo propter cum præpos. inhærentem. *Apul.* 4. *Met.* Locum lacu aliquo conterminum. — *d*) Absolute. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (35). Cn. Pompejus nunquam agrum mercatus est conterminum.

II.) Translate. *Stat.* 7. *Theb.* 702. Morti contermina virtus. *h. e.* vicina. — Hinc

Conterminus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, pro vicino dixit *Colum.* 1. *R. R.* 3. 7. Nam si Autolycus ille cuiquam potuit tolerabilis esse conterminus.

Conterminum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est confine. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122). Eadem (*gemma*) et pharanitis, in contermino Arabiæ, gentis nomine. *Tac.* 6. *Ann.* 36. In longinqua et contermina Scythiæ fugam maturavit.

CONTERNĀTĬO, ōnis, f. 3. ternorum comparatio, ut *Conternationes factæ, Conternationum sortitio*, apud *Hygin. de limit. p.* 191. *Goes.*

CONTERNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTERNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Conternans* et *Conternatus.* — Conterno est ternum numerum comparo, ut *combino* binum. *Hygin. de limit. p.* 191. *Goes.* Si permissum fuerit, ut inter convenientes contemnentur, conternati sortiri debebunt qui tres primam centuriarum sortem accipere debeant. — Conternans est etiam τριετής, trimus, tres annos natus. *Hieronym. in Isajam* 5. 15. 5. Possumus vitulam conternantem pro perfecta ætate accipere: sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in pecudibus ac jumentis tertius robustissimus est. *h. e.* vitulam trimam. *V.* et *Vulgat. interpr. Isaj.* 15. 5. et *Jerem.* 48. 34.

CONTĔRO, tĕris, trīvi, (raro trii), trītum, tĕrere, a. 3. (cum et tero). In illo *Ovidii Medic. fac.* 89. *Hæc ubi contriveris*, quod secundæ syllabæ ratio obstat (quamquam ita constanter reperitur in MSS., ut critici monent), quidam ediderunt *contereris*. Alii mallent *contrieris*. Est etiam qui velit *contriris.* — Simplex verbum *tero* habuit olim in præterito *terui*. Hinc *Tibull.* 1. 7. 70. proprios ego tecum, Sit modo fas, annos conteruisse velim. *Apul.* 8. *Met.* Manum mordicus arreptam penitissime conterui. Ita utroque loco *Heins.* ad *Ovid. Heroid.* 19. 17. et *Brouckus.* Alii aliter. Ceterum *conterui* vetus præteritum pro *contrivi* occurrit etiam apud *Venant. Fortun.* 6. 4. 33. Calcavit tumidos hostes, erexit amicos; Fovit subjectos, conteruitque feros. Quod vero ad *Tibullum* attinet, animadvertendum est, eumd. dixisse quoque 1. 4. 48. Aut opere insuetas atteruisse manus quod pro *conteruisse* facit. — Dividitur per tmesim in illo *Propertii* 3. 11. 10. Cumque terunt fastus etc.; nisi quod alii rectius leg. *Quæque terunt.* — Part. *Contritus* I. 1. 2. et 3., et in fin.; *Conterendus* I. — Contero est idem quod tero, vel simul aut valde tero, comminuo, contundo (It. *pestare, ridurre in polvere, frangere in piccoli pezzi*; Fr. *broyer, mettre en pièces, réduire en menus morceaux*; Hisp. *majar, triturar*; Germ. *in kleine Stücke zerbrechen, zerreiben, zerbröckeln*; Angl. *to break or bruise small*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu conteri ea corpora dicuntur, quæ in particulas franguntur, comminuuntur. *Lucret.* 4. 697. quod fracta magis redolere videntur Omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta. *Varro* 2. *R. R.* 7. 8. Scyllæ modicum conterunt cum aqua ad mellis crassitudinem. *Ovid. Medic. fac.* 60. vivacis cornua cervi Contere. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 70. (113). Radix arida contrita in pulverem. *Id.* 30. *ibid.* 7. 20. (62). Conterere aliquid in cinerem. *Id.* 26. *ibid.* 11. 70. (114). Quinquefolii contrita folia ex vino pota. *Id.* 26. *ibid.* 7. 24. (40). Cauliculus conteritur ex vino vetere. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (132). Araneus contritus in oleo vetere. *Cels.* 6. 21. n. 6. Cochleæ conterendæ. — Hinc figurate *Plaut. Cist.* 2. 3. 66. Conteris tu tua me oratione, mulier. *h. e.* enecas, veluti membratim discerpis ac lanias. *Cic. Prov. cons.* 13. 33. Ceteras nationes contrivit, domuit. *h. e.* armis contudit, protrivit, calcavit, ut *Justin.* 12. 16. loquitur. *At* Orellius *rectius legit* conterruit, — domuit. ¶ 2. Latiori sensu apud Medicos *contriti* dicuntur, qui os aliquod ex ictu, vel casu contritum habent. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (33). Succidam lanam imponunt desquamatis, percussis, incussis, collisis, contritis, dejectis. ¶ 3. Item latiori sensu *Petron. Satyr.* 17. Retexit superbum pallio caput, et manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, quænam est, inquit, etc. *h. e.* constringendo et torquendo veluti fractis. Est qui leg. *constrictis*, minus recte. Simile est illud *Senecæ* 3. *Ira* 4. Adjice articulorum crepitum, cum se ipsæ manus frangunt, etc. *Id.* 1. *ibid.* 1. Articulorum se ipsos torquentium sonus. Et *Propert.* 4. 7. 11. at illi Pollicibus fragiles increpuere manus. *V.* CONCREPO et INFRINGO.

II.) Translate. ¶ 1. Conterere ponitur pro consumere, absumere. *Ovid.* 3. *Art. am.* 91. Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu. *Quintil.* 2. 4. 29. Supellex conteritur pluribus et diversis officiis. *Cic.* 9. *Fam.* 25. Παιδείαν Κύρου (*h. e.* volumen, librum), quam contriveram legendo, totam in hoc imperio explicavi. *Al.*, *inter quos et* Orell., *leg.* contriveram. Poetice *Propert.* 2. 25. 13. Conterere viam sacram. *h. e.* frequentissime via sacra ire, ambulare. *Plaut. Asin.* 2. 1. 13. Latera (*stimulo*) conteram tua. *Lucret.* 2. 1160. Conterimusque boves et vires agricolarum Conficimus. *Tac. Agric.* 31. Corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conterunt. *Plaut. Most.* 4. 2. 68. Is vel Herculis conterere quæstum possit. *proverbialis locutio de valde prodigo.* — Huc referri potest et illud *Cic.* 9. *Att.* 3. Ergo argumento epistolarum. Quæ enim sunt horum temporum, ea jam contrivimus. *h. e.* scribendo consumpsimus. Item illud ejusd. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 20. Ejus gravissimas injurias voluntaria quadam oblivione contriveram. *h. e.* ex animo omnino deleveram. ¶ 2. Interdum est per contemptum deprimere, calcare. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 33. Quamquam sumus pauperculi, est domi, quod edimus, ne nos tam contemptim conteras. *Nævius* apud *Non. p.* 516. 1. *Merc.* Superbiter contemptim conterit legiones. *Plaut. Rud.* 3. 4. 44. Conterere aliquem indigno quæstu. *Cic.* 5. *Tusc.* 30. 85. Cum virtutem ad cælum extulerint, reliqua ex collatione facile est conterere atque contemnere. Sic *Id. Sext.* 40. 86. Præmium jam contritum et contemptum, judicium bonorum. ¶ 3. Sæpius conterere est magno studio impendere, aliqua re frequenter uti; et occurrit — *a*) *Conterere curam, operam* etc. *Plaut. Most.* 3. 1. 54. Quid ego huc recursem, aut operam sumam, aut conteram? *Ter. Phorm.* 1. 4. 32. Frustra operam conterere. — *b*) *Conterere se* vel *conteri in aliqua re* est magno studio in ea versari. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 72. Conterere se in musicis, geometria, etc. *Id.* 1. *Orat.* 58. 249. Conteri in causis, in negotiis, in foro. — *c*) Præcipue dicitur de tempore, pro insumere, agere; et occurrit modo cum Ablat. et præpos. in, modo cum Ablat. sine præpos. *Plaut. Bacch.* 4. 6. 11. Conterere ætatem in pistrino. *Ter. Adelph.* 5. 4. 15. vitam in quærendo. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 53. ætatem in litibus. *Id. Amic.* 27. 104. tempus in studiis litterarum. *Propert.* 2. 1. 46. diem in arte. *Lucret.* 3. 1060. Qui somno partem majorem conteris ævi. *Cic.* 7. *Verr.* 10. 26. Diei brevitas conviviis, noctis longitudo flagitiis conterebatur. *Quintil.* 1. 12. 18. Conterere tempora spectaculis, tesseris etc. — Hinc Part. præter. pass.

Contritus, a, um, cujus exempla superius retulimus, adjective quoque occurrit, sed translate. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 52. Contritum vetustate proverbium. *h. e.* usitatissimum. *Id.* 1. *Orat.* 31. 137. Communia et contrita præcepta.

CONTERRĀNEUS, a, um, adject. qui est ejusdem terræ, seu regionis. *Plin. Hist. nat. præfat.* 1. (quam tamen *Harduin. Plinio* abjudicat). Ut objicere molliter Catullum conterraneum meum. (Agnoscis et hoc castrense verbum). Ille enim etc. *Castrense verbum*, quia utebantur eo in castris milites ex variis locis convenientes, ad regiones illas lato quodam modo significandas, unde nomina dederant. — *Ant. Jos. a Turre Rezzonici* in *Disquisit. Plinian. T.* 1. p. 247. multis argumentis probat, apud *Plin. loc. cit.* non *conterraneum*, sed *congerraneum* seu *concerraneum* legendum esse, idemque significare ac congerronem, quam vocem vide suo loco. — At *Sillig* et *conterraneum* retinuit et hoc castrense verbum esse contendit.

CONTERRĔO, res, rŭi, rĭtum, rere, a. 2. (cum et terreo). Part. *Conterritus.* — Conterreo est idem quod terreo, aut valde terreo; et fere occurrit addita per Ablativum re, qua quis terretur. *Lucret.* 2. 623. pectora vulgi Conterrere metu. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Hanc loquacitatem nostram vultu ipso aspectuque conterreat. Adde *Tibull.* 4. 1. 71. *Virg.* 3. *Æn.* 597. aspectu conterritus hæsit. *Id. Æn.* 51. nova pugnæ conterrita sorte. *Ovid.* 6. *Met.* 287. præter Nioben unam conterruit omnes. *Liv.* 10. 28. Insolitus ejus tumultus equos conterruit. *Id.* 3. 11. Atrox ingenium accenderat eo facto magis, quam conterruerat. *Phædr.* 1. 12. Cervus venantum subito vocibus conterritus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 3. *de cane villatico.* Ut prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu conterreat. *Al. leg.* terreat. *Curt.* 10. 7. Cesserat ex contione Aridæus, principum auctoritate conterritus. Adde

Senec. 2. *Quæst. nat.* 12. *extr. Sueton. Domit.* 11. Conterritus atrocitate pœnæ.

CONTERRĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* conterreo, sæpe conterreo. *Coripp.* 2. *Johann.* 54. conterritat hostes Fraude loci. *et* 88. et totum volitans conterritat orbem. *Id.* sæpe alibi.

CONTERRĬTUS, a, um. *V.* CONTERREO.

CONTESSERĀTĬO, ōnis, f. 3. quasi dicas, communicatio tesserarum hospitalitatis; communicatio, amicitia. *Tertull. Præscript. Hæret.* 20.

CONTESSĔRO, as, are, 1. hospitium mutuum colo: a tesseris hospitalibus, quibus prolatis hospites agnoscebantur, et excipiebantur. *V.* TESSERA. *Tertull. Præscript. Hæret.* 36. Alii alit. leg.

CONTESTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus contestandi. ¶ 1. Generatim est testium obtestatio, obsecratio, fere interposita alicujus numinis invocatione. *Cic. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon. p.* 65. *Bait.* Petivit a me prætore maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem. *Ulp. Dig.* 28. 1. 20. § 8. Veteres putaverunt, eos, qui propter solemnia testamenti adhibeantur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur. *Gell.* 6. 12. Sulpicius testamentum compositum esse dixit a mentis contestatione. *Id.* 10. 3. In tam atroci re, ac tam misera atque mæsta injuriæ publicæ contestatione. *h. e.* enarratione et affirmatione. ¶ 2. Speciatim *contestatio litis* quid sit, *V.* in CONTESTOR 2. *Ulp. Dig.* 3. 3. 40. § 3. Ratihabitionis satisdatio ante litis contestationem a procuratore exigitur. Adde *eumd.* 24. 3. 22. § 5. et *Cajum* 3. *Instit.* 180. V. et *Pauly's Realencyclop.* vol. 4. p. 1104.

CONTESTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. brevis oratio, seu obsecratio. *Sidon.* 7. *Ep.* 3. Diu multumque deliberavi, an destinarem, sicut injungis, contestatiunculas, quas ipse dictavi.

CONTESTĬFĬCOR, āris, ari, dep. 1. simul testificor. Occurrit tantum Part. *Contestificans* apud *Tertull. Testim. anim.* 1. *post init.* Commemorantes, et contestificantes, etc.

CONTESTĀTŌ. *V.* CONTESTOR in fin.

CONTESTĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui ad contestationem litis pertinet. *Fragm. Jur. Civ.* (edente *A. Maio*) p. 41. Si feriæ sint, libellos det contestatorius.

CONTESTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTESTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Olim passiva significatione usurpatum fuit, teste *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.*, ubi id confirmat auctoritate *P. Aufidii.* Sed præterea sæpe apud JCtos *lis contestari* dicitur, ut *Julian. Dig.* 30. *l.* 88. *extr.*, *Ulp. ibid.* 24. 3. 22. § 5. et *ibid.* 33. 9. 1. etc. Hinc particip. *Contestatus* etiam passive usurpatur. — Part. *Contestans* 1.; *Contestatus* 1. et 2. et in fin; et *Contestandus* 1. — Contestor est testem invoco, obtestor, obsecro (It. *chiamare in testimonio*, *pregare scongiurando*, Fr. *invoquer le temoignage de*, *prendre à temoin*; Hisp. *invocar à testigo*; Germ. *zum Zeugen nehmen oder anrufen*; Angl. *to call to witness*, *invoke*, *conjure*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Deponentis forma. *Cic. Flacc.* 40. 102. Cum ego te, Flacce, cælum noctemque contestans, flens flentem obtestabar. *Id.* 6. *Verr.* 29. 67. Flens, ac deos hominesque contestans, clamare cœpit. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: Desilite, inquit, milites, etc. *Ulp. Dig.* 15. 4. 1. Si sic contestatus sit: Quod voles cum servo meo negotium gerere periculo meo. *h. e.* si testato dixerit, affirmaverit. *Paul. ibid.* 27. 1. 38. Quinquaginta dierum spatium tantummodo ad contestandas excusationum causas pertinet. — *b*) Passive *P. Aufidius* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Si quis alio vocitatur nomine tum cum contestatur, atque olim vocitabatur. *h. e.* cum tamquam testis vocatur. — *c*) Part. præter. pass. *Cic. Flacc* 11. 25. Ab hac perenni contestataque virtute majorum Flaccus non degeneravit. *h. e.* perspecta, et quasi testibus probata. ¶ 2. Speciatim *contestari litem*, inquit *Paul. Diac.* p. 38. 16. *Müll.*, dicuntur duo, aut plures adversarii, quod ordinato judicio, utraque pars dicere solet, *testes estote.* Paullo aliter in *Cod. Justin.* 3. *tit.* 9. qui est *De litis contestatione*, ubi *Impp. Sever. et Antonin. leg.* 1. statuunt, litem tunc contestatam videri, cum judex per narrationem, negotii causam audire cœperit. *Gloss.* Lites contestatæ, αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι ἐξ ἀντικαθεστώτων. Ex quibus fit *contestari litem* esse, ita rem in judicium adducere, testibus præsentibus, coram prætore, aut judice, ut neutri parti recedere, salva lite, non liceat. — *a*) Deponentis forma. *Cic.* 16. *Att.* 15. 2. Neque enim procuratores litem contestabuntur. Adde *eumd. Rosc. Com.* 18. 53. *Gell.* 5. 10. Petere instituit ex pacto mercedem: litem cum Euathlo contestatur. Adde *Dig.* 5. 1. 11. — *b*) Passive. *Lex Gall. cisalp.* I. 48. Lis contestatur. Adde *Ulp. Dig.* 9. 4. 26. § 5., 24. 3. 22. § 5., 47. 11. 3. § 10., 33. 9. 1. et *Julian. ibid.* 30. *l.* 88. *extr.* — *c*) Part. præter. pass. *Cic. Rosc. Com.* 12. 35. Iste cum eo litem contestatam habet. Cf. *eumd. ibid.* 11. 32. *Ulp. Dig.* 5. 3. 7. Judicium contestatum de inofficioso testamento. — Hinc

Contestato, absolute, adverbiorum more, est testibus adhibitis, vel simpliciter contestando et affirmando. *Ulp. Dig.* 25. 3. 1. § 12. Si neque contestato dixerit, eam et se prægnantem non esse. Adde *eumd. ibid.* § 4. et 15. 4. 1. § 1.

CONTEXO, xis, xui, xtum, xere, a. 3. (cum et texo). Part. *Contexens* I.; *Contextus* I. et in fin.; *Contexendus* II. — Contexo est simul texo, connecto (It. *tessere insieme*, *unire*, *intrecciare*; Fr. *entrelacer*, *enlacer*, *réunir*; Hisp. *enlazar*, *unir*, *trabar*; Germ. *zusammenweben*, *zusammenfügen*, *verbinden*, *verflechten*; Angl. *to weave*, *weave together*, *interweave*, *entwine*, *put together*, *unite*, *connect*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Ut earum (*ovium*) villis confectis atque contextis homines vestiantur. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 12. Secum tenui crimine contexere. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Hæc materia injecta contexebantur, ac longuriis cratibusque consternebantur. *Tibull.* 3. 4. 33. Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ Lilia. *Id.* 1. 1. 71. Totus et argento contextus, totus et auro. *h. e.* indutus veste contexta auro et argento. *Al. rectius leg.* contectus. *Id.* 4. 1. 22. contextis passim fluit ignibus æther. *h. e.* serie continuata ignium: vel æther constans perpetuis ignibus. *Virg.* 2. *Æn.* 112. equus trabibus contextus acernis. *Val. Flacc.* 2. 108. tenui puppes contexere canna. *Id.* 3. 90. contextis umbonibus urgent. *h. e.* scutis connexis. *Aurel. Vict. Epit.* 3. Duplici ordine naves contexens. *h. e.* simul colligans. *Lucan.* 4. 419. firma gerendis Molibus insolito contexunt robora ductu. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Per latus omne vineæ porriguntur, unamque faciem longe lateque contexunt. *h. e.* contextæ præbent. *Tac.* 4. *Ann.* 49. Fossam loricamque contexens.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de mentis operibus, et est plura simul componere. *Cic. Cæl.* 8. 18. Longius mihi contexere hoc carmen liceret. *h. e.* subjungere, attexere, recitare. *Id.* 1. *Legg.* 3. 9. Neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta. *Id. Dejot.* 6. 19. Quam festive crimen contexitur! *h. e.* describitur et confingitur. *Auct. B. G.* 8. *præfat.* 2. Contexere Commentarios Cæsaris. *Seneca Ep.* 114. librum. *Quintil.* 10. 6. 2. Cogitatio non rerum ordinem modo intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil præter manum desit. *Id.* 4. *proœm.* 7. Contexere partes. ¶ 2. Item est plura colligare et conjungere. *Cic. Orat.* 34. 120. Memoria rerum veterum cum superiorum ætate contexitur. *Id.* 10. *Fam.* 13. Contexere extrema cum primis. *Id.* 5. *ibid.* 12. *ad Lucrej. historic.* Ut cogitares, conjuncte ne malles cum reliquis rebus nostra contexere, etc. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). De pictura satis superque: contexuisse his et plasticen conveniat. *h. e.* subjunxisse tractatum de plastice. *Id.* 20. *Hist. nat.* 5. 18. (36). Conteximus et de sili. *h. e.* dicimus, tractamus. *Id.* 21. *ibid.* 20. 79. (135). Contexemus et Gallici nardi remedia, in hunc locum dilata. *Id.* 20. *ibid.* 11. 45. (116). Contexenda sunt omnia. — Apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. *sub fin.* contexere numerum, est componere, conficere. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Contextus, a, um, adjective quoque occurrit et quidem translate pro colligato, vincto, et opponitur *soluto*, *diffuso*. *Lucret.* 4. 57. Corpora contexta. *h. e.* condensa. *Cic.* 5. *Tusc.* 33. 96. Perpetuæ et contextæ voluptates. *h. e.* non interruptæ, ut una aliam pariat. *Quintil.* 9. 4. 19. Oratio vincta atque contexta. *et mox.* Verba singula et contexta. *Id.* 11. 1. 6. Circuitus contexto nitore decurrentes. *h. e.* periodi apte æquabiliterque fluentes. *Id.* 12. 9. 18. Ita nec liber est impetus, nec cura contexta. *h. e.* cohærens, congruens, sibi constans.

Contextum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, apud JCtos est stamen, et subtegmen, quod in tela est, et nondum detextum. Ita *Ulp. Dig.* 34. 2. 22.

CONTEXTĒ, adverb. contexendo, conjungendo. *Cic. Fat.* 14. 32. Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt.

CONTEXTIM, adverb. contexte. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (147). Turdi luto nidificantes pæne contextim. *h. e.* pæne contexendo.

CONTEXTĬO, ōnis, f. 3. contexendi actus, contextus: sed occurrit translate tantum pro compositione. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. *sub fin.* Contextio et resolutio numeri octonarii. *et ibid.* 2. Contextio narrationis per turpia et indigna componitur. Adde *eumd.* 7. *Saturn.* 16.; et *Augustin.* 3. *Musica* 7. Sic *Auson. proœm. Perioch. Iliad. a med.* Contextio classis, qua Paris in Europam navigavit. *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 2. Contextio libri. *Veget.* 3. *Milit.* 21. Per hanc contextionem in legionibus omnium cohortium, equitum peditumque servabatur una concordia.

CONTEXTOR, ōris, m. 3. qui aliquod opus contexit. *Fragm. Cod. Theodos.* (edente *A. Peyronio*) 1. 1. 5. Impp. Theodosius et Valentinianus Augg. ad senatum. Ad similitudinem Gregoriani atque Hermogeniani Codicis cunctas colligi constitutiones decernimus, quas Constantinus inclytus, et post eum divi principes, nosque tulimus. Ad tanti consummationem operis, et contexendos codices deligendi viri sunt singularis fidei, limatioris ingenii; electos vestra amplitudo cognoscat. (*hic VIII. viri enumerantur*, *quorum princeps* Antiochus). Dat. VII Kal. April. Constantinopoli, Florentio et Dionysio Coss. (an. a Chr. n. 429.) *Ead. ibid.* 1. 1. 6. § 2. Iidem Augusti. Aggressuris hoc opus et demendi supervacanea, et adjiciendi necessaria, et mutandi ambigua, et emendandi incongrua tribuimus potestatem. Contextores hujus Theodosiani Codicis Antiochus etc. (*hic enumerantur XVI. viri*). Dat. XII. Kal. Jan. Constantinopoli, DD. NN. Theodosio A. XV. et Valentiniano A. IV. Coss. (an. 435.) *Eadem ibid. constitut. Codici Theodos. præmissa.* Iidem Augusti. Compendiosam divalium constitutionum scientiam ex Divi Constantini temporibus roboramus, nulli post Kal. Januarias concessa licentia, ad forum et quotidianas advocationes jus principale deferre, vel litis instrumenta componere, nisi ex his videlicet libris, qui in nostri nominis vocabulum transierunt, et sacris habentur in scriniis. Longum est memorare, quid in hujus consummationem negotii contulerit vigiliis suis Antiochus, etc. (*hic enumerantur* VIII. *viri*). Dat. XV. Kal. Martii, Constantinopoli, Theodosio Aug. XVI. et qui fuerit nunciatus (*nempe* Anicius Acilius Glabrio Faustus, an. 438.). *V.* CONSTITUTIONARIUS.

CONTEXTUS, a, um. *V.* CONTEXO.

CONTEXTUS, us, m. 4. textura, contextio (It. *tessitura*, *intrecciamento*; Fr. *tissu*, *contexture*; Hisp. *texido*, *contextura*, *contexto*; Germ. *d. Zusammensetzung*, *die Verbindung*; Angl. *a weaving or platting together*, *interweaving*, *connecting closely*).

I.) Proprie. *Accius* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. 32. *de Philocteta.* Pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat. *Orellius* hæc verba *Ciceroni*, non *Accio* tribuit. *Lucret.* 1. 243. Contextum (*corporum*) vis quæque dissolvit. *h. e.* coagmentationem. *Auson. Perioch.* 5. *Odyss.* Contextu ratis temere properatæ navigationem aggredi. *Ulp. Dig.* 39. 2. 15. *ante med.* Domus juncta contextu ædificiorum.

II.) Translate est complexio, continuatio, series. *Cic.* 5. *Fin.* 28. 83. Mirabilis est apud illos contextus rerum: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. *Id. Partit. orat.* 23. 82. In toto quasi contextu orationis hæc erunt illustranda maxime. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 29. *ad fin.* Hispanias a contextu Africæ mare eripuit. *Val. Max.* 3. 8. 7. Contextus exemplorum. *Petron. Satyr.* 20. fabularum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (120). Lusciniæ assidue nova loquentes, longiore etiam contextu. *h. e.* continuatione verborum. *Quintil.* 1. 1. 24. Contextus litterarum. *h. e.* series et ordo, quo in alphabeto dispositæ sunt. *Id.* 9. 4. 127. Lenis et fluens contextus. *h. e.* compositio verborum. *Id.* 5. 13. 28. Per partes dissolvitur, quod contextu nocet. *Id.* 10. 7. 26. Contextu dicendi. *Id.* 8. 3. 38. sermonis. *Id.* 11. 2. 24. verborum. *Id. ibid.* § 2. rerum ac verborum. *Tac.* 2. *Hist.* 8. Cæterorum casus in contextu operis dicemus. *Ulp. Dig.* 32. 73. Contextus testamenti. *h. e.*

tota contextio. *Id. ibid.* 28. 1. 21. *extr.* Uno contextu actionis testarioportet. *h. e.* nullum alienum actum testamento intermiscendo, ut *Id. ibid.* exponit.

CONTHĒRŎLĒTA, æ, m. 1. συνθηρολέτης, qui simul venatur: vox hybrida, a *con* et θηρολέτης venator, a θὴρ *fera* et ὄλλυμι *perimo. Fulgent.* 3. *Mythol.* 2. Perdica videns contheroletas suos, idest Actæonem, Adonem, Hippolytum miserandæ necis functos interitu, arti pristinæ mittens repudium, agriculturam adfectatus est. Similem locum habet *Hygin.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 81. et *p.* 133., apud quem priore loco *contirones*, posteriore *contiroletas* mendose legitur.

CONTĪCEO es, et

CONTĪCESCO, ticescis, ticui, ticescere, n. 3. (cum et taceo). Forma *conticeo* in præsenti tempore et imperfecto occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores: legitur etiam in *Gloss. Philox.* Conticeo, σιωπῶ. Conticet, σιωπᾷ. *Priscian.* quoque 8. p. 820. *Putsch.* agnoscit *conticeo*; quin immo *Id. de XII. vers. Æn.* p. 1231. et 1232. affert Part. *Conticitus*, *Conticiturus* et *Conticendus*, sed nulla confirmat auctoritate. Optimi Scriptores formam *conticesco* prætulerunt; quæ nonnullis in locis etiam *conticisco* legitur. *V.* CONTICISCO. — Ceterum *conticeo* vel *conticesco* est idem quod taceo, loqui aut strepere desino (It. *tacere*; Fr. *cesser de parler*, *se taire*; Hisp. *callar*; Germ. *verstummen*, *still werden*, *schweigen*; Angl. *to be silent*, *keep silence*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Plaut. Bacch.* 4. 6. 28. Sed conticescam: nam audio aperiri fores. *Al. leg.* conticiscam. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. Conscientia convictus repente conticuit. *Ovid.* 6. *Met.* 293. Altera solari miseram conata parentem Conticuit subito. Adde *Quintil.* 2. 15. 28. *Lactant.* 5. 2. *a med.* Quamvis temporis gratia conticerent, animo tamen deriserε. — *b*) De rebus, quæ sonum aliquem edunt. *Cic.* 14. *Phil.* 12. 33. Numquamque de vobis, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, sermo conticescet. *Id. Marcell.* 3. 9. Neque ulla umquam ætas de tuis laudibus conticescet. *Id. post redit. in senat.* 7. Dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 43. lyra. *Ovid.* 5. *Met.* 574. Conticuere undæ. *h. e.* murmuris desivere. *Martial.* 7. 80. tetricæ conticuere tubæ. *Calpurn. Ecl.* 4. 97. Silvæ conticeant.

II.) Translate est cessare. *Cic. Muren.* 10. 22. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. *Id.* 2. *Off.* 1. 3. litteræ. *Id. Brut.* 94. 324. Hoc studium nostrum conticuit subito et obmutuit. *Id. Pis.* 12. 26. Cum obmutuisset senatus, judicia conticuissent. Cf. *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) p. 229. Immortales dii siverint, comitium, et rostra, et tribunalia Catonis et Gracchi et Ciceronis orationibus celebrata, hoc potissimum sæculo conticescere? *Mai. leg.* conticiscere. Adde eumd. *ibid. p.* 220. *Ovid.* 6. *Fast.* 348. varum conticuere molæ. *Liv.* 2. 29. Hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor. *Id.* 25. 10. et 2. 55. Conticescebat paullatim tumultus. *Hieronym. in Isajam.* 1. 1. Ex quo Montani deliramenta conticeant. *Id. ibid.* 17. 64. Apocryphorum deliramenta conticeant.

CONTĪCĬNIUM, ii, n. 2. pars illa noctis, quæ est inter gallicinium et diluculum, ut dictum est in CONCUBIUS: Glossæ: *Conticinium*, ὁ μεταξὺ ἀλεκτρυοφωνίας χρόνος. Est a *conticescendo*, ut putat *Varro* 6. *L. L.* 2. *Müll.* Cf. eumd. 7. *ibid.* 4. *M. Aurel.* apud *Fronton. p.* 54. *edit. Rom.* Jam conticinium atque matutinum atque diluculum usque ad solis ortum gelidum. *V.* et *Placidi Gloss.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 450. ed. *A. Mai.* — Sumitur etiam pro prima parte noctis, seu pro ipsa nocte concubia, ut ibidem observavimus. Qua ratione scripi videtur a *Plaut. Asin.* 3. 3. 95. Redite huc conticinio. — Apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. pro *conticinium* quidam leg. *conticuum*; quod sane non abhorret ab analogia.

CONTĪCISCO pro *Conticesco* legitur apud *Arnob.* 5. 2.; *Plaut. Bacch.* 4. 6. 28. et *Mil. glor.* 2. 4. 56.; et apud *Fronton. de eloq. V.* CONTICESCO.

CONTICITOR et

CONTICITRIX, quamvis regula concedat dicere, tamen nisi in usu inveniamus auctorum, non temere debemus proferre. Hæc *Priscian. de XII. vers. Æn.* p. 1232. *Putsch.*

CONTĪCUUM. *V.* CONTICINIUM.

CONTĪFĪCIUM, ii, n. 2. (vel contifigium, ut *Casaubonus* putat) ex *Vopisc. Prob.* 19. affertur, ut contum, seu venabulum significet, vel actum transfixionis ferarum. Verba *Vopisci* sunt: Addidit centum jubatos leones, qui omnes contificiis interempti sunt. *Salmas.* ex MS. *Palatino* legit e posticis.

CONTĪGER, gĕra, gĕrum, adject. contum gerens. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 188. Contigero similis juveni spectabat in altum. *h. e.* supina fronte erectum contum ferenti, ut solent θαυματοποιοὶ mira ludicra edentes. Huc pertinet illud *Martial.* 5. 12. Quod nutantia fronte pertinaci Gestat pondera Masclion superbus. Ubi *Scriverius* pro *pertinaci* malebat *perticata*.

CONTIGNĀTĬO, ōnis, f. 3. (cum et tignum) tignorum, seu trabium series, et contextus, ut in ædibus, quæ membra superiora domus sustinet, aut tectum. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Turris contignatio. *Liv.* 21. 62. In tertiam contignationem sua sponte ascendisse. *Auct. B. Alex.* 1. Incendio tuta est Alexandria, quod sine contignatione sunt ædificia. *Vitruv.* 2. 9. 5. *Schneid.* Itaque rigore naturali contenta (*abies*) non cito flectitur ab onere, sed directa permanet in contignatione. *Id.* 6. 3. 9. *Schneid.* Imponere contignationem, supra coaxationem pavimentum etc. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 2. Facere contignationem æqualem et solidam, ne gradus ambulantium tremorem fabricæ titubantis excutiat.

CONTIGNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTIGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et tignum). Part. *Contignatus.* — Contigno est tignis tectum jungo. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Quidquid est contignatum, cratibus consternitur. *Vitruv.* 1. 5. 4. *Schneid.* Itinera sint interioribus partibus turrium contignata. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 3. 2. (7). In domibus fores maxillis balænarum facere, ossibus tecta contignare.

CONTIGNUM, frustum carnis cum septem costis demptum. *Paul. Diac.* p. 65. 7. *Müll.* Al. leg. CONTIGUUM.

CONTĪGŪĒ, adverb. statim, et quasi contingendo. *Capell.* 9. p. 308. Eam contigue sequebatur.

CONTĪGŪĬTAS, ātis, f. 3. connexio. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 2. *p.* 687. Amplius, si genus in specie posuit; ut contiguitatem idipsum esse, quod est continuitas, aut mixturam idipsum temperamentum: non enim necessarium est, contiguitatem continuitatem esse, sed e converso, continuitatem contiguitatem; non enim omne contiguum continuatur, sed quod continuatur, contiguum est.

CONTĪGŪUS, a, um, adject. (contingo) qui ita proximus est alteri, ut contingat: et generatim vicinus: ab absoleto *tago* pro *tango*.

I.) Proprie usurpatur absolute aut cum Dativo, et quidem — *a*) Active. *Ovid.* 4. *Met.* 57. Pyramus et Thisbe contiguas tenuere domos. *Id.* 3. *Art. am.* 409. Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (43). Luna alias admota cælo, alias contigua montibus. *Tac.* 2. *Ann.* 60. Syri Armeniique et contigui Cappadoces. *Ammian.* 31. 14. Periit hoc exitu Valens, quinquagesimo anno contiguus. *h. e.* tangens annum quinquagesimum. — *b*) Passive. *Virg.* 10. *Æn.* 457. Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ.

II.) Translate. *Grat. Cyneg.* 8. contiguas didicere ex artibus artes. *h. e.* quarum quælibet ex altera pendet.

CONTINCTUS, a, um. *V.* CONTINGO sub init.

CONTĬNENS, entis. *V.* CONTINEO in fin.

CONTĬNENTER, adverb. (contineo). Comp. *Continentius* et Sup. *Continentissime* 2. — Continenter ¶ 1. Est continuate, jugiter, non intermisse; et refertur — *a*) Ad locum. *Catull.* 37. 6. Continenter sedetis insulsi. — *b*) Sæpius ad tempus. *Cic.* 1. *Acad.* 8. 31. Continenter labuntur et fluunt omnia. *Id.* 1. *Invent.* 26. 37. Ante rem gestam quæ facta sunt, continenter usque ad ipsum negotium. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 21. Uno spiritu continenter multa dicere, in extrema convenit oratione. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. Continenter tota nocte ierunt. *Liv.* 25. 7. In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit. ¶ 2. Item est temperate. *Cic.* 1. *Off.* 30. 106. Vivere parce, continenter, severe, sobrie. *Augustin. Ep.* 54. Purius homo continentiusque vivit. Cf. *Gloss. Cyrill.* Συνεχέστερον, sæpius, continentius. Rursus *Augustin. Ep.* 199. et 6. *Confess.* 12. Continentissime vivere.

CONTĬNENTĬA, æ, f. 1. significat ipsum actum continendi: sed sumitur ¶ 1. Pro ipso complexu rerum, quæ in aliquo continentur. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 12. Ut breviter a principio omnem operis continentiam revolvam. Sic *Fulgentius* inscripsit *Continentiam Virgilianam* librum, quo complexus est per compendium quidquid in Virgilii operibus continetur. Adde *Hieronym.* in *Joann. Hierosolym.* n. 7. ¶ 2. Item vicinitas, conjunctio. *Macrob.* 5. *Saturn.* 15. Neque in catalogo auxiliorum Turni, si velis situm locorum mente percurrere, invenies illum continentiam regionum secutum. *cohærentiam regionum* paullo ante dixerat. ¶ 3. Item (quod magis est in usu Latino) abstinentia ab illicitis, ἐγκράτεια: nempe virtus illa, quæ est pars temperantiæ, per quam (ut *Cic.* 2. *Invent.* 54. 164. definit) cupiditas consilii gubernatione regitur. — *a*) Raro admodum de ipso se continendi actu. *Sueton. Claud.* 32. Dicitur etiam meditatus edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quemdam præ pudore ex continentia reperisset. *Theod. Priscian.* 1. 9. Nam et ciborum continentia et potionis, exercitia quoque et lavacrorum diligentiæ adjuverunt. — *b*) Sæpius de animi qualitate: quo sensu *Cic.* 2. *Off.* 22. 77. abstinentiam et continentiam conjungit: quæ quomodo differant, *V.* ABSTINENTIA. *Id.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 2. Præclarum est, summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla conditio pecuniæ ab summa integritate continentiaque deduxerit. *Id.* 6. *Verr.* 52. 115. Conferte hujus libidines cum illius continentia. *Id.* 2. *Off.* 24. 86. Valetudo sustentatur continentia in victu omni atque cultu. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Nec minus se in milite modestiam et continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem desiderare. *Nepos Att.* 15. Neque servorum quemquam nisi domi natum domique factum, habuit: quod est signum non solum continentiæ, sed etiam diligentiæ. *Sall. Cat.* 2. Pro continentia et æquitate lubido atque superbia invasere. *Curt.* 3. 12. Si hac continentia animi ad ultimum vitæ perseverare potuisset. Hic *continentia* superbiæ atque iræ opponitur. Sic *Id.* 6. 6. Continentiam et moderationem in superbiam ac lasciviam vertit.

CONTĬNEO, tines, tinui, tentum, tinere, 2. (cum et teneo). Part. *Continens* et *Contentus* in fin.; *Conteniurus* est *Lucilii* apud *Non. p.* 88. 10. *Merc.* Tu Lucilium credis contenturus, cum me ruperim, summa omnia fecerim; *Continendus* sub *A.* 1. *b.* — Continere *A*) Active usurpatur, et *B*) Raro admodum neutrorum more occurrit.

A) Active contineo est simul teneo (It. *contenere*, *tenere insieme*; Fr. *contenir*, *tenir ensemble*; Hisp. *contener juntos*; Germ. *zusammenhalten*; Angl. *to contain*, *hold or keep together*). Itaque ¶ 1. Generatim continere est plura simul tenere, (præpositio enim *cum* habet vim conjungendi), adeoque coercere, conjungere. — *a*) Activa forma. *Plaut. Rud.* 2. 6. 26. Perii; animo male fit; contine, quæso, caput. *h. e.* perii; vomiturio; fer opem, quæso, continendo caput. *Lucret.* 5. 319. hoc quod omnem continet amplexu terram. *Cic.* 2. *Nat. D.* 22. 58. Mundus omnia complexu suo coercet et continet. *Cæs.* 7. *B. G.* 11. Pons continebat oppidum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (187). Continere vitem levi nodo. *Cels.* 5. 6. n. 23. Sutura si nimis rara est, non continet. — *b*) Sæpius passive, et — Modo verbo *contineri* significantur limites, quibus locus aliquis circumscribitur. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Una pars continetur Garumnâ flumine, Oceano, etc. *Id.* 3. *ibid.* 1. *extr.* Vicus altissimis montibus undique continetur. *Id.* 4. *ibid.* 23. Montibus angustis mare continetur. Cf. *Sueton. Aug.* 19. Ex insulis, quibus continebantur, filiam et nepotem rapere ad exercitus destinaverat. — Modo *contineri* est continentem esse, conjungi. *Cic.* 6. *Verr.* 52. 117. Pars oppidi, mari disjuncta angusto, ponte rursum adjungitur et continetur. *Id.* 1. *Orat.* 61. 261. *de Demosth.* Deinde cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima est assecutus, ut una continuatione verborum — binæ ei contentiones vocis et remissiones continerentur. Illud *continere animam* et *Forcellinus* quamvis aliter sit interpretatus, et *Klotz.* ad posteriorem paragr. 3. retulerunt, scilicet ad *cohibendi* significationem: mihi autem ad hanc paragr. referendum videtur, hujusce enim loci sensus, ni fallor, hic est: Demosthenes in una eademque periodo bis vocem contendebat bis remittebat; contendebat in prioribus periodi membris, remittebat in posterioribus, idque *continenda anima*, h. e. uno spiritu et

perpetua pronunciatione faciebat: quod naturâ facere nequiverat, cum spiritu esset angustior, assecutus tamen est arte atque exercitatione, *continenda anima*, seu prolixa et perpetua pronunciatione. Cf. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Continenti spiritu dicere. cui ibid. *opponitur* intermisso. Et *Id.* 3. *Herenn.* 12. 22. Continenti voce. — Figurate *Id. Arch.* 1. 2. Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, quasi cognatione quadam inter se continentur. ¶ 2. Speciatim, scilicet generali significationi addita quietis, soliditatis ac permanentiæ significatione, continere est aliquid immotum tenere, apud se retinere, custodire, uno verbo servare. — *a*) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Alvus continet quod recipit, ut mutari et concoqui possit. *Id. Vatin.* 5. 12. Non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces missum putares. *Cæs.* 2. *B. C.* 83. Gades se conferre, naves frumentumque omne ibi continere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 18. (39). Arida continent odorem diutius. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (101). Continere sub lingua salem, donec liquescat. *Curt.* 4. 11. 9. Facilius est quædam vincere, quam tueri; expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent. — *b*) Translate. *Cic. post redit. ad Quirit.* 1. 1. Continere odium jamdiu conceptum in omnes bonos. *Id.* 3. *Nat. D.* 38. 91. dolorem conceptum a se ipso. *Id.* 1. *Orat.* 21. 94. Omnes omnium rerum fontes animo ac memoria continere. *Id.* 2. *Off.* 24. 84. Nulla res vehementius rempublicam continet, quam fides. *Liv.* 28. 2. *extr.* Continere exercitum. *Id.* 9. 41. aliquem in armis. *Id.* 28. 2. animos sociorum in fide. *Cæs.* 3. *B. G.* 11. aliquem in officio. *Nepos Lysandr.* 1. aliquem hospitio suo. — Pertinet etiam ad magistros, qui continere dicuntur discipulos, dum eos in aliqua exercitatione detinent. *Cic.* 7. *Fam.* 19. Exercitatione consequere: in qua quidem nos te continebimus, si etc. *Id. Brut.* 97. 332. Continere se in suis perennibus studiis. Cf. *Petron. Satyr.* 2. Nondum juvenes declamationibus continebantur, cum etc. *et Gell.* 19. 1. Satis attente discipulos juvenes continens. ¶ 3. Item addita speciali significatione motus correcti vel omissi, continere est frenare, cohibere; et occurrit tum proprie, tum translate. — *a*) Addito loco, aut re, qua quis cohibetur. *Cic.* 13. *Phil.* 3. 5. Continere belluas septis. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. exercitum castris. *Id.* 1. *B. C.* 66. copias in castris. *Id.* 3. *B. G.* 29. milites sub pellibus. *Ovid.* 11. *Met.* 432. ventos carcere. *Phædr.* 3. 6. 7. ora frenis. Cf. *Sueton. Galb.* 6. manus penulis. *Liv.* 27. 15. *a med.* milites silentio. *Cels.* 7. 26. aliquem in jejunio. *Colum.* 7. *R. R.* 10. 3. pecudem sub tecto. *Ter. Phorm.* 2. 3. 17. se ruri. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. sese intra silvas. *Ovid.* 13. *Met.* 908. se mœnibus. Cf. *Apul.* 9. *Met.* Mulier intra hospitium contenta. *et ibid.* Asinus intra terminos pistrini contentus. — *b*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 45. Quam angustissime continere hostem. *Plaut. Amph.* 2. 2. 58. Ante auspicium commoratum est? an tempestas continet? Cf. *Virg.* 1. *G.* 259. Frigidus agricolam si quando continet imber. *Cic. Rabir. perduell.* 6. 18. Continere vocem. *h. e.* cessare a clamore. *Id.* 4. *Fin.* 25. 71. risum. *Virg.* 3. *Æn.* 598. gradum. *Plin.* 3. *Ep.* 11. oculos animumque. Alter *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (39). et 9. *ibid.* 8. 7. (21). spiritum. *h. e.* respirationem. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 222. dicta. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. linguam. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 77. Non continens lacrimas. *Phædr.* 4. 17. Continere ventrem. *h. e.* constringere. *Cels. præfat. post med.* corpus, si profluvio laborat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 33. (49). et 28. *ibid.* 11. 46. (163). capillos fluentes. *h. e.* facere, ne defluant. *Cic.* 13. *Att.* 21. et *Plin* 1. *Ep.* 8. librum. *h. e.* non edere. — Sæpe absolute dicitur de pravis animi motibus. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 22. Regere et continere appetitiones animi. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 11. Continere omnes cupiditates. *Id.* 1. *leg. Agr.* 6. 18. modeste insolentiam suam. *Brutus et Cass.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 3. iracundiam. Cf. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (109). Vinculum continens libertatem dehiscendi. — Interdum ipsi animi motus continere sive cohibere homines dicuntur. *Lucret.* 1. 151. Formido mortales continet omnes. *Quintil.* 1. 3. 6. Quosdam continet metus. *Liv.* 29. 36. Contineri terrore. *Id.* 30. 20. magis metu, quam fide. *Quintil.* 12. 7. 2. solo metu. — *c*) Addita re, a qua quis coercetur. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Continere suos a prœlio. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 21. manus et tela civium ab aliquo. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 35. 36. Unde manus juventus metu deorum continuit? *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 45. Continere temeritatem ab omni lapsu. *Sall. Jug.* 15. animum a consulta libidine. — *d*) Denique hoc sensu occurrit *continere se* et *contineri* absolute, et *continere se in* vel *ab aliqua re*. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 2. Quid est negotii, continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas? *Ovid.* 4. *Met.* 351. Jam cupit amplecti: jam se male continet amens. *Plaut. Capt.* 3. 4. 60. Jam nequeo contineri. *Ter. Hecyr.* 4. 3. 9. Equidem cupio, et vix contineor. *Plaut. Rud.* 4. 4. 128. Contineri, quin complectar, non queo. *Ter. Eun.* 5. 2. 20. Vix me contineo, quin involem in capillum, monstrum. *Ovid.* 7. *Met.* 728. male me, quia vera faterer, Continui; male quia, ut oportuit, oscula ferrem. *Cic. Parad.* 3. 1. § 21. Continere se in libidine aliqua. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 104. ab assentiendo. *Id.* 7. *Verr.* 29. 74. a supplicio alicujus. *Id.* 2. *Fin.* 10. 63. ab exemplis. *h. e.* abstinere ab exemplis afferendis. Huc pertinet et illud *Petron. Satyr.* 11 Nec se solum intra verba continuit, sed lorum de pera solvit etc. — Præcipue *continere* dicitur, qui tacenda religiose custodit. *Plaut. Men.* 2. 1. 28. Nequeo continere, quin loquar. *Ter. Eun.* 1. 2. 23. Quæ vera audivi, taceo et contineo optime. *Cic.* 1. *Orat* 47. 206. Ea, quæ continet neque adhuc protulit, explicet nobis. ¶ 4. Denique addita speciali significatione complexionis, continēre est intus habere, intus tenere, uno verbo complecti. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 877. quasi sæpe gelum, quod continet in se, Mittit et exsolvit glaciem. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Reliquum spatium mons continet. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 23. Omnia, quæ aluntur, continent in se vim caloris. *Id.* 14. *Att.* 22. *extr.* Me Idus Mart. non tam consolantur, quam antea: magnum enim mendum continent. *Liv.* 5. 52. Comitia curiata, quæ rem militarem continent. *Nepos Cat.* 3. Primus (*liber*) continet res gestas regum populi Romani. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 8. (*Ilias Homeri*) Stultorum regum et populorum continet æstus. *Phædr.* 4. 10. Hoc argumentum continet res utiles. *Ovid.* 15. *Met.* 239. Quatuor æternus genitalia corpora mundus Continet. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (138). Panis innumeras pæne continet medicinas. *Id.* 17. *ibid.* 11. 16. (82). Testæ continent humorem, et transmittunt. *Gell.* 13. 9. Libri, quos πανδέκτας inscripsit, tamquam omne doctrinarum genus continentes. *Ulp. Dig.* 7. 9. 3. Omnes casus continentur huic stipulationi. *pro* hac stipulatione. Ita *Torrentin.* et *Gothofr.*: sed *Haloand.* mutavit. — Et sequente Conjunctivo, vel Infinito. *Quintil.* 11. 1. 59. Quando ipsos loqui deceat, quartus liber continet. *Plin.* 9. *Ep.* 28. Tertia epistola continebat, esse tibi redditam orationem pro Clario. *Ulp. Dig.* 7. 9. 5. Huic stipulationi (ita *Torrentin.* et *Gothofr.*; sed cum *Haloand.* lege *hac stipulatione*), dolum malum abesse abfuturumque esse, continetur. — Eleganter *continere rem*, *causam* vel similia dicitur id, quod præcipuum est et caput ejus rei. *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. 2. De figuris deorum, de locis atque sedibus multa dicuntur; quod vero maxime rem causamque continet etc. *Id.* 4. *Tusc.* 31. 65. Mihi quidem in tota ratione ea, quæ pertinet ad animi perturbationem, una res videtur causam continere, eas esse in nostra potestate. Cf. *eumd.* 1. *Divinat.* 51. 117., 1. *Fin.* 4. 12. et 4. *ibid.* 6. 14. — *b*) Speciatim huc referri potest et frequens usus passivæ formæ *contineri* pro componi, constare, consistere, niti: eodem enim recidit et activum *continere* pro complecti. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 59. Dii non continentur venis et nervis et ossibus. *Id. Marcell.* 9. 28. Vita corpore et spiritu continetur. *Id.* 1. *Divinat.* 14. 24. Artes, quæ conjectura continentur. *Id.* 2. *Fin.* 15. 48. Honestas tota his quatuor virtutibus continetur. *Est qui legit* ex his quatuor. *Id. Marcell.* 7. 22. Quis est tam rudis, qui non intelligat, tua salute contineri suam? *Lucret.* 1. 1085. Quæ terreno corpore continentur. *Liv.* 41. 23. Romanum fœdus, quo nostra omnia continentur, violatur. *Quintil.* 2. 18. 5. Maximus ejus (*rhetorices*) usus actu continetur.

B) Neutrorum more, *continere* est contiguum esse alteri, nulla alia re interposita: quo sensu frequenter occurrit Part. *Continens*, quod *V.* infra sub 1. *Plaut. Stich.* 3. 1. 44. Utroque commeatus continet. *h. e.* ad alteras ædes ab alteris commeatus continuatus est. — Hinc Part. præs.

Continens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Continentior* et Sup. *Continentissimus* sub 3. ¶ 1. Ratione habita alterius rei, *continens* dicitur et est qui alteri cohæret, qui contiguus est alteri, nulla alia re interposita, conjunctus, proximus, vicinus; et occurrit modo cum Dativo, modo cum Ablat. et præpos. *cum*, modo absolute. — *a*) De inanimis vel corporeis, seu ratione habita spatii vel loci. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 117. Mari aer continens est. *Id. Cæcin.* 4. 11. Huic fundo continentia prædia atque adjuncta mercatur. *Id.* 15. *Fam.* 2. Cappadociæ pars ea, quæ cum Cilicia continens est. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 33. 105. Mare, quod nunc, quia a sole collucet, albescit dissimileque est proximo et continenti. *subaudi* mari. *Cæs.* 3. *B. G.* 28. Morini continentes silvas ac paludes habebant: eo se contulerunt. *Horat.* 2. *Od.* 18. 20. Marisque Bajis obstrepentis urges Submovere littora, Parum locuples continente ripa. — Hoc sensu *Continentia* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, usurpantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (215). Chersonesum et continentia usque Atho montem. *Terent. Dig.* 50. 16. 147. Qui in continentibus urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur. *continentia urbis* sunt ædificia extra muros urbis posita, sed ipsis contigua. *Paul. ibid.* 33. 9. 4. *a med.* Urbes fere omnes muro tenus finiri, Romam continentibus. Adde *Ulp. ibid.* 50. 16. 173. et 199. Huc pertinet illud in *vet. Tab. æn.* apud *Murat.* 582. *ad fin.* QVAE VIAE IN VRBE ROMA ERVNT INTRA EA LOCA, VBI CONTINENTI HABITABITVR. *h. e.* ubi continentia ædificia erunt. *Alfen. Dig.* 50. 16. 87. Urbem esse Romam, qua muro cingeretur: Romam etiam qua continenti ædificia essent. Ita *Torrentin.* et *Gothofr.*; at *Haloand.* in continenti. — *b*) Similiter *continens* dicitur de tempore. *Cæs.* 3. *B. C.* 84. Exercitum eduxit, aciemque instruxit, primum suis locis; continentibus vero diebus etc. *h. e.* sequentibus diebus. — *c*) Translate et de aliis dicitur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 26. Motus sensui junctus et continens. *Liv.* 5. 39. Timori perpetuo ipsum malum continens fuit. *Cic. Fat.* 19. 44. Proxima et continens causa. — *Continentia* apud Rhetores quæ sint, docet *Cic.* 1. *Invent.* 26. 37. Negotiis, *inquit*, quæ sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, partim *etc.* Continentia cum ipso negotio sunt ea, quæ semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. ¶ 2. Ratione habita unius tantum rei, nec collatione facta cum altera, *continens* dicitur et est quidquid sibimetipsi cohæret, adeoque est non interruptus, continuatus, sine intermissione factus. — *a*) De inanimis et corporeis, seu ratione habita loci vel spatii. *Liv.* 2. 29. Continens agmen migrantium. *Id.* 21. 8. ruinæ. *Sisenna* apud *Gell.* 12. 15. Una æstate in Asia et Græcia gesta litteris idcirco continentia mandavimus, ne, vellicatim aut saltuatim scribendo, lectorum animos impediremus. Cf. *Sueton. Gramm.* 2. Continens scriptura. *h. e.* non divisa in libros aut capita. *Varro* apud *Charis.* 1. p. 100. *Putsch.* In terra continenti. *Cic. Hortens.* apud *Non.* p. 274. 6. *Merc.* Ne in continentibus quidem terris vestrum nomen dilatari potest. *Nepos Themist* 3. Inter Eubœam continentemque terram cum classiariis regis conflixit. — Porro hac significatione *Continens, entis*, f. 3. (cujus Ablat. sing. num. exit tum in *e*, tum in *i*) absolute, substantivorum more, pro *continenti terra* usurpatur. *Nepos Miltiad.* 7. Procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, incensus est. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Labieno in continente relicto, ipse ad solis occasum naves solvit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 31., 4. *ibid.* 28. et 36., et alibi sæpe; *Liv.* 35. 43.; et *Sueton. Aug.* 65. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 31. 39. (140). Insula a proxima continente abest VII. M. D. pass. *Liv.* 28. 12. Hispania prima a Romanis inita provinciarum, quæ quidem continentis sint. — *b*) Sæpius de iis dicitur, quæ temporis successione inter se conjunguntur vel continuantur. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Continens omnium dierum labor. *Id.* 5. *B. G.* 11. Continentia bella. *Id.* 7. *ibid.* 28. Continens impetus. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 61. Seque e continenti genere tertiam victimam reipublicæ (*Decius*) præbuisset. *Id.* 3. *Herenn.* 12. 22. Continens vox. *Id.* 3. *Orat.* 57. 216. Continenti spiritu dicere. *Id.* 1. *Tusc.* 8. Nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo. *Liv.* 37. 25. Continens incendium. *Id.* 7. 30. imperium. *Id.* 5. 31. memoria. *Id.* 22. 15. Quinque millia continenti cursu sequi aliquem. *Cels.* 3. 5. *ad fin.* Febres continentes sine remissione. *Liv.* 23. 44. Imber continens per totam noctem. *Sueton. Cal.* 19. Biduo continenti. — Hinc *in* vel *ex continenti* (*subaudi tempore*) est nulla mora interposita, statim, confestim. *Justin.* 1. 9. Qui ex continenti, ne dato in pœnitentiam spatio, res

narraretur, ad regiam pergunt. Adde eumd. 5. 3. et 5. *Ulp. Dig.* 44. 5. 1. *circa med.* Si in continenti impositum quid sit liberto, etc. exceptioni locum fore; sed si post intervallum, habet dubitationem etc. Adde *ibid.* 48. 5. 23. ¶ 3. *Continens*, Part. et Adject., est etiam qui se continet a voluptatibus, ab avaritia, ab ira, a cædibus etc., sobrius, temperans: *V.* CONTINEO *A.* 3. *b. Nepos Att.* 13. Non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci. *Cic.* 9. *Fam.* 19. Continentes reges. *Id. Parad.* 1. 2. Continentissimi homines. *h. e.* parvo cultu parceque viventes. Adde *Sueton. Aug.* 71. *Nepos Epam.* 3. Continens Epaminondas. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. Ne continentior in vita hominum, quam in pecunia fuisse videatur. *Plin.* 5. *Ep.* 19. *extr.* Parcus et continens. ¶ 4. Denique *Continens*, *entis*, n. 3. absolute, substantivorum more. et interdum *continens causæ* (*V.* CONTINEO sub *A.* 4. *a.*), sive quod conjunctum maxime sit cum ipsa causa, sive quod in se causam totam contineat, Gr. τὸ συνέχον, apud Rhetores est id, quod potissimum agitur in causa, quo sublato lis esse non potest. Ita *Quintil.* 11. 3. 18., ubi plura hac de re. *Cic.* 1. *Invent.* 14. 19. vocat firmamentum, atque esse firmissimam argumentationem defensoris et aptissimam ad judicationem: et subdit ipse quoque exemplum. *Id. Topic.* 25. 95. ea, *inquit*, continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis; quibus sublatis, defensio nulla sit. In *Partit.* quoque *orat.* 29. 103. clarius idem istud exponit. *V.* — Hinc

Continens, *entis*, f. 3. absolute, substantivorum more usurpatur. *V.* supra sub 2. *a.*

Continens, *entis*, n. 3. absolute. *V.* supra sub 4.; et alio sensu sub 2. *b.*

Continentia, *ium*, n. plur. 3., absolute. *V.* supra sub 1. *a.* et *c.*

Contentus, *a*, *um*, Part. præter. pass. adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Contentior* sub d. — Contentus dicitur et est qui continet se in eo, quod habet, qui facile patitur, cui satisfactum est; et occurrit — *a*) Cum Ablativo rei, qua quis contentus est. *Lucilius* apud *Non. p.* 264. 4. *Merc.* His te versibus interea contentu' teneto. *Cic. Parad.* 6. 2. § 51. Contentum suis rebus esse. *Id.* 3. *Fam.* 13. Quibus ego a tali viro contentus eram. *Id.* 1. *Off.* 42. 151. Mercatura satiata quæstu, vel contenta potius. *Id.* 5. *Tusc.* 31. 98. Bestiæ eo contentæ non quærunt amplius. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 3. illâ (*sorte*) contentus vivat. *Id. ibid.* 4. 108. contentus eo quod mi ipse parasset. *Virg.* 11. *Æn.* 582. solâ contenta Dianâ. *h. e.* sola venatione. — *b*) Cum Infinito occurrit apud Poetas et argentei ac sequioris ævi Scriptores. *Ovid.* 1. *Met.* 461. Tu face nescio quos esto contentus amores Irritare tuâ. *Id.* 2. *ibid.* 637. non hæc artes contenta paternas Edidicisse fuit. *Manil.* 3. 39. Ornari res ipsa negat, contenta doceri. *Curt.* 8. 11. Barbari hostem depulisse contenti, non instare cedentibus. *Vellej.* 2. 49. *ad fin.* Contentus titulum retinere provinciæ. *Quintil.* 10. 2. 7. Contentus id consequi, quod imitaris. Adde *Petron.*, *Val. Flacc.*, *Sil. It.*, *Justin.*, *Plin. utrumque*, etc. — *c*) Cum Genitivo. *Scævola Dig.* 32. 37. *ad fin.* Ut contentus esset partis dimidiæ dotis. Ita *Torrentin.*; at *Haloand.* edidit *dimidia parte*. Addit *Pareus* in *Lex. Crit.* alium locum ex *Curt.* 6. 2., sed in quo ipse quoque fatetur, dubiam lectionem esse. Dubia item sunt, quæ ex *Vellej.* 2. 88. et *Justin.* 42. 2. congerit *Heins.* ad *Ovid.* 15. *Met.* 515. et 5. *ibid.* 169.: certum autem est illud *Dictys Cret.* 2. 17. Achilles haud contentus eorum, quæ gesserat, Cilicas aggreditur. — *d*) Absolute usurpatur, cum res, qua quis contentus est, ex ipso orationis contextu facile innotescit. *Cic. Brut.* 35. 134. Cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quæreres. *Id. Parad.* 6. 1. § 42. Cui tanta possessio, ut ad liberaliter vivendum contentus sit. *Apul.* 3. *Met.* Non contentus, quod mihi nec solatium præbuit, etc. — Absolute omnino legitur Comp. apud *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 14. Dii deæque contentiores mage erunt, atque avidi minus. — *NB.* In illo *Cic. Planc.* 5. 12. Manlius vita contempta et sordida; *al. minus recte leg.* contenta, *h. e.* parca.

CONTINENTĬVUS, a, um, adject. qui continet. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 5. *p.* 691. Similiter et si memoriam habitum continentivum opinionis dixerit, nam nulla memoria habitus, sed magis actus (*est*).

CONTINGENTER, adverb. fortuito. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. sec. p.* 364. Quocirca recte dictum est, si omnis affirmatio vel negatio vera definite esset, nihil fieri, neque esse, vel casu, vel a communi nomine utrumlibet, nec esse aut non esse contingenter, sed aut esse, aut non esse definite, sed magis ex necessitate omnia. *Id. ibid. p.* 358. Sin vero res contingenter sunt venientes atque abeuntes. *Id. ibid. p.* 366. Id quod contingenter evenit.

CONTINGENTĬA, æ, f. 1. id quod contingit, aut accidit, seu natura rei adventitiæ. *Boeth.* in *Aristot. lib. de interpr. ed. sec. p.* 429. Supra docuimus, possibilitatem et contingentiam ejusdem significationis esse, ut quod contingeret fieri, idem esset possibile, et quod possibile esset, idem quoque contingeret. Sed possibilis enunciatio non est eadem, quæ contingens; neque enim si quis possibilem affirmationem proponat, eique opponat contingentem negationem, rectam faciet contradictionem. *Id. ibid. p.* 449. Necessitatem in contingentiam verti.

CONTINGO, tingis, tigi, tactum, tingere, 3. (cum et tango). Part. *Contingens* sub *A.* I. 1.; *Contactus* sub *A.* I. 1. et II. 2.; *Contacturus* sub *A.* II. 2. — Contingere usurpatur *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active contingere est idem quod tangere sed plenius, sive aliquid valde et undique tangere (It. *toccare con forza, da ogni parte*; Fr. *atteindre, toucher*; Hisp. *tocar, alcanzar*; Germ. *von allen Seiten, stark berühren, anfassen*; Angl. *to touch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et stricto sensu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. *Id.* 2. *Divinat.* 43. 91. Quanta humilitate luna feratur terram pæne contingens. *Liv.* 1. 56. *extr.* Contingere terram osculo. *Cels.* 2. 24. Cibi contacti sale modico. *Virg.* 4. *G.* 448. contingunt corpus amurca. *Lucret.* 4. 409. Sol montes contingens suo comminus igni. *h. e.* illustrans, calefaciens. Sic *Catull.* 64. 409. Contingi lumine. *Virg.* 2. *Æn.* 649. me pater atque hominum rex — contigit igni. *Id.* 7. *ibid.* 480. noto nares contingit odore. *Id.* 2. *ibid.* 239. funemque manu contingere gaudent. *Id.* 8. *Ecl.* 40. Jam fragiles poteram a terra contingere ramos. *Ovid.* 11. *Met.* 122. Contingere munera Cerealia dextrâ. *Id.* 2. *ibid.* 123. Tum pater ora sui sacro medicamine nati Contigit. Sic *Id.* 14. *ibid.* 606. ambrosiâ cum dulci nectare mistâ Contigit os fecitque deum. *Id.* 1. *ibid.* 340. Buccina ora dei contigit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (58). Contactus radiis solis. *Id.* 11. *ibid.* 37. 75. (193). Ahena contacta felle nigrescunt. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (146). Ferrum contactum sanguine rubiginem trahit. *Id.* 11. *ibid.* 53. 115. (277). Contacta halitu ursi nulla fera attingit. — *Contingere manum alicujus* est fere signum gratulationis, aut venerationis. *Liv.* 28. 9. Contingere pro se quisque manus victrices consulum cupientes. *Vellej.* 2. 104. *ad fin.* Salutationis nova quædam exsultatio, et contingendi manum cupiditas. Adde eumd. *ibid.* 107. — Proverbialis locutio gaudentis est illa *Propert.* 1. 8. 43. Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis. — Cum sermo est de esca vel potu, contingere est libare, prælibare. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 113. Contingere granum. *Ovid.* 3. *Met.* 409. fontem. *Id.* 15. *ibid.* 281. aquas. ¶ 2. Speciatim *contingere* dicuntur, quæ vicina et contigua sunt: ad rem *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Vites a caulibus et brassicis refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Radices montis ex utraque parte ripæ fluminis contingunt. *Id.* 7. *ibid.* 23. Neque inter se trabes contingant. *pro* contingantur. Sic *Id.* 1. *B. C.* 21. Milites disponit perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter se. *Id.* 7. *B. G.* 7. Helvii fines Arvernorum contingunt. *Liv.* 10. 21. In saltu Vescino, Falernum contingente agrum. *Sueton. Aug.* 25. Ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium. ¶ 3. Item speciatim et latiori sensu *contingere aliquid* est assequi, ad id pervenire: cf. *Cic. pro lege Manil.* 1. 1. Cum per ætatem hujus auctoritatem loci contingere non auderem. *h. e.* venire in hunc locum plenum auctoritatis. *Virg.* 5. *Æn.* 509. Contingere Italiam. *h. e.* in Italiam pervenire. *Ovid. Remed. am. extr.* fessæ date serta carinæ: Contigimus portum. *Horat. Art. P.* 412. Qui cupit optatam cursu contingere metam etc. *Virg.* 5. *Æn.* 509. Contingere avem ferro. *h. e.* ferro icere. *Lucret.* 1. 564. florem ævi. *h. e.* ad florem ævi pervenire. *Ovid.* 2. *Met.* 578. nec contigit ullum Vox mea mortalem. *Id.* 1. *ibid.* 211. Contigerat nostras infamia temporis aures. — Huc aliquando ponitur et pro sortiri. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Cum animus naturam sui similem contigit et agnovit. *Vellej.* 1. 1. Sortiti sunt, uter patria decederet: sors Tyrrhenum contigit. Sic passive *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 78. Contactus sorte adversa. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (109). Quæ palma frugum indubitata Italiam contigit. At *Sillig* pro *Italiam* legit *Italiæ*. Cf. *Ulp. Dig.* 35. 4. 1. *sub fin.* Quos proxima spes successionis contingit. Huc referri potest et illud *Ovid. Heroid.* 4. 49. Aut quas semideæ Dryades Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo. ubi metaphora sumpta est ab iis, qui fulmine icti sunt.

II.) Translate. ¶ 1. Contingere pertinet aliquando ad propinquitatem affinitatis, aut cognationis. *Liv.* 24. 22. *ad fin.* Quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent. *Id.* 25. 8. Contingere aliquem propinquitate, aut amicitia. *Id.* 45. 7. aliquem sanguine ac genere. *Sueton. Aug.* 4. aliquem artissimo gradu. *Id. Galb.* 2. aliquem nullo gradu. *Id. Ner.* 32. Contingere aliquam familiam. — Et absolute *contactus* pro sanguine conjunctus. *Inscript.* apud *Gruter.* 593. 8. et *Murat.* 1005. 10. HYMENAEVS CAESARIS N. SER. THAMYRIANVS FECIT SIBI, ET THAMYRO NVTRICIO, PRIMO CAES. SERVO, ANENBSETO, CONTACTIS POSTERISQVE EORVM. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 52. deos quoniam propius contingis. *h. e.* propior es principibus viris per amicitiam. Cf. *Tac.* 4. *Ann.* 68. Contingere aliquem modico usu. *h. e.* aliqua familiaritate. ¶ 2. Sæpius de iis omnibus ponitur, quæ animum prave afficiunt, et præcipue de morali sceleris contagione, ita ut contingendi significationi significatio quoque contaminandi jungatur: cf. CONTAGIO, CONTACTUS, us, CONTAMINO etc. — *a*) De molestis animi affectibus. *Juvenal.* 14. 184. Contingunt me fastidia. *h. e.* fastidio. *Liv.* 22. 10. Quos in aliqua sua fortuna publicæ quoque contingebat cura. *Val. Flacc.* 7. 173. Contingere curâ animum alicujus. *h. e.* afficere. *Ovid.* 9. *Met.* 484. Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido Contigit! *Propert.* 1. 1. 1. Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis Contactum nullis ante cupidinibus. — *b*) De morali sceleris contagione. *Liv.* 31. 8. *extr.* Multæ in Italia contactæ gentes Punici belli societate. *Id.* 29. 8. *extr.* Eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem objecit. *h. e.* omnibus, qui ejus violationis participes fuerant et sceleris contagione infecti. *Id.* 21. 48. Contactos eo scelere, velut injecta rabie, ad arma ituros. Sic *Ulp. Dig.* 11. 4. 1. Contingi crimine. *h. e.* socium esse criminis. et *Paul. ibid.* 48. 20. 7. Quos nulla culpa contingit. Rursus *Liv.* 4. 9. Velut contacta civitas rabie duorum juvenum. *Id.* 6. 28. Dies contactus religione. *h. e.* dies Alliensis pugnæ. *Id.* 10. 28. Contacturum funeribus diris signa, tela, arma hostium. *Tac. Germ.* 10. Nullo mortali opere contactus. *Id. Dial. de orat.* 12. vitiis. *Petron. Satyr.* 128. veneficio. *Seneca Herc. Œt.* 737. tabe. Huc referri potest et illud *Ulp. Dig.* 48. 19. 5. Pœnæ, quæ existimationem contingunt. — Et *contactus* absolute pro contaminato. *Seneca Hippol.* 714. Ne contactus ensis deserat castum latus. — *c*) Denique generatim omnino *Liv.* 34. 22. Hæc consultatio, ut videtis tota de re pertinente ad vos est; Romanos nihil contingit. *Id.* 40. 14. *ad fin.* Meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miscueris.

B) Neutrorum more ¶ 1. Generatim contingere est evenire, accidere; et impersonalium more effertur. Dicitur autem fere de iis, quæ vel insperato et casu, sed ex voto eveniunt; et occurrit — *a*) Sine Dativo personæ, aut etiam cum ipso Dativo. *Ter. Eun.* 5. 9. 2. Nam in me plane dii potestatem suam omnem ostendere, cui tam subito tot contigerint commoda. *Id. Andr.* 4. 2. 13. Hanc mi expetivi: contigit. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 15. Magis adeo id facilitate, quam alia culpa mea contigit. *Id.* 1. *ibid.* 35. 161. Quoniam tantum habemus otii, quantum jamdiu nobis non contingit. *Id.* 2. *Off.* 12. 42. Cum id minus contingeret, leges sunt inventæ. *h. e.* cum minus prospere succederet, etc. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 14. ubi quid melius contingit et unctius. *Id.* 1. *ibid.* 4. 11. cui Gratia, fama, valetudo contingat abunde. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 16. Contigit ex merito qui tibi nuper honos. *Quintil.* 11. 1. 81. Nulla contingit excusatio. *Id.* 6. 2. 30. Quod nobis volentibus facile continget. *Justin.* 5. 9. *sub fin.* Thrasybulum corrumpere conantur, quod cum non contigisset, etc. Cf. *Marcell. Dig.*

29. 5. 16. Pars pretii alicui contingens. — b) Cum Dat. personæ sequente Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 36. Non cuivis homini contingit adire Corinthum. *Vellej.* 2. 124. mihi recusare principatum. *Quintil.* 9. 2. 23. mihi mori herede filio. — Addito etiam Adjectivo, et quidem casu Dativo. *Vellej.* 2. 124. Mihi fratrique meo candidatis contigit, prætoribus destinari. *Val. Max.* 5. 4. Maximo tibi et civi et duci evadere contigit. *Ovid.* 11. *Met.* 219. Si quidem Jovis esse nepoti Contigit haud uni: conjux dea contigit uni. — c) Sequente part. ut. *Plaut. Amph.* 1. 1. 32. Id contigit, ut salvi potiremur domum. *Cic. Brut.* 84. 290. Volo, hoc oratori contingat, ut cum auditum sit, eum esse dicturum, locus occupetur, compleatur tribunal, etc. *Id.* 1. *Off.* 1. 3. Et id quidem nemini video Græcorum contigisse, ut idem utroque in genere laboraret. *Nepos Thrasyb.* 8. Huic contigit, ut patriam ex servitute in libertatem vindicaret. — d) Huc pertinent et sequentes dicendi formulæ. *Si mihi vita contigerit.* h. e. si mihi vita suppetat. *Planc.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. — *Si quid alicui contigit.* h. e. si quid mali accidit. *Ulp. Dig.* 28. 3. 6. *ante med.* — *Si quid humanitus ei contigerit.* h. e. si morietur. *Scævola Dig.* 34. 4. 30. *sub fin.* V. dicta in ACCIDO. ¶ 2. Specialim est provenire, nasci, venire, apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (68). Columella suum tradit commentum, ut toto anno melopepones contingant. *Id ibid.* 8. 41. (138). Post cymam ex eadem brassica contingunt æstivi cauliculi. *Id.* 13. *ibid.* 24. 47. (131). Apes numquam defore, cytisi pabulo contingente, promittunt. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (124). Ut odor vino contingat. *Id.* 32. *ibid.* 4. 14. (39). Contingunt ex testudine quoque aliqua auxilia.

CONTINGO *vel* contingo, tingis, (tinxi), tinctum, tingere, a. 3. (cum *et* tingo *vel* tinguo). Part. *Contingens* II., et *Contînctus* I. — Contingo est idem quod tingo, humecto: hinc differt a *contingere*, quod est *tangere* vel plane tangere; tamen *Forcellinus* in fine h. voc. ait: Si quis hæc ad præcedens verbum transferenda putet, non valde pugnabimus.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 936. prius oras, pocula circum, Contingunt mellis dulci flavoque liquore. *Id.* 2. 754. Proinde colore cave contingas semina rerum. *Id.* 2. 742. Ex ineunte ævo nullo contincta colore. *Al. leg.* contacta; *al.* conjuncta. *Virg.* 3. *G.* 403. Aut parco sale contingunt (*lac*) hiemique reponunt.

II.) Translate. *Lucret.* 1. 931. obscura de re tam lucida pango Carmina, Musæo contingens cuncta lepore.

CONTĬNŬANTER, *et*

CONTĬNŬĀTĒ, *et*

CONTĬNŬĀTIM, adverb. sine intermissione. *Augustin.* 1. *Retract.* 24. Epistolam exposui non carptim, sed continuanter et totam. *Festus* p. 314. 30. *Müll.* Strigæ appellabantur ordines rerum inter se continuate collocatarum. Adde *Paul. Diac.* p. 315. 5. *Müll. Fronto de different. verb.* p. 2195. *Putsch.* C o n t i n u e facimus assidue: c o n t i n u a t e, sine intermissione. *Augustin. Ep.* 112. 20. Quæ continuatim Apostolus posuit.

CONTĬNŬĀTĬO, ōnis, f. 3. actus continuandi, consecutio non interrupta, perpetuitas (It. *continuazione*; Fr. *continuité, continuation*; Hisp. *continuidad, continuacion*; Germ. *der stete Zusammenhang, die ununterbrochene Reihe, die Hintereinanderfolge*; Angl. *a joining without interruption, continuation*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 4. 9. Admirabilis quædam continuatio, seriesque rerum. *Id.* 1. *ibid.* 20. 55. caussarum. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 29. Immutabilis continuatio ordinis sempiterni. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. imbrium. *Liv.* 41. 15. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime convenire. *Seneca Consol. ad Marc.* 18. *a med.* Vinculum terrarum oceanus continuationem gentium triplici sinu scindens. *h. e.* terram, quæ ubique a gentibus habitatur, trifariam dividens. *Id.* 3. *Quæst. nat.* 2. ita *continuationem corporum* definit: Continuatio est partium inter se non intermissa conjunctio. *Quintil.* 8. 2. 14. Continuatio sermonis. *Flor.* 4. 2. 79. prosperorum. *Sueton. Tib.* 21. laborum. ¶ 2. Specialim est periodus, in qua est comprehensa series et sententia continuata. *Cic. Orat.* 61. 204. Circuitus ille verborum, quem Græci περίοδον, nos tum ambitum, tum comprehensionem, aut continuationem dicimus. *Id.* 3. *Orat.* 13. 49. Non nimis longa continuatione verborum dicere. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 61. 261.; et *Quintil.* 9. 4. 22. ¶ 3. Item specialim est exornatio quædam oratoria, scilicet densa et continens frequentatio verborum, cum absolutione sententiarum. Ea utemur commodissime in sententia, in contrario, in conclusione. *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 27. ¶ 4. Item genus pronunciationis, quo cum clamore verba plura festinanter enunciantur, et pertinet ad contentionem vocis, ut in CONTENTIO dictum est. *Cic.* 3. *Herenn.* 13. 23. Huic similis est illa, quæ definitur a *Diomed.* 2. p. 431. *Putsch.* Continuatio est rerum contexta dictio, ut *Scythiam, septemque triones.* Verum hæc potius pertinet ad locutionem grammaticam.

CONTĬNŬĀTĪVUS, a, um, adject. qui continuat, et specialim qui continuationem sermonis significat. *Priscian.* 16. p. 1027. *Putsch.* Proprie autem conjunctiones continuativæ sunt, quæ significant ordinem præcedentis rei ad sequentem, ut: Si stertit, dormit; et si ægrotat, pallet; et si febri vexatur, calet.

CONTĬNŬĀTUS, a, um. *V.* CONTINUO, as.

CONTĬNŬĒ, adverb. sine intermissione. *Varro* 5. *L. L.* 27. *Müll.* Inter stillicidia et flumina hoc interest, quod s t i l l i c i d i u m, eo quod stillatim cadat, f l u m e n, quod fluit continue. *Non.* p. 376. 26. *Merc.* P r o t i n u s, jugiter et continue. *Cassiod. Complex.* 2. *ad Timoth.* 5. Se autem de hoc sæculo continue transiturum præponit. *h. e.* continenter, continuo.

CONTĬNŬĬTAS, ātis, f. 3. continuatio. *Varro* 7. *L. L.* 107. *Müll.* P r o t i n a m a protinus, continuitatem significans. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 44. (105). de *hyæna.* Collum et juba continuitate spinæ porrigitur; flectique, nisi circumactu totius corporis, nequit. *Cassiod.* 11. *Variar.* 38. Papyrus est junctura sine rimis, continuitas de minutiis, viscera nivea virentium herbarum.

CONTĬNŬŌ, adverb. est ab adject. *continuus*, quod a *contineo.* — *Continuo fieri* dicitur, quod antecedenti rei proxime hæret consecutione non interrupta, eamque continenter sequitur; itaque est statim, illico, nulla mora interposita (It. *tosto, immediatamente, incontanente*; Fr. *incontinent, à l'instant, sur-le-champ, immédiatement*; Hisp. *immediatamente, luego, al punto, sin dilacion*; Germ. *sofort, unverzüglich, alsbald*; Angl. *immediately, forthwith, instantly*). Usurpatur ¶ 1. De temporis relatione; et quidem — a) De re quæ, ratione habita temporis, aliam proxime antecedentem et vix præteritam continenter sequitur. Porro sæpe respondet particulis *ubi, postquam, quum, ut,* etc. *Plaut. Amph.* 1. 1. 49. Ubi primum terram tetigimus, continuo delegit etc. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 15. Aderit continuo, hoc ubi ex te audierit. *Plaut. Epid.* 4. 1. 37. Postquam audivi illico illam esse captivam, continuo argentum dedi. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Omnes quum te summis laudibus ad cælum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agunt. *Id.* 6. *Verr.* 22. 48. Continuo ut vidit, non dubitavit e mensa tollere. *h. e.* statim ac. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 27. ut quisque insanus – latum demisit pectore clavum, audit continuo etc. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 121. Quod continuo consilium dimisit, simul ac me fractum ac debilitatum metu viderit. — b) Omissis prædictis particulis, adverbium *continuo* non interrupta ac perpetua temporis relatione cum alia re conjungitur, ratione habita vel agentis, vel loquentis, vel alicujus eventus actusve jam præteriti. *Plaut. Rud.* 3. 4. 64. Ego te barba continuo arripiam et in ignem conjiciam. *Id. Cist.* 2. 1. 7. Quod lubet, non lubet jam continuo. *Ter. Eun.* 3. 2. 40. Hos prius introducam, et quæ volo simul imperabo: post continuo exeo. *Id. Andr.* 3. 2. 24. Si quid narrare occepi, continuo tibi dari verba censes. *Cic. Rosc. com.* 6. 17. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur. *Id.* 10. *Fam.* 12. 3. Senatus est continuo convocatus. *Cæs.* 7. *B. G.* 42. *extr.* Hos continuo in itinere adorti. *Cic.* 9. *Att.* 13. Quidquid egero, continuo scies. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 1. Deinde absens factus ædilis, continuo prætor. *Id. Amic.* 3. 11. Summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adolescens incredibili virtute superavit. *Ter. Andr.* 1. 5. 62. Hanc mi in manum dat: mors continuo ipsam occupat. *Virg.* 4. *G.* 548. Haud mora: continuo matris præcepta facessit. ¶ 2. Interdum si hoc adverbium per particulam negativam (*non continuo*), vel per interrogativum (*continuone*) effertur, cum perpetua temporis consecutione aliujus etiam illationis significationem conjungit. *Cic. Rosc. Am.* 33. 94. Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. *Id.* 2. *Orat.* 48. 199. Non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in fraude capitali esse ponendum. *Id.* 3. *Tusc.* 3. 5. Quum nec omnes, qui curari se passi sunt, continuo etiam convalescant. *Id. ibid.* 18. 40. Si malo careat, continuone fruitur summo bono? *Quintil.* 9. 2. 84. Continuone, si ille stulte cogitavit, nobis quoque stulte dicendum est? — Eamdem inferendi significationem hoc adverbium præ se fert, quum a generalibus ad particularia, ad exempla etc. in dicendo transimus. *Virg.* 1. *G.* 60. Continuo has leges æternaque fœdera certis Imposuit natura locis. *Servius*, quocum *Forcellinus* consentit, exponit jugiter, perpetuum, æternum. *Heyne* vero ad *h. l.* hæc habet: *Continuo.* Vocant hunc viri docti usum vocis Græcæ αὐτίκα, quod in commemorationis exordio ponitur, et per *exempli gratia* reddi potest: copiose de eo actum ab *Ernestio.* Scilicet res ita illustranda est, ut quasi dictum videatur: *ut statim hoc exemplo utar, ut statim hoc commemorem.* Atqui hæc omnia aliena ab h. l. Etenim concluduntur superiora; et est, quod sententia docent: statim a rerum initio. ¶ 3. Denique *continuo* bis occurrit apud *Quintil.* pro *continue*, h. e. sine intermissione, scilicet 2. 20. 3. et 9. 1. 11.

CONTĬNŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Est ab adject. *continuus*, quod a *contineo*: V. CONTINEO sub *A.* 1. in fin. — Part. *Continuans* sub 2.; *Continuatus* sub 1., 2. et in fin.; *Continuandus* sub 1. — Continuare est continuum facere, continuum reddere (It. *continuare, proseguire continuamente*; Fr. *mettre à la suite, continuer*; Hisp. *continuar, proseguir*; Germ. *zusammenhangend machen*; Angl. *to continue, persevere continually*). ¶ 1. Ratione habita spatii seu loci, continuare est continuum facere, contigue ponere, cum aliam alii rei connectimus et conjungimus; et occurrit — a) Absolute, h. e. cum Accusativo rei tantum. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 4. 14. Ingens cupiditas fundos continuandi. *Id.* 2. *ibid.* 26. 70. Ager latissime continuatus. Sic *Liv.* 34. 4. Continuare agros. *Sall. Cat.* 20. domos. *Cic. Vatin.* 9. 21. Fecisti ante Rostra pontem continuatis tribunalibus. *Tac.* 15. *Ann.* 9. Continuare pontem. *Varro* 2. *R. R.* 9. 2. Tauros solere diversos assistere clunibus continuatos, et cornibus facile propulsare lupos. *Cic.* 3. *Orat.* 37. 149. Est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis conjunctisque constat. *h. e.* compositis, seu continuata serie in oratione dispositis. Sic *Id. ibid.* 47. 183. Hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt. — b) Cum addito Dativo rei, cui alia contigua fit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 117. Aer mari continuatus et junctus. *Liv.* 1. 44. Continuare ædificia mœnibus. *Horat.* 3. *Od.* 16. 41. si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem. *Curt.* 5. 4. Ita ut procul visentibus continuata videantur montibus nemora. *Ovid.* 1. *Art. am.* 496. Continuare latus lateri. *h. e.* ad alicujus latus sedere. *Id.* 1. *ibid.* 406. Kalendæ, Quas Venerem Marti continuasse juvat. *h. e.* Kal. April. — Singulare est illud *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 39. Exercitus spatio lucis unius Illyrico continuavit Aquilejam. *h. e.* eodem die continenter ex Illyrico Aquilejam pervenit; et quodammodo eas regiones itinere unius diei conjunxit. — c) Passive, seu potius Mediorum apud Græcos more, *continuari* est proxime hærere, continenter sequi. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Atomi cohærescunt inter se, et aliæ alias apprehendentes continuantur. *Tac. Germ.* 45. *sub fin.* Suionibus Sitonum gentes continuantur. — Et cum Accusativo. *Apul.* 1. *Met. sub fin.* Inde me egredientem continuatur Pytheas condiscipulus meus. *h. e.* contiguus et comes fit mihi in via. *Id.* 11. *ibid.* Incontanter dimotis turbulis continuare (*subaudi* tu) pompam. *Hic loquendi modus a veteribus quoque usurpatus fuit.* Sic *Sisenna* apud *Non.* p. 93. 31. *Merc.* Marius ostio Liris evehitur, atque Ænariam suos continuatur. *h. e.* suos adsequitur et cum iis conjungitur. ¶ 2. Ratione habita temporis *continuare* est continenter agere, unum post aliud sine intermissione facere; et occurrit — a) Cum Accusativo tantum rei aut temporis. — Cum Accus. rei. *Cæs.* 3. *B. C.* 36. *ad fin.* Die ac nocte continuato itinere, ad eum pervenit. *Liv.* 1. 46. *extr.* Prope continuata funera. *h. e.* unum pæne statim post aliud. *Id.* 24. 9. Continuare consulatum. *Id.* 38. 33.

Philopœmeni continuatur magistratus. Adde Sall. Jug. 37. Vellej. 2. 91. Continuare præturam alicui. h. e. statim post ædilitatem prætorem facere. Plin. 14. Hist. nat. 22. 28. (145). Biduo duabusque noctibus continuare perpotationem. Id. 20. ibid. 5. 17. (35). Nemo tres siseres edendo continuaret. Petron. Satyr. 89. extr. in carm. Hic graves alius mero Obtruncat, et continuat in mortem ultimam Somnos. Sueton. Ner. 1. Prænomina modo continuantes per ternas personas, modo alternantes per singulas. Cels. 3. 5. Si continuatur febris, neque levior unquam fit. Justin. 2. 2. Profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur. Tac. 13. Ann. 9. Solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuare. Auct. Paneg. ad Constantin. 15. extr. Continuare victorias. — Cum Accus. temporis. Tac. 13. Ann. 5. Diem noctemque sedilibus continuare. h. e. sedendo. Id. 14. ibid. 20. Theatro dies totos continuare. — Poetica sunt illa, in quibus continuare, cum Accus. rei, supplet alia verba. Horat. 2. Sat. 6. 107. cursitat hospes Continuatque dapes. h. e. continue infert mensæ. Ovid. 14. Met. 239. saxa trabesque continuant. h. e. jacere pergunt. Stat. 9. Theb. 290. segnem Nomium, fortemque Mimanta, Thisbæumque Lichan, Anthedoniumque Lycetum Continuat ferro. h. e. unum statim post alium obtruncat. Adde eumd. 2. ibid. 745. Id. 1. ibid. 451. inde orsus in ordine Tydeus Continuat. h. e. verba, seu dicere pergit. — Denique continuata mulier dicitur, quæ bis terve a viro continenter initur. Ovid. 3. Amor. 7. 23. At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho, Ter Libas officio continuata meo. — b) Cum addito Dativo rei, cui alia conjungitur. Liv. 2. 54. Paci externæ confestim continuatur discordia domi. Ovid. 1. Pont. 2. 26. Hiemi continuatur hiems. Tac. Agric. 51. damna damnis. — c) Neutrorum more. Cels. 2. 4. Febres, quæ sic continuent, ut etc. Id. 3. 3. a med. Febres ita, ut cœpere, continuant. — Hinc Part. præter. pass.

Continuatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. Continuatissimus apud Sidon. 8. Ep. 3. ¶ 1. Ratione habita spatii seu loci est contigue positus. Cic. 1. Acad. (post.) 7. 28. Natura cohærens et continuata cum suis partibus. Ovid. 2. Fast. 243. Continuata loco tria sidera. ¶ 2. Ratione habita temporis est non interruptus, continenter factus. Cic. 1. Tusc. 10. 22. Continuata motio et perennis. Cels. 8. 6. n. 14. Continuati fletus. Curt. 7. 11. Fatigatione continuati laboris affectus.

CONTĬNŬUS, a, um, adject. a CONTINEO, quod V. sub A. 1. in fin. — Continuus est idem quod continens (It. continuo; Fr. contigu, continu; Hisp. contiguo, continuo; Germ. mit sich oder mit Anderen zusammenhängend, ununterbrochen, fortlaufend; Angl. continual).

I.) Proprie. ¶ 1. Ratione habita spatii seu loci, continuus est continens, contiguus, qui nihil habet interjectum; et occurrit — a) Absolute. Liv. 30. 5. Ignis proxima quæque et deinceps continua amplexus. Horat. 1. Ep. 16. 5. et Plin. 6. Hist. nat. 30. 35. (189). Continui montes. Ovid. 15. Met. 289. Leucada continuam veteres habuere coloni: Nunc freta circumeunt. h. e. Leucada continenti terræ contiguam, cohærentem. Sueton. Cæs. 38. Continui agri. Plin. 7. Hist. nat. 16. 15. (69). Aliqui, vice dentium, continuo osse gignuntur. Id. 6. ibid. 26. 30. (124). Fluit continuo alveo Euphrates, priusquam distrahitur ad rigua. Tac. Agric. 10. extr. Continuum mare. Plin. Paneg. 51. Omnia continua et paria. — Poetice Stat. 5. Theb. 516. Continuus serpens super fluvios geminæ jacet aggere ripæ. h. e. qui utramque ripam, capite hinc, inde cauda incumbens, continet vel continuat, insidetque. — b) Cum Dativo rei, cui alia cohæret. Seneca 2. Quæst. nat. 6. Aer continuus terræ est. — Continuus alicujus, qui cum eo assidue vivit. Tac. 6. Ann. 26. Cocceius Nerva continuus principis. N. Heinsius per analogiam principi legendum esse putat: V. Ritter ad h. l. ¶ 2. Ratione habita temporis, continuus est qui sine intermissione est, perpetuus, perennis; et occurrit — a) Absolute. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 147. Triduum continuum. Cic. 7. Verr. 36. 94. Tot dies continuos quid egisti? Id. pro leg. Manil. 18. 54. Aliquot annos continuos populus Romanus magna parte imperii caruit. Cæs. 1. B. G. 48. Dies quinque ex eo die continuos. Ovid. 5. Fast. 734. Continua die. h. e. totam diem. Id. 6. ibid. 720. Continua nocte. h. e. totam noctem. Sueton. Tib. 38. Biennio continuo. Cic. 3. Orat. 48. 185. Recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Lepidus apud Cic. 10. Fam. 34. Continuis itineribus ad Forum Voconium veni. Cæs. 7. B. G. 14. Continua incommoda. Liv. 1. 47. regna. Id. 41. 7. duo triumphi. Propert. 1. 20. 1. Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore. Ovid. 2. Pont. 7. 41. continuo Fortunæ vulneror ictu. Id. 1. ibid. 4. 8. Continuus labor. Id. 3. Art. am. 82. continua messe senescit ager. h. e. ager, qui numquam intermittit segetem ferre. Tac. Agric. 27. Continuus cursus præliorum. Plin. 7. Hist. nat. 41. 42. (133). Continua series. Id. 30. ibid. 1. 2. (4). Successiones continuæ. h. e. non interruptæ. Id. 10. ibid. 29. 43. (81). de lusciniæ cantu. Nunc continuo spiritu trahitur in longum. Id. 36. ibid. 26. 66. (193). Continuis fornacibus, ut æs, liquatur. h. e. ut non transferatur ex una in aliam fornacem, sed in eadem continue ardenti coquatur. Id. 24. ibid. 11. 50. (85). Naturam continuis his voluminibus tractamus. h. e. in his omnibus libris de natura, numquam vero alia de re tractamus. Id. 7. ibid. 41. 42. (133). Tres continui principes senatus. h. e. unus post alium sine intermissione. Justin. 16. 1. Post Cassandri et filii ejus continuas mortes. Plin. Paneg. 68. Continui consulatus. — Poetice continuus dicitur, qui aliquid continue facit, a Stat. 9. Theb. 429. de Ismeno fluvio. Aspice quas fluvio cædes, quæ funera portem Continuus, telis altoque adopertus acervo. — b) Cum Dativo rei, cui tempus impenditur. Tac. 4. Ann. 36. Postulandis reis tam continuus annus fuit. — Et de personis. Id. 11. ibid. 5. Continuus inde et sævus accusandis reis Suilius. h. e. constans.

II.) Figurate, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., apud Rhetores tantum occurrit. Cic. Orat. 27. 94. Jam quum fluxerunt plures continuæ translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν. Quintil. 7. 10. 11. Continua expositio. cui ibid. opponitur partita. Id. 11. 3. 84. Continui et decurrentes loci. Id. 12. 10. 46. Si non crebra hæc lumina et continua fuerint.

Homonym. Differunt continuus et contiguus, si stricte accipias, ait Forcellinus: quod continua sunt, quæ communi termino continentur; contigua, quæ terminum habent proprium, sed inter ea nihil est intermedium. Verum hæc Latini scriptores raro servant.

CONTĬO, ōnis, f. 3. Ratione habita etymi, contio est per syncopen pro conventio, ex quo prius factum est coventio, ut legitur in Senatuscons. de Bacchan. VTEI . IN . COVENTIONID . EXDEICATIS.; deinde factum est contio, haud aliter atque a providens factum est prudens. Quod etymon confirmat antiqua ratio scribendi contio, non vero concio; contio enim scriptum est in Inscript. apud Gruter. 506. et 507.: eamdemque scriptionem reperit A. Maius in Cod. palimps. Cic. 1. de republ. 4. et Symmach. orat. 1. 12., omnesque vetustissimi optimique Codices exhibent. Falso igitur plerique a con et cieo, vel cio convoco derivarunt, et concio scripserunt: V. Varron. 6. L. L. 43. Müll., Paul. Diac. p. 38. 4. et p. 113. 10. Müll., et CONVENTIO sub I. 2. — Festus, ait Forcellinus loco non cit., docet antiquos masculino genere posuisse. — Ceterum contio est conventus et cœtus populi ad oratorem audiendum, non tamen quilibet, ut docet Paul. Diac. p. 38. 4. Müll. hisce verbis: Contio conventum significat, non tamen alium, quam eum, qui a magistratu vel a sacerdote publico per præconem convocatur. Contio itaque convocabatur non ut rogatio ferretur (V. ROGATIO), sed ut ad populum verba fieret (V. CONTIONOR); in quo contio a comitiis differebat: hinc Cic. Sext. 50. 106. Etenim tribus locis significari maxime populi Romani judicium ac voluntas potest, contione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu. Cf. et Liv. 39. 16. (It. ragunanza di popolo raccolto a parlamento; Fr. assemblée, réunion; Hisp. asamblea, junta ó congreso; Germ. die auf gesetzlichem Wege im Felde oder daheim versammelte Menge, die berufene Versammlung, d. Volksversammlung; Angl. a meeting or assembly of people).

I.) Proprie. — a) Generatim. Plaut. Men. 3. 1. 3. Quando in contionem mediam me immersi miser. Adde eumd. ibid. v. 6. Cic. Amic. 52. 95. Contio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet. Id. 2. Orat. 50. 342. Quid aliud fuit, in quo contio rideret, nisi etc. Id. Harusp. resp. 5. 8. Etiam sua contio risit hominem. Id. Pis. 15. 34. De mea salute P. Lentuli – ceterorumque principum civitatis celeberrimæ et gratissimæ contiones fuerunt. Id. Flacc. 23. 54. Contio orba optimatum. Id. Opt. gen. Orat. 7. 19. legitima. Id. Sext. 50. 106. vera, non conducta. Adde eumd. ibid. 53. 113. Liv. 45. 37. togata et urbana. Cic. Orat. 63. 213. Clamor contionis. Quintil. 8. 6. 48. Fluctus contionum. — b) Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cic. 5. Verr. 80. 185. et Sext. 12. 28. et alibi sæpe; Sall. Cat. 57. extr.; et Liv. 8. 31. advocare contionem. Sall. Jug. 84. extr. advocare contionem populi. Cæs. 2. B. C. 32. advocare contionem militum. Liv. 42. 33. advocare populum in contionem. Et absolute Id. 4. 1. extr. advocare ad contionem. Messala apud Gell. 13. 15. avocare contionem a magistratibus vel alicui. Cic. 3. leg. Agr. 4. 16. convocare aliquem in contionem alicujus. Sueton. Cæs. 66. convocare milites ad contionem. Cic. 4. Att. 2. 3. dare alicui contionem. dicitur magistratus qui alicui populi conventum seu contionem comparat. Liv. 39. 17. et Curt. 7. 2. dimittere contionem. Liv. 29. 21. habere contionem Locrensium. Id. 8. 33. ire ex curia in contionem. (Sic dividitur contio contra senatum apud Tac. 4. Ann. 40. Dato tempore, vel in senatu, vel in contione non reticebo). Liv. 4. 6. et Curt. 6. 9. procedere in contionem. Cic. post redit. in senat. 6. 13. et Liv. 41. 7. producere aliquem in contionem. dicitur is, qui contionem habet. Cic. 3. leg. Agr. 1. 1. prodire in contionem alicujus. Nepos Themist. 1. prodire in contionem populi. Cic. 3. Off. 11. 49. venire in contionem. Liv. 2. 2. vocare plebem ad contionem. Adde Cic. 4. Acad. (2. pr.) 47. 144. Liv. 21. 45. et Curt. 6. 2. vocare exercitum ad contionem. — c) In contione, pro contione est coram populo convocato. Cic. 7. Fam. 18. extr. Dicere aliquid in contione. Adde eumd. 5. ibid. 2. 4. Id. Opt. gen. Orat. 7. 19. Donare aliquem in contione. Sall. Jug. 8. Donare atque laudare aliquem pro contione. Adde Liv. 7. 7. et 7. 10.; et Quintil. 2. 4. 33. Sic Curt. 10. 16. Recitare litteras pro contione. Liv. 2. 13. prope in contionis modum. — Hinc in contione adverb. quodammodo est, et significat palam. Cic. 15. Att. 15. Quæ quidem erunt φιλόλογα et dignitatis meæ: ut vel in contione dicere auderem. Id. 8. Fam. 7. extr. Epistolam tuam conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non vel in contione recte legi posset. — d) Ascendere (vel escendere) in contionem dicitur qui ascendit in suggestum vel in rostra, ut inde ad contionem verba faciat; et occurrit apud Cic. 4. Att. 2. 3., 2. Fin. 27. 74. et post redit. in senat. 5. 12. et alibi; et apud Liv. 3. 49., 5. 50. extr. et alibi. Unde factum est, ut Verrius Flaccus apud Gell. 18. 7. eumque secuti recentiores quidam Lexicographi haud recte, ut videtur, affirmarent contionis vocabulo significari etiam suggestum. Rectius Forcellinus, qui ait locis nuper citt. contionem accipi pro loco, ubi contio convocata est.

II.) Improprie, h. e. metonymice. ¶ 1. Ponitur pro ipsa oratione, quæ ad contionem habetur. Cic. 2. leg. Agr. 1. 1. Est hoc in more positum –, ut ei, qui – consecuti sunt, eam primam habeant contionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant. Qua in oratione etc. Cæs. 3. B. C. 73. Habere contionem apud milites. Adde Liv. 44. 1. Cæs. 2. B. C. 18. Habere contiones graves in aliquem. Liv. 27. 13. Contionem sævam atque acerbam apud milites habere. Id. 24. 22. Habere contionem liberam et moderatam. Cic. 4. Att. 3. Contiones turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furiosissimæ Publii. Id. 9. Fam. 14. 7. Legi contionem tuam: nihil illa sapientius. Adde Tac. 5. Ann. 4. extr. Rursus Cic. Harusp. resp. 4. 8. Argumentum sententiamque contionis audire. Quintil. 11. 3. 113. Contiones funebres. Tac. 4. Ann. 34. Antonii epistolæ, Bruti contiones. Adde Gell. 18. 7. — Pro oratiunculis, quas historici inserunt historiæ suæ, ut Liv., Curt., Sall. etc., habes exemplum Cic. Orat. 20. 66. In historia interponuntur contiones et hortationes etc. Eodem sensu Plin. 1. Ep. 16. Contionibus idem, qui in orationibus est. ¶ 2. Contiones pro iis, qui contionem faciunt. Petron. Satyr. 14. Contiones, quæ ad clamorem confluxerant. et ibid. 15. Nescio quis ex contionibus, calvus etc. et ibid. paullo post. Ridere acumen non minus contionum, quam etc. Salmas. in his Petronii locis reponi vult cociones: quam recte, viderint alii. Hieronym. Ep. 52. n. 8. Nihil tam facile, quam vilem plebecu-

lam et indoctam contionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.

CONTIŌNĀBUNDUS, a, um, adject. contionem habens, qui contionatur. — a) In bonam partem. *Liv.* 40. 27. Omnes portas contionabundus ipse imperator circumiit etc. Adde *eumd.* 21. 53. — b) Aliquando in malam partem adhibetur de iis, qui sine legitima auctoritate publice in foro, vel per vicos seditiosum aliquid vociferantur. *Liv.* 3. 47. Hæc prope contionabundus circumibat homines. *Id.* 5. 30. Hæc propalam contionabundus, in dies magis augebat iras hominum. *Tac.* 1. *Ann.* 16. *extr.* Promptis jam et aliis seditionis ministris, velut contionabundus interrogabat etc.

CONTIŌNĀLIS, e, adject. ad contionem pertinens. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 5. 1. Vehementer actum est, clamore senatus prope contionali. *Id.* 1. *Att.* 16. 11. Contionalis hirudo ærarii, misera ac jejuna plebecula. *Liv.* 3. 72. Contionalis senex. *h. e.* assuetus contionibus, peritus contionum. *Quintil.* 9. 4. 1. Genus dicendi contionale. *h. e.* deliberativum. *Id.* 3. 4. 1. Contionalis oratio. *Id.* 3. 8. 14. Contionale officium.

CONTIŌNĀRIUS, a, um, adject. ad contionem pertinens. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 4. Contionario illo populo a se prope alienato. *h. e.* qui solebat congregari ad contionem. *Al. minus recte leg.* contionatorio, *al.* contionali. *Gell.* 1. 11. *in lemmate.* Contionaria fistula Gracchi. V. *Gronov.* ad h. l. *Id.* 11. 10. Tibia quoque illa contionaria in mentem venit, quam C. Graccho cum populo agenti præisse ac præmonstrasse modulos ferunt. *V.* de hac tibia *Cic.* 3. *Orat.* 60. 225. Ceterum etiam apud *Gell.* plerique leg. *contionatoria*, sed minus recte. *Ammian.* 7. 26. Oratio contionaria.

CONTIŌNĀTOR, ōris, m. 3. qui contionem habet: sed speciatim tantum occurrit de iis, qui contionabundi multitudinem concitant et seditionem movent. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 9. Quid intersit inter levitatem concionatorum, et animum vere popularem.

CONTIONATORIUS, a, um, adject. ad contionem pertinens. Est falsa lectio, quam nonnulli receperunt apud *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 4., et plerique apud *Gell.* 11. 10. *V.* CONTIONARIUS.

CONTIŌNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (contio). Part. *Contionans* I. a. — Contionor est contionem habeo, ad populum verba facio, non tamen ut aliquid jubeatur vel decernatur. Raro admodum dicitur de populo sive de iis, ex quibus constat contio ut apud *Liv.* 39. 16. Nunc illi vos singuli universos contionantes timent: jam ubi vos dilapsi domos eritis etc. — Ceterum sæpius dicitur de uno tantum, qui ad contionem verba facit.

I.) Proprie occurrit — a) Absolute. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. 4. Quum Lepidus contionaretur atque omnibus scriberet se consentire cum Antonio, etc. Adde *Liv.* 1. 28.; *Val. Max.* 1. 6. 2.; et *Tac.* 11. *Ann.* 7. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). Iaspidem contionantibus utilem esse prodiderunt. *Sueton. Rhet.* 6. More contionantis. Adde *eumd. Cæs.* 33. et 35. — b) Cum additis. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. et *Sueton. Aug.* 27. Contionari apud milites. *Sueton. Aug.* 84. ad populum. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Legio decima, quacum erat contionatus. *Plerique tamen aliter legunt.* *Liv.* 9. 18. Contionari adversus aliquem. *Cic. Harusp. resp.* 5. 8. de aliqua re. *Id.* 12. *Fam.* 22. de aliquo. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 59. ex turri alta. *Tac.* 1. *Ann.* 61. pro tribunali. — Cum Accus. et Infinito. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 6. C. Cato contionatus est se comitia haberi non siturum, si etc. Cf. *Lactant.* mox citand.

II.) Metonymice contionari ponitur pro publice dicere, prodere. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Magna eloquentia est utendum atque ita velut superiore e loco contionandum, ut etc. Cf. *eumd. Sext.* 55. 118. *Lactant.* 4. 18. *post med.* Idem hoc futurum, etiam Sibylla contionata est.

CONTĪRO, ōnis, m. 3. simul tiro, ut *commilito*, simul miles. *Inscript.* apud *Murat.* 805. 4., quæ est apud *Orell.* 3559. D. M. CLAVDIO CARO MIL. COH. VIII. PR. — HEREDES ET CONTIRONES BENEMERENT. FECERVNT. Alia apud *Kellerm. Fig. laterc.* 60. *not.* 172., quæ est apud *Henzen.* 6845. M. AVR. TVLLIO VICTORI MIL. COH. VIII. PR .... CONTIRONES FECERVNT BENE MERENTI.

CONTIUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a contio, parva contio; sed fere per contemptum adhibetur. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 45. Multi erant præterea præclari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una pæne repelli voce oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia, ac tantum in judicia et contiunculas, tamquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. *Id.* 2. *Att.* 16. 1. Quæ mihi videtur una contiuncula clamore pedissequorum nostrorum esse peritura.

CONTŎGĀTUS, a, um, adject. *Ammian.* 29. 2. 1. Festus quidam in nexum germanitatis a Maximino dilectus, ut sodalis et contogatus. *h. e.* togatus, seu advocatus in eodem foro, ut *Vales.* exponit.

CONTOLLO, is, ere, a. 3. semel legitur apud *Plaut. Aulul.* a. 5. v. 6. Contollam gradum. *h. e.* conferam. *Non.* p. 81. 33. *Merc.* exponit, *contra tollam*: sed idem est cum *conferam*.

CONTŎNAT, nābat, nŭit, nare, n. impers. 1. idem quod tonat, aut valde tonat. *Plaut. Amph.* 5. 1. 42. Ibi continuo contonat sonitu maximo.

CONTOR, āris, ari, dep. 1. est conto explorare: et translate inquirere in genere. *Cic.* 11. *Att.* 10. Cumque ex eo de me contaretur. *Alii leg.* percontaretur. *Grævius* priorem lectionem retinet. *Non.* p. 252. 17. et seq. *Merc.* docet, *contari* significare etiam dubitare, et manere, et differre, allatis exemplis *Ciceronis*, et *Virg.*, in quibus vulgo legitur *cunctari*. (*Mercerus* tamen legit *cunctari*). Ex quo colligimus, etiam *contor* pro *cunctor* dictum fuisse: quod et *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 1. 2. 2. de *percontor* loquens, testatur. *V.* CUNCTOR sub init.

CONTORPEO, es, ere, n. 2. idem ac torpeo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 94.

CONTORQUEO, torques, torsi, tortum, torquere, a. 2. (cum et torqueo). *Contorsum* pro *contortum*, quamvis nulla firmet auctoritate, affert *Priscian.* hisce verbis p. 871. *Putsch.* Supina, secundum paullo ante expositam regulam, in sum proferuntur: *Torsum*, *Distorsum*, *Contorsum*, *Extorsum*. Inveniuntur tamen in tum, et frequentius. — Part. *Contorquens* I.; *Contortus* in omnibus paragr. et in fin.; *Contorquendus* II. — Contorqueo est idem quod torqueo, magna vi flecto, circumago. *Ernest.* in *Indice Cicer.* hæc habet de hujus verbi significatione: *Contorquere* dicitur proprie de eo motu hastæ, aut cujuscumque jaculi, quo ei majorem vim atque impetum addimus, quod fit vel manu, aut machina aliqua, quæ ideo *tormentum* appellatur. Hinc est, quod, quidquid celerius movetur et fertur, aut vehementius ob brevitatem et celeritatem pronunciationis ferit, cujusmodi sunt acutiores brevioresque conclusiones, quibus pæne resisti, quamvis falsis, non potest, id omne *contorqueri*, *contortum* dicimus (It. *torcere*, *piegare*, *girare*; Fr. *tourner*, *faire tourner*, *tordre*; Hisp. *girar*, *hacer girar*, *torcer*; Germ. *herumdrehen*, *wenden*, *schwingen*, *wickeln*; Angl. *to twist violently round*, *turn or whirl about*).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Lucret.* 4. 898. Tantula quod tantum corpus corpuscula possint Contorquere et onus totum convertere nostrum. *Id. ibid.* v. 902 Atque gubernaclum contorquet quolibet unum. *Virg.* 4. *Æn.* 582. Contorsit læras proram Palinurus ad undas. Cf. *Val. Flacc.* 1. 435. Celsaque semiferum contorquens frena luporum. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 120. Animal omne membra, quocumque vult, flectit, contorquet. *Id. Arat.* 2. *Nat. D.* 44. 112. Brumali flectens contorquet tempore currum. *Id. ibid.* 21. 54. Non est ætheris ea natura, ut vi sua stellas complexa contorqueat. *Id.* 1. *Divinat.* 19. 38. Quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos et deflexos videmus. *Seneca Hippol.* 707. Impudicum crine contorto caput Læva reflexi. *Quintil.* 8. 2. 7. Vertex est contorta in se aqua. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Cornua rusarum ambitu contorta sunt strepsicerotis. *Id.* 13. *ibid.* 9. 17. (61). et 16. *ibid.* 39. 76. (197). Contorta arbor. *h. e.* quæ lignum habet intus spiris convolutis et in se recurrentibus, quæ tamen nodi non sunt: quæ inter vitia materiei ponuntur. Cf. *Cic.* 4. *Herenn.* 55. 69. Contorta toga celerius ire cœpit. *h. e.* circa brachium revoluta. — b) Speciatim de aquis dicitur, quæ magna vi atque impetu volvunt, convolvunt, misceat. *Virg.* 1. *G.* 481. Proluit insano contorquens vortice silvas Fluviorum rex Eridanus. *Lucan.* 4. 102. subitisque frementes Vorticibus contorsit aquas. *Sil. It.* 3. 50. Nereus imo freta contorquet Neptunia fundo. — c) Item speciatim de telis pro jaculari, cum impetu projicere: quia cum jacimus aliquid vel brachium, vel arcus torquetur. *Virg.* 2. *Æn.* 51. hastam In latus inque feri curvam compagibus alvum Contorsit. *Id.* 9. *ibid.* 705. Sed magnum stridens contorta falarica venit, Fulminis acta modo. *Id.* 11. *ibid.* 561. adducto contortum hastile lacerto Immittit. *Id.* 7. *ibid.* 165. lenta lacertis Spicula contorquent. *Ovid.* 8. *Met.* 345. Contorquere cuspidem lacerto. *Id.* 5. *ibid.* 32. hastam viribus. *Quintil.* 9. 4. 8. hastam speciosissime. *Curt.* 8. 14. *extr.* telum. *Flor.* 3. 4. Contorta tela in aquas mittere.

II.) Translate occurrit fere apud Rhetores. *Cic.* 2. *Orat.* 17. 72. Auditor, tamquam machinatione aliqua, tum ad tristitiam, tum ad lætitiam est contorquendus. *Id.* 3. *Tusc.* 26. 63. At quam rhetorice! quam copiose! quas sententias colligit! quæ verba contorquet! *h. e.* profundit, jacit. *Plin.* 5. *Ep.* 20. Tam longas tamque rigidas periodos uno spiritu, quasi torrente, contorquent. — Et absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 51. 106. Deinde contorquent, et ita concludunt: Non igitur etc. *h. e.* ita vibrant conclusionem, vel rectius, ut placet *Turnebo* l. 5. *Adversar.* c. 19., connexum, quod recta ferri debebat, torquent per particulas obliquas. — Hinc Part. præter. pass.

Contortus, a, um, adjective quoque usurpatur, et quidem translate apud Rhetores. ¶ 1. Contortus est vehemens, incitatus et quasi vibratus. *Cic. Orat.* 20. 66. In historia interponuntur contiones et hortationes: sed in his tracta quædam et fluens expetitur, non hæc contorta et acris oratio. Ad rem cf. *Id. ibid.* 70. 234. Demosthenis non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. *Quintil.* 9. 4. 116. Contortis excitantur. ubi *Quintil.* opponit in oratione *plena* et *parum expleta*, *fragosa* et *lenia*, *contorta* et *stabilita*, *clauda* et *redundantia*. *Id.* 10. 7. 14. Contorta vis orationis. V. *Spalding* ad h. l. ¶ 2. Contortus in oratione est etiam involutus, implicatus, perplexus. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 250. Si de tabulis et præscriptionibus controversia est, contortas res et sæpe difficiles necessario perdiscimus. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 24. 75. Quorum sunt contorta et aculeata quædam σοφίσματα.

CONTORRĔO, torres, torrŭi, torrere, a. 2. (cum et torreo) idem quod torreo. *Ammian.* 18. 7. Ignis pubentes herbas contorruit. Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 149. Contorret.

CONTORSĬO. *V.* CONTORTIO.

CONTORSUS. *V.* CONTORQUEO sub init.

CONTORTĒ, adverb. Comp. *Contortius* 1. — Contorte est oblique: sed occurrit translate tantum et est ¶ 1. Vehementer, concitate. *Cic.* 3. *Tusc.* 10. 22. Hæc sic dicuntur a Stoicis, concluduntur que contortius: sed latius aliquanto dicenda sunt et diffusius. *h. e.* concisa et vibrata oratione. *V.* CONTORQUEO sub II. et *Contortus* in fin. sub 1. ¶ 2. Item perplexe, obscure. *Cic.* 1. *Invent.* 20. 29. Ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur. Adde *eumd.* 1. *Herenn.* 9. 15.; et V. *Contortus* 2.

CONTORTĬO, ōnis, f. 3. Scribitur et *contorsio*: *V.* infra sub II. — *Contortio* a *contortus* est actus contorquendi, flexio.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 26. Ex remotione brachii et contortione dextræ gladius ad corpus afferri videtur.

II.) Translate. *Cic. Fat.* 9. 17. Majus est has contortiones orationis, quam signorum ortus obitusque perdiscere. Est qui legit *contorsiones*, a præterito *contorsi*: quæ lectionis varietas est etiam apud *Augustin.* 1. *Retract.* 5. Liber ratiocinationum, contortione atque brevitate obscurus.

CONTORTĬPLĬCĀTUS, a, um. *V.* CONTORTUPLICATUS.

CONTORTOR, ōris, m. 3. qui contorquet et implicat. *Ter. Phorm.* 2. 3. 27. Bonorum extortor, legum contortor. *h. e.* qui leges iniqua interpretatione traducit et perperam detorquet. — *Priscian.* 9. p. 871. *Putsch.* legit: Bonorum contortor, legum distortor. Sed *bonorum contortor* contortam habet implicatamque interpretationem.

CONTORTŬLUS, a, um, *deminut.* a contortus. *Cic.* 2. *Tusc.* 18. 42. Stoici contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis, nec ad sensus permanantibus, effici volunt, non esse malum dolorem.

CONTORTŬPLĬCĀTUS, a, um, adject. Alii minus recte scribunt *contortiplicatus*; et est contorte plicatus, involutus. *Plaut. Pers.* 4. 6. 26. Ita sunt Persarum mores, longa nomina contortuplicata habemus. *h. e.* ex multis vocibus composita, adeoque in-

voluta, ut efferri vix possint, qualia sunt, quæ ibidem *Plaut.* refert.

CONTORTUS, a, um. *V.* CONTORQUEO.

CONTRA est *A)* Adverbium, et *B)* Præpositio quartum casum regens, ut docet *Priscian.* 14. p. 976. *Putsch.*, quocum cf. *Charis.* p. 207. *ibid.* — Jam vero ratione habita quantitatis, ultima syllaba longa est. *Virg.* 6. *Æn.* 398. Quæ contra breviter fata est Amphrysia vates. Adde *Lucret.* 1. 82., *Tibull.* 1. 7. 30.; *Propert.* 1. 11. 25., *Ovid.* 2. *Met.* 757. etc. Interdum tamen corripitur. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 12. *Müll.* Quis pater, aut cognatu' volet nos contra tueri? *Manil.* 2. 253. Contra jacens Cancer patulam distentus in alvum. Adde *Auson.* in *præfatiuncula* 1. *v.* 15. — Ratione habita etymi, contra (æque ac *contro*, quod in compositionibus tantum occurrit) est Ablativus ab inusitato *conterus*, eadem prorsus ratione, qua *extra*, *infra*, *intra*, *supra* sunt Ablativi casus ab *exterus*, *inferus* etc., et, si placet, eo etiam modo, quo *dextra* et *sinistra*. — Ceterum

A) Contra est Adverbium, et significat e regione (It. *dirimpetto, a dirimpetto*; Fr. *du côté opposé, en face, vis-a-vis*; Hisp. *enfrente, frente por frente*; Germ. *gegenüber, auf oder von der entgegengesetzten Seite*; Angl. *against, in opposition, on the contrary, on the opposite side*).

I.) Proprie occurrit de spatio seu loco, et jungitur verbis tum quietem, tum motum significantibus. — *a)* Generatim. *Cato R. R.* 18. Torcularium si ædificare voles –, uti contra ora sient, ad hunc modum vasa componito. Adde *Ennium* apud *Varron. loc. cit.* sub init. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 45. Ubi contra aspexit me, oculis mihi signum dedit. Adde *eumd. Cas.* 5. 3. 2., *Pers.* 2. 2. 26. et *Most.* 5. 1. 56. Cf. *Liv.* 1. 16. Contra intueri aliquem. Adde *eumd.* 9. 6. Rursus *Plaut. Pers.* 1. 1. 14. TOX. Congrediar. SAG. Contra aggrediar. Adde *eumd. Capt.* 3. 5. 6., *Merc.* 5. 2. 41. et *Rud.* 1. 4. 22. *Liv.* 5. 37. Jam omnia contra circaque hostium plena erant. *Virg.* 6. *Æn.* 24. Contra elata mari respondet Gnosia tellus. *Ovid.* 14. *Met.* 661. Ulmus erat contra. *Id.* 4. *ibid.* 80. partique (*parietis*) dedere Oscula quisque suæ non pervenientia contra. *Id.* 7. *ibid.* 587. Templa vides contra. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (161). Illo (*vulgo*) quærente, cur non decidant contra siti. *h. e.* antipodes. *Quintil.* 10. 3. 32. Relinquendæ autem in utrolibet genere (*scribendi*) contra erunt vacuæ tabellæ. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 14. Fit vox quatuor dentibus e contra positis. *de hac forma* e contra V. *infra* sub *A.* II. 2. *h. Id. de prisco serm.* in *Nefrendes.* Cicatrices habuisse e contra XLV. *h. e.* adversas. — *b)* Speciatim de iis occurrit, qui hostili animo aliis e regione opponuntur, et est adversus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 62. Amphitruo e castris illico producit omnem exercitum: contra Teleboæ ex oppido legiones educunt suas etc. Adde *eumd. ibid. v.* 67. et 72. et 81., et *Mil. glor.* 1. 1. 3. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Qua pulsa (*legione*) – futurum, ut reliquæ contra consistere non auderent. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 28. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 23. Quid, quod exercitum contra duxit? *Lucret.* 6. 98. contra pugnantibu' ventis. Adde *eumd.* 2. 280. *Sall. Jug.* 50. Neque contra feriundi aut manum consereundi copia erat. *Catull.* 62. 6. Cernitis, innuptæ juvenes consurgite contra. *Virg.* 5. *Æn.* 21. nec nos obniti contra – sufficimus. *Propert.* 3. 11. 13. Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis. Cf. *Juvenal.* 3. 290. Stat contra starique jubet.

II.) Translate. ¶ 1. *Contra* ponitur de cœptis et actibus, quæ ab altera parte fiunt; et est vicissim, ex alia parte. — *a)* Generatim. *Plaut. Amph.* 2. 2. 23. Quæ (*uxor*) me amat, quam contra amo. Adde *eumd. Cist.* 1. 1. 97; *Ter. Adelph.* 1. 1. 25. et *Hecyr.* 4. 2. 7.; et *Catull.* 76. 23. *Plaut. Trin.* 4. 2. 55. Mihi quoque edepol, quum hic nugatur, contra nugari lubet. Adde *eumd. Amph.* 2. 2. 62.; *Ter. Eun.* 3. 1. 53. et 4. 1. 10., *Hecyr.* 1. 1. 13., *Adelph.* 5. 4. 23. et *Phorm.* 4. 4. 18. *Cic.* 2. *Phil.* 15. 38. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem, videbat. — *b)* Speciatim dicitur de oppositione, quæ fit controversiâ, lite, certamine, vel resistendo etc. *Plaut. Amph.* 1. 1. 183. Verum certumst confidenter hominem contra colloqui. *Id. Epid.* 4. 1. 20. Orationis aciem contra conferam. *Lucilius* apud *Non.* p. 259. 27. *Merc.* Quapropter est certum facere contra ac persequi et nomen deferre hominis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 91. Nihil enim supererat, de quo certarent, nihil quod contra peterent, nihil ubi dissiderent. *Id.* 1. *Orat.* 19. 85. Disputabant contra diserti homines, Athenienses. *V.* et mox verbum *disputare.* — Præcipue jungitur de more sequentibus Verbis. *Cic.* 1. *Off.* 12. 37. arma contra ferre. *Id.* 1. *Att.* 17. 9. et 5. *ibid.* 21. 12., *Cluent.* 48. 134., *Rabir. Post.* 4. 10., 3. *Fin.* 1. 2., 1. *Tusc.* 4. 8. et 3. *ibid.* 29. 71. contra dicere. *Quintil.* 2. 15. 26. contra disputare. *V.* paullo sup. *Cic. loc. Quintil.* 7. 1. 49., 7. 3. 14., 9. 4. 72. et alibi. contra est aliquid. *Virg.* 9. *Æn.* 95. contra ire. *Tac.* 14. *Ann.* 45. contra ire sententiæ alicujus. *Cic.* 3. *Off.* 19. 77. contra judicare. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. contra liceri. *Nepos Epam.* 6. contra postulare. *Cic.* 4. *Verr.* 43. 107. contra pugnare. *Id.* 10. *Att.* 8. 2. contra putare. Adde *Plin.* 1. *Ep.* 20. *Quintil.* 9. 2. 35. contra recitari aliquid. *Curt.* 4. 1. 10. et 7. 9. 1. contra respondere. *Dig.* 9. 2. 21. contra scribere. *Liv.* 3. 15. contra tendere. *Cic.* 4. *Verr.* 43. 107. contra venire. *Liv.* 4. 53. contra vociferari. Cf. et allata sub *A.* I. *b.* ¶ 2. Speciatim usurpatur de relationibus inter se oppositis, pro adversus, e contrario; et sæpe *contra* conjunctionis vice fungitur: occurrit autem — *a)* Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 81. 330. Ad summam totius causæ pertinet, caute an contra demonstrata res sit. *Id.* 12. *Fam.* 18. 2. Utrumque contra accidit. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 3. 27. *Cic. Cluent.* 31. 84. Sapientissimum esse dicunt eum, cui *etc.*; proxime accedere illum, qui *etc.* In stultitia contra est. *h. e.* in stultitia contrarium omnino accidit. Adde *Senec. Ep.* 7. *Cic.* 3. *Fin.* 15. 50. Ut essent eorum alia æstimabilia, alia contra, alia neutrum. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 103. et 2. *Off.* 2. 7. *Id.* 1. *Off.* 15. 49. Quod contra fit a plerisque. *Cæs.* 5. *B. G.* 31. Facilem esse rem – si modo unum omnes sentiant, ac probent; contra in dissensione nullam se salutem perspicere. *Sall. Jug.* 88. Cognoscere quid boni utrisque, aut contra esset. *Liv.* 6. 15. Cui ego rei tantum abest, ut impedimento sim, ut contra – te horter etc. Adde *eumd.* 6. 31. *Cic.* 2. *Legg.* 1. 2. Mirabar te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror te – usquam potius esse. Cf. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (192). Mirum apud antiquos primo Punico bello classem Duellii imperatoris ab arbore LX. die navigavisse; contra vero Hieronem regem CXX. naves effectas diebus XLV. tradit L. Piso. *Cic.* 5. *Fam.* 5. 2. Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es testis. Contra etiam esse aliquid abs te profectum etc. *Propert.* 1. 11. 25. Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Ergo ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 45. 189. et *Quintil.* 9. 3. 39. — Interdum inservit transitionibus. *Cic.* 2. *Fin.* 12. 41. Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus etc. *Varro* 1. *R. R.* 8. 1. Contra vineam sunt qui putant sumptu fructum devorare. Adde *Sueton. Cæs.* 73., *Vitell.* 2. et *Vesp.* 16. — *b)* Habet post se eleganter particulas *quam*, vel *ac*, *atque*, ut apud *Cic. Dom.* 46. 122. Aut quid de vestro jure et religione, contra quam proposueram, disputabo? *Id. Pis.* 8. 18. Ut senatus, contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 20. 86., *Cluent.* 5. 12.; 1. *ad Q. fr.* 1. 1. et 2. *Legg.* 5. 11.; *Liv.* 30. 10. et 19.; *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 71. (149). et 11. *ibid.* 21. 24. (72).; *Sil. It.* 15. 107. et *Gell.* 6. 8. *Cic.* 11. *Phil.* 13. 34. Contra, ac Dejotarus sensit, victoria belli judicavit. *Id. Sull.* 24. 69. Faciam contra, atque in ceteris causis fieri solet. *Id. Balb.* 3. 7. Si denique aliquid non contra, ac liceret, factum videretur, sed contra, atque oporteret. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 6. 11., 3. *Cat.* 8. 20., *Orat.* 40. 137., 2. *Divinat.* 24. 53. et alibi; *Cæs.* 4. *B. G.* 13. et 3. *B. C.* 12.; *Varron.* 1. *R. R.* 7. 6.; *Sall. Cat.* 60.; et *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 43. (95). — *c)* *Quod contra* sequentia cum præcedentibus conjungit. *Cic. Amic.* 24. 90. Peccasse enim se non anguntur, objurgari moleste ferunt; quod contra oportebat delicto dolere, correctione gaudere. Adde *eumd. Senect.* 23. 84. et *Quinct.* 28. 87.; et *Lucret.* 1. 82. — *d)* *Item contra* est simili modo vel similiter e contrario. *Plaut. Pers.* 5. 2. 32. Viden' ut tuis dictis pareo? Sed quin tu meis contra item dictis servis? Adde *eumd. Aulul. prol.* 20. et *Cas. prol.* 49.; *Ter. Adelph.* 1. 1. 25.; et *Cic.* 2. *Fin.* 27. 86. — *e)* *Et contra, contraque* pro et e contrario. *Cic. Balb.* 22. 51. Atque utinam, qui ubique sunt propugnatores hujus imperii, possent in hanc civitatem venire; et contra, oppugnatores reipublicæ de civitate exterminari! *Id.* 2. *Fin.* 17. 55. Num igitur eum censes anxio animo fuisse? nihil minus: contraque ob eam rem lætus. Adde *eumd. Marcell.* 6. 20.; *Sueton. Cal.* 81. et *Tit.* 7.; et *Quintil.* 4. 1. 72. — *f)* *Vel contra* etiam occurrit. *Quintil.* 1. 5. 45. In quibus patrium pro possessivo dicitur, vel contra. Adde *Sueton. Galb.* 3. — *g)* *At contra* apud *Cic.* 4. *Fam.* 4. 2. Nos qui domi sumus, tibi beati videmur: at contra tu præ nobis beatus etc. Adde *Sall. Jug.* 4. et 15.; *Ovid.* 2. *Art. am.* 604.; *Sueton. Galb.* 15.; et *Tac.* 5. *Ann.* 28. — Similiter *sed contra* apud *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 35. Zeno igitur nullo modo is erat, qui – nervos virtutis inciderit: sed contra, qui omnia – in una virtute poneret. Adde *eumd. Flacc.* 11. 26., 9. *Att.* 15. 3. et 3. *Orat.* 24. 93. — *h)* Qui pro *contra* usurpant *e contra*, vel conjunctim *econtra*, patronos habent sequioris tantum ævi scriptores. *Aurel. Vict. Cæsar.* 39. *ad fin.* E contra suppliciis flagitiosi cujusque virtutum studia augebantur. *Hieronym. Ep.* 128. *n.* 2. Aliis vero e contra videtur. Adde *Fulgent.*, cujus verba superius retulimus sub I. *a.*; *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 772., et *Priscian.* 1. p. 562. *Putsch.* Habet *Tac.* quoque 12. *Ann.* 47. Et erant e contra, qui tantam fortunæ etc. Verum de hujus loci vera lectione maxime lites sunt apud Criticos *Borrich.*, *Cellar.*, *Gronov.*, *Pichen.*, et alios. ¶ 3. *Auro contra* valet idem, quod pretio, aut valore auri: ducta locutione a lance, in qua appenditur aliquid: nam quod præponderat, id quodammodo contra est. Hinc *contrarium æs* est æs grave, teste *Paul. Diac.* p. 64. 12. *Müll.* Itali dicimus *a peso d'oro.* *Plaut. Epid.* 3. 3. 30. Ne tu habes servum graphicum, et quantivis pretii! non carus est auro contra. Sic *Id. Pseud.* 2. 3. 23. Aurichalco contra. Adde *eumd. Curc.* 1. 3. 45. et 46., *Mil. glor.* 3. 1. 63. et alibi (scil. *Mil. glor.* 4. 2. 84. et *Truc.* 5. 6. 58). Eodem sensu dicitur *contra aurum* apud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 10. Ubi poma veneunt contra aurum. Ita *Scalig.* et *Schneiderus* legunt, ut et apud *eumd.* 3. *ibid.* 2. 4. Quæ illic omnia contra aurum. Habetur etiam in *fragm. Tragur. Petron.* 76. *Burmann.* (Similiter apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Merces contra munera). — Hucusque *Forcellinus.* Hinc adverbium *contra* definiendo etiam pretio inservit, et jungitur Dativo ejus rei, quæ alterius pretio respondet, sive quæ pretio suo alterius pretium æquat: cf. *Ter. Eun.* 2. 3. 63. Si scias quod donum huic dono contra comparet. — Ceterum alias adverbium *contra* hoc sensu *auro* tantum vel *aurichalco* junctum occurrit, ut in allatis *Plauti* locis, qui duo hæc exhibet *Curc.* 1. 3. 45. PH. Auro contra cedo modestum amatorem: a me aurum accipe. PA. Cedo mihi contra aurichalco, cui ego sano serviam.

B) Contra est etiam Præpositio quartum casum regens, quæ suo casui fere semper præponitur; interdum tamen postponitur, præcipue apud prosæ scriptores post relativum. *Cic. Orat.* 10. 34. Ut eos ipsos, quos contra statuas: placabiles dimittas. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 15. 47. Quos contra disputant. *Tac.* 3. *Ann.* 1. Corcyra littora Calabriæ contra sita. Adde *Cic.* 10. *Att.* 8. 8., *Mur.* 4. 9. et 2. *Phil.* 8. 18.; *Virg.* 5. *Æn.* 370. et 414. et 10. *ibid.* 567.; et *Stat.* 9. *Theb.* 16. — Ceterum *contra* significat adversus, adversum (It. *contra, contro, di contro verso un punto*; Fr. *en face de, contre, vis-à-vis de*; Hisp. *contra*; Germ. *gegenüber in der Richtung nach einem Punkte, gegen*; Angl. *against, contrary to, in opposition to*).

I.) Proprie usurpatur de spatio seu loco; et quidem ¶ 1. Stricto sensu refertur ad situs locorum et de iis dicitur, quæ ratione habita alterius loci e regione posita sunt, et significat ex adverso, e regione: quam esse propriam hujus vocis significationem, *Priscian.* 14. p. 976. *Putsch.* docet. *Cæs.* 3. *B. C.* 23. Quæ (*insula*) contra Brundusinum portum est. *Id.* 3. *B. G.* 9. *extr.* Quæ (*Britannia*) contra eas regiones posita est. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 20. et 5. *ibid.* 13. *Liv.* 3. 26. Trans Tiberim, contra eum locum, ubi nunc navalia sunt. Adde *eumd.* 24. 41., 37. 15. et 38. 4.; *Varron.* 3. *R. R.* 5. 5.; *Virg.* 9. *Æn.* 692.; *Melam* 3. 9. 9. et alibi; *Plin.* 6. *Hist. nat.* 12. 13. (32).; et *Tac.* 3. *Ann.* 1. *Cels.* 4. 5. A scapulis id, quod contra stomachum est. Adde *eumd.* 7. 7. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de iis, quæ aliquam mundi plagam exadverso spectant, vel alteri rei, quæ movetur, adverso cursu feruntur; aut de similibus. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Contra septentriones. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (83). Contra meridiem. *Colum.* 7. *R. R.* 3.

8. Ponere aliquid contra medium diem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33, 76. (327). Umbra fit contra medium hominem. *h. e.* recta contra hominem. *Id.* 5. *ibid.* 9. 10. (56). Contra perpendiculum fontis stat sidus. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Contra vim atque impetum fluminis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 12. (53). Contra aquas fluitare. *Id.* 19. *ibid.* 35. 88. (364). Boves se lambentes contra pilum. *Id.* 27. *ibid.* 4. 5. (17). Contra pilum. *Varro* apud *eumd.* 7. *ibid.* 20. 19. (83). Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. *h. e.* scalas ascendendo. Sic *Sil. It.* 14. 352. Contra ardua trahere aliquid. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 12. Contra ventum gregem pascere. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (350). et *Pallad.* 7. *R. R.* 4. 4. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (95). Contra solis radios scintillare. *Id. ibid.* 10. 63. (173). Lapis contra solem varie refulgens.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de actibus et cœptis, quæ adversus personam aut rem aliquam fiunt; in quibus tamen locorum relatio adhuc patet. — *a)* Generatim. *Plaut. Pers.* 1. 1. 13. Quis illic est, qui contra me adstat? *Id. Pseud.* 1. 2. 23. Adsistite omnes contra me et quæ loquor advortite animum. *Id. Most.* 5. 1. 55. Aspice dum contra me. *Auct. B. Alex.* 24. Flens orare contra Cæsarem cœpit, ne se dimitteret. *h. e.* coram. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (23). Ipsius animalis (*elephanti*) tanta narratur clementia contra minus validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudenter. *h. e.* erga minus validos, ut ait *Forcellinus*, quemadmodum et *adversus* pro *erga* ponitur; seu potius coram minus validis. *Sueton. Cal.* 18. Qua epulatione equiti Romano contra se hilarius avidiusque vescenti partes suas misit. Cf. *eumd. ibid.* 25. Contra accumbens. — *b)* Speciatim usurpatur de iis, qui adversus aliquem hostili animo agunt, vel quomodocumque resistunt, et — Jungitur plurimis Verbis, quorum hæc sunt præcipua. *Plin.* 1. *Ep.* 23. adesse alicui contra aliquem. *Nepos Att.* 4. arma ferre contra aliquem. *Cic.* 10. *Att.* 8. 8. armare aliquem contra aliquem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (74). attollere se contra pondus. *Auct. B. Alex.* 24. bellum gerere contra aliquem. *Cæs.* 2. *B. G.* 1. conjurare contra populum Romanum. *Auct. B. Afr.* 45. consistere contra aliquem. *Cæs.* 2. *B. G.* 13. contendere armis contra populum Romanum. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 370. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 177. defendere aliquem contra aliquem. *Id. Quinct.* 13. 44. dicere contra caput alicujus. *h. e.* accusare in re capitali. *Id. ibid.* 2. 8. et 2. *Orat.* 65. 261. dicere contra aliquem. *Id.* 3. *Nat. D.* 40. 94. dicere contra aliquid. *Id.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 60. dicere contra omnia et pro omnibus. *Id.* 2. *Nat. D.* 67. 168. disputandi contra deos impia consuetudo. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 47. *Cic.* 3. *Orat.* 20. 78. esse contra aliquem; *ejus* verba sunt: Hoc non modo pro me, sed contra me est potius. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 81. 330., *Quinct.* 24. 76. et *Cluent.* 36. 102.; *Senec.* 6. *Benef.* 31. et *Quintil.* 4. 2. 75. *Cælius* apud *Cic.* 10. *Fam.* 9. A. § 2. facere contra victorem Cæsarem. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 70. et *Vatin.* 7. 18. facere contra legem. *Id. Quinct.* 1. 1. facere aliquid contra aliquem. *Liv.* 9. 18. favere gloriæ alicujus contra nomen Romanum. *Sall. Jug.* 31. ire armatum contra injurias alicujus. Cf. *Stat.* 9. *Theb.* 10. *Sall. Jug.* 83. mittere nuncios contra postulata alicujus. *Nepos Eumen.* 3. proficisci contra aliquem. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. pugnare contra aliquem. *Liv.* 3. 13. resistere vi contra vim. *Sall. Cat.* 26. sentire contra rempublicam. *Virg.* 5. *Æn.* 414. stare contra aliquem. *Cic. Orat.* 10. 34. statuere contra aliquem. *Id. Rosc. com.* 6. 18., *Mur.* 4. 9., 4. *Phil.* 2. 3. et 8. *ibid.* 6. 18. venire contra aliquem. *Id.* 2. *Phil.* 2. 3. venire contra rem alicujus. — Jungitur etiam Substantivis, Adjectivis, et Verbis quoque præsidium vel tutelam contra rem aliquam significantibus. *Cic. Orat.* 31. 111. Oratio contra Leptinem. *Id.* apud *Verrium Flacc.* apud *Gell.* 18. 7. Contio contra aliquem. *Id.* 5. *Tusc.* 7. 19. Armatum esse contra fortunam. *Id. Senect.* 15. 51. Muniri contra avium morsus vallo aristarum. *Tac. Agric.* 45. Munire se contra pudorem. *Cic. Mil.* 1. 2. Præsidia contra vim collocata. *Id. Quinct.* 1. 5. Nullo præsidio esse contra vim et gratiam solitudini et inopiæ. *Sall. Jug.* 28. Contra pericula et insidias firmus. Adde *eumd. ibid.* 80.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (83). *Id. Plin.* 23. *ibid.* 1. 22. (38). Patientia contra labores. *Id.* 8. *ibid.* 25. 37. (89). Cutis invicta contra ictus. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (30). Lanæ sunt tutela contra frigora. — Hinc sæpe refertur ad remedia. *Plin.* 17. *ibid.* 24. 37. (240). Medicina contra ebrietates. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (13). Ophiogenes, quorum salivæ contra ictus serpentium medentur. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 1. 1. (16). et 20. *ibid.* 8. 27. (69).; et *Pallad.* 10. *R. R.* 3. 2. ¶ 2. Item ponitur de relationibus, quarum alteri altera opponitur. *Cic.* 3. *Off.* 5. 21. Detrahere alteri sui commodi causa, contra naturam est. Adde *Sall. Cat.* 2.; *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (45).; et *Quintil.* 11. 3. 160. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 6. 19. Veri studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. *Id.* 9. *Att.* 7. 5. Contra meum judicium et contra omnium antiquorum auctoritatem. Sic *Cels.* 4. 19. Contra priores auctores. *Liv.* 24. 45. Postea quam res Romana contra spem votaque ejus velut resurgeret. Sic *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98. (211). contra consuetudinem. *Sall. Jug.* 33. contra decus regium. *Auct. B. Gall.* 8. 40. contra expectationem omnium. *Sall. Jug.* 46. contra belli faciem. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (126). contra famam. *Sall. Cat.* 15. contra jus fasque. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 70. contra legem. *Id.* 4. *Verr.* 10. 26. contra leges aliquid accipere. *Cajus* 3. *Instit.* 157. contra bonos mores. *Cæs.* 6. *B. G.* 29. et *Sall. Jug.* 75. contra omnium opinionem. *Sall. Jug.* 28. contra spem. *Sueton. Cæs.* 43. contra vetitum. — *Contra ea* pro *contra* adverbii, seu conjunctionis more ponitur. *Nepos præfat.* Contra ea, pleraque nostris moribus sunt decora, quæ etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 74. Contra ea Cæsar neque satis militibus confidebat, etc. *Liv.* 4. 53. Superbe ab Samnitibus legati prohibiti commercio sunt: contra ea benigne ab Siculorum tyrannis adjuti. Adde *Nepot. Alcib.* 8. et *Liv.* 41. 24. — *Contra id* eodem sensu *Cels.* 4. 13. Tum animadvertere oportet, quo loco malum sit. Solet enim contra id tumere. Adde *eumd.* 8. 4.

In compositione, tamquam præpositio loquelaris, *contra* raro admodum occurrit, et plerumque apud sequioris ævi scriptores, cum scilicet aliquot dicendi rationes vel formulæ, quæ a veteribus divisim efferebantur, diuturno usu factum est, ut una conjungerentur, cujusmodi sunt *contradicere*, *contraire*, *contraponere* etc. V. *Hand. Tursell. vol.* 2. *p.* 107.

Homonym. Inter *contra* et *adversus* hoc statuit discrimen *Charis.* 2. *p.* 207. *Putsch.*, quod *contra* ad locum, *adversus* ad animi motum referatur. Fatetur tamen promiscue usurpari.

CONTRĀBĬUM, ii, n. 2. junctura, seu series trabium, quibus teguntur pontes et domus; ut contignatio est series et contextus lignorum, quibus membra superiora domus aut tectum sustinentur, et ut contabulatio est tabularum series supra positarum: a *cum* et *trabs*. Hinc ex analogia si *contabulatio* et *contignatio*, etiam *contrabiatio* esse deberet. Apud *Cæs.* 2. *B. C.* 9. frequens mentio est contignationis, contabulationis et trabium. *Cassiod.* 12. *Variar.* 18. Quam gratum est sine offensione aliqua iter agere destinatum, dubia sine timore transire, gressu facili montuosa conscendere, in pontibus contrabium non tremere, viamque sic conficere, ut omnia probentur animo convenisse! *V.* similem locum *Palladii* in CONTIGNATIO; et cf. INTREMULUS.

CONTRACTABILIS, CONTRACTATIO, etc. *V.* CONTRECTABILIS, CONTRECTATIO, etc.

CONTRACTĒ, adverb. anguste: sed occurrit tantum Comp. *Contractius* apud *Senec. Tranquill.* 9. Assuescamus servis paucioribus serviri, habitare contractius. Adde *Lactant.* 2. 8. 39. et 7. 21. 2.

CONTRACTĬO, ōnis, f. 3. actus contrahendi (It. *contrazione, raggrinzamento, increspamento*; Fr. *contraction, rétraction*; Hisp. *contraccion*; Germ. *die Zusammenziehung*; Angl. *a contraction, drawing in, shrinking*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Contractio et porrectio digitorum. *Id. Orat.* 18. 59. brachii. *cui* ibid. *opponitur* projectio. *Id. Sext.* 8. 19. frontis. *Id.* 1. *Off.* 41. 146. Contractio aut remissio superciliorum. *Quintil.* 11. 3. 83. humerorum. *cui* ibid. *opponitur* adlevatio. ¶ 2. Speciatim in morbis *contractio* est alicujus membri adductio, quo nervi ita contrahuntur, ut munere suo fungi non possint. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (191). Infantes comitiale vitium, aut contractiones sentientes. *Scribon. Compos.* 255. Ad omnem tensionem et contractionem nervorum. Adde *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 54. (151). et *Senec. Ep.* 83. ¶ 3. Item speciatim est abbreviatio; et occurrit — *a)* De oratione. *Cic.* 5. *Att.* 4. ad *fin.* Etsi meam in eo parsimoniam hujus paginæ contractio significat. *Id. Partit. orat.* 6. 19. Longitudo, aut contractio orationis. — *b)* In re grammatica de syllabis. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 196. Syllaba aut contractione brevior, aut productione longior. ¶ 4. Item apud JCtos *contractio bonorum* est idem quod consolidatio. *Cajus* 2. *Instit.* 155. *V.* CONSOLIDATIO.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 31. 66. Effusio animi in lætitia: in dolore contractio. Sic *Augustin.* Affectiones enim nostræ, motus animorum sunt: lætitia, animi diffusio est; tristitia autem, contractio.

CONTRACTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* contractio, parva, aut levis contractio: occurrit translate tantum apud *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 83. Hoc detracto, ægritudo erit sublata illa mœrens; morsus tamen et contractiunculæ quædam animi relinquentur.

CONTRACTO, as, etc. *V.* CONTRECTO.

CONTRACTOR, ōris, m. 3. qui contractum et sponsionem facit. *Imp. Zeno Cod.* 5. 5. 8. Præsenti lege sancimus, si quæ hujusmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas, earumque contractores, et ex his progenitos antiquarum legum tenori subjacere. Adde *Cod. Theod.* 10. 6. 3. et *Novell. Constit. Theod.* 27. § 4.

CONTRACTŪRA, æ, f. 1. idem quod contractio. *Vitruv.* 3. 3. 12. *Schneid.* Contracturæ autem in summis columnarum hypotrachellis ita faciendæ videntur, uti etc. *Id.* 5. 1. 3. Ut in arboribus teretibus abiete, cupresso, pino, e quibus nulla non crassior est ab radicibus. deinde crescendo progreditur in altitudinem, naturali contractura peræquata nascens ad cacumen.

CONTRACTUS, a, um. *V.* CONTRAHO.

CONTRACTUS, us, m. 4. (contraho) idem quod contractio, contractura.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 68. 1. Pensilia, ut uvæ, mala, et sorba, ipsa ostendunt, quando ad usum oporteat promi: quod colore mutato et contractu acinorum, si non demperis ad edendum, ad abjiciendum descensurum se minitantur.

II.) Translate. — *a)* Generatim est negotium, res gesta. *Quintil.* 4. 2. 49. Dicam quæ acta sint ante ipsum rei contractum: dicam quæ in re ipsa. — *b)* Speciatim ac sæpius apud JCtos est pactum, quo duo pluresve inter se ad aliquid dandum, vel præstandum obligantur, ut emptio, venditio, mutuum, etc.; ita dictum, quia utriusque stipulationes et sponsiones in unum contrahuntur et colligantur: V. *Cajus* 3. *Instit.* 88. *Ulp. Dig.* 50. 16. 19. Contractus ultro citroque obligatio est, quam Græci συνάλλαγμα vocant. *Papinian. ibid.* 24. 3. 23. Facere contractum. *et ibid.* Pecunia debita ex contractu. *Sever. Sulpic. JCtus* apud *Gell.* 4. 4. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. *Gell.* ipse 20. 1. *a med.* In contractibus negotiorum. *Capell.* 6. *p.* 223. Seres appositione mercium sine colloquio gaudent implere contractum.

CONTRĀDĪCĬBĬLIS, e, adject. cui contradici potest. *Tertull. de carn. Christ.* 23. Signum contradicibile.

CONTRĀDĪCO, cis, xi, ctum, cere, n. 3. Afferunt Lexicographi exempla aliquot *Ciceronis* et *Cæsaris*, sed quæ nihil conficiunt. In iis enim libri variant, modo conjuncte, modo separatim exhibentes. Ea solum puta huc facere necessario, in quibus dativus verbo additur, (quod, opinor, *Cic.* aut *Cæs.* facere numquam): in aliis separatim ubique scribi potest. — Part. *Contradicens* sub *a*; *Contradictus* in fin. — Contradico est contra aliquem dico, adversor, contraria dicendo respondeo: et occurrit — *a)* Absolute. *Liv.* 8. 2. Nec contradici, quin amicitia de integro reconcilietur. Adde *Quintil.* 9. 2. 83. *Sueton. Cæs.* 20. Cetera dilargitus est, contradicente nullo. *Id. Aug.* 56. Jocis quorumdam petulantibus lacessitus, contradixit edicto. — Frequenter usurpatum est in declamationibus passive sine ullo casu, ut videre est in lemmatis controversiar. et declamation. apud *Senec.* et *Quintil.* sæpissime. *Gell.* quoque exemplum habet 9. 16. — *b)* Cum Dativo personæ. *Scribon. Compos.* 84. Neque ei quisquam contradixerit. *Sueton. Rhet.* 1. Cn. Pompejum, quo facilius C. Curioni causam Cæsaris defendenti contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem. Adde *eumd. Cæs.* 18. et *Aug.* 54.; *Quintil.* 9. 2. 81. et *Tac.* 2. *Hist.* 91. — *c)* Cum Dativo rei. *Quintil.* 7. 7. 4. Contradicere legibus. Adde *eumd.* 5. 10. 13. *Tac.* 1. *Hist.*

39. Contradicere sententiis aliorum. *Id.* 4. *ibid.* 46. Preces erant, sed quibus contradici non posset. *Ulp. Dig.* 3. 1. 1. desiderio alicujus. — *d*) Passive impersonaliter. *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. *a med.* Huic contradici potest. — Hinc Part. præter pass.

Contradictus, a, um, legitur apud *Quintil.* 4. *proœm.* Quæ sit probationum fides, seu proposita confirmamus, seu contradicta dissolvimus. *contra dicta* sejunctim rectius leges. *Ulp. Dig.* 1. 3. 34. Cum de consuetudine confidere quis videtur, explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquo judicio consuetudo firmata sit. *h. e.* an de ea contentiose in judicio actum sit.

CONTRĂDICTĬO, ōnis, f. 3. actus contradicendi. — *a*) Generatim. *Tac.* 14. *Ann.* 43. Quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam. — *b*) Speciatim est argumentum ab adversariis oppositum, quod in scholis dicitur objectio. *Quintil.* 2. 17. 36 Ponuntur hæ quoque in secundo Ciceronis de Oratore libro contradictiones: artem esse etc. *Id.* 7. 3. 20. In schola, ubi nobis ipsi fingimus contradictionem. *Id.* 5. 13. 42. Contradictione uti qui possumus, ubi adversarius adhuc nihil dixerit? et *paullo post* § 50. Occurrere contradictionibus. Adde *eumd.* 7. 1. 38. et 3. 8. 34.; *Dig.* 46. 3. 72.; et *Senec. Suasor.* 2. p. 20. *Bip.*

CONTRĂDICTOR, ōris, m. 3. qui contradicit et adversatur, præsertim in controversiis forensibus. *Ulp. Dig.* 40. 11. 27. § 2. Si is, qui pro sua libertate litigat, desit, contradictor vero præsens sit. Adde *Callistrat. ibid.* 16. 3. et *Ammian.* 31. 14.

CONTRĂDICTŌRĬĒ, adverb. cum contradictione. *Boeth. in Aristot. libr. integr. ed. pr. p.* 272. Ergo impossibile et non impossibile – sequuntur quidem contradictorie, sed conversim. Adde *eumd. ibid.* p. 236., 237. et 273.

CONTRĂDICTŌRĬUS, a, um, adject. qui contradictionem continet. *Cassiod.* 8. *Hist. Eccl.* 1. Alias (*liber*) contradictorius ex divinis Scripturis collectus contra dæmones tentatores. *Cod. Theod.* 9. 14. Contradictorii libelli. *Boeth. de syllog. categ.* 1. p. 587. Contradictoriæ propositiones. Adde *eumd.* p. 236., 273. et 565.

CONTRĂDICTUS, a, um. *V.* CONTRADICO.

CONTRĂDĪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTRĀDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. Part. *Contradens* et *Contraditus*. — Contrado est idem quod trado. *Lucret.* 1. 401. Multaque præterea tibi possum commemorando Argumenta, fidem dictis contradere nostris. *h. e.* facere, præstare. *Al. rectius leg.* conradere. *h. e. undique colligere*, συλλέγειν. *Cassiod.* 8. *Variar.* 23. Massas actoribus ejus sine aliqua dilatione contradite. *Id.* 6. *Hist. Eccl.* 32. *in fin.* In se celeriter est extinctus æternæque morti contraditus. *Id.* 7. *ibid.* 7. Cui (*Valenti*) Asiæ sceptra contradens, pariter et Ægypti, Europam sibi distribuit.

CONTRĀĔO, is, ivi, itum, ire, n. 4. eo contra aliquem, hoc est adversor. Verbum est exigui usus, et fere in infinito. *Tac.* 14. *Ann.* 45. Sententiæ Cassii nemo unus contraire ausus est. *Rectius tamen sejunctim leges* contra ire. *Arnob.* 1. 1. Contraire invidiæ.

CONTRĂFACTĬO, ōnis, f. 3. similitudo. *Cassiod. Complex. Apocal.* 3. Cujus (*Christi*) habitum per mysticas contrafactiones exponit. *In Cod. mendose legitur* contrafationes.

CONTRĂHO, trahis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (cum et traho). Part. *Contrahens* sub *A.* I. 1.; *Contractus* sub *A.* I. 1. et 2. et in fin.; *Contracturus* sub *B.* II. 2.; *Contrahendus* sub *A.* II. 2. — Contrahere *A*) Stricto sensu est adducere, trahendo simul adstringere, in angustum redigere; et *B*) Latiori sensu est plures personas vel res colligere, congregare, cogere.

A) Stricto sensu contrahere est adducere, trahendo simul adstringere, in angustum redigere (It. *contrarre, rattrarre*; Fr. *contracter, rétrécir*; Hisp. *contraer, angostar, estrechar*; Germ. *zusammenziehen, etwas ziehend zusammenbringen, bzw. einziehen zu übersetzen*; Angl. *to draw in, contracte, draw into a smaller compass, abridge*).

I.) Proprie usurpatur de corporeis vel physicis rebus. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 136. Pulmones tum se contrahunt aspirantes, tum respiritu dilatant. *Id. ibid.* 54. 135. Ipsius (*stomachi*) autem partes eæ, quæ sunt infra quam id quo devoratur, dilatantur, quæ autem supra, contrahuntur. *Id.* 2. *Tusc.* 17. 41. Quis (*gladiator*), cum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? Adde *Quintil.* 11. 3. 83. *Virg.* 1. *G.* 34. Ipse tibi jam brachia contrahit ardens Scorpios, et cœli justa plus parte reliquit. *Ovid.* 3. *Art. am.* 2. 23. Contrahere crura. *Quintil.* 11. 3. 94. digitos. *Id.* 11. 3. 102. Manum celeri motu contrahere, cui *ibid.* opponitur explicare. *Id.* 11. 3. 79. supercilia. *Id.* 11. 3. 180. Cervicula contracta. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 32. 51. (101). Cochleæ bina cornua protendentes et contrahentes. *Id.* 29. *ibid.* 6. 39. (136). Millepeda tactu contrahens se. — Huc pertinet et illud *Horat.* 1. *Ep.* 7. 11. Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet Contractusque leget. *h. e.* contractis ad os pedibus et jacens in lectulo, libris veterum operam dabit. *Forcellinus* translate accepit atque hisce verbis est interpretatus: parcus erit in legendo et studiis operam dando. Quæ *Forcellini* interpretatio non sane est abs re; prior tamen magis arridet. — *Cic.* 1. *Att.* 16. 2.; *Horat.* 2. *Od.* 10. 23.; *Ovid.* 3 *Trist.* 4. 32.; et *Quintil.* 12. *proœm.* 4. Contrahere vela. *h. e.* complicare (cui *explicare* opponitur), sed fere figurate occurrit. *Plaut. Amph. prol.* 52.; *Cic. Cluent.* 26. 72.; et *Quintil.* 11. 3. 78. Contrahere frontem. *h. e.* corrugare. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 2. 125. Explicuit vino contractæ seria frontis. Eodem sensu *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 7. Contrahere vultum. Cf. *Juvenal.* 11. 203. Nostra bibat vernum contracta cuticula solem. *h. e.* rugosa. Et *Horat. Epod.* 3. 1. Horrida tempestas cœlum contraxit. — *b*) Cum addito, quo quid contrahitur. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 120. Omne animal membra, quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 22. 51. (189). Contrahere digitos in pugnum. *Quintil.* 11. 3. 92. medium digitum in pollicem. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 22. (43). oculos pennarum in acervum. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (31). Pyramis xxiv. gradibus in metæ cacumen se contrahens. ¶ 2. Speciatim, præcipue apud Medicos, — *a*) *Contrahere* dicuntur remedia et alia, quæ adstringendi vim habent. *Cels.* 4. 19. Cibis oti ventrem contrahentibus. *h. e.* sistentibus, *et mox.* Alvus contrahitur. *Id.* 1. 3. Contracta alvus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 6. (11). Radix peponum contrahit vomitiones. *h. e.* sistit. *Id.* 12. *ibid.* 17. 38. (77). Contrahere cicatrices. *h. e.* jungendo claudere. Eodem sensu *Id.* 24. *ibid.* 8. 33. (48). Ulmi folia vim habent vulnera contrahendi. *Id.* 23. *ibid.* 7. 63. (117). Fici succus coaguli modo lac contrahit. *h. e.* durat, coagulat. — *b*) *Contracta* dicuntur, quæ morbo aliquo adducta sunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 97. (259). Contractos articulos emollire. *Sueton. Cal.* 38. Contracta membra. *Id. Aug.* 80. Digitus torpens et contractus frigore. *Phædr.* 4. 23. *de musca.* Mori contractam cum te cogunt frigora. *h. e.* frigore captam. Alii legunt *contracta*: qua ratione *Virg.* 4. *G.* 259. *de apibus.* Ignavæque fame et contracto frigore pigræ. *V.* infra sub *B.* II. 3. *b.* *Arnob.* 1. 48. Christus scitur aures aperuisse surdorum, ambulatum dedisse contractis.

II.) Translate contrahere est minorem seu breviorem facere. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 40. Nec fuit spatium tali tempore ad contrahenda castra: quod res in celeritate posita esse videbatur. *Cic. Partit. orat.* 7. 23. Quæ (*commutatio verborum*) simplicibus in verbis ita tractatur, ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. Adde *Quintil.* 11. 1. 45. *Cic. Orat.* 45. 153. Contrahere nomina, verba. *Propert.* 3. 20. 11. Tu quoque qui æstivos spatiosius exigis ignes, Phœbe, moratura contrahe lucis iter. *Ovid.* 15. *Met.* 197. Luna contrahit orbem. *Id.* 3. *ibid.* 144. et 3. *Art. am.* 723. Contrahere umbras. *Quintil.* 5. 10. 94. summam breviter. *Id.* 6. 5. 4. tempora dicendi. *Plin. Paneg.* 49. Tempus epularum frugalitas contrahit, humanitas extendit. — *b*) Cum additis. *Ovid. Rem. am.* 424. Contrahere præcepta in unum. *Quintil.* 2. 11. 16. Quælibet ex iis artibus in paucos libros contrahere. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 3. ingens opus in minores contrahe gyros. V. *Contractus* in fin. ¶ 2. Speciatim ponitur de animo ejusque cupiditatibus, et est quomodocumque adstringere, ligare. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. § 4. Te rogo, ne contrahas, aut demittas animum. *Id.* 2. *Legg.* 15. 38. Varietas sonorum tum remittit animos, tum contrahit. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 58. 119. *Lucret.* 5. 1218. Contrahitur animus formidine. *h. e.* adstringitur et ligatur, angitur. *Cic.* 1. *Off.* 29. 103. Appetitus omnes contrahendi sedandique. *h. e.* cohibendi. Eodem sensu *Horat.* 3. *Od.* 16. 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam. *h. e.* minus cupiendo. *Seneca Ep.* 110. Et quod gaudes, et quod times, contrahe. *h. e.* fac ut brevia sint et gaudium et timor, utrumque cohibe. *Stat.* 11. *Theb.* 682. Contrahere jura. *h. e.* parce usurpare, parce uti licentia regni. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 102. Sol accedendo et recedendo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim lætificat. *Id. Amic.* 13. 48. Ut et bonis amici quasi diffundantur, et incommodis contrahantur. *h. e.* mœrore contrahantur adeoque turbentur. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 38. Cumque perturbationem animi illi (*philosophi*) ex homine non tollerent, naturaque et condolescere et concupiscere – dicerent, sed ea contraherent in angustumque deducerent etc.

B) Latiori sensu contrahere est plures res aut personas colligere, congregare, cogere.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) De rebus. *Cic. Amic.* 7. 24. Quæ in rerum natura – constarent quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissupare discordiam. *Q. Scævola* apud *Gell.* 4. 1. *a med.* Ea, quæ – longæ usionis gratia contrahuntur et reconduntur –, penus dicta sunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Apes mella contrahunt. *Id.* 3. *ibid.* 5. 6. (39). Italia tot populorum discordes linguas sermonis commercio contrahit. *Id.* 6. *ibid.* 27. 31. (133). Ibi mortalium solis aurum in odio: contrahunt id defodiuntque ne cui sit in usu. *Sueton. Aug.* 31. Duo millia librorum contracta undique cremavit. Cf. *eumd. Gramm.* 24. *Gell.* 13. 24. *sub fin.* Pecunia et præda contracta. *Id.* 19. 6. Pudor sanguinem diffundit, timor contrahit. — Huc pertinent et illa, in quibus contrahere idem est ac pertrahere, simul attrahere. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (122). Balsamum melle mutatum statim in manu contrahit muscas. *Id.* 28. *ibid.* 9. 42. (151). Sanguine cervino contrahi serpentes. Sic eodem sensu *Id.* 27. *ibid.* 5. 23. (40). Solidum herbæ semen conjicitur in oculum, nec turbat, sed contrahit in se caliginem. — *b*) De hominibus. *Liv.* 28. 18. Duos contrahere in (*al. rectius leg.* ad) colloquium dirimendarum simultatium causa. *Id.* 42. 49. Contrahit plurimos officii cura, studium spectaculi. *Id.* 1. 46. Contrahit aliquos similitudo. *Id.* 26. 42. Contrahere omnes in unum. *Ovid.* 4. *Fast.* 97. rudes animos in unum contrahit Venus. *Id. ibid.* 811. Contrahere agrestes et mœnia ponere utrique Convenit. *Curt.* 6. 2. 18. Contrahere præfectos in prætorium. *Plin.* 10. *Ep.* 20. personas ad negotium. ¶ 2. Speciatim usurpatur in re militari, cum copiæ, naves, etc. unum in locum coguntur. *Cic.* 8. *Att.* 1. 2. Contrahere omnes copias Luceriam. *Id.* 8. *ibid.* 11. *a.* § 3. omnia in unum. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. *c.* § 1. Disjecta manu pares adversariis esse non possumus: contractis copiis spero etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 34. Contrahere exercitum in unum locum. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 43. et *Nepot. Ages.* 3. Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 15. cohortes ex finitimis regionibus. *Id.* 4. *B. G.* 32. Naves circiter octoginta coactæ et contractæ. Adde *Sueton. Cal.* 19. *Nepos Con.* 4. Contrahere magnam classem. *Liv.* 37. 44. captivos. Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 8. Contrahimusque viros.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur de iis, quæ per duorum vel plurium conjunctionem conficiuntur. *Cic. Amic.* 14. 49. Contrahit amicitiam, si qua significatio virtutis eluceat. *Id.* 1. *Herenn.* 5. 8. A nostra persona benevolentiam contrahemus, si etc. *Vellej.* 2. 44. Affinitas inter Cæsarem et Pompejum contracta nuptiis. *Ulp. Dig.* 23. 2. 12. Contrahere cognationes. *Ibid.* 23. 2. 34. nuptias. *Sueton. Cal.* 25. matrimonia. Sic *Justin.* 26. 3. Matrimonium contractum solvere. ¶ 2. Speciatim est transigere, agere, pacisci, contractum facere; quia plurium simul in id voluntates trahuntur et mutua obligatione junguntur. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 1. *Off.* 2. 4. Neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas. *Plaut. Capt. prol.* 63. Contrahere litem. Adde *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. *Cic.* 2. *Off.* 11. 40. Qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur. *Id. ibid.* 18. 64. In omni re contrahenda, vendendo, emendo, etc. *Id.* 1. *ibid.* 5. 14. Honestum, quod versatur in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, et rerum contractarum fide. *Id. Quinct.* 3. 11. Rem gerere et contrahere. *Id. Cluent.* 14. 41. Cum illo jam nemo rationem, nemo rem ullam contrahebat. *Id.* 1. *Off.* 17. 53. Multæ cum multis res rationesque contractæ. Adde *eumd. Sull.* 20. 56. *Vellej.* 2. 81. Contractus emptio-

nibus complures domos per procuratores publicis se usibus destinare professus est. *Paul. Dig.* 19. 4. 1. Contrahere emptionem, venditionem, permutationem. — Huc referri possunt et illa, in quibus contrahere generatim sumitur. *Cic.* 7. *Att.* 7. 7. Quid sit optimum male contractis rebus, plane video. *h. e.* male constitutis, afflictis. *Id.* 7. *Fam.* 31. Propter res tuas ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. — *b*) Absolute. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 170. Ea autem feneratio erat hujusmodi, judices, ut etiam hic quæstus huic cederet. Nam, quas pecunias iis ferebat expensas, quibuscum contrahebat; aut scribæ istius, aut Timarchidi, aut etiam ipsi isti referebat acceptas. *Ulp. Dig.* 16. 1. 8. § 14. Si, cum essem tibi contracturus, mulier intervenerit, ut cum ipsa potius contraham. *tibi* pro *tecum*. — *c*) Figurate. *Cic.* 5. *Tusc.* 36. 105. Quantis igitur molestiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? *h. e.* quibus nullum est cum populo negotium. ¶ 3. Denique contrahere, præcipue cum abstractis, est concipere, reportare, subire, parere; quo sensu et Itali dicimus *tirarsi addosso*; et occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Cas.* 3. 2. 31. Ego aliquid contrahere cupio litigii inter eos duos. *h. e.* conflare, parere. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. § 1. Ea ferre homines molestissime debent, quæ ipsorum culpa contracta sunt. *Id. Rabir. Post.* 9. 25. Hoc semel suscepto atque contracto, perpetienda illa fuerunt etc. *Id.* 1. *Invent.* 17. 24. Si turpitudo causæ contrahet offensionem. *h. e.* pariet. *Id.* 4. *Herenn.* 38. 50. Ejusmodi res et invidiam contrahunt in vita, et odium in oratione. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. § 25. Constare inter omnes video, nullum æs alienum novum contrahi civitatibus. Sic *Id.* 2. *Cat.* 2. 4. Æs alienum contractum in popina. Adde *Liv.* 6. 11. et *Curt.* 10. 2. 9. *Cic.* 11. *Att.* 24. Ea est a nobis contracta culpa, ut etc. Adde *Papinian. Dig.* 3. 5. 30. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. Sollicitiorem certe hominem, non suis contractis, neminem puto fuisse. *h. e.* non culpis a se contractis. *Liv.* 24. 42. *extr.* Turdetanos, qui contraxerant Saguntinis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt. — Porro jungitur aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Sall. fragm. p.* 246. *Gerlach.* aliquid dolo aut socordia sua. *Lucret.* 4. 968. bellum cum aliquo. Cf. *Liv. loc.* paullo supra *cit. Liv.* 5. 37. et *Lucret.* 2. 574. bellum. *Id.* 22. 28. causam certaminis. Adde *eumd.* 23. 26. et 25. 34. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (67). causam mortis sibi. *Sueton. Aug.* 97. *extr.* causam valetudinis ex profluvio alvi. *Liv.* 28. 6. certamen contractum est ibi atrocissimum. Adde *eumd.* 40. 48. et 44. 40. *Id.* 29. 4. *extr.* certamen cum classe hostium. *Id.* 25. 19. *ad fin.* cladem. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 91. damni aliquid. *Quintil.* 7. 1. 53. inimicitias domui. *Sueton. Tit.* 6. invidiæ plurimum. *Ovid.* 2. *Met.* 660. iram numinis sibi. *Cic.* 3. *Tusc.* 22. 52. malum culpa. *Id.* 2. *Fam.* 16. 5. molestias sua liberalitate. *Liv.* 44. 27. necessitatem ad bellum. *Id.* 8. 15. nefas. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 9. negotium alicui. *h. e.* molestiam creare. *Justin.* 17. 3. offensam populi. *Liv.* 2. 23. *sub fin.* plus periculi. *Justin.* 3. 7. *extr.* perjurium. *Liv.* 5. 52. *ad fin.* tantum piaculi sibi reique publicæ. *Auct. B. G.* 8. 22. pœnam sibi. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 57. porcam. *Vellej.* 2. 47. rixa contracta ex occursu. *Cels.* 4. 21. semen contrahere. *h. e.* creare. — *b*) Speciatim ponitur de damnis externis, et præcipue de morbis. *Colum.* 12. *R. R.* 4. 4. Situ mucorem contrahere. *Id. ibid.* 17. 1. Acetum nunquam situm, aut mucorem contrahit. — Similiter de morbis. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 21. (65). Contrahere morbum. et alter *Plin.* 7. *Ep.* 18. valetudinem adversam ex aliqua re. *Quintil.* 7. 3. 3. cruditatem. *Virg.* 1. *G.* 259. frigus. *V.* integrum locum sub *A.* I. 2. *b. Plin.* 32. *Hist. nat.* 25. 72. (138). inflationes et tormina. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 8. noxam. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 57. (160). pallorem studiis. *Id.* 36. *ibid.* 27. 69. (202). pestilentiam. *Id.* 23. *ibid.* 4. 49. (94). Phthiriases longa valetudine contractæ. *Cels.* 4. 5. pituitam. *Justin.* 21. 2. saginam corporis ex nimia luxuria oculorumque valetudinem. *Cels.* 3. 18. et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 15. (24). tristitiam. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Contractus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Contractior* in omnibus paragr.

I.) Proprie contractus est adductus, trahendo simul adstrictus, in angustum *redactus*: *V.* CONTRAHO sub *A.* I. 1. *Quintil.* 11. 3. 95. Tanto contractioribus ultimis digitis.

II.) Translate contractus est angustus, brevior factus, adstrictus (*V.* CONTRAHO sub *A.* II. 1.); et occurrit — *a*) De loco seu spatio. *Virg.* 4. *G.* 295. Locus exiguus et contractus. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 3. Contractiora spatia ordinum. *Horat.* 3. *Od.* 1. 33. Contracta pisces æquora sentiunt Jactis in altum molibus. *Ovid.* 6. *Fast.* 495. Freta contracta spatio brevi. *Plin. Paneg.* 30. Nilus contractior et angustior. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 145. Introitus contractiores. *Lucret.* 5. 570. Contractior ignis. *h. e.* minor. — *b*) De tempore. *Cic.* 1. *Parad. præfat.* § 5. Accipe hoc opusculum elucubratum his jam contractioribus noctibus. — *c*) De oratione. *Cic. Brut.* 44. 162. Ambitus verborum contractus et brevis. *Id. ibid.* 31. 120. Adstrictior oratio aliquantoque contractior. *Id. ibid.* 90. 309. Dialectica quasi contracta et adstricta eloquentia. Cf. *Quintil.* 11. 1. 32. Siccum et sollicitum et contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa severitatis invisum est. *contracto* ibid. *uberius* opponitur. — *d*) *Contracta vox* est remissa, submissa. *Quintil.* 11. 3. 15. Vox contracta et fusa, dura et flexibilis, clara et obtusa. *et ibid.* § 64. In metu et verecundia vox contracta. *et rursus* § 175. Submissa atque contracta voce dicere. — *e*) De abstractis. *Cic. Cæl.* 31. 76. Studia contractiora. *h. e.* remissiora. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 2. Contracta paupertas. *h. e.* quod *Id.* habet 3. *Od.* 2. 1. angusta pauperies. — Hinc *f*) *Homo contractus* est parcus, frugalis. *Virg. Mor.* 78. Verum hic non domini (quis enim contractior illo?) Sed populi proventus erat. De loco *Horat.* 1. *Ep.* 7. 11. *V.* CONTRAHO sub *A.* I. 1. *a.*

CONTRĀJĂCENS, entis, particip. ab inusit. *contrajaceo*, qui contra jacet. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. pr. p.* 258. Hoc ex illius responsione necesse est evenire: sed hæc contrajacens est interrogationi, idest opposita.

CONTRĀJŪRIS παράνομος, *Gloss. Gr. Lat.*

CONTRĀLĔGO, is, ere, a. 3. codicem lego, dum quis alium inspicit, ut ex utriusque codicis collatione opus aliquod emendetur. *Sidon.* 5. *Ep.* 15. Defert et volumen prophetarum, licet me absente decursum, nec semper illo contralegente, qui promiserat operam suam. *Sirmondus* in *adnotat. ad hunc loc.* hanc affert veterem adnotationem in codice Martiani Capellæ: *Felix rhetor emendabam contralegente Deuterio scholastico discipulo meo.* — Utrobique alii putant legendum divise *contra legente*, eadem tamen significatione.

CONTRĀNĪSUS, a, um, particip. a *contra* et *nitor*, conjuncte scribitur ab *Isid.* 10. *Orig. litt. O.* Obnixus, contranisus et conabundus.

CONTRĀPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (contra et pono). Part. *Contrapositus* sub *a.* et in fin. — Contrapono est idem quod oppono. — *a*) Passive. *Quintil.* 9. 3. 84. *ubi de contraposito loquitur.* Nec semper quod adversum est, contraponitur. *Boeth.* in *Aristot. libr. interpr. ed. sec. p.* 316. Una quæ fit in universalibus angulariter particularibus contrapositis. — *b*) Cum Dat. *Tertull. ad Martyr.* 4. Spiritus contraponat sibi et carni, acerba licet ista, a multis tamen æquo animo excepta. — Hinc a Part. præter. pass. *Contrapositus, a, um*, fit

Contrapositum, i, n. 2. quod absolute, substantivorum more, figura est rhetorum, eadem quæ antithesis. *Quintil.* 9. 3. 32. Contrapositum, vel, ut quidem vocant, contentio, fit si singula singulis opponuntur, et bina binis, et sententiæ sententiis. *et supra.* Etiam in contrapositis et comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio: *Vigilas tu de nocte*, etc.

CONTRĀPŎSĬTĬO, ōnis, f. 3. actus contraponendi. *Boeth. de Syllog. categor.* 1. *p.* 587. Est enim per contrapositionem conversio, ut si dicas: *omnis homo animal est, omne non animal non homo est.* Adde *eumd. ibid. p.* 589. et 590.

CONTRĀPŎSĬTUM, i, n. 2. *V.* CONTRAPONO in fin.

CONTRĀRĒTE, m. 1. genus quoddam gladiatorum. *Inscript* apud *Henzen.* 6174. D. M. LVCO LIB. MVR. SCAEV. (h. e. *Murmillo scæva*, scilicet qui sinistra manu telum gerebat) PVGNA IIII. FEC. LONGINAS LIB. CONTRARETE FRATRI B. M. *Henzen* ad h. v. subdit: Novum mihi quidem gladiatorum genus, quod cum retiariis fortasse committi solebat.

CONTRĀRĬĒ, adverb. contrario modo. *Cic. Partit. orat.* 31. 108. Alio se eadem de re contrarie scripto defendere. *Id. Tim.* 9. Sidera contrarie procedentia. *Id.* 2. *Orat.* 65. 263. Ornant orationem verba relata contrarie. *h. e.* antitheta. *Id.* 1. *ibid.* 31. 140. Contrarie scriptum. *Tac. dial. de Orat.* 34. dicere.

CONTRĀRĬĔTAS, ātis, f. 3. oppositio. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 15. *sub fin.* Numquam ex duplicatis similibus contrarietas emergit. *et ibid.* 14. *a med.* Numquam fieri potest, ut circa unam eamdemque rem uno eodemque tempore contrarietates ad unum idemque pertinentes eveniant. Adde *Sidon.* 4. *Ep.* 12.

CONTRĀRĬO. *V.* CONTRARIUS.

CONTRĀRĬOR, āris, ari, dep. 1. idem quod adversari. *Theod. Priscian. l.* 2. *Part.* 2. *c.* 1. Omni modo omnes vitandi sunt dactyli. Specialiter etenim ex natura sua contrariantur quæcumque ex suavibus confectæ fuerint potiones.

CONTRĀRĬUS, a, um, adject. (contra) oppositus (It. *opposto, contrario*; Fr. *opposé, contraire*; Hisp. *opuesto, contrario*; Germ. *entgegengesetzt*; Angl. *opposite, contrary*).

I.) Proprie usurpatur de spatio seu loco, et *contraria* dicuntur, quæ contra, seu e regione sita sunt, sive quiescant, sive moveantur. — 1.°) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 78. Tantos terræ motus — factos esse, ut multa oppida corruerint, — fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit. Adde *eumd. Tim.* 14. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tignis in contrariam partem revinctis. *Liv.* 2. 6. *extr.* Contrario ictu per parmam uterque transfixus. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (198). *de terræ motu.* Concurrentia tecta contrario ictu arietant. *Id.* 28. *ibid.* 8. 27. (93). Si pelles hyænæ et pantheræ contrariæ suspendantur, decidere pilos pantheræ. *Id.* 24. *ibid.* 10. 47. (77). Hederæ acinos tritos instillare dentium dolori a contraria aure. *Id.* 21. *ibid.* 13. 43. (73). Contrario amne. *V.* infra *Contrarium*, ii sub I. *Sueton. Ner.* 31. Inchoabat fossam latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. *Ovid.* 1. *Met.* 64. Scythiam Septemque trionem Horrifer invasit Boreas; contraria tellus Nubibus assiduis pluvioque madescit ab Austro. *Paul.* apud *Labeon. Dig.* 41. 1. 65. Inter eam insulam et contrariam ripam. Hinc *contrarium æs grave* apud *Paul. Diac. p.* 64. 12. est id quod in altera lance ponitur, Gr. ἀντίρροπον. — 2.°) Construitur — *a*) Cum Dativo. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur, adversus huic et contrarius. *Ovid.* 8. *Met.* 471. Contrarius æstus vento. *Id.* 13. *ibid.* 429. tellus Phrygiæ. *Id.* 13. *ibid.* 183. flamina classi. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 73. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 47. (131). Gemma contraria soli regerit candicantes radios. — *b*) Cum addito *inter se*. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (49). Hellespontus — quatuor inter se contrarias urbes habet, in Europa Callipolim et Seston, et in Asia Lampsacon et Abydon. — *c*) Cum part. *atque*. *Cic.* 6. *de republ.* 17. 17. Qui versantur retro contrario motu, atque cælum.

II.) Translate *contraria* sunt, quæ frontibus adversis secum ipsa pugnant, quæ rectà atque omnino sibi invicem opposita sunt, ut docet *Cic.* hisce verbis 1. *Invent.* 28. 42. Contrarium est, quod positum in genere diverso ab eodem, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat, ut frigus calori, vitæ mors. — In quo *contrarium* ab *adverso* differat, *V.* Homonym. in fine hujus voc. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Absolute. *Lucret.* 3. 251. Sive voluptas est, sive est contrarius ardor. *Cic.* 5. *Tusc.* 12. 36. Aut bono casu, aut contrario. Cf. *Nepot. Epam.* 4.; et *Quintil.* 7. 3. 20. et 7. 4. 9. Rursus *Cic.* 1. *Invent.* 18. 26. Contraria pars causæ. *Quintil.* 5. 11. 7. exemplum. *Id.* 5. 11. 31. jus. *Id.* 3. 6. 43. et *Dig.* 1. 3. 28. leges. *Cajus* 4. *Instit.* 174. et 177.; et *Dig.* 13. 6. 17. § 1. actiones. — Sæpe occurrunt formulæ *ex contraria parte*, aut *in contrariam partem*, et significant idem quod contra. *Cic.* 1. *Invent.* 18. 26. Ex contraria parte dicere. *Id.* 2. *ibid.* 52. 157. Rerum expetendarum tria sunt genera: par autem numerus vitandarum ex contraria parte. *Id.* 2. *Orat.* 53. 215. Aut si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem quod sit gravius. Cf. *Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. 2. Pium alicujus consilium in contrariam partem rapere. — *In contrarias partes*, et *in contraria* valet in utramque partem, pro et contra. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 158. Disputandum est de omni re in contrarias partes. *Id.* 2. *Tusc.* 3. 9. In contrarias partes disse-

rere. *Id.* 2. *Orat.* 53. 215. suppeditare aliquid. *Virg.* 12. *Æn.* 487. Diversæque vocant animum in contraria curæ. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 243. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 24. in contraria (*vitia*) currere. — *Contraria* absolute, substantivorum more. *Cic.* 2. *Phil.* 8. 18. Ut non modo non cohærentia inter se diceres, sed maxime disjuncta atque contraria. *Id. Orat.* 12. 38. Conferre pugnantia et comparare contraria. Adde *eumd. ibid.* 19. 65. — 2.°) Construitur — *a*) Cum Genitivo. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Hujus igitur virtutis contraria est vitiositas. *Id.* 2. *Invent.* 54. 165. Quæ omnia, uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus. *Id.* 4. *Fin.* 24. 67. Quarum artium summa crescere potest, earum etiam contrariarum summa potest augeri: ad virtutis autem summam accedere nihil potest: ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quæ sunt virtutum contraria. V. *Madvig* ad h. l.; et adde *Quintil.* 5. 10. 49. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Off.* 33. 119. Voluptas contraria honestati. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 18. fortuna rationi et constantiæ. Adde *eumd. Topic.* 11. 46. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 17. 5. verba rebus. *Tibull.* 3. 4. 83. vota votis. *Ovid.* 2. *Met.* 541. color albo. *Id. in Ibin* 31. humor ignibus. *Quintil.* 11. 3. 44. vitium virtuti. *Id.* 6. 3. 17. rusticitas urbanitati. — *c*) Cum addito *inter se.* *Cic. Opt. gen. Orat.* 5. 14. Orationes inter se contrariæ Æschinis Demosthenisque. *Id.* 2. *Orat.* 55. 223. Inter se contraria capita de republica conferre. *Quintil. præfat.* § 2., 1. 10. 6. et 10. 1. 22. Opiniones inter se contrariæ. — *d*) Cum part. *atque.* *Cic.* 3. *Verr.* 48. 120. Contrarium decernebat, ac paullo ante decreverat. ¶ 2. Speciatim contrarius est infestus, adversarius, inimicus. *Varro* 5. *L. L.* 70. *Müll.* Contrariis diis. *h. e.* infestis, iratis. *Propert.* 1. 5. 9. Ausis alicujus contraria puella. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 41. Arma contraria. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 28. (90). Scorpionibus contrarius maxime invicem stellio. *Sueton. Oth.* 8. Esta contraria. — Hinc *contrarios* pro adversariis et inimicis posuit *Vitruv.* 3. *præfat.* 2.; et cum Dativo *Phædr.* 4. 10. sæpe, quos ipse alueris, Tibi inveniri maxime contrarios. ¶ 3. Item speciatim contraria dicuntur quæ nocent. *Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. 4. Quod, cum Lepidus conticesceretur, maxime contrarium fuit. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 17. 5. et 9. *ibid.* 11. 2. *Lucret.* 6. 740. Principio, quod Averna vocantur nomine, id ab re impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 87. (136). Hyssopum stomacho contrarium. *Id.* 28. *ibid.* 9. 33. (130). Lactis usus contrarius capitis doloribus, hepaticis, splenicis. *Quintil.* 12. 9. 11. Aliquid contrarium causæ. Adde *eumd.* 4. 2. 64. et *Sueton. Ner.* 52 — Hinc

Contrarium, *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, usurpatur

I.) Proprie de loco seu spatio. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (158). In contrarium nantes. Sic *Id.* 21. *ibid.* 13. 43. (73). Contrario amne.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim adverbii vice usurpatur sequentibus formulis. — *a*) *In contrarium*, hoc est contra. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 54. (197). Idque in contrarium præcepere quidam falsa diligentia. *Id.* 14. *ibid. præfat.* 1. (5). In contrarium cadere. — *b*) *Per contrarium* apud JCtos idem est, quod contra. Legitur enim apud *Ulp. Dig.* 37. 8. 1., *ibid.* 2. 15. 8. *extr.*, *ibid.* 28. 1. 20., et alibi sæpe. — *c*) *E*, *ex* vel *a contrario*, eodem sensu, sæpius occurrunt. *Cic.* 2. *Invent.* 8. 25. Accusatori quidem hæc fere sunt in causa facienda. Defensor autem ex contrario primum dicat etc. Adde *eumd. Topic.* 11. 49. et *Rhet. com.* 16. 47.; *Cæs.* 7. *B. G.* 30.; et *Nepot. Iphicr.* 1. et *Att.* 9.; et *Quintil.* 1. 5. 43. *Nepos Amilc.* 1. Ipse ubi affuit, numquam hosti cessit: sæpeque e contrario, occasione data, lacessivit. *Sunt qui conjunctim scribunt* econtrario; *sed divisim multo est rectius.* Rursus *Nepos Eumen.* 1. Apud nos mercenarii, scribæ existimantur: at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur, nisi etc. *Forcellinus* cum veteribus libris legebat *contrasio*: eademque lectionis varietas occurrit apud *Vitruv.* 8. 1. 7. Campestribus autem locis e contrario non possunt haberi copiæ. Porro *Forcellinus* hæc addit: Qui *Ciceronem* quoque testem (pro adverbio *contrario*) adducunt, dubium valde testem adducunt. ¶ 2. Speciatim apud dialecticos sunt quatuor *contrariorum* genera. *Adversa*, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia, stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt tamquam e regione quædam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas. *Privantia*, Græce στερητικά, ut dignitas indignitas. *Relata*, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum simplum, multa pauca. *Negantia*, quæ ἀποφατικά Græci, contraria ajentibus, ut si hoc est, illud non est. *Cic. Topic.* 11. 46. et seqq. ¶ 3. Denique speciatim apud Rhetores *contrarium* est exornatio, seu figura sententiarum, cum sumitur ex adverso probatio, hoc est id quod opus est oratori, contraria re comprobatur. Id enim significari nomine *contrarii* a *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. putat *Quintil.* 9. 3. 90. Est autem idem fere, quod *contentio*; atque (uti docet *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 25.) cum ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmamus: seu cum id, quod opus est oratori, contraria re comprobatur, hoc pacto: Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres? etc. Adde *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 27.

Contrarii, *ōrum*, m. plur. 2. pro adversariis, inimicis: *V.* CONTRARIUS sub II. 2.

Homonym. Translatâ significatione *contraria* differunt 1.°) *A diversis*, et 2°.) *Ab adversis.*

1.°) *Contraria* sunt ea, quæ sibi invicem ita opponuntur, ut alterum ab altero excludatur, sive in uno eodemque subjecto simul esse nequeant, ut vita et mors; *diversa* sunt ea, in quibus qualitates vel notæ sunt inter se dissimiles, non tamen oppositæ, quæque propterea in uno eodemque subjecto simul esse possunt. *Vellej.* 2. 75. Quis non diversa præsentibus, contrariaque expectatis aut speret aut timeat? Cf. *Cic. Cæl.* 5. 12. Monstrum — ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum.

2.°) *Contraria* et *adversa* unum idemque significant apud *Cic. Orat.* 12. 65. Paria paribus referunt, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definiunt. Et sane *Id.* ait *ibid.* 39. 135. Aut cum similiter vel cadunt verba, vel desinunt: aut multis modis contrariis relata contraria. — Ceterum inter *contraria* et *adversa* non modo discrimen illud interest, quod superius sub *Contrarium* II. 2. ex *Cicerone* retulimus; verum etiam aliud, quod de causis agens exhibet *Id. Cic.* 1. *Invent.* 50. 93. *et* 94. Contrarium est, quod contra ea dicitur, quæ ii, qui audiunt, fecerunt: ut si quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil esse crudelius quam urbes diruere, cum ipse Alexander Thebas diruisset. — Adversum est, quod ipsi causæ aliqua ex parte officit: ut si quis hostium vim et copias et felicitatem augeat, cum ad pugnandum milites adhortetur.

CONTRASCRĪBA, æ, m. 1. idem ac contrascriptor, Gr. ἀντιγραφεύς. *Inscript.* apud *Murat.* 960. 7., quæ est apud *Orell.* 3208. VLLIAVS . CONTRASCRIBA.

CONTRASCRĪBO, is, ere, a. 3. contrascriptoris officio fungor. *Apul. de Mag.* Litteras tabulario publico præsente, et contrascribente Æmiliano, testato descripsimus. *h. e.* præsentibus et testantibus tabulario publico, et antigrapho Æmiliano. — Hinc *Contrascriptum*, *i*, n. 2. *V.* CONTRASCRIPTUM loco suo.

CONTRASCRIPTOR, ōris, m. 3. antigraphus, qui observat et custodit actus alienos. Galli dicunt *contrôleur*, Itali vulgo *controllore.* *Inscript.* apud *Gruter.* 579. 10., quæ est apud *Orell.* 3209. SERVATO CAESARIS N. SERVO CONTRASCRIPTORI RATIONIS SVMMI CHORAGII. Alia apud *Murat.* 2042. 4. AVTOMATO CAES. N SERVO CONTRASCRIPTORI PISTORVM. Alia apud *Orti*, *Dissert. sopra una lapide Veron.* p. 14. HELLICVS ET EVTICHES CONTRASCRIPTORES STATIONIS EIVSDEM. Adde aliam apud *Henzen.* 5262.

CONTRĀSCRIPTUM, i, n. 2. *Cic.* 16. *Att.* 7. 7. Antonii edictum legi a Bruto, et horum contrascriptum præclare. *Rectius vitæ leges integrum locum:* et horum contra, scriptum præclare.

CONTRĀVERSIENS, entis, particip. repugnans, obsistens. *Augustin.* 1. *Doctr. Christ.* 29.

CONTRĀVERSIM *et*

CONTRĀVERSUM. *V.* voc. seq. in fin.

CONTRĀVERTO, tis, (ti), sum, tere, a. 3. (*contra et verto*). Part. *Contraversus* in fin. — Contraverto pro converto legitur apud *Boeth. de syllog. categ.* 2. p. 593. Prima propositio contravertatur. — Usitatius est Part. præter. pass.

Contraversus, a, um, h. e. contra versus. *Solin.* 27. Africæ promontorio Apollinis Sardiniæ contraversa. *Id.* 32. *de Nilo.* Quanto impensius contraversi spiritus repugnaverint, tanto excelsius sublimari, etc. Ita legit *Salmas.* Alii *controversus* eodem sensu: quod *Salmas.* vitiosum putat: alii divisim *contra versus*: sed si Dativum habeat, rectius conjunctim scribetur. Sic *Ammian.* 18. 9. 2. Urbs spiranti Zephyro contraversa. — Hinc Accusativus sing. num. gen. neutr.

Contraversum, adverbialiter usurpatur pro contra. *Solin.* 10. 3. *de Thracia.* Apud plurimos luctuosa sunt puerperia: contraversum læta sunt funera. — Item in contrariam partem. *Apul. Apolog.* Cum aliquid solidum offenderunt, illisæ reflectuntur, et retro expressæ contraversum respondent. *Al. leg.* contraversim *aut* controversim.

CONTRECTĀBĪLIS, *vel* contractabilis, e, adject., qui contrectari et tangi potest. *Prudent. Apotheos.* 963. Nil contrectabile habere. *Lactant.* 2. 8. et 7. 21. Solidum et contrectabile corpus. Adde *Tertull. Anim.* 57. *Auson.* 9. *Parental.* 3. Nec contrectabile fulmen. — Apud *Lactant.* est qui legit *contractabilis.*

CONTRECTĀBĪLĪTER *vel* contractabiliter, adverb. contrectando, per contrectationem. *Lucret.* 4. 661. lævissima corpora debent Contrectabiliter caulas intrare palati.

CONTRECTĀTĬO, ōnis, f. 3., contrectandi actus. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 77. Cur non gestiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? Adde *Dig.* 41. 2. 3. § 18. ¶ 2. Speciatim apud JCtos est attrectatio, quæ manibus fit, vel etiam asportatio rei alienæ, furti causa. *Paul.* 2. *Sentent.* 31. § 29. Fullo et sarcinator, qui polienda vel sarcienda vestimenta accepit, si forte his utatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur, quia non in eam causam videntur accepta. *Dig.* 47. *tit.* 2. *qui est* De furtis 1. Furtum est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, etc. *V.* CONTRECTO 4.

CONTRECTĀTOR, *vel* contractator, ōris, m. 3. occurrit speciatim tantum apud JCtos, et est qui contrectando furatur. *Ulp. Dig.* 47. 2. 36. Si cum rebus aufugerit, posse furti actione sollicitatorem conveniri, quia opem consiliumve contrectatori tulit. *V.* CONTRECTO 4.

CONTRECTĀTUS *vel* contractatus, a, um. *V.* voc. seq.

CONTRECTO *vel* contracto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*cum et tracto*). Part. *Contrectans* I. 1.; *Contrectatus* I. 1. et 2.; *Contrectandus* I. 1. et II. — Contrecto est manu tracto, attrecto, manu verso (It. *toccare*, *maneggiare*; Fr. *toucher*, *manier*, *tâter*; Hisp. *tocar*, *manejar*, *palpar*; Germ. *eine Person oder Sache an- oder betasten, berühren oder befühlen*; Angl. *to touch, handle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 6. 854. Sol nudum contrectans corpus aquai. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 11. *de libro suo.* Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi Cœperis. *Ovid.* 8. *Met.* 606. Pectora tangebam trepido salientia motu: Dumque ea contrecto, totum durescere sensi Corpus. *Id.* 2. *Pont.* 2. 59. Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit, Non contrectari tutius esse putem. *Seneca Const. Sap.* 13. Medicus nec obscena contrectare, nec reliquias et effusa intueri dedignatur. *Id. Ep.* 41. Contrectare leonem. *Fronto de B. Parthico* (edente Romæ *A. Maio*) p. 201. Operæ culinariæ piscem contrectantes. *Colum.* 12. *R. R.* 4. 2. Ne contrectentur pocula, nisi ab impube. *Sueton. Cal.* 42. Contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, super aureorum acervos toto corpore volutatus est. *Id. Ner.* 34. Contrectare membra mortuæ. *Cod. Theod.* 9. 23. 1. Contrectare nummum. *h. e.* utendo. ¶ 2. Speciatim ponitur et pro obscena tactu tentare, vitiare. *Sueton. Domit.* 1. Contrectare multorum uxores. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Contrectata es alicujus osculo, alicujus amplexu. Adde *Plaut. Asin.* 3. 1. 20., *Mil. glor.* 4. 2. 61. et *Pœn.* 5. 5. 32.; et *Justin.* 7. 3. 4. — Hinc figurate *Tac.* 14. *Ann.* 35. Contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. *h. e.* pollutam, corruptam. ¶ 3. Item speciatim dicitur de attrectatione, quæ fit inspiciendi causa cum ipsius inspecti dedecore. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Omnes partes corporis et inspectæ et contrectatæ sunt. Cf. *Sueton. Claud.* 35. ¶ 4. Denique speciatim apud JCtos significat alienam rem manu apprehendere et amovere furandi causa. *Cajus* 3. *Instit.* 195., 198. et 209. Item alienam contrectare. *Paul. Dig.* 41. 2. 3. *ad fin.* Si rem apud te

depositam furti faciendi causa contrectaveris, desino possidere; sed si eam loco non moveris, etsi inficiandi animum habeas, plerique veterum responderunt, recte possessorem me manere, quia furtum sine contrectatione fieri non possit, nec animo furtum admittatur. Adde ibid. 25. 2. 3., 13. 1. 20., 17. 2. 45. et alibi.

II.) Translate. ¶ 1. Contrectare aliquid oculis est contemplari, perspicere, sed fere in malam partem. Tac. 3. Ann. 13. Nam quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere? Adde Lactant. 1. Opif. Dei 15. Aurel. Vict. epit. 5. Contrectare genitalia vultu. ¶ 2. Item est animo versare, animo elaborare. Cic. 3. Orat. 6. 24. Opiniones hominum leviter eruditorum, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulsa et quasi discerpta contrectant. Id. 3. Tusc. 15. 33. Ratio incitat animum ad conspiciendas totaque mente contrectandas voluptates. h. e. contemplandas. Gell. 17. 19. Contrectare studia et disciplinas philosophiæ.

CONTREMISCO, scis, scere, 3. Perf. Contremui vide in voc. seq. — Part. Contremiscendus 2. — Contremisco est valde tremere incipio: et occurrit ¶ 1. Absolute, neutrorum more. Cic. 1. Orat. 26. 121. Tota mente atque omnibus artubus contremiscere. Cæcina apud eumd. 6. Fam. 7. 4. Toto corpore contremisco. ¶ 2. Cum Accusativo rei, quâ quis contremiscit, et est cum tremore pavere. Seneca Ep. 65. extr. Non contremiscamus injurias, non vulnera, non vincula, non egestatem. Sidon. 9. Ep. 11. Cum mihi rigor censuræ tuæ sit ambifariam contremiscendus. Cassiod. Complex. ep. ad Hebr. 3. Contremiscenda est siquidem pœna priscorum.

CONTREMO, mis, mŭi, mere, 3. (cum et tremo) est idem quod tremo, aut valde tremo: et occurrit ¶ 1. Absolute, neutrorum more. Pacuvius apud Cic. 3. Orat. 39. 157. Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit. — Perf. Contremui apud Lucret. 5. 1220. Fulminis horribili cum plaga torrida tellus Contremuit. Id. 3. 845. Omnia cum belli trepido concussa tumultu Horrida contremuere sub altis ætheris oris. Al. leg. auris. Cic. 1. Divinat. 28. 58. Me contremuisse timore perterritum. Adde Catull. 64. 205. Virg. 7. Æn. 515. Contremuit nemus. Ovid. 8. Met. 759. Quercus contremuit. — Figurate. Cic. Sext. 31. 68. Cujus in mea causa nunquam fides virtusque contremuit. ¶ 2. Cum Accusativo rei, quâ quis contremuit, occurrit Perfectum tantummodo. Horat. 2. Od. 12. 8. Unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris. Justin. 32. 4. 14. Cum Hannibalem Romano tonantem bello Italia contremuit.

CONTREMŬLUS, a, um, adject. idem quod tremulus Varro apud Non. p. 251. 27. Merc. de luna. Tum contremula aquilenta apud alta littora oriris ac nobilis omnibus refulges.

CONTRĬBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. idem fere quod tribulatio; sed occurrit translate tantum. Tertull. advers. Jud. 13. ex Isaj. 65. 14. Vos a contribulatione spiritus ululabitis.

CONTRĬBŬLĀTUS, a, um. V. CONTRIBULO.

CONTRĬBŬLIS, is, m. 3. qui ejusdem est tribus: sed Cic. Rosc. Am. 16. 47. pro contribulis dixit tribulis meus, ut civis meus pro concivis. Inscript. optimæ notæ, quippe quæ Tiberio Aug. imperante exsculpta est, apud Marin. Frat. Arv. p. 43. VOS ROGO, BONI CONTRIBVLES, SI SEMPER APPARVI VOBIS BONVS ET VTILIS TRIBVLIS etc. Alia apud Gruter. 873. 4., quæ est apud Orell. 3107. Q. HERENNIO AVITO MONTANVS AVFI CONTRIB. D. Occurrit etiam in Not. Tir. p. 86. — Translate. qui ejusdem religionis est. Sidon. 8. Ep. 13. de Judæo Christianam religionem professo. Commendo Promotum gerulum litterarum, nostrum nuper effectum vestris orationibus contribulem. Adde Vulgat. interpr. Levit. 25. 17., 1. Reg. 20. 6., 2. Macab. 4. 10. et 15. 31., et 1. Thessal. 2. 14.

CONTRĬBŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et tribulo). Part. Contribulatus. — Contribulare translate tantum occurrit, et est molestiis afficere. Tertull. advers. Jud. cap. 5. ex Psalm. 50. 18. Cor contribulatum hostia est Dei. Vulgat. interpr. Psalm. 50. 18. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. et ibid. 73. 13. Contribulasti capita draconum in aquis. Id. Eccli. 35. 22. Ut contribulet dorsum ipsorum. Adde ibid. 35. 23. et 4. 4.

CONTRĬBŬO, bŭis, bŭi, būtum, bŭere, a. 3. (cum et tribuo). Part. Contributus sub a, b, d; Contributurus sub b. — Contribuere est idem quod tribuere, vel simul tribuere, conferre; et speciatim significat accensere, adjicere, et dicitur de urbibus et populis, qui alteri adjunguntur, ut ejus foro ac jurisdictioni subdantur, et quasi unam simul civitatem constituant atque tributa simul pendant. Occurrit autem — a) Absolute. Ovid. 7. Met. 231. Nec non Peneæ, nec non Spercheïdes undæ Contribuere aliquid, juncosque littora Bœbes. Pompon. Dig. 41. 1. 27. Ubi si qui plura contribuuntur, ex quibus unum medicamentum fit, aut coctis odoribus unguenta facimus, nihil hic suum vere dicere potest prior dominus. Plin. 32. Hist. nat. 4. 15. (42). Sed hoc utilius est vitæ, contributa habere remedia. — b) Cum addito Dativo. Liv. 32. 19. Pollicentes Corinthum iis contributurus in antiquum gentis concilium. Id. 38. 3. ad fin. Ambracia tum contribuerat se Ætolis. Adde eumd. 33. 34. et 39. 26. Curt. 5. 3. 16. Uxorium gentem subactam Susianorum Satrapiæ contribuit. Colum. 3. R. R. 3. 2. In agro Gallico, qui nunc Piceno contribuitur. Id. 2. ibid. 9. 17. Inter frumenta panicum et milium ponenda sunt, quamvis jam leguminibus ea contribuerim. Id. 9. ibid. 13. 9. Apibus vetustate corruptis examen novum contribuere. Plin. 4. Hist. nat. 7. 11. (23). Egosthenienses contributi Megarensibus. Adde eumd. 3. ibid. 3. 4. (18). et 14. ibid. 6. 8. (62). et Sueton. Aug. 48. Inscript. apud Rénier. 1357. CONTRIBVTVS EX LEGIONE III. GALLICAS (sic). Colum. 5. R. R. 5. 8. Nisi adminiculum teneræ viti contribueris, prorepens pampinus terræ se applicabit. Seneca Brev. vit. 14. Horum nemo annos — suos tibi contribuet. Dig. 35. 2. 15. Nullum erit legatum, nec ceteris contribuetur. h. e. una cum ceteris confundetur et præstabitur. — c) Cum addito Ablat. et præpos. cum. Cæs. 1. B. C. 60. Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi. Tibull. 1. 6. 61. proprios ego tecum, Sit modo fas, annos contribuisse velim. V. CONTERO. — d) Cum addito Accus. et præpos. in vel ad. Liv. 31. 30. Quondam pagatim habitantes, ne in unam urbem quidem contributi. Id. 42. 37. In Achaicum concilium aliquos contribuere. Vellej. 2. 20. Contribuere novos cives in octo tribus. Plin. 3. Hist. nat. 3. 4. (19). Colonia Illici. In eam contribuuntur Icositani. Justin. 12. 5. In unam cohortem contribuere milites. Liv. 32. 5. Urbes ad condendam Megalopolim ex concilio Arcadum contributæ. Plin. 3. Hist. nat. 11. 16. (99). Contributa eo maritima colonia. — e) Cum Infinito. Capell. 1. p. 10. Illum contribuas manere justis. h. e. facias, ut maneat justis. — NB. Afferunt etiam duo Cicer. locos 14. Phil. 14. 38. et Mil. 30. 82., sed primo loco attribuere, secundo tribuenda plures rectius legunt.

CONTRĬBŪTĬO, ōnis, f. 3. actus contribuendi, seu plura in unum conferendi. Paul. Dig. 14. 2. 1. Si levandæ navis gratia jactus mercium factus sit, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. Ulp. ibid. 24. 3. 7. § 4. Fructus non debent in contributionem venire. Adde ibid. 33. 2. 30. § 8. Modestin. ibid. 16. 2. 1. Compensatio est debiti et crediti contributio. Ibid. 35. 2. 11. § 6. Contributio legatorum. Inscript. apud Fabrett. p. 724. n. 443. VT EX REDITV EIVS SVMMAE IN CONTRIBVTIONE SPORTVLARVM DIVIDERETVR.

CONTRĬBŪTUS, a, um. V. CONTRIBUO.

CONTRISTĀTĬO, ōnis, f. 3. molestia, mœror. Tertull. 2. advers. Marcion. 11. Sine ulla contristatione. Adde eumd. Pudic. 7.

CONTRISTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CONTRISTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et tristis). Part. Contristatus 1. et 3. — Contristare est tristem reddere: et occurrit ¶ 1. Physica ratione de rebus corporeis seu materialibus, quorum aspectus tristis redditur. Virg. 3. G. 279. unde nigerrimus Auster Nascitur et pluvio contristat frigore cælum. Id. 10. Æn. 275. Sirius — lævo contristat lumine cælum. Horat. 1. Sat. 1. 36. At simul inversum contristat aquarius annum. Adde Auson. Ep. 24. 102. Val. Flacc. 3. 127. humiles aras Instituit, silvâque super contristat opacâ h. e. frondibus obumbrat. Plin. 35. Hist. nat. 17. 57. (194). Veros colores emollit cimolia, et quodam nitore exhilarat contristatos sulphure. Colum. 3. R. R. 2. 20. de vitibus. Humores commodius sustinent, quam siccitates, nec tamen caloribus contristantur. Adde eumd. 3. ibid. 20. 1.; 3. ibid. 21. 6. et 5. ibid. 9. 18. ¶ 2. Morali ratione de hominis animo, qui mœrore afficitur. Cælius apud Cic. 8. Fam. 9. 5. Contristavit hæc sententia Balbum. Seneca Ep. 85. Prudens non perturbatur, nec contristatur, nec timet. Id. Tranquill. 15. Contristare et in sollicitudinem adducere. ¶ 3. Dicitur etiam de brutis animantibus. Colum. 8. R. R. 8. 4. de columbis. Nec minus in agros emittant, ne quasi gravi perpetuæ custodiæ servitio contristatæ senescant. Id. 9. ibid. 14. 11. de apibus. Ne sæpius injuria contristatæ velut desperatione rerum profugiant.

CONTRĪTĬO, ōnis, f. 3. actus conterendi, comminutio.

I.) Proprie. Ennod. opusc. 3. a med. Ursus petulantior caules puberibus foliis latiores immani ingrediens contritione vastavit.

II.) Translate est animi mœror ac pœnitentia, Gr. Θλῖψις. Quintil. 15. Declam. 10. Spem gaudia pariant, adversa contritionem. Alii aliter leg. Certior est lectio apud Lactant. 7. 7. ex Matth. 24. 21. Erit pressura et contritio, qualis nunquam fuit a principio mundi. Augustin. 7. Confess. 7. Magnæ voces erant ad misericordiam tuam, tacitæ contritiones animi mei.

CONTRĪTOR, ōris, m. 3. qui conterit. Plaut. Pers. 3. 3. 14. Compedium contritor. h. e. convicium servi, qui diu compedes tulit. Al. plerique rectius leg. tritor.

CONTRĪTUS, a, um. V. CONTERO.

CONTRO est præpositio loquelaris, quæ occurrit in compositione tantum: V. CONTRA in fin.

CONTRŎVERSĬA, æ, f. 1. (contra et verto). Licenter secundam syllabam corripit Sidon. 8. Ep. 11. Nunc flammant satyræ, et tyrannicorum Declamatio controversiarum. — Controversia proprie ac stricto sensu est directio in contrarium, qua scilicet aliquid ex adverso movetur.

I.) Proprie. Ulp. Dig. 39. 2. 24. § 5. Si controversia aquæ insulam subverterit. controversia est vis et impetus aquæ contra insulam versæ.

II.) Translate sæpius occurrit, et est disceptatio, lis, contentio, pugna; et — a) Primo dicitur de iis disputationibus et causis, quæ habentur in genere judiciali, in materia, ut vocant, civili, quæ criminali opponitur. Cic. Cæcin. 2. 6. Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. Id. 2. Orat. 24. 104. Sive ex crimine causa constet, ut facinoris; sive ex controversia, ut hereditatis; sive ex deliberatione, ut belli; sive ex persona, ut laudis; sive ex disputatione, ut de ratione vivendi. — b) Deinde latius aliquanto sumitur pro omni hypothesi, seu causa, quæ pertinet ad genus judiciale, sive criminis sit, sive disceptationis: qua ratione distinguitur a contentione, quæ videtur universim disputationem et disceptationem omnem significare; et a suasoria, quæ pertinet ad genus deliberativum, et levior est, minusque prudentiæ exigens, ideoque pueris delegari solebat, controversia vero robustioribus, ut Tac. dial. de orat. 35. docet. Cic. Orat. 11. 45. Quoniam quidquid est, quod in controversia, aut in contentione versetur, etc. Adde Quintil. 3. 6. 44. — Hujusmodi controversiæ sive fictæ, sive ex historia depromptæ, vel etiam ex re et facto, si quod forte recens accidisset, ad usum forensem accommodatæ, disceptari solebant domesticæ exercitationis gratia ab iis, qui in scholis dabant operam eloquentiæ. Quare a Tac. dial. de orat. 14. vocantur controversiæ scholasticæ: quales multæ reperiuntur apud Senecam, et duæ proponuntur a Sueton. Rhet. 1. Hac ratione distinguitur controversia a declamatione, tum quia declamatio est ipsa oratio, quæ de controversia habetur; tum quia illa fictam causam continere videtur, et aliquando etiam ab usu forensi abhorrentem (ut est apud Tac. dial. de orat. 35.), controversia vero veram et veris judiciis accommodatam. Sæpe tamen promiscue accipiuntur. V. Senec. procem. lib. 1. Controv.; Quintil. 5. 5.; et Sueton. Rhet. 1. — c) Denique latissime sumitur pro quacumque lite, disceptatione, aut disputatione: quare latissimo hoc sensu vocabulum accipiendum putavimus. Plaut. Rud. 3. 5. 46. Apage, controversiast. Adde eumd. Aulul. 2. 2. 83. Ter. Phorm. 5. 6. 14. Nam sine controversia ab dis solus diligere, Antipho. Cic. 3. Off. 2. 7. Panætius, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit. Adde eumd. 13. Fam. 26. 3. Id. Cæcin. 7. 19. Fundus, quem sine ulla controversia possedit Cæsennia. Id. 4. Verr. 18. 46. Cujus hereditatis — controversia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Id. Orat. 34. 121. Nihil

ambigi potest, in quo non aut res controversiam faciat, aut verba. h. e. dubitationem atque adeo disputationem pariat. *Cæs.* 1. *B. C.* 86. Cum de loco et tempore ejus rei controversia inferretur. *Liv.* 40. 34. Agrum, qui in controversia fuerat, obtinuit. *Seneca* 1. *Controv. proœm.* Controversiarum sententias forte ponam pluribus locis in una declamatione dictas. *Quintil.* 2. 4. 26. Cujus (*voluntatis*) in controversiis frequens quæstio est. — Porro jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 183. adducere rem in controversiam. *Cæs.* 7. *B. G.* 32. alere diutius controversias. *Cic. Orat.* 14. 43. avocare controversiam ab aliqua re. Adde *Quintil.* 3. 5. 15. *Cæs.* 1. *B. C.* 9. *extr.* componere controversias per colloquia. *Afranius* apud *Non.* p. 433. 30. *Merc.* concionare aliquid controversim. *Cic.* 1. *Orat.* 31. 143. constituere controversiam. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. deducere rem in controversiam. *Quintil.* 3. 8. 51. dicere controversiam. *Cic. Cæcin.* 17. 49. dijudicare controversiam verbis, non æquitate. *Id.* 3. *Off.* 33. 119. dirimere controversias. *Id. Cæcin.* 2. 6. distrahere. *V.* integrum locum supra sub *a.*; et adde *Sueton. Cæs.* 85. *Quintil.* 3. 8. 52. ducere rem in controversiam. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 83. est controversia alicui cum aliquo. *Cic.* 5. *Verr.* 84. 194. est controversia alicui cum aliquo de aliqua re. *Id. Rosc. Am.* 31. 87. et 2. *Fin.* 12. 38. est alicui controversia rei alicujus cum aliquo. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. est inter aliquos controversia. *Cic. Brut.* 18. 72. est inter scriptores de numero annorum controversia. *Id.* 2. *Orat.* 82. 335. est controversia, utrum sit melius. *Id. Cæcin.* 11. 31. controversia non erat, quin verum dicerent. Adde *Liv.* 4. 17. *Cic.* 1. *Herenn.* 10. 17. jure fecerit, et licueritne facere, id est in controversia. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 28. 45. et *Liv.* 40. 34. *Cic.* 1. *Herenn.* 31. 140. existunt controversiæ ex scripti interpretatione. *Liv.* 3. 40. facit aliquis controversiam. *Seneca Ep.* 110. *sub fin.* facere alicui de re aliqua controversiam. *Cic.* 13. *Fam.* 30. 1. habere controversiam de aliqua re. *Id.* 13. *ibid.* 69. 2. habere controversiam cum aliquo de fundo. *Id.* 4. *Verr.* 49. 132. habere inter se controversias de aliqua re. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. habere perpetuas controversias inter se, uter alteri anteferretur. *Cic.* 2. *Herenn.* 27. 43. inducitur controversia de aliqua re. *Id.* 2. *ibid.* 28. 45. intendere controversiam propter aliquam rem. *Ulp. Dig.* 1. 7. 35. movere controversiam. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. orta controversia inter eos de principatu. Adde *Cic. Cluent.* 59. 161. *Id. Cic. Balb.* 19. 43. sedare controversiam. *Id.* 9. *Phil.* 5. 11. tollere. *Id.* 1. *Orat.* 31. 139. et *Quintil.* 3. 6. 44. venit aliquid in controversiam. *Cic. Orat.* 14. 45. versatur aliquid in controversia. *Id.* 13. *Fam.* 26. 2. et 2. *Orat.* 72. 291. vocatur res in controversiam. — De lite, querela, jurgio. *Inscript.* apud *Gruter.* 759. 2. C. AONIVS VITALIS VXORI INCOMPARABILI QVAE VIXIT MECVM SINE VLLA CONTROVERSIA ANNOS XVIII. etc. Adde *aliam* apud *eumd.* 795. 6.

CONTRŎVERSĬĀLIS, *vel* controversalis, e, adject. ad controversiam pertinens. *Frontin. de controv. agr.* p. 51. *Goes.* In istis velut instantium argumentorum opportunitas controversialis aptatur. Adde *Sidon.* 7. *Ep.* 9. et 8. *Ep.* 11. *post carmen.*

CONTROVERSIM. *V.* **CONTRAVERSIM.**

CONTRŎVERSĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a controversia, levis controversia. *Hieronym.* 1. *in Rufin.* n. 30. Controversiolam declamare. Adde *Diomed.* 1. p. 313. *Putsch.*, qui hanc vocem inter Latina deminutiva recenset.

CONTRŎVERSĬŌSUS, a, um, adject. controversiæ plenus, controversus, ambiguus. *Liv.* 3. 72. Quem enim hoc privatæ rei judicem fecisse, ut sibi controversiosam adjudicaret rem? *Est qui legit* controversam. *Seneca Ep.* 85. *a med.* Respondere conantur, falsam nos rem et controversiosam pro confessa inducere. *Hic quoque alii leg.* controversam.

CONTRŎVERSOR, āris, ari, dep. 1. (contra et versor), contendo, discepto, litigo. *Cicero* apud *Priscian.* 3. p. 803. *Putsch.* A vobis postulo, ut inter vos de hujusmodi rebus controversemini, non concertetis. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Qui nascuntur ex fratribus, nihil invicem controversantur.

CONTRŎVERSUS, a, um, part. ab inus. *controverto*, qui contra seu ex adverso positus est.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 48. Perticis controversis collatis. *Ammian.* 14. 2. 3. Littoribus Cypriis contigui navigabant, quæ sunt Isauriæ scopulis controversa. *Videtur tamen legendum* contraversa: *sic enim duos similes Solini locos corrigit* Salmas. *V.* CONTRAVERSUS. Adde *eumd.* 22. 8. 2. et 22. 15. 7.

II.) Translate. ¶ 1. Controversus est contrarius, oppositus. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Non aliter tam controversa sibi ac repugnantia, et naturæ communionem abnuentia permisceri, terram dico et ignem potuisse. *Auson. Ephem. ad fin.* Sunt qui et fletus et gaudia controversa Conjectent. ¶ 2. Sæpius controversus dicitur qui est in controversia, litigiosus, ambiguus. *Cic.* 2. *Divinat.* 50. 104. Sed isti sumunt pro certo, quod dubium controversumque est. *Id.* 1. *Legg.* 20. 52. Res controversa et plena dissensionis inter doctos. Adde *Quintil.* 3. 3. 8. et 5. 9. 2. *Cic. Mur.* 13. 28.; *Liv.* 3. 55. et *Quintil.* 7. 6. 1. Jus controversum. *Liv.* 10. 42. Auspicium controversum. Apud *Quintil.* 5. 13. 34. et 5. 14. 14. Confessa opponuntur controversis. — *NB.* Apud *Cic. Brut.* 12. 46. Quod esset acuta illa gens (*h. e.* Siculi) et controversa natura. *controversus* est qui contentionis et litium amans est. At recentiores plerique omnes locum corruptum esse putant.

CONTRŬCĬDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTRŬCĪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et trucido). Part. *Contrucidatus* I. 2. — Contrucidare est idem ac trucidare, crudeliter necare, vulneribus confodere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est verbum venatorum et laniorum, qui bestias humi prostratas vulneribus confodiunt. *Seneca Ep.* 115. Colitur non taurorum corporibus contrucidatis, sed pia voluntate. *Sueton. Cæs.* 75. Bestias contrucidare. ¶ 2. Latiori sensu ponitur et de hominibus pro necare, occidere. *Cic. Sext.* 37. 79. A quibus hic multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore et contrucidato, se abjecit exanimatus. *Seneca* 1. *Ira* 2. Plebem immisso milite contrucidatam. *Sueton. Domit.* 17. Vulneribus septem contrucidarunt. *Id. Cal.* 28. Missis, qui universos contrucidarent. Adde *eumd. Ner.* 43. et *Galb.* 19. *extr. Apul.* 9. *Met.* Arrepto ferro, jugulum sibi multis ictibus contrucidat.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 10. 24. Hi summi imperii nomine armati rem publ. contrucidaverunt.

CONTRŪDO, dis, si, sum, dere, a. 1. (cum *et* trudo) idem ac trudo, vel simul trudo: et occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 510. Nubes vis venti contrudit. *Id.* 6. 734. Contrusæ nubes. *Id.* 6. 1254. Contrusa corpora casis. *Ammian.* 21. 6. Persarum rege ægre contruso. — *b*) Addito loco, in quem quis truditur. *Cic. Cæl.* 26. 63. Homines contrudi in balneas. *Al. leg.* condi. *Id.* 7. *Verr.* 27. 69. Quod eodem ceteros piratas contrudi imperaret. *Lucret.* 4. 423. Stantis equi corpus transversum ferre videtur Vis, et in adversum flumen contrudere raptim. *Id.* 6. 211. Hasce (*nubes*) igitur quam ventus agens contrusit in unum. *Varro* 1. *R. R.* 54. 2. Contrudere uvas in dolium. *Id.* 8. *L. L.* 31. *Müll.* Quo necessitas contruserit (*nos*). *Ammian.* 27. 20. Latrones ad latebrosa montium saxa contrudere. — Et de uno tantum *Id.* 22. 3. Aliquem in insulam contrudere.

CONTRULLEUM, ei, n. 2. idem ac trulleum. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 164., ubi tamen legitur *contrulium*.

CONTRUNCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* trunco) idem quod trunco, sive in frusta concido. *Plaut. Stich.* 4. 1. 48. Quod edant addas, meum ne contruncent cibum. *h. e.* detrahant, imminuant. *Id. Bacch.* 4. 9. 51. Eos omnes duobus ictibus contruncabo. *Lamprid. Alex. Sev.* 61. Inermes et obsistentes contruncaverunt. *h. e.* occiderunt. *Apul.* 1. *Met.* Dum polentæ caseatæ modico securius offulam grandiorem contruncare gestio. *Id.* 9. *ibid.* Moles palearum contruncare.

CONTRŪSUS, a, um. *V.* **CONTRUDO.**

CONTŬBERNA, æ, f. 1. eadem ac contubernalis. *Inscript.* apud *Gud.* 363. 11. VESTIARIA SEVERA VIXIT ANNIS XXX. PHARNACES CONTVBERNAE SVAE BENEMERENTI FECIT.

CONTŬBERNĀRĬUS, a, um, adject. contubernalis. *Gloss. Philox.* Contubernarius, σύνοικος, σύσκηνος.

CONTUBERNUS, i. *V.* **CONTUBERNIUM** sub *A.* I. 3. *d.*

CONTŬBERNĀLIS, is, comm. gen. 3. (cum *et* taberna). In sexto casu in e quoque desinit. *Pompon.* apud *Charis.* 1. p. 99. *Putsch.* Cum contubernale pugnavi. — Per tmesin dividitur. *Consentius de barbar. et metapl.* (edente *Phil. Buttmanno*) p. 12. *Conque tubernalem*, pro *contubernalem*, quo *Lucilius* in metro crebro utitur. — Ceterum *contubernalis* est qui vel quæ cum alio vel alia in eadem taberna habitat: V. *Paul. Diac.* p. 38. 6. *Müll.*: sed tamen occurrit ¶ 1. In re militari et quidem generatim *contubernalis* est miles, qui in eodem exercitu una cum aliis sub eodem tentorio habitat: ita dictus a *tabernis*, ut docet *Paul. Diac. loc. cit.*, h. e. habitaculis militum, quæ olim e tabulis fiebant: unde et tabernacula dicta sunt, licet postea ex tentoriis et ex pellibus fierent. Scribit *Veget.* 2. *Milit.* 8. *et* 13. in legione fuisse *decanos* (similes iis, quos nunc dicimus *caporali*), qui præerant decem militibus; deinde *capita contuberniorum* dictos. Ex quo intelligimus, decem vel undecim milites eodem tabernaculo usos fuisse. Atque hi *contubernales* sunt appellati. *Cic. Ligar.* 7. 21. Domi una eruditi, militiæ contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. Adde *eumd. Sull.* 14. 44. *Auct. B. Alex.* 16. Eodem suum quisque contubernalem, amicum, notum prosequens erat obtestatus. Adde *Pompon. loc. cit. sub init.*; *Curt.* 6. 2. 16.; *Tac.* 1. *Hist.* 23.; *Dig.* 13. 6. 21. § 1.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3557. ¶ 2. Speciatim. Magistratuum militarium in provincias abeuntium comites adjungebantur ex more Romanorum, senatorum filii, qui ab iis tum militarem disciplinam, tum gubernandi artes perdiscerent: hi quoque *contubernales* dicti, quod ab eorum latere numquam discederent. *Cic. Cæl.* 30. 73. Cum paullum jam roboris accessisset ætati, in Africam profectus est, Q. Pompejo proconsuli contubernalis. *Id. Planc.* 11. 27. Fuit in Creta contubernalis Saturnini. *Sueton. Cæs.* 42. Sanxit, ne quis senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistratus peregre proficisceretur. — *Contubernales* hujusmodi a *comitibus* (de quibus in COHORS et COMES dictum est) ita distinctos puto, ut ii essent sine officio, utpote qui solum discendi gratia magistratus sequebantur: hi vero etiam officium et munus aliquod nonnumquam haberent, quo magistratui aliqua ex parte inservirent in provinciæ administratione. Hinc *Veget.* 3. *Milit.* 8. *a med.* Tribunis tabernacula collocantur, quibus, per contubernales deputatos ad munia, aqua, lignum et pabula ministrantur. — Ceterum ἰρωνικῶς *Cœlius* apud *Quintil.* 1. 2. 123. *præclaras contubernales* appellat meretrices, quæ sub eodem tentorio cum imperatore Antonio habitabant. ¶ 3. Item speciatim et latiori sensu *contubernalis* dicitur qui alicujus est socius, h. e. collega in republica administranda. *Cic. Brut.* 27. 105. Noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat. *Id. Sull.* 13. 34. Meus contubernalis in consulatu. ¶ 4. Item latissimo sensu et per similitudinem, sed jocülariter tantum, *contubernalis* dicitur, qui alicujus necessitudinis causa diutius cum alio vivit, familiaris, domesticus. Sic *contubernalis* opponitur *hospiti* in illo *Cic.* 9. *Fam.* 20. 1. Doleo in ista loca venire me non potuisse. Habuisses enim non hospitem, sed contubernalem. *Contubernalis* vero et *hospes* ἐκ παραλλήλου occurrunt apud *Cic. Flacc.* 17. 41. *V.* integrum locum. Adde *eumd. ibid.* 11. 24. — Contra, remoto joco, *Plin.* 2. *Ep.* 13. Hunc ego, cum simul studeremus, arcte familiariterque dilexi: ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis. — Denique *Cic.* 13. *Att.* 23. 3. C. Cæsarem vocat *contubernalem Quirini*, quia suam statuam passus fuerat, se vivo, in ejus templo collocari; quod significat etiam *Sueton. Cæs.* 76. *Contubernalem* vero dixit *Cic.* Græcum σύνναον imitatus; de eodem enim Cæsare ait *Id.* 12. *Att.* 45. 3. Eum σύνναον Quirino malo, quam Saluti. ¶ 5. Denique servi conjuges, quia inter illos verum connubium non erat; item alii, qui una quidem vivebant, sed justo matrimonio juncti non erant, *contubernales* dicebantur, sed vulgari tantum loquendi ratione. — *a*) Mascul. genere. *Colum.* 12. *R. R.* 1. 1. Contubernalis villicæ, h. e. maritus. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 3. 7. — *b*) Femin. genere. *Petron. Satyr.* 96. Contubernalis mea mihi fastum facit. *Callistrat. Dig.* 50. 16. 220. Villicus et contubernalis ejus. h. e. uxor. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 8. 5.; *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 17. (42).; *Dig.* 40. 5. 41. § 15.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2807., 2834., aliasque. — Interdum et liberi conjuges *contubernales* dicuntur. Probant hoc Inscriptiones bene multæ apud *Fabrett.* c. 1. a num. 386. deinceps. — Jocülariter *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 28. Nisi quidem illa nos vult, qui servi sumus, propter amorem suum o-

mnes crucibus contubernales dari. *h. e.* cruci affigi, seu quasi conjugali vinculo cum cruce conjungi.

CONTŬBERNĬUM, ii, n. 2. (cum *et* taberna) occurrit *A*) Abstracte; et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte, et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. In re militari et generatim, *contubernium* est convictus et sodalitas decem militum (tot enim olim in singulis tentoriis simul erant) sub decano, qui *caput contubernii* dicebatur, ut in voce superiori sub 1. dictum est. Cf. *Veget.* 2. *Milit.* 13. et *Paul. Diac.* p. 38. 8. *Müll. Tac.* 1. *Ann.* 41. Gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere: progrediuntur contuberniis. Quis ille flebilis sonus? etc. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 80. ¶ 2. Speciatim est convictus adolescentum nobiliorum, qui magistratus in provincias sequebantur, eosque assidue sectabantur, quo rei militaris et provinciarum peritiam sibi compararent. *Cic. Planc.* 11. 27. Adolescentulus cum Torquato profectus in Africam, sic ab illo dilectus est, ut contubernii necessitudo et adolescentuli modestissimi pudor postulabat. *Sall. Jug.* 63. Militare contubernio patris. Adde *Liv.* 42. 11. et *Sueton. Cæs.* 2. — Hinc ἑρωτικῶς de meretrice, quæ sub eodem tentorio cum Verre habitabat, *Cic.* 7. *Verr.* 40. 103. Ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo littore? Cf. *Cœlius* apud *Quintil.* 4. 2. 123.; *V.* CONTUBERNALIS 2. ¶ 3. Latiori sensu ac per similitudinem *contubernium* dicitur — *a*) Convictus cum aliquo magistratu, præceptore, cognato aut affine, familiari, etc. *Seneca Ep.* 6. Magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. *h. e.* circulus seu convictus cum sapientibus. *Sueton. Aug.* 89. Arei philosophi contubernium iniit. *Id. Tib.* 14. Thrasyllum mathematicum contubernio admoverat. *Id. ibid.* 56. Seleucum grammaticum a contubernio removit. Adde *eumd. Gramm.* 7. et *Rhet.* 6.; et *Plin.* 3. *Ep.* 8. *Id. Plin.* 10. *ibid.* 95. Assumere aliquem in contubernium. Adde *Tac. dial. de orat.* 5. — *b*) *Contubernium* est etiam in uno eodemque templo cohabitatio apud *Sueton. Cal.* 22. Cf. *Contubernalis* 4. in fin. — *c*) Item æditui habitatio ædi vel templo contigua. *Tac.* 3. *Hist.* 74. Domitianus prima irruptione apud æditum (*Jovis Capitolini*) occultatus delituit: ac, potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum Jovi Conservatori aramque posuit. — *d*) Denique contubernium etiam dicitur sodalitas, seu collegium sacerdotum alicujus numinis. *Inscript.* apud *Guarinium, Illustrazione della campagna Taurasina*, p. 6. a. MINIO S. F. TER. SILVANO CONTVBERNIVM VENERIS PATRONO OB MERITA EIVS L. D. D. D. *Alia* apud *Orell.* 1333. IN H. D. D. D. NEPTVNO CONTVBERNIO NAVTARVM CORNELIVS ALIQVANDVS D. S. D. In hac *Inscript.* nonnulli minus recte leg. *contuberno.* ¶ 4. Item contubernium dicitur convictus maris cum femina; atque — *a*) Ita appellatur maritalis conjunctio servorum, inter quos olim verum matrimonium esse non potuit. *Scævola Dig.* 40. 4. 59. Eutychia pedisequa actori in contubernio tradita. Adde *Curt.* 5. 5. 20. et *Colum.* 12. *R. R.* 1. 2. — *b*) De turpiori consuetudine liberi hominis cum serva, aut liberæ mulieris cum servo. *Sueton. Vesp.* 3. Cænidem Antoniæ libertam, dilectam quondam sibi, revocavit in contubernium. Adde *eumd. Cæs.* 49. et *Cal.* 39.; *Petron. Satyr.* 92.; et *Dig.* 21. 1. 35. — *c*) Eleganter ad bruta transtulit *Phædr.* 2. 4. *V.* locum.

II.) Improprie seu figurate. *Val. Max.* 9. 5. sub *fin.* Felicitatis et moderationis dividuum contubernium est. *h. e.* simul in eodem homine non reperiuntur. *Seneca* 4. *Quæst. nat. proœm.* Necesse est assidua sit in tam magno vitiorum contubernio rixa. *Quintil.* 14. *Declam.* 10. *extr.* Homo ab omnibus gaudiis in contubernium doloris adductus.

B) Concreto, uti ajunt, sensu contubernium est locus, in quo plures simul habitant: hinc ¶ 1. In re militari est tabernaculum, tentorium, in quo milites simul habitant. *Cæs.* 3. *B. C.* 76. Depositis in contubernio armis, vallum relinquebant. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 17. ¶ 2. In re civili ponitur de quacumque domo, quam quis simul cum alio habitavit, ac præcipue de domo alicujus principis viri. *Sueton. Cal.* 10. Primum in matris, deinde in Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit. Adde *eumd. Ner.* 35. ¶ 3. Item de servorum habitaculo. *Tac.* 1. *Hist.* 43. Piso in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio ejus abditus, etc. ¶ 4. Denique de fucorum cellis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 10. (26). *de apibus.* Domos primum plebi exædificant, deinde regibus. Si speratur largior proventus, adjiciuntur contubernia et fucis.

CONTŬBŬLĀTĬO. *V.* CONTABULATIO.

CONTŬĔOR, tŭĕris, tŭĭtus sum, tŭēri, dep. 2. (cum *et* tueor). *Contui* pro *contueri* antiquum, ut Incœpi contui, *Pomponius* apud *Non.* p. 470. 31. *Merc.* Sic *intui* pro *intueri* apud *Turpilium ibid. V.* CONTUOR. — Part. *Contuens* sub *A.* I. 1. et 2.; *Contuitus* sub *A.* I. 2.; *Contuendus* sub *A.* I. 2. et II. — Contueri est *A*) Idem quod tueri, aspicere, intueri; et *B*) Custodire, tueri.

A) Contueri est tueri, aspicere, intueri; et usurpatur

I.) Proprie — *a*) Raro absolute. *Cic.* 3. *Nat. D.* 4. 9. Cur contuerere autem altero oculo, causa non esset. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (132). Scarabæi viridis natura contuentium visum exacuit. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 37. 55. (151). et *Sueton. Aug.* 79. — *b*) Sæpius cum Accusativo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 3. 8. Cur te duobus contuear oculis, et non altero tantum. *Id.* 3. *Orat.* 59. 221. Aliquid contuentem pronunciare. *Id.* 1. *Tusc.* 20. 45. Quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit, ejusque situm, formam, etc.? *Id.* 6. *de republ.* 23. 25. Si alte spectare voles, atque ad hanc sedem et æternam domum contueri. Ita *Aldus*: plerique alii cum *P. Victor.* omittunt *ad. Id. Sull.* 27. 74. Aspicite ipsum, contuemini os. *Nepos Chabr.* 1. Id novum Agesilaus contuens progredi non est ausus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (142). Longinqua alii contuentur. *Sueton. Aug.* 94. Augustum non sine admiratione contuitus. *Gell.* 5. 14. Paullatim oculos ad contuendum leonem refert. — Figurate de inanimis. *Cic. Dom.* 57. 146. Urbis celeberrimæ et maximæ partes adversum illud non monumentum, sed vulnus patriæ contuentur.

II.) Translate est animo contemplari ac perpendere. *Lucret.* 6. 653. Quod bene propositum si plane contueare, Ac videas. *Cic.* 3. *Tusc.* 16. 35. A contuendis malis aliquem avocare.

B) Item est custodire, tueri. *Varro* 2. *R. R.* 5. 16. In alimoniis armenticium pecus sic contuendum, lactentes cum matribus ne cubent: obteruntur enim. *Festus* p. 355. 3. *Müll.* Ponitur tueor pro video, et *contueor* pro defendo. *Müll.* vero rectius leg. *pro conspicio.*

CONTŬĬTUS, a, um. *V.* voc. praeced.

CONTŬĬTUS vel contutus, us, m. 4. Extra Ablativum casum caret, quod sciam, exemplis: nisi illud *Ciceron.* afferas *Sext.* 54. 115. Vester in me animorum oculorumque contuitus. Verum alii leg. *conjectus*, quod certe multo Latinius est. *V.* tamen secundum *Ambrosii* locum sub II. — Ceterum contuitus

I.) Proprie est actus contuendi, aspectus. *Plaut. Trin.* 2. 1. 27. Amor fugit forum, fugat tuos cognatos, fugat ipse se a tuo contuitu. *Curt.* 5. 12. 19. Omnia tutiora parricidarum contuitu rатus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 16. (63). Smaragdi soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. *Id.* 11. *ibid.* 37. 54. (145). Oculi contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes. *Ammian.* 18. 8. Esto in contuitu.

II.) Translate est idem quod respectus, cum scilicet in agendo habetur ratio alicujus rei, et quasi eam tuemur et contemplamur. *Capell.* 8. p. 244. Multæ admodum rationis, nec ejusdem despicabilis temnendaque contuitu. *V.* INTUITUS. *Ambros.* 3. *Hexæm.* 2. *in fin.* Sesostris Ægyptius, qui antiquior fuit, et Darius Medus, qui majoris contuitu potentiæ in effectum voluit adducere, quod ab indigena fuerat ante tentatum. *h. e.* ut duo maria conjungeret. *Id.* 1. *de Abraham* 2. *in fin.* Et ideo Deum præferre debemus omnibus, nec patriæ contuitus, nec parentum filiorumque gratia, nec uxoris contemplatio nos revocare debet ab executione præceptorum cœlestium. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1.; et *V.* CONTEMPLATIO.

CONTŬMĀCĬA, æ, f. 1. (contumax) superbia, et insolens animi elatio et prava contentio, qua cedere majoribus, honoremque illis habere et obedire ac vereri obstinate detrectamus, contemptu quodam et ferocia animi: unde *ferocitatem* et *contumaciam* conjungit *Sueton. Vitell.* 12., et *Tac.* 4. *Ann.* 20. *abruptam contumaciam* opponit *deformi obsequio.* Ea consistit tam in dictis, quam in factis. Unde *contumaciam* vocat *Sueton. Aug.* 54. quod quidam senatores nimis licenter dictis procacibus et factis etiam Augusto obstitissent (It. *contumacia, orgoglio, disubbidienza, ostinazione*; Fr. *indocilité, obstination, orgueil, esprit de révolte, résistance*; Hisp. *indocilidad, pertinacia, orgullo, resistencia*; Germ. *d. Trotz, Widerspenstigkeit, trotziges, unbeugsames Wesen, hartnäckige Weigerung*; Angl. *contumacy, stubbornness, obstinacy, frowardness, perverseness, disobedience*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) Sæpius in malam partem accipitur. *Cic.* 6. *Verr.* 41. 89. Illa tua singularis insolentia, superbia, contumacia. *Id. Rosc. Com.* 15. 44. Est tuæ contumaciæ et arrogantiæ vox. *Id. Pis.* 31. 78. Torquatus furebat contumacia responsi tui. *Id.* 5. *Verr.* 2. 5. Oris oculorumque contumacia ac superbia. *Liv.* 2. 61. Idem habitus oris, eadem contumacia in vultu, idem in oratione spiritus erat. *Id.* 9. 46. Contumaciā adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certavit. *Curt.* 6. 8. 3. Contumaciæ suspectus Philotas. Adde *eumd.* 8. 6. 1. et 10. 2. 10. *Tac.* 1. *Ann.* 24. Legiones incuria et vultu contumaciæ propiores. *Sueton. Aug.* 54. Libertas aut contumacia. — *b*) Raro admodum in bonam partem accipitur pro constantia, Gr. μεγαληγορία. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Socrates nec patronum quæsivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit; adhibuitque liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia. *Quintil.* 2. *Declam.* 5. Maxima est innocentiæ contumacia. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *contumacia* est eorum, qui a judice ter, vel semel pro tribus vicibus evocati, comparere recusant: qui hodieque apud Italos dicuntur *cadere in contumacia. Hermogenian. Dig.* 42. 1. 53. et 36. 7. 40.

II.) Translate tribuitur — *a*) Brutis animalibus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 11. Contumacia pervicax boum. — *b*) Item rebus inanimis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 58. (134). *de arboribus.* Non omnia in omnibus locis nasci docuimus. Hoc alias fastidio, alias contumacia, sæpius imbecillitate evenit.

CONTŬMĀCĬTER, adverb. Comp. *Contumacius* I. et II. — Contumaciter est obstinate, superbe.

I.) Proprie de hominibus occurrit, et quidem — *a*) Fere in malam partem. *Cic.* 6. *Att.* 1. 7. Ad me autem, etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere. *Id.* 16. *ibid.* 4. 1. Satis graviter et non contumaciter. *Id.* 2. *Divinat.* 33. 71. Contumaciter repudiare morem patrium. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. *ad fin.* Contumaciter vexare aliquem. *Nepos Cimon.* 2. Contumacius gerere se. *Liv.* 2. 58. Contumaciter omnia agere: nec pudor, nec metus coercebat. *Curt.* 4. 7. 31. Immortalitatem affectare contumacius. *Quintil.* 11. 3. 11. Non contumaciter consentire. *Plin. Paneg.* 41. Contumaciter adesse. *Sueton. Aug.* 24. Parere contumacius. — *b*) Raro admodum in bonam partem. *Seneca Ep.* 13. Contumaciter resurgere. Adde *Quintil.* 6. *proœm.* 15.

II.) Translate de inanimis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 30. (104). Hæc genera (*lapidum*) scalpturæ contumaciter resistunt. *Id.* 16. *ibid.* 40. 77. (209). Arbor scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus: et ob id contumacius transmittit ferrum. *Id.* 19. *ibid.* 7. 35. (117). Celerrime nascuntur ocimum, blitum: contumacius coriandrum. *Cod. Theod.* 7. 20. 2. Munera contumaciter gravata.

CONTŬMAX, ācis, adject. Comp. *Contumacior* et Sup. *Contumacissimus* I. 1. — Ratione habita etymi, *contumax* est a *cum* et *temno*, teste ipso *Isid.* 10. *Orig.* 45.; quod patet etiam ex *Liv.* 9. 46. Contumacia adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certavit. Item ex *Quintil.* 6. *proœm.* 15. Vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod illam (*fortunam*) ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere. Cf. *Dig.* 42. 1. 53. § 1. — Itaque contumax est superbus, obstinatus, qui majoribus, aut rationi, aut honestati non cedit, sed perstat contemnendo et detrectando (It. *contumace, superbo, ostinato, disobbediente, impertinente*; Fr. *fier, opiniâtre, obstiné, rebelle, récalcitrant*; Hisp. *altanero, porfiado, obstinado, rebelde*; Germ. *widerspenstig, trotzig, halsstarrig*; Angl. *contumacious, obstinate, haughty, disobedient, froward, stubborn*).

I.) Proprie dicitur de hominibus eorumque actibus. ¶ 1. Generatim. — *a*) Fere in malam partem accipitur. *Cic.* 15. *Att.* 15. 2. Saram nefarium hominem cognovi, præterea in me contumacem. *Id.* 4. *Verr.* 73. 192. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? *Id.* 4. *Herenn.* 40. 52. Contumax in superiores. *Curt.* 4. 6. 24. Non interrito modo, sed

contumaci vultu intuens regem. *Seneca Thyest.* 644. Populus contumax regibus suis. *Id. Provid.* 3. Fortunæ contumacissimum quemque aggreditur. *Id. Ep.* 83. Ebrietas contumacissimos et jugum recusantes in alienum egit arbitrium. *Quintil.* 9. *Declam.* 4. Contumacem esse adversus patris imperia. *Id.* 6. 1. 14. Contumax reus. *Tac.* 5. *Ann.* 3. Arrogantiam oris et contumacem animum incusavit. *Id.* 2. *ibid.* 57. Respondere precibus contumacibus. *h. e.* precando quidem, sed simul ostendendo, se non pariturum, si preces non exaudiantur. *Id.* 4. *ibid.* 60. Voces contumaces et inconsultæ. *Sueton. Tib.* 2. Contumax adversus plebem. *Id. Claud.* 35. Epistola contumax. *Cod. Theod.* 8. 14. 1. Filii contumaces. — *b*) Raro admodum in bonam partem accipitur pro constanti. *Tac.* 1. *Hist.* 3. Propinqui audentes, constantes generi, contumax, etiam adversus tormenta, servorum fides. Cf. *Martial.* 10. 65. Tu flexa nitidus coma vagaris: Hispanis ego contumax capillis. *h. e.* capillos habens, qui flecti in cincinnos non possunt. *Sidon. carm.* 9. 219. Non quod Mantua contumax Homero adjecit Latiaribus loquelis. *h. e.* cedere nolens. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *contumax* dicitur, qui tribus propositis edictis, vel uno pro tribus, parere recusat, uti docet *Hermogenian. Dig.* 42. 1. 53. Adde *eumd.* 48. 19. 5. *Plin. Paneg.* 40. Alius, ut contumacibus irasceretur, tarditatemque solvendi dupli vel quadrupli irrogatione multaret.

II.) Translate tribuitur — *a*) Brutis animalibus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 10. Contumaces boves. *Id.* 8. *ibid.* 2. 8. Gallinæ contumax ad concubitum. *Id.* 6. *ibid.* 37. 4. Asinus contumax servitio. — *b*) Item inanimis. *Phædr.* 4. 7. 5. Lima contumax. *h. e.* morsus viperæ non admittens. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 29. (50). Cardamomum contumax frianti. *h. e.* difficile tritu. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (43). Laricis incorrupta vis, mori contumax. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (42). Laserpitium res fera ac contumax. *h. e.* difficilis culturæ. *Martial.* 9. 12. Syllaba contumax. *h. e.* quæ in versum per leges prosodiæ nequit admitti.

CONTŬMĒLIA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, *Forcellino* verior derivatio videbatur esse a *tumeo*; et primo turgidi maris impetum significare, quo sensu usurpasse *Cæs.* 3. *B. G.* 13., cujus verba *V.* infra sub 3. Sed est a *contemnendo*, ut *Ulp.* docet *Dig.* 47. 10. 1. *pr.*, item *Seneca Constant. Sap.* 11.; præterea cf. CONTUMAX sub init. Hinc *contumelia* morali sensu accipitur Græcoque vocabulo ὕβρις omnino respondet, et est actio contemnens, moralis alicujus famæ læsio quæ fit per contemptionem: (in quo differat ab *injuria* V. Homonym. in fin.) et plerumque intelligitur ea, quæ fit verbis; aliquando etiam, quæ factis, in quibus inest contemptio (It. *villania, onta, scherno*; Fr. *affront, outrage, insulte*; Hisp. *afrenta, ultraje, insulto*; Germ. *die Beschimpfung, d. Schmach, Misshandlung, entehrende Verletzung*; Angl. *an affront by word or deed, an injury coupled with contempt, a reproach, outrage, insult, contumely*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 222. Sed ut in Scævola continuit ea (*salsa dicta*) Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque lusit: sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia judicabat, utroque genere pugnavit. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 41. 94. *Id. Orat.* 26. 89. Insanabiles contumeliæ. *Id.* 2. *leg. Agr.* 24. 63. Sine contumelia nominari. *h. e.* suppresso nomine: V. *Klotz* ad h. l. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. 3. Cum contumelia nostra. *Cæs.* 3. *B. C.* 71. Verborum contumelia interrogare. *Id.* 1. *ibid.* 9. Extorquere alicui aliquid per contumeliam. Cf. *Quintil.* 4. 1. 11. et 5. 2. 2. *Liv.* 4. 4. In contumeliam ignominiamque certare. *Cajus* 3. *Instit.* 222. Fit aliquid in contumeliam domini. *Horat. Epod.* 11. 25. Unde expedire non amicorum queant Libera consilia, nec contumeliæ graves. *Forcellinus* hoc loco *contumelias* interpretatus est reprehensiones, increpationes, et ad amicos retulisse videtur: sed, bona ejus venia, *contumeliæ graves* potius esse videntur, quales amantes a puerorum fastidio pati solent, et ad Lyciscum puerum referuntur; *V.* integrum locum. — Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ter. Eun.* 4. 7. 1. accipere tam insignem contumeliam in se. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. accipere contumeliam. *Ter. Adelph.* 4. 3. 15. accipere aliquid ad contumeliam. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. 4. et *Quintil.* 3. 3. 13. afficere aliquem contumelia. *Cæs.* 2. *B. C.* 28. appellare contumeliâ perfugam aliquem. *Quintil.* 12. 9. 11. augere contumeliam. *Cæs.* 3. *B. C.* 83. descendere ad contumeliam. *Plaut. Curc.* 4. 1. 17. dicere contumeliam alicui. *Ter. Phorm.* 2. 3. 29. et *Liv.* 25. 22. dicere contumelias alicui. *Seneca* 1. *Clem.* 11. exsequi contumelias. *Cato* apud *Gell.* 10. 14.; *Plaut. Asin.* 2. 4. 82.; *Ter. Eun.* 5. 2. 27. et *Phorm.* 5. 7. 79.; et *Q. Metellus Numidicus* apud *Gell.* 12. 9. facere contumeliam vel facere contumeliam alicui. *h. e.* afficere aliquem contumelia. *M. Antonius* apud *Cic.* 3. *Phil.* 9. 22. facere contumeliam. *h. e.* pati (eo modo, quo dicimus *facere jacturam*), quod dictum ab Antonio triumviro reprehendit acriter *Cic. loc. cit.*, debuit enim dicere contumeliâ *affici*, uti notat *Quintil.* 9. 3. 13., ubi tamen simul docet, suo tempore eam loquendi rationem in usu fuisse. Quare si quis ea uteretur, non esset de solœcismo reprehendendus. Ceterum miras eruditorum lites de illa Ciceronis reprehensione si quis scire cupiat, collectas inveniet a *Gronov. l.* 3. *Observation. c.* 8., qui rem totam aliter explicat. *V.* DIGNUS. *Cic. Sull.* 7. 23. jacere contumeliam in aliquem. *Sall. Cat.* 49. imponere alicui contumeliam. *h. e.* reum facere alicujus rei, ex qua famæ læsio sequatur: cf. *Cic.* 6. *Verr.* 9. 20., cujus verba *V.* infra in Homonym. *Tac.* 1. *Ann.* 47. incendere aliquem contumeliâ. *Cic.* 14. *Att.* 14. 5. insequi aliquem contumeliâ. *Id.* 4. *Tusc.* 36. 77. interquentur alternis versibus inter aliquos contumeliæ gravissimæ. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. lacerare aliquem verborum contumeliis. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 8. pati contumelias. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. perferre omnes indignitates contumeliasque. *Ter. Eun.* 1. 1. 3. perpeti meretricum contumelias. *Quintil.* 6. 3. 100. uti bellis contumeliis. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. vacat animadversio et castigatio contumeliâ. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. vertere aliquid in contumeliam alicujus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 26. 73. vexare aliquem omnibus contumeliis. — Jlocaliter usus est hac voce *Petron. Satyr. fragm. Tragur.* 56. *Burmann.*, cujus locum *V.* in ACROPHAGIA. ¶ 2. Speciatim *contumelia* refertur ad obscœnam injuriam, ut stuprum etc., unde *Dig.* 1. 2. 2. § 24. Contumelia stupri. *Cic. Harusp. resp.* 20. 42. Piratarum contumelias perpeti. *Liv.* 8. 28. Ad libidinem et contumeliam animum accendere. *Apul. de Mag.* Lecti sui contumelia alicui vectigalis est. *Tertull. Virg. vel.* 10. Continentia eorum, qui ex consensu contumeliam communem jam recusaverunt. *h. e.* conjugum, qui communi consensu a carnali copula se abstinuerunt. ¶ 3. Item speciatim interdum ponitur de inanimis, et est damnum, periculum. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Naves totæ factæ ex robore, ad quamvis vim et contumeliam perferendam. *Phædr.* 1. 2. 21. Lignum inquinare omni contumelia. *h. e.* conspurcare, concacare. *Tac.* 3. *Hist.* 31. et 85. Præbere et offerre os contumeliis. *h. e.* colaphis, sputis, etc. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Queri de contumeliis debilitatis suæ. ¶ 4. Athenienses Contumeliæ (Ὕβρεως) et Impudentiæ fanum fecisse narrat et arguit *Cic.* 2. *Legg.* 11. 28.

Homonym. *Contumelia* differt ab *injuria*: namque *injuria* damnum alienum in re spectat; *contumelia* in existimatione, quare gravior esse censetur: præterea *injuria* potest esse sine *contumelia*, hoc est sine contemptu; *contumelia* vero *injuriam* quoque complectitur. Juxta *Forcellinum* tamen *injuria* latius patet et *contumeliam* quoque complectitur: quod falsum esse arguit *Pacuvius* apud *Non.* p. 430. 15. *Herc.* Patior facile injuriam, si est vacua a contumelia. et *Cæcilius* apud *eumd.* p. 430. 19. Facile ærumnam ferre possum, si inde abest injuria; etiamque injuriam, nisi contra stat contumelia. *Cic.* 6. *Verr.* 9. 20. Quibus tu privatim injurias plurimas contumeliasque imposuisti. *Seneca* 1. *Clem.* 10. Contumeliæ acerbiores principibus esse solent, quam injuriæ. Adde *eumd. Constant. sap.* 4. et *Ulp. Dig.* 47. 10. 1. *pr.*

CONTŬMĒLĬOR, āris, ari, dep. 1. contumeliam affero. *Gloss. Cyrill.* Ἀτιμάζω, contumelior, dehonesto. *Gloss. Philox.* Contumeliatur, ἀτιμάζει, ὑβρίζει.

CONTŬMĒLĬŌSĒ, adverb. Comp. *Contumeliosius* et Sup. *Contumeliosissime.* — Contumeliose est cum contumelia. *Ter. Phorm.* 2. 3. 1. En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam, quam hæc est mihi? *Cic.* 1. *Off.* 37. 134. Cum de absentibus, detrahendi causa, maledice contumelioseque dicitur. *Id. Vatin.* 12. 29. Alicui contumeliosissime maledicere. *Id.* 2. *Orat.* 19. 77. Dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Hannibal. *Id.* 1. *Att.* 14. 5. Contumeliose lædere aliquem in contionibus. *Liv.* 32. 37. Contumeliosius, quam verius. Adde *Justin.* 5. 4. 13. *Vellej.* 1. 7. 1. Qui vitavit ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque et parentes testatus est; sed patriam, quia multatus ab ea erat, contumeliosissime. *Quintil.* 6. 3. 28. Et contumeliose et aspere dicere in adversarios. *Cajus* 1. *Instit.* 141. Facere aliquid contumeliæ.

CONTŬMĒLĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Contumeliosior* et Sup. *Contumeliosissimus.* — Contumeliosus est qui contumeliam facit vel continet (It. *ingiurioso, oltraggioso*; Fr. *outrageux, injurieux*; Hisp. *ultrajoso, injurioso*; Germ. *voll von Beschimpfung, schimpflich, beschimpfend, schmählich, schmachvoll*; Angl. *outrageous, injurious, contumelious*). *Cic.* 1. *Fam.* 10. Partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod male respondeas. *Id.* 15. *Att.* 4. 3. Nulla παρεγχείρησις fieri potest contumeliosior. *Id.* 3. *Phil.* 6. 15. At quam contumeliosus in edictis! quam barbarus! quam rudis! *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. Litteræ contumeliosæ in aliquem. *Id. Balb.* 9. 24. In socios vero ipsos injuriosum et contumeliosum est, his præmiis exclusos esse fidelissimos socios. Adde *Sall. Jug.* 85. *Cic.* 15. *Att.* 12. 1. Beneficio alicujus contumelioso uti. *Id. Planc.* 2. 6. Oratio contumeliosa. *Id. Cæl.* 13. 30. Voces contumeliosæ. Sic *Cæs.* 1. *B. C.* 69. Milites visendi causa læti ex castris procurrebant, contumeliosisque vocibus prosequebantur. *Sall. Jug.* 20.; *Liv.* 24. 5.; et *Quintil.* 6. 3. 27. Dicta contumeliosa. *Quintil.* 6. 3. 106. Genus dicendi contumeliosum. *Id.* 12. 5. 6. et *Tac.* 2. *Hist.* 27. Contumeliosum est aliquid alicui. *Quintil.* 2. 2. 7. In aliqua re contumeliosum esse. *Id.* 2. 15. 20. Contumeliosus adversus artem. *Id.* 2. 12. 1. Contumeliosissimum verbum. *Id.* 4. 1. 10. et 10. 7. 21. Contumeliosus in aliquem. *Sueton. Ner.* 41. edicta. *Id. Claud.* 35. epistola. *Id. Domit.* 23. Mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceravit. *Dig.* 22. 1. 33. Exactor contumeliosus. *Id.* 47. 10. 7. Injuria contumeliosa.

CONTŬMESCO, is, ere, n. 3. intumesco. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. 71. Gingivæ contumescunt.

CONTŪMIA, æ, f. 1. contumelia, derisio: videturque facta esse a *contumelia* per syncopen. Habet *Capell. extrem. l.* 4. *in carm.*: sed est vox fugienda quam maxime. *Gloss. Isid.* Contumia, contumelia.

CONTŬMŬLO, as, are, a. 1. (cum et tumulo) occurrit ¶ 1. Generatim pro tumulum facere, aggerare, congerere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (100). Perdices ovis stragulum molle pulvere contumulant. ¶ 2. Speciatim est terra aggesta sepelire, tumulare. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 33. Ut saltem patria contumularer humo. *Id. in Ibin* 464. Saucius ingesta contumuleris humo. Adde *Martial.* 8. 57.

CONTUNDO, tundis, tŭdi, tūsum, tundere, a. 3. (cum et tundo). Penultimam præteriti produxit *Ennius* in illo apud *Priscian.* 10. p. 891. *Putsch.* viresque valentes Contudit crudelis hiems. At rectius corripuit *ibid.* quæ me fortunæ feros sic Contudit: indigno etc. Et sic alii poetæ deinceps. — Part. *Contusus* in omnibus paragr. et in fin. — Contundo est idem quod tundo, vel valde tundo, confringo, comminuo, percutio (It. *pestare, ammaccare, percuotere, rompere*; Fr. *écraser, broyer, briser, meurtrir, assommer, fracasser*; Hisp. *machacar, majar, romper, acardenalar, aporrear*; Germ. *zusammen-oder zerstossen-oder quetschen, zermalmen*; Angl. *to beat, knock, pound, thump, strike, batter, break, bruise, crush*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 7. Eæ (*oleæ*) optime conduntur — in lentisco contusæ. Cf. *Varron.* 1. *R. R.* 60. *Vetus inscript.* apud *Liv.* 40. 52. Classis victa, fusa, contusa fugataque est. *Forcellinus* h. l. *contusa* translate accepit. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 46. Contundere aliquem pugnis. *Id. Aulul.* 3. 1. 4. aliquem fustibus. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 40. Pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem. *Id. Flacc.* 30. 73. Membra, quæ debilitavit lapidibus, fustibus, ferro; manus, quas contudit; digitos, quos confregit; nervos, quos concidit, restituere non potest. *Varro* 3. *R. R.* 16. 14. Contundere thymum in pila. *Cæs.* 3. *B. C.* 58. Teneris arundinum radicibus contusis equos alere. *Colum.* 7. *R. R.* 7. 2. Radices ferreis pi-

lia diligenter contundere. *Id.* 12. *ibid.* 40. 3. Oliva contusa recipit quamcumque volueris condituram. *Catull.* 62. 40. Contundere florem aratro. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 5. quia grando Contuderit vites. *Id.* 2. *ibid.* 1. 10. hydram. *Id. Epod.* 5. 97. aliquem saxis. *Liv.* 21. 40. Contusi ac debilitati inter saxa rupesque. *Ovid.* 12. *Met.* 85. Contundere pectus ictu. Sic *Juvenal.* 13. 128. plana faciem contundere palma. Rursus *Ovid.* 14. *Met.* 96. nares a fronte resimas. *Id.* 1. *Amor.* 2. 15. Asper equus duris contunditur ora lupatis. *Plin.* 18. *Hist.* 19. 49. (177). Araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent: sic minime colla contundunt. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 2. 8. et 14. 3. *Plin.* 30. *ibid.* 9. 23. (80). Dentis caballini contusi farina subluviem sanat. *Id.* 16. *ibid.* 37. 69. (176). Mirum, contuso ligno alicui majores ad vincula esse vires. *Quintil.* 11. 2. 13. Triclinium supra convivas corruit, atque ita contudit, ut etc. *Ulp. Dig.* 18. 6. 1. *pr.* Si vinum esset effusum, vel vasis contusis, vel qua alia ex causa. ¶ 2. Speciatim a Medicis *contusa* membra dicuntur, quæ læsione vel percussione, præcipue gravi, inflammationem contrahunt, aut etiam franguntur: quo sensu Part. præter. pass. de more occurrit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 62. (221). Pedes subtriti, contusive offensatione. *Id. ibid.* 12. 52. (193). Contusi ungues. *Id. ibid.* 17. 72. (237). Contusus sanguis. *h. e.* ex contusione collectus. *Scribon. Compos.* 214. Contusa articulamenta. V. *Contusum* in fine hujus voc. ¶ 3. Item speciatim ponitur de physica rerum lassitudine, quæ e morbis, laboribus etc. procedit. *Lucret.* 4. 955. quia plurima tum se Corpora conturbant magno contusa labore. *h. e.* agitata se invicem perturbant: al. leg. *concusa*, quod esse ajunt a *concudo*, propello, cogo; sed verbum *concudo* in Latio novum esse videtur. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 15. postquam illi justa chiragra Contudit articulos. Sic *Pers.* 5. 58. cum lapidosa chiragra Fregerit articulos. *contundere* et *frangere* hoc loco significat ita afficere et debilitare nodos digitorum, ut inepti ad motum fiant, non secus ac si fracti et concisi forent.

II.) Translate est domare, conficere, opprimere, affligere, retundere. *Ennius* apud *Priscian. loc. cit.* sub init. quæ me fortuna feros Contūdit. *Id.* apud *eumd. ibid.* virosque valentes Contūdit crudelis hiems. *Plaut. Stich.* 2. 1. 33. Contundam facta Talthybii, aut omnes nuncios contemnam. *h. e.* superabo. *Accius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. et 3. *Orat.* 58. 218. Majus miscendum malum, qui illius acerbum cor contundam et comprimam. *Lucret.* 5. 690. Propter signiferi posituram totius orbis Annua sol in quo contundit tempora serpens. *Lachmann.* legit *concludit*: *Forcellinus* vero interpretatur *consumpsit*, *peregit*; *Id.* enim *Lucret.* supra dixerat v. 618. Annua sol in quo consumit tempora cursu. *Cic.* 13. *Phil.* 13. 29. Contudi et fregi exsultantis prædonis audaciam. *Id. Cæcin.* 7. 11. Calumniam stultitiamque obtrivit et contudit. *Id.* 1. *de r. publ.* 1. Contundere incendium belli. *Id.* 12. *Att.* 44. *extr.* Contudi enim animum, et fortasse vici, si modo permansero. *Sall. Jug.* 47. In Numidia nostræ opes contusæ hostiumque auctæ erant. *Liv.* 27. 2. Contundere Hannibalem ferocem. Cf. *Sil. It.* 12. 420. at Libyæ ductor Marcello fractus, et acri Contusus pugna. *Propert.* 4. 2. 52. At quæ Sabina feri contudit arma Tati. *Id.* 1. 1. 10. Contundere sævitiam alicujus. *Tibull.* 3. 6. 13. ferocem. *Virg.* 1. *Æn.* 263. populos feroces. Cf. *Tac.* 4. *Ann.* 46. Contusæ Thracum gentes, qui ferocius agitabant. Adde *Sil. It.* 4. 706. Rursus *Virg.* 4. *G.* 240. Contusi animi. *h. e.* afflicti. *Horat.* 4. *Od.* 3. 8. Contundere regum minas tumidas. *Id.* 3. *ibid.* 6. 10. impetus alicujus. *Seneca.* 3. *Benef.* 29. insolentiam hominum. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. *de bobus*. Simul atque iras contuderint, manu producantur. *h. e.* repressarint, cohibuerint. *Ovid.* 1. *Art. am.* 12. Contundere animos feros placida arte. *h. e.* mansuefacere. *Id.* 5. *Trist.* 12. 31. Contudit ingenium patientia longa laborum. *h. e.* hebes reddidit. Eodem sensu *Plin.* 8. *Ep.* 14. Contusum ingenium. — Hinc a Part. præter. pass. *Contusus*, *a*, *um*, cujus multa superius exempla retulimus,

Contusum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more (subaudi *membrum*), usurpatur pro membro contuso aut fracto: qua ... significatione *V.* CONTUNDO sub I. 2. *Cels.* 5. 28. n. 14. Clavus autem – in pedibus maxime nascitur, præcipue autem ex contuso, quamvis interdum aliter. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 39. (141). Sanat percussa, contusa, cacoethe, scabiem furunculosque. *Scribon. Compos.* 209. Emplastrum Aristi mirifice facit ad contusum, luxum, etc.

CONTŬŎLI oculi sunt in angustum coacti, conniventibus palpebris: *Paul. Diac.* p. 41. 1. *Müll. Contuoli* a *contuendo*, id est simul aspiciendo. Sed *Scalig.* minus recte *contrioli* legit a *conniuendo*.

CONTŬŎR, tuĕris, tūi, dep. 3. idem ac contueor. *Ennius* apud *Prob.* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Contuimur. *Lucret.* 4. 20. Cum sæpe figuras Contuimur miras. *Plaut. Asin.* 2. 3. 23. Atque hercle ipsum adeo contuor. Adde *Stat.* 1. *Achill.* 131. *Plaut. Most.* 3. 2. 153. Si vulturios forte possis contui. Adde *eumd. Asin.* 1. 11. 111. et 3. 1. 20. et *Pompon.* apud *Non.* p. 470. 31. *Merc. V.* CONTUEOR.

CONTURBĀTĬO, ōnis, f. 3. conturbandi actus.

I.) Proprie et stricto sensu est morbus oculorum, cum ex compressione, attritu, fumo, pulvere, aut alia simili de causa conturbati minus vident. *Scribon. Compos.* 19. At conturbationes et epiphoras oculorum scio, multa collyria etc.

II.) Translate refertur ad animum. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19. Conturbatio est metus excutiens cogitata. *Id. Topic.* 12. 52. At post rem rubor, pallor, titubatio, et si qua alia signa conturbationis et conscientiæ.

CONTURBĀTOR, ōris, m. 3. qui conturbat; sed occurrit figurate tantum pro eo, qui dissipat et concoquit rem. *Martial.* 7. 27. *extr.* Noster te non capit ignis, Conturbator aper: vilius esurio. Sic *Id.* 10. 96. 9. Conturbator macellus. *h. e.* quo fit, ut potent homines decoquant. *V.* CONTURBO.

CONTURBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONTURBO, as, āvi. ātum, are, a. 1. (cum et turbo). Part. *Conturbatus* I., et in fin. — Conturbo a turba (quam voc. *V.*) est turbo, misceo, confundo (It. *turbare*, *confondere*; Fr. *troubler*, *confondre*, *mettre en désordre*; Hisp. *turbar*, *confundir*, *desordenar*; Germ. *zusammen-oder verwirren*, *zerstören*, *in Wirrwarr oder Anordnung bringen*; Angl. *to trouble greatly*, *disturb*, *disorder*, *confuse*).

I.) Proprie dicitur de inanimis et de ordinatis ac bene compositis rerum rationibus, quæ miscentur et confunduntur. *Plaut. Cas.* 2. 8. 24. Hodie hercle opinor hice conturbabunt pedes. *h. e.* obscene membra jaciendo. *Lucret.* 4. 1070. Si non prima novis conturbes vulnera plagis. *Id.* 4. 957. et multo sopor ille gravissimus exstat, Quem satur aut lassus capias; quia plurima tum se Corpora conturbant, magno contusa labore. *Id.* 6. 1121. Ut nebula ac nubes, paulatim repit, et omne, Qua graditur, conturbat. *Catull.* 5. 1. Conturbare basia. *h. e.* eorum numerum ordinemque confundere. *Sall. Jug.* 98. Ipse paulatim dispersos milites neque minus hostibus conturbatis in unum contrahit. *Id. ibid.* 51. Conturbare ordines Romanorum. *Curt.* 7. 9. 4. Conturbati equites tormentis Philotæ. *Lucret.* 4. 559. At si interpositum spatium sit longius æquo, Aera per multum confundi verba necesse est, Et conturbari vocem, dum transvolat auras. *Id.* 4. 944. Conturbantur enim positura principiorum Corporis atque animi. *Sall. Jug.* 79. Conturbare rem. *Id. Cat.* 38. *extr.* et 40. rempublicam. *Cælius* apud *Cic.* 10. *Att.* 9. fortunam alicujus. *Seneca Ep.* 14. publicos mores.

II.) Improprie. ¶ 1. *Conturbare rationes*, item *conturbare* absolute, significat rem perdere, prodigendo consumere, decoquere: ut si quis multos habens creditores, recentioribus satisfaciat, prætermissis veteribus: aut si majus æs alienum susciplat, quam dissolvere possit, φυρᾶν ψήφους Græce *Cic.* 6. *Att.* 5. dixit. Et ejus rei exempla *Ulp. Dig.* 14. 3. 5. et *Alfen. ibid.* 15. 3. 16. afferunt. Occurrit — *a*) Raro cum Accusativo. *Ulp. Dig.* 11. 3. 1. *extr.* Si actori suasit, rationem sibi commissam conturbaret. — Hinc figurate *Ter. Eun.* 5. 2. 29. Neque quid consilii capiam, scio de virgine istac: ita conturbasti mihi rationes omnes, ut eam non possim suis tradere. — *b*) Sæpius absolute. *Cic. Planc.* 28. 68. Verum fac me multis debere et in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet an ceteris, cum cujusque dies venerit, hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissolvere? *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. 5. Ad quem rescripsi, nihil esse, quod posthac arcæ nostræ fiducia conturbaret. Adde *eumd.* 4. *Att.* 7. 1.; *Martial.* 9. 4.; et *Dig.* 14. 3. 5. et 15. 3. 16. — Figurate. *Petron. Satyr.* 81. Qui postquam conturbavit, et libidinis suæ solum vertit. *h. e.* decoxit, dilapidavit. Eodem sensu dixit *Juvenal.* 7. 129. Sic Pedo conturbat. *V.* CONTURBATOR. ¶ 2. Sæpe transfertur ad animum, et significat aliqua ægritudine afficere. *Cic.* 7. *Att.* 2. 2. Invaletudo tua me valde conturbat. Adde *Cælium* apud *eumd.* 8. *Fam.* 12. 4. *Cic.* 2. *Phil.* 13. 32. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. *Id.* 3. *Off.* 10. 40. Incidunt sæpe multæ causæ, quæ conturbent animos utilitatis specie. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 20. 81. *Lucret.* 3. 482. nisi quod vehemens violentia vini Conturbare animam consuevit corpore in ipso. Adde *eumd.* 3. 500. — Hinc Part. præter. pass.

Conturbatus, *a*, *um*, adjective occurrit (unde Comp. *Conturbatior* II.), et est turbatus, perturbatus, confusus.

I.) Proprie. *Cic. Harusp. resp.* 12. 25. Ludos esse pollutos significatis ac plane dicitis. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam etc? *Id.* 3. *Tusc.* 7. 15. Oculos conturbatus. *V.* CONTURBATIO I. *Sueton. Aug.* 35. Annus conturbatus atque confusus.

II.) Improprie refertur ad animum. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Tristis et conturbatus domum revertitur. *Id.* 3. *Tusc.* 7. 15. Conturbatus animus. *Id.* 1. *Att.* 12. 4. Et mehercule eram in scribendo conturbatior.

CONTURMĀLIS, e, adject. qui est ejusdem turmæ. *Ammian.* 16. 12. 45. Opitulatum conturmalibus suis celeri cursu Batavi venere. Adde *eumd.* 17. 1. et 24. 6.

CONTURMO, as, are, a. 1. (cum et turma) in turmas dispono, ordino. *Ammian.* 16. 12. 37. Cum in ipso præliorum articulo eques se fortiter conturmaret. *h. e.* in turmas arcte colligeret.

CONTUS, i, m. 2. longa sudes, pertica, hasta longior et robusta, ut *Non.* p. 555. 33. *Merc.* exponit: ex Græca voce κοντός, et in artibus tantum usuvenit ad Græcorum imitationem.

I.) Proprie. ¶ 1. Contus est longa sudes, pertica, teli aut hastæ vice. *Virg.* 9. *Æn.* 509. telorum effundere contra Omne genus Teucri, et duris detrudere contis. Adde *Lucan.* 6. 174. *Tac.* 1. *Hist.* 44. Capita præfixa contis gestabantur. Adde *Juvenal.* 10. 20. *Lamprid. Commod.* 13. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret. — Videtur fuisse fortasse hasta propria Sauromatarum. *Sil. It.* 15. 687. Contus Sarmaticus. *Val. Flacc.* 6. 162. Ingentis frenator Sarmata conti. *h. e.* moderator conti, qui habenæ instructus modo ejiciebatur, modo retrahebatur. *Tac.* 6. *Ann.* 35. Cum Sarmatæ, omisso arcu, contis gladiisque ruerent. *Stat.* 2. *Achill.* 416. didici, quo Pæones arma rotatu, Quo Macetæ sua gæsa citent, quo turbine contum Sauromates, falcemque Getes. *Al. leg.* cestum. ¶ 2. Interdum significat instrumentum propellendis navibus aptum, et est rotunda sudes, quæ a remo utpote plano differebat. *Virg.* 5. *Æn.* 208. Ferratasque sudes et acuta cuspide contos Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos. *Id.* 6. *ibid.* 302. Ipse ratem conto subigit. Adde *Senec. Herc. fur.* 768.; *Plin.* 8. *Ep.* 8.; *Tac.* 14. *Ann.* 5.; et *Sueton. Tib.* 62. et *Cal.* 32. — *Verrius Flaccus* apud *Festum* p. 214. 9. *Müll.*, *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 1. 2. 2. et *Non.* p. 44. 17. *Merc.* docent *percontari* esse a *conto*, pertica explorandis aquarum altitudini apta: sed nullo id confirmant auctore: immo *Festus* subdit *loc. cit.* Mihi id falsum videtur.

II.) Improprie, *contus pedalis* pro veretro prægrandi. *Auct. Priap.* 10. 3. Trajectum conto sic extendere pedali, Ut etc.

CONTŪSIO, ōnis, f. 3. actus contundendi, fractura, collisio: et occurrit — *a*) Generatim. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 3. Quidam olivam non contundunt, sed insecant, quia hæc candidior est, quam quæ ex contusione livorem contrahit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (227). Est et quædam contusio falcis hebetioris. *h. e.* cum falx facie hebeti non præcidit lignum, sed lacerat et perfringit. — *b*) Speciatim apud Medicos est morbus, quo corporis membrum, præsertim graviter percussum, afficitur. *Scribon. Compos.* 101. Contusio, quæ frequenter gladiatoribus accidere solet in luctationibus. *Id. ibid.* 165. Theriace prodest ad contusiones. *V.* PRÆLUSIO.

CONTŪSUM, i. *V.* CONTUNDO in fin.

CONTŪSUS, a, um. *V.* CONTUNDO.

CONTŪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem fere significat ac tutor. *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 1. 19. Et in eo (puteo) contutati sunt eum (ignem).

CONTŪTOR, ōris, m. 3. qui simul cum alio tutor est. *Ulp. Dig.* 27. 3. 9. et *Julian. ibid.* 3. 5. 29. et *Fragm. Vatic.* § 228.

CONTŪTUS, us. *V.* CONTUITUS.

CŌNŬLA, æ, f. 1. herba eadem ac pulium. *Apul. Herb.* 57.

CŌNUS, i, m. 2. κῶνος, figura, in qua plures lineæ ex peripheria in unum punctum assurgunt, qualis cernitur in nucibus pineis, in summis hastis, in apice galeæ, etc., a voce Græca allata. *Varro* 5. *L. L.* 115. *Müll.* minus recte derivat a cogo, restringo, quia restringitur in cacumen. ¶ 1. Generatim de figura geometriæ propria. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 24. Mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni forma videtur esse formosior. Adde eumd. *ibid.* 18. 47. *Lucret.* 4. 430. Paullatim trahit (*porticus*) angusti fastigia coni. ¶ 2. Speciatim, ut docet *Isid.* 18. *Orig.* 14. 2., dicitur de apice, qui in summitate galeæ prominet, super quem cristæ ponuntur; quos *Plin.* 10. *Hist. nat.* 1. 1. (2). conos bellicos vocat. *Virg.* 3. *Æn.* 468. Et conum insignis galeæ cristasque comantes. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 108.; *Sil. It.* 4. 14. et *Stat.* 8. *Theb.* 706. ¶ 3. Item speciatim de cypressi glandibus, quæ hujusmodi figuram habent. *Colum.* 6. *R. R.* 7. 2. Remedio sunt cypressini quindecim coni, totidem gallæ. V. *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 680. ¶ 4. Item de peculiari quodam solaris horologii genere dixit *Vitruv.* 9. 8. 1. *Schneid.*

CONVĀDOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem quod vador: *V.* VADOR *et* VADIMONIUM. Jocularitor *Plaut. Curc.* 1. 3. 5. Ubi tu es, qui me convadatu's Veneriis vadimoniis?

CONVĂLEO, es, ui, ere, n. 2. *Forcellinus* hoc retulit tantum Perfectum *convalui*, quod *V.* in CONVALESCO.

CONVĂLESCENTĬA, æ, f. 1. liberatio a morbo. *Symmachus* usurpat, sed simul novam insolentemque esse judicat. Ita enim scribit 3. *Ep.* 11. *sub fin.* De mea ægritudine nequaquam te rumor fefellit: sed jam mihi (modo venia dicti sit) convalescentiæ portus aperitur.

CONVĂLESCO, vălescis, vălui, valescere, n. 3. (cum et valeo). Part. *Convalescens* I. *a.* — Convalesco proprie est vires sumere incipio, validior fieri incipio, cresco; præcipue vero convalescere dicuntur qui ex morbo confirmantur (It. *prender vigore, crescere, ricuperarsi, riaversi*; Fr. *prendre des forces, être en convalescence*; Hisp. *recibir, tomar fuerza, vigor, crecer, estar convaleciente*; Germ. *zu genesen, gesund, stark, kräftig zu werden beginnen*; Angl. *to derive or acquire strength, grow strong, to recover from a disease*).

I.) Proprie usurpatur — 1.°) De hominibus. — *a*) Generali significatione. *Justin.* 3. 2. 7. Dum infans convalescit, *h. e.* crescendo vires sumit ac validior fit. — *b*) Speciatim de iis, qui ex morbo confirmantur. — Absolute. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. 19. Eum sustulere (*defatigatum vulneribus*) isque convaluit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 12. Ne ægri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est. Adde eumd. 3. *Tusc.* 3. 5.; *Sueton. Cal.* 6. et *Claud.* 25.; et *Dig.* 24. 1. 4. — Hinc *convalescens*, *entis*, absolute. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 17. (34). Siser convenit convalescentium cordi. *et* (35). Est utile convalescentibus ad vinum transeuntibus. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (102). Æstus balinearum convalescentes ut tolerare possint. *Hygin. Gromat.* p. 3. col. 2. Fabrica ideo longius posita est, ut valetudinarium quietum esse convalescentibus possit. — Cum addito morbo, ex quo quis convalescit. *Cic.* 13. *Fam.* 29. 4. Ille in morbum incidit, ex quo non convaluit. *Id. Fat.* 12. 28. Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere. Adde *Sueton. Aug.* 59. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 27. (54). Convalescentes a solis ardoribus. *Ovid. Heroid.* 21. 211. Convalui nondum de vulnere. — 2.°) De brutis animalibus et generali quidem significatione. *Varro* 2. *R. R.* 2. 15. Quoad convaluerunt agni recens nati. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 3. 19. et *Pallad.* 8. *R. R.* 4. 4. — 3.°) De arboribus ac plantis, item generali significatione. *Varro* 1. *R. R.* 23. 6. Cum convaluerunt arbores. *Colum.* 4. *R. R.* 16. 1. Sarmina quanto celerius liberata sunt consortio viviradicum, tanto facilius convalescunt. Adde eumd. 3. *ibid.* 3. 4. et 9. *ibid.* 3. 30.; *Sueton. Aug.* 92.; et *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 6. *Seneca Ep.* 9. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim convalescere ponitur pro vires sumere, validiores fieri, crescere, interdum tamen et allusio fit ad homines, qui ex morbo confirmantur: et occurrit de personis, de rebus et de abstractis. *Cic. Mil.* 9. 25. Quanto ille (*Clodius*) plura miscebat, tanto hic (*Milo*) magis in dies convalescebat. *Id.* 7. *Att.* 3. 4. His ille (*Cæsar*) rebus ita convaluit, ut etc. Adde *Brutum* apud *Cic.* 11. *Fam.* 2. 1. et *Auct. B. Afr.* 26. *Cic. Sull.* 27. 76. Ut ea (*vi*) confecta et ejecta convalescere et sanari aliquando civitas possit. *Liv.* 1. 14. Fidenates nimis vicinas prope convalescere opes rati. *Ovid.* 8. *Met.* 478. Nam postquam pestifer ignis Convaluit. Adde *Petron.* 136. *Quintil.* 5. 13. 13. Flamma, quæ magna congerie convaluerat, dissutis quibus alebatur, concidit. *Ovid. Remed. am.* 91. sero medicina paratur, Cum mala per longas convaluere moras. *Sueton. Aug.* 42. Ut tandem annona convaluit, *h. e.* uberior facta est. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 14. Convaluit sensus. *Id. Heroid.* 16. 73. mens. *Curt.* 9. 6. 1. Cum audisset convaluisse apud barbaros famam mortis suæ. *Colum.* 3. *R. R.* 7. 2. et *Gell.* 4. 11. Convaluit opinio. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *convalescere* dicuntur ea, quæ cum ab initio non valuerint, post factum confirmantur et vim habent suam. *Tertyllian. Dig.* 29. 1. 33. Testamentum ruptura non convalescet. *Ulp. ibid.* 24. 1. 32. Donatio convalescit. *Labeo ibid.* 28. 7. 20. Libertas servo data convalescit.

CONVĀLĬDO, as, are, a. 1. idem quod valido, vel multum valido. *Gloss. Cyrill.* Στερεοποιῶ, consolido, convalido.

CONVALLĀTĬO, ōnis, f. 3. munitio vallo facta. *Tertull. advers. Jud.* 8. Ædificabitur in lætitiam et convallationem.

CONVALLĀTUS, a, um. *V.* CONVALLO.

CONVALLĬA, ium, adjective (subaudi *loca*, quasi a *convallis*, e) dixit *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 331., et *Innocent. de casis litter.* p. 230. *Goes.*, et *Auct. de limit. ibid.* p. 271., qui minime sunt imitandi.

CONVALLIS, is, f. 3. Ablat. sing. num. *convalli* legitur apud *Varron.* 1. *R. R.* 12. 3., *convalle* vero apud *Cæs.* 3. *B. G.* 20.: Genit. plur. num. *convallium* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 23. (100). — Convallis est planities ex omni parte comprehensa montibus, collibusve, ut *Paul. Diac.* p. 42. 6. *Müll.* docet: ita dicta a *con* et *vallis*, quasi plurium montium collium ve conjunctæ valles ad planitiem constituendam. Neque enim placet, quod *Varroni* scriptum fuit 5. *L. L.* 20. *Müll.*, ductam esse a *cavum*, et dici quasi *cavatam vallem*. Differt a *valle*, quæ a duobus tantum lateribus monte cingitur. Tametsi hoc discrimen non servatur perpetuo. *Lucret.* 5. 1374. atque olearum Cærula distinguens inter plaga currere posset Per tumulos et convalles camposque profusa. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Roma in montibus posita et convallibus. *Cæs.* 3. *B. G.* 20. Copiæ, quas in convalle in insidiis collocaverant. Adde eumd. 5. *ibid.* 32. *Virg.* 2. *G.* 186. fertilis ubere campus, Qualem sæpe cava montis convalle solemus Despicere. Adde eumd. 3. *ibid.* 276., 6. *Æn.* 139. et 6. *ibid.* 679.; et *Liv.* 1. 38. et 1. 12. *extr. Lucan.* 7. 174. Visus et abruptis mergi convallibus Hæmus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 23. (100). Echo natura locorum evenit, et plerumque convallium. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (106). Canescentes siccitate convalles. *Id.* 6. *ibid.* 7. 7. (19). Solitudines saltuosis convallibus asperæ. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (123). Montes perfossi, convalles æquatæ, *h. e.* aquæ in Urbem perducendæ gratia. Adde *Juvenal.* 10. 30. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CONVALLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et vallum). Part. *Convallatus.* — Convallo est vallo cingo, circumdo, claudo. *Gell.* 12. 13. Undarum Oceani ambitu terris omnibus convallatis. *Tertull. in carm. de Judicio Dom.* 6. Protinus innumeri concurrunt ire ministri, Convallantque Deum cum majestate superna.

CONVĀRĬO, as, are, 1. (cum et varius). ¶ 1. Active est varium reddo. *Apul. de Mag.* Pectoris primorem cutim vitiligine insignit, et omnimodis maculationibus convariat. ¶ 2. Absolute neutrorum more est varius sum. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Sicut dimissiones atque delinimenta convariant, et nunc puras, nunc sordidas reliquias relinquant.

CONVĀSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONVĀSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et vas, vasis). Part. *Convasatus* I. et II. — Convaso est vasa colligo, sarcinulas compono asportandi causa.

I.) Proprie. Ponitur pro furtim auferre in illo *Ter. Phorm.* 1. 4. 13. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam. Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes. *Cf. Non.* p. 87. 29. et *Charis.* p. 188. *Hieronym. Vita Hilarion.* n. 31. Convasatis, quæ a fratribus et missa detulerat, profectus est, *h. e.* in sarcinulas compositis. Adde *Sidon.* 7. *Ep.* 2.

II.) Figurate. *Sidon.* 1. *Ep.* 9. *sub fin.* Undique omnium convasatis acclamationibus, ad astra portare.

CONVECTĬO, ōnis, f. 3. convehendi actio. *Ammian.* 14. 10. 4. Annonæ convectio est impedita.

CONVECTO, as, are, a. 1. *frequentat.* a conveho, sæpe convehere. *Virg.* 4. *Æn.* 405. *de formicis.* It nigrum agmen, prædamque per herbas Convectant calle angusto. *Id.* 7. *ibid.* 749. Convectare juvat prædas et vivere rapto. *Tac.* 3. *Hist.* 27. E proximis agris ligones, dolabras, falces scalasque convectant. *Cod. Theod.* 7. 4. 9. et 13. 5. 10. Paleas, ligna convectare.

CONVECTOR, ōris, m. 3. qui convehit. ¶ 1. Active inter nomina deorum, quos flamen invocabat, sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri, *Fabius Pictor* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 21. enumerat *Convectorem*, *Conditorem*, *Promitorem*, nempe præsides convehendis, condendis, promendis frugibus. *V.* IMPORCITOR. ¶ 2. Neutrorum more est qui eadem navi vehitur. *Cic.* 10. *Att.* 17. 1. Navi ejus me, et ipso convectore usurum puto. — Est etiam viæ comes, licet nec navi, nec equis, nec curru usus fuerit. *Apul.* 1. *Met.* Unde autem scio, an convectore illo tuo, cum quo sero devorteras, jugulato, fugæ mandes præsidium.

CONVECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. (cum et veho). De Part. *Convexus*, quod plerique verbo conveho tribuunt, *V.* CONVEXUS loco suo. — Part. *Convehens*, *Convectus* et *Convehendus.* — Convehere est simul vehere, comportare, et cum sermo est de agrorum fructibus, est ex agris condendi causa in horrea et cellas comportare (It. *portare, condurre*; Fr. *charrier, apporter, amener*; Hisp. *acarrear, traer, llevar, conducir*; Germ. *zusammenfahren* oder *schaffen*, *von der Aerndte einfahren oder eintragen*; Angl. *to carry or bring together, convey in waggons, ships, or on the backs of beasts of burden*). Occurrit — *a*) Absolute, seu cum Accus. tantum. *Cæs.* 7. *B. G.* 74. Dierum triginta pabulum frumentumque habere omnes convectum jubet. Adde *Liv.* 24. 30. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 9. 14. (35). Vasa corbesque, ac patentiora quædam messibus convehendis, vindemiisque faciunt. *Id.* 11. *ibid.* 17. 18. (58). *de apibus.* Rixa in convehendis floribus exorta. *Dig.* 11. 8. 1. Materiem convehere. — *b*) Addito termino, a quo, vel ad quem aliquid convehitur. *Cic. Mil.* 27. 74. Lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta atque arma convexit. *Cæs.* 1. *B. C.* 34. Frumentum ex finitimis regionibus in urbem convexerant. *Liv.* 4. 60. Æs grave plaustris ad ærarium convehentes. *Id.* 3. 23. Prædam ex castris Antium convehere. *Id.* 24. 39. frumentum et commeatus in castra. *Id.* 25. 13. frumentum ex propinquis locis Capuam. *Id.* 1. 51. gladiorum ingentem numerum ad aliquem. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (63). Tus collectum Sabota camelis convehitur. *Varro* 5. *L. L.* 6. *Müll.* Quo fructus convehebant, villæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (37). Animalia convecta undique. *Id.* 8. *ibid.* 57. 82. (223). Aves ex alio orbe convectæ. — *c*) Absolute omnino, sive omisso Accus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (100) *de formicis.* Ex diverso convehunt, altera alterius ignara.

CONVELLO, vellis, velli, vulsum et volsum, vellere, a. 3. (cum et vello). *Forcellinus* ait, Perf. quoque *convulsi* pro *convelli* occurrere, quamvis *raro*; nullo tamen id auctore confirmat. Part. *Convellens* I. 1. *b.*; *Convulsus* I., II. et in fin.; *Convulsurus* II.; *Convellendus* I. 1. *b.* et II. — Convello est quod firmum et stabile est, loco moveo, revello, concutio, everto; sive aliquid a loco et statu suo vellendo removeo ut in alio loco et statu constituam, hinc etiam vellendo solvo, carpo, scindo, lanio (It. *svellere, staccare, svellendo scingliere, strappare, dilaniare*; Fr. *arracher entièrement, séparer, enlever, déchirer*; Hisp. *arrancar, quitar con violencia, desgarrar*; Germ. *zusammenreissen, auf-los-oder wegreissen, oder auch überh. zerren oder zerreissen*; Angl. *to rend tear, pull or pluck up, tear away, tear in pieces, remove, displace, upset, overturn*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. — Pro aliquid a loco suo vellendo removere. *Cic. Dom.* 21. 54. Cum gradus Castoris convellisti ac removisti. *Id.* 6. *Verr.* 43. 94. Convellere repagula, effringere valvas. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Interim milites vectibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, convellunt. *Auct. B. G.* 8. 26. Nullam partem munitionum convellere. *Virg.* 2. *Æn.* 507. limina tectorum convulsa. *Id.* 3. *ibid.* 414. Hæc loca vi quondam et vastâ convulsa ruinâ Dissiluere. *Id.* 2. *G.* 294. non hiemes, non flabra, neque imbres Convellunt: immota manet (æsculus). *Id.* 6. *Æn.* 148. Convellere ramum ferro. *Catull.* 64. 40. glæbam vomere. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 10. fundamenta. Cf. *Lucret.* 4. 506. *Ovid.* 12. *Met.* 254. Pes convulsus mensæ acernæ. *Tac.* 6. *Ann.* 40. Convellere domum. *Stat.* 11. *Theb.* 296. claustra portarum. *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 5. teneros convellere fetus. h. e. utero ante tempus expellere. — Pro vellendo solvere. *Lucan.* 3. 699. nimis affixos unci convellere morsus. h. e. ancoram. Sic *Virg.* 1. *G.* 457. convellere funem a terra. h. e. oram solvere. — Pro eruere, concutere, agitare. *Virg.* 5. *Æn.* 143. et 8. *ibid.* 690. totumque dehiscit Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor. h. e. ab imo fundo erutum, atque agitatum. *Id.* 1. *ibid.* 387. Naves convulsæ undis Euroque. h. e. concussæ atque adeo disjectæ et laxatis compagibus undique hiantes. *Lucan.* 3. 528. Crebraque sublimes convellunt verbera puppes. — Pro vellendo scindere, laniare. *Cato R. R.* 40. Cum præcides, cave ne librum convellas. *Ovid.* 11. *Met.* 123. Sive dapes avido convellere dente parabat. h. e. morsu scindere et carpere. Similiter *Tac.* 1. *Ann.* 32. Prostratos verberibus mulcant: tum convulsos laniatosque in amnem projiciunt. — b) Addito, unde aliquid convellitur, per Ablat. et præp. *ab* vel *ex*, aut per Ablat. sine præpos. *Cic.* 7. *Verr.* 72. 187. Simulacrum Cereris e sacrario convellendum auferendumque curare. *Id. ibid.* 72. 186. Herculem convellere ex suis sedibus atque auferre. *Virg.* 3. *Æn.* 24. viridem ab humo convellere silvam. *Id.* 2. *ibid.* 463. turrim Aggressi ferro circum, qua summa labantes Juncturas tabulata dabant, convellimus altis Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam Cum sonitu trahit. *Ovid.* 7. *Met.* 204. Robora convulsa terrâ suâ. *Val. Flacc.* 5. 159. jamque aspera nisu Undique convellens. — Huc pertinent et illa *Cic. Pis.* 22. 52. Ipsa Roma prope convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est. et *Plin.* 7. *Ep.* 18. Convulsa sedibus domus. ¶ 2. Speciatim in re militari. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77., et *Liv.* 5. 37. et 23. 3. *ad fin.* Convellere signa. h. e. vexilla, quæ hastis humi infixa stabant, exercitu quiescente, evellere et inferre; paucis castra movere. Eodem sensu *Tac.* 1. *Ann.* 20. Convellere vexilla. ¶ 3. Item speciatim ponitur de membris, quæ aliqua vi a loco suo removentur. *Colum.* 6. *R. R.* 16. 1. Bos aut duriori solo, aut obviæ radici obluctatus, convellit armos. *Lucret.* 3. 341. Artus convulsi pereunt. V. *Convulsi* et *Convulsa* in fine hujus voc. ¶ 4. Item speciatim apud Medicos convulsa dicuntur membra, quæ morbo aliquo contrahuntur seu retrahuntur et distenduntur. *V.* CONVULSIO. *Sueton. Tib.* 72. Statimque latere convulso in graviorem recidit morbum. *Quintil.* 11. 3. 20. Fauces convulsæ.

II.) Translate est quod firmum et stabile est, e statu dejicere, labefactare, concutere, commovere, perturbare. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 205. Ne convellere adoriamur ea, quæ non possint commoveri. Sic *Id.* 1. *Divinat.* 51. 117. Hæc si tenemus, quæ mihi non videntur posse convelli. h. e. contrariis argumentis destrui, confutari. *Id.* 2. *Att.* 20. *extr.* Tu velim, des operam, ut quod tuo meoque beneficio puer habet, cures, ne qua ratione convellatur. h. e. eripiatur, auferatur. *Id. Rabir. Post.* 1. 3. Est boni consulis, cum cuncta auxilia reipublicæ labefactari convellique videat, ferre opem patriæ. h. e. tolli, everti. *Id. Cluent.* 2. 4. Opinionem convellet ratio, labefactabit oratio. *Id. Cæcin.* 18. 51. Infirmare aut convellere judicia, stipulationes, aut pacti et conventi formulas. h. e. abrogare. Sic *Id.* 2. *Phil.* 33. 83. Convellere acta alicujus. *Id.* 5. *Verr.* 6. 15. Instituta omnium, consuetudinem a majoribus traditam, condicionem amicitiæ, jus societatis convellere et commutare. Cf. *Ovid. Heroid.* 16. 41. Convellere fata. h. e. mutare. Rursus *Cic.* 1. *Legg.* 15. 42. Convellere justitiam utilitate. *Id.* 8. *Att.* 13. 2. Secutæ sunt duæ epistolæ, quæ me convellerunt de pristino statu, jam tamen labantem. *Id. Pis.* 2. 4. Qui si essent magistratus adepti, reipublicæ statum convulsuri videbantur. h. e. commoturi, turbaturi. *Id. Brut.* 30. 115. Qui quamquam innocentissimus in judicium vocatus esset (quo judicio convulsam penitus scimus esse rempublicam) cum etc. *Id.* 5. *Fam.* 13. 2. Quæ cogitatio cum mihi non omnino excidisset, vi tamen tempestatum et concursu calamitatum labefactata atque convulsa etc. *Auct. B. G.* 8. 50. Qui Cæsaris decedentis convellere gratiam cupiebant. *Cels.* 3. 4. Convellendas etiam putavit vires ægri luce, vigilia, siti ingenti. h. e. debilitandas. Sic *Petron. Satyr.* 130. Convellere latus. h. e. corporis vires debilitare. *Ovid. Heroid.* 17. 111. Desine molle, precor, verbis convellere pectus. h. e. labefactare et de sana sententia dejicere. *Tac.* 4. *Ann.* 30. Convellere fidem legionis. *Id.* 12. *ibid.* 1. Cæde Messalinæ convulsa principis domus, orto apud libertos certamine etc. *Id.* 6. *ibid.* 48. Tiberius post tantam experientiam, vi dominationis convulsus et mutatus. *Id.* 4. *ibid.* 40. Sic quoque erumpere æmulationem feminarum: eâque discordiâ nepotes suos convelli. h. e. concuti, vexari. — Hinc a Part. præter. pass. *Convulsus, a, um*, cujus plurima superius exempla retulimus,

Convulsi, ōrum, m. plur. 2. (subaudi *homines*) absolute, substantivorum more, dicuntur, quibus membrum aliquod a loco suo per vim remotum est: *V.* CONVELLO I. 3. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 54. (98). Convulsis, contusis, ex alto præcipitatis utilissima esse traditur. *Forcellinus* h. l. *convulsos* interpretatus est qui convulsione laborant. — Hinc

Convulsa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur membra a loco suo per vim remota. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 18. (36). Radix siliis prodest ad tussim veterem, rupta et convulsa. *Forcellinus* hoc quoque loco *convulsa* interpretatus est membra, quæ morbo aliquo retracta sunt et distenta.

CONVĒLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* velo). Part. *Convelatus* I. — Convelo est velo cooperio, vestio.

I.) Proprie. *Gell.* 19. 9. Tum resupinus, capite convelato, versus cecinit Valerii Æditui. — Quod addunt ex *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (192). Acie falcis exacta, plagaque convelata. *Harduin.* recte *conlevata* reposuit, quam lectionem et *Sillig* retinuit.

II.) Translate. *Gell.* 7. 3. *post med.* Cato non nudam, neque solitariam, neque improtectam hanc ἐπαγωγὴν facit, sed multis eam modis præfulcit, multisque aliis argumentis convelat.

CONVĔNA, æ, m. et f. 1. qui ex diversis locis convenit: et occurrit ¶ 1. Adjective. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 60. Paravi hic intus magnas machinas, qui amantes una inter se facerem convenas. *Solin.* 37. Aquæ convenæ. *Id.* 47. Serpentes convenæ. *Ammian.* 15. 5. Convena undique multitudine. ¶ 2. Substantivorum more, fere in plur. numero, *convenæ* dicuntur qui ex diversis locis aut gentibus in unam urbem conveniunt, eamque incolunt. *Cato* apud *Gell.* 18. 12. Eodem convenæ complures ex agro accessitavere. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Romulus pastores et convenas congregavit. Adde *eumd.* 6. *Tusc.* 20. 58.; *Sallust. Fragm.* 4. 12. p. 241. *Gerlach.*; et *Liv.* 2. 1. et 5. 53. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 17. 15. (73). Convenarum turba.

Homonym. Quomodo *convena* ab *advena* differt, *V.* ADVENA.

CONVĔNĬENS, entis. *V.* CONVENIO.

CONVĔNĬENTER, adverb. Comp. *Convenientius* et Sup. *Convenientissime.* — Convenienter est congruenter, apte; et — a) Fere occurrit cum Dativo, aut cum præpos. *cum* vel *ad*. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 26. Constanter convenienterque sibi dicere. *Id.* 3. *Fin.* 7. 26. Congruenter naturæ convenienterque vivere. Adde *eumd.* 3. *Off.* 3. 13. et *Horat.* 1. *Ep.* 10. 12. *Ovid.* 3. *Art. am.* 546. Et studio mores convenienter eunt. h. e. conformes sunt studiis. *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 82. Congruere naturæ, cumque ea convenienter vivere. *Liv.* 23. 5. Convenienter ad præsentem fortunæ statum loqui. — b) Absolute *Alcim. Avit. Ep.* 1. Quod convenientius exprimit uno verbo Græcus. *Augustin.* 18. *Civ. Dei* 44. Utroque numero significari convenientissime potuit.

CONVĔNĬENTĬA, æ, f. 1. ¶ 1. Stricto sensu est actus conveniendi in unum locum. *Sicul. Flacc.* p. 6. *Goes.* Quique alii in confinio domini erant, omnes ex convenientia terminos ponebant. Terminos autem convenientia superiorum confirmabat. ¶ 2. Sæpius tamen latiori sensu occurrit, et est congruentia partium inter se convenientium, seu invicem sibi æquabiliterque respondentium, consensus, conjunctio, proportio (It. *convenienza, proporzione, simmetria, corrispondenza, conformità, unione*; Fr. *accord, harmonie, rapport, convenance*; Hisp. *acuerdo, conformidad, armonia, conveniencia, correlacion*; Germ. *die Uebereinstimmung, das Zusammenstimmen, die Harmonie*; Angl. *agreeableness, suitableness, proportion, fitness, consistency, accord, agreement, concord*). Hujus vocabuli vim exhibet *Seneca Ep.* 74. *post med.* Virtus convenientia constat: omnia opera ejus cum ipsa concordant et congruunt: hæc concordia perit, si animus luctu aut desiderio submittitur. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 21. Cum summum bonum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet. *Id.* 2. *Divinat.* 60. 124. Conjectores ex quadam convenientia et conjunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conveniat, ex somniis, et quid quamque rem sequatur, intelligunt. *Id.* 2. *ibid.* 15. 34. Si ullam esse convenientiam naturæ cum extis concessero. *Id.* 1. *Off.* 28. 100. Convenientia conservatioque naturæ. *Id.* 1. *ibid.* 4. 14. Pulcritudo, venustas, convenientia partium. *Id. Amic.* 27. 100. Convenientia rerum in amicitia. *Id.* 2. *Nat. D.* 21. 54. Hanc in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio.

CONVĔNĬO, vēnis, vēni, ventum, vēnire, n. 4. (cum *et* venio). *Convenibo* pro *conveniam* dixit *Plaut. Cas.* 3. 2. 18. — Part. *Conveniens* sub *A.* 1.° 1. et in fin.; *Conventus* sub *A.* 1.° 5. et in fin.; *Conventurus* sub *A.* 1.° 1. c. et *B.* II. 2. a. *Conveniendus* sub *A.* 1.° 5. — Convenire ad litteram est simul venire, simul ire (quamquam nonnulli et pro simplici *venio* usurpari affirmant et afferunt illud *Plaut. Truc.* 3. 2. 14. In urbem crebro convenio. *At al. leg.* commeo; *alii aliter*): sed duo præcipue significat, ad quæ cetera omnia facile revocari possunt; scilicet *A)* Convenire de loco seu spatio simpliciter usurpatur, diciturque de duobus pluribusve personis aut rebus, quæ in unum eumdemque locum coeunt vel in uno eodemque loco accidunt; *B)* Ratione præcipue habita vis præpositionis, quæ in verbo inest, convenire est aptari, apte inseri firmiterque connecti.

A) Convenire de loco seu spatio simpliciter usurpatur, diciturque de duobus pluribusve personis aut rebus, quæ in unum eumdemque locum coeunt vel in uno eodemque loco accidunt: et occurrit 1.°) De hominibus ceterisque animantibus; et 2.°) De inanimis.

1.°) De hominibus ceterisque animantibus. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Bene Pericles cum haberet collegam in prætura Sophoclem iique de communi officio convenissent etc. Adde *eumd.* 3. *Phil.* 2. 5. *Auct. B. G.* 8. 6. Cum satis haberet convenientes manus dissipare. *Nepos Ages.* 9. Conveniunt duces: quæritur quid opus sit facto. *Virg.* 5. *Ecl.* 1. quoniam convenimus ambo. Cf. *eumd.* 1. *Æn.* 361. — b) Addito termino, in quem duo pluresve conveniunt, per Accus. et aliquam præpos. Sunt quidem loci nonnulli, in quibus pro Accusativo legitur Ablativus; at in iis valde dubia est lectio, ut apud *Cic.* 2. *Divinat.* 24. 52. Quod ni fecisset, uno in loco omnes adversariorum copiæ convenissent. *aliquot tamen Codices exhibent variantem lectionem unum in locum.* *Id.* 14. *Att.* 17. A. § 1. Qui valetudinis causa in his locis conveniunt. At cum apud *eumd. Cic.* hæc eadem epistola emendatior legatur 9. *Fam.* 14. 1. Qui valetudinis causa in hæc loca veniant; amanuensis errore in loco errasse putandus est. — Ceterum occurrit *convenire in aliquem locum, in unum, ad aliquem, ad aliquid, Romam, eo, huc,* etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 22. 50. Concursum esse factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse. *Id. Rosc. Am.* 5. 11. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Totius fere Galliæ legati ad Cæsarem gratulatum convenerunt. *Id.* 7. *ibid.* 55. Convenire ad aliquem. h. e. apud aliquem coire. *Id.* 6. *ibid.* 1. Milites ad signa convenire jubet. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 90. (194). Conveniuntque (pisces) etiam ex alto ad quosdam odores. *Decretum censor.* apud *Sueton. Rhet.* 1. ESSE HOMINES, AD QVOS IVVENTVS IN LVDOS CONVENIAT. *Quintil.* 2. 2. 4. Disciplinæ severitate convenientium ad se mores adstringere. *Cic. Pis.* 15. 34. Mei capitis conservandi

causâ Romam – Italia tota convenit. *Liv.* 42. 5. Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur. *Cæs.* 3. *B. G.* 16. Omnis juventus, omnes etiam gravioris ætatis – eo convenerant. *Nepos Datam.* 11. Colloquendi tempus sumitur locusque, quo conveniretur. Adde *eumd. Epam.* 6. et *Eumen.* 7. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 12. Interea non desistebant clam inter se convenire. — Cum præpos. *ad* vel *in* jungitur et aliis substantivis, quorum præcipua hæc sunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 80. ad auxilium. *Id.* 4. *ibid.* 37. ad clamorem hominum. *Ovid.* 6. *Fast.* 672. ad dapes. *Quintil.* 3. 4. 6. ad delectationem. *Nepos Timoth.* 4. ad defendendum aliquem. *Cic. Quinct.* 15. 50. ad exsequias. *Ovid.* 3. *Fast.* 205. in ædem. *Quintil.* 2. 9. 3. in cœtus scholarum. *Nepos Hann.* 6. in colloquium. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 71. in consilium. *Cæs.* 4. *B. G.* 19. unum in locum. *Tac.* 4. *Hist.* 68. in Remos. *Cic.* 1. *Att.* 16. 9. in senatum. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 6. 2. et *Sall. Jug.* 11. in unum. — c) Addito termino, a quo convenitur. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Milites, qui ex Provincia convenerant. *Id.* 5. *ibid.* 28. Interea et ex proximis hibernis et a Cæsare conventura subsidia. *Lucret.* 6. 1258. agricolarum Copia conveniens ex omni morbida parti. *Cic.* 2. *Verr.* 18. 54. Quæ (*frequentia*) convenit uno tempore undique comitiorum, ludorum censendique causa. *Cæs.* 5. *B. G.* 17. Auxilia, quæ undique convenerant, discesserunt. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 90. (194). — d) Passive *conventus* est idem quod congregatus. *Sisenna* apud *Non.* p. 130. 2. *Merc.* Servulum conventum in populum produxit. *h. e.* ad populum congregatum. *Plaut. Cist.* 1. 1. 41. Ego hanc mihi educavi ex patribus conventis. *h. e.* qui ad meretricem convenerant. Etiam *Terent.* hac ratione *adventus* usurpasse creditur: sed nihil tamen conficitur; apud *Plautum* enim al. leg. *commentis*, al. multo rectius *conventiciis*. ¶ 2. Speciatim ponitur de carnali copula pro coire. *Lucret.* 2. 922. ut nequeunt homines, armenta feræque Inter sese ullam gignere conveniundo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 29. (85). Aranei conveniunt clunibus. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 585.; *Apul.* 6. *Met.*; *Cod.* 5. 5. 8.; et *Cod. Theod.* 9. 9. 1. § 1. et alibi. ¶ 3. Item speciatim *convenire in manum*, *in matrimonium* dicitur mulier, quæ alicui nubit: cum discrimine tamen, quia *convenire in matrimonium* est ita uxorem fieri, ut distinguatur a *concubina*. Hæc *uxor* generali vocabulo, et peculiari *matrona* vocatur. *In manum* autem *convenire* est stricto sensu, Romanorum more per *confarreationem*, *coemptionem* vel *usum* (*V.* hæc vocabula suis locis) alicui nubere, sive ita uxorem fieri, ut sit in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque est: atque adeo non solum in matrimonium, sed in familiam quoque mariti et in heredis sui locum venire. Hæc *materfamilias* appellatur. *Gell.* 18. 6. et *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 476. Dicitur autem *convenire in manum*, quia, ut innuit *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 103., dextras invicem sponsi jungebant, interrogante viro, *an mulier sibi materfamilias esse vellet*, et muliere, *utrum vir sibi paterfamilias*, ut est apud *eumd. ibid.* ad v. 214. Ceterum V. MANUS. Sed et alii ritus in eo servabantur, de quibus *V.* in COEMPTIO. *Cic. Topic.* 3. 14. et 4. 23. et *Flacc.* 34. 84.; *Quintil.* 5. 10. 62.; *Tac.* 4. *Ann.* 16.; et *Cajus* 2. *Instit.* 82. et 84. et 139. Convenire in manum. *Dig.* 45. 1. 121. § 1. Convenire in matrimonium alicujus. *Gell.* 18. 6. Convenire in matrimonium cum viro. Cf. *Cod. Theod.* 3. 7. 11. Convenire in nuptias. ¶ 4. Item *convenire* dicuntur, qui ex aliis civitatibus in unam, in quam sunt contributi, conveniunt, jurisdictionis causa, ut res suas persequi judicio possint. *Cic.* 4. *Verr.* 15. 38. Ut judices dentur ex his civitatibus, quæ in id forum convenirent. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 28. 29. (105). Una jurisdictio appellatur Cibyratica. Ipsum oppidum Phrygiæ est. Eo conveniunt viginti quinque civitates. *Id.* 3. *ibid.* 3. 4. (25). Carthaginem conveniunt populi LXV. Cf. CONVENTUS, us. ¶ 5. Item *convenire aliquem* generatim est ad contrahendum negotium, vel ad alium aliquem finem eum adire, visere, colloqui: quo sensu occurrit etiam *conveniri* passive. *Plaut. Cas.* 3. 2. 18. Ubi nuptiæ fuerint, tum istam convenibo. Adde *eumd. Pers.* 5. 2. 74., *Merc.* 3. 2. 16. et *Bacch.* 4. 10. 11. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 16. Aliquam videre et convenire. *Id. Cist.* 4. 2. 38. Mulier, mane: sunt qui volunt te conventam. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 1. Laches me conventam esse expetit. *Id. Phorm.* 5. 4. 9. Quod conveniundi patris me tempus capere jubeat. *Cic.* 6. *Fam.* 19. 2. Balbus tantis pedum doloribus afficitur, ut se conveniri nolit. *Id.* 9. *ibid.* 14. 1. Neminem conveni (convenio autem quotidie plurimos), quin omnes mihi gratias agant. Adde *eumd. Senect.* 23. 8. *Id.* 1. *Fam.* 8. *extr.* Nostrum studium extabit in conveniendis magistratibus et senatoribus. *Id.* 16. *Att.* 3. Convento Antonio Tiburi. *Id.* 9. *Att.* 6. Lentulum transmisisse, nec eum a minore Balbo conventum. *Liv.* 7. 5. Janitori, opus esse sibi domino ejus convento extemplo, ait. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. Convenire Cæsarem in itinere. *Nepos Dion.* 8. adversarios alicujus. *Propert.* 4. 4. 81. hostem. *Ovid.* 2. *Art. am.* 394. Non uno est omnis convenienda loco. *Seneca Brevit. vit.* 14. Nocte conveniri et interdiu ab omnibus mortalibus possunt. — Et cum Participio. *Cic. Rosc. am.* 18. 50. Atilius, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt. *Liv.* 1. 58. Romam rediens ab nuncio uxoris conveniri. — Et licenter cum Infinito. *Ter. Andr.* 2. 2. 31. Etiam inde abiens puerum conveni Chremi olera – ferre obolo in cœnam seni. *Bentlejus* pro *conveni* legit *conspexi*, adversantibus Codicibus omnibus et Grammaticis omnibus, qui hæc verba citant. — Absolute. *Plaut. Cas.* 3. 2. 15. Nil moror, molesta ei esse nolo, post convenero. Adde *Ter. Heaut.* 4. 8. 23. et *Eun.* 3. 2. 14.; et *Nepot. Pausan.* 3. ¶ 6. In re forensi *convenire aliquem* est in jus vocare et in eum agere; et *conveniri* dicitur, qui in jus vocatur. *Tac. Aug.* apud *Vopisc. Aurelian.* 41. Quare, patres conscripti, vel deos ipsos jure convenio, qui talem principem interire passi sunt: nisi forte eum secum esse maluerunt. *Papinian. Dig.* 50. 1. 17. Ante filium respublica debet convenire, quam patrem. *Ulp. ibid.* 10. 2. 20. Ut heredes ex stipulatu conveniri possint. *Paul. ibid.* 9. 2. 18. Conveniri lege Aquilia. *Id. ibid.* 17. 1. 59. Conveniri pro parte dimidia. *Id.* 2. *Sentent. tit.* 31. Conveniri de peculio. et *ibid.* In duplum ejus rei nomine conveniri. — Hinc *conventus per denunciationes* est qui aditus et admonitus est. *Imp. Constantin. in fragm. Cod. Theod.* (edente *A. Peyronio*) 4. 11. 5. Quæcumque mulierum post hanc legem servi contubernio se miscuerit, et non conventa per denunciationes, sicut jus statuebat antiquum, statum libertatis amittat. — Rursus *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 31. Aliquem furti actione convenire. *h. e.* judicio persequi. Et *Dig.* 11. 6. 1. § 1. Convenire dolum malum alicujus. *Papinian. ibid.* 26. 7. 39. Dolum, aut culpam eorum recte judex conveniet. *Ulp. ibid.* 42. 1. 15. *a med.* Utrum judices convenient nomen etc. *h. e.* debitorem. — Et figurate. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 396. tua te benefacta morantem Conveniunt.

2.°) De inanimis convenire est simul accidere, coalescere, simul jungi. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 44. Facite hodie ut mihi – munera multa huc ab amatoribus conveniant. *Lucret.* 5. 430. *de atomis*. Propterea fit, uti – Tandem conveniant, ea, quæ, conventa, repente Magnarum rerum fiunt exordia sæpe. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (144). Huc convenit utrumque bivium. — Et de abstractis. *Cic. Rosc. Am.* 22. 62. Cum multæ causæ convenisse unum in locum atque inter se congruere videntur. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 4. Multa convenerunt, quæ mentem exturbarent meam, subita defectio Pompeji, alienatio consulum etc.

B) Ratione præcipue habita vis præpositionis, quæ inest in verbo, *convenire* est aptari, apte inseri arcteque connecti; et occurrit

I.) Proprie. *Cato R. R.* 21. Cupam facito P. X. – mediam, inter orbes quæ conveniat. – Eo fistulam ferream indito, quæ in columellam conveniat et in cupam. Adde *eumd. ibid. paullo post* et c. 19. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 85. Conveniebatne in vaginam tuam machæra militis? *Cic.* 3. *Fin.* 14. 46. Si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 22. 74.; et cf. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 57. V. *Conveniens* in fine hujus vocis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim convenire est congruere, consentire, et præcipue cum Dativo, aptari, quadrare, cadere in aliquem; et occurrit 1.°) Tum in tertiis personis cum Nominativo (*convenit res*); 2.°) Tum impersonaliter — 1.°) In tertiis personis cum Nominativo, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Truc.* 4. 3. 20. Conveniunt adhuc utriusque verba. *Ter. Andr.* 4. 2. 13. Hanc mi expetivi; contigit; conveniunt mores. Adde *eumd. ibid.* 5. 4. 39. *Id. Phorm.* 1. 2. 3. Conveniet numerus quantum debui. Cf. *Cic.* 5. *Att.* 21. 12., cujus verba *V.* infra in fine hujus paragr. *Ovid.* 2. *Met.* 846. Non bene conveniunt – majestas et amor. *Quintil.* 11. 3. 126. Conveniet etiam ambulatio quædam. *Sueton. Aug.* 25. Nihil autem minus in perfecto duce, quam festinationem temeritatemque convenire. *Justin.* 1. 5. Cum et vultus similitudo, et expositionis tempora, et pastoris confessio convenirent. — *b*) Cum Accus. personæ aut rei, et præpos. *in*. *Cato R. R.* 6. *extr.* Ceteræ vites, miscellæ maxime, in quemvis agrum conveniunt. *Ter. Heaut.* 5. 1. 3. In me quidvis harum rerum convenit. *Cic. Rosc. Am.* 23. 65. Erat nemo, in quem ista suspicio conveniret. *Id.* 9. *Phil.* 4. 8. Non vos quidem crudeles fuistis (quid enim minus in hunc ordinem convenit?), sed cum etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 29. 74. Nec vero hoc in te unum convenit moribus domesticis et urbanitate limatum; sed cum in reliquos vestros, tum in eum etc. *Orellius* ita legit: *Forcellinus* vero cum veter. editionibus *in te uno*, laudata tamen variante lectione. Adde *eumd. Dejot.* 10. 28., 3. *Verr.* 49. 128., 5. *ibid.* 68. 206. et 2. *Orat.* 60. 246. — *c*) Cum Accus. personæ aut rei, et præpos. *ad*. *Cic. Sull.* 7. 23. In quem tu – nullam contumeliam jacere potueris, quæ non ad maximam partem civium conveniret. *Varro* 1. *R. R.* 19. 1. Sed ego neutrum modum horum ad omnem agrum convenire puto, et utrumque ad aliquem. *Id.* apud *Non.* p. 271. 12. *Merc.* Si ad hunc χαρακτῆρα – conveniet. Sic et de remediis dicitur *convenire aliquid ad parotidas*, *ad podagram*, *ad stomachicos etc.*, ut apud *Scribon. Compos.* 43., 206., 103. et alibi. — *d*) Cum Ablat. rei et præpos. *cum*. *Cato R. R.* 6. Nam convenit arundinetum cum coruda. *Cic.* 1. *Divinat.* 44. 99. Quod quidem somnium cum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse. *Id.* 6. *Fam.* 8. 2. Hæc deliberatio non convenit cum oratione Largi. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 22. 73. et alibi. — *e*) Cum Dativo rei aut personæ. *Ter. Andr.* 2. 2. 29. Num videntur hæc convenire nuptiis? *Cic.* 2. *Fin.* 22. 74. Quod posterius priori non convenit. *Id.* apud *Non.* p. 270. 27. *Merc.* Quod vereris, ne non conveniat nostris ætatibus ista oratio. *Id. Prov. cons.* 17. 41. Illa ornamenta decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. Adde *Nepot. præfat.* et *Eumen.* 11.; et *Sall. Jug.* 85. *Horat.* 3. *Od.* 3. 69. Non hæc jocosæ conveniunt lyræ. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 4. 71., 1. *Ep.* 10. 42. et 2. *ibid.* 1. 57.; *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 36. et 2. *Met.* 54.; *Curt.* 5. 9.; *Quintil.* 5. 10. 123. et 6. 3. 25.; *Sueton. Galb.* 14.; et *Martial.* 8. 35. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (25). Non eadem terra arboribus convenit et frugibus. Sic et de remediis. *Plin.* 24. *ibid.* 6. 14. (23). Ammoniacum convenit claritati visus in collyriis. *Scribon. Compos.* 101. Medicamentum nervorum tensionibus mirifice convenit. — *f*) Cum Accus., solummodo apud *Plaut. Merc.* 5. 4. 24. Ætatem aliam aliud factum convenit. — *g*) Cum Accus. et Infinito. *Id. Plaut. Trin.* 3. 2. 55. Hoc non convenit me – agrum habere. Et cum Infinito tantum *Propert.* 2. 1. 41. Nec mea conveniunt duro præcordia versu Cæsaris in Phrygios condere nomen avos. *h. e.* apta, idonea non sunt. — 2.°) Impersonaliter, et quidem — *a*) Sæpissime cum Infinito. *Ter. Eun.* 3. 2. 41. Haud convenit una ire cum amica imperatorem in viam. Adde *eumd. Heaut.* 1. 1. 113. *Cic. Cæcin.* 3. 7. Qui igitur convenit, quæ causa fuerit ad constituendum judicium, eamdem moram esse ad judicandum? *Id. Quinct.* 15. 48. Illicone ad prætorem ire convenit? Adde *eumd. Rabir. Post.* 11. 31. et alibi sæpe; *Brutum et Cassium* apud *Cic.* 11. *Fam.* 3. 3.; *Lucret.* 2. 582. et alibi; *Horat. A. P.* 223.; et *Quintil.* 7. 3. 9. *Vellej.* 1. 3. 2. Quo nomine convenit mirari eos, qui etc. *h. e.* mirari licet, mirari possis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 33. (126). Quamquam prius de rapis dixisse conveniat. — *b*) Raro sequente part. *ut*. *Lucret.* 3. 682. Haud ita conveniebat, uti cum corpore et una Cum membris videatur in ipso sanguine cresse. *Cic.* 7. *Phil.* 2. 4. Qui enim convenit, ut, qui in rebus improbis populares fuerint, iidem in re una maxime populari, quod eadem salutaris reipublicæ sit, improbos se, quam populares, esse malint? *Al. tamen leg.* evenit. — *c*) Absolute, ita tamen ut ex ipso orationis contexto ipsius verbi significatio facile definiatur atque innotescat. *Cic. Mil.* 20. 54. Vide nunc illum primum egredientem e villa – tarde: qui convenit, præsertim id temporis? *Id.* 5. *Att.* 21. 12. Rationes conferatis. Assident, subducunt: ad nummum convenit.

— d) Et cum Dativo. *Cic.* 3. *Tusc.* 11. 24. Quam sibi conveniat, ipse viderit. *Id.* 9. *Fam.* 12. Minime miror, cælum et terram vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 3. 31. et *Quintil.* 6. 6. 63. ¶ 2. Speciatim ponitur de duobus pluribusque personis, quæ consentiunt concordesque sunt in re aliqua, eamdemque definitam ac ratam habent: sed apud optimos Auctores occurrunt solummodo hæ duæ dicendi rationes, scilicet 1.°) *Convenit res*, de qua consentitur; et 2.°) *Convenit* impersonaliter. De aliis dicendi rationibus *V.* sub 3.° et 4.° — 1.°) *Convenit res* usurpatur — a) Absolute. *Cic.* 9. *Att.* 6. 2. Dum rem conventuram putamus. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 20. 53. *Id.* 1. *Herenn.* 14. 29. Juridicialis constitutio est, cum factum convenit, sed jure an injuria sit quæritur. *Id.* 1. *Nat. D.* 32. 89. Virtutem sine ratione constare non posse: conveniat id quoque necesse est. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Si in eo manerent, quod convenissent. *Nepos Hann.* 6. In colloquium convenit: condiciones non convenerunt. *Sall. Jug.* 83. Si eadem illi copia fieret, omnia conventura. Adde *Liv.* 1. 3. et 30. 43. Rursus *Sall. Jug.* 38. Pax convenit. *Liv.* 29. 12. In eas condiciones cum pax convenisset. *Id.* 9. 23. Postquam ardentia vidit castra magister equitum (id convenerat signum), hostium terga invadit. Adde *Sueton. Oth.* 6. *Liv.* 1. 24. Tempus et locus convenit. *Tac.* 1. *Hist.* 27. Significatio convenit. — b) Cum Ablat. personæ et præpos. *cum*. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 10. Cum his mihi nec locus, nec sermo convenit. *Ter. Adelph.* 1. 1. 34. Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent. *Liv.* 34. 43. Pax, quæ cum T. Quinctio convenisset. Huc pertinet et illud *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 86. inque vicem pugnat uterque mori. Exstitit hoc unum, quod non convenerit illis. — c) Cum Accus. personæ et præpos. *inter*. *Plaut. Most.* 1. 3. 146. Bene ratio accepti et expensi inter nos convenit. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 53. Si posset inter eos aliquid convenire. *Cæs.* 2. *B. G.* 19. Tempus inter eos convenit. *Nepos Pausan.* 4. Quæ inter regem Pausaniamque convenerant. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 10. postquam nihil inter utrumque Convenit. — Sic *judex convenire inter adversarios* dicitur, cum ab actore et reo simul probatur et admittitur. *Cic. Cluent.* 43. 120. Neminem voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset. *Val. Max.* 2. 8. 2. Itaque judex inter eos convenit Atilius Calatinus. — 2.°) Impersonaliter *convenit* significat omnes consentire, omnes concordes esse; eique opponitur *discrepat*, ut apud *Liv.* 3. 31. *extr.* Cum de legibus conveniret, de legis latore tantum discreparet. Adde *Sueton. Claud.* 44. Jam vero — a) Occurrit absolute, *convenit alicui*, *cum aliquo*, vel *inter aliquos*. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 103. Primo – bene conveniebat sane inter eas. *Id. ibid.* 4. 4. 36. Cum ejus alienum esse a me animum sentiam, nec conventurum inter nos posthac arbitrer. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 147. Sororis virum, quicum optime convenisset. *Nepos Ages.* 2. Se dare operam, ut Lacedæmoniis cum rege conveniret. *Catull.* 55. 1. Pulcre convenit improbis cinædis. *Liv.* 2. 23. Frequentique tandem curia non modo inter patres, sed ne inter consules quidem ipsos satis conveniebat. — b) Construitur cum part. *ut* et Conjunctivo, cum Conjunctivo omissa *ut* part., cum Accus. et Infinito, cum Ablat. rei et præpos. *de*, cum additis adverbialibus locutionibus. *Plaut. Capt.* 2. 3. 19. Nunc ita convenit inter me atque hunc, ut te æstimatum in Alidem mittam ad patrem. Adde *eumd. Aulul.* 2. 2. 80. et *Amph.* 1. 1. 70. *Cic.* 6. *Att.* 1. 14. Mihi cum Dejotaro convenit, ut etc. *Liv.* 24. 6. Pacto convenit, ut cum Romanos Sicilia expulissent, etc. Adde *eumd.* 27. 15.; *Curt.* 10. 9. 9.; et *Cajum* 3. *Instit.* 147. *Liv.* 39. 11. Pro argento si aurum dare mallent, darent convenit. *Cic. Rosc. Am.* 29. 79. Conveniat mihi tecum necesse est – aut ipsum sua manu fecisse etc. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (88). Inter omnes convenit, Sybillam tres libros attulisse. Adde *Quintil.* 1. 10. 8. *Liv.* 9. 16. Convenit, jam inde per consules reliqua belli perfecta. *Quintil.* 4. 2. 41. Quanti veheret, interrogavi; de pretio convenit. Adde *eumd.* 1. 4. 17. et 4. 5. 28. *Sall. Jug.* 39. Uti convenerat. *Liv.* 30. 40. Ita enim convenerat. — 3.°) Apud *Plaut. Pseud.* 1. 5. 130. veteres editiones habent *convenire* vel *convenire de aliqua re* de personis dictum (Verba *Plauti* sunt: De istac re, aut si de ea re unquam inter nos convenimus.) quam dicendi rationem a *Plauto* expungendam esse jure ac merito contendit *Ritschl* in *Proleg. ad Plaut. Trin.* p. CXXXI.; quamvis eamdem usurparint JCti, ut in *Dig.* 9. 2. 27. § 29. et apud *Paul.* 1. *Sentent.* 1. § 5. — 4.°) Neque aliter statuendum est de alia dicendi ratione *convenire aliquam rem* vel *convenire aliquid de aliqua re*, ut juxta veteres editiones apud *Plaut. Trin.* 2. 4. 160. De dote mecum convenire nihil potes. Quamquam *Acidalium* seculi recentiores ita legunt *ibid.* De dote mecum conveniri nil potest. Quæ postrema dicendi ratio confirmatur a Part. præter. pass., quod eodem modo usurpatur, ut apud *Sall. Jug.* 120. Cum Romanis pacem conventam frustra fuisse. *Liv.* 30. 47. Quibus conventis. — Similiter *conventa condicio*, inquit *Paul. Diac.* p. 62. 14. *Müll.* dicebatur, cum primus sermo de nuptiis et earum condicione habebatur. *Al.*, *inter quos et* Müll., leg. *conventæ condicio*, et quidem rectius, est enim *conventæ virginis condicio*, cum matrimonii causâ virgo primum editur: sed eodem fere recidit. Porro de hac conventa condicione (subdit *Forcellinus*, qui ita cum *Scalig.* legebat) intelligendum est illud *Juvenal.* 6. 25. Conventum tamen et pactum et sponsalia, nostrâ Tempestate paras. Cui lucem affert etiam illud *Arnobii* 4. 20. Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera condicionibus veniunt ante quæsitis. Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas. Ubi vides a *Juvenal.* et *Arnob.* tres veluti gradus enumerari, quibus ad matrimonium contrahendum venitur: quorum primus est *conventa condicio*. — Hinc Part. præs., cujus sub *A.* 1.° 1. exempla retulimus,

Conveniens, *entis*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Convenientior* et Sup. *Convenientissimus* sub II. 2. Conveniens autem est congruens, aptus, consonus.

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Art. am.* 514. Conveniens toga, *h. e.* bene apta ad corpus. Cf. CONVENIO sub *B.* I.

II.) Translate. ¶ 1. De personis *conveniens* est concors. *Cic.* 1. *Off.* 17. 58. Bene convenientes propinqui. *Id. Rosc. Am.* 34. 96. Propinqui cognatique optime convenientes. *Sueton. Tib.* 7. Uxor bene conveniens. ¶ 2. De rebus occurrit — 1.°) Absolute, et *convenientia* dicuntur quæ sibi consentiunt, quæ sibi constant. *Cic.* 3. *Off.* 8. 35. Recta et convenientia et constantia natura desiderat, aspernaturque contraria. *Lucret.* 1. 1030. Ut semel in motus conjectast (*rerum summa creata*) convenientes. Adde *eumd.* 4. 791. *Liv.* 24. 5. Hunc tam superbum apparatum – convenientes sequebantur contemptus omnium hominum. Adde *Quintil.* 5. 10. 123. *Gell.* 9. 9. Nequaquam Virgilium fecisse conveniens, quoniam etc. *Vellej.* 1. 6. 3. Lycurgus fuit justissimarum legum auctor et convenientissimæ disciplinæ vir. *Al. leg.* viris. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (35). Convenientius est dici etc. Adde *Sueton. Aug.* 10. — 2.° Sæpius cum addita persona aut re, cui aliquid conveniens est, congruens, consentaneus, decens, aptus, consonus; et quidem — a) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 99. Nihil in hac epistola scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis ejus reperietis. *Horat. A. P.* 316. Reddere personæ convenientia cuique. Adde *eumd. ibid.* 119. *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 36. Tempus operi conveniens. *Id.* 2. *ibid.* 9. 93. Conveniens homini voluntas. *Sueton. Tib.* 50. Negotia feminæ convenientia. *Quintil.* 11. 1. 11. Oratio parum conveniens alicui. *Id.* 11. 3. 100. Admirationi conveniens gestus. *Val. Max.* 3. 3. 1. Quid iis, quæ supra retuli, facto Mucii convenientius? *Vellej.* 1. 13. *extr.* Hac prudentia illa imprudentia decori publico fuit convenientior. *Plin. Paneg.* 87. Parenti publico convenientissimum nihil cogere. *Id.* 10. *Ep.* 23. Convenientissimum esse tranquillitati sæculi putavi tam moderatæ voluntati non repugnare. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 18. — b) Cum Accus. et præpos. *ad*. *Cic. Amic.* 5. 17. Nihil est naturæ tam aptum, tam conveniens ad res secundas vel adversas. *Ovid. Ib.* 440. Ad formam tauri conveniente sono. — c) Cum præpos. *in* et Accus. aut Ablat. *Vellej.* 2. 29. 2. Forma conveniens in illam amplitudinem. *Liv.* 45. 19. Gratulatio conveniens in ea victoria. — d) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Nigidius* apud *Gell.* 10. 4. Motus oris conveniens cum ipsius verbi demonstratione. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 28. Cum populi vultu conveniente die. — e) Denique cum addito *inter se*. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Talis est ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in omni vita sint apta inter se et convenientia. *Id.* 2. *Divinat.* 39. 82. Quæ est inter augures conveniens et conjuncta constantia? *Lucret.* 2. 941. Motus inter se convenientes. — A Part. præter. pass. *Conventus*, *a*, *um*, usu venit

Conventum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, idem quod conventio, pactum. — a) *Conventum* sine additis occurrit apud *Cic. Partit. orat.* 37. 130. Quæ scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum et quasi consensu obtinentur. *Id.* 1. *Off.* 10. 32. Potest accidere promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile. *Id.* 3. *ibid.* 25. 95. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita. *Id.* 1. *ibid.* 7. 13. Dictorum conventorumque constantia. *Liv.* 29. 24. Di testes atque arbitri conventorum. *Sil.* *Il.* 1. 10. conventaque patrum Sidonii fregere duces. *Gell.* 17. 9. Conventum est inter aliquos. — b) In jure *conventum* et *pactum* conjunguntur: sed *conventum* adjectivum est, ait *Forcellinus*, recte vero, necne, dubito. *Cic. Partit. orat.* 37. 130. Fœdus privatum, tabulæ, pactum conventum, stipulatio. Adde *Cajum* 3. *Instit.* 179. et 4. *ibid.* 119. et 121.; *Dig.* 2. 15. 15. et in locis aliis quamplurimis, quæ congerit *Brisson.* l. 14. *de verb. signif.* *Cic.* 2. *Orat.* 24. 100. Tabulæ, testimonia, pacta conventa, stipulationes. Adde *Dig.* 18. 1. 72. pr., et alibi sæpe, ut laudat *Brisson. l. cit.* — c) Aliquando interponitur *et*; ut ambo quasi substantive accipiantur: nihil tamen de significatione mutatur: nisi quod nonnulli ita distinguunt, ut *pacta* sint promissa, quæ alterum tantum obligent, *conventa*, quæ utrumque. Quod discrimen, ut verum sit, certe non est perpetuum. *Cic. Cæcin.* 18. 51. Pacti et conventi formula. *Id.* 6. *Att.* 3. 1. Pomptinius ex pacto et convento a me discesserat. *Al. leg.* conventu. *Seneca* 3. *Benef.* 15. Nec pacta conventaque impressis signis custodirentur. Adde *Paul.* 1. *Sentent. tit.* 1. qui est *De pactis et conventis*. Nisi forte his locis particula copulativa ab exscriptoribus quibusdam ex ignoratione est interposita: quod ab aliis etiam addubitatum est in verbis *Cicer.* citatis pro *Cæcina*. Excipe tamen locum *Juvenal.* 6. 25. Conventum autem et pactum etc., quod ad nuptiarum contractum pertinet. *V.* CONVENIO in fin.

CONVENTA. *V.* voc. praeced.

CONVENTĪCIUS vel conventitius, a, um, adject. qui convenit, convena. *Plaut. Stich.* 1. 1. 41. Ego et tua mater ambæ meretrices fuimus: illa te, ego hanc mihi educavi ex patribus conventiciis. *h. e.* ex viris idem scortum sæpe convenientibus: alii tamen leg. *commentis*; alii aliter. — Hinc

Conventicium, *ii*, n. 2. (subaudi *æs*), absolute, substantivorum more, est pecunia, quæ apud respublicas Græcas iis numerabatur, qui ad conventum advenerant: Græce τὸ ἐκκλησιαστικόν. *Cic.* 3. *de republ.* (edente *A. Maio*) 35. 47. Utrobique autem conventicium accipiebant. *Apud Romanos* idem fere statuerat Rustius Cæpio apud *Sueton. Domit.* 9. Legatum ex testamento Rusci (*lege* Rustii) Cæpionis, qui caverat, ut quotanni ingredientibus curiam senatoribus certam summam viritim præstaret hæres suus, irritum fecit, scilicet die natalis defuncti Cæpionis. *V.* *Baumgart.* ad h. l. Ceterum *conventicium* legitur etiam in *Not. Tir.* p. 83. et 148.

CONVENTĪCŬLUM, i, n. 2. deminut. a conventus. ¶ 1. Apud Scriptores classicos occurrit tantum abstracte, et quidem plur. numero pro cœtu, conventu. *Cic. Dom.* 28. 74. Quoniam plebi quoque urbanæ majores nostri conventicula, et quasi concilia quædam esse voluerunt. *Id. Sext.* 42. 91. Conventicula hominum, quæ postea civitates nominatæ sunt. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores occurrit concrete, ubi ajunt, sensu et est locus, ubi homines conveniunt. *Tac.* 14. *Ann.* 15. Extructa apud nemus conventicula et cauponæ, et posita veno irritamenta luxus. Adde *Lactant. de morte persec.* 36. *Arnob.* 4. 36. Diruere conventicula, in quibus summus oratur Deus. *Ammian.* 27. 3. Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum. *Lactant.* 5. 11. Populum cum ipso conventiculo cremare.

CONVĔNTĬO, ōnis, f. 3. actus conveniendi sive unum in locum coeundi; et fere abstracte occurrit.

I.) Proprie. ¶ 1. Generalim conventio est cœtus hominum in unum locum convenientium, idem quod *contio*; *V.* CONTIO sub init. Formulam imperandi accenso, ut convocaret populum ad contionem, hanc

exhibent *Commentarii consulares* apud *Varron.* 6. *L. L.* 88. *Müll.* C. Calpurnius dicit: Voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad judices. *Tabulæ censoriæ* apud *eumd. ibid.* § 87. Conventionem habet qui lustrum conditurus est. *Paul. Diac. p.* 113. 10. *Müll.* In conventione in contione. ¶ 2. Speciatim de coitu. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 3. *p.* 712. Amor concupiscentia conventionis est. ¶ 3. Item speciatim *in manum conventione* nuptiæ fiebant, inquit *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 30., cum uxor in filiæ locum, maritus in patris veniebat: ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis alteri faceret. *Cajus* 3. *Instit.* 24.; *Ulp.* 26. 7.; et *Coll. Legg. Mosaic.* et *Roman.* 16. 6. Ceterum *V.* plura in CONVENIO sub *A.* 1.° 3. ¶ 4. Item actus adeundi aliquem et colloquendi præcipue ad negotium aliquod peragendum. *Cod. Theod.* 8. 8. 3. Solis die, quem domicilium rite dixere majores, omnium omnino litium, negotiorum, conventionum quiescat intentio, etc. Adde *ibid.* 16. 2. 14. et alibi. ¶ 5. Item actus conveniendi, hoc est in jus vocandi. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 3. 6. 3. Absque conventione personæ legitimæ initiatum jurgium videtur. Adde *ibid.* 7. 44. 7. et 9.

II.) Translate conventio est pactum, conventum. Est autem, ut docet *Ulp. Dig.* 2. 14. 1., verbum generale ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt. *Liv.* 37. 30. Contra fidem conventionis. *Seneca* 3. *Ira* 26. *extr.* Una res nos facere potest quietos, mutuæ facilitatis conventio. Adde *eumd. Provid.* 2. *Plin.* 5. *Ep.* 2. Eamdem tacita conventione salvam mihi pollicebatur. *Tac.* 3. *Hist.* 70. Si conventionis pœniteat. *Ulp. Dig.* 16. 3. 1. Contractus legem ex conventione accipiunt.

CONVENTĬŌNĀLIS, e, adject. ad conventionem pertinens. *Pompon. Dig.* 45. 1. 5. Stipulationum aliæ judiciales sunt, aliæ prætoriæ, aliæ conventionales. *et mox.* Conventionales sunt, quæ ex conventione reorum fiunt. *Cassiod.* 6. *Variar.* 13. Conventionalia detrimenta.

CONVENTĪTĬUS, a, um. *V.* CONVENTICIUS.

CONVENTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a conventio, parva conventio, seu cœtus. *Augustin. Ep.* 56. *ad fin.* In conventiunculis suis aliquanto frequentius perdurant.

CONVENTO, as, are, n. 1. *frequentat.* a convenio. *Solin.* 27. Externos ibi plurimos conventasse, argumentum de orbibus et locis dabimus.

CONVENTUM, i. *V.* CONVENIO in fin.

CONVENTUS, a, um. *V.* CONVENIO.

CONVENTUS, us, m. 4. concreto, uti ajunt, sensu usurpatur pro congregatione, cœtu hominum (It. *radunanza, assemblea*; Fr. *assemblée, réunion*; Hisp. *asamblea, junta*; Germ. *die Zusammenkunft, Versammlung oder Vereinigung*; Angl. *a meeting, assembly, convention*).

I.) Proprie occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim ¶ 1. De personis usurpatur, et conventus dicitur quæcumque hominum vel multitudinis congregatio, quacumque fiat causa, etiam consilii capiendi gratia; et sæpe occurrit tum in singulari, tum in plurali numero. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 27. Conventus comitum. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 207. Dies festos anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu. *Id. Brut.* 62. 223. Oratores minime digni elegantis conventus auribus. *Id.* 3. *Verr.* 59. 137. Meretricius conventus. *Id. Dejot.* 2. 5. Tantam causam dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum studia alii solent. *Id.* 3. *Verr.* 37. 94. Feminas in tantum virorum conventum prodire coegit. *Id.* 2. *Fin.* 1. 1. Primus est ausus Gorgias in conventu poscere quæstionem. *Id.* 2. *Cat.* 6. 13. Petivi ab eo, in nocturno conventu apud M. Leccam fuisset. *Sall. Jug.* 30. Romæ per omnes locos et conventus. *Id. ibid.* 12. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, placuerat dividi thesauros. *Id. Cat.* 22. *extr.* Dimittere conventum. *Liv.* 38. 30. Ægium semper conventus gentis indicti sunt. *Vitruv.* 6. 5. 2. *Schneid.* Forensibus et disertis elegantiora et spatiosiora vestibula facienda sunt, ad conventus excipiendos. *Nepos Dion.* 9. Se remotum a conventu domi tenere. *Id. Epam.* 6. Coram frequentissimo legationum conventu. *Virg.* 6. *Æn.* 753. Trahere in medios conventus turbamque. *Quintil.* 12. 2. 8. Studia sapientiæ in conventus scholarum recesserunt. Adde *eumd.* 1. 2. 9. *Gell.* 1. 8. Conventus ad Laidem ditiorum hominum celebres erant. *h. e.* concursus. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 724. *n.* 443. EX DECRETO VNIVERSORVM, QVOD GESTVM EST IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI CONVENTV PLENO, QVI DIES FVIT V. ID. MART. SEVTTIO PRAESENTE ET IVNIO RVFINO COS. *h. e.* ann. a Chr. n. CXLIII. ¶ 2. Item de personis, et conventus est idem ac concubitus. *Arnob.* 2. 70. Hi ex conventu Jovis inseminati et nati sunt. ¶ 3. Denique generatim de rebus dicitur pro concursu et coagmentatione rerum una coeuntium. *Lucret.* 1. 602. Sunt igitur solida primordia simplicitate, Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte, Non ex ullorum conventu conciliata. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 12. Duarum stellarum conventus. *Solin.* 13. Conventus dentium. *h. e.* constrictio, commissio.

B) Speciatim, teste *Paul. Diac.* p. 41. 17. *Müll.*, conventus in provinciis est judicum congregatio ac sessio pro tribunali; et usurpatur ¶ 1. De judicum consilio audientiumque corona. *Cic.* 4. *Verr.* 20. 48. Res, ab omni conventu cognita, celeriter domum nunciatur. *Id. ibid.* 24. 58. Nam quid est turpius ingenuo, quid minus libero dignum, quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere? Adde *eumd. ibid.* 30. 74., 6. *ibid.* 29. 67., et 15. *Fam.* 4. 2. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 7. 22. Persius exponit causam: ridetur ab omni Conventu. ¶ 2. Ratione habita prætoris, qui judices convocabat, conventus est ipsa jurisdictio in conventibus habita, quæ plures etiam dies durare poterat: cf. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 6. et *Cajum* 1. *Instit.* 20. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 66. Agitur aliquid in conventu. *Id. ibid.* 11. 28. Ex iis oppidis, in quibus consistere prætores et conventus agere solent. *Cæs.* 1. *B. G.* 54. et 6. *ibid.* 44. Ad conventus agendos profectus est. Adde 7. *ibid.* 1. et *Liv.* 31. 29. Sic *Justin.* 12. 13. *de Alexandro.* Babyloniam festinans, velut conventum terrarum orbis acturus. *h. e.* leges et jura cunctis gentibus daturus. *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Conventibus peractis. *Liv.* 45. 26. Conventus habere. *Auct. B. G.* 8. 46. Conventus percurrere. *Sueton. Cæs.* 7. Juri dicundo conventus circumire. *Plin.* 10. *Ep.* 66. Inchoare conventum. ¶ 3. *Conventus civium Romanorum* apud *Cic.* 4. *Verr.* 13. 32. et *Cæs.* 3. *B. C.* 29. et alibi, vel *conventus* absolute dicebatur congregatio civium Romanorum in provinciis, qui juris dicendi aut negotiandi causa convenerant. Porro hujusmodi conventus ab iis locis appellabantur, quæ in provinciis constituta erant juri dicundo. Nam Romani provincias dividebant in quasdam veluti diœceses, et in singulis earum oppidum constituebant, in quo magistratus accitis ejus diœceseos civitatibus reliquis jus dicebant. Itaque quicumque *conventus* ejusmodi dicebatur etiam *forum* et *jurisdictio.* *Cic.* 4. *Verr.* 29. 70., 5. *ibid.* 13. 32., 6. *ibid.* 25. 55. et 31. 70., et 7. *ibid.* 59. 155. Conventus Syracusanus. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Conventus Campanus. Cf. *Cic. Sext.* 4. 9. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Conventus Salonitanus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (7). Bæticæ juridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Oppida omnia numero centum triginta quinque. *Id.* 5. *ibid.* 29. 29. (105). Mediterraneis jurisdictiones indicasse conveniat. Una appellatur Cybiratica *etc.* Alter conventus a Synnade accepit nomen *etc.* Tertius Apameam vadit *etc.* *Cic. Ligar.* 8. 24. Conventus firmi atque magni. *Cæs.* 2. *B. C.* 19. Simul ipse Cordubæ conventus per se portas Varroni clausit. Cf. *Id. ibid.* 21. Civibus Romanis, quod oppidum in sua potestate habere studuissent, gratias agit. *Auct. B. Afr.* 97. Thapsitanis HS vicesies, conventui eorum HS tricesies: Hadrumetinis HS tricesies, conventui eorum HS quinquagies multæ nomine imponit. Adde *Juvenal.* 8. 128.

II.) Translate conventus pro pacto et conventione ponitur; ita tamen, ut *ex conventu* vel *ex pacto et conventu* tantum occurrat. *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. Sunt item pacta, quæ sine legibus observantur ex conventu. Adde *eumd. Cæcin.* 8. 22. *Id.* 6. *Att.* 3. 1. Ex pacto et conventu a me discesserat. *Lambinus et alii leg.* convento.

CONVĔNUSTO, as, are, a. 1. Part. *Convenustans.* — Convenustare est idem quod venusto, venustum reddo, orno. *Sidon.* 7. *Ep.* 12. Omitto te tanto cultu Ecclesiam tibi creditam convenustare. *Id.* 8. *ibid.* 6. Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta palmatam plus picta oratione, plus aurea convenustare. *Capell.* 2. *extr.* Aurora primo convenustans habitu.

CONVERBĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONVERBĔRO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (cum *et* verbero). Part. *Converberatus* I. — Converbero est vehementer verbero, pulso, percutio.

I.) Proprie. *Curt.* 7. 2. 5. Flere cœpit, et os suum converberare. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (126). Nero nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum ture ceraque. *Apul.* 9. *Met.* Faciem alicujus manusque et latera converberare.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 121. Et virtutes exhortabor, et vitia converberabo. *Id.* 3. *Ira* 20. Ira non tantum viritim furit, sed gentes totas lancinat, sed urbes, sed flumina, et tuta ab omni sensu doloris converberat.

CONVERGO, gis, gere, n. 3. (cum *et* vergo) simul vergo. *Isid.* 3. *Orig.* 12. Cujus (*circuli*) in medio punctus est quo cuncta convergunt, quod centrum geometræ Græci, Latini punctum circuli nuncupant. *Id.* 19. *ibid.* 19. eadem fere repetit.

CONVERRĪTOR, ōris, m. 3. qui converrit et abstergit. *Apul. de Mag.* dentificium appellat, *complanatorem tumidulæ gingivulæ, converritorem pridianæ reliquiæ.*

CONVERRO *vel* converro, verris *vel* vorris, verri (*vel* vorsi), versum (*vel* vorsum), verrere *vel* vorrere, a. 1. (cum *et* verro *vel* vorro). Part. *Converrens* II. 2.; *Conversus* I. a. — Converro est simul verro, purgo (It. *scopare insieme, nettare spazzando*; Fr. *enlever en balayant, balayer*; Hisp. *escobar, barrer y limpiar con escoba*; Germ. *zusammenkehren oder fegen*; Angl. *to sweep or brush thoroughly, sweep or cleanse all over*).

I.) Proprie. — a) Cum Accus. rei, quam converrendo mundam facimus. *Cato R. R.* 143. Villica villam conversam nitidamque habeat. *Al. leg.* converse nitideque. *Publius Syrus* apud *Priscian.* 10. *p.* 900. *Putsch.* Cellas servorum converri. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 6. Converrere stabulum. *Id.* 8. *ibid.* 8. 6. Converrere et emundare locum. *Arnob.* 1. 36. limina templorum osculis. — b) Cum Accus. rei, quam converrendo colligimus. *Plaut. Stich.* 2. 3. 64. Reverram hercle hoc, quod converri modo. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 27. et 31. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 22. Periti rustici, quidquid ovilibus stabulisque conversum progesserunt, superpositis virgeis cratibus tegunt. *Curt.* 7. 4. 27. Converrere quidquid sabuli in campis jacet.

II.) Improprie. ¶ 1. *Converrere aliquem* pro verberare, vel potius pulsatum efficere, festive dixit *Plaut. Rud.* 3. 6. 6. Nunc pol ego perii: Pleusidippus eccum adest. Convorret jam hic me totum cum pulvisculo. ¶ 2. *Converrere aliquid* est colligere, quærere, congerere. *Cic.* 3. *Off.* 19. 78. Quem — fingebam digitorum percussione hereditates omnium posse converrere. *Ita leg.* Orell. *cum optim. Codd.*; *al.* convertere. *Pacat. Paneg. Theodos.* 26. *a med.* Pirata quidquid undecumque converrerat, in illam Charybdim congerebat. *Valer. Cato* in *Diris* 58. Hæc agat infesto Neptunus cæca tridenti, Atrum converrens æstum maris undique ventis. *Al. leg.* convertens. *V.* similia in VERRO.

CONVERSANS, antis. *V.* CONVERSO et CONVERSOR.

CONVERSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus conversandi.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de rebus, et significat frequentem usum actionemque sæpe versandi seu vertendi. *Seneca* 3. *Benef.* 2. 2. Quæ in usu sunt, et manum quotidie tactumque patiuntur, numquam periculum situs adeunt: illa, quæ ad oculos non revocantur, sed extra conversationem, ut supervacua, jacuerunt, sordes ipsa colligunt vetustate. Cf. *Cod. Theod.* 11. 21. 1. *pr.* *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *ante med.* Alterna conversatione alterius loci frigus accipere. ¶ 2. Latiori sensu de animantibus dicitur et est actus versandi sæpius in aliquo loco. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (100). Perdices in quo loco pepererе, non incubant; neve cui frequentior conversatio sit suspecta, transferunt alio. *Ulp. Dig.* 11. 7. 12. § 1. Senatusconsulto cavetur, ne usus sepulcrorum permutationibus polluatur, idest, ne sepulcrum alienæ conversationis usum accipiat. *h. e.* ne ab aliis frequentetur, aut inhabitetur, ut habetur in edicto prætoris apud *eumd. ibid.* 47. 12. 3.

II.) Improprie. ¶ 1. Transfertur ad personas, et est consuetudo, convictus familiaritas. *Velle*j. 2. 102.

3. Nec defuit conversatio hominum vitiis ejus assentatione alentium. *Seneca.* 6. *Excerpt. controv.* 8. de *Vestali.* Non in illa conversatio cum viris licentiosior. *Id. Ep.* 7. Conversatio multorum. *Id. Ep.* 99. Cum occurrunt sermones eorum jucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas. *Id. Tranquill. anim.* 3. Omnem conversationem tollere. *Quintil.* 1. 2. 4. Nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est. *Id.* 6. 3. 17. Sumpta est conversatione doctorum tacita eruditio. *Tac. dial. de Orat.* 9. Relinquere conversationem amicorum. Adde *eumd.* 12. *Ann.* 49. et *Germ.* 40. ¶ 2. Item est vitæ genus, vivendi ratio. *Hieronym. Vita Hilarion.* n. 14. Ille fundator et eruditor hujus conversationis et studii in Syria fuit.

CONVERSĀTOR ὁμοδίαιτος contubernalis, *Gloss. Gr. Lat.*

CONVERSATUS, a, um. *V.* CONVERSOR.

CONVERSE. *V.* CONVERRO I. *a.*

CONVERSĬBILIS. *V.* CONVERTIBILIS.

CONVERSIM, adverb. e converso. *Capell.* 5. p. 159. A consequentibus vero conversim, ut quæstio in antecedentibus sit, argumentum in sequentibus. *Firmic.* 2. *Mathes.* 32. Decima quinta in decimam septimam, rursusque conversim.

CONVERSĬO, ōnis, f. 3. actus convertendi (It. *conversione, voltamento, giro*; Fr. *conversion, tour, tournoiement, mouvement circulaire*; Hisp. *vuelta, movimiento circular*; Germ. *die Umwendung, Umdrehung, Umkehrung*; Angl. *a turning or whirling round, course, revolution, circuit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Pro inversione. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 67. (166). Equo fere, qui homini, morbi, præterque vesicæ conversio. *Id.* 24. *ibid.* 7. 23. (39). Conversiones vulvæ. — *b*) Sæpius de cæli astrorumque motu. *Cic. Tim.* 6. *a med.* Cælum una conversione atque eadem ipse circum se torquetur et vertitur. *Id.* 6. *de republ.* 18. 19. Tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut etc. *Id.* 2. *Divinat.* 42. 89. Cæli conversiones commutationesque. *Id.* 1. *Legg.* 8. 24. Conversiones cælestes. *Id.* 1. *Tusc.* 25. 62. Astrorum conversiones omnesque motus. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. siderum continuæ. *Id.* 6. *de republ.* 18. 18. stelliferi cursus. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Circuitus enim solis orbium v. et lx. et ccc. quarta fere diei parte addita conversionem conficiunt annuam. *Id. Tim.* 14. Mensium annorumque conversionem. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores aliquando hoc nomine ambitus verborum, hoc est periodus significatur. *Cic.* 3. *Orat.* 49. 190. Efficiendum est, ut oratio membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione membrorum, sed sæpe carpenda membris minutioribus oratio est. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 48. 186. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores est figura verborum, qua idem verbum in fine membrorum periodi sæpius repetitur, Græce ἀντιστροφή vel ἐπιφορά. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Ejusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio. Adde *eumd.* 4. *Herenn.* 13. 19.; *Quintil.* 9. 1. 33.; et *Aquil. Rom.* § 35.; et *V.* ANTISTROPHE. ¶ 4. Denique speciatim apud Rhetores est alia figura, qua verba retrorsum immutantur, ut *Quæ de illo dicuntur, dici non possunt; quæ dici possunt, non dicuntur*: Græce ἀντιμεταβολή. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. Est etiam gradatio quædam, et conversio, et verborum concinna transgressio, etc. *Id.* 4. *Herenn.* 28. 39. multa hujus exempla affert, et *commutationem* appellat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est intima rei alicujus mutatio. *Cic. Flacc.* 37. 94. Videtis, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum, ac perturbatione versemur. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 6. Naturales quædam conversiones rerum publicarum. *Id. Dom.* 18. 46. Conversio status, et inclinatio communium temporum. *Id. Flacc.* 13. 31. Tempestatum moderatio et conversio. ¶ 2. Speciatim in illo *Colum.* 6. *R. R.* 17. 6. Si tumor in suppurationem convertitur, optimum est ignea lamina conversionem resecare: *conversio* est ipsa pars membri in suppurationem versa. ¶ 3. Item speciatim est ab una in aliam linguam translatio. *Quintil.* 10. 5. 4. Sed et illa ex Latinis conversio multum et ipsa contulerit. *V.* CONVERTO. ¶ 4. Denique speciatim apud Scriptores Ecclesiasticos est vitæ mutatio et correctio. *Alcim. Avit.* 6. 149. *ad soror.* conversio fratrum Exemplo debenda pio. *Salvian.* 3. *Gub. D.* 10. *a med.* Non sanat unius conversio crimina plurimorum, præsertim cum is, qui convertitur, ut mortem æternam possit evadere, magnos conversionis suæ fructus capiat, si evadat.

CONVERSĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* conversio, parvi momenti conversio. Occurrit translate tantum (*V.* CONVERSIO II. 4.) apud *Salvian. Ep.* 4. *ante med.* Conversiunculam nostram paganus quondam non æquanimiter adceperis.

CONVERSO, as, are, a. 1. *frequent. a* converto, et est totis viribus vertere. *Cic. Tim* 8. Animus, (mundi) se conversans, cum materiam mutabilem arripuisset, etc. — Hinc

CONVERSOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Conversans* II. 1.; *Conversatus* I. — Conversari occurrit latiori tantum sensu de animantibus (*V.* CONVERSATIO I. 2.), et est versari in aliquo loco, esse, convivere (It. *agitarsi in qualche luogo, stare insieme con altri*; Fr. *demeurer, se tenir dans un certain lieu*; Hisp. *conversar, vivir*; Germ. *sich irgendwo bewegen und regen, leben und weben, verkehren, Umgang haben, zusammenleben*; Angl. *to be about or along with any thing, to live with, haunt, frequent*).

I.) Proprie occurrit de hominibus et brutis animantibus, fere cum additis. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Conversata est diutius inter humano sanguine delibutos. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (6). Aquila conversatur in montibus. Adde *Dig.* 47. 10. 13. § 7. et *Cod.* 4. 55. 1. *Seneca Ep.* 41. Conversatur nobiscum. *Colum.* 9. *R. R.* 11. 1. *de apib.* Ut multitudo sine discordia cum parentibus suis conversetur. *Seneca Ep.* 99. Nemo libenter tristi conversatur, nedum tristitiæ. *Id. ibid.* 32. Conversari dissimilibus. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 8. Asinus a tenero conversatus equis, familiariter earum consuetudinem appetit.

II.) Improprie. ¶ 1. Absolute *conversari* dicitur qui aliorum consuetudine utitur. *Seneca* 3. *Ira* 8. Sumuntur a conversantibus mores. *Id. Ep.* 108. Ea philosophiæ vis est, ut non solum studentes, sed etiam conversantes juvet. *Colum.* 9. *R. R.* 11. 1. Dum conversari consuescant. ¶ 2. Item ponitur pro vivere, certam vivendi rationem tenere. *Ulp. Dig.* 1. 16. 9. § 3. Proconsul potest comminari, et terrere filium a patre oblatum, qui non, ut oportet, conversari dicatur. *Id. ibid.* 28. 7. 5. § 3. Male conversari.

CONVERSUS, a, um, *a* converro. *V.* CONVERRO.

CONVERSUS, a, um, *a* converto. *V.* CONVERTO.

CONVERSUS, us, m. 4. idem ac conversio.

I.) Proprie. *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. Motus, qui gyros efficit, crebro conversu turbat.

II.) Improprie ponitur pro conversatione, seu consuetudine, convictu, familiaritate apud *Dig.* 48. 6. 5. pr., ubi alii pro *conversu* legunt *concursu*, quemadmodum apud *Cod. Theod.* 12. 12. 13.

CONVERTENTĬA, æ, f. 1. eadem ac conversio. *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 2. p. 161. Ajunt non esse solius relationis ad convertentiam dici. Si quis enim sic dicat: *cum sol super terram, sol est*, et: *cum dies est super terram, sol est*, recipiunt hæc quoque conversionem. *Id. ibid.* Ad convertentiam dicuntur. *h. e.* conversim.

CONVERTĬBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Est qui converti potest. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Convertibiles propositiones. *Al. leg.* conversibiles. *Augustin. Music.* 5. 27. Duobus membris totidem semipedibus, sed non convertibilibus. *Editi libri habent* conversibilibus. ¶ 2. Item qui mutari potest. *Prudent. Apotheos.* 344. Non convertibilis, nec demutabilis umquam Est Deus. *Tertull. advers. Hermog.* 39. Materia convertibilis et demutabilis. Adde *eumd. Carn. Chr.* 3.

CONVERTĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. idem ac conversio, vicissitudo. *Oros.* 1. 1. Convertibilitas naturæ.

CONVERTO *vel* converto, tis, ti, sum, tere, 3. (cum et verto vel vorto). *Convorto* pro *converto* antiquum est, et sæpe legitur apud *Plaut.* aliosque. — *Convertier* paragoge pro converti est apud *Lucret.* 1. 795. et 4. 317. — Part. *Convertens* sub *A.* 1.° *b.* et *c.*; *Conversus* in omnibus fere paragr. sub *A.*; *Conversurus* sub *A.* 1.° 7.; *Convertendus* sub *A.* 2.° 1. *c.* — Convertere occurrit *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active *convertere* duo præcipue significat: scilicet 1.°) Stricto sensu converto est idem quod verto, circumduco, in aliam partem vel in orbem verto, ita verto ut anterior pars ibi sit ubi erat posterior et vice versa, superior pars ibi sit ubi erat inferior et vice versa, etc.; 2.°) Latiori sensu convertere est personæ aut rei statum, condicionem, qualitatem et similia in alia omnino vertere, mutare, transformare.

1.°) Stricto sensu converto est idem quod verto, circumduco, in aliam partem vel in orbem verto, ita verto ut anterior pars ibi sit ubi erat posterior et vice versa, superior pars ibi sit ubi erat inferior et vice versa, etc. ¶ 1. Generatim ac proprie occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 2. 1097. Quis pariter cælos omnes (*potis est*) convertere? Cf. *Cic.* 6. *de republ.* 17. 17. *Id.* 2. *Att.* 9. 1. Minore sonitu, quam putaram, orbis hic in republica est conversus. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Romani conversa signa bipertito intulerant. Sic *Id.* 2. *ibid.* 26. Conversa signa in hostes inferre. Adde *Liv.* 2. 14. et 8. 11. *Id. Liv.* 1. 7. Reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. *h. e.* in causa fuit, ut Hercules se verteret. Adde *eumd.* 22. 51. *Virg.* 9. *Æn.* 724 Portam vi multa converso cardine torquet. *Colum.* 3. *R. R.* 5. 3. Cum in duos pedes et semissem bipalio convertitur humus. *h. e.* subigitur. *Id.* 11. *ibid.* 3. *a med.* Cæpina magis frequenter subactam postulat terram, quam altius conversam. *h. e.* pastinatam et effossam. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (20). *de delphinis.* Nisi resupini atque conversi, non corripiunt cibum. *h. e.* inversi. Sic *Id.* 24. *ibid.* 5. 13. (22). Galbanum vulvas conversas corrigit. Similiter *conversa cornua* apud *eumd.* sunt extrorsus projecta, hoc est mucronibus ad contraria latera capitis inflexis 11. *ibid.* 37. 45. (125). Cornua supina, convexa, conversa. — Jungitur et aliis Substantivis, quorum præcipua sunt hæc. *Liv.* 42. 57. *extr.* aciem convertere. *Cic. Flacc.* 34. 86. aculeum testimonii sui. *Gell.* 5. 10. argumentum. *h. e.* retorquere. *Petron. Satyr.* 102. crines calamistro. *h. e.* in cincinnos torquere. *Gell.* 5. 5. exercitum. *h. e.* quod Franc. dicitur *faire la revue*. ejus verba sunt: Ostendebat Hannibali Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparaverat, convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem. *Virg.* 12. *Æn.* 252. fugam: ejus verba sunt: cunctæque volucres Convertunt clamore fugam. *h. e.* redeunt cum clamore, inquit *Servius*, seu fugæ se dant. Sic *Id.* 5. *ibid.* 582. rursusque vocati Convertere vias infestaque tela tulere. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 26. vitæ via si conversa decebit. *Sil. It.* 13. 250. convertunt gressus recipique precantes etc. *h. e.* retro vertunt, redeunt. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 29. 71. impetum convertit fortuna. *Quintil.* 11. 3. 100. manum. *Sil. It.* 17. 467. prælia convertit dextra. *h. e.* restituit. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. se convertere. *h. e.* in fugam se vertere: ejus verba sunt: Paucisque dejectis, reliquos se convertere cogunt. Eodem sensu *Id.* 1. *ibid.* 80. Pugnatur acriter adeo, ut pæne terga convertant. Sic *Ovid.* 13. *Met.* 879. Terga fugæ conversa dare. — *b*) Cum addito Accus. et præpos. *ad*. *Cic.* 3. *Off.* 9. 38. Palam anuli ad palmam converti. *Id.* 13. *Att.* 21. 3. Navigatio navem convertens ad puppim. *Id.* 2. *Cat.* 7. 14. Convertere iter ad fugam. Sic *Lucan.* 3. 373. iter ad urbem. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Spelunca conversa ad Aquilonem. *Virg.* 3. *G.* 303. Et stabula a ventis hiberno opponere soli, Ad medium conversa diem. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. Materia conversa ad hostem. *Id.* 6. *ibid.* 39. Convertere ora ad aliquem. *Petron. Satyr.* 98. Conversus ad me, quid est, inquit, latro? *Ovid.* 15. *Met.* 516. Convertere colla ad freta. *Curt.* 5. 4. 16. agmen ad propius periculum. *Lucan.* 2. 629. mortem ad aliquos. *Quintil.* 4. 1. 66. orationem ad aliquem. — *c*) Cum Accus. et præpos. *in*. *Cic.* 4. *Cat.* 1. 1. Video – in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos. Adde *Sall. Jug.* 85. Sic *Petron. Satyr.* 110. *extr.* Conversis omnibus in se vultibus auribusque, sic exorsus est. *Cic.* 2. *Cat.* 7. 14. Convertere iter in exilium. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. iter in provinciam. *Id.* 3. *ibid.* 15. naves in aliquam partem. *Id.* 1. *ibid.* 52. aciem in fugam. Adde *Liv.* 30. 18. *Lucret.* 5. 1316. equos frenis in hostes. *Virg.* 9. *Æn.* 427. ferrum in aliquem. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 6. vasa in labra. *h. e.* invertere. *Sueton. Cæs.* 62. Singulos contortis faucibus convertens in hostem. — *d*) Cum additis præpos. *circum*, *contra*, *sub*, *inter se*, ut apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Terra circum axem se summa celeritate convertit. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna conversa contra vim fluminis. *Lucret.* 5. 704. Convertere cursum sub terras. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (161). Circumfundi terræ undique homines conversisque inter se pedibus stare. *h. e.* ad-

versis vestigiis stare contra aliorum vestigia, ut Cic. 4. Acad. (2. pr.) 39. 123. loquitur. — e) Cum Dativo. Lucret. 5. 705. Luna potest solis radiis percussa nitere, Inque dies majus lumen convertere nobis. Cæs. 1. B. C. 81. Castra castris convertunt. Lucan. 9. 689. Zephyro convertitur ales Itque super Libyen. — f) Cum constructionibus loci per Dat. aut Accus. Cic. 2. Nat. D. 57. 142. Aspectum, quo vellent, convertere. Cæs. 7. B. G. 67. Eo aciem convertere. Adde Lucret. 4. 311. Horat. Epod. 16. 27. Non conversa domum pigeat dare lintea. Cf. Plaut. Stich. 3. 1. 1. et Ter. Adelph. 2. 4. 22. et Cic. 5. Verr. 76. 176. ¶ 2. Specialim occurrit de astris, planetis etc. quæ circumvolvuntur. Cic. 6. de republ. 17. 17. Infimoque orbe luna solis radiis accensa convertitur. Cf. eumd. 4. Acad. (2. pr.) 39. 123. et Lucret. 2. 1097., cujus verba V. supra sub 1.° a. — Hinc translate de temporis decursu atque absolutione. Cic. 6. de republ. 12. 12. Cum ætas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit. Id. ibid. 22. 24. Hujus quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conversam. ¶ 3. Item specialim de persona aut re, quæ alium, atque antea, in locum aut finem vertitur: quo sensu occurrit tum proprie, tum translate, et multis quidem rationibus, quas singulis, quæ sequuntur, paragraphis distinguendas putavimus. Itaque — Primo ratione habita loci. Plaut. Stich. 3. 1. 1. Quum bene re gesta salvus convortor domum. Ter. Adelph. 2. 4. 22. Ego jam transacta re convortam me domum cum obsonio. Cic. 3. Att. 14. 2. Hinc, si aliquid a comitiis audierimus, convertemus nos in Asiam. Adde Nepot. Ages. 3. Cæs. 5. B. G. 43. Ad hunc se confestim a Pulfione (al. leg. Pullone) omnis multitudo convertit. — Sic Cic. 3. Fam. 12. 3. Gratulabor tibi prius (ita enim rerum ordo postulat), deinde ad me convertar. h. e. deinde de me verba faciam. ¶ 4. Secundo (V. præced. paragr. 3. sub init.) ratione habita τῆς πολιτείας, convertere se in vel ad aliquem dicuntur, qui ejus partibus student in eoque spem habent. Cic. 6. de republ. 12. 12. In te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus. Nepos Att. 8. Cum respublica penes Brutos videretur esse et Cassium ac tota civitas se ad eos convertisse. Seneca 1. Clem. 4. Sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se respublica convertit. Tac. 3. Hist. 41. Capto Valente, cuncta ad victoris opes conversa. Similiter Liv. 24. 4. extr. In se unum omnium vires convertere. ¶ 5. Tertio (V. præced. paragr. 3. sub init.) ponitur de mente atque animo tum agentis sive, uti ajunt, subjecti, tum aliorum, pro applicare, intendere: ad rem Cic. 1. Orat. 2. 6. Quocumque te animo et cogitatione converteris. — Jam vero hac significatione dicimus converti ad vel in aliquid, se convertere ad aliquid, animum convertere aliquo, convertere alicujus animum ad aliquid, aliquem ad aliquid etc. Plaut. Rud. 4. 4. 107. Converti ad verum. Ovid. 10. Met. 683. Converti in subitam iram. Sueton. Cal. 47. Conversus hinc in curam triumphi. Id. Galb. 9. In desidiam segnitiemque conversus. Adde eumd. Oth. 5. Cic. 5. Fin. 3. 7. Ad philosophos converte te: ex eorum enim scriptis etc. h. e. philosophorum scripta perlege. Id. 3. ad Q. fr. 5. 5. Valde me ad otium pacemque converto. Id. Sull. 5. 17. Convertit se aliquando ad timorem, numquam ad sanitatem. Id. 3. Fam. 10. 10. Convertere se totum ad alicujus voluntatem nutumque. h. e. obsequi, præsto esse. Adde eumd. Amic. 25. 93. Id. 1. Orat. 2. 8. Convertere animum ad ea ipsa artium genera ac circumspicere quam etc. Liv. 1. 55. animum ad negotia urbana. Id. 3. 44. animum ad crudelem superbamque vim. Id. 24. 4. Liberare animum et ad publicam curam convertere. Id. 26. 40. Convertere animos ad agrum colendum. Sueton. Cal. 38. animum ad rapinas. Id. Domit. 16. aliquem ad corporis curam. — Interdum cum addito, a quo animus avertitur atque in aliam rem intenditur. Cic. 1. Nat. D. 27. 77. Animos imperitorum ad deorum cultum a vitæ pravitate convertere. h. e. traducere. Id. Orat. 40. 138. Animos ab eo, quod agitur, avertere, sæpe in hilaritatem risumque convertere. Id. 1. Invent. 2. 3. Homines a consuetudine subito convertere. Curt. 4. 2. 22. Aliquos ab opere ad curam semetipsos tuendi convertere. ¶ 6. Quarto (V. præced. paragr. 3. sub init.) ponitur etiam de facultate ac vi animi, de studio, consilio etc., quæ aliquo intenduntur. Cic. 2. Orat. 48. 199. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Cæpionis fugam. Id. 2. Orat. 60. 245. Risus in judicem conversus. Id. 3. Nat. D. 31. 78. Convertere rationem in fraudem malitiamque. Id. Sext. 32. 70. omnem spem melioris status in aliquorum fidem. Id. 3. Off. 1. 4. omne studium curamque ad hanc scribendi operam. Id. Pis. 9. 19. auxilium aliquod ad perniciem alicujus. D. Brutus apud Cic. 11. Fam. 13. 5. Eas copias, quas diu simulatione reipublicæ comparabant, subito ad patriæ periculum converterunt. Curt. 4. 11. 1. Consilia omnia in bellum convertere. Quintil. 2. 20. 2. facultatem dicendi ad hominum perniciem. Tac. Dial. de orat. 14. ingenium et studium ad causas agendas. Cf. Lucan. 2. 629. martem ad aliquos. ¶ 7. Quinto (V. præced. paragr. 3. sub init.) de usu, in quo aliquid impendimus; quo sensu convertere aliquid in rem suam, ad suum commodum etc. est trahere ad propriam utilitatem. Cic. Rosc. Am. 39. 115. Ex eo T. Roscius non paullum nescio quid in rem suam convertit. Id. ibid. 38. 112. Si mandatum neglecturus, aut ad tuum - commodum conversurus es. Cf. eumd. 1. Off. 14. 42. Ulp. Dig. 17. 1. 10. Pecuniam ad usus suos convertere. — Forcellinus addit etiam illud Cic. 3. Off. 19. 78. Digitorum percussione hereditates omnium ad se posse convertere. At ibi cum optimis Codicibus et Orell. pro convertere præstat legere converrere. ¶ 8. Sexto (V. præced. paragr. 3. sub init.) dicitur etiam de iis, qui alios in admirationem sui trahunt: quo sensu — a) Ad se vel in se convertere ora, oculos, homines etc. præcipue usurpatur. Lucret. 6. 643. Flammea tempestas Siculûm dominata per agros Finitimis ad se convertit gentibus ora. Sall. Jug. 85. Illud intelligo omnium ora in me conversa esse. Nepos Alcib. 3. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescumque in publicum prodisset, ad se converteret. Liv. 24. 5. Certamine ac studiis in se animum adolescentis convertit. Curt. 3. 11. 24. Omnium oculos animosque in semet converterant captivæ, mater conjuxque Darii. Id. 8. 4. 24. Omnium oculos in se convertere. Vellej. 2. 31. 1. Converterat Pompeji persona totum in se terrarum orbem; et pæne homine major habebatur. Sueton. Vesp. 4. Convertere provincias proximas in se. Flor. 2. 17. 4. omnium mentes in se. — b) Eodem sensu, omisso ad vel in se, usurpatur convertere omnes, hominum oculos, ora, animos, aliquem etc. Horat. 2. Ep. 1. 196. Sive elephas albus vulgi converteret ora. Liv. 22. 51. extr. Præcipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti Romano. Id. 26. 29. Convertere oculos hominum. Id. 29. 26. animos. Id. 45. 20. Rhodiorum civitatem. Sueton. Cal. 35. Rex Ptolemæus ingressus spectacula convertit hominum oculos fulgore purpureæ abollæ. Id. Tit. 5. Homines, quaqua iret, convertebat.

2.°) Latiori sensu convertere est personæ aut rei statum, condicionem, qualitatem et similia in alia omnino vertere, mutare, transformare. ¶ 1. Generatim; et quidem — a) Cum Accus. et præpos. ad; unde clarius patet finis, ad quem res intenditur. Ter. Andr. 4. 1. 48. Nisi si id putas - non jam ad salutem posse converti hoc malum. Cic. Dom. 40. 105. Istius - pœna omnis oculorum ad cæcitatem mentis est conversa. Id. Harusp. resp. 11. 24. Cujus ludi violati, polluti, pæne ad cædem et ad funus conversi sunt. Nepos Datam. 6. Quod ad perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem (Datames) convertit. — b) Cum Accus. et præpos. in; quo intima totius rei mutatio significatur. Plaut. Epid. 2. 2. 4. Jam ego me convertam in hirudinem. Ter. Eun. 3. 5. 40. Deum sese in hominem convertisse. Horat. 3. Od. 16. 8. Converso in pretium deo. Cic. 3. Nat. D. 12. 31. Omnia hæc tum intereunt, cum in naturam aliam convertuntur. Id. 3. Tusc. 26. 63. Hecubam putant propter animi acerbitatem - fingi in canem esse conversam. Id. 3. Off. 20. 82. Convertere se ex homine in belluam. Virg. 12. Æn. 623. in faciem soror conversa Metisci. Ovid. 4. Met. 780. Visa Medusa conversus in silicem. Id. 11. ibid. 209. In freti formam terras convertere. — Similiter Plaut. Pœn. 5. 5. 42. Quod per jocum dixi, in serium convertit. Cic. Flacc. 29. 70. Quod crimen esse voluisti, id totum vides in laudem esse conversum. Id. Amic. 21. 78. Cavendum est, ne in graves inimicitias convertant se amicitiæ. Id. Topic. 21. 82. Eloquentia commutatione aliqua convertitur in infantiam. Id. Rabir. Post. 11. 29. Fortunam in culpam convertere. Id. 7. Verr. 44. 115. Clementiam mansuetudinemque nostri imperii tantam in crudelitatem inhumanitatemque esse conversam. Id. 16. Fam. 11. 1. In quartanam conversa vis est morbi. Seneca 2. Benef. 13. Convertere beneficium in injuriam. Quintil. 6. 3. 47. Conversa in maledictum fere ambiguitate. Sueton. Claud. 13. Legiones in pœnitentiam religione conversæ. Lucan. 4. 267. Timor conversus in iram. Plin. 8. Ep. 23. Tot opes, tot gaudia dies unus in diversa convertit. — c) Absolute, ita ut ex ipso orationis contextu inferendum sit, in bonum an in malum res conversa sit. Cic. 8. Att. 13. 2. Et vide quam conversa res est. Illum, quo antea confidebant, metuunt; hunc amant, quem timebant. Lucret. 1. 678. mutatoque ordine mutant Naturam res et convertunt corpora sese. Adde eumd. 2. 1005. et 4. 441. Cæs. 1. B. G. 41. Hac oratione habita, mirum in modum conversæ sunt omnium mentes. Id. 1. B. C. 76. Terror oblatus, nova religio mentes militum convertit. Nepos Att. 10. Conversa subito fortuna est. — Similiter Cic. Orat. 5. 20. Oratores vehementes, varii, copiosi, ad permovendos et convertendos animos instructi et parati. Cf. Sall. Jug. 20. Animus avaritiâ conversus est. et Tac. 1. Hist. 85. Conversi animum vultumque. Cic. Flacc. 38. 94. Non putant satis conversam rempublicam, nisi etc. h. e. perturbatam. Horat. Epod. 5. 88. Convertere humanam vicem. Quintil. 7. 2. 15. ordinem aliquem. — Et Part. Conversus apud Virg. 5. Æn. 466. Non vires alias conversaque numina sentis? h. e. in contrarium mutata, adversa. Horat. A. P. 166. Conversis studiis ætas animusque virilis etc. Adde eumd. 1. Ep. 17. 26., cujus verba superius retulimus sub A. 1.° 1. a. — Denique apud Christianos Scriptores converti dicitur, qui a malis in bonos mores mutatur. V. Salviani l. c. in CONVERSIO II. 4. ¶ 2. Specialim est ex una in aliam linguam vertere, interpretari. Cic. Opt. gen. Orat. 5. 14. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes -: nec converti ut interpres, sed ut orator. Id. 1. Fin. 2. 6. Quæ non sunt conversa de Græcis. Id. Opt. gen. Orat. 6. 18. Orationes e Græco conversæ. Id. 3. Tusc. 14. 29. Convertere aliqua in Latinum. Id. 2. Off. 24. 87. librum e Græco in Latinum. — Et absolute. Id. 2. Nat. D. 41. 104. Arati carmina a te admodum adolescentulo conversa ita me delectant etc. Adde eumd. 1. Fin. 2. 5. ¶ 3. Item specialim de orationis figura. Cic. Partit. orat. 7. 23. Reliquum est, ut dicas de conversa oratione atque mutata. Id. ibid. § 24. Eloquendi exercitatio maxime in hoc toto convertendi genere versatur.

B) Neutrorum more convertere occurrit pro converti; et quidem

1.°) Stricto sensu.

I.) Proprie est retro vertere, reverti. Lucret. 4. 334. Inde retro rursum redit et convertit eodem. Lachmann. ex conjectura convertitur legit. Sall. Jug. 20. Deinde cum omni multitudine in regnum suum convertit. Id. ibid. 101. Dein Numida - clam cum paucis ad pedites convertit. Sil. It. 9. 645. convertit Varro, manuque Cornipedem inflectens etc. Gell. 1. 26. Convertit ad me, qui interrogaveram.

II.) Translate. Plaut. Stich. 3. 1. 18. Sine advocatis - in amicitiam atque in gratiam convertimus. Cic. Planc. 20. 50. Non dubito, quin omnis ad te conversura fuerit multitudo. Cf. Arusian. Mess. p. 221. ed. Lindem. Cæs. 5. B. G. 49. Omnemque ad eum multitudinem convertisse. Tac. 3. Ann. 55. Ceteri ad sapientiora convertere.

2.°) Latiori sensu ponitur pro mutari. Cic. Brut. 37. 141. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Adde eumd. 3. Orat. 29. 114. Id. Fat. 7. 14. Quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero præterita possunt convertere. Adde eumd. ibid. 9. 17. et 16. 37. Sall. Cat. 52. Ne ista vobis mansuetudo et misericordia - in miseriam convortet. Id. ibid. 6. Ubi regium imperium in superbiam dominationemque convertit. Plerique alii leg. se convertit. Fronto ad Antonin. Aug. 2. Ep. 2. (edente iterum Romæ A. Mai.). Spes in rem convertit. h. e. conversa est. Id. de fer. Als. 3. p. 214. Et somnia plerumque ad verum convertunt. Adde Auson. epigr. 1. 68.

CONVERTOR, têris, ti, deponentis forma pro converto, ut et Non. p. 480. 20. Merc. adnotavit, legebatur apud Plaut. Amph. 1. 1. 83. Sed fugam in se tamen nemo convertitur. Recentiores tamen, ut Holtze et Fleckeisen aliter legunt.

CONVESCOR, vescĕris, vesci, dep. 3. (cum et vescor). Part. Convescens. — Convescor est simul

cum alio vescor. *Vulgat. interpr. Act.* 1. 4. Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent. Adde *Augustin. Ep.* 18. *ante med.* seu *sect.* 11.

CONVESTĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (cum et vestio). Part. *Convestitus* II. — Convestio est idem fere quod vestio.

I.) Proprie. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Neque terram injicere, neque omento convestire mihi corpore licuit. *Al. pro* omento *leg.* cruenta.

II.) Translate. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. herbis prata convestirier. *paragoge. Lucilius* apud *Non.* p. 21. 2. *Merc.* Cernuus extemplo herbas convestit honestas. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 5. Topiarium laudavi: ita omnia convestivit hederà. *Id. Dom.* 38. 101. Domus convestita duobus lucis. h. e. contecta, circumdata. *Lucret.* 2. 146. Quam subito soleat sol ortus tempore tali Convestire sua perfundens omnia luce.

CONVESTĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONVĔTĔRĀNUS, i, m. 2. socius miles veteranus. *Imp. Gordian. Cod.* 5. 65. 2. Placuit, veteranos conveterani filiorum tutelam administrare. *Inscript.* apud *Gruter.* 524. 7., quæ est apud *Orell.* 3580. INTER CETEROS CONVETERANOS SVOS REVOCATVS. Adde *Imp. Constant. Cod.* 12. 47. 1. et *Cod. Theod.* 7. 20. 2. § 1.

CONVEXĀTUS, a, um. *V.* CONVEXO.

CONVEXĬO, ōnis, f. 3. inclinatio, convexitas, concavitas. *Gell.* 14. 1. Nam quanta partium circulorumque cæli ex devergentia et convexionibus mundi varietas sit, etc. *Arnob.* 4. 5. Quidquid teres est, atque ex omni parte rotunditatis solidæ convexione conclusum, nullum habet initium, nullum finem. Adde *eumd.* 1. 55.

CONVEXĬTAS, ātis, f. 3. curvatura, inclinatio, convexio, concavitas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (217). Convexitas circuli. *et ibid.* § (210). mundi. *Id. ibid.* 20. 69. (253). terræ. *Id.* 2. *ibid.* 64. 64. (160). In cælo cava in se convexitas vergit, et cardini suo, hoc est terræ, undique incumbit. — Et absolute pro concavitate. *Id.* 6. *ibid.* 32. 37. (202). Insula vocatur Invallis a convexitate.

CONVEXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et vexo). Part. *Convexatus.* — Convexo est idem quod vexo. *Atejus Capito* apud *Gell.* 10. 6. Quæ (*multitudo*) me male nunc miseram convexavit. *Veget.* 5. *Veterin.* 64. 2. *Schneid.* Cursu nimio — convexata ilia. *Schneid. leg.* cum vexata. *Id.* 5. *ibid.* 17. 6. Ulterius animal non convexabis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 25. 1.

CONVEXUS, a, um, adject. (conveho) ex omni parte declinatus, qualis est natura cæli ex omni parte ad terram versus declinati, ut *Paul. Diac.* p. 58. 18. *Müll.* definit; quocum cf. *Isid.* 3. *Orig.* 38. et 13. *ibid.* 5. 6. Ita proprie dicitur exterior pars semicirculi, seu arcus, aut fornicis: nam interior *concava* appellatur. Etymologi a *veho* derivant, quod supra concavum quodammodo vehatur (*V.* tamen *Döderlein*, qui *Latein. Synonym.* vol. 6. p. 80. recte deducit a *conveho*); at reapse *convexum* est, *quod curvatur tam inferne, quam superne*, et flectitur ad circuli modum; distinguitur a devexo, quod inclinatur in unam tantum partem; a concavo, quod capax est et continere aliquid potest. Itaque — *a*) Convexum est, quod curvatur superne. *Ovid.* 1. *Met.* 26. et *Poeta* apud *Isid.* 3. *Orig.* 38. Convexum cælum. *V. Convexum* in fin. hujus voc. *Virg.* 4. *Ecl.* 50. Aspice convexo nutantem pondere mundum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Mundus convexus, mediusque, quacumque cernatur. *Id.* 32. *ibid.* 4. 14. (39). Latitudo testudinibus in dorso pectori similis, nec convexo curvata calyce. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (125). Convexa cornua. h. e. curvata in morem fornicis, mucronibus eorum invicem spectantibus. *Aratea Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 112. Fides (h. e. sidus) leviter posita et convexa. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 77. (124). Folia convexa in terram. *Ovid.* 6. *Met.* 697. Convexa foramina terræ. h. e. concava. *Id.* 4. *Pont.* 9. 129. Inter convexa locari sidera. h. e. inter sidera in cæli convexo infixa. — Similiter apud *Claudian. VI. cons. Honor.* 614. Convexum vulgus gradibus Circi. h. e. sedens in curvis gradibus. *Al. leg.* connexum vel consitum. — Et figurate *Gell.* 17. 20. Ἐνθύμημα crebrum et coruscum et convexum, brevibusque et rotundis numeris cum quadam æquabili circumactione devinctum. h. e. undique incumbens et urgens rem propositam. Al. leg. *connexum.* — *b*) Convexum est etiam, quod curvatur inferne. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 23. 49. (107). Discessimus a terris oceanum spectantibus ad convexas in nostra maria. h. e. quæ in nostra maria curvo flexu spectant. *Ovid.* 13. *Met.* 911. Vertex convexus ad æquora. *Id.* 14. *ibid.* 154. Convexum iter. h. e. acclive, arduum, quale est, quo ad convexa montium juga conscenditur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (31). Leniter convexa juga. h. e. cacumine leni clivo descendentia. *Id.* 5. *ibid.* 5. 5. (38). Vallis repente convexa. — *NB.* Videtur etiam esse pro *convectus* in illo *Virg.* 3. *Æn.* 543. Alecto cæli convexa per auras. *Servius* tamen aliter explicat: aliter etiam *Probus*, *Asper*, *Donatus* apud *eumd. ibid.* V. *Heynius* conjicit legendum *cælique evecta per auras.* — Hinc

Convexum, i, n. 2. absolute, substantivorum more usurpatur — *a*) De eo, quod curvatur superne. — In singulari numero. *Virg.* 1. *Æn.* 314. Classem in convexo nemorum sub rupe cavata Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris Occulit. — Sæpius in plurali numero. *Id.* 4. *ibid.* 451. tædet cæli convexa tueri. Sic 6. *ibid.* 240. *de Averno.* talis sese halitus atris Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 242., 1. *in Rufin.* 367. et 2. *in eumd.* 454. *convexa* absolute pro cælo posuit. *Id. Cons. Stilich.* 3. 190. Convexa theatri. *V.* superius CONVEXUS sub *a.* in fin. — *b*) Item de eo, quod curvatur inferne. *Virg.* 1. *Æn.* 610. dum montibus umbræ Lustrabunt convexa. *Justin.* 2. 10. Convexa vallium æquare.

CONVEXUS (us, m. 4.), περιφέρεια. *Gloss. vet.*

CONVĪBRO, as, āvi, ātum, are, 1. (cum et vibro). Part. *Convibrans* sub *A.* — Convibro est quod vibro, concutio: et occurrit

A) Absolute, neutrorum more. *Vetus Poeta* apud *Festum* p. 206. 11. *Müll.* Exsiluit, quasi petulcus quidam, pedibus convibravit. h. e. se vibravit, se proripuit. *Capell.* 1. p. 17. Qui confestim imperio Jovis convocati, in aulam cælitum convibrantibus venere sideribus.

B) Active. *Apul. Florid.* 2. n. 12. *de psittaco.* Dum facile os, uti conformetur; dum tenera lingua, uti convibretur. *Ammian.* 17. 7. 15. *de terræ motu.* Venti eruptiones nullas reperientes, eas partes soli convibrant, quas subrepserint.

CONVĪCĀNEUS, i, m. 2. qui est ejusdem vici, idem ac convicanus. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 11. *ante med.* Antonius monachorum maximus, puer relictus orphanus, paternos donavit agros convicaneis suis.

CONVĪCĀNUS, i, m. 2. qui est ejusdem vici, idem ac vicanus. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 436., quæ est apud *Orell.* 3558. HEREDES AMICO ET CONVICANO BENEMERENTI FECERVNT. Alia apud *Spon.* in *Hist. de Genev.* T. 2. p. 376., quæ est apud *Orell.* 259. OFFICIO INTER CONVICANOS SVOS FVNCTVS. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11. 24. 6. § 1. Exceptis convicanis. *V.* et voc. præced.

CONVĪCĀRĬUS, ii, m. 2. qui simul cum alio servus vicarius est, vel qui cum alio vicem gerit alicujus. *Inscript.* apud *Murat.* 712. 7. PONTIVS HIC PARITER SVA CONVICARIVS OSSA HIC CVM LAEVINO IVSSIT HVMANDA SVA. Secunda syllaba nimis licenter producitur. Alii putant esse a *con* et *vicus*, et idem significare ac *convicanus*, quod minime admittendum: dicendum potius, sculptum fuisse *convicaneus*, nam reperitur etiam *vicaneus*. *V.* VICANUS et CONVICANEUS.

CONVĪCĬĀTOR, ōris, m. 3. qui convicium dicit, vel facit. *Cic. Muren.* 6. 13. Maledictum est, si vere objicitur, vehementis accusatoris; sin falso, maledici conviciatoris. Adde *Pseudo-Cic. in Sall. resp.* 1. 1.; *Senec.* 2. *Ira* 24.; et *Sueton. Tib.* 11.

CONVĪCĬŎLUM, i, n. 2. deminut. a convicium, parvum convicium. *Lamprid. Alex. Sev.* 28. Antiochenses lacessiverant eum conviciolis.

CONVĪCĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Scribitur et *convitior*, sed minus recte: *V.* CONVICIUM. — Part. *Convicians* I. et *Conviciatus* I. et II. — Convicior est convicium facio, contumeliis peto (It. *dir parole ingiuriose, svillaneggiare, oltraggiare*; Fr. *injurier, insulter, railler*; Hisp. *injuriar, insultar*; Germ. *Schmähreden führen, Vorwürfe machen, schmähen, lästern*; Angl. *to rail at, taunt, reproach, revile*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 5. 1. Cum alius eum salutasset, alius conviciatus esset, qui tam sero venisset ad constitutum. Adde *Liv.* 42. 41.; et *Quintil.* 6. 3. 78. *Sueton. Tib.* 53. Convicianti oculum verberibus excussit. Adde *Apul. Florid.* 2. n. 12.; et *Cod.* 2. 6. 6. — *b*) Cum Dativo personæ, quam quis contumeliis petit. *Quintil.* 3. 8. 69. Contra sentientibus inhumane conviciantur. Adde *eumd.* 5. 13. 40.; *Paul.* 5. *Sentent.* 35. 3. et *Dig.* 49. 1. 8.

II.) Translate, et quidem passive Part. præter. pass. *Conviciatus* pro *simul vexatus* est apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *post med.* (*Epileptici*) sternutamento conviciati.

CONVĪCĬUM, ii, n. 2. (a *cum* et *vox*, quasi *convocium*). Sunt qui scribunt *convitium*, derivantque aut a *vito*, aut a *vitium*: sed neque scriptura, neque etymon probabile est. Vero est enim similius esse a voce, ut dictum est, non a *vicis*: utrumque tamen approbat *Paul. Diac.* p. 41. 20. *Müll.*; sed primum confirmant *Ulpian.* et *Labeo Dig.* 47. 10. 15. § 4. Nam quæ scribit *Nonius* p. 64. 3. *Merc.* corrupta esse videntur. Non desunt tamen qui et *convitium* ingerant, sed alia significatione. Nam sicut cum una ædium pars corrupta erat, *vitium facere* dicebatur; ita si plures ruinam minarentur, *convitium* dictum est. Hoc perperam adstruere conatus est *Scaliger.* in *not.* ad *Sever. Ætn.* 302. ex *Inscript.* apud *Gruter.* 107. 1., quam vide in COMPITUM. — Itaque convicium, quasi *convocium*, proprie est inordinatus clamor, voces multorum inter se collisæ (It. *grido di molte voci*; Fr. *grand bruit de voix, tapage, vacarme*; Hisp. *ruido fuerte, tumulto, alboroto*; Germ. *das Erheben der Stimme mehrerer Personen mit- und durch-einander*; Angl. *a noise arising from many sounds at once, a loud noise*). Usurpatur

¶ 1. Generatim ac stricto sensu pro vocibus multorum inter se collisis, sive inordinato clamore. — *a*) De hominibus. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 32. Vin tibi ducentos nummos jam promittier, ut ne clamorem hic facias neu convicium? *Ter. Adelph.* 2. 1. 26. Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium. *Cic. Arch.* 6. 12. Locus, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessæ conquiescant. *Id. Sext.* 55. 118. Is, qui antea cantorum convicio contiones celebrare suas solebat, cantorum ipsorum vocibus ejiciebatur. *Id.* 7. *Verr.* 11. 28. Erant autem convivia non illo silentio etc., sed cum maximo clamore atque convicio. Adde *eumd.* apud *Aquil. Rom.* p. 144. — Proverbium est apud *Capitolin. Ver.* 5. *Septem convivium, novem vero convicium*: quod ubi plures mensæ uni accumbunt, et vino calent, confusæ et inconditæ voces non audiri non possunt, neque ullus institui sermo, quo graves honestique viri oblectari solent. *Auson. Ephem. de loco* v. 5. Sex enim convivium Cum rege justum: si super, convicium est. — *b*) De brutis animantibus. *Colum.* 10. *R. R.* 12. querulæ convicia ranæ. *Phædr.* 1. 6. 5. Clamorem ranæ sustulere ad sidera. Convicio permotus quærit Juppiter etc. *Id.* 3. 16. 3. Convicium acerbum facere. — *c*) Figurate de avibus. *Ovid.* 5. *Met.* 676. per brachia mota levatæ Aere pendebant, nemorum convicia, picæ. Cf. *Plaut. Merc. prol.* 50., cujus verba *V.* infra sub 5. ¶ 2. Speciatim usurpatur de vocibus multorum aliquid improbantium. *Cic.* 1. *Fam.* 5. a. § 1. Postquam Pompejus apud populum — cum pro Milone diceret, clamore convicioque jactatus est. *Id.* 2. *Att.* 18. 1. Furium clamore et conviciis et sibilis consectantur. *Id.* 10. *Fam.* 16. 1. Cum ei magnum convicium fieret cuncto a senatu. *Id. Pis.* 26. 63. Os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. Urgebor jam omnium vestrum convicio. *Id. Rosc. com.* 11. 30. Non modo sibilis, sed etiam convicio explodi. *Cæs.* 1. *B. C.* 2. Marcellus perterritus conviciis a sua sententia discessit. ¶ 3. Item speciatim, quia probra et contumeliæ clamore sæpe et contentione adhibita ingeri solent, hinc frequentissime *convicium* pro contumelia accipitur, sive a pluribus, sive ab uno fiat. *Cic. Cæl.* 3. 6. Maledictum nihil habet propositi præter contumeliam, quæ si petulantius jactatur, convicium; si facetius, urbanitas vocatur. — *a*) Sæpe in malam partem occurrit, et tunc convicium non caret contumelia. *Cic.* 1. *Att.* 14. 5. Hic tibi Rostra Cato advolat, convicium Pisoni consuli mirificum facit; si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. — Hac significatione jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Quintil.* 7. 2. 34. abstinere ante acta vitæ convicio. *Ovid.* 14. *Met.* 522. addere obscenis con-

viciis rustica dictis. Id. 6. ibid. 210. adjicere diro convicia facto. Cic. Mur. 6. 13. arripere ex scurrarum aliquo convicio maledictum. Id. 3. Off. 21. 83. avellere aliquem aliquo convicio ab errore. Liv. 3. 48. compertum aliquid habere ex convicio alicujus. Cæs. 1. B. C. 2. corripi convicio alicujus. Plaut. Asin. 5. 2. 49. dicere alicui convicium. Ovid. Remed. am. 507. dicere convicia posti. Cic. 2. Nat. D. 7. 20. diluere reprehensoris convicia. Plaut. Merc. 2. 1. 11.; Cic. Cluent. 27. 74. et 16. Att. 8. 2.; Ovid. 2. Pont. 6. 7.; Senec. Consol. ad Marc. 10.; et Quintil. 6. 2. 78. facere alicui. Quintil. 6. 2. 14. ferre convicium alicujus. Ovid. 13. Met. 306. fundere in aliquem stolidæ convicia linguæ. Sueton. Tib. 11. et Ner. 35. incessere aliquem conviciis. Adde Gell. 9. 2. Horat. 1. Sat. 5. 11. ingerere convicia alicui. Ovid. 5. Met. 664. jacere convicia. Quintil. 1. 2. 27. occurrere conviciis. Dig. 1. 12. 1. § 10. et 37. 14. 1. pati convicia ab aliquo. Plin. 33. Hist. nat. 1. 3. (6). proscindere aliquem conviciis. Sueton. Aug. 13. proscindere aliquem convicio. Dig. 3. 3. 25. purgare convicium. Horat. 1. Sat. 7. 29. regerere convicia. Cic. Dom. 1. 3. respondere convicio alicujus. Id. Quinct. 19. 62. sustinere quotidianum convicium scurræ. Tac. 3. Hist. 10. transire a conviciis ac probris ad tela et manus. — b) Aliquando significat unius vociferationem conjunctam cum acri reprehensione, et improbatione, sine contumelia tamen. Cic. 2. ad Q. fr. 11. 1. Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. h. e. urgenti et quasi clamosa petitione. Etiam Quintil. in epist. ad Thryphon. hac phrasi usus est. Cic. 12. Fam. 25. 2. Justissimum honestissimumque convicium meum. Id. Cluent. 27. 74. Quinctius tribunus plebis convicium C. Junio judici quæstionis maximum fecit, ut ne sine Staleno in consilium iretur. Plin. 6. Ep. 12. Etiam atque etiam rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videbor, convicium facias. Quod et ego intelligam a summo amore proficisci, etc. Tac. Agric. 22. Acerbior in conviciis narrabatur. — c) Pro jocoso dicto occurrit apud Martial. 7. 8. de triumpho Domitiani. Festa coronatus ludet convicia miles, Inter laurigeros cum comes ibit equos. ¶ 4. Item speciatim de inanimis interdum occurrit pro animadversione, exprobratione. Cic. Orat. 48. 160. Cum convicio aurium extorta mihi veritas esset. Q. Cic. apud Cic. 16. Fam. 26. 1. Verberavi te cogitationis tacito dumtaxat convicio. ¶ 5. Denique per metonymiam eleganter a Plauto Merc. prol. 59. dicitur convicium filius nequam, si dedecus ac probrum familiæ est.

CONVICTĬO, ōnis, f. 3. a convinco, significat actum convincendi, demonstrationem certam. Augustin. 13. Trinit. 1. Dictumque sit, eam esse convictionem rerum, quæ non videntur.

CONVICTĬO, onis, f. 3. a convivo, est actus convivendi, convictus, consuetudo. Cic. filius ad Tiron. apud Cic. 16. Fam. 21. 4. Cujus cum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio. Est qui legit conjunctio, sed perperam. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 4. § 12. Quos vero aut ex domesticis convictionibus, aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, etc. Ita legit Orell.; alii conjunctionibus, alii aliter.

CONVICTĪVUS, a, um, adject. (cum et vincere) qui convincit. Priscian. Præexerc. Rhet. p. 1331. Putsch. Quam (narrationem) variis proferre modis solemus; per rectum, per inclinatum, per convictivum, per dissolutum, per comparativum. — Convictiva autem figura est, qua arguentes utimur, ut: Quid enim? non fecit Medea malum? non amavit quidem Iasonem? prodidit aureum vellus? etc. — Rectum quidem historiæ convenit; — inclinatum vero magis certaminibus rhetoricis: convictivum quoque ad arguendum accommodatius. Krehl. ubique convictivus legit: Putsch. vero perperam conjunctivus: Cl. Furlanetto in suis MSS. convinctivus legendum esse putat, quod tamen analogiæ repugnat.

CONVICTOR, ōris, m. 3. quotidianus conviva, et qui nobiscum vivit familiariter. Cic. filius apud Cic. 16. Fam. 21. 5. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, quos etc. Horat. 1. Sat. 4. 96. Me Capitolinus convictore usus amicoque A puero est. Id. 1. ibid. 6. 47. Convictorem esse alicui. Seneca Ep. 7. Convictor delicatus paullatim enervat et emollit. Adde Ovid. 4. Pont. 3. 15.; et Sueton. Tib. 56. Inscript. apud Maff. Mus. Ver. 362. 10., quæ est apud Orell. 4073. LOCVS SEPVLTVRAE CONVICTORVM QVI VNA EPVLO VESCI SOLENT.

CONVICTRIX, tris, f. 3. quæ convivit. Pro conjuge legi videtur in quadam Inscript. apud Gruter. 796. 8., quæ tamen neque optimæ est notæ, et CONVIC. VIVA P. tantummodo exhibet. V. Marini Frat. Arv. p. 614. col. 1. not. 47.

CONVICTUS, a, um. V. CONVINCO.

CONVICTUS, us, m. 4. (convivo) actus convivendi, consuetudo, contubernium. ¶ 1. Generatim ac stricto sensu. Cic. 3. Off. 5. 21. Tollit convictum humanum et societatem. Lucceius apud Cic. 5. Fam. 14. 5. Ad convictum nostrum redeas et consuetudinem. Nepos Att. 8. In convictu aliquem principem habere. Ovid. 1. Trist. 8. 29. Convictu vinctum esse alicui. Id. 2. Pont. 10. 8. Exciderit tantum ne tibi cura mei, Quam tu vel longis debes convictibus ævi. Seneca Consol. ad Helv. 15. Loca gratulationum et convictuum. ¶ 2. Speciatim. — a) Convictus dicitur consuetudo aliquem mensæ fere quotidie adhibendi. Colum. 1. R. R. 8. 5. Eidemque actori præcipiendum est, ne convictum cum domestico, multoque minus cum extero habeat. Nonnumquam tamen eum, quem assidue sedulum et fortem cognoverit, honoris causa mensæ suæ die festo dignetur adhibere. Adde eumd. 11. ibid. 1. 13. — Hinc generatim ponitur pro convivio. Vellej. 2. 33. 4. Convictibus et apparatibus luxuriæ primum auctorem esse. Plin. 14. Hist. nat. 14. 16. (95). Ut singulæ potiones in convictu darentur. Adde Quintil. 6. 3. 27. Tac. 14. Ann. 4. Tracto in longum convictu. Id. 13. ibid. 14. Convictus sobrii, aut temulenti. Inscript. apud Orell. 643. CONVICTIBVS SESE ABSTINERE. Adde Cels. 1. 1., ubi tamen Targa reposuit convivium.

CONVINCIBILIS, e, adject. aptus ad convincendum. Cassiod. Rhet. p. 566. Convincibile est quod evidenti ratione convincit. Al. leg. convincitur. Isid. 2. Orig. 9. Enthymematis membra sunt quinque: primum convincibile, etc.

CONVINCO, vincis, vici, victum, vincere, a. 3. (cum et vinco). Part. Convictus in omnibus paragr. — Convinco est evinco, coarguo, manifesto ostendo verum esse quod ipse affirmo, ita ut adversarius nihil habeat, quod reponat amplius (It. convincere; Fr. convaincre; Hisp. convencer; Germ. überführen; Angl. to convict, convince). Usurpatur ¶ 1. Cum Accusat. personæ, et convinco est ita vinco aliquem rationibus et argumentis, ut manifesta res fiat, et nullus responsioni sit locus, sive id pro tribunali, sive privatim fiat; et occurrit — 1.°) Absolute, seu cum Accus. personæ tantum. Plaut. Amph. 2. 2. 147. Age aspice huc sis nunc jam tu, qui quæ facta infitiare, quem ego jam hic convincam palam. Cic. Sull. 25. 71. Hujus si causa non manifestissimis rebus teneretur, tamen eum mores ipsius ac vita convincerent. Id. Flacc. 17. 41. Reprehensus, convictus, fractusque discessit. Id. 4. Acad. (2. pr.) 11. 34. Convictus ac vi veritatis coactus. At Madvig et Orell. leg. Convicio veritatis coactus. Quintil. 5. 12. 3. Non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si convincitur. Dig. 48. 14. 1. § 2. Qua lege damnatus, si alium convicerit, in integrum restituitur. — Et cum addito Ablativo modi. Cic. 5. Verr. 72. 169. Convinci litterarum auctoritate, testibus publicanis. Id. 2. Phil. 4. 8. Si negem, quo me teste convinces? Id. ibid. Convincere aliquem chirographo. Id. 2. Cat. 6. 13. Conscientia convictus. Liv. 26. 12. Veris convictus. Cod. Theod. 11. 36. 7. Convictus argumento. — Huc pertinet et illud Paul. 5. Sentent. 16. § 13. Convictus reus. — 2.°) Addita re, cujus quis convincitur; et quidem — a) Per Genitivum. Cic. 2. Phil. 4. 9. Teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiæ. Id. Amic. 17. 64. Tamen hæc duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt. Id. Sull. 15. 44. Summæ negligentiæ alicujus judicio convinci. Id. post red. ad Quir. 1. 1. Ejus devotionis me esse convictum judicio deorum, testimonio senatus maxime lætor. h. e. manifesto voti reum esse. Vet. Scholiast. edit. ab A. Maio in Class. Auct. T. 2. p. 43. Voti convictos dicimus eos, qui ad effectum perveniant eorum, quæ sibi evenire semper optaverint. Rursus Cic. 7. Verr. 53. 139. Convicti maleficii servi. Sueton. Cæs. 43. Convincere aliquem repetundarum. Id. Tib. 1. aliquem latrocinii, cædis. Arnob. 3. 7. aliquem erroris. — b) Per Ablat. sine præpos. Cic. 3. Verr. 9. 26. Manifestis et tantis criminibus convinci. Id. Flacc. 39. 98. Multis avaritiæ criminibus testimoniisque convictus. Id. Quinct. 15. 49. Turpi judicio convictus. Sueton. Ner. 31. scelere. — c) Per Ablativum et præpos. de. Plaut. Truc. 2. 6. 5. Qui convicti et condemnati falsis de pugnis sient. h. e. quod falsas pugnas jactaverint. — d) Per Ablativum et præpos. in. Cic. 6. Verr. 47. 104. Omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus, urgetur confessione sua. Id. 2. Invent. 10. 32. Convinci in pari peccato. Id. Sull. 30. 83. in aliquo scelere. Sueton. Tit. 9. Convicti in affectatione imperii. Plin. 18. Hist. nat. 3. 3. (12). Convictus in homicidio. Gell. 14. 2. in mendaciis. — e) Per Accus. et Infinitum, vel per Infinitum tantum. Sall. Cat. 52. Cum — ii indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, cædem, incendia, aliaque se fœda atque crudelia facinora — paravisse etc. Liv. 45. 10. Qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur. Curt. 9. 8. 9. Multaque avare ac superbe fecisse convictum interfici jussit. Adde Sueton. Cal. 40. et Vesp. 4.; Tac. 4. Ann. 31.; Cajum 1. Instit. 13.; et Dig. 25. 5. 3. § 5. et alibi. ¶ 2. Cum Accusativo rei, convincere aliquid est evincere, manifesto demonstrare, sive pro tribunali, sive privatim: et de prave factis fere dicitur. Occurrit — a) Cum Accus. rei tantum. Cic. Quinct. 25. 79. Volo inauditum facinus ipsius, qui id commisit, voce convinci. Id. 1. Tusc. 6. 21. Aut quid negotii est, hæc poetarum et pictorum portenta convincere? Id. Flacc. 32. 79. Mitto, quod possessa (prædia) per vim; mitto, quod convicta ab Apollonidensibus. Lucret. 4. 495. Ideoque necesse est, Non possint alios alii convincere sensus. Cæs. 1. B. G. 40. Aut male re gesta fortunam defuisse, aut aliquo facinore comperto avaritiam esse convictam. Cod. 9. 9. 19. Facinore etiam agitata quæstione convicto. — Porro jungitur aliis quoque Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Quintil. 12. 1. 10. amentiam alicujus convincere. Cic. Cluent. 3. 7. causa ipsa opinione hominum tacita prope convicta atque damnata. Id. Dom. 57. 145. devotio capitis convicta atque commissa. V. superius sub 1. 2.° a. Id. 2. Nat. D. 1. 3. erroribus Epicuri convictis. Quintil. 5. 7. 16. factum convincere. Cic. 1. Nat. D. 32. 91. falsa. Lucret. 3. 526. falsum ancipiti refutatu. Id. 4. 764. falsum veris rebus. Ovid. 13. Met. 58. furor convictus. h. e. manifesto deprehensus. Cic. Tim. 3. 6. oratio, quæ neque redargui, neque convinci potest. h. e. falsa demonstrari. Id. Partit. orat. 33. 116. peccata argumentis convincere. Id. 2. Verr. 4. 10. vita tot vitiis flagitiisque convicta. Id. 3. Fin. 1. 1. voluptas superiore libro convicta. — b) Cum Accus. et Infinito. Ter. Heaut. 5. 3. 15. Quid? metuis, ne non cum velis convinces esse illum tuum? Adde eumd. ibid. v. 18. Cic. 3. Nat. D. 17. 44. Sed ut Stoicos nihil de diis explicare convinceret. Id. 1. Orat. 10. 42. Nihil te de hominum moribus, nihil de ratione vitæ didicisse, nihil scire, convincerent. Id. Parad. 5. 2. § 41. Cum eum ne liberum quidem esse, ratio et veritas ipsa convincat. Adde Quintil. 2. 15. 14. et 12. 1. 41.

CONVINCTĬO, ōnis, f. 3. (cum et vincire) ita placet Quintiliano appellare eas, quas Grammatici conjunctiones appellant, 1. 4. 18. et 19. Veteres, inquit, verba modo, et nomina, et convinctiones tradiderunt, videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, in convinctionibus complexum eorum esse judicaverunt: quas conjunctiones a plerisque dici scio: sed hæc videtur ex συνδέσμῳ magis propria translatio.

CONVĬŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et violo) idem ac violo. Prudent. Psychom. 398. Pœnituit Jonathan jejunia sobria dulci Conviolasse favo. Adde eumd. 6. περὶ στεφ. 56. et Tertull. Apolog. 40.

CONVĪRESCO, is, ere, n. 3. (cum et viresco) simul viresco. Jul. Valer. res gest. Alex. M. 3. 58. ed. Mai. Sed eorum littus et margines insertis arboribus convirescunt, quæ celsæ sint et odoræ.

CONVISCERO, as, are, a. 1. (cum et viscera) quasi viscera commisceo, in societatem adduco. Tertull. Carn. Chr. 20. Conviscerari et concarnari.

CONVĪSO, is, ere, a. 3. (cum et viso). Part. Convisens. — Conviso est idem quod viso, vel video. Accius apud Non. p. 398. 4. Merc. Obit nunc vestra mœnia, omnes saucios convisit, ut curentur diligentius. Lucret. 1. 145. Luminibus mentis occultas penitus res convisere. Id. 2. 357. Omnia convisens

oculis loca. — Poetice ponitur de stellis, quæ aliquid sua luce perfundunt. *Lucret.* 5. 776. (*Sol et Luna*) aperto lumine rursum Omnia convisunt clara loca candida luce. *Cic. Arat.* 352. Et loca convisit cauda tenus infera Piscis.

CONVITIUM. *V.* CONVICIUM.

CONVĪVA, æ, m. et f. 1. qui convivit: sed occurrit specialim tantum et est qui eidem cum aliis mensæ accumbit (It. *convitato, commensale*; Fr. *convive, commensal*; Hisp. *convidado*; Germ. d. *Speise- und Tischgenosse, Gast*; Angl. *one invited to a feast, a guest*). Occurrit — *a*) Aperte ac definite feminino genere *Pompon.* apud *Charis.* 1. *p.* 37. *Putsch.* Postquam conveni omnes convivas meas. — *b*) Ceterum occurrit aut incerto, aut mascul. genere. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 50. Incommoditate abstinere me apud convivas commodo commemini. *Id. Asin.* 4. 1. 23. Neminem convivam vocare. *Ter. Eun.* 3. 1. 17. Tum me convivam solus abducebat sibi. *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 3. Quamquam est in Originibus (*Catonis*) solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. Cf. *eumd. Brut.* 19. 75. *Id. Flacc.* 11. 24. Accusatoris consessores, convivæ, contubernales. *Lucret.* 3. 938. Cur non ut plenus vitæ conviva recedis? Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 119. *Nepos Att.* 14. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur. *Catull.* 44. 10. Sestianus dum volo esse conviva. *Varro* apud *Gell.* 13. 11. Convivarum numerus. *Horat.* 1. *Od.* 28. 7. Pelopis genitor, conviva deorum. *h. e.* Tantalus. *Id.* 2. *Sat.* 6. 111. Agere lætum convivam. *Seneca* 4. *Controv.* 25. Inter varios convivarum vultus. — Porro jungitur nonnullis Adjectivis, quorum præcipua sunt hæc. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 75. avidi. *Id.* 1. *Ep.* 7. 75. certus. *Id.* 2. *Sat.* 8. 76. comis. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 48. commodus. *Id. Pœn.* 2. 3. 1. commodi. *Propert.* 3. 7. 45. dulcis. *Ovid.* 5. *Fast.* 337. ebrius. *Juvenal.* 9. 10. facetus. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 21. frequens. *Cic.* 16. *Att.* 3. 1. hilari et bene accepti. *Afranius* apud *Non.* p. 235. 25. *Merc.* lautus. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 119. satur. *Id.* 2. *ibid.* 6. 68. solutus legibus insanis.

CONVĪVĀLIS, e, adject. ad convivium pertinens. *Liv.* 39. 6. Et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. *Curt.* 8. 12. 16. Convivalia vasa. *Id.* 5. 1. 37. ludi. Adde *eumd.* 8. 4. 29. et 8. 6. 14. *Seneca* 4. *Controv.* 25. vestis. *Tac.* 6. *Ann.* 5. fabulæ. *Macrob.* 1. *Saturn.* 1. sermones. *Id.* 2. *ibid.* 1. lætitia. *Prudent. Hamartig.* 317. carmen. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. *ad fin.* et *Sidon.* 9. *Ep.* 13. quæstiones. *V.* CONVIVIALIS.

CONVĪVĀTOR, ōris, m. 3. qui parat præbetque convivium. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 73. Sed convivatoris, uti ducis, ingenium, res Adversæ nudare solent, celare secundæ. *Liv.* 35. 49. Cœna hominis et boni et lauti convivatoris. Adde *Senec.* 3. *Ira* 37.

CONVĪVĀTUS, a, um. *V.* CONVIVOR.

CONVĪVIĀLIS, e, adject. idem quod convivalis. *Convivialis* apud *Curt.* 6. 2. 6. legunt *Zumpt.* et *Foss.*; apud *Liv.* 39. 6. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 1. est dubia lectio.

CONVĪVĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Convivificatus.* — Convivifico est simul vivifico. *Vulgat. interpr. Paul. ep. ad Ephes.* 2. 5. Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. *Id. ad Coloss.* 2. 13. Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo. *Ambros.* in *Psalm.* 118. *serm.* 1. Ubi autem venit dies resurrectionis, convivificati Domino Jesu resurreximus.

CONVĪVĬUM, ii, n. 2. a *cum* et *vivo*, proprie est convivendi actus, communis vitæ consuetudo; sed loquendi usu factum est, ut convivii nomine significaretur tantummodo cœna inter multos celebrata, ut docet *Cic. Senect.* 13. 45. Bene majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt: melius quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant. Cf. *eumd.* 9. *Fam.* 24. 3. (It. *convito, banchetto*; Fr. *repas, festin*; Hisp. *combite, banquete, festin*; Germ. d. *Mahle, gemeinsame Mahlzeit, das Gastmahl, Gasterei*; Angl. *a feast, banquet, entertainment*).

I.) Proprie sive abstracte. *Cic. Cæl.* 15. 35. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajas, actas, convivia, comessationes, cantus, symphonias, navigia jactant. *Lucret.* 4. 784. Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas etc. *Varro* apud *Gell.* 13. 11. et apud *Non.* p. 281. 29. Dominus convivii. *V.* DOMINUS, itemque *convivii* ARBITER, DICTATOR, DICTATRIX, MAGISTER, MODIMPERATOR, REX. *Capitolin. Ver.* 5. Est notissimum dictum de numero convivarum: Septem convivium; novem vero convicium. — *In convivio* est inter epulas, apud *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 49.; *Ter. Eun.* 3. 1. 30.; *Nepot. Att.* 18.; et *Quintil.* 5. 10. 42. Eodem sensu *Tac.* 3. *Hist.* 76. Inter convivia de bello loqui. Adde *Quintil.* 1. 10. 10. — *Convivio digna* dicuntur, quæ liberius ac licentius in conviviis dici solent. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. In re severa convivio digna aut delicatum aliquem inferre sermonem. *Al.*, *inter quos et* Orell., *leg.* convivii dicta. — Jungitur nonnullis Adjectivis, quorum præcipua sunt hæc. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. opipare apparatum. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 29. nimis arcta. *h. e.* in quibus convivæ nimis arcte accubant. *Sueton. Claud.* 44. domesticum. cui ibid. opponitur publicum. *Propert.* 3. 10. 35. dulcia. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 62. omnibus rebus instructum et paratum. *Curt.* 6. 2. 2. et 5. intempestiva. V. *Zumpt.* ad h. l. *Catull.* 47. 5. lauta. *Quintil.* 8. 3. 66. luxuriosum. *Cic. Mur.* 6. 13. moderatum atque honestum. *Cic. Pis.* 27. 65.; *Inscript.* apud *Orell.* 643.; et *Tabul. Heracl.* v. 59. *ær. Neap.* publicum. *Martial.* 1. 67. sumptuosiora. *Cic. Arch.* 6. 13., 9. *Att.* 1. 3. et 13. 6., et *Senect.* 14. 46. tempestivum. *V.* TEMPESTIVUS. — Jungitur et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Nepos Pelop.* 3. accubare in convivio. *Id. præfat.* 7. adhibere mulierem in convivium. *Sueton. Claud.* 44. admovere in convivium. *Ter. Adelph.* 5. 4. 9. agere vitam in otio, in conviviis. Cf. *Liv.* 1. 57. In convivio luxuque tempus terere. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 10.; *Ter. Hecyr.* 1. 2. 18.; et *Ovid.* 7. *Met.* 432. agitare convivium *vel* convivia. *Ter. Adelph.* 5. 9. 6. apparare de die. Adde *Curt.* 5. 7. 2. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. celebrare omnium sermone lætitiaque convivium. Adde *Curt.* 8. 4. 23. et *Sil. It.* 11. 273. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. 34. concelebrare convivium. *Virg.* 1. *G.* 301. curare mutua inter se convivia. *Tibull.* 1. 9. 61. ducere convivia Baccho. *h. e.* potando producere. *Ovid.* 3. *Art. am.* 749. ducere aliquem in convivia. *Liv.* 23. 8. egredi ex convivio. *Curt.* 8. 6. 13. egredi convivio. *Ter. Eun.* 3. 1. 32. et *Cels.* 1. 1. esse in convivio. *Catull.* 47. 5. facere sumptuose. *Seneca* 4. *Controv.* 25. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (185). habere. *Justin.* 2. 10. habere convivia jucunda inter se. *Virg.* 5. *Ecl.* 69. hilarare Baccho. *Cic. Pis.* 27. 65. inire convivium publicum. Adde *Curt.* 5. 1. 38. et 5. 7. 2.; et *Tac.* 4. *Ann.* 10. *Curt.* 3. 12. 2. et 6. 9. 26. interesse convivio. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 44. ornare et apparare. *Virg.* 1. *Æn.* 642. parare. *Cels.* 5. 9. retrahere se a convivio. *Curt.* 8. 6. 16. solvitur convivium. *Plaut. Men.* 3. 1. 17. tollere convivium. *Cic. Quinct.* 18. 59. versari in conviviis. *Colum.* 10. *R. R.* 281. vigent convivia lætis pratis.

II.) Improprie, sive ¶ 1. Per synecdochen vel concreto, uti ajunt, sensu ponitur pro ipsis convivis. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 17. Nequitiam vinosa tuam convivia narrant. *h. e.* tua nequitia narratur in conviviis. *Seneca Tranquill.* 1. Quid per lucentes ad imum aquas et circumfluentes ipsa convivia loquar? Adde *Petron. Satyr.* 109. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 47. (96). Fungi suilli familias interemere et tota convivia. *Id.* 35. *ibid.* 15. 50. (176). Conviviis pallorem effundere. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (27). Repente convivium conticescere. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 77. quo nec convivia migrent. ¶ 2. *Convivium* est etiam collegium seu schola hominum, qui vitæ conjunctionem habent: Fr. dicunt *collége*. *Inscript.* apud *Don. cl.* 9. *n.* 22. QVI VERO POST MORTEM NOSTRAM EAMDEM ARCVLAM APERIRE VOLVERIT, INFERET CONVIBIO (*lege* convivio) VETERANORVM SIVE MARTENSIVM ✠ c. *Jo. De Vita* in *AA. BB.* p. 168. et seqq. alios lapides affert, in quibus memoratur collegium, sodalitium, studium Martensium, ex quibus apparet, scholam militarem fuisse, seu *convitto militare*.

CONVĪVO, vis, xi, ctum, vere, n. 3. (cum et vivo) simul cum aliis vivo. ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 104. Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris. *Lamprid. Commod.* 2. Gladiatoribus convixit. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. Democritus, qui Hippocrati convixit. *h. e.* fuit ejus æqualis. *Lamprid. Commod.* 2. Gladiatoribus convixit. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 257. n. 80. T. CAVSTIDIVS PRISCVS CONJVGI SVAE .... QVAE CONVIXIT MECVM ANNIS PLVS MINVS VIGINTI. ¶ 2. Specialim ponitur pro convivari, unde *convivium*. *Quintil.* 7. 3. 31. Juvenes, qui convivere solebant, constituerunt, ut in litore cœnarent. *Id.* 1. 6. 44. At lavamus, et tondemus, et convivimus ex consuetudine. *Id.* 5. 9. 14. Convivere cum adolescentibus. *In supposit. Amphitr. scæna, quæ incipit*, Di vostram fidem!, *v.* 45. Misisti ad navem Sosiam, ut hodie tecum convivere.

CONVĪVO, as, are, n. 1. convivium facio, celebro; et dicitur tum de eo, qui præbet, tum qui adest. *Ennius* apud *Non.* p. 474. 23. *Merc.* Magno hercle suo malo convivat: sine modo. *Pompon.* apud *eumd.* p. 474. 21. Si calendis convivent, idibus cœnent foris. Adde *Titinium* apud *eumd.* p. 314. 17. et *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann.*

CONVĪVO, as, are, a. 1. edere. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *post init.* Siquidem non perfectam eo tempore faciat inductionem, ne superet radicem linguæ —: quo perfecto, accepta convivantur. — Sæpius tamen occurrit

CONVĪVOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Convivatus.* — Convivor est idem quod convivium facio, celebro. *Ter. Heaut.* 1. 2. 33. Nolunt crebro convivarier. *paragoge.* *Cic.* 5. *Verr.* 44. 105. Quotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico convivari. Adde *Senec.* 4. *Controv.* 25. *Sueton. Domit.* 21. Convivari frequenter ac large. *Id. Cæs.* 48. Convivatus assidue duobus tricliniis. *Id. Claud.* 32. Convivatus et super emissarium Fucini lacus, ac pæne submersus.

CONVŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus convocandi. *Cic. post red. in senat.* 15. 38. Nulla ad rempublicam defendendam populi R. convocatio exstitit.

CONVŎCĀTUS, a, um. *V.* CONVOCO.

CONVŎCĬUM, ii, n. 2. est vox, quam *Ulp.* et *Labeo Dig.* 47. 10. 15. § 4. et *Paul. Diac.* p. 41. 26. *Müll.* effinxerunt, ad declarandum etymon voc. CONVICIUM, quod *V.* sub init.

CONVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et voco). Part. *Convocans*, *Convocatus*, *Convocandus* et *Convocaturus.* — Convoco est simul voco, multos simul arcesso, ad contionem voco, cogo, congrego (It. *convocare, radunare, far venire*; Fr. *convoquer, rassembler, réunir*; Hisp. *convocar, llamar, congregar, juntar*; Germ. *zusammenrufen*; Angl. *to call together, assemble, summon, convoke, convocate*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Most.* 3. 1. 8. Capio consilium, ut senatum congerronum convocem: quem cum convocavi etc. *Cic. Brut.* 51. 191. Qui cum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud — volumen suum. *Id. Vatin.* 7. 18. Convocare concilium. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 10. et 7. *ibid.* 29. et 89. *Cic.* 10. *Fam.* 12. 3. senatum. Adde *Sall. Cat.* 50. *Cic. Cæcin.* 1. 2. Audax in convocandis hominibus et armandis. Cf. *eumd. ibid.* 9. 24. et *Dig.* 48. 7. 2. *Cæs.* 7. *B. G.* 75. Galli — non omnes eos, qui arma ferre possent, — convocandos statuunt. *Id.* 3. *ibid.* 5. Convocare centuriones. *Id.* 4. *ibid.* 23. tribunos militum. *Id.* 1. *ibid.* 40. et 3. *ibid.* 3. consilium. *Id.* 5. *ibid.* 57. equites undique. *Nepos Hannib.* 10. classiarios. *Auct. B. Afr.* 88. Quos omnes convocatos hortatur etc. *Liv.* 3. 45. Convocare lictores collegarum quoque. *Ovid.* 15. *Met.* 591. populumque senatumque. *Sueton. Cæs.* 29. Convocaturus veteranos. *Dig.* 47. 8. 4. § 6. turbam. *Ovid.* 1. *Met.* 276. Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis. Convocat hic amnes. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 55. 76. (155). Primo non plane (*gallinæ*) agnoscentis fetum, mox incertos incubitus sollicite convocantis. *Tibull.* 1. 2. 50. *de saga.* Cum libet, hæc tristi depellit nubila cælo: Cum libet, æstivo convocat orbe nives. — *b*) Addito termino, quo quis alios convocat. Figurate *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 42. Paullisper tace, dum ego mihi consilia in animum convoco, et dum consulo quid agam. Adde *eumd. Epid.* 1. 2. 55. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 62. Dissipatos homines congregare et ad societatem vitæ convocare. *Id.* 5. *ibid.* 2. 5. Philosophia dissipatos homines in societatem vitæ convocavit. *Id.* 3. *leg. Agr.* 4. 16. Veniant coram, quoniam me in vestram contionem vobis flagitantibus convocaverunt. *Id.* 1. *Legg.* 20. 53. Convocavit philosophos in unum locum. *Id.* 3. *Off.* 14. 58. Piscatores ad se convocavit. *Id.* 5. *Phil.* 1. 1. Convocare aliquos in senatum. *Al.* Orell. *leg.* vocare. *Cæs.* 7. *B. G.* 66. præfectos equitum ad concilium. *Id.* 5. *ibid.*

4. principes Trevirorum ad se. *Lucan.* 1. 296. armatos extemplo ad signa manipIos. *Dig.* 48. 4. 1. § 1. homines ad seditionem. *Sueton. Claud.* 18. plebem auxilio. — *c*) Et sine Accus. *Liv.* 7. 36. Ubi ad prætorium ventum est, consul classico ad contionem convocat.

CONVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (cum *et* volo) simul volo; sed latiori tantum significatione usurpatur de hominibus qui maxima cum festinatione concurrunt, celeriter conveniunt (It. *volare insieme*; Fr. *se réunir rapidement*, *accourir ensemble*; Hisp. *acudir*, *venir promptamente juntos*; Germ. *eilends zusammenkommen*; Angl. *to fly or flock together*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 32. Rumor venit, datum iri gladiatores: populus convolat, tumultuantur, clamant, pugnant de loco. *Cic.* 3. *Tusc.* 21. 50. Multi autem sunt, qui statim convolent. — *b*) Addito termino, quo quis convolat. *Cic. Dom.* 22. 57. Qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt. *Id. Sext.* 51. 109. In qua (*causa*) furiæ concitatæ tamquam ad funus rei publ. convolant. *Id. Rabir. Post.* 7. 18. Convolare ad Rostra. *Liv.* 2. 28. Tum vero ad sellas consulum prope convolare minimus quisque natu patrum. *Cod. Theod.* 6. 27. 18. Ad scholam velut ad quoddam asylum convolare. *Id. ibid.* 3. 12. 1. In amplexum alicujus convolare.

II.) Translate. *Paul. Dig.* 30. 33. Testator convolat ad secundum legatum. *Imp. Anastas. Cod.* 5. 17. 9. Post annum ad secundas nuptias convolare. *h. e.* transire.

CONVOLNĔRO,

CONVOLSIO, etc. *V.* CONVULNERO, CONVULSIO etc.

CONVŎLŪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONVŎLŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* voluto). Part. *Convolutatus.* — Convoluto est simul voluto. *Seneca Ep.* 114. *ad fin.* Quod non cum omni exoletorum feminarumque turba convolutatur. *Id.* 7. *Quæst. nat.* 9. Cum vagus et incertus spiritus convolutatus est, novissime uni vis omnium cedit.

CONVŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CONVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. (cum *et* volvo). Part. *Convolvens* et *Convolutus* I. — Convolvo est circumvolvo, conglomero, involvo (It. *avvoltolare*, *involgere*; Fr. *rouler autour*, *rouler*, *envelopper*; Hisp. *arrollar*, *envolver juntos*; Germ. *zusammenwälzen*, *wickeln oder rollen*; Angl. *to roll together*, *roll round*, *convolve*, *envelop*, *wrap up*, *inwrap*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 199. *de ventis nube inclusis.* Quærentesque viam circum versantur, et ignis Semina convolvunt e nubibus, atque ita cogunt Multa, rotantque cavis etc. *h. e.* convolvendo corradunt colliguntque. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Cum ei dormienti sol ad pedes visus esset, ter eum frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur, et abiret. *Id.* 2. *Nat. D.* 44. 113. Quem propter nitens pennis convolvitur ales. *Virg.* 2. *Æn.* 474. *de colubro.* Lubrica convolvit sublato pectore terga. *Seneca* 5. *Controv. procem. circa med. Bip.* Memini, aliquando cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse, et dixisse: hæc quæ transeo, post mortem meam legentur. *convolvisse est* clausisse, et præteriisse, quia veteres complicabant libros suos in volumina, quæ, ut legerent, evolvebant; ut clauderent, convolvebant. *Id. Ep.* 94. *ad fin.* Concutiebantur turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur. *Lucan.* 5. 623. Cum mare convolvit gentes. *h. e.* inundando involvit et operit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (340). Culmus maturius desectus, muria sparsus, dehinc siccatus in manipulos convolvitur. *Id.* 8. *ibid.* 37. 56. (133). Erinacei convolvuntur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit, præter aculeos. *Id.* 15. *ibid.* 17. 18. (60). Mala foliis ficulnis singula convolvi, cistisque condi. *Id.* 16. *ibid.* 39. 76. (198). Publicum omnium arborum vitium vocant spiras, ubi convolvere se venæ atque nodi. *Id.* 21. *ibid.* 32. 106. (183). Herba convolutis foliis. *Id.* 16. *ibid.* 33. 60. (140). Cupressus femina meta in fastigium convoluta: mas spargit extra se ramos. *Id.* 10. *ibid.* 72. 92. (197). Dracones in semet convoluti. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (124). Cornua arietum generi convoluta in anfractum. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (107). Convolutus in flamma. *Id.* 2. *ibid.* 8. 6. (33). Convolutus aer ignavo globo turpet.

II.) Figurate. *Flor.* 2. 11. 1. Gallogræciam quoque Syriaci belli ruina convolvit. *h. e.* complexa est. *Seneca Ep.* 40. Solet magno cursu verba convolvere, quæ non effundit una, sed premit et urget. *h. e.* profundere, et conglomerare. At recentiores ex optimis libris pro *convolvere* rectius leg. *convellere*.

CONVŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

CONVOLVŬLUS *vel* convolvolus, i, m. 2. ad litteram est qui convolvit: hinc ¶ 1. Convolvulus dicitur vermiculus minor eruca, qui erodit pubescentes uvas: a *convolvendo*, quia se pampini folio implicat et involvit. *Cato R. R.* 95. Vitem hoc ungito; convolvulus non nascetur. *V.* INVOLVULUS. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (264). Ne convolvulus fiat in vinea. *V.* VOLUCRA. ¶ 2. Item herba nascens per frutecta, florem ferens non dissimilem lilii, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum lilii referentem, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiscentis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (24). Itali quoque convolvolo vocant. *V.* VOLVOLA. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 9). hanc exhibet synonymiam: Ἰασιώνη Theophr. Hist. plant. 1. 21. et de causis 2. 25.; Μονόφυλλον ἄνθος, διαγραφὴν ἔχον τῶν πλειόνων (plante rampante comme ses congénères); Σμίλαξ λεία Dioscor. 4. 145.; Μαλακόκισσον Geop. Pseudo-Democritus 12. 6.; et *Convolvulus* Latinorum sunt *Convolvulus sepium* des botanistes modernes. Ceterum hæc præmiserat: «Le seul rapport, qui existe entre le *convolvulus* (le *grand liseron*) et le lis, est tiré de la couleur. Ces deux plantes sont entièrement distinctes: l'une étant une dicotylédone à tige flexueuse et grimpante, à corolle monopétale non divisée; l'autre une monocotylédone à tige redressée, et dont la périgone est divisé en six parties, etc. Il faut convenir que si la nature, en faisant des liserons, s'étudie à faire des lis, c'est par des moyens jusqu'ici fort détournés, et qu'il n'est pas possible au naturaliste de saisir».

CONVŎMO, is, ere, a. 3. (cum *et* vomo) vomendo conspurco. *Cic.* 2. *Phil.* 30. 76. An tu Narbone mensas convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? *Juvenal.* 6. 101. Illa maritum convomit.

CONVŎRO, as, are, a. 1. (cum *et* voro) idem quod voro. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 1. Parentum cadavera convivio convorant.

CONVŌTI. *V.* voc. seq.

CONVŎVEO, vŏves, vŏvi, vōtum, vŏvere, a. 2. (cum et voveo). Part. *Convotus.* — Convoveo est simul voveo. *Vetus Senatusc. de Bacchanal.* apud *Murat.* 577. NEVE POSTHAC INTER SED CONJOVRASE NEVE COMVOVISSE, NEVE CONSPONDISSE NEVE COMPROMESISSE VELET. *Paul. Diac.* p. 42. 8. *Müll.* Convoti iisdem votis obligati.

CONVULNĔRĀTUS *vel* convolneratus, a, um. *V.* voc. seq.

CONVULNĔRO *vel* convolnero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* vulnero). Part. *Convulnerans* II., *Convulneratus* et *Convulnerandus* I. — Convulnero est idem ac vulnero, seu graviter vulnero.

I.) Proprie. *Auct. B. Afr.* 7. Subito equites Mauri multos jaculis convulneraverunt. *Curt.* 5. 13. 17. Jumenta quoque, ne longius prosequi possent, convulnerant. *Seneca Tranquill. anim.* 11. Eo magis convulneraberis et confodieris, quia nescis præbere jugulum. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 18. (*Gemma vitis falce*) tota tollitur aut convulneratur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (129). Os ab apibus convulneratum. Adde eumd. 11. *ibid.* 37. 70. (185). *Plin. Paneg.* 35. Frontem punctis convulnerandam præbere. Adde *Justin.* 2. 6. *extr. Frontin. Aquæd.* 27. Ne in viis sæpius convulneretur una fistula. *h. e.* perforetur. *Id. ibid.* 115. Fistulæ passim convulneratæ.

II.) Translate. *Seneca Constant. Sap.* 17. Maledicta mores et vitam convulnerantia.

CONVULSĬO *vel* convolsio, ōnis, f. 3. actus convellendi. Speciatim dicitur a medicis contractio, seu retractio musculorum in membris ex morbo: quam *Cels.* 7. 26. n. 2. distentionem nervorum vocat. *Scribon. Compos.* 165. Theriace prodest ad convulsiones interiorum partium. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 15. 60. (168). Ligusticum utile est convulsionibus. Adde *eumd.* 29. *ibid.* 3. 13. (55).

CONVULSUS *vel* convolsus, a, um. *V.* CONVELLO.

CŎNYZA, æ, f. 1. κόνυζα, herba Latine *cunilago*, a botanicis *pulicaria* dicta, quod blattas et pulices necandi vim habeat. De ea *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 22. (58)., et 19. *ibid.* 8. 50. (165).; et *Pallad.* 1. *R. R.* 19. 3. — De synonymia *V.* CUNILAGO.

CŎŎDĪBĬLIS, e, adject. simul odio dignus. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 9. *et* 36. Coodibiles hæretici.

CŎŎLESCO, is, ere, n. 3. concresco, conglutino, simul cresco. *Lucret.* 6. 1066. Saxa vides primum sola coolescere calce. Ita legit *Lambinus.* Alii *coalescere*, quæ communior est lectio. *V.* COALESCO.

CŎŎNĔRO, as, āvi, are, a 1. idem quod onero, vel simul onero. *Tac. Germ.* 30. Omne robur in pedite, quem super arma, ferramentis quoque et copiis coonerant. *Plerique rectius leg.* onerant.

CŎŎPĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. ministerium, administratio. *Quintil.* 16. *Declam.* 11. Habet omnia ministeria sua debilitas, suas cooperationes. *Al. aliter leg.* Certior est lectio apud *Cassiod. Complex.* ad *Tit.* 1. Una ibi cooperatio, unus Deus, una cognoscitur et potestas.

CŎŎPĔRĀTĪVUS, a, um, adject. qui simul operatur. *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 3. p. 693. Cavere autem oportet extendere ad ea, in quibus altero quidem appositorum utitur commune vel alio quolibet modo cooperativum est, ut serra et falce cum arte fabrili.

CŎŎPĔRĀTOR, ōris, m. 3. qui simul operatur et adjuvat. *Apul. Florid.* n. 9. Cooperatoris ipsius laborem fuisse. *Alii rectius leg.* Comperitur. *Hieronym. Ep.* 143. n. 1. Cooperatoribus et actoribus vobis hæresis jugulata est. *Ambros.* 2. *Hexæm.* 3. Sed movet nos, quia et nomen aliud significatur, et species solidior et causa discernitur, et persona cooperatoris adjungitur. *Id.* 3. *ibid.* 7. Pater dicit: *Faciamus*; et tu cooperatorem negas?

CŎŎPĔRĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui cooperatur. *Ambros.* in *Luc.* 8. 18. Melior autem mens erit, si cooperatoria Sancto Spiritui, religionis non intermittat officium.

CŎŎPERCŬLUM, i, n. 2. operculum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 58. (109). Punicum malum in olla nova, cooperculo inlito, in furno exustum. Ita *Harduin.* ex MSS. et *Plin. Valer.*, qui hæc eadem ita exscripsit. *Apul.* 10. *Met.* Cooperculo capuli remoto. Adde *eumd.* 6. *ibid. Pallad.* 7. *R. R.* 7. 9. *de apib.* Erosis cooperculis ad nascendum capita nituntur exserere.

CŎŎPĔRĪMENTUM, i, n. 2. operimentum. *Gabius Bassus* apud *Gell.* 5. 7. Caput et os cooperimento personæ tectum undique.

CŎŎPĔRĬO, pĕris, pĕrŭi, pertum, pĕrire, a. 4. (cum *et* operio). Per syncopen *coperio* dixit *Lucret.* 5. 343. V. *Lachmann.* ad *Lucret.* p. 134. — Part. *Cooperiens* I.; *Coopertus* I. et II. — Cooperio est idem atque operio, simul operio, tego (It. *coprire*; Fr. *couvrir entierement*; Hisp. *cubrir*; Germ. *völlig, gänzlich bedecken*; Angl. *to cover all over*, *envelop*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 1269. Corpora pannis cooperta. *Id.* 5. 343. exisse rapaces Per terras amnes atque oppida coperuisse. Cf. *eumd.* 6. 491. *Cic.* 3. *Off.* 11. 48. Cyrsilum quemdam suadentem ut in urbem manerent Xerxemque reciperent, lapidibus cooperuerunt. *Al. minus recte leg.* obruerunt. *Id.* 3. *Verr.* 46. 119. Quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. *Id. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. 66. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium. *Liv.* 4. 50. Ut tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur. *Id.* 8. 10. Corpus coopertum telis. *Id.* 42. 2. Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum. Adde *Scribon. Compos.* 56., *Pallad.* 1. *R. R.* 29. 2. et *Non.* p. 416. 14. *Merc.*, apud quos occurrunt aliæ ejusdem verbi formæ, non tamen Part. præter. pass. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 36. Cum se multa fronde cooperit (*vitis*). *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (246). Cooperiri radices. *Id.* 10. *ibid.* 54. 75. (152). Ora cooperta terrâ. *Id.* 19. *ibid.* 7. 36. (122). Rapa cooperta terrâ. *Tac.* 13. *Ann.* 41. Atra nube coopertus. Adde *Dig.* 18. 1. 41. § 1., ubi pariter occurrit Part. præter. pass. — Figurate *Augustin. Tract.* 17. *in Johann.* Non crediderunt aliquid magnum dicentem et verbis illis aliquam gratiam cooperientem.

II.) Translate occurrit tantum Part. præter. pass. *Coopertus*, et occurrit fere de miseriis et flagitiis. *Cato et Sall.* apud *Gell.* 2. 17. Coopertus fenoribus, *ubi tamen legendum esse videtur* facinoribus: V. *Lachmann* ad *Lucret.* vol. 2. p. 136. Cf. *Gell.* 4. 17. *Cic.* 3. *Verr.* 4. 9. Tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertus. *Sall. Cat.* 24. Flagitiis atque facinoribus coopertus. Cf. *Non.* p. 310. 5. *Merc. Sall. Jug.* 15. *extr.* Me extorrem patria, inopem, et coopertum miseriis efficit. *Liv.* 39. 15. Stupris suis alie-

nisque coopertus. Horat. 2. Sat. 1. 68. Lupus famosis coopertus versibus.

COŎPĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (cum et operor). Part. Cooperans et Cooperatus. — Cooperor est simul operor. Vulgat. interpr. Marc. 16. 20. Prædicaverunt ubique Domino cooperante. Id. Jacob. ep. 2. 22. Fides cooperatur operibus. Cassiod. 9. Hist. Eccl. 19. Oravit intente, ut ei cooperaretur Deus ad veritatis electionem. Sic. Flacc. de condit. agr. p. 5. Goes. Sacrificio facto hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus injectis, fossa cooperati sanguinem instillabant, eoque tura et fruges jactabant. Adde Cassiod. de anim. 12. et Augustin. Civ. Dei.

COŎPERTŌRĬUM, ii, n. 2. stragula vestis ad cooperiendum apta. Scævola Dig. 34. 2. 39. Semproniæ hoc amplius coopertoria Tabiana, et tunicas tres cum palliolis dari volo. Veget. 3. Veterin. 77. 5. Schneid. Animal calidis coopertoriis involutum.

COŎPERTUS, a, um. V. COOPERIO.

COŎPTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus cooptandi. Cic. Amic. 25. 96. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Id. 3. Legg. 12. 27. Cooptatio censoria. Liv. 4. 4. Nobilitas ista vestra, quam plerique per cooptationem in patres habetis. Id. 5. 12. Cooptatio tribunorum. Flor. 4. 4. Juliæ gentis cooptatio. h. e. adoptatio C. Cæsaris, qua Octavium in Juliam gentem adsciverat.

COŎPTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

COŎPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et opto). Cooptassint ἀρχαϊκῶς pro cooptaverint apud Liv. 3. 64. — De ratione scribendi copto pro coopto. V. Lachmann ad Lucret. 2. 1061. — Part. Cooptatus et Cooptandus. — Coopto est in collegium, vel in corpus aliquod adscisco, adscribo, assumo, recipio, eligo. Aliud porro est cooptare, aliud eligere. Cooptarunt Romæ semper collegæ, elegerunt vero iidem prius, mox populus, tandem Augusti. V. plura hac super re apud Marin. Frat. Arv. p. 14. et 19.: de cooptatione autem sacerdotum luculenter agit Barpt. Borghesius in Mem. dell'Instit. archeol. T. 1. p. 272. et seqq. Cic. Cœl. 2. 5. Cooptare aliquem in amplissimum ordinem. h. e. in ordinem senatorum. Cf. eumd. 4. Verr. 49. 120., et adde Liv. 23. 3. Cic. Brut. 1. 1. Ab eo in collegium augurum cooptatus. Id. 13. Phil. 5. 12. Cooptare aliquem in paternum auguratus locum. Cf. Sueton. Ner. 2. Sic Id. Sueton. Tib. 1. Gens Claudia cooptata in patricios. Rursus Cic. 4. Verr. 49. 120. In senatoribus cooptandis. Id. 2. Divinat. 9. 23. Senatus, quem majore ex parte ipse cooptasset. Id. 2. leg. Agr. 7. 18. Cooptari a collegio. Id. 2. Fam. 10. 9. Cooptare sacerdotem. Adde Sueton. Claud. 22. Liv. 3. 64. collegas. Sic Sueton. Aug. 27. ad fin. sibi collegam. Liv. 5. 10. tribunos plebis. Id. 6. 38. de dictatore. magistrum equitum. Plin. 4. Ep. 1. aliquem patronum.

COŎRDĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. ordo rei alicujus cum aliqua. Boeth. Aristot. Analyt. post. 1. 11. p. 532. Quod autem contingit b non esse in quo toto est a, aut iterum a in quo est b, manifestum est ex coordinationibus, quæcumque non commutantur ad invicem. Id. ibid. p. 534. Si ex alia coordinatione accipiatur medium.

COŎRĬOR, ŏrĕris, ortus sum, ŏriri, dep. 3. (cum et orior). Apud Tac. 2. Hist. 21. Donec insidiæ coorirentur. h. e. insurgerent ad pugnandum qui in insidiis erant: al. leg. coorerentur; qua de forma V. ORIOR sub init. — Part. Coortus in omnibus paragr. — Coorior est idem quod orior, vel simul orior, nascor, exsisto, consurgo (It. nascere, sorgere, levarsi insieme; Fr. naître, surgir, s'élever; Hisp. nacer, elevarse; Germ. sich zusammenthun und erheben, sich gemeinschaftliche erheben, mit Macht und Stärke hervorbrechen, entstehen, aufbrechen; Angl. to rise together, rise with violence, arise). Usurpatur ¶ 1. Generatim. Plaut. Pers. 2. 5. 12. Nam ubi quis mala tetigit (vomicam) manu, dolores cooriuntur. Adde Liv. 40. 24. et Apul. Florid. 3. Lucret. 5. 797. Animalia plura sunt coorta terris. Id. ibid. v. 408. ubi materiai Ex infinito sunt corpora plura coorta. Adde eumd. ibid. v. 414., 3. 823., 6. 1012. et alibi. Cæs. 3. B. G. 7. His rebus gestis – subitum bellum in Gallia coortum est. Nepos Epam. 8. Hæc cum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est. Liv. 1. 6. Fœdum certamen coortum a satis miti principio. Id. 26. 27. Quod pluribus simul locis et iis diversis ignes coorti essent. Virg. 1. Æn. 152. magno in populo cum sæpe coorta est Seditio. Cf. Liv. 5. 12. Ovid. 5. Trist. 5. 29. Aspice ut auræ tamen famos e ture coortos In partes Italas – ferat. Sall. orat. 2. ad Cæs. a med. Si quid adversi coortum est. Gell. 13. 24. Quamquam fere eadem sint et ex una sententia cooriantur. ¶ 2. Speciatim de naturæ phænomenis, cujusmodi sunt tempestates, procellæ, venti etc. Cic. 3. Verr. 18. 46. Tum subito tempestates sunt coortæ maximæ. Cæs. 1. B. C. 48. Tanta tempestas cooritur, ut etc. Id. 5. B. G. 10. Maxima coorta tempestas. Adde eumd. 4. ibid. 23. et Liv. 1. 16. Plin. 11. Hist. nat. 10. 10. (24). Si cooriatur procella. Lucret. 5. 1000 Mare coortis fluctibus sævit. Cæs. 5. B. G. 43. Cooritur ventus. Sall. Jug. 81. Ventus coortus arenam excitat. Ovid. 11. Met. 512. ventis coortis se committere. Plin. 2. Hist. nat. 36. 36. (100). Ut ex ea parte truces venti cooriantur. Lucret. 4. 173. tetra nimborum nocte coorta. Adde eumd. 6. 253. — Et de morbis. Lucret. 6. 1089. unde repente Mortiferam possit cladem conflare coorta Morbida vis. Id. 4. 665. ubi cui febris, bili superante, coorta est. Adde eumd. 6. 657. Liv. 4. 52. pestilentia. ¶ 3. Item speciatim dicitur de iis, qui insurgunt ad certandum armis, aut verbis. — a) Absolute. Liv. 2. 30. ad fin. Defixis pilis stare suos jussit: ubi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere. Adde eumd. 6. 18., 8. 9. et 9. 37.; et Tac. 2. Ann. 11. et 2. Hist. 21., cujus verba superius retulimus sub init. Plin. 8. Hist. nat. 16. 19. (50). de leone. Cooriturque non tamquam periculo coactus, sed tamquam amentia iratus. h. e. insurgit ad pugnam. Liv. 3. 41. Ferociores – coorti – vociferari. Cf. eumd. 8. 7. Tum libero conquestu coortæ voces sunt. — b) Cum præpos. et Accusativo rei, ad quam quis insurgit. Liv. 4. 56. Volscos et Æquos, fama affertur, summa vi ad bellum coortos. Id. 4. 9. Adversus aliquos coorta acies. Id. 21. 32. Si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente ingentem stragem dedissent. Id. 7. 3. extr. et Tac. 1. Hist. 2. Cooriri in aliquos. Liv. 4. 3. in rogationes.

COŎRNO, as, are, a. 1. (cum et orno) simul orno. Boeth. Aristot. Topic. 6. 2. p. 725. Unumquodque talium coornat quidem orationem.

COŎRTUS, a, um. V. COORIOR.

COŎRTUS, us, m. 4. idem quod ortus. Lucret. 6. 671. Ut tempestates pluviæ graviore coortu Sunt ubi etc. Id. 2. 1104. Maris, terræ solisque coortus.

CŌPA vel caupa, æ, f. 1. mulier, quæ vinum vendit. Sueton. Ner. 27. Matronæ copas imitantes. Dubia tamen est lectio: V. Ilgen, Animadv. in carmen Virgilii, quod Copa inscribitur, p. 13. Virg. Catal. Copa Syrisca, caput Graja redimita mitellis. Charis. 1. p. 47. Putsch. testatur cupam, non copam a Virgilio poemation illud fuisse inscriptum. Est tamen in cupa eadem significatio. Derivatur autem a caupo: pro quo copo et cupa dictum est, sicut plaustrum plostrum, cauda coda. Ceterum de Virgilii poematio V. Virgil. ed. Heyne et Wagner vol. IV. p. 281. et seqq.

CŌPĂDĬA, ōrum, n. plur. 2. apud Apic. culinariorum scriptorem 5. 1., 7. 6. et 8. 6. sunt cupediæ, h. e. cibi lautiores, carnes animalium delicatiores. Rectius tamen, ut animadvertit cl. L. Quicherat, copadia sunt frusta carnium. Gloss. Cyrill. Τμαχίς, copadium, frustum. et Thomæ Thes. nov. Lat. edit. ab A. Mai in Class. Auct. T. 8. p. 152. Copadia, carnis particula. — Ceterum ipsa vox videtur esse a Gr. κόπτω seco, in frusta cædo.

CŎPĔRĬO, is, etc. V. COOPERIO sub init.

CŎPHĬNUS, i, m. 2. κόφινος, corbis, qualus, vas vimineum grande, ad usus præsertim rusticos, ita dictus ob levitatem, nam κοῦφος levem significat. Colum. 11. R. R. 3. 51. Confecta bruma, stercoratam terram inditam cophinis obserat. Juvenal. 3. 14. de Judæis. quorum cophinus fœnumque supellex. et 6. 541. cophino fœnoque relicto. Adde Isid. 20. Orig. 9. 9.

CŌPĬA, æ, f. 1. Quemadmodum copis, etiam copia est a cum et ops, pro coopia; et significat abundantiam, facultatem, vim, seu potentiæ et virium abundantiam, ut docet Cic. Parad. 6. 2. § 47. Divitiarum fructus in copia est, copiam autem declarat satietas rerum et abundantia. Cf. eumd. Amic. 23. 87. Itaque copiæ opponitur inopia, ut apud Plaut. Trin. 3. 2. 45. Quum inopia est, cupias: quando ejus copia est, tum non velis. Adde Ter. Phorm. 1. 3. 15. Sic apud Cic. Dom. 7. 17. frugum copia et frugum inopia opponuntur. (It. abbondanza, copia, ricchezza; Fr. abondance, grande quantité, richesse; Hisp. abundancia, copia, riqueza; Germ. die Fülle, der reiche Vorrath, die volle Macht, das reichliche Vermöge; Angl. plenty, abundance, store).

I.) Proprie usurpatur de utilium abundantia; et quidem A) De inanimis, et B) De hominibus.

A) De inanimis. ¶ 1. Generatim ponitur præcipue de re familiari, divitiis, bonis etc. Plaut. Aulul. 3. 6. 4. Aliquanto facias rectius, si nitidior sis filiæ nuptiis. EVCL. Pro re nitorem et gloriam pro copia qui habent, meminerint sese unde oriundi sient. Adde eumd. Cist. 1. 1. 32. Id. Pœn. 5. 4. 5. Tanta ibi copia venustatum aderat, suo quæque loco sita nitide. Horat. 1. Sat. 1. 54. Plenior ut si quos delectet copia justo. Adde eumd. 3. Od. 29. 9. et 1. Ep. 12. 2.; et Ovid. 8. Met. 838. — a) Porro in singulari numero cum addito Genitivo. Cic. 2. Invent. 39. 115. agri, vectigalium, pecuniæ copia. cui ibid. opponitur penuria. Cæs. 5. B. G. 42. ferramentorum. Cic. Dom. 7. 17. frugum. Id. post red. ad Quir. 8. 18. frugum ubertas, copia, vilitas. Auct. B. Afr. 36. frumenti. Cf. Cæs. 1. B. G. 28. Virg. 1. Ecl. 82. lactis. Cic. 2. Att. 6. 1. librorum festivam copiam habere. Cf. Horat. 1. Ep. 18. 10. Id. Horat. 2. ibid. 2. 146. lymphæ. Lucret. 2. 294. materiai stipata copia. Horat. 2. Od. 15. 6. narium copia omnis. h. e. odores. Cæs. 1. B. G. 16. pabuli magna copia. Dig. 48. 20. 7. § 3. pecuniarum. Tac. 6. Ann. 13. rei frumentariæ copiam advectare. Cic. Amic. 23. 87. rerum omnium abundantiam et copiam alicui suppeditare. Copia et abundantia, ait h. l. Forcellinus, in eo differunt, quod illa, cum satis necessaria suppetunt, intelligitur: hæc, cum etiam supersunt. — Pro copia est idem ac pro re familiari, prout quisque potest. Cato R. R. 143. Pro copia supplicare Lari familiari. Adde Plaut. Truc. 1. 2. 45.; et Liv. 26. 11. et 28. 21. Sulpicius apud Cic. 4. Fam. 12. 3. Pro ea copia, quæ Athenis erat, funus faciendum curavi. Sall. Jug. 90. Pro rei copia. Liv. 27. 6. Pro temporis ejus copia. Curt. 9. 10. 26. Vehicula pro copia cujusque adornata. — Ejurare et jurare bonam copiam V. in EJURO. — b) Sæpius in plurali numero. Plaut. Asin. 3. 3. 64. Di te servassint semper, custos herilis, decus popli, thesaurus copiarum. Cic. Amic. 12. 32. Circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere. Id. pro leg. Manil. 7. 17. Publicani suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt. Id. 1. Off. 43. 153. In omnium rerum affluentibus copiis. Id. Rosc. com. 15. 44. Homines copiis rei familiaris locupletes et pecuniosi. Id. 5. Tusc. 32. 89. Suppetunt quotidianis sumptibus copiæ. Id. Dejot. 5. 14. Exercitum suis tectis et copiis sustentavit. Id. 2. Invent. 1. 1. Crotoniatæ cum florerent omnibus copiis, etc. Id. 4. Att. 2. sub fin. Quorum studiis ego et copiis facile essem omnia consecutus. copiæ sunt omnia ea, quibus pollemus, sive divitiæ, sive auctoritas, gratia, amici, etc. Cæs. 1. B. G. 31. Agros et cultum et copias Gallorum adamare. Id. 4. ibid. 4. Se eorum copiis aluerunt. Liv. 2. 16. Copiæ familiares. Id. 2. 10. domesticæ. Sueton. Vitell. 7. Copiis provincialibus gulam alicujus explere. — c) Significat etiam annonam, cibaria, commeatum, hoc est res necessarias sive domi, sive belli: ad rem Cic. 2. Nat. D. 60. 152. Suppeditantur cursibus navigiorum omnes undique ad vitam copiæ. Plin. 2. Ep. 17. Suggerunt affatim ligna proximæ silvæ; ceteras copias Ostiensis colonia ministrat. Id. ibid. Etiam mediterraneas copias præstat villa. Id. 6. ibid. 28. Tantum mihi copiarum tam urbanarum, quam rusticarum oblatum est. Tac. 3. Hist. 15. Ut specie parandarum copiarum civili præda miles imbueretur. Id. 4. ibid. 22. Copias in castra convehere. Justin. 38. 10. Cum gravari se copiarum prohibitione et injuriis militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt. In Inscript. apud Gruter. 588. 5. legitur EVCHRYSO AVG. LIB. A COPIIS MILITARIB., quod officium videtur fuisse parandæ rei frumentariæ in usum exercituum. Aliter tamen sentit Barpt. Borghesius ad Iscriz. del Reno dello Steiner p. 7. — d) Pro materie ad ædificandum idonea. Vitruv. 5. 6. 7. Schneid. Exiguitas copiarum, id est marmoris, materiæ reliquarumque rerum, quæ parantur. Id. 6. 8. 9. Non in omnibus locis genera copiarum nascuntur. — e) Raro de abstractis. Lucret. 1. 416. Quam tibi de quavis una re versibus omnis Argumentorum sit copia missa per aures. Sall. Cat. 2. Sed in magna copia re-

rum aliud alii natura iter ostendit. *Quintil.* 12. 4. 1. Abundare debet orator exemplorum copia. ¶ 2. Speciatim in re oratoria significat ubertatem verborum et facultatem dicendi; et occurrit — a) Cum addito Genitivo rei, *copia rerum, verborum, dicendi, orationis* etc. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 125. Rerum copia verborum copiam gignit. Adde *Quintil.* 10. 1. 61. *Cic. Quinct.* 2. 8. Hortensius, cui summam copiam facultatemque dicendi natura elargita est. *Id.* 2. *Verr.* 4. 10. Etenim quod est ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi et copia, quæ etc. *Id.* 1. *Orat.* 12. 50. Alicujus in dicendo ubertas et copia. *Id. post red. in senat.* 1. 1. et *Topic.* 18. 67.; et *Quintil.* 10. 6. 6. Copia dicendi. *Virg.* 11. *Æn.* 378. fandi. *Quintil.* 10. 1. 69. inveniendi. *Id.* 11. 3. 56. inventionis. *Id.* 4. 2. 117. orationis. *Id.* 8. 6. 5. et 10. 7. 7. sermonis. *Lucret.* 4. 511. verborum copia cassa. *Quintil.* 1. 8. 8. et 10. 1. 15. verborum. — Poetice *Claudian. epist.* 3. 6. Et tantas oris copia vincit opes. — b) Absolute *copia* est ubertas verborum; quod tamen ex orationis contextu pateat oportet. *Cic. Balb.* 1. 3. Ubertas, varietas, copia in aliquo est. *Id. Brut.* 11. 44. Periclis ubertas et copia. *Id.* 5. *Fam.* 12. 3. Erit materies digna facultate et copia tua. *Quintil.* 10. 1. 108. Copia Platonis. *Id.* 12. 10. 11. Senecæ.

B) De hominibus copia est idem ac multitudo. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 34. Copia meretricum. *Cic. Mur.* 34. 70. amicorum tenuiorum et non occupatorum. *Id. pro leg. Manil.* 10. 27. virorum fortium atque innocentium. *Sall. Cat.* 28. *extr.* latronum. *Id. Jug.* 93. *extr.* tubicinum. *Id. ibid.* 103. necessariorum. *Ovid.* 10. *Met.* 356. procorum. ¶ 2. Speciatim ponitur pro multitudine armata, armatorum manu, exercitu. — a) Raro admodum in singulari numero pro armatorum vel militum manu. *Cic.* 13. *Att.* 52. *extr.* Omnis armatorum copia. *Id. Mur.* 37. 78. Ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitratur. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Ex omni copia eligere aliquos. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 45.; et *Sall. Cat.* 56. et 61. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 1. Uti ipse cum omni copia ad nos veniret. *Id.* apud *eumd. ibid.* c. § 1. Neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris. *Auct. B. Afr.* 10. Classem cum ea copia conscendit. Adde *Auct. B. Hisp.* 6. *Virg.* 2. *Æn.* 564. respicio et, quæ sit copia, lustro. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 834. *Tac.* 2. *Ann.* 52. Mazippa levi cum copia incendia et cædes circumferret. — b) Longe vero sæpius in plurali numero, et *copiæ* quidem initio significabant maximum exercitum, quod pluribus iisque diversis militum manibus constabat. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Cum omnibus suis copiis ad occupandum Vesontionem contendere. *Liv.* 40. 44. Copiæ peditum, equitum, civium, sociorum. — Jungitur nonnullis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ter. Eun.* 4. 6. 17. adducere copias secum. *Sall. Jug.* 13. armare copias quam maximas. *Ter. Heaut.* 4. 2. 2. coguntur alicujus copiæ in angustum. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. § 3. cogere copias Brundisium. *Cic.* 12. *Fam.* 5. comparare magnas copias ex delectu. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. B. § 1. contrahere copias. *Nepos Miltiad.* 4. deducere in campum. *Cæs.* 1. *B. G.* 51. educere. *Liv.* 29. 27. exponere copias in terram. *Cic.* 3. *Fam.* 3. 2. habere exiguas. *Nepos Themist.* 2. invadere cum tantis copiis Europam. *Cic.* 12. *Fam.* 5. obsidere parvis copiis aliquem. *Tac.* 3. *Hist.* 15. parare copias. *Cic. Cæcin.* 15. 43. pellere. *Auct. B. Alex.* 7. profligare. *Nepos Miltiad.* 3. traducere. *Id. Alcib.* 8. valere copiis pedestribus plus quam navibus. — Figurate *Quintil.* 7. 10. 15. Copias eloquentiæ ponere in medio. Adde *eumd.* 11. 2. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Copia pro ipso cornu copiæ (*V.* CORNU) occurrit apud *Lactant.* 3. 29. Simulacrum ejus (*Fortunæ*) cum copia et gubernaculo fingunt, tamquam hæc et opes tribuat et humanarum rerum regimen obtineat. ¶ 2. Sæpius copia est alicujus rei faciendæ facultas, vis, opportunitas, quæ abunde præsto est: hinc *est mihi copia*, h. e. possum facere aliquid; *copiam habeo* idem significat; *facere* et *dare copiam* est dare facultatem et libertatem faciendi aliquid. Occurrit — a) Absolute, ita tamen ut ex ipso orationis contextu res, cujus copia alicui est, innotescat. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 76. Neque edepol facio, neque, si cupiam, copia est. *subaudi* faciendi. *Id. Capt.* 2. 1. 21. Obnoxii nobis sumus propter hanc rem, cum, quod volumus, copia est. *h. e.* quod conceditis quæ volumus. *Ter. Heaut.* 5. 1. 54. Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat. *h. e.* ne quam aliam amandi opportunitatem quærat. *Forcellinus* hunc locum aliter omnino interpretatus esse videtur, cum enim retulit inter illos, in quibus copia significat annonam, cibaria, commeatum. — b) Sæpius cum Genitivo. *Plaut. Epid.* 1. 2. 59. Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia est. Adde *eumd. Bacch.* 3. 3. 82., *Capt.* 4. 2. 72. et *Merc.* 4. 6. 11. *Ter. Eun.* 4. 2. 10. Si non tangendi copia est, eho ne videndi quidem erit? Adde *eumd. ibid. prol.* 21. *Sall. Cat.* 50. Magna mihi copia est memorandi, qui reges, ira impulsi, male consuluerint. *Liv.* 2. 64. Est alicui somni copia. Adde *eumd.* 9. 4. *Ter. Heaut. prol.* 28. Date crescendi copiam, novarum qui spectandi faciunt copiam. *Id. ibid.* 2. 3. 41. Ea res dedit existimandi copiam, quotidianæ vitæ consuetudinem. *Virg.* 1. *Æn.* 524. coram data copia fandi. *Plaut. Capt.* 3. 5. 90. Facere alicui conveniundi copiam. Adde *Ter. Heaut. prol.* 23. loco nuper cit. *Id. Ter. Phorm.* 1. 2. 63. Facere alicui alicujus copiam. *Cic.* 3. *Orat.* 33. 133. Facere civibus omnibus consilii sui copiam. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Facere alicui frumenti copiam. *Liv.* 4. 18. Militibus urbem se oppugnaturos, frementibus, ni copia pugnæ fiat. *Plin.* 6. *Ep.* 26. Facere alicui scientiæ suæ copiam. *Sall. Jug.* 85. Habere magnam copiam societatis amicitiæque conjungendæ. Apud *eumd. ibid.* 111. Habere alicujus copiam *est* aliquem in sua potestate habere. — c) Sequente Infinito. *Sall. Cat.* 17. Quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat. *Catull.* 64. 366. simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis Dardaniæ Neptunia solvere vincla. — d) Sequente *ut* vel *qui. Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 174. Uti huic amanti ac Philocomasio hanc efficiamus copiam, ut hic eam abducat habeatque. Adde *eumd. Capt.* 2. 3. 14. *Ter. Heaut.* 2. 3. 87. Tecum sine metu ut sit, copia est. *Plaut. Trin.* 1. 2. 98. Non redderes —, nec, qui deterior esset, faceres copiam. *h. e.* occasionem præberes, qua deterior fieret. — NB. De *Copia* dea *V.* ONOM.

CŌPIĀRĬUS, ii, m. 2. idem qui parochus. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 5. 46. Parochi Latino vocabulo copiarii dicti sunt, quod omnium rerum necessariam copiam regum populorumque legatis suppeditabant.

CŌPIĀTA vel *Græca positione*

CŌPIĀTES, æ, m. 1. κοπιάτης, vespillones, quorum munus cadavera Christianorum obvolvere, efferre, sepelire: a κοπιάω *laboro*. Hi, quod pium hoc officium præstarent, et una cum clericis in sepeliendis defunctis miscerentur, iis accenseri volebant, eorumque immunitatibus frui. *Impp. Constant.* et *Julian. Cod. Theod.* 13. 1. 1. Negotiatores omnes convenit aurum argentumque præbere: clericos excipi tantum, qui copiatæ appellantur. *Iidem ibid.* 16. 2. 15. § 1. Clerici vero, vel hi, quos copiatas recens usus instituit nuncupari, etc. De his etiam tacito nomine *Arcad. et Honor. ibid.* 7. 20. 12. § 2. Dum se quidam vocabulo clericorum, et infaustis defunctorum obsequiis occupatos, non tam observatione cultus, quam otii et socordiæ amore defendunt. *V.* FOSSARIUS.

CŌPIŎLÆ, ārum, plur. fem. 1. *deminut. a* copiæ, exiguæ copiæ; et speciatim tantum occurrunt. *Copiolæ* dicuntur a *D. Bruto* parva militum manus, ad *Cic.* 11. *Fam.* 13. 2. Recurri ad meas copiolas: sic enim vere eas appellare possum: sunt extenuatissimæ, etc.

CŌPĬOR, āris, ari, dep. 1. proprie significat ingentem rerum copiam acervare: sed est verbum castrense, quod, teste *Gell.* 17. 2., non facile reperias apud civilium causarum oratores. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell. ibid.* et apud *Non. p.* 87. 8. *Merc.* Armis et magno commeatu, prædaque ingenti copiantur. *Gell.* et *Non. ibid.* docent, *copiantur* eadem figura esse, qua *lignantur* et *pabulantur* et *aquantur*. Quare potius inter deponentia, quam passiva enumerandum videtur.

CŌPĬŌSĒ, adverb. Comp. *Copiosius* 2. et Sup. *Copiosissime* 1. et 2. — Copiose est cum copia, large, abundanter (It. *copiosamente, abbondantemente*; Fr. *abondamment, richement, copieusement*; Hisp. *abundantemente, copiosamente*; Germ. *füllereich, reichlich versehen oder ausgestattete, in oder mit grosser Fülle*; Angl. *abundantly, copiously, plentifully*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. *Cic.* 13. *Att.* 52. 2. Tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν copiose. *Id.* 2. *Q. Fr.* 6. 6. Senatorum urna copiose absolvit. *Fr.* à une ample majorité. *Id.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Pastum animantibus large et copiose natura comparavit. *Id.* 6. *Verr.* 27. 62. Copiose ornatus. *Id.* 3. *ibid.* 36. 91. Malleolus in provinciam sic copiose profectus erat, ut domi prorsus nihil relinqueret. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (94). Sponte nascuntur (*bulbi*) copiosissime in Balearibus Ebusoque insulis ac per Hispanias. ¶ 2. Speciatim ac sæpius occurrit de oratione, et est cum ubertate sermonis, multis verbis. *Cic.* 4. *Verr.* 78. 191. Copiose defendere causas reorum. *Id.* 1. *Nat. D.* 21. 58. et *Quintil.* 1. 4. 5. Copiose dicere de aliqua re. *Cic. Flacc.* 17. 41. Subtiliter et copiose disserere. *Id. Senect.* 17. 38. Copiose laudare aliquid. *Id.* 1. *Orat.* 11. 48. Copiose loqui in jure et in judiciis aut apud populum aut in senatu. *et ibid.* Composite, ornate, copiose loqui. *Id.* 2. *ibid.* 35. 151. Copiose et abundanter loqui. *Id. Orat.* 1. 11. Copiosius de magnis variisque rebus dicere. *Id.* 2. *Orat.* 10. 39. Copiosissime laudare aliquid. *Id.* 1. *ibid.* 62. 263. Copiosissime dicere de aliqua re. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 32. 129. et *Cluent.* 10. 29. *Id.* 1. *Off.* 1. 4. Gravissime et copiosissime dicere. *Id. Quinct.* 28. 87. Copiosissime defendere aliquem. *Quintil.* 10. 5. 12. Copiose tractare aliquid. *Id.* 1. 5. 25. Subtilius et copiosius dividere. *Id.* 9. 3. 89. Copiosius exsequi aliquid. *Id.* 2. 4. 24. Copiosissime tractare aliquid.

CŌPĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Copiosior* et Sup. *Copiosissimus* in omnibus paragr. — Copiosus (a *cum* et *ops*, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 72. *Müll.*; cf. et COPIA sub init.) est abundans, uber, largus, dives (It. *copioso, abbondante, ricco*; Fr. *abondamment pourvu de, riche en qqche*; Hisp. *rico, acaudalado*; Germ. *voller Fülle, füllereich, reich versehen oder ausgestattet, reich begabt, reichlich, reich*; Angl. *copious, abundant, plentiful, well stocked, rich, wealthy*). Usurpatur ¶ 1. Generatim tum de personis, tum de inanimis; et occurrit — 1.°) Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 22. 75. Quid? L. Mummius numquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? — a) De personis. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 65. Magnifice et ornate, ut erat in primis inter suos copiosus, convivium comparat. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 55. Mulier copiosa plane et locuples. *Sueton. Cæs.* 35. Hostis copiosissimus. — b) De rebus: et jungitur multis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Auct. B. G.* 8. 2. agri copiosissimi. *Apul.* 9. *Met.* cibus copiosus adest. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (65). cucumeres copiosissimi. *Phædr.* 4. 8. 7. liquor putei copiosus. *Cæs.* 1. *B. G.* 23. oppidum longe maximum et copiosissimum. *Cic. Rosc. Am.* 2. 6. patrimonium amplum et copiosum. *Id. Rabir. Post.* 14. 38. patrimonium lautum et copiosum. *Auct. B. Alex.* 42. provincia minime copiosa ad alendos exercitus. *Id. ibid.* 43. provincia copiosior. *Liv.* 9. 44. stativa copiosa. *Cic. Arch.* 3. 4. urbs celebris et copiosa. *Phædr.* 5. 5. 2. varietas rerum copiosa. *Nepos Eumen.* 8. via copiosa omniumque rerum abundans. *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 49. victus copiosus. cui ibid. *opponitur* tenuis. — 2.°) Construitur — a) Cum Ablativo sine præpos. *Cic.* 2. *Cat.* 8. 18. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis. *Gell.* 16. 19. Arion grandi pecunia et re bona multa copiosus. *Id.* 7. 1. Oppidum re cibaria copiosum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (66). Vinea compluviata copiosior vino est. — b) Cum Ablativo et præpos. *ab. Cic.* 5. *Att.* 18. 2. Locus copiosus a frumento. — c) Cum Genitivo. *Solin.* 11. Ager Creticus silvestrium caprarum copiosus est. ¶ 2. Speciatim refertur ad ubertatem orationis, et dicitur — a) De personis. — Cum additis. *Cic. Cæcin.* 23. 64. Homo non copiosus ad dicendum. *Id.* 3. *Verr.* 36. 88. Sthenius in primis Siculorum in dicendo copiosus. *Id.* 3. *Orat.* 36. 129. Orator copiosior et melior. *Id.* 13. *Att.* 46. 2. Multa de meo Catone: quo sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum. *Quintil.* 1. 1. 100. Copiosior in eloquendo. — Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 18. 75. Locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio. *Liv.* 45. 25. Vir copiosus. Adde *Quintil.* 2. 12. 4. et 9. 3. 74. — b) De ipsa oratione. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 30. Copiosa disputatio. *Id.* 2. *Orat.* 53. 214. Multa et varia et copiosa oratio. *Quintil.* 8. 2. 17. Copiosa loquacitas. *Id.* 8. *proœm.* 28. Copiosa verborum supellex. *Id.* 8. 3. 49. copio-

sum dixit absolute substantivorum more, eique *jejunum* opposuit. ¶ 3. Item speciatim de animo et ingenio. *Tac.* 3. *Ann.* 66. Brutidius artibus honestis copiosus. *Quintil.* 10. 1. 128. Ingenium facile et copiosum. *Plin.* 9. *Ep.* 2. Ingenium copiosissimum.

CŌPIS, e. *V.* COPS.

CŌPIS, idis, f. 3. κοπίς, a κόπτω *cædo*, machæra, acinaces, gladius leviter curvatus, falci similis, cædendo, non pungendo idoneus. *Curt.* 8. 14. 29. Copidas vocant gladios leviter curvatos, queis appetebant belluarum manus. *h. e.* elephantorum proboscides. *Apul.* venatoribus tribuit 11. *Met.* Illum succinctum chlamyde copides et venabula venatorem fecerant. V. *Borghesi Dec. num.* 17. oss. 9. p. 69.

CŌPLA, æ. *V.* COPULA sub init.

COPLĀTUS, a, um. *V.* COPULO.

COPLO, as, are. *V.* COPULO.

CŌPO, ōnis. *V.* CAUPO.

CŌPŌNA taberna a copiis dicta, *Paul. Diac.* p. 40. 11. *Müll.* Cf. CAUPONA.

COPPA *vel rectius* Koppa, κόππα, nomen litteræ apud Græcos, cujus usus tantum in numero mansit, nonagenarium significans. *Quintil.* 1. 4. 9. — Similis fuit nostro Q., ait *Mar. Victor.* 1. p. 2468. *Putsch.* — Convenit cum ק Hebræorum et forma et numerica potestate.

CŌPRĔA, æ, m. 1. κοπρίας, et κοπρεύς, scurra, vilis homuncio, qui movendo risu quæstum facit et cibum captat: a κόπρος *stercus*: unde κόπριος ἀνήρ, homo vilis, quasi stercoreus: quidlibet enim hujusmodi homines et facere et pati non recusant, dum rem habeant: *V.* INCOPRIO. *Sueton. Tib.* 61. Interrogatus a quodam nano adstante mensæ inter copreas. Adde *eumd. Claud.* 8. Sunt qui scribant *copria* nimis adhærentes Græcis litteris. — Horum parasitorum vilissimum genus describit *Dion l.* 50. c. 73.

CŌPROS, i, m. 2. κόπρος, ἡ, stercus. Græca vox. *Varro* apud *Non.* (ut quidem critici legunt) p. 242. 15. *Merc.* Non Hercules potest, qui Augiæ agebat copron. *Sed valde dubia est lectio.*

COPS, copis, *vel rectius* copis, e, adject. copiosus, abundans, dives, quasi *coops*, ab *ops*, ut volunt etymologi: sic *Varro* 5. *L. L.* 92. *Müll.* Opulentus ab ope, cui ea opime. Ab eadem inops, qui ejus indiget, et ab eodem fonte copis et copiosus. — Sed tamen *copis* eodem sensu occurrit atque *compos*. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 117. Ut amantem herilem copem facerem filium. *Id. Pseud.* 2. 3. 8. Ego nunc me ut gloriosum faciebam, et copi pectore. *h. e.* compote omnium, quæ optaveram. *Pacuvius* apud *Non.* p. 84. 23. *Merc.* O multimodis varie dubium et prosperum copem diem! *Turpilius* apud *eumd.* p. 84. 21. Te quidem omnium jam pater copem causarum facit. — De recto singulari exemplum adhuc deest: nisi quod *Priscian.* docet 7. p. 752. *Putsch.* vetustissimos dixisse, *hic, et hæc, et hoc ops, et cops*, pro *opulentus et copiosus*. Præterea verba illa *Festi* p. 190. 26. *Müll. Ops antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus, ut testimonio est non solum ei contrarius inops .... concedit, ego egens exortus sum*; ita supplent Critici ex conjectura: *inops, sed etiam cops: ut is cops edit, ego egens exortus sum.* Hæc tamen omnia criticorum commenta sunt; codex enim omnino abrasus ne occasionem quidem præbet hæc recte conjiciendi. Potius apud *Non.* p. 84. 10. *Merc.* pro *Copi* legendum videtur *Cops*.

COPTA, æ, f. 1. κόπτη, genus placentæ ex variis rebus contusis confectæ, cujus usus est tum in medicamentis, tum in cibis, pro varia confectione: a κόπτω *cædo, contundo*. Durissima ex Rhodo mittebatur, ut est apud *Martial.* 14. 68. 2. Peccantis famuli pugno ne percute dentes: Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat. — Ejusdem aut similis generis fuisse videtur *coptoplacenta*, quæ ab *Athen. l.* 14. c. 13. inter placentas enumeratur, legiturque in *fragm. Tragur. Petron.* 40. *Burmann.* Minores porcelli ex coptoplacentis facti, quasi uberibus imminerent, scropham esse positam significabant. *Vespæ judic.* 46. apud *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 2. p. 234. Nos facimus populo studiose coptoplacentas.

COPTŎPLĂCENTA. *V.* voc. præced.

CŌPŬLA, æ, f. 1. *Copla* per syncopen usurpatur a *Licentio*, qui fuit *Augustini* æqualis, apud *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 4. p. 535. Arcet amor, coplamque tenet communis honesti. — Primam syllabam licenter corripuit *Ennod. Dict.* 21. 1085. Uxor ad alterius transierat copulam. — Ratione habita etymi *copula* est a *cum* et *apere*; et significat vinculum, nexum, quo plura simul ligantur et connectuntur (It. *legame, congiunzione, copula*; Fr. *lien, chaine, tout ce qui sert à attacher*; Hisp. *atadura, ligamento, lazo, cadenas*; Germ. *Band, Leine, Strick*; Angl. *a tie, band, fetter*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Epid.* 5. 1. 11. Quæritant me: in manibus gestant copulas secum. *h. e.* lora, quibus me vinciant. *Accius* apud *Non.* p. 200. 33. *Merc.* Tortæ copulæ. *h. e.* funes. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Venetorum naves minus commode copulis continebantur. *h. e.* uncis manibusque ferreis. *Nepos Datam.* 3. Copulā vinctum ante se Thyum agere. — *b*) Specialite: dicitur de vinculo, quo alligantur canes venatici. *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 28. Utque canem pavidæ nactum vestigia cervæ, Luctantem frustra copula dura tenet. Adde *eumd.* 7. *Met.* 769. — c) Item specialiter *Apul.* 9. *Met.* Muli senes pectora copulæ spartææ tritura continua exulcerati. *h. e.* helcio.

II.) Improprie dicitur de quocumque morali vinculo. — *a*) Generatim. *Nepos Att.* 5. Efficiebat ut inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio; essetque talium virorum copula. *h. e.* Atticus velut medius intercedens, tenebat inter se constrictos vinculo amicitiæ Ciceronem et Hortensium. *Horat.* 1. *Od.* 13. 13. Felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula; nec malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvet amor die. *Apul.* 2. *Met.* Copulæ nuptiales. Adde *Cod.* 5. 4. 24. et 26. et *Cod. Theod.* 3. 16. 2., ubi *copula* est ipsum matrimonium. Cf. *Alcim.* 2. 29. nec fœdere turpi Miscebit calidos carnalis copula sexus. Hinc *Capell.* 1. *sub init.* Hymenæum vocat *copulam sacram*. — *b*) Speciatim de verborum nexu vel compositione. *Nigidius* apud *Gell.* 10. 5. Avarus appellatur, qui avidus æris est. Sed in ea copula *e* littera detrita est. *h. e.* in ea compositione verbi. Adde *Quintil.* 7. 10. 17.

CŌPŬLĀBĬLIS, e, adject. qui copulari potest. *Augustin.* 4. *Music.* 16. *a med.* Cum sibi copulantur, qui inter se sunt copulabiles pedes.

CŌPŬLĀTĒ, adverb. conjuncte. *Gell.* 10. 24. *Diequinte* et *Diequinti* pro adverbio copulate dictum est. Cf. *eumd.* 17. 7.

CŌPŬLĀTIM, adverb. idem quod copulate. Habet *Diomed.* 1. p. 402. *Putsch.* affertque exempli gratia, sed nullo id confirmat auctore.

CŌPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. copulandi actus, conjunctio.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 19. Ita effici complexiones, et copulationes, et adhæsiones atomorum inter se. *Id.* 2. *Nat. D.* 46. 119. Copulatio rerum et coagmentatio naturæ.

II.) Translate. — *a*) Generatim occurrit de hominum societate. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 69. Primi congressus copulationesque. *Cod. Theod.* 9. 42. 2. Copulatio generis. Adde *Julian. epit. nov.* § 243. et 245. — *b*) Speciatim de oratione et verbis. *Quintil.* 7. 10. 8. Ordo rerum et copulatio. Adde *eumd.* 11. 2. 37. *Id.* 1. 10. 23. Inoffensa vocum copulatio. *Id.* 8. 3. 16. Syllabarum, verborum inter se copulatio. *h. e.* compositio in oratione. *Id.* 1. 5. *sub fin.* Copulatio verborum. *h. e.* compositio duorum verborum in unum. Sic de sonis *Augustin.* 2. *Music.* 10. *n.* 19. Sesquialtera copulatio in duobus et tribus apparet, jam sesquitertia in tribus et quatuor.

CŌPŬLĀTĪVĒ, adverb. idem quod copulate. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. *a med. Diequinti* pro adverbio copulative dicere.

CŌPŬLĀTĪVUS, a, um, adject. copulans, conjungens. *Cod.* 6. 38. 4. § 1. Copulativus modus. *Charis.* 2. p. 190. *Putsch.* et *Capell.* 3. p. 70. Copulativæ et disjunctivæ conjunctiones.

CŌPŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui aliis copulatur. *Jul. Valer. de reb. gest. Alex. M.* edit. Rom. *Mai.* 1. 15. Nec sit pudendum, si filius sit parentibus copulator. *Mendosa tamen lectio videtur.*

CŌPŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui copulat. *Ambros.* 5. *Hexæm.* 14. His ergo avibus nihil est copulatorium, præter jugale consortium.

CŌPŬLĀTRIX, icis, f. 3. quæ copulat. *Augustin.* 11. *Trinit.* 9. *extr.* Voluntas copulatrix parentis et prolis. *Auct. Pervigil. Vener.* 5. Amorum copulatrix.

CŌPŬLĀTUS, a, um. *V.* COPULO.

CŌPŬLĀTUS, us, m. 4. idem quod copulatio: in sexto casu *Arnob. adv. gent.* 1. 2. Rationum consequentium copulatu.

CŌPŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Ratione habita etymi est a *cum* et ant. *apere*, simul jungere. — Per syncopen *Lucret.* 6. 1096. Inter se quædam possint coplata teneri. Al. tamen perperam retinent *copulata*, ut metrica necessitate primam corripuerit, vel ut antibacchium pro dactylo posuerit. *V.* COPULA sub init. Sic *Venant. Fortun.* 2. 4. 8. Carne create viri, dehinc coplatur eidem. — Part. *Copulatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Copulandus* II. *a.* — Copulare est arcte colligare, conjungere (It. *legare insieme, unire, congiungere*; Fr. *lier, joindre, attacher, unir*; Hisp. *ligar, atar, unir, juntar*; Germ. *verbinden, verknüpfen, fest zusammenfügen*; Angl. *to tie or join together, couple, connect, unite*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de materiali rerum colligatione vel conjunctione. *Cato R. R.* 7. Copulare vitem arbusto. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 130. caput et corpus cum aliquo. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 45. 139. hominem cum bellua. *V.* integrum locum sub II. *b.* *Lucret.* 6. 1078. aurum auro. *Al. tamen aliter leg.* *Plin.* 17. *Hist. nat.* 19. 30. (137). Copulantur diversæ insociabilesque naturæ arborum. *Id.* 6. *ibid.* 13. 16. (41). Utrimque Armeniæ majori — Sophene copulatur. *h. e.* contermina est. *Martial.* 12. 43. Quo symplegmate quinque copulentur. *Veget.* 3. *Veterin.* 49. 2. *Schneid.* Copulare caput animalis ad pedem. ¶ 2. Latiori sensu copulari dicuntur, qui componuntur, qui alius contra alium ponuntur, Fr. *se mettre vis-à-vis*. *Plaut. Epid.* 3. 3. 20. Cave sivis cum filia mea copulari hanc, neque conspicere. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. Cum voce maxima vim me sibi afferre clamaret, copulati in jus pervenimus. *V.* integrum locum. ¶ 3. In illo *Plaut. Aulul.* 1. 2. 38. Adeunt, consistunt, copulantur dexteras. passivum positum est pro activo, ut *Non.* p. 470. 16. et p. 479. 24. *Merc.* et *Priscian.* 8. p. 797. *Putsch.* docent. Ergo illud *dexteras* Græcus erit Accusativus: nisi malis, *copulantur* non passivi, sed deponentis forma dictum esse, quod præstat.

II.) Translate ponitur de morali plurium personarum conjunctione; item de iis, quæ cogitatione, oratione, etc. connectuntur; et significat conjungere, vel etiam interdum conjungendo perficere. Occurrit autem — *a*) Absolute, seu *conjungere aliquid*, aut *aliquid aliqua re*. *Cic.* 3. *Fam.* 4. 2. Collegiique conjunctio — non mediocre vinculum mihi quidem videtur ad voluntates nostras copulandas. *Liv.* 4. 43. *ad fin.* Quin illi, remittendo de summa quisque juris mediis copularent concordiam. *Auct. Pervigil. Ven.* 58. Copulavit nuptias. *Dig.* 12. 4. 6. *pr.* Copulare matrimonium. *Ulp. ibid.* 24. 1. 32. § 19. Copulati matrimonio. *Id. ibid.* 1. 9. 8. Feminæ plebejis nuptiis copulatæ. *Seneca Herc. fur.* 493. Copulari tædis. *h. e.* matrimonio jungi. *Hygin.* (ed. *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 64.) *fab.* 188. Iason promisso sibi conjugio copulavit (*Medeam*). — *Cic. Orat.* 45. 154. Libenter etiam copulando verba jungebant, ut *sodes* pro *si audes* etc. *h. e.* componendo, ex duobus unum faciendo. *Id. ibid.* 32. 115. Nosse vim verborum simplicium et copulatorum. *h. e.* compositorum. Cf. *Quintil.* 10. 6. 2. Copulare verba. *Cic. Partit. orat.* 6. 21. Constructio verborum tum conjunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (81). Sonus nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc distinguitur concisu, copulatur intorto. *Tac. dial. de orat.* 17. *extr.* Conjungere et copulare antiquos ac veteres oratores. — *b*) Cum addito Ablat. et præpos. *cum*. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 42. Copulare sermonem cum aliquo. *h. e.* colloqui. *Cic.* 2. *Phil.* 8. 19. equestrem ordinem cum senatu. *Id. Sext.* 64. 133. Ille se sic cum inimico meo copularat, ut etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 45. 139. Honestatem cum voluptate, tamquam hominem cum bellua, copulare. *Id.* 1. *Fin.* 16. 50. Sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate. *Id.* 2. *ibid.* 14. 45. Disjuncta conjungere, et cum præsentibus futura copulare. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (27). Copulare societatem cum aliquo. — *c*) Cum addito *inter se*. *Cic.* 1. *Orat.* 51. 222. An hæc inter se jungi copularique possint. Cf. *Lucret.* 6. 1096., cujus verba sub init. retulimus. — *d*) Cum addito Dativo. *Cic.* 2. *Divinat.* 69. 143. Quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis somnium? Cf. *Plin.* 6.

Hist. nat. 13. 16. (41)., cujus verba sub I. 1. retulimus. — Hinc Part. præter. pass.

Copulatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Copulatior* sub II.

I.) Proprie est colligatus, conjunctus, et occurrit de rebus physicis vel corporeis. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Dubitare non possumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 11. 24. Hæc, quæ dico, cogitatione inter se differunt, re quidem copulata sunt. Adde *eumd. Fat.* 13. 30. *Id.* 1. *Off.* 17. 56. Nihil est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. *Al. leg.* copulantius.

Copulatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, Gr. συμπεπλεγμένον, apud Dialecticos quid sit, *V.* in CONJUNCTIO.

CŌPŬLOR, āris, ari, dep. 1. *V.* voc. præced. sub I. 3.

CŎQUA, æ, f. 1. quæ coquit. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 38. Coqua hæc est quidem, ut ego opinor.

CŎQUĪBĬLIS, e, adject. coqui facilis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (25). Glans fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem ac levem, et utilem stomacho.

CŎQUĪMELLA, æ, f. 1. genus arboris fructiferæ. *Isid.* 17. *Orig.* 7. Coquimella, quam Latini ob colorem prunum vocant, alii, a multitudine enixi fructus, nixam appellant. — Est autem Græca vox κοκκύμηλον: quare potius *coccimela* scribendum esse videtur. *V.* PRUNUM.

CŎQUĪNA, æ. *V.* COQUINUS in fin.

CŎQUĪNĀRIS, e, et

CŎQUĪNĀRĬUS, a, um, adject. ad coquinam pertinens, culinarius. *Varro* apud *Non.* p. 195. 17. *Merc.* Noctu cultro coquinari se trajecit. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 49. (140). Vasa coquinaria ex argento fieri. — *Coquinaria ars* inscribitur liber *Apicii de opson. et condim.*

CŎQUĪNĀTŌRĬUS *vel* cocinatorius, a, um, adject. ad coquendum pertinens, ut coquinatorium instrumentum, apud *Ulp. Dig.* 34. 2. 9. § 12., ubi al. leg. *coquinarium*, Torrentin. et alii *cocinatorium* eod. sensu. *V.* CONCINNATORIUS. — Hinc

Cocinatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more est locus, in quo coquuntur cibi, idem ac culina. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 497. n. 4. PORTICVM, ET COCINATORIVM COSTITVI, ITEMQVE DONAVI. *V.* CULINA.

CŎQUĪNO, as, āvi, ātum, are, 1. est coquinariam artem exercere: et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 3. 1. 3. Venit in bacchanal coquinatum. Cf. *Non.* p. 85. 31. *Merc. Id. Pseud.* 3. 2. 64. Ire coquinatum. — *b*) Cum Accus. *Id.* 3. 2. 85. Quanti istuc unum me coquinare perdoces?

CŎQUĪNUS, a, um, adject. ad coquendum pertinens, ut *coquinum forum*, ubi scil. cibaria coquuntur. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 1. et 2. — Hinc

Coquina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Subaudi *officina*, et est locus, in quo dapes coquuntur: sed tamen *coquina* pro *colina* vel *culina* fuit vox vulgi tantum propria, teste *Non.* p. 55. 18. *Merc.* Colinam veteres coquinam dixerunt, non ut nunc vulgus putat. *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 4. Ab apium castris longe sint omnia odoris horrendi, balneæ, stabula, coquinæ. *Arnob.* 4. 6. Per coquinas currit, inspiciens, quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur. *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 8. *a med.* Coquina conditoria. ¶ 2. Subaudi *ars*, et est ars ipsa coquinaria. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Harum disciplinarum imitatrices esse coquinam et unguentariam profitetur. *Al. leg.* coquinariam. Adde *Donatum* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 3.

CŎQUĪTĀRE pro coctitare, id est frequenter coquere, Plautus posuit. *Paul. Diac.* p. 61. 13. *Müll.*

CŎQUĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. coctio, coctura. *Apul.* 4. *Met.* Hordeum tunsum minutatim et diutina coquitatione jurulentum semper essem. *Alii minus recte leg.* resectione, *alii* cogitatione.

CŎQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 3. De scribendi ratione *V.* COQUUS. — Part. *Coquens* I. 1.; *Coctus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Coquendus* I. 2. — Coquo est igne adhibito cibos mitigo atque esui aptos reddo vel assando, vel elixando, vel frigendo: item aliud quidpiam igne subigo, fundo, purgo (It. *cuocere, cucinare*; Fr. *cuire*: Hisp. *cocer*; Germ. *kochen*; Angl. *cook or dress*).

I.) Proprie. ¶ 1. Occurrit de cibis, medicamentis et similibus. — *a*) Cum Accus. rei, quæ coquendo paratur. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 15. Quid curas, utrum coctum, an crudum edim? *Id. Cas.* 4. 2. 2. Vos cœnabitis, cœna ubi erit cocta. Adde *eumd. Aulul.* 3. 2. 17. et *Stich.* 4. 1. 28.; *Caton.* apud *Gell.* 10. 24; et *Cœlium* apud *eumd. ibid.* Sic *Nepos Cimon.* 4. Quotidie sic ei cœna coquebatur, ut quos invocatos vidisset, omnes devocaret. *h. e.* parabatur. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 98. Tum is, qui illa coxerat: Minime mirum; condimenta enim defuerunt. *Lucret.* 5. 1101. cibum coquere et flammæ mollire vapore. *Nepos Eumen.* 8. Imperat comparari cibaria cocta dierum decem. Adde *Liv.* 3. 27., 29. 25., 44. 35. et alibi. Et absolute *Sueton. Claud.* 38. Cocta vendere. *h. e.* cibaria cocta. *Varro* apud *Non.* p. 531. 32. *Merc.* Coquere panem. Adde *Dig.* 33. 7. 12. § 5. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (54). Panis coquendo crescit. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 48. Coquere jus. *Id. ibid.* 2. 38. pavonem. *Id. Art. P.* 186. humana exta. *Propert.* 2. 1. 74. Non Perimedeâ gramina cocta manu. *Ovid.* 5. *Met.* 450. Dulce dedit tostâ quod coxerat ante polentâ. *Id.* 6. *Fast.* 532. liba in subito cocta foco. *Liv.* 8. 18. Coquere medicamenta. *h. e.* quod dixit *Sueton. Ner.* 33. Coquere venenum. — Similiter *Cels.* 5. 17. Coquere aliquid ex oleo. *h. e.* in oleo. *Scribon. Compos.* 252. aliquid ex aceto. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (55). resinæ albæ congium in duobus aquæ pluviæ. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (145). gemmam in lacte. *Id.* 24. *ibid.* 14. 79. (129). aliquid usque ad crassitudinem mellis. *Id.* 32. *ibid.* 9. 31. (94). aliquid cum anetho, apio, coriandro. *Id.* 16. *ibid.* 11. 22. (55). aliquid lento igne. *Ovid.* 4. *Met.* 505. aliquid ære. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 28. Coctus parvo. — *b*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 46. Cocus ille nundinalis est, in nonum diem solet ire coctum. *Id. ibid.* 3. 2. 15. Venimus coctum ad nuptias. Adde *eumd. Pseud.* 3. 2. 56. *Ter. Adelph.* 5. 3. 61. Coquendo sit faxo et molendo. *C. Matius* apud *Gell.* 20. 9. Dein coquenti vasa cuncta dejectat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 35. (90). Cyma difficilis in coquendo. *Dig.* 33. 7. 18. § 3. Vas ad coquendum. ¶ 2. Item de iis quæ igne et calore elaborantur ac parantur, cujusmodi sunt metalla, lateres, vasa, etc., item ligna, quæ exsiccantur. *Lucan.* 6. 405. coxit fornacibus æra. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (60). Coquere aurum cum plumbo. Adde *Cod. Theod.* 12. 8. 1. *Cato R. R.* 16. Calcem partiario coquendam qui dant, ita dant etc. Adde *eumd. ibid.* 38. et *Dig.* 7. 1. 12. Rursus *Cato R. R.* 38. et *Dig.* 22. 55. § 7. Coquere carbones. *Cato R. R.* 39. Laterculos facito, coquito in fornacem. *Martial.* 9. 70. Later coctus. *Propert.* 3. 9. 22. Agger coctus. *h. e.* ex coctis lateribus factus. Sic *Sidon. carm.* 9. 20. Non coctam Babylona personabo. *Pers.* 3. 22. Cocta fidelia. *h. e.* fictilis. *Propert.* 4. 5. 26. murrhea in Parthis pocula cocta focis. *Dig.* 32. 1. 55. *extr.* et 50. 16. 157. Ligna cocta. *V.* COCTILIS et ACAPNUS. — Similiter *Virg.* 11. *Æn.* 553. Telum solidum nodis et robore cocto. *Servius* hæc habet ad h. l.: Aut antiquam hastam fuisse significat; nam multi temporis aliquid *recoctum* vocatur: aut vere coctam. Hastæ enim igni plerumque durari consueverunt, ut facilius corticem demittant. *Juvenal.* 15. 166. rastra et sarcula tantum Assueti coquere. *h. e.* calefacto ferro facere. ¶ 3. Item de sole, calore, ventis, etc., quibus poma ceterique fructus maturantur, aut herbæ aliaque exsiccantur, amburuntur. — *a*) De iis, quæ maturantur. *Plaut. Trin.* 2. 4. 125. Tum vinum, prius quam coctumst, pendet putidum. *Varro* 1. *R. R.* 54. 1. Nam et præcox et miscella (uva), quam vocant nigram, multo ante coquitur. *Id. ibid.* 7. 4. Quæ arbores in ordinem satæ sunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus sol ac luna coquunt. *Virg.* 2. *G.* 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Martial.* 10. 62. Tostamque fervens Julius coquit messem. — Sic *Cic. Senect.* 19. 71. Poma matura et cocta. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 5. 11. (23). Coctus solibus fructus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 24. 28. (98). *Martial.* 2. 40. Vina cocta. — *b*) De iis, quæ exsiccantur, amburuntur. *Varro* 3. *R. R.* 14. 2. Locus is melior, quem et non coquit sol et tangit ros. *Virg.* 1. *G.* 66. glæbasque jacentes Pulverulenta coquat maturis solibus æstas. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (242). Rursus *Virg.* 4. *G.* 427. Arebant herbæ, et cava flumina siccis Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant. *Propert.* 4. 5. 59. Vidi ego – rosaria Pæsti Sub matutino cocta jacere Noto. *Val. Flacc.* 2. 333. coquiturque vaporibus aer. *h. e.* valde calidus redditur. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 41. At vos, præsentes Austri, coquite horum obsonia. *h. e.* putria reddite, absumite. Sic *Seneca Herc. Œt.* 1396. Virus coquit artus. *h. e.* urit absumitque. ¶ 4. Denique *coquere* cibos dicitur stomachus, qui eos concoquit, digerit, quamvis *coquere* aliquid minus significet, quam compositum *concoquere*, qua de re videsis *Madvig.* ad *Cic.* 2. *Fin.* 20. 64., quamvis ille haud recte hanc ipsam significationem in dubium revocet. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Omne quod accepit (*alvus*), cogit et confundit, ut facile – spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur. *Id. ibid.* 55. 137. Perque eam ad cor confectus jam (*cibus*) coctusque perlabitur. *Plerique Codd. habent* coactus, Madvig *reponit* concoctus; Klotz *et* Orell. *retinent* coctus. *Cels.* 4. 5. *a med.* Cibi quoque assumendi sunt frigidi, qui potius difficulter coquuntur, quam facile vitiantur. Ergo plerique, qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam coquunt. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (26). Ut balineæ ardentes, quibus persuasere in corporibus cibos coqui.

II.) Translate. ¶ 1. Est mente agitare, parare, moliri. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 52. Non placet, quod reperit. Quidquid est, incoctum non expromet, bene coctum dabit. *h. e.* consilium bene meditatum ac deliberatum. *Lucilius* apud *Cic.* 13. *Att.* 52. 1. Bene cocto, condito, sermone bono. Cf. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 25. *Liv.* 3. 36. Impotentibus instructi consiliis, quæ secreto ab aliis coquebant. *Id.* 8. 3. Omnibus consultationibus inter se principes occulte Romanum coquebant bellum. *Sil. It.* 7. 403. iras cum fraude coquentem. *Id.* 10. *ibid.* 431. Latioque extrema coquebant Cœpta viri. *Stat.* 2. *Theb.* 300. trucem secreta coquebat Invidiam. *h. e.* fovebat, nutriebat. ¶ 2. Item animum macerare, vexare, agitare. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 1. 1. Quæ (*cura*) nunc te coquit et versat in pectore fixa. *ti cuoce*, Itali quoque dicunt. *Virg.* 7. *Æn.* 345. quam – Femineæ ardentem curæque iræque coquebant. *Sil. It.* 14. 103. quos ira metusque coquebant. *Quintil.* 12. 10. 77. Si – sollicitudo – oratorem macerat et coquit. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Coctus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Coctior* habetur apud *Plaut. Pœn.* 3. 2. 9. Hodie juris coctiores non sunt qui lites creent. *Turneb. l.* 15. *Adversar. c.* 7. ridiculum, inquit, dictu, *juris coctiores* pro *juris doctiores* dicere; quod urbanitate comica conditum protulit, ambigui occasione usus. Nam et jus culinarium coquitur; et *coctus* ac *recoctus* dicitur, qui in re aliqua tiro non est. Recentiores tamen aliter legunt. Quidquid vero sit de loco *Plauti*, Comp. *Coctior* certa lectione occurrit apud *Ambros. de Cain et Abel* 1. 9. *post med.* Sunt enim plura quæ cruda displiceant, cocta delectent. Fove igitur pectore tuo alta mysteria; ne præmaturo sermone et infidis auribus vel infirmis quasi incocta committas, atque auditor avertatur et cum horrore fastidiat, qui si coctiora gustaret, spiritalis cibi perciperet suavitatem. — Hinc

Cocta, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, apud *Martial.* est aqua decocta: ea ratione qua dicitur absolute *decocta* et *calda*. Est qui caseum secundarium intelligit, quem Itali *ricotta* dicunt, sed minus recte. Locus est 2. 85. Vimine clausa levi alveæ custodia coctæ. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 4. 19. (55). et 31. *ibid.* 3. 23. (40).; et *Sueton. Ner.* 48.

CŎQUŬLA. *V.* COCULA.

CŎQUUS *et melius* cocus, i, m. 2. Ad scriptionem quod attinet, in omnibus antiquis lapidibus (*V. Inscript.* apud *Orell.* 646., 4165. aliasque), et sæpissime in MSS. Codicibus et optimis editionibus cocus legitur, quod etymo vocis magis consentaneum est. Is enim proprie ita appellatur, qui res edules cultro cædit et dividit (hinc DIVIDO et DIVISIO, quas voc. *V.*), dein in mortario pistillo pinsit, tum quaquaversus miscet, liquida superinfundens, ut jus, oleum, buthyrum etc. Hinc *moretum* dictum est quoddam cibi genus a μείρω *divido* (*V.* MORETUM et MISTYLLUS); et Græcis μάγειρος cocus est a μάσσω seu μάττω *pinso*: hinc *Paul. Diac.* p. 58. 14. *Müll.* ait, cocum et pistorem eumdem fuisse (*V.* MAGIRUS): aliud vero edulii genus *cocetum* appellatum est a κυκάω *misceo*, unde *cocus* Latinorum (*V.* COCETUM). Nostrates quoque *piatto da cuoco* vulgo dicunt illud edulium, quod nec elixum, nec assum, nec frictum, sed ex variis rebus tum liquidis, tum solidis, simul cæsis, pinsitis et operose mixtis compositum

sit. Progressu vero temporis coci ministerium ad omnes omnino epulas quomodocumque parandas pertinere cœpit. — Neque hanc, quam defendimus, scriptionem quis possit infirmare ex lepido *Ciceronis* joco apud *Quintil.* 6. 3. 47. Cicero dixit, cum is candidatus, qui coci filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret: *Ego quoque tibi favebo.* Paullo aliter idem refert *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 3. 3. 69. Ciceronis dictum refertur in eum, qui coci filius secum causas agebat: *Tu quoque aderas huic causæ.* Nam apud veteres *cocus* non per *c* litteram, sed per *q* scribebatur. Hactenus *Donatus*. At occasio dicti verior profecto et elegantior narratur a *Quintiliano*, quam a *Donato*. Ceterum ex hoc illud unum evincitur, apud Romanos similem fuisse sonum litterarum *c* et *qu*, quod in plurimis vocibus factum est, ut *cotidie* pro *quotidie*. — Ceterum coquus est qui cibos coquit (It. *cuoco;* Fr. *cuisinier;* Hisp. *cocinero;* Germ. *der Koch;* Angl. *a cook*). Occurrit — *a*) Generatim (*V.* COQUO sub I. 1. et 2.) coquum et pistorem apud antiquos, ut et modo diximus, eumdem fuisse accepimus. *Nævius* (apud *Paul. Diac.* p. 58. 14. *Müll.*) Coquus, inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem. Significat per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem olera. Hæc *Paul. Diac. loc. cit.* — *b*) Speciatim de eo, qui cibos parat et coquit. *Plaut. Most.* 1. 3. 120. Cum una multa jura confundit cocus. Adde *eumd. Pseud.* 3. 2. 11. et alibi; et *Ter. Eun.* 2. 2. 26. *Cic.* 9. *Fam.* 20. 2. In ea cœna cocus meus, præter jus fervens, nihil potuit imitari. Adde *eumd. Rosc. Am.* 46. 134. *Varro* 3. *R. R.* 14. 3. *de cochleis.* Itaque coquus, has vivas an mortuas coquat, plerumque nescit. *Martial.* 14. 220. Non satis est ars sola coco: servire palatum Nolo: cocus domini debet habere gulam. Adde *Dig.* 40. 4. 24. et 32. 65. § 2.; et *Paul.* 3. *Sentent.* 6. § 72. — Quo tempore (nempe an. U. C. 567.) horum ars Romæ in pretio esse cœperit, quæ antea ministerium fuerat, narrat *Liv.* 39. 6. *extr.* Quod confirmat *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 28. (107). Pistores Romæ non fuere ad Persicum usque bellum, annis ab U. C. super DLXXX. — Nec coquos vero habebant in servitiis, eosque ex macello conducebant. — Imperante Hadriano Aug. collegium cocorum fuisse in Palatio convivia imperatoris apparantium, constat ex *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 13. p. 587., quæ est apud *Henzen.* 6302. T. AELIVS AVG. LIB. PRIMITIVVS ARCHIMAGIRVS ET AELIA AVG. LIB. TYCHE COIVNX FECERVNT SIBI ET SVIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM. CVSTODIA (pro *custodiam*, extrita nempe littera *m* ob concursum sequentis) MONIMENTI INHABITANDI NEQVIS INTERDICERE VELLIT; QVOD SI NEMO DE HAC MEMORIA NOSTRA EXISTERIT (*sic*) PERTINERE DEBEBIT AD COLLEGIVM COCORVM AVGusti nostri QVOD CONSISTIT IN PALATIO.

COR, cordis, n. 3. Ratione habita etymi, est a Græca voce poetica κέαρ, unde κῆρ contractum. — Hujus vocis quantitas a quibusdam anceps esse putatur. Qui censent produci posse, afferunt primum Græcum κῆρ, unde diximus derivari: deinde versum *Ovidii Heroid.* 15. 79., sed in quo valde dubia est lectio: et *Lucretii* 3. 471. Denique cor hominum cum vini vis penetravit etc. Verum hic quoque plerique omnes leg. Denique cur, hominem cum vini etc. Quare corripienda videtur ex *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 32. Confiteor miseræ molle cor esse mihi. *Id.* 5. *Trist.* 8. 28. Molle cor ad timidas sic habet ille preces. Adde *eumd.* 5. *Met.* 384.; et *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 63. — Masculino genere positum fuisse ab *Ennio* putavit *Cæsellius Vindex* apud *Gell.* 7. 2., sed ejus hallucinationem detexit et reprehendit ipse *Gell.* Locum *Ennii* infra retulimus sub *B*. 3. — De cordis figura in vett. lapidibus V. *Lupi Epit. S. S.* p. 53. et seq., sed præcipue *Minervini L'ant. lap. Nap. di Tettia Casta* p. 6., qui putant, genus hoc interpunctionis libero marmorariorum lusui tribuendum. — Ceterum *cor* membrum est præcipuum in corpore animalium, in medio pectore situm, cuspide ad sinistrum latus aliquantum inclinata, omnem sanguinem ex venis se dilatando excipiens, et per arterias in omnes partes corporis contrahendo se dimittens: V. *Cels.* 4. 1. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (182).: merito proinde habitum vitæ sedes atque origo (It. *cuore;* Fr. *cœur;* Hisp. *corazon;* Germ. *das Herz;* Angl. *the heart*). Occurrit autem *A*) Stricto, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto vel physico sensu ¶ 1. Generatim cor est membrum præcipuum in corpore hominum et brutorum animalium. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 119. Num igitur censes, ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 9. 18. et *seq.*; *Plaut. Cas.* 2. 6. 62.; et *Lucret.* 4. 119. — Hinc translate *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 20. *ante med.* Physici solem cor cæli vocaverunt, quod natura ignis semper in motu perpetuoque agitatu est. ¶ 2. Speciatim cor, haud aliter ac Gr. καρδία, pro stomacho, seu rectius pro ventriculi ore interdum usurpatur. *Lucret.* 6. 1149. Inde ubi per fauces pectus complerat, et ipsum Morbida vis in cor mæstum confluxerat ægris. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 28. In cor Trajecto lateris miseri capitisve dolore. Cf. *eumd. ibid.* v. 161.

B) Latiori sensu. ¶ 1. Ponitur, quemadmodum et *caput*, pro toto homine vel bruto animali, speciatim ratione habita animi, ita ut cor sit pro sensu animæ. *Lucret.* 5. 862. At levisomna canum fido cum pectore corda. Cf. *Phædr.* 4. 14. Semisomno corde et errore ebrio. *Virg.* 5. *Æn.* 729. lectos juvenes, fortissima corda. *Id.* 10. *ibid.* 87. Corda aspera. — Hinc adhibetur et in blanditiis. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 154. Meum mel, meum cor, mea colostra. ¶ 2. Item pro sede affectuum. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41. Nec sese dedit in conspectum corde cupitus. *Id.* apud *eumd.* 3. *Orat.* 42. 183. At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, Corde suo trepidat. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 25. Cordi atque animo suo obsequi. *Id. Aulul.* 4. 3. 4. Meum cor in pectus emicat. Adde *Tibull.* 1. 11. 12. Et eodem sensu *Plaut. Cas.* 5. 6. 62. Cor salit. *Id. Trin.* 5. 2. 45. Cor cruciatur. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 12. Heu isto verbo animus mi rediit et cura ex corde excessit. *Id. Eun.* 1. 2. 121. Neque meo cordi esse quemquam cariorem. *Lucret.* 1. 922. sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor. *Id.* 3. 295. quibus acris corda Iracundaque mens facile efferrescit in ira. *Virg.* 4. *G.* 470. Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. *Id.* 12. *Æn.* 18. Sedato corde respondere. *Horat. Art. P.* 98. Si curat cor spectantis tetigisse querela. *Id.* 1. *Od.* 23. 8. Tremere corde. *Ovid.* 1. *Fast.* 16. Excutere corde metus. *Id.* 4. *Trist.* 10. 65. Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat. *Sueton. Ner.* 2. Cor plumbeum. — Huc et illa pertinent *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 57. Forti corde ferre mala. *Stat.* 3. *Theb.* 678. Æquo corde ferre aliquid. *h. e.* æquo animo. — Et poetice plurali numero etsi de una tantum persona agitur. *Virg.* 6. *Æn.* 48. sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument. — Hinc speciatim occurrit in sequentibus formulis — *b*) *Corde*, hoc est toto animi affectu, serio, omnino. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. errare videbar — et quærere te, neque posse corde capessere. *Plaut. Capt.* 2. 3. 60. Corde amare inter se. *Id. Trin.* 2. 3. 34. Corde spernere aliquid. Cf. *Id. Pseud.* 5. 2. 22. Lubentissimo corde atque animo aliquid facere. — *c*) *Cordi est*, sedet animo, ut *Non.* p. 88. 31. *Merc.* interpretatur, *h. e.* in votis est, ita ut cor pro voluntate sumatur, non pro cura et opera, ut alii interpretantur. Potest tamen aliquando exponi, curæ est. *Plaut. Cist.* 1. 1. 111. Ut et est erga me meritus, cordi est tamen (*Alcesimarchus*). *Ter. Andr.* 2. 1. 27. CHAR. Sed si id non potest, aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. PAMPH. Cordi? *Id. Phorm.* 5. 3. 17. Uterque utrique est cordi. *Lucilius* apud *Non.* p. 88. 32. *Merc.* Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet. Adde *eumd.* apud *eumd.* p. 89. 1.; et *Afranium* apud *Priscian.* 5. p. 650. *Putsch. Cic. Amic.* 4. 15. Idque eo mihi magis est cordi, quod etc. *Id. Quinct.* 30. 93. Fatetur, sibi vitam omnino semper horridam atque aridam cordi fuisse. *Id. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est. Adde *eumd.* 5. *Att.* 3. 3.; et *Varron.* 2. *R. R.* 10. 3. *Liv.* 6. 20. *in fin.* Nec diis cordi fuisse pœnam ejus (*Manlii*) oblatam prope oculis suis, a quo eas templa erepta e manibus hostium essent. Adde *eumd.* 1. 39., 8. 7., 10. 42. *extr.*, 23. 31. *ad fin.*, 26. 50. et 30. 17. *ad fin.*; *Senec.* 1. *Benef.* 14. *ad fin.*; *Virg. Cir.* 261.; et *Sil. It.* 7. 320. et 15. 350. *Horat.* 1. *Od.* 17. 13. Di me tuentur, dis pietas mea Et Musa cordi est. *Ovid. Medic. fac.* 32. Virginibus cordi grataque forma sua est. *Tac.* 3. *Hist.* 53. Illis Mœsiæ pacem, sibi salutem securitatemque Italiæ cordi fuisse. Adde *Stat.* 1. *Silv.* 4. 4. — Cum Accus. et Infinito, vel cum Infinito tantum. *Cato* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 5. *in fin.* Juppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare, potius quam Mezentio, uti nos victores facias. *Plaut. Most.* 1. 4. 10. Si tibi cordi est facere, licet. *Liv.* 9. 8. Di immortales, si vobis non fuit cordi, Sp. Postumium prospere bellum gerere; at satis habeatis etc. — *d*) *Corde est* poetice, cordi est. *Stat.* 6. *Theb.* 829. sed corde labores Ante alios erat uncta pale. — *e*) *Cordi habere* est infixum pectori et memoriæ tenere, amare, diligenter consectari. *Gell.* 18. 7. Cum vos quoque, philosophorum illustrissimi, nihil jam aliud, quam verba auctoritatesque verborum cordi habeatis. *Id.* 2. 29. *extr.* Duo postremi isti versus, quos habere cordi et memoriæ, operæ pretium esse hercle puto. Adde *eumd.* 17. 19. ¶ 3. In corde veteres nonnulli animi sedem, atque adeo sapientiæ, consilii, solertiæ, prudentiæ et acuminis collocarunt, teste *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 18. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur. Cf. *eumd.* 1. *Divinat.* 52. 119. Hinc cor ponitur pro sapientia, consilio, prudentia, scientia. *Ennius* apud *Gell.* 7. 2. quem (*Hannibalem*) credidit esse meum cor Suasorem summum et studiosum robore belli. *Plaut. Pseud.* 3. 1. 3. Quantum ego nunc corde conspicio meo. *Id. Most.* 1. 2. 3. In meo corde, si quod est mihi cor, eam rem volutavi et diu disputavi. Cf. *Id. Capt.* 2. 3. 27. Persequi aliquid corde et animo atque viribus. *Id. Pers.* 4. 4. 71. Di istam perdant! ita cata est et callida: habet cor: quam dicit quod opus est! *cor habere* est sapere, sapientem esse. *Ter. Phorm.* 2. 2. 7. Jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, non sapiat palatus. *Id. ibid.* 28. 91. Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. *Id.* 3. *Phil.* 6. 16. Qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (36). Villicum quam proximum domino corde esse debere. *h. e.* colendi peritia. *Fur. Bibaculus* apud *Sueton. Gramm.* 11. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis. *Pers.* 6. 10. Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo. Adde *Ovid. Heroid.* 17. 102. et *Martial.* 3. 27. et 11. 84. Sic *Cor longævum* apud *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 155. est senilis sapientia. — Hinc *cor* et *ingenium* interdum junguntur. *Lucret.* 5. 1105. Ingenio præstare et corde vigere. Adde *Senec.* 3. *Controv. præfat. Martial.* 3. 26. Et cor solus habes, solus et ingenium. Adde *eumd.* 7. 78. Cf. *Id.* 6. 64. Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva Acrius et tenues finxerunt pectus Athenæ. Et contra *Lucret.* 4. 51. Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.

CŌRA, æ, f. 1. pupilla oculi, *h. e.* nigrum illud, quod est in medio oculi: a Græco κόρη. *Auson. Epist.* 16. 59. Cuique vigiles luminum Vacare dignabunt coræ. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CŌRĂCES, um, m. plur. 2. *Coraces* dicti sunt quidam sacerdotes Mithræ, ut ex *Heinesio* adnotatum est in CORACICUS, quorum mentio fit a *Hieronym. Ep.* 107. n. 2. Sunt tamen qui putant, eum non de sacerdotibus loqui, sed de imaginibus deorum, qui sub corvorum specie colerentur.

CŌRĂCESĬA, æ, f. 1. herba, qua Pythagoras aquam glaciari tradit apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 99. (156.), qui addit, apud alios hujus mentionem se non invenire. *Al. leg.* coriacesia. Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 295.) hæc ait: « Nous avons déjà dit qu'il existait une plante tellement abondante en mucilage, qu'elle donnait à l'eau une consistance solide sans altérer sa transparence: c'est le *Cissampelos Pareira* de *Linné*. Ne serait-ce pas une particularité semblable qui rendrait compte de l'assertion de Pythagore? Glacer l'eau, signifie encor *aujourd'hui* lui donner de la consistance à l'aide de corps qu'elle a la propriété de dissoudre. Cf. la note 159. du présent livre, où l'on verra que Pythagore attribue les mêmes propriétés à l'*aquifolia* ». Daléchamp *coracesiæ* nomen derivat ἀπὸ τῶν κορῶν, h. e. a virginibus.

CŌRĂCĬCUS, a, um, adject. idem quod coracinus. *Coracica sacra*, quorum fit mentio in *Inscript.* apud *Gruter.* 1087. 4., quæ est apud *Orell.* 2343., erant instituta in honorem Mithræ: in quibus initiabantur ministri, qui *coraces* appellabantur, ignotisque, et simul execrandis mysteriis ad ejus cultum præparabantur: de quibus mentio fit a *Hieronym. Ep.* 107. n. 2. Eadem sacra dicta sunt etiam *hierocoracica*, et ministri ipsi *hierocoraces*; ut quidem legendum esse apud *Gruter.* 303. 2. et 27. 4. contendit *Reines.* ad *Inscription.* 48. *cl.* 1., quem omnino adeas necesse

est: sed præcipue *Morisani Inscriptt. Regin.* p. 111. et seqq. — *Auct. commentar. in cap.* 1. *epist. D. Pauli ad Rom.*, qui a nonnullis Ambrosio tribuuntur, meminit Sacrorum *Coracinorum*, quæ eadem cum *Coracicis* esse videntur. Is autem putat, ita ab Ægyptiis dicta fuisse, quod in iis corvi adorarentur. Mos enim fuit illis varia animalia, et quidem turpiora, pro diis colere. *V.* HIEROCERIX. Porro in monumento Mithriaco a *Bened. Giovanelli* edito in opere, cui titulus *L'antica zecca Trentina*, p. 137. videre est, ad latera Tauri et Mithræ, hinc leonem, inde corvum.

CŎRĂCĪNO, as, are, n. 2. de corvo dicitur et est canere. *Isid.* 12. *Orig.* 17. Corvus sive corax nomen a sono gutturis habet, quod voce coracinet.

CŎRĂCĪNUS, a, um, adject., κοράκινος, corvinus, niger: a κόραξ, ακος, *corvus*. *Vitruv.* 8. 3. 14. *Schneid.* Pecora quamvis sint alba, procreant aliis locis pulla, aliis coracino colore. — De Sacris Coracinis *V.* CORACICUS. — Hinc

Coracinum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est color coracinus. *Dig.* 32. 76. § 5. Coccum, quod proprio nomine appellatur, quin versicoloribus cederet, nemo dubitavit: quin minus porro coracinum, aut hysginum, aut melinum suo nomine, quam coccum purpurave designatur.

CŎRĂCĪNUS, i, m. 2. κορακῖνος, nomen est piscis Nilo peculiaris, qui ita dictus est vel a colore, vel quod assidue κινεῖ τὴν κόρην, pupillam movet. *Martial.* 13. 85. Princeps Niliaci raperis, coracine, macelli. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 24. (57)., 9. *ibid.* 18. 32. (68)., 32. *ibid.* 7. 24. (69). et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 29. In Parisina *Plinii* editione *T.* 7. p. 168. *coracinus* probatur esse *Labrum Niloticum* Linn. — *NB.* De nom. prop. V. ONOM.

CŎRALLĪTICUS, a, um, adject. *Coralliticus*, subaudi *lapis*, est genus candidi marmoris a Corallio, seu Sangario fluvio Phrygiæ, juxta quem invenitur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 13. (62). *Isid.* 16. *Orig.* 5. 9. Coralliticus in Asia repertus, mensura non ultra cubitos binos, candore proximo ebori quadam similitudine. — Porro *coralliticus* nunc Romæ a lapicidis vulgo *pario* dicitur. V. *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 100. ed. Mediol., et *Petrini mem. Prenest.* p. 8. — In vet. *Inscript.* apud *Gruter.* 76. 9. legitur *Coroliticus*.

CŎRĂLĬUM, *vel* corallium *vel* curallium, ii, *item* coralum, i, n. 2. *denique* coralus, i, m. 2. (apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (153). et *Isid.* 16. *Orig.* 8. 1.) κοράλιον, κοράλλιον, κουράλιον, κόραλλον, et κόραλλον, (tot enim modis tum Græce, tum Latine scriptum invenitur: sæpius autem in priscis libris *curalium* teste *Harduino*) describitur a *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (21). et seqq. frutex marinus colore viridi, baccas ferens candidas sub aqua ac molles, quæ exemptæ confestim durantur, et rubescunt quasi corna sativa specie et magnitudine. Ajunt ipsum fruticem tactu protinus lapidescere, si vivat: itaque occupari evellique retibus, aut acri ferramento præcidi: qua de causa *curalium* vocitatum interpretantur: nempe ἀπὸ τῆς κουρᾶς ἐν ἁλί, quod in mari tondeatur. Probatissimum quam maxime rubens, et quam ramosissimum, nec scabiosum, aut lapideum, aut rursus inane et concavum. Hæc ex *Plin. loc. cit.*, ubi plura de hac re. — In fabulis est, Perseum, Gorgone cæsa, cum Pegaso vectus supra mare transvolant, capillo suspensum caput ejus teneret, guttas sanguinis defluentes coralia in mari genuisse: ex quo factum est, ut etiam *Gorgoniæ* appellarentur, eod. *Plin.* teste 37. *Hist. nat.* 10. 56. (153). Fabulam narrat *Eustath. ad Dionys. de situ Orb.* — Pro varia scribendi ratione varia est etiam syllabarum quantitas apud Latinos poetas. *Ovid.* 15. *Met.* 416. Sic et curalium, quo primum contigit auras Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis. *Al. leg.* coralium. *Grat. Cyneg.* 404. et circa (*collum*) Militensia nectunt Curalia. *Claudian.* 10. *Nupt. Honor. et Mar.* 169. Mergit se subito, vellitque coralia Doto: Vimen erat, dum stagna subit; processerat undis? Gemma fuit. *Sidon. carm.* 11. 110. Lactea puniceo sinuantur colla corallo. Adde *Auson. Mos.* 69.

CŎRALLĪNUS, a, um, adject. corallo similis, ruber. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 651. *Burmann.* Porrige labra, labra corallina.

CŎRALLIS, idis, f. 3. κοραλλίς, gemma minio similis in India et Syene. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154).

CŎRALLŎACHĀTES, æ, m. 1. κοραλλοαχάτης, lapis guttis aureis coralli modo distinctus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139). et *ibid.* 10. 56. (153).

CŎRALLUM, i, n. 2. et

CŎRALLUS, i, m. 2. *V.* CORALIUM.

CŌRAM. Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est a χεῖραι, quod per ellipsin pro κατὰ χεῖρας e regione; recentioribus vero philologis videtur esse a cum et os, *oris* (*V.* ORA sub init.). Certe significat ante, in conspectu, ante oculos; et usurpatur *A*) Adverbialiter sine ullo casu; *B*) Tamquam præpositio cum Ablativo; et *C*) Ab *Apulejo* in dictione *in coram* cum Genitivo.

A) *Coram* est adverbium, et significat in conspectu, e regione, ante oculos, interdum etiam per colloquium, publice, palam. (Quamquam stricto sensu differt a *palam*, quod *coram* magis ad personas certas, *palam* ad omnes refertur). — Sæpe ita adhibetur (addit *Forcellinus*) ut quodam πλεονασμῷ redundet, majoris explicationis gratia: huc autem idem cl. *Forcellinus* refert locos *Virg.* 1. *Æn.* 599.; *Cæs.* 1. *B. G.* 32.; *Ter. Adelph.* 2. 4. 5. et *Eun.* 4. 7. 24.; et *Plaut. Pseud.* 4. 7. 43. et *Merc.* 2. 2. 7.; quos omnes *V.* paullo infra. — Denique illud animadvertendum est, adverbium *coram* de duobus occurrere, quorum alterum contra alterum est; nihil tamen referre, utrum de hoc, an de illo dicatur; immo alterum potest esse etiam aliquid inanimum. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 43. Quia te ipsus coram præsens præsentem videt. *Id. Merc.* 2. 2. 7. Atque istos rastros villico præsto ipsi facito coram ut trades in manum. *Ter. Andr.* 5. 3. 29. Sine me expurgem atque illum huc coram adducam. Sic *Id. Eun.* 4. 7. 24. Adducere aliquem alicui coram ante oculos. *Id. Adelph.* 2. 4. 5. Coram in os aliquem laudare. *Id. ibid.* 3. 4. 38. Coram ipsum cedo. *Id. Phorm.* 5. 8. 20. Ferme eadem omnia, quæ tute dudum coram me incusaveras. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 1. Coram me tecum hæc eadem agere sæpe conantem deterruit pudor. *Id.* 6. *Att.* 1. 19. Sed hæc posterius, et coram fortasse commodius. *Id.* 7. *ibid.* 3. 12. Sed hæc coram. Nam multi sermonis sunt. *Id.* 3. *leg. Agr.* 1. 1. Commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si quæ apud vos de me deferunt, ea coram potius me præsente dixissent. (nisi dicamus, addit *Forcellinus*, hoc loco *coram* positum esse pro *palam*, aperte, ut apud *Lucret.* 4. 1081. Quod fieri contra, coram natura repugnat). Rursus *Cic. pro leg. Manil.* 22. 66. Libenter hæc coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio disputarem. Cf. eumd. 2. *leg. Agr.* 28. 78. *Id. Cluent.* 13. 39. Extrahitur domo latitans a Manilio: index Atilius ex altera parte coram tenetur. *Id. Orat.* 27. 95. Nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. *Id.* 2. *Fam.* 92. Et quasi tecum coram loquerer. *Id. Amic.* 1. 3. Coram habetur sermo. *Id.* 1. *Att.* 20. 1. Coram conferre inter se aliquid. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. Coram agere cum aliquo. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. Coram audire aliquid ex aliquo. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 38. *Cic.* 4. *Verr.* 41. 101. Coram deferre aliquid. *h. e.* loquendo. *Id.* 12. *Att.* 1. Cum coram sumus et garrimus quidquid in buccam. *Id. Prov. cons.* 9. 22. Intueor coram hæc ornamenta reipublicæ. *Id. Flacc.* 15. 35. Testes coram producti dicent etc. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. 5. Mihi promiserunt coram (*h. e.* verbis, loquendo). et absenti mihi scripserunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Eum (*imperatorem*) adesse et hæc coram cernere existimate. *Id.* 5. *ibid.* 11. Coram perspicere aliquid. *Id.* 1. *ibid.* 32. Coram adesse. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 599. Improvisus ait: coram, quem quæritis, adsum. Adde *Curt.* 8. 10. 1. *Virg.* 6. *Æn.* 716. Coram ostendere aliquid. *Id.* 2. *ibid.* 538. Qui nati coram me cernere letum fecisti. *Id.* 3. *ibid.* 173. Coram agnoscere vultus. *Liv.* 2. 47. Manlius quoque ad restituendam aciem se ipse coram offert. *Id.* 43. 5. Coram arguere aliquem. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 56. Ut veni coram. *Ovid.* 9. *Met.* 560. Et damus amplexus et jungimus oscula coram. Cf. eumd. *Heroid.* 16. 225. *Sueton. Aug.* 39. Traditio coram pugillarium. *Id. ibid.* 13. Coram proscindere aliquem convicio. *Dig.* 3. 2. 1. § 1. Vel coram, vel per nuncium, vel per epistolam. *Gell.* 15. 18. Coram videre aliquid. *Stat.* 1. *Achill.* 52. raptasque domos abductaque coram Armenta. *h. e.* ante oculos dominorum. — In illo *Taciti* 4. *Ann.* 54. Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem, non mirum ait etc. *coram* id significat, non directis ad eam verbis, sed verso ad matrem vultu. — Denique *coram* significat in conspectu, etiam cum de tempore poni videtur. *Sueton. Aug.* 27. Pinarium – coram confodi imperavit. *h. e.* ante suos oculos. Adde eumd. *Claud.* 16. et *Domit.* 23. Sic apud *Apul.* 3. et 9. *Met.* Coram deprehendi.

B) *Coram* est etiam præpositio, quæ regit Ablativum personæ, ante cujus oculos aliquis venit vel agit, et — *a*) Fere suo casui præponitur. *Cic. Pis.* 6. 12. Mihi vero ipsi coram genero meo, propinquo tuo, quæ dicere ausus es? *Nepos Epam.* 6. Coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit. *Id. ibid.* 4. At ille Diomedonti coram: Nihil, inquit, opus est pecunia. *Forcellinus* cum vett. plerisque libris legebat *Diomedonte*; sed minus recte. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 74. Non ubivis (*recito*) coramve quibuslibet. Adde eumd. 1. *Ep.* 17. 43. et *Art. P.* 185. *Seneca Ep.* 11. Numquam non coram pluribus erubuit (*Pompejus*), utique in concionibus. Adde *Phædr.* 2. 3.; *Quintil.* 6. 3. 47.; et *Sueton. Aug.* 56. et *Tib.* 43. et 62. *Juvenal.* 10. 22. Cantabit vacuus coram latrone viator. — *b*) Aliquando suo casui postponitur. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 98. Mentio si qua De Capitolini furtis objecta Petilli Te coram fuerit. *Sueton. Ner.* 33. et *Oth.* 1. Se coram. *Id. Tit.* 10. Populo coram ubertim fleverat. *Id. vit. Horat.* Illo coram. *Tac.* 3. *Ann.* 14. Germanico coram. *Id.* 4. *ibid.* 8. Dis et patria coram obtestor. Adde eumd. 3. *ibid.* 24. et 13. *ibid.* 32.

B) *In coram*, seu *incoram* idem quod *coram*, et cum Genitivo dixit *Apulejus* tantummodo, 9. *Met.* Jubebat, incoram sui plagas mihi quamplurimas irrogari. *Et ibid. paullo supra* et 7. *ibid.* Incoram omnium. — Et absolute 10. *ibid.* Quæ mecum incoram publicam populi caveam frequentaret.

CŎRAMBLĒ, es, f. 1. κοράμβλη, genus brassicæ, ita dictæ a κόρη et ἀμβλύνω obtundo, quia visum hebetat, vel potius quia obvolvit pupillam seu partem interiorem, quam nos *occhio del cavolo* appellamus. Eadem fortasse est, quæ crambe: V. *Pelagon.* p. 27. et 77. *Colum.* 10. *R. R.* 179. Nunc veniat, quamvis oculis inimica, coramble.

CŎRĀNUS, i, m. 2. nomen lapidis cujusdam pretiosi, quem memorat *Isid.* 16. *Orig.* 4. 31.

CŎRAX, ăcis, m. 3. κόραξ, Græca vox, qua corvus significatur.

I.) Proprie. *Solin.* 40. *sub fin.* Chamæleon impetibilis est coraci, *etc.* Sed corax quoque habet præsidium ad medelam. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 7. 43. et *Hieronym. Ep.* 107. n. 2. — Fuit etiam hoc nomine rhetor antiquissimus, qui primus in Sicilia artem oratoriam invenisse ac tradidisse dicitur. *Cic.* 1. *Orat.* 20. 91. et *Brut.* 12. 46. et *Quintil.* 3. 1. 8. et 2. 17. 7. — Ad utramque appellationem alludit *Cic.* 3. *Orat.* 21. 81. Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui etc.

II.) Translate est machina militaris quædam, demoliendo et destruendo apta, memorata quidem, sed non descripta a *Vitruv.* 10. 13. 7. *Schneid.*, quam *ibid. supra* corvum demolitorem, et gruem appellari scribit. Est autem longe diversa a machina illa de qua in CORVUS dicemus.

CORBAN, nomen indeclin. ab Hebr. קָרְבָּן munus, Græce κορβᾶν. *Vulgat. interpr. Marc.* 7. 11. Corban, quod est donum, quodcumque ex me tibi profuerit. — Hinc derivatur CORBONA, quod *V.* infra.

CORBĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* corbis, parva corbis. *Pallad.* 3. *R. R.* 10. 6. Fit ex vimine parva corbicula.

CORBIS, is, comm. gen. In Ablat. habet *corbe*; quamvis et *corbi* legatur bis apud *Caton.* loco infra cit. — Corbis est vas ingens e vimine, ad usus rusticos, præsertim colligendorum fructuum: ita dictum, ut *Varro* censet 5. *L. L.* 139. *Müll.*, quod spicas, aliudve quid corruebat, *h. e.* in eam dejiciendo immittebant. Corruere enim active significat dejicere. At melius *Isid.* 20. *Orig.* 9. 10. Corbes dicti, quia curvatis virgis contexuntur. Occurrit — *a*) Masculino ac feminino genere, nescias. Apud *Caton. R. R.* 136. granum *corbi dividere* opponitur τῷ *modio dividere*; etenim corbi dividebant ante trituram, modio post eamdem. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 61. Geritote amicis vestris aurum corbibus. *Varro* 1. *R. R.* 50. 1. Spicas in corbem conjicere. Adde eumd. 1. *ibid.* 50. 3., et 1. *ibid.* 52. 2. *Ovid.* 14. *Met.* 644. O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit. Adde *Paul.* 3. *Sent.* 6. § 36.; et *Dig.* 33. 7. 8. *pr.* Apud *Ulp. Dig.* 18. 6. 1. § 4. per corbem mensuram vini facere, est

metiri modum vini ex modo uvæ, cujus mensura per corbem definiri solet. *Cujac. lib. 2. observation. c.* 36. id facete dictum putat. — *b*) Fem. genere. *Cic. Sext.* 38. 82. Messoria se corbe contexit. — *c*) Mascul. genere. *Priscian.* 5. *p.* 652. *Putsch.* inter nomina masculina etiam corbem recenset: quod confirmatur illis *Columellæ* verbis 11. *R. R.* 2. 99. Frondis corbem pabulatorium modiorum viginti etc. Ita edition. omnes, quas habemus, cum Jensoniana anni 1472. Quod vero *Id.* 6. *ibid.* 3. 5. habet *corbis pabulatoria*, in Jensoniana legitur *pabulatoribus*: ex quo licet conjicere, *pabulatorius* a *Columella* fuisse scriptum. Adde quod masculino genere legitur etiam apud *Auct. B. Hisp.* 5. et *Isid.* 20. *Orig.* 9. 10.

CORBĪTUS, a, um, adject. corbi præditus. *Lucilius* apud *Non.* p. 533. 18. *Merc.* Huic malu' bacillum, Quam malus navi in corbita maximus ulla. *V.* CELOX. — Hinc

Corbita, æ, f. 1. (subaudi *navis*) absolute, substantivorum more, a corbis, quia in malo ejus summo pro signo corbis solet suspendi, ut *Paul. Diac. p.* 37. 7. *Müll.* docet. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 4. Tardiores, quam corbitæ sunt in tranquillo mari. Adde *eumd. Cas.* 4. 1. 20., quo de loco *V.* voc. seq. *Cic.* 16. *Att.* 6. 1. Corbita ne Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum.

CORBĪTO, as, are, a. 1. est in corbitam immittere: sed translate tantum occurrit pro ventrem implere, quasi navigium onerare. *Plaut. Cas.* 4. 1. 20. Ego novi illas ambas estrices: corbitant, ubi comesse possunt. Sed *Voss.* leg. *corvitant*. Alii rectius *corbitam cibi comesse possunt*.

CORBĪTOR, ōris, m. 3. ludio, de quo *Festus* in *Simpludiarea p.* 334. 35. *Müll. Scaliger* putat *Corbitores* esse pro *Corvitores*, atque ita dici saltatores, sive cernuatores, quia corvorum instar nunc sursum spectant, nunc deorsum, nunc ascendunt, nunc descendunt.

CORBŌNA, æ, f. 1. a *corban*, quam vocem *V.*, κορβανᾶς, thesaurus; scilicet collective sumitur pro thesauro sacro ex multorum donis collecto. *Vulgat. interpr. Matth.* 27. 6. Non licet eos (*argenteos*) mittere in corbonam. Adde *Hieronym. loc. cit.* in CALENDARIUS, a, um.

CORBŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* corbis, parva corbis. *Plaut. Aulul.* 2. 7. 4. Cœnam coctam sursum subducemus corbulis. Adde *Caton. R. R.* 11. *Cæcilius* apud *Non. p.* 197. 29. *Merc.* Corbula panis. *Varro* 1. *R. R.* 15. *de ulmo.* Nulla potior serendia, quod maxime fructuosa, quod et sustinet sæpem, ac colit aliquot corbulas uvarum. Adde *eumd.* 5. *L. L.* 139. *Müll. Colum.* quoque 12. *R. R.* 52. 8. corbulas numerat inter instrumenta olei faciendi. *Sueton. Ner.* 19. Humum corbulæ congestam humeris efferre.

CORCHOLOPIS. *V.* CERCOLOPIS.

CORCHŌROS vel

CORCHŌRUS, i, m. 2. κόρχορος, herba humilis, altitudine palmum non excedens, alio nomine anagallis. Numeratur inter vilissima olera. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 32. 106. (183). et 25. *ibid.* 13. 92. (144). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 90.) hanc exhibet synonymiam: Κόρχορος Theophr. Hist. plant. 7. 7.; et *Corchorus edulis* Plin. locc. citt. sunt *Corchorus olitorius* L. Spec. plant. 746. «Il ne faut (addit *Id. Fée*) confondre cette plante avec l'*anagallis*, faute dans laquelle sont tombés plusieurs commentateurs. Cf. le chapitre 92. du livre 25. C'est une plante émolliente et nulle sous le rapport des propriétés médicinales».

CORCŌDĪLUS. *V.* CROCODILUS sub init.

CORCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* cor, parvum cor. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Most.* 4. 2. 70. Amburet misero ei corculum carbunculus. Adde *eumd. Cas.* 2. 6. 9. et *Apul.* de *Mag.* ¶ 2. Adhibetur et in blanditiis. *Plaut. Cas.* 4. 4. 14. Nunc demum sum liber, meum corculum. ¶ 3. Figurate. *Paul. Diac.* p. 61. 5. *Müll.* Corculum a corde dicebant antiqui sollertem et acutum. — Hinc fuit P. Nasicæ cognomen a prudentia impositum. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 18. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur, et Nasica ille prudens bis consul (*h. e.* ann. ab U. C. 592. et 599.), Corculum. *Id. Brut.* 20. 79. Nasica, qui est Corculum appellatus. Adde *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 44.: et *V.* voc. seq.

CORCŬLUS, a, um, adject. idem ac cordatus, idest sapiens, prudens, sollers, acutus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 31. 31. (118). Præstitere ceteros mortales sapientia, ob id Cati, Corculi, apud Romanos cognominati. *V.* voc. præc. sub 3.

CORCUS, i, m. 2. morbi genus esse videtur; quod *Marcell. Empir.* cum præcordiorum et cordis dolore conjungit, et superstitiosis remediis curare docet. Sic ille *c.* 21. Ad corcum, carmen in lamella stannea scribes, et ad collum suspendes hæc, ante vero etiam cane. *Dubia tamen est lectio.*

CORDA, æ. *V.* CHORDA.

CORDĂCISTA. *V.* CHORDACISTA.

CORDĀTĒ, adverb. sapienter, prudenter. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 3. Quas tu sapienter, docte, et cordate, et cate, etc. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 96. Dicito docte et cordate. *Andr. Borrich.* hoc loco interpretatur, animose: neque abs re.

CORDĀTUS, a, um, adject. Comp. *Cordatior.* — Cordatus, a *corde*, est prudens, sapiens, qui sollertia multa pollet et ingenio. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 18. et 1. *de republ.* 18. Egregie cordatus homo, Catus Æliu' Sextus. *Lactant.* 3. 20. Non inficior fuisse illum cordatiorem, quam ceteros. *Vulgat. interpr. Job* 34. 10. Ideo viri cordati audite me. — Item fortis et animosus. Ita enim accipiendum esse putat *Andr. Borrich.*, neque absurde, in illo *Senec. Apocoloc.* Cecidit pulcre Cordatus homo, Quo non alius Fuit in toto Fortior orbe.

CORDAX, ăcis, m. 3. saltatio comica, eaque lascivior, de qua *Hesychius*: Κόρδαξ, εἶδος ὀρχήσεως ἀσέμνως κωμικῆς, species saltationis indecenter ornatæ.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est species saltationis indecenter ornatæ, quæ Atticorum comœdorum propria fuit. Cum vero hæc habeat *Vet. Scholiast.* ad *Aristoph. Nub.* 540. Κόρδαξ κωμική, ἥτις κινεῖ αἰσχρῶς τὴν ὀσφύν; et *Lucian.* in *Bacch. sub init.* affirmet, Bacchantes juvenes nudos, caudatos, cornutos solitos fuisse cordaces saltare, νεανίσκους γυμνοὺς κόρδακα ὀρχουμένους, οὐρὰς ἔχοντας, κεραστάς; et *Id. Lucian.* in *Harmenippo* 27. dicat: ὁ Σειληνὸς κόρδακα ὠρχήσατο: hinc patet, cordacem fuisse illud saltationis genus, in quo turpiter lumbi moventur, quale videre est in pompis Bacchicis, quæ in pluribus anaglypticis marmoribus adhuc exstant, quoque olim utebantur saltatrices Gaditanæ: illud porro affabre describunt *Juvenal.* 11. 162. et *Martial.* 5. 78. *Petron. fragm. Tragur.* 52. *Burmann.* Credite mihi, cordacem nemo melius ducit. — Hinc trochæus, *cordax* ab Aristotele dictus est, quia in cordace usurpabatur, vel quasi χόρδαξ, quia ejus usus erat in comico choro. ¶ 2. *Cordacem* appellavit *trochæum Cic.* secutus *Aristotelem* in illo *Orat.* 57. 193. Trochæum autem, qui est eodem spatio, quo choræus, cordacem appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habet. Similiter *Quintil.* 9. 4. 88. Aristoteles trochæum, ut nimis currentem damnat, eique cordacis nomen imponit.

II.) Figurate et adjectivi forma usurpatur a *Fronton.* 2. *de oration.* (edente iter. Romæ *A. Maio*) *p.* 240. Sed non modulatas æque sententias fateor; neque ita cordaces, ita est; neque ita tinnulas, non nego, *h. e.* resultantes eorum more, qui cordacem saltant.

CORDIACUS. *V.* SCELOCORDIACUS.

CORDĬCĬTUS, adverb. in corde. *Sidon.* 4. *Ep.* 6. Prudentibus cordicitus inditum est, vitare fortuita.

CORDISCUM. *V.* SCORDISCUM.

CORDŎLENS, entis, part. ab inus. *cordoleo. Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 5. 32. Cardiaco, cordolenti.

CORDŎLĬUM, ii, n. 2. dolor: a *cordis dolore.* Sed *Scaliger* vult dici pro *condolium. Plaut. Pœn.* 1. 2. 86. Tibi erit cordolium, si quam ornatam melius forte conspexeris. Adde *eumd. Cist.* 1. 1. 67. et *Apul.* 9. *Met.* — Vocem per tmesim dividit *Commodian.* 73. 1. Filiorum casus licet et dolium cordis relinquat.

CORDUS, a, um. *V.* CHORDUS.

CORDȲLA, æ, f. 1. κορδύλη, primus fetus thynnorum ab ipsis statim ovis, qui deinde elapso anno, thynni vocantur, ut *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (47). et 32. *ibid.* 11. 53. (146). docet. Est autem is piscis villoris pretii, pelamis etiam dictus. *Martial.* 3. 2. 4. Ne nigram cito raptus in culinam Cordylas madida tegas papyro. Adde *eumd.* 11. 53. 7. et 13. 1. 1.

COREDŬLUS, i, m. 2. *Isid.* 12. *Orig.* 7. Coredulus, genus volatilis, quasi cor edens. Eadem fere habet *Thes. nov. Latin.* edit. ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 141.

CORELLIĀNUS, a, um, adject. ad Corellium pertinens Atestinum, equitem Romanum, qui, teste *Plin.* 17. *Hist. nat.* 17. 26. (122), insevit castaneam suomet ipsam surculo in Neapolitano agro. Sic facta est castanea, quæ ab eo nomen accepit inter laudatas. Postea Eterius libertus Corellianam iterum insevit. Hæc est inter eas differentia: illa copiosior, hæc Eteriana melior. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 23. 25. (94).

CORGO apud antiquos pro adverbio, quod est profecto, ponebatur. *Paul. Diac. p.* 37. 6. *Müll.* Glossaria *Labb.* Goreo (lege *Gorgo*, ut monuit *Scalig.*) ἀναμφιβόλως. Gorgi ἀναμφίβολοι Gloss. *Placidi* (in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 468. ed. *A. Mai*). Gorgoe adverbialis interpositio, ut *porro, prorsus, nimirum.* — De etymo vocis nihil certi affirmari potest.

CŎRIĀCEUS, a, um, adject. quod ex corio, seu pelle est confectum. *Ammian.* 24. 3. 11. Naves coriaceæ.

CŎRIĀGĬNŌSUS, a, um, adject. coriaginis morbo laborans. *Veget.* 2. *Veterin.* 10. 2. *Schneid.* Qua ex re fiunt coriaginosi, hepatici, etc. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 18. 1.; et *Pelagon. p.* 21.

CŎRIĀGO, inis, f. 3. corii, seu cutis morbus: a *corium. Colum.* 6. *R. R.* 13. 2. Est et infesta pestis bubulo pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhæret, ut apprehensa manibus deduci a costis non possit. *Veget.* 4. *Veterin.* 12. 1. *Schneid.* hæc eadem ex *Columella* ad verbum affert. *Id. Veget.* 5. *ibid.* 53. 1. *Schneid.* Passionis, quam Græci ἐγχεδερμίαν vocant, Latini coriaginem appellant, hæc sunt signa.

CŎRIANDRĀTUM, i, n. 1. liquamen ex coriandro. *Apic.* 9. 1. Aperiuntur locustæ, et infunditur iis piperatum coriandratum.

CŎRIANDRUM *vel Græca positione* coriandron, i, n. 2. *Coriandrus, i,* fem. gen. legitur apud *Caton. R. R.* 157. et *Veget.* 2. *Veterin.* 35. *Schneid.* — Ceterum coriandrum, κορίαννον, herba: a κόρη pupilla, quam rotunditate refert: vel a κόρις *cimex*, quia caulis foliaque cimices olent. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 35. (117). et *ibid.* 8. 54. (170). et *Colum.* 10. *R. R.* 245., ubi *famosa coriandra* vocat, fortasse quia eorum succus venenatus esse dicitur, foliaque ipsa, si nimis large sumantur, caput tentare. *Cato R. R.* 157. Brassica cum ruta et coriandro. Adde *Plaut. Pseud.* 3. 2. 5.; *Varron.* 5. *L. L.* 103. *Müll.*; *Colum.* 6. *R. R.* 33. 2. et 11. *ibid.* 3. 29.; *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 37. (123). et locc. citt.; *Pallad.* 12. *R. R.* 20. 3., et *Veget.* loc. cit. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 438.) hanc exhibet synonymiam: Κορίαννον Theophr. Hist. plant. 7. 1. et de Causis 4. 3.; Κόριον Nicand. Alexiph. 5. 157.; Κόριον, Κορίαννον Dioscor. 3. 71.; et *Coriandrum* Latinorum sunt *Coriandrum sativum* L. Spec. plant. 367.

CŎRIĀRĬUS, a, um, adject. ad corium pertinens. *Coriarius frutex* est herba silvestris, foliis myrti, cauliculis brevibus, venena et tineas pellens, et coriis perficiendis apta. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 54. (91). *V.* RHUS. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 256.) hanc exhibet synonymiam: *Herba myrtifolia* Plin. loc. cit.; *Rhus silvestris Plinii* Dodon.; et *Rhus herba Plinii* Clus. Hist. sunt *Coriaria myrtifolia* L. Spec. plant. 1467. — Hinc

Coriarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui coria concinnat, præsertim crassiora. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (51). In coriariorum officinis pilo madefacto. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 27. 46. (258). et 24. *ibid.* 19. 115. (175).; et *Scribon. Compos.* 41. et 47. *Inscript.* apud *Gruter.* 648. 8., quæ est apud *Orell.* 4170. CLEOMENES CORIARIVS SVBACTARIVS. *h. e.* qui corium subigit, et operi aptat. *Alia* apud *Gruter.* 283. 1., quæ est apud *Orell.* 4074. CORPVS CORIARIORVM MAGNARIORVM SOLEARIORVM (*pro soleariorum*).

CORICEUM. *V.* CORYCEUM.

CŎRĬCILLUM, i, n. 2. parvum corculum. *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* Coricillum est, quod homines facit: cetera quisquilia omnia. *Al. leg.* corcillum, *ut sit* ὑποκοριστικῶς *a* corculum. *Alii malunt* corycillum, *h. e.* κωρύκιον sacculus, pera: *ut alludat ad industriam rei parandæ. Al. leg.* corculum.

CŎRINTHÆUS, a, um, adject. idem ac Corinthius: *V.* ONOM. — Hinc

Corinthæus, i, m. 2. (subaudi *lapis*) absolute, substantivorum more, est, ut putat *Faustin. Corsi, Pietr. ant. p.* 105., qui nunc Romæ *marmo giallo tigrato* dicitur. *Isid.* 16. *Orig.* 5. 14. Corinthæus, ammoniacæ guttæ similis cum varietate diversorum

colorum, Corinthi primum repertus: ex eo columnae ingentes liminaque fiunt ac trabes.

CŎRINTHIĀRIUS, ii, m. 2. ¶ 1. Corinthiarius est artifex, qui aere Corinthio allaborat. Hinc per contumeliam ita dictus Caesar Augustus, quod esset pretiosae supellectilis Corinthiorumque praecupidus, uti *Sueton.* in ejus vita 70. narrat. ¶ 2. Inter officia domus Augustae etiam *Corinthiarius* fuisse videtur, cui vasa Corinthia, aliaque pretiosa id genus supellex curae esset. *Inscript.* apud *Gruter.* 639. 7. CALLITYCHE TOILI CORINTH. AGRIPP. *h. e., ut videtur,* Corinthiaria Agrippinae. *Ibid.* 9. TI. LAIVS PARATVS A CORINTHIIS. *Ibid.* 8. P. LVCRINIVS P. L. THALAMVS A CORINTHIIS FABER. *Alia* apud *Murat.* 950. 3. II DEDIT SABINO DOMITII CORINTHIARIO.

CŎRION, i, n. 2. χόριον, herba al. chamaepitys, hypericon, perforata; Italis *erba di S. Giovanni*, oleraceo frutice. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 53. (85). *Sillig* pro *corion* optimis Codicibus fretus legit *corissus.* Ceterum de synonymia *V.* CHAMAEPITYS.

CŎRINTHĬUS, a, um, adject. ad Corinthum pertinens: *V.* CORINTHUS et CORINTHIUS in ONOM. — Hinc

Corinthia, ōrum, n. plur. 2. (subaudi vasa vel aera) absolute, substantivorum more usurpantur, et adeo in pretio apud Romanos fuerunt, ut argentum ipsum aurumque transcenderent. Ejus rei causa traditur a *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (6). et seq. et *Flor.* 2. 16., quod Corintho capta a L. Mummio atque incensa, aeris, auri argentique quamplurima opera igne conflata in unum locum confluxere, quod ea urbs in declivi posita erat: qua ex mixtione pretiosum illud aes extitit, cujus tria genera *Plin.* enumerat: candidum, argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura praevaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo aequalis omnium temperies fuit. Alii autem, teste *Mureto l.* 3. *Var. lect. c.* 5., narrant, unam tantum domum olim Corinthi arsisse, in qua cum auri argentique nonnihil, aeris autem magna vis esset, igne conflante fuisse permixta. Alii aerarium quemdam fabrum Corinthium, reperta casu magna vi auri, veritum, ne resciretur, paullatim aeri miscuisse admirabilemque illam mixturam effecisse. *Servius* ad *Virg.* 3. *Aen.* 466. videtur innuere, ideo aes Corinthium in pretio fuisse, quod ibi optime funderetur. At *Plin. loc. cit.* manifeste docet, jam ante Corinthi excidium elaborata fuisse a praeclaris fictoribus signa ex pulcherrimo hoc metallo, quod aes Corinthium. *V.* plura et fusius apud *K. O. Müller. Archäol. p.* 407., et *Hirt, Ueber das Material, die Technik etc. der Bildkunst b. d. Griechen Amalth.* 1. *p.* 245. et seqq. *Cic.* 2. *Tusc.* 14. 32. Si quid de Corinthiis tuis amiseris. Adde *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (12). et 3. 12. (49).; *Sueton. Aug.* 70.; *Martial.* 9. 58.; et *Inscript.* apud *Gruter.* 639. 8. et 9.

CŎRIS, is *et rectius* idos, f. 3. χόρις, genus herbae. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 54. (86). Est aliud hypericon, quod alii corin appellant, folio tamaricis. *Id. ibid.* 73. (119). Semen hyperici, quod coris appellatur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 401.) hanc exhibet synonymiam: Κόρις, οἱ δὲ ὑπερικὸν Dioscor. 3. 174. et *Hypericon, alii corin* Plin. locc. citt. sunt *Hypericum Coris* L. Spec. plant. 1107. Ceterum *Sillig* pro coris utroque in loco leg. *caros.*

CORISSUS. *V.* CORION.

CŎRĬUM, ii, n. 2. Scribitur quoque *curium* in *Edict. Diocl. p.* 22. Curium bubulum, curium secundae formae. — Masculino genere, *corius, ii,* (quod ab antiquis factitatum docent *Paul. Diac. p.* 60. 6. *Müll.* et *Non. p.* 199. 16. *Merc.*) usurparunt *Plaut.* apud *Paul. Diac. loc. cit.* et *Poen.* 1. 1. 11., et *Varro* apud *Non. loc. cit.* — Ratione habita etymi, nonnulli deducunt a κείρω *tondeo*, unde praeter. med. κέκορα. Ceterum *corium* generatim significat externum animalium et rerum operimentum; et usurpatur *A*) De animalibus; *B*) De plantis earumque fructibus; et *C*) De inanimis.

A) De animalibus. ¶ 1. Generatim *corium* est pellis brutorum animalium, eorum praesertim, qui crassiorem habent, ut asini, boves, equi, elephanti, etc.; quamvis dicitur et de aliis minoribus: de homine nonnisi per contemptum dicitur (*V.* sub 2.). Differt a pelle, ut quidam docent, quae est tenuior et minorum animalium: tametsi hoc discrimen saepe negligitur (It. *cuojo, pelle, cojame;* Fr. *peau, cuir;* Hisp. *cuero, piel;* Germ. *Haut, Fell, Leder, Balg;* Angl. *the skin or hide of a beast, leather*). *Cato R. R.* 135. Eo indere oportet coria bona VIII. nostratia recentia, quae depsta sient. Sic *Id. ibid.* 13. Epidromus, pulvinus, corium unum. ubi *corium* videtur esse pellis ovina aut caprina, qua in lecto contegi solent. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 8. Herus meus elephanti corio circumtectust, non suo, neque habet plus sapientiae, quam lapis. *h. e.* est crassi et stupidi ingenii. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Animantium aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 38. 95. *Id.* 4. *Herenn.* 13. 23. Qui parentem necasse judicatus erit, obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem. *h. e.* coriaceo sacco obligatus; unde *Forcellinus* docuit, h. l. per synecdochen corium dici de quavis re ex corio facta. *V.* infra 3. *Caes.* 2. *B. C.* 10. Super lateres coria inducuntur, ne – aqua – lateres diluere posset. Coria autem – centonibus conteguntur. *Id.* 7. *B. G.* 22. Intexere turres coriis. *Lucret.* 4. 935. fere res omnes aut corio sunt, Aut etiam conchis, aut callo, aut cortice tectae. *Varro* 7. *L. L.* 84. *Müll.* Dicimus scortea ea, quae ex corio aut pellibus sunt facta. *Id.* 2. *R. R.* 5. 8. Corium attactu non asperum, nec durum. *Sall. Jug.* 94. Scuta Numidica ex coriis. *Vitruv.* 10. 15. 6. *Schneid.* Coriis crudis totus aries erat involutus. *Seneca* 5. *Benef.* 14. *in fin.* Corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat. νόμισμα σκύτινον. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 62. (222). Corium caprinum. *Id.* 6. *ibid.* 24. 28. (109). Coria piscium. *h. e.* duriores squamae. Adde *Gell.* 2. 6. Rursus *Plin.* 28. *ibid.* 16. 62. (222). Corium ex vetere calceamento. *Id.* 13. *ibid.* 9. 19. (63). et 16. *ibid.* 6. 9. (26). Coria perficere. *Justin.* 2. 2. 4. Plaustra coriis tecta. *Apic.* 8. 1. Corium apro tollere. — *Servius* ad *Virg.* 8. *Aen.* 652. narrat, fuisse Romae in Capitolio aram Jovis Soteri, in qua qui cum Manlio a Gallis obsessi fuerant, obsidione soluta, coria et sola vetera concremaverant, quod in ipsa obsidione, ceteris frugibus absumptis, coriis madefactis et postea frictis vesci coacti fuerant. ¶ 2. Specialim locum habet in certis quibusdam formulis et proverbiis. — *a*) Urbane et festive dicitur de cute hominis, qui flagris caeditur. *Plaut. Rud.* 4. 3. 61. Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo. *h. e.* flagris cruentum. *Id.* apud *Paul. Diac. p.* 60. 7. *Müll.* Jam tibi tuis meritis crassus corius redditus est. Sic *Varro* apud *Non. p.* 199. 16. *Merc.* Nunc corium ulmum tuus depavit. Rursus *Plaut. Amph. prol.* 85. Concidere alicui corium. *h. e.* tergum verberare. *Id. Epid.* 1. 1. 84. Corium perdidi. *h. e.* actum est de tergo meo. *Id. Cist.* 4. 2. 36. Periit meum corium. *Id. Epid.* 1. 1. 63. Detegitur corium de tergo meo. *Varro* 2. *R. R.* 5. 1. Affero meum corium et flagra. *proverb.* de eo, qui adest paratus multam solvere, et singulis etiam de corio suo satisfacere. Sic *Seneca Suasor.* 7. *sub fin.* et *praefat.* 5. *Controv. a med.* Afferri flagra jussit, et Ciceroni de corio Cestii satisfecit. *Seneca Constant. Sap.* 14. Ostiario libere respondit, virgam ejus fregit, ad dominum accessit, et petiit corium. *h. e.* ut ostiarius servus vapulet et sibi de corio ejus satisfiat. — *b*) *Corio suo ludere* est proprio periculo. *Martial.* 3. 16. Ut velles corio ludere, cerdo, tuo. — Hinc proverbium *de alieno corio ludere,* h. e. secure agere alieno periculo. *Apul.* 7. *Met.* Revera ludis de alieno corio. *Tertull. Pall.* 3. de chamaeleonte loquens, qui identidem colorem mutare dicitur, haec habet: Hoc soli chamaeleonti datum, quod vulgo dictum est: de corio suo ludere. — *c*) *Canis assuetus corio,* proverb. de iis, qui vitio alicui assueti, haud facile abstinent a peccando. Ductum, ut opinor, ab illo *Horat.* 2. *Sat.* 5. 83. Ut canis a corio numquam absterrebitur uncto. Hucusque *Forcellinus,* qui allatum proverbium *Canis assuetus corio* nullo confirmat auctore. Ceterum illud *Horat.* ex Graecis haustum est: *V.* Interpr. ad h. l. ¶ 3. Per synecdochen corium dicuntur flagra ex corio facta. *Plaut. Poen.* 1. 1. 10. Heri in tergo meo tres corios contrivisti bubulos.

B) Corium dicitur etiam de cortice arborum et operimento pomorum. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 30. *de ficu.* Securi arboris corium saepe proscindere. *Ulp. Dig.* 32. 52. Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia: sed et si in philyra aut in tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio; idem erit dicendum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 34. (112). Putamine clauduntur nuces, corio castaneae, cute uvae, corio et membrana Punica. *Pallad.* 7. *R. R.* 15. 12. Corium amygdalae. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 20. 1.; et *Veget.* 4. *Veterin.* 14. 1. *Schneid.*

C) Corium dicitur etiam de crusta et superficie rerum inanimum. *Cato R. R.* 18. Corium pavimenti. *Vitruv.* 2. 6. 6. *Schneid.* Coria parietum. *At hic chorie vel Gr.* χόρια *legendum: cf. Pallad.* 1. *R. R.* 15. 1. et 17. 2. *Id.* 2. 3. 2. Summum corium laterum sol acriter percoquit. *Id.* 7. 3. 8. Unum corium arenae et unum minuti marmoris inducere. *h. e.* tectorium. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (47). Coria terrae. *Id.* 8. *ibid.* 24. 36. (88). Mergit se limo saepius siccatque sole; mox ubi pluribus se coriis loricavit, etc. *Id.* 11. *ibid.* 7. 6. (16). *de apibus.* Inter coria cerasque. *Id.* 13. *ibid.* 12. 24. (79). *de charta.* Igitur secundo corio statumina facta sunt et primo subtemina. — Similiter *corium* est inductio quaelibet in struendis ordinibus placentae, inter singula tracta (*strati di ingredienti* dicunt Itali), apud *Apic.* 4. 2. Ita ut per singula coria substernas diploidem in laganum. *lege* diploidem, inde laganum.

CŎRĬUS, ii. *V.* voc. praeced. sub init.

CORNEŎLUS, a, um, adject. *deminut. a* corneus, ex cornu constans.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 146. Aures duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus.

II.) Translate est durus ut cornu, firmus viribus, valetudine robustus. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Sed corneolus fuit: aetatem bene ferebat. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CORNESCO, is, ere, n. 3. cornu fio. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (261). Urso, simul atque expiraverit, genitalia cornescere ajunt.

CORNĒTUM, i, n. 2. locus cornis consitus. Romae in regione quarta locus fuit, *ad corneta* appellatus. *Varro* 5. *L. L.* 152. *Müll.* et *P. Vict. de Reg. Urb. R.* — Item in Campania. *Vitruv.* 8. 3. 17. *Schneid.* Agro autem Falisco via Campana in campo Corneto est lucus, etc.

CORNĔUS, a, um, adject. a *cornu, us,* ad cornu pertinens (It. *corneo, di corno;* Fr. *de corne;* Hisp. *de cuerno;* Germ. *hörnern;* Angl. *of or like horn, hard as horn, horny, corny, made of horn*).

I.) Proprie. ¶ 1. Corneus dicitur qui ex cornu constat, qui est ex cornu. *Varro* 2. *R. R.* 9. 4. Solum corneum. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Ibes, aves excelsae, corneo proceroque rostro. *Virg.* 6. *Aen.* 894. Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris. Adde *Stat.* 5. *Silv.* 3. 288. *Ovid.* 1. *Met.* 697. Corneus arcus. *Id.* 8. *ibid.* 545. ora. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (142). pyxis. *Lucan.* 6. 83. *de equis.* Ungula frondentem discussit cornea campum. *h. e.* pes equi. *Martial.* 14. 62. Cornea laterna. *Id.* 12. 32. crater. ¶ 2. Item de colore cornus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 12. (61). Vilis in onyche corneus color, aut candidus. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (89). In sardonyche hoc cereum, aut corneum invenitur. Adde *Servium* ad *Virg.* 6. *Aen.* 894. ¶ 3. *Cornei* a *Plin.* 7. *Hist. nat.* 19. 18. (80). dicuntur quibus natura concreta sunt ossa, *h. e.* sine medullis. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (102). Cornea videmus corpora piscatorum. *h. e.* arida, sicca, atque adeo sana, et ad ictus paullo ceteris stupidiora: quippe quae sale et sole durata. Ad rem *Catull.* 23. 12. Atqui corpora sicciora cornu, Aut si quid magis aridum est, habetis, Sole, frigore et esuritione.

II.) Figurate. *Pers.* 1. 47. neque enim mihi cornea fibra est. *h. e.* cor hebes et stupidum. Sic *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Cornea corda. *V.* et CORNEOLUS II.

CORNĔUS, a, um, adject. a *cornus, i,* ad cornum arborem pertinens. *Cato R. R.* 18. *extr.* Cornei clavi. *Virg.* 3. *Aen.* 22. Virgulta cornea. *Id.* 5. *ibid.* 557. Hastilia cornea. *Ovid. Heroid.* 4. 83. Venabula cornea.

CORNĬCEN, icinis, m. 3. qui cornu canit. *Liv.* 2. 64. Cornicines tubicinesque in equis impositos canere ante vallum jubet. Adde *eumd.* 24. 16. et *Cic.* 2. *de republ.* 22. 40. *Juvenal.* 10. 214. Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum Concentus. *Inscript.* apud *Orell.* 4105. CORNICINVM COLLEGIVM. *Alia* apud *eumd.* 3520. D. M. M. ANTONIVS M. F. IANVARIVS DOMO LAVDICIA EX SYRIA CORNICE (*lege* cornicen) EX COH. II. PR. — Cornicines in pompa funebri praecipue adhibebantur. *Petron. fragm. Tragur.* 78. *Burmann.* Putate vos ad parentalia mea invitatos esse –: cornicines in triclinium jussit adduci –; et Fingite me, inquit, mortuum esse –: consonuere cornici-

nes funebri strepitu. *Seneca Apocoloc.* 12. 1. Ut sciret deum efferri, tibicinum, cornicinum omnisque generis æneatorum (*al. leg.* senatorum) tanta turba, tantus conventus, etc.

Homonym. Quid inter *cornicines* et *tubicines* intersit, in ÆNEATOR est dictum. Cornicinum vero instrumentum reflexum instar cornus erat, tubicinum rectum. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CORNICEPS, cipitis, omn. gen. adject. qui corneum caput habet. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 173. Cornices, cornipes. *Lege* corniceps.

CORNĪCOR, āris, ari, dep. 1. Part. *Cornicans.* — Cornicor est more cornicum garrio. *Pers.* 5. 12. Nescio quid tecum grave cornicaris inepte. Cf. *Priscian.* 8. *p.* 828. *Putsch.* Huc fortasse respexit *Hieronym. Ep.* 125. n. 16. Alii intra se nescio quid cornicantes tumentia verba trutinantur.

CORNĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a cornix, parva cornix; seu potius per contemptum *Horat.* 1. *Ep.* 3. 19. ne, si repetitum venerit olim Grex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. — De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CORNĪCŬLANS, antis, adject. qui cornus figuram habet. *Solin.* 32. Corniculantis lunæ speciem refert. *Ammian.* 20. 3. 1. In lunæ corniculantis effigiem. Adde *eumd.* 22. 14. 7. *Corniculans* autem luna dicitur cum primum a sole emergit. *V.* CORNICULATUS.

CORNĪCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. Ratione habita etymi, *cornicularii* nomen sumptum est a cornibus secretarii prætoriani, quibus præerat, inquit *Cassiod.* 11. *Variar. ep.* 36. *a med.* Alii perperam ducunt a corniculo galeæ, quæ cornus speciem referebat, cum potius dicendum sit, corniculum in ordinibus tribuni militum fuisse, quod in acie cornu: hinc cornicularium appellatum, qui corniculo tribuni militum præerat. V. *Guizot, Cours d'Hist. moderne* p. 140. *col.* 1. § 2. Sed tamen a galeæ corniculo hoc nomen recte derivari potest, si *Livium* audiamus, qui ait 10. 44. Equites omnes, ob insignem multis locis operam, corniculis armillisque argenteis donat. *V.* integrum locum et ibi Interpp. — Ceterum ¶ 1. *Cornicularius* est nomen gradus et officii in militia tum provinciali, tum urbana, ex ordine apparitorum et commentariensium. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 28. 71. *p.* 179. *Bait.* Accensus nomen est ordinis et promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. Hæc *Pseudo-Ascon.* Itaque in antiquis inscriptionibus apud *Gruter.* cornicularius legionis, consulis, proconsulis, tribuni, præfecti prætorio, subpræfecti vigilum, etc. *V. Inscriptt.* apud *Orell.* 1251., 3486., 3487., 3522. et 3465. *Inscript.* apud *Jo. Labusium, Ara ant. di Haimburgo p.* 63. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO (*Caracallæ*) CORNICVLARII, COMMENTARIENSES, SPECVLATORES LEGIONVM TRIVM ANTONINIANARVM P. S. DEVOTISSIMI NVMINI EIVS. Deinde subjiciuntur nomina trium corniculariorum, trium commentariensium et triginta speculatorum. *Alia* apud *Gruter.* 561. 11. ADIVTOR CORNICVL*arii* TRIBVNI. *Alia* apud *Paulovich. Marm. Tragur. p.* 36. ADJUTOR CORNICULARII CONSVLIS. *Frontin.* 3. *Strateg.* 14. Bello civili, cum Ategua urbs in Hispania Pompejanarum partium obsideretur, Munatius tamquam Cæsarianus tribuni cornicularius vigiles quosdam excitavit, e quibus aliquos evitans, constantia fallaciæ suæ per medias Cæsaris copias præsidium Pompeji transduxit. At *Dio l.* 43. *c.* 34. narrat, Munatium solum vigiles decepisse, urbemque introisse sine præsidio, quod verosimilius videtur. *Val. Max.* 6. 1. 11. M. Lætorio tribuno militari diem dixit tribunus pleb., quod cornicularium suum stupri causa appellasset. Adde *Sueton. Domit.* 17. Ex his patet, in unaquaque legione unum tantummodo fuisse cornicularium, adjutorem habuisse, et vices tribuni, ac propterea consulis, proconsulis, etc. gessisse, ideoque recte ille videtur fuisse, quem nunc Itali *Ajutante*, aut *Sergente maggiore* appellant. — Munus ipsum *corniculus* vocabatur. Hinc apud *Sueton. Gramm.* 9. corniculo mereri. Itemque apud *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72., si lectio proba est. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 12. *tit.* 53. *De apparitoribus Præfectorum prætorio leg.* 1. Præfecturæ cornicularios, qui annis singulis exeunt, post transactos corniculos, nostram adorare purpuram volumus. ¶ 2. Deinde ex militia translatum nomen et munus est ad civiles magistratus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7. 4. 32. Per cornicularium cujusque provincialis officii hanc sollicitudinem impleri conveniat. *h. e.* statuendi pretii rerum, quæ in militari annona erogantur. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. corniculariorum meminit, et cum commentariensibus conjungit.

CORNĪCŬLĀTUS, a, um, adject. in cornus speciem factus. *Apul. de Deo Socrat. init.* et *Capell.* 7. *p.* 241. Corniculata luna. *V.* CORNICULANS. Adde *Fulgent. Mythol.* 1.

CORNĪCŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a cornu, parvum cornu (It. *cornetto*; Fr. *petite corne*; Hisp. *pequeño cuerno*; Germ. d. *Hörnchen*; Angl. *a little horn*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (100). Aliis cornicula ante oculos prætenduntur ignava, ut papilionibus. *Id.* 9. *ibid.* 42. 67. (143). Rana eminentia sub oculis cornicula exerit. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 15. Veterem urinam per sinistram narem corniculo infundere. *h. e.* infundibulo corneo. *et ibid.* Lac caprinum per corniculum infundere faucibus. ¶ 2. Fuit inter dona militaria fortasse ad ornandas galeas. *Liv.* 10. 44. Equites omnes ob insignem multis locis operam, corniculis armillisque argenteis donat. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (124). *Fronto ad Verum imperat. ep.* 1. edente iterum *A. Mai.* Jussu ejus (*imperatoris*) cornicula consecta, a sedilibus equitum pluma quasi anseribus devolsa.

II.) Figurate per metonymiam est cornicularii munus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72. Corniculum mereri. *Sueton. Gramm.* 9. Corniculo mereri. *V.* CORNICULARIUS sub 1. in fin. Apud sequioris ævi scriptores masc. gen. occurrit: *V.* voc. seq. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

CORNĪCŬLUS, i, m. 2. officium cornicularii. *V.* CORNICULARIUS 1. in fin., ubi exemplum hujus vocis masc. gen. usurpatæ affertur ex *Cod.*; cui adde *Cod. Theod.* 8. 7. 8. — In *Inscript.* apud *Gruter.* 431. 9. legitur: C. LVCCIVS C. F. STELL. SABINVS CORNICVLVS TRIB. BENEF. VVLTEI ASIATIN. At emendatiorem edidit et illustravit *De-Vita AA. BB.* p. 211. et *seqq.*, idemque legendum probavit: CORNICVL*arius* TRIBVN*i*, BENEF*iciarius* VALERI*i* ASIATICI PRAEFECT*i* VRB*is*.

CORNĪFER, fĕra, fĕrum, adject. (cornu et fero) corniger. *Lucret.* 2. 368. hædi corniferas norunt matres. Ita leg. *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. *Alii* cornigeras. *Auct.* incertus ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 456. Corniferos potui cervos prostrare sagittis.

CORNĪFĬCUS, a, um, adject. qui corneas res conficit. *Gloss. Cyrill.* Κερατοποιός, cornificus.

CORNĪFRONS, ontis, adject. qui cornua in fronte habet. *Livius Andronicus* apud *Non.* p. 120. 21. *Merc.* Tu pascere cornifrontes armentas soles. *Al. leg.* curvifrontes.

CORNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. qui cornua gerit. *Lucret.* 2. 367. teneri tremulis cum vocibus hædi Cornigeras norunt matres. *Al. leg.* Corniferas. *Id.* 3. 751. Corniger cervi. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 701. *Cic. Arat.* 2. *Nat. D.* 43. 110. Corniger est valido connexus corpore Taurus. *Virg.* 8. *Æn.* 77. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. *V.* CORNU. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 789. Corniger Ammon. Sic *Lucan.* 9. 545. Cornigerique Jovis monitu. *h. e.* Jovis Ammonis. (Hunc *Stat.* 8. *Theb.* 201. cornigerum vatem appellat: quia sub specie arietis colebatur, et responsa dabat.) Adde *eumd.* 5. *Met.* 17. et 15. *ibid.* 309. *Id.* 3. *Amor.* 15. 17. Corniger Lyæus. *Corniger* dicitur Bacchus, quia vinum animos addit, atque, ut ait *Paul. Diac.*, truces homines facit. Cf. *Seneca Hippol.* 756. Cornigerum caput Liberi. Rursus *Ovid. Heroid.* 5. 137. Cornigerum caput Fauni. *Id.* 13. *ibid.* 926. juvencæ. *Id.* 14. *ibid.* 602. Numicius. *Id.* 15. *ibid.* 511. taurus. *Sil. It.* 15. 682. Cornigera cassis. *h. e.* cornibus arietinis, insigni Jovis Ammonis, ornata. — Hinc

Cornigera, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt omnia bruta cornibus instructa. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 85. (212)., et *ibid.* 37. 86. (214)., et 11. *ibid.* 45. 105. (251).

Cornigera, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est cerva in *Inscript.* apud *Murat.* 54. 4., quæ est apud *Orell.* 1463. MVNERE TE HOC DONO, LATONIA SANCTA VIRAGO: CORNIGERAM CEPEI VIRTVTE ET LAVDE POTITVS EXVVIISQVE EIVS TE IPSAM TEMPLVMQVE DECORO.

CORNĬPES, pĕdis, adject. corneos habens pedes, ut equi et capræ, duriore ungula instructi. *Catull.* 19. 16. Cornipes capella. *Virg.* 6. *Æn.* 591. Cornipedum equorum cursus. *Ovid.* 2. *Fast.* 361. Cornipedi Fauno. *Sil. It.* 13. 338. *de Pane.* Cornipedem tulerit præcisa per avia plantam. — Hinc

Cornipes, *pedis*, m. et f. 3. absolute, substantivorum more, pro equo vel equa. *Sil. It.* 7. 684. furvi juga celsa trahebant Cornipedes. Adde *eumd.* 3. 361. *Claudian. Fescenn.* 11. Præda citatum cornipedem reges. Adde *eumd. in Rufin.* 2. 180. *de pede equino Centauri Chironis.* — Et fem. gen. *Vetus Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 628. *Burmann.* Fessæ cornipedis fricas mentum. *h. e.* cunnum equæ.

CORNIX, īcis, f. 3. Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum Lat. *corvus* et cum Gr. κορώνη, quæ idem significat. — Cornix est avis satis nota, corvo similis, minor tamen (It. *cornacchia*; Fr. *corneille*; Hisp. *corneja*; Germ. d. *Krähe*; Angl. *a crow or rook*). *Lucret.* 6. 752. Raucæ cornices. *Ovid.* 2. *Met.* 547. Garrula cornix. *Id.* 2. *Fast.* 89. loquax. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (124). Cornix plura contexta verba exprimens, et alia crebro addiscens. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 48. 49. (153). — Vivacissima esse perhibetur, ut quam *Hesiodus* scripserit durare annos fere trecentos; alii usque ad novem ætates. *Cic.* 3. *Tusc.* 28. 69. Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset. *Lucret.* 5. 1083. Cornicum sæcla vetusta. *Horat.* 4. *Od.* 13. 25. Vetulæ cornicis tempora. *Martial.* 10. 67. 5. Jam cornicibus omnibus superstes. — Inimicitias gerit cum noctua, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (203). tradit. — Ejus volatus, si sinister isset auguri, faustus habitus est. *Plaut. Asin.* 2. 1. 12. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. Picus et cornix est ab læva etc. Adde *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 85. et *Phædr.* 3. 18. 12. *Virg.* 9. *Ecl.* 14. Quod nisi me quacumque novas incidere lites Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix etc. — Vox vero, seu crocitans clangor pluviam non solum prænunciare, sed et vocare creditur. *Virg.* 1. *G.* 388. Tum cornix plena pluviam vocat improba voce. *Horat.* 3. *Od.* 17. 16. Augur aquæ annosa cornix. *V.* CRASSANTUS. — Ab *Ovidio* 2. *Amor.* 6. 35. dicitur invisa *Minervæ*, quia cum hæc dea celare vellet Erichthonium Vulcano genitum, et cista clausum tribus virginibus commisisset, ea lege, ne aperirent unquam; una ex iis Minervæ jussa cum violasset, a cornice accusata fuit. Minerva ex garrulitate offensa, avem a se suaque tutela repulit: quam antea comitem sibi adsciverat, et suo numine tutabatur. Fuerat enim prius pulcherrima virgo, et regii sanguinis nomine *Corone* filia Coronei Phocensium regis: quæ cum Minervæ artium studiosa, nuptias aspernaretur, forte a Neptuno visa, dum sola spatiaretur in littore, precibusque frustra tentata, fuga sibi ab eo vim parante consulere conata est: verum cum se jam jam ab eo teneri cerneret, Minervam precata, ut ferret opem, ab ea in avem sui nominis conversa est. Nam κορώνη est cornix. *Ovid.* 2. *Met.* 547. et *seqq.* et *Higin. fab.* 166. (Cave autem, confundas hanc cum Coronide Æsculapii matre, de qua *V.* ONOM. loco suo). — Hinc *cornicum oculos configere*, vel *cornici oculum* (subaudi *configere* vel *effodere*) proverbium est apud *Cic. Mur.* 11. 25. et *Flacc.* 20. 46., et *Quintil.* 8. 3. 32. de eo dictum, qui alios fallit quam cautissimos. Hujus proverbii interpretatio repetenda est ex loco *Propert.* 4. 5. 15. *de lena venefica.* Posset ut intentos astu cæcare maritos, Cornicum immeritas eruit ungue genas. *h. e.* cornices excæcat, ut maritos ad furtivos uxorum amores cæcos reddat. Huc etiam videtur spectare locus *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. Ut suis telis lingua violenta succumbat, et Græcus Græco eripiat hunc plausum, tamquam cornix cornici oculos effodiat. — At veram hujus proverbii interpretationem habet *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Planc.* 26. apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 26., cujus ipsissima verba hic afferenda puto: Proverbio celeberrimo usus est, cujus et pro Murena mentionem facit. Cornix autem avis genus est, quod esse fertur acutissima visione: et quando aliquod ad cadaver offendit, præcipue invadere in oculos dicitur. Volens ergo significare, Hermippum hominem callidissimum ab hoc eodem Heraclide esse deceptum, ait non aliter jam accidisse, quam si cornici oculos

effodias, cum ipsa vesci soleat aliena. *V.* hæc eadem apud *Scholiast. Bob.* ad *Cic. Flacc. loc. cit. p.* 242. ed. *Orell.*; et adde *Frontin. Expos. formar. p.* 34.

CORNOCERASUM, i, n. 2. *V.* CERASUS.

CORNU, us *et raro admodum* u, *in plurali* vero Cornua, uum, ibus, n. 4. — De positione Genitivi in *us*, quæ frequentior est, V. *Freund* in *præfat. Lexici Latin.* edit. 3. p. LXVI. et seqq. — Reperitur etiam *cornum*, i, n. apud *Varron.* 3. *R. R.* 9. 14. Cornum cervinum incendere. *Lucret.* 2. 388. Lumen per cornum transit. (In duobus *Varron.* et *Lucret.* locis nuper citt. *Forcellinus* accepit *cornum* masculino genere a *cornus, us*). Adde *Ovid.* 2. *Met.* 874. Sic *Scribon. Compos.* 141. Ad lumbricos satis commode facit cornum cervinum limatum lima lignaria. *Ovid.* 5. *Met.* 383. Oppositoque genu curvavit flexile cornum. Ita *Priscian.* quoque, præter alios, 6. *p.* 683. *Putsch.* Alii *cornu.* — Item *cornus, us,* mascul. gen., uti *Priscian.* 6. *p.* 686. *Putsch.* et 714. docet. *Varro* apud *Non. p.* 233. 12. et p. 334. 14. *Merc.* habet Nominativum *cornus. Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 149. Nares similes cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus. *h. e.* armatis illis scamillis, super quos nervi citharæ tenduntur, quique primum ex arundine, mox ex cornu fieri cœperunt: at valde dubia est lectio. *Forcellinus* addit *Lucan.* 7. 317. (quem profert etiam *Priscian.* et *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 22.) cornus tibi cura sinistri, Lentule. Adde *Gell.* 18. 6. *in lemmate*, ubi legitur: *quem cum ederet, cornum esse* Copiæ *dicebat*: et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 46. (163). et 13. *ibid.* 25. 51. (140). et alibi, quibus in locis *cornus* in genit. legitur in omnibus editionibus, excepta Veneta 1469. per *Joann. Spir.*, in qua ubique habetur *cornu*. Hucusque *Forcellinus*: at *V.* quæ superius diximus de Genitivo sing. num. — Item *cornorum* Genit. plur. num., quasi a *cornus*, i, m. *Scribon. Compos.* 60. Cornorum cervi ustorum sextario. — Cornua, ut placet *Varroni* 7. *L. L.* 25. *Müll.*, dicta videntur a *curvore*, quia pleraque curva sunt: at rectius deduces a Gr. κέρας. Sunt autem cuspides duæ prædura, acuminatæ atque ossi similes in fronte quadrupedum, tamquam arma, enascentes: de quorum varietate multa enucleate *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (123.). et seqq., quocum cf. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Ab horum autem similitudine cornua dicuntur in cochleis, in aquatilibus nonnullis et marinis, serpentibus quoque atque volucre non una (sic apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (99). Cancri dimicant inter se, adversis cornibus incursantes. *et* 32. 51. (101). Cornua cochlearum.): sed quæ jure cornua intelligantur, nonnisi in quadrupedibus. *Plin. ibid.* Porro cornua in animantibus variæ sunt figuræ, adunca, redunca, supina, convexa, conversa, ramosa, convoluta in anfractum, contorta, erecta, etc., ut docet *Plin. loc. cit.* (It. *corno*; Fr. *corne*; Hisp. *cuerno*; Germ. *das Horn*; Angl. *a horn*).

I.) Proprie occurrit *A)* De cornibus, quibus animantium corpora instructa sunt, et *B)* De plurimis instrumentis, quæ ex cornibus facta, cornua dicta sunt.

A) De cornibus, quibus animalia instructa sunt; et quidem ¶ 1. Stricto sensu ac generatim. *Cæs.* 6. *B. G.* 28.; *Seneca Hippol.* 65.; et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (126). Urorum cornua. *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* et 2. *R. R.* 1. 14. Bubulum cornu. *Cæs.* 6. *B. G.* 28. et *Virg.* 4. *G.* 299. Boum cornua. *Nepos Hann.* 5. Jumentorum cornua. *Lucret.* 5. 1033. et 1324.; *Catull.* 64. 111.; *Varro* 2. *R. R.* 9. 2.; *Virg.* 2. *G.* 217.; *Horat.* 3. *Od.* 27. 71. et 1. *Sat.* 5. 95.; *Ovid.* 9. *Met.* 186. et 5. *ibid.* 328.; *Lucan.* 1. 612. et alii. Tauri vel taurorum cornua (in quibusdam locis etiam de sidere). *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 111.; *Varro* 2. *R. R.* 2. 4.; *Ovid.* 5. *Met.* 328.; *Colum.* 7. *R. R.* 3. 5.; *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (167).; et *Pallad.* 3. *R. R.* 16. 28. Arietis cornua (interdum et de sidere). *Varro* 2. *R. R.* 2. 4.; *Virg.* 2. *G.* 395.; *Horat.* 3. *Od.* 13. 4.; et *Colum.* 7. *R. R.* 3. 5. Hædorum cornua. *Varro* 3. *R. R.* 9. 14. Cervinum cornu. Cf. *Virg.* 3. *G.* 370., 1. *Æn.* 190. et 10. *ibid.* 725. — Jungitur nonnullis Verbis, quorum hæc sunt præcipua. *Virg.* 5. *Æn.* 382. Læva taurum cornu tenere. *Id.* 3. *Ecl.* 87. Taurus cornu petit. *Id.* 3. *G.* 232. Taurus irasci in cornua discit, Arboris obnixus trunco. *Id.* 9. *Ecl.* 24. Caper cornu ferit. *Id.* 2. *G.* 526. Inter se adversis luctantur cornibus hædi. — Porro jungitur et aliis Verbis; unde peculiares quædam dicendi rationes, quæ translate quoque usurpantur. *Plaut. Pseud.* 4. 3. 5. Obvertere cornua alicui. *h. e.* obstinato animo contra aliquem se defendere: cf. *Apul. de Mag.* Vertere cornua in aliquem. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 57. Boves incursant cornibus aliquem. *Virg.* 12. *Æn.* 104. Irasci in cornua. *cornua* enim sunt iræ instrumenta. Cf. *Id.* 3. *G.* 232. loco superius cit., et 10. *Æn.* 725. Surgere in cornua. *Ovid.* 8. *Met.* 883. Vires in cornua sumit taurus *Sil. It.* 15. 64. torvi in cornua tauri. *Calpurn.* 9. *Ecl.* 34. Coire in cornua. *Horat. Epod.* 6. 12. Parata cornua tollere. *Horat.* 3. *Od.* 21. 18. *ad amphoram.* addes cornua pauperi Post te nec iratos trementi Regum apices, neque militum arma. *h. e.* vires, superbiam, animos. *Ovid* 1. *Art. am.* 239. Cura fugit multo diluiturque mero: Tunc veniunt risus; tunc pauper cornua sumit, etc. Cf. *Paul. Diac. p.* 37. 5. *Müll.* (Hinc est quod Baccho *cornua* tribuuntur, teste *Isid.* 8. *Orig.* 11. Ideo coronam viteam et cornua habet, quia cum grate et moderate vinum bibitur, lætitiam præstat; cum ultra modum, excitat lites, i. e. quasi cornua dat. Hactenus *Isid.* Hinc ipse Bacchus est βούκερως Sophocli apud Strabonem 15. 1. 7., ταυρόκερως Euripidi Bacch. 100. *Tibull.* 2. 1. 3. dulcisque tuis e cornibus uva pendeat. Adde Athenæum 11. 51.). *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 5. Vicimus, et domitum pedibus calcamus Amorem: Venerunt cauti cornua sera meo. *h. e.* indignatio et voluntas debellandi et oppugnandi Amoris. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 58. O tua cornu ni foret exsecto frons — quid faceres, cum sic mutilus minitaris? — *NB.* In *fragm. Tragur. Petron.* 39. *Burmann.* dicuntur *nasci cornua* iis, qui plurimis malis afflictantur. Cujus rei origo unde ducatur, obscurum est. ¶ 2. Latiori sensu ac specialim, ex rerum ignorantia, aut ex Hebr. שֵׁן קַרְנוֹת, *cornua elephanti* apud *Varron.* 7. *L. L.* 39. *Müll.* et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (2). dicuntur de elephanti dente, quod est ebur. Porro *Plin.* 8. *ibid.* 3. 4. (7). scribit, etiam Jubam sic appellasse; sed Herodotum, et consuetudinem ipsam melius, dentem. Similiter *Martial.* 1. 73. Emptis ossibus Indicoque cornu. ¶ 3. Item de cornea materie, quâ aliæ constant animantium partes: scilicet — *a)* De ungula. *Cato R. R.* 72. Boves ne pedes subterant, pice liquida cornua infima unguito. *Virg.* 3. *G.* 88. solido graviter sonat ungula cornu. *Sil. It.* 13. 327. pendenti similis Pan semper, et imo Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 2. Pes siccus et solidus et cornu concavo. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 56. 2.; et cf. CORNIPES. — *b)* De avium rostro. *Ovid.* 15. *Met.* 502. — *c)* De cornea oculi tunica. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (148). Media eorum cornua fenestravit pupilla, etc.

B) De plurimis instrumentis, quæ primo e cornibus facta, *cornua* dicta sunt etiamsi ex alia in posterum materia confici consueverunt. ¶ 1. Frequenter sumitur pro tuba venatoria, pastorali, et præsertim militari, quia olim e bubulo cornu fiebant, quæ nunc ex ære sunt, ut *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* docet. *Lucilius* apud *Non. p.* 265. 5. *Merc.* Rauco contionem sonitu et curvis cogunt cornibus. Adde *Lucret.* 2. 620. *Virg.* 7. *Æn.* 615. Æreaque assensu conspirant cornua rauco. Adde *eumd. ibid.* v. 513. *Horat.* 2. *Od.* 1. 17. Jam nunc minaci murmure cornuum Perstringis aures. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 18. 14.; *Ovid.* 1. *Met.* 98.; et *Quintil.* 1. 10. 24. — Differunt tamen interdum tum materia, tum magnitudine vel forma; nam cornua incurva, tubæ rectæ plerumque. *Cic. Sull.* 5. 17. Emisso ex urbe Catilina, ille arma misit, cornua, tubas, signa. *Tac.* 1. *Ann.* 68. et 2. *ibid.* 81. Cornuaque ac tubæ concinuere. — In Orgiis Bacchi cornua adhibebantur: itemque in sacris Cybeles. De illis, *Catull.* 64. 263. raucisonos efflabant cornua bombos. De his non unum habes locum in BERECYNTIUS (in ONOM.): eodemque pertinet illud *Sil. It.* 15. 764. Femineis læsum vana inter cornua corpus Unguibus. *Alii tamen hic prælia, alii jurgia putant legendum. V.* et CORNICEN. ¶ 2. Cornu in singulari numero dicebatur etiam ea pars arcus, quæ cornea materie constabat; *cornua* vero in plurali numero totum arcum significabant, arcus enim latera in cornuum figuram curvabantur. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 383. Oppositoque genu curvavit flexile cornum. et *Id.* 2. *ibid.* 603. flexum a cornibus arcum tendere. — Similiter in sing. num. *Virg.* 10. *Ecl.* 59. Partho torquere Cydonia cornu Spicula. *h. e.* arcu corneo. (vel ex corno arbore, quæ etiam quarta declinatione flectitur, ut in CORNUS sub init. dicetur. Sic *Sil. It.* 2. 109. Crebra Cydoneo fundebat spicula cornu. Solum obstat, quod arbor generis est feminini. *Virgilium* imitatur *Claudian. Nupt. Honor.* 75.). Adde *Virg.* 7. *Æn.* 497. et 11. *ibid.* 773.; et *Ovid.* 11. *Met.* 324. — In plur. num. *Ovid.* 1. *Met.* 455. et 5. *ibid.* 56. ¶ 3. Item sumitur pro laterna cornea, de qua *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (49). Cornu laternæ translucidum. Absolute *Plaut. Amph.* 1. 1. 185. Vulcanum in cornu conclusum gerere. *h. e.* in laterna cornea. Et *Lucret.* 2. 388. lumen per cornum transit. ¶ 4. Item pro corneo infundibulo, vel pro infundibulo generatim. *Virg.* 3. *G.* 509. insertos latices infundere cornu. Sic *Colum.* 6. *R. R.* 2. 7. Vinum per cornu faucibus infundere. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 10. 1. et 27. 11. ¶ 5. *Cornu copiæ* (rectius quam *Cornucopiæ*) in fabulis est cornu capræ Amaltheæ, κέρας Ἀμαλθείας, *Ovid.* 5. *Fast.* 121. et seqq. et *Plin. Hist. nat. præfat.* § 23. *V.* AMALTHEA in ONOM. Alii fabulantur, esse illud, quod Hercules, cum Acheloo in taurum verso aliquando luctatus, eidem a fronte evulsit: quod acceptum Nymphæ, et pomis odorisque floribus refertum sacrarunt. Rem fusius narrat *Ovid.* 9. *Met. init.* Significat autem frugum abundantiam et ubertatem. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 5. Hæcce allata cornu copiæ est, ubi inest quidquid volo. *Al. leg.* Hæc illud cornu copiæ est, ubi etc. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 29. aurea fruges Italiæ pleno diffudit Copia cornu. *Id.* 1. *Od.* 17. 15. hic tibi Copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu. Adde *eumd. Carm. sæc.* 60.; *Ovid.* 9. *Met.* 88.; *Senec. Med.* 65.; et *Gell.* 14. 6. — Cornu tribuitur et Somno, tamquam omnis soporis plenum, a *Stat.* 2. *Theb.* 143. illos post verbera fessos Exceptamque hiemem cornu perfuderat omni Somnus. ¶ 6. Item pro vasculo oleario. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 61. Cornu bilibri instillare oleum caulibus. *Acron.* ad h. l. Cornu quod sextarium capit: sunt enim in venalibus cornua, quæ hanc olei habeant quantitatem sextarii mensura. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (142). eodem sensu *pyxidem corneam* dixit. ¶ 7. Item pro scamillo, super quem nervi citharæ tenduntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 149., cujus verba *V.* sub init. ¶ 8. In galeis *cornua* sunt ornamenta in modum cornus, vel comæ in cornu assurgentes, quæ cristam apicemque exornant, quæ a Græcis quoque κέρατα dicuntur; proprie autem sunt cincinni. Ita *Servius* ad illud *Virg.* 12. *Æn.* 89. Ensemque, clipeumque, et rubræ cornua cristæ. *Liv.* 27. 33. In arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit. *V.* CORNICULUM. ¶ 9. Præterea *cornua* dicuntur extremæ antennarum partes, quæ olim cornu muniebantur; hinc et pro ipsis antennis usurpantur. *Virg.* 3. *Æn.* 549. Cornua velatarum obvertimus antennarum. *Id.* 5. *ibid.* 831. una ardua torquent Cornua detorquentque: ferunt sua flumina classem. Adde *Horat. Epod.* 16. 59.; *Ovid.* 11. *Met.* 482.; *Lucan.* 3. 547.; et *Sil. It.* 14. 399. ¶ 10. In voluminibus *cornua* erant vel ipsæ extremitates bacillorum cornu ornatæ, qui umbilici dicebantur (*V.* UMBILICUS), vel in illis extremitatibus affixa ex cornu ornamenta quædam extantia in utraque fronte, seu extremitate libri in volumen complicati (V. *Mus. Borbon. T.* 1. *tav.* 12.). *Tibull.* 3. 1. 13. Atque inter geminas pingantur cornua frontes. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 8. Candida nec nigra cornua fronte geras. *Martial.* 11. 107. Liber explicitus usque ad sua cornua. *h. e.* quod idem dicit 4. 91. usque ad umbilicos. V. *Winkelmann. T.* 7. *p.* 25.

II.) Figurate dicitur de iis omnibus, quæ cornuum figuram quomodocumque referunt. Hinc ¶ 1. Sæpe de luna cum primis et postremis diebus cornuum more diducta est. *Cic.* apud *Non. p.* 122. 2. *Merc.* Cur lunæ nascentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua. Adde *Liv.* 44. 37. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 14. 11. (58). — Frequentius apud Poetas. *Virg.* 1. *G.* 433. Pura, nec obtusis per cælum cornibus ibit. Adde *eumd.* 3. *Æn.* 645.; *Ovid.* 1. *Met.* 11. et 610., 2. *ibid.* 454. et alibi; *Senec. Hippol.* 419.; *Val. Flacc.* 8. 20.; *Lucan.* 1. 597.; *Stat.* 12. *Theb.* 2., aliosque. ¶ 2. De Germanorum comis usurpat *Juvenal.* 13. 164. Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro? De iisdem ita *Tac. Germ.* 38. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque sub stringere. Hic igitur *cornua* sunt nodi capillorum, quos *Tertull. Virg. vel.* 10. *crobylos barbarorum* vocat. V.

Bullett. dell'Instit. Archeol. a. 1834. p. 205. ¶ 3. Dicitur et de fluminibus. *Ovid.* 9. *Met.* 774. septem digestas in cornua Nilus. — Hinc *cornua* tribuuntur fluminibus tamquam diis. *Virg.* 4. *G.* 371. Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus. Cf. *Id.* 8. *Æn.* 77. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. Adde *Val. Flacc.* 1. 106.; *Sil. It.* 3. 405.; et *Martial.* 10. 7. — Hujus rei causam ita tradit *Festus p.* 63. 2. *Müll.* Taurorum specie simulacra fluminum, id est cum cornibus, quod sunt atrocia, ut tauri. Alii eam causam afferunt, quod ubi nascuntur, lato spatio, pluribus rivis emergunt, qui deinde in unum alvum confluunt. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 77. docet cornua fluminibus tribui, vel quia mugitum boum imitatur murmur aquarum; vel quia plerumque in cornuum similitudinem curvatas cernimus ripas. Addi potest, ait *Forcellinus*, ideo tribui fluviis, quia cum aquis tument, veluti cornu impetentes, obstantia quæque prosternunt. Ceterum *V.* AUFIDUS in ONOM. et TAURIFORMIS in Lexico. ¶ 4. Item cornua dicuntur montium vertices (fortasse ab Hebr. קֶרֶן), ut apud *Stat.* 5. *Theb.* 532. Cornua Parnassi. *h. e.* cacumina bina Parnassi montis. — Sæpius de promontorii extremitate, quæ in mare protenditur. *Cæsar* apud *Cic.* 9. *Fam.* 14. 1. Ab utroque portus cornu moles jacimus. Adde *Ovid.* 5. *Met.* 410. et 4. *Fast.* 480.; *Curt.* 3. 4. 6. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 21. 35. (112). Excurrit in altum vasto cornu promontorium. ¶ 5. Hinc generatim de extremis locorum partibus. *Liv.* 25. 3. *ad fin.* Et forte in cornu primus sedebat Cates. V. *Drakenborg.* ad h. l. *Plin.* 34. *Hist.* 6. 12. (26). Statuæ positæ in cornibus comitii. *Val. Max.* 5. 7. *ext.* 2. In cornu scribæ locum humiliorem obtinens. *Tac.* 1. *Ann.* 75. Judiciis assidebat in cornu tribunalis. Adde *Sueton. Tib.* 83. ¶ 6. Speciatim frequentissime ponuntur pro extremis duabus adversis partibus aciei, et classis, nempe quia tota acies sæpe ita disponitur, ut media sinuata, curvataque utrimque extrema, lunæ in cornua crescentis figura referatur, *Ter. Eun.* 4. 7. 4. In medium huc agmen cum vecti, Donax; tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Hostium acies a sinistro cornu pulsa, a dextro cornu vehementer etc. *Liv.* 22. 45. In dextro cornu Romanos equites locant: lævum cornu equites sociorum tenuerunt. *Sall. Jug.* 53. *extr.* Equitatum omnem in cornibus locant. Adde *Nepot. Pelop.* 4. et *Hann.* 8., *Curt.*, *Tac.*, *Sueton.*, *Vellej.* et ceteros historicos. *Lucan.* 3. 547. Et jam diductis extendunt cornua proris. — Hinc figurate. *Cic.* 13. *Phil.* 26. 47 Pansa et Hirtius, qui quasi cornua duo tenuerunt Cæsaris tum, cum illæ vere partes vocabantur. Et metaphorâ sumptâ a certamine *Id.* 2. *Divinat.* 10. 26. Nunc comminus agamus experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuæ.

CORNŪĀLIS, e, adject. qui cornu fit. *Cassiod.* 1. *Variar.* 37. Videmus tauros feminas suas cornuali concertatione defendere. — Figurate *Balbus* in *Gromat. vet. p.* 103. Linea cornualis. *h. e.* flexuosa.

CORNŪĀRĬUS, ii, m. 2. artifex cornua conficiens, quibus in bello canitur. *Tarrunten. Dig.* 50. 6. 6. Tubarii, cornuarii, arcuarii.

CORNŪĀTUS, a, um, adject. curvatus instar cornuum. *Vet. Poeta* apud *Varron.* 7. *L. L.* 25. *Müll.* Cornuatam umbram jaci. Dicere apparet cornuatam a cornibus. *Scalig.* totum hunc locum ita legit: *Cornuat aurum, umbram jacit* (vel *vibrans jacit*) *icere paret. Cornuat a cornibus*, *h. e.* arcum aureum flectit. Si hæc ejus conjectura placet, habemus verbum Latinum *cornuo, as*, curve inflecto. Aliter conjecit *Müll.*, quem videsis.

CORNŪCŌPĬÆ. *V.* CORNU I. *B.* 5.

CORNŪLUM, i, n. 2. *deminut. a* cornu, parvum cornu. *Apic.* 8. 1. Ut cutem a carne separes, ut possit condimentum accipere per cornulum. Adde *Vet. Scholiast.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 4. 34., cujus locum vide in ANSULA.

CORNUM, i, pro cornu; *V.* CORNU sub init.

CORNUM, i, n. 2. ¶ 1. Fructus corni arboris. *Virg.* 3. *Æn.* 649. Victum infelicem baccas, lapidosaque corna Dant rami. Adde *eumd.* 2. *G.* 34.; *Horat.* 1. *Ep.* 16. 9.; et *Ovid.* 1. *Met.* 105. *Colum.* 12. *R. R.* 10. 3. Condire corna. ¶ 2. Item arbor ipsa, vel potius arboris lignum. *Ovid.* 8. *Met.* 408. Dixit et ærata torsit grave cuspide cornum: Quo bene librato etc. *Burmann.* mallet aliter legere: sed libri consentiunt. *V.* CORNUS, i, sub 2.

CORNŪO, as. *V.* in CORNUATUS.

CORNŪPĔTA, æ, m. 1. (cornu et peto) qui cornu ferit. *Vulgat. interpr. Exod.* 21. 29. Quod si bos cornupeta fuerit. Adde *ibid.* 36.

CORNUS, i, f. 2. Est etiam quartæ declinationis *cornus, us*, f. ut infra dicetur sub 2. — De genere neutro *V.* CORNUM 2. ¶ 1. Cornus arbor est materiei prædurae, et cornu similis, fructum ferens parvum, instar olivæ, primo candidum, postea sanguineum, et saporis acerbi. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 42. (103). Cornus mascula, cui nulla medulla (Cf. *Fée*, *Op. cit. vol.* 1. *p.* 338. hanc *Plinii* sententiam falsam esse affirmat; cunctis enim arboribus medulla inest). *Id.* 16. *ibid.* 26. 43. (105). Cornus femina, ligno fungosa, et inutilis, cum mas e fortissimis sit. *Id. ibid.* 38. 73. (186). Fulva cornus in venabulis nitet. *Virg.* 2. *G.* 448. et bona bello cornus. *Colum.* 5. *R. R.* 7. 1. Opulus est arbor corno similis. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 266.) quod cornum marem attinet, hanc exhibet synonymiam: Κρανεία et Κρανία Homer. Iliad. Π. 767. et Odyss. Κ. 242., Theophr. 3. 2., Dioscor. 1. 172. et Gal. Comm. in lib. de Fruct.; *Cornus* Plin. 15. Hist. nat. 16. 31. (103). et 16. ibid. locis citt., Veget. 3. Veterin. 16., et Virg. 2. G. 448. et 9. Æn. 698. sunt *Cornus mas* L. Spec. plant. 171. — Quod vero ad cornum feminam attinet, *Id. Fée vol.* 1. *p.* 339. illorum sententiæ accedit, qui putant *Cornum feminam* Theophr. esse *Loniceram alpigenam* L. ¶ 2. Per synecdochen. *Virg.* 9. *Æn.* 698. volat Itala cornus. *h. e.* hasta ex corno. Sic *Claudian.* 1. *in Rufin.* 353. largo satiatur vulnere cornus. *Sil. It.* 10. 122. miseri transfigit pectora corno. *Al. leg.* cornu. Est enim quartæ declinationis, ut et *Servius* docet ad *Virg.* 3. *Æn.* 22. Hinc *Sil. It.* 4. 552. Libycæ certant subtexere cornus Densa nube polum. *Stat.* 7. *Theb.* 647. cornu deprensus Achiva. Ubique autem intelligitur hasta, telum ex corno. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CORNŪTUS, a, um, adject. cornua habens (It. *cornuto*; Fr. *cornu*, *encorné*; Hisp. *cornudo*; Germ. *gehörnt*; Angl. *horned, having horns*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu cornutus dicitur qui cornua habet. *Varro* 2. *R. R.* 7. 2. Ætas cognoscitur equorum, et fere omnium, qui ungulas indivisas habent, et etiam cornutarum. *scil.* bestiarum. *Id.* 7. *L. L.* 39. *Müll.* Elephantos, id est quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua). *Colum.* 7. *R. R.* 3. 4. Aries cornutus. ¶ 2. Latiori sensu cornutus est qui cornuum similitudinem refert. *Ammian.* 14. 2. Luna etiam tum cornuta.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 2. Cornutus syllogismus, ut quocumque me verterem, strictius tenerer. *Id. in Helvid. n.* 16. Cornuta interrogatio. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Cornuti, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt boves. *Accius* apud *Non. p.* 395. 24. *Merc.* Cum somno in segetem agrestes cornutos cient.

Cornutæ, ārum, f. plur. 1. *Plin.* 52. *Hist. nat.* 11. 53. (115). et *Apic.* 10. 3. sunt pisces marini: de quibus nihil præterea scitur. *V.* ACUS, i.

COROCOTTA. *V.* CROCOTTA.

COROLITICUS. *V.* CORALLITICUS.

CŎROLLA, æ, f. 1. *deminut. a* corona, parva corona. — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 37. Corolla plectilis. *Id. Pseud.* 5. 2. 8. Cum corolla ebrium incedere. *Catull.* 62. 66. Mihi floridis corollis redimita domus erat. Adde *eumd.* 64. 283. *Propert.* 2. 25. 59. Me juvat hesternis positum languere corollis. Adde *eumd.* 1. 16. 7.; et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 5. (13). — *b*) Specialiter genus quoddam tenuium coronarum, quæ hiberno tempore vendebantur Romæ ex ramento corneo tincto, propter gracilitatem *corollæ* inter initia ejus inventi dictæ sunt. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 2. 3. (5). — *c*) Corollam nova nupta de floribus, verbenis, herbisque a se lectis sub amiculo (*h. e.* sub flammeo) ferebat, teste *Paul. Diac. p.* 63. 14. *Müll.*

CŎROLLĀRĬA, æ, f. 1. quæ corollas facit. *Inscript.* apud *Murat.* 999. 8., quæ est apud *Orell.* 4173. CORNELIA A. L. ACTE COROLLARIA. — Hinc *Corollaria* appellata est etiam ex *Nævii* fabulis una, teste *Varron.* 7. *L. L.* 60. *Müll.*

CŎROLLĀRĬUM, ii, n. 2. parva corona, a *corolla* deductum. Scribit enim *Plin.* 21 *Hist. nat.* 2. 3. (5). graciles quasdam coronas e lamina ærea tenui inaurata, aut inargentata, *corollaria* dicta fuisse. Inde traductum est ad significandum appendicem, accessionem, additamentum, quod alicui datur præter id quod debitum est: quia corollæ in scæna dari solitæ actoribus, cum placuerant, ut *Varro* 5. *L. L.* 178. *Müll.* docet, et colligitur ex *Phædr.* 5. 7. V. *Klotz* ad *Cicer. oration. vol.* 2. *p.* 791.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Verr.* 50. 118. Ut esset, unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. et 6. *ibid.* 21. 49. Ne sine corollario de convivio discederet, emblemata evellenda curavit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 79. 184. *Seneca* 6. *Benef.* 17. Corollarium aspergere in diem se locanti. *Paullo ante dixerat*: supra constitutum aliquid adjicere. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). et alter *Plin.* 7. *Ep.* 26. *Sueton. Aug.* 45. Corollaria et præmia alienis quoque muneribus de suo offerebat.

II.) Figurate. ¶ 1. Est quod Græci πόρισμα vocant, cum demonstratis, quæ proposita sunt, aliquid consectarium infertur. *Boeth.* 3. *Consol. prosa* 10. Veluti geometræ solent, demonstratis propositis, aliquid inferre, quæ πορίσματα ipsi vocant; ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 3. ¶ 2. Obscena metaphora utitur *Apul.* 3. *Met.* Hactenus denique intecti atque nudati bacchamur in venerem; cum quidem mihi jam fatigato de propria liberalitate fotis puerile obtulit corollarium. *h. e.* voluptuarium additamentum. *V.* PUERILIS.

CŎRŌNA, æ, f. 1. χορώνη. Ratione habita etymi hæc ait *Paul. Diac. p.* 37. 2. *Müll.* Corona cum videatur a choro dici, caret tamen aspiratione: sive coronæ dicuntur, quod cohonorent eos, quibus imponuntur. — Alii deducunt a χορωνὸς seu κορωνός, quod a χορὸς *chorus*, quia in theatris coronati choreas agerent. Quin ipsum χορὸς ab *Hesychio* non solum κύκλος, sed etiam στέφανος corona exponitur. Hinc nonnulli chorona, cum aspiratione scripserunt, ut est apud *Quintil.* 1. 5. 20. et *Scaur. de Orthogr. p.* 2252. *Putsch.*, quæ scribendi ratio non est usu recepta: occurrit tamen CHORONA pro *corona* in lapide Perusino apud *Vermiglioli Iscriz. Perug. p.* 241., ubi alterum exemplum apud *Fabrett.*, loco non indicato, citatur. Alii denique a χορώνη, quod ab *Hesychio* exponitur etiam εἶδος στεφάνου: unde *Martial.* 13. 51. Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo; At mihi de turdis facta corona placet. — Ceterum corona est ornamentum circulare capitis, sertum, strophium (It. *corona*; Fr. *couronne*; Hisp. *corona*; Germ. *der Kranz*, *die Krone*, *Kopfbinde*; Angl. *a crown, garland*).

I.) Proprie. — *a*) Coronarum aliæ voluptatis gratia erant, aliæ lætitiæ publicæ; atque hæ præcipue e floribus: aliæ honoris atque in præmium virtutis; quæ plerumque ex metallis, aut arboribus quibusdam. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 27. Ipse coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat plenum rosæ. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 62. Aderant unguenta, coronæ; incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. — *b*) De coronis in publica lætitia adhibitis, *Cato* apud *Gell.* 7. 4. *extr.*, *Cic.* 11. *Att.* 19. et 1. *Tusc.* 35. 86., *Curt.* 9. 10., *Tac.* 2. *Hist.* 55. etc. His non solum homines ornari consueverant, sed et deorum simulacra, victimæ (V. *Loers* ad *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 10.), postes templorum, proræ puppesve navium (*Virg.* 4. *Æn.* 418., *Ovid.* 15. *Met.* 696. et 3. *Amor.* 11. 29., et *Curt.* 4. 17. 5.; et figurate. *Lucret.* 1. 119., *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. et *Horat.* 1. *Od.* 7. 23.), januæ ædium, pocula, sepulcra, aræ, Lares, etc. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 15.; quocum cf. *Lucret.* 3. 926. — *c*) Quæ vero virtutis ergo dabantur, diversorum generum fuere, scilicet *vallaris* seu *castrensis*, *civica*, *muralis*, *navalis*, *obsidionalis*, *ovalis*, *triumphalis*, de quibus *Gell.* 5. 6. et *V.* suis locis. *Val. Max.* 2. 6. 5 Eadem (*urbs Athenarum*) bonos cives corona decorandi consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. *Sueton. Ner.* 25. Coronamque capite gerens Olympicam (*h. e.* oleaginam), dextra manu Pythiam (*h. e.* lauream). — Hinc aliquando *corona* pro præmio ponitur. *Virg.* 5. *Æn.* 355. primam merui qui laude coronam. *Sil. It.* 16. 506. spes prima coronæ Eurytus. *h. e.* Eurytus, qui primam præmium sperabat. — Hinc etiam aliquando *corona* accipitur pro quadam pecuniæ summa, quæ grati animi ergo dabatur alicui. *Liv.* 45. 25. Hæc Rhodum nunciata — in gaudium renunciata verterunt: itaque extemplo coronam viginti millium au-

reorum decreverunt. V. *Jo. Veludo, Intorno alla lapida Rodia*, p. 20. — d) Mos fuit, ut servi bello capti coronam gestarent, cum venales producebantur, unde est *sub corona vendere* (apud *Cæs.* 3. *B. G.* 16., *Liv.* 24. 42. et 42. 63. *extr.*, *Justin.* 8. 3. 1., *Flor.* 4. 12. 52. et *Curt.* 9. 8.), *sub corona venire* (apud *Liv.* 38. 29), *sub corona venumdari* (apud *Tac.* 1. *Hist.* 68.) et *sub corona emere* (apud *Varron.* 2. *R. R.* 10. 4.), ut *Festus* p. 306. 4. *Müll.* et *Cælius Sabinus* docet apud *Gell.* 7. 4. et colligitur ex *Catone ibidem*: ubi *Gell.* aliam refert opinionem, quod scilicet corona militum cingerentur, custodiæ causa: sed quod *Sabinus* docuit, verius putat. — e) De radiatis imperatorum coronis, *V.* RADIATUS.

II.) Improprie. ¶ 1. Corona dicitur cœtus hominum, qui aliquem circumstant. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 74. At tu eadem ista dic in judicio: aut si coronam times, dic in senatu. *Id. Flacc.* 28. 69. A judicibus oratio avertitur: vox in coronam turbamque effunditur. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 19. 49. *Id.* 1. *Tusc.* 5. 10. Dicere causam maxima corona. *Id.* 2. *Phil.* 44. 112. Armatorum corona senatus septus est. *Catull.* 53. 1. Risi nescio quem modo in corona. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 18. 53.; *Ovid.* 13. *Met.* 1.; *Plin.* 2. *Ep.* 14. et 6. *ibid.* 33.; *Sueton. Aug.* 93.; et *Quintil.* 12. 10. 74. ¶ 2. Unde est militaris illa locutio, *corona oppidum adoriri, circumdare* etc. apud *Cæs.* 7. *B. G.* 72., *Liv.* 37. 4. *extr.* et 10. 43., *Curt.* 4. 26. 10. etc., quæ significat oppidum circum undique militibus continuo ordine dispositis cingere, ita ut nullum non locum obsideant, nullam non mœnium partem aggrediantur. *Liv.* 37. 5. Non corona, sed operibus oppugnare urbem est adortus. *Curt.* 7. 6. Urbem corona capit. — Sic et de propugnatoribus *Liv.* 4. 19. *sub fin.* Corona vallum defendere. ¶ 3. In ædificiis corona est projectura quædam, quam κορωνίδα vocat *Hesychius*, et exponit τὸ τελευταῖον τῆς οἰκοδομῆς ἐπίθεμα: quæ primo arcendis stillicidiis inventa est, postea in ornamentum transiit, habetque locum tum in summis, tum in mediis parietibus architectonicis. *Vitruv.* 5. 2. 2. *Schneid.* Præcingendi sunt parietes medii coronis ex intestino opere, aut albario ad dimidiam partem altitudinis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 59. (183). Usus gypsi in coronis gratissimus. *Auct. B. G.* 8. 9. Imperat castra vallo pedum duodecim muniri, coronisque pro ratione ejus altitudinis inædificari. *Plerique tamen leg.* loriculisque. *Curt.* 9. 4. Angusta muri corona erat: non pinnæ fastigium ejus distinxerant etc. ¶ 4. Sumitur etiam ab eodem *Vitruv.* 3. 3. *ad fin.* strictiori significatione pro parte summa epistylii, quæ ceteris est projectior: item pro parte summa ipsius coronæ, ceteris item projectiore: quæ, quia ideo est instituta, ut guttas aquæ longe a ceteris subjectis membris epistylii capitulorumque projiciat, Italice dicitur *gocciolatoio*. Ita enim conformata est, ut in inferiore sui parte cavata sit, ne aqua secundum ipsam defluat, sed statim decidat et longe cadat. ¶ 5. In agris *corona* est extremus circa margo vel agger. *Cato R. R.* 6. Circum coronas et circum vias ulmos serito et partim populos. ¶ 6. *Corona montium* est series montium in circuitu positorum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (73). Hos includit Indus montium corona circumdatos. ¶ 7. Præterea inter meteora appellatur *corona* a Latinis, quæ a Græcis ἅλως. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 2. *V.* HALO, onis. ¶ 8. Est et in cælo sidus, quod *Corona* dicitur, in regione septemptrionali prope Booten: de qua *V.* in ARIADNA. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 74. Prid. Id. Octobr. Corona tota mane exoritur. Adde *Virg.* 1. *G.* 222.; *Ovid.* 8. *Met.* 181. et 5. *Trist.* 3. 42.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (224). — Est etiam Corona Australis, ad genua Sagittarii posita, quam dicunt esse Ixionis rotam: cujus utrum aliquis Latinorum scriptorum meminerit, *Forcellino* incompertum erat: meminit autem *German. Arat.* 391. ¶ 9. Denique in pedibus quadrupedum *corona* est pars summa ungulæ, quæ cum pilis committitur. *Colum.* 6. *R. R.* 29. 3. Duris ungulis et altis et concavis, quibus coronæ mediocres superpositæ sunt. *Veget.* 3. *Veterin.* 55. 8. *Schneid.* Si pedem contuderit, sanguinem de corona emittes. *Id.* 1. *ibid.* 13. 1. Articularis morbus his declaratur signis. Claudicabit alternis pedibus, modo prioribus, modo posterioribus, et quasi tumor eidem in articulis circa coronas vel certe in genibus apparebit.

CŎRŌNĀLIS, e, adject. ad coronam pertinens. *Apul.* 1. *Met.* Ut illa Medea totam domum, filiamque cum ipso sene flammis coronalibus deusserat. *h. e.* corona aurea ex venenis facta, ut loquitur *Hygin. fab.* 25., quam pellici suæ dono miserat. *V.* etiam *Plin.* 2. *Hist. nat.* 105. 109. (235)., et quæ dicemus in CREUSA.

CŎRŌNĀMEN, inis, n. 3. coronamentum, corona. *Apul.* 11. *Met.* Mulieres candido splendentes amicimine, verno florentes coronamine.

CŎRŌNĀMENTUM, i, n. 2. ¶ 1. Est genus omne florum, herbarum et foliorum, quæ texendis coronis adhibentur: itemque semina ipsa. *Cato R. R.* 8. Coronamenta omne genus facito uti serantur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 1. 1. (1). In hortis seri coronamenta jussit Cato. *Id. ibid.* 12. 41. (70). Verum hortis coronamentisque maxime alvearia et apes conveniunt. Adde *eumd.* 21. *ibid.* 9. 29. (33). ¶ 2. Item ipsa corona. *Tertull. Cor. Mil.* 1. Solus libero capite: coronamento in manu otioso. Adde *eumd. ibid.* 7.

CŎRŌNĀRIUS, a, um, adject. ad coronas pertinens. — *Aurum coronarium* dicebatur, quod stante Rep. Rom. coronæ aureæ loco a provinciis dabatur ducibus exercituum triumphantibus: seu pecunia, quam provinciales conferebant, prætextu coronæ inde faciendæ. Mos enim fuerat primum, ut provinciales, socii amicique populi R. imperatori suo victori coronas e lauro mitterent gratulationis ergo: mox eæ cœptæ ex auro fieri: deinde missa pecunia eo titulo. Hujusmodi autem coronæ in triumpho præferebantur. Cujus rei exempla habemus apud *Cic. Pis.* 37. 90. et 1. *leg. Agr.* 4. 12. et 2. *ibid.* 22. 59.; *Liv.* 38. 37. et 39. 7., et in lapide Ancyrano Augusti Cæsaris, apud *Gruter.* 230. AVRI CORONARII PONDO TRIGINTA ET QVINQVE MILLIA MVNICIPIIS ET COLONIIS ITALIAE CONFERENTIBVS AD TRIVMPHOS MEOS QVINTVM CONSVL REMISI, ET POSTEA QVOTIESCVMQVE IMPERATOR APPELLATVS AVRVM CORONARIVM NON ACCEPI. Adde *Gell.* 5. 6. Procedente tempore, quod erat muneris, in tributum transiit, atque exigi cœptum est. De hoc auro coronario multa disputat *Eckel. D. N. V. T.* 7. p. 6. *et seqq. V.* etiam *Franz* et *Zumpt* in *Monum. Ancyr. Aug.* p. 74. — Quod vero docet *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 7. 21. dictum esse *coronarium*, quod a victis gentibus imperatori dabatur propter concessam impunitatem; de suis temporibus intelligendus est, quibus mutata ratione reipubl. hoc quoque mutari potuit. Quamquam nihil prohibet, quin utrumque *coronarium* diceretur, et quod a provincialibus sociisque, et quod a victis conferebatur. — Ceterum *coronarius* et de aliis quoque occurrit. *Vitruv.* 7. 4. *edit. vet.* Glebæ contusæ et mollitæ præstant tectoriis et coronariis operibus utilitatem. *h. e.* in coronis, seu projecturis, quæ fiunt ornatus gratia. *V.* CORONA II. 3. *Id.* 9. 3. Tantumdem argenti in id coronarium opus admixtum esse. *h. e.* in ea corona facienda. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 46. (131). Æs Cyprium tenuissimum, quod coronarium vocant. *h. e.* coronis faciendis aptum. *Id.* 21. *ibid.* 23. 94. (164). Anemonæ coronariæ, *h. e.* quæ adhibentur in coronis floreis. *Id.* 14. *ibid.* 3. 4. (42). Coronarius naturæ lusus. *h. e.* natura veluti ludens in coronis faciendis. Loquitur de quadam vite, cujus acinos folia intercursant. — Hinc

Coronarius, ii, m. 2. et

Coronaria, iæ, f. 1. dicitur artifex, qui vel quæ coronas facit et vendit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 26. (111). Coronariorum recisamenta in acetum addita. *Id.* 21. *ibid.* 2. 3. (4). Ingenium Glyceræ coronariæ. Adde *eumd.* 21. *ibid.* 9. 30. (54)., *ibid.* 31. 105. (177). *Fronto* 1. *ad M. Cæs. ep.* 6. Alia dignitate sunt flores et coronæ cum a coronariis veneunt, alia cum a sacerdotibus porriguntur. Adde *Gell.* 4. 14., ubi non videtur necesse, quod quidam faciunt, ut *coronarium* coronam interpretemur. *Inscript.* apud *Murat.* 974. 3. NEMIAE PRIMIGENIAE CORONARIAE. Coronariæ mulieris figuram, dum coronas ex floribus plectit, habes apud *G. N. Inscr. Etr. T.* 3. *tab.* 9. *V.* VIETRIX. Alia *Inscript.* apud *Murat.* 796. 1. ATHENIO DE III. DANAE CORONARIVS. Is nempe, qui in festis Isidis, Neptuni, et littoralium deorum, præsertim vero illius numinis, cui consecratæ erant singulæ naves, vel natali die Augustorum aliisque de causis triremem coronabat in lætitiæ argumentum.

CŎRŌNĀTIO, ōnis, f. 3. *Gloss. Cyrill.* Παστός, ἐπὶ νυμφῆς, obtentus, coronatio, thalamus.

CŎRŌNĀTOR, ōris, m. 3. qui coronat. *Augustin. Serm.* 318. (*al.* 25. *ex Sirmondianis*) *in fin.* Coronator Stephani adoretur.

CŎRŌNĀTUS, a, um. *V.* CORONO.

CŎRŌNEŎLA, æ, f. 1. genus est rosæ autumno provenientis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (19). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 6.) hæc ait: « On ne peut arriver à la détermination de cette rose: Pline la dit inodore, ce qui nous disposerait à croire qu'elle appartient à quelque églantier, à la *Rosa canina* par exemple. Si l'on voulait supposer une incorrection dans le texte, et lire *carneola* au lieu de *coroneola*, cette opinion deviendrait plus probable encore ».

CŎRŌNIS, idis, f. 3. κορωνίς, Græca vox significans notam quamdam ex linea brevi, et ab inferiori parte flexa et incurvata, uti docet *Vet. Scholiast.* ad *Aristoph.* Πλοῦτον, v. 253., quæ in fabulis comicorum et tragicorum appingi solebat, ad significandum quoddam genus pausæ et cessationis in agendo. Præterea, *Hesychio* teste, est τὸ τελευταῖον τῆς οἰκοδομῆς ἐπίθεμα, hoc est summa corona parietis in fabrica, de qua in CORONA dictum est. Ejus figura triplex habetur apud *Isid.*, qui ait 1. *Orig.* 21. 26. Coronis nota tantum in fine libri apponitur. *Auson.* post *Prof. XXIV.* carmen habet, cui lemma est *Coronis*, h. e. finis, quemadmodum *menis* dicebatur nota libri incipientis. Hinc conjicere licet, in libri initio lunulæ incipientis notam, in ejusdem fine coronidem ponere vulgo usitatum fuisse. Hinc pro fine ponitur in illo *Martial.* 10. 1. Si nimius videor, seraque coronide longus Esse liber; legito pauca, libellus ero. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CŎRŌNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. De vocis etymo *V.* CORONA sub init. — Part. *Coronans* II.; *Coronatus* I. et II. — Corono est coronam capiti impono, coronis orno (It. *coronare*; Fr. *couronner*; Hisp. *coronar*; Germ. *mit einem Kranze versehen*, *bekränzen*, *umkränzen*; Angl. *to crown*).

I.) Proprie. — a) De personis. *Cic.* 2. *Legg.* 25. 63. Epulæ, quas inibant parentes coronati. Adde *Liv.* 10. 47. et *Quintil.* 11. 2. 11. *Horat.* 2. *Od.* 7. 7. coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Athenæ victores olea coronant, Græci vero oleastro Olympiæ. *Id. ibid.* 30. 39. (127). Victores Delphis lauro coronari, et triumphantes Romæ. *Sueton. Domit.* 13. Palfurius Sura coronatus de oratoribus. *h. e.* inter oratores: quemadmodum *unus de multis* dicimus. — *Coronati* absolute dicebantur quidam sacerdotes, qui Græce στεφανηφόροι, quique, testante *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 212., annui magistratus munus obibant. *Inscript.* apud *Murat.* 155. 2. M. ANTONIVS VALENTINVS SACERDOS ARAE AVGusti nostri CORONATVS DACIarum III. *Alia* apud *eumd. ibid.* 3. C. MATRINIO AVRELIO C. F. LEM. ANTONINO V. P. CORONATO TVSCiæ ET VMBRIæ. *Firmic.* 3. *Mathes.* 14. Erunt autem aut coronati, aut sacerdotibus præpositi, aut sacrorum bajuli simulacrorum. — b) De brutis et de rebus. *Propert.* 3. 1. 1. Coronati equi. *Id.* 3. 8. 19. Coronatæ aræ. *Id.* 3. 24. 15. carinæ. *Ovid.* 4. *Fast.* 335. Coronata puppis. *Horat.* 3. *Od.* 23. 15. Coronare deos myrto. *h. e.* deorum simulacra. *Quintil.* 8. 6. 32. postes lauro. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 1. Ite comæ, etc. Ite, coronato recubantes molliter auro. *h. e.* in aurea pyxide, tamquam aurea corona repositæ. *Virg.* 2. *G.* 528. socii cratera coronant. *Id.* 1. *Æn.* 728. Crateras magnos statuunt et vina coronant. ubi *Servius*: Aut implent usque ad marginem: aut quia antiqui coronabant pocula et sic libabant; unde est (3. *Æn.* 526.) Anchises magnum cratera corona Induit implevitque mero. Hoc tractum est ex *Homero*, qui ait (*Odyss.* 1. v. 149.) Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. Hæc *Servius*; qui secundam interpretationem præferre videtur. Confirmat *Stat.* 3. *Silv.* 1. 76. Diffugimus, festasque dapes redimitaque vina Eripiunt famuli. At primæ favet *Athenæus* l. 15. c. 5. ubi, allato *Homeri* versu, docet ex *Aristotele*, nihil mutilum diis esse offerendum, sed omnia perfecta atque integra: perfectum autem esse quod est plenum: et τὸ στέφειν, *coronare*, plenitudinem quamdam significare. — *Horat.* 1. *Ep.* 1. 50. dixit, *coronari Olympia*, per Græcam ellipsim. *Priscian.* 18. p. 1205. *Putsch.* Attici στέφεται τόδε καὶ τόδε. Et Romani *coronatur illam rem* et *illa re*, quomodo etiam *induitur*. Horatius *coronari Olympia*. Hactenus *Priscian.* Cf. epigramma Simonideum (non Simonidis Cei) apud *Hephæst. de Metr.* p. 113. ed. *Gaisf.* Ἴσθμια δὶς — ἐστεφανώθην. Simile est νικᾶν Ὀλύμπια, *vincere Olympia*, ut est in versu Enniano apud *Cic. Senect.* 5. 14. — c) Speciatim de servis bello captis, quibus corona impo-

nebatur, cum venales producebantur (V. CORONA I. d.), coronare dixit Gell. 7. 4. — d) Figurate. Sueton. Claud. 11. Coronare comœdiam. h. e. præmio donare. Et alio sensu Plin. 22. Hist. nat. 5. 5. (10). Coronari nomine novo. h. e. decorari, ornari.

II.) Translate coronare est in modum coronæ cingere, circumdare. Lucret. 2. 801. Pluma columbarum cervices circum collumque coronat. Id. 6. 335. lacum myrteta coronant. Virg 9. Æn. 380. omnemque abitum custode coronant. Propert. 4. 4. 8. Fidaque suggesta castra coronat humo. Ovid. 5. Met. 388. silva coronat aquas. Stat. 2. Theb. 526. densaque nemus statione coronant. Vitruv. 9. 1. 6. Schneid. Mercurii et Veneris stellæ circum solis radios, solem ipsum, uti centrum, itineribus coronantes. Martial. 12. 18. focus, Multa villica quem coronat olla. Petron. fragm. Tragur. 66. Burmann. Habuimus in primo porcum poculo coronatum, et circa saucunculum et gigeria optime facta.

CŎRŌNŎPUS, ŏdis, κορωνόπους, al. gramen aculeatum, est herba oblonga, fissis foliis, per terram repens, cujus radix in cinerem tosta cœliacis praeclare facit. Plin. 21. Hist. nat. 16. 59. (99). et 22. ibid. 19. 22. (48). Cf. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 112.) hanc exhibet synonymiam: Κορωνόπους Theophr. Hist. plant. 7. 9., Galen. de Fac. simpl. med. et Dioscor. 2. 158. et Coronopus Plin. locc. citt. sunt Coronopus Ruellii Goertin. de Fruct. 1. 293. et Cochlearia Coronopus L. Spec. plant. 904. Praeterea hæc addit: «Cette plante a dû le nom de coronopus à la forme de ses feuilles qui rassemblent (imparfaitement) à la patte d'une corneille, κορώνη corneille, πούς pied. Les modernes lui donnent le nom de corne de cerf. – Cette plante, qui peut être mangée en salade, est négligée des modernes; ses propriétés sont antiscorbutiques».

CŎRŌNŬLA, æ, f. 1. deminut. a corona, parva corona. Vulgat. interpr. Exod. 39. 28. Fecerunt – et mitras cum coronulis suis ex bysso. Adde ibid. 3. Reg. 7. 29. — Veget. 3. Veterin. 53. 2. Schneid. Oportet, solum ungulæ celeriter aperire, ne apostema eruptionem super coronulas faciat. h. e. partes pedis, quæ summæ ungulæ junguntur, ut in CORONA dictum est sub II. 9.

CORPŎRĀLIS, e, adject., et significat — a) Habens corpus. Seneca Ep. 58. Dicimus, quædam corporalia esse, quædam incorporalia. Ulp. Dig. 1. 1. 15. a med. Corporalia pignora. h. e. quæ re corporali constant: quibus opponuntur nomina, et jura. — b) Item ad corpus pertinens. Gell. 18. 1. Etiam si cetera bona omnia, quæ corporalia et externa appellarentur, virtuti deessent. Quintil. 19. Declam. 2. Corporalibus bonis juventus insolenter exultat. Seneca Ep. 53. Vitia corporalia. Arcad. Dig. 50. 4. 18. Corporalis labor. Papinian. ibid. 13. 7. 40. possessio. h. e. cum res ipsa possidetur. — Corporale nomen dicitur a Grammaticis, quod rem corpoream significat: sicut incorporale quod incorpoream: illud v. gr. homo: hoc virtus. Priscian. 2. p. 579. Putsch.

CORPŎRĀLĬTAS, ātis, f. 3. ipsa natura corporis, ipsum corpus. Tertull. advers. Hermog. 36. et Anim. 7.

CORPŎRĀLĬTER, adverb. secundum corpus. Paul. Dig. 41. 2. 1. circa med. Servus corporaliter pignori datus. Petron. fragm. Tragur. 61. Burmann. Amare cœpi uxorem Terentii coponis: noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimam basiliscam. Sed ego non mehercule corporaliter, aut propter res venerarias curavi: sed magis etc. Adde Tertull. Baptism. 4. extr. et 8.; et Arnob. 5. 18.

CORPŎRASCO, is, ere, n. 3. corpus fio. Claud. Mamert. 1. de statu anim. 14. Nisi forte dicatur incommutabilis Deus veluti corporascere, ut unum possit esse cum corpore. V. voc. seq.

CORPŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. corporalitas. Tertull. Car. Chr. 4. Si neque ut impossibilem, neque ut periculosam Deo repudias corporationem, etc. Adde Capell. 7. p. 238. Colum. 6. R. R. 2. 13. Custodiendum est, ne in corporatione etc. impar, etc. Alii rectius leg. incorporatione (V. INCORPORATIO): Schneid. vero leg. in comparatione.

CORPŎRĀTĪVUS, a, um, adject. nutriens, corroborans, et corpus faciens, ut corporativa adjutoria apud Cœl. Aurel. 1. Tard. 6. extr.

CORPŎRĀTŪRA, æ, f. 1. corporis magnitudo, habitus et status corporis. Vitruv. 6. 1. 3. Schneid. Ex cœlo roscidus aer in corpora fundens humorem efficit ampliores corporaturas. Colum. 6. R. R. 2. 15. Humilis et modica corporatura pecoris operarii debet esse.

CORPŎRĀTUS, a, um. V. CORPORO.

CORPŎRE-CUSTOS, ōdis, m. 3. custos corporis. Inscript. apud Gruter. 600. 12. BASSVS NERONIS CAESARIS CORPORE-CVSTOS. Alia apud eumd. ibid. 13., quæ est apud Orell. 175. 13. HILARIVS NERONIS CAESARIS CORPORE-CVSTOS. Apud Orell. divisim legitur.

CORPŎRESCO, is, ere, n. 3. idem quod corporasco. Isid. 13. Orig. 7. Qui exhalationibus humidis corporescit.

CORPŎREUS, a, um, adject. ¶ 1. Est corpus habens, corporatus, corporalis. Lucret. 7. 178. Ergo corpoream naturam animi esse, necesse est, Corporeis quoniam telis ictumque laborat. Id. 4. 511. Corporea vox. Cic. Tim. 4. Corporeum et adspectabile omne necesse est esse, quod natum est. et ibid. 8. Quod erat concretum et corporeum. Id. 3. Fin. 14. 45. Rerum corporearum æstumatio. V. Madvig. ad h. l. ¶ 2. Item carneus. Ovid. 6. Met. 406. de Pelope. Corporeus humerus. Id. 15. ibid. 105. Dapes corporeæ. Plin. 11. Hist. nat. 37. 44. (122). Spectatissimum insigne gallinaceis corporeum, serratum. h. e. crista. et paullo post. Cornua cochleis corporea. et paullo post. In vicem ossium succedente corporea cicatrice.

CORPŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Corporatus in omnibus fere paragr.; Corporandus I. 2. — Corporo est corpus efficio, in corporis formam redigo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cic. Tim. 2. Mundus cernitur, et tangitur, et est undique corporatus. Orell. ad h. l. ait: Vocabulum omnino suspectum librariis videtur deberi. Sic cap. 12. pro corpora cum Codex d habet corporatum. Fortasse: corporeus. Plin. 7. Hist. nat. 15. 13. (66). Semen e maribus coaguli modo profluvium mulierum in sese glomerans, quod deinde tempore ipso animatur corporaturque. Id. 10. ibid. 53. 74. (148). de pullis avium. Ipsum animal ex albo liquore ovi corporatur. ¶ 2. Speciatim apud Scriptores Ecclesiasticos occurrit de assumptione carnis, h. e. naturæ humanæ. Lactant. 4. 26. de Jesu Christo. Is igitur corporatus est et veste carnis indutus. h. e. corpus assumpsit. Tertull. Car. Chr. 3. Ita ut et nasceretur, et carne corporaretur. Id. ibid. 6. Numquam fuit causa angelorum corporandorum.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a pictoribus, Nonius p. 37. 13. Merc. Tractum a pictura, quæ priusquam coloribus corporatur, umbra fingitur. — Huc referri potest et illud Tertull. Pall. 2. Mundus omnis et diversitatibus corporatus, et vicibus temperatus. h. e. ex diversis substantiis compactus, compositus. ¶ 2. Corporati dicuntur, qui in aliquo corpore, seu collegio sunt. Inscript. apud Gruter. 45. 8. PATRONVS CORPORAT. FERRARIOR. et apud Reines. cl. 1. n. 139. CORPORATI AVRARIORVM ET ARGENTARIORVM ISIDI ET OSIRI MANSIONEM AEDIFICAVIMVS. Adde Inscriptt. apud Orell. 4115., 4104. et 4054. — Corporati alicujus urbis sunt, qui in corporibus sive sodalitatibus illius urbis sunt. Hinc Inscript. apud Gruter. 496. 5. CORPORATI NEMAVSENSES PATRONO. Cf. Alia ibid. 399. 4. PATRONO OMNIVM CORPORUM LVGduni LICITE COEVNTIVM. Adde Symmach. 10. Ep. 27. (al. 34.) ¶ 3. Item interficio, corpus solum sine anima relinquo, ut Non. p. 20. 21. Merc. explicat. Ennius ibid. Corpus contemplatur, unde corporaret valuere. Accius ibid. Corporare abs tergo es ausus.

CORPŎRŌSUS, a, um, adject. corpulentus, magni corporis. Cœl. Aurel. 3. Acut. 17. ante med. V. INDUCTURA.

CORPULENS, entis, adject. idem ac corpulentus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 35.

CORPŬLENTĬA, æ, f. 1. obesitas. Plin. 11. Hist. nat. 53. 118. (283). Somno concoquere, corpulentiæ, quam firmitati utilius. Sidon. 2. Ep. 2. ad fin. Ita illis (piscibus) nec redire valentibus, nec exire permissis, quemdam vivum et circumlaticium carcerem corpulentiæ facit.

CORPULENTO, as, are, a. 1. corpulentum facio. Boeth. de unit. et uno p. 867. Quo materia fuerit inferior, fit spissior et obscurior, et non ita penetratur a lumine: quo materia magis descendit, constringitur et spissatur, et corpulentatur, et partes ejus mediæ prohibentur ultimas perfecte penetrari a lumine.

CORPŬLENTUS, a, um, adject. Comp. Corpulentior I. ¶ 1. Corpulentus est qui est obesi corporis, ut Paul. Diac. p. 62. 12. Müll. interpretatur. Plaut. Epid. 1. 1. 8. Corpulentior videre atque habitior. Colum. 6. R. R. 3. 5. Nitidum, et hilare, et corpulentum pecus. Gell. 7. 22. Pinguis homo et corpulentus. Adde Quintil. 6. 1. 47. ¶ 2. Item qui corpore præditus est. Capell. 2. p. 39. Nec tamen δαίμονες ita sunt corpulenti, ut hominum capiantur obtutu. ¶ 3. Figurate Ennius apud Paul. Diac. loc. cit. sub 1. corpulentum pro magno posuit.

CORPUS, ŏris, n. 3. generatim est substantia quævis, quæ visu tactuve percipi potest; eique opponitur anima vel animus, ut apud Pompon. Dig. 41. 3. 30. (It. corpo; Fr. corps; Hisp. cuerpo; Germ. der Körper; Angl. a body). Ceterum tria hæc vox significat, ut Pompon. docet Dig. loc. cit., et Seneca 2. Quæst. nat. 2. et Ep. 102., scilicet — A) Primo id quod simplici re atque una constat; B) Secundo id, quod acervatione vel nexu, seu quod ex contingentibus se, hoc est inter se cohærentibus constat; C) Tertio corpus dicuntur ea, quæ ex distantibus constant, sed uni nomini subjectis.

A) Primo corpus significat id, quod simplici re atque una constat, et Græce ἡνωμένον vocatur, ut homo, lignum, lapis etc. ¶ 1. Generatim de inanimis. Lucret. 1. 305. Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res. Id. 2. 102. Corpus ferri. et 6. 851. aquæ. et ibid. 101. Nubes corpore condenso. Cic. 1. Fin. 6. 17. Atomos, quas appellat, id est individua corpora. Id. 4. Acad. (2. pr.) 38. 121. Qui asperis et levibus et hamatis uncinatisque corporibus concreta hæc esse dicat. Ovid. 14. Met. 137. quot haberet corpora pulvis, Tot mihi natales etc. Plin. 16. Hist. nat. 12. 23. (57). Corpus piceæ. Id. ibid. 6. 8. (20). glandis. Id. 9. ibid. 35. 57. (116). unionum. Id. 17. ibid. 21. 35. (161). Uva fert omnium corporum suorum acinos. h. e. omnium surculorum, seu malleolorum, qui in unum candicem cohæserint. Papinian. Dig. 16. 3. 24. Ut corpora nummorum eadem redderentur. Adde ibid. 94., ubi eadem loquendi ratio. ¶ 2. Speciatim ac sæpissime dicitur de animalibus, et præsertim de homine. Cic. 1. Fin. 17. 55. Animi voluptates et dolores nasci fatemur e corporis voluptatibus et doloribus. Sic Id. 2. ibid. 30. 98. Nec gaudere quemquam nisi propter corpus, nec dolere. et mox. Memoria corpore perceptarum voluptatum. Id. 7. Att. 23. O me miserum! et non omnes nostra corpora opponimus? Id. Rosc. Am. 12. 33. Quod non totum telum corpore recepisset. Id. 2. Tusc. 6. 17. Corpus bene constitutum. Id. 11. Att. 4. Corporis infirmitas. Id. 1. Off. 23. 79. Exercere corpus. Id. 16. Fam. 4. Servire corpori. Id. 9. ibid. 20. Inde corpori omne tempus datur. Id. 1. Cat. 6. 15. Effugere ictus parva quadam declinatione et, ut ajunt, corpore. Virg. 5. Æn. 438. Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit. Horat. 1. Od. 35. 2. imo tollere de gradu Mortale corpus. Id. 2. Sat. 1. 9. Corpus irriguum mero. M. Aurel. apud Fronton. 1. ad M. Cæs. 1. Valeat semper integro, illibato, incolumi corpore. Ovid. 12. Met. 166. nullo penetrabile telo. Id. 2. Fast. 298. ovis lana corpus amicta sua. Id. 1. ibid. 377. Corpus juvenci. ¶ 3. Item speciatim obsceno sensu. Plaut. Pœn. 5. 3. 21. et Liv. 26. 33. Facere quæstum corpore. Id. Cist. 2. 3. 21. Tute tibi indigne dotem quæras corpore. Id. Amph. prol. 108. Usuram corporis cepit sibi. Id. Bacch. 4. 8. 22. Corpus publicat vulgo suum. Cf. Ovid. 3. Amor. 14. 9. Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti. Horat. 1. Sat. 2. 43. dedit hic pro corpore nummos. Ubi Acron: ne castraretur. Possis tamen intelligere pro vita. Phædr. 3. 11. Damnum insectatus est amissi corporis. h. e. τῶν ὀργέων. ¶ 4. Aliquando corpus dicitur de sola carne. — 1.°) Proprie. — a) De hominibus et brutis. Lucret. 1. 1038. Corpus amittere. h. e. macescere. Sic Cic. 7. Fam. 26. Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam: nam et vires et corpus amisi. Id. 2. Nat. D. 55. 139. Ossa subjecta corpori mirabiles commissuras habent. Ovid. Heroid. 3. 141. abiit corpusque colorque. Scribon. Compos. 161. Multum profuit, ad corpus (h. e. carni adhærentem) in duplici calceo pellem caninam habere. Utramque significationem complexus est Martial. Spectac. 7. Inque o-

qui nusquam corpore corpus erat. — Hinc *corpus facere* est pinguescere. *Phædr.* 3. 7. Unde sic, quæso, nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis? *Cels.* 7. 3. *sub fin.* Cibi potionesque faciendo corpori aptæ. — *b*) Similiter *corpus arborum* dicitur lignum ipsum, ut distinguatur a cortice, medulla, etc. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (234). Cerasus et tilia et vitis corticem mittunt, sed non vitalem, nec proximum corpori. — 2.°) Hinc translate. *Quintil.* 2. 10. 5. Hæc poetica juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant. *Id.* 5. 8. 2. Superinducti corporis species. *Id.* 10. 1. 87. Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasim, id est corpus eloquentiæ faciant. *h. e.* constituant quasi corpus eloquentiæ. *Petron. Satyr.* 2. Corpus orationis enervatur. ¶ 5. Ratione habita capitis et animæ — *a*) Corpus dicitur modo truncus. *Ovid.* 11. *Met.* 794. caput est a corpore longe. *Al. tamen aliter leg.* — *b*) Modo ipsum cadaver. *Cæs.* 2 *B. G.* 10. Hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audacissime transire conantes – repulerunt. Adde *eumd. ibid.* 27. *Cic. Sull.* 31. 89. Non jam de vita P. Sullæ, judices, sed de sepultura contenditur. Vita erepta est superiore judicio: nunc ne corpus ejiciatur, laboramus. *ubi nota verbi ambiguitatem.* Adde *Liv.* 32. 13. et 33. 8. *Ovid.* 13. *Met.* 471. genitrici corpus inemptum Reddite. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 548. *Id.* 2. *Fast.* 835. super corpus communia damna gementes. *Albinov.* 1. *v.* 167. Quin etiam corpus matri vix vixque remissum, Exsequiis caruit, Livia, pæne tuis. *Inscript.* apud *Gruter.* 662. 8. ISDEM CORPORIBVS TRALATIS. — *c*) Per catachresim dicitur de anima separata a corpore. *Virg.* 6. *Æn.* 303. *de Charonte.* Et ferruginea subvectat corpora cymba. Ubi *Servius* adscribit, ideo a poeta dici *corpora*, quia ab Ænea et Sibylla cernebantur: omne autem, inquit, quod potest videri, corpus dicitur. Unde paullo post (*v.* 391.) discretionem fecit dicens: Corpora viva nefas Stygia vectare carina. *Virg. ibid.* 306. defunctaque corpora vita Magnanimum heroum. ¶ 6. Item *corpora* dicuntur de viris ipsis, seu de personis; qua significatione Græci quoque *σώματα* usurpant (Vide *Plutarch. Phoc.* 16. *extr.*). — *a*) De liberis. *Liv.* 29. 21. Libera corpora placere Locrensibus restitui. Adde *eumd.* 21. 13., 24. 22., et 23. 22. et V. *Fabri* ad postremum h. l. *Virg.* 2. *Æn.* 18. delecta virum sortiti corpora. Adde *eumd.* 9. 272. et *Sall. Cat.* 33. *Ovid.* 3. *Met.* 58. Aut ultor vestræ, fidissima corpora, mortis, Aut comes, inquit, ero. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 644. *Curt.* 5. 13. In illo corpore posita est victoria. Adde *eumd.* 4. 43. 6., 4. 53. 11., 4. 61. 12. et alibi; *Tac.* 4. *Ann.* 72.; et *Sil. It.* 14. 105. *Val. Flacc.* 2. 653. centumque pares primæva ministri Corpora. — *b*) Item de servis, non tamen sine contemptu. *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 33. Nec tamen ingenuam jus est servare puellam: Hic metus externæ corpora gentis agat. *Juvenal.* 12. 116. De grege servorum magna et pulcherrima quæque Corpora. *Plin. Paneg.* 33. In servorum corporibus amor laudis et cupido victoriæ.

B) Secundo *corpus* significat id, quod acervatione vel nexu, seu quod ex contingentibus se, hoc est inter se cohærentibus constat, quod *συνημμένον* vocatur, ut funis, frumentum, ædificium, navis, armarium: ita *Pompon. Dig.* loc. cit. sub init. Hac tamen significatione fere improprie occurrit. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. *ad fin.* Sed utros ejus habueris libros (sunt enim duo corpora), an utrosque nescio. *Id.* 5. *Fam.* 12. 4. A principio conjurationis usque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam corpus (*h. e.* librum vel opus) confici posse. *Id. Brut.* 57. 208. Unum corpus debet esse defensionis. *Seneca Tranquill.* 9. *sub fin.* Corpora ignotorum auctorum. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Hos (*h. e.* poetas) nisi retrahis in corpus. *Ulp. Dig.* 32. 50. Corpus Homeri, *h. e.* Homeri opera. *Id. ibid.* 40. 5. 37. Corpora rationum. *Id. Justin. Cod.* 5. *tit.* 13. Corpus juris. Cf. *Liv.* 3. 34. Corpus omnis Romani juris. — Et generatim *Vellej.* 1. 16. 2. In unum quæque corpus congregantur. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Nec facile totum corpus corona militum cingeretur. *h. e.* universæ obsidionis opera simul sumpta ac ratione habita singularum partium. Ceterum recentiores quidem *leg. corpus*, veteres autem *opus*. *Ulp. Dig.* 1. 2. 20. Corpus patrimonii. *et ibid.* 31. 79. Omnia corpora maternæ hereditatis.

C) Tertio *corpus* dicuntur ea, quæ ex distantibus constant, sed uni nomini subjectis, ut populus, legio, grex: ita *Pompon. Dig.* loc. cit. sub init. Ad rem *Cic.* 1. *Off.* 25. 85. Totum corpus reipublicæ curent. *Liv.* 1. 8. Coalescere in populi unius corpus. *Id.* 26. 16. Corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium esse. *Id.* 4. 9. Qui et ipsi ejusdem corporis erant. *h. e.* ejusdem ordinis. *Id.* 1. 17. Sabini sui corporis creari regem volebant. *h. e.* sui populi, Sabinum scilicet. *Ovid.* 2. *Trist.* 232. Corpus imperii. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 16. et *Flor.* 4. 3. 5. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 313. toto certatum est corpore regni. *h. e.* totis regni viribus. *Justin.* 3. 2. Fiunt de uno populo duo corpora. *Id.* 14. 2. *ad fin.* Unus de corpore militum. *Callistrat. Dig.* 50. 6. 5. *ad fin.* Collegium vel corpus fabrorum et naviculariorum. Hinc *corporati*, de quibus in *V.* CORPORO: de differentia vero *corporis* a *collegio* V. *Amadut. Leg. nov. Theodos. p.* 284. *not.* 1. Ceterum hoc sensu occurrit sæpissime in *Inscriptt.*, ut apud *Orell.* 1885., 4072., 3672., 4074., 4076. etc., et apud *Henzen.* 7106., 6176., 7191., 7205. etc.

CORPUSCULUM, i, n. 2 *deminut. a* corpus, parvum corpus. ¶ 1. Generatim. — *a*) De atomis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 24. 67. Esse corpuscula quædam levia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quædam et quasi adunca. Adde *Lucret.* 2. 152., 4. 199. et alibi sæpe. — *b*) De humano corpore. *Juvenal.* 10. 173. mors sola fatetur Quantula sint hominum corpuscula. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 29. Cuperem, sine querela corpusculi tui pervenire in Bithyniam potuisses. — *c*) Locum habet etiam in blanditiis. *Plaut. Cas.* 4. 4. 10. Corpusculum mellitulum! — *d*) Differt a statura in illo *Augusti* apud *Sueton. Vit. Horat. a med.* Si tibi statura deest, corpusculum non deest. *h. e.* crassities; Horatius enim ὀγκωδέστατος, crassissimus et habitu corporis brevis fuit. ¶ 2. Speciatim corpusculum significat id, quod acervatione vel nexu, seu quod ex contingentibus se, hoc est inter se cohærentibus constat. *Justin. præfat.* 4. Horum voluminum cognitione quæque dignissima excerpsi, et breve veluti florum corpusculum feci.

CORRĀDO *vel* conrado, dis, si, sum, dere, a. 1. (cum *et* rado). Part. *Corradens* I.; *Corrasus* II. 2. — Corrado est radendo aufero (It. *rader via*; Fr. *enlever en raclant*; Hisp. *raer, raspar*; Germ. *zusammenkratzen-oder schnarren*; Angl. *to scrape or rake together, bear or carry away*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 443. Vortex corradens ex aere semina nubis. *Cels. Dig.* 6. 1. 38. Si tectorium quod induxeris, picturasque corradere velis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est omnia vendere. *Ter. Heaut.* 1. 1. 89. Nihil relinquo in ædibus, nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia. Ubi *Calphurnius*: omnia compilavi, vendidi. Huic contrarium est *abradere*, et est per vim aliquid auferre. Cum autem dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquisse ex rebus suis, quod non alienaverit, recte dicemus *omnia corrasit*, quasi etiam raserit parietem, etc. — Similiter *Lucret.* 1. 402. Corradere fidem dictis. *V.* CONTRADO. ¶ 2. Speciatim est difficulter comparare, eodem *Calphurnio* teste. *Plaut. Pœn.* 5. 6. 26. Trecentos Philippos, credo, corradi potest. *Ter. Adelph.* 2. 2. 24. Minas decem corradet alicunde. *Ulp. Dig.* 26. 7. 4. Si ea summa corradi possit. ut inde ager comparari possit. Adde *eumd. ibid.* 7. 3. *circa med. Callistrat. ibid.* 40. 20. 6. *extr.* Plerumque etiam inde corrasas pecunias præsides ad fiscum transmiserunt.

CORRĀSUS *vel* conrasus, a, um. *V.* voc. præced.

CORRĀTIŌNĀLĬTAS *vel* conrationalitas, ātis, f. 3. *Augustin.* 6. *Music.* 17. Corrationalitas: ita enim malui analogiam vocare, etc.

CORRECTĬO *vel* conrectio, ōnis, f. 3. corrigendi actus, emendatio (It. *correzione, emendazione*; Fr. *redressement, correction, réforme*; Hisp. *correccion, emienda*; Germ. *die Verbesserung, Zurechtweisung*; Angl. *correction, amendment*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Fin.* 9. 21. Hæc est correctio philosophiæ veteris et emendatio. *Id.* 3. *Off.* 2. 7. Panætium nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus. *Id. Amic.* 24. 90. Peccasse se non anguntur, objurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere. *h. e.* objurgatione, castigatione. *Sueton. Tib.* 42. et *Domit.* 8. Correctio morum. *h. e.* censura. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est figura, Græce ἐπανόρθωσις, quæ tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto: nam postquam isti vicerant, atque adeo victi sunt: eam enim quomodo victoriam appellem, quæ victoribus plus calamitatis, quam boni dederit? Hæc ex *Cic.* 4. *Herenn.* 26. 36. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 53. 204.; et *Quintil.* 9. 1. 30. V. *Göller* ad *Cic. Orat.* 40. 137. — *Quintil.* autem 9. 3. 89. docet, duplicem esse *correctionem*, verborum et sententiarum. Nam cum in re est, dubitatio quædam dici potest, et ad sententias pertinet: ad verba vero, cum in verbo aliquo emendando versatur. — *Turneb.* quoque duas facit *correctiones*, alteram, quæ corrigat antequam dicatur, Græce προδιόρθωσιν: alteram quæ post, ἐπιδιόρθωσιν, quia *Cic.* 3. *Orat. loc. cit.* habet: *tum correctio vel ante, vel postquam dixeris.* Satius est tamen, unam eamdemque figuram agnoscere.

CORRECTOR *vel* conrector, ōris, m. 3. qui corrigit vel qui simul regit. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito Genitivo. *Cic. Balb.* 8. 20. O præclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ civitatis! *Horat.* 2. *Ep.* 1. 129. Asperitatis et invidiæ corrector et iræ. *Liv.* 45. 32. Usus est legum corrector. *Seneca* 2. *Ira* 10. Corrector peccantium. *Id.* 3. *ibid.* 37. Pessimus quisque correctorem asperrime patitur. *Plin. Paneg.* 6. Corrector disciplinæ. — Et de eo, qui nimis acriter alterum objurgat. *Cic. Orat.* 56. 190. Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco, quo reprehendit, – emittit imprudens ipse senarium. — *b*) Absolute *Ter. Adelph.* 4. 7. 23. *sq.* Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas. Corrector! nempe tua arte viginti minæ pro psaltria periere. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 15. 37. ¶ 2. Speciatim *correctores* provinciarum, sub imperatoribus Romanis in provincias mittebantur, vel corrigendi causa, si quid turbatum esset aut bellorum vi, aut rebellionibus, aut mutatione dominorum, aut negligentia magistratuum: vel potius regendi atque administrandi (una cum consularibus et præsidibus, aut etiam procedente tempore, ipsi soli). Quæ postrema *Forcellini* verba uncis inclusa, ex *Lupoli It. Venus.* p. 358.-374. ita mutanda sunt: Prius tamen *consulares*, mox *juridici*, tandem *correctores* sunt appellati. Quorum dignitas paullatim adeo crevit, ut unus aliquando *Italiæ corrector* creatus sit, auctoritate certe imperatoribus ipsis valde proxima. (Ex *Lupoli* nuper cit. omittenda sunt etiam, quæ hic addiderat *Forcellinus*, scilicet: Initio autem medii fuisse videntur inter consulares et præsides). *Hermogenian. Dig.* 1. *tit.* 18. *De Offic. Præsid.* 10. De omnibus causis, de quibus, etc. correctorum et præsidum provinciarum notio est. *Eutrop.* 9. 13. Qui quidem Tetricus etiam corrector Lucaniæ postea fuit. Ubi Pæanii μετάφρασις habet καὶ τὸν μὲν (Τέτρικον) ἐπιτροπεύειν ἔταξε τῆς Λουκανῶν ἐπαρχίας. *Trebell.* in *XXX. Tyr.* 24. Tetricum, quem triumphaverat, Aurelianus correctorem totius Italiæ fecit. Cum vero *B. Borghesius* apud *Cavedoni*, *Marm. Mod.* p. 291. affirmaverit, Diocletianum primum omnium correctores instituisse, videtur *Trebellius* suæ ætatis nomen in tempora priora transtulisse: cf. *Henzen. Tab. alim. Bæb.* p. 25. Quamquam aliter sentit *Gervasio*, *Iscriz. di Mavorzio Lolliano* p. 51. ex *Dig.* 1. 18. 20., ubi Papinianus JCtus. qui obiit ann. a Chr. n. 212. sub Caracalla, mentionem facit correctoris his verbis: Legatus Cæsaris, id est præses vel corrector provinciæ, abdicando se, non amittit imperium. *Inscript.* apud *Gruter.* 407. 8. CORRECTOR FLAMINIAE ET PICENI. *et* 279. 4. CORRECTOR ITALIAE. *et* apud *Murat.* 373. 3. CORRECTOR VENETIAE ET HISTRIAE. Cf. *Inscriptt.* apud *Orell.* 1087., 1126., 3285., 3761. et apud *Henzen.* 5574. et 5588.; iterum apud *Orell.* 1194. et 2285., et apud *Henzen.* 5156., 6481. et 6909.: et alias quamplurimas. De his Correctoribus consule *Morcell. De stil. Inscript. Lat. T.* 1. p. 122. *edit. Pat.* et *Jo. Labusium*, *Epigrafe ant. Padov.* p. 12. — Denique sub Athalarico ann. a Chr. n. 526. correctores desiisse videntur, quibus successere cancellarii: V. *Lupoli loc. cit.* Corrector viæ Flaminiæ et Cassiæ, in *Inscript.* apud *Grævium* in *præfat. ad Tom.* 10. *Antiquit. Rom.* est restitutor viæ corruptæ et labefactatæ.

CORRECTŪRA *vel* conrectura, æ, f. 1. officium et munus correctoris: *V.* CORRECTOR 2. *Aurel. Vict. Cæsar.* 35. Correctura Lucaniæ. *et ibid.* 39. Cum Venetos correctura ageret. *h. e.* Venetiæ corre-

ctor esset. Adde *Auson. Parental.* n. 24. v. 11. *Inscript.* apud *Orell.* 2285. QVOD IN CORRECTVRA EIVS — NVLLAM INIVRIAM SVSTINVERIT.

CORRECTUS *vel* conrectus, a, um. *V.* CORRIGO.

CORRĔCUMBENS *vel* conrecumbens, entis, part. ab inusit. *conrecumbo*, simul recumbens. *Tertull. Testim. anim.* 4. In convivio eorum, quasi præsentibus, et conrecumbentibus, etc.

CORRĔGNO *vel* conregno, as, āvi, ātum, are, n. 1. (cum *et* regno) simul regno. *Paulin. Nolan. carm.* 25. 227. et *Sulpic. Sever.* 2. *Hist.* 33. *Tertull. advers. Judæos* 8. Cleopatra conregnavit Augusto annis tredecim.

CORRĔPO *vel* conrepo, pis, psi, (ptum), pere, n. 3. (cum *et* repo) idem quod repo, irrepo: et translate paullatim vel occulte intro. *Varro* 2. *R. R. præfat.* 3. Nunc intra murum fere patresfamiliæ correpserunt, falce et aratro relictis. Eadem fere habet *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 15. *Cic.* 10. *Att.* 12. 2. Πάρωρα, πλευτέον igitur, et occulte in aliquam onerariam corrependum. *Id.* 1. *Nat. D.* 24. 68. Quod cum efficere vultis, in dumeta correpitis. *h. e.* dicitis res involutas, quibus vos ipsi implicamini, ut inde expediri atque extricari nequeatis. — Apud *Lucret.* 5. 1217. Præterea cui non animus formidine divum Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore? *conrepunt* est concidunt, ad terram sternuntur more animalium reptilium.

CORREPTĔ *vel* conrepte, adverb. Comp. *Correptius.* — Correpte est corripiendo; sed occurrit speciatim tantum de quantitate syllabæ, et est breviter, cui *producte* opponitur. *Gell.* 9. 6. *Dictito* ab eo verbo, quod est *dico*, correpte dicimus. *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 13. Aut producatur, quæ nunc correptius exit.

CORREPTĪCIUS *vel* correptitius, a, um, adject. qui corripitur. Speciatim *Gloss. Cyrill.* Θεόληπτος, correpticius, numine captus.

CORREPTĬO *vel* conreptio, ōnis, f. 3. corripiendi actus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est apprehensio. *Gell.* 20. 10. Vindicia, id est correptio manus in re atque in loco præsenti. *Scribon. Compos.* 171. In ipsa correptione uti oportet eo antidoto. *h. e.* cum morbus corripit. ¶ 2. Speciatim est deminutio. *Vitruv.* 9. 8. 7. *Schneid.* Correptiones dierum, aut crescentiæ. — Hinc *correptio syllabæ*, cui opponitur *productio*, est, cum syllaba brevi tempore pronunciatur. *Quintil.* 7. 9. 13. Productio quoque in scripto, et correptio in dubio relicta, causa est ambiguitatis. *Id.* 9. 3. 69. Voces productione, vel correptione mutatæ.

II.) Translate est reprehensio, castigatio, increpatio. *Tertull. Pudic.* 14. Correptione aliquem retundere. *Cic. Amic.* 24. 90. Delicto dolere, correptione gaudere. *Alii rectius legunt* correctione.

CORREPTĪVUS *vel* conreptivus, a, um, adject. qui corripitur, sive contrahitur. *Gloss. Philox.* Correptivum. συνεσταλμένον.

CORREPTO *vel* conrepto, as, are, n. 1. *frequentat. a* correpo, *ut* repto *a* repo. *Juvenc.* 2. 192. An rursum senior matris correptet in alvum?

CORREPTOR *vel* conreptor, ōris, m. 3. qui corripit; sed occurrit translate tantum pro reprehensore. *Seneca* 2. *Ira* 10. Non hostis, sed correptor peccantium. *et* 3. *ibid.* 37. Pessimus quisque correptorem asperrime patitur. *Alii utrobique leg.* corrector.

CORRĔPTUS *vel* conreptus, a, um. *V.* CORRIPIO.

CORRESŪPĪNĀTUS *vel* conresupinatus, a, um, particip. a *cum et resupino*, simul resupinatus. *Tertull. Anim.* 48. Neque corresupinatis internis etc.

CORRESUSCĪTĀTUS *vel* conresuscitatus, a, um. *V.* voc. seq.

CORRESUSCĪTO *vel* conresuscito, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum *et* resuscito). Part. *Corresuscitatus.* — Corresuscito est simul resuscito. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* 38. Nunc autem Deus corresuscitavit, et consedere nos fecit in cælestibus in Christo Jesu. *Tertull. Resurr. carn.* 23. ex *D. Paul. ad Coloss.* 2. v. 12. part. *corresuscitatum* adhibet.

CORRĔUS *vel* conreus, i, m. 2. qui ob eamdem causam reus est. *Ulp. Dig.* 34. 3. 3. Dum a conreo meo petitur, ego inquietor.

CORRĪDEO *vel* conrideo, es, ere, n. 2. (cum *et* rideo) simul rideo.

I.) Proprie. *Augustin.* 4. *Confess.* 8. Colloqui, et corridere, et vicissim benevole obsequi. Adde *Vulgat. interpr. Gen.* 21. 6. et *Eccli.* 30. 10.

II.) Improprie. *Lucret.* 4. 81. Omnia conrident, correpta luce diei.

CORRĪGIA *vel* conrigia, æ, f. 1. Secundam syllabam licenter produxit *Arator.* 2. *Hist. Apost.* 81. Quæ ligat excelsas humilis corrigia plantas. At recte corripuit *Venant.* 8. *carm.* 7. 61. Corrigiamque pedum quoniam est non solvere dignus. — Corrigia est lorum tenue oblongum ad ligandum: a *corrigo* deductum est, nam corrigia pedem seu potius calceamentum regit. *Cic.* 2. *Divinat.* 40. 184. Pedis offensio nobis, et abruptio corrigiæ, et sternutamenta erunt observanda. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 12. (35). Corrigia canina. *h. e.* ex corio canis. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 448. 26. *Merc.* V. ANSA. — Hinc latiori sensu corrigia dicitur etiam lorum oblongum ad percutiendum et incitandum equum. *Edict. Dioclet. p.* 26. Corrigiam aurigalem X duobus.

CORRĪGO *vel* conrigo, rigis, rexi, rectum, rigere, a. 3. (cum *et* rego). Part. *Corrigens* II. 1. *a.*; *Correctus* in omnibus paragr. et in fin.; *Correcturus* II. 1. *b.*; *Corrigendus* II. 2. — Corrigo est, quod pravum et inversum est, dirigo (It. *raddrizzare*; Fr. *redresser, rendre droit*; Hisp. *enderezar, poner derecho lo que estaba torcido*; Germ. *etwas gerade richten oder machen, in Ordnung bringen*; Angl. *to set right, make straight*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 18. *extr.* Eas catenas cum orbibus clavis ferreis corrigito. *Liv.* 29. 27. *sub fin.* Ægre correctus cursus. *Ovid.* 9. *Met.* 527. Scripta soror fuerat: visum est delere sororem, Verbaque correctis incidere talia ceris. *h. e.* recte æquatis. *Augustus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. Corrigere corpus informe gibbo. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Torsere se fluminum, aut correxere flexus. *Id.* 7. *ibid.* 20. 19. (83). Miloni malum tenenti nemo digitum corrigebat. *Id.* 36. *ibid.* 14. 21. (97). Lapis pondere ipso correctus videbatur. *Id.* 24. *ibid.* 5. 13. (22). Galbanum vulvas conversas corrigit. *Sueton. Aug.* 99. Malas labentes corrigere. *Petron. fragm. Tragur.* 51. *Burmann.* Phialam contusam malleo corrigere. — Hinc *curva corrigere* proverbio dicitur de censoribus importunis, quique ea corrigere se posse putant, quæ nimis jam inveteravere. Nos Itali dicimus *dirizzare il becco agli sparvieri.* Utuntur hoc proverbio *Seneca Apocoloc.* et *Plin.* 5. *Ep.* 21. — Γνώμη, est illud *Quintil.* 1. 3. 12. Frangas citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est emendare; et occurrit — *a*) Plerumque de moribus, dedecore, aut similibus: interdum autem jungitur cum ipso v. *emendare*, et verbo *depravare* vel *corrumpere* opponitur. *Plaut. Trin.* 1. 2. 81. Quin eum adolescentem, quem corruptum esse vides, restituis? quin ad frugem corrigis? *Ter. Andr.* 3. 4. 17. Corrigere mihi gnatum porro enitere. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 17. Ea, quæ corrigere vult, mihi quidem depravare videtur. *Id.* 3. *Legg.* 14. 32. Corrumpere, vel corrigere mores civitatis. *Id.* 1. *Cat.* 9. 122. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? *Id. fragm.* apud *Lactant.* 6. 24. Corrigere errorem pœnitendo. *Id. Sull.* 22. 63. vitium legis. *Id.* 8. *Phil.* 11. 32. sententiam alicujus. *h. e.* mollire, aliqua ex parte mutare. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. Cursu corrigere tarditatem. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 670. tempora cursu. *Sall. Jug.* 3. Corrigere delicta. *Id. ibid.* 99. *extr.* Si forte correcta Marii temeritas gloriam ex culpa invenit. *Id. Cat.* 52. Vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. *Liv.* 43. 21. Corrigere acceptam in Illyrico ignominiam. *Id.* 30. 30. Præterita magis reprehendi possunt, quam corrigi. *Horat.* 1. *Od.* 24. 19. levius fit patientia Quidquid corrigere est nefas. *Ovid.* 2. *Met.* 89. Corrigere vota sua. *Vellej.* 2. 79. 5. Ancipitis fortuna temporis maturâ virtute correcta. *Sueton. Vesp.* 8. Corrigere disciplinam. *Id. Cal.* 54. Gestum histrionis quasi laudans vel corrigens. — Et absolute. *Liv.* 5. 28. Conclamat universus exercitus, merito se ea audire, et fateri admissum flagitium: sed eosdem correcturos esse. — *b*) De scriptis. *Cic.* 15. *Att.* 1. *a med.* Petivit, ut eam orationem corrigerem, antequam ederet. *Id.* 13. *ibid.* 48. Laudationem Porciæ tibi misi correctam. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. Recentissima quæque sunt correcta et emendata maxime. *Varro* 9. *L. L.* 4. *Müll.* Corrigere aliquid ad consuetudinem communem. *Sueton. Cæs.* 56. (*Commentarios*) rescripturus et correcturus. *Horat. Art. P.* 438. Quintilio si quid recitares: Corrige sodes Hoc, ajebat, et hoc. Adde *Quintil.* 1. 5. 34., 9. 4. 15. et alibi. ¶ 2. Speciatim in re medica est sanare, tollere, emendare. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 74. (156). Decocta ex lupinis lentigines corrigunt. *Id.* 31. *ibid.* 6. 33. (66). Maciem corporis piscinæ maris corrigunt. *Id.* 23. *ibid.* 8. 75. (144). Corrigere cutem in facie. Cf. *Id.* 28. *ibid.* 4. 7. (36). Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur, statim a tali remedio correcto animalis ingressu. — Huc pertinet et illud ejusdem *Plin.* 15. *ibid.* 29. 37. (124). Oleo præcipua vis ad corrigenda vina, saccis ante perfusis. *h. e.* vini vires frangendas, ut *Idem* loquitur 14. *ibid.* 22. 28. (138). — Hinc Part. præter. pass.

Correctus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Correctior* apud *Gell.* 6. 14. Pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorque.

CORRĪPIO *vel* conripio, ripis, ripui, reptum, ripere, a. 3. (cum *et* rapio). Part. *Corripiens* I. *B.* 2. *a.*; *Correptus* in omnibus paragr.; *Corripiendus* I. *B.* 1. *a.* — Corripere est celeriter arripere, capere, maxime vi comprehendere atque ad se pertrahere (It. *afferrare, prendere in fretta, pigliare violentemente*; Fr. *prendre, saisir vivement et entièrement*; Hisp. *agarrar, asir, vivamente, precipitadamente*; Germ. *Imdn oder etwas von allen Seiten ganz zusammenraffen, fassen, reissen, heftig ergreifen, schnell an sich ziehen*; Angl. *to snatch, lay hold of hastily, seize*).

I.) Proprie occurrit *A*) Stricto, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu est celeriter arripere vel arripiendo sustollere. — *a*) Generatim. *Cic.* 5. *Verr.* 23. 57. Hominem corripi ac suspendi jussit in oleastro. *Cæs.* 3. *B. C.* 109. Quos ille corripi et interfici jussit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (81). Correptum hostem transferre in castra. *Virg.* 4. *G.* 405. Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis etc. Cf. *Justin.* 1. 9. 22. Corripiuntur a pluribus. *h. e.* ex improviso a pluribus impetuntur. *Lucret.* 4. 81. Omnia conrident, correptâ luce diei. *h. e.* celeriter concepta et recepta. — *b*) Speciatim *corripere se* frequenter usurpatur pro celeriter movere. *Plaut. Merc.* 3. 4. 76. Ut corripuit se repente atque abiit! *Ter. Hecyr.* 4. 1. 3. Corripuit derepente tacitus sese ad filiam. Adde *eumd. ibid.* 3. 3. 5. *Virg.* 11. *Æn.* 462. Corripuit sese et tectis citus extulit altis. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 472. Similiter *Lucret.* 3. 164. et *Virg.* 4. *Æn.* 572. Corripit e somno corpus. *Lucret.* 4. 1000. Corripere corpus de terra. *Virg.* 3. *Æn.* 176. Corripio e stratis corpus. — *c*) Item speciatim de iis ponitur, quæ manibus aut alia ratione celeriter arripiuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 191. arcumque manu celeresque sagittas Corripuit. *Ovid.* 2. *Met.* 145. Corripere lora manu. *Sall. Cat.* 18. fasces. *Vellej.* 2. 110. 2. Universa Pannonia insolens longæ pacis bonis, ex constituto arma corripuit. Similiter *Virg.* 6. *Æn.* 422. Cerberus tria guttura pandens Corripit objectam offam. *Phædr.* 1. 2. Corripere aliquid dente. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 40. 56. (115). aliquid morsu. *Virg.* 12. *Æn.* 302. cæsariem hostis. — *d*) Item *corripere viam, spatium* etc. est celeriter dare se viæ, immittere se in spatium. *Virg.* 1. *Æn.* 422. et *Plin.* 4. *Ep.* 1. Corripere viam. *Virg.* 5. *Æn.* 316. signoque repente Corripiunt spatia audito. *Id.* 3. *G.* 104. cum præcipiti certamine campum Corripuere, ruuntque effusi carcere currus. *Horat.* 1. *Od.* 3. 33. Corripere gradum. *Val. Flacc.* 1. 132. æquora delphin Corripit.

B) Latiori sensu. ¶ 1. Cum addita significatione vis aut doli, corripere est per vim aut dolum rapere, surripere, invadere, occupare, tenere; et occurrit — *a*) De bonis aut de potestate. *Cic.* 2. *Verr.* 2. 5. Apertus in corripiendis pecuniis fuit. *Lentulus ad Coss. et Prætt.* apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. Vastata provincia, correptis vectigalibus. *Virg.* 2. *Æn.* 167. Corripuere sacram effigiem. *Sueton. Domit.* 12. Corripere bona vivorum ac mortuorum. *Plin.* 9. *Ep.* 30. Non sua promere, sed aliena corripere. *Justin.* 15. 1. 9. Indignatus, quod Antigonus solus communis victoriæ præmia corripuisset. *Tac.* 11. *Ann.* 8. Nec cunctatur, quin proximas præfecturas corripiat. *Vellej.* 2. 58. 3. Corripere fasces atque insignia consularia. *Flor.* 4. 2. 3. imperium. — *b*) Speciatim de igne, morbis, et similibus. *Lucret.* 6. 395. Turbine cælesti subito correptus et igni. *Virg.* 1. *Æn.* 48. Turbine aliquem corripere. *Id.* 3. *G.* 254. Flumina correptos undâ torquentia montes. *Id.* 9. *Æn.* 537. Flamma corripuit tabulas. *Ovid.* 2. *Fast.* 524. Nunc

ipsas igni corripuere casas. *Id.* 8. *Met.* 514. stipes correptus ab ignibus arsit. *Id.* 5. *ibid.* 483. Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber. *Lucret.* 6. 823. cæco (*ales*) correpta veneno. *Virg.* 3. *G.* 472. nec singula morbi Corpora corripiunt. *Cels.* 6. 18. n. 9. Subitis et gravissimis morbis corripi. *Sueton. Cæs.* 45. Morbo bis inter res agendas correptus est. *Id. Vitell.* 3. Decessit paralysi, altero die, quam correptus est. *Id. Aug.* 43. Correptus valetudine. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (172). Corripi febre. Alter *Plin.* 1. *Ep.* 12. pedum dolore. Et absolute *Seneca Œdip.* 69. Non ars ulla correptos levat. — Huc pertinent et illa *Curt.* 6. 6. et *Flor.* 3. 17. 2. Subita morte correptus. Et *Val. Flacc.* 6. 277. Extremus error corripit lumina. *h. e.* tenebræ occupant oculos. — *c*) Denique in jure corripere est in judicium rapere, accusare, reum agere. *Sueton. Domit.* 12. Quolibet et accusatore et crimine corripiebantur. *Tac.* 12. *Ann.* 42. Vitellius accusatione corripitur. *Id.* 15. *ibid.* 44. Correpti judicio eorum. — Et absolute. *Id.* 3. *ibid.* 49. Lutorium Priscum corripuit delator. *Id.* 6. *ibid.* 40. A delatoribus corripitur ob servum adulterum. ¶ 2. Cum addita breviandi significatione corripere est minuere, contrahere. — *a*) Generatim. *Sueton. Tib.* 34. Ludorum ac munerum impensas corripuit. *Id. Domit.* 4. Quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit. *Quintil.* 4. 2. 43. Non minus cavenda erit, quæ nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas. *Stat.* 4. *Theb.* 314. Qualis erat, correpta sinus, et vertice flavum Crinem sparsa Noto. *h. e.* adstricta, succincta. — *b*) In re grammatica. *Varro* 7. *L. L.* 33. *Müll.* de nomine *trabes*. Cujus verbi singularis casus rectus correptus et facta *trabs*. *Quintil.* 10. 1. 29. Poetæ non mutare quædam modo verba, sed extendere, corripere, convertere, dividere coguntur. *h. e.* breviora facere aliquid detrahendo per aphæresin, syncopen vel apocopen. *Id.* 9. 4. 89. Quæ neque augeri, nec minui, nec sicuti modulatione produci aut corripi possint. *Id.* 1. 5. 18. Cum syllaba correpta producitur. *h. e.* brevis. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 56. Illo verbo (*fulgere*) utebantur antiqui correpto, quo nos producta una syllaba utimur. *Gell.* 2. 17. Præpositio, quæ produci et corripi solet.

II.) Translate. ¶ 1. Corripi dicuntur, qui vehementi aliquo animi motu vel affectu capiuntur, rapiuntur, exagitantur. *Plaut. Asin.* 5. 2. 34. Ex amore hujus correptum. *Al. leg.* corruptum. *Virg.* 2. *G.* 510. hunc plausus (plebisque patrumque) hiantem Corripuit. *h. e.* cepit. *Id.* 11. *Æn.* 584. Correptus militiæ. *h. e.* amore militiæ. *Propert.* 1. 3. 13. duplici ardore. *h. e.* cupidine. *Ovid.* 9. *Met.* 459. Byblis correpta cupidine fratris. *Id.* 14. *ibid.* 676. imagine formæ. *Sueton. Cal.* 12. misericordia. *Gell.* 1. 26. ira. ¶ 2. Corripere est etiam reprehendere, objurgare, increpare. *Cæs.* 1. *B. C.* 2. Omnes convicio consulis correpti exagitabantur. *Liv.* 2. 28. Correpti consules. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 257. impransi correptus voce magistri. *Ovid.* 3. *Met.* 564. hunc cetera turba suorum Corripiunt dictis. *Quintil.* 11. 1. 68. Non inimice corripere, sed pæne patrie monere. *Plin.* 9. *Ep.* 21. Corripere aliquem acrius severiusque. *Sueton. Galb.* 5. Correptus jurgio et manu pulsatus. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 5. Corripere peccata stulti sodalis. *Sueton. Cal.* 45. Corripere timiditatem et ignaviam alicujus. *Id. Aug.* 53. Adulationes gravissimo edicto corripuit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Jus videmur perdidisse corripiendi potoria gemmata.

CORRĪVĀLIS *vel* conrivalis, is, m. 3. idem ac rivalis. *Quintil.* 14. *Declam.* 12. Patior illa corrivalium maledicta, convicia.

CORRĪVĀTĬO *vel* conrivatio, ōnis, f. 3. deductio aquæ in unum et eumdem locum. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 27. (44). Corrivatio aquæ pluviæ in locum humiliorem e superioribus defluentis. Adde *eumd.* 33. *ibid.* 4. 21. (74). et 36. *ibid.* 15. 24. (11).

CORRĪVĀTUS *vel* conrivatus, a, um, *V.* CORRIVO.

CORRĪVIUM *vel* conrivium, ii, n. 2. Occurrit concreto tantum, uti ajunt, sensu pro pluribus rivis simul fluentibus. *Itiner. Alex. M.* (ed. rom. *A. Mai*) cap. 8. Idæis conriviis repens præcipitio montano descendens.

CORRĪVO *vel* conrivo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et rivus). Part. *Corrivatus*. — Corrivo est in eumdem rivum aquas deduco. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 19. Habet terra venas aquarum, ex quibus corrivatis flumina effici possunt. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (53). Tiberis corrivatus piscinis. *Id.* 6. *ibid.* 14. 17. (43). Liquor salis corrivatus. *Id.* 34. *ibid.* 12. 32. (125). Corrivatus limus. *Id.* 31. *ibid.* 4. 30. (53). Plerumque damnosi torrentes corrivantur, detracta collibus silva, continere nimbos, ac digerere consueta. *Ulp. Dig.* 39. 3. 3. Corrivare aquam. Figurate *Imp. Justinian.* in *Constit.* 2. ad *Dig.* § 2. Primo quidem anno (*discipuli*) nostras hauriant Institutiones, ab omnibus turbidis fontibus in unum liquidum stagnum corrivatas. — Apud *Plin.* 6. *Hist. nat.* 16. 18. (47). *corrivare flumen* videtur positum pro in rivos dividere, et ad irrigandos agros diducere.

CORRIXOR, aris, ari, dep. 1. (cum et rixor) simul rixor, digladior. *Varron. Sentent. nov.* p. 8. ed. *Quicherat.* Corrixandi materiam sæpe dant definitiones.

CORRŌBŎRĀMENTUM *vel* conroboramentum, i, n. 2. *Lactant.* 3. 12. *sub fin.* Labores et miseriæ sunt exercitia et corroboramenta virtutis.

CORRŌBŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus corroborandi. *Gloss. Cyrill.* Ἰσχυροποίησις, confirmatio, corroboratio.

CORRŌBŎRĀTUS *vel* conroboratus, a, um. *V.* voc. seq.

CORRŌBŎRO *vel* conroboro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et roboro). Part. *Corroboratus* sub *b*. — Corroboro est idem quod roboro, vires et robur addo, confirmo (It. *rinvigorire*, *rinforzare*; Fr. *fortifier*, *corroborer*, *renforcer*; Hisp. *fortificar*, *corroborar*, *fortalecer*; Germ. *kräftigen*, *stark machen*, *sehr verstärken*; Angl. *to invigorate*, *strengthen*, *corroborate*, *confirm*). Occurrit — *a*) De rebus physicis. *Cic. Sext.* 4. 10. Cum puerilis tua vox se corroborarit. Cf. *eumd. Cæl.* 5. 11. Sed qui prima illa initia ætatis integra atque inviolata præstitisset, cum is jam se corroboravisset ac vir inter viros esset, etc. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 10. Corroborare palmitem. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 99. (263). Carduus stomachum corroborat. *Id.* 24. *ibid.* 4. 7. (13). Corroborare torpentes membrorum partes. *Id.* 11. *ibid.* 37. 49. (134). Cerebrum corroboratur. *Sueton. Galb.* 6. Militem assiduo opere corroborare. *Frontin. Aquæd.* 123. Temperamento cæli opus est, ut ex humore commode structura combibat, et in unitate corroboretur. — *b*) De moralibus et abstractis. *Cic.* 1. *Cat.* 12. Qui conjurationem nascentem non credendo corroboraverunt. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 31. Mens usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat. *Id. Amic.* 20. 74. Corroboratis et confirmatis ingeniis. *Id. Flacc.* 26. 63. virtus. *Id. Mil.* 12. 32. Audacia sceleratissimi hominis vetustate corroborata. *Cæl.* 17. *sub fin.* Quibus non modo hæc ætas, sed etiam corroborata caperetur. *Dial. de Orat.* 34. Eloquentiæ fama corroboratur. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 2. Corroboratur amicitia meritis parta.

CORRŎCO, ōnis, m. 3. nomen piscis apud *Auson. Ep.* 4. 60. referuntur ab unda Corroco, letalis trygon, mollesque platessæ.

CORRŌDO *vel* conrodo, dis, si, sum, dere, a. 1. (cum et rodo). Part. *Corrosus*. — Corrodo est idem quod rodo vel rodendo exedo. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 59. Quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint, de republica debui pertimescere. *Phædr.* 4. 7. 7. Omne assuevi ferrum quæ corrodere. *Varro* 3. *R. R.* 17. 4. Insulæ corrosæ. *Alii rectius leg.* chorevusæ, *quam vocem vide suo loco*. *Juvenal.* 15. 80. Corrosis ossibus.

CORRŌGĀTĬO *vel* conrogatio, ōnis, f. 3. electio. *Vulgat. interpr. Eccli.* 32. 3. Rectorem (*convivii*) te posuerunt? curam illorum habe, ut dignationem consequaris corrogationis. *A. Mai.* in *Thes. Lat.* p. 152. hæc habet: *Vulgat. Ital. Eccli.* 7. 38. Non desis plorantibus in corrogatione. *corrogatio* intelligenda videtur invitatio ad epulum funebre. Atque ita interpretandum opinor locum *Vulgat. Eccli.* 32. 3. in *Append. Furlanett.* Sic *Martianus Capell.* 1. *p.* 3. Dii ad convivium corrogati.

CORRŌGĀTUS *vel* conrogatus, a, um. *V.* voc. seq.

CORRŌGO *vel* conrogo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et rogo). Part. *Corrogatus*. — Corrogare est rogando congregare, sive multis precibus contrahere. *Cic. Quinct.* 6. 25. Ipse suos necessarios ab atriis Liciniis, et a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint. *Id.* 3. *Phil.* 8. 20. Corrogati auditores, *h. e.* ambitione collecti. Cf. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Corrogare auditores. Et absolute *Quintil.* 10. 1. 18. Vitiosa a corrogatis laudantur. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 6. 9. Corrogare carbunculos. *h. e.* colligere. *Id. ibid.* 51. 64. vasa, vestimenta, pueros. *Id.* 5. *Verr.* 79. 184. Nummulis corrogatis de nepotum donis. *Cæs.* 3. *B. C.* 102. Pecunia ad necessarios sumptus corrogata. *h. e.* collecta. *Liv.* 43. 9. Corrogare auxilia ab sociis. *Id.* 33. 48. vela cum antennis ex navibus. *Capell.* 1. p. 16. Corrogare deos ad sacras nuptias. *V.* alium locum in CORROGATIO.

CORRŌSĪVUS *vel* conrosivus, a, um, adject. corrodendi vim habens. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 27. Medicamenta corrosiva. Hinc *Klotz*; ipse vero locum minime inveni.

CORRŌSUS *vel* conrosus, a, um. *V.* CORRODO.

CORRŌTUNDĀTUS *vel* conrotundatus, a, um. *V.* voc. seq.

CORRŌTUNDO *vel* conrotundo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et rotundo). Part. *Corrotundatus* 1. — Corrotundo ¶ 1. Generatim est rotundum facio. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 3. Grando corrotundatur, et toties per spatium aeris densi devoluta, æquabiliter atque in orbem teritur. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 26. et *Ep.* 113. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* Terra mater est, in medio quasi ovum corrotundata. *Veget.* 1. *Milit.* 11. Scuta corrotundata. *Quintil.* 11. 3. 102. Quoties entymemata sua gestu velut corrotundant. ¶ 2. Specialim est summam complere. *Petron. fragm. Tragur.* 76. *Burmann.* Uno cursu centies sestertium corrotundavi. *h. e.* cumulavi, collegi, coacervavi, sumpta translatione vel a forma rotunda pecuniæ, vel acervi. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 6. 34. Mille talenta rotundantur, totidem altera, porro et Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.

CORRUCTO, as, are, a. 1. simul ructo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 154.

CORRŪDA *vel* conruda, æ, f. 1. asparagus silvestris, qui cultu, et translatione mitescit. *Cato R. R.* 6. Ibi corrudam serito, unde asparagi fiant. *Colum.* 10. *R. R.* 375. et asparagi corruda simillima filo. *Id.* 11. *ibid.* 3. 43. Sativi asparagi, et quam corrudam rustici vocant. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 24. 4. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (145). — Sunt qui derivant a κόρυμβος, teste Hesychio, ὁ καυλὸς τοῦ ἀσπαράγου. Et reapse *Cod. Sangerm.* in *Colum.* 11. *R. R.* 3. 43. dat *Corundam*. At huic origini obstat prima syllaba in *corruda*, quæ longa est, brevis in κόρυμβος; deinde difficilis est mutatio litteræ β in δ.

CORRŪDIS *vel* conrudis, e, adject. simul rudis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 123.

CORRŪGĀTUS *vel* conrugatus, a, um. *V.* CORRUGO.

CORRŪGIS *vel* conrugis, e, adject. qui in rugas colligitur. *Nemesian. Cyneg.* 93. Corrugesque sinus (*chlamydis*) gemmatus balteus arctet.

CORRŪGO *vel* conrugo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cum et rugo). Part. *Corrugatus*. — Corrugo est in rugas contraho, crispum reddo. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 3. Ubi satis corrugata erunt acina, demito. *Id.* 12. *ibid.* 50. 19. In tabulato corrugari olivam, minoremque fieri. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares, *h. e.* convivis fastidium creet ac nauseam, quam corrugando nares significare solemus. Cf. *Boeth. de diis et præsens.* inter op. *Cicer.* edit. ab *Orell. T.* 5. *p.* 393. Ne hunc locum corrugata nare fastidiant. Et *Capell.* 8. *p.* 273. Ni tragicum corrugaris.

CORRŪGUS *vel* conrugus, i, m. 2. fossa, aut canalis, quo corrivatur aqua ad eluendum aurum ex metallis erutum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (74). Flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere: corrugos vocant, a corrivatione credo.

CORRUMPO *vel* conrumpo, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, a. 3. (cum et rumpo). *Corrumpier* auctum per paragogen pro *corrumpi*, est apud *Lucret.* 6. 17. — Part. *Corrumpens* II. 3. *Corruptus* in omnibus paragr. et in fin.; *Corrupturus* et *Corrumpendus* II. 3. — Corrumpere, in quo præpositio *cum* est intensiva, significat rem aliquam omnino rumpere atque in particulas dissolvere, adeoque absumere, destruere (It. *corrompere*, *disfare*, *distruggere*; Fr. *dissoudre violemment*, *détruire*, *anéantir*; Hisp. *disolver*, *destruir*, *aniquilar*; Germ. *ganz zerbrechen*, *zerstören*, *vernichten*; Angl. *to corrupt*, *destroy*).

I.) Proprie ac stricto sensu est absumere, destruere. *Cæs.* 7. *B. G.* 55. Reliquum frumentum flumine atque incendio corruperunt. *Sall. Jug.* 70. Aurum

argentumque et alia domum regiam comportant: ibi illa et domum et semet corrumpunt. *Id. ibid.* 97. Oppida igni corrumpere. *Id. ibid.* 68. Diuturnitate belli res familiares corruperant. — Huc pertinent et illa *Plaut. Men.* 4. 2. 31. Di illum omnes perdant: ita mihi hunc hodie corrupit diem. *h. e.* consumpsit, in causa fuit cur diem in vanum tererem: eadem ratione dixit *Id. Asin.* 2. 2. 25. lacerare diem. *Sall. Jug.* 38. Seque suasque spes corrumpere. *h. e.* perditum ire. Sic *Ovid. Heroid.* 21. 127. Corrumpere spem. Rursus *Sall. Cat.* 41. Dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere. *h. e.* amittere. Et poetice *Sil. It.* 5. 31. densam caligine cæca Exhalans nebulam, late corruperat omnem Prospectum miseris. *h. e.* ademerat.

II.) Translate est depravare, vitiare. ¶ 1. Ponitur de inanimis, quæ in pejus quomodocumque mutantur, (in bonam enim partem adhibetur tantum a *Stat.*, cujus verba *V.* sub *b*, in fin.); et occurrit — *a*) De iis, quæ esui, potui, tegendove corpori inserviunt. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 102. Corrumpitur jam cœna. *Ter. Adelph.* 4. 2. 49. Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur. *Id. ibid.* 3. 4. 57. Pisces hi mihi ne corrumpantur, cautio est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Conclusa aqua facile corrumpitur. *Sall. Jug.* 59. Pabula et aquarum fontes corrumpere. *Virg.* 1. *Æn.* 181. Ceres corrupta undis. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Coria igni ac lapidibus corrumpuntur. *Frontin. Aquæd.* 122. Tectoria corrumpuntur. *Sueton. Ner.* 34. Corruptum navigium. — *b*) Item de iis, quæ corpori ac valetudini damna inferunt. *Plaut. Amph.* 5. 1. 6. Corrupta sum atque absumpta. *h. e.* male me habeo. *Id. Truc.* *a.* 5. *v.* 23. Corrumpi situ. *h. e.* marcescere. *Liv.* 28. 35. Corrumpi equos inclusos in insula. Eodem sensu 3. *B. C.* 58. Corrupti macie equi. Et *Phædr.* 2. 8. Corrupti boves. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 9. Apes vetustate corruptæ. *Ovid. Heroid.* 20. 137. teneros corrumpere febribus artus. *Id.* 3. *Amor.* 6. 57. lacrimis corrumpere ocellos. Sic *Curt.* 3. 11. 21. Formæ ne illa quidem sorte corruptæ. *Scribon. Compos.* 137. Hoc medicamentum stomachum non corrumpit. Similiter *Propert.* 3. 13. 30. Corrumpit dura catena manus. *Id.* 2. 3. 3. Corrumpere dentibus ungues. — Et in bonam partem. *Stat.* 1. *Achill.* 307. Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro. — *c*) Item de litteris, publicis tabulis, etc., quibus aliquid per dolum additur, abraditur, interscritur. *Cic.* 4. *Verr.* 38. 93. Corrumpere litteras publicas. *Id. ibid.* 42. 104. Tabulæ corruptæ, atque interlitæ. *Id. Rosc. Am.* 44. 128. Tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt. *Ulp. Dig.* 11. 3. 11. Chirographa debitorum corrumpere. *Modestin. ibid.* 48. 10. 32. Corrumpere mensuras publice probatas vini, frumenti, etc. — *d*) Item apud Grammaticos et Rhetores de litterarum mutatione et orationis vitiis. *Ovid.* 5. *Fast.* 195. Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latino Nominis est nostri littera Græca sono. *Quintil.* 8. 3. 45. Littera continuata cum insequente, in naturam ejus corrumpitur. Cf. *Id.* 1. 1. 13. Oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti. *Id.* 8. 3. 58. Tot generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sic *Id.* 8. proœm. 25. A corruptissimo quoque poetarum figuras seu translationes mutuamur. — Et *corrupti* absolute apud eumd. *Quintil.* 8. 3. 7. Nemo ex corruptis dicat, me inimicum esse culte dicentibus. *h. e.* ex iis, qui corrupte et vitiose loquuntur. ¶ 2. Item de abstractis, quæ in pejus quomodocumque mutantur. *Cic. Mur.* 12. 27. Cum permulta præclare legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis corrupta ac depravata sunt. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 39. multo corrupta dolore voluptas. *Phædr.* 4. 21. 18. Corrumpere gratiam. *Ovid.* 6. *Fast.* 319. dotes suas. *Curt.* 4. 7. famam rerum gestarum. *Vellej.* 2. 52. Pertinacia corrumpit munus misericordiæ. *Id. ibid.* 57. Ineluctabilis fatorum vis consilia corrumpit. *Tac.* 1. *Ann.* 75. Corrumpere libertatem. ¶ 3. Sæpius morali ratione corrumpere est mores hominum depravare, aliquem seducere et pertrahere ad pravum aliquid committendum; et occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 15. Neque equidem illum me vivo corrumpi sinam. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 32. Vitiosi principes non solum obsunt civitati, ipsi quod corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt. *Cic. Partit. orat.* 26. 91. Genus hominum ad honestatem natum, malo cultu pravisque opinionibus corruptum. *Id.* 2. *Off.* 20. 71. Corrupti mores depravatique admiratione divitiarum. Adde *eumd.* 3. *Legg.* 14. 32. *Id. ibid.* Corrumpere aliquem. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 70. Corrupta et contaminata judicia. Sic *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 7. Corrumpere judicium. *h. e.* dare pecuniam judicibus pro sententia. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 15. Partem exercitus, quæ corrupta est et ab republica alienata, corrigere et coercere. *Cæs.* 3. *B. C.* 64. Quodcumque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium, terrorem et periculum augebat. *Sall. Jug.* 43. Centuriones uti transfugerent corrumpere. *Id. ibid.* 43. Milites licentia atque lascivia corruperat. *Id. ibid.* 33. Animus ab ignavia atque socordia corruptus. *Propert.* 1. 8. 22. Me non ullæ poterunt corrumpere tædæ. Sic *Ovid. Heroid.* 4. 165. Flecte feros animos: potuit corrumpere taurum Mater: eris tauro sævior ipse truci? *h. e.* mollire et pertrahere ad concubitum. *Id.* 2. *Trist.* 301. Corrumpere mentes. *Vellej.* 2. 78. 2. Otium corrumpit militem. *Justin.* 38. 1. Demetrius rerum successu corruptus. *Quintil.* 12. 1. 24. Corrumpere fidem. *Tac.* 3. *Hist.* 49. disciplinam. *Id.* 13. *Ann.* 21. aliquem ad scelus. *Id.* 1. *ibid.* 74. Nero corruptus ad omne facinus. *Id.* 3. *ibid.* 47. Egentissimus quisque in spem rapinarum corruptus. *et ibid.* 2. Odio et terrore corrupti in dominos servi. *Claudian.* III. *Cons. Honor.* 187. non corrumpentia sensus Dona valent. — Huc referri possunt et illa *Plin.* 7. *Ep.* 4. *a med.* Transii ad elegos: hos quoque non minus celeriter explicui; addidi alios facilitate corruptus. *h. e.* allectus. *Martial.* 12. 66. Corrumpere emptorem arte vafra. *h. e.* allicere, fallere. *Id.* 8. 42. Si te sportula major ad beatos non corruperit. *h. e.* pertrahet ad cœnam ditiorum. — *b*) Specialim *corrumpere aliquem pecunia, blanditiis, largitione, præmiis etc.* est seducere, pertrahere ad pravum aliquid committendum. *Cic. Cæcin.* 25. 72. et 5. *Verr.* 68. 158. Corrumpere aliquem pretio. *Id. Planc.* 15. 37. turpi largitione. Sic *Brut.* 1. *ad Cic.* 4. Corruptus largitionibus animus. Rursus *Cic.* 3. *Off.* 15. 53. pecunia. Sic *Nepos Epam.* 4. Diomedon Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. *Sall. Jug.* 28. auro. *Id. ibid.* 97. donis. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 57. muneribus. — Atque hoc sensu etiam absolute usurpatur. *Nepos Lysand.* 3. Delphos corrumpere est conatus. *Id. ibid.* Existimat, se Afros facilius corrupturus. Adde *Sall. Jug.* 25. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 9. Corruptus judex male verum examinat. Et cum infinito *Lucan.* 10. 56. cum se parva Cleopatra biremi, Corrupto custode Phari laxare catenas, Intulit Emathiis, ignaro Cæsare, tectis. — *c*) Item specialim *corrumpere aliquam* est vitiare. *Ter. Heaut.* 2. 2. 2.; *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 3.; *Sueton. Cæs.* 50.; *Petron. Satyr.* 113.; et *Martial.* 12. 63. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Corruptus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Corruptior* 1. et Sup. *Corruptissimus* 2. Occurrit autem translate; et quidem ¶ 1. De inanimis, quæ in pejus quomodocumque mutantur. *Virg.* 3. *Æn.* 138. Corruptus cœli tractus. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 95. Iter longum et factum corruptius imbri. *Auct. B. Alex.* 6. Aqua corruptior et salsior. Cf. CORRUMPO sub II. 1. ¶ 2. Morali ratione de hominibus ponitur, quorum mores depravati sunt: Cf. CORRUMPO sub II. 3. *Sall. in orat. Philippi contra Lepid.* Ad cum concurrere homines omnium ordinum corruptissimi. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 7. Quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? *Id. Flacc.* 2. 3. Qui hue corrupti concitatique venerant.

CORRŬO *vel* conruo, rŭis, rŭi, rŭere, 3. (cum *et* ruo). Part. *Corruens* sub *A.* I. 1. — Corruo est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more corruo est idem quod ruo, cado (It. *cadere, rovinare*; Fr. *s'écrouler, tomber*; Hisp. *caer*; Germ. *in sich zusammenstürzen, zu Boden sinken*; Angl. *to fall together, fall down, fail, go to ruin, decay*).

I.) Proprie. Ratione habita verbi, quod adjecta præpositio intendit, *corruere* est celeriter ac violenter ruere. *Cic.* 14. *Att.* 9. 1. Tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæque rimas agunt. *Id. Topic.* 3. 15. Si ædes eæ corruerunt, vitiumve fecerunt. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 2. Pæne ille timore, ego risu corrui. *Lucret.* 6. 825. Quo cum corruit (*ales*). *h. e.* ad terram decidit. *Propert.* 2. 8. 21. Corruit Antigonæ tumulo. *Liv.* 1. 26. Quo loco corruerat icta. Rursus *Propert.* 2. 19. 14. Corruit hædus agrestes ante focos. *Virg.* 10. *Æn.* 488. Corruit in vulnus. *Ovid.* 2. *Met.* 403. labefactum viribus ignis. *Sueton. Vitell.* 9. Statuæ equestres corruerunt. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 17. (63). Corruens morbo comitiali. — Paullo aliter ac passive *Seneca.* 2. *Quæst. nat.* 59. Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corruitur. *Forcellinus* hoc loco *corruo* recte interpretatus est præceps ruo, feror, irruo. Porro addit et illud *Curt.* 3. 3. 18. Palliam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant. *At recentiores apud Curt. rectius leg.* concurrerent. V. *Mützell* ad h. l.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Off.* 24. 84. Lacedæmoniorum opes corruerunt. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 98. Explicata Carneadis sententia, Antiochi ista corruent universa. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. Si uno meo facto et tu et omnes mei corruistis. *Liv.* 30. 30. Quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit.

B) Active *corruere* significat facere ut aliquid corruat, et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Ratione habita præpositionis, quæ vim habet conjungendi, ponitur pro coacervare, conjicere; coacervando enim facimus, ut plura in unum corruant. *Plaut. Rud.* 2. 6. 58. Tu promittebas mihi illic esse quæstum maximum meretricibus: ibi me corruere posse, ajebas, divitias. *Varro* 5. *L. L.* 31. *Müll.* Corbes ab eo (*dictæ*) quod spicas aliudve quid corruebant. ¶ 2. Ratione habita verbi, quod adjecta præpositio tantum intendit, corruere ponitur pro evertere. *Lucret.* 5. 369. quæ possint forte coorta Corruere hanc rerum violento turbine summam. *Apul.* 8. *Met.* Charite, velut ipsa dirii fulminis percussa, corruit corpus, et obnubilavit animam. *h. e.* membra dejecit et collapsa est: nisi malis *τὸ corpus* esse Accus. more Græcorum adjectum. — Hinc

II.) Translate. *Catull.* 68. 52. Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam, Scitis, et in quo me corruerit genere. *Al. leg.* torruerit.

CORRUPTĒ *vel* conrupte, adverb. Comp. *Corruptius* et Sup. *Corruptissime.* — Corrupte est vitiose, prave. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 71. De quibus neque depravate judicant, neque corrupte. *h. e.* quasi accepta pecunia. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Action.* 1. *in Verr.* 6. p. 132. *Bait.* Ne pro selectis judicibus aliqui suppositi corruptissime judicarent. *Seneca* 2. *Controv.* 9. Mul a facunde explicuit, corruptius, quam Fabianus, sed dulcius. *Gell.* 13. 30. Corrupte pronunciare verba.

CORRUPTĒLA *vel* conruptela, æ, f. 1. quidquid ad corrumpendum vim habet (It. *corruttela, corruzione*; Fr. *action de corrompre, corruption*; Hisp. *corrupcion seduccion*; Germ. *das Verführen, die Verführung*; Angl. *wath corrupts or ruins, a bane, mischief, corruption*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. *Plaut. Asin.* 5. 2. 17. Corruptelæ et liberis lustris studere. *Cic.* 2. *Off.* 15. 53. Melius etiam, quod largitionem, corruptelam dixit esse. *Id.* 2. *Legg.* 15. 38. Mores cantus dulcedine corruptelaque depravarunt. *Id.* 1. *Cat.* 6. Irretire adolescentulum illecebris corruptelarum. *h. e.* voluptatum. *Id. Dejot.* 11. 30. Ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit, etc. *h. e.* crimen, quo quis servum alienum corrumpit. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. In corruptelis mulierum reperiebam hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines natum atque aptum fuisse. *h. e.* in mulieribus corrumpendis. *Id.* 1. *Legg.* 12. 33. Tanta est corruptela malæ consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati. *Id. Parad.* 6. 2. § 46. Meliri corruptelam judicii. — Specialiter dicitur de quodam peculiari illicitoque genere libidinum. *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 75. Stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique. *Sueton. Claud.* 16. Famosus corruptelis adulteriisque. ¶ 2. Specialim et metonymice dicitur de hominibus, qui prave vivendo, aut connivendo aliorum mores corrumpunt. *Ter. Adelph.* 5. 3. 6. Ecrum adest communis corruptela nostrum liberum. ¶ 3. Item specialim de locis, in quibus homines corrumpuntur, ut ganeæ sunt et lupanaria. *Plaut. Truc.* 3. 2. 3. Clanculum collapsus est hic in corruptelam suam. *Frontin. Aquæd.* 76. Irriguos agros, tabernas, cœnacula etiam, corruptelas denique omnes perpetuis salientibus instructas invenimus.

CORRUPTĬBĬLIS *vel* conruptibilis, e, adject. Comp. *Corruptibilior* est *Augustini de vera relig.* 41. — Corruptibilis est corruptioni obnoxius. *Lactant.* 6. 25. Deus incorruptus est, et illud totum corruptibile. Adde *Arnob.* 2. p. 68.

CORRUPTĬBILĬTAS *vel* conruptibilitas, ātis, f. 3. facilitas se corrumpendi. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 16. Corruptibilitas substantiæ humanæ.

CORRUPTILIS, e, adject. idem ac corruptibilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 77.

CORRUPTĬO *vel* conruptio, ōnis, f. 3. actus corrumpendi. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 28. Morbum appellant totius corporis corruptionem. et *ibid.* § 29. Corruptione opinionum morbus in animo efficitur.

CORRUPTĪVĒ, adverb. corrupte. *Boeth. Aristot. Topic.* 7. 2. *p.* 721. Similiter si corruptio (*est*) dissolutio substantiæ, et corrumpere (*est*) dissolvere substantiam, et corruptive (*est*) dissolutive, si corruptivum (*est*) dissolutivum substantiæ, et corruptio (*erit*) substantiæ dissolutio.

CORRUPTĪVUS *vel* conruptivus, a, um, adject. corruptibilis, corrumpens. *Tertull. Resurr. carn.* 50. Cum devorari habeat corruptivum istud ab incorruptibilitate. Adde *Boeth.* in voc. præced. *Id. Boeth. p.* 714. Nocivus est corruptivus boni. Adde *Theod. Priscian. lib.* 4. *c.* Semen quid sit et unde nascitur. *p.* 315. retro ed. *Ald. Man.*

CORRUPTOR *vel* conruptor, ōris, m. 3. qui corrumpit. *Plaut. Trin.* 2. 1. 14. Amor latebricolarum hominum corruptor. *Id. Pœn.* 3. 6. 21. Corruptor civium. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 7. Corruptor juventutis. *Id. Planc.* 16. 38. Cujus tu tribus venditorem et corruptorem et sequestrem Plancium fuisse clamitas. *Id. Rabir. Post.* 3. 6. Corruptor senatus. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 9. est ne in corruptorem marito justior potestas? *Propert.* 2. 19. 3. Nullus erit castis juvenis corruptor in agris. *Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin.* Corruptor victoriæ. *Sueton. Domit.* 8. Corruptores virginum Vestalium. — Et de eo qui scripta corrumpit. *Hieronym. Prol. Septem Epist. canon.* Me falsarium corruptoremque pronunciant Scripturarum.

CORRUPTŌRĬUS *vel* conruptorius, a, um, adject. corruptibilis. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 16. Homo corruptoriæ conditionis. *et mox.* Sensus corruptorii in homine, incorruptorii in Deo.

CORRUPTRIX *vel* conruptrix, īcis, f. 3. quæ corrumpit. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. Tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia. *Ammian.* 25. 3. Licentia rerum corruptrix et morum.

CORRUPTUS *vel* conruptus, a, um. *V.* CORRUMPO.

CORRUSPOR *vel* conruspor, āris, ari, dep. 1. *Paul. Diac. p.* 62. 2. *Müll.* Conrusparі, conquirere. Plautus: «Conruspare tua consilia in pectore». *V.* RUSPOR.

CORS, cortis, f. 3. *V.* COHORS.

CORSA, æ, f. 1. fascia antepagmenti, *h. e.* ornamentum in modum fasciæ, quod in ostiorum antepagmentis fieri solet. Putant esse a Græco κόρση, tempus, seu pars capitis utraque ad aures sita. *Vitruv.* 4. 6. 3. et 6. *Schneid.*, ubi occurrit et singulari et plurali numero. Opportunum ducimus huc referre, quæ cl. *Schneid.* ad h. *Vitruv.* l. adnotavit: «*Hesychius*: κόρσαι, αἱ τῶν ὀφρύων τρίχες καταφέρουσαι εἰς τοὺς ὀφθαλμούς, ἢ γνάθοι ἢ κορυφαί. Ἀχαιοὶ δὲ κεφαλάς, ἐπάλξεις προμαχῶνας. στεφάναι πύργων ἢ κρόταφοι ἢ κλίμακες. Idem est vocabulum κόῤῥη, quod *Scholiastes Theocriti* 14. 34. σιαγόνα et γνάθον interpretatur, *Hesychius* τράχηλον ἢ τὸ ὀπίσω τοῦ τραχήλου ἢ κρόταφον. Cf. *Pollux* 2. 40. Interpretatio hæc posterior spectat ad dictionem ἐπὶ κόῤῥης πλῆξαι. Vocabulum idem κόρση est et κρόσσα vel κροσσός, etiam κρωσσός. Extremas et summas partes corporum, turrium, murorum et vestium significat, ut ad *Iliad.* μ. 258. docent *Scholia Veneta p.* 301. σταυροῖσι κορσωτῇ πτέρυξ in *Lycophronis Alex.* versu 291. alii Codices scribunt κροσσωτῇ. Scholia interpretantur πτέρυγα τοῦ τείχους, τὴν παράστασιν τῆς οἰκοδομῆς».

CORSALVĬUM, ii, n. 2. herba eadem ac salvia. *Apul. Herb.* 101.

CORSŌĪDES, æ, m. 1. κορσοειδής, genus lapidis canitiei hominis similis: a κόρση *capillus*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (153).

CORTEX, icis, m. sæpius quam f. 3. exterius operimentum, ac veluti corium, aut crusta arborum, aliarumque rerum (It. *corteccia*, *buccia*; Fr. *écorce*, *écaille*, *écale*; Hisp. *corteza*; Germ. *die Rinde*, *Schaale*; Angl. *the bark of a tree, the rind*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Obducuntur libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. Adde *Lucret.* 4. 28. *Virg.* 7. *Æn.* 742. Tegmina queis capitum raptus de subere cortex. *Id.* 6. *Ecl.* 62. Tum Phaetontiadas musco circumdat amaræ Corticis. Adde *eumd.* 2. *G.* 74.; *Ovid.* 1. *Met.* 554. et 10. *ibid.* 512. *Propert.* 1. 18. 22. Scribitur et vestris Cynthia corticibus. *Martial.* 14. 209. Cortex Mareotica. *Scribon. Compos.* 60. Cortex sole arefacta, contusa, cribrata. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (21). Cortex glandis. *Id.* 19. *ibid.* 5. 24. (71). cucurbitarum. *Id.* 20. *ibid.* 2. 6. (12). peponum. et *ibid.* 6. 22. (49). porri. *Id.* 15. *ibid.* 22. 24. (87). Cortice nucum tinguntur lanæ. *Id.* 9. *ibid.* 12. 14. (40). Testudines integuntur cortice. (Hinc *Phædr.* 2. 6. scopulum super duram illidere corticem. *h. e.* testudinem). *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (85). Cortices phalangiorum. *h. e.* pelles. *Id.* 2. *ibid.* 103. 106. (226). In lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur. — Cortex rosæ dicitur ab *eod. Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (14). et (20), et *ibid.* 18. 73. (121). nodus ille, seu globulus, in quo rosæ semen continetur, qui ab *Aristot.* dicitur ὀμφαλός *umbilicus*; a *Theophrast.* autem μῆλον *pomum*. ¶ 2. Speciatim sumitur pro subere per antonomasiam, quia suber cortice maxime constat: ideo *arbor corticis* a Græcis dictum, ut *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34). docet. Quo pertinere videtur illud *Colum.* 9. *R. R.* 6. 1. Si regio ferax est suberis, utilissimas alvos faciemus ex corticibus: si ferulis exuberat, iis quoque, cum sint naturæ corticis similes, æque commode vasa texuntur. — Cortice suberis utebantur Romani, ut nos etiamnum, ad vasa claudenda, illorum enim orificio immittebant, dein pice obturabant. Hinc absolute utuntur *Cato R. R.* 120. In amphoram mustum indito, et corticem oppicato. *Horat.* 3. *Od.* 8. 9. Hic dies anno redeunte festus Corticem adstrictum pice demovebit Amphoræ. — Hinc *levior cortice* proverb. in hominem levis et inconstantis animi. *Horat.* 3. *Od.* 9. 22. — Similiter *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 11. Aspicis, ut summā cortex levis innatat undā, Cum grave nexa simul retia mergat onus. *ubi*, ut docent Interpp., per *corticem* homines tenues; per plumbum vero potentes designat, qui ut plumbum graviore casu clientes præcipites trahunt quo volunt. — *Nare sine cortice* aliud proverb. de iis, qui suæ spontis sunt, et sine aliorum auxilio quippiam agere possunt. Ducitur autem ab iis, qui nare discunt, quibus initio experiundi cortex adalligatur, ne mergantur. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 119.

II.) Improprie. ¶ 1. De externo operimento rerum non vegetabilium. *Vitruv.* 8. 3. 18. *Schneid.* Cortex ovi. ¶ 2. Translate. *Lucret.* 4. 47. Dico igitur, rerum effigies, tenuesque figuras Mittier ab rebus summo de cortice earum. *h. e.* ab extima superficie. *Lambin.* reponit *corpore*. *Varro* apud *Non. p.* 190. 29. *Herc.* Sic invitata matura anima, corporeum corticem facile relinquit.

Homonym. *Liber* et *cortex* differunt in hoc, quod hic crassior est et fere asperior, ille levior subtiliorque. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 55. (126). Cortex ceraso fibris similis.

CORTĬCĀTUS, a, um, adject. corticem habens. *Pallad.* 4. *R. R.* 1. Ut corticata pars cortici novæ matris aptetur. — *Colum.* 12. *R. R.* 23. 1. Corticata pix, qua utuntur ad conditura Allobroges. *h. e.* ut opinor, quæ ex cortice, non ligno quarundam arborum fluit: vel quæ in corticeo vase servantur: vel quæ pluribus veluti squamis constat, et friabilis est instar corticis. Ceterum *Schneid.* ad *Colum. loc. cit.*, allato loco *Galeni* ex *Dioscor.* 5. 13. de resinatis vinis, ait inde apparere, *picem corticatam* esse resinam, eamdemque rasin, de qua *Colum.* 12. *R. R.* 20. 6. Deinde quamplurima ex *Plinii Hist. nat.* aliisque in medium affert, et: Ex his locis, inquit, conficitur primum, vina quædam sola resina cruda, sed comminuta, alia, pice seu resina, cum aqua marina aut puteali percocta, condiri solita fuisse. Deinde vinum Allobrogicum fuisse et natura sua picatum, sed arte etiam ab Allobrogibus pice condiri solitum fuisse. Resina condire vinum docet *Cato R. R.* 23.

CORTĬCEUS, a, um, adject. qui est ex cortice. *Varro* 1. *R. R.* 40. 1. Galbuli, qui nascuntur, idest tamquam pilæ parvæ corticeæ. *Id.* 3. *ibid.* 16. 17. Alvi apum optimæ fiunt corticeæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 21. 24. (71). Vesparum cera corticea et araneosa. Ita *Harduin.* At *Sillig* codicum scripturam secutus aliter omnino legit. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 42. Illita glutine corticeo Vimina plumigeram seriem Impediunt, et abire vetant. *h. e.* quod in quarumdam arborum cortice nascitur. Adde *Auson. Mosell.* 246.

CORTĬCŌSUS, a, um, adject. cortice abundans. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 19. 78. (205). Radix crassa et corticosa. *Id.* 12. *ibid.* 14. 32. (59). Tus, quod in arbore hæsit, ferro depectitur: ideo corticosum. *h. e.* admixtum habet corticem.

CORTĬCŬLA, æ, f. 1. *vel rectius*

CORTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* cortex, parvus vel tenuis cortex. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 10. et 52. 10. Resolutis corticulis olivam eximimus.

CORTĪNA, æ, f. 1. vas rotundum et concavum ad varios usus (It. *pajuolo*, *caldaja*; Fr. *chaudière*, *cuve*; Hisp. *caldera*; Germ. *ein rundes Gefäss*, *Kessel*; Angl. *a caldron, kettle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 66. et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). Cortinam plumbeam in lacum ponito, quo oleum fluat. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 12. Atrior multo ut siet, quam qui cortinam ludis per Circum ferunt. *h. e.* vas aquæ plenum ludis Circensibus circumferunt, ut equos anhelantes et cursu defessos frigida aspergant. Ita *Lambin.*, quem alii sequuntur interpretes. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 65. (191). Cum sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio. — Sæpe dicitur de vase, in quo coquuntur colores. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (43). Fit etiam atramentum apud infectores ex flore nigro, qui adhærescit æreis cortinis. *Id.* 24. *ibid.* 13. 68. (111). Vulgaris hæc spina, ex qua cortinæ fullonіæ implentur. At *Sillig.* juxta meliores codices aliter omnino legit. *Id.* 35. *ibid.* 11. 42. (150). Cortina coquit colores. — Hinc metonymice dicitur de rebus cortina contentis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (135). Tyrius color pelagio primum satiatur, immatura viridique cortina: mox permutatur in buccino. *et paullo sup.* Liquata cortina. ¶ 2. Latiori sensu *cortina* dicitur tripus ipse Apollinis, ex quo responsa oraculorum dabantur: quod tripodi impositum erat vas cortinæ similitudinem habens. *Virg.* 3. *Æn.* 92. et mugire adytis cortina reclusis. *Id.* 6. *ibid.* 347. nec te Phœbi cortina fefellit. *Servius* ad *Virg. loc. cit.* 3. *Æn.* hæc habet: Dicitur *cortina*, vel quod Apollinis tripus corio Pythonis tectus est: vel quod certa illic responsa funduntur, quasi *certina*: vel, quod est verius, quia cor illic vatis tenetur. Alii *cortinam* quasi *ortinam* dicunt, quod inde vox oriatur. Et ad *cit.* 6. *Æn.* addit, inde dictam, ὅτι τὴν κόρην τείνει, idest quod extendat vatem, ut (6. *Æn.* 49.) *majorque videri*. Etiam *Varro* 7. *L. L.* 48. *Müll. corde* deducit, quod, inquit, inde sortes primum æstimatæ. Alii, quia cortina proprie significat vas, in quo colores coquuntur, deducunt ab inusit. χρωτίνα, quod a χρωτίζω *coloro*. Hæc posuimus, ne desiderentur: ceterum videntur nugæ grammaticales. — Sunt qui distinguunt cortinam a tripode, quod ea sit hujus operculum. *Prudent. Apotheos.* 506. Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra: Non tripodas cortina tegit. Forte, ait *Maff. Mus. Ver. p.* 83. *col.* 2., quod tegeret, ad vota significanda vox est translata, quo sensu adhibetur in Vulgata versione. ¶ 3. Denique docet *Isid.* 19. *Orig.* 26. ita appellari etiam aulæa, idest vela de pellibus, a *coriis*, quod primum e corio factæ sint. Atque hoc sensu usurpari dicitur ab *Ambros.* περιπέτασμα *cortina*, *Ep.* 5. 33. Scissæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ. *Hieronym. Prol. in lib. Reg.* Per pelles vero pilosque caprarum minores tabernaculi pulcritudo, id est cortina de cocco et bysso retorta. Adde *Vulgat. Interpr. Exod.* 26. 1. et 26. 6., *Num.* 3. 26. et alibi sæpissime. Hinc Italorum *cortina* derivatur.

II.) Improprie. ¶ 1. Per similitudinem, metaphorā sumptā a superiori paragr. 1., *Ennius* apud *Varron. loc. cit.* ex lectione *Scaligeri*: Quæque freto cava ceruleo cortina receptat. *h. e.* spatium quod est inter cælum et terram, ut ipsemet *Varro* interpretatur. Sic *Sever. Ætn.* 295. magni cortina theatri. *h. e.* tholus, concameratio, cavum ipsum theatri. ¶ 2. *Tac. Dial. Orat.* 19. Cum vix in cortina quisquam assistat etc. *h. e.* in spatio subselliorum. *Al. leg.* corona.

CORTĪNĀLIS, e, adject. ad cortinam pertinens. — Hinc

Cortinale, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est cella, in qua defrutum in cortina decoquitur. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 19. Cortinale, ubi defrutum fiat, nec angustum, nec obscurum sit, ut sine incommodo minister, qui sapam decoquet, versari possit.

CORTĪNĬPŌTENS, entis, adject. epitheton est Apollinis, qui ex cortina oracula proferebat. *Lucilius* apud *Non. p.* 258. 31. *Merc.* Hunccine ego unquam Hyacintho hominem cortinipotentis Deliaci contendi?

CORTĪNŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a cortina, parva cortina. *Ammian.* 29. 1. Cortinulis pensilem anulum librans. *Al. aliter leg.* V. *Wagner* ad h. l.

CORTŪMĬO, ōnis, f. 3. prisca vox, a cordis visu ducta (nempe a *cor* et *tueor*) ut placet *Varroni* 7. *L. L.* 9. *Müll.*, ubi recitat veterem formulam, qua utebantur augures in templo concipiendo, auguriorum captandorum causa. *Scalig.* ad *Varr. R. R. p. m.* 236. docet, veteres dixisse *cortumionem* pro *contumionem*, (quæ non a *corde*, sed a *contueor* facta videtur) atque idem esse quod ἀτενισμόν, *h. e.* intentam contemplationem, cum defixis oculis aliquid contuemur.

CŌRŬLUS. *V.* CORYLUS.

CŌRUS. *V.* CAURUS.

CORUS, i, m. 2. mensura, Hebræorum propria, ad grana metienda: est vox Hebr. *cor. Ambros. Ep.* 6. 39. Qui dixit in coro et in semicoro hordei. In coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Adde *Vulgat. interpr. Num.* 11. 32., 3. *Reg.* 4. 22. et 5. 11., et alibi sæpissime.

CŌRUSCĀMEN, inis, n. 3. idem ac coruscatio, splendor micans. *Apul. de Deo Socrat.* Rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare. *Fulgent.* 1. *Mythol.* Intermicanti vultus sui coruscamine.

CŌRUSCĀTĬO, ōnis, f. 3. splendor micans et tremulus, ut fulguris, et hujusmodi. *Solin.* 53. *ad fin. de margaritis.* Si repente micaverit coruscatio. *Vopisc. Car.* 8. Ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori tonitru, exanimatus est.

CŌRUSCĬFER, fera, fĕrum, adject. coruscum, sive fulgur ferens. *Capell.* 8. *p.* 272. video splendescere pulsu icta corusciferi subito laquearia cæli. *V.* CORUSCUS.

CORUSCO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Coruscans* I.; *Coruscandus* II. 1. — Coruscare, quod ratione habita etymi conjungendum est cum Gr. κορύσσω, proprie est cornibus dimicare.

I.) Proprie. *Cic.* apud *Quintil.* 8. 3. 21. Caput opponis cum eo coruscans. *Lucret.* 2. 320. Et satiati agni ludunt blandeque coruscant. *Alii, minus recte, leg.* coniscant: *V.* CONISCO; et cf. *Juvenal.* 12. 5. Sed procul extensum petulans quatit hostia funem Tarpejo servata Jovi, frontemque coruscat.

II.) Translate. ¶ 1. Significat — *a*) Active celeriter movere, vibrare, concutere. *Virg.* 8. *Æn.* 661. duo quisque Alpina coruscant Gæsa manu. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 431. *Ovid.* 4. *Met.* 493. Sibila dant, saniemque vomunt, linguasque coruscant. *Val. Flac.* 2. 228. ferrum Bellona coruscat. *Sil. It.* 1. 431. Gradivus coruscans telum. *Stat.* 10. *Theb.* 432. flammam Alternos apices abrupta luce coruscant. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 222. *Apul. de Deo Socrat.* Vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruscandis. — *b*) Neutrorum more est citato motu agitari, celeriter vibrari, micare. *Virg.* 4. *G.* 73. *de apib.* Tum trepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant. *Juvenal.* 3. 255. modo longa coruscat Sarraco veniente abies. ¶ 2. Hinc sæpe significat fulgurare, splendescere, oculosque præstringere. Id enim fit ex celerrimo motu rerum splendentium. *Pacuvius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 39. 157. Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit. *Val. Flacc.* 1. 703. telisque salum facibusque coruscat. *Id.* 5. 304. ex alta cum Juppiter arce coruscat. *Claudian. III. Cons. Honor.* 29. Clypeus coruscans.

CŌRUSCUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, *V.* voc. præced. sub init. — Coruscus occurrit translate tantum, et ¶ 1. Est idem ac tremulus, celeriter vibratus. *Virg.* 1. *Æn.* 168. Tum silvis scena coruscis Desuper etc. *Id.* 12. *ibid.* 701. Apenninus fremens ilicibus coruscis. *Id.* 9. *ibid.* 678. cristis capita alta coruscis. — Festive et jocculariter *Plaut. Rud.* 2. 6. 41. Equidem me ad velitationem exerceo. Nam omnia corusca præ timore fabulor. *h. e.* tremula voce loquor, ut faciunt, qui nimio frigore correpti sunt: et simul alludit ad eos, qui pugnaturi coruscant gladios. ¶ 2. Hinc est etiam splendens, micans, et occurrit *a*) Absolute. *Lucret.* 5. 298. Corusca fulgura. *Id.* 6. 283. lumina. *Horat.* 1. *Od.* 34. 6. Diespiter igni corusco nubila dividens. *Virg.* 1. *G.* 234. Sol coruscus. *Ovid.* 12. *Met.* 247. Coruscæ lampades. — *b*) Cum addito Ablativo rei. *Virg.* 2. *Æn.* 470. telis et luce coruscus aēna. *Id.* 9. *ibid.* 163. purpurei cristis juvenes auroque corusci. *Stat. Theb.* 4. 9. ferroque auroque coruscus. — Hinc

Coruscum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est fulgur. *Venant.* 3. 4. Soporantes oculos aperuistis tonitruo, clausistis corusco.

CORUSSO. *V.* CONISCO.

CORVĪNUS, a, um, adject. ad corvum pertinens. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 15. (32). Corvinum ovum. *Apul.* 2. *Met.* Corvina nigredo. *Vulgat. interpr. Levit.* 11. 15. et *Deuter.* 14. 14. Corvinum genus. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

CORVĪTO. *V.* CORBITO.

CORVĪTOR. *V.* CORBITOR.

CORVUS, i, m. 2. κόραξ.

I.) Proprie est avis nota, nigerrimis pennis, cantu injucundo, quæ cadaveribus libentissime vescitur. Sacra fuit Apollini: atque adeo dicitur a *Stat.* 3. *Theb.* 506. comes obscurus tripodum; et a *Petron. Satyr.* 122. Delphicus ales. V. *Visc. Mon. Borgh. p.* 293. et Capellæ loc. cit. in CONCOLOR. Fuit autem, ut est in fabulis apud *Ovid.* 2. *Met.* 534. *et seq. et Hygin. fab.* 202., candidissimis quondam pennis ornatus, atque Apollini ob id maxime dilectus, quod cum gigantes bellum diis movissent, atque hi eorum metu in varias se figuras latendi causa transformassent; quemadmodum Juppiter ariete, Bacchus capro, Juno vacca, etc. latuerunt, ita hac ave Apollo, teste *Ovid.* 5. *Met.* 329. Verum cum Apollini Coronidis adulterium detulisset, ut in CORONIS (*V.* ONOM.) dictum est, in nigerrimam speciem fuit mutatus, et rejectus. — De mira corvi docilitate, cui funus publice Romæ factum, *V. Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (123). — In auguriis a sinistra volans omen infaustum præbere creditus est, a dextra bonum. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 85. et *Plaut. Asin.* 2. 1. 12. — *Corvos in cruce pascere* proverbialis locutio de eo, qui suspendio ponitur. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 48.

II.) Improprie. ¶ 1. Est etiam hoc nomine machina militaris, nempe ferreum instrumentum acuminatum ad similitudinem corvini rostri, quo injecto aliquid apprehendebant, retinebant, aut etiam perforabant. Ita enim *Schefferus* suspicatur *de milit. naval. l.* 2. *c.* 7. Hinc *Curt.* 4. 2. Ferreas quoque manus (harpagones vocant) quas operibus hostium injicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata præparabantur. *Id. ibid.* 4. *a med.* Validis asseribus corvos, et ferreas manus cum uncis et falcibus alligaverant, ut etc. *et ibid. in fin.* Corvi vero et ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant. ¶ 2. Item machina ad demoliendum apta. *Vitruv.* 10. 13. 3. *Schneid. V.* DEMOLITOR. ¶ 3. Item scalpellum chirurgicum. *Cels.* 7. 19. *a med.* Deinde eam tunicam ferramento, quod a similitudine corvum vocant, incidere. ¶ 4. Item signum cæleste meridionale, Crateræ, et Angui seu Hydro junctum, sub Leone et Virgine, septem stellis constans, ut *Hygin.* docet 3. *Astron.* 39., de cujus fabula in ANGUIS dictum est. Adde *Vitruv.* 9. 5. 1. *Schneid.* ¶ 5. Item genus piscis marini, dorso nigricante. *Auson. epist.* 4. 63. Nec duraturi post bina triboria corvi. Adde *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146)., ubi *Harduin.* notat, a Romanis dici *cappone*, et *Cels.* 2. 18., qui enumerat inter pisces cibi durioris. — NB. De agnom. Rom. *V.* ONOM.

CŌRȲBANTES, um, m. plur. 3. Κορύβαντες, sacerdotes Matris Ideæ, idest Cybeles, a κορύπτω *caput jacto*, et βαίνω *incedo*, quod sacro correpti furore cymbala pulsarent, et inter saltandum capita jactarent; vel a κόρα *oculi pupilla*, quia cum Jovis pueri essent custodes, oculis dormirent apertis: unde κορυβαντιᾶν dicuntur, qui similiter dormiunt; vel a Corybante Jasonis et Cybeles filio, qui simul cum Dardano sacra Matris deum in Phrygiam detulit: vel denique ab ære, quod mons sit in Cypro æris ferax, quem Cyprii κόρυον vocant. *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 111. Iidem *Curetes* dicti sunt, a κουρά *tonsura*: et *dactyli* quia digitorum numerum æquarent, vel quod uti homo per digitos, ita Rhea per illos ministeriis sua exsequeretur: vel ex fabula, quam narrat *Diomed.* 3. p. 474. *Putsch.* Ajunt enim Opem in Idam Cretæ montem fugiendo delatam, manus suas ei monti imposuisse, et sic infantem Jovem edidisse: et ex manuum impressione emersisse Corybantas, quos a montis nomine et qualitate facti, Idæos Dactylos appellatos. Sunt qui scribant tres tantum fuisse, qui Lares esse credantur, Dammameneum, Acmonem, Celmonem. Creduntur etiam iidem fuisse, qui Telchines, Lares et Cabiri. Iidem tandem fuerunt, qui pyrricham saltabant. *V.* PYRRICHA. — Hi primum Idam Phrygiæ montem tenuisse dicuntur, postea in Cretam navigasse, montemque quemdam incoluisse, quem nomine relictæ sedis etiam Idam appellarunt, ubi Jovem infantem aluerunt, et ne vagitu se parvulus proderet, (Saturnus enim cum Titano fratre convenerat, ut sobolem omnem masculam interficeret) clypeolis æneis inter se concurrentes tinnitu æris illisi celavere vocem infantis. *Horat.* 1. *Od.* 16. 8. non acuta Si geminant Corybantes æra. Adde *Ovid.* 4. *Fast.* 210. — Singulari numero *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 148. Non te progenitum Cybelejus ære canoro Lustravit Corybas. Adde *eumd.* 1. *Rapt. Pros.* 208.

CŌRȲBANTĪUS, a, um, adject. ad Corybantes pertinens. *Virg.* 3. *Æn.* 111. Hic mater cultrix Cybele Corybantiaque æra Idæumque nemus. Adde *Arnob.* 5. *p.* 169.

CŌRȲBAS, antis, m. 3. unus ex Corybantibus *V.* CORYBANTES in fin. — NB. De nomine proprio V. ONOM.

CŌRȲCEUM, ei, n. 2. κωρυκεῖον, locus in gymnasiis, in quo pila, Græce κώρυκος (a כָּרַךְ *carac* involvit) appellata, ludebant veteres; deinde sphæristerium dictus. Κώρυκος porro erat saccus coriaceus, granis ficuum, farina et arena plenus, e tecto suspensus, quem athletæ utraque manu prius lente, deinde vehementius ultro citroque propellebant. Hujus ludi descriptionem habet *Anthyllus* apud *Oribasium*, quam refert *Mercurialis de art. gymnast. l.* 2. *c.* 4., quem locum *V.* apud *Lucian. Lexiph.* 5. *T.* 5. *p.* 498. *Vitruv.* 5. 11. 2. *Schneid.* In duplici autem porticu collocentur hæc membra: ephebeum in medio, sub dextro coryceum, deinde proxime conisterium. Alii male leg. *coriceum*, quasi nempe fuerit locus, in quo puellæ exercerentur, a κόρη *puella*; vel tonstrina, a κείρω *tondeo*. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. Tum volutatione in palæstra varia, quam Græci cæladian (*lege* κυλίνδησιν) atque κωρυκομαχίαν vocaverunt. *V.* FOLLIS.

CŌRȲCĬUS, a, um, adject. ad Corycum pertinens: *V.* ONOM. Quoniam vero in Corycio nemore, in Ciliciæ ad Corycum ejus oræ urbem et montem, gignebatur crocum apud antiquos celeberrimum,

Corycium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est ac crocum. *Albinov.* 2. 133. Hic tibi corycium, casias hic donat olentes.

CŌRȲCŌMĂCHIA, æ, f. 1. κωρυκομαχία, Latinis litteris exhibent aliquot editi libri. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. *V.* CORYCEUM in fin.

CŌRȲCUS, m. 2. κώρυκος, Græca vox, quæ saccum coriaceum significat, de quo dictum est in v. CORYCEUM, quam *V.* Translate tantum occurrit apud *Cic.* 13. *Phil.* 12. 26. Corycus laterum et vocis meæ Bestia. *Orell.* ad h. l. hæc adnotavit: Sic dedi de verissima *Schuetzii* sententia. Est « in quo homine quinquies a me defenso, velut in κωρύκῳ seu folle arena repleto vires suas athletæ, sic ego latera et vocem exercui ». *V.* et *Klotz* ad h. l. p. 1117.

CŌRȲDĂLUS, i, m. 2. κορυδαλός, avis, al. galerita et Gallico vocabulo *alauda*, a κόρυς *galea*, quia habet in vertice capitis pennas aliquot erectas; quæ coni galeæ speciem præbent. *Servius* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 1. Corydon fictum nomen est ab ave, quæ corydalus dicitur.

CŌRȲLĒTUM, i, n. 2. locus frequentibus corylis consitus. *Ovid.* 2. *Fast.* 587. Illa modo in silvis inter coryleta jacebat.

CŌRȲLUS *vel* corulus, i, f. 1. κόρυλος, arbor, quæ nuces avellanas gignit: *V.* COLURNUS. *Virg.* 2. *G.* 65. Plantis et duræ coryli nascuntur. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 11., 3. *ibid.* 5. et 21.; *Caton. R. R.* 18. *Ovid.* 10. *Met.* 93. Et coryli fragiles. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 9. 6. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (74). *V.* AVELLANA.

CŌRYMBĀTUS, a, um, adject. corymbo ornatus. *Gloss. Isid.* Corymbata navis. *h. e.* corymbo in puppe ornata, de quo cf. *Val. Flacc.* 1. 273. et 4. 691.

CŌRYMBĬA, æ, f. 1. κορυμβία, ferulæ caulis decortus, qui muria et melle conditus sit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 9. 56. (175). — NB. De nomine propr. *V.* ONOM.

CŌRYMBĬĀTUS, a, um, adject. *Gallien.* in qua-

dem ep. apud *Trebell. Claud.* 17. Misi ad eum discum corymbiatum argenteum, lanceam argenteam pampinatam, patinam argenteam hederatam. *h. e.* corymbis artificiose insculptis cælatum. *Salmas.* mallet duci a *corymbio*, ut esset cælatus figuris in modum corymbiorum, seu capillamentorum in tutulum compositorum, qualia mulieres ad ornatum capitis gestabant.

CŎRYMBĬFER, fĕra, fĕrum, adject. epitheton est Bacchi hederaceis corymbis caput coronatum habentis. *Ovid.* 1. *Fast.* 393. Festa corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

CŎRYMBĬON, ii, n. 2. *V.* CORYMBIUM.

CŎRYMBĪTES, æ, m. 1. κορυμβίτης, tithymali species πλατύφυλλος vocata, a foliorum latitudine. Pisces necat, alvum solvit radice, vel foliis, vel succo. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 44. (70). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 397.) hanc exhibet synonimiam: *Platyphyllos.* — Τιθύμαλλος πλατύφυλλος Dioscor. 4. 165.; et *Tithymalus platyphyllos, al. corymbites, al. amygdalites* Plin. loc. cit. sunt *Euphorbia platyphyllos.* L. Spec. pl. 660.

CŎRYMBĬUM, ii, n. 2. κορύμβιον, capillamentum, capillitium, ornamentum muliebre capitis ex adscititiis capillis in modum corymbi hederacei, vel tutuli. *Petron. Satyr.* 110. Ancilla Gitona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat caput.

CŎRYMBUS, i, m. 2. κόρυμβος, hederæ racemus, ex multis constans acinis comantibus et in orbem coactis; item aliarum herbarum similes hederæ racemos ferentium: a voce Græca allata, quæ tum cacumen significat, tum hederæ racemum.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Virg.* 3. *Ecl.* 39. Diffusos hedera vestit pallente corymbos. *Ovid.* 3. *Met.* 664. Impediunt hederæ remos, nexuque recurvo Serpunt et gravidis distinguunt vela corymbis. *Colum.* 10. *R. R.* 238. *de cinara.* Hæc modo purpureo surgit glomerata corymbo. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 9. 56. (175). Corymbi ferulæ. *Id.* 25. *ibid.* 6. 28. (64). Polemoniæ. *Id.* 22. *ibid.* 22. 37. (79). elaphobosci. *Id.* 21. *ibid.* 8. 26. (50). Chrysocome comantibus fulgore auri corymbis. *Id.* 26. *ibid.* 14. 88. (148). Polycnemon corymbo odorato. — *b*) Speciatim, hujusmodi corymbis ornari mos fuit in coronis capita deorum, Bacchi præsertim; hinc corymbus est ornamentum eorum omnium, quæ ad Bacchum pertinent. *Tibull.* 1. 8. 45. *de Osiri.* et frons redimita corymbis. *Propert.* 3. 15. 29. *de Baccho.* Candida laxatis onerato colla corymbis. *Id.* 2. 23. 35. *de se ipso.* Tum capiti sacros patiar pendere corymbos. *h. e.* hederaceos, qui sunt Baccho sacri. Huc pertinent et duo loci *Virg.* et *Ovid.*, quos sub *a* retulimus. *Juvenal.* 6. 52. necte coronam Postibus, et densos per limina tende corymbos. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (146).

II.) Improprie *corymbi* vocantur quæcumque corymbi similitudinem referunt. ¶ 1. *Corymbi*, Gr. τὰ κόρυμβα, dicuntur summæ navium puppes et proræ in racemorum figuram elaboratæ, seu navium acrostolia. *Val. Flacc.* 1. 272. Phryxi promittitur absens Vellus, et auratis Argo reditura corymbis. *Id.* 4. 691. Saxa sed extremis tandem increpuere corymbis. ¶ 2. Apud *Seren. Sammon.* 20. 356. Lumbricis terræ turgentes unge corymbos: *corymbos* intellige mammarum papillas: vel ipsas mammas, a similitudine racemi hederacei in orbem crescentis. ¶ 3. Apud *Sever. Ætn.* 105. corymbi videntur esse tumuli terræ in corymbi modum temere et inæqualiter congesti. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

CŎRŸPHÆUS, i, m. 2. κορυφαῖος, princeps ex aliquo ordine, caput, supremus, excellens inter alios: a κορυφὴ *vertex capitis.* *Cic.* 1. *Nat. D.* 21. 59. Zeno, quem Philo noster coryphæum appellare Epicureorum solebat.

CŎRŸTOS, i, *et Latina terminatione*

CŎRŸTUS, i, m. 2. κωρυτός. Duas priores syllabas nimis licenter corripuit *Sidon. carm.* 11. 56. Cujus fax, arcus, corytus pendebat: at ille etc. — Varie scribitur in veterib. lib. *corythus, coritus, chorytus, gorytus*, et apud *Non.* p. 556. 26. *Merc.* etiam *coriscus* (sed librariorum mendo, *Mercerus* enim *coricus*): qui male etiam *leve missile* interpretatur. Verum pro ea scriptione, quam posuimus, plerique stant eruditi. *V.* præter ceteros, Erythræum in *Indice Virg.* et *Dausq.* in *Orthogr.* — Ceterum *corytos* vel *corytus* est theca sagittarum, pharetra. *Virg.* 10. *Æn.* 168. queis tela, sagittæ, Corytique leves humeris, et letifer arcus. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 15. In quibus est nemo, qui non corytos et arcum, Telaque vipereo lurida felle gerat. Adde *Seneca Herc. fur.* 1127. *Sil. It.* 7. 443. Parvulus ex humero corytos, et aureus arcus Fulgebat. *Id.* 15. 776. Sagittiferi coryti. Adde *eumd.* 2. 106. *Stat.* 9. *Theb.* 729. cælestibus implet Coryton telis, quorum sine sanguine nullum Effugit. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 269. — Omnibus his locis *corytus* pharetram manifesto significat. *Servius* tamen *Statiique Scholiast.* ad *loc. Virg.* et *Stat. cit.* docent, significare solius arcus thecam: quæ in re ad Græcorum usum respexisse videntur, apud quos utrumque valet. — Metonymice ponitur pro sagittis. *Stat.* 7. *Theb.* 660. Quam super a tergo velox corytos et arcus Pendentesque sonant aurata lynce pharetræ.

CŎRYZA, æ, f. 1. κόρυζα, catarrhus ex capite ad nares fluens. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 17. et *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. *c.* 7. Græcis litteris occurrit etiam apud *Cels.* 4. 2.

COS, cōtis, f. 3. Etiam *cotis* in recto singulari usurpatur a *Cassiod.* 5. *Variar.* 1. Lucidum metallum vestra cotis emundat. — Cos est idem omnino quod *cautes*, a qua deducitur, ut a *plaustrum plostrum, caudex codex* etc.: et occurrit ¶ 1. Speciatim de lapide, quo ferramenta acuuntur, aut læviganfur. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 32. Ita cotem in comitium allatam, inspectante et rege et populo, novacula esse discissam. *Liv.* 1. 36. Novacula cotem discindere. *Horat.* 2. *Od.* 8. 16. Cupido Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 47. (164). Cotes ferro acuendo. *Id. ibid.* (165). Aquariæ cotes. *h. e.* aqua trahentes aciem, ut *Id. ibid.* loquitur, et cotes oleariæ *ibid.*, quæ scilicet oleo indigent, ut acuant. *Id.* 37. *ibid.* 8. 32. (109). Gemmæ cotibus poliuntur. *Id.* 24. *ibid.* 11. 52. (89). Lignum ad cotem tritum. *Id.* 36. *ibid.* 25. 62. (187). Pavimentum cote despumare. Adde *eumd.* 18. *ibid.* 28. 67. (261).; *Quintil.* 2. 12. 8. et *Dig.* 39. 4. 11. — Hinc figurate. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. 135. Ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant. *h. e.* quæ acueret ac stimularet. — Et in proverbium abiit illud *Horat. Art. P.* 304. fungar vice cotis, acutum Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi: Munus et officium, nil scribens ipse, docebo. ¶ 2. Generatim quicumque duriores lapides *cotes* vocantur: quo sensu occurrit fere in numero plur. *Cic.* 4. *Tusc.* 14. 33. Ex quibus quoniam tamquam e scrupulosis cotibus enavigavit oratio, etc. *Virg.* 8. *Ecl.* 43. Nunc scio, quid sit Amor: duris in cotibus illum Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes — edunt. Adde *Propert.* 1. 3. 4. *Curt.* 4. 6. 8. Nec saxa cotesque, quæ interpellent specus, obstabant. *Id.* 6. 6. 26. Occurrebant inviæ cotes præruptæque rupes. *Id.* 5. 3. 8. Prærupta erant omnia, saxis et cotibus impedita. *Id.* 8. 11. Multi per lubrica saxa, perque invias cotes præcipitati occiderunt. — In recto singulari *Auson. Technopægn. c. de Hist.* 11. dira aconita creat cos. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

COSCĬNŎMANTĪA, æ, f. 1. κοσκινομαντεία, divinatio, quæ fit per cribrum; a κόσκινον *cribrum* et μάντις *hariolus.* *Klotz* ad hanc vocem citat *Augustin. Tom.* 5. p. 420.; quem tamen locum ipse minime inveni.

COSMĒTA, æ, m. 1. κοσμήτης, servus ornator, cui cura incumbit vel ornamentorum et mundi muliebris, vel dominæ capillos exornandi et componendi: a κοσμέω *orno.* *Juvenal.* 6. 476. periit libraria, ponunt Cosmetæ tunicas. Sunt qui *cosmetæ* putent fuisse mulieres, quæ et ornatrices vocabantur: sed perperam, nam illæ κοσμήτριαι, Latine *cosmetriæ* (*V.* tamen voc. seq.), dicuntur. Adde servorum fuisse proprium tunicas deponere, antequam vapularent, numquam vero mulierum. Quamvis autem mulieres præsertim dominas capillos pectere, componere et ungere solerent: quandoque tamen et servi idipsum præstabant, ut patet ex *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 105. Eous rector, consulque futuros Pectebat dominæ crines, et sæpe lavanti Nodus in argento lympham gestabat alumnæ. *V.* ORNATOR et PSECHAS.

COSMĒTRĬA, æ, f. 1. κοσμήτρια, proprie est ornatrix, ut dictum est in voc. præced. Sed occurrit tantum ut titulus comœdiæ *Nævii*, de qua ita *Varro* 7. *L. L.* 54. *Müll.* Idem est hoc verbum (*carere*) in Cosmetria Nævii.

COSMĬĀNUS, a, um, adject. a Cosmo deductum. Fuit is celebris quidam unguentorum artifex et consumptor, de quo *Martial.* multis in locis, et *Juvenal.* 8. 85., ad quem locum *Vet. Scholiast.* Luxuriosus fuit, qui solium, in quo descendebat, multis diversorumque unguentorum odoribus miscebat. Hinc *Martial.* 3. 82. Et Cosmianis ipse fusus ampullis. — Hinc

Cosmianum, i, n. 2. subaudi *unguentum*, absolute substantivorum more, pro delicato unguento usurpatur. *Martial.* 11. 15. Qui vino madeat, nec erubescat Pingui sordidus esse Cosmiano. *Id.* 12. 55. Et libram petit illa Cosmiani.

COSMĬCOS, on, *vel Latina positione*

COSMĬCUS, a, um. κοσμικός, ad mundum pertinens, mundanus: a κόσμος *mundus.* Socrates cum rogaretur, cujatem se esse diceret, (κοσμικόν) *mundanum*, inquit: totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Narrat hoc *Cic.* 5. *Tusc.* 37. 108. Quo pertinere putat *Turneb. l.* 25. *Adversar. c.* 24. illud *Martial.* 7. 41. Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris: Cosmica, Semproni, tam bona, quam mala sunt. *h. e.* jactas te imitatorem Socratis, et mundanum te esse dicis: sed res mundanæ partim bonæ sunt, partim malæ. Ergo tu quoque malus esse potes. Tamen etiam apud *Martial.* Græcis litteris scribendum videtur.

COSMITTERE *pro* committere. *Paul. Diac.* p. 67. 8. *Müll.* V. MITTO sub init.

COSMŒ, ōn, m. plur. 2. κόσμοι, magistratus Cretenses. *Cic.* 2. *de rep.* 33. 58. In Creta autem decem, qui cosmœ vocantur. Hic fortasse κόσμοι Græcis litteris scribendum. De iis consule *Aristot. De rep. l.* 2. *c.* 9. et 10., et *Strab. l.* 10.

COSMŎGRĂPHĬA, æ, f. 1. κοσμογραφία, descriptio orbis terræ. *Cassiod. Instit. divin. litt.* 25. Cosmographiæ notitiam vobis percurrendam esse non immerito suademus, ut cola singula, quæ in Libris sanctis legitis, in qua parte mundi sint posita, evidenter cognoscere debeatis. *Isid.* 6. *Orig.* 2. Primus Moyses divinæ historiæ cosmographiam in quinque voluminibus edidit.

COSMŎGRĂPHUS, i, m. 2. κοσμογράφος, descriptor orbis terræ: a κόσμος *mundus*, et γράφω *scribo.* *Messala Corvin. De progen. Aug.* 2. Totus terrarum ambitus ab historicis et cosmographis trifarie dividitur.

COSMŎPŒĬA, æ, f. 1. κοσμοποιΐα, mundi fabricatio. *Boeth.* 2. *Arithm.* 46. p. 1056. Post hæc tempus est, ut expediamus nunc quiddam nimis utile in Platonica quadam disputatione, quæ in Timæi cosmopœia haud facili cuiquam vel penetrabili ratione versatur.

COSSĪGĔRĀRE, in coxam erigere et aggerare. *Accius* apud *Non.* p. 61. 24. *Merc.* Bene proscissas cossigerare ordine porcas. *Scalig. leg.* cossim girare.

COSSĬLĪRIS. *V.* CUSSILIRIS.

COSSIM *vel* coxim, adverb. in coxas. *Pomponius* apud *Non.* p. 40. 29. *Merc.* Hoc sciunt omnes, quantum est, qui cossim cacant. *Apul.* 2. *Met.* Cossim residens. *Alii leg.* sensim. *Id.* 3. *ibid. init.* Complicitis pedibus ac palmulis in alternas digitorum vicissitudines super genua connexis sic grabatum coxim insidens ubertim flebam. *Comicus* apud *Oudendorp.* ad *Apul. T.* 1. p. 132. Sinuare coxim femina.

COSSUS, i, m. 2. — *a*) Cossus est vermis rugosus in ligno nascens illudque erodens (Phalæna cossus *Linnæi*); a κόσσος *colaphus*, qui ab inusit. κόω ejusdem significationis cum κέω vel κίω *impello, findo, excavo*: hinc Itali ob similitudinem membrum virile coso appellant. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 39. (115). Cosses (lege cossi ex *Voss.* in *Etymol.*), qui in ligno nascuntur, sanant ulcera omnia (*Plin. Valerian.* 3. 22. Vermes, qui in ligno nascuntur, vocantur cosses. *Al. tamen aliter leg.*). Rursus *Plin.* 17. *ibid.* 24. 37. (220). Arborum vermiculantur magis minusve quædam: omnes tamen fere. Jam quidem et hoc in luxuria esse cœpit, prægrandesque roborum delicatiore sunt in cibo: cossos vocant: atque etiam farina saginati, hi quoque altiles fiunt. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 33. 38. (113). *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian. n.* 7. In Ponto et Phrygia vermes albos et obesos, qui nigello capite sunt, et nascuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit; et quomodo apud nos attagen et ficedula, mullus et scarus in deliciis computantur, ita apud illos ξυλοφάγον comedisse luxuria est. *Id. ibid. paullo post*, eosdem

appellat *vermes Ponticos*. — *b*) Etiam vermes equorum ita appellantur. *Veget.* 1. *Veterin.* 52. *Schneid.* Ita omnes vermes, quos cossos appellamus, et lineolas purgabis. — *c*) *Festus p.* 41. 9. *Müll.* Cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

COSTA, æ, f. 1. Costæ sunt ossa oblonga et incurva, quibus animalium pectus sæpitur, veluti vallum cordis et pulmonum, ut docet *Cels.* 8. 1. Infra cervicem summa costa contra humeros sita est: inde septem inferiores usque ad imum pectus perveniunt, etc. (It. *costa*; Fr. *côte*; Hisp. *costilla*; Germ. *die Rippe*; Angl. *a rib, a side*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 82. (207). Costæ homini tantum octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 4. Plagis costæ callent. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 106. *Merc. Lucret.* 5. 1297. in equi conscendere costas. *Virg.* 1. *G.* 273. Sæpe oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. *Id.* 3. *ibid.* 256. sus fricat arbore costas. *Id.* 9. *Æn.* 431. Sed viribus ensis adactus Transadigit costas et candida pectora rumpit. *Id.* 1. *ibid.* 215. Tergora diripiunt costis et viscera nudant. *Ovid. Heroid.* 9. 111. Pro pudor! hirsuti costas exuta leonis, Aspera texerunt vellera molle latus. *Stat.* 2. *Theb.* 9. capulo nam largius illi Transabiit costas cognatis ictibus ensis Impius. *Martial.* 9. 40. Sed nec costa data est, caudave missa mihi. *scil.* de apro in mensa posito. *M. Aur.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs.* 8. Mater mea in ea trepidatione imprudens angulo parietis costam inflixit.

II.) Translate. — *a*) Generatim dicitur de ea instrumentorum parte, quæ costæ similitudinem refert: ad rem *Virg.* 2. *Æn.* 16. Instar montis equum, divina Palladis arte, Ædificant, sectaque intexunt abiete costas. *Id.* 7. *ibid.* 463. flamma Virgea suggeritur costis undantis aheni. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). Betulla circulis flexilibus, item corbium costis. *h. e.* crassiora et firmiora vimina, veluti statumina, quibus reliqua tenuiora connectuntur ac firmantur. — *b*) Speciatim de rotundis navium lateribus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 19. (63). Spina (*arbor*) utilissima navium costis. τοῖς ἐγκοιλίοις. *Pers.* 6. 31. Costa ratis laceræ. *Id.* referens versiculum cujusdam vani poetæ 1. 95. costam longo subduximus Apennino. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

COSTĀLIS, e, adject. ad costas pertinens. *Veget.* 6. *Veterin.* 1. 2. *Schneid.* Item in posterioribus a cumulari usque ad molaria duo; a molaribus usque ad vertebras duo, costales duo.

COSTĀMŎMUM, i, n. 2. planta aromatica ex costi genere, amomo similis: et est vox composita e duabus *costum* et *amomum*. *Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7.

COSTĀTĪLIS, e, adject. ad costam pertinens, costæ similis. *Cassiod.* 3. *Variar.* 48. Echini sunt mella carnalis, costatilis teneritudo, croceæ deliciæ divitis maris. *V.* CONSTATILIS.

COSTĀTUS, a, um, adject. costas habens. *Varro* 2. *R. R.* 5. 8. Boves corpore amplo, bene costatos, latis humeris, bonis clunibus.

COSTOS, i, f. 2. idem quod costum. *V.* voc. seq.

COSTUM, i, n. 2. κόστος. De alia forma *costos* vel *costus*, V. sub fin. — Costum est herba odorifera, in India nascens, radice gustu fervente, odore eximio, frutice alias inutili; duplicis generis, nigri et, quod melius est, candicantis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 25. (41). et *Dig.* 34. 4. 16. — Ejus usus fuit in unguentis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (16). — Et in conditura vini. *Id.* 14. *ibid.* 16. 19. (107). et *Colum.* 12. *R. R.* 20. 5. — Et in sacrificiis. *Propert.* 4. 6. 5. Costum molle date et blandi mihi thuris honores. — Est etiam *Costus*, et Græca terminatione *Costos*, i, f. *Lucan.* 9. 917. Et tamarix non læta comas Eoaque costos. *h. e.* Persica: hinc *Horat.* 3. *Od.* 1. 44. Achæmenium costum. *h. e.* Persicum, nam Persæ ab Achæmenide rege Achæmenii dicti sunt. *Ovid.* 10. *Met.* 308. Costumque suam. *Al. leg.* suum. *Claudian. Nupt. Honor.* 95. sicca frondescunt vimina costo. *Al. leg.* sicco. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 23.) hæc habet: « Tous les commentateurs rapportent le costus des anciens au *Costus arabicus* L., que nous avons cru devoir nommer *indicus* dans notre *Cours d'hist. nat. pharm.*, parce qu'on ne le trouve point dans l'Arabie; mais nous regardons ce rapprochement comme hasardé; et, en effet, le peu de renseignemens que nous avons sur le costus des anciens rend la solution de cette question impossible. — Tout ce qu'il y a de certain se borne à savoir qu'il y avait, chez les Grecs et chez les Romains, une racine odorante qui servait comme aromate et se brûlait sur l'autel des dieux; que plusieurs espèces étaient réunies sous le nom collectif de costus; et enfin, que divers pays les fournissaient ».

CŎTĀNA, ōrum. *V.* COTTANA.

CŌTĀRĬA vel cotoria, æ, f. 1. locus ubi cotes acuendis cultris aptæ eruuntur. *Alfen. Dig.* 39. 4. 15. Cæsar cum insulæ Cretæ cotarias locaret. *Torrentin.* habet *cotorias*.

CŌTHON, onis, m. 3. κώθων, portus in mari non naturalis, sed arte et manu factus. Ita *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 431. Hic portus alii effodiunt. *Auct. B. Afr.* 63. Reliquæ naves Hadrumetum in cothonem se contulerunt. Adde *eumd.* 62.: sed utroque loco alii nomen proprium faciunt. Apud *Paul. Diac.* p. 37. 9. *Müll.*, qui eadem fere habet ac *Servius*, boni codices leg. *cothones*, ceteri *cathones*. Etymon autem vocabuli cum *Gesenio, Scripturæ Phœn. monum.* p. 422., in Hebraica lingua quærendum est. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

COTHURNARIUS. *V.* voc. seq.

CŎTHURNĀTĒ, adverb. cujus Comparat. *Cothurnatius* utitur *Ammian.* 28. 1. 4. Cum cothurnatius stilus procederet lacrimosus. *h. e.* magis tragice. *Al. perperam leg.* cothurnarius, *h. e.* tragicus stilus.

CŎTHURNĀTĬO, ōnis, f. 3. scenæ tragicæ repræsentatio. *Tertull. advers. Valentinian.* 13. Hæc prima tragœdiæ scena: alia autem trans siparium cothurnatio est.

CŎTHURNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *cothurno*, cothurno indutus. Fere refertur ad tragœdiam, tragicos, et gravem, sublimem, severumque stilum. *Seneca Ep.* 8. Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt? *Ovid.* 1. *Amor.* 18. 18. Deque cothurnato vate triumphat Amor. *Id. in Ibin* 531. Utque cothurnatum periisse Lycophrona narrant. *Id.* 5. *Fast.* 347. *de Flora.* Scena levis decet hanc: non est, mihi credite, non est Illa cothurnatas inter habenda deas. *h. e.* graviores severioresque. *Martial.* 5. 5. 8. cothurnati grande Maronis opus. Adde *eumd.* 7. 63. *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. *ad fin.* In voluptatem censura cothurnati sermonis invectus es. *Lactant.* 6. 20. *post med.* Tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia, et incesta regum malorum et cothurnata scelera demonstrant.

CŎTHURNUS, i, m. 2. κόθορνος, calceamenti genus virorum æque ac mulierum, utrique aptum pedi, ex corio, usque ad dimidiam cruris partem, quo et venatores, et tragœdiarum actores utebantur, a Græca voce allata. *Servius* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 32. et ad *eumd.* 8. *ibid.* 10. Sed venaticus et tragicus forma differunt, quia tragicus subere altius sublevato fiebat, ut qui tragœdias agerent, proceriores viderentur; sed venaticus talis non erat, quia ea res pernicitatem in venando impedivisset.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) Cothurnorum usus fuit apud Græcos etiam extra venationem et tragœdias. Hinc *Cic.* 3. *Phil.* 6. 16. Tuditanum quemdam reprehendit, qui cum palla et cothurnis nummos populo de Rostris spargere solebat: *scil.* quia is habitus neque senatorius erat, neque Romanus. *Id.* 3. *Fin.* 14. 46. Ut si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec majores minoribus: sic etc. *Vellej.* 2. 82. 4. *de M. Antonio.* Thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus est. *Sidon. carm.* 2. 400. Romam deam fingit indutam cothurnis, quos et describit. — *b*) De cothurno venatico *Virg.* 1. *Æn.* 337. Purpureoque alte suras vincire cothurno. *Id.* 7. *Ecl.* 32. lævi de marmore tota Puniceo stabis suras evincta cothurno. *Juvenal.* 6. 505. breviorque videtur Virgine pygmæa nullis adjuta cothurnis. ¶ 2. Speciatim de cothurno tragico. *Horat. Art. P.* 80. Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni. *Id.* 1. *Sat.* 5. 64. Nil illi larvâ, aut tragicis opus esse cothurnis. *Id. Art. P.* 280. Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 29. Musaque Turrani, tragicis innixa cothurnis. — *Herculis personam et cothurnos infantibus aptare* proverb. apud *Quintil.* 6. 1. 36., *h. e.* rei exiguæ magnum aliquid et minime conveniens accommodare. — Hinc

II.) Sæpe ponitur metonymice pro tragœdia, stilo tragico, sublimi, severo. *Virg.* 8. *Ecl.* 10. Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. *h. e.* quia cothurni usus primus Sophocles in scenam intulit, ut quidam volunt apud *Serv.* ad *loc. cit.* Adde *Martial.* 5. 31. et *Quintil.* 10. 1. 68. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 1. 12. Grande munus Cecropio repetes cothurno. *Propert.* 2. 34. 41. Desine Achilleo componere verba cothurno. *h. e.* carmine heroico, quale est *Homeri* in *Iliade*: qua ratione etiam *Virg.* cothurnatus dicitur. Adde *eumd.* 3. 17. 39. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 45. Quam tu non poteris duro reserare cothurno, Hæc est blanditiis janua laxa meis. *verba sunt* Elegiæ *ad* Tragœdiam. *Id. Remed. am.* 375. Grande sonant tragici; tragicos decet ira cothurnos. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (111). *de Nicophane pictore.* Cothurnus ei et gravitas artis. *h. e.* ratio pingendi sublimis, grandis, et, ut ita dicam, severa. Adde *Quintil.* 10. 2. 22. *Juvenal.* 6. 633. altum satyra sumente cothurnum. *et* 15. 29. vulgi scelus, et cunctis graviora cothurnis.

CŌTĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui cote utitur ad cultros acuendos. *Gloss. Philox.* Ἀκονητής, samiarius, cotiarius.

CŌTĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a cote, parva cos, et occurrit speciatim tantum; scilicet ¶ 1. Ponitur pro lapide, quo fit auri vel argenti experimentum, qui et *index*, et *lapis Lydius* vocatur, et *basanites*, et *chrysites*, et *Heraclius*. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 8. 43. (126). ¶ 2. Item vasis genus ex cote, quo Medici utebantur. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (100). Contraque suffusiones oculorum cum lacte in coticulis teritur. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (140). Ex achate medici coticulas faciunt. *Isid.* 4. *Orig.* 11. 7. Coticula est, in qua circumducta collyria resolvuntur. *Alii male leg.* citicula.

CŌTĪDĬĀNO, CŌTĪDĬĀNUS, CŌTĪDĬE. *V.* QUOTIDIANO, QUOTIDIANUS, QUOTIDIE.

CŌTĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, n. 1. in cotaria laboro, cotes seco. *Apul. De deo Socrat.* Non pro majestate deorum fuerit, ut eorum quispiam Accio Nævio cotificet. *Alii aliter leg.*

CŌTĪNUS, i, m. 2. frutex in Apennino ad linamenta modo conchylii colore insignis, *h. e.* ad vestes lineas conchylii colore tingendas solummodo aptus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (73). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 337.) hæc ait: « Il s'agit ici du fustet, *Rhus Cotinus* L. Spec. 383., arbrisseau qui abonde sur les collines, dans nos provinces méridionales et en Italie. — On désigne le fustet, en Italie, sous le nom de *scotano*, formé évidemment de *cotinus* ». Qui plura desiderat, *V. ibid.*

CŌTIO. *V.* in CONTIO.

CŌTŌNA. *V.* COTTANA.

CŌTŌNEA, æ, f. 1. a Venetis sic dicta herba, quam Galli *halum* appellant, similis cunilæ bubulæ, tota odorata. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 26. (42). De synonym. *V.* CUNILA.

CŌTŌNEUS, a, um, adject. quo Latini Græcam vocem Cydonius reddiderunt. — *Coloneum* et *colonium malum*, et *coloneum* absolute, et, Græca voce servata, *Cydonium* et *Cytonium*, n. 2. κυδώνιον μῆλον, pomum vulgo notum, odoratum, colore flavo, succo asperiore et adstringente: dictum a Cydone urbe Cretæ: cujus multa genera *Plin.* 15. *Hist. nat.* 11. 10. (37). enumerat. *Cato R. R.* 7. Mala cotonia. hinc *Macrob.* 7. *Saturn.* 6. Mala cytonia, quæ cotonia vocat Cato. *Varro* 1. *R. R.* 59. 1. Conditiva mala, struthea, cotonea, scantiana, etc. Adde *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 54. (100). *V.* CYDONIUS. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 227.) generum a *Plin.* 15. *Hist. nat.* loc. cit. enumeratorum hanc exhibet synonymiam: 1. *Chrysomela* Plin. sunt *Mala cotonea minora* C. Bauh. Pin. 434., et *Mala rotunda minora*, nonnullis χρυσόμηλα *ab exterioris cutis colore* Dodon. — 2. *Mulvianum* Plin. sunt *Mala cotonea media* C. Bauh. loc. cit., et *Cydonia Milviana* Tabern. Mont. — 3. *Mustea* Plin. *Varietas ignota?* — 4. *Struthea* Plin. sunt *Mala cotonea majora* C. Bauh. loc. cit., *Colonea majora sive Struthia* Camer. Epist., *Pirus Cydonia var.* β Dict. encyclop., et *Cydonia maliformis* Mill. Dict.

CŌTŌRĬA, æ, *V.* COTARIA.

COTTA, æ, m. 1. genus ludi aleatorii, cujus fit mentio in *Cod. Justin.* 1. 4. 25.; videtur dictum ab ossiculis, quibus ludebant, quæ Græci recentiores κότζι vocant. — NB. De cogn. Rom. *V.* ONOM.

COTTĂBUS, i, m. 2. sonus, vel crepitus plagarum loris incussarum. Figurate *Plaut. Trin.* 4. 3. 4. Ca-

ve, ne cottabi bubuli in te crepent. Ductum est e Græco κότταβος, quod significat sonum vini in terram elisi. Solebant enim Græci in conviviis reliquias vini ad terram spargere lætitiæ causa, quod κοτταβίζειν dicebant.

COTTĂNA, ōrum, n. plur. 2. Legitur et *coctana*, *cotona*, *coctona*, et *cotana*. — Cottana ab Hebr. קטן *caton*, parvus. *Hesychius*: κόττανα, εἶδος συκῶν μικρῶν. *h. e.* genus ficorum parvorum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 10. (51). Syria peculiares habet arbores. In ficorum genere caricas, et minores ejus generis, quæ cottana vocantur. *Martial.* 13. 28. Hæc tibi, quæ tortæ venerunt cottana metæ, Si majora forent cottana, ficus erant. Adde *eumd.* 7. 52. et 4. 89. *Juvenal.* 3. 83. *de quodam Syro venali.* Advectus Romam, quo pruna et cottana, vento. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 28. Nusquam turbine conditus ruenti Prunorum globus atque coctanorum? Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 31.) ait *cottana* esse ex communibus notisque ficis minimum genus, vel, uti ajunt, varietatem.

COTŬLA. *V.* COTYLA.

COTURNĬUM, ii. *V.* COTURNIUM.

CŌTURNIX, icis, f. 3. Prima syllaba, quam *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 27. et *Juvenal.* 12. 97. corripiunt, produci etiam potest. *Lucret.* 4. 642. At capris adipes, et coturnicibus augent. — Ratione habita etymi, a sono vocis ita dictam vult *Paul. Diac.* p. 37. 4. *Müll.*: ast alii a Genit. vocis Græcæ ὄρτυξ, υγος, transpositis, ac leviter mutatis litteris. — Ceterum coturnix est avis advena, terrestris magis, quam sublimis. Hæ aves regem habent, qui ὀρτυγομήτρα, ortygometra dicitur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (66). (It. *quaglia*, *starna*, *coturnice*; Fr. *caille*; Hisp. *codorniz*; Germ. *die Wachtel*; Angl. *a quail*). *Plaut. Capt.* 5. 4. 6. Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ, Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 5. 7. — Sæpe pugnant cum perdicibus, ut *Aristot.* *l.* 9. *De animal. c.* 8. tradit. Hinc *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 26. Ecce coturnices inter sua prælia vivunt. — Coturnices, quæ apud nos aliquo in pretio sunt, apud Romanos contemptui habitas ex *Juvenal.* 12. 97., et multo magis ex *Plin. l. c.* (69). apparet: hic enim ait: Coturnicibus veneni (*h. e.* ellebori) semen gratissimus cibus, quam ob causam eas damnavere mensæ, simulque comitialem propter morbum despui suetum, quem solæ animalium sentiunt præter hominem. — *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 73. de Delo insula loquens, quæ Græce ὄρτυξ dicta est, hujusmodi narrat fabulam: fuisse Asteriam quamdam Latonæ sororem, cui cum contumeliam inferre vellet Juppiter, illam optavisse a diis, ut in avem converteretur: versamque esse in coturnicem: et cum vellet mare transfretare, afflatam a Jove, et in lapidem versam, diu sub aquis latuisse, etc. — Habet aliquando locum in blanditiis amantium. *Plaut. Asin.* 3. 3. 76. Dic me tuum passerculum, gallinam, coturnicem.

CŎTȲLA, et *Latino more* cotula, æ, f. 1. κοτύλη, qua voce tum cavitas, tum liquidorum mensura significatur. Genus mensuræ tum liquidorum, tum aridorum, eadem quæ hemina, dimidium sextarii continens, seu sex cyathos. Hæc ex *Fannio De ponderib. et mens. humid.* 12. et *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *n.* 68. Hinc *Martial.* 6. 71. Post hunc in cotula rasa salibra data est. — *NB.* De nom propr. *V.* ONOM.

CŎTȲLĒDON, ŏnis, f. 3. κοτυληδών, herba parvula, cauliculo tenero pusillo, pingui folio et concavo, ut coxendices (unde et nomen), viridis, radice olivæ modo rotunda. Herbarii nunc vocant umbilicum Veneris. Est et aliud genus, sordidis foliis, latioribus densioribusque circa radicem velut oculum cingentibus, asperrimi gustus, longiore caule, sed pergracili. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 101. (159). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 368.) hanc exhibet synonymiam: I. Κοτυληδὼν Hippocr. et Nicand. Ther. 681.; Κοτυληδὼν, οἱ δὲ σκυλάκιον, οἱ δὲ κυμβάλιον Dioscor. 4. 92.; Τὰ φύλλα τῆς κανναδιάς Græcor. recent.; Κοτυληδὼ Lacon. et *Cotyledon* primi generis Plin. sunt *Cotyledon Umbilicus* Smith. Fl. brit. 484. — II. *Cotyledon altera* Plin. est *Cotyledon serrata* L. Spec. plant. 614.

CŎTYTTIA, ōrum, n. plur. 2. κοτύττια, festa nocturna in honorem Cotyttus (*V. Annal. dell' Instit. Archeol. a.* 1845. *p.* 117., et *Bullett. archeol. Napol. a.* V. *p.* 75.). quæ Athenis fiebant: in quibus placentulæ quædam et poma ramis arborum alligabantur et diripienda proponebantur. Erant autem omni genere lasciviæ fœdissima: unde vocat ea *Horat. Epod.* 17. 56. sacrum liberi Cupidinis. *Auct. Catal. Virg.* 5. 19. Non me vocabis pulchra per Cotyttia Ad feriatos fascinos. *Acron.* et *Porphyr.* *infernalia* vocant, quæ diis inferis a veneficis fiebant: inde fortasse, inquit *Porphyr.*, quod Cotytus fluvius sit Inferorum. Verum ejus fluvii non *Cotytus*, sed *Cocytus* nomen est.

COA. *V.* COUS.

COUM. *V.* COUS et COVUM.

COŪNĀTUS, a, um, part. adunatus. *Marcell. Empir.* 29. *ad fin.* Tum ipsa fila in se counata torquebis.

CŌUS, a, um. adject. Κῷος, ad Coon insulam pertinens: *V.* ONOM. — Hinc

Coa, *orum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt vestimenta, quæ in magno pretio fuerunt. Erant autem genus vestis tenuissimæ ac pellucidæ ad luxum feminarum, nomen habentes ex eo, quod quædam Pamphila Latoi filia, Coa, prima invenit telas bombycinas redordiri rursusque texere mira tenuitate: non fraudanda (inquit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 22. 26. (76).) gloria excogitatæ rationis, ut denudet feminas vestis. Quod inventum jure ac merito arguit *Seneca Ep.* 90. et 7. *Benef.* 9. *ad fin.* et alibi. *Ovid.* 2. *Art. am.* 298. Sive erit in Cois, Coa decere puta. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 2. 101. — Ceterum hoc sensu adject. *Cous* jungitur et suis nominibus. *Tibull.* 2. 6. 35. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit. *Id.* 2. 4. 29. Coa vestis. *Propert.* 4. 5. 55. Coæ munera vestis. *Id. ibid.* 23. Coæ textura Minervæ. — Et ratione habita coloris. *Horat.* 4. *Od.* 13. 13. Coæ purpuræ. *Juvenal.* 8. 101. Coa conchylia. Adde *Plin. loc. cit.*

Coum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est Coum vinum. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 29. Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo. *h. e.* quod Græca voce *leucocoum* dici tradit *Plin.* 14. *Hist. nat.* 8. 10. (78). ejusque conficiendi rationem docet. *Pers.* 5. 135. lubrica Coa. *h. e.* vina Coa alvum solventia. — Ceterum *Coum vinum* memorant *Cato R. R.* 112. et *Plin. loc. modo cit.*; *Coam uvam* et Berytiam, quæ servantur nullius suavitati postferendæ, *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (66).; *Coam fæculam* inter remedia laudat *Horat.* 2. *Sat.* 8. 9.; denique *Coas amphoras* memorat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (161).

COŪTOR, utĕris, ūti, dep. 4. (cum *et* utor) simul versor. *Vulgat. interpr. Joann.* 4. 9. Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

CŌVĪNĀRĬUS *vel* covinnarius, ii, m. 2. qui covinum regit, vel potius qui ex covino pugnat. *Tac. Agric.* 36. Covinarii peditum se prælio miscuere. Adde *eumd. ibid.* 35.

CŌVĪNUS *vel* covinnus, i, m. 2. genus carri, quo in bello utebantur Britanni et Belgæ, ejus axes falcibus armantes ut *Mela* 3. 6. 5. docet. *Lucan.* 1. 426. Et docilis rector rostrati Belga covini. *Alii leg.* monstrati. *Sil. It.* 17. 417. Cærulus haud aliter cum dimicat incola Thules, Agmina falcifero circumvenit arcta covino. — Ejus usus erat etiam in itinere, pro rheda. *Martial.* 12. 24. O jucunda, covine, solitudo, Carruca magis essedoque gratum etc. — Latiori significatione usurpatur et de curribus circensibus. *Sidon. carm.* 23. 350. Instant verberibus simul regentes, Jamque et pectora prona de covino Extensi rapiuntur, et jugales Trans armos feriunt, vacante tergo.

CŌVUM, i, n. 2. cavum in aratro, sub jugo medio, quo bura extrema immittitur: a cavo dictum. *Varro* 5. *L. L.* 135. *Müll.* At *Müll.* pro *covum a cavo* legit *cous a cavo*.

COVUS, i, m. 2. dicitur a *Phylargyr.* ad *Virg.* 2. *G.* 517. manipulus spicarum, qui ab Italis *covone*. In editis male legitur *cavus*.

COXA, æ, f. 1. (It. *anca*, *coscia*; Fr. *hanche*; Hisp. *cadera*, *anca*; Germ. *die Hüfte*; Angl. *the huckle-bone, joint of the hip, the hip or haunch*).

I.) Proprie coxa est os in imo ventre animalis transversum, longeque valentissimum, situm ab utroque latere ossis sacri: in cujus sinus rotundos, seu acetabula valde capacia, hinc et inde capita ossis femorum conjiciuntur. *Cels.* 8. 1. *ad fin.* et *ibid.* 10. *n.* 5., item 2. 7. Videtur autem priore loco ipsum quoque sacrum os hac appellatione complecti. *Id.* 5. 26. *n.* 13. Dolor in inguinibus et coxis et feminibus est. — Sumitur etiam late pro ipso femore. *Cels.* 4. 20. Perfricare coxas et poplites. *Martial.* 7. 20. Et utramque coxam leporis et duos armos. Adde *Juvenal.* 6. 320. et 15. 66.; et *Apul.* 7. *Met.* — Et pro osse femoris, præsertim quod coxæ jungitur. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Fallente vestigio cecidit, coxamque fregit.

II.) Translate, quemadmodum in corpore humano femur coxæ adjunctum, angulum internum facit: ita in agris *coxa* angulum internum limitaneum notat. *Siculus Flacc.* p. 6. *Goesii.* Termini qui in omnibus angulis coxisque positi esse debent. V. *Hygini loc. cit.* in INSTABILIO. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 180. *n.* 377. T. CAPELLI T. F. VINDICIS IN F. P. XXXVII. A. T. COX. S. P. XXVII. INTRA COX. P. XXXVII. *V.* ipsum *Fabrett.* qui ibi plura hac de re, et *Ursati Marmora Erudita epist. ult.* De hac vero inscriptione V. *Cognolat.* in *Præf.* huic Lexico præmissa *n.* XI. et adnotat. (*k*).

COXENDIX, icis, f. 3. Penultimam brevem effert *Seren. Sammon.* 37. 702. Sæpius occultus cocta coxendice morbus Perfurit. Adde *eumd.* 33. 968., quem locum *V.* in GLOMERAMEN. — Coxendix est idem quod *coxa*: sed apud Latinos usitatius. *Cels.* 7. 30. *sub fin.* Coxendices ac femina liquido cerato perungenda sunt. *Turga* reponendum putat *coxas*. *Sueton. Aug.* 8. Coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat. *Varro* 1. *R. R.* 20. 1. Boves crassis coxendicibus. Cf. *eumd.* apud *Non.* p. 94. 7. *Merc.* — Pro toto femore. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 40. PH. Cor stimulo foditur. NI. Pol tibi multo æquius est coxendicem. *Lucilius* apud *Non. p.* 94. 6. *Merc.* Caput collo sustentatur, truncus sustinetur a coxendicibus. *Festus* p. 313. 34. *Müll.* Coxendices hostiarum, quæ in altaria imponi solebant. — Pro osse femoris. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49 (179). *de sub.* Ossa ex acetabulis pernarum, circa quæ coxendices vertuntur. *Id.* 10. *ibid.* 61. 81. (168). Vespertilioni coxendix una traditur. *h. e.* unicum os sine crure usque ad pedes. Adde *eumd.* 24. *ibid.* 10. 40. (82).

COXIM, adverb. *V.* COSSIM.

COXO, onis, *et*

COXUS, a, um. *V.* CATAX.

CR

CRĂBĀTUS *vel* grabatus, i, m. 2. κράβατος. *V.* GRABATUS.

CRĀBRO, ōnis, m. 2. animal volatile, e genere vesparum, cum murmure volitans, nidos in cavernis, aut sub terra faciens: duplicis generis, teste *Plin.* 11. *Hist. nat.* 21. 24. (73)., silvestre eorum, qui in arborum cavernis degunt, hieme sub terra conduntur; ictu aculei dolorem ac sæpe febrim inferentes: et mitius, ac veluti domesticum partim eorum, qui opifices nominantur, h. e. favos ædificant modo suo; partim inertium, et partus solummodo edentium, ob id matres dicti, sed utrorumque clementium. *Virg.* 4. *G.* inter hostes apum enumerat 245. Aut asper crabro imparibus se miscuit armis. *Ovid.* 15. *Met.* 368. Pressus humo bellator equus crabronis origo est. *Id.* 11. *ibid.* 335. similisque juvenco Spicula crabronum pressa cervice gerenti, Qua via nulla ruit. Adde *Pallad.* 9. *R. R.* 7. — *Plaut. Amph.* 2. 2. 75. *Irritare crabrones*, quemadmodum et nos Itali dicimus *stuzzicare i calabroni o il vespajo*, proverbium est de illis, qui potentiores provocant, a quibus sine malo discessuri non sunt.

CRACCA, æ, f. 1. genus viciæ, aut alterius grani degenerantis, in tantum columbis grata, ut pastas ea negent fugitivas illius loci fieri. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 41. (142). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 167.) hanc exhibet synonymiam: Ἄραχον Theophr. Hist. plant. 8. 10.; *Arachus* Dodon. Pempt.; *Aracus*, *Araca* et *Cracca major* Ad. Lobel. et *Cracca* Plin. loc. cit. sunt *Vicia Cracca* L. Sp. plant. 1035.

CRĂCENTES, graciles. *Ennius*: Succincti gladiis media regione cracentes. Hæc *Paul. Diac.* p. 53. 7. *Müll. Gloss. Isid.* Cracentes, graciles. *Gloss. Placid.* ed. *A. Mai.* p. 450. Cracentes, graciles, tabidos. — Volunt etymologi esse ab obsoleto *craceo* pro *graceo* (quod probat et *Müll.*, ad *Paul. Diac.* p. 23. 10.), a γράω *comedo, absumo*.

CRAMBE, es, f. 1. κράμβη, genus brassicæ tenuio-

ribus foliis, et simplicibus densissimisque, amarior, sed efficacissima, ut *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (79). describit. Dicta videtur quasi κοραμβλη, quia κόρας ἀμβλύνει, pupillas hebetat. *V.* CORAMBLE. — Sumitur et pro quavis brassica: quæ bis cocta, seu recalefacta stomachum prægravat, concoctu difficilis. Hinc Græcum proverbium δὶς κράμβη θάνατος. Allegorice *Juvenal.* 7. 154. Occidit miseros crambe repetita magistros. *h. e.* millies repetitæ declamationes, aliaque, quæ pueris traduntur in scholis, tædio conficiunt atque enecant magistros. Hoc aptius esse videtur, quam quod alii *Cambre* legentes, commenti sunt de quodam viro ejus nominis ad montem Gaurum, ubi Campani a Cumanis olim ingenti prælio superati fuerint: ut proinde *Cambre* titulus esset declamationis, quæ frequenter in scholis haberetur.

CRĀPŬLA, æ, f. 1. κραιπάλη, nimius vini potus, ebrietas, ex qua titubatio, vertigo et gravedo capitis oritur: a voce Græca sitata, quæ videtur esse ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι τὸ κάρα, quia caput contremiscit, et totum corpus labat: hinc *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (46). Novitium (*vinum*) resinatum nulli conducit: capitis dolorem et vertigines facit: ab hoc dicta crapula est (It. *crapula*, *ubbriachezza*; Fr. *crapule*, *ivresse profonde;* Hisp. *glotoneria*, *borrachez;* Germ. *der Weinrausch mit seinen Folgen*, *Taumel*, *Schwindel* etc.; Angl. *a surfeit*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 5. 2. 1. Ubi somnum sepelivi omnem, atque obdormivi crapulam. *Id. Pseud.* 5. 1. 35. Inde huc exii, crapulam dum amoverem. *Cic.* 3. *Verr.* 11. 28. Qui nondum Aproniani convivii crapulam exhalassent. *Id.* 2. *Phil.* 12. 30. Edormi crapulam et exhala. *Liv.* 9. 30. Pleni crapulæ tibicines. Adde *eumd.* 33. 48.; *Curt.* 9. 10. 27. et *Val. Max.* 6. 9. 1. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 20. 83. (142). Ira discutit crapulas. *Apul.* 1. *Met.* Cibo et crapula distentus. *Id.* 3. *ibid.* Crapula madens. *Flor.* 2. 10. Subinde crapula et capitis errore lapsare. *Paulin. Nolan. carm.* 24. 103. Talis ubi lectas implevit crapula mentes, Ructavere sacras jucundo gutture laudes Ebria corda Deo. *Venant. Fortun. præfat. l.* 1. Crapula brumali fessus sub frigore. — Hinc *Seren. Sammon.* 18. 322. At male digestis si crapula sæviet escis.

II.) Metonymice dicitur flos resinæ percoctus, quo condire vina solebant: quia vinum ita conditum capitis dolorem et vertiginem facit (teste *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (46).), qui sunt crapulæ effectus. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (124). Crapula compesci feritatem vini nimiam. *et mox.* Pugnacibus mustis crapulæ plus inditur. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 1. 24. (46). et 16. *ibid.* 11. 22. (54).

CRĀPŬLĀRĬUS, a, um, adject. ad crapulam pertinens. *Plaut. Stich.* 1. 3. 74. Vel unctiones Græcas, sudatorias, Vel alias magis malacas crapularias. *Al. leg.* ampullarias. *V.* AMPULLARIUS.

CRĀPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. eadem ac crapula. *Cassiod. de anim.* 11. Corpus dum nulla crapulatione distenditur, in odores non exsudat acerrimos.

CRĀPŬLENTUS, a, um, adject. crapula gravatus, ebrius. *Ammian.* 29. 5. 54. Vinoque consueto distentus et crapulentus.

CRĀPŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. nimium potare, inebriari. *Vulgat. Ital. Isai.* 29. 9. Amentes estote, crapulamini non a sicera neque a vino, quoniam potionavit vos Deus spiritu compunctionis. *Vulgat. interpr. Psalm.* 78. 65. Tamquam potens crapulatus a vino.

CRĀPŬLŌSUS, a, um, adject. crapulæ deditus. *Firmic.* 8. *Mathes.* 20. Gulæ crapulosis libidinibus servientes.

CRAS, adverb. die proxime futuro (It. *dimani*, *domani*; Fr. *demain*; Hisp. *mañana*; Germ. *morgen*; Angl. *to-morrow*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu — *a*) Cum Verbis futuri temporis. *Ter. Adelph.* 5. 3. 54. Ceterum rus cras cum filio cum prima luce ibo hinc. *Cic.* 12. *Att.* 44. 3. Scies igitur fortasse cras: ad summum perendie. *Ovid. Remed. am.* 94. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 27. Cras Latina lingua dies ventura significatur. Hoc ergo clamans (*cornicula*) tristem vobis crastinam significat diem. — *b*) Cum Verbis præsentis temporis. *Plaut. Most.* 3. 1. 124. Abeo: sat habeo, si cras fero. *Atta* apud *Non.* p. 168. 21. *Merc.* Cras est communis dies. *Varro*, unum ex libris suis inscripserat, teste *Non. p.* 112. 9., Cras credo: hodie nihil. Quare frustra est *Servius*, qui in *Art.* 2. *Donati p.* 1791. *Putsch.* putat vitiose dici, *cras lego lectionem*. Porro illud *Varronis*, Cras credo etc., commode usurpari potest ab eo, qui negat dictis alicujus fidem habere: et sententiæ illi Italorum respondet: *oggi non si fa credenza. Horat.* 1. *Ep.* 5. 9. Cras, nato Cæsare, festus Dat veniam, somnumque dies. — *c*) Aliquando *cras mane* junguntur. *Ter. Phorm.* 3. 2. 46. Cras mane argentum mihi miles se dare dixit. *Cic.* 12. *Att.* 30. 2. Negat Eros hodie: cras mane putat. — *d*) In illo *Martial.* 2. 37. Ullus si pudor est, repone cœnam. Cras te, Cæciliane, non vocavi. *cras* est in diem crastinum. — *e*) Hinc cras substantivorum quoque more adhibetur. *Martial.* 5. 58. Cras istud, Postume, quando venit? *Pers.* 5. 68. Aliud cras, cras hesternum. *h. e.* hesterna dies. Sed *V.* integrum locum. ¶ 2. Apud Poetas aliquando latiori significatione occurrit pro in futurum, futuro tempore. *Horat.* 1. *Od.* 9. 13. Quid sit futurum cras, fuge quærere. γνώμη. *Tibull.* 2. 7. 1. Finirent multi leto mala: credula vitam Spes fovet, et melius cras fore, semper ait. *Ovid.* 15. *Met.* 216. Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla Corpora vertuntur: nec, quod fuimusve, sumusve Cras erimus.

CRĀSIS, is, f. 3. κρᾶσις, mistio, mistura. A grammaticis sic dicitur duarum vocalium, aut vocalis et diphthongi coitio in unam tertiam, quæ unum efficiat sonum ex duabus mistum, vel neutra illarum remanente, vel alterutra tantum, ut τύχεα τύχη, καὶ εἶτα κᾆτα. Sed Græca vox est a κεράννυμι misceo et Græce adhibenda.

CRASSĀMEN, inis, n. 3. idem ac crassamentum. *Colum.* 12. *R. R.* 25. 2. Semper in requieta aqua crassamen aliquod in imo reperitur. *Id. ibid.* 41. 2. Donec crassamen in modum fæcis existat.

CRASSĀMENTUM, i, n. 2. ¶ 1. Est pars crassior alicujus rei. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (210). Crassamenta portarum. *V.* ASSAMENTA. *Gell.* 17. 9. Surculi duo pari crassamento ejusdemque longitudinis. ¶ 2. Item crassum illud et fæculentum, quod subsidit in liquoribus requietis. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 1. Aliquod crassamentum in imo, simile fæci reperitur.

CRASSANTUS, i, m. 2. bufo: ita videtur vocari, quia turgescit, h. e. crassatur. *Eucher. carm.* 17. Auratam crassantus amet, saxatilis anguem. Ita legit *Wernsdorf.*; at *Burmann.* reponendum censet *cercyros*. In optimo Codice sæc. X. (*Bibliothec. imperial. Paris. n.* 8440.) legitur *craxantus*, quod ratione habita Græci verbi κρώζω, κρώζομαι, significare videtur *ranam*.

CRASSĀTĬO, ōnis, f. 3. crassitudo. *Pelagon. Veterin.* 16. 21. Ad nervorum crassationem fænum Græcum, cariens Afras pinsas et cum vino imponis.

CRASSĀTUS, a, um. *V.* CRASSO.

CRASSĒ, adverb. Comp. *Crassius* I. — Crasse est dense (It. *grossamente*; Fr. *d'une manière épaisse*; Hisp. *espesamente*; Germ. *dick, dicht oder grob*; Angl. *thickly*, *grossly*).

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 44. 5. Vasa intrinsecus et exterius crasse picari. *Id. ibid.* 46. 5. Illinire mala crasse. *Scribon. Compos.* 46. Oblinire nares crasse. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 31. (106). Gemmæ crassius nitent. *h. e.* languidius, obtusius. *Id.* 37. *ibid.* 8. 36. (114). Molochites spissius viret et crassius, quam smaragdus.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 76. Poema crasse illepideve compositum. *Seneca Ep.* 121. Aliquid crasse et summatim et obscure intelligere.

CRASSĒDO, inis, f. 3. crassities, crassitudo. Occurrit translate tantum apud *Fulgent. Contin. Virg.* Adipata crassedo ingenii.

CRASSESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* crasso. Part. *Crassescens*. — Crassesco est crassus fio aut densus. *Colum.* 8. *R. R.* 9. 2. Turtures milio, tritico, vel aliis frumentis crassescunt. *h. e.* pinguescunt. Sic *Plin.* 13. *Hist. nat.* 18. 32. (110). Sues crassescunt. *Id.* 10. *ibid.* 6. 32. (105). Cepæ Creticæ capita satis crassescunt. *h. e.* crassa vel densa fiunt. *Id.* 11. *ibid.* 39. 94. (231). Quadrupedibus pili senectute crassescunt. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (40). Quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit. *Id.* 11. *ibid.* 13. 13. (32). Est autem initio mel dilutum: vicesimo die crassescit. *Id.* 2. *ibid.* 43. 44. (114). Aer qui neque in nebulam densetur, nec crassescat in nubes. *Id.* 33. *ibid.* 5. 26. (86). Crassescente limo rigoribus hibernis usque in duritiam pumicis. *h. e.* indurescente.

CRASSĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. crassities. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. Viscosa crassificatio. *Id.* 1. *Acut.* 14. Somnum etiam fieri spiritus sensibilis crassificatione asseverat Asclepiades.

CRASSĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CRASSĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (crassum et facio). Part. *Crassificatus*. — Crassifico est pinguem, crassum, spissum reddo. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. Crassificare corpus. *Id.* 2. *ibid.* 13. Si celeriter ægros crassificari viderimus. *Id.* 4. *ibid.* 3. Fluores crassificando cohibet. *Id.* 2. *ibid.* 14. Quæ cum fuerint coctione crassificata etc.

CRASSĬPES, pĕdis, adject. crassos habens pedes. Occurrit tantum cognomen familiæ Romanæ in gente Furia: ex qua M. Furius Crassipes prætor, cujus meminit *Liv.* 38. 42.; et Furius Crassipes, cui nupsit Tullia Ciceronis filia, ut est apud *eumd.* 2. *ad Q. fr.* 5. et 1. *Fam.* 7. 11. Adde nummum gentis Furiæ apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 222.

CRASSĬTAS, ātis, f. 3. crassities, crassitudo. *Apul. de Mundo.* Aeris nosli crassitate densa.

CRASSĬTĬES, ēi, f. 5. idem ac crassitudo. *Apul.* 7. *Met. post init.* Pectus et venter crustata crassitie reluctabant.

CRASSĬTŪDO, inis, f. 3. (crassus) amplitudo, densitas, spissitudo (It. *grossezza*; Fr. *épaisseur*, *densité*; Hisp. *espesura*, *densidad*; Germ. *d. Dicke*, *d. Dickstein*; Angl. *thickness*, *bigness*, *crassitude*). Occurrit ¶ 1. Abstracte. *Plaut. Most.* 3. 2. 132. Postes cujusmodi! quanta firmitate facti, et quanta crassitudine! *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 36. 116. Libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit. *Id.* 1. *Divinat.* 49. 93. Propter aeris crassitudinem. *Cæs.* 2. *B. C.* 8. Crassitudo parietum quinque pedum. *Id.* 7. *B. G.* 73. Crassitudo feminis. *Id.* 3. *B. G.* 13. Pollicis crassitudo. *Liv.* 44. 11. Fornices non ad eamdem crassitudinem structos esse. *Vitruv.* 3. 4. 2. *Schneid.* Crassitudines columnarum extenuentur his rationibus, etc. *Id.* 3. 5. 7. Crassitudo capituli. *Id.* 4. 4. 4. Crassitudines graduum. *Id.* 2. 8. 17. Crassitudo sesquipedalis. *Colum.* 4. *R. R.* 30. 4. Dipondiarii orbiculi crassitudo. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (60). Ostrea crassitudine potius spectanda, quam latitudine. *Id.* 27. *ibid.* 9. 47. (71). Decocta in vino usque dum sit crassitudo ceræ. *Id.* 11. *ibid.* 39. 93. (227). Crassitudo corii. *Id.* 32. *ibid.* 9. 31. (98). Generum crassitudines. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (187). Crassitudo mellis. Adde *Cels.* 5. 28. Rursus *Plin.* 13. *ibid.* 7. 15. (58). Rami in crassitudine adolevere. ¶ 2. Concrete, uti ajunt, sensu ponitur pro crassamento. *Cato R. R.* 39. Crassitudo fiat quasi emplastrum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 90. (141). *de psyllio herba.* Terere et crassitudinem illinire oportet cuicumque dolori et collectioni.

CRASSĬVĒNĬUS, a, um, adject. (crassus et vena). *Crassivenium aceris genus*, dicitur aceris quoddam genus, ceteris vilius, ob crassiorem ac rudiorem venarum macularumque discursum. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 15. 26. (66).

CRASSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Crassatus*. — Crasso est idem quod crassum facio; sed occurrit passive tantum. *Apul.* 3. *Met.* Pili crassantur in setas. *Ammian.* 19. 4. Terrarum halitu densiore crassatus aer.

CRASSUNDĬA significare videntur crassiora intestina, quæ opponuntur tenuioribus sive hilis. *Müller* ad *Varron.* 5. *L. L.* 111. Optimi *Varronis* Codd. legunt *crassundia*; al. *crassunda*.

CRASSUS, a, um, adject. Comp. *Crassior* sub I. et II.; Sup. *Crassissimus* sub I. — Ratione habita etymi, *crassus* conjungitur cum *cresco*, *creber* etc. (V. *Döderlein*, *Latein. Synon.* 1. p. 20.), et est exterius amplus (cui opponitur subtilis, tenuis), interius vero spissus, densus, gravis, item pinguis: quæ tria *Forcellinus* distinxerat (It. *grosso*, *denso*, *spesso*, *pingue*; Fr. *épais*, *gros*, *grossier*, *gras*; Hisp. *espeso*, *grueso*, *gordo*, *graso*; Germ. *stark nach Aussen*, *dick oder in sich dicht*, *nach Befinden auch fett*, *fest*, *grob wiederzugeben*; Angl. *thick*, *coarse*, *gross*, *dense*, *fat*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 28. Arbores crassiores digitis quinque. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (83). Rursus *Cato R. R.* 40. Stirpem oblinito digitos crassos tres. *Pontedera* et *Schneiderus* putant legendum *digitos crassum tres*. Ceterum *digitus crassus* est mensura digiti secundum ejus crassitudinem. *Cic.* 1. *Nat. D.* 6. 17. Terram esse infimam, quam crassissimus circumfundet aer. *Id. Fat.* 4. 7.

Athenis tenue cælum; ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis; itaque pingues Thebani. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. Latent ista omnia crassis occultata et circumfusa tenebris. *Id.* 9. *Fam.* 12. Hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cujusmodi ipsius solent esse munera. *Forcellinus* inter translata retulit. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 52. Si quid crassi est in vino. *Martial.* 2. 40. Subdola tenduntur crassis modo retia turdis. *Stat.* 2. *Theb.* 659. simul hæc et crassum sanguine telum Jam redit. *h. e.* cruore tinctum, illato vulnere, et sic quodammodo pingue factum. — Jungitur et pluribus aliis Substantivis, quorum præcipua, servato literarum ordine, exhibentur. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 42.; *Horat.* 2. *Ep.* 1. 244.; et *Juvenal.* 10. 50. aer crassus. *Lucret.* 4. 350. aer caliginis crassior. *Cato R. R.* 6. ager crassus. cui ibid. *opponitur* macrior. Sic *Cic. Flacc.* 29. 71. agri crassi. *h. e.* pinguiter densi, ut *Colum.* loquitur 2. *R. R.* 2. 5. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 24. 1. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 8. aquas volvere crassas. Sic *Martial.* 12. 26. Et subitus crassæ decidit imber aquæ. *Cato R. R.* 18. arbores crassæ pedes duos. Adde *eumd. ibid.* 15. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 9. (53). arena crassior. *Lucan.* 10. 113. aurum crassum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (71). buxus crassissima in Corsica. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 36. caligo inferum rigida, crassa. *Lucret.* 6. 461. caligine crassa nubis. Adde *Virg.* 2. *G.* 309. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 80. compedes crassi. *Lucret.* 6. 858. corpore crasso terra. *Virg.* 5. *Æn.* 469. cruorem crassum ore rejectans. *Scribon. Compos.* 205. emplastrum satis crassum. *Virg.* 3. *G.* 205. farrago crassa. *Ovid. Heroid.* 9. 77. fila crassa. *Stat.* 1. *Achill.* 87. flumina crassa. *h. e.* cadaveribus spissa et cursu tardiora. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 26. homo crispus, crassus, cæsius. *Varro* 5. *L. L.* 111. *Müll.* intestinum crassum. *Sed lege cum* Müll. intestinum cum crassundiis. *Cato R. R.* 40. loca crassa et humecta. *Id. ibid.* 92. lutum crassum. *Id. ibid.* 15. maceria crassa pedem I. sem. *Auct. B. Hisp.* 6. nebula crassissima. *Lucret.* 6. 246. nubes crassæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (187). nucleus crassus sex digitos. *Virg.* 2. *G.* 110. paludes crassæ. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 69. (180). pituitæ crassiores. *Id.* 11. *ibid.* 43. 99. (244). pollex crassior digitis ceteris. *Stat.* 6. *Theb.* 816. pulvis crassus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (42). radix crassa. *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 17. regio mundi crassissima. *Plaut. Pers.* 5. 2. 34. restis crassa. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 38. 90. (221). sanguis crassior. *Lucret.* 4. 1258. semina crassa. *Id.* 4. 1240. semen crassius. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 15. toga crassa. *Sil. It.* 7. 628. umbra. *Horat. Art. P.* 375. unguentum crassum. *h. e.* spissum, non liquidum, et veluti turbidum, atque adeo vilioris pretii. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 83. (165). urina crassa. *Sil. It.* 13. 571. venenum crassum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (196). Vitrum crassiore visu. *h. e.* minus pellucido. *Martial.* 5. 78. volumen crassum.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Plaut. Rud.* 3. 5. 53. Crassum infortunium. *Martial.* 12. 18. Crassiora nomina. *h. e.* rudia, barbara et pingue quiddam sonantia. *Gell.* 13. 2. Ciceroni mollius tereliusque visum *fretu* scribere, quam *freto*: erat enim crassius vastiusque *perangusto freto* dicere. — *b*) Speciatim ad animum et ingenium refertur. *Varro* apud *Non. p.* 86. 24. *Merc.* Senes crassi. *h. e.* hebetes. Sic *Martial.* 9. 23. Vulgus crassaque turba. *h. e.* rudis, indocta. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 3. abnormis sapiens crassaque Minerva. *V.* MINERVA. *Quintil.* 1. 10. 28. Etiam crassiore, ut vocant, Musa, dubitationem eximere. *Ulp. Dig.* 22. 6. 6. Crassa negligentia. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

CRASTINATIO, ônis, f. 3. idem quod procrastinatio. *Gloss. Cyrill.* Ὑπέρθεσις, dilatio, procrastinatio, crastinatio, etc.

CRASTINO, adverb., seu potius est Ablativus num. sing. ab adject. *crastinus* et subauditur *die.* *Gell.* 2. 29. Crastino seges non metetur.

CRASTINUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

CRASTINUS, a, um, adject. (*cras*) qui cras futurus est (It. *di domane*; Fr. *de demain*; Hisp. *de mañana*; Germ. *morgend*, *dem morgenden Tage angehörend*; Angl. *of to-morrow*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu crastinus dicitur et est, qui cras futurus est, qui ad diem proxime sequentem pertinet; et occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Men.* 1. 2. 62. Usque ad diurnam stellam crastinam potabimus. *Id. Stich.* 4. 2. 55. Numquam me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem. *Cic.* 15. *Att.* 8. *extr.* Sed aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis de ea re. *Petron. Satyr.* 15. Exhibiturum crastino die affirmabat. *Propert.* 2. 15. 54. Crastina dies. *Virg.* 12. *Æn.* 76 Aurora. *Id.* 1. *G.* 425. hora. *Id.* 10. *Æn.* 244. lux. *Id.* 4. *ibid.* 118. Ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan. *Horat.* 4. *Od.* 7. 17. Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora dii superi? *Ovid.* 3. *Fast.* 345. Sed tibi, protulerit quum totum crastinus orbem Cynthius. *Lucan.* 7. 26. Crastina quies. *Valer. Flacc.* 7. 97. ignis. *Martial.* 3. 10. egestas. *Id. ibid.* 58. Nec avara crastina dapes mensa. — *b*) Speciatim pro *crastino die* dixerunt et *die crastini*, ut *Plaut. Most.* 4. 1. 25. Hoc die crastini cum herus resciverit. Adde *Gell.* 2. 29. qui plura disserit de hac loquendi ratione 10. 24.; ubi ostendit *die quinti*, *noni*, *pristini*, *proximi* dictum fuisse pro *quinto*, *nono*, etc. (sive *quintoi*, *nonoi*, etc.). *Cœl. Antipater* et *Cato* apud *Gell. ibid.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. — *c*) Græcorum more dicitur etiam de homine, et *crastinus* est qui cras quippiam facturus est, ut *matutinus* apud *Virg.*, qui mane. *Sidon. carm.* 24. 21. Emensusque jugum die sub uno, Flavum crastinus aspicis Triobrem. ¶ 2. Latiori significatione *crastinus* idem est, quod futurus, posterus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 17. (60). Fertilitas assidua ei, crastino subnascente fructu. *Stat.* 3. *Theb.* 562. Quid crastina volveret ætas, Scire nefas homini. *Martial.* 1. 16. Sera nimis vita est crastina: vive hodie. — Hinc

Crastinum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem quod crastinus dies, vel crastinum tempus. *Seneca Thyest.* 619. Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut posset sibi polliceri. — Sæpius occurrit formula *in crastinum*. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 33. In crastinum vos vocabo. *Id. Cas.* 3. 5. 43. Vitam alicujus in crastinum protollere. *Cic.* 2. *Orat.* 90. 368. Nisi forte in crastinum differre mavultis. *Quintil.* 5. 10. 16. Pervenire in crastinum. — In crastinum, differo res severas, εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα, proverb., quo admonemur in re læta, v. gr. in convivio de rebus seriis agere importunum esse. Ortum habuit fortasse ex eo, quod narrat *Nepos Pelop.* 3. V. *Plutarch. Pelop.* 10. — Cf. et CRASTINO loco suo. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

CRĂTÆGIS (et Acc. *crataegin*) κραταιγίς, herba eadem, quæ satyrion. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 63. (99). De synonymia *V.* SATYRION.

CRĂTÆGON, ônis, m. 3. κραταιγών, vel

CRĂTÆGOS, i, m. 2. κράταιγος, herba, quam Latini aquifoliam vocant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 40. (63). *V.* AQUIFOLIA.

CRĂTÆGUM, granum buxi. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 52. (120). *Al. leg.* carthegon.

CRĂTÆOGŎNON, i, n. 2. (juxta nonnullos Codd. etiam *cratæogonos*, i, f. 2.) κραταιόγονον, herba spicæ tritici similis, multis calamis ex una radice emicantibus, multorumque geniculorum. Nascitur in opacis, semine milii, vehementer aspero gustu. Dicta videtur ἀπὸ τοῦ κρατεῖν ἐν τῇ γονῇ: quod vim habeat in generando. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 40. (62). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 343.) hanc exhibet synonymiam: Πολύκαρπον Hippocr. de Morb. mul. 1. 615., Theophr. Hist. plant. 9. 18.; Κραταιόγονον Galen. Exp. voc. Hipp. p. 548. et Dioscor. 3. 138.; Ἀγρία σκιούρα Græcor. recent. et *Cratæogonon* Plin. loc. cit. sunt *Bazela* Hildeg. 2. 174. et *Polygonum Persicaria* L. Spec. plant. 518. — Est alia cratæogonos, quæ thelygonos vocatur. Differentia intelligitur lenitate gustus. *Plin. l. c.* (63). Juxta Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 444.) est *Mercurialis tomentosa* (*mas*) L. *V.* THELYGONOS.

CRĂTELLÆ, ārum, f. plur. 1. *Veget.* 5. *Veterin.* 40. 2. Cervices ejus (*jumenti*) constringuntur usque eo, ut cratellis ex ligno appositis constricta cervice pravitas dirigatur. *Schneid.* ad h. l. hæc adnotavit: Pro *clitellis* etiam *cretellas* dici, cum *Cangio* monuit *Gesner*. Regulæ esse videntur ad similitudinem clitellarum factæ. *Sladus* vero *circellis* conjiciebat. — Ceterum quid obstat, quominus *cratella*, æ, sit deminutivum a *crates*? præsertim cum in *Inscript.* apud *Murat.* 352. 4. legatur cognomen Rom. *Cratilla*? Eadem quoque significatio esset, sc. machina ad cratium similitudinem facta corrigendo collo animalis.

CRĀTER, ēris, m. 3. κρατήρ. *Crater*, *eris*, Accus. sing. *cratera*, et Accus. plur. *crateras* est forma Græca, quam Poetæ tantum usurparunt; et si quando in prosa oratione occurrit, de artibus ponitur ad Græcorum imitationem. — Ceterum

I.) Proprie crater est vas vini, ut *Paul. Diac.* p. 53. 10. *Müll.* et *Non.* p. 545. 30. *Merc.* interpretantur, seu genus poculi majoris, quo in libationibus et solemnioribus epulis uti solebant, atque ex eo in minora pocula diffundebant, ut colligitur ex illo *Ovid.* 5. *Fast.* 522. Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo: Terra rubens crater, pocula fagus erant. — Est a κεράννυμι *misceo*, quia significat defundere bibendi causa. *Ennius* 8. *Ann.* 54. sq. Crateribus olli ex auratis hauserunt. *Idem* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 165. Vertunt crateras aênos. Sic *Virg. loc. cit.* Indulgent vino et vertunt crateras aenos. *Id.* 1. *ibid.* 728. Crateras magnos statuunt, et vina coronant. *Id.* 2. *ibid.* 765. Crateresque auro solidi. Adde *Propert.* 3. 17. 37. et *Ovid.* 5. *Met.* 82. et 8. *ibid.* 669. et 679. *Curt.* 9. 10. Liminibus ædium crateres vino repletos, et alia eximiæ magnitudinis vasa disposi. *Juvenal.* 12. 44. urnæ cratera capacem, Et dignum sitiente Pholo. *Pers.* 2. 52. Si tibi crateras argenti incusaque pingui Auro dona feram. — Etiam vas olei *crater* dicitur, teste *Non. p.* 545. 32. *Merc.* *Virg.* 6. *Æn.* 225. Fuso crateres olivo. *Martial.* 12. 32. 12. Corneus crater. — Et conceptaculum aquæ salientis in fonte. *Plin.* 5. *Ep.* 6. In hoc fonte crater: circa siphunculi plures miscent jucundissimum murmur.

II.) Translate. ¶ 1. Occurrit de locis, crateris formam præseferentibus. — *a*) In monte Ætna crater est magnum illud foramen, per quod ejus fumus et ignis ebullit. Itali quoque nunc *cratere* vocant. *Lucret.* 6. 701. In summo sunt vertigeni crateres, ut ipsi Nominitant, nos quas fauces perhibemus et ora. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 14. (88). Mons Ætnæ nocturnis mirus incendiis: crater ejus patet ambitu stadiorum viginti. Adde *Apul. de Mundo.* — *b*) Item dicitur de quocumque hiatu terræ ignem evomentis. *Ovid.* 5. *Met.* 423. Ista viam tellus in Tartara fecit, Et pronos currus medio cratere recepit. *h. e.* medio hiatu, quem Pluton sceptro perculiens humum aperuerat. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 106. 110. (238). — *c*) De Bajarum sinu crateris formam habente dixit *Cic.* 8. *Att.* 2. 2., quem locum citat quidem *Klotz*, sed ipse minime inveni. ¶ 2. Est denique hoc nomine signum cœleste, de quo *V.* in ANGUIS. *Ovid.* 2. *Fast.* 266.; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 20. et *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 205.

CRĀTĒRA, æ, f. 1. Sunt qui et *craterra*, et *cretera*, et *creterra* scribi volunt: V. *Paul. Diac.* p. 53. 10. *Müll.* et *Non.* p. 547. 28. *Merc.* — Cratera est Latina positione idem quod *crater*.

I.) Proprie. *Accius* apud *Non.* p. 547. 30. *Merc.* Propter amnem crateris sumere aquam ex ponte. *Cic.* 6. *Verr.* 59. 131. Jam illa, quia leviora videbuntur, si hoc loco dicerentur, ideo præteribo, quod iste mensas Delphicas e marmore, crateras ex ære pulcherrimas, vim maximam vasorum Corinthiorum, ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulit. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 1. 2.; *Varron.* apud *Non.* p. 547. 33.; *Liv.* 5. 25.; et *Horat.* 3. *Od.* 18. 7. et 2. *Sat.* 4. 80.; *Curt.* 9. 10. 25. Crateris aureis ejusdemque materiæ ingentibus poculis prægravis. Adde *eumd.* 4. 8. 16. et *Apul. Florid.* 4.

II.) Translate est etiam signum cœleste. *Cic. Arat.* 219. apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 44. 114. In medioque sinu fulgens Cratera relucet.

CRĀTĒRĪTES, æ, m. 1. (a κρατερός *durus*) gemma præduræ naturæ, inter chrysolithi et electri colorem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154).

CRĀTERRA. *V.* CRATERA.

CRATES, is, f. 3. Recti casus singularis, quem nonnulli *cratis* esse volunt, exemplum adhuc nullum vidimus. Sed tamen Accus. sing. est *cratim*, Ablat. sing. *crate*, Gen. plur. *cratium*. — Crates est instrumentum ex subtilibus lignis, vel viminibus, aliave materia, directis transversisque modico intervallo contextis, ad varios usus, qui ex subjectis exemplis apparent: est a κεράω, hinc κεραίω *misceo*, a transversis nempe et permistis lignis, vel viminibus, quibus intexitur (It. *graticcio*; Fr. *claie*, *clayonnage*, *entrelacement*, *treillage*, *treillis*; Hisp. *zarzo*; Germ. *Flechtwerk*, *Geflechte*, *Hürde*; Angl. *a hurdle*).

I.) Proprie et stricto sensu ¶ 1. De cratibus in re agraria. *Cato R. R.* 10. et 12.; et *Varro* 1. *R. R.*

22. 3. Crates stercorariæ. *Cato R. R.* 48. Crates ficariæ. *Colum.* 12. *R. R.* 15. 1. Crates pastorales, culmo, vel carice, vel filice textæ. *Horat. Epod.* 2. 45. Claudere textis cratibus lætum pecus. *Virg.* 11. *Æn.* 64. Texere crates virgis arbuteis et vimine querno. *Colum.* 12. *R. R.* 16. 2. Uvas in crate disponito rarius, quam ut altera alteram contingat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 48. (169). Illinere crates parietum luto. *Juvenal.* 11. 82. Sicci terga suis rara pendentia crate. *Petron. Satyr.* 135. Saligna crates. *h. e.* canistrum, fiscella, corbicula. *Virg.* 1. *G.* 94. Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva. *erpici*, quibus ager post arationem complanatur. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 18. 4. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (173). Semen injiciunt, cratesque dentatas super trahunt. ¶ 2. Fuit etiam genus supplicii, quo reos crati suppositos, et lapidibus super injectis obrutos necabant: quod Carthaginiensibus præcipue usitatum fuisse dicitur. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 65. Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eo lapides imponi multos, ut sese necet. *Liv.* 1. 51. Indicta causa, novo genere leti, Turnus Herdonius dejectus ad caput aquæ Ferentinæ, crate superne injecta saxisque congestis, mergitur. Adde *eumd.* 4. 50. et *Tac. Germ.* 12. ¶ 3. In re militari. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Longuriis cratibusque pontem contexere. *Id.* 7. *ibid.* 58. Cratibus atque aggere paludem explere. *Id.* 1. *B. C.* 25. Rates ab utroque latere cratibus ac pluteis protegere. *Id.* 5. *ibid.* 40. Turres contabulantur; pinnæ loricæque ex cratibus attexuntur. *Id.* 7. *ibid.* 81. Magno cratium, scalarum, harpagonum numero effecto. Adde *Liv.* 10. 38. et *Tac.* 1. *Ann.* 68. — Apud *Virg.* 7. *Æn.* 633. Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas Umbonum crates. *h. e.* scuta ex crate confecta. Adde *Curt.* 10. 2. 23. et *Sil. It.* 5. 522. *Stat.* 4. *Theb.* 110. Omnibus æratæ propugnant pectora crates. *h. e.* loricæ ligneæ ære obductæ.

II.) Figurate dicitur de aliis rebus, quæ cratis similitudinem vel formam præ se ferunt. *Virg.* 12. *Æn.* 508. Æneas Transadigit costas et crates pectoris ensem. *Ovid.* 12. *Met.* 370. Hasta laterum cratem perrumpit. *Id.* 8. *Met.* 805. Ventris erat pro ventre locus: pendere putares Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri. Cf. *Tertull. Resurr. carn.* 42. Crates gigantum. *Virg.* 4. *G.* 214. Crates favorum. *Colum.* 4. *R. R.* 2. 1. et 2. Cratem facit vitis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (77). Transversa (*scheda*) postea cratas peragit. *h. e.* scheda altera papyri transverse imposita alteri quasi cratem peragit. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

CRATICEUS, a, um, adject. ex crate factus, pro *craticius*, occurrit tantum in *Not. Tir.* p. 162.

CRĀTĪCIUS *vel* cratitius, a, um, adject. ex cratibus factus, ut *Craticii parietes*, qui cratibus insertis fiunt, *scil.* asseribus arrectis et transversis. *Vitruv.* 2. 8. 20. *Schneid.* Craticii parietes vellem, ne inventi quidem essent. Adde *eumd.* 7. 3. 11. et *Dig.* 17. 2. 15. *Pallad.* 1. *R. R.* 19. 2. Craticiis podiis erunt discernenda granaria.

CRĀTĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a crates*, parva crates. *Martial.* 14. 221., cujus lemma est *Craticula cum veru.* Parva tibi curva craticula sudet ofella. *Cf.* CRATICULUS.

CRĀTĪCŬLĀTIM, adverb. *Veget.* 5. *Veterin.* 2. 5. Aut cauterio caprino locis opportunis urendo deprimes puncta, ne deformetur animal; aut, si vilius est et necessitati aptius quam decori, craticulatim, sicut moris est, ures. *Schneid.* ad h. l. et ad 1. *ibid.* 28. 4. putat *craticulatim urere* esse Græcum ἐσχάρας καίειν. — Num legendum *cuticulatim*? nam μαστιχηδὸν καίειν legitur in *Hippiatricis*.

CRĀTĪCŬLUM a Græco κρατευταί deducitur. *Paul. Diac.* p. 53. 11. *Müll.* Quin potius *crāticŭlum* videtur esse a *crate*, ut *reticulum* a *rete*.

CRĀTĪCŬLUS, a, um, adject. cancellatus, in modum craticulæ factus. *Cato R. R.* 13. inter instrumenta in torculari necessaria requirit *lucernas craticulas duas*. Ita leg. edit. Florentin., Basileens., Lugdunens., Coloniens. At *Popma* sic: *lucernas, craticulas duas*.

CRĀTĪO, is, ire, a. 4. crate terram scindo et complano. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (258). Utilissimum simul herbas arare, deinde cratire, serere florem ex fenilibus atque ex præsepibus fœno dilapsum spargere priusquam cratiantur.

CRĀTĪTIUS, a, um. *V.* CRATICIUS.

CRĔĀBĬLIS, e, adject. qui creari potest. *Apul. Trismeg.* Materia creabilis. Adde *Augustin.* 12. *Confess.* 19. et 28.

CRĔĀGRA, æ, f. 1. κρεάγρα, instrumentum ad extrahendas ex aheno carnes coctas: a κρέας caro, et ἄγρα captura. *Gloss. Isid.* Creagras, tridentes. *Gloss. Philox.* Κρεάγρα, exemplum, harpago, excipulum. Legitur etiam apud *Vulgat. interpr.* 2. *Paralip.* 4. 11. et *Hierem.* 52. 18. *Capell.* 9. 366. Satura Pelasgos dum docere nititur Artes creagris vix amicas Atticis. Ubi V. *Grotium*.

CRĔĀMEN, inis, n. 3. creatio, seu res creata. *Prudent. Hamartig.* 505. ex elementis Cuncta solubilibus, fluxoque creamine constant.

CRĔĀTĬO, ōnis, f. 3. creandi actus. ¶ 1. Speciatim est procreatio. *Varro* 6. *L. L.* 5. *Müll.* Crepusci nominati, quod eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione. *At* Müll. *pro* in creatione *legendum conjecit* In Reatino. *Ulp. Dig.* 1. 7. 15. Creationi liberorum studere. ¶ 2. Item electio. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 10. Creatio magistratuum. *Papinian. Dig.* 26. 7. 38. tutoris.

CRĔĀTOR, ōris, m. 3. qui creat. ¶ 1. Est effector, conditor, genitor. *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 64. Nobis hæc portenta deûm dedit ipse creator. Adde *Senec. Hippol.* 888. Et *Lucan.* 10. 266. quas ille creator Atque opifex rerum certo sub jure coercet. Rursus *Cic. Balb.* 13. 31. Quod princeps ille creator hujus urbis Romulus fœdere Sabino docuit. *Ovid.* 8. *Met.* 309. Nec Telamon aberat, magnive creator Achillis. *h. e.* genitor. ¶ 2. Item qui renunciat et nominat ad aliquod munus. *Impp. Theodos. et Valentin. Cod.* 10. 31. 59. Tam nominati, quam etiam creatoris consona relatione currente. Adde *Ulp. Dig.* 50. 8. 2., ubi alii leg. *curator*.

CRĔĀTRIX, icis, f. 3. effectrix, conditor, mater. *Lucret.* 1. 622. Rerum natura creatrix. Adde *eumd.* 2. 1117. et 5. 1361. *Sil. It.* 15. 184. tellus bellorum dira creatrix. *Val. Flacc.* 5. 143. sonat illa creatrix Prima manus (*Chalybum*) belli terras crudelis in omnes. *Catull.* 63. 50. Patria, o mea creatrix, patria, o mea genitrix. *Virg.* 8. *Æn.* 534. ego poscor Olympo: Hoc signum cecinit missuram diva creatrix. *h. e.* genitrix. *Aurel. Vict. Epit.* 40. More Olympiadis Alexandri M. creatricis.

CRĔĀTŪRA, æ, f. 1. res, quæ creata est. *Tertull. Apolog.* 30. Cujus est et cælum et omnis creatura. *Alcim. Avit.* 2. 47. Quique creaturæ præfulsit in ordine primus. Adde *Prudent. Hamartig.* 508.

CRĔĀTUS, a, um. *V.* CREO.

CRĒBER, bra, brum, adject. Comp. *Crebrior* sub *A.* I. et II. et sub *B.* 2.; Sup. *Creberrimus* sub *A.* I. et II. — Sup. *Crebrissimus* legitur a nonnullis apud *Gell.* 2. 30. Fluctus crebrissimi. — Ratione habita etymi, *creber Forcellino* videbatur esse a *cretum*, quod a *cerno*, ut proprie sit *cribro excretum*: hoc autem quia multis particulis constat, *creber* pro frequenti et denso ponitur. Quam *Forcellini* sententiam recentiores plerique omnes secuti sunt. Itaque *creber* dicitur et est quidquid plurimis constat partibus, quæ densæ sunt atque minimis inter se intervallis distantes, cujusmodi sunt grana et similia, quæ cribro excreta decidunt; hinc densus, spissus, frequens (It. *spesso, denso, frequente*; Fr. *serré, pressé, dru, épais*; Hisp. *cerrado, estrechado, junto, espeso*; Germ. *dicht, nahe an einander stehend, gedrängt*; Angl. *thick, close, frequent*). Usurpatur autem *A*) Passive, et *B*) Active.

A) Passive, et quidem

I.) Proprie ac stricto sensu de spatio, et est densus, spissus, diciturque de plurimis, quæ minimis inter se distant intervallis. — *a*) Generatim. *Plaut. Aulul.* 4. 6. 9. Silvani lucus extra murum est avius, crebro salicto oppletus. *Cato R. R.* 48. Tum semen serito crebrum tamquam linum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Utræque autem (*venæ et arteriæ*) crebræ multæque toto corpore intentæ vim quamdam incredibilem — testantur. *Id. Senect.* 13. 44. Delectabatur crebro funali et tibicine. *crebrum funale* alii interpretantur crebro latum et relatum; alii leg. *credo*, alii *cereo*; apud *Gronov.* l. 3. *Observat.* c. 6. est πολύμυξον, unum quidem funale, sed multis myxis instructum, quod *densum* dixit *Ovid.* 12. *Met.* 247. Lampadibus densum rapuit funale coruscis. Ceterum rectius intellige non unam facem, sed plures parvisque inter se distantes intervallis: cf. quod figurate dixit *Quintil.* 12. 10. 46. Si non crebra hæc lumina et continua fuerint et invicem offenderint. *Sall. Jug.* 114. Ignesque quam creberrimos fieri jubet. *Lucret.* 4. 1132. pocula crebra parantur. *Id.* 6. 135. silva crebra. *Virg.* 3. *G.* 333. sicubi nigrum Ilicibus crebris sacra nemus accubat umbra. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. Crebris arboribus succisis omnes introitus erant præclusi. *Id.* 2. *ibid.* 17. Crebri rami. *Id.* 5. *ibid.* 12. Hominum est infinita multitudo creberrimaque ædificia. *Id.* 2. *ibid.* 30. Crebra castella. *Virg.* 3. *Æn.* 127. crebris freta concita terris. *Tibull.* 1. 7. 17. crebras per urbes volitare. *Ovid.* 15. *Met.* 721. per sinus crebros labi. *Sall. Jug.* 41. Crebras vigilias ponere. — *b*) Speciatim jungitur aliquot Verbis, quibus res tam densæ significantur, quam grana et cetera, quæ cribro excreta sint. *Plaut. Pœn.* a. 2. v. 38. Hostes tam crebri ad terram accidebant, quam pyra. *Id. Amph.* 1. 1. 81. Hostes crebri cadunt. *Liv.* 1. 31. Haud aliter quam cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cælo lapides. *Id.* 28. 30. Tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo in — classem effusa est. *Virg.* 11. *Æn.* 611. fundunt simul undique tela Crebra nivis ritu. *Id.* 3. *G.* 470. Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo. Adde *eumd.* 5. *Æn.* 764.

II.) Translate dicitur de tempore, et est frequenter vel sæpe repetitus, brevibus temporis intervallis repetitus. *Cic.* 12. *Fam.* 25. 2. Crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit. *Id.* 14. *Phil.* 5. 14. Scitis, per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Tanto crebriores litteræ nunciique ad Cæsarem mittebantur. Adde *Cic.* 11. *Att.* 10. 2. *Virg.* 5. *Æn.* 199. tum creber anhelitus artus Aridaque ora quatit. Adde *Quintil.* 11. 3. 55. — Jungitur plurimis aliis Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Ovid.* 9. *Met.* 538. amplexus crebri. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. commutationes. *Quintil.* 8. 5. 29. conatus. *Plin.* 8. *Ep.* 17. diluvia crebra et assidua tempestates. *Nepos Miltiad.* 2. excursiones. *Cæs.* 6. *B. G.* 10. exploratores crebros mittere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (195). fama crebrior, quam certior. *Ovid.* 10. *Met.* 508. gemitus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (219). ictus creber aut languidus. *Lucret.* 4. 935. et 1280.; *Virg.* 12. *Æn.* 713.; *Horat.* 1. *Od.* 25. 2.; et *Sueton. Cal.* 30. ictus crebri. *Lucret.* 1. 294. et *Sall. Jug.* 50. impetus. *Quintil.* 11. 2. 35. iteratio. *Ter. Phorm.* 5. 9. 23. itiones crebræ et mansiones. *Cic.* 16. *Fam.* 5. 1. litteræ crebræ. *Quintil.* 11. 2. 28. meditatio. *Ovid. Heroid.* 15. 48. mobilitas. *Tac.* 2. *Hist.* 30. mortes. *Nepos Miltiad.* 3. nuncii. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 40. percussu crebro cavantur aqua. *Seneca Herc. fur.* 327. pericula. *Virg.* 12. *Æn.* 533. pulsu crebro. *Tac.* 3. *Ann.* 55. quæstu crebro petere aliquid. *Lucret.* 4. 106. repulsu assiduo crebroque. *Tac.* 15. *Ann.* 73. rumore crebro lacerari. *Cæs.* 2. *B. G.* 1. rumores crebri. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (81). sonus. *Quintil.* 11. 3. 128. supplosio pedis crebra. — Interdum dicitur et de iis, quæ in scriptis operibus vel in sermonibus frequenter occurrunt. *Seneca Ep.* 114. Quæ apud Sallustium rara fuerant, apud hunc crebra sunt et pæne continua. Adde *Quintil.* 8. 5. 2. *Id. Quintil.* 9. 2. 94. et 9. 3. 4. Figuræ crebriores.

B) Active, aut ita saltem, ut arcta cum agente relatione conjungatur.

I.) *Creber*, ratione habita spatii, est densus, et interdum qui sæpe vel iterato apparet agendi vi præditus; et fere jungitur cum Ablat. *Virg.* 1. *Æn.* 85. Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus. *Ovid.* 11. *Met.* 190. Creber arundinibus tremulis ubi surgere lucus Cœpit. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (55). Quam creber (*Tiberis*) ac subitus incrementis, et nusquam magis aquis quam in ipsa urbe stagnantibus. *h. e.* crebro crescens ac subito.

II.) Translate ponitur de actione repetita. *Virg.* 5. *Æn.* 459. sic densis ictibus heros Creber utraque manu pulsat versatque Dareta. — Sæpius dicitur, de iis, qui in scriptis operibus vel in sermonibus aliquid frequenter usurpant vel agunt. *Cic. Planc.* 34. 83. Sed hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti: saneque in eo creber fuisti, te idcirco noluisse, etc. *Id.* 1. *Att.* 19. 1. Si mihi tantum esset otii, — in scribendo multo essem crebrior. *Id.* 2. *Orat.* 13. 56. Qui (*Thucydides*) ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. *Id.* apud *Sueton. Cæs.* 55. Quis sententiis aut auctior, aut crebrior? Cf. *Id. Brut.* 7. 29. Mo-

dus dicendi translationibus crebelor. — Hinc Accus. plur. neutr.

Crebra, adverbii more occurrit pro crebro. Lucret. 2. 359. et crebra (mater) revisit Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci. Sed tamen τὸ crebra potest esse Nominativus sing. num. et gen. fem. Virg. 3. G. 500. et pede terram Crebra ferit (equus). V. APPRIMA.

Crebro, adverb. V. loco suo.

CRĒBESCO, bescis, bŭi, bescere. V. CREBRESCO.

CREBRA. V. CREBER in fin.

CRĒBRATUS, a, um, particip. a crebro, densatus, spissatus. Plin. 11. Hist. nat. 24. 28. (81). Crebratæ pexitas telæ. h. e. dense textæ. Harduin. ex MSS. Alii cribratæ: quod videtur significare in modum cribri factæ: loquitur enim Plin. de telis araneorum. Sed nihil mutandum est; nam legitur apud Alcim. Ep. 78. Qualibus strui possit mensuris crebrati cœnaculum furni, artifex figulus instituat.

CRĒBRE, adverb. Sup. Creberrime. — Crebre est idem quod crebro, dense. Vitruv. 2. 9. 10. Schneid. Alnus infra fundamenta palationibus crebre fixa. Id. 10. 14. 3. Crates ex tenuibus virgis creberrime textis.

CRĒBRESCO, brescis, crēbrŭi, brescere, n. 3. In præterito r littera aliquando exteritur ad evitandam soni asperitatem. Apul. 10. Met. Rumor publice crebuerat. Augustin. 3. Civ. Dei 17. Tam multa bella ubique crebuerunt. Al. leg. crebruerunt. Mallet Manut. ad Cic. 7. Fam. 20. etiam in præsenti tempore eam litteram tolli, ob eamdem rationem, tum in simplici, tum in compositis increbresco, percrebresco. Libri, et MSS. variant, et cum iis eruditorum sententiæ. Cf. Obbarius, Archiv. f. Philol. und Pädag. vol. 16. p. 4. pag. 537. — Part. Crebrescens. — Crebresco est creber, densus, aut frequens fio, augesco (It. divenir spesso, o frequente, aumentarsi; Fr. devenir intense ou fréquent; Hisp. hacerse espeso, freqüente; Germ. sich wiederholen, häufig werden, sich hie und dort zeigen; Angl. to grow frequent, grow thick, increase more and more). Virg. 3. Æn. 503. Crebrescunt optatæ auræ. Id. 12. ibid. 407. sævus campis magis ac magis horror Crebrescit. Id. 12. ibid. 222. Crebrescit sermo. Quintil. 11. 3. 111. Gestus cum ipsa orationis celeritate crebrescet. Tac. 2. Hist. 67. Motum a Vespasiano bellum crebrescit. Id. 3. Ann. 60. Crebrescebat Græcas per urbes licentia et impunitas asyla statuendi. Id. 4. Hist. 12. Crebrescens fama cladis Germanicæ. Adde Rutil. 1. 415. Tac. 1. ibid. 39. seditio. Id. 3. ibid. 34. invidia. Plin. 6. Ep. 26. Tum crebrescere fragor. Veget. Milit. prol. Sic repentinum crebuit eloquentia, dum non culpatur audacia. Schwebel ita legit et edidit. — Absolute crebrescit apud Tac. 2. Ann. 39. Tum per idoneos, et secreti ejus socios crebrescit, vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, mox vago rumore.

CRĒBĬSCRO apud Ennium significat vallum crebris suris, id est palis, munitum. Paul. Diac. p. 59. 3. Müll. V. SURUS.

CRĒBRĬTAS, ātis, f. 3. frequentia. Vitruv. 2. 10. 2. Schneid. Arbores spissis venarum crebritatibus solidatæ. Id. 9. 8. 3. Crebritas cæli. h. e. est densitas aeris compressi in tubo: quam mox appellat frequentiam cæli. Sall. apud Servium ad Virg. 1. Æn. 116. fluctuum. Cic. 13. Att. 18. Crebritas litterarum. Id. Brut. 95. 327. sententiarum. Id. 3. Fam. 1. Crebritas et magnitudo officiorum. Tac. 16. Ann. 29. periculorum.

CRĒBRĬTER, adverb. crebro, frequenter. Vitruv. 10. 13. 7. Schneid. Crebriter celeriores et vehementiores efficiebant motus. Id. 7. 1. 3. Rudus — crebriter pinsatione solidetur.

CRĒBRĬTŪDO, inis, f. 3. Crebritudinem pro crebritate posuisse Sisennam, legitur quidem apud Non. p. 91. 30. Merc.: sed eruditi corrigunt celeritudinem, quod locus Sisennæ, qui ibi adducitur, quamvis corruptus sit, plura tamen vestigia, ut ita dicam, celeritudinis habet quam crebritudinis.

CREBRO, adverb. Comp. Crebrius et Sup. Creberrime: V. et CREBRE. — Crebro est crebre, frequenter: et occurrit tantum de tempore (It. spesso, frequentemente; Fr. fréquemment, très-souvent; Hisp. freqüentemente, amenudo; Germ. in kurzen Zwischenräumen aufeinander, wiederholentlich, nicht selten; Angl. frequently, oftentimes, repeatedly). Cato R. R. 46. Crebro sarire. Id. ibid. 48. runcare. Id. ibid. 49. fodere. Plaut. Pers. 4. 4. 104. Ne sis plora, libera eris actutum, si crebro cades. Id. Rud. 1. 2. 14. Nam nunc perlucet ea (villa) quam cribrum crebrius. Ter. Heaut. 1. 2. 32. Crebro scortari, convivari. Id. Hecyr. 2. 1. 18. An quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini, quo quisque pacto etc. Lucret. 1. 1043. Cudere enim crebro possunt, partemque morari. Id. 2. 474. Humor dulcet, ubi per terras crebrius idem Percolatur. Cic. Cæl. 24. 59. Crebro Catulum, sæpe me, sæpissime rempublicam nominabat. Id. 6. Att. 5. Litteras omnibus de rebus crebro mittas. Adde eumd. 10. Att. 11. 1. Id. 5. Fam. 6. extr. Velim, litteras crebrius mittas. Id. 1. Divinat. 7. 56. Creberrime commemorantur a Stoicis. Id. 3. ad Q. fr. 1. 2. Crebro intervisere. Id. 1. Legg. 5. 15. Insistere crebro. Id. 1. Divinat. 42. 93. Studiosius et crebrius hostias immolare. Horat. 1. Ep. 1. 7. Est mihi purgatam crebro qui personet aurem. Curt. 8. 9. 7. Crebro reverberari. Quintil. 11. 3. 56. Tussire et expuere crebro. Sueton. Aug. 21. Crebrius aut perfidiosius rebellare.

CRĒBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. est crebro facere, iterare. Plaut. Truc. 1. 1. 29. Sin crebravit, ipsus gaudet, res perit. hic sermo est de amatore, qui frequens est apud amicam. Alii tamen leg. increbravit. Al. increpavit.

CREBRO, ōnis, m. 3. Gloss. Isid. et Gloss. Pith. Crebro, onis, porca, terra inter duos sulcos eminens. Thesaur. nov. Latin. edit. ab A. Mai. in Class. Auct. T. 8. hæc habet: Porca dicitur pro illa terra, quæ eminet inter duos sulcos, quam etiam alio loco crebonem (lege crebronem) vocamus, eo quod aqua crebro per ipsam decurrat.

CRĒDĬBĬLIS, e, adject. Comp. Credibilior. — Credibilis est veri similis, probabilis, quique facile credi potest, ut docet ipse Cic. 1. Invent. 30. 48. Credibile est, quod sine ullo teste auditoris opinione firmatur. Plaut. Pœn. 5. 5. 50. Credibile ecastor dicit: crede huic, mi pater. Ter. Andr. 4. 1. 1. Hoccine credibile est, ut etc. Cic. Orat. 36. 124. Narrationes credibiles. Id. 7. Verr. 61. 158. Tametsi verisimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. Id. 2. Orat. 21. 89. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat. Horat. 1. Sat. 9. 52. Magnum narras, vix credibile. Ovid. 3. Fast. 618. Credibili fortior illa fuit. Id. 1. Art. am. 467. Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba. Id. 1. Trist. 5. 49. Multaque credibili tulimus majora. Id. 1. Amor. 11. 11. Credibile est, et te sensisse Cupidinis arcus. Curt. 5. 13. 22. Vix credibile dictu: plures captivi, quam qui caperent, erant. Quintil. 4. 2. 123. Credibilis imago. Id. 4. 2. 53. ductus. Id. 9. 2. 90. suspicio. Id. 4. 2. 52. narratio. Id. 4. 2. 47. et 59. 5. 10. et 19. expositio. Id. 6. 3. 4. Ut eo sit credibilius, illa ab oratore non ficta. Id. 4. 2. 124. Nihil his credibilius fingi potest. Id. 7. Declam. 9. Quis credibilior in cæde pauperis, quam dives inimicus? Adde Tac. 2. Hist. 74. et Justin. 5. 5. 7. — Credibilium tria genera distinguit Quintil. 5. 10. 19., unum firmissimum, quod fere accidit: alterum velut propensius, quod plerumque: tertium solummodo non repugnans. Adde eumd. 7. 2. 42.

CRĒDĬBĬLĬTER, adverb. Comp. Credibilius. — Credibiliter est modo credibili. Cic. Dejot. 6. 17. At quam non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem! Quintil. 6. 2. 19. Proprie, jucunde, credibiliter dicere. Id. 9. 2. 30. Sermones aliorum credibiliter introducere. Id. 4. 2. 107. Nihil his neque credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, neque manifestius ostendi potest. Adde eumd. 3. 11. 1.

CRĒDĬTĀRIUS, ii, m. 2. ille cui aliquid creditum est; adeoque consiliarius, camerarius. Venant. Fortun. Vit. S. Radeg. 8. Sequenti die, curam domus committens creditariis. Thesaur. nov. Latin. edit. ab A. Mai. in Class. Auct. T. 8. habet: Creditarius, camerarius.

CRĒDĬTO, as, are, n. 1. frequentat. a credo. Fulgent. 1. Mythol. sub init. Defæcatam silentio vitam agere creditabam.

CRĒDĬTOR, ōris, m. 3. qui aliquid alteri credidit, quod proinde sibi debetur (It. creditore; Fr. créancier; Hisp. acreedor; Germ. Gläubiger; Angl. a creditor).

I.) Proprie. Cajus Dig. 50. 16. 10., 11., et 12. Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur, sicuti ex empto, ex locato, vel ex alio contractu. Cic. 6. Phil. 4. 11. Quotidie sponsores et creditores L. Trebellii convenire, et mox. Fraudare creditores. Adde eumd. Flacc. 9. 20.; Horat. 2. Sat. 3. 65. et Tac. 6. Ann. 17. Sueton. Cæs. 42. Creditoribus satisfacere. Seneca Ep. 87. Solvere creditoribus. Adde Quintil. 5. 10. 105. et 5. 12. 5. Plin. 33. Hist. nat. 10. 47. (133). Decoquere creditoribus suis.

II.) Translate. Plin. 1. Ep. 3. sub fin. Possum repetere secessum, et scribere aliquid, quod non recitem, ne videar, quorum recitationibus adfui, non auditor fuisse, sed creditor. Alter Plin. 26. Hist. nat. 8. 29. (43). de ventre. Pessimum corporum vas instat, ut creditor, et sæpius die appellat.

CRĒDĬTRIX, icis, f. 3. mulier, cui debetur. Scævola Dig. 31. 88. extr. Pensiones sibi debitas creditrici delegavit. Paul. ibid. 20. 5. 16. Pone primam creditricem in judicio convenisse tertium creditorem. Adde eumd. ibid. 42. 6. 38.

CRĒDĬTUM, i. V. CREDO in fin.

CRĒDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. Credier pro credi paragoge legitur apud Plaut. Pseud. 2. 2. 37. et Pœn. a. 2. v. 43. — Antiqua ac Plautina sunt creduam pro credam Pœn. 3. 5. 2., creduas pro credas Trin. 3. 1. 5., creduat pro credat Bacch. 4. 8. 6., creduis pro credideris Capt. 3. 4. 73., creduit pro crediderit Truc. 2. 2. 52., et crevi pro credidi Cist. 1. 1. 1. — Part. Credens II. B. 1.; Creditus I. 1. 2., II. B. 1. et in fin.; Crediturus II. B. 1.; Credendus I. 1. — Ratione habita etymi, credere significat pecuniam mutuam vel fenori dare, et hæc videtur esse prima et propria hujus verbi notio, siquidem credendum est vel Prisciano, qui 10. p. 890. Putsch. docet, credo dictum esse quasi cretum do; vel Vossio, qui in Etymol. deducit a χρήζω mutuum do. Quidquid vero sit de etymo, credere est committere, fidei alicujus commendare, aliquid alicui custodiendum tuendumque tradere (It. consegnare, affidare, confidare, dare; Fr. confier, remettre qqche à qqn; Hisp. confiar, poner en manos de otro; Germ. Imdm etwas übergeben, anvertrauen, zur Obhut, Aufbewahrung, Beschützung; Angl. to confide or consing to one's care, entrust).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Trin. 4. 2. 112. An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummûm crederet? Ter. Eun. 5. 1. 15. Ita ut tu justi, soli credita est. ΤΗ. Scelesta, ovem lupo commisisti. Id. Andr. 1. 5. 37. Credere alicui suum animum atque omnem vitam. Cf. eumd. Eun. 5. 2. 45. et 59., Heaut. 5. 1. 53. et Adelph. 5. 4. 18. Cf. Lucilius apud Non. p. 275. 8. Merc. Vitam ac fortunas cui concrediderim meas. Rursus Ter. Eun. 1. 2. 48. Consilia sua omnia cuipiam credere. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 9. § 27. Quos tuæ fidei potestatique populus Romanus commisit et credidit. Id. Dom. 1. 1. Ut bona, fortunæ, domicilia vestræ fidei potestatique commissa creditaque esse videantur. Id. 1. ad Q. fr. 1. 4. § 14. Nihil est, quod non iis et committi et credi rectissime putem. Id. 7. Verr. 14. 35. Ut mihi honorem illum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putatem. Id. 4. Herenn. 34. 46. Cui præsidio pecus credemus? Id. 5. Verr. 3. 6. Consilia commissa, pecunia tradita, res omnes creditæ. Id. 4. Fam. 7. Credere se victori. Sic Plaut. Rud. 2. 6. 2.; Horat. 3. Od. 5. 33.; Virg. 5. Æn. 383. et 6. ibid. 15.; et Ovid. 14. Met. 222. Credere se alicui. Cæs. 6. B. G. 30. Se suaque omnia alienissimis crediderunt. Curt. 5. 12. Credere alicui salutem suam. Virg. 10. Æn. 70. Num puero summam belli, num credere muros? Justin. 12. 12. 3. Credere custodiam corporis alicui. Sic Herenn. Dig. 48. 3. 14. Non est facile tironi custodia credenda. Lucan. 7. 77. Credere causam senatus diis. — Similiter Liv. 27. 51. Credere argentum terræ. Justin. 18. 4. 5. aurum terræ. Tibull. 2. 6. 21. semina sulcis. Colum. 2. R. R. 12. 1. semina terræ. Plaut. Pers. 4. 3. 59. aliquid ceræ. h. e. scribere. Sic Horat. 2. Sat. 1. 30. Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris. Plaut. Rud. 2. 6. 2. Credere se Neptuno. h. e. committere se mari. Virg. 6. Æn. 15. præpetibus pennis se cælo. Et poetice de inanimis, Id. 2. G. 332. Inque novos soles audent se gramina tuto Credere. Id. 5. Æn. 383. se pugnæ. Ovid. 4. Met. 626. veritus se credere nocti. Quintil. 12. procem. 2. se ventis. Sil. It. 4. 302. se pedibus. h. e. fugæ se dare. Vellej. 2. 102. se colloquio. — Apud Lucan. 4.

647. *credere aliquem solo* est prosternere, solo affligere: quod mox etiam repetit v. 654. Loquitur enim de Antæo, qui cum Hercule pugnans, quoties humi procumberet, vires iterum resumebat. *Credere vocem dolori* apud eumd. 1. 258. est dolori vocem lamentumque concedere, quo expleatur. ¶ 2. Speciatim refertur ad pecuniam, et significat mutuam, vel fenori dare. Plaut. Curc. 4. 1. 20. Pone ædem Castoris ibi sunt, subito quibus male credas. Adde eumd. ibid. 5. 3. 1. Cato R. R. 5. Villicus injussu domini credat nemini: quod dominus crediderit, exigat. Cf. Seneca Ep. 101. Emam, ædificabo, credam, exigam. Cic. Harusp. resp. 13. 29. Alterum putabo regem, si habuerit unde tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti. Id. Rabir. Post. 2. 4. Hoic ipsi Alexandrino grandem pecuniam credidit. Id. Prov. cons. 4. 7. Pecuniæ creditæ. Sic Cæs. 3. B. C. 1. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur. Adde Quintil. 5. 10. 66., 4. 2. 6., 8. 3. 14., 12. 10. 70. et 5. 10. 111. Hinc *creditum*, *i*, n. 2., quod V. in fine hujus voc.

II.) Translate *credere* duo præcipue significat: scilicet *A*) Quoniam qui aliquid alicui committit, vel custodiendum tuendumque tradit, eidem etiam confidit, credere est alicui confidere, adeoque ejusdem etiam dictis vel factis fidem habere; et *B*) Quoniam qui alicujus dictis fidem habet, ea esse vera putat, credere est aliquid tamquam verum habere.

A) Credere ¶ 1. Est confidere; et occurrit fere cum Dativo tantum. Sall. Jug. 111. Virtuti suorum satis credere. Liv. 45. 8. Nec præsenti (*decet*) credere fortunæ, cum, quid vesper ferat, incertum sit. Virg. 11. Æn. 807. nec jam amplius hastæ Credere, nec telis occurrere virginis audet. Id. 2. Ecl. 17. O formose puer, nimium ne crede colori. Ovid. 4. Met. 729. Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus Credere. ¶ 2. Hinc est etiam alicujus dictis vel factis fidem habere. — *a*) Generatim. Plaut. Amph. 1. 1. 280. At ego per Mercurium juro, tibi Jovem non credere; Nam injurato scio plus credet mihi, quam jurato tibi. Ter. Andr. 3. 2. 17. Credon' tibi hoc? Adde eumd. ibid. 3. 2. 31. et 4. 1. 49. Sic Id. ibid. 3. 5. 12. Oh, tibi ego ut credam, furcifer? Plaut. Men. 4. 2. 53. ME. Per Jovem deosque omnes adjuro, uxor, – me isti non nutasse. PE. Credit jam tibi de istis: illuc redi. Cic. Rosc. Am. 39. 112. Neque quisquam credit, nisi ei, quem fidelem putat. Auct. B. Alex. 71. Pharnaces cum speraret Cæsarem libentius crediturum suis promissis etc. Liv. 2. 45. Et consules magis non confidere, quam non credere, suis militibus. Phædr. 3. 10. 1. Periculosum est credere et non credere (Cf. Hesiod. Ἔργ. 372. πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας). Virg. 2. Æn. 48. equo ne credite, Teucri: Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes. Adde eumd. 11. ibid. 283. Horat. 1. Ep. 16. 19. Se vereor, ne cui de te plus quam tibi credas. Ovid. 11. Met. 108. Vixque sibi credens, non altâ fronde virentem Ilice detraxit virgam. Adde eumd. 13. ibid. 825.; Senec. Ep. 80. Pers. 1. 7. et 4. 47.; et Quintil. 9. 4. 143. Sueton. Vesp. 6. Nihilo secius Aquilejam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Liv. 33. 10. Si Valerio quis credat, omnium rerum immodice numerum augenti, etc. Adde eumd. 21. 2. — Et cum Genitivo per ellipsin. Plaut. Asin. 2. 4. 53. Cui omnium rerum ipsus semper credit. Adde eumd. Truc. 2. 2. 51. — Passive. — α) Cum Nominat. rei. Ter. Adelph. 3. 5. 28. Ignotum est, tacitum est, creditum est. Ovid. 1. Art. am. 387. Hoc unum moneo, si quid modo creditur arti. — β) Sæpius cum Nominat. personæ, et *credor* est *creditur mihi*. Ovid. 7. Met. 98. Creditus, accepit cantatas protinus herbas. Id. 3. Fast. 351. At certe credemur, ait, si verba sequatur Exitus. Id. 4. Trist. 10. 35. Vix equidem credar. Virg. 2. Æn. 247. Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris, Ora, dei jussu, non unquam credita Teucris. — *b*) Speciatim hoc sensu occurrit *mihi crede* (h. e. mihi confide, verbis meis fidem habe) vel *mihi credite*, raro autem *crede mihi* vel *credite mihi*. — *Mihi crede* legitur apud Cic. 13. Att. 6. Non sum, mihi crede, mentis compos. Adde eumd. 6. Verr. 12. 28., Mur. 38. 82., 3. Off. 19. 75., 1. Tusc. 43. 103., 2. Fin. 34. 113. et 5. ibid. 30. 92. Horat. 2. Sat. 6. 93. Carpe viam, mihi crede, comes. Adde eumd. 1. ibid. 7. 35. et 2. ibid. 3. 75. Ovid. 2. Amor. 2. 9. Si sapis, o custos, odium, mihi crede, mereri Desine. Adde Ammian. 14. 10. extr. — *Mihi credite* apud Cic. 2. Cat. 7. 15. Dicatur sane ejectus esse a me, dummodo eat in exilium. Sed, mihi credite, non est iturus. Liv. 21. 22. Facinus memorabile fecistis. Sed, mihi credite, inchoata vestra gloria, nondum perfecta est. Adde Ovid. 15. Met. 254.; et Senec. Consol. ad Helv. 8., Consol. ad Polyb. 28., Consol. ad Marc. 16. et 1. Clem. 23. — *Crede mihi* apud Cic. 6. Att. 6. Sed, crede mihi, nihil minus putaram. Adde eumd. 8. ibid. 14. et 10. Fam. 6. 2.; Ovid. 1. Met. 361.; et Plin. Paneg. 71. — *Credite mihi* apud Curt. 6. 11. 25. Nostrone sanguine deum fecimus? – Credite mihi, et nos, si viri sumus, a diis adoptabimur.

B) Credere ¶ 1. Est etiam aliquid tamquam verum habere. Lucilius apud Non. p. 275. 6. Merc. Velim te id, quod verum est, credere. Adde Afrum apud Quintil. 6. 3. 94. Lucret. 2. 1026. Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum Difficilis magis ad credendum constet. Ter. Adelph. 4. 47. Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc emisse. Id. Andr. 2. 3. 25. Itan' credis? D. Haud dubium id quidem est. Cic. Brut. 26. 100. Audivi ista de majoribus natu, sed numquam sum adductus, ut crederem. Id. 2. Divinat. 41. 86. Superstitiosa sollicitudine et miseria omnia credere. ibid. 35. 113. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? Id. 3. Fam. 11. ad fin. Te leviter accusans in eo, quod de me cito credidisses. Cæs. 3. B. G. 18. Quod fere libenter homines id, quod volunt, credunt. Sall. Jug. 107. Ille lacrimans orare, ne ea crederet: nihil dolo factum, etc. Horat. 2. Sat. 2. 71. variæ res Ut noceant homini, credas. Ovid. 1. Met. 400. Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?) Ponere duritiem cœpere. Tac. 3. Ann. 44. Cuncta, ut mos famæ, in majus credita. Id. ibid. 10. Vera aut in deterius credita, judice ab uno facilius discerni. — Hinc *credito* Ablat. absolute. Tac. 3. Ann. 14. Numquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse. h. e. cum nemo unquam satis credidisset, etc. ¶ 2. Hinc credere est etiam putare, arbitrari; et occurrit — *a*) Cum Accus. et Infinito. Plaut. Pers. 4. 3. 61. Numquam ego te tam esse matulam credidi. Id. Amph. prol. 101. Jam ego vos novisse credo. Cic. Rosc. Am. 1. 1. Credo ego vos mirari etc. Cæs. 6. B. G. 5. Cum reliquum exercitum subsequi crederet, etc. Adde eumd. 2. ibid. 33.; et Curt. 7. 7. 3., 5. 1. 24. et 7. 1. 31. Virg. 6. Æn. 463. nec credere quivi, Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem. Liv. 2. 43. Victos crederes. Curt. 6. 2. 16. Signum datum crederes. Id. 4. 10. 23. Crederes, Alexandrum inter suas necessitudines flere. Adde eumd. 7. 4. 35., 8. 4. 12., 9. 4. 14. et alibi sæpe. Sic Petron. Satyr. 31. Pantomimorum, non patrisfamiliæ triclinium (*esse*) crederes. Tac. 16. Ann. 4. extr. Crederes lætari, et fortasse lætabantur. Lucan. 1. 493. credas, aut tecta nefandas Corripuisse domos, etc. pro crederet. Plin. Paneg. 71. Non amavisse credebant sibi. Id. ibid. 62. Talesque nos (*esse*) crede. Adde Plaut. Cas. 3. 5. 35.; Ter. Adelph. 2. 1. 9., Hecyr. 1. 2. 23. et Phorm. 5. 6. 15.; Liv. 10. 5.; Justin. 7. 2. 3.; Quintil. 10. 3. 10.; Plin. 2. Ep. 39.; et Ammian. 21. 7. 3. — *b*) Passive cum Nominat. et Infinito. Lucret. 4. 389. Qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur; Quæ manet in statione, ea præter creditur ire. Adde eumd. 4. 833. Ovid. 3. Trist. 11. 73. ne hoc tibi fingere credar. Adde eumd. 1. Met. 749.; Quintil. 3. 1. 11. et 12. 7. 3.; et Ammian. 22. 8. 49. Curt. 6. 5. Bucephalus credebatur sentire, quem veheret. Tac. 5. Ann. 4. Meditationes ejus introspicere creditus. Id. 4. Hist. 67. Voluntaria morte interiisse creditus. — *c*) Passive impersonaliter. Ter. Hecyr. 3. 5. 7. Bene factum, te advenisse salvum atque validum. PA. Creditur. Quintil. 10. 4. 1. Creditum est, stilum non minus agere. — Et *credito* Ablat. absolute. Tac. 6. Ann. 34. Ne quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum. — *d*) Active cum Accusativo tantum, sine Infinito. Horat. 1. Ep. 14. 19. nam quæ deserta et inhospita tesqua Credis, amœna vocat mecum qui sentit, et odit Quæ tu pulcra putas. Adde Ter. Hecyr. 5. 4. 4.; et Quintil. 12. 1. 36. — *e*) Hinc passive cum Nominat. tantum, sine Infinito. Ovid. 1. Met. 696. credi posset Latonia. Id. 3. Fast. 190. Et male credebar sanguinis auctor ego. Adde eumd. 3. Met. 610.; et Quintil. 1. 1. 1. Cf. Sueton. Tib. 62. Ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur. ¶ 3. Hinc speciatim *credo* est idem atque *opinor*, Græce οἴμαι; et aut continet ironiam, aut significat nos sententiam nostram caute admodum timideque proferre. Porro — *a*) Eleganter interseritur sermoni, ut *opinor*, *puto*. Plaut. Truc. 2. 5. 21. Iste hic haud multo post, credo, aderit. Adde eumd. Epid. 1. 1. 32. Ter. Eun. 5. 2. 33. Debeam, credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim. Cic. 1. Fin. 3. 7. Male, credo, mererer de meis civibus, si etc. Id. 6. Verr. 15. 33. Pueri autem Sisennæ, credo, qui audivissent, quæ etc., oculos de isto numquam dejicere. Adde eumd. 1. Tusc. 22. 51., 3. ibid. 21. 50., 1. ad Q. fr. 1. 2., et 1. Orat. 22. 101. Cæs. 2. B. C. 31. Quo majorem, credo, licentiam habeant, qui peccare conentur. Adde Liv. 4. 17. Curt. 3. 2. Ætoli, invicta bello manus, fundis, credo, et hastis igne duratis repellentur. — *b*) Interdum præponitur. Plaut. Cas. 2. 6. 3. CH. Ille edepol (*velit*) videre ardentem te extra portam Metiam. CL. Credo, ecastor vellet. Cic. Brut. 93. 320. Credo, quod viderat, neminem esse secum comparandum. Id. 13. Att. 32. Quod ad te de legatis scripsi, parum intellexti; credo, quia διὰ σημείων scripseram. Adde eumd. 1. Cat. 2. 5.; et Cæs. 3. B. C. 70. Horat. 2. Sat. 7. 69. Evasti. Credo, metues doctusque cavebis. Adde Justin. 11. 15. 2.; et Trebell. Claud. 6. — Hinc a Part. præter. pass. *Creditus*, *a*, *um*, cujus plura superius exempla retulimus.

Creditum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, usurpatur pro re alteri credita, quæ proinde nobis debetur: V. CREDO I. 2. — *a*) Generatim. Sall. Cat. 25. Sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, cædis conscia fuerat. Seneca 2. Benef. 34. Aliter beneficium, aliter creditum solvitur. Id. ibid. 21. Accipiam pecuniam tamquam creditum, non tamquam beneficium. Quintil. 7. 2. 51. Crediti et depositi duæ sunt quæstiones, etc. Id. 5. 10. 105. Creditum totum exigere. Id. Declam. 360. Te amisso viro, cum dotem non petisti, fecisti creditum ex dote. Modestin. Dig. 16. 2. 1. Compensatio est debiti et crediti inter se contributio. — Apud JCtos *creditum* differt a *mutuo*, sicut genus a specie: dicitur enim de omnibus rebus, quæ alteri creduntur, sive eadem reddantur, sive non; *mutuum* vero de iis tantummodo, quæ non eadem restituuntur. Paul. Dig. 12. 1. 2. — *b*) Speciatim *ire in creditum* est idem quod credere aliquid alicui, sed præsertim dicitur, cum aliquid mutuum damus. Paul. loc. cit. et Alfen. ibid. 19. 2. 31. — *c*) Eodem fere sensu *abire in creditum alicui* dicitur. Ulp. ibid. 14. 6. 3. Ideo etsi in creditum abii filiofamilias vel ex causa emptionis, vel alio contractu, in quo pecuniam non numeravi et stipulatus sim; licet cœperit esse mutua pecunia, tamen etc. Adde ibid. 4. 5. ad fin. — *d*) Sic *in creditum dare* est credere; et *in creditum accipere* est recipere aliquid restituendum. Julian. Dig. 12. 1. 19. et 20. — *e*) *Possidere aliquid in creditum* est ratione crediti possidere. Ulp. Dig. 42. 1. 15. Si creditor maluerit pignora in creditum possidere, hisque esse contentus, etc. — *f*) *In credito esse* dicitur quod est in nominibus. Ulp. Dig. 34. 2. 28.

Homonym. In quo differat *creditum* a *mutuo*, dictum est paullo supra sub *a* in fin.

CRĔDUAM et **CRĔDUIM**. V. voc. præced. sub init.

CRĒDŬLĬTAS, ătis, f. 3. credendi facilitas. Plancus apud Cic. 10. Fam. 23. Credulitas enim error est magis, quam culpa. Ovid. 1. Pont. 1. 41. Credulitate capi. Id. 3. Amor. 14. 30. Stulta credulitate frui. Adde eumd. 12. Met. 59., 15. ibid. 498. et 14. ibid. 498. Curt. 7. 7. 8. Addicere credulitatem suam alicui. Adde Quintil. 5. 3. 7. Tac. 2. Ann. 40. Credulitas inanis tempore ipso vanescit. Id. 15. ibid. 11. Facilis credulitas. Adde eumd. 14. ibid. 4. — Transfertur etiam ad bruta animantia. Ovid. 13. Met. 933. pisces quos aut in retia casus, Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos. — Per prosopopœiam. Ovid. 12. Met. 59. Illic Credulitas, illic temerarius error.

CRĒDŬLUS, a, um, adject. a verbo credo.

I.) Proprie. ¶ 1. Active est qui facile credit, et fere in malam partem occurrit. — *a*) Absolute. Cic. 15. Att. 16. Verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter præbeo credulum. Id. Amic. 26. 100. Etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. Id. Fontej. 6. 13. Stultus auditor et credulus ab religioso et sapienti judice discernitur. Horat. 1. Od. 5. 9. Qui nunc te fruitur credulus. Adde Ovid. 3. Met. 432. et Quintil. 11. 1. 71. et 11. 2. 4. — De brutis animantibus

et inanimis. Horat. Epod. 16. 33. Credula nec flavos timeant armenta leones. Ovid. 8. Met. 857. sic sit tibi piscis in unda Credulus, et nullos nisi fixus sentiat hamos. Seneca Hippol. 530. Nondum secabant credulæ pontum rates. — b) Cum Dativo. Virg. 9. Ecl. 34. me quoque dicunt Vatem pastores: sed non ego credulus illis. Horat. 1. Od. 11. 8. Carpe diem, quam minimum credula postero. Sil. It. 10. 478. Hic Cinna (ad Tyrios namque is sua verterat arma) Credulus adversis et tum comes ibat ovanti. Al. minus recte leg. adversi. Tac. 2. Hist. 23. Humillimo cuique credulus, bonos metuens trepidabat. Adde eumd. 2. ibid. 23. et 1. ibid. 12.; et Propert. 1. 3. 28. — Cum Accus. et præpos. in. Ovid. 4. Fast. 312. nos in vitium credula turba sumus. ¶ 2. Passive de eo, cui facile creditur, videtur usurpari in illo Tac. 1. Hist. 34. Ocrisum Othonem, primum incertus rumor, mox interfuisse se quidam, et vidisse affirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos.

II) Translate. Horat. 4. Od. 1. 30. Spes animi credula. Ovid. 7. Met. 826. et Heroid. 6. 21. Credula res amor est. Curt. 10. 1. 28. Credulas regis aures implebat. Justin. 2. 10. 10. Jucunda quoque inter se, non solum credula, convivia habuerunt. h. e. bona fide peracta.

CRĔMĀBĬLIS, e, adject. καύσιμος. Gloss. Vet.

CRĔMĀTĬO, ōnis, f. 3. (cremo), actus cremandi, ustio. Plin. 23. Hist. nat. 2. 31. (64). Crematio ei multum virium adjicit. Adde Prudent. 6. περὶ στεφ. 88. — Est etiam una ex pœnis capitalibus. Callistrat. Dig. 48. 19. 28. Summum supplicium esse videtur ad furcam damnatio, item vivi crematio. V. VIVICOMBURIUM.

CRĔMĀTOR, ōris, m. 3. ustor. Tertull. 5. advers. Marcion. 16. Cremator Deus.

CRĔMĀTUS, a, um. V. CREMO.

CRĔMENTUM, i, n. 2. incrementum: a cresco, is. Varro apud Non. p. 189. 14. Merc. Ut cremento corpora fierent majora parvo. Plin. 11. Hist. nat. 37. 55. (149). Crementa lunæ. Al. leg. incrementa. Cassiod. 11. Variar. 39. ad fin. Crementa gaudiorum. Adde eumd. ibid. sæpe. — Isid. 11. Orig. 1. docet, crementum dici semen masculi, unde animalium et hominum corpora concipiuntur. Quo sensu suspicari quis possit, dictum esse a creo, as, pro creamentum. Utcumque sit, ea notione Latinum idoneum auctorem non habet. V. tamen INCREMENTUM.

CRĔMĬA, ōrum, n. plur. 2. ligna tenuia et arida; a cremo, quia facile cremantur: Græce dicuntur φρύγανα, a φρύγω torreo. Occurrit et cremium singul. numero apud Interpr. Vulgat. Psalm. 101. 4. Ossa mea, sicut cremium, aruerunt. Colum. 12. R. R. 19. 3. Levique primum igne, et tenuibus admodum lignis, quæ cremia rustici appellant, fornacem incendemus. Plin. 12. Hist. nat. 19. 42. (90). Cremia cinnamomi discerni, et sponte conflagrare. Harduin. et Sillig. leg. gemina ex quibusdam MSS. Ulp. Dig. 32. 55. § 4. Virgulæ et cremia, et sarmenta, et superamenta materiarum, et vitium stirpes atque radices continebuntur ligni appellatione. Gloss. Isid. Gremia, siccamina lignorum.

CRĔMĬĀLIS, e, adject. qui cremari potest, ut cremiales arbores apud Ulp. Dig. 24. 3. 7. § 12. Ita legit, et probat Salmas. in Exercitat. Plin. et Hotomann. Vulgo gremiales, quod idem significat. V. in fin. vocis præced. Huc etiam spectat locus Theod. Priscian. 1. 19. Viride oleum, vel gremiale penitus vitandum est.

CRĔMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Cremans, Crematus, Cremandus. — Cremo est idem quod uro, comburo (It. abbruciare; Fr. brûler, consumer par le feu; Hisp. quemar; Germ. verbrennen; Angl. to burn, set on fire). Occurrit — a) Generatim. Lucret. 5. 1242. Ignis ubi ingentes silvas ardore cremarat Montibus in magnis, seu cœli fulmine misso. Horat. 4. Od. 4. 53. Gens, quæ cremato fortis ab Ilio etc. Liv. 1. 1. Cremata patria. Plin. 17. Hist. nat. 1. 1. (5). Incendia, quibus cremavit urbem Nero. Adde Liv. 28. 19. Sic Ovid. 2. Met. 136. Cremare tecta. Rursus Plin. 16. ibid. 8. 11. (31). Cremati roboris cinis nitrosus est. Id. 30. ibid. 5. 20. (11). Crematus in cinerem. Adde Liv. 40. 29.; Val. Max. 1. 1. 11.; Virg. 7. Æn. 74.; Ovid. 2. Met. 811., 8. ibid. 478.; 14. ibid. 444. et 580., et alibi sæpe. Plin. 2. Hist. nat. 52. 53. (139). Fulmina cremantia. Id. 35. ibid. 10. 36. (104). Cremare tabulas. Sueton. Aug. 31. libros. Adde eumd. Cal. 30.; et Ovid. 6. Met. 457., 11. ibid. 85. et 8. ibid. 839. — b) Specialim de mortuorum cadaveribus. Plin. 7. Hist. nat. 54. 55. (187). Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terrâ condebantur. h. e. cremare cadavera. Id. ibid. 16. 15. (68). Editis primores septimo mense gigni dentes, haud dubium est: hominem prius, quam genito dente cremari, mos gentium non est. Cf. Juvenal. 15. 139. Cic. 2. Legg. 22. 57. Primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Id. 1. Divinat. 23. 47. Cum, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. Horat. Epod. 17. 79. Possum crematos excitare mortuos. Ovid. in Ib. 518. Des tua succensæ membra cremanda pyræ. Adde eumd. 12. Met. 614.; Tac. Germ. 27.; Sueton. Aug. 10. et Ner. 49.; et Justin. 9. 7. 11. et 19. 1. 11. — c) Item specialim de hostiis. Ovid. 13. Met. 636. Ture dato flammis, vinoque in tura profuso, Cæsorumque boum fibris de more crematis, etc. Huc referri potest et illud Liv. 41. 12. Postero die arma lecta conjici in acervum jussit consul, sacrumque id Vulcano cremavit. Adde eumd. 10. 29.

CRĔMOR, ōris, m. 3. proprie est pingue illud, quod a lacte secernitur: dicitur etiam de lacte expresso ex grano aqua macerato. Cato R. R. 86. Lac addat paullatim, usque adeo donec cremor crassus erit factus. Plaut. Pers. 1. 3. 15. Nisi cremore crasso est jus collyricum etc. Ovid. Medic. faciei 65. Hordea quem faciunt, illis adfunde cremorem. Cels. 3. 7. 2. Vel ptisanæ, vel alicæ, vel oryzæ cremor dandus est. Id. 6. 6. 26. Gargarizare ex lenticula, vel ex fici cremore. et ibid. 10. ad fin. Cremor furfurum.

CRĔMUM, i, n. 2. idem ac cremor. Venant. 11. Carm. 14. 1. Aspexi digitos per lactea munera pressos, Et stat picta manus hic, ubi crema rapis. Hic licenter auctor primam producit.

CRĒNA, æ, f. 1. scalptura, incisura: fortasse a χρημνός præruptus. Plin. transfert ad scalpturas stomachi testudinis marinæ, quibus cibus conficitur, si locus sanus est. Ita enim scribit 11. Hist. nat. 37. 68. (180). Testudini marinæ lingua nulla, nec dentes: rostri acie comminuit omnia. Postea arteria, et stomachus denticulatus callo, in modum rubi, ad conficiendos cibos, decrescentibus crenis, quidquid appropinquat ventri: novissima asperitas, ut scobina fabris. Sillig legit renis; sed affirmat neutram lectionem a quoquam hucusque explicatam, et plura in h. l. esse corrupta. At legitur et in Onom. vet. Crenæ, λυγίδες.

CRĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. De origine vocis V. in CERUS sub init. — Part. Creatus I. 1. et 2.; Creaturus I. 2.; Creandus I. 1. — Creare est gignere, facere (It. creare, generare; Fr. produire, créer, procréer; Hisp. producir, criar, procrear; Germ. hervorbringen, erzeugen, erschaffen; Angl. to make, create, form, generate, beget).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) De iis, quæ a rerum natura gignuntur. Lucret. 1. 708. Et qui principium gignundis aera rebus Constituere: aut humorem quicumque putarunt Fingere res ipsum per se; terramve creare Omnia. Id. 5. 819. Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit Humanum, atque animal prope certo tempore fudit Omne. Id. 2. 170. Tempora mutare annorum frugesque creare. Id. 1. 910. Creare ignes e lignis. Id. 5. 732. Inque dies privos aboriscere quæque creata. Plin. 19. Hist. nat. 8. 42. (150). Fimum herbas creat. — b) De generatione animalium, et præsertim hominum. Pallad. 3. R. R. 26. 2. de porcis. Femina ad creandum usque in annos septem partus onera gestare sufficiet. Virg. 10. Æn. 704. una quem nocte Theano In lucem genitori Amyco dedit, et face prægnans Cisseis regina Parin creat. h. e. parit. Horat. 1. Ep. 2. 44. puerisque beata creandis Uxor. Id. 4. Od. 4. 29. Fortes creantur fortibus et bonis. Liv. 1. 3. Silvius deinde regnat: is Æneam Silvium creat. — Hinc Part. præter. pass. creatus cum addito Ablat. est idem ac genitus, filius. Lucret. 5. 1012. prolem ex se videre creatam. Ovid. 2. Fast. 726. Creatus rege. Adde eumd. 1. Met. 760., 5. ibid. 145., 7. ibid. 3. et 500. et 666., 11. ibid. 295. et 303., et 13. ibid. 22. et 616. Flor. 1. 6. Matre serva creatus. Cf. Ovid. 3. Trist. 14. 14. de me sine matre creata Carmina sunt. — c) Denique ponitur aliquando de animo ac mente: ad rem Cic. 2. Orat. 54. 219. Sed cum in illo genere perpetuæ festivitatis ars non desideretur; natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos etc. Id. ibid. 28. 123. Cum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro; tradam eum Crasso et vestiendum et ornandum. Id. 2. Nat. D. 22. 57. Censet (Zeno) artis maxime proprium esse, creare et gignere. ¶ 2. Specialim creare fuit solemne verbum apud Romanos pro suffragiis eligere. Cic. fragm. pro C. Corn. apud Ascon. Decem tribunos plebis per pontificem creaverunt. Id. 3. Legg. 3. 9. Creare consules. Sic Cæs. 3. B. C. 1. Consules creantur Cæsar et Servilius. Nepos Hann. 7. Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. Sall. Jug. 41. Cum tres quæsitores rogarentur effecerat, ut ipse in eo numero crearetur. Liv. 6. 40. Indignos (patricios) creaturi non estis. Id. 2. 18. Creare dictatorem. Id. 1. 23. ducem gerendo bello. Id. 2. 18. magistrum equitum. Id. 6. 41. et 5. 31. interregem. Id. 2. 33. et 4. 7. collegam. Messala apud Gell. 13. 15. prætorem. Sueton. Aug. 37. et 40. censores. Id. Vesp. 6. imperatorem. Justin. 3. 3. 2. magistratus. Plin. 2. Ep. 1. Creari inter quinqueviros. Adde Liv. 28. 10. et 21. 15. Ulp. Dig. 40. 5. 4. Convenire creditores, unumque creare, cui caveatur omnium nomine. Papinian. ibid. 50. 8. 3. Creare curatorem rei publicæ.

II.) Translate est efficere, facessere, exhibere. Plaut. Mil. glor. 1. 1. 33. Venter creat omnes has molestias. Id. ibid. 2. 3. 23. Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem creas. Id. Pœn. 3. 2. 9. Creare lites. Id. Pseud. 1. 3. extr. Potin' ut abeas? tibi moram dictis creas. Id. Cas. 2. 7. 3. Creare voluptatem inimicis. Lucret. 3. 240. sensiferos motus. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 19. 62. Creare periculum alicui. Cels. præfat. ante med. valetudinem adversam. Vellej. 2. 20. 1. seditionem. Plin. 22. Hist. nat. 24. 50. (109). Mel bilem auget, fastidium creat. Adde Lucret. 4. 479. Rursus Plin. 9. ibid. 48. 72. (155). Lepus marinus vomitum dissolutionemque stomachi creat. Quintil. 9. 4. 143. Tædium et satietatem creare. Justin. 31. 4. 8. odium sibi apud aliquem. Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod. 1. 25. invidiam inimicis.

CRĔŎBŬLA, æ, f. 1. herba eadem ac mentastrum. Apul. Herb. 90.

CRĔPANS, antis. V. CREPO.

CREPAS prisci capras dixerunt, a crepitu crurum. Paul. Diac. p. 48. 14. Müll.

CRĔPĀTĬO, ōnis, f. 3. crepandi actus, disruptio, scissio. Theod. Priscian. lib. 2. part. 2. c. 9. Fit itaque locis diversis sanguinem emittentibus sub trina vulneratione causatio. Fit primo crepatio. Fit deinde putredo. Fit, ex utrisque superioribus, ejusdem loci vel venæ patulum orificium incurabile. Id. ibid. paullo post ait: Et ceteris (remediis), quæ in subjectis venis crepantibus adhibuimus.

CRĔPAX, ācis, adject. qui crepat ac strepit. Mæcenas apud Senec. Ep. 114. crepacem molam dixit, quod in igne crepitet.

CRĔPER (et juxta Forcellinum creperus), a, um, adject. obscurus, caliginosus.

I.) Proprie occurrit tantum creperum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, pro obscuritate apud Symmach. 1. Ep. 7. (al. 13). Priusquam manifestus dies creperum noctis absolveret.

II.) Translate est dubius, anceps, incertus, ut Paul. Diac. p. 52. 18. Müll., Varro 6. L. L. 5. Müll. et Non. p. 13. 15. Merc. interpretantur. Ex his sufficiant verba unius Varron., qui ait loc. cit. Dicitur crepusculum a crepero. Id vocabulum sumpserunt a Sabinis, unde veniunt Crepusci nominati Amiterno qui eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce. In Reatino crepusculum significat dubium, ab eo res dictæ dubiæ creperæ etc. Ad rem Capell. 2. p. 28. Cum creperum lux alma micat gemmata decore, Cum nitet aurato, fit et cum Phosphorus astro. Creperum micare elegantissime dictum est de luce oriente quasi tremula, quæ incerto adhuc debilique fulgore nondum omnia satis illustrare possit, sed hic illic tantum caligines noctis perrumpat ac solvat. Cf. Id. 8. p. 271. Tunc vix senex reclusis Creperum videns ocellis Circumspicit ridentes. Lucret. 5. 1295. creperi certamina belli. Accius apud Non. loc. cit. Nunc tu in re crepera tua quid capias consilii, vide. Pacuvius apud eumd. ibid. Animum ægritudine in re crepera confici. Lucilius apud eumd. ibid. creperaque juventu' salutis. Alii aliter legunt. Varro apud eumd. p. 14. 4. Crepera oracla. Capell. 1. p. 2. Creperum sapis. h. e. dubius es.

CRĔPI a Romanis dicti sunt Luperci a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in Lupercalibus nudos discurrere, et pellibus obvias quasque feminas ferire. Hæc *Paul. Diac. p.* 57. 2. *Müll.*, qui tamen cum aliis legit *Creppis*, quod *Forcellinus* reprehendit.

CRĔPICŬLUM *vel* Crepidulum *vel* Crepitulum (tot enim modis scriptum invenitur) ornamentum capitis, idem enim in capitis motu crepitum facit. Hæc *Paul. Diac. p.* 52. 19. *Müll.* Tribuit feminis *Tertull. Pall.*, ubi ait 4. Et stolam, et supparum, et crepidulum, et caliendrum ejeravere. *Al. leg.* capidulum: sed crepitulum *hic est legendum.*

CRĔPĬDA, æ, f. 1. *Isid.* 19. *Orig.* 34. putat *crepidas* dictas, quod cum sono stringantur, sive a pedum crepitu in ambulando. *Balduin.* quoque *de calc.* c. 11. a crepitu derivat: sed rectius a κρηπίς ducuntur, ut et mox dicemus; quamvis primam syllabam Latini poetæ corripiant. — Crepida est genus calcei plani, coriacea solea vel una, vel pluribus constans, qua planta pedis, veluti basi, innititur; et longis habenis, quibus pars pedis superior prope nuda vincitur, et quodammodo obtegitur: a Græca voce allata, (teste *Gell.* 13. 21. et *Voss.* in *Etymol.*) quæ tum basim et fundamentum, tum hoc ipsum de quo loquimur, significat. Latine *solea* dicitur, quod eo nomine omne genus calcei, quo planta solummodo tegitur, appellari consuevit, ut *Gell. loco cit.* docet. Differunt tamen, tum quod *solea* generale nomen est, *crepida* unum tantum calceorum genus notat: tum quia illa simplex est, hæc pluribus coriis compingitur, ut vult *Balduin. loc. cit.*: tum quod illa domi uti mos fuit, hæc etiam foris: tum denique quod Latinorum illa, Græcorum hæc propria esse videtur. Quare cum pallio fere conjungitur, sicut cum toga calceus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 127. sapiens crepidas sibi numquam, Nec soleas fecit. *Pers.* 1. 127. qui in crepidas Grajorum ludere gestit. *Liv.* 29. 19. Ipsius etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio, etc. *Sueton. Tib.* 13. Redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium et crepidas. Adde *eumd. Cal.* 52. — Aliquando cum caliga militari confunditur, non tamen Romana. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. Magnes appellatus est ab inventore. Invenisse autem fertur, clavis crepidarum, et baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret. *Id.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. Aureis clavis crepidas suffigere. *Val. Max.* 9. 1. *extern.* 4. Aureos clavos crepidis subjectos habuit. (*Justin.* 38. 10 camdem rem narrans, *caligas auro figere* dixit). *Cic. Rabir. Post.* 10. 27. L. Scipionis non solum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis. V. integr. locum: ibique *Klotz.* Huc pertinere videtur, quod tradit *Servius* ad illud *Virg.* 8. *Æn.* 458. *Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis*; crepidas Tuscum esse calceamentum, quas primo adhibuisse senatores, post equites R., nunc milites. Videtur enim vel de calceo, vel de caliga intelligendus. — *Sutor ne supra crepidam* vel *ne sutor ultra crepidam*, proverb. in eos qui quas res minus intelligunt, de iis tamen judicare audent: ortum ex eo, quod narrat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (185). et *Val. Max.* 8. 12. *extr.* 3., cum Apelles tabulam suam in pergula proposuisset, ut si quæ vitia inessent, a prætereuntibus indicarentur, monitum a sutore, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem, postero die, superbo emendatione pristinæ admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse (latebat enim post tabulam) denunciantem, ne supra crepidam judicaret. Ὑπὲρ πόδα, et ἀνώτερον τοῦ σφυροῦ Græci dicunt. Et *Ammian.* 28. 1. Supra plantam, ut dicitur, evagatus cornitor. Adde *Val. Max. loco cit.*

CRĔPĬDĀRĬUS, a, um, adject. ad crepidas pertinens, ut *Crepidarius culter*, *Sempron. Asell.* apud *Gell.* 13. 21. *extr.*; et *Crepidarius sutor*, qui crepidas facit, *Id. ibid.*; et *Crepidarius* absolute, *Gell. ibid.*

CRĔPĬDĀTUS, a, um, adject. qui crepidas habet. *Cic. Pis.* 38. 92. Inde nocte intempesta crepidatus, veste servili, navem conscendit. Adde *eumd. ibid.* § 93. *Sueton. Domit.* 4. Certamini præsedit crepidatus. *Tertull. Pall.* 4. Sericatus et crepidam æratas incessit. *lege* crepidatus. — *Crepidatæ Fabulæ* apud *Donatum* ad *Ter. Adelph. prol.* 7. in quibus actores cum crepidis prodibant: quæ et *palliatæ*. *V.* plura in **PALLIATUS**.

CRĔPĪDĬNES, um, f. plur. 3. idem quod rhagades vel rhagadia, seu fissuræ et scissuræ, a v. *crepo*. *Theod. Priscian.* 1. 29., cujus lemma est: *De rhagadiis pedum vel digitorum.* Omnes crepidines in calcaneis pix liquida illinita percurat.

CRĔPĪDO, inis, f. 3. est basis alta et erecta, fundamentum, fulcrum; a Græca voce κρηπίς, quæ idem significat (It. *base rilevata*, *zoccolo*; Fr. *base*, *socle*, *piédestal*; Hisp. *basa*, *pedestal*; Germ. *die Grundlage*, *der Sokel*; Angl. *the foundation*, *or ground of a pillar*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est basis alta et erecta. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 9. 14. (66). Crepidines obelisci. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 58. teneat quamvis æterna crepido, Quæ super ingesti portaret culmina montis. ¶ 2. Latiori sensu, quemadmodum et Gr. κρηπῖδα, est saxum prominens, ut exponit *Paul. Diac. p.* 55. 7. *Müll.*, seu margo prominens, qui sustentandi et muniendi speciem præbet: hinc — *a*) Ponitur de mole alta et abrupta, qua maris littus, vel ripa fluminis munitur contra aquarum impetus; itemque de ipso littore maris vel ripa fluminis, quæ saxis, aut lapideo margine plerumque sternebantur. *Cic.* 7. *Verr.* 37. 97. Piraticus myoparo usque ad forum et ad omnes urbis crepidines accessit. Cf. *Inscript.* apud *Murat.* 2013. 2. M. GAVIVS T. F. Q. VITELLIVS Q. F. GALLVS DVOVIR. QVINQ. CREPIDINES CIRCA FORVM S. P. F. *Curt.* 5. 1. 28. Coercere Euphratem magnæ molis crepidinibus. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 10. Maris atrocitas objectu crepidinis frangitur. *Virg.* 10. *Æn.* 653. Forte ratis, celsi conjuncta crepidine saxi, Expositis stabat scalis et ponte parato. *Liv.* 27. 18. Fluvius ab tergo; ante circaque velut ripa præceps oram ejus omnem cingebat. Suberat et altera inferior submissa fastigio planities: eam quoque altera crepido haud facilior in adscensum ambibat. *Varro* de lacu, aut stagno, ubi servantur anates, 3. *R. R.* 11. 2. Circum totum parietem intrinsecus sit crepido lata, in qua secundum parietem sint tecta cubilia, etc. *Val. Flacc.* 4. 44. Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi Cum rapit Halcyones miseræ fetumque laremque. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 34. (76). Acanthos herba topiaria est, crepidines marginum vestiens. *h. e.* marginum eam partem, quæ aquas spectat. *Stat.* 9. *Theb.* 492. Stabat gramineæ producta crepidine ripæ, Undarum ac terræ dubio, sed amicior undis Fraxinus. *Seneca* 3. *Controv.* 17. Qui in crepidine viderat Marium, in sella figuravit. *et* 1. *ibid.* 1. Quis crederet jacentem supra crepidinem Marium aut fuisse consulem, aut futurum? (adde *Manil.* 4. 48.). *h. e.* in ora et ripa paludis, in qua se occuluerat, vel in crepidine viæ mendicando in suo Africano exsilio: etenim — *b*) Sunt et crepidines viarum, quæ videntur esse similes nostris *marciapiedi*, sive sunt margines vel gradus ex petra, ipsa via aliquanto editiores, qui et commodius prætereuntibus iter, et meliorem domibus accessum præbent. *Juvenal.* 5. 8. Nulla crepido vacat? *h. e.* locus editior, vel in ripa fluminis, vel in portu maris, vel rectius ad latera viarum, ubi stare solent mendici stipem petituri. Quam postremam interpretationem confirmant verba *Petronii Satyr.* 9. Vidi Gitona in crepidine semitæ stantem. *Inscript.* in *N. Raccolta Calogerà T.* 8. p. 199., quæ est apud *Orell.* 3844. IIII. VIRI VIAM CVM CREPI[D]INIBVS A QVADRVVIO AD MVRVM STRAVERVNT OB HONOR. *Alia* apud *Don. cl.* 2. n. 80. et apud *Murat.* 475. 2. MVNATIVS ABSYRTVS VIAM CVM LAPIDE TVRBINATO A FORO AD PORT. STRAVIT CREPIDINES ET CASTELLA POSVIT. *V.* TURBINATUS. *Alia* in *Bullett. dell' Instit. archeol. a.* 1835. p. 134. ARAM ET CREPIDINEM FECIT. — *c*) Hinc crepido dicitur etiam torus, vel quidpiam simile elevatum sedendi vel muniendi causa. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (10). Saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices. — *d*) *Crepido Circi* apud *Festum* in *fragm.* fuit locus editior in parte ejus exteriore, in quo tribuni quidam militares, quos ibi recenset, olim sepulti feruntur: qui locus postea fuit albo lapide constratus. Hunc *Festi* locum a *Forcellino* allatum in edit. *Müll.* nondum inveni. — *e*) A Poetis interdum ponitur pro saxo excelso et abrupto, scopulo, rupe. *Stat.* 2. *Theb.* 504. Contra importuna crepido, Œdipodioniæ domus alitis. *h. e.* rupes, in qua Sphynx habitavit. *Id.* 1. *Achill.* 448 Rupibus expositis longique crepidine dorsi Euboicum scandens Aulis mare. *h. e.* scopuloso promontorio in mare excurrente: ac propterea hæc, quæ ita cum *Forcellino* distinximus, recte inter ea quoque refers, quæ superius allata sunt sub *a*. — *f*) Denique in architectura *crepidines* dicuntur, v. gr. in coronis, membra quædam excurrentia et projecta, ut *Bald.* in *Lex. Vitruv.* proposita figura explicat: quia sustentandi et fulciendi speciem præbent. *Vitruv.* 4. 6. 2. *Schneid.* Dextra ac sinistra projecturæ sic sunt faciendæ, uti crepidines excurrant. *Id.* 3. 3. 7. *Schneid.* Frons loci dividatur in partes undecim semis, præter crepidines et projecturas spirarum.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 67. 224. Deinde omnia, tamquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur. V. *O. Jahn.* ad h. l.

CRĔPĪDŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a crepida, parva crepida. *Gell.* 13. 21. Soleas dixere, nonnumquam voce Græca crepidulas. *Plaut. Pers.* 4. 2. 3. Hanc hospitam crepidula ut graphice decet!

CRĔPĬDŬLUM. *V.* **CREPICULUM.**

CRĔPIS, idis, f. 3. κρηπίς, herbæ genus apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 59. (99). Caule foliato est crepis et lotos. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 65.) hæc ait: "Les modernes ont donné le nom de *crepis* à un genre de plante de la famille des chicoracées, dans laquelle on s'est efforcé, mais sans succès, de retrouver le *crepis* de Pline. Quelques scholiastes, au lieu de κρηπίς, ont voulu lire κυρίς, et ont designé une plante remarquable avec quelque apparence de vraisemblance, l'*Helminthia echioides* L., synanthérée fort commune en Europe,,

CRĔPĬTĀCILLUM, i, n. 2. *deminut.* a crepitaculum. *Lucret.* 5. 232. Nec crepitacillis opus est. *Gifanius*, *Paræus*, *Salmas.* et al. leg. Nec crepitacula eis opu' sunt. *Tertull. advers. Jud.* 9. Signum belli non tuba, sed crepitacillo daturus. Adde *eumd.* 3. *advers. Marcion.* 8., ubi eadem verba repetit. *Sciopp.* autem in notis ad *Tertull.* hic quoque *crepitaculo* reponit.

CRĔPĬTĀCŬLUM, i, n. 2. instrumentum ex ære, aliave materia, quod manu concussum vel percussum crepitat ac sonitum reddit. *Colum.* 9. *R. R.* 12. 2. *de apib.* Crepitaculis æreis, aut testarum plerumque vulgo jacentium sonitu terreatur fugiens juventus. *Quintil.* 9. 4. 66. Media quoque (*periodi*) ne pigra, ne longa sint: ne brevium contextu resultent, ac sonum reddant pæne puerilium crepitaculorum. *Martial.* 14. 54., cujus lemma est *Crepitaculum.* Si quis plorator collo tibi vernula pendet, Hæc quatiat tenera garrula sistra manu. *Capell.* 1. p. 4. Tum crepitacula, tinnitaque, queis infanti somnum duceret, adhibebat quiescenti. *Id.* 9. p. 314. Infantibus crepitacula vagitus abrumpunt. *Sever. Sanct. de cura boum* 38. Queis (*bobus*) mentis geminæ consona tinnulo Concentu crepitacula. *h. e.* tintinnabula. — Inter crepundia puerorum etiam *crepitacula* sunt. *V.* locum *Lucretii* in voce præced. et *Martial.* modo allatum.

CRĔPĬTANS, antis. *V.* voc. seq.

CRĔPĬTO, as, are, n. 1. *intensivum* a crepo. — Part. *Crepitans.* — Crepito est vehementem et resonantem crepitum edo (It. *fare molto strepito*, *crosciare*; Fr. *craqueter*, *craquer*, *résonner*, *bruire*; Hisp. *rechinar*, *cruxir*, *estallar*, *retombar*, *resonar mucho*; Germ. *stark*, *heftig klappern*, *knarren*, *rauschen*; Angl. *to make a noise*, *clatter*, *crackle*, *rattle*, *rustle*). *Plaut. Men.* 5. 5. 27. Ubi satur sum, nulla (*intestina*) crepitant: quando esurio, tunc crepant. *Id. Rud.* 2. 6. 52. Crepitare dentibus. *Lucret.* 5. 746. crepitans ac dentibus algor. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 604. *Id. Ovid.* 11. *ibid.* 735. Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro. *Id.* 6. *ibid.* 97. Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro. Adde *Juvenal.* 1. 116. et V. *Heinr.* ad h. l. *Virg.* 6. *Æn.* 209. leni crepitabat bractea vento. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 648. fulvo ramis crepitantibus auro. *Virg.* 4. *G.* 151. Æra crepitantia. *Propert.* 3. 9. 43. Crepitans sistrum. *Tibull.* 2. 5. 73. Arma crepitantia. *Virg.* 2. *G.* 540. Impositos duris crepitare incudibus enses. *Lucret.* 6. 153. Delphica laurus Terribili sonitu flamma crepitante crematur. *Virg.* 7. *Æn.* 73. Flamma crepitans. Adde *Ennium* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. *Tibull.* 2. 5. 81. Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis. *Ovid.* 4. *Fast.* 781. ardentes stipulæ crepitantis acervos. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (85). Flos salis in igne nec crepitat, nec exsilit. *Virg.* 1. *G.* 449. In tectis crepitans salit horrida grando. *Id.* 5. *Æn.* 458. quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant. *Id.* 11. *ibid.* 299. fremunt ripæ crepitantibus undis. *Id.* 3. *ibid.* 70. lenis crepitans vocat Auster in altum. *Id.* 5. *ibid.* 436. duro crepitant sub vulnere malæ.

Petron. Satyr. 132. Pluribus osculis collisa labra crepitabant.

CREPITŬLUM. *V.* CREPICULUM.

CREPĬTUS, us, m. 4. (crepo) strepitus, sonitus (It. *strepito, croscio, rumore*; Fr. *bruit, son, craquement, claquement, grincement*; Hisp. *ruido fuerte, estallido, cruxido, sonido*; Germ. *das Knarren, Knistern, Klappern, Rauschen*; Angl. *a noise, rattling, clashing, crackling, rustling*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Curc.* 1. 3. 47. Sonitum et crepitum claustrorum audio. *et ibid.* 1. 31. Sonitum prohibe forum, et crepitum cardinum. *Lucret.* 6. 110. Crepitus carbasi. *Cic.* 7. *Verr.* 62. 162. plagarum. *Id.* 4. *Tusc.* 8. 19. dentium. *Id. Topic.* 12. 52. Pedum crepitus, strepitus hominum. *Id.* 2. *Herenn.* 5. 8. Num qui strepitus, clamor, crepitus exauditus sit. *Liv.* 38. 17. Quatientium scuta horrendus armorum crepitus. Adde *eumd.* 25. 6. *Id.* 43. 10. Crepitus æris. *Id.* 6. 2. Crepitus viridis materiæ flagrantis. *Id.* 39. 15. Crepitibus et ululatibus nocturnis. *Id.* 5. 47. alarum. Cf. *Plaut. Amph.* 5. 1. 10. et *Virg.* 12. *Æn.* 923. Rursus *Liv.* 39. 13. et *Epit.* 68. cymbalorum. *Seneca* 3. *Ira* 4. Crepitus articulorum. *h. e.* Italice *lo scroscio delle nocca*: *V.* CONTERO. *Id. Ep.* 56. Audio crepitum illisæ manus humeris, quæ prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (10). Imbrium crepitus per folia. *Id.* 10. *ibid.* 18. 20. (40). Cuneus adactus statim exsilit cum crepitu arboris. Sic *Capell.* 9. p. 313. Vel cantus avium, vel arborum crepitus. *Sueton. Cal.* 54. Tibiarum et scabellorum crepitus. *Martial.* 14. 119. *de matella.* Dum poscor crepitu digitorum, etc. *Ammian.* 21. 1. 11. Crepitus vocum. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 3. *Schneid.* — *b*) Specialim de ventris crepitu. *Plaut. Curc.* 2. 3. 16. Excire crepitum polentarium. *Cic.* 9. *Fam.* 22. *extr.* Stoici etiam crepitus ajunt æque liberos, ac ructus esse oportere. *Seneca Ep.* 91. *sub fin.* Eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 87. (110). Onopradon quam ederunt asini, crepitus reddere dicuntur. *Sueton. Claud.* 32. Emittere flatum et crepitum ventris. *flatus* est sine sonitu, βδεσμός: *crepitus* cum sonitu, πορδή. *Minuc. Fel.* in *Octav.* 28. *ad fin.* Ægyptii non Serapidem magis, quam crepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt. *Scalig.* in *lection. Auson. l.* 1. c. 25. ostendit, crepitus ventris apud Græcos fausti, apud Latinos mali ominis fuisse, ex *Catone* apud *Festum* p. 234. 33. *Müll.* V. voc. seq. sub *A.* I. c.

CRĔPO, pas, pŭi, pĭtum, pare, 1. *Eutych. Grammat.* 2. p. 2188. *Putsch.* ponit etiam *crepo, is, ere*, sed nullo confirmat Latino exemplo. — Part. *Crepans* sub *A.* I. — Crepare est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more crepo est crepitum edo, resono, strideo, murmuro (It. *fare strepito, crosciare*; Fr. *rendre un son, craquer, résonner*; Hisp. *rechinar, cruxir*; Germ. *klappern, knistern, knarren, rauschen*; Angl. *to make a noise, creak*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Men.* 5. 5. 27. Intestina mihi, quando esurio, tum crepant. *V.* CREPITO. *Id. Amph.* 1. 2. 34. Orationem comprimam: crepuit foris. *Turneb. l.* 4. *Advers.* c. 20. et 11. *ibid.* 12. et 29. *ibid.* 25. docet, hoc ex more Atheniensium dictum, quia cum apud eos fores aperirentur in viam, ideo domo exituri, ne quem forte prætereuntem læderent, crepitum edebant, vel digitos collidendo, vel ipsas fores percutiendo: contra intraturi ædes dicebantur fores pultare: hoc κόπτειν dici, illud ψοφεῖν. Hæc *Turneb.*: sed fortasse res est apertior, quam ad hæc intelligendi causa sit decurrendum. *Ter. Heaut.* 3. 3. 52. Quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores? Adde *eumd. Eun.* 5. 8. 5. *Ovid.* 9. *Met.* 783. crepuitque sonabile sistrum. *Seneca Ep.* 9. *ante med.* Paravit amicum adversus vincula laturum opem: cum primum crepuerit catena, discedet. *Seneca Herc. Œt.* 1002. Verberum crepuit sonus. *Id. Thyest.* 264. totis domus, Ut fracta, tectis crepuit. *Ovid.* 2. *Fast.* 501. subito motu nubes crepuere sinistræ. *Stat.* 7. *Theb.* 38. crepat aurea grandine multa Palla. *Virg.* 11. *Æn.* 775. tum croceam chlamydemque sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro. *Martial.* 12. 56. Donare aureolos manu crepantes. *Id.* 9. 91. Area terit messes crepantes. *Ovid.* 4. *Fast.* 744. Et crepat in mediis laurus adusta focis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (58). Lapidem in statua Memnonis quotidiano solis ortu contactum radiis, crepare tradunt. *Pers.* 5. 25. dignoscere cautos, Quid solidum crepet. *h. e.* crepitu et sono indicet, sitne solidum, an fractum. *Horat. Epod.* 16. 48. montibus altis Levis crepanti lympha desilit pede. — *b*) Specialim *crepare digitis* est idem ac concrepare digitis. *Martial.* 3. 82. Digiti crepantis signa novit eunuchus. *V.* CONCREPO. — *c*) Item specialim est pedere. *Cato* apud *Festum* p. 234. 33. *Müll.* Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. *Martial.* 12. 77. Sed quamvis sibi caverit crepando, Compressis natibus Jovem salutat. Adde *eumd. ibid.* 78. — Hinc joculariter *Plaut. Pœn.* 3. 2. 32. co. Fores hæ fecerunt magnum flagitium modo. AD. Quid id est flagitii? co. Crepuerunt clare. *h. e.* alludit ad crepitum ventris, qui non sine flagitio in cœtu hominum editur.

II.) Translate. ¶ 1. Crepare est scindi, findi, rumpi: quia quæ rumpuntur crepare solent. *Virg.* 5. *Æn.* 205. acuto in murice remi Obnixi crepuere, illisaque prora pependit. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 14. Si crepant poma, lapidem in media arboris radice supponis. *Colum.* hoc idem tradens 5. *R. R.* 10. *a med.* verbo *rumpi* utitur. ¶ 2. Cadentis Latinitatis tempore significat mori; hinc Itali *crepare* eos dicunt, qui non lente, sed confestim moriuntur. *Hygin.* (ab *A. Mai.* edit. in *Class. Auct. T.* 3. p. 43.) *fab.* 120. Ad quam (*Semelen*) cum fulmine veniens (*Juppiter*), illa crepuit.

B) Active, scilicet cum Accusativo

I.) Proprie crepare est facere, ut aliquid resonet, vel crepitum emittat. *Propert.* 3. 8. 4. Et manibus faustos ter crepuere sonos. *Horat.* 2. *Od.* 17. 26. Crepare ter lætum sonum. *Stat.* 6. *Theb.* 686. procul auxiliantia gentes Æra crepant. *h. e.* pulsant et resonare faciunt. *Martial.* 5. 19. Crepare aureolos. *h. e.* numerare, nam versando nummi crepitant.

II.) Translate *crepare aliquid* est frequenter in ore habere, jactare, prædicare. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 57. Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo. *Lucret.* 2. 1166. laudat fortunas sæpe parentis, Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum Perfacile angustis tolerarit finibus ævum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 84. ex nitido fit rusticus, atque Sulcos et vineta crepat mera. *Id.* 2. *Sat.* 3. 33. Si quid Stertinius veri crepat. *h. e.* docet. *Id.* 1. *Od.* 18. 5. Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat? *h. e.* exaggerat, et queritur incommoda militiæ et paupertatis.

CRĔPOR, ōris, m. 3. crepitus, sonitus. *Gloss. Isid.* Creporem ferri, sonum catenæ. *V.* voc. seq.

CRĔPŎRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. crepitum ferens, crepans. *Venant. Fortun.* 3. 4. Plausu creporigero. *Plerique Codices et Editi. habent* creperegico: *alii leg.* creperico *vel* crepero.

CRĔPŬLUS, a, um, adject. crepitans, strepens. *Avien.* in *Arat.* 324. Sed crepula ut late vomeret convicia voce. *Alii leg.* crepera. *Sidon.* 4. *Ep.* 15. Autumnus viatorum aures, foliis toto nemore labentibus, crepulo fragore circumstrepit. *Id.* 9. *ibid.* 13. *in carm.* 2. Crepulæ buccæ.

CRĔPUNDĬA, ōrum, n. plur. 2. In singulari num. nullus est usus. — Crepundia ¶ 1. Sunt reculæ pueriles, quæ infantibus tum ornatus, tum ludi causa dantur: a *crepando*, seu tinniendo dictæ, quorum infantes hujusmodi crepitaculis maxime gaudent: apponebantur etiam olim pueris expositis, vel alio nutriendi causa missis, ut ex iis aliquando agnosci possent: quare *monumenta* a *Ter. Eun.* 4. 6. 15. dicuntur, et a Græcis γνωρίσματα et ἐπίσημα et σπάργανα. Exemplum habes tum apud *Ter. loc. cit.* et *Heaut.* 4. 1. 37., tum apud *Plaut. Cist.* 3. 5. et 4. 1. 4. et *Rud.* 4. 4. 37. et 5. 3. 7. Porro crepundia solebant esse anuli, ensiculi, securiculæ, maniculæ, bullæ, siculæ, fasciolæ, etc. qualia *Plaut. Rud.* 4. 4. 110. enumerat. Porro V. *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 4. 6. 15., *Salmas.* ad *Vopisc. Aurel.* 4., *Ellendt* et *Jahn* ad *Cic.* mox citand. *Cic. Brut.* 91. 313. Quoniam totum me non nævo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (270). Semestris locutus est Crœsi filius in crepundiis. *Prudent. Apotheos.* 711. puerique crepundia parvi. *Inscript.* apud *Orell.* 1183. FL. MEROBAVDI — CVI A CREPVNDIIS PAR VIRTVTI ET ELOQVENTIAE CVRA. ¶ 2. Item imagines sacræ aut amuleta. *Apul. de Mag.* Etiamne cuiquam mirum videri potest, cui sit ulla memoria religionis, hominem tot mysteriis deûm conscium, quædam sacrorum crepundia domi observare, atque ea lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis velamentum? *Id. paullo post.* hæc eadem *sacrorum signa et memoracula* appellat. ¶ 3. Ita etiam dicuntur crotala, crepitacula, sistra, quibus in choreis et saltationibus utebantur, præsertim Ægyptii: quia hujusmodi dari et pueris solebant lusus gratia. *Justin.* 30. 1. 9. Adduntur instrumenta luxuriæ, tympana et crepundia.

CRĔPUSCI nominati Amiterno, qui crepusculi tempore erant nati. *Varro* 6. *L. L.* 5. *Müll.* V. CREPERUS. — Fortasse, addit *Forcellinus*, legendum est *Crepusii*; nam *Crepusia* gens nota est et Nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 196. et ex *Inscriptione* apud *Murat.* 1533. 11.

CRĔPUSCŬLASCENS HORA est ora crepusculi vespertini apud *Sidon.* 8. *Ep.* 3.

CRĔPUSCŬLUM, i, n. 2. tempus, Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem, Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis: quæ descriptio est *Ovid.* 4. *Met.* 400. Dictum est a *creperus*, dubius, ut post *Varron.* 6. *L. L.* 2. *Müll.* docent *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 268. et *Non.* 13. 16. *Merc.* (It. *crepuscolo, il far del dì, o della sera*; Fr. *crépuscule*; Hisp. *crepusculo*; Germ. *d. Dämmerung*; Angl. *the twilight*). ¶ 1. Tametsi de matutino æque quod Græce λυκαυγές, ut de vespertino, quod ἑσπέρα δείλη dici possit; videtur frequentius de hoc usurpari: quia matutinum tempus proprio vocabulo *diluculum* appellatur. *Plaut. Cas. prol.* 40. Cum conspicatus est primo crepusculo puellam exponi. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 5. Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo. *Id.* 5. *Fast.* 163. Inducunt obscura crepuscula noctem. *Id.* 4. *ibid.* 735. Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra. *Id.* 15. *Met.* 651. seram pepulere crepuscula lucem. *Id. Heroid.* 14. 21. modo facta crepuscula terris. Adde *eumd.* 1. *Met.* 219. *Colum.* 12. *R. R.* 1. 3. Et primo mane prodeundum est, et crepusculo redeundum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 58. (219). Prout alteruter eorum mane, vel crepusculo contingit. Adde *Plaut.* in *fragm.* apud *Varron.*; *Varron. loc. cit.*; *Phædr.* 3. 7.; *Lucan.* apud *Servium loc. cit.*; *Sueton. Ner.* 26.; *Censorin. de die nat.* 24.; et *Paul. Diac.* p. 71. 12. *Müll.* Quare non audiendus *Servius* qui *loc. cit. sup. scribit*, usum obtinere, ut *crepusculum* matutino tempori jungatur. Jungit tamen *Capell.* 2. p. 47. Crepusculum instans innitens. *V.* INNITENS. ¶ 2. Aliquando generatim ponitur pro luce maligna et caligine. *Ovid.* 14. *Met.* 122. Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit. *h. e.* per viam, qua ad Inferos descenditur. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 596.

CRESCENTĬA, æ, f. 1. incrementum. *Vitruv.* 9. 8. 6. *Schneid.* Horarum brevitates, aut crescentias cuneorum adjectus, aut exemptus in singulis diebus et mensibus perficere cogit. *et mox* § 7. Correptiones dierum, aut crescentiæ.

CRESCO, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. 3. *Cresse* pro *crevisse* est apud *Lucret.* 3. 684. — Supinum *cretum* et Part. *creturus* in hoc verbo non sunt, quod sciam, in usu: sed in *cerno*. At *cretus*, addit *Forcellinus*, est a *creatus* per syncopen si significationem spectes, a *cresco*, si analogiam. — Part. *Crescens* I. 2. et II. 1.; *Cretus* I. 1. — Ratione habita etymi, *Paul. Diac.* p. 53. 9. *Müll.* deducit a κραίνω *perficio, impleo, absolvo.* At rectius inchoativum *cresco* conjungi potest cum *creo* et *crassesco*; et est exseri incipio, orior, adolesco (It. *nascere, originarsi, crescere*; Fr. *naître, recevoir l'existence, croître, grandir*; Hisp. *nacer, crecer, aumentarse*; Germ. *anfangen hervorzukommen, daher hervorwachsen, entstehen*; Angl. *to be born, to increase, grow, become bigger*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu cresco est exseri incipio, orior. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 527. Cetera, quæ sursum crescunt, sursumque creantur, Et quæ concrescunt in nubibus omnia, etc. *Id.* 4. 1209. sed quos (*pueros*) utriusque figuræ (*matris ac patris*) Esse vides juxtim, miscentes vulta parentum, Corpore de patrio ac materno sanguine crescunt. *Virg. Cul.* 397. Rosa crescit. *Varro* 3. *R. R.* 1. 7. Qui postea creverant. *h. e.* posteri. Adde *Senec. Herc. fur.* 870. — *b*) Hinc specialim sæpe usurpatur Part. præter. pass. *Cretus*, et est procreatus, genitus. Occurrit fere cum Ablativo. — Modo sine præ-

pos. *Lucret.* 5. 6. Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus. *h. e.* qui natus sit corpore mortali, vel qui filius sit mortalis hominis. *Id. ibid.* 60. Animi natura nativo corpore creta. *h. e.* facta ex ipso corpore. *Id.* 5. 1115. et fortes et pulcro corpore creti. *Varro* 7. *L. L.* 16. *Müll.* Titanis dicta, quod eam genuit Titani filia Latona, ut scribit Manilius, creta Titano. *Virg.* 9. *Æn.* 672. Pandarus et Bitias Idæo Alcanore creti. *Ovid.* 8. *Met.* 307. Amyntore cretus. Adde eumd. 4. *ibid.* 607., 13. *ibid.* 31. et 5. *ibid.* 86. *Id.* 13. *ibid.* 750. Fauno Nymphaque Symæthide cretus. — Cum præpos. *ab. Virg.* 4. *Æn.* 191. Venisse Æneam Trojano a sanguine cretum. *Ovid.* 4. *Met.* 606. ab origine cretus eadem. — Cum præpos. *de. Auct. carm.*, cui titulus *Laudes Herculis* 76. Chimeræa cretum de gente leonem. Adde *Grat. Cyneg.* 168. Sic *Manil.* 5. 299. Ille pater tali de sidere cretus Esse potest. *h. e.* natus sub sidere tali. — *c*) Item speciatim apud *Ovid.* dicuntur *crescere*, quæ in alia mutantur, 1. *Met.* 550. In frondem crines, in ramos brachia crescunt. *Id.* 2. *ibid.* 479. manus crescunt in ungues aduncos. ¶ 2. Latiori sensu, cum dicitur de iis quæ jam sunt et existunt, crescere est in altitudinem surgere, augeri, adolescere, majora fieri. Occurrit — *a*) De corporeis vel inanimis. *Lucret.* 1. 253. At nitidæ surgunt fruges ramique virescunt Arboribus; crescunt ipsæ fetuque gravantur. *Id.* 6. 713. Nilus in æstati crescit campisque redundat. *Cic.* 1. *Divinat.* 44. 100. Cum lacus Albanus præter modum crevisset. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Liger ex nivibus creverat. *Ovid.* 4. *Met.* 660. *de Atlante.* et partes auctus in omnes Crevit in immensum. Cf. *Curt.* 8. 11. Petra modicis clivis in sublime fastigium crescit. *Colum. Arbor.* 17. Ut olea spatium in latitudinem crescendi haberet. *Quintil.* 8. 5. 26. Nihil ad justam magnitudinem adolescere potest, quod loco, in quem crescat, caret. *Curt.* 4. 2. Aggeris latitudo crescebat. — Illa mere poetica sunt *Silii It.* 14. 301. *de turri.* tabulata decem cui crescere Grajus Fecerat. *h. e.* surgere, extolli. et *ibid.* 309. Perque altam molem et toties crescentia tecta Scandit. et *Lucani* 9. 841. Nam neque congestæ struxere cubilia frondes, Nec culmis crevere tori. et 3. 534. Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ. et *Statii* 12. *Theb.* 110. molles planctu crevere lacerti. *h. e.* intumuere. et rursus *Silii It.* 1. 176. quantum tormenta jubebant, Creverunt artus. *h. e.* torti atque extenti sunt. — *b*) De hominibus et brutis animantibus. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Ostrea cum luna pariter crescunt atque decrescunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 87. (216). Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos: tum deinde ad plenitudinem. — Et de adulescentia atque educatione simul. *Plaut.* in *Suppos. Merc. post a.* 4. *sc.* 5. Par est ætas: una crevimus. *h. e.* educati sumus. Sic *Justin.* 12. 16. 8. Alexander per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto crevit. *Sueton. Oth.* 1. Otho per gratiam Liviæ, cujus in domo creverat, senator factus. — Et de numero. *Cic. Sext.* 32. 69. Mihi absenti creverunt amici.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) De iis, quæ ad corpus pertinent. *Ovid. Heroid.* 16. 236. Crescit et invito lentus in ore cibus. *h. e.* videtur crescere, quia præ dolore, comedere non possum. *Juvenal.* 13. 213. interque molares Difficili crescente cibo. *Ter. Phorm.* 5. 2. 16. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit: plagæ crescunt, nisi prospicis. *Cic.* 2. *Divinat.* 69. 142. Medici advenientes et crescentes morbos intelligunt. — *b*) De tempore. *Ovid.* 1. *Art. am.* 61. primis et adhuc crescentibus annis. *Id.* 2. *Fast.* 1. cum carmine crescit et annus. Cf. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 43. Crescit infans in mores patrios. — *c*) De oratione. *Cic.* 2. *Att.* 12. Crescit mihi materies scribendi. *Quintil.* 6. 1. 29. Cum in aliis, tum maxime in hac parte debet crescere oratio. — *d*) Sæpius jungitur abstractis, quæ fere animi affectus qualitatesve significant. *Cic. Harusp. resp.* 22. 46. Crescebat in eos odium, a quibus etc. *Id. pro leg. Manil.* 15. 45. Cum hostium opes animique crevissent. Adde *Nepot. Alcib.* 5. *Id. Nepos ibid.* 7. Quæ ex re creverat ejus fama cum opibus. *Id. Att.* 10. Ad extremam ætatem amicitia eorum crevit. *Juvenal.* 14. 138. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. — Similiter jungitur aliis quoque Substantivis, quorum præcipua hæc sunt. *Liv.* 28. 19. et 40. 32.; et *Curt.* 4. 5. 13. animus. *Justin.* 19. 1. 8. animi. *Curt.* 9. 9. 7. ardor animorum. *Liv.* 22. 28. certamen. Sic *Ovid.* 2. *Fast.* 731. studiis certamina crescunt. *Propert.* 3. 21. 3. cura. *Justin.* 11. 9. 3. desperatio alicui. Sic *Curt.* 4. 12. *ad fin.* Ne desperatio suis cresceret. *Justin.* 7. 3. 3. ebrietas. *Quintil.* 8. *proœm.* 4. eruditio. *Ovid.* 9. *Met.* 139. fama. *Sall. Jug.* 55. fuga. *Liv.* 21. 11. inopia. *Sil. It.* 3. 529. labor. *Sall. Cat.* 51. et *Justin.* 30. 2. 1. licentia. *Lucret.* 6. 341. mobilitas. *Sall. Cat.* 17. *extr.* opes. *Liv.* 2. 14. origo a mitiore principio. Sic *Justin.* 2. 6. 2. opera a sordidis initiis ad summa crevere. *Sall. Cat.* 39. potentia. *Justin.* 13. 3. 3. seditio. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 36. virtus laudata crescit. ¶ 2. Speciatim cum de homine dicitur, vel interdum etiam de civitate, significat dignitate, auctoritate, vel opibus ad ampliorem statum ascendere; et occurrit — *a*) Cum additis, quæ rem aperte significant. *Nepos Att.* 21. Dignitate, gratia, fortunaque crescere. Cf. *Id. Cat.* 2. Virtutum laude crescere. et *Liv.* 21. 7. In tantas brevi creverant opes. — *b*) Cum addita præpos. *ex* vel *de. Cic. Rosc. Am.* 30. 83. Si liberet accusare, accusarem alios, ex quibus possem crescere. *Id. Cluent.* 28. 77. Crescere ex invidia alicujus. Et omissa præpos. *Liv.* 35. 19. Si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi, quam ex me, quærant. *Cic.* 7. *Verr.* 67. 173. Si videor de uno isto voluisse crescere, isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. *Liv.* 23. 48. Cohortandosque, qui redempturis auxissent patrimonia, ut reipublicæ, ex qua crevissent, commodarent. Adde *eumd.* 21. 7. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann.* De nihilo crevit. *h. e.* qui modo egenus erat, factus est ditissimus. — *c*) Et absolute omnino. *Liv.* 1. 46. Criminandi Servii apud Patres, crescendique in curia sibi occasionem datam ratus est. Sic *Sall. Cat.* 10. Sed ubi labore atque justitia respublica crevit. Adde *eumd. ibid.* 51. *Plin. Paneg.* 71. Princeps crescere uno modo potest, si se submittat. *Seneca Ep.* 34. Cresco et exsulto et discussa senectute recalesco, quoties etc. *h. e.* quod Itali dicimus *vengo tanto fatto.* Cf. *Ovid. Heroid.* 15. 117. Gaudet et e nostro crescit mœrore Charaxus. cui *opponitur illud* Horat. 1. *Ep.* 2. 57. Invidus alterius macrescit rebus opimis.

CRĒTA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, *creta* ab insula *Creta* dicta fuisse videtur (quod et *Isid.* docet 16. *Orig.* 1.): vel quia optima inde advehebatur: vel quia ex proximis locis, maxime ex Cimolo: vel quia, undecumque adveniret, a Cretensibus negotiatoribus importabatur; quod satis esse potuit, ut eam appellationem initio caperet. V. *Bentlej.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 3. 246. — Ceterum creta est genus terræ tenacis, variorum colorum, sed præcipue albæ (It. *creta*; Fr. *craie*; Hisp. *greda*; Germ. *Kreide oder eine ähnliche Thonerde*; Angl. *chalk*). Varia ejus genera enumerat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. (195). et seqq. Cf. et *Caton. R. R.* 39. — *Creta candida fossicia*, qua *Varro* 1. *R. R.* 7. 8. narrat in Gallia ad Rhenum stercorari agros, videtur fuisse illa, quam *Plin.* 17. *Hist. nat.* 6. 4. (42). *margam* vocat, Itali *marna*.

I.) Proprie. — *a*) Inter varios ejus usus, maxime adhibita est poliendis togis et dealbandis. *Plaut. Aulul.* 4. 9. 6. Qui vestitu, et creta occultant sese, etc. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (183). et 17. 57. (197). et *Isid.* Fit toga addito quodam cretæ genere candidior. — *b*) Item fucandæ faciei mulierum. *Horat. Epod.* 12. 10. neque illi Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili. Adde *Plaut. Truc.* 2. 2. 39.; *Petron. Satyr.* 23., et *Martial.* 6. 93. et 8. 33. — *c*) Item apud quosdam populos, litteris obsignandis. *Cic. Flacc.* 16. 37. Hæc, quæ est a nobis probata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica, quæ fere est omnibus nota nobis: qua utuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in privatis litteris, quas quotidie videmus mitti a publicanis. Cf. *eumd.* 6. *Verr.* 26. 58.: *V.* CRETULA; et *Klotz.* ad *Cic. loc. cit.* — *d*) Item ad signandam metam in Circo, ut esset conspicua. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (160). Peracto legitimo cursu, ad cretam stetere. *Alii leg.* metam. *V.* CRETATUS. — *e*) Item faciendis testis: unde *figularis creta* memoratur a *Colum.* 3. *R. R.* 11. 9. et 5. *ibid.* 8. 6.; et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (123). et 31. *ibid.* 3. 28. (47). — *f*) Item pingendis pedibus servorum venalium trans mare advectorum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 58. (199). — *g*) De variis ejus usibus in medicina, V. *Plin. loc. cit.* sub init.

II.) Translate. ¶ 1. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 8. Creta est profecto horum hominum oratio. Quam orationem hanc aures dulcem devorant! Ut mihi absterserunt omnem sorditudinem! *h. e.* hæc oratio eamdem vim habet, quam creta: nam ut eâ emaculantur vestes (*V.* supra sub *a*), sic illâ omnes, ait, animo suo ablutas sordes. ¶ 2. Præterea creta albæ signare mos fuit, quæ prospera erant et probanda; sicut carbone, quæ contra: hinc *Horat.* 1. *Od.* 36. 10. Cressa nota. *h. e.* cretæ nota, seu creta alba ex Creta, qua fausta quæque notabantur. *Pers.* 5. 108. Illa prius creta, mox hæc carbone notasti. *Horat.* ipse 2. *Sat.* 3. 246. sanin' creta, an carbone notati. Ita *Bentlejus.* Ceterum *Harduin. in notis et emend.* n. 116. ad *Plin.* l. 7. contendit, *Cressam notam* esse vinum Creticum, ea ratione, qua *nota Falerni* dicitur ab eodem *Horat.* 2. *Od.* 3. 8. Alii aliter, et quidem rectius: V. *Ritter* ad primum *Horat.* locum.

CRĒTĀCEUS, a, um, adject. ad cretam pertinens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. Siligo cretacea. *h. e.* vel cretæ admixta, ut candidior sit, vel candore similis cretæ: sed prior interpretatio præferenda; nam *Id. ibid.* 11. 29. (113). Alicæ admiscetur creta, quæ transit in corpus, coloremque et teneritatem affert.

CRĒTĀRIUS, a, um, adject. ad cretam pertinens. *Inscript.* apud *Gruter.* 641. 3. et 4. NEGOTIATOR ARTIS CRETARIAE. *Alia* apud *Reines.* cl. 1. n. 177. NEGOTIATOR CRETARIVS. Male quidam leg. *retarius*, quasi sit qui retanda fluminis conducit. — Hinc

Cretaria, æ, f. 1. subaudi *taberna*, et est taberna, ubi creta venditur. *Varro* 8. *L. L.* 55. *Müll.* Quoniam taberna, ubi venit vinum, a vino vinaria, a creta cretaria, ab unguento unguentaria dicitur etc.

CRĒTĀTUS, a, um, adject. creta inspersus.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Att.* 3. Cretatæ fasciæ. Sic *Martial.* 12. 29. Cretata mappa. *Plin.* ?5. *Hist. nat.* 18. 58. (201). Cretati pedes. *h. e.* qui creta erant dealbati, quales solebant esse servorum pedes, qui trans mare venales advehebantur. Sic *Propert.* 4. 5. 51. Aut quorum titulus per barbara colla pependit, Cretati medio cum saliere foro. *Al. leg.* cælati. *Juvenal.* 10. 66. Cretatus bos. *h. e.* creta dealbatus, atque ornatus in victimam. Sic *Lucilius* apud *Scholiast. Juvenal. ibid.* Cretatumque bovem duci ad Capitolia magnum. *Martial.* 2. 41. Cretata Fabulla. *h. e.* fuco illita.

II.) Translate. *Cretata ambitio* dicitur a *Pers.* 5. 177. quia qui ad honores aspirabant, albas candidasque vestes induebant, unde *candidati* dicti.

CRĒTERRÆ (vel Creterræ) vocabulum trahitur a cratere, quod est vas vini. *Paul. Diac.* p. 53. 10. *Müll.* Adde *Non.* p. 547. 27. *Merc. V.* CRATER.

CRĒTEUS, a, um, adject. cretaceus. *Lucret.* 4. 296. ut si quis, prius arida quam sit Cretea persona, allidat pilæve, trabive. *Al. leg.* Cerea. *Al.* Cressam personam. Certior est locus *Servii* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 66. Oaxis fluvius Scythiæ in Creta insula non est, sed aqua cretei coloris est.

CRETHMOS, i, f. 2. κρῆθμος, et κρίθμος, herba silvestris, edulis tamen, caule palmum alto, semine ceu libanotidis, rotundo, odorato, nucleum intus habente candidum, folio pingui, albicante, velut olivæ, crassiore salsique gustus, radice terna aut quaterna, digiti crassitudine. Estur cruda vel cocta cum olere, odorati saporis et jucundi; servatur etiam in muria. Hæc ex *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 50. (82)., a quo dicitur 25. *ibid.* 13. 96. (155). et 26. *ibid.* 10. 61. (94). crethmos agrios. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 399.) hæc ait: « Le *crethmos agria* a été rapporté au *Crithmum maritimum* des botanistes modernes. On confit cette ombellifère au vinaigre, et on la mange comme condiment. Le texte de chapitre est presque en entier emprunté à Dioscoride 2. 157. »

CRĒTĬCA, æ, f. 1. subaudi *herba*, et est eadem quæ *clematitis* apud *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 54. (96). De synonym. *V.* CLEMATITIS.

CRĒTĬCĒ, es, f. 1. herba eadem atque hibiscus, sic appellata a patria. *Apul. Herb.* 38. et 62.

CRĒTĬCUS, a, um, adject. Cres, Cretensis, ad Cretam pertinens: *V.* ONOM. — Hinc *Creticus* pes metricus, qui et *amphimacrus*, constat tribus syllabis, quarum media brevis est, longæ ceteræ, ut *vastitas*, *nobiles*, ut *Cic.* 3. *Orat.* 47. 183. docet. Nomen habet ex eo, quod Cretes saltando ejus rhythmica compositione utebantur, ut docet *Diomed.* 3. p. 475. *Putsch.* Innuit et *Terentian.* p. 2414. *Putsch.* — *Creticus versus* est, qui plures habet pedes Creticos,

qualis est *Alma lux roscida prima flamma nitens*. *Diomed. ibid. p.* 513. *Putsch.*

CRĒTĬFŎDĪNA, æ, f. 1. locus, ubi creta effoditur. *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. § 5., 24. 3. 7. § 14. et 30. 4. 13. *pr.*

CRĒTĬO, ōnis, f. 3. (*cerno*). Occurrit specialim tantum; et quidem ¶ 1. Abstracte cretio est actus cernendi hereditatem, et spatium temporis, quod datur extraneo heredi ad deliberandum, utrum adeat, nec ne, ea ratione, qua in CERNO dictum est. Quadruplex vero ea est, vulgaris, continua, simplex, et libera. *Cajus* 2. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) 17. Vulgaris cretio vocatur, in qua nulli dies computantur, nisi quibus scierit quisque, se heredem esse institutum, et possit cernere (*V.* CERNO). Continua seu certorum dierum, quæ certo tempore constringitur; tolerabile autem tempus visum est centum dierum; potest tamen nihilominus jure civili aut longius, aut brevius tempus dari; longius tamen interdum prætor coartat. Hæc *Cajus loc. cit.* Simplex, de qua *Cic.* 11. *Att.* 12. *extr.* Galeonis hereditatem crevi: puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est. *h. e.* simplicem mei unius: puto me unum cum cretione heredem institutum fuisse; reliquos heredes sine cretione; quoniam nemo illius ad me misit, ut secum cernerem. Ita *Popma. Manut.* interpretatur, sine coheredibus, ut solus ego heres relictus sim. Libera, de qua *Id.* 13. *Att.* 46. Ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Vestorium negligentem!) liberam cretionem, testibus præsentibus, sexaginta diebus. *h. e.* sine ullo alio onere, quia Cluvius nihil cuiquam homini, aut quiquam rei a Cicerone legaverat. Ita *Manut.* Adde *Cic.* 1. *Orat.* 22. 101.; et *Ulpian. fragm. tit.* 22. *p.* 27. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 24. (95). *de Hipparcho astronomo.* Cælo in hereditatem cunctis relicto; si quisquam, qui cretionem eam caperet, inventus esset.

CRĒTŌSUS, a, um, adject. creta abundans. *Cato R. R.* 8. et apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (72). Cretosus locus. *Varro* 1. *R. R.* 9. 3. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (175). Cretosa terra. *Ovid.* 7. *Met.* 463. cretosaque rura Cimoli. *Hygin. fab.* 220. Cretosum lutum.

CRĒTŬLA, æ, f. 1. *diminut. a* creta. *Cic.* 6. *Verr.* 26. 58. Cum epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula. *scil.* qua epistola obsignata erat, ut in CRETA I. c. diximus. *Alii minus recte leg.* cerula. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 31. (49). Ex omnibus coloribus cretulam amant, udoque illini recusant purpurissum, Indicum, cæruleum. *h. e.* creta sicca, non udo tectorio induci amant.

CRĒTŬLENTUM, i, n. 2. a creta, ut lutulentus a luto. Videtur hoc verbo significari aqua cretā, vel luto saturata, quæ ab omnibus deducitur ad paludes, sive lacunas exsiccandas. *Lex* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 70. *in qua de aquis sermo est*: Neve cretulentum exegisse velit, nisi in duabus lacunis prius emet, etc.

CRĒTŪRA, æ, f. 1. frumenti alicujus purgamentum, quod cribro secernitur, et altilibus pro pabulo dari solet: a supino *cretum* verbi *cerno*, quod et cribro purgare significat. *Pallad.* 2. *R. R.* 24. 3. Triginta columbis volantibus diurni tres sextarii tritici sufficient, aut creturæ. *h. e.* tritici excreta, ut ait *Colum.* 8. *R. R.* 8. 6.

CRĒTUS, a, um. *V.* CERNO.

CRĒTUS, a, um. *V.* CRESCO.

CRĬBELLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CRĬBELLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cribellatus.* — Cribellare est cribello secernere. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 3. Sevum liquefactum cribellato cineri admistum. *Theod. Priscian.* 1. 2. Ficus folia sicca tundes et cribellabis, et ex eo pulvere loca confricabis. Adde *eumd.* 1. 17.; et *Apic.* 1. 5.

CRĬBELLUM, i, n. 2. *deminut. a* cribrum, parvum cribrum. *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 6. Nitrum tritum cribello desuper sparges. *et* 7. *ibid.* 11. 1. Cribello spisso cernere, ut grana non transeant. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. *a med.* Tenuissimo cribello (*ervi*) pollinem mulso adspergere in cochlearii quantitatem. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 313. *retro ed. Aldo.* Azymum panem tundis et per cribellum cernis.

CRĬBRĀRĬUS, a, um, adject. ad cribrum pertinens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (115). *de alica.* Item cribraria, quæ in tertio remansit cribro angustissimo. — Subst. *cribrarius*, κοσκινοποιός, est in *Gloss. Vet. Lat.*

CRĬBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CRĪBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cribratus* et *Cribrandus.* — Cribro est cribro secerno, purgo. *Colum.* 12. *R. R.* 51. 2. Postero die (*oliva*) diligenter cribratur, ut si quid inest stercoris separetur. *Id. ibid.* 50. 1. Lectasque (*olivas*) cribrare et secernere. *Id. ibid.* 50. 3. Cribratam (*olivam*) separant ab seminibus lentisci. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 24. 100. (264). Hæc tusa cribrataque vino digeruntur in pastillos. *Id.* 17. *ibid.* 11. 15. (76). Cribrata minutatim terra. *Id.* 25. *ibid.* 5. 23. (58). Incisum forficulis elleborum cribrant. *Id.* 34. *ibid.* 10. 22. (104). Cribrare aliquid linteo. *Id.* 33. *ibid.* 5. 26. (87). Cribrare aliquid tenuius. *Id.* 11. *ibid.* 24. 28. (81). Cribrata tela aranei. *h. e.* in modum cribri texta. At *Sillig* tum *Salmasii Exercitat. p.* 277., tum optimorum Codd. auctoritate fretus, rectius legit *crebrata*. V. et *Döderlein Latein. Synon. vol.* 4. *p.* 439. — Et figurate *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 4. Diabolus ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.

CRĪBRUM, i, n. 2. instrumentum crebris et minutis foraminibus pertusum, ex pellibus perforatis, vel lino, aut setis, aliave materia contexta, quo frumenta, farinæ, et alia cernuntur et purgantur. Etymon vocis alii ducunt a *cretum*, quod a *cerno*, alii a *creber*, alii denique ab Hebr. כברה *crabra*, cribrum (It. *crivello, staccio, vaglio*; Fr. *crible, sas, tamis*; Hisp. *cribo, cedazo*; Germ. *das Sieb*; Angl. *a sieve, searce, riddle*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 76. Cribrum farinarium purum sumito, caseumque per cribrum facito transeat. Adde *eumd. ibid.* 25. *Plaut. Rud.* 1. 2. 14. Villa perlucet, quam cribrum, crebrius. Adde *eumd. Fæn.* 3. 1. 10. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 59. Quasi quidquam intersit, mures - scuta, an cribra corroserint. *Ovid.* 12. *Met.* 437. atque liquor rari sub pondere cribri Manat, et exprimitur per densa foramina spissus. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 16. Cribro viciario, vel loliario, qui jam fuerit in usu, pulli superponantur *Pers.* 3. 112. Cribro decussa farina. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 28. (108). Cribrorum genera Galli e setis equorum invenere, Hispani e lino excussoria et pollinaria, Ægyptus e papyro atque junco. *Id. ibid.* 11. 29. (115). Cribro farinario subcernere. *et mox.* Cribro arctiore cernere. *et mox.* Cribro angustissimo, et tantum arenas transmittente. *Id. ibid.* 11. 27. (105). Summa laus siliginis bonitate, et cribri tenuitate constat. *Id.* 28. *ibid.* 9. 39. (145). Medullæ per cribrum liquatæ, per lintea exprimuntur. *Apul.* 8. *Met.* Cribrum ruderarium. Adde *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 13. — *b*) Joculariter *Plaut. Most.* 1. 1. 52. O carnificum cribrum, quod credo fore. Ita te forabunt patibulatum per vias stimulis. — *c*) *Cribro aquam ferre* proverbio dicitur pro operam perdere, frustra laborare: quo sensu Itali dicunt, *pisciare nel vaglio*. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 100. Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (12). et *Val. Max.* 8. 1. 5. miraculo narrant de Tuccia Vestali incesti rea, quæ sua conscientia aquam e Tiberi cribro hausit, et ad judices attulit.

CRĬCŌTOS, e, on, adject. κρικωτός, circularis, armillaris. Græcis litteris *Gell.* 3. 10. Circulos ait in cælo circum longitudinem axis septem esse, e queis duos minimos, qui axem extimum tangunt πόλους appellari Nigidius dicit; sed eos in sphæra, quæ κρικωτὴ vocatur, propter brevitatem non inesse. *Capell.* 8. *p.* 275. Neque enim vel axem polosque, quos in sphæra ænea, quæ circite (*Grotius* corrigit *cricote*) dicitur, ad intelligentiæ compendia affixere mortales, ego robori mundanæ rationis apponam, cum nihil solidius terra sit, quod eam valeat sustinere. *Codex Monacensis* habet *circote*, cujus lectionem ceteris meliorem *Koppius* recepit. Quod enim reliquis Græcis κρίκος, Doriensibus κίρκος. Porro permulta esse verba, in quibus illarum litterarum transpositio advertatur, *Maittaire de dial. Gr. p.* 4. et *Matthiae in Gramm. p.* 40. ostenderunt. Ceterum *Koppius* Græcis litteris edidit.

CRĪMEN, inis, n. 3. accusatio, culpa, delictum, quo quis accusatur atque in judicium adducitur; vel est id, quod in judicium defertur, ut de illo cernatur, quasi *cernimen* a *cerno* (hinc conjungi potest et cum Gr. κρῖμα *judicium, damnatio*). Ex hac vero notatione recte deducitur compositum *discrimen*, *h. e.* id, quo res una ab alia discernitur. Usurpatur autem *A*) Subjective, uti ajunt, seu ratione habita actoris, et *B*) Objective, seu ratione habita rei.

A) Subjective, uti ajunt, seu ratione habita actoris,

I.) Proprie crimen est accusatio, culpa qua quis accusatur, id quod in judicium defertur: hinc falsum crimen est idem quod calumnia; atque hoc sensu *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 5. 2. 13. docet, crimen proprie dici id, quod falsum est: (sic enim ibi legendum, non *factum*, ut et *Burmann.* monuit ad *Quintil. declam.* 379.), porro huc pertinere ait illa verba *Ciceronis*: Verumtamen fac, tametsi criminosum id est. *h. e.* falsa insimulatio est. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 32. Bacchidem propter crimen male me consuluisse. *Id. ibid.* 4. 3. 15. Criminin' me habuisse fidem? *Id. Trin.* 3. 3. 11. In crimen ponere. *Id. Pseud.* 1. 5. 2. Quique auscultant crimina. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 13. Si compererit crimini se credidisse. *Id. ibid.* 3. 1. 55. Hora in crimen veniet. *h. e.* accusandi materia erit, in litem veniet, ut *Donatus* exponit. Adde *eumd. ibid.* 5. 1. 29. et *Phorm.* 2. 2. 8. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 12. 38. Putasne, te posse, quæ C. Verres in quæstura, quæ in legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italia patrarit, ea, quemadmodum locis temporibusque divisa sint, sic criminibus et oratione distinguere? *Id. Planc.* 2. 4. Cum respondero criminibus. *Id. Rosc. Am.* 26. 72. Tanti maleficii crimen probare. *Id. Cæl.* 27. 65. Crimen maximi facinoris. *Id. Sull.* 4. 12. Crimen istius conjunctionis. *Id.* 7. *Verr.* 1. 2. Criminibus avaritiæ, laudem imperatoriam obterere. *Id. Balb.* 25. 56. Tum luxuriam, quæ non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur. *Id. Quint.* 2. 8. Falsum crimen, quasi venenatum aliquod telum jacere. *Id. Rabir. Post.* 10. 27. Postumo crimen vestitus afferet? Cf. *Id.* 7. *Fam.* 3. *sub fin.* Sunt qui criminis loco putent esse, quod vivam. *Id. Cæl.* 7. 16. Arcessere aliquem crimine ambitus. *Id. Amic.* 18. 65. Inferre crimina. *Id. Ligar.* 1. 1. Deferre crimen. *Id.* 2. *Orat.* 48. 199. Ponere aliquid alicui in nefario crimine atque in fraude capitali. *Id.* 7. *Verr.* 18. 46. Quempiam aliquo crimine arguere. *Id. Rosc. Am.* 17. 48. Vita rustica, quam tu probro et crimini putas esse oportere. *Id.* 6. *Verr.* 45. 100. Esse in crimine. *Id.* 7. *ibid.* 29. 73. Dare crimini alicui pecuniam accepisse. *Id.* 4. *Herenn.* 36. 48. Apertissimas res crimini dare. Adde *Liv.* 7. 4. et 20.; et *Justin.* 8. 1. 5. Rursus *Cic. Sull.* 24. 69. Crimen dissolvere. *Id. ibid.* 4. 12. Crimen conjurationis propulsare, defendere. *Id. Flacc.* 14. 33. Facere sibi crimen. *h. e.* contrahere. *Id. Sull.* 24. 68. Neque facinorum tantorum, tam atrocium crimen Sullæ persona suscipit. *Id.* 3. *Verr.* 9. 26. Convinci criminibus manifestis. *Id.* 6. *ibid.* 45. 100. Damnari aliquo crimine. *Nepos Themist.* 8. Crimine proditionis damnari. *Id. Epam.* 7. Cum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent. *Id. Timoth.* 3. Ob eam rem in crimen vocabantur. *h. e.* accusabantur, in judicium vocabantur: ut sit omnino hic, quod Græcum κρίμα supra allatum. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 50. 133. *Sall. Cat.* 35. Se falsis criminibus circumventum. *Liv.* 40. 15. Crimina et suspiciones. *Id.* 7. 5. Esse causam invidiæ atque criminum alicui. *Id.* 9. 26. Intendere crimen in aliquem. *Id.* 6. 22. Crimine proditionis insimulare. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (92). Adducere aliquem in crimen. *Tac.* 12. *Ann.* 22. Moliri crimina. *h. e.* parare accusationem. *Sueton. Claud.* 16. Movere alicui crimen majestatis. *Id. Ner.* 35. Occidere aliquem sub crimine adulterii. *Quintil.* 4. 2. 26. Crimen repellere, transferre. *Id. ibid.* et *Curt.* 3. 6. diluere.

II.) Improprie. ¶ 1. Translate ponitur pro causa, prætextu. *Virg.* 7. *Æn.* 339. Disjice compositam pacem: sere crimina belli. ¶ 2. Metonymice est id quod accusatur ac damnatur. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 25. Nec tua te sontem tantummodo sæcula norint: Perpetuum crimen posteritatis eris. *h. e.* accusaberis damnaberisque ab omni posteritate.

B) Objective, uti ajunt, seu ratione habita rei,

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim sumitur pro delicto, culpa, scelere. Quamquam (ut docet *Forcellinus*) differt a *delicto*, tum quia crimen est fere publicum, ut majestatis, cædis, falsitatis, etc.; *delictum* vero plerumque privatum, ut furti, injuriæ, etc. — *a*) De personis. *Lucret.* 3. 49. fœdati crimine turpi. *Cic. Cæl.* 25. 61. Et hæc causa est omnium horum scelerum atque criminum. *Id. ibid.* 30. 71. Quo enim illi crimine peccatoque perierunt? *Horat.* 1. *Sat.* 3. 60.

Cum genus hoc inter vitæ versemur, ubi acris Invidia atque vigent ubi crimina. *Propert.* 2. 28. 2. Tam formosa tuum mortua crimen erit. *Ovid.* 2. *Trist.* 306. Vetiti criminis reus. Adde *eumd.* 2. *Met.* 447. et 614. *Sueton. Claud.* 36. Cum quidam crimen ultro faterentur. *Val. Flacc.* 4. 430. tales pro crimine pœnas Perpetitur. Adde *eumd.* 5. 658. *Martial.* 10. 61. Hic festinata requiescit Erotion umbra, Crimine quam Fati sexta peregit hiems. *h. e.* Fati culpa vel scelere. — *b*) De inanimis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 35. (91). Crimina brassicæ sunt, animæ gravitatem facere, dentibus et gingivis nocere. ¶ 2. Speciatim aliquando ponitur pro adulterio, aut stupro. *Ovid.* 9. *Met.* 24. Juppiter aut falsus pater est, aut crimine verus. *Sil. It.* 6. 634. Fabium de crimine læto Procreat.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam crimen appellatur ipsa res, quæ scelus ostendit. *Ovid.* 6. *Met.* 131. Et rapit pictas cœlestia crimina vestes. *h. e.* telam flagitiosa deorum adulteria continentem. *Id.* 9. *ibid.* 566. Protinus impressa signat sua crimina gemmâ. ¶ 2. Hinc crimen dicitur etiam ipse criminis auctor vel causa. *Virg.* 2. *Æn.* 65. crimine ab uno Disce omnes. *h. e.* ab uno homine criminoso et scelesto. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 55. Crimina et innoxios discernere. et *Val. Flacc.* 1. 695. medioque in crimine patrem Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis. *h. e.* inter homines scelestos. *Propert.* 2. 5. 26. Tum paries nullo crimine pictus erat. *h. e.* nullis illicitis amoribus. *Virg.* 12. *Æn.* 600. Se causam clamat crimenque caputque malorum. *h. e.* cujus culpa eveniant mala. *Propert.* 1. 11. 30. Ah pereant Bajæ crimen amoris aquæ. *Id.* 3. 19. 15. crimen et illa fuit. *Lucan.* 5. 59. Fortunæ, Ptolemæe, pudor crimenque deorum. *h. e.* propter quem dii incusantur. ¶ 3. Denique est etiam dedecus, infamia, quæ ex crimine nascitur. *Propert.* 4. 4. 41. Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis. *h. e.* dedecus allatura. *Facere crimen*, ut *facere injuriam, bellum.*

Homonym. In quo differat *crimen* a *delicto*, *V.* supra sub *B.* 1. 1.

CRĪMĬNĀLIS, e, adject. ad crimen pertinens. *Imp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 9. 41. 15. Interrogari servos de facto suo, non solum in criminali causa, sed etiam in pecuniaria, posse, non ambigitur. *Imp. Gordian. ibid.* 3. 35. 3. Tam legis Aquiliæ, damni sarciendi gratia, actionem, quam criminalem accusationem adversus obnoxium competere.

CRĪMĬNĀLĬTER, adverb. crimen inferendo, et in judicium pertrahendo, ut præter satisfactionem leges publice vindicentur, et reus puniatur: cui opponitur *civiliter*, cum privatim aliquid judicio persequimur, ut jus nostrum obtineamus sine alia pœna reo infligenda. *Ulp. Dig.* 47. 2. *extr.* Meminisse oportebit, nunc furti plerumque criminaliter agi, *etc.* non ideo tamen minus is, qui velit, poterit civiliter agere. *Cassiod.* 8. *Variar.* 34. Presbyterum pro levibus causis asseritis criminaliter impetitum.

CRĪMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. accusatio, crimen. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 1. 3. Illa criminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram diligentiam prudentiamque despexit. *Id. Rosc. Com.* 13. 37. Criminatio tua quæ est? Roscium cum Flavio pro societate decidisse. *Id. Amic.* 18. 65. ab aliquo allatas criminationes repellere. *Id.* 2. *Orat.* 79. 321. Falsa criminatio. Adde *eumd. Cœl.* 18. 63. *Liv.* 7. 5. Criminationibus irritare animum alicujus. Adde *eumd.* 1. 54. et 9. 26.; et *Tac.* 6. *Ann.* 45. *Sueton. Cæs.* 85. Purgare se adversus criminationes obtrectatorum. Adde *eumd. Tib.* 54.; et *Justin.* 12. 11. 3.

CRĪMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui criminatur. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 28. Cum illum rescisses criminatorem meum, quanto in periclo siet. *Tac.* 4. *Ann.* 1. Animus audax, sui obtegens, in alios criminator.

CRĪMĬNĀTRIX, īcis, f. 3. quæ criminatur, quæ calumniatur. *Vulgat. interpr. Paul. ep.* ad *Tit.* 2. 3. Anus similiter non criminatrices, non multo vino servientes.

CRĪMĬNĀTUS, a, um. *V.* CRIMINO *et* CRIMINOR.

CRĪMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Criminatus* sub *b.* — Crimino est idem quod accuso, crimen infero. — *a*) Active. *Ennius* apud *Non.* p. 470. 16. *Merc.* Nam is non bene volt tibi, qui falso criminat apud te. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 78. Herum ut servus suum criminaret apud herum. — *b*) Passive. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 4. 13. Sullanas res defendere criminor. *Al. minus recte leg.* criminatur. *Hygin.* 2. *Astron.* 18. Alii non criminatum ab Antia, sed, ne sæpius audiret, profugisse dixerunt. *V.* et voc. seq. sub init.

CRĪMĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Priscian.* 8. p. 790. *Putsch.* refert hoc verbum inter communia, ut recte dici possit *criminor te*, et *criminor a te*: *V.* voc. præced. — Part. *Criminans* sub *a* et *c.*; *Criminatus* et *Criminaturus* sub *b.* — Criminor est crimen infero, accuso, incuso (It. *accusare*, *incolpare*; Fr. *accuser*, *reprocher*; Hisp. *accusar*, *imputar*; Germ. *anschuldigen anklagen*; Angl. *to accuse*, *blame*). Occurrit — *a*) Cum Accus. personæ. *Ter. Eun.* 5. 2. 16. Hanc metui, ne me criminaretur tibi. *Cic.* 3. *Off.* 20. 79. Q. Metellum apud populum Romanum criminatus est, bellum ducere. *Liv.* 1. 51. Aliquem apud populum criminari. *Quintil. Declam.* 312. Quem criminaturus est. Adde *eumd.* 1. 5. 11.; et *Tac. dial. de orat.* 12. *Sueton. Cal.* 56. Criminari alterum alteri. Adde *eumd. Tib.* 64. *Tac. dial. de orat. in fin.* Ego te poetis, Messala antiquariis criminabimur. *Hygin.* 2. *Astron.* 18. Verita, ne se ad regem criminaretur, occupat. — *b*) Cum Accusativo rei. *Cic. Mil.* 5. 12. Illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie potentiam meam invidiose criminabatur. *Id. Rosc. Am.* 15. 44. Quod benevolentia fit, id odio factum criminaris. *Id. Planc.* 16. 38. Lubet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari. *Liv.* 2. 31. Milites extrahi rem criminantes. *Curt.* 4. 1. 21. Humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. *Plin.* 6. *Ep.* 13. Senatusconsultum absenti principi criminari. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 87. *Sueton. Aug.* 16. Criminari dictum factumque. Adde *Justin.* 6. 1. 4. — *c*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic.* 2. *Herenn.* 30. 48. Cum consideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant. Cf. *eumd. Planc. loc. sup. cit.* — *d*) Absolute. *Sueton. Cal.* 27. Tiberio criminante. Adde *eumd. ibid.* 30.; et *Sall. Hist. fragm.* 3. 22. p. 234. *extr. Gerl.*

CRĪMĬNŌSĒ, adverb. Comp. *Criminosius*; Sup. *Criminosissime.* — Criminose est accusatorie. *Cic. Brut.* 34. 131. Qui suspiciosius, aut criminosius diceret, audivi neminem. Adde *eumd. Rosc. Am.* 20. 55. *Sall. Jug.* 68. Criminose simul et magnifice de bello loqui. *Liv.* 38. 43. Interrogando criminose ex composito. Adde *eumd.* 40. 9.; et *Tac.* 16. *Ann.* 20. et 3. *Hist.* 38. *Sueton. Tib.* 53. Criminosissime aliquem insectari.

CRĪMĬNŌSUS, a, um, adject. Comp. *Criminosior* et Sup. *Criminosissimus.* — Criminosus ¶ 1. Est crimen inferens, accusatorius, obtrectatorius, maledicus. *Cic. Planc.* 19. 46. Officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. *Id.* 4. *Verr.* 67. 162. Quid? Ille hoc putabat Verri criminosum fore, si ejus statuæ essent dejectæ, etc. *Id.* 4. *Herenn.* 40. 52. Quo gravior, aut acrior, aut criminosior oratio sit. *Id. Cluent.* 34. 94. Homo criminosus. *Id. Sull.* 13. 36. Mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. *Horat.* 1. *Od.* 16. 2. Criminosi iambi. *Liv.* 8. 12. Orationes criminosæ in patres. *Sueton. Cæs.* 75. Criminosissimus liber. ¶ 2. Item reum significat. *Cassiod.* 3. *Variar.* 37. Nec vindictam criminosus evadat in totum, qui innocenti non credidit esse parcendum. *h. e.* reus mortis, qui alteri a se occiso non pepercit.

CRĪNĀLIS, e, adject. ad crines pertinens. *Virg.* 11. *Æn.* 576. Crinale aurum. *Id.* 7. *ibid.* 403. vitta. *Ovid.* 4. *Met.* 6., 5. *ibid.* 617. et 9. *ibid.* 771. Crinales vittæ. *Id. Halieut.* 30. Polypus crinali corpore. *h. e.* brachia habens crinium instar, ut et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (86). docet, et crines appellat. Adde *Stat.* 2. *Achill.* 97. *Apul.* 8. *Met.* Acu crinali capite deprompta, Thrasylli convulnerat tota lumina. *Claudian. B. Gild.* 137. Crinales dentes. *h. e.* pectinis. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 85. Cæsariem crinali stringere cultu. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 17. Crinalis hedera. *h. e.* qua Bacchus crines ornat. Sic *Rutil.* 1. 115. Crinales lauri. Rursus *Claudian.* 2. in *Eutrop.* 284. Crinalis murus. *h. e.* turritum caput Cybeles. — Hinc

Crinale, is, n. 3. subaudi *ornamentum*. absolute, substantivorum more, est acus crinalis, quod et *discerniculum*, et *discriminalis acus* dicitur: *V.* ACUS. *Ovid.* 5. *Met.* 52. ornabant aurata monilia collum, Et madidos myrrha curvum crinale capillos. Adde *eumd.* 3. *Pont.* 3. 15.

CRĪNĬCŬLUS, i, m. 2. deminut. a crinis. *Aldhelm. Virgin.* 21. Rasi criniculi. Certior est auctoritas *Ambros.* in *Luc.* 6. 7. Quibus suæ crinicullis pulcritudinis et decoris sapientius pedes tergant. *Id. de Parad.* 2. *in fin.* Nam si Heva, hoc est sensus primæ mulieris, accensas habuit faces, numquam prævaricationis suæ nos criniculis implicasset.

CRĪNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. crines gerens vel habens, crinitus, comatus. *Lucan.* 1. 463. Crinigeros bellis arcere Caycos. Adde *Sidon. carm.* 12. 3.

CRĪNĬNUM Unguentum *Pompon. Dig.* 34. 2. 21. recenset inter illa, quibus ungimur non voluptatis causa, sed valetudinis. Significat autem unguentum e liliis factum. Nam lilium Græce κρίνον dicitur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (24). docet, genus lilii rubentis a Græcis *crinon* vocari. Hujus porro unguenti vires multas in medicina enumerat *Id.* 23. *ibid.* 4. 49. (95). *V.* LIRINON. Ceterum apud *Pompon. Dig. loc. cit.* alii pro *crininum* leg. *crinum*, eadem tamen significatione.

CRĪNĬNUS, a, um. *V.* voc. præced.

CRĪNĬO, is, īvi, ītum, īre, a. 4. *et rectius*

CRĪNĬOR, īris, ītus sum, īri, dep. 4. Part. *Crinitus* in fin. — Crinior Mediorum apud Græcos forma et significatione est idem quod crinibus ornor vel me orno: et occurrit translate tantum de arboribus. *Stat.* 4. *Silv.* 5. 10. frondibus annuis crinitur arbos. *Id.* 4. *Theb.* 217. frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas. — Hinc Part. præter.

Crinitus, a, um, crines multos habens, comatus (It. *crinito*, *zazzeruto*; Fr. *chevelu*; Hisp. *cabelludo*; Germ. *behaart*; Angl. *having long hair*, *hairy*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 28. 89. Intendit crinitus Apollo arcum auratum. *Virg.* 1. *Æn.* 740. Crinitus Jopas. *Ovid.* 3. *Art. am.* 243. Puella male crinita. *Martial.* 12. 49. 1. Crinitæ, Line pædagoge, turbæ. *h. e.* puerorum, quibus mos fuit comam alere. *Stat.* 6. *Theb.* 418. *de equo*. colla toris crinita tument. *Capell.* 8. p. 274. Nullæ me in Græcis terrestres illecebræ, nec jactantes crinitorum scopæ palliolis non tegendam potius, quam divulgandam cognovissent. *Loquitur hic Astronomia de philosophis Græcis, ac præcipue Pythagoreis et Platonicis, qui promissis crinibus augustiorem speciem captabant, cum Stoici potius ad cutem tonsi incederent.*

II.) Translate. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 124. Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus. *Virg.* 7. *Æn.* 785. Galea crinita triplici juba. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (121). Volucribus in capite apices diversi generis: phœnici plumarum serie: pavonibus crinitis arbusculis: stymphalidi cirro. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (60). Grana in stipula crinito textu spicantur. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (103). Conchæ distinctione virgulata, crinita, crispa. *Val. Flacc.* 5. 369. sævo cum nox accenditur auro, Luciferas crinita faces. *Sueton. Ner.* 36. Stella crinita. Adde *eumd. Cæs.* 88. et *Claud.* 46. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Stellis iis, quas Græci cometas, nostri crinitas vocant etc. *Al. leg.* cincinnatas.

CRĪNIS, is, m. 3. Veteres et feminino genere, quamvis raro admodum, usurpasse testatur *Non.* p. 202. 26. *Merc.* *V.* infra sub I. *b.* — Crinis proprie dici videtur de coma in plures ordines divisa et conserta. a κρίνω sive a *cerno*. Hinc *Paul. Diac.* p. 53. 9. *Müll.* Crines a discretione dicti, quam Græci κρίσιν appellant. Nam iidem eos κρωβύλους vocant. et *Festus* p. 339. 23. *Müll.* Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit. *Crines* itaque sunt singuli capilli, *coma* vero capillorum complexio; ac propterea *crines* plurali in numero sæpius occurrunt, quamquam aliquando et in singulari tamquam nomen collectivum (It. *crine*, *capello*, *chioma*; Fr. *cheveu*, *chevelure*; Hisp. *cabello*, *cabelladura*; Germ. *die Haare*, *das Haar*; Angl. *the hair of the head*).

I.) Proprie accipitur universim pro capillo, coma, cæsarie. — *a*) Generatim ponitur tum de hominibus, tum de ceteris animalibus. *Cic.* 5. *Verr.* 33. 76. Hæc civitas mulieri in redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. *Cæs.* 1. *B. G.* 51. Mulieres passis crinibus flentes implorabant, etc. Adde *Liv.* 3. 7., 7. 40. et 26. 9.; et *Virg.* 1. *Æn.* 480., 7. *ibid.* 403. et alibi sæpe. Rursus *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Præsertis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt. *Liv.* 1. 26. Solvit crines et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 35.; *Ovid.* 11. *Met.* 682. et *Sil. It.* 12. 598. *Virg.* 12. *Æn.* 870. Infelix crines scindit Juturna solutos. *Id.* 4. *ibid.* 698. Non-

dum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco. *Id.* 2. *ibid.* 403. Trahere aliquem crinibus. *Id.* 10. *ibid.* 137. fusos cervix cui lactea crines Accipit. *Id.* 7. *ibid.* 418. Induit albos Cum vitta crines. *Id.* 4. *ibid.* 559. Flavi crines. *Id. ibid.* 138. crines nodantur in aurum. Cf. *Val. Flacc.* 2. 103. tereti crinem subnectitur auro. *Horat.* 3. *Od.* 14. 22. Myrrheum crinem nodo cohibere. *Id.* 4. *ibid.* 11. 5. Crines religata fulges. *Id.* 1. *ibid.* 32. 12. Nigro crine decorus. *Id.* 1. *ibid.* 15. 20. Crines pulvere collinere. *Id.* 4. *ibid.* 9. 14. Compti crines. Cf. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 122. adultum comere crinem. *Ovid.* 1. *Met.* 542. Crinis sparsus. *Id.* 6. *ibid.* 161. Lauro crinem innectere. *Id.* 1. *Amor.* 11. 1. Colligere incertos et in ordine ponere crines. *Id.* 4. *Met.* 311. Diducere pectine crines. *Al. leg.* deducere. *Juvenal.* 6. 489. Componere crinem. *Petron. Satyr.* 109. Crines calamistro convertere. *Tac. Germ.* 19. Accisis crinibus. *Val. Flacc.* 6. 645. Intonsus crinis. *Sil. It.* 2. 558. disjectaque crinem Eumenis. *Stat.* 6. *Theb.* 173. Sternere crines. *h. e.* solvere, demittere, spargere. — *b*) Specialim. *Plaut. Most.* 1. 3. 69. Soli (*amatori*) gerundum morem censeo et capiundos crines. *h. e.* arripiendam occasionem; ut respiciatur ad Fortunam, quæ fronte capillata, occipitio calva pingi solet. At *Lipsius antiquar. lection.* l. 3. c. 1. rectius censet, *crines capere* esse idem quod nubere; quod nuptæ mulieres peculiari modo crines ornarent, ut ab innuptis distinguerentur. Quo faciunt verba *Festi* supra allata sub init. *Senis crinibus* etc., et *Plauti Mil. glor.* 3. 1. 105. Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo, capite compto, crines vittasque habeat assimuletque se tuam esse uxorem. *Non. p.* 202. 26. *Merc.* legit *capiundas*, ut *crinis* sit femin. gen., confirmatque auctoritate *Attæ* in *Epigrammm*. Dissoluta crine.

II.) Improprie de variis rebus dicitur, quæ crinium similitudinem habent; scilicet — *a*) De polyporum fibris, quæ brachiorum vices gerunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (86). Polypi conchyliorum conchas complexu crinium frangunt. Adde *eumd. ibid.* 30. 48. (92). et 51. 74. (158).; et cf. *Apic.* 2. 1. *b*) De lignorum fibris, aut traducibus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 82. (225). *de abiete.* Ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus. *h. e.* Italice, *i trucioli, che escono dalla pialla*, quia crinium, seu cincinnorum more, statim ac desecti sunt, contorquentur *Id.* 17. *ibid.* 21. 35. (166). Jugum (*vitium*) fit pertica, aut arundine, aut crine, funiculove. *Varro* 1. *R. R.* 8. 2. Jugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, restes, vites. *et mox.* Primum genus maxime quærit salicta; secundum arundineta; tertium junceta, aut ejus generis rem aliquam; quartum arbusta, ubi traduces fieri possint vitium. Quod *Plin.* dixit *crinem*, id *Varro* appellat vites. Hoc enim loco *crinis* vel sumitur pro ordine crinium inter se consertorum, ut supra dictum est; et translate significat traduces vitium duos tresve consertos (Italice *a guisa di treccie*), quibus fit jugum, quo vites sustinentur: vel simpliciter pro ipsis vitium traducibus transversim extensis jugo faciendo; quia nempe sicut crines caput, ita illi vites obtegunt; quo sensu idem *Plin.* alio loco *crines* posuit, scilicet 17. *Hist. nat.* 23. 35. (208). Vernacula putatio dejectis per ramos vitium crinibus circumvestit arborem crinesque ipsos uvis. — *c*) De lucentibus stellarum lineis. *Val. Flacc.* 2. 42. Astraque et effusis stellatus crinibus æther. — Ac præcipue de cometis. *Virg.* 5. *Æn.* 528. cælo ceu sæpe refixa Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 849. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90). Candidus cometes argenteo crine. *Claudian.* 4. *Cons. Honor.* 184. Stella crine retuso languida. — *d*) Denique de igne. *Val. Flacc.* 1. 205. Protulit ut crinem densis luctatus in extis Ignis.

Homonym. Quo clarius pateat discrimen inter *capillos*, *crines* et *comam* (quas voces *V.* loco suo), exempla subjicienda putamus. *Atta* apud *Non. loc. cit.* Præterea tu sis dissoluta crine capillus. *Varron. fragm.* Majores natu capite aperto erant, capillo pexo, vittisque innexis crinibus. *Firmic.* 1. *Mathes. extr.* Quid jam de comarum crinibus dicam? *Cic. post redit. in sen.* 6. 3. Processit — madenti coma, composito capillo. *Colum.* 10. *R. R.* 165. Tu cinge comam, tu digere crinem. *Seneca Apocol. post init.* At Lachesis redimita comas, ornata (*al.* redimita) capillos, Pieriâ crinem lauro frontemque coronans. *Tibull.* 4. 2. 10. Seu solvit crines, fusis decet esse capillis; Seu compsit, comptis est veneranda comis. *Juvenal.* 6. 490. Disponit crinem laceratis ipsa capillis. *Tertullian. de Virg. vel.* Vertunt capillum et acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus a fronte divisis, apertam professæ mulieritatem.

CRINISĀTUS, a, um, adject. (pro *crenisatus*; nam *crinis* pro *creni* vitio sæculi sui scripsit *Sidonius*) vox hybrida ex Græco κρήνη, *fons*, et *satus* Latino. *Sidon. carm.* 22. 61. hic et crinisatas jungebat Pegasus alas. *Crinisatas* dicit, quasi fonte genitas, quia equus ille alatus ideo Pegasus cognominatus est, ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς γείνεται, quia circa fontes Oceani natus est, ut ait *Hesiod.* in *Theogon.* v. 282. Unde quodammodo fontium filius dici potest. Alii *alas crinisatas* interpretantur ex Pegasi crinibus natas. Alii legunt *Hippocrenisatas jungebat*, etc. quasi ex Hippocrene fonte satas. Sed prior illa lectio rectior est et commodior.

CRĪNĪTUS, a, um. *V.* CRINIO seu CRINIOR.

CRINON vel

CRINUM, i, n. 2. lilii species, τὸ κρίνον. *V.* CRININUM. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 10.) ait: « On croit, que le *crinon* des Grecs n'est autre chose que le nom du lis blanc. Du moins, Théocrite (*Idylle* 24.) précise la couleur de sa fleur en termes qui ne laissent aucun doute à ce sujet ».

CRĬŎBŎLĬUM, ii, n. 2. κριοβόλιον, sacrificium, in quo aries cæditur, (nam κριός arietem significat) sicut *taurobolium*, in quo taurus. Fiebat in honorem Atyos pueri a Cybele dilecti, quo nomine Solem antiqui colucre, sicut nomine Cybeles terram: fiebat, inquam, eodem fere modo quo taurobolium, (*V.* suo loco) et utrumque in *Inscript.* apud *Reines cl.* 1. *n.* 40. et apud *Gruter.* 27. 3. *et* 4. et 28. 1. 2. *et* 3., quæ sunt apud *Orell.* 1899., 1900. et 2328. etc. conjunctim legitur, quoniam iis numinibus conjunctim facere consueverant. — Jungitur cum *æmobolio* in alia apud *Murat.* 374. 2. his verbis: CRIOBOLIVM ET AEMOBOLIVM MOVIT DE SVO PETRONIVS MARCELLVS SACERDOS VI. KAL. DEC. etc. Quid sit æmobolium (seu rectius *hæmobolium*, si est ab αἷμα *sanguis*) non comperio. Sacrum quoddam certe significat: et fortasse taurini sanguinis perfusionem, de qua in TAUROBOLIUM dicam. At *Reines.*, qui eamd. inscriptionem affert *cl.* 1. *n.* 221., putat legendum *ægobolium*, ab αἴξ, γός, *capra*: quod probare videtur *Georg. Zoega*, *Bassiril. ant. T.* 1. p. 59.

CRIPHII. *V.* CRYPHII.

CRĪSĬMUS, a, um, adject. κρίσιμος. *Crisimi dies*, κρίσιμοι ἡμέραι, dicuntur a medicis, in quibus de morbo judicari potest: ii sunt potissimum impares quique, tertius, quintus, septimus, etc. Vox Græca est a κρίνω *judico*. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. Neque esse in passionibus statos dies, quos crisimos appellant.

CRĪSIS, is, f. 3. κρίσις, judicium, sententia. Græca vox a κρίνω, *judico*. A medicis dicitur subita morbi mutatio (præsertim in melius) novumque indicium, ex quo judicari potest, quid ægro futurum sit. *Seneca Ep.* 83. Hic quidem, ait, nos eamdem crisim habere, quia utrique dentes cadunt. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. Naturæ conflictus sustinere, quos Græci crises appellant.

CRISO, as, etc. *V.* CRISSO

CRISPĀTUS, a, um. *V.* CRISPO.

CRISPĬCANS, antis. *V.* CRISPICO.

CRISPĬCĂPILLUS, οὐλόθριξ. *Gloss. Gr. Lat.*

CRISPĬCO, as, are, a. 1. crispum facio, crispo. Occurrit tantum Part. *Crispicans* apud *Gell.* 18. 11. Ventus more cæruleum crispicans.

CRISPISULCANS, antis, adject. crispum seu intortum sulcum trahens. *Vetus Poeta* apud *Cic. Topic.* 16. 61. Crispisulcans igneum fulmen.

CRISPĬTŪDO, inis, f. 3. *Arnob.* 2. 42. Saltitaret, et cantaret, orbes saltatorios verteret, et ad ultimum clunibus et coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret.

CRISPO, as, avi, atum, are, 1. Part. *Crispans* sub *A.* 2. et *B.*; *Crispatus* sub *A.* 2. — Crispo usurpatur *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active. ¶ 1. Stricto sensu crispare est crispum reddere. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 26. (82). Sanguine pulli bubonis crispari capillum. *Colum.* 10. *R. R.* 167. Nunc apio viridi crispetur florida tellus. *Stat.* 8. *Theb.* 568. tunc auro phaleras, auroque sagittas Presserat, et mixtum cono crispaverat aurum. *h. e.* crispum et asperum textura et arte fecerat. Sic *Claudian.* 3. *Cons. Honor.* 194. Altum conum crispare. *Val. Flacc.* 1. 311. Alma novo crispans pelagus Titania Phœbo. V. *Zumpt.* ad *Rutil.* 2. 13. ¶ 2. Latiori sensu crispo est quassando et vibrando micare facio, ut intuentibus res non recta, sed intorta et crispa esse videatur. Eadem ratione *corusco* usurpatur. *Virg.* 12. *Æn.* 165. Bina manu lato crispans hastilia ferro. *Apul.* 11. *Met.* Brachium crispans tergeminos jactus. *h. e.* celeri motu edens. *Arnob.* 7. 33. Lascivire, saltare, et clunibus fluctuare crispatis. *V.* CRISPITUDO. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 110. Fluctuat hic denso crispata cacumine buxus. *Sedul. carm.* 1. 316. Alter amat fletus, alter crispare cachinnum. Cf. locum *Persii* sub *B.* 1.

B) Neutrorum, seu potius Mediorum apud Græcos more ac significatione, ita ut Accus. *se* subintelligatur, occurrit tantum Part. præs. *Crispans*, et dicitur de iis, quæ crispa sunt. ¶ 1. Stricto sensu. *Pers.* 3. 87. Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. *h. e.* propter effusos risus in rugas se contrahente. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (70). Materies honorata buxo est, raro crispanti, nec nisi radice. *h. e.* intortas crispasque ligni venas habenti. Cf. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 28. Crispantia maris æquora labens carina sulcavit. *Id. Ep.* 30. *n.* 18. Fuge lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt, adstrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes, ut sub nomine virginali vendibilius pereant. *V.* FOLLICANS. ¶ 2. Latiori sensu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (198). *de terræ motu.* Tutissimum est, cum vibrat crispante ædificiorum crepitu. *h. e.* cum ædes quassatæ modo hic modo illic, non certo et continuato, sed incerto et intermisso murmure crepitant.

CRISPŬLUS, a, um, adject. deminut. a crispus.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. Adde *eumd. ibid.* 66. *Martial.* 5. 61. 1. Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est? *Arnob.* 3. *p.* 108. Hos capillorum intortionibus crispulos, calvitiis alios et glabritatibus rasos.

II.) Translate de oratione. *Fronto de Orat.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. Dicas fortasse, quid in orationibus meis novicium, quid crispulum, quid luscum, quid purpurisso litum, aut tumidum, aut pollutum?

CRISPUS, a, um, adject. Comp. *Crispior* et Sup. *Crispissimus* sub I. 1. *a.* et *b.* — Crispus est intortus, contortus (It. *crespo, ricciuto, raggrinzato*; Fr. *crépu, frisé*; Hisp. *crespo, ensortijado*; Germ. *kraus, wellenförmig gelegt*; Angl. *crisped, curled, wreathed, waved*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) De capillis. *Plaut. Truc.* 2. 2. 32. Jam ego istos fictos, compositos, crispos cincinnos tuos unguentato usque ex cerebro expellam. *Sil. It.* 16. 120. Crispa coma. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 18. (46). Leo crispioribus jubis. — Hinc *crispus homo* est crispo capillo. *Plaut. Capt.* 3. 4. 114. Corpore albo, oculis nigris, subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus. *crispus* capillos habet velut in rugas contractos; *cincinnatus* in anulos. Adde *eumd. Rud.* 1. 2. 37. et *Ter. Heaut.* 3. 4. 26. — *b*) De aliis rebus. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Tosti alti stant parietes, Deformati atque abiete crispa. *h. e.* igne corrugata. *Cato R. R.* 157. Crispa brassica. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 33. Crispæ frondis apium. *Id. ibid.* 3. 26. folium. *Id. ibid.* Lactuca candida et crispissimi folii. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 31. (67). Folium crispius. *Id.* 16. *ibid.* 28. 51. (119). Crispa materies. *Id.* 13. *ibid.* 9. 18. (62). Arboris materies crispioris elegantiæ. *Id. ibid.* 15 30. (96). Mensis præcipua dos in venam crispis, vel in vertices parvos. (Adde *Martial.* 14. 90.) *Id.* 16. *ibid.* 15. 26. (67). Acer campestre candidum, nec crispum; montanum vero crispius duriusque. *Id. ibid.* § 66. Crispo maculatum discursu. *Id.* 16. *ibid.* 43. 84. (231). Media pars arborum crispior. *Id.* 36. *ibid.* 7. 11. (55). Marmor undatum crispum. *Pallad.* 12. *R. R.* 22. 4. Crispæ rugis contrahentibus olivæ. ¶ 2. Latiori sensu crispum dicitur quidquid quassatum ac vibratum ita micat, ut intuentibus non rectum, sed intortum videatur. *Pacuvius* apud *Non. p.* 506. 17. *Merc.* Linguæ bisulcæ jactu crispo fulgere. *Virg. Cop.* 2. Crispum sub crotalo docta movere latus. *h.*

e. fluctuans et vibrans. Juvenal. 6. 381. Crispo numerantur pectine chordæ. h. e. celeri et crispante. Pallad. 9. R. R. 8. 1. Aer crispus subtili nebula.

II.) Translate de oratione. Gell. 1. 4. Crispum sane agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum. h. e. cursus orationis contorte, et quadam veluti vibratione fluens: ducta metaphora a leni vento, quo mare crispatur. Capell. 5. p. 166. Crispa inflexione Horatius albicant dixit. — NB. De cognomine Rom. V. ONOM.

CRISSO vel criso, as, āvi, ātum, are, n. 1. a Gr. κνίζω. Part. Crissans. — Crissare est turpiter ac libidinose lumbis et femoribus fluctuare: proprium mulierum, cum stuprantur, ut cevere virorum. Lucilius apud Non. p. 19. 26. Merc. Crissavit (al. leg. Crissatura), ut si frumentum clunibu' vannat. Juvenal. 6. 322. Fluctum crissantis adorat. Martial. 14. 203. Tam tremulum crissat. Adde Priap. 18. 4. et 19. ; et Cf. Charis. 5. p. 260. et Diomed. p. 293. Putsch.; et Donat. ad Ter. Eun. 3. 1. 34. Videsis etiam Lachmann. ad Lucret. vol. 2. p. 276. et seqq.

CRISTA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, vox conjungenda esse videtur cum CRISPUS, quam vocem V. sub init. — Crista proprie est apex in vertice gallinacei generis, ut docet Plin. 11. Hist. nat. 37. 44. (122). (It. cresta, cimiere; Fr. crête; Hisp. cresta; Germ. der Kamm, die Haube; Angl. the tuft or plume on the head of a bird, the crest).

I.) Proprie. — a) Stricto sensu de pullis gallinaceis. Varro 3. R. R. 9. 4. Galli lacertosi, rubenti crista, rostro brevi. Adde Colum. 8. R. R. 2. 9. Plin. 10. Hist. nat. 56. 77. (156). Gallinarum generositas spectatur crista erecta. Juvenal. 13. 233. Laribus cristam promittere galli. h. e. gallum cristatum. — b) Latiori sensu et de aliis avibus dicitur. Plin. 10. Hist. nat. 29. 44. (86). Upupa crista visenda plicabili. Adde Ovid. 6. Met. 672. — c) Item de anguibus. Ovid. 7. Met. 150. Qui (draco) cristā linguisque tribus præsignis, etc. Adde eumd. 15. ibid. 669. et 683. Id tamen negat Plin. 11. Hist. nat. 37. 44. (122). Draconum cristas qui viderit, non reperitur. — Sic Grat. Cyneg. 401. collaribus ergo Sunt qui lucifugæ cristas inducere melis Jussere. h. e. fortasse cristas galli e melis corio. — d) Per proverbium surgere cristæ dicuntur ei, qui re aliqua sibi placet ac superbit. Juvenal. 4. 69. quid apertius? et tamen illi Surgebant cristæ. — e) Denique crista galli, vel simpliciter crista, est herba apud Plin. 27. Hist. nat. 5. 23. (40)., Græco nomine ALECTOROLOPHOS, quam voc. V.

II.) Improprie. ¶ 1. Sæpe dicitur de apice galeæ. Lucret. 2. 633. Terrificas capitum quatientes numine cristas. Adde eumd. 5. 1314. Liv. 10. 39. ad fin. Non enim cristas vulnera facere: et per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum. Virg. 12. Æn. 89. et rubræ cornua cristæ. Id. ibid. 493. summasque excussit vertice cristas. Adde eumd. 3. ibid. 468., 6. ibid. 780. et 7. ibid. 185. Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (200). Galeam, gladium, hastam invenere Lacedæmonii: ocreas et cristas Cares. — Hinc per synecdochen ponitur pro ipsa galea. Sil. It. 4. 155. manicæque rigebant Ex auro, et simili vibrabat crista metallo. ¶ 2. Item de arborum foliis cristarum in modum crispatis. Plin. 22. Hist. nat. 22. 43. (86). Frutex numquam cubitali altior, cristisque foliorum ac radice nigra. ¶ 3. In illo Juvenal. 6. 422. et cristæ digitos impressit aliptes: μεσομήριον significari videtur, vel τὰ χείλη τοῦ χοίρου, vel potius ἡ κλειτορίς. — NB. De cognom. V. ONOM.

CRISTĀTUS, a, um, adject. cristam habens; et occurrit ¶ 1. Stricto sensu de avibus crista præditis. Ovid. 1. Fast. 455. Ales cristata. Id. 11. Met. 597. Non vigil ales ibi cristati cantibus oris Evocat Auroram. Id. 7. ibid. 150. Cristatus draco. Plin. 8. Hist. nat. 13. 13. (35). dracones. Seneca Herc. fur. angues. Sueton. Tib. 14. pullus. Martial. 14. 223. Cristatæque sonant undique lucis aves. h. e. galli gallinacei. ¶ 2. Latiori sensu de galeis. Liv. 9. 40. Cristatæ galeæ, quæ speciem magnitudini corporum adderent. Ovid. 8. Met. 25. Cassis cristata pennis. Stat. 3. Theb. 223. Cristatum jubar. Cf. Maximian. Gall. 5. 98. Cristatum caput (mentulæ). — Hinc Virg. 1. Æn. 472. Cristatus Achilles. h. e. cristatam galeam habens.

CRISTŬLA, æ, f. 1. deminut. a crista, parva crista. Colum. 8. R. R. 2. 8. de gallinis. Sint magnis capitibus, rectis rutilisque cristulis, albis auribus, etc. Alii tamen leg. cristis.

CRĪTÆ, ārum, m. plur. 1. κριταί, vox Græca, qua significantur judices, seu censores: a κρίνω judico. Utitur Tertull. advers. Gnost. 3. ubi Judices Judæorum designat. Instituit super illos Deus critas. h. e. Hebr. שֹׁפְטִים.

CRĪTHOLOGĪA, æ, f. 1. κριθολογία, hordei collectio: a κριθή hordeum, et λέγω colligo. Impp. Honor. et Theodos. Cod. 11. 27. 1. et Cod. Theod. 15. 26. 1. Quidquid de crithologia et zygostasii munere eminentia tua disposuit. h. e. de munere ejus, qui Alexandriæ frumento suscipiendo et excutiendo præpositus est: fortasse quia pro frumento olim hordeum colligebatur: vel quia hordeum antiquissimum in cibis est, teste Plin. 18. Hist. nat. 7. 14. (72).

CRĪTĬCE, es, f. 1. facultas judicandi de re aliqua, et præsertim de scriptis doctorum hominum, discernendique utrum genuina sint, an supposita, emendandi, interpretandi: quod grammaticorum est proprium officium. Vox græca a κρίνω judico: et judicium Latine dicitur a Varron. apud Diomed. 2. p. 421. Putsch., ubi quatuor ait esse Grammatici officia, lectionem, enarrationem, emendationem, judicium. Quintil. 1. 4. 3. Judicio ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditicios submovere familia, permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. V. voc. seq. — Hæc itaque vox Græcis tantum litteris scribenda; nullo enim Latino auctore confirmatur.

CRĪTĬCUS, a, um, adject. κριτικός, ad judicium pertinens; a κρίνω judico. Hinc apud Medicos criticus est idem qui crisimus: V. CRISIMUS: unde apud Augustin. 6. Confess. 1. in fin. critica accessio morbi est, ex qua de sanitate, aut morte ægrotantis judicium ferri potest. — Hinc

Criticus, i, m. 2. absolute, substantivorum more speciatim dicitur qui critice utitur circa scripta veterum auctorum, ut in voce præced. dictum est. Itaque olim critici appellati sunt, qui postea grammatici; qui præcipue in poetarum carminibus operam suam ponebant: inter quos celebres fuere Aristophanes et Aristarchus, quos memorat Quintil. 10. 1. 54. Hujusmodi fuit etiam Valerius Probus grammaticus, de quo Sueton. Gramm. 24. Multa exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit: soli huic, nec ulli præterea grammatices parti deditus. Cic. 9. Fam. 10. Ego, tamquam criticus antiquus, judicaturus sum, utrum versiculi sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. Horat. 2. Ep. 1. 50. Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, Ut critici dicunt. Adde Quintil. 2. 1. 4. et alibi.

CRŌBӮLOS vel Latina positione

CRŌBӮLUS, i, m. 2. κρωβύλος (et κρωβύλη) cincinnus puerorum, seu ornatus capillorum in pueris, qui in puellis corymbium, κόρυμβος, appellatur, in tutulum desinens: et universim nodus capillorum a fronte in verticem collectorum. Græca est vox, et Græce adhibetur a Servio ad illud Virg. 4. Æn. 138. crines nodantur in aurum: ubi docet, ipsum quoque reticlum, quo crines colliguntur, eo nomine appellari. Tertull. Virg. veland. 10. Debebunt et ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum. Attamen V. Visc. Mon. Borghes. T. 1. p. 54.

CRŎCALLIS, idis, f. 3. gemma cerasum repræsentans. Plin. 37. Hist. nat. 10. 56. (154).

CRŎCATĬO corvorum vocis appellatio. Paul. Diac. p. 53. 3. Müll., ubi critici, quos inter Dacierus, legendum monent crocitio, aut crocitatio. V. CROCIO.

CRŎCĀTUS, a, um. V. CROCO.

CRŎCEUS, a, um, adject. κροκώδης, κρόκινος, ad crocum pertinens (It. di zafferano; Fr. de safran; Hisp. de azafran; Germ. vom Safran herrührend, aus Safran bestehend; Angl. of saffron). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu. Virg. 4. Ecl. 43. Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera luto. Ubi Servius: rubicundo colore (non tamen recte); et est hypallage pro croco luteo. Id. 1. G. 56. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur? h. e. ipsum crocum. Id. 4. ibid. 109. Invitent croceis halantes floribus horti. Plin. 10. Hist. nat. 48. 68. (134). Avis croceo tinctu cibis gratissima. h. e. croci intinctu condita. ¶ 2. Speciatim sæpissime dicitur de colore croci, qui est inter flavum et rubentem, seu potius flavus rubescens, Italice giallo carico o rosseggiante, seu potius rancio. Plin. 27. Hist. nat. 10. 59. (83). Glaucion herba granum habet crocei coloris. ¶ 3. Latiori sensu frequenter a poetis sumitur non solum pro colore croci, ut in aurora, sed etiam pro eo, qui proxime accedat, ut est flavus et rufus: et universim pro quocumque alio, qui aspectu gratus sit: quemadmodum et aureus, cui cum croceo non parva cognatio est. Virg. 1. G. 447. Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Claudian. Cons. Probi et Olybr. 273. Et liquidi clementior aura Favoni Pratis te croceis pinget. Virg. 1. Æn. 653. Et circum textum croceo velamen acantho. h. e. acantho ex auro intexto. Id. 11. ibid. 775. Crocea chlamys. h. e. auro texta. Ovid. 1. Art. am. 530. Croceæ comæ. Id. 3. ibid. 179. Croceo velatur amictu. Val. Flacc. 4. 23. de Hyla amne merso. Ecce puer summa se tollere visus ab unda Frondibus in croceis. h. e. glaucis. Sil. It. 8. 443. Quem carmine Circe Exutum formæ volitare per æthera jussit, Et sparsit plumis croceum fugientis honorem. h. e. croceas plumas dedit.

CRŎCĬAS, æ, m. 1. κροκίας λίθος, gemma colore croceo. Plin. 37. Hist. nat. 11. 73. (191).

CRŎCĪDISMUS, i, m. 2. κροκιδισμός, floccorum in veste collectio. Cæl. Aurel. 1. Acut. 5. Crocodismus in ægrotantibus est ex operimentis fimbriarum veluti decerptio. Adde eumd. ibid. 4. V. CARPHOLOGIA.

CRŎCĪNO, as, are, a. 1. croco tingo. Gargil. de cura boum a med. Si crocinabuntur jumenta, marrubium et axungiam conteris, et in vino dabis.

CRŎCĪNUS, a, um, adject. κρόκινος, croceus. Catull. 68. 134. Fulgebat crocina candidus in tunica. Plin. 21. Hist. nat. 19. 73. (124). Crocinum semen. Cels. 3. 18. unguentum. Scribon. Compos. 173. color. — Hinc

Crocinum, i, n. 2. subaudi unguentum, absolute, substantivorum more, est unguentum crocinum. Propert. 3. 8. 22. Et crocino nares murrheus ungat onyx. — Sic apud Plaut. Curc. 1. 2. 7. est vox blandientis.

CRŌCĬO, is, ire, n. 4. κρώζω, vocem corvi edere. Apul. Florid. n. 23. Corvus, ut se vocalem probaret, crocire adortus, etc. Plaut. Aulul. 4. 3. 2. Corvus voce crocibat sua. ἀρχαϊκῶς pro crociebat. Al. leg. crocitabat, ut sit a crocito, as, frequentativo: quod penultimam longa potius quam brevi mallet pronunciare. Voss. l. 2. de Grammat. cap. pænult., sicut dormito a dormio. Nihilominus corripuit Auct. carm. Philom. 28. Et crocitat corvus, graculus et frigulat. — Ceterum verbum crocitare confirmatur a Boeth. in Porphyr. 5. p. 103. Quomodo se habet (corvus)? Aut sedet, aut volat, aut crocitat.

CRŌCIS, idis, f. 3. κροκίς, herba, cujus contactu phalangia mori dicuntur. Plin. 24. Hist. nat. 17. 102. (167).

CROCITATIO et

CROCITIO. V. CROCATIO.

CRŌCĬTO, as, are, n. 1. frequentat. a crocio. V. CROCIO.

CRŌCĪTUS, us, m. 4. vox cantusve corvorum. Nititur auctoritate Nonii 1. 218., ubi affert exemplum Plauti de verbo crocio.

CRŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Crocatus in fin. — Croco est croci colore tingo, ut docet Isid. 6. Orig. 11. 4. Luteum membranum bicolor est, quod a confectore una tingitur parte, id est crocatur; de quo Persius (3. 10.): Jam liber, et bicolor positis membrana capillis. — Usitatius est Part. præter. pass.

Crocatus, a, um. Plin. 16. Hist. nat. 34. 62. (147). Alicui et semen nigrum, alii crocatum. Fronto ad M. Cæs. (edente iterum A. Maio) 2. Ep. 1. Vestem purpuream malo, non luteam, nec crocatam.

CRŎCŌDES, is, n. 3. κροκῶδες, collyrium a Galeno de sanit. tuenda memoratum. Inscript. apud Tôchon, cachets des oculist. p. 17. PSORICVM, AROMATICVM, CROCODEM. Visc. Op. var. T. 3. p. 330. putat legendum crocodes. Inscript. apud Orell. 4234. HYPNI CROCOD. DIALEPID. AD ASPRI h. e. crocodes dialepidium ad aspritudinem. Alia apud Tôchon, cachets des oculist. p. 68, quæ est apud Orell. 4233. C. LVCCEI ALEXANDRI CROCODES AD ASPRITVDINES.

CRŎCŎDĪLEA, æ, f. 1. κροκοδειλέα, stercus crocodili terrestris, qui quod odoratissimis floribus vi-

vit, intestina habet jucundo nidore referta. Hoc itaque stercus oculorum vitiis cum porri succo inunctum, utilissimum esse, itemque emendandis faciei vitiis, lentiginibus tollendis et maculis omnibus, illitum ex oleo cyprino *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 28. (108). tradit. Hinc pro fuco a feminis adhiberi solitum, ut docet *Horat. Epod.* 12. 11. neque illi Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili.

CRŎCŎDĪLĪNUS, a, um, adject. κροκοδείλινος, ad crocodilum pertinens. *Crocodilinæ ambiguitates* quid sint apud *Quintil.* 1. 10. 5., satis dictum est in CERATINÆ.

CRŎCŎDĪLĬON, ĭi, n. 2. κροκοδείλιον, chamæleonis herbæ nigræ figuram habens, radice longa, æqualiter crassa, odoris asperi: nascitur in sabuletis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 41. (64).

CRŎCŎDĪLUS, i, m. 2. κροκόδειλος. Apud *Phædr.* 1. 25. et *Martial.* 9. 93. prima syllaba produci videtur, quod ita postulat ut plurimum ejus ratio carminis: *Marquadus Gud.* ad *Phædr.* testatur, se in plurimis MSS. variorum auctorum *corcodilus* invenisse. — Ceterum *crocodilus* est animal quadrupes, Nili familiare, lacerti figura, amphibium, linguæ usu carens, gena inferiore tantum connivens, maxilla superiore mobili, dentibus pectinatim coeuntibus, ob idque morsu terribili: humanæ carnis avidissimum: magnitudine plerumque excedens duodeviginti cubita, quippe crescere creditum, quamdiu vivit: genua priora in posteriorem partem curvans, posteriora in priorem: unguibus armatum et cute undique impenetrabili, excepto ventre: pariens ova, quanta anseres: oculis in aqua hebetibus, extra acerrimi visus: diu in terra degens, noctu in aqua: bellum gerens cum delphinis, qui astu subeuntes, spina dorsi, ceu gladio ventrem secant; et cum ichneumone ave, quæ per ejus fauces forte hiantes, ut telum aliquot immissa, erodit alvum etc. Alius est terrestris tantummodo crocodilus, alio nomine *scincus*, illo longe minor, candidior, et tenuiore cute, squamarumque serie in caput versa, de quo et in CROCODILEA diximus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (89).; 28. *ibid.* 8. 28. (107).; 6. *ibid.* 20. 23. (75). et 11. *ibid.* 37. 57. (156).; *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 82.; 1. *ibid.* 36. 101.; 2. *ibid.* 48. 124. et 2. *ibid.* 52. 129.; *Id.* 5. *Tusc.* 27. 78.; *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2.; *Ammian.* 22. 15. et *Apul. de Mag.* — Dictum putant a κρόκος *crocus*, et δειλέω *timeo*, quod a croco abhorreat, ejusque odorem reformidet; quod de terrestri solummodo verum esse quidam tradunt (V. *Voss. in Etymol.*): vel quod timidum animal est, et crocum colore imitatur. — De stercore crocodili apud *Horat. Epod.* 12. 11. *V.* in CROCODILEA.

CRŎCŎMAGMA, ătis, n. 3. κροκόμαγμα, fex unguenti crocini, et quasi recrementum ejus, expressis aromatis, et in pastillos digestis. Μάγμα enim significat quidquid superest crassum ex aliqua materia expressa. *Cels.* 5. 18. 9.; *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 82. (139). *Inscript.* apud *Orell.* 4991. SIBILLA UNGUENTARIA LIBERTA SEPT. SEVERI IMP. VENDIT CROCOMAGMA. *Veget.* 6. *Veterin.* 28. 3. *Schneid.* Crocomagmæ uncia. Adde *Theod. Priscian.* 1. 15.

CRŎCOS, i, m. et f. 2. *V.* CROCUM.

CRŎCŌTA, æ, f. 1. κροκωτή (ἐσθής) subintelligitur *vestis*, ut apud Græcos ἱμάτιον, revera enim adject. *crocotus, a, um* a Græco κροκωτός, ή, όν: videtur autem ita esse appellata a *croco*, quia tunica erat tenuis crocei coloris, in luxu feminarum usurpata, qua histriones quoque interdum, et Galli Cybeles utebantur: veteres enim feminas hoc maxime colore in vestibus delectatas fuisse, arguitur ex picturis Herculanensibus et Pompejanis, quas identidem in apricum profert ætas nostra. Utuntur hac voce *Nævius* apud *Non.* p. 548. 27. et *Novius* apud *eumd. ibid.* v. 25. *Merc. Plaut.* apud *eumd.* p. 538. 13. Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxorio. *Cic. Harusp. resp.* 21. 44. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, et strophio, est factus repente popularis. *Id. fragm. orat. in Clod.* manicatam tunicam appellat (*V.* locum in CALVATICA). *Apul. de Mag.* Num argumentarere, uti me consuesse tragœdi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo? *Alii male leg.* crotalo. *Id.* 8. *Met. de Gallis.* Mitellis, et crocotis, et carbasinis, et bombycinis injecti. *Id.* 11. *ibid.* Vidi et simiam pileo textili, crocotisque Phrygiis, catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum. Hinc *Virg.* 9. *Æn.* 614. *Phryges alloquens.* Vobis picta croco, et fulgenti murice vestis. *Vellej.* 2. 82. Cum M. Antonius redimitus hederis, crocotaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque suras cinctus, curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriam. — Cum vero Latini vestes hujusmodi colore tinctas *crocatas*, vel *croceas* sæpissime appellent, sunt qui putant, *crocotam* fuisse illud vestis femineæ genus, quod multum subteminis haberet, a κρόκη *subtemen*, vel a κροκίς *floccus in veste prominens e subtemine:* panni enim lanei quo plus subteminis, quam staminis habent, molliores sunt, et ex iisdem consuta vestis floccosa et villosa dicitur, contra defloccata, quæ sine floccis, aut detrita est. Hinc nostrates vulgo *cotola* appellant vestem feminarum propriam, quam vocem ex deminutivo *crocotula* facile quispiam derivatam existimet. *Vet. Scholiast.* ad *Clement. Alex. Pædagog. l.* 2. *c.* 10. Ἔστι δὲ κροκωτὸν λεπτόν τε, καὶ ἀραιοστήμονον ὕφασμα. Ceterum *crocota* indutum fuisse Silenum ait *Lucian.* in Διόνυσ. 2. *Müllerus* autem in *Minerv. Pol.* p. 42. nomine *crocotæ* vel *crocotulæ*, Græce κροκωτίου vel κροκωτιδίου, videtur intelligere vestem diploidem, quæ ab humero ad zonam fere pertingebat.

CRŎCŌTĀRĬUS, a, um, adject. ad crocotam pertinens, ut *Crocotarii infectores*, apud *Plaut. Aulul.* 3. 5. 47., qui tunicas croco inficiebant.

CROCOTILLUM valde exile. *Plautus:* Extortis talis cum crocotillis crusculis. Hæc *Paul. Diac.* p. 52. 20. *Müll.* Cf. *Festum* p. 301. 26. *Müll.* Alii minus recte leg. *crotillis*, alii etiam aliter. *V.* SCHŒNICULAS.

CRŎCŌTĪNUM genus operis pistorii. Hæc *Paul. Diac.* p. 53. 5. *Müll.* Ita fortasse dictum, quia croco conditum, vel infectum erat.

CRŎCOTTA *vel*

CRŎCŪTA, æ, f. 1. κροκόττας, monstrosum animal, quasi ex cane et lupo conceptum, omnia dentibus frangens, et protinus devorata ventre conficiens. Ita *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (72).; cui fidem adstruit musivum Prænestinum, in quo κροκόττας legitur, animal autem cani et lupo simile repræsentatur. Ceterum *Id. Plin.* 8. *ibid.* 30. 45. (107). *crocutam* appellant, (*Strabo* quoque *l.* 16. κροκούττας) sic describit, ex hyæna et leæna Æthiopica genitum, imitans voces hominum et pecorum, acie perpetua, *h. e.* oculis numquam conniventibus, et in utraque oris parte nullis gingivis, dente continuo: qui ne contrario occursu hebetetur, capsarum modo includitur. Quæ ad verbum *Solin.* 27. more suo exscripsit. *Capitolin. Anton.* 10. Edita munera, in quibus elephantos, et crocottas, et strepsicerotas exhibuit. At *Dion. Cass.* 76. 1. Severi imperatoris a. 10., *h. e.* 202. a Chr. n. crocottam Romam primo allatam fuisse narrat, cum e contrario *Capitolin. loc. cit.* id factum dicat imperante T. Antonino, qui obiit a. 161. Alii ubique leg. *corocotta* (ea ratione, qua Ἀσκλήπιος est Æsculapius, et Ἀλκμήνη Alcumena), quod in ludicro quodam testamento (inter spuria *Gruteri* p. 18.) cognomen est suis. Sic enim incipit: *M. Grunnius Corocotta Porcellus testamentum feci.* Nam ὕαινα est ab ὗς *sus:* corocotta autem est hyæna genitus, ut dictum est: quare non absurde sui tribui potest. *Salmas.* in *Exercitat. Plin.* Eadem fere putat ad *Plin. loc. cit.* nuperr. editor Parisinus *T.* 6. p. 420.

CRŎCŌTŬLA, æ, f. 1. κροκώτιον deminut. a crocota, parva crocota, genus tunicæ muliebris, coloris crocei. *V.* CROCOTA. *Plaut. Epid.* 2. 2. 47. Caltulam, aut crocotulam, supparum etc. *Auct. Catalect. Virg.* 5. 21. Nec dein movere lumbos in crocotula Prensis ridebo alaribus. *V.* ALARIS.

CRŎCUM, i, n. 2. *et*

CROCUS *vel Græca terminatione* crocos, i, m. et f. 2. ὁ κρόκος. Est, ait *Forcellinus*, masculini generis si referatur ad fabulam; at si non referatur, femin. potius, quam mascul. Secundum grammaticæ regulas, inquit *Servius* ad *Virg.* 4. *G.* 182., neutrum est: poetice vero masculinum, referendo scilicet ad puerum illum, de quo fabulantur poetæ. *V.* CROCUS in ONOM. Rectius tamen est neutrius generis cum fructum, masculini cum plantam significat; quamvis et hoc discrimen non sit perpetuum: in feminino autem raro admodum occurrit. — Ceterum

I.) Proprie. — *a*) *Crocum* vel *crocus* est herba radice, seu bulbo carnoso, multisque fibris crinito; foliis angustis, et capillamenti modo extenuatis productisque; caule inter folia surgente et florem sustinente, e cujus medio stamina surgunt flammei ruboris in subcrassulum cacumen desinentia, et simul cum iis quidam apices exiguæ linguæ figura: quæ quia præcipue in usum veniunt, per excellentiam croci appellantur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (31). et 7. 17. (34). *Crocus* vero appellatur a similitudine, quam habet cum villis textoriis, qui κρόκαι appellantur, a κρέκω *pectine pulso.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 21.) hanc exhibet synonymiam: כרכם Cant. Cant. 4. 14.; Κρόκος et Κρόκον Homer. Iliad. 14. 348., Hymn. in Pana v. 25., Theophr. 6. 6., Callim. in Apoll., Dioscor. 1. 25., Athen. Dipn. 15., Plutarch. Symp. quæst. 3. 1.; *Crocus* Virg. 4. G. 182., Ovid. in variis locis, Colum. 3. R. R. 8. et 9. ibid. 4.; et *Crocum* Plin. l. c. et Veget. 9. Veterin. 22. sunt *Crocus sativus* L. Spec. plant. 50. — *b*) Siccatur crocum et reconditur ad certum tempus: deinde conteritur ad varios usus tum ciborum, tum medicinæ, quos *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (34). et 20. 81. (137). enumerat. *Ovid.* 5. *Fast.* 317. violas arere videres, Filaque punicei languida facta croci. *Id.* 1. *ibid.* 342. rubri fila croci. *Virg.* 4. *G.* 182. crocumque rubentem. *Plin. loc. cit.* Crocum silvestre optimum: sativum latius majusque et nitidius. Adde *Lucret.* 2. 416.; *Sall.* apud *Non.* p. 202. 10. *Merc.*; *Horat.* 2. *Sat.* 4. 68.; *Curt.* 3. 4. 10.; *Senec. Ep.* 90.; *Colum.* 9. *R. R.* 4. 4.; et *Cels.* 5. 11. — *c*) Prima nobilitas est croco Cilicio, et ibi in Coryco monte, dein Lycio monte Olympo; mox Centuripino Siciliæ. *Plin. loc. cit.* et *Stat.* 5. *Silv.* 3. 41. — *d*) Mos fuit croco trito et vino dulci diluto scenam, pulpita, theatra, rogos, lectum nuptialem, comas perfundere, odoris gratia. *Plin. loc. cit.*; *Ovid.* 1. *Art. am.* 104.; *Capell.* 9. *p.* 306.; *Propert.* 4. 6. 74.; et *Stat.* 2. *Silv.* 1. 160. Hinc *Horat.* 2. *Ep.* 1. 179. Rectene crocum floresque perambulet Attæ Fabula, si dubitem etc. *h. e.* an in scena placeat. — *e*) In plur. num. *Propert.* 4. 1. 16. Pulpita solemnes non oluere crocos. *Ovid.* 4. *Fast.* 442. tenues crocos legere. Adde *eumd.* 4. *Met.* 393. et *Ib.* 202. *Juvenal.* 7. 208. Spirantesque crocos. — *f*) In femin. gen. *Apul.* 10. *Met.* Per quamdam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta.

II.) Improprie. ¶ 1. Pro colore croci. *Virg.* 9. *Æn.* 614. vestis picta croco. *Ovid. Heroid.* 11. 162. Et trahitur multo splendida palla croco. Cf. *Lucret.* 6. 1187. Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore. ¶ 2. Croci dicuntur etiam plurium plantarum apices pulvere conspersi et croceo colore. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (23). *de lilio.* Tenuique filo et semine, stantibus in medio crocis. *et mox* (24). *de alio flore.* Nullo odore, nec crocis lotus. *Auson.* quoque *Edyll.* 14. 32. *croci semina* appellat luteos apices in rosa. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CRŎCŬPHANTĬA *vel* crocufantia, neutr. plur. ab *Ulpian. Dig.* 34. 2. 25. enumerantur inter ornamenta muliebria. In *Glossis* habetur: κροκύφαντος *reticulus.* Ex quo conjicere licet aliquid de ejus significatione. Videtur esse a κρόκη *subtemen* et ὑφαίνω *texo*, *h. e.* διὰ κρόκης ὑφαντός multo subtemine textus. *V.* CROCOTA.

CRŎCUS, i, m. et f. 2. *V.* CROCUM.

CRŎCŪTA, æ. *V.* CROCOTTA.

CRŌNĬA, ōrum, n. 2. (Κρόνια τά) festa in honorem Saturni, Latine Saturnalia dicta. *L. Accius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *extr.* Maxima pars Grajum Saturno, et maxime Athenæ Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.

CROSMIS, is, f. 3. herba eadem ac salvia. *Apul. Herb.* 101.

CRŎTĂLĬA, ōrum, n. plur. 2. κροτάλια, appellabant binos ac ternos uniones auribus pendentes, quæ motu et collisu sonitum edebant, instar parvi crotali, ut habetur apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (114). *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Capsellam detraxit aureolam, inde duo crotalia protulit. Adde *Not. Tir.* p. 161., ubi tamen *crutalia* legitur.

CRŎTĂLISSO, as, are, n. 1. est Gr. κροταλίζω *crotalis sono*, quod Latinis litteris occurrit apud *Incert. Auct.* in *Anal. gramm.* edit. ab *Eichenfeld* et *Endlicher* p. 172. et apud *Macrob. de differ. Gr. Lat. verbi* p. 2765. *Putsch.*; nullo tamen auctore confirmatum.

CRŎTĂLISTRĬA, æ, f. 1. quæ crotalo canit. *Propert.* 4. 8. 39. Nilotes tibicen erat, crotalistria Philis. Ita legit *Scalig.* Dicitur *crotalistria Philis* eo modo, quo *Plautus Merc.* 5. 2. 99. dixit *Hospes Zacyn-*

tho pro a Zacyntho. Philæ autem insula est ad Sienem Ægypti. Ita, inquam, Scaliger, cui assentitur Prouckus. Sed perperam omnes: nam prima in Philæ, arum, brevis est, ut constat ex Lucan. 10. 313., Phyllis itaque cum Burmanno aliisque scribendum. — Figurate. P. Syrus apud Petron. Satyr. 55. ciconiam avem vocat Pietaticultricem, gracilipedem, crotalistriam, quia voce crotalum sonantem imitatur. Hinc Ovid. 6. Met. 97. crepitante ciconia rostro. Alii male legunt choralistria, h. e. mulier saltandi in choris, et canendi perita. Alii aliter. V. Cavedoni Spicileg. p. 21.

CRŎTĂLO, as, are, n. 1. crotali sonum edo. Habet Auct. Philom. 29.; et confirmat Thes. nov. Latin. ed. A. Mai. in Class. Auct. T. 8. p. 78. V. Cavedoni Spicileg. p. 21.

CRŎTĂLUM, i, n. 2. κρόταλον, crepitaculum, quo Ægyptii præsertim in deorum cæremoniis utebantur: a κροτέω pulso. Sunt vero virgulæ æreæ, vel ex arundine calamoque fisso, quas inter saltandum manibus ita concutiebant, ut ex earum collisione crepitus quidam ederetur. Harum figuram exhibet Spon. Miscell. antiqu. p. 21. n. 43. P. Scipio Afric. apud Macrob. 2. Saturn. 10. Vidi puerum cum crotalis saltare. Cic. Pis. 9. 20. Neque collegæ tui cymbala et crotala fugi. Arguit hunc Cic. ut mollem effeminatumque, qui ad cymbala et crotala saltare consuevisset. Virg. Cop. 1. Copa Syrisca caput Graja redimita mitella, Crispum sub crotalo docta movere latus, Ebria fumosa saltat lasciva taberna, Ad cubitum raucos excutiens calamos. Apul. 8. Met. Per plateas et oppida cymbalis et crotalis personantes, deamque Syriam circumferentes. Capell. 2. p. 34. Sed ecce magno tympani crepitu crotalorumque tinnitu universa dissultant.

CRŎTĂPHOS, i, m. 2. κρόταφος, pars capitis, quod tempus dicitur: item dolor, qui in ea parte sentitur. Cæl. Aurel. 1. Tard. 1.

CROTILUS, falsa lectio. V. CROCOTILLUM.

CRŎTON, ōnis, est arbor eadem, quæ cici. Plin. 15. Hist. nat. 7. 7. (25). et 16. ibid. 23. 35. (86).

CRŎTON, signum cœleste. V. SAGITTARIUS et CROTOS.

CROTOS, i, m. 2. Κρότος, signum cœleste, idem qui Sagittarius. Colum. 10. R. R. 56. Sed trepidus profugit chelas et spicula Phœbus Dira Nepæ, tergoque Croti festinat equino. Hygino Fab. 224. est Croton. Cetera V. in SAGITTARIUS.

CRŬCIĀBĬLIS, e, adject. cruciatum afferens. Gell. 3. 9. sub fin. Misero cruciabilique exitu perire. Apul. 9. Met. Nec usquam cruciabilis vitæ solatium aderat. Arnob. 2. 34. Mortem cruciabilem fugere et vitæ æternitate donari.

CRŬCIĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. cruciatus. Plaut. Cist. 2. 1. 3. Qui omnes homines supero cruciabilitatibus animi

CRŬCIĀBĬLĬTER, adverb. cum cruciatu. Plaut. Pseud. 4. 1. 40. Cruciabiliter me accipito. Auct. B. Afr. 46. Sic extra vallum deducti sunt, et cruciabiliter interfecti.

CRŬCIĀBUNDUS, a, um, adject. cruciatibus plenus. Cyprian. Ep. 55. ante med.

CRŬCIĀMEN, inis, n. 3. cruciatus. Prudent. 10. Cathemer. 98. Per cruciamina leti Via panditur ardua justis.

CRŬCIĀMENTUM, i, n. 2. dolor, tormentum, cruciatus. Plaut. Capt. 5. 4. 2. Vidi multa picta, quæ Acheronti fierent, cruciamenta. Adde eumd. Asin. 2. 2. 52. Cic. 11. Phil. 4. 8. Nec graviora sunt tormenta carnificum, quam interdum cruciamenta morborum. Arnob. 7. 40. Cruciamenta orbitatis. Id. 1. 45. Morbi, febres atque alia corporum cruciamenta.

CRŬCIĀRIUS, a, um, adject. ad crucem pertinens. Tertull. Præscript. hæret. 2. Febrem inter ceteros mortiferos et cruciarios exitus. h. e. cruciatum afferentes. Al. leg. cruciatorios. Sidon. 8. Ep. 6. a med. Per aquales et cruciarias pœnas necare. h. e. per supplicia crucis. Alcim. Avit. fragm. p. 176. De cruciaria Domini passione. — Hinc

Cruciarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est cruci affixus. Petron. Satyr. 112. Cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem. Seneca 3. Controv. 21. sub init. Fecit se similem tyranno, filiam raptis, libertum cruciariis. ¶ 2. Est etiam epitheton hominis nequam et perditi, tanquam cruce digni. Ammian. 9. 2. Longum est, quæ cruciarius ille conflavit. Apul. 10. Met. Nec tantillum cruciarius ille noxia conscientia sua deterritus.

Cruciarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, pro cruci fixione occurrit apud Commodian. 32. 8. Cruciarium Domini si non adorasti, peristi.

CRŬCIAS pro cruciatus, ut satias pro satietas. Plaut. Cas. 2. 6. 64. Mala crucias quidem. Al. rectius leg. Mala crux ea quidem.

CRŬCIĀTĬO, ōnis, f. 3. quæstio per tormenta, cruciatus. Vulgat. interpr. Sap. 6. 9. Fortioribus fortior instat cruciatio. Cod. Theod. 9. 3. 1. Prolixiores catenas (viro mitte), ut et cruciatio desit, et permaneat fida custodia.

CRŬCIĀTOR, ōris, m. 3. qui affligit et cruciat. Arnob. 1. 40. Pœnas – cruciatoris perpetitur sævitate. Firmic. 3. Mathes. 13. n. 6. Cruciatores servorum.

CRŬCIĀTŌRIUS. V. CRUCIARIUS.

CRŬCIĀTUS, a, um. V. CRUCIO.

CRŬCIĀTUS, us, m. 4. tormentum, cruciamentum, dolor. Ubi dolores acerrimi exagitant, inquit Augustin. tract. 36. in Joann. 4., cruciatus vocatur, a cruce nominatus (It. tormento, dolore; Fr. tourment, tourture, supplice; Hisp. tormento, pena, dolor; Germ. d. Marter, Qual, Pein, martervolle Hinrichtung, Strafe; Angl. torment, torture, pain, agony, distress). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu et sæpe conjungitur cum supplicio, ut apud Cic. 3. Nat. D. 33. 81. Summo cruciatu supplicioque perire. Adde Plaut. Bacch. 4. 4. 36. et Epid. 5. 1. 5.; Ter. Hecyr. 5. 2. 7.; Sall. Cat. 51. et eumd. Jug. 24. et 70. Ter. Andr. 4. 4. 47. Abripi in cruciatum. Cic. 3. Verr. 4. 9. Cives R. morte, cruciatu, cruce afficere. Id. 11. Att. 11. Confectus cruciatu maximorum dolorum. Id. 4. Cat. 5. 10. Omnes animi cruciatus et corporis. Id. Rosc. Am. 41. 119. Vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. Id. Rabir. perduell. 4. 13. Ista sunt cruciatus carmina, quæ tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras. Cic. fil. apud Cic. 12. Fam. 21. Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut etc. h. e. dolor maximus, cura anxia. Cæs. 1. B. G. 31. Venire in summum cruciatum. Id. 2. ibid. 31. Ab hostibus per cruciatum interfici. Id. 7. ibid. 71. Dedere aliquem hostibus in cruciatum. Id. 1. ibid. 31. Edere in aliquem omnia exempla cruciatus. Id. 1. ibid. 32. Omnes cruciatus perferre. Adde eumd. 6. ibid. 17. et 5. ibid. 45.; Curt. 7. 2. 34., 7. 11. 24., 9. 7. 8. et 6. 11. 15.; Liv. 29. 18. Ovid. 9. Met. 179.; Juvenal. 10. 286. et Quintil. 5. 4. 2. Tac. 16. Ann. 20. Cruciatibus tormentorum luere crimina. Adde eumd. 1. ibid. 23. Sueton. Galb. 10. Cruciatu confessionem exprimere. Adde eumd. Tib. 62. et Aug. 99. ¶ 2. Latiori sensu ponitur apud Plautum pro maximo malo, exitio, pernicie. Plaut. Mil. glor. 2. 3. 6. Maximum in malum cruciatumque insiliamus. Id. Bacch. 4. 9. 132. Malo cruciatu dignum. Adde eumd. Amph. 4. 2. 13. et Capt. 3. 5. 23. — Hinc imprecantis formula apud eumd. Pers. 4. 4. 25. I in malum cruciatum. Adde eumd. Aulul. 3. 3. 13.

CRŬCĬFER, fĕri, m. 2. Prudent. 3. Cathemer. 1. Christum Dominum cruciferum appellat. h. e. crucem sibi ipsum bajulantem.

CRŬCĬFĪGO, gis, xi, xum, gere, a. 3. De scribendi ratione V. in fin. — Part. Crucifigens et Crucifixus — Crucifigo est in crucem tollo. Plin. 8. Hist. nat. 16. 18. (47). Polybium leones in Africa crucifixos vidisse. Quintil. 7. 1. 30. Invenerunt ducem crucifixum. Sueton. Domit. 11. Actorem summarum pridie, quam crucifigeret, in cubiculum vocavit. Hieronym. Ep. 22. n. 39. Et pro crucifigentibus deprecatur. Venant. 3. carm. 9. 37. Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat. — Magis est ex consuetudine Latina, si divisim cruci figo scribatur. Fuerunt enim ecclesiastici scriptores, qui quod frequentius usurpabant, ex duabus unam vocem fecerunt. V. itaque CRUX et FIGO.

CRŬCĬFIXĬO, ōnis, f. 3. crucis supplicium. Alcim. Avit. Ep. 3. Comitata est dominicam mortem circumpendentium latronum conjuncta crucifixio.

CRŬCĬFIXOR, ōris, m. 3. qui cruci figit. Paulin. Nolan. Ep. 18. (al. 28.) 7. Christus suis crucifixoribus rogavit ignosci.

CRŬCĬFIXUS, a, um. V. CRUCIFIGO.

CRŬCĬO, as, āvi, ātum, are, 1. (crux). Part. Crucians I. 1.; Cruciatus I. 2. et II.; Cruciandus I. 2. — Crucio proprie est cruci affigo (It. crocifiggere; Fr. mettre en croix, crucifier; Hisp. crucificar, enclavar en la cruz; Germ. an's Kreuz schlagen, kreuzigen; Angl. to crucify).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — a) Active. Lactant. Mort. persec. 2. Extremis temporibus Tiberii Cæsaris Dominus noster Jesus Christus a Judæis cruciatus est post diem decimum Kalendarum Aprilis, duobus Geminis consulibus. — b) Neutrorum more. Fronto B. Parth. Polycrates in crucem sublatus est: ita ei crucianti somnium expeditum. h. e. ei in cruce sublato, nempe a crucio sensu neutro. ¶ 2. Latiori sensu torquere significat, dolorem afferre. a) Active. Cic. Harusp. resp. 18. 39. Vulnere ac dolore corporis cruciari et consumi. Id. 2. Fin. 20. 65. Vigiliis et fame cruciari. Liv. 29. 18. Tribunos servilibus omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit. Ovid. Ib. 125. Luctatusque diu cruciatos spiritus artus Deserat. Id. 3. Met. 694. cruciataque diris Corpora tormentis. Id. 2. ibid. 651. quum cruciabere diræ Sanguine serpentis per saucia membra recepto. Id. Heroid. 14. 119. pœnæ crucianda reservor. Adde Curt. 6. 10. 9. Quintil. 6. 1. 54. Cruciati cives Romani. — b) Neutrorum more. Plaut. Capt. 4. 2. 34. Tum piscatores, qui præbent populo pisces fœtidos, qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio. Fronto ad amic. 1. Ep. 18. Nec possum ego membris cruciantibus operam ullam litteris scribendis legendisque impendere.

II. Translate. — a) Raro de inanimis. Plin. 2. Hist. nat. 63. 63. (157). Terra ferro, ligno, igne, lapide, fruge omnibus cruciatur horis. Id. 33. ibid. 3. 20. (65). Æs cruciatur in primis, accensumque restinguitur. Stat. 4. Silv. 7. 26. Nostra Thebais multa cruciata lima. — b) Sæpius de animo, et quidem — Active. Plaut. Bacch. 3. 3. 89. Ipsus sese cruciat ægritudine. Ter. Heaut. 3. 5. 1. Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum, nimisque inhumane. Id. Eun. 1. 2. 15. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria. Id. ibid. 2. 3. 91. Illis crucibus, quæ nos semper omnibus cruciant modis, nunc referam gratiam. h. e. meretricibus. Cic. 8. Att. 15. 2. Officii mei deliberatio cruciat, cruciavitque adhuc. Horat. 1. Sat. 2. 22. Ita ut pater ille, Terenti Fabula quem miserum nato vixisse fugato Inducit, non se pejus cruciaverit atque hic. Martial. 11. 95. Illud me cruciat, quod etc. Justin. 6. 3. 9. Quos major sollicitudo cruciabat. Adde eumd. 32. 3. 3. — Passive. Justin. 12. 13. 9. Tanto dolore cruciatus est. Calpurn. Flacc. declam. 47. Cruciari conscientia, pudore torqueri. — Mediorum apud Græcos more ac significatione occurrit crucior præcipue apud Comicos. Plaut. Capt. 3. 4. 68. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiæ cerebrum excutiam. Id. Trin. 5. 2. 46. Cum ille ita est, ut esse nolo, id crucior. Id. Truc. 2. 5. 2. Matres – cruciantur. Adde Ter. Andr. 5. 2. 10. Inscript. apud Gruter. 931. 9. AT PATRVM MISERANDA AETAS ANIMA CRVCIATVR. — Cum Accusativo et Infinito. Plaut. Mil. glor. 4. 8. 11. Istuc crucior, a viro me tali abalienarier. Adde Ter. Heaut. 4. 2. 6.

CRŬCĬSĂLUS, i, m. 2. (crux et salio), qui salit crucem, nomen fictum a Plaut. Bacch. 2. 3. 128. Facietque extemplo Crucisalum ex Chrysalo.

CRUCIUM, quod cruciat. Unde Lucilius vinum insuave, crucium dixit. Hæc Paul. Diac. p. 53. 4. Müll.

CRŪDĀRĬUS, a, um, adject. Argenti vena, quæ in summa fodina reperitur, crudaria appellatur. Plin. 33. Hist. nat. 6. 31. (97). Gloss. Cyrill. Ὠμόλινον, crudarium. subaudi linum, quum crudum linum vocat Plin. 19. Hist. nat. 1. 2. (9).

CRŪDĒLE, adverb. V. voc. seq. in fin.

CRŪDĒLIS, e, adject. Comp. Crudelior et Sup. Crudelissimus I. et II. — Crudelis a crudus est qui crudis est moribus, sævus, inhumanus, immitis, durus, ferus (It. crudele, fiero, inumano, crudo, spietato; Fr. dur, inhumain, cruel; Hisp. duro, inhumano, cruel; Germ. gefühllos, hart, unmenschlich, unbarmherzig, grausam; Angl. cruel, fierce, inhuman, savage, barbarous).

I.) Proprie usurpatur de personis. Lucret. 3. 72. Crudeles gaudent in tristi funere fratris. Cic. 1. ad Brut. 12. 2. Lepidus crudelis in liberos. Id. Cluent. 63. 177. Crudelis atque importuna mulier. Id. 2. Orat. 48. 198. Esse crudelem in calamitate alicujus. Id. 2. Herenn. 19. 29. Animus ferus, crudelis atque

inhumanus. *Sall. Cat.* 16. Ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. *Id. ibid.* 52. Crudelissimi parricidæ. *Nepos Reg.* 2. 2. Non avarus, nullius denique rei cupidus nisi singularis perpetuique imperii, ob eamque rem crudelis. *Id. Dion.* 3. Philisti consilio (*Dionysius*) deterritus aliquanto crudelior esse cœpit. *Virg.* 2. *Ecl.* 6. O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas? *h. e.* inexorabilis, qui non flectitur precibus. *Propert.* 2. 20. 45. Sed non Neptunus tanto crudelis amori. *Horat.* 4. *Od.* 10. 1. O crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens. *Id.* 1. *Ep.* 17. 61. Crudeles tollite claudum. *Id.* 2. *Sat.* 8. 61. Heu fortuna, quis est crudelior in nos Te deus? *Sil. It.* 8. 659 Parcite, crudeles Superi, jam stragis acervis Deficiunt campi. Adde *Quintil.* 9. 2. 91.

II.) Translate ponitur etiam de inanimis, præsertim apud Poetas. *Cic.* 9. *Att.* 6. 7. Bellum crudele et exitiosum. *Id.* 14. *Phil.* 3. 8. Optimos viros – crudelissimis exemplis interemit propudium illud et portentum L. Antonius. *h. e.* iis tormentis excruciatos, quæ exemplo esse possent. *Sall. Cat.* 11. facinora. *Id. ibid.* 51. sententia. *Nepos Dion.* 1. Crudelissimum nomen tyranni. *Virg.* 10. *Ecl.* 29. amor. *Id.* 12. *Æn.* 636. letum. *Id.* 6. *ibid.* 585. et *Ovid.* 2. *Met.* 612. pœna. *Virg.* 3. *Æn.* 44. terræ. *h. e.* in quibus sunt crudeles homines. *Id.* 5. *Ecl.* 20. funus. *Id.* 2. *Æn.* 368. luctus. *Id.* 1. *ibid.* 361. odium tyranni. *Id.* 2. *ibid.* 124. artificis scelus. *Id.* 9. *ibid.* 497. vita. *Id.* 2. *ibid.* 561. vulnus. *Catull.* 60. 20. Qui cœlo lucet crudelior ignis. Adde *eumd.* 64. 136. *Tibull.* 2. 6. 19. arma. *Id.* 3. 4. 95. somnia. *Propert.* 3. 5. 3. *de pecunia.* Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes. *Id.* 1. 16. 17. Crudelior janua. *h. e.* quæ supplices non admittit. *Ovid.* 13. *Met.* 453. Quæ memor ipsa sui, postquam crudelibus aris Admota est. *Id. Heroid.* 14. 49. Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis. *Id.* 10. *Met.* 621. Conjugium crudele meum est. *Id. Heroid.* 15. 219. epistola. *Id.* 6. *Met.* 653. gaudia. *Id.* 11. *ibid.* 701. mens. *Id.* 4. *Trist.* 4. 81. Læta deæ signum, crudelia sacra perosæ, Transtulit ex illis in meliora locis. *Id.* 2. *Fast.* 695. Crudeli verbere lacerare terga. *Val. Flacc.* 3. 302. exitium. *Id.* 4. 459. egestas. *Lucan.* 5. 691. Visum est committere quemquam Tam sævo crudele mari. *Petron. Satyr.* 105. Inhibete crudelissimas manus. *Sueton. Cæs.* 75. Crudelem in modum enecare aliquem. Adde *eumd. Cal.* 30. et *Quintil.* 5. 13. 19. *Stat.* 5. *Theb.* 508. *de angue immani.* Livida fax oculis, tumidi stat in ore veneni Spuma virens, ter lingua vibrat, terna agmina adunci Dentis et auratæ crudelis gloria frontis. — Hinc

Crudele, adverbii modo pro crudeliter. *Stat.* 3. *Theb.* 211. Quanti crudele rubebitis amnes! *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 340. Crudele minantur. *Id.* 2. *in Eutrop.* 108. *de Marte.* Subrisit crudele pater.

CRŪDĒLĬTAS, ātis, f. 3. sævitia, inhumanitas, immanitas, feritas, acerbitas (It. *crudeltà*; Fr. *cruauté, dureté, inhumanité*; Hisp. *crueldad, inhumanidad*; Germ. *d. Härte, Grausamkeit*; Angl. *cruelty, barbarity, inhumanity*). *Seneca* 2. *Clem.* 4. Crudelitas est atrocitas animi in exigendis pœnis. et mox. Crudelitas est inclinatio animi ad asperiora. *Cic.* 3. *Off.* 11. 46. Est hominum naturæ maxime inimica crudelitas. *Id. Sext.* 65. 135. Carnificina atque crudelitas. *Id. Dom.* 23. 60. Adhibere crudelitatem in aliquem. *Id.* 11. *Phil.* 3. 8. Exercere insatiabilem crudelitatem non solum in vivo, sed etiam in mortuo. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 4. Inimicorum crudelitas nondum est nostra calamitate satiata. *Id. Dom.* 23. 59. Omni crudelitate lacerare aliquem. *Id.* 4. *Herenn.* 55. 68. Anhelans ex intimo pectore crudelitatem. *Crassus* apud *Cic.* 1. *Orat.* 52. 225. Quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri. *Nepos Attic.* 4. Immoderata licentia et crudelitas erga nobiles. *Id. Thrasyb.* 3. Uti crudelitate. Adde *eumd. Lys.* 2.; *Dion.* 1. et *Timol.* 22. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Singularis ac nefaria crudelitas. *Id.* 1. *B. C.* 32. Crudelitas et insolentia. Adde *Sall. Cat.* 51.; *Liv.* 42. 8.; *Curt.* 5. 6. 6.; *Quintil.* 5. 10. 27. et 9. 3. 46.; *Sueton. Tib.* 61. 75.; *Tac.* 16. *Ann.* 25. et 18.; *Justin.* 39. 1. 4., 1. 6. 9. et 22. 4. 1.; et *Pacat. Paneg. Theod.* 20.

CRŪDĒLĬTER, adverb. Comp. *Crudelius* et Sup. *Crudelissime.* — Crudeliter est inhumaniter, sæve, immaniter, acerbe. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 10. Cum de pernicie populi R. tam acerbe tamque crudeliter cogitarit. *Id.* 1. *ibid.* 12. 30. Crudeliter et regie facere. *Id. Sull.* 27. 75. Crudelissime perire. *Id.* 10. *Att.* 4. 6. Patris lenitatem crudeliter negligere. Adde *eumd.* 1. *Off.* 24. 82. *Nepos Eumen.* 6. Crudelissime se gerere. *Id. Pausan.* 3. Superbe respondebat, crudeliter imperabat. *Id. Dion.* 2. Crudeliter a tyranno violari. Adde *eumd. Lys.* 2. *Cæs.* 1. *B. C.* 9. Acerbissime crudelissimeque dicere. *Id.* 7. *B. G.* 38. Ipsos crudeliter excruciatos interficit. *Tibull.* 1. 9. 7. Amor crudelius urit. Adde *Liv.* 31. 29. *Ovid.* 3. *Met.* 442. *de Narcisso.* Ecquis, io silvæ, crudelius, inquit, amavit? *Curt.* 3. 13. Fortuna crudelius aggravans. Adde *eumd.* 6. 11. 40.; *Quintil.* 1. 5. 9. et *Sueton. Tib.* 61.

CRŪDESCO, descis, dŭi, descere, n. 3. proprie est crudus fio; sed occurrit translate tantummodo et est asperior fio. *Virg.* 3. *G.* 504. In processu cœpit crudescere morbus. *Id.* 7. *Æn.* 788. Effuso crudescunt sanguine pugnæ. *Sil. It.* 1. 431. qui carmine pollens Fidebat magica ferrum crudescere lingua. *h. e.* nocentius fieri. Adde *eumd.* 14. 555. et 4. 451. *Tac.* 3. *Hist.* 10. Crudescit seditio. *Stat.* 2. *Theb.* 717. asperso crudescit sanguine Gorgon. *Id.* 2. *ibid.* 679. et *Justin.* 8. 4. Crudescunt iræ. *Val. Flacc.* 2. 509. Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ, Surgentemque toris stupet (*Æacides*). *Id.* 3. 210. Sic pugnæ crudescit opus. *Symmach.* 8. *Ep.* 57. (*al.* 58.) Credo ex nocturnis vigiliis, noxa post cruduit.

CRŪDĬTAS, ātis, f. 3. proprie est qualitas rei, quæ digeri et concoqui in stomacho nequit: hinc

I.) Proprie est stomachi morbus ex nimiis cibis, malaque eorum concoctione. *Cic. Fat.* 15. 34. Cruditas est causa morbi. *Id.* 15. *Fam.* 17. 2. D. Sullam cruditate mortuum dicebant. Sic *Quintil.* 7. 3. 33. Cruditate contracta decessit. Adde *eumd.* 5. 9. 11. et 7. 2. 13. *Colum.* 1. *R. R.* procem. § 16. Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. *Id.* 6. *R. R.* 6. 1. Cruditatis signa sunt crebri ructus ac ventris sonitus, fastidia cibi, nervorum intentio, hebetes oculi. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 5. 11. (18). Non coccum hoc remedio utendum in cruditatibus.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur interdum et de plantis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (219). Arbores laborant et fame et cruditate. ¶ 2. Abstractum pro concreto, cruditas dicuntur alimenta indigesta et nondum concocta in stomacho. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 25. (41). Cruditates digerunt daucum, plantago. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 13. Cruditas fructuum.

CRŪDĬTĀTĬO, ōnis, f. 3., cruditas, stomachi non concoquentis vitium. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 2.

CRŪDĬTO, as, are, n. 1. Part. *Cruditans.* — Crudito est male concoquo, cruditate laboro. *Vet. Gloss.* Crudito, ἀπεπτῶ. *Tertull. Jejun.* 16. Populus carnis avidissimus usque ad choleram ortygometras cruditando. *Id. Apolog.* 9. Ursorum alvei cruditantes adhuc de visceribus humanis.

CRŪDUS, a, um, adject. Comp. *Crudior* sub *A.* II.; et Sup. *Crudissimus* sub *B.* II. 3. c. — Crudus occurrit *A*) Specialim seu stricto sensu, et *B*) Generatim seu latiori sensu.

A) Specialim seu stricto sensu

I.) Proprie *crudus* pro *cruidus* a *cruor* (*V.* CRUOR sub init.) dicitur qui est adhuc in cruore. *Plin.* 5. *Ep.* 16. Crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat. *h. e.* vulnus recens et quasi adhuc cruentum. Adde *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 19. et 1. *Pont.* 3. 16. Sic *Horat. Epod.* 8. 6. Podex crudæ bovis. *h. e.* quæ multum arando aut alio labore ulcera trasit inter nates.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de eo, quod non est coctum igni adeoque cruentum est: item de cibis, qui indigesti et nondum concocti sunt in stomacho. *Plaut. Aulul.* 2. 3. 15. Quid tu curas, utrum crudum, an coctum edim? *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 1. 3. Cruda (*cydonea*) matura cœliacis prosunt: coquuntur et cinere calidissimo. *Liv.* 29. 27. Cruda exta. *Sueton. Ner.* 37. caro. *Juvenal.* 1. 143. crudum pavonem in balnea portas. — Hinc figurate *Cato R. R.* 125. Cruda alvus. *h. e.* quæ indigesta excernit. et *Quintil.* 10. 1. 19. Lectio cruda. Cf. *Cels.* 1. 2. ¶ 2. Ponitur et de personis, et crudus *homo* dicitur, cujus stomachus non facile concoquit; vel qui nimium cibi sumpsit, etc. *Cic. Cluent.* 60. 168. Quum ad illud prandium crudior venisset, etc. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 5. 49. et 1. *Ep.* 6. 61.; et *Quintil.* 11. 3. 27. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. Crudique postridie se rursus ingurgitent. *Martial.* lepide ludit in hac et superiori notione, 3. 13.

B) Generatim, seu latiori sensu

I.) Proprie crudus ponitur de rebus corporeis, et dicitur de iis, quæ acerba sunt et immatura. *Cic. Senect.* 19. 71. Poma ex arboribus, si cruda sunt, vix avelluntur. *Colum.* 12. *R. R.* 6. 2. Cruda muria. *Lucan.* 4. 317. Crudus palmes. *h. e.* qui adhuc viridis est, nec cœpit flavescere. *Val. Flacc.* 6. 97. cortex. *Virg.* 9. *Æn.* 744. rudem nodis et cortice crudo hastam intorquere. *Servius* exponit viridi: *Forcellinus* accepit pro scabro, aspero, non lævigato.

II.) Improprie. ¶ 1. Crudus et occurrit de personis earumve qualitatibus, et est idem quod immitis, immaturus, si hæc verba metaphorice accipiantur. *Martial.* 8. 64. Quales (*papillas*) cruda viro puella servat. *h. e.* nondum viro apta. et *Horat.* 3. *Od.* 11. 12. et adhuc protervo Cruda marito. et *Stat.* 1. *Achill.* 478. cujus ab ortu Cruda rudimenta et teneros formaverat annos. *Id.* 2. *Theb.* 341. si crudus amor, nec dum post flammea toti Intepuere tori. *h. e.* recens, neque diuturnitate firmatus. *Petron. Satyr.* 4. Cruda adhuc studia in forum propellunt, et eloquentiam pueris induunt adhuc nascentibus. *h. e.* nondum ætate et experimentis firmata. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Crudum servitium. *h. e.* recens et cui nondum assueverunt animi. *Stat.* 9. *Theb.* 391. Crudum funus. *h. e.* immaturum, quod ante tempus accidit. — Sic crudi versus sunt non elaborati, duri, et non bene cocti, ut *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 53. loquitur. *Pers.* 1. 92. Sed numeris decor est et junctura addita crudis. — Similiter de sono vocis *Cic.* 1. *Orat.* 27. 124. Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut, Crudior fuit. *Forcellinus* accepit hoc loco pro eo, cujus stomachus non facile concoquit. — Specialim crudus ad ætatem refertur, et est validus, fortis, juvenilis, *senique* opponitur. *Virg.* 6. *Æn.* 304. cruda deo viridisque senectus. *h. e.* valida, fortis. Eodem modo locutus est *Tac. Agric.* 29. Sic *Sil. It.* 5. 569. in arma Ille quidem cruda mente et viridissimus iræ Ibat. *h. e.* ardore juvenili. *Id.* 3. 312. Cruda juventus. *h. e.* adhuc tenera et nondum armis instructa. *Id.* 12. 348. crudos sine viribus annos. *Claudian. III. Cons. Honor.* 42. Sed nova per duros instruxit membra labores, Et cruda teneras exercuit indole vires. ¶ 2. De rebus corporeis crudum dicitur quidquid non est arte subactum vel laboratum. Sic *cruda terra* dicitur, quæ proscissa, subacta et macerata aratro non est. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 25. Alternis versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare: sed ita, necubi crudum solum et immotum relinquat: quod agricolæ scamnum vocant. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). Scamna inter duos sulcos cruda ne relinquantur. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 2. Crudis novalibus semen ingerere. — Sic *cruda locorum* apud *Sil. It.* 3. 514. sunt loca aspera, fragosa, invia. — *Crudum spartum* apud *Colum.* 12. *R. R.* 19. 4. est non malleatum, ut ipsemet exponit. — *Corium crudum* est non perfectum apud *Varron.* 5. *L. L.* 24. *Müll.*; et *crudus taurus* apud *Val. Flacc.* 4. 250. est corium tauri crudum. Quo fortasse referendum est illud *Silii It.* 5. 525. at latus ense Heurit, nec crudæ tardarunt tegmina parmæ. *h. e.* crudo corio confectæ. Eodem referri potest illud *Virg.* 5. *Æn.* 69. crudo pugnam committere cæstu. *Forcellinus* vero translate accepit pro crudeli, duro. ¶ 3. Denique crudus est etiam asper, crudelis, inexorabilis; itemque acer, durus, fortis: et occurrit — *a*) De personis. In illo *Plauti Pœn.* 5. 2. 148. Heu hercle mortalem catum, malum, crudumque et callidum atque subdolum! *crudus* esse videtur, qui quamlibet fallaciam mendaciumque comminisci ore duro et perfricta fronte potest, nec ullum vultu aut sermone signum doli præbet: sed immotus et constans fraudem alte tegit ac dissimulat. *Ovid.* 4. *Met.* 238. et, Ille Vim tulit invitæ, dicentem, defodit altâ Crudus humo. *Seneca Hippol.* 1220. Crudus et leti artifex. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 8. Crudi Getæ. *Sil. It.* 8. 325. Crudus Iberus. *Id.* 10. 98. crudo ducente magistro. — *b*) De abstractis. *Juvenal.* 8. 223. Quid Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit? — *Crudus honor* apud *Stat.* 10. *Theb.* 242. est cruentus et quodammodo crudelis, quo nempe offeruntur deo *trunca arma cruorque virorum.* Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 58. Cruda bella. *Sil. It.* 7. 113. Crudum Marte viri nomen. *h. e.* terribile nomen viri bellicosi. *Stat.* 1. *Theb.* 422. Crudi sudores. *h. e.* multi laboris. *Sil. It.* 4. 35. crudam contra aspera mentem Et magnos tollunt animos. *h. e.* duram, fortem. *Id.* 5. 226. crudasque, ruente Fortuna, stimulos spem projecisse sa-

lutis. *h. e.* acerrimus. — *c*) De rebus physicis. *Virg.* 10. *Æn.* 682. et crudum per costas exigat ensem. *Cassius Parmensis* apud *Sueton. Aug.* 4. Materna tibi farina est ex crudissimo Ariciæ pistrino. *h. e.* laborioso, molesto. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 8. Hiems est, et crudum mare hibernum est. *Val. Flacc.* 7. 330. Crudum frigus. *Id.* 2. 542. saxum. *Id.* 6. 32. vellus. *Pers.* 5. 162. Crudum unguem abrodere. *h. e.* durum. — Hinc

Cruda plur. neutr. gen. cum addito Genit. apud *Sil. It.* 3. 514. *V.* sub *B.* II. 2.

Crudum adverbii more. *Cels.* 1. 2. Qui crudum sine præcordiorum dolore ructat.

CRUENTĀTIO, ōnis, f. 3. cruoris aspersio. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 39. Altaris cruentatio.

CRUENTĀTUS, a, um. *V.* CRUENTO.

CRUENTĒ, adverb. Comp. *Cruentius* et Sup. *Cruentissime.* — Cruente est per cruorem, sæve, crudeliter. *Justin.* 39. 3. Quæ tam cruente sæviat. *Id.* 23. 2. *a med.* Cruente deserere virum. *Seneca* 5. *Benef.* 16. *extr.* Ceteri arma cruentius exercuerunt. *Flor.* 3. 19. Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam. *et ibid.* 21. Atrocius et cruentius. Adde *Vopisc. Aurel.* 21. *Oros.* 1. 17. Bello per decem annos cruentissime gesto.

CRUENTER, adverb. idem quod cruente. *Apul.* 3. *Met.* Civium laniena, quam cruenter exercuit.

CRUENTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. cruorem et cædes ferens, cruentus. *Tertull. Judic. Dom.* 10. *in carm.* Atque cruentiferis signis sacraverit aras.

CRUENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cruentatus* I. — Cruento est feriendo elicio sanguinem, cruore aspergo, sanguine polluo (It. *ferire a sangue, insanguinare*; Fr. *mettre en sang, ensanglanter, souiller de sang*; Hisp. *ensangrentar, marchar de sangre*; Germ. mit *Blut beflecken, bespritzen, blutig machen*; Angl. *to fetch blood by striking at, to make bloody*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. noctu summa arcis adorti Mœnia concubia, vigilesque repente cruentant. *Cic. fragm. Oration.* 10. *C. Anton.* apud *Ascon.* Cruentare se cæde nefaria. (Hoc fragmentum in *Orellii* editione minime inveni). *Id.* 2. *Invent.* 4. 14. Gladium cruentatum in vaginam recondidit. *Nepos Epam.* 10. Cruentare manus sanguine suorum. Cf. Gr. τὰς χεῖρας αἱμάξαι. *Propert.* 4. 8. 65. Imponitque notam collo, morsuque cruentat. *Ovid.* 6. *Met.* 424. Cruentare tela. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 572. *Liv.* 23. 9. Cruentare mensam sanguine. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 11. 13. (28). Sæpe medetur oculis ictu cruentatis. *Petron. Satyr.* 138. Omnibus digitis inter præcipitem decursum cruentatis. Adde *Sil. It.* 17. 541.; *Tac.* 1. *Hist.* 58.; *Sueton. Domit.* 16.; *Lamprid. Alex. Sev.* 50. et *Hel.* 7.; et *Capitolin. Macr.* 13.

II.) Improprie. ¶ 1. Metonymice. *Cic. Harusp. resp.* 16. 35. Secures suas cruentari scelere noluit. *Id.* 2. *Phil.* 34. 86. Hæc te lacerat, hæc cruentat oratio. *Id. post red. in senat.* 3. 6. Ne propter me civium vulneribus respublica cruentaretur. ¶ 2. Translate est maculare, inquinare. *Lucret.* 4. 1030. Cruentare vestem. ¶ 3. Item est rubro colore inficere. *Seneca* 2. *Controv.* 15. *sub fin.* Ex omni rupe conchylium trahitur, quo vestis cruentetur. Adde *Stat.* 1. *Silv.* 5. 38.

CRUENTUS, a, um, adject. Comp. *Cruentior* et Sup. *Cruentissimus* I. — Cruentus est cruore tinctus, sanguine aspersus, vel madens; vel qui cum sanguinis effusione fit (It. *sanguinoso, cruento*; Fr. *ensanglanté, souillé de sang, sanglant*; Hisp. *ensangrentado, sangriento*; Germ. mit *Blut befleckt, besudelt, blutig*; Angl. *bloody, stained with blood*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Phil.* 2. 4. Cruentus sanguine civium. *Id. Mil.* 13. 33. Cruentum Clodii cadaver. *Id.* 2. *Orat.* 40. 170. et *Quintil.* 4. 2. 13. et 6. 1. 30. gladius. *Sall. Cat.* 58.; *Horat.* 2. *Od.* 8. 16., 2. *Ep.* 1. 150., 2. *Sat.* 3. 223. et 2. *ibid.* 5. 15.; *Quintil.* 6. 1. 31.; et *Sueton. Oth.* 8. victoria. *Propert.* 4. 5. 66.; *Tac.* 1. *Ann.* 10. et 2. *ibid.* 46.; et *Lamprid. Alex. Sev.* 59. hostia. *Quintil.* 5. 9. 1. vestis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 5. 15. (28). exscreationes. *Cels.* 2. 8. Vomica quo cruentior, eo melior est. *Vellej.* 2. 71. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. *Id. ibid.* 52. Acies Pharsalica, et ille cruentissimus Romano nomini dies. *Tac.* 1. *Hist.* 6. et 3. *Ann.* 44.; et *Justin.* 38. 8., 4. 42. et 1. 5. iter cruentum. *Curt.* 8. 2. 8.; *Val. Flacc.* 6. 654., 2. 303. et 8. 340.; *Justin.* 29. 3. 3., 24. 3. 10. et 3. 5. 14. bella.

II.) Translate. ¶ 1. Cruentus est cruore gaudens, ferus, crudelis. *Horat.* 2. *Od.* 14. 13. Cruentus Mars. *Id.* 1. *Od.* 2. 39. Acer et Mauri peditis cruentum Vultus in hostem. *Id.* 2. *Sat.* 3. 223. Gaudens Bellona cruentis. *h. e.* αἱματοχαρής, cædis amans. *Id.* 3. *Od.* 2. 11. leo, quem cruenta Per medias rapit ira cædes. ¶ 2. Item fœdatus, contaminatus. *Lucret.* 5. 1137. Et capitis summi præclarum insigne cruentum. *Id.* 6. 1133. cruentum cælum dixit, *h. e.* corruptum et pestilens. ¶ 3. Item rubens, rubicundus, sanguineus. *Virg.* 1. *G.* 306. Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.

CRŪMĀTA. *V.* CRUSMA.

CRUMELUM, i, n. 2. herbæ genus hactenus ignotum, cujus mentio est in *Not. Tir.* p. 119. Videtur esse a κρυμός *gelu*, seu κρυμαλέος *gelidus*. At vox a Lexico expungenda est.

CRUMĒNA vel crŭmīna, æ, f. 1. sacculus e brachio (ut *Non.* p. 78. 3. *Merc.* docet), aut collo dependens, vel ante pectus, vel in tergum: in quo pecunia reponitur (It. *saccoccia, borsa*; Fr. *bourse, escarcelle*; Hisp. *bolsa, escarcela*; Germ. *das Geldsäcken*; Angl. *a leathern bag, purse*).

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 3. 3. 67. Hic pone, hic istam colloca cruminam in collo plane. *Id. Truc.* 3. 1. 7. Homo crumenam sibi de collo detrahit, minas viginti mihi dat, accipio libens: Condo in crumenam. *Id. Pseud.* 1. 2. 37. I, puere, præ: ne quisquam pertundat crumenam, cautio est. *h. e.* quam a tergo pendentem gestas. *Id. fragm.* apud *Paul. Diac.* p. 60. 10. Di bene vertant, tene cruminam, inerunt (*al. leg.* in ea erunt) triginta minæ. Adde *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 19.

II.) Metonymice ponitur pro nummis ipsis. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 11. utque Gratia, fama, valetudo contingat abunde, Et mundus victus, non deficiente crumena? *Juvenal.* 11. 38. Quis enim te, deficiente crumena, Et crescente gula, manet exitus?

CRUMENISECA, æ, m. 1. qui crumenas secat, manticularius. *Justinian. Novell. constitut.* 13. 1. 4. Conscii latronum, veneficiarii, crumenisecæ. — Ita Lexicographus noster; sed in antiqua Latina interpretatione *loc. cit.* non *crumenisecæ*, sed *cingulorum incisores* legitur, quibus verbis vox βαλαντιοτόμοι, quæ in textu Græco exstat, conversa est. Nihili igitur habenda vox *crumeniseca*, quæ ex alicujus recentioris viri ingenio provenit, et illius loco usurpanda est *manticularius*, quam *V.* suo loco.

CRUMĪNO, as, are, a. 1. repleo. *Venant. Vit. S. Martin.* 2. 350. Et levis umbriferæ volitavit imago figuræ, Visibus exclusus, reliam pædore cruminans. Hic *Vet. interpres* hæc habet: Crumina sacculi genus apud Plautum; unde c r u m i n a r e prisci festive traxerunt ad eam corporis partem, qua operari naturæ solemus.

CRŬOR, ōris, m. 3. sanguis vulnere effusus. Hoc enim differunt, quod *sanguis* est etiam cum in venis clauditur, *cruor* tantummodo effusus. Est a κρύος, quod Æoles pronunciabant κρύορ, ex quorum dialecto Romani multa hauserunt; significat autem *sanguinem frigefactum*: hinc *crudus*, qui est adhuc in cruore. *Lucret.* 2. 194. E nostro cum missus corpore sanguis Emicat exultans alte, spargitque cruorem. Adde *Tac.* 12. *Ann.* 47. *Asper* ad *Virg.* 8. *Æn.* 106. p. 58. edente *A. Mai.* Quamdiu in corpore est, sanguis est; cum fluxit, cruor; cum exiit, tabes est.

I.) Proprie ac stricto sensu. — *a*) In singulari numero. *Lucret.* 4. 842. Et lacerare artus fœdareque membra cruore. Adde *eumd.* 5. 1148. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Cruorem inimici quam recentissimum ostendere. *Sall. Cat.* 51. Armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Adde *Catull.* 68. 79. *Virg.* 4. *G.* 542. sacrum jugulis demitte cruorem. *Id.* 5. *Æn.* 470. Crassum cruorem ore rejectare. *Id.* 11. *ibid.* 804. Hasta virgineum alte bibit acta cruorem. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 470. *Horat. Epod.* 3. 6. Cruor viperinus incoctus herbis. *Id.* 1. *Sat.* 8. 28. Cruor in fossam confusus. *Id.* 2. *Od.* 13. 7. penetralia (*crediderim*) Sparsisse nocturno cruore Hospitis. Adde *eumd.* 2. *Od.* 1. 36.; *Epod.* 7. 20., 17. 32. et 17. 51. et *Art. P.* 476. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 9. Lupus avidus cruoris. *Id.* 7. *Met.* 333. Haurire cruorem. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 121., 6. 253., 3. 148. et 4. 140. *Curt.* 4. 2. 14. Aristander peritissimus vatum respondit, si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum. Adde *eumd.* 8. 10. 29. et 4. 2. 23. *Grat. Cyneg.* 471. geminaque cruor ducendus ab aure. *Val. Flacc.* 3. 724. Largusque cadentum It cruor, et currus dominis ingentibus orbi. Adde *eumd.* 1. 818., 1. 822., 2. 233. et 6. 185. *Tac.* 14. *Ann.* 30. Nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 21.; et *Sueton. Tib.* 50., *Ner.* 12. et *Galb.* 18. — *b*) In plurali numero. *Virg.* 4. *Æn.* 687. atros siccabat veste cruores. *Val. Flacc.* 4. 330. tenues tamen ire cruores Siderea de fronte videt. Adde *eumd.* 5. 585., 7. 552., 6. 705. et 614.

II.) Translate. ¶ 1. Cruor est vitalis vis apud *Lucret.* 1. 579. Scit cruor imperii qui sit. — Obscœno sensu. *Colum.* 10. *R. R.* 360. Obscœno (*femina*) manat pudibunda cruore. — *Canens cruor* in ore apri est spuma cana sanguine mixta, apud *Sil. It.* 1. 424. Hinc apud *Virg.* 3. *G.* 203. Spuma cruenta. ¶ 2. Item cruor est idem ac cædes. *Tibull.* 2. 3. 60. Hinc cruor, hinc cædes. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 275. Adde cruorem stultitiæ. *h. e.* cædem vel crudelitatem. *Lucan.* 9. 1022. regna Phari nullo quæsita cruore. *Ovid.* 15. *Met.* 465. Parare se cruori humano. *h. e.* disponere se ad cædem hominis faciendam. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 161. *Vopisc. Aurel.* 24. A cruore innocentium abstine. Adde *Horat.* 2. *Od.* 1. 5., ubi plur. numerus occurrit. ¶ 3. Poetice ponitur et pro sanguine in venis clauso. *Lucret.* 3. 787. Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse. Adde *eumd.* 1. 864. et 5. 131.

CRUPPELLĀRII, ōrum, plur. 2. apud Æduos fuere servi gladiatores, quibus more gentico continuum ferri tegimen: inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Ita *Tac.* 3. *Ann.* 43., ubi *Muretus* suspicatur legendum *clibanarii*: sed alii stant acriter pro voce altera.

CRŬRĀLIS, e, adject. ad crura pertinens. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* Barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus. *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. Fasciæ crurales, pedulesque loco vestis sunt. *Crurales fasciæ*, περισκελίδες erant, quæ *Sueton. Aug.* 82. vocat *tibialia*, muniendis tegendisque cruribus: quarum loco sunt nobis, quæ dicuntur *calze* et *calzette*. Multa de iis *Casaubon.* ad *Sueton. loc. cit.* — Quidam apud *Ulp.* leg. *crurules.* — *Cruralia* absolute legitur tantummodo in *Not. Tir.* p. 129.

CRŬRĀRIUM, ii, n. 2. cruralis corrigia. *Gloss. Cyrill.* Σκελόδεσμος, crurarium.

CRŬRICREPĬDA, æ, m. 1. nomen servi est apud *Plaut. Trin.* 4. 3. 14., cui nempe crura compedibus crepuerunt, vel qui adeo malus est, ut crurifragium mercatur. Sic *oculicrepidæ* dicuntur ii, quibus oculi pugnis contundi solent. *Ibid.*

CRŬRĬFRĀGIUM, ii, n. 2. fractio crurum. *Glossæ Philox.* habent etiam *Crurifrangium*, minus tamen recte; nam *fœdifragus*, non *fœdifrangus* dicitur. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 64. Continuo is me ex Syncerasto Crurifragium fecerit. Alii legunt *Crurifragum*. *Apul.* 9. *Met.* Crurum ei fragium abominata. tmesi usus est. — De supplicio crurifragii agit *Lips. de cruce l.* 2. *c.* 14. et *l.* 3. *c.* 14. *V.* SUFFRINGO.

CRŬRĬFRĀGIUS vel

CRŬRĬFRĀGUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

CRURULIS. *V.* CRURALIS.

CRŪS, ūris, n. 3. Ratione habita etymi, nonnulli deducunt a κρούω *pulso*, unde crus quia incedendo pulset vel pulsando incedat. — Ceterum crus est pars corporis a genu ad pedem (It. *gamba*; Fr. *jambe*; Hisp. *pierna*; Germ. *der Schenkel, das Schienbein*; Angl. *the leg from the knee to the ankle*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cels.* 8. 1. *ad fin.* Ipsum autem crus est ex ossibus duobus. Etenim per omnia femur humero, crus vero brachio simile est. *Lucret.* 3. 652. Inde alius conatur ademto surgere crure. Adde *eumd.* 3. 476., 4. 993. et 3. 528. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Crura (*alces*) sine nodis articulisque habent. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 18. Fracta pecudum non aliter quam hominum crura sanantur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Ibes aves excelsæ cruribus rigidis. *Virg.* 3. *G.* 53. *de bobus.* Et crurum tenus a mento palearia pendent. *Id.* 3. *ibid.* 192. *de equo.* sinuetque alterna volumina crurum. Adde *Quintil.* 11. 3. 139. et 144. *Ovid.* 4. *Met.* 580. commissaque in unum Paullatim tereti sinuantur acumine crura. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 131. Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mi. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. 92., *Epod.* 4. 4., 1. *Sat.* 3. 47., 1. *Ep.* 17. 59. et 2. *Od.* 20. 9. *Plin.* 11. *Hist.*

nat. 2. 1. (3). Natura in culice prælongavit pedum crura. Id. 31. ibid. 8. 19. (36). Crure uno insistere. Id. 11. ibid. 45. 105. (253). Suræ homini tantum et crura carnosa. Id. 8. ibid. 33. 51. (120). Crura recta et excelsiora. Sueton. Cal. 3. Formæ (Germanici) minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paullatim repleta assidua equi vectatione post cibum. Id. Vitell. 7. Crus debile. Adde eumd. Cæs. 82., Aug. 20., Vitell. 9., Vesp. 7., Ner. 51. et Aug. 68.; Curt. 7. 6. 3., 9. 1. 29., 4. 6. 23., 7. 6. 5. et 9. 1. 32.; et Juvenal. 13. 95., 6. 257., 16. 24. et 6. 446. — b) Specialim de sontium supplicio, quibus crura frangebantur. Cic. Rosc. Am. 20. 56. Crura alicui suffringere. Adde Sueton. Aug. 67. et Tib. 44.; et Juvenal. 10. 60. Martial. 11. 58. Frangam tonsori crura, manusque simul. — c) De more effeminatorum hominum depilandi resina crura, quo molliores delicatioresque viderentur, habes testimonia apud Martial. 12. 38. et 9. 28.; Juvenal. 8. 114.; et Plin. 14. Hist. nat. 20. 25. (123).

II.) Translate in arboribus crus est ima pars trunci. Colum. 5. R. R. 11. 14. Ramum olivæ deflecte, et ad crus arboris ficulneæ religa. Id. 3. ibid. 10. 2. Aut in capite vitium, aut in crure radicibus vicino. Adde eumd. 3. ibid. 18. 5. et 4. ibid. 24. 4. et 6. Arbor. 16. 3. Plin. 17. Hist. nat. 19. 30. (138). Crus fici. Adde Pallad. 1. R. R. 35. 6. — NB. De cognom. Rom. V. ONOM.

CRUSCULUM, i, n. 2. deminut. a crus, pusillum crus. Plautus apud Paul. Diac. p. 52. 20. Müll. Cum crucotillis crusculis. Martial. 3. 93. Pectus cicadæ, crusculumque formicæ.

CRUSMA, ătis, n. 3. κροῦσμα, species quædam crotali, quo præcipue utebantur Itali et Hispani, a κρούω pulso (V. Spon. Misc. ant. p. 21. n. 44.). Martial. 6. 71. Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus, Et Gaditanis ludere docta modis. Alii leg. crumata, quod ejusdem est originis et significationis; nam etiam Græce κροῦμα dicitur. Capell. 2. p. 34. Melos probare ac tonos et crusmata Artesque cunctas solita. — Aliam notionem V. in voce sequenti.

CRUSMĂTĬCUS, a, um, adject. quasi dicas pulsatorius. Crusmatica appellatur pars musicæ. Auctor fragmenti, quod cum Censorino edi solet, c. 11. Musica est peritia faciendorum et canendorum modorum: ejus partes harmonica, organica, crusmatica. Crusmata pulsus decori sine carmine vocantur. h. e. cymbalorum sonitus et crotalorum.

CRUSTA, æ, f. 1. si credimus Vossio, qui derivat a κρύος gelu, proprie dicitur de superficie aquarum, quæ in glaciem concrevit. Virg. 3. G. 360. Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ. — Ceterum usurpatur de operimento fragili in aliis rebus (It. crosta; Fr. écorce, écaille, croûte; Hisp. corteza, concha; Germ. die Rinde, Schale, Kruste; Angl. a crust of ice frozen).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Lucret. 6. 626. Mollisque luti concrescere crustas. Plin. 29. Hist. nat. 4. 30. (95). Vis cantharidum adurere corpus, crustas obducere. Id. 9. ibid. 30. 50. (95). Locustæ crusta fragili muniuntur. Id. 9. ibid. 23. 44. (83). Pisces contecti crustis tenuibus. Id. 15. ibid. 28. 34. (112). Crusta teguntur glandes. Id. 19. ibid. 8. 53. (168) Crusta panis inferior. Id. 29. ibid. 3. 12. (53). Ovum crusta cartilaginis. h. e. putamine cartilaginoso. Id. 13. ibid. 4. 9. (46). Caryotæ crustam verius, quam cutem obducunt. Id. 20. ibid. 9. 36. (95). Crustæ si occupent intus vasa, in quibus aquæ fervent in tantum, ut non sit eas avellere, si brassica in iis decoquatur, abscedunt. Cels. 5. 9. Crustas ulceribus tamquam igne adustis inducere. Id. 5. 10. Crustas resolvere. Frontin. Aquæd. 122. Limus interdum in crustam durescit. Adde Pallad. 12. R. R. 22. 3. Ulp. Dig. 39. 2. 9. Crusta soli vel terræ. Alphen. apud Ulp. Dig. 39. 2. 9. Si ex fundo tuo crusta lapsa sit in meum fundum. h. e. gleba. ¶ 2. Specialim crustæ dicuntur marmorum lapidumque segmenta, quibus musiva opera conficiuntur. (Cf. Plin. 36. Hist. nat. 6. 6. (47). Secare marmor in crustas. Id. 37. ibid. 4. 15. (60). Adamas in tam parvas friatur crustas, ut cerni vix possint). Cic. 6. Verr. 22. 52. Quæ probarant, iis crustæ aut emblemata detrahuntur. (Crustæ sunt riporti di basso rilievo, emblemata vero di alto rilievo). Plin. 36. Hist. nat. 6. 7. (48). Crusta marmoris operire parietes. Id. 35. ibid. 12. 46. (154). Crustæ parietum. h. e. tectorium. Juvenal. 5. 38. Capaces Heliadum crustæ. h. e. pocula ex electro. Paul. Dig. 34. 2. 32. Cymbia argentea crustis aureis illigata. — Impp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod. Theod. 15. 7. 11. His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Græco nomine a Latino crustas vocant: in quibus alii admixtus colori, puri robur muricis inardescit: crustas appellant, inquit Du Fresne in Glossar., quod sicut crustæ marmoris parietibus affiguntur, ita ejusmodi vestes assutis in crustarum modum segmentis, vel limbis distinguerentur. Salmas. ad Trebell. Claud. 17. putat ita dictas esse a densitate texturæ: et κρουστὰς appellatas, quod pectine essent bene percussæ: a κρούω pulso. ¶ 3. Item specialim crates, stratum. Pallad. 12. R. R. 22. 3. Mixtis omnibus olivas infundis, inculcas, et subinde crustam faciendo saturabis, donec ad vasculorum summa ora pervenias. h. e. Laterem cratem faciendo, ut Id. ait ibid. 22. 4.

II.) Translate. Seneca Provid. 6. Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis. — NB. De cogn. Rom. V. ONOM.

CRUSTĀRĬUS, a, um, adject. ad crustam pertinens. Festus p. 53. 6. Müll. Crustariæ tabernæ a vasis potoriis crustatis dictæ. — Hinc

Crustarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui crustas vasis affigebat. Plin. 33. Hist. nat. 12. 55. (157). Habuit et Teucer crustarius famam. V. CRUSTA I. 2.

CRUSTĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod incrustatio. Gloss. Cyrill. Πλάκωσις, crustatio.

CRUSTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CRUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Crustans et Crustatus. — Crusto est crusta obduco, incrusto (It. incrostare; Fr. couvrir d'une écale, incruster, enduire; Hisp. incrustar; Germ. mit Rinde, Schaale überziehen, übertünchen; Angl. to cover with a cruste). Varro apud Non. p. 129. 4. Merc. Pavimenta et parietes crustati. Al. leg. incrustati; quod et in Inscript. apud Don. cl. 2. n. 6. habetur. Lucan. 10. 114. Nec summis crustata domus, sectisque nitebat Marmoribus. Plin. 15. Hist. nat. 17. 18. (64). Mala generosissima crustant gypso vel cera. Apul. 7. Met. Crustata crassities pectoris et ventris. h. e. crassæ sordes in modum crustæ collectæ. Ammian. 24. 2. ad fin. Porta hostilis, crasso ferro crustata. Id. 15. 10. Hieme vero humus crustata frigoribus. h. e. glacie cooperta. Sic Capell. 6. p. 197. Verum illæ duæ regiones, quas fascias item dixi, quarum una vicinantis Plaustri algore crustatur etc. h. e. glaciatur. Sidon. 1. Ep. 5. Pontes calcabili silice crustati. Id. carm. 2. 418. Hic domus Auroræ rutilo crustante metallo, Baccarum præfert leves asprata lapillos. — Hinc

Crustata, ōrum, n. plur. 2., subaudi animalia, absolute, substantivorum more, sunt pisces crusta, seu testa obducti. Plin. 11. Hist. nat. 37. 62. (165). In marinis crustata et cartilaginea primores dentes habent.

CRUSTŌSUS, a, um, adject. crustam habens. Occurrit tantum Comp. Crustosior apud Plin. 12. Hist. nat. 9. 19. (36). Bdellium crustosius et amarius.

CRUSTŬLA, æ, f. 1. deminut. a crusta, parva crusta. Plin. 22. Hist. nat. 25. 70. (142). Lens crustulas ulcerum rumpit. Sillig vero ex optimis Codicibus pusulas legit. Arnob. 2. 58. Potestis interrogati planum facere, quid nivem in plumeas subaperiat crustulas? h. e. in plumearum crustularum speciem nobis ostendat. Id. ibid. 59. Quod imbres ac nives plumeas dilatarit?

CRUSTŬLĀRĬUS, ii, m. 2. qui crustula facit, et vendit. Seneca Ep. 56. Et botularium cogita et crustularium et omnes popinarum institores.

CRUSTULĀTUS, a, um, adject. Spartian. Æl. Ver. 5. Nam tetrapharmacum, seu potius pentapharmacum, ipse dicitur reperisse, hoc est sumen, fasianum, pavonem, pernam crustulatam, et aprugnam. Al. omittunt pernam: al. leg. pernam, crustulata. Si crustulatum solummodo legas, erit idem quod crustulum.

CRUSTŬLUM, i, n. 2. Crustlum pro crustulum legitur in Inscript. apud Orell. 686., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 18. V. voc. seq. — Crustulum est deminut. a crustum, parvum crustum, seu placenta, ut Acron et Vet. Scholiast. Juvenal. docent: videtur autem ita dici, quod in tenuem crustam percocta sit. Varro 5. L. L. 22. Müll. Crustulum a crusta pultis. Isid. 20. Orig. 2. docet esse panem oleo conspersum, in medio concavum et tortum. Hæc tamen Isidori verba in quibusdam tantum editionibus leguntur, in melioribus absunt. Horat. 1. Sat. 1. 25. ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. Seneca Ep. 99. ad fin. Consolamur crustulo pueros. Juvenal. 9. 5. Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo. Inscript. apud Gruter. 100. 5. OB DEDICATIONEM POPVLO CRVSTVLVM ET MVLSVM DEDIT. Adde Inscript. apud Murat. 830. 3. et apud Gruter. 228. 8. et 571. 1.; et apud Orell. 2516., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 25. V. BUCCELLATUM et MUSTACEUM; et Cavedoni Marm. Moden. p. 151. n. 11.

CRUSTUM, i, n. 2. frustum panis, aut placentæ, crustulum. Virg. 7. Æn. 114. Et violare manu, malisque audacibus orbem Fatalis crusti. Ubi Servius: crustum et crusta neutraliter dicimus de his, quæ comedi possunt, feminino autem genere, quæ comesse non possumus. Horat. 1. Ep. 1. 78. Crustis et pomis viduas venantur avaras. Inscript. apud Gruter. 173. 4. VT EX EO VECTIGALE QVOTANNIS COLONIS MVLSVM ET CRVSTVM NATALI CAESARIS AVG. DARETVR. At Orell., qui hanc eamdem Inscript. refert n. 686., pro crustum legit crustlum. Adde aliam apud Gruter. 373. 8., ubi eadem sententia.

CRUX, crŭcis, f. 3. Masculino genere dixit Ennius apud Non. p. 195. 13. Merc. et Gracchus apud Festum p. 150. 24. Müll., quæ loca V. infra sub II. b. et sub I. a. — In Genitivo plurali crucum ne sit, an crucium, lis est. Legitur quidem crucium apud Tertull. Apolog. 16. bis: ubi Sciopp. invenit crucum in quodam MS. atque ita Rigaltius edidit tum hoc loco, tum 1. ad Nation. 12. Pammelius quoque, licet crucium ediderit ex auctoritate excusorum librorum, fatetur tamen crucum esse in MSS. omnibus. Denique etiam Charis. 1. p. 114. Putsch. volebat crucum. Quare videtur præferendum: sic nucum, ducum, conjugum, frugum. — Crux est instrumentum e duplici ligno, recto et transverso, in quo damnati clavis, aut funibus affigebantur (It. croce; Fr. croix; Hisp. cruz; Germ. d. Kreuz; Angl. a cross).

I.) Proprie. — a) Generatim. Ter. Andr. 3. 5. 15. PAMPH. Item, quo fretu' sum, qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias. An non dixi hoc esse futurum? DA. Dixi. PAMPH. Quid meritus? DA. Crucem. Cic. 3. Verr. 3. 7. Cives R. implorantes jura libertatis et civitatis, in crucem sustulit. Id. 5. Fin. 30. 92. A prætore Darii in crucem actus est. Id. 3. Verr. 4. 9. Cives R. morte, cruciatu, cruce afficere. Id. Pis. 18. 42. Si te et Gabinium cruci suffixos viderem. Id. 7. Verr. 6. 12. Figere crucem servis. Id. 1. ad Q. fr. 2. 2. Illum crucem sibi ipsum constituere, ex qua tu eum ante detraxisses. ἀλληγορικῶς. Gracchus apud Festum p. 150. 24. Müll. Dignus fuit qui malo cruce periret. Horat. 2. Sat. 7. 47. Peccat uter nostrum cruce dignius? Adde eumd. 1. Ep. 16. 48. Id. 1. Sat. 3. 82.; et Auct. B. Afric. 66. Suffigere aliquem in cruce. Curt. 6. 3. et Tac. 15. Ann. 44. Cruci affixus. Adde Curt. 9. 8. 16. et 7. 11. 28. et Lucan. 10. 517. Petron. Satyr. 111. Latrones jussit crucibus affigi. Id. ibid. 137. Si magistratus hoc scierint, ibis in crucem. Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (107). Defunctorum figere crucibus corpora. (V. CRUCIFIGO.) Id. 14. ibid. 1. 3. (12). Pendere in cruce. Adde Quintil. 7. 1. 30. Sueton. Galb. 9. Statuere alicui crucem. Adde eumd. Cæs. 74. et Domit. 10. et 11. Juvenal. 6. 219. Servo crucem ponere. Justin. 18. 7. In altissimam crucem suffigi jussit. Adde eumd. 21. 4. et 7.; Pacat. Paneg. Theod. 44.; Coripp. 11. 176. et Vulcat. Gall. Av. Cass. 4. — b) Varii generis cruces fuerunt, de quibus Lips. de Cruce l. 1. et 3. exhibitis figuris fuse disserit. Fuit autem supplicium fere servorum, acerrimum et infame, cum in cruce suspensi diu cruciarentur, paullatimque et magnis doloribus vitam finirent. Ceterum Lips. cit. l. 1. c. 5. duplex esse statuit crucis genus, simplex et compactum: illud uno simplicique ligno constans, hoc duplici, erecto et transverso, ut dictum est. Ad primum crucis genus pertinere docet illud Senecæ Consol. ad Marc. 20. Video istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas, capite quidam conversos in terram suspendere: alii per obscena stipitem egerunt: alii brachia patibulo explicuerunt. agere per obscena stipitem, est quod dicimus impalare, ἀνασκολοπίζειν, a Turcis hodieque usurpatum supplicium. (Hinc Priapus furi stuprum minitatur his verbis apud Catull. 20. 18. Parata namque crux, sine arte mentula). De eo Mæcenas in carm. apud Senec. Ep. 101. Vi-

ta dum superest, bene est. Hanc mihi vel acuta si sedeam cruce, sustine. At *Ruhkopfius*, in *adnot.* huic loco subjecta, contendit, hic sermonem esse de cruce tertii generis, nam mox ait *Seneca*: Suffigas licet, et acutam sessuro crucem subdas? Putat enim præter arrectarium stipitem, et ejus antennam, cui manus infigerentur, fuisse in medio stipitis palum acutum, cui per anum immisso suspendendus insideret, ne defunctus cito prolaberetur, sed ibidem putresceret. — *c*) *Crucem pendulam* de temone currus dixit *Stat.* 4. *Silv.* 3. 28. — *d*) Crucem appellat *Seneca Provid.* 3. machinam illam, in qua alligatus M. Regulus vigilia et inedia necatus est: de qua machina V. *Gell.* 6. 4. — *e*) Denique significat illud crucis signum, quo Christiani utuntur. *Sever. Sanc. de mort. boum* 105. Signum quod perhibent esse crucis Dei. *et mox.* Hoc signum, mediis frontibus additum Cunctarum pecudum certa salus fuit.

II.) Translate. — *a*) Crux dicitur de omni cruciatu, pernicie, interitu, calamitate. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 46. Jamque hosce absolutos censeas, cum incedunt infectores crocotarii; aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat. *Id. Bacch.* 4. 2. 3. Quæ te mala crux agitat? *h. e.* quæ Furia. *Id. Men. prol.* 66. Fluvius rapidus raptori pueri subduxit pedes: abstraxitque hominem in maximam malam crucem. *h. e.* ad interitum, mergendo. *Ter. Eun.* 2. 3. 91. At id flagitium est, si in domum meretriciam deducar, et illis crucibus, quæ nos nostramque adolescentiam habent despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis, nunc referam gratiam? *Id. Phorm.* 3. 3. 11. Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem. *h. e.* in malo aliud malum, ut *Donatus* exponit. — *b*) Sæpe adhibetur in execrationibus. *Plaut. Pers.* 5. 2. 17. Quid ais, crux, stimulorum tritor? — Sæpius cum additis *i* vel *abi*, ut apud *Plaut. Most.* 3. 2. 163. Abin' hinc in malam crucem? *Id. Men.* 2. 2. 53. Numquid vis? MEN. Ut eas maximam in malam crucem. *Id. Rud.* 1. 2. 86. Evasit ex aqua: jam in littore est: sed dextrorsum aversa it in malam crucem. — Et omisso verbo. *Plaut. Capt.* 3. 1. 9. Ilicet parasiticæ arti in malam maximam crucem. *subaudi* ire licet. *Ter. Phorm.* 2. 3. 21. In malam crucem. — Et omisso Adject. *Plaut. Asin.* 5. 2. 91. I in crucem. — Mascul. gen. *Ennius* apud *Non.* p. 195. 13. *Merc.* Malo cruce fatum ut des, Juppiter. Al. leg. *Malo cruce fatum*, etc. — *c*) *Summum jus summa crux*, proverb. apud *Colum.* 1. *R. R.* 7. 2., quo monemur, non esse vindicandum quidquid licet, sed remittendum aliquid, et comiter ac facile cum inferioribus agendum.

CRȲPHII, ōrum, m. plur. 2. in sacris Mithræ videntur fuisse vel sacerdotes occultioribus sacris initiati, vel sacra ipsa magis arcana, quæ iis demum ostendebantur, qui ejus dei ministri esse cupientes, multa suæ devotionis experimenta per varios cruciatus et purgationes dedissent. Specus enim erat tenebrosus et horridus, in quo consecrabantur: qui specus κρυφιος dicebatur, eodemque nomine vocabatur ipse Mithra: a κρύπτω abscondo. Meminit hujus specus *Hieronym. Ep.* 107. n. 2. Cryphiorum vero nomen legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 303. 2. et 1087. 4. Plura hac de re *Reinesius* ad *Inscript.* 48. *cl.* 1. Quod si in antiquis marmoribus vel *Cryfii* legatur, vel *Criphii*, censendus est idiotismus: nam sæpe in antiquis monumentis labentis Latinitatis videre est litteram *f* pro *ph*, et *i* pro *y* fuisse usurpatas.

CRY̆PTA, æ, f. 1. κρύπτη, Græca vox a κρύπτω abscondo, qua significatur locus fere subterraneus fornice tectus cum fenestris in summitate tantummodo (It. *luogo sotterraneo*, *caverna*, *grotta*; Fr. *voûte souterraine*, *caveau*, *grotte*; Hisp. *boveda*, *gruta*, *caverna*; Germ. *ein unterirdischer*, *verdeckter Gang*, *Gewölbe*, *Gruft*; Angl. *a vault*, *caverne*, *grotto*). *Varro* apud *Non.* p. 169. 11. *Müll.* Non vides in magnis peristyliis, qui cryptas domi non habent, sabulum jacere a pariete aut e xystis, ubi ambulare possint? *Juvenal.* 5. 106. *de pisce.* Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ. *h. e.* cloacam, quæ fornicato opere subterraneum canalem sordibus urbis præbebat. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 153. Haud procul extremo culta ad pomœria vallo Mersa latebrosis crypta patet foveis: Hujus in occultum gradibus via prona reflexis, etc. Hic describuntur cryptæ illæ, quæ nunc *catacombe dei martiri* appellantur, quarum graphicam descriptionem habes etiam apud *Hieronym.* in *Ezech. c.* 40. *v.* 5 *Sueton. Cal.* 58. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas præpararentur, ut eos inspiceret, restitit. — Usurpatur et de granario subterraneo. *Vitruv.* 6. 5. 2. *Schneid.* In ædibus cryptæ, horrea, apothecæ, ceteraque quæ ad fructus servandos magis, quam ad elegantiæ decorem possunt esse. Nam, ut docet *Varro* 1. *R. R.* 57. 2., quidam granaria sub terris habebant. — Crypta Neapolitana, nunc *grotta di Napoli*, est specus pervium sub monte Pausilypo, haud procul Neapoli, per quod Puteolos via compendiosa itur, MDCCC. pedes longa, alta et lata XX. circiter: ad cujus initium Virgilii sepulcrum fertur esse situm e marmore. *Seneca Ep.* 57. Totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit: a ceromate nos haphe excepit, in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, quæ nobis præstant, non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas.

CRYPTĀRIUS, ii, m. 2. cryptæ custos. *Inscript.* apud *Marini, Iscriz. Alb. p.* 12. COLLEGII SILVANI AVRELIANI CVRATORES M. AVRELIVS AVG. LIB. HICARVS ET COELIVS MAGNVS CRYPTARIVS. Pars ejusdem *Inscrip.* legitur apud *Murat.* 182. 4. et 2017. 2.

CRYPTĬCUS, a, um, adject. κρυπτικός a κρύπτω *abscondo.*

I.) Proprie est idem ac subterraneus. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Pontes, quos antiquitas a fundamentis ad usque aggerem calcabili silice crustatum crypticis arcubus fornicavit.

II.) Translate *cryptici* dicuntur *Firmic.* 3. *Mathes.* homines taciturni, qui occultant (κρύπτουσι) suas cogitationes.

CRYPTŎPORTĬCUS, us, f. 4. porticus subterraneæ similis, et a sole remota; qua refrigerandi causa per æstatem uti licet. Vox hybrida est a Latino *porticus*, et Græco κρυπτὸς *absconditus*, *tectus*. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* In summa cryptoporticu cubiculum, ex ipsa cryptoporticu excisum. *Id.* 2. *ibid.* 17. Hinc cryptoporticus extenditur: utrimque fenestræ, a mari plures, ab horto singulæ et altius pauciores. Hæ, cum serenus dies et immotus, omnes: cum hinc vel inde ventus inquietus, qua venti quiescunt, sine injuria patent. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 21., et *Sueton. Cal.* 59. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* A parte vestibuli longitudo tecta interius patet, quæ quia nihil ipsa prospectat, etsi non hippodromus, saltem cryptoporticus meo mihi jure vocitabitur. Hanc *Vitruv.* 5. 11. 4. *Schneid.* duplicem porticum appellat.

CRYSTALLĪNUS, a, um, adject. κρυστάλλινος, ad crystallum pertinens. *Capitolin. Ver.* 5. Calices murrhini et crystallini. Adde *eumd. Ant. Phil.* 17. *Plin.* 37. *Hist. Nat.* 2. 10. (28). Crystallina pila adversis posita solis radiis. *Id.* 37. *ibid.* 9. 39. (120). Crystallina centra in sapphiris. — Hinc

Crystallina, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur vasa e crystallo. *Plin.* 37. *Hist. Nat.* 2. 11. (30). Proximum locum in deliciis, feminarum tamen adhuc tantum, succina obtinent eamdemque omnia hæc quam gemmæ auctoritatem, sane priora illa aliquis de causis, crystallina frigido potu, murrina utroque. Adde *Juvenal.* 6. 154.; *Martial.* 1. 54. et 9. 60. — *Præpositus a crystallinis* est inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 474. 4.

CRYSTALLĬON, ii, n. 2. κρυστάλλιον, herba eadem, quæ psyllion, *Plin.* 25. *Hist. Nat.* 11. 90. (140).

CRYSTALLŎĪDES, is, adject. κρυσταλλοειδής, crystallo similis: a κρύσταλλος *crystallus*, et εἶδος *species*, *forma*. *Theod. Priscian.* 4. 2. *a med.* Oculi interior tunica, quam Græci crystalloidem vocant, seu phacoidem, seu discoidem. *V.* PHACOIDES.

CRYSTALLUM, i, n. 2. κρύσταλλος. Masculino genere occurrit apud *Solin. loco infra cit.* — Crystallum

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est idem ac glacies. *Auct. Priap.* 64. Rigetque dura barba vincta crystallo. ¶ 2. Sæpius latiori sensu usurpatur et est lapis, seu succus perspicuus lapidescens, quem sub terris, aut inter gelidas rupium venas frigus glaciat et durat: quasi κρυόσταλλος, a κρύος *frigus*, et στέλλομαι pro συστέλλομαι *contraho*, quia ab aliquibus glacies censetur, idest aqua frigore concreta: vel melius a similitudine glaciei. Porro de crystalli natura et origine agunt *Plin.* 37. *Hist. nat. cap.* 2., *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 25. et *Solin.* 15. *sub fin. Curt.* 3. 3. 8. Imago solis crystallo inclusa fulgebat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (192). Vitrum in India e crystallo fracta fieri. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 126. Raraque longævis nivibus crystalla gelari.

II.) Improprie per synecdochen sumitur pro vase e crystallo: qua de re *Solin.* 15. *sub fin.* Crystallus, quem Europa subministrat, *etc.* multus ad pocula destinatur, *etc.* sexangulus invenitur. *Martial.* 10. 66. Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit. *Id.* 9. 23. Nec labris nisi magna meis crystalla terantur. *Propert.* 4. 3. 52. Crystallusque suas ornet aquosa manus. De crystallo, cui aqua inerat, aliquot sunt epigrammata *Claudiani* a 6. usque ad 14. Atque hæc fortasse est, quam *aquosam* dicit *Propert.*; et opportuniorem habes interpretationem in *V.* AQUOSUS.

CT

CTĒSĬBĬCUS, a, um, adject. ad Ctesibium pertinens, ut Ctesibica machina, quæ in altitudinem aquam educit, *h. e.* ab illo inventa. *Vitruv.* 10. 7. 1. *Schneid.* Fuit autem Ctesibius vir Alexandrinus, qui sub Ptolomæo Evergeta floruit, et pneumaticam rationem, atque hydraulica organa reperit, uti docet *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 38. (125). et *Vitruv.* 9. 8. 8. *Schneid.* Hujus machinæ nuper inventæ formam et descriptionem habet *E. Q. Viscont. Op. Var. T.* 2. *p.* 29. *tab.* 3.

CTĒTĬCUS, a, um, adject. κτητικός, possessivus. *Pompejus Comment. art. Donat. p.* 114. Nomen, quod in *ius* exit, et patronymicum est, et cteticum, id est possessivum. Si dicam *Atreius*, ambiguum est, utrum de filio, aut de gladio Atrei dicam. *P. Consent.* p. 2021. *Putsch.* Sunt alia ctetica, quæ abusiva vel possessiva dicuntur, ut *Evandrius ensis*, *Agamemnoniæ Mycenæ*. V. etiam adnotata ad THETICUS.

CU

CŬBĀTĬO, ōnis, f. 3. actus cubandi. *Varro* 5. *L. L.* 30. *Müll.* A cubatione cubiculum. *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. Elephantes dum, cubationis causa, arte hominum succisis arboribus ingentia membra commiserint; toto pondere supinati, nequeunt propriis viribus surgere, quos semel contigerit corruisse.

CŪBA. V. CUMBAM.

CŬBĀTOR, ōris, m. 3. qui cubat. *Paulin. Nolan. Ep.* 21. (*al.* 24.) 4. Joannes beatus Dominici pectoris cubator.

CŬBĀTUS, us, m. 4. idem ac cubatio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 57. 78. (157). *de gallinis pituita laborantib.* Medicina in fame, et cubatus in fumo. *Harduin.* ex MSS. legit *cubitus*; quam lectionem retinuit et *Sillig.*

CŬBĬCŬLĀRIS, e, et

CŬBĬCŬLĀRĬUS, a, um, adject. ad cubiculum pertinens. *Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. et 5. *Tusc.* 20. 59. Cubicularis lectus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (226). Cubicularia stragula. *Martial.* 14. 39. *in lemmate.* Lucerna cubicularia. *Id.* 14. 147. Cubicularia gausapina. *Sueton. Aug.* 7. Imagines cubiculares. *h. e.* imagines quæ in cubiculo servantur. *Lipsius legit* cubiculi lares. *Inscript.* apud *Murat.* 901. 5. T. FLAVIVS AVG. L. CARS. A VESTE CVBICVLARIA. *Fulgent.* 1. *Mythol. præfat. a med.* Hospita cubicularias impulsu fores irrupit. — Hinc

Cubicularius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est servus a cubiculo. *Cic.* 6. *Att.* 2. Aditus autem ad me minime provinciales: nihil per cubicularium. *Id.* 5. *Verr.* 4. 8. Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt. *Sueton. Domit.* 17. Saturius decurio cubiculariorum. Adde *eumd. Ner.* 38., *Cæs.* 1. et *Aug.* 21.; *Capitolin. Pert.* 4. et *Vopisc. Car.* 5. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 504. T. AELIO AVG. LIB. GLAVCO CVBICVLARIO STATIONIS PRIMAE. Nos dicimus *ciambellano dell'ultima anticamera.*

Cubicularia, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ancilla cubiculi. *Inscript.* apud *Gruter.* 678. 5. D. M. EMARAGDI *liberti* DOMITIA POLLIN. CVBICVLARIA EX COLLEGIO. Alia apud *Guasco*, *Mus. Capitol. T.* 1. *p.* 79. VERNASIAE DOMITIA MATER CVBICVLVRIA EX COLLEGIO. Fortasse in prima *Inscript.* legendum est *cubicularii*, in altera *cubicularia*. Adde aliam apud *Murat.* 399. 1., ubi tamen *cubecularia* legitur.

CŬBĬCŬLĀTUS, a, um, adject. in cubiculi modum

factus, vel cubicula habens, ut *cubiculatæ naves* apud *Senec.* 7. *Benef.* 20. thalamegi.

CUBĬCŬLUM, i, n. 2. (cubo). *Cubiclum* per syncopen dixit *Martial.* 10. 30. 17. — Est conclave, membrum in ædibus, in quo tum per diem manemus, tum noctu cubamus: quamquam si locum significet, in quo dormitur, aliquando adjunctum habet aliquid ejus significationis (It. *camera*; Fr. *chambre*; Hisp. *aposento*, *camara*; Germ. *das zum Schlafen oder auch zum Liegen eingerichtete Gemach*; Angl. *a bed-chamber*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 2. 2. 7. Voluit in cubiculum abducere me anus. *Cic.* 5. *Verr.* 23. 56. Cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est. *Id.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 1. Subgrande cubiculum et hibernum altum valde probavi. *Liv.* 3. 57. Minister cubiculi, qui in *Inscriptionib.* apud *Gruter.* 575. 6. et 8. et 576. 4. dicitur *a cubiculo*; apud *Liv.* tamen *loc. cit.* designat etiam ministrum libidinum. Quo pertinet illud apud *Cic.* 2. *Orat.* 65. 263. Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. Adde *Curt.* 5. 1. 42., 8. 6. 18. et 8. 6. 22. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Cubicula diurna nocturnaque. *Id.* 5. *ibid.* 6. *ante med.* Dormitorium cubiculum. *Id.* 2. *ibid.* 17. *a med.* Cubiculum noctis et somni. Adde *eumd. Paneg.* 83.; *Quintil.* 11. 2. 20., 10. 3. 25. et 8. 6. 53.; et *Tac.* 14. *Ann.* 44. *Sueton. Domit.* 16. *extr.* Parthenius cubiculo præpositus. Adde *eumd. Cæs.* 49., *Aug.* 19. 72. 73. et 100., *Tib.* 44., *Claud.* 35. et 37., *Ner.* 25. et 47. *Oth.* 11. et *Vitell.* 8.; *Aurel. Vict. Epit.* 11.; *Capitolin. Ant. Phil.* 7.; et *Trebell. Poll. Gall.* 16.

II.) Improprie. ¶ 1. *Sueton. Ner.* 12. et *Cæs.* 76. vocat *cubiculum* suggestum in podio, ex quo princeps spectare ludos solebat. Adde *Plin. Paneg.* 51. ¶ 2. Apud *Vitruv.* 2. 8. 1. *Schneid.* cubicula dicuntur in structura muri reticulata, quæ mox appellat *cubilia*, hoc est loca in quibus sedent lapides. Reticulatum, *inquit*, ad ruinas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes dissoluta habet cubicula, et coagmenta. *V.* CUBILE II. 1. At *Schneiderus* etiam hoc loco *cubilia*, non *cubicula*, legit. — Est etiam idem ac sepulcrum. *Inscript.* apud *Fea*, *Framm. consol.* p. 89. CVBICVLVM AVRELIAE MARTINAE CASTISSIMAE ADQVE PVDICISSIMAE FEMINAE, QVE FECIT IN COJVGIO ANN. XXIII. XXIIII. etc. Hæc inscriptio pertinet ad an. 336. post Christ. natum.

CŪBĬCUS vel cybicus, a, um, adject. Legitur et *cybicus, a, um*, ut *cybica soliditas* apud *Capell.* 9. *circa init.* Cum enim sit a Græco κύβος, υ modo in u Latinum transit, modo remanet. At *Koppius* apud *Capell. loc. cit.* pro *cybica* legit *cubi ac*, et quidem rectius: *V.* ibi adnotat. — Cubicus est ad cubum pertinens, vel ad cubi formam factus. *Vitruv.* 5. *præfat.* 3. Placuit cubicis rationibus præcepta in voluminibus scribere.

CŬBĪLE, is, n. 3. lectus, in quo cubatur (It. *letto*; Fr. *lit*, *couche*; Hisp. *cama*; Germ. *das Lager*, *die Lagerstätte*; Angl. *a couch.*)

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de hominibus. *Lucret.* 5. 814. Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile Præbebat. *Id.* 5. 1416. sic illa relicta Strata cubilia sunt, herbis et frondibus aucta. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 90. Mihi calceamentum est solorum callum, cubile terra. *Id.* 2. *ibid.* 17. 39. Collocare aliquem in cubili. *Id.* 4. *Cat.* 8. 17. Nulli sunt inventi, qui non cubile ac lectulum suum salvum esse velint. *cubile* hic poni videtur pro cubiculo dormitorio. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 100. Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter, Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis. Adde *Liv.* 30. 8.; *Curt.* 3. 2. 15., et 9. 3. 19.; *Quintil.* 2. 16. 16.; *Val. Flacc.* 7. 116. et 3. 37. Apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 11. 10. (38). *cubile salutatorium* videtur esse, quod nos dicimus *camera d'udienza*, *h. e.* in quo dormitur quidem, sed admittuntur tamen a ditioribus salutantes. Alii putant esse lararium, in quo Lares domi salutabant. Adde *Ammian.* 22. 4. — Hinc transfertur et ad Solem et ponitur pro occasu, quia Sol eo cubitum ire credebatur. *Horat.* 4. *Od.* 15. 16. Ad ortum Solis ab Hesperio cubili. Sic *Pacat. Paneg. Theod.* 23. Solis cubile. ¶ 2. Latiori sensu refertur aliquando ad concubitum, aut conjugium. *Cic.* 9. *Fam.* 22. Inire cubile alicujus. *h. e.* adulterare. *Virg.* 3. *Æn.* 324. Nec victoris heri tetigit captiva cubile. *Id.* 8. *ibid.* 412. castum servare cubile Conjugis. *Id.* 12. *ibid.* 144. Ascendere cubile alicujus. *h. e.* conjugem fieri. Adde *Catull.* 66. 21. et *Horat. Epod.* 16. 38. *Ovid. Heroid.* 3. 109. Sociare cubilia cum aliquo. *Id.* 15. *Met.* 501. patrium temerare cubile. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 592. et 10. *ibid.* 635.; *Val. Flacc.* 2. 137., 2. 345. et 6. 659. ¶ 3. Latissimo sensu dicitur sæpe de nidis avium, et ferarum latibulis. *Plaut. Truc.* 4. 4. 16. Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia, ætatem qui uni cubili numquam committit suam. *Varro* 2. *R. R.* 9. 13. Cubilia canibus substernenda fronde. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 9. 7. et 3. *ibid.* 6. 4. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 129. Gallinæ avesque reliquæ cubilia sibi nidosque construunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Alcibus arbores sunt pro cubilibus. *Virg.* 1. *G.* 183. Aut oculis capti fodere cubilia talpæ. *Id.* 4. *ibid.* 45. et 243. ita vocat apum alvearia. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 3. 4.; *Curt.* 9. 3. 8. et *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 4. *Phædr.* 1. 19. 9. Cubile canis. *Id.* 2. 4. suis.

II.) Improprie. ¶ 1. Apud architectos *cubile* est ea structuræ pars, in qua aliquid sedet et nititur, ut cubilia lapidum, *Vitruv.* 2. 8. 4. *Schneid.* et cubilia tignorum, 4. 2. 4., quæ et *columbaria* appellantur. Sic *Plin.* 36. *Hist. nat.* 14. 21. (96). Ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili. *V.* CUBICULUM. II. 2. ¶ 2. Translate. *Cic. Pis.* 34. 83. Investigatas esse a nobis labes imperii tui stragesque provinciæ: quas quidem nos, non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis et cubilibus persecuti sumus. *Id.* 4. *Verr.* 77. 190. Ut omnes mortales istius avaritiæ non jam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. Adde *eumd. Cluent.* 30. 82. *Val. Flacc.* 5. 154. sævumque cubile Promethei Cernitur, in gelidas consurgens, Caucasus Arctos. *Id.* 5. 144. Ignoti dura cubilia ferri. *h. e.* ferri fodinæ.

CŬBĬTAL, ālis, n. 3. cubiti fulcimentum, pulvinus, cui cubito innitimur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 255. ponas insignia morbi, Fasciolas, cubital, focalia, etc. Adde *Fronton.* 1. *ep. ad M. Cæs.* 1. — Alii breve palliolum intelligunt, ad cubitum usque tantummodo pertinens, quo, si opus esset, caput etiam tegeretur, usurpatum ab iis, qui valetudine laborarent, propterea quod *Quintil.* eadem morbi insignia enumerans, hæc habet 11. 3. 144. Palliolum, sicut fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo. — Aliis vero *fasciolæ* sunt, quibus crura vestiuntur (quod certe patet ex *Quintil. loc. cit.*); *cubital*, quo ligatur *cubitus* sive *cubitum* ad defendendum frigus; *focalia*, quibus fauces conteguntur ad molliendum rigorem frigoris.

CŬBĬTĀLIS, e, adject. altus uno cubito. *Liv.* 24. 34. Archimedes murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere cavis aperuit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (45). Cubitalis caules. Adde *Sueton. Galb.* 4. *Pallad.* 3. *R. R.* 18. 6. Cubitalis mensura.

CŬBĬTĬO, ōnis, f. 3. cubatio. *Augustin. Ep.* 151. Legi litteras tuas ad lucernam, jam cœnatus: proxime erat cubitio, sed non ita etiam dormitio.

CŬBĬTISSIM, adverb. in cubitum. *Plaut. Cas.* 5. 2. 43. Volo, ut obvertam cubitissim.

CŬBĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequent.* a cubo. Part. *Cubitans.* — Cubito est frequenter cubo. *Plaut. Curc.* 1. 1. 76. Anus hic solet cubitare. *Id. Stich.* 4. 1. 41. Ego tibi meam filiam, bene quicum cubitares, dedi. *Id. Curc.* 1. 1. 57. At illa est pudica, neque dum cubitat cum viris. *Cic. Cæl.* 15. 36. Pusio cum majore sorore cubitavit. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 17. Pulli, qui humi cubitant. *Tac.* 14. *Ann.* 5. Super pedes cubitantis reclinis. Adde *Quintil.* 8. 3. 22.

CŬBĬTOR, ōris, m. 3. qui cubat. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 11. cubitorem bovem appellat, qui sæpe decumbit in sulco ex pertinaci contumacia.

CŬBĬTŌRIUS, a, um, adject. ad cubandum pertinens, ut *cubitoria vestimenta* apud *Petron. Satyr.* 3. *Lipsius* tamen, quem plures sequuntur, 1. *Saturn.* 2. legit *accubitoria*. Sed et qui *cubitoria* legunt, cœnatoriam vestem intelligunt. *V.* ACCUBITORIUS.

CŬBĬTUM, i, n. 2. (cubo) κύβιτον. *Cubitus*, i, m. 2. occurrit apud *Cels.* 8. 1. et 16., et apud *Non.* p. 201. 16. *Merc.* — Cubitus est ulna seu alterum e duobus ossibus, quibus brachium constat, ab imo osse humeri ad carpum manus extensum, et alteri, cui nomen *radio* est, subjectum. *Cels. loc. cit.* Radius superior breviorque et primo tenuior, etc. cubitus inferior longiorque, et primo plenior, etc. — Sed frequentius latiori sensu ponitur pro brachii flexu, cui innitimur (It. *cubito*, *gomito*; Fr. *coude*; Hisp. *codo*; Germ. d. *Ellenbogen*; Angl. *the elbow*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Stich.* 2. 1. 3. Cubitis depulsare de via. *Nepos Att.* 21. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus: Quantam, inquit, curam – adhibuerim etc. *Virg.* 4. *Æn.* 690. Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit. Adde *Ovid.* 9. *Met.* 518.; *Liv.* 37. 37.; et *Quintil.* 11. 3. 93. et 115. *Petron. Satyr.* 132. Erectus in cubitum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 102. (249). Homini genua et cubita contraria. *Martial.* 3. 82. Cubitis trudit hinc et inde convivas. *V.* paullo inf. sub *c.* — *b*) Cubito sinistro innixi, jacentes in lectis, antiqui cœnabant. *V.* ACCUMBO. Hinc illa *Horat.* 1. *Od.* 27. 8. Et cubito remanete presso. *Id.* 2. *Sat.* 4. 139. Languidus in cubitum jam se conviva reponet. *h. e.* rursus convertet se ad comedendum, qui cibos fastidire videbatur. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 65. *Burmann.* Tentavi assurgere, – recreatus hoc sermone reposui cubitum. *Id. ibid.* 27. Ponere cubitum apud aliquem. *h. e.* cœnare, translaticius loquendi modus. Fortasse huc pertinet et illud *Calpurnii* 6. *Ecl.* 71. Ponere seu cubitum etc. — *c*) *Cubito* aliquem *pellere* est aspernari, improbare, reprehendere, rejicere, apud *Tertull. Anim.* 55., quia si quid perperam dictum ab eo sit, qui proximo nos est, solemus eum cubito icere, et latus ejus fodere. *V.* supra sub *a* in fin.

II.) Translate. ¶ 1. Cubitum est curvatura littoris, flexus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 13. 18. (111). Ancona apposita promontorio Cumero, in ipso flectentis se oræ cubito. ¶ 2. Est etiam nomen mensuræ a flexu cubiti ad summitatem medii digiti, quam alii sesquipedem continere ajunt, alii pedes duos: et sunt præterea varia cubitorum genera, regius, vulgaris, geometricus. *Vitruv.* docet. 3. 1. 7. *Schneid.* constare ex sex palmis, digitis viginti quatuor. *Plaut. Rud.* 5. 2. 7. Signare litteris cubitum longis. Adde *eumd. Pœn.* 4. 2. 15. *Cic.* 13. *Att.* 12. Biennium præteriit, cum ille Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. *Id.* 2. *Legg.* 26. 66. Columella tribus cubitis altior. *Lucilius* apud *Non.* 201. 17. *Merc.* Quadraginta cubita altus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (22). Æthiopas quina cubita longitudine excedere. Adde *Sueton. Aug.* 43. et *Tib.* 38.

CŬBĬTŪRA, æ, f. 1. idem ac cubatio. *Plautus* apud *Non.* p. 198. 25. *Merc.* Pol ad cubituram, mater, magis sum exercita a te, quam ad cursuram; eo sum tardiuscula. Ita recte *Muretus* legit *l.* 18. *Var. lection.* c. 10., nam corrupte admodum a *Nonio* referuntur.

CŬBĬTUS, i, m. 2. *V.* CUBITUM sub init.

CŬBĬTUS, us, m. 4. cubatio.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 5. Primus cubitu surgat: postremus cubitum eat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (54). Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus, in latera adversus destillationes.

II.) Improprie. ¶ 1. Metonymice est idem ac cubile, lectus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (59). His foliis cubitus sibi sternunt. ¶ 2. Item *accubitum*, idest lectus convivalis ornatior, et ab aliis disjunctus. *Inscript.* apud *Murat.* 511. 1. HVIC ORDO SPLENDIDISSIMVS BISELLIVM DECREVIT, CVBITVMQVE CONCESSIT. In lapide legitur *gubitum* pro *cubitum* sculptoris oscitantia. ¶ 3. De venereo concubitu. *Plaut. Amph.* 5. 1. 70. Is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubitibus.

CŬBO, bas, bŭi, bĭtum, bare, n. 1. Reperitur etiam *cubavi* in præterito apud *Quintil.* 8. 2. 20. Fingetur in scholis supra se cubasse. Sic *incubavi* apud *Plin.* et *Ascon.*; et *cubaris* pro *cubueris* apud *Propert.* 2. 12. 17. — Part. *Cubans* sub *A.* et *B.* — Cubo juxta *Forcellinum* est a κύπτω, quod est caput atque oculos declinare sive demittere, ut dormientes solent: universim tamen est jacere (It. *giacere*; Fr. *être couché*, *être étendu*; Hisp. *acostar*, Germ. *liegen*; Angl. *to lie, lie down*). Occurrit *A*) Generatim; et *B*) Specialim.

A) Generatim — *a*) De personis. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 34. In cera cubat (*amica*). *Lucret.* 3. 904. atque rigere Frigore, quum summo gelidi cubat (*homo*) æquore saxi. *Cic.* 5. *Verr.* 23. 56. Cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est. Sic *Sueton. Aug.* 43. In lectica cubans. *Id. Aug.* 83. Cubare toro. Adde *eumd. Cal.* 50. et *Nepot. Dion.* 9. Et *Paul. Diac.* p. 66. 5. *Müll.* Cubans auspicatur, qui in lecto quærit augurium. — Pisces cubantes qui sint, *V.* in JACEO. — *b*) De rebus. *Cubare* dicitur *mare*, cum tranquillum jacet. *Martial.* 5. 1. Plana suburbani qua cubat unda freti. *Ovid. Heroid.* 7. 162. Et senis An-

chiæ molliter ossa cubent. — Hinc ponitur etiam pro jacere in sepulcro. Inscript. apud Fabrett. p. 750. n. 575. Q. LVRIVS Q. L. APOLLOPHANES HEIC CVBAT. Alia apud Maff. Mus. Ver. 263. 11. CN. FLORIVS HILARVS PORTIA DOXA HIC CVBAT CVM SVO CONJVGE.

B) Specialim. ¶ 1. De personis est in lecto dormiendi causa jacere, dormire. Plaut. Most. 2. 2. 55. Cubitum abire. Id. Truc. a. 5. v. 24. Corrumpor situ: ita miser cubando in lecto hic expectando obdurui. Cato R. R. 5. Uti suo quisque loco cubet. Cic. Rosc. Am. 23. 64. Cum cœnatus cubitum in idem conclave cum filiis isset. Id. 6. de republ. 10. Cubitum discessimus. Ovid. Remed. am. 727. Hic fuit, hic cubuit, thalamo dormivimus illo. Adde eumd. 11. Met. 612. Juvenal. 3. 280. Cubat in faciem, mox deinde supinus. Adde Sueton. Aug. 6., Cæs. 72. et alibi. ¶ 2. De personis significat etiam concumbere. Plaut. Bacch. 4. 9. 81. Cum peregrini cubui uxore militis. Adde eumd. Cas. 2. 5. 31. et Mil. glor. 1. 1. 65.; et Ter. Adelph. 5. 3. 65. Catull. 69. 8. quicum bella puella cubet. — Absolute quoque occurrit apud Plaut. Amph. 1. 1. 131. et 1. 3. 15. ¶ 3. Item de personis et est accumbere, quoniam cubando veteres cœnabant. Cic. 2. Orat. 86. 353. Quo eorum loco quisque cubuisset. Adde Horat. 2. Sat. 6. 110.; Curt. 8. 5. 22. et 8. 1. 40.; et Justin. 32. 4. 10. Sueton. Ner. 32. Lautiore convivio effusos subito in cachinnos, consulibus, qui juxta cubabant, quidnam rideret, blande quærentibus, etc. Adde eumd. Vesp. 24., Cal. 24. et 32., Tit. 1. et alibi. ¶ 4. Denique metonymice de personis est ægrotum esse. Plaut. Cas. prol. 37. Servus qui in morbo cubat. Id. Truc. 2. 5. 2. Cubare puerperio. Sueton. Ner. 34. Cubans ex duritie alvi. Adde eumd. Aug. 72. — Et absolute. Lucret. 2. 36. plebeja in veste cubandum est. Horat. 1. Sat. 9. 18. quemdam volo visere non tibi notum: Trans Tiberim longe cubat is prope Cæsaris hortos. Id. 2. ibid. 3. 289. Mater ait pueri menses jam quinque cubantis. Adde eumd. 2. Ep. 2. 68. Ovid. Heroid. 20. 164. hæc cubat, ille valet. ¶ 5. De locis. Lucret. 4. 518. tecta cubantia. h. e. quæ in latus pendent et procumbunt. Horat. 1. Od. 17. 12. Valles et Usticæ cubantis. h. e. in depressa valle sitæ.

CŬBŬLA, æ, f. 1. libi sacri genus. Arnob. 7. 24. — Habet aliqua ipsa vox similitudinem cum subucula, quæ item appellatio est libi apud Festum p. 309. 25. Müll. et Paul. Diac. p. 308. 6. Müll.; vel potius ita appellatum libi genus a forma cubica.

CŬBUS, i, m. 2. κύβος. Legitur a quibusdam et quidem prima brevi, etiam apud Ovid. Medic. fac. 88. Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum. h. e. ut quidam putant, quantum est parvus cubus. Sed mire eo loci libri variant, et interpretes. — Apud Auson. 11. Edyll. 3. cœbum pro cubum legendum quidam putant, quod ita veteres dixerint, ut mœrus pro murus, pœnio pro punio, et cœravit pro curavit. Quin potius Auson, ut alibi sæpe, primam syllabam in cubus licenter produxit, ut videre est etiam apud Rhemn. Fann. de ponderib. 61.; nam veteres Latini œ diphthongum usurparunt in iis tantum vocibus quas Græci per οι scribebant. — Ceterum cubus ¶ 1. Est figura ex omni latere quadrata, quales sunt tesseræ, quibus in alveolo luditur. Vitruv. 5. præfat. 4. Schneid. ¶ 2. Rhemn. Fann. ad amphoræ mensuram refert, loc. cit. Quatuor ex quadris medium cingatur inane, Amphora fit cubus, quam ne violare liceret. ¶ 3. In numeris cubus dicitur, cum omne latus ejusdem numeri æqualiter in sese solvitur, sicuti fit, cum ter terna ducuntur, atque idem ipse numerus triplicatur. Gell. 1. 20.

CŪCI, n. indecl. κοῦκι, est genus arboris palmæ similis, cujus foliis utuntur ad textilia, et ligno ad velares anulos. Plin. 13. Hist. nat. 9. 18. (62). Hujus meminit et Theophrast. Hist. plant. l. 4. c. 2. Est planta Persica. In nupera editione Paris. Plin. T. 9. p. 123. describitur hujusmodi planta, quæ Ægypto propria esse dicitur, et Arabico nomine douma appellatur: sic cl. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 88.) hanc exhibet synonymiam: Κουκιόφορα Theophr. Hist. 4. 2., et Cucus Plin. loc. cit. et le fruit Phœnico-Balanus? ejusd. 12. Hist. nat. 22. 47. (103). Sunt Douma Thebaica Poir. in Duh. ed. nova 4. 47. 123., Curifera Thebaica Del. Mém. sur l'Égypte et Doum des Arabes, aux environs de Phylæ.

CUCUBALI. V. CUCULUS.

CŬCŪBO, as, are, n. 1. proprium est vocis noctuæ. Auct. carm. Philom. 41. Noctua lucifuga cucubat in tenebris. Alii leg. lucifugax tutubat. V. TUTUBO. Onomast. Lat. Græc. Cucubo, ὔζω.

CŬCULLA, æ, f. 1. idem quod cucullus. Hieronym. Vita Hilarion. n. 46. Omnes divitias suas ei derelinquens, Evangelium scilicet, et tunicam saccеam, cucullam et palliolum. et mox. Sicut vestitus erat in tunica cilicina et cuculla et sago rustico. Adde eumd. ibid. non multo post. Paulin. Nolan. 21. 389. Donumque tunicæ, quæ sodalem ornaverat, Geminat cucullæ munere. Adde Ennod. 9. Ep. 14.

CŬCULLĀTUS, a, um, adject. cucullum habens, ut vestis cucullata. Isid. 19. Orig. 24. Casula est vestis cucullata, dicta per deminutionem a casa, quod totum hominem tegat. Colum. 11. R. R. 1. 21. Frigora et imbres prohibentur optime pellibus manicatis, et sagis cucullatis. Al., inter quos Schneid., sagatis cucullis: alii sagis et cucullis. V. CUCULLUS.

CŬCULLIO, ōnis, m. 3. deminut. a cucullus, vel idem ac cucullus. Cato R. R. 2. Cum tempestates pluviæ fuerint, centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire. Cato ex more antiquo non geminandi consonantes, una l scripsit. Lamprid. Elagab. 32. Tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur. Capitolin. Ver. 4. Obtecto velamine cucullione vulgari viatorio.

CŬCULLĬUNCŬLUS, i, m. 2. deminut. a cucullio, parvus cucullio. Paul. Diac. p. 306. 1. Müll. Tegillum, cuculiunculum ex scirpo factum. Hic Paul. antiquo more liquidam non geminavit. V. voc. præced.

CŬCULLUS, i, m. 2. De alia forma V. CUCULLA. — Cucullus est pars vestis a tergo pendentis, qua caput tegitur pluviæ, vel tempestatis causa, a forma, quia cucullus capitis refert conum inversum, ut ex palliis Hispanicis et bardocucullis apparet. Colum. 1. R. R. 8. 9. Familiam habeat munitam diligenter a vento, frigore pluviaque: quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis. h. e. sagis cucullatis, ut Idem habet 11. ibid. 1. 21. (V. tamen CUCULLATUS), suntque duo substantiva, quorum alterum adjectivi vicem præstat, ut Virg. 2. G. 192. pateris et auro. Juvenal. 6. 118. Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos. Martial. 11. 98. Nec te cucullis asseret caput tectum. — Salmas. ad Capitolin. Pertin. 8. observat ex Not. Tiron. p. 157. fuisse etiam pedum cucullos, qui cucullopedones, et pedocuculli dicerentur. — Cucullum videtur etiam fuisse involucrum chartaceum, quo a pharmacopolis, aliisque institoribus pulveres ac similia clauduntur. Martial. 3. 2. Vel turis piperisque sis cucullus. V. Voss. in Etymol. Quamquam apud Martial. vox cucullus metaphorice et quidem festive usurpata videtur.

CŬCŪLO, as, are, n. 1. verbum est cuculi vocem exprimens. Auct. carm. Philom. 35. Et cuculi cuculant, et rauca cicada fritinnit.

CŬCŪLUS, i, m. 2. Pænultimam corripuit Auct. carm. Philom. 35. V. voc. præced. — Ceterum

I.) Proprie cuculus est avis ex genere accipitrum, licet ungues aduncos non habeat. In aliarum avium nidis ova parit, maxime palumbium, quod sciat se omnium avium generi esse odiosam, neque confidat, pullos in suo nido tutos fore. Hæc fere Plin. 10. Hist. nat. 9. 11. (25)., ubi Græca appellatione coccygem appellat: sed 18. ibid. 26. 66. (249). cuculum. Quamquam, sit ne cuculus idem cum coccyge, sunt qui dubitant.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de adultero, quia ex alienis uxoribus liberos gignit; quemadmodum ille, qui uxorem habens adulteram alienos liberos enutrit pro suis, curruca vocatur. Plaut. Asin. 5. 2. 73. At etiam cubat cuculus: surge amator, i domum. Sed hic uxor cuculum vocat maritum suum, qui cum filii amica, eo præsente, accubabat. ¶ 2. Dicitur et de homine stupido. Plaut. Trin. 2. 1. 18. Ibi ille cuculus: ocelle mi, fiat. ¶ 3. Est etiam inter convicia agricolarum, ubi opus negligunt, et putationem vitium usque ad id tempus protendunt, quo cuculus apparere solet, h. e. post æquinoctium, ut est apud Plin. 18. Hist. nat. 26. 66. (249). Dedecus enim habetur opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiæ sales etiam cum primo vere ludantur. Horat. 1. Sat. 7. 30. durus Vindemiator et invictus, cui sæpe viator Cessisset, magna compellans voce cuculum. Cf. Auson. 10. Edyll. 165., et V. Voss. ad Virg. 2. p. 403. ¶ 4. Item est hoc nomine herbæ, quæ et strumus, et strychnos dicitur. Plin. 27. Hist. nat. 8. 44. (68). De synonymia. V. STRYCHNOS. Ceterum in loco Plinii nuper cit. alii Codices habent cuculi, plerique culiculi; Salmas de hyle p. 67. legit cucuboli; Harduin. vero ex edd. vett. Dioscor. 4. 71. cucubali, ubi nunc legitur ex uno Codice κουκούβαλλουμ: ita ut Sillig cucubali legendum putet. Quis tamen, addit idem Sillig, in tali re certi aliquid se invenisse dixerit?

CŬCŪMA, æ, f. 1., genus vasis coquinarii, dictum a κέκυμαι præter. pass. verbi κύω tumeo. Petron. Satyr. 135. Incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit. Id. ibid. 136. Frangitur ergo cervix cucumæ, ignemque modo convalescentem restinguit. Al. leg. cucumulæ. Martian. Dig. 48. 8. 1. Si clavi percussit, aut cucuma in rixa etc. baculum ferratum hoc loco significari, quidam scripsit. Sed non est a priori notione discedendum. Porro Torrentin. habet cuccuma duplici c. — Martial. 10. 79. 3. Torquatus nitidas vario de marmore thermas Extruxit: cucumam fecit Otacilius. Cucumam hic putant aliqui balneolum privatum exiguumque significare. — Ad incertas hujus vocis significationes adde sequentem. Inscript. apud Gruter. 1035. 10. C. JVLIO AVG. LIB. ACTIO PRIORI PANTOMIMO CVCVMAE VIX. ANNOS XIX.

CŬCŪMELLA vel cucumula, æ, f. 1. deminut. a cucuma, parva cucuma. Cucumella legitur apud Alfen. Dig. 8. 5. 17. De cucumula V. vocem præcedentem.

CŬCŬMĔRĀCEUS vel cucumeracius, a, um, adject. qui ex semine cucumeris est. Theod. Priscian. 2. 3. Articulos eorum (lethargicorum) ungo frequenter oleo veteri, vel cucumeraceo, mixto nonnumquam vitro, aut pipere, aut castoreo. V. SICYONIUS.

CŬCŬMĔRĀRĬUM, ii, n. 2. locus cucumeribus consitus. Tertull. advers. Jud. 3. sic vertit Isaiæ c. 1. v. 8. Derelinquetur filia Sion, sicut vasa in vinea, et sicut custodiarium in cucumerario. Id. ibid. 13. Velut in cucumerario casula. Hieronym. in Isaj. 1. 1. 8. In cucumerario quoque parvulæ fiunt casulæ propter ardorem solis ac radios declinandos, et inde homines, vel bestiolas, quæ insidiari solent satis frugibus, abigunt.

CŬCŬMIS, cumis vel cumĕris, m. 3. Rectus casus cucumer agnoscitur a Priscian. 6. p. 707. Putsch., rejicitur a Capro de verb. dub. p. 2248. Acc. cucumim occurrit apud Plin. 9. Hist. nat. 2. 1. (3)., Ablat. cucumi apud eumd. 20. ibid. 9. 40. (103). Gen. cucumeris apud eumd. 19. ibid. 5. 23. (68). ¶ 1. Cucumis herba est sarmentis prælongis humi repentibus, et in ramos vitis modo se diffundentibus, folio rotundo, cucurbita aliquanto minore, flore luteo, fructu viridi, in ventrem crescente, oblongo. Virg. 4. G. 122. tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis. Varro 6. L. L. 104. Müll. Cucumeres dicuntur a curvore, ut curvimeres dicti (Ubi Scalig. Ne putes Varroni de hac re assentiendum. Etymon vocis vide in CUCUMA). Plin. 20. Hist. nat. 9. 40. (103). Cum vino, aut cucumi cocto. Adde eumd. 19. ibid. 5. 23. (68). et 5. 24. (69).; Colum. 11. R. R. 3. 48., 2. ibid. 9. 10. et 7. ibid. 10. 5.; Pallad. 4. R. R. 9. 7. et 1. ibid. 35. 8.; et Veget. 3. Veterin. 6. 5. et 28. 4. Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 298.) hanc exhibet synonymiam: קשאים Vulg. interpr. Num. 2. 5.; Σίκυος vel Σίκυς ἥμερος Theophr. 7. 4., Dioscor. 2. 163; Athen. 2. 4. et Aristoph.; Cucumis Virg. l. c., Colum. 10. R. R. 234. et 380. et 11. ibid. 3. 48., Pallad. et Plin. ll. citt. sunt Cucumis sativus L. Spec. plant. 1437. V. plura ibidem. — Cucumis anguinus, sive silvestris, vel agrestis, herba solo fructu a sativo cucumere distans, quem multo minorem habet, glandibusque longiusculis similem. Plin. 20. Hist. nat. 1. 2. (3). Cucumim silvestrem esse diximus infra magnitudinem sativi. Varro 1. R. R. 2. 25. Cucumerem anguinum condito in aquam, eamque infundito quo voles, nulli (cimices) accedent. Pelagon. Veter. 1. 9. Cucumeris silvatici radices. Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 365.) ait cucumim silvestrem Plin. non esse ex cucumerum genere, atque hanc exhibet synonymiam: קשאיר מירר cucumis comprimendus Hebr.; Kitsa alhemâr Arab.; Σίκυος ἄγριος Theophr. Hist. plant. 7. 6. 3. 9.; Σίκυος ἀγρότερος Nicand. Ther. v. 867.; Σίκυς ἄγριος Dioscor. 4. 154. et le suc extrait du fruit, Ἐλατήριον; Cucumis silvestris Plin. loc. cit., le suc extractif et peut-être le fruit lui-même Elaterion, Scribon. Compos. 70. et Cels. 5. 2. sunt Cucumis silvestris asininus C.

Bauh. Pin. 314. et *Momordica Elaterium* L. Spec. plant. 1434. — Id. *Fée* (*ibid. p.* 367.) addit: « Cette épithète d'*anguinus* ne se rapporte pas au concombre-élatérion, dont nous venons de parler, mais à une espèce particulière. On a désigné le concombre flexueux, *Cucumis flexuosus* L. Spec. plant. 1437.; mais sur quel indice? Cette cucurbitacée est originaire de l'Inde, et il est douteux qu'elle ait été connue à Rome. — Il faut renoncer à reconnaitre la plante dont il s'agit. » ¶ 2. Est et frutex marinus hoc nomine, et colore et odore similis terrestri. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 2. 1. (3).

CUCUMULA. *V.* CUCUMA.

CUCURBITA, æ, f. 1. a curvore, addita syllaba cu.

I.) Proprie est herba hortensis satis nota, humi repens, et si adminicula habeat, arbores quoque scandens, folio rotundo perampio, flore luteo, fructu grandi, rotundo item, aut oblongo. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (69).; *Colum.* 10. *R. R.* 234.; et 11. *ibid.* 3. 48.; *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 16. et 10. 15.; et *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 7. et 3. *ibid.* 4. 31. — Cucurbita olim pro urceis in balinearum usum, item pro cadis ad vina condenda usos fuisse veteres, tradit *Plin. loc. cit.* — Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 303. et seq.) cucurbitarum, quas *Plinius loc. cit. cap.* 24. enumerat, hanc exhibet synonymiam: I. *Cucurbita camerarium* Plin. l. c. est *Cucurbita longior* Dod. Pempt. 669. et J. Bauh. 2. 215. — II. *Cucurbita plebejum, quod humi repit* est *Cucurbita Pepo* var. *Cucurbita foliis asperis, seu Zuccha flore luteo.* — Κολοκυνθίς Hipp., Arist. Prob. 20. 14. et Theophr. Hist. plant. 1. 22.; Κολόκυνθα Dioscor. 2. 162.; Κολοκύνθη Epich. apud Athen., Theophr. 7. 4. et Athen. Deipnos. 2. 20.; et *Cucurbita gravis* Virg. Moret. 77., Plin. et Colum. ll. citt. sunt *Cucurbita leucantha*, *Cucurbita Pepo* L. *et varietates.* Ceterum *V.* PEPO.

II.) Improprie. ¶ 1. Cucurbitæ caput, stolidum caput, stultus homo. *Apul.* 1. *Met.* Nos cucurbitæ caput non habemus, ut pro te moriamur. Hinc *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* In Aquario (*nascuntur*) copones et cucurbitæ. *h. e.* tabernarii et homines stolidi. *V.* IGNIDUS. — Cucurbita glabrior, calvus. *Apul.* 5. *Met.* Patre meo seniorem maritum sortita sum, delo cucurbita glabriorem. ¶ 2. *Cucurbita*, et frequentius *cucurbitula* est etiam instrumentum medicorum, quod cuti imponitur ad sanguinem eliciendum: quod forma cucurbitam referat. *Juvenal.* 14. 57. vacuumque cerebro Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærit. *V.* VENTOSUS.

CUCURBITARIUS, ii, m. 2. *Hieronym. Ep.* 113. *n.* 22. Irridendi cucurbitarii. *Hieronym.* ita eos appellat, qui cucurbitam potius, quam hederam Latine transferendum esse putabant Hebraicum illud vocabulum, quo significatur planta Ægyptiace quidem cici, Latine autem ricinum nuncupata. Etenim idem *Hieronym.* in translatione prophetiæ *Jonæ* 4. 6. hederam dixerat, quam *Augustinus* aliique cucurbitam potius interpretandam esse arbitrati fuerant, quamque tamen ricinum fuisse, omnes eruditi nunc statuunt.

CUCURBITATIO, ōnis, f. 3. cucurbitarum impositio ad sanguinem eliciendum. *Cel. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *V.* CUCURBITA sub II. 2.

CUCURBITINUS, a, um, adject. similitudinem habens cucurbitæ. *Cato R. R.* 7. et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56). Pyra cucurbitina. *Cloatius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 17. Ficus cucurbitina. *Alii leg.* cucurbitiva.

CUCURBITO, as, are, a. 1. cucurbitam impono. *Gloss. Cyrill.* Σικυάζω, cucurbito. *Gloss. Philox.* Cucurbitat, σικυάζει.

CUCURBITULA, æ, f. 1. deminut. a cucurbita, parva cucurbita.

I.) Proprie. *Cucurbitula silvestris* apud *Scribon. Compos.* 106. est ea, quam Græci κολοκυνθίδα appellant.

II.) Improprie fere dicitur de instrumento medicorum, de quo in v. CUCURBITA II. 2. dictum est. *Cels.* 2. 11. Cucurbitularum duo genera sunt, æneum et corneum, etc. *et mox.* Imponere cucurbitulam. Adde *eumd.* 3. 18.

CUCURBITULARIS, is, f. 3. planta eadem, quæ chamæpitys, apud *Isid.* 17. *Orig.* 10.

CUCURIO *vel* cucurrio, is, ire, n. 4. proprium est gallorum: a sono. *Auct. carm. Philom.* 25. Cucurrire solet gallus, gallina gracillat. *V.* CICIRRUS.

CUCURRU. *Afranius* in *Cinerario.* Id me celabat cucurru. Ita *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.*, ubi hanc vocem inter interjectiones enumerat, simulque addubitat, an nomen sit, ut *veru*, *genu*.

CUCUS, i, m. 2., idem quod cuculus. *Isid.* 12. *Orig.* 7. Cuculos, quos Hispani cucus vocant, a propria voce constat esse nominatos. *Plaut. Pers.* 2. 1. 6. Cucus si in ludum iret, etc. *Alii rectius leg.* cuculus.

CUCUTIUM, ii, n. 2. vestimenti genus, vel, ut placet *Casaubono*, cuculli species. *Trebell. Claud.* 17. Cucutia villosa duo. *Meurs.* legit: Cuculia. *Salmas.* dicta putat *cucutia*, pro *concutia*, *h. e.* dense texta, et pectine bene percussa, Græce κρουστάς, de quibus V. in CRUSTA. — At fortasse idem est atque Italorum *cappuccio*; nam Itali *cucuzzolo* appellant verticem capitis, vel pilei, etc. *V.* CUCULLUS.

CUDO, is, ere, a. 3. De præterito ita *Priscian.* 10. *p.* 889. *Putsch.* Cudo secundum Diomedem, et Charisium, et Phocam *cusi*: secundum alios *cudi*: et videtur etiam *Virgil.* sic protulisse in 1. *Æn.* (178). Ac primum silicis scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis. *excudit* enim tam præsens, quam præteritum intelligitur: idque etiam *Servius* comprobat. Hæc *Priscian.* Ceterum *Colum.* quoque *excudit* in præterito dixit *Initio l.* 11. *R. R.* et *percuderint* 8. *ibid.* 5. *a med.* — Supinum *cusum* probatur ex *incusus* et *excusor*: quæ V. — Part. *Cudens* I. — Cudo est ferio, pulso, tundo, idem ac cædo, unde derivatum videtur, ut *punio* a *pœna* (It. *battere*; Fr. *battre*, *frapper*; Hisp. *pegar*, *golpear*, *batir*; Germ. *schlagen*, *stossen*, *klopfen*; Angl. *to strike as smiths do*, *beat*, *hammer*, *forge*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Lucret.* 1. 1043. Cudere enim possunt (*plagæ*) partemque morari. Adde *eumd.* 4. 188. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Aurum pilis cudere. *h. e.* in mortario tundere. At *Sillig.* ex optimis Codd. hæc omisit. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 14. Durissimæ quidem acus rejectæ separatæque erunt a cudentibus: minutæ vero, quæ de siliquis cum faba resederunt, aliter secernentur. — *b*) Hinc proverbium illud apud *Ter. Eun.* 2. 3. 89. At enim istæc in me cudetur faba. *h. e.* in me recidet hoc malum, in me hæc vindicabitur culpa: proverb. ductum ab area. Ibi enim quamvis faba præcipue cudatur, omnes tamen ictus in aream recidunt: vel quod quidam male coctam fabam supra caput coqui, velut ipsi fabæ iratus, saxo comminuerit. *Donat.* Alii alia comminiscuntur.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de metallis, ac præcipue de pecunia. *Plaut. Most.* 4. 2. 11. Cudere plumbeos nummos. *Ter. Heaut.* 4. 4. 18. Quam rem agis, scelus? SY. Egone? argentum cudo, quod tibi dem. *h. e.* paro: et est jculariter dictum. *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 26. Monetam cudere. *Quintil.* 9. 2. 61. Annulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo jusserat. Hanc eamdem rem *Cic.* 6. *Verr.* 25. 57. narrans, *facere annulum* dixit. ¶ 2. De abstractis. *Plaut. Epid.* 3. 4. 40. Quæ intemperiæ te tenent? quas tu mihi tenebras cudis? *h. e.* præstigias et fraudes, aut insidias paras. *Al. leg.* *trudis*, *h. e.* obtrudis.

CUDO *vel* cudon, ōnis, m. 3. galea e crudis ferarum pellibus. V. *Lips. de milit. Rom. l.* 3. *c.* 1. *Sil. It.* 8. 495. capiti cudone ferino Sat cautum. *Id.* 16. 59. cudone comantes Disjecit crines. In *Glossis Gr. Lat.* habetur: Cudon, περικεφαλαίας εἶδος.

CUFERION, ii, n. 2. *Veget.* 3. *Veterin.* 37. 1. *Schneid.* Sæpe ictu vulneris animalibus per nares sanguis fluit, quod vitium cuferion vocant, quod præcipue contingit, si equus ultra vires agatur ad cursum. *Schneid.* recte affirmat, verba *ictu vulneris* esse vitiosa.

CUJA. *V.* CUJUS.

CUJAS (*et antique* quojas), atis, *vel* cujatis, is, omn. gen. 3. est pronom. interrog., Gr. ποδαπός, unde, ut *Non. p.* 93. 8. *Merc.* interpretatur, id est ex qua patria: ab adject. *cujus*; sicut *nostras* a *noster*. — Scribitur etiam ἀρχαϊκῶς *quojas* vel *cuojas* pro *cujas* in quibusdam *Plauti* editionibus *loc.* inferius allatis. — Rectus casus *cujas*, licet exemplis careat, agnoscitur a *Priscian.* 12. *p.* 950. et 17. *p.* 1047. *Putsch.* — Genitivus *cujatis* ab *eod. ibid.* censetur rectus casus: sed nihil prohibet, quin sit genitivus, et subaudiatur per figuram ellipsin, *patriæ*, *gentis*, etc. Ceterum. — *a*) *Cujas* est ex qua patria. *Ennius* apud *Cic. Balb.* 22. 51. Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, Quisquis erit, cujati' siet. *Accius* apud *Non. p.* 426. 24. *Merc.* Qui neque cujatis esset, unquam potuimus multa crogitantes sciscere. *Plaut. Men.* 2. 2. 66. Rogant cujatis sit, quid ei nomen siet. *Cic.* 5. *Tusc.* 37. 108. Socrates cum rogaretur, cujatem se esse diceret, mundanum inquit: totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Cf. *Non. p.* 93. 8. *Merc. Apul.* 8. *Met. de se asino loquens.* Præconem rogat, cujatis essem. At ille Cappadocum me, et satis forticulum denunciat. — *b*) Significat etiam, ex qua gente. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 32. Adi, atque appella, quid velit, quid venerit, Qui sit, cujatis, unde sit: ne parseris. *Id.* Cujates estis? aut quo ex oppido? *Id. ibid. prol.* 109. rogitat postibi, Unde sit, cujatis, capta ne, an surrepta sit, Quo genere nata, qui parentes fuerint. — *c*). Item cujus nominis. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 37. Quid eum nunc quæris? aut cujatis?

CUICUIMODI, indeclinab. qualiscumque, vel qualitercumque. *Cic.* 3. *Att.* 22. Tu ad me velim omnia, cuicuimodi sunt, scribas. Adde *eumd. Rosc. Am.* 34. 95. quod citat etiam *Priscian.* 13. *p.* 959. *Putsch.*, item 3. *Tusc.* 34. 83. et 5. *ibid.* 41. 121. et 2. *Legg.* 5. 13. et *Gell.* 13. 22. et 20. 1. et alibi. In quibusdam *Ciceronis* locis citatis est qui aliter legit. *Victorius*, *Gronov.* aliique multi *cuicuimodi* defendunt: et *Verus Imp.* apud *Fronton.* (edente iterum *A. Majo*) *p.* 188. In summa meæ res gestæ tantæ sunt, quantæ sunt scilicet, quoiquoimodi sunt. ἀρχαϊκῶς *pro* cuicuimodi. — Ceterum *V.* QUISQUIS et MODUS.

CUIMODI, cujusmodi, qualis. *Gell.* 14. 1. Atque illud etiam, cuimodi esset, considerandum putabat. *Id.* 9. 13. Cuimodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius descripsit. Adde *eumd.* 13. 29. et alibi. — Ceterum *V.* QUIS et MODUS.

CUJUS, a, um. Scribitur etiam ἀρχαϊκῶς *quojus* pro *cujus*. *Plaut. Curc.* 2. 1. 14. Quojam vocem ego audio? et *sic alibi*. *Inscript.* apud *Orell.* 3643., quæ pertinet ad ann. U. C. 682. QVOJA DE EA RE JVRISDICTIO ERIT. — Cujus refertur ad personam possessoris et est *A*) Pronomen interrogativum, et *B*) Pronomen relativum.

A) Cujus, quum est pronomen interrogativum, significat *ad quem pertinet*, *cui pertinet*? et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Merc.* 4. 3. 20. Cuja illa mulier? *Id. ibid.* 5. 2. 23. Nescio cuja vox ad aurem mihi advolavit. *Id. Stich.* 2. 2. 46. Cuja navis. *Id. Curc.* 2. 1. 14. Cujam vocem audio? *Id. Bacch.* 4. 9. 24. Is Helenam abduxit, cuja causa nunc facio obsidium Ilio. Adde *eumd. Curc.* 1. 2. 18.; *Rud.* 2. 3. 2. et *Trin.* 1. 2. 7.; et *Liv.* 28. 11. *Ter. Andr.* 4. 4. 24. Cedo, cujum puerum hic apposuisti? *Id. Eun.* 2. 3. 29. Quid? virgo cuja est? *Id. Heaut. prol.* 8. Nunc qui scripserit, et Græca (*fabula*) cuja sit, dicerem, ni etc. *Virg.* 3. *Ecl.* 1. Cujum pecus? an Melibœi? Adde *Lucilium* apud *Non. p.* 81. 31. *Merc. Cic.* 3. *Verr.* 54. 142. Ut optima conditione sit is, cuja res sit, cujum periculum. — *b*) Cum addita part. *nam*. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 55. Cujanam vox prope me sonat? *h. e.* cujus nam? — *NB. Cujavis* V. in CUJUSVIS.

B) *Cujus*, quum est pronomen relativum, usurpatur pro genitivo *cujus* relativi *qui*, *quæ*, *quod*, et significat *ad quem pertinet*, *cui pertinet*. *Gell.* 16. 4. 2. Cujum id censebis esse. Adde *eumd.* 9. 16. et 1. 21. *Plaut. Rud.* 3. 4. 40. Argentum pro istisce ambabus, cujæ erant, domino dedi. *h. e.* domino, cujus erant. *Cic. fragm. pro Vareno* apud *Priscian.* 12. *p.* 950. *Putsch.* Ea cædes si potissimum crimini datur, detur ei cuja interfuit, non ei cuja nihil interfuit. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 54. 42. et 5. *ibid.* 52. 127.

CUJUSCEMODI, cujuscumque modi, cujuscumque generis. *Cic.* 2. *Invent.* 45. 134. Legem, cujuscemodi sit, in præsentia conservari a judicibus; post, si displiceat, a populo corrigi, convenire. *Al. aliter leg. Gell.* 11. 16. *ad fin.* Deterret nos, quam potest maxime, a varia promiscuaque, et non necessaria rerum cujuscemodi plurimarum et cogitatione et petitione. Adde *Apul.* 8. *Met.* et 9. *ibid.* bis, et 11. *ibid.* bis. Adduut et locum *Auctor. B. Afric.* 36., sed ibi al. leg. *cujusquemodi*. *Mamertin. jun. Gratiar. act.* 8. Non per cujuscemodi agros frumenta spargens. — Ceterum *V.* MODUS.

CUJUSCUMQUEMODI. Legitur etiam divisim et est cujusquemodi. *Sall. Cat.* 40. Nec solum cives, sed etiam cujuscumquemodi genus hominum. *Plerique vero legunt* cujusquemodi. — Ceterum *V.* MODUS.

CUJUSDAMMODI, indeclinab. Legitur et divisim,

et est cujusdam generis. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 36. Animus non esse solum, sed etiam cujusdammodi esse debet. *Id.* 2. *Divinat.* 14. 31. Si fissum cujusdammodi fuerit in jecore, etc. — Ceterum *V.* MODUS.

CUJUSMŎDI. Legitur et divisim; et est ¶ 1. Qualis, cujus modi, aut generis. *Plaut. Most.* 3. 2. 132. Viden' vestibulum ante ædes hoc? et ambulacrum cujusmodi? *et mox.* Age, specta, postes cujusmodi! *Id. Men.* 2. 4. 3. Cujusmodi hi homines erunt? MN. Ego, et Menæchmus, et parasitus ejus. *Varro* 1. *R. R.* 17. 2. De iis cujusmodi esse oporteat, Cassius scribit hæc. *Cic.* 15. *Fam.* 20. Hæc primo cupio cognoscere, iter tuum cujusmodi sit, ubi Brutum videris, etc. *Auct. B. Afr.* 31. Referre arbitrabatur, cujusmodi victoria esset futura. ¶ 2. Est etiam idem quod cujuscemodi, cujuscumque modi, cuicuimodi. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 16. Sis ne, nec ne, ut esse oportet, malus bonus, cujusmodi, justus injustus, malignus largus. *Cic.* 4. *Fam.* 7. 4. Romæ ne et domi tuæ, cujusmodi res esset, an Mytilenis aut Rhodi malles vivere. *Lambin.* legit cujuscujusmodi; *Orell.* cuicuimodi. *Cic.* 5. *Tusc.* 41. 121. Ubi enim melius uti possumus hoc, cujusmodi est, otio? *Al., quos inter* Orell., *leg.* cuicuimodi.

CUJUSMŎDICUMQUE, cujuscumque modi. *Cic. Cluent.* 6. 17. Cujusmodicumque mater sit.

CUJUSNAM. *V.* CUJUS.

CUJUSQUEMŎDI *vel divisim* cujusque modi, est idem ac cujusque modi, cujuscemodi. *Cic. Flacc.* 17. 40. Cum tabulæ illæ ipsæ, cujusquemodi sunt, proferuntur. *Orell.* legit *cuicuimodi*: namque, ut ipse ait, *cujusquemodi* cum substantivis dumtaxat, non cum verbis poni consentaneum est. *Id.* 2. *Fin.* 7. 22. Luxuriosi persequuntur cujusquemodi voluptates. *Sall. Jug.* 78. Eoque imponit vasa cujusquemodi, sed pleraque lignea. *Lucret.* 4. 135. Et cujusquemodi formarum vertere in ora. *Auct. B. Afr.* 23. Cum naviculis cujusquemodi generis triginta. *Flor.* 3. 4. Cujusquemodi ludibrio fœdare. *Gell.* 13. 29. Non solum in hominum corporibus, sed etiam in rerum cujusquemodi aliarum, facies dicitur. *Apul.* 2. *Met.* Raptis cujusquemodi telis.

CUJUSVIS, cujavis, cujumvis, idem ac cujus vis. *Apul. de Mag.* Cujavis oratio insimulari potest.

CULCĪTA, æ, f. 1. Reperitur etiam *culcitra*: sed improbatur a *Manut.* et *Dausquio* in *Orthograph.* ex auctoritate vett. lib. Ceterum si ratio habeatur Italici nominis *coltra* et *coltre*, rectum videtur esse *culcitra*, unde *coltra* contractum est. — Culcita est id super quod dormientes quiescimus, non id quo integimur: a *calcando*, quod in ea lana, tomentum, plumas, et alia materia inculcatur, ut *Varro* 5. *L. L.* 167. *Müll.* et apud *Non.* p. 86. 4. et 542. 19. *Merc.*, et *Paul. Diac.* p. 50. 8. *Müll.* docent (It. *materasso*; Fr. *coussin, matelas*; Hisp. *coxin, colchon*; Germ. *ein Kissen, Polster, eine Matratze*; Angl. *the tick of a bed, a mattress, a cushion, pillow*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Cato R. R.* 11. Culcitas IIII., instragula IIII., pulvinos VI., operimenta VI., mappas VI., centones pueris VI. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 46. Colloremus in culcita plumea, psaltriam adducamus. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann.* Vides tot culcitas? nulla non aut conchyliatum, aut coccineum tomentum habet. *Seneca Ep.* 87. Culcita in terra jacet, ego in culcita. *Id. Ep.* 108. *a med.* Laudare solebat Attalus culcitam, quæ resisteret corpori, et in qua vestigium apparere non posset: tali utor etiam senex. — *b*) Latiori sensu est pannus in modum culcitæ fartus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 42. Facito, ut venias huc ornatus ornatu nauclerico: causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam, etc. *H. l.* possis et intelligere tomenti particulam ad oculos fovendos, aut detergendos. — *c*) *Culcitam gladium facere*, est gladio incumbere, et se transfodere, apud *Plaut. Cas.* 2. 4. 28.

II.) Improprie apud *Varron.* 3. *R. R.* 5. 14. culcitæ vocantur stylobatæ projecturæ extra solidum procidentes, ut videre est in peristyliis monachorum, in quibus pulvinatæ coronæ stylobatarum extra perpendiculum præbent opportunas fessis deambulando sedes. Ita explicat *Scalig.*: sed neminem opinionem suam sequentem habuit præter *Popmam* et *Gesnerum*; ceteri enim aliter omnino interpretantur, V. *Schneid.* ad *h. l.* Verba autem *Varronis* sunt: Ut in culcitas et columellas convivæ pedibus circumire possint.

CULCĪTĀRIUS, ii, m. 2. qui culcitas facit, aut vendit apud *Diomed.* 1. p. 313. *Putsch.*

CULCĪTELLA, æ, f. 1. *deminut. a* culcita, parva culcita. Translate et obsceno sensu pro puero, cui herus incubat. *Plaut. Most.* 4. 2. 13. Novit me herus. SXN. Suam pol ipse culcitellam oportet. *supple* noscat. Eodem sensu *Dolabella* apud *Sueton. Cæs.* 49. Cæsarem vocabat *spondam interiorem regiæ lecticæ*, propter ejus cum Nicomede rege Bithyniæ contubernium.

CULCITOSUS *vel*

CULCITROSUS, a, um, adject. culcitis plenus. Habet *Diomed.* 1. p. 313. *Putsch.*, sed nullo confirmat auctore.

CULCĪTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* culcita, culcitella. *Lucilius* apud *Non.* p. 35. 20. *Merc.* Culcitulæ accedunt privæ centonibu' binis. *Culcitrula* legitur etiam apud *Diomed.* 1. p. 313. *Putsch.*

CULE' EST pro *qualis est*, neutrum positum pro masculino. *Plaut. Amph.* 1. 3. 39. Ecastor condignum donum, cule' est, qui donum dedit. Hæc *Non.* p. 198. 31. *Merc.* Alii putant scribendum *culest*: alii *qual' est*; vel *quali' st.* Alii *Nonium* reprehendunt, alii defendunt.

CŬLEĀRIS *vel* cullearis, e, adject. ad culeum pertinens. *Cato R. R.* 154. Labrum culeare. *h. e.* culeum capiens. *Vitruv.* 6. 6. 3. *Schneid.* Dolia culearia.

CŬLEUS *vel* culleus, i, m. *sæpius quam* Culleum, i, n. 2. κολεός vel κουλεός. Genit. plur. *culleûm* est apud *Caton. R. R.* 11. — Culeus est saccus e corio factus: videturque usu idem esse cum utre, differre autem magnitudine (It. *sacco di cuojo*; Fr. *outre ou sac de cuir*; Hisp. *odre, cuero adobado*; Germ. *der Schlauch, der Sack*; Angl. *a leathern sack or bag*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 78. Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur. *Nepos Eumen.* 8. Imperat quamplurimos utres, atque etiam culleos comparari. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (82). Vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus. — *b*) Speciatim culeus fuit supplicium parricidarum. Nam hi sanguineis virgis cæsi, et in culeum insuti cum cane, simia, gallo gallinaceo, et vipera, in mare projiciebantur, ut est apud *Modestin. Dig.* 48. 9. 9.; et de simia et vipera *Juvenal.* 8. 214. Cujus supplicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culeus unus. *Seneca* etiam serpentes memorat 1. *Clem.* 15. Quamquam eorum animalium nulla fit a *Cicer.* mentio *Rosc. Am.* 25. et 26. et 2. *Invent.* 50. 149., fortasse quia suo tempore nondum introducta fuerant: alioquin ejusmodi loco de hoc supplicio verba facit, ut videatur debuisse commemorare, si in usu fuissent. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Insuere aliquem in culeum. *Id.* 2. *Invent.* 50. 149. Conjicere aliquem in culeum. *Seneca* 1. *Clem.* 23. et *Sueton. Aug.* 33. Insuere aliquem culeo. Adde *Quintil.* 7. 8. 6.; *Sueton. Ner.* 45.; et *Pacat. Paneg. in Theod.* 44. 1. *Seneca* 15. *Controv. ad fin.* Cum dixisset Albutius in illo, qui fratrem parricidii damnatum exarmata nave dimisit: Imposuit fratrem in culeum ligneum. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 157. Sed complicatum sparteus Claudat cadaver culeus, Quem fune connexus lapis Præceps in altum deprimat. Ad hæc ita *Arevalus*: Uxoricidæ in Hispania post strangulationem in vase ligneo cum gallo, angue, cane, fele inclusi in flumen projiciuntur, idque Hispanice dicitur *encubar*. Ex *Epit. Liv.* 68. habemus, priorem culeo insutum fuisse matricidam Publicium Malleolum ann. U. C. DCLIII., ante Chr. n. CI.

II.) Translate. ¶ 1. Culeus fuit omnium maxima mensura liquidorum, vini præsertim, amphoras viginti continens, sive urnas quadraginta. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 86. Est et, bis decies quem conficit amphora, nostris Culeus: hac nulla est major mensura liquoris. *Varro* 1. *R. R.* 2. 7. Jugerum unum denos, et quinosdenos culeos fert vini. *et mox.* (quem locum affert etiam *Non.* p. 197. 23. *Merc.*) In singula jugera, dena culea vini fiunt. ¶ 2. Obsceni aliquid latet in illo *Auct. Priap.* 69. de *Homero.* Id quod nos culum, culeon ille vocat. nempe κουλεόν, *h. e.* vaginam, in qua ensis Achillis reconditur apud *Homer. Iliad. l.* 1. *v.* 220. *V.* PHOLOIS et VAGINA. Adde *Martial.* 12. 84. et *Cic.* 9. *Fam.* 22. 4. *Petron. Satyr.* 44. 14. Coleos habere. *h. e.* hominem esse. *V.* COLEUS.

CŬLEX, icis, m. 2. Feminino genere occurrit tantum apud *Plaut. Cas.* 2. 3. 22., cujus verba *V.* infra sub II. — Ceterum

I.) Proprie culex est perexiguum animal, tenuissimis pennis, longisque et exilibus cruribus instructum, circa palustria præcipue degens, sanguinis avidissimum, præsertim humani, et non solum spiculi acumine, sed bombi sono molestissimo infestum. Magnifice describitur a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (3. 4). *Lucret.* 3. 391. nec priva podum vestigia quæque, Corpore quæ in nostro culices, et cetera ponunt. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 14. mali culices ranæque palustres Avertunt somnos. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 3. 60.; *Plin.* 12. *Hist. nat.* 11. 20. (67). et *Martial.* 3. 93. — Varia sunt culicum genera, neque omnia moleste nobis. Nam alii nascuntur ex aceto, *Plin.* 11. *Hist. nat.* 35. 41. (118). Alii ex ficis, *ficarii* dicti, *Id. ibid.* Alii in nive candidi inveniuntur, *Id. ibid.* Alii nascuntur ex ulmi gummi, *Id.* 13. *ibid.* 11. 20. (67). Alii ex aquosis nucleis in folio roboris, quos Græci μύας vocant. *h. e.* muscas, *Id.* 16. *ibid.* 7. 10. (29). Alii innascuntur napis, *Id.* 19. *ibid.* 10. 57. (177). At *Sillig.* h. l. pro *culices* legit *pulices*, fretus auctoritate *Bochart. hieroz.* 2. p. 584., *Schneideri* ad *Colum.* 11. *R. R.* 3. 60. et *Theophr. Hist. plant.* 7. 5. Alii glandibus, *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (231). Alii succino, *Id.* 37. *ibid.* 3. 11. (46). Alii universim hortos infestant, *Id.* 19. *ibid.* 10. 57. (177.); (at de hoc loco *V.* quæ dicta sunt paullo sup.) et *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 2. et 8. Sunt etiam qui vocantur *muliones*, κνῖπες quod mulos æstate vexant, *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (61). et 30. *ibid.* 16. 53. (147). Ex quibus omnibus intelligitur, quam late nomen culicis pateat. — Hadrianos culices, tamquam ceteris insigniores, memorat *Martial.* 3. 93., et Padanos *Sidon.* 1. *Ep.* 5. — De culice extat festivum poemation *Virgilii*, cujus meminit *Martial.* 14. 185. et 8. 56. Quo pertinet illud *Lucani* apud *Sueton. in ejus Vita*, qui in præfatione quadam ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: *Quantum mihi restat ad Culicem!* significans, esse se multo juniorem Virgilio, cum poema Culicis composuit. Sic *Stat.* 2. *Silv.* 7. 73. *de eodem Lucano.* Hæc primo juvenis canes sub ævo, Ante annos Culicis Maroniani. Ex quibus colligit *Scaliger*, illud poemation a *Virgilio* non admodum juvene fuisse compositum. — Quod *Hadrian. Imp.* apud *Spartian. in ejus Vita* dixit *culices pati rotundos*, putat *Casaubon.* ita dictos, quod rotundas in cute et sanguineas aculeo bullas excitant: nisi malis cimices significasse, qui forma rotundi sunt: aut nisi malis *rotundos* esse dictos ab etymo, quod *V.* infra sub II. 1.

II.) Translate. ¶ 1. *Culex cana* dici videtur a *Plauto* amator senex, quod tamquam culex amicam circumvolitet (*V.* CULICELLUS) eique moleste adhæreat. *Cas.* 2. 3. 22., vel potius quod volvatur circa homines: *culex* enim videtur esse a κύλιξ, hoc autem a κυλίω volvo. ¶ 2. Est etiam hoc nomine herba, quæ videtur eadem esse ac cynomyia. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (68). et *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 8. Apud *Plin.* tamen *culix* scribitur. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 302.) hæc ait: « On ne trouve dans Pline aucun passage où cette plante soit décrite. Palladius (loc. cit.) a conseillé, et peut-être d'après notre auteur, l'immersion des graines de concombre dans la décoction d'herbe *culix*. On voit, que si quelques auteurs nomment le *culix*, aucun ne l'a decrit: il n'est donc pas possible de ramener cette plante à une synonymie moderne. L'absence totale de lumière sur ce sujet n'a pas empêche d'elever des conjectures. On a désigné deux plantes, l'une le *Plantago Psyllium*, parce que ses semences ont quelque ressemblance avec la puce (*pulex*); l'autre la pulicaire, *Inula pulicaria* L., parce qu'elle a, dit-on, la propriété d'écarter ces insectes. C'est Césalpin qui, le premier, a émis cette opinion, regardant sans doute le mot *culix* comme une corruption du mot *pulex* ». — In *Inscript.*, quæ etiam num extat Romæ in *Mus. Vatic.*, a *Barpt. Borghesio* exscripta, et cl. *Furlanetto* per litteras communicata, legitur: D. M. SECVNDO PECNIARCO *in culice* LVDI MAGNI BENEMERENTI, QVI VIXIT ANNIS XLVIII., MENSIBVS VIII., DIEBVS XVIII. FAMILIA L. M. (*h. e.* ludi magni) FECIT. Quid porro significet illud *in culice*, minoribus litteris superius in lapide additum, incertum omnino est, atque interpretandum *Furlanetto* reliquit. *V.* PÆGNIARIUS.

CŬLICĀRIS, e, adject. ad culices pertinens, ut Culicare conopeum, apud *Vet. Scholiast. Juvenal.* 6. 80.

CŬLICELLUS, i, m. 2. *deminut. a* culex, parvus culex. *Septim. Seren.* apud *Diomed.* 3. p. 513.

Putsch. Culicellus amasio Tulliæ. *h. e.* qui tanquam culex Tullam amicam circumit. *V.* CULEX II. 1.

CŬLICŬLUS, i, m. 2. idem ac culicellus. *Gloss. Cyrill.* Culiculus, κωνώπιον.

CŬLIGNA, æ, f. 1. vas vinarium potorium, a κυλίχνη. *Cato* apud *Paul. Diac.* p. 55. 2. *Müll.* Culignam in fœno Græco ponito, ut bene oleat. *Id. R. R.* 132. Jovi dapali culignam vini, quantam vis, polluceto. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 545. 23., ubi tamen *Merc.* leg. *calenas.*

CŬLĪNA, æ, f. 1. eadem ac coquina, locus nempe, in quo cibi coquuntur: olim *colina* dicta, quia ibi colebant ignem, ut *Varro* apud *Non.* p. 55. 18. *Merc.* docet: quin potius quia derivatur a τὸ κόλον *cibus concisus:* κόλος enim significat *mutilum, cæsum. V.* COQUUS. (It. *cucina;* Fr. *cuisine;* Hisp. *cocina;* Germ. *die Küche;* Angl. *a kitchen*).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Plaut. Most.* 1. 1. 1. Exi e culina, sis, foras, mastigia. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 13. 2. *Cic.* 15. *Fam.* 18. Ubi igitur, inquies, philosophia? tua quidem in culina, mea in palæstra est. *Alii minus recte leg.* mea molesta est. *h. e.* tu Epicurum imitaris, ego vero palæstrice spatior in xysto, et declamationibus exerceor. *Seneca Ep.* 114. *ad fin.* Adspice culinas nostras, et concursantes inter tot ignes cocos nostros. *Petron. Satyr.* 2. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quam qui in culina habitant. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 5. 73. et 2. *ibid.* 5. 80.; *Colum.* 1. *R. R.* 6. 3. et 12. *ibid.* 15. 7.; et *Justin.* 33. 10. 4. — b) Speciatim *culina* significat locum prope templa, imo templis adjunctum, qui coquendis sacrificiorum carnibus, atque sacris epulis tum sacerdotibus, tum etiam populo præparandis destinatus erat. Hoc evincitur ex *Inscript.*, quam habes in voce ZOTHECA, tum ex aliis apud *Biagium, Monum. Gr. et Lat. Mus. Nan.* p. 188. T. SEPTVMIVS T. L. L. CHARITO QVLINAM D. S. P. F. et *ibid.* p. 191. IVNONI SACRVM. M. MAGIVS M. L. AMARANTHVS IIIIII. VIR AEDEM, SIGNA VIIII., PORTICVM, CVLINAM, ET LOCVM, IN QVO EA SVNT V. S. L. M. Adde aliam apud *Murat.* 485. 8.; et V. *Marini Frat. Arv.* p. 534.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro cœna. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 38. In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus, Murena præbente domum, Capitone culinam. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 52. (167). Anisum, et anethum culicis nascuntur. *h. e.* condimentis ciborum. *Juvenal.* 3. 250. Centum convivæ: sequitur sua quemque culina. *Id.* 5. 162. Captum te nidore suæ putat ille culinæ. *Id.* 14. 14. cupiet lauto cœnare parato Semper, et a magna non degenerare culina. *h. e.* a luxu in cœnis. ¶ 2. Præterea *culinæ* olim dicta sunt loca, in quibus epulæ in funere comburebantur. Ita *Paul. Diac.* p. 65. 12. *Müll.* Paullo aliter *Aggen. comment. in Frontin.* p. 60. *Goes.* Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quæ loca *culinas* appellant. ¶ 3. Culina, est etiam latrina. *Gloss. Philox.* Culina, ἀφεδρών et ἀπόπατος. Huc fortasse pertinet locus *Colum.* 2. *R. R.* 14. 7. Quædam quotidie, ut culina et caprile, quædam pluviis diebus, ut bubilia et ovilia, debent emundari. *Schneiderus* tamen probabili conjectura mallet legere *suile et caprile.*

CULĪNĀRĬUS, a, um, adject. ad culinam pertinens, coquinarius. *Fronto R. Parth.* (edente iterum *A. Majo*) p. 201. Polycrates piscem gratum acceptumque habuit, atque ab operis culinariis apponi jussit. — Hinc

Culinarius, ii, m. 2. absolute est servus, qui in culina ministrat. *Scribon. Compos.* 230. Cinis lixiva, qua culinarii utuntur. *Inscript.* apud *Henzen.* 7227. 2. PLOTIVM . ET . SVELLIVM . IIVIR . D . R . P . OVF CVLINARI . ROGANT. *Alia* apud *Guarini Fast. Pompej.* p. 93. ZOSIMO SARPIN. SER. CVL. FLAMINIANI.

CŬLĬŎLA, cortices nucum viridium, dicta a similitudine culeorum, quibus vinum sive oleum continetur. *Paul. Diac.* p. 50. 12. *Müll.*

CŬLĬPĪLĀRĬUS, ii, m. 2. *Gloss. Cyrill.* Δρωπακιστής, dropacista, culipilarius, depilator.

CŬLIX, icis, m. 3. *V.* CULEX II. 2.

CULLEĀRĬUS, ii, m. 2. culleorum artifex. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 152. n. 222., quæ suspectissima est *Orellio* n. 4174. M. MANNEIVS M. L. APELLA CVLLEARIVS.

CULLEUM, i, et

CULLEUS, i. *V.* CULEUS.

CULMEN, inis, n. 3. Juxta recentiores philologos est per syncopen pro *columen*, quam vocem *V. Forcellinus* secutus est *Servii* sententiam, quam *V.* infra sub I. 2. — Culmen itaque est summitas seu vertex, qui lineis constat hinc ascendentibus, inde vero descendentibus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Stricto sensu. *Cic. Arat.* 26. Culmen cœli. *Lucret.* 6. 295. Est etiam, cum vis extrinsecus incita venti Incidit in validam maturo a culmine nubem. *Al. tamen aliter leg.* Sic *Liv.* 1. 34. Summum hominis culmen. *h. e.* caput. *Lucan.* 3. 709. Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ. — Ipsum culmum aliquando significat, ut apud *Ovid.* 4. *Fast.* 734. duræ culmen inane fabæ. — b) Latiori sensu. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Culmina Alpium occupare. Sic *Sueton. Domit.* 23. Culmen Tarpejum. *V.* COLUMEN. ¶ 2. Speciatim ponitur de ædificiis et muris pro tecto, vel altiore tecti parte, vel ea demum ædificiorum parte, quæ formam exhibet duarum linearum in angulum coeuntium. *Vitruv.* 4. 2. 1. *Schneid.* Columen in summo fastigio culminis. *Liv.* 27. 4. Jovis ædis culmen fulmine ictum ac prope omni tecto nudatum. *Virg.* 2. *Æn.* 446. turres ac tecta domorum Culmina convellunt. *Id.* 4. *ibid.* 186. et *Ovid.* 12. *Met.* 480. summi culmine tecti. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 458. Evado ad summi fastigia culminis. *Id.* 1. *Ecl.* 69. Pauperis et tuguri congestum cæspite culmen. Ubi *Servius:* ideo culmina dicta sunt tecta, quia veteres ædificia de culmo contegebant, idest paleis e messibus. Rursus *Virg.* 1. *ibid.* 83. culmina villarum. et *Ovid.* 1. *Met.* 295. mersæ culmina villæ. Hinc *Forcellinus* ait *culmen* proprie significare tectum villæ, aut mapaliorum culmis stramentisve coopertum. — Hinc ponitur pro ipsis ædibus, aut templis. *Virg.* 4. *Æn.* 671. Culmina hominum ac deorum. *h. e.* habitacula. Similiter *Seneca Hippol.* 1128. Admota ætheriis culmina sedibus Euros excipiunt. et *Val. Flacc.* 5. 446. clara Mycenis culmina.

II.) Translate est dignitatis, honoris, fortunæ etc. summum fastigium: ad quam translationem viam quodammodo stravit illud *Virg.* 2. *Æn.* 290. ruit alto a culmine Troja. quocum *cf.* illud *Homer. Iliad.* 5. 772. κατ᾽ ἄκρης. *Liv.* 45. 9. *extr.* A summo culmine fortunæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (106). Principium culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent. *Sillig.* vero hoc et sequenti loco legit *columen. Id.* 15. *ibid.* 15. 17. (57). Pars hæc vitæ pervenit ad culmen. *Lucan.* 8. 8. quamvis summo de culmine lapsus, Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse. *h. e.* quamvis ab altissimo dignitatis ac fortunarum gradu etc. *Sil. It.* 3. 510. summum culmen Jovis. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 64. Regale culmen. *Apul. Florid.* n. 3. Culmen honoris.

CULMEUS, a, um, adject. qui ex culmo est. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 387. Et postquam attigerant assueti (*boves*) culmea tecti Culmina etc.

CULMĪNEUS vel

CULMĪNIUS. *V.* COLMINIANA *et* COMINIANUS.

CULMĪNO, as, are, a. 1. in culmen ago, extollo, sublimem facio. *Capell.* 9. p. 309. *in carm.* Nunc igitur alma quæ sensum lumine Dedis verendo culminatis vertice.

CULMŌSUS, a, um, adject. ad culmum pertinens. *Culmosos fratres* appellat *Sidon.* 9. *carm.* 72. viros e dentibus anguineis a Jasone satis repente natos, quod in morem culmi e terra succrevissent.

CULMUS, i, m. 2. calamus frumenti a radice ad spicam, κάλαμος, unde per syncop. *calmus*, deinde *culmus; V.* CALAMUS: ratione tamen etymi et cum *culmine* conjungi potest (It. *gambo del frumento;* Fr. *chaume, tige du blé;* Hisp. *rastrojo;* Germ. *der Halm des Getreides;* Angl. *the thatched roof of a house*). Occurrit — a) Stricto sensu de frumento. *Cic. Senect.* 15. 51. Herbescens viriditas culmo erecta geniculato. *Virg.* 1. *G.* 111. ne gravidis procumbat culmus aristis. *Id. ibid.* 317. et fragili jam stringeret hordea culmo. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 21. 3. Apud *Varron.* 1. *R. R.* 48. 3. *Codex Vind.* leg. *culmen;* sic apud *Ovid.* 4. *Fast.* 734. duræ culmen inane fabæ. — Item tectum casæ e culmis, quod et *culmen* dicitur. *Virg.* 8. *Æn.* 654. Romuleoque recens horrebat regia culmo. — b) Latiori sensu dicitur et de aliis herbis plantisque. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (52). et 18. *ibid.* 30. 72. (297). Milii et panici culmus. *Id.* 27. *ibid.* 19. 63. (90). Holcus tenui culmo. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 128. Qualis pallentes declinant illis culmos.

Homonym. Differunt *culmus* et *palea* in eo, quod *culmus* est solus calamus rectus, crassior, et durior; *palea* sunt folia circa culmum, ut in milio videre est, itemque minutiores stipulæ, et spicarum arus, glumæ, etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (299). Palea plures gentium pro fœno utuntur, *etc.* si palea defecit et culmus teritur. *Virg.* 1. *G.* 192. Nequidquam pingues palea teret area culmos. Confirmat hoc ipsum discrimen *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 23. (99)., ubi docet, *acus* vocari, cum per se pisitur spica (*h. e.* a culmo separata), si vero in area teratur cum stipula, paleam vocari ad pabula jumentorum. Item *Colum.* 2. *R. R.* 21. 3., ubi ait: At ubi paleis immista sunt frumenta, vento separentur. Quo loco aperte *paleas* pro aceribus et glumis posuit. — *Stipula* quoque, ut ex his apparet, tum folia culmi tenuia significat, tum vero quidquid aridum in agro remanet post messem. *Virg.* 1. *G.* 321. Culmumque levem, stipulasque volantes. Hæc tamen discrimina non sunt perpetua.

CULPA, æ, f. 1. labes, macula, noxa, quæ ex malefactis oritur, peccantemque reum facit, ac reprehensione et pœna dignum: item universim delictum, peccatum, omissio officii (It. *colpa, delitto, reità;* Fr. *faute, culpabilité, délit;* Hisp. *culpa, pecado, crimen, desliz ó defecto en el obrar;* Germ. d. *Schuld, Verschuldung,* d. *Fehler;* Angl. *a fault, failure, blame, guilt, miscarriage*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Trin.* 2. 2. 21. Fecisti, ut (*via*) difficilis foret, culpa maxume et desidia tuisque stultis moribus. *Id. Truc.* 4. 3. 55. In mutum confers culpam. *Ter. Eun.* 5. 6. 10. Quidquid hujus factum 'st culpa, non factum 'st mea. *Id. Adelph.* 3. 2. 50. A me culpa est procul. *Id. Hecyr.* 4. 1. 20. Culpa penes me est. *Cic.* 7. *Verr.* 17. 42. In hoc genere omnes inesse culpas istius maximas, avaritiæ, majestatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. *Id. Rabir. perduell.* 1. 2. Non enim Rabirium culpa delicti, non invidia vitæque turpitudo in discrimen capitis vocaverunt, sed etc. *Id. Ligar.* 1. 1. Non liberationem culpæ, sed errati veniam impetrare. *Id.* 11. *Att.* 9. 1. Nihil mihi mali casus attulit: omnia culpa contracta sunt. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 13. Vestra culpa hæc acciderunt, equites R. *Id.* 2. *Orat.* 4. 15. Id culpa mea contigit. *Id.* 1. *ibid.* 22. 100. Nostra culpa erit, si etc. *Id. Orat.* 10. 35. Injusti oneris impositi tua culpa sit, mea receptl. *Id.* 6. *Fam.* 1. 4. Nihil in vita nobis præstandum præter culpam putemus. *Horat.* 4. *Od.* 4. 36. Indecorant (*al.* dedecorant) bene nata (*pectora*) culpæ. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 2. Culpæ est mihi hoc fecisse. *Sueton. Cal.* 37. Moræ culpa. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 4. Culpa coloris. — Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. Rosc. Am.* 20. 55. abesse a culpa. *Ter. Phorm.* 2. 1. 40. admittere culpam in se. *Cic.* 7. *Verr.* 51. 134. attribuere alicui culpam. *Id.* 6. *Fam.* 1. carere culpa. *Id.* 9. *Att.* 6. coarguere culpam. *Ter. Phorm.* 1. 4. 28. commerere, et *Plaut. Aulul.* 4. 10. 8. commereri. *h. e.* committere. *Cic.* 16. *Fam.* 10. committere. *Id. Senect.* 5. 14. conferre in aliquem. *Sueton. Vitell.* 15. conferre in alios culpam. *Cic.* 11. *Att.* 24. contrahere. *Id. Rosc. Am.* 16. 48. dare summam laudem vitio et culpæ. *Id.* 4. *Verr.* 20. 49. derivare in aliquem culpam. *Id.* 1. *Fin.* 10. 33. et 3. *Nat. D.* 31. 78. esse in culpa. *Id.* 7. *Verr.* 51. 134. esse extra culpam. *Id.* 2. *Invent.* 7. 24. eximere aliquem ex culpa. *Tac.* 4. *Hist.* 62. et 3. *Ann.* 36. exsolvere culpam. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 19. invenire aliquem in culpa. *Cic. Planc.* 21. 52. liberare aliquem culpa. *Tac.* 2. *Hist.* 19. ostendere culpam. *Cic. Cluent.* 45. 127. ponere aliquem in culpa. *Plin. Paneg.* 28. redimere culpam. *Val. Flacc.* 3. 407. remittere. *Cic. Mur.* 35. 73. remotum esse a culpa. *Id. Ligar.* 1. 2. reprehendere culpam alicujus. *Id.* 7. *Att.* 3. et 15. *Fam.* 15. sustinere culpam alicujus rei. *Id. Marcell.* 5. 13. teneri culpa. *Id.* 15. *Att.* 28. et *Ter. Andr.* 2. 3. 5. transferre in aliquem culpam. *Nepos Alcib.* 7. tribuere minus prospere gesta culpæ alicujus. *Quintil.* 7. 2. 53. vocare in culpam. ¶ 2. Speciatim dicitur de crimine, quo mulier pudorem amittit. *Virg.* 4. *Æn.* 19. et 172.; *Horat.* 3. *Od.* 27. 38. et 6. 17.; *Ovid.* 2. *Met.* 37. et 546., 2. *Trist.* 104., 3. *Amor.* 14. 6. et 43., et *Heroid.* 4. 138.; *Tac.* 3. *Ann.* 24.; *Val. Flacc.* 4. 356. et 7. 386.; et *Stat.* 2. *Theb.* 233. ¶ 3. Item speciatim apud JCtos sæpissime accipitur pro segnitie et negligentia; itaque a dolo et fraude separatur: eique *diligentia* opponitur.

Cajus Dig. 17. 2. 72.; *Paul. ibid.* 42. 5. 8. et 9.; *Procul. ibid.* 18. 1. 68.; et alibi sæpe. ¶ 4. *Scalig.* ad *Varron.* 1. *R. R.* 59. culpam docet dictam esse notam censoriam, quam critici in libris legendis appingebant iis locis, in quibus aliquid improbandum occurrebat. *Gell.* 17. 2. Quæ in eo libro scripta essent, laudis aut culpæ adnotamentis digna. *Laudis* notam fuisse censet *Scalig.* Græce Λ, Latine L, aut LL; *culpæ* vero Θ: qua nota signatum verbum deculpatum dici ab eodem *Gell.* 19. 10. Hinc *culpare verba* apud *eumd.* 2. 6. et 7. 3. Addit etiam locum *Auson. præfat. ad VII. Sapient.* 13. Pone obeles igitur, spuriorum stigmata vatum: Palmas, non culpas esse putabo meas. Ita *Scalig.*: sed possis his locis *culpam* etiam erratum vitiumque dictionis interpretari: quo sensu *Solin.* 38. Inter utramque culpam, factu optimum est, amborum temporum statum persequi.

II.) Translate. — *a*) Culpa dicitur vitium, damnum, res noxia. *Virg.* 3. *G.* 468. Continuo culpam ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia vulgus. *h. e.* ovem affectam. *Vitruv.* 3. 1. 4. *Schneid.* In ædibus deorum operum et laudes et culpæ æternæ solent permanere. — *b*) Item metonymice est culpæ reus, ut *scelus* scelestus. *Propert.* 4. 5. 20. Saxosamque terat sedula culpa viam. *h. e.* lena, vel meretrix.

Homonym. *Culpa* differt a *scelere*; item a *peccato* et similibus. *Scelus* enim est nefarium facinus, quo alios quoque ad maleficia impellimus, atque adeo a prava pendet voluntate; *culpa* omnes complectitur errores, quos humana parum cavit natura, vel in quos per imprudentiam sive humanam infirmitatem labimur; *peccatum* denique et similia (*delictum*, *vitium*) facinus pœna dignum significant. *Cic. Marcell.* 5. 13. Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 23. Scit quoque, cum perii, quis me deceperit error, Et culpam in facto, non scelus esse meo. Et *Id.* 4. *ibid.* 4. 37. Hanc quoque qua perii culpam, scelus esse negabis. *Cic.* 5. *Fam.* 21. *sub fin.* Præter culpam ac peccatum, quo semper caruisti, homini accidere nihil potest, quod sit horribile ac pertimescendum. — Porro *peccatum* minus est quam *vitium*, et objective potius, quam subjective, uti ajunt, consideratur (unde *Cic.* 1. *Acad.* (2. *post.*) 10. 37. Inter recte factum atque peccatum, officium et contra officium, media locabat quædam: recte facta sola in bonis actionibus ponens; prave, id est peccata, in malis.): *vitium* majus est, quam peccatum (*Cic.* 3. *Fin.* 12. 40. Quod vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto; vel etiam a vitio dictum vituperari.), et morali significatione subjective sæpius, quam objective consideratur, animi enim pravitatem significat. *Cic.* 3. *Parad.* 1. 20. Parva, inquit, res est; at magna culpa; nec enim peccata rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt.

CULPĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Culpabilior.* — Culpabilis est reprehendi et culpari dignus. *Apul. de Mag.* Nisi forte quod artificio elaboratum laudabile habetur, hoc natura oblatum culpabile judicandum est. *Arnob.* 7. 15. Opinio de diis digna, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 1. Tanto culpabilius est, non observare quod possis.

CULPĀBĬLĬTER, adverb. Comp. *Culpabilius.* — Culpabiliter est cum culpa, vel criminatione. *Symmach.* 9. *Ep.* 40. (*al.* 43.) Nolo existimes culpabiliter ad me delatum, quod etc. *Paulin. Nolan. Ep.* 39. (*al.* 30.) 4. Nos culpabilius insulsi, in quibus etc.

CULPĀTĬO, ōnis, f. 3. actus culpandi, criminatio. *Gell.* 10. 22. Ne ipsi quoque culpationes hujuscemodi mereamur.

CULPĀTOR, ōris, m. 3. qui culpam committit. *Paulin. Pell.* 102. Omnipotens æterne Deus, qui cuncta gubernas Culpatore novando mihi vitalia dona.

CULPĀTUS, a, um. *V.* CULPO.

CULPĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* culpo, accuso, reprehendo. *Plaut. Cist.* 2. 1. 19. Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet.

CULPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Culpans* 2.; *Culpatus* 1. *a.* et in fin.; *Culpaturus* 2.; *Culpandus* 1. — Culpo ¶ 1. Stricto sensu est idem quod reprehendo, vitupero, improbo, arguo: cui opponitur *laudo* vel *probo* (It. *riprendere, biasimare, disapprovare*; Fr. *blâmer, trouver coupable ou mauvais, désapprouver, reprendre, critiquer*; Hisp. *reprehender, vituperar, desaprobar*; Germ. *eine Person oder Sache tadeln, missbilligen*; Angl. *to blame, find faulte with, censure, reprove*). Occurrit — *a*) Cum Accus. personæ. *Varro* 9. *L. L.* 11. *Müll.* Cum culpandus non sit medicus, qui etc. *Müll. leg.* vituperandus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 11. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 25. et 4. *Od.* 5. 20. et *Ovid.* 10. *Met.* 581. *Quintil.* 10. 4. 23. Culpare aliquem. Adde *eumd.* 3. 6. 60.; 2. 4. 38. et 4. 3. 26. *Plin.* 7. *Ep.* 17. Num ergo culpandus est ille. *h. e.* reprehendendus. *Sueton. Vit. Pers.* Neronem culpare. *Id. Cæs.* 72. Culpari ob rem aliquam. *Id. Vesp.* 16. In re aliqua culpari. Adde *Vopisc. Aurel.* 8. et *Car.* 20. — *b*) Cum Accus. rei. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 13. Illum laudabunt boni: hoc etiam ipsi culpabunt mali. *Ter. Eun.* 2. 3. 95. Quod, qui rescierint, culpent; illud merito factum omnes putent. *Horat. Art. P.* 446. Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes, Culpabit duros. *Ovid.* 11. *Met.* 321. quæ se præferre Dianæ Sustinuit, faciemque deæ culpavit. *Id. Heroid.* 21. 35. Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem, Culpatum nulla corpus egeret ope. *Martial.* 9. 60. Culpavit statuas et, Polyclete, tuas. Adde *Quintil.* 2. 4. 38. — *c*) Absolute. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 82. absentem qui rodit amicum, Qui non defendit alio culpante. *Ovid.* 3. *Met.* 256. Sola Jovis conjux non tam culpetne, probetne, Eloquitur. ¶ 2. Latiori sensu est culpam transferre. *Horat.* 3. *Od.* 1. 3. Fundusque mendax, arbore nunc aquas Culpante, nunc torrentia agros Sidera, nunc hiemes iniquas. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 1. Culpare infecunditatem agrorum et cœli intemperiem. *Apul. de Mag.* Ceterum quidquam putas Maximum culpaturum? — Hinc part. præter. pass.

Culpatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Culpatior* sub 1., et est ¶ 1. Accusatus, vituperatus. *Virg.* 2. *Æn.* 602. Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ, Culpatusve Paris. *Gell.* 11. 7. Molestius equidem culpatiusque esse arbitror, verba nova incognita dicere, quam invulgata et sordentia. ¶ 2. *Culpatum vinum* est vitiatum, corruptum. *Macrob.* 7. *Saturn.* 6. Quid aceto frigidius, quod culpatum vinum est?

CULTĒ. adverb. Comp. *Cultius.* — Culte est cum cultu, ornate. *Quintil.* 8. 3. 7. et *Plin.* 7. *Ep.* 20. Culte dicere. *Seneca Suasor.* 4. *in fin.* Quare nemo videretur dixisse cultius. *Justin.* 3. 3. 5. Juvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit; nec quemquam cultius, quam alterum progredi. *Id.* 7. 3. 5. Cultius exornare. Adde *Val. Max.* 2. 6. 8.

CULTELLĀRĬUS, ii, m. 2. idem qui cultrarius. *Gloss. Cyrill.* Μαχαιροποιός, cultellarius.

CULTELLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CULTELLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (culter). Part. *Cultellatus* 1. et 2. — Cultellare est ¶ 1. Agri inæqualitatem funiculo ad planitiem redigere. Cultri enim nomine intelligitur vomer, qui rectus terram in arando secat ac scindit. *Frontin. de limit. p.* 43. *Goes.* Cultellamus ergo agrum eminentiorem, et ad planitiem redigimus. Adde *Hygin. de limit. p.* 178. *Goes.* Rursus *Frontin. de limit. p.* 43. *Goes.* Quidquid huic universitati (*agrorum*) applicitum fuerit ex alterius civitatis fine sive solidum, sive cultellatum fuerit, præfectura appellatur. ¶ 2. Item est in modum cultelli facere. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (13). Murenam infixam hamo invertere se, quoniam sit in dorso cultellato spina, eaque lineam præsecare. *Id.* 8. *ibid.* 25. 38. (91). Delphinorum dorso cultellata inest spina.

CULTELLUS, i, m. 2. *deminut. a* culter, sed ejusdem fere significationis. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 69. 2. Ab nescio quo percussum cultello concidisse. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 51. Cultello purgare ungues. Cf. *Val. Max.* 3. 3. n. 15. Filia Bruti cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (115). Arbor balsami inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 14. 1.; et *Sueton. Claud.* 34. *Juvenal.* 5. 122. structorem Saltantem spectes, et chironomunta volanti Cultello. *Id.* 11. 133. Quin ipsa manubria cultellorum Ossea. Adde *eumd.* 2. 169. *Ulp. Dig.* 9. 2. 11. Cultellus tonsoris. ¶ 2. Cultelli lignei apud *Vitruv.* 7. 3. 2. *Schneid.* sunt lignei cuneoli instar cultellorum deformati ad colligandum et constringendum.

CULTER, tri, m. 2. *Cultrum* neutro genere legitur in vet. *Gloss.* Afferunt etiam locum *Propert.* 4. 5. 73. Cum fallenda meo pollice cultra forent. Sed *claustra* ibi alii, vel rectius *clathra.* — *Forcellino* videbatur esse ab inus. *cello*, cujus loco utimur composito *percello*, unde *perculsus*. At rectius *culter* a *colo*, *cultum*.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est genus vomeris, in modum cultri, prædensam, priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. Ita *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (171). ¶ 2. Est etiam culter pars falcis vinitoriæ, ea nempe, quæ est prope manubrium, et recta acie procedit, habetque usum, cum cæsim est arbor ferienda. *Colum.* 4. *R. R.* 25. 2. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 45. 4. Osseo cultro mala dividere. ¶ 3. Hinc latiori sensu est parvum ferramentum acie munitum ad scindendum, ad varios usus, præcipue domesticos: non vero proprie ad bellicos, ad quos pertinet ensis, gladius, etc. Hinc cultrum secum ferre cuivis olim etiam apud Romanos vetitum fuisse, constat ex *Plaut. Aulul.* 3. 2. 1. EVC. Redi, quo fugis nunc? tene, tene. CO. Quid, stolide, clamas? EVC. Quia ad tresviros jam ego deferam tuum nomen. CO. quamobrem? EVC. Quia cultrum habes. CO. Cocum decet. — Ceterum occurrit — *a*) De cultro coquinæ et laniis inserviente. *Plaut. Mil. glor.* 5. 4. Vide, ut istic tibi sit acutus culter probe. Adde *eumd. Epid.* 2. 2. 2. *Varro* apud *Non. p.* 195. 16. *Merc.* Nocte cultro coquinari se trajerit. *Liv.* 3. 48. Ab lanio cultro arrepto. — *b*) De cultro venatico. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* et *Sueton. Aug.* 9. Stricto venatorio cultro latus apri percussit. Adde *eumd. Claud.* 13. — *c*) De ferramento tonsorio. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. et *Petron. Satyr.* 108. Cultrum tonsorium super jugulum meum posui. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 59. 59. (211). Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens: divus Augustus cultris semper usus est. — *d*) Denique de cultro victimarii. *Plaut. Rud.* 1. 2. 45. Neque potest clam me esse, si qui sacrificant; semper petunt aquam hinc, aut ignem, aut cultrum, etc. *scilicet* ad victimam cædendam. *Scribon. Compos.* 13. Occidi hinnulum cultro, quo gladiator jugulatus sit. Adde *Sueton. Tib.* 25. — *e*) Cultri figuram habes apud *Gruter.* 640. 11., et videtur esse victimarii, seu cultrarii. *V.* CULTRARIUS. — *f*) Hinc proverbii speciem habent illa *Vitruv.* 10. 9. 6. *Schneid.* Tympanum versatile, in cultro collocatum. *h. e.* in modum cultri, acie in inferiorem partem obversa, ad perpendiculum. *Id.* 10. 5. 2. Collocare in cultrum. *Varro* 2. *R. R.* 5. 11. Emere boves ad cultrum. *h. e.* Italice *da macello*.

II) Translate. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 74. fugit improbus, ac me Sub cultro linquit. *h. e.* in ipso discrimine; ducta proverbiali formula a victimis jam jam cultro jugulandis: Itali dicunt: *tra l'ancudine e 'l martello*, vel *nelle peste*. *Seneca Ep.* 87. *ad med.* Dubitat, utrum se ad gladium locet, an ad cultrum. *h. e.* utrum se gladiatorem faciat, an bestiarium, ut *Lips.* exponit.

CULTĬCŪLA fusticulus quidam ligneus in sacris dicebatur. *Paul. Diac. p.* 50. 9. *Müll.* Alii leg. *culcitula fasciculus*.

CULTĬO, ōnis, f. 3. actus colendi, cultura, cultus.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Verr.* 97. 226. Quid est enim Sicilia, si ei agri cultionem sustuleris? *Id. Senect.* 16. 57. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 1. Nunc horti optime sumunt cultionis initia.

II.) Translate. *Arnob.* 4. 27. Cum multo majores feramt a vobis offensas ex omnibus probris, quæ in illorum maledicta conducitis, quam amplitudinis et honoris ex ritu atque officio cultionis. Adde *eumd.* 5. 30.

CULTOR, ōris, m. 3. qui colit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur de iis, qui agris colendis operam insumunt; et occurrit — *a*) Cum addito Genitivo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Homines quasi cultores terræ constituti. *Id.* 5. *Fin.* 14. 40. Cultor vitis. *Horat. Art. P.* 117. Mercatorne vagus cultorne virentis agelli. *Liv.* 4. 25. Famem cultoribus agrorum timentes. *Id.* 40. 29. Cultor agri. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 1. Cultores alveorum. — Et improprie. *Ovid.* 5. *Fast.* 15. cultorem pauperis agri Immolat. *h. e.* bovem. — Hinc *cultor Latii* dicitur a *Grat. Cyneg.* 38. Tibris, quia Latios late campos fecundat, ut *Minuc. in Octav.* 18. Colit Euphrates Mesopotamiam, quod idem *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates. — *b*) Abso-

lute. *Sall. Jug.* 46. Deinde ipse – in Numidiam procedit, ubi contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant. *Liv.* 28. 11. Sed res haudquaquam erat populo facilis, et liberis cultoribus bello absumptis, et inopia servorum. *Tac.* 12. *Ann.* 55. Inde (*agrestium Cilicum nationes*) decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis ac plerumque in mercatores et navicularios audebant. *Flor.* 3. 19. Frequentia ergastula, catenatique cultores. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 425.; *Liv.* 7. 3., 9. 11., 9. 13. et 21. 31.; *Curt.* 4. 14. 11.; *Tac.* 2. *Hist.* 87.; *Sueton. Aug.* 91. et *Vopisc. Prob* 15. ¶ 2. Hinc accipitur et generatim pro incola. *Plaut. Amph.* 3. 1. 13. Tibi propitius cœli cultor advenit. *Sall. Jug.* 17. *extr.* Utique rem sese habere cultores ejus terræ putant. Adde *Virg.* 1. *G.* 14.; *Ovid.* 11. *Met.* 4.; *Liv.* 28. 28.; et *Curt.* 4. 4. 20. *Martial. Spectac.* 3. Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hæmo.

II.) Translate. ¶ 1. Cultor dicitur qui amat et curat, instituit, opem fert. *Cic.* 1. *Off.* 30. 109. Veritatis cultores, fraudis inimici. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 1. Cultor et antistes virorum doctorum. *Id.* 1. *Art. am.* 722. Qui fuerat cultor, factus amator erat. Cf. *Petron. Satyr.* 127. Per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores tuos admittere. *h. e.* inter eos, qui visitant, deducunt, reducunt, amant. Modeste hic loquitur amator Petronianus: nam alioquin cultor minus est, quam amator. *Liv.* 9. 46. Bonorum cultor. *Id.* 25. 28. et *Martial.* 9. 86. amicitiæ. *Id.* 26. 32. imperii Romani. *Pers.* 5. 63. Cultor enim juvenum, purgatas inseris aures Fruge Cleanthea. *h. e.* institutor. *Martial.* 10. 92. Quietæ cultor et comes vitæ. *Id.* 10. 37. Juris et æquarum cultor sanctissime legum. — Sic *cultor feri orbis* dicitur a *Grat. Cyneg.* 69. Tyrinthius, scilicet Hercules, quia feris, monstris, tyrannis sublatis orbem ad amœniorem cultum traduxit. ¶ 2. Item qui deos veneratur et colit. *Horat.* 1. *Od.* 34. 1. Parcus deorum cultor et infrequens. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 327. et *Liv.* 5. 49. ¶ 3. Apud sequioris ævi scriptores, cultores alicujus numinis videntur fuisse sodales, qui in illius honorem sodalicium constituebant, iisque fuisse persimiles, qui apud nos *confratelli* appellantur. *Tac.* 1. *Ann.* 73. Falanio objiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quemdam, mimum corpore infamem, adscivisset. Adde *Sueton. Oth.* 8. *Inscript.* apud *Murat.* 182. 1. MERCVRIO AVG. IVLIVS LVCIFER SACERDOS ET CVLTOR EIVS. Alia *ibid.* 181. 9. COLLEGIVM CVLTORVM BONAE DEAE CAELESTIS. Alia apud *Morin. Iscriz. Alb.* p. 8. HERCVLI CONSERVATORI A. SERGIVS MEGALENSIS CVRATOR II SOCIIS CVLTOR. LARVM ET IMAGINVM AVGVSTORVM DEDIT. *Alia* apud *Orell.* 738. IMAGINVM DOM AVG. CVLTORIBVS. Sic alia apud *Morin. loc. cit.* p. 39. CVLTOR IOVIS HORTENSIS. *Alia ibid* p. 543. et apud *Murat.* 235. 4. CVLTOR IOVIS HELIOPOLITANI.

CULTRĀRĬUS, ii, m. 2. victimarii minister, qui victimam cultro immolat. *Sueton. Cal.* 32. Elato alte malleo cultrarium mactavit. — Item qui cultros facit. *Inscript.* apud *Gruter.* 640. 11., quæ est apud *Orell.* 4175. Q. TIBVRTII Q. L. MENOLANI CVLTRARII OSSA HIC SITA SVNT. Nihil vero prohibet, quominus putemus, hunc Tiburtium victimarium, non cultrorum fabricatorem esse; nam duo cultri, qui in ejus inscriptione sculpti sunt, pertinent ad popas, quos in nummis et antiquis anaglyptis cultros iis simillimos videmus manu gerentes.

CULTRĀTUS, a, um, adject. ut *Cultratus mucro*, qui scindit ut culter. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (30).

CULTRIX, icis, f. 3. quæ colit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de ea, quæ agris colendis operam dat. *Cic.* 5. *Fin.* 14. 39. Rerum, quas terra gignit, augendarum et alendarum quamdam cultricem esse, quæ sit scientia atque ars agricolarum. ¶ 2. Hinc cultrix dicitur etiam quæ incolit. *Virg.* 11. *Æn.* 557. Nemorum cultrix Latonia virgo. *Catull.* 64. 299. te solum, Phœbe, relinquens, Unigenamque simul cultricem montibus Idæ. *h. e.* Dianam. *Ovid.* 1. *Fast.* 245. Ars mea collis erat, quem cultrix nomine nostro Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat. — Et de rebus. *Pers.* 3. 26. Cultrixque foci secura patella est. Adde *Stat.* 5. *Silv.* 1. 101.

II.) Translate cultrix est, quæ colit, seu veneratur. *Lactant. Mort. persecut.* 11. Erat mater ejus deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. *Inscript.* apud *Murat.* 181. 4., quæ est apud *Orell.* 2109. D. M. TVTILIAE LAVDICIAE CVLTRICES COLLEGII FVLGINIAE. *Corrige* TVLLIAE LAVDICAE; *ipse enim Fulginiæ lapidem vidi.*

CULTŪRA, æ, f. 1. actus colendi, cultus, cultio.

I.) Proprie occurrit de agrorum cultione; et quidem modo cum additis, modo absolute. *Lucret.* 5. 1366. Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli Tentabant. *Id.* 5. 1447. Navigia atque agri culturas, mœnia, leges. *Varro* 1. *R. R.* 7. 9. De formæ cultura hoc dico, quæ specie fiant venustiora, sequi, etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 18. 7. et 2. *ibid. præfat.* 4. *Cic. Flacc.* 29. 71. Agri et natura perboni, et diligentia culturaque meliores. *Id.* 5. *Fin.* 14. 39. Adhibere culturam vitibus. *Id. Senect.* 15. 54. Cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura, et ipsa natura delectat. *Horat.* 3. *Od.* 24. 14. Nec cultura placet longior annuâ. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 36. Atrum olus parcam sarritionis exigit culturam. *Id.* 11. *ibid.* 2. 30. Ab Idibus Jan. auspicari culturarum officia. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 3. 6. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (37). Terra culturæ mollis et facilis. *Id.* 18. *ibid.* 6. 8. (43). Profecto opera, non impensa cultura constat. *Sillig.* legit *operæ impensa*, et quidem rectius. Adde *Sueton. Aug.* 42. et *Vesp.* 1.

II.) Translate. ¶ 1. Ratione habita mentis est institutio, disciplina: ad rem *Cic.* 2. *Tusc.* 5. 13. Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 39. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo culturæ patientem commodet aurem. ¶ 2. Ponitur etiam pro veneratione, obsequio, cultu erga aliquem hominem. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 86. Dulcis inexpertis cultura potentis amici: Expertus metuit. *Lactant.* 6. 7. Dei unici pia et religiosa cultura. *Tertull. Apolog.* 21. *a med.* Negat quod colit, et culturam in alterum transfert.

CULTUS, a, um. *V.* COLO.

CULTUS, us, m. 4. (colo). Olim *cultus, ti*, declinatum fuisse, ut *senatus, ti*, etc. veri valde simile est. Itaque sic apud *Lucret.* quidam legendum putant 4. 1274. Morigerisque modis et mundo corpori' culto. *Al. leg.* cultu. — Ceterum cultus proprie cultura, cultio, quam ruri homines adhibent (It. *coltivazione, cultura, lavoro rurale*; Fr. *culture*; Hisp. *cultura, la labor del campo*; Germ. *die ländliche Arbeit, die Bearbeitung, der Anbau des Landes durch den Menschen*; Angl. *cultivation, culture, tilling*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 1. Nullius agricolæ cultu stirps tam diuturna, quam poetæ versu, seminari potest. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 25. 67. et *Quintil.* 8. 3. 75. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Oves neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se, sine cultu hominum et curatione, potuissent. *Liv.* 4. 12. Deserto agrorum cultu. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 10. 4. et 11. *ibid.* 2. 48.; et *Quintil.* 9. 4. 3. *Curt.* 5. 6. 13. Sine ullo humani cultus vestigio. *Id. ibid.* § 15. Humani cultus rara vestigia.

II.) Improprie occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim. ¶ 1. Cultus dicitur qui hominis animo adhibetur, educatio, disciplina. *Cic. Partit. orat.* 26. 91. Genus hominum malo cultu corruptum. *Horat.* 4. *Od.* 4. 34. Doctrina sed vim promovet insitam Rectique cultus pectora roborant. *Cf. Quintil.* 2. 16. 17. *Liv.* 1. 34. Humili cultu educare aliquem. *Sall. Jug.* 75. Multus pueritiæ cultus. *V. Kritz* ad h. l. *Val. Flacc.* 5. 356. virginei custos grandæva pudoris Eniocbe, cultus primi cui creditus ævi. ¶ 2. Hinc cultus dicitur etiam qui diis et viris potentia vel dignitate supra ceteros eminentibus adhibetur; adeoque est veneratio, observantia, obsequium, honor. Ad rem *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, quæ adhibetur homini. *Id.* 1. *Tusc.* 26. 64. Philosophia nos primum ad deorum cultum erudivit. *Id.* 2. *Invent.* 53. 161. Sanguine conjunctis patriæque benevolis officium et diligentem cultum tribuere. Adde *Ovid.* 5. *Met.* 279. et *Curt.* 8. 11. 24. *Tac.* 2. *Ann.* 58. De adventu regis et cultu sui, cum decore ac modestia respondit. *h. e.* honore sibi habito. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 63. *Capitolin. Ver.* 8. *a med.* Minore circa fratrem cultu. *Lactant.* 4. 3. Deum justis ac piis cultibus honorare. — Et de rebus. *Justin.* 9. 8. 18. Cultus litterarum. Sic *Gell.* 14. 6. Homo in litterarum cultu non ignobilis.

B) Speciatim. ¶ 1. Eleganter admodum accipitur pro cura, qua humaniorem ac magis exquisitam vivendi rationem nobis comparamus: hinc — *a*) Ponitur pro externa vivendi ratione et apparatu earum rerum, quæ ad vitam victumque pertinent, quæ sunt servitia, ædes, vestitus, impensæ, etc., quo sensu sæpe cum victu conjungitur: item pro humanitate, quæ feræ agrestique vitæ opponitur, quæque animi eruditionem et exquisitam vivendi rationem complectitur. *Sall. Cat.* 37. Regio victu atque cultu vitam agere. Cf. *Cæs.* 6. *B. G.* 24. *Nepos Alcib.* 11. Ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedæmonios vinceret. *Id. Attic.* 14. Cum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit. *Id. ibid.* 13. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. *Id. Pausan.* 3. Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Belgæ a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt. *Cic.* 1. *Off.* 39. 140. Eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitæ transferenda est. *Id.* 1. *Orat.* 8. 33. Homines a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducere. *Virg.* 5. *Æn.* 730. gens dura atque aspera cultu. Adde *Cic.* 2. *Off.* 1. 2. et 4. 6.; *Sall. Jug.* 78.; *Horat.* 2. *Sat.* 2. 106.; *Liv.* 45. 28.; *Quintil.* 8. 5. 54.; *Justin.* 36. 1. 6.; *Tac.* 2. *Ann.* 52.; *Val. Flacc.* 2. 647.; *Spartian. Alex. Sev.* 9.; *Capitolin. Anton. Phil.* 17; et in plurali numero *Ovid.* 7. *Met.* 58. — *b*) De ingenio seu mente. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 54. Animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Cf. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Sic *Gell.* 1. 2. Qui Roma in Græciam ad capiendum ingenii cultum concesserant. — *c*) Et de orationis ornamentis. *Quintil.* 3. 8. 58. Affectare cultum effusiorem in verbis. *Id.* 8. 3. 61. postquam orationis tres conditiones enumeravit, ut sit perspicua, probabilis et ornata, hujus postremæ tres itidem gradus facit, concipere, et exprimere, *tertium, qui hæc nitidiora faciat, quod proprie dixeris* cultum. *Id.* 10. 2. 17. Qui carent cultu atque sententiis Atticis. Adde *eumd.* 12. 10. 79., 4. 2. 117., 2. 5. 23., 10. 1. 124. et alibi; et *Tac.* 13. *Ann.* 3. ¶ 2. In malam partem pro deliciis et luxu. *Sall. Cat.* 13. Lubido stupri, ganeæ ceterique cultus. Adde *eumd. Jug.* 95. *Liv.* 29. 21. *extr.* Quæ vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia imperatoris. ¶ 3. Præcipue vero dicitur de vestitu atque ornatu corporis. *Nepos Datam.* 3. Hominem optima veste texit, ornavitque etiam torque et armillis aureis ceteroque regio cultu. *Liv.* 10. 7. Incinctus Gabino cultu. Adde *Horat.* 1. *Od.* 8. 16. et 4. *ibid.* 9. 15.; *Ovid.* 3. *Met.* 609., 13. *ibid.* 163. et alibi, et 3. *Amor.* 1. 9.; *Sall. Cat.* 48.; et *Curt.* 3. 2. 14., 5. 3. 23., 10. 5. 33. et alibi. *Vellej.* 2. 107. Homo dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens. *Id.* 1. 2. Deposita veste regia, pastoralem cultum induit. *Id.* 2. 40. Ut corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur. *Plin. Paneg.* 83. Uxor Trajani modica cultu, parca comitatu, civilis incessu. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 10. *Plin. alter* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (13). Cultus muliebris. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (30). Lanæ præstant cultum et tutelam contra frigora. Adde *Justin.* 12. 3. 10.; *Val. Flacc.* 5. 355.; *Quintil.* 11. 3. 137.; *Sueton. Cæs.* 44., *Ner.* 20., *Cal.* 52. et *Aug.* 65.; et *Spartian. Get.* 5. — In plur. num. *Ovid.* 2. *Fast.* 318. Cultibus Alciden instruit illa suis. *Martial.* 11. 39. Si Tyrios sumpsi cultus unxive capillos. *Flor.* 4. 11. *extr.* Cleopatra maximos induta cultus. — Huc referri potest et illud *Petron. Satyr.* 136. Collectoque cultu meo ire extra casam cœpi. *h. e.* collectis vestibus ceterisque; et *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 85. Cæsariem crinali stringere cultu. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (5). Arbores cultu virides juvenesque. — *Cultum* et *ornatum* ita distinguit *Tertull. Habit. mul.* 4. Cultum, inquit, dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro et argento et gemmis et vestibus deputatur: iste in cura capilli et cutis et earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis. Hæc *Tertull.* Neque tamen hoc discrimen servatur a scriptoribus, neque eo respexisse credendus est *Liv.* 34. 7., ubi munditias, ornatum et cultum conjunxit. *V.* MUNDUS. ¶ 4. Item latiori sensu ponitur pro quorumque apparatu. *Vellej.* 2. 129. Cultus triumphi. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (121). Castella aquæductuum cultu magnifica. *h. e.* magnifica structura, marmoribus atque architecturæ ornamentis facta. *Val. Flacc.* 5. 570. Convivia læto cultu. ¶ 5. In illo *Plaut. Merc.* 5. 1. 3. Usus, fructus,

victus, cultus jam mihi harumce ædium etc., cultus idem esse videtur atque habitatio.

CŬLULLUS, i, m. 2. calix fictilis, quo pontifices, virginesque Vestales utebantur in sacris: sed ponitur universim pro poculo. (Videtur esse a κύλιξ *calix*, quod a κυλίω *volvo*; vel a *culleus* deminutiv., ut *mamilla* a *mamma*.) Ita *Acron.* et *Porphyr.* ad illud *Horat.* 1. *Od.* 3. 11. ut aureis Mercator exsiccet culullis Vina Syra reparata merce. Adde *eumd. Art. P.* 434.

CŪLUS, i, m. 2., podex, anus, ea pars in animantibus, ex quo stercus egeritur: ac fere de hominibus tantum usurpatur: ita vero est vocata a κοῖλος *cavus*, ut a ποινή *pœna* est *punio*, a μοῖρα *divisio*, est *mœrus* antiquitus, postea *murus*. *Catull.* 23. 19. Quod culus tibi purior salillo est, Nec toto decies cacas in anno. *Id.* 97. 2. Culum olfacere. *Id.* 97. 12. lingere. *Id.* 9. 28. Et prostitutis lævius caput culis. Adde *eumd.* 98. 4. — Accipitur etiam per synecdochen pro ipsis natibus; hinc eadem significatione Itali adhibent *culo*. *Martial.* 3. 98. Sit culus tibi quam macer, requiris? Pædicare potes, Sabelle, culo.

CUM, præpositio ablativa. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, placet *Cellario* et aliis discrimen servatum ab antiquis multis, teste *Vel. Long.* de *Orthogr.* p. 2231. *Putsch.*, *Capro* p. 2241. et *Terent. Scaur.* p. 2261., ut quando est adverbium temporis, seu conjunctio, *quum* seu *quom* scribatur; *cum* vero, si sit præpositio. Id confirmat hisce verbis *Mar. Victorin. de Orthogr.* 1. p. 2469. *Putsch.* Cum, adverbium temporis, antiqui quatuor litteris scribebant, tam his, *quum* apud Catonem, quam rursus *quom*: sed antiqui cum ita scriberent, pronunciabant tamen perinde ac si per *c* scriptum esset. *et mox.* Non enim aliud per *quum* scripta, aliud per *cum* sonat. Id confirmare etiam *Quintilianum* 1. 7. 5., probat *Spaldingius*, cum antea *ibid.* locus ita legeretur, ut *quom* scribendum doceret pro adverbio temporis, *quum* pro conjunctione causali, *cum* pro præpositione. In veteribus quidem, quæ exstant, monumentis non facile *quum* inveneris, inquit *Cellarius*. Nam *quom* satis apparet antiquum esse. — Ceterum quod ad præpositionem attinet, in *Inscriptt.* legitur aliquando et *com*; in MSS. vero interdum occurrit *quom* vel *quum*: de Adverbio *V.* QUUM loco suo. — *b*) Quoad vocis etymon, *Scheidius* ad *Sanctii Minervam* p. 241. putat, *quum*, seu rectius *quom*, quoties est adverbium temporis, vel conjunctio causalis, compositum fuisse ex κ' ὄν, id est κὲ ὄν, sive κατὰ ὂν χρόνον, vel λόγον: quoties autem est præpositio, *cum* scribendum, quod contractum sit ab Ablativo *cume* inusitati nominis *cumis* pro *cumus*, unde deminut. *cumulus*, et illud esse a κέκυμαι præter. pass. verbi κύω *tumeo*, *cresco*. Ita ut prioris significationis exemplum habeas apud *Cic.* 10. *Fam.* 3. Scis fuisse quoddam tempus, cum (*sive* quom) homines existimarent etc. Alterius vero, quando dicimus *cum illo*; tunc enim idem est, ac si diceris: *illo*, *tamquam cumulo*, *adjecto*. — *c*) Vetant *Cic. Orat.* 45. 154. et *Quintil.* 8. 3. 45. jungi *cum*, sive adverbium sit, sive præpositio, vocibus ab *n* incipientibus, vel quia, ut ait *Quintil.*, ultima prioris syllabæ littera, quæ exprimi nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente, in naturam ejus corrumpitur et junctura deformiter sonat: vel quia obscenius concurrerent litteræ, ut *Cic.* dicit; tunc enim ea verba sono vocabulum *cunnus* exprimerent. Nihilominus *Idem* dixit *Dom.* 9. 22. Cum nominibus tantum uteretur, etc. — *d*) Ceterum *cum* est præpositio serviens Ablativo; quæ nomini fere præponitur. Sed cum pronominibus *me*, *te*, *se*, *nobis*, *vobis* semper postponitur (et quidem cum iis scriptione coalescens) ut *Cic. Orat.* 45. 154. uo et: sæpe etiam cum Ablativis *qua*, *quo*, *quibus* et *qui* pro *quo*. *Id.* 3. *Off.* 19. 77. Dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 21. (cujus verba *V.* infra sub *A.* 1.), 4. *Att.* 9. 2., 5. *Att.* 1. 4., et 1. *de republ.* 10.; *Cæs.* 1. *B. G.* 8.; *Liv.* 38. 9.; et *Quintil.* 8. 6. 65., 10. 5. 7. et 11. 2. 38. *Cic.* tamen *Sull.* 3. 7. Cum quibus in ceteris intelligis abfuisse. Adde *Liv.* 5. 25., 21. 44. et 31. 29. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 18. (48). Quidquid sit, cum quo decoquatur. — Interdum adjectivo et substantivo interponitur. *Cic. Cluent.* 18. 51. Magno cum metu incipio dicere. — Denique et *cumprimis* conjuncte occurrit, quod *V.* loco suo. — Porro præpositio *cum* occurrit *A*) Generatim, et *B*) Specialim.

A) Generatim præpositio *cum* significat rem aliquam simul esse cum alia, vel conjunctam esse cum alia; ideoque opponitur præpositioni *sine*, ut apud *Cic. Mil.* 21. 55. Semper ille antea cum uxore; tum sine ea. Adde *Sueton. Cal.* 16. (It. *con*; Fr. *avec*, *en réunion*, *en compagnie de*, *en communauté*, *en société avec*; Hisp. *con*; Germ. *mit*, *sammt*, *nebst*, *zugleich mit*, *in Verbindung*, *in Geschellschaft*; Angl. *with*, *along with*, *together with*, *in conjunction with*). ¶ 1. Præp. *cum* comitatum societatemque significat. — *a*) Universim. *Plaut. Amph. prol.* 125. Qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum. *Ter. Eun.* 3. 2. 42. Una ire cum amica. *Cic.* 8. *Att.* 2. Vagamur egentes cum conjugibus et liberis. *Cæs.* 5. *B. G.* 45. Erit cum nuncio Crassus. *Cic.* 5. *Fam.* 21. Quibuscum essem libenter. *Id.* 11. *Att.* 20. 4. Cum Pansa vixi in Pompejano. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 3.; et *Liv.* 4. 24. et 31. 29. *Sall. Jug.* 61. Qui (*Bomilcar*) Romæ cum Jugurtha fuerat. — *b*) Speciatim aliquando ponitur pro simplici conjunctione *et*, ut apud *Liv.* 21. 60. Dux cum aliquot principibus capitur. *Nepos Phoc.* 2. Ejusque consilio Demosthenes cum ceteris, qui bene de republica mereri existimabantur, plebiscito in exilium erant expulsi. Adde *Sall. Cat.* 43. et *Jug.* 101. et 105.; *Liv.* 26. 46.; *Propert.* 3. 5. 15.; *Virg.* 1. *Æn.* 492.; *Horat.* 1. *Sat.* 10. 85. et 2. *ibid.* 1. 5.; et *Ovid.* 1. *Met.* 217., 3. *ibid.* 211. et 11. *ibid.* 203. — *c*) Item speciatim *cum aliquo esse*, *vivere*, *habitare*, *stare* etc. non modo societatis conjunctionem significant; verum etiam quoties persona, quacum præpositio *cum* jungitur, loci significationem exhibet, *cum aliquo esse*, *vivere* etc. significant esse apud aliquem, in alicujus domo, ad latus alicujus. *Cic.* 2. *Orat.* 1. 2. Aculeo, quocum erat nostra matertera. *Id.* 3. *Verr.* 25. 64. Quæ (*filia*) cum patre habitaret, propterea quod virum non haberet. *Id.* 5. *Fin.* 28. 86. Erit enim mecum, si tecum erit. *Id.* 14. *Att.* 21. Vivit habitatque cum Balbo. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 70. Si cœnas hodie mecum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 601. Bene dic dominæ, bene cum quo dormiat illa. ¶ 2. Præp. *cum* significat etiam rationem ac modum, quo actio aliqua evenit, vel qui actionem aliquam comitatur. — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 21. Habendum et ferendum hoc onus est cum labore. *Ter. Andr.* 5. 3. 10. Cum summo probro habere aliquam. *Id. ibid.* 1. 1. 101. Ad flammam accessit — cum periculo. *Cic.* 3. *Verr.* 24. 63. Ut illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate et prope pernicie civitatis. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Cum magno provinciæ periculo futurum, ut etc. Rursus *Cic.* 1. *Cat.* 13. 33. Cum tua pernicie — proficiscere. *Id.* 2. *Nat. D.* 23. 59. Moliri aliquid cum labore operoso et molesto. *Id.* 3. *Fin.* 8. 29. Idque esse beate vivere, honeste, id est, cum virtute vivere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Certo scio, te fecisse cum causa. *Id.* 4. *Fin.* 22. 61. Cum summa dignitate ab aliis ornari. *Nepos Themist.* 8. Cum dignitate vivere. Adde *eumd. Miltiad.* 7., *Att.* 7. et *Hamilc.* 1.; et *Justin.* 7. 2. 5. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Multis cum lacrimis Cæsarem complexus obsecrare cœpit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 9. Si minus cum cura aut cate locus loquendi lectus est. Adde *Sall. Jug.* 54. et 68.; *Liv.* 22. 42., 39. 41., 40. 40. *extr.* et 44. 1.; et *Auct. B. G.* 8. 51. *Sall. Jug.* 14. Cum mœrore atque luctu morte graviorem vitam exigere. Adde *Cœlium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. 9. et *Plaut. Rud. prol.* 29. *Liv.* 21. 24. Cum bona pace exercitum per fines suos — transmiserunt. *Quintil.* 10. 1. 72. Cum venia. *Sueton. Aug.* 34. Cum silentio. Adde *eumd. Ner.* 34. et *Tib.* 55.; *Liv.* 29. 1. et 38. 10.; *Curt.* 8. 13. 25.; et *Plin. Paneg.* 83. *Justin.* 11. 4. 1. Cum contemptu hostis. Adde *eumd.* 12. 2. 9., 18. 6. 5. et 30. 4. 16.; *Quintil.* 11. 3. 171.; 5. 10. 54., 8. 6. 61. et 2. 20. 8.; et *Capitolin. Ant. Phil.* 10. — *b*) Speciatim *cum diis*, *cum superis*, etc., Græce σὺν θεῷ, *h. e.* diis juvantibus. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. volentibu' cum magnis dis. Sic *Cato R. R.* 141. Cum divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi etc. *Liv.* 21. 43. Cum diis bene juvantibus arma capite. *Claudian.* III. *Cons. Stilich.* 174. Cum superis. — *c*) Item speciatim *cum eo, quod*; *cum eo, ut*; *cum eo, ne*, est cum ea conditione. *Cic.* 6. *Att.* 1. 7. Sit sane, quoniam ita tu vis, sed tamen cum eo, quod sine peccato meo fiat. *Cels.* 7. 27. Cum eo tamen, quod non ignoremus, orto cancro, sæpe affici stomachum. Sic *Scribon. Compos.* 60. Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam confirmat. *h. e.* præterquamquod, ut recte *Forcellinus* interpretatur; quod tamen in superiorem recidit significationem, sive cum ea conditione. *Liv.* 8. 14. Antium colonia cum eo missa, ut Antiatibus permitteretur, si et ipsi adscribi colonis vellent. *Id.* 36. 5. Lanuvinis sacra sua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Junonis communis Lanuvinis cum populo Rom. esset. Adde *Quintil.* 12. 10. 47., 2. 4. 30. et 10. 7. 13. *Cels.* 2. 17. Recte medicina ista tentatur, cum eo tamen ne præcordia dura sint. — *d*) Item præpositio *cum* numeris ordinalibus addita, terminationi *plex*, *plicis* respondet. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 112. Ager efficit cum octavo, bene ut agatur: verum, ut omnes dii adjuvent, cum decumo. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 21. (95). Cum centesimo quidem et Leontini Siciliæ campi fundunt. Cf. *Varron.* 1. *R. R.* 44. 1. ¶ 3. Interdum præp. *cum* indignationi significandæ inservit. *Ter. Eun.* 4. 3. 9. Abi hinc cum donis tuis tam lepidis. *Liv.* 1. 26. Abi hinc cum immaturo amore. Adde *Plaut. Most.* 2. 3. 33.; et *Ter. Eun.* 1. 2. 73., *Andr.* 5. 4. 38., *Phorm.* 3. 1. 1. et *Hecyr.* 1. 2. 59. ¶ 4. Præp. *cum* jungitur etiam nominibus temporis momenta significantibus, quo actio evenit; atque interdum cum adv. *pariter* vel *simul* connectitur. *Lucilius* apud *Diomed.* p. 372. *Putsch.* Ergo e somno pueros cum mane expergitus clamo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 111. Ego ne abs te abii hinc hodie cum diluculo? *Forcellino* h. l. cum redundare videbatur. *Id. Merc.* 2. 1. 31. Ad portum hinc abii mane cum luci simul. *Varro* 6. *L. L.* 5. *Müll.* Cum prima luce natus. *Müll.* præpositionem omittit. *Auct. B. Afr.* 62. Cum primo mane Leptim universa classi vectus. *Alii* cum *omittunt*. *Virg.* 7. *Æn.* 130. primo cum lumine solis — Vestigemus etc. Adde *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. et *Plaut. Cist.* 2. 1. 49. *Sall. Jug.* 114. Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur. Adde *eumd. ibid.* 68.; et *Cæs.* 5. *B. G.* 46. *Sall. Jug.* 91. Uti simul cum occasu solis egrederentur paratos esse jubet. Adde *eumd. ibid.* 9., 65. et 85.; *Cic.* 1. *Fin.* 3. 9. et 3. *Verr.* 24. 63.; *Liv.* 1. 10.; et *Ovid.* 1. *Met.* 180., 2. *ibid.* 849. et 13. *ibid.* 677. ¶ 5. Denique præp. *cum* additur etiam nominibus instrumentum significantibus, quod actionem comitari animo fingimus; vel sæpe ad rem magis declarandam præpositio hæc additur: ac propterea aliquando redundare videtur. *Lucilius* apud *Non.* p. 261. 6. *Merc.* Acribus cum armis confligere. *Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Cum voce maxima conclamat. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 423. Effundit voces proprio cum pectore sancto. *Virg.* 2. *G.* 423. Ipsa satis tellus cum dente recluditur unco, Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges. *Heynius* tamen ita interpretatur; et gravidas sufficit fruges, cum vomere recluditur. *Veget.* 1. *Veterin.* 27. 2. Cum tabula aliqua eadem caudam. Adde *Catull.* 98. 3.; *Nepot. Themist.* 2.; *Sall. Jug.* 49.; et *Justin.* 17. 1. 1. Huc referri possunt et illa *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 16. Omnia rabide appetens cum inexplebili cupiditate. *et* 13. *Fam.* 10. Versari in aliquo studio cum ingenio.

B) Speciatim. ¶ 1. Præp. *cum* mutuum significat, quæ inter duos interest, rationem conjunctionis, amicitiæ, inimicitiæ, fœderis, emptionis, etc.: et — *a*) *Esse omnia alicui cum aliquo*, vel *esse nihil* pertinent ad conjunctionem amicitiæ et voluntatum, et contra. *Cic.* 13. *Fam.* 1. Cum Patrone Epicureo mihi sunt omnia, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. (Est qui legit *omnia communia*; sed optimi codices, faventibus criticis, omittunt). *Id.* 7. *Verr.* 52. 136. Non ut quisque maxime est, quicum tibi aliquid sit, ita tui hujuscemodi criminis maxime eum pudet? *Id.* 14. *Att.* 15. Bruto certe meo nullo loco deero: idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Sibi cum illa mima posthac nihil futurum. — *b*) Jungitur præcipue Verbis *conjungere*, *componere*, *colligere*, *pangere*, *consentire*, *mutare* etc. significantibus. *Cic. Cluent.* 42. 117. Est amicitia cum aliquo. Cf. *Nepot. Hann.* 2. *Id. Nepos ibid.* 8. Bellum administrare cum aliquo. *Cic. Sull.* 9. 28. Bellum alicui est cum aliquo. *Id.* 1. *Divinat.* 46. 103. et *Nepos Chabr.* 3. Bellum gerere cum aliquo. *Nepos Att.* 4. Arma ferre cum aliquo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Dimicare prælio cum aliquo. *Id. Sext.* 10. 24. Fœdus facere cum aliquo. *Sall. Jug.* 61. Si pax cum Romanis fieret. *Cic.* 3. *Off.* 29. 106. et *Quintil.* 3. 7. 16. Fides cum hoste servanda. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 119. Pactiones decumarum cum singulis conficere. *Lucilius* apud *Non.* p. 260. 30. et *Ter. Phorm.* 4. 3. 17. Componere pectus cum pectore.

Cæs. 1. B. C. 18. Cohortes cum exercitu conjungere. Cic. 3. Verr. 23. 60. Conjungere hospitium cum aliquo. Adde Cæs. 2. B. C. 25.; Cic. Balb. 18. 41.; Liv. 37. 54. et Sueton. Ner. 47. Quintil. 12. 2. 8. Conjungere judicium suum cum illius auctoritate. Cic. 2. Divinat. 58. 119. Conjunctio mentis cum externis mentibus. Quintil. 2. 17. 2. et Cic. 4. Acad. (2. pr.) 42. 131. Consentire cum aliquo. cui opponitur apud Cic. Harusp. resp. 25. 54. Dissentire cum aliquo. Id. 4. Acad. (2. post.) 47. 143. Dissidet cum Cleanthe Chrysippus. Id. Brut. 49. 185. Dissensio fuit doctis hominibus cum populo. Adde Capell. 8. p. 287. Cic. 4. Verr. 52. 129. Congruere cum aliquo. Ovid. 3. Met. 198. et Justin. 2. 14. 5. Mutare manus cum pedibus. Curt. 5. 2. 16. et 9. 10. 6. Partiri aliquid cum aliquo. Ter. Eun. 4. 2. 3. Secum cogitare. Plaut. Most. 3. 2. 13. Cum animis cogitare. Sall. Jug. 11. Cum animo habere. Cf. Plaut. Trin. 2. 1. 24. Sall. Jug. 93. Trahere cum animo. Id. ibid. 13., 70. et 85. Reputare cum animo. Id. ibid. 6. et 108. Volvere cum animo. ¶ 2. Interdum præp. cum significat præditum, ornatum, instructum, indutum, immo etiam, cum de morbo agitur, laborantem. Plaut. Amph. prol. 149. A portu cum laterna advenit. Id. Stich. 5. 1. 7. Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam. Cato R. R. 156. Olla cum aqua. Liv. 30. 24. Naves cum commeatu. Plaut. Stich. 2. 2. 26. Quid illas itidem esse censes, quasi te cum veste unica. Sic Cic. Vatin. 13. 31. Cœnare cum toga pulla. Adde Liv. 35. 34. Ovid. 8. Met. 779. Cererem cum vestibus atris Mœrentes adeunt. Adde Sall. Cat. 27. et Jug. 105.; Cic. Mil. 4. 11., 1. Cat. 6. 15., 1. Fam. 1. et 5. Fam. 9.; et Trebell. P. Gall. 8. Ovid. 7. Met. 865. Quem Cephalus cum fortibus accipit armis. Adde Quintil. 4. 2. 13. Cic. 5. Tusc. 23. 65. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Nepos Pausan. 2. Cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit. Adde Sil. It. 1. 94. Liv. 27. 11. Cum elephanti capite puerum natum. Cic. 1. Fam. 1. 3. Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompejum: censet enim etiam ex iis, qui cum imperio sint. Adde eumd. 7. Verr. 29. 74.; Nepot. Hann. 7.; Sueton. Tib. 12.; et Vopisc. Tac. 1. Cic. 6. Att. 9. Cum febri Romam venire.

In compositione præpositio cum, ut loquelaris, transit in com (quæ originalis ejusdem forma censetur), et — a) Immutata manet ante verba b, p vel m incipientia, ut in comburo, compello, comminuo. — b) Ante verba l, n vel r incipientia mutat m in consonantem proxime insequentem, ut in collido, connecto, corrumpo. — c) Ante alias consonantes mutat m in n, ut in concordo, conduco, confingo, conglobo, conjicio, conqueror, consisto, contero, convivor. — d) Ante vocales interdum manet immutata, ut in comes, comitium, comitor; sæpius vero amittit m, quemadmodum etiam ante litteram h, ut in coarguo, coeo, cooperio, cohibeo. etc. (V. CON loco suo), immo aliquando insequentem quoque vocalem elidit, ut in cogo, cogito etc. — Quod vero attinet ad significationem, fere significat simul esse vel simul ferre, ut in convivor, condo, compello etc.: ceterum vim addit verbo, quocum componitur, ut in commendo, concerpo, etc.

CUMA pro cyma. V. CYMA.

CUMALTER, significat cum altero, dictum ab antiquis ita brevitatis causa, ut sodes pro si audes, scilicet pro scias licet, sis pro si vis. Paul. Diac. p. 50. 10. Müll.

CUMAMUM ubicumque legitur apud Scribon., ut Compos. 126., 144. etc., monet Rhodius corrigendum cynnamum.

CUMĀNUS, a, um, adject ad Cumas vel Cumam pertinens. V. ONOM. — Hinc

Cumana, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est vas fictile e terra Cumana, quæ ad hæc aptissima habita est. Apic. 4. 2. Apuam lavas, ex oleo maceras, in cumana compones. Adde eumd. 6. 9. et alibi. Cf. Martial. 14. 114. Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam, Municipem misit casta Sibylla suam. et Varro apud Non. p. 146. 11. Merc. Cumani calices.

CŪMĀTILIS. V. CYMATILIS.

CŪMĀTIUM. V. CYMATIUM.

CUMBA. V. CYMBA.

CŬMĔRA, æ, f. 1. vas vimineum, vel sparteum, vel palmeum, vel etiam fictile, acuminato operculo cameratum, unde et nomen suum accepisse videtur, quo rustici utuntur ad condenda frumenta, uti docent Paul. Diac. p. 63. 12. Müll. et Acron ad illud Horat. 1. Sat. 1. 53. Cur tua plus cumeris laudes granaria nostris? Id. 1. Ep. 7. 29. Repere in cumeram frumenti.

CŬMĔRUS, i, m. 2. Cumerum vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia: quod et camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum κάμιλλον appellabant. Varro 7. L. L. 3. 88. Müll. Dicitur in nuptiis camillus, qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio plerique extrinsecus nesciunt. Paul. Diac. p. 50. 7. Müll. Cumerum vas nuptiale a similitudine cumerarum, quæ fiunt palmeæ vel sparteæ ad usum popularem, sic appellatum. Id. Paul. Diac. p. 48. 11. Müll. hoc idem vasculum appellat cumeram. Contra Gloss. Isid. Cumerus, urbanus. ubi videtur cumera, quæ in rustico usu erat, a cumero in nuptiis usitato distingui.

CŬMES, itis, m. 3. comes. Ita, teste Prisciano 1. p. 554. Putsch. dicebant olim cungrum, humines, funtes, frundes, pro congrum, etc. Lucret. 3. 401. Sed cumes insequitur, facile et discedit in auras. Al. leg. comes.

CŬMĪNĀTUS vel cyminatus, a, um, adject. cumino mixtus, vel conditus. Pallad. 12. R. R. 22. 5. Subinde cuminati salis aspersione cumulabis. — Hinc

Cuminatum vel cyminatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est condimentum ex cumino. Ejus conficiendi rationem tradit Apic. 1. 29.

CŬMĪNĪNUS vel cymininus, a, um, adject. ad cuminum pertinens: et cl. Furlanetto videbatur esse ab inus. κυμίνινος. Apul. Herb. 74. Herbæ solatæ succum cum oleo cuminino misce. Al. leg. eadem significatione cyminino.

CŬMĪNUM vel cyminum, i, n. 2. κύμινον ab Hebr. כַּמֹּן, genus herbæ, semine ejusdem nominis, angusto et caniculato, in summa tellure vix hærens, et in sublime tendens, condimentorum omnium fastidiis amicissimum. Plin. 19. Hist. nat. 7. 36. (119). et 19. ibid. 8. 47. (160)., item 20. ibid. 14. 57. (150). et 20. ibid. 15. 57. (161)., ubi duo ejus genera facit, silvestre prætenue, quaternis aut quinis foliis veluti serratis, et sativum: et utriusque usus in medicina percenset. Addit etiam, bibentibus ex aqua vinoque pallorem gignere: atque hac ratione quosdam similitudinem coloris studiis contracti imitatos. Colum. 10. R. R. 246. gracilique melanthia grata cumino. Horat. 1. Ep. 19. 18. Exsangue cuminum. Pers. 5. 55. pallentis grana cumini. Adde Pallad. 1. R. R. 35. 8.; 4. ibid. 9. 17. et 5. ibid. 24. 14. Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 415.) hanc cumini synonymiam generatim exhibet: Κύμινον αἰθιοπικόν Hipp. de Morb. mul. 1. 603.; Κύμινον βασιλικόν, teste Dioscor., Theophr. Hist. plant. 7. 4., Nicand. Ther. 601., 710. et alibi; Κύμινον Dioscor. 3. 68.; Ciminum Carol. Magn. Capitul.; Καρυοβαδιν Simeon. Seth. Plant. arab.; et Cuminum Plin. et Pallad. ll. citt. sunt Cuminum Cyminum L. Spec. plant. 305. Ceterum idem Fée (ibid. p. 416.) putat cum Gesnero, cuminum silvestre Plinii esse Delphinium Consolidam L. Spec. plant. 1698. — De proverbio vesci cuminum. V. in CÆPA.

CUMIPHA, æ, f. 1. placentæ genus. Augustin. de morib. Manich. c. 51. Esse autem in iis possit, qui vehementer cumiphas et alia placenta carne carentia desiderasse se ipse prodiderit. Nisi mendosa est lectio, quid significet hæc vox, viderint eruditi.

CUMMAXĬMĒ. V. QUUM.

CUMMIS. V. COMMIS et GUMMI.

CUMPRĪMĒ, adverb. apud veteres pro cumprimis. Quadrigarius apud Gell. 17. 2. Cujus operam apud Gallos cumprime fortem Resp. sensit. Ubi Gellius: Apprime crebrius est, cumprime rarius.

CUMPRĪMIS, adverb. Fere legitur cum primis divisim; et est in primis. Cic. 4. Verr. 28. 68. Homo domi suæ cumprimis locuples. Virg. 1. G. 178. Area cumprimis ingenti æquanda cylindro. h. e. interea, vel inter prima opera et officia. Servius.

CUMQUANDO, adverb. quotiescumque, Gr. ἡνίκα ἄν. Vulgata vetus Ital. Prov. 3. 27. ed. A. Mai. Cumquando habeat manus tua adjuvare.

CUMQUE. V. QUUMQUE.

CUMULARE, is, n. 3. commissura renum. Veget. 6. Veterin. 2. 2. Schneid. A commissura renum (quod cumulare dicitur) usque ad imum mussarium commissuræ sunt duodecim. Adde eumd. 6. ibid. 1. 2. Ita leg. Schneid.; at Codd. utrobique habent columellare.

CŬMŬLĀTĒ, adverb. Comp. Cumulatius et Sup. Cumulatissime. — Cumulate est abundanter. Cic. 2. Divinat. 1. 3. Ut plene esset cumulateque perfecta. Id. Orat. 17. 54. Cumulatius quid augere. Id. 10. Fam. 29. Cumulatissime satisfacere. Adde eumd. 13. ibid. 42. Id. 15. Att. 15. Non modo liberaliter, sed etiam ornate cumulateque tractare aliquem. Adde eumd. 7. Verr. 64. 165.; 6. Att. 3. 3. et 2. Fin. 13. 42. Auson. 12. Ecl. 3. Unum (diem) ter denis cumulatius adde diebus Per septem menses.

CŬMŬLĀTIM, adverb. idem ac cumulate. Varro 3. R. R. 15. extr. Quibus in tenebris cum cumulatim positum est in doliis etc. Alii leg. affatim. Prudent. Apoth. 765. cumulatim aggesta redundant Fercula. Adde eumd. ibid. 717. et 739.

CŬMŬLĀTIO, ōnis, f. 3. aggestio in cumulum. Arnob. 3. 14. Nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione sacciburces. h. e. buccis tumentibus. Alii rectius leg. tubulatione. Cassiod. 11. Variar. 38. Quod (scrinium publicum) annua cumulatione semper augescit.

CŬMŬLĀTUS, a, um. V. voc. seq.

CŬMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cumulus). Part. Cumulans sub A. 1.; Cumulatus in omnibus paragr. et in fin.; Cumulaturus et Cumulandus sub B. 1. — Cumulare duo præcipue significat, scilicet A) Generatim est in cumulum coacervare, congerere; et B) Speciatim significat etiam cumulum cumulo addere.

A) Generatim cumulare est in cumulum coacervare, congerere; et

I.) Proprie. Lucret. 1. 989. Quippe ubi materies omnis cumulata jaceret. Id. 6. 191. et 518. Nubila cumulata. Curt. 10. 1. Opes longa possessione imperii cumulaverat. Id. 4. 16. Cumulantes agmina. Id. 5. 4. 88. Nix cumulata vento ingredientes fatigabat. Id. 6. 6. Cumulatis stipitibus fastigium montis æquare. Id. 5. 1. 30. Arenæ cumulatæ. Id. 3. 11. 10. Cumulata turba. Stat. 6. Theb. 85. Pyram truncis cumulare. Adde Sil. It. 12. 315. Scribon. Compos. 227. Cumulare et adstruere medicamentum carbasis.

II.) Translate. Plaut. Capt. 2. 3. 64. Benefacta cumulare. Curt. 4. 16. Propemodum sæculi res in illum diem fortuna cumulavit. Auct. B. Hisp. 31. Cumulatur adversariorum turpitudo. Tac. 2. Hist. 80. Pauci imperatorem salutavere: tum ceteri accurrere, Cæsarem et Augustum, et omnia principatus vocabula cumulare. Id. 13. Ann. 2. honores omnes in aliquem. Id. 1. ibid. 21. in legatos probra. Id. 2. ibid. 82. Audita in plures cumulata.

B) Speciatim est cumulum cumulo addere, atque hinc ¶ 1. Ponitur pro onerare, augere, complere, modo proprie, modo translate. Lucret. 6. 1237. Idque vel in primis cumulabat funere funus. Cic. 1. Off. 32. 116. Africanus eloquentia cumulavit bellicam laudem. Id. 1. Cat. 6. 14. Scelus scelere cumulare. Id. Rosc. Am. 11. 30. Hæc maleficia aliis nefariis cumulant atque adaugent. Id. 4. Att. 1. Unum ad cumulandum gaudium, conspectum mihi tuum defuisse. Virg. 5. Æn. 532. Cumulare aliquem muneribus. Liv. 30. 32. Multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut eversuri. Id. 2. 23. Æs alienum cumulatum usuris. Id. 3. 12. sub fin. Invidiam alicui cumulare. Id. 3. 37. 3. injuriam. Ovid. 4. Trist. 1. 55. Meque tot adversis cumulant, quot littus arenas etc. Id. Heroid. 2. 57. Cumulare hospitium lecto jugali. h. e. non solum hospitio excipere aliquem, sed etiam ei nubere. Auct. B. Afr. 31. Multitudinem cumulare. Plin. 3. Ep. 11. ad fin. Cumulare aliquem laudibus. Tac. Orat. 28. vitia. Id. ibid. 30. eloquentiam magnis præmiis. Sil. It. 3. 661. montes. Spartian. Sev. 4. famam. ¶ 2. Item ponitur pro cumulum faciendo implere, et fere proprie — a) Cum addito Ablat. Virg. 11. Æn. 50. et Curt. 5. 1. 20. Altaria ture, et omnibus odoribus cumulare. Liv. 8. 33. Aras donis cumulare. Id. 32. 17. Locus strage semiruti muri cumulatus. Ovid. 4. Fast. 451. Cumulatis flore canistris. Val. Flacc. 1. 204. Pingui cumulat libamine flammam. Tac. 4. Hist. 20. Cumulatæ corporibus fossæ. Adde Sil. It. 1. 418. Solin. 15. 409. Urbem cumulatam strage virorum. — Hinc cumulare se cibo est cibo impleri, satiari. Ovid. 15. Met. 462. Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis. — b) Absolute. Ovid. 3. Trist. 10. 72. Nec cumulant altos fervida musta lacus. Id. Medic. fac. 56. Sed cumulent il-

bras hordei modia duas. *h. e.* impleant, æquent, conficiant. *Colum.* 12. *R. R.* 21. 2. Coadjicitur in binas urnas ligula cumulata salis cocti. *Veget.* 1. *Veterin.* 10. 7. *Schneid.* Unum cochlearium cumulatum cum sextario vini veteris. *h. e.* Italice un *cucchiajo a colmo*, cui opponitur a *raso*. Adde *Scribon. loc. cit.* in COCHLEARIUM. ¶ 3. Denique translate. — *a)* Cum Ablat. *Cæcilius* apud *Cic. Cæl.* 16. 37. Meum cor cumulatur ira. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 63. Ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus. *Id.* 1. *Orat.* 118. 26. Orator omni laude cumulatus. *Id.* 9. *Fam.* 14. Maximo gaudio cumulari. *Id.* 2. *Orat.* 8. Omni rerum genere cumulata oratio. *Id.* 2. *ibid.* 4. 18. Hoc vitio cumulata est Græcorum natio. *Id.* 12. *Att.* 5. Duplici dedecore cumulata domus. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Cumulari laudibus. *Tac.* 3. *Hist.* 37. et *Sueton. Ner.* 8. Honoribus cumulatus. — *b)* Absolute. *Cic.* 4. *Att.* 1. 2. Ad cumulandum gaudium. *Id. Sext.* 40. 86. Perfecta et cumulata virtus. *Id.* 2. *Off.* 5. 18. Quorum studiis ea, quæ natura desiderat, expleta cumulataque habemus. *Ovid. Remed. am.* 541. Dum bene te cumules, et copia tollat amorem. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 302. Nil cumulat, verbisque nihil fiducia celat. *h. e.* amplificat. — *c)* Cum Ablat. et præpos. *ex. Cic.* 5. *Fin.* 14. 40. Summum bonum cumulatur ex integritate corporis, et ex mentis ratione perfecta. *h. e.* perficitur, completur. — *d)* Cum Infinito. *Capell.* 1. *p.* 9. Alterutrum cumulat parilem meruisse jugalem. *h. e.* alter alterius connubio beatus est, Mercurius Philologiæ et Philologia Mercurii. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Cumulatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Cumulatior* 1.; et Sup. *Cumulatissimus* 2. — Cumulatus ¶ 1. Est oneratus, auctus. *Cic. Brut.* 4. 15. Eadem mensura reddere, qua acceperis, aut etiam cumulatiore. *Liv.* 2. 47. *ad fin.* Spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit. *Spartian. Sev.* 16. *extr.* Stipendio cumulatiore. ¶ 2. Item plenus, expletus. *Cæcilius* apud *Non. p.* 126. 15. *Merc.* Homo ineptitudinis cumulatus. *Plaut. Aulul.* a. 5. v. 16. Scelerum cumulatissimus. *Cic.* 9. *Fam.* 14. 5. Tantum accessit ad amorem, ut mirarer, locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. *Virg.* 4. *Æn.* 436. Extremam hanc oro veniam (miserere sororis), Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam. *Nazar. in Const.* 29. 3. Cumulatissimum principis munus est.

CŬMŬLUS, i, m. 2. Ratione habita etymi, juxta *Döderlein., Synonym.* 2. 5. *p.* 115., cumulus est pro *culmulus*, deminut. a *culmus*: et est acervus multarum rerum in altitudinem congestarum (It. *cumulo, mucchio*; Fr. *monceau, masse amoncelée, amas*; Hisp. *monton, cumulo, congerie*; Germ. *die in die Höhe geschichtete Masse*, d. *Haufe als Spitze*; Angl. *a heap or pile, an overflowing of water*).

I.) Proprie. *Liv.* 22. 7. Hannibal – segregata ex hostium coacervatorum cumulis corpora suorum cum sepeliri jussisset, Flaminii corpus – non invenit. *Id.* 5. 48. Hominum cumulus. *Id.* 10. 29. Consulis corpus obrutum superstratis Gallorum cumulis. *Id.* 38. 23. Consul armis hostium in uno concrematis cumulo, ceteram prædam conferre omnes jussit. *Id.* 38. 7. Cumulus repente terræ eminens, index operis oppidanis fuit. *Ovid.* 15. *Met.* 508. cumulusque immanis aquarum In montis speciem curvari. *Virg.* 1. *Æn.* 109. Insequitur cumulo præruptus aquæ mons. *Id.* 1. *G.* 105. Quid dicam, jacto qui semine comminus arva Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ? Adde *eumd.* 2. *Æn.* 498. *Ovid.* 12. *Met.* 511. Obrutus cumulo arboreo. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 137.; *Liv.* 10. 29.; et *Curt.* 4. 3. 7. et 8. 10. 30. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (163). Cumulus aquæ in poculis eminens. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (111). Cumuli saxei. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 222. Struere cumulos auri.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Ulp. Dig.* 36. 1. 4. Cumulus æris alieni. *Id. ibid.* 27. 2. 3. Cumulus patrimonii. *h. e.* universus reditus, ut idem paullo ante dicit. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 158. Et laudum cumulo beatus omni. ¶ 2. In mensuris aridorum *cumulus* vocatur quod supra mensuram in modio adjicitur, ut *Paul. Diac. p.* 14. 17. *Müll.* docet. — Ab hac autem significatione elegantes ac frequentissimæ metaphoræ oriuntur. *Cic. Prov. cons.* 11. 26. Ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. *Id.* 16. *Att.* 3. 3. Qui etsi per se amabilis, tamen accedit magnus cumulus commendationis tuæ. *Id.* 2. *leg. Agr.* 23. 62. Accesserint in cumulum manubiæ vestrorum imperatorum. *Id.* 3. *Orat.* 35. 143. Eloquentia aliquem cumulum philosophorum artibus affert. *Id. Rosc. Am.* 3. 8. Ut ad illam opimam prædam damnatio Roscii velut cumulus accedat. *Id.* 4. *Att.* 18. *extr.* Ad summam lætitiam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius adventu cumulus accedit. *Id.* 16. *ibid.* 11. De laudibus Dolabellæ deruam cumulum. *Id.* 13. *Fam.* 62. Magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. *Id.* 16. *ibid.* 21. Afferre alicui cumulum gaudii. *Id.* 1. *Att.* 16. Cumulus mercedis. *Ovid.* 11. *Met.* 205. et addit Perfidiæ cumulum, falsis perjuria verbis. *Id.* 14. *ibid.* 472. iram cælique marisque Perpetimur Danai, cumulumque Caphareæ cladis. *Tac.* 1. *Hist.* 77. Cumulus dignitatis. *Id.* 2. *ibid.* 21. Mille equites cumulus prosperis. *Seneca Hippol.* 1119. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor, Si abominanda casus optata efficit. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (17). Cumulus deliciarum. *Id.* 6. *ibid.* 22. 24. (89). Luxuriæ nostræ cumulus. *Sueton. Tib.* 17. Gloriæ amplior cumulus accessit. *Juvenal.* 3. 210. Cumulus ærumnæ. *Justin.* 22. 7. 1. ærumnarum. Adde *eumd.* 17. 2. 1. *Spartian. Pertin.* 7. divitiarum. ¶ 3. Hinc specialim apud Rhetores, peroratio, quam *cumulum* quidam, alii *conclusionem* vocant, ut docet *Quintil.* 6. 1. 1. Cf. *Id. præf. l.* 7. Cumulus rerum in dicendo. Adde *eumd.* 1. 8. 3. et 88. ¶ 4. Hinc etiam *in cumulum* pro *insuper, præterea*, apud *Capell.* 9. *p.* 301. In cumulum doctæ vocis honore tacent. V. *Kopp.* ad *h. l.* ¶ 5. Est quoque idem ac summitas. *Inscript.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 38. TVMVLVM INFRA MONIMENTVM SVPER SARCOPHAGA EARVM MASSA AEDIFICAVIT VSQVE AD CVMVLVM.

CŪNA, æ. *V.* CUNÆ, arum, sub init.

CŪNĀBŬLA, ōrum, n. plur. 2. (cunæ) lectuli infantum, vel loca ubi nascuntur. Ita *Servius* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 23., ubi a κύω *prægnans sum* et *pario* derivat.

I.) Proprie occurrit — *a)* De hominibus. *Plaut. Amph.* 5. 1. 52. Neque eum quisquam colligare quivit in cunabulis. *Al. leg. conjunctim* incunabulis. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Qui cum esset in cunabulis, educareturque etc. — *b)* Tribuuntur et brutis animalibus. *Virg.* 4. *G.* 66. *de apib.* Intima more suo sese in cunabula condent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (99). Aves, quæ cunabula in terra faciunt.

II.) Improprie. ¶ 1. Metonymice est locus, in quo quis nascitur vel habitat. *Propert.* 3. 1. 27. Idæum Simoenta, Jovis cunabula parvi. *Virg.* 3. *Æn.* 105. Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ. *h. e.* prima sedes et origo. *Val. Flacc.* 5. 418. cunabula gentis Colchidos hic ortusque tuens. ¶ 2. Translate sunt initia vel origo. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 48. Usque a cunabulis. *h. e.* ab infantia. Cf. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 36. 100. In republica cura ac diligentia debet esse, tum eorum maxime, qui non in cunabulis, sed in campo sunt consules facti. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 5. A primis cunabulis hujus urbis conditæ. *Aurel. Arcad. Dig.* 1. *tit.* 11. His cunabulis prætorio præfectorum auctoritas initiata. *h. e.* his initiis. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *a med.* Liber qui veluti cunabula juris continet.

CŪNÆ, ārum, f. plur. 1. *Cuna* in sing. num. perrarus est. *Prudent. Dittoch.* 111. præsepe jacenti Cuna erat. — Ceterum cunæ sunt vasculum, sive alveus ille, in quo infantes fasciis involuti cubant, forma scaphæ: quasi *cynæ*, a κύω *pario*. Aliud etymon in V. CUNNUS (It. *cuna, culla*; Fr. *berceau*; Hisp. *cuña de niño*; Germ. d. *Wiege*; Angl. *a cradle*).

I.) Proprie occurrit — *a)* De hominibus. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 81. Quid ais? tunc etiam cubitare solitus es in cunis puer? *Cic. Senect.* 23. 83. Repuerascere et in cunis vagire. *Id.* 1. *Tusc.* 39. 93. Iidem, si puer parvus occidit, æquo animo ferendum putant; si vero in cunis, ne querendum quidem. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 392.; *Quintil.* 1. 1. 21.; *Juvenal.* 6. 89.; *Pers.* 2. 31.; *Sueton. Aug.* 94. et *Prudent. Cathem.* 12. 100. *Martial.* 11. 39. Cunarum fueras motor, Charideme, mearum. — *b)* Tribuuntur et avibus. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 9. hirundo Sub trabibus cunas parvaque tecta facit.

II.) Improprie cunæ sunt idem ac nativitas, vel prima infantia. *Propert.* 2. 10. 43. Ponere animam primis cunis. *h. e.* primis vitæ diebus. Sic *Ovid.* 3. *Met.* 313. Educare aliquem primis cunis.

CŪNĀRĬA, æ, f. 1. videtur esse mulier, quæ cunis alicujus adfuerit, et infantiam ejus servaverit. Simile officium in quodam Charidemo describit *Martial.* 11. 39. *V.* vocem praeced. I. *a. Inscript.* apud *Gruter.* 311. 7. TEJAE TREPTAE CVNARIAE RVFINAE *virginis vestalis* GLYPTVS FRATER VIVOS VIVAE POSVIT.

CUNCHIM *pro* conchim, *et*

CUNGRUM *pro* congrum, antiquos dixisse testatur *Priscian.* 1. *p.* 554. *Putsch.*

CUNCTĀBUNDUS, a, um, adject. qui cunctatur. *Liv.* 6. 7. Cunctabundosque, et resistentes egressus castris esse. *Tac.* 1. *Ann.* 7. Nunquam cunctabundus. *Mamertin. in Jul.* 18. 6. Cunctabunda verba. *Eumen. Paneg. Constant.* 18. amnis.

CUNCTĀLIS, e, adject. Lar cunctalis (*h. e.* δαίμων πάγκοινος) esse videtur Genius, qui præpositus est omnibus rebus ac vim habet omnium rerum gignendarum, ut verbis utar *Varron.* apud *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 13. Hinc *Capell.* 1. p. 19. Neptune autem, Lar omnium cunctalis, etc. V. *Kopp.* ad *h. l.*

CUNCTĀMEN, inis, n. 3. idem quod cunctatio. *Paulin. Nolan.* 21. 416. pavidæ cunctamine mentis. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 12. 1. 23. (ann. post Chr. n. 338.). Sententia super his lata sine aliquo cunctamine convalescat.

CUNCTĀMENTUM, i, n. 2. idem ac cunctamen. *Capell.* 1. *p.* 3. Pro industriæ dignitate quam (uxorem) conveniret accipere, cunctamento longæ deliberationis (*Mercurius*) alternat. Ita *Grotius* pro *cuncta merito* legendum putat.

CUNCTANS, antis. *V.* CUNCTOR.

CUNCTANTER, adverb. Comp. *Cunctantius.* — Cunctanter est cum mora. *Liv.* 1. 36. Tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt. Adde *eumd.* 10. 4. et 27. 20.; *Curt.* 6. 10. 34.; *Plin. Paneg.* 71.; *Tac.* 2. *Hist.* 59.; *Sueton. Aug.* 91., *Tib.* 37. et *Tit.* 6.; et *Eumen. Paneg. Const.* 16. *Tac.* 1. *Ann.* 71. Data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio. *Al. leg.* cunctatius. Adde *Sueton. Galb.* 12. et *Cæs.* 19.

CUNCTĀTĬO, ōnis, f. 3. (cunctor). Legitur et contatio. — Cunctatio est tarditas, mora (It. *tardanza, indugio, esitanza*; Fr. *retard, lenteur, hésitation*; Hisp. *retardacion, tardanza, detencion*; Germ. *das Zaudern, das Zögern, die Zögerung*; Angl. *a delaying, lingering, dilatoriness, delay, doubt*). Occurrit tum in bonam, tum in malam partem; et quidem — *a)* In singulari numero. *Cic. Amic.* 13. 44. Studium semper adsit, cunctatio absit. *Id.* 1. *Off.* 21. 72. Abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt. *Id. Sext.* 47. 100. Cunctatione et tarditate. Adde *eumd. Vatin.* 6. 15. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Superiorum dierum Sabini cunctatio. *Liv.* 20. 24. Res jam non ultra cunctationem recipit. *Id.* 5. 41. Cunctatio major invadendi. Adde *Quintil.* 11. 3. 157.; et *Sueton. Aug.* 12. — *b)* In plurali numero occurrit apud *Quintil.* 9. 2. 71.; *Curt.* 6. 7. 18., 8. 6. 29. et 4. 6. 13.; *Plin.* 1. *Ep.* 8., 1. *ibid.* 22., 9. *ibid.* 9. et 10. *ibid.* 97.; *Juvenal.* 6. 221., *Tac.* 4. *Ann.* 71., 15. *ibid.* 2., 11. *ibid.* 9. et 12. *ibid.* 54.; et *Sueton. Tib.* 24.

Homonym. *Cunctatio* subjective tantum accipitur; *mora* objective tantum. *Plin.* 5. *Ep.* 8. 14. Nulla rursus cunctationis et moræ justa ratio nascatur. *Id. ibid.* 11. Sum et ipse in eundo hæsitator; tu mora tamen meam cunctationem tarditatemque vicisti. *Seneca* 1. *Ira* 10. Fabius cunctari et trahere et morari scivit. Cf. *Quintil.* 11. 3. 158. In hac cunctatione sunt quædam non indecentes moræ.

CUNCTĀTOR, ōris, m. 3. qui cunctatur, dilator, cunctabundus. — *a)* In bonam partem. *Liv.* 22. 12. *extr.* Primo inter paucos, dein propalam in vulgus, pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 25. *Stat.* 3. *Theb.* 79. Non cunctator iniqui. *h. e.* promptus ad inique agendum. — Hinc fuit cognomen Q. Fabii Maximi, qui prudenti cunctatione Hannibalis vires fregit. *Liv.* 30. 26. Sicut dubites utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat. Adde *eumd.* 28. 40. et *Quintil.* 8. 2. 11. — *b)* In malam partem. *Liv.* 6. 23. Cunctatorem ex acerrimo bellatore factum. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. 3. Nosti Marcellum, quam tardus, itemque Servium, quam cunctator.

CUNCTATRIX, icis, f. 3. quæ cunctatur. *Ambros. Ep.* 1. 3. Lenta autem virtus omnis et diuturna cunctatrix ante dijudicat et adorienda incipit.

CUNCTĀTUS, a, um. *V.* CUNCTOR.

CUNCTI, æ, a. *V.* CUNCTUS.

CUNCTĬCĬNUS, a, um, adject. totus canens, a *cunctus* et *cano*. *Capell.* 9. p. 306. Non enim simplex quidam et unius materiæ tinnitibus modulatus, sed omnium organicarum vocum consociata permixtio quamdam plenitudinem cuncticinæ voluptatis admisit.

CUNCTIM, adverb. pro conjunctim, adeoque universim. *Apul. Florid.* n. 9. Non singillatim ac discretim, sed cunctim et coacervatim afferre. *Id. de Deo Socrat.* Homines singillatim mortales, cunctim tamen universo genere perpetui.

CUNCTĬPĂRENS, entis, adject. parens cunctarum rerum. *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 128. Cui posse soli cunctiparens dedit, Castum vel ipsum reddere fornicem.

CUNCTĬPŎTENS, entis, adject. omnipotens. *Prudent.* 7. περὶ στεφ. 56. Jesu cunctipotens.

CUNCTŌ, as, are. *V.* voc. seq. sub init.

CUNCTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. — a) Ratione habita formæ etiam *contor* aliquando scriptum fuit. *V.* — Quin et *cuncto, as*, activa forma, et agnoscitur a *Prisciano* 8. p. 797. *Putsch.*, et confirmatur illo *Plauti* loco *Cas.* 4. 2. 13. Tu hic cunctas: intus alii festinant. Et *Ennii* apud *Non.* p. 469. 27. *Merc.* Qui cupiant dare arma Achilli, ut ipsi cunctent. Et *Accii ibid.* p. 469. 24. Membra animo ægroto cunctant sufferre laborem. Cf. *Liv.* 6. 4. — *Cunctarier* per paragogen pro *cunctari* habet *Lucret.* loco infra cit. sub II. — Part. *Cunctans* I., II. et in fin.; *Cunctatus* in fin. — b) Ratione habita grammaticæ, *cunctor* est verbum neutrum. — Sed tamen active occurrit apud *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 441. qui pondere postquam Decidit implicitus limo, cunctantia pronus Per vada reptabat cœno subnixa tenaci. *h. e.* remorantia. Potest tamen interpretari etiam, se non moventia. *Curt.* 5. 6. Rex phalangem nihil cunctatus inducit. *Stat.* 9. *Theb.* 36. lacrimæque hæsere paratæ, Et cunctata fides. *cunctatus* hic passiv. esse videtur. — Et impersonaliter passive. *Tac.* 3. *Ann.* 46. Nec cunctatum apud latera. — Ceterum *cunctari* proprie est, si *Vossio* creditur in *Etymol.*, cuncta aggredi, sive per cuncta ire, a *cunctus*: sed quia cuncta non sine mora perficere est, inde factum, ut sumatur pro morari, differre, procrastinare. Hinc *cunctari in bello* dicuntur, qui, quasi aliquid auxilii adhuc exspectent, pugnare nondum volunt. Hinc generatim cunctari est morari, differre, hærere, dubitare, sive id prudentiâ, sive inertiâ fiat (It. *indugiare, tardare, differire*; Fr. *hésiter, tarder, temporiser*; Hisp. *hesitar, tardar, temporizar*; Germ. *mit etwas zögern, zaudern, anstehen, sich bedenken*; Angl. *to delay, stay, linger*).

I.) Proprie usurpatur de personis; et occurrit — a) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 24. 84. de *Fabio Maximo cunctatore.* Unus homo nobis cunctando restituit rem. Adde *eumd.* apud *eumd. Senect.* 4. 10. *Lucret.* 6. 800. si calidis etiam cunctere lavacris. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 5. Si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum; si dubium, non esse conandum. *Id.* 10. *Att.* 8. Assequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. *Id.* 7. *ibid.* 12. An cuncter et tergiverser, et iis me dem, qui etc.? *Id. Sext.* 38. 81. An etiam tunc quiesceretis, cunctaremini, timeretis? *Id.* 6. *Fam.* 1. Me eum esse, quem solitus esses auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. *Id.* 3. *Orat.* 9. 36. Cunctantem et quasi verecundantem incitare. *Cic.* 1. *Tusc.* 46. 111. Cunctari diutius in vita, inutile putabat. Adde *Cæs.* 4. *B. G.* 25. *Virg.* 10. *Æn.* 831. Increpare socios cunctantes. *Id.* 4. *ibid.* 133. Reginam thalamo cunctantem ad limina primi Pœnorum exspectant. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 2. 122.; *Ovid.* 2. *Fast.* 242. et 8. *Met.* 755.; *Liv.* 22. 24. et 27. 50.; *Curt.* 4. 13. 20., 5. 11. 3., 10. 6. 19., 6. 5. 8. et 9. 3. 3.; *Tac.* 2. *Ann.* 66., 12. *ibid.* 10., 1. *Hist.* 70. et 3. *ibid.* 50. *Sueton. Domit.* 17. Cunctantibus conspiratis, quando et quomodo aggrederentur. Adde *eumd. Cæs.* 32., *Aug.* 26. et *Vit.* 10. *Val. Flacc.* 3. 656. Ad medium iter cunctari. Adde *eumd.* 2. 377. et 4. 277.; et *Ammian.* 29. 1. 3. — Et *Virg.* 4. *G.* 106. *de apibus.* tu regibus alas Eripe: non illis quisquam cunctantibus, altum Ire iter, aut castris audebit vellere signa. — b) Cum Infinito. *Cic. Tim.* 3. *ad fin.* Quam ob causam non est cunctandum profiteri, hunc mundum animal esse. *Virg.* 12. *Æn.* 940. Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo Cœperat. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 7. Si modo captas aves custodiæ tradere velis, parere cunctantur in servitute. Adde *Curt.* 8. 1. 40. *Sueton. Vesp.* 16. Ne candidatis quidem honores, reisve absolutiones vendere cunctatus est. Adde *eumd. Cæs.* 70. — c) Cum Relativo. *Cæs.* 3. *B. G.* 23. Non cunctandum existimavit, quin pugna decertaret. *Sall. Cat.* 52. Cunctamini, quid — faciatis. *Sueton. Cæs.* 80. Primum cunctati, utrumne — an. Adde *eumd. ibid.* 81., *Aug.* 8., *Domit.* 2., *Cal.* 58. et *Claud.* 21. *Augustus* apud *Sueton.* 56. Consuluit senatum, quid officii sui putaret. Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur.

II.) Translate de rebus. *Lucret.* 3. 65. Turpis enim fama et contemptus et acris egestas Semota ab dulci vita stabilique videntur; Et quasi jam leti portas cunctarier ante. *Id.* 2. 392. Tardum cunctatur olivum. Adde *eumd.* 4. 705. — Hinc Part. præs.

Cunctans, antis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Cunctantior* I. et II. — *Cunctans* est qui cunctatur, tardus: et dicitur sæpe de iis, qui hærentes in deliberando, tardi sunt ad rem suscipiendam.

I.) Proprie de personis. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 14. Familia cunctans ad opera. *Plin.* 9. *Ep.* 13. Cunctantior cautiorque. *Id.* 2. *ibid.* 16. Cunctantior fortasse, et cautior esse deberem. *Al. leg.* cunctatior. *Sueton. Cæs.* 60. Extremo tempore ad dimicandum cunctantior factus. *Hic quoque al. leg.* cunctatior. *Val. Flacc.* 2. 93. Alternos ægro cunctantem poplite gressus. Cf. *eumd.* 3. 613. Et *Id.* 7. 64. Me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.

II.) Translate de rebus. *Lucret.* 3. 194. Mellis, quam aquæ, pigri latices magis et cunctantior actus. *Virg.* 6. *Æn.* 210. *de ramo aureo.* Corripit extemplo Æneas, avidusque refringit Cunctantem. *h. e.* resistentem dum avelleretur. *Id.* 2. *G.* 236. Glebæ cunctantes. *h. e.* duræ ad proscindendum. Adde *Sil. It.* 3. 453. *Stat.* 5. *Theb.* 680. Cunctans ira. *Val. Flacc.* 3. 693. multusque viri cunctantia corda Fert dolor. Adde *eumd.* 7. 176. et 7. 4.

Cunctatus, a, um. V. *Cunctans* sub I., et CUNCTOR.

Homonym. *V.* CUNCTATIO in fin.

CUNCTUS, a, um, *et sæpius in plur. num.* cuncti, æ, a, adject. omnes simul. *Cuncti*, inquit *Paul. Diac.* p. 50. 15. *Müll.*, significat quidem omnes, sed conjuncti et congregati: at vero omnes, etiam si diversis locis sint. Hinc *cuncti* factum est per syncopen pro *conjuncti, coiuncti*: *V.* et infra sub *b.* in fin. (It. *tutti insieme*; Fr. *tous ensemble, tous réunis*; Hisp. *todos juntos*; Germ. *alle zu einem Ganzen verbunden, alle insgesammt*; Angl. *all together, the whole*). Usurpatur — a) Raro in singulari numero. *Plaut. Most.* 5. 2. 46. Fac istam cunctam gratiam. *h. e.* integram et plenam. *Cic.* 10. *Fam.* 21. A cuncto populo. *Id. pro leg. Manil.* 5. 12. Cuncta Asia. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Cunctam intuens terram. *Id.* 2. *Phil.* 9. 21. In tanta lætitia cunctæ civitatis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 16. 41. Cuncta Ægyptus. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. Cuncta Gallia. *Nepos Themist.* 9. et *Con.* 4. Cuncta Græcia. *Catull.* 64. 92. cuncto concepit pectore flammam Funditus, atque imis exarsit tota medullis. *Sall. Hist. fragm.* 3. 22. Cunctam vim. *Id. Jug.* 69. Cuncta civitas. *Id. Cat.* 37. Cuncta plebes. *Virg.* 1. *Æn.* 158. Cunctus pelagi fragor. *Id. ibid.* 237. Cunctus terrarum orbis. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 3. 63. *Liv.* 9. 6. Senatus populusque cunctus. Adde *eumd.* 44. 1. *Stat.* 5. *Theb.* 202. cuncto sua regnat Erinnys pectore. *h. e.* in omnium pectoribus. — b) Sæpius in plur. numero. *Plaut. Amph.* 1. 1. 102. Dedunt se cuncti. Adde *Lucret.* 2. 333. et 4. 26. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 184. Prope cunctis civibus lucem ingenii porrigens. *Id.* 6. *de republ.* 7. Cum ad idem cuncta astra redierint. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 63. 145. *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Cunctis oppidis castellisque desertis. *Nepos Datam.* 5. Cuncti ad eum opprimendum consenserunt. *Id. Hannib.* 1. Populus R. antecedebat fortitudine cunctas nationes. *Sall. Jug.* 2. Res cunctæ. Adde *eumd. ibid.* 56., 66. et 92. et *Cat.* 10.; *Horat.* 1. *Ep.* 12. 11.; *Ovid.* 3. *Met.* 424.; *Curt.* 4. 15. 23.; et *Tac.* 1. *Ann.* 6. et 7. et 4. *Hist.* 78. *Asconius* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. p. 100. *Bait.* Cuncti, simul omnes, quasi conjuncti. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 522. *Cuncti* non idem significat quod *omnes*. Cicero sæpe ait, *cuncti atque omnes*: quia omnes non statim sunt *cuncti*, nisi iidem simul sint juncti. Hæc *Servius*. Porro ubi loci *Cic.* dixerit *cuncti atque omnes*, adhuc est incompertum. Ceterum hoc discrimen non est perpetuum, et promiscue fere omnes et cuncti ponuntur in oratione. — c) Cum addito Genitivo. *Lucret.* 5. 739. Vial cuncta. *Horat.* 2. *Od.* 1. 23. Cuncta terrarum subacta. *Ovid.* 4. *Met.* 630. Hic hominum cunctos ingenti corpore præstans Japetionides Atlas fuit. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (7). Bætica cunctas provinciarum diviti cultu præcedit. *Tac.* 3. *Ann.* 35. Cuncta curarum. *Id.* 5. *Hist.* 10. Cuncta camporum.

CŬNEĀTIM, adverb. per cuneos militares. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Hostes in foro ac locis patentioribus cuneatim constiterunt.

CŬNEĀTĬO, ōnis, f. 3. conformatio in cunei figuram. *Scribon. Compos.* 47. Donicum (vulgo leg. *Donec cum*) videatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam. *h. e.* fistulam in cunei modum facta.

CŬNEĀTUS, a, um. *V.* CUNEO.

CŬNĒLA et **CUNELIA**. *V.* CUNILA.

CŬNEO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (cuneus). Part. *Cuneatus* in fin.; *Cuneandus* sub *A.* I. — Cuneare duo præcipue significat, scilicet *A*) Cuneo adacto obturare aut findere; et *B*) In formam cunei facere.

A) Cuneare est cuneo adacto obturare aut findere.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 118. *sub fin.* Unus lapis fecit fornicem, ille qui latera inclinata cuneavit, et interventu suo vinxit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (206). Si quid cuneandum sit in ligno, clavisque figendum.

II.) Translate de oratione. *Quintil.* 4. 3. 4. Atque eo (*digrediendi genere*) illustrari ornarique orationem, si cohæret et sequitur, non si per vim cuneatur, et quæ natura conjuncta erant, distrahit.

B) Cuneare est in formam cunei facere. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 3. 4. (29). *de Hispania.* Cuneatur angustiis inter duo maria. *Mela* 3. 6. Iterum se in diversos angulos cuneat triquetra (*Britannia*). — Hinc Part. præter. pass.

Cuneatus, a, um, adjective occurrit (unde Comp. *Cuneatior*), et est in formam cunei factus, ut *Cuneatus ager* ex. gr. qui est longus centum pedes, latus ex una parte pedes viginti, ex altera decem. *Ovid.* 13. *Met.* 778. Prominet in Pontum cuneatus acumine longo Collis. *Liv.* 44. 4. Jugum montis in angustum dorsum cuneatum. *Id.* 9. 40. Forma scuti ad imum cuneatior. *Colum.* 5. *R. R.* 2. 1. Cuneatum theatrum, in quo scil. ordines subselliorum ex angusto in latum, cunei more assurgunt. *Auson. prolus. Ludi de VII. Sapient.* 21. Cuneati crevit hæc theatri immanitas. *Frontin. de colon.* p. 146. Scorpiones, ubi duo fines cuneati se jungunt.

CŬNEŎLUS, i, m. 2. *deminut.* a cuneus, parvus cuneus. *Cic. Tim.* 13. 41. Crebris quasi cuneolis injectis. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 10. Vincula adactis cuneolis arctantur. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 3. *Boeth.* 2. *Arithm.* 29. Sphærisci, quos cuneolos superius appellavimus, hi sunt, qui ex inæqualibus inæqualiter ducti per inæqualia crevere.

CŬNEUS, i, m. 2. instrumentum ferreum, aut ligneum, quo finduntur ligna, cujus pars inferior acuta est, superior lata et ampla (It. *conio, bietta, zeppa*; Fr. *coin à fendre le bois*; Hisp. *cuña*; Germ. *der Keil*; Angl. *a wedge*).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Plaut. Stich.* 4. 2. 39. Si ante poteris accubare. ux. vel inter cuneos ferreos. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 23. Inserere cuneos. *Virg.* 1. *G.* 144. cuneis scindebant fissile lignum. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 79. et 7. *Æn.* 509.; *Caton. R. R.* 10. et 11. et 20.; *Horat.* 3. *Od.* 35. 18.; et *Vitruv.* 10. 7. 2. *Schneid. Colum.* 5. *R. R.* 11. 4. Demittere cuneum tenuem, ferreum vel osseum, inter corticem et materiam. *et mox.* Cuneum vellere. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 29. 9. et *Arbor.* 26. 3. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 18. 20. (40). Adactos cuneos elabi. *Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (109). Figere cuneum. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. Deponere cuneum inter corticem et lignum. — b) In illo *Ovidii* 11. *Met.* 514. Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ Rima patet: *cunei* sunt ligna quædam crassiora, quæ affiguntur navibus, quo minus, si in saxa incurrerint, atterantur, aut rimas agant. Ita *Scheffer.* l. 1. *de milit. navali* c. 6.; χαλινάρια dicuntur a *Polluce* l. 1. c. 9. *sect.* 86. Alii intelligunt subscudes, quibus carinæ tabulæ inter se compinguntur. — c) In illo *Stat.* 5. *Theb.* 416. Donec ab extremo cuneo ratis Æsone natus Palladios oleæ ramos extulit: *cuneus* aliis est remotus angulus; aliis ipsa prora, quæ ex lato in acutum desinit. — d) Durior est metaphora illa *Ter-*

tulliani 1. advers. Marcion. 21. sub fin. Hoc enim cuneo veritatis omnis extruditur hæresis.

II.) Improprie cuneus dicitur quidquid cunei figuram refert: ad rem Tac. Agric. 10. Britannia in cuneum tenuatur. V. CUNEO sub 2. Hinc Cuneus ager dicitur in Lusitania Anim fluvio proximus, ad promontorium, quod eodem nomine appellatur, quia lata sede procurrens, paullatim se ac sua latera fastigat. Ita de agro Mela 3. 1. 6.; de promontorio autem Plin. 4. Hist. nat. 21. 35. (113)., nunc Capo di S. Maria. — Hinc ¶ 1. Cuneus est triangularis figura, quæ inter quadratas et quavis specie figuratas formas in pavimentis aut picturis parietum interponi solet ad ornatum. Vitruv. 7. 4. 4. et 7. 5. 1. Schneid. ¶ 2. Sæpe sumitur pro peditum multitudine in cunei formam redacta, idest quæ fronte angusta est, deinde paullatim latius se extendit, cui forfex opponitur, ut apud Veget. 3. Milit. 19. videre est. Cæs. 6. B. G. 39. Cuneo facto, ut celeriter perrumpant. Virg. 12. Æn. 575. Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur. Adde eumd. ibid. v. 269. et 457.; Liv. 2. 50, 8. 10., 10. 29., 22. 47. et alibi; et Quintil. 2. 13. 4. Tac. Germ. 16. Componere aciem per cuneos. Id. 4. Hist. 20. Congregari in cuneos. Id. 2. ibid. 42. Catervis et cuneis concurrere. Adde eumd. 1. Ann. 51., 14. ibid. 37. et alibi. — Figurate, ad cuneum militarem pertinent illa Tertull. Resurr. carn. 2. a med. Quantum ad hæreticos, demonstravimus, quo cuneo occurrendum sit a nobis. h. e. qua conferta argumentatione sint oppugnandi. et advers. Valentinian. 3. ad fin. Denique hunc primum cuneum congressionis armavimus, primamque hanc victoriam auspicamur. ¶ 3. Sumitur et pro sedilium ordine et scalarum directione in theatris et amphitheatris, quæ ita cum præcinctionibus disposita erant, ut universam sedilium seriem in partes cuneorum similes dividerent. (V. Scip. Maff. Veron. illustr. P. 4. l. 2. c. 8., ubi et figuram a se excogitatam exhibet). Vitruv. 5. 6. 2. Schneid. Sueton. Aug. 44. Maritis e plebe proprios ordines assignavit, prætextatis cuneum suum. Sic cuneus senatorius et equestris ordinis apud eumd. Domit. 4. Adde Virg. 2. G. 509.; Juvenal. 6. 61.; et Inscript. apud Orell. 2537., 2539. et alias. — Figurate pro spectatorum multitudine in cuneis sedente Phædr. 5. 7. 35. Ut vero cuneis notuit res omnibus etc. V. integrum locum. ¶ 4. Ad similitudinem cuneorum theatralium, cuneus vocatur in cella vinaria ordo ille scamnorum gradatim eminentium, in quibus plura vasa disponuntur. Hinc Schneiderus cum Pontedera Op. post. T. 1. p. 280. auctoritate trium codicum ita legit locum Caton. R. R. 113. Post quadriennium in cuneum amphoras componito et instipato. Id. Cato ibid. 154. illipsum suggestum appellat.

CŪNĬCŬLĀRIS, e, adject. ad cuniculos pertinens, ut Cunicularis herba apud Marcell. Empir. 14. ad fin.

CŪNĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. qui cuniculos fodit. Cunicularii sunt milites, qui cuniculis suffossis improvisi emergunt, et hostilia munimenta perfodiunt. Veget. 2. Milit. 11. Ammian. 24. 4. a med. Cunicularlorum subito manus emergat. — Ceterum V. ONOM.

CŪNĬCŬLĀTIM, adverb. in modum cuniculi. Plin. 9. Hist. nat. 33. 52. (103). Cuniculatim, pectinatim, etc. et ibid. 36. 61. (130). Cuniculatim procurrente rostro. Hanc lectionem ex MSS. retinet Harduinus. Alii leg. canaliculatim.

CŪNĬCŬLĀTOR, ōris, m. 3. cunicularius. Luctat. in Statii 2. Theb. 418. Fossores, inquit, dicuntur in exercitu cuniculatores, qui cuniculos faciunt, per quos introgressi milites murorum fundamenta convellunt.

CŪNĬCŬLŌSUS, a, um, adject. cuniculis et subterraneis cavernis plenus. Catull. 37. 18. Cuniculosæ Celtiberiæ fili.

CŪNĬCŬLUM, i. V. voc. seq. sub init.

CŪNĬCŬLUS, i, m. 2. Apud Paul. Diac. p. 50. 4. Müll. et apud Varron. teste Capro de verb. dub. p. 2248. Putsch. legitur cuniculum neutro genere. Hinc Cassiod. 6. Hist. Eccl. 12. a med. Quem etiam cunicula deposuere fœtentia. — Ceterum cuniculus, Hispanica vox, quæ cum Græcis κύων et κόνιλος vel rectius κόνικλος est conjungenda,

I.) Proprie est animal lepori simile, sub terra effossa latere solitum, Aristoteli ignotum, ex Hispania oriundum. Hinc Veget 4. Milit. 24. Aliud genus oppugnationis est subterraneum, quod cuniculum vocant, a leporibus, qui cavernas sub terris fodiunt ibique conduntur. Hic vides lepores pro cuniculis memorari, quia hi fortasse ignoti fuerant Vegetio. Varro 3. R. R. 12. 6. et Plin. 8. Hist. nat. 55. 81. (218). docent, ab eo dictum esse, quod sub terra cuniculos facit, ubi lateat. Sed aliorum sententia subterranei meatus ab hoc animali potius nomen acceperunt. Martial. 13. 60. 1. Gaudet in effossis habitare cuniculus antris: Monstravit tacitas hostibus ille vias. Adde Catull. 25. 1. et Paul. Diac. p. 50. 4. Müll. — Cuniculus, utpote qui sub terra effossa latere solitus, est symbolum somni æternalis. V. Labus Mon. scop. in Cart. p. 31., Annal. dell' Instit. Archeol. T. 10. p. 265. et Bullett. dell' Instit. Archeol. a. 1845. p. 33.

II.) Improprie. ¶ 1. Est et meatus subterraneus, præsertim qui fit urbium oppugnandarum causa: V. locum Veget. 4. Milit. 24. sub I. Cic. 3. Off. 23. 90. Si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium. Adde eumd. Cæcin. 30. 88. et 3. Phil. 8. 20. Cæs. 7. B. G. 22. Cuniculis aggerem subtrahere. Adde eumd. 3. ibid. 21. Auct. B. G. 8. 43. Cuniculis venas fontis intercidere atque avertere. Adde eumd. ibid. 41. Liv. 5. 21. Mœnia cuniculis subruere. Adde eumd. ibid. 19.; et Colum 8. R. R. 17. 4. Curt. 7. 6. Cuniculo suffossa mœnia. Id. 9. 8. Cuniculo urbem capere. Adde eumd. 4. 6. 8. et 21.; Plin. 2. Hist. nat. 80. 82. (193). et 9. ibid. 38. 62. (133).; et Veget. 1. Veterin. 56.; et Veget. 2. Milit. 11. et 4. ibid. 28. — Pariter et pro quavis occulta fossa, ut dictum est. Cic. 3. ad Q. fr. 1. vocat cuniculum, quem Inscript. apud Murat. 441. 5. appellat RIVVM AQVAE DVCENDAE, et Veget. 1. Veterin. 56. dicit deductorium cuniculum. Plin. 35. Hist. nat. 15 50. (174). E cuniculis effossum sulphur. Id. 6. ibid. 27. 31. (128). Tigris (fluvius) in cuniculos mergitur. Id. 31. ibid. 6. 31. (57). Si aqua cuniculo veniet. Id. 9. ibid. 36. 61. (130). appellet cuniculum cavitatem internam rostri in purpura. ¶ 2. Translate. Cic. 1. leg. Agr. 1. 1. Quæ res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur.

CŪNĪLA, æ, f. 1. κονίλη, κόνυζα. Legitur et conila et cunela apud Colum. 6. R. R. 8. et 7. ibid. 5.; et Cunelia in Not. Tir. p. 168. — Ceterum Cunila est herba plurium generum: alia sativa, quæ et satureia appellatur in condimentario genere: alia bubula cognomine, semine pulegii: alia gallinacea dicta: alia quæ et cunilago, odoris fœdi, radicis lignosæ, folio aspero: alia mollis, pilosioribus foliis, ac ramis aculeatis, tritaque mellis odorem habens, digitis tactu ejus cohærescentibus: alia turis odorem. Hæc duo postrema genera pulicum necandorum vim habent. Plin. 19. Hist. nat. 8. 50. (165). et 20. ibid. 16. 61. (160). Adde Colum. 6. R. R. 13. 1. et 30. 8., 9. ibid. 4. 2. et 11. ibid. 3. 39. Cl. Fée (Op. cit. vol. 2. p. 349. et seq.) hæc ait: « On tenterait vainement d'éclairir ce passage de Pline, et de ramener à une synonymie moderne ce qu'il entend par cunila bubula. C'est sans doute une labiée voisine des satureja ou des thymbra; mais laquelle? Voici toutefois la note que le père Hardouin donne sur cette phrase: — Pline – avertit avec raison que le nom de cunila bubula a été donné au ligusticum. Il existe deux espèces de thymbra, voisines l'une de l'autre: la première est celle des Grecs; la seconde est celle des Latins, qui l'ont appellée satureia et cunila. Elle se rapproche du thymbra, et n'en diffère que peu. Columelle (9. R. R. 4.) parle du thymbra, qui n'est autre chose que la cunila, que les habitans de la campagne appellent satureia; et (in Hortulo) il dit que la satureia se rapproche du thym, dont elle a l'odeur. Scribonius Largus (Compos. 124.) donne aussi le nom de cunila a la satureia; c'est notre sarriette, Satureia hortensis L. – ».

CŪNĪLĀGO, inis. V. voc. præced.

CŪNĬO, is, ire, a. 4. Cunire, inquit Paul. Diac. p. 50. 16. Müll., est stercus facere: unde et inquinare deductum est. Quidam putant esse a cunis, ut proprie dicatur de infantibus. V. ANCUNULENTÆ.

CUNNĪLINGUS, i, m. 2. qui cunnum lingit. Auct. Priap. 79. At dii deæque dentibus tuis escas Negent amicas, cunnilinge vicine. Adde Martial. 12. 59. — Divisim usurpat Id. 2. 84. Cur lingat cunnum Sertorius, hoc est. et 7. 67. Cunnum lingere quæ putat virile.

CUNNUS, i, m. 2. pars pudenda muliebris. Videtur ita esse appellata a cœnum, unde antiquitus cœnio, mox cunio (ut a pœna est punio), et cunæ, arum, quas inquinare solent infantes, et cunus unica n, qua geminata cunnus tandem scriptum fuit. Est tamen qui deducere malit a κύω turgeo, quia inde mulieres gravidæ fiunt. Profecto conjungenda est cum Græca voce γοῦνος. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — a) De personis. Horat. 1. Sat. 2. 36. Cunnus albus. Adde eumd. ibid. 2. 70. et 3. 107. Martial. 3. 81. Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat. Adde eumd. 1. 91. et 7. 66.; et Auct. Priap. 28. 5. — Quam caverint Romani, ne in familiari sermone et in contionibus publicis hanc vocem pronunciare viderentur, V. Cum præposit. — Panes in cunni formam quandoque fiebant. V. Martial. loc. cit. in SILIGINEUS. — b) Usurpatur etiam de animantibus. Catull. 96. 8. Præterea rictum (habet) qualem diffissus in æstu Mejentis mulæ cunnus habere solet. ¶ 2. Per synecdochen cunnus accipitur pro ipsa muliere. Auct. Priap. 70. 1. Quid? nisi Tænario placuisset Troica cunno Mentula, quod caneret, non habuisset opus. h. e. nisi Paris Trojanus placuisset Helenæ Lacænæ, Homerus, quod etc.

CUNQUE vel cumque. — a) Particula est, quæ cum relativis fere componitur, ut qualiscumque, quicumque, quotiescumque, etc. (quæ V. suis locis), et universitatem significat: facile autem admittit τμῆσιν, etiam a pedestris orationis auctoribus non spretam. — b) Aliquando sola invenitur. Horat. 1. Od. 32. in fin. Mihi cumque salve rite vocanti. h. e. quandocumque, vel quomodocumque. Ritter ad h. l. hæc ait: mihi cumque; novum hoc est quod explico, mihi, quicumque sum, h. e. cujuscumque pretii sum, sive quacumque canendi facultate præditus sum; cumque alibi relativis adjungi solitum, nunc felici audacia pronomini personali adjectus est. Forcellinus et Orellius sequuntur Regolium, qui τὸ cumque interpretatus est quandocumque, quotiescumque, et addit temporis notionem inesse in participio vocanti; in cujus locum si substituis quando vocavero, vocis significatio satis clara est. At hæc, subdit Ritter, non vera sunt, quod cumque pro natura vocis encliticæ non ad sequentia potest referri. Lachmannus ad Lucret. 5. 311. conjecit medicumque pro mihi cumque. Cic. 3. Legg. 3. 9. Equitem cumque qui regat, habeto pari jure cum eo, quicumque erit juris disceptator. h. e. equitem quemque. Est autem hic sermo de magistro equitum et dictatore. Ceterum alii aliter legunt; et Orellius hanc lectionem omnino rejicit. Impp. Theodos. et Valentinian. Cod. Theod. 12. 6. 32. Aurum, sive argentum cumque a possessore confertur, arcarius vel susceptor accipiat. h. e. quandocumque. Lucret. 6. 83. Sunt tempestates et fulmina clara canenda, Quid faciant, et qua de causa cumque ferantur. h. e. in quemcumque locum. Al. leg. quæque. — c) Cumcumque quandocumque. Lucret. 2. 113. Contemplator enim, cum solis lumina cumque Insertim fundunt radios per opaca domorum. τμῆσις. — Ceterum V. QUUM in hoc Lexico; et Lachmann. ad Lucret. vol. 2. p. 288.

CŪNŬLÆ, ārum, f. plur. 1. deminut. a cunæ, parvæ cunæ. Prudent. 7. Cathemer. 164. fletu madescunt parvulorum cunulæ. Adde eumd. 11. ibid. 98.

CŪPA, æ, f. 1. Legitur et cuppa in Not. Tir. p. 156. — Cupa tria diversa significat; scilicet

A) Cupa ¶ 1. Stricto sensu est ligneum vas vinarium amplum, in quo mustum e torculari excipitur, et diffunditur servandi causa. Est nimirum a κύπη, seu κύπη, quæ a κάπτω capio, unde Latini caupo, caupona, et copa pro caupa habent. Varro apud Non. p. 83. 24. Merc. Cupas vinarias sirpare noli. et ibid. Cupæ acris aceti. Cic. Pis. 27. 67. Pistor domi nullus, nulla cella; panis et vinum a propola atque de cupa. Lucan. 4. 420. Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ. Capitolin. Maximin. 22. Ponte itaque cupis facto, Maximinus fluvium transivit, et de proximo Aquilejam obsidere cœpit. Plin. 16. Hist. nat. 10. 18. (42). Materies piceæ ad fissiles scandulas, cupasque, et pauca alia secamenta. Adde eumd. 23. ibid. 2. 31. (63).; et Frontin. 3. Strateg. 14. 3. Cæs. 2. B. C. 11. cupas tæda et pice refertas inter incendiaria instrumenta refert: et Alfen. Dig. 19. 2. 31. tritico in navi condendo: Ulp. quoque Dig. 33. 7. 8. inter vasa conservandis, et ibid. 12. exportandis fructibus apta. — Cupa potare magistra, apud Horat. 2. Sat. 2. 123. videtur esse ita bibere, ut tota cupa exhauriatur. Vel cupa idem

est quod *copa*, ut vult *Bentlej.*, qui plura de hac re disputat. At *Ritter.* vulgatam tuetur lectionem *culpa potare magistra*, atque hæc adnotat: Culpa magistra potant qui sine bibendi magistro ita bibunt, ut culpetur qui nimium bibit. Culpa nunc est pro culpandi præside. Sic recte explicat *Acron*: Culpatur ille qui multum bibit. Idem videtur voluisse *Porphyrion* scribens: Si quando libere potare volebant antiqui, i. e. sine archiposia, dicebant se magistram facere culpam. Quæ in lepidum hoc inerat, addit *Ritter.*, quod, cum magister bibendi ad multum potandum hortaretur, hæc magistra immodicos potores culpabat et corripiebat. Alii de poculo extra ordinem exsiccando, alii rursus de omittendo poculo cogitant et Flaccum obscure loquentem faciunt. ¶ 2. Latiori sensu pro sarcophago, *Inscript.* apud *Gruter.* 845. 1. D. APVLEJVS IONICVS FECIT EVTYCHIAE SORORI SVAE, ET EVTYCHETI FILIO EJVS: IN HAC CVPA MATER ET FILIVS POSITI SVNT. Adde aliam apud *Don. cl.* 11. *n.* 6.

B) *Cato R. R.* 21. *cupam* vocat axem trapeti, a κώπη *remus, capulus*, quod a κάπω *capio*.

C) Etiam *copa* pro *cupa* videtur significare mortarium. *V.* POPA. At *Inscript.* quæ ibi affertur, inter spurias recensenda est.

CŪPĀRĬUS, ii, m. 2. cuparum faber. *Inscript.* apud *Donat.* 395. 12., quæ est apud *Orell.* 4177. L. CORNELIO CAMPESTRO CVPARIO CLAVDIA IAPAESVSA VXOR. Alia apud *Orell.* 4176. D. M. EVGENIAE FILIAE DEFVNCTAE IVLIVS VICTOR CVPARIVS ET SACCARIVS.

CŪPĔDĬA vel cuppedia, æ, f. 1. ¶ 1. In singul. num. est vitiosus cupediarum appetitus. *Cic.* 4. *Tusc.* 11. 26. Avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, temulentia, cupedia. Alii ex antiq. exemplar. ediderunt *cuppedia*. *Cuppedo* autem et *cuppedia* a veteribus pro *cupiditas* usurpata docet *Salmas.* ad *Lamprid. Elagab.* 30., et de *cuppedia* confirmat *Non. p.* 85. 7. *Merc.* hoc ipso *Cicer.* loco allato. *V.* CUPEDO. ¶ 2. In plur. num. *cupediæ* significant tum omne genus opsonii, tum vero delicatiores cibos, teste *Paul. Diac. p.* 48. 15. *Müll.*, ut aves, aprugna, phasiani, et similia. *Gell.* 6. 13. Conjectabamus ad cœnulam non cupedias ciborum, sed argutias quæstiunum. Adde *eumd.* 7. 16. *Ammian.* 26. 7. Cupediarum vilium mercatores. *V.* et CUPEDIUM.

CŪPĔDĬA vel cuppedia, ōrum. *V.* CUPEDIUM.

CŪPĔDĬNĀRĬUS vel cuppedinarius, a, um, adject. ad cupedinem pertinens, ut *Cupedinarium forum*, apud *Symmach.* 8. *Ep.* 19., *h. e.* forum Cupedinis. *V.* CUPEDO. — Hinc

Cupedinarius vel *cuppedinarius*, *ii*, m. 2. absolute, substantivorum more usurpatur. *Cupedinarii*, qui sint, monet *Donatus* satis indicari a *Terent.* ubi ait, *Eun.* 2. 2. 25. Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes, Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes, Quibus et re salva, et perdita profueram. Quare omnes, inquit *Donatus*, qui esculenta et poculenta vendunt, a rebus cupediniis ob alimentum, *cupedinarii* appellantur. *Lamprid. Elagab.* 30. Pinxit se ut cupedinarium, ut seplasiarium, ut popinarium. *Salmasio* placet scribi duplici *pp*. Adde *Apul. Mag.*

CŪPĔDĬUM vel cuppedium, ii, n. 2. significat tum omne genus obsonii, tum vero delicatiores cibos, teste *Paul. Diac. p.* 48. 15. *Müll.*, ut aves, aprugna, phasiani et similia. — *a*) In singulari numero. *Varro* 5. *L. L.* 146. *Müll.* Ad corneta forum cupedinis a cupedio; quod multi forum cupidinis a cupiditate. *V.* voc. seq. sub 2. — *b*) In plur. num. *Plaut. Stich.* 5. 4. 32. Nihil moror cupedia. Adde *Paul. Diac. loc. cit.*

CŪPĔDO vel cuppedo, inis, f. 3. (cupio). ¶ 1. Generatim est idem quod cupiditas. *Lucret.* 1. 1080. Haud igitur possunt tali ratione teneri Res in concilio, medii cuppedine victæ. *Id.* 4. 1083. ardescit dira cuppedine pectus. Adde *eumd.* 5. 45. ¶ 2. Speciatim, forum cupedinis *Varro* apud *Donatum* ad *Ter. Eun.* 2. 2. 25. docet, dictum esse ex eo, quod Numerius Equitius Cupes et Romanius Macellus ob latrocinia damnati bonisque eorum publicatis, quod loco ædes Romæ habuere (cum eo comportarentur quæ vescendi causa in Urbem afferebantur) foro Cupedinis et Macello dedere nomina. Aliis hæc derivatio non placet; sed a *cupedia* et *cupiditate* vocis originem esse ducendam: (*V.* voc. *præced.*) Utrumque refert *Paul. Diac. p.* 48. 15. in *Cupes*, ipseque adeo *Varro* 5. *L. L.* 146. *Müll.* Sed *Vossio* placet *cupediam* dici a *cupa*, seu *copa*, quasi caupediam, quod in cauponis cupediæ venderentur. *Salmas.* ad *Lamprid. Elagab.* 30. putat, hæc duci a *cuppes*, quod in *Gloss.* exponitur fastidiosus, superbus, cupidus: quare *cuppedo*, *cuppedia*, etc. duplici *pp* semper scribendum esse. *Plaut. Trin.* 2 1. 13. Harpago, mendax, cuppes, avarus. *Al. leg.* cupes. *Paul. Diac. loc. cit.* docet *cupes* esse nomen substantivum, et idem esse quod *cupedia*, h. e. lautiores cibos. Adde *Apul.* 1. *Met.*

CŪPELLA, æ, f. 1. *deminut. dupl. a* cupa, parva cupa. ¶ 1. Poculi, vel vasis genus, a κύπελλον: unde et *coppella* Italorum derivatur. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 12. Pyra in cupellis, vel in vasculis fictilibus condiuntur. *Apic.* 1. 2. In cupellam mittito. ¶ 2. Ponitur et pro sarcophago. *Inscript.* in *Mus. Kircher. Rom.* EGO SECVNDA FECI CVPELLA BONE MEMORIE FILIEM MEEM SECVNDINEM. *Corrige* cupellam bonæ memoriæ filiæ meæ Secundiaæ. *V.* CUPA sub *A.* 2., et CUPULA.

CŪPENCUS, lingua Sabinorum sacerdos appellatur, et speciatim sacerdos Herculis. Ita *Servius* ad illud *Virg.* 12. *Æn.* 539. nec di texere Cupencum, Ænea veniente, sui. Hinc gens Cupencia in *Inscript.* apud *Fabrett.*

CUPERFICIUM. *V.* SUPERFICIUM.

CUPES. *V.* CUPEDO 2., et ONOM.

CŬPĬDĒ, adverb. Comp. *Cupidius* et Sup. *Cupidissime.* — Cupide est libenter, ardenter, studiose, vehementer (It. *vogliosamente*; Fr. *avidement*, *ardemment*, *passionément*; Hisp. *codiciosamente*, *ardientemente*; Germ. *auf begierige, eifrige, auch leidenschaftliche oder hitzige Art*; Angl. *fondly*, *eagerly*, *desirously*, *gladly*). Occurrit — *a*) In bonam partem. *Cato R. R.* 103. Cupide aliquid appetere. *Plaut. Stich.* 2. 1. 11. Amare cupide aliquem. Adde *eumd. Cas.* 2. 3. 49.; et *Ter. Adelph.* 2. 2. 1. *Cic. Rosc. Com.* 16. 49. Ego vero cupide et libenter mentiar tua causa. *Id.* 6. *Att.* 3. 3. Cupide agere. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Cupidissime appetere amicitiam alicujus. *Id.* 1. *ibid.* 15. Qui cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco prælium committunt. *Id.* 2. *B. C.* 20. Aliquem domum ad se hospitio cupidissime recipere. *Nepos Arist.* 1. Quod cupide elaborasset, ut præter ceteros justus appellaretur. *Catull.* 64. 265. Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes Expleta est. Adde *eumd.* 63. 2. *Sall. Cat.* 41. Nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quod non cupidissime facturi essent. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 1. 100. *Liv.* 3. 32. Horatius augur mortuus: in cujus locum C. Veturium eo cupidius, quia damnatus a plebe erat, augures legere. *Seneca Ep.* 100. Cupidissime aliquid legere. — *b*) Aliquando in malam partem usurpatur, diciturque de eo qui pravo aliquo animi affectu, aut nimio partium studio agit. *Cic. Rosc. Am.* 18. 50. Majores nostri suos agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant. *Id.* 2. *Phil.* 21. 52. Quid cupide a senatu, quid temere fiebat? *Id.* 16. *Fam.* 11. Nos agimus nihil cupide: eoque est nostra pluris auctoritas. *Quintil.* 1. 3. 13. Ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat. *Sueton. Cæs.* 12. Reum tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit.

CŬPĬDICENUS, a, um, adject. *Gloss. Philox.* Cupidicenus, τραγηδόδειπνος. *V.* LAUDICENUS.

CŬPĬDĬNEUS, a, um, adject. ad Cupidinem amorum deum spectans.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 65. Cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi. Adde *eumd. Remed. am.* 157.

II.) Translate de valde formoso. *Martial.* 7. 87. Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycæ?

CŬPĬDĬTAS, ātis, f. 3. (cupidus) vehementior affectus animi impense cupientis aliquid, appetitio, desiderium (It. *desiderio*, *brama*, *voglia ardente*; Fr. *désir*, *envie*, *passion*; Hisp. *deseo*, *anhelo ú apetencia*, *antojo*, *codicia*; Germ. *das Begehren*, *Verlangen*, *die Begierde*; Angl. *desire*, *fondness*, *eagerness*, *earnestness*). Occurrit *A*) In bonam, et *B*) In malam partem.

A) In bonam partem — *a*) Cum Genitivo. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi. *Id.* 1. *Orat.* 30. 134. et *Pis.* 25. 59. Flagrare, ardere cupiditate justi et magni triumphi. *Id. Brut.* 92. 317. Incitare aliquem cupiditate imitandi. *Nepos Hannib.* 2. Incendere aliquem cupiditate bellandi. *Id. Miltiad.* 5. pugnandi. *Cels.* 2. 3. Cupiditas cibi. *Tac. dial. de Orat.* 2. studiorum. *Ammian.* 18. 6. 9. vivendi. *Trebell. Claud.* 6. prædæ. — *b*) Absolute. *Cic.* 12. *Att.* 26. De voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius et cupiditate non dubito. *Id.* 1. *Off.* 21. 73. Ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem.

B) In malam partem. ¶ 1. Generatim cupiditas sæpissime dicitur de inordinato et pravo studio alicujus rei, et præcipue de malis quibusque animi affectibus contra rationem tendentis in aliquid, ut de libidine, ira, avaritia, etc. — *a*) Cum Genitivo. *Cic.* 5. *Phil.* 18. 50. Cupiditas dominandi præceps et lubrica. Adde *Quintil.* 12. 11. 14. et *Vellej.* 2. 125. 1. Rursus *Cic.* 1. *Invent.* 23. 32. Genus est omnium libidinum cupiditas. *Id. Pis.* 25. 59. Comprimere atque restinguere incensam alicujus cupiditatem. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. Cupiditas prædæ. *Liv.* 4. 46. imperii. Adde *Vellej.* 2. 33. 2. — *b*) Sæpius absolute. *Ter. Heaut.* 1. 2. 34. Ubi animus semel se cupiditate devinxit mala, necesse est consilia consequi consimilia. *Cic. Dom.* 44. 115. Projecta et effrenata cupiditas. *Id.* 3. *Phil.* 10. 25. P. Naso omni carens cupiditate. *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutitur. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Temeritatem cupiditatemque militum reprehendere. *h. e.* nimium atque irrationabile bellandi studium. *Sall. Cat.* 2. Vita hominum sine cupiditate agitabatur. *Liv. proœm.* 12. Tanto minus cupiditatis. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 16. Ut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Adde *Justin.* 5. 1. et 21. 6. — Et in plur. numero. *Ter. Phorm.* 5. 4. 2. Ejusmodi parare in animo cupiditates, quas, cum res adversæ sient, paulo mederi possis. *Cic.* 3. *Verr.* 24. 62. Indomitæ atque effrenatæ cupiditates. *Id. Amic.* 22. 82. Imperare cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt. *Id.* 4. *Verr.* 53. 132. Studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex civitatibus tollere. *Id. ibid.* 75. 134. Vos conjectura assequi posse, cujusmodi prædo iste in illa provincia fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit. *Id.* 1. *Orat.* 43. 194. Domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates. *Id. ibid.* 19. 86. frangere. *Id. Partit. orat.* 27. 96. explere. Adde *Vellej.* 2. 48. 4. *Curt.* 5. 1. 36., 10. 5. 33. et 10. 10. 6. Immodicas cupiditates. ¶ 2. Speciatim dicitur de nimio amore pecuniæ: differt tamen ab avaritia, quod cupiditas notat amorem habendi, avaritia retinendi: itaque illi opponitur abstinentia, huic liberalitas. — *a*) Cum Genitivo. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. Ne qua oriatur pecuniæ cupiditas. Adde *Sueton. Vesp.* 16. et *Quintil.* 7. 2. 30. — *b*) Absolute, et sæpe cum *avaritia* jungitur. *Cic. Rosc. Am.* 35. 101. Ipsos cæcos reddit cupiditas et avaritia et audacia. Adde *eumd.* 1. *Att.* 17. *Sueton. Domit.* 9. Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix suspicionem ullam dedit: immo e diverso magna non abstinentiæ modo, sed etiam liberalitatis experimenta. Adde *eumd. Galb.* 14., *Vesp.* 1. et *Cal.* 44.; et *Quintil.* 12. 1. 6. et 24., 3. 5. 10., 5. 12. 6. et 5. 10. 34. ¶ 3. Item speciatim nimium studium partium, favor. *Cic. Fontej.* 7. 13. Cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogat auctoritatem in testimonio. *Id. Flacc.* 10. 21. Testes aut sine ullo studio dicebant, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis. Adde *eumd. ibid.* 26. 64., *Ligar.* 1. 3. et *Planc.* 17. 43.; *Liv.* 21. 28.; item *Cic. Marcell.* 9. 29., ubi huic cupiditati *invidia* opponitur. ¶ 4. Item venerea libido. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 4. (21).

CŬPĪDO, inis, f. 3. De alia forma CUPEDO, *V.* loco suo. — *Cupido* mascul. quoque genere occurrit apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 210.; *Horat.* 3. *Od.* 16. 39., 3. *ibid.* 24. 51., 2. *ibid.* 16. 15., 1. *Sat.* 1. 61. et 1. *Ep.* 1. 33.; *Ovid.* 9. *Met.* 734. et 8. *ibid.* 74.; *Senec. Hippol.* 533.; et *Sil. It.* 4. 99. et 6. 615. In his tamen locis, præter traditum *Cupidinem*, pulchrum amoris antistitem, poetæ feliciter audaces alios Cupidines (ut *sordidum*, *pravum*, *falsum* etc. apud *Horat.* ll. citt.) ex sua fabrica nobis præbuerant. — Ceterum *cupido* est idem quod cupiditas, ejusdemque fere usus: nisi quod poetis est familiarior. *Non.* quidem p. 436. 30. *Merc.* ex *Lucilio* ita distinguit, ut cupiditas minor sit et temperatior, defluens ex cupidine: sed hoc a scriptoribus discrimen negligitur (It. *voglia*, *desiderio*, *brama*; Fr. *désir*, *envie*; Hisp. *deseo*, *anhelo*, *apetencia*; Germ. *das Verlangen*, *die Begierde*; Angl. *will*, *desire*, *eagerness*, *earnestness*). Occurrit *A*) In bonam, et *B*) In malam partem.

A) In bonam partem. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 63. Cupido cepit miseram nunc me proloqui. *Lucret.* 4. 874. sic expletur jejuna cupido. *h. e.* fames. — *b*) Sæpius cum Genitivo rei vel, uti ajunt, objecti. *Lucret.* 4. 1089. Hoc facile expletur laticum frugumque cupido. *Plaut. Trin.* 3. 2. 50. Cupido aquæ. *Liv.* 1. 6. Romulum cupido cepit urbis condendæ. *Id.* 21. 10 Flagrans cupidine regni. *Sall. Cat.* 13. Cupido somni. *Id. ibid.* 3. et 7. honoris et gloriæ. *Curt.* 4. 7. 8. Ingens cupido animum stimulabat adeundi Jovem. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 104. et 8. *ibid.* 224. *Sueton. Ner.* 55. æternitatis. *Quintil.* 6. procem. 13. et 10. 7. 17. lucis. — Masc. gen. *Sil. It.* 4. 99. geminusque cupido Laudis. — *c*) Cum Infinito. *Curt.* 4. 8. 3. Cupido incessit, Æthiopiam invisere.

B) In malam partem pro pravo animi studio et affectu. ¶ 1. Generatim. — *a*) Fere cum Genitivo. *Lucret.* 3. 69. Cupido cæca honorum. Adde *eumd. ibid.* v. 1090. *Ovid.* 10. *Met.* 689. concubitus. *Id.* 14. *ibid.* 634. Veneris. *Curt.* 10. 5. *ad fin.* Iracundiam et cupidinem vini senectus mitigare potuisset. *Id.* 9. 9. 1. Pervicax cupido visendi Oceanum. *Ovid.* 3. *Met.* 620. Cupido prædæ. *Id.* 1. *Fast.* 211. opum furiosa cupido. *Liv.* 21. 19. fortunæ. *Sall. Cat.* 10. pecuniæ atque imperii. Adde *eumd. Jug.* 89 *Vellej.* 2. 33. 1. pecuniæ. *Justin.* 2. 2. 11. et *Flor.* 4. 6. 2. divitiarum. — Et in plur. num. *Tac.* 13. *Ann.* 2. Dominationis cupidinibus flagrans. — *b*) Absolute. *Lucret.* 4. 1149. Nam faciunt homines plerumque, cupidine cæci, Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda vere. — Et masc. gen. *Ovid.* 9. *Met.* 734. femineus cupido. Cf. *Tac.* 4. *Ann.* 39. *Horat.* 2. *Od.* 16. 15. Nec leves somnos timor aut cupido Sordidus aufert. *h. e.* avaritia. *Id.* 3. *ibid.* 16. 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam. *Id.* 1. *Ep.* 18. 98. Num te semper inops agitet vexetque cupido. *h. e.* avaritia. — Et in plur. num. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 85. sapiens Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. 111.; et *Tac.* 3. *Ann.* 52. ¶ 2. Speciatim pro avaritia ac nimio habendi studio absolute dixit *Tac.* 12. *Ann.* 57. Narcissum incusat cupidinis atque prædarum. Adde *eumd.* 1. *Hist.* 66., ubi in plur. num. occurrit. ¶ 3. Item speciatim ac sæpius pro amore ponitur. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 25. Amo immodeste. – Hanc vicinam dico Adelphasium meam. – Differor cupidine ejus. Adde *eumd. Amph.* 2. 2. 210.; et *Ovid.* 13. *Met.* 906. — Hinc plerumque intelligitur deus amoris præses, quem alii ex Chao et Terra genitum tradunt; alii ex Nocte et Æthere; alii ex Lite et Zephyro; alii ex Mercurio et Diana; alii ex Poro deo consilii et Penia dea paupertatis: plurimi conveniunt in Venere matre assignanda, sed in patre variant, cum aliis Mercurius sit, aliis Mars, aliis Vulcanus, Cælum aliis: nonnulli etiam ex sola Venere natum putant. Ex his quædam refert *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 60. et *Arnob.* 4. 15., qui ambo tres Cupidines ponunt. Sunt etiam qui duos faciunt, cælestem et vulgarem: item qui honestum et turpem; illum dicunt Veneris et Jovis filium, hunc Erebi et Noctis. Hinc *Ovid.* 4. *Fast.* 1. geminorum mater Amorum. *Seneca Œdip.* 500. Concutit tædas geminus Cupido. Hoc loco *Seneca* apte geminum Cupidinem memorat, quos adesse fingit in nuptiis Bacchi dei cum Ariadna mortali; in quibus convenientissimum erat, et cælestem et vulgarem Cupidinem interesse. — Denique non desunt, qui plures faciunt, nempe quot sunt affectus hominum aliquid appetentium. — Fere apud poetas intelligitur filius Veneris, qui fingitur puer, cæcus, nudus, alatus, arcu, telis flammisque armatus, deorum et hominum potens, et animantia quæque sibi facile subjiciens. De eo passim legas aliquid apud *Horat.* (1. *Od.* 2. 34.), *Ovid.* (5. *Met.* 366., 7. *ibid.* 73. et alibi), *Propert.* (2. 18. 21.), *Tibull.*, *Martial.*, *Virg.* quoque 1. *Æn.* 662. et *seqq.*; (quibus adde *Plaut. Trin.* 3. 2. 47., *Merc.* 5. 2. 13., *Pers.* 1. 1. 25., *Most.* 1. 3. 7. et 4. 13. 5.; et *Cic.* 6. *Verr.* 2. 4.): præsertim vero de ejus potentia multa poetice *Seneca Hippol.* 274. et *seqq.*, cujus quidem potentiæ significandæ gratia, quidam eum pinxere florem et delphinum manu tenentem, quo ostenderent, terra illum marique latissime dominari. In plur. num. *Cupidines* occurrunt apud *Horat.* 1. *Od.* 19. 1. et *Propert.* 1. 1. 2. Apud *Horat.* tamen *Mater sæva cupidinum* vocari potest Venus, non quod plures ediderit Cupidines, sed quod amoris cupidines excitat. *Propertii* verba sunt: Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis, Contactum nullis ante cupidinibus. — Ceterum *Catull.* 3. 1. Lugete, o Veneres Cupidinesque. Adde *eumd.* 13. 12. — Hinc *Cupidines*, Italice *Amorini*, vocantur pueri illi nudi et alati, qui in operibus anaglypticis fabellis tractant, aut circenses currus ducunt, hisque similia faciunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 55. (155). Opera Myos et Silenus et Cupidines cælati in scyphis. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (41). Aligeri ludentes cum leæna Cupidines, quorum alii religatam tenerent, alii cornu cogerent bibere, alii calcearent soccis, omnes ex uno lapide. — Venuste admodum *Cupido Inferorum* vocatur puella immature defuncta. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 267. *n.* 11. TI. IVLIVS ORPHEVS SIBI ET ORFITAE *filiae* ANNORVM XIV. VIRGINI VENERI CVPIDINI INFERORVM.

Homonym. Discrimen quidem statuunt, ait *Forcellinus*, inter *cupidinem* et *amorem*, sive pro deo, sive pro affectu animi accipias: ut sit cupido immoderatus amor, hic moderatus. *Afranius* apud *Non.* p. 421. 19. *Merc.* Amabit sapiens, cupient ceteri. Et *Plaut. fragm. ibid.* Cupido te conficit, anne amor? *Id. Curc.* 1. 1. 3. Quo Venus, Cupidoque imperat, suadetque Amor. Dicendo *imperat*, inquit *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 194., violentiam ostendit; *suadet* addendo, moderationem significat. Verum hoc discrimen vix unquam scriptores servant.

CŬPĬDUS, a, um, adject. (cupio). Comp. *Cupidior* et Sup. *Cupidissimus* sub *A. a.* — Cupidus est qui cupit, studiosus, appetens (It. *voglioso*, *desideroso*, *bramoso*; Fr. *désireux*, *avide*; Hisp. *deseoso*, *avido*, *codicioso*; Germ. *begierig nach etwas*, *wünschend*; Angl. *desirous*, *fond*, *eager*, *earnest*). Occurrit *A*) In bonam, et *B*) In malam partem.

A) In bonam partem usurpatur — *a*) Cum Genitivo. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 12. Ego ejus videndi cupidus. *Id. ibid.* 1. 2. 10. Cupida huc redeundi. *Id. ibid.* 3. 1. 3. redeundi domum. *Lucret.* 3. 6. certandi. Adde *eumd.* 6. 1238. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 47. Græculi homines contentionis cupidiores, quam veritatis. *Id. ibid.* 22. 104. Adolescens nostri cupidissimus. *h. e.* amantissimus. *Id.* 14. *Fam.* 4. Cupidus vitæ. Adde *eumd. Orat.* 35. 162. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. Cupidus satisfaciendi reipublicæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. bellandi. *Nepos Caton.* 3. Cupidissimus litterarum. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 2. 98. et 1. 44. *Hygin. fab.* 191. vitæ. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *in*. *Cic.* 1. *Off.* 43. 154. Quis est enim tam cupidus in prospicienda cognoscendaque veritate, ut etc. — *c*) Cum Infinito. *Propert.* 1. 19. 9. Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis, etc. *Ovid.* 14. *Met.* 215. Cupidusque moriri. Hic verbum *morior* est quartæ conjugationis: *V.* MORIOR sub init. — *d*) Absolute. *Catull.* 104. 1. Si quidquam cupidoque optantique obtigit unquam etc. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 12. cupidum, pater optime, vires Deficiunt. — De inanimis *Lucret.* 2. 265. Vira cupidam.

B) In malam partem. ¶ 1. Generatim usurpatur de eo, qui pravo quopiam affectu abreptus aliquid appetit. — *a*) Cum Genitivo. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 34. Cupidus damni. *Horat.* 3. *Od.* 14. 26. Litium cupidos animos. *Cic.* 1. *Verr.* 3. 8. Cupidus pecuniæ. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. rerum novarum. *Nepos Reg.* 2. Minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius denique rei cupidus, nisi etc. *Vellej.* 2. 79. 1. imperandi. *Id. ibid.* 29. 3. potentiæ. Adde *Quintil.* 5. 9. 10. et *Tac.* 1. *Hist.* 80. — *b*) Cum Ablat. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 50. Vino modo cupidæ estis. — *c*) Absolute. *Ter. Heaut.* 2. 3. 126. Ut illius animum cupidum inopia incenderet. *Cic. Fontej.* 10. 22. Potestis igitur cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis anteferre? *Id.* 3. *Off.* 14. 59. Homo cupidus et locuples. Adde *Propert.* 2. 33. 5.; et *Tibull.* 2. 4. 28. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 24. Quæ si stultus cupidusque bibisset. *Id.* 2. *ibid.* 2. 156. Cupidus timidusque. Adde *eumd. A. P.* 165. *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 26. Cupidus equos. *Martial.* 11. 78. Cupidus maritus. — Et de inanimis. *Lucret.* 4. 1134. Cupido cordi. *Cic. Rosc. Am.* 28. 76. Consilium cupidum, audax, temerarium. *Propert.* 1. 8. 29. Cupidus deponat gaudia livor. *Martial.* 11. 58. Avaritia cupida. ¶ 2. Speciatim est libidinosus, amator. *Ter. Phorm.* 1. 3. 6. Nisu me cupidum impulisset. Adde *Plaut. Trin.* 2. 1. 11.; *Catull.* 70. 3.; et *Tibull.* 2. 5. 54. et 1. 9. 58. *Ovid. Heroid.* 5. 129. A juvene et cupido credatur reddita virgo. *h. e.* amanti, vel libidine pleno. Adde *eumd.* 4. *Met.* 679. — Et de inanimis. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 9. Cupida lingua. *Id.* 1. *Art. Am.* 116. Cupidæ manus. Adde *eumd.* 11. *Met.* 63. et *Catull.* 64. 86. et 390. ¶ 3. Item speciatim est avarus. *Cic. pro lege Manil.* 22. 64. Deinde si qui sunt (*imperatores*) pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum, nemo arbitratur. *Quintil.* 11. 1. 88. *Sueton. Vesp.* 16. Natura cupidissimus. ¶ 4. Item dicitur de eo, qui nimio partium studio abripitur. *Cic.* 4. *Verr.* 4. 12. Hi porro (*quæstores*), qui successerunt, vehementer istius (*h. e.* Verris) cupidi, liberaliter in istius cibariis tractati, etc. *Id. Fontej.* 6. 11. Cupidi testes. Adde *eumd. Cluent.* 23. 66 *Tac. dial. de orat.* 31. judices. — *NB.* Passive. *Plaut. Merc.* 5. 1. 12. Ibi quidem si regnum detur, non est cupida civitas. *h. e.* expetenda. *Al. rectius leg.* cupita.

CŬPĬENS, entis. *V.* CUPIO in fin.

CŬPĬENTER, adverb. cupidissime, ut *Non.* exponit p. 91. 8. *Merc. Ennius ibid.* Cupienter cupere. *Accius ibid.* Cupienter malis membra discerpat suis. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 17. Cupienter petere.

CŬPIO, pis, pivi vel pii, pitum, pere, a. 3. Fuisse olim etiam quartæ conjugationis, testantur *Non.* p. 506. *extr. Merc.* et *Priscian.* 10. p. 879. *Putsch.* Hinc *Lucret.* 1. 70. confringere ut arcta Naturæ primus portarum claustra cupiret. — Hinc est particip. *cupītus* penultima producta. Atque in illo *Plauti Curc.* 2. 3. 85. Laudato, quando illud, quod cupis, effecero: τὸ cupis ultimam producere, monent eruditi. — *Cupi* an *cupiri* in infinito passivo dicendum sit, dubitat *Augustin.*, cujus verba sunt *Ep.* 151. *ad Nebrid. sub fin.* Volo me declinationis hujus gnarum facias. Cum enim adjungo verba similia, incertior fio. Nam ita est *cupio*, ut *fugio*, ut *sapio*, ut *jacio*, ut *capio*: sed utrum *fugiri* an *fugi*, utrum *sapiri* an *sapi* sit modus infinitus ignoro. Possem attendere *jaci* et *capi*, ni vererer, ne me caperet et pro ludibrio jaceret, quo vellet, qui aliud *jactum* et *captum*, aliud *fugitum*, *cupitum*, *sapitum* esse convinceret. Quæ item tria utrum penultima longa et inflexa, an gravi brevique pronuncianda sint, similiter nescio. Hæc *Augustin.* Sed in passiva voce rari est usus, præter participia *cupitus* et *cupiendus*. — Part. *Cupiens* sub *A.* I. c. et in fin.; *Cupitus* sub *A.* I. b., II. 1. et in fin.; *Cupiendus* sub *A.* 1. *b.* — Cupio est opto, aveo, desidero, exopto (It. *bramare*, *desiderare*; Fr. *désirer*, *souhaiter*; Hisp. *desear*, *apetecer*; Germ. *etwas wünschen*, *begehren*, *verlangen*; Angl. *to covet*, *desire*, *be willing*, *wish*, *long for*). Occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim; et quidem

I.) Proprie usurpatur de personis. — *a*) Raro admodum cum Genitivo. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 16. Vah! egone ut ad te ab libertinâ esse auderem internuncius, qui ingenuis satis responsare nequeas, quæ cupiunt tui. *Schop.* ita legit: al. *cupidis tui*. Sic *Symmach.* 1. *Ep.* 8. Jamdudum vestri cupiant. — *b*) Sæpius cum Accusativo. *Plaut. Cas.* 2. 3. 49. et *Trin.* 2. 1. 12. Cupere aliquid. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 39. Ardenter cupere aliquid. *Ter. Heaut.* 5. 1. 12. Cupere nuptias. *Cic.* 14. *Phil.* 1. 2. Cum ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redierimus. *Sall. Cat.* 11. Cupere agros. *Id. Jug.* 70. novas res. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 148. plura. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 66. Nec cupienda bonis regna Thoantis erant. — Et cum duplici Accus. *Sueton. Cæs.* 1. Quem incolumem tantopere cuperent. — Passive. *Apul. Florid.* n. 14. Adeoque is cupiebatur, ut etc. Præcipue part. *Cupitus*: sic *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41. Nec sese dedit in conspectum corde cupitus. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 90. Cupitus atque expectatus. Adde *eumd. ibid.* 5. 4. 110. et *Merc.* 5. 1. 12. *Lucret.* 3. 771. cupitum ætatis tangere florem. Adde *Liv.* 3. 37. et 26. 7. *Justin.* 42. 1. 5. Cupita ultio. *Tac.* 6. *Ann.* 32. et 14. *ibid.* 2. Cupitum id Tiberio. — *c*) Sæpe usurpatur etiam cum Infinito. *Plaut. Curc.* 4. 4. 34. Cupit mercedem dare. *Lucret.* 5. 169. Quidve novi potuit tanto post ante quietos Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem? Adde *eumd.* 1. 70., cujus loci verba sub init. retulimus. *Cic.* 1. *Fam.* 2. Ii Bibuli sententiam valere cupierunt. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 12. 29. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. *extr.* Cupiunt operam navare. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 21. et *Sall. Jug.* 57. *Ovid. Heroid.* 21. 9. Cupis credi. *Justin.* 11. 11. 6. Cupiens acquirere. — *d*) Cum Accusativo et Infinito: præcipue vero Accusativus pronominis reciproci eleganter exprimitur. *Cic. Brut.* 97. 331. Tibi favemus, te tua virtute frui cupimus, tibi optamus eam rempublicam etc. *Nepos*

Pausan. 2. Seque tecum affinitate conjungi cupit. Adde *eumd. Att.* 20. *extr. Ovid. Heroid.* 21. 247. cupio me jam conjungere tecum. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (54). — In illo *Propert.* 3. 7. 1. Mecænas eques Etrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam: *cupis* est ἀγαπᾷς, amas, gaudes, contentus es, libenter manes. — *e*) Cum Accusativo et Participio præter. *Plaut. Curc.* 2. 325. Qui te conventum cupit. *Sueton. Aug.* 17. Cleopatram servatam triumpho magnopere cupiebat. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 9. et 13. — *f*) Sequente part. *ut* occurrit tantum apud *Plaut. Capt.* 1. 2. 17. Quod ego quidem nimis quam cupio ut impetret. — Et sequente part. *ne* tantum apud *Plin.* 5. *Ep.* 17. Cupio, ne — habeant. — *g*) Absolute. *Ter. Eun.* 4. 7. 43. Cupiunt ultro. *Cic.* 10. *Att.* 4. *post med.* Cupivi, inquit, ex senatusconsulto surrepto. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 1. 2. (*V. Cupiens* in fin. sub *b.*); et *Horat.* 1. *Ep.* 2. 51., 6. 12. et 16. 65.

II.) Translate. ¶ 1. Significat amore venereo amare. *Ovid.* 3. *Fast.* 21. visamque cupit, potiturque cupitam. Adde *Martial.* 7. 74. ¶ 2. De inanimis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 41. (250). Asperiora vina rigari utique cupiunt.

B) Speciatim *cupere alicui* et *cupere alicujus causa* est bene velle, optare bona alicui. *Ter. Andr.* 5. 4. 2. Una harum quævis causa me ut faciam monet, vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Favere et cupere Helvetiis propter affinitatem. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. § 10. Quid? ego Fundanio non cupio? non amicus sum? Adde *eumd. Rosc. Am.* 51. 149. *Id.* 4. *Verr.* 73. 180. Qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt. *Id.* 13. *Fam.* 75. Cujus causa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo. — Hinc illa dicendi formula *cupio omnia, quæ tu vis,* hoc est mandatis tuis præsto sum. *Plaut. Pers.* 5. 1. 14. Omnia, quæ tu vis, ea cupio. LEM. Mutua fiunt a me. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 5, ubi tamen est salutandi formula, propria discedentis, qui plura loquendi occasionem præcidere vult. — Hinc Part. præs.

Cupiens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Cupientior* et Sup. *Cupientissimus.* Est autem idem quod cupidus. — *a*) Cum addito Genitivo. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 7. Cupiens corporis. *Id. ibid.* 4. 2. 56. Hunc anulum ab tui cupiente huc detuli huic. *h. e.* ab tuo amatore. Adde *eumd. ibid.* 4. 1. 17. et *Amph. prol.* 132. *Sall. fragm.* apud *Diomed.* 1. *p.* 291. *Putsch.* Cupientissimus legis. *Tac.* 15. *Ann.* 46. Populus novarum rerum cupiens. *Id.* 6. *ibid.* 46. bonarum artium. *Id.* 14. *ibid.* 14. voluptatum. *Id.* 1. *ibid.* 75. Erogandæ per honesta pecuniæ cupiens. *Aurel. Vict. Cæsar.* 24. Dominandi suis, quam subigendi externos, cupientiores sunt. — *b*) Absolute. *Cic. Harusp. resp.* 22. 46. Cupientem Italiam, populum Romanum desiderantem, flagitantes vos excitavit. *Id.* 1. *Orat.* 1. 2. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est. *Sall. Jug.* 68. *extr.* Animo cupienti nihil satis festinatur. γράφεται. *Id. ibid.* 86. Marius cupientissima plebe consul factus. *h. e.* maximo plebis consensu ac gaudio. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Fama dedit Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. — A Part. præter. pass. *Cupitus,* fit

Cupitum, i, n. 2., quod absolute, substantivorum more occurrit pro re cupita. *Plaut. Pers.* 5. 4. 100. Eveniunt digna dignis: tandem huic cupitum contigit. *Tac.* 4. *Ann.* 3. Ceterum plena Cæsarum domus, juvenis filius, nepotes adulti moram cupitis afferebant. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. Certe cupitorum irriti non sumus.

Homonym. Inter *amare* et *cupere* quid distet, *V.* CUPIDO in fin.

CŬPISCO, is, ere, 3. *inchoat.* a cupio, idem quod concupisco. *Augustin. Music.* 4. 4. Bonus vir et sapit bonum, Deum videre qui cupiscit. Etiam *Priscian.* 8. *p.* 824. et 825. *Putsch.* hoc verbum agnoscit, nullo tamen auctore confirmat.

CŬPĪTOR, ōris, m. 3. qui cupit. *Tac.* 15. *Ann.* 42. Ut erat incredibilium cupitor. *Id.* 12. *ibid.* 7. Talis matrimonii cupitor. *Apul. Florid.* 3. Cupitor amicitiæ.

CŬPĪTUS, a, um. *V.* CUPIO.

CUPPĒDIA, CUPPĒDINĀRIUS, CUPPĒDO etc. *V.* CUPEDIA, CUPEDINARIUS, CUPEDO.

CŬPRESSĒTUM, i, n. 2. locus cupressis consitus. *Cato R. R.* 151. Serere cupressetum. *Cic.* 1. *Legg.* 5. 15. In cupressetis Gnossiorum.

CŬPRESSEUS, a, um, adject. ad cupressum pertinens. *Vitruv.* 2. 9. 13. *Schneid.* Foliatura cupressea. *Liv.* 27. 37. Duo signa cupressea Junonis.

CŬPRESSĬFER, fĕra, fĕrum, adject. cupressos ferens. *Ovid.* 5. *Fast.* 87. jugum cupressiferæ Cyllenes. *Id. Heroid.* 9. 88. Erymanthus cupressifer.

CŬPRESSĬNUS, a, um, adject. cupresseus. *Colum.* 6. *R. R.* 7. 2. Coni cupressini. *Id.* 2. *ibid.* 2. 11. Frondes cupressinæ. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 45. (88). Cupressinum oleum.

CŬPRESSUS, i, f. 2. De forma CYPARISSUS *V.* loco suo. — Genere mascul. *Ennius* apud *Gell.* 13. 20. et *Non.* 195. 25. *Merc.* Capitibu' nutantes pinos, rectosque cupressos. Ubi *Gell.* Firmior ei, credo, et viridior sonus esse vocis visus est *rectos* dicere, quam *rectas.* τὸ *capitibu'* ponitur hic, ut *ariete,* et *parietibus,* et *tenuia* apud *Virg.* 2. *Æn.* 16. et 442., et 1. *G.* 398., ubi quatuor breves syllabæ dactyli tempus æquant: qui pes proceleusmaticus dicitur a Grammaticis. — In sexto casu legitur etiam quartae declinationis. *Ovid.* 3. *Met.* 155. Vallis erat piceis et acuta densa cupressu. *Al. leg.* cupresso. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 1. Pedamen probatur ex junipero, lauru, cupressu. — In aliis quoque casibus exempla hujus declinationis afferri solent ex *Ovid., Horat., Virg.* Sane *Varro* 9. *L. L.* 47. *Müll.* negant, inquit, esse analogias, quod alii dicunt *cupressus,* alii *cupressi,* etc. — Ceterum

I.) Proprie. Cupressus est arbor procera, conifera, natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara, sed ea tamen durabili. Duplicis est generis: meta in fastigium convoluta, quæ et femina appellatur: mas spargit extra se ramos, deputaturque. Ex Creta primum Tarentum venit, deinde tota Italia disseri cœpta; quare et advenam appellat *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (139). ubi præter hæc, alia multa de ea. *Virg.* 1. *Ecl.* 26. Quantum lenta solent inter viburna cupressi. Adde *Caton. R. R.* 151. et 48.; *Varron.* 1. *R. R.* 40. 1.; *Catull.* 64. 291.; *Virg.* 3. *Æn.* 680.; *Horat.* 1. *Od.* 9. 1. et 2. *ibid.* 14. 23. et 1. *Ep.* 5. 16.; *Vitruv.* 2. 9. *Schneid.*; *Ovid.* 10. *Met.* 106. et 3. *ibid.* 155.; *Colum.* 4. *R. R.* 26. 1.; *Sueton. Vesp.* 5. Cf. *Fèe* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 377.) hanc exhibet synonymiam: [illegible] S. Script.; Κυπάρισσος ὑψικόμης Homer. Odyss. E. 64., Theophr. 4. 6. et Dioscor. 1. 102.; et *Cupressus* Caton. et Plin. locc. citt. sunt *Cupressus semper virens* L. et *Cupressus fastigiata* DC. Flor. fr. Suppl. 2064. var. β. — et *Idem. ibid.* p. 380. hæc addit: « Il existe, ainsi que l'écrit ici notre auteur, deux dispositions fort différentes dans le port de deux espèces de cyprès; c'est pourquoi l'un a reçu de Decandolle le nom de *Cupressus fastigiata.* Son tronc est droit et relevé, à branches dressées et serrées contre le tronc: Linné en faisait la variété α du *Cupressus semper virens.* C'est là le *cupressus femina in fastigium convoluta* de Pline. L'autre a été nommé par Müller *Cupressus horizontalis* (*Dict.* n. 2.). C'est là la variété β du *Cupressus semper virens* de Linné *Sp. plant.* 1422., et le *Cupressus mas in ramos patulos* de notre auteur ». — Arbor est Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos, et circa pyram poni solita, teste *Plin. loc. cit.,* non tamen omnium, sed ditiorum tantummodo, et potentiorum, ut significare videtur illud *Lucani* 3. 442. Et non plebejos luctus testata cupressus. Cujus rei causam affert *Paul. Diac. p.* 63. 15. *Müll.* quia excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil jam est sperandum: vel (quod addit ex *Varrone Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 216.) ne populus pyram circumstans, gravi ustrinæ odore offenderetur; tamdiu enim populus restabat circa pyram, quamdiu consumpto cadavere, et collectis cineribus, diceretur novissimum verbum *ilicet,* h. e. ire licet. Hæc *Servius.* Aliam quoque causam *Scalig.* ad *Paul. Diac.* ex *Plinio* apud *eumd. Servium,* sed, ut ipse ait, nondum editum, affert his verbis: Romani moris fuit, propter cærimonias sacrorum, quibus populus R. obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat, et quasi attaminatus suscepta peragere non possit. Denique alii, quia hæc arbor materiæ perpetuitatem habet, adhibitam in funeribus putant ad denotandam immortalitatem animorum. *Virg.* 6. *Æn.* 216. feralis cupressus. *Id.* 3. *ibid.* 64. atra. *Horat.* 2. *Od.* 14. 23. invisa. *Id. Epod.* 5. 18. funebris. — *Simulare cupressum* proverbialis locutio est apud *Horat. Art. P.* 20. de iis, qui id unum, quod sciunt, quovis loco ac tempore obtrudunt, ut pictor ineptus, qui cupressum pingere cum sciat, in quavis id tabula, etiam qua naufragium describitur, pingit.

II.) Metonymice de capsa ex cupressi ligno facta. *Horat. Art. P.* 332. speramus carmina fingi Posse linenda cedro et levi servanda cupresso? — *NB.* De Cyparisso in arborem mutato *V.* ONOM.

CŬPRĔUS *vel* cypreus, a, um, adject. idem quod cuprinus, ut Cupreum vas, *Plin.* 23. *Hist. nat.* 3. 37. (74)., ubi al. leg. *Cyprium.* — Legitur et *cypreus. Pallad.* 8. *R. R.* 5. Si bidentes cyprei fiant, et sanguine tingantur hircino, etc. *Trebell. Poll. Claud.* 14. Fibulam auream cum acu cyprea manu.

CŬPRĪNUS *vel* cyprinus, a. um, adject. Scribitur etiam *cyprinus* apud *Innocent. de cas. litt. p.* 231. *Goes.* Terminus plumbatus, et alter, cui acutum cyprinum super invenies. *h. e.* laminam cuprinam, quæ iter prætereuntibus ostenditur. — Ceterum cuprinus est ad cuprum pertinens. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 18. Radici imprimunt cuprinum clavum, vel ferreum. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 3. *Schneid.* et 3. *ibid.* 6. 11.

CŬPRUM, i, n. 2. genus quoddam rubri æris, quod *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). cyprium appellat: unde et vox facta est. *V.* CYPRIUS. *Spartian. Caracall.* 9. Ex ære, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur. Al. leg. *cypro,* quod idem est. *Edict. Dioclet.* p. 29. Ærario in cupri pondo I. X sex.

CŬPŬLA *vel* cuppula, æ, f. 1. Scribitur et *cupla* per syncopen: *V.* sub *A.* et *B.* — Ceterum cupula duo diversa significat, scilicet

A) Aut est deminutivum a *cupa,* æ, quatenus ligneum vas vinarium significat. *Ulp. Dig.* 33. 6. 3. In cuppis autem, sive cuppulis puto admittendum et eas deberi. Adde *Not. Tir. p.* 156. — Hinc figurate pro sepulcro. *Inscript. Afric.* apud *Rénier.* 3373. MARITVS CVPVLAM FECIT. Adde *alias* apud *eumd.* 3564., 3619. et 4094. Et per syncopen *Inscript.* apud *eumd.* 3172. CVPLAM SIBI FECIT. Qua ex voce fortasse inferri potest, qualis fuerit in Africa sepulcrorum veterum forma.

B) Aut est deminutivum a *cupa,* quatenus axem significat. *Cato R. R.* 21. Ne foramina majora fiant, quo cupulæ minusculæ indentur. Sic *Isid.* 19. *Orig.* 19. Cuplæ vocatæ quod copulent inter se luctantes.

CUR, adverb. Ad scriptionem quod attinet, etiam *quor* legitur apud *Vel. Long. p.* 2236. *Putsch.* — Quod vero ad etymon pertinet, quidam Grammatici, inter quos *Vel. Long. p.* 2231. *Putsch.,* docent, factum esse ex *quare,* et primo *quur* et *quor* scriptum fuisse. *Hand. Tursell. vol.* II. *p.* 175. rectius ait, factum esse ex *cui rei*: nobis videtur conjungi posse et cum Gr. γάρ, unde *car* apud Francos. — Ceterum *cur* significat cui fini? quam ob rem? quare? (It. *perchè*; Fr. *pour quelle raison, pourquoi*; Hisp. *porque*; Germ. *zu welchem Zwecke, warum*; Angl. *why, wherefore, for wath reason, for which*). ¶ 1. Extra interrogationem relativi vim habet, et modo cum particulis negativis, modo sine ipsis occurrit. — *a*) Generatim. *Plaut. Stich.* 1. 1. 51. Neque est, cur studeam. *Cic. Cluent.* 53. 14. 7. Quid est cur tu in hoc loco sedeas? *h. e.* quid est causæ cur etc. Adde *eumd. Cæl.* 20. 50.; *Liv.* 21. 43.; *Gell.* 20. 8.; *Ovid.* 7. *Met.* 686. et 13. *ibid.* 114.; et cf. *Ter. Andr.* 1. 1. 76. *Cic.* 15. *Fam.* 20. 2. Quamquam duæ causæ sunt, cur debeas etc. *Id.* 3. *Orat.* 48. 145. Quid est aliud causæ, cur repudietur, nisi quod etc. *h. e.* propter quam. *Id.* 1. *ibid.* 31. 137. Cum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse. *Id.* 6. *Fam.* 8. Afferunt rationem, cur negent. *Id.* 1. *Divinat.* 3. 5. Exquisita quædam argumenta, cur esset vera divinatio, collecta sunt. *h. e.* propter quæ. Adde *eumd. Rosc. com.* 16. 49., *Rosc. Am.* 50. 146. et *Amic.* 13. 48.; et *Quintil.* 11. 3. 16. et 11. 3. 59. Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 22. 60. Cum requireret, cur ita faceret. *h. e.* quam ob causam. *Id. ibid.* 23. 62. Dixisti, cur esse deos confiteremur. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 9. 7. Multa quidem dixi, cur excusatus abirem. Cf. *Nepot. Arist.* 1. — *b*) Speciatim respondet verbis *mirari, accusare, irasci* etc. significantibus. *Ter. Heaut. prol.* 1. Ne cui sit vestrum mirum, cur etc. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 527. Et *Cic.* 5. *Fam.*

12. sub fin. Ne forte mirere, cur a te id petamus. Horat. 1. Od. 33. 1. Albi, ne doleas –, neu miserabiles Decantes elegos, cur tibi junior Læsa præniteat fide. h. e. eo quod. Sic Id. 1. Ep. 8. 9. irascar amicis, Cur me funesto properent arcere veterno. Et Plin. 3. Ep. 5. a med. Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem. pro quia, vel cum. Ceterum plura collegit Lübker. Comm. p. 184. ¶ 2. Sæpe est adverbium interrogandi. Plaut. Amph. 1. 1. 253. Cur non introeo? Ter. Heaut. 1. 1. 111. ME. Non possum. CH. Cur non? Id. Andr. 2. 3. 10. P. Egon' dicam? D. Cur non? Adde Plaut. Capt. 4. 2. 82., Cas. 3. 5. 31. et Epid. 1. 1. 43.; et Ovid. 2. Met. 291., 6. ibid. 42. et 10. ibid. 623. Ter. Andr. 5. 3. 15. Cur me excrucio? cur me macero? Id. Eun. 3. 3. 17. Hæc cur quæritet? Cic. 2. Fam. 7. Dii immortales! cur ego non adsum? Id. 3. de republ. 10. 17. Cur pecuniam non habeat mulier? Adde eumd. 3. Fin. 4. 15. Plancus apud Cic. 10. Fam. 23. ad fin. Pro urbis vero salute cur non omnibus facultatibus utamur? Vellej. 2. 41. 3. Cur enim – si narrari non potest, omittatur? Sabinus Masur. apud Gell. 4. 20. Cur ita, ut tu sis, quam equus, curatior? — Postpositum suo verbo. Horat. 2. Sat. 3. 187. Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? Id. ibid. 7. 104. Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?

Homonym. Inter cur et quare statuit discrimen Corn. Fronto de differ. vocab. sub init.. quod cur simpliciter percontetur, quare causam rationemque desideret: sed cave homini credas.

CŪRA, æ, f. 1. Qura pro cura scribitur in Inscript. apud Fabrett. p. 408. n. 331. — Ratione habita etymi, Paul. Diac. p. 50. 1. Müll. et Varro 6. L. L. 46. Müll. ita dictam putant, quod cor urit. Forcellinus aliud prafert etymon, quod V. in CURO. At recentiores Philologi rectius deducunt a verbo quæro; cura enim affici dicimur, quum magno animi studio in aliqua re versamur, quod aut cum diligentia, aut cum timore conjungi potest. Hinc duplex est curæ significatio, prout A) Cum diligentia, aut B) Cum timore atque angore conjungitur. Itaque

A) Cura est diligentia, studium, labor, qui alicui rei impenditur (It. cura, diligenza, attenzione; Fr. soin, sollicitude active; Hisp. cuidado, diligencia; Germ. die auf etwas gewandte Sorge, Bemühung, Sorgfalt; Angl. cure, diligence, attention, study, thought, regard).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Conjungitur sæpe cum aliis substantivis. Cic. 3. Orat. 46. 184. Neque vero hæc tam acrem curam diligentiamque desiderant. Id. 1. Off. 6. 19. Ponere operam curamque in rebus honestis. Id. 2. ibid. 1. 2. Omnes curas cogitationesque in rempublicam conferre. Id. 2. Orat. 44. 186. Omni mente in ea cura et cogitatione versari, ut etc. Id. 10. Fam. 3. Incumbere in eam curam et cogitationem, quæ etc. Id. ibid. 1. Omni cogitatione curaque in rempublicam incumbere. Quintil. 10. 7. 29. Cura et studio. Id. 2. 4. 17., 12. 1. 7., 11. 2. 40. et alibi sæpe. Cura et labor. Sueton. Gramm. 21. Cura et industria. Tac. dial. de orat. 16. Cura et meditatio. — b) Absolute, aut cum præpositione vel casu rei vel, uti ajunt, objecti cui curam impendimus, aut denique cum Genitivo ipsius rei. — Absolute occurrit præcipue cum cura et est diligenter. Plaut. Men. 5. 4. 7. Magna cum cura ego illum curari volo. Sall. Jug. 58. Saucios cum cura reficit. Liv. 35. 9. Eas collectas cum cura, et igni crematas esse. Plin. 17. Hist. nat. 7. 4. (43). Convenit cum cura dici. Sic Sall. Jug. 85. Majore cura rempublicam administrare. et Liv. 25. 9. Intenta cura. Phædr. 2. 2. Cum se putaret fingi cura mulierum. hic sermo est de diligentia in capillis comendis. — Hinc maximæ curæ homo, h. e. diligentissimus, studiosissimus. Colum. 1. R. R. 8. 3. — Cum præpositione vel casu rei, cui curam impendimus. Cic. 2. Fam. 7. De re aliqua curam adhibere. Nepos Att. 21. In re aliqua curam adhibere. Cic. 2. Orat. 75. 306. Omnis cura mea versatur in hoc, ut etc. Horat. 2. Sat. 4. 48. Nequaquam satis in re una consumere curam. Curt. 3. 1. 21. Intendere curam in aliquid. Quintil. 1. 1. 3. Acrem quam maxime curam impendere alicui rei. Plin. 2. Ep. 5. Curam admovere alicui rei. Adde eumd. 10. ibid. 83. et 2. ibid. 15.; et Justin. 43. 4. 11. Val. Flacc. 8. 237. … sua flavis Reddita cura comis. — Cum Genitivo rei. Cic. 9. Fam. 24. sub fin. Abjicere curam reipublicæ. Id. 6. Att. 5. 3. Cura belli. Id. Amic. 16. 52. cibi. Horat. 1. Od. 12. 50. magni Cæsaris. Seneca Ep. 14. et Petron. Satyr. 106. Agere diligentissime curam alicujus. Liv. 5. 41. Cura deorum. Quintil. 12. 1. 6. agrorum. Sueton. Domit. 18. capillorum. Sic Quintil. 1. 1. 7. Habere magnam curam docendi liberos. — c) Est mihi curæ idem est atque est mihi cordi. Cic. 10. Fam. 1. Mihi maximæ est curæ, non de mea quidem vita; sed me patria sollicitat. Id. post red. ad Quirit. 9. 22. Mihi majori curæ erit, quemadmodum vobis gratiam referam, quam etc. Id. 1. Fam. 9. 22. Tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curæ. Sall. Jug. 26. De ceteris senatui curæ fore. Id. ibid. 75. Diis curæ esse. Cæs. 1. B. G. 33. Sibi esse curæ. Adde Horat. 1. Ep. 3. 30. et 1. Sat. 8. 19.; Quintil. 3. 8. 45.; Ovid. 2. Met. 683.; Vellej. 2. 97. 4. Ovid. 3. Amor. 2. 8. Ergo illi curæ contigit esse tuæ. Al. leg. meæ, h. e. meæ puellæ. — Et cum Infinito. Plin. 7. Ep. 10. Erit mihi curæ, explorare provinciæ voluntatem. Adde Quintil. 9. 3. 71.; Colum. 12. R. R. 12. 3.; et cf. Grat. Cyneg. 346. et Virg. 7. Æn. 443. — d) Cura est pro curæ est. Plaut. Stich. 5. 2. 3. Quid agat Stephanium, cura est. Id. Merc. 1. 2. 11. Cura est, negotii quid sit. Seneca 1. Quæst. nat. 17. Cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere. — e) Cura inest alicui pro curæ est. Liv. 23. 35. Inter quæ maxima inerat cura duci, itaque legatis tribunisque præceperat, ne etc. Cf. eumd. 42. 39., quem locum V. infra sub g. — f) Curæ aliquid habere, h. e. aliquid cordi esse. Cælius apud Cic. 8. Fam. 8. extr. Eos tibi, et rem, de qua misi, velim curæ habeas. Adde Sall. Cat. 21. Sueton. Aug. 48. Nec aliter universos, quam membra partesque imperii, curæ habuit. Capell. 8. p. 273. Quæ meos curæ habuit informare sensus. Adde Lactant. 7. 3. a med. — g) Denique interdum cura est nimia diligentia, quæ in vitio ponitur, et dicitur de iis qui nimia cura utuntur in rebus præcipue alienis exquirendis. Liv. 21. 22. Deinde cura humani ingenii, quum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequivisse. Alia tamen aliter leg. Id. 42. 39. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem et populi principis terrarum omnium legatos. Cf. Tac. 2. Hist. 34. ¶ 2. Speciatim apud Medicos ponitur pro curatione, quæ morbis adhibetur. Cels. 2. 10. a med. In cura aquæ, quæ sub cutem est. Vellej. 2. 123. de Augusto. Mox cum omnem curam fata vincerent, animam cælestem cælo reddidit. Adde Propert. 1. 3. 46.; Justin. 23. 2. 6.; Sil. It. 6. 551.; et Justin. 23. 2. 6. ¶ 3. Item speciatim, cum sermo est de republica, cura est administratio, curatio, munus. Sall. Jug. 3. Magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minime mihi hac tempestate cupienda videntur. Sueton. Aug. 37. Nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis etc. Id. ibid. 36. Cura ærarii. Tac. 1. Hist. 80. Dare alicui curam legionis armandæ. Inscript. apud Smet. 30. 13. et Gruter. 75. 12. C. VALERIO C. F. MEN. DOLVTIO MARCIANO VI. VIR. AVG. DEC. OMNIBVS HONORIBVS, CVRIIS (ita in lapide ex quadratarii fortasse oscitantia scribitur pro curis) MVNERIBVS FVNCTO etc. ¶ 4. Item apud JCtos dicitur de officio curatoris. Ulp. Dig. 5. 1. 19. Si quis tutelam, vel curam administravit. Adde ibid. 3. 1. 1. ¶ 5. Item universim cura dicitur de quacumque administratione rei alicujus sive publicæ, sive privatæ. Cic. 1. Off. 9. 30. Difficilis est cura rerum alienarum. Tac. 1. Ann. 11. Vocare aliquem in partem curarum. Adde eumd. 12. Ann. 62. Sueton. Domit. 17. Curæ assistere. Al. leg. artæ. Adde eumd. Tib. 13. et Vitell. 5. Ammian. 21. 3. et 31. 12. Cura palatii. V. infra sub A. II. 3. — Hinc servus a cura inter officia domus Augustæ est, qui alicujus rei administrationem habet. Inscript. apud Gruter. 63. 1. TI. CLAVDIVS AVG. LIB. FORTVNATVS A CVRA AMICORVM. et 596. 5. T. COELIO T. F. CELERI A CVR. AMIC. AVG. PRAEF. LEG. X. etc. et 578. 5. OSSA AVRELIAE LIVIAE AVG. SERVAE A CVRA CATELLAE etc. — Sic cura agens, seu curagens, vel curam agens et agens curam is dicebatur, cui publici alicujus negotii administratio erat demandata, vel qui ex munere sive delegatione privati aliquid faciendum susceptisset, et idem significat ac curator. Inscript. apud Bingium, Mon. Mus. Nan. T. 3. p. 177. CVRAGENS THEATRI. V. plura apud Marin. Frat. Arv. p. 548.

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam cura dicitur de opere scripto, quod cum cura factum est. Tac. 4. Ann. 11. Peterem ab iis, quorum in manus curæ nostræ venerit. Adde eumd. dial. de Orat. 3.; et 3. Ann. 24., ubi plur. num. occurrit. Ovid. 4. Pont. 16. 39. quorum quod inedita cura est, etc. ¶ 2. Hinc cura dicitur etiam diligens ac sedula in aliqua re occupatio. Cic. 5. Tusc. 24. 69. Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis! ut, quum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit etc. Quintil. 1. 12. 4. Cur non pluribus curis horas partiamur? Adde Tac. dial. de Orat. 28.; et V. Roth. ad Tac. Agric. 136. ¶ 3. Item per metonymiam ponitur pro eo, qui curam et administrationem habet. Ovid. Heroid. 1. 103. Hoc faciunt custosque boum, longævaque nutrix, Tertius, immundæ cura fidelis haræ. Coripp. 2. 285. Successor soceri, factus mox cura palatii. Adde eumd. 1. 137. Est autem cura palatii curator fabricarum palatii: unde ortum est Græcum κουροπαλάτης. Sic Trebell. Claud. 14. a med. Huic dabis curam prætorii unum, aquarium unum, piscatorem unum. — Similiter Ovid. 4. Trist. 6. 45. Urbis abest facies, absunt, mea cura, sodales. Id. 2. ibid. 2. 1. Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli? ¶ 4. Pro evectione et cursu publico, la posta, videtur poni Cod. 1. 31. 1. et ibid. 11. 23. 1.; ubi tamen lectio mendosa est habenda.

B) Quoties cura cum timore atque angore conjungitur, est sollicitudo, molestia (It. cura, afflizione, travaglio, affanno; Fr. souci, inquiétude, sollicitude, crainte; Hisp. inquietud, cuidado penoso, solicitud; Germ. d. Besorgniss, Kummer, Bekümmerniss; Angl. care, concern, anxiety, solicitude, trouble, sorrow, grief).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Ennius apud Cic. Senect. 1. 1. si quid ego adjuro curamque levasso. Plaut. Rud. 1. 4. 2. Curæ multo exanimalem. Id. Aulul. 3. 6. 27. Qui cura macet. Id. Merc. 2. 1. 23. Quo magis cura cruciabar. Ter. Phorm. 2. 2. 26. Cura absumi. Id. Andr. 2. 1. 4. Animus cura confectus stupet. Id. Adelph. 4. 5. 76. Injicere alicui magnam curam. Id. Hecyr. 2. 1. 33. Solvere aliquem curis. Id. ibid. 5. 3. 19. Curas alicui adimere. Lucret. 3. 116. et omnes accipit in se Lætitiæ motus ac curas cordis inanes. Cic. Brut. 2. 9. Quorum memoria in maximis nostris gravissimisque curis jucunda fuit. Id. 7. Att. 5. Hoc affert mihi curam. Id. 1. ibid. 18. Omnia, quæ me cura afficiunt. et mox. Levare curam et angorem animi. Id. ad Dolabell. post ep. 14. l. 15. ad Att. Magna cura et sollicitudine liberare aliquem. Id. 2. Divinat. 72. 150. Ex somno plurimæ curæ metusque nascuntur. Id. 3. Orat. 1. 1. Acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Id. Brut. 3. 10. Ut eorum aspectu omnis, quæ me angebat, de republica cura consederit. Id. 2. Att. 24. sub fin. Pompejus de Clodio jubet nos esse sine cura. Cassius apud Cic. 12. Fam. 12. Gravissimam curam suscipere et vehementer sollicitum esse de re aliqua. Cælius apud eumd. 8. ibid. 5. Qua tu cura sis, nescio: ego quidem vehementer animi pendeo. Virg. 4. Æn. 1. At regina gravi jamdudum saucia cura. Ovid. 1. Trist. 11. 12. Relevare aliquem ab cura. Adde Propert. 1. 10. 16. et 4. 2. 41.; Horat. 2. 11. 18. et 4. 11. 36.; Ovid. 3. Trist. 12. 70. et 4. ibid. 3. 17.; Curt. 3. 3. 4. et 7. 1. 7.; Senec. Agam. 76.; Quintil. 11. 1. 44.; et Plin. 3. Ep. 9. et 7. ibid. 19. — Sæpe a Poetis Curæ personæ inducuntur, ut apud Virg. 6. Æn. 274. ultrices posuerunt cubilia Curæ. Horat. 2. Od. 16. 9. Non enim gazæ neque consularis Submovet lictor miseros tumultus Mentis et Curas laqueata circum Tecta volantes. Id. 3. ibid. 1. 37. sed timor et minæ Scandunt eodem quo dominus, neque Decedit ærata triremi et Post equitem sedet atra Cura. Cf. eumd. 2. ibid. 16. 21. — Insulsam de Cura fabulam habes apud Hygin. fab. 220., quam piget transcribere. ¶ 2. Speciatim est sollicitudo, quam affert amor; hinc et pro amore ponitur. Ovid. Rem. Am. 311. Hæserat in quadam nuper mea cura puella. Propert. 1. 15. 29. Annus et inversas duxerit ante vices, Quam tua sub nostro mutetur pectore cura. Horat. Art. P. 83. Musa dedit fidibus divos puerosque deorum – Et juvenum curas et libera vina referre. — Hinc

II.) Translate cura ponitur pro amica ipsa. Propert. 2. 25. 9. Lycoris, tu me meam potuisti ungere curam? Adde eumd. 2. 16. 2. Horat. 3. Od. 8. 5. sed tu simul obligasti Perfidum votis caput, enitescis

Pulchrior multo juvenumque prodis Publica cura. *Virg. Cir.* 74. Cura conjugis. *h. e.* Amphitrite.

Homonym. Discrimen inter curam et *sollicitudinem* videsis in SOLLICITUDO.

CŪRĀBĬLIS, e, adject. Legitur a quibusdam apud *Juvenal.* 16. 20. efficiunt, curabilis ut fit Vindicta gravior, etc. *Al. leg.* officiunt. curabitis, ut sit, etc. — Certa est lectio apud *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. Ut sæpe, tarditate perseverans, difficile curabilis (*passio*) fat. *h. e.* difficile curari vel sanari possit.

CŪRĀGENDĀRĬUS, ii, m. 2. qui curam aliquam publicam habet, idem atque agens in rebus, qui prius frumentarius appellabatur. *Imp. Constantius Cod. Theod.* 6. 29. 1. Hi, quos curagendarios, sive curiosos provincialium consuetudo appellat.

CŪRĀGENS. *V.* CURA sub *A.* I. 5. in fin.

CŪRĀGŬLUS, curiosus, *Gloss. Isid.* Fortasse est a *cura* et *ago. Priscian.* quoque *super XII. vers. Æn. lib.* 5. p. 1242. *Putsch.* recenset *curagulus* inter derivata ex nomine *cura.*

CŪRĀLĬUM. *V.* CORALIUM.

CŪRANTĬA, æ, f. 1. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 9. Quod me admones de non curantia. *h. e.* de incuria. Al. tamen, inter quos et *Orell.*, rectius leg. *de nostra Urania.*

CŪRĀTĒ, adverb. Comp. *Curatius* et Sup. *Curatissime* tantum occurrunt. — Curate est cum cura. *Sall. Jug.* 19. Eum Jugurtha curatissume recepit. *Tac.* 2. *Ann.* 27. Ejus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram. *Id.* 14. *ibid.* 21. Ludi curatius editi. *Id.* 16. *ibid.* 22 Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur.

CŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus curandi, administratio, cura (It. *cura, amministrazione, maneggio, governo*; Fr. *soin, administration*; Hisp. *cuidado, administracion*; Germ. *d. Besorgung, Pflege, Behandlung, Sorge*; Angl. *a taking care, the administration or management of any thing, a charge*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Cas.* 2. 3. 43. Quæ mea est curatio. *Id. Most.* 1. 1. 33. Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est? Adde *eumd. Amph.* 1. 3. 21. *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. 2. Vacare omni curatione et administratione rerum. *Id.* 1. *ibid.* 34. 94. Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, quæ adhibetur homini. *Id.* 2. *ibid.* 63. 158. Oves neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuissent. *Id.* 15. *Att.* 11. Curatio frumenti. *Id. Harusp. resp.* 14. 31. Ædes Telluris est curationis meæ. *Liv.* 9. 43. Curatio sacrorum. *Id.* 25. 38. corporum. *Colum.* 12. *R. R.* 25. 4. Ut sit odoratior vini curatio. *h. e.* conditura. *Petron. Satyr.* 107. Voluerunt, antequam conscenderent, exonerare capita molesto et supervacuo pondere, sed celerior ventus distulit curationis propositum. ¶ 2. Speciatim apud Medicos est cura illa, quæ morbis adhibetur. *Cic.* 1. *Off.* 24. 83. Medici leviter ægrotantes leniter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 3. 12., 4. *Fin.* 24. 65., 2. *Divinat.* 30. 153. et 16. *Fam.* 16.; et *Liv.* 42. 18. et 2. 20. *Phædr.* 5. 8. 12. Curatio venit ad sanitatem. *Cels.* 7. 26. *sub fin.* Si felix curatio non fuit. *et paullo supra.* Recte curatio procedit. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 70. (145). Mox procedente curatione, addito melle. Adde *Senec.* 1. *Ira* 6.; *Flor.* 3. 23. 4.; *Justin.* 12. 9. 13.; et *Veget. Veterin. præfat.* 10. ¶ 3. Item speciatim in re publica est administratio, munus, officium *Cic. Rabir. Post.* 10. 28. Curationem et quasi dispensationem regiam suscipere. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 51. 126.; 2. *leg. Agr.* 7. 17. et *Sest.* 30. 66. *Liv.* 4. 12. Minucius præfectus annonæ creatur, felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui. *Id.* 2. 27. Dare alicui curationem altiorem fastigio suo. ¶ 4. Item apud JCtos est officium curatoris. *Ulp. Dig.* 27. 10. 4. Furiosæ matris curatio ad filium pertinet. *Papinian. ibid.* 27. 1. 30. Duas curationes administrare.

CŪRĀTOR, ōris, m. 3. Antiqui scribebant *coerator.* — Curator est procurator, præfectus, qui alicujus rei sive privatæ, sive publicæ curam habet (It. *chi ha la cura di qualche cosa, sopraintendente, amministratore, procuratore*; Fr. *qui a soin de, intendant, surveillant*; Hisp. *intendente, curador*; Germ. *der Besorger, Aufseher, Wärter*; Angl. *a surveyor, overseer, agent, administrator, manager, superintendant, provider*). Occurrit ¶ 1. Generatim cum Genitivo vel Dativo. *Plaut. Pœn. prol.* 36. Curator ludorum. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. Suntoque ædiles curatores urbis, annonæ, ludorum solemnium. *Id. Opt. gen. Orat.* 7. 19. Demosthenes curator muris reficiendis fuit. *Id.* 4. *Verr.* 59. 141 Aliquem curatorem præficere, qui statuis faciundis præsit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 7. 17. Curator legibus agrariis. *Id.* 1. *Att.* 1. 2. viæ Flaminiæ. *Sall. Jug.* 74. negotiorum fidus. *Id. ibid.* 118. curatorem reipubl. appellat Sullam in Africa bellum gerentem. Adde *eumd. ibid.* 71. *Id.* apud *Scholiast.* ad *Juvenal.* 8. 105. Curator oræ maritimæ. *Varro* 3. *R. R.* 5. 5. Curator aviarii. *Id. ibid.* 9. 7. gallinarius. *Colum.* 9. *R. R.* 9. 1. apum. *Id.* 9. *ibid.* 14. 3. Maxime custodiendum est curatori, qui apes nutrit, uti etc. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 11. 2. *Plin.* 10. *Ep.* 28. operum. *Id.* 5. *ibid.* 15. viarum. *Frontin. Aquæd.* 100. *ex antiquo S. C.* Curatores aquarum. *Gell.* 2. 10. Q. Catulus curator restituendi Capitolii. Adde *Sueton. Tit.* 8. et *Galb.* 2. *Lamprid. Alex. Sev.* 33. et *Ammian.* 14. 7. 17. Curator urbis. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 5. 5. et. 3. *ibid.* 9. 7. *Paul. Diac.* p. 48. 19. docet curatores illos dici, qui rei frumentariæ, agrisve dividundis præpositi sunt. *Inscript.* apud *Gruter.* 250. et 251. Curatores regionum Urbis. — *Curatores alvei et riparum Tiberis* instituti fuerunt ab Augusto, ut affirmat *Sueton. in ejus Vita* 37.; antea vero ea cura fuit censorum, aut consulum, aut flaminis Dialis, aut ipsius Augusti, ut probat *Marin. Iscriz. Alb.* p. 21. et *Frat. Arv.* p. 802.: de eorum numero minime constat, modo enim duo, modo quinque nominantur in antiquis monumentis. — *Curator Kalendarii. V.* CALENDARIUM. — *Curatores reipublicæ, municipii*, vel *coloniæ* vocati sunt, qui ab Trajano Aug. primum (quod patet ex *Inscript.* apud *Gruter.* 392. 7., quamvis aliter putet *Barpt. Borghesi Iscriz. di Burbulejo* p. 35.) municipiis et coloniis dati sunt, ut earumdem bona administrarent. Hoc idem deprehenditur ex *Tab. hospit.* apud *Gazzera, Decreto di patronato* p. 82. n. 10.; et curatorum munera cognoscimus ex *Cassiod.* 7. *Variar.* 12. Ceterum de his diligentissime egit *Barpt. Jos. Stoffella* in *Illustraz. della Lapida di C. Valerio Mariano, del Tartarotti* p. 74. 102. quem videsis. *Capitolin. M. Aurel.* 11. Curatores multis civitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates, e senatu dedit. ¶ 2. Speciatim in Jure *curator* est, qui datur puberi, qui sub alterius potestate non est, usque ad vigesimum quintum annum, ut ejus bona curet; item furioso, fatuo, insano, prodigo, debili; item ventri: et differt a tutore, qui datur impuberi, ut eum tueatur: qua de re subtilius fusiusque JCti, præsertim totis libris *Dig.* 26. *et* 27. et *l.* 42. *tit.* 8. etc. *V.* et *Respons. Papian. tit.* 30. ab *Amadut.* edit. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 102. Nec medici credis, nec curatoris egere A prætore dati. *h. e.* nec credis te esse insanum. Adde *Senec.* 1. *Controv.* 2. et *Quintil.* 7. 4. 11.

CŪRĀTŌRĬA, æ. *V.* CURATORIUS in fin.

CŪRĀTŌRĬCĬUS, a, um, adject. ad curatorem pertinens. ¶ 1. Generatim. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11. 1. 29. Ut vicenis solidis, qui in præteritum pro equis curatoriciis petebantur, duo solidi detrahantur. *et tit.* 17. *qui est* De equorum collatione, *l.* 2. Equorum, qui curatoricio nomine flagitantur, in pretio maturetur exactio. *Curatoricii equi* sunt, quibus utebantur curatores, et curagendarii, vel palatini, qui ad agendas curas reipublicæ in provincia mittebantur. V. *Gothofred.* ¶ 2. Speciatim est qui curatoris munere antea functus est, ut quæstoricius, quinquennalicius, qui quæsturam, vel quinquennalitatem gessit. *Inscript.* apud *Ægid. Gelenium de magnit. Coloniæ Agrippinæ* p. 165., quæ est apud *Orell.* 1105. MASCLINIO MATERNO DECCA (*h. e.* decurioni coloniæ Agrippinæ) AEDILICIO DVMVIRALI CVRATORICIO SACERDOTALI.

CŪRĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad curatorem pertinens. *Inscript.* apud *Orell.* 4968. PRINCEPS II. LEG. XIIII. GEM. AN. LXIIII. STIP. XLVI. MILIT. XVI. CVRATORIA VETERAN. IIII. EVOCATIVA III. *h. e.* stipendia curatoria veteranorum. *Cajus* 4. *Instit.* 82. Curatorium nomen. — Hinc

Curatoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, subaudi *administratio*, est munus et officium curatoris. Affertur *Modestin. Dig.* 27. 1. 1. *et* 2., qui tamen ibi Græce scripsit. Adde *Inscript.* apud *Reines. cl.* 1. n. 204. L. CENSORINVS CVRATOR. FVNCTVS. ubi *Reines.* putat legendum *curatoria functus.*

CŪRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ curat. *Modestin. Dig.* 26. 5. 21. Magistratus curatrices minoribus mulieres non creabunt. At hic quoque locus est ab interprete aliquo. *V.* vocem præced. — *Non.* p. 150. 29. *Merc. curatrix* dici posse putat, nullius tamen Latini scriptoris auctoritatem adducit. — *Lindemann.* ad *Priscian. op. min.* p. 325. putat pro *curatrix* legendum *rastrix.*

CŪRĀTŪRA, æ, f. 1. curatio, cura diligens. *Ter. Eun.* 2. 3. 24. Si qua est habitior paullo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum. Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas. Ubi *Donatus, cura*, inquit, mentis est, *curatio* medicinæ, *curatura* diligentiæ. Sed hoc discrimen ne verum quidem est, nedum perpetuum.

CŪRĀTUS, a, um. *V.* CURO.

CŪRĀTUS, us, m. 4. curatura. *Lucilius* usurpat in sexto casu singulari, apud *Non.* p. 274. 11. *Merc.* Et circum volitant ficedulæ, turdi, curatu coci. *Al. aliter leg.*

CŪRAX, ācis, adject. curam adhibens, diligens. *Cajus Dig.* 21. 1. 18. Si venditor servum constantem, aut laboriosum, aut curacem, aut vigilacem esse affirmaverit; et is ex adverso levis, protervus, desidiosus, somniculosus, piger, tardus sit. *Al. leg.* curracem.

CURBĀTUS pro *curvatus* legitur in *Inscript.* quæ pertinet ad an. a Chr. n. 565., apud *Gruter.* 161. 2. QVAM BENE CVRBATI DIRECTA EST SEMITA FONTIS. *V.* initium litteræ *B.*

CURCUBA, æ, f. 1. *Isid.* 19. *Orig.* 4. Spiræ, funes quibus in tempestatibus utuntur, quas nautici suo more curcubas vocant.

CURCŪLĬO, ōnis, m. 3. Dicitur etiam *gurgulio* ob litterarum similitudinem, ut apud *Pallad.* 1. *R. R.* 19. 2. Amurca gurgulionibus et ceteris noxiis animalibus inimica est. — Ceterum curculio est vermiculus frumenta in horreis corrodens. *Virg.* 1. *G.* 185. populatque ingentem farris acervum Curculio, atque inopi metuens formica senectæ. Ubi *Servius*: Varro ait, hoc nomen per antistœchon dictum, quasi *gurgulio*, quoniam pæne nihil est, nisi guttur (*V.* GURGULIO). *Varro.* 1. *R. R.* 63. 1. Tuendi causa promendum id frumentum, quod curculiones exesse incipiunt. *Alii leg.* gurguliones. Adde *Caton. R. R.* 92.; *Plaut. Trin.* 4. 4. 9. ed. *Lind.*; et *Colum.* 1. *R. R.* 6. 15. — Est *Curculio* etiam nomen Plautinæ fabulæ a nomine parasiti, qui præcipuas in ea partes agit. Convenienter autem ita vocatur, quia parasiti gutturi unice et cibo serviunt.

CURCŬLIUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* curculio, parvus curculio. *Plaut. Rud.* 5. 2. 38. Curculiunculos minutos fabulare. *h. e.* res nullius usus narras.

CURCŪMA *et* curcūmia, æ, f. 1. capistrum, frenum. *Hesych.* Ἐν κημῷ, ἐν κουρκούμῃ. Affertur ex *Veget.* 3. *Veterin.* 33. 2. *Schneid.* et ex *Imp. Leone Cod.* 11. 11. 1. Utrobique varia est cum lectio, tum interpretatio, sed et allata lectio et interpretatio est retinenda. V. *Ducang. Gloss. Græc.* et *Latin.* in V. Κούρκουμος et Curcuma; et cf. *Schneid.* in *Indice Script. R. R.*

CŪRĬA, æ, f. 1. De etymo *V.* paullo infra sub I.

I.) Proprie *curia* est pars minor populi Romani. Nam Romulus populum universum in tres tribus, deinde singulas tribus in decem curias, tertio singulas curias in decem decurias distribuit, ut *Dionys. Halic. l.* 2. c. 62. docet. Dicta est a *cura*, quod Romulus voluit populum secum reipublicæ curam habere, eumque in curias distributum deliberare et judicare et suffragia ferre. Curiæ itaque triginta fuere. Appellatæ sunt, ut *Liv.* 1. 13. et *Paul Diac.* p. 49. 1. *Müll.* tradiderunt, a nominibus mulierum Sabinarum, quæ raptæ fuerant; ut *Varro* apud *Dionys. l.* 2. c. 83. et *Plutarch.* in *Romulo*, et alii, partim a ducibus, partim ab antiquis oppidis eorum, qui primi Romam migravere. Ex his septem tantum nomina remansere, Forensis, Rapta, Faucia vel Saucia, Tatiensis, Tifata, Veliensis, Velita. Ceterum hac significatione curia occurrit apud *Plaut Aulul.* 1. 2. 29.; *Flor.* 1. 6. 3.; *Dig.* 1. 2. 2. et *Aurel. Vict. vir. illustr.* 2. 12.

II.) Improprie duo præcipue significat, scilicet

A) ¶ 1. Curia — *a*) Romæ dicta est sedes ac templum publici consilii, quod eo quisque senator suam curam de republica conferret, ut ait *Varro* apud *Non.* p. 57. 1. *Merc. Id.* 5. *L. L.* 32. *Müll.* Curiæ duorum generum: nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres; et ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, quod primus ædificavit Hostilius rex.

Ante hanc Rostra etc. *Id.* 6. *ibid.* 6. *Müll.* Curia, ubi senatus rempublicam curat. *Cic. Mil.* 33. 89. Curia templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portus omnium gentium, sedes ab universo populo Romano concessa uni ordini. Adde *eumd. Flacc.* 24. 57., 4. *Cat.* 1. 2., 2. *de republ.* 17. et 5. *Fin.* 1. 2.; *Liv.* 1. 30.; *Quintil.* 11. 1. 47.; *Ovid.* 15. *Met.* 802.; *Vellej.* 2. 12. 6.; *Flor.* 4. 2. 95.; *Sueton. Ner.* 15., *Domit.* 1., *Cæs.* 20., et *Aug.* 54. et 55.; *Plin.* 1. *Ep.* 8; et *Gell.* 9. 26. et 14. 7. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 55. Curia pauperibus clausa est, dat census honores. *h. e.* senatorius gradus. — *b*) Extra Romam quoque curia dicitur, ubi senatus cogitur. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Inclusum in curia senatum Salamine obsederat. *Id.* 4. *Verr.* 21. 50. In curia Syracusis. Adde *Liv.* 24. 24. et *Ovid.* 13. *Met.* 197. *Juvenal.* 9. 101. Ergo occulta teges, ut curia Martis Atheais. *h. e.* Areopagus. ¶ 2. Hinc et pro ipso senatu ponitur. *Horat.* 2. *Od.* 1. 13. Insigne mœstis præsidium reis Et consulenti, Pollio, curiæ. Adde *Liv.* 2. 23. *Sueton. Cæs.* 76. Recipere aliquem in curiam. *Id. ibid.* 22. Non temperavit, quin frequenti curia jactaret. *h. e.* frequenti senatu. *Id. Aug.* 38. Interesse curiæ. *h. e.* venire in senatum. *Seneca* 5. *Benef.* 15. *sub fin.* Exercitum victorem reducentibus curia extra muros præberetur. *h. e.* senatus daretur. ¶ 3. Hinc etiam dies *curiæ* apud *Cic.* 1. *Orat.* 7. 27. est dies transactus in rebus severis tractandis, ut fit in curia. ¶ 4. *Curia mulierum* Lanuvii memoratur in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 659. *n.* 497., quæ est apud *Orell.* 3740.; est autem eadem, quæ οἶκος γυναικῶν, quod legitur in *Inscript.* Tetiæ Castæ ed. *Minervini p.* 42. *not.* 7. V. *Bullettin. dell'Instit. di iscriz. a.* 1848. *p.* 159.

B) Curia sumitur et pro æde sacra. Nam Romulus singulis curiis sua sacra partitus est, assignatis diis quos colerent, locis ubi colerent, sumptibus unde colerent. Dicta est a *curia*, quæ partem populi significat, vel quia in ea res sacræ curabantur. Hinc *Curia Calabra*: V. CALABRA. *Varro* 5. *L. L.* 32. *Müll.* Illa etiam curia dicitur, ubi cura sacrorum publica. — Novæ curiæ proxime compitum Fabricium ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ut in iis sacra curarent: quæ sacra cum ex veteribus in novas evocarentur, aliquot curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Forensis (*al.* Foriensis), Raptæ, Veliensis (*al.* Veliensis), Velitiæ (*al.* Velitiæ) res divinæ in veteribus curiis fiebant. Ita *Festus p.* 174. 6. *Müll.* — Aliæ præterea curiæ Romæ fuerunt, ut curia Saliorum in Palatio, *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. Curia Octavia extra portam Carmentalem, *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (28). Curia Julia, *Sueton. Cal.* 60. et *Gell.* 14. 7. Curia Pompeji vel Pompejana, *Sueton. Cæs.* 80. et 81.; et aliæ, quæ partim sacrorum causa, partim consilii extructæ fuerunt, partim utriusque. — *NB.* Etiam cœnaculum aliquando significat. *Varro* 2. *R. R.* 9. 7. Cibatus canis propior hominis, quam ovis: pascitur enim e curia et ossibus, non herbis aut frondibus. *Al. rectius leg.* e culina.

CŪRIĀLES mensæ, in quibus immolabatur Junoni, quæ *Curis* appellata est, *Paul. Diac.* p. 64. 11. *Müll.* Etiam *Dionys. Halic. l.* 2. *c.* 85. tradit, T. Tatium in omnibus curiis statuisse mensas Junoni Quiritiæ, in quibus scilicet et sacrificia, et convivia agitarentur.

CŪRIĀLIS, e, adject. ad curiam pertinens. ¶ 1. Proprie ac stricto sensu curialis dicitur, qui est ejusdem curiæ, δημότης. *h. e.* popularis, qui est ex eodem δήμῳ; nam Λαχία fuit δῆμος *populus*, vel pagus tribus Æneidis. *V. Potter. Arch. Gr. l.* 9. *p.* 51. *Cic.* 2. *Off.* 18. *extr.* Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. Adde *Plaut. Aulul.* 2. 2. 2. et *Cf. Paul. Diac. p.* 49. 13. *Müll.* Hinc *Curiales dii* sunt iidem ac θεοὶ φρήτριοι: V. *Bullett. dell'Instit. archeol. a.* 1844. *p.* 13. et *Annal. dell'Instit. archeol. a* 1840. *p.* 266. — *Curialis vernula*, *h. e.* servulus aliquis curiæ, legitur in quibusdam editis libris apud *Ter. Phorm.* 5. 6. 10.; sed plerique critici ex optimis MSS. ea verba rejiciunt. ¶ 2. Latiori sensu *Curiales Flamines*, curiarum sacerdotes. *Paul. Diac. p.* 64. 1. *Müll.* Videntur autem intelligendi sacerdotes minores, qui sub curionibus ministrarent. In *Inscript.* apud *Gruter.* 1102. 2. *Curialis* absolute ponitur vel pro flamine curiali, vel pro decurione. ¶ 3. Item Honorio imperante atque adeo Constantino M. (*V.* DECURIO, onis) *curiales* vocabantur decuriones in coloniis et municipiis. *Imp. Honor. Cod.* 8. 51. 20. Curiales quoque proximarum civitatum placuit admoneri, ut etc. Etiam sub Theodorico Gothorum rege ex *Cassiod.* 5. *Variar.* 2. et 4. *Id. Cassiod.* 9. *ibid.* 2. Curiales, quibus a provida sollicitudine nomen est, gravissime dicuntur infestatione quassari. — Aliquando *curiales* dici cœpti ministri principum in aula, quæ ideo *curia* vocari potest, quia apud eos res publicæ curabantur. Hoc sensu usurpasse *Ammian.* 21. 12. 20., 22. 9. 12. et 27. 7. 7., et *Symmach.* 9. *Ep.* 10. et 10. *ibid.* 41. (*al.* 48.) jam ostendit *Borrich.* in *Voss.*

CŪRIĀLĬTAS, ātis, f. 3. curialium munus. *Novell. Valentin. tit.* 2. Qui curialitatis oneribus obnoxii sunt.

CŪRIĀTIM, adverb. per singulas curias. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Majo*) 17. Tullus Hostilius populum consuluit curiatim. *Gell.* 15. 27. Comitia curiata per lictorem curiatim calabantur. Alii rectius leg. *per lictorem curiatum*. At *Ferdin. Steinac-Herns* in sua edit. Lips. Ciceronis a. 1823. p. 161. non temere sollicitandum monet *Gellii* loc. cit.

CŪRIĀTIUS, a, um. *V.* voc. seq. sub init.

CŪRIĀTUS, a, um, adject. In veter. *Inscriptt.* scribitur etiam *Curiatius*, cujus exempla *V.* in fin. hujus vocis. — Curiatus est ad curiam pertinens. *Curiata comitia* erant, in quibus populus per curias convocatus (is ex patriciis tantummodo, qui Romæ degebat: nam curiæ omnes Romæ fuerunt) suffragium ferebat. *Paul. Diac.* p. 49. 15. *Müll.*; *Cic.* 2. *leg. Agr.* 11.; et *Gell.* 15. 27., ubi hæc refert verba ex *lib.* 1. *Lælii Felicis*. Cum ex generibus hominum suffragium feratur, curiata comitia esse; cum ex censu et ætate, centuriata; cum ex regionibus et locis, tributa. — *Curiatus lictor* est, qui curiata comitia convocat. *Lælius Felix* apud *Gell. loc. cit.* ex *Labeone*, et *Inscript.* apud *Gruter.* 33. 4. et 630. 9. — Curiata comitia primo, sub regibus, convocabantur ad omnia fere, quæ ad reipubl. gubernationem pertinebant, præcipue vero legibus perferendis, quæ idcirco *leges curiatæ* dictæ sunt: ex quibus conflatum est *jus civile Papirianum*, quia Sex. Papirius eas in unum composuit. Institutis autem comitiis centuriatis, ad hæc majora quæque paullatim transferri cœpta: accedentibus vero etiam comitiis tributis, tanto minus curiata frequentari cœperunt. Exactis regibus, omnes curiatæ leges lege tribunicia exoleverunt. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *sub init.* — Sequentibus temporibus, comitiis curiatis transigebantur ea, quæ rem militarem continebant, sicut centuriatis consules ac tribuni militares creabantur, ut est apud *Liv.* 5. 52. *extr.* — Deinde curiatorum comitiorum habendorum duæ præcipue causæ fuisse videntur, legi ferendæ de imperio militari magistratuum, et sacerdotibus creandis. Nam magistratus, postquam creati fuerunt, rem militarem nullo modo attingere poterant, nisi lege curiata permissum esset; qua quidem lege dabatur iis jus habendi exercitus, belli gerendi, stipendii solvendi militibus, et viatici sumendi. *Liv. loc. cit.* et *Cic.* 2. *leg. Agr.* 12. 30. — Aliquando tamen illud usurpatum fuit, ut non omnes quidem curiæ, sed earum lictores singuli convocarentur, quoties opus esset, quippiam curiatis comitiis perferri: nempe sola sacrorum causa, et quarumdam rerum levioris momenti, ut adoptionum, arrogationum, testamentorum confirmandorum, etc., quibus de causis comitia hæc haberi consuevere. Eorum habendorum jus fuit penes patricios magistratus, et penes pontifices, si sacrorum aut adoptionum causa haberentur: locus autem fere comitium in foro. Verum de his fusius curatiusque qui hæc ex professo integris voluminibus conscripsere; *Gruch.* præcipue *de Comit. R. l.* 3. *c.* 2. etc. *V.* etiam *Cic.* 2. *leg. Agr. c.* 10. Ad hujusmodi autem lictores pertinere putamus *Inscript.* apud *Donat.* 310. 9. ex *Passioneo*, qui lapidem vidit, *cl.* 4. *n.* 17. T. FLAVIVS AVG. L. EPICLETVS AB EPISTVLIS, A COPIIS MILITARIBVS, LICTOR CVRIATIVS HIC SITVS EST. *Alia* apud *Amadut.* in *Monum. Matthæj. T.* 3. *p.* III. *n.* 3. T. MANIO T. F. PALAT. CLEMENTIANO SCRIB. AEDIL. CVRVL. LICTORI CVRIATIO FILIO PIENTISSIMO. Porro hanc scribendi rationem confirmat *Inscript.* apud *Gruter.* 356. 5. et *Murat.* 1101. 4. L. ANTONIO EPITYNCHANO LICTORI DECVRIAE CVRIATIAE QVAE SACRIS PVBLICIS APPARET etc.

CŪRĬO, ōnis, m. 3. duo diversa significat, prout est *A*) a curia, vel *B*) a cura.

A) *Curio a curia est* ¶ 1. Sacerdos curiæ, idest qui pro curia sacra faciebat. Triginta Romæ curiones fuere, quemadmodum curiæ triginta erant: quamquam alii sexaginta fuisse putant, binos in singulis curiis. Qui his omnibus præerat, *curio maximus* dicebatur. *Liv.* 27. 8.; *Varro* 5. *L. L.* 15. 25. *Müll.* et 6. *ibid.* 6. 63. Sic *Paul. Diac.* p. 126. 17. *Müll.* Maximus curio, cujus auctoritate curiæ, omnesque curiones reguntur. *Inscript.* apud *Gruter.* 305. 4. EX QVATVOR DECVRIIS CVRIO MINOR. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores curio quoque præco dictus est. *Trebell. Gallien.* 12. Ille per curionem dici jussit. *Martial. in epist. præfixa lib.* 2. Epigrammata curione non egent, et contenta sunt sua, idest mala lingua. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

B) *Curio a cura est* gracilis, macilentus. Hinc *Plaut. Aulul.* 3. 6. 27. Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio. EV. Qui ossa atque pellis totus est. Eadem habet et *Paul. Diac.* p. 60. 3., et *Non.* p. 86. 2. *Merc. V.* CURIOSUS.

CŪRIŌNĀLIS, e, adject. ad curionem sacrorum ministrum pertinens. CVRIONALIS PVBLICVS in *Inscript.* apud *Gruter.* 305. 5. et 6. est servus, seu minister publicus curionis.

CŪRIŌNĀTUS, us, m. 4. dignitas curionis. *Paul. Diac.* p. 49. 9. *Müll.* V. voc. seq.

CŪRIŌNIUS, a, um, adject. ad curionatu pertinens. *Paul. Diac.* p. 62. 11. *Müll.* *Curionia sacra*, quæ a curionibus in curiis fiebant. *Id.* p. 49. 19. *Curionium æs*, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus.

CŪRIŌNUS. *V.* CENTURIONUS.

CŪRIŌSE, adverb. Comp. *Curiosius* 1. et 3.; Sup. *Curiosissime* 1. — Curiose est multa cum cura, accurate, diligenter (It. *accuratamente*, *diligentemente*; Fr. *soigneusement*, *avec soin*; Hisp. *cuidadosamente*; Germ. *eifrig*, *sorgfältig*; Angl. *curiously*, *strictly*, *affectedly*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 5. *Fin.* 15. 42. Animadvertunt ea, quæ domi fiunt, curiosius. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 5. 10. *Vitruv.* 7. 4. *Schneid.* Tegulæ curiosius picentur, ut abs se respuant liquorem. *Cels.* 2. 7. *a med.* Curiose vestimentis involvendus est, ne ad eum frigus aspiret. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 18. Vitiaria malleolis curiosissime pangenda. *Id.* 12. *ibid.* 55. *extr.* Jus est candoris eximii, si sit curiose factum. *Id.* 5. *ibid.* 6. 7. Leviter et curiose facere aliquid. Adde *Petron. Satyr.* 63. *Plin.* 9. *Ep.* 28. Curiosius scriptas litteras. *Sueton. Aug.* 40. Cavere curiose. ¶ 2. Latiori sensu est nimia cum cura, nimio cum studio. *Quintil.* 8. 1. 2. Multos, quibus loquendi ratio non desit, invenias: quos curiose potius loqui dixeris, quam Latine. ¶ 3. Item latiori sensu est nimia sciendi cupiditate. *Cic. Brut.* 35. 133. Conquiram ista posthac curiosius. Sic *Sueton. Vesp.* 1. Curiose inquirere.

CŪRIŌSĬTAS, ātis, f. 3. cura et diligentia, quæ adhibetur in re quapiam investiganda, cupiditas sciendi. *Cic.* 2. *Att.* 12. Sum in curiositate ὀξύπεινος: sed tamen facile patior, te id ad me συμπόσιον non scribere. *Gell.* 2. 19. *extr.* Esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas. Adde *Tertull. advers. Hæret.* 17.

CŪRIŌSŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a curiosus. Occurrit translate tantum apud *Apul.* 10. *Met.* Curiosulus ventus laciniam pallii bombycini reflabat.

CŪRIŌSUS, a, um, adject. Comp. *Curiosior* et Sup. *Curiosissimus* sub *A.* et *B.* 1. — Curiosus est qui multam adhibet curam, diligens, accuratus in quærendo (It. *diligente*, *accurato*; Fr. *soigneux*, *exact*, *appliqué*, *zélé*; Hisp. *cuidadoso*, *diligente*, *exacto*; Germ. *sorgfältig*, *eifrig*; Angl. *curious*, *inquisitive*, *particular*). Occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim ¶ 1. Curiosus est qui multam adhibet curam; et usurpatur — *a*) Cum præpos. *in* et Ablat. *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 108. Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus. — *b*) Cum præpos. *ad*. *Cic.* 4. *Fam.* 13. *a med.* Quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. — *c*) Cum Genitivo apud sequioris ævi scriptores. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (7). Medicinæ peculiariter curiosus. *Aurel. Vict. Cæsar.* 20. *ad fin.* Ut putant memoriæ curiosi. *h. e.* qui historia delectantur. *Capitolin. Antonin. Philos.* 20. Curiosissimus famæ suæ. Cf. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 44. Virgilius totius Italiæ curiosissimus. — *d*) Absolute. *Quintil.* 7. 5. 2. Curiosa consilia. *h. e.* consulta-

tiones accuratæ, exactæ et curarum plenæ. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (99). Curiosa Apionis interpretatio. *h. e.* subtilis et exquisita. *Petron. Satyr.* 118. Curandum ne sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ, sed intexto vestibus colore niteant. Homerus testis, Romanusque Virgilius et Horatii curiosa felicitas. *Id. ibid.* 29. Curiosus pictor. *Id. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* Non quidem doctus, sed curiosus, qui plus docet, quam scit. *Id. Satyr.* 135. Curiosa manu segregare grana. Sic *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (75). Charta tenuata curiosa interpolatione. *h. e.* diligenti artificio. ¶ 2. Curiosus dicitur etiam qui nimio zelo corripitur. *Quintil.* 8. 3. 55. Ut a diligenti curiosus distat. *V.* Integrum locum.

B) Speciatim curiosus dicitur, qui nimia cura utitur in rebus, præcipue alienis, exquirendis: et occurrit ¶ 1. In bonam partem. *Varro* 2. *R. R.* 3. 5. Capras auribus spiritum ducere solere, pastores curiosiores aliquot dicunt. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 97. Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quæ terræ, mari existunt. *Id.* 3. *Fam.* 1. Ita est homo non modo prudens, verum etiam, quod vidi, æque curiosus. *Id. Sext.* 9. 22. Sed hæc obstructio non ita obducta est, ut curiosis oculis perspici non possit. Adde *Horat. Epod.* 17. 77.; *Quintil.* 1. 8. 21. et 11. 2. 143.; *Senec.* 4. *Benef.* 17.; *Plin.* 5. *Ep.* 8.; *Vopisc. Prob.* 2.; et *Spartian. Hadrian.* 11. ¶ 2. In malam partem. *Cic. Dom.* 33. 90. Quid est tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus majores nostri vos solos scire voluerunt? *Id.* 15. *Att.* 26. *extr.* M. Ennius quid egerit de testamento (curiosus enim) facias me velim certiorem. *Id. Flacc.* 29. 70. Negotiaris in libera civitate. Primum patere, me esse curiosum. Quousque negotiabere? præsertim quum sis isto loco natus. Adde *eumd.* 1. *Fin.* 1. 3. et 2. *ibid.* 9. 28. *Catull.* 7. 11. Quæ (*basia*) nec pernumerare curiosi possint. — Apud sequioris ævi scriptores curiosus est malus homo explorator et delator. *Sueton. Aug.* 27. Curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit. — Fuit autem collegium, sive magistratus quidam eorum, qui (sublata republica) e schola seu corpore agentium in rebus mittebantur ab imperatoribus per provincias explorandi causa, ac perscrutandi, si quid adversus leges, vel principem committeretur (*V. Agens*). De his in *Cod.* 12. *tit.* 23., qui est *De Curiosis et Stationar.* 1. et 2., et *tit.* 51. *l.* 13.; et *Tertull. Fuga in persecut.* 13.

CŪRĬŌSUS, a, um, adject. a cura pro macro, exili usurpatur. *Nonius* enim p. 86. 1. *Merc.* curionem agnum exponit *curiosum* ex *Plaut.*, qui localiter hæc habet, *Aulul.* 3. 6. 25. Quo quidem agno sat scio, magis curiosam nusquam esse ullam belluam. *Al. leg.* curionem. *V.* CURIOSUS, et quæ huc pertinentia dicta sunt in CURIO sub *B.* et CURATURA.

CŪRIS, Sabinorum lingua hastam significat, ut docent *Paul. Diac.* p. 49. 10. *Müll.* et *Ovid.* 2. *Fast.* 477. Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 9. et alii. Hinc originem duxere *Cures*, oppidum Sabinorum, *Quirinus*, *Quirites*: quas voces *V.* in ONOM.

CŪRĬTO, as, are, a. 1. *frequentat.* a curo. *Apul.* 7. *Met.* Exin me matrona prolixe curitabat. *Quidam male leg.* curabat.

CŪRĬUS, a, um, adject. *Curium infortunium*, *h. e.* malum, dirum, a *cura*, quidam legunt apud *Plaut. Pseud.* 4. 7. 44.; sed ea lectio valde incerta est, et a criticis mire vexata.

CŪRĬUS, ii, *m.* 2. Rom. civis, summæ frugalitatis et fortitudinis. Hic cum rapas in foco torreret, et Samnitum legati magnum auri pondus publice missum attulissent, invitarentque, ut eo uti vellet, respondit, *Curium malle imperare locupletibus, quam locupletem fieri: et qui acie vinci non potuit, eum pecunia corrumpi non posse.* Omnium primus de Sabinis triumphavit. Idem Pyrrhum Epirotarum regem acie victum Italia expulit, populoque viritim quattuordecim agri jugera divisit. Per antonomasiam dicitur de homine antiquæ severæque disciplinæ. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 64. Et maribus Curiis et decantata (*nænia*) Camillis. *Juvenal.* 2. 3. Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.

CURMI, n. species cerevisiæ, seu potionis ex maceratis et coctis frugibus. *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. Et acetum, quod vini numero paterfamilias habuit, et zythum, et curmi. Quidam leg. camum, i, n. eodem significatione, atque ita edidit *Torrentin.* et *Jul. Afric.* in *Cestib. c.* 25. Παίονες· κάρμον πίνουσι. — In *Gloss. Philox.* legitur *Curmen*, ζῦθος ἀπὸ σίτου.

CŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. In antiquis monumentis sæpissime legere est *cœrare* pro *curare*, ut apud *Cic.* 3. *Legg.* 4. 10. *cœrari* pro *curari*, et apud *eumd. ibid.* 3. 7. *cœrator* pro *curator*. V. quæ paullo infra de vocis etymo dicentur. — *Curassis* pro *curaveris* est *Plauti Most.* 2. 2. 93., *Pœn.* 3. 1. 50. et *Pseud.* 1. 3. 3. — Supinum *curatum* apud *Auct. Priap.* 37. Diis me legitimis nimisque magnis Curatum dare mentulam verebar. — Part. *Curans* sub *B.* I. 2.; *Curatus* sub *A.* 1. *a.* et in fin.; *Curaturus* et *Curandus* sub *A.* 1. *a.* — Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur esse derivanda vox a κέκουρα præter. med. verbi κείρω *tondeo*, unde est et κουρά *tonsura*: nam sæpe Latini Græcorum diphthongum ου non modo per *oe*, sed etiam per *u* efferre solent; hinc a ποινὴ est *pœna* et *punio*. Hac etiam de causa in antiquis monumentis sæpissime legere est *cœrare* pro *curare*, ut paullo superius dictum est. Adde, voces *cura*, *curatio*, *curatus*, *Curetes*, *incuria* quandoque ad comæ cultum pertinere. Recentiores vero philologi et *cura* et *curare* rectius deducunt a *quæro*, *is*. Itaque curo est in aliqua re elaboro, curam, studium, diligentiam adhibeo, studeo, operam do, laboro (It. *procurare*; *por cura*, *fare con diligenza*; Fr. *avoir soin de*, *soigner*, *s'intéresser à*; Hisp. *cuidar*, *haber cuidado*, *interesarse*; Germ. *sorgen*, *besorgen*; Angl. *to take care of*, *see to*, *look to*, *order*, *treat*, *provide*, *care*, *regard*, *attend to*). Occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim. ¶ 1. Curare stricto sensu dicuntur personæ; et usurpatur — *a*) Cum Accusativo. — Generatim significat curam habere alicujus rei, parare, purgare, colere, administrare, conficere. *Ter. Andr.* 1. 1. 2. Paucis te volo. so. Datum puta: nempe ut curentur recte hæc. Ubi *Donatus*: diligenter coquantur: verum τὸ *curentur* plura significat, coquantur, parentur, administrentur. *Plaut. Rud.* 4. 6. 11. Curare cœnam. *Id. Merc.* 3. 3. 22. obsonium. *Varro* 7. *L. L.* 3. *Müll.* Apte curare cibum. *Cato* apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (195). Curare vineam. *h. e.* putare, ablaqueare, circumfodere, uno verbo omnia facere, quæ ad vitis culturam pertinent. *Plin. ibid.* Curare vitem falce. *h. e.* putare. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 6. dolia. *h. e.* purgare, radere, abstergere, lavare. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. Si victori locaveris lacum vino plenum curandum, et ille eum pertuderit. *Colum.* 12. *R. R.* 30. 1. Curare vinum. *h. e.* ex aliis in alia vasa purgandi causa transfundere. *V.* locum. *Id.* 9. *ibid.* 14. 1. Curare apes. *h. e.* earum alveos purgare. Itali quoque hoc sensu *curare* dicunt. *V. Curatus* in fine hujus vocis. *Ulp. Dig.* 47. 2. 12. Fullo, qui curanda poliendaque vestimenta accepit. *Sueton. Ner.* 49. Aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaveri. Eodem sensu *Curt.* dixit 10. 10. Curare corpus. — Sæpe refertur ad cultum et refectionem corporis; et dicitur tum de militibus, qui fessas corporis vires reficiunt; tum de aliis qui cultum corpori, etiam nimium adhibent. *Liv.* 3. 60. Quum per totum diem stetissent intenti ad certamen, nocti cessere: et Romani quidem pleni spei corpora curabant. Adde *eumd.* 25. 23. *extr.* et 31. 39.; et *Curt.* 6. 26. 23. Et in plur. num. *Liv.* 38. 16. Priusquam corpora curarent, arma telaque parant. Adde *eumd.* 3. 33. et 21. 54. Et cum additis *Id.* 3. 2. *ad fin.* Curare corpora cibo somnoque. Adde *eumd.* 9. 37. *a med.* et 34. 16. *a med.* *Cic.* 3. *Orat.* 61. 230. Sed jam surgamus nosque curemus. *h. e.* cibo nos reficiemus. *Plaut. Cist.* 1. 1. 113. Cura te, amabo: siccine immunda, obsecro, ibis? *Id. Pseud.* 4. 7. 34. Se suamque ætatem bene curare, edere, bibere, etc. Adde *eumd. Bacch.* 4. 3. 114. et *Curc.* 4. 2. 46. *Ter. Adelph.* 5. 1. 1. Curare se molliter. Sic *Apul.* 5. *Met.* Nec corporis curatæ tibi regales epulæ morabuntur. *h. e.* quum somno et lavatione corpus curaveris, præsto tibi erunt regales epulæ. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 29. et *Juvenal.* 2. 105. Curare cutem. *Id. ibid.* 4. 15. Me pinguem et nitidum bene curata vises. *Id.* 2. *Sat.* 5. 38. Curare pelliculam. *Id. ibid.* 2. 80. ubi dicto citius curata sopori Membra dedit. *h. e.* cibo potuque, balneo aliisque fomentis refecta. *Id.* 3. *Od.* 17. 14. Curare genium mero et porco bimestri. Quod ait *Spartian. Hadrian.* 4. curasse delicatos, *Salmas.* intelligit, iis inservisse in capillis comendis. Sane *cura*, *curatio*, *curatus*, *Curetes*, *incuria* ad comæ cultum pertinent, ut dictum est sub init. et suis locis videre est. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 1. 94. curatus tonsore capillos. *h. e.* tonsus, pexus, comptus: alii tamen *curtatus* legunt. *Sabinus Massur.* apud *Gell.* 4. 20. Ego me curo: equum Statius. Similiter de brutis animantibus *Plaut. Most.* 1. 1. 34. Curare boves. *Cato R. R.* 103. Boves uti valeant et curati bene sient. *V.* CURATUS in fine hujus vocis. — Pro *cicurare* poni videtur in illis *Nigidii* verbis apud *Priscian.* 8. p. 793. *Putsch.* Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum, sed tamen ea natura est, ut curari et dominari possit. — Pertinet etiam ad sacra et religionem. *Cic. Balb.* 24. 55. Sacra Cereris per Græcas sacerdotes curata. *Liv.* 1. 20. Quæ prodigia fulminibus aliove quo viso missa susciperentur atque curarentur. *h. e.* expiarentur. — Universim dicitur de pluribus aliis, etiam abstractis. *Ter. Andr.* 1. 1. 81. Curare funus. *Plaut. Men.* 3. 3. 6. Me curaturum dicito, quidquid volet. *Cic.* 4. *Fam.* 13. *extr.* Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia diligentissimeque curabo. *Id. Topic.* 17. 66. Curare negotia alicujus. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 3. 19. Rursus *Cic.* 5. *Att.* 7. Curare mandatum. *h. e.* perficere. *Nepos Eumen.* 9. præceptum diligenter. *Cic.* 1. *Att.* 3. Signa, quæ nobis curasti, ea sunt ad Cajetam exposita. *h. e.* facienda, vel coemenda curasti; in his enim ellipsis inesse videtur: cf. infra sub *B.* 3. *Sall. Jug.* 17. Curare injurias sociorum. *h. e.* curæ habere ulciscendi causa. *Horat. Carm. sæc.* 70. Curare preces alicujus. *Id.* 1. *Ep.* 12. 15. Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures. *Id. ibid.* 1. 11. Quid verum atque decens, curo et rogo et omnis in hoc sum. — *Curare pastorem* apud *Propert.* 4. 2. 39. est agere, pastoris munus gerere. Sunt tamen qui aliter legi volunt. — Speciatim *curare aliquem* interdum est curæ habere, ut apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 121. Quis enim potest, cum existimet a Deo se curari, non et dies et noctes divinum numen horrere? — Sæpius *curare aliquem* est observare, colere, bene tractare. *Plaut. Stich.* 5. 3. 9. Curare amicos advenientes. *Sall. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Cum ad cœnam invitassent (*Metellum*), ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant. Adde *Martial.* 6. 50. et *Ulp. Dig.* 45. 1. 107. *Plin.* 1. *Ep.* 5. *ad fin.* Est enim locuples, factiosus: curatur a multis, timetur a pluribus. — Hinc *nihil curare*, *non curare* et similia significant negligere, non laborare. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 656. Ne cures. *h. e.* *non dartene pensiero*, ut Itali dicunt. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 50. Nos tu ne curassis. et *Id. Most.* 2. 2. 93. Nil me curassis: ego mihi providero. *Cic.* 14. *Att.* 13. *a med.* Quintus de emendo nihil curat hoc tempore. *Id.* 4. *Fin.* 14. 38. Ita præter animum, nihil curant. *Id.* 2. *Divinat.* 50. 104. Epicurus negat aliquidquam Deus nec alieni curare, nec sui. *Liv.* 36. 28. Nec hercle, inquit, magnopere nunc curo, quid Ætoli censeant. *Ovid.* 10. *Met.* 529. de *Venere.* Capta viri forma non jam Cythereia curat Littora, non alto repetit Paphon æquore cinctam. *Id. Heroid.* 18. 150. Publica non curat sidera noster amor. — *Aliud* vel *alia cura*, formula est jubentis quempiam securum esse. *Ter. Phorm.* 2. 1. 5. Atqui reperi jam: aliud cura. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 54. et 59. Alia cura. Simile est illud *ibid.* 52. Quiescas cetera. — *b*) Cum Dativo pro Accus. occurrit apud Auctores, qui ante vel post Augusti ætatem floruerunt. *Accius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Jam jam neque dii regunt, neque profecto deûm summus rex omnibus curat. *Plaut. Trin.* 4. 3. 50. Ego sum insipientior, qui rebus curem publicis, potius quam etc. *Id. Truc.* 1. 2. 35. Curare rebus alienis. *Id. Rud.* 1. 2. *in fin.* Si tu de illarum cœnaturus vesperi es, illis curandum censeo: si apud me esurus es, mihi dari operam volo. Adde *Apul. de Mag.* et *Tertull. Apolog.* 6. — *c*) Cum Infinito, præcipue præcedente part. negativa. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 16. Qui summa voluntate cesserit, neque sane redire curarit. *Id.* 4. *Herenn.* 53. 66. Vos liberi esse non curatis. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 4. Nec docti legere curarent. *Horat. Art. P.* 133. Nec verbum verbo curabis reddere. Adde *eumd.* 2. *Od.* 13. 39., 1. *Ep.* 17. 58. et 2. *Ep.* 2. 182.; et *Ovid.* 11. *Met.* 370. et 14. *ibid.* 668. *Sueton. Domit.* 20. Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparare (*al.* reparari) curavit. *Colum.* 9. *R. R.* 9. 7. Duces seditionum interficere curabis. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 22. 3.; et *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 1., 3. *ibid.* 33. et alibi sæpe. *Justin.* 2. 12. 2. Symbolos proponi curat. *Inscript.* apud *Gruter.* 150.

S. P. SCAPTIVS P. F. GABINAM VIAM ORNARI AC REFICI SVA IMPENSA CVRAVIT. — d) Cum Accus. et Gerund. *Cic.* 8. *Att.* 5. Fasciculum velim cures ad eum perferendum. *Id.* 1. *Divinat.* 24. 48. Ex eo auro buculam curavit faciendam. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Curare obsides inter eos dandos. *Id.* 4. *ibid.* 29. exercitum transportandum. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 1.; *Nepot. Timol.* 1.; et *Plin.* 4. *Ep.* 11. et 22. — e) Raro admodum cum Part. præter. pass. *Ter. Andr.* 4. 2. 1. Jam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo et mecum adductum tuum Pamphilum. — f) Sequente part. *ut*, *ne*, aut Conjunctivo sine ulla part. *Plaut. Amph.* 1. 2. 25. Pater curavit, ut fieret. Adde *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 48.; *Quintil.* 9. 4. 91. et 10. 3. 15.; et *Senec. Ep.* 61. *Cic.* 7. *Fam.* 15., 12. *ibid.* 29., 14. *ibid.* 5. 6. 8. *et* 16., 2. *Att.* 2. et alibi sæpe. Cura, ut valeas. *Id.* 3. *Fam.* 8. *ad fin.* Ut cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat, aut temporis. *Id.* 11. *Att.* 3. *extr.* Omnibus rebus cura et provide, ne quid ei desit. Adde *Sueton. Aug.* 94. et *Quintil.* 2. 5. 24. *Phædr.* 5. 2. Jam curabo sentiat quem attentarit. — g) Absolute. *Plaut. Rud.* 2. 3. 48. Rogas quid faceret? asservaret dies noctesque: in custodia esset semper. Verum ecastor ut multi fecit: ita probe curavit. *Id. Pseud.* 1. 3. 2. Ego pro me et te curabo. *Id. Pers.* 1. 3. 5. Curate istic vos atque properate. *h. e.* cœnam parate. Adde *eumd. Bacch.* 2. 2. 40. et *Cas.* 1. 1. 17. *Ter. Andr.* 1. 1. 142. Tuum officium est, ut observes filium, quid agat. SO. Sat est: curabo. *V.* alia infra sub *B.* 1. *b.* — h) Passive impersonaliter. *Plaut. Capt.* 3. 5. 60. AR. Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio, ne tu istunc hominem perduas. HE. curabitur. Adde *eumd. Cas.* 1. 4. 3., *Epid.* 2. 2. 60., *Men.* 3. 3. 15., *Most.* 2. 1. 54. et *Rud.* 3. 4. 71. *Ter. Andr.* 2. 3. 27. P. Hanc fidem sibi me observavit, qui se sciret non deserturum, ut darem. D. Curabitur. ¶ 2. Latiori sensu de inanimis. *Lucret.* 4. 246. Et, quantum quæque ab nobis res absit, imago Efficit, ut videamus, et internoscere curat. *Id. ibid.* 823. Quod ne miremur, sopor atque oblivia curant. *Horat.* 3. *Od.* 5. 30. Nec vera virtus, quum semel excidit, Curat reponi deterioribus.

B) Speciatim *curare* est, uti ajunt, terminus technicus; et usurpatur ¶ 1. De magistratu, vel publico aliquo munere pro administrare, regere. — a) Cum Accusativo. Ad rem *Ennius* apud *Gell.* 16. 10. muros urbemque forumque Excubiis curant. *h. e.* servant, custodiunt. *Liv.* 7. 26. Curare bellum. *Sall. Jug.* 100. cohortes. *Tac.* 6. *Ann.* 30. Gætulicus ea tempestate superioris Germaniæ legiones curabat. *Id.* 1. *ibid.* 31. Curare exercitum. *Ammian.* 21. 9. rem castrensem. *Nepos Con.* 1. rem. *Liv.* 4. 45. et *Vellej.* 2. 98. 3. res. *Ammian.* 31. 13. palatium. *Tac.* 4. *Ann.* 36. Qui proconsul Asiam curaverat. *Id.* 5. *ibid.* 10. Achajam. — b) Absolute. *Varro* apud *Non.* p. 121. 9. *Merc.* Cum in eo essem occupatus, atque in schola curarem. *Oehler.* rectius leg. curarer: *V.* ejus adnotat. ad h. l. *Sall. Jug.* 50. Ipse cum cohortibus apud primos erat: in postremo Marius legatus cum equitibus curabat. *Id. Cat.* 62. Mallium in dextra, Fæsulanum quemdam in sinistra parte curare jubet. *Tac.* 11. *Ann.* 22. Gliscentibus negotiis, quæstores duo additi, qui Romæ curarent. Adde *eumd. Agric.* 16. *Id.* 3. *Hist.* 15. Exploratores, ut mos est, longius curabant. *h. e.* discurrebant, sui muneris fungendi causa. ¶ 2. Sæpe etiam est medicorum, et significat ægris inservire, morbos sanare. Magno cum cura curare aliquem *Plaut.* hoc sensu dixit *Men.* 5. 4. 7. *et* 9., et ante eum *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. *Plaut. Capt.* 1. 2. 8. Curare ægrotos. *Cic. Senect.* 19. 67. Facilius in morbos incidunt adolescentes, gravius ægrotant, tristius curantur. Adde *eumd.* 4. *Fam.* 5. 5. *Cels.* 7. *præfat.* Medicinæ pars, quæ manu curat. *Id.* 1. *procem.* Victu morbos curare. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 150. et *Scribon. in epist. ad Jul. Callist.* radice vel herba curarier. pro *curari* paragoge. *Curt.* 5. 9. 3. Graviores morbos asperis remediis curare. *Id.* 7. 1. 23. Curans vulnera. Adde *eumd.* 3. 13. 12.; *Liv.* 5. 5.; *Sueton. Aug.* 81.; *Quintil.* 2. 3. 6., 4. 2. 84., 2. 13. 3. et 12. 8. 10.; *Justin.* 12. 8. 6.; et *Senec.* 3. *Ira* 39. Apud *Quintil.* 4. 5. 5. Qui ferrum medici, priusquam curetur, aspexit. τὸ *curare* refertur ad sectionem, quæ chirurgi manu fit. Et de animo *Horat.* 1. *Ep.* 2. 37. nam cur Quæ lædunt oculum festinas demere, si quid Est animum, differs curandi tempus in annum? Huc etiam illud Neronis apud *Sueton.* in *ejus Vita* 37. Mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat: ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, qui cunctantes continuo curarent. Ita enim vocabat venas mortis gratia incidere. — Per metaphoram facete et ἰρονικῶς *Cic.* 6. *Att.* 1. 2. Cum Appius ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curavit, sanguinem miserit, quidquid potuerit detraxerit, mihi tradiderit enectam etc. *Id. Rosc. Am.* 44. 128. Intelligo, me – propemodum errare, qui, quum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduviam curem. — Huc referri potest et illud *Apul.*, qui *curare* cum Genitivo conjunxit 5. *Met.* Novam neptem interfectæ virginitatis curant. ¶ 3. Denique cum de pecunia sermo est, curare significat solvere. *Cic.* 5. *Fam.* 20. Pecunia curata nobis Valerii mancipis nomine. *Id. Quinct.* 4. 15. Quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret. *h. e.* curare, ut Romæ solveretur. *Id.* 1. *Att.* 8. Cincio HS quadragies pro signis Megaricis curavi. *h. e.* solvenda curavi. *Id.* 11. *ibid.* 15. Minucium XII. sola curasse, scripsi ad te antea: quod superest, velim videas, ut curetur. *Forcellino* in tribus hisce postremis locis ellipsis esse videbatur. Adde *Cic.* 16. *Fam.* 9. et 2. *ad Q. fr.* 4. *extr.*; et *Liv.* 44. 66. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Curatus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Curatior* et Sup. *Curatissimus*: et dicitur de omni re, cui cura adhibita est. *Cato R. R.* 103. Hoc si feceris ita, boves et corpore curatiores erunt et morbus aberit. *Tac.* 1. *Ann.* 13. *extr.* Donec Haterius Augustam oraret, ejusque curatissimis precibus protegeretur. — Quæ τεθεραπευμένα, inquit *Cels.* 5. 19. n. 11. *extr.*, Græci appellant, nos curata vocamus, cum ex sevo, puta, omnes membranulæ diligenter exemptæ sunt. Sic *Id.* 6. 6. n. 5. Cadmia curata. *Scribon. Compos.* 222. Adeps suillus curatus. *Veget.* 6. *Veterin.* 8. 1. *Schneid.* Hædinum caput cum pedibus et intestinis ac ventre, et diligenter, quasi ad hominum usus, curatum. *h. e.* purgatum ac præparatum.

CŪRŎTRŎPHĪUM, ii, *vel* curotropheum, n. 2. κουροτροφεῖον, domus alendis pueris destinata; a κοῦρος *juvenculus*, et τρέφω *nutrio*. Differt autem a *brephotrophio*, quod in hoc infantes recentesque partus aut expositi, aut parentibus egentibus nati alebantur: in illo pueri grandiusculi, qui nondum labore suo victum sibi parare poterant. Vox Græca est: quam quidam legunt apud *Imp. Justin. Cod.* 1. 2. 19.

CŪRŎTRŎPHUS, a, um, adject. κουροτρόφος, qui infantes nutrit. *V.* voc. præced. *Servius* ad *Virg.* 10. *Ecl.* 62. Curotrophæ Nymphæ.

CURRAX, ācis, adject. qui currit. *Grat. Cyneg.* 89. Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus. *h. e.* qui pedi feræ inhærentes currentem sequuntur. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 20. *ad fin.* Curraces equi. *Gloss. Cyrill.* Δρόμαξ, currax. *V.* CURAX.

CURRĬCŬLUM, i, n. 2. *Non.* quidem p. 203. 2. *Merc.*, *Paul. Diac.* p. 49. 7. *Müll.*, *Diomed.* et *Charis.* 1. p. 59. *Putsch.* et *Priscian.* 6. p. 714. *Putsch.* agnoscunt *curriculus* masc. gen., sed nullius auctoritate confirmant. — Ceterum curriculum a curro est actus currendi, cursus (It. *il corso. il correre*; Fr. *course, mouvement rapide*; Hisp. *carrera, movimiento acelerado*; Germ. *das Laufen*, *der Lauf*; Angl. *a course or motion*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Stich.* 2. 2. 13. Ita celeri curriculo fui propere a portu, tui honoris causa. — Hinc *curriculo* est currendo, cursim, celeri cursu: Ablativus adverbii more positus. *Plaut. Pers.* 2. 2. 17. Face, rem hanc cum cura geras: vola curriculo. *Id. Epid.* 1. 1. 12. Ut te conspexi, curriculo occœpi sequi. *Id. Most.* 2. 1. 15. Curriculo currere domum. *Id. Rud.* 3. 5. 20. et 3. 6. 17. I dum, curriculo affer duas clavas. Adde *eumd. Mil. glor.* 2. 6. 43. et *Most.* 4. 2. 26.; et *Ter. Heaut.* 4. 4. 11. Hinc *Paul. Diac.* p. 49. 6. *Müll.* Curriculo pro cursim ponebant. *Placid.* p. 450. ed. *A. Mai.* Curriculo, cursu veloci. Et *Gloss. Labb.* Curriculo, δρομαίως. ¶ 2. Speciatim est publicus in ludicro certamine cursus, et ipsum spatium cursus. *Plaut. Trin.* 4. 4. 11. Facere curriculum. *Varro* apud *Non.* p. 263. 6. *Merc.* In curriculum contuli propere pedes. *Cic. Senect.* 9. 27. Athletas se in curriculo exercentes. *Id.* 2. *Legg.* 9. 22. Curriculis equorum usque ad certam victoriam in circo constitutis. Adde *Liv.* 44. 9. et 45. 33.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam. *Cic.* apud *Non.* p. 196. 29. *Merc.* Ratione igitur et mente divina ad originem temporis curriculum inventum est solis et lunæ. ¶ 2. Translate dicitur — a) De variis vitæ rationibus, in quibus homines exercentur seu versantur, ducta metaphora a cursu aurigarum. *Cic. Mur.* 22. 46. Cum et de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses. *Id. Amic.* 12. 40. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. *Id.* 7. *Phil.* 3. 7. Omne curriculum industriæ nostræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. *Id. Senect.* 11. 38. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis. *Id. Orat.* 3. 12. Illa sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia. *Id.* 4. *Herenn.* 3. 4. Descendere in curriculum artis. *Quintil.* 12. 2. 31. Curriculum laudis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (66). Quartum curriculum publicis epulis obtinuere a D. Julio vina Mamertina. *h. e.* quartum nobilitatis locum, ducta metaphora a quarto missu aurigarum. — b) Item de temporis cursu: ad rem *Cic. Rabir. perduell.* 10. 30. Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit. Sic tria et novem curricula *Prudentio* sunt duodecim anni, 2. περὶ στεφ. 11. *Ammian.* 17. 13. 11. Semihoræ curriculo. Adde *Gell.* 1. 1. ¶ 3. Curricula dicuntur ipsi aurigarum currus: quam vocabuli significationem omnium primam affert *Forcellinus*. *Cic. Harusp. resp.* 10. 21. Te appello, Lentule: tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, etc. *Horat.* 1. *Od.* 1. 3. Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat. Adde *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 36. *Sueton. Cal.* 19. Per hunc pontem ultro citroque commeavit quadrigario habitu curriculoque bijugi famosorum equorum. *Tac.* 14. *Ann.* 14. Curriculo quadrigarum insistere. *Id.* 15. *ibid.* 44. Habitu aurigæ permixtus plebi vel curriculo insistens. ¶ 4. Denique ponitur et pro quocumque curru. *Curt.* 8. 14. 8. Turbati equi in amnem præcipitavere curricula.

CURRĬCŬLUS, i, m. 2. idem quod curriculum. *V.* voc. præced. init.

CURRĪLIS, e, adject. ad currum pertinens. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 4. 26. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium. *Textus Græcus hic habet* ἵππων εἰς ἅρματα. *Gloss. Cyrill.* Τροχήλατος ἵππος, curilis (*lege* currilis) equus. *Gloss. Philox.* Currilis equus, τῷ ἅρματι ἀγωνιζόμενος ἵππος.

CURRILITAS. *V.* CURSILITAS.

CURRO, curris, cŭcurri, cursum, currere, 3. In Præter. *cecurri* dixisse veteres, docet *Gell.* 7. 9. — *Curristi* pro *cucurristi* legitur apud *Tertull. Fuga in persecut.* 12. Pedibus stetisti, curristi nummis. *Scioppius* in *not.* legit *cucurristi*: at *curristi* confirmat *Verus Imp.* apud *Fronton. ad Verum Imp.* ep. 2. edente *A. Mai.* — Part. *Currens* in omnibus paragr.; *Cursurus* apud *Ovid.* 2. *Pont.* 11. 21. Acer et ad palmæ per se cursurus honores, Si tamen horteris, fortius ibit equus. — Curro est celeriter eo, cursu feror, festino, accurro; pedibus, nave, equo, curru, quacumque demum ratione id fiat (It. *correre*; Fr. *courir*; Hisp. *correr*; Germ. *laufen*, *sich schnell bewegen*; Angl. *to run*, *post quickly*, *hasten*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de hominibus ceterisque animantibus: et quidem — a) Neutrorum more et absolute. *Horat.* 1. *Od.* 28. 35. licebit, Injecto ter pulvere, curras. *Id.* 1. *Ep.* 2. 34. Si noles sanus, curres hydropicus. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 87. Quos tibi currenti præceps ferat Hadria mores. — b) Cum addito, ad quid, vel sæpius quo curritur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 69. Perduelles currere in obsidium. *Cic.* 12. *Att.* 3. *extr.* Currere subsidio. Huc referri potest et illud *Phædr.* 2. 8. Ultro currere ad necem. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 24. Currere per vias. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 24. Currere obviam alicui. *Lucret.* 3. 1070. ad villam. *Liv.* 5. 21. ad muros. *Cic.* 10. *Att.* 4. Curio cucurrit Puteolos, ut ibi concionaretur. *Id.* 9. *ibid.* 3. Domitii filius transiit Formias, currens ad matrem Neapolim. *Sueton. Galb.* 6. Etiam ad essedum imperatoris per viginti passuum millia cucurrit. *Justin.* 9. 7. 16. Titulo officii currere ad exsequias. *Curt.* 7. 1. Currere in ordines suos. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 3. Audaces nautæ per omne mare currunt. *Id.* 1. *Ep.* 1. 27. Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt. — c) Passive impersonaliter. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 30. An non justa causa est, quo curratur

celeriter? *Ter. Heaut. prol.* 44. Si quæ laboriosa est, ad me curritur. *Cic.* 7. *Verr.* 35. 92. Curritur ad prætorium. — d) Cum Accusativo loci, per quem curritur. *Cic.* 3. *Off.* 10. 42. Qui stadium currit, eniti debet, ut vincat. *Virg.* 3. *Æn.* 191. Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor. *Val. Flacc.* 4. 836. atque hac freta curre corona. Sic *Virg.* 5. *Æn.* 862. Currit iter tutum æquore classis. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 11. Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto, Quam mea debuerit currere cymba viam? Et *Propert.* 4. 3. 38. Currere multa millia. Et ἀλληγορικῶς *Cic.* 2. *leg. Agr.* 17. 44. Cur non eosdem cursus, quos Cotta et Torquato coss. cucurrerunt? — Passive *Quintil.* 1. 4. 28. Mare navigatur, campus curritur. — e) Cum addito per Ablativum, qua curritur. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 29. Alpheon diversis currere terris adegit amor. *Id. Heroid.* 18. 6. Currere aquâ. Similiter *Id.* 1. *Pont.* 3. 76. trabe cucurrit aqua. *Val. Flacc.* 1. 265. placido currere fluctu. — Huc referri potest et illud *Sueton. Aug.* 31. Currere Lupercalibus. *h. e.* in ludis. Adde *Spartian. Alex. Sev.* 42. — f) *Currentem hortari, incitare, instigare*, proverb. de eo, qui alium ad quippiam hortatur paratum jam ac promptum. *Cic.* 3. *Phil.* 8. 19., 15. *Fam.* 15., 5. *Fin.* 5. 6. et 2. *ad Q. fr.* 15. 2.; et *Plin.* 3. *Ep.* 7. — Concise, omisso verbo. *Cic.* 13. *Att.* 45. Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem. Subintelligitur *incitaris*, nam plenius rem totam effert *Id.* 2. *Orat.* 44. 186. Facilius enim est currentem (quod ajunt) incitare, quam commovere languentem. — Ducta videtur metaphora ab iis, qui cursu certabant, quibus acclamatio addebat velocitatem. — Porro eodem sensu dixit *Plin.* 1. *Ep.* 8. Currenti calcaria addere. — g) De labore, qui frustra impenditur, dixit *Horat.* 1. *Sat.* 1. 92. ut si quis asellum In campo doceat parentem currere frenis. ¶ 2. Latiori sensu dicitur etiam de inanimis, quæ celeriter moventur: et quidem — a) De iis, quæ naturali ac sua vi moventur. *Lucret.* 5. 662. Aut, quia sol idem, sub terras atque superne, Imparibus currens anfractibus, etc. *Ovid.* 3. *Fast.* 111. Libera currebant et inobservata per annum Sidera. *Auct. B. Hisp.* 29. Rivus palustri solo currebat ad dexteram partem. *Virg.* 12. *Æn.* 524. amnes in æquora currunt. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 597. — Huc referri possunt et illa *Virg.* 2. *Æn.* 120. et *Ovid. Heroid.* 5. 37. gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor. Et *Virg.* 12. *Æn.* 65. cui plurimus ignem Subjecit rubor et calefacta per ora cucurrit. — b) De iis, quæ alienâ vi impulsa moventur, etiamsi ei volvantur in gyrum. *Horat.* 3. *Od.* 10. 10. et *Art. P.* 22.; et *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 10. Currit rota. Cf. *Plaut. Asin.* 3. 3. 119. Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens. *Stat.* 5. *Theb.* 361. Gortynia currunt spicula. *h. e.* feruntur, volant. *Sil. It.* 16. 60. Currit cuspis.

II.) Translate occurrit — a) De tempore, quod momentis seu motu constat. *Propert.* 3. 8. 21. nox inter pocula currat. *Horat.* 2. *Od.* 5. 13. Ferox ætas currit. *h. e.* fluit, fugit. *Sil. It.* 7. 306. currit illa senectus, Heu! fatis quæ sola meis obstat. *h. e.* rebus meis prosperis. *Ulp. Dig.* 21. 1. 19. *in fin.* Tempus redhibitionis ex die venditionis currit. — Huc referri potest et illud *Paul. ibid.* 12. 1. 40. et *Ulp. ibid.* 26. 7. 6. *a med.* Finito primo mense, primæ pensionis usuræ currunt. — b) Item de lineis, quæ porriguntur in longum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (326). Limes per agrum currit. *Id. ibid.* 34. 77. (331). Linea transversa currat per medium. *Id.* 11. *ibid.* 51. 112. (270). Vox currit conchato parietum spatio. *Id.* 2. *ibid.* 108. 112. (242). Mensura duplici via currit. *Virg.* 5. *Æn.* 250. chlamydem auratam, quam plurima circum Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit. *Stat.* 2. *Theb.* 98. infula currit per crines. — c) De oratione: ad rem *Horat.* 1. *Sat.* 10. 1. incomposito pede currunt versus. *Lucret.* 2. 692. Non, quo multa, parum communis, littera currat. *Quintil.* 9. 4. 91. Syllabæ breves si miscentur longis, currunt: si continuantur, exsultant. *Id.* 9. 4. 31. Numeri orationis currentes per se. *Id.* 9. 4. 50. Quomodo ceperant (rhythmi), currunt usque ad μεταβολήν. *Id.* 9. 4. 88. Trochæum ut nimis currentem damnet. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 9. Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se impediat verbis lassas onerantibus aures. *Cic.* 5. *Fin.* 28. 84. Proclivius currit oratio: venit ad extremum. *Quintil.* 5. 4. 18. Historia currere debet ac ferri. — d) Singulare est illud *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Facile est, ubi omnia quadrata currunt. *h. e.* ad voluntatem succedunt.

CURRŪCA, æ, f. 1. parva avis, quæ alienos pullos pro suis educare dicitur. Hinc *curruca* dicuntur mariti, qui patiuntur uxorem suam ab aliis contrectari. *Juvenal.* 6. 275. Tu tibi tunc curruca places. Alii leg. *uruca*, quæ significat animal quoddam in faba nascens, ut ait *Vet. Juvenal. Scholiast.*, vel genus animalis fœdi et spinosi, ut ericius. *Idem.* Al. leg. *urtica, eruca*, etc. Illum certum esse videtur, neque *currucam*, neque *urucam* esse vocem Latinam. Recentiores philologi *eruca* præferunt.

CURRŪLIS, e, adject. ad cursum pertinens. *Apul.* 9. *Met.* Ægre cohibita equorum curruli rabie. *h. e.* retento et represso impetu equorum currentium. *Fronto de fer. Als.* (edente *A. Majo*) *Ep.* 3. Incurrere oportet curruli strepitu, et fremitu equestri. *V.* tamen CURULIS sub init.

CURRUS, us, m. 4. vehiculi genus, hominibus per urbem, aut in itinere vehendis aptum: cujus species sunt carpentum, essedum, cisium, pilentum, rheda, etc. (It. *cocchio, carrozza, carro*; Fr. *char*; Hisp. *carro*; Germ. *der Wagen*; Angl. *a chariot, car, waggon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, etiam de curribus in usum belli. *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 32. Insidere currum. Cf. *Senec. Hippol.* 29. Insidere curru. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 13. *Att.* 21. 3. Sustineat currum, ut bonu' sæpe agitator equosque. *Lucret.* 3. 642. Falciferos memorant currus abscindere membra etc. Cf. *Val. Flacc.* 6. 105. et *Curt.* 4. 12. 6. Falcati currus. *scil.* in usum belli. Rursus *Lucret.* 2. 601. Hanc (*deorum matrem*) veteres Grajûm docti cecinere poetæ Sublimem in curru bijuges agitare leones. *Cic.* 2. *Divinat.* 70. 144. Visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Adde *eumd. Amic.* 17. 63. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 23. Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru Non minus ignotos generosis. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 177.; *Propert.* 2. 31. 11.; *Tibull.* 4. 1. 130.; et *Virg.* 1. *Æn.* 147. *Curt.* 3. 3. 11. Matrem Darii currus vehebat. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 47. Vehi in curru. *Id.* 2. *Met.* 531. habili Saturnia curru Ingreditur liquidum pavonibus aera pictis. *Id.* 3. *Trist.* 8. 1. Currus conscendere. *Id.* 2. *Met.* 68. agere. *Id.* 1. *Art. am.* 4. regere. *Id.* 3. *Pont.* 1. 67. ducere. Adde *eumd.* 2. *Met.* 146., 7. *ibid.* 200., 8. *ibid.* 797., 9. *ibid.* 232., 12. *ibid.* 78. et alibi. *Seneca Hippol.* 1075. gubernare. Adde *eumd. Med.* 787.; *Plin. Paneg.* 16. et 92.; et *Veget.* 6. *Veterin.* 6. 4. *Schneid.* ¶ 2. Speciatim dicitur de curru, quo triumphantes in Urbem vehebantur. *Cic.* 7. *Verr.* 30. 77. At etiam qui triumphant – quum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, etc. *Horat. Epod.* 9. 22. Io Triumphe, tu moraris aureos Currus et intactas boves? *Flor.* 1. 5. 6. Inde (*e Thuscis*) quod aureo curru, quattuor equis triumphatur, – adsumpta est. Adde *Sueton. Cæs.* 49. et *Tib.* 6. et 20. — Hinc

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam ponitur pro triumpho, quia triumphantes, ut dictum in proxime superiori paragr. 2., curru in Urbem vehebantur. *Cic.* 15. *Fam.* 6. Quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? *Flor.* 4. 2. 89. Tertius de Pharnace currus et Ponto. *Id. ibid.* 12. 59. Digna res lauro, digna curru senatui visa est. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (36). Corn. Balbus donatus curru et jure Quiritium. Adde *Propert.* 2. 11. 24.; *Lucan.* 1. 316. et 3. 77.; *Sil. It.* 3. 614.; et *Stat.* 4. *Silv.* 3. 153. ¶ 2. Catachresis est, ubi ponitur pro equis. *Virg.* 1. *G.* 514. neque audit currus habenas. *Id.* 12. *Æn.* 287. Infrenant alii currus. *Sil. It.* 16. 367. stimulabat in æquore currum. *Lucan.* 7. 570. si verbere sævo Palladia stimulet turbatos ægide currus. ¶ 3. *Virg.* 1. *G.* 174. *currum* dixit de aratro habente rotas. ¶ 4. Et pro navi. *Catull.* 64. 9. Ipsa levi fecit volitantem flamine currum, Pinea conjungens inflexæ texta carinæ. *V. Loers.* ad *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 12.

CURSĀTĬO, ōnis, f. 3. cursitatio. *Donatus* ad illud *Ter. Hecyr.* 3. 1. 35. vol. 2. p. 248. 15. *ed. Klotz.* Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum: *Trepidatio*, inquit, ad vocem refertur loquentium, *cursatio* ad sonum pedum.

CURSĬLĬTAS, ātis, f. 3. idem ac cursitatio. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 2. Cui cum sollicitudinum vagabunda errando cursilitas displiceret. In loco simili apud *Hygin.* ab *A. Mai.* edit. in *Class. Auct. T.* 3. p. 81. *fab.* 232. legitur item *cursilitas*; at apud alterum mythographum, qui *Lactantius Placidus* creditur esse, ab eodem *Mai. ibid.* edit. p. 133., habetur in loco simili *curritatas*.

CURSIM, adverb. currendo, cursu, curriculo, celeriter. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 156. Rapere aliquem cursim ad carnificem. *Id. ibid.* 3. 1. 61. Hoc cito et cursim est agendum. *Id. Pseud.* 1. 3. 124. et *Afranius* apud *Charis.* 2. p. 186. *Putsch.* Cursim currere. *Cic.* 2. *Orat.* 89. 364. Quæ ego sero, quæ cursim arripui, quæ subcisivis horis, iste a puero, summo studio, summis doctoribus. *Id.* 2. *Phil.* 17. 42. Ille sensim dicebat, quod causæ prodesset; tu cursim dicis aliena. *Id.* 4. *Herenn.* 55. 68. Cursim impetum facere in aliquem. Adde *Liv.* 27. 16. *Plin.* 3. *Ep.* 5. 11. Legere libram, et cursim adnotare. *Tac.* 4. *Ann.* 4. Percensere cursim legiones. Adde *Gell.* 1. 3. et 12. 15. *Manil.* 4. 198. Cursim loqui.

CURSĬO, ōnis, f. 3. actus currendi. *Varro* 5. *L. L.* 1. *Müll.* Corpus est, ut cursor; locus, stadium, qua currit; actio, cursio.

CURSĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. cursio huc illuc facta. *Solin.* 42. Solemni cursitatione lacum populus circuit.

CURSĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequentat.* a curso. *Ter. Eun.* 2. 2. 47. Sursum deorsum cursitare. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 107. succinctus cursitat hospes, Continuatque dapes. *Id.* 4. *Od.* 11. 10. Huc illuc cursitare. Adde *Plin.* 6. *Ep.* 5. et *Sueton. Vesp.* 8.

CURSO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequentat.* a curro. — Part. *Cursans* I.; *Cursaturus* et *Cursandus* II. — Curso est huc illuc curro, sæpe curro.

I.) Proprie usurpatur — a) Personaliter. *Ter. Eun.* 2. 2. 56. Cursare ultro citro. *Cic. Rosc. Am.* 22. 60. Homines cursare ultro citro non destiterant. *Id. Senect.* 6. 17. Cum alii malos scandant, alii per foros cursent. *Id.* 9. *Att.* 9. 2. Ne forte aut alsim, cum veniet, aut cursem illuc via deterrima. *Val. Flacc.* 4. 108. sic undique in omnes Prospiciunt, cursantque vias. *Tac.* 5. *Hist.* 20. Cerialem neque satis cautum, et pluribus nunciis huc illuc cursantem posse medio intercipi. — b) Impersonaliter. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 35. Trepidari sentio, cursari rursum prorsum.

II.) Improprie. *Capell.* 3. p. 59. Nec jam compactis cursanda est syllabis formis. *h. e.* de ea disserendum est. *Vonck.* (*Spec. crit.* p. 148.) pro *cursanda* est legendum putat *versanda* est vel *signanda est*. At *Kopp.* vulgatam tuetur, atque affert illud *Tac. Agric.* 1. Cursaturus tam sæva et infesta virtutibus tempora. *Walchius* enim ita legit, eumque videsis; plerique vero alii *incusaturus*.

CURSOR, ōris, m. 3. qui currit. ¶ 1. Generatim est qui currit in ludis: et quidem — a) Qui pedibus currit stadium in ludis. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 56. In stadio cursores exclamant quam maxime possunt. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 70. 144. et *Lucret.* 2. 78. — Ceterum de his cursoribus, qui et minores et majores appellati, V. *Foggin.* ad *Fast. Verrii Flacc.* p. 65. — b) Item auriga, qui in ludis quadrigas agit. *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 26. Ut cupidi cursor frena retentat equi. ¶ 2. Speciatim qui litteras aliquo fert, tabellarius. *Nepos Miltiad.* 4. Philippidemque, cursorem ejus generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nunciaret etc. *Plin.* 7. *Ep.* 12. Vide, ut mihi viaticum reddas, quod impendi, data opera cursore dimisso. *Id.* 3. *ibid.* 17. Data opera tabellario misso. Adde *alt. Plin.* 2. *Hist. nat.* 71. 73. (181). *Martial.* 3. 100. Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora. *Sueton. Ner.* 49. Perlatos a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque, etc. — *Cursores*, qui non pedibus, sed equis aut vehiculis maxima itinera celerrime conficiebant, publici erant; a veteribus appellati *frumentarii*, ut scribit *Hieronym. in Abdiam c.* 1., cujus ætate *agentes in rebus*, vel *veredarii* dicebantur, ἀγγελιαφόροι, γραμματοφόροι, σταφοφόροι. *V. Cod. Theod. l.* 8. *tit.* 5. *De cursu publico*, et FRUMENTARIUS. ¶ 3. Item speciatim qui luxus causa ante domini rhedam currit. *Seneca Ep.* 87. Quam cuperem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores, et Numidas, et multum ante se pulveris agentem! *Id. ibid.* 126. Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat. *Martial.* 3. 47. Nec feriatus ibat ante carrucam, Sed tuta fœno cursor ova portabat. *Id.* 12. 24. Succinctus neque cursor antecedit. *Sueton. Ner.* 30. Fecisse iter traditur armillata et phalerata cum Mazacum turba atque cursorum. Adde *Juvenal.* 5. 52.; *Spartian. Æl. Ver.* 5.; et *Lamprid. Alex. Sev.* 42.

¶ 4. Figurate iambus dicitur *cursor*, quia versus eo pede compositi minime decurrunt. *Rufin.* inter *Rhetor.* edit. a *Capperon.* p. 355. Dactylus atque trochaeus adest, vel cursor iambus. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

CURSŌRĬUS, a, um, adject. ad cursum pertinens. *Frontin. de colon.* p. 141. *Goes.* In campis vero statuerunt terminos quadratos cursorios. — Hinc

Cursoria, iæ, f. 1. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Subaudi *navis*, est navis cursui publico accommodata, dromo. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Ticini cursoriam (sic navigio nomen) ascendi, qua in Eridanum brevi delatus, etc. ¶ 2. Subaudi *caliga*, et est calceamenti genus ad cursum. *Edict. Dioclet.* p. 24. Gallicæ cursoriæ por ✕ sexagiota. *h. e.* calceamenti genus ad cursum.

Cursorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem ac cursus publicus. *Faust.* et *Valer. de limit.* p. 261. *Goes.* Hæ vero litteræ in cursoriis eorum terminorum sunt. *Mago* et *Vegoia de limit.* p. 257. *Goes.* Aquarum putei aliquoties in cursorio a terminis demonstrantur.

CURSRIX, icis, f. 3. quæ currit. *Charis.* 1. p. 30. *Putsch.* Cursor, cursrix. *Priscian.* tamen hanc vocem damnat 8. p. 784. *Putsch.*: item *Isid.* qui 10. *Orig. init.* ait: Quædam sunt, quæ in femininum flecti non possunt, ut *cursor*.

CURSŬĀLIS, e, adject. idem quod cursorius. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 12. 51. 19. Cursuales equi. *Imppp. Gratian.*, *Valentinian.* et *Theodos. Cod. Theod.* 12. 12. 9. Cursualis rheda. *Imppp. Valent.*, *Theod.* et *Arcad. ibid.* 6. 29. 7. Cursualis sollicitudo. *h. e.* celeritas in currendo. *Cassiod.* 5. *Variar.* 5. Ut pæne quidquid in republica geritur, cursuali ministerio compleatur.

CURSŪRA, æ, f. 1. cursus. *Plaut. Asin.* 2. 2. 61. Ex cursura anhelitum ducere. *Id. Most.* 4. 1. 5. Exercent (*servi*) se ad cursuram. *h. e.* fugiunt. Adde *eumd. Stich.* 2. 2. 33., *Merc.* 1. 2. 10., *Bacch.* 1. 1. 34. et *Trin.* 4. 2. 164. *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Equi alii sunt idonei ad rem militarem, alii ad vecturam, alii ad admissuram, alii ad cursuram, alii ad rhedam.

CURSUS, us, m. 4. actus currendi: et dicitur de iis, qui pedibus, equo, curru, navi, quomodocumque celeriter moventur de loco ad locum (It. *corso*, e *quindi tragitto, viaggio, via* etc.; Fr. *action de courir, course, voyage, cours*; Hisp. *el acto de correr, curso*; Germ. *der Lauf, die Eile, die Fahrt, Reise, der Weg*; Angl. *a running, the act of running, a course, way*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de animalibus. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 24. Cursu, luctando se exercere. Cf. *Horat. Art. P.* 412. Qui cupit optatam cursu contingere metam etc. *Virg.* 5. *Æn.* 67. Pedum cursu valere. *Id.* 7. *ibid.* 807. cursuque pedum prævertere ventos. *Ovid.* 4. *Met.* 302. Nympha colit: sed nec venatibus apta, nec arcus Flectere quæ soleat, nec quæ contendere cursu. *Id.* 10. *ibid.* 669. Illa moram celeri cessataque tempora cursu Corrigit; atque iterum Juvenem post terga relinquit. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 51. Cursu superare canem. *Cæs.* 2. *B. G.* 13. Milites cursu exanimati. — Et de impetu, quo milites inimicos aggrediuntur. *Liv.* 9. 13. Cursu in hostes feruntur. Adde *eumd.* 31. 21., 2. 50. et 24. 26. — Hinc Ablativus *cursu* est curriculo, cursim, adeoque festinanter. *Liv.* 33. 33. Ludis dimissis, cursu prope omnes tendere ad imperatorem Romanum. Cf. *Vellej.* 2. 70. 2. Cursu tendere ad aliquem. *Seneca Phæniss.* 433. Attonita cursu fugit et binas statim diduxit acies. *Sil. It.* 11. 136. divisque propinquas Transierit cursu rupes. — Ceterum generatim. *Cic.* 12. *Fam.* 8. Omnis omnium cursus est ad vos. *Id.* 10. *Att.* 4. *ad fin.* Mihi cursus in Græciam per tuam provinciam est. *Id. pro leg. Manil.* 12. 34. Quis unquam tantos cursus conficere potuit? *Ovid.* 10. *Met.* 666. Obstupuit virgo, nitidique cupidine pomi Declinat cursus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 20. (85). Agere cursum ad aliquam partem. — Et de volatu. *Virg.* 6. *Æn.* 194. cursumque per auras Dirigite in lucos, ubi etc. *Ovid.* 2. *Met.* 720. Sic super Actæas agilis Cyllenius arces Inclinat cursus, et easdem circinat auras. *Id. ibid.* 838. solitoque celer delabere cursu. *Id.* 6. *ibid.* 709. Nec prius aerii cursus suppressit habenas etc. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 787. — Et de navigatione. *Cic.* 3. *Off.* 12. 50. Si naves in cursu petentes Rhodum viderit. *h. e.* in ipsa navigatione. *Nepos Miltiad.* 1. *extr.* Dirigere cursum aliquo. *h. e.* aliquo navigare. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 34. 4. Vela dare et iterare cursus Cogor relictos. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 27. Regio ab omni devia cursu. *h. e.* ad quam nemo navigat. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (94). Insula abest diei cursu. *h. e.* tantum abest, quantum est unius diei navigatio. Hinc *tenere cursum* est recta navigare, quo destinatum est, neque aberrare a fine itineris. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Cum secundissimo vento cursum teneret Syracusas. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Vento intermisso cursum non tenuit, et longius delatus æstu etc. Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 200. Excutimur cursu et cæcis erramus in undis. Rursus *Cæs.* 4. *B. G.* 28. Tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum (*navium*) cursum tenere posset. *Id. ibid.* 26. Neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Cf. *Lucret.* 5. 711. lunam qui fingunt esse pilai Consimilem, cursusque viam sub sole tenere. ¶ 2. Latiori sensu dicitur et de inanimis, quæ celeriter moventur, ac præcipue de stellis et fluminibus. *Lucret.* 5. 77. Præterea solis cursus lunæque meatus Expediam. Adde *eumd. ibid.* v. 616., 650. et 772. *Id.* 5. 628. Et magis hoc lunam, et quanto demissior ejus Cursus abest procul a cælo terrisque propinquat, etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 69. Partus maturescunt novem lunæ cursibus. *h. e.* mensibus: mense enim luna Zodiacum percurrit. *Id.* 6. *de republ.* 17. Stellarum cursus sempiterni. *Lucret.* 1. 1002. neque clara suo percurrere flumina cursu, etc. *Cic.* 1. *Divinat.* 44. 100. Si lacus emissus, lapsu et cursu suo ad mare profluxisset. *Ovid.* 9. *Met.* 17. regem me cernis aquarum Cursibus obliquis inter tua regna fluentem. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 282. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 94. (230). Cum menstrui cursus stetere. *h. e.* fluxus mensium.

II.) Improprie occurrit *A*) Per metonymiam, et *B*) Translationem.

A) Per metonymiam ¶ 1. Cursus pro navi ponitur in illo *Cic.* 5. *Att.* 8. 1. Me et incommoda valetudo – et Pomptini expectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum jam diem Brundisii: sed et cursum expectabamus. ¶ 2. *Cursus publicus* et *vehicularis* vel *vehicularius* sunt juvenes primo, deinde equi et vehicula modicis intervallis disposita, instituta primum ab Augusto (ut in *ejus Vita* 49. narrat *Sueton.*), quo celeriter sciri posset, quid in quaque provincia gereretur: deinde ad commodum militum et magistratuum, paulatimque etiam privatorum destinata: Italice *la posta*. De eo est *tit.* 51. *l.* 12. *Cod. Justin.* et *tit.* 5. *l.* 8. *Cod. Theod.* Memoratur etiam ab *Arcad. Dig.* 50. 4. 18.; *Lactant. Mort. persecut.* 24.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 12. Et *Inscript.* apud *Orell.* 3181. PRO BEATITVDINE TEMPORVM DD. NN. CONSTANTI ET CONSTANTIS AA VV CC (*lege* GG, *h. e.* Augustorum duorum) STATIONEM A SOLO FECERVNT ORFITVS ET FL. DVLCITIVS VV. CC. CONSVLARES P. S. (*h. e.* Provinciæ Siciliæ) INSTANTE FL. VALERIANO DVCENARIO AGENTE IN REB. ET PP. (*h. e.* præposito) CVRSVS PVBLICI. Ceterum huc spectant et illa *Ammian.* 20. 4. 11. Cursus clabularis (a *clabula*: cf. *angariæ* apud *Veget.* 1. *Milit.* 3. et *Cassiod.* 4. *Variar.* 5.); *Ammian.* 14. 6. 16. Equi publici; *Ammian.* 21. 13. 7. Vehicula publica; *Spartian. Hadrian.* 7. Cursus fiscalis; *Sulpic. Sev. Dial.* 2. 3. 2. Rheda fiscalis. *V. Salmas.* ad *Scriptor. Hist. Aug.* t. 1. p. 279. ¶ 3. Cursus etiam dicitur extensio rei exporrectæ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (195). Communia larici, abieti pinuque, ut quadripartitos venarum cursus bifidosque habeant.

B) Translate ponitur — *a*) De tempore. *Cic.* 6. *Fam.* 5. Ea natura rerum est et is temporum cursus, ut etc. *Id. Sext.* 21. 27. Vitæ brevis cursus est, gloriæ sempiternus. Adde *eumd. post redit. ad Quir.* 1. 2. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 16. (75). Implere in trimatu cursum vitæ. — *b*) De oratione. *Cic.* 3. *Orat.* 6. 21. Cursus vocis per omnes sonos. *h. e.* commutatio et varietas. Cf. *Juvenal.* 14. 26. quæ numquam maternos dicere mœchos Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu, Ut non ter decies respiret. *h. e.* tanta tamque continua celeritate. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 35. 161. Tantus cursus verborum fuit et sic evolavit oratio, ut etc. *Id. Partit. orat.* 15. 52. Augendi autem et hic proprius locus in perorando: et in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur. Adde *Quintil.* 9. 4. 70., 10. 3. 20., 8. 4. 8. et alibi sæpe. *Quintil. Declam.* 9. 19. Cursus defensionis. *Cic. Topic.* 1. 1. Majores nos res scribere ingressos, e cursu ipso revocavit voluntas tua. — *c*) Item de pluribus aliis. *Ovid.* 10. *Met.* 401. certe fortuna domusque Sospes et in cursu est (*h. e.* floret): vivunt genitrixque paterque. *Id.* 4. *Pont.* 11. 18. Dolor est in cursu. *h. e.* durat, sentitur, sævit. *Cic.* 4. *Fam.* 2. Perspicis, qui cursus rerum, qui exitus futuri sint. Adde *Tac. Agric.* 39. et 4. *Hist.* 34. *Cic.* 1. *Att.* 1. *sub fin.* Vides, in quo cursu sumus, et quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putemus. *Id.* 1. *Off.* 32. 117. Implicari aliquo certo genere cursuque vivendi. *Id. Brut.* 97. 332. Cursum ingenii tui premit hæc importuna clades civitatis. *Tac.* 1. *Hist.* 48. et *Agric.* 27. Cursus honorum. *Cic.* 5. *Att.* 15. Habet satis magnum campum cursus animi et industriæ meæ.

CURTĀLĪNUS. *V.* COHORTALINUS.

CURTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CURTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Curtatus* I. — Curto est curtum reddo, deminuo.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 94. Si curtatus inæquali tonsore capillos Occurro, rides. *Al. leg.* curatus. *Cels.* 7. 9. Id quod curtatum est, in quadratum redigere. *et ibid.* Quæ interdum duobus locis curtata esse consueverunt. *Pallad.* 3. *R. R.* 10. 2. Putatis omnibus, quæ scabra sunt, curtatis etiam radicibus, si quas etc. *Boeth.* in *Porphyr.* 5. p. 106. Si quis curtetur pede. *et mox.* Si homo bipes uno pede, vel ambobus curtetur.

II.) Improprie. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 124. Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum. *Est qui legit* curabit. *Pers.* 6. 33. sed cœnam funeris heres Negliget iratus, quod rem curtaveris.

CURTUS, a, um, adject. Comp. *Curtior* I. — Curtus est mutilus, fractus, laceratus, deminutus. Videtur esse a *κυρτὸς tumidus, curvatus* (It. *mozzo, troncato, rotto, lacero*; Fr. *écourté, raccourci, court*; Hisp. *troncado, corto*; Germ. *kürzer, verkürzt, verstümmelt, verkümmert*; Angl. *short diminutive, stumpy, broken, battered, mutilated*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 4. 1020. Dolia curta. *h. e.* quæ semifracta poni solent in angiportis, ad publicum mejendi usum. *Propert.* 4. 7. 24. Tegula curta. *Id.* 4. 5. 73. curto vetus amphora collo. *Ovid.* 2. *Fast.* 645. testu. *Juvenal.* 3. 271. quoties rimosa et curta fenestris Vasa cadunt. *Id.* 10. 135. et curtum temone jugum. *Martial.* 3. 82. Curta testa. *Id.* 12. 32. Matella curto latere. *Id.* 1. 93. calix. *Innocent. de cas. litt.* p. 228. et 230. *Goes.* Fines curtiores. — *b*) Speciatim curta in membris sunt quæ ictu aut morbo lacera, scissa, rupta sunt. *Cels.* 7. 8. *extr.* Si quid tibi curti est, sarcire. Adde *eumd. ibid.* 9. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 105. Curto mulo ire. *h. e.* castrato. *Propert.* 4. 1. 20. equus. De equo curto *V.* in CAVIARES, et in OCTOBER. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 70. Judæi curti. *h. e.* circumcisi.

II.) Improprie est exiguus, parvus, imperfectus, et cui aliquid ad complementum deest. — *a*) De corporeis ac præcipue de pecunia. *Pers.* 4. 52. Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex. *Horat.* 3. *Od.* 24. 64. Curtæ nescio quid semper abest rei. *Pers.* 5. 191. Et centum Græcos curto centusse licetur. *h. e.* exigua pecuniæ summa, quæ ne centum quidem asses conficiat. — *b*) De abstractis. *Cic.* 4. *Fin.* 14. 36. Eorum omnium multa prætermittentium, quasi curta sententia: at vero illa perfecta atque plena eorum, qui etc. *Id. Orat.* 50. 168. Meæ aures et perfecto completoque verborum ambitu gaudent, et curta sentiunt, nec amant redundantia. *Id. ibid.* 51. 173. Nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans. *Lactant.* 6. 15. *a med.* Implenda fuerat curta hæc et debilis disputatio. *Juvenal.* 14. 166. Ingratæ patriæ curta fides.

CŪRŪLIS, e, adject. ad currum pertinens, licet unico *r* scribatur: prisci enim non geminabant consonantes: scribitur tamen et *currulis*, quam vocem *V.* loco suo. ¶ 1. Generatim. *Paul. Diac.* p. 49. 14. *Müll.* Curules equi, quadrigales. Adde *Liv.* 24. 18. et *Cod. Theod.* 15. 5. 2. et 3. 15. 10., ubi videntur illi intelligendi, qui in ludis Circensibus votivis quadrigas trahebant. *Minuc. Felix* in *Octav.* 37. *ad fin.* Curules ludi. *h. e.* Circenses, in quibus currus maxime agitabantur. *In Vet. formula precum*, qua utebantur Tiburtes, apud *Servium* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 20. *hic illius arma, Hic currus fuit*, Juno *curulis* appellatur, quia currum habebat, seu thensam, qua ejus simulacrum in pompa vehebatur. *Sueton. Aug.* 22. Curules triumphi. *h. e.* in quibus triumphator curru Urbem invehitur, ad differentiam

ovationum, in quibus equo utebantur, aut pedibus. (*V. eumd. Tib.* 9.). ¶ 2. *Curules* quoque *magistratus*, et *curulem sellam* a curru dictam esse, docent *Paul. Diac. p.* 49. 17. *Müll.* et *Gell.* 3. 18. Ille quidem magistratus curules appellatos esse ait, quia curru vehebantur. Hic autem ex *Gabio Basso* tradit, sellam dictam curulem ex eo, quia in veterum ætate qui curulem magistratum gessissent, curru soliti, honoris gratia, in curiam vehi: in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam *curulis* appellaretur. Verum ut in derivatione vocis *Gellius* vera dicat, (quamquam non desunt, qui a Curibus Sabinorum ducendam appellationem putant) in re certe falsus fuisse videtur. Narrat enim *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 45. (141). L. Metello, summis honoribus functo, et in senectute luminibus orbato, tribuisse populum R., quod numquam ulli alii ab condito ævo, ut quoties in senatum iret, curru veheretur. — Utcumque se res habeat, sella curulis (quæ et *curulis* absolute dicitur) fuit unum ex insignibus primo quidem regum R., deinde iis exactis, majorum magistratuum solummodo, nempe consulum, prætorum, censorum, et ædilium eorum, qui de patribus creati essent (de quibus *Liv.* 6. 42. et 7. 1.), quique hac ipsa de causa *curules* denominati sunt, ut distinguerentur ab aliis ædilibus sellæ jus non habentibus. Hæc erat curvis pedibus, signis ornata, sublata gradibus, insculptaque et distincta ebore, ut est apud *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 27. Quare *curule ebur* vocatur ab *Horat.* 1. *Ep.* 6. 53., ubi per metonymiam intelligit omnes magistratus majores modo enumeratos. Sic *Auson. epigr.* 2. 3. Quamquam et fastorum titulo prior, et tua Romæ Præcessit nostrum sella curulis ebur. *h. e.* consul ante me fuisti. Apud *Statium* quoque 1. *Silv.* 4. 82. *major curulis* consulatum significat. *Id.* 4. *Silv.* 1. 5. *curules* absolute dicuntur omnes magistratus curules. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (42). A Sp. Albino curuli die dicta. *h. e.* ædili curuli. Porro, quæ Romæ *sella curulis*, in municipiis et coloniis *bisellium* dicebatur, quam vocem V. suo loco. *Vet. Scholiast. Cruqu.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 6. 53. Virgam, quam imperator in curiam ferebat, curulis vocabatur. — Hac sella utebantur tum in curia, tum quocumque loco sedendum esset jurisdictionis exercendæ causa. Quare post se, ubi opus esset, circumferendam curabant: cujus rei lepidam memoriam habes ex. L. Pisonis annalibus apud *Liv.* 9. 46. et *Gell.* 6. 9. — Ceterum *curulem sellam* memorant, præter citatos, *L. Piso* apud *Gell.* 6. 9.; *Cic.* 7. *Verr.* 14. 37.; *Liv.* 1. 8., 9. 46. et alibi; *Catull.* 52. 2.; *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 21. (81).; *Quintil.* 6. 3. 25.; *Sueton. Aug.* 26. et alibi; et *Isid.* 20. *Orig.* 11. 11.: *curulis, is*, vero absolute occurrit apud *Tac.* 1. *Ann.* 75. et 2. *Hist.* 59.; *Lucan.* 3. 107.; *Sil. It.* 8. 488.; *Stat.* 3. *Silv.* 3. 115.; *Martial.* 11. 99.; *Sueton. Ner.* 13.; et *Plin. Paneg.* 59. — *Curules ædiles* non modo Romæ, sed etiam in coloniis et municipiis affectatione quadam Romanarum dignitatum fuisse videntur. *Cic. Harusp. resp.* 13. 27., *Liv.* 7. 1. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (19). Ædilitas curulis. *L. Piso* apud *Gell.* 6. 9., *Liv.* 7. 1. et alibi, et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (42). Ædilis curulis. Et absolute *curulis*, hoc est ædilis curulis apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (42). *Inscript.* Ariminensis apud *Gruter.* 1091. 12., quæ est apud *Orell.* 3979., ubi *V.* variantes lectiones. L. BETVTIO . L . F . PAL . FVRIANO . P . P . LEG . III . ITAL . IIVIRO . QVINQ ., IIVIR . I . D ., IIIVIR . AEDILI . CVR . Adde *aliam* apud *Murat.* 13. 1., quæ pertinet ad Nuceriam Umbriæ, quamque interpretatur *Morcell. de stil. Inscr. T.* 1. p. 50., qui tamen perperam Romæ L. Nævium Titianum ædilitatem curulem gessisse putat. Item *aliam* apud eumd. *Murat.* 682. 6., ubi L. Betutio L. F. Furiano ædili et curalis jurisdictio et plebeja mandata est. Alia apud *Zachar. Marm. Salon.* p. 12. *n.* 7. D. M. M. AVRELII HERMOGENIS EQ. ROM. DEC. AEDILI CVR. ¶ 3. Denique *curulia jumenta* a *sellaribus* distinguit *Veget.* 6. *Veterin.* 7. 5. *Schneid.* Primum igitur ut pinguia sint jumenta tam in curulibus, quam in sellaribus decet. *h. e.* tam quæ currui junguntur, quam quæ inserviunt equitatui.

CŪRUS, i, m. 2. κόρος, puer. Vox Osca et Tusca. *V. Lanzi, Sagg. di ling. Etr. T.* 2. p. 530. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Sathana tibi irata sit, curabo, et qui te primus de curo defecit. *h. e.* qui te ab infantia dereliquit. In *Cod. Tragur.* est decuro, quod solvendum, itaque interpretandum probat *Franc. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna*, p. 118. *V.* etymon vocis in PUER.

CURVĀBĬLIS, e, adject. qui curvari potest. *Pallad.* 12. *R. R.* 15. 2. Ulmus et fraxinus si siccentur, rigescunt; curvabiles, catenis utiles habentur.

CURVĀMEN, inis, n. 3. curvatio, curvatura. *Ovid.* 2. *Met.* 130. Sectus in obliquum est lato curvamine limes. Adde eumd. 3. *ibid.* 672., 9. *ibid.* 450., 11. *ibid.* 590. et 12. *ibid.* 95. *Plin.* 9. *Ep.* 7. Villa unum sinum molli curvamine amplectitur. Adde *Sil. It.* 13. 29. *Gell.* 14. 1. Sub alio atque alio cœli curvamine.

CURVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus curvandi. *Colum.* 4. *R. R.* 12. 2. Paullum infra curvationem vitis prorepens pampinus. *Capell.* 6. p. 193. Sphæræ curvationes. *Id.* 8. p. 279. Æquinoctialis circulus – per edictas curvationes Hydri Crateraque et Corvum ad octavam Libræ partem inter duas lucidas signi illius stellas. *Et paullo post.* Coluri quoque aliquid curvationis eborentes etc.

CURVĀTŪRA, æ, f. 1. curvatio, curvamen; sed occurrit fere concreto, uti ajunt, sensu. *Vitruv.* 5. 1. 8. *Schneid.* Tribunal hemicycli schematis, minore curvatura formatum. *Id.* 2. 8. 11. Curvatura theatri. *Id.* 2. 10. 1. montis. *Ovid.* 2. *Met.* 107. de curru solis Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curvatura rotæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (72). Curvatura absidum. *Id.* 10. *ibid.* 19. 21. (42). unguium. *h. e.* aduncitas. *Id.* 17. *ibid.* 19. 30. (138). Ramum oleæ defigere in cruce fici, custoditum vinculis, ne curvatura fugiat.

CURVĀTUS, a, um. *V.* CURVO.

CURVESCO, is, ere, n. 3. Part. *Curvescens.* — Curvesco est curvus fio. *Ammian.* 22. 8. *sub init.* Unde mare semiorbe curvescens altrinsecus, lataque speriens terrarum divortia. *Ambros. in Luc.* 9. 9. Tales fructus olearum non curvescentium ubertate baccarum, sed spiritus plenitudine gentium fecundarum.

CURVĬFRONS. *V.* CORNIFRONS.

CURVĬTAS, ātis, f. 3. curvatura. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. *ante med.* Adversa Zodiaco curvitas obliquavit.

CURVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Curvans* et *Curvatus* I. — Curvo est curvum facio, curvum reddo, flecto in modum arcus (It. *curvare, piegare*; Fr. *courber, plier, voûter*; Hisp. *corvar, torcer, combar*; Germ. *krumm machen, krümmen, biegen oder beugen, wölben*; Angl. *to bow, bend, crook*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Corpuscula levia, aspera, curvata, et quasi adunca. *Virg.* 4. *G.* 299. vitulus bima curvans jam cornua frontem. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 41. Lances curvat aper. *Id.* 1. *Od.* 33. 15. fretis acrior Hadriæ curvantis Calabros sinus. *h. e.* qui impulsu underum curvam reddit oram Calabriæ. *Id.* 4. *ibid.* 2. 57. Curvati ignes lunæ. *Ovid.* 2. *Met.* 83. Curvare brachia. *Id.* 5. *ibid.* 383. et 11. *ibid.* 324. flexile cornu. *Id.* 17. *ibid.* 441. trabes. Adde *Propert.* 3. 22. 38. Rursus *Ovid.* 2. *Met.* 199. *de Scorpio.* Vulnera curvata minitantem cuspide vidit. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 21. Curvatur acies ferri. *Petron. Satyr.* 101. Curvati portus. *Seneca Hippol.* 25. Curvati litora Ponti. *Id. Thyest.* 156. Arbor curvata suis fetibus. *Id.* 1. *Achill.* 487. Ingentemque manu curvaret Delius arcum. — Et de hominibus. *Ovid.* 9. *Met.* 438. Æacon anni curvant. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 34. Membra senio curvata. — *b*) Cum addito, in quod quid curvatur. *Virg.* 3. *Æn.* 533. Portus curvatur in arcum. *Id.* 3. *ibid.* 564. Curvato in cœlum gurgite. *Id.* 4. *G.* 361. Curvata in montis faciem circumstetit unda. *h. e.* in altum curva figura se extollens. κυρτωθὲν κῦμα. (Adde *Sil. It.* 1. 472.). *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (184). Luna curvata in cornua. *Id.* 6. *ibid.* 6. 6. (18). Ora Bosphori utrimque ex Asia atque Europa curvatur in Mæotin. *Id.* 12. *ibid.* 5. 11. (22). Rami curvantur in terram. *Id.* 16. *ibid.* 42. 81. (223). Palmæ arbor valida: in diversum enim curvatur. *Id.* 11. *ibid.* 28. 35. (101). Quorumdam insectorum extremi pedes longiores foris curvantur, ut locustis. *Stat.* 6. *Theb.* 649. toto curvatus corpore.

II.) Translate. *Horat.* 3. *Od.* 10. 13. quamvis neque te munera, nec preces, Nec tinctus viola pallor amantium Nec vir Pieria pellice saucius Curvat. *h. e.* ad misericordiam flectit, exorat.

CURVOR, ōris, m. 3. curvatura. *Varro* 5. *L. L.* 104. *Müll.* Cucumeres dicuntur a curvore, ut curvimeres. *Id.* 7. *ibid.* 25. Cornua a curvore dicta.

CURVUS, a, um, adject. inflexus in modum arcus, deorsum deflexus: et universim qui rectus non est. Videtur esse a γυρός curvus, cum digammate Æolico γυϝός, cujus loco etiam usurpatur κυρτός a κέκυρται, præt. perf. pass. verbi κυρόω curvo, unde et curtus (It. *curvo, piegato in arco*; Fr. *courbe, arqué*; Hisp. *encorvado, arqueado*; Germ. *krumm, gekrümmt, rund gebeugt, bogenförmig, eingebogen*; Angl. *crooked, bowed, bent, curved*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Virg.* 2. *Æn.* 51. alvus equi. *Ovid.* 3. *Fast.* 520. aquæ. *Lucret.* 5. 931. et 6. 1232., et *Virg.* 1. *G.* 170. aratrum. *Ovid.* 5. *Met.* 536. arbor. *Id.* 9. *ibid.* 114. arcus. *Catull.* 63. 22. calamus. *Virg.* 1. *G.* 360. carinæ. *Id.* 3. *Æn.* 674. cavernæ. *Ovid.* 5. *Met.* 53. crinale. *Seneca Hippol.* 53. culter. *Ovid. Heroid.* 15. 131. delphines. *Id.* 3. *Amor.* 10. 14. dens. *Virg.* 1. *G.* 508. falces. *Id.* 2. *ibid.* 12. et *Ovid.* 3. *Met.* 342. flumen. *Ovid.* 12. *Met.* 277. forceps. *Id. Heroid.* 15. 148. gramen de pondere alicujus curvum erat. *Id.* 4. *Fast.* 216. juga. *Virg.* 2. *G.* 216. latebræ. *Ovid.* 12. *Met.* 243. lebetes. *Id.* 14. *ibid.* 830. limes. *Catull.* 64. 74.; *Virg.* 3. *Æn.* 238.; et *Ovid.* 11. *Met.* 253. littora. *Horat.* 4. *Od.* 5. 14. et *Epod.* 10. 21. litus. *Id.* 1. *Od.* 10. 6. et 3. *ibid.* 28. 11. lyra. *Ovid.* 2. *Met.* 163. naves. *Val. Flacc.* 5. 414. Olympus. *Virg.* 6. *Æn.* 5. puppes. *Propert.* 3. 7. 29. rates. *Virg.* 7. *Æn.* 184. secures. *Ovid.* 1. *Art. am.* 497. theatrum. *Martial.* 11. 59. theca. *Ovid.* 6. *Fast.* 296. tholus. *Virg.* 11. *Æn.* 737. tibia. *Horat. Epod.* 5. 93. unguibus curvis vultum petere. *h. e.* aduncis. *Virg.* 2. *Æn.* 748. vallis. *Seneca Hippol.* 630. via. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 39. vomer. — *b*) Dicitur et de personis. *V. Dig.* 21. 1. 3. *Plaut. Cas.* 1. 1. 36. Ita te aggerunda curvum aqua faciam probe. *Ovid.* 1. *Art. am.* 768. anus. *Virg.* 3. *Ecl.* 42. arator. *h. e.* qui in arando se curvat. *Juvenal.* 9. 145. cælator. *Ovid.* 3. *Met.* 276. membra. *Tibull.* 3. 5. 16. et *Ovid.* 2. 2. *Art. am.* 670. senecta. *h. e.* quæ curvos facit. ¶ 2. Speciatim *curva æquora* vel *freta* apud *Lucan.* 5. 450.; *Ovid.* 11. *Met.* 505.; et *Val. Flacc.* 1. 615. est mare procellosum, quia ventis undæ in altum tolluntur curva figura. Hinc *Ovid.* 15. *Met.* 507. Cum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum In montis speciem curvari et crescere visus. ¶ 3. Item de curru. *Manil.* 1. 740. currumque solutum Deflexum solito cursu, curvisque quadrigis. *h. e.* quatuor equis a recta via declinantibus. De Phaethonte loquitur.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 44. Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum. *h. e.* bona a malis, vera a falsis. — Similiter apud *Plin.* 5. *Ep.* 21. et *Sener. Apocol.* Corrigere curva. *V.* CORRIGO. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

CUSCŪLĬUM, ii, n. 2. κουσκύλιον. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 12. (32). Omnes tamen has roboris dotes ilex solo provocat cocco. Granum hoc, primoque ceu scabies fruticis, parvæ aquifoliæ ilicis (cusculium vocant) pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat. *Est qui legit* quisquilium. *V.* COCCUM.

CŪSIO, ōnis, f. 3. actus cudendi, ut *Cusio monetalis* apud *Imppp. Valentinian., Theodos.* et *Arcad. Cod. Theod.* 11. 16. 18.

CŪSO, as, are, a. 1. *frequentat. a cudo*, agnoscitur ut Latinum a *Priscian.* 10. *p.* 890. *Putsch.*, sed nullo confirmatur exemplo.

CŪSOR, ōris, m. 3. qui cudit. Inter plura artificum nomina *cusores* quoque enumerantur a *Constantino Imp. Cod.* 10. 66. (64). 1. et videntur esse, qui nummos cudunt.

CUSPĬDĀTIM, adverb. in cuspidem, in acutum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (102). Donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus.

CUSPĬDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

CUSPĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Cuspidatus.* — Cuspido est cuspidem alicui rei induco, acumino. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (126). Urorum cornibus præfixa hastilia cuspidant. *Id.* 18. *ibid.* 19. 49. (179). Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rallo.

CUSPIS, pidis, f. 3. acies, acuta extremitas (It. *punta, estremità acuta*; Fr. *pointe*; Hisp. *punta*; Germ. *die Spitze*; Angl. *the point*). Occurrit *A*) Stricto sensu, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu — *a*) De aculeo, quem natura scorpiis, apibus etc. tribuit. *Ovid.* 2. *Met.* 198. Hunc

(Scorpium) puer ut nigri madidum sudore veneni Vulnera curvatâ minitantem cuspide vidit etc. Plin. 21. Hist. nat. 13. 45. (78). Natura apibus cuspides dedit, et quidem venenatas. — b) Item de acie trabium, vomeris, conti, etc. Cæs. 2. B. C. 2. Asseres pedum duodecim cuspidibus præfixi. Plin. 18. Hist. nat. 18. 48. (172). Latior cuspis quarto vomerum generi, et acutior in mucronem fastigiata, eodemque gladio scindens solum, et acie laterum radices herbarum secans. Virg. 5. Æn. 208. Ferratasque sudes et acuta cuspide contos. Catull. 64. 256. Horum (Satyrorum) pars tectâ quatiebant cuspide thyrsos. Plin. 36. Hist. nat. 16. 25. (127). Cuspis baculi. — c) Præcipue de teli vel hastæ acie. Ovid. 7. Met. 673. Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuspis. Id. 6. ibid. 78. At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam. Sic Id. 5. ibid. 9. Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam. Adde eumd. 1. ibid. 470.; Horat. 2. Sat. 1. 14.; et Sil. It. 13. 197. Plin. 34. Hist. nat. 15. 45. (152). Telephum proditur sanasse Achilles, sive id ærea, sive ferrea cuspide (scil. hastæ) fecit. V. integrum locum. Cf. infra sub B. 1. — d) Et de hastilis, quo aquila gestatur, parte posteriore mucronata, qua terræ infigitur, Græce στύραξ. Sueton. Cæs. 62. Ut aquilifer moranti cuspide sit comminatus.

B) Latiori sensu ¶ 1. Per synecdochen ponitur pro hasta vel jaculo. Liv. 4. 38. Sequimini pro vexillo cuspidem meam. Id. 8. 7. Quem cuspide parmaque innixum, attollentem se ab gravi casu, etc. Adde eumd. 30. 18. Virg. 11. Æn. 40. patens in pectore vulnus Cuspidis Ausoniæ. Id. 12. ibid. 386. Alternos longa nitentem cuspide gressus. Adde Horat. 4. Od. 6. 8.; Ovid. 13. Met. 580. et Martial. 13. 93. Sic Plin. 36. Hist. nat. 5. 4. (19). Cuspis Minervæ. ¶ 2. Et pro tridente Neptuni. Ovid. 12. Met. 594. Neptunus loquitur. faxo, triplici quid cuspide possim, Sentiat. Id. ibid. v. 580. deus, æquoreas qui cuspide temperat undas. Adde Claudian. II. Rapt. Pros. 181. ¶ 3. Et pro veru. Martial. 14. 221. Parva tibi curva craticula sudet ofella: Spumeus in longa cuspide fumet aper. ¶ 4. Item cuspides dixerunt tubulos fictiles cum fundo pertuso, qua humor adventicius transire posset, in quos demittebant aliquot arundines colligatas libris, figebantque in terram in usum pedamenti vitibus fulciendis. Ita Varro 1. R. R. 8. 4.; cujus appellationis ratio vel inde petenda videtur, quod ii tubuli cuspidati erant, ut terræ infigi possent, vel quod ipsæ arundines cædebantur in cuspidem, quo in terram demissæ essent firmiores. ¶ 5. Denique accipitur et pro mentula. Pomponius apud Non. p. 470. 31. Merc. Coleata cuspis. h. e. τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικόν.

CUSSĪLĪRIS, ignavus, ex cossim et lirare. Nam arantes cossim incedunt, quia inter pedes habent porcam, sive terram editiorem, pedes autem habent in liris, sive sulcis: hoc autem dicebatur cossim lirare. Ex quo factum est, ut ignavi et oscitabundi, qui varici, et lentis passibus per urbem vagantur, cussilires sint appellati. Paul. Diac. p. 50. 13. Müll. Cussilirem pro ignavo dicebant antiqui.

CUSTŌDĒLA, æ, f. 1. Custodelam dicebant antiqui, quam nunc dicimus custodiam. Ita Paul. Diac. p. 51. 5. Müll. Sed et Apul. usurpavit non semel, ut 7. Met. Illas divitias publica custodela committere. Id. 9. ibid. init. Custodela carceris. Id. 10. ibid. Acriorem custodelam adhibere. Adde eumd. 2. ibid. Legitur vero etiam in vetere formula juris allata a Cajo 2. Instit. (edente iterum Goeschenio) 104. Familiam pecuniamque tuam endo mandatam tutelam custodelamque meam recipio. Ceterum hæc vox agnoscitur etiam a Priscian. 4. p. 632. Putsch.; et videtur fuisse vulgi propria.

CUSTŌDĬA, æ, f. 1. cura servandi aliquid ac tuendi (It. custodia, guardia; Fr. action de garder, garde, observation, surveillance, attention vigilante; Hisp. guardia vigilante, y cuidadosa atencion; Germ. die Wache, Hut; Angl. the act of keeping, preserving, or guarding). Occurrit A) Lato, et B) Stricto sensu.

A) Lato sensu custodia est cura servandi aliquid ac tuendi, seu diligens vigilantia, qua alicui cavetur, ne is in mala aut in errores incidat; et usurpatur

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Genitivo subjecti, hoc est ejus, qui custodit. Cic. 2. Nat. D. 63. 158. Custodia tam fida canum. Horat. 1. Ep. 1. 22. dura matrum. Colum. 8. R. R. 1. 3. pastoris. Quintil. 1. 2. 25. pædagogorum. — b) Cum Genitivo objecti, hoc est personæ aut rei, quæ custoditur. Virg. 4. G. 327. Custodia pecudum. Cic. Planc. 41. 97. et 42. 101. capitis alicujus. Sueton. Galb. 12. corporis. Cels. 2. 2. sui. cf. Sueton. Aug. 49. Cic. 2. Nat. D. 48. 124. conservandi sui. Id. Planc. 1. 2. salutis alicujus. Cæs. 3. B. C. 39. navium longarum. Cic. 2. Fin. 34. 113. fida custodia justitiæ. h. e. cura et conservatio. Liv. 4. 24. libertatis. Id. 6. 1. fidelis custodia memoriæ rerum gestarum. Quintil. 6. 1. 20. religionis. h. e. jurisjurandi. Id. 11. 1. 57. decoris. V. alia mox sub c. — c) Jungitur et pluribus Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. Cic. 2. Legg. 12. 29. advigilare ad custodiam ignis. Nevius apud Non. p. 323. 1. Merc. agere regalis corporis custodias. Liv. 5. 10. agere custodiam urbis. Plaut. Rud. 3. 6. 20. agitare custodiam alicubi. Tac. 1. Ann. 6. apponere aliquem custodiæ alicujus. Plaut. Rud. 3. 2. 11. committere alicui aliquid in custodiam. Id. Merc. 2. 1. 9. concredere aliquid alicui in custodiam. Nepos Miltiad. 3. credere alicui custodiam pontis. Cic. Sull. 15. 42. continere tabulas custodia privata. Liv. 42. 19. (velle aliquem) esse sub hospitum privatorum custodia. Cic. Mur. 31. 64. ponere aliquem in custodia alicujus rei. Cæs. 3. B. C. 40. posita navis ab Acilio ad custodiam. Plaut. Rud. 3. 3. 34. recipere aliquem in custodiam suam. Cæs. 2. B. G. 29. relinquere sex millia hominum custodiæ ac præsidio alicui rei. Cic. Rabir. perduell. 7. 21. tegere ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis. Id. Cluent. 11. 31. tegit liberos materni corporis custodia. Liv. 5. 52. tenetur pignus imperii custodiâ templi alicujus. Cf. Cic. Brut. 96. 330. Quoniam post Hortensii mortem orbæ eloquentiæ quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam septam liberali custodia: et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque ut adultam virginem etc. Forcellinus. h. l. translate accepit. Petron. Satyr. 102. Funis, qui scaphæ custodiam tenet. h. e. navi alligatam retinet. Plaut. Most. 2. 1. 59. tradere aliquid alicui in custodiam. Cæs. 3. B. C. 39. tradere alicui custodiam alicujus rei. ¶ 2. Specialim locum habet in re militari, cum scilicet nonnullis asservandi, observandi, tuendi aliquid cura demandatur. Cæs. 1. B. C. 17. Interim suos cohortatus, tormenta in muris disponit; certasque cuique partes ad custodiam urbis attribuit. Adde eumd. 3. ibid. 39. et 40.; Nævium apud Non. p. 323. 1. Merc., et Nepot. Miltiad. 3.: quæ omnia superius retulimus sub 1. c. Sic Ovid. 12. Met. 148. Dumque vigil Phrygios servat custodia muros, Et vigil Argolicas servat custodia fossas. — Et figurate Cic. Marcell. 10. 33. Polliceri alicui excubias et custodias.

II.) Improprie per metonymiam ¶ 1. Custodiæ dicuntur qui custodiam agunt. — a) In sing. num. Catull. 62. 33. Namque tuo adventu vigilat custodia semper. Adde Virg. 9. Æn. 166.; et Ovid. 8. Met. 685. et 14. ibid. 371. — b) Sæpius in plur. num. Cic. 5. Verr. 24. 60. Equitem Romanum scitote biduum cibo tectoque prohibitum, biduum Leontinis in foro custodiis Apronii retentum atque servatum, neque ante dimissum, qam ad conditiones ejus depactus est. Id. 4. Cat. 4. 8. Horribiles custodias alicui circumdare. Adde eumd. 1. ibid. 3. 8. et 2. ibid. 12. 26. Id. 10. Att. 16. Custodiæ, quibus asservor. Cæs. 7. B. G. 27. Quod paullo incautius custodias in muro dispositas videbat. Adde eumd. ibid. 19. et 78. Auct. B. Afr. 88. Omnibus portis custodias ponit. Flor. 1. 13. Per medias hostium custodias. Adde Liv. 21. 32. et 26. 4. ¶ 2. Item locus, ubi aliquis custodiæ causa manet. Cic. 7. Phil. 7. 19. Idcirco in hac custodia, tamquam in specula, collocati sumus, ut etc. Id. pro leg. Manil. 6. 16. Cum publicani familias maximas, quas in agris habent, quas in portubus atque custodiis etc. h. e. in locis, ubi a servis publicanorum custodiebatur, ne quis non soluto vectigali portorii transiret. Cf. eumd. Prov. cons. 5. 16. — Similiter custodia dicitur domus ad custodiendum sepulcrum. V. circumcluarus in fine voc. CIRCUMCLUDO. De custodia monumentorum vide plura apud Fabrett. Inscript. p. 393.

B) Stricto sensu custodia ad personam refertur, quæ publice vel privatim ita adservatur, ut agendi atque a loco, in quo detinetur, exeundi careat libertate: et occurrit

I.) Proprie. — a) Usurpatur de ipsa personæ detentione (It. arresto; Fr. arrêts; Hisp. arresto, secuestro; Germ. die Haft; Angl. custody). Libera custodia dicitur, cum quis non publico carcere detinetur, sed per urbem in privata alicujus domo, vel per municipia adhibitis custodibus, jussu publico asservatur: idque vel honoris causa in reis honestioribus factitatum est, vel ne, cum plures essent ejusdem criminis rei, consilia inter se communicarent. Hoc fiebat solummodo priusquam crimen confessi essent: nam post confessionem publico carcere detinebantur ad pœnam. Exemplum liberæ custodiæ habes apud Liv. 24. 45., ubi narrat de quodam Dasio Altino Arpino, quem Calibus interdiu solutum custodes sequebantur, nocte clausum asservabant. Sall. Cat. 48. Senatus decernit, ut Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cæparius Cn. Terentio senatori traduntur. Liv. 39. 14. Comprehensos libero conclavi ad quæstionem servarent. Vellej. 1. 11. Perseus quadriennio post in libera custodia Albæ decessit. Adde Tac. 6. Ann. 3. — Similiter ad personæ detentionem pertinet illud Cic. 2. Tusc. 21. 48. Ergo hoc quidem, ut famulos, vinclis prope ac custodia. subaudi coerceamus. Liv. 39. 50. Custodiam alicujus alicui credere. — b) Sæpe usurpatur non modo de personæ detentione, verum etiam de carcere; ita ut alterum ab altero haud facile discernas. Cic. 1. Cat. 8. 19. Quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui seipsum jam dignum custodia judicaverit? — Ceterum jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua sunt hæc. Cic. 7. Verr. 30. 77. asservari custodiis. Plaut. Capt. 2. 2. 4. circummœniti sumus vinclis custodiisque. Tac. 4. Hist. 2. condere aliquem in custodiam. Cic. 1. Tusc. 21. 48. (vinciri et) constringi amicorum propinquorumque custodiis. Id. 7. Verr. 27. 69., 1. Cat. 8. 19. et 4. Cat. 5. 10. dare aliquem in custodiam. Id. 1. Tusc. 29. 71. educere aliquem e custodia. Id. ibid. 49. 118. emitti nos e custodia et levari vinculis arbitremur. (Venulej. Dig. 50. 16. 224. discrimen tradit inter custodiam et vincula, quod illa publicam tantum custodiam significat, hæc vero vel privatam vel publicam). Cic. 1. ad Brut. 6. eripere aliquem e custodia. Id. Rabir. Post. 8. 12. et 1. Divinat. 25. 52. esse in custodia. Plaut. Pœn. 5. 6. 28. esse in lignea custodia. Tac. 1. Hist. 58. haberi in custodia. Cic. 7. Verr. 55. 143. includere aliquem in custodias. Tac. 1. Hist. 67. retinere aliquem in custodia. Sall. Cat. 50. teneri in custodiis. Id. ibid. tradere aliquem in custodiam. Sic Cic. 1. ad Q. fr. 2. 4. Hominem comprehendit, et in custodiam Ephesi tradidit. — Et figurate. Id. Cic. 6. de republ. 15. Corporis custodiis se liberare. h. e. moriendo.

II.) Improprie, per metonymiam ipsi quoque rei vinculis detenti custodiæ appellantur. Sueton. Cal. 27. Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, a calvo ad calvum duci imperavit. Adde eumd. Tib. 61., Ner. 31. et Domit. 14.; Senec. Ep. 5. et 77.; Plin. 10. Ep. 30. et 31.; Dig. 43. 3. 12., 48. 1. 12., 48. 19. 28. § 14. et alibi.

CUSTŌDĬĀRĬUM, ii, n. 2. vigiliarium, casula sive ædificium, in quo quis habitat ad custodiam templi, aut carceris, aut sepulcri. Inscript. apud Murat. 32. 3., quæ est apud Orell. 1351. VESTAE, ET MATRIBVS T. CELERINVS TEMplum, PORTICVM, ET CVSTODIARIVM DE sua PECVNIA. Tertull. ad Martyr. 2. Vos benedicti de carcere in custodiarium translati. h. e. de mundo in publicum carcerem translati, quia mundus verus est carcer. Id. advers. Jud. 3. et Isajæ c. 1. v. 8. ubi Vulgata habet tugurium in cucumerario, et LXX. ὀπωροφυλάκιον, vertit custodiarium in cucumerario. Cassiod. 2. Hist. Eccl. 18. Hierusalem desertam, sicut pomorum custodiarium, inveniens (Helena), requisivit sepulcrum Christi. V. CUSTODIA sub A. II. 2. in fin. et VIGILIARIUM.

CUSTŌDĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui custodiam agit. CORPVS CVSTODIARIORVM in Inscript. apud Gruter. 48. 1., quæ est apud Orell. 1541., videtur fuisse collegium hominum ad custodiam templi, aut alicujus ædis publicæ destinatorum.

CUSTŌDĬO, is, ivi vel ii, itum, ire, a. 4. Custodibitur antique pro custodietur habet Plaut. Capt. 3. 5. 71. — Custodibant pro custodiebant legitur apud Catull. 64. 319. Vellera virgati custodibant calathisci: h. e. continebant: sic adibant, lenibant, scibant etc., neque est infrequens in verbis quartæ. — Part. Custodiens sub A. I. 1.°; Custoditus sub A. I. 1.°; Cu-

stoditurus sub A. II. a.; Custodiendus sub B. 1. b. — Custodio est asservo, observo, tueor, custos sum alicujus personæ aut rei (It. guardare, osservare, custodire; Fr. garder, conserver, observer, veiller sur; Hisp. guardar, conservar, invigilar; Germ. bewachen, bewahren, hüten, in Gewahrsam halten; Angl. to keep, guard, preserve, watch). Occurrit autem A) Lato, et B) Stricto sensu.

A) Lato sensu custodire est tueri, ne quis in mala aut in errores incidat; interdum etiam cum amore vel reverentia conjungitur.

I.) Proprie. — 1.°) Absolute. — a) Generatim. Cic. Planc. 10. 26. Aliquem recipere, juvare, custodire. Id. 12. Phil. 9. 22. Aliquem non solum amicorum fidelitas, sed etiam universæ civitatis oculi custodiunt. Id. Mil. 25. 67. Delecta juventus, quæ tuum corpus domumque custodit. Id. 6. Verr. 47. 107. Insula a Cerere incolitur custoditurque. Id. Planc. 1. 1. Custodire salutem alicujus. Id. 10. Phil. 11. 26. Provinciam tueri, defendere, custodire incolumemque conservare. Liv. 4. 56. Regnum tutela sua custodire augereque. Cf. Seneca Œdip. 704. Regna custodit metus. Rursus Liv. 36. 2. Custodire maritimam oram viginti longis navibus. Horat. 3. Od. 26. 6. paries, Lævum marinæ qui Veneris latus Custodit. Id. 2. Sat. 3. 151. Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet heres. Cf. eumd. ibid. v. 123. Id. 2. ibid. 1. 39. sed hic stilus haud petet ultro Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis Vagina tectus. Ovid. 9. Met. 190. Pomaque ab insomni male custodita dracone. Seneca Ep. 10. Custodire lugentem timentemque. Plin. 12. Hist. nat. 14. 22. (59). Officinam nulla satis diligentia custodit. Id. ibid. Custodire arbores. Id. 17. ibid. 21. 35. (158). Custoditi surculi. Id. ibid. 19. 30. (138). Ramus custoditus vinculis. Alter Plin. 4. Ep. 9. ignem. Quintil. 7. 10. 13. urbes. Id. 1. 2. 4. Formare et custodire pudorem in ætate prima. — b) Speciatim custodire se est sibi cavere, sibi ac saluti suæ providere. Cic. 14. Att. 17. a. 8. Tu, quoniam rempublicam nosque conservas, fac, ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias. Id. 2. Nat. D. 49. 126. Jam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiæ, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant. — c) Item speciatim custodiri dicuntur poma et similia, quæ, quocumque modo condita, in posterum edenda servantur. Colum. 12. R. R. 45. 3. Custodire poma in melle. Plin. 28. Hist. nat. 16. 63. (224). Leporis pulmones custoditi sale. Huc referri potest et illud ejusdem Plin. 26. ibid. 8. 30. (48). Ladanum custodit nigritiam capillorum. — d) Item figurate de iis, quæ animo retinentur. Cic. 1. Orat. 28. 127. Percipere animo et memoria custodire. Id. 2. ibid. 2. 7. Custodire litteris. h. e. litteris mandare. Cf. Plin. 16. Hist. nat. 44. 85. (234). Arbores, quas memoria hominum custodit. Adde Quintil. 11. 2. 9. Rursus Plin. 30. Hist. nat. 1. 2. (4). Memoria et ars commentariis non intercidentibus custodita. Id. 37. ibid. 7. 28. (102). Herba custodiens loci nomen. h. e. quæ nomen ducit a loco, ubi nascitur. Sic Id. 4. ibid. 15. 29. (101). Rhenus modicum nomini suo custodiens alveum. — 2.°) Addita, per Ablat. et præpos. ab, re, a qua quis aut quid custoditur. Nepos Hann. 9. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris, quam ab Hannibale; ne etc. Plin. 28. Hist. nat. 8. 25. (29). Leonis adipes cutem in facie custodiunt a vitiis. Quintil. 11. 1. 66. Custodire teneriores annos ab injuria. Id. 2. 2. 3. aliquem ab injuria.

II.) Translate est servare, observare; et occurrit — a) Absolute. Colum. 1. R. R. 8. 25. Custodire præcepta. Adde Plin. 17. Hist. nat. 18. 29. (125). Rursus Colum. 4. R. R. 29. 11. rationem aliquam. Id. 12. ibid. 4. 1. ordinem. Plin. 35. Hist. nat. 2. 2. (5). ferias omni mense. Id. 14. ibid. 12. 14. (88). morem. Id. 36. ibid. 15. 24. (120). Amphitheatri forma custodita. Quintil. 1. 2. 4. Custodire regulam scribendi. h. e. orthographiam. Id. 4. 2. 35. modum. h. e. adhibere. Id. 10. 1. 71. decorem. Id. 11. 39. differentiam in causis. Plin. 8. Ep. 16. testamenta, ut legitima. h. e. observare, rata habere. Id. Paneg. 65. religiose quod juraveris. Gell. 2. 24. parcimoniam sanctionibus legum. Martial. 8. procem. Quod ut custoditurum me lecturi sciant. Huc pertinet et illud Plin. 17. Hist. nat. 14. 24. (102). de insitione. Cuneo tenui fissuram custodiente, donec descendat in rimam calamus. h. e. apertam servante. Et illud Petron. Satyr. 102. Custodire siderum motus. h. e. observare, contemplari. — b) Sequente part. ne vel ut. Colum. 4. R. R. 24. 11. Putator custodire debet, ne – relinquat. h. e. cavere. Sic Id. 11. ibid. 3. post med. Sed custodiendum est, ut quam minime ad eum locum mulier admittatur.

B) Stricto sensu custodire aliquem, est tueri et cavere, ne quid in aliorum detrimentum ille agat; et custodire rem aliquam est tueri et cavere, ne quis eadem abutatur. ¶ 1. Generatim. — a) De personis. Cic. 1. Cat. 2. 6. Multorum te etiam oculi atque aures non sentientem – speculabuntur atque custodient. Sic Q. Cic. Petit. cons. 14. 55. Fac, ut se abs te custodiri atque observari sciant. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 16. 51. Quid mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non solum ne quid enuncies, sed etiam ne quid auferas, custodiendus sis? Liv. 37. 49. Custodire iter alicujus. Tac. 2. Hist. 52. sermones alicujus. h. e. captare. — b) De inanimis. Cic. 6. Fam. 5. Liber tuus et lectus est et legitur a me diligenter et custoditur diligentissime. Sic Id. 15. Att. 13. Orationem tibi misi. Ejus custodiendæ et proferendæ arbitrium tuum. Sueton. Tib. 51. Custodire codicillos. Quintil. 12. 1. 20. simulationem. ¶ 2. Specialiter significat in vinculis detinere. Plaut. Capt. 3. 5. 71. Nam noctu nervo vinctus custodibitur. Cic. 7. Verr. 27. 68. Custodire ducem prædonum. Adde eumd. apud Quintil. 9. 3. 50. Cæs. 6. B. G. 4. Obsidibus imperatis centum, hos Æduis custodiendos tradit. Adde eumd. 1. B. C. 20.; Liv. 9. 42.; et Tac. 4. Hist. 63. Plin. 7. Hist. nat. 28. 29. (104). Nullo non die in catenis aut compedibus custoditus. Cf. Virg. 8. Æn. 217. Reddidit una boum vocem vastoque sub antro Mugiit et Caci spem custodita fefellit.

CUSTŌDIŎLA, æ, f. 1. parva custodia sepulcri. V. CUSTODIA et CUSTODIARIUM. Inscript. non optimæ notæ apud Murat. 1013. 5. SEPTIMIA DIONYSIAS IN HAC CVSTODIOLA PALLADIANA CVM AEDIFICIOLO ET MONIMENTO, QVOD DE FRVGALITATE MEA FABRICAVI A SOLO, etc.

CUSTŌDĪTĒ, adverb. Comp. Custoditius. — Custodite est custodia et cura adhibita, ne modum excedatur. Plin. 5. Ep. 16. Quam studiose lectitabat! ut parce custoditeque ludebat! Id. 9. ibid. 26. ad fin. Custoditius pressiusque dicere.

CUSTŌDĪTIO, ōnis, f. 3. opera ad custodiendum quid sumpta. Ita Paul. Diac. p. 61. 15. Müll. Vulgat. interpr. Sapient. 6. 19. Custoditio autem legum, consummatio.

CUSTŌDĪTUS, a, um. V. CUSTODIO.

CUSTOS, ōdis, m. et f. 3. Ratione habita etymi, videtur esse a con et adsto, ut Vossio placet: vel a κέκυσται præter. pass. verbi κύω, quod proprie significat comprehendo, custodio. — Ceterum custos est qui aliquid servat, tuetur, conservat (It. guardiano, guardia, custode, osservatore; Fr. garde, gardien, conservateur, surveillant; Hisp. guardia, guardian, vigilante; Germ. der Wächter, d. Bewahrer, d. Hüter; Angl. a keeper, preserver, guard, watch). Occurrit A) Lato, et B) Stricto sensu.

A) Lato sensu custos dicitur, et est qui servat, tuetur, cavetque, ne quis in mala aut in errores incidat, et usurpatur ¶ 1. Generatim. — a) De personis. Plaut. Curc. 1. 1. 76. Anus hic solet habitare custos. Cic. 2. Phil. 18. 45. Custodes posuit, ne limen intrares. Id. Flacc. 19. 45. Custos positus frumento publico. Id. Sext. 65. 167. Senatum reipublicæ custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt. Ovid. 3. Amor. 4. 1. Imponere custodem alicui. Martial. 10. 69. dare alicui. Tac. 6. Ann. 19. circumjicere. Id. 3. ibid. 28. indere. Id. 13. ibid. 24. amovere. Juvenal. 5. 40. custos affixus ibidem, Qui numeret gemmas unguesque observet acutos. Virg. 11. Æn. 836. At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis Alta sedet summis etc. Ubi Servius: Vel ministra, vel observatrix. Potest et pro comite accipi: vel custos mandatorum Triviæ, etc. — Ceterum fere jungitur cum Genitivo rei, quæ custoditur. Sall. fragm. Hist. p. 239. Gerl. agri captivi. Colum. 9. R. R. 5. 3. apum. Cic. post red. in senat. 14. 35. et 12. Phil. 10. 25. capitis. Ennius apud Non. p. 39. 2. Merc. antiqua herilis fida custos corporis. Cf. Lucret. 3. 324., cujus verba. V. mox sub b. Et Nepos Datam. 9.; Liv. 24. 7.; Curt. 5. 1. 42.; et Sueton. Cal. 55. corporis custos. h. e. Græce σωματοφύλαξ. Cic. 2. leg. Agr. 9. 24. cupiditatum custos ac vindex. Id. 6. Verr. 43. 94. fani. Nepos Datam. 5. gazæ regiæ. Horat. 4. Od. 5. 2. gentis custos (princeps). Virg. 10. Ecl. 36. gregis. Sueton. Cal. 59. hortorum. Cf. Nepot. Pausan. 4. Tac. 4. Ann. 30. jurium. Cic. 2. leg. Agr. 6. 15. libertatis præses et custos tribunus plebis. Martial. 12. 53. luci Scythici custos draco. Cic. 3. Phil. 11. 27. et Horat. 4. Od. 12. 10. ovium. Horat. 2. Ep. 1. 255. pacis custos Janus. Quintil. 4. 2. 73. patrimonii. Curt. 5. 1. 20. pecuniæ regiæ. Liv. 44. 26. pecuniæ, quam regni melior custos. Stat. 9. Theb. 508. pecoris. Nepos Miltiad. 3. pontis. Cic. 2. Cat. 12. 27. portæ. Id. 7. Verr. 6. 12. provinciæ custos defensorque. Horat. 4. Od. 15. 17. rerum custos Cæsar. Curt. 3. 6. 1.; Quintil. 5. 11. 8.: et Tac. 3. Ann. 14. salutis. Cic. Dom. 55. 141. templorum custos ac præses. Horat. 1. Ep. 1. 17. virtutis veræ custos rigidusque satelles. — Armorum custos erat in navibus, in legionibus, inter equites singulares. Inscript. apud Marin. Frat. Arv. p. 827. C. RVTILIVS CELER ARMORVM CVSTOS EX EADEM (quadriere). Alia apud Orell. 1395. IN H. DD. (h. e. in honorem domus divinæ) DEO MERCVRIO AEDEM ARAM MAGISSIVS HIBERNVS C. A. (h. e. custos armorum) LEG. XXII. P. P. F. (h. e. legionis XXII. Primigeniæ Piæ Felicis). Alia apud Gruter. 509. 7. M. VLPIO MATVRO SIGNIF. TVRMA SERENI EQ. SING. AVRELIVS NOVELLIVS ARMORVM CVSTOS. Adde alias apud Orell. 1937. et 3464. — b) Usurpatur et de abstractis. Lucret. 3. 324. Corporis custos natura. Cic. 2. Tusc. 14. 33. Custos dignitatis fortitudo. Id. 2. Off. 7. 23. Malus custos diuturnitatis metus. Id. 4. Fin. 7. 17. Sapientia custos et procuratrix totius hominis. Quintil. 8. 5. 19. Leges diligentissimæ pudoris custodes. — c) Item de inanimis, ac præcipue de thecis, in quibus aliquid reponitur. Ovid. 8. Met. 320. Ex humero pendens resonabat eburnea lævo Telorum custos. h. e. pharetra. Id. 13. ibid. 703. Dantque sacerdoti custodem turis acerram. Juvenal. 10. 144. titulique cupido Hæsuri saxis cinerum custodibus. ¶ 2. Speciatim custodes dicuntur dii, qui aliquem sibi locum elegerunt eumque suo numine tuentur ac fovent. Cic. Sext. 24. 54. Dii custodes conservatoresque hujus urbis. Id. Dom. 57. 144. Custos urbis Minerva. Sueton. Domit. 5. Novam excitavit ædem Jovi custodi. Adde Tac. 3. Hist. 74. Horat. 3. Od. 22. 1. Montium custos Diana. Id. 1. ibid. 28. 29. Juppiter Neptunusque sacri custos Tarenti. ¶ 3. Item speciatim custodes dicuntur pædagogi. Plaut. Pseud. 3. 2. 76. Item his discipulis privos custodes dabo. Adde eumd. ibid. 4. 2. 19.; Ter. Phorm. 2. 1. 57.; et Nepot. Dion. 4. Horat. 1. Sat. 4. 116. mi satis est, si Traditum ab antiquis morem servare tuamque, Dum custodis eges, vitam famamque tueri Incolumem possum. Id. ibid. 6. 81. Ipse (pater) mihi custos incorruptissimus omnes Circum doctores aderat. Id. Art. P. 161. Imberbis juvenis tandem custode remoto etc. Cf. eumd. 3. Od. 4. 79. et 16. 5. et 1. Sat. 2. 98.; et adde Juvenal. 7. 218. ¶ 4. Item Cic. post red. in Senat. 7. 17. Me affinem tuum, quem comitiis prærogativæ primum custodem præfeceras. Adde eumd. ibid. 11. 28. Id. 2. leg. Agr. 9. 22. Tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode sortitus. Custodes hisce locis erant, qui in comitiis adhibebantur, ne qua vel in sortitionibus, vel suffragiis fraus admitteretur. Varro 3. R. R. 5. 18. custodem candidati appellat. ¶ 5. Custodes etiam dicuntur canes villatici et pastorales. Virg. 3. G. 405. Veloces Spartæ catulos acremque Molossum Pasce sero pingui. Numquam custodibus illis Nocturnum stabulis furem incursusque luporum Horrebis. Colum. 7. R. R. 12. 1. Custodes muti. — Et de Cerbero dixit Virg. 6. Æn. 424. Occupat Æneas aditum custode sepulto. ¶ 6. Custos apud Vitruv. 9. 4. 1. Schneid. est Arctophylax, signum cæleste. ¶ 7. Denique in vitibus custos (Itali vocant guardia vel saettolo) dicitur novellus palmes duarum vel trium gemmarum, qui submittitur eo fine, ut proximo anno materiam, hoc est palmites fructiferos præbeat, si vitis luxuria se consumpserit: aliis nominibus resex et præsidiarius dictus; quia vitem custodit, hoc est conservat et renovat. Colum. 4. R. R. 21. 3. et 24. 3., et Arbor. 5.; et Plin. 17. Hist. nat. 22. 35. (181).

B) Stricto sensu custos in malam partem accipitur pro eo, qui explorat et observat. ¶ 1. Generatim. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 16. 51. Custodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? h. e. custos est homo, qui observet, ne in judicio aut

actor prævaricetur, aut testis corrumpatur. Eodem sensu Cato R. R. 66., 67., 144. et 145. custodem appellat servum, qui præest olei factoribus. Cæs. 1. B. G. 20. extr. (Cæsar) Dumnorigi custodes ponit; ut, quæ agat, quibuscum loquatur, scire possit. Adde Ter. Eun. 2. 2. 55. et 59.; Cic. 7. Verr. 25. 63.; Nepot. Dion. 9.; et Curt. 5. 11. 2. Sueton. Tib. 12. Non cessavit efflagitare aliquem cujuslibet ordinis, custodem factis et dictis suis. ¶ 2. Specialim custos dicitur, qui carceribus præest. Interdum cum addito ipso nomine, ut apud Plaut. Asin. 2. 2. 31. et Sueton. Tib. 75. Custos carceris. Interdum absolute, ut apud Horat. 1. Ep. 16. 76. In manicis et Compedibus sævo te sub custode tenebo. Adde Plaut. Mil. glor. 2. 2. 57.; Nepot. Eumen. 11. et Alcib. 4.; et Tac. 2. Ann. 63.

CŪTĪCŬLA, æ, f. 1. deminut. a cutis, parva cutis. Quod ad quantitatem attinet, hæc Priscian. 3. p. 612. Putsch. Cum omnia hujuscemodi deminutiva tam pænultimam, quam antepænultimam corripiunt, cuticula ti antepænultimam producit. Juvenalis (11. 203.): Cum bibet æstivum contracta cuticula solem. Quod eum facere metri necessitas compulit; quatuor enim breves habens dictio in heroico poni non aliter poterat. Hæc eadem ferme habet Adhelm. apud A. Maium in Class. Auct. T. 5. p. 573. Pers. 4. 18. uncta vixisse patella Semper, et assiduo curata cuticula sole.

CUTICULATIM. V. CRATICULATIM.

CŪTĬO, ōnis, m. 3. multipeda, porcellio, insectum quod tactu se in pilæ rotunditatem contrahit: a callosa cute. Hoc cum rosaceo tritum coctumque medetur aurium doloribus. Marcell. Empir. 8. § 5. a med. V. locum in SUBMEJO.

CŬTIS, is, f. 3. In Accus. singulari habet etiam cutim. Cels. 3. 21. a med. Scilla cocta deligatur super cutim. At edit. Targæ ex optim. Codd. habet: Scilla cocta delinitur. — Ratione habita etymi, Paul. Diac. p. 51. 7. Müll. Cutis Græcam habet originem: hanc enim illi κύτος dicunt. V. Müll. ad h. l. Vossius mallet legi σκῦτος. — Ceterum cutis est pellis, corium (It. cute, pelle, cotenna; Fr. peau; Hisp. cuero, piel ó pellejo, cutis; Germ. die Haut; Angl. the skin).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu cutis est extimum tegumentum carnis animalium. — a) In singulari numero. Plancus apud Cic. 10. Fam. 18. 3. Si quid intra cutem subest vulneris. Adde Horat. 1. Od. 28. 13., 1. Ep. 18. 7. et Art. P. 476.; Ovid. 3. Met. 397., 6. ibid. 387., 8. ibid. 803. et 4. Trist. 6. 42. Cels. 2. 8. Aqua inter cutem. Id. 1. 4. Caput ad cutem tondere. Plin. 28. Hist. nat. 12. 50. (186). Fel tauri post detractam cutem. Id. ibid. 11. 48. (175). Cutis, quam relinquunt angues. Id. 23. ibid. 1. 14. (19). Labruscæ uvæ cutem in facie mulierum purgant. Adde eumd. 28. ibid. 12. 50. (163). et Quintil. 11. 3. 78. Veget. 1. Veterin. 6. 1. Schneid. Osibus adstringitur cutis, et ad tactum tractanti dura resistit. — Differt a pelle, quod hæc est mortuorum et detracta corpori, cutis autem vivorum et adhærens, quamquam confunduntur aliquando. Juvenal. 10. 191. deformem pro cute pellem. Pers. 3. 95. surgit tacite tibi lutea pellis. Adde Phædr. 1. 21., Colum. 6. R. R. 13. 2. et Lucret. 6. 1192. — Dicitur aliquando de corio. Martial. 1. 101. Calceus est sarta terque quaterque cute. — b) In plurali numero. Plin. 11. Hist. nat. 37. 45. (128). Cornua cervorum cutibus enascuntur. Id. 6. ibid. 31. 36. (200). Duarum Gorgonum cutes in Junonis templo posuit. Adde Melam 2. 1. extr. — c) Curare cutem apud Horat. 1. Ep. 4. 15. et 2. 29. et Juvenal. 2. 105. est se bene curare. — d) Cute perditus apud Pers. 1. 23. est senio et rugis deformis, seu morbo confectus. — e) Ego te intus et in cute novi proverb. apud Pers. 3. 30. h. e. ego te cognosco interius et exterius, quod Itali dicunt so quanto pesi. — f) Intra cutem suam cogere aliquem aliud proverb. apud Senec. Ep. 9., h. e. in officio continere, pro quo Horat. dixit 1. Sat. 6. 22. in propria pelle quiesce. et Martial. 3. 16. te, mihi crede, memento Nunc in pellicula cerdo tenere tua. — g) Pugil Cleomachus a Tertull. Pall. 4. dicitur intra cutem et ultra cæsus, quia cinædus ex pugili evaserat. V. CÆSUS. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de integumentis aliarum rerum, ac præcipue plantarum: in quo differt a crusta et cortice, quæ sunt crassiora. Plin. 12. Hist. nat. 19. 43. (95). Casia nascitur in montibus, tenui cute verius, quam cortice. Id. 27. ibid. 10. 60. (84). Herba cute lauri. Id. 15. ibid. 10. 9. (36). Nucleorum cutis verius, quam putamen. Id. ibid. 28. 34. (112). Crusta teguntur glandes, cute uvæ, corio Punica. Id. 16. ibid. 24. 38. (90). Folia rubi cute spinosa. Id. 20. ibid. 19. 79. (207). Radix bracilii in summa terræ cute. Id. 2. ibid. 48. 49. (131). Obducta nubium cute.

II.) Translate. Quintil. 5. 12. 18. Habitum orationis virilem, et illam vim stricte robusteque dicendi tenera quadam elocutionis cute operimus. Cf. eumd. 10. 2. 15. Gell. 18. 4. Nec primam tantum cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum eruere.

CŪTĪTUS, a, um, adject. in cute perculsus, cæsus. Paul. Diac. p. 113. 13. Müll. Intercutitus vehementer cutitus, id est valde stupratus. Hanc vocem confirmat Glossar. vet. edit. ab A. Mai. in Class. Auct. T. 7. p. 145. Cutitus, stupratus.

CUTURNIUM vas, quo in sacrificiis vinum fundebatur. Hæc Paul. Diac. p. 51. 1. Müll. Al. leg. coturnium. Ceterum V. GUTTURNIUM.

CȲĂMĬAS vel

CȲĂMĒA, æ, f. 1. κυαμεία, gemma nigra, quæ fracta fabæ similitudinem præfert, a κύαμος faba. Plin. 37. Hist. nat. 11. 73. (188). Sillig. legit cyamias.

CȲĂMUS, i, m. 2. a Græca voce κύαμος faba, est nomen, quo aliqui colocasiam vocabant, ut docet Plin. 21. Hist. nat. 15. 51. (87). De synonymia V. COLOCASIA; et cf. cl. Fée, Op. cit. vol. 3. p. 53.

CȲĂNĔUS, a, um, adject. κυάνεος. ¶ 1. Est cæruleum colorem referens. Plin. 10. Hist. nat. 32. 47. (89). Avis colore cyaneo. Prudent. 1. Simmach. 302. cyaneæ Nymphæ. Id. Psychom. 858. Cyanea stagna. ¶ 2. Apud Isid. 16. Orig. 9. cyanea est gemma Scythiæ cæruleo coruscans nitore, pura interdum, et punctulis intermicantibus, auratis pulvisculis varians. Sunt qui putant esse, quam nostri vocant turchina. V. voc. seq. sub 2. — NB. V. et ONOM.

CȲĂNOS vel Latina positione

CȲĂNUS, i, m. 2. κύανος. ¶ 1. Flos quidam a colore cæruleo dictus, post rosam nascens: appellatus a quibusdam Italice fior campese, et battisegola. Plin. 21. Hist. nat. 8. 24. (48). et 11. 39. (68). Est centaurea cyanus L. Cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 29.) hæc ait: « C'est là la centaurée bluet, si commune dans nos moissons, et avec laquelle on se plait encore à faire des couronnes. La culture en a varié les couleurs à l'infini. On ne peut reconnaître, dans les écrits des Grecs, rien qui puisse nous faire croire qu'ils aient connu le bluet, car nous ne pouvons nous ranger à l'avis de Sprengel qui veut le voir dans la μήκων ἀφρώδης καὶ Ἡράκλεια de Dioscoride 4. 67. et de Théophraste 4. 13. » ¶ 2. Item gemma apud Plin. 37. Hist. nat. 9. 38. (119)., quæ videtur esse eadem cum cyanea descripta in voce præced. sub 2.

CȲĂTHISSO, as, are, n. 1. κυαθίζω. Poetis et cyathizo scribere. — Cyathisso est potum cyathis subministro. Plaut. Men. 2. 2. 29. Tibi sæpissime cyathisso, apud nos quando potas. — Ceterum hoc verbum agnoscitur etiam a Macrob. de differ. Gr. Lat. Verb. p. 2765. Putsch.

CȲĂTHUS, i, m. 2. κύαθος, genus magni poculi, a κύω turgeo, capax sum. Occurrit specialim tantum, et ¶ 1. Est genus vasis, quod in conviviis bibendo inserviebat. Varro 5. L. L. 124. Müll. docet, successisse in conviviis in locum simpuli, ducto more a Græcis. Plaut. Pers. 5. 2. 16. At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excutiam tuum. Adde eumd. Pseud. 4. 2. 3. et Stich. 5. 4. 24.; et Ter. Adelph. 4. 2. 52. Martial. 1. 72. Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur, Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus. Tangit Martial. morem tot pocula bibendi, quot litteris constabant nomina amicorum. V. BIBO. Horat. 1. Od. 29. 7. Puer quis ex aula capillis Ad cyathum statuetur unctis. h. e. ad officium pincernæ. Adde eumd. 1. Od. 19. 8. et 3. ibid. 18. 13.; et Sueton. Cæs. 49. Juvenal. 9. 46. sed tu sane tener et puerum te, Et pulcrum, et dignum cyatho, cæloque putabas. h. e. munere pincernæ, quo fungitur Ganymedes ad mensam Jovis. Hinc servus a cyatho vel ad cyathum est pincerna. Inscript. apud Gruter. 582. 4. DORYPHORO CAESARIS A CYATHO. Adde aliam apud Fabrett. p. 715. n. 370. ¶ 2. Est etiam mensura parva liquidorum et aridorum, pondere drachmarum decem, ut Plin. 21. Hist. nat. 34. 109. (185). tradit, continensque sextarii partem duodecimam, teste Rhemn. Fann. de ponderib. 80. Hinc Horat. 3. Od. 19. 11. tribus, aut novem Miscentor cyathis pocula commodis. h. e. pocula, quæ tres aut novem cyathi mensuras continent. Adde eumd. 1. Sat. 1. 55. Colum. 8. R. R. 4. 5. Singulis gallinis quaterni cyathi diurna cibaria sunt. Plin. 20. Hist. nat. 21. 84. (224). Dimidium cyathum succi malvæ sorbere. Id. 14. ibid. 9. 11. (85). Cyathus salis.

CȲBÆA, æ. V. voc. seq.

CȲBÆUS, a, um, adject. κυβαῖος a κύβη, ita dicitur genus quoddam navis onerariæ. Cic. 7. Verr. 17. 44. Navem vero Cybæam maximam, triremis instar, etc. — Eam quadratam fuisse, et a κύβος dictam, aliqui suspicantur. Alii ἀπὸ τῆς κύπης, quæ Hesychio est εἶδος νεώς, genus navis. Alii leg. cybea, alii etiam aliter. — Hinc

Cybæa, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est navis cybæa. Cic. 6. Verr. 8. 17.

CȲBĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui cybia seu salsamenta facit, et vendit. Arnob. 2. 38. Cybiarios, salinatores, bolonas, etc.

CȲBĬCUS, a, um. V. CUBICUS.

CȲBINDIS. V. CYMINDIS.

CȲBION, ii, n. 2. V. CYBIUM.

CȲBĬŎSACTES, is, m. 3. a κύβιον cybium, et σάττω constipo, qui cybia seu salsamenta parat et condit. Hoc habuit cognomen rex quidam Alexandriæ in Ægypto, atque ita per ludibrium cognominatus est Vespasianus Aug. Sueton. Vesp. 19. Alexandrini Cybiosacten eum vocare perseveraverunt, cognomine unius e regibus suis turpissimarum sordium. Ex Strab. l. 17. p. 796. et Dione l. 37. c. 57. cognoscimus, Cybiosacten fuisse cognominatum Seleucum quemdam, e Syriacorum regum stirpe, quem Berenice filia Ptolemæi Dionysi, regina Ægypti, consortem thalami regnique cum fecisset, paucos intra dies ob illius illiberalitatem strangulavit anno LXXI. ante Chr. n.

CȲBĬUM vel Græca positione cybion, ii, n. 2. κύβιον. ¶ 1. Stricto sensu est pelamis, ex qua dissecta salsamentum fiebat, de quo V. sub 2. Varro 5. L. L. 77. Müll. Muræna, cybium, thynnus. Paul. Diac. p. 52. 15. Müll. quoque genus piscis esse docet, quia, inquit, piscantes id genus piscium, velut aleam ludunt. Ubi tum de ipso pisce, tum de concisis ejus frustis intelligendus est. ¶ 2. Latiori sensu est frustum quadrata figura concisum, et sale conditum: a κύβος cubus, ut Paul. Diac. l. c. docet. Fiebat præcipue ex pelamide. Plin. 9. Hist. nat. 15. 18. (48). Pelamydes in apolectos particulatimque consectæ, in genera cybiorum dispertiuntur. Id. 32. ibid. 11. 53. (151). Tritoy pelamydum generis magni, ex quo terna cybia fiunt. Martial. 5. 78. Divisis cybium latebit ovis.

CȲCĔON, ōnis, m. 3. κυκεών, genus potionis ex multis liquoribus confectæ. Arnob. 5. 25. Sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quem nuncupat Græcia. Adde eumd. ibid. 26. V. COCETUM et POLENTA: et de cyceone V. Coray Theophr. Charact. p. 177.

CYCHRĀMUS, i, m. 2. κύχραμος, avis, quæ coturnices trans mare redeuntes comitatur. Plin. 10. Hist. nat. 23. 33. (66). Alii leg. cynchramus, ut etiam Græce κύγχραμος.

CȲCLĂDĀTUS, a, um, adject. cyclade indutus. Sueton. Cal. 52. Manuleatus et armillatus in publicum processit, aliquando sericatus et cycladatus.

CȲCLĂMĪNON, i, n. 2. vel

CȲCLĂMĪNUS, i, m. 2. κυκλάμινος. Etiam Cyclaminis, is, effertur a Marcell. Empir. cujus loc. cit. V. in ORBICULARIS. — Cyclaminus herba est folia habens maculis albicantia, minora hedera, nigrioraque, et teneriora sine angulis, caulem exiguum et inanem, florem purpureum, radicem latam, ut rapum videri possit, cortice nigro. Nascitur in umbrosis: a Latinis tuber terræ vocatur. Itali rustici appellant pan porcino, quia pabulum porcis jucundissimum esse, observatum est. Alia est cognomine cissanthemos, geniculato caule, supervacuo, circa arbores se volvens, acino hederæ, sed molli, flore candido, specioso, radice nullius usus. Tertia est cognomine chamæcissos uno folio, radice ramosa. Hæc fere Plin. 25. Hist. nat. 9. 67. (116)., ubi varios etiam recenset earum usus in medicina. Adde eumd. 26. ibid.

8. 58. (90)., 29. *ibid.* 3. 11. (47).; nec non 21. *ibid.* 9. 27. (51). et 11. 38. (64)., ubi neutro genere extulit, hoc nomine appellat tum herbam, tum ipsius herbæ florem. Adde *Scribon. Compos.* 7., 8. et 71. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 352.) hanc exhibet synonymiam: *Arthanita* Arabor.; Κυκλάμινος Dioscor. 2. 198.; *Cyclamen* Plin. loc. cit. et *Palalia* Apul. sunt *Cyclamen Hederæfolium* Ait. Hort. Kew. 1. 196. Ceterum *V.* CISSANTHEMOS et CHAMÆCISSOS in hoc Lexico.

CȲCLAS, ădis, f. 3. Penultimam produxit *Venant.* 8. *carm.* 6. 271. Bractea gemmatam cycladem fila catenant. — Ceterum *cyclas*, κυκλάς, est vestis muliebris genus (ut et *Servius* tradit ad *Virg.* 1. *Æn.* 286.) ex tenui panno, amplæ, prælongæ, et sinuosæ, totumque corpus circumtegentis: a κύκλος *circulus*, *orbis*, quia ad imum rotunda erat, vel quia assutum oræ limbum aureum vel purpureum, in orbem habebat. *Juvenal.* 6. 258. Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. *Propert.* 4. 7. 36. Quæ modo per viles inspecta est publica noctes, Hæc nunc aurata cyclade verrit humum. *Vopisc. Saturn.* 9. Cyclade uxoris amictus. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. *ad fin.* Jam palmata consularis, jam cyclade pronuba, jam toga senator honoratur.

CȲCLĬCUS, a, um, adject. κυκλικός, nempe orbicularis, seu circularis: occurrit autem, ad Græcorum imitationem, in artibus tantum. ¶ 1. *Horat. Art. P.* 136. Nec sic incipias, ut scriptor cyclicus olim. Ubi *Acron. vet. Scholiast.* Cyclicus, qui ordinem variare nescit; vel qui carmina sua circumfert, quasi circumforaneus, circulator. Quæ posterior interpretatio verior videtur. Alii tamen volunt intelligi eum, qui integrum aliquod corpus, seu orbem fabularum, vel historiæ composuerit. (*V. Casaubon.* in *Athen.* l. 7. c. 2.). Est etiam qui putat Cyclicus esse nomen proprium. *Bentlejus* legi vult *cyclius*, a Græco κύκλιος, quod idem omnino significat, ac κυκλικός, et versum suaviorem reddit. ¶ 2. *Capell.* 9. *p.* 336. Hæc (*satura*) immiscuit Musas deasque: disciplinas cyclicas Garrire agresti nuda finxit plasmate. *h. e.* eas disciplinas, quæ tunc temporis in scholis docebantur, nempe grammaticam, dialecticam, rhetoricam, geometriam, arithmeticam, astronomiam, musicam. Nunc diceremus *l'enciclopedia*.

CȲCLŎPHŎRĒTĬCUS, a, um, adject. κυκλοφορητικός, qui circum fert. *Capell.* 8. *p.* 275. Quo loco solis, lunæ ac siderum signiferique orbis se obliquitas circumducit, quod cyclophoreticum cyma gymnasia retulerunt. *Kopp.* et alii Græcis litteris scribunt.

CȲCLUS, i, m. 2. κύκλος, circulus. *Isid.* 2. *Orig.* 36. Axiom cycli. *Id.* 6. *ibid.* 17. Paschalis cyclus. — Est etiam vox medicorum. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Est autem resumptivi cycli ordinatio formanda hoc modo. – Perfecto resumptivo cyclo erit metasyncriticus adhibendus. – Tunc isto cyclo perfecto, erit alius adhibendus solo ex vomitu etc. *Veget.* 3. *Veterin.* 5. 3. *Schneid.* Quem si curare volueris, cyclo curabis. V. *Schneid.* ad h. l. et adde *Veget.* 3. *ibid.* 6., ubi non semel hæc vox occurrit. Sic *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 11. Et cetera, quæ cyclo consueta sunt adhiberi partibus præcordiorum.

CȲCNĀRĬUM, ii, n. 2. collyrium ab *Oribasio*, et *Alex. Trallian.* κύκνος vocatum. *Inscript.* apud *Tochôn cachets des oculist. p.* 60. M. VLPII HERACLETIS CYCNARIVM AD IMPETVM. Cf. *Orell.* ad *Inscript.* 4254.

CȲCNĒUS vel cygneus, a, um, adject. κύκνειος, ad cycnum pertinens. *Cic.* 3. *Orat.* 2. 6. Illa tamquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 1. Jam mea cycneas imitantur tempora plumas. *Inscript.* apud *Murat.* 655. 1. QVONDAM EGO PIERIO VETERVM MONVMENTA CANORE DOCTVS CYCNEIS ENVMERARE MODIS. *Seren. Sammon.* 11. 155. Cicneos adipes hilari misceto Lyæo. — *NB.* Ceterum *V.* ONOM.

CȲCNUS vel cygnus, i, m. 2. κύκνος. Aliquando prima syllaba corripitur, more Græcorum, n littera liquescente. *Horat.* 4. *Od.* 3. 20. Donatura cycni, si libeat, sonum. Adde *Auson. epist.* 20. 8.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu *cycnus*, Græca vox, Latine *olor*, avis candida, anseri similis sed major, circum stagna, lacus et flumina incolens, arguta voce prædita, præsertim imminente jam morte, quam instinctu quodam præsentiens, cum cantu et voluptate significare dicitur: quam ob causam Apollini sacra est (hinc *augurales alites* dicuntur cycni a *Capell.* 1. p. 11.). *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. *Plin.* tamen 10. *Hist. nat.* 23. 32. (63). cycni morituri cantum falsum esse arbitratur: originem forte fabulæ dedit illa narratio de Platone, quam habet *Apul.* 1. *Dogm. Plat. sub init.* Adde *Lucret.* 4. 181. et 910.; *Virg.* 9. *Ecl.* 27.; *Ovid.* 5. *Met.* 387. et 14. *ibid.* 430.; et *Martial.* 13. 77. 2. — *Quid enim cycnis contendat hirundo?* proverb. in eos, qui impares cum fortioribus congrediuntur, apud *Lucret.* 3. 7., cui simile est illud *Virg.* 8. *Ecl.* 55. Certent et cycnis ululæ. — Dicuntur cycni currum Veneris trahere. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 808. et 10. *Met.* 708. ¶ 2. Fabulantur fuisse hoc nomine regem Liguriæ, Stheneli filium, Phaetonti propinquum, dulcedine cantus ab Apolline donatum: cujus fulmine icti mortem longo luctu deflens, in avem conversus sit, quæ moriens flebile canit. *Hygin. Fab.* 154. et *Virg.* 10. *Æn.* 189., *Servius* et *Ovid.* 2. *Met.* 367. — Ab Apolline in cælum translatus fuit, et collocatus inter circulum Arcticum et Tropicum Cancri, capite versus Lyram, cauda ad caput Cephei, sidus constans stellis tredecim. *Hygin.* 3. *Astron.* 7.

II.) Figurate cycnus accipitur pro poeta. *Virg.* 9. *Ecl.* 27. Vare, tuum carmen Cantantes sublime ferent ad sidera cycni. *Horat.* 4. *Od.* 2. 25. Multa Dircæum levat aura cycnum. *h. e.* Pindarum Thebanum, nam Dirce fons est in Bœotia. — *NB.* De nomin. propr. *V.* ONOM.

CYDĂRIS, is, f. 3. *V.* CIDARIS.

CYDĂRUM, i, n. 2. genus navigii. *Gell.* 10. 25. *extr.*

CȲDŌNĪTES, æ, m. 1. Absolute est quod Itali dicunt *cotognato*, cydonia scilicet mala concisa et decocta. Legitur apud *Pallad.* 11. 20. in lemmate. *V.* et voc. seq.

CȲDŌNĪTUM, i, n. 2. idem quod cydonites. *Isid.* 17. *Orig.* 7. Ex cujus pomo cydonitum conficitur.

CȲDŌNĬUS, a, um, adject. ad cotoneum pertinens. Hinc *Cydonia mala* (quæ et *Cydonia* absolute dicuntur a *Propert.* 3. 11. 27. et *Calpurn.* 2. *Ecl.* 91.). *V.* COTONEUM. — Sic *Cydonia arbor*, et *Cydonia* absolute, *h. e.* malus cotonea. *V. ibid.* — Hinc

Cydonius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est arbor cydonia. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 20. Amant cydonii locum frigidum, humectum.

CYDŌNEUM, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est potio ex malis cydoniis facta. *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. Cydoneum, et si qua alia sunt, quæ non ex vinea fiunt, vini appellatione non continebuntur.

CȲGNĒUS, a, um. *V.* CYCNEUS.

CȲGNUS, i. *V.* CYCNUS.

CȲITIS. *V.* CYTIS.

CYLĬBĀTHUM. *V.* CIBILLA.

CȲLINDRĀTUS, a, um, adject. figuram cylindri habens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 33. (125). Siliquæ rotundæ ciceri, piso cylindratæ. Ita *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. Al. *cylindraceæ*.

CȲLINDRUS, i, m. 2. κύλινδρος, lapis, aut lignum, aut quidvis aliud, oblongum quod sit ac rotundum instar columnæ, æquale tamen omnibus partibus, neque in medio tumens, ut in columnis fit: a κυλίω *volvo*. ¶ 1. De figura mathematica. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. At mihi vel cylindri, vel coni, vel pyramidis (*forma*) videtur esse formosior. Adde *eumd. Fat.* 19. 41.; et *Apul. de mundo.* ¶ 2. Hinc cylindrum appellavere lapidem hujus figuræ, quo utebantur rustici ad areas æquandas, huc et illuc sæpius volutando. *Cato R. R.* 129. Aream cylindro, aut pavicula coæquato. *Virg.* 1. *G.* 178. Area cum primis ingenti æquanda cylindro. *Vitruv.* 10. 2. 12. *Schneid.* In palæstris cylindri exæquant ambulationes. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 319. et 11. *ibid.* 3. 34. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 46. (158). Calcare aliquid cylindro. — Hoc sensu, adjectivi more, *Gell.* 6. 2. *a med.* Lapidem cylindrum si per spatia terræ prona atque deruta jacias. ¶ 3. Gemmæ quoque hac figura quæ sunt, hoc nomine appellantur. *Juvenal.* 2. 61. donant arcana cylindros. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (78). Cylindros ex beryllis facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine. *Id. ibid.* 8. 34. (113). Cylindri ex chrysoprasso. Adde *Paul. Dig.* 34. 2. 32. § 9. *Inscript.* apud *Murat.* 139. 1., quæ est apud *Orell.* 2510. ZMARAGDI DVO CYLINDRI N. VII. *et mox.* IN DIGITO SVMMO ANVLVS CVM ZMARAGDO, IN SOLEIS CYLINDRI N. VIII. *h. e.* cylindri zmaragdini.

CȲMA, ătis, n. 3. *Græca positione*, κῦμα, ut dixit *Lucilius* apud *Non. p.* 195. 5. *Merc.* et *Colum.* 10. *R. R.* 130.: vel

CȲMA, æ, f. 1. *Latina positione* apud reliquos. — Etiam *cuma* scribitur ob affinitatem litterarum *u* et *y*. *Edict. Dioclet.* p. 15. Cumæ optimæ fasceni I. X quattuor. — Ceterum cyma est quorumdam olerum, et præsertim brassicæ delicatior teneriorque cauliculus, ut *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (137). definit, qui emitti solet vere primo, suavissimus esui, sed medicinæ inutilis, ut *Id.* 20. *ibid.* 9. 35. (90). tradit. Dicta est a κύημα contracte, quasi partus, quia florem et semina continet suo tempore eruptura. *Cels.* 2. 21. Mali succi est brassica, magisque etiam cyma ejus. *Plin. loc. prius cit.* Brassica cymas a prima sectione præstat proximo vere. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 24. Brassicæ major pars in cymam prosilit. *Id.* 10. *ibid.* 130. Frigoribus caules, et veri cymata mittit. *Lucilius* apud *Non. p.* 195. 5. *Merc.* Asparagi molles, viride cyma. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 54. 2. et *Pallad.* 5. *R. R.* 3. 1. et alibi.

CȲMA, ătis, n. 3. significat etiam fluctum seu fluctuationem, vel circuitum, ut et Græca vox κῦμα. Hæc cl. *Furlanetto*, in *Append.* At potius κῦμα est elementum: physici enim Græci elementa λεπτομερῆ, ignem, aerem, aquamque, sed et ipsum æthera κύματα vocaverunt. Hinc *Capell.* 8. *p.* 275. Quarum circa medium, quod dixere centron, aquæ primum, aerisque sequens, tertium ignis cyma commemorant: et tunc quinto quodam corporeæ substantiæ temperamento æthereos circumvolare fulgores, quo loco solis, lunæ, ac siderum signiferique orbis se obliquitas circumducit, quod κυκλοφορητικὸν κῦμα gymnasia retulerunt. *V. Kopp.* ad *h. l.* Alii Latinis litteris scribunt.

CȲMĀTĬLIS, e, adject. Scribitur et *cumatilis*: facile enim et ex veterum Latinorum consuetudine Græcum υ in u transit. — Cymatilis dicitur qui est coloris viridis et marini, aut quod idem fere est, cærulei, ac Veneti: a Græco κῦμα *fluctus*, *unda*. Ita *Nonius* p. 548. 8. *Merc.* Hinc *Ovid.* 3. *Art. am.* 177. Hic (*color*) undas imitatus, habet quoque nomen ab undis. *h. e.* cymatilis color. *Titinius* apud *Non. loc. cit.* Et quem colos cymatilis deceat. *Plaut. Epid.* 2. 2. 49. Cymatile, aut plumatile, cerinum aut gerrinum. *Commodian.* 10. 1. Neptunum facitis deum ex Saturno pronatum Et tridentem gerit, ut pisces suffigere possit: Patet esse deum cumatilem illo paratu.

CȲMĀTĬON, et *Latina positione*

CȲMĀTĬUM, ii, n. 2. In *vet. Lapide* apud *Gruter.* 207. *col.* 2. habetur *cumatium* ea ratione, quæ dicta est in voce præced. — Ceterum *cymatium* est membrum in architectura, cujus pars quædam est turgidior, quædam pressior, idque molliter et sine angulo, in modum aquæ undantis: a κῦμα *unda*. Locum habet in capitulis, epistiliis, stylobatis, coronis etc., ut patet ex *Vitruv.* 3. 5. 7. et 4. 1. 7. *Schneid.* Adde eumd. 3. 5. 10., 4. 3. 6. et 8., et 4. 6. 2.

CYMBA, æ, f. 1. Scribitur et *cumba* ea ratione, qua in CYMATILIS dictum est. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 69. quos properes rimosæ imponere cumbæ. *h. e.* occidere. Adde *Paul. Diac.* p. 51. 6. *Müll.* *Bentlej.* quoque *cumbæ* edidit in *Horat.* 2. *Od.* 3. 28. — Cymba est Græca vox κύμβη, teste *Paul. Diac. l. c.*, a κύμβος *cavus recessus*, ut *Hesych.* interpretatur. Itaque proprie videtur significare illas, quas *Virg.* 1. *G.* 136. appellat *alnos cavatas*. Universim autem est genus navigii minoris, amnibus et lacubus stagnisque trajiciendis, quod Phœnices invenisse ait *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (208). (It. *barca*; Fr. *barque*, *canot*; Hisp. *barca*, *canoa*; Germ. *der Kahn*, *Nachen*; Angl. *a boat*, *pinnace*, *skiff*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Afranius* apud *Non. p.* 535. 31. *Merc.* Tum conscendo cymbam interibi luci piscatoriam. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Cymbarum ante hortulos multitudo. *Ovid.* 2. *Trist.* 329. Non ideo debet pelago se credere, si qua Audet in exiguo ludere cymba lacu. *Id.* 6. *Fast.* 777. Celeri decurrere cymbæ. *Id.* 1. *Met.* 293. Cymba adunca. *Id.* 3. *Amor.* 6. 4. Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu Concava trajecto cymba rudente vehat. — *b*) Specialim de navi Charontis. *Virg.* 6. *Æn.* 303. Et ferruginea subvectat corpora cymba. *Horat.* 2. *Od.* 3. 28. Omnium Versatur urna serius ocius Sors exitura, et nos in æternum Exsilium impositura cymbæ. *Propert.* 3. 16. 24. Scandenda est torvi publica cymba senis.

II.) Improprie. *Propert.* 3. 3. 22. Cur tua præscri-

plos eversa est pagina gyros? Non est ingenii cymba gravanda tui. Cf. *Ovid.* 3. *Art.* am. 26. et *Quintil.* 12. 10. 37.

CYMBAGO, as, are, a. 1. a *cymba* et *ago*: ago cymbam. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 178.

CYMBĂLĀRIS, is, f. 3. herba eadem ac cotyledon, seu umbilicus Veneris. *Apul. Herb.* 43.

CYMBĂLĬCUS, a, um. adject. ad cymbalum pertinens. *Venant.* 2. *carm.* 13. 57. Cymbalicæ voces calamis miscentur acutis.

CYMBĂLISSO vel cymbalizo, as, are, n. 1. κυμβαλίζω, cymbalum quatio. *Cassius Hemina* apud *Non.* p. 90. 25. *Merc.* Mulier cantabat tibiis Phrygiis, et altera cymbalissabat.

CYMBĂLISTA, æ, m. 1. κυμβαλιστής, qui pulsat cymbala. *Apul. de Deo Socrat.* Strepitu cymbalistarum et tympanistarum, et choraularum. *Inscript.* optimæ notæ, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CIX., in *Annal. dell' Instit. archeol.* T. 3. p. 403. HELIOPAES CYMBALISTA.

CYMBĂLISTRĬA, æ, f. 1. κυμβαλίστρια, quæ cymbalum pulsat. *Petron. Satyr.* 22. *extr.* Intrans cymbalistria, et concrepans æra, omnes excitavit. *Inscript.* apud *Gruter.* 318. 12. HIC SITA EST PROPITIAE (*forte leg.* PROPITIA) PVPA ET FAMVLA BACCHI: CIMBALYSTRIA. Alia apud *Murat.* 1980. 7. VETTII SACRVM ET MINERVAE BERECINTIAE CONCORDIA COLLIBERTA IANVARII CIMBOLIACO (*corrige* CYMBALISTRIA LOCO) SECVNDO etc. Alia apud *Jo. Heyn. Carlium Act. Ital.* T. 2. p. 114., quæ est apud *Orell.* 2150. MAGNAE DEVM MATRI Q. PVBLICIVS CHARITO SACERDOS ET C. PVBLICIVS HERMES AEDITVVS ET SECVNDA CYMBALISTRIA. Adde *aliam* apud *Orell.* 2449.

CYMBĂLĪTIS, is, f. 3. (κυμβαλῖτις) herba eadem ac cymbalaris. *Marcell. Empir.* 14.

CYMBĂLUM, i, n. 2. *Cymbalûm* pro *cymbalorum* habet *Catull.* 63. 21. — Cymbalum

I.) Proprie est Græca vox, κύμβαλον, ab eadem radice, unde *cymba*, et significat instrumentum æreum cavum, hemicycli figura (ut ex *Servio* ad *Virg.* 4. *G.* 64. habetur) latumque instar pelvis, quod percussum instar crotali, sistri, aut cujusvis crepitaculi sonum edit. Adhibebatur præcipue in sacris Cybeles a Corybantibus et Gallis ejus ministris: item in saltationibus obscenis et lascivis conviviis, et Bacchanalibus nocturnis. *Virg. loc. cit.* Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum. Ubi *Servius*: Quæ in ejus tutela sunt, quod similia sint hemicycliis cœli, quibus cingitur terra, quæ est mater deorum. *Lucret.* 2. 618. Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum Concava. *Cic. Pis.* 9. 20. Neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala ac crotala fugi. *Id. ibid.* 10. 22. Cum collegæ tui domus cantu et cymbalis personaret. *Quintil.* 11. 3. 59. Quod si omnino recipiendum est, (*h. e.* cantus in pronunciatione) nihil causæ est, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, immo mehercule, quod est huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus. Similem huic locum habet *Plin.* 2. *Ep.* 14. 13. — Quod in Bacchanalibus quoque adhibitum sit, testis est locuples *Liv.* 39. 8. et 10. — Fere autem in plurali num. usurpatur, quia bina pulsari solebant, alterum cum altero collidendo, et conjunguntur sæpe cum tympanis, ut apud *Liv.*, *Plin.* et *Lucret. loc. cit.*, *Ovid.* 4. *Fast.* 213., *Plin.* 5. *Hist.* nat. 1. 1. (7). et *Apul.* 8. *Met. sub fin.*, quia simul cum his in sacris pulsabantur. *Stat.* 8. *Theb.* 221. Gemina æra sonant, idemque terga etc., *h. e.* cymbala et tympana.

II.) Improprie. ¶ 1. *Plin. præfat. Hist. nat.* § 25. Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Cæsar cymbalum mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potius videri posset. *h. e.* ubique personans certaminibus et contentionibus litterariis, unde et πλειστονείκης cognominatus est. *Virg. Catal.* 7. Ite hinc, inanes, cymbalon juventutis. *h. e.* scholastici rhetores et grammatici obstrepentes assidua contentione docendi auribus juventutis. Quo pertinet *epigr.* 60. *l.* 9. *Martial.* ¶ 2. In machinis hydraulicis *cymbala* dicta sunt ob similitudinem vasa quædam ad sonum edendum accommodata. *Vitruv.* 10. 8. 5. *Schneid.*

CYMBĬUM, ii, n. 2. κυμβίον, genus vasis, a figura cymbæ ita dicti, teste *Paul. Diac.* p. 51. 10. *Müll.* ¶ 1. Ita dicitur vas potorium. Multa autem sunt, inquit *Macrob.* 5. *Saturn.* 21., poculorum genera a re navali cognominata. *V.* ibi plura ex Græcis auctoribus hac de re. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 548. 29. *Merc. Virg.* 3. *Æn.* 66. Inferimus tepido spumantia cymbia lacte. *Id.* 5. *ibid.* 267. Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis. *Martial.* 8. 6. 2. Ficta Saguntino cymbia malo luto. Adde *Dig.* 34. 2. 32. § 1. ¶ 2. Item vasculum, quod illuminandis ædibus inservit. *Apul.* 11. *Met.* Quorum primus lucernam claro præmicantem porrigebat lumine, non adeo nostris illis consimilem, quæ vespertinas illuminant epulas; sed aureum cymbium medio sui patore flammam suscitans largiorem. *Al. minus recte leg.* cybium.

CYMBĬUS, ii, m. 2. fornix cymbæ formam referens. *Coripp. Laud. Justin.* 3. 196. Quas (*columnas*) super ex liquido præfulgens cymbius auro Immodico, simulans convexi climata cœli, Quatuor in sese nexos curvaverat arcus.

CYMBŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a cymba, parva cymba. *Plin.* 8. *Ep.* 20. 7. Ut cymbulæ onerariis adhærescunt. Adde *Not. Tir.* p. 170., ubi tamen pro *cymbula* legitur *cumbila*.

CYMESTOR. *V.* CYMISSOR.

CȲMĪNĀTUS, a, um. *V.* CUMINATUS.

CȲMINDIS, is, f. 3. κύμινδις, accipitris genus noctu volans, internecinum bellum cum aquila gerens. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 10. (24). At *Sillig.* ex bonis Codd. legit *cybindis*, atque hæc addit in notis: «Scripturam a nobis receptam commendant etiam libri plerique omnes apud *Aristot. Hist. anim.* 9. 12. p. 615., 6. 10. coll. *Schneid.* ad h. l. *T.* 3. p. 92. Vulgatam scripturam præfert *Gesner. Hist. anim.* 3. 56.

CYMĪNUM. *V.* CUMINUM.

CYMĪNUS. *V.* CUMĪNUS.

CȲMISSOR, ōris, m. 3. videtur esse pro cymestor, hoc est cymarum comestor. *Ammian.* 28. 4. 28. Quidam calceorum expertes, cymissores, statarii, semicupæ nitent nominibus cultis.

CYMŌSUS, a, um, adject. cymis abundans. *Colum.* 10. *R. R.* 138. Quæ duri præbent cymosa stirpe Sabelli.

CYNA, æ, f. 1. arbor est in Arabia, folio palmæ simili, ex quo Arabes vestes sibi conficiunt. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 11. 22. (39). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 23.) hæc ait: «Cet arbre, sur lequel Pline n'avait sans doute que des notions vagues, ne peut se rapporter avec certitude à aucune plante connue.»

CȲNĂCANTHA, æ, f. 1. κυνάκανθα, *h. e.* spina canis: a κύων, κυνὸς *canis*, et ἄκανθα *spina*: planta est, cujus vermiculi cantharides generare dicuntur a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 35. 41. (118).

CȲNANCHE, es, f. 1. κυνάγχη, angina. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 1. Hic etiam cynanchen, vel lycanchen hanc passionem (*synanchen*) vocaverunt: siquidem frequenter hæc etiam animalia afficiat. Nam canes κύνας, lupos λύκους vocaverunt, quorum quoque similes voces sive ululatus in synanchica passione constituti, cum præfocari cœperint, emittunt. *V.* PARACYNANCHE.

CȲNĂPANXIS, is, f. 3. aliud nomen, quo *cynosbatos* vocari affirmat *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 74. (121). *V.* CYNOSBATOS 2.

CȲNĒGĔTĬCOS, a, um, adject. κυνηγετικός *venatorius*. Cynegetica volumina quæ de venatione tractant, et ita inscripsere opus suum *Gratius Faliscus* et *Olympius Nemesianus*, a κυνηγέω *venor*.

CȲNĬCE, es, f. 1. κυνική, Cynicorum secta, apud *Auson. epigr.* 27. 1. Inventor primus Cynices ego (*Antisthenes*).

CȲNĬCE, adverb. κυνικῶς, more Cynicorum. *Plaut. Stich.* 5. 4. 22. Potius in subsellio cynice accipiemur, quam in lectis.

CȲNĬCUS, a, um, adject. κυνικός, proprie caninum significat, a κύων, κυνὸς *canis*. Sed occurrit translate tantum et quidem Græcorum imitatione in artibus. ¶ 1. *Cynici spastici* dicuntur a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 24. (60). qui obnoxii sunt distortionibus et convulsionibus quibusdam, quæ in morem canini rictus ora distorquent. Ita legit et interpretatur *Harduin.* ex MSS. Cf. *Cels.* 4. 2. Circa faciem morbus innascitur, quem Græci κυνικὸν σπασμὸν nominant. Nihil aliud est, quam distortio oris. ¶ 2. Translate usurpatur etiam ad denotandam philosophorum quamdam sectam. Fuerunt enim philosophi ab Antisthene profecti, teste *Cic.* 3. *Orat.* 17. 62., ita dicti a Cynosarge gymnasio, ubi versabatur Antisthenes, vel a κύνας *canes*, quasi canini, a canina mordacitate, qua in hominum vitia nullo discrimine invehebantur, sive quod canum more in propatulo et vesci, et ventrem exonerare, et coire non dubitarent. Hi physicam et dialecticam tollebant, solique morali incitebantur, repudiabant liberales artes, maxime geometriam et musicam. — Hinc *cynicum consularem* ex verbis P. Clodii vocat seipsum *Cic.* 2. *Att.* 9., quia is, non minus ac philosophi Cynici, in Clodium dicteriis amarulentis mordax esset. *Plaut. Pers.* 1. 3. 42. Cynico esse e gente parasitum probe. *Tac.* 16. *Ann.* 34. Illustrium virorum feminarumque cœtus frequentes (*quæstor*) egerat, maxime intentus Demetrio Cynicæ institutionis doctori. *Petron. Satyr.* 14. Ipsi, qui Cynica traducunt tempora cœna, Nonnunquam nummis vendere verba solent. *h. e.* vilioribus cibis, et parco ac sordido victu. — Hinc

Cynicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est cynicæ sectæ philosophus. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 68. Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientiam dicunt, si quis ejusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit: alii nullo modo. *Id.* 3. *Orat.* 17. 63. Deinde ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici. *Id.* 1. *Off.* 35. 128. Nec vero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici pæne Cynici, qui reprehendunt et irrident. Adde *Varron. fragm.* p. 291., 330. et 332. *Bip. Horat.* 1. *Ep.* 17. 18. namque Mordacem Cynicum sic eludebat, ut ajunt. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 67. Non doluit patria cynicus procul esse Sinopeus. *Juvenal.* 13. 121. Et qui nec cynicos, nec Stoica dogmata legit A Cynicis tunica distantia. Ubi *Scholiast.* Dicit Cynicorum et Stoicorum dogma convenire, tantum veste distare. Nam Cynica mater est hæresis Stoicæ. *Id.* 14. 309. Dolia nudi ardent Cynici. *h. e.* Diogenis, qui nudus in dolio habitasse fertur.

CȲNĬŎLA, æ, f. 1. herba eadem, quæ tithymalus, seu lactuca. *Veget.* 4. *Veterin.* 16. Lactuca marina, quam Græci cyniolam vocant, admixto sale imponitur. *Schneiderus* tamen legit *tithymalum*.

CȲNĬPHIUS. *V.* CINYPHIUS.

CȲNISMUS, i, m. 2. κυνισμός, vita cynica. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 2. *a med.* Julianus in libro suo, quem de Cynismo conscripsit, docens, quomodo sacras fabulas decet fingi, dicit oportere harum veritatem abscondi.

CȲNŎCARDĂMON, i, n. 2. κυνοκάρδαμον, herba eadem ac nasturtium caninum. *Apul. Herb.* 20.

CȲNŎCAUMA, ătis, n. 3. κυνόκαυμα, æstus caniculæ: a κύων *canis* et καῦμα *æstus*. *Plin. Valerian.* 3. 14. *ad fin.* Diebus exceptis, quando sunt cynocaumata.

CȲNŎCĔPHĂLĒA vel

CȲNŎCĔPHĂLĬA, æ, f. 1. κυνοκεφαλαία, herba canino capiti similis, al. osirites, ad omnia venena efficax. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (58). Hanc *Apul. Herb.* 87. *cynocephalion* vocat. De synonymia *V.* OSIRITES.

CȲNŎCĔPHĂLĬON, ii, n. 2. *V.* voc. præced.

CȲNŎCĔPHĂLUS, i, m. 2. κυνοκέφαλος, qui est canino capite. ¶ 1. Cynocephali sunt simiæ capillatæ, canino capite: quarum lacte vivere Nomades quosdam in Africa, *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (190). tradit. Meminit etiam 8. *ibid.* 54. 80. (216). et 37. *ibid.* 9. 40. (124). Dicti sunt a κύων, κυνὸς *canis*, et κεφαλή *caput*. *Cic.* 6. *Att.* 1. *sub fin.* Erat præterea cynocephalus in essedo: nec deerant onagri. — Hinc de hominibus feris ac monstrosis dixit *Isid.* 11. *Orig.* 3. 15. et 12. *ibid.* 2. 32. ¶ 2. Apud *Tertull. Apolog.* 6. Cynocephalus est Anubis, quia caput caninum habet. Adde *Minuc. Fel.* in *Octav.* 22.

CȲNŌDON, ontis, adject. comm. gen. κυνοδών. *Cynodontes* Græcis sunt dentes, qui a Latinis canini appellantur, quod acuminati sint in formam dentium canis. — *Cynodontes* sunt etiam *portentosi homines, quibus gemini procedunt dentes*, ut ait *Isid.* 11. *Orig.* 3. et *Solin.* 1.

CȲNŎGLOSSOS, i, f. 2. *vel etiam* cynoglossa, æ, f. 1. κυνόγλωσσον, herba, lingua canina dicta a *Celso* 5. 27. *sub fin.*, quod folia habet caninæ linguæ similia: a κύων, κυνὸς *canis*, et γλῶσσα *lingua*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 41. (81). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 336.) hanc exhibet synonymiam: Κυνόγλωσσον Dioscor. 4. 120.; Σκυλόγλωσσον, ἡ γουργουγλάννης Græcor. recent.; et *Cynoglossum* Plin. l. c. et Apul. c. 9. tit. 2. sunt *Cynoglossum officinale* L. Spec. plant. 192. Addit præterea: *Herba affinis cynoglosso, fructu lappæ*, Plin. l. c. et *Elatine* Trag. 196. sunt *Myosotis Lappula* L. Spec. plant. 189.

CȲMŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a cyma, parva cyma. *Plin. Valerian.* 1. 44. Cymulis coriandri.

CȲNŌĪDES. *V.* CYNOMYIA.

CȲNŌLYSSOS, i, f. 2. κυνόλυσσος, rabies canina. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 9. Andreas hydrophobiam cynolysson vocavit, velut ex rabie canina morbum conceptum.

CȲNŌMAZON, i, n. 2. κυνόμαζα, a κύων *canis*, et μάζα *offa*: est herba sic appellata, quod in offa data canes enecat. *Apul. Herb.* 109.

CȲNŌMŌRĬON, ii, n. 2. κυνομόριον, herba eadem quæ orobanche, a similitudine canini genitalis: a κύων, κυνὸς *canis*, et μόριον *genitale*. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 80. (162). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 161.) hanc exhibet synonymiam: Ὀροβάγχη Dioscor. 2. 172.; Ὀροβάγχη, οἱ δὲ κυνομόριον Ejusd. in Nothis; Λύκος Græcor. recent.; et *Orobanche* et *Cynomorion* Plin. l. c. sunt *Orobanche caryophyllacea* Smith Trans. philosoph. vol. 4. 169., vel *Orobanche ramosa* L. Spec. plant. 882.

CȲNŌMYĬA, æ, f. 1. quadrisyllab. κυνόμυια, unum ex nominibus psyllii, quæ herba est radice tenui, supervacua, (*h. e.* nullius in medicina usus), sarmentosa, fabæ granis in cacuminibus, foliis canino capiti non dissimilibus, (unde et *cynoides* dicta est, a κυνοειδὴς *cani similis*) semine autem pulici: unde et nomen; a κύων, κυνὸς *canis*, et μυῖα *musca*, *pulex*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 90. (140). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 361.) hæc ait: «Rien de plus absurde que la description donnée par Pline pour le *Psyllion*. – La description de Dioscoride est au contraire fort bonne, et – on peut donner, sans hésiter, la concordance synonymique suivante: Ψύλλιον Dioscor. 4. 70; Ψυλλέχορτον; et *Psillium*, *Cynoides*, *crystallion*, *sicelion*, *cynomyia* Plin. l. c. sunt *Plantago Psyllium* L. Spec. plant. 167.».

CȲNŎPHĀNES, um, m. plur. 3. κυνοφανεῖς, monstrosi homines caninis capitibus: a κύων *canis*, et φαίνω *appareo*: iidem sunt ac cynocephali. *Tertull. Apolog.* 8. Apud *eumd.* 1. *ad Nation.* 7. *in fin.* legitur *cynopennæ*.

CȲNŌPOS inter pisces marinos, vel potius zoophyta, memoratur a *Plin.* 23. *Hist. nat.* 11. 53. (147).; et legitur in editione *Sillig.*, qui hanc vocem ex Cod. Bamb. recepit; vulgati libri eam omittunt. *V.* locum *Plinii* in CYNOSDEXIA.

CȲNOPS, ŏpis, f. 3. κύνωψ, herbæ genus spicatæ, eadem ac canaria. *V.* CANARIUS. Eam memorat *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 61. (101). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 67.) hæc ait: «*Cynops.* La tradition nominale semble conduire directement au *Plantago Cynops* des modernes. C'est une sorte de plantain fort commune dans toute l'Europe méridionale, et jusque vers le bords du Rhin. Cette détermination cependant laisse encore des doutes».

CȲNORRHŌDA, æ, f. 1. *vel* cynorrhodon, i, n. 2. κυνόῤῥοδος. ¶ 1. Est rosa silvestris contra canis rabidi morsus efficacissima: a κύων *canis*, et ῥόδον *rosa*. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 74. (121). Alia est cynorrhoda, quam etc. *Id.* 25. *ibid.* 2. 6. (17). Radix silvestris rosæ, quam cynorrhodon vocant. Adde *eumd.* 29. *ibid.* 4. 30. (94). et 25. *ibid.* 10. 77. (125). et alibi. *Veget.* 5. *Veterin.* 83. 2. *Schneid.* Specialiter prodest, si radium cynorrhodæ (*Schneid.* leg. *cynorrhodon*) idest herbæ, quæ appellatur rosa canina, effoderis. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 275.) ad *Plin. loc. cit. lib.* 24. ait: «Le *cynorrhodon* est le fruit de l'églantier sauvage». Et ad *Plin. loc. cit. lib.* 25. (*Ibid. p.* 318.) addit: «La rose sauvage ne peut être comparée à la rose des jardins, mais elle est loin néammoins d'être sans attraits. Les fleurs sauvages reçoivent du lieu où on les voit un nouvel agrément. – La rose sauvage, qui étale tout le luxe de sa floraison dans le grand nombre de ses étamines dorées, dans le brillant coloris de son fruit et dans la suavité de son odeur, a le droit d'arrêter aussi les regards. Plus modeste que la rose à cent feuilles, mais enteurée de fleurs plus modestes encore, la rose sauvage est toujours la reine des fleurs dans les localités où elle se plaît à vivre. Peu sensibles à la beauté de cet arbrisseau, les Grecs lui avaient donné le nom de κυνόσβατος, rosa de chien, pour exprimer le peu de cas qu'ils en faisaient. Il est surprenant que l'églantine, si souvent célébrée par nos poètes, n'ait pu attirer l'attention des poètes grecs». *V.* CYNOSBATOS 1. ¶ 2. Item flos lilii rubentis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (24). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 11.) ait: «Le nom de *cynorrhodon*, donné à la fleur du lis, du *Lilium rubens*, a été plus spécialement appliqué à un rosier. Hesychius adopte ce nom de *cynorrhodon* pour le lis rouge: Κυνόῤῥοδον, inquit, κρίνον ὅμοιον ὑακίνθῳ.

CȲNOSBĂTOS, i, f. 2. κυνόσβατος. ¶ 1. Est genus rubi, fructum subrutilum pariens malo Punico similem. Est autem planta inter fruticem et arborem, rosæ non absimilis. Ejus meminit *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 71. (179). Est a κύων *canis*, et βάτος, ἡ *rubus*, *sentis*. Unde et *caninus rubus* dicitur a *Pallad.* 1. *R. R.* 34. *circa med.*; et *sentem canis* Latine appellari docet *Colum.* 11. *R. R.* 3. 4. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 400.) hanc exhibet synonymiam: *Rubus rosæ similis qui vocatur cynosbatos* Plin. loc. cit.; Κυνόσβατος Hipp. Ulc. 875. et Theophr. 3. 18. et Κυνόσβατον Dioscor. 1. 123. (*quam aliqui oxyacantham appellant*) sunt *Rosa canina* L. Spec. plant. 704. Itaque *Fée* rejicit *Sprengelii* sententiam, cui *cynosbatos* est *Ribes nigrum* L. ¶ 2. Item aliud genus rubi folium habens vestigio hominis simile, de quo hæc protulit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 74. (121). Fert et uvam nigram, in cujus acino nervum habet: unde et neurospastos dicitur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 275. et 276.), postquam multa de *Plinii loc. cit.* disseruit, ait: «Le mot *neurospastos* peut rentrer sans inconvénient comme synonyme du mot *cynospaston*». Et *p.* 276. hanc exhibet synonymiam: Κυνόσπαστος Ælian. 24.; Κυνόσπαστος seu Ἀγλαοφωτὶς Ejusdem 27.; Ἀγλαοφωτὶς Democrit. teste Plin. loc. cit. et Ælian. 27.; et *Pæonia seu Aglaophotis* Apul. de Metam. c. 64. sunt *Pæonia corallina* L. ¶ 3. Item capparis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 23. 44. (127). et 24. *ibid.* 14. 74. (121). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 132.), postquam *capparis* synonymiam exhibuit, quam *V.* loco suo, ait: «*Cynosbaton.* Mûres de chien. On ne peut, sans erreur, comparer les fruits du câprier aux mûres; mais on peut croire, avec Oribaze, que ce nom lui a été donné à cause des aiguillons dont la tige est armée; ils sont recourbé à la manière de ceux qu'on trouve sur les ronces».

CȲNOSDEXĬA, æ, f. 1. κυνὸς δεξία, piscis marinus, vel potius zoophyton. Est a κύων *canis*, et δεξία *dextra*. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (147). Extra hæc sunt rotundæ in oleario usu cochleæ, cucumis, cynopos, cammarus, cynosdexia.

CȲNŌSORCHIS, is, f. 3. κυνόσορχις, *h. e.* caninus testiculus, herba est foliis oleæ mollibus ternis parvisque, semipedis longitudine, in terra stratis, radice bulbosa, oblonga, duplici ordine, superiore, quæ durior est, inferiore, quæ mollior. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 42. (65). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 444.) *cynosorchis* est eadem herba quæ *orchis*: itaque de synonymia *V.* ORCHIS.

CȲNŌSŪRA, æ, f. 1. κυνὸς οὐρά, sidus septentrionale septem stellis constans, quarum una in infima cauda posita polus vocatur, per quem locum ipse mundus existimatur versari. *V.* ARCTOS. — Dicta est quasi *canis cauda*, a κύων *canis*, et οὐρά *cauda*, quia quas habet a tergo stellas, ita dispositæ sunt, ut rectam canis caudam efficere videantur. *Cic. Arat.* 2. *Nat. D.* 41. 104. Ex his altera apud Grajos Cynosura vocatur, Altera dicitur esse Helice. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 66. Ego vero ipse – meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram, – sed ad Helicem et ad clarissimos Septentriones. *Id.* 2. *Nat. D.* 41. 106. Paribusque stellis, similiter distinctis eumdem cæli verticem lustrat parva Cynosura. — Hanc maxime servabant in navigando Tyrii et Sidonii, ut Græci Helicem. *Ovid.* 3. *Fast.* 107. Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sidoniis, Helicen Graja carina notet. Adde *eumd.* 4. *Trist.* 3. *init.* *Val. Flacc.* 1. 17. neque enim in Tyrias Cynosura carinas Certior, aut Grajis Helice servanda magistris. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

CYNŌSŪRA OVA, κυνόσουρα ὠά, Græca appellatione quidam vocarunt ova sterilia et inania, cum gallinæ incubationem dereliquere: sed hoc solummodo veris tempore: quæ et *Zephyria* dicta sunt, quod quidam ea vento putant generari. Hæc ex *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 80. (167). Hæ autem significatione deducuntur ab οὖρον *urina*, quasi sint urina canis: unde et *urina ova* appellantur. *Id.* 10. *ibid.* 58. 79. (158).

CYNŌSŪRIS, ĭdis, f. 3. κυνοσουρίς, ad Cynosuram sidus pertinens: etenim adjective tantum occurrit. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 7. Stellis Cynosuridos Ursæ. Adde *Avien. Arat.* 442. *Germanic. phænom. Arat.* 184. Cepheos extremam tangit Cynosurida caudam.

CYNOZŌLON, i, n. 2. κυνόζολον, herba alio nomine chamæleo appellata, quia cum terra colores mutat, nigri coloris, a quibusdam et cynozolon vocatur propter gravitatem odoris, vim habet necandi ricinos canum. Hæc ex *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (47). Est autem a κύων *canis*, et ὄζη *odor*, *fœtor*. De synonymia *V.* CHAMÆLEON.

CYPĀPHĀPII *vel potius* Cypapaphii, ōrum, m. plur. 2. (a κύπη *foramen*, vel κύπτω *inclinor*, et Πάφιος *Venereus*) molles, cinædi, impudici, præposteram Venerem patientes. *Firmic.* 7. *Mathes.* 16. *a med.* In omni vero genitura, si Luna in cauda Leonis fuerit inventa, cinædos efficiet, matris deorum cypapaphiis servientes.

CYPĀRISSÆ *et rectius*

CYPĀRISSIÆ, ārum, f. plur. 1. κυπαρισσίαι appellantur acies quædam igneæ, quæ noctu apparere solent ad similitudinem cupressi. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 15. 4., et *Paul. Diac. p.* 51. 13. et *p.* 64. 2. *Müll.*

CYPĀRISSĬAS, æ, f. 1. genus tithymali. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 43. (70). Quintum genus cyparissian vocant, propter foliorum similitudinem, caule gemino aut triplici nascentem in campestribus. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 397.) hanc exhibet synonymiam: Τιθύμαλλος κυπαρισσίας Dioscor. 4. 165.; *Tithymalus cyparissias* Plin. loc. cit. et *Chamæcyparissos*, Ejusd. lib. 24. sunt *Euphorbia Cyparissias* L. Spec. plant. 660.

CȲPĀRISSĬFER, fĕra, fĕrum, adject. cyparissos ferens, cyparissis abundans. *Sidon. carm.* 23. 417. Quantum non cyparissifer Lycæus.

CȲPĀRISSOS, i, f. 2. herba quædam verbenacea. *Apul. Herb.* 3.

CȲPĀRISSUS, i, f. 2. κυπάρισσος, est Græca positione, pro Latina *cupressus*. *Virg.* 3. *Æn.* 680. Aeriæ quercus, aut coniferæ cyparissi. Adde *eumd.* 2. *G.* 84. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

CȲPĒRIS, ĭdis, f. 3. *V.* voc. seq.

CȲPĒROS, i, m. *vel* cyperon *et Latina positione* cyperum, i, n. 2. κύπειρος, et κύπερος, et κύπειρον. *Cypĕron*, sed perperam, habet *Marcell. Empir.*, cujus loc. cit. *V.* in SAGAPONON. — Cyperos juncus est angulosus, juxta terram candidus, cacumine niger pinguisque, folia habens porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ est semen. Radix olivæ nigræ similis est: quam, cum oblonga est, cyperida vocant, magni in medicina usus. Odorem habet nardum imitantem. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 70. (117). — *Celsus* 3. 21. *ante med.* et 4. 20. juncum quadratum appellat. — Neutro genere. *Varro* 3. *R. R.* 16. 13. Faba, lens, cyperum, medica. *Petron. Satyr.* 127. Emicuere rosæ, violæque et molle cyperon. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 20. 5. Nisi forte hæc ad *cypirum* pertinent, quam vocem vide infra: nam facile confunduntur. Consule botanicos. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 74.) ad *Plinii* loc. cit. ait: «Il est bien évident qu'il s'agit d'un *cyperus* par la synonymie. Nous croyons que, dans le passage commenté, il est question de deux espèces de souchet; celui qui a une racine noire de la grosseur d'une olive, *radix olivæ nigræ similis*, est le *Cyperus rotundus*; l'autre, dont la racine est plus allongée et se nomme *cyperis*, est le *Cyperus longus* L. Ce deux plantes sont peu différentes et croissent dans toute l'Europe australe et en Ægypte; mais, dans cette dernière région, le *Cyperus longus* est rare; du moins Delille (*Flor. ægypt.*) ne le mentionne que sur l'autorité de Wahl; ainsi le *cyperus* qui vient de *prope Ammoniacum* serait le *Cyperus rotundus* L.

CȲPHI, is, n. 3. κῦφι, ab *Hieronym.* 2. *in Jovinian. n.* 8. enumeratur inter odoramenta cum amomo, œnanthe, musco, et aliis. Est autem compositio suffimenti, quo Ægyptii sacerdotes utebantur in sacris: cujus componendi rationem, et usus aliquot in medicina tradit *Dioscorides l.* 1. *c.* 24. Adde *Scribon. Compos.* 70.; et *V. Jablonski Opusc. T.* 1. 117.

CȲPĪRUS, i, f. 2. κύπειρος. Legitur et *cyperus*; et herba est, Latine *gladiolus*, radice bulbosa, odore nardo simili, varii que usus in medicina. Ea radix dulcis est, et decocta panem etiam gratiorem facit, et ponderosiorem, simul subacta. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 70. (117). et *ibid.* 17. 67. (107). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 70.) hanc exhibet synonymiam: Ξίφιον Homer. Iliad., Theophr. Hist. plant. 6. 7. et 7. 11. où cet auteur lui donne l'épithète de φάσγανον, comestibile, et Dioscor. 4. 20.; Σπαθόχορτον Græcor.

recent. et *Gladiolus* et *cypirus* Plin. locc. citt. sunt *Gladiolus communis* L. Spec. plant. 52. Mox addit: «Quelques auteurs ont pensé que ce *gladiolus* était l'*hyacinthus* de Virgile, auquel ce poète donne les épithètes de *suaveolens* et *ferrugineus*, et sur les fleurs duquel on lit les prémiers lettres du nom d'Ajax. Nous avons essayé de faire prévaloir une autre opinion».

CYPRESSĪNUS, a, um, adject. Est recentior forma pro cupressinus. *Interpr. vulgat. Cant.* 1. 16. Laquearia nostra cypressina.

CYPRESSUS, i, f. 2. Est recentior forma pro cupressus. *Interpr. vulgat. Eccli.* 24. 17. Et quasi cypressus in monte Sion. *Charis.* 1. *p.* 9. *Putsch.* Hæc cypressus, hujus cypressi. *Isid.* 17. *Orig.* 7. 34. Antiqui cypressi ramos prope rogos constituere solebant.

CYPRĔUS, a, um. *V.* CUPREUS.

CYPRĬARCHES, æ, m. 1. præfectus Cypri. *Interpr. vulgat.* 2. *Machab.* 12. 2. Sed hi, qui resederant, Timotheus et Apollonius Gennæi filius, sed et Hieronymus et Domophon super hos, et Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere et quiete.

CYPRĪNUS, a, um, adject. κύπρινος, ad cyprum arborem pertinens. — Hinc

Cyprinum, *i*, n. 2. κύπρινον absolute (subaudi *unguentum*, aut *oleum*) est unguentum, quod fit ex semine ejus, cocto in oleo, deinde expresso: quod et *cyprus* vocatur. Optimum habetur e Canopica in ripis Nili nata: secundum Ascalone Judææ: tertium Cypro insula, odoris suavitate. Porro ipsa arbor habet ziziphi folia et semen coriandri candidum et odoratum. Ita *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 51. (109). describit. *Id.* 13. *ibid.* 1. 2. (11). cyprinum memorat ex cypro et omphacio, et cardamomo, calamo, aspalatho, abrotono: quibus alii addunt myrrham et panacem. Meminit etiam *Celsus* 2. 33., ubi recenset inter ea, quæ calefaciunt, et 4. 20. Adde *Theod. Priscian.* 1. 8.

CYPRĪNUS, i, m. 2. κυπρῖνος, est nomen piscis marini, qui ita dictus videtur a Cypride, *h. e.* Venere. Est enim tantæ fecunditatis, ut sexies in anno parere dicatur a *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (162). Quidam vocant Italice *reina*: quam recte, ipsi viderint.

CYPRĬUS, a, um, adject. ad Cyprum pertinens. *V.* ONOM. Hinc — ¶ 1. *Cyprium æs*, vel *Cyprium*, *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, ita dictum, quod in Cypro insula prius repertum est, fit ex lapide æroso, quem cadmiam vocant, et est ductile: cui si addatur plumbum, colorem purpureum acquirit. Ita *Isid.* 16. *Orig.* 19. ex *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 20. (98).: Itali vocant, ut opinor, *ottone*. Adde *Vitruv.* 7. 11. 1. *Schneid.* et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 2. (4). *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). Teritur in Cypriis mortariis. *h. e.* ex ære Cyprio factis. *Id.* 28. *ibid.* 8. 27. (95). Medicamentum asservare in Cypria pyxide. *Id.* 23. *ibid.* 3. 37. (74). Cyprium vas. *Id.* 33. *ibid.* 5. 29. (93). ærugo. *Pallad.* 8. *R. R.* 5. bidentes. *Scribon. Compos.* 37. Reponitur pyxide æris Cyprii. ¶ 2. *Cyprius pes* metricus quinque syllabis constat, brevi, longa, duabus brevibus, et longa, ut *amabilitas*. Huic contrarius est *Anticyprius* habens longam, brevem, duas longas et brevem, ut *pertimescebat*. *Diomed.* 3. *p.* 479. *Putsch.*

CYPROS *vel* cyprus, i, m. 2. κύπρος, arbor Ægyptiaca, unde fit oleum et unguentum, de quo *V.* in CYPRINUS *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 51. (109). et 23. *ibid.* 4. 46. (90). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 51.) hanc exhibet synonymiam: כֹּפֶר Cant. cant. 1. 14.; Κύπρος Dioscor. 1. 125. et *cyprus* Plin. loc. cit. sunt *Lawsonia inermis* L. Spec. plant. 478.

CYPRUM, i, n. 2. Sabina lingua significabat bonum. *Varro* 5. *L. L.* 159. *Müll.* Vicus Cyprius a cypro, quod ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine id appellarunt: nam cyprum Sabine bonum. Cf. *Liv.* 1. 48.

CYPRUS, i, m. 2. *V.* CYPROS, et ONOM.

CYPSELLUS, i, m. 2. κύψελλος. Cypselli sunt aves ex genere hirundinum, Italice *rondoni*, dictæ etiam *apodes*, quia carent usu pedum. Dictas volunt, quia nidos faciant cistularum instar. Nam κυψέλη *cistulam* significat. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 39. 55. (114).

CYRNĔA. *V.* HIRNEA.

CYRNĔĀRĬUS, ii, m. 2. fortasse est qui cirneas, seu hirneas facit et vendit. *Inscript.* apud *Gruter.* 643. 2., quæ est apud *Orell.* 4178. T. FLAVIO AVG. LIBERTO EPAPHRODITO CYRNEARIO A VIC. FVR.

CYSOPHARMĂCUM, i, n. 2. medicamentum natibus vel podici utile: a κύσος *nates, podex*, et φάρμακον *medicamentum*. Legitur hæc vox apud *Theod. Priscian.* 4. *p.* 312. ed. *Ald. Manut.*

CYSTHOS, i, m. 2. κύσθος, pudendum muliebre. *Auson. Epigr.* 123. Dum cysthon costonque putas communis odoris. *cysthon* est Accusat. Græcæ positionis.

CYTHION, ii, n. 2. κύθιον, collyrium quoddam apud *Cels.* 6. 6. *n.* 7. In quibusdam editionibus Græce scribitur.

CYTĪNUS, i, m. 2. κύτινος, primus partus mali Punici florere incipientis, *h. e.* calyx, in quo flos et malum latet: a κύτος *cavitas*, *cavus sinus*. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 59. (110). et *Cels.* 5. 19. 15.

CYTIS, is, f. 3. κύτις, gemma candida circa Copton nascens, quæ videtur intus habere petram, quæ sentiatur etiam strepitu: a κύτος *cavitas*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154). *Sillig.* legit *cyitis*.

CYTĪSUS, i, m. et f., *et* cytisum, i, n. 2. ¶ 1. Est genus fruticis, qui nascitur inter campos, et silvas, pabulo pecudum, maxime vero ovium et caprarum conveniens, apibus etiam gratissimus. Multa de eo *Colum.* 5. *R. R.* 12. et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 24. 47. (130). *Cato R. R.* 43. Cytisum seritur in terra subacta. *Varro* 2. *R. R.* 2. 19. Maxime amicum cytisum, et medica. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 1. 17. *Virg.* 1. *Ecl.* 79. Florentem cytisum et salices carpetis amaras. *Id.* 2. *ibid.* 64. Florentem cytisum sequitur lasciva capella. *Id.* 2. *G.* 431. Tondentur cytisi, tædas silva alta ministrat. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 1. Excepta cytiso, de qua dicemus. *Id.* 5. *ibid.* 12. 1. Cytisum in agro esse maxime refert, quod omni generi pecudum utilissimus est. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 6. 1., 8. *ibid.* 4. 2., 9. *ibid.* 4. 2. et *Arbor.* 28. *Fl. Avian.* 26. Sed cytisi croceum per prata virentia florem etc. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 137.) hanc exhibet synonymiam: — I. *Cytisus apibus et capellis gratus*: Κύτισος Theocr. Idyll. 5. 128. et Dioscor. 4. 113.; Κύτισος Hesych. Lexic. et *Cytisus* Virg., Colum. et Plin. locc. citt. sunt *Medicago arborea* L. Sp. et *Cytisus Marantæ* Lob. Icon. t. 2. p. 46. — II. *Cytisus ligno nigricante*: Κύτισος Theophr. Hist. plant. 1. 9. et 4. 5. et de Causis 6. et *Cytisus ligno colore nigro ad ebenum accedens* Plin. 16. Hist. nat. 40. 76. (204). sunt *Cytisus Laburnum* L. Spec. plant. 1041. ¶ 2. Juxta cl. *Fée*, loco nuper cit., est etiam alius cytisus, ligno colore nigro ad ebenum accedens, de quo *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (204). — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

CYTŌNĬUM. *V.* COTONEUM.

FINIS TOMI PRIMI.